NAZIONALE
8
12 K
3
VITT. EMANUELE
ROMA
35. 6 H.
7-2-1

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

8. 12. K. 3

Digitized by Google

D. O. M.

AVGVSTISSIMÆ

TRINITATI PERSONARUM

VNA DIVINITATE

ÆTERNUM REGNANTI IN COELO, TERRA,

& ſubter Terram,

NEC NON

AVGVSTÆ CÆLORVM REGINÆ,

MATRI DEI,

VIRGINI MARIÆ

SANCTISSIMÆ PATRONÆ,

Cæteriſque Sanctiſſimorum Angelorum & Hominum beatiſſimis exercitibus, potentiſsimisque.

DOMINIS SUIS,



Humillimè dedicat præſentem hunc laborem & ſumptus in eundem factos

HERMANNUS DEMENIUS,

CIVIS ET BIBLIOPOLA COLONIENSIS.

Digitized by Google

ELENCHUS OPERIS.

HORTUS PASTORUM in V. Libros partitus, De Fide, Spe, Charitate, Sacramentis, Virtutibus & Vitiis,

CANDELABRUM Mysticum de Sacramentis Ecclesiæ doctrinam illustrans: & post singulos Tractatus Resolutiones casuum pro Sacramentorum administratione.

VIRGA AARONIS in quatuor sectiones partita. I Directio vitæ sacerdotalis. II. Tractatus septuplex de 7. Vitiis Capitalibus & Virtutibus oppositis. III. Summarium omnium Resolutionum Pastoralium in 10. Præcepta Decalogi, in 7. Vitia Capitalia pro Confessionibus audiendis. IV. Praxis Catechistica & Index quadruplex, 1. Generalis omnium tractuum, lectionum, ac propositionum, 2. Concionatoribus pro Dominicis & Festis, 3. Historialis, 4. Rerum & Verborum hoc opere contentorum.

Omnia exemplis selectis tam sacris, quam profanis, marginalibus & citationibus ad usum Pastorum, Concionatorum, Catechistarum, Confessariorum adornata, aucta & emendata.

AD

Digitized by Google

AD BENEVOLUM LECTOREM.

MIRABERIS forsan, cur post tot eruditorum scripta in Doctrinam Christianam, hæc mea in lucem dederim: imò morosa fortè censura censebis, me vel vani nominis auram captare, vel magnorum aurem; ut ad majora vim mihi possim sternere, hæc eis dicando. Hoc nempe ævo multorum animus quasi nova parturiens, & multorum calamus scripturiens, causa est; ut plerique severiori quà par est censura, sacros etiam scriptores vanitatis aut ambitionis nota ustulent. Hanc ne mihi affrices, consultum judicavi prius me ab ea purgare, & scriptionis ac editionis Libri hujus rationes motivas, in ejus fronte appendere. Certè non ivi inficias, quin hominum animus valde lubricus sit ad gloriæ vanitatem, quodque illa operibus etiam sacris sæpius occultè sese insinuet: adeò ut & sanctitatis sectatores, & verbi Dei Præcones, & rerum divinarum scriptores, hanc tineam latenter irrepentem & sublimes quercus corrodentem, hanc æruginem optimos & opimos quoslibet fructus depascentem, hanc vulpem parvulam, quæ demolitur floreſcentem vineam, maximè vereri, & observare debeant. Licet enim videantur multi ex pura intentione & zelo honoris divini ac fructus proximi ad multa ferri, sicut tamen vix ignis in sublime fertur, quin statim & fumus jungatur, suliginem generans. Ita etiam igni huic sacro, facilè vanitatis caliginosus fumus se comitem interserit. Quapropter & mihi, & aliis multum sæpius dicere licet:

Huic uni forsan potui succumbere culpæ.

Et quod de se sobrietate dixit Augustinus: *Quis est Domine, qui non rapiatur quandoque extra metas necessitatis?* Ita dicere mihi liceat: *Quis est Domine, qui aliquando non rapiatur extra metas veritatis, ad semitas vanitatis? Quisquis est, magnus est, laudet te Domine: ego autem non sum, quia homo miser & peccator ego sum.* Aug. l. 10. confess. c. 31.

Hoc tamen obsecro, ut amoveat à me Dominus, in hoc opere non meo, sed suo, quod totum ipsius esse volo. Cognomen MERCATORIS præfero, quod à majoribus prosapiæ nostræ inditum, ad me derivatum est: sed stolidus Mercator forem & insipiens Negotiator, si tanto labore qui in libris concipiendis, conscribendis, apta serie digerendis, poliendis, impendi debet, solum fumum aut popularem auram aucuparer: in tanti non emo fumum ventumque evanidum, aut certe emere non debeo. Melius est mihi hoc eodem laboris pretio, fulgidam Æternitatis gemmam mercari, & memoriam in libro vitæ; quam sic laborantibus proponit Deus, dum dicit: *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt tanquam stellæ in perpetuas Æternitates, Qui elucidant me, vitam æternam possidebunt.* Dan. 12. Conatus sum elucidare quæ sunt divinæ Sapientiæ, ut ad justitiam me & alios possim erudire, in illam ergo mercedem mentis figam aciem. Proposui mihi illam melliflui Bernardi sententiam: *Sunt qui scire volunt, eo fine tantum ut sciant, & turpis curiositas est: Et sunt qui scire volunt, ut sciantur ipsi, & turpis vanitas est: Sunt item qui scire volunt, ut scientiam vendant pro pecunia, pro honoribus, & turpis quæstus est: Sed sunt quoque qui scire volunt, ut ædificent, & charitas est: Et sunt qui scire volunt ut ædificentur, & prudentia est.* 3. Eccl. 24. 31. Serm. 36. in Cant. Hunc utrumque postremum scopum mihi adopto, multis rationibus, ut hoc qualis qualis scientiæ specimen ederem, impulsus. Ac in primis cum multas apud me conspicerem dispersas & volatiles chartas, notas tamen selectas continentes, multo labore à me vel conceptas vel collectas tanquam memoriæ adminicula, dum exhortatio vel Catechesis populo foret proponenda; ne fortè illæ sine fructu perirent, existimavi consultum in ordinem eas redigere tanquam solatium futuri laboris. Id ipsum à me frequentissimè postularunt multi Diœcesis nostræ Pastores, & urserunt, ut in publicum exponerem, ut & ipsi fruge aliquam inde delibare possent. Communicato consilio, cum germano fratre meo R. P. PETRO MARCHANT Britannicæ Provinciæ tunc Commissario ac Visitatore Generali, nunc Provinciæ Flandricæ Provinciali, & Ordinis S. Francisci Diffinitori Generali, hanc rem existimavit publico bono cessuram. Accessit & magnus stimulus ac calcar à Viris gravibus, pietate & scientia conspicuis Diœcesis Cameracensis, quos honoris, quem eis debeo, causa, etiam hic nominandos censui. Eruditissimus Dominus Joannes Conspeanus, Conspeani Nantensis Episcopi germanus, Ecclesiæ Metrop. Cameracensis Canonicus, & S. Theol. Licentiatus, multo zelo ut in lucem hæc ederem est hortatus: Reverendus quoque Dominus Petrus du Bois Civitatis Malbodiensis Decanus sive Archipresbyter meritissimus, frequenter & ferventer cum per se, tum per alios, cum verbis, tum epistolis ad id me instigavit. Unde & postremis suis literis sic scribit: *Vidi initia libri vestri & mihi admodum placent: Opus erit vestrum, Labore, fructu, merito, nostrum usu & commodo. Itaque obnixè rogo ut animosè pergat, ut brevi opus completum videamus tamdiu necessarium, & diu expetitum, in bonum Ecclesiæ, & subsidium Pastorum.*

Sed dices: Multi extant de eodem argumento libri doctissimi? Fateor. Nam & multos vidi & pervidi, volvi & revolvi, non omnes tamen eundem scopum habent. Aliqui Theologicè tractant & velut scholasticè, medullam Theologiæ continentes. Id præclarè præstitit inter recentiores M. N. Jacobus Bayus Lovanii Professor, dum Theologiæ operam navarem, Sed quæ hoc modo tractantur, ita ferè erudita sunt,

Digitized by Google

ut magis è pulpitis Scholarum Theologiæ candidatis, quàm è Cathedris Templorum, communi populo proponi possint. Alii de eodem argumento contra hæreses insurgentes scribunt,& objectionibus eorum diluendis,& Catholicæ doctrinæ confirmandæ insudant. Alii denique integras formant Conciones in Doctrinam Christianam: quod etiam non improbo, nisi quod sæpius proprio eorum palato magis sapiant, quam alieno,multi enim alligatos sermones fastidiunt,maluntque doctrinæ sibi proponi Notas, & substantiam tum moralem, tum doctrinalem, ex quibus ipsi suo marte suas fabricent Conciones, ordine, quem congruum sibi judicabunt. Alii denique,nulla ex gestis Sanctorum exempla suppeditant, quæ tamen exhortationi & Catechismo multum decoris & efficaciæ conferũt. *Sic unusquisque in suo sensu abundat*,diverso palato di ersus sapit cibus. Ego hos omnes Scriptores complector,veneror,& ex parte sequor:partim tradens doctrinam Theologicam & fundamentalem, partim illam suis locis contra hæreses stabiliens, partim & maximè moralem proponens populo accommodatam,quæ ad justitiam erudire nata est,& à vitiorum erroneo gressu,ad virtutum directum tramitem extimulare. Et hanc quoque doctrinam, multis Sanctorum exemplis conatus sum illustrare. Neminem itaque ex orthodoxis Scriptoribus reprobandum duco, quia unusquisque ad Tabernaculi fabricam quod congruere judicat, afferre conatur,si non omnes aurum, argentum,aut gemmas pretiosas,certè pannum & filum,*pelles aut pilos caprarum*, Neque ambigendum,multos ex illis,copiosam messem & vindemiam arcæ aut torculari Domini intulisse,sed utinam mihi omnium minimo liceat dicere: *Et ego novissimus evigilavi,& quasi qui colligit racimos post vindemiatores,in benedictione Dei & ipse speravi,& quasi qui vindemiat replevi torcular*. Hanc benedictionem impertiatur Dominus. Sed ne gloria sua defraudem authores,qui mihi ad hoc opus concinnandum auxilio fuere,eorum hic subjicere libet, & brevem catalogum attexere.

Inter Scripturæ interpretes post sanctos & antiquos Ecclesiæ Patres usus sum Jansenio, Titelmano, Jansonio,Baradio,Viegas,Salasar,Ribera,& Cornelio à Lapide, cujus quondam auditor fui, dum Lovanii sacras literas doceret.

Inter Theologos post D. Thomam & Cajetanum, usus sum Bellarmino,Suarez, Clario, Torres, Maldero, qui tres postremi quondam fuêre mei in Theologia Professores, quorum commentariis Theologicis fruor.

Inter Concionatores,auxilio mihi fuit Pepinus,Granatensis, Diez,Stella, Vega,Inchino, Stapletonus, Osorius,Valderama,Costerus,& maximè Labata,& Carthagena.

Inter Catechistas, usus sum Canisio, Sonnio,Fælisio,Nidero,Bayo,& Claudio Thuet omnium recentissimo.

Inter Authores librorum spiritualium,aliqua suppeditarunt Kempis,Blosius,Harphius, Platus, Aponte, Sales,Salo,Salutio,& Roderiquez,Bruno,Baldesanus,sed maximè Granatensis.

Inter Historicos usus sum Baronio,Bozio,Surio,Molano,Florimundo, Speculo Exemplorum, & maxime d' Averoultio in quatuor Tomos latine jam aucto,& Ribadeneira in Floribus Sanctorum.

Licet verò non solum ex meo agro aut fodina,sed & aliunde lapides,ligna,calcem adduxerim, ut hoc ædificium erigerem,non tamen deneges meum esse,est enim juxta ideam meam,meo labore, arte,manu, erectum,dispositum,consummatum. Et nemo jure negabit, Hortum illius esse, qui eum possidet, fodit, colit, ordinat & ornat; licet aliunde aliqua semina,herbas,frutices,flores, arbores illuc adduxerit quas resecando, purgando, excolendo,ibi seminarit vel plantarit. Sed cum parum sit serere,plantare,rigare, colere, nisi etiam incrementum sumant,& fructum producant; & hoc non ab humana,sed à Deo proveniat,non meus hortus est,sed illius qui omnia in omnibus operatur,quem ex animo illi refero,& iterato consecro, ut ipse det incrementum. Tu verò utere fæliciter,& pro me precare. Fave,Vale.

VENE-

Digitized by Google

VENERANDIS ANIMARUM PASTORIBUS UTRAMQUE SALUTEM APPRECATUR.

EXHIBEO *tandem vobis* Venerandi Confratres, *Hortum Paſtoralem, floridum & ſuaveolentem, multorum votis diu expetitum. Opto ut non ſolùm oculorum, ſed & mentis ſagaci acie illum perluſtretis, antequàm de illo judicium feratis. Et rogo, ne nimis facili & moroſa cenſurâ ei præjudicium invehatis Diſtinxi illum, in Lectiones Morales tanquàm in diverſas Areolas, fœcunda varietate doctrinæ, quaſi polymitis floribus adornatas. Invenietis ibi ex amœno & fertili ſacræ Scripturæ agro, floridas ſententias; modo brevi ſtilo digeſtas, modo prolixiori diſcurſu, juxtà peritiſſimorum Interpretum mentem, explicatas. Invenietis etiam ex Hagiographorum divite vena, ex Sanctorum Patrum ſcriptis, melliſluas auctoritates ſuavi varietate animum oblectantes. Denique, invenietis in hoc Horto Exempla ſelectiſſima, maximè ex geſtis Sanctorum, ſuis locis adaptata, quæ Auditorum animos efficaciter alliciunt, & piorum corda commovere ſolent, muneriſque ſui commonere. Ex his omnibus, doctrinæ ſacræ faſciculos colligere poteritis, & in ordinem redigere, pro Catechiſmis aut Concionibus, aliiſque functionibus Paſtoralibus, ritè, & cum fructu plebis vobis commiſſæ, obeundis. Hic vobis ſuggeritur ſeges copioſa, ut amplos manipulos, & meſſem fœcundam areæ Domini inferatis. Hic laboris mei ſcopus fuit, fructus veſter, & animarum: Quam ut aſſequerer, ſecutus ſum, quoad potui, ſtylum methodumque facilem, materiamq; fructuoſam: Documentorum enim moralium delectum feci, quæ tantò efficaciùs in animos influunt, quanto familiariùs populo proponuntur. Itaque non tam mihi cura fuit tractare & proponere ſubtilia, quàm utilia, nec tam diſerta, quàm fortia, & ad pietatem efficacia, & quæ non tam pruritum auribus, quàm animis Dei timorem imprimere forent apta. Interſerui tamen etiam ſuis locis quædam ſublimia quia doctis & indoctis debitor ſum; ſicq; volui etiam ex parte ſatisfacere illis, qui apud illos differunt, qui perfecti callent:* Elementa exordii ſermonum Dei, quibus opus eſt non lacte, ſed ſoliori cibo, *ad quos docebat Apoſtolus:* Sapientiam loquimur inter perfectos. *His ergò hæc ſublimia ſervient, ſic omnibus conatus ſum prodeſſe, nulli deeſſe. An tamen profecerim, & ſcopum meum aſſecutus fuerim, alii judicabunt. Solent progenitores etiam deformes liberos amare, ita & nos liberos noſtros: Ideoq; malo, ut liber hic, aliorum de ſe judicium ſciſcitetur. Interim pro labore meo precem rependite, & ſacrificiorum veſtrorum me participem efficite, ut onus paſtorale imbecillibus humeris meis incumbens, non ſit onus illud, de quo Propheta:* Onus Babylonis, *ſive onus confuſionis, quod mihi aliquando coràm Domino confuſionem parere poſſit. Sed enixiùs rogate, ut cum venerit* Princeps Paſtorum, immarceſſibilem *vobiſcum dignus ſim* gloriæ Coronam *percipere in beata illa Æternitate,* Ea vete, Valete.

DE

Digitized by Google

DE OFFICIO
PASTORALI
COLLATIO SACRA.

Habita Climaci coràm Illuſtri & R. D. Chriſtophoro à Blocquerie Archidiacono Famennæ, & Leodienſi Cancellario in Synodo Paſtorum.

Eſto Exemplum fidelium in verbo, in converſatione, in charitate, & caſtitate, 1. ad Tim. 4.

REVERENDI VIRI,

Gen. 1. QUOD initio creationis à Plantis requirebat Deus, ut unaquæque produceret germen ac fructum, juxtà genus ſuum; idipſum ab unoquoque fideli exigit. Sumus enim ſacræ Plantæ Horti ejus Myſtici, ſive Eccleſiæ. Et ita unuſquiſque juxtà ſtatum & vocationem ſuam, debet in hoc Horto fructu[illegible] ferre. Si autem requiras, quid à ſtatu noſtro ſacerdotali requirat Deus? Rectè dixero: Idem gemmen & fructum, quem olim Virga Sacerdotalis legitur produxiſſe.

Num 17. De illa habetur Numerorum 17. quod turgentibus gemmis, *eruperant flores, qui foliis dilatatis, in amygdalas deformati ſunt.* Produxit ergò folia, flores, fructus: Producat & vita Sacerdotalis, folia, ſcientiæ & doctrinæ, flores converſationis odoriferæ, fructum charitatis omnigenæque virtutis. An non hoc ipſum eſt, quod Apoſtolus in præmiſſis verbis proponit: *Eſto*, inquit, *exemplum in verbo*: Ecce folia. *In converſatione*: Ecce flores. *In charita-[illegible] caſ[illegible]*: Ecce fructus. In tres ergò partes diſtri-[illegible] hortatio.

[illegible] declarabo quomodò Sacerdos Exemplum debeat eſſe in verbo.

In ſecunda, quomodò debeat eſſe Exemplum in converſatione.

In tertia, quomodò Exemplum erit in charitate & caſtitate.

PRIMA PARS.

PRimum quod exigit Apoſtolus ab illis, quibus aliorum cura commiſſa eſt, illud eſt, ut verbum fidei, inſtructionis, ſaluris, ſedulò miniſtrent. *Eſto*, inquit, *Exemplum Fidelium in verbo.* Ab hoc utique miniſterio Paſtores dicimur, quia cibum animæ, mentis pabulum cælicam alimoniam gregi Domini exhibemus. Undè & illos, qui hoc munus negligunt, acriter arguit Dominus per Prophetam: *Væ Paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos: Nonne* Ezech. 34 *greges à Paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, lanis cooperiebamini, gregem autem meum non paſcebatis.* Ubi illud *Væ*, comminatio maledictis, mortiferam culpam indicat, juxtà regulam interpretationis Scripturarum.

Ad hos etiam cum vehementia clamat Zacharias: Zach. 11. *O Paſtor & Idolum!* Quis Paſtor eſt, qui ſimul & idolum eſt? Nonne is, qui velut idolum mutum *Os habet & non loquitur, oculos habet & non videt, pedes & non ambulat, guttur & non clamat?* Quis rerum ille, niſi is, qui rudes non inſtruit, depravatos plebis mores non attendit, contra vitia non inclamat, & præter figuram exteriorem & nomen Paſtoris, reliquum inane eſt ſimulachrum? O ergò *Paſtor & Idolum!* Alia lectio habet, *O Paſtor nihili!* q. d. O Paſtor nullum fructum ferens gregi, & tamen propriam quærens gloriam, quaſi idolum vis honorari! Hanc ſi velis evitare querelam & maledictionem: *Eſto Exemplum in verbo, &c.* Si non foret unum ex primariis officiis noſtris verbo Dei animas paſcere non cum tanta verborum acrimonia adjuraret ſuum Timotheum Apoſtolus: *Teſtificor coràm Deo & Chriſto Jeſu, per adventum ipſius & regnum ejus: Prædica verbum, &c.* Poſſetne acrioribus verbis, aut majori cum Emphaſi, rem graviſſimi momenti deſignare, commendare, inculcare? 2. Tim. 4. 1.

Sed nonne & ab hoc munere Speculatores à Domino dicimur? Ad nos dirigitur illud: *Fili hominis Speculatorem dedi te, audies de ore meo verbum, & annunciabis eis.* Quare Speculatores? Quia in ſublimi conſtituti ſumus, ut aliis invigilemus, & quaquaverſum circumſpicientes, quicquid ad ſalutem eorum ſpectat, annunciemus.

Velut

Digitized by Google

Velut in ſpecula ſumus, ut vocis noſtræ clangore, dormientes ſuſcitemus, benè certantes animemus, incautè ad præcipitia ruentes moneamus, hoſtium ſpiritualium modò fraudulenta arte irrepentium, modò violento Mare irrumpentium inſidias & inſultus detegamus. Deniq; ut impiis judicium, mortem, vindicem Domini gladium jam eorum cervicibus incumbentem nunciemus.

Speculatorem ergò dedi te: Sed ſi non annuntiaveris, *Sanguinem animarum de manu tua requiram.* Ergone parvi periculi eſt, animarum curam ſuſcipere, quandoquidem de qualibet pereunte adeò ſtrictam exigimur rationem? Vis ſcire quàm ſtrictam? Hier. 13. Attende verba Domini per Hieremiam: *Ubi eſt grex qui datus eſt tibi, pecus inclytum tuum? Quid dices in die quando viſitaberis? Nonne dolores quaſi parturientes apprehendent te?* Utique tibi dicetur tunc: Gen. 4. 9. *Ubi eſt frater tuus?* Sed non erit tibi dicere cum Cain: *Nunquid cuſtos fratris mei ſum ego?* Utraque Serm. 3. de Adv. enim tibi committitur, inquit Bernardus, & tua, & proximi conſcientia. *Utriuſque à te exigitur cuſtodia, & in hoc pandus timoris quod noſtra ſalus nota, utraq; obſcura, utraque inſcrutabilis, utraque quaſi nox eſt.* Iſa. 20. Undè & illud Iſaiæ dirigitur ad te, *cuſtos quid de nocte? cuſtos quid de nocte?*

Vis verò ſcire quomodò ſecurum te reddas, dum de fratre pereunte exigeris rationem? Docebit te Auguſtinus. Ser. 45. de verbis Domini *Tota*, inquit, *ratio, qua nos ſecuros facit, erit: Tu ſcis Domine, quia clamavi; ſcis quia non tacui, ſcis quo animo dixi, ſcis quia flevi tibi cum dicerem, & non audirer.* Si vis ergò ſecuritatem, *eſto exemplum Fidelium in verbo*, arguens, obſecrans, increpans in omni patientia & doctrina.

Jud. 3. Neque tamen dicimus neceſſarium eſſe, ut curam animarum habens, ſciat tractare verbum Dei utraque manu, ut ajunt, ſicut Aod gladium ſuum. Non requirimus, ut ſublimioribus Concionibus incumbat, quæ ſæpè ad plebis captum parum ſunt accommodæ, ſed tantùm ut pro aliorum captu annunciet cum facilitate & brevitate ſermonis, vitia & virtutes, pœnam & gloriam, fidei & pietatis rudimenta.

Notabilis eſt ſententia hac de re R. P. Emmanuelis Sà: *Negligentia magna Parochi in docendo ad ſalutem neceſſaria mortalis eſt, & paſſim magnus abuſus eorum, qui contenti docuiſſe Symbolū latinè, non explicant populo rudi myſteria fidei, præſertim Trinitatis & Incarnationis, tantoperè ad ſalutem neceſſaria. Va Epiſcopi, va Parochis, va Prælatis.* Ita ille V. Parochus.

Multi certè ignorant, imò in his ſtupidè errant, & utinam ob id non pereant. Undè & Apoſtolus & Tridentinum (& Synodus noſtra Leodienſis ſub interminatione cenſurarum) requirit, ut parvulis panem frangamus, & lac demus infirmis in Chriſto. Simplex illa inſtructio & rudis doctrina catechiſtica cum facilitate propoſita, longè fructuoſior eſt, involutis illis & altis ſermonibus. Hoc indicatum exiſtimo verbis illis Canticorum: *Meliora ſunt ubera tua vino fragrantia unguentis optimis.* Cant. 1. Quod ut intelligas, adverte ex uberibus lac exprimi: Chriſti ergò *ubera*, lac illud dulce Doctrinæ Chriſtianæ, & facilis doctrinæ continent, & exprimunt. *Vinum* verò deſignat myſteria illa altiora, ad quæ quilibet non eſt capax, ſicut nec ad vini uſum, ob cerebri debilitatem. Illud ergò lac melius eſt & fragrantiùs (velut unguenta pretioſa rudi populo,) quam vinum ex cellariis Sponſi, id eſt, quam ſublimia & alta ex Scripturis involutè propoſita.

Eſto ergò ô Timothee! ô Sacerdos! ô Paſtor! *Exemplum Fidelium, in verbo* inſtructionis, monitionis, correctionis, ſalutis.

PARS SECUNDA.

PRoſequitur Apoſtolus & dicit. *Eſto exemplum in converſatione.* Debet ergò vita Sacerdotalis tanquam virga Aaronis, non tantùm folia, ſed & flores & fructus producere; debet non tantùm doctrinam ſed & converſationem odoriferam habere. Quid enim juvant verba doctrinæ ſacræ & ſalutaris, ſi converſationis exemplo infructuoſa reddantur. De his qui benè docent, & male operantur dici poteſt: *Vox quidem, vox Iacob eſt, ſed manus ſunt Eſau:* Vox pii viri, ſed opera ejus, opera ſunt hominis impii, qui ſciunt & docent, ſed non faciunt, ferunt ſecum literas mortis, literas Uriæ. *Litera ſunt ſine ſigillo, ſcientia ſine viva, & ideò non creditur ei,* inquit D. Thomas. Gen. 2. 7.

Conqueritur Dominus per Ezechielem: *Cum puriſſimam aquam haberitis, reliquam pedibus turbatis, & oves mea, quod pedes veſtri turbaverunt, hac bibebant.* Præfatione in Ep. Jacobi. Ezech. 34.

Aliqui ex ſacris fontibus Scripturæ, puram aquam hauriunt, ſed greſſu mali operis & pravæ converſationis, quaſi pedibus illam turbant, inquit Gregorius, ſicque turbatam ovibus proponunt, de his conqueritur ibi.

Eſto ergò ô Paſtor, *Exemplum in converſatione*, ut ſis velut primarium exemplar, cui alii ſe conformet: Et velut ſpeculum nitidum, in quo maculas ſuas & nævos conſpiciant & corrigant. Denique velut Regula & Norma, ad quam actiones ſuas exigant.

Apte mihi videntur Sapientes Ægyptii, vitam Sacerdotis, Horologii ſimilitudine expreſſiſſe. Horologium enim omnium actiones regulat, ejus cauſa ordinatè vivunt, & operantur omnia cum ordine, ſi in motu celeriùs ſit aut tardiùs, ſit quædam confuſio. Ita ad Sacerdotis vitam, quaſi ad Horologii motum, cæteri ſe conformant & excitantur. Si confuſio & inordinatio in ejus motu reperiatur, ita & ſtatim in aliis.

Et ad hoc Horologium Exodi 28. appendi jubentur quatuor tintinnabula, tum jubentur appendi ad veſtem Sacerdotis, ut etiam in incеſſu ſuo ſonitum det, & alios moneat. Utique capite ad

Digitized by Google

calcem uſque, circumſpiciunt nos ſæculi homines, actiones explorant, greſſus conſiderant, dicta & facta dijudicant. Noſmetipſos igitur circumſpi-
2. Cor. 6. ciamus. *Nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum*, inquit Apoſtolus. Nullum enim majus præjudicium, quam a ſacer-
Gregor. dotibus tolerat Deus, inquit S. Greg *quando eos,*
Hom. 17. *quos ad aliorum correctionem poſuit, dare de ſe exem-*
in Luc. 10 *pla pravitatis cernit, quando ipſi peccamus, qui peccata compeſcere debuimus. Nulla animarum lucra quærimus, ad noſtra ſtudia vacamus, terrena concupiſcimus, humanam gloriam intentâ mente captamus: & eo ipſo, quo cæteris prælati ſumus, ad quælibet agenda majorem licentiam ſumimus, & ſuſcepta benedictionis miniſterium vertimus ad ambitionis argumentum.* Ita Greg.

Acris certè reprehenſio, ferrum acutum, tangens ulcus, ut erumpat ſanies. Gravis cenſura, quam ut
1. Pet. 5. evadamus, ſequamur monitum Apoſtoli Petri. *Paſcite quæ in vobis eſt gregem, forma facti gregis ex animo:* forma (inquit S. Thomas, explicans hunc locum) ad cujus aſpectum informentur alii, & con-
Gen. 30. cipiant fœtus ſimiles diverſarum virtutum; ſicut ad aſpectum virgarum in canalibus, oves Jacob concipiebant agnos diverſi coloris, juxta colores, quos ante ſe in virgis illis conſpiciebant.

Eſto ergò, ô Timothee! Sacerdos! ô Paſtor! exemplum Fidelium, non tantùm in verbo, ſed & in converſatione florida & odorifera, quia ſæpè fit, ut dum Paſtor per abrupta graditur, quod ad præcipitium grex ſequatur.

TERTIA PARS.

Eſto & Exemplum in charitate & caſtitate. In charitate quidem gemina Dei & proximi, debet enim Sacerdos quodlibet miniſterium obiens, ad illud moveri zelo honoris divini, & zelo ſalutis proximi. Quia nihil habet viriditatis ramus boni operis, niſi prodeat ex hac gemina radice charitatis. Nec valorem aut pretium habet apud Deum bona operatio, niſi in hoc gemino *pondere Sanctuarii.* Cæteræ virtutes ſine hac gemina charitate, nec animam habent, nec vitam, nec Deo placent, nec illum placant: ita ut de caſtitate dixerit
Bern. ep. 42. Bernardus; *Caſtitas ſine charitate, lampas eſt ſine oleo. Tolle oleum, lampas non lucet, tolle charitatem, caſtitas non placet.*

Hæc verò virtus maximè ab illis exigitur, qui curam animarum ſuſcipiunt, quia ſi ex dilectione illam ſuſcipimus, fratri noſtro defuncto Chriſto, ſemen ſuſcitamus, ejuſque Sponſæ Eccleſiæ filios ſpirituales gignimus, & tanquam Dei cooperatores, Electorum numerum implemus.

Hinc dum primario paſtori, in illo cæteros erudiens, gregem committit, terriò interrogat Chriſtus de dilectione, *quia is qui præeſt,* inquit
S. Chryſ. Chryſoſtomus, *tantum debet excellere charitate, quantum Sanctuarium eligebatur, cæteros præcellebat cu-*
poris magnitudine, ab humeris nempè & ſurſum. Ad hanc etiam trinam de dilectione interrogationem alludens Bernardus: *Diligis inquit me pluſquam tua,* Bern. ſer.
plus quam tuos, plus quam te? Paſce oves meas, & 2. de reſur.
tertiò paſce, exemplo paſce converſationis, paſce verbo Domini.
prædicationis, paſce fructu orationis. Paſce dicitur, non mulge vel tonde, non quærens quæ tua ſunt, ſed quæ JESU Chriſti. Eſto ergò exemplum in charitate, ut poſſis cum Apoſtolo dicere: *Superimpendam* 2. Cor. 12.
& ſuperimpendar pro animabus veſtris, licet plus diligens minus diligar.

Eſto denique *exemplum in charitate:* Hæc eſt enim Sacerdotis præcipuum ornamentum & decor: Hæc dilectum Deo & hominibus reddit Sacerdotem, imò velut ſimilem in gloria Sanctorum, licet adhuc in Regione diſſimilitudinis agentem: quia de homine velut Angelum conſtituit. *Vas* Bernard.
fragile, quod portamus, in quo & crebrò pericli tamur; Epiſt. 4.
tenet caſtitas, in ſanctificationem, ut monet Apoſtolus, & inſtar odoriferi balſami, carnem & mentem tenet incorruptam, ne diſſolvatur otio, ne corrumpatur deſideriis, ne voluptatibus computreſcat; ſicut de quibuſdam dicit Scriptura: *Computruerunt ut jumenta in ſtercore ſuo.*

O quam neceſſarius eſt miniſterio noſtro hic decor caſtitatis. Hæc veſtis polymita Joſeph, qua & mentis & ventris lumbos præcingamus!

Quod ſi antiqua lege clamabatur, teſte Iſaia: Iſaiæ 52.
Mundamini qui fertis vaſa Domini. Quantò magis nobis, qui electiſſima vaſa Sanguinem Chriſti continentia [Sacramenta ſcilicet] tractamus, quo populus electus aſpergitur, ut poſſit eſſe *ſine macula,* Levit. 10.
ſine ruga, in ſanguine Agni? Mundamini ergò, qui fertis vaſa illa Domini: Mundamini per caſtitatis ſanctificationem. Utinam non reperiantur aliqui, qui hæc vaſa indignè & immundè tractent! Utinam non reperiantur eò prorumpentes audaciæ, ut non vereantur eodem ore contingere, iiſdem manibus contrectare de nocte filiam Veneris, de die filium Virg. Hi ſunt, qui cum Nadab & Abiu, accedunt ad ſacrificium in igne alieno, cum concupiſcentiæ libidinoſo igne: & ideò vetari debent, ne ſicut illi, flammâ à Domino egrediente abſumantur.

Eſto ergò, ô Timothee! ô Sacerdos! ô Paſtor! Exemplum in caſtitate, cave incautâ converſatione illam inficere, imò vel minimâ ſuſpicionis labe, eam periclitari ne permitte.

S. Cyprianus toto illo libello aureo, quem de ſin- Cypr. l. de
gularitate Clericorum inſcripſit, graviſſimis queren- ſing. Cle-
dis acerrimisque verbis nos admonet alterius ſexus ricorum.
conſortium velut contagium devitare, ad hanc virtutem tuendam. *De carbonibus,* inquit, *ſcintilla diſſiliunt, de ferro rubigo nutritur, de veſtimentis procedit tinea, de mulcere peccati aculeus, ſibilus concupiſcentiæ, fomes peſtilentiæ.*

Senex quidam inſtruens Religioſum in Prato In vitis
ſpirituali, *Chariſſime,* inquit, *attende, quia Salex* PP. l. 10.
aqua c. 217.

Digitized by Google

æquus eſt, & ſi appropinquat aqua, continuò ſolvitur & deficit: Et monachus ſimiliter ex muliere eſt, & ſi appropinquat mulieri, ſolvitur & ipſe. Breve quidem, ſed argutum & acutum documentum.

S. Aug. S. Auguſtinus verè aliorum periculo nos terrere volens: *Experto*, inquit, *crede, coram Deo non mentior, Cedros libani, Duces gregum, ſub hac peſte occidiſſe reperi, de quorum caſu non magis ſuſpicabar quàm aut Hieronymi aut Ambroſii.* Labentium ergo ſubverſio & tantorum virorum exitium moneat nos, & à præcipitio dimoveat. Nimirum præceps eſt, qui tranſire contendit, ubi alium conſpexerit cecidiſſe? & vehementer infrænis, cui timor non incutitur, altero perunte.

Exemplum igitur eſto in caſtitate: Si enim cæleſtem illum Domini panem penè quotidiè debes Levit. 21. offerre, attende quid in lege ſcriptum ſit: *Homo de ſemine Aaron qui habuerit maculam, non offeras panes, nec ſi ſcabiem aut impetiginem habet in corpore.* Scabiem habet, inquit Divus Gregorius, cui carnis petulantia, cui pruriens concupiſcentia dominatur: Talis ergo ſacratiſſimum illum panem non attingat: Talis ad puritatis totius Autorem non accedat.

Num. 17. 8. Sed ut concludam, iterum in medium produco Virgam illam Aaronis, ſchema & ſymbolum Sacerdotalis dignitatis. Cum verò eam intueor, videor mihi poſſe dicere cum Hieremia: *Virgam vigilantem ego video.* Hoc eſt, virgam excitantem nos ad vigilandum, & muneris noſtri nos monentem. Virga illa rectitudinem habet, & rectitudine ſua nos admoneat, ut in moribus noſtris nihil curvum Hier. 3. ſit, nihil præfractum, nihil nodoſum. Virga illa virorem habet & gemmas, virore verò ſuo, & turgentium gemmarum ſuaveolentia, monet ut *Chriſti bonus odor ſimus in omni loco*, ut ait Apoſtolus. Virga illa fructum habet, & fructu ſuo amygdalino monet ut ſicut ante cæteras arbores Amygdalus floret, ita & nos debere cæteris virtutum ſacro germine præflorere. Attendamus ergo Viri Fratres, ſtatum noſtrum, obligationem, dignitatem, celſitudinem, & jungamus ſollicitudinem, Ponderemus illud Sapientis: *Fili, ſi ſpopondiſti, deſpiciſti manum tuam, ligatus es verbis oris tui, diſcurre feſtina ne dederis ſomnum oculis tuis, ne dormitent palpebræ tuæ.* Spopondimus nos pro grege, pro ſalute devincti ſumus; ergo curæ ſuſceptæ fidem præſtemus, urget enim nos periculum animarum noſtrarum. Tanquam cuſtodes conſtituti vigilemus, quia non debet *dormitare*, Pſ. 120. *neque dormire qui cuſtodit Iſrael*; non enim domitabit, neque dormiet, qui impugnat Iſrael. Sed quia, *niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam*, ad quem Domine, niſi ad te recurremus? Tu ergo qui juſſiſti ſeptuaginta ſeniores Iſrael à Moyſe convocari ad oſtium Tabernaculi, ibique illis tuum ſpiritum largiri dignatus es: Tu inquam hodie nobis, qui eorum perſonam gerimus, congregaris coram tabernaculo ſanctiſſimi Sacramenti ſpiritum & zelum impertire, ſplendore illuſtra, ſapientia rege, ut monitis ſalutis, converſationis & pietatis exemplis, munus noſtrum ſic exequamur ſanctè, ut cum apparuerit Princeps Paſtorum, immarceſſibilem ab illo percipiamus gloriæ Coronam. 2. Cor. 2.

INDEX GENERALIS

Tractatuum, Lectionum, Propoſitionum Libri I.

TRACTATVS PRIMVS.

De Fide Chriſtiana, & illis quæ ad illam ſpectant.

pag. 1

Lectio 1. De nomine Chriſtiani. 2

P *Propoſitio* 1. Docet diverſa fuiſſe nomina Fidelium. pag. 2

Prop. 2. Diverſa nomina Religioſorum non derogare nomini Chriſtiano. 3

Prop. 3. Quomodo nomen hoc Chriſtiano multos animarit in tormentis. 4

Lectio 2. De obligatione Chriſtiani. 4

Prop. 1. Docet quomodò nomen Chriſtianum nos obliget ad gratitudinem erga Deum. 4

Prop. 2. Quod ſicut hæredes ſumus nominis Chriſti, ita & eum imitari debeamus. 5

Prop. 3. Multos tantum eſſe nomine Chriſtianos, paucos merito vitæ. 5

Lectio 3. De ſigno Chriſtianorum. 6

Prop. 1. Signum Chriſtiani eſſe ſignum Crucis. 6

Prop. 2. Varias proponit utilitates ex hoc ſigno redundantes. 7

Prop. 3. Quomodo ſit efficax ſignum crucis contra dæmonis virtutem. 8

Lectio 4. De Fide Chriſtiana. 9

Prop. 1. Docet quid ſit Fides. 9

Prop. 2. Ad Fidem requiri quoddam lumen ſpeciale. 9

Prop. 3. Jungi ſolere vocationem externam. 11

Lectio 5. De firmitate & integritate fidei, 12

Prop. 1. Docet quomodo fides debeat eſſe firma. 12

Prop. 2. Quomodo debeat eſſe integra. 14

Prop. 3. Quomodo etiam ſe debeat ad traditionem extendere. 15

Lectio 6. De hæreſi, vitio Fidei oppoſito. 19

Prop. 1. Quam grave malum ſit hæreſis. 19

Prop. 2. Quomodo ducat ſæpè ad Atheiſmum. 20

Prop. 3. Quomodo peſtilens ſit malum. 21

Lectio 7. De origine hæreſion. 23

Prop. 1. Hæreſes originem duxiſſe à Cain. 23

Digitized by Google

Index Generalis,

Prop. 2. Hæresim nunquam esse primum peccatum in homine. 23
Prop. 3. Deum justè hæreses permittere. 25
Lectio 8. De Apostolis fidei Fundatoribus. 26
Prop. 1. Fidei primos Fundatores fuisse Apostolos. pag. 26
Prop. 2. Quare illiteratos & ignobiles elegerit Christus. 28
Prop. 3. Illos fundasse fidem non solum prædicatione, sed & sanguine. 29
Prop. 4. Ecclesiam quoque novam in novo orbe sanguine Fidelium fundari. 32
Lectio 9. De Symbolo Apostolorum. 33
Prop. 1. Docet Apostolos hoc Symbolum composuisse. 33
Prop. 2. Articulos Symboli ab hæresibus ordine quodam impugnatos. 34
Prop. 3. Utilis est Christiano symboli hujus frequens recitatio. 34

TRACTATVS SECVNDVS.

Explicatio primæ partis Symboli. 37

Lectio prima.

Prop. 1. Docet naturaliter cognosci Deum esse. 37
Prop. 2. Non posse cognosci a nobis quid sit. 38
Dem. Explicat attributa divina, Æternitatem, Immensitatem, Scientiam, Omnipotentiam, Providentiam prædestinantem & reprobantem, Misericordiam, Justitiam. 68. & seqq.

1. *Articulus* 1. Credo in Deum.

Lectio secunda.

Prop. 1. Docet Deum unum esse in natura. 51
Prop. 2. Trinum esse in personis. 52
Prop. 3. Trinitatis mysterium credendum esse non scrutandum. 53
Lectio 3. Continet explicationem particularem verborum primi Articuli. 54. Credo in Deum Patrem omnipotentem.
Prop. 1. Quid significet Credo. 54
Prop. 2. Quid sit credere in Deum. 55
Prop. 3. Continet explicationem vocis, Patrem. 56
Prop. 4. Continet explicationem vocis, Omnipotentem. 57
Lectio 4. De Creatione Cæli & terræ. 57
Prop. 1. Docet creationem esse primum effectum potentiæ Dei. 58
Prop. 2. Deum sola bonitate sua inductum ad creandum. 59
Prop 3. Beneficium creationis mitè nos Deo obligare. 60
Lectio 5. De creatione Angelorum. 61
Prop. 1. Docet Angelos creatos primo die in gratia. 61
Prop. 2. Numerum Angelorum superare numerum hominum. 61
Prop. 3. Deum per Angelos hæc inferiora regere. 62
Lectio 6. De custodia Angelorum. 63
Prop. 1. Docet vana esse beneficia corporalia Angelorum erga nos. 63
Prop. 2. Declarat beneficia eorum spiritualia. 64
Prop. 3. Beneficia specialia erga castitatis sectatores. 66
Lectio 7. Quando inchoet & finiatur Angelica custodia. 66
Prop. 1. Docet inchoare à nativitate nostra. 66
Prop. 2. In morte hanc nobis maximè opportunam esse. 67
Prop. 3 Etiam post mortem durare. 67
Lectio 8. De creatione hominis. 68
Prop. 1. Docet hominem creatum ad imaginem Dei. 68
Prop. 2. Creatum fuisse in gratia & justitia. 69
Prop. 3. Creatum cum perfecta scientia & dominio. 71
Prop. 4. Hominem si non peccasset fore immortalem. 71

TRACTATVS TERTIVS.

Explicatio Articulorum spectantium ad secundam Trinitatis personam. 73
Lectio 1. Hæc lectio est introductoria. 73
Primò docet magnum esse mysterium incarnationis 73. Secundo fructuosam esse ejus frequentem considerationem. 73
Lectio 2. De necessitate Incarnationis. 75
Prop. 1. Docet legem naturæ fuisse insufficientem ad salutem. 75
Prop. 2. Legem Moysis etiam fuisse insufficientem. pag. 75
Prop. 3. Gratiam Christi fuisse necessariam. 76
Lectio 3. De causa Incarnationis. 77
Prop. 1. Docet non fore incarnationem nisi fuisset peccatum. 77
Prop. 2. Convenienter secundam personam incarnati. 78
Prop. 3. Dilectionem Dei causam fuisse incarnationis. 79
Lectio 4. De perfecta satisfactione Christi. 80
Prop. 1. Docet cur potius hominem liberarit quam Angelum 80
Prop. 2. Nullum præter Christum potuisse satisfacere pro peccato. 81
Prop. 3. Christum perfectè satisfeciſſe. 81
Lectio 5. De dignitate hominis ob incarnationem. 83
Prop. 1. Docet humanam naturam non potuisse altius sublevari. 83
Prop. 2. Hominis beatitudinem perfectionem accepisse per incarnationem. 84
Prop. 3. Totum universum quandam dignitatem ex incarnatione sortiri. 84
Lectio 6. De desideriis SS. Patrum. 85
Prop. 1. Docet incarnationem ardenter ab eis petitam. 85
Prop. 2 Convenienter tamen dilatam. 87
Prop. 3. Convenientissimo tempore illam factam 88
Lectio 7. 88
Articulus 2. Et in Jesum Christū de nomine Jesu. 88
Prop. 1. Docet Jesus esse nomen proprium. 89
Prop. 2. Illud impositum a Patre. 89

Lectio

Digitized by Google

Lectio 8. De dignitate nominis Jesu. 90
Prop. 1. Docet reliqua nomina Christi in illo comprehendi. ibid.
Prop. 2. Esse titulum glorioſum Chriſto. 93
In festo Nominis Jesu, *Thema*, Oleum effusum nomen tuum ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis, ibid. In eodem festo. In sole posuit tabernaculum suum. 95
Lectio 9. De hoc nomine Christus. 97
Et in Jesum Christum.
Prop. 1. Docet Christum nominari, quia unctus ut Sacerdos. 97
Prop. 2. Quia unctus ut Rex. 98
Prop. 3. Quia unctus ut Propheta. 99
Lectio 10. De Dominio Christi. 100
Filium ejus unicum Dominum nostrum
Prop. 1. Docet Christum esse Filium Dei naturalem unigenitum. 100
Prop. 2. Multis titulis esse Dominum nostrum. 101
Lectio 11. De Conceptione Christi. 101
Artic. 3. Qui conceptus est de Spiritu Sancto.
Prop. 1. Docet quare conceptionem Christi præcesserit Annuntiatio Angeli. 102
Prop. 2. Illam factam fuisse statim post concensum Virginis. 104
Prop. 3. Multa miracula concurrere in illa conceptione. 105
Prop. 4. Conceptionem factam virtute Spir. S. 106
Lectio 12. De Christi Nativitate. 108
Qui natus est de Maria Virgine.
Prop. 1. Quare natus in Bethleem. 108
Prop. 2. Quare reclinatus in præsepio. 109
Prop. 3. Non sine mysterio Christus elegit tempus nativitati suæ. 110
Lectio 13. De fructu Nativitatis Christi. 111
Prop. 1. Docet quomodo per eam fides nostra perficiatur. 112
Prop. 2. Quomodo spes nostra perfectionem accipiat. 113
Prop. 3. Quomodo charitas & amor per illam in nobis augeatur. ibid. Pro die Nativitatis Domini Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera Matris meæ, ut inveniam te foris, & deosculer te & jam nemo me despiciat. *Cant.* 8. 114
Thema. Apparuit gratia Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, &c. 116
Lectio 14. Natus ex Maria Virgine. 117
De Virginitate Mariæ.
Prop. 1. Docet Mariam esse Virg. ante partum. 117
Prop. 2. Mansisse in partu. 118
Prop. 3. Mansisse Virginem post partum. 119
Lectio 15. De modo Nativitatis ex Virgine. 120
Prop. 1. Docet quomodo Nativitas Christi fuerit sine Matris dolore. ibid.
Prop. 2. Quomodo summo cum illius gaudio. ibid.
Prop. 3. Quomodo summa cū puritate puerperæ. 121
Lectio 6. *Artic.* 4. Passus sub Pontio Pilato.
De quinque mysteriis dolorosis De 1. Mysterio. 122
Prop. 1. Docet cur Christus in horto passionem inchoarit. 123
Prop. 2. Quomodo ibi angustiatus sudarit. 124
Prop. 3. An ille sudor fuerit miraculosus. 125
Lect. 17. De flagellatione 2. Mysterio doloroso. 126
Prop. 1. Quomodo flagellatio Christi injusta fuerit ignominiosa. 126
Prop. 2. Quomodo fuerit crudelissima. 128
Prop. 3. Quomodo facta fuerit ad columnam, ibid.
Lectio 8. De 3. Mysterio doloroso. 129
Prop. 1. Docet cur Christus voluerit corona spinea coronari. 130
Prop. 2. Quàm acerbos illi intulerit dolores. 130
Prop. 3. Quare coronæ arundo & purpura adjuncta fuerint. 131
Lectio 9. De Mysterio doloroso. 133
Prop. 1. Docet quomodo crucis bajulatio gravis fuerit Christo. ibid.
Prop. 2. Explicat prophetias & figuras de illa. 135
Prop. 3. Ostendit cuilibet Christiano bajulandam crucem. 136
Lectio 20. De 4. Mysterio doloroso. 139
Prop. 1. Docet Mysteria contenta in cruce Christi ib.
Prop. 2. Quam acerbos tulerit dolores in crucifixione. 140
Prop. 3. Quomodo elevatio hæc in crucem figurata fuerit. 142
Lectio 11. De Morte Christi. 143
Prop. 1. Quomodo Christus quando voluit mortuus sit. ibid.
Prop. 2. Quare inclinato capite sit mortuus. 144
Prop. 3. Quomodo mortuo latus apertum sit. 146
De vulneribus manuum 146. De vulneribus pedum. 147. De Vulnere Lateris. 148
Lectio 22. Et sepultus est De sepultura Christi. 149
Prop. 1. Docet esse juris naturæ mortua corpora honorificè sepelire. ibid.
Prop. 2. Quomodo Christi sepultura fuerit honorificata. 150
Prop. 3. Gloriam sepulchri oriri ex ipso Corpore Christi. 152
Lectio 23. *Articulus* 5. Descendit ad inferos.
De descensu Christi ad Limbum. 153
Prop. 1. Docet animam Christi realiter descendisse ad inferos. ibid.
Prop. 2. Docet Christum descendisse ad locum purgatorii. 154
Prop. 3. Docet Christum ad inferos damnatorum non descendisse. ibid.
Lectio 24. Tertia die resurrexit à mortuis. De Christi Resurrectione. 155
Prop. 1. Docet resurrectionem Christi esse unum ex primis articulis fidei. ibid
Prop. 2. Quomodo tertia die resurrexit, & qua horâ. 156
Prop. 3. Docet Christum resurrexisse cum corporis integritate. 157. De cicatricibus Christi resurgentis. 118
Lectio 25. De fructu Resurrectionis. 159
Prop. 1. Docet quomodo cœlum & terram lætificarit. ibid.

Digitized by Google

Prop 2. Docet quomodo fidem & ſpem noſtram confirmarit. 160
Prop. 3. Quomodo propter juſtificationem noſtram reſurrexerit. 161
Lectio 26. De apparitionib. Chriſti reſurgentis. 164 De prima apparitione 194. De ſecunda apparitione, ibid. De tertia apparitione. 165. De quarta apparitione, ib. De quinta apparitione. 166. De ſexta apparitione. 167. De aliis apparitionib. 169
Lectio 27. De aſcenſione Chriſti, 170. *Artic.* 6. Aſcendit ad cælos ſedet ad dextram Dei Patris. ib.
Prop. 1. Docet Chriſtũ cũ triumpho aſcendiſſe. 171
Prop. 2. Docet locum, tempus & modum aſcenſionis ejus. 174
Prop. 3. Docet quem fructum ex ejus aſcenſione habeamus. 173. Deſcriptio triumphi Chriſti in aſcenſione ex Iſaia per modum dialogi inter Chriſtum & Angelos 172. Deſcriptio ſimilis ex Pſalmiſta. 173
Lectio 28. De Chriſto Judice. 177. *Artic.* 7. Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos. ibid.
Prop. 1. Docet eſſe aliquod particulare judicium in morte. ibid.
Prop. 2. Ultra illud convenienter fieri aliud univerſale. ibid.
Prop. 3. Docet quo loco & tempore illud fier. 180
Lectio 29. De ſignis antecedentibus judicium, ac primò de Antichriſto. 181. Declaratur hac lectione Nativitas Antichriſti. ibid. Malitia Antichriſti, ibi. doctrina Antichriſti, 183. Imperium Antichriſti, ibid. Mors Antichriſti. 184. De Enoch & Elia Præcurſoribus judicii. ibid.
Lect. 30. De ſignis terribilibus judicium præcedentibus. Agit hæc lectio primò de ſignis in ſole, luna, & ſtellis. 185
Secundò de apparitione crucis. 187
Lectio 31. De illis qui comparebunt in judicio. 188
Prop. 1. Docet omnes homines comparituros. ibid.
Prop. 2. Malos à bonis ſeparandos. ibid.
Prop. 3. Inter bonos ordinem etiam quendam fore. 189
Lectio 32. De examine futuri judicii 190. Hæc lectio docet examinanda merita & demerita, peccata occulta & aliena, dona & beneficia. ibid.
Lectio 33. De ſententia judicis, 192. Explicatio ſententiæ pro electis: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod paratum eſt vobis à conſtitutione mundi. ibid.
Lectio 34. Explicatio ſententiæ pro reprobis: Ite maledicti in ignem æternum. 194
De æternitate ignis. 189

TRACTATVS IV.

Explicatio Articulorum ſpectantium ad tertiam Trinitatis perſonam.

Lectio 1. De perſona Spiritus ſancti. ibid.
Articulus 8. Credo in Spiritum Sanctum. ibid.
Prop. 1. Docet Spiritum Sanctum æqualem eſſe Patri & Filio. ibid.
Prop. 2. A Patre Filioque procedere. 198
Prop. 3. Hunc eſſe Spiritum vivificantem. 200
Concio moralis de Spiritu S. pro die Pentecoſtes. 201. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. *Pſal.* 142. ibid
Lectio 2. De apparitione Spiritus Sancti. 203
Prop. 1. Docet apparuiſſe in forma columbæ. ibid.
Prop. 2. Apparuiſſe in ſpecie nubis. 250
Prop. 3. Apparuiſſe in ſpecie ignis. 207
Gratia Spiritus S. ſignificata per aquam. 205
Gratia Spiritus S. ſignificata per rorem. ibid.
Gratia Spiritus S. ſignificata per vinum. 106
Gratia Spiritus S. ſignificata per pluviam. ibid.
De linguis igneis. 208
Lectio 3. De diverſa acceptione Eccleſiæ. 209
Artic. 9. Credo ſanctam Eccleſiam Catholicã. ib.
Prop. 1. Docet Eccleſiam aliquando accipi ut complectatur omnes Fideles ab initio ſæculi. ibid.
Prop. 2. Sæpius accipi pro Eccleſia novi teſtamenti. agitque de ejus differentia à veteri. ibid.
Prop. 3. Docet illam ſemper manifeſtam fuiſſe & viſibilem. 211
Lectio 4. De variis nominibus quæ ſcriptura tribuit Eccleſiæ. ibid.
Lectio 5. De unitate Eccleſiæ. 213
Prop. 1. Docet unam eſſe Eccleſiam etiam ab initio mundi. ibid.
Prop. 2. Quomodo ſit una Eccleſia novi teſtamenti. 214
Prop. 3. Quomodo Eccleſia Lutheri aut Calvini non ſit una. 215
Lectio 6. De Sanctitate Eccleſiæ. 217
Prop. 1. Docet cur Eccleſia dicatur ſancta. ibid.
Prop. 2. Docet in Eccleſia etiam impios contineri. 218.
Lectio 7. De Eccleſiæ univerſitate à qua dicitur Catholica 219. Declarat hæc Lectio multas rationes ob quas Catholica dicitur. ibid.
Lectio 8. Declarat hæc Lectio quare Eccleſia dicatur Apoſtolica. 221
Lectio 9. Declarat hæc Lectio quare Eccleſia dicatur Romana 222. Literæ Rudolphi Maximiliani ad Summum Pontif. 225
Lectio 10. Credo Sanctorum Communionem. 226
Prop. 1. Docet quid ſit hæc Sanctorum Com. ibid.
Prop. 2. Docet malos etiam de hac participare. 227
Prop. 3. Docet animas Purgatorii hac juvari. 227
Oratio habita coram Illuſtriſſ. Cameracenſi. 229
Thema. Ecce motus factus eſt magnus in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus *Matt.* 8. ibid. Declarat hæc Oratio, quomodo Eccleſiæ navis ſit ſemper paſſa fluctus, ſed illos ſemper ſuperavit. ibid.
Lectio 11. 232. *Articulus* 10. Credo remiſſionem peccatorum. 231
Prop. 1. Docet omne peccatum remitti. ibid.
Prop. 2. Docet ſæpius iterata remitti. 233
Prop. 3. Docet non remitti unum ſine alio. 234
Lectio 12. De cauſis concurrentibus ad remiſſionem peccatorum. 234

Prop.

Digitized by Google

Prop. 1. docet principalem cauſam eſſe Deum. 235
Prop. 2. docet cauſam meritoriam eſſe Chriſtum. ib.
Prop. 3. docet cauſam formalem eſſe gratiam. 236
Lectio 13. De reſurrectione mortuorum. 237
Artic. 11. Credo Carnis reſurrectionem. ibid.
Prop. 1. Docet ex Script. veritatem reſurrectionis. ib.
Prop. Quam facilis ſit Deo hæc reſurrectio. 238
Prop. Per illam animatos fuiſſe Sanctos. 239
Lectio 14. Quomodò idem corpus reſurgat. 239
Prop. 1. docet idem numero corpus reſurgere. 240
Prop. 2. illud corpus reſurgens mutari in qualitatibus. ibid.
Prop. 3. Corpora hic vitioſa, ibi fore perfectiſſima. 241.
Lectio 15. De circumſtantiis reſurrectionis. 242
Prop. 1. docet quomodo hanc reſurrectionem præcedet tuba. ibid.
Prop. 2. Quis locus reſurrectionis futurus ſit. 243
Prop. 3 Quo tempore futura ſit reſurrectio. ibid.
Lectio 16. De vita beata 244. *Articulus* 12. Credo vitam æternam. ibid.
Prop. 1. Docet omnes nos creatos eſſe ad æternam vitam. ibid.
Prop. 2. Deum ad ejus deſiderium dupliciter nos impellere. 245
Prop. 3. docet Deum dare nobis auxilia ſufficientia ad illam. 246
Lectio 17. & ultima, in quo conſiſtat vita æterna. 247
Prop. 1. docet conſiſtere in viſione Dei. ibid.
Prop. 2. In amore & fruitione Dei. 248
Prop. 3. In perpetua quadam laude Dei. 249

INDEX GENERALIS
Tractatuum, Lectionum, & Propoſitionum Libri II.

TRACTATUS PRIMUS.
DE SPE.

Lectio 1. DE variis titulis & nominibus Spei. 256
Lectio 2. De effectibus Spei.
Prop. 1. docet ſpem dare vires ad currendam viam Dei. 258. *prop.* 2. docet ſpem conſolari animam in afflictionibus. 260. *prop.* 3. docet ſpem in mortem tollere omnem anxietatem. 261
Lectio 3. De ſpe vana mundi & ejus defectibus.
Prop. 1. docet fallaciam ſpei mundanæ. 263. *prop.* 2. docet ſpem illam hominem in fine deſerere. 265
Lectio 4. Explicat hæc lectio ſingulas partes definitionis ſpei. 267
Lectio 5. De meritis quibus ſpes firmatur. 270
Prop. 1. docet bona opera mereri vitam æternam. ibid. *prop.* 2. Licitum eſſe operari ob mercedem æternam. 227 *prop.* 3. Poſſe poni fiduciam in meritis. 273
Lectio 6. De perſeverantia ſpem firmante 275
Prop. 1. Docet firmari ſpem per perſeverantiam finalem. ibid. *prop.* 2. docet illam non à nobis, ſed à Deo pendere. 276. *prop* 3. Cum dono perſeverantiæ hominem finaliter non excidere. 277
Prop. 2. dari aliqua ſigna probabilia electionis & perſeverantiæ. 279
Applauſus facer animæ Religioſæ. 281
Lectio 7. De timore juncto ſpei. 282
Prop. 1. docet multipliciter timorem dividi. ib. *prop.* 2. docet timorem ſervilem non eſſe vitioſum. 285. *prop.* 3 docet timorem non repugnare ſpei. 295
Lectio 8. De deſperatione oppoſita ſpei. 287
Prop. 1. docet deſperationem inter graviſſima peccata cenſeri. ibid. *prop.* 2. docet eſſe periculoſiſſimum omnium peccatorum. 289. *prop.* 3. Exhortatio ex S. Chryſoſt. ad deſperantes. 290
Lectio 9. De præſumptione oppoſita Spei. 291
Prop. 1. docet quid ſit præſumptio, & quam grave peccatum. ibid.

TRACTATUS II.
De Oratione.

Lectio 1. Explicat definitionem orationis. 294
Lectio 2. De loco orationis. 297
Prop. 1. docet omnem locum orationi aptum eſſe. ibid. *prop.* 2. docet in templis conſecratis acceptiorem eſſe Deo. 298
Lectio 3. De tempore Orationis. 300
Prop. 1. docet omne tempus orationi aptum eſſe. ibid. *prop.* 2. docet congruum eſſe maximè tempus matutinum. 301. *prop.* 3. docet tempus veſpertinum ſive nocturnum. 303
Lectio 4. De oratione publica in calamitate generali facienda. 305
Prop. 1. docet recurrendum ad orationem in afflictionibus. ibid. *prop.* 2. docet tria Dei flagella oratione avertenda. 307
Lectio 5. De oratione pro peſte. 309
Prop. 2. docet Deum ob peccata peſtilentiam immittere ibid. *prop.* 2. docet precibus publicis illam avertendam. 310
Lectio De oratione pro bello. 311
Prop. 1. Docet bellum flagellum eſſe graviſſimum ibid. *prop.* 2. docet flagellum illud oratione depellendum 312. *prop.* 3. Oſtendit efficaciam orationis contra hoſtes. 314
Lectio 7. De Oratione pro fame & ſterilitate. 317
Prop. 1. docet quomodo fame peccata Deus puniat ibid. *prop.* 2. Docet quomodo Oratio efficax ſit contra hoc flagellum. 319. *prop.* 3 Quomodo Sanctorum invocatio opportuna ad id ſit. 321
Lectio 8. De conditionibus bonæ orationis. ibid. Explicat aliquot conditiones ad efficaciam orationis requiſitas. 321. & ſeqq. De multiplici attentione. 324

TRACTATUS III.
De Oratione Dominica.

Lectio 1. De excellentia Orationis dominicæ, 330
Prop. 1. Docet hanc orationem omnium excellentiſſimam eſſe. ibid. *prop.* 2. Declarat ejus fœcundam brevitatem & fructum. 332
Lectio 2. Explicat verba illa præambula, Pater noſter qui es in cælis. 333. Quid vox Pater ib. Fructus illius vocis, Pater. 334. Quid vox noſter. 335 Quid vox, qui es? ib. Qui es in cælis. 339

Lectio

Digitized by Google

Lectio 3. Explicat primam petitionem : Sanctificetur nomen tuum, Docet variis modis ſanctificari nomen Dei. 337
Lectio 4. Explicat ſecundam petitionem, adveniat regnum tuum. 340
Prop. 1. docet peti hic Regnum gratiæ. ibid. *prop.* 2. docet peti Regnum gloriæ. 342. *prop.* 3. docet peti ut adveniat Regnum perfectiſſimum Chriſti. 343
Lectio 5 Explicat tertiam petitionem : Fiat voluntas tua. 345
Prop. 1. docet peti hic ut fiat voluntas ſigni. ibid. *prop.* 2. docet peti, ut fiat ad imitationem Ang. 346. *prop.* 3. Explicat quomodò etiam petatur fieri voluntas beneplaciti. 347
Lectio 6. Explicat quartam petitionem, Panem noſtrum quotidianum, &c.
Lectio 7. De Pane ſpirituali. 352
Prop. 1. docet nomine Panis omnem cibum animæ intelligi, ib. *prop.* 2. docet quis ſit panis & cibus animæ. 353. *prop.* 3. docet peti etiam hic panem Euchariſtiæ. 354
Lectio 8. Explicat petitionem quintam ; Et dimitte nobis debita noſtra. 356
Prop. 1. docet peti hic remiſſionem venialium. ib. *prop.* 2. docet peti etiam remiſſionem mortalium. 357. *prop.* 3. Aliis docet dimittendum, ut nobis dimittatur 358
Lectio 9. Explicat petitionem ſextam : Et ne nos inducas in tentationem. 361
Prop. 1. docet nos non poſſe liberari ab omni tentatione, ib. *prop.* 2. docet nos petere ut non ſuperemur à tentatione. 363
Lectio 10. Tract. de remediis contra tentationes. 364
Lectio 11. Explicat ultimam petitionem : Sed libera nos à malo. 372
Prop. 1. docet quomodò hic petamus liberari à maligno. ib. *prop.* 2. docet omnes tam bonos, quàm malos petere id debere. 375. Tentationes bonorum. 377. Tentationes malorum. 376. *prop.* 3 docet Petitionem hanc rectè intelligi de malo pœnæ. 379

TRACTATUS IV.
De Salutatione Angelica.

Lectio 1. De Virginis Mariæ patrocinio. 381
Prop. 1. docet ſpem noſtram in Virgine rectè locari. ibid. *prop.* 2. docet devotionem erga Virginem eſſe prædeſtinationis ſignum. 384. *prop.* 3. docet hanc devotionem debere imitationi eſſe junctam. 385
Lectio 2. De Salutatione Angelica. 387
Explicat excellentiam illius Salutationis.
Lectio 3. De prima parte Salutationis Angelicæ. 390. Ave Maria. 392. Gratia plena 394. Dominus tecum. 396
Lectio 4. De Secunda parte Salutationis Angelicæ 397. Benedicta tu in mulieribus. 398. 400
Lectio 5. Explicat hæc verba : Et benedictus fructus ventris tui. 403
Lectio 6. De tertia parte Salutationis Angelicæ, S. Maria ora pro nobis peccatoribus &c. 407
Lectio 7. Et in hora mortis noſtræ. 405

TRACTATUS V.
De Jubilæo & Indulgentiis.

Lectio 1. De Jubilæo 412. Obſervationes circà Bullam. 414. De anno ſequente Jubilæum & ejus Indulgentiis. 416. Obſervationes circà Jubilæum. 417
Lectio 2. De Theſauro Indulgentiarum. 420
Prop. 1. docet eſſe in Eccleſia theſaurum ſatisfactionum. *Prop.* 2. docet jam ab initio Eccleſiam illum diſpenſaſſe. 421
Lectio 3. De cauſa indulgentiæ. 424
Prop. 1. docet Pontificem habere plenitudinem poteſtatis. 425. *prop.* 2. docet non poſſe illum dare Indulgentiam abſque cauſa. 426
Lectio 4. De diſpoſitione requiſita. 427
Prop. 1. Docet requiri ſtatum gratiæ. ib. *prop.* 2. docet requiri adimpletionem operum. 429
Lectio 5. De Indulgentiis pro defunctis. 430
Prop. 1. docet poſſe juvari defunctos indulgentiis, ib. *prop.* 2. docet infallibiliter eis prodeſſe. 431

INDEX GENERALIS
Tractatuum, Lectionum, & Propoſitionum
Libri Tertii.

TRACTATUS PRIMUS.
DE CHARITATE.

Lectio 1. De excellentia Charitatis. 439
Prop. 1. Docet Charitatem inter dona Dei primatum tenere, ibid. *prop.* 2. Inter Theologicas virtutes excellere. 441. *prop.* 3. eſſe formam virtutum & fontem meritorum. 442
Lectio 2. De duplicici præcepto Charitatis. 444
Prop. 1. docet duplici præcepto totam legem comprehendi, *prop.* 2. Explicat mandatum charitatis de diligendo Deo. 445. *prop.* 3. Quomodò diligendus ſit ex toto corde 447. *prop.* 4. Quomodo dignoſci poſſit in nobis amor Dei. 449
Lectio 3. De ſecundo Charitatis præcepto. 452
Prop. 1. docet charitatis præcepto dilectionem proximi contineri, ibid. *prop.* 2. Etiam dilectionem inimici comprehendi. 454

TRACTATUS II.
De decem præceptis Decalogi.

Lectio 1. docet conveniens fuiſſe Deum dare hanc legem, ibid. *prop.* 2. Illam obligare etiam populum Chriſtianum. 450. *prop.* 3. Illius præcepta non eſſe Impoſſibilia. 462
Lectio 2. De fructibus legis Decalogi. 464
Prop. 1. Docet eſſe frænum à malo coercens. ibid. *prop.* 2. Benedictionem ſpiritualem & temporalem afferre. 466. *prop.* Afferre benedictionem æternam. 468

TRACTATUS III.

Lectio 1. De primo decalogi præcepto : Non habebis Deos alienos coram me. 470
Prop. 1. Explicat quid hoc præcepto contineatur ib. *prop.*

Digitized by Google

prop. 2. Quid hoc mandato vetetur. 471
Lectio 2. De superstitione. 475
Prop. 1. Explicat varia peccata quæ committuntur per superstitionem, ibid. *prop.* 2. Docet esse religiosum Agnum cereum deferre, 477. *prop.* 3. Divinationem hic prohibitam, 478. *prop.* 4. Maleficium & veneficium reprobat, 481. De ligaturis & amatoriis maleficiis. 482
Lectio 3. De altera parte præcepti 484
Prop. 1. docet hic idola prohiberi, ibid. *prop.* 2. Non prohiberi sacras imagines, ibid. *prop.* 3. Ostendit fructum imaginum 485
Lectio 4. De reliquiis Sanctorum 488
Prop. 1. docet earum cultum hic non prohiberi, ib. *prop.* 2. Respondet ad aliquas objectiones 494
Lectio 5. De secundo Præcepto 495
Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.
Prop. 1. docet quandoq; licitum esse juramentũ, ib.
Lectio 6. De conditionibus juramenti 497
Prop. 1. Conditio juramenti est, ut fiat cum veritate, ibid. *prop.* 1. Conditio 2. juramenti est, ut fiat cum justitia, 500. *prop.* 3. Conditio tertia juramenti est, ut fiat cum judicio *ibid.*
Lectio 7. De variis contra hoc præceptum peccatis 502
Lectio 8. De Tertio Præcepto 505
Memento ut diem Sabbati sanctifices.
Prop. 1. Docet Sabbati observationem esse ab initio mundi, ibid. *prop.* 2. Renovatam fuisse tempore Moysis 507. *prop.* 3. Sabbatum rectè mutatum esse in Dominicam 508
Lectio 9. De variis modis sanctificandi Sabbatum nostrum, sive dominicum diem 509
Lectio 10. De variis hominum generibus hoc præceptum transgredientibus 514

TRACTATVS IV.

De Præceptis secundæ Tabulæ.

Lectio 1. De quarto Præcepto, Honora Patrem & Matrem &c. 517
Prop. 1. Docet in quo consistat honor ibid. *prop.* 2. Hunc honorem perdurare etiam post mortem. 521. *prop.* 3. Explicat benedictionem obedientiæ promissam 522
Lectio 2. De honore debito Sacerdotibus sive Patribus spiritualibus 524
Lectio 3. De honore debito senioribus & Dominis 529
Lectio 4. De honore debito Principibus & Magistratibus 533
Lectio 5. De quinto Præcepto. Non occides 536
Prop. 1. Docet solum prohiberi injustam occisionem, ibid. *prop.* 2. Homicidium esse gravissimum inter peccata in proximum 537. *prop.* 3. Homicidium eò gravius esse, quò persona est conjunctior 541
Lectio 6. De variis peccatis contra hoc præceptum 544
Lectio 7. De duellorum usu 547
Prop. Bulla Clementis VIII. contra duellantes 548
Lectio 8. De sexto Præcepto. Non mœchaberis, 550.
Prop. 1. Docet fornicationem esse peccatum mortale, 551. *prop.* 2. Fugiendum esse ob turpitudinem, 552. *prop.* 3. Ob infamiam & vermem 554
prop. 4. Respondet ad aliquas objectiones 556
Lectio 9. De adulterio 558
Prop. 1. Docet quam grave peccatum sit, ibid. *prop.* 2. Tractat de pœnis adulterorum 559
Lectio 10. De incestu 562
De Stupro, 563. De Sacrilegio 564
Lectio 11. De peccato contrà naturam ibid.
Lectio 12. De septimo Præcepto. Non furtum facies 567
Prop. 1. Docet furtum esse peccatum mortale ex genere suo ibid. *prop.* 2. Inducere obligationem restitutionis, 569. *prop.* 3. Prohiberi hic omnes species furti 571
De negotiatione 572
Lectio 13. De variis hominum generibus contra hoc præceptum peccantibus 575
Lectio 14. De octavo Præcepto, Non falsum testimonium dices 580
Prop. 1. Docet falsum testimonium esse peccatum detestandum, ibid. *prop.* 2. Docet prohiberi hic quoque omne falsum judicium, 582. *prop.* 3. Prohiberi omnem falsitatem Advocatorum & Procuratorum 585
Lectio 15. De temerario judicio 587
Prop. 1. Docet quomodo hic prohibeatur ibid.
prop. 2. Quomodo sit peccatum mortale 588
prop. 3. Agit de remediis temerarii judicii 590
Lectio 16. De aliis peccatis contra hoc præceptum, præsertim de Mendacio 592
De Susurratione, 593. De Adulatione 595
Lectio 17. De Detractione 597
Prop. 1. Docet pestilens esse malum, ib. *prop.* 2. Obligare ad restitutionem 599. *prop.* 3. Audientes detractorem etiam peccare 601
Lectio 18. De nono & decimo præcepto. Non concupisces uxorem proximi tui 603
Non concupisces rem, neque agrum, neque bovem, &c.
Prop. 1. Docet cur speciali præcepto vetetur concupiscentia, ibid. *prop.* 2. Docet solum vetari consensum in concupiscentiam, *prop.* 3. Prohiberi delectationem morosam 605

INDEX GENERALIS,

Tractatuum, Lectionum, & Propositionum hujus V. Libri, seu Candelabri Mystici,

TRACTATVS PRIMVS.

DE septem Sacramentis in genere
Lectio 1. De Auctore Sacramentorum 610
Prop. 1. Docet Christum esse Auctorem ibid.
prop. 2. Assignat causam institutionis eorum 611
prop. 3. Docet esse septem numero 613
Explicatio Psalmi 22. 615
Lectio 2. De materia & forma Sacramentorum 617

Digitized by Google

Prop. 1. Docet in qua materia & forma consistat ib.
Prop. 2. Docet à Christo determinata esse 619
Lectio 3. De gratia, effectu Sacramentorum 620
Prop. 1. Docet nos justificari per gratiæ donum ib.
2. Deum esse causam principalem justificationis 621
3. Sacramenta esse causam instrumentalem 622
Lectio 4. De sacramentali gratia 624
Quomodò singula Sacramenta propriam gratiam conferant ibid.
Lectio 5. De Sacramentis antiquis 625
Prop. 1. Docet, an in statu innocentiæ forent Sacramenta ibid.
2. In lege naturæ fuisse aliqua 626
3. In lege Moysi non defuisse 627
Lectio 6. De Charactere sacramentali 628
Prop. 1. Allegat loca scripturæ ad probationem Characteris ibid.
2. Explicat officium characteris 631
3. Docet characterem esse indelebilem 632
Lectio 7. De ministro, & suscipiente 634
Prop. 1. Docet ministerium ad Sacerdotes pertinere ib. 2. In Ministro requiri debitam intentionẽ 636
3 Consensum in suscipiente adulto 637
Lectio 8. De malis ministris 638
Prop. 1. Docet malos ministros conficere Sacramentum ibid.
2. Novum peccatum incurrere indignè ministrando 640

RESOLVTIONES.

Quæstionum Pastoralium, & Casuum conscientiæ circa Sacramenta.

Caput 1. De materia Sacramentorum 642
Caput 2. De forma Sacramentorum ibid.
Caput 3. De ministro Sacramentorum 644
Caput 4. De dispositione ministri 645
Caput 5. De intentione ministri 646
Caput 6. De suscipiente Sacramentum 648

TRACTATVS II.

De Sacramento Baptismi Proœmium.

Lectio 1. De materia Baptismi 649
Prop. 1. Docet materiam esse aquam ibid.
2. Congruè aquam esse designatam in materiã 651
3. Agit de aqua benedicta, & ejus utilitate ibid.
Lectio 2. De fontibus baptismalibus 653
Explicatio sentiæ Propheticæ vaticinantis de Baptismo, ibid. Miraculà fontium 656
Lectio 3. De forma Baptismi 657
Prop. 1. Docet quibus verbis Baptismus constet, ib.
2. Quando fuerit ea forma instituta 659
3. Quomodo etiã laicos conveniat scire formã 660
Lectio 4. De suscipientibus Baptismum 661 ibid.
Prop. 1. Docet etiam parvulos esse Baptismi capaces
2. Non posse infantes salvari nisi per Baptismũ 663
3. Baptismũ sanguinis supplere baptismũ aquæ 665
Lectio 5. De effectibus Baptismi 666
Prop. 1. Docet remittere peccatum originale, & actuale ibid. 2. Remittere omnem pœnam peccati 668. 3. Non tollere concupiscentiam, nec pœnalitatem 670
Lectio 6. De susceptoribus in baptismo 671
Prop. 1. Docet ex ordinatione Ecclesiæ adhiberi patrinos ib. Item eos suscipere Baptizatum in curam suam ib. 2. Ipsorum est nomẽ imponere 675
Lectio 7. De Cæremoniis Baptismi 676
Prop. 1. Explicat ad quem finem cæremoniæ fiant ibid. 2. Particulariter de singulis agit 677
De cæremoniis baptismum præcedentibus ib.
De cæremoniis baptismum comitantibus 678
De cæremoniis baptismum subsequentibus 680
Recapitulatio & exhortatio 681

RESOLVTIONES.

Quæst. & Casuum Pastoralium, De Baptismo.

Caput 1. De materia Baptismi 682
Caput 2. De forma Baptismi 683
Caput 3. De cæremoniis baptismi 684
Caput 4. De patrinis ibid.
De patrino confirmationis 687

TRACTATVS III.

De Sacramento confirmationis Proœmium.

Lectio 1. De institutione Confirmationis. Explicatur, à quo & quando hoc Sacramentum fuerit institutum 688
Lectio 2. De materia Confirmationis 689
Lectio 3. De forma confirmationis 691
Lectio 4. De effectibus hujus Sacramenti 692
Prop. 1. Docet differentiam gratiæ baptismi & confirmationis ibid.
2. Agit de charactere confirmationis 694
Lectio 5. De ministro & suscipiente 694
Prop. 1. Docet solos Episcopos esse ministros, ibid.
2. Omnem baptizatum capacem esse Confirmationis 695
Lectio 6. De Cæremoniis Confirmationis. Explicat hæc lectio sigillatim Cæremonias 696
Recapitulatio, & exhortatio ad confirmatos, 697

TRACTATVS IV.

De Sacramento Eucharistiæ Proœmium.

Lectio 1. De Eucharistiæ mysterio abscondito 699
Prop. Verè tu es Deus absconditus. Deus Israel Salvator *Isaiæ 45.* ibid.
Lectio 2. De causa institutionis hujus Sacramenti.
Prop. 1. Ut foret memoriale perfectionum admirabilium Dei 703
2. Mysteriorum veteris testamenti 705
3. Mysteriorum omnium novi testamenti 706
Lectio 3. De præsentia reali Christi in hoc Sacramento 709
Prop. Ecce positus est hic in ruinam & resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur. *Luc. 2.* ibid.
Argumenta Ecclesiæ Catholicæ veritatem hanc stabilientia 711
Lectio 4. De mirabilibus contentis in hoc Sacramento 714
Prop. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se *Psal. 11.* ibid. mirabile secundum 715

Mira-

Digitized by Google

Mirabile tertium, 716. Mirabile quartum ib.
Mirabile quintum 717. Mirabile ſextum 718
Mirabile ſeptimum ib. Mirabile octavum ib.
De quatuor dimenſionibus Chriſti 719
Lectio 5. De materia & forma Euchariſtiæ 721
Prop. 1. Docet materiam eſſe panem & vinum ib.
2. Vino aliquid aquæ admiſcendum eſſe 723
3. Explicat formam hujus Sacramenti 725
Lectio 6. De Adoratione Euchariſtiæ 726
Prop. 1. Docet Euchariſtiam cultu latriæ adorandam ibid.
2. Recte peculiari feſto eam coli 729
Rationes morales feſti Sacramenti 731
Miracula Euchariſtica 734
Lectio 7. De ſumptione, & præcepto Euchariſtiæ 735
Prop. 1. Docet Chriſtum ſuiſcepiſſe corpus ſuum, & ſanguinem ibid.
2. Deciſſe præceptum illud ſumendi fidelibus 736
Lectio 8. Exhortatio Adoleſcentum & Adoleſcentularum ad frequentem Euchariſtiæ ſumptionem 739
Prop. Quod bonum ejus, & quod pulchrum ejus, niſi frumentum electorum & vinum germinans Virgines *Zachar. 9.* ibid.
Lectio 9. de diſpoſitione ad Euchariſtiam 742
Prop. 1. Docet communicantem debere eſſe in ſtatu gratiæ ibid.
2. Si communicans ſit in peccato notorio debere repelli 745
Lectio 10.
Prop. Ecce panis Angelorum 747. Factus cibus viatorum, Verè panis filiorum, Non mittendus canibus ibid.
Lectio 11. de impedimento peccati venialis 753
Prop. 1. Docet veniale non impedire acceſſum ad Euchariſtiam ibid.
2. Impedire aliquem effectum Euchariſtiæ 755
3. Agit de devotione poſt Euchariſtiam 756
Lectio 12. de ſumptione unius ſpeciei 757
Prop. 1. Docet quandoque fuiſſe conceſſum uſum calicis laicis ibid. *Prop. 2.* Juſtis de cauſis ſubtraxiſſe illum Eccleſiam.
Lectio 13. de Euchariſtia ut eſt ſacrificium 760
Prop. 1. Docet ex antiquis ſcripturis probari noſtrum ſacrificium ibid. *Prop. 2.* Etiam probari ex Scripturis novi teſtamenti 763
Lectio 14. de ratione inſtituti ſacrificii 765
Prop. 1. Docet maximum Deo cultum exhiberi per hoc ſacrificium ibid. *Prop. 2.* Docet Beatis tam hominibus quam Angelis eſſe honorificum, 769
Lectio 15. De eminentia Sacrificii Miſſæ 771
Prop. 1. Docet ſacrificium eſſe verum holocauſtum, ib. *Prop. 2.* Eſſe Euchariſticum & in illo contineri hoſtiam pacificam 773. *Prop. 3.* Eſſe ſacrificium impetratorium 774. *Prop. 4.* Eſſe quoque propitiatorium 775
Recollectio & adhortatio ad ſacrificium Miſſæ 779

RESOLVTIONES.

Caſuum & Quæſtionum Paſtoralium, circa Euchariſtiæ Sac. 779
Caput 1. De materia & forma Euchariſtiæ ib.
Caput 2. De ſuſcipientibus Euchariſtiam 780
Caput 3. De Præcepto Communionis 782
Caput 4. De Cælebratione Miſſæ 784
Caput 5. De requiſitis ad celebrandum & de ſtipendio celebrantis 785
Caput 6. De cauſis à miſſa audienda excuſantib. 788
Caput 7. De Miſſa Parochiali audienda 790
Caput 8. Exempla de miſſa audienda 791
De contemptoribus Miſſæ 793

TRACTATVS V.

De Sacramento pœnitentiæ.
Lectio 1. de Inſtitutione Sacramenti pœnitentiæ 795
Prop. 1. Docet à Chriſto eſſe inſtitutum ibid.
2. Eſſe neceſſarium lapſis poſt Baptiſmum 796
3. Etiam merita lapſis reſtituere 797
Lectio 2. de gratia excitante ad pœnitentiam 800
Prop. 1. Docet non poſſe hominem pœnitere ſine gratia ibid.
2. Nulli ad id gratiam ſufficientem denegari 803
3. Gratiam non diminuere arbitrii libertatem 806
Lectio 3. de patribus pœnitentiæ 808
Prop. 1. Docet eſſe tres partes materiales ibid.
2. Explicat quid ſit contritio in genere 810
Lectio 4. de conditionibus perfectæ contritionis 811
Lectio 5. de tempore eliciendæ contritionis 818
Lectio 6. de Confeſſione 821
Prop. 1. Docet Confeſſionem eſſe de jure Divino ib.
2. Multa commoda afferre Eccleſiæ 822
3. Multis caſibus ejus præceptum obligare 824
Lectio 7. de Conditionibus præcipuis Confeſſionis. Prima Conditio ut ſit præmeditata 825
2. Ut ſit humilis & cum erubeſcentia conjuncta 827
3. Ut ſit pura & ſincera 829
4. Ut ſit integra 830
Lectio 8. De impedimentis integræ confeſſionis 832
De 1. impedimento, qui eſt pudor ib. De 2. impedimento qui eſt timor, 834. De 3. impedimento qui eſt ſpes 836. De 4. impedimento, quædam deſperatio melioris vitæ 838
Lectio 9. De ſatisfactione 839
Prop. 1. Docet ſatisfactionem dici pœnitentiam impoſitam à Confeſſario ibid.
2. Docet eam relictam confeſſarii arbitrio 841
3. Cum multa prudentia docet eſſe injungendam 842
Lectio 10. De forma Sacramenti pœnitentiæ 845
Explicat verba formæ ejuſque effectus ex Pſalmo 28 ibid.
Lectio 11. De munere Pœnitentis percepta abſolutione 848

RESOLVTIONES.

Quæſtionum aliquot paſtoralium, de Sacramento pœnitentiæ 851
Caput 1. De approbatione confeſſariorum ibid.

Quæſtiones quotidianæ paſtores & ſacellanos concernentes 851
Caput 2. De officio confeſſarii 853
Caput 3. De integritate Confeſſionis 857
Caput 4. De complice & ſigillo confeſſionis 859
Caput 5. De peccatis reſervatis 860
Caput 6. De caſibus Epiſcopo reſervatis 862

APPENDIX.

De uſurpantibus bona Eccleſ. 870
De incendiariis ibid.

QVÆSTIO POSTREMA.

Quid agendum cum confeſſarius habet pœnitentem cum caſu reſervato à quo non poteſt abſolvere 871

TRACTATVS VI.

De Sacramento extremæ Unctionis.
Proœmium 871
Lectio 1. De inſtitutione extremæ Unctionis 872
Prop. 1. Explicat Cur extrema Unctio vocatur, ib.
2. Quando à Chriſto ſit inſtituta 873
Lectio 2. Explicat verba S. Jacobi Apoſtoli : *Infirmatur quis ex vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, ut orent ſuper eum, Ungentes eum Oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit dimittentur ei* 875
De perſona capaci extremæ unctionis ibid.
Lectio 3. De miniſtro ſextremæ Unctionis 876
De extrema Unctione & aliis Sacramentis tempore peſtis miniſtrandis 878
Lectio 4. De materia extremæ Unctionis 881
Lectio 5. De forma extremæ Unctionis 882
Lectio 6. De effectibus extremæ unctionis 883
Explicat tres effectus ex Apoſtolo ibid.

RESOLVTIONES.

Caſuum paſtoralium. De moribundis & mortuis 886
Caput 1. De extremam Unctionem ſuſcipientibus & miniſtrantibus ibid.
Caput 2. De modo adjuvandi moribundum ibid.
Caput 3. De ſepultura mortuorum 887

TRACTATVS VII.

De Sacramento ordinis.
Lectio 1. De Diverſitate ordinum 890
Prop. 1. Docet recte in Eccleſia diverſos ordines inſtitutos ibid.
2. Ordinationem eſſe vere & proprie Sacramentum 891
Lectio 2. De numero ordinum 894
Lectio 3. De prima Tonſura 895
Lectio 4. De minoribus ordinibus 896
De Oſtiario, De Lectore. De Exorciſta. De Acolyto.
Lectio 5. De Subdiacono & Diacono 898
Lectio 6. De Sacerdotio 900
Lectio 7. De aliis Eccleſiæ ordinibus 902
Explicat verbe Apoſtoli, Obſecro vos, ut dignè ambuletis vocatione qua vocati eſtis, ad *Epheſ. 4.* 903

RESOLVTIONES.

Quæſtionum Paſtoralium De ordinandis vel ordinatis 909
Caput 1. De impedimentis ordinum ibid.
Caput 2. De Lectione horarum ratione ordinis 911

TRACTATVS VIII.

De Sacramento matrimonii.
Lectio 1. De matrimonio ut Sacramento 914
Prop. 1. Docet matrimonium à Deo inſtitutum, ib.
2. Eſſe Sacramentum gratiam conferens 915
3. Perfici conſenſu partium 918
Lectio 2. De matrimonii perfectione 919
Prop. 1. Docet continentiam præferendam matrimonio ibid.
2. Multos ſalvari per matrimonium 921
3. Pleroſq; ingerere ſe matrimonio non vocatos 922
Lectio 3. De matrimoniis infauſtis 923
Prop. 1. Docet multiplicem originem infauſti matrimonii ibid.
2. Agit de remediis infauſti matrimonii 925
Lectio 4.
Prop. 1. Sit in ſtatu gratiæ, 926. *prop. 2.* Accedens ad matrimonium rectam habeat intentionem 927
prop. 3. Accedens ad matrimonium inſiſtat piis operibus 928.
Lectio 5. de cæremoniis Matrimonii 929
De Benedictione Sacerdotali, 932. De conviviis Nuptialibus 935
Lectio 6.
Prop. 1. docet quale ſit matrimonium animæ cum Chriſto. 936.
2. Illud matrimonium perfici per votum caſtitatis. 637
Lectio 7 De amore conjugali.
Prop. 1. docet qualis eſſe debeat amor conjugũ 940
2. Quibus effectibus poſſit probari 941
Lectio 8. De inordinato amore conjugum 943
Prop. 1. docet in amore poſſe peccari per exceſſum, ibid.
2. Amorem eſſe culpabilem ſi in Zelotypiam deſinat ibid.
3. Si ob illum violetur Dei lex 945
Lectio 9. de Caſtitate conjugali.
Prop. 1. docet illam excludere omnem de alio concupiſcentiam 946
2. Moderari tempora actus conjugalis 948
Lectio 10. De prole 1. Matrimonii bono 949
Prop. 1. docet Parentes poſſe deſiderare prolem, ib.
2. Agit de cura prolis in utero 951
3. Agit de cura prolis jam ab utero 952.
Lectio 11. Tractat de inſtructione prolis 1. obligatione parentum ad inſtruendum. 954
2. Affert exempla pravæ inſtitutionis 957
Lectio 12. de Correctione prolium 958
Prop. 1. docet Parentes obligari ad correctionem, ib.
2. Correctionem debere eſſe diſcretam 960
3. Oportere illi adjungere bonum exemplum 961
Lectio 13. Brevis repetitio de officio Parentum 963
De inordinato amore parentum 965

Inſtru-

Digitized by Google

Inſtructio S. Ludovici ad filium 968
Lectio 14. de Inſolubilitate matrimonii.
Prop. 1. docet olim ſolutum per libellũ repudii. 969
2. Solvi matrimonium non conſummatum, per religionis profeſſionem 970
3. Multas affert cauſas diſſolutionis quoad thorum 971
Lectio 15. de impedimentis matrimonii 972
Lectio 16. De viduis.
Prop. 1. Morte alterius diſſolvi matrimonium 976
2. Manere libertatem ad ulteriores nuptias 978
3. Statum Viduitatis amore continentiæ ſuſceptum eſſe maximè meritorium 980

RESOLVTIONES.

Quæſtionum & Caſuum paſtoralium circa matrimonii Sacramentum.
Caput 1. de denuntiationibus 982
Caput 2. de præſentia parochi & Teſtium 985
Caput 3. de tempore & loco matrim. contrahendi 986
Caput 4. de conſenſu neceſſario ad matrimoniũ 988
Caput 5. de debito conjugali 989
Caput 6. de cohabitatione conjugali & bonorum adminiſtratione 991

INDEX GENERALIS.

Tractatuum, Lectionum & Concluſionum Virgæ Aaronis.

TRACTATVS PRIMVS.

DE rectitudine virgæ Aaronis 995
Ad hortatio ad Sacerdotes ibid.
Lectio 1. de nomine & ſignificatione myſtica Virgæ 995
Lectio 2. Explicatio Virgæ Aaronicæ 997
Concluſio ad Sacerdotes 998
Lectio 3. de obligatione Sacerdotum ad perfectionem 999
Lectio 4. Declaratio obligationis Sacerdotalis ex ſanctis Patribus 1000
Lectio 5. Declaratur idem rationibus & exemplis; 1001. Adhortatio ad Sacerdotes, 1002. Concluſio & oratio ad Chriſtum 1003
Lectio 6. Sacerdotes poſſe in ſæculo perfectionem aſſequi ibid.
Lectio 7. Documenta ad perfectionem aſſequendam 1006

TRACTATVS II.

De Virga curva & arida ſive de pravis Sacerdotibus:
Lectio 1. de multitudine Sacerdotũ pravorum 1007
Ratio prima grandis numeri Sacerdotum inidoneorum ibid.
Lectio 2. Explicat alteram rationem 1010
Lectio 3. Explicat tertiam rationem 1012
Lectio 4. Sacerdotum peccata graviora eſſe quam aliorum & magis punienda 1013
Declaratio ex ſcripturis ibid.
Lectio 5. Declaratio ejuſdem rei ex ſanctis Patribus 1015
Lectio 6. Declaratio per exempla. 1016
Lectio 7. de malis oriundis ex vita improba ſacerdotum ibid.
Lectio 8. Hæreſes oriri ex vita improba Sacerdotum, 1018. Concluſio ad Sacerdotes ibid.
Lectio 9. de bonis oriundis ex pia Sacerdotum vita 1019. Concluſio & oratio ad Chriſtum 1021

TRACTATVS III.

De floribus Virgæ Aaronicæ, ſeu vitæ Sacerdotalis 1091
Lectio 1. de primo flore, qui eſt pietas erga Jeſum Chriſtum Sacerdotum primum ibid.
Concluſio ad Chriſtum 1023. Praxis ad alendam pietatem erga Jeſum Chriſtum ib. Praxis 2. ib. Aſpirationes 33. in honorem annorum Chriſti Domini, 1024. Praxis 3. 336. Litaniæ Pietatis erga Jeſum & familiam quam habuit in terris ex Evangelio depromptæ, 1025. Pars altera Litaniarum 1016
Lectio 2. de ſecundo flore, qui eſt pietas ſpecialis erga Virginem Deiparam 1028. Concluſio ad Sacerdotes 1030. Praxes aliquot pietatis erga Deiparam ibid.
Lectio 3. de Tertio flore, qui eſt devotio erga Sanctos, qui Sacerdotali & paſtorali dignitate & ſanctimonia eminuerunt. 1032. Devotio ſpecialis erga S. Carolum, 1033. Litaniæ breves de S. Carolo ibid. Devotio erga S. Angelos 1034
Lectio 4. de quarto flore, qui eſt ardor animi ad divina, ibid. Concluſio ad ſacerdotes, 1036. Praxis ad ardorem concipiendum & fovendum, ibid. Concluſio ad Chriſtum 1037
Lectio 5. de quinto flore, qui eſt puritas intentionis, 1038. Concluſio & oratio ad Chriſtum, 1039 Praxis ad puram intentionem fovendam, ibid. Concluſio ad Sacerdotes. 1041
Lectio 6. de ſexto flore, qui eſt ſtudium ſolidarum virtutum 1041. Monitum Sacerdotes concernens, 1042. Concluſio & oratio ad Chriſtũ 1043
Lectio 7. de ſeptim. flore, qui eſt humilitas. De primo gradu humilitatis praxis 1044. De 2. gradu humilitatis Praxis 1045. Reſponſio ad objectiones, 1046. Concluſio ad Chriſtum 1047
Lectio 8. de octavo flore, qui eſt manſuetudo 1048
Exempla manſuetudinis, 1049. Concluſio ad Chriſtum 1050
Lectio 9. de 9. flore, qui eſt ſtudium pietatis & conſcientiæ, ibid. Error quorundam, 1051. Secundus error. 1052. Tertius error. 1053. Concluſio ad Chriſtum 1054
Lectio 10. de flore decimo, qui eſt devotio Sacrificii quotidie offerendi ib. Orario ex Divo Bonaventura deſumpta, 1056 Confirmatio dictorum per exempla, ib. De præparatione ad ſacrificium, 1057. Exercitium purgatorium in quinque vulneribus Chriſti ad digne ſacrificandum vel communicandum 1058
Lectio 11. de flore undecimo, qui eſt ſtudium orationis mentalis, ib. De illis, qui dicunt ſe non poſſe meditari. 1059. Concluſio ad Sacerdotes 1061

Digitized by Google

De oratione matutina.ib. De oratione veſpertina 1062. Aſpirationes nocturnæ pro ſingulis hebdomadæ diebus 1063. Aſpirationes matutinæ ibid.
Lectio 12. De flore duodecimo, qui eſt lectio librorum pietatis vel doctrinæ neceſſariæ ad officium, 1064. De occupatione diurna & fuga negotiorum ſæcularium 1065
Lectio 13. De flore decimo tertio, qui eſt recollectio annua. Documenta ad recollectionem annuam 1066. Concluſio ad Chriſtum 1068. Adſpirationes ſactæ pro diebus recollectionis ibid.
Lectio 14. De flore decimo quarto qui eſt officii Divini pia recitatio.ib. Conſiderationes pro pia recitatione officii Divini 1069. Exempla Sanctorum 101. Concluſio ad Sacerdotes. ibid.
Lectio 15. De flore decimo quinto, qui eſt elevatio mentis ad ſenſum vel ad myſteria paſſionis 1672
Lectio 16. De flore decimo ſexto, qui eſt obſervatio pia loci, temporis, modi convenientis ad officium perſolvendum 1074. De loco.ibid. De compoſitione corporis 1075. De tempore officii perſolvendi 1076
Lectio 17. De flore decimo ſeptimo, qui eſt ſtudium intelligentiæ principalium partium officii divini 1077. De invitatorio 1078. De Hymnis. ib. De Pſalmis. De diſpoſitione Pſalm. 1080. De Lectionibus.ib. De Benedictionibus.1081. De Reſponſoriis, Antiphonis, Collectis ibid.
Lectio 18. De flore decimo octavo, qui eſt cæremoniarum pia obſervatio 1081. Explicatio brevis cæremoniarum Miſſæ. De prima parte uſque ad Præfationem 1082. De altera parte Miſſæ a præfatione uſque ad finem Corollaria 1084
Lectio 19. De flore decimo nono, qui eſt ſtudium munditiæ circa altaria & alia divina 1085

TRACTATVS IV.

De aliis floribus Virgæ Aaronis ſeu vitæ Sacerdotalis qui reſpiciunt proximum 1087
Lectio 1. De flore primo, qui eſt zelus ſalutis animarum. Exempla Sanctorum ibid.
Lectio 2. Quæ eſt de ſecundo flore, qui eſt diligens inſtructio puerorum 1090
Lectio 3. De tertio flore, qui eſt diligens inſtructio rudium & pauperum 1091. Exempla Sanctorum 1092
Lectio 4. De quarto flore, qui eſt prædicatio pia verbi Dei 1093
Lectio 5. De quinto flore, qui eſt benigna lex erga proximum charitati conjuncta 1094
Lectio 6. De ſexto flore, qui eſt ardens zelus ad reducendos eos qui in peccatis agunt. 1096 Exempla Sanctorum 1097
Lectio 7. De ſeptimo flore, qui eſt oratio zeloſa pro peccatoribus ibid.
Lectio 8. De octavo flore, qui eſt Caſtitatis odoriferum exemplum 1098. Adjumenta Caſtitatis. ib. De fuga noxiæ familiaritatis 1100
Concluſio ad Chriſtum. 1101
Lectio 9. De flore nono, qui eſt contemptus opum & fuga avaritiæ. ibid.
Lectio 10. De decimo flore qui eſt frugalitas & pia bonorum Eccleſiaſticorum diſpenſatio 1103 Confirmatio ex *SS.* Patribus 1104. De pluralitate beneficiorum periculoſa 1106. De donatione in conſanguineos reprobata. De teſtamentis Eccleſiaſticorum 1107 & 1109
Lectio 11. De flore undecimo, qui eſt ſobrietas & temperantia 1110. De fuga conviviorum 1112
Lectio 12. De flore duodecimo qui eſt diſcretio & prudentia 1113
Lectio 13. De flore decimo tertio qui eſt modeſtia in veſte 1116. Concluſio ad Chriſtum 1118

TRACTATVS V.

De mediis quibus reflorescere poteſt Virga Aaronis ſive vita ſacerdotalis 1118
Lectio 1. De congregationibus piis per ſacerdotes ineundis. ibid.
Lectio 2. De congregatione ſtabilita à S. Philippo Nerio 1119
Lectio 3. De congregatione oratorii Domini Jeſu 1121
Lectio 4. De congregatione oblatorum Mediolani 1122. Exhortatio S. Caroli ad ſuos oblatos 1123
Lectio 5. De congregatione S. Caroli Borromæi in Diœceſi Leodienſi & alibi ſtabilita 1124
Lectio 6. De indulgentiis dictæ congregationis 1127. Indulgentiæ Pontificiæ. ib.
Lectio 7. De progreſſu ejuſdem congregationis 1128. Paræneſis habita ad Sacerdotes & Paſtores congregationis S. Caroli per illuſtriſſimum P. Aloyſium Caraſa legatum Apoſtolicum 1130. Epytome Conſtitutionum primariarum congregationis S. Caroli Borromæi. 1131

Caput primum.

Conſtitutiones ſpectantes ad Perſonas Eccleſiaſticas quæ congregationi S. Caroli adtribuntur, quantum ad exercitia, quæ ipſomet reſpiciunt. ibid.

Caput ſecundum.

Conſtitutiones concernentes eos ut fructum in aliis producere poſſint. 1132

Caput tertium.

Conſtitutiones concernentes eos quantum ad obedientiam reſpectu Præfectorum & quantum ad charitatem erga ſe mutuo ibid.

Caput quartum.

De admittendis vel dimittendis 1133

INDEX GENERALIS,

Tractatuum, Lectionum Tubæ Sacerdotalis.

Tractatus Primus.

DE VITIO SVPERBIAE.

Lectio 1. De muris Jericho & eorum ſignificatione pag. 1141
Lectio 2. de primo Fundatore muri ſuperbiæ 1143
Lectio 3. de dimenſionibus muri ſuperbiæ 1145

De

De muri ſuperbiæ altitudine ibid.
Lectio 4. de profunditate ſuperbiæ 1146
Lectio 5. de latitudine ſuperbiæ 1148
De prima ſerie ſtructuræ.
De gloria vana 1148. De jactantia.ibid. De ambitione 1149. De ambitione Aulicorum.1151. De Hypocriſi 1153
Lectio 6. de ſecunda ſerie ſtructuræ.
De Arrogantia 1156. De Tumore.ibid. De Præſumptione.ibid. De contemptu 1157
Lectio 7. de tertia ſerie ſtructuræ.
De Pertinacia 1158. De Diſcordia 1159. De Inobedientia.ibid. De Ingratitudine 1160
Lectio 8. de longitudine muri ſuperbiæ.
De ſuperbia Nobilium.ibid. De ſuperbia divitum 1161. De ſuperbia mulierum 1162. De ſuperbia juvenum 1164. De ſuperbia eruditorum 1165. De ſuperbia pietatem ſectantium 1167
Lectio 9. de ſeptem Tubis contra ſuperbiam 1168
Lectio 10. de ſeptem Arietibus contra ſuperbiam 1168
Lectio 11. de maledictionibus ſuperborum 1172
Lectio 12. de muro Humilitatis contra ſuperbiã 1174

TRACTATVS II.

De vitio Avaritiæ.

Lectio 1. Quid ſit Avaritia,& quotuplex? 1177
Lectio 2. de dimenſionibus muri avaritiæ.
De Altitudine 1178
Lectio 3. de profunditate muri avaritiæ 1189
Lectio 4. de latitudine muri Avaritiæ 1180
Lectio 5. de Obdurationc & miſericordia & de prima ſerie avaritiæ 1181. De inquietudine ob avaritiam 1183. De neglectu divinorum ob avaritiam 1184. De fiducia in opibus ibid.
Lectio 6. de ſecunda ſerie Avaritiæ.
De Uſura.ibid. De fraudulentia, de mendacio, de perjurio 1185 & ſeqq.
Lectio 7. de oppreſſione proximi ob avaritiam 1187
Lectio 8. de decimatione fraudulenta ob avaritiam 1188. de Simonia avaritiæ peſſima ſpecie 1189
Lectio 9. de longitudine muri avaritiæ 1190
Lectio 10. de ſeptem Tubis contra avaritiam 1192
Lectio 11. de ſeptemplici ariete contra avaritiam 1195
Lectio 12. de maledictione avarorum 1197
Ex novo teſtamento avari maledicti 1198
Lectio 13. de liberalitate, virtute oppoſita avaritiæ 1199

TRACTATVS III.

De vitio Luxuriæ.

Lectio 1. Quam fœtidum murum erigat Luxuria 1202
Lectio 2. de altitudine muri Luxuriæ 1203
Lectio 3. de profunditate Luxuriæ.
De prima ſerie hujus ſtructuræ 1205
Lectio 5. de ſecunda ſerie hujus ſtructuræ.
De incauto aſpectu 1207
Lectio 6. de Turpiloquio 1208. de cantu amatorio 1209
Lectio 7. de oſculis & contactibus ibid.
Lectio 8. de longitudine muri Luxuriæ 1211
Lectio 9. de ſeptemplici Tuba contra murum luxuriæ 1213
Lectio 10. de ſeptemplici ariete contra murum luxuriæ 1214
Lectio 11. de maledictione luxurioſorum
Exempla veteris teſtamenti 1217. Exempla novi teſtamenti 1218
Lectio 2. de continentia & caſtitate, virtute oppoſita luxuriæ 1219

TRACTATVS IV.

De vitio Invidiæ.

Lectio 1. Quid & qualis invidia 1221
Lectio 2. de Altitudine muri invidiæ 1223
Lectio 3. de profunditate muri invidiæ 1224
Lectio 4. de latitudine muri invidiæ 1226
De Odio.ib. De contumelia, convitio, improperio 1228
Lectio 5. de longitudine muri invidiæ ibid.
Lectio 6. de ſeptem Tubis contra invidiæ murũ 1231
Lectio 7. de ſeptemplici Ariete concutiente murum invidiæ 1232
Lectio 8. de maledictione invidorum 1234
Lect. 9. de muro charitatis contra invidiæ murũ 1235

TRACTATVS V.

De vitio Gulæ.

Lectio 1. Quid Gula,& quæ ejus ſpecies? 1237
Lectio 2. de altitudine muri Gulæ 1240
Lectio 3. de profunditate muri Gulæ 1241
Lectio 4. de latitudine muri Gulæ 1242
Lectio 5. de Ebrietate 1245
Pictura ebrietatis 1247
Lectio 6. de inani Excuſatione ebriorum 1248
Lectio 7. de longitudine muri Gulæ 1250
Lectio 8. de ſeptem Tubis contra murum Gulæ 1252
Admonitio ad Ebrioſos 1253
Lectio 9. de ſeptemplici Ariete contra murum Gulæ 1254
Lectio 10. de maledictis ob Gulam 1256
Lectio 11. de muro ſobrietatis & temperantiæ contra murum Gulæ 1258

TRACTATVS VI.

De vitio Iræ.

Lectio 1. Quid ſit Ira, & quando licita, vel illicita? 1260
Lectio 2. de Altitudine hujus vitii 1262
Lectio 3. de profunditate muri Iracundiæ 1263
Lectio 4. de latitudine Iræ,& muri ejus 1264
Lectio 5. de longitudine muri iræ 1266
Lectio 6. de ſeptemplici Tuba contra murum Iracundiæ 1268

Lectio 7.

Digitized

Lectio 7. de ſeptemplici Ariete demoliente murum Iracundiæ 1269
Lectio 8. de Maledictis ob iracundiam 1271
Lectio 9. de Muro Patientiæ contra murum Iræ, 1273

TRACTATVS SEPTIMVS.
De vitio Acediæ.

Lectio 1. Quid ſit Acedia? 1275
Lectio 2. de Altitudine muri Acediæ 1276
Lectio 3. de profunditate muri Acediæ ibid.
Lectio 4. de Latitudine muri Acediæ 1277. De Tepore, ib. De Mollitie, de Somnolentia, de Otio, & aliis ſpeciebus Acediæ, 1278. De Dilatione, de Tarditate, De Negligentia, de non Perſeverantia 1280
Lectio 5. de Longitudine muri Acediæ 1281
Lectio 6. de ſeptem Tubis contra murum Acediæ 1283
Lectio 7. de ſeptemplici Ariete murum Acediæ evertente 1284
Lectio 8. de Maledictis ob vinum Acediæ 1286
Lectio 9. de Fervore & diligentia ſpirituali oppoſita Acediæ 1287

INDEX GENERALIS,

Summarium Reſolutionum & Reſponſionum ad Quæſtiones Paſtorales frequentius recurrentes circa Præcepta Decalogi, vel Capitalia vitia.

PARS PRIMA.

Reſolutiones circa Præcepta ex Parte V.

Caput 1. Reſolutiones Quæſtionum Paſtoralium circa primum Decalogi Præceptum 1289
Caput 2. Reſolutiones concernentes Præceptum 2. Decalogi 1292 De votis 1[illegible]
Caput 3. Reſolutiones concernentes 3. Decalogi Præceptum 1297
Caput 4. Reſolutiones quæſtionum occurrentium circa quartum Decalogi præceptum 1299
Caput 5. Reſolutiones circa quintum Decalogi Præceptum 1304
Caput 6. Reſolutiones circa ſextum Decalogi Præceptum 1309
Caput 7. Reſolutiones circa 7 Decalogi Præceptum 1310
Caput 8. Reſolutiones circa 8 Decalogi Præceptum 1320
Cap. 9. De Præcepto nono, de Præcepto decimo, 1335

PARS SECUNDA.

Summarium Reſolutionum Caſuum occurrentium circa peccata Capitalia, in Parte V.

Caput 1. De Superbia 1326
Caput 2. De Avaritia 1328
Caput 3. De Luxuria 1329
Caput 4. De Invidia 1330
Caput 5. De Gula ibid.
Caput 6. de Ira 1330
Caput 7. de Acedia 1332

PRAXIS CATECHISTICA EX PASTORALI Horto Tom. 1. per interrogationes & Reſponſiones digeſta in parte V.

Ex Tract. 1. De fide Chriſtiana 1333
Ex Tract. 2. Explicatio 1, Partis Symboli 1334
Ex Tract. 3. Explicatio Articulorum ſpectantium ad 2. Trinitatis perſonam 1335
Ex Tract. 4. Explicatio Articulorum ſpectantium ad tertiam Trinitatis perſonam 1338

Catechiſtica Interrogationes & Reſponſiones ex Tom. 2. Horti Paſtor. in Parte V.

Ex Tract. 1. de Spe, ſecunda virtute Theologica 1340
Ex Tract. 2. de Oratione 1341
Ex Tract. 3. de Oratione Dominica ibid.
Ex Tract. 4. de Salutatione Angelica quæ incipit: *Ave Maria* 1345
Ex Tract. 5. de Indulgentiis 1345

Catechiſtica Interrogationes & Reſponſiones ex Tom. 3. in Parte V.

Ex Tract. 1. de Charitate, tertia Theologica virtute 1346
Ex Tract. 2. de decem Præceptis Decalogi ibid.
Ex Tract. 3. de Præceptis primæ tabulæ 1347
Ex Tract. 4. de Præceptis ſecundæ Tabulæ 1349

Catechiſtica Interrogationes & Reſponſiones ex Tom. 4. De 7 Sacramentis Eccleſiæ.

Ex Tract. 1. de Baptiſmo 1351
Ex Tract. 2. de Confirmatione 1352
Ex Tract. 3. de Euchariſtia ibid.
Ex Tract. 4. de Pœnitentia ibid.
Ex Tract. 5. de Ordine 1354
Ex Tract. 6. de Extrema Unctione ibid.
Ex Tract. 7. de Matrimonio ibid.

Catechiſtica Interrogationes & Reſponſiones ex Tuba Sacerdotali, in Parte V.

Ex Tract. 1. de primo vitio Capitali 1355
Ex Tract. 2. de Avaritia 1356
Ex Tract. 3. de Luxuria 2357
Ex Tract. 4. de Invidia 1358
Ex Tract. 5. de Gula ibid.
Ex Tract. 6. de Ira 1359
Ex Tract. 7. de Acedia 136[illegible]

FINIS.

APPROBATIO.

HOrtus Paſtorum cum Tuba Sacerdotali ſive Tractatu de ſeptem vitiis capitalibus, & virtutibus oppoſitis, Authore R.D. JACOBO MARCHANTIO, *Oppidi Courtracenſis Paſtore & Decano, dignus eſt qui à Paſtoribus, & omnibus pietatis ac virtutis ſtudioſis frequenter perluſtretur, ut ex eo flores ſuaveolentes, ac fructus honoris & honeſtatis decerpant per quos ipſi Chriſti bonus odor ſint Deo, & alios odor vitæ in vitam æternam. Datum Montibus Hannoniæ 26. Julii, 1632.*

Gregorius Van der Gheeſt, S.T.L. Eccleſiæ Collegiatæ S. Germani Canonicus Archiepiſcopalis librorum Cenſor.

HORTUS

Digitized by Google

HORTUS PASTORUM

TRACTATUS I.

DE FIDE CHRISTIANA.

PROEMIVM.

HORTUS ille & *Paradisus voluptatis*, de quo in sacris litteris, multis erat privilegiis adornatus, multa varietate & amœnitate fœcundus. Si enim opificem spectes, ab ipsomet Deo erat constitus. Si locum, dicitur ad Orientem situs. Si amœnitatem, omni plantarum varietate erat floridus. Si fœcunditatem, deliciis omnibus erat circumfluus. Sed & in eo *Fons ascendebat, & irrigabat faciem universæ terræ, & dividebatur in quatuor Capita*, grato & sinuoso flexu fluitantia, quæ varias orbis plagas alluebant.

Gen. 2. 6.

Certè Hortus ille (omnium orthodoxorum consensu) verus erat hortus, sed tamen erat & mysticus, multa futura portendens, multis mysteriis fœcundus. Typus enim erat Ecclesiæ Catholicæ, & mysteriorum ejus, quam multifariam, multisque modis adumbrat.

Primò : Quia & ipsa tanquam *Hortus Sponsi*, ab ipsamet summi Opificis manu stabilita est & ordinata, juxtà ideam divinæ menti ab æterno propositam. Et nemo potuit eam erigere, nisi solus Deus, & ejus *sapientia æterna, quæ cum eo erat cuncta componens; & in orbe terrarum ludens*, in hoc Horto delicias suas postea habitura, cum filiis hominum in carne existens.

Pro. 8. 30.

Secundò: Ipsa est Hortus ad Orientem situs, quia semper illum respicit, *cui nomen est Oriens*, à quo & originem desumit, & lucem. Ipsa est *Regio lucis*, depugnans contra *Regionem umbræ mortis*, donec tandem pertingat *ad partem sortis Sanctorum in lumine*, quando in lumine æternitatis videbit lumen Deitatis.

Zach. 6. 12.

Col. 1. 12.

Tertiò: Habet omnis generis plantas: flores rubicundos Martyrum, violas fragrantes Confessorum, lilia candida & illibata Virginum. Habet & omnes delicias cum fœcunditate, *adipem frumenti, ubertatem vini & olei*; quia omnibus gratiæ donis & charismatibus est abundans.

Quartò: In ea est fons ascendens, quam meritò dixero, congruè proposito meo, esse DOCTRINAM CHRISTIANAM. Quia servit ad irrigandas tenellas & candidas animas, quæ sunt velut *Novella plantationes in juventute sua* ad erudiendos parvulos, qui sunt velut *Novella olivarum in circuitu mensæ Domini*: in ea doctrina ista quasi *Fanis vita & intellectus proponitur, & aqua Sapientiæ propinatur*.

Ps. 17. 3. Eccl. 15.

Denique, dividitur fons iste in quatuor Capita, quasi in quatuor flumina & peramœna.

Primum. Caput differit de Fide & Mysteriis Fidei in Symbolo contentis. *Secundum*, de Spe & Dominica Oratione, aliisque ad Spem pertinentibus. *Tertium*, de Charitate, & Præceptis Divinis hanc Charitatem ordinantibus. *Quartum*, de Justitia Christiana, Virtutibusque ac Vitiis, & de Sacramentis, quæ sunt media Justitiæ adipiscendæ vel augendæ.

Distributio hujus operis.

Hæc ergo sunt quatuor flumina, aut quatuor rivi uberes DOCTRINÆ SACRÆ, quasi *Aqua salientis in vitam æternam*. Dicit Sponsa in Canticis de Sponso suo : *Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident juxta fluenta plenissima*. Debent animæ candidæ, quæ sunt velut columbæ, postquam in Baptismatis flumine, Sanguine Christi quasi rore lacteo sunt lotæ, residere juxta hos rivulos DOCTRINÆ CHRISTIANÆ; juxta hæc fluenta plenissima lacte & melle fluentia, & escam optimam producentia, ut ibi possint pasci, irrigari, potari.

Cantic. 5. 12.

De his ergo DOCTRINÆ SACRÆ rivulis differe instituo, & omnes, ut bibant abundè, convocare. *Omnes ergo sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite. Venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione vinum & lac*. Ego enim in hoc toto opere sternere vobis mensam conabor, in qua & aqua Sapientiæ salutaris de fonte vitæ, & vinum doctrinæ cœlestis de Sponsi Cellariis, & lac pro parvulis de Sponsæ uberibus, poteritis propinare.

Isai. 55.

Hic verò primò differere aggredior *de Nomine Christiani, & Fide Christiana*, ut sciat unusquisque,

Digitized by Google

quod nomen gerat, quod genus aut stemma præferat, quam fidem habere debeat: & videat, an nomini suo, generi, nobilitati, fidei & vocationi correspondenter se gerat.

LECTIO I.

DE NOMINE CHRISTIANI.

1. *Decet diversa fuisse nomina Fidelium.*
2. *Diversa nomina Religiosorum non derogare nomini Christi.*
3. *Quomodo nomen hoc, Christianus, multos animarit in tormentis.*

PROPOSITIO I.

Qui Christum secuti sunt, diversa sortiti sunt nomina.

Diversa nomina Fidelium.

PRimò, vocati sunt *Discipuli & Fratres*, Discipuli quidem, quia profitebantur se sectatores doctrinæ Christi, Magistri è cœlo missi, & Doctoris justitiæ, de quo Isaias prædixerat, loquens Ecclesiæ novæ; *Erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum, & audies vocem post tergum monentis te. Hac est via, ambulate in ea.* Loquitur de Christo visibiliter docente, ad cujus pedes eruditi sunt primi Fideles, qui meritò sunt vocati Discipuli, de illis enim prædictum erat: *Erunt omnes docibiles Dei*; quia in schola Filii Dei, ejus spiritu instincti.

Discipuli. Isa. 30. 20

Joan. 6. 4. 5.

Fratres.

Fratres etiam vocati sunt ob eximiam dilectionem. Hæc enim erat nota, qua dignoscebantur: ita ut ex uno parte & matre viderentur nati, qui lingua & natione erant diversi, quia *erat Credentium cor unum & anima una.* Hinc gentes mirabuntur (teste Tertulliano) dicentes: *Videte quomodo se diligant, & alter pro altero mori paratus sit.*

Actor. 4. 32.

Tertull. Apologet. 39.

Sic refert D. Ambrosius præclarum amoris certamen apud Antiochiam, inter Theodoram virginem, & militem quendam Christianum, Illa ob Christi confessionem in prostibulum erat detrusa: Miles hic primus illam adiens, suadet, ut mutatis vestibus, veste virili evadat intacta. Ipse verò veste muliebri induit se, & in hac deprehensus, loco virginis illius trahitur ad supplicium. Noluit illa ei causa mortis esse, qui ejus tutatus erat pudicitiam. Adit Judicem, & palam se proclamat ream mortis, non ipsum. Ille verò contra, se Judicis sententia damnatum, non ipsam. Diu certarunt uterque, alterutrum sua morte redimere cupientes. At quia Christum confitentibus, mori vivere erat, Deo disponente, ambo simul martyrium gloriosum subeunt capitis truncatione: ne eos gladius tyranni separaret, quos junxerat amor Christi.

Exempl. Ambros. l. 2. de Virgin.

Nec verò solum ad Christianos hæc dilectio se extendebat in illis primis Fidelibus, sed eorum amor & beneficentia se porrigebat ad omnes; adeò ut signis dilectionis etiam extraneos ad fidem attraherent, quasi *in funiculis Adam, & in vinculis charitatis.*

Ose. 11. 4.

Exemplum habemus de B. Paconio. Cum adhuc Gentilis sub Constantino Magno militaret, factum est, ut deficiente victu, fame plures interirent. Ipse verò pervenit ad quandam civitatem, ubi erant Christiani, qui statim magna cura ipsi & suis victum suppeditarunt, ita ut satis mirari non posset. Interrogans autem, quænam gens illa foret, adeò ad beneficiendum propensa; dictum est, vocari Christianos. Cùm verò interrogaret, quidnam esset appellatio Christianorum, dicebant: *Sunt homines pii Deum colentes, & credentes in Iesum Filium Dei, & sperantes ab eo mercedem, omnibus benefaciunt.* Hic dictis, ille hujus Religionis amore inflammatus, paululum secessit, & manibus in cœlum levatis, se Christo in perpetuum vovit. Sic nimirum primi Fideles, *Christi bonus odor erant in omni loco.* Sic dilectione mutua, & beneficentia ad exteros quasi odoris suavitate, multos trahebant ad sequelam Christi.

Exempl. Sur. 14. Maii.

2. Cor. 2. 15.

Nazareni.

2. Vocati sunt *Nazareni*, à Jesu de Nazareth, quod nomen benè eis convenit, quia Deo sunt consecrati. Nazarenus enim idem est quod floridus, vel coronatus, aut consecratus, quia Nazareth florem aut coronam significat. Christiani ergo rectè Nazareni vel Nazarzi vocantur. Quibus applicari potest illud Thren. 4. *Candidiores facti sunt Nazarai ejus nive, mundiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, saphiro pulchriores.* Veri enim Christiani, quia Deo sunt consecrati, puritate vitæ nivem referunt, nitore lac imitantur, charitate & fervore ebur, cœlesti conversatione saphiro similes sunt. Et sicut Nazarzi capillos suos Deo consecrabant; ita & illi debent Christo cogitationes omnes (per capillos significatas) consecrare.

Thren. 4. 7.

Galilæi.

3. Vocati sunt *Gallæi*. Quod nomen etiam ipsis rectè congruit, idem significans quod *Transmigrantes*, quo significatur, nos viatores esse, & peregrinos tendentes ad patriam. Hinc illud: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum*, ad omnes Christianos dirigens, pius & eruditus quidam sic ait: *O Galilæi, ô Viatores & Peregrini! Quid statis? Quid hæretis? Galilæi estis, cur fixeram in vobis gloriam non inquiritis? Tanta vos gloria manet, tantum regnum promissum est, & hæretis? Quid dicam vobis? O desides! ô Labor modicus, sempiterna lætitia: Pugna brevis, corona perpetua: Vita hæc brevis, altera immortalis: Ex hoc vita momento pendet Æternitas & hæretis? Quid aspicitis in cœlum? Aspectu & negligitis? Non solo oculis acquiritur, sed & manibus, pedibusque ad illud contendendum est.*

Actor. 1. Thom. & Villanova, Arch. Valen. serm. 2. Ascens. Alcuin.

Christiani.

4. Vocati sunt *Christiani*, in urbe Antiochena. Hoc nomen à Christo derivatum est, significans nos unctionis Christi participes. Sicut enim oleum quo unctus fuit Aaron, non ipsum a capite in faciem ejus defluebat; sed & *in oram vestimenti*; Ita gratia spiritualis, qua Christus verus Aaron & caput nostrum, à Patre unctus fuit, etiam usque ad

Ps. 132. 2.

Digitized by Google

minimum quemque fidelem deſſuit tanquàm oram veſtimenti; ut meritò à Chriſto fidelis quilibet vocetur *Chriſtianus*, ſivè unctus. Propterea quælibet anima Chriſtiana poteſt Chriſto dicere: *Oleum effuſum nomen tuum, ò ſponſe! ſivè Jeſus, ſivè Chriſtus, utrumq; nomen effuſum eſt in homines, qui computruerunt ut jumenta in ſtercore ſuo, participes enim ſumus ſalutis, participes unctionis.*

Bernard. in parvis ſermon.

Exempl. Hiſtoria trip. l. 9. Niceph. & alii.

Hoc nomen ſummo odio proſecuti ſunt Idololatræ, & inter cæteros acerbiſſimè Julianus Apoſtata. Hic in bello contra Perſas, ſagittâ è cœlo miſſâ vulneratus, cum è vulnere cavâ manu ſanguinem hauſiſſet, in cœlum projiciebat, vociferans: *Vicisti, Galilæe, vicisti:* & iterum quaſi Chriſtum concipiens, exclamabat: *Saturare, Nazarene, saturare.* Sic oſtendebat, quomodò nomen Nazarenorum & Galilæorum, tam in Capite Chriſto, quàm in membris ejus, ad extremum ſpiritum inſectaretur. Ipſe poſt viginti annos à Baptiſmo factus Apoſtata, à Chriſtiani nominis & cultus abdicatione, fuit imperium auſpicatus. Et ita hoc nomen eſt odio proſecutus, ut indicto publico ſacrificio, victimarum impuro ſanguine lavari voluerit & baptizari; Putans ſic delere ſignaculum, quod cum Baptiſmo impreſſum fuerat, & ſacra Chriſtiana his nefariis & diabolicis ſacris, penitus à ſe abolere. Imò & in ſanguine illo manus ſuas abluit, ut ab incruenti ſacrificii ſumptione in Euchariſtia, quam olim fideles manibus ſumebant, hac profanatione eas expurgaret: Nempè ſic ritu ſolemni, Chriſtianum nomen & vultum à ſe abdicavit. Statuerat & ipſe poſt partam victoriam de Perſis, Chriſtianam Religionem funditus perdere. Undè (Oroſio teſte) Hieroſolymis Theatrum ædificari juſſerat ad eorum cædem, ut ibi eſſet carnificina, ubi illa Religio orta erat. Meritò ergò è cœlo percuſſus fuit, ut impietatis jam conceptæ, æternum pœnas lueret; ejuſque executio, cœlo ipſo pro Chriſtianis pugnante, impediretur. Sic in illo verificatum fuit illud: *Priusquàm intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum, ſicut vivентes, ſic in ira abſorbet eos.* Vel, ut legit D. Hieronymus. *Priusquàm ſpinæ veſtræ crescerent in rhamnum, & pervenirent ad duritiem & acumen ſpinarum graviter ladentium, abſciſſi eſtis.* Senſus eſt: Antequàm implere poſſetis malitiam & crudelitatem jam conceptam contra juſtos, in mediis ſceleribus abſorbuit vos ira Dei, ſicut Chore, Dathan & Abiron, qui vivi abſorpti ſunt. Sic Julianum, ſic alios nominis Chriſtiani perſecutores ſuccidit Deus, & inferno devovit.

Julianus Apoſtata perſecutor Chriſtianorum.

Naz. Orat. in Julianum. Oroſ. lib. 7.

Pſal. 57.

PROPOSITIO II.

Nomini Chriſtiano non derogat, quòd aliqui vocentur Benedictini, Bernardini, Franciſcani, &c.

Varietas Ordinum & Religionum.

Hoc perversè calumniantur Hæretici. Nec enim ob id divisus est Christus, ut ipsi clamant; quia Benedictus, Bernardus, Franciscus, & similes, tantum sunt diversi Duces sub eodem Imperatore Christo, à quibus in suas cohortes, sivè familias nomen derivatum est, eo quòd ipsis Duces extiterint in via perfectionis ad Christum. Non ergò sunt divisi in fide, doctrina, aut charitate Christianâ. Nec diversitas eorum, sivè in veste, sivè in nomine, deformitatem parit, sed potius pulchritudinem in Ecclesia Dei. Diversi enim ordines, variis symbolis in sacris literis designari censentur.

non derogat nomini Chriſtiano.

Primò, Sunt fimbriæ variegatæ Sponsæ & Reginæ. Pſ. 44. 15

2. Sunt colores diversi, vestis polymitæ veri Joseph Christi. Gen. 37. 3.

3. Sunt varii flores, horti Sponsi & Sponsæ. Cant. 2. 12

4. Sunt varii famulantium greges, in domo Salomonis. 3. Reg. 10.

5. Sunt varia membra, ejusdem corporis mystici. 1. Cor. 12. 14.

6. Denique per illos fit, ut Hierusalem nova, hoc est, Ecclesia militans sit instar cœlestis ex Angelis compositæ. Sicut enim Angelorum aliqui assistunt, alii illuminant, alii purgant, alii in ministerium mittuntur: Ita ex Ordinibus Religiosis, aliqui vacant meditationi, aliqui divinis laudibus cantandis, aliqui prædicationi verbi, alii Sacramentorum administrationi, &c. Apocal. 21. 2.

Fundatores ergò Ordinum, Patres sunt, qui filios genuerunt, non sibi, sed Christo; adimplentes quod decretum erat in lege, ut fratri defuncto, sine filiis, alter frater semen suscitaret, & filios generaret uxori ejus. Christus discesserat sine filiis, quia paucis fidelibus ad se conversis, finivit vitam: sed viri illi Apostolici, quia fratres ejus erant, semen ei suscitârunt, & sobolem copiosam Ecclesiæ dederunt, *generationem timentium Deum.* Ipsi verò alii eorum, nomen fratris defuncti, cui geniti erant, susceperunt, quia à Christo vocati sunt Christiani: & superaddiderunt nomen Patriarcharum suorum à *Benedicto* vocati *Benedictini*, à *Francisco*, *Franciscani*, *&c.* Deuter. 25. 5.

Non ergò illis debet attribui similis divisio illi, de qua agit Apostolus, dum alter dicebat: *Ego sum Pauli*, alter. *Ego Cephæ*, tertius: *Ego Apollo*, quia hi putabant meliorem esse Baptismum a meliori baptizante, & ideò gloriabantur quidam se a Paulo, alii se a Petro baptizatos. Quod reprehendit Apostolus, quia Christus est, qui principaliter baptizat, qui non est divisus sivè differens in sua virtute & effectu, secundum differentiam ministrorum. 1. Cor. 1. 12.

Ad vos potius spectat hæc divisio, ô Hæretici! dum unus dicit: *Ego sum Calvini*, alter: *Ego sum Lutheri*, alter: *Ego sum Zvinglii*, & omnes in fide estis diversi; sicque Christum dividitis, & in Christum contra Christum creditis; corpus ejus, quod est Ecclesia, dilaniatis; vestem ejus inconsutilem scinditis. Sic enim conquestus est Christus de Ario, B. Petro Alexandrino Episcopo apparens, veste conscisâ: *Arius*, inquit, *vestem meam conscidit.* Sic de vobis quoque queritur, ob sectas vestras, in

Hæreticorum ſecta Chriſtum dividunt, & ejus corpus ſcindunt.

Digitized by Google

varias diſſectas, quæ ſerpant modò, & Eccleſiæ unitatem diſcerpunt.

Cur non omnes fideles à Ieſu nomen habeant, ut à Chriſto.

Quæri hic poſſet: Cur non omnes Fideles nominantur Jeſuitæ à JESU, ſicut à Chriſto Chriſtiani? Reſpondeo, quia JESUS eſt nomen proprium, quod noluit ſic imperti diſcipulis: Deindè JESUS non eſt nomen ejus, qui ſalvatur, ſed illius qui ſalvat: CHRISTUS autem non eſt tàm nomen ungentis, quàm uncti, cujus unctionis ſunt participes fideles, undè à Chriſto Chriſtiani dicuntur, id eſt, uncti oleo gratiæ. At non omnes Salvatoris officium participant, ideoque non dicuntur à JESU Jeſuitæ. Particularis verò Sacerdotum congregatio, primò vocata eſt Societas JESU, quia ſpecialiter cooperatur ſaluti aliorum, quaſi militia ſub JESU Duce; deindè nationes variæ eos vocârunt Jeſuitas, non ergò illi ſibi nomen illud adſcripſerant. Refert verò Epiphanius, in Ægypto primos Chriſtianos vocatos à JESU Jeſſæos, quia a JESU procederent, & eum omnibus ſequendum proponerent.

Epiphan. hæreſi 29.

PROPOSITIO III.

Hoc nomen, Chriſtianus, multos animavit ad Martyria, & fortes fecit in tormentis.

Nomen hoc Chriſtianus calcar eſt ad martyrium.

HAbemus præclarum exemplum ex Euſebio. Quidam, inquit, cui nomen Diaconus, mira pœnarum genera pertulit, quæ longè humanam conditionem excedebant. Interim crudelitates torquentium ſe ridens, nunquam dignatus eſt aperire quis eſſet, quod genus ſuum, quæ patria, imò nec nomen fateri. Sed de his ſingulis interrogatus, nihil aliud in omnibus tormentis reſpondebat, niſi, *Chriſtianus ſum*. Hoc mihi nomen, hoc genus, hoc patria, aliud omninò nihil ſum, niſi *Chriſtianus*. Undè incredibili agitabantur inſania, quod proprium nomen extorquere non poſſent. Tandem candentes laminas æris & ferri, ergà inguinis loca adhibent, ita ut carnes ejus adustæ delluerent: ſed immobilis manebat, de cœleſti fonte humanas ſcpiens flammas, membris omnibus Martyr erat, & toto corpore unum vulnus horrebat. Periit in eo humana forma, adeò, ut agnoſci non poſſet, quis eſſet, Chriſtus tamen in eo totus agnoſcebatur, in hac voce ſæpè ab eo repetita, *Chriſtianus ſum*.

Exempl. *Diaconi*

Euſeb. l. 5.

Blandina. Sutius 3. Maii in geſtis Alexandri. Papæ, &c.

Eodem tempore S. Blandina, tantâ à Chriſto conſtantiâ firmata fuit, ut a prima luce ad veſperam tormenta ſemper innovantes carnifices, victos ſe fatercntur; ſtupentes, quomodò ſpiritus in ea permaneret, cum nihil de corpore ejus per ſupplicia reſtaret. At illa (ut teſtata eſt) quoties *Chriſtiana ſum*, proclamavit, toties novæ vires corpori reddebantur: undè vox hæc ſæpius ab ea iterata, ſenſum doloris extinguebat.

Sebaſtiani. Sut. 20. Jan. c. 48

Habemus & de B. Sebaſtiano, pectori velut pretioſam gemmam affixile hanc inſcriptionem: *Quia Chriſtianus ſum*, ut ſic ſuæ vocationis meminiſſet, & ad quælibet ardua pro fide Chriſti perferenda ſe animaret: quia forma agere & pati Chriſtianum eſt, & Chriſtiano gloriolum. Omnes hi ergò in tormentis, poterant illud uſurpare: *Tu in nobis es Domine, & nomen ſanctum tuum invocatum eſt ſuper nos, ne derelinquas nos Domine Deus noſter.*

LECTIO II.

DE OBLIGATIONE Chriſtiani.

1. *Docet nomen Chriſtianum nos obligare ad gratitudinem.*
2. *Hæredes Nominis Chriſti, eum imitari debere.*
3. *Multos eſſe nomine Chriſtianos, paucos merito vitæ.*

PROPOSITIO. I.

Obligat hoc nomen Chriſtianum ad eximiam gratitudinem.

Nomen Chriſtianũ ad ſingularem gratitudinem obligat.

ESt magnæ dignationis divinæ, quod nomine ſuo nos voluerit inſignire. Et hoc nomen multos titulos continet, dignitatem noſtram indicantes, quos inſinuat D. Petrus: *Vos genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis.*

1. Pet. 2. 9 Rom. 8. 29.

Primò, *Genus electum*, quia elegit nos Pater ab æterno, conformes fieri imagini ſui.

Secundò, *Regale ſacerdotium*, quia Reges unctiſumus in Baptiſmo, ut imperemus noſtris affectibus inordinatis. Sacerdotes etiam ſumus offerentes ei bona opera & preces, tanquam ſacrificium laudis & hoſtiam pacificam: Cor contritum, tanquam hoſtiam pro peccato; Cor amore incenſum, tanquam holocauſtum.

Tertiò, *Gens ſancta*, quia vocati ad ſanctimoniam, & per gratiam ſanctificati. *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra.*

1. Theſſ. 4. 3.

Quartò, *Populus acquiſitionis*, quia empti pretio magno agni immaculati. Undè debet nobis eſſe gloriolum nomen: *Emptus & redemptus.*

Magnum Beneficiũ eſſe Chriſtianum.

Hæc ergò omnia cum contineant nomen Chriſtiani, calcar eſt ad gratitudinem Chriſto rependendam. Magnum utique beneficium eſt, quòd cum tot millia pereant in infidelitate, nos voluerat Deus eligere ad Chriſti fidem. Quapropter dicebat Apoſtolus: *Gratias agentes Deo, qui nos fecit dignos in partem ſortis Sanctorum in lumine, conformes fieri imaginis filii ſui.* Ubi ſtatum Chriſtianum ſortem vocat, quia in ſortibus nulla habetur ratio illorum inter quos agitur; non enim ſors huic aut illi cadit, quia ſapiens, aut dives, aut nobilis: æquè enim cadit in idiotam, ignobilem, aut pauperem. Sic forte vocati ſumus, quia quòd ille inter Turcas, alter in Hæreticos, tu inter Chriſtianos, nulla ratio, nullum meritum tuum; ſed ſola intervenit Dei bonitas, qui in una providentiæ ſuæ habens ſorte omnes, illas ſuo temperat & regit arbitrio. Eodem die quo natus es, multa millia animarum, ex ſua omnipotentia deprompſit Deus, & inter infideles

Coloſſ. 1. 12.

Digitized by Google

fideles & hæreticos, hæ & illæ collocatæ sunt, quare potiùs tua inter Fideles? quæ merita in te? immensas ergò age gratias, & dic cum Augustino in illud Psalm: *In manibus tuis sortes meæ. Non video unum meritum, quod de subversa impietate generis humani, me potissimùm elegisti ad salutem, ad tuitionem Domini forte perveni.* Sæpius memor sis, (quisquis verè Christianus es) & excita animum tuum ad gratiarum actionem: Memor, inquam, te non Ethnicum esse, sed ad pedes Jesu, in Evangelio salutis enutritum; Te Sanguine Christi redemptum, & in medio eorum positum, qui vocantur *Gens sancta, populus acquisitionis.* Te habere Deum Patrem, Christum Salvatorem, Verbum Dei pro alimonia vitæ, Sacramenta pro medela animæ, Gremium Ecclesiæ, tanquam sinum Matris, quæ te peperit, fovet, lactat, quò tibi semper securus est recursus. Horum omnium tu memor eris, si ponderes hoc nomen, *Christianus.*

Ps. 20. 16. August. in hunc locum.

PROPOSITIO II.

Christiani sicut hæredes sunt nominis Christi, ita debent esse imitatores sanctitatis.

Christiani vocamur ut Christū imitemur.

HÆc propositio est D. Bernardi, & illi consonat illud Apostoli, *Obsecro vos, ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione vestrâ sanctâ,* &c. Interrogabat se frequenter Bernardus (quod olim etiam practicabant Sancti Patres) *Bernarde, ad quid venisti de mundo? Ad quid ascendisti de fluminibus Babylonis, ad statum Religionis*: Hoc age. Ita se potest interrogare Christianus. *Ad quid venisti? Ad quid vocatus es? Cujus nomen geris?* Nomen & vocatio tua, monet te sobrietatis, humilitatis, patientiæ, sanctitatis Christi imitandæ. Ut quid ergò superbiam, immunditiam, ebrietatem sectaris? Vocatus es non ad tenebras & errores sæculi, & vias peccatorum sectandas, sed ad imitanda vestigia Christi. Ambula ergò dignè vocatione & nomine tuo: *Non in comessationc & ebrietate, non in cubilibus & impudicitiis, sed induere Dominum Jesum Christum.* Tu à Christo Christianus dictus, erutus de potestate tenebrarum, debes ut filius lucis ambulare.

Rom. 13. 13.

Tacitus de Senecæ testamento seu legato.

Refert Cornelius Tacitus de sapiente illo Seneca, quòd cum carcere detentus foret, & rebus omnibus privatus, morti vicinus, nihilominus advocat amicos suos, & dicit eis. Ecce amici mei, hinc discedens valedicere vobis volui, sed quia rebus omnibus orbatus testari prohibeor, nolo tamen vos deserere sine aliquo legato. Vobis igitur tanquam præclarum legatum consigno *imaginem vitæ meæ.* Præclarum sanè legatum, imò vitæ illius, qui exemplar fuerat totius virtutis mortalis & sapientiæ. Sic Christus nobis hæredibus suis, noluit aliud testamento relinquere, quam *imaginem vitæ suæ*, ad cujus normam vult nos omnes actiones nostras componere, & vitam nostram formare.

Rom. 8. 29.

Imò Pater æternus hanc nobis imaginem proposuit, cui conformemur, inquit Apostolus. Hanc debemus ponere *super cor tanquàm signaculum* excitans ad amorem, & *super brachium*, ut excitemur ad illi conformiter operandum. Cant. 8. 6.

Solebant antiquitus filii, parentis Imaginem in bulla seu numismate quodam insculptam portare ad collum, & in modum cordis illud efformabant; eratq; illis ceu monile, quo monebatur parentum heroicas virtutes imitari. Undè Senatus sustulit Scipioni ignobili (Sic dictus fuit, quia à paternis virtutibus degeneraret) Bullam hanc in qua erat expressa Patris imago. Indignus enim fuit judicatus imagine illius, cujus virtutem non imitabatur. *E manu ejus annulum, in quo caput Africani descriptum erat, detraxerunt.* Valerius Max. lib. 3 cap. 3.

Quocircà Christianus debet parentis sui nomen & imaginem, non solum ad collum suspendere, & exterius gestare: sed interius cordi & animo fortiter imprimere, tanquam sigillum aureum, ut ejus lineamenta & colores, hoc est, virtutes & perfectiones, velut in cera molli possit exprimere, ut respondeat dignati nominis sui. Propterea monebat D. Leo: *Agnosce, ô Christiane, dignitatem tuam, & divinæ consors naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento cujus capitis sis membrum, quodque ereptus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen & regnum. Noli te iterùm diabolo subjicere servituti, quia pretium tuum Sanguis Christi est.* S. Leo serm. de Nativ. Christi.

PROPOSITIO III.

Multi nominetenus sunt Christiani, pauci merito vita.

Multi Christiani numero, pauci verò merito.

DE multis inque verum est illud Apoc. *Nomen habes quod vivas, & mortuus es.* Nomen Christiani, & vitam pagani, opera nomini adversantur. Apoc. 3.

Hinc Augustinus dicit: *Detegeris & deprehenderis, ô Christiane! quando aliud agis, aliud profiteris. Fidelis in nomine, aliud demonstras in opere. Renuntiasti diabolo & operibus ejus, non hominibus, sed Deo & Angelis conscribentibus: tenetur in cœlo chirographum tuum. Renunciate, non solùm verbis, sed etiam moribus, non tantùm sono linguæ, sed & actu vitæ.* August. tract. de Symb.

Qui medii Christiani tantum

Aliqui ergò sunt medii tantum Christiani, qui cœlum simul & terram putant se posse respicere: & ipsi unum genu flectunt coram arca Dei, alterum coram idolo Dagon. Hi sunt, qui partim Deo serviunt, partim peccato. Hi etiam sunt, qui Christianam vitam & disciplinam leviter attingere sunt contenti, & partem præceptorum ejus observare. Sunt sicut illi, qui aquam benedictam volunt accipere; sed gutta una & altera contenti, molestè ferunt & retrahunt se, si multa aqua illos aspergens. Sic hi contenti sunt unâ aut alterâ particulâ Christianæ vitæ, v. g. aliquandò interesse Sacro, audire unam concionem, orationes aliquot leviter recitare, aliquandò unam eleemosynam facere. Sed si de jejuniis eis loquaris, de injuriis condonandis, de inimicis diligendis, de lingua refrenanda, Similiter ex Granatensi.

Digitized by Google

nanda, de carne & concupiſcentiis domandis, hæc putant ad te non ſpectare, ſed ad eos, qui mundum reliquerunt. Hæc vir volunt attingere, nihil volunt pro Chriſto tolerare. Cum ipſo cupiunt eſſe in monte Thabor, ſed non in monte Calvariæ, in gloria, ſed non pœna. Volunt portare coronam ejus auream, ſed nolunt de ſpinea participare : *Volunt ſequi uſque ad fractionem panis, ſed non uſque ad bibendum calicem Paſſionis.*

Thom. à Kempis. l. 1. c. 11.

Rom. 9. 6. Dicebat Apoſtolus : *Non omnes qui ex Iſrael ſunt, hi ſunt Iſraelitæ; nec qui ſemen Abrahæ, ſunt omnes filii* : quia aliqui erant ex ſanctis Patriarchis ſecundum carnem, ſed non ſecundum pietatem, Alii erant veri Iſraëlitæ, qui fidem & opera SS. Patrum imitabantur. Ità Chriſtianorum duplex genus eſt, alterum quaſi ſecundum carnem ; quia illi Chriſtianorum ſunt, & baptizati, ſed opera habent indigna Chriſtianis. Alii ſecundum ſpiritum, qui pro viribus contendunt Chriſtum imitari, de quibus Apoſtolus : *Cognovit Dominus, qui ſunt ejus : Diſcedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini.*

2. Tim. 2. 19.

Ad pop. Antioch. Primi generis Chriſtianos notans Chryſoſt. *Die mihi*, inquit, *undè potero deprehendere te Chriſtianum? an à loco? an à veſte? an à ſermone? à cibo? à negotiis?* Non à loco, quia locus Chriſtiani eſt templum Dei, tua autem frequentatio in ludo, platea, taberna. Non à veſte, quia indumenta profana & cum luxu vana geris. Non à ſermone, quia perpetuò gaudes juramentis, detractione, adulatione. Non à cibo, quia in menſa ob intemperiem & ingluviem, magis Epicuri, quam Chriſti videris eſſe diſcipulus An ergò a negotiis ? Minimè, quia quæ tractas, plena ſunt dolis & injuriis, quibus proximum circumvenire ſoles.

Falſi Chriſtiani quibus ſimiles. Similitudines. Sed vis ſcire, quibus ſimiles ſint, qui Chriſtianum nomen gerunt, nec vocationi reſpondent ?

Primò, ſimiles ſunt ficulneæ aridæ, in qua Dominus requiſivit fructum, non invenit, & ideò maledicto fuit obnoxia. Sic illi aridi ſunt, & ſine fructu, folia tantum habent, hoc eſt, exteriora quædam indicia Chriſtiani.

Secundò, Similes ſunt multis, qui in Academiis gradum Licentiæ aut Doctoratus habent, ſed nullam doctrinam gradui reſpondentem : ſolis bullis ſuis & titulis inanibus gloriantes, quibus potiùs titulus confuſioni cedit & ludibrio. Sic multis titulus & nomen Chriſtiani in confuſionem cedet. Qui militiæ adſcribuntur, & ſacramento ſe militari obligant, non debent ſolum militis gerere nomen, ſed & juramenti ſui memores & fidelitatis, ad fortia quælibet animari. Sic tu, Chriſtiane, inquit Chryſoſtomus, *Exere vires, fortiter dimica, conſidera pactum, conditionem attende, militiam noſce, pactum quod ſpopondiſti, conditionem qua acceſſiſti, militiam cui nomen dediſti. Verè tu delicatus es miles, ſi putas te poſſe ſine pugna vincere, ſine certamine triumphare.*

Serm. de Martyr. tom. 3.

2. Tim. 6. Sic monebat & Apoſtolus : *Labora ſicut bonus miles Chriſti Jeſu : Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, & confeſſus bonam confeſſionem coram multis teſtibus.* In Baptiſmo milites conſcripti ſumus ; attendamus pactum, juramentum, profeſſionem, quam ibi fecimus ; ut fortiter contra vitia, concupiſcentias, ſatanam, infernum, mundum, carnem, omneſque hoſtes militemus, lauream & coronam in cœlo habituri. Vide quomodò hunc militem a capite uſque ad calcem, armis & panoplia ſua ornet Apoſtolus.

Eph. 6. 10

Interim exhibebo tibi præclarum militem Chriſtianum, Ducem uſque ad mortem ſequentem, ut dignus foret nomine Chriſtiani.

Exempl. Surius 7. April. *Calliopius ſe verum Chriſtianum profitetur.*

Is eſt S. Calliopius, de quo ſic apud Surium : Calliopius pius adoleſcens, ad convivium in Deorum celebritatem paratum invitatus, reſpondit : *Chriſtianus ſum, & Chriſtum jejuniis colo, & idolis immolata, non licet in os eorum, qui Chriſtum colunt, ingredi.* Quod cùm audiſſet Præſes, juſſit eum immaniter cædi, & tandem dixit poſt multa verbera & increpationes : Nunc ſaltem ab inſania diſcede, & Imperatorum decretis obtemperans, Diis ſacrifica, ut vivas ; alioquin ut Magiſter tuus in crucem ſuffigeris. *Admiror*, inquit Calliopius, *impudentiam tuam, qui cùm ſæpè ex me audieris Chriſtianum me eſſe, & Chriſtianum eſſe moriturum, & in Chriſto victurum, tàm impudenter pergis veritatem oppugnare. Paratus ſum, eandem quam Magiſter meus pertulit, mortem appetere.* Hæc cum ille dixiſſet, Prætectus advertens eum à propoſito deduci non poſſe, ſententiam tulit, ut quintâ Sabbatorum Paſchæ in Crucem ageretur. Quod Mater intelligens, quinque nummos Miniſtris dedit, ut eum contraria ratione, quam Chriſtus, affigerent cruci. Quintò igitur Sabbathorum pronus in caput crucifixus eſt, & die Paraſceves, eodem die, quo Chriſtus, animam egit ; & vox de cœlo audita eſt : *Veni ervis Chriſti, & cohæres ſanctorum Angelorum.* Ecce ergò verus Chriſtianus, qui pro hoc nomine fortiter pugnavit, ne illo ſe præberet indignum, & uſque ad extremum ſpiritum Chriſtum eſt imitatus, & Chriſtianum nomen proprio ſanguine obſignavit. Sit ipſe nobis ſpeculum, ſit exemplum.

LECTIO III.

DE SIGNO CHRISTIANORUM.

1. *Docet ſignum Chriſtiani eſſe ſignum Crucis.*
2. *Varias proponit utilitates ex hoc ſigno redundantes.*
3. *Quomodò ſit efficax contra Dæmonis virtutem.*

PROPOSITIO I.

Signum Chriſtiani, eſt ſignum Crucis, quod in fronte aut pectore à viris Chriſtianis formari ſolet.

Eſt

Digitized by Google

Quid signū Christiani.

ESt enim illud primum signum Fdei & Militiæ Christianæ sub Rege Crucifixo. Unde puero accedenti ad Baptismum, post sufflationem trinam ad expellendum sathanam, ut det locum & honorem S. Trinitati (quæ etiam significatur spiraculum illud vitæ, quod inspiravit Deus in faciem primi hominis) statim signum hoc imprimimus fronti pueri; ut crucem non erubescat, signum militiæ nostræ, & in pectore, ut illud amet, locans in pectore, cordis sede.

Signum Crucis.

Vide Catechism. Bellarm. & aliorū.

Crucis ergo signo ante Christum nihil abjectius, quia cum maledicto erat obnoxia: sed postquam Christus eam erexit, Vexillum & trophæum suum, Currum triumphalem, Sceptrum Regni, Insigne Imperii sui, ab omnibus venerationem habet, *& à loco supplicionum, facit transitum ad frontes Imperatorum*, inquit August. Unde factum est, ut ellet primum signum fidei; quia continet tacitam professionem mysterii Trinitatis, Incarnationis, Passionis. Hinc cùm alicubi Evangelium de novo prædicatur, primum signum expulsæ idololatriæ, & fidei introductæ, est erectio Crucis.

Exempl. Constantinus signo crucis victor evasit.

Nota est historia, quomodo Constantino, ubi fidem accepit, signum Crucis Deus in cœlo repræsentavit, totum lumine circumdatum, cum hac inscriptione: *Constantine in hoc signo vinces!* Ille hic eum reddidit securum de victoria contra Maxentium. Unde statim illud in fronte sua & diademate posuit, & relictis Aquilis, aliisque Imperii Romani signis, Labarum sive Vexillum Romanorum, in Christianorum Vexillum Crucis effigiem gestans, mutavit; totique exercitui quasi insigne Imperiale præfixit. Sic cùm ab initio in Indiam, tam Orientalem, quam Occidentalem, prædicatio Evangelii appulit; statim in portis & muris urbium, imò in verticibus montium, signum Crucis vidisses, tanquam fidei signum erectum. *Quia sicut navis non est sine arbore, ita nec Ecclesia sine Cruce*, inquit Ambros. Ambros. serm. 56. Hoc videtur prævidisse Isaias dū dicit: *In illa die erit altare Domini in medio Ægypti, & titulus Domini juxta terminum ejus, & erit in signum & testimonium Domino exercituum.* Isa. 19. 19. Sensus est: Temporibus Messiæ erigentur altaria in Ægypto, & in terra Gentium (terra tenebrosa Ægypti nomine significata) & cruces constituentur in viis & finibus eorum, ut signum sit, Deum verum & Regem crucifixum ibi coli.

Constantinus quoque, ut crucis venerationem toti mundo proponeret, & animis omnium imprimeret, curaverat super omnem monetam se depingi, cum globo aureo in manu dextera signato cruce, ad significandum totum mundum cruce redemptum & acquisitum, sub crucis protectione esse.

Signi crucis usus in Ecclesia antiquus.

Ex his patet, crucis signum in Ecclesia antiquum esse. Imò est ceremonia ab Apostolis tradita signata etiam in veteri lege. *Primò*, In cancellatis manibus Jacob, dum filiis benedicit. Gen. 48. 2. In elevationem manuum Moysis, quum victoriam reportat contra Amelech. 3. In signo Tau, quod frontibus gementium sive pœnitentium, apud Ezechielem figitur. Exod. 12. Ezech. 9.

4. Ut faciliùs etiam gentes crederent in Crucifixum, & vitam per Crucem dari; voluit Deus longè ante Christum, ut Ægyptii in literis suis hieroglyphacis, significarent per crucem, sanitatem & vitam futuram.

Unde refert Socrates, quòd Christiani demolientes templum Serapidis, invenerint signum Crucis sculptum in primis lapidibus, & hoc videntes multi Gentiles ad Christianismum inducti sunt. lib. 5. hist. cap. 7.

De antiquitate hujus sic loquitur Tertull. *Ad omnem progressum & exitum, ad vestitum, ad mensas, ad cubila, ad sedilia quæcunque nos conversatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus. Si legem de hoc exposcis Scripturarum, nullam reperies: traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, fides observatrix.* Hæc verba penderet contentiosus hæreticus. Tertull. de corona militis c. 3.

Sed & multi putant, dum Christus ascendens, elevatis manibus dicitur benedixisse; signum Crucis in aere depinxisse, & ex hac benedictione morem manasse in Ecclesia, crucis signum formandi. Unde & hæc benedictio repræsentatur per ultimam benedictionem, quæ populo datur in fine Missæ. Frederic. Nausea c. 16. Catech. Ludolph. vitæ Christi p. 2.

Grata Deo frequentatio signi Crucis.

Quam verò grata sit Deo frequens hujus signi formatio, patet exèmplo S. Editæ filiæ Regis Angliæ, quæ regnum mundi, omnemque ornatum sæculi contemnens, in Monasterio se Deo voverat. Consuetudinem verò habebat formandi sibi crucis signum, magna Fide in fronte, ad quamlibet actionem. Hanc consuetudinem advertens S. Dunstanus, ejus semel accipiens manum, dixit: *Non permittet Deus, ut pollex ille sacer unquam putrescat.* Quod factum est. Nam mortua est vigesimo tertio anno ætatis, & ab ipso S. Dunstano sepulta est; cui annis tredecim post mortem apparuit & monuit, ut loco honoratiori corpus poneret: indicans ei, quòd membra, quibus indiscretè fuerat usa in pueritia, putrefacta reperiret, oculos, pedes, manus; reliquis membris integris sine corruptione, & maximè pollice manus dextræ, ob signi crucis formationem. Quod ita repertum est. Exempl. Rib. d. 16. Septemb.

Sic fert Cantipratanus, se vidisse in osse pectoris B. Volvandi Ordinis Prædicatorum, crucem miro artificio formatam: quam post mortem ejus viderunt Fratres, dum diu post illam ossa ejus requirerent, & abluerent; quam Deus ibi impressérat tanquam scutum cordis: quia semper ferè ille, sive gradiens, sive sedens, pollice signum crucis in pectore depingebat, & stigmata Jesu Christi, in mente semper gerebat. Cantiprat. l. 1. Apum c. 25.

PROPOSITIO II.

Ab hoc signo crucis multa utilitas in Christianismum redundat.

Primò quia per illud profitemur fidem Trinitatis & Incarnationis. 2. Per illud excitatur memoria Passionis, & spes per illam obtinendæ remissionis. Ad hunc etiam effectum, in turribus Eccle-

Vtilitas signi crucis. Est professio fidei.

Digitized by

SS. Trinitatis. Incarnationis & Passionis Christi.

fixum locatur Crux gestans Gallum: ut peccatores memores peccati Petri, & veniæ per crucem obtentæ, excitentur ad pœnitentiam & spem. Similiter morituris exhibetur Crucis signum, ut de suis meritis diffisi, spem omnem reponant in Crucifixo, repetentes cum Apostolo: *Christo confixus sum Cruci, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* 3. Plurimum valet contra pericula peccati, tentationes, & motus pravos cordis & carnis. Habes de S. Thoma exemplum. Hunc Fratres in castro quodam recluserant, ut à proposito dimoverent suscipiendæ Religionis. Cumque verbis & minis nihil proficerent; puellam introduxerunt, quæ ejus constantium verbis, blanditiis, voluptatis sensu, labefactaret. At juvenis arrepto titione, fugat hunc inferni titionem, & thesauri pretiosi castitatis prædatricem. Cumque variis cogitationum tumultuantium fluctibus, & carnis stimulis, agitatum se deprehenderet; Crucis signum titione format in pariete, & coram illo advolvitur, ut motus hos sedare possit in memoria & vulneribus Crucifixi. Ibi obdormiens, sensit sibi à duobus Angelis lumbos præcingi, quasi perpetuo cingulo castitatis. Ex his duobus Angelis, puto unum fuisse custodem ipsius, alterum fœminæ fugatæ in hac victoria coadjutores. Cingulum ejus Vercellis servatur apud Dominicanos, ut pignus pretiosum. Ex eo verò tempore, nullam unquam carnis sensit rebellionem, aut libidinis sensum. Ergò hic verum est illud Sedulii Carmen.

Gal. 2.19.

Exempl.

Crux pellit omne crimen: Fugiunt crucem tenebræ:
Tali dicata signo, Mens fluctuare nescit.

Exempl. Gretserus lib. 5. de cruce ca. 43.

Illud verò planè mirabile est, quod refert Gretserus de puero Judæo, qui postea baptizatus, Constantinus est vocatus. Cum Matrem suam nescio quò euntem sequeretur, vidit hominem Christianum, qui dum in terræ scrobem laberetur, signum crucis ori imprimebat. Puer illius secutus exemplum, deinceps se cruce sæpè signabat, sacraque Christiana tandem amplexus est, & ardenti fide prosecutus. Cum puella Hebræa, pudoris extorquendi causa, eum invaderet, illam signo crucis repente exanimavit, rursumque eodem signo in vitam postea revocavit. Hic cùm Præfecto Monasterii statum vitæ suæ exponeret, jubet ille proferri crucem & ab eo salutari: cujus cum pedem oscularetur, tota fronte & brachiis crux se in sancti pueri verticem submittens, characterem crucis capiti indelebilem impressit, quem per omnem postea vitam servavit. Dignus ergo Baptismi gratia judicatus est, & Constantinus dictus. Rideant ergò & subsannent hæretici crucis signum, dicentes aptum illud esse ad muscas abigendas. Nos eis dicimus ad hunc finem etiam à nobis formari, scilicet ad fugandas *muscas morientes, quæ perdunt suavitatem unguenti*, ut loquitur Sapiens. Hoc est, ad repellendas pravas cogitationes; quæ velut muscæ circum volutant nos, & infestant, paratæ aculeum infigere & mortem animæ, si eis per consensum locum dederimus, & nisi hoc ligno, velut flabello eas fugaverimus. Hæ sunt muscæ quæ perdunt suavitatem unguenti devotionis, & divinæ gratiæ: & proveniunt a principe dæmoniorum, qui Beelzebub dicitur, quod sonat *Deus muscarum.*

Ex Macario Græcorum. Eccl. 10.

PROPOSITIO III.

Signum Crucis maximam habet efficaciam contra dæmones.

Vis signi Crucis contra Dæmonem & maleficia.

ESt enim quædam ejus conjuratio, per virtutem Trinitatis & Passionis. Hinc toties repetitur in exorcismis, & sæpissimè sic fugatus fuit à Sanctis.

Exempl. Sur. 26. Septemb.

Habes præclarum exemplum in vita SS. Cypriani & Justinæ. Hic enim magiæ deditus, conatus est per incantationes & veneficia, ad illicitos amores virginem allicere, quæ omnes ejus conatus, virtute signi crucis, cum plena fide facilè superavit. Cumque plures sæpius dæmones immisisset, fateri coacti sunt; nihil posse multas præstigias in eam potuisse: sed virtute signi Tau, quod apud Virginem erat, omnem suam virtutem elisam fuisse. Unde factum est, ut relictis magicis artibus; totum se ad Christi fidem converteret, & simul cum Justina postea præclaro martyrio est coronatus.

Rupert. lib. 1, in Lev. c. 33.

Quod ergo non omnes signaculo Crucis utentes, vim ejus sentiant, inquit Rupertus, est, quia *licet Crucis signum in fronte gerant, non tamen in corde Crucifixum habent, non enim Cruce simpliciter digito in corpore, sed magna fide oportet formare in corde.*

Homil. 8. in Josue.

Hoc signum terrorem incutit dæmonibus, sicut virga justitiæ malefactoribus, quia crucis memoriam eis refricat, quæ est virga conterens caput serpentis, & ensis truncans caput Goliath, ac patibulum cui est affixus. Unde Origines dicit, duos in cruce fuisse affixos. *Christum visibiliter, & sponte sua, & solum ad tempus: diabolum invisibiliter, & invitum & in sempiternum ejus opprobrium.* Ita ut crux sit currus triumphalis, in cujus summa parte sedet Christus triumphator, & intima parte trahitur diabolus & ostentatur velut in pompa.

Est ergò crux protectio firma, & scutum contra diaboli incursus, quo sæpè muniendi sunt infantes à parentibus & nutricibus. Quare moneri debent, ut eos in cunis sæpè signent, quia his diabolus, insidiatur. Refert Bartholomæus Spineus de quadam Saga, quæ confessa fuit, quod noctu plus quinquagies adiisset domum vicini cujusdam: & parentis, ut puerum in cunis suffocaret; nec quicquam potuisse, eo quod invenerit eum semper munitum signo crucis.

Exempl. Quæst. de strigibus.

Jacobus Sprengerus in Malleo Malef. p. 2. q. 1.

In civitate Spirâ, an. 1384. quædam devota mulier verba habuerat cum suspecta malefica, rixosa more mulierum. Nocte cum puerum lactentem cunis imponeret, cœpit cogitare de hac rixa: timens puero, aquâ benedicta eum asperst, & sal exorcisatum ori apposuit, signoque crucis munivit, & cunas diligenter alligavit. Ecce circa medium noctis, audit puerum vagientem, & cùm illum vellet amplexari, non invenit: tremens ergò paupercula, & de pueri amis-

Digitized by Google

amissione dolens, lumine accenso, vagientem sub lecto in angulo sine læsione reperit.

Augusti. 21. de civit. 2. 18. Verum ergo est illud Augusti. *Id quod scriptum, est grave jugum super filios Adam à die exitus de ventre, usque in diem sepultura, adeò implere est necesse; ut ipsi parvuli per lavacrum regenerationis ab originali peccato sanati, multa patientes, nonnulli etiam incursus malignorum spirituum patiantur.*

LECTIO IV.

DE FIDE CHRISTIANA.

1. *Docet, Quid sit Fides.*
2. *Ad Fidem requiri lumen quoddam speciale.*
3. *Requiri etiam affectum pium ex parte voluntatis.*
4. *Solere vocationem externam adjungi.*

PROPOSITIO I.

Fides est Donum Dei quo firmiter assentimur iis quæ revelata sunt, sive scripta sint, sive non sint.

Quid sit fides. DE illa potest illud intelligi: *Multi dicunt: Quis ostendet nobis bonat* q.d. Quis rediit ex altera vita, nos reddens certos de bonis illis, quæ ibi dicuntur esse? Respondet Propheta: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, quod nos de illis certos reddit. Ipsa scilicet Fides, quæ est participatio quædam luminis divini & *Donum descendens à Patre Luminum*, docens nobis esse præparata æterna illa bona; simul etiam media ostendens, quibus illa assequamur.

Ps. 41. 6. Ps. 46. Jacob. 1.

Tria dona ad salutem necessaria. Deus ergo tria dona nobis infundit, media necessaria ad salutem, *Fidem, Spem, Charitatem*, Fides ostendit nobis Deum, summum nostrum bonum. *Spes* confiteri facit, & excitat, ut ad illud curramus. *Charitas* quantum in se est apprehendit illud, donec perfectius in patria comprehendat, dicens: *Tenui nec dimittam.*

Cant. 3. Exod. 13.

Symbola varia triũ harũ virtutum. Hæ tres virtutes sub variis symbolis significantur. *Primò:* In columna ignis, quæ filios Israel illuminabat, protegebat, deducebat. Sic nos in nostra peregrinatione, *Fides* illuminat; *Spes* protegit, *Charitas* ad terram usque promissionis perducit.

Exod. 3. 18. *Secundo:* Trium dierum iter eos perducit ad montem Dei. Sic nos exeuntes de Ægypto, sive de tenebris, viam triduanam ambulamus, per has tres virtutes: *Donec videatur Deus Deorum in Sion.*

Apoc. 21. *Tertiò:* Tres sunt portæ Jerusalem ab omni parte. Sic ex quacunque plaga mundi, qui vult ad cœlestem Hierusalem pervenire, debet per Fidem, Spem, Charitatem intrare.

Matth. 2. *Quartò:* Tria sunt munera, quibus Christum adorant Magi. Sic debet Fidelis offerre ad pedes Salvatoris, Thus odoriferum Fidei, Mirrham præservativam Spei, Aurum tutilans Charitatis.

Quintò: Hæ tres virtutes sunt tres Arrhæ, quæ dantur animæ, donec introducatur in thalamum æternum cum doribus gloriæ.

Sexto: Anima est imago Trinitatis, & perficitur in tribus suis potentiis, hac virtutum trinitate; donec exemplari suo assimiletur in æternitate, hoc *triplici funiculo, qui difficilè rumpitur*, ei colligatur.

Septimò: Hæ tres virtutes sunt tria illa ornamenta, quæ dat Pater Prodigo. *Stola*, est Charitas tegens multitudinem peccatorum: *Annulus in manu*, est Fides in operibus: Spes quæ munit pedes & affectus nostros, & juvat nos ad ambulandum ad cœlestia, significatur per *Calceamenta.* Luc. 5.

Octavo: Sicut sunt tria vulnera mentis, Ignorantia, Infirmitas, Malitia: Ita est triplex medela, Fides contra ignorantiam, Spes fortificans infirmitatem, Charitas expellens malitiam.

Nono; Tres hæ virtutes sunt præcipua arma militis Christiani, Galea Spes salutis, Lorica Charitas, Fides Scutum, quo omnia tela nequissimi eliduntur. *Hæc est victoria quæ vincit mundum, Fides nostra.* 1. Jo. 5. 4.

Postremo: Habent se tanquam partes tres ædificii spiritualis. Fundamentum Fides, Parietes Spes, Tectum Charitas: quia juxta D. Augustinum, *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.* S. Aug. Serm. 22. de verbis Apost.

Fides est salutis humanæ fundamentum. Est ergò Fides humanæ salutis initium & fundamentum, sine qua nemo ad Filiorum Dei numerum potest pertingere; & sine hac omnis labor hominis vacuus est. Unde dixit Apostolus, *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt Justitiam, adepti sunt repromissiones.* Ubi pluribus ostendit, quomodò per illam mira operati sunt antiqui Patres. Hebr. 11. 33.

Quare dicit Augustinus: *Nulla sunt majores divitiæ, nulli thesauri, quàm Fides qua peccatores salvat, cæcos illuminat, ægros curat, Fideles justificat, pœnitentes reparat, justos augmentat, Martyres coronat, Virgines conservat, sacerdotes consecrat, in hæreditate æterna nos cum Angelicis collocat.* Fides ergo radix est omnium bonorum. Sicut in radice non apparet pulchritudo; & tamen quicquid est in arbore pulchritudinis, ex illa procedit: sic ex Fidei humilitate, quicquid meriti, quicquid pulchritudinis & beatitudinis est anima susceptura, procedit. S. Augustin.

PROPOSITIO II.

Ad Fidem necessarium est lumen, quo intellectus illuminatur ad mysteria supernaturalia percipienda & credenda,

Ad fidem perfectam requiritur lumen ex parte intellectus. RAtio est, quia ad hoc non sufficit lumen naturale intellectus: sed speciale lumen interius necessarium est, sine quo homo manet in tenebris ignorantiæ & infidelitatis, & cœca nocte errorum, impingens, & devians. 2. Cor. 4. 6.

De hac luce fidei audi Apostolum: *Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei.* q.d. Ille Omnipotens qui dixit, *fiat lux*, & sic fugavit tenebras mundi; ipse idem excellentiorem produxit lucem, qua mentem nostram illuminaret; ad divina mysteria, & notitiam Christi Jesu percipiendam.

Digitized by Google

Iſa. 9. 2. De hoc etiam lumine poteſt intelligi illud Iſaiæ: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis lux orta eſt eis.* Senſus eſt. Illi qui erant in tenebris ignorantiæ & infidelitatis, & periculo æternæ mortis, habentes obſcuratum cor & intellectum, neſcientes videre vias vitæ, ſemitas juſtitiæ, portas fœlicitatis æternæ; per adventum Chriſti, cujus eſt nomen Oriens, & per lumen fidei in prædicatione Chriſti & Apoſtolorum, illuminati ſunt, & lætitiam ſenſerunt. Verè enim in tenebris eſt infidelis, nihil videns, & omnia ignorans; quia ſine lumine fidei, neſcit homo Deum, à quo factus eſt, neſcit viam qua ad eum itur, neſcit fœlicitatem æternam, cujus gratia factus eſt. Immo ignorat ſeipſum, quia ignorat quod ſimus filii iræ, venundati ſub peccato, æternæ morti obnoxii? Neſcit vulnera naturæ, propriam inſufficientiam ad bonum, neſcit gratiæ & regenerationis neceſſitatem, Denique, ignorat Chriſtum mediatorem, & Sanguinem ejus quo redimimur à damnatione & morte, & reſtituimur in vitam gratiæ & gloriæ æternæ. Ergo in tenebris eſt, in caligine, in confuſione.

Exempl. Auguſt. in Soliloq. c. 33. Propterea D. Auguſt. de infidelitate per Chriſti illuminationem translatus ad fidem, gratias agens Deo, dicebat. Vocaſti me nomine tuo, intonaſti deſuper voce grandi in interiorem aurem cordis mei, fiat lux, & facta eſt lux, & diſceſſit nubes magna: & liquefacta eſt nubes tenebroſa, quæ operuerat oculos meos, & vidi lucem tuam, & cognovi vocem tuam, & dixi: *Verè, Domine, tu es Deus meus, qui eduxiſti me de tenebris & umbra mortis, & vocaſti me in admirabile lumen tuum, & ecce video. Gratias tibi illuminator meus*: Et converſus ſum, & vidi tenebras in quibus fueram, & abyſſum tenebroſam in qua jaceram, & expavi & dixi: *Va, va tenebris meis in quibus jacui! Va, va cæcitati illi in qua videre non poteram lumen Cæli! Va, va præterita ignorantiæ meæ, quando non cognoſcebam te Domine! Serò te cognovi lumen meum & verum, ſerò te cognovi, ſed gratias tibi, quoniam illuminaſti me, & cognovi te & me.* Vide totum Caput 33. in Soliloquiis.

Simile. Nemo poteſt videre Solem ſine lumine Solis: ita nemo poteſt Deum & divina attingere, ſine ejus ſpeciali lumine per fidem infuſo. Imò ſicut lux oculorum corporis neceſſaria eſt ad videndum, & ideò cæcus non videt; ita lux interior neceſſaria eſt ad credendum, & ideò ſine illa homo cæcus manet.

Albinus Flaccus in vita S. Vedaſti. Ad id ſignificandum, inquit Albinus Flaccus, S. Vedaſtus coram Clodoveo Rege cæcum illuminavit, ut fidem & lucem quam prædicabat, in corde Regis confirmaret: & intelligeret tam eſſe ſibi neceſſarium cordis lumen, quàm cæco oculorum illuſtrationem: & quod divina operata fuerat gratia in oculis cæcis per preces famuli ſui; hoc ejuſdem ſermones eadem operante potentiâ, per ſpiritualis intelligentiam lucis in ejus corde perficerent.

PROPOSITIO III.

Huic lumini ex parte intellectus, debet etiam adjungi pius affectus ex parte voluntatis.

Ad fidem requiritur pius affectus ex parte voluntatis. Rom. 10. 10. Luc. 24. 25.

RAtio eſt, quia ad voluntatem ſpectat intellectum captivare in obſequium Chriſti, & obſequium fidei, eique imperare ne ab aſſenſu ob inevidentiam recedat. Propter hoc dicit Scriptura: *Corde creditur ad juſtitiam*, hoc eſt, pio voluntatis affectu creditur, & fides elicitur. Unde & Diſcipulos reprehendit Chriſtus, quod eſſent *tardi corde ad credendum.* Deus ergò radium & lucem infundit intellectui, ut credas; ſed voluntas debet cooperari, ut homo voluntariè credat, non coactè. Et non obſtante illuminatione, quam facit Deus in interiori hominis, ut attrahat ad fidem, poteſt reſiſtere voluntas, & claudere oculos cordis, & feneſtras mentis huic lumini. Propterea verum eſt de aliquibus in infidelitate manentibus, quod dicit Job: *Ipſi fuerunt rebelles lumini, neſcierunt vias ejus, nec reverſi ſunt per ſemitas ejus:* Tenebrarum enim amatores & cæcitatis ſuæ, repudiant lucem & inſpirationem interiorem, ad fidem eos attrahentes. Job. 24.

Exempl. Propterea de ſe dicebat Auguſtinus: *Erat nubes magna & tenebroſa ante oculos vanitatis meæ, ita ut videre non poſſem Solem Juſtitiæ & lumen veritatis. Involvebar in tenebris, filius tenebrarum, tenebras meas amabam, quia lumen non cognoſcebam. Cæcus eram, & cæcitatem amabam; & ad tenebras per tenebras ambulabam.* Hoc dicit de tempore ante converſionem ſuam, in quo ſentiebat interiorem quandam luminis a Deo participationem; ſed reſiſtebat, amans ſtatum infidelitatis tenebroſum, in quo erat. De illo ergo pro illo tempore & illis ſimilibus, verum eſt quod ſubdit Job: *Si ſubitò apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis, & ſic in tenebris quaſi in luce ambulant.* Job. c. 24. 17.

De populis Atlanticis, & de Æthiopiæ aliquibus habitatoribus, narrant Hiſtorici, quod inimici ſint Solis, & quod tempore ortus & occaſus, mille maledictionibus ipſum petant. Inimici ergò hi ſunt auroræ & lucis. Quid tamen luce jucundius; quæ etiam bonorum mundi omnium eſt origo? Quid aurora pulchrius, quæ manè rutilans tenebras fugat, Cœlumque pulchris decorat coloribus, velut flores ſpargens? Sed nigris iſtis populis, nigra placet nox. Sic infidelibus multis nox ignorantiæ & peccatorum grata eſt: fugiunt lucem veritatis, umbram mortis arbitrantur, ſi veritatis aurora apparuerit. Sic Judæi habuerunt lumen & gratiam vocantem, & miracula Chriſti, ſed hunc pium affectum qui movet voluntatem ad aſſentiendum fidei & ejus luci, non habuerunt, fuerunt rebelles, clauſerunt feneſtras cordis & oculos mentis. *Lux venit in hunc mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem.* Et ideò dicit Apoſtolus: *Velamen eſt ſuper cordibus eorum uſque in hodiernum diem*: ſed illud poſſent ſubtrahere, per piam quem requirimus voluntatis affectum, ut ad lumen fidei reſpicerent & reſpirarent. Joan. 3. 19. 2. Cor. 3. 15.

Ex

Digitized by Google

Ex his ergò colligè, duo ad fidem requiri; Lumen ex parte intellectus; bonam affectionem ex parte voluntatis: his quasi duabus alis anima instructa, elevat volatum suum instar Aquilæ spiritualis, usque ad Deitatis Solem, usque ad Trinitatis solium, ibi percipiens ineffabilia circà personas & circà essentiam divinam, Innascibilitatem Patris, Generationem Filii, Processionem Spiritus sancti.

Similia seu Symbola fidei.

Sicut ergò Aquila quondam Romanæ superstitionis symbolum fuit in vexillo eorum depicta; Ita & Romanæ fidei potest symbolum esse, & in vexillo Ecclesiæ depingi altiori sensu. Hinc D. Joanni, quia altissima de divinitate dixit, Aquila attribuitur.

His etiam duabus alis descendens anima ad Incarnationem Christi considerandam, ibi quoque multa percipit mysteria. Ibi agnoscit Virginem cum Maternitate, Matrem cum Virginitate, fœcundam sine corruptione, gravidam sine gravamine, puerperam sine dolore. Quapropter Lynx potest poni etiam Symbolum fidei. Sicut enim illa dicitur aciem, vimque visivam ultrà parietem trajicere; sic fides videt ultrà parietem humanæ infirmitatis & mortalitatis, in Christo gloriam majestatis. Agnoscit Regem in præsepio, vitam in morte, summum spiritum in expiratione, orbe clausum modico agnoscit orbis Dominum, sub albicanti panis specie, in mystica consecratione.

Bernard. in Cant.

Vides, quomodò se extendat fidei lumen & vis ejus? *Quid non invenit fides? Attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit novissima, ipsam denique Æternitatem sinu suo quodammodò circumcludit.*

Fides igitur est velut quoddam æternitatis exemplar, ad omnia tempora se extendens, præsens, præteritum, futurum, ita ut nihil eam prætereat, nihil præeat, pereat nihil. Ascendit ipsa usque ad Cœlum, multa nos docens de Deo, de Angelis, de animabus beatis, de beata vita. Descendit quoque usque ad abyssum, multa nos docens de Purgatorio, de Limbo, de Inferno, de pœnis damnatorum, & æterna infœlicitate eorum.

PROPOSITIO IV.

Lumini interiori, quo Deus vocat ad fidem, etiam adjungere solet exteriorem vocationem.

Deus etiã ad fidem vocat exterius. 1. Per ipsum. Actor. 9.

HAnc Deus multis modis solet efficere: Per se ipsum, per Angelos, per Beatos, per homines.

Primò, illam sæpius efficere dignatus est per se ipsum, non solùm cum hic in terris egit, vocans omnes, ad salutem & beatam fidem, sed etiam postquàm cœlos ascendit. Sic vocavit B. Paulum, circumdans eum lumine, terrens voce, percutiens cœcitate, & mittens ad Ananiam. Et hæc vocatio Christi adeò efficax fuit, ut excusso spiritu minarum & cædis, subitò fieret de Saulo crudeli Paulus fidelis, de lupo agnus, de Persecutore Prædicator & Apostolus. Illo triduo quo non manducavit neque bibit, putatur ejus raptus contigisse in tertium Cœlum, in quo ab ipso Christo, de omnibus mysteriis fuit pleniſſimè eruditus.

Exempl. *D. Huberti.* Surius 3. Novem.

Sic & D. Hubertus à Christo ad fidem est vocatus. Hic enim Bertrandi Ducis Aquitaniæ filius, cum Ebroini Franciæ Vice-Regis tyrannidem fugiens, in Austrasiam ad Pipinum adhuc Paganus se transtulisset; mirabili benignitate & providentia è profunda errorum caligine, ad Jesu Christi lumen est evocatus. Cùm enim in Tongrensi Parochia venaretur, die quadam, ut dicunt, Paschali divinæ sacra, apparuit ei ingens cervus, Crucifixi effigiem inter cornua gestans, ibique cum timore correptum Crucifixus allocutus est, justit adire Lambertum Antistitem, à quo viam salutis esset percepturus. Paruit ille, & à Lamberto benignè susceptus, catechesi est imbutus, & fonte Baptismatis lustratus. Totus verò cœlestis vitæ desiderio incensus, in solitudinem se recepit, ut asperos pœnitentiæ labores sustineas, soli jam Crucifixo viveret, carnem suam & ipse crucifigens. Undè loricâ ferreâ ad carnem religatâ, continuò corpus suum domabat. Tandem Deus lucernam hanc sub solitudinis modio nolens latere, sed super Ecclesiæ candelabrum lucere volens, ad invisenda Sanctorum Apostolorum limina illi animum inspiravit. Illa verò eadem nocte appulit Romam, qua Lambertus martyrio affectus fuit. Angelus autem in somnis Sergio Papæ apparens, indicio baculi pastoralis (qui etiam in Monasterio S. Huberti asservatur) in manus Pontificis delati, martyrium Lamberti indicat: & simul Hubertum peregrinum ad Apostolorum sepulchrum orantem, in ejus locum consecrandum designat, undè, licet renitens, ibi consecratur. Sed cùm inter Pontificalia ornamenta quibus inaugurari debebat, speciali Dei dispositione stola non reperiretur; omnibus stupentibus, Angelicis contexta manibus stola cœlo demittitur, quæ nunc adhuc servatur, instrumentum tot miraculorum. Hæc est enim, quæ dat salutem ægris, rabiem avertit à læsis, dæmones propellit, ad quam catervatim ruunt populi, & si morsu animalis rabidi infecti fuerint, statim ab omni veneno liberantur. Hæc jam à tot annis præcisa, tot millium hominum frontibus particulatim apposita, non deficit; sed in hodiernum diem integra miraculosè perdurat.

Eustachii conversio. Sur. de S. Eustachio 20. Septembr.

Similem vocationem legimus de S. Eustachio, qui tunc Placidus vocabatur, Præfectus militum sub Trajano. Cùm enim cervum ingentem insectaretur, calcaribus equo additis, in præruptum montem pervenit. Et ecce illi super caput cervi in supercilio montis, dum ipse mente, oculisque prædæ inhiat, Crucifixus apparet, & ex illo vox: *Placide, Placide, cur me persequeris?* Attonitus ille hâc novâ formâ & voce, ex equo dilabitur: Ubi verò se collegit, *Domine*, inquit, *quis es?* Cui Dominus: *Ego Christus Jesus, qui causâ salutis humanæ in carnem veni, & mortem in crucis ligno pro te pertuli, ut ad æternam felicitatem te transferrem.* His ille mutatus, domum abiens cuncta narrat uxori, quæ simili vitione

Digitized by Google

visione in nocte monita fuerat; ejusque consilio ad Christianum Sacerdotem pergunt, à quo pleniùs instruuntur, & baptizantur.

Per Angelos. Act. 10

2. Vocat Deus ad fidem per Angelos: sic vocavit Cornelium Centurionem, cui apparens Angelus, mittit eum ad Petrum: & Deus Petro tunc visionem ostendit lintei quatuor initiis è Cœlo demissi, in quo erant serpentes & reptilia, & omnis generis animalia immunda, quæ jubebatur occidere & manducare: quo significabatur inter unum linteum fidei, quatuor initiis Evangeliorum alligatum, contineri etiam gentes. Vel ut dicit Augustinus: Linteum figurabat Ecclesiam, animalia gentes, quatuor extremitates lintei, quatuor partes mundi, ubi Evangelium debebat prædicari: occisio illorum animalium, erat mors spiritualis, quâ moti debebant peccato, & vivere gratiæ & fidei Christi.

Aug. l. 50. hom. 48.

Sic etiam vocatus videtur Augustinus, qui dum disceptantes haberet cogitationes, fluctuans in hæresi sua, licèt jam aliquid luminis interiùs sentiret, tamen illi ex parte obluctatur. Tandem projecit se sub arborem in horto, & audita est vox cœlestis: *Tolle lege, tolle lege,* quâ monebatur aperire librum continentem Epistolas Pauli, in quibus veritatem stabilitam debebat reperire. Undè aperiens librum, subitò incidit in illud: *Non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, sed induimini Dominum Iesum Christum.* Sic perfectè illuminatus, omni lite interiori, quam patiebatur, dirempta ac disrupta, translatus est de hæresi ad fidem, de impudicitia ad castitatem, & exarsit in pacem Christi.

Augustı. conversio. lib. 8. confess. c. 11. & 12.

Rom. 13. 13.

Per Sanctos. Exempl. V. Breviarium in festo Sylvest.

3. Per Sanctos, aliquos Deus ad fidem vocavit, qui ad hunc finem in hoc mundo apparuerunt. Sic habes de Constantino Imperatore, cui cum Græci medici, ut à lepra curaretur suaderent lavacrum ex sanguine infantium & lactentium; apparuerunt noctu Petrus & Paulus hortantes eum ad fidem: & præcipientes, ut si a lepra liberari vellet, omissâ impii balnei immanitate, Sylvestrum in Soracte monte latitantem accerseret, à quo salutari lavacro recreatus, in omni ditione Romani imperii, templa Christiano more ædificari imperaret; sublatisq; inanium Deorum simulacris vero Deo cultum adhiberet. Constantinus igitur cœlestibus monitis obtemperans, Sylvestrum advocat: à qua Apostolorum imagines recognoscens, post septem dierum jejunium & orationem, aquam baptismatis ingressus, totus sanus, & quasi carne recenti indutus, est egressus; quibusdam quasi piscium squamis in unda relictis: & exindè ad propagandam Christi Religionem est inflammatus.

Per homines. Es. 42. 16. Joan. 4. 6. Ex Damasceno.

4. Per homines ad fidem vocat, qui ab eo priùs fide illuminati, adducunt fratres suos ad Dominum, quasi *cæcos ad viam,* juxtà Prophetam: hoc est, ad eum, qui est *Veritas, Via, Vita.* Specialiter verò & extraordinariè, ut aliquos ad se converteret, misit eis fidei Doctores. Sic specialiter missus est Barlaam ad Josaphat filium Regis Indiæ, ut illo ad fidem adducto, Regnum etiam fidei Christi tandem subjiceretur. Misit S. Xaverium ad novi orbis conversionem, & alios Apostolicos viros.

Sutius 27. Novem.

Immò, Deus hominem non deserit facientem quod in se est, quin eum illuminet per aliquam viam. Erat Dionysius Athenis, & Damaris, (quam Chrysostomus & Ambrosius dicunt ejus uxorem) vivebant juxtà præscripta naturæ & misit eis Deus Paulum, qui eos instrueret.

Act. 17.

Eunuchus Candacis Reginæ, legebat Isaiam in curru, & Angelus jussu Domini statim rapit Philippum, & per aëra transvehit illum, ut Eunuchum instruat & baptizet.

Actor. 8.

Scribit de se Clemens, quod cùm Gentilis adhuc esset, non aliud quæsierit, quàm veritatem & vitam bonam; venitque S. Barnabas, qui docuit eum veritatem, Antiochiam duxit ad Petrum.

D. Clemens lib. 2. Recog.

Habes in vita S. Xaverii quendam apud Indos, qui vivebat juxtà rationis lumen, sed quietem non habebat, sentiens religionem suam veram non esse, adiit Turcas ut legem Mahometi sequeretur, sed nec ibi quievit. Ivit ad Judæos, nec ibi quies. Tandem exclamat: *Da mihi, Deus, ut sciam quis sis, & tibi secundùm tuum placitum serviam, alioquin noli mihi imputare.* Contigit S. Xaverium ad eam urbem accedere, & ibi cum quibusdam in foro de Christiana fide differere. Videns ille turbam, audivit etiam sibi loquentem interiùs vocem: *Accede illuc, & ibi Deum tuum invenies.* Accessit & audivit S. Xaverium, sentiensque magnam in se motionem, petiit baptizari; contestatus se nunquam nisi tunc quievisse, ideòque veram illam esse salutis doctrinam.

Indus quidam à B. Xaverio conversus.

LECTIO V.

DE FIRMITATE ET INTEGRITATE FIDEI.

Primò docet, quomodò fides debet esse firma.

2. Quomodò debet esse integra.

3. Quomodò etiam se debeat ad Traditiones extendere, ut sit integra.

PROPOSITIO. I.

Fidem oportet esse firmam & inviolabilem.

Fides debet esse firma ac immutabilis.

HInc definitur esse donum Dei, quo firmiter assentimur. Ratio verò est, quia fides nostra nititur Dei revelatione, qui prima veritas est immutabilis, nec falli nec fallere potens. Immò Deus non potest revelare contrarium, quia sic mutaretur. Quamobrem adeò firma esse debet, ut quicquid ratio aut demonstratio, aut quælibet auctoritas suggerat, potiùs negandum sit, quàm quod fides docet. Undè (quantumlibet) judicet visus, gustus, tactus, panem esse aut vinum in Eucharistia; quantumlibet secundum sua principia Philosophia dicat: *Ex nihilo nihil fit,* contra creationem:

A priva-

Digitized by Google

A privatione ad habitum non est regressus, contra resurrectionem: *Accidens non potest esse sine subjecto*, contra consecrationem. In his omnibus dicit fides.

1. Cor. 1. 20. *Nonne Deus stultam fecit sapientiam hujus mundi?* Et sic captivat intellectum in obsequium fidei.

Ambros. lib. 1. de Trin. Hinc dicebat Ambrosius: *Auser argumenta, ubi fides quæritur: Jam Dialectica taceat, non Dialecticis creditur, sed Piscatoribus.*

Hist. Eccles. l. 10. c. 3. Narrat Eusebius, Constantini temporibus Philosophum quendam cum Catholicis Episcopis, multis diebus de fide disseruisse, sed sine fructu.

Exempl. Quoties enim argumentis premi videbatur, vi Philosophiæ suæ & eloquentiæ statim argumenta eludebat & evadebat. Tunc verò, ut ostenderet Deus, non tam in sermone & rationibus, quàm in humili ad divinam authoritatem submissione, fidem consistere, & fidei virtutem. Unus simplicissimæ naturæ ex adstantibus senioribus, *qui nihil aliud sciebat, nisi Jesum Christum & eum Crucifixum*, cum videret Philosopum insultantem; velut alter David in Goliath, non hastâ aut clypeo, sed fide munitus, poposcit ab omnibus locum, velle se paucis cum Philosopho sermocinari. Tum nostri qui simplicitatem nossent, erubuere, coacti tamen locum dedere, timentes interim ne risui efficerentur simplicitas. Tum ille cum Philosopho sic orsus est: *In nomine Jesu Christi, Philosophe, audi quæ vera sunt. Deus unus est, qui fecit cœlum & terram, quique homini, quem de limo terræ formavit, spiritum dedit, qui creavit omnia verbi virtute, & spiritu sanctificationis firmavit. Hoc verbum & sapientia, quam nos filium dicimus, nostros miseratus errores, ex Virgine natum est, & per Passionem mortis peccata lavit, & per resurrectionem vitam nobis donavit; hic cœlo exceptus est, quem credimus esse venturum Judicem. Credis hoc Philosophe? hoc te oportet credere, non disputare.* Obstupuit ille, & mirè mutatus est hoc verbum suscipiens, & Christianus factus est. Cumque illi qui à parte ejus antea stabant, interrogarent, cur his non responderet? *Quamdiu*, inquit, *rationibus actum est evadere potui & respondere; sed nunc virtute hujus sermonis, victum me fateor, fidei me submitto.*

Exempl. Florimundus Remundus de ortu hæresecon l. 4. c. 11. Simile quid refert Florimundus, in conversione Palatini cujusdam de Podolia, in regno Poloniæ, qui simplicis Sacerdotis sermone ad fidem est conversus. Vocaverat ipse ad prandium hunc antiquæ pietatis, & simplicitatis Sacerdotem: subornarat interim Prædicantem suum, qui simplicitatem viri disputando illuderet. Hic ergò statim cœpit suâ eloquentiâ illum agitare; proponens varia de doctrina Catholica, de tyrannide Papæ, de dissolutione Ecclesiasticorum. Sacerdos, ne verbo quidem respondet; cibum interim sumens. Risu res excipitur, & urgetur à Palatino, ut respondeat: At ille, vocatus sum, inquit, ut cibum sumam, non ut disputem; peracto tamen prandio, si potuero respondebo: Cibis sublatis, facto silentio, sic orditur Sacerdos: *Ego Indus ingrediens ad altare dixi Domino: Discerne causam meam de gente non sancta, libera me ab homine iniquo & doloso. Tu es Deus fortitudo mea, quare me repulisti? & quare tristis incedo, dum affligit me inimicus? Emitte lucem tuam & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum tuum & in tabernacula tua. Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam. Confitebor tibi in cithara, Deus Deus meus, quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei & Deus meus.* Hæc dum recitat, ecce Palatinus ad pedes Sacerdotis provolvitur, petens ut pro eo Missam celebret, ut *ejus misericordiam & potentiam*, me exaudiendum. Tunc formans signum Crucis, ait: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & authoritate Dei omnipotentis, cujus ego sum indignus Sacerdos & servus, præcipio tibi immunde spiritus, ut mutus sis in ore hujus hominis, nec amplius loquaris.* Vix verba finierat, & Minister vocem perdit. Tunc Sacerdos: *Loquere nunc ut homo, & respondebo tibi. Nolui enim antea contestari contrà spiritum malignum, qui per os tuum loquebatur, vomens injurias contrà Ecclesiam sponsam Christi.* Sed miser balbutiens, nec verbum edere potuit, undè præ maxima confusione, se à societate subducere coactus est, omnibus miraculo hoc obstupefactus. Et Palatinus ipse in corde percussus, abjuravit hæresim, in qua enutritus fuerat; & se Ecclesiæ Catholicæ cum suis aggregavit, in illaque perseveravit.

Fidei firmitas omnem fluctuationē excludit.

Tanta porrò est fidei firmitas, ut nullam hæsitationem & fluctuationem pati velit, in his quæ proponit. Et qui verè credit, rationes omnes naturales, quæ fidei adversari possent, statim rejicit. Hinc laudatur fides Abrahæ, cui cum Dominus filios promitteret: *Sic erit semen tuum sicut stella cœli, non consideravit corpus suum emortuum, & uxoris suæ, cùm ferè esset centum annorum:* Nullâ ergò physicâ ratione, vel consideratione senii, vel quod hoc foret contra cursum naturæ, à fide est retardatus: sed *credidit in spem contra spem;* assertioni Dei posthabuit universa, licet ignoraret modum quo impleri posset. Undè dicit Apostolus, quod per hoc dedit gloriam Deo: quia contra sensum proprium & commune judicium, ac insitam vim naturæ, illi credens, agnoscebat eum esse primam veritatem, nec falli, nec fallere potentem.

Gen. 15. 5. Rom. 4. 19 Rom. 4. 8.

Hæsitantes in fide reprehenduntur.

E contrà in Scriptura, reprehenduntur, qui hæsitârunt, in his quæ à Deo per se, vel suos dicta erant. Sic reprehenditur Sara, quæ occultè risit, cùm Angeli hospites promitterent ei filium. Sic & Moyses reprehenditur, quod hæsitaverit pecutiens petram, ut haberet aquam, cùm tamen dixisset Deus: *Tolle virgam, & loquimini ad petram, & illa vobis dabit aquas.* Sic primò Naaman hæsitat, dum illi dicit Elisæus: *Vade & lava te septies in Jordane, & à lepra mundaberis*, considerans enim humanas rationes dicebat: *Nunquid non meliores sunt Abana & Pharphar Fluvii Damasci omnibus aquis Israel, ut laver in eis & munder?* Sed tamen postea acquievit & credidit Prophetæ, & mundatus est.

Gen. 18. Numer. 20. 8. 4. Reg. 10. 5.

Contra fidem non ratio nec melioris sensus valet.

Non solum si rationes opponantur, sed & si quælibet authoritas hominum vel Angelorum proponeretur contra fidem, illa debet esse firma & immutabilis, *Licet nos, aut alius Angelus de cœlo evangelizet præter quam evangelizavimus, anathema sit:* Sensus est, etiamsi Petrus, etiamsi Joannes, etiamsi Andreas, etiamsi omnis Chorus Apostolorum aliud doceat, etiamsi Angelus de cœlo, quicumque sit qui traditam semel fidem mutaverit, sit anathema, sit detestabilis & execrandus. Hoc latius explicat Vincentius Lirinensis, in aureo suo libello adver-

Gal. 8. 9.

Digitized by Google

Lirinensis adversus profanas novitates, sic ait: *Cùm Novantes aliqui circumeuntes Provincias & civitates, errores venalitios circumferendo ad Galatas devenissent; Cumque his auditis Galata nauseam quadam veritatis affecti, Apostolica & Catholica doctrina manna revomentes, haretica novitatis sordibus oblectarentur, Ita sese Apostolica potestatis exercuit authoritas, ut summa cum severitate decerneret: Licet nos, aut Angelus de cœlo aliud evangelizet, &c. Vbi ob asserendam fidei firmitatem, nec sibi, nec Apostolis, nec Angelis parcit.* Ita ille.

Epist. ad Pammachium & Oceanum

Ad idem spectat, quod scribit Hieron *Quisquis assertor es novorum dogmatum, obsecro ut parcas humanis auribus, parcas fidei quæ Apostolico ore laudata est. Cur post quadringentos annos docere nos misceris, quod antè nescierimus? Vsque in hodiernum diem sine vestra ista doctrina, mundus Christianus fuit.* Ita Hieron. Idem dicere possumus: Cur post mille quingentos annos docere nos volunt Lutherus, Calvinus & similes, quod antè nescivimus? Ergò ne sine vera fide, religione, Sacramentis, salute, mundus & Ecclesia ante eos fuit? Ergòne tanto tempore adversus Ecclesiam portæ inferi prævaluerunt? Ergòne Christus Ecclesiam sponsam suam deseruit in errore?

Eph. 4. 14

Hoc Attendant qui *circumferuntur omni vento doctrinæ in nequitia* (vel ut Græca habent) *in alea hominum*, ut ait Apost. Significat inconstantiam & levitatem aliquorum, qui velut de fide aleam jaciunt, & quasi ad jactum aleæ doctrinam mutant, juxtà cerebrum & somnia sua. Quam sæpè mutârunt hæretici confessiones suas fidei? Fredericus Dux Saxoniæ, interrogatus quid Lutherani sui crederent, respondit: *Quid nunc credant scio, quid anno sequenti nescio.* Nam sicut de Catone refertur illum dixisse: *Cras omnia, hodie nihil credo.* Ita de illis idem dici potest: vel potius quod & simul omnia & nihil credant, quia nesciunt quid credant.

Hilarius l. ad Constantium.

Periculosum est, inquit Hilarius, *& mirabile, tot nunc fides existere, quot voluntates, tot doctrinas, quot mores; dum fides ut volumus scribitur, ut volumus intelligitur. Et sic plurima cœperunt esse fides, ne ulla sit, imò annua & menstrua de Deo fides decernuntur, novis subvertuntur vetera.*

Similit.

Sunt hoc tempore multi, similes illis, qui se aliquo spatio in gyrum commoverunt; quibus nihil firmum & constans, sed omnia irrequieta & rotabilia videntur, propter vertiginem capitis. Sic accidit his, qui se novis doctrinis circumferri sinunt: nam postquam erroribus imbuti sunt, nullum deinceps eis dogma firmum videtur; sed omnia infirma, tam in fide, quàm in moribus, quia habent spiritum vertiginis & erroris. Hinc inventi fuêre aliqui qui à fide nostra deficientes, ad Lutheranam tranlierunt, ibi nihil firmum invenientes, ad Calvinianam se transtulerunt, nec ibi steterunt, sed & Anabaptistarum fidem experiri voluerunt. Interim omnia videntes apud hos incerta, conscientiæ remoribus agitati, ad primam fidem reversi sunt coacti. De his potest illud dici: *Migravit Iudas propter afflictionem & multitudinem servitutis, habitavit inter gentes, nec invenit requiem, apprehenderunt eum persecutores ejus ibi inter angustias.* Thren. 1. 3

Fugiunt ab Ecclesia ad hæreticos, propter arctam servitutem mandatorum Ecclesiæ, (ut ajunt) sed ibi incidunt in majores angustias & perturbationes animæ & conscientiæ: *Servietis diis alienis, qui non dabunt vobis requiem*, inquit Propheta. Quot errores sequuntur, tot idola sunt; tot alieni Dii, quot propriæ opiniones, quas velut adorant relictà fide veri Dei: sed mirè post in conscientia ab illis torquentur, & nili resipiscant in æternum torquebuntur, quia *vermis eorum non morietur.* Hier. 16. 13. Isa. 66.

Ut verò quanta in nobis fidei firmitas esse debeat pateiscat, Athanasii exemplum libet hic appendere. Fides ejus fuit, velut rupes firma in mediis fluctibus. Totus mundus conjuraverat in ejus exterminium, Principes, Episcopi, Populi, Exercitus, immò totus infernus, nec quidquam firmitati fidei ejus nocuerunt. Constantius, Valens, Julianus, eum persecuti sunt; ita ut quater è sede sua in exilium fuerit actus. Quatuor Concilia Episcoporum faventium Ario congregata sunt contra eum, Tyri, Hierusalem, Antiochiæ, Mediolani, ubi trecenti Episcopi fuerunt, & suis sedibus privati sunt, qui noluerunt contra eum subsignare. Ipse cedens furori ad tempus, sex annis in sicca cisterna delituit, nec solem, nec hominem videns, uno ejus clerico victum suppeditante: quærebatur enim a Constantino vivus vel defunctus, missis undique per Provincias, Urbes, & Pagos exploratoribus. In quadam alia persecutione, quatuor mensibus in paterno sepulchro delituit incognitus, quasi jam vivus sepultus. Miræ calumniæ contra eum fabricatæ sunt, quod Hospitem violasset, quod Arsenio Lectori suo ad magicas actiones brachium amputasset: quæ omnia in authorum ignominiam retorsit. Sic firma mansit columna, toto mundo & inferno in eum insurgente; lubens omnia passus ob fidem, & quadraginta sex annis Ecclesiam suam in media vastitate, indicibili labore gubernans. Ecce triumphator orbis totius & inferni, in quo ostendit Dominus, quanta oporteat pro nomine suo pati, & pro fide tolerare. *Athanasii Constantia in fide.*

PROPOSITIO II.

Fides non solùm firma, sed & integra esse debet, ita ut assentiri debeat omnibus quæ Deus revelavit.

HInc est, quod si unicus sit error, tota fides evertitur, & errans in uno articulo cum pertinacia, alios non credit fide divinâ. Destruitur enim in illo donum fidei demeritoriè, ut loquuntur Theologi. Sicut charitas tota demeritoriè auferetur per unum actum peccati, quandò offenditur Deus in uno solùm præcepto: ita & fides, quandò offenditur, cum pertinacia non credendo alicui articulo, per Ecclesiam præcepto. Nam de illis, qui aliqua credunt, alia rejiciunt, dici potest, quod dicebat D. Th. 2 2 q. 5. art. 3. *Fidei integritas servanda.*

Digitized by Google

Apost. contra Faustum c. 3.

cebat Augustinus aliquibus: *Qui in Evangelio quod vultis, creditis, quod non vultis, non creditis; vobis potius quàm Evangelio creditis: quia cùm sunt cujusque animus author est, quid in quaque Scriptura probet vel improbet, non se jam authoritati Scripturarum ad fidem, sed sibi Scripturas subjicit ipse ad voluntatem.*

Calvinista ergo, qui credit Deum trinum & unum, non id credit fide divinâ, quia Deus dixit. Nam etiam dixit Deus, Corpus Christi esse in Eucharistia. Sed fides ejus resolvitur in persuasionem quandam humanam, & privatum judicium, quo sibi persuadet Deum hoc potius revelasse quàm illud; unde hæreticus vocatur ab electione, hæresis enim idem est quod electio.

Simile.

Fissura minima campanæ, vocem sonoram planè evertit, & eam inutilem reddit; unica rima navem submergit; modicum fermenti totam massam corrumpit, & ac ore suo inficit. Ita unicus error pertinax inficit, submergit, inutilem reddit totam fidem. Item, si in musica, unica vox dissonet, tota peritharmonia, licet reliquæ voces consonent; sic musica quædam spiritualis est in concordia fidei & diversitate articulorum: sed si una vox dissonet, si in uno articulo erratur, musica tota fidei concidit, & cacophonia est. Hinc si minimus articulus fidei in dubium revocatur, statim tota Ecclesia consurgit, & velut communi classico omnes convocat ad resistendum. Hinc tot Concilia & convocationes, propter unum verbum *Homoüsius*, id est, *Consubstantialis*, cui obsistebat Arius: tot etiam convocationes, propter alterum verbum *Theotocos*, id est, *Deipara*, quod negabat Nestorius. O quanto sanguine steterunt hæ duæ voces!

Basilii de fidei integritate sententia. l. 4. Hist. Eccl. Exempl.

Quapropter D. Basilius respondit Valenti Imperatori, omne potiùs genus mortis tolerandum, quàm patiendum unam de divinis dogmatibus syllabam corrumpi: uno scilicet vel minimo puncto fidei in dubium vocato, tota fides vocatur. Quod de Basilio dicimus, sic narrat Theodoretus: Cùm Præfectus Valentis Imp. Cæsaream venisset, ad se accersitum Basilium honorificè tractavit, & placidè est alloeutus; hortabatur ut tempori cederet, neque tot Ecclesias vellet in discrimen adducere tenui exquisitione dogmatis, promittebat ab Imperatore amicitiam & multa beneficia. At ille adolescentulis tales sermones congruere respondit, hos & his similes inhiare hujusmodi rebus. At verò qui in divinis nutriti essent litteris, eos nullam illarum syllabam in discrimen venire pati posse, solereque (si res poscat) nullum genus mortis pro illis recusare; Imperatoris quidem amicitiam magni se pendere cum pietate, qua remota perniciosam esse dicebat. Præfectus hoc ægrè ferebat, & denunciato exilio, jubet eum cogitare quid agat, & postero die sententiam suam explicare; hisque sermonibus crebræ minæ intermiscebantur. Respondit Basilius, se postridie eundem futurum; videret ipse, ut animum mutaret, & minas exequi nollet. Post illud colloquium occurrit Imperatori Præfectus, exponitque quid dixerit Basilius, & qua animi virtute, sicque Imperator quiescere est coactus.

Discant hic Ecclesiæ Prælati, se pro domo Israel murum fortem opponere, & usque ad sanguinem pro his quæ fidei sunt, decertare. Non sint instar *parietis inclinati, & maceriæ depulsæ*, non valentes, nec volentes, cupiditati Magnatum, & erroribus eorum resistere. Ipsorum statim improbitati cedunt, & permittunt eos Ecclesiæ prærogativas tollere, & Ecclesiasticam disciplinam sursum deorsum vertere. Inspiciant ergo Basilii constantiam ut exemplar, nec permittant illud sibi ad opprobrium verificari. *Olim Ecclesiæ Prælati erant aurei, & pedum gestabant ligneum; nunc verò sunt ligni, & pedum gestant aureum.* Suadeo eis *emere aurum ignitum*, ab eo qui est in medio Candelabrorum aureorum; hoc est, comparare sibi à Christo, ardentem & ignitum zelum pro fide. Ipsorum est Sponsam Christi, sartam, rectam custodire, & omni errorum fuligine expurgare. Ipsorum est, qui custodes sunt *vineæ* Domini, *Vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas, exterminare*; hæreses scilicet nascentes, & novos hæreticos integritatem fidei conspurcantes & conscindentes.

Sanctis pro fide fundendus.

Apoc. 3. 18.

Cant. 2. 15.

PROPOSITIO III.

Fides, ut sit integra, non solùm credere debet, quæ Scripturis continentur, sed etiam quæ traditionibus.

Traditionibus fides adhibenda.

RAtio prima est, quia non omnia fidei mysteria continet Scriptura: quædam credenda scriptis mandata non fuerunt, aut chartis volatilibus: sed digito & atramento Dei vivi in cordibus Fidelium primitus exarata fuere, & exinde de ore ad os, de animis in animos, per singulas ætatum successiones transmissa sunt per incorruptam veritatis traditionem. Unde de Ecclesia verum est illud Domini apud Isaiam: *Spiritus meus qui est in te, & verba quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, nec de ore seminis tui amodò & usque in sempiternum.* Hoc in Traditionibus verificatur.

Isa. 59. 21.

De his quoque Traditionibus loquitur Apostolus: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ.* Traditiones, per vivam vocem doctrinæ Ecclesiasticæ, depositum vocat, inquit Tertull. Theophil. & alii. Sed quia singula hæc verba pondus habent, eorum singula cum vincentio Lirinensi ponderabimus, & explicabimus.

1. Tim. 6. 20.

Vinc. Lir. li. contra profan. novit.

O Timothee! Exclamatio ista & præscientiæ est & charitatis; prævidebat enim futuros, quos etiam prædolebat errores. In Timotheo verò alloquitur omnes Ecclesiæ Pastores, quibus incumbit aliis scientiam infundere, q. d. O Sacerdos, ô Pastor, ô Ecclesiæ Doctor!

Depositum est doctri.

Depositum custodi Doctrinam à me, cæterisque Domini Discipulis fidei tuæ commissam & tradi-

tam,

tam,& inviolatam,illibatamque conserva. Quid ergo est *Depositum*? id est,quod tibi creditum est, non quod à te inventum; quodaccepisti, non quod excogitasti; rem non ingenii,sed doctrinæ, traditionis publicæ, non usurpationis privatæ; rem ad te perductam,non à te prolatam; in qua non author debes esse,sed custos; non institutor; sed sectator; non ducens,sed sequens. Depositum ergo apud te fidei talentum custodi.

res sana per manus tradita.

Quid est,*Custodi*? Hoc est, dogmata fidei bene serva,contra inimicos, vide ne te dormiente superseminent zizania: In agro tibi commisso,ô Pastor,ô Prælate, fidei bonum semen suffocari ne sinas. Item custodi fidei dogmata, sicut tibi commissa sunt, nihil imminuas,nihil detruncari ex iis patiaris, nihil mutari,nihil ad illa apponi. Nefas enim est, ut commutentur,nefas ut detruncentur,ut mutilentur. Eadem quæ à nobis fidei Patribus accepisti, filiis consigna, non tua tradens posteris, sed a majoribus accepta conservans.

Devitans profanas vocum novitates. Devita quasi viperam, quasi scorpionem, quasi basiliscum, ne te non solum tactu,sed & visu afflatuque inficiant. Devita,sic ut nec cum illis qui eas afferunt, cibum sumas aut communices. *Si quis hanc doctrinam non affert,* inquit Joannes,*ne Ave ei dixeritis.* Quam doctrinam? nisi antiquam,versalem à Patribus fidei acceptam; & ideo incorrupta veritatis traditione ad posteros dimanantem, & in sæcula sine fine manaturam. Hanc non afferens,anathema sit.

2. Joan. v. 10.

Profana est novitas sacrata. vetustas.

Novitates dicit,non vetustates, non antiquitates. Ego teneuda est antiquitas,explodenda novitas, sacrata est vetustas,profana novitas.

Profanas dicit, quæ nihil habent sacri; nihil religiosi, sed à templo Dei ab Ecclesia sunt extraneæ, à sacris traditionibus alienæ: *Profanas* dicit, quia & Ecclesia novas aliquando voces,sed sacras, sed veritatem antiquam firmantes, & magis explicantes admittit. Sic contra Arianos nomen ὁμοούσιος, *Homoüsios*, condidit; contra hæreticos nostros, nomen *Transsubstantiationis* admittit & usurpat, sed antiqua, non nova doctrina his vocibus continetur.

Vocum novitates, inquit, hoc est,dogmatum, rerum,sententiarum novitates, quæ antiquitati sunt contrariæ: quæ si recipiantur,necesse est, ut BB. Patrum fides intereat,necesse est, ut omnes omnium ætatum Fideles,omnes Sancti,omnes casti,continentes, virgines,omnes Levitæ & Sacerdotes,tanta populorum multitudo & celebritas, tot Insulæ, Provinciæ, Reges,Gentes, Nationes,totus postremò jam penè terrarum orbis per Catholicam fidem, Christo incorporatus, tanto sæculorum tractu errasse, blasphemasse, nescisse quid crederet, pronunciet.

Non est vera scientia, ubi non est vera fides.

Et oppositiones falsi nominis scientiæ. Falsum nomen usurpant hæreticorum doctrinæ, ignorantiam suam scientiam vocant, & tenebras lumen appellant,sicque decipiunt, nihil tam amant,quam scientiam promittere novam, & fidem veram velut imperitam,deridere. Unde subdit Apostolus: *Quam promittentes circa fidem exciderunt*, promittentes scilicet nescio quam novam,ignoratamque doctrinam. Audias enim quosdam ipsorum dicere: *Venite insipientes & miseri,qui vulgò Catholici vocitamini, & discite veram fidem, quam præter nos nullus intelligit; quæ multis antè seculis latuit, nuper verò revelata est: sed discite furtim & secretò, & vos delectabit; & cum didicerit is,latenter docete,ne mundus audiat, & Ecclesia sciat; paucis enim datum est,tanti mysterii capere secretum.* Ipsi ergo designati sunt in illa meretrice, quæ transeuntes ad se vocat apud Salomonem divertens eos à bono itinere: plena interim illecebris, inopes exhortatur: *Aqua furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavior.* Venite & gustate de pane meo in occulto,& bibite de aqua mea furtivè: hoc est,participate de doctrina mea in occulto, & invenietis suavitatem. Interim qui eam sequuntur, ad inferos descendunt & pereunt, ut ibi dicit Sapiens. Sic hi promittentes scientiam, circa fidem exciderunt,& alios decipientes, simili eos naufragio immergunt.

Proverb. 9. 17.

Est & alia ex Apostolo Paulo manifesta auctoritas pro Traditionibus stabiliendis. *State*, inquit, & *tenete traditiones quas didicistis,sive per sermonem, sive per epistolam.* Ex quo loco collige, fidem nostram fundari velut in duplici fundamento, partim scilicet in divinæ Scripturæ authoritate, partim in Ecclesiæ incorrupta traditione.

2. Thes. 2. 5.

1. Hæ sunt duæ columnæ,in ingressu templi à Salomone positæ ad stabilitatem ejus.

3. Reg. 7.

2. Hi sunt duo termini antiqui, quos posuerunt Patres nostri, quos prohibemur transgredi.

Eccl. 10. 8. Prov. 22. 28.

3. Hæc est duplex sepes vineæ Christi, quam *qui dissipat,cum mordebit coluber.*

4. Hæ sunt duæ antiquæ viæ, per quas Jeremias populum incedere vult,dum dicit: *State super vias antiquas,& videte, & interrogate de semitis antiquis.* (hoc est, de iis quæ antiquitus aut scripta aut tradita sunt) *qua sit via bona,& ambulate in ea,& invenietis requiem animabus vestris.*

Hier. 6. c. 16.

Quia per duas has vias antiquas incedere nolunt hæretici,*in circuitu ambulant*, in semitis deviis & in solitudine (soli volentes sapere) errant, per varios errorum anfractus & diverticula, de quibus verum est illud Proverbium: *Deservit viam vineæ suæ, & in semitis agelli sui erravit.* Deseruerunt viam universalis Ecclesiæ,& per varias opiniones erroneas proprii judicii, quasi agri sui particularis, penitus exerrant; nec viam bonam, nec requiem animabus inveniunt, sed cum æstu & anxietate conscientiæ semper sunt.

Hos describens Lirinensis,sic ait: Heu miseranda conditio, quantis illi interius turbinibus agitantur! nunc enim qua ventus impulerit incitato errore rapiuntur,nunc in semetipsos reversi, tanquam contrarii fluxus eliduntur; nunc temeraria præsumptione,& ea quæ incerta videntur, approbant, nunc irrationali metu etiam quæ certa sunt, expavescunt inces-

Lirinensis l. contra profanas novitates.

Digitized by Google

incerti qua eant, qua redeant, quid appetant, quid fugiant, quid teneant, quid dimittant. Quæ quidem dubii & malè penduli cordis afflictio, divinæ ergà se miserationis est medicina, si sapiant. Idcircò enim extrà tutissimum Catholicæ fidei portum diversis cogitationum quatiuntur procellis, ut excussis in altum elatæ mentis vela deponant, quæ malè novitatum ventis expanderant, sesèque intrà fidissimam stationem placidæ & bonæ matris reducant & teneant; & amaros illos & turbulentos fluctus primitus evomant, ut possint deinceps vivæ & salientis aquæ fluenta potare. Ita ille

Semper fluctuans Hæretici.

Exempl. Florimund. de ortu hæres. lib. 2. c. 9.

Porrò semper fluctuare, qui antiquas Ecclesiæ vias deserunt, suo exemplo satis declaravit Melanchthon, qui fuit inter primos Lutheri sectatores. Hic cum jam morti vicinus foret anno 1560. mater ejus senio confecta etiam sepulchro vicino, sic eum allocuta est: *Fili, vides me ætate grandævam, brevi ex hoc mundo migrare debere, ut magno illi Judici reddam rationem: tu scis quod me Catholicè induxeris, ut fidem majorum cum hac nova religione commutarem. Itaque adjuro te per Dei veritatem, ut nunc mihi clarè dicas quænam melior sit, & totam mentem sincerè aperias.* At ille apertâ voce dixisse fertur: *Hæc plausibilior, illa securior.* Sic in morte quoque dubius mansit, qui tota vita fluctuarat, sæpè mutans doctrinam suam.

Exempl. Costerus & alii.

Sic Bernardus Okinus, famosus Prædicator Italiæ Capucinus, cùm ad Calvinianam Religionem fugisset, indignatus se frustratum Episcopatu Florentino & Cardinalatu, non vivebat nec moriebatur in ea securus. Cùm enim monebatur ab aliquibus Catholicis, qui misericordia monebantur super perditione animæ ipsius, respondit: *Quid me vultis facere? habeo uxorem nunc & liberos, non possum eos abjicere, hi erunt causa meæ damnationis.* Hi sunt fluctus & anxietates Ecclesiæ, & fidei defertorum, & maximè in morte, ut lepidè quidam dixerit: *Bonum esse cum Luthero vivere, sed non cum Luthero mori.*

TRADITIONUM AMPLIOR Confirmatio.

Necessariò est admittenda Traditio.

COntendunt hæretici, omnia credenda in Scripturis esse contenta, ideòque superfluè Traditiones extra Scripturam asseri. Quos interrogo.

Primò, ubi legunt Apostolos composuisse Symbolum, dum divisi sunt in universam terram? In quo loco novi Testamenti scriptum est hoc Symbolum, quod ipsi etiam recitant?

Secundò, in quo loco legunt, hoc Evangelium esse, Matthæi, illud Joannis, illud Lucæ, ut & ipsi credunt: Hoc non habetur ex Scripturis, sed ex Traditione.

Tertiò, Calvinistæ & Lutherani credunt contrà Anabaptistas Baptismum parvulorum, hoc tamen non habetur ex sola Scriptura, nisi Scripturam interpretetur Traditio. Item ostendant nobis ex Scriptura, quod fœminæ communicaverint, aut aliquis infans sit baptizatus.

Quartò, ubi habetur, quod diem Dominicam debemus loco Sabbathi celebrare, cùm Scriptura nonnisi Sabbathi sanctificationem proponat? Recurrendum ergò ad Traditionem.

Quintò, ubi reperient, quod possimus sanguinem animalium comedere, & suffocata animalia, cum lege naturæ fuerit prohibitum & veteri & novæ. Gen. 9. Lev. 17. Actor. 15.

Denique omnes formæ & materiæ Sacramentorum, & modus ea ministrandi, per Traditionem ad nos devenerunt: quia Christus & Apostoli censuerunt magis congruum, multa de manu in manum, de animo in animum, mysteria transfundere citrà scriptum. *Cur per Traditionem multa ad nos devenerint.*

Primò, propter Judæos & Gentes, inter quos adhuc Christiani tunc habitabant, ne ab eis vilipenderentur, & velut conculcarentur hæc sancta, hæ margaritæ, ab his canibus & porcis.

Secundò, ut ab ipsimet Christianis majore veneratione haberentur, quæ occulto silentio tradebantur, non popularibus auribus, sed inter eos, qui duces erant fidei; nam apud plebem facilè vilescunt, quæ communia sunt. Has rationes afferunt Dionysius, Basilius, & alii Patres.

Hoc etiam advertere debent Hæretici, Ecclesiam multis annis sine Scriptura stetisse, solâ Traditione doctrinam habens. nam ante Moysen non fuit Scriptura, erat tamen vera Dei Religio, & fidei doctrina de familia in familiam, ore ad os tradebatur. Sic & Ecclesia nova plus quindecim annis stetit, nec habuit adhuc Evangelium scriptum, aut a Matthæo, aut ab alio Apostolo. Neque Christus legitur præcepisse Apostolis, ut scriberetur, sed tantum dixit: *Euntes prædicate Evangelium.* Vivo ergò verbo non scripto, fides tunc provehebatur & scribebatur in cordibus fidelium.

Traditionum necessitas.

Ex dictis satis patet, ideò Traditiones esse in Ecclesia necessarias; quia non omnia credenda Scripturis continentur. Et hæc est prima ratio.

Altera ratio est, quia multa sunt in Scripturis obscura, & multi eam suo modo interpretantes, ad ad sua trahunt falsa dogmata. Ideò Traditio Ecclesiæ debet eam interpretari; debes esse judex discernens veram interpretationem a falsa, debet esse Lydius lapis, discernens verum aurum ab adulterino: doctrinam veram à suppositâ. Aliter eam interpretatur Sabellius, aliter Novatus, aliter Donatus; aliter exponit Arius, Eunomius, Macedonius; aliter Jovinianus; Pelagius, Nestorius: aliter Calvinus, aliter Lutherus, & omnes ferè hæreses ex prava Scripturarum intelligentia oriuntur. Propterea dicebat D. Petrus *in Epistolis Pauli esse quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant.* Ergò necessarium est, ob torrentorum antiquitus, *ut ad Apostolicæ interpretationis lineam, Ecclesia, columna, firmamentum, custos veritatis tendat, & litem omnem dirimat, juxtà traditam ab illis, qui duces fidei fuerunt, normam infallibilem.* Non potest Scriptura sola, fidei judex esse, quæ invita volat per ora etiam hæreticorum, illam in diversa (prout libet) trahentium, sive enim apud suos, sive apud alie- 2. Petr. 3. 16.

nos, ſive privatim, ſivè publicè, ſivè in ſermonibus, ſivè in libris, ſivè in conviviis, nihil unquàm penè de ſuo proferunt, quod non etiam Scripturæ verbis adumbrare conentur : qui tantò magis cavendi & timendi, quantò occultiùs ſub divinæ legis umbraculis latitant, & ſub fuco coloræ Scripturæ pravam doctrinam abſcondunt. Sciunt ipſi, fœtores ſuos nulli fere citò eſſe placituros, ſi nudi & ſimplices exhalentur,& ideò eos cœleſtis eloquii, velut quodam aromate aſpergunt,ut ille, qui humanum facilè errorem deſpiceret, divina non facilè contemnat oracula. Itaque faciunt, quod hi ſolent, qui parvulis auſtera quædam temperaturi pocula prius ora melle circumlinunt, ut incauta ætas, dum dulcedinem præſenſerit, amaritudinem non reformidet. Quod etiam illis curæ eſt, qui noxios ſuccos medicaminum vocabulis præcolorant, ut nemo ferè, ubi ſcriptum ſupra legerit remedium, ſuſpicetur venenum.

Simile.

Matt.4.6. *Hæretici abutuntur Scripturis.*

Monebat Dominus, *Attendite à Pſeudoprophetis, qui veniunt ad vos in veſtitu ovium, intus ſunt lupi rapaces.* Hic deſignantur hæretici, qui caulas Eccleſiæ ſemper infeſtant, & gregem Chriſti, quaqua poſſunt, dilacerant; ſed ut facilius incautis ovibus obrepant, ſeſe divinis eloquiis & Scripturis, velut quibuſdam velleribus obvolvunt: ut cum lanarum mollitiem oves ſenſerint, aculeos dentium non pertimeſcant. Imitantur hi autorem ſuum tatanam, qui ad fallendum Filium Dei, Scripturæ authoritatem fraudulenter proferebat: *Si Filius Dei es, mitte te deorſum.* Hoc eſt, *Si vis Filius eſſe Dei, & hæreditatem regni cœleſtis accipere,mitte te deorſum, ex ipſius ſublimis Eccleſia, quam templum Dei nominant, doctrina & traditione te dimitte.* Quod ſi ab eis quæras, cur velint te antiquam Eccleſiæ fidem dimittere,ſtatim illi dicent: *Scriptum eſt enim* & multa tibi teſtimonia de Lege, de Pſalmis,de Prophetis, de Apoſtolis,de Evangelio producent: quibus novo & malo more interpretatis, ex arce Catholica in hæreſeos barathrum infœlix anima præcipitetur. Sed quandoquidem hi Pſeudoapoſtoli & ſubdoli operarii transfigurent ſe in Apoſtolos Chriſti & filios lucis, proferentes legis divinæ authoritates ex Prophetis & Apoſtolis,ex Evangelio, ſicut & veri Fideles; quid facient Catholici filii Dei, & Matris Eccleſiæ veri filii? Quonam modo in Scripturis ſanctis veritatem a falſitate diſcernerent, niſi per antiquas univerſalis Eccleſiæ Traditiones, quæ Scripturæ ſunt interpretes intefragibiles, a ſenſu SS. Patrum nunquam recedentes?

Matt.4.3.

Apocal. 13.11. Greg.33. moral. 4.36.

Utuntur ergò hæretici utriuſque Teſtamenti Scripturis. Undè vidit Joannes *beſtiam habentem duo cornua, quaſi agni, ſed blaſphemiam loquebatur*; quia hæreſis, ut interpretatur D. Gregorius, duobus Teſtamentis utitur,quæ ſunt velut cornua agni; ſed eâ interpretatione depravat, ex proprio judicio orta. At Catholici, ſi quid in eis dubium aut obſcurum videatur, juxta antiquæ & univerſalis Eccleſiæ Tradditionem, ac SS. Patrum conſenſum interpretationem quærunt, & dubium deponunt, dubiumq; reſolvunt.

Quam pulchra harmonia, dum S. Hilarius in Aquitania, S.Cyprianus,& S.Auguſtinus in Africa, S. Cyrillus in Hieruſalem,S. Hieronymus in Paleſtina S.Ambroſius in Italia, S. Chryſoſtomus Conſtantinopoli, eadem Religionis puncta ſummo conſenſu ex Eccleſiæ Traditione confirmant?

Hieron. I. de Scriptoribus Eccleſ.

Ad has Traditiones ſemper recurſum habuerunt SS. Patres,etiam Apoſtolis vicini. Undè D.Hieron. loquens de S. Irenæo: *Roma*, inquit, *cùm ageret vir ille, inſignis Eccleſiæ Lugdunenſis tunc Presbyter, non moles ædificiorum contemplatus eſt, nec otiojus domi rejecit; ſed Apoſtolicæ Eccleſiæ fidei, ritus, mores, ad diſciplinam, quam illi tradidiſſent Petrus & Paulus Apoſtolorum Principes, diligentiſſimè eſt perſcrutatus. Nactuſq; ibidem traditiones Apoſtolicas integras & illibatas, ut ab Apoſtolis tradita ſunt, vigilantiſſimè cuſtoditas; ad eas, omnes quos ſcripſit exegit, exindè hæreticos provocavit: quos ſciret ex ſola tam patenti teſtimonio, ſi quatenus eſſet reliqua vana veritatis, convinci poſſe.* Ita Hieronym.& Tertull.

Traditionibus ſemper uſa eſt Eccleſia.

Exempl.

Traditionibus ſemper uſa eſt Eccleſia, ut dogmata ſua habiliret, & profanas novitates reprimeret. Habes exemplum tempore Stephani Pontificis. Tunc Agrippinus Carthaginenſis Epiſcopus,primus omniam contra univerſalis Eccleſiæ regulam & ſenſum omnium Confacerdotum, contra morem & inſtituta majorum, rebaptizandum cenſuit: quæ præſumptio tantum mali invexit, ut non ſolum hæreticis omnibus formam ſacrilegii, ſed etiam quibuſdam Catholicis occaſionem præbuerit erroris. Cum ergò ad novitatem rei cuncti reclamarent, & omnes Sacerdotes, pro ſuo quiſque ſtudio renitentur; tunc beatæ memoriæ Papa Stephanus, cum cæteris quidem Collegis ſuis, ſed tamen præ cæteris reſtitit: dignũ exiſtimans, ſi reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci authoritate ſuperabat. Undè & in epiſtola ad Africam miſſa, his verbis ſanxit: *Nihil novandum, niſi quod traditum eſt.* Intelligebat vir ſanctus & prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, niſi ut omnia, qua fide a Patribus ſuſcepta forent, eadem fide filiis conſignarentur. *Neque Religionem non qua vellemus ducere, ſed potiùs quâ illa duceret, ſequi oportere, idque eſſe proprium Chriſtianæ modeſtiæ & gravitatis, non jua poſteris tradere, ſed à majoribus accepta ſervare.* Quis ergò tunc univerſi negotii exitus? quis utique niſi uſitatus & ſolitus? Retenta eſt ſcilicet antiquitas, explosa novitas; licet ipſi novitiæ adinventioni patrocinia non deeſſent, magna eloquentiæ flumina, magnus aſſertorum numerus, multa divinæ Legis afferebantur oracula, ſed planè novo & malo more intellecta. Itaque de his omnibus inviolata Traditio triumphavit. Ipſe D.Cyprianus opinioni huic tunc reprobatæ favebat; ſed hanc maculam,inquit Auguſtinus,ſi quæ adhæſit,Paſſionis falx reſecare potuit, & ſanguis martyrii penitus abluere.

Vincent. Lirinenſis

LECTIO

LECTIO VI.

DE HÆRESI VITIO FIDEI OPPOSITO.

1. *Docet, quàm grave malum sit hæresis.*
2. *Quomodo ducat sæpe ad Atheismum.*
3. *Quomodo pestilens sit malum.*

PROPOSITIO I.

Hæresis enorme est peccatum, & gravissimum in anima parit damnum.

Hæresis enorme est peccatum. Definitio hæresis

Est autem hæresis, *Error cum pertinacia in his quæ sunt fidei.* Numeratur inter gravissima peccata, quia destruit fidem, quæ est primum inter dona Dei, fundamentum cæterorum, radixque, qua succisa, charitas & cætera dona interunt; ità ut totum salutis & virtutum ædificium, usque ad fundamentum diruatur, dum homo in hæresin labitur. Unde dæmones ad hanc integram in anima ruinam respirantes, dum animam in errorem fidei pertrahunt, hac voce se videntur excitare: *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in eâ*; quasi imperet satan suis malignis Angelis, & dicat: *Dissipate in hac anima, & disperdite omnia ejus bona opera, omnia ejus merita, omnes virtutes omnia dona, ipsam etiam fidem tanquam fundamentum diruite, ut nihil in ea super sit spei, nihil salutis.* Ps. 136. 7.

Adverte hic illud Augustini *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.* Quando igitur in hujus ædificii ruina, non in tecto aut parietibus sistitur, sed ultimum fundamentum perfoditur, tanta est ruina, ut totum funditus unco velut impetu concidat, Labatur Catholicus in alia peccata, fornicationis, adulterii, perjurii, furti; si tamen fides manet, erit adhuc aliquis vitæ sensus, est adhuc illa radix, novella germina spiritualia potens producere. Habet talis adhuc lumen, ut ad veram salutis viam redeat, habet adhuc præsidia ad salutem, habet maternum Ecclesiæ sinum, & ex fide potest clamare ad medicum, & ad spiritualia pharmaca recurrere. Denique, habet adhuc fundamentum, super quod potest ædificare. Nihil horum habet hæreticus, quia extincta fide, extinguitur in eo omnis vitæ spiritualis sensus, extinguitur lumen in corde. In tenebris est, nescit quo vadat, à tenebris vadit in tenebras densiores, in varios cadens errores & peccata. Denique, à tenebris interioribus animi, mittitur ad exteriores inferni, ligatis manibus & pedibus.

Dicebat Dominus apud Prophetam *Aufer cidarim, tolle coronam, iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam.* Sic dicere possumus: Tolle ab anima cidarim & coronam fidei, quid manet in ea, nisi iniquitas & iniquitas? De peccato in peccatum corruet, de errore in errorem; donec tandem luat iniquitatis multiplicatæ gravissimas pœnas, cum perfidis Angelis. Ezech. 21. 64.

Refert de Agathone Evagrius, quod tantæ fuerit humilitatis, ut multi ad eum sola fama excitati venerint, visuri, num verè ita esset, & ejus humilitatem tentatione exploraturi. Hos ille cum humilitate suscepit, cumque narrarent de illo multa pessima spargi, quòd esset plenus superbiæ, hypocrisis, odii, iræ, impudicitiæ, gulæ: Fatebatur ille omnia, addens se mortalium esse pessimum. Cùm verò subderent, intelleximus etiam quòd hæreticus sis, statim silentio rupto, Absit, inquit, à me, ut unquam hæreticus sim. Quærentibus autem cur hæresin potiùs, quàm alia crimina, quæ sciebant eum non patrasse, negaret: *Crimina, inquit, alia infirmitatis sunt, & hominem adhuc Deo per fidem unitum relinquunt, hæresis verò est pertinacia & nota malitiæ, quæ omni modo nos à Deo divellit, tollens fidem, Deo nos primo quasi vinculo unientem, & ligantem.* Exempl. In vitis PP. lib. 1. c. 10.

Maledictus coram Domino dicitur, *qui reædificaverit civitatem Iericho, in primogenito suo fundamenta illius jaciat, & in novissimo liberorum ponat portas ejus.* Sensus est, Sit ei ad confusionem & ruinam, etiam suorum, ita ut fundamenta ponat super morte primogeniti & portas super morte & ruina aliorum filiorum. Unde Hiel incipiens Jericho restaurare, statim perdidit filium suum primogenitum Abiron; & finiens perdidit Segub ultimum filiorum. Sed quinam sunt, qui ædificant iterum Jericho nisi illi, qui hæreses & errores sepultos suscitando, & velut ex orco revocando, iterum civitatem diaboli ædificant, adversus civitatem Dei; Sed faciunt id in suum & suorum confusionem, & maledicti sunt à Deo maledictione pessima, ab hominibus quoque execrandi & vitandi. Jos. 6. 26. 3. Reg. 16. 34.

Hæretici pulchrè depinguntur.

Hos breviter perstringit & describit Judas Apostolus in sua Epistola: *Hi sunt nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur: arbores autumnales infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ: fluctus feri maris, despumantes confusiones suas: sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum.* Hi sunt tituli honorifici hæreticorum.

Primò, vocat *nubes sine aqua*, hoc est, Doctores sine vera sapientia, Comparant se Prædicatoribus pluentibus justitiam, & coruscantibus per miracula: & ipsi sunt nubes solem obscurantes, in cœlum os suum ponentes, perversè & superbè docentes. Et *à ventis circumferuntur*, quia ad suggestionem spirituum immundorum, in diversos errores rapiuntur.

Secundò, vocat eos *arbores autumnales & infructuosas*, quia sicut arbores, quæ prius in autumno flores producunt, aut fructus acerbos & immaturos; sic habent ipsi aliquos flores, aliquas scripturas, sed ex illis pessimus fructus & adulterinos producunt. Infructuosæ ergo arbores sunt, nullum vel sibi vel aliis fructum ferentes. *Bis mortuæ arbores sunt*, hoc est, perfectè mortuæ, quibus nulla est spes vitæ: *bis mortuæ*, per obdurationem a peccato, & per peccata aliorum quorum dant causam: *bis mortuæ*, quia æterna morte morituri quæ dicitur mors secunda; vel quia mortem animæ & corporis, sunt subituri. *Eradicatæ*, a Deo scilicet & ejus gratia,

Digitized by Google

gratia, eradicatæ quoque ex agro Eccleſiæ, quia nec meritorum, nec ſuffragiorum ejus ſunt participes.

Similia. *Tertiò*, vocat *fluctus feri maris*, hoc eſt, crudeliter & amarè alios inquietantes; ſemper enim inquieti, rumidi, tenebroſi, amari, Eccleſiæ ſtabilitatem ſunt impugnantes. *Deſpumantes confuſiones ſuas.* Sicut enim mare primo motu velut fluctuat, poſtea fortiùs agitatum fremit & ululat, finaliter verò ſpumat; ita hæreſis primò fluctuare facit hominem in fide, poſteà fremere & blaſphemias edere, denique per furorem & rabiem, velut ſpumare contra Eccleſiam.

Quartò, vocat *ſidera errantia*: 1. quia non ſunt ſicut ſidera fixa, licet lucem aliquam veritatis oſtentare videantur; ſed ſunt errantia a fundamento fidei & veritatis. Sicut ergo Nautæ non dirigunt naves ſecundùm ſtellas erraticas, ſed fixas; ita illi non ſunt ſequendi, quia ſeducunt. 2. Stellæ illæ verè non ſunt in cœlo, ſed ſunt quædam flammæ ex vaporum terreſtrium alteratione in regionem aeris elevatæ. Ita non ſunt in Eccleſia vera, ſed ex corruptione & alteratione motum, elevati ſunt per hæreſim & ſuperbiam, ut ſint de illis ſtellis, quas Draco ſecum traxiſſe dicitur. 3. Sicut ſtellæ erratica non diu durant, ita hæreſes poſt breve tempus in fumum abeunt, ut videmus jam à mille & quingentis annis, ſed ipſis hæreticis *procella tenebrarum conſervata eſt in æternum.*

D. Tho. in illum locum. Breviter hæc omnia recolligens dicit D. Tho. *Comparantur nubibus propter fidei inſtabilitatem, arboribus propter operum ſteriliatem fluctibus propter eorum turbationem, ſideribus erraticis propter doctrinæ falſitatem.*

PROPOSITIO II.

Hæreſis poſt multa peccata ſolet deducere ad atheiſmum, qui eſt quaſi centrum peccatorum.

Hæreſis deducit ad atheiſmū. Hæreſis eſt ſcala ad infernum.

SIcut eſt quædam ſcala Jacob, ſcala ſpiritualis per varios virtutum gradus hominem perducens ad ſalutem: ita poſſumus dicere eſſe quandam *ſcalam Eſau*, ſcalam reproborum, per varios peccatorum gradus, hominem deſcendere faciens uſque ab abyſſum & perditionem. Per hanc deſcendunt omnes hæretici; gradus autem varii, per quos deſcendunt, ſoldent hi eſſe.

1. Curioſitas legendi omnis generis libros.
2. Præſumptio judicandi de omnibus.
3. Pertinacia rebellis in ſuſtinendo, propriam opinionem.
4. Contemptus omnium qui eis contradicunt.
5. Cœcitas cum ſuperbia conjuncta.
6. Dei derelictio, & quaſi abnegatio perquendam atheiſmum.
7. Abyſſus peccati, dum de peccato in peccatum ruit hæreticus.
8. Deſperatio juncta cum conſcientiæ tortura.
9. Mors miſerabilis.
10. Æterna damnatio.

Exempl. Caſſian. in collat. Patrum. Per hanc ſcalam deſcendit ille Religioſus de quo apud Caſſianum. Cœpit ipſe comparare ſanctos, & cum pertinacia hos illis præponere, proprio judicio Arguitur de hac indiſcreta devotione, ſed procedit ulteriùs per contemptum dicens: Viventes eſſe æquè ſanctos ac probos, quam illi ſint qui ſunt canonizati. Arguitur hujus erroris, ſed dicit non poſſe ei ex Scriptura demonſtrari. Citatur Scriptura, dicit eos non intelligere. Citantur Patrum interpretationes, ridet, & dicit eſſe homines qui poſſint errare. Deducitur ad ineffabilem Spirit. S. aſſiſtentiam. Eccleſiam regentem idipſum ridet, & in abyſſum ultimam ruens, Deum ipſum negat. Sic ex Monacho Atheus efficitur, & tam pertinaciter, ut nullus eum unquam ad veram veritatis viam potuerit reducere; ſed velut furore rabido correptus tanquam bellua mortuus eſt. Ecce *ſcala Eſau* in infernum præcipitans per quam hæretici deſcendunt.

Atheiſmus eſt profundum quoddam peccatorum. Atheiſmus ad quem deducit hæreſis, eſt velut cumulus malorum, eſt velut profundum & centrum quoddam peccati; quia continet contemptum omnis Religionis & pietatis. De illo poteſt intelligi illud: *Impius cùm in profundum venerit contemnit* Ubi vox græca ſignificat centrum, q. d. *Impius cùm in centrum peccatorum venerit, contemnit omnia divina, omnem probitatem, omnem juſtitiam.* Quia ergò omnia peccata undique velut gravitate ſua confluunt, ad Atheiſmum, rectè vocari poteſt centrum. Et ſicut corpora gravia in centro non gravitant; ita cùm ad Atheiſmum peccata venerint, gravitare deſinunt, hoc eſt, gravitas eorum non ſentitur. Quapropter tunc oritur in homine deſpectus etiam Dei, & Salvatoris Jeſu Chriſti.

Exempl. Cantiprat. l. 2. apum. c. 48. Habes exemplum, in quodam Simone de Tornaco, Pariſiis celebri Theologiæ Doctore. Hic diſputatione habita de humilitate doctrinæ Chriſti, in ſenſum reprobum datus, dixit: *Tres eſſe qui mundum ſectæ ſuæ ſubjugaſſent, Moyſen, Chriſtum, Mahometum: Moyſen infatuaſſe Judæos, Chriſtum Chriſtianos, Mahometum Gentiles.* Sed ibarim everſis oculis, pro humana voce, mugitum emiſit; & epilepſia eliſus, in terram die tertio vindictam accepit, mutuſque manſit; non nominans niſi Aleydem ſuam concubinam. Ecce in hoc homine ex ſuperbia error, poſt errorem atheiſmus, ex atheiſmo blaſphemia horribilis, & deſpectus omnium, Chriſti ſcilicet & Prophetarum.

Valde verò difficile eſt, cùm homo in hoc centrum venerit, ut poſſit iterum aſcendere, & ad veritatem redire. Valde difficile eſt, eum qui fidei lumen voluntariè deſeruit, ad veram veritatis & ſalutis viam reducere. Hoc velle videtur Apoſtolus dum dicit: *Impoſſibile eſt eos qui ſemel illuminati ſunt, guſtaverunt etiam donum cœleſte, participes facti Spiritus ſancti, & prolapſi ſunt, rurſus revocari ad pœnitentiam.* Hebr. 6. 4. Senſus eſſe poteſt. Qui ſemel lumine fidei illuminati ſunt, ſpeciali hoc dono cœleſti à Deo ornati; & poſtea hoc lumen, hos radios Spiritus Sancti & donum cœleſte deferentes, errorum ſe tenebris immerſerunt; velut ſpeciale miraculum eſt, ſi iterum ad veram viam revertantur, & ad puram veritatem reſpirent, nec minus eſt talem convertere, quam cœcum illuminare.

Attendo-

Stephan. Bruet.

Attende hoc,in exemplo impii Machiavelli, hominis non tam hæretici, quam Athei, qui nullam respuerat religionem,nullam habens. De illo narratur,quod cum Florentiæ jam ferè in extremis esset, scrupulis agitabatur conscientiæ, ob metum damnationis jam imminentis. Cùm vero in mentem ei recurreret, quod viri illi magni aut sapientes orbis, Aristoteles, Plato,Alexander, & similes damnati forent: & quod viri sancti, ut plurimum fuissent homines miseri & in mundo despecti, alii quidem Piscatores ut Apostoli,alii variis angustiis & afflictionibus pressi, insana voce dixit: *Malo in infernum & damnatione descendere cum magnis illis & illustribus viris,quàm cum infimis istis & vilis conditionis hominibus in Cœlo degere* O insensate Athee! O judicium horribile Dei! sub colore stultæ sapientiæ mavis æternum socius esse dæmonum, quam Dei faciem videre? O si possemus percipere horribilem vocem, qua vitam tuam detestaris, nunc clamant cum tuis:

Sap.5.4. *Nos insensati vitam Sanctorum æstimabamus insaniam sed ecce computati sunt inter Filios Dei. Ergo erravimus,& lumen veritatis non luxit nobis: Solem justitiæ & lumen fidei deseruimus,& nunc de tenebris errorum,in tenebras æternas devoluti sumus. Va tenebris! va cæcitatis va stulta sapientia nostra!*

PROPOSITIO III.

Hæresis est pestilens & perniciosum in Republica malum.

Hæresis est pestilens in republ. malum. 2. Tim. 2. 17.

DIco pestilens,quia sicut pestis statim venenum suum diffundit de domo in domum, de civitate in civitatem; ita & hæresis. Ideò comparatur cancro sive gangrenæ,ab Apostolo, quæ paulatim serpens,depascitur vicina membra. Videmus similiter fieri in hæresi; non enim error Lutheri in Saxonia,ubi ortus fuerat,se continuit;sed statim venenum suum in Daniam,Sueciam,Galliam,Belgium, diffudit. Anno 1517. ortus est in Saxonia, sequenti anno erat in Antuerpia: sic & error Calvini statim varios populos infecit.

Apoc. 17.1. *Hæresis descriptio.*

Describitur in Apoc. *Meretrix sedens super aquas ornatu regio,plena nominibus blasphemiæ,superbestiam, coccineam,habens poculum aureum in manu; sed plenum veneno,abominatione,immunditia, invitans potentes & populos ad bibendum.* His coloribus depingi potest hæresis. Dicitur *Meretrix*, quia Deum,& verum sponsum Christum deserit. *Plena nominibus blasphemiæ*, quia non novit nisi vomere blasphemias contra Deum, Sanctos, Sacra Mysteria. *Ebria sanguine Sanctorum*,quia necem sitit Catholicorum. Vidimus enim præcedenti sæculo quomodo gladius hæreticus Catholico sanguine fuerit inebriatus; Monachorum,Sacerdotum, Episcoporum sanguine perfusus in Gallia,Anglia,Belgio. *Habet poculum aureum* exterius, intus plenum venenatis dogmatibus pestiferæ doctrinæ: venenum velut auro obducit, dum colore fulgido Scripturæ, eloquentia & pietatis prætextu tegit. Sic omnes invitat ad bibendum de hoc venenato calice,populos & Magnates decipiens specie recti:illos inebrians & infatuans.In hac porrò deceptione, eorum miracula consistunt. Sic etenim volebat Lutherus pro miraculo haberi, quod brevi adeo tempore,tot sectatores suæ doctrinæ allexerit. Rectè respondit ei Thomas Morus: *Ad propositam vitæ licentiam populum ruere, tantam habet miraculi speciem,quantum saxa deorsum ruere.* Epicurus plures habuit discipulos quam alii Philosophi, quia ad populare nomen voluptatis invitabat omnes, inquit Lactantius: *Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas.* Sic de Luthero solebat dicere Lanspergius Carthusianus,quod non aliud fecerit, quàm tibiam seu utrem inflare; homines enim ad saltum parati erant,sed Cantor deerat; carnales homines ad carnalia jam parati erant defluere, si proponerentur: Ideò cùm Lutherus eis proposuisset, non esse jejunandum,virginitatem non esse colendam, nec pœnitentiam agendam; venenum hoc Scripturarum fulgore aureo colorans, statim multos ad bibendum attraxit.

Morus Epist. ad Pomeranum. Costerus Dom.4. post Pentecost.

Denique, sicut non est mirum pestem serpere, sic nec hæresim. Unde sicut Magistratus sollicitè advigilant, ut impediatur à civitate pestis: ita deberent vigilare in extirpatione hæresis, quæ est nocentissima pestis. Olim qui maculatus erat lepra, *ejiciebatur extra castra, habens vestimenta dissuta, caput nudum,os vesti contectum, jordidum ac contaminatum se esse clamabat*, ne alii appropinquantes ei inficerentur. Hæretici, juxta hanc figuram,incedunt capite discooperto, quia tegmen fidei perdiderunt: Vestes eorum scissæ sunt, quia ab Ecclesia se abscinderunt,& in varias sectas scissi sunt, maculati sunt, leprosi sunt: Os ergò eis obturandum est, ut non permittantur loqui, ne solo habitu inficiant: Expellendi extra civitates, aut si non expellantur, digito eos oportet ostentare, ut agnoscantur ab omnibus, tanqaam sordidi, & fugiantur.

Hæresis instar pestis coercenda. Levit. 13. *Hæretici leprosis comparati.*

De viro sancto Abbate Cosma legimus, quod cum sepultus fuisset, juxta sepulchrum cujusdam Episcopi,qui hæreticus fuerat,pluribus noctibus auditus sit clamare: *Noli me tangere hæretice, noli mihi appropinquare inimice Ecclesiæ Sanctæ Dei.* Et hæc vox per multa tempora duravit; ut significaret viventibus, quantum abhorrere deberent conversationem hæreticorum; cum & ipse videretur jam post mortem horrere vicinitatem corporis sui mortui, ad sepulchrum hæretici.

Exempl. Prati spirit. c.40.

Dictum etiam est, hæresim esse perniciosissimum in Republica malum,quia scil. est seminarium omnium discordiæ & rebellionis, in Civitatibus; Provinciis, Regnis. Patet experientia. Nunquam orta est hæresis & religionis novitas, sine seditionibus bellis,sanguine: Religio enim & status Reipublicæ vel Regni,ita sunt conglutinati, ut quantumlibet sit exigua divisio in Religione & & fide, in perniciem status Reipublicæ redundet: ita ut fidei diversitas, Regna florentissima velut ad tumultum trahat; sicut camelus non solet bibere, nisi turbet

Hæresis perniciosum malum.

Simile.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

aquam : ita nec hæreſis ingredi, niſi turbet Rempublicam.

Hæreſis everſa Religione, totum reip. ſtatum mutat.

Religio ſancta, eſt velut fundamentum, ſuper quod regni ſtabilitur fœlicitas; hoc fundamento moto per Novatores, totus ſtatus movetur. Religio dicitur à religando, quia ligat & religat corda & animas, urit voluntates, ſocietatem publicam alit, leges ſervat in vigore; unde, ſi hæc mutantur, ipſe etiam ſtatus accipit mutationem, tenebras, confuſionem: eſt enim anima, cor & nobiliſſima pars ſtatus Reipublicæ. Hinc ab eo tempore, quo Religionis mutatio & hæreſis acceſſit, hoſpitio excepta in Europa, apud Germanos, Gallos, Anglos, Belgas, nihil vidimus, niſi calamitates, tenebras, confuſiones.

Symbolum Hæreſeos ſunt Biblia & Gladius.

Rectè Hæreſi pro ſymbolo, Biblia, ex una parte tribuas, gladium ex altera. Armat enim ſubditos & excitat ad rebellandum, contra ſuperiores, Principes, Reges. Theodorus Beza, teſte Prateolo, dicebat, ſe tria cupere extincta, ſcilicet Nobilitatem, Romanam Eccleſiam, & Juriſprudentiam. Unde & primus fructus Lutheranæ & Calvinianæ doctrinæ fuerunt diviſiones, ſeditiones, vaſtationes Provinciarum, & ſanguinis effuſio.

Florimundus de ortu hæreſeon lib. 3.

Nam docendo, eſſe contra libertatem Evangelicam, eſſe Magiſtratus & Superioritates Principum, ſtatim populus arma ſumpſit contra Nobiles; ita ut diruerint pluſquam trecenta caſtella Nobilium, & magnus numerus Comitum, Baronum, ac Nobilium, neci fuerit datus. Poſtea verò Nobiles armati contra ruſticos pluſquam ducenta millia, igne & gladio abſumpſerunt. O quanto ſtetit ſanguine hæc vox turbulentorum hominum: *Vivat Evangelium!* Interim Lutherus ridebat, dicens eſſe naturam Evangelii bella, ſeditiones movere, teſte Eraſmo. Unde & Zuingelius dicebat Helvetiis ſuis, ignem oportere ſanguine extinguere. Et Rex primus Anabaptiſtarum dicebat gladium ſuum aſpertum ſanguine eorum qui ſe doctrinæ ſuæ opponerent, eſſe gladium Gedeonis, ſibi à Deo commiſſum.

Hæreſis eſt ſeminarium rebellionis. Num. 16.

Hæreſis ergò ſeminarium eſt rebellionis; & qui eam ſequuntur, ſunt de contradictione Chore rebellantis contra Moyſen & Aaron Principes ſuos, ideò eadem pœna merentur involvi. Ipſi Pontificibus Tiaram, Imperatori Coronam & globum mundi (niſi eſſet cruce ſignatus) Regibus Sceptra, Principibus ſua Diademata conantur eripere. Patet hoc tempore, quomodo Bohemicum Sceptrum Fernando II. eripere voluerint: Quot Provincias & Urbes Hiſpaniarum Regi ſubtraxerint. Denique quot Bella in Gallia ſuſcitarint, & modò ſuſcitent.

Ecce ergo doctrina nova ex fructu ſuo agnoſcitur, quæ ab eo tempore quo nata fuit, tot fructus amaritudinis, tot pyra angustiæ infœlix arbor produxit: tot crimina, tot rebelliones, tot bella, ita ut in Regno non ſit malum potentius & perniciosius hæreſi & hæretico. Et certè noſtri hæretici, & Deo, & omnibus ferè creaturis bellum videntur indicere.

Hæreſis & hæretici Deo & omnibus bellum inducunt.

Primò Bellum Deo inferunt, blaſphemantes contra ejus bonitatem, facientes eum auctorem peccati.

Secundò, Sanctis & Eccleſiæ triumphanti denegantes eis debitum honorem.

Tertiò, Animabus purgatorii, privantes eas ſuffragiis & auxilio vivorum.

Quartò, Eccleſiæ Militanti & membris ejus, quia ei auferunt Caput viſibile, Pontificem Chriſti Vicarium, item Ordines Eccleſiaſticos, omnia in confuſionem redigentes.

Quintò, homini bellum videntur inferre velle, dum ei negant liberum arbitrium, & bona opera.

Sextò, Sacramentis, quæ ſubvertere nituntur, tanquam columnas, ut ruat Eccleſia.

Septimò, Ipſi Chriſto in Euchariſtico Sacramento, quod *poſitum eſt in ſignum cui contradicetur.*

Denique, ut dicamus: Inimici ſunt Regibus. *Dominationem ſpernunt; Majeſtatem blaſphemant.* Ipſi ſunt ſicut vulpes Samſonis, Jud. 15. cap. ſimul ligati caudis; in cauda gerentes facem, & ignem ambitionis, & peſſimæ doctrinæ invadunt Eccleſiæ meſſem & omnia incombuſtionem & confuſionem redigunt.

Ipſi ſunt locuſtæ illæ Apoc. quæ egrediuntur de puteo abyſſi: Apoc. 9. *Similes equis paratis in prælium, habentes facies hominum, capillos mulierum, dentes leonum, caudas ſcorpionum, & corona ſimiles auro in capitibus eorum.* Hæretici ſunt velut locuſtæ rodentes quicquid in horto Eccleſiæ eſt integrum: Habent facies quaſi hominum, quia exterius benigno vultu ſe oſtendunt homines, ſed molles & luxurioſi ſunt ut mulieres: Mordent ut leones, ferunt ut ſcorpiones. Primatus ambiunt & coronas. *Habent ſuper ſe Regem, Angelum abyſſi; cui nomen hebraicè Abaddon, græcè Apollyon, Latinè Exterminans.* Exterminare enim conantur omnia à Chriſto ſancita, Pontificatum, Eccleſiam, Purgatorium, Jejunia, Pœnitentiam, Sacramenta, Vota, Feſta, &c.

Vincent. Lirinenſis

Neque tantum noſtro ſæculo, ſed & antiquis, hæreſis miras clades excitavit. Nam cum profana ipſa Arianorum novitas, velut quædam Bellona aut Furia, capto priùs omnium Imperatore, cuncta deinde Palatii culmina legibus novis ſubjugaſſet, nequaquam deinceps deſtitit univerſa miſcere & vexare privata & publica, ſacra profanaque omnia, nullum boni & veri gerere diſcrimen, ſed quoſcunque libuiſſet tanquam de loco ſuperiore percutere. Tunc temeratæ conjuges, depopulatæ viduæ, profanatæ virgines, dilacerata monaſteria, diſturbati clerici, verberati Levitæ, acti in exilium Sacerdotes, oppleta Sanctis ergaſtula, carceres, metalla. Horum pars maxima interdictis urbibus, protruſi atque extorres, inter deſerta, ſpeluncas, feras, ſaxa: nuditate, fame, ſiti afflicti, contriti & tabefacti ſunt. Atque hæc omnia nunquid ullam aliam ob cauſam, niſi utique dum pro cœleſti dogmate humanæ ſuperſtitiones introducuntur, dum

Digitized by Google

dum benè fundata antiquitàs ſceleſtâ novitate ſubruitur, dum ſuperiorum inſtituta violantur, dum reſcinduntur ſcita Patrum, dum confelluntur definita Majorum, dum ſeſe intra ſacratæ & incorruptæ vetuſtatis caſtiſſimos limites, profanæ ac novellæ curioſitatis libido non continet? Cujus quidem temporis periculo ſatis conſtat, quantum invehatur calamitatis, novelli dogmatis inductione. Tunc ſiquidem Urbes, Populi, Provinciæ, Nationes, univerſum denique Romanum Imperium funditus concuſſum & motum eſt. Ergò tunc de Hæreſi verum erat, quod canit Poëta:

Quaque ruit, furibunda ruit, totumq́ per orbem
Fulminat, & cæcis cæca triumphat equis.

Sed ad tempus id permittit Deus, ad fidelium probationem; ut ſicut purgat fornax aurum, flagellum granum, lima ferrum, ita perſecutio virum fidelem & juſtum. Quæ vulgò latuiſſe videbatur ad tempus vera fides, poſtea triumphans inclamat: *In petra exaltavit me, & nunc exaltavit caput meum ſuper inimicos meos*, nam petra ſuper quam ſolidata eſt, fortis eſt, ſublimis eſt, invincibilis eſt, ſtans contra omnes hoſtium impetus. Pſal. 26. 6.

LECTIO VII.

DE ORIGINE HÆRESEON.

Primò docet Hæreſes originem duxiſſe à Cain.

2. *Hæreſim nunquam eſſe primum peccatum in homine.*

3. *Deum juſtè hæreſes permittere.*

PROPOSITIO I.

Omnis hæreſis videtur originem & initium habere à maligno Cain.

Hæreſis originem ducit à Cain.

HIc à multis aſſeritur primus hæreticus fuiſſe; & primum regni ſathanæ membrum, ob infidelitatem, & pertinacem in fide errorem. Ipſe eſt, qui primus negavit divinam providentiam & juſtitiam ſæculumq; futurum. Quia ut habet Chaldæa tranſlatio, quam Hebræi recipiunt, ſuper illud Geneſ. 4. *Dixit Cain ad Abel, egrediamur in agrum:* Cum ſoli eſſent, dixit Cain Abeli: *Non eſt judicium, neque judex neque aliud ſæculum, nec merces bona pro juſtis, nec pœna pro impiis, nec Dei miſericordia regitur mundus.* Hoc aſſerendi occaſionem accepit; quia non eſt ſuſcepta ejus oblatio ſicut fratris, cum tamen foret Primogenitus. Scivit autem non eſſe acceptam, ex eo quod ignis de cœlo veniens, deſcenderit ſuper oblationem Abel, in ſignum quod placeret Deo, non autem deſcendit ſuper oblationem Cain. Undè ubi nos legimus. *Reſpexit Dominus ad Abel*, alia lectio habet. *Inflammavit Dominus ſuper Abel.* q. d. flammâ cœleſti oſtendit ſibi placere ejus munus. Abel ergò audiens has impias aſſertiones fratris, contra divinam Providentiam, ſtatim illi ad ſingula contradixit, & dixit: *Errat frater, eſt judicium, eſt judex, eſt aliud ſæculum, eſt merces pro juſtis, eſt ibi pœna pro impiis.* Ita ut Cain inde ſumpſerit occaſionem cædis, & conſummationis conceptæ jam invidiæ. Gen. 4. 8.

Itaque Abel, ob egregiam fidem, dicitur, cœpiſſe ædificare cœleſtem civitatem & Eccleſiam: Dei, caput juſtorum rectè nominatus, caputque fidelium: quia pro fide paſſus perſecutionem a Cain, Sanguine eam rigavit. Ipſius fidem collaudat Apoſtolus, dicens Heb. 11. *Fide Abel plurimùm obtulit hoſtiam Deo*: Ergò ſacrificium ejus fuit quædam ſolemnis fidei profeſſio. Sic Cain dicitur caput hæreticorum & malignantium, quia cœpit ædificare civitatem diaboli, cœpit & perſequi fratrem ſuum juſtum & fidelem, & ejus ſanguinem fundere, & divinam providentiam negare. Ipſe ergò poſuit initium & fundamentum ſathanæ; quia ex hac aſſertione Cain negantis providentiam, & alterum ſæculum, ac remunerationem malorum, provenerunt opiniones Epicuri, & aliorum idem eſſe aſſerentium: Imò errores noſtrorum hæreticorum, negantium præmium bonorum operum. Denique omnium hæreſum, Eccleſiam vexantium, à tempore Cain.

Propterea Judas Apoſt. prophetizans de fine mundi & ultimis hæreticis, maledicit eis: *Væ illis, quia in via Cain abierunt.* Similes enim errores renovant in fine mundi: quales pater mendacii initio protulit per primogenitum ſuum Cain. Hunc locum interpretans Gloſſa dicit: *Damnatio erit illis, qui in via Cain abierunt; illi autem in viam Cain abeunt, qui propter invidiam meliorum Chriſtianorum nomen Doctorum ſibi aſſumunt, ut honorificentur, & fratres ſuos pra invidia ſpiritualiter, & etiam corporaliter aliquando occidunt.* Vel generaliter, ut hic interpretatur D. Thom. *In viam Cain abeunt, qui gladio perverſæ doctrinæ fratres, ſuos interficunt.* Ecce ergò primogenitus ſathanæ, Cain: ad quam etiam primogenituram omnem hæretici ſpectant, & primogeniti diaboli meritò vocantur. Judas in epiſt. Cathol. v. 11. Gloſſa in hunc locum. D. Thō. ſuper ep. Judæ.

Unde B. Polycarpus Martyr, obvians Romæ Marcioni hæretico, feceſſit aliquantum de via, oſtendens fugiendos eſſe hæreticos, eorumque vel ſolum alloquium. Videns Marcion eum à ſe recedere, acceſſit, & ait: *An noſti me?* Reſpondet Polycarpus. *Novi te.* Quem ergò, inquit, me exiſtimas? Reſpondet ille: *Primogenitum Diaboli.* nempè licet omnes mali filii ſint ſathanæ per imitationem, ſicut & juſti filii ſint Dei tamen hæretici ſunt velut primogeniti: Ipſi habent jus primogenituræ, participantes de gradu malitiæ, in ſummo; ſervientes ei ad ſubverſionem animarum, ſpecialiter eum imitantes, & à primogenito ejus Cain deſcendentes.

PROPOSITIO II.

Hæreſis in homine nunquam eſt primum peccatum, ſed ex aliis vitiis originem ſuam habet.

Hæreſis in homine naſcitur ex variis vitiis.

PEccata habent quandam inter ſe ſubordinationem, ſicut gradus in ſcala: unum ergò peccatum diu hærens in anima, mox ſuo pondere ad aliud trahit, animam profundius deſcendere facit, ſicque fit tandem, ut poſtquam in varia peccata homo dilapſus eſt, profundiſſimè in hæreſim uſque ruat, tanquàm gradum abyſſo proximum. Mala ergò vita multos in hæreſim præcipitat, ut liberius

libertius & ſine conſcientiæ flagello, indulgeant concupiſcentiis ſuis. Malè viventes (inquit Chryſoſtomus) ne futurorum metu crucientur, perſuadere ſibi omni ſtudio curant, falſa eſſe, quæ noſtra Religio docet, de peccatis, de pœnitentia, & confeſſione, de judicio & ſimilibus.

Hinc videmus, eos qui de Eccleſia tranſeunt ad hæreticos, eſſe Sacerdotes vel Religioſos impudicos, aut ſuperbos & elatos, aut aliquâ maculâ contaminatos. Et ſæpè Deus malam vitam aliquorum punit per ſubtractionem luminis veritatis & fidei, dimittens eos poſt deſideria cordis ſui, in pœnam peccatorum.

Tria ſunt præcipuè intima origo hæreſeos Præſumptio.

Sunt autem tria vitia ordinariè origo hæreſis: Præſumptio proprii ingenii & judicii, Voluptas, Ambitio.

Primò: Præſumptio proprii ingenii & judicii ſolet generare hæreſim, quia multi dum volunt myſteria ſublimia ſuo intellectu metiri, & rationes divinorum myſteriorum ſcire, in errores incidunt, ſapientia ſua tumidi: & nimis fidentes proprio ingenio & judicio, nolunt intellectum ſuum ſubmittere Eccleſiæ, ſed cum pertinacia ſuo judicio inhærent. De his verum eſt illud: *Defecerunt ſcrutantes ſcrutinio, accedet homo ad cor altum,* divina corde elato ſcrutari volens, ſed *exaltabitur Deus*, quia illa divina non poterit comprehendere. Sicut qui in ſolis radios fulgurientes diu figit oculos, potius excœcatur, & læſionem accipit oculorum, quam illuminetur; ſic humana præſumptio, divina volens intueri myſteria læditur & caligantibus recedit oculus: niſi humilis fidei accedat ſubmiſſio, *quâ intellectum captivet in obſequium Chriſti.* Attende figuram.

Pſ. 63. 7.

Ezechiel cap. 47. aquas à templo egredientes, primò dum ingreditur, pertingebant tantum uſque ad talos, progreſſus eſt ulterius, & pertingebant uſq; ad genua; denique uſque ad renes; poſtremò, cum vellet ulterius pergere, *factus eſt torrens, qui non poterat tranſvadari.* Significari hic poſſunt illi, qui myſteriorum divinorum profunditatem volunt ſcrutari, & quo ampliùs progrediuntur, eo majori ſunt obnoxii periculo, & ſi pertranſire voluerint, merguntur.

Aug. de Paſtorib. in cap. 34. Ezech. & 10.

Hoc hæreticis contingit propter arrogantiam & ſuperbiam, de qua dicebat Auguſt. *Alia ſecta in Africa, alia eſt hæreſis in Oriente, alia in Ægypto, alia in Meſopotamia. Diverſis locis diverſa ſunt, ſed una mater ſuperbia omnes genuit, nec mirum, ſi ſuperbia generat diſſenſionem, hæc enim eſt germana ejus ſoboles.*

Attendant hæc illi, qui temerario auſu volunt ſcire rationes præceptorum omnium & myſteriorum, & velut filii ſathanæ & ſerpentis, ſemper nos aggrediuntur per *cur*, & *quomodò*. Cur tot præcepta inquiunt? Cur oportet jejunare? Cur tot abſtinentiæ? Cur tot cæremoniæ: Item, quomodò virgo poteſt parere? Quomodò Chriſtus clauſis januis intrare? Quomodò idem corpus in pluribus locis eſſe? & ſic omnia volunt comprehendere. Quibus melius foret cum Regio Pſalte dicere. *Domine, non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei, neque ambulavi in magnis & mirabilibus ſuper me*, q. d. Non ſenſi arroganter de ſapientia mea, ſed humiliter de me ſentiebam, nec alas intellectus mei, ultra limites extendebam. Chaldaica interpretatio habet: *Si non poſui manum ad os, & tacere feci animam meam:* vanis ſcilicet cogitationibus ſilentium indixi, ne evaneſcerem in cogitationibus vanæ ſapientiæ.

Pſal. 130.

Secundò, Libido & voluptas fons eſt hæreſis. Verè enim Religio nova, eſt civitas ſuper voluptate fundata. Undè Lutherus & Calvinus ut hæreſim ſuam ſtabilirent, hanc carnalem fœlicitatem & voluptatem propoſuerunt ſuis; qua ineſcarent plurimos, & claustris evocarent, tam Religioſos quam Religioſas, ſub titulo licitæ eis voluptatis, non obſtantibus votis. Primi enim lapides angulares & fundamentales Eccleſiæ eorum fuerunt illi, qui primam fidem Deo datam & vota irita fecerunt: & relictâ auſteritate, paupertate, diſciplinis, cilicis ſtatim aurem præbuerunt religioni huic novæ, voluptatem & libertatem prædicanti.

Libido.

Hi ſunt primæ Columnæ Synagogæ veſtræ, O Novatores. Hi ſunt Apoſtoli veſtræ doctrinæ, Tuba veſtri Evangelii, Duces veſtræ reformationis, qui inter brachia impuræ mulieris, inter Venerem & Bacchum, diſcebant illa quæ docere vos debebant, macerantes ibi carnem ſuam: ibi illuminati ſunt novi Paſtores: hæc eſt via nova eundi ad cœlum, quam ipſi novi Evangelici primi calcarunt; & omnibus pervia ab illis facta eſt, jam multorum veſtigiis trita.

S. Hieron epiſt. ad Creſiphontem.

Antiquæ quoque hæreſes occaſione mulierum fuerunt natæ. S. Hieronym. *Simon Magus Hæreſim condit. Helena meretricis adjutus auxilio. Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum repertor, choros duxit fœmineos. Marcion Romam præmiſit mulierem, quæ decipiendos animos præpararet. Montanus immundi ſpiritus Prædicator, multas Eccleſias per Priſcam, & Maximillam primum auro corrupit, deindè hæreſi polluit: Arius ut orbem deciperet, ſororem Principis antè decepit. Donatus ; or Africam, ut infelices quoſque fœtentibus pollueret aquis. Lucilla opibus eſt adjutus. In Hiſpania Agape Elpidium, mulier cæcum cæca duxit in foveam, ſucceſſoremq; ſui Priſcillianum habuit. Nunc quoque myſterium operatur iniquitatis, duplex ſexus utrumq; ſupplantat.* Hæc Hieronymus.

Sanderus libr. de Schiſmate Angliæ. Florimundus, & alii.

Notum eſt, quomodò libido origo fuerit totius Schiſmatis Angelicani. Cum enim Rex deperiret Annam quandam Bolenam, voluit repudiare Cathatinam legitimam conjugem. Sed cum ad hoc conſenſum Pontificis non poſſet impetrare, mutavit Religionem, & ſe caput Eccleſiæ Anglicanæ effecit, & Annam ſibi copulavit: quæ ejus ex adulterio filia fuiſſe putatur. Sic ergò Religio Anglicana & Primatus novus, originem & cauſam habuit prodigioſam libidinem inceſtasq; nuptias: fundatus fuit non ſuper petram, quod nimis durum fuiſſet;

Digitized by Google

set ; sed supra pulvinum & lectum Ecclesia ista stabilitur, per nuptias & complexum illius, quæ simul conjux erat, & filia, ut Sanderus & alii tradunt.

Ambitio. *Tertiò*, Ambitio & gloriæ cupiditas, fons radixque est hæresis. Multi enim varias doctrinas novas, sed perniciosas excogitantes, illas plebi curiosæ proposuerunt, ut nomen & venerationem obtinerent ac admirationem.

Val. Max. l. 8. c. 14. Similes sunt hi viro, qui templum Dianæ Ephesi mirabili artificio exstructum, succendere aggressus est, ut qui prius erat obscurus, hoc facto clarum se efficeret. Ita illi, cum gloriam, cujus cupidi sunt, via regia & factis præclaris assequi non possint ; Ecclesiam, quæ est templum Dei, pravæ doctrinæ turbidis & tenebrosis flammis succendere nituntur, ut nomen suum reddant famosum. Sed sicut justè decretum fuit, ut illius nomen, qui templum Dianæ succenderat, nemo Scriptor proderet, aut ejus memoriam faceret, in pœnam facinoris ; ita justè Ecclesia decernit, omnes horum hæreticorum libros comburi, ut eorum memoria in cineres redacta depereat.

Exempla de ambitione. Hanc verò gloriæ cupiditatem antiquarum hæresum fontem fuisse, satis patebit historias earum percurrenti. Sic Simon ille parens omnium hæreticorum, se *Virtutem Dei* nominabat, & à malignis spiritibus efferri in cœlum curabat, ut adoraretur : Saturnus se Salvatorem à Patre missum, Noetus quidam se Moysen, & fratrem suum, Aaron vocabat: Montanus se Paracletum dicebat. Menander in suo nomine baptismum instituit: Gnostici sibi omnium cognitionem attribuebant: Cathari sibi vitæ absolutam integritatem arrogarunt : Adamitæ primam innocentiam.

Nostro sæculo alii Apostolicos se dicunt, & à divinis secretis; Dicunt se Spiritus sancti organum, per quod loquitur : se Ecclesiæ esse Reformatores, Prophetas, Videntes : Gloriam suam quærunt, & Sathanam patrem suum imitantur : Patres Ecclesiæ contemnunt, & sibi plus spiritus attribuunt.

Denique, ambitio honorum multos excussit ab Ecclesia. Tertullianus idcò Montanista effectus est, quia mortuo Agrippino ambiens Episcopatum Carthaginensem, illo exciderat. Actius Episcopatu frustratus, cœpit asserere Sacerdotes esse pares Episcopis. Sic Lutherus, Ochinus, & alii, primas cathedras, aut pallium, vel purpuram ambientes, repulsi apostatarunt, & primatum alibi quæsierunt.

PROPOSITIO III.

Deus justis de causis hæreses permittit æterna sua providentia.

Hæreses cur Deus permittat. PRimò, Id facit in pœnam & punitionem peccatorum nostrorum. Sicut maledicta est terra propter peccatum Adæ, ut spinas germinaret & tribulos : Ita propter peccata nostra, has spinas hæresum & errorum in Ecclesiæ agro permittit, tanquam maledictionem quandam. Unde dicit Apostolus: *Charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideò mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.* Quis ambigat, tot jam Provincias erroribus immersas, *in caecitate ambulare, quia Domino peccaverunt*, ut loquitur Propheta ? Cum enim Luthetana doctrina ingressa est, regnabat in populis iniquitas, in Religionibus libertas, in Rectoribus Ecclesiæ ambitio, & gravis socordia circa gregem sibi commissum, in Ministris gravis ignorantia cum mala vita, in toto Clero Ecclesiastica collabascebat disciplina ; ita ut rabida quædam lues serperet per diversa Ecclesiæ membra, & maximè carnis & ventris voluptas in Germaniæ populis, ubi hæc perniciosa doctrina ortum & progressum habuit. Primi ergo cæcitate in pœnam peccatorum sunt percussi instar Sodomitarum ; ut jam veram viam & ostium salutis non possint reperire, in tenebris errorum palpantes & impingentes, cor & intellectum obscuratum habentes: & ex eo tempore, tot calamitatibus & pressuris afflicti sunt ut vix respirent. 2. Thess. 2. 10. Sophron. 1. 17.

Secundò, Permittit Deus hæreses, ut eos qui Ecclesiæ curam gerunt, è gravi socordia & inerti somno excitet, ad sacræ Scripturæ studium & veritatis illustrationem. Hoc docet August. lib. super Genes. contra Manichæos : *Ideo divina Providentia multos diversi erroris haereticos permisit, ut cum insultant nobis, & interrogant quæ nescimus, vel sic excutiamur pigritiam, & divinas nosse Scripturas cupiamus. Ab adversario enim mota quæstio, discendi exstitit occasio: multa quippe ad fidem Catholicam pertinentia, dum haereticorum callida inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi possint, & considerantur diligentius, & intelliguntur clarius, & praedicantur instantius.* Unde cum in scholis, ante nostras hæreses ortas, ferè tractarentur quæstiones curiosæ & pugnæ sæpius verborum, à tempore hæreseon ad Scripturas elucidandas scholarum & scriptorum studium est conversum, ut veritas & defendatur & illustretur.

Utitur ergo Deus hæreticis tanquam follibus, ut lucem doctrinæ succendant, & veritatis elucens flamma omnibus innotescat. Et sicut cum ignis ardet, folles subtrahuntur ; ita cum veritatis flamma apparuit, solet hæreses submovere & ad tempus subtrahere eorum infestationes, saltem violentas. Dico saltem violentas, quia semper aliquam Ecclesia & fides patitur oppugnationem, & aliquos hæreticos semper habet intra se. Jebusæus olim semper mansit inter filios Israel, in ipsa etiam Jerosolyma, nec unquam deleri potuit; Deo ita disponente, ad ignaviam Judæorum repellendam ; ut scilicet scirent inter eos habitare, quos timere, & propter quos vigilare oporteret. Ita etiam nunc, quantumlibet expurgetur Ecclesia ab Hæreticis, semper ad nostrum exercitium Jebusæus erit in medio. Simile. *Deus suscitat haereses sicut olim follibus.*

Tertiò, Ad hoc permittit Deus hæreses, ut unusquisque quam tenax & fidelis & fixus sit Catholicæ fidei amator, appareat ; *Oportet haereses esse, ut probati, manifesti fiant.* Et revera cum aliqua novitas ebul- 1. Cor. 11. 19.

lit, statim cernitur frumentorum gravitas, & levitas palearum tunc sine magno molimine excutitur ab area, quod nullo pondere intra aream tenebatur. Hæresis ergo Ecclesiam mundat; eos, qui pejoris vel inconstantioris sunt vitæ, ad se alliciens; frumentum solidum relinquens in area, paleas ad se faciens advolare. Sic Claustra purgavit & Monasterio illos educens, qui cum sæculo valedixissent, & mundum velut Ægyptum reliquissent, ut ad terram promissionis pertingerent, tædebat tamen jam eos itineris & laboris, allia & cepas respirabant, & corde revertebantur in Ægyptum: ideòque occasionem hanc doctrinæ novæ arripuerunt, ad excutiendum Obedientiæ & Castitatis jugum, tanquam paleæ avolarunt ab area, ab Ecclesia, hæresi, tanquam vento, excussi.

Nequaquam propter hoc culpandus est aut accusandus Religionis status, quod multi ex eo prodierint, qui hæreses vel sectati sunt, vel etiam eas primi docuerunt. Sicut non est accusandum Collegium Apostolorum: quòd ex illo prodierit impius Judas nefandi facinoris auctor: vel Congregatio prima Diaconorum, quod ex illa prodierit quidam Nicolaus, fœdissimæ hæresis inventor: aut Cœlum ipsum, quod ex ipso prodierint Angeli desertores, ad omnem malitiam homines instigantes. Non est ergo culpa Religionis, quæ potest dicere: *Prodierunt ex nobis, sed non erant ex nobis*; sed est culpa hujus vel illius personæ particularis. Non est culpa regulæ, sed transgressoris; sicut non est culpa fidei, quod multi reperiantur impii inter Fideles.

1. Joan. 2. 19.

Deus autem justo suo judicio, ex sanctissima etiam Religione permittit aliquos in errores nefandos ruere, quia novit de malis etiam bona elicere; utiturque hæresi, sicut Medicus incisione, ut impios illos tanquam pravos humores educat de Religionis & Ecclesiæ corpore, ne corpus corrumpant. Hinc

Exempl.

cum Ochinus sanctum Capucinorum institutum deseruisset ad Calvinianam transiens hæresim; quidam Religiosus de Calabriæ Conventu, vir vitæ singularis, quodam die raptus in oratione sua, meditabatur super abominabili peccato & apostasia Ochini, miré ob eam interius afflictus. Tunc apparet ei Christus in aere, cum hac voce: *Vade dic tuo Generali, ut sit bono animo, sciatque me nunquam deserturum ejus Congregationem, quamdiu illa ambularit juxta suam Regulam. Ego autem permisi casum & egressum Senensis illius, ne reliquum gregem inficeret.* Bis diversis in locis hæc apparitio facta est huic viro sancto, qui nominabatur P. Giovan. Unde ille amore incensus Jesu Christi crucifixi, qui eum hac visione dignatus fuerat, petiit & obtinuit licentiam ad Indiam transeundi, ad fidem Christi prædicandam, ubi ad ejus exemplum crucifixus est pro fide.

Flor. mund. de ortu hæres. l. 3. cap. 5.

Similem visionem habuit B. Franciscus, initio sui Ordinis. Hic, cum aliquos videret Ordinem deserentes, vel scandalum in eo concitantes, ita commovebatur, ut dolore & lachrymis pene conficeretur. Ad quem semel Dominus: *Quid turbaris, Francisce, aut quid angeris, cùm tuorum quispiam vel Ordinem deserit, vel scandalum concitat? An forte existimas te ita gregis tui Rectorem, ut non me intelligas superiorem ejus esse Rectorem? Quis plantavit nisi ego? Aut quis præter me homines ad pœnitentiam vocat, & vocatis perseverandi vires suppeditat: Ego eos produxi, ego retinebo & servabo, ego illis cadentibus alios erigam. Quamobrem hoc tibi præcipio, ne te in pastorum adeò discrucies, sed scias hanc à me familiam diligi: & si unus ad veniam redeat, me in ejus locum alterum excitaturum, qui illius coronam accipiat? & is si nondum natus fuerit, efficiam ut nascatur. Quod si vere tantum in me permanserint, eos nunquam deseram, sed erit semper hæc mea familia.* Oportet ergo scandala, oportet hæreses in Ecclesia Dei esse. Sed væ illis, per quos veniunt. Interim novit Deus illas in bonum ordinare, qui Ecclesiam nunquam deseret, sed aliis cadentibus, alios eriget: multis in hæresim deficientibus, novum mundum ad fidem vocat, quem in locum cadentium sustinuit, ut infra dicemus.

Hier. Platus ex S. Bonav.

LECTIO VIII.

DE APOSTOLIS FIDEI FUNDATORIBUS.

1. *Docet: Fidei primos Fundatores fuisse Apostolos.*
2. *Quare illiteratos & ignobiles elegerit Christus.*
3. *Illos fundasse Fidem non solum Prædicatione, sed & Sanguine.*
4. *Ecclesiam quoque novam in novo orbe, Sanguine Fidelium fundari.*

PROPOSITIO I.

Apostoli fuere à Christo in universum orbem destinati, tanquam primi Fidei Fundatores.

Apostoli fuere primi Fidei fundatores.

DE hac missione Apostolorum, plures præclaræ Prophetiæ præcesserant.

Isa. 52. 7. Rom. 10. 15.

Primo, De illis sermo est apud Isaiam. *Quam speciosi sunt pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* Sensus est, quam pulcher, quam suavis, quam gratus adventus Apostolorum, annunciantium Evangelii læta & bona nuncia, pacem cum Deo & proximo, bona spiritualia, gratiam & justitiam, bona æterna, gloriam & salutem! Pedes ergo evangelizantium, idem significat quod ipsi Apostoli evangelizantes. Qui fuere tunc velut pedes spirituales Corporis Christi mystici, per quos Christus orbem universum peragrabat. Hi pedes laudari possunt ob varia: 1. à velocitate, quia brevi tempore orbem percurrerunt, quod fuit instar miraculi. 2. à fortitudine, quia nunquam lassi fuerunt, nullis fracti adversis, nullis retardati impedimentis. Velocitatem hanc & indefessum laborem notans in D. Paulo Chrysostomus, dicit: *Quasi volucris, imò volucri pernicior excurrit, quasi igneus*

Chrysost. in ca. 4. 2. ad Tim.

Digitized by Google

alas haberet, quibus mundum, mortes, insidias, erumnas, delicias, illecebras, & omnia Evangelii impedimenta pervolaret. Addit idem : *Quantum sol terram percurrit, propiùs emittens radios, tantam & hic habuit sollicitudinem Ecclesiarum per totum orbem.* 3. à munditia, quia in lutosa via hujus mundi semper agentes in hominem conversatione contagiosâ, nunquam peccati mortalis contraxerunt immunditiam. Per Spiritus enim plenitudinem, in gratia fuêre confirmati. In cujus rei symbolum, Christus lavit pedes Discipulorum, ut impleretur ex tunc, inquit Origenes, hoc vaticinium : *Quàm speciosi sunt pedes evangelizantium.* Si quid pulveris, si quid peccati venialis, eorum pedibus sive affectibus adhæsit, statim excutiebant, & expurgabant remediis à Christo institutis. 4. à speciositate, quæ quidem significat splendorem sapientiæ & doctrinæ, virtutis & pietatis ; quæ relucebat in Apostolis & prædicatione eorum, qua attrahebant suaviter & efficaciter mentes hominum, à vitiorum fœditate eos transferentes ad virtutis pulchritudinem.

Hinc B. Catharina Senensis, sæpè vestigia eorum qui verbi divini prædicationi incumbebant, humi impressa osculabatur ; causamque interrogata dicebat : *Dominum ostendisse sibi aliquando animarum in gratia existentium pulchritudinem. Cujus amore sic se captam asserebat, ut continere se non posset, quin terram oscularetur, quam eorum pedes calcant, qui verbo Dei animas à peccatis, ad pulchritudinem divina gratia reducunt.* Considerabat ergò illa, quàm speciosi sint pedes evangelizantium pacem cum Deo, annunciantium bona illa æterna.

Secundò, Sermo est iterùm de Apostolis apud Isaiam : *Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* Apostoli velociter per orbem discurrentes ad conversionem populorum, comparantur nubibus volantibus : quia imbrem doctrinæ & gratiæ quaquaversum circumferebant, ad irrigandam terram sterilem, corda hominum dura & arida. Hæc erat *Pluvia voluntaria, quam segregaverat Deus hereditati suæ.* Hi ergò ut nubes fœcundæ pluunt verbis, coruscant miraculis, ad cœlum volant elevatione mentis : volant modò in alteram terram, prout Spiritus instinctus direxit, & voluntas gubernantis. Sicut enim nubes elevatæ in una regione, & ibi condensati vapores, feruntur subitò in alteram, & illam irrigant : ita & Apostoli de loco in locum se transferentes, rorem & imbrem gratiæ & doctrinæ undique spargunt. Columbis etiam in eadem Scriptura comparantur, quæ citissimè volant, dum nidum repetunt & columbarii fenestras cum pullis suis. Cùm ergò dicitur : *Qui sunt isti, qui volant quasi columbæ ad fenestras suas?* Vox esse potest Ecclesiæ de Israëlitico populo primùm congregatæ, admirantis volare ad se gentium turbam ex toto orbe terrarum, & assumptis aliis Spiritus ad se festinare. Et quidem, ut legit Cyrillus. Columbas cum pullis, hoc est, Apostolos cum discipulis, & filiis suis spiritualibus, quos adducunt ad fenestras columbarii, ad ingressum Ecclesiæ per fidem. Columbæ quoq; nomen rectè Apostolis convenit, ob puritatem, simplicitatem, mansuetudinem, fœcunditatẽ.

Isa. 60. 8.

Pf. 67. 10.

Cyrill. ad hunc Isaiæ locum.

Tertiò, Est sermo de Apostolis Psal. 18. *In omnem terram exivit sonus eorum.* Licet de cœlis materialibus id primò intelligatur, qui per orbem universum suâ pulchritudine, motu, stellarum varietate, splendore, magnitudine, influentiis enarrant & enarrabunt semper gloriam Dei : tamen etiam intendit Spiritus S. loqui de Apostolis, saltem in sensu allegorico, ut D. Paulus interpretatur. Apostoli ergò & Apostolici viri dicuntur Cœli, quia elevati à terra per contemplationem, ampli per charitatem, splendidi per sapientiam, semper sereni per animi tranquillitatem, celerrimè moti ab intelligentia per obedientiam : pluentes per instructionem, tonantes per objurgationes, fulgurantes per miracula, multa bona terris largientes, & nihil ab eis quærentes per veram liberalitatem, purissimi ab omni sorde per vitæ sanctitatem, Deique habitaculum per justitiam perfectam. Quod verò dicitur in omnem terram prædicatio eorum exivisse, præteritum more Prophetico pro futuro ponitur, ob certitudinem. Ante mundi ergò consummationem, doctrina Apostolica universum pervadet orbem. Per seipsos autem peragrârunt omnem terram Romanis subjectam, omnem terram tunc cognitam : nam & Matthæus prædicavit in Æthiopia, Thomas in India, alii in remotissimis etiam partibus ; ita ut saltem fama Evangelii & doctrinæ Apostolorum, remotissimas penetrarit orbis partes, juxtà D. Thomam.

Psal. 18. 5.

Rom. 10. 18.

Bellar. in illum locum Psalt.

D. Thom. in c. 10. epist. ad Rom.

Quartò, Sermo etiam est de Christo & Apostolis apud Isaiam 46. *Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Iacob, & faces Israel convertendas, dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Electi sunt Apostoli, ut lucem Evangelii usque ad orbis extremitates inveherent, ut Christi gloria omnibus gentibus innotesceret, & salus per eum allata. Non ergò solus populus Israeliticus electus fuit, sed & Gentilis. Imò populo Israel magna ex parte ad hanc lucem oculos claudente, Gentium multitudo illam recepit. Undè dicitur apud Isaiam : *Angeli pacis amarè flebant*, hoc est, Apostoli, qui erant pacis Legati & Nuncii, præ compassione flebant, super cæcitate populi sui Judaici, pacem hanc rejicientis, & instar nocturnarum lucem hanc refugientis. Attendite, ô Judæi, quod nobilis de genere vestro Propheta, in Scriptura citata, vos *faces* vocat *Israel* : Fæces vocat, quia in peccatis vestris putidis, quasi in luto fœcis infixi hæretis : Fæces vocat, quia tanquam sordes & fæces fœtidæ dispersi estis super terram, ab omnibus vilipensi & conculcati : Fæces denique vocat, quia de omnibus prærogativis vobis à Deo olim concessis, nihil vobis residuum est, nisi fæces & reliquiæ quædam fœtidæ : *Dispergam*, inquit Dominus, *super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum.* Quid vobis de lege nunc restat? Ubi sacrificium, ubi sacerdotium de tribu Levi? Ubi templum, ubi sceptrum & regnum?

Isa. 49. 6.

Isa. 31. 7.

Malach. 2. 3.

Si quid vos exiſtimatis adhuc de his habere, reliquiæ immundæ ſunt, fæces ſunt; evacuatum eſt vinum, evacuata lex veſtra, per Chriſti adventum conſummata ſunt omnia. Quid ergò exci in fæcibus hæretis & immunditiis? Attendite ad lucem Evangelii, & ad ſervos à Domino miſſos *ad ſuſcitandas tribus Iacob, & convertendas faces Iſrael.* A fæcibus veſtris convertimini ad puritatem fidei.

Pſ.44.17. *Quintò*, Sermo eſt de Apoſtolis, apud Pſalmiſtam: *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii, conſtitues eos principes ſuper omnem terram.* Sermo eſt Prophetæ ad Eccleſiam Chriſti Sponſam, ut ſit ſenſus hic accommodatus. O Chriſti Sponſa, quàm fælix connubium tuum cum cœleſti Sponſo! Orientur enim ex illis nuptiis, pro antiquis illis Patriarchis novi filii Apoſtoli eminentiores illis futuri, quia principatum ſortientur ſuper univerſum orbem: & deſtinabis illos, ut toti orbi leges ferant, ſcribentes illas in tabulis cordis, per quas totum orbem ſibi ſubjicient, erunt enim hi filii Principes. Et ſicut electi ſunt olim duodecim Duces Populi, qui illum in terram promiſſionis deducerent; ita hi ſunt duces populi novi, perducentes eum ad terram promiſſam, terram viventium. Hic ergò principatus ſpiritualis eſt, per quem etiam ipſis Regibus Apoſtoli imperabant, illos cum Regnis & ſceptris obedientiæ fidei ſubjicientes. Undè dicit alibi Pſaltes: *Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham: quoniam Dii fortes terræ, vehementer elevati ſunt.* Senſus eſt: Ipſi Principes cum populis ſuis ad fidem venerunt, & dimiſſis Diis Patrum ſuorum, cum Deo Abraham, qui ſolus Deus verus, eſt, congregati ſunt, & hoc per prædicationem Apoſtolorum *Dii enim fortes terræ, elevati ſunt*, id eſt, Apoſtoli quaſi Dii ſuper terram à Deo conſtituti, adeò vehementer elevati ſunt donis ſapientiæ & fortitudinis & miraculorum, ut Principes populorum eis reſiſtere non potuerint, ut exponit D. Chryſoſtomus. Principatus ergò eorum nimis confortatus eſt, quia & ſuper populos, & ſuper Reges, & ſuper dæmones poteſtatem & imperium habuerunt. Illi verò Principes, *Memores erunt nominis tui, Domine*; quia nomen unum portabunt coram Regibus, & Monarchis, & omnibus gentibus. Propterea memorabile facient nomen tuum apud omnes poſteros, *& populi confitebuntur tibi*, & cum illis celebrabunt nomen tuum, & potentiam tuam, uſque in ſæculum ſæculi.

Pſ.46.10.

Chryſoſtomus

PROPOSITIO II.

Deus ad fidei plantationem & orbis converſionem, elegit Apoſtolos piſcatores & ignobiles.

Apoſtolos illiteratos & obſcuros elegit Deus ad orbis converſionem.

PRimò. Ut fundamenta Eccleſiæ reſponderent fundamentis orbis terræ. De terra dicitur apud Job: *Appendit terram ſuper nihilum.* Ubi dicit Lyranus, quodaqua habet pro fundamento terram, aër aquam, ignis aërem; & ſic per cœlos ſurgendo uſque ad ſupremam ſphæram, ita ut tota machina terræ innitatur. Sed terra eſt ſuper nihilum, ſuper ſeipſam, ſuper verbum Dei: *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam.* Sic Deus Eccleſiam tantâ ſtabilitate fundavit, ut vires inferni ſuperare eam non valeant, & tamen ſuper nihilum fundavit eam. Aliæ Reſpublicæ, Monarchiæ, aut Urbes, habent fundamentum ſuum, aut in ſapientia, aut in armis, aut in divitiis, aut in ſanguine & ſtemmate: ſed civitas Domini & regnum ejus, ſuper nihilum eſt, ſuper duodecim viros ignobiles, ſine divitiis, literis, armis. Hoc myſterium videtur indicaſſe Anna in ſuo cantico, dum dicit: *Domini ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem.* Ipſi Apoſtoli vel ut cardines & fundamenta ſunt, ſuper quos poſuit Dominus totum orbem; non quia fortes erant aut potentes ad tale pondus, ſed quia Domini erant, qui potuerat eis fortitudinem ſufficientem impertiri. Hanc ergò Scripturam de Apoſtolis rectè intelligi confirmant Hebræa, quæ habent: *Domini ſunt affixi terræ.* 1.Reg.2.8

Secundò, Rationem adfert D. Paulus: *Infirma*, inquit, *elegit Deus, ut confundat fortia, ut non glorietur omnis caro.* Elegit, ut fidem plantaret, ignorantiam, ſimplicitatem, debilitatem, ut confunderet fortitudinem arrogantem, ſpientiam ſubtilem, nobilitatem mundi ſuperbam, *ut non glorietur omnis caro.* Hic D. Proſper applicat virtutem Samſonis cum aſini mandibula (quod eſt animal ſimplex & ignarum) triumphantis de tot Philiſtæis, qui velut gigantes erant, quandò & dentes mandibulæ ſanguine hoſtium tincti manſere. Dicit ibi ſignificari victoriam Chriſti de mundo, per ſimplicitatem & ignorantiam Apoſtolorum. Samſon poterat gladium aut alia arma reperire, uſus eſt tamen inſtrumento adeò inepto ad bellum; ut victoria non tam inſtrumento attribueretur, quàm fortitudini perſonæ. Sic Chriſtus variis modis poterat ſibi mundum ſubjicere, ſed hunc modum elegit, ut tota gloria ſua eſſet nec haberet inſtrumentum undè gloriaretur. Hanc rationem adfert D. Auguſtinus: *Magna*, inquit, *artificis miſericordia; ſciebat enim quod ſi eligeret Senatorem, diceret Senator, dignitas mea electa eſt; ſi divitem eligeret, diceret, opulentia mea electa eſt, ſi Regem, poteſtas mea; ſi Oratorem, eloquentia mea; ſi Philoſophum, ſapientia mea electa eſt. Dicit ergò Dominus: Relinquantur ſuperbi iſti, multum tument: Venite pauper, nihil noſti, ſequere me, tam large fonti vas inane admovendum eſt. Dimiſit retia Piſcator, accepit gratiam, & factus eſt divinus Orator: leguntur modò verba Piſcatorum, & ſubduntur cordia Oratorum.* Hæc Auguſt. 1.Cor.1.27.

Auguſt. ſerm.59. de verbis Dom.

Rationem hanc ſignificat Ambroſius: *Elegit duodecim, quos ad propagandum auxilium ſalutis humanæ per terrarum orbem ſatores fidei deſtinaret: Simul advertite cœleſte conſilium, Non ſapientes aliquos aut divites, aut nobiles elegit, ne traduxiſſe prudentiâ, ne redimiſſe divitiis, ne potentia nobiliſtatiſq; auctoritate traxiſſe aliquos ad ſuam gratiam videretur.* Hæc Ambroſ. In prædicatione ergò Apoſtolorum mirè elucet virtus Chriſti.

Ambroſ. lib.5.in Lucam.

1. In eo quod pauci Piſcatores illiterati, obſcuri,

tanquam purgamenta mundi habiti, orbem tamen fidei & cruci Christi subjecerint. Et id quidem adeò brevi tempore, non armis, aut potentiâ, aut eloquentiæ vi, sed simplici prædicatione.

2. Quod tot hostes visibiles & invisibiles evicerint. Invisibiles quidem, dæmones & idola, peccatum, mortem & infernum totum. Visibiles verò, Reges & Principes, Oratores, Philosophos, Græcos & Barbaros, Leges & judicia, Religionesque antiquissimas & disciplinas, quæ tot habebant sectatores illustres.

3. Quod persuaserint doctrinam de Deo crucifixo adorando, & Salvatore credendo; quodque persuaserint legem ejus, adeò carni repugnantem. Denique quod non solùm urbes aliquot, sed & totum ferè orbem huic fidei, & regno Crucifixi subjecerint. Undè Tertull. lib. contra Judæos, Christi regnum omnium Regum & populorum regnis ita confert: *Salomon regnavit sed in finibus Judææ tantùm, à Dan usque Bersabée, Babylonius & Parthus regnavit Darius, non ultrà. Ægyptius Pharao, sed illis tantùm. Nabuchodonosor ab India usq; ad Æthiopiam, Alexander Macedo nunquam Asiam universam, & cæteras regiones postquam devicerat, tenuit. Sic Germani, Britanni, Mauri, Romani, imperii sui habent terminos. Christi autem nomen & regnum ubiq; porrigitur, ubiq; creditur, ab omnibus gentibus colitur, ubiq; regnat & adoratur, ubiq; omnibus æqualis, omnibus Rex, omnibus Judex, omnibus Deus & Dominus.*

Porrò licèt Apostoli secundum mundum illiterati fuerint, impotentes, ignobiles, virtute tamen ex alto induti fuere & sapientiâ, ut legationem suam ad effectum deducerent: Et tantâ gratiâ à Spiritu sancto repleti fuêre, ut non solùm in gratia præcesserint antiquos Sanctos veteris Testamenti; sed & omnes Sanctos novi Testamenti, quacunque prærogativa fulgeant, sivè virginitatis, sivè doctrinæ, sivè martyrii, abundantius illis Spiritum sanctum participantes, ut asserit D. Thomas: *Licet enim*, inquit, *quidam alii sancti majora sustinuerint tormenta, & majores austeritates, tamen sciendum, quod magnitudo meriti principaliter & respectu essentialis præmii attenditur secundùm charitatem. Apostoli ergò opera quæ fecerunt, ex majori charitate fecerunt: ex qua habebant cor, ad multò majora facienda, si oportunum fuisset.* Charitas hæc, unicuique datur secundùm mensuram damnationis Christi, ille autem dat, juxtà id ad quod eligit. Sicut ergò excellentissima gratia data est Christo, quia caput omnium justorum; & post eum B. Virgini, quia electa est, ut foret Mater Dei; ita cùm ad summam dignitatem electi sint Apostoli (ut Ecclesia in illis fundaretur, & immediatè à Christo ad orbis conversionem & salutem mitterentur) ideò eis abundantiorem gratiam præ exteris tribuit. Abundantiùs participarunt de fluentis gratiæ, quò proximiores fuerunt fonti: Pleniùs participarunt de luce & ardore charitatis, quò viciniores fuerunt soli: Et quò erant membra digniora corporis mystici, & viciniora capiti, eò pleniùs participârunt de ejus influxu vitali. Christus est fons, sol, caput nostrum, cui ipsi præ cæteris conjuncti fuêre.

D. Thom. in c. 8. ep. ad Rom.

In hujus rei confirmationem facit, quod dicit Apostolus: *Nos ipsi primitias Spiritus habentes*, quod verum est, non solum quia tempore prius Spiritum sanctum habuerunt; sed etiam quia pleniùs & perfectiùs, sicut in fructibus, quod prius ad maturitatem pervenit, est pinguius & magis acceptum. Ideò primitias petebat Dominus. Undè ad Hebr. dicitur: *Accessistis ad Ecclesiam Primitivorum, qui conscripti sunt in cœlestibus.* Quod si quis contendat Joannem Baptistam Apostolis præferendum in gratia, quia dicit Dominus Matth. 11. v. 11. *Inter natos mulierum non surrexit major*: sciat is, hanc scripturam non convincere, quia non comparat eum Christus cum Sanctis novi Testamenti, sed cum antiquis Prophetis, ut etiam expressit Lucas. Quamobrem inde non colligitur major vel par esse Apostolis; nec hoc certò asseri potest, nec hic contentiosius agendum.

Rom. 8. 23.

Hebr. 12. 23.

Vide Th. in loc. cit. Rom. 8. 1. Luc. 7. 28.

Referunt aliqui, inter duos viros doctos quondam disceptationem fuisse, quia unus summa in veneratione Joannem Baptistam, alter specialiter colebat Evangelistam, quolibet multum commendante Patronum suum. Condixerunt ergò sibi diem ad publicam disputationem de hac re, ad probandum quis major foret. Sed nocte præcedente diem assignatum, Baptista apparuit Doctori sibi devoto, Evangelista quoque alteri sibi devoto, monentes, ut talem disputationem dimitterent; sed sicut in cœlo ipsi concordes erant in gloria, ita hortabantur, ut in terris concordes forent in pace & charitate, & quod demum in cœlis, hanc veritatem forent visuri. Ita quidam.

Exempl. Guil. Pepin. super Confiteor

Ergò honorandi sunt Sancti, nec contentiosiùs disceptandum de eorum præeminentia, sicut multi de Fundatoribus suis, Francisco aut Dominico, &c. inutiliter ac imperitè faciunt, Fundatores suos ad sedem Luciferi exaltantes, ultrà Apostolos extollentes, aut alios Martyres & Confessiores in Ecclesiæ Dei celeberrimos. Scire ergò debent hi, quod sicut *honor Regis judicium diligit*, ita & Sanctorum ejus, quibus non est gratus fallus honor, aut indiscreta devotio.

v. Thom. Kemp. lib. 3. de Imit. c. 58.

Psal. 98. 4.

PROPOSITIO. III.

Apostoli Ecclesiam fundarunt & fidem, non solùm verbi prædicatione, sed & sanguinis effusione.

Sic canit Ecclesia: *Isti sunt, qui viventes in carne, planè verunt Ecclesiam sanguine suo*, &c. Vide ergò Ecclesiæ structuram. Primum fundamentum est Christus, quasi rupes firma & fundamentum fundamentorum. Super illud duodecim sunt lapides fundamentales Apostoli: Vidit enim Joannes *in fundamenta civitatis novæ scripta nomina duodecim Apostolorum Agni, ornata omni lapide pretioso.* Accedunt deindè ad hanc structuram omnes animæ fideles, *tanquàm lapides vivi, ut ædificentur*, inquit Petrus; & hi lapides per varias afflictiones & persecutiones, quasi per malleum & securim aptantur

Apostoli Ecclesiam seu fidem fundarunt & prædicatione & sanguine.

Apoc. 21. 19. 1. Petr. 2. 6.

hujus ædificio: Tonſionibus, preſſuris expoliti lapides, ſuis coaptantur locis, per manus artificis, diſponuntur permanſuri ſacris ædificiis.

Cæmentum vero hujus ædificii, eſt ſanguis Chriſti, Apoſtolorum & Martyrum; quia per illum Sanguinem, coagmentationem & firmitatem accepit adversùs omnes ventos & undas; adversùs *mirabiles elationes maris* hujus procelloſi, hoc eſt, contra conſpirationes omnium Principum & Tyrannorum, Judæorum & Gentilium. Adversùs hos hi orbis triumphatores uſque ad ſanguinem pro veritate fidei decertárunt; undè Auguſtinus: *Incomparabiliter pulchrior eſt veritas Chriſtianorum, quàm Helena Græcorum. Pro illa enim fortiùs noſtri Martyres adversùs hanc Sodomam, quàm pro illa illi Heroes adversùs Trojam dimicaverunt.* Simile itaque fuit Apoſtolorum & Martyrum bellum pro fide, bello Gedeonis; quia ut ait Rupertus: *Armati venerunt cum Duce ſuo ad prælium Martyres Domini, ſed tubis, ſed lampadibus, ſed lagenis. Inſonuerunt tubis, dum prædicant. Confregêre lagenas, dum ſolvenda corpora ſua hoſtilibus gladiis in paſſione ſupponunt. Reſplenduerunt lampades, dum poſt ſolutionem corporum miraculis coruſcárunt.* Ita ille. Sic ſcilicèt contra infernum, mundum idololatriam, non armis aut ſagittis, ſed corporum quaſi lagenarum confractione pugnárunt. Et tunc amor Dei, lumen gratiæ, ſanctitas eorum, & vis fidei eluxit. Verum eſt ergò illud, quod in Cantico Deboræ canitur: *Nova bella elegit ſibi Dominus.* Ipſe virga potentiam Pharaonis diſſipat, aſini mandibula Philiſtæos, baculo & funda Goliath, tubarum clangore mœnia Jericho, lagenarum confractione hoſtes. Quæ omnia ſignificabant, quod per ignominioſum Crucis inſtrumentum, & per martyrium & Apoſtolorum vocem & ſanguinem, mundum & ſatharam erat ſubjugaturus. Per ſanguinis ergò effuſionem, Eccleſia & fides initium habuit & incrementum. Undè & Eccleſiæ Chriſti Sponſæ rectè poteſt applicari illud Ezech. *Tranſiens per te, vidi te conculcari in ſanguine tuo, & dixi, vive, vive, inquam in ſanguine tuo.* Ut ſit ſenſus: Cum adhuc in adoleſcentia eſſes, ô Sponſa, tranſivi per te, & vidi quod jaceres in ſanguine tuo, in ſanguine filiorum tuorum, in ſanguine Martyrum. Et dixi: Vives in illo ſanguine, quia mors filiorum tuorum, tibi vita erit, & ille ſanguis erit quaſi ſemen, quo propagaberis & creſces; quia *Sanguis Martyrum ſemen eſt Chriſtianorum. Semper Dominicus ager ſegete dilatori veſtitur, dum grana, quæ ſingula cadunt, multiplicata naſcuntur.* Voluit Deus confirmationem legis novæ ſimilem eſſe confirmationi legis antiquæ. *Moyſes*, ut dicit Apoſtolus, *aſperſit ſanguine victimarum librum legis*, ad ejus confirmationem; aſperſit & populum ipſum. Sic populus Chriſtianus & lex nova aſpergitur ſanguine Chriſti; & confirmatur ſanguine victimarum, hoc eſt, Martyrum, pro illius legis defenſione in ſacrificium ſeſe Deo offerentium.

Voluit ſecundò, conſecrationem novi templi ſui, novæque Eccleſiæ, ſimilem eſſe conſecrationi Templi Salomonis, ut figurâ impleretur veniente veritate. In illius Templi conſecratione, centum millia ovium, & viginti millia boum, ſacrificata ſunt. Ut quid putas tanta ſanguinis effuſio? Ut quid tot victimæ? Significabatur in Eccleſiæ novæ erectione & conſecratione, multum ſanguinis effundi debere, multas victimas offerendas eſſe. Agni & oves, ſunt ſimplices Fideles, qui ſe ad mortem in primitiva Eccleſia pro fide liberè obtulerunt, in ſacrificium Deo; quorum numerus adeò ingens eſt, ut vix numerari poſſit. Quia in generalium perſecutionum procellis, nulla erat Regio, aut Inſula, nullus terræ angulus, qui non ſanguine Martyrum redundaret. Dies unicus poſt graviſſimam lanienam, plura millia ad coronas emittebat. Omnis ordo, omnis ſexus, ad necem quærebatur. *Ætas*, inquit Ambroſ. lib. 1. de Virg. *adhuc mori neſcia, vitam quam vix hauſerat, jam quaſi perfuncta donabat; nondum idonea pœna, & jam matura victoria. Divinitatis erat teſtis, quæ vendum ſui exiſtebat arbitra.* Alta utique fidei vis, quæ ab illa etiam teſtimonium reperiebat ætate. Matres cum pueris, liberè ſe neci tradebant.

Habes illuſtre exemplum apud Prudentium, quomodò puer nondum ſeptennis coram Aſclepiade Præfecto, Dei unius eſſentiam & Chriſti virtutem (explodens Deorum multitudinem) conſtanter aſſeruerit. Tyrannus ergò matrem accerſiri jubet, & coram illa virgis immaniter cædi. Cunctis flentibus ad crudele ſpectaculum, ſola mater ſtat imperterrito vultu, & ſerenâ fronte, amore Chriſti. Parvulus interim ſe ſitire clamat; ac mater eum increpans dicit, Chriſtianum cedere morti non debere: *Si ſitis*, inquit, *ô fili, habes aquam vitæ, quàm fugere modò poteris de Chriſto, habes fontem illum perennem, tibi proximum; Calix infantium Bethlemiticorum tibi exhauriendus eſt. Memineris, ô fili, obedientiæ Iſaac parvuli, ſeſe liberè ſacrificantis. Memineris conſtantiæ puerorum ſeptem Machabæorum, ad mortem intrepidè ſeſe liberè offerentium.* His ſimilibuſque puerum mater animans, fecit ut virili animo omnes dolores, & vulnera virgarum rideat, tortoribuſque inſultet victor. In rabiem verò actus Aſclepiades, capite eum mulctari jubet. Ex alto demittitur puer, quem in ſublimi ſuſpenderant ad virgarum ictus ſuſcipiendos. Mater demiſſum ex alto, gerebat amplexu & ſinu; oſculo ſolum ei impreſſo valedicit, & carnifici tradit. Sed dum amputat cervicem carnifex, mater pſallere docta ex Davide canebat: *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus. Tunc ille ſervus, filius ancillæ tuæ.* Talia canens, explicabat pallium & ſinum, ſub ictu & ſanguine, ut hanc pretioſam cruoris undam gremio ſuo exciperet, & charo applicaret pectori.

Vides ergò, quomodò agni & oves, pueri & matres tanquam victimæ pretioſæ oblatæ fuerint Deo, jam ab initio Eccleſiæ, quaſi in conſecrationem ejus. Et quidem plura millia victimarum oblata ſunt, & ſanguis copioſior effuſus, quam in conſecratione Templi Salomonis. Si enim centum

Templum Salomon.

Exempl. Prudent. lib. de coronis.

Auguſt. Epiſt. 9.

Judic. 7. Rupert. li. 1. c. 11. in lib. Judic.

Judic. 5. 8.

Ezech. 16. 6.

Lieb. 9. 19.

Figura Eccleſiæ

d by Google

tum millia ovium ibi oblata, multò plures Martyres etiam in Ecclesiæ initiis fuere. Dicebat enim D. Hieronymus de suo tempore : *Si Ecclesia omnibus voluisset festos dies decernere, plusquam quinque millia unicuique diei posset assignare.*

Sicut verò diximus, per oves designari simplices Fideles, ita per viginti millia boum, dicimus significari Apostolos, & Apostolicos viros, fidei Prædicatores, qui tanquam boves in agro Domini laborant : qui etiam sanguine suo Ecclesiam consecrarunt, & fidem confirmarunt. Mors eorum non aliud fuit, quam Deo acceptabile sacrificium. Hinc B. Episcopus Polycarpus, cum in medio ignis ligatus esset, ipse se velut vivum & odoriferum sacrificium Deo offerens, hunc in modum precabatur: *Accipe, Pater æterne, in sacrificium acceptabile, quam mihi donasti vitam. Te Dominum es universi & Pater Salvatoris Domini mei IESV Christi, per quem te cognovimus, & qui se pro nobis obtulit in Cruce. Per eundem meipsum offero nunc in confessionis fidei sanctæ, ad gloriam tuam ejusque æternam. Gratias tibi infinitas ago, quod me dignatus es adscribere numero beatorum Martyrum tuorum, & me facere participem Calicis & Passionis Domini mei Jesu Christi.* Habuit verò hæc oratio tantam vim, ut ignis accensus, viri sancti corpus non ureret, sed tantum velut contegeret & protegeret; quod mirabilius est, ipsæ flammæ spirarent & diffunderent suavissimam odorem, quasi incensi Thymiamatis aut thuris, unguentique odoriferi. Id videntes impii ministri, gladio eum transverberarunt, & copia sanguinis defluentis statim extinctus est ignis, & anima ad Deum evolavit. Vide Ribadeneiram.

Exempl. Ribaden. in vita S. Polycar. 26. Jan.

Propterea etiam mortem & martyrium finem vicinum sciens Apostolus, de illo quasi sacrificio loquens, dicebat: *Ego enim jam delibor*, hoc est sanguinem meum quasi libamen Deo profundo & sacrifico. Memineris ex Levitico, sacrificia duas partes habuisse, victimam scilicet, bovem aut ovem, & libamen, puto vinum aut oleum. Erant sacrificia quasi convivium Dei, in quo velut cibus Dei erant victimæ, potus verò libamen. Victimas ergo vocat Paulus Gentes à se conversas, Christoque oblatas quasi in sacrificium; sanguinem autem suum, quo hanc victimam & oblationem confirmavit & sanxit, libamen vocat. Ita etiam loquitur ad Roman. 15. & ad Philipp. 2. v. 17.

2. Tim. 4. 6.

Sic & D. Laurentium de Xysti Pontificis martyrio, quasi de sacrificio loquitur, cum eum ad martyrium euntem sic alloquitur: *Quo properas, Sacerdos sancte, sine ministro ad sacrificium? Tu nunquam sine ministro illud offerre consueveras, Experire ergo, utrum dignum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem.* Cupiebat & ipse consors esse, in hoc sacrificio, mortis ejus.

S. Laurent. de quo v. Breviar. S. Augustin. in gestis Xysti Papæ.

Omnes ergo hi, boves erant strenuè in agro Domini laborantes, qui sanguine suo Ecclesiam consecrarunt, fidemque confirmarunt. Et hi magno numero fuerunt, quia persecutionis furor, Religionis nostræ Præcones, ac Antistites, eosque qui Sacerdotalis erant Ordinis, præcipuè imperebat, ut illi, qui cæteris eminebant tanquam *montes, transferrentur in cor maris.* Et ut illis qui in navicula Petri gubernacula sortiti erant, disjectis, jam tota navis periculo subjaceret. Unde triginta primi Pontifices martyrio sunt affecti & multi eorum ministri cum eis.

Hoc verò hic advertendum; Apostolos, qui fidei fundatores fuere in vita sua, non minus Ecclesiæ profuisse post mortem, favore suo, meritis & intercessione, quàm antè. Hinc de B. Petro sic loquitur S. Leo: *Manet dispositio veritatis, & B. Petrus in accepta fortitudine petra perseverans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit, qui nunc plenius ea quæ sibi sunt commissa peragit, & omnes partes officiorum & cæsum in ipso, per quem est glorificatus exequitur. Si quid itaque à nobis rectè agitur aut obtinetur, illius est operum atque meritorum, cujus in sede sua virtus potestasque excellit auctoritas.* Ita D. Leo.

S. Leo serm. 2. in anniversar. assumpt. suæ.

Certè D. Petrus & D. Paulus fidei propagationi summè profuerunt, dum Constantino apparentes, ad fidem capessendam induxerunt, per quem toto imperio fides est propagata.

V. supra lect. 4. propos. 4.

D. Jacobus in Hispania paucos convertit, sed tamen ejus meritis & patrocinio post mortem conversa est. Unde quod de Samsone dicitur : *Plures occidit moriens, quam fecerat vivens*; ita ille plures mortuus occidit peccato, ut viverent justitia quam fecerat vivus. Hoc etiam ipsi prædixerat B. Virgo, quæ ei, dum in Hispania ageret, apparuit : & cum tristaretur se tam parum fructus illic fecisse, significavit ei B. Virgo, post mortem plures convertendos. Unde dicitur, in loco, ubi apparuit, Oratorium Virgini Mariæ dedicasse.

Jud. 16. 30. Exempl. Ribad. in vita S. Jacobi.

De Apostolo Thoma si loquamur, certum est, Indiam ejus tutelæ commissam, maximos favores ipsius patrocinio assequi quotidie; Evangelii lucem, ejus meritis incrementum accipiente. S. Xaverius, qui inter primos Indiam Orientalem fide illuminavit, quoties aliquid magnum in istis Provinciis pro salute illarum, & Dei Gloria attentare volebat, prius ad corpus B. Apostoli Thomæ peregrinationem instituebat; ubi plures noctes, dieisque in oratione consumens; per merita Apostoli instanter supplicat, sibi à Deo donari partem spiritus ejus ac zeli ad renovandam fidem in illis Provinciis, in quibus eam plantarat Apostolus, & ut posset hanc vineam ejus tutelæ commissam, nomine quoque ipsius & favore, tanquam minister excolere. Unde magna aggressus est, & ad effectum deduxit, ipsius Apostoli ope, ut sæpè factus est.

Ribaden. in vita S. Thomæ.

Est & aliud mirabilius, quod plures Scriptores referunt, tempore Calixti II. an. 1120. Patriarcham Indiarum Joannem nomine, devotionis gratia Romam venisse; & in pleno consistorio coram Pontifice & Cardinalibus, aliisque Prælatis asseruisse, Apostolum Thomam visibiliter annis singulis apparere; & manu propria populum communicare, præsentando dignis, indignos verò præterendo.

PRO-

by Google

PROPOSITIO IV.

Sicut prima fidei plantatio facta est per sanguinem, ita in novo orbe fidei propagatio fit per Christianorum novorum sanguinem.

Ecclesia in novo orbe item sanguine plantatur.

NEmo enim illud esse verum ambigit:
Sanguine fundata est Ecclesia, sanguine crevit, Sanguine nutritur, sanguine finis erit.
Fides enim accepit firmitatem per sanguinem Apostolorum & Martyrum; nutritur quotidie & propagatur persecutionibus; & per sanguinem, quem effunder Antichristus, finietur, completo numero electorum.

Exempl. Cornel. à lapide in cap.10.ep. ad Hebr. v.34.

Quomodo autem fidei propagatio in novo orbe per sanguinem fiat, docent nos quæ ex Japonia referuntur. Anno 1613. gravis in Christianos exarsit in Japonia Regis ac Principum ira & persecutio, multi è prisca nobilitate bonis omnibus privati, in exilium acti sunt: ipsi verò exultantes bonis cedebant, & multi ex Christianis Gubernatori nomina sua deferebant ultrò, ut sic se profiterentur Christianos. Sed ut magis se contra iram Regis obarmarent, Sodalitatem Martyrum instituerunt, ad quam mox tria capitum millia sese aggregarunt. Hujus sodalitatis prima lex est: *Si pro fide Christi bona adimantur, spolium hoc forti & libenti animo tolerato.* Secunda lex: *Pari constantia & animo exilium & mortem, pro Christianissimo excipito.* Plures ergo, quod verbis professi erant, re præstiterunt. Arimæ Regulus ex di Christianorum tribunal erexerat, diem dixerat: Mox ad viginti Christianorum millia ultrò se Arimæ stiterunt, ut Christianos se profiterentur. Territus tyrannus cessit, & paucorum nece suum furorem satiavit. Ex illis octo vivos cremari jussit. Inter eos erat pater & mater cum filio duodenni, & filia viginti annorum; quæ in mediis flammis exultans, prunas ardentes, quasi rosas aut carbunculos gemmasque pretiosas, capiti suo imponebat, illis velut se coronans. Frater vero parvulus, solutis igne vinculis, ignem cum gaudio calcans, ad matrem pariter ardentem gratulabundus accurrit: terque Jesu & Mariæ sanctissima nomina forti voce clamans, matris suæ gaudia cumulavit, & ad latus ejus extinctus concidit. Ecce quomodo in illis revixit fervor ille, & spiritus primitivæ Ecclesiæ: quos nec gladius, nec persecutio, nec ignis, nec mors quælibet *separare potest à Charitate Dei, quæ est in Christo Jesu,*

Rom. 8. 35.

Simile.

Soc. l. 4. Hist. c. 18.

Simile quid accidisse legimus in fervidis illis Christianis, tempore Valentis Imperatoris. In Edessa Mesopotamiæ civitate, inquit Socrates, Oratorium est, quod dicitur Martyrium S. Thomæ Apostoli, in quo frequentes conveniunt ob loci sanctitatem. Valens Imperator videns multitudinem quam sciebat hæresim suam detestari, fertur Præfectum manu percussisse, quod non curasset eos inde expelli. Præfectus autem, cum contumeliâ hâc acceptâ, paratus esset vel invitus Imperatoris iræ morem gerere; occultè significat (non enim tot virorum cædem perpetrare volebat) ne quisquam in Martyrio deprehenderetur. Verum nemo acquiescebat illius consilio vel minis; omnes enim sequenti die ad Oratorium confugiunt, & confluunt. Cum autem Præfectus multorum militum manu stipatus, illuc properaret, ut Imperatoris iram exequeretur; Mulier paupercula, filiolum suum manu trahens, ad Martyrium currebat, & ordinem satellitum prævertebat. Indignatus Præfectus eam vocat dicens: *Quo tam incondità curris, ô infœlix mulier?* Cui illa: *Illuc curro, quò alii currunt.* Ille verò: *Non audisti Præfectum omnes interempturum, quos ibi reperit? Audivi,* inquit, *& ideò festino, ut & ibi inveniar.* Hoc audito, Præfectus admiratur convenientium dementiam. Accedit Imperatorem, & instruit, cunctos pro fide sua paratos mori, nec tamen convenire, ut tantus hominum numerus brevi tempore occidatur; atque ita Imperatori, ut iram poneret, persuasit. Ita Socrates.

Primus ergò charitatis zelus renovatur in Christianis novi orbis, dum sese ultrò pro nomine JESU morti offerunt: ut sint & ipsi victimæ pretiosæ, quarum sanguine noviter ibi surgens Ecclesia & fides, aspergatur & confirmetur. Ubi etiam elucescit, si plenius inspiciamus, divina sapientia: quæ eodem tempore, quo fides cœpit exulare, per hæreses introductas in variis Europæ partibus, ad novum orbem illam transtulit; voluitque eam cum gaudio ab incolis illis barbaris hospitio excipi. Adimpletur ergo illud Evangelii: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum:* Afferentur dona spiritualia, fides, & vera Dei cognitio, per quæ Deus regnat in anima, à populis qui se tepore & peccatis indignos fecerunt, & transferentur ad alia regna. Et quia, qui fuerunt *ad nuptias vocati, non fuerunt digni; mittuntur servi ad exitus viarum, ut cæcos quoque & claudos compellant intrare.* Matth. 22. v. 9. Sic solet Dei providentia, dum aliquos permittit cadere, alios pro illis erigere. *Conteret multos,* inquit Job, *& stare faciet alios pro eis; novit enim opera eorum, & ideò inducet noctem, & conterentur.* Hinc, loco Angelorum cadentium homines substituuntur: & Gentes eliguntur loco Judæorum. Sic auferens ab Heli sacerdotium, providit sibi de Samuele. Regnum auferens à Saule, providet de Davide. Apostolatum auferens à Juda, providet de Matthia. Denique coronam quadragesimi militis deficientis præ frigore imperitur Janitori. Quando ergo Deus vasa iræ dissipat, vasa sibi præparat alia, in quæ misericordiam effundat. Hæc itaque multorum defectio & novorum Christianorum erectio & fervor, nobis confusionem parere debet & timorem; ne forte & nos indignos exhibeamus, & à nobis corona fidei auferatur. Hinc solicitè monet Dominus: *Ecce venio citò tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam:* quibus verbis monet Angelum, sive Episcopum Philadelphiæ, & plebem illius; sed in illo monet etiam nos omnes.

Matt. 21. 43.

Greg. 25. mor. c. 10. & 11.

Job. 34. 24.

1. Reg. 3. 1. Reg. 15. Actor. 1. V. Brevi. 9. Mart.

LECTIO

LECTIO IX.

DE SYMBOLO APOSTOLORUM

1. *Docet, Apostolos hoc Symbolũ composuisse.*
2. *Articulos Symboli ab hæresibus ordine quodam impugnatos.*
3. *Utilem esse recitationem frequentem Symboli.*

PROPOSITIO I.

Primum Fidei nostræ Symbolum composuerunt Apostoli.

Symbolum fidei composuerunt Apostoli. Augustſerm. 115. de temp.

EST verò Symbolum, regula Fidei nostræ simplex, breviter comprehendens primaria capita nostræ Religionis, quæ omnibus credenda expressè proponuntur. Quatuor autem celeberrima sunt. Primum Apostolorum nominatur, de quo agimus. Secundum est Concilii Niceni, in quo ob Arii hæresim, explicantur plenius pertinentia ad Filii divinitatem. Tertium est Constantinopolitanum, in quo ob hæresim Macedonii, adduntur quædam de Spiritus sancti divinitate. Quartum est Athanasii, omnium explicatissimum, quod jam olim a tota Ecclesia receptum est; unde est ejusdem authoritatis cum aliis.

Quatuor sunt Symbola celeberrima.

Symbolum Apostolicũ ab Apostolis compositum.

Quantum ad Symbolum Apostolicum: Cùm illi post Spiritus sancti missionem, accepissent mandatum eundi in universum mundum, composuerunt formulam quandam Christianæ Fidei, ut idem omnes sentirent, & proponerent illis, quos ad unitatem Fidei erant vocaturi.

Cur Symbolum vocatur.

Hanc formulam, *Symbolum* vocarunt, duplici ratione. Primò, quia ex variis sententiis, quas in commune contulerunt, conflata est. Secundò, quia est velut nota & tessera, qua falsi fratres a veris Christianis dignoscuntur. Sicut enim inter milites datur nota & tessera, ut se mutò agnoscant; ita & inter milites Christi. Sic & ab initio Lutheranæ factionis, ut ipsi Protestantes dignoscerentur, tanquam novi Evangelici, pro nota & symbolo distinctivo, famulorum manicas & vestes his literis acu pictis notari voluerunt: V. D. M. I. Æ. hoc est, *Verbum Domini manet in æternum*. Sic & hæretici habent speciales suæ fidei confessiones, & Turcæ habent Alcoranum suum, hoc est, fidei Mahometanæ confessionem. Ipsi ergo Apostoli, tanquam Patres Fidei, Fundatores Religionis Christianæ, Magistri doctrinæ Evangelicæ, Legati Christi, Coadjutores ejus in opere Redemptionis, hanc formulam omnibus Ecclesiis tradiderunt. Unde, licet non sit Scriptura facta, habet tamen eandem authoritatem, etsi enim non scripto, tamen vivæ vocis ministerio tradiderunt. An verò singuli particularem Articulum composuerint, an communi consensu omnes Articulos, non est certum.

Florimundus de ortu hæresis.

Interim, quia duodecim Apostoli a Domino non sine mysterio electi fuere, ita & duodecim Articulos mystico numero composuerunt, duodenarius enim numerus mysterium habet in Apostolis, in quo quaternarius numerus ter inventur, & numerus ternarius quater. Per hoc significatur, quod annunciaturi essent in quatuor partibus mundi gloriam & fidem Trinitatis, mysterium antè absconditum.

Duodenarii numeri Apostolorum figura.

Unde hujus mystici duodenarii plures figuræ præcesserant.

Primò, duodecim Fontes reperti in deserto, significabant, aquam doctrinæ Evangelicæ, per universum hujus mundi desertum fundendam à duodecim Apostolis. Exod. 15. 27. & Nu. 33. 9. 2. Paral. 4.

Secundò, duodecim Boves, Vas illud magnum Templi Salomonis, quod Mare æneum dicebatur, portantes, significabant eosdem Sacramentum Baptismi (per vas illud aquæ designatum) ad Gentes transferentes.

Tertiò, duodecim Patriarchæ, filii Jacob, à quibus omnis populus Dei descendebat, præfigurabant hos duodecim fidei Patres; ex quibus omnium est origo fidelium. Gen. 49. 28.

Quartò, duodecim Exploratores, quos Moyses ad terram promissionis destinavit, cujus brevi possessionem debebant capere, figura fuere eorum, quos Christus destinabat in universum orbem, cujus per fidem capturus erat possessionem, juxta illam promissionem: *Dabo tibi Gentes, hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Num. 13. & Deut. 1. 23. Psal. 2. 8.

Quintò, duodecim Stellæ dispositæ in modum coronæ, super caput illius Mulieris, quæ apparuit in Apocalypsi, amicta Sole & Luna, figura erant Apostolorum. Nam illa mulier Ecclesiam repræsentabat, quæ initiis suis mirum splendorem accepit ex sanctitate, doctrina & miraculis Apostolorum; ita ut eam decorarent velut stellæ duodecim splendissimæ. Apoc. 12.

Sextò, duodecim Leones, ab utraque parte sustentantes Thronum Salomonis. Apostoli enim tanquam Leones rugitum dederunt per universum orbem, & ad prædam animarum missi sunt; Ecclesiamque tanquam Thronum Salomonis sustentarunt, & adversus fidei hostes tutari sunt. 3. Reg. 10.

Articulorum 12. figura.

Sicut verò duodenarius numerus est mysticus in Apostolis, ita & in Fidei Articulis.

1. Sunt velut duodecim Panes Propositionis, qui proponuntur cuilibet accedenti ad Tabernaculum Domini, hoc est, ad Ecclesiam Dei. Exod. 25. 30.

2. Sunt velut duodecim Fundamenta spiritualis in anima nostra ædificii, & civitatis Dei, hoc est, Religionis Christi. Apoc. 21.

3. Sicut ex duodecim Lapidibus Altare constructum fuit Deo; ita ex illis duodecim Articulis Altare Fidei Deo in corde nostro construimus, ut illi sacrificemus. Deut. 27. 4. Josue 8. 31.

4. Sunt duodecim Lapides pretiosi, qui erant olim in Rationali Pontificis, ordine dispositi ad pectus ejus, in quibus erat scriptum: *Doctrina & Veritas*. Quia in veste Christi, quæ est Ecclesia, hi duodecim Articuli ordine dispositi elucent, & in Exod. 39. 14.

Digitized by Google

illis compendio continetur omnis Doctrina & Veritas,ſcitu ad ſalutem neceſſaria. Eſt enim hoc Symbolum fidei breve verbum,continens quicquid figuratum eſt in Patriarchis,quicquid in Prophetis prædictum,quicquid denunciatum eſt in Scripturis. vel de Deo ingenito,vel de Verbo,vel de Spiritu Sancto, vel de myſteriis Redemptionis. Imò dixit D.Leo, hoc ſolo Symboli gladio, univerſas hæreticorum opiniones poſſe detruncari.

S. Leo epiſt. 13.

5. De hoc Symbolo intelligi poteſt illud Iſaiæ,ubi Dominus,loquens de Apoſtolis in varias orbis partes dividendis,ait : *Ponam in eis ſignum, & mittam ex eis ad Gentes in mare,in Africam & Lydiam,in Italiam & Græciam,ad Inſulas longè,& ad eos qui non audierunt de me,& adducent omnes fratres veſtros de cunctis Gentibus.* Quod illud ſignum ? 1. vexillum Crucis 2. ſigna Spiritus Sancti, quia Spiritus Sancti ſignati ſunt tanquam Legati Dei. 3. hoc Symbolum, ſignum unitatis fidei. 4. ipſa Charitas, quæ eſt nota & character diſcipulorum Chriſti. Hæc omnia intelligi poſſunt nomine ſigni, de quo ibi Propheta. Unde attende diſtinctionem inter filios Noe diſceſſuros ab invicem,& filios JESU Chriſti: Illi confuſionis ſuæ ſecum ferunt judicium;hi inanimitatis & fidei iſtud conſtituunt Symbolum. Illi turrem ex latere & bitumine fruſtra in cœlum uſque volunt erigere ; hi turrem fidei ex lapidibus vivis erigunt ,contra omnem ventorum impetum conſtantem. Illi meritò linguarum confuſione damnati ſunt , turrim ſuperbiæ ædificantes ; hi turrim fidei conſtruentes, omnium linguarum ſcientia ſunt donati. Sic reprobantur illi,probantur hi,per Spiritus Sancti ſigna,per ſymbolum unitatis,per teſſeram charitatis.

Iſa. 66.19.

PROPOSITIO II.

Articulos Symboli ferè ex eo quo ſunt ordine, hæreſes oppugnarunt.

Articulos omnes fidei oppugnarunt hæretici.

DEclaratur. *Primò*,quia ducentis primis annis primum articulum labefactare conati ſunt diverſi hæretici. Quid enim volebant Simoniani, Menandrini, Baſiliani, Valentiniſtæ, Marcioniſtæ, Manichæi & ſchola Gnoſticorum , quam non eſſe *unum Deum , Patrem omnipotentem , Creatorem cœli & terræ;*

Secundò , poſt annum ducenteſimum diabolus ſuſcitavit hæreſes contra articulum ſecundum, quo Chriſti divinitas explicatur. Indè enim Praxeas,Noetus,Sabellius,item Paulus Samoſatenus.

Tertiò , poſt annum trecenteſimum exiterunt Photinus,Arius & Eunomius,divinam Chriſti perſonam a Patris perſona non diſtinguentes; vel divinam ejus naturam à Patris natura diverſam facientes,& ideò Filium creatum diſputantes.

Quartò , cum in his dæmon nihil proficeret adverſus Eccleſiam,ſuſcitavit novas hæreſes contra articulum tertium & ſimul quartum , quintum , ſextum & ſeptimum. quia inter ſe connexionem quandam habent. Unde poſt annum quadringenteſimum excitavit Neſtorium , & paulò poſt Eutychen & Dioſcorum,& innumerabilem Eutychetis,in minutiſſimas ſectas varie conciſam poſteritatem , qui omnes diverſimodè unum & idem divinæ Incarnationis myſterium, nec non Paſſionis , Reſurrectionis & Adventus ad Judicium,hoc eſt , quinque ſequentes Symboli Apoſtolici articulos , evertere ſtuduerunt. Aliqui enim eorum duas in Chriſto perſonas conſtituentes, unam divinam, alteram humanam , & Chriſtum Deum ab homine ſeparantes , ſolum hominem non etiam Deum eſſe volebant illum , qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine,paſſus,mortuus,ſepultus, quique deinde redivivus in cœlum aſcendiſſe, & ad judicandum reverſurus ab Eccleſia prædicatur. Alii naturas illas divinam & humanam in Chriſto permiſcentes, & unam conflantes ex duabus ; myſteria illa ſalutis noſtræ, Incarnationem,Paſſionem & Reſurrectionem,Aſcenſionem,Adventum ad Judicium,ficta & ſimulata eſſe dicebant.

Quintò,non proficiens dæmon,per has ſuas hæreticorum acies,novum exercitum inſtruxit contra articulum de Spiritu Sancto. Nam circa annum Domini octingenteſimum ſexageſimum, tempore Nicolai I.Pontificis,juxta Bellarminum (quamvis alii, inquit,aliter ſentiant) ortum eſt ſchiſma Græcorum ab Apoſtolica Sede & Eccleſiis Occidentis ; cujus ſchiſmatis fundamentum , eſt error quo Spiritum Sanctum à Filio non procedere pertinaciter contendunt. Licet enim multò ante Macedonius Spiritum S.Deum eſſe , & Theodoretus illum à Filio procedere negarit;tamen illo tempore , adeo in oppugnanda Chriſti divinitate & humanitate ſathan occupabatur , ut articulum fidei qui ad Spiritum S. pertinet , & potiſſimum illam partem quæ de proceſſione eſt à Patre & Filio nonniſi leviter tentaſſe videatur,inquit Bellarminus.

Bellarm. præfat. in controverſias.

Sextò,In his articulis deſtruendis, cum non proficiſſent hæreſes, totam vim ſuam converit ſathan, ad deſtruendos illos qui concernunt Eccleſiam & Sacramenta. Et ita hos duos articulos : *Credo Sanctam Eccleſiam Catholicam,Sanctorum Communionem,Remiſſionem peccatorum,* ſæpè renovatis hæreſibus , per Berengarios,Petrobruſianos,Waldenſes,Albigenſes, Wicleſiſtas,Huſſitas,Lutheranos,Anabaptiſtas,Calvinianos,totius inferni viribus, evertere eſt conatus, & uſque hodie conatur.

Sed quia omnes hi Articuli ſunt lapides fundamentales in lapide primario, qui eſt Chriſtus Jeſus, fundati , nihil adverſus eos omnes vires inferni prævaluerunt, nec prævalebunt. Sed ſicut rupes,fluctus & ſpumas maris tumultuantis immota diſſipat, dum ad ſe alliduntur ; ita & ſtructura fidei , hos impetuoſos fluctus hæreſeon. Ita ut triumphans de omnibus hoſtibus ſuis fides , poſſit meritò Deo gratias agens, canere : *In petra exaltavit me,& nunc exaltabit caput meum ſuper inimicos meos.* Pſ.26.6.

PROPOSITIO III.

Utilis eſt Chriſtiano frequens Symboli hujus recitatio.

Primò

Digitized by Google

Symboli recitationem credam esse utilem. August. lib. 1. de symb. c. 1. Chrysol. serm. 62.

PRimò, quia est speculum fidei nostræ, & ideò debet nostro sæpè objici aspectui. Undè dicit Augustinus, quotidiè recitandum quando surgis, vel ad somnum te collocas: *Vt commemores,* inquit, *fidem tuam, si tibi tanquàm speculum Symbolum tuum, ibi te vide, si credis omnia, quæ te credere confiteris, & gaude quotidiè in fide tua, sint divitiæ tuæ, sint quotidiana ista mentis vestimenta.* Vide Augustinum.

Secundò, B. Chrysologus dicit quotidiè recitandum, ut nemo ininti cum Deo pacti obliviscatur, nec promissionum divinarum & bonorum cœlestium, ad quæ fides Symbolo contenta nos transmittit.

Ambros. lib. 3. de virg.

Tertiò, valet contra impugnationes mundi & diaboli, tanquam scutum. Undè D. Ambrosius hortatur sororem suam, ut recitet illud manè & vesperi, & quandocunque horror aliquis animum ejus concutit. Imò dicit esse clavem, qua diaboli tenebræ reserantur, ut lux Christi adveniat.

Ambros. serm. 38. Chrysost. homil. 1. in Symb.

Quartò, valet ad omne bonum spirituale. Undè Chrysost. omnes simul utilitates colligens, dicit: *Regularis ista doctrina, credentes confirmat, proficientes adjuvat, consolatur vastores, confortat perseverantes, coronat pervenientes.* Juvat ergò hoc Symbolum, non solum ad fidei nostræ, sed & ad spei ac gratiæ omnis spiritualis incrementum. Undè de illo videtur loqui Apostolus, dum hortatur Hebræos his verbis: *Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem.* Hoc si aliqui interpretantur: Illam fidei professionem, quam fecimus Symbolum recitantes, dum Baptismum recipimus, qua professi sumus nos in Christum credere, & per illum vitam æternam sperare. Illam, inquam, confessionem teneamus firmam & inconcussam, non obstantibus omnibus persecutionibus. Hæc sit anchora nostra, in mediis undis & fluctibus in nos insurgentibus.

Hebr. 10: 23.

Exempl. sur. 29. April.

Hanc fidei confessionem, & hoc Symbolum, tanquam anchoram firmam sibi proposuit a puentia usque ad ultimum vitæ suæ momentum, D. Petrus Martyr; tanquam scutum sibi elegit, quo protegeretur & pugnaret contra omnes hæreses. Ille enim, licet natu parentibus Manichæis, tamen ab infantia fidei defensor fuit. Cum enim septennis scholas frequentaret, Symbolum fidei adeò memoriæ & cordi impressit, ut totâ vitâ ei profuerit. Cum semel a scholis rediens, patre hæretico occurreret, & ille interrogaret, quid ibi didicisset, statim hoc Symbolum recitavit, nec ullis minis, aut blanditiis, ab ejus professione potuit dimoveri. Jam tunc in pueritia elucescebat speciale donum fidei & gratiæ, qua hæreticis revincendis prævalere debebat: quod postea clarè patuit in concionibus & colloquiis, quibus multi permoti, hæresim abjurârunt. Hæc fidei professio, adeò firmè insederat animo ejus, ut assiduè Deum precaretur, pro hac martyrium subire, quod ei post a Domino est donatum. Nam cum Inquisitoris fidei munere fungeretur, hæretici in ejus necem conspirarunt, quam ipse concionando paulò ante prædixerat; ita ut pretio inductus quidam sicarius, in via Mediolanensi, eum gladio in capite semel & iterum vulneràrit; jamque penè exanimis, *Symbolum Fidei* toto spiritu pronunciabat, & digitum sanguine ejo tingens, conabatur hæc verba scribere: *Credo in Deum Patrem.* Iterum ergò latera transverberatus, ad martyrii palmam evolavit. Symbolum nostrum, ultima ejus oratio fuit, quâ fidem profiteretur, quam adeò fortiter ab ineunte ætate cordi impresserat; quâ etiam fidei virtute, ab omni peccato mortali se totâ vitâ immunem servarat. Undè & per illam, adeptus est repromissionem, & vitam illam æternam, quam ultimo Articulo est professus.

Surius tom. 5. 14. Octob. in Arethæ.

Discant hoc exemplo Parentes, & Magistri, & Pastores, & quilibet puerorum curam habentes, sedulò pueros in hac Fidei professione & Symboli recitatione instruere, cum aliqua saltem confusa intelligentia articulorum ejus: mirè enim hæc institutio pueris prodest, etiam ad amorem, timorem Dei imprimendum. Neque se excusent super puerorum tenerâ ætate & incapacitate: nam etiam pueri in infima ætate instructi, ad respondendum tyrannis, & ad martyrium pro fidei confessione, capaces sunt reperti.

Hac de re scribit Metaphrastes tempore Justini Imper. regnasse in Arabia Judæum Dunaam, Christianorum persecutorem; fuisseque apud eum captivam mulierem Christianam, quæ se & filium quinquennem sanguine Martyrum aspersérat. Separabatur à matre puer, illaque jamjam comburenda stipiti alligatur: puer autem undequaque circumspiciens, cum matrem non videret, Regem accedit in sublimi solio residentem, eique cum lachrymis advolutus, matrem requirit. Quem Rex in genua sua subjectum rogat: *An non mallet sibi adesse, quàm matri?* Ille respondet: *Adesse matri volo, rogo dimitti eam, ut me secum ad martyrium ducat, quò me sapiès incitavit:* Quærit Rex: *Quid sit martyrium?* Ait puer: *Mori pro Christo, & vivere in futuro.* Rex miratus, quærit: *Quis est iste Christus?* Tum puer: *Veni ad templum, eumq; tibi monstrabo,* imagines significans, quæ jam olim in Catholicorum templis conservabantur. Videns deindè ex sublimi, matrem stipiti alligatam, exclamat: *Dimitte me, dimitte me, matri adesse volo.* Quærit Rex: *Cur ergò sine matre accessisti ad me? Mane hic & dabimus tibi quicquid velis, pira poma cerasa.* Respondet puer: *Nolo. Accessi ad te, Christianum te putans, pro matre deprecaturus; sed quia Judæum te video, nolo tua munera, ad matrem me dimitte.* Erant, qui persuaderent, ut puer Reginæ fateretur, quod matri similior foret, utpotè fœmina. Puer verò videns jam accendi ignem circà matrem, regium femur momordit, ita ut Rex puerum à se ejectum, Senatori commendaret ritu Judaico educandum. Ille verò cum abduceretur, ductorem subterfugiens, ad matrem per flammas accurrit, eamque amplexus simul comburitur cum ea: suo exemplo parentes monens, quam utilis sit pueris fidelis institutio, & exemplum.

Digitized by Google

Ut ergò concludam. Practicè unicuique conſulendum eſt, ut ſymbolum Fidei ter in die repetat; nam & Judæi dicuntur ter in die profeſſionem fidei recitare, quæ incipit: *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus unus eſt*. Sed & ita debent facere Chriſtiani ter, ob gloriam Trinitatis, & fidem, quam noſtra profeſſio continet. Undè notat D. Thomas, ter in Eccleſia recitari, in Matutinis. Prima & Completorio; *quaſi contra tenebras errorum præſentium, præteritorum & futurorum*. Occultè verò recitari, quia fide nondum publicata perſecutionis tempore editum fuit. In Miſſa verò palàm cantari, Patrum Symbolum quia fide jam manifeſtata, Eccleſiaque pacem habente, ſub Imperatoribus fidelibus conditum fuit.

D. Thō. 2.2. q. 1. art. 9.

Symboli Articulos neceſſe eſt, ut quilibet fidelis ſcias & credat.

Quærunt Theologi, an neceſſarium ſit quemlibet ſcire Articulos contentos in Symbolo? Nota, aliqua eſſe neceſſaria *neceſſitate medii*, aliqua *neceſſitate præcepti*. Illud dicitur neceſſarium neceſſitate medii, ſine quo nullo modo poteſt quis ſalvari, licet ſine culpa ſua illud abeſſet. Sic neceſſaria eſt Fides. Undè infidelis, licet nunquam inſtructus fuiſſet, non poteſt tamen ſine fide ſalvari. Illud dicitur neceſſarium neceſſitate præcepti, quia præceptum eſt. Undè ſi ſine tua culpa abſit, poterit ſine illo ſalvari. Sic neceſſaria eſt Euchariſtia.

Reſpondeo ergò neceſſarium eſſe neceſſitate præcepti, ut fidelis quilibet ſciat & credat explicitè Articulos in Symbolo contentos, maximè quæ ad humanitatem & divinitatem pertinent. Et communis ſententia docet, ignorare illos, eſſe peccatum mortale. Debent autem ſcire, non perfectè, ſed rudi aliquâ intelligentiâ pro ſuo captu: poteſt enim dici explicitè ſcire, licet ſciat quis non adeò diſtincta notitia, ſed confuſa. Neq; etiam puto mortale, ſi ea verbotenus & memoriter non teneant ſuo ordine; ſufficit quod rem ipſam & ſubſtantiam Articulorum aliquo modo ſciant. Quidnam autem ſit de ſubſtantia in ſingulis Articulis: Vide Carechiſtam Leodienſem, ſive librum de modo tradendi doctrinam Chriſtianam.

Non ſufficit verò latinè ſcire hos Articulos, ſed vernaculè, cum aliqua intelligentia & apprehenſione Myſteriorum, pro captu cujuſque. Undè, *Magnum eſt*, inquit Emanuel Sà, *abuſus Paſtorum, qui contenti docuiſſe Symbolum Latinè, non explicant rudibus myſteria fidei. Va Paſtoribus, va Epiſcopis, va Prælatis*, inquit ipſe. Utique non ſufficit panem præbere parvulis, ſed frangendus eſt, ſed comminuendus, manducandus, & in fauces inferendus: hoc eſt, ſimplices ſunt inſtruendi verbis facilibus in fidei rudimētis, *docendo eos elementa exordii ſermonum Dei. Si enim*, inquit Auguſtinus, *Æternus Pater, ut verbum ſuum æternum captui noſtro coaptaret, & uſibus hominum adduceret; deſcivit adeò, ut carne & corpore degeneri ſe veſtiret. cur pigeat Doctorem & Magiſtrum verba & conceptus mentis ſuæ deponere, & vulgaribus abjectisq; vocibus ſubjicere, ut rudium auditorum captum non ſuperent?* Ignorant multi, Paſtorum negligentia, qui dedignantur hanc humilem inſtructionem, quam Paulus & Apoſtoli, & inſignes Eccleſiæ viri non refugerunt.

Eman. Sà, Verbo Parochus.

Heb. 5. 12. Auguſt. lib. de Cath. rudib.

Joannes Gerſon Cancellarius hoc munus obibat ergà pueros; cumque aliqui indignum id Cancellario murmurarent: Condemnat, inquit, illos exemplum Chriſti: *Sinite parvulos ad me venire. O bone Jeſu, quis ultrà verecundabitur eſſe humilis ad parvulos, quando tu uſque ad caſtiſſimos puerorum amplexus te inclinas? Abſit, ut indignum ſit parvulorum animas plantare & rigare. Venite ergò parvuli ad me, ego doctrinam vobis, vos orationem impendetis, ſic Angelos noſtros lætificabimus*. Ita ille.

Exempl. Gerſ. l. de trahendis ad Chriſtum pueris.

Facilis inſtructio, longè eſt fructuoſior altioribus & involutis ſermonibus, ac concionibus: quod indicatum videtur in Canticis: *Meliora ſunt ubera tua vino*. Ubera Chriſti, continent lac doctrinæ illius facilis & ſalutaris, illamque exprimunt; Vinum verò, ſunt altiora illa myſteria, ad quæ quilibet non eſt capax, ſicut nec ad vinu uſum ob cerebri debilitatem. Fructuoſius ergò erit, ex uberibus Chriſti & Eccleſiæ, lac pro parvulis diducere. Illa ubera optima ſunt. *& fragrantia, & unguentum odoriferum*.

Cant. 1. 2.

Cant. 1. 2.

Reſpondeo 1. Communior ſententia eſt, neceſſitate medii neceſſarium eſſe ſcire explicitè myſterium Trinitatis & Incarnationis. Hoc tamen in praxi habet difficultatem, quia magna pars Ruſticorum, etiam poſt inſtructionem, dum ad Confeſſarios accedunt, illa ignorant; ſaltem explicita ſcientia, & vix ſufficienter de illis reſpondent. Tam facilè enim reſpondebunt tres eſſe Deos, & unam perſonam, quam contra: nec valent naturam aut perſonas, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, tanquam tres homines concipere, & tria corpora. De Patre, ſi interroges eos, tibi reſpondebunt eſſe hominem: & poſt multam inculcationem, adhuc in his vel ignorant, vel errant: ut propterea mihi judicetur valdè probabilis ſententia, quæ dicit implicitam ſolum fidem & ſcientiam de his myſteriis eſſe neceſſariam neceſſitate medii. Nam & eam tenent Theologi. Apta verò eſt diſtinctio Sanchez de hac re, quæ diſtinguit ſcire explicitè, & explicitè credere. Explicitè ſcit, qui interrogatus, rationem ſcit reddere, Explicitè credit, qui rei auditæ aſſentitur. Ad explicitè ſciendum, neceſſitate præcepti tenentur etiam rudes: at, ab hac ſcientia, ingenii tarditas (ſi ſcientiam hujuſmodi ferè impoſſibilem efficiat) eos excuſabit; ſed non excuſabit ab explicitè credendo ea, quæ neceſſitate medii credenda ſunt. Sufficit autem, ſi Confeſſario, aut alio narrante & explicante eos articulos, quos neceſſitate medii credere opus eſt, illorum fidem credendo concipiant. Explicitè enim credere, inquit Sanchez eſt rei, quam quis audivit, aſſentiri. Et ſic myſterium Trinitatis & Incarnationis audientes à Confeſſario, vel alio docente, credunt rudes quilibet, licet non ita allequantur.

D. Thō. & ſequaces, Scot. & alii.

Scotus in 4. diſt. 5. Vega in Trid. Med. de fide c. 6. Sanchez in opere mor. lib. 2. c. 2. n. 8. 9. 10.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS II.

EXPLICATIO PRIMÆ PARTIS SYMBOLI.

LECTIO I.
DE DEO.

1. *Decet naturaliter cognosci Deum esse*
2. *Non posse cognosci à nobis quid sit.*
3. *Explicat aliqua attributa divina.*

PROPOSITIO. I.

Deum esse, naturali lumine potest homo cognoscere.

Deum esse potest homo cognoscere naturaliter ex effectis Dei in creaturis. Augustin. l. 1. soliloq. c. 31. & l. 10. conf. c. 6.

RAtio est, quia ex creaturis potest usque ad Dei Creatoris notitiam pervenire. Quid enim aliud est visibilis creatura, nisi scala quædam, per quam usque ad Dei cognitionem ascendimus? & quot creaturæ, tot sunt gradus hujus scalæ.

Ascendebat per illam Augustinus, cùm dicit: *Circuibam omnia, Domine, quærens te: Interrogavi terram, si esset Deus meus; dixit mihi quod non, & omnia quæ in ea sunt, hoc idem confessa sunt. Interrogavi mare & abyssos & reptilia quæ in eis sunt, & responderunt, non sumus Deus tuus, quære super nos eum. Interrogavi flabilem aerem, & inquit aer, cum omnibus suis incolis, fallitur Anaximenes, non sum ego Deus tuus. Interrogavi Cœlum, Solem, Lunam, Stellas, neq; nos sumus Deus tuus, inquiunt. Et dixi omnibus his: dixistis mihi, quod vos non estis Deus meus: ut dicite mihi aliquid de illo. Et clamaverunt omnes voce grandi: Ipse fecit nos. Interrogatio creaturarum, est; recognita consideratio ipsarum: responsio earum est attestatio ipsarum de Deo, quia omnes clamant: Deus nos fecit. Quoniam, ut ait Apostolus. Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, à creatura mundi intellecta conspiciuntur.* Ita Augustin.

Rom. 1. 20.

Mundus est quasi liber explicatus, in quo quivis legere potest Dei attributa.

Est ergò mundi moles velut liber expansus, propositus omnium oculis, in quo Dei excellentiam, potentiam, sapientiam, potest legere doctus & indoctus, Græcus & Barbarus, Iudus & Ægyptius. Cœlorum enim lingua Deum omnibus annunciat, & nullum est idioma, quod non exprimatur vocibus Cœlorum; quia omnes vident excellentiam Cœli, & possunt venire in notitiam Dei. Et hæc prædicatio & enarratio gloriæ Dei, fit sive intermissione de die & nocte. De die per solis pulchritudinem, de nocte per stellarum lucem; nox & dies quasi chori duo, alternatim prædicant Dei gloriam. Hoc asserit Psaltes, dum dicit: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* q.d. Unus dies peracto cursu & prædicatione, tradit diei sequenti verbum prædicationis & laudis divinæ: & nox peracto cursu, & quasi hymno cantato, tradit nocti sequenti munus canendi, & scientiam laudandi. Sicq; jugiter dies & noctes, quasi choreas ducunt, & laudes Dei canunt Creatoris.

Psal. 18. 3.

Lege ergò sedulò in hoc libro expanso, & attentè considera tot stellas, tot faces, & luminaria tanti luminis, tantæ pulchritudinis, celsitudinis, magnitudinis: quæ spacio jam quinque millium annorum, nec; extincta sunt, nec consumpta, nec diminuta, indicibili sese velocitate volventia, & semper cursu uniformi, ut non errent vel momento, à suo cursu ordinario. Nunquid omnia hæc, Characteres Dei sunt, in illo grandi libro suo exarari, notitiam & excellentiã ejus omnibus legere & advertere volentibus significantes. In hoc ergò mundi libro legentes non debemus esse imitar puerorum, qui literas pictas vel aureas in codice videntes ibi commorantur; nos enim debemus ab ea, quæ significantur per literas & characteres hujus libri, sivè per Creaturas, animũ intendere.

Sicut enim, qui speculo aut perspicills utuntur, non ideò utuntur, ut ib. immorentur; sed ut ulterius videre possint alia objecta: Ita creaturarũ contemplatione uti debemus, non ut ibi inmoremur; sed ut per eas, ad Potentiæ, Bonitatis, Sapientiæ divinæ contemplationẽ & amorem gradiamur. Nempè hæc est differentia hujus & alterius vitæ: Ibi videbimus creaturas in Creatore; nunc autem videre debemus Creatorem in creaturis suis. Ibi Deus & essentia divina erit nobis speculum voluntariũ; ut loquuntur Theologi, nobis repræsentans creaturas; nunc creatura est speculum naturale repræsentans creatorem.

1. Ad hoc speculum, ad hunc librum nos mittit Apostolus, dum dicit: *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Rom. 1. 20.

2. Mittit & illuc Sapiens omnes insipientes; dum dicit: *A magnitudine speciei & creatura, cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Sap. 13. 5.

3. Ad illum etiam librum & speculum mittebat mater Machabæorum filium suum adolescentiorem, ut illum in fide Dei formaret, pro qua mors etiam imminebat: *Peto, Nate, ut aspicias cœlum &* 2. Mach. 7. 28.

Digitized by Google

terram, & ad omnia quæ in eis ſunt. & intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus: ita fiat, ut non timeas carnificem iſtum, ſed dignus fratribus tuis effectus, ſuſcipe mortem, ut in illa miſeratione cum fratribus tuis te recipiam.

In Vitis PP. lib. 6.

4. Denique hic eſt liber, quem ſæpè volvebat & revolvebat D. Antonius, qui interrogatus quomodò ſine libris in deſerto viveret, reſpondit: *Naturam rerum creatarum ſibi librum eſſe, in quo Dei excellentiam poſſet legere, quia ibi ſeipſum Deus ad virum deputaverat & expreſſerat.* Hæc concludendo, adjicio. Quandoquidem quot in orbe ſunt creaturæ, tot veluti ſunt radii ſolis illius divini; cæcus eſt, qui in tot radiis, Solem illum æternum non agnoſcit. Quandoquidem tot creaturæ, tot ſint & voces inclamantes; ſurdus eſt, qui earum clamore non excitatur ad eum cognoſcendum; mutus eſt, qui vocem non aperit ad eum laudandum. Denique cum ſingulæ creaturæ ſunt effectus, indicia & teſtimonia, bonitatem, nobilitatem, gloriam divinam, manifeſtè demonſtrantia; inſenſibilis eſt, qui eum non amat, nec cognoſcit. Sed ſcire nos oportet, quod ſicut nunc creaturæ calcar ſunt & ſtimuli divini amoris; ita tandem erunt judices ingratitudinis noſtræ, & ultores. *Armabit enim Deus creaturam contrà inſenſatos.*

Sap. 5. 18.

PROPOSITIO II.

Quid ſit Deus, à nobis neque poteſt perfectè intelligi, nec ſatis declarari.

Quid ſit Deus, nec intelligi, nec ſatis declarari poteſt. Aug. in Pſal. 25.

HInc eſt, quod facilius dicamus, quid non ſit, quam quid ſit, inquit Auguſtinus, quia ineffabilis eſt. *Terram cogitas*, inquit, *non eſt hoc Deus; mare cogitas, non eſt hoc Deus; omnia quæ ſunt in terra, in mari, aut quæ volant per aerem, homines & animalia non eſt hoc Deus. Quicquid lucet in cælo, ſtellæ, ſol, luna, ipſum cælum, non eſt hoc Deus. Angelos cogita, Virtutes, Poteſtates, Archangelos, Thronos, non eſt hoc Deus.* Et quid ergò eſt? ſolum potui dicere, quid non ſit. Quæris quid ſit? *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit. Quid quæris, ut aſcendat in linguam, quod in cor hominis non aſcendit?* Hæc Auguſtinus.

Auguſt. ſoliloq. c. 31.

Ipſe quoque in ſoliloquiis, oſtendit Deum non eſſe corporeum, ut multi cum concipiunt homines rudes. *Miſi*, inquit, *nuncios meos, omnes ſenſus exteriores, ut te quærerem, & non inveni, quia malè quærebam non enim ſpeciem corporis, non candorem lucis, non colorem, non cantum melodiarum, non odorem aut ſaporē, nec omnia alia huiuſmodi ſubjecta quæro, cùm Deum meum quæro. Abſit, ut iſta crediderim Deum meum, quæ à brutalium ſenſibus comprehenduntur.* Ut tamen homo altiora & ſublimiora de Deo cogitet, & ut oſtendat, quomodò Deus omnia, quæ cogitare poſſumus tranſcendat, ſubdit Auguſtinus: *Et tamen cùm Deum meum quæro, quæro quandam lucem ſuper omnem lucem, quam non capit oculus quendam vocem ſuper omnem vocem, quam non capit auris: quendam odorem ſuper omnem odorem, quem non capit naris: quendam dulcorem ſuper omnem dulcorem, quem non capit tactus. Iſta lex fulget, ubi locus non capit. Iſta vox ſonat, ubi ſpiritus non capit. Odor iſte redolet, ubi flatus non ſpargit. Sapor iſte ſapit, ubi non eſt edacitas. Dulcor & amplexus iſte tangitur, ubi non devellitur:* Hic eſt Deus meus, & non æſtimabitur alius ad illum. Hoc quæro, cùm Deum meum quæro, hoc amo, cùm Deum meum amo. Ita Auguſtinus.

Licèt verò non poſſit à nobis ſatis intelligi, quid ſit Deus; tamen docendus populus rudis, ut non concipiat Deum, tanquam quid materiale, aut perſonam corpoream, ut ſolet, ſed tanquam naturam & eſſentiam ſpiritualem, infinitam, incomprehenſibilem, immenſam, infinitæ perfectionis, potentiæ, bonitatis, ſapientiæ, quæ ſemper fuit, eſt, & erit, quæ omnia regit. *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia:* Hic eſt Deus. Prophetæ tamen, ſub ſymbolis rerum corporalium, aliqua nobis delinearunt de Deo, ut rudis noſter intellectus, per ſimilitudines corporalium, ad ſpiritualia & divina poſſet aſſurgere. Sic loquuntur de brachiis, pedibus, oculis Dei, non quod hæc in Deo ſint, ſed quod in Deo aliqua ſignificent. Si ergò velis conſiderare, quæ in Deo ſunt, ſub ſymbolo partium aut membrorum quæ ſunt in homine, ſic dicere potero. 1. Caput ejus aureum, eſt divinitas. 2. Facies ejus, æterna Charitas. 3. Duo oculi ſunt intellectus & providentia. 4. Os ejus, eſt æterna ſapientia. 5. Capilli, ſunt Angeli. 6. Duo labia, duo teſtamenta. 7. Duo brachia, fortitudo & potentia. 8. Duo ubera, bonitas & clementia. 9. Cor ejus, ardens charitas. 10. Duæ tibiæ ac pedes, miſericordia & juſtitia. 11. Magnitudo ejus, eſt immenſitas. 12. Vita, eſt immortalitas. 13. Ætas ejus, eſt Æternitas. Ecce ſub ſimilitudine membrorum corporalium, repræſentantur tibi attributa Dei.

Cum verò Deus ſæpè in Scripturis ſub titulo Regis deſcribatur, ut hoc ſpiritualiter poſſis intelligere, illum tibi exhibeo ſub Regis ſpecie, donec plenius intelligas, *cum videbunt oculi tui Regem illum in decore ſuo.* Habet ergò ejus regia majeſtas pro decore & pulchritudine, æternam ſuam claritatem, omni oculo inacceſſibilem. Habet pro purpura & regio pallio, immortalitatem: Pro throno, immutabilitatem: Pro Diademate, gloriam: Pro ſceptro, potentiam: Pro Regni terminis, immenſitatem: Pro Regni habilitate, Æternitatem: pro opibus, ipſam felicitatem: Pro miniſtris angelicam creaturam: Omnes animas beatas, pro ſubditis: Pro ſcabello pedum, cœlum & terram. Iſa. 33. 17.

O dies fœlix, & omnibus hujus mundi tormentis emi dignus, cum videbunt oculi noſtri Regem in decore ſuo! Neque enim rudis noſter penicillus, vel minimam partem pulchritudinis & ſplendoris ejus, poteſt delineare; quia pulchritudo omnium creaturarum, ſivè quæ in cœlo relucet, ſtellis, ſole, luna, ſivè quæ in hominibus ſimul ſumptis; ſivè quæ in omnibus Angelorum choris, non eſt niſi ſcintilla unica divinæ pulchritudinis. Ad illam pulchritudinem aſpirare nos docebat Auguſtinus.

Digitized by Google

stinus,dicens : *Da Domine Deus,Plasmator meus cordi meo te desiderare,desiderando te quærere, quærendo in venire:inveniendo amare, amando mala mea redimere redempta non iterare.* Et sæpius ipse exclamat: *Serò te amavi,pulchritudo tam antiqua & tam nova, serò te amavi : Ve tempori illi, quando non amavi te! mecum eras,& tecum non eram ; tu intus eras, & ego foris & ibi te quærebam, & in ista formosa quæ fecisti, ego deformis irruebam.*

Ut verò de Deo possumus aliquid concipere juxta nostri intellectus capacitatem,aliquas ejus perfectiones & attributa hic specialiter conabimur explicare.

ÆTERNITAS DEI.

Deus est æternus,quia semper fuit,semper erit, semper est.

Deus est æternus.

IMò necessariò & essentialiter est,sine principio aut fine sui esse;nec propriè habet præteritum aut futurum,sed habet unum continuum præsens & idem esse.Hinc cum Moyses interrogaret nomen Dei, dicit : *Ego sum qui sum,*dicesque filiis Israel:*Qui est,misit me ad vos.* Non ergo senescit,non crescit, non diminuitur, non mutatur in ætate, sed sicut erat in principio,& nunc & semper, & in sæcula sæculorum idem ipse est.*Ego Deus,*inquit,*& non mutor.* Immò adeò ab omni mutatione alienus est, ut nec umbra quidem mutationis eum possit attingere. Unde dicitur quod in eo *nec vicissitudinis obumbratio est.*

Exod. 3. 14.

Mal.3.6.

Jac.1.17.

Solus habet hoc esse permanens & immutabile, quia totus mundus mutabitur, saltem quoad exteriorem figuram. At Deus quia æternus est,nec tempori est subjectus,nec alterationis ullius capax. Unde de cœlis dicit Psaltes : *Ipsi peribunt & mutabuntur, tu autem idem ipse es,& anni tui non deficient.* Soli ipsi convenit hoc nomen. *Qui est*, quia soli illi impossibile est non esse, & solus habet esse à se esse independens esse necessarium; à quo omnia alia sic dependent,ut sine illo in nihilum redeant. Idcò dixit Apostolus de Deo : *Qui solus habet immortalitatem;* quia solus habet naturaliter & essentialiter non posse mori aut deficere.

Ps.101. 27.

1.Tim. 6. 16.

Magist.in 2.sent. dist. 9.

Hanc tamen immortalitatem ex benignitate sua voluit Beatis communicare. Unde Magister,& Theologi,loquentes de homine secundum diversos status, hanc distinctionem subtilem proponunt. Dicunt enim:*Homo in statu innocentiæ, habebat posse mori,& posse non mori:at postea è Paradiso ejectus, habebat posse mori, & non posse non mori : Beati autem habent posse non mori, & non posse mori, at reprobi habent non posse mori,& non posse non mori.*

Ex his collige soli Deo propriè convenire Æternum denominari ; omnia enim quæ sunt, in triplici sunt differentia. Aliqua habent principium & finem. Sic sunt plurimæ res creatæ morti & interitui subjectæ. Alia habent principium,sed sine fine. Sic sunt Angeli & animæ, & corpora nostra post resurrectionem,& hæc dicuntur Æviterna. Aliæ nec habent principium nec finem ; & de hoc ordine est solus Deus.

Considera ergo millia millium annorum antequam mundus foret,Deus jam erat. Concipe tot millia quot potes,adhuc infinita restant,quibus erat,quibus erit,vel potius quibus est, nam ejus duratio est unum continuum præsens, non transit in præteritum. Ex cùm conceperit tot millia quot possibile foret concipi,nondum ejus est finis, necdum medium, necdum principium. Illi ergo ex affectu cantemus illud Canticum quatuor animalium, *Sanctus, Sanctus,Sanctus,Deus omnipotens,qui est, & qui erat, & qui venturus est* Hoc idem canticum cantantes Seraphim apud Isaiam, duabus alis velebant faciem ejus,& duabus pedes ejus, ut indicarent ipsum non habere principium aut finem, sed esse principium sine principio, finem sine fine; ex quo omnia,per quem omnia, in quo omnia,ad quem omnia. Libet ergo concludere cum Augustino : *O æterna Veritas & vera Charitas, & chara Æternitas, tu es Deus meus, ad te suspiro nocte & die,tibi inundo, ad te pervenire desidero.qui novit te,novit veritatem,novit Æternitatem.*

Apoc. 4.8 Isa.6.2.

Medit. cap.25.

IMMENSITAS DEI.

Deus est Immensus, quia ubique est per essentiam, præsentiam, potentiam.

Deus est immensus quia est ubique.

PRimò. Dicitur ubique esse per essentiam ; quia verè & realiter omnibus adest rebus ejus essentia,tanquam causa essendi ; ita ut intimius in omnibus rebus sit,quam anima in corpore, *quia in ipso vivimus,movemur,& sumus.* Hinc & aliqui eum animam mundi vocaverunt, propter similes effectus, quos in mundo producit,conservans,movens, vivificans,rebus omnibus dans esse. Et sicut anima est tota in toto corpore, & tota in qualibet parte : ita Deus totus est per essentiam suam in toto mundo, & totus in qualibet re mundi ; quamvis alligatus non sit illis,ut anima, forma corporis,

Act.17,28

Secundò,per præsentiam dicitur ubique esse, quia omnia sunt in conspectu ejus præsentia, *omnia nuda & aperta oculis ejus.* Est ergo omnibus rebus præsens,tanquã attentè illa considerans, non dormiens, non soporatus,non distractus, ut accidit hominibus,

Heb 4.13.

Tertiò,ubique dicitur esse per potentiam, quia omnia potestati ejus sunt subjecta,& in omnibus affectus potentiæ ejus relucent. Sic aliquando dicitur Rex esse in toto regno, scilicet per suam potentiam, licet non sit ubique præsens.

Immensus ergò est Deus, qui cœlum & terram implet,& omnia quæ in eis sunt : in cœlis ostendens gloriam,in terris potentiam, in infernis justitiam ; possidens, regens, implens omnia quæ creavit ; non tamen sic ut ipsa contineant eum, sed contineantur ab eo. Sic enim implet totum mundum, ut infinitos adhuc mundos à se creabiles implere possit. Et quod de facto implet,non est nisi punctum

Digitized by

punctum respectu ejus quod implere potest, non enim aliquo ambitu concludi potest, sed super cœlos, per immensa illa spatia in immensum se porrigit ejus immensitas.

Job.c.11.8 Hinc B. Job dicebat: *Excelsior cœlo est, & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? Longior terra mensura ejus, & latior mari*, q.d. Vix homo aliquid cogitat excelsius cœlo, longius terra, profundius inferno: & hæc tamen omnia punctum sunt respectu Dei & immensitatis ejus. Ad quam scripturam alludens Bernardus dicebat: *Essentia divina cum res una sit, est tamen longitudo propter Æternitatem, latitudo propter Omnipotentiam, & Charitatem, sublimitas propter Majestatem, propter Sapientiam.* Hæ sunt quatuor dimensiones ejus, hæc quadriga & currus Dei est.

S.Bern.l.5 de Consid ad Eugen.

S.Greg. De hac immensitate loquens Gregorius dicit: *Deus manet intra omnia, extra omnia, & infra omnia, & supra omnia. Superior est per potentiam, inferior est per sustentationem, exterior est per magnitudinem, ulterior est per subtilitatem, sursum regens, deorsum continens, extra circumdans, exterius penetrans.*

De hac quoq; immensitate in persona peccatoris dicit Psalmus: *Quò ibo à spiritu tuo? & quò fugiam: Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris, illuc manus tua deducet me & tenebit me dextera tua.* Si ergo offendero te, non evadam, *neque ab Occidente, neque à desertis montibus: quoniam Judex es*, ubique præsens, & punire potens. Elongans se utique homo à Deo per peccatum, quantò longius recedit gravius peccando, tantò magis appropinquat ad eum; recedens enim ab eo ut Patre, accedit ad eum ut Judicem. Nonne qui se elongat ab Oriente, appropinquat ad Occidentem? Et qui ab Austro recedit, nonne accedit ad Aquilonem: Oriens & Occidens in Deo, sunt misericordia & justitia; Auster & Aquilo, sunt gratia & potentia. Elongans ergo se a misericordia, accedit ad justitiam; elongans se à Dei gratia, appropinquat ad potentiam. Patuit in Jona, qui fugiens Deum præcipientem, invenit Deum punientem. Qui vult ergo redire ad Deum, debet redire à Deo ad Deum; ab eo irato ad ipsum placatum; ab ipso puniente ad ipsum misereutem: à Deo ut Judice, ad Deum ut Patrem.

Ps. 138. 7.

Ps. 47. 7.

Jonæ c. 13.

Si homo hominem offenderit, vel subditus Regem, habet quo fugiat; sed si Deum, non est locus ubi se a furore ejus abscondat. Immò statim à peccato, ejus cervici ultor divinus incumbit mucro, nisi supplex ad eum redeat: statimque Deus eum, conscientia interius rodente, flagellat, quam ipse quocumque se vertat, semper necesse est circumferat. Fugiebat Jonas a facie Domini, & statim Cœlum, Mare, venti, iram suam in eum effundunt: mox verò ipse intelligit, Deo interius per conscientiam eum arguente, id fieri ob peccatum suum. Fugit Agar à domo Abrahæ, & statim sequitur Deus ut Judex interrogans: *Unde venis? & quò vadis?* *Revertere ad dominam tuam & humiliare sub manu illius*: locum illum ubi per Angelum Deus illam est allocutus, vocavit *Puteum viventis & videntis me*, & nomen Domini qui alloquebatur, vocavit: *Tu Deus qui vidisti me.* Figura erat animæ à domo Dei & gratia ejus fugientis, quæ statim illum increpantem reperit, quia ubique est; in ipso est itinere, per quod fugit. Dicit anima adultera apud Oseum: *Deseram virum meum, vadam post amatores meos*: & dicit ei Deus, ejus vir & sponsus, sequar aut præcedam te quocumque, & *sepiam viam tuam spinis*, & semitas suas non invenies, ita ut cogaris ad me reverti. Hæ spinæ sunt afflictiones animam vulnerantes, statim ac deserit Deum: hæ spinæ sunt remorsus conscientiam pungentes, ut anima Deum Judicem, ubique præsentem agnoscat, & ad eum ut sponsum redeat: hæ spinæ sunt de quibus Propheta: *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.*

Jonæ c. 1.

Gen. 16. 8.

Osc. 2. 5.

Deus licet ubique sit, specialiter dicitur tamen esse in aliquibus locis.

Hæc omnia confirmant præsentiam & potentiam Dei, in omni loco, ac ejus immensitatem. Sed licet ubique sit, specialiter tamen dicitur esse, & habitare in aliquibus locis, ob speciales effectus suæ ibi præsentiæ.

Primò dicitur habitare in cœlis, quia specialissimè ibi gloriam suam manifestat, ibi populus ejus electus, in quo regnat. Unde cœlestis Jerusalem vocatur tabernaculum aut domus Dei.

Secundò dicitur specialiter esse in aliquibus terræ locis, quia specialia signa suæ præsentiæ ibi est operans. Sic Jacob videns in loco ubi dormierat, scalam illam admirabilem, cui Dominus erat innixus, quam & Angeli ascendebant, dixit: *Vere Deus est in loco isto, hic domus Dei est.* Sic eum dicimus specialiter esse in Templis & Oratoriis consecratis, & ad orationem destinatis, aut miraculis illustratis.

Tertiò specialiter dicitur esse in justis per gratiam, operans in illis opera supernaturalia digna æternæ vitæ: *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo.* Hinc etiam de anima justi dicitur, *Templum Dei sanctum est*; ibi per præsentiam suam producit, lumen, pacem, gaudium, fiduciam, specialiaque alia dona, quæ sunt pignus æternæ fœlicitatis.

Joa. 4. 16. Cor. 3. 17.

Quartò, Deus in omnibus rebus est, sed diversis modis. Deus est in seipso; sicut Alpha & Omega: in mundo, sicut Rector & Author: in Angelis, sicut sapor & decor: in Ecclesia, sicut Paterfamilias in domo in anima, sicut Sponsus in thalamo: injustis, sicut Adjutor & Protector: in reprobis, sicut pavor & horror.

FRUCTUS PRÆSENTIÆ DEI.

Cogitatio frequens præsentiæ Dei, triplicem in nobis fructum parit & effectum.

Præsentiæ Dei utilitas.

PRimò, est frænum, retrahens à peccato.
2. Est Lux, tentationis tenebras dissipans,
3. Est

Digitized by Google

3. Est calcar, ad omnem perfectionem stimulans.

Quoad primum: Frænum est, quia qui Deum habet in mente, considerans illum sibi præsentem, non facilè peccat, sicut nocte qui judicem videt præsentiam, facilè flagitium patrat. Unde Boetius: *Magna nobis indicta est necessitas bene agendi, qui cuncta agimus coram facie Iudicis omnia cernentis.* Quapropter magnum salutis periculum incurrunt, qui Deum præsentem non considerant; sicut illo, de quo Sapiens, contemnens animam suam, & dicens: *Quis me videt: Tenebræ circumdant me, & parietes corperiunt me. Quem verear? Delictorum meorum non memorabitur Altissimus.* Ideò etiam de impiis dicit Psaltes: *Inquinata sunt via illius in omni tempore.* Quid ita? *Quia non est Deus in conspectu ejus.* Senior ergò Tobias dans filio suo monita salutis, dicit ei: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & sic fiet ut nunquam consentias peccato.*

Eccl. 23. 20.
Ps. 10. 5.
Tob. 4. 6.

Exempl. In vitis PP. lib. 1.

Hoc freno à peccatis revocavit Abbas Paphnutius famosam meretricem nomine Thais vel Thaisia, quam cùm accessisset, quasi desidérium carnale completurus (revera tamen non nisi occasionem captans revocandi eam ad viam salutis) significavit se annuere operi carnali, si modò in locum tutum & omninò secretum duceretur. Duxit illa Paphnutium in cubiculum quoddam: at ille dicit locum non esse tutum, sed facilè ipsos ab aliquo audiri aut videri posse. Deducit ergò eum in cubiculum remotius; at excusat se iterum, dicens se quoque ibi timere aliquem. Tandem illa cum in alium locum secretissimum introduxisset, dixit neminem ibi eos videre posse, nisi Deum aut dæmonem. Arripuit ipse ex his verbis occasionem arguendi & exprobrandi ei cæcitatem; quod credens Deum ibi audeat in præsentia Dei, quod in præsentia hominis non auderet. Et id fecit tantâ verborum efficacia, ut Deo interius verbis ejus cooperante, ex tunc summum peccati horrorem concepcrit; & quicquid meretricio lucrata fuerat, in medio Alexandriæ mox igne consumpserit. Postea in secretum pœnitentiæ locum transiens, post triennalem rigorosissimam pœnitentiam, ad Dominum beata migravit anno salutis 344. Ecce quam mutationem in ipsa effecit memoria præsentiæ Dei.

Quantum ad secundum: Tentationes dissipat cogitatio præsentiæ Dei, & munit cor contra pericula obvenientia a dæmone, mundo, & carne. Solis præsentia dissipat tenebras, sic & præsentia Dei in corde omnem peccati umbram & caliginem: *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo, quoniam tu mecum es.* Ideò & alibi dicit Psaltes: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* Eripiet de tentatione & periculo peccati affectus tuos Dominus, si in omnibus viis tuis cogitaveris eum; & diriget te, nec permittet vacillare. Dic ergò: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commovear.*

Ps. 15. 8.
Ps. 24. 15.
Psal. 25. 8.

D. Antonius & alii Patres spirituales dixerunt, nullum remedium fortius contra insidias diaboli memoriâ Dei, cum gaudio spirituali. Miles qui in præsentia Ducis præliatur, non facilè animum despondet. In militia spirituali, contra mundum & dæmonem fæliciter dimicabis, si Ducem tuum tibi præsentem consideres, & in ejus auxilio confidas. Cogitatione præsentiæ Dei animata Susanna, omnem carnis tentationem superavit. Dicebant impii senes: *Ecce ostia clausa sunt, nemo nos videt,* ingemuit Susanna & ait: *Melius est mihi incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.*

Dan. 22. 20.

Quantum ad tertium: Stimulus est ad perfectionem memoria Dei præsentis. Unde dicit ad Abraham: *Ambula coram me, & esto perfectus.* q. d. si mei memoriam habueris tota vita tua, quæ est quasi deambulatio quædam ad Patriam, tunc perfectus eris. Hinc perfectionem suam sortiti videntur Elias & Enoch, & transferri meruerunt, quia semper coram Deo, & cum Deo ambularunt: *Vivit Dominus in cujus conspectu sto*, dicebat Elias: de Enoch verò dicit Script. *Ambulavit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Dominus.* Deum habere semper sibi præsentem, est vere ambulare cum illo & coram illo. Sic movebat quoque Propheta, docens viam ad perfectionem. *Indicabo tibi ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: utique facere judicium & justitiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo*; hoc est, omnia tua agere, quasi in præsentia illius. Ubi acute Hugo Card. *Ambulant post Dominum humiles & pœnitentes: Ambulant cum Domino, Prælati & Rectores: Ambulant ante Dominum, pii Concionatores: Ambulant à Domino, propriam voluntatem sequentes: Ambulant contra Dominum, obstinati & rebelles.* Fælix ergo anima ambulans sollicitè cum Deo, illum intra se & extra se respiciens, cogitationes & affectus in eum erigens: hæc est vis, hic stimulus ad omnem virtutem & perfectionem: hoc est medium, inter spiritualis vitæ media, perfectissimum.

3. Reg. 17. 1.
Gen. 5. 22.
Mich. 6. 8.

Refert Dorotheus Abbas, se cuidam discipulo suo noviter vitam monasticam amplectenti, hoc præceptum dedisse, aureis litteris scribendum: *Nunquam cordi tuo Deus excidat, semper cogita præsentem, & te coram illo stare.* Fecit hoc sedulò, ut nec in morbis gravissimis & extremis, cognitionem adeò salutarem dimiserit; & hoc exercitio quinquennii spatio, ex milite nobili, ex adolescente dissoluto, vitiis & luxu sæculi perdito, perfectus evasit, & Sanctus; ita ut post obitum, ab aliquibus religiosis in numero Beatorum visus fuerit.

Exempl.

SCIENTIA DEI.

Deus omnium rerum scientiam habet perfectissimam & in infinitum transcendit omnem Angelicam & humanam.

Deus habet omnium rerum scientiam.

PRIMÒ, ratione objecti: quia ejus scientia cognoscit omnia præterita, præsentia & futura; & omnia quoque possibilia, ac seipsum tanquam originem & causam rerum omnium.

Secundò

Digitized by Google

Secundò, ratione modi & perfectionis in cognoscendo, cognoscit enim omnia perfectissimè, omni modo quo sunt cognoscibilia, ideoque omnia ejus scientia comprehendit.

Tertiò, ratione medii, non enim cognoscit per species aut per effectus, sed per suam essentiam, quasi clarissimum speculum.

Quartò, cognoscit omnia in instanti, uno mentis intuitu, omnia simul simplicissimo actu intelligendo, nam ab æternitate in æternitatem, à sæculo in sæculum, ejus oculos pervidet.

Quintò, hæc cognitio invariabilis est, nunquam incrementum habuit, ab æterno est semper eadem; nec est accidentaria ut hominibus aut Angelis, sed est substantialis Deo, immò ipse Deus. Denique, hæc scientia, quasi lux maxima, seipsam diffundit ad Angelos & homines, faciens ipsos cognoscere & cognosci.

Quantum ergò ad homines, scientia Dei adeò est perfecta, ut non solum sciat numerum eorum ab Adam usque ad ultimum; sed & numerum capillorum, annorum, dierum, ac momentorum omnium quibus vivent. Numerum quoque scit electorum & reproborum in particulari, & gradum gloriæ aut damnationis eorum, & hoc ab æterno, & quibus mediis ac viis unusquisque ad gloriam vel damnationem sit perventurus, scit enim omnes cogitationes & inclinationes, quibus omnes dinumerat, omnes animæ affectus penetrat; homini, imò Angelo supremo inscrutabiles.

Ps 138. 2. De hac Dei profundissima & exactissima scientia dixerit David: *Cognovisti sessionem meam, & resurrectionem* q.d. tu cognovisti ab æternitate, quando & quomodò, & qua de causa surgere vel sedere deberem: hoc est, quando, cur & quomodò, humiliandus vel exaltandus essem. Quod si novit id de hominibus, maximè de Christo, qui est caput hominum; ideò illi accommodatur illud, die resurrectionis. Addit: *Intellexisti cogitationes meas de longè, semitā meam & funiculum meum investigasti*; hoc est, multò ante quam cogitare inciperem, jam intelligebas quid essem cogitaturus; intellexisti etiam iter meum, progressum, consilia: *Et funiculum meum investigasti*, hoc est, finem & metam ad quam perventurus essem, quam hæreditatem & quietem assecuturus essem. In summâ, intellexisti ab æternitate, principia, media, & finem mearum actionum.

Serm. 2. de temp. D. Augustin. explicans, quomodò Deus omnes nostras cogitationes noverit, dicit: *Oculos Dei simul universa cernentis, non abdita locorum, non parietum septa secludunt, nec solùm ei acta & cogitata, verùm & agenda & cogitanda sunt cognita. Ista vera scientia est summi Judicis, ipse est tremendus adspectus, cui apertum est omne occultum, & apertum omne secretum, cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitetur, sine voce mens loquitur.* Unde planè stultè dicebat ille apud Sapientem, cogitans adulterium: *Tenebræ circumdant me, quis me videt?* Eccl. 23. 24. *Parietes cooperiunt me.* Rectè ei respondetur ibi: *Et non intelligit, quoniam omnia videt oculus illius, & non cognovit quoniam oculi Domini multò plus lucidiores sint super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi & corda intuentes &c.*

Hinc Ægyptii, ut Dei significarent Omniscientiam, pingebant sceptrum cum oculo: per sceptrum significantes dominium & potestatem regiam: per oculum, rerum omnium scientiam. Hinc Jeremias vidit *Virgam vigilantem*, quod aliqui vertunt, *Virgam oculatam*: quæ significat Deum ipsum, & ejus vindictam ad peccata vigilare, ut statim illa plectat. Ita Baltasar sacrilegus & temulentus, vidit mox *manum scribentem in pariete*, & sensit eam. Ita vigil clamabat: *Succidite arborem*, ad puniendam superbiam Nabuchodonosoris. Deus ergò totus oculus est, vigilans super vias nostras, & respiciens cogitationes hominum. Jer. 1. 11. Dan. 5. 5. Dan. 4. 11.

Ita verò proprium est Deo cogitationes cognoscere, ut nec conveniat vel dæmonibus, vel etiam ipsis Angelis, nesciunt enim cogitationes mutuas, ut docent Theologi, nisi sibi mutuò manifestarent, vel eas per revelationem, aut in Verbo videant. Sic Angeli & Beati cognoscunt in Verbo, vel per revelationem, cogitationes nostras ad se directas, ut pro nobis intercedant. Videt enim quilibet Beatus in Verbo divino, quicquid spectat ad statum suum. Cùm ergò spectet ad eum scire quis invocet, & ad quem finem, hoc ei fit manifestum, per ipsam beatam visionem in divina essentia, tanquam speculo voluntatio, quod repræsentat quicquid ad Beatum spectat.

Exempl. In hac tamen vita, etiam aliquibus Sanctis Deus id privilegii communicavit, ut aliorum cogitationes, tentationes, abscondita cordis cognoscerent.

Surius in vita ejus. Beata Catharina Senensis cum quis ad ejus alloquium accederet, statim agnoscebat an anima ejus in statu peccati mortalis esset, fœtorem quendam spiritualem spiritu suo præsentiens.

S. Franciscus ambulabat cum quodam socio suo, qui mundum relinquens de familia nobili extiterat. Cùm ergò Franciscus asino verberetur, & ipse pedes cum labore sequeretur, cœpit cogitare, quomodò de illustriori foret familia, quam Franciscus, cujus jam ipse deberet esse pedisequus. Franciscus ergò statim descendens, & ejus cogitationes noscens, dixit ei: *Frater ascende in meum locum, tu enim nobilior es & melior me, tibi debetur locus hic, meum autem est te sequi.* Ille confusus videns innotuisse cogitationes suas, procidit ad pedes ejus, culpam fatus & humiliatus.

OMNIPOTENTIA DEI.

Deo soli convenit omnipotentia, quæ est unum ex præcipuis ejus attributis. Deo soli convenit omnipotentia.

HÆc se manifestat, dum mundum creat ex nihilo, hominem ex luto, mulierem è costâ, dum aquam

aquam vertit in sanguinem, virgam in serpentem, mulierem in statuam salis, aquam in vinum, panem in corpus suum. Digitus enim Dei in omnibus his est, & mutatio dexteræ excelsi. Et per hanc Omnipotentiam plus potest Deus facere, quam homo dicere aut intelligere. Omnia quæcunque voluit fecit, sine labore, sine difficultate, sine resistentia. Per hanc quoque omnia conservat, & ab illo omnia pendent, & in nihilum redirent, sine ejus manu sustentante. Omnia egent ejus potentiâ, quia sine illa nec Sol lucere, nec ignis calefacere, nec homo se posset movere. Et cum Homo, Cœlum, Sol, Angeli, ex nihilo sint, & ad nihilum tendant, nec actionem, nec motum, nec stabilitatem, sine illo habent.

Hæc omnipotentia in plurimis Scripturis significatur.

Isa. 40. *Primò*, eam indicat Isaias, dum dicit, Deum tribus digitis appendere molem terræ, mensum esse pugillo aquas, cœlos palmo, librare in pondere montes. Qui sunt tres digiti Dei, nisi Potentia, Sapientia, Bonitas? Per Sapientiam designat, quid faciendum, per Bonitatem vult, per Omnipotentiam exequitur: & sic per illa tria sustinet, gubernat, dirigit omnia in finem. Fides nostra respicit ejus sapientiam, Spes omnipotentiam, Charitas bonitatem,

Sap. 11. 23. *Secundò*, eam significat Sapiens, dum dicit: *Tanquàm momentum statera, sic est ante te, orbis terrarum, & tanquàm gutta roris ante lucem, qua descendit in terram.* Momentum, est propensio bilancis & inclinatio, quæ minimo motu ejus, qui bilancem manu fert, in aliam partem verti potest & inclinari. Ita totus mundus, est quasi bilanx in manu Dei, ut quò vult, eam vertat & invertat. Et, sicut gutta roris, ortâ luce statim exsiccatur & absorbetur; sic mundus quovis instanti inverti & absorberi potest à Deo; & hoc vult dicere Sapiens.

Hebr. 1. 3. *Tertiò*, hæc Omnipotentia significatur apud Apostolum, dum dicit: *Omnia portat verbo virtutis suæ*, quia scilicèt nutu & potentia sustentat totum pondus creaturarum, quasi Atlas mundi, simul movens, moderans, & gubernans omnia. Sicut ergò de

4. Reg. 2. 12. Elia dicebat Eliæus: *Pater mi, Currus Israel, & auriga ejus*, q. d. O Elia, tu eras quasi currus portans Israëlem, sustinens onera populi & simul eras moderator ejus, regens & impellens eum ad omne bonum. Ita Deus, est quasi currus portans totum mundum, & sustentans omnes creaturas, quæ alioqui in nihilum redirent: Ipse quoque simul est Auriga currui præsidens, movens & gubernans, tum per se, tum per Angelos; quia eorum ministerio rotas hujus currus movet, & regit per eas gyrans cœlos, tempora, resque omnes fortiter & suaviter disponens, mundumque gubernans.

Hujus omnipotentiæ Sanctos suos, quasi consortes facit Deus, etiam in hoc mundo, dum eis communicat potestatem miracula operandi, superantia totam vim naturæ; & vim imperandi creaturis etiam insensibilibus, mari, cœlo ventis: quæ per potentiam quandam obedientialem, quam habent erga Creatorem, sentiunt ejus imperium communicatum viris Sanctis, & illis obediunt. Nam & ipsi dæmones eis coguntur obedire, nec possunt resistere. Hanc verò potentiam miracula vera patrandi, quam Sanctis communicat, nunquàm communicat Hæreticis: nunquàm miracula edere potuerunt in testimonium fidei suæ, nisi quod aliquandò (ut eis etiam exprobrat Tertullianus) ex sanis fecerunt ægros, ex vivis potuerunt facere mortuos.

Hanc omnipotentiam quâdam ratione communicavit Moysi, dicens: *Ego tè constitui Deum Pharaonis.* q.d. Noli eum timere, noli vereri ejus superbiam & sævitiam, te illius Deum facio; non quem adoret, sed quem timeat punientem, & obsecret medentem. Dedi tibi potestatem meam, ut imperes aquis & ranas crees: ut imperes terræ, & facias in Rege & populo ejus cinifes & vesicas: ut imperes aëri, & pestem generes: ut imperes igni, & cum grandine mixtus feratur super peccatores: imperando elementis, Deus eris Pharaonis, *Sed & Aaron erit Propheta tuus*: quia non est dignus Pharao tecum, qui Deus ejus es constitutus loqui, ideò plagas, quas tu facies, pronunciabit: sicut ego non per me loquor, sed per Prophetas denuncio, quæ facturus sum. Exod. 7. 1.

PROVIDENTIA DEI.

In Deo rerum omnium est providentia etiam usque ad capillum capitis, aut folium arboris.

Deus omnibus rebus providet.

CIrca hanc multi fuêre errores Veterum. Primus error, qui Deos negabat, & eorum providentiam.

Secundus error fuit eorum, qui Deos asserebant, sed dicebant terrena & humana non curare, quorum est illa vox apud Job; *Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, & circà cardines cœli perambulat.* Undè & Plinius: *Irridendum*, inquit, *est agere curam rerum humanarum illud quicquid est summum.* Cui respondet Clemens, *Deum id summâ quiete agere, & sine distractione, quia totus est mens, totus est lux, totus oculus, omnia videns, omnia audiens, omnia sciens.*

Job. 22. 14. Plinius lib. 2. c. 7. Clem. lib. stromat.

Tertius eorum, qui dicebant Deum singulos homines curare; sed tamen parva negligere.

Sed tamen manifesta est nostra assertio, tùm ex Scripturis, tùm ex ratione. *Primò* quidem ex ratione, quia sicut Deus rerum omnium est conditor, ita & administrator, nec illa possunt dividi. Et sicut per omnipotentiam suam illa condidit, ita per eandem potentiam & providentiam conservat & regit; nec ei in hoc ulla difficultas, quia sine anxietate omnes homines & singulos curat, sicut unum solum: ita ut non minorem providentiam habeat innumerabilis multitudinis hominum viventium in mundo, quam illorum octo, qui in arca Noë degebant in mediis undis, vel quam unius Adam, cum foret in Paradiso. Viderunt quidem Gentiles necessitatem hujus providentiæ, ad conservationem creaturarum; sed quia difficulter

ſulter concipiebant, totum hunc mundum in tanta creaturarum diverſitate ab uno regi, & omnibus rebus provideri; ideò Diis totum ferè mundum repleverant, qui hanc curam inter ſe dividerent. Sic Marti adſcribebant curam exercitus omnis, in quo quaſi caput præeſſet: Neptuno curam Maris dabant, committens ei gubernaculum proræ, & puppis: Æolum dicebant adeſſe debere velis, ut ſub ejus gubernaculo dirigerentur à vento: Jovi curam cœli, Junoni curam aeris, Deæ Veſtæ curam ignis, Plutoni curam terræ, imò cuilibet civitati, cuilibet domui, Deum ſuum attribuebant. Sic & milites Regis Syriæ dicebant de filiis Iſrael: *Dii montium ſunt Dii eorum, ideò ſuperaverunt nos; ſed melius eſt, ut pugnemus contra eos in campeſtribus, & obtinebimus.* Cæcitas ergò in eis erat; ſcire enim debuiſſent, uni primæ cauſæ, primò principio omnium, tum creationem, tum conſervationem & providentiam adſcribendam eſſe, quare rectè dixit Auguſtinus: *Voluntas Dei, eſt prima & ſumma cauſa omnium corporalium, ſpiritualiumq; motionum; nihil enim fit viſibiliter & ſenſibiliter, quod non de inviſibili & intelligibili ſummi Imperatoris aula, aut jubeatur ſecundùm ineffabilem juſtitiam præmiorum atq; pœnarum, gratiarum & retributionum, in iſta totius creaturæ amplißima quadam univerſaq; Republica.*

3. Reg. 20. 23.

Auguſt.

Secundò, hæc providentia ſæpiùs aſſeritur in Scripturis. Clariſſima eſt illa: *Tu autem Pater omnia tua providentiâ gubernas.* Ibi adverte, quod varia nomina adſcribat Deo Scriptura. Vocatur enim Pater, Dominus, Creator, Redemptor, Judex, Rex, Deus, hoc nomen *Deus*, eſt nomen eſſentiæ, *Dominus*, titulus poteſtatis, *Creator*, nomen omnipotentiæ, *Redemptor*, nomen charitatis, *Judex*, nomen authoritatis, *Rex*, titulus Majeſtatis, *Pater*, verò eſt nomen notans & providentiam & affectum. Tanquàm Deus, ſeipſo fruitur, æternâ ſui comprehenſione & fruitione. Tanquàm Dominus, imperat ad arbitrium & ei obeditur. Tanquàm Creator, omnia produxit ad noſtram utilitatem. Tanquàm Rex, regni nobis impertitur conſortium. Tanquàm Pater, ex affectu omnibus providet, undè ait: *Tua Pater Providentia cuncta gubernat.* Ab eo ergò ut Deo, exſpecto fælicitatem; ut Rege gloriæ, regni conſortium; ut Creatore, agnoſco me habere eſſe naturæ; ut Redemptore, eſſe gratiæ; ab eo ut Judice, exſpecto favorabilem ſententiam, ut Patre directionem & gubernationem: *Tuâ enim Pater providentiâ cuncta gubernas.*

Sap. 14. 3. *Varia Dei nomina.*

Immò ipſa providentia Dei, mater nobis eſt, quæ continuò inſtat eſſe, & nos velut utero ſuo & in viſceribus portat. Nutrix enim eſt, quia nos lactat, nutrit, ſuſtentat, & inter brachia velut infantes nos portat. Pædagogus eſt, continuò nobiſcum incedens, & in omnibus viis noſtris nos dirigens. Conſiliarius nobis eſt, quia docet nos quæ ignoramus, & in rebus dubiis quid faciendum oſtendit, conſulit & deducit; ipſa denique inſtar Protectoris ſe gerit, in periculis & neceſſitatibus nos protegens, in afflictionibus conſolans; omne denique officium nobis utile, ergà nos exercet.

Item adverte, quod dicit: *Cuncta gubernat tua providentia, ô Pater!* Non ſolum cœleſtia ſed & terreſtria, non ſolum ſublimia, ſed & infima, non ſolùm Angelos, ſed & homines & animalia, imò & cuncta inſenſibilia: à primo Seraphin ad ultimum vermicululum, nutrit omnia hæc providentia, a fine uſque ad finem attingit, diſponens omnia ſuaviter. Triplicem ergò familiam gubernat hic Pater, creaturam ſcilicet purè ſpiritualem, creaturam quoque purè corporalem, & creaturam partim ſpiritualem, partim corporalem.

Deus triplicem familiam gubernat.

Quantum ad creaturam ſpiritualem, ipſe eſt, qui ſpiritus illos nobiliſſimos conſervat, & ſui viſione, velut pane cœleſti nutrit. Veſtit quoque, non purpurâ, auro & gemmis; ſed immortalitate & gloriâ & incorruptione: gubernat quoque illum ordinem Hierarchicum, quo mirabiliter conſtituit, ut unus alteri præſit, alter ſubſit, unus alterum illuminet & perficiat; & ut omnes ei tanquàm Patri prompta obedientia, & ſummo conſenſu ſerviant ſine labore, tædio, ullâ æmulatione, aut invidiâ. An non ordinatiſſima hæc familia, tam admirabili ſummi hujus Patris Providentiâ gubernatur?

Spiritualem creaturam.

Quantum ad corporalem. Quis globo illo aureo, Soli ſcilicèt, qui eſt velut *imago Dei, oculus mundi, lampas univerſi, menſura temporum, vigor naſcentium, decor ſtellarum* (ut deſcribit Ambroſius) lumen miniſtrat, & facit eum oriri ſicut ſponſum è thalamo, ad currendam viam. Quis ei intellectum dedit aut ſenſum, ut infallibili lege & menſurâ curſum ſuum ſervet, ut nec momento erret, quaſi cognoſcat occaſum ſuum? *Tua hoc illi dedit, Pater, providentia, cuncta gubernans.* Illa eſt, quæ ei dat vires penetrandi non ſolum aerem, ſed & viſcera terræ; ut ibi plantas, flores, aurum, & mineralia producat. Sic elementis, ſic volucribus cœli, piſcibus maris, animalibus terræ, ipſa providet; ſic legem dat aquis, ut non tranſeant fines ſuos. *Quis* enim *concluſit oſtiis mare, & caligine illud obvolvit? quaſi pannis infantia.* Quis veſtit terram Floribus, flores coloribus, colores pulchritudine. Quis lilia agri veſtit & paſcit, quæ neque nent neque metunt? *Tua, Pater, providentia eſt cuncta gubernans.*

Corporalem. Ambroſ. in Hexameron.

Job. 38. 8.

Quantum ad creaturam partim corporalem & ſpiritualem, hominem ſcilicet: quàm manifeſta eſt Patris hujus providentia, ſivè quantum ad beneficia corporalia: cibum, veſtitum, pluviam, rorem: ſivè quantum ad ſpiritualia? Quantum enim ad corporalia, etiam electis ſuis ſpecialiter ſolet providere de neceſſitatibus, ita ut illis dicatur: *Jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet.* Eſt verò in his Scripturæ verbis quædam Metaphora ſumpta à Parentibus, qui curam habent filiorum & nutritionis eorum; ſui enim oblivíſcitur puer, & Pater ſæpè vigilat, dum dormit filius, & eſt ſollicitus quomodò alat eum. Providentia

Hominem.

Pſ. 54. 23.

Digitized by Google

dentia hæc manifesta fuit populo Israel, quem vocat puerum & filium suum. Quomodò enim duxit eum, & custodivit in via Ægypti? Mare eis dividit ut sicco pede transeant, & reducit aquas maris super hostes eorum. Annis quadraginta vixerunt, nec arando, nec seminando, nec laborem messis, aut aream pertulerunt. Usus molæ & furni non fuit, non texendi necessitas, quia nec indumenta, aut calceamenta attrita fuêre; non mercatus fuit, aut macellum necessarium pro carne, quia Deus mensam eis sternebat omnis saporis. Medicis aut medicinis non egerunt, quia *non fuit in tribubus eorum infirmus.* De nocte lampas per modum columnæ, de die umbra nubis eis adfuit, contra æstum. Denique, per mille prodigia tam in Ægypto, quam in deserto, Deus ostendit quàm exactam habeat suorum providentiam.

Exempl. Sic Eliæ providet per corvum, per viduam Sareptanam, per Angelum in deserto. Sic Danieli per Abacuc in lacu. Sic in novo Testamento B. Ægidio per lac cervæ ad eum quotidiè venientis, Paulo & Antonio etiam per corvum, & similia multa invenies in vitis Sanctorum. Rectè ergò cuilibet dicimus Fideli: *Iacta cogitatum tuum in Domino*, noli tuam spem ponere in Principibus, quorum voluntas & favor mutabilis est, quia ipsorum brevi exibit spiritus; &c. Noli fidere fortunæ, quæ ceu rota versatilis inconstans est. Noli in amicis & cognatis, qui ubi elevati fuerint, te despiciunt & relinquunt. Noli in filiis, quia & ipsi aliquandò tuam mortem optant, ut hæreditate fruantur. Noli in opibus tuis, quia facient sibi alas, & avolabunt. Noli in sapientia, quæ te sæpiùs vanè inflat. Noli in honoribus, qui fumus & ventus sunt. Noli in qualibet re mundi, quia te sæpè decipiet, & omnia vanitas. Jacta ergò cogitatum in Domino, tanquam solido fundamento; in ejus providentia spera, illi totum te committe.

Adverte quoque in illam Providentiam ultimatè omnes affectus esse referêdos. Undè respectu Dei, nullus effectus est fortuitus, quia ab eo ut causa universali per suam Providentiam elt intentus; licèt respectu causæ particularis fortuitus dicatur, quia non intentus ab illa. Hinc sæpè fatigantur homines causas particulares effectuum requirentes, & non recurrentes ad illam rationem primam divinæ Providentiæ. Sic varios eventus belli videmus, dum aliis infœliciter cedit, non obstantibus viribus & apparatu ampliori, & requirimus varias causas, & tamquam primariam non attendimus divinam Providentiam, ob certas rationes ita disponentem. Si contagio provinciam aliquam aut urbem invadit, unus id refert ad varias causas corruptionis aeris, alter inculpat milites ex diversis provinciis redeuntes, alius aliam dat causam: nec primariò consideramus, id sæpè speciali Dei Providentiâ fieri punientis peccata populi. Sic aliquos videmus in bonis temporalibus proficere; alios verò, qui majori industriâ pollent, & labores majores subeunt, nihil ferè proficere, imò opes sibi potiùs facere alas, quibus ab eis avolent: & in his omnibus diversas causas conjectamus, cùm sæpiùs specialiter adscribi debeat Providentiæ divinæ, quæ potest subitò honestare pauperem minùs laborantem, minusque industrium; & callum reddere laborem, majoremque alterius industriam; ita ut in his omnibus rectè iterum dicamus: *Tua, Pater, Providentia cuncta gubernat.*

PRÆDESTINATIO DEI.

Prædestinatio est pars Providentiæ: Est enim voluntas Dei efficax transmittendi nos in finem supernaturalem, id est, in vitam æternam.

Dei prædestinatio quid.

EX illa tanquam radice, proveniunt omnia beneficia spiritualia Providentiæ divinæ erga nos, Vocatio Justificatio, Glorificatio, juxtà illud: *Quos prædestinavit hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit, & quos justificavit, hos & glorificavit.* Deus ergò in medio mundi per suam providentiam ædificavit domum suam, Ecclesiam sanctam, in qua providit media necessaria ad salutem: ut unica est domus ejus, extra quam nulla media sunt salutis, infallibiliter pereunt, qui extra eam sunt. Sicut unica erat arca, qui extra eam fuerunt, diluvio eos obrui fuit necesse: & sicut arca Noe unum solum ostium habebat, ita in domo Dei viventis unica porta Jesus Christus, & fides ejus in baptismo professa, *Ego sum*, inquit, *ostium, si quis per me introierit, salvabitur, qui non crediderit, jam condemnatus est.* Pereunt utique diluvio infidelitatis, qui per ostium in arcam non intrant. Sed sicut in arca Noe columba continebatur & corvus, animalia munda & immunda, filius benedictus & maledictus, Sem & Cham: Ita in Ecclesia boni & mali, probi & reprobi, prædestinati & rejecti. Horum figuram gerebant Jacob & Esau in domo Isaac; imò ipse Jacob, qui benedictus fuit ab Angelo, cum quo luctabatur, sed simul claudus effectus: benedictus propter eos, qui in Christum ex ejus populo crediderunt, claudus in fidelibus, qui ex eodem populo prodierunt. Nam ut dicit August. *Femoris latitudo, generis est multitudo: plures quippè in ea stirpe sunt, de quibus dicitur: Claudicaverunt à semitis suis.* Ipse ergò figuram gerit reproborum in claudicatione, & electorum in altero firmo pede.

Genes. 7. & 8.

Joa. 10. 9.

Gen. 25.

August. de civit. l. 18. c. 29.

Figura quoque fuit in domo Abrahæ in Isaac & Ismael. Isaac filius promissionis, Ismael filius carnis. *Non autem qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui filii promissionis.* Duas autem fecit Deus promissiones Abrahæ, inquit Hilarius in Psal. 139. unam: *Multiplicabo semen tuum sicut arenam maris*; & hæc concernebat Ismaelis generationem, alteram nato Isaac: *Multiplicabo semen tuum ut stellas cæli.* Significabat in Ecclesia, tanquam familia Abrahæ, duplices fore filios, terrenos & cœlestes, reprobos & electos. Filii Ismael terreni multiplicantur ut pulvis, gemuntque hi sub aquis, & ut arena maris conculcantur. Filii Isaac cœlestes & boni, stellis comparantur, elevandi

Rom. 9. 8.

Gen. 13. 16

Gen. 22. 17.

vandi in cœlum, ut luceant ſicut ſtellæ. Solet enim
1.Cor.15. 41. Scriptura electos ſtellis comparare. *Stella à ſtella differt in claritate.* Sicut ſtellæ a Sole ſplendorem
Aug. in Pſal. 146. v.4. mutuantur, & curſum ſuum peragunt, nihil retrogredientes : ita Electi à Deo ſplendorem mutuantur,& in continuo motu ſunt ad perfectionem, mandata Dei ſequentes. Boni etiam ſtellis comparantur, & mali pulveri terræ,quia major longè multitudo pulverum quam ſtellarum, quarum tantùm mille & viginti duas conſpici à nobis docent Aſtrologi. Imò ipſi Gentiles perſuadebant ſibi, quòd viri inclyti ex hoc mundo tranſeuntes,inter ſtellas collocarentur, quodque hæc eorum eſſet fœlicitas, poſt heroicas actus verti in Planetas, & ſic aliquid divinitatis accipere. Sic deificatus ſeu in Deos ac aſtra relatus fuit ab eis Jupiter,Mars,Saturnus,Venus,Caſtor & Pollux : hâc ſaltem fabulosâ narratione adumbrare volebant, nihil dignius ſtellis reperiri, cui poſſunt comparari viri heroici.

Ex his itaque Prædeſtinatis, ædificatur Jeruſalem cæleſtis,& per providentiam divinam præſcinduntur quotidiè de montibus lapides, & conquadrantur ut intrent in ſtructuram ſempiternam ; hoc fit per manus artificum, hoc eſt, eorum qui miſſi ſunt,ut prædicent verbũ Dei,aptantes ſic animas ad
In Pſ. 121. ſtructuram templi æterni , ut dixit Auguſtinus. Quotidiè ergò adhuc ædificavit Jeruſalem, & ædificabitur uſque in finem mundi ; ædificari cœpit ab æterno per Prædeſtinationem, complebitur in fine per glorificationem ; ab æterno enim fuit penes
Serm. 79. in Cans. Deum Eccleſia Electorum, quæ ante tempora eſt electa & dilecta,juxta Bernardum. Prævidit Deus ab æterno ruinam cæleſtis ſuæ Civitatis, ex Angelis compoſitæ ; ex tunc ergò reſtaurationem præparavit, & media ad illam. Sicut homo prudens videns aliquod ſuum ædificium ruinæ proximum, parietes inclinare, fundamenta concuti, muros cafum minari ; longo tempore etiam antequàm ruat, lapides colligit,calcem, arenam, ligna, ut reſtauret cum ceciderit. Sic artifex ſupernus,videns per peccatum
Athanaſ. orat. 4. contra Arianos. demoliendam Civitatem ſuam, jam ab æternitate in monte ſancto Sion, lapides præſcindebat & apparabat, poſito fundamento Chriſto, ad renovationem, inquit Athanaſius.

Amos 7. 7. Hinc Amos dicit : *Ecce Dominus ſuper murum litum,& in manu ejus trulla* Septuaginta legunt, *ſuper murum adamantinum, & in manu ejus adamas,* Hæbræa *In manu ejus linea.* Ad idem ſpectat,quod
Zach.2.4. vidit Zacharias hominem funiculos, & alia inſtrumenta habentem, ut notaret locum ædificandæ Jeruſalem,ejuſq; dimenſiones delignaret. Sed dictum eſt ei per Angelum, ut deſiſteret, quia *abſq; muro habitabitur Ieruſalem pra multitudine,* q.d. Non potes ſatis allequi ejus dimenſionem, innumera enim turba debet eam incolere. Ipſe Deus erit gloria ejus in medio, erit & murus ejus ignis, ardens ſcilicet amori Creatoris. Itaque electi & boni,lapides ſunt,qui elevantur ad hoc ædificium per timorem prius percuſſi,per amorem poliri, per conſtantiam quadrati.

Porrò,quinam ſint de lapidibus illis electis, qui de Prædeſtinatis ſint,incertum eſt in hac vita,ut propterea electio illa,*Sors* vocetur, de qua videtur mentio fieri in Proverbiis : *Sortes mittuntur in urnam, ſed à Domino temperantur.* Quem locum ſecundum ſenſum ſpiritualem Beda,Hugo & Carthuſianus ſic explicant : Sicut ſortes, quamdiu in ſinu vel in urna ſunt, incertæ ſunt & ancipites quoad extrahantur, tunc enim electionem perficiunt : Ita cujuslibet hominis ſors & electio ad fœlicitatem æternã, obſcura eſt, ambigua & anceps in hac vita ; donec mors ſortes educit, & Prædeſtinatorum electiones aperit ; quaſi dicat Salomon : Sortes noſtræ quamdiu vivimus,in urna ſunt,& incertæ ſunt, ſed tamen quòd alii præ aliis eligantur, non eſt fortunæ, ſed conſilii divini, qui providentiâ ſuâ æternâ & gratiæ diſtributione, ſic omnia temperat, ut quibuſdam ſors fœlicitatis contingat, alii verò ab illa excidant, mors interim ſortes illas educit. Hoc tamen diver- Rom. 9. 11
ſitatis eſt, quod prædeſtinatio non eſt ex operibus, niſi quoad ultimum effectum,qui eſt gloria ; ſed eſt ex mero beneplacito Dei. Reprobatio verò ex operibus eſt, ex præviſo peccato & demeritis. Declaratur utrumque ; quia quod quis prædeſtinetur, nullum ejus præceſſit meritum , ſed voluntas Dei benevolentiſſima deſtinat hominem hunc , ex ſolo ſuo beneplacito,ad beatitudinem tanquam finem,& ideò providet illi merita tanquàm efficacia media ad hunc finem, ſicque electio eſt ex mera gratia Dei, Phil.1. 23.
quamvis gloriæ collatio ob merita fiat, quæ homini dedit Deus gratiosè.

Videntur Ethnici hoc adumbrare voluiſſe , dum finxerunt ab unoquoque Deorum electam arborem, cujus ſingularem gererent curam, eſſeque eis dedicata. Jupiter Quercum elegit, Apollo Laurum, Neptunus Pinũ, Venus Myrtum, Juno Iuniperũ. Minerva hanc electionem demirata, interrogat Jovem, cur infructiferas arbores Dii ſibi elegiſſent ? Reſpondetur ei, ut ipſæ arbores intelligant,non ob earum merita, ſed ex mera Deorum gratia ſe electas fuiſſe, tanquàm inſignia ipſorum Deorum. Sic homines electi, ſunt infrugiferi ex ſe, imò ex maſſa damnationis : non ergò ex meritis ſuis,ſed ex mero beneplacito Dei, qui ex vaſis iræ,facit vaſa miſericordiæ, deditque eis fructum bonorum operum, ex quibus poſtea fructum gloriæ colligerent. *Non eſt volentis, neque currentis,* inquit Apoſtolus, *ſed eſt* Rom. 9.
Dei miſerentis, qui ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, & beneplacitum gratiæ, prædeſtinavit nos 16.
ad gloriæ ſuæ conſortium.

REPROBATIO.

Reprobatio unde facta ſit.

QUantum attinet ad Reprobationem, non eſt facta illa à Deo,niſi prævisâ jam finali impœnitentiâ,& peccatis eorum, qui reprobantur. Undè illis rectè dicimus : *Perditio tua ex te.* Neque verò Oſe 13.9.
hæc Prædeſtinatio aut Reprobatio, libertatem in aliquo lædunt, ut poſſint propterea reprobi de Deo conqueri ; ipſe enim illos relinquit in manu conſilii ſui, ponit eis ignem & aquam , ut ad quod-

Digitized by Google

quodcunque voluerint, extendant manum suam, apponit eis benedictionem & maledictionem, vitam & mortem, ut eligant. Unde dicit Sapiens: *Nemo dicat per Deum abest, ille me implanavit, non enim sunt ei necessarii homines impii, & quæ odit, ne fecerit.* q. d. Non desiderat, nec facit homines peccatores, cum peccata oderit. Noli ergo in eum peccata tua & perditionem tuam retorquere.

V. Tract. 4. lect. 17. in fine Eccl. 15.

Objectio de Prædestinatione & reprobatione.

Dicunt aliqui, si sum prædestinatus, necessariò salvabor quicquid peccem; si sum reprobatus, nihil mihi proderunt opera mea, sed necessariò damnabor, & ita occasionem accipiunt negligendi merita & contemnendi peccata. Planè vanum est id, & imperitum. Quasi si quis diceret, Deus prævidit & determinavit, quod triticum messurus sim, vel non sim, ergo non est opus arare, si enim scit quod messurus sim, hoc certo eveniet; si scit quod messurus non sim, frustra arabo. Similiter si dicat: Si Deus determinavit me nunc moriturum, non egeo cura Medici vel medicinæ, si scit me non moriturum ex hac ægritudine, superflua erit cura, quia sanabor etiam sine illa, ne fallatur Deus.

Responsio.

Respondetur ergo, quod sicut scit Deus te sanandum, ita scit quod per hæc media sanitatis, per hanc Medici curam, & medicamenta, sis sanandus; & ideo illa tibi adhibenda sunt: sic si scit tē collecturum triticum, etiam scit te seminaturum & araturum, sicque collecturum; ideoque arare debes & seminare. Similiter si Deus scit te salvandum, scit quod per bona opera sis salvandus, & ideo illa debes conquirere; si scit te reprobandum, scit quòd propter peccata & mala opera, & ideo debes illa fugere. Libertas ergo tua, rebelliſque animus, & vita prava, sunt reprobationis tuæ causa, ideoque hæc debes declinare. Juvat verò sæpius illas duas sortes diversas, gloriæ vel pœnæ æternæ, considerare: Sortem quidem gloriæ, ut accendaris & stimuleris ad quærenda media ad illam, quæ media pendent à te: Sortem verò pœnæ, ut terrearis, & cautior fias, ad vitanda illa quæ ad eam ducunt, quod est in tua potestate.

Hinc ait David: *Si dormiatis inter medios Cleros, pennæ Columbæ deargentatæ*, &c. Quod sic exponi potest: Si dormiatis inter medias sortes (Clerus enim significat sortem) similes eritis Columbæ argenteis aureisque pennis ornatæ, q. d. Si sortes illas inæquales gloriæ & pœnæ sæpius attendatis, eritis sicut Columbæ gementes in amaritudine hujus vitæ; & alæ affectuum vestrorum, puræ erunt ut argentum, & extremitas vitæ vestræ, per aurum charitatis fulgebit. Has duas sortes considerat D. Paulus, dum dicit: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Et ideo ipse tanquam Columba sine felle gemebunda inter amaritudines hujus vitæ, alas affectuum suorum argenteas per puritatis candorem, aureas per zeli & charitatis fulgorem, pallidas per carnis mortificationem, expandebat; & evolare cupiebat de hac mundi vetusta materia, & domo lutea, ad domum non manufactam, æternam in cœlis; ad quam continuò suspirabat, & nos tanquam pullos à se educatos, illuc volare, illuc suspirare docebat.

Quærunt Theologi, utrum major sit numerus reproborum, an electorum? Ratio dubitandi est, quia Scripturæ videntur significare, numerum Electorum esse velut infinitum. Unde D. Joannes, postquam numerasset centum quadraginta quatuor millia signatorum de Tribubus Israel, addit: *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*, &c. Aliæ quoque Scripturæ videntur quandam proportionem indicare inter numerum Electorum & Reproborum. Sic numerantur *quinque Virgines prudentes, & quinque fatuæ*, ubi figuratur uterque numerus. Item alibi dicitur: *Duo erunt in agro, unus assumetur, & alter relinquetur: Duo in lecto, unus assumetur, & alter relinquetur: Duæ molentes in mola, una assumetur, & altera relinquetur.*

Major ne sit numerus reproborum, an electorum.

Apoc. 7. 9

Matt. 24. 40.

Matt. 24.

His tamen non obstantibus rectè dicitur, etiam inter fideles, plures reprobari. De quo D. Thomas super illud: *Octo animæ salvæ factæ sunt.* Ubi dicit paucitatem salvandorum in omni statu fuisse præfiguratam. *Primò*, tempore Legis Naturæ, quando omnes exceptis octo diluvio perierunt. *Secundò*, tempore Legis Mosaicæ, dum de sexcentis fere millibus egressis ex Ægypto, terram promissionis non sunt ingressi nisi duo, Caleb & Josue. *Tertiò*, tempore Prophetarum, quando filii Israel ducti sunt in captivitatem, paucis relictis in terra promissionis. *Quartò*, tempore gratiæ exposcit id per Christum est prædicatum. Interrogabant quidam: *Si pauci sunt qui salvantur?* Respondet, *Contendite per angustam portam.* Et Matth. 7. dixerat: *Pauci inveniunt eam.* Et iterum: *Multi vocati, pauci verò electi. Quintò*, colligitur idem ex Isaia, qui comparat paucitatem Electorum, paucis uvis post vindemiam relictis. *Sextò*, per Michæam Dominus ait: *Væ mihi, quia factus sum, sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ, non est botrus ad comedendum.* Nempè sathan prius vindemiavit. *Septimò*, Chrysostomus dicit, ex tota civitate Antiochia, vix centum salvari.

1. Pet. 3. 20.

Luc. 13. 23 Matt. 22. 14. Isa. 24.

Matt. 7. 1.

Chrys. hom. 4. ad pop.

Ex fidelibus an plures salventur.

Aliqui tamen probabiliter existimant, ex fidelibus, qui Sacramentis muniti discedunt, majorem partem salvari.

Quantum verò ad Scripturam allegatam, quæ dicit, *è duobus in agro unus assumetur*, &c. Primò, significat ex omni statu aliquos assumi, aliquos reliniqui, ex divitibus & pauperibus, ex liberis & servis, ut nemo sibi displiceat ob conditionem vilem; aliquos quoque de iis qui in labore sunt, & aliquos de iis qui in otio videntur vivere; item ex quolibet etiam sexu. Rectè autem Remigius tres Ecclesiæ ordines ibi dicit demonstrari: Per duos in agro, ordinem Ecclesiasticorum, quibus commissus est ager Ecclesiæ: Per duos in mola, ordinem Conjugatorum, qui dum per diversas curas, nunc ad hæc, nunc ad illa flectuntur, quasi molas in circuitum trahunt: Per duos in lecto, ordinem Continentium & Contemplativorum, quorum requies

Remig. in Matth. c. 24.

nomine

Digitized by Google

nomine lecti deſignetur. In his autem ordinibus ſunt boni & mali, juſti & injuſti; & ideo ex eis quidam aſſumuntur, quidam relinquuntur. Sic quoque
Auguſt. in Pſ. 99. explicat fusè & pulchrè Auguſtinus.

Interim nemo debet anxiari & fluctuare, quod neſciat de quo numero ſit; ſed inter manus Domini Jeſu Chriſti ſe ex toto corde, & ſalutem ſuam collocare debet, & dicere quod olim Ægyptii ad Joſeph:
Gen. 47. 25. *Salus noſtra in manu tua eſt; tantùm reſpice nos, & lati ſerviemus Regi.* Optimè negotium ſalutis noſtræ conſtituitur in manibus illis, quæ pro nobis fixæ ſunt,
Bernard. ſerm. 61. ut vincula noſtra ſolverent, in manibus illis, *qua miſericordia affluunt, nec deſunt foramina per qua effluant*, ut dixit Bernardus: melius in illis eſt quam in noſtris, non ergo turbemur. *Clamat clavus, clamat vulnus, quòd verè Deus ſit in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* Ubi enim tutius collocaremus? *In manibus tuis ſortes meæ Domine, & tempora mea.* Ibi tutò
Pſ. 30. 16. collocabat Paulus animam ſuam, ſalutem ſuam, omniumque meritorum ſuorum pretioſum theſaurum,
2. Tim. 1. 12. dum dicit: *Scio cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem juſtus Judex.*

Exempl. Kempis de imit. Chriſti l. 1. c. 15. Refert Thomas à Kempis hoc exemplum: Religioſus quidam fluctuans, & anxius inter ſpem & metum, quadam vice mœrore affectus Eccleſiam ingrediens ante altare proſtratus, hæc intra ſe dicebat: *O ſi ſcirem quod adhuc perſeveraturus eſſem!* ſtatimque audivit divinum reſponſum: *Quid facere velles, ſi id ſcires? fac nunc quod facere velles, ſecurus eris.* Moxque conſolatus divinæ ſe commiſit voluntati, & ceſſavit anxia fluctuatio, noluitque inveſtigare quæ ſibi eſſent futura, ſed magis ſtuduit inquirere quæ eſſet Dei voluntas bene placens & perfecta, ad omne opus bonum inchoandum & perficiendum. Ita ille.

MISERICORDIA DEI.

Miſericordia Dei velut primatum tenet inter ejus perfectiones & attributa.

Dei miſericordia præcipua attributorum divinorum.

Sicut Principes in ſuis ſtemmatibus ſolent ponere omnes titulos, & inſignia Nobilitatis ſuæ; ſed primo loco ponunt id, a quo majorem Nobilitatem familia ſortitur, aut certè in medio, ut cætera circumſtent: Ita dicimus, divina inſignia & ſtemmata, eſſe Dei perfectiones varias; ſapientiam, potentiam, juſtitiam, &c. Sed primum locum Miſericordiæ attribuimus, quæ nobis etiam miſeris ſuavius ſapit cæteris. Unde cùm Moyſes in foramine petræ, tranſeuntis Dei gloriam, juxta quod promiſerat ei Deus, inſpiceret; ſtatim in ipſam Miſericordiam oculos & mentem figit, quaſi elucentem inter omnia, & exclamat:
Exod. 34. 6. *Miſerator Domine Deus, miſericors & clemens, patiens, & multæ miſerationis, in multa hu qui diligunt te*, &c.

Oſe. 2. 19. Per hanc miſericordiam deſponſat ſibi animas, juxta illud: *Sponſabo te mihi in ſempiternum, ſponſabo te in juſtitia & judicio, in miſericordia & miſerationibus.* Sponſabo te *in juſtitia*, id eſt, juſtificando te, non enim potes a me diligi, niſi juſta ſis: & *in judicio*, quia judicabo inter te & eum, qui te ante captivam tenebat, feram ſententiam pro te, repellens injuſtum poſſeſſorem a te: *in Miſericordia & miſerationibus*, hoc eſt, faciendo tecum maximas miſericordias, liberando te à miſeriis magnis, in quibus eras, idque non tuis meritis, ſed miſericordia mea, donis meis te ornando, ſicut ſponſi ſolent dare arrhas, & ſponſam ornare. Sponſo huic duo ubera ſolent attribui, quaſi ſymbola duplicis miſericordiæ erga peccatores. Hæc duo ubera ſunt, *longanimitas in expellendo*, & *facilitas in condonando*: ad quæ ſi quilibet peccator recurſum habeat, ſugens de illis lac ſuave miſericordiæ & pietatis, Deo gratum erit. Sicut enim non gravat matrem diſtenta lacte ubera geſtantem infans, qui ea fugit, ſed potius alleviat & delectat; ſic divinæ bonitati exuberantiſſimæ, moleſtus non eſt, ſed acceptus, qui miſerendi præbet ei materiam, & ad eum recurrit.

Porrò hæc Miſericordia admirabilem habet longitudinem, latitudinem, ſublimitatem, profunditatem dignam ſæpius a nobis conſiderari.

Miſericordia divina.

Primò, Longitudo ejus conſiſtit in hoc, quod ſit æterna: *Ab æterno uſque in æternum miſericordia ejus*, quia a tempore quo Deus eſt, miſericordia ejus
Pſ. 102. 17. eſt erga nos, & durabit in æternum, ita ut ſit ſine principio, ſine fine. Decrevit enim ab æterno, nos
Longitudo. de omni miſeria liberare, & de ſumma illa miſeria, quæ eſt damnatio, præparans nobis fœlicitatem æternam: *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te*
Hier. 31. 3. *miſerans tui*, q. d. Ab eo tempore quo ego Deus ſum, & quo me ipſum dilexi, te quoque dilexi, & miſertus ſum tui. Unde non mirum, ſi ego amorem tuum poſco, ut ab eo tempore quo homo es, & quo amare potes, huic amori meo amorem tuum rependas. Quapropter quilibet fidelis debet cum Davide
Pſ. 135. 12. ſæpe illud Canticum repetere: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia ejus: Confitemini Deo Deorum, quoniam in æternum miſericordia ejus*, &c. Ad ſingulos verſus repetit, *quoniam in æternum miſericordia ejus.* Nos quoque laudemus, quia bonus, quia Deus, quia Dominus noſter, quia mira propter nos fecit, quia miſericordia ejus non habet finem aut principium, & ſæpius reſonemus: *Miſericordias Domini in æternum cantabo.*
Pſ. 88. 2. Quod frequentiſſimè ſummo animi fervore B. Thereſia repetebat.

Latitudo. *Secundò*, Latitudo hujus miſericordiæ in hoc conſiſtit, quod ſe extendat erga omnes homines
Sap. 11. 24 cujuslibet conditionis aut ſtatus, patatus omnes ad ſe recipere. Unde Sapiens *Miſereris omnium quia omnia potes, & diſſimulas peccata propter pœnitentiam.* Omnium, inquit, ſive parvi ſint, ſive magni, ſive nobiles, ſive plebei, ſive liberi, ſive ſervi. Cujus rationem adfert duplicem; tum, quia ſunt opus Dei omnes, tum, quia amat animas, & ex amore naſcitur compaſſio erga earum miſerias. Hæc quoque latitudo in hoc conſiſtit, quod miſericordia ad omnia peccata ſe extendat; quia nullum eſt adeò enorme, quod ejus miſericordia non deleatur, nec numerus

Digitized by Google

merus tantus esse potest, quin infinitè superetur à multitudine miserationum. Undè non semel misereretur, nec solùm septuagies septies, sed sine limite.

Ps.106. 31 *Confiteantur* ergò *Domino misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum.* Nec solùm erga homines, sed & ergà omnes creaturas misericordia hæc se porrigit:

Psal. 32. 5. *Misericordia Domini plena est terra*; quia omnes, quæ sub cœlo sunt creaturæ, subjectæ sunt alicui miseriæ, vel ob aliquem defectum naturalem, vel ob voluntatis perversitatem & malitiam, & Deus solus est, qui potest subvenire & mederi.

Sublimitas. *Tertiò*, Sublimitas misericordiæ consistit in sublimibus donis & beneficiis, quæ ab illo procedunt. In illis quàm sublimis sit misericordia Dei, manifestum evadit. Per illam enim misericordiam sublimem elevat nos ad excellentem illam dignitatem filiorum Dei, & ad hæreditatem æterni sui regni, de vasis iræ & contumeliæ, faciens nos vasa misericordiæ, honoris & gloriæ. Et infinita sunt dona, favores ac beneficia, quæ ex sublimi ejus misericordia prodeunt, ut propterea dicatur nos coronare

Ps.102. 5. *in misericordia & miserationibus.* Ubi advertè phrasim Scripturæ, quæ dum jungit misericordiam & miserationes, significat maximam & copiosissimam misericordiæ effusionem, & omnia genera misericordiæ & beneficentiæ, ut notat Ribera. Hinc

Jer.16.5. Jerem. *Abstulit, inquit Dominus, pacem à populo isto, misericordiam & miserationes*, id est, nullo genere utar misericordiæ. Undè cum dicitur miserator & misericors, non aliud significatur, quàm summè misericors, quia omnia misericordiæ genera erga

Psal.85. 15 nos exercet. Sed dicit David: *Et tu Domine Deus miserator & misericors, patiens & multæ misericordiæ, & verax.* Illa proindè Dei Misericordia multiplex est erga nos, quæ ab eo tempore, quo cœpit in homine, illum prævenit, comitatur, subsequitur usque ad mortem, usque in senectam & senium. Illa est quæ prædestinat, posteà inspirat & vocat, deindè justificat, denique injustitia conservat variis modis & auxiliis, tandem glorificat & coronat. Ideò dicit

Psal.102. David: *Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus. Qui propitiatur, sanat, redimit, coronat in misericordia & miserationibus, omnibusq; replet bonis.*

Profunditas. *Quartò*, Profunditas hujus misericordiæ elucet, in profunda ipsius Dei humiliatione, quâ se ita demisit ad nos, ut misereretur nostri, suscipiendo naturam nostram; ita descendens, ut profundius non posset: ita nos elevans, ut altiùs non posset. Elucet quoque in multis profundis mysteriis, quæ ipse nobis exhibuit vera suæ misericordiæ symbola; & maximè in Sacramento Eucharistiæ, in quo voluit nobiscum manere usque in finem sæculi, ut ibi continuò sugeremus fontes misericordiæ ejus & pietatis. Denique, misericordiæ ejus profunditas elucet in abysso incomprehensibili sapientiæ suæ, per quam omnia vertit in bonum nostrum, afflictiones, tentationes, miserias, imò & ipsa peccata; ita ut in his omnibus splendeat ejus profunda misericordia.

Exempla misericordiæ divinæ passim occurrunt. Undè de S. Maria Ægyptiaca, in vitis PP. lib. 1. Surius 11. April. vixit circà ann. Domini 520. de S. Pelagia, Surius. 8. Octob. aliisque per mitam Dei misericordiam à peccati & damnationis abyssо ereptis.

JUSTITIA DEI.

Justitia quoque est perfectio conveniens Deo, qua maximè eluces in punitione, quam exercet Deus ergà improbos, sivè in hoc sæculo, sivè in futuro.

Justitia Dei quid. S. Bern. dictum flores. S. Bern. v. Impunitas c. 109. Prov.16.

Sicut enim Deus nullum bonum irremuneratum relinquit ex benignitate sua; ita nullum malum impunitum relinquit ex justitia sua: *Impunitas enim, incuria est soboles, insolentia mater, radix impudentiæ, transgressionum nutrix*, ut dixit Bernardus. Quapropter quod de solio & regno hominum dicit Sapientia: *Justitia firmatur solium*, hoc etiam de regno Dei verum est, Reges utique puniendo scelera, impios terrent & coërcent; & sic regno suo firmitatem addunt. Ideò Salomon in throno suo leones aureos toti structuræ subjecit; & cum leones severitatis & vindictæ sint symbolum, significare voluit Justitiæ thronum inniti. Undè & per hos gradus, per justam scilicet eorum punitionem, regnum auspicatus est, quia & de sceleribus impatientem admissis vindictam sumpsit Regni initio, & quos rebelles invenit, ultus est. Contra verò, quanta flagitia & quanta mala ex impunitis sceleribus, oriantur, patet ex cap. 19. Judic. ubi propter vim illatam uxori Levitæ, propè centum millia in bello indè orto trucidata sunt. Ubi sceleris hujus origo refertur in impunitatem scelerum, quæ tunc erant, ut enim dicit sacer Textus: *Non erat Rex in Israel, sed unusquisque faciebat, quod sibi rectum videbatur.* Judic. 17. Nil tale fuisset, si legitimus Magistratus flagitia tunc punivisset. Rectè ergò Levita in duodecim partes dilecat cadaver uxoris, & singulas singulis tribubus mittit, eo consilio, ut cum nemo non gravitate facinoris commoveretur, spectaculi hujus horrore & abominatione, ad justam punitionem invitaretur.

Appositè quoque ad nostrum propositum dixit Augustus apud Senecam in ludo: *Pietate & justitiâ Principes dii fiunt.* Quia non solùm Misericordia, sed & Justitia fulcrum sunt Regni & divini & humani. Hinc in Apocal. ubi introducitur Filius hominis, in medio candelabrorum aureorum, describitur cum gladio acuto ex ore procedente, sed & in manu stellas gestans. Stellæ symbolum sunt præmii, quod Deus electis præparat ex Misericordia; gladius ex utraque parte acutus, symbolum vindictæ, quam reprobis præparat ex Justitia.

Justitia Dei in scelerib[us] puniendis.

Mundum ergò à se creatum Deus (tanquàm Rex Rempubl. suam) per Justitiam administrans, illum fecit apparere jam ab initio creaturæ.

1. In Angelis è cœlo expulsis, ob rebellionem, Job. 4. 2. Pet. 2.

2. In Adam & Eva è Paradiso ejectis ob inobedientiam, Genes. 3.

Digitized by Google

nomine lecti deſignetur. In his autem ordinibus ſunt boni & mali, juſti & injuſti ; & ideo ex eis quidam aſſumuntur, quidam relinquuntur. Sic quoque explicat fusè & pulchrè Auguſtinus.

Auguſt. in Pſ. 99.

Interim nemo debet anxiari & fluctuare, quod neſciat de quo numero ſit: ſed inter manus Domini Jeſu Chriſti ſe ex toto corde, & ſalutem ſuam collocare debet, & dicere quod olim Ægyptii ad Joſeph: *Salus noſtra in manu tua eſt ; tantùm reſpice nos, & lati ſerviemus Regi.* Optimè negotium ſalutis noſtræ conſtituitur in manibus illis, quæ pro nobis fixæ ſunt, ut vincula noſtra ſolverent, in manibus illis, *quæ miſericordia affluunt, nec deſunt foramina per quæ effluant*, ut dixit Bernardus : melius in illis eſt quam in noſtris, non ergo turbemur. *Clamat clavus, clamat vulnus, quòd verè Deus ſit in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* Ubi enim tutius collocaremus? *In manibus tuis ſortes meæ Domine, & tempora mea.* Ibi tutò collocabat Paulus animam ſuam, ſalutem ſuam, omniumque meritorum ſuorum pretioſum theſaurum, dum dicit: *Scio cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem juſtus Judex.*

Gen. 47. 25.

Bernard. ſerm. 61.

Pſ. 30. 16.

2. Tim. 1. 12.

Exempl. Kempis de imit. Chriſti l. 1. c. 15.

Refert Thomas à Kempis hoc exemplum : Religioſus quidam fluctuans, & anxius inter ſpem & metum, quadam vice mœrore affectus Eccleſiam ingrediens ante altare proſtratus, hæc intra ſe dicebat: *O ſi ſcirem quod adhuc perſeveraturus eſſem !* ſtatimque audivit divinum reſponſum : *Quid facere velles, ſi id ſcires? fac nunc quod facere velles, ſecurus eris.* Moxque conſolatus divinæ ſe commiſit voluntati, & ceſſavit anxia fluctuatio, noluitque inveſtigare quæ eſſet futura, ſed magis ſtuduit inquirere quæ eſſet Dei voluntas bene placens & perfecta, ad omne opus bonum inchoandum & perficiendum. Ita ille.

MISERICORDIA DEI.

Miſericordia Dei velut primatum tenet inter ejus perfectiones & attributa.

Dei miſericordia præcipua attributorum divinorum.

SIcut Principes in ſuis ſtemmatibus ſolent ponere omnes titulos, & inſignia Nobilitatis ſuæ; ſed primo loco ponunt id, a quo majorem Nobilitatem familia ſortitur, aut certè in medio, ut cætera circumſtent : Ita dicimus, divina inſignia & ſtemmata, eſſe Dei perfectiones varias ; ſapientiam, potentiam, juſtitiam, &c. Sed primum locum Miſericordiæ attribuimus, quæ nobis etiam miſeris ſuavius ſapit cæteris. Unde cùm Moyſes in foramine petræ, tranſeuntis Dei gloriam, juxta quod promiſerat ei Deus, inſpiceret ; ſtatim in ipſam Miſericordiam oculos & mentem figit, quaſi elucentem inter omnia, & exclamat: *Miſerator Domine Deus, miſericors & clemens, patiens, & multæ miſerationis, in multis his qui diligunt te,* &c.

Exod. 34. 6.

Per hanc miſericordiam deſponſat ſibi animas, juxta illud : *Sponſabo te mihi in ſempiternum, ſponſabo te in juſtitia & judicio, in miſericordia & miſerationibus.* Sponſabo te *in juſtitia*, id eſt, juſtificando te; non enim potes a me diligi, niſi juſta ſis : *& in judicio*, quia judicabo inter te & eum, qui te ante captivam tenebat, feram ſententiam pro te, repellens injuſtum poſſeſſorem à te : *in Miſericordia & miſerationibus*, hoc eſt, faciendo tecum maximas miſericordias, liberando te à miſeriis magnis, in quibus eras, idque non tuis meritis, ſed miſericordia mea, donis meis te ornando, ſicut ſponſi ſolent dare arrhas, & ſponſam ornare. Sponſo huic duo ubera ſolent attribui, quaſi ſymbola duplicis miſericordiæ erga peccatores. Hæc duo ubera ſunt, *longanimitas in expectando*, & *facilitas in condonando* : ad quæ ſi quilibet peccator recurſum habeat, ſugens de illis lac ſuave miſericordiæ & pietatis, Deo gratum erit. Sicut enim non gravat matrem diſtenta lacte ubera geſtantem infans, qui ea ſugit, ſed potius alleviat & delectat; ſic divinæ bonitati exuberantiſſimæ, molеſtus non eſt, ſed acceptus, qui miſerendi præbet ei materiam, & ad eum recurrit.

Poſtò hæc Miſericordia admirabilem habet longitudinem, latitudinem, ſublimitatem, profunditatem dignam ſæpius a nobis conſiderari.

Miſericordia divina.

Primò, Longitudo ejus conſiſtit in hoc, quod ſit æterna : *Ab æterno uſque in æternum miſericordia ejus*, quia a tempore quo Deus eſt, miſericordia ejus eſt erga nos, & durabit in æternum, ita ut ſit ſine principio, ſine fine. Decrevit enim ab æterno, nos de omni miſeria liberare, & de ſumma illa miſeria, quæ eſt damnatio, præparans nobis fœlicitatem æternam : *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miſerans tui*, q. d. Ab eo tempore quo ego Deus ſum, & quo me ipſum dilexi, te quoque dilexi, & miſertus ſum tui. Unde non mirum, ſi ego amorem tuum poſco, ut ab eo tempore quo homo es, & quo amare potes, huic amori meo amorem tuum rependas. Quapropter quilibet fidelis debet cum Davide ſæpe illud Canticum repetere : *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus : Confitemini Deo Deorum, quoniam in æternum miſericordia ejus*, &c. Ad ſingulos verſus repetit, *quoniam in æternum miſericordia ejus.* Nos quoque laudemus, quia bonus, quia Deus, quia Dominus noſter, quia mira propter nos fecit, quia miſericordia ejus non habet finem aut principium, & ſæpius reſonemus : *Miſericordias Domini in æternum cantabo.* Quod frequentiſſimè ſummo animi fervore à Theſſa repetebat.

Longitudo.

Hier. 31. 3.

Pſ. 135. 11.

Pſ. 82. 2.

Latitudo.

Secundò, Latitudo hujus miſericordiæ in hoc conſiſtit, quod ſe extendat erga omnes homines cujuslibet conditionis aut ſtatus, paratus omnes ad ſe recipere. Unde Sapiens *Miſereris omnium quia omnia potes, & diſſimulas peccata propter pœnitentiam.* Omnium, inquit, ſive parvi ſint, ſive magni, ſive nobiles, ſive plebei, ſive liberi, ſive ſervi. Cujus rationem adfert duplicem ; tum, quia ſunt opus Dei omnes, tum, quia amat animas, & ex amore naſcitur compaſſio erga earum miſerias. Hæc quoque latitudo in hoc conſiſtit, quod miſericordia ad omnia peccata ſe extendat ; quia nullum eſt adeò enorme, quod ejus miſericordia non deleatur, nec numerus

Sap. 11. 24.

Digitized by Google

merus tantus esse potest, quin infinitè superetur à multitudine miserationum. Undè non semel misereretur, nec solùm septuagies septies, sed sine limite.

Ps.106. 31 *Confiteantur* ergò *Domino misericordia ejus, & mirabilia ejus filiis hominum.* Nec solùm erga homines, sed & ergà omnes creaturas misericordia hæc se porrigit:

Psal. 32. 5. *Misericordia Domini plena est terra*; quia omnes, quæ sub cœlo sunt creaturæ, subjectæ sunt alicui miseriæ, vel ob aliquem defectum naturalem, vel ob voluntatis perversitatem & malitiam, & Deus solus est, qui potest subvenire & mederi.

Sublimitas. *Tertiò*, Sublimitas misericordiæ consistit in sublimibus donis & beneficiis, quæ ab illo procedunt. In illis quàm sublimis sit misericordia Dei, manifestum evadit. Per illam enim misericordiam sublimem elevat nos ad excellentem illam dignitatem filiorum Dei, & ad hæreditatem æterni sui regni, de vasis iræ & contumeliæ, faciens nos vasa misericordiæ, honoris & gloriæ. Et infinita sunt dona, favores ac beneficia, quæ ex sublimi ejus misericordia prodeunt, ut propterea dicatur nos coronare

Ps.102. 5. *in misericordia & miserationibus.* Ubi advertè phrasim Scripturæ, quæ dum jungit misericordiam & miserationes, significat maximam & copiosissimam misericordiæ effusionem, & omnia genera misericordiæ & beneficentiæ, ut notat Ribera. Hinc

Jer.16.5. Jerem. *Abstulit, inquit Dominus, pacem à populo isto, misericordiam & miserationes*, id est, nullo genere utar misericordiæ. Undè cum dicitur miserator & misericors, non aliud significatur, quàm summè misericors, quia omnia misericordiæ genera erga nos exercet. Sed dicit David:

Psal.85. 15 *Es tu Domine Deus miserator & misericors, patiens & multæ misericordiæ, & verax.* Illa proindè Dei Misericordia multiplex est ergà nos, quæ ab eo tempore, quo cœpit in homine, illum prævenit, comitatur, subsequitur usque ad mortem, usque in senectam & senium. Illa est quæ prædestinat, postea inspirat & vocat, deindè justificat, denique in justitia conservat variis modis & auxiliis, tandem glorificat & coronat. Ideò dicit

Psal.102. David: *Benedic anima mea Domino, & noli obliviscì omnes retributiones ejus. Qui propitiatur, sanat, redimit, coronat in misericordia & miserationibus, omnibusq; replet bonis.*

Profunditas. *Quartò*, Profunditas hujus misericordiæ elucet, in profunda ipsius Dei humiliatione, quâ se ita demisit ad nos, ut misereretur nostri, suscipiendo naturam nostram; ita descendens, ut profundius non posset: ita nos elevans, ut altiùs non posset. Elucet quoque in multis profundis mysteriis, quæ ipse nobis exhibuit vera suæ misericordiæ symbola; & maximè in Sacramento Eucharistiæ, in quo voluit nobiscum manere usque in finem sæculi, ut ibi continuò fugeremus fontes misericordiæ ejus & pietatis. Denique, misericordiæ ejus profunditas elucet in abyssio incomprehensibili sapientiæ suæ, per quam omnia vertit in bonum nostrum, afflictiones, tentationes, miserias, imò & ipsa peccata; ita ut in his omnibus splendeat ejus profunda misericordia.

Exempla misericordiæ divinæ passim occurrunt. Undè de S. Maria Ægyptiaca, in vitis PP. lib. 1. Surius 11. April. vixit circà ann. Domini 520. de S. Pelagia, Surius. 8. Octob. aliisque per miram Dei misericordiam è peccati & damnationis abyssio ereptis.

JUSTITIA DEI.

Justitia quoque est perfectio conveniens Deo, quæ maximè elucet in punitione, quam exercet Deus ergà improbos, sivè in hoc sæculo, sivè in futuro.

Justitia Dei quid. S. Bern. dictum flores. S. Bern. v. Impunitas c. 109. Prov. 16.

Sicut enim Deus nullum bonum immunetatum relinquit ex benignitate sua; ita nullum malum impunitum relinquit ex justitia sua: *Impunitas enim, incuria est soboles, insolentia mater, radix impudentiæ, transgressionum nutrix*, ut dixit Bernardus. Quapropter quod de solio & regno hominum dicit Sapientia: *Justitia firmatur solium*, hoc etiam de regno Dei verum est, Reges utique puniendo scelera, impios terrent & coërcent; & sic regno suo firmitatem addunt. Ideò Salomon in throno suo leones aureos toti structuræ subjecit; & cum leones severitatis & vindictæ sint symbolum, significare voluit Justitiæ thronum innixi. Undè & per hos gradus, per justam scilicet eorum punitionem, regnum auspicatus est, quia & de sceleribus in patentem admissis vindictam sumpsit Regni initio, & quos rebelles invenit, ultus est. Contrà verò, quanta flagitia & quanta mala ex impunitis sceleribus oriantur, patet ex cap. 19. Judic. ubi propter vim illatam uxori Levitæ, propè centum millia in bello indè orto trucidata sunt. Ubi sceleris hujus origo refertur in impunitatem scelerum, quæ tunc erant, ut enim dicit sacer Textus: *Non erat Rex in Israel, sed unusquisque faciebat, quod sibi rectum videbatur.* Judic. 17. Nil tale fuisset, si legitimus Magistratus flagitia tunc punivisset. Rectè ergò Levita in duodecim partes dilecat cadaver uxoris, & singulas singulis tribubus mittit, eo consilio, ut cum nemo non gravitate facinoris commoveretur, spectaculi hujus horrore & abominatione, ad justam punitionem invitaretur.

Appositè quoque ad nostrum propositum dixit Augustus apud Senecam in ludo: *Pietate & justitiâ Principes dii fiunt.* Quia non solùm Misericordia, sed & Justitia fulcrum sunt Regni & divini & humani. Hinc in Apocal. ubi introducitur Filius hominis, in medio candelabrorum aureorum, describitur cum gladio acuto ex ore procedente, sed & in manu stellas gestans. Stellæ symbolum sunt præmii, quod Deus electis præparat ex Misericordia; gladius ex utraque parte acutus, symbolum vindictæ, quam reprobis præparat ex Justitia.

Mundum ergò à se creatum Deus, tanquàm Rex Rempubl. suam, per Justitiam administrans, illum fecit apparere jam ab initio creaturæ.

Justitia Dei in sceleri[illegible] puniendis.

1. In Angelis è cœlo expulsis, ob rebellionem, Job. 4. 2. Pet. 2.

2. In Adam & Eva è Paradiso ejectis ob inobedientiam, Genes. 3.

Digitized by Google

nomine lecti deſignetur. In his autem ordinibus ſunt boni & mali, juſti & injuſti; & ideo ex eis quidam aſſumuntur, quidam relinquuntur. Sic quoque
Auguſt. in Pſ. 99. explicat ſuſè & pulchrè Auguſtinus.

Interim nemo debet anxiari & fluctuare, quod neſciat de quo numero ſit; ſed inter manus Domini Jeſu Chriſti ſe ex toto corde, & ſalutem ſuam collocare debet, & dicere quod olim Ægyptii ad Joſeph:
Gen. 47. 25. *Salus noſtra in manu tua eſt; tantùm reſpice nos, & lati ſerviemus Regi.* Optimè negotium ſalutis noſtræ conſtituitur in manibus illis, quæ pro nobis fixæ ſunt, ut vincula noſtra ſolverent, in manibus illis, *quæ miſericordia affluunt, nec deſunt foramina per quæ effluant*, ut dixit Bernardus: melius in illis eſt quam in noſtris, non ergo turbemur. *Clamat clavus, clamat vulnus, quòd verè Deus ſit in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* Ubi enim tutius collocaremus? *In manibus tuis ſortes meæ Domine, & tempora mea.* Ibi tutò collocabat Paulus animam ſuam, ſalutem ſuam, omniumque meritorum ſuorum pretioſum theſaurum,
Bernard. ſerm. 61. Pſ. 30. 16. 2. Tim. 1. 12. dum dicit: *Scio cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem juſtus Judex.*

Exempl. Kempis de imit. Chriſti l. 1. c. 25. Refert Thomas à Kempis hoc exemplum: Religioſus quidam fluctuans, & anxius inter ſpem & metum, quadam vice mœrore affectus Eccleſiam ingrediens ante altare proſtratus, hæc intra ſe dicebat: *O ſi ſcirem quod adhuc perſeveraturus eſſem!* ſtatimque audivit divinum reſponſum: *Quid facere velles, ſi id ſcires? fac nunc quod facere velles, ſecurus eris.* Moxque conſolatus divinæ ſe commiſit voluntati, & ceſſavit anxia fluctuatio, noluitque inveſtigare quæ ſibi eſſent futura, ſed magis ſtuduit inquirere quæ eſſet Dei voluntas bene placens & perfecta, ad omne opus bonum inchoandum & perficiendum. Ita ille.

MISERICORDIA DEI.

Miſericordia Dei velut primatum tenet inter ejus perfectiones & attributa.

Dei miſericordia præcipua attributorum divinorum.

Sicut Principes in ſuis ſtemmatibus ſolent ponere omnes titulos, & inſignia Nobilitatis ſuæ; ſed primo loco ponunt id, a quo majorem Nobilitatem familia ſortitur, aut certè in medio, ut cæteta circumſtent: Ita dicimus, divina inſignia & ſtemmata, eſſe Dei perfectiones varias; ſapientiam, potentiam, juſtitiam, &c. Sed primum locum Miſericordiæ attribuimus, quæ nobis etiam miſeris ſuavius ſapit cæteris. Unde cum Moyſes in foramine petræ, tranſeuntis Dei gloriam, juxta quod promiſerat ei Deus, inſpiceret; ſtatim in ipſam Miſericordiam oculos & mentem figit, quaſi elucentem inter omnia, & exclamat:
Exod. 34. 6. *Miſerator Domine Deus, miſericors & clemens, patiens, & multa miſerationis, in nullis his qui diligunt te*, &c.

Oſe. 2. 19. Per hanc miſericordiam deſponſat ſibi animas, juxta illud: *Sponſabo te mihi in ſempiternum, ſponſabo te in juſtitia & judicio, in miſericordia & miſerationibus.* Sponſabo te *in juſtitia*, id eſt, juſtificando te; non enim poteſ a me diligi, niſi juſta ſis: & *in judicio*, quia judicabo inter te & eum, qui te ante captivam tenebat, feram ſententiam pro te, repellens injuſtum poſſeſſorem à te: *in Miſericordia & miſerationibus*, hoc eſt, faciendo tecum maximas miſericordias, liberando te à miſeriis magnis, in quibus eras, idque non tuis meritis, ſed miſericordia mea, donis meis te ornando, ſicut ſponſi ſolent dare arrhas, & ſponſam ornare. Sponſo huic duo ubera ſolent attribui, quaſi ſymbola duplicis miſericordiæ erga peccatores. Hæc duo ubera ſunt, *longanimitas in expellendo*, & *facilitas in condemnando*: ad quæ ſi quilibet peccator recurſum habeat, ſugens de illis lac ſuave miſericordiæ & pietatis, Deo gratum erit. Sicut enim non gravat matrem diſtenta lacte ubera geſtantem infans, qui ea ſugit, ſed potius alleviat & delectat; ſic divinæ bonitati exuberantiſſimæ, moleſtus non eſt, ſed acceptus, qui miſereudi præbet ei materiam, & ad eum recurrit.

Porrò hæc Miſericordia admirabilem habet longitudinem, latitudinem, ſublimitatem, profunditatem dignam ſæpius a nobis conſiderari.

Miſericordia divina.

Primò, Longitudo ejus conſiſtit in hoc, quod ſit æterna: *Ab æterno uſque in æternum miſericordia ejus*, quia a tempore quo Deus eſt, miſericordia ejus
Pſ. 102. 17. eſt erga nos, & durabit in æternum, ita ut ſit ſine principio, ſine fine. Decrevit enim ab æterno, nos
Longitudo. de omni miſeria liberare, & de ſumma illa miſeria, quæ eſt damnatio, præparans nobis fœlicitatem æternam: *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te*
Hier. 31. 3. *miſerans tui*, q. d. Ab eo tempore quo ego Deus ſum, & quo me ipſum dilexi, te quoque dilexi, & miſertus ſum tui. Unde non mirum, ſi ego amorem tuum poſco, ut ab eo tempore quo homo es, & quo amare potes, huic amori meo amorem tuum rependas. Quapropter quilibet fidelis debet cum Davide
Pſ. 135. 12. ſæpe illud Canticum repetere: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus: Confitemini Deo Deorum, quoniam in æternum miſericordia ejus*, &c. Ad ſingulos verſus repetit, *quoniam in æternum miſericordia ejus.* Nos quoque laudemus, quia bonus, quia Deus, quia Dominus noſter, quia mira propter nos fecit, quia miſericordia ejus non habet finem aut principium, & ſæpius reſonemus: *Miſericordias Domini in æternum cantabo.*
Pſ. 82. 2. Quod frequentiſſime ſummo animi fervore B. Thecla repetebat.

Secundò, Latitudo hujus miſericordiæ in hoc conſiſtit, quod ſe extendat erga omnes homines cujuslibet conditionis aut ſtatus, paratus omnes
Latitudo. Sap. 11. 24 ad ſe recipere. Unde Sapiens *Miſereris omnium quia omnia potes, & diſſimulas peccata propter pœnitentiam.* Omnium, inquit, ſive parvi ſint, ſive magni, ſive nobiles, ſive plebei, ſive liberi, ſive ſervi. Cujus rationem adfert duplicem; tum, quia ſunt opus Dei omnes, tum, quia amat animas, & ex amore naſcitur compaſſio erga earum miſerias. Hæc quoque latitudo in hoc conſiſtit, quod miſericordia ad omnia peccata ſe extendat; quia nullum eſt adeo enorme, quod ejus miſericordia non deleatur, nec numerus

Digitized by Google

merus tantus eſſe poteſt, quin infinitè ſuperetur à multitudine miſerationum. Undè non ſemel miſeretur, nec ſolum ſeptuagies ſepties, ſed ſine limite.

Pſ.106. 31 *Confiteantur* ergò *Domino miſericordia ejus, & mirabilia ejus filiis hominum.* Nec ſolùm erga homines, ſed & ergà omnes creaturas miſericordia hæc ſe porrigit:

Pſal. 32. 5. *Miſericordia Domini plena eſt terra*; quia omnes, quæ ſub cœlo ſunt creaturæ, ſubjectæ ſunt alicui miſeriæ, vel ob aliquem defectum naturalem, vel ob voluntatis perverſitatem & malitiam, & Deus ſolus eſt, qui poteſt ſubvenire & mederi.

Sublimitas. *Tertiò*, Sublimitas miſericordiæ conſiſtit in ſublimibus donis & beneficiis, quæ ab illo procedunt. In illis quam ſublimis ſit miſericordia Dei, manifeſtum evadit. Per illam enim miſericordiam ſublimem elevat nos ad excellentem illam dignitatem filiorum Dei, & ad hæreditatem æterni ſui regni, de vaſis iræ & contumeliæ, faciens nos vaſa miſericordiæ, honoris & gloriæ. Et infinita ſunt dona, favores ac beneficia, quæ ex ſublimi ejus miſericordia prodeunt, ut propterea dicatur nos coronare

Pſ.102. 5. *in miſericordia & miſerationibus.* Ubi advertè phraſim Scripturæ, quæ dum jungit miſericordiam & miſerationes, ſignificat maximam & copioſiſſimam miſericordiæ effuſionem, & omnia genera miſericordiæ & beneficentiæ, ut notat Ribeira. Hinc

Jer.16.5. Jerem. *Abſtulit, inquit Dominus, pacem à populo iſto, miſericordiam & miſerationes*, id eſt, nullo genere utar miſericordiæ. Undè cum dicitur miſerator & miſericors, non aliud ſignificatur, quam ſummè miſericors, quia omnia miſericordiæ genera erga

Pſal.85. 15 nos exercet. Sed dicit David: *Et tu Domine Deus miſerator & miſericors, patiens & multæ miſericordiæ, & verax.* Illa proindè Dei Miſericordia multiplex eſt ergà nos, quæ ab eo tempore, quo cœpit in homine, illum prævenit, comitatur, ſubſequitur uſque ad mortem, uſque in ſenectam & ſenium. Illa eſt quæ prædeſtinat, poſtea inſpirat & vocat, deindè juſtificat, denique injuſtitia conſervat variis modis & auxiliis, tandem glorificat & coronat. Ideò dicit

Pſal.102. David: *Benedic anima mea Domino, & noli obliviſci omnes retributiones ejus. Qui propitiatur, ſanat, redimit, coronat te miſericordia & miſerationibus, omnibuſq; replet bonis.*

Profunditas. *Quartò*, Profunditas hujus miſericordiæ elucet, in profunda ipſius Dei humiliatione, quâ ſe ita demiſit ad nos, ut miſeretur noſtri, ſuſcipiens naturam noſtram; ita deſcendens, ut profundius non poſſet: ita nos elevans, ut altiùs non poſſet. Elucet quoque in multis profundis myſteriis, quæ ipſe nobis exhibuit vera ſuæ miſericordiæ ſymbola; & maximè in Sacramento Euchariſtiæ, in quo voluit nobiſcum manere uſque in finem ſæculi, ut ibi continuò ſugeremus fontes miſericordiæ ejus & pietatis. Denique, miſericordiæ ejus profunditas elucet in abyſſo incomprehenſibili ſapientiæ ſuæ, per quam omnia vertit in bonum noſtrum, afflictiones, tentationes, miſerias, imò & ipſa peccata; ita ut in his omnibus ſplendeat ejus profunda miſericordia.

Exempla miſericordiæ divinæ paſſim occurrunt. Undè de S. Maria Ægyptiaca, in vitis PP. lib. 1. Surius 11. April. vixit circa ann. Domini 520. de S. Pelagia, Surius. 8. Octob. aliiſque per miram Dei miſericordiam è peccati & damnationis abyſſo ereptis.

JUSTITIA DEI.

Juſtitia quoque eſt perfectio conveniens Deo, qua maximè eluces in punitione, quam exercet Deus ergà improbos, ſivè in hoc ſæculo, ſivè in futuro.

Juſtitia Dei quid. S. Bern. dictum flores.

SIcut enim Deus nullum bonum inremuneratum relinquit ex benignitate ſua; ita nullum malum impunitum relinquit ex juſtitia ſua: *Impunitas enim, incuria eſt ſoboles, inſolentia mater, radix impudentiæ, tranſgreſſionum nutrix*, ut dixit Bernardus. Quapropter quod de ſolio & regno hominum dicit Sapientia: *Juſtitia firmatur ſolium*, hoc etiam de regno Dei verum eſt, Reges utique puniendo ſcelera, impios terrent & coërcent; & ſic regno ſuo firmitatem addunt. Ideò Salomon in throno ſuo leones aureos toti ſtructuræ ſubjecit; & cum leones ſeveritatis & vindictæ ſint ſymbolum, ſignificare voluit Juſtitiæ thronum inniti. Unde & per hos gradus, per juſtam ſcilicet eorum punitionem, regnum auſpicatus eſt, quia & de ſceleribus in parentem admiſſis vindictam ſumpſit Regni initio, & quos rebelles invenit, ultus eſt. Contra verò, quanta flagitia & quanta mala ex impunitis ſceleribus oriantur, patet ex cap. 19. Judic. ubi propter vim illatam uxori Levitæ, propè centum millia in bello indè orto trucidata ſunt. Ubi ſceleris hujus origo refertur in impunitatem ſcelerum, quæ tunc erant, ut enim dicit ſacer Textus: *Non erat Rex in Iſrael, ſed unuſquiſque faciebat, quod ſibi rectum videbatur.* Judic. 17. Nil tale fuiſſet, ſi legitimus Magiſtratus flagitia tunc puniviſſet. Rectè ergò Levita in duodecim partes diſſecat cadaver uxoris, & ſingulas ſingulis tribubus mittit, eo conſilio, ut cum nemo non gravitate facinoris commoveretur, ſpectaculi hujus horrore & abominatione, ad juſtam punitionem invitaretur.

Appoſitè quoque ad noſtrum propoſitum dixit Auguſtus apud Senecam in ludo: *Pietate & juſtitiâ Principes dii ſunt.* Quia non ſolum Miſericordia, ſed & Juſtitia fulcrum ſunt Regni & divini & humani. Hinc in Apocal. ubi introducitur Filius hominis, in medio candelabrorum aureorum, deſcribitur cum gladio acuto ex ore procedente, ſed & in manu ſtellas geſtans. Stellæ ſymbolum ſunt præmii, quod Deus electis præparat ex Miſericordia; gladius ex utraque parte acutus, ſymbolum vindictæ, quam reprobis præparat ex Juſtitia.

Mundum ergò à ſe creatum Deus, tanquàm Rex Rempubl. ſuam, per Juſtitiam adminiſtrans, illum fecit apparere jam ab initio creaturæ.

Juſtitia Dei in ſceleri[illegible] puniend.

1. In Angelis è cœlo expulſis, ob rebellionem, Job. 4. 2. Pet. 2.

2. In Adam & Eva è Paradiſo ejectis ob inobedientiam, Geneſ. 3.

3. In Cain profugo, in vindictam fratricidii Geneſ. 4.

4. In diluvio, ob corruptionem carnis tunc regnantem. Geneſ. 7. & 8.

5. In Sodoma, igne de cœlo deſcendente. Gen. 19

6. In plagis Ægyptiacis & Ægyptiis oppreſſoribus Iſrael, in mari ſepultis. Exod. 7. 8. 9. 10. 12.

7. In tot calamitatibus, bellis, preſſuris, quas paſſus eſt populus Iſrael, ob rebellionem contra Deum, in tot captivitatibus, quæ ob peccata eorum obvenerunt.

8. In Sennacherib, in Davide, in Nabuchodonoſor, Antiocho, Balthaſare, & aliis vindictæ ac juſtitiæ divinæ exemplis, quibus plena Scriptura.

Nota tamen primò, Deum nunquam per Juſtitiam ſic punire, quin miſericordia miſceatur. Ideò docent Theologi, quod citra condignum etiam in inferno puniat damnatos, ſicque ibi ſit aliquid miſericordiæ. Undè verum eſt illud Abacuc : *Cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.* Notat D. Ambroſius hanc miſericordiam in Oliva remanente, dum immittit diluvium. Quærit enim, an ramus olivæ per columbam pacis nunciam allatus, fuerit noviter productus a terra, an verò adhuc manſerit de veteri, non obſtante diluvio? Priùs dici non poteſt, quia Sol necdum radios ſuos explicârat, ut produceretur. Poſterius etiam habet difficultatem, quâ dicitur, quicquid habebat ſpiraculum vitæ, conſumptum fuiſſe; & omnes arbores evulſæ videntur, aquarum impetu inundante. Reſpondet, quod diluvium non exterminavit omnem olivam, quia illa eſt arbor miſericordiæ, cui diluvium non poteſt, nec potuit prævalere. Quantumlibet ergò inundet juſtitiæ furor, ſemper tamen manet aliquis ramus miſericordiæ divinæ, cui non prævalet impetus undans juſtitiæ. Et hoc ſignificari dicit in oliva remanente.

Ambroſ. de Noe c. 16.

Nota ſecundò, licèt ad divinum regimen ſpectet ſcelera punire, non ita tamen proprium illi eſt atque miſereri. Undè canit Eccleſia: *Deus cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere.* Et ad hujus rei confirmationem facit, quod Iſaias dicit: *Dominus iraſcetur ut faciat opus ſuum, alienum opus ejus; ut operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus ejus ab eo.* Ubi contradictio videtur, dum opus ejus dicitur *iraſci*, & tamen opus alienum, opus ſuum, & opus peregrinum. Ænigma certè eſt, quod explicat D. Hieron. Quia officium quidem Dei eſt punire; & tamen alienum aliquo modo ab eo, cui proprium eſt miſereri. Sicut diceremus, quod proprium apis eſt mellificare, habet etiam tamen pungere, cum moleſtatur, quod eſt opus alienum ab ea, velut extortum quâdam injuriâ. Undè dicit Bernard. *An quæris, quomodo proprium illi eſt miſereri, cujus judicia abyſſus multa? Verum id quidem eſt, ſed quod miſeretur, proprium eſt illi; nam ex ſe ſumit materiam & velut quoddam ſemen miſerendi; quod autem nos judicat, condemnat, cum quodammodò cogimur, ut longè aliter de corde ipſius meremur, quam animadverſo procedere videatur: Numquid voluntatis meæ, inquit, mors impii eſt, & non magis ut convertatur, ut vivat.*

Iſa. 28. 21

Bernard. ſerm. 36. in Cant. v. flores S. Bern. c. 138.

Hinc dicitur Deus velox ad miſericordiam, tardus ad iram; pedes laneos dicitur habere, dum procedit ad vindictam. Vis id videre? Audi Chryſoſt. *Nos homines multo tempore ædificamus, uno die deſtruimus. Deus contrà. Cùm ſtruit, velociter ſtruit, cùm deſtruit, tardè deſtruit. Illud potentiæ, bonitatis iſtud; potentiæ excellentia velox, multa de bonitate tardus. Sex diebus cœlum & terram, & quæ in eis ſunt, creavit; ut unam urbem Jericho deſtrueret, ſeptem diebus circuivit. David peccantem multis diebus toleravit, pœnitentem uno verbo reſtauravit.* Audi & alia.

Deus ad miſericordiam promptior quam juſtitiam. Chryſoſt. hom. 5. de pœnit.

Primò: Quàm lentè proceſſit ad punitionem Adæ? dicitur enim *ambulaſſe ad auram poſt meridiem*, dum venit ad eum ejiciendum è Paradiſo; quaſi attrahens auram Miſericordiæ, ut fervorem Juſtitiæ temperaret. Ambulabat enim poſt meridiem, non in fervore diei, & lentè ambulabat.

Secundò, Quam lentè proceſſit, dum debuit propter peccata immittere diluvium? Centum jam annis antèa monuit Noë de arca, ut & ipſe tanquàm præco juſtitiæ cæteros moneret, ut ſibi cavererent ab hac vindicta. Undè & tactus dolore cordis intrinſecus, dixit Dominus: *Delebo hominem, quem formavi*, ſignificans, id ſe coactè facere.

Tertiò: Quàm lentè proceſſit, cùm ignem miſit ſuper Sodomam? Dicebat ad Abraham, ſe veniſſe ut videret, an opere compleverint peccata illa, quorum clamor aſcendebat in cœlum; & ad veſperam veniebant Angeli executores. Dixitque Dominus ad Abraham, ſe paratum parcere civitati, non ſolùm ſi quinquaginta, aut triginta, aut viginti forent juſti, ſed ſi tantùm decem.

Quartò: Generaliter quaſi condolet, dum venire debet ad punitionem. Undè per Iſaiam dicit: *Heu, vindicabor de inimicis meis!* Ubi *heu*, eſt interjectio dolentis Dei, dum agitur de vindicta. Item per Iſaiam dicit. *An gradior ſuper eam? Succendam eam? An potiùs tenebit fortitudinem meam. Faciet pacem mihi, pacem faciet mihi?* Ubi agit inſtar patris, qui filium peccantem debet percutere, ſed coactus; undè cupit parcere, ſi ille humiliet ſe ad pacem habendam. Sic dicit de Ephraim: *Quomodo dabo te Ephraim? Quomodo dabo te ſicut Adama & Seboim?* Senſus eſt: Quid de te faciam? Quomodò te tractabo, cùm quotidiè mei oblitus idola adores? Certè mereris, ut me geram ergà te ſicut ergà Adama & Seboim, quas igne abſumpſi cum Sodoma & Gomorrha. Addit Dominus: *Converſum eſt cor meum, conturbata eſt pœnitudo mea.* q. d. more humano loquens; Dolor quidam in me inſurgit, dum cogito, quod ita te velim punire, & ſic me pœnitet: Non ergò te ità acerbè puniam, *quia Deus ego, & non homo*, hoc eſt, bonus ego ſum, inquit Cyrillus, non concedam iræ, ut vincat, quod humanum eſt. *Auſteritatem judicii mitigat pietate Patris*, inquit Hieron. ibi.

Iſa. 27. 4.

Oſe. 12. 8.

Quintò: Dat Deus ſignificationem, ut fugiamus

Digitized by Google

à facie arcus justitiæ suæ; sed cùm videt nos obstinatos in peccatis, tarditatem supplicii gravitate compensat & pœnarum æternitate. Unde per Jeremiam dicit: *Plaga inimici percussi te., castigatione crudeli, propter multitudinem iniquitatis, Quid clamas? Insanabilis est dolor tuus, propter dura peccata tua feci hæc tibi,* Plaga amici hic percutit Deus, ut corrigat, & mitis est; in inferno percutit, ut puniat; & crudelis est: Quid clamas, ô homo in tormentis? Non habet remedium dolor tuus, æternus erit cruciatus, durissima peccata tua, me tibi fecere durissimum, & inflexibile cor tuum, me tibi inflexibilem. Verè ergò dicit Psalmista: *Justus Dominus in omnibus viis suis,* & item: *Justus es Domine, & rectum judicium tuum.* Quem locum explicans Hugo, sic dicit: *Justus,* ergo te timeant injusti: *Domine,* ergo te timeant superbi: *& rectum,* ergo te timeant distorti: *Judicium tuum,* ergo te timeant judicandi.

Jer. 30.14

Ps. 144.17

Ps. 118. 137.

Exempl. de Mauritio Imper. Cedrenus, Zonaras, Eutropius, Paul. Diaconus. L. 17. c. 29. & 52.

Hoc rectè intellexit Mauritius Imperator, in cujus præsentia occisi sunt filii octo, & uxor; at cùm singuli capite truncarētur, inclamabat istud: *Justus es Domine, & rectum judicium tuum.* Rem sic narrant Historici: Mauritius Imperator crudelis fuit, & avarus, usus crudelitate magna erga cives & captivos ab hostibus; quos cum levi pretio redimere posset, noluit. Unde omnes occisi fuere anno Christi 600. Postea agnoscens gravem suam culpam, instanter petiit à Domino, ut peccata sua in hac vita punirentur imo per omnes Ecclesias idipsum fieri petiit. In nocturno enim visu, viderat Imperator omnem hanc occisorum turbam, in aula quadam magna ante Christum Judicem insurgere, & tantam inhumanitatem accusare. Quod ergo petiit à Domino, id factum est, & revelatum ei fuit, punitionem hanc exercendam, per Nobilem quendam suum, cui nomen Phocas. Ille invasit imperium, & cùm spoliasset Imperatorem, tandem jussit eum capite plecti cum uxore, & octo filiis. Vir verò hic humiliatus & in terram prostratus ad ictum, quemlibet, quo jugulum puerorum impetebatur, cum fervore spiritus, illud pronunciabat: *Justus es Domine, & rectum judicium tuum.* Tantamque habuit in fine notitiam judiciorum Dei, ut cum nutrix vellet abscondere unum ex pueris, (supponens suum vestitum ornatu Imperiali) noluerit id permittere; sed ipsemet rem propalarit, dicens id debere fieri propter peccata sua, quia *Justus est Dominus.*

ARTICVLVS I.
CREDO IN DEUM

LECTIO II.

1. *Docet, Deum unum esse in Natura.*
2. *Trinum esse in Personis.*
3. *Trinitatis mysterium credendum esse, non scrutandum.*

PROPOSITIO I.

Sicut ratio naturalis agnoscit Deum esse, ita etiam ipsum unum esse in Essentia.

RAtio est, quasi id quod dicitur Deus, debet habere omnem perfectionem possibilem, rectè sequitur, habere unicam Essentiam infinitam & infinitè perfectam. Et proinde sequitur, unicam esse Divinitatem, unum primum Ens, primum Principium, primum Agens: Si enim plures Dii essent, deberent aliqua perfectione distingui, quæ in uno esset, non in altero, & sic non haberent omnem perfectionem. *Deus unus est in Essentia.*

Rectè Bernard. *Ille dignè pro sua possibilitate divinam æstimat magnificentiam, qui nihil in ea cogitat dispar ubi est totum summum, nihil distans, ubi totum est unum, nihil hians, ubi totum est integrum, nihil denique imperfectum ubi totum est totum.* Bernard. epist. 14. ad Innoc.

Audi ergo Israel: *Dominus Deus tuus unus est.* Audi Christiane: *Unus Deus, una Fides, unum Baptisma.* Deut. 6. Eph. 4.6.

Hæc verba Angelus exhibuit aureis litteris scripta Valeriano sponso S. Cæciliæ, cùm ab Idolorum cultu ad fidem veram est conversus. Miserat eum Cæcilia ad Urbanum Pontif. latentem in locis subterraneis ob persecutiones. Veniens narrat quæ prima nuptiarum nocte egisset sponsa, nolens attingi, dicens se in custodia Angeli esse, qui non permitteret id sine ultione, seque desiderio videndi Angelum illum, Baptismum petere, fidemque Christianam amplecti. Procidit Pontifex sanctus in terram, & ad Deum manus levans, sic oravit: *Domine Deus seminator casti consilii, suscipe seminium fructus, quos in Cæcilia seminasti: ecce enim sponsus ejus tanquam agnus venit ad me, ut legem tuam amplectatur, illumina cor ejus, & clarè te manifesta, ut te Deum verum sectetur & colat.* Cumque sic oraret: Ecce vir facie fulgidus apparuit, habens libellum aureis literis conscriptum: cujus conspectu territus Valerianus, in terram cecidit, sed eum erexit Urbanus, & legere iussit. Erat ergo scriptum ibi: *unus verus Deus, una Fides, unum Baptisma.* Statimque respondit se credere; & Angelo disparente, ab Urbano est baptizatus. Exempl. Sur. in vita S. Cæciliæ 22. Novem.

D. Cyprianus probans hanc unitatem in Deo sic ait: *Unus Deus & Dominus; neque enim illa sublimitas posset habere consortem, cùm sola omnium teneat potestatem. Ad divinum imperium, de terris mutuemur exemplum. Quando unquam regni societas, aut cum fide cepit, aut sine cruore defuit? Romanas gemines unum non capit regnum, quas unum uteri cepit hospitium. Pompejus & Cæsar affines fuere, nec tamen necessitudinis fœdus in æmula potestate tenuerunt. Nec hoc de homine mireris, cum omnis in hoc natura consentiat. Rex unus in apibus, Dux unus in gregibus, in armentis Rector unus, multò magis mundi est Creator, qui universa quæcunque sunt, verbo jubet, ratione dispensat, virtute conjungunt,* Ita ille. D. Cyp.

Digitized by Google

Alexander interrogabatur, cur tanto deſiderio ambiret totius orbis Monarcha fieri? Reſpondit: *Vt orbem totum bello liberem.* Omnia enim, inquit, bella ex triplici oriuntur cauſa, ob pluralitatem Deorum, vel Legum, Volo igitur Orbis Monarchiam ſolus tenere, ut ſic poſſim decernere, ut omnes unum adorent Deum, Regi ſerviant uni, unam obſervent legem. Idem fertur Dario partem ſibi Aſiæ offerenti reſpondiſſe: *Cœlum non patitur duos Soles, Rex unicus eſto.*

Anton. Guevara ep. l. 3. epiſt. 1.

Ex dictis patet cœcitas Gentilium, tot ſibi Deos fingentium. Ex ſolis enim terræ Diis, triginta millia colebantur, inquit Heſiodor. & Euſebius. In ingreſſu domus poſt januam habebant Deos ſuos, Idola ſive Lares, qui cuſtodirent domum, ut felix eſſet exitus & introitus: & ita de ſuis Diis humiliter ſentiebant, ut refert Auguſt. jut tres Deos cuſtodiendis oſtiis appoſuerint, Forculum foribus, Cardiam cardinibus, Limentinum limini. Unde & coram eis juxta oſtium inſtruebant convivia, & inter illa Diis his libabant, quod taxat Iſaias cap. 66. v. 17.

Aug. l. 4. de civit. c. 8.

Patet 2. cœcitas eorum, dum inter eos poteſtatem & imperium mundi dividunt; dum Jovi dant poteſtatem ſuper cœlos, Neptuno ſuper mare, Æolo ſuper ventos, Cereri & Baccho ſuper fructus terræ, Plutoni & Proſerpinæ in infernis; dum dicunt Minervam & Apollinem, Deos eſſe ſcientiarum, Martem & Palladem armorum, Vulcanum ignis Deum, Cupidinem amoris.

Chriſtus deus Gentilium excluſit tanquam verus Deus.

Chriſtus verus Deus hos omnes excluſit oſtendens ſe Deum eſſe omnium, & ſuper omnia habere imperium. In nativitate novam ſtellam & lucem creat, ut ſe oſtendat Deum cœli, & excludit Jovem. Ambulat ſuper mare, tanquam Deus maris, & ſic excludit Neptunum. Imperat ventis, & ſic excludit Æolum. Venit auferens bella uſque ad finem terræ, tanquam Deus pacis & armorum, ſic excludit Martem. Aquam mutat in vinum, & panes multiplicat; ergo ipſe eſt Deus fructuum terræ, excludens Cererem & Bacchum. Ipſe eſt ſapientia æterna, è mente Patris procedens, procul ergo Minerva, procul Apollo. Ipſe deſcendit ad inferos, vectes ferreos confringens, ut ſe manifeſtaret Deum inferni, & excluderet Plutonem. Ipſe eſt Vulcanus, qui ignem venit mittere in terram. Ipſe eſt Janus duplici facie, duplicem habens naturam. Ipſe eſt Æſculapius medicinæ Deus, ſanans ægros, ſuſcitans mortuos. Ipſe eſt Deus amoris, in paſſione velatus & nudatus, in Cruce habens arcum, & inde jaculans ſagittas in corda filiorum. Sic ergo excluſa ſunt omnia illa figmenta, fugerunt tanquam veſpertiliones ad ingreſſum lucis, & verum eſt: *Omnes Dii gentium dæmonia.*

PROPOSITIO II.

Sola ratio naturalis non agnoſcit Deum Trinum ſine fide.

Deum trinum eſſe in Perſonis:

HInc in Lege veteri Trinitatis myſterium multis ignotum fuit; credebant enim illud multi ſolum implicitè, nec tenebantur ad idem unus explicitam. Illi tamen qui erant perfectiores, etiam illud noverant, & credebant explicita & perfecta fide. Hinc per Prophetas ſæpe myſterium Trinitatis inſinuatum fuit.

ratione naturali non cognoſcitur.

1. Inſinuat illud David, dum dicit: *Benedicat nos Deus Deus noſter benedicat nos Deus*, ubi repetit ter *Deus*, ut ſignificet Trinitatem, & addit: *Metuant eum omnes fines terræ*; non dicit, Metuant eos, ut ſignificet Unitatem eſſentiæ. Pſal. 60.

2. Abraham ſtans in oſtio, tres vidit venientes ad ſe, & tamen loquitur ad eos in ſingulari, *Domine*, &c. Tres vidit inquit ibi Gloſſa, & unum adoravit, Gen. 18.

3. Idem inſinuabat illa Scriptura, in quam Chriſtus incidit, dum in Synagoga librum aperiret. *Spiritus Domini ſuper me, evangelizare pauperibus miſit me.* In voce, *ſpiritus*, deſignatur tertia perſona in voce, *Domine*, ſignatur prima; in eo quod additur, *ſuper me*, deſignatur perſona Filii, Iſa. 61.

4. Eſt hic eadem ſignificatio. *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Pſal. 32.

5. Idem implicitè ſignificatur in illis: *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus Deus unus eſt.* Ubi nominatur ſemel *Dominus*, & ſignificatur Pater, & bis *Deus*, & ſignificatur Filius cum Spiritu Sancto. Unitas autem manifeſtè ponitur, dum dicitur, *Deus unus eſt.* Deut. 6. 4.

In novo autem Teſtamento apertæ ſunt Scripturæ, tres perſonas exprimentes; & notiſſima eſt illa. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater & Verbum & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt*: Licet verò ratio naturalis hoc myſterium plenè non attingat, adjuta tamen lumine fidei, ex creaturis aliquid de illa colligit.

Trinitatis myſterium ex creaturis colligitur.

Primò, quia in homine reſidet imago Trinitatis, in una anima & tribus animæ potentiis. Intellectu, Voluntate, Memoria. Hæc eſt Trinitas creata, quæ non habet quietem, donec jungatur Trinitati increatæ in beatitudine. Non quieſcet hæc imago, donec exemplati ſuo tunc perfectè uniatur, quando tres illæ animæ potentiæ ſatiabuntur. Intellectus viſione Dei, Voluntas fruitione, Memoria æternitatis continuatione. Sed antequam ad id perveniat, tria ei vulnera ſananda ſunt, quæ contraxit per peccatum, recedens à Trininitate. Recedens enim a Patre, cujus eſt Omnipotentia, contraxit infirmitatem; recedens à Filio, cujus eſt Sapientia, contraxit ignorantiam recedens à Spiritu Sancto, qui eſt bonitas, contraxit malitiam. Per hæc tria vulnera tribus Trinitatis hoſtibus ſuccumbit, carni per infirmitatem, mundo per ignorantiam, dæmoni per malitiam. Sed adverſus tria hæc, aliam ei Deus exhibuit Trinitatem auxiliatricem, tria ſcilicet dona, Fidem, Spem, Charitatem. Fidem, ut illuminetur contra ignorantiam, & vincat mundum. Spem, ut roboretur contra infirmitatem, & debellet carnem. Charitatem, qua omnis malitia expellatur, & ſuperet diabolum. De hoc ſic loquitur Bernardus. *Eſt Trinitas à qua homo cecidit, Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Eſt Trinitas*

Trinitas multiplex.

Bern. ſer. de Trinit.

qua

qua cecidit, intellectus, memoria, voluntas. Et est Trinitas in quam ista cecidit, impotentia, ignorantia, & concupiscentia. Et est Trinitas per quam Trinitas cadens, resurgit ad Trinitatem de qua cecidit, scilicet, Fides, Spes, Charitas.

Secundò. In aliis creaturis est etiam vestigium aliquod Trinitatis, quia multa in Triplici numero sunt disposita. Sic in Angelis tres sunt Hierarchiæ, in unaquaque tres ordines, in unoquoque Angelo tria distincta, essentia, virtus, & operatio. Item Deus triplicem ordinem creaturarum instituit, spirituales, corporales, & partim spirituales & corporales, ut sunt homines. Hinc numerus trinus frequens est & mysticus in scripturis.

Trinus numerus est mysticus.

1. Tres sunt filii Noe, ex quibus omnis natio derivatur Gen. 6. 10.

2. Trium Deus specialiter dicitur Abrahæ, Isaac & Jacob. Exod. 3. 6.

3. Trium dierum viam ambulant exeuntes ex Ægypto. Exod. 8. 27.

4. Tres in montem ascendunt; Moyses, Aaron, & Hur. Exod. 17. 10.

5. Tria erant in arce, Virga Moysis, Tabulæ legis, & Manna, Virga signat Patris potentiam, Tabulæ Filii Sapientiam, Manna Spiritus Sancti Bonitatem. Hebr. 9. 4.

6. Tres erant Urbes refugii ultrà citraque Deut. 4. 41. Num. 35. 6.

7. Ter in anno templum visitabant Judæi Exod. c. 23. 17. & c. 34. 24.

8. Ter se Elizæus mensurat cum puero. 3. Reg. 17. 21,

9. Ter Daniel orat, & ter genua in die flectit. Tribus temporibus in die flectebat genua, & adorabat. Danielis 6. 10.

10. Tribus diebus Jonas est in ventre ceti. Jon. 2. 1.

11. Tribus diebus & tribus noctibus jejunat Esther. Esth. 4. 16.

12. In novo Testamento tres Reges tria dona ferunt. Matth. 2.

13. Ter eundem sermonem orat Christus. Matth. 26. 44.

14. Tribus diebus in morte Christus. Marc. 8. 31.

15. Tribus diebus non bibens nec manducans Paulus. Actor. 9. 9.

16. Tres linguas sanctificat Christus, sub quibus omnes aliæ. Joan. 19. 20.

17. Tres Apostoli in Transfiguratione, ut prædicent mysterium Trinitatis. Luc. 9. 28.

18. Tres status & imperia Christi, cœlestium, terrestrium, & infernorum, Phil. 2. 10.

19. Tres ab omni parte portæ in civitate Dei Apoc. 21. 13.

Hæc ex multis pauca; plura poterit colligere qui ad Scripturas velit advertere.

PROPOSITIO III.

Hoc mysterium Trinitatis simplici fide credendum est, non scrutandum.

RAtio est, quia torrens est qui non potest transvadari, nisi per fidei ducatum. Proinde hic facilius agnus simplex pertransibit, quam camelus sublimis; simplex Christianus, quam subtilis Philosophus.

SS. *Trinitatis mysterium credendi non scrutandum.*

Fertur D. August. reprehensus in hac re, ab Angelo in forma pueri apparente. Cum enim ad littus maris ambularet meditans multa de Trinitatis mysterio, eo tempore quo libros de Trinitate componebat, apparuit puerulus, qui facta fossula, cochleari aquam è mari hauriebat, & in illam fossam fundebat: Inquit Augustinus, quid rerum ibi ageret? Respondit, *Vellem totum mare hanc in fossam fundere.* At ille subridens: *Quomodo*, inquit, *ô bone puer, id poteris. Ingens est mare: parvum cochlear quo hauris, parva fossa in quam fundis*: at ipse: *Facilius mihi id, quam hoc cogitas, volvis enim & æstimas brevi volumine mysterium ineffabile concludere & antequam id possis, ista fossula potius infudero totum mare.* Sic disparuit, & Augustinus Deum glorificans, quàm verum dixisset, advertit.

Exempl. de S. Aug. Cantiprat. l. 2. apum c. 48. 30.

Non intelligemus ergo istud mysterium plenè, quodadutque videbimus illud sicuti est, *quando videbitur Deus Deorum in Sion.* Tunc sicut audivimus nunc per fidem & Ecclesiæ doctrinam; sic videbimus in Civitate Domini virtutum, per speciem. Nunc per speculum fidei adhuc obscurum, tunc facie ad faciem. Auferetur enim velum quod erat ante Sancta Sanctorum; detegetur arca, & videbitur virga, Patris Potentiam significans; & tabulæ, filii Sapientiam signantes; Manna, Spiritus Sancti Bonitatem repræsentans.

Qui plenè nunc volunt illud intelligere, & apprehendere, similes sunt pueris qui imaginem alicujus rei in speculo videntes, manum extendunt, ut rem apprehendant: sic illi ad speculum fidei mysteria aspicientes, frustra rudi intellectus sui manu rem apprehendere volunt.

Simile.

Interim fides fidelium pro hoc mysterio juvari potest per similitudines: & quidem similitudo ducta ab anima optima est. Sicut enim, ut jam diximus, habet tres potentias distinctas, & tamen unica anima est, & unica natura; ita in Deo unica essentia, tres personæ.

Similia pro mysterio Trinitatis.

Sancti Patres frequenter etiam utuntur exemplo Solis ad significandum divinitatem & Trinitatem. *Primò* in sole manifestatur Dei immensitas, quia replet omnia lumine, circuit, visitat, ejus effectum omnia inferiora sentiunt. *Secundò* ostenditur quodammodo Æternitas visa ejus duratione, qui post tot annorum millia absque alteratione idem manet. *Tertiò* ostenditur Trinitas & processio personarum, quia sicut sol genetat radium non liberè, sed naturaliter, purissimè & sine mixtione ulla: Ita pater filium non liberè, sed naturaliter producit, & cum summa puritate. Et sicut à sole & radio producitur calor; ita a Patre & Filio procedit Spiritus Sanctus. Ecce ergò symbolum Trinitatis, *sol, radius, calor.* Unde & Filius in scriptura vocatur, *Candor,*

Sol S. Trinitatis symbolum.

Hebr. 1.

Digitized by Google

dor lucis æterna, & in ſymbolò dicitur, *Lumen de lumine*. Quanè ſicut ſol producendo radium non eſt prior radio ; ita Pater producendo filium, non eſt prior filio; radius ſoli eſt coævus, ita Filius Patri coæternus. Et ſicut ſol ſemper generat radium, & ſemper generat filium, & ſemper filius eſt genitus a Patre. Et ſicut ſol nunquam à radio ſeparatur, nec radius à ſole ; ita nunquam Pater à Filio, nec filius à Patre ſeparatur. Vides itaque in multis ſolis aptam ſimilitudinem.

Concludendo ergò hic exclamare libet : O ſol æterne. ô lux de luce, ô clamor vivifice! Illumina, purifica, accende cor noſtrum tenebroſum, ſordidum, torpidum, tepidumque. O Trinitas admirabilis, ad te ſuſpirat Trinitas noſtra miſerabilis, ſuſpirat in nobis imago tua, ad te exemplar, donec perfectè te videat; & ſe in te. Homo abyſſus caliginis, ad te clamat abyſſum luminis, abyſſus vanitatis, ad abyſſum veritatis, abyſſus miſeriæ, abyſſum invocat miſericordiæ. Fac ergò tandè videamus te Patrem totius bonitatis, ſolem qui ante omnem lucem lucebas in montibus æternitatis. Videamus & filium ſplendorem æternæ gloriæ. Verbum bonum, quod cor tuum ab æterno ejuctavit. Videamus & ſpiritum illum vivificantem, quia amor eſt ſuaviter ardens, ſecretè lucens, deſideranter adurens. In te enim Trino & Uno, tota noſtra conſiſtit beatitudo.

Exempl. Aliqua etiam hujus myſterii teſtimonia perſonis ſanctis exhibita fuere. Sic de B. Clara de Monte Falconis legimus, quod mira devotione in myſterium Paſſionis & Trinitatis ferebatur, ſæpiuſque illa in corde ruminabat cum gratiarum actione ſuaviſſima. Hoc vero obſequium quàm gratum ſibi fuerit, voluit Deus ſpeciali miraculo oſtendere. Poſt mortem enim ejus; in corde inventa eſt Crucifixi imago impreſſa miro artificio, cum inſtrumentis Dominicæ Paſſionis, clavis, lancea, columna, ſpongia, ſpinea corona, funiculis hinc inde in utraque parte cordis diſpoſitis & hæc inſignia nervis validis, duriſque conſtabant. Adhæc, in bulga fellis tres repertæ ſunt ſphæræ; ſeu pelliculæ rotundæ, magnitudinem habentes trium nucum, erantque ejuſdem magnitudinis, ponderis, coloris : & una tantum ponderabat quantum altera, & una tantum quantum aliæ duæ; & hoc erat in teſtimonium veritatis hujus myſterii, cui erat ſpecialiter devota. Et ita quidam hanc S. Virginem depingunt cum bilance hos globulos ponderantem manu dextera, læva verò Chriſti crucifixi cor cum inſtrumentis paſſionis dominicæ præferentem.

Surius. Ribadeneira 17. Auguſti obiit anno 1299.

LECTIO III.

CONTINET EXPLICATIONEM particularem verborum primi articuli: Credo in Deum Patrem Omnipotentem.

PROPOSITIO I.

QVID SIGNIFICET CREDO.

Credo idem ſignificat quod firmiſſimè teneo, ſine ullâ vacillatione ullo unquam haſitatione.

Credo quid ſignificet.

CRedere enim eſt alicui rei aſſentiri, propter auctoritatem dicentis. Cum ergò infallibilis ſit Dei auctoritas, hinc ſummiſſimè articulis fidei, quæ Apoſtolis revelavit, aſſentimur. Immò *Credo* hic ſignificat, majori certitudine aſſentior, quàm illis quæ ſcio evidenter, vel oculis video, aut manu tango. Scientia enim aut ſenſus falli poſſunt. Deus prima Veritas nec falli, nec fallere poteſt. Hinc de S. Ludovico legimus, quod cum ſibi ægro ſacrum Viaticum deferretur, & more Eccleſiæ interrogaretur, an crederet ibi verè eſſe Corpus Chriſti? Reſpondit, ſe id firmius credere, quam ſi oculis propriis Chriſtum in propria ſpecie converſantem in terris videret, ut Apoſtoli eum viderunt. De eodem refertur, quod cum cuidam Sacerdoti celebranti in ſacro Sacello Pariſiis, ubi tot ſunt pretioſa pignora, apparuiſſet infans pulcherrimus loco hoſtiæ ſacræ ; & hoc nunciatum fuiſſet Regi, ut ad id ſpectabilis miraculi, toto confluente populo, compareret ; fertur, in quam reſponſum hoc dediſſe : *Qui non credit, accedat ut videat. ego quotidie eum oculis fidei video.* Significabat Rex, non opus eſſe ſe illuc venire, eo quod fides tantam certitudinem in corde ejus pareret, ut nec viſio miraculi neceſſaria foret, nec certiorem eum reddere poſſet. Surius 25. Aug. & Ribadeneira in vita ejus.

Hæc verò vox, *Credo*, prima ponitur in ſymbolo: quia *Deum accedentem oportet* primò *credere, quia eſt*, inquit Apoſtolus, & hoc fundamentum noſtræ ſalutis, quod primò etiam interrogatus fuit Eunuchus a Philippo. Cum enim diceret: *Ecce aqua quid me prohibet baptizari?* Reſpondit Philippus: *Si credis ex toto corde, licet.* Hæc vox etiam exigitur ab iis qui baptiſmo initiantur, eamque vel ipſi, vel Patrini pro ipſis ter reſpondent. Vox quoque hæc, *Credo*, non ſolum ſignificat corde teneo, ſed etiam ore confiteor, paratus hanc confeſſionem proprio ſanguine obſignare, & quidlibet pro illa pati. Hinc B. Petrus martyr (ut ſupra diximus) digitum intingens in ſanguine proprio, jam lethali vulnere pro fide tranſfixus, conabatur digito ſcribere : *Credo in Deum Patrem.* Sic initio Eccleſiæ, graſſante perſecutione, Fideles aſſerebant hanc fidem, non tam diſputatione, quàm paſſione; non loquendo, ſed moriendo; ſanguinem fundebant multum, non multa verba. Heb. 11. 6. Actor. 8. Tract. 1. Lect. 8. Prop. 3.

Non ergò ſufficit fidem interiùs tenere, ſed & exterius, tempore & loco neceſſe eſt profiteri, non obſtante vel auxilio, vel bonorum jactura, vel etiam vitæ. Hinc D. Chryſoſt. cum in exilium ab Eudoxia pelleretur, dicit de ſe : *Ego cùm à Civitate fugarer, nihil eorum curabam, ſed dicebam intra me : Si quidem me vult Regina exulem, ago, Domini eſt terra, & plenitudo ejus : Si vult fecare, fecet, idem paſſus* Chryſoſt. ad Cyriacum ep. j

eſt

est Isaias: Si vult in Pelagus mittere, Iona reverdabor: si me lapidare, Stephanum habeo primum Martyrem focium: Si caput tollere, tollat, focium habeo Ioannem Baptistam: Si substantiam auferre, auferat, nudus exivi de utero matris, nudus revertar illuc. Hæc ille.

Hebr. 11. Hinc & Apostolus fortiter dicit Hebræis, qui ob fidem, rapinam bonorum suorum sustinuerant, & varias calamitates: *Necdum usque ad sanguinem restitistis.* Ergò etiam cum vitæ periculo fides confitenda. O patrimonii vel vitæ amor cœcus, quàm multos ab hac fidei professione præpedis, & æterno præcipitio collidis! Ideò forti zelo Symphorianum

Surius 22. Augusti, 8. Nov. adolescentem in tormentis monebat Mater: *Nate, nate, memento aterna vita? cœlum suspice, & ibi regnantem intuere, tibi enim vita non eripitur, sed mutatur in melius.* Ideò etiam monet Apostolus:

Heb. 4. *Teneamus fidei nostræ indeclinabilem confessionem*; ut nec exilia, nec bonorum rapina, nec quælibet pœnæ nos faciant vacillare.

Exempl. Serm. de S. Gordio. Præclarum est exemplum Gordii Martyris apud Basilium. Hic enim ob fidei confessionem damnatus fuisset ad ignem, multiq; ipsi condolentes fierent: *Nolite*, inquit, *flere super me, sed super inimicos Dei, qui ignem nobis parant, sed sibimet gehennæ incendia thesaurizant: ego ignem non timeo, qui corpus oculis & finitur in momento, sed illum perpetuum, qui semper durat, & nutritur morte eorum, qui in illo vivunt. Ego pro nomine Domini, & fidei confessione, paratus sum mille mortes, si opus fuerit adire.* Cum verò aliqui instarent, ut Christum saltem ore negaret, & corde retineret, ut sic supplicia evaderet: *Lingua*, inquit, *quam Christi beneficio retineo, adduci non potest, ut autorem suum neget: Corde enim creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem*; & ita alacri vultu, in supplicium ignis se immisit pro fidei confessione.

Signa negata fidei. Advertè hic veteres habuisse aliqua signa, ex quibus colligebant fidem negari, & ideò non erant licita. *Primò*, Thus idolo adhibere vel adorare. Similes sunt, qui nunc hæreses aliquas amplectuntur vel laudant.

Secundò, Nomen libello dare, hi vocabantur libellatici. Pecuniam dabant Judici & Scribæ, ut adscriberentur libro eorum, qui legi paruerant, ne ultrà urgerentur: sic peccant, qui metu damni aut spe temporalis lucri, se hæreticis accommodant.

Cypr. ser. de lapsis. *Tertiò*, Comedere oblata idolis. Similes sunt, qui cœnas vel conciones hæreticorum adeunt, carnes edunt vetitis diebus. Cùm Julianus quadragesimæ tempore, panem & aquam, quæ passim in officinis vendebantur, idolis immolari curasset, ut sic oblata dæmonibus edere cogerentur; nemo repertus est

Costerus Dõ. 1. 40. Tract. 1. sect. 2. qui emerit, aut se iis contaminaverit. Apparuit autem Theodorus Martyr Episcopo Constantinopolitano, revelans quo cibi genere succurreret Christianis, elixo scilicet vel decocto frumento: & sic qui ditiores erant, pauperibus dantes frumentum, omnibus subvenerunt. Vide quæ dixi de S. Caliopio.

Quartò, Coronam in Natalitiis Principum gestare, aut more sacrificantium hederâ caput cingere. De qua re Cyprianus, & Tertullianus libro de corona militis: qui hunc librum hac occasione scripsit. Exercitus Imperatorum Aurelii & Severi insignem assecutus fuerat victoriam; cùm autem merces danda erat, omnes milites procedebant coronati laureis. Unus autem non in capite coronam, sed in manu gerebat. Requisitus rationem, quid inquit, *Christianus sum, quem non decet in hac vita coronari.* Carceri ergò addictus fuit. Tunc inter Christianos ortus est quæstio, an deceret eos talibus coronis coronari.. Hinc Tertullianus hac de re scripsit, & probat militem Christi in manu debere gestare coronam, hoc est, debere operari, ut æternam coronam promereatur, quæ capiti apponetur à Christo in altera vita: nunc militando promerenda, tunc verò gerenda, *quin tunc reddet illam justus Iudex.*

Cypr. ser. de lapsis.

PROPOSITIO II.

QVID SIT CREDERE IN DEVM?

Credere in Deum, non est soliùm per intellectum ei assentiri, sed etiam est credendo & sperando, piâ quâdam affectione, in eum tendere.

Credere in Deum quid.

VOcula illa *in*, significat hanc tendentiam, quasi ad summum bonum. Hinc distinguit Augustinus, & cum eo Theologi, *Credere Deo*, *Credere Deum*, & *Credere in Deum*. Credere Deo, est credere vera esse, quæ loquitur: Credere Deum, est credere, quia est, quod etiam dæmonibus convenit: Credere in Deum, est in eum pio quodam affectu ferri & tendere, quod dæmonibus nullâ ratione convenit, qui credunt solâ evidentiâ convicti.

Convenit tamen etiam id peccatoribus, qui piâ quâdam affectione moventur, cum fiducia obtinendæ misericordiæ: Imperfectè quidem eis convenit, perfectè autem justis, qui actu fidei per dilectionem operantis in Deum feruntur, cum perfecta in eum confidentia.

Exempl. Marinæus lib. 5. de rebus Hispan. De hac perfecta fide, quomodò per illam justi omnia fidei adversa facilè elidant, habes exemplum apud Lucium Marinæum. Apud Legionem, inquit, Hispaniæ urbem, tres pueri martyrium constantissimè pertulerunt, tres Babyloniæ adolescentes imitantes. Quos cùm Romanus præses ad se vocasset, dixit eis: *Quid est, quod cùm millia Romanorum legi obediunt, vos summâ audacia vultu obsistere?* Respondêrunt hi Adolescentes: *Habemus in lege nostra, Videntes non videant, & audientes non intelligant*; *& ideò tot millia Romanorum cecidisti, sed horum omnium mirabilium multitudinem videre non potuisti, à quibus te modò superatum videbis.* Dic quid nobis hodiè, aut quid tibi per nos putas esse præstandum? Præses dixit. Præstandum mihi à vobis nihil quæro, sed solum scire volo, cui credere vos & consentire dicitis, aut quam habeatis fiduciam; Respondêrunt. Nobis in quo confidentia, si vis scire, possumus te instruere. *Habemus confidentiam in Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum,*

qui in Trinitate unum ſunt, & in hac confidentes, Imperatores veſtros & vos, in agone conſtituti vincimus. Dixerunt quoque. *Cùm ex patre diabolo ſis, fac quicquid tibi perſuadet Pater tuus.* Quare juſſit Præfectus eos interfici: at ipſi laudantes tradiderunt ſpiritum, & qui pro Trinitate mori cupierunt; Tres in uno tumulo ſepulti ſunt in Civitate Legionenſi, ubi & eorum corpora magno in honore ſunt habita.

PROPOSITIO III.

EXPLICATIO VOCIS, PATREM.

Nomine Patris, intelligitur hic prima perſona Trinitatis.

Cur prima perſona Trinitatis dicatur Pater.

HÆc dicitur Pater. Primò reſpectu omnium creaturarum, eò quod ſit principium ſine principio omnis creaturæ. Secundò reſpectu noſtri, quia in filios adoptivos nos elegit. Tertiò & maximè reſpectu Filii, quem ab æterno producit. De hac generatione docendus populus nihil impurum, terrenum, corporale cogitare; ſed ineffabilem & puriſſimam eſſe, quod ſuprà exemplo ſolis emittentis radios explicuimus.

Tract. 1. lect. 2. propoſ. 3.

Summariè ad eam rem dici poteſt, quod Pater intuendo ſeipſum, & eſſentiam ſuam perfectè intelligendo & comprehendendo, producit vivum ſui conceptum, & perfectiſſimam imaginem, ejuſdem ſecum eſſentiæ, ſapientiæ, potentiæ, & hæc eſt Filius, & vocatur etiam *Verbum Dei*, ſicut mens noſtra ſeipſam intelligens, ſua in mente format imaginem, quam *Verbum mentis vocamus.*

Simile de ſpeculo.

Ad hanc rem accommoda eſt ſimilitudo ſpeculi. Quandò quis ſe in ſpeculo contemplatur, producit imaginem perfectam ſui, ut vix differentiam agnoſcas. Eſt enim ſimillima, non ſolùm quoad lineamenta & colores, ſed etiam quoad motum & actionem; ſi enim homo moveatur, movetur & ſpeculi imago; hæc quoque imago non eſt cum labore aut tempore, aut inſtrumento producta, ſed in inſtanti unico aſpectu: Sic ergò conſidera Deum contemplari ſeipſum oculo ſui intellectus in ſpeculo divinitatis ſuæ, & ibi producere imaginem ſimillimam ſui, cui totam ſuam ſubſtantiam & eſſentiam, & perfectionem communicat. Et ideò hæc imago vere Filius eſt: nos autem ſpeculum intuendo, hujus imagini non communicamus ſubſtantiam noſtram, ob impotentiam noſtram; & ideò non dicitur Filius.

Quia verò Deus ab æterno hanc ſui contemplationem continuat; ideò hæc generatio non tranſit aut præterit, ſed ſemper eadem in Deo permanet. Sicut Sol ſemper producit & ſpargit lumen, & ſemper lumen in aëre perfectum eſt, & tamen à Sole ſemper quaſi gignitur. Idem dic de ſpiratione Spiritus Sancti, & ideò idem eſt in divinis gignere & genuiſſe, idem eſt ſpirare & ſpiraſſe; quia hæc omnia perficiuntur in inſtanti æternitatis, ubi idem eſt præſens, præteritum & futurum.

Quandò ergò dicit Pater in Pſalm. *Ego hodie genui te*, illud *hodie*, idem eſt, quod, *in, & ab æternitate*; in qua eſt unum hodie, unus dies æternitatis, unum nunc, unum inſtans, unum ſtabile præſens. Et illud, *genui te*, idem eſt, quod, ego gigno, ego genui, ego gignam te ſemper, tanquam Verbum, tanquam Filium meum. Et cùm alibi dicit: *Ex utero ante Luciferum genui te*, idem eſt, quod, ex ſubſtantia mea fœcunda & intima, quaſi ex utero produxi te mihi conſubſtantialē, antequàm ego crearem Luciferum vel alium aliquem Angelum; vel antequàm crearem Stellas aut Solem, aut aliam aliquam creaturam, ante omnia ſæcula ego genui te, ante ortum omnis creaturæ ortus es ex me. Hinc quoque ſpecialiter dicitur *Oriens, nomen ejus.* Quid ita? quia licèt omnes creaturæ, ortæ ſint & orientem ſuum habeant, ſive nativitatem; tamen illa brevi finitur, nec ab æterno eſt: at Verbum oritur de mente Patris, ſemper Oriens, & nunquam occidit nativitas ejus, nunquam oriri deſinet, Oriens ab æterno.

Pſal. 2. Pſal. 109. Zachar. 6.

Exeat ergò infidelis aliquis Arianus, & dicat: *Erat quando non erat*, hoc eſt, erat tempus, quo filius nondùm erat. Hunc revincit Joannes dicens: *In principio erat Verbum*, id eſt, in Patre, qui eſt principium totius Divinitatis: *Et Verbum erat apud Deum*, ibi eſt diſtinctio perſonæ: *Et Deus erat Verbum*, ibi unitas eſſentiæ. *Hoc erat in principio*, quia *egreſſio ejus ab initio, à diebus æternitatis.* Ibi Evangeliſta quater repetit vocem, *erat*, ut æternitas Filii adverſus hæreſes clariùs ſtabiliretur. Quapropter acutè dixit D. Ambroſius: *Verbum ab æterno erat, erat, erat, erat,*; *hæreticus igitur, qui ab æterno non eſſe blaſphemat, errat, errat, errat, errat.* Ita ille.

Joan. 1. Mich. 5. 2. Ambroſ. Tract de Symbolo. Exempl. *De S. Gregor. Thaumaturgo. Greg. Nyſſenus orat. de eodem.*

D. Gregorius Thaumaturgus noctem quandam pervigilem agebat, multa de Trinitate ſecum conſiderans; quia aliqui tunc finxerant hujus myſterii doctrinam adulterabant. Apparuit ei auguſto ornatu vir quidam, quem poſtea cognovit eſſe Joannem Evangeliſtam; Apparuit & alia perſona muliebri habitu, quam poſt cognovit eſſe Deiparam Mariam, & differebant de hoc myſterio, totumque cubiculum lumine erat perfuſum. Poſt longum hac de re ſermonem, rogat Deipara Joannem, ut pietatis verum myſterium aperiret Gregorio ibi præſenti; expoſuit ergò ille brevi & concinno ſermone, ſicque diſparuit. Gregorius ſtatim litteris mandat quod audiverat, & poſtea juxta illud, in Eccleſia ſermonem inſtituit: & poſteris tanquàm patrimonium & legatum, doctrinam illam divinitus revelatam reliquit, per quam plebs ejus ab omni hæreſi intacta permanſit.

Porrò doctrinæ illius verba hæc ſunt: Unus eſt Deus Pater Verbi viventis, ſapientia ſubſiſtentis, perfectus perfecti genitor, Pater Filii unigeniti: Unus Dominus ſolus ex ſolo: Deus de Deo, figura & imago Deitatis. Verbum efficax, ſapientia rerum univerſarum comprehenſiva & potentia totius creaturæ effectrix. Filius verus veri Patris, viſum effugiens viſum effugientis, & corruptioni

non

non obnoxius, non obnoxii corruptioni & morti, & æternus æterni. Unus Spiritus Sanctus ex Deo omnium & existentiam habens, qui per Filium apparuit hominibus. Imago Filii perfecti perfecta. Vita viventium causa. Fons sanctus. Sanctitas sanctificationis suppeditatrix, per quem manifestatur Deus Pater, qui est super omnia & in omnibus, & Deus Filius, qui per omnia permanet, Trinitas perfecta, quæ gloriâ & æternitate non dividitur.

Hoc symbolum accepit D. Gregorius ab ipsa Deipara per D. Joannem Evangelistam Catechistam suum. Vide Nyssenum Gregorium loc. cit.

PROPOSITIO IV.

EXPLICATIO VOCIS, OMNIPOTENTEM

Licet omnes perfectiones sint communes tribus Personis, tamen Patri appropriatur Omnipotentia.

Omnipotens quid sibi velit? Omnipotentia appropriatur Patri. Filio Sapientia.

RAtio est, quia Pater est fons omnis originis, & principium sine principio, à nullo habens suam essentiam. Sic licet omnia, quæ fiunt ad extra circà creaturas, sint communia in tribus Personis; Creatio tamen tanquàm opus Omnipotentiæ attribuitur Patri.

Similiter Filio appropriatur Sapientia, quia est æternum Verbum Patris, attribuuntur & ei opera Sapientiæ, quale est Reparatio mundi; quamtamen etiàm operatæ sunt aliæ personæ, licet solus Filius carnem assumpserit.

Spiritui S. Bonitas.

Spiritui Sancto attribuitur Bonitas, quia Patris & Filii amor est, operaque Bonitatis ei appropriantur, quale est Sanctificatio & Justificatio: Punitio aut Vindicta non solet in Scriptura illi attribui.

Gen. 18. Habes exemplum in Genesi: Ibi legimus tres Angelos apparuisse Abrahæ, sed postea duo tantùm Sodomam vadunt. Tres hi, figura erant Trinitatis, ut suprà diximus. Sed quare duo tantùm eunt Sodomam; Ratio est, quia cùm antea tres apparebant Abrahæ, agebatur de remedio pro Sodoma, quomodò Deus illis parcere posset, intercedebat enim Abraham pro illis; quandò verò abeunt ad puniendum, tertius abest; quia is, qui aderat dum agebatur de misericordia, jam abest cùm agitur de vindicta: at ille designat Spiritus Sancti personâ, quia licet sine ipso punitio illa non fiat, non tamen solet ei attribui, nec ibi nominatur: quia Paracletus & Consolator est, cui benignitas tribuitur, qui *postulare dicitur pro gemitibus inenarrabilibus*, & Amor est, non solum Dei ad seipsum, sed & Dei ad nos. Ipsi ergò Bonitatis dantur opera, Patri Potentia, Filio Judicium; ideò in hac punitione significantur specialiter fuisse Pater & Filius, cùm dicitur ibi: *Pluit ignem Dominus à Domino*, Quod aliqui interpretantur, *Filius à Patre.*

Emman. Sà in illum locum. *Cur Omnipotentia fiat mentio initio symbol.*

Porrò Omnipotentiæ statim fit mentio initio Symboli, quia in illa etiam cætera Dei attributa includuntur, infinita scilicet Sapientia, Providentia, Justitia.

Deindè, ut nobis nihil sit difficile ad credendum in omnibus articulis proponendis; quandoquidem nihil sit difficilè illi, *quia omnia quæcunq; voluit, fecit.* Undè quamlibet tibi difficultatem moveat, vel tua cogitatio; vel hæreticus quispiam, multa in his quæ credis, quasi impossibilia tibi proponens: (Exempli gratia, virginem parere, corpus in cinerem redactum idem resurgere, idem corpus in pluribus locis esse, corpus sex pedum in tam exiguo loco specierum consistere: Respondeas ut simplex fidelis ad hæc omnia: *Credo in Deum Patrem Omnipotentem.* Hoc modo solidè solves omnia: *Dominus aperuit mihi aurem*, inquit Propheta: *Ego autem non contradico.* Psal. 64. Is. 50.

Hinc D. Thomas quærit, cur de Sacramento Eucharistiæ in Symbolo non fiat mentio, cùm sit unus difficilis articulus Fidei? Respondet, vel considerari ut Sacramentum nos sanctificans, & sic contineri sub illo articulo, quo credimus remissionem peccatorum; quia per hoc etiam credimus Sacramenta ad illam remissionem instituta: vel considerari ut mysterium admirabile, mysterium in quo elucet Dei potentia, & sic continetur sub hoc articulo: *Credo in Deum Patrem Omnipotentem.* D. Thom. 22. q. 1. art. 8. ad ult.

Denique, hac Omnipotentiæ propositione docemur, nos & omnia nostra in ejus potestate esse posita; *ut humiliemur nos sub omnipotenti manu Dei, in qua sunt sortes nostræ*, salus & perditio; in qua sunt *claves vitæ & mortis*; potens est salvare si vult, potens etiam ubi corpus occiderit, animam mittere in gehennam. *Nonnè ergò Deo subjecta erit anima mea?* Utique perfectâ subjectione & obedientiâ illi eam subjiciam, qui Pater est, qui & Omnipotens est, à quo vel gloria vel pœna, quia non tantùm omnipotens est ad remunerandum, sed etiam ad puniendum. Denique, quid mihi nocere potest, qui Patrem habeo & quidem Omnipotentem, qui est protector vitæ meæ? Nec mundus, nec aër, nec cœlum, nec terra, nec omnes simul creaturæ nocere possunt illi, qui habitat in adjutorio Altissimi & Omnipotentis Dei. Hoc enim est scutum impenetrabile Sanctorum, quo omnia jacula elidunt, tàm hominum, quam dæmonum, salutem nostram impedire volentium.

LECTIO IV.

DE CREATIONE COELI ET TERRÆ.

1. *Docet, Creationem esse primum effectum potentiæ Dei.*
2. *Deum solâ bonitate suâ inductum ad creandum.*
3. *Beneficium Creationis mirè nos Deo obligare.*

PROPOSITIO. I.

Creatio est primus effectus manifestans omnipotentiam Dei.

Creatio est effectus omnipotentiæ.

AD creandum sola sufficit potentia infinita, quia creare est rem ex nihilo producere, quod nulli præterquam Deo competit, quia omnis potentia & Angelica & humana etiam simul juncta, non potest formicam aut floseulum, folium vel capillum, aut rem minimam ex nihilo producere. Ideò dicebat Augustinus: *Omnipotens manus tua Domine semper, una & eadem creavit in cœlo Angelos, & in terra vermiculos; non superior in illis, non inferior in istis. Sicut enim nulla alia manus Angelum, ita nulla potest creare vermiculum; sicut nulla cœlum, ita nulla potest creare minimum arboris folium; nec ei possibilius est creare vermiculum, quàm Angelum, nec impossibilius extendere cœlum, quàm folium.*

Solus Deus creare potest. S. Aug. soliloq. cap. 9.

Omnipotentia Dei creantis in multis elucet.

Hæc autem Dei creantis Omnipotentia in multis elucet. *Primò*, quod tam admirabilem machinam & fabricam, tali pulchritudine, magnitudine, dispositione, artificio, tantâ ornatam diversitate construxerit. Globus ille aureus Solis, nunquid ejus omnipotentiam satis manifestat; *Vas est admirabile opus Excelsi*, ait Eccles. Est enim velut quædam imago Dei, aut domus ejus, in qua specialiter videtur habitare, & se ostentare tempore peregrinationis nostræ. Undè dicitur: *In sole posuit tabernaculum suum.* Denique ut ait D. Ambros. *Est oculus mundi, lampas universi, jucunditas diei, pulchritudo cœli, mensura temporum, vigor omnium nascentium, Dominus Planetarum, decor, & perfectio omnium Stellarum.* In illo tanquam opere principali inter corporalia, elucet Dei potentia & gloria.

Eccl. 43. 2. Ps. 18. v. 6. Ambros. in Hexameron.

Secundò, in hoc quod non egerit aliquâ præjacente materiâ ad tanti operis fabricam, quam necessariò prærequirunt, sivè homines, sivè Angeli, dum opus aliquod erigunt. Ipse ergò de nihilo præcipuas mundi partes fecit, *vocans ea, quæ non sunt, tanquàm ea quæ sunt*, inquit Apostolus. De nihilo Angelos & animas eduxit, ut sui nihili memores, à solo Deo se esse agnoscant; & illi soli ex toto serviant. Licèt verò omnia ex nihilo poterat creare; voluit tamen etiam aliqua ex aliis producere, pisces ex aqua, aves ex aqua & aëre, plantas & animalia ex terra; ut & in hoc plenum dominium & potentiam se habere ostenderet in creaturis suis, potens ut voluerit unam in alteram commutare.

Rom. 4.

Tertiò, in hoc, quod non egerit alicujus auxilio, aut consilio & inventione, non prævio exemplari, non enim secutus est formam extra se positam, sed juxta exemplar & idæam, quàm in seipso intuebatur, operatus est. *Pulchrum pulcherrimus ipse*, ut ait Boetius, *mundum mente gerens, similique ab imagine formans.* Nullis ergò instrumentis usus est, nullis operariis, nullis coadjutoribus. Undè dicit per Isaiam: *Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens Cœlos solus, stabiliens terram, & nullus mecum.* Poterat quidem, postquam Angelos creârat, illis uti ministris ad rerum aliquarum formationem: sed solus voluit operi suo manum apponere, ut homo, cujus gratiâ omnia fiebant, illum solum adoraret, serviret, glorificaret, sicut glorificant eum seniores in Apoc. *Digne es Domine Deus noster, accipere gloriam & honorem & virtutem, quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant & creata sunt.*

Sev. Boetius.

Isa. 44.

Apoc. 4.

Quartò, in hoc elucet potentia, quod sine difficultate aut resistentia, sed solâ voluntate suâ, solo verbo omnia creavit, nec temporis decursu, aut ullo labore opus fuit. Cùm verò potuisset omnia in momento consummare; voluit tamen id sex diebus operari, ut ejus potentia & sapientia distinctius agnosceretur, in singulis operibus; & doceret nos illam considerare singulariter in singulis, juxtà illud: *In factis manuum tuarum meditabar, in operibus tuis exercebar.*

Ps. 142. 5.

Deus domum homini condidit, quam inhabitaret.

Vide Providentiam & sapientiam summi Artificis. Voluit enim antequàm hominem crearet, domum, quam homo erat inhabitaturus, construere; fecique ejus fundamenta jecit, muros ac tectum, dum cœlum, terram elementa creavit. Cœlum enim habet se instar tecti, elementa quasi muri, terra instar solidi fundamenti. Postea tribus primis diebus, habuit se instar artificis domum partientis in varia habitacula & mansiones, ut à pluribus habitaretur. Deindè hortos & varios arbores plantavit, tùm ad cibum, tùm ad oblectamentum; & in secretis terræ locis, quasi in area abscondita, posuit thesauros auri & argenti & mineralia, hominum opes. Dedit etiam faces ad illuminandam hanc domum, dans lumen non solùm pro die, sed & pro nocte. Ulteriùs mare, aerem, terram replevit habitantibus, deditque eis fœcunditatem, ut se multiplicent, & in finem mundi duret species animalium, sivè in mari, sivè in aere & terra. Denique, hominem creavit Dominum illius domûs, cui dominium dedit super omnia, à se tamen dependens, quia de eorum visu vel abusu, tenetur rationem reddere Creatori. Quis Paterfamilias poterat talem erigere domum? Quis Princeps palatium adeò perfectum, adeò rebus omnibus utilibus, & varietate delectantibus instructum? Dicebat olim Dominus ad Job: *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ? Quis posuit mensuras ejus, die si nosti, quis tetendit lineam, super qua bases ejus fundatæ sunt? Quis conclusit ostiis mare, cum ponerem nubem vestimentum ejus, & caligine illud quasi pannis infantiæ involverem? Circumdedi illud terminis & dixi, huc usque venies, hic confringes tumentes fluctus.* q. d. Poteratne alius quispiam facere id, præter omnipotentem manum? poteras ne tunc videre, quomodò fabricatus sit mundus, & quomodò omnia disposita sunt in numero, pondere, mensura? Poteras tu in his dare consilium? Intelligis ne hæc omnia opera omnipotentiæ meæ? Agnosce ergò, quod ego sim Dominus, extendens Cœlum solus, stabiliens terram, dominans mari.

Job. 38. 4.

Polyd. Virg. ex Chron. Germaniæ

Refert Polydorus Virgilius, quod cùm Canutus Daniæ Rex & Angliæ, ab aulicis suis Dominus

terræ & maris frequenter intitularetur, agnoverit id magis adulationi, quam veritati tribuendum. Fertur ergò quodam die cum suis ad mare accessisse, & sedili in littore posito dixisse: *Mare regni mei pars es; itaque mihi obtemperes, nec terminum hunc quem tibi statuo, transgrediaris.* Sed mare mox impetum faciens, totum eum undis perfudit. Surgens ait ad suos: *Ecce quomodo vana est omnium Regum potestas, & quam sibi vanè me maris Dominum appellatis, quando quidem mihi non obtemperat?* Abiens proinde Ecclesiam quandam ingressus est, & imaginem ibi conspicicus Crucifixi, tulit coronam de capite suo, & Crucifixo eam apponens, dixit: *Tu dominatus potestati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitiga.* Ps 88. 10.

Solus Deus potest rem ad nihilum redigere.

Porrò sicut omnia Deus creavit, ita potest & annihilare & nullus præter ipsum potest ullam rem ad nihilum redigere. Ipse tamen, ut dicit Thom. nullam rem à se creatam hactenus permisit totaliter interire, aut ad nihilum redire; sed una pereunte, altera in ejus locum succedit, ex unius corruptione, altera generatur. Et licet tempore Noe ad talem gradum perveniisset hominum malitia; ut diceret: *Pœnitet me fecisse hominem:* tamen noluit eum ad nihilum redigere, sed potius pro sua bonitate eum ad pœnitentiam vocare. Rebelles etiam Angelos noluit destruere, sed donis gratiæ sublatis, & è loco fœlici deturbatis ad Justitiæ suæ ostensionem, maluit *sub caligine æternis vinculis reservare.* Gen. 6. 7. Judas ep. Cath. v. 6.

Quod verò in articulo dicitur, *Creatorem Cœli & terræ*; his verbis etiam comprehende omnes creaturas, quæ in Cœlo sunt & terra, aut inter Cœlum & terram, omnes res sive visibiles sive invisibiles: Et per hoc etiam intelligitur Creator esse Angeli & hominis. Nam Cœlum est pars principalis mundi superior, in qua sunt Angeli, Terra principalis pars inferior, in qua homines. Et hæ sunt duæ nobilissimæ creaturæ, ob quas sunt reliquæ.

PROPOSITIO II.

Non fuit Deus ad creandum impulsus ex aliqua indigentiâ aut commoditate creaturæ, sed solâ suâ bonitate adductus.

Deus ad creandum inductus est sola bonitate.

RAtio est, quia ipse in se, & ex se ab æterno beatus, proinde non agebat auxilio alicujus creaturæ, qui sibi omnia est. Unde dicit Psaltes, *Deus meus es tu quoniam bonorum meorum non eges.* Et in Evangelio dicitur. *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus.* Utique sumus inutiles Domino, quia nihil ei commodi etiam ex operibus nostris bonis afferimus. Rectè ergò dixit B. Cyrillus: *Hoc erat Deus antequam creati essemus, quod etiam nunc est, & nihil ei attulimus à nihilo ad esse producti, & si ad nihilum redigeremur, nihil ei detraheremus.* Psal. 15. Luc. 16. B. Cyrillus. Psal. 134. August. in hunc Psalm.

Idem quoque explicans D. Augustinus super illud Psal. *Omnia quæcumque voluit fecit*, sic ait: *Non omnia quæ fecit cuncta est facere, sed quæcumque voluit fecit. Causa omnium quæ fecit, voluntas ejus est. Facis tu domum, quam si nolles facere, sine habitatione remaneres, necessitas cogit te facere domum, non libera voluntas. Facis vestem, quia si non faceres, nudus ambulares, ad faciendum vestem necessitate duceris, non voluntate. Conseris montem vitibus, spargis semen, quia nisi feceris, alimenta non habebis, omnia hæc necessitate facis, Deus bonitate facit, & nullo quod fecit eguit, ideò, Omnia quæ voluit fecit.*

Deus itaque quæcumque voluit fecit, ut rebus quæ ab ipso effectæ sunt, bonitatem impertiretur, unicuique rei juxta gradum suum. Unde videns beatitudinem & fœlicitatem suam sine diminutione posse communicari & sine detrimento suo, duas creaturas principales fecit, illius capaces, Angelum scilicet & hominem. Ideò homo majorem ob hoc gratiam debet Deo, quod nullis meritis præcedentibus, tantis eum Deus benedictionibus prævenerit, ut præ cæteris creaturis eum ratione donarit cum Angelis, & fœlicitatis æternæ capacem effecerit, dederitque potestatem ut filius Dei fieret per adoptionem.

Sed sicut est magnus Dei favor & bonitas, quod ad illam fœlicitatem est creatus; ita continuatio est ejusdem bonitatis: quod per eandem Dei manum quæ fecit eum, continuò dirigatur, ut eam assequatur. Unde Augustinus sic alloquebatur Deum: *Ego creatura tua sperabo in bonitate tua, qua creasti me: non enim mea merita, non mea gratia coegerunt te ut creares me, sed benignissima bonitas tua, illa Domine Deus meus qua te ad creandum coegit, ipsa quæso modò cogat te ad regendum. Non pereat in malitia mea, quod operata est bonitas tua: non pereat in miseria mea, quod operata est misericordia tua. Quo enim utilitas invitat, si descendo in corruptionem? Ipsa te vincat Charitas ad salvandum, qua te vicit ad creandum, quia nec nunc minor est, tu es enim ipse, qui semper idem es.* August. soliloq. cap. 11.

Quia verò omnes creaturæ sunt bonitatis divinæ participes, ideò SS. solent ad Dei laudem advocari. Quod fecerunt tres pueri Babylonici in mediis flammis, in suo cantico inchoantes. *Benedicite omnia opera Domini Domino:* Et Propheta Regius in Psalmo suo: *Laudate Dominum de cœlis.* Sed quia non sufficit homo, nec Angelus, nec omnia opera tua, Domine, laudare te secundum multitudinem magnitudinis tuæ: *Laus tua tu es, laudet te incomprehensibilis Potentia tua*, inquit Augustinus, *incircumscriptibilis Sapientia tua, & ineffabilis Bonitas tua, laudet te supereminens Clementia tua, superabundans Misericordia tua, & summa Benignitas tua, per quam creasti nos, Domine Deus, vita anima mea!* Daniel. Psal. 148. Soliloq. c. 10.

D. Anton. de Padua cum semel Arini prædicaret, multi obdurati & hæretici verbum ejus contemnebant. Hinc ipse, ut irrationabilium exemplo, eorum duritiem argueret; accessit quodam die ad os fluminis juxta mare, & forti voce advocavit Pisces ad audiendas laudes Dei & verbum ejus, quod obdurati homines contemnebant. Visa est statim Exempl. de S. Antonio Paduano. Chronica Minorum l. 5. c. 18.

Digitized by Google

ſtatim magna multitudo, quaſi geſtientium locum ad audiendum præcipere, & extra aquam capite erecto ſtabant. Cœpit ergo ſolemniter eos hortari ad gratiarum actionem pro beneficio creationis: *Fratres mei, Piſces* inquit, *multum debetis Creatori, qui tam limpidum elementum vobis dedit ad habitandum, & quia eſcas vobis præparat neceſſarias, & quia in creatione benedictionem accepiſtis multiplicationis, & in diluvio cæteris animalibus pereuntibus, ſervati eſtis, Et quia vobis datum eſt ſervare Jonam, & poſt tertium diem, meloſamen eum reddere. Et quia cenſum, quem Dominus ſolveret, abſtuliſtis, & in cibum ejus ante Aſcenſionem ſingulariter benedicti. Propter hæc igitur, multum obligati eſtis benedicere Dominum.* Poſt hæc omnes capita inclinabant, & quibus poterant ſignis benedicebant. Ad hanc reverentiam ſpiritu exhilaratus Antonius, clamabat: *Benedictus Deus, qui magis honorant Deum piſces, quam homines.* Ad hoc miraculum confluens populus, & aliqui etiam hæretici compuncti, ſederunt ad pedes Antonii, & tanta virtute concionatus eſt, ut hæreticos converteret, & fideles roboraret. Piſces quoque licentiam ab eo accipientes, in varias provincias velut gaudentes cum miro luſu abierunt. Ita Chronica Minorum.

PROPOSITIO III.

Beneficium Creatoris obligat hominem Deo non ſolum propter ſe creatum, ſed & quia omnia alia propter ipſum.

Creationis beneficium homines vere obligat.

HOc patet, quia homo velut finis eſt & dominus & rex mundi, ſive creaturarum viſibilium; illæ enim in ejus ſunt factæ obſequium. Si terra flores, fructus, herbas ſalutares producit, eſt propter hominem. Si aer aves, aqua piſces, terra animalia habet, eſt propter hominem. Si ſtellæ, luna, ſol lucem dant, propter ipſum eſt. Imò & Angeli in ejus ſunt obſequium deſtinati, *propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Hebr. 1.

Omnia propter hominem creata ſunt.

Reſpice ergò, ô homo cœlum & terram, & univerſum mundum, & conſidera an ſit aliquid de quo non recipias emolumentum. Aliqua, inquit D. Bonavent. creata ſunt ad uſum tuum & utilitatem, ut granum, vinum, arbores, plantæ; aliqua ad recreationem, ut aves cum cantu, accipitres, canes ad venandum; alia ad adjutorium, ut equi, elephanti, cameli, boves, alia denique ad exercitium, ut in timore homo continetur, ut leones, dracones, ſerpentes, lupi. S. Bonav. in 2. ſent.

Dicit verò Hugo de S. Victore omnes creaturas nos tribus his verbis alloqui, *accipe, redde, fuge*: Accipe beneficium, Redde obſequium; Fuge ſupplicium. Prima vox creaturarum eſt famulantis, ſecunda admonentis, tertia comminantis; quaſi moneant te: Si non vis ſervire Deo tuo poſt tot beneficia & favores, time ſupplicium & ultionem: ſi amore non duceris, timore traharis ad ejus obſequium, quia illis ipſis creaturis utetur ad te torquendum: *armabit enim illas contra injuſtos*, iguis calore, aqua frigore impios torquebit.

Eleganter dixit Magiſter Sentent. Sicut homo factus eſt propter Deum, ut ei ſerviret; Ita mundus propter hominem, ut ei ſerviret. Poſitus eſt ergo homo in medio, ut ſerviret, & ei ſerviretur, & totum reflueret ad bonum hominis, ſive obſequium quod accipit à creaturis, ſive obſequium quod Deo reddit. Voluit enim Deus ita ſibi ſerviri ab homine, ut ea ſervitute non Deus, ſed homo ſerviens juvaretur, & ut mundus ſerviret homini, & inde etiam juvaretur homo. Totum ergo bonum hominis erat, & quod factum eſt propter ipſum; & propter quod ipſe factus eſt. Propterea dicit Apoſtolus: *Omnia veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive Cephas, ſive Apollo, ſive mundus, ſive vita, ſive mors, ſive præſentia, ſive futura.* Omnia noſtra ſunt; ſuperiora, æqualia, inferiora: Superiora ad perfruendum, Deus & Trinitas: Æqualia ad convivendum, ſcilicet Angeli, qui etſi modò ſuperiores, in futuro erunt æquales, & modò noſtri ſunt, quia ad uſum noſtrum, ita ille. Omnia utique noſtra, quia in auxilium ſalutis data. Magiſt. in 2. diſt. 1. 1. Cor. 3. 22.

1. Noſter eſt mundus, ſive omnes creaturæ, quia corpori & animæ ſerviunt. 2. Noſtra eſt vita; ut in ea merita colligamus. 3. Noſtra mors, quia per illam imus ad vitam æternam, 4. Noſtra præſentia, ſive adverſa, ſive proſpera, quia illis utimur in bonum. 5. Noſtra futura bona, nunc quidem ſpe, poſtea re. 6. Noſtra ſunt & mala, infernus & damnati ut illis dominemur. 7. Nos autem Chriſti, tanquam membra & poſſeſſio ejus ſanguine acquiſita. 8. Chriſtus verò Dei, tum quia filius quoad divinitatem, tum quia ejus creatura quoad humanitatem. Electi itaque ſunt finis, ob quem omnia creavit Deus, & horum omnium finis eſt ipſe Chriſtus, ut homo; quia omnia ad ejus gloriam ordinantur: Chriſtus autem propter Deum & Dei gloriam eſt, quia omnium finis, Deus.

Ex dictis collige, beneficium creationis ſæpius à nobis conſiderandum eſſe, ut excitemur ad Dei laudem & amorem. Ad illam ſe & nos excitat Pſalres, dum inclamat: *Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum*, &c. Senſus eſt. Quàm digna eſt admiratione & diligenti conſideratione gloria nominis tui, potentia, ſapientia, diffuſa per totum orbem, & in omnibus reſplendens creaturis: *Quoniam videbo cœlos tuos, lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti.* Senſus eſt: Quia conſiderabo attente ſtellas innumerabiles & cœlum, opera illa digitorum tuorum, inde laudabo te tanti operis Creatorem. Et conſiderans beneficentiam tuam, clamare cogor; *Quid eſt homo, quòd memor es ejus, aut filius hominis, quia reputas eum?* Senſus eſt: Quid eſt homo fragilis, æruminoſus, oblivioſus, qui & Dei ſui, & donorum ejus ac ſalutis oblivi ſci ſolet? *Tu gloria & honore coronaſti eum*, Tam nobilis naturæ eum condidiſti, ut non ſit Angelis inferior, niſi modicum; ornaſti eum gloria præ omnibus creaturis inferioribus, quia eſt ad imaginem tuam intellectu præditus, beatitudinis capax, dedi ſtique ei poteſtatem in omnia opera tua, ſubjiciens quicquid in mari eſt, in aere, in terra. An non igitur Pſal. 8. Pſal. 8. 4. Pſal. 8. 5.

Digitized

igitur jure iterum repeto & exclamo : *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum*, in omnibus operibus admirans te, laudans potentiam tuam, sapientiam, bonitatem, & amare te discens! *Omnia mihi clamant, ut amem te, cùm propter me fecerit omnia.*

LECTIO V.

DE CREATIONE ANGELORUM.

1. *Docet, Angelos creatos primo die in gratia.*
2. *Numerum Angelorum superare numerum hominum.*
3. *Deum per Angelos hæc inferiora regere.*

PROPOSITIO I.

Deus inter prima opera sua Angelum creavit spirituale substantia.

Angeli creati sunt primo die in gratia.

QUando dicitur creasse cœlum, intelligitur cum Angelis; quia illud non creavit vacuum sicut terram, sed repletum spiritibus illis cœlestibus, triplici illa cœlesti Hierarchia Angelorum. Erat enim cœlum thronus & aula Dei, mansio Beatorum ac servorum suorum; ideo posuit in eo jam ab initio innumerabiles spiritus ipsum ex tunc laudantes, de quibus dicit ad Job: *ubi eras, cùm me laudarent astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei?* Fuerunt ergo primitiæ operum Dei, in puncto diei, in aurora mundi creati, ad glorificandum Deum.

Job. 38.

Primo itaque die creatos probabilior est sententia, quam tenet Augustinus & Hugo. Interpretans enim allegoricè illud: *Fiat lux: Et divisit lucem à tenebris*, dicit tunc etiam Angelos creatos fuisse, & bonos in bono confirmatos, à malis fuisse discretos & segregatos, & ita, quod agebatur in mundo sensibili circa lucem & tenebras, imago erat illorum quæ agebantur in mundo intelligibili, circa Angelos lucis & tenebrarum. Imò passim vult Augustinus, hunc de Angelis sensum litteralem.

August. lib. 1. sup. Genes. ad liter. c. 3. & lib. 11. de civit. c. 9.

Hi ergo Angeli creati fuere in gratia, & ut loquitur Augustinus, *cum amore casto, quo Deo adhærent, simul enim in eis erat conditus naturam & largitus gratiam.* Sed gratiam quam acceperunt, aliqui perseverando in obedientia auxerunt, & starim gloriam meruerunt, alii per superbiam illam perdiderunt, & mox æternis flammis addicti sunt.

Job. 26. 5.

Opinio aliquorum fuit peccasse Angelos secundo die, & tunc à bonis separatos fuisse; quia hi supra firmamentum relicti fuere, impii autem Angeli in abyssum projecti, *gementes ut gigantes sub aquis.* Hoc ergo putant significari in eo quod dicitur: *dividat firmamentum aquas ab aquis.* Ideo quoque putant quod Deus non appellavit diem illum bonum, aut ea quæ in eo facta sunt, quia respexerit ad peccatum Angelorum illo die commissum. Hujus sententiæ est Albertus, Carthusianus, & alii. Sed quod diximus, probabilius est, scilicet primo die creatos fuisse, primo die peccasse, primo die in infernum detrusos. Est verò alia ratio, cur opus secundæ diei non dixerit bonum, quia hoc solum dicit de operibus perfectis & completis; divisio autem aquarum, quæ illo die inchoata fuit, prius fuit completa sequenti die.

Gen. 1. 5.

Albert. Magn. in 2. dist. 5.

Porrò Angelos non esse corporeos, definitum est contra Originem. De quo monendi sunt rudes, ne fortè existiment, eos juvenes esse alatos, ut pinguntur. Talis verò picturæ hæc est ratio.

Pictura Angelorum quid designat.

Primò pinguntur cum alis, ut significetur prompta obedientia, qua velut volare videntur ad jussa Dei. Deinde, ut significetur quod per intellectum & voluntatem quasi duplicem alam continuò volent in Deum visione & amore.

Secundò pinguntur juvenes, ut significetur senium in illis locum non habere, sed vigorem continuum per participationem æternitatis.

Tertiò pinguntur nudi & discalceati, ad designandum eos non egere ornamento exteriori, quia amicti sunt lumine gloriæ; significatur etiam immortalitas eorum, quia calcei ex pellibus animalium mortuorum conficiuntur, & mortalitatis signum sunt.

Purè ergo spirituales sunt Angeli, & verum est illud Gregorii: *Tres vitales spiritus creavit omnipotens Deus. Unum qui carne non tegitur. Alium qui carne tegitur, sed non cum carne moritur. Tertium qui carne tegitur, & cum carne moritur. Primus Angelorum: Secundus est hominum: Tertius est spiritus brutorum.* Sæpè tamen Angeli in assumptis corporibus ex aere vel alia materia, jussu Dei apparent. Patet ex Scripturis.

S. Greg.

PROPOSITIO II.

Numerus Angelorum est nobis incognitus, tamen sine comparatione superat numerum hominum, estque velut innumerabilis.

DE illis rectè intelliges illud Job: *Numquid est numerus militum ejus?* Daniel etiam dicit: *Millia millium ministrabant, & decies centies, centena millia assistebant ei.* Hic numerus determinatus est; nam millia millium significat aliquot milliones, mille enim millia est millio: decies millies centena millia, efficiunt mille milliones; millio enim sunt decies centena millia, Sed ponitur numerus certus pro incerto, & significatur: tantus, quantus humanitus posset exprimi, hoc est, quodammodo infinitus.

Angelorum numerus superat hominum

Job. 25. 3. Dan. 7. 10.

In Revelationibus S. Brigittæ dicitur favore Virginis ei revelatum, numerum Angelorum decuplo majorem numero hominum. Si computarentur, inquit, omnes homines ab Adam usque ad ultimum, plusquam decem Angeli inveniretur pro unoquoque homine. Conformiter alleruntalii, cuilibet Angelo respondere decem Archangelos, & sic semper ascendendo. Addit S. Bernardinus Senensis, Angelos superare numero stellas cœli, arenam maris, pulverem terræ, & numerum rerum omnium

Digitized by Google

corporalium. Quod etiam asserere videtur D. Thomas ex D. Dionysio. Vide ejus art. 3. 4. 5. Huc referri potest quod Hilarius & alii Patres intelligunt per
Luc. 15. *nonaginta novem oves*, Angelos; & per *unam quæ perierat*, hominem; ibique significare videntur ita Angelos numero superare homines, sicut nonaginta novem superant unum.

Quæres, an numerus Angelorum qui ceciderunt, magnus sit vel certus sit? Respondeo magnum esse, sed non determinatum; quia licet in Apoc. dicatur: *Draco cauda sua traxisse tertiam partem stellarum*
Apoc. 12. 4. (quod aliqui intelligunt de Lucifero cadente & secum trahente partem Angelorum, qui peccati & rebellionis consortes fuerant) tamen ibi ponitur numerus certus pro incerto, determinatus pro indeterminato. Videtur enim numerus bonorum Angelorum excedere plus duplo malos; quia Scriptura significat bonorum Angelorum numerum quasi infi-
4. Reg. 6. nitum. Ad orationem Elisæi, famulus ejus oculos aperiens, vidit montes plenos equis igneis, ad unius Prophetæ protectionem.

Probabile verò est ex omni ordine aliquos cecidisse. Ex primo enim eorum caput Lucifer cecidit,
Eph. 6. 12. & ex illis aliqui adhuc vocantur, *Principatus & Potestates*. Unde juxta D. Hieron. eundem ordinem retinent quem habebant, ut alii præsint, alii subsint, sicque per hanc subordinationem valentiores sint ad nocendum. Sicut rebelles milites creant Ducem, quem vocant Electum, & alios Capitaneos sub eo, ut suam rebellionem stabiliant; sic inter malos Angelos, superiores inferioribus præsunt, quia naturali eis
1. Cor. 1. 24. scientia & nequitia prævalent; & bellum nocentius inferunt, quia bellum, si desit ordo, imbelle est. Cessante verò Ecclesia militante, cessabit hic ordo fine sublato, ut significat Apostolus.

Eph. 6. 12. Ex illis verò multi in hunc aerem caliginosum detrusi sunt; & ideo dicuntur *aerea potestates, & rectores tenebrarum harum*, hoc est, tenebrosi hujus mundi, sive aeris caliginosi, in quo multam potestatem habent. Dicit enim D. Hieron. communem esse
V. Schol. 1. p. q. 109. Hieron. in ep. ad Eph. sententiam, aerem hunc esse plenum dæmonibus, usque ad diem judicii, qui homines exerceant ut boni probentur, mali indurentur; & cum illis in die judicii ad communem damnationem detrudantur. Unde sæpe in aere procellas, fulmina, turbines, tonitrua concitant, ut frugibus, bestiis, hominibus noceant. Et æstus, sterilitates, morbos, pestes, inundationes, bella, aliasque clades procurant. Denique homines ad gulam, iram, libidinem, & alia vitia impellunt.

V. Tho. 1. p. q. 6. 4. art. 3. Aliqui putant tot homines salvandos, quot Angeli ceciderunt, quia loco Angeli cadentis, homo erigitur. Sed hoc satis dubium est, nam sic Angeli possent scire appropinquare diem judicii. Et est incertum, an totus numerus lapsorum sit restaurandus, quamvis hoc probabile sit. Sicut etiam probabile est, quod sicut ex omnibus Ordinibus aliqui ceciderunt, ita & ex hominibus assumi ad omnes ordines; & id probari videtur ex diversis gradibus gratiæ, quam in hominibus videmus. Quod verò instaurari dicitur ruina Angelica per homines, intelli- Mag. in 2. Sent. dist. 3. ge secundariò, nam tam principaliter creatus est homo, ut Deo fruatur, quam Angelus. Et licet Angelus non peccasset, fuisset homo creatus & reparatus post lapsum, ut docet Magister: secundariò tamen ad hoc dicitur creatus; quia ex creatione & reparatione hominis, hoc boni consecutum est, Deo sic ordinante.

Soli ergo Deo notus est numerus Electorum, licet rectè dicamus cum Augustino, illam civitatem nulla numerositate civium fraudandam, sed aliquos addendos supra numerum.

PROPOSITIO III.

Deus per Angelos mundum gubernat.

Per Angelos Deus mundum gubernat.

COmmunis sententia est, ipsos præesse elementis, provinciis, templis, altaribus, civitatibus, exercitibus, familiis: & generaliter loquendo dicit Augustinus & D. Thomas, res omnes corporales per eos gubernari.

Apoc. c. 14. & c. 16. c. 7. 1. *Primò* ergò, Angelos præsidere quatuor elementis, colligitur ex Apoc. ubi dicitur; *Angelus exivit, qui habebat potestatem super ignem*. Et iterum dicitur: *Audivi Angelum aquarum*. Et postea vidit Joannes *Angelos coercentes ventos*.

Dan. 10. *Secundò*, de provinciis clarum est deputari illis Angelos quasi Principes. Hinc apud Danielem dicitur: *Princeps regni Persarum restitit*, hoc est, Angelus Persiæ. Et ibi etiam fit mentio de Angelo Græcorum. Item Angelos qui venerunt ad defensionem Jacob, dum ait: *Castra Dei sunt hæc*: dicunt Hebræi Gen. 23. 1. fuisse Angelos custodes regionis Syriæ & Chanaan protegentes Jacob, ne periculum aliquod in terra cui præsidebant incurreret, ut ibi referunt Lyranus & Tostatus.

Tertiò, de templis, colligitur ex eo, quod refert Josephus & alii, auditas fuisse voces Angelorum priusquam Jerosolyma subverteretur, qui ad custodiam templi adhibiti erant, & clamabant: *Migremus hinc*.

Exempl. Joan. Moschus in Prato spirit. 11. 10. de vitis PP. c. 10. *Quartò*, de Altaribus, singula à singulis Angelis custodiri, est exemplum in Prato spirituali, ubi dicitur, Eremitam quendam ingredientem speluncam Abbatis Barnabæ, vidisse supra Altare quod Abbas consecraverat, cœlestem Angelum; qui rogatus ab eo quid ibi vellet, dixit locum illum ex eo tempore, quo consecratus erat, custodiæ suæ fuisse deputatum. Idem vidit in alio aliquo altari Abbas Leontius, ut ibi quoque refertur: Hinc est quod in sacrificio dicitur: *Iube illud Domine, offerri per manus*
Ibid. c. 4. *sancti Angeli tui*, &c. In quibus verbis in Monasterio Sabinensi, tempore Serionis Abbatis vidit Religiosus celebrans, circa altare plures Angelos; quorum unus cæteris altior faciam hostiam Deo visibiliter offerebat, & super altare illâ repositâ, disparuit. Collige ergo ex his, quanta reverentia debeatur locis sacris.

Quintò,

Digitized by Google

Is. 62. *Quintò*, civitates habere speciales Angelos, verum est. Undè Tostatus illud Isaiæ: *Super muros tuos Jerusalem constitui custodes, totâ die ac nocte non tacebunt laudare nomen Domini:* Interpretatur de Angelis ad custodiam urbis Jerusalem.

2. Mach. 11. *Sextò*, id etiam de exercitibus verum esse, docet quod habetur 2. Machab. 11. ubi Machabæus intelligens, quod Lysias bellum populo Dei moliretur, multis lachrymis cœpit orare Deum, ut Angelum bonum auxiliatorem mitteret: Et sic obviam procedens hostibus, statim apparuit eques in veste candida cum armis aureis: & tunc omnes confirmatis animis, cœperunt Dei laudare potestatem, & victoriam retulerunt. Hinc etiam Emanuel Portugalliæ Rex primâriæ navi, quæ ad Indias novum subactura orbem destinabatur, nomen dedit *Gabrielis Archangeli*, ut exercitus qui illa vehebatur, desiderio seminandi Evangelium, sub protectione illius Archangeli foret, qui primus Evangelicæ renovationis nuncium inveterato mundo inverterat. Hinc discant Reges recurrere ad Angelum horâ prælii, & gratias agere pro victoria, sicut agebat Judith, dicens: *Vivit Dominus, quia custodivit me Angelus ejus, hinc euntem, & ibi morantem, & indè hùc revertentem.* Jud. 13. 20.

Denique cuilibet Monasterio Angelus aliquis attribuitur à D. Thoma, quem sequitur Molina. Imò Tostatus singulis attribuit familiis, maximè si caput sit persona justa, & addit Angelum illum, qui reduxit Agar in domum Abrahæ, fuisse custodem illius domus. Gen. 16.

Hebr. 1. Ex dictis patet, rectè dixisse Apostolum: *Omnes administratorii spiritus sunt missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Nec tamen dicendi sunt ministri aut servi hominum; sed nuncii & ministri Dei ad homines ob eorum salutem. Sunt enim quasi Officiarii Dei, res humanas pro illo administrantes, licet nunquàm à Dei visione recedant, *semper enim vident faciē Patris.* Quod verò dicitur, eos mitti propter eos qui salvandi sunt, non sequitur non mitti ad omnes homines; sed significatur, quod fructus ministerii in illis maximè appareat, qui salvantur, & quod in reprobis inefficax sit hoc ministerium. Item significatur finis ministerii esse, ut homines perducant ad salutem, ultimum enim eorum officium est, animas ducere in cœlum

An mittantur Angeli ex omnibus ordinibus. Quærunt Theologi, an de omnibus Ordinibus mittantur? Probabile est quod sic. Primò, quia dicit hic Apostolus (*omnes*) 2. quia ad Isaiam Seraphim missus est. 3. Cherubin mittitur ad custodiendum Paradisum. 4. ad Danielem missus est Michael, quem multi docent esse primum Angelorum, qui custos est Ecclesiæ, sicut olim Synagogæ: Et hunc fuisse etiam aliqui putant illum, per quem Lex data est, undè & in officio Ecclesiæ vocatur, *Primus cœlestis exercitus.* D. Dionys. Greg. & D. Thom. distinguunt inter assistentes & ministrantes, & dicunt quatuor supremos Ordines assistentes esse, nec unquam mitti; videturque hæc distinctio deduci ex Daniele: *Millia millium ministrabant, & decies millies assistebant.* Dan. 7. 10. Sed respondeo non esse necessarium distinguere; eosdem enim esse, qui nunc assistentes, nunc ministrantes dicuntur. Undè omnes Angeli stare, sivè assistere dicuntur coram Deo. Et Ecclesia orat: *Da, ut à quibus tibi ministrantibus in cœlo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur.* Tob. 12. Matt. 18. Et licet Daniel distingueret, non sequitur assistentes nunquam mitti, sed dicuntur assistentes, quia rarò mittuntur, semper verò assistunt. Hinc Raphael dicit se esse unum *ex septem qui adstant antè Dominum.* Confirmantur hæc omnia, quia omnes Angeli dicuntur venturi cum Filio hominis ad Judicium, ministerii scilicet causa. Et valdè probabile est, Christo ascendenti omnes occurrisse. D. Dionysius tantum, ut probabilem suam sententiam proponit, sicut & D. Gregorius, qui dicit, nihil certi hic asseri posse. Addo, si Filius est missus à Patre legatus per seipsum, quid vetat etiam mitti ipsos Seraphim?

Hinc D. Chrysost. deducit, & docet zelum animarum, & studium convertendi eas, esse opus non humanum, sed Angelicum; est enim, inquit, opus Angelicæ functionis, ad salutem hominum ministerium Deo persolvere; est opus Angelicum, omnia facere pro salute proximorum, imò potius est opus Christi. Chrysost. in 1. epist. ad Hebr.

LECTIO VI.

DE CUSTODIA ANGELORUM.

1. *Docet, varia esse beneficia corporalia Angelorum erga nos.*
2. *Declarat beneficia eorum spiritualia.*
3. *Beneficia specialia ergà castitatis fautores.*

PROPOSITIO I.

Beneficia Angelica custodiæ partim corporalia sunt, partim spiritualia, quia non solùm animæ, sed & corporis tutores sunt.

Angelorū beneficia in homines. 1. Corporalia.

PRimò, Angelus multis periculis corpus & vitam nostram eripit. Cum enim vita nostra variis sit obnoxia casibus & periculis (illi nocumenta varia, tum ab elementis, igne, aqua, aëre, tum ab animalibus, tum à dæmonibus, & hominibus infliguntur) Angelus ab his hominem protegit: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Psal. 33. 8. Hæc protectio manifestè apparuit circà Tobiam, quem Angelus eripuit à devoratione piscis, & à dæmonio, à quo ei mors imminebat. Tob. c. 6. & 12. Apparuit & in filiis Israel, quos per varia pericula deduxit Angelus, protegens eos igne per noctem, nube per diem. Exod. 13. 20. Hinc etiam Judith, gratias agens de hac protectione, dicebat: *Vivit Dominus, quia custodivit me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem, & indè hùc revertentem.* Judic. 13. 20. Quapropter Gen. 48. Jacob

Digitized by Google

Jacob filiis Joſeph benedictionem apprecans, hanc eis Angelicam protectionem optat: *Angelus*, inquit, *qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis.* Quoties ergò vel iter, vel opus aliquod periculoſum aggredimur, Angelo tanquam protectori nos committamus: Illi parentes committant proles ſuas, ſicut Jacob ſuos nepotes filios Joſeph, ut per ejus benedictionem eripiantur à cunctis malis.

Secundò, in neceſſitatibus Deus providere ſolet ſuis per Angelicum miniſterium. Sic Angelorum manibus ſicbat illud manna, quo Deus providebat Iſraelitico populo. Sic providit Angelus Danieli in lacu leonum Abacuc: Sic provident Agar & Iſmaeli in ſolitudine ſitienti. Sic denique Eliæ Jeſabelem fugienti, & ſub Junipero jacenti, Angelus vas aquæ, & panem ſubcinericium attulit; ut in fortitudine cibi illius ad montem Oreb ambularet. Et nunquid in fornace pueris Babylonis, Angelus de rore & vento providit, ut læti in mediis ambularent flammis?

Tertiò, in infirmitatibus noſtris ſolet Deus per Angelos cuſtodes ſolatium & auxilium exhibere; idque ſæpiùs fecit viſibiliter, ut ſciamus Angelicum nobis auxilium non deeſſe, licèt exterius non ſemper illud percipiamus.

Exempl. in vitis PP. lib. 6. libello 7. §. 44.

Sic legimus in libro doctrinæ Sanctorum Patrum, Angelum cuſtodem cuidam miniſtraſſe per plures hebdomadas, donec alii Monachi venirent ad viſitandum eum. Cùm enim illi ad oſtium pulſaſſent, diſceſſit Angelus, ipſe verò infirmus clamabat: *Rogo, Fratres diſcedite, quia vobis venientibus, reliquit me Angelus meus, à quo viſibiliter obſequium & ſolatium percipiebam*; & vix his prolatis, expiravit, aſſumptaque eſt anima per illum Angelum, qui ejus cuſtos exiterat.

Ibidem habetur, quod ſenior quidam à duodecim milliaribus aquam ferre cogeretur, ob diſtantiam cellæ ſuæ ab aqua, cumque tæderet eum itineris, reſpiciens retrò, vidit Angelum, qui omnes paſſus ejus numerabat; & exindè conſolatus, ad illum labotem continuandum animatus eſt.

Surius l. 1. vitæ ejus c. 13. 14. April.

Præclarum eſt, quod de S. Lyduina hac de re habemus. Hæc tota vita cum acerbiſſimis morbis conflictata fuit, omnibus ægris patientiæ ſymbolum & ſpeculum. Interim in mediis afflictionibus hoc ſolatii à Deo habuit, quod viſibiliter cum Angelo aliquandò loquebatur, & fruebatur ſuavi ejus ſocietate, & obſequiis. Nominabat illa diſtinctè plures ſpiritus Angelicos, & ſciebat quibus deputati forent perſonis, privabatur verò aliquandò viſione ſui Angeli & conſortio, ob frequentiam viſitantium eam. Undè, ſi aliquandò ex colloquio mundanorum hominum aliquam labeculam contraxiſſet, ſtatim fatagebat confeſſione eluere, ne Angeli viſitatione & familiaritate deſtitueretur. In diebus Cinerum ſolebat de manu Sacerdotis cineres ſacros accipere: ſi nimium tardabatur, ſupplebat Angelus. Quare cum ſemel ejus Confeſſarius accederet, ut ſignaret eam: Reſpondit illa: jam id præſtitum ab Angelo: quod cùm miraretur, tangens frontem ejus, ſenſit cineres, quibus & ipſe frontem ſignavit. Docuerat autem Angelus eam magna cum reverentia ſacros illos cineres ſuſcipere, & ad idem faciendum alios adhortari.

PROPOSITIO II.

Beneficia ſpiritualia Angeli erga hominem innumera ſunt.

2. Spiritualia. Tob. 12. 13.

EX illis tria proponemus hic. *Primò*, preces noſtras & bona opera Deo offert. Undè Angelus ad Tobiam ait: *Quandò orabas cum lachrymis, & mortuos ſepeliebas relinquens prandium, ego orationem tuam obtuli Domino.* Hinc etiam eſt quod deſcendant Angeli & aſcendant in ſcala Jacob; aſcendunt ut vota noſtra offerant, deſcendunt ut dona Dei ad nos deferant. Neque verò exiguum debet æſtimari hoc beneficium; nam orationes noſtræ in manibus noſtris multis imperfectionibus inquinatæ, difficilius acceptantur, quàm ſi per innocentes manus Angelorum offerantur. Sicut cibi in ſordida patina oblati nauſeam generant, in nitido verò diſco placent. Hinc in Sacrificio oramus: *Iube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui, &c.* Et in libro Judicum legimus, quod offerente Sacrificium Manue Patre Samſonis, *aſcendente flammâ aſcendebat pariter & Angelus.* De hac precum oblatione per Angelos, vide Auguſtinum & Bernardum. O inquit, *quàm felix eſſes, ſi ſpiritualibus oculis ſemel inueri poſſes, quomodò prævenient Principes conjunctis pſallentibus in medio juvenculatum ſympaniſtriarum. Videres proculdubio, quâ curâ interſint cantantibus, aſſiſtunt orantibus, adſunt meditantibus; quomodò ſollicitè diſcurrunt inter nos & Deum medii, noſtros gemitus fideliſſimè ad eum portantes, ipſiuſque gratiam ad nos deveriſſimè reportantes.* Judic. 13. Bernard. Medit. cap. 6.

Simile.

Secundò, conſervat nos & juvat, ne in peccatum cadamus. Sicut enim parvuli fratribus ſuis grandioribus committuntur, ut eos in ulnis geſtent, ne in via difficili cadant vel impingant; Ita Deus tanquàm Pater ſollicitus, Angelis tanquàm fratribus majoribus natu nos commiſit; ut eorum auxilio ambulemus ſine offenſione, inter varia pericula & occaſiones in hac via difficili. Juxtà illud: *Angelis ſuis Deus mandavit de te, ut cuſtodiant te, &c.* Nempè diligunt nos tanquam fratres & ejuidem hæreditatis cohæredes. *Ipſi deſiderant adventum noſtrum, quoniam de nobis expellunt civitatis ſuæ ruinas reſtaurari, ideoq; eos qui hæreditatem cupiunt ſalutis, inſtruunt, protegunt, confortant. Intrant & exeunt nobiſcum, attentè conſiderantes, quàm piè, quàm honeſtè in medio nationis pravæ converſemur, quantoque ſtudio quæramus regnum Dei & juſtitiam ejus, quanto timore ſervianus illi; adjuvant laborantes, protegunt quieſcentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes.* O quotics graviſſimis tentationibus fuiſſes obnoxius, & in æternam perditionem devolutus, niſi Angeli auxilio fuiſſes præſervatus?

Pſ. 90. 11. S. Aug. ſoliloq. cap. 27.

Refert Franciſcus Albertinus, quendam Societatis

Exempl. Albert. Libello de Angelorum cuſtodia.

tatis Sacerdotem appuliſſe Conſentiam præcipuam Calabriæ civitatem; ſtatimq; importunè rogatum fuiſſe à viro quodam, ut exciperet ejus confeſſionem totius vitæ. Interrogat Sacerdos, quid eum premat, cur illo die tam feſtinanter, tanto deſiderio id flagitet? Narrat ipſe. Nudius tertius conſulebam amicum, quomodò injuriam à quodam mihi illatam ulciſcerer; perſuaſit, ut ambo bombardis armati, illâ nocte illum perſequeremur. Itaque domum repeto, arripio bombardam, rotas & ſilices præparo; & ecce ſpecioſus juvenis ad me accedit. Quid, inquit, meditaris? Quid mortis inſtrumenta paras? Ego conſilium diſſimulo. At ille forti zelo: Putas, me latêre quid artentes, immemor ſalutis tuæ & proximi, quem perſequeris? Memor eſſe deberes, quanta Deus à te patitur: & tu nec minimam vis pati injuriam? Millies te jam in æternam perditionem devolvere potuiſſet, qui peccata peccatis accumulas, ſed per patientiam te tot annis expectat. His ſimilibuſque multis exaggerans mihi amorem & beneficia Chriſti, & peccatorum memoriam refricans, tranſverberabat cor meum etiam uſque ad lachrymas. Tandem ſermonem finiens, monet, ut peccatorum facerem confeſſionem, dum Pater aliquis Societatis huc acceſſiſſet. Interim ſocius è vico me evocat, ut ſtem promiſſis; cum verò nollem reſpondere, impulit juvenis ad reſpondendum. Acceſſi ergò, & indicavi ei, me mutaſſe conſilium, nec poſſe iſtud, ſine aperto ſalutis diſpendio. Hoc dicto, regreſſus ſum, & juvenem monitorem non reperi. Dolui quidem; non potui tamen aliud cogitare, quam eſſe meum Angelum ob conſolationem ex ejus alloquio relictam. Undè ab illo die avidius exſpectavi adventum R. V. ut Angelo parerem. Hæc ille.

Tertiò, Angeli cuſtodia, dum in peccato ſumus, excitat ad pœnitentiam, & impedit Dei vindictam. Dicitur in parabola, quod quidam habens ficum in horto, videnſque eam non ferre fructum tribus annis, dixit hortulano: *Succide illam, ut quid terram occupat?* Hortulanus ſupplicat, ut ad annum adhuc expectet; interim colendo, purgando, ſtercorando, promittit ſe omni diligentia curaturum, ut ferat fructum. Doctores aliqui ſancti explicant id de Angelo cuſtode, qui videns Deum arborem infructuoſam velle ſuccidere, intercedit, ut ad tempus adhuc differat; Interim omnem curam promittit circà hominem, monendo, inſpirando, judicium ei & mortem proponendo, ut tandem ad pœnitentiæ fructum adducat.

Luc. 13. 7.

Munus ergò Angeli eſt, hominem ad pœnitentiam excitare. Cujus figuram habes in S. Petro catenato & dormiente, quem excitat Angelus, ejus diſrumpens vincula. Sicut olim Angelus apprehendit manum Loth ad exeundum de Sodomis, ita apprehendit manum noſtram ad exeundum de peccatis; ſed ibi excitat de maritis filiarum Loth: *Viſus eſt Angelus ea ludere loqui.* Ita multi non obtemperant Angelo à peccatis & occaſionibus peccatorum educere volenti; & dum eis judicium mortemque re-

Gen. 19.

præſentat, illi ut oportet, id non apprehendunt, ideoque manent eſca ignis æterni; de quo ipſi Angeli quodammodo contriſtantur, quia & ipſi quodammodò exultant gaudio de converſione peccatoris.

Undè ait Bernardus: *Va tibi quicunque es, qui deliberas redire ad lutum, reverti ad vomitum. Putaſne placatos eos habebis in judicio, quos tanto & tam ſperato vis privare gaudio? Exultaverunt, cum nos ad pœnitentiam venimus* (ad Religionem) *tanquàm ſuper his quos ab ipſa inferni porta cernerent revocari. Quid nunc erit, ſi ab ipſa Paradiſi janua reverti viderint & abire retrorſum eos, qui jam pedem alterum* (cœlo) *in paradiſo poſuerunt?* Ita ille. Habet ergò tunc illud Iſaiæ: *Angeli pacis amarè flebant*; non quod Angeli de facto triſtitiam habeant, qui ſemper fruuntur æterno gaudio; ſed quia peccator peccando, quantum in ſe eſt, eos cenſetur contriſtare, ſicut & Spiritum Sanctum, ut dicit Apoſtolus.

S. Bernar. ſer. 2. in vig. Nativ. circà finem & c. 6. Med. §. 2.

Iſa. 33.

Da igitur, da Pater, inquit Auguſtinus, *eis ſemper gaudere de nobis, ut tu ſemper per eos laudaris in nobis; & nos cum eis in unum ovile tuum adducamur, & ſimul confiteamur nomini ſancto tuo. Creator hominum & Angelorum.* Laudo te interim Domine, quoniam dediſti Angelos tuos ſpiritus in miniſterium noſtrum: Dederas enim quicquid cœli ambitu continetur, & quaſi parva reputas hæc, quæ ſub cœlo ſunt, niſi etiam dares, quæ ſunt ſuper cœlos. Laudent te Domine, de hoc omnes Angeli tui, confiteantur tibi de hoc omnia opera tua, & ipſi Sancti tui benedicant tibi. Hæc Auguſtinus.

V. Aug. in Soliloq. c. 27.

Hoc verò notant Sancti Patres, quantò majus beneficium eſt, tales habere cœleſtes inſtructores, tantò graviorem pœnam manere eos, qui eorum conſilia reſpuunt. Undè dicit Origenes: *Si homo non acquieſcit monitis Angeli, qui ſibi deputatus eſt ad ſalutem, auferetur maceria ejus, & erit in conculcationem. Si commonuit de bonis & locutus eſt in corde; ſed ego contemptis ejus monitis, & ſpreto conſcientiæ retinaculo præceps in peccata curram, duplicabitur mihi pœna vel pro contemptu monitoris vel facinore commiſſo.* Ita ille.

Origines homil. 2. in cap. 25. Num.

Immò ad tempus aliquando homo relinquitur ſaltem ex parte ab Angelo ſuo, quia rebellis ſit monitis ejus. De quo aliqui intelligunt illud Hieremiæ: *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata, relinquamus eam*, & illud: *Auferam ſpem, & erit vinea in conculcationem*: Senſus eſt; auferam cuſtodiam Angelicam in peccati ultionem.

Jerem. 51.

Iſai. 5.

Huc applicat Baſilius illud Pſalm. *Amici Dei de longè ſteterunt*: quaſi conqueratur in perſona peccatoris Pſaltes, ab Angelis ad tempus vel ex parte ſe relictum ob peccata.

Pſ. 37. 12.

Digitized by Google

PROPOSITIO III.

Beneficia ſpecialia exhibent Angeli illis, qui amatores & ſectatores ſunt Caſtitatis.

3. Speciala Caſtitatis amatoribus exhibent.

ESt enim quodammodò Angelis cognata vel affinis caſtitas, quia imitatio quædam eſt vitæ & puritatis Angelicæ. Undè dicit D. Hieron. *Virgines eſſe quaſi familiam novam Angelorum, quam Chriſtus in terra inſtituit, ut haberet Angelos in terris, qui ab Angelis adorabatur in Cœlis.*

Epiſt. 22. ad Euſtochium.

Angeli ergò ſunt ſpecialiter tutores Virginum, & eorum, qui caſtitatem profitentur. B. Cæcilia ipſo nuptiarum die cilicium ſub aurato ornatu geſtabat, & cantantibus organis ac aliis inſtrumentis muſicis, ipſa ſuam puritatem Domino commendabat, cantans in corde: *Fiat Domine cor & corpus meum immaculatum, ut non confundar.* Cum verò ſponſus eam attingere vellet, dixit ſe in Angeli tutela eſſe, qui nimio zelo cuſtodiens corpus ejus, non eſſet permiſſurus ſine vindicta, ullam in ea contaminationem. Undè Valerianus ſponſus non auſus eam attingere, ſed incenſus deſiderio videndi Angelum, baptiſmum & fidem eſt amplexus ac caſtitatem.

Exempla de S. Cæcilia.

Pſ. 118. 80

Immò Angeli plurimos vacillantes ad ſtatum caſtitatis eligendum induxerunt, tum per ſeipſos, tum per aliorum conſilia. Sancta Victoria deſponſata erat Eugenio, & ſoror ejus Anatolia Tito Aurelio. Venit Victoria ad ſororem, ut perſuaderet ei Sponſum ſuum accipere, *Audi*, inquit, *ô ſoror Chriſtiana ſum, ſicut & tu, & ſcio quod Deus non ſpernat nuptias, quia Prophetæ & Patriarchæ conjugati fuerunt, & Deus benedixit poſteritati eorum. Accipe ergò Sponſum tuum, quem etiam poteris ad fidem Chriſti adducere.* Reſpondet Anatolia. *Soror mea Victoria, oſtende nominis tui efficaciam, vincens diabolum. Quando terra erat vacua, dixit Deus, Creſcite, & multiplicamini, & replete terram: Nunc autem repleta terra, poſtquam Filius Dei venit è cœlo: Creſcite in fide clamat quotidiè, multiplicate in charitate, replete cœlum, appropinquat enim Regnum Dei.* Deinde dicebat ipſa ſoror. Illo die, quo ornamenta & veſtes in cibum pauperum dedi, vidi adoleſcentem ſpecioſiſſimum, coronâ radiante redimitum, purpurâ & gemmis ornatum, & me lætâ reſpiciens facie, dicebat: *O virginitas, non reperiris in operibus tenebrarum, ſed, ſemper in luce!* Ad hanc vocem excitata ſui, & in terram proſtrata flevi, & otavi Dominum, ut qui locutus fuerat, iterum inchoaret. Et me jacente cœpit proſequi. *O virginitas, veſtis es purpurea & regia, qui te induet, altiùs ſedebat caterus! Virginitas eſt gemma preciosa, Virginitas eſt theſaurus Regis, fures conantur eam eripere & ei inſidias moliuntur, ſed tu vigila, & vigilanter eam conſerva, ſicque certa, te eam poſſidere.* His inflammata ſoror, mutat propoſitum, vendit veſtes, pretium pauperibus diſtribuit: nec adduci potuit, ut matrimonium cum ſponſo contraheret, ſed potius illo urgente mortem pro Chriſto ſubiit. Hæc ex Adone Epiſcopo Trevirenſi in Martyrologio.

Surius 23. Decemb. de Victoria & Anatolia.

Angelus ergò erat, qui Anatoliæ ſic locutus fuerat, qui per eam nunc Sororem inſtruebat, & ad virginitatis coronam excitabat. Nil enim Angelis magis placet quam puritas, per quam anima melius diſpota eſt ad intendendum divinis obſequiis & famulatui. Unde illi ſemper virginibus, communicationem, familiaritatem, directionem, protectionem exhibuerunt.

Illud notatu dignum eſt, quod cùm plurimæ virgines ab impuriſſimis tyrannis promiſſis, metu, vi, ad ſtuprum ſollicitatæ fuerint & ad lupanaria damnatæ, nullæ tamen violatæ fuerunt, ſed Deo & Angelis tutoribus, virginitatem conſervârunt, & martyrii purpureo colore eam exornârunt. Vide de B. Lucia, Agnete, & aliis.

Illuſtre hac de re exemplum eſt in vita S. Theophilæ, quæ ſub Imp. Maximiniano ad proſtibulum damnata, cùm illuc duceretur, ſic orabat: *O mi Jeſu, meus amor, mea lux, meus ſpiritus, caſtitatis mea cuſtos & vita; vide eam quæ tibi deſponſata eſt, feſtina, ne lupi ovem quam lament, ſerva ſponsè ſponſam, ſerva meam caſtitatem, fons caſtitatis.* Ingreſſa ergà proſtibulum, librum Evangeliorum, è ſinu protulit & legit. Adfuit mox Angelus, qui primum juvenem ingredientem morte, ſecundum cœcitate, anos aliis pœnis mulctavit, ut nemo amplius auderet ingredi. Multi ergò libidinem irreverentiam commutantes, animo pio locum intrârunt, & viderunt Theophilam ſedentem & legentem, & propè eam adoleſcentem radiantem, & ex oculis inſtar fulguris tela emittentem. Qui tandem Theophilam deducens ad Eccleſiam, eamque in veſtibulo ſtatuens, cùm dixiſſet: *pax tibi*, receſſit, attonitis Gentilibus & clamantibus: *Quis eſt ſicut Deus Chriſtianorum?* Videri etiam poteſt vita Beatæ Franciſcæ Romanæ, quæ mirè in omnibus actionibus directa fuit ab Angelo ſuo.

Surius 16. Dec. de S. Theophila.

LECTIO VII.

QUANDO INCHOET ET FINIATUR Angeli cuſtodia.

1. ***Docet inchoare à Nativitate noſtra.***
2. ***In morte hanc nobis maximè opportunam eſſe.***
3. ***Etiam poſt mortem durare.***

PROPOSITIO I.

Cuſtodia Angeli incipit ſtatim ac homo ex utero ad hanc lucem ingreditur.

Angelica cuſtodia incipit à noſtra nativitate. & deinceps per totam vitam.

ANteà puer in utero exiſtens, pars eſt Matris, & ab Angelo ipſo matris cuſtoditur. Sicut qui oſtendit arborem, cuſtodit & fructum. Statim verò ex utero, unuſquiſque Angelum proprium habet, cujus quidem cuſtodia ex tunc neceſſaria eſt.

Primò

Digitized by Google

Primò quidem ad Baptismi gratiam infantem perducit. Pluribus enim modis sathan per se, vel per sortilegas nititur suffocare pueros ante Baptismum, sed impedit Angelus.

Secundò, in infantia & pueritia custodit per varia pericula, quibus exponitur hæc vita; ita ut pauci ad ætatem perfectam pertingerent, sine protectione Angelica. Unde vulgò dicitur. Pueros Deus & ebrios protegit; quod ut plurimum fit per Angelos, sæpè enim ad aquam vel ignem incautè accedentes, vel per plateas vagantes, equorum vel aliorum animalium transitu periculum & nocumentum incurrerent, nisi Angelus custodiret.

Tertiò, usu rationis inchoante ad bonum instigat, illuminat, revocat à malo, peccati occasiones removet excitat voluntatem ad timorem Dei, ad considerationem salutis æternæ & bonitatis divinæ. Ergò ab eo tempore debet homo se illi committere, & specialiter eum colere & venerari.

Quam fructuosum id sit, patet exemplo B. Joannæ Urbi vetanæ tertii Ordinis D. Dominici. Hæc trimola orbata fuerat Matre, & quinquennis Patre, ipsaque innocentiam baptismalem conservavit, non fœdatam peccato mortali, beneficio Angeli sui. Interrogata enim ab una ex sodalibus suis, num sciret se carere Matre: Quid inquit, dicis? Veni & ostendam tibi eam. Ducens ergò illam ad Ecclesiam & demonstrans imaginem Angeli in muro pictam: *Scito*, ait, *hunc Angelum mihi esse in Matrem, à quo adhuc parvula percepi omnia fidei & pietatis documenta.*

Quartò, in majori ætate, ubi majora pericula tam animæ, quam corporis, diligentem se custodem exhibet. In statu ergò eligendo, ad ipsum recurre; diriget enim te & docebit voluntatem Dei. Si forte tibi statum proponis conjugii, ne aggrediaris cœco gressu, illi te committe, poterit providere de tali conjuge, qui tuæ conditioni & affectioni respondeat.

Hoc docet exemplum Abrahæ, qui mittens famulum ad uxorem quærendam filio ait: *Non est quod angaris, Deus qui me eripuit de conciliis malis, ipse mittet Angelum suum, & accipies uxorem filio meo, &c.* Sed & postea in domestica gubernatione Angelus dirimit discordiam, impedit zelotypiam, multaque removet vitia, quæ a sathana inter conjuges feruntur, denique ad conjugalem instigat castitatem. Hoc docet exemplum Tobiæ. Acceperat Saram instructu Angeli, cujus septem viros Asmodæus ipsa nocte nuptiarum occiderat. Id quoque timebant parentes de Tobia, sed Angeli protectio dæmonium compescuit, & relegavit in desertum: & ita benedictionem omnigenam in conjugio percepit. Docuit eum Angelus, mortem illam maritorum ex eo provenisse, quod libidinis gratia illam acceperant. Itaque consuluit ut per tres dies continens foret, & oraret, & posteritatis gratia eam acciperet, sic fugandum esse dæmonium. Vide ibi orationem Tobiæ.

Genes. 24.7.

Exempl. Tobiæ.

PROPOSITIO II.

Maxime eget homo hac custodia in morte.

Hæc custodia maxime eget homo in morte.

RAtio est, quia homo tunc est circumdatus multa anxietate, dum corpore se ad fœtorem & putredinem resolvente, anima nescit quam initura sit viam: sola pergit, omni destituta hominum auxilio, deserens omnia sibi chara, opes, honores, amicos, hospitatura forsan illa nocte apud inferos. Sed & eam tunc remordet conscientia peccatorum præteritorum, præsens mortis memoria, angit eam æternitas subsequens, nunquam finienda. Tunc quoque acerbissimè sævit diabolus, *habens magnam iram, sciens quod modicum tempus habet;* & plures immittit spiritus suos nequam ad supplantandum tunc hominem, ita ut possit anima dicere: *Circumdederunt me sicut apes.* Circumdant enim animam, ut peccati aculeum infigant, vel per infidelitatem, vel impatientiam, vel per desperationem, vel per præsumptionem de Dei misericordia.

Apoc. 12. 12. Ps. 117. 12.

Quid tibi videtur, ô homo, de illa hora, in qua tenebris circumdatus tenens candelam accensam, contra tenebras mortis trepidabis, brevi rationem redditurus? An non inter tot angustias est tibi necessarium auxilium Angeli tui, ut pugnet pro te? Huic ergò confide tanquam comiti fido, qui curam tui ab initio habuit, illi te totum committe. Sine dubio adest in hac via periculosa, in qua spiritus superbi laqueos abscondérunt. Tunc invigilat, tunc lucem præbet contra umbras mortis Angelus lucis, contra vires sathanæ, Angelus pacis. Si tunc contingat animam seduci, quodammodò contristantur Angeli; & quantum in se est, ad peccati odium, ad conversionem animam instigant. Hoc videtur insinuare Sapiens, dum dicit. *Ibit homo in domum æternitatis sua, & circuibunt in platea plangentes.* Quem locum aliqui interpretantur de Angelis, quia lectio Caldaica habet: *Circumdabunt Angeli circuitores judicii sui lamentantes.* Sicut enim gaudent de anima ad pœnitentiam conversa, ita quodammodò tristantur de anima pereunte; & funus nostrorum peccatorum quodammodò lachrymas eis excutit; Hac enim Metaphora Scriptura explicat displicentiam quam habent de peccatis, dum ait: *Angeli pacis amare flebunt.*

Eccl. 12. 5. Lorinus in illum locum.

PROPOSITIO III.

Hæc custodia adhuc durat post mortem.

Hæc custodia durat etiam post mortem

OFficium enim Angelorum est animas post mortem in Cœlum deducere, quia verum illud: *Mittam Angelum meum qui præcedat te, & custodiat in via, donec introducat in locum quem præparavi.* Ita S. Antonius vidit animam Pauli Eremitæ ab Angelis efferri, & S. Severinus animam S. Martini. S. Nicolaus Tolent. sex mensibus ante mortem audiebat cum suavitate concentum Angelicum

Exod. 23.

Digitized by Google

B. Magdalena ſeptiès quotidiè elevabatur ab Angelis ad eorum cœleſtem harmoniam, nec dubium quin ab illis in Cœlum elata ſit. Sic B. Catharinæ corpus ab Angelis in monte Sina collocatum eſt, anima in Cœlum translata. Sic B. Agathæ non tantum animam & corpus curarunt, ſed & Epitaphium hoc ad ejus ſepulchrum appoſuerunt: *Mentem ſanctam & ſpontaneam, Deo honorem & Patriæ liberationem.*

Porrò, ſi anima adhuc pœnas debeat, deferunt eam Angeli ad Purgatorium, & crebrò eam conſolantur. Poſtremò, in die Reſurrectionis colligent pulveres noſtros, *& exibunt & ſeparabunt impios de medio Juſtorum.* Hic erit finis miniſterii eorum.

Matt. 13. 49.

Ex his omnibus patet, quot titulis Angelis ſimus obligati, & quomodo illis debeamus eſſe grati, illoſque in omni loco revereri. Quidam vir pius quoties alicui obviabat; ſalutationem cum magna humiliatione & reverentiâ impendebat; quam quidem reverentiam ipſe non tam ad perſonam, quam ad ejus Angelum interius referebat. In omni ergo loco ita tu Angelum tuum reverere, ut coram illo non audeas, quod coram homine non auderes. Cum exis domo aut aliquid aggrederis, illi te committe, veſperi & manè gratus illi age. Singulis quoque annis cum recurrit dies nativitatis, peculiari eum devotione cole, quod tunc inchoarit tui curam, & eo tempore non deſeruerit lateri aſſiſtens nocte & die. Immò dignum foret per Confeſſionem, & Euchariſtiæ, panis ſcilicet Angelorum, ſumptionem, illi perpetuum obſequium promittere, tantæ nobilitatis ſpiritui, qui de ſummo Cœlo ad vilis hominis cuſtodiam venire dignatus eſt.

Sales in introd. ad vitam piam.

LECTIO VIII.

DE CREATIONE HOMINIS.

Primò docet hominem creatum ad imaginem Dei.

2. *Creatum fuiſſe in gratia & juſtitiâ.*

3. *Creatum cum perfecta ſcientia & dominio.*

4. *Hominem ſi non peccaſſet fore immortalem.*

PROPOSITIO I.

Homo creatus eſt ſexto die ad imaginem Dei & ſimilitudinem.

Homo creatus eſt ad imaginem Dei naturalem Cen. 1. 26

EX modo productionis ejus colligitur dignitas hominis.

Primò quia abſoluto omni opere ſuo, dixit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Ubi nota, quod non dicit, ſicut de Firmamento & aliis, *Fiat*, ſed quaſi cum quadam deliberatione, *Faciamus* opus ſcilicet novum, ſpeciale, eximium, cum quadam deliberatione aggreditur, & artis infinitæ opus, quia nondum totam artem in creatione Angelorum & animarum oſtenderat, ſed illam oſtendit in creatione hominis, ut notat D. Chryſoſt. Unde & Baſilius ait: *Vis, ô homo, noſſe naturæ tuæ dignitatem, vel hinc auſpicium ſumito: de nullo eorum quæ antea condiderat vox iſta, faciamus, tranſmiſſa eſt; ſed ſimplici verbo omnia creata ſunt. Vide quanti ſis æſtimandus: neque enim generationem tuam velut pretio vulgari, communi mandato creaturarum cenſuit attexendam.* Chryſoſt. homil. 8. in Gen. Baſil. homil. 10. in Genes.

Secundò, notant aliqui hominem formatum fuiſſe ex quatuor pugillis terræ, deſumptis ex ejus quatuor partibus, Oriente, Occidente, Meridie, Septentrione; ut ſignificaretur ei dari dominium ſuper univerſum mundum, ſuper orbis quatuor partes. Vide authorem Tractatus de Sina & Sion inter opera Cypriani. Voluit etiam Deus totum univerſum conſtruere, & ſuis partibus ornare, antequam hominem crearet, ut illum tanquam Orbis Regem, in ſuam ditionem ſummque velut Palatium ſtatim a creatione introduceret. De quo ſuprà latius diſſerui. S. Cypr.

Tertiò, in ejus ſolius formatione, primum Fidei myſterium, ſcilicet Trinitatis, declaratum eſt. In verbo enim *Faciamus*, declaratur Trinitas, non enim loquitur Angelis, quia necdum de illis mentio fuerat; non cœlo aut terræ, quia non ſunt capacia intelligentiæ; ſed loquitur perſonis æqualis potentiæ ad creandum hominem. In verbo, *dixit Deus*, unitas eſſentiæ ſignatur, ſicut in verbo, *Noſtram*, quod etiam notat Hilarius. Ergò hoc myſterium implicitè in generatione & creatione hominis reſeratum eſt, quod poſteà in regeneratione per Baptiſmum, explicitè erat profitendum.

Quartò, in hoc notatur dignitas, quod dicitur *ad imaginem Dei* formatus. Non poterat Deus perfectius exemplar quam ſeipſum repetire, & inter res corporeas & viſibiles ſolus homo eſt Dei imago, reliqua ſunt ſolum veſtigium.

In quo hæc imago conſiſtat.

Quærunt verò Theologi, in quo hæc imago conſiſtat; Reſpondeo. Primò in hoc, quod homo habeat animam incorpoream & immortalem, æternitatis participem. Secundò & præcipuè in hoc quod homo habeat intellectum, voluntatem memoriam, tres potentias & unam eſſentiam. Per memoriam Patri ſimiles ſumus, per intelligentiam Filio, per voluntatem Spiritu Sancto, inquit Bernardus. Tertiò in hoc, quod homo habeat liberum arbitrium, quod ſoli Deo competit & Angelis ejus. Quartò in hoc, quod ſit capax ſapientiæ, virtutis, gratiæ, beatitudinis, viſionis Dei. Quintò in hoc, quod præſit tanquam Rex in hoc inferioti mundo, quaſi aqueus vices Dei & ejus perſonam repræſentans. In his ergò omnibus ſimul ſumptis conſiſtit hæc imago, ſive in hominis mente, quod homo ſit naturæ intelligentis, quæ eſt ſupremus gradus entis Deo competens & Angelis, ex quo conſequuntur omnes illæ proprietates dictæ. S. Bernar. in Med. c. 1.

Sancti Patres modo in uno ex dictis, modò in altero conſtituunt rationem imaginis hujus; ſed hoc intelligi debet partialiter & incompletè; in omnibus autem ſimul ſumptis adæquatè. Quod autem

Digitized by Google

Sap. 1. 23. Eccl. c. 17. Coloss. c. 3. v. 10.

autem dicitur; *ad imaginem & similitudinem*, aliqui dicunt imaginem consistere in naturalibus, similitudinem in gratuitis. Alii verò dicunt idem esse, ut sit sensus *faciamus hominem ad imaginem similitudinis nostræ*, ut habetur Sap. 2. id est, ad imaginem valdè similem. Hinc Scriptura modò unum, modò alterum, modò utrumque usurpat, modò dicens hominem creatum ad imaginē, modò ad similitudinē.

Porrò hæc imago Dei & ejus sigillum, ita est naturale homini, & sic ei impressum, ut a nulla creatura possit destrui, nisi ipso homine destructo. Sicut Phidias sculptor in scuto in quo formarat Minervam, tanto artificio insertius sculpserat imaginem suam, ut non posset ullo modò deleri, nisi destrueretur totam scutum cum ipsa Minerva: Sic Deus tam artificiosè in homine impressit sui effigiem, ut non possit deleri, nisi deleto homine.

Est ergò homo ultimum & præcipuum opus Dei, finis aliorum operum, in quo volebat summatim recolligere omnia opera sua. Unde creando illum, posuit in eo omnes qualitates elementorum, vitam plantarum, sentire animalium, intelligere Angelorum: & sic parvus mundus est homo, simulacrum & compendium totius creaturæ, cœlestis & terrestris, creatura de carne & spiritu.

Solent Cosmographi in Provincias integras, Regna nationes, & totum Universum, in brevi tabella & pagina velut compendio exprimere; & cum tanto artificio, ut id quod adeò diffusum erat, ut obtutum oculorum fugeret, in angusta pagina oculis objiciant. Ita compendiosè Deus universum & omne opus suum exprimit in homine, imò seipsum, & Trinitatis ac Deitatis simulachrum.

Advertè ulterius, quod non soleat artifex in quolibet opere suam effigiem ponere, sed in aliquo excellenti. Et nos in re pretiosa ad nos spectante, sigillum nostrum imprimimus. Ita Deus complacens sibi in homine, opere suo principali, illud specialiter signat, in illo volens agnosci. Licet enim in qualibet creatura majestas ejus eluceat, in cœlo, terra, elementis, tamen specialiter in homine. Et specialiter dicitur Dominus hominis, ut obliget illum sibi soli servire. Unde notat Tertull. Scripturam in Genesi non vocare Deum, *Dominum*, donec creavit hominem. Creaverat cœlos animalia, in aere, mari, terra, non tamen usurpavit titulum Domini, donec specialiter dicitur: *Formavit Dominus hominem de limo terræ*.

Lib. contra Hermogenem.

Ex his ergò collige, ô homo, quanti te faciat Deus, & quantæ sit dignitatis anima tua, quamque sollicitè eam debeas custodire; habet enim quandam cum Deo cognationem, & cum Dei filio qui est ejus imago; tu enim ad ejus es imaginem & similitudinem, & ideò cum eo habes cognationem. Oportet verò quod ad imaginem sit, cum imagine convenire, & non in vacuum nomen imaginis participare. Unde omnimodè cavendum, ne per peccatum inductum inducas in hac Dei imagine *Characterem bestiæ*, imaginem Sathanæ.

Collige secundò, quandoquidem fecit te Deus intelligentis naturæ, totum bonum tuum, etiam durante hoc exilio, in divinitatis contemplatione versari; juxta quod ait ipse: *Vacate & videte quoniam ego sum Deus*. Frequenter ergò intellectum erige, ut quantum potes intuearis, quid sit Deus in se ipso, quid in Angelis, quid in sanctis, quid in hominibus, quid in creaturis. In se ipso est incomprehensibilis, quia principium & finis, principium sine principio, finis sine fine. Ex te potes intelligere, quam incomprehensibilis sit, quia teipsum ne quis intelligere, quem ipse fecit. In Angelis est desiderabilis, quia in eum desiderant prospicere. In Sanctis delectabilis, quia in eo fœlices lætantur. In hominibus est amabilis, quia eorum Deus est, & ipsi populus ejus, & in eis habitat, Beata anima quæ dicere potest. *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo*. Requiem Cœli ei non poterit negare, in cujus tabernaculo voluit requiescere ipse. Denique in omnibus creatuis est admirabilis, quia omnia potenter creat, sapienter guberuat, benignè dispensat.

Ps. 45. 11.

Eccl. 24. 12.

In omnibus itaque Creatoris tui memor esse debes, in omnibus illum intueri & cognoscere, in omnibus illum colere & diligere. Homines cum sensibilibus rebus adhærent, neglecto Deo, similes sunt infantibus, qui cum molliter à nutricibus educantur sæpe magis eas amant, quam parentes, & illorum obliviscuntur a quibus geniti sunt, & quorum beneficio à nutricibus aluntur. Sensibilia bona instar nutricis nos alunt, cum illis familiaritatem gerimus, Deo autem parenti nostro illa præferimus, cujus obliviscimur, cum tamen ejus providentia omnia illa bona nobis deserviant, & per illa debeamus illum cognoscere & amare.

PROPOSITIO II.

Homo creatus fuit in gratia, innocentia & originali Justitia, per quam erat similis Deo.

Homo etiā creatus est in gratia & justitia id est ad imaginem Dei supernaturalem.

Est in homine præter Dei imaginem naturalem, quædam supernaturalis, sita in hominis justificatione, sanctitate & gratia qua divinæ fit consors naturæ, & hæc in gloria perficietur: *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*. In hac etiam Adam conditus fuit, ita ut de illa etiam illud intelligatur: *Faciamus hominem ad imaginem nostram*. Unde dicit Apostolus: *Renovamini in hominem, qui secundùm Deum creatus est*, hoc est, Dei exemplar *in justitia & sanctitate*. Item. *Induentes novum hominem, qui renovatur secundum imaginem ejus, qui creavit illum*; per gratiam scilicet, fidem, spem, charitatem, & puritatem vult nos quotidiè innovari.

1. Joan. 3. Eph. 4. 23. Col. 3. 10.

Originalis justitia, 4. habuit effectus.

Hæc verè originalis justitia habebat quatuor effectus. *Primus*: Rectitudo partis superioris, qua totus erat subjectus obedientiæ divinæ, & conformis ejus voluntati.

Secundus: Rectitudo partis inferioris, qua caro & sensus ad judicium rationis conformabantur, & sic pax erat summa, carne nihil contra spiritum agente. Cum enim essent nudi & pulcherrimi nullam rebellionem patiebantur.

Digitized by Google

Tertium: Nullam habere propenſionem ad malum, nullam difficultatem ad bonum, unde non egebat caro fræno aut calcaribus; ſed ſicut Deus præſidebat ſpiritui, ita ſpiritus carni, tanquam ſeſſor equo ad omnia veloci, optime diſpoſito, & obedienti. Nunc autem fræno eget ut furentem & præcipitem à malo cohibeat; calcaribus quoque, ut pigram & torpentem ad benè faciendum excitet.

Quartus. Perpetua quædam animi lætitia, ſumma mentis in Deo tranquillitas, conſcientiæ pax & ſecuritas.

Hi ſunt quatuor Fluvii de hac originali juſtitia, tanquam de fronte, irrigantes interiorem animæ Paradiſum. Hæ quatuor rotæ juſtitiæ, tanquam currus volventis animam in Deum.

Hanc originalem Juſtitiam & imaginem illam ſupernaturalem, quam in eo poſuerat divina manus, potuit homo deſerere: in ejus arbitrio erat eam vel illabatam conſervare, vel deturpare. Ad quam alludens D. Ambroſius dicit: *Adam ubi es? ubi eſt imago mea formoſiſſima? Ubi Paradiſi pretioſus ornatus? Ubi munimen meorum artificium? Ubi imago regni mei nuper depicta?* Hinc etiam notant aliqui, Deum de ſole, luna, & aliis creaturis, diriſſe quod eſſent bona, de homine autem creato, non dixit quod bonus foret aut malus. Quid ita? Quia cæteris creaturis bonitas naturalis inerat, quæ ſufficit ut nominentur bonæ, homini autem licet creato in bonitate, libertas dabatur amplectendi bonum vel malum, bonitatem deſerendi vel conſervandi, & ſecundum quod eligit, bonus eſt vel malus, quæ electio aliis creaturis non competebat. Non ergò bonus debuit dici, qui bonitatem & juſtitiam illam nobilemque Dei ſimilitudinem, ſtatim peccando deſeruit. Adam enim, juxta D. Irenæum, ſexto die creatus die Veneris mane, circa ſex horas duravit in juſtitia, & hora ſexta cecidit, eodem die & hora, qua ſecundus Adam in cruce extenſus fuit, inquit ipſe. *Homo ergò cùm in honore eſſet non intellexit*. Vis ſcire, inquit Bernardus, in quo honore? Habitabat in Paradiſo, in loco voluptatis, nihil moleſtiæ, nec indigentiæ ſentiebat, odoriferis ſtipatus malis, fulcitus floribus, gloria & honore coronatus, conſtitutus ſuper opera manuum plaſmatoris; magis autem ob inſigne divinæ ſimilitudinis præcellebat, & erat illi ſors & ſocietas cum Angelis & omni malitia cœleſtis exercitus, ſed mutavit iſtam gloriam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum. *Comparatus eſt jumentis inſipientibus*. Heu triſtis & lachrymoſa mutatio, ut homo Paradiſi incola, certæ Dominus, Cœli civis, domeſticus Domini Sabaoth, ſupernorum ſpirituum cohæres, repentina ſe converſione inveneric, & propter infirmitatem jacentem in ſtabulo, & propter pecorinam ſimilitudinem, indigentem fœno, & propter indomitam feritatem alligatum præſepio, ſicut ſcriptum eſt: *In chamo & frano maxillas eorum conſtringe*. Ideo ergò & panis Angelorum factus fœnum poſitum in præſepio nobis jumentis appoſitum. Verbum quippe caro factum eſt, & juxta Prophetam: *Omnis caro fœnum*. Ita Bernardus.

Ambr. in Hexam.

Irenæus l. 5. contra hæreſes. Pſal. 48. c. 13. d. 21. Bernard. ſerm. 35. in Cant.

Verè ſic homo poſt peccatum comparatus eſt jumentis inſipientibus, ut poſſint dicere bruta: *Ecce Adam ſimilis factus eſt nobis*, quod irriſorie dixit Dominus ad Adam. Et hoc quoque de ejus poſteris verum eſt: nam Leones & Pavones dicere poſſunt de ſuperbo: *Ecce quaſi unus ex nobis*. Lupi rapaces de Avaro, Equus & mulus de Luxurioſo, Canes de detractore fratrem mordente, idem dicerere poſſunt. *Homo poſt peccatum comparatus eſt brutis.*

Hinc dicebat Chryſoſtom. *Unde te potero fidelem agnoſcere, neque enim es homo, ſi manifeſtè poſſum videre. Cum namque tanquam Aſinus recalcitres, laſcivus ut Taurus, malum memoria tenens ut Camelus, tanquam Equus poſt mulieres hinnias, ventri ut Vrſus indulgens, rapias ut Lupus, ut ſerpens irraſcaris, ferias ut Scorpius, ſis ſubdolus ut Vulpes, nequitia ut Aſpis & Vipera venenum ſervas & ſicut malignus dæmon fratres impugnes, quomodò te cum hominibus connumerare valeam, talis in te naturæ ſigna cum non intuear?* Ita ille. Chryſoſt. homil. ad pop. Antioch.

Tanta ergò poſt peccatum illud primi hominis, facta eſt in homine inordinatio & confuſio; ut ipſe ſibimet adverſetur, & exterior homo contra interiorem rebellet, concupiſcentia contra rationem, caro contra ſpiritum, captivans eum & velut incurvans, ut diligat vanitatem & operetur iniquitatem: ita ut ipſa videatur feciſſe pactum cum morte, fœdus cum inferno, cum ſirthana conſpiraſſe contra animæ ſalutem; ut propterea cogatur clamare Apoſtolus: *Infœlix ego homo? quis me liberabit de corpore mortis hujus? Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, captivantem me in lege peccati.* Rom. 7.

Circumfert homo ſemper ſecum peccati ſui teſtimonium in carne ſua, quæ illicita ſuggerit, lutoſas cogitationes immittit, ipſa de luto. Videtur cum anima ludere, ſed illuſio eſt & perſecutio, ipſa eſt Iſmael ludens cum Iſaac, ſed eum perſequens & conculcans, volenſque dominari & in ſervitutem redigere. Propterea, cùm non poſſit anima hunc fugere hoſtem, vel a ſe fugare, quia alligatum ſibi illum circumferat, neceſſe eſt; debet ſemper colluctari, non verò colludere, non illi conſentire. Hanc eleganter monebat D. Bernard. *O Anima Dei inſignita imagine, decorata ſimilitudine, deſponſata fide, dotata ſpiritu, redempta ſanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, hæres bonitatis, quid tibi cum carne, unde tanta paſteris? Qua nihil aliud eſt quàm ſpuma caro facta, fragili veſtita decore?* Attende ſingulas ejus miſerias, quam ſit onerata peccatis, intexta vitiis, capta illecebris, pruriens concupiſcentiis; occupata paſſionibus, polluta illuſionibus, prona ſemper in malum, & in omne vitium proclivis, plena omni confuſione & ignominia. Hanc ergò obſerva, huic reſiſte, huic ad vigila, quia levavit calcaneum ſuum contra te, & cupit te ſupplantare. Bernard. in Med. c. 3.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO III.

Homo creatus fuit cum perfecta scientia, & cum perfecto dominio supra animalia cætera.

Homo creatus fuit cum perfecta scientia, & dominio super animalia cætera.

QUantum ad scientiam naturalium, habuit scientiam omnium naturaliter scibilium. Undè noverat naturam plantarum, lapidum, animaliũ, quibus etiam debita nomina imposuit; quia ut primus homo erat institutus ad aliorum instructionem & gubernationem, creatus fuit cum hac scientia, quam quidem tantam habuit, quantam nemo mortalium, excepto Christo, Eccles. 7. *Disciplina intellectus replevit illos.*

Quantum ad scientiam supernaturalium, tantam habuit, quanta erat necessaria ad vitæ humanæ gubernationem secundum illum statum.

Primò, noverat finem & præmium supernaturale a Deo servis suis constitutum, & media ad illum finem, inter quæ fides, Spes, Charitas, quæ sciebat etiam a Deo, non a nobis aut viribus nostris proficisci.

Secundò, non latuit eum casus Angelorum, & sedes vacuæ; quia id scire proderat, ut in humilitate & obedientia & timore Justitiæ contineretur, gaudiumque erat scire sedes illas per posteros suos reparandas. Hoc videtur indicari, dum dicitur: *Judicia sua ostendit illis.* Quæ judicia? Quia Deus eis revelavit peccatum Angelorum, & quomodò eos judicaverat & damnaverat, inquit Catharinus & alii. Eccles. 17. 10.

Tertiò, noverat distinctè mysterium Trinitatis, non enim est verisimile in tam fœlici statu ignorasse primum mysterium fidei, in cujus visione consistit tota merces; præsertim cum in ejus formatione mysterium illud fuerit significatum.

Quartò, scivit Incarnationem Christi, ex sua stirpe; non quidem quod sciret eum per mortem liberaturum hominem (quia sic præscius foret sui casus) sed noverat eum ut caput & glorificatorem hominum, ut ait D. Thomas; sicut Joseph, inquit Bonaventura, prævidit in somno suam exaltationem, licet non prævideret suam venditionem aut carcerem. Tho. 2. 2. q. 7. art. 2. Bonav. in 2. dist. 33.

De posteris Adæ illud sciendum, quod etiam creati fuissent in justitia, sed non imperfecta scientia, verum illam progressu temporis facilè acquisivissent; geniti quoque fuissent per maris & fœminæ conjunctionem, sed sine libidinis morbo, sine ardore & illecebroso stimulo, cum tranquillitate animæ & corporis; non fuissent etiam confirmati in justitia, sicut nec parentes eorum, sed peccare potuissent per liberum arbitrium, ut expresè tradit D. Thom. Ubi plura de his vide apud Interpretes, & apud Pererium in Genesim. Tho. 1. P. q. 100. art. 2.

Quantum ad perfectum dominium, quod assoruimus datum homini super animalia, patet ex Scriptura sacra. De quo D. Ambrosius dicit: *Videbatur elephantis nihil habere naturâ procerius & robustius, nihil terribilius leone, nihil savius tygride. Verum hæc serviunt homini, & naturam suam instituta humana deponunt, obtrectantur quod nata sunt, induuntur quod jubentur. Quid multa? edocentur ut parvuli, serviunt ut famuli, adjuvantur ut infirmi, verberantur ut timidi, corriguntur ut jubdui, & in mores transeunt nostros, quoniam morum proprios perdiderunt.* Si ergò homo non peccasset, promptius obedirent, quam nunc servi dominis, aut filii parentibus. Quod verò modò noceant, pœna est inobedientiæ, & humana superbia domatur per vilia animalia, pediculos, pulices, muscas, ranas, erucas, quibus Deus Reges, regnaque domuit, Pharaonem, Antiochum, Herodem & alios. Amb. in Hexam.

Sicut verò vindicta Dei est, quod animalia noceant, ita & viris quibusdam sanctis ad innocentiæ testimonium quoddam velut dominium super animalia est restitutum.

Sic Paulo non nocuere serpentes, Danieli leones, aliaque ferocissima animalia aliis Martyribus aut Sanctis. Vide de B. Francisco, de B. Margaritha, de B. Antonio. Vitam vide B. Pauli Eremitæ, ubi leones ad ejus sepulchrum fodiendum venerunt.

Præclarum est, quod hac de re scribit Joannes Moschus, qui loquens de Geraſimo, dicit circa Jordanem accessisse leonem ad eum, qui pedem spinâ vulneratum exhibebat, Geraſimus spinam eduxit, pus abluit, & pedem linteo ligavit. Sentiens leo hanc misericordiam, sequitur virum sanctum, & famulatum omnem ei exhibet. Duxit eum Geraſimus in cœnobium, imponitque ei, ut asinum cœnobii quotidiè ad pascua deducat & eum custodiat, idque fideliter præstitit. At semel cum divertisset leo, Arabes illac iter facientes in Jerusalem, asinum solum vident, & secum ducunt; asino non invento, redit leo tristis domum: Geraſimus putans, quod eum devorasset, imposuit ei onera asini, suscepit leo, aquam, ligna, & onera portans. Tandem semel è cœnobio egressus, mercatores videt redeuntes cum asino, quem ille capistro, ut antè solebat, apprehensum ducit ad cœnobium, mercatoribus metu fugatis. Hoc videns Geraſimus amplius eum amavit. Et dum post aliquot annos mortuus esset Geraſimus noluit Leo a sepulchro discedere, sed ab omni cibo abstinens, ibi inedia se confecit. Exempl. in Mosc. Prat. spir. c. 107. Refertur in vitis PP. l. 10. c. 107.

Mulus, cui insederat Thomas Aquinas, veniens ad *Cœnobium Fossæ novæ*, ubi mortuus est, sentiens sancti viri sessoris sui corpus ad tumulum efferri, disrupit in stabulo omnia quibus ligatus erat & accurrens ad sanctum corpus, ibi velut ad geniculans & adorans, mortuus est, Ita testatur S. Antonius & alii.

PROPOSITIO IV.

Homo creatus fuit immortalis, unde, si non peccasset, non erat moriturus, nec ejus posteritas morti foret obnoxia.

Homo, si non peccasset, fuisset immortalis.

PRo quo advertè divinam Providentiam homini providisse habitationis locum optimũ, in quem introduxit eum statim a creatione, quem etiam vocavit Paradisum, qui erat locus amœnissimus, & deliciis omnibus ac opibus abundans, cui nullus constitus a Monarchis mundi hortus potest comparari:

Primò

Paradisi descriptio.

Primò, In hoc excellebat, quod situs foret in optima orbis parte, quantum ad temperiem aëris, aëris, terræ, non obnoxius nimio aut calori, aut frigori, ventis aut tempestati, eratque locus valdè spatiosus; licèt enim vocetur hortus, tamen amplitudinem regni alicujus poterat adæquare.

Secundò, habebat omnis generis plantas & arbores optimo ordine dispositas, visu & gusto delectabiles, & tam suavis saporis, ut homo illis maluisset vesci, quàm omnibus carnibus aut piscibus datis ei postea ad vescendum.

Tertiò, erat ibi fons aquæ suavissimæ ac salubertimæ, qui homini ad potum serviret, simul etiam ad irrigandum Paradisum.

Quartò, In medio Paradisi erat lignum vitæ, cujus fructus præservaret à morbis, a corruptione, à senio, prolongans vitam; quanto tempore Deo placuisset, donec ad beatam vitam transiret. Unde dixit B. Gregor. *Ad hoc homo positus erat in Paradiso, ut si ad conditoris sui obedientiam vinculis charitatis se adstringere ad Cœlestem Angelorum patriam, quandoq; sine carnis morte transiret.* Immortalitatem ergò habuisset homo, non ex dispositione corporis, quod ex contrariis componitur; sed ex speciali dono Dei dato animæ, quo posset corpus ab omni corruptione præservare; & ex beneficio ligni vitæ, quod ei præstabat vim contra senium, ut sæpè dixit Augustinus. De priori dicit August. *Mortalis erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Conditoris.* De posteriori: *Cibus aderat ne esuriret, potus, ne sitiret; lignum vitæ, ne illum senectus dissolveret.* Undè etiam notat D. Thomas, hominem extra Paradisum factum fuisse, & postea in illum translatum, ut agnosceret hanc incorruptionem sibi provenire non ex parte naturæ, sed ex dono gratiæ.

Greg. lib. 4. moral.

lib. 6. de Gen. ad lit. c. 25. lit. 14. civit. c. 26. 1. p. q. 102 art. 4.

Homo ergò peccans, sicut alias se privavit donis, ita & in hoc dono immortalitatis. Unde rectè homo in illo fœlici statu, comparari potest statuæ illi sublimi, quam vidit Nabuchonosor: *Caput erat aureum, brachia argentea, venter aureus, pedum pars quædam erat ex ferro, pars ex luto:* Veniens verò lapis, tangensque partem fictilem pedum, contrivit totam statuam. Attende singula in illo statu innocentiæ accommodata. 1. Caput aureum, est justitia originalis, quæ hominem perfectum reddebat. 2. Brachia pectusque argenteum, significare potest dominium, quod homo habebat super creaturas. 3. Venter æreus, significare potest dona naturalia & scientiam, qua pollebat. Denique tibiæ partim ferreæ, partim fictiles, significant animam & corpus, firmitas ferri, immortalitatem, fragilitas luti, corporis corruptibilitatem, quam habebat ex natura sua. Sed venit peccatum tanquam lapis, & fundituus omnia disjecit, omnem fœlicitatem illius status contrivit. Cecidit enim aurum, quia gratia & justitia originalis interiit. Cecidit argentum, quia perdidit potestatem & dominium illud super animalia. Cecidit æs, quia ejus scientia & dona naturalia læsa fuêre. Denique ferrum contritum est, non quod anima immortalis non manserit; sed quia variis obnoxia defectibus; passionibus, perversis inclinationibus, & miseriis reddita est; sed & lutum contritum est, quia corpus aliàs immortale, morti subditum est. Quam ergò erat sublimis & admirabilis status homo, in illo statu, sed heu! per peccatum, quantum sibi damnum attulit? qualem ruinam? quomodo humiliatus est? Liceat hic lamentari cum Jeremia: *Quomodo obscuratum est aurum, immutatus est color optimus? Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. Et filii inclyti amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea opus manuum figuli?* Illi qui omnibus donis, quasi auro fulgidissimo à Deo ornati fuerant in deliciis Paradisi enutriti, omni gloriâ circumamicti, in quantam caliginem & confusionem per peccatum devenerunt? Quam viles facti sunt, quàm fragiles & infirmi, & miseriis omnibus expositi?

Dan. 2. 32. *Homo in statu innocentiæ comparatur cum statua Nabuchodonosoris.*

Thren. 4.

Hominis variæ descriptiones.

Hinc est, quod ab eo tempore rectè describitur Homo a Philosopho: *Imbecillitatis exemplum, fortunæ ludus, inconstantiæ imago, calamitatis trutina, temporis spolium.*

Primò *Imbecillitatis exemplum est.* Quid enim homine fragilius, cujus vitam auferre potest febris, vermis, æstus nimius, frigidus aër, haustus aquæ, &c.

Secundò, *Fortunæ ludus.* Quia hodie fœlix, cras miser, hodie honoratus, cras contemptus; hodie dives, cras pauper, hodie sanus, cras infirmus, rota fortunæ varia est, ludit & illudit; attendat quilibet ejus mutabilitatem, nec illi fidat. Sesostris Rex Ægypti, vicerat quatuor Reges, quos voluit alligari, & trahere currum suum triumphalem, unus illorum rotarum hujus currus considerans volubilitatem, cœpit altum risum emittere. Interrogat Rex, quænam risus occasio in tanta infœlicitate? At ille: *Risum mihi excitat rotarum in curru tuo revolutio, in illis enim deorsum se volventibus, considero quomodo à dignitate mea nunc decidi; in ipsis autem sursum se elevantibus considero sublimitatem tuam, sed brevi revolvendam ad eandem mecum miseriam & servitutem mutabilitate fortunæ.*

Fortunæ rota. Job. 14.

Tertiò, *Inconstantiæ imago.* Quia non est propositi sui tenax. Jam amat, postea odit, mox probat, statim reprobat, modò deliderat, modò non vult quod desiderabat, jam sperat, postea desperat sicut bractea index ventorum, qui ponitur supra turres, in varias partes volvitur, ita hominis animus.

Quartò, *Calamitatis trutina.* Quia æqua Lance calamitas hominis & vita ejus procedunt: si in bilance dies hominis ponas & calamitates, plures sunt calamitates, quam dies: *Brevi vivens tempore, multis repletur miseriis.*

Quintò, *Temporis spolium.* Quia tempus quasi latro paulatim eum sensibus privat, auditu, visu gustu, sanitate, tandem vita, sine intermissione homo spoliatur à tempore. Primò infantia, deinde adolescentia, postea juventute & virilitate, denique senectute, & sic vita. Ecce triumphus temporis de homine.

Postre-

Digitized by Google

Postremò, homo est *Mortis mancipium*, & socius vermium, ita ut sæpius meminisse debeat illius: *Spiritus meus attenuabitur, dies mei breviabuntur, & solum mihi super est sepulchrum.* Item illius: *Putredini dixi, Pater meus es, Mater mea & Soror mea vermibus.* Job. 17. 1.

Exempl. Plutus l. 3. c. 38.

Hujus nostræ mortalitatis consideratio, stimulus est ad vitæ conversionem. Referunt Historiæ Dominicanorum, ad quendam Religiosum accessisse adolescentem studiosum, mollem, omnibus deliciis vitam agentem, & qui de conversione nullam sibi verbum fieri volebat. Dissimulans ille Religiosus dixit: Volo de rebus patriæ tecum loqui, nisi quod unicum verbum salutis discedens tibi cupio significare. Post longum ergo colloquium, in digressu dixit: Verbum quod tibi indicare volo, est illud: *Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Discessit ille, sed hic versus hunc ita pupugit, ut nihil aliud animo volvere posset, quam vermes illos; imò cum hanc molestam recordationem ludis variis & sociorum solatiis à se repellere conaretur, nihil proficiebat, sed magis infigebatur. Unde illa cogitatione permotus, sese in Religione D. Dominici Deo vovit. Isa. 14. 11.

TRACTATUS III.

EXPLICATIO ARTICVLORVM SPECTANTIVM AD SECVNDAM TRINITATIS PERSONAM.

LECTIO I.

HÆC LECTIO EST INTRODUCTORIA ET DOCET:

1. *Magnum esse Mysterium Incarnationis.*
2. *Fructuosam esse ejus frequentem considerationem.*

1. Tim. 3. *Magnum Incarnationis Mysterium.*

SECUNDA Pars symboli tractat de Incarnatione Filii Dei, & ejus Oeconomia in carne, de qua dicit Apostolus: *Magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est mundo, assumptum est in gloria.* Sex ibi Mysteria tangit in articulis sequentibus comprehensa.

2. *Apparuit in carne.*

Primò: Magnum Mysterium est bonitatis divinæ, quod invisibilis factus est visibilis, dum Verbum quod latebat in mente & corde Patris, in carne apparuit, ut nobis exprimeret, quale ellet erga nos cor & amor Patris; hoc enim nobis expressit, qui de Patris corde processit.

2. *Justificatum est in Spiritu.*

Secundò: Magnum est Mysterium, quod ipse Christus virtute Spiritus Sancti conceptus est, & omnibus gratiæ & justitiæ donis adimpletus, descendente in eum quasi fronte Spiritu Sancto, ut non solùm ipse justus foret, sed & caput justorum, omnesque justificans à peccatis. Unde & per Spiritum Sanctum in specie Columbæ descendentem, declaratus est esse summè Justus, omnium Justificator ac ipsa Justitia, ut propterea dixerit Propheta: *Vocabunt eum Dominus justus noster.* Utique multipliciter justus 1. Justus in germine & conceptione, quia peccatum non contraxit: *Suscitabo germen justum*, ait Propheta. 2. Justus in sermone, quia justitiam & veritatem docuit. 3. Justus in omnibus gressibus suis: *Justitia ante eum ambulabit.* Justus in omni affectu & opere: *Justitia cingulum lumborum ejus.* 5. Justus in tota vita, quia per tot miracula & charismata Spiritus Sanctus eum justum declaravit toti mundo. 6. Justus in nostra redemptione, quia ibi *Justitia & Pax osculata sunt: Ecce Rex tuus venit tibi, Justus & Salvator.* 7. Justus denique in finali retributione: *Quia Pater omne judicium dedit Filio.* Jere. 23. 6. Ibid. Psal. 84. Isa. 11. Psal. 84. Zach. 9. Joan. 5.

3. *Apparuit Angelis.*

Tertiò Magnum est mysterium in hoc, quod apparuit: Angelis enim qui eum beata visione viderant Unigenitum Patris in cœlis, adorarunt Unigenitum Matris in nostra carne in terris, dum *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* 1. Viderunt eum in Nativitate, & adoratus est ab eis in præsepio, Deus infans, & laudibus honoratus. 2. Viderunt eum cum diabolo pugnantem in deserto. Unde post victoriam, *accesserunt & ministrabant ei.* 3. Viderunt & adfuerunt sæpius oranti, prædicanti, fatigato pro nobis. Unde dicitur: *Videbitis Angelos ascendentes & descendentes super filium hominis.* 4. Viderunt patientem pro nobis: unde in horto apparuit Angelus, & de tempore Passionis intelligi potest illud: *Angelis pacis amarè flebunt.* 5. Viderunt eum resurgentem, dum unus ad caput, alter ad pedes describitur apud Joannem. Viderunt quoque Angeli ascendentem, & deduxerunt triumphantem. Vides ergo quomodo Joan. 1. Mat. 4. 11. Joan. 1. 51. Isa. 33. 7. Joan. 20. 12. Actor. 1.

Digitized by Google

LECTIO II.

DE NECESSITATE INCARNATIONIS.

1. *Docet, Legem naturæ fuisse insufficientem ad salutem.*
2. *Legem Moysis fuisse etiam insufficientem.*
3. *Gratiam Christi fuisse necessariam.*

PROPOSITIO I.

Lex naturæ inscripta in cordibus non fuit sufficiens ad sanandam naturam corruptam, nec ad liberandam eam à peccato.

Incarnationis necessitas.

PRo explicatione nota: Deum nunquam reliquisse hominem sine luce & Duce, quo posset summum bonum attingere. Habuit homo post peccatum legem naturæ scriptam in cordibus, cum auxilio sufficienti, cujus ductum si sequeretur, finem suum attingeret: Sed adeò corrupta fuit natura per peccatum, ut concupiscentia, malitia, ignorantia invalescente, homines hanc legem obscuraverint, & in varia peccata corruerint.

Lex naturæ non fuit sufficiens ad salutem.

Nũ. 25 *Primò*, lapsi sunt in idololatriam, & quidem tantâ obscurati insipientiâ, ut ligna & lapides colerent, imò volucres, quadrupedes, serpentes, feles, crocodilos, allia, porros, pestem, febrem pro Diis coluerint, ut docet Augustinus.

August. in 1. lib. de civ. Dei. *Secundò*, lapsi sunt in carnalia vitia, gulam, crapulam aforiam & exindè in impudicitiam & carnis corruptionem. Undè de tempore Noe dicit Scriptura, quòd bibebant & comedebant, ventri & genio indulgebant, & carnis voluptates sectabantur; *omnis caro corruperat viam suam*, adeò ut contagium hoc generali diluvio ablui necesse fuerit, in quo tantum octo salvi facti sunt.

Gen. 6.12

V. Boziũ l. 2. de sig. Eccl. c. 10 In hæc vitia adhuc tempore Apostoli propensissimæ erant Gentes, & maximè Corinthii, apud quos colebatur *Corbys* dæmon, Præses effœminatorum & impudicorum, ut ait Suidas, & alii. Et Corinthi erat fanum Veneris, in quo erant plusquam mille filiæ Veneri dedicatæ, & meretricio vacantes, tanquam sacris Deæ suæ, hoc opere eam colentes quasi obsequio sacro. Sic Ægyptii, Cyprii, & alii populi, templa sua habuere Veneri dicata, ubi filias suas prostituebant, & tanquam Deæ hujus sacrificas per hæc abominabilia sacra reputabant.

Jo. Canus in op. moral. t. 6. 7. 8.

Rã. 1. 26 *Tertiò*, lapsi sunt *in passiones ignominiæ*, ut loquitur Paulus, in libidines præposteras, pathicas, & pudendas, masculi in masculos, fœminæ in fœminas turpitudinem operantes quibus illi quoque, qui sapientes inter homines habiti sunt, fuere obnoxii: nam & Socrates & Plato hujus vitii notantur à Laertio, & alii plures. Hoc vitium ita invaluerat tempore Abrahæ, ut alterum velut diluvium ignis miserit Dominus super quinque Civitates, *quæ exfornicantes abierant post carnem alteram*, ubi non fuêre decem inventi justi.

Jud. ep. v. 7.

Quartò, tanta fuit cæcitas obscurans legem naturæ, tantæ tenebræ everteutes rectum ejus judicium, ut in omne genus peccati corruerint contra illam. Patet, quia Persæ matres, & filias, & sorores sibi matrimonio jungebant. Scytæ humanis carnibus vescebantur, & filios suos immolabant. Massagetæ cognatos senes comedebant. Hircani projiciebant senes suos avibus. Caspii canibus devorandos. Lacedæmonii furtum laudabant, quasi rem ingeniosam. Alii dabant conjuges hospitibus polluendas, in symbolum hospitii. Quanta scelera Chananæorum? Quales leges Platonis de non subveniendo valetudinariis, de licitè mentiendo, de occidendis infantibus, de communione uxorum: Lycurgus jubet legibus, hospites finibus pelli, pueros prostitui, fœminas licenter exponi. Hæc & plura Eusebius, Theodoretus & alii.

Videns ergò Deus legem naturæ scriptam in cordibus, non esse sufficientem contrà virus & corruptionem peccati, misit ad electum sibi populum Mosen Ducem, cui dedit Legem, cujus si ductum sequeretur, salutem consequeretur: misit & postea varios Prophetas, qui eum reducerent ad veram veritatis & salutis viam, instructionibus, increpationibus, monitis, minis.

PROPOSITIO II.

Nec Lex Moysis corruptionem illam potuit sanare, aut hominem à peccato liberare.

Lex Moysis etiam insufficiens fuit.

HInc non obstante Lege, non obstante Moyse, Deoque tot beneficiis & prodigiis populum suum ex Ægypto educente, rebellis populus ad idololatriam sæpius defluxit. Adoraverunt vitulum conflatilem, quasi Deum, qui eos eduxisset de Ægypto. *Immolaverunt filios & filias suas Dæmoniis*, inquit Scriptura. Consecraverunt idolo Moloch pueros suos. Erat idolum illud æreum & concavum, habens velut brachia, quibus pueros idolo impositos complectebatur, interim ignis intus succendebatur, & puer ibi comburebatur. Sed ne parentes ejus ejulatu commoverentur, tympana circumsonabant. Undè locus ille dictus est *Taphath* à Tympano.

Exo. 32. 8. Psal. 105. Jer. 32. 35.

Ecce qualis cæcitas, qualis abominatio, etiam post legem! Sed & alia vitia in populo Israel invaluerunt, & maximè fornicatio cum alienigenis. Quam multa millia perierunt fornicantium cum filiabus Moab? Quam abominabile quoque scelus Benjamitarum circa uxorem Levitæ, ut totâ nocte ea variis modis abuterentur, ita ut manè ad limen hospitii ceciderit mortua & maritus ejus cadaver in duodecim partes secans, miserit ad omnes tribus Israel partem, inclamans vindictam. Quid plura? Dicit Psalm. de populo Dei: *Infecta est terra in sanguinibus eorum, & contaminata est in operibus eorum*, &c. Et Moyses moriens invocat contra eos cœlum & terram. Neque verò Prophetæ specialiter missi ad correctionem populi, eos ab errorum semite & veram veritatis viam potuerunt traducere,

Num. 25. Jud. 19. Psal. 105. Deut. 4. 26.

Digitized by Google

& naturæ per peccatum depravatæ corruptionem ſanare. Undè conqueritur Iſaias: *A planta pedis uſq; ad verticem capitis non eſſe ſanitatem*; hoc eſt, à primoribus uſque ad viliſſimum de plebe, omnes eſſe peccato corruptos, *Va, inquit genti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis, dereliquerunt Dominum, blaſphemaverunt ſanctum Iſrael.* Iſa.1.6. Ibid. 4.

Elias quoque conqueritur, quaſi relictus ſolus omnibus ſequentibus Deum Baal. Et Jerem. *Major eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum.* Undè & auſi ſunt clamare Prophetæ ad populum Iſraël: *Audite Principes Sodomorum, populus Gomorrha.* Oſee clamabat ſuo tempore crimina inundaſſe: *Non eſt*, ait, *veritas, non eſt ſcientia Dei in terra. Maledictum, mendacium, homicidium, furtum, inundaverunt, & ſanguis ſanguinem tetigit.* Similia apud alios Prophetas reperies. Denique ſi tempora Chriſto proxima reſpiciamus, non ſolùm idololatria, crapula, pæderaſtia, & libido præpoſtera; ſed & ſacrilegium regnabat, adeò ut venale eſſet ſummum Sacerdotium. Thren. 4. 6. Iſa.1. 10. Oſe.4.1.

PROPOSITIO III.

Neceſſarium ergò fuit Chriſtum venire, ſine cujus gratia & redemptione, non poterat homo à peccato liberari.

Gratia Chriſti fuit neceſſaria. S.Auguſt. tract. 44. in Joan. 4.Reg.4.

NIſi ille fuiſſet miſſus, nemo noſtrum fuiſſet ab iniquitate dimiſſus. Undè ſæpè Apoſtolus inculcat, non debere Judæos in lege gloriari, quia non fuit ſufficiens eos juſtificare, aut vivificare, ad Rom. epiſt. tota.

Vis figuram horum omnium? Attende illam in facto Eliæi, Rogatus ut puerum mortuum ad vitam revocaret, miſit prius famulum cum baculo, ut illum poneret ſuper infantem mortuum; ſed nec famulus profuit, nec baculus. Accedere debuit ipſe; vide quid fecerit. *Incubuit ſuper puerum, poſuit os ſuper os, oculos ſuper oculos, manus ſuper manus,* (contrahens ſe in formam pueri,) *& calefactus eſt carο. & ſtitarvit ſupeias, & revixit puer.* Ecce figura 1. attende nunc veritatem. Miſit Deus Moyſen & alios Prophetas cum baculo, id eſt, cum lege; ſed nec ipſi, nec lex hominem potuerunt à morte peccati liberare. Neceſſe ergò fuit, ut accederet ipſe, & incurvaret ſe per aſſumptionem noſtræ naturæ, & contraheret ſe per modum pueri in Incarnatione, non ſolùm incumbens ſuper puerum mortuum, ſed ejus etiam naturam, manus, brachia, os, animam aſſumens, & ſic nobis reddidit ſpiritum vitæ, & ſeptem dona Spiritus Sancti, quæ ſignificantur in oſcitatione ſeptemplici pueri. Ubi etiam non eſt otioſa illa circumſtantia, quod incumbens ſuper puerum, oſtium clauſerit, ut à nemine videretur. Sicut enim nemo vidit, quomodò tam aptè Eliſæus vir magnus, ad formam pueri contrahere ſe potuerit: Ita nemo poteſt ſatis intelligere, quomodò Filius Dei adeò ſublimis & celſus, naturæ noſtræ potuerit ſic uniri, ſic coaptari, ſic humiliari; quomodò mortalis fieri, qui erat immortalis, paſſibilis, qui erat impaſſibilis, infans, qui erat Deus. In his omnibus myſterium grande eſt, clauſum oſtium, non eſt neceſſe nos videre, ſed credere.

Habemus etiam aliam figuram in illo ſigno, quod datur Ezechiæ. Huic cum morti vicinus eſſet, ſignum ſanitatis recuperandæ datur Sol retrogrediens. *Et receſſit Sol*, inquit Scriptura, *in horologio Achaz per decem gradus.* Similiter ergò, ut homo a graviſſima peccati infirmitate reſurgeret, neceſſe fuit, ut Sol Juſtitiæ per novem Angelorum choros, quaſi per gradus novem, uſque ad decimum, hoc eſt, uſque ad humanam naturam retrocederet, circumvelans ſe humanâ carne, velut nube contemperata de virgineo vapore, Spiritus Sancti opera. Non ergò ſine myſterio fuit, quod cùm Ezechiæ Regi proponeretur. *Viſne ut Sol aſcendat aut deſcendat?* Ipſe elegerit, ut deſcenderet Sol, tanquam ſibi ſanitatis ſignum. 4.Reg.20

In lege veteri tot oblata ſacrificia, tot victimæ, tot ſanguinis fluenta, tot leges, tot expiationes legales peccatum eluere non potuerunt. Undè neceſſe fuit Chriſtum venire, qui ſeipſum in Sacrificium Patri offerret & ſanguinem ſuum in pretium. Propterea introducitur loquens ad Patrem: *Sacrificium & oblationem noluiſti: aures autem perfeciſti mihi.* Senſus eſt: Obedientem me tibi feciſti, & aures tibi præbentem in ſignum obedientiæ, & hoc quidem in aſſumpta humanitate. Undè Apoſtolus legit: *Corpus autem aptaſti mihi. Tunc dixi: Ecce venio,* meipſum tibi in holocauſtum offerens, corpus, animam, ſanguinem, vitam tibi ſacrificans. Pſal. 39. Heb.10.5 juxtà 70.

Dicit Dominus ad Joſuæ: *Moyſes ſervus meus mortuus eſt: Surge, & tranſi Jordanem iſtum tu & omnis populus tecum, in terram quam ego dabo filiis Iſrael, omnem locum quem calcaverit veſtigium pedis veſtri, vobis tradam, nullus poterit reſiſtere.* Joſuæ interpretatur Salvator, & ſignificat Chriſtum. Sicut ille introduxit populum in terram promiſſionis debellato Amalech, & diviſit eis terram in funiculo diſtributionis: Sic & Chriſtus venit, ut diabolum debellaret, & populum Chriſtianum quotidiè per Baptiſmum introducit intrà Eccleſiam, & tandem introducet in gloriam. Non potuit ergò Moyſes introducere, ideò Pater ait ad Filium: *Moyſes ſervus meus mortuus eſt.* Evacuatæ ſunt cæremoniæ legis, ſurge ergò de ſinu Patris, mundo per carnem appare, ad expugnandos dæmones: *Et tranſi Jordanem iſtum*, hoc eſt, bibe de torrente Paſſionis tuæ; *& omnis populus tecum*, quia quâ viâ præceſſit caput, debent & membra ſequi, debent milites ſequi Ducem. *Et vade in terram quam promiſi.* Hæc eſt terra vivencium, cujus latitudo & ſpacioſitas, quæ ibi deſcribitur, ſignificat gloriæ cœleſtis immenſitatem, ad quam aſcendit Chriſtus, & nos per mortem ſequemur; ad quam, nec lex, nec Prophetæ; nec Moyſes, potuit deducere, ſed ſolus Filius Dei. Joſuæ 1.1

LECTIO

LECTIO III.

DE CAUSA INCARNATIONIS.

Primò docet non fore Incarnationem, nisi fuisset peccatum.

2. Convenienter secundam Personam incarnatam.

3. Dilectionē Dei causam fuisse Incarnationis.

PROPOSITIO. I.

Nisi peccatum fuisset, Filius Dei carnem non assumpsisset.

Incarnationis causa. Incarnatus non esset Filius Dei, nisi fuisset peccatum.

HÆc est celebris quæstio inter Theologos: Aliqui enim distinguunt de carne passibili & impassibili, & dicunt, etiamsi homo non peccaret, venturum Filium Dei, non quidem in carne mortali & passibili, sed in immortali & impassibili; quia tunc non veniret ad patiendum pro nobis, aut satisfaciendum, sed tanquam Caput omnium electorum, & tanquam gloriæ consummator. Dicuntque hi, hoc Mysterium prærordinatum fuisse ab æterno, ante prævisionem peccati, quoad substantiam scilicet, & cum spectaret ad perfectionem, tum hominis, tum totius universi, unio naturæ humanæ cum divina; facta illa fuisset, etiam homine non peccante.

D. Thō. 3 p. q. 1. art. 3.

Verum nostra Propositio conformior est Scripturis & Patribus, quam tradit D. Thomas, & plures Theologi. Scriptura enim, cùm loquitur de Incarnatione, ejus velut unicam causam assignat nostram a peccato liberationem: *Venit salvum facere, quod perierat. Non veni vocare justos, sed peccatores*, inquit Christus. Attende Parabolam Ovium & Pastoris, centesimam aberrantem quærentis. Illa parabola significat filium Dei, Pastorem illum animarum, non descensurum ad nos, nisi aberrassemus tanquam oves: Sicut Pastor nunquam relinqueret oves nonaginta novem in deserto, nisi una periisset. Undè & in Symbolo dicimus: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis.*

Luc. 19. 10. Matt. 9. 13 Luc. 15. 4.

2. Figura in Joseph. Gen. 37.

Attende in Joseph parvulo hujus rei figuram. Quænam causa fuit, ut Jacob mitteret filium suum dilectum Joseph, cum tunica polymita in agrum; nisi ut fratres quæreret & erraticos Patris sui greges? Quæ alia causa fuit, ut Pater mitteret Filium suum dilectum, vestitum humanâ naturâ, virtutibus aliisque donis ornata, tanquam coloribus diversis; nisi ut fratres quærat & greges Patris, eosque ad Patrem reducat? Si enim interoges eum, quid agat, tot itinera diversa peragens in hoc mundo? respondebit: *Quæro fratres meos, & Patris mei greges.* Quærebat fratres suos Judæos, sed recessierant de loco, in quo se debebant continere, de observantia mandatorum & legis. Quærebat Sacerdotes, Pastores, & Ministros in templo, sed indè recesserant, nec inveniebantur veri Doctores zelantes legem & animarum salutem. Circuibat castella; quærebat fratres qui in eum crediturí erant. Invenit tandem greges Patris sui in *Dothaim*, (idem significat quod *Angustia*) in Monte Calvariæ: sed ibi ab eis denudatur, venditur, in sanguinem ejus conspiratur, & tunica ejus non in sanguine hædi, sed in sanguine Agni, in sanguine proprio immergitur, ut Patri æterno nobis præsentetur. *Estne hæc tunica filii tui, ô Pater!* Utique est, agnosce eam, non alieno, sed ipsius sanguine tinctam; & commoveat viscera tua super nos, pro quibus tibi offertur, pro pro quibus etiam sanguis ille effunditur.

Veterum quoque Patrum authoritas confirmat Propositionem hanc. Undè dicit Athanasius: *Ut fieret Deus homo, nunquàm destinatum fuisset, nisi necessitas hominum hujus rei causam præbuisset.* Et disertè dicit Augustinus: *Si homo non periisset, Filius hominis non venisset.* Sic D. Leo: *Si homo ad imaginem Dei factus in sua natura honore mansisset, Creator Creatura non fieret.* Et Nazianz. *Qua humanitatis à Deo suscipiendæ causa? Profectò ut salus nobis pararetur. Quid enim aliud causa afferri potest?* Sancti ergò Patres non solum videntur agnoscere hanc causam, sed etiam aliam excludere.

S. Athan. serm. 3. contra Arian. Augustin. serm. 8. de verbis Apostol. D. Leo ser. 3. de Pentec. Nazianz. Orat. 4. de Theol. 2. Figura de servitute Ægyptiaca. Exod. 3.

Iterum hujus rei habes significationem in figura Exodi tertio, ubi dicit Dominus ad Moysen? *Vidi afflictionem populi mei, qui est in Ægypto, & clamorem ejus; sed veni, mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum.* Illa temporalis liberatio filiorum Israël per manum Moysis, figura erat futuræ liberationis omnium hominum per manum Filii Dei. Dicit ergò Pater: Consideravi oculo misericordiæ & pietatis, afflictionem spiritualem electorum in Ægypto, sive mundo tenebroso, & in servitute dæmonis; & audivi clamorem ejus, quo petit auxilium & liberationem. Veni ergò, ait ad filium, & mittam te, ut debelles Pharaonem, sivè dæmonem, & educas populum meum in terram lacte & melle manantem. In verbis dictis indicantur plures causæ Dominicæ Incarnationis Prima: Summa Patris charitas ad nos, dum dicit: *Vidi*, oculo nimirum pietatis.

Secunda hominum necessitas, dum dicit: *Afflictionem populi mei.* Ante adventum enim Filii Dei, omnes eramus in damnatione & servitute, à qua nos liberavit; ita ut possimus illi dicere: *Salvasti de necessitatibus animam meam.*

Tertia: Sanctorum Patrum deprecatio assidua, in his verbis. *& clamorem ejus*, q. d. cujuslibet clamantis ad me de illa servitute, signavi clamorem, ne inanis foret. Aliqui clamabant: *Numquid obliviscetur misereri Deus*, Alii, *Numquid in æternum irascetur nobis?* Clamaverunt ergò ad Dominum, *& de necessitatibus eorum liberavit eos, & eduxit eos de tenebris & umbra mortis, & vincula eorum disrupit*, quibus dæmon eos alligârat.

Quarta, dæmonum crudelitas in his verbis: *Propter duritiem eorum, qui præsunt operibus.* Propter duri-

corporalium. Quod etiam asserere videtur D. Thomas ex D. Dionysio. Vide ejus art. 3. 4. 5. Huc referri potest quod Hilarius & alii Patres intelligunt per *nonaginta novem oves*, Angelos; & per *unam quæ perierat*, hominem; ibique significare videntur ita Angelos numero superare homines, sicut nonaginta novem superant unum.

Luc. 15.

Quæres, an numerus Angelorum qui ceciderunt, magnus sit vel certus sit? Respondeo magnum esse, sed non determinatum; quia licet in Apoc. dicatur: *Draco cauda sua traxisse tertiam partem stellarum* (quod aliqui intelligunt de Lucifero cadente & secum trahente partem Angelorum, qui peccati & rebellionis consortes fuerant) tamen ibi ponitur numerus certus pro incerto, determinatus pro indeterminato. Videtur enim numerus bonorum Angelorum excedere plus duplo malos; quia Scriptura significat bonorum Angelorum numerum quasi infinitum. Ad orationem Elisæi, famulus ejus oculos aperiens, vidit montes plenos equis igneis, ad unius Prophetæ protectionem.

Apoc. 12. 4.

4. Reg. 6.

Probabile verò est ex omni ordine aliquos cecidisse. Ex primo enim eorum caput Lucifer cecidit, & ex illis aliqui adhuc vocantur, *Principatus & Potestates*. Unde juxta D. Hieron. eundem ordinem retinent quem habebant, ut alii præsint, alii subsint, sicque per hanc subordinationem valentiores sint ad nocendum. Sicut rebelles milites creant Ducem, quem vocant Electum, & alios Capitaneos sub eo, ut suam rebellionem stabiliant; sic inter malos Angelos, superiores inferioribus præsunt, quia naturali eis scientia & nequitia prævalent; & bellum nocentius inferunt, quia bellum, si desit ordo, imbelle est. Cessante verò Ecclesia militante, cessabit hic ordo sine sublato, ut significat Apostolus.

Eph. 6. 12.

1. Cor. 1. 24.

Ex illis verò multi in hunc aerem caliginosum detrusi sunt; & ideo dicuntur *aerea potestates, & rectores tenebrarum harum*, hoc est, tenebrosi hujus mundi, sive aeris caliginosi, in quo multam potestatem habent. Dicit enim D. Hieron. communem esse sententiam, aerem hunc esse plenum dæmonibus, usque ad diem judicii, qui homines exerceant ut boni probentur, mali indurentur; & cum illis in die judicii ad communem damnationem detrudantur. Unde sæpe in aere procellas, fulmina, turbines, tonitrua concitant, ut frugibus, bestiis, hominibus noceant. Et æstus, sterilitates, morbos, pestes, inundationes, bella, aliasque clades procurant. Denique homines ad gulam, iram, libidinem, & alia vitia impellunt.

Eph. 6. 12.

V. Scholast. 1. p. q. 109. Hieron. in ep. ad Eph.

Aliqui putant tot homines salvandos, quot Angeli ceciderunt, quia loco Angeli cadentis, homo erigitur. Sed hoc satis dubium est, nam sic Angeli possent scire appropinquare diem judicii. Et est incertum, an totus numerus lapsorum sit restaurandus, quamvis hoc probabile sit. Sicut etiam probabile est, quod sicut ex omnibus Ordinibus aliqui ceciderunt, ita & ex hominibus assumi ad omnes ordines; & id probari videtur ex diversis gradibus gratiæ, quam in hominibus videmus. Quod verò instaurari dicitur ruina Angelica per homines, intelligi secundariò, nam tam principaliter creatus est homo, ut Deo fruatur, quam Angelus. Et licet Angelus non peccasset, fuisset homo creatus & reparatus post lapsum, ut docet Magister: secundariò tamen ad hoc dicitur creatus; quia ex creatione & reparatione hominis, hoc boni consecutum est, Deo sic ordinante.

V. Tho. 1. p. q. 6. 4. art. 3.

Mag. in 2. Sent. dist. 3.

Soli ergo Deo notus est numerus Electorum, licet rectè dicamus cum Augustino, illam civitatem nulla numerositate civium fraudandam, sed aliquos addendos supra numerum.

PROPOSITIO III.

Deus per Angelos mundum gubernat.

Per Angelos Deus mundum gubernat.

COmmunis sententia est, ipsos præesse elementis, provinciis, templis, altaribus, civitatibus, exercitibus, familiis: & generaliter loquendo dicit Augustinus & D. Thomas, res omnes corporales per eos gubernari.

Primò ergò, Angelos præsidere quatuor elementis, colligitur ex Apoc. ubi dicitur; *Angelus exivit, qui habebat potestatem super ignem.* Et iterum dicitur: *Audivi Angelum aquarum.* Et postea vidit Joannes *Angelos coercentes ventos.*

Apo. c. 14. & c. 16. c. 7. 1.

Secundò, de provinciis clarum est deputari illis Angelos quasi Principes. Hinc apud Danielem dicitur: *Princeps regni Persarum restitit*, hoc est, Angelus Persiæ. Et ibi etiam fit mentio de Angelo Græcorum. Item Angelos qui venerunt ad defensionem Jacob, dum ait: *Castra Dei sunt hæc*: dicunt Hebræi fuisse Angelos custodes regionis Syriæ & Chanaan protegentes Jacob, ne periculum aliquod in terra cui præsidebant incurreret, ut ibi referunt Lyranus & Tostatus.

Dan. 10.

Gen. 32. 1.

Tertiò, de templis, colligitur ex eo, quod refert Josephus & alii, auditas fuisse voces Angelorum priusquam Jerosolyma subverteretur, qui ad custodiam templi adhibiti erant, & clamabant: *Migremus hinc.*

Quartò, de Altaribus, singula à singulis Angelis custodiri, est exemplum in Prato spirituali, ubi dicitur Eremitam quendam ingredientem speluncam Abbatis Barnabæ, vidisse supra Altare quod Abbas consecraverat, cœlestem Angelum; qui rogatus ab eo quid ibi vellet, dixit locum illum ex eo tempore, quo consecratus erat, custodiæ suæ fuisse deputatum. Idem vidit in alio aliquo altari Abbas Leontius, ut ibi quoque refertur: Hinc est quod in sacrificio dicitur: *Jube illud Domine, offerri per manus sancti Angeli tui*, &c. In quibus verbis in Monasterio Sabinensi, tempore Serionis Abbatis vidit Religiosus celebrans, circa altare plures Angelos; quorum unus cæteris altior faciam hostiam Deo visibiliter offerebat, & super altare illâ repositâ, disparuit. Collige ergo ex his, quanta reverentia debeatur locis sacris.

Exempl. Joan. Moschus in Prato spirit. 11. 10. de vitis PP. c. 10.

Ibid. c. 4.

Quintò,

Digitized by Google

Is. 62. *Quiarò*, civitates habere speciales Angelos, verum est. Undè Tostatus illud Isaiæ: *Super muros tuos Jerusalem constitui custodes, totâ die ac nocte non tacebunt laudare nomen Domini*: Interpretatur de Angelis ad custodiam urbis Jerusalem.

2. Mach. 11. *Sextò*, id etiam de exercitibus verum esse, docet quod habetur 2. Machab. 11. ubi Machabæus intelligens, quod Lysias bellum populo Dei moliretur, multis lachrymis cœpit orare Deum, ut Angelum bonum auxiliatorem mitteret: Et sic obviam procedens hostibus, statim apparuit eques in veste candida cum armis aureis: & tunc omnes confirmatis animis, cœperunt Dei laudare potestatem, & victoriam retulerunt. Hinc etiam Emanuel Portugalliæ Rex primitiæ navi, quæ ad Indias novum subactura orbem destinabatur, nomen dedit *Gabrielis Archangeli*, ut exercitus qui illa vehebatur, desiderio seminandi Evangelium, sub protectione illius Archangeli foret, qui primus Evangelicæ renovationis nuncium inveterato mundo invexerat. Hinc discant Reges recurrere ad Angelum horâ prælii, & gratias agere pro victoria, sicut agebat Judith, dicens: *Vivit Dominus, quia custodivit me Angelus ejus, hinc euntem, & ibi morantem, & inde huc revertentem.*

Jud. 13. 20.

Denique cuilibet Monasterio Angelus aliquis attribuitur à D. Thoma, quem sequitur Molina. Imò Tostatus singulis attribuit familiis, maximè si caput sit persona justa, & addit Angelum illum, qui reduxit Agar in domum Abrahæ, fuisse custodem illius domus.

Gen. 16.

Hebr. 1. Ex dictis patet, rectè dixisse Apostolum: *Omnes administratorii spiritus sunt missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Nec tamen dicendi sunt ministri aut servi hominum; sed nuncii & ministri Dei ad homines ob eorum salutem. Sunt enim quasi Officiarii Dei, res humanas pro illo administrantes, licet nunquàm à Dei visione recedant, *semper enim vident faciē Patris.* Quod verò dicitur, eos mitti propter eos qui salvandi sunt, non sequitur non mitti ad omnes homines; sed significatur, quod fructus ministerii in illis maximè appareat, qui salvantur, & quod in reprobis inefficax sit hoc ministerium. Item significatur finis ministerii esse, ut homines perducant ad salutem, ultimum enim eorum officium est, animas ducere in cœlum

An mittantur Angeli ex omnibus ordinibus.

Quærunt Theologi, an de omnibus Ordinibus mittantur? Probabile est quod sic. Primò, quia dicit hic Apostolus (*omnes*) 2. quia ad Isaiam Seraphim missus est. 3. Cherubin mittitur ad custodiendum Paradisum. 4. ad Danielem missus est Michael, quem multi docent esse primum Angelorum, qui custos est Ecclesiæ, sicut olim Synagogæ: Et hunc fuisse etiam aliqui putant illum, per quem Lex data est, undè & in officio Ecclesiæ vocatur, *Princeps cœlestis exercitus.* D. Dionys. Greg. & D. Thom. distinguunt inter assistentes & ministrantes, & dicunt quatuor supremos Ordines assistentes esse, nec unquam mitti; videturque hæc distinctio deduci ex Daniele: *Millia millium ministrabant, & decies millies assistebant.* Dan. 7. 10. Sed respondeo non esse necessarium distinguere: eosdem enim esse, qui nunc assistentes, nunc ministrantes dicuntur. Undè omnes Angeli stare, sivè assistere dicuntur coram Deo. Et Ecclesia orat: *Da, ut à quibus tibi ministrantibus in cœlo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur.* Tob. 12. Matt. 18. Et licet Daniel distingueret, non sequitur assistentes nunquam mitti, sed dicuntur assistentes, quia rarò mittuntur, semper verò assistunt. Hinc Raphael dicit se esse unum *ex septem qui adstant antè Dominum.* Confirmantur hæc omnia, quia omnes Angeli dicuntur venturi cum Filio hominis ad Judicium, ministerii scilicet causa. Et valdè probabile est, Christo ascendenti omnes occurrisse. D. Dionysius tantum, ut probabilem suam sententiam proponit, sicut & D. Gregorius, qui dicit, nihil certi hic affirmari posse. Addo, si Filius est missus à Patre legatus per seipsum, quid vetat etiam mitti ipsos Seraphim?

Hinc D. Chrysost. deducit, & docet zelum animarum, & studium convertendi eas, esse opus non humanum, sed Angelicum; est enim, inquit, opus Angelicæ functionis, ad salutem hominum ministerium Deo persolvere; est opus Angelicum, omnia facere pro salute proximorum, imò potius est opus Christi. Chrysost. in 1. epist. ad Hebr.

LECTIO VI.

DE CUSTODIA ANGELORUM.

1. *Docet, varia esse beneficia corporalia Angelorum erga nos.*
2. *Declarat beneficia eorum spiritualia.*
3. *Beneficia specialia ergà castitatis sectatores.*

PROPOSITIO I.

Beneficia Angelica custodia partim corporalia sunt, partim spiritualia, quia non solùm animæ, sed & corporis tutores sunt.

Angelorū beneficia in homines.

1. Corporalia.

PRimò, Angelus multis periculis corpus & vitam nostram eripit. Cum enim vita nostra variis sit obnoxia casibus & periculis (illi nocumenta varia, tum ab elementis, igne, aqua, aëre, tum ab animalibus, tum à dæmonibus, & hominibus infliguntur) Angelus ab his hominem protegit: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Psal. 33. 8. Hæc protectio manifestè apparuit circà Tobiam, quem Angelus eripuit à devoratione piscis, & à dæmonio, à quo ei mors imminebat. Tob. c. 6. & 12. Apparuit & in filiis Israel, quos per varia pericula deduxit Angelus, protegens eos igne per noctem, nube per diem. Exod. 13. 20. Hinc etiam Judith, gratias agens de hac protectione, dicebat: *Vivit Dominus, quia custodivit me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem, & indè huc revertentem.* Judic. 13. 20. Quapropter Gen. 48. Jacob

Jacob filiis Joſeph benedictionem apprecans, hanc eis Angelicam protectionem optat: *Angelus*, inquit, *qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis.* Quoties ergò vel iter, vel opus aliquod periculoſum aggredimur, Angelo tanquam protectori nos committamus: Illi parentes committant proles ſuas, ſicut Jacob ſuos nepotes filios Joſeph, ut per ejus benedictionem eripiantur à cunctis malis.

Secundò, in neceſſitatibus Deus providere ſolet ſuis per Angelicum miniſterium. Sic Angelorum manibus fiebat illud manna, quo Deus providebat Iſraelitico populo. Sic providit Angelus Danieli in lacu leonum Abacuc: Sic providet Agar & Iſmaeli in ſolitudine ſitienti. Sic denique Eliæ Jeſabelem fugienti, & ſub Junipero jacenti, Angelus vas aquæ, & panem ſubcinericium attulit; ut in fortitudine cibi illius ad montem Oreb ambularet. Et nunquid in fornace puetis Babylonis, Angelus de rore & vento providit, ut læti in mediis ambularent flammis?

Tertiò, in infirmitatibus noſtris ſolet Deus per Angelos cuſtodes ſolatium & auxilium exhibere; idque ſæpius fecit viſibiliter, ut ſciamus Angelicum nobis auxilium non deeſſe, licèt exterius non ſemper illud percipiamus.

Exempl. in vitis PP. lib. 6. libello 7. §. 44.

Sic legimus in libro doctrinæ Sanctorum Patrum, Angelum cuſtodem cuidam miniſtraſſe per plures hebdomadas, donec alii Monachi venirent ad viſitandum eum. Cùm enim illi ad oſtium pulſaſſent, diſceſſit Angelus, ipſe verò infirmus clamabat: *Rogo, Fratres diſcedite, quia vobis venientibus, reliquit me Angelus meus, à quo viſibiliter obſequium & ſolatium percipiebam*; & vix his prolatis, expiravit, aſſumptaque eſt anima per illum Angelum, qui ejus cuſtos extiterat.

Ibidem habetur, quod ſenior quidam à duodecim milliaribus aquam ferre cogeretur, ob diſtantiam cellæ ſuæ ab aqua, cumque tæderet eum itineris, reſpiciens retrò, vidit Angelum, qui omnes paſſus ejus numerabat; & exindè conſolatus, ad illum laborem continuandum animatus eſt.

Surius l. 1. vitæ ejus c. 13. 14. April.

Præclarum eſt, quod de S. Lyduina hac de re habemus. Hæc tota vita cum acerbiſſimis morbis conflictata fuit, omnibus ægris patientiæ ſymbolum & ſpeculum. Interim in mediis afflictionibus hoc ſolatii à Deo habuit, quod viſibiliter cum Angelo aliquandò loquebatur, & fruebatur ſuavi ejus ſocietate, & obſequiis. Nominabat illa diſtinctè plures ſpiritus Angelicos, & ſciebat quibus deputati forent perſonis, privabatur verò aliquandò viſione ſui Angeli & conſortio, ob frequentiam viſitantium eam. Undè, ſi aliquandò ex colloquio mundanorum hominum aliquam labeculam contraxiſſet, ſtatim ſatagebat confeſſione eluere, ne Angeli viſitatione & familiaritate deſtitueretur. In diebus Cinerum ſolebat de manu Sacerdotis cineres ſacros accipere: ſi nimium tardabatur, ſupplebat Angelus. Quare cum ſemel ejus Confeſſarius accederet, ut ſignaret eam: Reſpondit illa: jam id præſtitum ab Angelo: quod cùm miraretur, tangens frontem ejus, ſenſit cineres, quibus & ipſe frontem ſignavit. Docuerat autem Angelus eam magna cum reverentia ſacros illos cineres ſuſcipere, & ad idem faciendum alios adhortari.

PROPOSITIO II.

Beneficia ſpiritualia Angeli erga hominem innumera ſunt.

2. Spiritualia.

EX illis tria proponemus hic. *Primò*, preces noſtras & bona opera Deo offert. Undè Angelus ad Tobiam ait: *Quandò orabas cum lachrymis, & mortuos ſepeliebas relinquens prandium, ego orationem tuam obtuli Domino:* Hinc etiam eſt quod deſcendant Angeli & aſcendant in ſcala Jacob; aſcendunt ut vota noſtra offerant, deſcendunt ut dona Dei ad nos deferant. Neque verò exiguum debet æſtimari hoc beneficium; nam orationes noſtræ in manibus noſtris multis imperfectionibus inquinatæ, difficiliùs acceptantur, quàm ſi per innocentes manus Angelorum offerantur. Sicut cibi in ſordida patina oblati nauſeam generant, in nitido verò diſco placent. Hinc in Sacrificio oramus: *Iube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui, &c.* Et in libro Judicum legimus, quod offerente Sacrificium Manue Patre Samſonis, *aſcendente flammâ aſcendebat pariter & Angelus.* De hac precum oblatione per Angelos, vide Auguſtinum & Bernardum. O inquit, *quàm felix eſſes, ſi ſpiritualibus oculis ſemel intueri poſſes, quomodò prævenient Principes conjuncti pſallentibus in medio juvenculariorum tympaniſtriarum. Videres procul dubio, quâ curâ interſint cantantibus, aſſiſtant orantibus, adſint meditantibus; quomodò ſolliciti diſcurrant inter nos & Deum medii, noſtros gemitus fideliſſimè ad eum portantes, ipſiuſque gratiam ad nos devotiſſimè reportantes.* Tob. 12. 13. Judic. 13. Bernard. Medit. cap. 6.

Secundò, conſervat nos & juvat, ne in peccatum cadamus. Sicut enim parvuli fratribus ſuis grandioribus committuntur, ut eos in ulnis geſtent, ne in via difficili cadant vel impingant; Ita Deus tanquam Pater ſollicitus, Angelis tanquàm fratribus majoribus natu nos commiſit; ut eorum auxilio ambulemus ſine offenſione, inter varia pericula & occaſiones in hac via difficili. Juxtà illud: *Angelis ſuis Deus mandavit de te, ut cuſtodiant te, &c.* Nempè diligunt nos tanquàm fratres & ejuſdem hæreditatis cohæredes. *Ipſi deſiderant adventum noſtrum, quoniam de nobis expellunt civitatis ſuæ ruinas reſtaurari, ideoq; eos qui hæreditatem cupiunt ſalutis, noſtrunt, protegunt, confortant. Intrant & exeunt nobiſcum, attentè conſiderantes, quàm piè, quàm honeſtè in medio nationis pravæ converſemur, quantoque ſtudio quæramus regnum Dei & juſtitiam ejus, quanto timore ſerviamus illi; adjuvant laborantes; protegunt quieſcentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes.* O quoties graviſſimis tentationibus fuiſſes obnoxius, & in æternam perditionem devolutus, niſi Angeli auxilio fuiſſes præſervatus? Simile. Pſ. 90. 11. S. Aug. ſoliloq. cap. 27.

Refert Franciſcus Albertinus, quendam Societatis

Digitized by Google

Exempl. Albert. Libello de Angelorum custodia.

tatis Sacerdotem appulisse Consentiam præcipuam Calabriæ civitatem; statimq; importunè rogatum fuisse à viro quodam, ut exciperet ejus confessionem totius vitæ. Interrogat Sacerdos, quid eum premat, cur illo die tam festinanter, tanto desiderio id flagitet? Narrat ipse. Nudius tertius consulebam amicum, quomodò injuriam à quodam mihi illatam ulciscerer; persuasit, ut ambo bombardis armati, illâ nocte illum persequeremur. Itaque domum repeto, arripio bombardam, rotas & silices præparo; & ecce speciosus juvenis ad me accedit. Quid, inquit, meditaris? Quid mortis instrumenta paras? Ego consilium dissimulo. At ille forti zelo: Putas, me latêre quid attentes, immemor salutis tuæ & proximi, quem persequeris? Memor esse deberes, quanta Deus à te patitur: & tu nec minimam vis pati injuriam? Multoties te jam in æternam perditionem devolvere potuisset, qui peccata peccatis accumulas, sed per patientiam te tot annis expectat. His similibusque multis exaggerans mihi amorem & beneficia Christi, & peccatorum memoriam refricans, transverberabat cor meum etiam usque ad lachrymas. Tandem sermonem finiens, monet, ut peccatorum facerem confessionem, dum Pater aliquis Societatis huc accessisset. Interim socius è vico me evocat, ut stem promissis; cum verò nollem respondere, impulit juvenis ad respondendum. Accessi ergò, & indicavi ei, me mutatle consilium, nec posse istud, sine aperto salutis dispendio. Hoc dicto, regressus sum, & juvenem monitorem non reperi. Dolui quidem; non potui tamen aliud cogitare, quam esse meum Angelum ob consolationem ex ejus alloquio relictam. Undè ab illo die avidius exspectavi adventum R. V. ut Angelo parerem. Hæc ille.

Tertiò, Angeli custodia, dum in peccato sumus, excitat ad pœnitentiam, & impedit Dei vindictam. Dicitur in parabola, quod quidam habens ficum in horto, vidensque eam non ferre fructum tribus annis, dixit hortulano: *Succide illam, ut quid terram occupat?* Hortulanus supplicat, ut ad annum adhuc expectet; interim colendo, purgando, stercorando, promittit se omni diligentia curaturum, ut ferat fructum. Doctores aliqui sancti explicant id de Angelo custode, qui videns Deum arborem infructuosam velle succidere, intercedit, ut ad tempus adhuc differat; Interim omnem curam promittit circà hominem, monendo, inspirando, judicium ei & mortem proponendo, ut tandem ad pœnitentiæ fructum adducat.

Luc. 13. 7.

Munus ergò Angeli est, hominem ad pœnitentiam excitare. Cujus figuram habes in S. Petro catenato & dormiente, quem excitat Angelus, ejus dissumpens vincula. Sicut olim Angelus apprehendit manum Loth ad exeundum de Sodomis, ita apprehendit manum nostram ad exeundum de peccatis; sed ibi dicitur de maritis filiarum Loth: *Visus est Angelus eis ludens loqui.* Ita multi non obtemperant Angelo à peccatis & occasionibus peccatorum educere volenti; & dum eis judicium mortemque repræsentat, illi ut oportet, id non apprehendunt, ideoque manent esca ignis æterni; de quo ipsi Angeli quodammodo contristantur, quia & ipsi quodammodò exultant gaudio de conversione peccatoris.

Gen. 19.

Undè ait Bernardus: *Va tibi quicunque es, qui deliberas redire ad lutum, reverti ad vomitum. Putasne placatos eos habebis in judicio, quos tanto & tam sperato vis privare gaudio? Exultaverunt, cum nos ad pœnitentiam venimus* (ad Religionem) *tanquàm super his quos ab ipsa inferni porta cernerent revocari. Quid nunc erit, si ab ipsa Paradisi janua reverti viderint & abire retrorsum eos, qui jam pedem alterum* (cœlo) *in paradiso posuerunt?* Ita ille. Habet ergò tunc illud Isaiæ: *Angeli pacis amarè flebant*; non quod Angeli de facto tristitiam habeant, qui semper fruuntur æterno gaudio; sed quia peccator peccando, quantum in se est, eos censetur contristare, sicut & Spiritum Sanctum, ut dicit Apostolus.

S. Bernar. ser. 2. in vig. Nativ. circà finem & c. 6. Med. §. 2.

Isa. 33.

Da igitur, da Pater, inquit Augustinus, *eis semper gaudere de nobis, ut tu semper per eos lauderis in nobis; & nos cum eis in unum ovile tuum adducamur, & simul confiteamur nomini sancto tuo. Creator hominum & Angelorum.* Laudo te interim Domine, quoniam dedisti Angelos tuos spiritus in ministerium nostrum: Dederas enim quicquid cœli ambitu continetur, & quasi parva reputas hæc, quæ sub cœlo sunt, nisi etiam dares, quæ sunt super cœlos. Laudent te Domine, de hoc omnes Angeli tui, confiteantur tibi de hoc omnia opera tua, & ipsi Sancti tui benedicant tibi. Hæc Augustinus.

V. Aug. in Soliloq. c. 27.

Hoc verò norant Sancti Patres, quantò majus beneficium est, tales habere cœlestes instructores, tantò graviorem pœnam manere eos, qui eorum consilia respuunt. Undè dicit Origenes: *Si homo non acquieverit monitis Angeli, qui sibi deputatus est ad salutem, auferetur maceria ejus, & erit in conculcationem. Si commonuit de bonis & locutus est in corde; sed ego contemptis ejus monitis, & spreto conscientiæ retinaculo præceps in peccata corrui, duplicabitur mihi pœna vel pro contemptu monitoris vel facinore commisso.* Ita ille.

Origines homil. 2. in cap. 25. Num.

Immò ad tempus aliquando homo relinquitur saltem ex parte ab Angelo suo, quia rebellis fit monitis ejus. De quo aliqui intelligunt illud Hieremiæ: *Curavimus Babylonem, & non est sanata, relinquamus eam*, & illud: *Auferam sepem, & erit vinea in conculcationem*: Sensus est; auferam custodiam Angelicam in peccati ultionem.

Jerem. 51.

Isai. 5.

Huc applicat Basilius illud Psalm. *Amici Dei de longè steterunt*: quasi conqueratur in persona peccatoris Psaltes, ab Angelis ad tempus vel ex parte se relictum ob peccata.

Ps. 37. 12.

PROPOSITIO III.

Beneficia ſpecialia exhibent Angeli illis, qui amatores & ſectatores ſunt Caſtitatis.

3. Specialia Caſtitatis amatoribus exhibent.

ESt enim quodammodò Angelis cognata vel affinis caſtitas, quia imitatio quædam eſt vitæ & puritatis Angelicæ. Undè dicit D. Hieron. *Virgines eſſe quaſi familiam novam Angelorum, quam Chriſtus in terra inſtituit, ut haberet Angelos in terris, qui ab Angelis adorabatur in Cœlis.*

Epiſt. 22. ad Euſtochium.

Angeli ergò ſunt ſpecialiter tutores Virginum, & eorum, qui caſtitatem profitentur. B. Cæcilia ipſo nuptiarum die cilicium ſub aurato ornatu geſtabat, & cantantibus organis ac aliis inſtrumentis muſicis, ipſa ſuam puritatem Domino commendabat, cantans in corde: *Fiat Domine cor & corpus meum immaculatum, ut non confundar.* Cum verò ſponſus eam attingere vellet, dixit ſe in Angeli tutela eſſe, qui nimio zelo cuſtodiens corpus ejus, non eſſet permiſſurus ſine vindicta, ullam in ea contaminationem. Undè Valerianus ſponſus non auſus eam attingere, ſed incenſus deſiderio videndi Angelum, baptiſmum & fidem eſt amplexus ac caſtitatem.

Exempla de S. Cæcilia.

Pſ. 118. 80

Immò Angeli plurimos vacillantes ad ſtatum caſtitatis eligendum induxerunt, tum per ſeipſos, tum per aliorum conſilia. Sancta Victoria deſponſata erat Eugenio, & ſoror ejus Anatolia Tito Aurelio. Venit Victoria ad ſororem, ut perſuaderet ei Sponſum ſuum accipere, *Audi*, inquit, *ô ſoror Chriſtiana ſum, ſicut & tu, & ſcio quod Deus non ſpernat nuptias, quia Prophetæ & Patriarchæ conjugati fuerunt, & Deus benedixit poſteritati eorum. Accipe ergò Sponſum tuum, quem etiam poteris ad fidem Chriſti adducere.* Reſpondet Anatolia. *Soror mea Victoria, oſtende nominis tui efficaciam, vincens diabolum. Quandò terra erat vacua, dixit Deus, Creſcite, & multiplicamini, & replete terram: Nunc autem repleta terra, poſtquam Filius Dei venit è cœlo: Creſcite in fide clamat quotidiè, multiplicate in charitate, replete cœlum, appropinquat enim Regnum Dei.* Deinde dicebat ipſa ſoror. Illo die, quo ornamenta & veſtes in cibum pauperum dedi, vidi adoleſcentem ſpecioſiſſimum, coronâ radiante redimitum, purpurâ & gemmis ornatum, & me lætâ reſpiciens facie, dicebat: *O virginitas, non reperiris in operibus tenebrarum, ſed ſemper in luce!* Ad hanc vocem excitata ſui, & in terram proſtrata flevi, & oravi Dominum, ut qui locutus fuerat, iterum inchoaret. Et me jacente cœpit proſequi. *O virginitas, veſtis es purpurea & regia, qui te induet, altiùs ſedebit cæteris! Virginitas eſt gemma pretioſa, Virginitas eſt theſaurus Regis, fures conantur eam eripere & ei injurias moliuntur, ſed tu vigila, & vigiliter eam conſerva, ſicque certa, te eam poſſidere.* His inflammata ſoror, mutat propoſitum, vendit veſtes, pretium pauperibus diſtribuit: nec adduci potuit, ut matrimonium cum ſponſo contraheret, ſed potius illo urgente mortem pro Chriſto ſubiit. Hæc ex Adone Epiſcopo Trevirenſi in Martyrologio.

Surius 23. Decemb. de Victoria & Anatolia.

Angelus ergò erat, qui Anatoliæ ſic locutus fuerat, qui per eam nunc Sororem inſtruebat, & ad virginitatis coronam excitabat. Nil enim Angelis magis placet quam puritas, per quam anima melius diſpota eſt ad intendendum divinis obſequiis & famulatui. Undè illi ſemper virginibus, communicationem, familiaritatem, directionem, protectionem exhibuerunt.

Illud notatu dignum eſt, quod cùm plurimæ virgines ab impuriſſimis tyrannis promiſſis, metu, vi, ad ſtuprum ſollicitatæ fuerint & ad lupanaria damnatæ, nullæ tamen violatæ fuerunt, ſed Deo & Angelis tutoribus, virginitatem conſervârunt, & martyrii purpureo colore eam exornârunt. Vide de B. Lucia, Agnete, & aliis.

Illuſtre hac de re exemplum eſt in vita S. Theophilæ, quæ ſub Imp. Maximiniano ad proſtibulum damnata, cùm illuc duceretur, ſic orabat: *O mi Jeſu, meus amor, mea lux, meus ſpiritus, caſtitatis mea cuſtos & vita: vide eam quæ tibi deſponſata eſt, feſtina, ne lupi ovem tuam lament, ſerva ſponsè ſponſam, ſerva meam caſtitatem, fons caſtitatis.* Ingreſſa ergò proſtibulum, librum Evangeliorum, è ſinu protulit & legit. Adfuit mox Angelus, qui primùm juvenem ingredientem morte, ſecundum cæcitate, anos aliis pœnis mulctavit, ut nemo amplius auderet ingredi. Multi ergò libidinem in reverentiam commutantes, animo pio locum intrârunt, & viderunt Theophilam ſedentem & legentem, & propè eam adoleſcentem radiantem, & ex oculis inſtar fulguris tela emittentem. Qui tandem Theophilam deducens ad Eccleſiam, eamque in veſtibulo ſtatuens, cùm diciſſet: *pax tibi*, receſſit, attonitis Gentilibus & clamantibus: *Quis eſt ſicut Deus Chriſtianorum?* Videri etiam poteſt vita Beatæ Franciſcæ Romanæ, quæ mirè in omnibus actionibus directa fuit ab Angelo ſuo.

Surius 16. Dec. de S. Theophila.

LECTIO VII.

QUANDO INCHOET ET FINIATUR Angeli cuſtodia.

1. ***Decet inchoare à Nativitate noſtra.***
2. ***In morte hanc nobis maximè oppertunam eſſe.***
3. ***Etiam poſt mortem durare.***

PROPOSITIO I.

Cuſtodia Angeli incipit ſtatim ac homo ex utero ad hanc lucem ingreditur.

Angelica cuſtodia incipit à noſtra nativitate, & deinceps per totam vitam.

ANteà puer in utero exiſtens, pars eſt Matris, & ab Angelo ipſo matris cuſtoditur. Sicut qui oſtendit arborem, cuſtodit & fructum. Statim verò ex utero, unuſquiſque Angelum proprium habet, cujus quidem cuſtodia ex tunc neceſſaria eſt.

Primò

Digitized by Google

Primò quidem ad Baptismi gratiam infantem perducit. Pluribus enim modis sathan per se, vel per sortilegas nititur suffocare pueros ante Baptismum, sed impedit Angelus.

Secundò, in infantia & pueritia custodit per varia pericula, quibus exponitur hæc vita; ita ut pauci ad ætatem perfectam pertingerent, sine protectione Angelica. Unde vulgò dicitur. Pueros Deus & ebrios protegit; quod ut plurimum fit per Angelos, sæpè enim ad aquam vel ignem incautè accedentes, vel per plateas vagantes, equorum vel aliorum animalium transitu periculum & nocumentum incurrerent, nisi Angelus custodiret.

Tertiò, usu rationis inchoante ad bonum instigat, illuminat, revocat à malo, peccati occasiones removet excitat voluntatem ad timorem Dei, ad considerationem salutis æternæ & bonitatis divinæ. Ergò ab eo tempore debet homo se illi committere, & specialiter eum colere & venerari.

Quàm fructuosum id sit, patet exemplo B. Joannæ Urbi vetanæ tertii Ordinis D. Dominici. Hæc trimola orbata fuerat Matre, & quinquennis Patre, ipsaque innocentiam baptismalem conservavit, non fœdatam peccato mortali, beneficio Angeli sui. Interrogata enim ab una ex sodalibus suis, num sciret se carere Matre: Quid inquit, dicis? Veni & ostendam tibi eam. Ducens ergò illam ad Ecclesiam & demonstrans imaginem Angeli in muro pictam: *Scito*, ait, *hunc Angelum mihi esse in Matrem, à quo adhuc parvula percepi omnia fidei & pietatis documenta.*

Quartò, in majori ætate, ubi majora pericula tam animæ, quam corporis, diligentem se custodem exhibet. In statu ergò eligendo, ad ipsum recurre; dinget enim te & docebit voluntatem Dei. Si forte tibi statum proponis conjugii, ne aggrediaris cœco gressu, illi te committe, poterit providere de tali conjuge, qui tuæ conditioni & affectioni respondeat.

Genes. 24.7. Hoc docet exemplum Abrahæ, qui mittens famulum ad uxorem quærendam filio ait: *Non est quod timeas, Deus qui me eripuit de cunctis malis, ipse mittet Angelum suum, & accipies uxorem filio meo, &c.* Sed & postea in domestica gubernatione Angelus dirimit discordiam, impedit zelotypiam, multaque removet vitia, quæ à sathana inter conjuges seruntur, denique ad conjugalem instigat castitatem. Hoc docet exemplum Tobiæ. Acceperat Saram instructu Angeli, cujus septem viros Asmodæus ipsa nocte nuptiarum occiderat. Id quoque timebant parentes de Tobia, sed Angeli protectio dæmonium compescuit, & relegavit in desertum: & ita benedictionem omnigenam in conjugio percepit. Docuit eum Angelus, mortem illam maritorum ex eo provenisse, quod libidinis gratia illam acceperant. Itaque consilium, ut per tres dies continens foret, & oraret, & posteritatis gratia eam acciperet, sic fugandum esse dæmonium. Vide ibi orationem Tobiæ.

Exempl. Tobiæ.

PROPOSITIO II.

Maxime eget homo hac custodia in morte.

Hæc custodia maxime eget homo in morte.

RAtio est, quia homo tunc est circumdatus multa anxietate, dum corpore se ad fœtorem & putredinem resolvente, anima nescit quam initura sit viam: sola pergit, omni destituta hominum auxilio, deserens omnia sibi chara, opes, honores, amicos, hospitatura forsan illa nocte apud inferos. Sed & eam tunc remordet conscientia peccatorum præteritorum, præsens mortis memoria, angit eam æternitas subsequens, nunquam finienda. Tunc quoque acerbissimè sævit diabolus, *habens magnam iram, sciens quod modicum tempus habet;* & plures immittit spiritus suos nequam ad supplantandum tunc hominem, ita ut possit anima dicere: *Circumdederunt me sicut apes.* Circumdant enim animam, ut peccati aculeum infigant, vel per infidelitatem, vel impatientiam, vel per desperationem, vel per præsumptionem de Dei misericordia.

Apoc. 12. 12. Ps. 117. 12.

Quid tibi videtur, ô homo, de illa hora, in qua tenebris circumdatus tenens candelam accensam, contra tenebras mortis trepidabis, brevi rationem redditurus? An non inter tot angustias est tibi necessarium auxilium Angeli tui, ut pugnet pro te? Huic ergò confide tanquam comiti fido, qui curam tui ab initio habuit, illi te totum committe. Sine dubio adest in hac via periculosa, in qua spiritus superbi laqueos absconderunt. Tunc invigilat, tunc lucem præbet contra umbras mortis Angelus lucis, contra vires sathanæ, Angelus pacis. Si tunc contingat animam seduci, quodammodò contristantur Angeli; & quantum in se est, ad peccati odium, ad conversionem animam instigant. Hoc videtur insinuare Sapiens, dum dicit. *Ibit homo in domum æternitatis suæ, & circuibunt in platea plangentes.* Quem locum aliqui interpretantur de Angelis, quia lectio Caldaica habet: *Circumdabunt Angeli circuitores judicii sui lamentantes.* Sicut enim gaudent de anima ad pœnitentiam conversa, ita quodammodò tristantur de anima pereunte; & funus nostrorum peccatorum quodammodò lachrymas eis excutit; Hac enim Metaphora Scriptura explicat displicentiam quam habent de peccatis, dum ait: *Angeli pacis amare flebant.*

Eccl. 12. 12. Lorinus in illum locum.

PROPOSITIO III.

Hæc custodia adhuc durat post mortem.

Hæc custodia durat etiam post mortem

OFficium enim Angelorum est animas post mortem in Cœlum deducere, quia verum illud: *Mittam Angelum meum qui præcedat te, & custodiat in via, donec introducat in locum quem præparavi.* Ita S. Antonius vidit animam Pauli Eremitæ ab Angelis efferi, & S. Severinus animam S. Martini. S. Nicolaus Tolent. sex mensibus ante mortem audiebat cum suavitate concentum Angelicum

Exod. 23.

Digitized by Google

B. Magdalena septies quotidiè elevabatur ab Angelis ad eorum cœlestem harmoniam, nec dubium quin ab illis in Cœlum elata sit. Sic B. Catharinæ corpus ab Angelis in monte Sina collocatum est, anima in Cœlum translata. Sic B. Agathæ non tantum animam & corpus curarunt, sed & Epitaphium hoc ad ejus sepulchrum apposuerunt: *Mentem sanctam & spontaneam, Deo honorem & Patriæ liberationem,*

Porrò, si anima adhuc pœnas debeat, deferunt eam Angeli ad Purgatorium, & crebrò eam consolantur. Postremò, in die Resurrectionis colligent pulveres nostros, *& exibunt & separabunt impios de medio Iustorum.* Hic erit finis ministerii eorum. Matt. 13. 49.

Ex his omnibus patet, quot titulis Angelis simus obligati, & quomodo illis debeamus esse grati, illosque in omni loco revereri. Quidam vir pius quoties alicui obviabat; salutationem cum magna humiliatione & reverentia impendebat; quam quidem reverentiam ipse non tam ad personam, quam ad ejus Angelum interius referebat. In omni ergo loco ita tu Angelum tuum reverere, ut coram illo non audeas, quod coram homine non auderes. Cum exis domo aut aliquid aggrederis, illi te committe, vesperi & manè gratus illi age. Singulis quoque annis cum recurrit dies nativitatis, peculiari eum devotione cole, quod tunc inchoarit tui curam, & eo tempore non deseruerit lateri assistens nocte & die. Immò dignum foret per Confessionem, & Eucharistiæ, panis scilicet Angelorum, sumptionem, illi perpetuum obsequium promittere, tantæ nobilitatis spiritui, qui de summo Cœlo ad vilis hominis custodiam venire dignatus est. Sales in introd. ad vitam piam.

LECTIO VIII.

DE CREATIONE HOMINIS.

Primò docet hominem creatum ad imaginem Dei.

2. *Creatum fuisse in gratia & justitiâ.*
3. *Creatum cum perfecta scientia & dominio.*
4. *Hominem si non peccasset fore immortalem.*

PROPOSITIO I.

Homo creatus est sexto die ad imaginem Dei & similitudinem.

Homo creatus est ad imaginem Dei naturalem Cen. 1. 26

EX modo productionis ejus colligitur dignitas hominis.

Primò quia absoluto omni opere suo, dixit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Ubi nota, quod non dicit, sicut de Firmamento & aliis, *Fiat*, sed quasi cum quadam deliberatione, *Faciamus* opus scilicet novum, speciale, eximium, cum quadam deliberatione aggreditur, & artis infinitæ opus, quia nondum totam artem increatione Angelorum & animatum ostenderat, sed illam ostendit in creatione hominis, ut notat D. Chrysost. Unde & Basilius ait: *Vis, ô homo, nosse naturæ tuæ dignitatem, vel hinc auspicium sumito: de nullo eorum quæ antea condiderat vox ista faciamus, transmissa est; sed simplici verbo omnia creata sunt. Vide quanti sis æstimandus: neque enim generationem tuam velut pretio vulgaris, communi mandato creaturarum censuit astexendam.* Chrysost. homil. 8. in Gen. Basil. homil. 10. in Genes.,

Secundò, notant aliqui hominem formatum fuisse ex quatuor pugillis terræ, desumptis ex ejus quatuor partibus, Oriente, Occidente, Meridie, Septentrione; ut significaretur ei dari dominium super universum mundum, super orbis quatuor partes. Vide authorem Tractatus de Sina & Sion inter opera Cypriani. Voluit etiam Deus totum universum constituere, & suis partibus ornare, antequam hominem crearet, ut illum tanquam Orbis Regem, in suam ditionem suumque velut Palatium statim a creatione introduceret. De quo supra latius dictum. S. Cypr.

Tertiò, in ejus solius formatione, primum Fidei mysterium, scilicet Trinitatis, declaratum est. In verbo enim *Faciamus*, declaratur Trinitas, non enim loquitur Angelis, quia necdum de illis mentio fuerat; non cœlo aut terræ, quia non sunt capacia intelligentiæ; sed loquitur personis æqualis potentiæ ad creandum hominem. In verbo, *dixit Deus*, unitas essentiæ signatur, sicut in verbo, *Nostram* quod etiam notat Hilarius. Ergò hoc mysterium implicitè in generatione & creatione hominis seratum est, quod postea in regeneratione per Baptismum, explicitè erat profitendum.

Quartò, in hoc notatur dignitas, quod dicitur *ad imagnem Dei* formatus. Non poterat Deus perfectius exemplar quam seipsum reperire, & inter res corporeas & visibiles solus homo est Dei imago, reliqua sunt solum vestigium.

In quo hæc imago consistat.

Quærunt verò Theologi, in quo hæc imago consistat; Respondeo. Primò in hoc, quod homo habeat animam incorpoream & immortalem, æternitatis participem. Secundò & præcipuè in hoc quod homo habeat intellectum, voluntatem memoriam, tres potentias & unam essentiam. Per memoriam Patri similes sumus, per intelligentiam Filio, per voluntatem Spiritu Sancto, inquit Bernardus. Tertiò in hoc, quod homo habeat liberum arbitrium, quod soli Deo competit & Angelis ejus. Quartò in hoc, quod sit capax sapientiæ, virtutis, gratiæ, beatitudinis, visionis Dei. Quintò in hoc, quod præsit tanquam Rex in hoc inferioti mundo, quasi agens vices Dei & ejus personam repræsentans. In his ergò omnibus simul sumptis constitit hæc imago, sive in hominis mente, quod homo sit naturæ intelligentis, quæ est supremus gradus entis Deo competens & Angelis, ex quo consequuntur omnes illæ proprietates dictæ. S. Bernar. in Med. c. 1.

Sancti Patres modo in uno ex dictis, modò in altero constituunt rationem imaginis hujus; sed hoc intelligi debet partialiter & incompletè; in omnibus autem simul sumptis adæquatè. Quod autem.

Digitized by Google

Sap. 1. 23. Eccl. c. 17. Coloss. c. 3. v. 10.

autem dicitur: *ad imaginem & similitudinem*, aliqui dicunt imaginem consistere in naturalibus, similitudinem in gratuitis. Alii verò dicunt idem esse, ut sit sensus, *faciamus hominem ad imaginem similitudinis nostræ*, ut habetur Sap. 2. id est, ad imaginem valdè similem. Hinc Scriptura modò unum, modò alterum, modò utrumque usurpat, modò dicens hominem creatum ad imaginē, modò ad similitudinē.

Porrò hæc imago Dei & ejus sigillum, ita est naturale homini, & sic ei impressum, ut a nulla creatura possit destrui, nisi ipso homine destructo. Sicut Phidias sculptor in scuto in quo formarat Minervam, tanto artificio interius sculpserat imaginem suam, ut non posset ullo modò destrui, nisi destrueretur totam scutum cum ipsâ Minerva: Sic Deus tam artificiosè in homine impressit sui effigiem, ut non possit deleri, nisi deleto homine.

Est ergò homo ultimum & præcipuum opus Dei, finis aliorum operum, in quo volebat summatim re colligere omnia opera sua. Unde creando illum, posuit in eo omnes qualitates elementorum, vitam plantarum, sentire animalium, intelligere Angelorum: & sic parvus mundus est homo, simulacrum & compendium totius creaturæ, cœlestis & terrestris, creatura de carne & spiritu.

Solent Cosmographi Provincias integras, Regna nationes, & totum Universum, in brevi tabella & pagina velut compendio exprimere; & cum tanto artificio, ut id quod adeò diffusum erat, ut obtutum oculorum fugeret, in angusta pagina oculis objiciant. Ita compendiosè Deus universum & omne opus suum exprimit in homine, imò seipsum, & Trinitatis ac Deitatis simulachrum.

Adverte ulterius, quod non soleat artifex in quolibet opere suam effigiem ponere, sed in aliquo excellenti. Et nos in re pretiosa ad nos spectante, sigillum nostrum imprimimus. Ita Deus complacens sibi in homine, opere suo principali, illud specialiter signat, in illo volens agnosci. Licet enim in qualibet creatura majestas ejus eluceat, in cœlo, terra, elementis, tamen specialiter in homine. Et specialiter dicitur Dominus hominis, ut obliget illum sibi soli servire. Unde notat Tertull. Scripturam in Genesi non vocare Deum, *Dominum*, donec creavit hominem. Creaverat cœlos animalia, in aere, mari, terra, non tamen usurpavit titulum Domini, donec specialiter dicitur: *Formavit Dominus hominem de limo terræ.*

Lib. contra Hermogenem.

Ex his ergò collige, ô homo, quanti te faciat Deus, & quantæ sit dignitatis anima tua, quamque sollicitè eam debeas custodire; habet enim quandam cum Deo cognationem, & cum Dei filio qui est ejus imago; tu enim ad ejus es imaginem & similitudinem, & ideò cum eo habes cognationem. Oportet verò quod ad imaginem sit, cum imagine convenire, & non in vacuum nomen imaginis participare. Unde omnimodè cavendum, ne per peccatum inductum inducas in hac Dei imagine *Characterem bestiæ*, imaginem Sathanæ.

Collige secundò, quandoquidem fecit te Deus intelligentis naturæ, totum bonum tuum, etiam durante hoc exilio, in divinitatis contemplatione versari; juxta quod ait ipse: *Vacate & videte quoniam ego sum Deus.* Ps. 45. 11. Frequenter ergò intellectum erige, ut quantum potes intuearis, quid sit Deus in se ipso, quid in Angelis, quid in sanctis, quid in hominibus, quid in creaturis. In se ipso est incomprehensibilis, quia principium & finis, principium sine principio, finis sine fine. Ex te potes intelligere, quam incomprehensibilis sit, quia teipsum ne quis intelligere, quem ipse fecit. In Angelis est desiderabilis, quia in eum desiderant prospicere. In Sanctis delectabilis, quia in eo fœlices lætantur. In hominibus est amabilis, quia eorum Deus est, & ipsi populus ejus, & in eis habitat, Beata anima quæ dicere potest. *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Eccl. 24. 12. Requiem Cœli ei non poterit negare, in cujus tabernaculo voluit requiescere ipse. Denique in omnibus creaturis est admirabilis, quia omnia potenter creat, sapienter gubernat, benignè dispensat.

In omnibus itaque Creatoris tui memor esse debes, in omnibus illum intueri & cognoscere, in omnibus illum colere & diligere. Homines cum sensibilibus rebus adhærent, neglecto Deo, similes sunt infantibus, qui cùm molliter à nutricibus educantur sæpe magis eas amant, quam parentes, & illorum oblivisciuntur a quibus geniti sunt, & quorum beneficio à nutricibus aluntur. Sensibilia bona instar nutricis nos alunt, cum illis familiaritatem gerimus, Deo autem parenti nostro illa præferimus, cujus oblivisicimur, cum tamen ejus providentia omnia illa bona nobis deserviant, & per illa debeamus illum cognoscere & amare.

PROPOSITIO II.

Homo creatus fuit in gratia, innocentia & originali Justitia, per quam erat similis Deo.

Homo etiā creatus est in gratia & justitia id est ad imaginem Dei supernaturalem.

1. Joan. 3. Eph. 4. 23. Col. 3. 10.

Est in homine præter Dei imaginem naturalem, quædam supernaturalis, sita in hominis justificatione, sanctitate & gratia qua divinæ sit consors naturæ, & hæc in gloria perficietur: *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* In hac etiam Adam conditus fuit, ita ut de illa etiam illud intelligatur: *Faciamus hominem ad imaginem nostram.* Unde dicit Apostolus: *Renovamini in hominem, qui secundùm Deum creatus est*, hoc est, Dei exemplar *in justitia & sanctitate.* Item. *Induentes novum hominem, qui renovatur secundum imaginem ejus, qui creavit illum;* per gratiam scilicet, fidem, spem, charitatem, & puritatem vult nos quotidiè innovari.

Originalis justitia, 4. habuit effectus.

Hæc verè originalis justitia habebat quatuor effectus. *Primus*: Rectitudo partis superioris, qua totus erat subjectus obedientiæ divinæ, & conformis ejus voluntati.

Secundus: Rectitudo partis inferioris, qua caro & sensus ad judicium rationis conformabantur, & sic pax erat summa, carne nihil contra spiritum agente. Cùm enim essent nudi & pulcherrimi nullam rebellionem patiebantur.

Digitized by Google

Tertius: Nullam habere propenſionem ad malum, nullam difficultatem ad bonum, unde non egebat caro fræno aut calcaribus; ſed ſicut Deus præſidebat ſpiritui, ita ſpiritus carni, tanquam ſeſſor equo ad omnia veloci, optime diſpoſito, & obedienti. Nunc autem fræno eget ut furentem & præcipitem à malo cohibeat; calcaribus quoque, ut pigram & torpentem ad benè faciendum excitet.

Quartus. Perpetua quædam animi lætitia, ſumma mentis in Deo tranquillitas, conſcientiæ pax & ſecuritas.

Hi ſunt quatuor Fluvii de hac originali juſtitia, tanquam de fronte, irrigantes interiorem animæ Paradiſum. Hæ quatuor rotæ juſtitiæ, tanquam currus volventis animam in Deum.

Hanc originalem Juſtitiam & imaginem illam ſupernaturalem, quam in eo poſuerat divina manus, potuit homo deſerere: in ejus arbitrio erat eam vel illabatam conſervare, vel deturpare. Ad quam alludens D. Ambroſius dicit: *Adam ubi es? ubi eſt imago mea formoſiſſima? Ubi Paradiſi pretioſus ornatus? Ubi manuum mearum artificium? Ubi imago regni mei nuper depicta?* Hinc etiam notant aliqui, Deum de ſole, luna, & aliis creaturis, diriſſe quod eſſent bona, de homine autem creato, non dixit quod bonus foret aut malus. Quid ita? Quia cæteris creaturis bonitas naturalis inerat, quæ ſufficit ut nominentur bonæ, homini autem licet creato in bonitate, libertas dabatur amplectendi bonum vel malum, bonitatem deſerendi vel conſervandi, & ſecundum quod eligit, bonus eſt vel malus, quæ electio aliis creaturis non competebat. Non ergò bonus debuit dici, qui bonitatem & juſtitiam illam nobilemque Dei ſimilitudinem, ſtatim peccando deſeruit. Adam enim, juxta D. Irenæum, ſexto die creatus die Veneris mane, circa ſex horas duravit in juſtitia, & hora ſexta cecidit, eodem die & hora qua ſecundus Adam in cruce extenſus fuit, inquit ipſe. *Homo ergò cùm in honore eſſet non intellexit*. Vis ſcire, inquit Bernardus, in quo honore? Habitabat in Paradiſo, in loco voluptatis, nihil molleſtiæ, nec indigentiæ ſentiebat, odoriferis ſtipatus malis, fulcitus floribus, gloria & honore coronatus, conſtitutus ſuper opera manuum plaſmatoris; magis autem ob inſigne divinæ ſimilitudinis præcellebat, & erat illi ſors & ſocietas cum Angelis & omni malitia cœleſtis exercitus, ſed mutavit iſtam gloriam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum. *Comparatus eſt jumentis inſipientibus.* Heu triſtis & lachrymoſa mutatio, ut homo Paradiſi incola, terræ Dominus, Cœli civis, domeſticus Domini Sabaoth, ſupernorum ſpirituum cohæres, repentina ſe converſione inveneit, & propter infirmitatem jacentem in ſtabulo, & propter pecorinam ſimilitudinem, indigentem fœno, & propter indomitam feritatem alligatum præſepio, ſicut ſcriptum eſt: *In chamo & fræno maxillas eorum conſtringe*. Ideo ergò & panis Angelorum factus fœnum poſitum in præſepio nobis jumentis appoſitum. Verbum quippe caro factum eſt, & juxta Prophetam: *Omnis caro fœnum*. Ita Bernardus.

Ambr. in Hexam.

Irenæus l. 5. contra hæreſes.

Pſal. 48.

c. 13. d. 21.

Bernard. ſerm. 35. in Cant.

Verè ſic homo poſt peccatum comparatus eſt jumentis inſipientibus, ut poſſint dicere bruta: *Ecce Adam ſimilis factus eſt nobis*, quod irriſorie dixit Dominus ad Adam. Et hoc quoque de ejus poſteris verum eſt: nam Leones & Pavones dicere poſſunt de ſuperbo: *Ecce quaſi unus ex nobis*. Lupi rapaces de Avaro, Equus & mules de Luxurioſo, Canes de detractore fratrem mordente, idem dicerere poſſunt. *Homo poſt peccatum comparatur eſt brutis.*

Hinc dicebat Chryſoſtom. *Unde te potero fidelem agnoſcere, neque enim es homo, ſi manifeſtè poſſum videre. Cum namque tanquam Aſinus recalcitres, laſcivus ut Taurus, malum memoria tenens ut Camelus, tanquam Equus poſt mulieres hinnias, ventri ut Vrſus indulgens, rapax ut Lupus, ut ſerpens irraſcaris, ferus ut Scorpius, ſis ſubdolus ut Vulpes, nequitia ut Aſpis & Vipera venenum ſerves & ſicut malignus dæmon fratres impugnes, quomodò te cum hominibus connumerare valeam, talia in te naturæ ſigna cum non intueor*: Ita ille. Chryſoſt. homil. ad pop. Antioch.

Tanta ergò poſt peccatum illud primi hominis, facta eſt in homine inordinatio & confuſio; ut ipſe ſibimet adverſetur, & exterior homo contra interiorem rebellet, concupiſcentia contra rationem, caro contra ſpiritum, captivans eum & velut incurvans, ut diligat vanitatem & operetur iniquitatem: ita ut ipſa videatur feciſſe pactum cum morte, fœdus cum inferno, cum ſathana conſpiraſſe contra animæ ſalutem; ut propterea cogatur clamare Apoſtolus: *Infelix ego homo? quis me liberabit de corpore mortis hujus? Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, captivantem me in lege peccati.* Rom. 7.

Circumfert homo ſemper ſecum peccati ſui teſtimonium in carne ſua, quæ illicita ſuggerit, illatoſas cogitationes immittit, ipſa de luto. Videtur cum anima ludere, ſed illuſio eſt & perſecutio, ipſa eſt Iſmael ludens cum Iſaac, ſed eum perſequens & conculcans, volenſque dominari & in ſervitutem redigere. Propterea, cum non poſſit anima hunc fugere hoſtem, vel à ſe fugare, quia alligatum ſibi illum circumferat, neceſſe eſt; debet ſemper colluctari, non verò coliudere, non illi conſentire. Hanc eleganter monebat D. Bernard. *O Anima Dei inſignita imagine, decorata ſimilitudine, deſponſata fide, data a ſpiritu, redempta ſanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, hæres bonitatis, quid tibi cum carne, unde tanta pateris? Quæ nihil aliud eſt quàm ſpuma carnis facta, fragili veſtita decore?* Attende ſingulas ejus miſerias, quam ſit onerata peccatis, irretita vitiis, capta illecebris, pruriens concupiſcentiis; occupata paſſionibus, polluta illuſionibus, prona ſemper in malum, & in omne vitium proclivis, plena omni confuſione & ignominia. Hanc ergò obſerva, huic reſiſte, huic ad vigila, quia levavit calcaneum ſuum contra te, & cupit te ſupplantare. Bernard. in Med. c. 3.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO III.

Homo creatus fuit cum perfecta scientia, & cum perfecto dominio supra animalia cætera.

Homo creatus fuit cum perfecta scientia, & dominio super animalia cætera.

QUantum ad scientiam naturalium, habuit scientiam omnium naturaliter scibilium. Undè noverat naturam plantarum, lapidum, animaliũ, quibus etiam debita nomina imposuit; quia ut primus homo erat institutus ad aliorum instructionem & gubernationem, creatus fuit cum hac scientia, quam quidem tantam habuit, quantam nemo mortalium, excepto Christo, Eccles. 7. *Disciplina intellectus replevit illos.*

Quantum ad scientiam supernaturalium, tantam habuit, quanta erat necessaria ad vitæ humanæ gubernationem secundùm illum statum.

Primò, noverat finem & præmium supernaturale à Deo servis suis constitutum, & media ad illum finem, inter quæ fides, Spes, Charitas, quæ sciebat etiam à Deo, non a nobis aut viribus nostris proficisci.

Secundò, non latuit eum casus Angelorum, & sedes vacuæ; quia id scire proderat, ut in humilitate & obedientia & timore Justitiæ contineretur, gaudiumque erat scire sedes illas per posteros suos reparandas. Hoc videtur indicari, dum dicitur: *Judicia sua ostendit illis.* Quæ judicia? Quia Deus eis revelavit peccatum Angelorum, & quomodò eos judicaverat & damnaverat, inquit Catharinus & alii. Eccles. 17. 10.

Tertiò, noverat distinctè mysterium Trinitatis, non enim est verisimile in tam fœlici statu ignorasse primum mysterium fidei, in cujus visione constitit tota merces; præsertim cum in ejus formatione mysterium illud fuerit significatum.

Quartò, scivit Incarnationem Christi, ex sua stirpe; non quidem quod sciret eum per mortem liberaturum hominem (quia sic præscius foret sui casus) sed noverat eum ut caput & glorificatorem hominum, ut ait D. Thomas; sicut Joseph, inquit Bonaventura, prævidit in somno suam exaltationem, licet non prævideret suam venditionem aut carcerem. Tho. 2. 2. q. 7. art. 2. Bonav. in 2. dist. 33.

De posteris Adæ illud sciendum, quod etiam creati fuissent in justitia, sed non imperfecta scientia, verum illam progressu temporis facilè acquisivissent; geniti quoque fuissent per maris & fœminæ conjunctionem, sed sine libidinis morbo, sine ardore & illecebroso stimulo, cum tranquillitate animæ & corporis; non fuissent etiam confirmati in justitia, sicut nec parentes eorum, sed peccare potuissent per liberum arbitrium, ut expressè tradit D. Thom. Ubi plura de his vide apud Interpretes, & apud Pererium in Genesim. Tho. 1. P. q. 100. art. 2.

Quantum ad perfectum dominium, quod asseruimus datum homini super animalia, patet ex Scriptura sacra. De quo D. Ambrosius dicit: *Videbatur elephantis nihil habere naturâ procerius & robustius, nihil terribilius leone, nihil saevius tygride. Verum hæc serviunt homini, & naturam suam instituunt humanæ dominationi, obtrectantur quod nata sunt, induuntur quod jubentur. Quid multa? edocentur ut parvuli, serviunt ut famuli, adjuvantur ut infirmi, verberantur ut timidi, corriguntur ut subditi, & in mores transeunt nostros, quoniam morum proprios perdiderunt.* Si ergò homo non peccasset, promptius obedirent, quam nunc servi dominis, aut filii parentibus. Quod verò modò noceant, pœna est inobedientiæ, & humana superbia domatur per vilia animalia, pediculos, pulices, muscas, ranas, erucas, quibus Deus Reges, regnaque domuit, Pharaonem, Antiochum, Herodem & alios. Ambr. in Hexam.

Sicut verò vindicta Dei est, quod animalia noceant, ita & viris quibusdam sanctis ad innocentiæ testimonium quoddam velut dominium super animalia est restitutum.

Sic Paulo non nocuere serpentes, Danieli leones, aliaque ferocissima animalia alius Martyribus aut Sanctis. Vide de B. Francisco, de B. Margaritha, de B. Antonio. Vitam vide B. Pauli Eremitæ, ubi leones ad ejus sepulchrum fodiendum venerunt.

Præclarum est, quod hac de re scribit Joannes Moschus, qui loquens de Gerasimo, dicit circa Jordanem accessisse leonem ad eum, qui pedem spinâ vulneratum exhibebat, Gerasimus spinam eduxit, pus abluit, & pedem linteo ligavit. Sentiens leo hanc misericordiam, sequitur virum sanctum, & famulatum omnem ei exhibet. Duxit eum Gerasimus in cœnobium, imponitque ei, ut asinum cœnobii quotidiè ad palcua deducat & eum custodiat, idque fideliter præstitit. At semel cum divertisset leo, Arabes illuc iter facientes in Jerusalem, asinum solum vident, & secum ducunt; asino non invento, redit leo tristis domum: Gerasimus putans, quod eum devorasset, imposuit ei onera asini, suscepit leo, aquam, ligna, & onera portans. Tandem semel è cœnobio egressus, mercatores videt redeuntes cum asino, quem ille capistro, ut antè solebat, apprehensum duxit ad cœnobium, mercatoribus metu fugatis. Hoc videns Gerasimus amplius eum amabat. Et dum post aliquot annos mortuus esset Gerasimus noluit Leo a sepulchro discedere, sed ab omni cibo abstinens, ibi inedia se confecit. Exempl. in Mosc. Prat. spir. c. 107. Refertur in vitis PP. l. 10. c. 107.

Mulus, cui insederat Thomas Aquinas, veniens ad *Cœnobium Fossæ novæ*, ubi mortuus est, sentiens sancti viri sessoris sui corpus ad tumulum efferri, disrupit in stabulo omnia quibus ligatus erat & accurrens ad sanctum corpus, ibi velut ad geniculans & adorans, mortuus est, Ita testatur S. Antonius & alii.

PROPOSITIO IV.

Homo creatus fuit immortalis, unde, si non peccasset, non erat moriturus, nec ejus posteritas morti foret obnoxia.

Homo, si non peccasset, fuisset immortalis.

IN quo adverte divinam Providentiam homini providisse habitationis locum optimũ, in quem introduxit eum statim à creatione, quem etiam vocavit Paradisum, qui erat locus amœnissimus, & deliciis omnibus ac opibus abundans, cui nullus conditus a Monarchis mundi hortus potest comparari:

Primò

Paradiſi deſcriptio.

Primò, In hoc excellebat, quod ſitus foret in optima orbis parte, quantum ad temperiem cæli, aëris, terræ, non obnoxius nimio aut calori, aut frigori, ventis aut tempeſtati, eratque locus valdè ſpatioſus; licèt enim vocetur hortus, tamen amplitudinem regni alicujus poterat adæquare.

Secundò, habebat omnis generis plantas & arbores optimo ordine diſpoſitas, viſu & guſto delectabiles, & tam ſuavis ſaporis, ut homo illis maluiſſet vesci, quàm omnibus carnibus aut piſcibus datis ei poſtea ad veſcendum.

Tertiò, erat ibi fons aquæ ſuaviſſimæ ac ſaluberrimæ, qui homini ad potum ſerviret, ſimul etiam ad irrigandum Paradiſum.

Quartò, In medio Paradiſi erat lignum vitæ, cujus fructus præſervaret à morbis, a corruptione, à ſenio, prolongans vitam; quanto tempore Deo placuiſſet, donec ad beatam vitam tranſiret. Unde dixit B. Gregor. *Ad hoc homo poſitus erat in Paradiſo, ut ſi ad conditoris ſui obedientiam vinculis charitatis ſe adſtringere ad Cœleſtem Angelorum patriam, quandoque, ſine carnis morte tranſiret.* Immortalitatem ergò habuiſſet homo, non ex diſpoſitione corporis, quod ex contrariis componitur; ſed ex ſpeciali dono Dei dato animæ, quo poſſet corpus ab omni corruptione præſervare; & ex beneficio ligni vitæ, quod ei præſtabat vim contra ſenium, ut ſæpè dixit Auguſtinus. De priori dicit Auguſt. *Mortalis erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Conditoris.* De poſteriori: *Cibus aderat ne eſuriret, potus, ne ſitiret; lignum vitæ, ne illum ſenectus diſſolveret.* Undè etiam notat D. Thomas, hominem extra Paradiſum factum fuiſſe, & poſtea in illum translatum, ut agnoſceret hanc incorruptionem ſibi provenire non ex parte naturæ, ſed ex dono gratiæ.

Greg. lib. 4. moral.

lib. 6. de Gen. ad lit. c. 25. lit. 14. civit. c. 26. 1. p. q. 102 art. 4.

Homo ergò peccans, ſicut alias ſe privavit donis, ita & in hoc dono immortalitatis. Unde rectè homo in illo fœlici ſtatu, comparari poteſt ſtatuæ illi ſublimi, quam vidit Nabuchonoſor: *Caput erat aureum, brachia argentea, venter æreus, pedum pars quædam erat ex ferro, pars ex luto:* Veniens verò lapis, tangenſque partem fictilem pedum, contrivit totam ſtatuam. Attende ſingula in illo ſtatu innocentiæ accommodata. 1. Caput aureum, eſt juſtitia originalis, quæ hominem perfectum reddebat. 2. Brachia pectuſque argenteum, ſignificare poteſt dominium, quod homo habebat ſuper creaturas. 3. Venter æreus, ſignificare poteſt dona naturalia & ſcientiam, qua pollebat. Denique tibiæ partim ferreæ, partim fictiles, ſignificant animam & corpus, firmitas ferri, immortalitatem, fragilitas luti, corporis corruptibilitatem, quam habebat ex natura ſua. Sed venit peccatum tanquam lapis, & funditus omnia disjecit, omnem fœlicitatem illius ſtatus contrivit. Cecidit enim aurum, quia gratia & juſtitia originalis interiit. Cecidit argentum, quia perdidit poteſtatem & dominium illud ſuper animalia. Cecidit æs, quia ejus ſcientia & dona naturalia læſa fuêre. Denique ferrum contritum eſt, non quod anima immortalis non manſerit; ſed quia variis obnoxia defectibus, paſſionibus, perverſis inclinationibus, & miſeriis reddita eſt; ſed & lutum contritum eſt, quia corpus aliàs immortale, morti ſubditum eſt. Quàm ergò erat ſublimis & admirabilis ſtatua homo, in illo ſtatu, ſed heu! per peccatum, quantum ſibi damnum attulit? qualem ruinam? quomodo humiliatus eſt? Liceat hic lamentari cum Jeremia: *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus? Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora. Et filii inclyti amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea opus manuum figuli?* Illi qui omnibus donis, quaſi auro fulgidiſſimo à Deo ornati fuerant in deliciis Paradiſi enutriti, omni gloriâ circumamicti, in quantam caliginem & confuſionem per peccatum devenerunt? Quam viles facti ſunt, quàm fragiles & infirmi, & miſeriis omnibus expoſiti?

Dan. 2. 32. *Homo in ſtatu innocentiæ comparatur cum ſtatua Nabuchodonoſoris.*

Thren. 4.

Hominis variæ deſcriptiones.

Hinc eſt, quod ab eo tempore rectè deſcribitur Homo a Philoſopho: *Imbecillitatis exemplum, fortunæ luſus, inconſtantiæ imago, calamitatis trutina, temporis ſpolium.*

Primò *Imbecillitatis exemplum eſt.* Quid enim homine fragilius, cujus vitam auferre poteſt febris, vermis, æſtus nimius, frigidus aër, hauſtus aquæ, &c.

Secundò, *Fortunæ luſus.* Quia hodie fælix, cras miſer, hodie honoratus, cras contemptus; hodie dives, cras pauper, hodie ſanus, cras infirmus, rota fortunæ varia eſt, ludit & illudit; attendat quilibet ejus mutabilitatem, nec illi fidat. Seſoſtris Rex Ægypti, vicerat quatuor Reges, quos voluit alligari, & trahere currum ſuum triumphalem, unus illorum rotarum hujus currus conſiderans volubilitatem, cœpit altum riſum emittere. Interrogat Rex, quænam illius occaſio in tanta infœlicitate? At ille: *Riſum mihi excitat rotarum in curru tuo revolutio, in illis enim deorſum je volventibus, conſidero quomodo à dignitate mea nunc decidi; in ipſis autem ſurſum je elevantibus conſidero ſublimitatem tuam, ſed brevi revolvendam ad eandem mecum miſeriam & ſervitutem mutabilitate fortunæ.*

Fortunæ rota. Job. 14.

Tertiò, *Inconſtantiæ imago.* Quia non eſt propoſiti ſui tenax. Jam amat, poſtea odit, mox probat, ſtatim reprobat, modò deſiderat, modò non vult quod deſiderabat, jam ſperat, poſtea deſperat ſicut bractea index ventorum, qui ponitur ſupra turres, in varias partes volvitur, ita hominis animus.

Quartò, *Calamitatis trutina.* Quia æqua Lance calamitas hominis & vita ejus procedunt: ſi in bilance dies hominis ponas & calamitates, plures ſunt calamitates, quam dies: *Brevi vivens tempore, multis repletur miſeriis.*

Quintò, *Temporis ſpolium.* Quia tempus quaſi latro paulatim eum ſenſibus privat, auditu, viſu guſtu, ſanitate, tandem vita, ſine intermiſſione homo ſpoliatur à tempore. Primò infantia, deinde adoleſcentia, poſtea juventute & virilitate, denique ſenectute, & ſic vita. Ecce triumphus temporis de homine.

Poſtre-

Digitized by Google

Postremò, homo est *Mortis municipium*, & socius vermium, ita ut sæpius meminisse debeat illius: *Spiritus meus attenuabitur, dies mei breviabuntur, & solum mihi super est sepulchrum.* Item illius: *Putredini dixi, Pater meus es, Mater mea & Soror mea vermibus.* Job. 17. 1.

Exempl. Platus l. 3. c. 38.

Hujus nostræ mortalitatis consideratio, stimulus est ad vitæ conversionem. Referunt Historiæ Dominicanorum, ad quendam Religiosum accessisse adolescentem studiosum, mollem, omnibus deliciis vitam agentem, & qui de conversione nullum sibi verbum fieri volebat. Dissimulans ille Religiosus dixit: Volo de rebus patriæ tecum loqui, nisi quod unicum verbum salutis discedens tibi cupio significare. Post longum ergo colloquium, in digressu dixit: Verbum quod tibi indicare volo, est illud: *Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Discessit ille, sed hic versus hunc ita pupugit, ut nihil aliud animo volvere posset, quam vermes illos; imò cum hanc molestam recordationem ludis variis & sociorum solatiis à se repellere conaretur, nihil proficiebat, sed magis infigebatur. Unde illa cogitatione permotus, sese in Religione D. Dominici Deo vovit. Isa. 14. 11.

TRACTATUS III.

EXPLICATIO ARTICVLORVM SPECTANTIVM AD SECVNDAM TRINITATIS PERSONAM.

LECTIO I.

HÆC LECTIO EST INTRODUCTORIA ET DOCET:

1. *Magnum esse Mysterium Incarnationis.*
2. *Fructuosam esse ejus frequentem considerationem.*

1. Tim. 3. *Magnum Incarnationis Mysterium.*

SECUNDA Pars symboli tractat de Incarnatione Filii Dei, & ejus Oeconomia in carne, de qua dicit Apostolus: *Magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum ejt Gentibus, creditum est mundo, assumptum est in gloria.* Sex ibi Mysteria tangit in articulis sequentibus comprehensa.

2. *Apparuit in carne.*

Primò: Magnum Mysterium est bonitatis divinæ, quod invisibilis factus est visibilis, dum Verbum quod latebat in mente & corde Patris, in carne apparuit, ut nobis exprimeret, quale esset erga nos cor & amor Patris; hoc enim nobis expressit, qui de Patris corde processit.

2. *Justificatus est in Spiritu.*

Secundò: Magnum est Mysterium, quod ipse Christus virtute Spiritus Sancti conceptus est, & omnibus gratiæ & justitiæ donis adimpletus, descendente in eum quasi fronte Spiritu Sancto, ut non solum ipse justus foret, sed & caput justorum, omnesque justificans à peccatis. Unde & per Spiritum Sanctum in specie Columbæ descendentem, declaratus est esse summè Justus, omnium Justificator ac ipsa Justitia, ut propterea dixerit Propheta: *Vocabunt eum Dominus justus noster.* Utique multipliciter justus 1. Justus in germine & conceptione, quia peccatum non contraxit: *Suscitabo germen justum*, ait Propheta. 2. Justus in sermone, quia justitiam & veritatem docuit. 3. Justus in omnibus gressibus suis: *Justitia ante eum ambulabit.* Justus in omni affectu & opere: *Justitia cingulum lumborum ejus.* 5. Justus in tota vita, quia per tot miracula & charismata Spiritus Sanctus eum justum declaravit toti mundo. 6. Justus in nostra redemptione, quia ibi *Justitia & Pax osculata sunt: Ecce Rex tuus venit tibi. Justus & Salvator.* 7. Justus denique in finali remuneratione: *Quia Pater omne judicium dedit Filio.* Jere. 23. 6. Ibid. Psal. 84. Isa. 11. Psal. 84. Zach. 9. Joan. 5.

3. *Apparuit Angelis.*

Tertiò Magnum est mysterium in hoc, quod apparuit: Angeli enim qui eum beata visione viderant Unigenitum Patris in cœlis, adorarunt Unigenitum Patris in nostra carne in terris, dum *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* 1. Viderunt eum in Nativitate, & adoratus est ab eis in præsepio, Deus infans, & laudibus honoratus. 2. Viderunt eum cum diabolo pugnantem in deserto. Unde post victoriam, *accesserunt & ministrabant ei.* 3. Viderunt & adfuerunt sæpius oranti, prædicanti, fatigato pro nobis. Unde dicitur: *Videbitis Angelos ascendentes & descendentes super filium hominis.* 4. Viderunt patientem pro nobis: unde in horto apparuit Angelus, & de tempore Passionis intelligi potest illud: *Angeli pacis amarè flebunt.* 5. Viderunt eum resurgentem, dum unus ad caput, alter ad pedes describitur apud Joannem. Viderunt quoque Angeli ascendentem, & deduxerunt triumphantem. Vides ergo quomodo Joan. 1. Mat. 4. 11. Joan. 1. 51. Isa. 33. 7. Joan. 20. 12. Actor. 1.

Digitized by Google

LECTIO II.

DE NECESSITATE INCARNATIONIS.

1. *Docet, Legem naturæ fuisse insufficientem ad salutem.*
2. *Legem Moysis fuisse etiam insufficientem.*
3. *Gratiam Christi fuisse necessariam.*

PROPOSITIO I.

Lex naturæ inscripta in cordibus non fuit sufficiens ad sanandam naturam corruptam, nec ad liberandam eam à peccato.

Incarnationis necessitas.

PRo explicatione nota: Deum nunquam reliquisse hominem sine luce & Duce, quo posset summum bonum attingere. Habuit homo post peccatum legem naturæ scriptam in cordibus, cum auxilio sufficienti, cujus ductum si sequeretur, finem suum attingeret: Sed adeò corrupta fuit natura per peccatum, ut concupiscentia, malitia, ignorantia invalescente, homines hanc legem obscuraverint, & in varia peccata corruerint.

Lex naturæ non fuit sufficiens ad salutem.

Nũ. c. 25 *Primò*, lapsi sunt in idololatriam, & quidem tantâ obscurati insipientiâ, ut ligna & lapides colerent, imò volucres, quadrupedes, serpentes, feles, crocodilos, allia, porros, pestem, febrem pro Diis coluerint, ut docet Augustinus.

August. in lib. de civ. Dei.

Secundò, lapsi sunt in carnalia vitia, gulam, crapulam aloriam & exindè in impudicitiam & carnis corruptionem. Undè de tempore Noe dicit Scriptura, quòd bibebant & comedebant, ventri & genio indulgebant, & carnis voluptates sectabantur; *omnis, caro corruperat viam suam*, adeò ut contagium hoc generali diluvio abluì necesse fuerit, in quo tantùm octo salvi facti sunt.

Gen. 6.12

V. Bozium l. 2. de sig. Eccl. c. 10.

In hæc vitia adhuc tempore Apostoli propensissimæ erant Gentes, & maximè Corinthii, apud quos colebatur *Corbys* dæmon, Præses effœminatorum & impudicorum, ut ait Suidas, & alii. Et Corinthi erat fanum Veneris, in quo erant plusquam mille filiæ Veneri dicatæ, & meretricio vacantes, tanquam sacris Deæ suæ, hoc opere eam colentes quasi obsequio sacro. Sic Ægyptii, Cyprii, & alii populi, templa sua habuere Veneri dicata, ubi filias suas prostituebant, & tanquam Deæ hujus sacrificas per hæc abominabilia sacra reputabant.

Jo. Caulus in op. moral. c. 6. 7. 8.

Rũ. 1. 2 6 *Tertiò*, lapsi sunt *in passiones ignominiæ*, ut loquitur Paulus, in libidines præposteras, pathicas, & pudendas, masculi in masculos, fœminæ in fœminas turpitudinem operantes quibus illi quoque, qui sapientes inter homines habiti sunt, fuere obnoxii: nam & Socrates & Plato hujus vitii notantur à Laertio, & alii plures. Hoc vitium ita invaluerat tempore Abrahæ, ut alterum velut diluvium ignis miserit Dominus super quinque Civitates, *quæ exfornicatæ abierant post carnem alteram*, ubi non fuêre decem inventi justi.

Jud. ep. v. 7.

Quarò, tanta fuit cæcitas obscurans legem naturæ, tantæ tenebræ everientes rectum ejus judicium, ut in omne genus peccati corruerint contra illam. Patet, quia Persæ matres, & filias, & sorores sibi matrimonio jungebant. Scytæ humanis carnibus vescebantur, & filios suos immolabant. Massagetæ cognatos senes comedebant. Hircani projiciebant senes suos avibus. Caspii canibus devorandos. Lacedæmonii furtum laudabant, quasi rem ingeniosam. Alii dabant conjuges hospitibus polluendas, in symbolum hospitii. Quanta scelera Chananæorum? Quales leges Platonis de non subveniendo valetudinariis, de licitè mentiendo, de occidendis infantibus, de communione uxorum: Lycurgus jubet legibus, hospites finibus pelli, pueros prostitui, fœminas licenter exponi. Hæc & plura Eusebius, Theodoretus & alii.

Videns ergò Deus legem naturæ scriptam in cordibus, non esse sufficientem contrà virus & corruptionem peccati, misit ad electum sibi populum Mosen Ducem, cui dedit Legem, cujus ductum sequeretur, salutem consequeretur: misit & postea varios Prophetas, qui eum reducerent ad veram veritatis & salutis viam, instructionibus, increpationibus, monitis, minis.

PROPOSITIO II.

Nec Lex Moysis corruptionem illam potuit sanare, aut hominem à peccato liberare.

Lex Moysis etiam insufficiens fuit.

HInc non obstante Lege, non obstante Moyse, Deoque tot beneficiis & prodigiis populum suum ex Ægypto educente, rebellis populus ad idololatriam sæpius defluxit. Adoraverunt vitulum conflatilem, quasi Deum, qui eos eduxisset de Ægypto. *Immolaverunt filios & filias suas Dæmoniis*, inquit Scriptura. Consecraverunt idolo Moloch pueros suos. Erat idolum illud æreum & concavum, habens velut brachia, quibus pueros idolo impositos complectebatur, interim ignis intus succendebatur, & puer ibi comburebatur. Sed ne parentes ejus ejulatu commoverentur, tympana circumsonabant. Undè locus ille dictus est *Taphath* à Tympano.

Exo. 32. 8. Psal. 105. Jer. 32. 35.

Ecce qualis cæcitas, qualis abominatio, etiam post legem! Sed & alia vitia in populo Israel invaluerunt, & maximè fornicatio cum alienigenis. Quam multa millia perierunt fornicantium cum filiabus Moab? Quam abominabile quoque scelus Benjamitarum circa uxorem Levitæ, ut totâ nocte ea miris modis abuterentur, ita ut manè ad limen hospitii ceciderit mortua & maritus ejus cadaver in duodecim partes secans, misent ad omnes tribus Israel partem, inclamans vindictam. Quid plura? Dicit Psalm. de populo Dei: *Infecta est terra in sanguinibus eorum, & contaminata est in operibus eorum*, &c. Et Moyses moriens invocat contra eos cœlum & terram. Neque verò Prophetæ specialiter missi ad correctionem populi, eos ab errorum tramite & veram veritatis viam potuerunt traducere,

Num. 25. Jud. 19. Psal. 105. Deut. 4. 26.

Digitized by Google

& naturæ per peccatum deprauatæ corruptionem ſanare. Undè conqueritur Iſaias: *A planta pedis uſq; ad verticem capitis non eſſe ſanitatem*; hoc eſt, à primoribus uſque ad viliſſimum de plebe, omnes eſſe peccato corruptos, *Va, inquit genti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis, dereliquerunt Dominum, blaſphemaverunt ſanctum Iſrael.* Iſa. 1. 6. Ibid. 4.

Elias quoque conqueritur, quaſi relictus ſolus omnibus ſequentibus Deum Baal. Et Jerem. *Major eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum.* Undè & auſi ſunt clamare Prophetæ ad populum Iſraël: *Audite Principes Sodomorum, populus Gomorrha.* Oſee clamabat ſuo tempore crimina inundaſſe: *Non eſt*, ait, *veritas, non eſt ſcientia Dei in terra. Maledictum, mendacium, homicidium, furtum, inundaverunt, & ſanguis ſanguinem tetigit.* Similia apud alios Prophetas reperies. Denique ſi tempora Chriſto proxima reſpiciamus, non ſolum idololatria, crapula, pæderaſtia, & libido præpoſtera; ſed & ſacrilegium regnabat, adeò ut venale eſſet ſummum Sacerdotium. Thren. 4. 6. Iſa. 1. 10. Oſe. 4. 1.

PROPOSITIO III.

Neceſſarium ergò fuit Chriſtum venire, ſine cujus gratia & redemptione, non poterat homo à peccato liberari.

Gratia Chriſti fuit neceſſaria. S. Auguſt. tract. 44. in Joan.

NIſi ille fuiſſet miſſus, nemo noſtrum fuiſſet ab iniquitate dimiſſus. Undè ſæpè Apoſtolus inculcat, non debere Judæos in lege gloriari, quia non fuit ſufficiens eos juſtificare, aut vivificare, ad Rom. epiſt. tota.

Vis figuram horum omnium? Attende illam in facto Eliæi, Rogatus ut puerum mortuum ad vitam revocaret, mittit prius famulum cum baculo, ut illum poneret ſuper infantem mortuum; ſed nec famulus profuit, nec baculus. Accedere debuit ipſe; vide quid fecerit. *Incubuit ſuper puerum, poſuit os ſuper os, oculos ſuper oculos, manus ſuper manus,* (contrahens ſe in formam pueri,) *& calefacta eſt caro, & oſtiavit ſepties, & revixit puer.* Ecce figura 1. attende nunc veritatem. Miſit Deus Moyſen & alios Prophetas cum baculo, id eſt, cum lege; ſed nec ipſi, nec lex hominem potuerunt à morte peccati liberare. Neceſſe ergò fuit, ut accederet ipſe, & incurvaret ſe per aſſumptionem noſtræ naturæ, & contraheret ſe per modum pueri in Incarnatione, non ſolum incumbens ſuper puerum mortuum, ſed ejus etiam naturam, manus, brachia, os, animam aſſumens, & ſic nobis reddidit ſpiritum vitæ, & ſeptem dona Spiritus Sancti, quæ ſignificantur in oſcitatione ſeptemplici pueri. Ubi etiam non eſt otioſa illa circumſtantia, quod incumbens ſuper puerum, oſtium clauſerit, ut à nemine videretur. Sicut enim nemo vidit, quomodò tam aptè ſiliſæus vir magnus, ad formam pueri contrahere ſe potuerit: Ita nemo poteſt ſatis intelligere, quomodò Filius Dei adeò ſublimis & celſus, naturæ noſtræ potuerit ſic uniri, ſic coaptari, ſic humiliari; quomodò mortalis fieri, qui erat immortalis, paſſibilis, qui erat impaſſibilis, infans, qui erat Deus. In his omnibus myſterium grande eſt, clauſum oſtium, non eſt neceſſe nos videre, ſed credere.

Habemus etiam aliam figuram in illo ſigno, quod datur Ezechiæ. Huic cum morti vicinus eſſet, ſignum ſanitatis recuperandæ datur Sol retrogrediens. *Et receſſit Sol*, inquit Scriptura, *in horologio Achaz per decem gradus.* Similiter ergò, ut homo a graviſſima peccati infirmitate reſurgeret, neceſſe fuit, ut Sol Juſtitiæ per novem Angelorum choros, quaſi per gradus novem, uſque ad decimum, hoc eſt, uſque ad humanam naturam retrocederet, circumvelans ſe humanâ carne, velut nube contemperata de virgineo vapore, Spiritus Sancti opera. Non ergò ſine myſterio fuit, quod cùm Ezechiæ Regi proponeretur. *Viſne ut Sol aſcendat aut deſcendat?* Ipſe elegerit, ut deſcenderet Sol, tanquam ſibi ſanitatis ſignum. 4. Reg. 20

In lege veteri tot oblata ſacrificia, tot victimæ, tot ſanguinis fluenta, tot leges, tot expiationes legales peccatum eluere non potuerunt. Undè neceſſe fuit Chriſtum venire, qui ſeipſum in Sacrificium Patri offerret & ſanguinem ſuum in pretium. Propterea introducitur loquens ad Patrem: *Sacrificium & oblationem noluiſti: aures autem perfeciſti mihi.* Senſus eſt: Obedientem me tibi feciſti, & aures tibi præbentem in ſignum obedientiæ, & hoc quidem in aſſumpta humanitate. Undè Apoſtolus legit: *Corpus autem aptaſti mihi. Tunc dixi: Ecce venio,* meipſum tibi in holocauſtum offerens, corpus, animam, ſanguinem, vitam tibi ſacrificans. Pſal. 39. Heb. 10. 5 juxtà 70.

Dicit Dominus ad Joſuæ: *Moyſes ſervus meus mortuus eſt: Surge, & tranſi Jordanem iſtum tu & omnis populus tecum, in terram quam ego dabo filiis Iſrael, omnem locum quem calcaverit veſtigium pedis veſtri, vobis tradam, nullus poterit reſiſtere.* Joſuæ interpretatur Salvator, & ſignificat Chriſtum. Sicut ille introduxit populum in terram promiſſionis debellato Amalech, & diviſit eis terram in funiculo diſtributionis: Sic & Chriſtus venit, ut diabolum debellaret, & populum Chriſtianum quotidiè per Baptiſmum introducit intrà Eccleſiam, & tandem introducet in gloriam. Non potuit ergò Moyſes introducere, ideò Pater ait ad Filium: *Moyſes ſervus meus mortuus eſt.* Evacuatæ ſunt cæremoniæ legis, ſurge ergò de ſinu Patris, mundo per carnem apparе, ad expugnandos dæmones: *Et tranſi Jordanem iſtum*, hoc eſt, bibe de torrente Paſſionis tuæ; *& omnis populus tecum*, quia quâ viâ præceſſit caput, debent & membra ſequi, debent milites ſequi Ducem. *Et vade in terram quam promiſi.* Hæc eſt terra viventium, cujus latitudo & ſpacioſitas, quæ ibi deſcribitur, ſignificat gloriæ cœleſtis immenſitatem, ad quam aſcendit Chriſtus, & nos per mortem ſequemur; ad quam, nec lex, nec Prophetæ; nec Moyſes, potuit deducere, ſed ſolus Filius Dei. Joſue 1. 2

LECTIO

LECTIO III.

DE CAUSA INCARNATIONIS.

Primò docet non fore Incarnationem, nisi fuisset peccatum.

2. Convenienter secundam Personam incarnatam.

3. Dilectionē Dei causam fuisse Incarnationis.

PROPOSITIO. I.

Nisi peccatum fuisset, Filius Dei carnem non assumpsisset.

Incarnationis causa. Incarnatus non esset Filius Dei nisi fuisset peccatum.

HÆc est celebris quæstio inter Theologos: Aliqui enim distinguunt de carne passibili & impassibili, & dicunt, etiamsi homo non peccaret, venturum Filium Dei, non quidem in carne mortali & passibili, sed in immortali & impassibili; quia tunc non veniret ad patiendum pro nobis, aut satisfaciendum, sed tanquam Caput omnium electorum, & tanquam gloriæ consummator. Dicuntque hi, hoc Mysterium prærordinatum fuisse ab æterno, ante prævisionem peccati, quoad substantiam scilicet, & cum spectaret ad perfectionem, tum hominis, tum totius universi, unio naturæ humanæ cum divina; facta illa fuisset, etiam homine non peccante.

D. Thō. 3. p. q. 1. art. 3.

Verum nostra Propositio conformior est Scripturis & Patribus, quam tradit D. Thomas, & plures Theologi. Scriptura enim, cùm loquitur de Incarnatione, ejus velut unicam causam assignat nostram à peccato liberationem: *Venit salvum facere, quod perierat. Non veni vocare justos, sed peccatores*, inquit Christus. Attende Parabolam Ovium & Pastoris, centesimam aberrantem quærentis. Illa parabola significat filium Dei, Pastorem illum animarum, non descensurum ad nos, nisi aberraßemus tanquam oves: Sicut Pastor nunquam relinqueret oves nonaginta novem in deserto, nisi una periisset. Undè & in Symbolo dicimus: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis.*

Luc. 19. 10. Matt. 9. 13 Luc. 15. 4.

2. Figura in Joseph. Gen. 37.

Attende in Joseph parvulo hujus rei figuram. Quænam causa fuit, ut Jacob mitteret filium suum dilectum Joseph, cum tunica polymita in agrum; nisi ut fratres quæreret & erraticos Patris sui greges? Quæ alia causa fuit, ut Pater mitteret Filium suum dilectum, vestitum humanâ naturâ, virtutibus aliisque donis ornata, tanquam coloribus diversis; nisi ut fratres quærat & greges Patris, eosque ad Patrem reducat? *Si enim interoges eum, quid agat, tot itinera diversa peragens in hoc mundo?* respondebit: *Quæro fratres meos, & Patris mei greges.* Quærebat fratres suos Judæos, sed recesserant de loco, in quo se debebant continere, de observantia mandatorum & legis. Quærebat Sacerdotes, Pastores, & Ministros in templo, sed indè recesserant, nec inveniebantur veri Doctores zelantes legem & animarum salutem. Circuibat castella; quærebat fratres qui in eum credituri erant. Invenit tandem greges Patris sui in *Dothain*, (idem significat quod *Angustia*) in Monte Calvariæ: sed ibi ab eis denudatur, venditur, in sanguinem ejus conspiratur, & tunica ejus non in sanguine hædi, sed in sanguine Agni, in sanguine proprio immergitur, ut Patri æterno nobis præsentetur. *Estne hæc tunica filii tui, ô Pater!* Utique est, agnosce eam, non alieno, sed ipsius sanguine tinctam; & commoveat viscera tua super nos, pro quibus tibi offertur, pro pro quibus etiam sanguis ille effunditur.

S. Athan. serm. 1. contra Arian. Augustin. serm. 8. de verbis Apostol. D. Leo ser. 3. de Pentec. Nazianz. Orat. 4. de Theol. *2. Figura de servitute Ægyptica.* Exod. 3.

Veterum quoque Patrum authoritas confirmat Propositionem hanc. Undè dicit Athanasius: *Ut fieret Deus homo, nunquàm destinatum fuisset, nisi necessitas hominum hujus rei causam præbuisset.* Et diserte dicit Augustin. *Si homo non periisset, Filius hominis non venisset.* Sic D. Leo: *Si homo ad imaginem Dei factus in sua natura honore mansisset, Creator Creatura non fieret.* Et Nazianz. *Qua humanitatis à Deo suscipiendæ causa? Profectò ut salus nobis pararetur. Quid enim aliud causa afferri potest?* Sancti ergò Patres non solum videntur agnoscere hanc causam, sed etiam aliam excludere.

Iterum hujus rei habes significationem in figura Exodi tertio, ubi dicit Dominus ad Moysen? *Vidi afflictionem populi mei, qui est in Ægypto, & clamorem ejus; sed veni, mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum.* Illa temporalis liberatio filiorum Israel per manum Moysis, figura erat futuræ liberationis omnium hominum per manum Filii Dei. Dicit ergò Pater: Consideravi oculo misericordiæ & pietatis, afflictionem spiritualem electorum in Ægypto, sive mundo tenebroso, & in servitute dæmonis; & audivi clamorem ejus, quo petit auxilium & liberationem. Veni ergò, ait ad filium, & mittam te, ut debelles Pharaonem, sivè dæmonem, & educas populum meum in terram lacte & melle manantem. In verbis dictis indicantur plures causæ Dominicæ Incarnationis Prima: Summa Patris charitas ad nos, dum dicit: *Vidi*, oculo nimirum pietatis.

Secunda hominum necessitas, dum dicit: *Afflictionem populi mei.* Ante adventum enim Filii Dei, omnes eramus in damnatione & servitute, à qua nos liberavit; ita ut possimus illi dicere: *Salvasti de necessitatibus animam meam.*

Tertia: Sanctorum Patrum deprecatio assidua, in his verbis. & *clamorem ejus*, q. d. cujuslibet clamantis ad me de illa servitute, signavi clamorem, ne inanis foret. Aliqui clamabant: *Numquid obliviscetur misereri Deus*, Alii, *Numquid in æternum irascetur nobis?* Clamaverunt ergò ad Dominum, *& de necessitatibus eorum liberavit eos, & eduxit eos de tenebris & umbra mortis, & vincula eorum disrupit*, quibus dæmon eos alligârat.

Quarta, dæmonum crudelitas in his verbis: *Propter duritiem eorum, qui præsunt operibus.* Propter duri-

Digitized by Google

duritiem scilicèt dæmonum mundo præsidentium, & crudeliter ipsum tractantium, dum faciunt homines in luto & latere, & stipulis colligendis labomre, hoc est, in sordidis operibus & peccatis ; colligendo quoque paleam, qua comburantur in igne æterno. Undè de quolibet maligno spiritu verum est: *Crudelis est, & non miserebitur.*

Quinta, Patris æterna ordinatio in his verbis; *Veni mittam te.* Nam ab æterno prævidens humani generis ruinam, simul prævidit remedium, & ordinavit Incarnationem Filii Dei, sed post prævisionem ruinæ & peccati: Hinc solvuntur quæstiones illæ curiosæ.

1. Cur præcepit Deus Adamo de ligno non edere, sciens ipsum transgredi debere? 2. Cur posuit eum in Paradiso, procam brevi tempore? 3. Cur permisit eum tentari, sciens tantam ruinam ex ejus casu & tentatione?

Ratio licet occulta, non potest tamen esse injusta; Deus enim mala non permitteret, nisi sciret de malis bona elicere, quasi de veneficio beneficium, *mel de petra, oleumq; de saxo durissimo.* Et sicut apis argumentosa, de floribus venenatis novit Deus succum suavitatis exsugere. Sic non permisisset venditionem justi Joseph, ejusque dirum carcerem, nisi quia per illa ordinaverat promovere ejus in Ægypto exaltationem. Vide ergò quantum bonum de peccato Adæ voluit Deus elicere. Nempè Filii sui Incarnationem, mysteriorum mysterium, in quo elucent primariæ perfectiones Dei, Bonitas, Potentia, Sapientia, Justitia. Bonitas, quia non despexit proprii plasmatis infirmitatem. Potentia, quia nihil est majus, quam Deum fieri hominem. Sapientia, quia difficillimi pretii sapientissimam invenit solutionem. Justitia, quia non eripuit vi ex morte hominem, sed per eandem naturam quæ victa erat, & per eandem viam, qua dæmon vicerat, ipse vicit eum.

Deut. 32. 33.

Ergò ex peccato Adæ & dæmonis tentatione, hoc quoque magnum bonum elicuit, ipsius scilicet dæmonis victi confusionem, ut non mirum sit, quod eam tentationem permiserit Deus. Undè de dæmone verificatur, quod ad Sennacherib dicitur: *Ponam circulum in naribus tuis, & reducã te in viam per quam venisti.* Si enim Adam primum supplantasti, secundum Adam ergo, te supplantantem: Si per Evam fœminam inobedientem vicisti, illam efficiens mortis nunciam, filiorum peremptricem; ego alteram Evam propono, vitæ nunciam, omnium viventium matrem: Si per arborem & cibum vicisti, ego arborem alteram vitæ erigo, & cibum vitalem contra te instituo: Si divinam similitudinem homini proposuisti, ut eum è dignitate sua dejiceres, dicens: *Eritis sicut Dii*, ego illam verè exhibebo similitudinem, ut hominem mihi similem reddam, ejus induens naturam factus homo. Ita nimirum acuisti gladium in jugulum tuum, ô Sathan! in tuo patibulo pendebis, ô Aman! Tuo gladio confodieris, ô Holofernes! Tua triumphea detruncaberis ô Goliath.

4. Reg. 19. 28.

Existimant Bernardus, Basilius, Georgius, & alii, quod Lucifero & Angelis Christus fuerit propositus adorandus, tanquam Rex & Dominus; & quod ob superbiam noluerint, quasi indignum foret Angelum homini se subdere; dicuntq; invidiam concepisse contra hominem, quod ad dignitatem elevaretur, neglecta angelica natura, & hoc putant fuisse illorum peccatum. Quam sententiam existimant habere fundamentum in verbis Apostoli: *Et cum iterùm introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Adorent eum omnes Angeli Dei.* Ex quo loco colligunt, quod adhuc semel fuerit propositus Angelis adorandus Christus: Et hoc dicunt fuisse in cœlo, quandò illis revelatum fuit, ac propositum mysterium Incarnationis priusquàm illa (decreta tamen in ordinatione divina) executioni mandaretur. Et iterum in Nativitate Christi, cum illud mysterium propalatum est mundo. In prima introductione transgressus est Lucifer præceptum hoc ex superbia & invidia: indignè ferens ex consideratione suæ perfectionis, inferiorem creaturam sibi anteponi: ideò in superbiam elatus, sibi inordinatè appetivit illam excellentiam; eamque Christi humanitati & humano generi invidit. Quare ubi se vidit dejectum Lucifer, omni ratione tentavit hominem ad peccatum inducere, & humanam naturam peccato inficere, ut eam dedignaretur Filius Dei assumere: sed ipsum ejus consilium in perniciem ipsius vertit Deus. Nam peccatum præcipua causa fuit, cur naturam humanam assumeret Deus, ut elueret illud, ipsumque peccatum, ut miseria maxima consideratum occasio fuit maximæ misericordiæ Filii Dei per Incarnationem.

Bernard. ser. 7. in Cant. & ser. 2. de Adventu. Basil. ser. de invidia Greg. 3. p. curæ past. admonit. 11. Heb. 2. 6.

Ergò consilium ejus pessimum in ejus caput recidit ac redundavit, & per fraudem suam sibi mortem dæmon creavit, quia ex ipsius veneno salutiferum est ortum remedium: *Ars ut artem fallerat, & medelam ferret, hostis unde laserat.*

PROPOSITIO II.

Licet non fuerit magis necessarium unam, quàm alteram personam incarnari; convenientissimum tamen fuit per filium secundum in Trinitate Personam redemptionem fieri.

Explico.

Secunda Persona in Trinitate convenienter fuit incarnata.

POterat Pater æquè ac Filius carnem sumere & mundum redimere, poterat & Spiritus Sanctus sed convenienter tamen missus est ad id Filius. Quod in Figura significatum videtur in persona Isaiæ, ubi dicitur: *Quem mittam? Et quis ibit nobis?* Et respondetur: *Ecce ego, mitte me.* Hoc de Christo intelligi potest, ut sit sensus: Audivi vocem Domini, dicentis: *Quem mittam? Et quis ibit nobis*, ad genus humanum redimendum? Respondet Filius: *Ecce ego, mitte me*, paratus sum ad obediendum, quandoquidem aliter salvari non potest genus humanum

Isa. 6. 8.

Digitized by Google

manum: paratus sum carnem suscipere, & crucem & mortem. *In capite libri scriptum est de me ut facerem voluntatem: Ecce venio.*

In hoc autem quod dicit, *Quem mittam?* & non quem mittemus; significatur divinæ substantiæ unitas. Et cum subdit: *Et quis ibit nobis?* Pluralitas Personarum, ut notat Glossa, dicens significari Filii à Patre missionem. Cùm autem dicit: *Quem mittam?* non quærit ex ignorantia, sed more nostro consultationem proponit, ad convenientius concludendum Incarnationis mysterium. Sic interrogat: *Adam ubi es?* Ut ex ejus responsione eum convenientius argueret de transgressione. Dixit ergo Pater: *Vade, & dices populo huic* Judaico obstinato: *Audite audientes & nolite intelligere,* hoc est: Audietis Christum prædicantem, & noletis intelligere? videbitis visionem, hoc est, Christum corporaliter & noletis agnoscere eum verum Deum. Prædicit ergò obstinationem populi Propheta. Unde sequitur: *Excæca cor populi hujus*; hoc est, prædic excœcandum. Hanc Scripturam allegat Paulus tanquam impletam tempore Christi.

Si quæras rationes, cur convenientius fuerit, Filium incarnari & nos redimere, quam alias personas, variæ sunt.

Prima, quia finis Incarnationis est implexio prædestinationis, eorum scilicet qui prædordinati sunt ad hæreditatem cœlestem, quæ non debetur nisi filiis. Congruum ergò fuit: ut per eum qui est filius naturalis, participarent similitudinem hujus filiationis per adoptionem, conformes facti imaginis filiis adoptivi reducerentur. Hæc est D. Thomæ.

Secunda, quia homo per verbum est factus (est enim Verbum exemplar & sapientia per quam facta sunt omnia) decuit ergò ut per eandem sapientiam incarnatam omnia restaurarentur, & ad excellentiorem dignitatem promoverentur, juxta illud ad Ephes. *Proposuit Pater in ipso restaurare omnia, sive quæ in cœlis, sive quæ in terris.* Nam solet & artifex per primum conceptum suum & exemplar in mente, restaurare opus suum. Hæc est D. Damasceni.

Tertia sumitur ex parte primi parentis & peccati ejus, cui per Incarnationem remedium adhibendum erat. Peccat enim primus homo appetendo scientiam boni & mali, quam promiserat serpens. Unde conveniens fuit, ut per verbum veræ Sapientiæ, per illum in quo thesauri scientiæ sunt reconditi, homo reduceretur in Deum; qui per inordinatum, appetitum scientiæ, recesserat à Deo. Occasionem ergò ruinæ dederat appetitus scientiæ & similitudinis Dei quæ spectat ad Filium; ideò Filius venit, ut illam ruinam repararet, quasi dicens cum Jona: *Si propter me orta est tempestas, mittite me in mare.* Hæc est D. Bernardi.

Quarta, homo ad imaginem Dei conditus erat, hanc imaginem ipse deformarat, imaginem peccati superinducens: Verbum ergò quod imago est Patris, Caro factum est, ut imagini imago succurreret, primitivumque decorem veluti sigillo iterum impresso revocaret. Hæc est D. Ambrosii. *Verbum Dei ad eum qui est ad imaginem, id est, ad hominem venit; & quærit imago eum qui est ad imaginem sui, ut iterum signet, iterum conformet.* Ambr. in Psal. 118.

Quinta est Augustini. Assumpsit carnem, inquit, ut qui erat in divinitate Dei Filius, fieret in humanitate filius hominis, ne filii nomen ad alterum transiret, qui non esset æterna nativitate filius; non enim decebat alium esse Mariæ Filium in terris, alium æterni Patris in cœlis. August. li. de Eccles. dog. tom. 3.

PROPOSITIO III.

Magna fuit erga nos dilectio Patris mittentis Filium.

Incarnationis causa est dilectio Dei.

HInc dicit D. Anselmus. *Quid misericordius valet intelligi, quam quod peccatori æternis tormentis deputato, & unde se redimeret non habenti, dixit Pater: Accipe Unigenitum meum, & da pro te. & Filius dixit, tolle me, & redime te.* Hanc etiam dilectionem inculcat sæpius Scriptura & specialiter Joan. 3. *Sic Deus Dilexit mundum, ut Unigenitum Filium suum daret, &c.* Ubi singula verba habent emphasim & pondus. Lib. 2. cur Deus homo ex August. Joan. 3. 19

Primò illa vox *Sic.* q. d. tam fideliter, tam sine modo & termino, tam infinitè dilexit; Ponderandum enim ibi, quis diligit, quem diligit, quomodò diligat, & finis ob quem diligat, ex his enim omnibus consideratis amor crescit. Undique enim amor ille infinitus est; Dei utique amor est, ergo in se infinitus donum quoque quod dat per amorem infinitum est, & finis ob quem diligit infinitus est, gloria scilicet æterna, quæ significatur in illis verbis, *ut salvetur mundus.*

Secundò emphasim habet vox illa, *Deus*, non enim patum est quod ille diligat, qui Deus est, qui infinitus est; qui infinitè beatus est, qui in nullo eget suis creaturis, qui non propter se amat, sed propter te, ut amando te ad se adducat, qui ab æterno amat, & amat, & in æternum amat: *In Charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te, miserans* tui. Jerem. 31.

Tertiò habet emphasim vox illa, *Mundum*, non Angelos, non justos, non creaturas sibi servientes dicit se dilexisse sed mundum sibi rebellem. Cùm enim inimici essemus, dilexit nos & reconciliavit nos in unigenito Filio suo, in quo commendat suam charitatem, inquit Apostolus. Dilexit ergo mundum, ut ex immundo faceret mundum, dilexit fœdum, ut faceret pulchrum; dilexit impium, ut faceret pium; dilexit sceleratum, ut faceret beatum; dilexit captivum, ut liberaret; dilexit ægrum ut sanaret; dilexit perditum, ut reficeret, dilexit mortuum, ut vitam sempiternam ei donaret. Rom. 5. 8.

Sic dilexit mundum, sicut si Regis servus febribus æstuans non posset sanari, nisi balneo & sanguine filii hæredis unici; & Rex filium traderet, ut sanguis ejus exhauriretur, filio vita privato. Hæc nimirum est mira dilectio, ut servum redimeres, filium tradidisti. Et tamen hoc tantum beneficium non mollit adhuc cor hominis durum, nec tanto

Dei

Dei amore, nec tali amoris artificio, nec ſanguine agni mollitur cor adamante durius, de quo aliquandò ſic luſimus:

Cor ſilicem ſuperans, arti dum cedere neſcis:
Cor ſine corde amens, non animans, nec amans.
O Adamas, Adamas! Tali præventus amore,
Quin adamantem adamas, fomes amoris amor.

Quartò habet emphatin illud: *Vnigenitum ſuum daret*: non enim ſat fuit ei dediſſe cœlum, mundum, Angelos, imaginem ſuam, omnesque creaturas, homini in obſequium: unicum habebat ſibi coæqualem, ex ſubſtantia ſua genitum, & illum dedit. *Dedit*, non vendidit, quia nullum erat pretium, quod pro illo daret homo; dedit purè, quia non ob meritum alicujus creaturæ, ſed ex pura ſua voluntate.

Quintò, adverte, *quomodò dedit?* Totum dedit, ut illo frueremur ad omnes neceſſitates. Vidit ignorantiam noſtram, dedit eum Doctorem: Vidit vitam noſtram, quaſi militiam eſſe, dedit eum Ducem: Vidit captivitatem noſtram, ipſum dedit & pretium & Redemptorem: Vidit infirmitatem, & Ipſum dedit medicum, medalem, ſalutem: Dedit eum quoque ut cibum ad noſtrum refrigerium, nec amor finem habebit, donec dabit eum ut præmium. Vides ergò quomodò pondus habet vox illa, *dedit*, vox *filium*, vox *unigenitum*.

Geneſ. 22. 2. *Figura Chriſti à Deo oblati, ſuis Iſaac.*

Hoc tibi magis pateſcet in exemplo Abrahæ, cui dicitur: *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac & offer in holocauſtum.* Figuram gerebat Iſaac Filii Dei, qui debebat dari & offerri; & amor Abrahæ filium ſacrificantis, figuram amoris æterni Patris. Mira fuit probatio amoris Abrahæ ergà Deum, dum jubetur filium ſacrificare, ſed major probatio amoris ergà hominem in Patre filium ſuum nobis donante. Videamus particularius ſinguta. Ad Abraham dicitur. 1. *Tolle filium tuum.* Mira hic amoris probatio, quia res maximè difficilis; amor enim patris in filios adeò ſtrictus eſt, ut patres mori cupiant ante filios, imò pro ipſis, ſicut David pro Abſalon: & tamen dicitur ei, *Tolle filium*, non mancipium aliquod; ſed prolem propriam de tua ſubſtantia. 2. Additur *Vnigenitum*: Si plures forent, non ita res eſſet difficilis, ſed in unico magna eſt probatio ſi offerre oporteat. 3. Additur: *Quem diligis*, non enim ſolum erat filius unicus, ſed etiam ſummè amatus, quia in ſenectute genitus, quia tanto tempore deſideratus, quia virtutes ejus amorem merebantur, quia in ipſo promiſſa erat poſteritas. 4. Dicitur, *Tolle Iſaac*, quod ſignificat riſum; dum jubetur ſacrificari, ei rememoratur nomen illud, ut ſignificetur omnem ſibi occaſionem gaudii ſuccidere, omnem ſpem & oblectationem, & omnia extingui cum filio. 5. Dicitur, *Offeres*, ubi dolorem auget ſenis, quod propriâ manu jubeatur ſacrificare: nec in illa regione moris erat ſacrificare infantes; ipſe ergò debebat primus author eſſe novi & extraordinarii exempli. 6. Additur, *In holocauſtum*, in quo totum corpus comburere oportebat, uſque ad cineres; nec ergo vel os minimum in memoriam poterat reſervari, & hoc erat novi doloris. Annon hæc omnia mirè pungunt cor paternum? Interim ſtatim obedit, vadit cum filio, gladio & igne, argumentum admirabile amoris erga Deum exhibens.

Sed longè majus teſtimonium habemus amoris Dei erga nos, donantis & immolantis filium unigenitum, ſi rem æqua lance ponderemus. *Primò* id non facit Abraham, niſi mandato Dei: Deus propriò motu ex ſolo amoris motivo. *Secundò*, ſi compares unigenitum Abrahæ cum unigenito Dei, quanta eſt differentia? Sicut & differentia eſt inter donantes, Abraham & Deum. Donum ergo majus eſt, & quia à majori perſona donatur & quia hoc donum in ſe etiam infinitè ſuperat alterum. *Tertiò*, Filius eadem eſt ſubſtantia numero cum Patre ergo dans Filium, dat ſuam ſubſtantiam & eſſentiam, eandem ſecum numero, quod non reperitur in filio Abrahæ. *Quartò*, ſi Iſaac amatur à Patre, quantò magis Chriſtus, de quo dicitur: *Hic eſt Filius meus dilectus, &c. Vltimò*, realiter Chriſtus & in effectu offertur, Iſaac ſola voluntate. Mat. 3. 17. & c. 17. 5.

LECTIO IV.

DE PERFECTA SATISFACTIONE CHRISTI.

1. *Decet cur potius hominem liberarit quam Angelum.*
2. *Nullum præter Chriſtum potuiſſe ſatisfacere pro peccato.* — *Chriſti perfecta ſatisfactio.*
3. *Chriſtum perfectè ſatisfeciſſe.*

PROPOSITIO I.

Poterat Deus naturam humanam relinquere in maſſa damnationis ſicut & Angelicam, poterat & Angelicam liberare, ſicut & humanam. — *Chriſtus hominem potius liberavit, quam Angelum.*

Explicatio.

DUas habebat nobiles creaturas Deus capaces beatitudinis, Angelum & hominem; & utrique douis gratiæ in creatione & variis beneficiis ornatus fuerat. Peccavit Angelus in cœlo, peccavit homo in Paradiſo, poſt tot dona; utrobique gravis ingratitudo; uterque ſervus fugitivus: interim Deus unum quærit, & ſibi novo fœdere jungit & reducit; alterum æterno præcipitio collidit, æternis flammis addicit. Cur potius hunc, quam illum reparat, & ſtatui gratiæ reſtituit? Nunquid poterat naturam Angelicam aſſumere, & illam ſtatim à peccato reducere? Cur non facit? Poterat & hominem relinquere, cur non relinquit? Hæc ſpectant ad inveſtigabilia judicia Dei, de quibus Apoſtolus. *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt* Rom. 11. 33.

Digitized by Google

sum? judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Possumus quæ sit hæc illa ad ut. Rom. 9. 21. *Annon habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Ex auro lutum factum fuerat, utraque natura peccans; potuit ergo pro sua voluntate, de illa Deus disponere. Angelum itaque peccantem præcipitat. O abyssus judiciorum! Hominem peccantem reducit, & sibi unit. O altitudo misericordiæ! Ps. 100. 1. *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine:* Misericordiam erga hominem, judicium erga Angelum: *Nusquam enim Angelos apprehendit, semen Abrahæ apprehendit.* Hebr. 2. 16. *Rectius est homo primus reemptus, quam Angelus.* August. Enchir. c. 29. Magist. in 2. dist. 21. Bernard. serm. 1. de Adventu. S. Gregor. l. 4. moral. c. 9.

Sunt tamen aliquæ rationes congruentiæ, cur potius hominem reparârit Deus, quam Angelum.

Prima est Augustini. Quia minor pars Angelorum cecidit & periit; at verò tota humana natura erat in damnationis massa: quia Adam in se tanquam radice totam infecerat progeniem, & cum defertoribus Angelis æterno supplicio reddiderat obnoxiam. Sic ergò periret ex toto, nobilis illa creatura gloriæ capax, & ad illam ordinata, cujus gratia cuncta creata erant.

Secunda est D. Bernardi: Quia Angeli omnes propria voluntate peccaverunt; homines verò unius voluntate quasi aliena. Docuit ergò, ut etiam unius beneficio liberarentur, & ei, quem aliena supplantaverat malitia, charitas etiam prodesset aliena. Et homo minore malitia peccarat, quia infirmior. Unde humana natura imbecillior Angelica, eò magis Divinam provocat misericordiam; & Deus illius miserando, eò magis Divinam benignitatem suam manifestat. Unde dicit Bernardus: *Domine obsecro, complaceat tibi, ut eruas me, quoniam infirmus sum, quoniam de terra mea furtim sublatus sum, & hic innocens, in lacum missus sum; non penitus quidem innocens, sed quantum ad eum, qui me seduxit, aliquatenus innocens.*

Tertia est D. Leonis. Decuit enim Deum redimere hominem, ne gloriaretur dæmon quodammodò se vicisse contra Deum, & expleviss desiderium invidiæ suæ, dum homo non assequitur gloriam, quam perdiderat dæmon, & quam ipse ei summè invidebat. Sicut enim Jacob tulit primogenita Esau, & in benedictionem ejus successit, unde semper invidebat ei: Ita homo primogenita dæmonis hæreditavit, hoc est, gratiam, & virtutes ac dona, cum quibus primogenitus fuit & creatus a Deo, illo peccante ablata sunt & data homini: & ejus benedictionem hæreditavit, cœlestium scilicet donorum promissionem & gloriam, quam dæmon habiturus erat, si perseverasset. Hanc ergò gloriam non debuit perdere fraude & invidia diaboli. Hinc D. Leo: *Quia gloriabatur diabolus, sua fraude deceptum hominem, divinis caruisse muneribus, & immortalitatis dote nudatum, mortis sententiam subisse, & se in malis quoddam deprævaricatoris consortio invenisse, planum; opus fuit secreti consilio, ne homo diabolica iniquitatis versutia actus in culpam, contra Dei propositum non periret.* Sed & supra diximus, quomodo fraus dæmonis in ejus caput redundarit. Ser. 2. de Nativit.

Quarta est Theologorum: quia homo est flexibilis voluntatis & arbitrii, & longum tempus vitæ habet, in quo possit pœnitere; Angeli verò voluntas quodammodò inflexibilis est, & natura sua requirit viam brevissimam, ut ad terminum perveniat. Hanc etiam rationem insinuat D. Bernard. dum ait: *Noverat Deus, nullam Angelis patere viam redeundi, quia superbus est Moab, superbus est valdè, & superbia ejus pœnitentiæ remedium non admittit, ac per hoc, nec venia.* Ubi sub nomine *Moab* dæmones superbos intelligit. Hinc de illis verum est illud Job: *Cor ejus indurabitur quasi lapis, & stringetur quasi malleatoris incus.* Sicut incus, quò magis a fabro percutitur, hoc magis intra se compacta roboratur & induratur: ita voluntas diaboli obfirmatur magis in peccato, quò magis a Deo punitur, nec flammis, nec pœnis percussa mollitur. Unde etiam diaboli dicuntur obstinati in peccato: *Nam perseverare in peccato, diabolicum est*, ait Bernardus, *& digni sunt perire cum illo, qui ad similitudinem ejus permanent in peccato.* De dæmonibus verum est: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*, tanquam fumus putei, in quem ceciderunt. Ergò jam ab initio inflexibiles sunt, & nunquam volent Deo subjici. Immò ob hanc superbiam, non possunt ferre illum versum ex Cant. Moysis: *Deum qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Dei Creatoris tui.* Hoc sæpè experientia docuit, de quo sic narrat Thomas Cantiprat. Lect. 2. propos. 1. circa finem. Suarez 3. p. q. 1. Theol. 1. p. q. 63. & 64. Bern. ser. 1. de Adventu. Job. 41. V. Lessium de perfect. div. lib. 12. c. 3. Deut. 32. 18.

Vidi in Brabantia mulierem possessam, inquit, quam rogante quodam Presbytero visitans, inveni eam a dæmonio quiescentem: tunc occultè, nemine advertente, dixi versum illum Moysis, quem a Viro quodam sancto audiveram dæmoni esse infestissimum. Et statim mulier pallere cœpit, & venæ ejus duæ in collo ad grossitiem pollicis intumescere. Tum ego: Quare infœlicissime præsumptisti vexare hanc fœminam? *Mortuo*, inquit, *viro compassa, in subsidium animæ ejus omnia bona vitæ sua contulit, & sic vas vacuum nactus intravi.* At ego, mentiris miserrime, inde enim potius augmentum boni pro charitate habuit. Mendax, inquit, sum, non mirum. Mox ego: *Estne illa tam pulchra Patria, ut dicitur, quam perdidisti?* Pulchrior respondet ille, quam dicitur. *Velles ad eam redire?* Vellem, ait, si possem, etiamsi ad diem judicii omnia excogitabilia tormenta pati deberem. Tum ego: *Promitte tibi illam in periculum salutis animæ meæ, si tantùm dixeris: Domine Deus meus, peccavi, ignosce mihi.* Mox ille contorto collo exclamavit horrificè: *Domine, Domine.* Cumque hoc sæpius personaret, nec progredi posset (sciebam enim, non posse eum fateri Deum Dominum suum, nec petere sibi ignosci:) Tandem cum urgerem, adjunxit: *Domine Deus Margarita* (ita vocabatur mulier) nec unquam voluit agnoscere Deum tanquam Dominum suum. Exempl. Cantipr. l. 2. apum, c. 57.

Digitized by Google

Tunc ego: *O infelicissima creatura, superbia ejecit te ex illo Paradisi loco, & inexpiabilis superbia tua redire te illuc non permittit.* Nec mora, confusus obmutuit. Ita Cantipratan. 2.lib.apum, c.57.

PROPOSITIO II.

Nulla pura creatura, nec Angelus potuit hominem liberare à peccato, aut satisfacere pro illo perfectè, sed necessarium fuit id fieri per Deum incarnatum.

Nulla creatura, præter Christum, potuit satisfacere pro peccato.

EXplico. Poterat quidem Deus tanquam supremus omnium Dominus & Judex, culpam omnem & pœnam remittere gratis, & hominem restituere in primum statum. Poterat secundò qualibet satisfactione, quam posset homo dare, contentus esse, & sic peccatum remittere. Poterat tertiò constituere aliquem hominem, quasi alterum Adam, in quo poneret omnes omnium voluntates, qui etiam tanquam caput pro omnibus aliis satisfaceret; & ita sicut Adamo peccante, omnes peccaverunt, ita altero homine constituto instar Adam illo satisfaciente omnes satisfacerent. Hæc tamen satisfactio non esset æqualis peccato; unde sic non satisfieret perfectè justitiæ divinæ, quamvis illa talis qualis, posset accepari a Deo. *Verax ergo misericordiæ Dei*, inquit Leo, *cùm ad reparandum genus humanum ineffabiliter ei multa supperetrent, hanc patissimùm elegit viam, qua ad destruendum diaboli opus, non virtute uteretur potentia sua, sed ratione justitiæ.*

Ad satisfaciendum itaque & redimendum hominem ex perfecta justitia, asserimus necessarium fuisse, naturam divinam uniri humanæ, ita ut ille solus posset satisfacere, qui esset Deus & homo: huc spectare potest, quod apud Isaiam dicitur: *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Et iterum: *Ego sum, ego sum Dominus, & absque me non est Salvator.* Quod de Christo potest intelligi, quasi dicat & asserat, quòd solus ipse redimere potuerit hominem, & perfecta satisfactione peccatum ejus delere. Habet enim emphasim illa repetitio: *Ego sum, ego sum ipse.* q. d. Non Angelus aliquis, non Seraphim, non Moyses, non Propheta aliquis, non omnes homines justi etiam simul sumpti, potuerunt te à peccato liberare, aut pro te, ô homo, satisfacere. Si Noë, Daniel & Job, qui officium subierunt intercessoris, Noë in diluvio, Daniel in captivitate, Job intercedendo pro amicis; si, inquam, hi tres omnem suam justitiam conferrent, omnia opera satisfactoria quæ possent: ea tamen vel pro unico peccato perfectè satisfacere possent. Amplius dico, si omnium Sanctorum omnia merita ex una parte, omnia bona opera tot millium Martyrum, charitatem in fundendo sanguinem, tot millium Monachorum jejunia & austeritates, tot millium Virginum castitatem & orationes, tot millium Angelorum actus perfectissimos, tum amoris Dei, tum aliarum virtutum, ipsius denique Deiparæ omnia merita, si, inquam, illa omnia velut in una bilance ponas, & ex altera parte ponas peccatum quodvis mortale, major est, & magis ponderat ejus gravitatis malitia, & offensa, quam bonitas omnium horum operum simul collectorum. Tota illa multiplex bonitas, non adæquat peccati mortalis malitiam.

Hæc est sententia præcipuorum Theologorum. Ratio est, quia peccatum injuria quædam infinita est, eò quòd sit offensa personæ divinæ infinitæ, & contemptus infinitæ Majestatis: nulla autem creatura sufficiens est exhibere satisfactionem aut meritum infinitum, nec Angelus, nec homo. Unde omnia illa opera enumerata, etiam simul sumpta, finitam habent bonitatem, & sunt pretium finitum. *Theologi, in 3 p. q.1.art.2*

Si autem vis intelligere, quare dicamus peccatum mortale injuriam infinitam esse in genere mortis (ut loquuntur Theologi) adverte, quòd injuria semper crescat, juxta majorem dignitatem personæ, quæ injuriatur aut offenditur. Unde, si quis injuriam inferat plebejo, vix æstimatur; si eandem viro primario, enormis censetur; si Principi, inexpiabilis judicatur; si Regi, jam Læsæ majestatis est reus. Et juxta dignitatem personæ offensa pensatur; quia totus honor, quantum est ex parte actus injuriantis, contemni, & conteri censetur. Hinc in Deum offensa per peccatum facta, moraliter est infinita, ob infinitam dignitatem contemptui habitam. Unde peccatum pœna quodammodò infinita à Deo punitur. Nam pœna sensus sive ignis, extensivè infinita est; quia privatio est gloriæ etiam infinitæ (si dari posset) & privatio visionis Dei infiniti.

PROPOSITIO III.

Christus veniens satisfactionem exhibuit perfectam, ex rigore justitia adequatam.

Christus ex perfecta justitia satisfecit.

HÆc est communis sententia Patrum, quæ etiam insinuata videtur ab Apostolo, dum dicitur: *Quem proposuit Deus propitiationem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ.* Pretium ergò, quod solvit Christus, condignum fuit & abundans, immò superabundans, *pro peccatis non solùm nostris, sed & totius mundi*, inquit Joan. Unde D. Ambrosius: *Bonum aurum sanguis Christi, dives ad pretium, profluus ad lavandum omne peccatum.* Rom.3.25 1 Joan.2.2 Ambros. Præf. in Psal.35.

Hinc Clemens VI. definit, modicam sanguinis Christi guttam, propter unionem ad Verbum, pro redemptione generis humani sufficere. Et addit, quòd Christus infinitum thesaurum sanguine suo militanti Ecclesiæ acquisierit. Unde dicitur etiam, *Copiosa fuisse apud eum redemptio*, hoc est, superabundans. In Extravag. Unigenitus.

Figura hujus rei præcessisse videtur in Levitico, ubi Deus jubet per Moysen populum conspergi sanguine sacrificii, ut saltem una gutta attingeret eos, reliquum verò sanguinis fundebatur super altare. Hoc ad nostrum propositum applicando, dicimus, quòd quælibet gutta sanguinis Christi, ad expianda peccata etiam infinita, esset sufficiens: Christus tamen, ut copiosàm daret redemptionem, Levit.8

Ita. 43.

Digitized by Google

nem, reliquum sanguinis fudit super Altare Crucis, plus solvens per liberalitatem suam, quàm opus erat.

Ad hanc quoque satisfactionis Christi perfectionem probandam, accommodari potest illud Job: *Utinam appenderentur peccata mea, & calamitas quam patior, in statera, quasi arena maris hac gravior apparerent.* Ubi, juxta Gregor. intelligi potest loqui in persona Christi, ut sit sensus: Si ponerentur in bilance pœnæ, quas patior, & peccata hominum, pro quibus satisfacio, quælibet pœna omnibus culpis præponderaret. Cum D. Bernardo considerare potes Crucem Christi instar stateræ esse, sicut canit Ecclesia: *Statera facta corporis.* Quando stateræ æquum & justum est examen, tunc non magis in unam partem, quàm in aliam propendet; quod si propendeat, majus est pondus unius lancis, quàm alterius. Christus ergò in Crucis statera culpas & pœnas collocavit, pœnas ad dexteram, culpas ad sinistram; sed ipsum stateræ examen, quod erat Christi caput, in dexteram inclinat, dum *inclinato capite tradidit spiritum*; significans, pœnas culpis præponderare, longèque eas excedere: hæc est pia consideratio.

Addunt Theologi: Licèt per unicum actum sufficientissimè posset Christus satisfacere, v. g. per unicam orationem, jejunium, aut effusionem unius lachrymæ, offerendo ea Patri tanquam pretium pro nostra redemptione: non tamen obtulit singulos actus virtutum, quos per totam vitam elicuit, tanquam integrum nostræ redemptionis pretium; sed omnes simul, per modum unius integri meriti, & pretii in Passione consummati. Quo sensu etiam nostra redempcio in Scriptura passim tribuitur Passioni Christi. Non solum ergò Passio, sed & quilibet actus Christi, & bonum opus ejus, erat infinitè meritorium, & satisfactorium pro infinita offensa. Ratio Theologica est, quia persona operans Filii Dei infinitæ dignitatis erat; & se satisfaciendo quodammodò submittens, infinitam quandam excellentiam suis operibus tribuebat: honor enim, & satisfactio tantò magis crescit, quantò major est persona honorans, & satisfaciens pro offensa, quia ipsa quodammodò in reddendo honore & satisfactione totam se submittis in alterius obsequium: unde moraliter ejus dignitas influit in exhibitione honoris. Christi ergò persona infinita, quodammodò sese humiliabat & submittebat ad honorem Patri reddendum, & illi satisfaciendum. Unde honor ille exhibitus Patri, infinitus censebatur, juxta dignitatem personæ Christi. Quapropter dicit Scriptura: *Humiliavit, & tradidit semetipsum.*

Ex omnibus jam dictis documentum morale collige, de gravitate peccati. Si enim ad satisfaciendum pro illo, Filius Dei debuit venire, ita ut nullus alius potuerit remedium afferre: quàm grave ergò malum est, quod tam parvi faciunt homines! De aliquibus dicit Job, quòd *bibant tanquam aquam iniquitatem*; hoc est, quòd summa aviditate & desiderio peccato se immergunt, sicut sitiens summa aviditate aquam expetit & exhaurit. Pluris ipsi non æstimant peccare, quàm aquæ haustum bibere, & hoc inter omnia mala maximè est deplorandum. Grave ergò malum est, cui non potuit occurri, nisi adventu Filii Dei. Gravis morbus, cui non potuit subvenire, nisi talis medicus, & quidem tali remedio sanguinis sui: *Magnus de cœlo venit Medicus*, inquit Augustinus, *qui magnus in terra jacebat ægrotus.* Grave debitum, cui nec in cœlo, nec in terra, nec sub terra, par fuit creatura, quæ posset satisfacere; sed oportuit cœlum & terram conjungere. Deum & hominem, & pretium infinitum pendere, vitam & sanguinem Filii Dei. Gravia vulnera, pro quibus necesse fuit ipsum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio, Filius Dei moreretur. Denique, detestabile malum, quod ab initio Deus summo odio fuit prosecutus, expellens illud è cœlo, cùm inventum fuit in Angelo, expellens è Paradiso, cùm inventum fuit in primo homine; puniens diluvio, igne, sulphure, ubique illud persequens: & cùm se tandem in humeros Filii Dei recepisset, *proprio filio non pepercit, propter peccata populi percussit illum*, decernens, ut non solum lachrymis ipse filius, sed & sanguineis lachrymis, & omnibus membris illud deploraret.

Peccati mortalis gravitas & malitia.

Job. 6.

Greg. lib. 7 moral. c. 2.

V. homil. Item... de cunctis in Evang.

Rom. 8. 32. Isa. 53. 8.

Philip. 2. Gal. 2. 20.

Job. 15.

LECTIO V.

DE DIGNITATE HOMINIS OB INCARNATIONEM.

1. *Decet, humanam naturam non potuisse altiùs sublevari.*
2. *Hominis beatitudinem perfectionem accepisse per Incarnationem.*
3. *Totum Universum dignitatem quandam ex Incarnatione sortiri.*

PROPOSITIO I.

Natura humana adeo sublimata est per unionem ad Verbum, ut quò altiùs attollatur, non habeat.

Dignitas hominis ob Incarnationem.

Natura humana sublimari non potuit altiùs, quàm unione ad Verbo.

RAtio est, quia non habet, quò altiùs elevari possit, quam adesse personale Dei; nec latet in thesauris sapientiæ divinæ altior modus communicandi se creaturæ, quàm communicando illi suam propriam personalitatem. Pro qua re notant Theologi, quòd Deus tribus modis possit se communicare creaturæ.

Primò, naturaliter, quod fit, dum communicat illi per creationem esse naturale. Esse enim cujuslibet creaturæ, est quædam participatio Dei, tanquam primi entis.

Secundò, supernaturaliter, quod fit communicando se illi per dona supernaturalia; sive id fiat

per donum gratiæ, quæ eſt quædam participatio ſpecialis, qua divinæ reddimur conſortes naturæ; ſive fiat per lumen gloriæ, & beatam viſionem, quæ eſt participatio ſpecialiſſima æternitatis & fœlicitatis Dei, & luminis æterni, quo ſeipſum comprehendit.

Tertiò, perſonaliter poteſt ſe communicare, hoc eſt, propriam perſonalitatem uniendo naturæ creatæ. Hic modus eſt altiſſimus & ſupremus excogitabilis, ſuperans etiam illam communicationem, quæ fit à Deo homini vel Angelo, communicando beatitudinem; quia illa eſt accidentalis & extrinſeca, per modum enim objecti ibi ſe communicat Deus, idque finito modo; hæc autem eſt ſubſtantialis, perſonalis, intrinſeca, in qua ſe communicat omninò quantus eſt, rem infinitam, infinito quodam modo. Tantam ergò dignitatem humana natura ſortita eſt, ut dixerit de illa S. Auguſt. *Quandoquidem homo ſic conjungi Deo potuit, ut fieret una perſona, ſuperbi illi ſpiritus non ideo audeant ſe homini præponere, quia non habent carnem.*

Auguſt. l. 13. de Trinit.

Quapropter notat etiam D. Gregorius, quòd Angeli, antequam Filius Dei aſſumpſiſſet humanam naturam, ab hominibus honorem & adorationem quandam ſuſceperint. Sic Abraham & Loth adorârunt Angelos venientes Sodomam; Joſue, Manue, & alii idem fecerunt. Sed tempore novi Teſtamenti hanc adorationem videntur recuſaſſe, ob dignitatem, quam natura humana ſortita eſt ex Incarnatione Filii Dei. Idemque dicit D. Thomas, & huc adducit S. Gregorius exemplum Joannis in Apocal. ubi viſo Angelo, cecidit, ut adoraret eum; at ille dixit: *Vide, ne feceris.* Hanc reſpiciens dignitatem, inquit Gregorius & Thomas. Homo ergò, qui *paulò minus ab Angelis minoratus eſt* ſecundum naturam per creationem, longè altius elevatus eſt in dignitate per Incarnationem ſecundum hanc unionis gratiam. Dicere ergò poſſumus cum Bernardo: *Agnoſce, ò homo, quia limus es, & non ſis ſuperbus, & quia Deo junctus es, & non ſis ingratus. Nihil Deo ſublimius, nihil limo vilius: & tamen tanta dignatione deſcendit Deus in limum, tantaque dignitate limus aſcendit in Deum, ut quicquid fecit Deus, limus feciſſe credatur, quicquid limus pertulit, Deus pertuliſſe dicatur.*

Gregor. hom. 8. in Evang.

2.2.484. art.1.

Apoc.19.

Bernard. ſerm.1. de Nativit.

Agnoſce, inquit Leo, ò Chriſtiane, dignitatem tuam, & divinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire, q. d. Noli ita nobilitatam naturam, per ſordidas carnis cupiditates fœdare, & velut deſpicere illam naturam, quam Pater, Filius, & Spiritus ſanctus tanto honore dignatus eſt, quam & ipſi Angeli ideo honorant. Sicut ergo majori honore coronatus es, ita majori ſupplicio reis dignus, ſi hanc dignitatem peccatis fœdaveris. Quod inſinuans Iſaiæ, dicit: *Veſtimentum mixtum ſanguine erit in combuſtionem, & cibus ignis.* Rationem ſubdit, quia *parvulus datus eſt nobis, & filius natus eſt nobis.* q. d. Poſt tantam dignationem, qua Deus parvulus factus eſt pro nobis, & poſt tantam naturæ exaltationem, ſi quis illam naturam & veſtem gratiæ, quam in ſacro Baptiſmatis fonte ſuſcepit, peccatis & ſanguinolentis operibus cruentarit, acerbius erit puniendus in combuſtione ignis.

Leo ſer.1. de Nativ.

Iſa.9.5.

PROPOSITIO II.

Homo quoque per Incarnationem perfectionem accepit, quantum ad beatitudinis plenitudinem.

Per Incarnationem hominis beatitudo perfectionem accepit. Aug. in Manual.

QUia per Chriſtum plenè beatus erit in anima, videndo Divinitatem, & in corpore, videndo Chriſti Humanitatem. Ideo dicit Auguſtinus: *Deus propter homines factus eſt homo, ut uterque ſenſus hominis in ipſo beatificaretur, & reficeretur, oculus cordis in Divinitate, & oculus corporis in ejus humanitate, ut ſive egrediens, ſive ingrediens paſcua inveniret humana natura ab ipſo conjuncta.* Habet ergo homo ex illa parte aliquid ſpeciale ſupra Angelum, in æterna illa beatitudinis refectione.

Cujus figura præceſſiſſe videtur in Joſeph, qui in convivio quod fratribus exhibuit, duplicem portionem dedit Benjamin, fratri minori, qui erat frater ex parte utriuſque Parentis, Patris ac Matris. Alii erant tantum fratres ex parte Patris. Sic dicimus de Angelis, quia filii Dei ſunt per creationem & adoptionem ad gloriæ æternitatem, fratres Chriſti ex una parte ſunt, quaſi ex parte Patris, nos autem non ſolum ex parte Patris æterni, ſed etiam ex parte Matris noſtræ Mariæ, fratres ejus ſumus. Mater enim Chriſti eſt, & noſtra, quæ in Chriſto quodammodò nos ſpiritualiter peperit tanquam membra ejus; & & ſub cruce ſpecialiter adoptavit, cum ei dati ſumus in perſona Joannis, dicente: *Ecce Mater tua.* Ideò non vocat Angelos fratres, ſicut de nobis dicit: *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Sic ergo in illo æterno convivio dabit nobis, inſtar Benjamin, duplicem portionem: dum ſcilicet in corpore & in ſpiritu ipſe paſcet hominem. Dicemus etiam poſtea, quomodo per Incarnationem & Nativitatem Filii Dei, noſtra Fides, Spes & Charitas perficiantur.

Pſ.21.23

PROPOSITIO III.

Non ſolùm ad naturam humanam, ſed & ad omnes creaturas ex hoc myſterio ſpecialis dignitas redundavit.

Ex Incarnatione totum univerſum dignitatem eſt ſortitũ.

DEclaratur. *Primò*, quia hoc myſterium ſpectat ad quandam perfectionem, & complementum univerſi. Conveniens enim fuit ad ejus complementum, ut conſtaret omnium rerum ordinibus & gradibus. Sicut ergo ad ejus perfectionem ſpectat, quòd in illo repetiantur præter gradus & ordinem naturæ, etiam ordo & gradus gratiæ & gloriæ; ita etiam ejus perfectioni convenit gradus hic ſupremus unionis hypoſtaticæ: ſic enim ex omni parte perficitur ipſum univerſum, habens creaturas ſpirituales, habens & corporales, habens & partim corporales, & partim ſpirituales, habens denique creaturam, quæ poteſt dici divina propter unionem ad Deum. De qua re loquens Bernardus dicit: *Verbum, Anima, Caro, Trinitas mirabilis; hæc trinitas unum,*

Bern.ſer.2. de N.tiv.

Digitized by Google

unum, hoc unum tria. Tria quidem propter triplicem substantiam, Animæ Corporis & Verbi; unum tamen unitate personæ, dum æternum, antiquum & novum, in eadem persona conveniunt. Æternum, ipsa Divinitas; Novum, Anima de novo creata: Antiquum, caro ab Adam traducta, per Abraham & Patriarchas.

Unde nota, quòd cùm in omnibus substantiis, una natura integra sit in una persona, in divina verò sublimitate una natura sit in pluribus personis: seiebat & conveniebat, plures naturas esse in una persona; ut sic omnes differentiæ rerum invenirentur.

Sic colligunt SS. Doctores, quòd quia erat aliquis homo productus ex viro sine muliere, scilicet Eva: & erat aliquis nec ex viro, nec ex muliere, scilicet Adam, & aliquis ex viro & muliere, qualiter nos omnes sumus: decebat & aliquem esse ex muliere sine viro, sicut est Christus; ut sic omnes modi producendi hominem in universo reperirentur.

Declaratur *secundò* Propositio: quia assumendo naturam humanam, omnes quodammodò creaturas Deus sibi specialiter copulavit & deificavit; eò quòd in natura hominis omnes res creatæ continentur. Hoc asseruit S. Damascenus, dicens: *Benigna Patris voluntas in unigenito Filio universi orbis salutem operata est, & rerum omnium connexionem effecit; nam cùm parvus mundus sit homo, qui essentia omnia nodum ac vinculum in ipso ferat, benigna omnium rerum Creatoris voluntas hoc tulit, ut in Filio suo Divinitatis ac humanitatis, & per ea conditarum omnium rerum connexio fieret, ut sit Deus omnia in omnibus.* Joan. Damascen.

Huc facit, quòd in Scriptura nomine *universæ creaturæ* intelligatur homo, quia ex illo omnes gradus creari quodammodò sunt collecti: potuit enim Deus in illo qualitates omnium elementorum, vitam vegetativam ut in plantis, sensitivam ut in animalibus, intellectum dedit ei communem Angelis. Ad hunc etiam sensum interpretatus est D. Irenæus illud Pauli: *Proposuit Deus in Christo instaurare universa*, ubi Græca lectio habet, *recapitulare universa.* Eph. 1. 10. Diversos verò sensus habet hæc Scriptura.

Primò, dicitur *recapitulare universa*, quia homines & Angelos inter se disjunctos Deus voluit in Christo ad unum caput revocare; ut sit una societas, una Ecclesia, una domus, uterque paries junctus in hoc angulari lapide. *Instaurantur quæ in cœlis, dum quod in Angelis lapsum est, ex hominibus redditur, & quæ in terris, dum homines à vetustate corruptionis renovantur, & restaurantur ad vitam æternam.* August. Enchir. c. 62.

Secundò intelligi id potest, quia fit quædam summa, & recapitulatio in Christo, omnium operum Dei visibilium & invisibilium; quia omnia Christi adventum præsignarunt, & ad eum directa sunt. Item omnes gratiæ dotes, omnes perfectiones in Christo convenerunt, & recapitulatæ sunt. Denique, quicquid olim gestum est in cœlo, in terra: quicquid in Regibus, & Patriarchis, Prophetis excellit: quicquid in lege memorabile, in templo Salomonis pretiosum, in sacrificiis Deo gratum: imò quicquid inter spiritus cœlestes illustre & gloriosum, id multò excellentius brevi compendio est in Christo. Hanc interpretationem sequitur Hieronym. Chrysost. Theodoret. & alii.

Tertiò, Irenæus id intelligit, quia in homine tanquam parvo mundo omnes species & gradus entium sunt, & ideo in Christo omnia recapitulantur, quia omnes ad primum authorem, & primam originem, ad Verbum, quo creata sunt, in Christo Deus revocavit, & omnia summatim in illo congesta velut deificavit.

Vides ergò, quomodo rebus omnibus excellentiam tribuat hæc unio divinæ naturæ ad humanam. Hinc etiam fortè est, quòd Psalmista adventum Christi considerans, totus incensus ad divinas laudes, cum videret se non sufficere ad laudandum, convocat omnes creaturas ad canticum novum, & specialè, cœlum, terram, montes, sylvas, Angelos, filias Sion & Judæ, & inculcat eis: *Cantate, psallite, benedicite, asserte gloriam & honorem*, & hoc: *Quia venit, & notum fecit salutare suum.* Psal. 65. & 97.

LECTIO VI.

DE DESIDERIIS SANCTORUM PATRUM.

1. *Docet Incarnationem ardenter ab eis petitam.*
2. *Convenienter tamen dilatam.*
3. *Convenientissimo tempore illam factam.*

PROPOSITIO I.

Desideria SS. Patrum.

CHRISTI *Incarnatio ardentibus SS. Patrum desideriis expetita fuit.* Bernardum audi: *Ardorem desiderii Patrum inspirantium in carne Christi præsentiam frequenter cogitans, confundor & compungor in memetipso: & nunc vix contineo lachrymas, tum me pudet teporis & torporis temporum horum miserabilium: Cui namque nostrum, tantum ingeris gaudium gratiæ hujus exhibito, quantum accenderat desiderium veteribus sola promissio.* Incarnatio à SS. Patribus ardenter expetita. Bernard. serm. 2. in Cant.

Hæ voces & vota repræsentantur per illas septem Antiphonas: *O Sapientia, ô Adonai, ô Radix Jesse, ô Clavis David, ô Oriens, ô Rex gentium, ô Emanuel!* Ubi sub variis nominibus, figuris, titulis, advocatur Filius Dei, ut eum velatus: Tanquam Sapientia, nos doceat ignorantes: Tanquam Veritas & Via, deducat errantes: Tanquam Redemptor fortis, liberet à carcere captivos: Tanquam Sol Justitiæ, illuminet in umbra mortis sedentes: Tanquam Creator & Salvator, salvet hominem, quem formavit. Ut ergò plenius hæc intelligantur, selegemus & proponemus hic aliquot Scripturas horum Patrum desideria continentes.

Prima est illa Cantic. *Osculetur me osculo oris sui.* Quam dicit Bernardus vocem esse humanæ naturæ, & Patrum suspirantium Christi in carne præsentiam,

ſentiam, & clamantium ad Deum Patrem, apud quem Filium mittendi principaliter eſt authoritas. Hanc ergo Scripturam ſic intelligendo, Pater dicitur oſculans, Filius os ejus, humana natura oſculum recipiens, illud verò oſculum, eſt unio Filii Dei ad humanam naturam in una perſona. Vide latiùs D. Bernardum.

Bernard. ſerm. 1. in Cant.

Secunda Scriptura eſt apud Iſa. *Propter Sion non tacebo, & propter Ieruſalem non quieſcam, donec egrediatur ut ſplendor juſtus ejus, & Salvator ejus, ut lampas accendatur*. Ubi ſummis votis ſe flagitare & ardenter ſe clamaturum ſignificat ad Deum, ut Filius egrediatur de ſinu Patris, & Matris viſceribus; quaſi ſplendor ad illuminandum veniens, & vitrum per quod tranſit non lædens, ſed pulchrius & ſplendidius reddens, hoc eſt, virginitatem Matris illuſtriorem efficiens. Nec ſine emphaſi dicit: *Accendatur ut lampas*. In lampade tria ſunt, vas vitreum, oleum & lux. Sic in Chriſto corpus fragile, oleum miſericordiæ, lux Divinitatis. Ipſe ergo velut lampas exponitur in medio Eccleſiæ, ut omnem diſſipet caliginem; ideo dicit, propter Sion ſe clamaturum, hoc eſt, propter gloriam Eccleſiæ per Chriſtum illuminandæ.

Iſa. 62. 1.

Iſa. 16.

Tertia Scriptura eſt: *Emitte Domine Agnum, Dominatorem terræ, de petra deſerti ad montem filiæ Sion*. Prophetæ & Evangeliſtæ vocarunt Chriſtum Agnum; tum ob innocentiam & puritatem, tum ob eximiam manſuetudinem, tum quia immolandus venerat, & ut agnus debebat portari ad victimam: vocat Propheta hunc Agnum hic *Dominatorem univerſæ terræ*.

Pro quo nota, Regnorum inſignia ſolere eſſe Leones, Aquilas, Leopardos, Tigrides, Dracones, & animalia ferocia, ut potentiam & fortitudinem ſuam oſtendant, & terrorem incutiant. Hujus verò Regis & Dominatoris inſigne, eſt Agnus, ut nos ad amorem alliciat, & quia humilitate & manſuetudine ſua totum orbem ſibi ſubjecit. Eſt ergo ſenſus: Emitte, ó Pater, Agnum illum tamdiu deſideratum, qui dominari debet univerſæ terræ; & videamus eum venientem de petra deſerti, hoc eſt, de Moab, quæ eſt in Arabia Petroſa, quia de Ruth Moabitide oriundus eſt. Secundò, emitte illum, ut venientem videamus, & orientem de ſtabulo Bethleemitico, in petra & rupe exciſo; venientem etiam poſtea, de deſerto poſt 40. dierum jejunium inter rupes & ſylvas, ut tandem aſcendat ad montem filiæ Sion, ad montem Calvariæ, ubi immolandus eſt pro orbis ſalute. Per petram quoque deſerti rectè intelligitur Virgo, de qua *ſine manibus lapis* Chriſtus *abſciſſus eſt*. Petra fuit, in integritatis propoſito firma, affectu ſolida, & adverſus illecebras peccati inſentibilis & lapidea. Petra deſerti, quia, ut deſertum, inculta fuit & intemerata. *Emitte* ergò *Agnum de petra*, hoc eſt, ſanctum & inviolabilem, ſancta & immaculata virginitas proferat. Et rectè Chriſti occaſus ortui, ſepultura Conceptioni reſpondet; dum emittitur Agnus de petra deſerti, condendus in petra monumenti: & cujus corpori monumentum erat excidendum in petra, ipſe ſibi initio excidit corpus de petra, non violans integritatem petræ, dum de ea emitteretur; ſicut nec ſignatam ſepulturæ petram, dum de ea egrederetur. Ita Guericus Abbas, diſcipulus S. Bernardi.

Guer. ſer. 2. de Annunc.

Quarta eſt apud eundem Iſa. *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant juſtum*, &c. Ubi orat, ut è cœlis Spiritus ſanctus veniens, fœcundet uterum Virginis; & terra virginea det fructum ſuum, materiam dans corpori, ut generetur juſtus ille, qui omnes debet juſtificare. Videtur etiam in hac Scriptura in perſona SS. Patrum velle Prophetam advocare omnes creaturas, cœlum, nubes, terram; & velut eas invitare ad cooperandum, & myſterium hoc perficiendum: ex quo nova dignitas debet omni creaturæ provenire, dum in homine aſſumpto ad divinam naturam & perſonam, velut renovationem quandam accipit totus orbis, ut ſupra explicui.

Iſa. 45. 8.

Quinta eſt apud Pſalmiſtam: *Tu exurgens Domine, miſereberis Sion, quia tempus miſerendi ejus, quia venit tempus*. Inclamabit hic humana natura, cupiens à peccati miſeriis liberari, & quaſi dormientem excitat Deum, repræſentatque terminum promiſſionis advenire, repræſentat, ut recordetur pacti initi cum Abraham & Patribus. Unde legit D. Hieronymus: *Venit pactum*. Dicit ergo: Quamdiu differs remedium inſtar dormientis? Quamdiu oblivioni traditi ſumus, tanquam mortui à corde? Quamdiu ſceptrum exactoris & jugum oneris ejus, & virga humeri ejus populum tuum ſine refrigeratione opprimet? Quamdiu non conſideras angultias ſupplicantis? Tempus nunc, ſalutis & miſericordiæ tuæ, tempus implendi promiſſionem & pactum tuum. Tandem benignitas Dei mota, & victa precibus ſupplicantium, & miſeria eorum, videtur reſpondere in altero loco Pſalmi: *Propter miſeriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam*. Ex quibus verbis Theologi colligunt, SS. Patres Dei amicos, orationibus ſuis pie & perſeveranter factis, meritos eſſe executionem Incarnationis Filii Dei, & accelerationem ejus, ut propterea dicatur: *Nunc exurgam*. Congruum enim erat, eos a Deo exaudiri, dum faciunt quod in ſe eſt, dum pie & perſeveranter ab eo petunt, quod ad ſalutem erat neceſſarium; talis enim oratio amicorum Dei, de congruo merebatur exaudiri. Unde Danieli dicitur: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt*: & ibidem videtur præmitti ratio, dum dicitur: *Quia vir deſideriorum es*.

Pſ. 101. 14.

Pſal. 11. 6.

Sot. & alii.

Dan. 9. 24

Sexta eſt apud Abacuc: *Uſquequò Domine clamabo, & non exaudies, vociferabor ad te vim patiens, & non ſalvabis? Quare oſtendiſti mihi videre iniquitatem & laborem? Lacerata eſt lex, prævalet impius adverſus juſtum*. Quaſi dicat Propheta: Regnat ubique profunda iniquitas, Dei oblivio, injuſtitia & perverſitas: Et ego ad te clamo, & vociferor, ut mittas eum qui debet ſalvare, & oppreſſos eripere, & finem iniquitati dare. Subjungit verò capite ſequenti reſponſum: *Et reſpondit mihi Dominus, ſcribe viſum, & explana*

Abac. 1. 2.

Cap. 2. 1.

explana eum super tabulas, ut percurrat, qui legerit. Sensus est: Scribe visionem, quam tibi ostendo, & tam apertis literis scribe, ut non immoretur, qui legerit, sed omnes statim facilè legant, & intelligant. Sed quid jubetur scribere? hoc quod sequitur. *Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Non tardabit, quia tempore veniet à se determinato, & ultra suum tempus non differetur; ille enim non dicitur tardare, qui suo tempore venit. Deinde, Prophetis elevatis ad considerationem æternitatis, modicum tempus dicitur, etiamsi mille anni sint. Hæc verò intelligenda esse de
Cap. 3. 2. Christo, patet ex sequentibus, dum ait: *Domine, audivi auditionem tuam, & timui: opus tuum in medio annorum, vivifica illud: in medio annorum notum facies, cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis:* q. d. Considerans plenius promissionem mihi factam, raptus sum in admirationem. Consideravi enim, quòd tandem misericordiæ recordaberis. *Consideravi te de monte Pharan venientem*, hoc est, de monte umbroso, & condenso, de altissimi Patris sinu. Consideravi denique *ab Austro venientem*, quia orieris de Bethlehem, quæ est ad Austrum, & diabolus fugiet, & morsante pedes tuos. Unde gratias agens de tanto beneficio: *Gaudebo in Domino, & exultabo in Deo Jesu meo.* Hæc spartim ibi ad Christum spectant.

Septima Scriptura, quæ huc referri potest, est illa
Isa. 21. 11. apud Isaiam: *Ad me clamat ex Seir, Custos quid de nocte, Custos quid de nocte?* Quod sic mysticè quidam interpretantur. O Deus, qui custos es hominum, & speculator super salutem eorum, de æternitatis specula: *Ad te clamat Seir*, populus gentilis & peccator, (Seir erat nomen Esau, à quo multæ gentes descendunt, & significat pilosum.) Clamat ergo: *Quid de nocte.* Quid de tanta tribulatione fiet? Quota hora noctis est? Num diu adhuc duratura est? Quamdiu in hac peccatorum & ignorantiæ nocte versabimus? Nunquid appropinquat dies? Quando aderit aurora gratiæ, & mane illud, quo Sol Justitiæ Christus oriatur, ut omnem è mundo pellat caliginem. Quando poterimus dicere, nox præcessit, dies appropinquavit? Respondet custos: *Venit mane & nox, si quæritis, quærite, convertimini, & venite.* Obscura responsio, cujus ad nostrum propositum hic potest esse sensus. Nox quidem adhuc est, sed instar mane: si quæritis Christum, & ejus gratiam ac lucem, quærite diligenter, perseverate in quærendo, & tandem invenietis. Sic Simeon justus, velut alter Jacob, tota nocte luctabatur cum Deo, desideriis, votis, lachrymis; nec voluit eum dimittere aut dimitti, nisi voti compos fieret, & benedictionē impetraret. Unde responsum
Luc. 2. accepit, *non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini.* Perseveravit quærendo, & invenit, ac eum
Gen. 49. 18. complexus est: *Salutare tuum exspectabo Domine.* Vidit ergò eum venientem tanquam *Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis suæ Israel.* Unde in
Isa. 62. 1. illo verificatum illud fuit: *Propter Sion non tacebo, propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur splendor justus ejus, & Salvator ejus, ut lampas accendatur.* Omnia desideria SS. Patrum, in corde Simeonis, velut scintillæ in fornace amoris, videntur coadunata fuisse & efferbuisse: ideoque meruit responsum, & desideriorum omnium præcedentium in animabus justis effectum: dum amplexatus est sacri amoris ulnis illum, qui erat *Desiderium collium æternorum.*

PROPOSITIO II.

Licèt Incarnatio tot votis expetita fuerit, longo tamen tempore distulit eam Deus.

Incarnatio cur dilata fuerit.

CONveniens verò id fuit, cùm enim ordinatum fuerit, ab ipsa Sapientia, quæ disponit omnia suaviter: quis dubitabit id congruum fuisse? Rationes congruentiæ variæ sunt.

Prima: Non fuit conveniens statim fieri à peccato, ne homo mali quo laborabat perniciem, & beneficii quod acceperus erat magnitudinem, ignoraret. Dilata ergò fuit, ut interea morbi magnitudo innotesceret, & gratiæ Mediatoris necessitas appareret. Homo superbiendo peccarat, debuit se humiliando agnoscere, indigere liberatore, & diu ad eum clamare. Reliquit Deus enim prius hominem in libertate arbitrii in lege naturæ, ut sic vires naturæ suæ agnosceret, ubi cum deficeret, legem accepit; qua data invaluit morbus, non legis, sed naturæ vitio: ut ita naturæ cognita infirmitate clamaret ad medicum, & gratiæ quæreret auxilium. Et sæpè medicus exspectat, ut malum ad summum increverit, ut artem ostendat. Ita cùm nec naturæ lex, nec Moysis sufficere potuit, illustrior apparuit ars Christi, & effectus gratiæ ejus. Simulque tarditas hæc cessit in punitionem peccati, quia ostendere voluit homini, quàm grave fuerit peccatum primi hominis, & quam sibi displicuerit, cùm per tot annorum millia illud punivit. Jacebat ergò homo quatuor millibus annorum æger planè desperatus in putredine & corruptione: Visitare eum venerant tot Prophetæ, consolationis aliquid & spei dare poterant, sanitatem non poterant; necessarium fuit clamare ad medicum, qui unguento confecto ex suis viscetibus, solus posset mederi, & omnem languorem tollere.

Secunda ratio sumitur ex parte dignitatis Verbi, ut quantò is, qui expectabatur, major erat, tantò eum præconum longior series præcederet, qui variis signis, figuris, crasibus, mentibus hominum eum repræsentarent: unde prædicendus fuit per multam seriem temporum, & annorum.

Tertia ratio est; quia debebat prius disponi ad tantum mysterium suscipiendum, & instrui mundus ad fidem illius mysterii, ut facilius crederetur. Quod factum est primò per legem naturalem, & generalem promissionem, spemque Mediatoris. Secundò per legem scriptam, & expressiores Prophetias. Tertiò per tot cæremonias & sacrificia, quæ Christum præfigurabant & promittebant: instruebatur enim genus humanum, & initiabatur ad futurum in ara Crucis sacrificium. Hinc dicit D. Leo:

Digitized by Google

S. Leo. D. Leo: *Hæc ſaluti feri operis mora, nos capaciores fecit vocationis eſſe: ut quod multis ſignis, vocibus & myſteriis fuerat pronuntiatum, in his diebus Evangelii non eſſet ambiguum.*

Quærunt interim Gentiles, cùm Evangelium illis prædicatur (quod olim Porphyrius quidam paganus objecit Auguſtino:) Si Deus propter ſalutem hominum homo factus eſt, cur non ab initio, ut plures ſalvarentur? Multi enim ignorantes Deum, in peccato tuo perierunt diverſis ſæculis.

Reſpondeo: Deum illo tempore venille, quod ad ſalutem Electorum congruentiſsimum fuit: & licèt venerit omnes ſalvare quoad ſufficientiam, non tamen omnes quoad efficaciam, ſed ſolum electos. Cur autem hi, & cur in tanto numero electi, quis cognovit ſenſum Domini? Voluit in his, qui liberantur, oſtendere miſericordiam, in his, qui ob peccata puniuntur, juſtitiam.

Reſp. 2. Non plures ſalvandos, licèt veniſſet initio, ſi conſideremus conditionem hominum, quia tunc pauci erant homines ad ejus doctrinam ſuſcipiendam, & pauci, qui ejus gratiâ & præſentiâ fruerentur, aut quibus Evangelium, vel ab ipſo, vel à diſcipulis poſſet prædicari. Deinde, paulatim fides & charitas langueſcerent, quia hæc eſt hominum conditio. Nam videmus in Eccleſia pruniriva, homines paulatim a fervore declinaſſe. Videmus & initio mundi, Dei cognitionem & morum honeſtatem ſtatim cœpiſſe languere & deficere. Videmus & in Religionibus quodammodò paulatim deficiunt à primo fervore. Sic ergo brevi tempore, & in paucis hominibus fervor fidei duraſſet, & genere humano propagato fides illius myſterii jam fuiſſet obſcurata.

PROPOSITIO III.

Convenientiſſimo tempore Chriſtus venit.

Chriſtus venit convenienti tempore.

VEnit enim velut in medio ſæculorum, tanquam communis Salvator, juxta illud: *Opus tuum in medio annorum, vivifica illud.* In medio annorum captivitatis & peregrinationis noſtræ, notum fecit Abac. 3. 1. Dominus ſalutare ſuum: quod non eſt intelligendum præciſè, (nam ſic ſcirent diem judicii ſaltem Angeli) ſed morali quadam ratione. Et proprie loquendo, in Scriptura illud dicitur *in medio*, quod eſt inter extrema, licet non ſint æqualia. Non ergò planè initio venit, nec omninò in fine, ſed velut in medio, ut pluribus modis omnes ſalventur. Primò aliqui per fidem venturi. Secundò aliqui per fidem præſentis. Tertiò alii per fidem præteriti. Pro quo etiam nota, quòd triplex eſt perfectio juxta D. D. Thom. Thomam, perfectio naturæ, gratiæ, & gloriæ. Perfectio naturæ fuit in principio ſæculorum. Perfectio gloriæ erit in fine. Perfectio gratiæ media eſt inter utramque; ideo Chriſtus, per quem gratia facta eſt, circa medium ſæculorum venit, ut communis Salvator. Nec decuit differri in finem omnino ſæculi, quia jam mores omnino corrupti forent, fides amiſſa, & animi deſperatione tracti: quod facilè credet, qui corruptionem morum in lege naturæ & ſcripta, eum ad fines ſuos devenerunt, conſideraverit. Tempus tamen novi teſtamenti, aliquando dicitur finis ſæculorum, juxta illud: *Scripta ſunt ad correptionem noſtram, in quos fines ſæculorum devenerunt.* Item: *In novissimis diebus erit præparatus mons domus Domini. Filioli, novissima hora eſt*, inquit Joannes. Quæ omnia dicuntur, quia hoc tempore data eſt lex ultima, & completæ Prophetiæ, eſtque ultima ætas mundi. Habet enim mundus ſex ætates, juxta Auguſtinum. 1. Cor. 10. 11. Iſa. 2. 2. 1. Joan. 2.

Mundi ſex ætates.

Prima ætas, ab Adam uſque ad diluvium:
Secunda, à diluvio uſque ad Abraham:
Tertia, ab Abraham uſque ad David:
Quarta, à David uſque ad captivitatem Babylonis:
Quinta, ab illa captivitate uſque ad Chriſtum:
Sexta, a Chriſto uſque ad finem mundi. Hæc licèt diuturnior ſit, cenſetur una, quia durat ſemper eadem Eccleſia, eadem forma regiminis, eadem gratiæ communicatio, eadem lex, idem Sacerdotium.

Dicitur & hoc tempus novissima hora, comparatione ad æternitatem, ad quam *mille anni tanquam dies hesterna, quæ præterit.* Unde refert Hugo Cardinalis, quòd quidam conjurans dæmonem, eum interrogabat in perſona obſeſſi, quando recidiſſet de cœlo? Reſpondit: Heri. Cui ille: Mentiris, patet mendacii. At dæmon: *Cur me arguis mendacii? Si ſcires æternitatem, totum tempus à conſtitutione mundi unam horam reputares.* Ita Hugo. Pſ. 89. 4. Hugo in Pſal. 89.

Porrò opportunissimo tempore Chriſtum veniſſe, docet D. Bernard. his verbis: *Sapienter diſpoſuit Sapientia, ut cùm magis eſſet neceſſarium, tunc primò afferret auxilium; nam lux divina notitia parva erat, abundante iniquitate refrigueraat charitas, jam non apparebat Angelus, non loquebatur Prophetia, ceſſabant velut deſperatione vicii, præ nimia hominum obſtinatione. At ego, ait ſilius, tunc dixi: Ecce venio. Si ſic, dum medium ſilentium tenerent omnia, omnipotens ſermo tuus Domine, à regalibus ſedibus venit, &c.* Ita Bernardus. Bernard. ſerm. de Adventu.

Hinc tempus, quo Chriſtus venit, dicitur *Plenitudo temporis*, 1. Quia erat tempus illud opportunum, quo debebant impleri divinæ promiſsiones. Secundò, quia tunc debebant impleri omnes Prophetiæ viſiones. Tertiò, quia debebant impleri omnes figuræ & cæremoniæ legales. Quartò, quia illo tempore debebat dari plenitudo gratiæ, & donorum ſpiritualium. Denique, quia & illo tempore debebant impleri ruinæ Angelorum, & reſtaurari univerſa, ſive quæ in cœlis, ſive quæ in terris, ut ſupra explicui.

LECTIO VII.

ARTICVLVS II.

ET IN IESVM CHRISTVM.

DE NOMINE JESU.

1. *Docet, IESVM eſſe nomen proprium.*
2. *Impoſitum eſſe à Patre.*

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO I.

Hoc nomen, est Christi nomen proprium.

De nomine IESV. IESVS est Christi nomen proprium.

Sicut nomen meum est Jacobus, & alterius Petrus aut Paulus, ita hujus hominis, qui est Filius Dei nomen proprium est Jesus. Et hinc est, quod ad ejus pronuntiationem, reverentiam facimus, & non ad alia ejus nomina. Alia nomina sunt communia seu appellativa, vel ei accomodata. Sic dicitur Christus a dignitate, quod nomen Regibus etiam convenit & Sacerdotibus, licet illi per excellentiam tribuatur. Sic aliquandò dicitur Pastor ovium, Via, Agnus, Leo, Petra, Vitis: sed hæc nomina sunt metaphorica, ad significandam aliquam in ipso proprietatem. Verum, hoc nomen Jesus, proprium est, ad hanc personam divinam in hac natura humana significandam impositum.

Sed quæritur, an sit proprium, ut nunquam alteri fuerit impositum? Affirmant Galatinus, Pagninus, Jansenius. Licet enim aliqui sint similiter vocati, ut Jesus nave, Jesus Syrach, Jesus Josedech; dicunt tamen eosdem non fuisse omninò litetas, nec significationem. Nomen enim eorum erat, *Iehoshua*, hoc est, Deus salvabit, nomen Christi erat, *Ieschua* hæbraicè, græcè Ἰησοῦς latinè Jesus, id est, Salvator & ipsa Salus. Undè dicitur: *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit.* Isa. 61. 2. Hæc Scriptura, si benè attendatur, de Ecclesia intelligitur. Loquitur enim ibi Propheta de Sion, quæ Ecclesiam significat, de qua dicit, quod non vocabitur amplius antiquo nomine, *Ecclesia Israelis*, sed Christi Redemptoris, ut ibi notat D. Hieronym. Vel ut alii explicant; Nomen novum Ecclesiæ, sivè Sion, erit illud quod versu quarto exprimitur, dum dicitur: *Vocaberis voluntas mea in ea.* Sed tamen illa Scriptura verificatur de Christo, quoad hoc nomen Jesus. Sicut enim nova est unio duarum naturarum, nova conceptio ex muliere sine viro, nova vita & doctrina, nova mors, quâ author vitæ moritur, nova resurrectio, quâ resurgit propriâ virtute; ita novum nomen, est nomen JESUS.

Mat. 12. 1 *Primò*, quia antiquum nomen erat illud: *Verbum Dei, Filius Dei, Sapientia Patris*; nunc autem novo nomine dicit Angelus: *Vocabis nomen ejus* JESUM.

Secundò, licet admitteremus meteriale hoc nomen, idem in sono litterarum suprà nominatis personis impositum fuisse; tamen vis & efficacia & ratio hujus nominis nova est, & singularis in Christo. Soli enim illi competit ratio nominis allata ab Angelo: Ibid. 1. 21. *Ipse enim salvum faciet populum à peccatis eorum.* Itaq; soli illi hoc nomen juxtà significationem suam perfectam competit; quia ipse solus auctor est salutis spiritualis, æternæ & universalis, quæ est perfecta salus hoc nomine significata. Alii particularem solum salutem attulerunt, temporalem & transitoriam.

Tertiò, aliquibus hoc nomen impositum fuit in ordine ad Christum, quia illius figuram gerebant. Sic Joseph a Pharaone vocatus lingua Ægypti, *Salvator mundi*, typus erat Christi. Sicut enim ille à fratribus venditus Ægyptum fame liberavit: ita Christus venditus à fratribus, mundum tenebrosum pane vitæ à spirituali fame liberum effecit; & sicut ille Dominator Ægypti, ita & hic factus est judex mundi.

Item Josue, Jesus vocatus, figura Christi fuit introducens populum ad terram lacte & melle manantem, quod non potuit Moyses. Significabatur enim quod lex Moysis salvare nos non potuit, sed hoc reservabatur Jesu nostri, Filio Dei. Sicut enim Josue aperto Jordanis flumine ad terram promissam populum introduxit; ita Christus patefacto Baptismate (quod in eodem fluvio exordium habuit) nos ad terram æternis deliciis affluentem introduxit.

Denique sicut Josedech (qui etiam Jesus dictus est) Sacerdos magnus post captivitatem Babylonicam populum reduxit in Jerusalem, & templum reædificavit: ita Christus summus Sacerdos, post diabolicam captivitatem populum reduxit in cœlestem Jerusalem; ergò & ipse figura fuit Jesus nostri.

PROPOSITIO II.

Impositum fuit hoc nomen à Patre æterno, & ministerio Angeli Virgini revelatum.

Hoc nomen Jesus impositum est à Patre. Cyrillus, L. de Fide ad Theod.

Ratio est. Prima, quia nomen imponere est munus ejus, qui habet auctoritatem in eum cui imponitur; nullus autem proprium jus & authoritatem habet in Christum, nisi Deus. Sic affirmit Cyrillus dicens: *Quando unigenitus filius Patri coæternus, ex muliere natus est & filius declaratus, & Primogenitus appellatus, ac inter multos fratres numeratus, tunc ille quoque, qui secundum naturam Pater est, Patris leges secutus, nomen hoc præfinivit.*

Secunda ratio, quia perfecta nominis impositio ex perfecta rei cognitione procedit; nullus autem Christi dignitatem perfectè cognoscebat, nisi solus Pater; nemo perfectè noverat officium aut finem ad quem mittebatur, nec effectus particulares hujus nominis, nisi Pater. Non est inventa creatura in cœlo aut terra, Angelica aut humana, nec Joseph, nec Maria, sufficiens ad imponendum ei nomen, nec latis cognoscens excellentiam hujus infantis. Undè huc respicere videtur Salomon, has altissimas quæstiones proponens.

Prov. 30. 4.
- *Quis ascendit in cœlum & descendit?*
- *Quis continuit spiritus in manibus suis?*
- *Quis colligavit aquas quasi in vestimento?*
- *Quis suscitavit omnes terminos terræ?*
- *Quod nomen est ejus, & quod nomen filii ejus, si nosti?*

Tertia ratio est; quia nominis impositio, quandò fit à Deo, est specialis benevolentiæ & privilegii signum, singularemque indicat dignitatem. Vide in Abraham, Isaac, Israel, Samsone, Joanne, Petro.

Digitized by Google

Ergò hoc privilegium paucis concessum; non debuit Christo denegari. Porrò illud nomen à Patre decretum, impositum illi fuit in circumcisione; moris enim erat parvulis tunc dare nomen.

Primò, quia quando data fuit Abrahæ circumcisio, nomen mutatum ei fuit, anteà vocabatur *Abram*, tunc *Abraham*, addita ei littera H. sive He, quæ desumpta est ex ineffabili nomine Dei; & significat idem quod *Vita*, ut significaretur mysterium Incarnationis, quod scilicet caro Salvatoris illius, qui vitam afferre debebat, ex eo processura erat.

Secundò, tunc imponebatur nomen, quia parvuli cum solemnitate tunc offerebantur Deo, & velut cœlesti hæreditati inscribebantur, ac de populo Dei censebantur per Sacramentum Circumcisionis: quæ quidem fiebat die octavo, ut significaretur, quod post vitæ hujus septimanam octava consequetur, in qua consecrabimur Domino, & nomina nostra scribentur in cœlis, & apponemur ad populum Dei. Adde semper moris fuisse etiam apud Gentiles, nomina imponere cum aliqua sacra solemnitate. Undè Athenienses die decimo convocatis vicinis & amicis, oblatisque sacrificiis, nomina pueris imponebant Romani verò octavo die, puellis; masculis autem nono die imponebant nomina, eos priùs lustrando Diis, & dies illi lustrici vocabantur. Sic quod nos nunc in Baptismo, Judæi id in circumcisione observabant, hoc Christus etiam voluit observare.

Ita refert Suidas. Macrob. l. 1. Saturnal. c. 16.

Tertiò, ratio specialis fuit in Christo, noluit enim hoc nomine Salvatoris insigniri, nisi cum sanguinem pro hominibus cœpit fundere; ut sic nomen illud ex tunc mereretur, inchoans officium Redemptoris, incipiens operari salutem nostram per sanguinem: *Non enim fit redemptio sine sanguine*. Et quidem hæc effusio erat sufficiens pro universo mundo, sed voluit totum in fine effundere, ut copiosam daret redemptionem, & nomen Jesus sive Salvatoris, quod cruore suo exarârat in carne sua, & signârat per cultrum circumcisionis, ultimis coloribus consummaret in cruce per sanguinem lateris. Tunc ergò erat sacrificium matutinum, in quo ad demonstrandam charitatem, incipit aperiri fons salutis, vena sanguinis; sed statim clauditur, quia in cruce vespertinum sacrificium reservabatur, de quo illud intelligi potest: *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*. Reservabatur, inquam, sacrificium illud consummativum totius charitatis, quandò aperietur vena cordis & amoris, ad effundendum totum pretium, quod hauriri poterit de quinque fontibus Salvatoris. Vides ergò, ô anima Christiana, quam charum ei hoc nomen fuerit, quod tanto pretio emere voluerit, toto scilicet sanguine suo pretioso? Considerasne, quam charo ei constes, quandoquidem hoc nomen non tam pro se, quam pro te emere voluit, & pretium tale dare? Si hoc expendis, pone nomen illud ut *signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*: quia dilectionis morte fortioris fuit indicium. Fige illud intellectu, ut cum suavitate sæpè de illo cogites sapientiam ex illo sugens. Fige in voluntate, ut suaviter ames hoc nomen amoris. Fige in memoria, ut illius nunquam obliviscaris, qui nunquam obliviscitur tui. Sit frequens in lingua tua, ut illud benedicas. Sit velut impressum in manibus & omnibus membris tuis, ut semper operaris ad laudem & gloriam nominis ejus. Sic fiet ut semper benedicat *anima* tua *Domino*, *& omnia* interiora & exteriora tua *nomini sancto ejus*.

Ps. 140. 2.

Pſal. 102 1. 2.

Quodam die Circumcisionis sacro, B. Gertrudis virgo Ordinis D. Benedicti, offerebat Domino salutationes pias dulcissimi nominis Jesu, continentes perfectionem ejus, *Ave Jesu benignissime, Ave Jesu amantissime, &c.* Has cum delectatione cordis pronuncians, cupiebat repetire omnia adjectiva perfectionem aliquam significantia, quibus divinum cor medullitus afficeretur. Cumque in horum scrutinio affectuosius laboraret, ejus affectu victus Dominus, in impetu amoris blandè se ad eam inclinans, infixit ori ejus melleum osculum, dicens: *Ecce impressi ori tuo nomen meum dulcissimum & dignissimum, quod palam portabis coràm omnibus, & quoties ad illud proferendum labia movebis, meos suavissimum mihi resonabis.* His dictis, comperit in superiori labio animæ suæ, aureis & vivis litteris scriptum, *Jesus*, in inferiori labio scriptum, *Justus*. Undè per inscriptionem, *Jesus*, intellexit, quòd omnibus à se audire cupientibus, salutem & misericordiam divinæ pietatis pronuntiare deberet. Per Inscriptionem *Justus*, cognovit, quod his, qui durioris essent mentis, & blandis monitis non consentirent, divinæ justitiæ ultionem deberet proponere; ut vel sic minis terrendo corrigeret, quos suavibus monitis ad Deum trahere non valeret.

Exempla Lib. inti-nuationū divinæ pietatis S. Gertrudis.

Cant. 8. 6.

LECTIO VIII.

DE DIGNITATE NOMINIS JESU.

1. *Docet reliqua nomina Christi in illo comprehendi,*
2. *Esse Titulum glorioſum Christo.*

PROPOSITIO. I.

Hoc nomen continet reliqua omnia nomina, quæ Christo attribuuntur, illaq; transcendit.

Dignitas nominis IESV.

VAria nomina illi tribuuntur in Scripturis. De illo enim loquens Isaias, dicit: *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est Principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Hanc Scripturam latius explicabimus hic.

Nomen IESVS, reliqua nomina illi tributa continet.

Isa. 9. 6.

Dicit

Dicit ergò, *Parvulum nobis natum & datum* Tit. 3. 5. *est*: non enim merito nostro, sed sola gratia, *non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam fecit nos*, ad nos venit. *Datus est*, non venditus, quia nemo potuit pro eo pretium dare, nemo Heb. 2. 16. tantum bonum mereri. Dicit etiam, *nobis natum esse & datum*, quia hominibus non Angelis natus est: *Nusquam enim Angelos apprehendit*, inquit Paulus; nec eos a peccato liberavit. Datus est verò nobis multipliciter, tanquam Magister nostræ instructionis, tanquam Dux nostræ peregrinationis tanquam Redemptor nostræ captivitatis, datus ut Frater & Socius, ut Pastor & Cibus, ut Fidejussor & Pretium, ut Sanctificator & Sponsus, ut Glorificator & Merces.

Principatus super humerum ejus. Crux scilicet, in qua debebat exaltari, signum Imperii sui, sceptrum Regni: hanc jam à nativitate gerebat in corde, hanc amplectebatur, & in spiritu se in illa Patri offerebat, quem postea gestaturus erat in humeris, tanquam trophæum victoriæ suæ. Unde visus est à Sybilla & Imperatori Augusto ostensus Puer crucem gestans, in Sole residens. Jam ergò ab initio Christum gravabat sceptrum hoc, & Principatus.

Hunc verò parvulum multis nominibus dicit vocandum. *Primò vocabitur Admirabilis*; Utique quia Deus & homo, quod antea fuit inauditum; Humilis & sublimis, Parvulus & Immensus, Mortalis & Immortalis, Omnipotens & Egenus, Verbum, & Infans, &c. Admirabilis certè in omnibus.

1. Admirabilis Conceptio, Spiritu Sancto obumbrante facta. 2. Admirabilis Nativitas, quia sine Matris dolore. 3. Admirabilis Vita, quia fuit sine peccato. 4. Admirabilis Prædicatio: *Nunquam sic homo locutus est*, Joan. 7. 46. 5. Admirabilis in miraculis: *Nemo potest sic signa facere quæ facit*, Joan. 3. 2. 6. Admirabilis in Transfiguratione: *Facies ejus ut Sol*, Apoc. 10. 1. 7. Admirabilis in Passione: *Sol obscuratur, petræ finduntur*, Matth. 24. 29. 8. Admirabilis in Resurrectione in motu terræ, &c. Matth. 28. 2. Marc. 16. 9. Admirabilis in descensu ad inferos, totum terrens Sathanæ regnum, Coloss. 2. 15. 10. Admirabilis in Ascensione: *Gradiens in multitudine fortitudinis suæ*. Isa. 63. 1. 11. Admirabilis in Corporis sui distributione, in Sacramento Eucharistiæ, Joan. 6. Matth. 26. 1. Corinth. 11. 12, Admirabilis in die Judicii, bonos coronans, malos damnans, Matth. 25. 13. Admirabilis tota æternitate, in magnificentia gloriæ, Apoc. 21. & 22.

Secundò, vocabitur *Consiliarius*, quia magni consilii Angelus est, ipse est qui inspirat bona consilia Matt. 19. Unde cuidam hoc dat consilium: *Si vis perfectus esse, vade vende omnia*. Alteri dicit: *Pœnitentiam age*, Apoc. 3. alioqui veniens *movebo candelabrum tuum*. Dicit Apoc. 2. 5. & cuidam: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum*. Apoc. 3. Denique tota Scriptura plena est consiliis ab eo ve- 18. nientibus. Ad hunc ergò Consiliarium recurren-

dum est cùm de statu deliberas aut cum res gravis tibi incumbit, aut cum de salute cogitas. Et juxta consilium Tobiæ: *Pete ab eo ut vias tuas dirigat, &* Tob. 4. *omnia consilia tua in ipso permaneant*. Cum enim 20. homo per varia diverticula possit errare, non debet esse contentus suis aut hominum consiliis; sed debet confugere ad hunc Consiliarium, qui nec falli potest nec fallere. Unde monet Bernardus eos qui Bernard. de statu deliberant, attendere ad ejus vocationem, serm. Ecce relictis mundanorum hominum consiliis *Vocat in-* reliqui- *quit magni consilii Angelus. Quid adhuc aliena con-* mus om- *silia præstolaris? Vocat Oriens, & tu attendis ad Occi-* nia. *dentem*. Item bene Consiliarius dicitur, qui secundum divinam naturam est Sapientia æterna; & ideò in ipso sunt consilia Sanctissimæ Trinitatis, ejus consilio & tactus est, & regitur mundus. Et secundum naturam humanam, ipse ab initio conceptionis, perscientiam beatam perfectè conspiciebat omnia Dei consilia, circa futurum & præsens sæculum, circa Angelos, circa electos, & reprobos; & ut homo, peregit fideliſſimè sublimia illa consilia de Redemptione hominum.

Tertiò, *vocabitur Deus*, quia Creator omnium est: Deus ergò est, non participativè, ut homines, de quibus dicitur: *Ego dixi Dii estis*. Non abusivè, ut Idola, quæ Dii vocantur, cùm sint opera manuum hominum. Non usurpativè, ut aliqui homines superbi in terris, qui sibi nomen Dei usurparunt, nullum præter se agnoscentes, ut Nabuchodonosor, Herodes, Pharao, Sennacherib, & similes. Sic Alexander se filium Jovis existimavit, ita ut Olympias mater ejus de illo conquereretur quod adulteram eam faceret, dicens se filium Jovis. Christus Deus vocatur, sed verè, sed essentialiter. Unde ut Tract. 2. ostenderet se verum Deum, excludit omnes Deos Lect. 1. gentium, veniens in hunc mundum, ut latè diximus. Prop. 1. Deus ipse est, sive tonans in cœlo, sive vagiens in præsepio, sive latens in Ægypto, sive pendens in patibulo, sive jacens in sepulchro, ubique Divinitatis suæ signa dedit.

Quartò, *vocabitur Fortis*: Quia ubique potens, in cœlo, in mundo, in cruce, in sepulchro in inferno. In mundo devicit mundum. In Cruce devicit peccatum. In sepulchro devicit mortem. In inferno devicit dæmonem. In aere eum, sanctificando aereas potestates. Imò ubique dæmones divicit, qui *fortes* vocatur *in prælio*. Ubique contra eum luctatus. In cœlo enim (juxta multos) pro- Psal. 23. 8. positus fuit Lucifero adorandus per fidem, invidit ille hominem Deum esse, & factum est prælium Luciferi cum Angelis, *& vicerunt eum in san-* Apocal. *guine Agni*; ita ut virtute Christi, in æternum cru- 12. 11. ciandi projecti sint in terram miseriæ & tenebrarum, ut multi interpretantur: Sic ergo vicerit eum in cœlo.

2. Luctatus est adhuc in utero, dum ad Joannem pergens etiam in utero existentem, ab eo originale peccatum, & dæmonis expulit potestatem.

Digitized by Google

4. Luctatus est in Nativitate & pueritia, dum ipso nascente idola conticuerunt : & ipso Ægyptum ingrediente, diversis in locis corruerunt, de
Is.19.1. quo erat prædictum : *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur simulacra ejus.* Sensus est : Ipse vectus ulnis matris, tanquam nube levi, portabitur ulnis matris in Ægyptum, & eorum idola concident ad ejus præsentiam.

4. Præliatus est in deserto per quadraginta dies,
Matth. 4. & velut alterum Goliath supplantavit, *electis de torrente lapidibus*, hoc est, de Scripturæ sacræ flumine authoritatibus.

5. Luctatus est in mundo, ejiciens de corporibus obsessis, ita ut dicerent: *Quare ante tempus venisti torquere nos?*

6. Luctatus est in Cruce, & eum afflixit ibi, de
Joan.12. 31. quo dixerat : *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Denique, præliatus est in inferno, dum vectes ferreos confregit & prædam eripuit, ita ut de eo
Psal.8. ascendente cum triumpho dicatur : *Dominus fortis & potens in prælio, ipse est Rex gloriæ.*

Quintò, vocabitur Pater futuri sæculi, Ipse enim in nativitate attulit nobis novum sæculum, novam ætatem auream, per abundantiam gratiæ & donorum. In passione genuit nos, variis angustiis & dolonbus; ut qui eramus filii diaboli, essemus filii Dei ; & qui eramus filii hujus sæculi, essemus filii sæculi futuri. Ibi ergò regenerati sumus, & regenerationis nostræ locus fuit lateris ipsius vulnus. Item in resurrectione, inquit Petrus, *regeneravit nos in spem vivam in*
1.Petr.1. *hæreditatem incontaminatam immarcessibilem conservatam in cœlis.* Denique post Ascensionem, misit
Rom.8.15 *spiritum adoptionis* suæ in corda nostra, *in quo clamamus* : *Abba pater*, respirantes ad futurum sæculum, & ad hæreditatem Patris. Imò verò usque ad futurum sæculum nos velut utero suo gestat parturiens ; quia
Is.46. 3.4. dicit per Isaiam: *Audite me domus Iacob, qui portamini à meo utero. Usque ad senectam ego ipse, & usque ad canos ego portabo, ego feci & ego feram ; ego portabo & salvabo.* Rectè verò Vatablus vertit. *Pater Æternitatis.* Utique Adam genuit nos tempori, Christus æternitati; Adam morti, Christus resurrectioni; Adam terræ, Christus Cœlo; Adam huic sæculo, Christus
S. Greg. hom. 8. in Evang. futuro; *ille enim apparebat in carne qui electos suos adscriberet in æternitate.*

Sexto, vocabitur princeps pacis, tum quia medium parietem solvens, fecit utraque unum, ipse pax nostra ; tum quia fuit *pacificans per sanguinem, sive quæ in cœlis, sive quæ in terris* ; tum quia posuit fines nostros pacem sempiternam. Denique, ipse est Author omnis pacis, sive cum Deo, sive cum proximo, sive cum conscientia nostra : quoties turbata est pax interior, ad hunc Principem pacificum nobis recurrendum est.

Audi alia adhuc nomina apud Isaiam, apud quem
Mac. 8. vocatur nomen ejus : *Accelera spolia detrahere, festina præsari. Accessi*, inquit, *ad prophetissam, & concepit filium ; & dixit mihi Dominus fuime tibi librum grandem & scribe, velociter spolia detrahe, cito prædare. Sic vocabitur puer, quia antequam sciat vocare Patrem & Matrem*, diripiet *spolia Samariæ.* Sensus est. Ostensa est mihi in visione Prophetissa illa Virgo Maria, ad quam accedens vidi illam concipere & parere puerum, de quo dictum est. Voca nomen ejus: *Velociter spolia detrahe.* Non quod tali nomine litteraliter appellandus foret, sed quod jure sic vocari possit; eo quod res significata hoc nomine, ei aptè conveniat, quia diabolum & infernum spoliaturus est. Immò quia antequam sciet naturali modo dicere, *Pater mi, Mater mea*, incipiet prædari : tot enim millia infantium diabolo eripuit, & tres Reges ex infidelitate eduxit adhuc puer, & idola per eum confracta sunt.

Iterum dicitur vocandus, *Emanuel, quod interpretatur, Nobiscum Deus*; quod quidem nomen ei convenit, quia tunc singulariter *Nobiscum* esse cœpit Deus, quando Verbum Caro factum est. *Nobiscum*, per opem specialem, gratiam ac illuminationem: *Nobiscum* in Eucharistia, usque ad sæculi consummationem : de qua rectè intelligi potest illud : *Ecce*
Apoc. 21.3. *tabernaculum Dei cum hominibus* (hoc est corpus ejus) *& ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* Denique, *Emanuel*, sive *Nobiscum Deus*, in tota æternitate, quia assumet nos ad se, & gloriabimur in divinitatis & humanitatis ejus limpida visione.

Alibi quoque vocatur nomen ejus, *Oriens.* Item vocabunt eum inquit Propheta, *Dominus justus noster.* Hæc verò omnia nomina comprehenduntur in nomine *Jesus.* Quid est enim *Jesus*? nisi parvulus qui natus est nobis, & filius qui datus est nobis, magnus & laudabilis in civitate cœlesti, parvulus & amabilis in civitate terrestri?

Jer.23.6. *Quid sit* IESUS.

Secundò ; Quid est *Jesus* ? nisi qui est *admirabilis* in Nativitate, *Consiliarius* in Prædicatione, *Deus* in operatione, *Fortis* in passione, *Pater futuri sæculi* in Resurrectione, *Princeps pacis in beatitudine*, inquit Bernardus.

Tertiò : Quid est *Jesus*, nisi Emanuel *nobiscum Deus* in carne, in Sacramento, in hoc sæculo, in futuro? Ab hoc nomine *Emmanuel*, decoratum est illud
S. Bern. serm. 11. in Cant. nostrum *Noel*, id est, nobis Deus, vel noster Deus, quod in Hymnis. Natalitiis jubilando ingeminamus; ita ut inde à Gallis hoc festum vocetur *Noel*, sive parvi Emanuelis festum.

Quartò : Quid est *Jesus* : nisi filius ille cujus nomen est *Accelera spolia detrahere* ? Ipse enim est velox spoliator, festinus prædator, qui brevi tempore spoliavit infernum, orbem totum ad se convertit.

Quinto : Quid est *Jesus* ? nisi cujus est *Oriens nomen ejus*, duplicem habens Orientem, unum à Patre in æternitate, quia est splendor gloriæ ejus ; alterum à Matre in tempore, a qua egreditur ut splendor gloriæ nostræ?

Sextò: Quid est *Jesus*? nisi *Dominus Jesus noster*, vel
Ps.44.17. ut alii legunt, *Dominus Justitia nostra* ? Ipse enim factus est nobis *Justitia, Sapientia Redemptio, Sanctificatio*,

Digitized by Google

ne, inquit Apost. ita ut Jesus nihil aliud sit, nisi is qui est *Nostra redemptio, amor & desiderium, Deus Creator omnium, homo in fine temporum.*

Jo. 1. 14. Denique, ut breviter omnia complectar, Jesus nihil aliud est quam *Verbum Caro factum, quod habitavit in nobis*, à quo salus, gratia, gloria, sive in hac sive in beata vita, per totam æternitatem nobis veniunt. Propterea comprehendit nomen Jesus omnia nomina sive pietatis, sive majestatis, Christo

S. Bern. serm. 15. in Cant. competentia, inquit Bernardus. Sicut cùm dico, *Rex Hispaniarum*, comprehendo omnes titulos qui Philippo adscribuntur, *Rex Castellæ, Portugalliæ, Arragoniæ, Navarræ, &c.* Ita hoc nomine *Jesus* comprehendo quod sit *Sapiens, Omnipotens, Misericors, Justus*, & alias infinitas perfectiones ei competentes, sive ut Deo, sive ut homini. Et propterea dicitur hoc nomen super omne nomen; tum quia excellit omne nomen, sive Angelorum, sive hominum, tum quia complectitur in se omnia alia Christi nomina; & illa transcendit.

PROPOSITIO II.

Hoc nomen inter cætera specialiter cedit Christo in titulum gloriæ æternum.

Nomen JESVS est Christo titulus gloriosus.

RAtio est, quia illud acquisivit merito Passionis suæ. Adverte, nomina quæ à parentibus aut ex origine, aut à casu dantur, non ita æstimari: sed quæ heroico aliquo actu parta sint, in titulum gloriæ cedunt. Sic glorioſum fuit Jacob, nomen *Israel*, quia obtinuit illud ob luctam quam habuit cum Angelo. Sic Sic nomen *Petrus*, quia datum fuit ob firmitatem fidei, & confessionem divinitatis. Sic gloriosa fuere nomina data ob victorias. Scipio dictus Africanus, & alter Asiaticus, ab Africa vel Asia subjugata. Itaque Christus habet plura nomina jure divinitatis, quasi à natura & origine, sed hoc acquisivit sanguine suo, & victoria contra hostem humani generis: Licet enim datum sit a Nativitate, id tamen fuit ex prævisa Passionis merito, & ideò specialiter in illo gloriatur. Hinc voluit illud vertici Crucis figi, tanquam triumphi sui insigne: tunc enim victoriam referebat de peccato & inferno: & Crux Columna Triumphalis erat, in qua figi voluit hunc Titulum

Jo. 19. 19. glorioſum, *Jesus Nazarenus*. Quapropter licet Judæi odio moti, apud Pilatum urserint ad delendum hunc titulum, id tamen speciali providentia Dei non potuerunt, ut semper maneret hic titulus gloriæ abominibus Nationibus agnoscendus, Crucis trophæo fixus. De quo Prophetia præcellerat in titulo Psal. 57. ubi habetur: *in tituli inscriptionem, Ne disperdas*; quod de titulo crucis intelligit Augustinus, qua prævidit David, Judæos conaturos titulum illum bonificum eradere, sed responsionem accepturos,

Jo. 19. 22. *Quod scripsi, scripsi.* Et ideò specialiter ordinatum fuisse a Deo, ne tituli inscriptionem disperderent, aut corrumperent; propterea David Psalmo suo hunc titulum præfixit.

Jubebatur Summus Sacerdos offerens Sacrificium Pontificalibus indutus caput Tiara tegere, ex qua penderet nomen Dei ineffabile, aureæ laminæ incisum, quod ligabatur vitta hyacintina, ut fronti imminueret. Hoc in figura. Nunc in veritate, Christus offerens Sacrificium, purpureo Sanguinis sui colore fulgidus, voluit pro Tiara coronam spineam gerere, & supra apponi nomen illud gloriæ, *Jesus Nazarenus*; ut impleretur illud prædictum per spiritum Sanctum: *Magnificentia* illius *in Diademate Capitis ejus.*

Levit. 8. 7.

Sap. 18.

Hoc verò nomen dixit æternum esse, quia illud retinet; non solùm usque ad mortem, in qua implevit officium Redemptoris, sed & per totam æternitatem: ita ut aliqui existiment, quod sicut Christus in pedibus, latere, & manibus habet cicatrices in Cœlo; ita & in fronte retineat hoc nomen scriptum, *Jesus Nazarenus*, tanquam victoriæ suæ signum. Unde legimus illum apparuisse B. Edmundo, puerum puero, cum hac aurea Scriptura in fronte; & dixisse: *Hoc nomen erit decus, & memoriale tuum in æternum.* Illud ergò nomen non peribit in æternum, nec ejus memoria, sicut nomen quod sibi homines comparare student, alii per scientiam, alii per artem bellicam. alii aliis artibus, quorum memoria cum nomine statim pertransit, velut sonitus aut favilla quam ventus dissipat, licet illi aut Pyramidibus, aut Palatiis illa inscripserint.

Surius 16. Novem.

Plin. lib. 36. c. 12. Hinc memorabile est, quod scribit Plinius, authores Pyramidum Ægypti (quarum aliquæ partes Romæ extant), admirationem omnibus excitantes, ignotos manisse justo judicio Dei, ita ut ignoretur quinam fuerint, cum tamen illi his fabricis, nominis æternitatem apud posteros quæsierint. Sic quàm multi doctrina excellentes, post se totum mundum traxerunt, & tunc periit nomen eorum. Quam multi Reges & Principes triumphis celebres nomen suum æternitati consecrare existimarunt, & *perit memoria eorum cum sonitu*, ipsi autem in flammis permanent æternum cruciandi? De his potest dici illud Job: *Transierunt sicut naves poma portantes*, quæ aliquid odoris relinquunt in transitu, sed statim ille odor flatu venti dissipatur & finitur, sic & nomen eorum. De nomine verò *Jesus* dicimus, quod nec tempora, nec oblivio, nec Judæorum aut hæreticorum blasphemantium rabies, illud delere poterit, sed per omnia ætatum, & sæculorum tempora, pervenabit glorioſum cœlo & terræ. Reges Sceptra, Imperatores Diademata, Pontifices Tiaras submittent illi, Angeli & Seraphin illud adorabunt, & tartarei spiritus ad illud trement.

Job. 9. 25.

Sixtus Senens. l. 2. Bibliot. ex Sybilla Cumana, qui ibi citat Beda.

Advertunt hic aliqui, quod sicut nomen Anti-Christi continet numerum 666. ita nomen Jesus juxta literas Græcas numerum 888. Unde Beda dicit *Sacrosancti nominis Jesu non tantùm Etymologia, sed & ipse quem literis comprehendit numerus, perpetuæ salutis mysterium redolet. Sex quippe literis Græcè scribitur Iησους*, i. notat 10. η. 8. σ. 200. υ. 70. σ. 400. ς. 200. quæ simul juncta faciunt 888. Numerus

lib. 1. in Lucam c. 1. Aug. sup. Psal. 6.

Digitized by Google

enim octavus est symbolum salutis : *Octo animæ salvæ factæ sunt.* Est symbolum gloriæ & requiei ac æternitatis. Est Figura novi Testamenti, sicut septenarius veteris, quia nobis festus est octavus, illis septimus dies. Ut ergò Deus significaret omnia hæc mysteria, scilicet, Christum esse salutis nostræ authorem, Dominum æternitatis, novi Testamenti principium, voluit nomen JESUS habere triplicatum numerum octavum. Idem dicit Beda, triplicatum illum numerum 888. significare triplicem resurrectionem, quam Christus operatur. Est enim causa resurrectionis animæ ad gratiam, resurrectionis corporis ad vitam, & resurrectionis nostræ ad vitam immortalem. Hinc Tertull. dilucidè illud: *Ego sum Alpha & Omega*, dicit alphabetum Græcorum, qui sapientia excelluerunt, divisum esse in triplicem numerum octavum; sunt enim in eo monades octo, decades octo, & hecatontades sive centenariæ octo, ita ut ex his fiat numerus 888. quem continet nomen JESUS.

Nomen IESVS maximè in extremis invocandum.

Concludendum hic adjicio, nomen hoc æternum, nobis ad æternitatem esse Ducem. Unde summè fructuosum est in egressu ex hac mortalitate, in extremo spiritu illud invocare, nempè, nomen est vitæ contra tenebras mortis; nomen terribile contra incursus malignorum spirituum, omnes tunc vires ad hominem supplantandum intentantium. In figu-
Hebr. 11. ra hujus rei, Jacob moriens dicitur adorasse fastigium virgæ, quam Joseph habebat. Illa juxta B. Ephrem figura erat crucis, & fastigium significat Tabellam, in qua hoc nomen *Jesus Nazarenus*, exaratum erat. Moriens ergò in fide Redemptoris, irruit osculaturus, & veneraturus Sanctum nomen ejus, cujus aspectu frui non poterat: ut, sicut nunc Christiani morientes, ore vel corde invocant illud, ita ipse exosculans & corde colens discederet. Unde & Genes. 48. dicitur adorasse Dominum, non Joseph, quasi in figu-
Genes. 49.19. ra Christum adorarit, & nomen ejus. Unde etiam dicit: *Exspectare salutare tuum Domine.*

Quicumque verò in vita zelati sunt pro honore nominis ejus, illud habuerunt favorabile in morte, tanquam solatium, & præsidium. Sic B. Bernardinus extremum spiritum reddidit, dum a fratribus in
Jo.17.6. choro cantaretur illa Antiphona: *Pater manifestavi nomen tuum hominibus*, ipse enim hoc poterat dice-
Ps.141. 8. re, qui nomen ejus tulerat coram Regibus & populis. Sic B. Franciscus pronuncians versum illum: *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo,*
Ps.137.1. spiritum inter manus Redemptoris consignavit. Sic B. Ludovicus in extremo spiritu pronunciabat: *In*
Ps.148.1. *conspectu Angelorum psallam tibi & confitebor nomini tuo.* Sic B. Petrus Cœlestinus tanquam Cygnus cœpit decantare Psalmum: *Laudate Dominum de cœlis,*
Ps.150.6. ubi invocantur omnes creaturæ ad laudandum nomen Domini, & pronuncians illud: *Omnis spiritus laudet Dominum*, animam quasi sacratam Columbam emisit ad sinum Dei sui. Sic D. Paulus capite plexus ter pronunciat *Jesus*, & tres fontes erumpunt.

IN FESTO NOMINIS JESU.

OLEVM EFFVSVM NOMEN TVVM, Cant. 1.2.

ideò Adolescentula dilexerunt te nimis.

SIngula hujus sententiæ verba ponderabimus. *Primò* nomen JESU vocat *Oleum*, quia sicut Oleum superfertur cæteris liquoribus, inquit Bernardus, ita hoc nomen supereminet omnia alia nomina, sive Angelorum sive electorum omnium. In libro vitæ in quo descripti sunt omnes electi, ante omnia scriptum est benedictum nomen Salvatoris, quia in ipso nos omnes electi sumus: *In capite libri scriptum* Ps.39.8. *est de me.*

Item hoc nomen superat omnia alia nomina ipsius Christi. Tradunt Doctores sanctius, ac venerabilius esse, quam nomen Dei Tetragrammaton & ineffabile, quod vulgò dicitur Jehova. Quod non licebat proferre, nisi Sacerdoti summo. & hoc tantum in Sanctuario tempore jejunii, & in benedictione Sacerdotali, inquit Harphius. Et dicitur ineffabile, Vide latius Harphium in Theol. myst.
quia ejus significatio ab Humano corde comprehendi non potest. Loco verò ejus ponitur Adonai, quando in Biblia reperitur. Ratio verò, cur nomen Jesus excellet, est, quia Jehova significat *Eum qui est.* & idem est re cum illo nomine quo se nominat Deus Exod. 3. dicens: *Ego sum qui sum.* Jesus autem Exod.3. 14.
significat eum qui est, quia Creator est, ac simul perditos salvat, vivificat ac beatos facit. Declarant id sequentes antitheses. 1. Jehova fons est & principium Entis. Jesus Fons & Principium gratiæ, gloriæ, & salutis: 2. Jehova fuit Judæorum, & veteris testamenti Legislator. Jesus Christianorum, & novi Testamenti Legifer & Ductor. 3. Virtute nominis Jehova, contritus fuit Pharao & Ægyptus. Virtute nominis Jesu; diabolus & infernus. 4. Virtute nominis Com. in c.2.ad Phil.v.10.
Jehova, Hebræi mare transierunt. Virtute nominis Jesu, Christiani per ejus Sanguinem transierunt. 5. Virtute nominis Jehova in terram promissam appulerunt. Virtute nominis Jesu, Christiani ad cœlum venerunt.

Oleum quoque dicitur hoc nomen, *quia pascit, lucet, ungit. Lux, cibus, medicina*, ut latè tradit Bernard. S. Bernar. serm.15. in Cant.
Et sicut oleum vulnus lenit: ita vulnus in circumcisione inflictum, hoc sacro in nomine est mitigatum.

Secundò dicit *Effusum Oleum.* hoc cœpit impleri in ejus impositione, tunc namque cœpit aperiri unguentum illud odoriferum, & effundi: Joseph, Maria, & alii tunc ejus odorem suavissimum senserunt. Sed magis adhuc effusum est in ejus prædicatione: quia tunc per totum Orbem ad Barbaras usque Nationes ejus pervenit odor: *A solis ortu* Psal.112.
usque ad occasum, laudabile nomen Domini. Sicut, Maria fundente unguentum, tota domus repleta est odore: ita hujus nominis prædicatione totus mundus, nec solum mundus, sed cœlum. Angeli

cum

enim odorem sensernnt, & recreati sunt. Imò & infernum, nam & SS. Patres, & animæ Purgatorii, non fuerunt exortes gaudii ex hoc oleo lætitiæ prodeuntis. Antequam ergò Angelus hoc nomen revelaret Josepho, unguentum hoc velut clausum erat, odor, virtus, suavitas ejus ignota; tamen per rimulas quasdam, aliquid hujus odoris Patriarchæ & Prophetæ præsenserant. 1. Isaac suboleverat illud, dum benedicens Jacob, dicit: *Ecce odor Filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Senserat odorem Christi (cujus personam gerebat Jacob) qui debebat esse ager plenus gratiis, & donis odoriferis. 2. Jacob quoque ejus aliquam notitiam videtur habuisse, dum moriens dicit: *Exspectabo salutare tuum Domine.* Septuaginta legunt: *Exspectabo Jesum.* Et Paraphrasis Chaldæa habet: *Non exspectabo salutare tuum Gedeon filii Joas, quæ est salus temporalis, neque salutare Samson filii Manue, quæ est salus transitoria, sed resurrectionem filii David.* Hanas etiam præsenserat nominis hujus odorem, dum respirans ad illum reclamat: *Utinam disrumperes Cœlos, & notum fieret nomen tuum.* 4. Plenius Abacuc ejus odore recreatus, inclamat: *ego autem gaudebo in Domino, & exultabo in Deo Jesu mei.* 5. Apertè tamen cognitum non fuit illud in mundo, donec electi sunt, qui illud effunderent, *portantes coram Gentibus & Regibus*, ut Paulus & alii.

Gen. 27. 27.

Gen. 49. 18.

Hab. 3. 12.

Abac. 3. 18

Tertiò dicit, *Nomen tuum*, quia respicit ad hoc nomen *Jesus*, quod est proprium ipsius Sponsi; nomen enim *Jesus* est proprium, reliqua alia nomina, ut diximus, communia sunt, vel appellativa, vel metaphorica. Item dicit, *Nomen tuum*, nam specialissime Jesus est nomen ejus, quia ejus meritis, Passione, Sanguine acquisitum; nomen in quo gloriantur, tanquam speciali titulo victoriæ, quam tulit de peccato, morte, inferno, ut latè deduximus hic Propos. 2.

Quartò, addit: *Ideò adolescentulæ dilexerunt te nimis.* Nempè hic fuit fructus unguenti hujus effusi, quod animæ piæ ad odorem ejus accurrerint, & nomen illud suavissimum amârint nimis, hoc est, amârint vehementer & ardenter. Adolescentulæ ergò sunt animæ castæ, Agni Pedissequæ, etiam sponsæ sunt. Vel, si mavis, Adolescentulæ sunt incipientes, Pedissequæ sunt proficientes, Sponsæ sunt animæ perfectæ. Omnes illæ hoc odore recreatæ sunt, & dilexerunt hoc nomen odoriferum; quia pro illo tormenta, cruces, mortem toleraruntt, & sanguinem fuderunt, Agnes, Cæcilia, Lucia, & tot centenæ Virgines. Et quare non amarent nomen amoris, nomen sponsi sui, quod cordi suo cupiebant impressum, tanquam signaculum amoris perpetui? Ad ejus solam pronuntiationem ardebant, & cor earum liquefiebat. Quid putaris in tormentis fortes illas effecit, nisi hoc nomen, pro cujus gloria pugnabant, quod in mediis flammis invocabant?

Habes novissimè in Japonia, quandò Regulus Arimæ cædi Christianorum tribunal erexerat; mox ad viginti Christianorum millia sese ultrò præsentârunt. Territus Tyrannus, paucorum nece furorem suum satiavit, ex illis octo vivos cremari jussit, inter quos erat Pater & mater cum Filio duodenni, & filia viginti annorum, quæ in mediis flammis exultans, carbones ardentes capiti suo imponebat, quasi purpureis rosis se coronans. Frater ejus solutis igne vinculis, prunas cum gaudio calcans, ad matrem pariter ardentem, gratulabundus accurrit, terque sanctissima *Jesu* & *Maria* nomina altâ voce inclamans, & sanctæ Matris suæ gaudia cumulans, ad ejus latus extinctus concidit Anno 1617.

Exempl. ac Ex. Ja- pon. vj. Tract. 1. lect. 8. propos. 4. ubi idem refertur.

Vide etiam, quomodò oraverit B. Theophila, cùm ad lupanar duceretur violanda: *Mi Jesu*, inquit, *mea lux, mens spiritus, meus amor, serva ô sponze, sponsam, serva fons castitatis castitatem meam*, &c. Historiam supra latè retulimus, Tract. 2. Lect. 6. de custodia Angelorum, Propos. 3. in fine.

De B. quoque Mechtilde legimus, quod cùm luctaretur cum gravissimo morbo in extremis, nihil aliud relonabat ad singula, quam: *O bone Jesu, ô bone Jesu.* Undè & vox Sponsi sui ad eam venit: *Veni benedicta Patris mei, posside regnum, quod tibi paratum est à constitutione mundi.*

VI. Lect. 13. de Sent. Judicis pro Electis.

Neque verò solum animæ piæ, sed & in peccatis fœtentes, & velut mortuæ, ad ejus odorem attractæ sunt. Ad nomen hoc, tanquàm ad nomen vitæ respirârunt, dicentes Domino: *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum est enim*: ita ut luce hujus nominis, & tenebris peccatorum & umbra mortis emerserint. Quidni enim eas attraheret nomen hoc pietatis, misericordiæ, mansuetudinis, salutis; quod suo odore habet vim dispergendi fœtorem omnem infernalem, fumum peccati, suggestiones fœtidas maligni?

Ps. 24. 11.

Trahe ergò, Domine, omnes animas pias, trahe omnes torpentes, omnes mortuas in peccatis, odore nominis tui, ad te. Habet enim nomen hoc funiculos amoris, quibus omnes tibi ligatos trahat. Trahe rebelles, ut currant in odorem unguentorum tuorum, post exempla virtutum odoriferum. Trahe justos, per truces, spinas, tormenta, sanguinem, mortem, ut omnes zelentur, & certent pro gloria Nominis tui.

IN EODEM FESTO.

IN SOLE POSUIT TABERNACULUM suum.

Ps. 18. 6.

COnsuetudo pingendi nomen Jesu ad modum Solis radiantis, ortum maximè videtur habuisse a tempore D. Bernardini. De illo refertur, quod cum divinis rebus vehementi zelo concionaretur, inter cætera contra tabulas lusorias & tesseras, ita zelosè egit, ut multi permoti, illas flammis absumerent. Qua de re indignatus quidam, qui ex iis lucrum captabat, B. Virum accessit, conquestus se ad inopiam redactum. Rogat Bernardinus, an aliud artificium calleat? Negat ille. Bernardinus ergò circino circulum expressit, in eoque Solem depinxit, & in medio sanctum Nomen JESUS, cujus fumanus

Digitized by Google

ſummus erat cultor. Immò de illo adeò ſublimiter concionatus Romæ fuit, ut quidam ejus verba non capientes, hæreſim ei impingere voluerint: at poſtero die, illo concionante, ut miraculo concionis ejus veritas indicaretur, nomen Jeſus in tali forma, qualem pinxerat, miro ſplendore ſuprà illum apparuit. Hanc ergò effigiem juſſit virum illum arte ſuâ imitari, ex qua opes non paucas congeſſit. Et hæc eſt cauſa, cur Bernardinus Solem in manu geſtans depingi ſoleat cum nomine Jeſu.

Sur. in vita S. Bernardini.

Aptè verò in Sole ponitur, & repræſentatur hoc nomen, tanquam in Symbolo ſuo. Quid enim eſt Sol, niſi *Lampas univerſi, oculus mundi, pulchritudo cœli, jucunditas diei, menſura temporum, vigor nascentium, Dominus Planetarum, decor ſtellarum*, inquit Ambroſius? Quid eſt nomen Jeſus, niſi Lampas totum Orbem illuminans, & ſplendore illuſtrans? De quo dicebat Propheta: *Propter Sion non tacebo, donec egrediatur ut ſplendor Juſtus ejus, & Salvator ejus ut lampas accendatur.* Nempè nomen hoc, pulchritudo eſt Eccleſiæ, & in die gratiæ tota jucunditas animarum ſanctarum. Vigor quoque eſt plantarum, hoc eſt, fidelium, quæ ſunt plantæ in horto Eccleſiæ, vigorem & incrementum omne ab hoc nomine mutuantes & ſugentes. Denique, hoc nomen decor eſt ſtellarum, hoc eſt, electorum; quia ab illo omnem ſplendorem ſuum participant, in illo gloriantur, omnis ſalus, omnis vita, omnis gratia, omnis gloria, virtute illius nominis juſtis & electis provenit: ſicut omnis lux, qua ſuperiora vel inferiora illuminant vel illuminantur, a Sole procedit. Sicut ergò Sol illuminat montes, valles & terræ penetralia; ita hic myſticus Sol illuminat Cœlum, Mundum, Purgatorium; illuminat etiam incipientes, proficientes, perfectos, radio recto, obliquo, reflexo. Item ſicut Sol luce ſuâ veſpertiliones & talpas in antra fugat, ita virtus hujus nominis idola fugavit, infidelitatiſque noctem & poteſtates tenebrarum. Hinc Solem tulerunt Apoſtoli per quatuor orbis plagas, ut implerentur Scripturæ: *A Solis ortu uſque ad occaſum laudabile nomen Domini: Domine Deus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra!*

Ambroſ. in Hexa.

Iſa. 62. 1.

Pſal. 11.

Pſal. 8. 1.

Ut verò virtus hujus nominis exprimatur, aptiſſimè ei attribuuntur radii ſurſum, deorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum.

Primò, per radios ſurſum tendentes, ſignificatur virtus hujus nominis ad Cœlos uſque pertingere, & ibi illuminare Beatos, & lætificare Angelos. Adorant enim ipſi hoc nomen ſumma cum reverentia, ejus laudes canunt, & eamnem gloriam ſuam ejus virtuti attribuunt. Sic Seniores in Apoc. mittebant coronas ſuas ante thronum Agni, hoc eſt, nomen Agni, cui omnes Electorum coronæ adſcribi meritò debent. Ne verò mirum, quod hoc nomen lætificat civitatem Dei, non ſolùm beatas animas, ſed & Angelos, cum hoc nomen ſit nomen illius, qui caput eſt hominum & Angelorum, qui multa dona gratiæ & charismata in eos influit.

Secundò, radii deorſum, ſignificant animas Purgatorii, ab hoc nomine refrigerium participare, quandò pro illis hoc nomen invocatur. Item ſignificant luce ejus terreri infernum & ſatanæ regnum. Undè dicit Chriſtus: *In nomine meo dæmonia ejicient.* Quæcunque mira Apoſtoli circà obſeſſos fecerunt, in virtute hujus nominis fecerunt. Magna prodigia patrata ſunt per virgam Moyſis, dicuntque Hebræi, virgam habuiſſe hanc virtutem ex nomine Dei ineffabili; undè Abulenſis, explicans illa verba: *Moyſes portans virgam Dei in manu ſua*: dicit ideò dici virgam Dei, quia literas nominis Dei haberet circumſcriptas. Hinc aliqui dicunt fuiſſe virgam quadratam, ita ut nomen Dei tetragrammaton quadrilarerum, unam ex ſingulis ſuis literis in unaquaque parte virgæ habuerit. Quicquid ſit, longè plura operati ſunt Apoſtoli prodigia, & majora in virtute nominis Jeſu. Similiter & Apoſtolici viri ad ſatanæ ejectionem virtute hujus nominis uſi ſunt.

Marc. 16. 17.

Abul. in c. Exod. 4. 10.

Tertiò, radii à dextris, ſignificant juſtos omne lumen ab illo accipere: quicquid enim lucis, quicquid gratiæ, quicquid donorum Dei habent, virtute hujus nominis habent, Apoſtoli charitatem eminentem, Martyres conſtantiam, Confeſſores pietatem, Sacerdotes zelum, Anachoretæ auſteritatem, Virgines caſtitatem ac puritatem. Ideò eis hoc nomen totum cordis gaudium eſt, totus amor, ſpes, cibus, gloria. *Ipſis mel in ore, melos in aure, jubilus in corde*, ideò cantant ei canticum novum & jucundum, *quia exaltatum eſt nomen ejus ſolum.*

Pſ. 148. 13

B. Franciſcus tantâ cordis & oris ſuavitate nomen illud repetebat, ut cum illud pronunciaſſet, labia ſua propter ſuavitatem lamberet: & præcipiebat fratribus, ut ubicunque reperirent illud in chartis fortè diſperſis, loco honorifico reponerent.

Exempl.

B. Antonius in tentationibus ſuis ad illud recurrebat. Undè cum ſemel graviſſimè conflictatus, imò obrutus, & in terram proſtratus fuiſſet, luce quadam cellulam intrante recreatus, ſentiens Domini adventum, inclamabat: *Ubi eras bone Jeſu? Ubi eras bone Jeſu?*

D. Auguſtinus fatetur ſibi in deliciis fuiſſe à puero, dum ait: *Hoc nomen Salvatoris mei filii tui mecum ſuſcepi adhuc lacte Matris, tenerum cor meum piè biberat, & altè retinebat: & quicquid ſine hoc nomine fuiſſet, quamvis literatum, expolitum, & veriſicum, non me totum rapiebat.*

Auguſt. li. 3. Confeſſ. c. 4.

D. quoque Bernardus: *Aridus eſt omnis animæ cibus; ſi non oleo iſto perfundatur; inſipidus, ſi non hoc condiatur. Si ſcribas, non ſapit mihi, niſi legero ibi Jeſum. Si diſputes aut conferas; non ſapit mihi, niſi ſonuerit ibi Jeſus, mel in ore, in aure melos, in corde jubilus.*

Bernard. Ser. 15. in Cant.

Alphonſus a Spina Ordinis D. Franciſci famoſus & zeloſus Prædicator, ita huic nomini afficiebatur, ut viginti quatuor continuas Conciones de illo ad populum habuerit. Cùm verò mirè ſalutem animarum ſitiret, & totus incumberet, ut Chriſto eas

Gonzag. de orig. Relig. Franciſ.

Digitized by Google

eas lucrifaceret; semel melancholica quadam imaginatione subrepente, tristior agebat apud puteum Vallesoletani Conventus, cogitans anxius, an frequentibus Concionibus fructum faceret. Et vocem è sublimi audivit, jubentem ut situlam in puteum demittat, & aquam hauriat. Cùm obtemperaret, viginti quatuor subalbos lapillos, Jesu nomine insignitos, in fundo situlæ reperit, juxta viginti quatuor Conciones, quas paulò ante de nomine Jesu habuerat. Unde confirmatus, totis nervis postea Prædicationis officio incubuit.

Pet. de Natal. l. 3. c. 64. 1. Febr.

Quid de S. Ignatio Episcopo & Martyre dicam? Hic martyrio vicinus, frequentissimè illud corde & ore revolvebat: *Iesus amor meus.* Quod etiam sæpius reperit in epistola, quam scripsit ad Romanos. Hinc aliqui dixerunt, per carnifices extractum ei cor fuisse, in quo inventum fuerit nomen JESUS scriptum aureis literis; quamvis id neget Baronius, ad annum Christi 110. probans authoritate aliquorum Patrum, Ignatium vivum leonibus objectum fuisse, & ut optaverat, totum ejus corpus, & ipsa quoque ossa dentibus eorum comminuta & commolita fuisse, ut verum foret: *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar.*

D. Paulus in hoc nomine ita oblectatur, ut singulis fere periodis illud repetat in epistolis suis. Unde, quantum potui annotare, repetit illud ducenties, decies, novies: & usque ad mortem ei in deliciis fuit; ita ut capite plexus, cùm illud separatum foret à corpore, tres dans saltus, tertiò nomen Jesus pronunciârit; & tres fontes eruperunt, qui adhuc Romæ ostenduntur.

Quartò radii à sinistris significant per illud peccatores (qui per eos, qui a sinistris sunt, intelliguntur) ad lucem revocari. Respirant enim hi ad nomen hoc salutis, & nomen vitæ, spemque concipiunt, lachrymantur, & corde finduntur, concipientes novum salutis desiderium & ardorem. Unde dicebat Propheta: *Utinam descenderes, & notum fieret nomen tuum*, tunc enim *montes defluerent à facie tua, & aqua arderent igni.* Sensus est: Superba hominum corda, tunc vi nominis, & vi gratiæ tuæ emollires & inflecteres; & faceres, ut torpida & frigida eorum corda, tanquam aquæ, igne amoris tui accenderentur. Vocat enim ibi superbos *Montes*, quia duritie & altitudine rupibus similes sunt. Vocat frigida corda *aquas*, quia in illis scintillæ divini amoris extinguuntur: sed nullum est cor adeo superbum & durum, adeo frigidum & rigidum, quin se demittat, & ardescat, in consideratione amoris, quo Filius Dei erga nos afficitur, qui amor hoc nomine JESU significatur. Et ideo optat Propheta, ut notum fiat nomen ejus.

Is. 64. 1. 2

Sidon. Apollin. V. Precii. Hierogl. collectâ. l. 6. V. Sol. Ps. 104.

Solebant Antiqui, ut efficaciam Dei benignè nos respicientis indicarent, Solem pingere cum triplici radio: horum unus acervum nivis tangens, eum liquefaciebat: alter dirigens se contra rupes, petras ibi findebat, & comminuebat. Tertius directè ferebatur super hominem mortuum, & illum suscitabat. Quis non videat hos omnes effectus in Sole hoc nostro? Liquefacit enim radiis suis nivem, hoc est, frigida hominum corda, ita ut in lachrymas defluant. Hinc illud de D. Magdalena.

Nix ego, Sol Christus, radiorum ardore liquesco,
An mirum, ex oculis si fluit unda meis?

Secundò findit petram, hoc est, dura & obstinata corda conterit ad pœnitentiam virtus hujus Nominis.

Tertiò mortuum suscitat, quia animas in peccatis mortuas, potens est ad vitam reducere. Ideo peccatores ad illud accurrunt, & Domino dicunt: *Propter nomen tuum Domine, propitiaberis peccato meo.* Et David in persona eorum dicebat: *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, Nomini sancto ejus, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, &c.*

Ps. 24. 11.

Ps. 102. 1.

Ergo quicunque jaces in tenebris, & umbra mortis, ne avertas oculos a fulgore hujus sideris. Quicunque fluctuas inter procellas & scopulos tentationum, ne avertas oculos a fulgore hujus sideris, & senties auxilium salutis. Quicunque criminum immanitate turbatus, & conscientiæ fœditate confusus, judiciique horrore perterritus, desperationis abyssò es proximus, Jesum cogita, Jesum invoca, ne avertas oculos à fulgore hujus sideris. Sic verè experieris, quam meritò *vocatum sit nomen ejus IESVS, quia salvat populum à peccatis eorum.*

LECTIO IX.

DE NOMINE CHRISTUS.

1. *Docet, Christum nominari, quia unctus ut Sacerdos.*
2. *Quia unctus ut Rex.*
3. *Quia unctus ut Propheta.*

PROPOSITIO I.

Christus est nomen dignitatis & officii, significatque in eo triplicem dignitatem supremi Sacerdotis, Regis & Prophetæ.

Christus nominatur, quia est unctus ut Sacerdos.

HOs Deus per unctionem consecrari præcepit, quia majestatem Dei in terris referunt, & Christi vocabantur: *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* Ubi posterius est explicatio prioris. Significabantur ergo per hanc unctionem gratia & virtute quadam imbui, quam in plebem diffundere deberent; hoc enim significat oleum quod supernatat, imbuit, & se diffundit. Inde per excellentiam noster Messias Hebraicè, Græcè Christus, Latinè Unctus dicitur, non oleo materiali, sed omnium donorum plenitudine, quæ copiosius effusa sunt in Christum, quàm in ullam creaturam: *Non enim ad mensuram dedit Deus spiritum Filio.* Gratia ergo in illo est quasi infinita, quia debebat ipse cæteris mensuram aliquam gratiæ ac spiritus sui immensi communicare.

Ps. 104. 15.

Digitized by Google

sentiam, & clamantium ad Deum Patrem, apud quem Filium mittendi principaliter est authoritas. Hanc ergo Scripturam sic intelligendo, Pater dicitur osculans, Filius os ejus, humana natura osculum recipiens, illud verò osculum, est unio Filii Dei ad humanam naturam in una persona. Vide latius D. Bernardum.

Bernard. serm. 1. in Cant.

Secunda Scriptura est apud Isa. *Propter Sion non tacebo, & propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, & Salvator ejus, ut lampas accendatur.* Ubi summis votis se flagitare & ardenter se clamaturum significat ad Deum, ut Filius egrediatur de sinu Patris, & Matris visceribus; quasi splendor ad illuminandum veniens, & vitrum per quod tranfit non lædens, sed pulchrius & splendidius reddens, hoc est, virginitatem Mariæ illustriorem efficiens. Nec sine emphasi dicit: *Accendatur ut lampas.* In lampade tria sunt, vas vitreum, oleum & lux. Sic in Christo corpus fragile, oleum misericordiæ, lux Divinitatis. Ipse ergo velut lampas exponitur in medio Ecclesiæ, ut omnem dissipet caliginem; ideo dicit, propter Sion se clamaturum, hoc est, propter gloriam Ecclesiæ per Christum illuminandæ.

Isa. 62. 1.

Tertia Scriptura est: *Emitte Domine Agnum, Dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion.* Prophetæ & Evangelistæ vocarunt Christum Agnum; tum ob innocentiam & puritatem, tum ob eximiam mansuetudinem, tum quia immolandus venerat, & ut agnus debebat portari ad victimam: vocat Propheta hunc Agnum hic *Dominatorem universæ terræ.*

Isa. 16.

Pro quo nota, Regnorum insignia solere esse Leones, Aquilas, Leopardos, Tigrides, Dracones, & animalia ferocia, ut potentiam & fortitudinem suam ostendant, & terrorem incutiant. Hujus verò Regis & Dominatoris insigne, est Agnus, ut nos ad amorem alliciat, & quia humilitate & mansuetudine sua totum orbem sibi subjecit. Est ergo sensus: Emitte, ô Pater, Agnum illum tandiu desideratum, qui dominari debet universæ terræ; & videamus eum venientem de petra deserti, hoc est, de Moab, quæ est in Arabia Petræa, quia de Ruth Moabitide oriundus est. Secundò, emitte illum, ut venientem videamus, & orientem de stabulo Bethleemitico, in petra & rupe excisо; venientem etiam postea, de deserto post 40. dierum jejunium inter rupes & sylvas, ut tandem ascendat ad montem filiæ Sion, ad montem Calvariæ, ubi immolandus est pro orbis salute. Per petram quoque deserti recte intelligitur Virgo, de qua *sine manibus lapis* Christus *abscessus est.* Petra fuit, in integritatis proposito firma, affectu solida, & adversus illecebras peccati intentibilis & lapidea. Petra deserti, quia, ut desertum, inculta fuit & intemerata. *Emitte* ergò *Agnum de petra*, hoc est, sanctum & inviolabilem, sancta & immaculata virginitas proferat. Et rectè Christi occasus orrui, sepultura Conceptioni respondet; dum emitteretur Agnus de petra deserti, condendus in petra monumenti: & cujus corpori monumentum erat excidendum in petra, ipse sibi initio excidit corpus de petra, non violans integritatem petræ, dum de ea emitteretur; sicut nec signatam sepulturæ petram, dum de ea egrederetur. Ita Guericus Abbas, discipulus S. Bernardi.

Guer. ser 2. de Annunc.

Quarta est apud eundem Isa. *Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum,* &c. Ubi orat, ut è cœlis Spiritus sanctus veniens, fœcundet uterum Virginis; & terra virginea det fructum suum, materiam dans corpori, ut generetur justus ille, qui omnes debet justificare. Videtur etiam in hac Scriptura in persona SS. Patrum velle Prophetam advocare omnes creaturas, cœlum, nubes, terram; & velut eas invitare ad cooperandum, & mysterium hoc perficiendum: ex quo nova dignitas debet omni creaturæ provenire, dum in homine assumpto ad divinam naturam & personam, velut renovationem quandam accipit totus orbis, ut supra explicui.

Isa. 45. 8.

Quinta est apud Psalmistam: *Tu exurgens Domine, misereberis Sion, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.* Inclamabit hic humana natura, cupiens à peccati miseriis liberari, & quasi dormientem excitat Deum, repræsentatque terminum promissionis advenire, repræsentat, ut recordetur pacti initi cum Abraham & Patribus. Unde legit D. Hieronymus: *Venit pactum.* Dicit ergo: Quamdiu differs remedium instar dormientis? Quamdiu oblivioni traditi sumus, tanquam mortui à corde? Quamdiu sceptrum exactoris & jugum oneris ejus, & virga humeri ejus populum tuum sine refrigeratione opprimet? Quamdiu non consideras angustias supplicantis? Tempus nunc, salutis & misericordiæ tuæ, tempus implendi promissionem & pactum tuum. Tandem benignitas Dei mota, & victa precibus supplicantium, & miseria eorum, videtur respondere in altero loco Psalmi: *Propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam.* Ex quibus verbis Theologi colligunt, SS. Patres Dei amicos, orationibus suis pie & perseveranter factis, meritos esse executionem Incarnationis Filii Dei, & acceleratorem ejus, ut propterea dicatur: *Nunc exurgam.* Congruum enim erat, eos a Deo exaudiri, dum faciunt quod in se est, dum piè & perseveranter ab eo petunt, quod ad salutem erat necessarium; talis enim oratio amicorum Dei, de congruo merebatur exaudiri. Unde Danieli dicitur: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt:* & ibidem videtur præmitti ratio, dum dicitur: *Quia vir desideriorum es.*

Psal. 101. 14.

Sol. & alii.

Dan. 9. 24

Sexta est apud Abacuc: *Usquequò Domine clamabo, & non exaudies, vociferabor ad te vim patiens, & non salvabis? Quare ostendisti mihi videre iniquitatem & laborem? Lacerata est lex, prævalet impius adversus justum.* Quasi dicat Propheta: Regnat ubique profunda iniquitas, Dei oblivio, injustitia & perversitas: Et ego ad te clamo, & vociferor, ut mittas eum qui debet salvare, & oppressos eripere, & finem iniquitati dare. Subjungit verò capite sequenti responsum: *Et respondit mihi Dominus, scribe visum, & ex-*

Abac. 1. 2.

Cap. 2. 2.

Luna

explana eum super tabulas, ut percurrat, qui legerit. Sensus est: Scribe visionem, quam tibi ostendo, & tam apertis literis scribe, ut non immoretur, qui legerit, sed omnes statim facilè legant, & intelligant. Sed quid jubetur scribere? hoc quod sequitur. *Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Non tardabit, quia tempore veniet à se determinato, & ultra suum tempus non differetur; ille enim non dicitur tardare, qui suo tempore venit. Deinde, Prophetis elevatis ad considerationem æternitatis, modicum tempus dicitur, etiamsi mille anni sint. Hæc verò intelligenda esse de
Cap. 3. Christo, patet ex sequentibus, dum ait: *Domine, audivi auditionem tuam, & timui: opus tuum in medio annorum, vivifica illud: in medio annorum notum facies, cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis:* q. d. Considerans plenius promissionem mihi factam, raptus sum in admirationem. Consideravi enim, quòd tandem misericordiæ recordaberis. *Consideravi te de monte Pharan venientem*, hoc est, de monte umbroso, & condenso, de altissimi Patris sinu. Consideravi denique *ab Austro venientem*. quia orieris de Bethlehem, quæ est ad Austrum, & diabolus fugiet, & morsante pedes tuos. Unde gratias agens de tanto beneficio: *Gaudebo in Domino, & exultabo in Deo Jesu meo.* Hæc sparsim ibi ad Christum spectant.

Septima Scriptura, quæ huc referri potest, est illa
Isa.21.11. apud Isaiam: *Ad me clamat ex Seir, Custos quid de nocte, Custos quid de nocte?* Quod sic mysticè quidam interpretantur. O Deus, qui custos es hominum, & speculator super salutem eorum, de æternitatis specula: *Ad te clamat Seir*, populus gentilis & peccator, (Seir erat nomen Esau, à quo multæ gentes descendunt, & significat pilosum.) Clamat ergo: *Quid de nocte.* Quid de tanta tribulatione fiet? Quota hora noctis est? Num diu adhuc duratura est? Quamdiu in hac peccatorum & ignorantiæ nocte versabimur? Nunquid appropinquat dies? Quando aderit aurora gratiæ, & mane illud, quo Sol Justitiæ Christus ornatur, ut omnem è mundo pellat caliginem. Quando poterimus dicere, nox præcessit, dies appropinquavit? Respondet custos: *Venit mane & nox, si quæritis, quærite, convertimini, & venite.* Obscura responsio, cujus ad nostrum propositum hic potest esse sensus. Nox quidem adhuc est, sed instar mane: si quæritis Christum, & ejus gratiam ac lucem, quærite diligenter, perseverate in quærendo, & tandem invenietis. Sic Simeon justus, velut alter Jacob, tota nocte luctabatur cum Deo, desideriis, votis, lachrymis; nec voluit eum dimittere aut dimitti, nisi voti compos fieret, & benedictionē imperaret. Unde responsum
Luc. 2. accepit, *non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini:* Perseveravit quærendo, & invenit, ac eum
Gen. 49. 18. complexus est: *Salutare tuum exspectabo Domine.* Vidit ergò eum venientem tanquam *Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis suæ Israel.* Unde in
Isa.62.1. illo verificatum illud fuit: *Propter Sion non tacebo, propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur splendor justus ejus, & Salvator ejus, ut lampas accendatur.* Omnia desideria SS. Patrum, in corde Simeonis, velut scintillæ in fornace amoris, videntur coadunata fuisse & efferbuisse: ideoque meruit responsum, & desideriorum omnium præcedentium in animabus justis effectum: dum amplexatus est sacri amoris ulnis illum, qui erat *Desiderium collium æternorum.*

PROPOSITIO II.

Licèt Incarnatio tot votis expetita fuerit, longo tamen tempore distulit eam Deus. *Incarnatio cur dilata fuerit.*

CONveniens verò id fuit, cùm enim ordinatum fuerit, ab ipsa Sapientia, quæ disponit omnia suaviter: quis dubitabit id congruum fuisse? Rationes congruentiæ variæ sunt.

Prima: Non fuit conveniens statim fieri à peccato, ne homo mali quo laborabat perniciem, & beneficii quod acceptarus erat magnitudinem, ignoraret. Dilata ergò fuit, ut interea morbi magnitudo innotesceret, & gratiæ Mediatoris necessitas appareret. Homo superbiendo peccarat, debuit se humiliando agnoscere, indigere liberatore, & diu ad eum clamare. Reliquit Deus enim prius hominem in libertate arbitrii in lege naturæ, ut sic vires naturæ suæ agnosceret, ubi cum deficeret, legem accepit; qua data invaluit morbus, non legis, sed naturæ vitio: ut ita naturæ cognita infirmitate clamaret ad medicum, & gratiæ quæreret auxilium. Et sæpè medicus exspectat, ut malum ad summum increverit, ut artem ostendat. Ita cùm nec naturæ lex, nec Moysis sufficere potuit, illustrior apparuit ars Christi, & effectus gratiæ ejus. Simulque tarditas hæc cessit in punitionem peccati, quia ostendere voluit homini, quàm grave fuerit peccatum primi hominis, & quam sibi displicuerit, cùm per tot annorum millia illud punivit. Jacebat ergò homo quatuor millibus annorum æger planè desperatus in putredine & corruptione: Visitare eum venerant tot Prophetæ, consolationis aliquid & spei dare poterant, sanitatem non poterant; necessarium fuit clamare ad medicum, qui unguento confecto ex suis visceribus, solus posset mederi, & omnem languorem tollere.

Secunda ratio sumitur ex parte dignitatis Verbi, ut quantò is, qui expectabatur, major erat, tantò eum præconum longior series præcederet, qui variis signis, figuris, oraculis, mentibus hominum eum repræsentarent: unde prædicendus fuit per multam seriem temporum, & annorum.

Tertia ratio est; quia debebat prius disponi ad tantum mysterium suscipiendum, & instrui mundus ad fidem illius mysterii, ut facilius crederetur. Quod factum est primò per legem naturalem, & generalem promissionem, spemque Mediatoris. Secundò per legem scriptam, & expressiores Prophetias. Tertiò per tot cæremonias & sacrificia, quæ Christum præfigurabant & promittebant: instruebatur enim genus humanum, & initiabatur ad futurum in ara Crucis sacrificium. Hinc dicit

D. Leo.

S. Leo. D. Leo: *Hæc ſalutiferi operis mora, nos capaciores, ſic vocationis eſſe fecit, ut quod multis ſignis, vocibus & myſteriis fuerat pronuntiatum, in his diebus Evangelii non eſſe ambiguum.*

Quærunt interim Gentiles, cùm Evangelium illis prædicatur (quod olim Porphyrius quidam paganus objecit Auguſtino:) Si Deus propter ſalutem hominum homo factus eſt, cur non ab initio, ut plures ſalvarentur? Multi enim ignorantes Deum, in peccato ſuo perierunt diverſis ſæculis.

Reſpondeo: Deum illo tempore venille, quod ad ſalutem Electorum congruentiſsimum fuit; & licèt venerit omnes ſalvare quoad ſufficientiam, non tamen omnes quoad efficaciam, ſed ſolum electos. Cur autem hi, & cur in tanto numero electi, quis cognovit ſenſum Domini? Voluit in his, qui liberantur, oſtendere miſericordiam, in his, qui ob peccata puniuntur, juſtitiam.

Reſp. 1. Non plures ſalvandos, licèt veniſſet initio, ſi conſideremus conditionem hominum, quia tunc pauci erant homines ad ejus doctrinam ſuſcipiendam, & pauci, qui ejus gratiâ & præſentiâ fruerentur, aut quibus Evangelium, vel ab ipſo, vel à diſcipulis poſſet prædicari. Deinde, paulatim fides & charitas langueſcerent, quia hæc eſt hominum conditio. Nam videmus in Eccleſia primitiva, homines paulatim a fervore declinaſſe. Videmus & initio mundi, Dei cognitionem & morum honeſtatem ſtatim cœpiſſe languere & deficere. Videmus & in Religionibus quodammodò paulatim deficiunt à primo fervore. Sic ergo brevi tempore, & in paucis hominibus fervor fidei duraſſet, & genere humano propagato fides illius myſterii jam fuiſſet obſcurata.

PROPOSITIO III.

Convenientiſſimo tempore Chriſtus venit.

Chriſtus venit convenienti tempore.

VEnit enim velut in medio ſæculorum, tanquam communis Salvator, juxta illud: *Opus tuum in medio annorum, vivifica illud.* In medio annorum captivitatis & peregrinationis noſtræ, notum fecit Abac. 3. 1. Dominus ſalutare ſuum: quod non eſt intelligendum præciſè, (nam ſic ſcirent diem judicii ſaltem Angeli) ſed morali quadam ratione. Et propriè loquendo, in Scriptura illud dicitur *in medio*, quod eſt inter extrema, licèt non ſint æqualia. Non ergò planè initio venit, nec omninò in fine, ſed velut in medio, ut pluribus modis omnes ſalventur. Primò aliqui per fidem venturi. Secundò aliqui per fidem præſentis. Tertiò alii per fidem præteriti. Pro quo etiam nota, quòd triplex eſt perfectio juxta D. D. Thom. Thomam, perfectio naturæ, gratiæ, & gloriæ. Perfectio naturæ fuit in principio ſæculorum. Perfectio gloriæ erit in fine. Perfectio gratiæ media eſt inter utramque; ideo Chriſtus, per quem gratia facta eſt, circa medium ſæculorum venit, ut communis Salvator. Nec decuit differri in finem omnino ſæculi, quia jam mores omnino corrupti forent, fides amiſſa, & animi deſperatione fracti: quod facilè crediet, qui corruptionem morum in lege naturæ & ſcripta, cùm ad fines ſuos devenerunt, conſideraverit. Tempus tamen novi teſtamenti, aliquando dicitur finis ſæculorum, juxta illud: *Scripta ſunt ad correptionem noſtram, in quos fines ſæculorum devenerunt.* 1. Cor. 10. 11. Item: *In novissimis diebus erit præparatus mons domus Domini. Filioli, novissima hora eſt,* inquit Joannes. Quæ omnia dicuntur, quia hoc tempore data eſt lex ultima, & completæ Prophetiæ, eſtque ultima ætas mundi. Habet enim mundus ſex ætates, juxta Auguſtinum. Iſa. 2. 2. 1. Joan. 18.

Mundi ſex ætates.

Prima ætas, ab Adam uſque ad diluvium:
Secunda, à diluvio uſque ad Abraham:
Tertia, ab Abraham uſque ad David:
Quarta, à David uſque ad captivitatem Babylonis:
Quinta, ab illa captivitate uſque ad Chriſtum:
Sexta, a Chriſto uſque ad finem mundi. Hæc licèt diuturnior ſit, cenſetur una, quia durat ſemper eadem Eccleſia, eadem forma regiminis, eadem gratiæ communicatio, eadem lex, idem Sacerdotium.

Dicitur & hoc tempus novissima hora, comparatione ad æternitatem, ad quam *mille anni tanquam dies heſterna, quæ præterit.* Unde refert Hugo Cardinalis, quòd quidam conjurans dæmonem, eum interrogabat in perſona obſeſſi, quando cecidiſſet de cœlo? Reſpondit: Heri. Cui ille: Mentitis, patet mendacii. At dæmon: *Cur me arguis mendacii? Si ſcires æternitatem, totum tempus à conſtitutione mundi unam horam reputares.* Ita Hugo. Pſ. 89. 4. Hugo in Pſal. 89.

Porrò opportunissimo tempore Chriſtum veniſſe, docet D. Bernard. his verbis: *Sapienter diſpoſuit Sapientia, ut cùm magis eſſet neceſſarium, tunc primò offerret auxilium; nam lux divina notitia parva erat, abundante iniquitate refrigueraat charitas, jam non apparebat Angelus, non loquebatur Propheta, ceſſabant velut de ſperatione vicii, pra nimia hominum obſtinatione. At ego, ait ſibus, tunc dixi: Ecce venio. Si ſic, dum medium ſilentium tenerent omnia, omnipotens ſermo tuus Domine, à regalibus ſedibus venit, &c.* Ita Bernardus. Bernard. ſerm. de Adventu.

Hinc tempus, quo Chriſtus venit, dicitur *Plenitudo temporis.* 1. Quia erat tempus illud opportunum, quo debebant impleri divinæ promiſsiones. Secundò, quia tunc debebant impleri omnes Prophetiæ viſiones. Tertiò, quia debebant impleri omnes figuræ & cæremoniæ legales. Quartò, quia illo tempore debebat dari plenitudo gratiæ, & donorum ſpiritualium. Denique, quia & illo tempore debebant impleri ruinæ Angelorum, & reſtaurari univerſa, ſive quæ in cœlis, ſive quæ in terris, ut ſupra explicui.

LECTIO VII.

ARTICVLVS II.

ET IN IESVM CHRISTVM.

DE NOMINE JESU.

1. *Docet, IESVM eſſe nomen proprium.*
2. *Impoſitum eſſe à Patre.*

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO I.

Hoc nomen, est Christi nomen proprium.

De nomine IESV. IESVS est Christi nomen proprium.

Sicut nomen meum est Jacobus, & alterius Petrus aut Paulus, ita hujus hominis, qui est Filius Dei nomen proprium est Jesus. Et hinc est, quod ad ejus pronuntiationem, reverentiam facimus, & non ad alia ejus nomina. Alia nomina sunt communia seu appellativa, vel ei accomodata. Sic dicitur Christus a dignitate, quod nomen Regibus etiam convenit & Sacerdotibus, licet illi per excellentiam tribuatur. Sic aliquandò dicitur Pastor ovium, Via, Agnus, Leo, Petra, Vitis: sed hæc nomina sunt metaphorica, ad significandam aliquam in ipso proprietatem. Verum, hoc nomen Jesus, proprium est, ad hanc personam divinam in hac natura humana significandam impositum.

Sed quæritur, an sit proprium, ut nunquam alteri fuerit impositum? Affirmant Galatinus, Pagninus, Jansenius. Licet enim aliqui sint similiter vocati, ut Jesus nave, Jesus Syrach, Jesus Josedech; dicunt tamen easdem non fuisse omninò litetas, nec significationem. Nomen enim eorum erat, *Iehoſua*, hoc est, Deus salvabit, nomen Christi erat, *Ieschua* hæbraicè, græcè Ἰησοῦς latinè Jesus, id est, Salvator & ipsa Salus. Undè dicitur: *Vocabitur tibi nomen novum,*
Isa. 62. 2. *quod os Domini nominavit.* Hæc Scriptura, si benè attendatur, de Ecclesia intelligitur. Loquitur enim ibi Propheta de Sion, quæ Ecclesiam significat, de qua dicit, quod non vocabitur amplius antiquo nomine, *Ecclesia Israelis*, sed Christi Redemptoris, ut ibi notat D. Hieronym. Vel ut alii explicant; Nomen novum Ecclesiæ, sivè Sion, erit illud quod versu quarto exprimitur, dum dicitur: *Vocaberis voluntas mea in ea.* Sed tamen illa Scriptura verificatur de Christo, quoad hoc nomen Jesus. Sicut enim nova est unio duarum naturarum, nova conceptio ex muliere sine viro, nova vita & doctrina, nova mors, quâ author vitæ moritur, nova resurrectio, quâ resurgit propriâ virtute; ita novum nomen, est nomen JESUS.

Mat. 1. 1. *Primò*, quia antiquum nomen erat illud: *Verbum Dei, Filius Dei, Sapientia Patris*; nunc autem novo nomine dicit Angelus: *Vocabis nomen ejus* JESUM.

Secundò, licet admitteremus meteriale hoc nomen, idem in sono litterarum suprà nominatis personis impositum fuisse; tamen vis & efficacia & ratio hujus nominis nova est, & singularis in Christo. Soli enim illi competit ratio nominis allata ab An-
Said. 1. 21. gelo: *Ipse enim salvum faciet populum à peccatis eorum.* Itaq; soli illi hoc nomen juxtà significationem suam perfectam competit; quia ipse solus auctor est salutis spiritualis, æternæ & universalis, quæ est perfecta salus hoc nomine significata. Alii particularem solum salutem attulerunt, temporalem & transitoriam.

Tertiò, aliquibus hoc nomen impositum fuit in ordine ad Christum, quia illius figuram gerebant. Sic Joseph a Pharaone vocatus lingua Ægypti, *Salvator mundi*, typus erat Christi. Sicut enim ille à fratribus venditus Ægyptum fame liberavit: ita Christus venditus à fratribus, mundum tenebrosum pane vitæ à spirituali fame liberum effecit; & sicut ille Dominator Ægypti, ita & hic factus est judex mundi.

Item Josue, Jesus vocatus, figura Christi fuit introducens populum ad terram lacte & melle manantem, quod non potuit Moyses. Significabatur enim quod lex Moysis salvare nos non potuit, sed hoc reservabatur Jesu nostri, Filio Dei. Sicut enim Josue aperto Jordanis flumine ad terram promissam populum introduxit; ita Christus patefacto Baptismate (quod in eodem fluvio exordium habuit) nos ad terram æternis deliciis affluentem introduxit.

Denique sicut Josedech (qui etiam Jesus dictus est) Sacerdos magnus post captivitatem Babylonicam populum reduxit in Jerusalem, & templum reædificavit: ita Christus summus Sacerdos, post diabolicam captivitatem populum reduxit in cœlestem Jerusalem; ergò & ipse figura fuit Jesus nostri.

PROPOSITIO II.

Impositum fuit hoc nomen à Patre æterno, & ministerio Angeli Virgini revelatum.

Hoc nomen Jesus impositum est à Patre. Cyrillus. L. de Fide ad Theod.

Ratio est. Prima, quia nomen imponere est munus ejus, qui habet auctoritatem in eum cui imponitur; nullus autem proprium jus & authoritatem habet in Christum, nisi Deus. Sic asserit Cyrillus dicens: *Quando unigenitus filius Patri coæternus, ex muliere natus est & filius declaratus, & Primogenitus appellatus, ac inter multos fratres numeratus, tunc ille quoque, qui secundum naturam Pater est, Patris leges secutus, nomen hoc præfinivit.*

Secunda ratio, quia perfecta nominis impositio ex perfecta rei cognitione procedit; nullus autem Christi dignitatem perfectè cognoscebat, nisi solus Pater; nemo perfectè noverat officium aut finem ad quem mittebatur, nec effectus particulares hujus nominis, nisi Pater. Non est inventa creatura in cœlo aut terra, Angelica aut humana, nec Joseph, nec Maria, sufficiens ad imponendum ei nomen, nec satis cognoscens excellentiam hujus infantis. Undè huc respicere videtur Salomon, has altissimas quæstiones proponens,

Prov. 30. 4.
- *Quis ascendit in cœlum & descendit?*
- *Quis continuit spiritus in manibus suis?*
- *Quis collegavit aquas quasi in vestimento?*
- *Quis suscitavit omnes terminos terræ?*
- *Quod nomen est ejus, & quod nomen filii ejus, si nosti?*

Tertia ratio est; quia nominis impositio, quandò fit à Deo, est specialis benevolentiæ & privilegii signum, singularemque indicat dignitatem. Vide in Abraham, Isaac, Israel, Samsone, Joanne, Petro.

Digitized by Google

Ergò hoc privilegium pueris concessum; non debuit Christo denegari. Porrò illud nomen à Patre decretum, impositum illi fuit in circumcisione; moris enim erat parvulis tunc dare nomen.

Primò, quia quando data fuit Abrahæ circumcisio, nomen mutatum ei fuit, anteà vocabatur *Abram*, tunc *Abraham*, addita ei littera H. sive He, quæ desumpta est ex ineffabili nomine Dei; & significat idem quod *Vita*, ut significaretur mysterium Incarnationis, quod scilicet caro Salvatoris illius, qui vitam afferre debebat, ex eo processura erat.

Secundò, tunc imponebatur nomen, quia parvuli cum solemnitate tunc offerebantur Deo, & velut cœlesti hæreditati inscribebantur, ac de populo Dei censebantur per Sacramentum Circumcisionis: quæ quidem fiebat die octavo, ut significaretur, quod post vitæ hujus septimanam octava consequetur, in qua consecrabimur Domino, & nomina nostra scribentur in cœlis, & apponemur ad populum Dei. Adde semper moris fuisse etiam apud Gentiles, nomina imponere cum aliqua sacra solemnitate. Undè Athenienses die decimo convocatis vicinis & amicis, oblatisque sacrificiis, nomina pueris imponebant Romani verò octavo die, puellis; masculis autem nono die imponebant nomina, eos priùs lustrando Diis, & dies illi lustrici vocabantur. Sic quod nos nunc in Baptismo, Judæi id in circumcisione observabant, hoc Christus etiam voluit observare.

Ita refert Suidas. Macrob. l. 1. Saturnal. c. 16.

Tertiò, ratio specialis fuit in Christo, noluit enim hoc nomine Salvatoris insigniri, nisi cum sanguinem pro hominibus cœpit fundere; ut sic nonomen illud ex tunc mereretur, inchoans officium Redemptoris, incipiens operari salutem nostram per sanguinem: *Non enim fit redemptio sine sanguine.* Et quidem hæc effusio erat sufficiens pro universo mundo, sed voluit totum in fine effundere, ut copiosam daret redemptionem, & nomen Jesus sive Salvatoris, quod cruore suo exarârat in carne sua, & signârat per cultrum circumcisionis, ultimis coloribus consummaret in cruce per sanguinem lateris. Tunc ergò erat sacrificium matutinum, in quo ad demonstrandam charitatem, incipit aperiri fons salutis, vena sanguinis; sed statim clauditur, quia in cruce vespertinum sacrificium reservabatur, de quo

Ps. 140. 2. illud intelligi potest: *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Reservabatur, inquam, sacrificium illud consummativum totius charitatis, quandò aperietur vena cordis & amoris, ad effundendum totum pretium, quod hauriri poterit de quinque fontibus Salvatoris. Vides ergò, ô anima Christiana, quam charum ei hoc nomen fuerit, quod tanto pretio emere voluerit, toto scilicet sanguine suo pretioso? Considerasne, quàm charo ei constes, quandoquidem hoc nomen non tam pro se, quam pro te emere voluit, & pretium tale dare? Si hoc

Cant. 8. 6. expendis, pone nomen illud ut *signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*: quia dilectionis morte fortioris fuit indicium. Fige illud intellectu, ut cum suavitate sæpe de illo cogites sapientiam ex illo sugens. Fige in voluntate, ut suaviter ames hoc nomen amoris. Fige in memoria, ut illius nunquam obliviscaris, qui nunquam obliviscitur tui. Sit frequens in lingua tua, ut illud benedicas. Sit velut impressum in manibus & omnibus membris tuis, ut semper operaris ad laudem & gloriam nominis ejus. Sic fiet ut semper benedicat Psal. 102. *anima* tua *Domino*, *& omnia* interiora & exteriora 1. 2. tua *nomini sancto ejus.*

Quodam die Circumcisionis facto, B. Gertrudis virgo Ordinis D. Benedicti, offerebat Domino salutationes pias dulcissimi nominis Jesu, contunentes perfectionem ejus, *Ave Jesu benignissime, Ave Jesu amantissime, &c.* Has cum delectatione cordis pronuncians, cupiebat reperire omnia adjectiva perfectionem aliquam significantia, quibus divinum cor medullitus afficeret. Cumque in horum scrutinio affectuosius laboraret, ejus affectu victus Dominus, in impetu amoris blandè se ad eam inclinans, infixit ori ejus melleum osculum, dicens: *Ecce impressi ori tuo nomen meum dulcissimum & dignissimum, quod palam portabis coràm omnibus, & quoties ad illud proferendum labia movebis, melos suavissimum mihi resonabis.* His dictis, comperit in superiori labio animæ suæ, aureis & vivis literis scriptum, *Jesus*, in inferiori labio scriptum, *Justus.* Undè per inscriptionem, *Jesus*, intellexit, quod omnibus à se audire cupientibus, salutem & misericordiam divinæ pietatis pronuntiare deberet. Per Inscriptionem *Justus*, cognovit, quod his, qui durioris essent mentis, & blandis monitis non consentirent, divinæ justitiæ ultionem deberet proponere; ut vel sic minis terrendo corrigeret, quos suavibus monitis ad Deum trahere non valeret.

Exempla Lib. infinuationū divinæ pietatis S. Gertrudis.

LECTIO VIII.

DE DIGNITATE NOMINIS JESU.

1. *Docet reliqua nomina Christi in illo comprehendi,*
2. *Esse Titulum glorioſum Christo.*

PROPOSITIO. I.

Hoc nomen continet reliqua omnia nomina, quæ Christo attribuuntur, illaq; transcendit.

Dignitas nominis IESV. Nomen IESVS, reliqua nomina illi tributa continet.

VAria nomina illi tribuuntur in Scripturis. De illo enim loquens Isaias, dicit: *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est Principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri seculi. Princeps pacis.* Hanc Scripturam latius explicabimus hic. Isa. 9. 6.

Dicit

Dicit ergò, *Parvulum nobis natum & datum*
Tit. 3. 5. *esse*: non enim merito nostro, sed sola gratia, *non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam*, ad nos venit. *Datus est*, non venditus, quia nemo potuit pro eo pretium dare, nemo
Hebr. 1. 5. tantum bonum mereri. Dicit etiam, *nobis natum esse & datum*, quia hominibus non Angelis natus est: *Nusquam enim Angelos apprehendit*, inquit Paulus; nec eos a peccato liberavit. Datus est verò nobis multipliciter, tanquam Magister nostræ instructionis, tanquam Dux nostræ peregrinationis tanquam Redemptor nostræ captivitatis, datus ut Frater & Socius, ut Pastor & Cibus, ut Fidejussor & Pretium, ut Sanctificator & Sponsus, ut Glorificator & Merces.

Principatus super humerum ejus. Crux scilicet, in qua debebat exaltari, signum Imperii sui, sceptrum Regni: hanc jam à nativitate gerebat in corde, hanc amplectebatur, & in spiritu se in illa Patri offerebat, quem postea gestaturus erat in humeris, tanquam trophæum victoriæ suæ. Unde visus est à Sybilla & Imperatori Augusto ostensus Puer crucem gestans, in Sole residens. Jam ergò ab initio Christum gravabat sceptrum hoc, & Principatus.

Hunc verò parvulum multis nominibus dicit vocandum. *Primò vocabitur Admirabilis*; Utique quia Deus & homo, quod antea fuit inauditum; Humilis & sublimis, Parvulus & Immensus, Mortalis & Immortalis, Omnipotens & Egenus, Verbum, & Infans, &c. Admirabilis certè in omnibus.

1. Admirabilis Conceptio, Spiritu Sancto obumbrante facta. 2. Admirabilis Nativitas, quia sine Matris dolore. 3. Admirabilis Vita, quia fuit sine peccato. 4. Admirabilis Prædicatio: *Nunquam sic homo locutus est*, Joan. 7. 46. 5. Admirabilis in miraculis: *Nemo potest signa facere quæ facis*, Joan. 3. 2. 6. Admirabilis in Transfiguratione: *Facies ejus ut Sol*, Apoc. 10. 1. 7. Admirabilis in Passione: *Sol obscuratus est, petræ fissæ sunt*, Matth. 24. 29. 8. Admirabilis in Resurrectione in motu terræ, &c. Matth. 28. 2. Marc. 16. 9. Admirabilis in descensu ad inferos, totum terrens Sathanæ regnum, Coloss. 2. 15. 10. Admirabilis in Ascensione; *Gradiens in multitudine fortitudinis suæ*. Isai. 63. 1. 11. Admirabilis in Corporis sui distributione, in Sacramento Eucharistiæ, Joan. 6. Matth. 26. 1. Corinth. 11. 12, Admirabilis in die Judicii, bonos coronans, malos damnans, Matth. 25. 13. Admirabilis tota æternitate, in magnificentia gloriæ, Apoc. 21. & 22.

Secundò, vocabitur *Consiliarius*, quia magni consilii Angelus est, ipse est qui inspirat bona consilia
Matt. 19. 21. Unde cuidam hoc dat consilium: *Si vis perfectus esse, vade vende omnia.* Alteri dicit: *Pœnitentiam age,*
Apoc. 3. alioqui veniens *movebo candelabrum tuum.* Dicit
Apoc. 2. 5. & cuidam: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum.*
Apoc. 3. Denique tota Scriptura plena est consiliis ab eo ve-
18. nientibus. Ad hunc ergò Consiliarium recurrendum est, cùm de statu deliberas aut cum res gravis tibi incumbit, aut cum de salute cogitas. Et juxta consilium Tobiæ: *Pete ab eo ut vias tuas dirigat, &* Tob. 4. *omnia consilia tua in ipso permaneant.* Cum enim 20. homo per varia diverticula possit errare, non debet esse contentus suis aut hominum consiliis; sed debet confugere ad hunc Consiliarium, qui nec falli potest nec fallere. Unde monet Bernardus eos qui Bernard. de statu deliberant, attendere ad ejus vocationem, serm. Ecce relictis mundanorum hominum consiliis *Vocat in-* reliqui- *quit magni consilii Angelus. Quid adhuc aliena consi-* mus om- *lia præstolaris? Vocat Oriens, & tu attendis ad Occiden-* nia. *tem.* Item bene Consiliarius dicitur, qui secundum divinam naturam est Sapientia æterna; & ideò in ipso sunt consilia Sanctissimæ Trinitatis, ejus consilio & factus est, & regitur mundus. Et secundum naturam humanam, ipse ab initio conceptionis, perscientiam beatam perfectè conspiciebat omnia Dei consilia, circa futurum & præsens sæculum, circa Angelos, circa electos, & reprobos; & ut homo, peregit fideliſſimè sublimia illa consilia de Redemptione hominum.

Tertio, *vocabitur Deus*, quia Creator omnium est: Deus ergò est, non participativè, ut homines, de quibus dicitur: *Ego dixi Dii estis.* Non abusivè, ut Idola, quæ Dii vocantur, cùm sint opera manuum hominum. Non usurpativè, ut aliqui homines superbi in terris, qui sibi nomen Dei usurparunt, nullum præter se agnoscentes, ut Nabuchodonosor, Herodes, Pharao, Sennacherib, & similes. Sic Alexander se filium Jovis existimavit, ita ut Olympias mater ejus de illo conquereretur quod adulteram eam faceret, dicens se filium Jovis. Christus Deus vocatur, sed verè, sed essentialiter. Unde ut Tract. 2. ostenderet se verum Deum, excludit omnes Deos Lect. 1. gentium, veniens in hunc mundum, ut latè diximus. Prop. 1. Deus ipse est, sive ronans in cœlo, sive vagiens in præsepio, sive latens in Ægypto, sive pendens in patibulo, sive jacens in sepulchro, ubique Divinitatis suæ signa dedit.

Quartò, *vocabitur Fortis*: Quia ubique potens, in cœlo, in mundo, in cruce, in sepulchro in inferno. In mundo devicit mundum. In Cruce devicit peccatum. In sepulchro devicit mortem. In inferno devicit dæmonem. In aere cum, sanctificando aereas potestates. Imò ubique dæmones divicit, qui *fortis* vocatur *in prælio.* Ubique contra eum luctatus. In cœlo enim (juxta multos) pro- Ps. 23. 8. positus fuit Lucifero adorandus per fidem, invidit ille hominem Deum esse, & factum est prælium Luciferi cum Angelis, *& vicerunt eum in san-* Apocal. *guine Agni*; ita ut virtute Christi, in æternum cru- 12. 11. ciandi projecti sint in terram miseriæ & tenebrarum, ut multi interpretantur: Sic ergo vicerit eum in cœlo.

2. Luctatus est adhuc in utero, dum ad Joannem pergens etiam in utero existentem, ab eo originale peccatum, & dæmonis expulit potesta-

Digitized by Google

1. Luctatus eſt in Nativitate & pueritia, dum ipſo naſcente idola conticuerunt : & ipſo Ægyptum ingrediente, diverſis in locis corruerunt, de
Is.19.1. quo erat prædictum : *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur ſimulachra ejus.* Senſus eſt : Ipſe vectus ulnis matris, tanquam nube levi, portabitur ulnis matris in Ægyptum, & eorum idola concident ad ejus præſentiam.

4. Præliatus eſt in deſerto per quadraginta dies,
Matth. 4. & velut alterum Goliath ſupplantavit, *electis de torrente lapidibus*, hoc eſt, de Scripturæ ſacræ flumine authoritatibus.

5. Luctatus eſt in mundo, ejiciens de corporibus obſeſſis, ita ut dicerent: *Quare ante tempus venisti torquere nos?*

6. Luctatus eſt in Cruce, & eum afflixit ibi, de
Joan. 12. 31. quo diverat : *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Denique, prælliatus eſt in inferno, dum vectes ferreos contregit & prædam eripuit, ita ut de eo
Pſal. 8. aſcendente cum triumpho dicatur : *Dominus fortis & potens in prælio, ipſe eſt Rex gloriæ.*

Quintò, vocabitur Pater futuri ſæculi, Ipſe enim in nativitate attulit nobis novum ſæculum, novam ætatem auream, per abundantiam gratiæ & donorum. In paſſione genuit nos, variis anguſtiis & doloribus; ut qui eramus filii diaboli, eſſemus filii Dei ; & qui eramus filii hujus ſæculi, eſſemus filii ſæculi futuri. Ibi ergò regenerati ſumus, & regenerationis noſtræ locus fuit lateris ipſius vulnus. Item in reſurrectio-
1. Petr. 1. ne, inquit Petrus, *regeneravit nos in ſpem vivam in hæreditatem incontaminatam immarceſſibilem conſervatam in cœlis.* Denique poſt Aſcenſionem, miſit
Rom. 8. 15 *ſpiritum adoptionis* ſuæ in corda noſtra, *in quo clamamus : Abba pater*, reſpirantes ad futurum ſæculum, & ad hæreditatem Patris. Imò verò uſque ad futurum ſæculum nos velut utero ſuo geſtat parturiens ; quia
Is. 46. 3. 4. dicit per Iſaiam : *Audite me domus Jacob, qui portamini à meo utero. Uſque ad ſenectam ego ipſe, & uſque ad canos ego portabo, ego feci & ego feram ; ego portabo & ſalvabo.* Rectè verò Vatablus vertit. *Pater Æternitatis.* Utique Adam genuit nos tempori, Chriſtus æternitati; Adam morti, Chriſtus reſurrectioni; Adam
S. Greg. hom. 8. in Evang. terræ, Chriſtus Cœlo; Adam huic ſæculo, Chriſtus futuro; *ille enim apparebat in carne qui electos ſuos adſcribaret in æternitate.*

Sexto, vocabitur princeps pacis, tum quia medium parietem ſolvens, fecit utraque unum, ipſe pax noſtra ; tum quia fuit *pacificans per ſanguinem, ſive quæ in cœlis, ſive quæ in terris* ; tum quia poluit fines noſtros pacem ſempiternam. Denique, ipſe eſt Author omnis pacis, ſive cum Deo, ſive cum proximo, ſive cum conſcientia noſtra : quoties turbata eſt pax interior, ad hunc Principem pacificum nobis recurrendum eſt.

Audi alia adhuc nomina apud Iſaiam, apud quem
Isa. 8. vocatur nomen ejus : *Accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari. Acceſſi*, inquit, *ad prophetiſſam, & concepit filium ; & dixit mihi Dominus, fume tibi librum gran-dem & ſcribe, velociter ſpolia detrahe, citò prædare. Sic vocabitur puer, quia antequam ſciat vocare Patrem & Matrem*, diripiet *ſpolia Samariæ.* Senſus eſt. Oſtenſa eſt mihi in viſione Prophetiſſa illa Virgo Maria, ad quam accedens vidi illam concipere & parere puerum, de quo dictum eſt. Voca nomen ejus: *Velociter ſpolia detrahe.* Non quod tali nomine litteraliter appellandus foret, ſed quod jure ſic vocari poſſit; eo quod res ſignificata hoc nomine, ei aptè conveniat, quia diabolum & infernum ſpoliaturus eſt. Immò quia antequam ſciet naturali modo dicere, *Pater mi, Mater mea*, incipiet prædari : tot enim millia infantium diabolo eripuit, & tres Reges ex infidelitate eduxit adhuc puer, & idola per eum confracta ſunt.

Iterum dicitur vocandus, *Emanuel, quod interpre-*
Is. c. 7. *tatur, Nobiſcum Deus*; quod quidem nomen ei convenit, quia tunc ſingulariter *Nobiſcum* eſſe cœpit Deus, quando Verbum Caro factum eſt. *Nobiſcum*, per opem ſpecialem, gratiam ac illuminationem: *Nobiſcum* in Euchariſtia, uſque ad ſæculi conſummationem : de qua rectè intelligi poteſt illud : *Ecce*
Apoc. 21. 3. *tabernaculum Dei cum hominibus* (hoc eſt corpus ejus) *& ipſe Deus cum eis erit eorum Deus.* Denique, *Emanuel*, ſive *Nobiſcum Deus*, in tota æternitate, quia aſſumet nos ad ſe, & gloriabimur in divinitatis & humanitatis ejus limpida viſione.

Alibi quoque vocatur nomen ejus, *Oriens.* Item vocabunt eum inquit Propheta, *Dominus juſtus noſter.* Hæc verò omnia nomina comprehenduntur in nomine *Jeſus.* Quid eſt enim *Jeſus*? niſi parvulus qui natus eſt nobis, & filius qui datus eſt nobis, magnus & laudabilis in civitate cœleſti, parvulus & amabilis in civitate terreſtri?
Jer. 23. 6. *Quid ſit* IESUS.

Secundò ; Quid eſt *Jeſus* ? niſi qui eſt *admirabilis* in Nativitate, *Conſiliarius* in Prædicatione, *Deus* in operatione, *Fortis* in paſſione, *Pater futuri ſæculi* in Reſurrectione, *Princeps pacis in beatitudine*, inquit Bernardus.

Tertiò : Quid eſt *Jeſus*, niſi Emanuel *nobiſcum Deus* in carne, in Sacramento, in hoc ſæculo, in futuro ? Ab hoc nomine *Emmanuel*, decoratum eſt illud
S. Bern. ſerm. 15. in Cant. noſtrum *Noel*, id eſt, nobis Deus, vel noſter Deus, quod in Hymnis Natalitiis jubilando ingeminamus; ita ut inde à Gallis hoc feſtum vocetur *Noel*, ſive parvi Emanuelis feſtum.

Quartò : Quid eſt *Jeſus* : niſi filius ille cujus nomen eſt *Accelera ſpolia detrahere* ? Ipſe enim eſt velox ſpoliator, feſtinus prædator, qui brevi tempore ſpoliavit infernum, orbem totum ad ſe convertit.

Quinto : Quid eſt *Jeſus* ? niſi cujus eſt *Oriens nomen ejus*, duplicem habens Orientem, unum à Patre in æternitate, quia eſt ſplendor gloriæ ejus ; alterum à Matre in tempore, à qua egreditur ut ſplendor gloriæ noſtræ?

Sextò : Quid eſt *Jeſus* ? niſi *Dominus Jeſus noſter*, vel
Pſ. 44. 17. ut alii legunt, *Dominus Juſtitia noſtra* ? Ipſe enim factus eſt nobis *Juſtitia, Sapientia Redemptio, Sanctifica-*

tio,

Digitized by Google

sit, inquit Apost. ita ut Jesus nihil aliud sit, nisi is qui est *Nostra redemptio, amor & desiderium, Deus Creator omnium, homo in fine temporum.*

Jo. 1. 14. Denique, ut breviter omnia complectar, Jesus nihil aliud est quam *Verbum Caro factum, quod habitavit in nobis*, à quo salus, gratia, gloria, sive in hac sive in beata vita, per totam æternitatem nobis veniunt. Propterea comprehendit nomen Jesus omnia nomina sive pietatis, sive majestatis, Christo competentia, inquit Bernardus. Sicut cùm dico, *Rex Hispaniarum*, comprehendo omnes titulos qui Philippo adscribuntur, *Rex Castellæ, Portugalliæ, Arragoniæ, Navarræ, &c.* Ita hoc nomine *Jesus* comprehendo quod sit *Sapiens, Omnipotens, Misericors, Justus*, & alias infinitas perfectiones ei competentes, sive ut Deo, sive ut homini. Et propterea dicitur hoc nomen super omne nomen; tum quia excellit omne nomen, sive Angelorum, sive hominum, tum quia complectitur in se omnia alia Christi nomina; & illa transcendit.

S. Bern. serm. 15. in Cant.

PROPOSITIO II.

Hoc nomen inter cætera specialiter cedit Christo in titulum gloriæ æternum.

Nomen JESUS est Christo titulus gloriosus.

RAtio est, quia illud acquisivit merito Passionis suæ. Adverte, nomina quæ à parentibus aut ex origine, aut à casu dantur, non ita æstimari: sed quæ heroico aliquo actu parta sunt, in titulum gloriæ cedunt. Sic gloriosum fuit Jacob, nomen *Israel*, quia obtinuit illud ob luctam quam habuit cum Angelo. Sic Sic nomen *Petrus*, quia datum fuit ob firmitatem fidei, & confessionem divinitatis. Sic gloriosa fuere nomina data ob victorias. Scipio dictus Africanus, & alter Asiaticus, ab Africa vel Asia subjugata. Itaque Christus habet plura nomina jure divinitatis, quasi à natura & origine, sed hoc acquisivit sanguine suo, & victoria contra hostem humani generis: Licet enim datum sit a Nativitate, id tamen fuit ex præviso Passionis merito, & ideò specialiter in illo gloriatur. Hinc voluit illud vertici Crucis figi, tanquam triumphi sui insigne: tunc enim victoriam referebat de peccato & inferno: & Crux Columna Triumphalis erat, in qua figi voluit hunc Titulum
Jo. 19. 19. gloriosum *Jesus Nazarenus*. Quapropter licet Judæi odio moti, apud Pilatum instarent ad delendum hunc titulum, id tamen speciali providentia Dei non potuerunt; ut semper maneret hic titulus gloriæ abominibus, Nationibus agnoscendus, Crucis trophæo fixus. De quo Prophetia præcellerat in titulo Psal. 57. ubi habetur: *in titulo inscripsionem, Ne disperdas*; quod de titulo crucis intelligit Augustinus, qua prævidebit David, Judæos conaturos titulum illum honorificum eradere, sed responsionem accepturos,
Jo. 19. 22. *Quod scripsi, scripsi.* Et ideò specialiter ordinatum fuisse a Deo, ne tituli inscriptionem disperderent, aut corrumperent; propterea David Psalmo suo hunc titulum præfixit.

Jubebatur Summus Sacerdos offerens Sacrificium Pontificalibus indutus caput Tiara tegere, ex qua penderet nomen Dei ineffabile, aureæ laminæ incisum, quod ligabatur vitta hyacintina, ut fronti immineret. Hoc in figura. Nunc in veritate, Christus offerens Sacrificium, purpureo Sanguinis sui colore fulgidus, voluit pro Tiara coronam spineam gerere, & supra apponi nomen illud gloriæ, *Jesus Nazarenus*; ut impleretur illud prædictum per spiritum Sanctum: *Magnificentia* illius *in Diademate Capitis ejus.* Levit. 8. 7. Sap. 18.

Hoc verò nomen dixit æternum esse, quia illud retinet; non solum usque ad mortem, in qua implevit officium Redemptoris, sed & per totam æternitatem: ita ut aliqui existiment, quod sicut Christus in pedibus, latere, & manibus habet cicatrices in Cœlo; ita & in fronte retineat hoc nomen scriptum, *Jesus Nazarenus*, tanquam victoriæ suæ signum. Unde legimus illum apparuisse B. Edmundo, puerum puero, cum hac aurea Scriptura in fronte; & dixisse: *Hoc nomen eris decus, & memoriale tuum in æternum.* Illud ergò nomen non peribit in æternum, nec ejus memoria, sicut nomen quod sibi homines comparare student, alii per scientiam, alii per artem bellicam. alii aliis artibus, quorum memoria cum nomine statim pertransit, velut sonitus aut favilla quam ventus dissipat, licet illi aut Pyramidibus, aut Palatiis illa inscripserint. Surius 16. Novem.

Hinc memorabile est, quod scribit Plinius, authores Pyramidum Ægypti (quarum aliquæ partes Romæ extant), admirationem omnibus excitantes, ignotos manisse justo judicio Dei, ita ut ignoretur quinam fuerint, cum tamen illi his fabricis, nominis æternitatem apud posteros quæsierint. Sic quàm multi doctrina excellentes, post se totum mundum traxerunt, & tunc periit nomen eorum. Quam multi Reges & Principes triumphis celebres nomen suum æternitati consecrare existimarunt, & *periit memoria eorum cum sonitu*, ipsi autem in flammis permanent æternum cruciandi? De his potest dici illud Job: *Transierunt sicut naves poma portantes*, quæ aliquid odoris relinquunt in transitu, sed statim ille odor flatu venti dissipatur & finitur, sic & nomen eorum. De nomine verò *Jesus* dicimus, quod nec tempora, nec oblivio, nec Judæorum aut hæreticorum blasphemantium rabies, illud delere poterit; sed per omnia ætatum, & sæculorum tempora, perennabit gloriosum cœlo & terra. Reges Sceptra, Imperatores Diademata, Pontifices Tiaras submittent illi, Angeli & Seraphin illud adorabunt, & tartarei spiritus ad illud trement. Plin. lib. 36. c. 12. Job. 9. 25. Sixtus Senens. l. 2. Biblio. ex Sybilla Cumana, qui ibi citat Bedam.

Advertunt hic aliqui, quod sicut nomen Anti-Christi continet numerum 666. ita nomen Jesus juxta literas Græcas numerum 888. Unde Beda dicit *Sacrosancti nominis Jesu non tantùm Etymologia, sed & ipse quem literæ comprehendit numerus, perpetuæ salutis mysterium redolet. Sex quippe literæ Græcè scribuntur* ΙΗΣΟΥΣ, I, notat 10. H, 8. Σ, 200. O, 70. Υ, 400. Σ, 200. quæ simul junctæ faciunt 888. Numerus lib. 1. in Lucam c. 1. Aug. sup. enim Psal. 6.

Digitized by Google

enim octavus eſt ſymbolum ſalutis : *Octo animæ ſalvæ factæ ſunt.* Eſt ſymbolum gloriæ & requiei ac æternitatis. Eſt Figura novi Teſtamenti, ſicut ſeptenarius veteris, quia nobis feſtus eſt octavus, illis ſeptimus dies. Ut ergò Deus ſignificaret omnia hæc myſteria, ſcilicet, Chriſtum eſſe ſalutis noſtræ authorem, Dominum æternitatis, novi Teſtamenti principium, voluit nomen JESUS habere triplicatum numerum octavum. Idem dicit Beda, triplicatum illum numerum 888. ſignificare triplicem reſurrectionem, quam Chriſtus operatur. Eſt enim cauſa reſurrectionis animæ ad gratiam, reſurrectionis corporis ad vitam, & reſurrectionis noſtræ ad vitam immortalem. Hinc Tertull. diſcutiens illud: *Ego ſum Alpha & Omega*, dicit alphabetum Græcorum, qui ſapientia excelluerunt, diviſum eſſe in triplicem numerum octavum; ſunt enim in eo monades octo, decades octo, & hecarontades ſive centenariæ octo, ita ut ex his fiat numerus 888. quem continet nomen JESUS.

Nomen IESVS maximè in extremis invocandum.

Concludendum hic adjicio, nomen hoc æternum, nobis ad æternitatem eſſe Ducem. Unde ſummè fructuoſum eſt in egreſſu ex hac mortalitate, in extremo ſpiritu illud invocare, nempè, nomen eſt vitæ contra tenebras mortis; nomen terribile contra incurſus malignorum ſpirituum, omnes tunc vires ad hominem ſupplantandum intentantium. In figura hujus rei, Jacob moriens dicitur adoraſſe faſtigium virgæ, quam Joſeph habebat. Illa juxta B. Ephrem figura erat crucis, & faſtigium ſignificat Tabellam, in qua hoc nomen *Ieſus Nazarenus*, exaratum erat. Moriens ergò in fide Redemptoris, irruit oſculaturus, & veneraturus Sanctum nomen ejus, cujus aſpectu frui non poterat: ut, ſicut nunc Chriſtiani morientes, ore vel corde invocant illud, ita ipſe exoſculans & corde colens diſcederet. Unde & Geneſ. 48. dicitur adoraſſe Dominum, non Joſeph, quaſi in figura Chriſtum adoraſſet, & nomen ejus. Unde etiam dicit: *Exſpectare ſalutare tuum Domine.*

Hebr. 11.

Geneſ. 49.19.

Quicumque verò in vita zelati ſunt pro honore nominis ejus, illud habuerunt favorabile in morte, tanquam ſolatium, & præſidium. Sic B. Bernardinus extremum ſpiritum reddidit, dum a fratribus in choro cantaretur illa Antiphona: *Pater manifeſtavi nomen tuum hominibus*, ipſe enim hoc poterat dicere, qui nomen ejus tuleràt coram Regibus & populis. Sic B. Franciſcus pronuncians verſum illum: *Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo*, ſpiritum inter manus Redemptoris conſignavit. Sic B. Ludovicus in extremo ſpiritu pronunciabat: *In conſpectu Angelorum pſallam tibi & confitebor nomini tuo.* Sic B. Petrus Cœleſtinus tanquam Cygnus cœpit decantare Pſalmum: *Laudate Dominum de cœlis*, ubi invocantur omnes creaturæ ad laudandum nomen Domini, & pronuncians illud: *Omnis ſpiritus laudet Dominum*, animam quaſi ſeratam Columbam emiſit ad ſinum Dei ſui. Sic D. Paulus capite plexus ter pronunciat *Jeſus*, & tres fontes erumpunt.

Jo. 17. 6.

Pſ. 141. 8.

Pſ. 137. 1.

Pſ. 148. 1.

Pſ. 150. 6.

IN FESTO NOMINIS JESU.

OLEVM EFFVSVM NOMEN TVVM, Cant. 1.

ideò Adoleſcentula dilexerunt te nimis.

SIngula hujus ſententiæ verba ponderabimus. *Primò* nomen JESU vocat *Oleum*, quia ſicut Oleum ſuperfertur cæteris liquoribus, inquit Bernardus, ita hoc nomen ſupereminet omnia alia nomina, ſive Angelorum ſive electorum omnium. In libro vitæ in quo deſcripti ſunt omnes electi, ante omnia ſcriptum eſt benedictum nomen Salvatoris, quia in ipſo nos omnes electi ſumus: *In capite libri ſcriptum eſt de me.* Pſ. 39. 8.

Item hoc nomen ſuperat omnia alia nomina ipſius Chriſti. Tradunt Doctores ſanctius, ac venerabilius eſſe, quam nomen Dei Tetragrammaton & ineffabile, quod vulgò dicitur Jehova. Quod non licebat proferre, niſi Sacerdoti ſummo. & hoc tantum in Sanctuario tempore jejunii, & in benedictione Sacerdotali, inquit Harphius. Et dicitur ineffabile, quia ejus ſignificatio ab Humano corde comprehendi non poteſt. Loco verò ejus ponitur Adonai, quando in Biblia reperitur. Ratio verò, cur nomen Jeſus excellet, eſt, quia Jehova ſignificat *Eum qui eſt.* & idem eſt re cum illo nomine quo ſe nominat Deus Exod. 3. dicens: *Ego ſum qui ſum.* Jeſus autem ſignificat eum qui eſt, quia Creator eſt, ac ſimul perditos ſalvat, vivificat ac beatos facit. Declarant id ſequentes antitheſes. 1. Jehova fons eſt & principium Entis. Jeſus Fons & Principium gratiæ, gloriæ, & ſalutis: 2. Jehova fuit Judæorum, & veteris teſtamenti Legislator. Jeſus Chriſtianorum, & novi Teſtamenti Legifer & Ductor. 3. Virtute nominis Jehova, contritus fuit Pharao & Ægyptus. Virtute nominis Jeſu; diabolus & infernus. 4. Virtute nominis Jehova, Hebræi mare tranſierunt. Virtute nominis Jeſu, Chriſtiani per ejus Sanguinem tranſierunt. 5. Virtute nominis Jehova in terram promiſſam appulerunt. Virtute nominis Jeſu, Chriſtiani ad cœlum veniunt.

Vide latius Harphium in Theol. myſt.

Exod. 3. 14.

Corn. in c. 2. ad Phil. v. 10.

Oleum quoque dicitur hoc nomen, *quia paſcit, lucet, cungit. Lux, cibus, medicina*, ut latè tradit Bernard. Et ſicut oleum vulnus lenit: ita vulnus in circumciſione inflictum, hoc ſacro in nomine eſt mitigatum.

S. Bernar. ſerm. 15. in Cant.

Secundò dicit *Effuſum Oleum*. hoc cœpit impleri in ejus impoſitione, tunc namque cœpit aperiri unguentum illud odoriferum, & effundi: Joſeph, Maria, & alii tunc ejus odorem ſuaviſſimum ſenſerunt. Sed magis adhuc effuſum eſt in ejus prædicatione: quia tunc per totum Orbem ad Barbaras uſque Nationes ejus pervenit odor: *A ſolis ortu uſque ad occaſum, laudabile nomen Domini.* Sicut, Maria fundente unguentum, tota domus repleta eſt odore: ita hujus nominis prædicatione totus mundus, nec ſolum mundus, ſed cœlum. Angeli enim

Pſal. 112.

Digitized by Google

enim odorem senserunt, & recreati sunt. Imò & infernum, nam & SS. Patres, & animæ Purgatorii, non fuerunt exortes gaudii ex hoc oleo lætitiæ prodeuntis. Antequam ergò Angelus hoc nomen revelaret Josepho, unguentum hoc velut clausum erat, odor, virtus, suavitas ejus ignota; tamen per rimulas quasdam, aliquid hujus odoris Patriarchæ & Prophetæ præsenserant. 1. Isaac suboleverat illud, dum benedicens Jacob, dicit: *Ecce odor Filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Senserat odorem Christi (cujus personam gerebat Jacob) qui debebat esse ager plenus gratiis, & donis odoriferis. 2. Jacob quoque ejus aliquam notitiam videtur habuisse, dum moriens dicit: *Exspectabo salutare tuum Domine.* Septuaginta legunt: *Exspectabo Jesum.* Et Paraphrasis Chaldæa habet: *Non exspectabo salutare tuum Gedeon filii Joas, quæ est salus temporalis, neque salutare Samson filii Manue, quæ est salus transitoria, sed resurrectionem filii David.* Hanc etiam præsenserat nominis hujus odorem, dum respirans ad illum reclamat: *Utinam dirumperes Cœlos, & notum fieret nomen tuum.* 4. Plenius Abacuc ejus odore recreatus, inclamat: *ego autem gaudebo in Domino, & exultabo in Deo Jesu mei.* 5. Aperte tamen cognitum non fuit illud in mundo, donec electi sunt, qui illud effunderent, *portantes coram Gentibus & Regibus*, ut Paulus & alii.

Gen. 27. 27.

Gen. 49. 18.

Habac. 1. 2, 3. 18

Tertiò dicit, *Nomen tuum*, quia respicit ad hoc nomen *Jesus*, quod est proprium ipsius Sponsi; nomen enim *Jesus* est proprium, reliqua alia nomina, ut diximus, communia sunt, vel appellativa, vel metaphorica. Item dicit, *Nomen tuum*, nam specialissimè Jesus est nomen ejus, quia ejus meritis, Passione, Sanguine acquisitum; nomen in quo gloriatur, tanquam speciali titulo victoriæ, quam tulit de peccato, morte, inferno, ut latè deduximus hic Propos. 2.

Quartò, addit: *Ideò adolescentulæ dilexerunt te nimis.* Nempè hic fuit fructus unguenti hujus effusi, quod animæ piæ ad odorem ejus accurrerint, & nomen illud suavissimum amârint nimis, hoc est, amârint vehementer & ardenter. Adolescentulæ ergò sunt animæ castæ, Agni Pedissequæ, etiam Sponsæ sunt. Vel, si mavis, Adolescentulæ sunt incipientes, Pedissequæ sunt proficientes, Sponsæ sunt animæ perfectæ. Omnes illæ hoc odore recreatæ sunt, & dilexerunt hoc nomen odoriferum; quia pro illo tormenta, cruces, mortem tolerârunt, & sanguinem fuderunt, Agnes, Cæcilia, Lucia, & tot centenæ Virgines. Et quare non amarent nomen amoris, nomen Sponsi sui, quod cordi suo cupiebant impressum, tanquam signaculum amoris perpetui? Ad ejus solam pronuntiationem ardebant, & cor earum liquefiebat. Quid putatis in tormentis fortes illas effecit, nisi hoc nomen, pro cujus gloria pugnabant, quod in mediis flammis invocabant?

Habes novissimè in Japonia, quandò Regulus Arimæ cædi Christianorum tribunal erexerat; mox ad viginti Christianorum millia sese ultrò præsentârunt. Territus Tyrannus, paucorum nece furorem suum satiavit, ex illis octo vivos cremari jussit, inter quos erat Pater & mater cum Filio duodenni, & filia viginti annorum, quæ in mediis flammis exultans, carbones ardentes capiti suo imponebat, quasi purpureis rosis se coronans. Frater ejus solutis igne vinculis, prunas cum gaudio calcans, ad matrem pariter ardentem, gratulabundus accurrit, terque sanctissima *Jesu* & *Mariæ* nomina altâ voce inclamans, & sanctæ Matris suæ gaudia cumulans, ad ejus latus extinctus concidit Anno 1617.

Exempl. ex hr. Ja- pon. vj. Tract. 1. lect. 8. propos. 4. ubi idem refertur.

Videtiam, quomodò oraverit B. Theophila, cùm ad lupanar duceretur violanda: *Mi Jesu*, inquit, *mea lux, meus spiritus, meus amor, serva ô sponse, sponsam, serva fons castitatis castitatem meam*, &c. Historiam supra latè retulimus, Tract. 2. Lect. 6. de custodia Angelorum, Propos. 3. in fine.

De B. quoque Mechtilde legimus, quod cùm luctaretur cum gravissimo morbo in extremis, nihil aliud resonabat ad singula, quam: *O bone Jesu, ô bone Jesu.* Undè & vox Sponsi sui ad eam venit: *Veni benedicta Patris mei, posside regnum, quod tibi paratum est à constitutione mundi.*

VI. Lect. 13. de Sent. Judicis pro Electis.

Neque verò solum animæ piæ, sed & in peccatis fœtentes, & velut mortuæ, ad ejus odorem attractæ sunt. Ad nomen hoc, tanquàm ad nomen vitæ respirârunt, dicentes Domino: *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum est enim:* ita ut luce hujus nominis, è tenebris peccatorum & umbra mortis emerserint. Quidni enim eas attraheret nomen hoc pietatis, misericordiæ, mansuetudinis, salutis; quod suo odore habet vim dispergendi fœtorem omnem infernalem, fumum peccati, suggestiones fœtidas maligni?

Psal. 24. 11.

Trahe ergò, Domine, omnes animas pias, trahe omnes torpentes, omnes mortuas in peccatis, odore nominis tui, ad te. Habet enim nomen hoc funiculos amoris, quibus omnes sibi ligatos trahat. Trahe rebelles, ut currant in odorem unguentorum tuorum, post exempla virtutum odoriferum. Trahe justos, per truces, spinas, tormenta, sanguinem, mortem, ut omnes zelentur, & certent pro gloria Nominis tui.

IN EODEM FESTO.

IN SOLE POSVIT TABERNACULUM suum.

Psal. 18. 6.

COnsuetudo pingendi nomen Jesu ad modum Solis radiantis, ortum maximè videtur habuisse a tempore D. Bernardini. De illo refertur, quòd cum divinis rebus vehementi zelo concionaretur, inter cætera contra tabulas lusorias & tesseras, ita zelosè egit, ut multi permoti, illas flammis absumerent. Qua de re indignatus quidam, qui ex iis lucrum captabat, B. Virum accessit, conquestus se ad inopiam redactum. Rogat Bernardinus, an aliud artificium callcat? Negat ille. Bernardinus ergò circino circulum expressit, in eoque Solem depinxit, & in medio sanctum Nomen JESUS, cujus fumnus

Digitized by Google

ſummus erat cultor. Immò de illo adeò ſublimiter concionatus Romæ fuit, ut quidam ejus verba non capientes, hæreſim ei impingere voluerint: at poſtero die, illo concionante, ut miraculo concionis ejus veritas indicaretur, nomen Jeſus in tali forma, qualem pinxerat, miro ſplendore ſuprà illum apparuit. Hanc ergò effigiem juſſit virum illum arte ſuâ imitari, ex qua opes non paucas congeſſit. Et hæc eſt cauſa, cur Bernardinus Solem in manu geſtans depingi ſoleat cum nomine Jeſu.

Sur. in vita S. Bernardini.

Aptè verò in Sole ponitur, & repræſentatur hoc nomen, tanquam in Symbolo ſuo. Quid enim eſt Sol, niſi *Lampas univerſi, oculus mundi, pulchritudo orbis, jucunditas diei, menſura temporum, vigor nascentium, Dominus Planetarum, decor ſtellarum*, inquit Ambroſius? Quid eſt nomen Jeſus, niſi Lampas totum Orbem illuminans, & ſplendore illuſtrans? De quo dicebat Propheta: *Propter Sion non tacebo, donec egrediatur ut ſplendor Juſtus ejus, & Salvator ejus ut lampas accendatur.* Nempè nomen hoc, pulchritudo eſt Eccleſiæ, & in die gratiæ tota jucunditas animarum ſanctarum. Vigor quoque eſt plantarum, hoc eſt, fidelium, quæ ſunt plantæ in horto Eccleſiæ, vigorem & incrementum omne ab hoc nomine mutuantes & ſugentes. Denique, hoc nomen decor eſt ſtellarum, hoc eſt, electorum; quia ab illo omnem ſplendorem ſuum participant, in illo gloriantur, omnis ſalus, omnis vita, omnis gratia, omnis gloria, virtute illius nominis juſtis & electis provenit: ſicut omnis lux, qua ſuperiora vel inferiora illuminant vel illuminantur, a Sole procedit. Sicut ergò Sol illuminat montes, valles & terræ penetralia; ita hic myſticus Sol illuminat Cœlum, Mundum, Purgatorium; illuminat etiam incipientes, proficientes, perfectos, radio recto, obliquo, reflexo. Item ſicut Sol luce ſuâ veſpertiliones & talpas in antra fugat, ita virtus hujus nominis idola fugavit, inſidiatoriſque noctem & poteſtates tenebrarum. Hinc Solem tuleruut Apoſtoli per quatuor orbis plagas, ut implerentur Scripturæ: *A Solis ortu uſque ad occaſum laudabile nomen Domini:* *Domine Deus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra?*

Ambroſ. in Hexa.

Iſa. 62. 1.

Pſal. 11.

Pſal. 8. 1.

Ut verò virtus hujus nominis exprimatur, aptiſſimè ei attribuuntur radii ſurſum, deorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum.

Primò, per radios ſurſum tendentes, ſignificatur virtus hujus nominis ad Cœlos uſque pertingere, & ibi illuminare Beatos, & lætificare Angelos. Adorant enim ipſi hoc nomen ſumma cum reverentia, ejus laudes canunt, & omnem gloriam ſuam ejus virtuti attribuunt. Sic Seniores in Apoc. mittebant coronas ſuas ante thronum Agni, hoc eſt, nomen Agni, cui omnes Electorum coronæ adſcribi meritò debent. Ne verò mirum, quod hoc nomen lætificet civitatem Dei, non ſolùm beatas animas, ſed & Angelos, cum hoc nomen ſit nomen illius, qui caput eſt hominum & Angelorum, qui multa dona gratiæ & chariſmata in eos influit.

Secundò, radii deorſum, ſignificant animas Purgatorii, ab hoc nomine refrigerium participare, quandò pro illis hoc nomen invocatur. Item ſignificant luce ejus terreri infernum & ſathanæ regnum. Undè dicit Chriſtus: *In nomine meo dæmonia ejicient.* Quæcunque mira Apoſtoli circà obſeſſos fecerunt, in virtute hujus nominis fecerunt. Magna prodigia patrata ſunt per virgam Moyſis, dicuntque Hebræi, virgam habuiſſe hanc virtutem ex nomine Dei ineffabili; undè Abulenſis, explicans illa verba: *Moyſes portans virgam Dei in manu ſua*: dicit ideò dici virgam Dei, quia literas nominis Dei haberet circumſcriptas. Hinc aliqui dicunt fuiſſe virgam quadratam, ita ut nomen Dei tetragrammaton quadrilaterum, unam ex ſingulis ſuis literis in unaquaque parte virgæ habuerit. Quicquid ſit, longè plura operati ſunt Apoſtoli prodigia, & majora in virtute nominis Jeſu. Similiter & Apoſtolici viri ad ſathanæ ejectionem virtute hujus nominis uſi ſunt.

Marc. 16. 17.

Abul. in c. Exod. 4. 20.

Tertiò, radii à dextris, ſignificant juſtos omne lumen ab illo accipere: quicquid enim lucis, quicquid gratiæ, quicquid donorum Dei habent, virtute hujus nominis habent, Apoſtoli charitatem eminentem, Martyres conſtantiam, Confeſſores pietatem, Sacerdotes zelum, Anachoretæ auſteritatem, Virgines caſtitatem ac puritatem. Ideò eis hoc nomen totum cordis gaudium eſt, totus amor, ſpes, cibus, gloria. *Ipſis mel in ore, melos in aure, jubilus in corde*, ideò cantant ei canticum novum & jucundum, *quia exaltatum eſt nomen ejus ſolius.*

Pſ. 148. 13

B. Franciſcus tantâ cordis & oris ſuavitate nomen illud repetebat, ut cum illud pronunciaſſet, labia ſua propter ſuavitatem lamberet: & præcipiebat fratribus, ut ubicunque reperirent illud in chartis forte diſperſis, loco honorifico reponerent.

Exempl.

B. Antonius in tentationibus ſuis ad illud recurrebat. Undè cùm ſemel graviſſimè conflictatus, imò obrutus, & in terram proſtratus fuiſſet, luce quadam cellulam intrante recreatus, ſentiens Domini adventum, inclamabat: *Ubi eras bone Jeſu? Ubi eras bone Jeſu?*

D. Auguſtinus fatetur ſibi in deliciis fuiſſe à puero, dum ait: *Hoc nomen Salvatoris mei filii tui in ipſo adhuc lacte Matris, tenerum cor meum jàm biberat, & altè retinebat: & quicquid ſine hoc nomine fuiſſet, quamvis literatum, expolitum, & veridicum, non me totum rapiebat.*

Auguſt. li. 3 Confeſſ. c. 4.

D. quoque Bernardus: *Aridus eſt omnis anima cibus, ſi non oleo iſto perfundatur; inſipidus, ſi non hoc condatur. Si ſcribas, non ſapit mihi, niſi legero ibi Jeſum. Si diſputes aut conferas; non ſapit mihi, niſi ſonuerit ibi Jeſus, mel in ore, in aure melos, in corde jubilus.*

Bernard. Ser. 15. in Cant.

Alphonſus à Spina Ordinis D. Franciſci famoſus & zeloſus Prædicator, ita huic nomini afficiebatur, ut viginti quatuor continuas Conciones de illo ad populum habuerit. Cùm verò mitè ſalutem animarum ſitiret, & totus incumberet, ut Chriſto eas

Gonzaga de orig. Relig. Franc.

Digitized by Google

eas lucrifaceret; semel melancholica quadam imaginatione subrepente, tristior agebat apud puteum Vallesoletani Conventus, cogitans anxius, an frequentibus Concionibus fructum faceret. Et vocem è sublimi audivit, jubentem ut situlam in puteum demittat,& aquam hauriat. Cùm obtemperaret, viginti quatuor subalbos lapillos, Jesu nomine insignitos, in fundo situlæ reperit, juxta viginti quatuor Conciones, quas paulò ante de nomine Jesu habuerat. Unde confirmatus, totis nervis postea Prædicationis officio incubuit.

Pet. de Natal. l. 5. c. 64. 1. Febr.

Quid de S. Ignatio Episcopo & Martyre dicam? Hic martyrio vicinus, frequentissimè illud corde & ore revolvebat: *Jesus amor meus.* Quod etiam sæpius repetit in epistola, quam scripsit ad Romanos. Hinc aliqui dixerunt, per carnifices extractum ei cor fuisse, in quo inventum fuerit nomen JESUS scriptum aureis literis; quamvis id neget Baronius, ad annum Christi 110. probans authoritate aliquorum Patrum, Ignatium vivum leonibus objectum fuisse,& ut optaverat, totum ejus corpus, & ipsa quoque ossa dentibus eorum comminuta & commolita fuisse, ut verum foret: *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar.*

D. Paulus in hoc nomine ita oblectatur, ut singulis fere periodis illud repetat in epistolis suis. Unde, quantum potui annotare, repetit illud ducenties, decies,novies: & usque ad mortem ei in deliciis fuit; ita ut capite plexus, cùm illud separatum foret à corpore,tres dans saltus,tertiò nomen Jesus pronunciârit; & tres fontes eruperunt, qui adhuc Romæ ostenduntur.

Quartò tadii à sinistris significant per illud peccatores (qui per eos, qui a sinistris sunt, intelliguntur) ad lucem revocari. Respirant enim hi ad nomen hoc salutis, & nomen vitæ, spemque concipiunt, lachrymantur, & corde finduntur, concipientes novum salutis desiderium & ardorem. Unde dicebat Propheta: *Utinam descenderes, & notum fieret nomen tuum*, tunc enim *montes defluerent à facie tua, & aqua arderent igni.* Sensus est: Superba hominum corda, tunc vi nominis, & vi gratiæ tuæ emollires & inflecteres; & faceres, ut torpida & frigida eorum corda, tanquam aquæ, igne amoris tui accenderentur. Vocat enim ibi superbos *Montes*, quia duritie & altitudine rupibus similes sunt. Vocat frigida corda *aquas*, quia in illis scintillæ divini amoris extinguuntur: sed nullum est cor adeo superbum & durum, adeo frigidum & rigidum, quin se demittat, & ardescat, in consideratione amoris, quo Filius Dei erga nos afficitur, qui amor hoc nomine JESU significatur. Et ideo optat Propheta, ut notum fiat nomen ejus.

Isa. 64. 1. 2

Sidon. Apollin. V. Pretii. Hierogl. collectâ. l. 6. V. Sol. fol. 104.

Solebant Antiqui, ut efficaciam Dei benignè nos respicientis indicarent, Solem pingere cum triplici radio: horum unus acervum nivis tangens, eum liquefaciebat: alter dirigens se contra rupes, petras ibi findebat, & comminuebat. Tertius directe ferebatur super hominem mortuum, & illum suscitabat. Quis non videat hos omnes effectus in Sole hoc nostro? Liquefacit enim radiis suis nivem, hoc est, frigida hominum corda, ita ut in lachrymas defluant. Hinc illud de D. Magdalena.

Nix ego, Sol Christus, radiorum ardore liquesco,
An mirum, ex oculis si fluit unda meis?

Secundò findit petram, hoc est, dura & obstinata corda conterit ad pœnitentiam virtus hujus Nominis.

Tertiò mortuum suscitat, quia animas in peccatis mortuas, potens est ad vitam reducere. Ideo peccatores ad illud accurrunt, & Domino dicunt: *Propter nomen tuum Domine, propitiaberis peccato meo.* Et David in persona eorum dicebat: *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, Nomini sancto ejus, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, &c.*

Ps. 24. 11.

Ps. 102. 1.

Ergo quicunque jaces in tenebris,& umbra mortis, ne avertas oculos a fulgore hujus sideris. Quicunque fluctuas inter procellas & scopulos tentationum, ne avertas oculos à fulgore hujus sideris, & senties auxilium salutis. Quicunque criminum immanitate turbatus, & conscientiæ fœditate confusus, judiciique horrore perterritus, desperationis abysso es proximus, Jesum cogita, Jesum invoca, ne avertas oculos à fulgore hujus sideris. Sic verè experieris, quam meritò *vocatum sit nomen ejus IESVS, quia salvat populum à peccatis eorum.*

LECTIO IX.

DE NOMINE CHRISTUS.

1. *Docet, Christum nominari, quia unctus ut Sacerdos.*
2. *Quia unctus ut Rex.*
3. *Quia unctus ut Propheta.*

PROPOSITIO I.

Christus est nomen dignitatis & officii, significatque in eo triplicem dignitatem supremi Sacerdotis, Regis & Prophetæ.

Christus nominatur, quia est unctus ut Sacerdos.

HOs Deus per unctionem consecrari præcepe-
rat, quia majestatem Dei in terris referunt, & Christi vocabantur: *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* Ubi posterius est explicatio prioris. Significabantur ergo per hanc unctionem gratia & virtute quadam imbui, quam in plebem diffundere deberent; hoc enim significat oleum quod supernatat, imbuit, & se diffundit. Inde per excellentiam noster Messias Hebraicè, Græcè Christus, Latine Unctus dicitur, non oleo materiali, sed omnium donorum plenitudine, quæ copiosius effusa sunt in Christum, quàm in ullam creaturam: *Non enim ad mensuram dedit Deus spiritum Filio.* Gratia ergo in illo est quasi infinita, quia debebat ipse cæteris mensuram aliquam gratiæ ac spiritus sui immensi communicare.

Ps. 104. 15.

Digitized by Google

Sicut Sol habet plenitudinem lucis, quia continet lucem, qua lucidus est, & qua illuminat cætera, & qua illuminantia sunt; quia omnis illuminatio siderum ab eo fit: Sic & Christus plenitudinem habet gratiæ sanctificantis, quia sanctus est in summo gradu, & quia alios sanctificat, & quia aliis virtutem sanctificandi donat, & quia omnis sanctitas ab eo est: *De plenitudine* enim *ejus omnes accepimus.* De hac unctione dicitur in Dan. *Ungetur Sanctus Sanctorum*, tali scilicet unctione, quæ non solùm Sanctum eum efficiat, sed etiam Sanctum Sanctorum, hoc est, alios sanctificantem.

Joan.1.16
Dan.9.24

De hac etiam unctione rectè intelligitur illud: *Dilexisti justitiam, propterea unxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Sensus est: Ipse Pater donis Spiritus sancti, & gratiis, quæ animam mire lætificant, unxit te, & consecravit abundantius, quam omnes Sanctos; qui eas à te participare debent: ad hunc verò finem unxit te, ut diligeres justitiam, & oditles iniquitatem, & ita haberes virgam, regnum & thronum æquitatis tibi perpetuum.

Psal.44.8.

Credimus ergo hic, Christum unctum tanquam Sacerdotem supremum, cujus omnes alii sunt ministri, quia per eos offert, consecrat, baptizat, absolvit, & omnia Sacramenta conficit. Unde etiam malitia ministerium non inficitur, quia principalis Sacerdos est innocens & immaculatus, a quo omnis vis Sacramenti & ministerii. Hoc opus & gratia, sive virtus, qua Christus ut Sacerdos unctus est, significatur per *Unguentum, quod à capite Aaron in barbam, & oram superiorem vestimenti ejus descendebat*, quia scilicet unctio hæc a Christo Capite, & Pontifice nostro, defluit in Apostolos & Prælatos Ecclesiæ; qui per barbam intelliguntur, quia proximè Christo adhærent, & virile ejus robur ostendunt: deinde, per illos in oram superiorem vestis, hoc est, in ministros minores Ecclesiæ.

PROPOSITIO II.

Tanquam Rex.

Redemptor noster, Christus etiam dicitur: quia unctus tanquam Rex.

Apoc.19. 16.

HInc portat in fœmore, sive in humanitate scriptum: *Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Docent Theologi, quòd Christus etiam quatenus homo, habuerit dono Patris, dominium super omnia regna; non solum indirectè, quatenus expediens esset ad finem supernaturalem; sed etiam absolutè, potens de illis suo arbitrio disponere, Reges deponere absque cujusquam injuria. Quod tamen dominium non est planè supremum & independens sicut in Deo, nec planè humanum & temporale, sed medium quoddam inter divinum & merè humanum. Unde non impediebat aliorum verum dominium, quia est superioris ordinis, sicut nec divinum illa impedit.

Matt.28. 18.

Porrò tale dominium Christo conveniebat, ob dignitatem personæ, quia naturalis est hæres Dei, qui est Dominus omnium, & propterea dicit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Et Apostolus asserit, omnia ei subjecta præter Deum. Conveniebat iterum hoc, ut perfectiùs impleretur figura Melchisedech, qui verè habuit potestatem regiam & sacerdotalem tanquam diversas: Et figura Jesus Josedech, qui apud Zachariam ornatur duplici corona, ut una significet sacerdotalem, altera regiam, qua Christus ornari debebat. Quotquot ergo Reges, quotquot Judices in orbe, jura, leges, judiciaque administrantes, quacunque dignitate fulgeant, ministri hujus Regis sunt, & coram illo, ut Rege & Judice supremo comparituri sunt. Ubi, inquit Hieronymus, nudo latere palpitabunt, & virgam ferream experientur, si virgam directionis non rectè erga subditos gestarint.

Secundò, unctus est tanquam Rex, ob regnum spirituale super Ecclesiam: *Constitutus sum Rex super Sion montem sanctum ejus.* Officium Regis mira providentia præstat Ecclesiæ, illam regens, protegens, leges præscribens, largiens vires & perseverantiam. Regnum ergo hoc in terris inchoatur, in cœlis perficietur, quando in die judicii perfectè omnia ei subjicientur. Licèt verò ad hoc regnum tam bóni quam mali pertineant, tamen specialiter dicitur regnare in bonis & electis, qui se ejus legibus conformant. Unde dicitur *regnaturus in domo Jacob*, non temporali, sed spirituali in Ecclesia, & populo fideli, & maximè in electis suis.

Psal.6.2.

Luc.1.33.

Notandum enim, quòd potiùs dicatur in domo Jacob regnaturus, quàm Noe, Abrahæ vel Isaac. Primò, quia Jacob primus Deo domum consecravit, dum *erexit lapidem fundens oleum.* Erat enim ibi figura Ecclesiæ, & domus Dei. Secundò, quia in domo Noe reprobatus est Cham, & Chananæi infideles ex illo orti. In domo Abrahæ, Ismael & Ismalitæ. In domo Isaac, Esau, ex quo Idumæi idololatræ. In domo autem Jacob, tota familia recepta est in populum Dei, & ideo hæc domus est figura fidelium & electorum. Regnum verò hoc Christi spirituale, æternum est, de quo dicitur: *Sedes tua Deus in sæculum sæculi, regnum tuum regnum omnium sæculorum.* Unde hoc est discrimen inter regnum Christi, & aliorum Regum, quòd illud sit firmum & æternum, hoc labile & caducum. Et hoc oritur ex diversitate fundamenti, ex quo pendet firmitas ædificii. Illa enim cœperunt fundari in infirmo fundamento, aliqua quidem in tyrannide, alia in opibus & auri insatiabili cupiditate, alia in ambitione, & inani gloria: his infirmis fundamentis nixa facilè evanescunt, & in ventum resolvuntur. Testis est Daniel & Zacharias, quibus quatuor Monarchiæ ostensæ sunt sub figura quatuor equorum, & dictum est: *Hi sunt quatuor venti*, quibus verbis manifestè exprimitur eorum caducitas. At regnum Christi non in tyrannide fundatur, cupiditate, ambitione, *sed in virga directionis*, hoc est, in justitia, sanctitate, in mansuetudine, in vitæ integritate, quæ omnia fundamenta incorruptibilia sunt.

Hoc quodque asserimus, demonstratum fuit Daniel sub figura statuæ quatuor diversorum metallorum,

Dan.2.31.

Digitized by Google

lorum, auri, argenti, æris, ferri, quæ significabant quatuor imperia, scilicet Assyriorum, Græcorum, Persarum & Romanorum: sed fragili innitebantur fundamento, quia pars pedum statuæ erat ex luto. Unde venit lapis de monte, hoc est, Christus de Virgine, (quæ dicitur mons ob virtutum excellentiam,) & comminuit statuam: quando scilicet omnia regna mundi pro majori saltem parte Christo fuerunt subjecta per fidem: perfectè autem in die Judicii, quia omnis potestas temporalis auferetur, & omnes Reges, & omnis creatura, Christo, velit, nolit, subjicietur. Unde potestas ejus dicitur, *Potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus quod non corrumpetur.* Quàm verò volubilia sint mundi regna, patet in summo Imperio, quod ad tot gentes jam diversas, & toties translatum est, & tot mutationes patium est.

Quid ergo superbiunt Reges, quorum adeo caduca est potentia? Hi, si comparentur ad Christum Regem, & ejus Regnum, Umbratici potius & Comici vocari merentur; quia adeo caduca sunt eorum Regna, ut non nisi umbræ & scenæ videantur, imò somniantium principatus.

Augustus Cæsar agnovit, quàm fluxa esset regnantium gloria, qui cum per annos amplius quinquaginta imperasset, & jam lecto æger decumberet, circumdatus familiaribus suis, dixit: *Quid vobis videtur, amici mei? An non Personam meam in hac mundi fabula commodè egisse videor, per tot annorum spatia? Valete ergo, & plaudite.* Interim magna erat Regibus his anxietas, dum Christo Regi & Judici, de sua administratione reddere debebunt rationem. Hoc nostro tempore sat manifestavit Philippus III. Hispaniarum Rex. Videns morbum suum lethalem esse, per peccatorum confessionem se præparat. Illa peracta, multas anxietates in animo sensit, interrogans sæpius Confessarium, rectène omnia peracta forent. Et aperiens ei cordis anxietatem, dixit, se valdè concuti timore judiciorum Dei, cui jam de tot annis, & tot Regni negotiis, deberet reddere rationem. Mitigat anxietatem, quantum potest, Confessarius, repræsentans ei tum misericordiam ipsius Dei, tum opera multa Deo grata, in defensione fidei Catholicæ ab eo facta. His non satis sedatus, altero die Concionatorem suum ordinarium Patrem Florencia advocat, & ait ei: *Meministi ne, Pater mi, te ipso Cinerum die dixisse, aliquem audientium tuorum ante Quadragesimæ finem moriturum? Id ab eo tempore quasi mihi dictum assumpsi, & ut video, brevi Deus terminaturus est dies meos, sed non sine timore meo. Vtinam viginti duobus annis, quibus Regno præfui, sæculum relinquens, in solitudine mihi & Deo meo vixissem!* Respondet Florencia: Quod tunc effectu & reipsa præstitisses, nunc affectu & animo fac, & solatium inde reperies. Depone ad pedes Regis Crucifixi, regnum, vitam, salutem; id velles tunc præstitisse. Exhibuit ergo ei imaginem Crucifixi; & ait Rex, Christi Jesu pedes osculans: *Verè ex animo hic & vitam & principatum depono, & quæcunque Deus mihi dedit.* Vocato postea filio, *Ecce, ingredior,* inquit, *viam Patrum meorum, tu quoque fili memento mortis, & sic vive, ut non pœniteat te regnasse, sicut nunc me pœnitet. Esto pater pauperum, justitiæ zelator, & gloriæ Dei, nihil tibi placeat, quod Deo displicere potest. Hunc quoque Crucifixum accipe, quem Carolus Proavus tuus, Patri meo, ipse mihi, ego autem tibi testamento lego, ut memor sis in omnibus gloriam ejus tueri.* Tandem Concionatori valedicens, dixisse dicitur: *Vade Pater, & publicè notum potes facere, Regem Hispaniæ, post tot Regni annos invenisse, quòd regnare amabile sit & dulce in hac vita, amarum in altera.*

Sueton. in August. *Anxietas magna Potentibus de reddenda Christo ratione.* Exempl. Ex literis Pat. Soc. Jesu.

Hoc quoque speciale est in Christo, quòd Rex fuerit unctus jam ab ortu suo, & Princeps Regum terræ constitutus. Rex ergo erat in præsepio, Rex in pannis, Rex in persecutione Herodis. Unde inquirunt alii Reges: *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* Matt. 2. 2. Neque definit per mortem Rex esse, sicut alii Reges; quia Rex est in Cruce, Rex inter latrones, Rex in morte, cui hic titulus glorioſus adscribitur: *Jesus Nazarenus Rex Iudæorum:* qui tribus præcipuis orbis linguis descriptus est, ut intelligatur, inquit Cyrillus, non unius nationis, sed totius Universi Rex esse.

PROPOSITIO III.

Christus etiam unctus est ut Propheta. *Vt Propheta.*

HIc est supremus Magister, & Interpres divinæ voluntatis, arcanorumque mysteriorum, à quo totus orbis Patris notitiam accepit, de quo dicitur: *Prophetam de gente tua suscitabit tibi Dominus, ipsum audies.* Quem locum de Christo intelligit D. Petrus. Deut. 18. 15. D. Petrus. Luc. 7. 16.

In Evang. quoque dicitur: *Propheta magnus surrexit in nobis.* Magnus quidem potentia, quia ei *data est omnis potestas.* Magnus authoritate, quia de eo dicitur: *Docebat quasi authoritatem habens, non sicut Pharisæi.* Magnus sapientia, quia in eo *sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei.* Magnus virtute, quia *non ad mensuram* accepit Spiritum sanctum. Magnus etiam gratia, de quo dicitur: *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Matth. 28. 18. Coloss. 2. 3. Joan. 3. 34

Nota verò contra Tostatum, Christum non solum appellatione aut æstimatione vulgi Prophetam fuisse, sed verè Prophetam; neque enim ad naturam Prophetiæ, aut propheticæ cognitionis requiritur, ut sit obscura, ut dicit Tostatus; nam etiam Prophetæ dicuntur illa videre, quæ prædicunt: unde *Videntes* vocantur. Sufficit ergò, ut sit cognitio eorum, quæ procul sunt a sensibus hominum, & ab ordinaria cognitione viatorum, juxta Thomam. D. Thom. 3. p. q. 7.

Donum itaque Prophetiæ, dicit cognitionem supernaturalem eorum, quæ distant secundum statum cognoscentis: & ita à Christo secundum conditionem viatoris distabant illa, quæ divinitus cognoscebat; unde ut viator illa cognoscens & annuncians, prophetabat. De hac unctione, qua unctus est ut Propheta, intellige illud Isaiæ: *Spiritus Domini*

super me, eò quòd unxerit me Dominus, ad annunciandum mansuetis misit me, ut prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem.

In symbolum hujus nominis, *Christus*, narratur mirum portentum Romæ de fonte olei, de quo sic Paulus Orosius: *In diebus Augusti Cæsaris, fons olei largissimus de taberna meritoria per totum diem fluxit; quo signo quid evidentius, quàm in diebus Cæsaris toto orbe regnantis, futura Christi nativitas declarata est? Christus enim, lingua gentis, in qua, & ex qua natus est, unctus interpretatur.* Lib. 6. 17.

LECTIO X.

DE DOMINIO CHRISTI.

FILIVM EIVS VNICVM, DOMINVM NOSTRVM.

1. *Docet, Christum esse Filium Dei naturalem unigenitum.*
2. *Multis titulis esse Dominum nostrum.*

PROPOSITIO I.

Christus est filius Dei naturalis unicus. Galat. 4. *In jure civil. titul. de adopt.*

Christus Filius est Dei naturalis, ejusdem cum Patre essentiæ, coæternus, & per omnia æqualis.

IN hac nativitate æterna, unicus est, non habens fratres, nos enim per adoptionem solùm filii sumus, & nos Pater adoptat in filios per Filium. Nam sicut in adoptione naturali, necessarium est, ut procedat per consensum filii naturalis: ita in adoptione supernaturali, Pater voluit nos adoptare, & jus ad hæreditatem dare per Filium. Ipse enim est, qui nobis illam filiationem, & jus acquisivit, non invidens nobis hæreditatem, ut inter homines solet fieri: Nolunt enim habere fratres participes hæreditatis, sed inde ordinariè nascuntur odia. Ideò in Esau & Jacob ex utero contentio erat, dum sese collidunt pro primogenitura, & jure hæreditatis. Ideò in Remo & Romulo dissentio pro primatu:

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Sic & contentio fuit pro regno, inter Adoniam & Salomonem. Nimirum limitatum est omne regnum, & hæreditas ideò ex divisione minus singulis contingit. At æternum regnum & hæreditas illuminata est. Unde Christus Filius unicus, fratres optat & cohæredes. Sic D. Ambrosius explicans illud: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, ait: Magna est benevolentia, unicus natus est, non vult manere unus, cupit cohæredes; quia ejus hæreditas non fit angusta, si eam multi possederint.* Quomodo verò Filius genitus sit à Patre coæternus, supra declaravi exemplo Solis. Tract. 2. lect. 2. prop. 3.

Cæterum, propter hæreses Concilium Constantinop. explicatius addit: *Ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, genitum, non factum, consubstantialem Patri.* Exploditibi hæresim Arianam, qui mirè se opposuit *Consubstantialitati*; ita ut tunc veri Fideles, *Homousiam* vocarentur, miris obnoxii persecutionibus, eò quòd maxima pars Episcoporum, ob Imperatorum placita, ad partes Arianas deflexillet. Unde hæc vox, *Consubstantialis*, multo fletit sanguine, quia pro ea multa millia necem sustinuerunt. Ad eam stabiliendam multa Concilia & miracula edita sunt.

Præclarum est illud apud Baronium. Cùm Patres S. Synodi Nicenæ trecenti decem & octo, sanctos Canones suos, & fidem sui symboli, in quo Filius Patri consubstantialis definitur, suo chirographo munituri essent: duo sancti Episcopi, Chrysantus & Musonius, cùm nondum decitioni suas adjecissent decisiones, divina providentia ab humanis excesserunt. Divini ergò Patres, cùm venissent ad locum, in quo dormiebant, inclamarunt: *O Patres & fratres, præclarum certamen nobiscum certastis, cursum perfecistis, fidem servastis. Si ergo quod factum est, Deo gratum judicatis, (nunc enim purius cernitis,) vos quoque decisioni subsignate.* Hæc dixerunt, & signatâ decisione sanctorum Patrum loculo imposita, totam noctem insomnem peregerunt in oratione. Die sequenti cùm venissent ad loculum, solutis signaculis, quæ erant imposita, invenerunt SS. horum Patrum adjectas subscriptiones: adeò ut citra dubium fatsi sint, qui etiam extrinsecus erant, sanctum illum chorum sanctorum Patrum, constare præsentia & ope sanctissimæ Trinitatis. Eorum subscriptionem refert Nicephorus in hæc verba: *Chrysantus & Musonius, qui Patribus omnibus in sancta prima Synodo œcumenica, (qua definivit Patri Filium consubstantialem) consensimus, quamvis translati, manu tamen propria nos quoque libello subscripsimus.* Baron. to. 3. an. 325. Ex Greg. Presbyt. Cæsarien. orat. de illa Synodo. Niceph. lib. 8. hist. c. 23.

Apparuit etiam Christus B. Petro Alexandrino Episcopo, cujus Ecclesiæ Diaconus erat Arius. Historia sic habet. Cùm in carcere detineretur jussu Maximini, venit populus & Clerus, ut intercederet pro Ario, quem excommunicarat. Sollicitarat id Arius, sperans ad Episcopatum evehi post ejus mortem. Ipse verò supplicantibus cum magno suspirio respondit, se nosse, Arium jam Deo mortuum, à facie Dei projectum esse, ob blasphemum dogma contra æqualitatem Filii cum Patre. Unde Alexandrum & Achillam Presbyteros pro Ario deprecantes, è turba advocans: *Ego*, inquit, *licèt peccator, scio, me ad hunc agonem martyrii vocatum, interim vos post martyrium, eadem mecum consecuturi estis: Tu primus Achilla, post te Alexander.* Et fatebor vobis mysterium mihi revelatum: *In hora noctis, cùm orationum mearum sacrificium consummassem, apparuit mihi Christus in splendore & majestate, quam vix poteram intueri. Habebat autem veste candidam, à summo usq; deorsum consertam, quam utraq; manu conjungebat circa pectus, quasi cooperiens nuditatem suam.* Ad quam ego: Quid est Domine, quòd video tunicam tuam ita scissam? Respondet: *Quotidie inde tractas, & nescis, quomodo scissa est? Arius id fecit, qui separavit à me populum hæreditatis mei, sanguine* Exempl.

Digitized by Google

quine meo comparatum. Præcipio ergo, ne eum recipias in communionem, & Presbyteris ad te venientibus id ipsum manifesta. Exhortans ergò eos ad fidei unitatem, & Domino commendans, dimisit in pace.

PROPOSITIO II.

Christus est Dominus noster.

Christus dicitur Dominus noster, etiam secundùm humanitatem.

QUantum ad divinam naturam, certum est, iisdem rationibus esse Dominum, quibus Pater: tum quia de nihilo omnia formavit, tum quia moderatur, & nutrit triplicem familiam, Cœlestium, Terrestrium, & Infernorum. Sed specialiter dicitur Dominus noster, juxta illud: *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum.* Et iterum: *Benedicat nos Deus, Deus noster, &c.* Et hoc quidem, quia pretium ipse solvit pro nobis, sanguinem quo empti sumus; quapropter speciali etiam titulo convenit, nos in servos perpetuos illis addicere. In signum servitutis perpetuæ in lege, servo, qui tempore, quo liber esse poterat, tamen Domino suo addictus, ab ejus domo egredi nolebat, auris perforabatur, applicata ad ostium domus. Ita nos decet huic tam bono Domino, in signum servitutis perpetuæ, aurem perforatam, hoc est, obedientiam perfectam, ex propria nostra voluntate in sempiternum offerre; & profiteri nos ab ejus domo & mandatis nolle in æternum recedere. Hoc ex parte professi sumus in Baptismo, dum ante fores Ecclesiæ, aures nobis apertuntur ad ejus percipienda mandata: ibi Jesu Christo, tanquam Domino, nos totos vovemus; Sathanæ, & omnibus Christi hostibus renunciantes.

Ratione ergò hujus dominii, debemus ei timorem & amorem, corpus & animam; debemus & omnia nostra in ejus gloriam referre; quia nostri non sumus, sed ipsius, a quo empti sumus, pretio magno. Unde cum fecerimus omnia, quæ potuimus,
Luc. 17. 10 dicere adhuc debemus: *Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Et vos quoque Reges intelligite, & ad dominium ejus super vos attendite, scientes, quòd illos, qui ei subjici repudiant, ita potest perdere, & ad nihilum redigere, sicut virga ferrea vas terrenum figuli potest confringere. Quapropter & vos:
Ps. 2. 11. *Servite ei in timore, & exsultate ei cum disciplinam*, inquit David, hoc est, doctrinam & leges ejus, ne quando incipiat rebellionem vestram ulcisci. Nota Hebræa legere: *Osculamini filium*, loco horum verborum: *Apprehendite disciplinam.* Et sensus est, accedite osculatum manum illius, cui dictum est: *Filius meus es tu*; & id facito in signum subjectionis. Oculum enim manuum solet esse signum sese subjicientis. Et sic osculari filium, idem est, quod adorare eum, & doctrinam ejus ac leges recipere, seque illi subjicere cum reverentia & timore.

Exempl. Cum B. Polycarpus coram Judice sisteretur, urgebatur, ut juraret per fortunam Cæsaris, & blasphemaret Jesum Christum. At ille forti voce, & authoritate respondit: *Quid est, quod à me poscitis? Iam ab annis octoginta sex Christo meo servio, & de manu ejus benignissima, nihil nisi beneficia, & favores continuos, ac vitam, quam hactenus peregi, accepi. Quomodo ergò adduci potero, ut illum negem, & ingratus sim tam benigno Domino? Hoc ergo tibi liberè pronuncio, ô Præses, Christianus sum, & pro Christo Domino meo, qualibet qua paras tormenta, sub ire paratus sum.* Ligatus ergo, igni est traditus, & ipse se velut vivum, & odoriferum sacrificium ibi Deo offerebat. Vide suprà. Tract. 1. Lect. 1. prop. 3.

In testimonium hujusce dominii universalis, veniens Christus in hunc mundum, voluit agnosci ut Dominus, ab omni conditione hominum, ab omni ætate & sexu. Matth. 3.

Primò, ex parte Regum & Sapientum, venerunt illi tres ab Oriente ad præsepium; sceptra, diademata, principatus, cum adoratione ad pedes ejus substernentes. Et hi quoque erant primitiæ gentium, ita ut gentes censerentur in illis agnoscere Christum, tanquam Regem & Dominum suum.

Secundò, ex parte plebis ignobilis, venerunt Pa- Luc. 2. 15.
stores, homagium ei facientes. Et hi quoque erant primitiæ Judæorum, ita ut in illis Judæi censerentur agnoscere Christum, tanquam Regem & Dominum.

Tertiò, ex parte opificum, adoravit eum Joseph, offerens ei omne servitutis obsequium, & si ita loqui licet, artis suæ instrumenta ad pedes ejus deponens, docensque omnes artifices, omne artis suæ obsequium ad Christi gloriam referre.

Quartò, ex parte seniorum adoravit eum Sime- Luc. 2. 28.
on, docens, omnes senes ei ætatem suam ultimam & canos offerre capillos.

Quintò, ex parte viduarum, Anna confitebatur Ibid. 36.
Domino, complectens eum cum lachrymis, tanquam solatium viduitatis & senectutis, in quo exemplum se præbebat viduis cæteris Domino huic specialiter serviendi.

Sextò, ex parte virginum, adoravit eum Maria, docens eas huic Domino ætatis florem & castitatem dedicare.

Septimò, ex parte infantium, adoravit eum Joannes in utero: adoraverunt & eum pueri stantes vestimenta sua, ne qua ætas, vel sexus, vel conditio deesset. Sicut Rex, cum in possessionem venit regni sui, ab omnibus statibus, ab omnibus subditis solet recipi: Ita & Christus veniens in hunc mundum, possessionem regni sui capiens, ab omnibus voluit agnosci, qui veniebat ad omnium salutem & redemptionem. Innocent. serm. 2. de Natali Domini.

Hujusce quoque dominii portenta aliqua extiterunt in Nativitate Domini Jesu Christi. Nam Augustus Imperator fertur edicto curasse, ne quis amplius eum *Dominum* appellaret, agnoscens verum Dominum nasci, ex oraculis Sibyllarum. Rem ferè sic narrant Historici. Sibylla, tempore quo Christus nascebatur, apud Imperatorem morabatur, Sutrop. Orosius, lib. 6. c. 18. & alii.

Digitized by Google

Suet. in Octav. c. 95. Plin. lib. 2. hist. c. 28. Pet. de Natalibus in Catal.

batur, quem ratione pacis totius Imperii destinabant Romani, ut Deum colere, adscribentes eam pacem ejus prudentiæ in imperio gerendo. Vidit ergo tunc ferè temporis Sibilla circa Solem circulum aureum, in cujus medio erat Virgo infantem gerens. Indicat illa Imperatori per spiritum propheticum, puerum illum futurum orbis Dominum, cui omnes Reges essent parituri. Et audita est vox de cœlo: *Hæc est ara cœli. Hæc est ara primogeniti Dei.* Exinde Imperator decretum fecit, ut nemo eum vocaret Dominum, agnoscens legitimum omnium Dominum jam nasci. Hoc verò ita esse, testatur Ecclesia constructa ex Imperatoris aula, sub titulo *Ara Cœli*, quæ à Franciscanis incolitur.

Adjicimus hic, dæmonem præsensisse dominium suum deprimi, ad adventum hujus veri Domini, dum coactus est in oraculis suis conticère. Cùm enim Augustus de successore consultans, templum Apollinis accessisset, conticuit oraculum; causamque sciscitante Augusto, coactus fuit dæmon hanc reddere rationem:

Niceph. lib. 1. hist. c. 7. & Codren. in comp.

Me puer Hebræus, Divos Deus ipse gubernans,
Cedere sede jubet, tristemq; redire sub orcum.
Aris ergo exhinc, tacitus abscedito nostris.

Immò dicimus, agnitum Christum ut Dominum, ab elementis insensibilibus, dum in hoc mundo nobiscum conversatus est. Aere in ejus nativitate speciali lumine decoratus, videtur Dominum sensisse: Mare quoque & Venti, dum obediunt ei. Dicitque Bonaventura & alii, ignem de cælo descendisse in Nativitatis nocte, & peccato sodomitico obnoxios extinxisse. Multaque alia prodigia referuntur, ita ut tunc adimpletum fuerit illud Aggæi: *Adhuc modicum, & movebo cœlum & terram, mare & aridam, & movebo omnes gentes, & veniet desideratus gentibus*, id est, Salvator Christus, qui ab omnibus est desiderabilis. Commovit Deus in adventu Domini, cœlum, elementa, gentes, dum & Angeli canunt, & stella nova oritur, & Reges gentiles accurrunt, & tota Jerosolyma turbatur; denique, dum totus orbis describitur, & multa alia prodigia, omnes in admirationem rapiunt.

LECTIO XI.

DE CONCEPTIONE CHRISTI.

QVI CONCEPTVS EST DE Spiritu sancto.

1. *Docet, quare Conceptionem Christi præcesserit annunciatio Angeli.*
2. *Illam factam fuisse statim post consensum Virginis.*
3. *Multa miracula cõcurrere in illa conceptione.*
4. *Conceptionem factam virtute Spiritus S.*

PROPOSITIO I.

Conceptionem Christi convenienter præcessit Annunciatio Angeli.

Conceptio Christi prænunciata est ab Angelo.

PRimò, ut priùs Virginis mens de filio Dei instrueretur, quam eum carne conciperet. Meritò enim turbari posset, si prius concepisset, quàm intelligeret quid illud foret, & à quo, & cujus rei gratia. Hinc D. Leo: *Virgo regia Davidica stirpis eligitur, qua sacro gravidanda fœtu, divinam humanamque prolem priùs conciperet mente, quàm corpore.* Dices, Virgo habebat fidem mysterii Incarnationis, ergò non erat necesse eam instrui. Respondeo, habuisse quidem fidem illius mysterii, sed tamen non cognovisse, in ipsa, per ipsam, & cum ipsa, perficiendum, ut docet Ambrosius.

D. Leo serm. 1. de Nat.

Secundò, ut posset esse certior testis, & magistra hujus mysterii, super illo instructa fuit; & per illam instructionem factum est, ut etiam nos præcipuum testimonium virginitatis ejus, & modi conceptionis haberemus, & crederemus.

Ambros. l. 2. in Luc.

Tertiò, ut voluntaria obsequii sui munera ad illud mysterium perficiendum offerret, ad quod se promptam obtulit, dicens: *Ecce Ancilla Domini*, &c.

Congruum itaque fuit, ut per propios actus Virgo præpararetur, & mereretur quodammodò tantam dignitatem; quod fecit, dum in hac annunciatione exercuit fidem, & eximiam obedientiam, humilitatem, prudentiam, amorem, & pietatem, qui actus mirabiliter elucent in colloquio hoc Virginis cum Angelo. Unde & Bernardinus Senensis ait, Virginem illo actu, quo consentit Angelo, plus meruisse, quàm omnes Angelos & homines omnibus suis actibus. Quod videtur intelligendum, quia illo actu meruit Maternitatem Dei, & illud meritum Mariæ maximè fuit positum in illo actu, tanquam ultima dispositione ad illam Maternitatem.

Bernardinus Senensis serm. 51.

Quartò, ut ostenderetur esse quoddam spirituale matrimonium, inter Filium Dei, & humanam naturam. Per annunciationem ergo exspectabatur consensus Virginis, loco totius humanæ naturæ, quem consensum exhibuit per illa verba: *Ecce Ancilla Domini.*

Figura hujus rei videtur præcessisse in Eliezer primario famulo Abrahæ; qui missus fuit ad Rebeccam; ejus consensum petiturus, & eam desponsaturus Isaac filio unigenito Abrahæ; cui statim tradidit quasi sacratas arrhas, inaures aureas, & armillas.

Sic dicit Chrysologus: *Ad Virginem, Aligerum Deus portitorem mittit; nam dat arrham, & dotem suscipit, dum fert gratiam, & fidem refert, tradidit munera virtutis, & nox Virginei consensus resolvit sponsionem.*

Petrus Chrysol. serm. 140.

Dicitur verò optimè hæc Incarnatio Matrimonium sacrum, quia admirabilis unio in illa facta est, & admirabilis communicatio; dum natura humana

Digitized by Google

mana communicat Filio Dei corpus & animam; & Filius Dei dat ei esse suum personale. Unde etiam secuta est communicatio mutua perfectionum & attributorum, quam vocamus *Communicationem Idiomatum*. Communicat enim, & quasi dotat filius Dei humanam suam naturam, omnibus titulis honorificis, & perfectionibus suis eam nobilitat: sicut conjux statim nobilitatur à marito titulis mariti honorificis, ejus nomen ac titulos familiæ in ornamentum assumens à die conjugii; sic & natura humana gaudet ex vi desponsationis hujus, attributis & perfectionibus Dei; ita ut homo dicatur, Creator, immensus, æternus, omnipotens. Et natura ei communicat, quicquid peccati deformitatem non involvit: ita ut Filius Dei dicatur corporeus, passibilis, mortalis, filius Adæ, &c.

Hæc verò Annunciatio congruè fit per Angelum & Virginem.

Primò, ut servaretur divina ordinatio, juxta quam, mediantibus Angelis, divina mysteria ad homines perveniunt. Patet ex antiquo testamento: Unde D. Dionysius dicit: *Dei nostri Jesu benignitatis mysterium Angeli primò edocti sunt, postea per ipsos ad nos cognitionis gratia transivit. Sic ergo Gabriel Zachariam docet de Ioanne ex ipso nascituro, Mariam autem, quemodo in ipsa fieret thearchicum ineffabilis Dei formationis mysterium.*

Secundò, ut idem orbi reparando daretur initium, quod fuerat evertendo. A colloquio enim quod cum virgine Eva Angelus malus habuit, eversio orbis est inchoata; à colloquio, quod cum Virgine Maria Angelus cœlestis habet, reparatio est incepta. *Sic eâdem viâ, quâ elapsus fuit homo ad mortem, redit ad vitam: dum agit cum Maria Angelus de salute, quia cum Eva Angelus egerat de ruina,* ut ait Chrysologus.

Chrysol. ser. 142.

Hanc eandem rationem affert Irenæus, dicens: *Sicut Eva per Angelicum sermonem est seducta; ut effugeret Deum, prævaricata verbum ejus: Ita Maria per Evangelicum sermonem evangelizata est, ut portaret Deum, obediens verbo ejus; ut sicut adstrictum est morti genus humanum per virginem Evam, solvatur & per Virginem Mariam, virginalis inobedientia per virginalem obedientiam:* Ita ille.

Irenæus l. 5. c. 18.

Hanc etiam rationem tangit Bernard. acutè applicans illud Psalmi: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam*, ut sit accommodatus sensus hic & lepidus. Dies diei, Angelus Virgini eructat Verbum, annuncians ei se Verbum parituram; & nox nocti, id est, Angelus noctis & tenebrarum, mulieri, quæ nox dicitur ob ignorantiam, indicat scientiam, demonstrans ei lignum scientiæ boni & mali. Verba Bernardi sunt: *Dies diei, Angelus Virgini, dies Angelus propter beatitudinem, Virgo dies propter integritatis virtutem: serpens nox propter malitiam, mulier nox propter ignorantiam.*

Bern. ser. 5 inter parvos. Hieron. serm. de Assumpt. Vel Sophron. D. Thom. in 3 p. Suarez p. q. 22. art. 1. disp. 9. sect. 1.

Tertiò, quia hoc congruebat Virginitati Matris Dei. Unde Hieronymus: *Bene Angelus ad Virginem mittitur, quia semper est Angelis cognata virginitas. In carne enim præter carnem vivere, non terrena vita est, sed cælestis.*

Quæritur verò, quis sit Gabriel missus ad Virginem? Multi enim constituunt primum in secundo Archangelorum ordine, ad quos spectat summa annunciare. D. Thomas, *a* Gregorius, *b* Bernardus. Alii censent eum inter Seraphinos, *c* Magister, *d* Scotus, *e* Durandus, *f* Molina, & alii. Probari potest:

a Homil. 34. in Evang. *b* Lib. 5. de Consid. *c* In 2. distinct. 1. *d* Ibid. *e* Ibid. *f* 1. p. q. 112

Primò, quia probabile est, primum diabolum, puta Lucifernm, decepisse Evam, fuitque causam ruinæ hominum; sic videtur fuisse convenens, ut reparationis nuncius foret Angelus inter primos.

Secundò, maxima gratia erat Incarnatio: unde gratissimi Deo nuncii ministerio conveniens fuit, ut eam mundus assequeretur.

Tertiò, Gabriel idem significat, quod *Fortitudo Dei*, vel, ut alii dicunt, idem quod *Deus homo*. Videtur ergo inter Angelos primos, fortissimos, potentissimos. Vide latius hac de re Cornel. in Dan. Neque verum est, Seraphinos nunquam mitti, ut latè suprà docuimus.

Valent. 2. p. de effectu provid. divin. disput. 8. 6. punct. 2 Salmeron tom. 3. c. 3. Cornel. à Lap. in Daniel. c. 9. v. 21.

Adverte verò, B. Petrum Damiani dicere, quòd Gabriel fuerit Angelus Custos Virginis. Tostatus verò putat, Virginem duos habuisse Angelos Custodes, unum Angelici ordinis nobilissimum, qui per totam vitam, alterum ipsum Gabrielem, qui à Conceptione Christi custos extiterit.

Orat. 1. de Nat. Virg.

Emmanuel, Portugalliæ Rex, considerans, quòd Gabriel Angelus mundo inveterato & gementi, sub infidelitate, nuncium renovationis & lætitiæ, attulerit, hunc elegit Patronum, sub quo militaret ejus exercitus, qui invehebatur in novum Indiæ orbem, desiderio annunciandi Evangelium, sive lætum salutis nuncium, populis illis gementibus sub diaboli captivitate. Unde primariæ navi suæ nomen dedit Gabrielis Archangeli, ideoque fœlicem ingressum habuit ad illos populos. Idem refertur tract. 2. lect. 5. propos. 3.

Exempl.

B. Joanna Regina Galliæ, Filia Ludovici Undecimi, tanto affectu ferebatur erga hoc Annunciationis mysterium, ut fundaverit Ordinem sanctissimum sub nomine B. Mariæ Annunciationis; qui confirmatus fuit ab Alexandro VI. Julio II. Leone X. & in Gallia, ac pluribus locis floret in Belgio, Lovanii, Bruxellis, Antverpiæ, Nivellis; & novissimè Namurcum è Nivellis accersitæ sunt, ibique floridæ vitæ suavem odorem dant novellæ plantæ. Regulam verò hujusce Ordinis & Instituti fundavit super virtutibus præcipuis Virginis Deiparæ, quæ eminuerunt in hac Annunciatione, & colloquio Angelico; scilicet eminens fides, spes, charitas, Angelica puritas, profunda humilitas, prompta obedientia, ardens devotio & pietas, eximiaque prudentia. Hæ omnes virtutes satis elucent ex responsis Virginis ad Angelum; ita ut ibi sese exhibuerit Virgo exemplar & speculum perfectissimum omnium Virginum & Religiosarum. Hæc verò B. Joanna huic Incarnationis Filii Dei myste-

myſterio affecta, diverſas jam à puero revelationes habuit, a Filio Dei, & Matre ejus, quibus poſtea totam ſe vovit. Unde & pingitur cum puero Jeſu in gremio Matris, qui porrigit ei annulum, quo ſe Deo per Religionis vota conſtringat. Miraculis verò clara, migravit ad cœleſtem Sponſum, anno 1504, annum necdum quadrageſimum ingreſſa.

Florentiæ colitur Imago B. Mariæ Virginis Annunciatæ, quæ multis eſt miraculis illuſtris, creditur-que eſſe ab Angelo delineata & expreſſa. Nam cùm Pictor corpus Virginis ſuo expreſſiſſet penicillo, ac multùm hæreret cogitabundus, quam faciem tanta Virgine dignam depingeret; imo pietatis affectu, & reverentia erga Mariam impulſus, rem Deo commendarat; divinitus nocte quædam facies adpicta fuit, Angelico, ut creditur, miniſterio. Hoc habet ibi communis traditio, & id miracula confirmant.

PROPOSITIO II.

Conceptio Chriſti facta fuit ſtatim poſt conſenſum Virginis.

Facta poſt conſenſum Virginis.

DEclaratur: Virgo conſenſum ſuum expreſſit his verbis: *Ecce Ancilla Domini*, &c. Et nunc ſtatim formatus fuit in utero Virginis Chriſtus, & unio illa miraculoſa facta fuit naturæ humanæ ad Divinam Perſonam. Sicut ergo poſt illa verba: *Hoc eſt corpus meum*, ponitur Chriſtus ſtatim ſub ſpeciebus ſacramentalibus; ita poſt illa verba, *Ecce Ancilla Domini*, &c. poſitus fuit Chriſtus, & formatus in utero.

Hinc ſancti Patres verba illa vocant *Reſponſum lætitiæ*. De quo Bernardus eleganter: *Audiſti Virgo factum, audiſti & modum, utrumque mirum, utrumque jucundum. Exſpectat Angelus reſponſum tuum, exſpectamus & nos verbum miſerationis, quos premit ſententia damnationis. Hoc ſupplicat à te flebilis Adam, cum miſera ſobole exul de Paradiſo, hoc Abraham, hoc David. Patres tui in regione umbræ mortis, hoc totus mundus tuis genibus provolutus exſpectat. Ex ore tuo pendet ſolamen miſerorum, redemptio captivorum, ſalus univerſorum; ipſe quoque, qui concupivit decorem tuum, exſpectat reſponſum tuum. Reſponde ergo verbum, quod terra, quod inferi, quod exſpectant & Superi. Reſponde verbum, & ſuſcipe verbum; profer ſuum, concipe divinum; emitte tranſitorium, amplectere æternum.*

Conſentiente ergò Virgine per illa verba, factum eſt ſublime illud Matrimonium inter humanam naturam & Deum, ita ut nunc dicere quis poterit: *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum Mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.* Cant. 3. 11. Fuit enim dies ille lætitiæ, fuit dies deſponſationis & matrimonii facti, per unionem perſonalem. Fuit dies, quo Chriſtus a Matre ſua eſt veſtitus veſte carnis noſtræ, & circumdatus, veluteque coronatus diademate mortalitatis noſtræ, tanquam *Rex pacificus, cujus vultum deſiderabat universa terra.* Egredimini ergò filiæ Sion, animæ piæ contemplationi deditæ, & conſiderate cum affectus ſuavitate, hoc deſponſationis myſterium, in quo omnes animas jam Chriſtus cenſetur ſibi deſponſare. Conſiderate veſtem illam, & coronam mortalitatis, qua dignatus eſt filius Dei propter vos ſe coronare; poſtea quoque iterum coronandus propter vos, ſed a Noverca, non a matre, corona crudelitatis in cruce; ut ibi per eam conſummet hanc ſacram animarum deſponſationem.

Egredimini quoque virtutes Angelicæ, incolæ civitatis cœleſtis: ecce Rex veſter, ſed in corona noſtra, in diademate, quo coronavit eum mater ſua. Ecce, in quem deſideratis proſpicere, in corona paupertatis noſtræ, in exilio noſtro; quem poſtea videbitis in corona gloriæ, qua coronabit eum Pater ſuus in regno veſtro, poſt partam victoriam, cùm vobis inclamabitur, *Dominus fortis & potens, ipſe eſt Rex gloriæ.*

Hæc verò Incarnatio & Conceptio Filii Dei facta eſt octavo Kalendas Aprilis, Feria 6, ut tradit Eccleſia. Unde Rupertus: *Eadem*, inquit, *die, qua veterem Adam formavit de limo terræ, novum ſibi hominem reformare cœpit de Virginis carne, ſimiliter & feria ſexta redempturus mortis Paſſione.* De hora verò nihil certi habetur. Rupertus de divin. Offic. c. 19.

Aliqui ex Recentioribus, volunt Angelum veniſſe ad Virginem in principio noctis, ſumentes id ex conſuetudine Eccleſiæ, quæ illa hora ſignum præbet ad ſalutandam Virginem. Et in Vita S. Bonavent. refertur, eum hac ratione motum a Pontifice obtinuiſſe, ut tunc ſignum pulſaretur. Albertus Magnus putat, ſummo mane veniſſe, & hoc ſignificare ſignum, quod datur mane ad Virginem ſalutandam. Alii putant, Annunciationem factam hora, qua Chriſtus natus fuit, ut ſic novem integris menſibus in utero matris habitaverit, hoc enim ad perfectionem Conceptionis ſpectare videtur. Unde & de Incarnatione intelligi poteſt illud: *Dum nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus de cœlo à regalibus ſedibus venit.* Sap. 18. 14. Hoc enim magis proprie dicitur de Incarnatione, quam de Nativitate.

De loco verò certum eſt, fuiſſe in Nazareth, ubi domicilium ſeu cubiculum Virginis poſt Chriſti Aſcenſionem ab Apoſtolis Chriſtianis in ſumma religione habitum fuit, & in templum conſecratum, ob multa eximia myſteria in eo facta. Eadem illa domus miniſterio Angelorum primò in Illyricum, poſtea in Italiam, tranſlata eſt, & Lauretana Eccleſia appellatur: & uſque modò ſumma religione viſitatur, eſtque a Regibus & Principibus eximiis donis affecta, huntque in illa plurima miracula, de quibus libri ſpeciales extant. Putatur verò eadem domus domicilium fuiſſe B. Annæ, & in eo B. Virgo nata fuiſſe. Horat. Turſell. de domo Lauret. Suarez 3. part.

✠

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO III.

Concurrunt multa miracula in hac Conceptione Filii Dei.

De Conceptione multa miracula concurrunt.

PRimò, Miraculum in hoc fuit, quod Virgo concipit: habet enim communis conceptionis modus, causam efficientem Patrem & Matrem, hic autem causa efficiens non sunt nisi Deus sine viri operâ formans Corpus Christi in utero Virginis, quia potest omnem supplere causam efficientem. Quod quidem ut intelligatur, juvabit proponere similitudinem ex iis quæ facta scimus in creatione mundi. Cùm enim terra ordinariè non producat granum, nisi priùs aratro excolatur, proscindatur & seminetur, pluvia quoque cum Solis calore fœcunderur: Tamen quando terra primò produxit granum, id fecit in instanti, solo Dei mandato & virtute, sine cultura, aut seminatione, aut irroratione, aut Solis calore, ita ut terra tunc esset quodammodò virginea. Simili modo uterus Virginis sine commercio humano, sola Dei virtute & mandato, produxit hoc pretiosum granum Corporis animati Filii Dei. Hoc Miraculum Conceptionis Virginis prævidit Isaias; *Audite domus David, propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum, Ecce Virgo concipiet, &c.* q.d. Adeste Proceres, adeste Judæi, audite omnes gentes, videte & stupete. Ecce enim rem miram omni ævo inauditam. Ecce ostentum sæculorum, ecce novum quod creabit Dominus super terram, *Virgo concipiet.*

Simile.

Isa. 7. 13.

Secundò, Miraculum fuit in hoc: Quod corpus infantis in instanti formatum fuit, & anima illi infusa. Natura enim requirit ad formationem corporis ordinarè spatium 40. vel circiter dierum, & ante illud tempus, corpus embrionis sine anima est. In Christo vero nullum tempus requisitum fuit, sed statim in puncto temporis, in utero Virginis formatum fuit corpus, & animà infusa; quamvis voluerit, ut ordinarii infantes, novem mensium spatio concludi. Sed interrogare libet, ô puer dulcissime? Quidnam tunc agebas tot mensibus in utero Matris; Quomodò ibi te habebas? Nunquid poteras facere, quod terra virginea statim produceret fructum suum? An ibi tanto tempore otiosus degebas? At ille his respondere sic videtur. Optimè me habebam, licet ibi clausus, quia post sinum Patris, nullus mihi gratior utero & sinu Matris. Nec ibi otiosus eram, sed texebam regium & purpureum indumentum humanitatis meæ, ut habitu progrederer vestitus ut homo. Ibi me jam ad certamen contra hostem parabam, ibi me in sacrificium pro te offerebam. Volui verò tanto tempore claudi, ut clausis & carceratis consolationem darem, & ut cæteris pueris pro te conformarer. Volui novem mensibus ibi manere, ut novem Angelorum choris te adscriberem.

Tertiò, Miraculum fuit, in hoc, quod omni gratia & virtute anima ejus statim ornata fuerit. Conceptus enim fuit plenus gratia & veritate: nos verò concipimur in peccato: quod trahimus ex Adam, mediante Patre carnali; sed quia Christus Patrem non habuit, ideò sine ulla peccati macula conceptus fuit. Hinc dicunt Patres & Doctores, Sancti, *Christum fuisse in Adam, aut Patriarchis sec undum corpulentam substantiam, sed non secundum seminalem rationem*, ideoque ex vi conceptionis non fuisse subditum peccato Originali. Volunt dicere hoc modo loquendi, Christum fuisse in illis secundum substantiam corpoream, sive secundum materiam, ex qua Christi corpus constat; sed non fuisse secundum seminalem rationem, id est, secundum vim activam, quæ solet esse in semine patris ad fœtus formationem, quia de Spiritu Sancto fuit, & ab eo omni gratiâ statim repletus. De hoc prædixerat Isai. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini.* Jesse fuit Pater David, virga de illo oriens fuit nostra Virgo, hæc produxit florem Christum, super quem plenitudo spiritûs & gratiæ descendit, flos fuit in Conceptione, fructus in Nativitate. Ab illa ergò conceptione jam plenitudinem illam gratiæ habuit.

Isa. 11. 1. 2.

Quartò, Miraculum etiam in hoc fuit, quod infans hac ratione & sapientiâ pollet adhuc in utero. Unde admiratur id Hieremias, dum dicit, *Novum creavit Dominus super terram, fœmina circumdabit virum.* Quæ est hæc fœmina, potès utero suo claudere virum; Aut quomodò vir potest utero circumdari? Non enim dicit parvulum aut infantem, sed virum. Ergò res nova & inaudita proponitur. Nempè Christus vir ille, qui licet ætate & statura infans, tamen à primo conceptionis instanti Vir novus, Homo Deus, ex nova matre, quia Virgine, novo modo sine viro, nova generatione procreatus. Hic est vir novus, qui in novo orbe novam legem, novum fœdus, Sacramenta omnia nova dabit, & postea terram & Cœlos novos. De hac re loquens Bernard. ait; *Vir erat Iesus secundum natus, sapientia non ætate, animi vigore non viribus corporis, maturitate sensuum, non corpulentia membrorum. Nec enim minus habuit sapientia, vel potius non minùs fuit sapientia conceptus, quam natus, parvus quam magnus, sive latens in utero, sive vagiens in præsepio, sive interrogans in templo, sive docens in populo, aquè fuit plenus Spiritu Sancto.* Neque refert quod dicitur, *Puer proficiebat ætate gratia & sapientia apud Deum & homines*; hoc enim tantum significat Christum crescente ætate profecisse, quantum ad usum & exercitium: quia semper majora & perfectiora opera sapientiæ & gratiæ exercebat, non tantum in opinione hominum, sed & re ipsa coram Deo, eminentiora edens vir, quam puer.

S. Bernar. homil. 2. sup. Missus est.

Luc. 2. 40

Quintò, Miraculum in hoc fuit, quod hæc anima infantis à primo instanti, beatifica visione donata fuerit, videns ellentiam divinam, & in illa omnia præsentia, præterita, futura, omnem ordinationem Dei circa sæculum præsens, & circa æternitatem futuram, circa electos & reprobos, circa homines & Angelos: ita ut ex tunc notus ei fuerit

Digitized by Google

numerus electorum & reproborum, numeruſque judicandorum & ipſa dies judicii ; quia hoc noſſe, ad ipſum ſpectabat, qui Judex erat conſtitutus vivorum & mortuorum.

S.Bern. ſer.3.in vig.Nat.

Sextò, Miraculum in hoc fuit, & fons cæterorum miraculorum, quod corpus & anima eodem inſtanti temporis, cum verbi perſona copulantur, unione planè ineffabili; ita ut hæc tria ſint unum, *Verbum, Anima, Caro*, unitate perſonæ. Hoc eſt enim miraculum miraculorum, quod ne ſuſpicari quidem potuit mens vel angelica vel humana, ex quo ſequuntur innumera miracula, hominibus & Angelis incomprehenſibilia. Unde dicit Bernardus : *Generationem iſtam quis enarrabit ? Angelus nunciat, virtus obumbrat altiſſimi, ſupervenit Spiritus? Virgo credit, Virgo parturit, Virgo permanet. Quis non miretur? Naſcitur Verbum infans, & agnoſcitur longitudo brevis, latitudo anguſta, altitudo ſubdita, profunditas plana. Ibi agnoſcitur lux non lucens, Verbum infans, aqua ſitiens, panis eſuriens.*

Bernard. ſerm. 1. in vig.Nat. in principio.

In hac ergò Incarnatione tanta prodigia ſunt, ut majora non viderit Orbis. 1. Vidit tempore Joſuæ Solem ſtantem, tempore Ezechiæ retrogredientem. Nunc videt Deum Solem æternum, non ſolùm retrogredientem, ſed ſe mirabiliter exinanientem. 2. Vidit in Rubo conſervatum virorem in igne: Nunc videt ſervatam Matris virginitatem in Conceptione. 3. Vidit virgam florentem ſine cultura: Vidit nunc virgam Jeſſe fructum parientem ſine humana opera. 4. Vidit manna è Cœlo pluens: Vidit Verbum Patris è Cœlo in gremium Virginis deſcendens. 5. Vidit Eliam in Cœlum aſcendere: Videt humanam naturam ad Deitatem aſcendere. Unde Scriptura dicit, quod *Verbum abbreviatum fecerit Dominus in medio univerſæ terræ*, quia ſcilicet omnia myſteria legis, omnia prodigia orbis in hac Incarnatione conſummationem acceperunt & perfectionem. Et homo qui erat *mundus abbreviatus*, perfectionem & conſummationem ſummam accepit, dum perfectior eſt Angelis effectus & deificatus. Verbum ergò carnem aſſumens, nunquid abbreviationem fecit, dum ſemetipſum exinanivit? dum infinitam majeſtatem in anguſto corpore velut abbreviavit? Dum corpus ac divinitatem in anguſto præſepio collocavit? Dum poſtea ipſum ſuum corpus & deitatem, iterum ſub minima Panis ſpecie collocavit? Quomodò potuiſſet ſe magis abbreviare, aut homini majorem perfectionem & conſummationem dare, quàm illum ita evehendo ſupra omnem Angelicam etiam creaturam.

D.Tho. q.4 ſ.at. 6.

Quærit D. Thomas : An poſſit Deus meliora facere, quam fecit ? Affirmat, exceptis tribus : Incarnatione Chriſti, Maternitate Deiparæ, Beatitudine hominis. *Quia non poteſt facere meliorem hominem, quàm ſit Deus homo; nec meliorem Matrem, quàm ſit Mater Dei, nec beatitudinem meliorem, quàm ſit viſio & poſſeſſio Dei.*

PROPOSITIO IV.

Efficacia hujus Conceptionis ſpecialiter tribuitur Spiritui Sancto, licet communis ſit tribus Perſonis.

Conceptio Filii Dei tribuitur Spirit. S.

RAtio eſt, quia opera bonitatis illi ſolent tribui, ſicut opera omnipotentiæ Patri, & opera ſapientiæ Filio. Cùm ergò opus hoc ſit ſummi amoris, bonitatis & pietatis, appropriatur Spiritui Sancto, qui amor eſt. *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te*, inquit Apoſtolus, *& virtus Altiſſimi obumbrabit tibi* : Senſus eſt. Primò, Virtus Altiſſimi, ſive potentia ejuſdem ſpiritus defendet te, & virginitatem tuam, quam tantopere diligis, ita proteget, ut ſine læſione illius concipias. Obumbrare enim in Scriptura ſignificat defendere? *Obumbraſti ſuper caput meum in die belli*, hoc eſt, defendiſti caput meum. *Scapulis ſuis obumbrabit tibi*, id eſt, defendet te.

Luc.1.35. Pſ.139. 8. Pſ.90.4.

Secundò, Gregorius, & aliqui Patres ſic explicant: *Virtus Altiſſimi*, hoc eſt, Filius Dei, qui eſt lux increata & ſplendor Patris, obumbrabit tibi, dum ex te corpus aſſumet : nam ſicut lux corpori opaco juncta obumbrat, ita æterna illa lux corpori tuo juncta, erit obumbrans, & mirum, tibi refrigerium umbra ſua præſtans, contra omnem voluptatis ardorem & ſenſum.

Tertiò, poteſt ſignificari per illa verba, mira amoris copia, qua mens Virginis tunc ardere debebat, ut ſit ſenſus. Supervenict in te Spiritus Sanctus, qui ignis eſt conſumens, accenderetq; in te mirum ignem amoris divini, quem viribus naturæ ſuſtinere non poſſes, ſed conſumereris in mediis his flammis, vitamque tuam velut diſſolvi oporteret ; Verum ipſe umbram præſtabit, & refrigerium, & virtutem dabit, ut tantam vim amoris ferre poſſis, ſicque velut innoverur miraculum Rubi in medio ignis non conſumpti.

Solus Filius eſt incarnatus. D.Tho. q.3.art.1. & 2.

Licet verò Spiritus Sanctus & Pater cooperati ſint ad ſacri Corporis formationem, & ad creationem animæ, ad unionem quoque corporis & animæ cum perſona divina ; tamen non tres perſonæ dicuntur in carnatæ, ſed Filius, quia ad ſolam perſonalitatem Filii terminata eſt unio naturæ humanæ, & in ſola perſona Filii ſubſiſtit. Unde ſolus Filius dicitur aſſumpſiſſe humanam naturam. Ubi Aſſumptio non ſumitur activè, quia omnis actio ibi inventa, communis eſt tribus perſonis, eo quod ſit actio ad extra, ſed aſſumere idem eſt quod terminare & ſuſtentare naturam humanam, quod proprium eſt Filio. Solet pro ſimplicibus aſſeri ſimilitudo, de una aliqua perſona ſe veſtiente concurrentibus aliis duabus; tunc enim ſunt tres qui veſtiunt, & tamen unica manet veſtita. Sic Pater, Filius, Spiritus Sanctus concurrerunt ad veſtiendum perſonam Filii, veſte carnis & mortalitatis noſtræ; tamen unica illâ manet veſtita & incarnata.

Simile.

Cùm verò dicitur, *conceptus de Spiritu Sancto*, non ſequitur Spiritum Sanctum dici poſſe Patrem Chriſti, quia non omne principium agens aut producens

Digitized by Google

ducens rem aliquam, statim nomen Patris obtinet; sed requiritur quod de sua substantia producat, & quidem in similitudinem naturæ. Hinc nec Pictor, nec Operarius dicitur Pater Picturæ, aut operis sui; quia non de sua substantia, sed de aliena materia producit illud, de auro, argento, aut terra, & dat illi aliud esse, quàm suum proprium. Sic Spiritus Sanctus non formavit Corpus Christi de substantia divina, sed de purissimis sanguinibus Virginis, reddiditque illud simile natura Virgini, non sibi.

Ipsa tamen Virgo rectè dicitur Mater Dei, quia est Mater illius, qui à primo instanti Conceptionis suæ fuit Deus. Et sic, ut propriè dicatur Mater Dei, sufficit quod eodem instanti, quo anima unita est corpori per concursum maternum Virginis, eodem etiam instanti anima & corpus unita sint verbo divino. Undè Elizabeth vocat eam *Matrem Domini*. Ubi indicatur divina persona. Et ad Galat. dicitur: *Filius Dei factus ex muliere*. Per communicationem ergò idiomatum rectè dicitur: Conceptus, Natus, Mortuus, & consequenter Filius Virginis.

Ad Gal. c. 4. v. 4.

Θεοτόκος *Deipara est B. Virgo Maria.*

Nestorius id negans damnatur à Concil. Epheſino Bar. an. 4031. §. 8. Nicph. l. 14. c. 16. Cedrenus in compend. Hist.

Quapropter in Concilio Ephesino definitum est, Virginem esse, *Theotocon*, hoc est, Dei Genitricem: & ibi condemnatus est Nestorius id negans, qui & postea a Deo punitus fuit, & blasphemiæ pœnas luit, de quo sic refert Nicephorus. Nestorius ex Presbytero Antiocheno, à Theodosio Juniore ad Sedem Constantinopolitanam evectus fuit. Homo fuit contentiosus, arrogans, ob eloquentiam turgidus, & popularis gloriæ avidus. Hic publicè docuit Mariam, Dei Genitricem non esse vocandam, & hunc errorem suâ authoritate firmavit. Ob hoc Synodus Ephesi coacta fuit, in qua ducenti Episcopi fuêre, nunquàm tamen potuit dimoveri à sententia, licet rogatus à Cœlestino Papa, Cyrillo Alexandrino, aliisque Episcopis. Quasi ergò hostile bellum adversus Deiparam instituisset, nullum sanis consiliis locum reliquit. Undè a Synodo rejectus & anathemati traditus, Episcopalique dignitate est privatus, & à Theodosio in exilium ejectus. Sed nec Patrum censura, nec Cæsaris severitas meliorem eum efficit. Undè in exilio vitam profugam & plenam miseriis agere est coactus, ibique est mortuus. Deus verò vindicans Matris injuriam, immisit in ejus blasphemam linguam vermes, qui tanquam Carnifices eam corroserè: & si corpus nefandum novæ impietatis organum, à terra dehiscente non est absorptum, certè anima ad inferos detrusa, blasphemiæ meritas pœnas luit.

Canis. 9. l. 3. c. 18. de Virg. et Nicephoro.

Illud verò notatu dignum est, Scripturam quidem pauca de Virgine nobis tradidisse, quia tota Evangelistarum intentio ad Christum referebatur: illo cognito, ejusque fide satis fundata, Matris ejus excellentia satis quoque cognosci poterat. Tamen omnes laudes & totam dignitatem Virginis hoc brevi eloquio comprehendit sufficien-

ter, dum *Matrem Dei* appellat per Elizabeth. Et dum per Matthæum dicit, Mariam illam esse, *de qua natus est Jesus*. Non enim potest altius ejus dignitas commendari, quia nihil excellentius, nihilque divinius dici potest de pura creatura; excedit-que omnem altitudinem, quæ potest Deum cogitari potest, Matris Dei dignitas, ut dicit Anselmus. Rationem addit D. Thom. quia dignitas hæc quodammodò infinita est, continens affinitatem cum Deo, & conjunctionem, consanguinitatemque cum persona infinita. Et cùm Matrem Dei nominas, dignitatem illam nominas, quæ est fons & origo ex qua omnia dona, omnes gratiæ, omnis excellentia Virginis emanavit: dedit enim illi muneri materno proportionatam Deus gratiam, ita ut plus dicas, cùm Matrem Dei dicis, quàm si Apostolum, Prophetam, Martyrem, Angelum, Seraphim nominares.

Matth. 1. D. Thom.

Quia tamen pauca Evangelium de Virgine dixerat, voluit per generalia totius Ecclesiæ Concilia, laudes ejus plenius promulgari. Ubi valdè notabile est, ex quatuor primis Conciliis (quæ Gregorius ut quatuor Evangelia veneratur.) Primum Concilium Universale Nicenum coactum fuisse prò Patris & Filii honore, ad defendendam æqualitatem & consubstantialitatem contra Arium: Secundum, ad defendendam Spiritus Sancti divinitatem contra Macedonium, Constantinopolitanum scilicèt Concilium. Tertium Ephesinum, ad tuendam Matris Dei dignitatem, contra Nestorium, ubi plurima de laudibus Virginis dicta sunt, ita ut eam tunc Beatam proclamârint totius Orbis Nationes. Et hæc postea in quarto Concilio Calcedonensi, & in quinta & sexta Synodo, denique & in cæteris usque ad Tridentinum confirmata sunt, & amplius explicata, ut adimpleretur Virginis Prophetia; *Beatam me dicent omnes Generationes*. Quæ quotidiè adhuc impletur, dum ab Oriente usque ad Occidentem, a Meridie usque ad Septentrionem, ejus nomen & laudes resonant, usque ad Indos, Japones, Chynas, & remotissimas Orbis partes. Item dum ubique in ejus honorem, Altaria penè sine numero, Basilicæ, Templa, Congregationes, Sodalitates eriguntur; dum peregrinationes celeberrimæ, ad ejus imagines novis quotidiè miraculis illustres, summo concursu populorum instituuntur. Quæ quidem omnia hæreticis, Virginis hostibus, confusionem & pudorem pariunt. Sed & ipsius hostes specialem sæpè punitionem accipiunt; exemplo ergò Nestorii, subjicio exemplum Constantini Copronymi.

Luc. 1. 48.

Constantinus Copronymus hujus Virginis hostis, illam quam Christus sibi in domicilium elegit gloriosam suam Matrem, patrocinium omnium hominum, multis modis persecutus est. Ipsius Venerandum nomen studuit ab Ecclesia expellere, & intercessiones ejus, per quas mundus consistit, ne quidem voluit nominare, cùm diceret nemini eam posse opitulari. Conabatur autem quod dice-

Theophanes de Constant. Copron. Baron ad an. 797.

Digitized by Google

dicebat, hoc exemplo confirmare. Cum aliquandò marſupium aureis nummis plenum in manus ſimpliſſet, & iis qui cum ipſo verſabantur, oſtendiſſet; quærebat ab eis: Quanti marſupium hoc valet? Multum, inquiunt illi. Cum verò aurum ejeciſſet, rurſum quærebat: Quanti illud marſupium? Cumque illi reſponderent, nihil valere. Ita, inquit ille, & Maria, quam Deiparam vocant, quo tempore in ſe habebat Chriſtum, valde honoranda erat; ex quo autem illum peperit, nihil differt à reliquis. Sed Deus ejus blaſphemiam & ſuperbiam infeliciſſimo exitu punivit: Morbus enim Carbunculi pedes ejus invaſit, & febris ardentiſſima, ſicque animæ & corporis mortem obiit, vociferans vivum ſe inextinguibili igni traditum eſſe, propter Mariam Deiparam, jubenſque eam exindè honorari & celebrari ut Deiparam. Ita Cedrenus, Glycas, & alii. Et Surius 3. Aprilis. Ejus ergò infelicem hunc exitum attendant noſtri temporis Novatores, qui ſe Diſcipulos impietatis ejus, & dictis & factis profitentur.

Baron. à 775. Cedren. Glycas. Sur. 3. April.

LECTIO XII.

DE CHRISTIANA NATIVITATE, QVI NATVS EST DE MARIA VIRGINE. EXPLICANTUR CIRCUMSTANTIÆ. Nativitatis Chriſti.

1. *Quare natus in Bethleem?*
2. *Quare reclinatus in Præſepio.*
3. *Cur elegerit tale tempus Nativitati ſuæ.*

PROPOSITIO I.

Non ſine myſterio electus fuit locus Nativitatis Chriſti in Bethleem.

Chriſtus natus in Bethleem cur? Luc. 2.

PRimò, quia Chriſtus voluit naſci ex David, juxta promiſſum Scripturæ. Ideò elegit ipſum locum Nativitatis David, ut jam promiſſio ei facta oſtenderetur impleta. Quod inſinuat Evangeliſta, dicens: *Eò quod eſſet de domo & familia David.*

Secundò, quia Bethleem erat exigua & humilis civitas. Eam ergò elegit, ut gloriam hominum repudiaret, qui ex hoc gloriantur, quod nobili loco nati ſint. Elegit infirma mundi, ut confundat fortia; propter quam eandem rationem elegit & pauperem Matrem, & humilem naſcendi modum; ipſam paupertatem, quaſi ſponſam ab omnibus repudiatam deſponſare veniens.

Mich. 5. 2. Matt. 2. 6.

De hac civitate Michæas dixit: *Tu Bethleem minima es in millibus Iuda.* Matthæus verò legit: *Nequaquam minima es.* Michæas vocat *parvulam*, muterum ambitu, numero civium, loci ſplendore; Matthæus vocat *nequaquam minimam*, nobilitate & dignitate, quam decebat habere ob Meſſiam ibi naſciturum. Et ſenſus eſt: Tu Bethleem parvula quidem es, ſed tamen dignitate magnâ, quia ex te orietur Dominator Iſrael, ſicque eris totius terræ Metropolis, tanquam Chriſti Parens & Nutrix.

Hinc Eccleſia canit: *O ſola magnarum Urbium major Bethleem, cui contigit Ducem ſalutis incorporatum gignere.* Licet enim Jeruſalem templi majeſtate gloriari poſſit Babylon murorum fortitudine, Athenæ ſapientia, Tyros & Sidon opibus & mercium preciolitate, Roma triumphis, Ninive magnitudine & ædificiorum altitudine, Bethleem tamen ſolo Chriſti Natali omnibus antecedit.

Hinc Bernardus: *O Bethleem parva, ſed jam magnificata à Domino, qui factus eſt in te parvus ex magno. Lætare Bethleem, & per omnes vicos tuos feſtivum Alleluja hodie cantetur. Qua civitas tibi non videatur preciosiſſimum illud Stabulum, & Præſepii gloriâ? In universa ſiquidem terra, jam celebre eſt nomen tuum, ubique gloriosa dicuntur de te Civitas Dei, ubique pſallitur, quia homo natus eſt in ea, & ipſe fundavit eam Altiſſimus. Ubique inquam, prædicatur, quod Jeſus Chriſtus Filius Dei nascitur in Bethleem Iuda.* Bern. ſer. 1. in Vigil. Nativit. Pſal. 86. 5.

Joan. 7. 42.

Tertiò, rectè elegit Bethleem, quæ interpretatur *Domus panis*; ipſe enim eſt Panis ille vitæ, qui deſcendit de Cœlo. Alio quoque nomine vocabatur *Ephrata*, hoc eſt, fructifera, quia non ſolum ſicut aliæ civitates aut regiones, vinum, oleum, frumentum profert: ſed & germinavit frumentum electorum, Panem Angelorum, vitæ fructum. In hac ergò Bethleem, hodie oritur ciſterna illa, quæ continet aquam vivam, ad quam quilibet Fidelis debet accedere & haurire. Clamabat olim David ſitibundus: *O ſi quis daret mihi de ciſterna, quæ eſt in Bethleem!* Tunc irruentes tres milites per aciem, cum periculo vitæ, attulerunt ei aquam de Bethleem, ſed noluit bibere. Hoc interpretans myſticè Sophronius dicit, non fuiſſe aquam illam, cujus ſiti ardebat David; ſed aquam vivam, quam qui biberit, non ſitiet iterum, quæ non ſolum ſuam, ſed etiam totius humani generis ſitim explere poterat: dicitque hanc ciſternam Virginem deſignaſſe, quæ Deum erat paritura. *Figura*, inquit, *erat & Prophetia de Chriſto, qui eſt aqua viva omnibus vitam infundens, deque myſtica & ſpirituali ciſterna, quæ aquam illam nunquam deficientem, utero comprehenſam, in lucem edidit.* Utinam ergò ſimili ſiti ardeamus, & in Bethleem cum ferventi deſiderio veniamus, ibi inveniemus aquam vitæ de Virgine ſcaturientem, quæ animas noſtras irrigare poterit & fœcundare; ſitim ac febrim variam, qua æſtuamus ſedare.

2. Reg. 23. 15.

Sophron. Epiſc. I. Jeroſ. homil. de Nativ.

Ita D. Hieronymus ſeceſſit in Bethleem, ut ſibi vivaciter imprimeret Chriſtum, ibique ad Præſepe Chriſti commoratus, ut eum naſcentem, vagientem lactentem, aſſiduè contemplans, vitam cum illo jucundè & ſanctè ageret; hauriretque ibidem abundanter de Ciſterna hac Bethleemitica aquam vivam, aquam ſalientem in vitam æternam. Ideò etiam Paula, & Virginum Chorus Hieronymum in Bethleem ſecutus eſt. Unde Paula & Euſtochius invitantes illuc Marcellam Romanam, ſic loquuntur apud Hieronymum: *Cum comitante Chriſto per Silo & Bethel & cætera loca, in quibus Eccle-*

S. Hieron. Epiſt. 17.

Digitized by Google

Ecclesia quasi quadam victoriarum Domini erecta sunt vexilla, ad nostram speluncam (Christi nascentis in Bethleem) retulerimus, canemus jugiter, crebrò flebimus, suspiciemus orabimus, & vulnerata jaculo Salvatoris in commune dicemus: Invenimus quem quæsivit anima mea, tenebo eum, & non dimittam.

PROPOSITIO II.

Christus ibi natus est in stabulo, & reclinatus in Præsepio.

Natus in Stabulo, reclinatus in præsepio.

QUid fuerit illud Stabulum explicans Hieronymus, dicit fuisse speluncam in rupe excisum a parte Orientali, locum Pastoribus notum, commune quasi receptaculum, ad quod sæpè diverterent, imò illuc pauperes & peregrini confugere solebant. Ibi ergò fuit Præsepè, non lureum, ut dicit Chrysostomus, sed ligneum, quod adhuc Romæ est in Templo S. Mariæ Majoris.

Hieron. epist. 17. & 19.

Hieron. & Beda lib. de loc. Sanct. c. 8.

Refert Hieron. loco illius speluncæ insignem Ecclesiam esse exstructam, & Præsepe loco altaris collocatum; cujus Ecclesiæ etiam meminit Beda. Tempore verò, quo hæc loca in potestate fuerunt Gentilium, ut Christi pueri abolerent memoriam, simulachrum adonidis posuerunt in loco Nativitatis: & ibi Veneris Amatius plangebatur, ubi sacer ille infans sacriamoris Deus Christus vagiit. Sic & in loco sepulchri Christi, idolum Jovis, & in monte Calvariæ, idolum Veneris posuerant; quæ omnia sustulit Helena mater Constantini.

Sed cur voluit Christus in præsepio reclinari? Respondetur ut adimplerentur Scripturæ. Primò illa Isaiæ: *Cognovit bos possessorem suum, & asinus Præsepe Domini sui.* Secundò illa Abacuc: *In medio duorum animalium cognoscetis*, hic legunt Septuaginta. Nostra lectio habet: *In medio annorum, notum facies.* Et hanc lectionem approbat Ecclesia in Officio canens: *Domine audivi auditum tuum & timui, consideravi opera tua & expavi, in medio duorum animalium jacebas in Præsepio & fulgebas ut Cælo.* Undè verè ibi fuisse Bovem & Asinum, docent SS. Patres, ex illo loco Isaiæ. Et hæc quidem animalia mysterium significabant: Bos enim Judaicum populum jugo legis pressum significat, Asinus autem populum Gentilem, qui contra Deum recalcitrabat. Novus hic puer in medio, utrumque populum jungere debebat; ab illo grave legis jugum auferens, ab isto idololatriæ cultum & rebellionem. Hinc adverte, non sine mysterio Christum ferè semper describi in medio.

Isa. 1. 3. Abac. 3. 2.

Luc. 2.

Primò, in Nativitate inter Bovem & Asinum, qui ut dicimus, populum Gentilem & Judæum significat, cujus utriusque Salvator nascitur.

Secundò, in medio Joseph & Mariæ, quia virginitatis & conjugii Author, a virginibus & conjugatis debet adorari.

Ibid.

Tertiò, in medio Simeonis & Annæ, quia ab utroque sexu coli debet & benedici.

Luc. 10. 40.

Quartò, in medio Marthæ & Magdalenæ, id est, vitæ activæ & contemplativæ, quam duæ hæ sorores significant; quia tam activam quam contemplativam vitam veniebat approbare, & ab utrique vitæ sectatoribus debebat gloriam accipere.

Quintò, inter Moysem & Eliam, tum quia author est mortis & vitæ, & ideò ab Elia vivo, a Moyse mortuo debebat testimonium habere Salvator vivorum & mortuorum: Tum quia ejus doctrina à Moyse, id est, a lege; & ab Elia, id est, Prophetis, approbationem debebat accipere. Matt. 17.

Sextò, in medio Latronum in Cruce, quia Judex bonorum & malorum, quos constituet ad dexteram & sinistram, quorum figuram hi duo gerunt. Joan. 19. 18.

Septimò, in medio duorum Angelorum in Resurrectione. Unus ad caput, alter ad pedes describitur apud Joannem, & significantur illa duo animalia, quæ erant in Nativitate, hoc est, populum Gentilem & Judæum, jam per Christi Resurrectionem transire in consortium Angelorum. Joan. 20. 12.

Octavò, in medio duorum Discipulorum post Resurrectionem euntium in Emaus; ut significetur in medio esse nostri tempore peregrinationis nostræ. Ibid. 19.

Nonò, in Ascensione in medio duarum turmarum; una ex Angelis erat composita præcedens & deducens Christum triumphantem; altera ex hominibus, quos eripuit de Limbo, *captivam ducens captivitatem.* Ps. 67. 19. Eph. 4. 8.

Decimò, usque ad diem Judicii, in medio Misericordiæ & Justitiæ. *Misericordiam & Judicium cantabo tibi Domine.* Misericordiam habet a dextris, Justitiam a sinistris, tanquam duo fulcra Regni sui. Ps. 100. 1.

Undecimò, in medio Dei & hominum, quia Mediator est pro nobis interpellans. 1 Tim. 2. 5

Duodecimò, in die Judicii in medio Electorum & Reproborum sententiam proferens. Matth. 5.

Decimotertiò, per totam æternitatem in medio Angelorum & hominum, tanquam lapis angularis, faciens utraque unum, unum ædificium, unam civitatem, unam Ecclesiam, unum Regnum. Ps. 117. 22. Act. 4. 11. Apoc. 2.

Denique, non solum à Nativitatis aut Incarnationis tempore medium amavit, existens tunc in medio duarum naturarum divinæ & humanæ: sed etiam fuit ab omni æternitate, est, erit in sæcula sæculorum, in medio tanquam secunda Trinitatis Persona inter Patrem & Spiritum Sanctum.

Adverte verò, licet Præsepè dicatur locus Nativitatis, non tamen fuit primus locus, quem Christus sacro corpore tetigit; sed retra illius speluncæ, vel brachia Virginis, juxtà Cajetanum. Ipsa verò postquam adoravit, & pannis involvit, in Præsepio reclinavit.

Ratio moralis multiplex afferri potest.

Cur Præsepe Christus elegerit.

Primò, quia sciebat Christum hoc Præsepe eligere, tanquàm primum thalamum, in quo sibi paupertatem desponsabat Altissimi filiam, ab omnibus repudiatam, quia homo ejus speciem ignorabat & pretium.

Digitized by Google

Secundò, tanquam Aram primam Sacrificii ſui matutini, in quo ſe Patri obtulit dicens : *Holocauſtum pro peccato non poſtulaſti : Ecce venio.* Obtulit enim ex tunc pro redemptione noſtra, totam vitam, miſerias, dolores omnes, quos paſſurus erat. Obtulit lachrymas infantiles pro peccatis noſtris, & ſi introſpicere poſſes Cor ejus, invenires ſcriptum: *Nunc lachrymas fundo, paratus poſt ſanguinem fundere.*

Tertiò, tanquam Thronum Regium, in quo primùm exaltari voluit Salomon noſter in diademate mortalitatis noſtræ, quo coronavit eum mater, in quo & à Paſtoribus & ab Angelis eſt adoratus. Verè Thronus ſublimior thronis Regum.

Quartò, tanquam primam Cathedram, ex qua nos doceret omnem virtutem. Nam licet puer infans ſit & mutus ſit, tamen ibi omne genus virtutis docet ; & ipſe Sapientia tacendo ibi loquitur, & docet exemplo, quod poſtea prædicabit verbo: Præſepe & Crux, duplex ei Cathedra.

Invitatio anima fidelis ad hoc præſepe

Accede ergò anima fidelis ad hanc Cathedram, & fortiter cordi imprime hanc lectionem perfectionis. Ibi diſce amorem Dei, contemptum mundi, odium peccati & pœnitentiam. Hanc clamat præſepe, ſtabulum, fœnum, panni, lachrimæ, quæ omnia ſunt pro peccatis noſtris.

Accede ſecundo ad hunc Thronum gratiæ & miſericordiæ. Ibi contemplare Regem in Corona paupertatis noſtræ a Matre coronatum, poſtea acerbiori ſpinea à Noverca Synagoga coronandum, & hoc ut tibi æternæ gloriæ coronâ comparet. Attende ſtabulũ, tanquam Regis hujus Palatium, pro reclinatorio habet fœnum, pro purpura panniculos, pro comitatu regio Bovem & Aſinum, pro tapetibus, animalium ſordes & aranearum texturam.

Accede tertiò, illuc ad primum amoris lectulum, in quo te deſponſavit, & cum compaſſione repende vicem. Offer ei animam puritate ornatam, pro domicilio ; cor caſtum, pro lectulo ; circumda eum ſanctis affectibus, quæ ſint Paſtorum loco. Advoca intellectum & voluntatem pro Bove & aſino ; ſintque panniculi infantis, amoris funiculi, quibus ei indiſſolubiliter colliges.

Accede denique ſæpius ad hanc Sacrificii matutini aram, & totum te cum ipſo offer in holocauſtum, corpus cum omnibus membris, animam cum omnibus viribus, voluntatem cum omnibus affectibus, intellectum cum omnibus cogitationibus, vitam cum omnibus momentis.

1. Reg. 20. Olim Jonathas exulans apud Saul Davidem, *Rogavit me*, inquit, *ut iret in Bethleem, & dixit, dimitte me, quoniam ſacrificium ſolemne eſt in Civitate mea.* Vere, ô Chriſtiane, ſacrificium ſolemne eſt, & primum Filii Dei, propter quod omnia meritò debes dimittere, & illuc ſæpè in ſpiritu pergere, ut te & ibi ſacrifices.

Exempl. Lud. Grã. ſerm. de Nativ. B. Margarita, cui nomen à Caſtello Italiæ Urbe ubi nata & ſepulta, ſæpè in contemplatione delitiabatur coram præſepio pueri Jeſu. Hinc cum poſt mortem inteſtina exuahereantur ; ut corpus incorruptum ſervaretur, aromatibus conditum ob devotionem Fidelium, ubi cor ejus abſtractum fuit, reparatus eſt. Unio (lapis precioſus) inſigni magnitudine & pulchritudine, in quo ſculpta erat imago Nativitatis, eademque Virgo genuflexa ibi ante Domini Præſepe. Qui unio adhuc ſervatur in Sacrario B. Dominici, cujus illa tertium Ordinem profeſſa erat. Hoc miraculo voluit teſtari Deus, quam gratum foret ſibi obſequium illa conſideratio hujus myſterii. Imprimamus & nos frequenti conſideratione hanc imaginem in tabulis cordis noſtri, ut ad ſpecioſi hujus infantis amorem accendamur.

PROPOSITIO III.

Non ſine myſterio elegit Chriſtus tempus Nativitatis ſuæ.

Tempus Nativitatis elegit Chriſtus.

ALii naſcuntur ſubditi neceſſitati temporis, at Conditor omnium temporum elegit ſibi tempus, quo naſceretur, ſicut & locum & Matrem. Et cum ut Sapientia diſponens omnia ſuaviter, tempus illud optimè ordinavit.

Primò, ergò natus eſt tempore, quo deſcribebatur univerſus orbis. Quod intellige de univerſo orbe Romanis ſubjecto. Nam, teſte Suetonio, Auguſtus non imperabat Gothis, Armenis & Indis. Et aliquando totus orbis dicitur, major ejus pars. Fiebat autem hæc deſcriptio, ut conſtaret numerus hominum Romanis ſubjectorum. Sic David juſſit per Joab populum ſuum numerari, & quia ex ſuperbia id faciebat, glorians in numero ſubjectorum ſibi, punitus fuit a Deo. Fiebat etiam ad colligendum Cenſum ſingulis enim ſolvebant aliquid. Undè videntur Judæi ſolviſſe dimidium ſiclum, ſivè decem ſtuferos, ſicut ſolebant ex lege.

Sueton. in Auguſto.

2. Reg. 24. 2.

Exod. 30. 13.

Ob hanc deſcriptionem quilibet debebat ire in ſuam Civitatem, hoc eſt, in illam quæ erat caput familiæ. Et quia Bethleem erat caput familiæ David, illuc aſcendit Joſeph cum Maria. Hoc ergò tempus ſpecialiter ordinatum fuit a Deo, *ut ſignificaretur illum venire in carne, qui electos adſcriberet in Æternitate.* Unde non ſolum voluit tunc deſcribi & numerari populum Iſrael (quod ſæpius juſſum eſt a Deo, ut oſtenderet ſe illorum curam ſuſcepiſſe) ſed & alias nationes ; quibus tamen id antea non præcipiebat, quia ad ipſum vix videbantur pertinere, juxtà illud : *Vos tantum cognovi ex omnibus nationibus terræ.* Veniens ergò, ut omnium miſereretur, & ex omnibus gentibus, nationibus, linguis, ſignificans electos ſuos ſe congregare, voluit ut deſcriberetur univerſus orbis. Undè non ſine myſterio dicitur ab Evangeliſta deſcriptio hæc prima facta, univerſalis ſcilicèt. Impletum ergò eſt tunc illud : *Memor erat Rahab & Babylonis : Ecce Alienigenæ Tyrus & populus Æthiopum hi fuerunt illic.*

Num. 1. & 26.

Amos 3. 2

Pſ. 86. 4.

Secundò, natus eſt tempore pacis univerſalis Fuit enim Jani templum tunc clauſum, quod erat ſignum pacis, ſicut & apertum, bellum ſignificabat.

Non

Digitized by Google

Suet. in Augusto, c.22. Non claudebatur nisi in summa rerum tranquillitate. Unde ante Augustum bis tantum clausum narrat Suetonius. Semel tempore Numæ per 43. annos continuòs, semel Marco Artilio & Tito Manilio Consulibus, & postea ab Augusto terra marique pace parta. Hoc ergo tempus elegit Christus,

Psal.71.7. Isa.9.6. quia de isto dictum erat. *Orietur in diebus ejus justitia & abundantia pacis*: Et vocatus est *Princeps pacis*.

Matt.5.9. Luc.10. Unde in ejus ingressus ab Angelis pax nunciatur: In progressu pacem commendat. *Beati pacifici, &c.* Apostolis mandat quocumque intrarint dicere, *Pax huic domui*. In egressu pacem testamento relinquit: In mortem illam Sanguine signat: In Resurrectione anima ejus ad corpus rediens, ut Columba ad arcam, ramum pacis Apostolis affert, dum dicit, *Pax*

Joan. 20. 19. *vobis*.

Pacis ergò tempore natus est, pacem afferens, & externam, & internam, & æternam. Antea peccatum discordiam multipliciter attulerat: *Primò*, in

Apoc. 12. Cœlo inter Angelos bonos & malos, inter quos factum est prælium. Inter Deum quoque & Angelos

Genes.3. reprobos, qui ab eo ejecti sunt. *Secundò*, in Paradiso inter Deum & hominem, imò & inter Angelum & hominem, quia homo ab Angelo ejectus fuit

Genes. 4. flammeo gladio. *Tertiò*, in mundo inter hominem & hominem; fratrem & fratrem, Cain & Abel, Isaac & Ismael, Jacob & Esau, immò inter filium

Gal.5.17. & Patrem Absolon & David: *Quartò*, in ipso homine inter partem superiorem & inferiorem, spiritum & carnem. Veniens ergo Christus ut mediator, Deum & hominem, Cœlum & terram, Angelos &

Col. 1.20. homines, hominem & hominem, venit pacificare, *pacificans per sanguinem* suum, *quæ in Cœlis, & quæ in terris sunt*.

Isa.11.7. De hoc tempore dixerat Propheta: *Vitulus & Leo, Agnus & Lupus, Vrsus & Ovis, simul pascentur, & puer parvulus minabit eos, &c.* id est, homines superbi, rapaces, agrestes, feri, mutatis moribus, dimisso fastu & feritate cum pauperibus & humilibus pacificè conversabuntur; ejusdem spiritualis escæ participes sub eodem Duce. Pacis autem interioris & æternæ quam afferebat Christus, symbolum fuit illa pax temporalis, quam prædixerat Isaac:

Isa.2.4. *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, &c.*

Congrua verò fuit pax hæc temporalis Evangelicæ prædicationi, ut facilius per universum orbem haberetur doctrina Christi & Apostolorum, nullo bello inter Nationes impediente.

Jo.3.30. *Tertiò*, elegit Christus mensem & tempus, quo dies crescere incipiunt, juxta illud: *Illum oportet crescere, me autem minui*. Quod dixit Joannes, quia gloria quam habebat apud Judæos, qui eum ut Messiam recipere volebant, paulatim defectura erat: Christi verò gloria tunc obscura, magis semper clarescere debebat per miracula & opera.

Augustin. in illum locum. Hoc verò moraliter interpretatur Augustinus; quod a Joannis nativitate dies incipiant minui, a Christi nativitate crescere. Per quod Christus significavit, se incrementum lucis divinæ hominibus afferre.

Nec sine causa diem Dominicum elegit, conceptum enim fuisse die Veneris diximus, eodem die quo Adam creatus est; hinc fit post novem menses natum, die Dominicò natum esse. Hinc fuit primus dies sæculi, in quo lux corporalis principium creaturarum producta fuit: ita & ille qui est lux vera,

Col. 1.15. *Primogenitus omnis creaturæ*, corporaliter natus est, & illo die mundus cæpit renovari, quo creatus est.

Quantum ad horam, elegit mediam noctem, ut mediis tenebris lux nova veniens eas disperderet, de quo canimus: *dum nox in suo cursu medium iter*

Sap.18.14 *peragreret, omnipotens sermo tuus de regalibus sedibus venit*. Unde Telesphorus ordinavit celebrari primam Missam circa mediam noctem, & solent ideò tunc multæ Religiones Matutinas Horas persolvere.

Exempl. Bonav. c. 10. vitæ Francisci. B. Franciscus in hujus temporis memoriam media nocte surgens sæpe in meditatione hujus mysterii totus erat. De quo illud memorabile est, quod tertio anno ante mortem voluit ejus memoriam qua potuit solemnitate celebrare, & ne novitati res adscriberetur, à Pontifice petiit licentiam. Elegit ergò locum in sylva prope Castrum Grecii, ubi curavit præparari stabulum, præsepium, fœnum, & adduci bovem & asinum; advocat fratres, concurrunt populi, media nocte sylva luminibus resplendet, laudibus resonat. Stabat vir Dei coram præsepio gaudio & lachrymis perfusus. Celebrantur Missarum solemnia super præsepe, ipso cantante Evangelium. Prædicat deinde populo de Nativitate pauperis Regis, quem præ amoris teneritudine, *Puerum de Bethleem* nominabat. Miles quidam ob Christi amorem militia deserta, viro Dei familiariter junctus fuit, Joannes de Grecio dictus, hic se asseruit vidisse puerulum speciosum in præsepio dormientem, quem Franciscus excitare videbatur à somno, & mira amoris suavitate complecti. Hanc visionem & sanctitas viri facit credibilem & miracula confirmant. Nam fœnum reservatum à populo mirabiliter sanativum fuit brutorum languentium, & expulsivum diversarum pestium, Deo sic glorificante servum suum. Ita Bonaventura.

LECTIO XIII.

DE FRUCTU NATIVITATIS CHRISTI.

1. *Docet quomodo per eam fides nostra perficiatur.*
2. *Quomodo Spes nostra perfectionem accipiat*
3. *Quomodo charitas & amor per illam in nobis augeatur.*

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO I.

Per Filii Dei Nativitatem fides nostra perficitur.

Nativitate Christi fides nostra perficitur.

PRopterea dixit Augustinus: *Ut homo fidentius ambularet ad veritatem, ipsa veritas Dei filius venit, & fidem fundavit.* Magnum utique fuit & fructuosum homini, doceri ab ipso Filio Unigenito Dei, qui è sinu Patris didicit quæ docuit. Magnum

Aug. l. 11. de civ. c. 2.

fuit ab illo illuminari luce cognitionis & gratiæ, qui est lux vera in lucerna corporis sui nobiscum ambulans. Magnum fuit ab illo deduci & vitæ promissionem accipere, qui est *Via, Veritas, & Vita*, nec falli potens, nec fallere. Denique quid amplius poterat optare homo quam ab ipsâ Sapientia incarnata in terris conversante veram Sapientiam discere?

Jo. 14. 6.

Antea ignota erat Sapientia, inquit Propheta Baruch. *Israel dereliquit eam, non est studita in terra Chanaam. Filii Agar qui exquirunt prudentiam quæ de terra est, viam ejus nescierunt: Principes & negotiatores terræ ignoraverunt semitas ejus.* At Unigenitus postquam in terris visus est cum hominibus conversatus, invenit viam ejus, & tradidit Jacob puero suo, & Israel dilecto suo: quia de sinu Patris veniens, docuit veros filios Israel, veros fideles, viam veritatis, salutis, perfectionis, juxta illud: Dabo *filios tuos universos doctos à Domino*; ita ut rectè vocentur *Theodidacti*, sive *docibiles Dei*. Joan. 6. v. 45.

Baruch. 3. 21.

Isa. 54. 13.

Quapropter adverte 1. quod ante Christum vix poterant homines Deum verum agnoscere, sed excæcati & aberrantes, alii Solem, alii Lunam, alii Jovem, Martem, Venerem colebant. Ignorantiæ hujus & erroris ratio videtur fuisse, quia Deus Spiritus est corporis expers, homo autem corporeus: ideoque non potest aliquid apprehendere nisi corporeum, omnis enim cognitio ducit originem à sensibus. In cognoscendo ergo Deo magnam difficultatem patiebatur. Sed vide bonitatem Dei. Cum Dei cognitio foret necessaria ad salutem, coaptavit se divina Majestas sensuum imbecillitati, se reddens hominem & sensibilem faciens, ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur. Sic ergo fides nostra excitatur, & perfectior redditur.

Adverte 2. licet multi Deum cognoverint in lege veteri, & veritatis viam tamen longè obscurius & imperfectius, quam nos: illi enim tanquam pueri adhuc erant in Elementis & rudimentis edocti, in umbra & figuris & oraculis obscuris. Nos autem veniens Filius Dei apertius & lucidius veritatem edocuit, & mysteria abscondita a sæculis. Unde per Isaiam dicit: *Scient populus meus nomen meum in die illa, quia ego qui loquebar, ecce adsum.* Idem significans Apostol. dicit: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis novissimè locutus est nobis in filio.*

Isa. 52. 6.

Heb. 1.

Christi doctrina

Intimat ibi Apostolus differentiam doctrinæ fidei tempore Christi & Prophetarum.

Primò, quia olim multifariam, & multipartitè, hoc est, per multas partes & vices, quia non omnia uni, sed pars veritatis Isaiæ, pars Hieremiæ, pars Ezechieli revelata est; Christus autem totum simul in sinu Patris vidit & nos docuit. *superat* a- *multi Pro- phetarum doctrinam.*

Secundò, multis modis, quia per multas visiones, figuras, modos, formas, docuit populum rudem. Ezechieli apparet in curru Cherubim. Isaiæ in Throno excelso. Hieremiæ in virga vigilante, Oseæ & Zachariæ in multis aliis formis; nunc verò per personam propriam filii sui nobis apparet.

Tertiò, Prophetæ docentes per varia præcepta, ritus, oracula, locuti sunt olim priscis Patribus; hoc est, Judæis solis, & quidem obscurè. At Christus novissimè omnibus succedens, loquitur nobis, & hominibus totius mundi, perfectam ferens doctrinam, cui nihil sit amplius adjiciendum, docens apicem veritatis, salutis, sapientiæ, perfectionis.

Hinc est quod illi qui frequenti consideratione mysteriorum infantiæ Christi, quasi cum puero Jesu conversati sunt, magnam sapientiæ lucem & perfectionis gratiam ab eo hauserint.

Sic legimus de B. Edmundo, quod puer cum puero Jesu familiariter versabatur, & inde vir tantæ perfectionis evasit. Cùm die quodam ambularet cum æqualibus suis adhuc scholaris, cœperunt ipsi de multis vanis & scurrilibus agere, sed ipse puritati suæ maculas timens, discessit ab illis. Statim ergo occurrit ei Christus in forma pueri Candidi & Rubicundi, ut describitur in Canticis, eumque his amicis verbis salutavit: *Salve dilecte mi.* Ille miratus est, vocem adeò suavem non agnoscens cujus foret. At ille? *Non nosti me*, inquit, *qui quotidie à latere tuo fui, tecum conversans? Lege Scripturam frontis meæ & noscis.* Erat verò scriptum *Jesus Nazarenus.* Hoc est, ait, nomen meum, quo si & tu munieris frontem tuam, à periculis tutus eris, hoc erit decus & memoriale tuum,

Exempl. Sur. 16. Nov.

Sic & B. Antonius de Padua mirè deliciabatur in infantia Salvatoris, unde & à puero Jesu initas illustrationes mentis & visitationes cordis percipiebat. Cum quadam die incubiculo solus ageret, is qui eum hospitio receperat, transiens ante cubiculum, natam vidit intus claritatem: considerans quid ageretur, vidit infantem quendam divinum super librum ejus, quem postea inter brachia suavissimè amplexabatur, & fixis oculis diu eum contemplans, non poterat ab eo avelli. Scivit vir sanctus, hospitem suum hanc cum puero Jesu familiaritatem vidisse, ideoque suppliciter rogavit, ne cui dum viveret, aperiret. Ipse ergo hausit a puero Jesu illam qua excelluit sapientiam & gratiam convertendi etiam rebelles peccatores, quorum plurima millia ad Deum reduxit. Hinc est quod & ipse pingitur cum puero Jesu super librum stante.

Surius 13. Junii.

Unde putas B. Josephum tantam hausisse gratiæ abundantiam, nisi ex continua conversatione cum puero Jesu, cujus erat Nutritius.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO II.

Per Nativitatem Christi perficitur spes nostra.

Etiam spes nostra. August. lib.13. de civ.c.10.

NIhil, inquit D.Augustinus, adeò fuit necessarium ad erigendam spem nostram, quàm ut monstraretur, quantum nos Deus diligeret. *Quid verò isto indicio manifestius, quàm quod nostra natura inire dignatus est consortium?* Ita ille. Nempè non se naturæ Angelicæ univit, undè nulla eis spes peccantibus, sed nostram assumpsit, semen Abrahæ apprehendit: fugitivum servum, hominem peccantem, & Deum deserentem, apprehendit, ut sibi firmo fœdere copularet, & ad se reduceret. Frater ergò noster est, & caro nostra non poterit nos repellere aut despicere. Hinc dicit Anselmus: *Exulta, ô homo, quia quicquid judicabitur de te, pendet ex sententia fratris & matris tua.*

S.Anselmus.

Gen.12.13. Dicebat Abraham Saræ, dum ingrederetur Ægyptum: *Dic obsecro quod Soror mea sis, ut benè sit mihi, & vivat anima mea ob gratiam tui.* Idem possumus dicere Mariæ, idem dicere possumus Christo: *Dic, quod frater meus sis, &c.* Neque mendaciter hoc Psal.21. dicet, ipse enim est frater noster, sugens ubera Matris nostræ, & sæpè nos vocat fratres: *Narrabo*, inquit, *nomen tuum fratribus meis*; & suprà ostendimus, quomodò sit frater ex utroque Parente.

Levit. 25. Olim si quis vendidisset hæreditatem suam, frater ejus vel propinquus poterat redimere. Nec poterat vendi in perpetuum, quia in anno Jubilæi ad primum possessorem redibat, vel ejus propinquum. Vendiderat Adam suam hæreditatem, pro pomo eam oppignorarat diabolo. Sed Filius Dei factus frater noster per Nativitatem, justo titulo eam ad se retraxit, & reddidit nobis. Nativitas ejus est annus Jubilæi, in quo toti generi humano data est remissio omnium debitorum, & nobis restituta cœli hæreditas.

Isa.12.1. Quia igitur Nativitate Filii Dei sic erigitur spes nostra, jam possumus illud Canticum Isaiæ concinere: *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi, sed conversus consolatus es me.* Ecce enim *Deus meus fiducialiter agam, & non timebo.* Meritò exprobrasti homini, ô Trinitas Sancta! *Ecce Adam quasi unus ex nobis.* Sed nunquid adhuc? Certè si ironicè dixisti, id nos de cætero dicemus, tam fidenter quam veraciter: *Ecce Deus factus est quasi unus ex nobis.* Antea ignotus Deus meus, invisibilis, inaccessibilis, & Deus ultionum, in diluvio, in Sodoma, in monte Sinai fumante, in deserto. 1.Reg.6. *Quis poterit stare in conspectu Domini sancti hujus*, dicebant Bethsamitæ, cum percussisset quinquaginta millia plebis, quia viderant Arcam. Nunc verò postquam in terris visus est, & cum hominibus conversatus, qui magnus erat & terribilis nimis, parvulus factus est, & amabilis nimis: ita ut possimus dicere, *Ecce Deus* Isa.12.2. *Salvator meus, fiducialiter agam, non timebo quia fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.* Sic ergò spes nostra ex ea parte animatur, sed & maximè ex eo, quod haurire poterimus *aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*; copiosam, Ibid. nempè gratiam de fonte sanguinis, de rivulis gratiæ, de Sacramentis, de meritis ejus, in quibus tota spes nostra consistit. *Ego*, inquit Bernardus, *quicquid* S.Bernar. *mihi deest, usurpo ex visceribus Domini Jesu Christi; serm. in quia misericordia affluunt, nec desunt foramina per Cant.. quæ effluant.*

Quisquis ergò scis te offendisse Deum, accede ad hunc parvulum in præsepio, facilè placabitur, nescit irasci; non attulit aculeum Justitiæ, sed mel misericordiæ, *Mel & lac sub lingua ejus*, suavitas pietatis & clementiæ. Attulit oleum suave, is qui *Christus* nominatur, ut ungat & sanet vulnera tua, & computrescere faciat *jugum* peccati *à facie olei*, ut dicit Propheta. Accede ergò ad eum, qui venit ad Isa.10.27. salvandũ, qui *Jesus* dicitur; accede dum tempus est, nam in futuro tempore resumet aculeum, cum veniet ad judicandum: non mellè, sed felle te cibabit; non oleo suavitatis, sed vino æternæ cõpunctionis.

Refert Petrus de Natalibus, Mulierem quandam immunditiis carnis ad dictam, tandem rediisse ad cor, & culparum suarum enormitatem considerasse: sed adeò anxiè, ut ferè de venia desperaret, nullam, quocunque se vertebat, inveniens consolationem. Nam cogitans de Judicio, inveniebat se ream; cogitans de inferno, timebat se ibi cruciandam; cogitans de Paradiso: inveniebat se immundam; cogitans de Domini Passione, videbat se ingratam. Tandem cogitationem suam vertens ad Salvatoris infantiam, respirare cœpit, cogitans pueros facilè placari, nihilque amaritudinis erga personam offendentem retinere. Undè summâ vi contritionis Jesum adjutans per suam infantiam pro remissione, meruit audire vocem, qua certa reddebatur de venia peccatorum suorum.

Exempla Petrus de Natal. legenda de Nat.

PROPOSITIO III.

Per Nativitatem filii Dei maximè in nobis perficitur & excitatur Charitas.

Est charitas excitatur & perficitur. August. li. de Catechizandis rudibus c.4.

DIcit B. Augustinus: Quæ major causa adventu Domini, quàm ut ostenderet dilectionem in nobis? Si ergò amare pigebat, redamare non pigeat. Idem alibi dicit, *Ama amorè illius, qui amore amoris tui descendit in uterum Virginis, & amorem suum amori tuo copulavit, humiliando se, sublimando te, conjungendo lumen æternitatis suæ, limo mortalitatis tuæ.*

Ostentio amoris est illex & causa efficacissima movens alterum ad amandum, *Magnes amoris amor.* Est philtrum, inquit Seneca, sine veneficæ carmine, cogens etiam hostes ad amandum: *Si vis amari, ama.* Undè sponsa ad amorem dilecti sui ejus amore conciliato, tota se effundit ut vicem rependat. *Dilectus inquit meus mihi.* q. d. Mihi nascitur, vivit, moritur, mihi refugit & ascendit; mihi totus intendit, quasi mei unius curam gerit. Mihi cibus est, medela, sanitas, vita, mihi omnia est, amore mei faciens quæcunque facit. *Et ego illi.*

Seneca.

Cantic. 1.16.

Digitized by Google

Quaſi dicat. Igitur & ego illi ex toto volo ſervire, vivere, mori *Et ego illi*: Volo perfectè inhærere & intendere, totam me illi conſecrare, totum affectum, totum cordis amorem vovere, nil niſi illum cogitare, & omnia mea ad ejus gloriam referre, ut poſſim purum amorem puro amore refundere. Totum ſe in vita & in morte pro me expendit & exhauſit, totum me ad ejus gloriam conabor effundere.

1.Cor. 16. 22. *Qui non amat Jeſum Chriſtum*, inquit Apoſtolus, *ſit anathema*, id eſt à Deo ſeparatus. Rationem reddit, *Maranatha*; id eſt, *Dominus venit*, q. d. Talis nullatenus poteſt excuſari, quia jam Dominus venit, ſummum amorem oſtendens, & ſuo amore noſtrum attrahens; & docens nos, ut ſicut portavimus imaginem terreni, ita & portemus imaginem cœleſtis, ut poſſimus dicere: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.* Similitudo etiam eſt cauſa amoris, & ideò Filius Dei, ut ab homine familiarius amaretur, in ſimilitudinem hominum eſt factus, ideòque hominibus maximè amabilis. Et per Incarnationem veniens, amorem ſuum in nos declarans, velut ignem mittit in terram, per amorem ſuum terrena corda noſtra velut accendens ad redamandum. Vide ſuprà, ubi declaravimus conſiderationem Incarnationis Chriſti, fortem ſtimulum eſſe amoris Dei.

Gal. 2, 20.

Tract. 3. Lect. 1.

Exempl. S. Bern. D. Bernardus mirè rapiebatur in amorem Jeſu Chriſti, conſiderans ejus Nativitatem. Ipſe rectè pueri Jeſu Collactaneus vocari poteſt, qui ab ejus matre, lacte quodam ſpirituali ex uberibus pietatis ejus diducto, potatus eſt, dum coram ejus imagine, puerum Jeſum in ulnis geſtante, ſupplex ſummo ſuavitatis affectu effundens cor ſuum, illis verbis orabat: *Monſtra te eſſe Matrem.*

Ipſe ergò conſiderans admirabilem Dei pietatem in nativitate & temporali, ſic exclamat: *Non me capio pra lætitia, quod ſumma majeſtas naturam ſuam, naturâ carnis mea & ſanguinis ſubvelat, & me miſerum in divinæ gloriæ ſuæ, non ad horam, ſed in ſempiternum includit, & ſit frater meus Dominus meus. Hæc exinanitio tam dignativa rapit affectum meum, & iſtorum memoria concaleſcit cor meum; quia vivus eſt hujuſmodi ſermo & efficax, penetrabilior omni gladio anceps, medullas cordis mei valenter pertranſiens.*

Fratres quoque ſuos exhortans eadem conſideratione ad amorem, ſic ait: *Proſit nobis Fratres tanta Charitas, quam nobis Deus Majeſtatis exhibuit, tanta humilitas quam ſuſcepit, tanta benignitas quæ nobis per humilitatem Chriſti apparuit: & agamus gratias Redemptori, per quam nobis innotuit tam bona erga nos voluntas Dei Patris. Tale enim eſt cor Dei Patris erga nos, quale nobis expreſſit, qui de patris corde proceſſit.*

Ideò etiam Sponſa hoc myſterium conſiderans, Cant. 8. 1. inclamabat: *Quis mihi det te fratrem meum ſugentem ubera matris meæ, &c.* Quæ ſcriptura quia apta eſt ut tractetur in Natali Domini, ideò hic ſuſiorem ejus explicationem piam ſubjicio.

PRO DIE NATIVITATIS DOMINI.

Quis mihi det te fratrem meum ſugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, & deoſculer te, & jam nemo me deſpiciat.
Cant. 8. 1.

PRimò dicit, *Quis det te Fratrem meum.* Ille, qui erat Deus, Dominus, Creator, Rex, in medio Angelorum, ſublimis in gloria & majeſtate, dignatur amore noſtri fieri Frater noſter, os & caro noſtra, filius Adæ, de terra terrenus, mortalis, corruptibilis, eandem nobiſcum ſumens naturam, ut conſanguinitate & parentela nobiſcum jungeretur. Hoc ergò conſiderare nos monet ſponſa, q.d. Complaceo mihi in te, ô Frater parvule! qui mecum ex eadem es carne & ſanguine. Quia dum ego Patris mei terreni tibi miſerias communico, & labores paupertatemque, tanquam hæreditatem parentis mei Adam: Tu mihi Patris æterni donas hæreditatem incompenſam, in bonorum omnium communitatem me adoptas, immenſa bona largiens, & divinitatis tuæ participem faciens, quia humanitatis meæ particeps effectus es. Cant. 8. 1.

Secundò, dicit, *Sugentem ubera matris meæ.* Ulteriori dignum eſt conſideratione, quod non ſolùm frater noſter fieri voluit, ſed etiam te ita humiliare & exinanire, ut qui erat Sapientia æterna & Potentia, jam ſit infans & puerulus: vagiens eſt, qui Verbum Patris eſt: Imbellis eſt, qui virtus eſt Dei: vocem non habet, Verbum & Sapientia: Sugens ubera, qui omnem creaturam, qui Angelos nutrit: *Medicoque lacte paſſus eſt. Per quem nec ales eſurit.*

O Bethleem civitas Dei, in te, & ſuburbiis tuis viſa ſunt mirabilia! Deus pendet ad ubera, ponitur in præſepio, ligatur in cunis, involvitur pannis, & lataris faſciolis, fœlices manus & ſancta brachiola per cunarum parvitatem expandit. Alludit Virgini Matri, & arridet, blandientes oculos ad Mariam intorquet. Stat perterrita tantis miraculis Regina Cœlorum, & miratur, quod ille qui potuit ad nos venire, ſic voluit ſubvenire.

Conſiderans ergò id Sponſa, dicere videtur: Cupio fratrem meum complecti tenero amore: Cupio te audire non fulgurantem in Cœlo, non tonantem ab æterno ſolio; ſed jacentem in fœno, vagientem in præſepio, aut certè arridentem Matri, dum te lactat *Vbere de Cœlo.*

Tertiò dicit, *Ut inveniam te foris*: Intus invenire difficile erat, dum latebat in corde Patris Verbum. Utique ſecundum divinitatem in Patre, habitat internum & æternum Verbum, juxtà id quod dixit Joannes: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Quis verò illuc poſſet accedere? Lucem habitat inacceſſibilem, intellectui humano imperviam. Foris autem cognoſci poteſt, hoc eſt Joan. 1. 1.

in

Digitized by Google

in assumpta humilitate, secundum quam *Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis.* Ideò contactu fœlici eum tangere possumus, & dicere cum S. Thoma, *Dominus Deus & Deus meus.* Oculi nostri eum videre possunt, digiti nostri eum designare & dicere, *Ecce Deus meus, & Salvator meus.* Aures nostræ eum audire possunt, & plorantem, & docentem: hinc quod dicit Joannes, verum est, *Quod audivimus, quod vidimus, quod contrectavimus, de verbo vitæ annunciamus vobis.* Hoc ergo est invenire eum foris, in humanitate eum agnoscere. Optabat Sponsa eum videre, & eum sic reperire, ut qui antea invisibilis erat in sua natura, visibilis fieret in nostra, reddens se sensibilem in stabulo & præsepio, & imitabilem, cognoscibilem, amabilem. Ut jam amplius homines (qui nihil nisi crassum & palpabile norunt) non adorarent Deos visibiles, fictitios Deos factitiosque, Idola scilicet, aut Solem, Lunam, Lapides; aut homines impios, Jovem, Martem, Bacchum; sed verum Deum, qui se iis visibilem reddit, ut melius eum cognoscerent, & in invisibilem amorem raperentur.

1. Jo. 1. 2.

Aliter quoque intelligi potest, *Ut inveniam te foris*, hoc est, non in domo & patria tua æterna, sed in exilio & peregrinatione nostra, ubi nostri causa peregrinus descendisti, dicente Propheta: *Quare futurus es ut colonus in terra, & quasi viator declinans ad manendum?* Semper enim peregrinum se foris exhibuit exiens à Patre in Nazareth venit, statim a Nazareth ad montana Judææ pergit, ut opus suum inchoet. Deinde in Bethlem venit, postea in Ægyptum, exinde iterum in Nazareth, & paulò post ad Hierosolymæ templum, ubi puer inventus est. Tandem vadit ad desertum, de deserto veniens per triennium peregrinatur per vicos & castella, quærens ovem centesimam. Denique ascendit in Jerusalem ad passionem. Nec desistit hic viator nisi ascendat in Crucem, ut de Cruce descendens ad Limbum, tandem redeat ad Cœlum. In omnibus ergo his locis nunquid foris erat? Nunquid peregrinabatur foras? In his viis & itineribus optat eum Sponsa reperire, & comitem se jungere.

Jer. 14. 8:

Denique alio adhuc modo intelligi potest illud, *Ut in veniam te foris.* Hoc est, extra tumultum cogitationum & rerum mundanarum; ut in mentis tranquillitate velut in solitudine foris extra homines, in silentio nemine impediente, complecti eum possit Sponsa brachiis charitatis, & ibi illi soli aperire totum cor suum: ut & ipse *loquatur ad cor ejus*, & dulcedinis lactis sui faciat eam participem, juxta id quod promisit per Prophetam, *Ducam eam in solitudinem, ibi lactabo eam & loquar ad cor ejus.* Non vult enim hic parvulus admittere complexum nisi inveniatur foris extra strepitum & tumultum cogitationum sese invicem turbantium, & curarum mentis quietem interpellantium.

Ose. 2. 14.

Quartò dicat, *Et deosculer te*, q. d. Sponsa: Cupio te facie ad faciem videre, ore ad os loqui, os meum ori tuo conjungere, nec enim jam verebor faciem aut vocem tuam sicut Adam, *Vocem tuam audivi, abscondi me.* Nec tu negabis mihi faciem tuam sic ut Moysi, cui dicebas: *Posteriora mea videbis, faciem autem videre non poteris.* Tu enim dixisti, *Ego qui loquebar ecce adsum*, ecce me præsentem videndumque exhibeo. Videbo ergo te non in nube, non in caligine, non in Curru Cherubin, non in flamma ignis, non in ænigmate ut Prophetæ; sed in mea humanitate, faciem faciei, labiis potens conjungere.

Gen. 3. 10. Exod. 32. 23. Isa. 52. 6.

Sic opto te videre, & te deosculari, osculo pacis & reconciliationis, osculo amoris, reverentiæ & devotionis. Hinc dicit D. Paulinus, *Illum amemus quem amare debitum est. Illum osculemur, quem osculari castitas est. Illi subjiciamur, sub quo jacere, supra mundum est stare. Propter illum dejiciamur cui evadere resurrectio est. Illi commoriamur in quo est vita.*

S. Paulin. Epist. 4.

Quadruplex verò osculum est. 1. Aliquando est signum amoris pueri. Sic mater osculatur filium. 2. signum reverentiæ. Sic Præsulum manus osculamur. 3. signum devotionis. Sic imagines osculamur. 4. signum reconciliationis. Primum Christus recepit à Matre, secundum & tertium à Simeone, quartum à Magdalena. Hæc omnia oscula cupiebat Sponsa figere fratri suo parvulo: *Deosculer te*, inquit, ut labia labiis jungens oris tui halitu verus mihi spiritus salutis & vitæ detur. Sciebat spiritu olim qui ab ore Dei processit, spiraculum vitæ homini infusum fuisse. Sciebat afflatu oris sui, Spiritum Sanctum discipulis dandum. Hujus ergò divini spiraculi particeps fieri cupit, dum osculari cupit.

Oscula quadruplex.

Est & proditorium.

Est & aliud osculum proditorium, quod Christus recepit à Juda, illud ei præbent qui Nativitatem celebrantes, indignè ad communionem accedunt. Utinam & non inveniantur aliqui Sacramentorum ministri, qui etiam tale osculum præbeant, de nocte osculantes filiam Veneris, de die filium Virginis. Pessimum istud osculum proditorium animæ est fugiendum.

Quintò, addit, *Iam nemo me despiciat*, quia summam ex hoc adipiscor dignitatem, quod Frater meus sis, elevans sic naturam meam ultra Angelicam, q. d. Nemo post hac me despiciet, nec Pater improperare poterit cum amaritudine. *Ecce Adam factus est similis nobis*: quia verè homo similis factus est Deo, ad divinæ naturæ consortium elevatus. Non ergo Pater despiciet, qui nobis dedit filium. Non filius, qui frater noster fieri dignatus est. Non Spiritus Sanctus, qui hujus mysterii author est. Nec ipsi Angeli, naturam nostram sic elevatam admirantes & honorantes.

Quod Sponsa optabat, multis animabus sanctis concessum est, scilicet cum suavitate osculari, fratremque parvulum complecti. Sic corporaliter Simon & Anna. Sic spiritualiter, & tamen per

Digitized by Google

modum viſionis corporeæ, Franciſco contigit & B. Margarethæ à Caſtello, ut ſupra dixi, aliiſque quibus aliquando ipſa Virgo velut è gremio, puerum Jeſum ad tempus viſa eſt mutuare, ut cum illo poſſent diſſuaviari, qui eſt deliciæ filiorum hominum, & animarum caſtarum. Sic B. Agnes illum non ſolùm ut fratrem, ſed & ut Sponſum amplexabatur, à quo dicebat ſe annulo deſponſaram, & monilibus ornatam, ipſumque poſuiſſe ſignum in faciem, ut nullum præter eum amatorem admitteret. Hunc caſtè amplexabatur, de quo ipſa ſic dicit: *Quem cùm tetigero munda ſum, cùm amplexata fuero caſta ſum, cum accepero virgo ſum. Corpus ejus corpori meo ſociatum eſt & ſanguis ejus ornavit genas meas.* Sociatio hæc corporis, fiebat per communionem ſacram. Unde quælibet anima ibi poteſt amplecti fratrem ſuum & Sponſum ſuum, & frui hoc deſiderio ſponſæ.

Exempl. Surius 21. Jan.

Quia verò fuit & alius fructus Nativitatis Chriſti, ut peccatum abnegaremus, quem tangit Apoſtolus per hæc verba; *Apparuit gratia Salvatoris omnibus hominibus, &c.* Ideò ampliorem explicationem hujus ſententiæ ſubjiciam, aptam tractari Dominica infra Nativitatem.

Tit. 2. 11.

THEMA.

Apparuit gratia Salvatoris noſtri omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem, &c.
ad Titum. 2.

NIhilita gratitudinem noſtram excitare potens eſt, quam Deum voluiſſe pro nobis hominem fieri, cum poſſet nos in damnationis maſſa relinquere. Ideò Apoſtolus Tito præcipit (omnes Paſtores in ipſo inſtruens) & dicit: *Hæc loquere & exhortare*, ut ſcilicet ingratitudinem ab hominibus poſſis propulſare. Quid eſt quod loqui & exhortari jubet? Id quod præceſſit ſcilicet: *Apparuit gratia Salvatoris noſtri Dei, &c.* Singula verò verba habent pondus ſuum.

Tit. 2. 15.

1. Tim. 3. 16. V. late ſup. Tract. 3. Lect. 1.

Primò ergò dicit *Apparuit gratia*: quod interpretari poſſumus, apparuit gratuitum illud donum ſuper omnia eminens, de quo dixit: *Magnum eſt pietatis Sacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt Gentibus, creditum in mundo, aſſumptum in gloria.*

Apparuit ergò ille qui latebat in corde, Patris Verbum, & venit proſiliens ex Virginis thalamo, cum omni multitudine miſerationum, & omnibus divitiis gratiæ ſuæ: quia quicquid in theſauro divinæ pietatis eſt inventum: totum in utero Virginis eſt congeſtum, & fons ille gratiæ, qui clauſus erat & ſignatus, nunc patens eſt omnibus, ut nemo excludatur, quin haurire poſſit. Itaque idem eſt ac ſi dicat Apoſtolus: Gratuitum illud donum & myſterium antea abſconditum, ante tempora ſæcularia deſtinatum, toties Patribus promiſſum, tot figuris, tot oraculis prædictum, tot deſideriis expetitum, tandem apparuit & manifeſtatum eſt.

1. Jam cœli rorem ſuum dederunt: *Rorate cœli deſuper, &c.* Iſa. 45. 8.

2. Jam Sol ortus eſt, ex alto duplicem habens Orientem, æternum à Patre; temporalem à Matre. Luc. 7. 78.

3. Jam terra virginea germinavit, juxta votum Iſaiæ. Iſa. 45. 8.

4. Jam emiſſus eſt Agnus de petra deſerti. Iſa. 16. 1.

5. Jam aſcendit Dominus ſuper nubem levem, quæ de virgineo vapore per Spiritum Sanctum concreta eſt, ut ingrediatur noſtram Ægyptum, pluvium ferens ſalutarem gratiæ & doctrinæ cœleſtis. Iſa. 19. 1.

6. Jam habet tuum deſiderium, ô Sponſa, & optatus dies advenit, qua oſculari potes *Fratrem tuum, ſugentem ubera matris tuæ.* Cant. 8. 1.

Genes. 49. 26.

Denique, jam antiqua oracula & omnia deſideria impleta ſunt veniente Salvatore qui dictus eſt *Deſiderium Collium Æternorum.*

Item dicit, *Apparuit gratia*, id eſt, Bonitas & Miſericordia; non dicit Potentia aut Juſtitia quæ antea apparuit toties ab initio ſæculi. Manifeſtata enim fuit in cœlo, in Angelo è cœlo exterminato, irrevocabili decreto. In Paradiſo, in Adam expulſo, ob pomi vetiti guſtum. In diluvio, in Sodomis, in tot millibus proſtratis in deſerto; ita ut tunc diceretur *Deus ultionum* apparere. Nunc autem tempus eſt miſericordiæ & gratiæ, in quo *Miſericordia Domini plena eſt terra*, in quo omnibus reſplendet Dei gratia. Hanc, ſtabulum clamat, præſepe, fænum, lachrymæ, panni, & quicquid eſt circa puerum natum illud videtur inſonare, *Apparuit gratia Salvatoris noſtri.*

Secundò, dicit apparuiſſe, *Omnibus hominibus*: omnibus enim datus & natus eſt, qui omnes homines vult ſalvos fieri. In Chriſto enim Jeſu non eſt maſculus aut fœmina, ſervus aut liber, Gentilis aut Judæus, nobilis aut ignobilis, dives aut pauper, ſapiens aut ignorans, quia omnes æquè vocantur ad ſalutem. Sicut Sol omnibus lumen communicat, & Cœlum pluviam omnibus dat: ita Chriſtus Sol omnibus eſt ortus, ut eos illuminet, omnibus gratiæ ſuæ imbrem & rorem communicat.

Hinc ut agnoſceremus hoc gratiæ myſterium in omnium ſalutem eſſe ordinatum, voluit natus ab omnibus agnoſci & adorari, a Regibus, à Magis, à Judæis, à pauperibus Paſtoribus, a Senioribus, Simeone & Anna, à Conjugatis, Viduis, à Virginibus, à Pueris, de quo latè ſuprà.

Tract. 3. Lect. de Domin. Chriſt.

Tertiò, dicit, *Erudiens nos.* Nec enim fruſtra ipſa Sapientia venit. Nimirum venit ut ignorantiæ tenebras luce ſua diſcuteret, ductor ac doctor noſter, de quo apud Iſaiam, *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum*, & audies vocem *poſt tergum monentis te, hæc eſt via, ambulate in ea.* Ipſe *via, veritas, vita*, venit ut notas nobis faceret vias vitæ. Propterea antè diximus, quòd è præſepio, velut è prima ſua Cathedra doceat omnis virtutis lectionem. Tu ergò illi potes dicere. *Audiam quid loquatur*

Iſa. 30. 20

Pſ. 84. 9.

tur in me Dominus, loquetur enim pacem super eos qui convertuntur ad cor. Quicquid circa illum est, locus, tempus modus nascendi, omnia ista docent nos, si attendere voluerimus,

Christus est veluti liber quidam scriptus.

Item dici potest, *erudiens nos*, tanquam liber digito Dei scriptus in Incarnatione, in lucem editus in Nativitate, rubricatus per sanguineum Circumcisione, sæpe approbatus à Patre, sed reprobatus ut falsus à Judæis, extentus ut legatur in Cruce, scissus ac raptus in morte, animæ à corpore divisione.

Verè ipse est liber vitæ, liber Sapientiæ, liber super omnem librum, sæpius inspiciendus ab eo qui in scientia salutis vult proficere. Et ut bene dicit Salmeron: *Ipse est nostrum Manuale precum, introductio ad sapientiam, soliloquium, Liber contemptus mundi, Stimulus amoris divini, Itinerarium mentis in Deum, Summa totius Scripturæ, & ut dicitur: Vade mecum, & dormi securè.* Quia scilicet abbreviatum verbum est continens legem abbreviatam charitatis, normam omnis virtutis.

Salmeron.

Quarto, dicit, *Ut abnegantes impietatem, &c.* Ad hunc enim effectum venit. Et de facto sacro Nativitatis suæ tempore plurimos interius erudit, per sacram communionem & spiritualem in ipsis nativitatem, movens & inspirans, ut abnegent omnem affectum peccati.

Abnegantes dicit, non ad tempus relinquentes, sed velut in facta Dei præsentia constituti, abjurantes & detestantes & abominantes ex intimo cordis omne peccatum, & omnem affectum ad illud. Ut simus iterum velut renovantes sacram illam professionem fidelitatis factum in Baptismo, qua renunciamus diabolo, carni & peccato, totos nos Deo immolantes, parati sanguine proprio abnegationem etiam hanc subsignare. Hæc est vera cordis conversio, verus dolor, & finis ad quem venit Christus. Multi verò sunt non ex animo abnegantes, sed ad tempus tantùm relinquentes; vincula occasionum, quæ ad peccatum pertrahunt non disrumpentes, ignem pravæ concupiscentiæ non penitus extinguentes, sed solùm velut cineribus cooperientes.

Simile.

Multi similes candelæ recens extinctæ, quæ adhuc fumigans est, & aliquid ignis retinet, in quem si sufflet, succenditur. Hi sunt, qui peccati ignem totaliter non extinguunt, sed manent adhuc in occasione & affectu. Unde, si caro aut dæmon suggestionis flatum immittat, succenditur peccatum.

Multi similes serpenti, de quo dicitur, quod ad fontem accedens bibat, venenum prius ejicit; sed postquam bibit, venenum resumit. Hi sunt, qui ad Eucharistiam accessuri, venenum peccati evomunt per Confessionem; sed ubi biberint ex hoc fonte, venenum resumunt: *Canes ad vomitum, sus ad volutabrum.*

2. Petr. 2. 22.

Apparuit tamen gratia, ut totaliter impietatem abnegemus, & sobriè, justè ac pie vivamus; *Sobriè* quoad nos, *Justè*, quoad proximum, *Pie* vivamus, quoad Deum.

Sobriè, ibi arguuntur ebriosi, gulosi & ventri dediti. *Justè*, ibi taxantur qui damnum proximo inferunt, furtis, litibus, aut alio quolibet modo.

Piè, ibi taxantur salutis negligentes, sibi potius ac mundo, quam Deo servientes.

Ultimò addit: *Exspectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei.* Si enim in hoc mundo tantum sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus, inquit Apostolus. Hæc spes, est thesaurus & Patrimonium Filiorum Dei, spatium, in medio tribulationum, cordis elevatio, & fortitudo in salutis via. Christus verò venit, ut hanc spem firmaret & augeret, ut supra dixi. Per hanc verò ipsi expectamus adventum gloriæ magni Dei, quia qui venit parvulus & abjectus, pannis involutus, in Præsepio jacens inter Bovem & Asinum, vagiens & miserabilis in stabuli sordibus; veniet tonans in Throno. *Deus noster manifestè veniet*, in Majestate veniet, gloria & Angelis coronatus, & bonis coronam daturus, tunc erit adventus gloriæ magni Dei.

Tit. 2. 13.

1. Cor. 15. 19.

Psal. 94. 3.

Obtestor ergo vos Fratres & juxta Apostoli præceptum, exhortor in Christo Jesu, ut dignè consideretis gratiam hanc & benignitatem Salvatoris, quæ in ejus Nativitate apparuit. Ne patiamini, ut tanta frustra sit exhibita gratia & amor, ne sitis ingrati, sed ex animo abjiciatis omnem affectum peccati, ut divinæ naturæ consortes facti, sobriè, justè & piè vivatis, memores cujus capitis membra sitis.

Obsecro te, benignissime Puer, per tuam infantiam, renova in nobis innocentiam. Obsecro te per panniculos & lachrymas tuas, tui amoris indicia, verum pœnitentiæ spiritum nobis dona, & interius sic inspira, illumina, erudi nos, ut piè viventes, per beatam spem adventum gloriæ tuæ secuè exspectemus.

LECTIO XIV.

NATVS EX MARIA VIRGINE.

DE VIRGINITATE MARIÆ.

1. *Docet, Mariam esse Virginem ante Partum.*
2. *Mansisse Virginem in Partu.*
3. *Mansisse Virginem post Partum.*

PROPOSITIO I.

In Conceptione Filii Dei, Maria mansit Virgo.

RAtio est, quia illa facta est non viri opera, sed virtute Spiritus Sancti. *Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto, Spiritus Sanctus supervenit in te, &c.* *Maria fuit Virgo ante partum.*

Primò, voluit Christus noster *Melchisedech*, esse sine Patre, sine Matre, in cœlis, secundum æternam generationem. Et sicut ipse secundum illam generationem æternam sine Patris corruptione concipitur

Matt. 1. 18. Luc. 1. 35. D. Th. 3. p. q. 28. a. 1. a. 3.

Digitized by Google

pitur & generatur à Patre ; ita & voluit ſecundum generationem temporalem, ſine corruptione Matris concipi & generari a Matre.

Secundò, ſicut primus Adam de terra virgine formatus eſt, quæ necdum profciſſa fuerat, aut operâ hominis culta, ita Chriſtus voluit de terra virginea tanquam ſecundus Adam formari, hoc eſt, de Virgine Matre, cujus maternum ſolum & ſecretum nunquam eſt hominis opera temeratum, aut concupiſcentia violatum. Et ſicut Adam Dei manibus plaſmatur è limo, ita ſecundum Adam Dei Spiritu formatur in utero.

Tertiò, voluit ſicut mulier ex ſolo viro facta eſt, ita & ipſe vir ille novus Orbi promiſſus ex ſola muliere procreari. Sic quatuor modi producendi hominem ad effectum deducuntur. Eſt enim aliquis homo ex muliere & viro, ut nos omnes. Eſt aliquis ſine muliere & viro, ut Adam. Eſt aliquis ex viro ſine muliere, ut Eva. Reſtabat ut aliquis foret ex muliere ſine viro, ut Chriſtus. Ideo Chriſtus in Geneſi ſpiritualiter dicitur *Semen mulieris*, non viri, ut ponderat Irænæus. Et ad David dicitur: *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Ubi notat Auguſtin. Chriſtum dici fructum ventris deſcendentis ex Davide, non autem femoris aut lumborum viri. Item apud Danielem dicitur: *Lapis de monte abſciſſus ſine manibus*, hoc eſt, de Virgine ſine viri operâ, ut Patres explicant. Ideo etiam de ſeipſo dicit: *Ego ſum flos campi.* Flos eſt candidus & rubicundus, electus ex millibus, flos in quem proſpicere deſiderant Angeli, flos ad cujus odorem reviviſcunt mortui, flos verò campi, non horti, campus enim ſine humano floret adminiculo, non ſeminatus ab aliquo, non foſſus ſarculo, non impinguatus ſimo. Sic Virginis alvus floruit, ſic integra & caſta Mariæ viſcera æterni vironis paſcua florem protulere, cujus pulchritudo non videat corruptionem, cujus gloria in perpetuum non marceſcat.

Geneſ. 3. Pſ. 131. 11. Auguſt. in hunc Pſal. Dan. 5. Cant. 2.

Alias figuras habes hujus rei in Rubo, in Virga Aaron, in vellere Gedeonis, de quibus Bernardus. Vide has figuras etiam apud Suarez tom. 2. diſp. 5. ſect. 1.

Bernard. ſup. Miſſus.

PROPOSITIO II.

Maria in Partu manſit Virgo.

Virgo in Partu.

HOc ſatis expreſſit Iſaias: *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium.* Verè manens Virgo pariet; ut omnes Patres explicant. Nam ibi datur ſignum & prodigium, quod omnes miraturi forent. At, quale ſignum foret puellam virginem; ſed rupto virginitatis clauſtro concipere aut parere? Propoſuerat Iſa. 7. 11. Propheta Regi Achaz: *Pete tibi ſignum à Domino vel in excelſum ſupra, vel in profundum inferni*, q. d. Vis ut in confirmationem veritatis, quæ tibi promittit liberationem Deus ab hoſtibus & obſidione, ſcindatur terra, & grandi hiatu infernus pateat? An verò ut ipſi cœli aperiantur? Reſpondet ſed non petiturum, ne tentaret Dominum, ſed ex hypocriſi & impietate reſpondet. Fidebat enim dæmoniis & Idolis, quæ volebat conſulere, & timebat aliquo ſigno cogi ad veri Dei fidem, juxta Cyrill. & Hieron. ibi. Dicit ergo ei Propheta: *Ecce Dominus dabit tibi ſignum*, tam è cœlo, quam è terra, quia Virgo concipiet Filium, qui erit nobiſcum Deus: ergo ſignum erit è cœlo, ex quo divinitas erit: & è terra, quia dabit fructum ſuum: *Rorabunt cœli deſuper, & aperietur terra germinans Salvatorem.* Iſa. 45. 8.

Virgo ergo concipiet, *Virgo* pariet. Unde in Hebræo habetur vox *Alma* cum articulo, ſive *Haalma*, & ſignificat Virginem viro incognitam & velut abſconditam. Virgo ergo *Haalma*, id eſt, *illa Virgo*, nempe, Virgo carne, mente, voto & profeſſione. *Illa Virgo*, oraculis, ſignis, figuris præſignata. *Illa Virgo*, Angelis & Seraphinis ſuſcipienda. *Illa Virgo*, quæ ſimul eſt Mater, Filia, Sponſa Dei. *Illa Virgo*, quæ Deum homini, cœlum terræ, maternitatem virginitati, peccatores ſociavit & copulavit ſanctitati. Audite ergo Domus David, audite Principes & populi, audite omnes gentes. Ecce portentum & prodigium quod à ſæculo non eſt auditum. Ecce ſignum ſtupendum, *Virgo concipiet & pariet Filium.* Iſa. 7. 14. Matth. 1. *Ecce Virgo in utero habebit & pariet Filium.* Mat. 1. 22.

Hoc ſignum & prodigium mirabatur Sapiens, cùm dicit: *Tria ſunt mihi difficilia, Via aquilæ in cœlo, via colubri ſuper terram, via navis in medio maris: Et quartum penitus ignoro, Viam viri in adoleſcentula.* Prov. 30. 18. Ita legunt Hebræa, quæ & ibi habent vocem *Alma* & ſic legendum putant Lyran. Janſen. Galatinus & alii, pro eo quod noſtra Lectio habet: *Viam viri in adoleſcentia.* Lyran. in hunc locum. Janſen. ibi. Senſus ergo erit: Sicut Aquila in aere, Coluber in ſaxo, Navis in pelago, ne tenuiſſimum quidem veſtigium relinquunt, poſtquam tranſierunt, ita vir ille Chriſtus, cùm in Virginis uterum ingredietur, & cum egredietur, nullum viæ ſuæ ſignum in corpore integro relinquet.

Hoc quoque prodigium mirabatur Moyſes, dùm dicit: *Vadam & videbo viſionem hanc magnam, quare rubus non comburatur*, ſed in medio ignis virorem retineat. Hæc enim Rubus, figura erat Virginis ignem Chriſtum concipientis & parientis, nec virginitatem amittentis. Exod. 3. 3.

Et hoc quidem prodigium etiam ante adventum Chriſti, multi explicitè credidêrunt. Nam tempore Conſtantini & Irenes matris ejus, quidam in Thraciæ muris fodiens, invenit aream lapideam, & in ea virum jacentem, cui inſcriptum erat: *Chriſtus naſcetur ex Virgine Maria, Credo in eum. Sub Conſtantino & Irene Imperatoribus, O Sol iterum me videbis.* Increbuit ſermo, eſſe Vatis alicujus (qui ante Chriſtum fuerat) ſepulchrum, ejuſdemque fuiſſe hoc oraculum à Deo revelatum. Hujus rei facit mentionem D. Thomas. Exempl. Baron. ad an. Chr. 780. 2. 2. q. 2. art. 7. ad 3.

Sed vis videre quam congruum fuerit Chriſtum de Virgine naſci? Præter rationes de Conceptione allatas, has accipe.

Primò, Oportebat, inquit Auguſtinus, caput noſtrum inſigni miraculo naſci de Virgine, quo ſignificaret membra ſua de Virgine Eccleſia ſecundum Spiritum naſci. Auguſt. tom. 6. l. de S. Virginit. c. 6.

Secun-

Secundò, quia decebat omnium Conditorem uti partu non consueto, sed mirando. Unde dicit Bern. *Deum talis decebat Nativitas, qua nonnisi de Virgine nasceretur; talis congruebat & Virgini partus, ut non pareret nisi Deum.*

Bern. super Missus

Tertiò, voluit Matrem suam esse Virginem, ut virginitatem commendaret, & omnibus ejus exemplum in Matre proponeret, castitatis quandam militiam cœlestem colligens, in qua Virgo Maria prima vexillum erigeret. *Dilexit*, inquit Augustinus, *pra omnibus castitatem, quia ut hanc sibi placere Christus ostenderet, uteri virginalis pudicitiam elegit.* S. Ambrosius dicit: *Postquam Dominus in corpus hoc venit, contubernium divinitatis & corporis sine ulla concreta confusionis labe fecerit, tunc toto orbe diffusus, corporibus humanis vita cœlestis usus molevit.*

Augustin. serm. 11. de temp. Ambros. lib. 1. de Virginib. Augustin. serm. 6. de Nat.

Quartò, Fas non erat, inquit Augustinus, ut per ejus adventum corrumperetur integritas Matris, qui venerat sanare corruptionem nostram, nec Matris honorem diminueret, quam poterat servare, perficere & consecrare. Unde D. Leo: *Oportuit ut primam Genitricis integritatem nascens incorrupta custodiret, & complacitum sibi Claustrum pudoris sanctitatisque hospitium divini Spiritus virtus infusa servaret, qua fracturam dejecta erigere, confracta solidare.*

D. Leo ser. 2. de Nat.

PROPOSITIO III.

Post Partum Maria mansit Virgo.

Virgo post partum.

HOc Ecclesia definivit contra Helvidium, qui blasphemabat, Virginem ex Joseph alios filios suscepisse. Contra hunc disputat late Hieronymus, & Epiphanius.

S. Hieron. Li. contra Helvidiū Epiphan. hæresi 78.

Multis certè rationibus voluit Christus Matrem suam semper Virginem esse. *Primò*, quia non decebat Sacrarium Spiritus S. uterum illum, in quo Spiritus Sanctus Christi Deificam carnem formarat tantâ pietate, humano postea semine fœdari.

Rationes cur Christus voluerit matrem suam semper Virginem esse.

Secundò, id derogaret sanctitati & dignitati Matris Dei, foretque incontinentis & ingrati animi, thalamum Christi ex quo tanquam Sponsus processit, polluere, & tanto filio contentam non esse, virginitatemque divinitus in Conceptione conservatam, perdere velle.

Tertiò, magnæ præsumptionis fuisset Josepho, illam attingere, quam Angelo revelante didicerat de Spiritu S. concepisse. Unde Bernardus dicit ejus castitatem præfiguratam in Patriarcha Joseph, qui ut Domino fidelis foret, Dominam suam noluit attingere.

Bernard. homil. 2. sup. Miss.

Quartò, sicut Christus est unigenitus Patris, ita voluit esse & Matris, tanquam perfectissimum germen ejus. Quod ergò Scriptura vocat eum *Primogenitum*, non ideò sequitur alios fratres habuisse, quia is, qui primò nascitur, dicitur rectè Primogenitus, licet alii Filii non sequantur. Dici quoque potest Primogenitus respectu nostri, qui etiam Virgini tanquam filii sumus adoptati. Quod verò Scriptura mentionem facit de fratribus Domini, moris est etiam in Scriptura fratres vocare eos, qui sunt cognatione conjuncti. Sic Jacob & Laban, fratres dicuntur: sic Abraham & Loth, cùm tamen Loth nepos fuerit Abrahæ. Incertum verò est, quo gradu fuerint consanguinei, imò an verè consanguinei fuerint; an tantum putatitii; nam & qui affectu conjunguntur, aliquandò fratres vocantur: Sic Christus Apostolos vocat fratres affectu & amore.

Matt. 12. Ró. 8. 29. Joan. 2. 12 Matth. 12. 47. Gen. 29. Gen. 13.

Ex Scriptura verò, si petis testimonium virginitatis perpetuæ in Maria; habes præclaram figuram in Porta Orientali apud Ezech. ubi dicitur: *Porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus ingressus est per eam, eritque clausa Principi.* Porta hæc Beata Virgo est, in qua sedit Princeps Christus, cùm in sacro ejus thalamo, & utero habitavit. Dominus Deus ingressus est per eam. Pater sibi eam desponsans, Spiritus Sanctus fœcundans, Filius carnem sumens ex ea, ut sit eadem & Mater & Filia & Sponsa Dei. Sic explicant SS. Patres; *Porta clausa*, inquit Ambros. *virginitas est, hortus clausus virginitas est. fons signatus, virginitas est.*

Ezech. 44. 2. Ambros.

Quid est Porta in domo Domini clausa, inquit Augustin. *nisi quia Maria semper erit intacta? Quid est, Vir non transibit per eam, nisi quod Joseph non cognosceret eam? Quid est, Dominus solus intrat, & egredietur per eam, nisi quod Spiritus Sanctus impregnavit eam, & Angelorum Dominus nascetur per eam? Quid est, clausa erit in æternum, nisi quod Maria Virgo est ante partum, in partu, post partum?* Ita ille.

Aug. ser. 14. de Nat. Domini, qui est 18. de temp.

Dicitur verò clausa Principi, hoc est, in usum Principis, & in amorem ipsius Principis, semper clausa, q.d. Etiam cùm Princeps transibit per eam, erit & manebit clausa, ideoque vocabitur *Porta Principis*, qui per eam clausam transibit. Et si advertas Textum, reperies quod ter dicatur *clausa*, ut significetur Virgo ante partum, in partu, & post partum.

In vita B. Ægidii socii S. Francisci narratur, quod cùm quidam Doctor Theol. Ordinis Prædicatorū in consideratione virginitatis perpetuæ Mariæ hæreret cum multis scrupulis, audiens de fama B. Ægidii, statuit eum adire, ut tentationes has morbi scrupulosi, ejus & consilio & precibus posset depellere. Cum ergò ad hunc finem accederet; B. Ægidius Spiritus instinctu, sciens ejus adventum & causam, obviat illi, & baculo terram percutiens, prævenit eum, & sic allocatus est: *Prædicator, Maria Virgo est ante partum*, & pulcherrimum prodiit Lilium. Secundò repetit, & percutit, dicens: *Frater Prædicator, Maria Virgo est in partu*; & simile ortum est Lilium. Tertiò addit: *Frater Maria Virgo est post partum*, & tertium Lilium ortum est. Et sic sine alio alloquio discedit, velut aufugiens. At ille statim cognovit esse B. Ægidium, quem antè facie non noverat. nec dubitavit tria illa Lilia fuisse beneficia Virginis, fidem de ejus Virginitate, quasi triplici nodo in animo suo seligantis.

Exempl. Sur tom. 2. in vita S. Ægidii 23. April.

LECTIO

LECTIO XV.

DE MODO NATIVITATIS ex Virgine.

1. *Quomodò Nativitas Chriſti fuerit ſine Matris dolore.*
2. *Quomodo ſummo cum illius gaudio.*
3. *Quomodò ſumma cum puritate puerperæ.*

PROPOSITIO. I.

Chriſti Nativitas fuit ſine Matris dolore.

Nativitas Chriſti fuit ſine matris dolore. Damaſc. lib. 4. de Fide.

HOc ex dictis ſequitur, cùm enim dolor in partu ſit ex partium corporis divitione. Virgo autem cum integritate peperit, exempta fuit ab omni dolore. Undè Patres dicunt, dolores partus reſpondere voluptati conceptionis & libidini : *Quam ergò voluptas non antevit*, inquit Damaſcen. *nec dolor in partu ſecutus eſt.* In conceptione utique nullus motus indecens aut concupiſcentiæ excitatus eſt ; quia Spiritu Sancto cooperante, originalis peccati incendium extinctum eſt. Undè nec alias incommoditates paſſa eſt, non tædium, non cibi faſtidiũ, non appetitus inordinatos, non mutationem coloris, aut aliud tormentum corporis.

S. Aug. lib. 14. de civ. c. 26.

Gravida fuit ſine gravamine, ſicut avis non gravatur plumis. Undè Auguſtinus : *Plena ſunt viſcera, & nullum grave men ſentit Virginis conſcientia, cùm eſſet gravida, ſalubri lenitate plaudebat, lumen enim quod intrà ſe habebat, pondus habere non poterat.*

Geneſ. 3.

Hæc omnia etiam non fuiſſent in ſtatu innocentiæ, nam ſpeciali Dei providentia, uterum mulier geſtaſſet ſine tædio & incommodo, & peperiſſet ſine dolore juxtà Auguſt. Poſt peccatum ergò dictum fuit Evæ : *Multiplicabo ærumnas & conceptus tuos in dolore paries.* Dignum fuit, ut quæ alienum fructum carpere præſumpſerat cum delectatione, puniretur in proprio fructu, gravi dolore. Undè Rupertus : *Mulier quanto fecundior, tantò ærumnoſior poſt ſingulos conceptus dolor cruciat per ſingulos partus.*

Rupert. l. 3. de Trinit. c. 22.

Multiplicatio ergò conceptuum, jam non tam videtur opus benedictionis, quam punitionis ; tum ob dolores tantos parientis ; tum, quia multi fœtus intereunt in utero Matris ; tum, quia multi generantur monſtroſi, defectuoſi, vel ſarui, qui pudori & dolori ſunt Parentibus ; tum, quia ſæpè flagitioſi fiunt filii, qui tota vita Parentibus ſunt tormento ; tum denique, quia in una domo ſæpè multi ſunt reprobi, quibus melius erat non naſci. Si verò incorrupta naturæ noſtræ radix ſeu arbor permaniſſet, juxta Rupertum ; ſolos bonos fructus faceret, hoc eſt, ſolum homines ſalvandos produxiſſet.

Ab hac ergò maledictione exempta fuit Maria, à dolore parturientium aliena, ſola inter mulieres in hoc benedicta, quod gaudia Matris habet cum Virginitatis honore, fœcunditatem prolis cum carnis integritate.

Partus & integritas diſcordes tempore longo,
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

Undè Virgini dicere poſſumus, quod in Canticis habemus : *Exultabimus & lætabimur in te memores uberum tuorum.* Duo ubera virginis ſunt Virginitas & fœcunditas, quia indè humanum genus ſpiritualiter infans lac ſalutis & gratiæ haurit, ex eo quod hæc duo juncta ſunt in Maria, dum Deum hominem genuit, nihil enim virginitas profuiſſet, niſi fœcunditati juncta fuiſſet. Cant. 31.

Additur in Canticis, quod hæc ubera, poſtquam Chriſtus aſcenderit in palmam, erunt ſicut *botri vineæ, & odor ejus ſicut* odor *malorum* punicorum ; quia poſtquam Chriſtus aſcendit in Crucem, ibi fructus Redemptionis noſtræ colligens, apparuit fœcundæ Virginitatis & ſuavitas ; quia tunc Virginis odor & fama totum replevit orbem. Cant. 7. 8.

PROPOSITIO II.

Summo cum cordis gaudio Filium ſuum peperit.

B. Virgo peperit Chriſtum cum ſummo gaudio. Iſa. 35. 2. Gen. 4. 1.

RECtè illi accommodatur illud Iſaiæ : *Germinans germinabit ſicut Lilium, & exultabit lætabunda & laudans.* Quomodò non gauderet, quæ parit in medio Angelorum miniſtrantium ? Quomodò non gauderet ? Si enim gaudium fuit Evæ, dum Primogenitum ſuum Cain pariens dicebat : *Poſſedi hominem per Deum* : Quantò majus gaudium erit Virgini, quæ non aliquem maledictum Cain, ſed prolem illam benedictam, & omnis benedictionis originem pariebat ? Quæ etiam poterat dicere generans hunc Filium : *Poſſedi hominem Deum.* Undè canit & Eccleſia : *Gaude Maria Virgo, qua Deum & hominem genuiſti, &c.* Quomodò denique non gauderet ? Si enim *non meminit preſſura mulier, quia natus eſt homo in mundum* : Quale gaudium erit Virgini ſine preſſura edere Filium, gaudium mundi, gaudium Angelorum, gaudium SS. Patrum. 1 Exultat enim Abraham, qui diu deſideravit hunc diem videre. 2. Exultat Jacob, per myſticam ſuam ſcalam videns Filium Dei ad nos venire. Exultat Moyſes, cui nunc datur ardentem Rubum conſpicere. Exultat Aaron, Virgam ſuam hodiè florentem & fructificantem videns. 5. Exultat Ezechiel, videns Principem ingredi per orientalem ſuam portam. 6. Exultat Iſaias ; intuens nunc florem de radice Jeſſe, ſuper quem requieſcit Spiritus Domini. Omnia enim hæc impleta ſunt in Virgine parente Filium Dei. Quidam tanto gaudio cor Virginis in Nativitate Filii repletum fuiſſe putant in hujus conſideratione myſterii, ut piè aſſerant tunc Virginem elevatam fuiſſe in raptu ad eſſentiæ divinæ viſionem, in qua perfectè cognoverit arcanum hoc myſterium Incarnationis Filii Dei. Undè D. Antoninus ſic ait : *Fertè in ipſo conceptu vel partu. Virgini datum eſt ad horam, ut videret myſterium hoc, ut in Patria, ſicut Paulus vidit Deum in raptu.* Et Rupertus ſuper illud : *Oculi tui Colum-*

Joan. 16. 21. Joan. 8. 56 Geneſ. 28. 12. Exod. 3. 2 Numer. 17. 8. Ezech. 44. 3. Iſa. 11. 1. Anton. 4. p. 15. c. 17. Rupert. l. in Cant.

Digitized by Google

Cyprian. lum. de Nat.

Columbarum, dicit Virginem raptam esse in tertium Cœlum, & vidisse illa arcana Mysteria, quæ non licet homini loqui, perfectiùs quàm viderit Paulus. Cyprianus quoque dicit datam Virgini abundantem gloriam, qua Christi præsentia intus & extra frueretur. Et est sententia Carthusiani, Gersonis, Bannes, Medinæ, & aliorum, vidisse aliquando Virginem essentiam Dei claré; quod rectè asseritur vel tempore Conceptionis, vel Nativitatis Christi. Ratio probabilis est, quia si Augustin. & D. Thomas id asserunt concessum Moysi & Paulo (de quo id valdè probabile est) idem Virgini non videtur negandum. Quia juxta regulam D. Bernar. *Quicquid vel paucis mortalium constat fuisse collatum, id fas non est suspicari Virgini esse negatum.* Maximè quia hoc privilegium ad Sanctitatis perfectionem pertinet. Hæc si ita sint, ut piè credere possumus, non mirum tunc cor Virginis summo fuisse gaudio perfusum.

Bernard. epi. 174.

In Revelat S. Brigittæ.

Hinc est quod in revelationibus S. Brigittæ modus hujus partus sic describitur: Virgo genu flexa adorabat ad orientem manibus & oculis in Cœlum, quasi in quadam extasi cum dulcedine rapta. Cumque pro partu edendo fudisset preces, illico in momento, in ictu oculi, filium ante se vidit editum, sentiens quasi dimidium cordis sui exisse, ex quo prodibat splendor eximius, & prope eum pellis secundina mundissima & involuta. Ejus etiam carnes ab omni sorde puræ, auditusque est suavissimus Angelorum cantus, & statum junctis manibus, & inclinato capite adoravit summa humilitate, pannisque involvit. Hæc ibi.

Bernard. sup. Miss. homil. 4.

Certè tam admirabile est hoc Nativitatis ex Virgine mysterium, ut quod Bernar. dixit de Christi ex Virgine Conceptione, dicere & nos possimus de ejusdem Nativitate. Qui potest, inquit, capere capiat. Quis excepta illa quæ hoc sola in se fœliciss. mè meruit experiri, intellectu capere, ratione discere possit, qualiter splendor ille inaccessibilis, virgineis sese visceribus infuderit? Et quomodò ut illa inaccessibilem ad se ferre potuisset, de portiuncula ejusdem corporis? cui se animatè contemperavit, reliquæ massæ umbraculum fecerit? Et fortè propter hoc maximè dictum est: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, quia res nimirum erat in Sacramento, & quod sola per se Trinitas, in sola, & cum sola Virgine voluit operari, soli datum est nosse; cui datum est experiri. Obumbrabit ergò tibi, q.d. Sic Christus Sapientia Patris modum illum Conceptionis secretissimo suo consilio conteget, & obumbrando conteget, ut ibi solum notus habeatur & tibi. Illo scies Doctore, quo & Authore nec potest doceri nisi à donante, nec potest addisci nisi a suscipiente. Ita ille.

V. Bern. ser. 1. de Nativit.

An non hoc totum etiam verum est de Nativitatis Mysterio? Quod scilicet illud sic filius peregit altissimo consilio, ut solus ipse & Maria noverit, quomodo sine virginitatis læsione potuerit Filium generare, nos autem oportet credere. Dicat mihi Judæus incredulus, quemadmodum arida virga floruit, fronduit, & fructum protulit; & ego dicam illi, quomodò Virgo concepit & peperit. Sed profectò Judæus nec Virginis poterit explicare conceptum, nec ego Virginis partum.

Oportet ergò potius quàm inquirere, admirari, & adorare, & exclamare. O fœlix Puerperium, delectabile Angelis, spectabile Sanctis, necessarium perditis, congruum profligatis. Accede Eva ad Mariam, curre Mater ad filiam, quæ tibi adfert consolationem, tuam reparans culpam; pro fructu mœstis quem viro & toti posteritati in ipso obtulisti, profert hæc tibi & omnibus fructum vitæ. Currite Matres, currite filiæ, currite omnes, quæ post Evam & ex Eva parturimini cum tristitia; & parturitis, adite, admiramini virginalem thalamum, ex quo procedit Christus floridus & fulgidus animarum Sponsus. Veneramini hic conjuges in carne corruptibili carnis integritatem. Miramini etiam vos sacræ Virgines in Virgine fœcunditatem. Imitamini omnes homines Dei Matris humilitatem & puritatem. Honorate Angeli vestri Regis Matrem, qui nostræ adoratis Virginis prolem; ipsum utique pariter nostrum ac vestrum Regem nostri generis Reparatorem, vestræ civitatis Restauratorem.

PROPOSITIO III.

Partus Virginis summa fuit cum puritate, & sine sordibus Puerperii.

Partus Virginis fuit purissimus.

HÆc est communis sententia SS. Patrum. Immò aliqui existimant absque ullis secundinis fuisse Virginis partum. Quod asserere videtur Canon. 79. editus à Patribus congregatis in Trullo, ubi dicitur: *Absque ullis secundinis ex Virgine partum esse confitentes, ut qui sine semine constitutus sit, idque toti gregi annunciantes, eos qui propter ignorantiam aliquid faciunt, quod non decet, correctioni subjicimus.*

Suarez in 2. p. de Incarnat. Tom. 2.

Notat tamen Suarez aliquos loco illorum verborum, *absque secundinis*, legere, *absque dolore*, & sic definitio non est certa, sufficit quod dicatur cum omni puritate Virgo peperisse, licet modus perfectè non intelligatur, ut jam dixi.

Luc. 2. 7.

Falsum verò est, quod in libro de Ortu Salvatoris narratur, quod cum tempus partus instaret, Joseph licet de Virgine Christum nasciturum sciret, tamen morem Patriæ sequens, obstetrices vocarit, quarum una vocabatur Zebel, altera Salome. Zebel igitur considerans, & inquirens, & ipsam Virginem reperiens, exclamavit Virginem peperisse: Salome autem dum non crederet, sed similiter probare vellet, continuò aruit manus ejus. Jussu tamen Angeli apparentis Puerum tetigit, & continuò sanitatem accepit. Iste liber Apocryphus est, & hæc fabulosa sunt. Nam Luc. 2. dicitur, quod continuò cum Virgo peperit, ipsum Puerum pannis involvit, & posuit in Præsepio. Ubi significatur nullam actionem aut cooperationem personæ alicujus interessisse.

Digitized by Google

Cyprian. ſerm. de Nativ.

Et D. Cyprianus dicit : *Maria genitrix & obſtetrix, nullus dolor, nulla natura contumelia in puerperio.* Similiter loquitur Hieronymus contra Helvidium, & alii Patres.

Nulla utique obſtetrix neceſſaria ubi nulla partus difficultas: nulla neceſſaria mundatio, ubi ſumma & facilitas & puritas. Hinc eſt quod germinaſſe dicitur ſicut Lilium, aut ſicut Sol ſuum radium. Chriſtus enim inde vocatur Oriens: *Ecce Vir Oriens nomen ejus.* Ob generationem æternam ex Patre, quæ fuit puriſſima, vocatur *Candor lucis æternæ*: Similem ob puritatem in generatione ex Matre vocatur Splendor Oriens: *Donec egrediatur ut Splendor Juſtus ejus,* inquit Propheta : Ipſa Virgo aptiſſimè comparatur ſideri, inquit Bernard. *quia ſicut ſine ſui corruptione ſidus emittit radium, ita ſine ſui leſione Virgo parturit filium ; nec ſideri radius ſuam minuit claritatem, nec Virgini filius ſuam integritatem.* Immò hic ſi bene conſideremus, reperiemus, quod ſtella aut radius producat Solem de quo ipſe Bernardus capit. *Angelus Conſilii : natus eſt de Virgine : ſol de ſtella.*

Bernard. ſup. Miſſ.

Antiqui, ut ſignificarent mulierem prægnantem, ſolebant pingere ſolem, in medio ejus ſtellam, indicantes quod ſicut ſtella lucem qua ſplendet, accipit a Sole, ſic infans à maternis viſceribus vitam : hoc jam invertere debemus, ſi Virgini parienti convenire velimus. Hic enim non tam ſtella in ſinu ſolis, quam ſol in ſinu ſtellæ reperitur. Maria ſtella, ſol Chriſtus, qui in gremio eſt Virginis.

Apocal. 12. 1.

Sed quæret aliquis, quomodò ſine corruptione & ſine dolore peperiſſe dicitur, quandoquidem *Mulier illa amicta ſole & ſtellis coronata,* dicitur clamare & cruciari ut pariat ? Et tamen Bernard. & alii Patres interpretantur mulierem illam eſſe B. Virginem, quæ amicta fuit ſole juſtitiæ in Conceptione & Nativitate. Reſp. Primò, id rectè intelligi de Eccleſia, quæ electos ſuos (qui nomine filii maſculi rapiendi ad thronum Dei intelliguntur) cum multis doloribus inter perſecutiones & anguſtias, cœlo & æternitati parit. De qua explicatione late Viegas & alii. Reſp. Secundò applicando id Virgini etiam reperire poſſumus, quomodò crucietur pariendo; non ut pariat Chriſtum corporaliter, ſed ut ipſum ſpiritualiter parturiat, hoc eſt, membra ejus myſtica.

B. Virgo eſt mater Chriſti, etiam noſtra.

Adverte ergò quod Virgo in utero gerebat non ſolum Chriſtum, ſed & Eccleſiam Chriſto in ejus utero tanquam thalamo deſponſatam, & ſic conſequenter novum ſæculum, juxta illud Prudentii.

O quanta rerum gaudia alvus pudica continet,
Ex qua novellum ſæculum, procedit & lux aurea.

Unde Sancti Patres docent: Mariam, cum ſit mater Chriſti, eſſe etiam matrem noſtram, quia mater eſt & membrorum ejus, ſic & carne & ſpiritu dicitur mater Chriſti : non quidem reſpectu capitis noſtri, à quo magis ipſa ſpiritualiter nata eſt ; ſed membrorum ejus, quia cooperata eſt a charitate ſua, ut fideles in Eccleſia naſcerentur. Hæc ergò Charitas qua ſpiritualiter nos parturiebat, erat conjuncta cum ſollicitudine & anxietate animi, cum compaſſione affligente ut membra Chriſti pareret, novamque Eccleſiam in utero ſuo deſponſatam Chriſto, ab eo purgandam & ſanctificandam. *Clamat quoque parturiens,* ut draconem generationi huic novæ inſidiantem & paratum eam abſorbere, clamore valido cordis ad Deum, fugaret à ſe & generatione ſua filiorum electorum.

Hæc afflictio, compaſſio, ſollicitudo, anxietas, ſolet reperiri in illis qui ſpirituales filios Deo pariunt. Et ideò ſpecialem prærogativam meruit Virgo impetrandi particularem favorem & aſſiſtentiam illis, qui filios Chriſto parturiunt: Et de facto oſtendit eam & exhibet illis. Nam videre eſt ſpecialem aſſiſtentiam ejus oſtenſam B. Bernardo B. Dominico, B. Franciſco, B. Ignatio, & omnibus his qui zelo animarum ferventes, non aliud reſpirabant quam filios ſpirituales Chriſto generare, *& ſuſcitare generationem novam filiorum Deum timentium.* Habuerunt ergò illi ſpecialem recurſum ad Mariam, ut eos juvaret ipſa; & ſuis velut enitentur precibus, quod prius in Conceptione Filii Dei in utero conceperat ; & ut memor ſit hujus ſuæ parturitionis filiorum & membrorum Chriſti.

B. Virgo rectè ſuper puerpera invocatur.

Ex dictis collige, rectè etiam invocari Virginis auxilium ſuper puerperas difficultatem patientes. Optima vere praxis eſt lumen accendere coram venerabili Sacramento, ut à filio ejus, qui eſt lumen de lumine, & qui ex matre proceſſit ſine dolore, impetretur, ut fœtus ſine periculo pertingere poſſit ad lumen vitæ hujus per partum, & ad lucem gratiæ per Baptiſmum. Audi exemplum.

Exempl. Bonav. in vita Franciſci.

Mulier quædam de Patribus Aretinis jam dies ſeptem graviſſimè cruciata deſperabatur à Medicis, B. Franciſcum, qui tunc obierat fidenter invocavit cum voto ei facto. Obdormivit mulier, & ecce apparet ei Franciſcus, & interrogat: Agnoſcis me? Noſtine etiam Canticum, *Salve Regina*, ad implorandum Deiparæ auxilium ? Cumque illa reſponderet, agnoſcere ſe Franciſcum, & noſſe illud Canticum; ait ei Franciſcus : Exordire igitur, & incolumis paries. Ad hanc vocem experrecta mulier, pronunciat. *Salve Regina, &c.* Et in illis verbis, *Et Jeſum benedictum fructum ventris tui*, Filium pulchellum edit omni liberata dolore, gratias agens Reginæ miſericordiæ, quæ interveniente B. Francisco, tantam erga ſe oſtenderat pietatem.

LECTIO XVI.

PASSVS SUB PONTIO PILATO, &c.

DE QUINQUE MYSTERIIS Doloroſis.

AGemus hic de quinque Myſteriis doloroſis, in quibus ſatis explicabitur hic Articulus ; quomodò ſcilicet Chriſtus pro nobis, ſit paſſus, & tandem crucifixus ac mortuus, ex iſtis quinque Myſteriis.

Digitized by Google

fleriis tanquàm quinque Myrrhæ ramis, fasciculum conficiemus, quem ponat anima fidelis inter ubera sua, intellectum scilicet & voluntatem, ut Sponsi sui dilecti amarissimos dolores intellectu consideret, & ejus amori rependat voluntatis amorem, quem tantis Sponsus emit tormentis. Singulos verò hujus fasciculi ramos particulatim considerabimus, particularem cuique Mysterio Lectionem adscribentes.

1. Mysterium dolorosum.

DE PRIMO MYSTERIO
Doloroso.

1. *Docet cur Christus in horto Passionem inchoârit.*
2. *Quomodo ibi angustiatus sudarit?*
3. *An ille sudor fuerit miraculosus.*

PROPOSITIO. I.

Non sine mysterio Christus inchoat Passionis Mysterium in Horto Olivarum.

Passionem inchoat Christus in horto Olivarum

PRimò, voluit implere figuram, quæ præcesserat in David, qui transiens Torrentem Cedron, afflictus ab Ablalone, nudis veniebat ad montem Olivarum, fleus nudis pedibus, & operto capite. Præclara figura Christi eundem Torrentem transeuntis, & ad eundem montem Olivarum procedentis cum gravi afflictione: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Regem suum Davidem secuti sunt sexcenti armati, pugnatores validi; ita & Christum Martyres fortitudine præstantes, maximo numero secuti sunt, ad angustias, agones, cruces, mortem. Immò omnis plebs sequebatur Davidem plorans: Ità omnes veri Fideles sequi debent Christum Regem suum, cum cordis compassione per asperam Passionis viam. Quod fideliter præstiterunt tot Confessores, tot Virgines, tot animæ piæ, quæ inter quælibet adversa, nunquam eum deseruerunt.

2. Reg. 15. Matt. 26. 38.

2. Reg. 2.

Eja Fratres, pergamus & nos sequentes Jesum, & dicamus illi, quod Elizæus Eliæ: *Vivit Dominus, & vivit anima tua, quia non derelinquam te.* Ecce Rex noster, ingreditur ante nos, conflictum gravissimum inituras pro nobis, contra hostes nostros, mortem, peccatum, lathanam, infernum. Sequamur fortiter, certemus usque ad mortem viriliter cum impio, erit Adjutor noster, quia est Dux noster.

Secundò, venerat Christus, tanquam secundus Adam, ut satisfaceret pro peccato primi. In horto autem commissum fuerat, ibi totam progeniem perdiderat per inobedientiam, ideò secundus Adam veniens per obedientiam, in horto præcipuum opus Redemptionis inchoat. En antithesis.

1. In horto morbus; in horto medela incipit.
2. In horto mors orta, in horto ortum habet & vita.
1. In horto primus Adam victus est à diabolo: in horto diabolus victus est ab Adam secundo.

4. In horto contractum peccati debitum, ibi inchoatur solutio & pretium.

5. In horto ruina generalis, ibi & reparatio sumit exordium. Abscondebat se olim Adam post peccatum, audiens vocem Domini deambulantis in paradisi horto. Accede Adam, omnesque filii tui, ecce iterum adest Dominus Deus tuus; non ut olim tibi terribilis, sed suavis; non puniendum requirens, sed sanandum; non minas mortis afferens, sed vitam proponens; non ut ejiciat te a facie sua, & è Paradiso suo, sed ut revocet te, posteritatemque tuam ad se, & ad Paradisum suum, remota romphæa illa versatili, & flammante. Jam enim parat ejus & aciem & flammam, in corpore suo, sudore ac sanguine, quem emittit extinguere, ut libera sit ad vitæ lignum via. Accede ergò, nec dicas: *Vocem tuam timui, & abscondi me*; sine voce est, quasi agnus mitis & mutus, qui portatur ad victimam; aut si quæ vox ei est, suspirantis vox est, non minantis, sed prò te ad Patrem supplicantis.

Gen. 3. 2. Gen. 3. 10.

Tertiò, hortus Olivarum, misericordiæ & pacis est symbolum, hanc enim Oliva solet designare. Sic Oliva, quam attulit columba ad Noë, symbolum erat pacis & misericordiæ divinæ, quæ aquas cessare fecerat; ita ut dixerit Ambrosius, exterminatis aliis arboribus per diluvium, specialiter reservatam à Deo Olivam, tanquàm arborem misericordiæ, ut significaret, non ita prævalere diluvium inundans furoris & justitiæ suæ, quin aliquis maneat ramus, aliquid reliquum misericordiæ suæ.

Ambros. lib. de Noe.

An putas sine mysterio fuisse, quod ingrediens Summus Sacerdos in sanctuarium, per portas Olivæ ingrediebatur? Figura erat. Ecce veritas Christus Pontifex ingreditur ad Sancta Sanctorum: Ut offerat semetipsum *per proprium sanguinem, non hircorum aut vitulorum*, ait Apostolus. Sed per quam portam ingreditur? Per portam utique Olivarum, dum hortum hunc ingreditur, qui fuit janua & introitus Sacrificii ejus cruenti.

3. Reg. 6. 36. Heb. 9. 12

Hic hortus ad radicem montis Olivarum situs, optimè *hortus Olivarum* dicitur, sicut & mons ille, si consideremus eum respectu nostri, quia ibi fructum suavem misericordiæ collegimus. Sed si respectu Christi eum consideremus, verè dicitur *hortus & mons myrrhæ.* An non ibi putas, collegerat sponsa, *Fasciculum suum myrrhæ*, quem continuò gestaturam se dicit inter ubera? An non de illo rectè intelligitur loqui Sponsus, dum dicit: *Vadam ad montem myrrhæ & collem thuris?* Venit utique ad hunc montem, ad hunc hortum sponsus, invitatu sponsæ, voce Ecclesiæ, Mysterium hoc nostræ Redemptionis suspirantis & clamantis: *Veniat dilectus meus in hortum suum.* Sed ibi mavult abundantem myrrham, amaritudines, afflictiones, angustias, ideò dicit: *Vadam ad montem myrrhæ, ad collem thuris.*

Cant. 4. 6. Cant. 5. 1.

Fuit quoque *Collis thuris*, ubi orationem (quæ sicut *incensum thuris dirigatur in conspectu Dei*) obtulit Patri in odorem suavitatis, dum totum se offert

Digitized by Google

offert ejus voluntatati. Rectè ergò de hoc monte dicit: *Vadam ad montem myrrhæ.*

Ingredere, ô anima Chriſtiana, ſæpiùs in hunc hortum, nullus ibi Cherub, qui gladio flammeo ingreſſum impediat, immò illuc te invitat ſponſus:
Cant. 5. 1. *Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa*, ibi *meſſui myrrham cum aromatibus meis.* Tu poſt meliores colli-
ge faſciculos, quos inter ubera tua ponas. Ibi con-
Cant. 8. 5. fidera, quia in horto, *corrupta eſt mater tua, & violata genitrix tua* Eva. Ibi quoque mater tua Eccleſia in integritatem cœpit reſtitui, & lavari in ſudore Filii Dei, ut jam inciperet eſſe ſine macula, ſine ruga. Conſidera quoque, quam hic mons plenus ſit myſteriis, ex illo enim aſcendet Chriſtus, in illo dejicietur Antichriſtus, volens enim inde aſcendere ad Patrem, virtute divinâ cadens confringetur. Denique & ibi Judicium fiet, quia proximus eſt valli
Joel. 3. 2. Joſaphat, quæ media eſt inter montem Oliveti & Calvariæ, & ſuprà ſedebit in majeſtate Judex, ut ibi cœpit ignominia, appareat & gloria, & perſecutorum vindicta.

Denique quiſquis deſideras eſſe particeps divinæ miſericordiæ, ingredere hortum Olivarum. Hanc tibi exhibere deſiderat Chriſtus, dum tanquam Summus Pontifex, oneratus totius mundi peccatis, hic coràm throno paternæ gloriæ proſternitur, cum lachrymis & valido cordis clamore totum ſe offerens Patri, ut ibi imploret miſericordiam. Offert enim preces, lachrymas, ſanguinem, vitam, non ſolùm pro toto mundo univerſali, ſed & pro me in
Exod. 28. 29. particulari & pro te, quicumque hæc vel legis, vel audis. Sacerdos olim geſtabat ſuper humeros & pectus, nomina filiorum Iſrael (erant ſcilicet lapides pretioſi, in quibus ſculpta erant nomina Capitum Iſrael) hic verò Chriſtus in corde te ſculptum gerit: novit te & nomine & cognomine, qualis qualis es, & meminit tui in particulari, cogitans de te cogitationes pacis, offerens pro te, ut impetret & mereatur omnes gratias, inſpirationes, media, quibus in
Gal. 2. 20. vitam æternam perducaris. Certè ita particulariter cogitat de te, & pro te ſeſe offert, quaſi non haberet aliam animam ſalvandam, pro te paratus mori: quod ſignificat Apoſtolus dicens: *Qui dilexit me, & ſeipſum tradidit pro me.*

PROPOSITIO II.

Chriſtus ut ita ibi angustiatus fuit, ut sanguinea gutta sudoris in terram decurrerent.

Sudoris sanguinei causſa. 1. Interior conflictus.

CAuſæ autem fuerunt variæ extraordinarii hujus ſudoris.

Prima cauſa fuit terribilis quidam conflictus interior; dum ex una parte horror tormentorum & mortis, ex altera zelus honoris Dei & fructus Redemptionis hominum, quendam velut conflictum ineunt.

Repræſentabat enim ſibi vivaciter omnia tormenta in particulari, quæ toto Paſſionis tempore patidebebat, & quod diverſis horis paſſurus erat, jam viva imaginatione conjunctim patiebatur; & hoc ſatis erat ad ſudorem ſanguineum per caput, faciem, humeros & omnes partes corporis eliciendum.

Quam benè comparatur hic *Sponſus ſanguinum* arbori myrrhæ! Hæc ſolet velut ſudorem quendam, liquorem amarum & medicinalem etiam per corticem emittere, & hic liquor dicitur *Myrrha prima* ſi- Eccl. 24.
ve electa, poſtea verò cortex diſcinditur ut fluat a- 20.
bundantiùs. Sic Chriſtus nohuit exſpectare, donec tortores ſanguinem elicerent, flagellis, ſpinis, clavis; ſed antequam transfodiatur & decorticetur, emittit ſudorem hunc pretioſum vivâ apprehenſione, tanquam myrrham primam, myrrham rubicundam, quam non ſolum manus ejus diſtillaverunt, ſed & facies, & omnia ejus membra.

Si verò tanta fuit Chriſti anguſtia ex mortis apprehenſione, quanta erit anguſtia peccatoris in agonia ex apprehenſione mortis æternæ? *Si in viridi* Luc. 23. 31
ligno hæc fiunt, *in arido quid fiet?* Quas anguſtias patiebatur ille apud D. Gregorium, qui inclamabat: S. Greg. in
Inducias vel uſque manè, inducias vel uſque manè? dialog.
Quas anguſtias patiebatur Antiochus ingemiſcens 1. Macha.
& dicens: *Heu in quos fluctus triſtitiæ devenio?* Sicut 6. 11.
Eſau videns ſe fruſtratum Patris benedictione, *irru-* Geneſ.
git, inquit Scriptura; ita & impius fruſtrandus 27. 34.
tunc æternâ benedictione & hæreditate. Tunc enim premet memoria delictorum ex una parte, & vermis rodens conſcientiæ: ex altera mortis horror, & jam imminens æternitas tormentorum; ſicque mirabilia aſperrimoque conflictu anima anguſtiabitur.

Obſecramus verò te Domine Jeſu, & per ſudorem hunc tuum, & per anguſtias, quas paſſa eſt in horto benedicta anima tua, ut quando mortis anguſtia cor noſtrum invaſerit, conſolationem & fiduciam in miſericordia tua & corde tuo reperire dones: & ſicut Angelus tunc ibi affuit, ita & nobis tunc adſit, Dux & Protector contra tenebras infernales, ut dirigantur pedes noſtri in viam æternæ pacis.

Secunda cauſa fuit apprehenſio omnium pecca- *2. Apprehenſio omnium peccatorum*
torum præteritorum, præſentium, & futurorum, quorum ponderabat multitudinem, enormitatem, damnum æternum, Dei injuriam infinitam. Peccata ergò ſingula jam ab initio mundi commiſſa à peccato Adæ & Cain, & uſque ad finem mundi committenda, omnia homicidia, juramenta, blaſphemias, Sodomias, hæreſes, &c. vivaciter apprehendebat: & inæſtimabilem ei dolorem infligebant, quia tantum dolebat de injuria Dei, quantum Deum diligebat, cum autem ſine menſura diligeret, ſine menſura erat & afflictio.

Magnus amor Domini, ſudore hoc ſanguineo peccata tua, quæ tota vita tua fient, à prima rationis luce, uſque ad extremum diem expiantis. Erant enim in corde ejus & in memoria; multiplici vulnere eum transfigebant, & ſudorem hunc eliciebant. Non ejus ſatis erat charitati, pro illis lachry-

mas

mas fundere, & oculis benedictis ea deflere, sed per singula membra, sanguineas emittit lachrymas: ut totum te & omnia Ecclesiæ membra, totum corpus suum mysticum ablueret, inquit Bernardus.

Cant. 1. 13 Quam appositè Sponsa dilectum suum comparat botro vineæ! Ecce caro ejus innocentissima, instar uvæ prelli onere peccatorum nostrorum, quasi in torculari, reddit liquorem hunc salutarem & Gen. 49. 11. pretiosum: *Lavans in vino stolam suam, in sanguine uvæ pallium suum*, ut dicit Jacob. Stola ejus, humana natura est quam induit: Pallium ejus, Ecclesia est, qua se velut ornamento dicit circumamictum. Utramque ergò hanc vestem lavat hoc sudore tanquam uvæ mysticæ sanguine. Initium verò Redemptioni nostræ facit, sudando aquam & sanguinem; quia sic erit & complementum, in aqua & sanguine.

Mortiferos peccati humores ex noxiali illo pomo Adami, suximus omnes filii Adæ. Cum verò mystica quoque Christi membra simus, ecce caput nostrum pro nobis sudat, ut a nobis noxios illos & mortiferos depellat humores. Non poterant membra sanari, nisi caput amarum sumeret potionem. Unde paratum se offert, ad bibendum amarum Passionis Calicem, & jam ejus degustans amaritudinem, ecce in qualem incidit sudorem & apprehensionem!

Considerat. 3. *Exigui fructus passionis.* *Tertia causa* fuit, consideratio exigui fructus Passionis suæ erga multos. Considerabat enim cæcitatem, rebellionem, duritiem, ingratitudinem multorum, qui usui non erant mediis, quæ tanti ei constiterant, repudiantes & conculcantes Sanguinem Filii Dei pro se fusum, Sacramenta, Sacrificia, totóque labores pro salute eorum assumptos, considerabat eis inanes fore, immò ad majorem damnationem. Undè apud Ezechielem conqueri videtur de anima hoc sudore non abluta, nec mollita tanto amotis igne, dum ait: *Multo labore sudatum est, & non exivit nimia rubigo neque per ignem. Immunditia tua execrabilis est, quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus.* Et Isaiæ 49. conqueritur apud Patrem; *In vanum laboravi, sinè causa, & vanè consumpsi fortitudinem meam: Ergò judicium meum cum Domino, & opus meum cum Deo meo*, q.d. Frustra omnes vitæ meas in salutem hominum impendi, sed tu ô Pater scis, quod nihil intentarum reliquerim, judica cujus culpa factum sit, ut tam pauci salventur.

Ezech. 24. 12. Isa. 49. 4.

Adde hic specialiter confideraſſe perditionem populi sui, de quo ait: *Populo meus quid fecit tibi, &c.* Item scandalum discipulorum, perditionem Judæ, quem diabolus tanquàm vivum membrum à Christo avellebat.

Considerat. omnium afflictionū Dolorū. *Quarta causa* fuit, consideratio omnium dolorum tormentorum, afflictionum, quas omnes electi pati erant amore sui, Martyres, Confessores, Virgines, Pœnitentes. Angustias enim omnes ipsorum noverat distinctissimè, & per compassionem dolorosus ejus cordi fixæ erant, quam in Martyribus qui illa sustinebant; nec solùm in generali, sed singulariter singulis in corde passus est, distinctè & perfectè. Hinc B. Laurentius Justinianus dicit, quod ibi interius lapidatur cum Stephano, crucifigitur cum Petro, dilecatur cum Andrea, excarnificatur cum Bartholomæo, allatur cum Laurentio, &c. B. Laur. Justin.

PROPOSITIO III.

Christus sudavit sanguinem proprium & naturalem; idque factum fuisse ab, que speciali miraculo, probabilius videtur.

Sudor hic fuit verus Sanguis. Duo hic asserimus. Primò Christum verum Sanguinem sudasse, estq; communis sensus Ecclesiæ, & textus Evangelii id satis significat. Unde rejicienda est Theophylacti & Euthymii opinio, qui id scriptum putant per hyperbolè, quasi solum fuerit sudor crassus & concretus, similis guttis sanguinis. Argumentum sumit Euthymius, ex eo quod dicat Scriptura sudasse sanguinem non simpliciter & absolute, sed sudorem fuisse sicut sanguinis guttas. Verum hoc nihil convincit, nam particula illa (*sicut*) non excludit verum fuisse sanguinem; sed solum significat fuisse in forma & figura guttarum: & forte etiam sic loquitur Evangelista, quia non erant ex puro omninò sanguine, sed aliquid sudoris admixtum habebant. Ita Suarez & alii.

Ezech. 44. 18. Præcipiebat olim Dominus, ut Sacerdos, cùm ingrederetur portas atrii interioris ad ministerium; non accingeretur in sudore, hoc est, ita strictè & violenter, ut sudaret. Sed ecce Pontifex noster Jesus, qui pro proprium, non per alienum sanguinem debebat introire in Sancta, in atrio suæ orationis, & ad portas futuræ Passionis, ita fortiter se accingit; ut non solum sudore quocumque, sed & sanguineo, copiosè toto corpore perfundatur. Et hic sudor ostendit quam arduum sit, quantæ molis & laboris sit opus & ministerium, quod aggreditur, & nostræ Redemptionis Sacrificium, quod toto Sanguine Filii Dei decebat consummari.

Tanta molis erat Romanam condere Gentem!

Illud verò notatu dignum est, quod dicit Egesippus hortum illum, postquam sudore hoc sanguineo imbutus, flores produxisse, in quorum foliis scriptum erat: ●

O Mors, quàm amara est memoria tua! Eccl. 41. 1.

Quicquid hoc, certè in terreno cordis nostri horto, pro quo rigando & molliendo sudor ille effusus est, tales flores hic sanguineus sudor proferre deberet; hoc est, memoriam mortis Redemptoris nostri, memoriam mortis nostræ, memoriam mortis æternæ, quam si cogitatione prævenerimus, effugiemus: si enim per considerationem nostram descendamus in infernum viventes, non descendemus morientes. Obversetur ergò saltem oculis mentis, triplex dicta mors, quæ animo Salvatoris nostri profundè in horto illo hærebat, & non sine fructu, videamus quàm verum sit:

Digitized by Google

O Mors, quàm amara eſt memoria tua!

Eccl.41.1. *Fuit naturalis Sanguis ex naturali angore profectus.* Cajetan. in cap. 22. Luc. Janſen. in eundem loc.

Secundò aſſeramus ſine ſpeciali miraculo Chriſtũ hunc ſanguinem ſudaſſe, ex vi interioris afflictionis & agoniæ. Ita ſentit Cajetanus & Janſenius. Ratio eſt, quia ſi ille ſanguis miraculosè fuiſſet emiſſus, non foret certum ſignum maximi angoris: poterat enim miraculosè cum minima afflictione, imò ſine ulla emiſſu. Secundò, ut dicit Cajet. Sicut magnitudo paſſionis pellit violentum ſudorẽ, ita ſi vehemens ſit paſſio, & deficiat ſudoris materia, fieri poteſt, ut ſanguinem expellat; poteſt enim afflictio ita corpus commovere, ſanguinem attenuare, poros aperire, ut emiſſio ſanguinis ad exteriores partes fiat.

Itaque Chriſtus hortum ingrediens, totum ſe afflictioni voluntate rationali obtulit; ita ut eo tempore uſq; ad ultimum ſpiritum, nullam ab ulla creatura conſolationem receperit: licet enim dicatur Angelus ad conſolandum veniſſe repræſentans fortè ei decretum Patris, paſſionis neceſſitatem, fructus magnitudinem; non tamen recepit illam conſolationem. Nam & Scriptura dicit, quod tunc in agonia prolixius oravit. Undè Beda: *Confortatus eſt*, inquit, *ſed tali confortatione, quæ dolorem non minuit, ſed magis auxit. Confortatus eſt ex fructus magnitudine, non ſuberatis doloris amaritudine.* Ardens itaque ignis, & amoris, & doloris, ex hac Roſa myſtica, liquorem hunc pretioſum elicit & diſtillare facit; quem Patri offerat in odorem ſuavitatis, nobis autem tanquam medelam vulneribus noſtris.

Beda ibi.

Notat verò Evangeliſta, quod in hac agonia procidit in faciem. Ubi piè conſiderant eum aliqui velut terram exoſculantem, quæ futura erat ara, calix & patina ſanguinem ejus profuſum exceptura. Imò, quia Chriſtus ardebat mortis deſiderio pro nobis, conſiderari poteſt, quaſi gratias agat terræ, quod procreatit funes quibus ligabitur, ſpinas quibus compungetur, arundinem pro ſceptro, ferrum clavorum & lanceæ, quibus transfodietur.

Ego verò eum conſidero, tanquam inclamantem: *Terra, terra, terra, audi ſermonem Domini.* Quod illud? *Terra ne operias ſanguinem meum, nec habeat in te locum latendi clamor meus.* Vult ut ſanguis de terra emittat vocem, non ſimilem voci ſanguinis Abel, qui clamabat vindictam; ſed vocem reſonantẽ per univerſum Orbem, quod pro teneno hominum corde purificando & emolliendo effuſus ſit. Rogat quoque, ut terra, ſive terrena illa corda, vocem & clamorem hunc ſanguinis audiant, nec ingratitudine illum operiant, & oblivione ſepeliant.

Jer.22.29 Job.16.19

Ecce quanta myſteria in hoc horto continentur, in quo nobis ſummè fructuoſum foret cum Salvatore afflicto ſæpius converſari, ibi ejus faciem contemplari, ſudorem ejus, quantum in nobis eſt, extergere, & compaſſionis lachrymis abluere. In hoc horto Sponſi anguſtiati multiplices & polymitos flores licet nobis colligere, roſam purpuream charitatis, candidum lilium innocentiæ & puritatis, cœleſtem violam humilitatis, helioiopium reſignationis perfectæ, ex quibus ſertum odoriferum juvabit contexere, & ad cor noſtrum appendere, inter ubera animæ noſtræ.

Hoc practicabat B. Thereſa, quæ de ſe dicit: Conabar mihi ſæpius repræſentare Jeſum, & optimè habebam in meditatione myſteriorum, ubi ſolus erat; videbaturq; mihi, quod ſic afflictus non poſſet me rejicere, accedentem ut compaſſione mea ſolatio ei forem. Specialiter ejus conſortium quærebam in oratione in horto; ibi frequenter conſiderabam ejus & afflictionem & ſudorem, cupiebamque ſi poſſibile foret, ejus faciem & moleſtum ſudorem abſtergere: ſed memini me nunquam id auſam, utpote peccatorum meorum multitudine deterritam, interim ſtabam diu cum eo, multis afflicta cogitationibus. Jam a pluribus annis maxima parte noctium poſtquam decubuiſſem, ſolebam de hoc myſterio cogitare, etiam antequam ſtatum Religioſum aſſumerem, & exiſtimo plurimum indè profectus ſpiritualis me conſecutam. Ita illa.

Ribera in vita B. Theref.

LECTIO XVII.

DE FLAGELLATIONE, MYSTERIO Secundo Doloroſo.

II. Myſterium Doloroſum.

1. *Docet, Quomodo Flagellatio Chriſti injuſta fuerit & ignominioſa.*
2. *Quomodo fuerit crudeliſſima.*
3. *Quomodo facta fuerit ad Columnam.*

SAlvatori noſtro in Agonia conſtituto, & interram proſtrato, poſſumus dicere illud Iſaiæ: *Conſurge, conſurge, induere fortitudine brachium Domini: Nunquid non percuſſiſti ſuperbum & vulneraſti draconem? Quis tu, ut timeas ab homine mortali?* Iſa. 51.9.

Poſſumus etiam dicere, quod Angelus Eliæ ſub Junipero jacenti & fatigato: *Surge, grandis tibi reſtat via.* Hic enim ſudor initium tantum dolorum eſt, ſed nondum finis; inſtar roris erit, ſed ſequetur abundans pluvia, tandemque flumina ſanguinis exundabunt de quinque corporis partibus. 3.Reg.19.

Chriſtus ergò, poſtquam hoc ſudore velut rore ſanguineo perfuſus fuit mitis cum anguſtiis, voluit pluviam dare ſanguineam, ad lavandum corpus ſuum myſticum in flagellatione, ubi iterum eum conſiderare volumus, tanquam *Virum dolorum.*

PROPOSITIO I.

Chriſtus per ſententiam Pilati, traditus fuit, ut flagellaretur, ſed ſententia hæc injuſta fuit & ignominioſa.

Flagellatio Chriſti 1. Injuſta fuit.

INjuſta ſententia, quia debita tantùm latronibus & mancipiis. Undè Civem Romanum flagellare non licebat, ut colligitur ex Actorum capite 22. *Non invenio*, inquit ipſe Pilatus, *in eo cauſam.* Fatetur ergò injuſtitiam. Act.22.25 Luc.23.4.

Certè

Digitized by Google

Certè nec mortis, nec flagellationis in eo causa, quia nullum crimen in ipsa innocentia, nulla causa mortis in ipsa vita. Et cum sciret Judex quod per invidiam tradidissent eum, & accusarent non ob crimen aliquod probatum, tradidit eum ad flagella, sed in hoc voluit eis favere, putans sic lividum Judæorum animum & furorem satiatum iri. Injusta ergo sententia, perversumque judicium.

Justa tamen fuit, si spectemus eam, ut à Patre æterno procedit, quia ex parte nostra multa & gravia crimina erant, & flagellis & morte digna, ipse autem in se expianda illa susceperat, & ideo dicit Pater: *Propter scelus populi mei percussi eum.* In te ergo, ô homo, in te require horum flagellorum causam, quia in ipso nulla alia causa reperitur, nisi charitas, qua in se transtulit peccata tua. Quod ergo dicebat Nisus, dum Euryalus amicus suus mori paratus erat pro se, multo magis dicere possumus in hac causa de Christo.

Is. 53. 8.

Æneid. 9.

Mecum adsum qui feci, in me convertite ferrum.
Culpa mea est, mea fraus omnis, nil iste nec ausus,
Nec potuit; Cœlum hoc & conscia fulmina testor.

Vide Augustinum in se requirentem causam vulnerum ejus, ad commovendum ad pietatem animum.

August. lib. Med. c. 7.

2. *Ignominiosa.*

Ignominiosa quoque fuit; summæ enim ignominiæ fuit nudari coram illa multitudine impiorum & impudicorum hominum: summæ ignominiæ fuit tractari ut mancipium infame, & virgineam illam carnem sic denudari. Quanta ignominia illi fuerit, intelliges, si consideraveris, quod ipse Adam nudus coram uxore etiam nuda, ita verecundatus fuerit, ut ad folia ficus fugerit. Quid non ergo pudoris illi qui castitas est, qui castorum & Virginum Dux & Sponsus est, coram tota Cohorte, lexcentis forsitan hominibus sic turpiter denudari? O casta Sponsa, quomodo tractatur ignominiosè hic Dilectus tuus de quo dicebas: *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus, caput ejus aurum optimum.* Verè modò rubicundus est, pudore genas ejus suffundente ob tantam ignominiam:

Ps. 68. 8.

Operuit, inquit, *confusio faciem meam, & extraneus factus sum fratribus meis*, ab iis sic invisus, sic delectus.

Sed quomòdo, ô Sponsa, hunc electum dicis ex millibus, qui est abjectus super omnes mundi homines? Quomodo electus ex millibus, qui ab omni statu, a Judæis & Gentilibus, Principibus & Plebeis, Sacerdotibus & Laicis, maribus & fœminis, incognitis & notis, suis & alienis, contumeliis est

Ps. 21. 7.

affectus; *Opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Quomodo hunc in Sponsum eligis & Dilectum? Quomodo amorem totum illi conferas, in quo nihil amabile, cum non sit ei neque species, neque decor? Imò tanquam abominabilis & leprosus est reputatus.

Sed propter hæc omnia, magis eum amat Sponsa: amat eum propter utilitatem & ignominiam quam suscepit. Nec ei improperat quod olim Michol Sponso suo David: *Quam gloriosus fuit hodie Rex Israel discooperiens se, & nudatus est quasi unus de scurris.* Sciebat enim ei responsum esse: *Ante Dominum qui elegit me, vilior fiam plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis.* Ecce iudex noster Rex Israel, sed ludo quo ei illuditur, vilis factus & nudatus quasi unus de scurris. Sed propter hoc non despicit eum Sponsa, imò magis diligit, dicens cum Bernardo? *Quanto pro me vilior, tanto mihi charior. Quanto se minorem exhibet in humilitate, tanto & majorem in bonitate. Verè Domine Jesu, ob multa amabilis es, sed super omnia te amabilem reddit calix amarus quem bibisti, & opus nostræ redemptionis, in quo sic humiliatus es; hoc enim amorem nostrum blandiùs allicit, justiùs exigit, arctiùs stringit, vehementiùs afficit.* Ita Bernardus.

2. Reg. 6. 20.

Ibid. v. 21.

Bernard. serm. 20. in Cant.

Amat Sponsa in Sponso hanc quam assumpsit nuditatem & deformitatem. Vestis ejus & corpus ejus undique habens incisuras, fulgidior est, & interiorem pulchritudinem manifestat & amorem. Guttæ sanguineæ, sputa, phlegmata, colores speciosissimi sunt, quibus decoratur: imò lapides pretiosi quibus vestis Sponsi ornatur, qui *Sponsus Sanguinum* rectè dicitur.

Inter hæc ergo omnia opprobria, adhuc verè dicit Sponsa: *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus, Caput ejus aurum optimum.* Sciebat enim quòd lapis quem reprobaverunt ædificantes, eligeretur, ut Caput esset anguli; & quod is qui summè humiliatus erat, summè foret exaltandus.

Cantic. 5. 10.

1 *Electus* ergo *ex millibus*, quia ob Passionis & fusi Sanguinis meritum, exaltatus super omnes creaturas, & super omnem gloriam Electorum. 2. *Electus ex millibus*, tanquam Dux populi Israel, quem per Columnam, Virgam, & Mare rubrum, hoc est, per Columnam hanc, ad quam flagra sustinuit & per Crucem suam, & per Sanguinem suum in terram promissionis debebat introducere. 3. *Electus ex millibus*, tanquam summus Sacerdos, qui per propriam sanguinem ingrederetur in Sanctum. 4. *Electus ex millibus*, tanquam qui per vulnera sua foret Mediator Dei & hominum, illa Patri continuò repræsentans. 5. *Electus ex millibus*, tanquam Pastor utriusque ovilis, Judæorum scilicet & Gentium, per Crucis suæ Pastoralem baculum reducens utrumque gregem, ut fiat unum ovile, & unus Pastor. 6. *Electus ex millibus*, tanquam Caput Ecclesiæ Militantis & Triumphantis. 7. *Electus ex millibus*, tanquam Caput & Rex Angelorum & hominum, de utrinsque faciens unam societatem, unum Regnum. 8. *Electus* denique *ex millibus*, tanquam Judex vivorum & mortuorum.

Hanc dignitatem meruit, quia injustè & ignominiosè cum flagellis, tum Cruci adjudicatus est, juxta illud Job: *Causa tua quasi impii judicata est, causam judiciumque recipies.* Unde & Angeli rectè asseruntur Columnam ejus & Crucem, cum ad Judicium procedet, ante eum delaturi, tanquam

Job. 36. 17.

Digitized by Google

quàm inſtrumenta, per quæ hanc poteſtatem eſt adeptus.

Hic verò nota, Chriſtum Virginum Sponſum, cùm multæ Virgines, tyrannorum decretis damnarentur, ut ludibrio per nuditatem exponerentur zelatorem ſe caſtitatis eorum oſtendiſſe, nec permiſiſſe ut eorum corpora in opprobrium nudata forent, ſed miraculo ſpeciali eas texiſſe, vel cœleſti lumine circumdando, vel alio aliquo modo providendo earum nuditati. Sic de S. Barbara, Theophila, Agnete & aliis legimus.

Ipſe tamen noluit huic ſuæ nuditati, vel lumine cœleſti, vel aliter providere: quia tanquam ſecundus Adam ſatisfacturus venerat pro nuditate primi, & per hanc nuditatem voluit nos liberare a nuditate & confuſione æterna. Ipſe venit pro te, ô homo, quiſquis es qui impudicitiis addictus es, & fœda nuditate Deum tuum modis variis offendere non veteris! Pro te ergo ſatisfaciens, voluit ab impudicis hominibus deniderí, pro te hanc nuditatis confuſionem ſuſtinere: ne tu æternam ſuſtineres. Et quoties renovas fœda contra pudicitiam peccata, toties illam renovas nuditatem Redemptoris.

PROPOSITIO II.

Crudeliſſima quoque fuit Flagellatio.

Flagellatio fuit crudeliſſima ex parte inſtrumẽtorum. Salmeron tom. 10. Vincent. Euſ. Cæſ. in c. 53. Iſ. Chry. ho. 23. in Mat. Iſa. 1. 6.

PRimò, ex parte inſtrumentorum, quæ aliquid dicunt fuiſſe triplicis generis, ita ut prius virgis cæſus, deinde funiculis, tertiò loris ex nervis boum: & multi putant aculeos ferteos fuiſſe, aliqui etiam catenulas adjiciunt, quæ ad oſſa penetrarent.

Euſebius Cæſarienſis, expendens illud: *Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum*, dicit hanc diſciplinam fuiſſe duram, quia virgis; duriorem, quia funibus; duriſſimam, quia ferreis catenis. Idem teſtatur Chryſoſtomus.

His inſtrumentis totum corpus lacerarunt, quia totum corpus myſticum ulceroſum erat: *A planta pedis uſque ad verticem non eſt ſanitas*, inquit Propheta; hoc eſt, in omni ſtatu vitia & peccata regnant a Principibus & Optimatibus (qui per caput & cor intelliguntur, dum dicitur: *Omne caput languidum & omne cor mœrens*) uſque ad ultimos plebis (qui per plantam pedis ſignificantur) contagio vitiorum cuncta membra depaſcens, omnes infecit; ſecundum ergo delicta, ſic & plagæ. Delicta noſtra, pro quibus ipſe ſatisfaciebat, velut infinita erant, unde plagæ ejus correſpondere debebant. Iſa. 1. 6. Ibid. 5.

Secundo, crudelitas conſiderari poteſt ex parte Corporis Chriſti. Erat enim tenerrimæ & ſenſibiliſſimæ complexionis, & jam totus attenuatus ex ſudore ſanguineo, & noctis præcedentis multis tormentis. Hæc talia & tanto numero fuerunt, ut aliqui dicant, Chriſtum ea nocte, tot ac tanta adverſa paſſum, ut in ſolum diem Judicii reſervata ſit eorum integra notitia, juxta D. Hieronymi ſententiam. Ita ergo attrito & exhauſto incredibilem dolorem cau- *2. ex parte Corporis Chriſti.* S. Hiero. Pſ 118. 3.

ſabant flagra illa. Quapropter videtur in Pſalmo conqueri de hoc, dum dicit: *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem ſuam.* Ubi alia Lectio habet: *Supra dorſum meum arraverunt aratores, prolongaverunt ſulcum ſuum*, quia ſicut aratri ferrum penetrat terram, & ſulcos inducit ſic flagra in hac terra virginea ad oſſa penetrant; & velut ſulcos quoſdam inducunt.

Tertiò, crudelitas patet ex multitudine ictuum, de quibus aliqui revelatum dicunt exciſſiſſe quinque millia. Et licet res non ſit certa, tamen non eſt incredibilis. 1. Ob crudelitatem militum, quia cùm hi Gentiles eſſent, non obſervabant numerum quadraginta ictuum; ultrà quem Judæis præceptum erat non procedere. Paulus de hac re loquens: *A Judæis*, inquit, *quinquies quadragenas, una minus, accepi.* 2. Juſſerat quoque Pilatus crudeliter flagellari, ut verisimile eſt, hac ratione putans mollire cor populi, dum viderent hominem ſic crudeliter tractatum, ſicque putans eum liberandum. Ipſa quoque inſolentia militum ſatis patet, quia ſine juſſu coronarunt eum ſpinis, & cum viderunt ejus patientiam & immobilitatem ad ictus, tantò amplius furebant, & illos geminabant, urgente ſatana, nolentes ab eo vinci. 3. Lex fuſtuaria, per quam liber fuſtibus, ſervus autem virgis cedebatur, decernebat, ut criminis convictus ab omnibus militibus cæderetur, unde & tota cohors congregata dicitur. Cohors autem erat decima pars Legionis, hoc eſt, ſexcenti ſexaginta ſex milites. His ergo Chriſtus datus eſt in prædam, veriſimiliter a tota Cohorte flagellatus. *3. Ex parte ictuum.* Deut. 25. 2. Cor. 11. 24.

Unde ſicut olim, cùm quis erat blaſphemiæ convictus educebatur & ponebant manum ſuper eum qui audierant eum & poſtea lapidabatur à ſingulis de populo: Ita videtur quòd Romani coram quibus hic tanquam blaſphemus ſiſtebatur, quaſi commutantes lapidationem in flagellationem, verberibus eum omni ex parte confecerint; prius quidem dorſum totum lacerantes, deinde anteriorem partem reverſantes, ita ut nihil illæſum reliquerint. De hac re videtur conqueri Chriſtus per Prophetam dum dicit: *Congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoravi.* Ubi magnum numerum flagellorum indicat, & dicit, *ignoravi*, q.d innocens fui, & cauſam illorum in me neſcivi; ſed tamen quia aliorum culpas in me expiandas ſuſcepi, ideò, *Ego in flagella paratus ſum.* Et *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus.* Pſ. 34. 15. Pſ. 37. 18. Iſa. 50. 6.

Quarto, gravitas quoque hujus flagellationis ex eo patet, quòd valde ſolliciti fuerint Pontifices ad accelerandum Crucem, & providerint de aliquo qui eam ferret: ita enim acerbe erat plagis conſperſus, ut videretur defecturus ante crucifixionem, quam tamen ipſi ſummè ſpirabant.

PROPOSITIO III.

Ut Chriſtum flagellarent, ligarunt ad Columnam.

In flagellatione ad columnam ligatus eſt.

HÆc eſt certa Eccleſiæ traditio, hanc aliqui dicunt duorum eſſe palmorum cum annulo ferreo

reo in vertice, ex quo funis pendebat Christum ligans, & dicitur esse Romæ in templo S. Praxedis.

Hieron. in Epitaphio Paulæ. Adrichomius. Gregor. Tur. lib. de glor. Martyr.

Attamen Hieronymus dicit, quod ostendebatur columna Ecclesiæ porticum sustinens, infecta cruore Domini, ad quam dicitur alligatus, Idem dicit Beda, Prudentius & alii. Forte illa Romæ tantum est pars ejus: nam Adrichomius in theatro terræ sanctæ dicit monstrari alteram partem in monte Calvariæ. De hac Columna loquens D. Greg. Turonensis, dicit *Multi plemi fide accedentes, corrigas textiles faciunt, easq; circumdant, quas rursus pro benedictionibus recipiunt, diversis infirmitatibus profuturas.*

Ad hanc Columnam ligatus est, qui Columna est, totum sustinens orbem; sed vincula ejus sunt nobis alligatura salutis, ut solvant colligationes impietatis, & ut laxent misericordiæ manum, quam peccata nostra constrinxerant: & ut alligent manum justitiæ divinæ contra nos extentam, ne super peccatores miseros in eorum perniciem pondere suo dilabatur.

Ligatus est, sed non tam his vinculis, quæ illi injecerunt, quàm vinculis amoris & charitatis suæ, per quæ amoris vincula, nos etiam sibi cupit alligare, & peccata nostra, quæ tanquam vinculum plaustri in perditionis barathrum nos pertrahunt, penitus dissolvere. Ecce ergò *spiritus oris nostri Christus Dominus captus est*, & ligatus *in peccatis nostris*, sed *in umbra ejus vivemus inter Gentes*, ut dicit Jeremias. Heu ipse Christus, qui est noster spiritus, noster anhelitus, nostra anima, nostra vita: Ipse Christus, per quem spiramus & speramus, in quo respiramus, & quem aliis inspirare debemus, qui nobis intimior est, & debet esse pretiosior vitali spiritu nostro: Ipse Christus, qui est anima animæ nostræ, spiritus spiritus nostri, & cordis nostri, captus est, ligatus est, afflictus ad columnam propter nos & peccata nostra.

Thren. 4. 20.

Sed in umbra ejus vivemus non Gentiles, quia ipse elegit hanc columnam, per quam educeret nos ex Ægypto, & peccatorum nostrorum tenebris. Unde nobis est *Columna ignis, & columna nubis*, Columna in nobis accendens ignem lucidum amoris, qui deducat nos de nocte: Columna umbram nobis præbens, sub qua vivamus, contra vitiorum æstus, de die instar nubis, & obumbrans & refrigerans. Sub hac umbra quiescere, & de vivifico rore, sanguineo imbre, qui de Columna Salvatoris defluit, refrigerari est suave. Sæpe ergò nos quiescamus sub umbra hujus Columnæ, ibi Salvatori afflicto solatium & consortium præbeamus.

Ibi consideremus patientiam illius in hoc mysterio doloroso; qui, cùm non haberet partem integram, sed doloribus acerrimis undique confixus foret, non conqueritur, non lamentatur, non gemitum edit, aut voce aut alio signo: paratus amore nostri ampliora adhuc sustinere, permittens congregari super se flagella; & velut aratro proscindi terram illam virgineam, donec ipsa rabies flagellantium per se sopiatur, singula Patri offerens in satisfactionem & sacrificium pro peccatis nostris.

Quisquis ergò verus Christi amator es, aliquid doloris, aliquid compassionis, aliquid lachrymarum affer, quibus vulnera laves Redemptoris, & virum hunc dolorum unge oleo devotionis. Projice te ad pedes hujus Columnæ, & amplectere eam toto desiderio animæ, considera sanguine Filii Dei sic ornatam & purpuratam. Fige illi cor tuum, fige devotionis osculum, terram quoque ipsam in spiritu osculare, cruore ejus aspersam, & apud hanc Columnam obsecra, ut instar Columnæ immobilis semper perseveres in ejus obsequio & gratia.

Exempl. Ribera in vita B. Theresiæ.

Sic practicabat B. Theresia, quæ de seipsa sic dicit: Quodam die ingrediens Oratorium, erat ibi noviter allata imago, repræsentans Jesum totum vulneratum & plagis opertum. Statim ac eam vidi, tota in me turbata fui, videns Dominum meum tali modo afflictum, mihi enim vivâ apprehensione repræsentabatur, quicquid pro me passus fuerat. Et sensi tantum dolorem ex plagis ejus, ut cor meum videretur in duas findi partes. Tunc projeci me ad pedes ejus, cum magnâ lachrymarum copia, supplicans ejus pietati, ut placeret illi ex tunc tanta me fortitudine corroborare, ut amplius eum non offenderem, sed & petii gratiam, qui potiretur omnes pravas meas inclinationes & habitus vitiosos superare & exuere. Videor quoque mihi tunc dixisse, me à pedibus ejus non surrecturam, nisi daret quod obsecrabam: & hoc mihi valdè profuit, quia exindè cœpi me emendare, & in gratia & obsequio Dei solidior esse.

DE TERTIO MYSTERIO
Doloroso.

1. *Docet, Cur Christus voluerit Corona spinea coronari.*
2. *Quam acerbos illi intulerit dolores.*
3. *Quare Corona, Arundo & Purpura adjuncta fuerit.*

Coronatio Christi III. Mysterium Dolorosum.

TErtium Mysterium dolorosum est Coronatio Christi, in qua considerandum est, quod cùm eum quibusdam tormentis ignominiosis afflixissent, quibusdam dolorosis; nunc inventione quadam sathanicâ, crudelitate subtili, subtilitate crudeli, addunt unum novi generis tormentum, & crudelitatis extremæ, & ignominiæ inauditæ, dum coronam spineam ejus infigunt capiti, in derisum Regni ejus. Tu verò hic advertes, quomodò semper charitas Christi crescat, cui non satis fuit in columna sanguinem fundere, summo nostri amore; sed instar Imperatoris infracti, & inter dolores invicti, huic columnæ videtur velle affigere dictum illud Imperatorium, *(Plus ultrà)* Nec enim ejus charitas quiescet usque ad Crucem, quando

Digitized by Google

enget in illa ſublimi crucis columna & Regium Thronum & charitatis Tropharum. Jam ergò, inaugurationem ſuam inchoans, Regia hac corona vult coronari, ſpinea nimirum, quam ſpecialiter hic explicabimus.

PROPOSITIO I.

Coronari Chriſtus voluit ſpinis ut Sacerdos

Non ſine myſterio voluit Chriſtus coronari ſpineâ coronâ.

Lev. 16. 4. PRimò, ſic voluit coronari, quia ipſe tanquàm Sacerdos aſcenſurus erat ad Altare crucis Sacrificium oblaturus. Solet autem ſummus Sacerdos Tiara & Cidari caput ornare: Hæc eſt ergò Tiara Summi Pontificis noſtri, ad Sacrificium procedentis pro peccatis noſtris. Undè ex ſpinis compoſita eſt, quæ myſticè peccata noſtra deſignant: has enim ſpinas ei protulit infœlix terra cordis noſtri, quæ ſæpius à Deo rore cœli rigata & benedicta, tribulos & ſpinas tantum profert: *Exſpectavi*, inquit, *ut faceret uvas, & fecit labruſcas* ſpinas. Hæ ſpinæ ambiunt caput noſtrum Chriſtum, hanc ei coronam manus noſtræ ſceleſtæ fabricarunt & infixerunt. Ibi inter ſpinas agnoſce ſuperbiam tuam, luxuriam tuam, invidiam, cæteraque peccata ſpinoſa & tibi & Chriſto; quia conſcientiam tuam transfigentia, cor verò & caput Chriſti acerbiſſimè vulnerantia. Si ergò indignaris contra eos, qui tam crudeliter eum affixerunt, verte iram illam contra te, quia manus tuæ impiæ hoc fecerunt; & quoties peccata reiteras, toties caput ejus ſpinis cruentas. Sic coronatur à nobis, qui in miſericordia & miſerationibus, qui gloriâ & honore vult nos coronare.

Iſa. 5. 4.

2. *Vt triumphans.*

Secundò, ſignificat hæc corona victoriâ & triumphum, ſolebant enim triumphantes coronari. Ipſe ergò hodie agens triumphum de diabolo, peccato & inferno, coronam accipit non lauream aut auream, ſed ſpineam, antequàm currum triumphalem crucis aſcendat; & per illam ſpineam coronam ſignificat ſe nobis gloriæ coronam comparare. Coronæ enim Martyrum, Confeſſorum, Virginum, fructus ſunt hujus coronæ. Undè & in Apocal. illi qui circumſtabant thronum: *Mittebant coronas ſuas* ad pedes Agni, tanquàm ab eo donatas, & per ſpineam acquiſitas.

Apoc. 4. 10.

3. *Vt Rex.*

Tertiò, ſignificat regiam Chriſti poteſtatẽ quam acquiſivit per ſpinas & afflictiones, ſimulque ſignificatur per ſpinas acquiri illam gloriæ coronam à nobis, nec nos poſſe coronæ æternæ participes eſſe, niſi prius hic coronam ſpineam portaverimus. *Non poteſt*, inquit Hieronymus, *in utroque ſæculo eſſe coronatus. Non decet* inquit Bernardus, *ſub ſpinato capite membra eſſe mollia & delicata.* Nec tamen ſpinas illas adeò timere debemus, ſivè afflictiones cum Chriſto & pro Chriſto ſuſceptas: quia ipſe aculeum & acrimoniam abſtulit, ſuavitatem conferens, & pœnitentiæ viam optabilem reddens; ita ut verum etiam ſit illud Ezech. 18. *Non erit ultrà domus Iſrael oſſenſiculum amaritudinis, & ſpina dolorem inferens.*

S. Hieron. S. Bernar.

Ezech. 18. 24.

Hinc tot delicatiſſimæ Virgines inter acerrima tormenta divinas laudes canunt, inter ſpinas, flores reperiunt. Apparuit quondam ſponſæ ſuæ Catharinæ Senenſi animarum Sponſus Chriſtus, duplicem in manibus geſtans coronam, utramque illi offerens, auream unam, ſpineam alteram; ſed hac conditione, ut ſi auream in hoc mundo eligeret, videret, ne illa carere deberet in altera vita; ſpineam verò ſi ſibi aſſumeret, auream in altera vita conſecutura foret. Illa velut violentia quadam ſpineam è manibus Sponſi eripit, & capiti ſuo ita fimiter infixit, ut exindè longo adhuc poſt tempore dolores perſentiſceret. Eligant ergò hic ſpineam, qui in altera vita exſpectant auream illam gloriæ. Conſtruant ſibi animæ juſtæ ex his Domini ſpinis, velut nidum in quo quieſcant, & in quo ſe protegant. Qui ibi refugium habuerint, non accedet ad eos malum: Ibi *Paſſer invenit ſibi domum, & Turtur nidum*, hoc eſt, anima gemens & pœnitens inſtar turturis, ibi quietem reperit, & tutum habitaculum ab accipitre volante, à dæmone & peccatis.

Exempl. Sur. 30. April.

Pſal. 83. 4.

Godefridus Bullonius maximum habuit honorem huic Coronæ Regis noſtri crucifixi: undè cum communi conſenſu declaratus eſſet Rex primus Jeruſalem, non tamen voluit unquam uſurpare titulũ Regis, nec permiſit, ut imponeretur Regium Diadema capiti ſuo; quia exiſtimabat indignum, ut verus Dei ſervus coronaretur auro, in loco ubi ſummi Regis Caput ſpinis fuerat coronatum.

Th. Sallius Gul. Tyrius l. 6. de exped. terræ S.

4. *Virgo ſponſus.*

Quartò, hæc corona ſignificat Chriſtum Sponſum eſſe: Inchoatur enim deſponſationem cum Eccleſia in Incarnatione, completurus in cruce, tanquam in thalamo nuptiali. Hæc ergò erat dies deſponſationis, hæc corona nuptialis, & hæc dies vocatur dies lætitiæ cordis ejus. Licet enim ex altera parte dies foret blaſphemiæ & doloris, in quo ſummis doloribus afficiebatur tum propter pœnas ſuas, tum propter excæcationem & mortem Synagogæ Matris ſuæ, ex qua ſecundum carnem natus erat; illum tamen dolorẽ, Sponſæ novæ conjugio & amore lenivit, dum deſponſabat ſibi Eccleſiam læto corde. Hoc præfiguratum & inſinuatũ fuit à Spiritu S. in conjugio Iſaac, qui Rebeccam ſponſam è Meſopotamia adductam, dicitur introduxiſſe in tabernaculum matris ſuæ, & in tantum illum dilexiſſe, ut dolorem, qui ex morte matris acciderat, temperaret.

Gen. 24.

PROPOSITIO II.

In coronatione acerbiſſimos fuiſſe dolores.

Acerbiſſimos dolores Chriſtus paſſus eſt in hac Coronatione.

HInc eſt, quod ſpecialis ejus mentio fiat apud Evangeliſtas. Hæ enim ſpinæ, quæ communius dicuntur fuiſſe ex junco marino, acutæ erant, & crudeliter pungebant, penetrantes carnem & nervos; ita ut ſanguineæ extremitates coronæ ab inferiori parte egrederentur, rivulis ſanguineis & oculos faciem ejus divinam obſcurantes. Undè Propheta dixit: *Non erat ei ſpecies neque decor.* Et de hac

Iſa. 53. 2.

Digitized by Google

hac Corona conquiri videtur apud Psal. dum dicit:
Psal. 68. 8. *Operuit confusio faciem meam.* Imò aliqui de illa interpretantur illum clamorem Jonæ in ventre Ceti
Jonæ 2. 6. in figura Christi clamantis *Operuit pelagus caput meum.* Ubi Lectio Hebræa habet : *Operuit juncus caput meum.* Quod interpretantur de Jona clamante in persona Christi, qui in Passione sua, quasi in mediis afflictionum aquis juncum marinum in ca-
August. lib. 16 de Civit. pite gerit. In figura cujus rei etiam dicunt capiti piscis Jonam gestantis juncum adhæsisse. Satis communis est sententia ; fuisse ex his junceis coronam Christi : erant enim frequentes in Syria & vicina Ægypto. Habentque acutos cuspides : juxta illud Virgilii: *Et acuto cuspide junci* Dicuntque qui eam viderunt id notari.

Gene-
brardus lib. 4. Chron. Habetur illa in thesauro Regis Francorum, nam, ut dicit Genebrardus, S. Ludovicus eam a Græcis redemit, & Lutetiam asportari præcepit, cui ipse obviam comitantibus Episcopis & Regni Proceribus venit multis cum lachrymis & suspiriis, nudis pedibus, undique affluente, & in genua populo procumbente. Ita ille.

Putat tamen D. Hieron. quem alii sequuntur, fuisse ex Rhamno; cui rei applicant multi parabolam illam, ubi Regia dignitas Rhamno defertur:
Jud. 9. 14. *Dixerunt cuncta ligna, veni & impera super nos, respondit si me Regem constituitis, venite & sub umbra mea requiescite.* Sic dicere potest Christus, adeste & sub capite vestro, quem Rhamno coronatum cernitis, quærite requiem animabus vestris. *Si non vultis,* inquit Rhamnum, *egrediatur ignis de Rhamno, & devoret Cedros Libani.* Multi sunt qui quia sub Corona Comini requiescere noluerunt, penitus con-
Clemens Alex. lib. 2. Pæd. c. 8. Hippol. orat de consum. sæculi. sumpti sunt. Unde Clemens: *Hæc corona flos est eorum qui crediderunt in eum, cruentat autem & castigat eos qui non crediderunt.* Tunc verò acerbior erit hæc castigatio, cum de Rhamno egredietur ignis ille de quo Christus: *Ite in ignem æternum.* Nam & B. Hippolytus dicit Christum in judicio appariturum hac Corona redimitum.

Baron. tom. 1. ad 33. 14. §. 27. Denique etiam multorum sententia est fuisse ex spinis; ita, ut dicat Baronius: *Nullatenus audiendos puto, qui ex junco marino contextam dixere, quia Joannes & Lucas asserunt ex spinis esse compactam.*

Gen. 22. Quicquid sit, Christi sic coronati figura pulchra fuit artis ille, quem loco filii sui Isaac Abraham immolavit, de quo dicit Scriptura, quod ejus caput & cornua hærebant vepribus. Sive verò fuerit ex Rhamno sive ex junco, sive ex spinis, non potuit non summum dolorem inter omnia tormenta Christo infigere.

Voluit ergo post tot plagas corpori a planta pedis usque ad verticem inflictas, ut spinæ è capite sanguinem elicerent, quem flagra non potuerant. Voluit dare omnibus instrumentis (aptis ad eliciendum sanguinem) potestatem super corpus suum: petræ in Circumcisione, apprehensioni in horto, virgis & funibus in flagellatione, spinis in coronatione, ligno & ferro in crucifixione, chalibi, & lanceæ in lateris aperitione.

Sic ergo coronatus Christus inclamare potest ad animam illud Canticorum : *Aperi mihi soror mea Sponsa, quia caput meum plenum est rore, cincinni mei guttis noctium* q. d. Aperi mihi cor tuum per compassionem, ut ibi requiescam, velut in pulvillo mihi apto & desiderato, quia caput meum, & crines mei toti madent sanguinolento rore quem cauſarunt guttæ nocturnæ peccatorum tuorum. Nos verò ei sic inclamanti respondere debemus illis verbis Laban: *Ingredere benedicte Domini, cur foris stas? Præparavi domum & locum tibi.* Ubi verò eum introduxerimus in interiorem domum animæ nostræ, & contideravenimus plenissimè afflictionem ejus ob peccata nostra, inclamare debemus ex compassione: O sacratæ Spinæ, parcite, parcite sacro illi & innocuo Capiti, venite potius & vertite aculeum contra me, pungite cor meum puncturis pœnitentiæ & compunctionis, ut si non sanguinem, saltem vel lachrymam possitis è corde duro elicere: quia enim Sanguine Salvatoris eltis aspertæ, vim sanctificandi habetis, & vulnerando me, poteritis sanare vulnera mentis meæ. Pungite ergò me & configite, ut possim dicere: *Converſus sum in ærumna mea, dum configitur spina.*

Cant. 5. 21

Genes. 24. 31.

Psal. 31. 4.

PROPOSITIO III.

Huic coronationi apposita sunt duo ignominiosa circumstantia, dum dederunt arundinem pro sceptro, purpuram pro Imperiali Pallio.

Arundo pro sceptro, Chlamys purpurea pro trabea regia datur.

VOluerunt hoc modo ambitionem ejus arguere, quasi regnum affectaret. Sed hæc mysterium magnum continent. Dicit Athanasius arundinem serpentibus lethalem esse. Dedit ergò ignoranter dæmon gladium contra se: Ipsi quoq; arundine Regnum ejus quasi vanum irridere voluerunt; sed verè significat Regna mundi & Sceptra quæ sunt ex auro in signum excellentiæ & stabilitatis, in veritate tantum esse instar arundinis mutabilis, & fragilis, cui nemo securè inniti valeat. Unde dicitur: *Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, super Ægyptum, cui si nixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, & perforabit eam. Nolite confidere in Principibus, &c.* Purpura quoque hæc mysterium magnum continet.

S. Athan. *Arundo.*

Isa. 36. 6.

Purpura quid significet.

Primò enim significat imperium, quod suo Sanguine Christus comparabat. Unde in Apocal. visus est veste conspersa sanguine, in qua scriptum erat: *Rex Regum, & Dominus Dominantium.*

Apoc. 19. 16.

Secundò, significat cruentam vestem peccatorum nostrorum, quam Christus assumpsit eluendam: erat enim vilis, aurita, & sordida vestis illa, per quam ei illuditur.

Num. 4. 7

Tertiò, figurata fuit hæc vestis Num. 4. ubi cùm ex uno loco altare ad alium portabatur, præcipiebatur purpura indui. Christus ipse Sacerdos, Sacrificium & altare, de domo Caiphæ ad domum Pilati transfertur, tanquam Altare portatile, ideoque purpura indui voluit, ut figuram complerer. Figura etiam potest esse in filo coccineo, quo domus Raab præservata fuit a morte, quia & nos per hanc

Digitized by Google

veſtem, ſive coccineam, ſive purpuream (eſt enim Purpura Cocco ſatis ſimilis, unde utroque nomine eam vocant Evangeliſtæ) quam aſſumpſit pro peccatis noſtris, præſervamur à morte.

Quartò, ſignificat ardentem ejus charitatem, ſicut & alba veſtis ejus innocentiam.

Cant. 5. 9. Interrogabatur olim Sponſa: *Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum?* q. d. Cujus coloris eſt, quibuſnam ſignis dignoſci poteſt dilectus tuus? Reſpondet illa: *Dilectus meus Candidus & Rubicundus.* Hunc nempe utrumque colorem ab initio ſibi elegit Sponſus noſter. 1. *Candidus* ob puritatem & innocentiam: *Rubicundus* ob ardentem charitatem, per quam fudit ſanguinem. 2. *Candidus* eſt in Nativitate, virgineâ carne circumdatus: *Rubicundus* in Circumciſione, cruore ſuo aſperſus. 3. *Candidus* in Transfiguratione, in nivea veſte: *Rubicundus* in Olivarum monte, ſudore ſuo cruentus. 4. *Candidus* eſt in Herodis domo, ornatus veſte alba: *Rubicundus* in Pilati Prætorio, in veſte purpureâ. 5. *Candidus* in Cruce, ob aquam fluentem è latere: *Rubicundus* totus in ſuo Sanguine, 6. *Candidus* in Sacramento, ob Panis ſpeciem: *Rubicundus* in Vini ſpecie. 7. *Candidus* ob Miſericordiam: *Rubicundus* propter Juſtitiam. 8. *Candidus* in Corpore ſuo myſtico, ob Virgines: *Rubicundus* ob Martyres purpuratos.

Ibidem.

Ecce ergo myſterium deſcripſimus Coronæ, myſterium quoque Purpuræ ſuæ, in quorum conſideratione anima ſæpe verſari debet, quæ Sponſi ac Regis ſui amore flagrat, ut & ejus amorem conſideret. Cum enim duo ſint præcipua membra hominis, Caput & Cor, Caput ſapientiæ ſedes, Cor amoris, utrumque voluit aperire Chriſtus, ut manifeſta fierent nobis ejus ſapientia & amor & divinæ cogitationes. Unde tu ſæpe cor apertum & caput perforatum vilita, ut amorem ibi & ſapientiam agnoſcas & fugas. Ad quamlibet animam fidelem dirigitur illud, quo invitantur ſponſæ ad bene conſiderandam hanc coronam: *Egredimini filiæ Sion, & videte*

Cant. 3. 11. *Regem veſtrum in diademate, quo coronavit illum mater ſua, in die deſponſationis ſuæ.*

Attendite ornatum & Purpuram ejus Regiam, attendite Sceptrum & Coronam. Sic coronatur, ut coronam gloriæ vobis comparet. Sic coronavit eũ mater ſua ingrata Synagoga. Videte Sponſum veſtrum in die deſponſationis ſuæ, in veſte nuptiali procedentem: Videte diadema ex ſpinis, guttis ſanguineis, quaſi margaritis pretioſis adornatum. Manus ejus & brachia funes gerunt, quibus Columnæ ligatus fuit; ſed armillæ ſunt & dextrariola. In collo funem gerit, maleficii ſui & mortis ſignum, ſed ſervit ei loco velleris aurei. Picturæ veſtis hujus Regis & Sponſi plagæ ſunt, ex flagris relictæ. Sputa & phlegmata, colores varii ſunt, quibus divina ejus facies decoratur. Et omnia hæc amoris ejus ſunt inſignia, quæ quidem conveniens eſt animam recolligere, & in ſinu ſuo in perennem dilecti memoriam collocare.

Hinc eſt quod Chriſti Sponſæ, ut eundem cum Sponſo colorem geſtarent, non ſolum optarunt eſſe candidæ per caſtitatem, ſed & rubicundæ per propri ſanguinis aſperſionem. Unde in mediis vulneribus & martyriis jucundabantur.

Exempl. Sur. 10. Decemb. Sic habetur de B. Eulalia, quæ tanto martyrii amore ſuccenſa fuit, ut cum eſſet duodecim tantum annorum, libere ſe præſentarit tyranno, ejus arguens in Chriſtianos crudelitatem, & Deorum vanitatem. Cum ergo tota dilacerata & velut excoriata ferreis pectinibus foret, mire anima ejus exultabat, & lætitiam ipſa quoque facie præ ſe ferebat. Unde ad cœlum oculos levans Sponſi ſui implorabat favorem, ſed reflectens ſe ad ſua vulnera, dicebat: *Nunc, ô mi ſponſe & Redemptor, quam bene reſplendet in me per vulnera iſta viva tui imago: & characteres iſti in corpore me per ſanguinem meum exarati quam ad vivum mihi exprimunt & repræſentant ipſam Paſſionem tuam!* Igni tandem fuit tradita, ipſa verò in flammis exultans, illas ore velut attrahebat; viſaque eſt anima ejus inſtar columbæ candidiſſimæ in cœlum evolare ab ipſo carnifice, qui etiam converſus, pœnitentiam egit.

Sciebant hæ Sponſæ per Coronam ſpineam & conſortium Paſſionis Chriſti, æternam illam coronam comparandam.

Exempl. Surius 14. April. Sic legimus de B. Lidvvina virgine in Hollandia, ſanctitate inſigni, apparuiſſe ei Angelum in mentis exceſſu, coronam pretioſiſſimam oſtendentem, necdum tamen in orbem planè abſolutam. Rediens ad ſe, petiit pati pro Chriſto, ut coronam abſolveret. Mox in Ducis Philippi apud Hollandos inauguratione, milites impii eam adierunt mireque vexarunt, imò & virgineum ejus corpus totum morbidum indignis modis ſine pudore tractarunt, vulnera vulneribus addentes, & multis eam convitiis afficientes, beſtiam, proſtibulum, voracem vocantes. Angelus deinde ad eam venit, inſtar Solis ſplendidus, atque ad eam. *Salve chariſſima Soror, ecce nunc abſoluta eſt corona, quam nuper imperfectam vidiſti. Propter inverecundos tactus virorum illorum, noveris te poſitam fuiſſe in veſtigiis Salvatoris. Lividæ & vulnera corpori tuo impoſita, fuerunt gemmæ quas in illa Corona & adeſſe vidiſti & deeſſe.* Ita habet ejus vita apud Surium.

Surius 18. Aug. Habemus & de S. Agapito Martyre, qui puer quindecim annorum furori Aureliani quaſi adamantem ſe objecit, Anno 273. Atque virgis, nervis, igne, fumo, aqua bulliente, aliiſque graviſſimis tormentis excruciatus & dilaceratus, cum in capite ejus carbones congererentur, & quaſi prunis ardentibus coronaretur, gratias agebat Deo, dicens: *Parva res eſt, ſi caput coronandum in cœlo, prius coronetur & comburatur in terra. O quam decorabit corona gloria plagas & vulnera excepta pro Chriſto!* Ita ejus vita.

Tertull. l. de corona mil. cap. 7. Dii Gentium coronis ornati fuere, alii auro, alii lauro, alii floribus, alii frondibus & arborum ramis, ut deſcribit Tertullianus: Saturnus, inquit, ante

ante omnes coronatus: Jupiter post devictos Titanas: Priapo sertum ex auro, & Indicis gemmis adscribitur: Juno vite coronata: Hercules nunc populum capite præfert, nunc oleastrum, nunc aprum: Apollo interfecto Delphico Dracone lauream induit: Liber nunc Hederatus scribitur, nunc Princeps coronæ naturæ aureæ, in qua ex Indis triumphantis: Isis repertas spicas capite circumtulit. Ita Tertullianus.

Rex verò & Deus noster Christus, non lauream, non auream, non ex floribus, aut arborum fronde contextam elegit coronam sed spineam quam omnibus suis offert in hac vita, offerens crucem, ut post crucem & spinas, post tempus luctus, offerat in tempore gaudii coronam gloriæ & diadema speciei. Tunc dabit eis juxta vaticinium Isaiæ, *Coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.* Isa. 61. 3.

LECTIO XIX.

DE QUARTO MYSTERIO DOLOROSO.

1. Docet quomodo Crucis bajulatio gravis fuerit Christo.
2. Explicat Prophetias & Figuras de illa.
3. Ostendit cuilibet Christiano bajulandam Crucem.

4. *Mysterium dolorosum.*

QUantum Mysterium dolorosum dicitur *Crucis bajulatio.* Ut enim Christum tanquam malefactorem educerent, imposuerunt ei Crucem, quia mos erat malefactorum, Crucem ad locum supplicii ferre. De hoc loquens Evangelista dicit: *Bajulans sibi Crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum.* Joan. 19. 17. Ille verò locus Calvariæ dictus est, non solum quia ibi multæ Calvariæ malefactorum jacebant, sed maximè ob Calvariam primi hominis, quem ibi sepultum tradit Augustinus, & plurimi ex Sanctis Patribus. *Conveniunter creditur, ibi plantatus medicus ubi jacebat ægratus.* Hac de causa Pictores suo Cruce Christi, Calvariam pingunt, quæ repræsentat, Calvariam Adæ, ut ex Alberto Magno notat Molan. Quare tunc perfectè adimpletum dicunt aliqui illud Apostol. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis illuminabit te Christus.* Ubi legunt: *Continges te Christus*, ita enim legit Augustin. in Psal. 3. & Ambros. quasi sermo hic sit ad Adam (& consequenter ad nos Adæ filios, qui in ipso continebamur, & ipso peccante mortui sumus) in monte Calvariæ sepultum, quem Christus ibidem crucifixus, Sanguine suo è Cruce stillante tangens redemerit, & ad lumen vitamque divinam reduxerit. Sic typus etiam ille impletus fuerit, quod Elizeus mortuus mortuum suscitavit. Augustin. serm. 71. de temp. Molan. c. 78. de imag. Eph. 5. 14.

Crucis bajulatio fuit gravis Christo.

PROPOSITIO I.

Gravissimum dolorem & ignominiam intulit Christo hæc Crucis bajulatio.

HInc aliqui putant de illa locutum fuisse Christum in monte Transfigurationis, secretò illo colloquio cum Moyse & Elia: Quo *loquebantur de excessu quem completurus in Jerusalem*: Interpretantur enim per hunc excellum exitum illum ignominiosum ex Hierusalem, in quo onustus ligno supplicii egreditur in tanta populi frequentia, qui ex omni Judæa, & aliis quoque Regionibus, convenerat in Hierusalem ad diem festum, juxta præceptum Domini. Luc. 9. 31.

1. *Ob vestium detractionem.*

Primò ergò acerbus fuit hic dolor, quia milites eum veste purpurea exuerunt, ut populo notior redderetur, & iterum suis vestibus eum induerunt, renovantes & refricantes ejus plagas, vulnera ac dolores. Coronam verò spineam non detraxerunt, ut asserit Origines; & alii Patres; voluerunt enim eam, tanquam regni affectati indicium relinquere. Unde & Evangelista chlamidis detractæ mentionem facit, non coronæ, quia nec hoc modo levare ejus dolorem voluerunt. Hoc etiam satis indicat facies sudario impressa, juxta traditionem Ecclesiæ. Meditantur tamen aliqui hic debuisse auferri coronam, quando veste inconsutili reindutus fuit, & iterum quando ante crucifixionem detracta ab eo fuit vestis illa, sed dicunt iterum impositam ei fuisse, & nova vulnera fecisse. Quod etiam indicatur libro primo S. Brigittæ, Cap. 11. Origin. tract. 35. in Num. Revel. S. Brigittæ lib. 1. c. 1.

2. *Ob pondus Crucis.*

Secundò, gravissimum onus Christo fuit hæc Crux: tum ob ejus pondus (dicunt aliqui eam fuisse qui undecim palmorum in longitudine) tum ob Corporis debilitatem, quod tot jam doloribus, sudore sanguineo, & tot plagis attenuatum erat, maxima parte Sanguinis effusa. Ipsa ergo Crux quasi novum torcular est, in quo hortus hic electus, Caro Christi innocentissima iterum prelia & calcata, novum cruorem exprimit, quo & ipsæ plateæ aspergebantur ejus vestigiis sanguinolentis. Unde & gravitas hujus Crucis ex eo patet, quod ipso deficiente, Simonem quendam angariatum, ut Crucem ferret: quod non fuit pietatis sed crudelitatis, timebant enim ne Crucifixo non sequeretur, quam tamen tantopere respirabant.

3. *Ob peccata in Cruce posita.*

Tertiò Crucis pondus ex mystica ratione considerare possumus, quia posuit in illa iniquitates omnium nostrum, ibi omnia peccata præterita, præsentia, futura; ibi omnes blasphemiæ, homicidia, sodomiæ, latrocinia, quæ ab initio mundi fuerunt, vel erunt hæc Crucis superposita, incurvant Creatorem Cœli. Peccatum adeò grave pondus est, ut unicam animam deprimat usque in infernum: adeò grave pondus est, ut Cœlum licet solidissimum, unicum Angeli peccatum sustinere non potuerit, sed Angelus plusquam molari lapide gravatus subitò descenderit in profundum. De hoc onere peccatorum conqueri videtur Christus: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam*, q. d. Peccata comitia ab initio mundi in meos redundant humeros. Adam imponit humeris meis inobedientiam suam: Eva concupiscentiam Psal. 128. 3.

Digitized by Google

tiam & infidelitatem: Noe ebrietatem ſuam: Moyſes diffidentiam: Aaron idololatriam: David Superbiam, adulterium & homicidium: Et cæteri quilibet peccata ſua. Sed & impii hactenus prolongant iniquitatem ſuam peccata peccatis addentes, & quaſi ſupra dorſum meum fabricantes. Denique perverſi fratres mei Judæ expugnaverunt, & perſecuti ſunt me, à prima ætate uſque ad ultimam, & calumnias fabricati ſunt ſuper me, & iniquitatem ſuam prolongaverunt, donec dorſum meum tot vulneribus oneraverunt, & proſciderunt, & tandem cruce oneratum perſequenter nec ceſſabit iniquitas, ſed prolongabunt illam donec exhauſerint ultimam ſanguinis mei guttam.

Onus ergò Domini Jeſu Chriſti jam ad mortem euntis, non tam crucis onus eſt, quam peccatorum noſtrorum, quæ projecit poſt tergum, ut expiet illa ſanguine ſuo, & tandem velut projiciat, in profundum maris, demergens ea in abyſſum miſericordiæ ſuæ.

Chriſto ergò è Jeruſalem egredienti jam convenientiſſime dicere poſſet Joannes, dicere poſſumus & nos omnes: ***Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi***. Quæ ſingula verba habent emphaſin. Joa. 1. 29.

Prima enim in græco habetur: ***Ecce Agnus ille***. Agnus ſcilicet ille quem Prophetæ prænunciarunt: ***Quaſi Agnus coram tondente ſe*** obmutuit: Agnus ille quem Patres tot votis flagrabant: ***Emitte Agnum Dominatorem terræ ad montem filiæ Sion***. Agnus ille quem lex præſignavit mane & veſperi offerendum, quia Agnus hic in infantia & in fine vitæ ſanguinem debebat fundere. Agnus ille qui in egreſſu Iſrael eſt immolatus, quia hic Agnus Paſchalis eſt, cujus ſanguine liberamur. ***Agnus ille occiſus ab Origine mundi***, tum in figuris, tum quia ejus ſanguis profuit omnibus qui ſalvi facti ſunt ab initio mundi. 1. Agnus dicitur ob manſuetudinem eximiam. 2. Agnus dicitur ob perfectam innocentiam. 3. Agnus dicitur ob candorem & puritatem. 4. Agnus dicitur quia à Nativitate deſtinatus ad ſacrificium. 5. Agnus nomine delectatur. Unde ſic eum vocat Joannes in Apocalypſi & quaſi in hoc titulo præ cæteris Chriſtus gloriatur, illum ibi vigeſies ſepties vocat *Agnum*. Iſa. 53. 7. Iſa. 16. 1. Num. 26. Apoc. 13. 8.

Secundò Agnus Dei dicitur, quia Deo Patre traditus in oblationem pro peccatis noſtris. Vel *Dei Agnus* dicitur, quia ipſemet per voluntariam ſuam oblationem Deo eſt oblatus. Vel *Dei* dicitur, quia Agnus divinus eſt, propter divinitatem inhabitantem, & quia non Agnus profanus eſt, ſed ſacer ad Deum ſpectans, Deo ſpecialiter dicatus.

*Tertiò, **Qui tollit peccata mundi***, quia in ſe recepit omnia peccata, juxta illud: ***Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo***: Tollere enim dicimur onera, quæ nobis ipſis imponimus: vel tollere, id eſt auferre, quia illa ſuper ſe tollendo, aufert ea a nobis, & abolet in ſanguine ſuo. Tollit verò via meriti & ſatisfactionis, tollit per modum Sacrificii ſive cruenti in Cruce, ſive incruenti in Euchariſtia. Et dicitur 1. Pet. 2. 24. ***tollit*** in præſenti, non verò in præterito ***abſtulit***, vel in futuro ***tollet***, ut ſignificetur perpetuitas quædam, quia non ſolum in cruce, ſed quotidie tollit, & ſemper omni tempore & loco tollere aptus eſt, & ab omni homine, ſi homo non deſit. Sicut dicimus, ***Herba hac medetur huic morbo***, ſignificantes illi perpetuam & nativam ineſſe vim medendi huic morbo ſi applicetur.

Quartò, Peccata mundi dicitur tollere non verò certum genus peccati aut unius gentis, ſed omnis ſæculi, ætatis, nationis, totius denique mundi à Primo peccato Adæ & Cain uſque ad ultimum potens eſt expiare.

Tollit peccata mundi quæ univerſa Agnorum veterum, aut aliorum animalium ſacrificia tollere non potuerunt: Impoſſibile ſuit, inquit Apoſtolus: ***Taurorum aut hircorum ſanguine auferri peccata, ideò ingrediens mundum, dixit: Ecce venio, ut faciam voluntatem tuam, in qua voluntate ſanctificati ſumus, per oblationem corporis Jeſu Chriſti ſemel***. Ita Apoſtolus. Hebr. 10.

Græca quidem legunt, & aliqui Patres: ***Peccatum mundi***; & tunc intelligitur vel univerſum corpus peccati, hoc eſt, omnium vitiorum mundi colluvies: vel peccatum Originale toti mundo commune, concludens omnia vitia in ſe tanquam in fonte, ad cujus abolitionem ſimul cum omnibus ab eo defluxis Chriſtus paſſus eſt, ut interpretatur Janſenius. Janſen. in c. 1. Joan.

De hoc eodem Agno prædixerat Hieremias: ***Ego quaſi Agnus manſuetus qui portatur ad victimam***. Ubi aliqui legunt: ***Ego quaſi Agnus Dux vel Ductor gregis***, ut ſignificetur Chriſtus, qui omnes Martyres, antevit exemplo, & animavit ad mortem fortiter ferendam. Ipſe ergo eſt Agnus Dux tanquam Agnus Dei primogenitus, & ideò amat innocentes, amat virgines, amat martyres, amat mites, amat agnellos, & Agnes, & per manſuetudinem facit eos omnibus hoſtibus & tormentis ſuperiores. Unde veniens hic Agnus in mundum, voluit ſibi infantes agniculos immolari, balantibus matribus, inquit Auguſtinus: ***Et hi ſunt qui empti ſunt de terra primitiæ Deo & Agno***. Hier. 11. 19. Auguſt. ſerm. de Innoc.

In memoriam hujus Agni ducti ad victimam B. Franciſcus quoties Agnum videbat, vel nominari audiebat, tenero affectu commovebatur, ſolvebatur in lachrymas, & quoties poterat, Agnos qui ad occaſionem ducebantur, redimebat; Intuebatur enim in eis Agnum Dei, à quo ipſe ſuam agninam ſimplicitatem, innocentiam & lenitatem hauſiſſe farebatur. Fuit ei & ovicula, ſæpius templum ingrediens, cumque in miſſa attolleretur Euchariſtia adoranda, adorabat & ipſa genua flectens, caput inclinans, omnibus admirationi, omnes ad reverentiam inflammans. Apocal. 14. 4. Bonav. in ejus vita.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO II.

Prophetia & figura de crucis bajulatione.

Multa Prophetia & Figura de hac Crucis bajulatione præcesserunt.

Isa.22.21.

PRimò de illa prædictum fuit : *Dabo clavem domus David super humerum ejus.* Quæ est domus David, nisi domus illa æterna, sive templum Dei æternum. Crux ergò clavis est regia, domus illius Regiæ. Hanc Christus defert super humeros, tanquam signum potestatis, quam habet ad aperiendum cœlum, ut illuc nos introducat; & ad aperiendum infernum, ut indè animas educat. Per hanc ergò clavem crucis aperuit Limbum, Davidem cum cæteris Patribus educens, aperuit & cœlum, quandò tanquam Rex gloriæ jubet portas ejus reterari.

Isa.9.6.

August. ser.71 de tempore. in Joan. Tract.19.

Secundò, de illa prædictum fuit : *Factus est Principatus super humerum ejus.* Quam Scripturam hic impletam docet Augustinus. Quia hoc lignum signum erat Principatus ejus, juxtà illud : *Regnavit à ligno Deus.* Grande, inquit, spectaculum, sed si spectet impietas, grande ludibrium, si pietas, grande mysterium : Si spectet impietas, grande ignominiæ documentum, si pietas, grande fidei munimentum: Si spectet impietas, videt Regem pro virga Regni lignum sui portare supplicii, si pietas, videt Regem bajulantem lignum semetipsum in eo figendum, quod fixurus fuerat etiam in frontibus Regum. In eo spernendus oculis impiorum, in quo erant gloriatura corda Sanctorum : *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Ita Augustinus.

Gal.6.14.

Christus ergò egreditur è Jerusalem cum sceptro suo & signo Principatus sui, tota spectante & confluente Jerosolyma, imò spectaculum ipse, non solum hominibus, sed & Deo & Angelis ejus.

Olim Joseph ingrediebatur primariam Ægypti urbem cum virga potestatis suæ, per quam inauguratus erat à Rege. Et ecce tantus factus est concursus, ut filias urbis concurrentes, plateæ non caperent. Super muros & domos & portas & officinas conscendebant, ut ejus pollent speciosam faciem & majestatem contemplari, currebant ejus pulchritudine attractæ, quod significare videtur Scriptura, dum dicit : *Filius accrescens Ioseph, Filius accrescens & decorus aspectu, filiæ discurrerunt super murum.* Venitæ filiæ Jerusalem, & spectate egressum ex urbe vestra illius qui est *speciosus inter filios hominum.* Illo egrediente omnis decor, omnis splendor egreditur. Ipse est Joseph *filius accrescens*, de quo dixit Joannes : *Illum oportet crescere, me autem minui:* Joannes minutus est in capite, ille autem crevit in cruce, inquit Ambrosius. Spectate ergò eum portantem in humeris virgam majestatis suæ, per quam ejus nomen toto debet orbe crescere.

Gen.49. 2.

Joan.3.30

Ambr.

Sed forsitan non agnoscitis in hoc egressu ejus speciem & pulchritudinem, in qua prosperè procedit & regnat, quia illa tot plagis & vulneribus est conspurcata, quia ipse potiùs tanquàm leprosus toto corpore commaculatus & contaminatus ejicitur extra castra, & tanquam infamis malefactor, vehit secum ignominiosum lignum, sub quo fessus languet, suspirat, sudat, concidit.

Flete ergò filiæ Jerusalem super illum, sed non tanquam super vulgarem hominem, & coactum pati ut imbecillem, has enim lacrymas ipse repudiat. Flete affectu non tantùm humano, sed altiori, tanquam super eum, qui languores vestros languidus ipse portat, & pro vobis patitur. Flete super vos ipsas, quia venient dies, in quibus dicetis : *Beata sterriles, quæ non pepererunt* : Hoc fiet in urbis vestræ destructione, in qua tot millia peribunt, alii fame, alii peste, alii ut mancipia vendentur pro 30. denariis, in pœnam, qua à Juda triginta cum argententeis emerunt. Flete super hoc filiæ Jerusalem, rivi sanguinis erunt in civitate vestra. Aperientur viscera maritorum ad scrutandum, an in illis non lateat aurum. Matres cogentur comedere filios præ fame. Avellentur à vobis parvuli & allidentur ad murum. Et hæc quidem omnia, quia hunc sic ejicitis, & non agnoscitis Regem vestrum.

Egreditur ergò Christus ex civitate, sed nescio, an tanquam is, de quo triumphus agitur. Solebant Reges bello domiti, ante triumphantis currum vincti trahi, trahebantur & per terram signa bello capta, ipsique undique pompâ & multitudine circumfusi ducebantur cum ignominia. An non ergò diceres de Christo triumphum agi ignominiosum, dum vinculis ligatum, spinis coronatum, mille ludibriis affectum, per mediam trahunt Jerusalem, ad montem fœtidum, ad crucis patibulum?

Sed si triumphus est, certæ charitatis triumphus est, de quo Bernard. *O amoris vim! Itanè summus omnium, vilissimus factus est omnium? Quis hoc fecit? Amor dignitatis nescius dignatione dives, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo amor. Quid tamen tam violentum? Amor est. Qua est ista vis, quæso, tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam?* Ita ille.

Bernard. serm.64. in Cant.

Traxit ergò illum amor è Cœlo in uterum Virginis quasi vinctum, & de utero in præsepe, & de præsepi, tot annis in hoc mundo vinctum circumduxit; denique per tot dolores ad crucis patibulum ignominiosè eum trahit. Hic est triumphus amoris. Hinc ubi nos in Canticis habemus : *Ordinavit in me charitatem.* Alia lectio habet : *Posuit supra me vexillum amoris.* Estque Metaphora deducta à militibus, qui cum arcem aliquam obsidione ceperunt, super eam vexillum figunt in signum victoriæ. Sic dum anima Christi vexillum supra se positum fatetur (vexillum amoris, lignum crucis) significat se ardenti charitate victam & superatam. Si tamen perfectius hunc egressum consideremus, reperiemus Christum non tam in triumphum duci, quàm ipsum esse Triumphatorem, cujus

Cant.2.4.

triumph-

Digitized by Google

triumphi ſignum diximus eſſe hanc coronam. Et ipſa Crux currus triumphalis eſt, per quem de diabolo triumphat, ibi illum figens in æternum. Hoc ſignificat Apoſtolus dicens: *Chirographum decreti contrarium nobis tulit de medio, affigens illud cruci, expolians principatus, palam triumphans eos in semetipso.*

Origen. homil. in Jeſuc. Origenes legit, *Triumphans eos in ligno.* Undè duos fuiſſe cruci affixos, Chriſtum viſibiliter & ſponte ſua & ad tempus, diabolum inviſibiliter & invitum, & in ſempiternum ejus opprobrium. Et hoc probat Origen ex hoc loco Pauli, qui utitur Metaphora triumphi, indicans Crucem eſſe currum triumphalem, in cujus ſumma parte ſedet Chriſtus triumphator, in ima parte trahitur diabolus, & oſtentatur quaſi in pompa.

Abac. 3. 4. Idem ſignificare videtur Abacuc, dum de crucis cornibus loquens, dicit de Chriſto: *Cornua in manibus ejus, ibi abſcondita eſt fortitudo ejus, ante facies ejus ibit mors, & diabolus ante pedes ejus*; tanquam ſcilicet in triumphum ignominioſè ante eum tractus. Ecce ergò Chriſtus, non tam hic victus, quam triumphans in bajulatione ſuæ crucis.

Implentur hic quoque multæ figuræ.

Geneſ. 22. 6. 1. Ecce enim Iſaac ligna portans ad ſacrificium, & montem aſcendens, quem Pater ſequitur cum igne & gladio, quia Pater æternus comitari hic videtur Filium cum gladio Juſtitiæ, per quem immolari debet in holocauſtum; & cum amoris igne, quia propter amorem noſtrum ibi immolaturus eſt illum, ita ut hic dicere poſſimus illud: *Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo,* montem Calvariæ aſcendente. 2. Ecce Abel, qui educitur à Fratre, ut ejus ſanguinem fundat. Chriſtus enim educitur à Judæis Fratribus ſuis, & terra ſuſcipiet ſanguinem ejus. Et ſicut Cain in pœnam ſanguinis effuſi, profugus factus eſt, ita & Judæi in pœnam ſanguinis Chriſti, toto ſunt orbe profugi. 3. Ecce David procedit contra Goliath cum baculo ſuo, & ſtatim quinque vulneribus, quaſi quinque ſelectis lapidibus, victum ſibi ſternet. 4. Ecce Salomon, humeris ſuis geſtans Regium Thronum. 5. Ecce ſponſus ſanguinem ſuum deferens nuptialem Thalamum. 6. Ecce Judex ſuum trahens Tribunal, in quo judicabit juſtum & impium. 7. Ecce Doctor Juſtitiæ ſuam erigens Cathedram, in qua tradat perfectionis doctrinam. 8. Ecce denique Dux, & Vexillum erigens, omnes ad ſua caſtra convocans, Reges, & Regna, omnesque nationes, hoc vexillo ſibi ſubjiciens, de quo præ dixerat Iſaias: *Et levabit ſignum in nationes, & congregabit profugos Iſrael, & diſperſos Juda colliget à quatuor plagis terræ,* de quo etiam loquitur c. 49.

1. Reg. 17. 24.

Iſa. 11. 12.

PROPOSITIO III.

Crux ſua cuivis Chriſtiano bajulanda

Debet Chriſtianus quilibet poſt Chriſtum Crucem bajulare.

HOc ſignificatum fuit in Simone Cyrenæo, cui Crux impoſita fuit. Latebat enim ibi myſterium à Deo intentum, quia voluit hoc facto gloriam Crucis à Judæis ad gentes transferre: & in perſona Simonis Gentilis nobis omnibus portandam dare, ut fructuum ejus paticipes eſſemus. Matth. 27. 32.

Simon ergò, qui interpretatur obediens, quilibet fidelis eſt, qui ex obedientia Cruci ſe ſubjicit, ut Chriſtum ſequatur.

Chriſtus itaque bajulans Crucem Dux noſter, videtur omnibus clamare, quod olim Abimelech Princeps terræ ſuis militibus: Præſcidit ipſe ramum arboris, & poſuit in humeros ſuos, & inclamavit; *Quod me videtis facere, facite.* Ita & Chriſtus nobis militibus ſuis, quod olim verbo, nunc facto clamat: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Judic. 9. 48. Matth. 16. 24.

Sequamur ergò Imperatorem noſtrum extra caſtra, inquit Apoſtolus, improperium ejus portantes: ſequamur viam quam initiavit nobis, ſequamur membra, caput. Si caput noſtrum ſpinis coronatum, cruce oneratum incedit, non decet nos ſub tali capite, membra eſſe mollia & delicata: Si ipſe uſque ad ſanguinem, uſque ad extremum ſpiritum, contra peccatum pro nobis pugnat, & nos quoque uſque ad ſanguinis effuſionem pugnare oportet, & peccato reſiſtere. Quapropter iterum monet Apoſtolus: *Deponentes omne pondus & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in auctorem fidei & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem confuſione contempta.* Recogitate, inquit eum, ut non ſitis animis deficientes, nondum enim uſque ad ſanguinem reſtitiſtis, contra peccatum. Vides quid ut ſequi Chriſtum, & cum ipſo bajulare Crucem. Heb. 12. 1.

Cum David è Jeruſalem egrederetur, ob perſecutionem filii ſui Abſalon, dicit illi fidus ille ſenex Ethai: *Vivit Dominus, quoniam in quocunque loco fuerit, Domine mi Rex, ſive in morte, ſive in vita, ibi erit ſervus tuus.* Ecce quanta fidelitas! O ſi fidem hanc ergà Regem noſtrum Chriſtum ſervaremus: & ex corde idem ei dicere poſſemus! Sed multi eum ſequuntur uſque ad fractionem panis, pauci uſque ad bibendum calicem paſſionis. Multi deſiderant eſſe ſocii menſæ ejus & conſolationis, pauci ſocii eſſe patientiæ & tribulationis. Multi cum ipſo cupiunt eſſe in monte Thabor in gloria, pauci in monte Calvariæ in ignominia: amatores ſunt regni ejus, ſed non ſunt amatores Crucis ejus. Et tamen non eſt alia via ad Cœlum, niſi via Regia S. Crucis. *Hæredes quidem ſumus Dei, cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, ut & glorificemur,* inquit Apoſtolus. 2. Reg. 15. Rom. 8. 17.

Cum Sponſa diciſſet Thronum Salomonis eſſe auro & argento exornatum, dicit ad eum neminem pervenire, niſi per *Aſcenſum purpureum,* ſignificans animam, quæ cœleſti ſuo ſponſo in throno gloriæ cupit ſociari, debere per ſanguinem & perſecutionem & afflictiones illuc aſcendere, & Cant. 3. 10.

non

non eſſe iter ad gloriam, niſi per crucem & labores pro Chriſto paſſos, & cum Chriſto.

Luc 9.23. Matt c.8. 34. Ideò ergò ipſe omnibus inclamat: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucē ſuam, & ſequatur me.* Nec hoc ſolùm dicit perfectis aut Religioſis, expreſsè enim dicit Lucas: *Dicebat ad omnes,* & Marcus dicit Dominum peculiariter, & ſeorſum diſcipulos ſuos alloquentem, cum hanc ſententiam vellet proferre, convocaſſe turbam. Sed hujus ſententiæ breviter ponderamus verba ſingula.

Primò dicit: *Si quis vult*, q.d. Inter tot, eſtne aliquis? Indicat ergò paucitatem ſequentium, quia multi ſequuntur vocem mundi, & carnis ad mollia & ſuavia illectantis, & ad latum iter perditionis convocantis; pauci vocem Chriſti ad dura & auſtera, ad crucem vocantis, tanquàm ad ſecurum iter ſalutis. Toto corde univerſus Iſrael ſequitur Abſalonem, Patri Deoque rebellem; pauci Davidem verum Regem afflictum aſcendentem clivum Olivarum.

Indicat quoque in noſtra eſſe poteſtate & voluntate ſequi Chriſtum, dum dicit: *Si quis vult*, & ſalutem noſtram à noſtra pendere voluntate, quæ auxilio Dei nobis parato poteſt uti & cooperari, vel illud poteſt negligere vel rejicere. Opes & honores temporales licet velimus, ſæpè aſſequi non poſſumus, faciunt ſibi alas, & à nobis avolare videntur, dum putamus eas apprehendere: at opes cœleſtes ſi volumus & conamur, aſſequimur.

Indicat denique illis verbis: *Si quis vult*, non ſe invitos trahere & cogere, cùm tamen poſſet fortis & omnipotens, ſed ut ſit homini meritorium, voluit ad ſuam ſequelam volentes venire, nolens hominis libertatem infringere, ſuavi ſuâ providentiâ, noſtræ ſe attemperat naturæ, attingens fortiter, diſponens ſuaviter, fortiter pro ſe, ſuaviter pro me, inquit Auguſtinus. Fortiter quantum ad efficaciam gratiæ, ſuaviter, quia ſine liberi arbitrii læſione. Sic veritatem habet ænigma Samſonis in efficacia gratiæ & vocationis divinæ: *De forti egreſſa eſt dulcedo.*

Judic. 14. 14. Dicebat Jehu ad quendam: *Eſtne cor tuum rectum cum corde meo? ſi eſt, da mihi manum, & aſcende mecum in currum.* Sic Chriſtus; Eſtne cor tuum rectum cum corde meo, id eſt: Idemne quod ego, cogitas & cupis? Ego tuam ſalutem cupio ſi & tu, da mihi manum & levabo te, ut in currum crucis mecum aſcendas, & ſic ſalutem aſſequeris.

4. Reg. 10. 15.

Secundò dicit: *venite poſt me.* Ubi notat aliqui differentiam locutionis in veteri & novo Teſtamento. Antequam enim noſtram naturam ſumeret, dicebat Patribus antiquis: *Ambula coràm me.*

Gen. 17.1. Gen. 6. 9. hoc enim dixit Abrahæ & Scriptura dicit: *Ambulavit Noe cum Deo.* Et Ezechias: *Memento Domine quomodo ambulaverim coràm te.* Sed homo factus dicit: *Venite poſt me.* Illi agebant & patiebantur non habentes exemplum prævium patientiæ & laboris, Chriſtus autem paſſus eſt, nobis relinquens exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus. Vis hujus

4. Reg. 20 Iſaiæ 38. 3. rationis perſuaſionis? Ex duobus illis, qui racemum uvæ portabant, is qui præcedebat, uvam videre non poterat aut edere, qui ſequebatur, viſu poterat frui & eſu; ſic populus Judæus Chriſtum cœleſtem racemum nec vidit, nec edit, id eſt, nec ejus divinis exemplis fruebatur aut doctrina, nec eum in Sacramento manducavit. Sed populus Chriſtianus, qui eum ſubſequitur, ante oculos defert, ejus fruitur doctrina, exemplis, Sacramentis. Verùm qualis confuſio, dum in antiquo populo, tot miræ ſanctitatis viri extiterunt, cùm tale exemplar, nec tale auxilium gratiæ haberent, quale nos, & tamen ſumus adeò tepidi & torpidi.

Tertiò dicit; *Abneget ſemetipſum.* Abnegare ſemetipſum, eſt abjicere veterem hominem cum cupiditatibus & concupiſcentiis ſuis, ſive ſeipſum & ſuas cupiditates pravaſque propenſiones coërcere, abſcindere, & à ſe rejicere. Abneget ergò homo ſemetipſum, interior ſcilicet exteriorem, negando ei voluptates & cupiditates. Undè Euſebius Emiſſenus: Abnegare inquit ſe, eſt non eſſe eundem qui priùs, ſi antea detractor, invidus, avarus, impudicus, cùm illis ſceleribus renunciavit, negavit ſeipſum. Abnegare ſemetipſum iterùm eſt propriam voluntatem relinquere, & in holocauſtum Deo mactare.

Quartò dicit, *Tollat Crucem ſuam.* Quid eſt tollere crucem ſuam, niſi ea, quæ nobis moleſta ſunt & adverſa lubenter pro Chriſti nomine tolerare? Tollere crucem ſuam, inquit Baſilius, eſt ad mortem pro Chriſto ſe præparare, mortificare membra noſtra ſuper terram ad omne periculum, pro Chriſti nomine ſuſcipiendum, ſedato animo accedere, & erga præſentem vitam affectum non eſſe. Dicit verò *Crucem ſuam*, quia cuilibet propria quædam crux commenſa eſt, & à Chriſto impoſita: quia quilibet ſtatus habet aliqua adverſa & dura ſibi adjuncta, vel ex natura ipſius ſtatus vel aliundè advenientia: ita ut rectè dixerit Boetius: *Nemo eſt adeò compoſitæ mentis, quin cum ſuo quandoque ſtatu rixetur.*

1. Gravis crux Regibus & Principibus ſunt eorum ſceptra, quæ adeò hominibus videntur amabilia, dum illis onus adjungitur & cura totius Regni, dum ſuper ſe velut orbem portant, dum omnes audire, omnibus juſtitiam adminiſtrare, omnium jura tueri tenentur, & præter exteriora multa adverſa, quæ in eos incurrunt, etiam procaces & maledicas civium audire voces coguntur. *Crux gravis eſt* V. Exem. tract. 3. lect. 9. propoſ. 2.

2. Gravis crux Prælatorum & Paſtorum Eccleſiæ, pedum, & Tiara quâ ornantur, annexam habens gravem obligationem gregem docendi, viſitandi, curandi, & pro illo reſpondendi. Undè & Urbanus VII. cùm Pontificali habitu indueretur, dixiſſe fertur: *Quis credat tam ſubtili indumento tantum ponderis involvi?* Propterea etiam dicebat Rex quidam dum coronâ Regia decorandus foret: *Quàm ſpecioſa videris gemmis ornata, ſed ſi quis plenè agnoſceret ſpinas & curas, quæ ſub gemmis tuis latent, nec de terra vellet tollere.* Urbanus VII. Seleucus Rex.

Digitized by Google

offert ejus voluntatati. Rectè ergò de hoc monte dicit: *Vadam ad montem myrrhæ.*

Ingredere, ô anima Chriſtiana, ſæpiùs in hunc hortum, nullus ibi Cherub, qui gladio flammeo ingreſſum impediat, immò illuc te invitat ſponſus:

Cant. 5. 1. *Veni in hortum meum ſoror ſponſa*, ibi *meſſui myrrham cum aromatibus meis.* Tu poſt meſſores collige faſciculos, quos inter ubera tua ponas. Ibi con-

Cant. 8. 5. fidera, quia in horto, *corrupta eſt mater tua, & violata genitrix tua* Eva. Ibi quoque matet tua Eccleſia in integritatem cœpit reſtitui, & lavari in ſudore Filii Dei, ut jam inciperet eſſe ſine macula, ſine ruga. Conſidera quoque, quam hic mons plenus ſit myſteriis, ex illo enim aſcendet Chriſtus, in illo dejicietur Antichriſtus, volens enim inde aſcendere ad Patrem, virtute divinâ cadens confringetur. Denique & ibi Judicium fiet, quia proximus eſt valli

Joel. 3. 2. Joſaphat, quæ media eſt inter montem Oliveti & Calvariæ, & ſupra ſedebit in majeſtate Judex, ut ibi cœpit ignominia, appareat & gloria, & perſecutorum vindicta.

Denique quiſquis deſideras eſſe particeps divinæ miſericordiæ, ingredere hortum Olivarum. Hanc tibi exhibere deſiderat Chriſtus, dum tanquam Summus Pontifex, oneratus totius mundi peccatis, hic coram throno paternæ gloriæ proſternitur, cum lachrymis & valido cordis clamore totum ſe offerens Patri, ut ibi imploret miſericordiam. Offert enim preces, lachrymas, ſanguinem, vitam, non ſolùm pro toto mundo univerſali, ſed & pro me in

Exod. 28. 29. particulari & pro te, quicumque hæc vel legis, vel audis. Sacerdos olim geſtabat ſuper humeros & pectus, nomina filiorum Iſrael (erant ſcilicet lapides pretioſi, in quibus ſculpta erant nomina Capitum Iſrael) hic verò Chriſtus in corde te ſculptum gerit: novit te & nomine & cognomine, qualis qualis es, & meminit tui in particulari, cogitans de te cogitationes pacis, offerens pro te, ut impetret & mereatur omnes gratias, inſpirationes, media, quibus in

Gal. 2. 20. vitam æternam perducaris. Certè ita particulariter cogitat de te, & pro te ſeſe offert, quaſi non haberet aliam animam ſalvandam, pro te paratus mori: quod ſignificat Apoſtolus dicens: *Qui dilexit me, & ſeipſum tradidit pro me.*

PROPOSITIO II.

Chriſtus ita ibi anguſtiatus fuit, ut ſanguinea gutta ſudoris in terram decurrerent.

Sudoris ſanguinei cauſſa. 1. Interior conflictus.

CAuſæ autem fuerunt variæ extraordinarii hujus ſudoris.

Prima cauſa fuit terribilis quidam conflictus interior; dum ex una parte horror tormentorum & mortis, ex altera zelus honoris Dei & fructus Redemptionis hominum, quendam velut conflictum ineunt.

Repræſentabat enim ſibi vivaciter omnia tormenta in particulari, quæ toto Paſſionis tempore patidebebat, & quod diverſis horis paſſurus erat, jam viva imaginatione conjunctim patiebatur; & hoc ſatis erat ad ſudorem ſanguineum per caput, faciem, humeros & omnes partes corporis eliciendum.

Quam bene comparatur hic *Sponſus ſanguinum* arbori myrrhæ! Hæc ſolet velut ſudorem quendam, liquorem amarum & medicinalem etiam per cortícem emittere, & hic liquor dicitur *Myrrha prima* ſive electa, poſtea verò cortex diſcinditur ut fluat abundantiùs. Sic Chriſtus noluit exſpectare, donec tortores ſanguinem elicerent, flagellis, ſpinis, clavis; ſed antequam tranſfodiatur & decorticetur, emittit ſudorem hunc pretioſum vivâ apprehenſione, tanquam myrrham primam, myrrham rubicundam, quam non ſolum manus ejus diſtillaverunt, ſed & facies, & omnia ejus membra. Fecl. 24. 20.

Si verò tanta fuit Chriſti anguſtia ex mortis apprehenſione, quanta erit anguſtia peccatoris in agonia ex apprehenſione mortis æternæ? *Si in viridi* Luc. 23. 31 *ligno hæc* fiunt, *in arido quid fiet?* Quas anguſtias patiebatur ille apud D. Gregorium, qui inclamabat: S. Greg. in *Inducias vel uſque manè, inducias vel in ſque manè?* dialog. Quas anguſtias patiebatur Antiochus ingemiſcens & dicens: *Heu in quos fluctus triſtitiæ devenì?* Sicut 1. Macha. 6. 11. Eſau videns ſe fruſtratum Patris benedictione, *irruginit*, inquit Scriptura; ita & impius fruſtrandus Geneſ. 27. 34. tunc æternâ benedictione & hæreditate. Tunc enim premet memoria delictorum ex una parte, & vermis rodens conſcientiæ: ex altera mortis horror, & jam imminens æternitas tormentorum; ſicque mirabilia aſperrimoque, conflictu anima anguſtiabitur.

Obſecramus verò te Domine Jeſu, & per ſudorem hunc tuum, & per anguſtias, quas paſſa eſt in horto benedicta anima tua, ut quando mortis anguſtia cor noſtrum invaſerit, conſolationem & fiduciam in miſericordia tua & corde tuo reperire dones: & ſicut Angelus tunc ibi affuit, ita & nobis tunc adſit, Dux & Protector contra tenebras infernales, ut dirigantur pedes noſtri in viam æternæ pacis.

Secunda cauſa fuit apprehenſio omnium peccatorum præteritorum, præſentium, & futurorum, quorum ponderabat multitudinem, enormitatem, damnum æternum, Dei injuriam infinitam. Peccata ergò ſingula jam ab initio mundi commiſſa à peccato Adæ & Cain, & uſque ad finem mundi committenda, omnia homicidia, juramenta, blaſphemias, Sodomias, hæreſes, &c. vivaciter apprehendebat: & inæſtimabilem ei dolorem infligebant, quia tantum dolebat de injuria Dei, quantum Deum diligebat, cum autem ſine menſura diligeret, ſine menſura erat & afflictio. *2. Apprehenſio omnium peccatorum.*

Magnus amor Domini, ſudore hoc ſanguineo peccata tua, quæ tota vita tua fient, à prima rationis luce, uſque ad extremum diem expiantis. Erant enim in corde ejus & in memoria; multiplici vulnere eum tranſfigebant, & ſudorem hunc eliciebant. Non ejus ſatis erat charitati, pro illis lachry-

mis

mas fundere, & oculis benedictis ea deflere, sed per singula membra, sanguineas emittit lachrymas: ut totum te & omnia Ecclesiæ membra, totum corpus suum mysticum abluere, inquit Bernardus.

Cant. 1. 13 Quam appositè Sponsa dilectum suum comparat botro vineæ! Ecce caro ejus innocentissima, instar uvæ prelsa onere peccatorum nostrorum, quasi in torculari, reddit liquorem hunc salutarem & pretiosum: *Lavans in vino stolam suam, in sanguine uvæ pallium suum*, ut dicit Jacob. Stola ejus, humana natura est quam induit: Pallium ejus, Ecclesia est, qua se velut ornamento dicit circumamictum. Utramque ergò hanc vestem lavat hoc sudore tanquam uvæ mysticæ sanguine. Initium verò Redemptioni nostræ facit, sudando aquam & sanguinem; quia sic erit & complementum, in aqua & sanguine.

Gen. 49. 11.

Mortiferos peccati humores ex noxiali illo pomo Adami, suximus omnes filii Adæ. Cum verò mystica quoque Christi membra simus, ecce caput nostrum pro nobis sudat, ut a nobis noxios illos & mortiferos depellat humores. Non poterant membra sanari, nisi caput amaram sumeret potionem. Unde paratum se offert, ad bibendum amarum Passionis Calicem, & jam ejus degustans amaritudinem, ecce in qualem incidit sudorem & apprehensionem!

Considerat. 3. *Exigui fructus passionis.*

Tertia causa fuit, consideratio exigui fructus Passionis suæ erga multos. Considerabat enim ceciratem, rebellionem, duritiem, ingratitudinem multorum, qui usuri non erant mediis, quæ tanti ei constiterant, repudiantes & conculcantes Sanguinem Filii Dei pro se fusum, Sacramenta, Sacrificia, totque labores pro salute eorum assumptos, considerabat eis inanes fore, immò ad majorem damnationem. Undè apud Ezechielem conqueri videtur de anima hoc sudore non abluta, nec mollita tanto amotis igne, dum ait: *Multo labore sudatum est, & non exivit nimia rubigo neque per ignem. Immunditia tua execrabilis est, quia mundare te voluí, & non es mundata à sordibus.* Et Isaiæ 49. conqueritur apud Patrem; *In vanum laboravi, sinè causa, & vanè consumpsi fortitudinem meam: Ergò judicium meum cum Domino, & opus meum cum Deo meo*, q. d. Frustra omnes vires meas in salutem hominum impendi, sed tu ô Pater scis, quod nihil intentatum reliquerim, judica cujus culpa factum sit, ut tam pauci salventur.

Ezech. 24. 12.

Is. 49. 4.

Adde hic specialiter consideraſſe perditionem populi sui, de quo ait: *Populus meus quid fecit tibi, &c.* Item scandalum discipulorum, perditionem Judæ, quem diabolus tanquàm vivum membrum à Christo avellebat.

4. Consideratio omnium afflictionũ Electorũ.

Quarta causa fuit, consideratio omnium dolorum tormentorum, afflictionum, quas omnes electi passuri erant amore sui, Martyres, Confessores, Virgines, Pœnitentes. Angustias enim omnes ipsorum noverat distinctissimè, & per compassionem dolorosius ejus cordi fixæ erant, quam in Martyribus qui illa sustinebant; nec solùm in generali, sed singulariter singulis in corde pallus ät, distinctè & perfectè. Hinc B. Laurentius Justinianus dicit, quod ibi interius lapidatur cum Stephano, crucifigitur cum Petro, dilaceratur cum Andrea, excarnificatur cum Bartholomæo, affligitur cum Laurentio, &c.

B. Laur. Justin.

PROPOSITIO III.

Christus sudavit sanguinem proprium & naturalem; idque factum fuisse absque speciali miraculo, probabilius videtur.

Sudor hic fuit verus Sanguis.

Duo hic asserimus. Primò Christum verum Sanguinem sudasse, estq; communis sensus Ecclesiæ, & textus Evangelii id satis significat. Undè rejicienda est Theophylacti & Euthymii opinio, qui id scriptum putant per hyperbolè, quasi solum fuerit sudor crassus & concretus, similis guttis sanguinis. Argumentum sumit Euthymius, ex eo quod dicat Scriptura sudasse sanguinem non simpliciter & absolute, sed sudorem fuisse sicut sanguinis guttas. Verum hoc nihil convincit, nam particula illa (*sicut*) non excludit verum fuisse sanguinem; sed solum significat fuisse in forma & figura guttarum: & fortè etiam sic loquitur Evangelista, quia non erant ex puro omninò sanguine, sed aliquid sudoris admixtum habebant. Ita Suarez & alii.

Ezech. 44. 18.

Præcipiebat olim Dominus, ut Sacerdos, cum ingrederetur portas atrii interioris ad ministerium; non accingeretur in sudore, hoc est, ita strictè & violenter, ut sudaret. Sed ecce Pontifex noster Jesus, qua per proprium, non per alienum sanguinem debebat introire in Sancta, in atrio suæ orationis, & ad portas futuræ Passionis, ita fortiter se accingit; ut non solum sudore quocumque, sed & sanguineo, copiosè toto corpore perfundatur. Et hic sudor ostendit quam arduum sit, quantæ molis & laboris sit opus & ministerium, quod aggreditur, & nostræ Redemptionis Sacrificium, quod toto Sanguine Filii Dei debebat consummari.

Tanta molis erat Romanam condere Gentem!

Illud verò notatu dignum est, quod dicit Egesippus hortum illum, postquam sudore hoc sanguineo imbutus, flores produxisse, in quorum foliis scriptum erat:

O Mors, quàm amara est memoria tua! Eccl. 41. 1.

Quicquid hic de hoc, certè in terreno cordis nostri horto, pro quo rigando & molliendo sudor ille effusus est, tales flores hic sanguineus sudor proferre deberet; hoc est, memoriam mortis Redemptoris nostri, memoriam mortis nostræ, memoriam mortis æternæ, quam si cogitatione prævenerimus, effugiemus: si enim per considerationem nostram descendamus in infernum viventes, non descendemus morientes. Obversetur ergò saepius oculis mentis triplex dicta mors, quæ animo Salvatoris nostri profundè in horto illo figebatur, & non sine fructu, videbimus quàm verum sit:

Digitized by Google

O Mors, quàm amara eſt memoria tua!

Eccl.41.1. *Fuit naturalis Sanguis ex naturali angore profectus.* Cajetan. in cap. 22. Luc. Janſen. in eundem loc.

Secundò aſſeruimus ipſe ſpeciali miraculo Chriſtũ hunc ſanguinem ſudaſſe, ex vi interioris afflictionis & agoniæ. Ita ſentit Cajetanus & Janſenius. Ratio eſt, quia ſi ille ſanguis miraculoſè fuiſſet emiſſus, non foret certum ſignum maximi angoris: poterat enim miraculoſè cum minima afflictione, imò ſine ulla emitti. Secundò, ut dicit Cajet. Sicut magnitudo paſſionis pellit violentum ſudoris materia, fieri poteſt, ut ſanguinem expellat; poteſt enim afflictio ita corpus commovere, ſanguinem attenuare, poros aperire, ut emiſſio ſanguinis ad exteriores partes fiat.

Itaque Chriſtus hortum ingrediens, totum ſe afflictioni voluntate rationali obtulit; ita ut eo tempore uſq; ad ultimum ſpiritum, nullam ab ulla creatura conſolationem receperit: licet enim dicatur Angelus ad conſolandum veniſſe repræſentans forte ei decretum Patris, paſſionis neceſſitatem, fructus magnitudinem) non tamen recepit illam conſolationem. Nam & Scriptura dicit, quod tunc in agonia prolixius oravit. Unde Beda: *Confortatus eſt*, inquit, *ſed tali confortatione, qua dolorem non minuit, ſed magis auxit. Confortatus eſt ex fructus magnitudine, non ſuberacta doloris amaritudine.* Ardens itaque ignis, & amoris, & doloris, ex hac Roſa myſtica, liquorem hunc pretioſum elicit & diſtillare facit; quem Patri offerat in odorem ſuavitatis, nobis autem tanquam medelam vulneribus noſtris.

Beda ibi.

Notat verò Evangeliſta, quod in hac agonia procidit in faciem. Ubi pié conſiderant eum aliqui velut terram exoſculantem, quæ futura erat ara, calix & patina ſanguinem ejus profuſum exceptura. Imò, quia Chriſtus ardebat mortis deſiderio pro nobis, conſiderari poteſt, quaſi gratias agat terræ, quod procreaſſet funes quibus ligabitur, ſpinas quibus compungetur, arundinem pro ſceptro, ferrum clavorum & lanceæ, quibus transfodietur.

Ego verò eum conſidero, tanquam inclamantem: *Terra, terra, terra, audi ſermonem Domini.* Quod illud? *Terra ne operias ſanguinem meum, nec habeat in te locum latendi clamor meus.* Vult ut ſanguis de terra emittat vocem, non ſimilem voci ſanguinis Abel, qui clamabat vindictam; ſed vocem reſonantẽ per univerſum Orbem, quod pro terreno hominum corde purificando & emolliendo effuſus ſit. Rogat quoque, ut terra, ſive terrena illa corda, vocem & clamorem hunc ſanguinis audiant, nec ingratitudine illum operiant, & oblivione ſepeliant.

Jer.22.29 Job.16.19

Ecce quanta myſteria in hoc horto continentur, in quo nobis ſummè fructuoſum foret cum Salvatore afflicto ſæpius converſari, ibi ejus faciem contemplari, ſudorem ejus, quantum in nobis eſt, extergere, & compaſſionis lachrymis abluere. In hoc horto Sponſi anguſtiati multiplices & polymitos flores licet nobis colligere, totam purpuream charitatis, candidum lilium innocentiæ & puritatis, cœleſtem violam humilitatis, heliotropium reſignationis perfectæ, ex quibus ſertum odoriferum juvabit conterere, & ad cor noſtrum appendere, inter ubera animæ noſtræ.

Hoc practicabat B. Thereſia, quæ de ſe dicit: Conabar mihi ſæpius repræſentare Jeſum, & optimè habebam in meditatione myſteriorum, ubi ſolus erat, videbaturq; mihi, quod ſic afflictus non poſſet me rejicere, accedentem ut compaſſione mea ſolatio ei forem. Specialiter ejus conſortium quærebam in oratione in horto; ibi frequenter conſiderabam ejus & afflictionem & ſudorem, cupiebamque ſi poſſibile foret, ejus faciem & moleſtum ſudorem abſtergere: ſed memini me nunquam id auſam, utpote peccatorum meorum multitudine deterritam, interim ſtabam diu cum eo, multis afflicta cogitationibus. Jam a pluribus annis maxima parte noctium poſtquam decubuiſſem, ſolebam de hoc myſterio cogitare, etiam antequam ſtatum Religioſum aſſumerem, & exiſtimo plurimum indè profectus ſpiritualis me conſecutam. Ita illa.

Ribera in vita B. Theref.

LECTIO XVII.

DE FLAGELLATIONE, MYSTERIO Secundo Doloroſo.

II. Myſterium Dolorоſum.

1. *Docet, Quomodo Flagellatio Chriſti injuſta fuerit & ignominioſa.*
2. *Quomodo fuerit crudeliſſima.*
3. *Quomodo facta fuerit ad Columnam.*

SAlvatori noſtro in Agonia conſtituto, & in terram proſtrato, poſſumus dicere illud Iſaiæ: *Conſurge, conſurge, induere fortitudine brachium Domini: Nunquid non percuſſiſti ſuperbum & vulneraſti draconem? Quis tu, ut timeas ab homine mortali?* Iſa. 51.9.

Poſſumus etiam dicere, quod Angelus Eliæ ſub Junipero jacenti & fatigato: *Surge, grandis tibi reſtat via.* 3.Reg.19.

Hic enim ſudor initium tantum dolorum eſt, ſed nondum finis; inſtar roris erit, ſed ſequetur abundans pluvia, tandemque flumina ſanguinis exundabunt de quinque corporis partibus.

Chriſtus ergò, poſtquam hoc ſudore velut rore ſanguineo perfuſus fuit mitis cum anguſtiis, voluit pluviam dare ſanguineam, ad lavandum corpus ſuum myſticum in flagellatione, ubi iterum eum conſiderare volumus, tanquam *Virum dolorum.*

PROPOSITIO I.

Chriſtus per ſententiam Pilati, traditus fuit, ut flagellaretur, ſed ſententia hæc injuſta fuit & ignominioſa.

Flagellatio Chriſti 1. Injuſta fuit.

INjuſta ſententia, quia debita tantùm latronibus & mancipiis. Unde Civem Romanum flagellare non licebat, ut colligitur ex Actorum capite 22. Act.22.25 *Non invenio*, inquit ipſe Pilatus, *in eo cauſam.* Fatetur ergò injuſtitiam. Luc.23.4.

Certè

Certè nec mortis, nec flagellationis in eo causa, quia nullum crimen in ipsa innocentia, nulla causa mortis in ipsa vita. Et cum sciret Judex quod per invidiam tradidissent eum, & accusarent non ob crimen aliquod probatum, tradidit eum ad flagella, sed in hoc voluit eis favere, putans sic lividum Judæorum animum & furorem fatiatum iri. Injusta ergo sententia, perversumque judicium.

Justa tamen fuit, si spectemus eam, ut à Patre æterno procedit, quia ex parte nostra multa & gravia crimina erant, & flagellis & morte digna, ipse autem in se expianda illa susceperat, & ideo dicit Pater: *Propter scelus populi mei percussi eum.* In te ergo, ô homo, in te require horum flagellorum causam, quia in ipso nulla alia causa reperitur, nisi charitas, qua in se transtulit peccata tua. Quod ergo dicebat Nisus, dum Euryalus amicus suus mori paratus erat pro se, multo magis dicere possumus in hac causa de Christo.

Isa. 53. 8.

Æneid. 9.

Meme adsum qui feci, in me convertite ferrum.
Culpa mea est, mea fraus omnis, nihil iste nec ausus,
Nec potuit; Cœlum hoc & conscia sidera testor.

Vide Augustinum in se requirentem causam vulnerum ejus, ad commovendum ad pietatem animum.

August. lib. Med. c. 7.

Ignominiosa quoque fuit; summæ enim ignominiæ fuit nudari coram illa multitudine impiorum & impudicorum hominum: summæ ignominiæ fuit tractari ut mancipium infame, & virgineam illam carnem sic denudari. Quanta ignominia illi fuerit, intelliges, si consideraveris, quod ipse Adam nudus coram uxore etiam nuda, ita verecundatus fuerit, ut ad folia ficus fugerit. Quid non ergo pudoris illi qui castitas est, qui castorum & Virginum Dux & Sponsus est, coram tota Cohorte, lexcentris fortitan hominibus sic turpiter denudari? O casta Sponsa, quomodo tractatur ignominiosè hic Dilectus tuus de quo dicebas: *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus, caput ejus aurum optimum.* Verè modò rubicundus est, pudore genas ejus suffundente ob tantam ignominiam: *Operuit*, inquit, *confusio faciem meam, & extraneus factus sum fratribus meis*, ab iis sic irrisus, sic delpectus.

2. *Ignominiosa.*

Ps. 68. 8.

Sed quomodo, ô Sponsa, hunc electum dicis ex millibus, qui est abjectus super omnes mundi homines? Quomodo electus ex millibus, qui ab omni statu, a Judæis & Gentilibus, Principibus & Plebeiis, Sacerdotibus & Laicis, maribus & fœminis, incognitis & notis, suis & alienis, contumeliis est affectus; *Opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Quomodo hunc in Sponsum eligis & Dilectum? Quomodo amorem totum illi consecras, in quo nihil amabile, cum non sit ei neque species, neque decor? Imò tanquam abominabilis & leprosus est reputatus.

Ps. 22. 7.

Sed propter hæc omnia, magis eum amat Sponsa: amat eum propter utilitatem & ignominiam quam suscepit. Nec ei improperat quod olim Michol Sponso suo David: *Quam gloriosus fuit hodie Rex Israel discooperiens se, & nudatus est quasi unus de scurris.* Sciebat enim ei respondisse: *Ante Dominum qui elegit me, vilior fiam plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis.* Ecce ludit noster Rex Israel, sed ludo quo ei illuditur, vilis factus & nudatus quasi unus de scurris. Sed propter hoc non despicit eum Sponsa, imò magis diligit, dicens cum Bernardo? *Quanto pro me vilior, tanto mihi charior.* *Quanto in minorem exhibet in humilitate, tanto & majorem in bonitate. Verè Domine Jesu, ob multa amabilis es, sed super omnia te amabilem reddit calix amarus quem bibisti, & opus nostræ redemptionis, in quo sic humiliatus es; hoc enim amorem nostrum blandius allicit, justitiæ exigit, arctius stringit, vehementius affigit.* Ita Bernardus.

2. Reg. 6. 20.

Ibid. v. 21.

Bernard. serm. 20. in Cant.

Amat Sponsa in Sponso hanc quam assumpsit nuditatem & deformitatem. Vestis ejus & corpus ejus undique habens incisuras, fulgidior est, & interiorem pulchritudinem manifestat & amorem. Guttæ sanguineæ, spuræ, phlegmata, colores speciosissimi sunt, quibus decoratur: imò lapides pretiosi quibus vestis Sponsi ornatur, qui *Sponsus Sanguinum* rectè dicitur.

Inter hæc ergo omnia opprobria, adhuc verè dicit Sponsa: *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus, Caput ejus aurum optimum.* Sciebat enim quòd lapis quem reprobaverunt ædificantes, eligeretur, ut Caput esset anguli; & quod is qui summè humiliatus erat, summè foret exaltandus.

Cantic. 5. 10.

1 *Electus* ergo *ex millibus*, quia ob Passionis & fusi Sanguinis meritum, exaltatus super omnes creaturas, & super omnem gloriam Electorum. 2. *Electus ex millibus*, tanquam Dux populi Israel, quem per Columnam, Virgam, & Mare rubrum, hoc est, per Columnam hanc, ad quam flagra sustinuit & per Crucem suam, & per Sanguinem suum in re. tam promissionis debebat introducere. 3. *Electus ex millibus*, tanquam summus Sacerdos, qui per proprium sanguinem ingrederetur in Sancta. 4 *Electus ex millibus*, tanquam qui per vulnera sua foret Mediator Dei & hominum, illa Patri continuò repræsentans. 5. *Electus ex millibus*, tanquam Pastor utriusque ovilis, Judæorum scilicet & Gentium, per Crucis suæ Pastoralem baculum reducens utrumque gregem, ut fiat unum ovile, & unus Pastor. 6. *Electus ex millibus*, tanquam Caput Ecclesiæ Militantis & Triumphantis. 7. *Electus ex millibus*, tanquam Caput & Rex Angelorum & hominum, de utrisque faciens unam societatem, unum Regnum. 8. *Electus* denique *ex millibus*, tanquam Judex vivorum & mortuorum.

Hanc dignitatem meruit, quia injustè & ignominiosè tum flagellis, tum Cruci adjudicatus est, juxta illud Job: *Causa tua quasi impii judicata est, causam judiciumque recipies.* Unde & Angeli rectè assistuntur Columnam eius & Crucem, cum ad Judicium procedet, aute eum delaturi, tanquam

Job. 36. 17.

Digitized by Google

quàm inſtrumenta, per quæ hanc poteſtatem eſt adeptus.

Hic verò nota, Chriſtum Virginum Sponſum, cùm multæ Virgines, tyrannorum decretis damnarentur, ut ludibrio per nuditatem exponerentur zelatorem ſe caſtitatis eorum oſtendiſſe, nec permiſiſſe ut eorum corpora in opprobrium nudata forent, ſed miraculo ſpeciali eas texiſſe, vel cœleſti lumine circumdando, vel alio aliquo modo providendo earum nuditati. Sic de S. Barbara, Theophila, Agnete & aliis legimus.

Ipſe tamen noluit huic ſuæ nuditati, vel lumine cœleſti, vel aliter providere: quia tanquam ſecundus Adam ſatisfacturus venerat pro nuditate primi, & per hanc nuditatem voluit nos liberare a nuditate & confuſione æterna. Ipſe venit pro te, ô homo, quiſquis es qui impudicitiis addictus es, & fœda nuditate Deum tuum modis variis offendere non vereris! Pro te ergo ſatisfaciens, voluit ab impudicis hominibus deridèri, pro te hanc nuditatis confuſionem ſuſtinere: me tu æternam ſuſtineres. Et quoties renovas fœda contra pudicitiam peccata, toties illam renovas nuditatem Redemptoris.

PROPOSITIO II.

Crudeliſſima quoque fuit Flagellatio.

Flagellatio fuit crudeliſſima ex parte inſtrumentorum.

PRimò, ex parte inſtrumentorum, quæ aliquid dicunt fuiſſe triplicis generis, ita ut prius virgis cæſus, deinde funiculis, tertiò loris ex nervis boum: & multi putant aculeos ferreos fuiſſe, aliqui etiam catenulas adjiciunt, quæ ad oſſa penetrarent.

Salmeron tom. 10. Vincent. Euſ. Cæſ. in c. 53. Iſ. Chry. ho. 23. in Mat.

Euſebius Cæſarienſis, expendens illud: *Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum*, dicit hanc diſciplinam fuiſſe duram, quia virgis; duriorem, quia funibus; duriſſimam, quia ferreis catenis. Idem teſtatur Chryſoſtomus.

Iſa. 1. 6.

Ibid. 5.

His inſtrumentis totum corpus laceraruntur, quia totum corpus myſticum ulceroſum erat: *A planta pedis uſque ad verticem non eſt ſanitas*, inquit Propheta; hoc eſt, in omni ſtatu vitia & peccata regnant a Principibus & Optimatibus (qui per caput & cor intelliguntur, dum dicitur: *Omne caput languidum & omne cor mœrens*) uſque ad ultimos plebis (qui per plantam pedis ſignificantur) contagio vitiorum cuncta membra depaſcens, omnes infecit; ſecundum ergo delicta, ſic & plagæ. Delicta noſtra, pro quibus ipſe ſatisfaciebat, velut infinita erant, unde plagæ ejus correſpondere debebant.

2. ex parte Corporis Chriſti.

Secundo, crudelitas conſiderari poteſt ex parte Corporis Chriſti. Erat enim tenerimæ & ſenſibiliſſimæ complexionis, & jam totus attenuatus ex fudore ſanguineo, & noctis præcedentis multis tormentis. Hæc talia & tanto numero fuerunt, ut aliqui dicant, Chriſtum ea nocte, tot ac tanta adverſa paſſum, ut in ſolum diem Judicii reſervata ſit eorum integra notitia, juxta D. Hieronymi ſententiam. Ita ergo attrito & exhauſto incredibilem dolorem cauſabant flagra illa. Quapropter videtur in Pſalmo conqueri de hoc, dum dicit: *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem ſuam.* Ubi alia Lectio habet: *Supra dorſum meum araverunt aratores, prolongaverunt ſulcum ſuum*, quia ſicut aratri ferrum penetrat terram, & ſulcos inducit ſic flagra in hac terra virginea ad oſſa penetrant; & velut ſulcos quoſdam inducunt.

S. Hiero.

Pſ. 128. 3.

3. Ex parte ictuum.

Tertiò, crudelitas patet ex multitudine ictuum, de quibus aliqui revelatum dicunt exceſſiſſe quinque millia. Et licet res non ſit certa, tamen non eſt incredibilis. 1. Ob crudelitatem militum, quia cùm hi Gentiles eſſent, non obſervabant numerum quadraginta ictuum; ultrà quem Judæis præceptum erat non procedere. Paulus de hac re loquens: *A Judæis, inquit, quinquies quadragenas, una minus, accepi.* 2. Juſſerat quoque Pilatus crudeliter flagellari, ut verisimile eſt, hac ratione putans mollire cor populi, dum viderent hominem ſic crudeliter tractatum, ſicque putans eum liberandum. Ipſa quoque inſolentia militum ſatis patet, quia ſine juſſu coronarunt eum ſpinis, & cùm viderunt ejus patientiam & immobilitatem ad ictus, tantò amplius furebant, & illos geminabant, urgente ſatana, nolentes ab eo vinci. 3. Lex fuſtuaria, per quam liber fuſtibus, ſervus autem virgis cedebatur, decernebat, ut criminis convictus ab omnibus militibus cæderetur, unde & tota cohors congregata dicitur. Cohors autem erat decima pars Legionis, hoc eſt, ſexcenti ſexaginta ſex milites. His ergo Chriſtus datus eſt in prædam, veriſimiliter a tota Cohorte flagellatus.

Deut. 25. 2. Cor. 11. 24.

Unde ſicut olim, cùm quis erat blaſphemiæ convictus educebatur & ponebant manum ſuper eum qui audierant eum & poſtea lapidabatur à ſingulis de populo: Ita videtur quòd Romani coram quibus hic tanquam blaſphemus ſiſtebatur, quaſi commutantes lapidationem in flagellationem, verberibus eum omni ex parte confecerunt; prius quidem dorſum totum lacerantes, deinde anteriorem partem reverſantes, ita ut nihil illæſum reliquerint. De hac re videtur conqueri Chriſtus per Prophetam dum dicit: *Congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoravi.* Ubi magnum numerum flagellorum indicat, & dicit, *ignoravi*, q. d. innocens fui, & cauſam illorum in me neſciviſſed tamen quia aliorum culpas in me expiandas ſuſcepi, ideò, *Ego in flagella paratus ſum.* Et *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus.*

Pſ. 34. 15.

Pſ. 37. 18. Iſa. 50. 6.

Quarto, gravitas quoque hujus flagellationis ex eo patet, quòd valde ſolliciti fuerint Pontifices ad accelerandum Crucem, & providerint de aliquo qui eam ferret: ita enim acerbè erat plagis conſperſus, ut videretur defecturus ante crucifixionem, quam tamen ipſi ſummè ſpirabant.

PROPOSITIO III.

Vt Chriſtum flagellarent, ligarunt ad Columnam.

In flagellatione ad columnam ligatus eſt.

HÆc eſt certa Eccleſiæ traditio, hanc aliqui dicunt duorum eſſe palmorum cum annulo ferreo

Digitized by Google

reo in vertice, ex quo funis pendebat Christum ligans, & dicitur esse Romæ in templo S. Praxedis.

Hieron. in Epitaphio Paulæ. Adrichomius. Gregor. Tur. lib. de glor. Martyr.

Attamen Hieronymus dicit, quod ostendebatur columna Ecclesiæ porticum sustinens, infecta cruore Domini, ad quam dicitur alligatus, Idem dicit Beda, Prudentius & alii. Forte illa Romæ tantum est pars ejus: nam Adrichomius in theatro terræ sanctæ dicit monstrari alteram partē in monte Calvariæ. De hac Columna loquens D. Greg. Turonensis, dicit *Multi pleni fide accedentes, corrigas textiles faciunt, eaq; circumdant, quas rursus pro benedictionibus recipiunt, diversis infirmitatibus profuturas.*

Ad hanc Columnam ligatus est, qui Columna est, totum sustinens orbem; sed vincula ejus sunt nobis alligatura salutis, ut solvant colligationes impietatis, & ut laxent misericordiæ manum, quam peccata nostra constrinxerant: & ut alligent manum justitiæ divinæ contra nos extentam, ne super peccatores miseros in eorum perniciem pondere suo dilabatur.

Ligatus est, sed non tam his vinculis, quæ illi injecerunt, quàm vinculis amoris & charitatis suæ, per quæ amoris vincula, nos etiam sibi cupit alligare, & peccata nostra (quæ tanquam vinculum plaustri in perditionis barathrum nos pertrahunt, penitus dissolvere. Ecce ergò *spiritus oris nostri Christus Dominus captus est*, & ligatus *in peccatis nostris*, sed *in umbra ejus vivemus inter Gentes*, ut dicit Jeremias. Heu ipse Christus, qui est noster spiritus, noster anhelitus, nostra anima, nostra vita: Ipse Christus, per quem spiramus & speramus, in quo respiramus, & quem aliis inspirare debemus, qui nobis intimior est, & debet esse pretiosior vitali spiritu nostro: Ipse Christus, qui est anima animæ nostræ, spiritus spiritus nostri, & cordis nostri, captus est, ligatus est, afflictus ad columnam propter nos & peccata nostra.

Thren. 4. 20.

Sed in umbra ejus vivemus non Gentiles, quia ipse elegit hanc columnam, per quam educeret nos ex Ægypto, & peccatorum nostrorum tenebris. Unde nobis est *Columna ignis, & columna nubis*, Columna in nobis accendens ignem lucidum amoris, qui deducat nos de nocte: Columna umbram nobis præbens, sub qua vivamus, contra vitiorum æstus, de die instar nubis, & obumbrans & refrigerans. Sub hac umbra quiescere, & de vivifico rore, sanguineo imbre, qui de Columna Salvatoris defluit, refrigerari est suave. Sæpè ergò nos quiescamus sub umbra hujus Columnæ, ibi Salvatori afflicto solatium & consortium præbeamus.

Ibi consideremus patientiam illius in hoc mysterio doloroso; qui, cùm non haberet partem integram, sed doloribus acerrimis undique confixus foret, non conqueritur, non lamentatur, non gemitum edit, aut voce aut alio signo: paratus amore nostri ampliora adhuc sustinere, permittens congregari super se flagella; & velut aratro proscindi terram illam virgineam, donec ipsa rabies flagellantium per se sopiatur, singula Patri offerens in satisfactionem & sacrificium pro peccatis nostris.

Quisquis ergò verus Christi amator es, aliquid doloris, aliquid compassionis, aliquid lachrymarum affer, quibus vulnera laves Redemptoris, & virum hunc dolorum unge oleo devotionis. Projice te ad pedes hujus Columnæ, & amplectere eam toto desiderio animæ, considera sanguine Filii Dei sic ornatam & purpuratum. Fige illi cor tuum, fige devotionis osculum, terram quoque ipsam in spiritu osculare, cruore ejus aspersam, & apud hanc Columnam obsecra, ut instar Columnæ immobilis semper perseveres in ejus obsequio & gratia.

Exempl. Ribera in vita B. Theresiæ.

Sic practicabat B. Theresia, quæ de seipsa sic dicit: Quodam die ingrediens Oratorium, erat ibi noviter allata imago, repræsentans Jesum totum vulneratum & plagis opertum. Statim ac eam vidi, tota in me turbata fui, videns Dominum meum tali modo afflictum, mihi enim vivâ apprehensione repræsentabatur, quicquid pro me passus fuerat. Et sensi tantum dolorem ex plagis ejus, ut cor meum videretur in duas findi partes. Tunc projeci me ad pedes ejus, cum magnâ lachrymarum copia, supplicans ejus pietati, ut placeret illi ex tunc tanta me fortitudine corroborare, ut amplius eum non offenderem, sed & petii gratiam, quâ possem omnes pravas meas inclinationes & habitus vitiosos superare & exuere. Videor quoque mihi tunc dixisse, me à pedibus ejus non surrecturam, nisi daret quod obsecrabam: & hoc mihi valdè profuit, quia exindè cœpi me emendare, & in gratia & obsequio Dei solidior esse.

DE TERTIO MYSTERIO
Doloroso.

1. *Docet, Cur Christus voluerit Corona spinea coronari.*
2. *Quam acerbos illi intulerit dolores.*
3. *Quare Corona, Arundo & Purpura adjuncta fuerit.*

Coronatio Christi III. Mysterium Dolorosum.

TErtium Mysterium dolorosum est Coronatio Christi, in qua considerandum est, quod cùm cum quibusdam tormentis ignominiosis afflixissent, quibusdam dolorosis; nunc inventione quadam sathanicâ, crudelitate subtili, subtilitate crudeli, addunt unum novi generis tormentum, & crudelitatis extremæ, & ignominiæ inauditæ, dum coronam spineam ejus infigunt capiti, in derisum Regni ejus. Tu verò hic advertes, quomodò semper charitas Christi crescat, cui non satis fuit in columna sanguinem fundere, summo nostri amore; sed instar Imperatoris infracti, & inter dolores invicti, huic columnæ videtur velle affigere dictum illud Imperatorium, *(Plus ultrà)* Nec enim ejus charitas quiescet usque ad Crucem, quando exiget

Digitized by Google

hæc Corona conquæri videtur apud Pſal. dum dicit:
Pſal. 68. 3. *Operuit confuſio faciem meam.* Imò aliqui de illa interpretantur illum clamorem Jonæ in ventre Ceti
Jonæ 2. 6. in figura Chriſti clamantis *Operuit pelagus caput meum.* Ubi Lectio Hebræa habet : *Operuit juncus caput meum.* Quod interpretantur de Jona clamante in perſona Chriſti, qui in Paſſione ſua, quaſi in mediis afflictionum aquis juncum marinum in capite gerit. In figura cujus rei etiam dicunt capiti
Auguſt. lib. 16. de Civit. piſcis Jonam geſtantis juncum adhæſiſſe. Satis communis eſt ſententia ; fuiſſe ex his juncis coronam Chriſti : erant enim frequentes in Syria & vicina Ægypto. Habentque acutos cuſpides : juxta illud Virgilii: *Et acuta cuſpide junci* Dicuntque qui eam viderunt id notari.

Habetur illa in theſauro Regis Francorum, nam,
Genebrardus lib. 4. Chron. ut dicit Genebrardus, S. Ludovicus eam a Græcis redemit, & Lutetiam aſportari præcepit, cui ipſe obviam comitantibus Epiſcopis & Regni Proceribus venit multis cum lachrymis & ſuſpiriis, nudis pedibus, undique affluente, & in genua populo procumbente. Ita ille.

Putat tamen D. Hieron. quem alii ſequuntur, fuiſſe ex Rhamno ; cui rei applicant multi parabolam illam, ubi Regia dignitas Rhamno defertur:
Jud. 9. 14. *Dixerunt enim omnia ligna, veni & impera ſuper nos, reſpondit ſi me Regem conſtituitis, venite & ſub umbra mea requieſcite.* Sic dicere poteſt Chriſtus, adeſte & ſub capite veſtro, quem Rhamno coronatum cernitis, quærite requiem animabus veſtris. *Si non vultis,* inquit Rhamnus, *egrediatur ignis de Rhamno, & deveret Cedros Libani.* Multi ſunt qui quia ſub Corona Comini requieſcere noluerunt, penitus conClemens l. 1. Pædag. c. 8. Hippol. orat. de conſumm. ſæculi. Baron. tom. 1. ad an. 34. n. 27. ſumpti ſunt. Unde Clemens : *Hæc corona flos eſt eorum qui crediderunt in eam, cruentat autem & caſtigat eos qui non crediderunt.* Tunc verò acerbior erit hæc caſtigatio, cum de Rhamno egredietur ignis ille de quo Chriſtus : *Ite in ignem æternum.* Nam & B. Hippolytus dicit Chriſtum in judicio appariturum hac Corona redimitum.

Denique etiam multorum ſententia eſt fuiſſe ex ſpinis ; ita, ut dicat Baronius : *Nullatenus audiendos puto, qui ex junco marino contextam dixere, quia Joannes & Lucas aſſerunt ex ſpinis eſſe compactam.*
Gen. 22. Quicquid ſit, Chriſti ſic coronati figura pulchra fuit artis ille, quem loco filii ſui Iſaac Abraham immolavit, de quo dicit Scriptura, quod ejus caput & cornua hærebant vepribus. Sive verò fuerit ex Rhamno ſive ex junco, ſive ex ſpinis, non potuit non ſummum dolorem inter omnia tormenta Chriſto infigere.

Volunt ergo poſt tot plagas corpori à planta pedis uſque ad verticem inflictas, ut ſpinæ è capite ſanguinem eliceret, quem flagra non potuerant. Volunt hæc omnibus inſtrumentis (aptis ad eliciendum ſanguinem) poteſtatem ſuper corpus ſuum: penæ in Circumciſione, apprehenſioni in horto, virgis & funibus in flagellatione, ſpinis in coronatione, ligno & ferro in crucifixione, chalibi, & lanceæ in lateris apertione.

Sic ergo coronatus Chriſtus inclamare poteſt ad animam illud Canticorum : *Aperi mihi ſoror mea Sponſa, quia caput meum plenum eſt rore, cincinni mei guttis noctium* q. d. Aperi mihi cor tuum per compaſſionem, ut ibi requieſcam, velut in pulvillo mihi apto & deſiderato, quia caput meum, & crines mei toti madent ſanguinolento rore quem cauſarunt guttæ nocturnæ peccatorum tuorum. Nos verò ei ſic inclamanti reſpondere debemus illis verbis Laban: *Ingredere benedicte Domini, cur foris ſtas? Præparavi domum & locum tibi.* Ubi verò eum introduxerimus in interiorem domum animæ noſtræ, & conſideraverimus pleniſſimè afflictionem ejus ob peccata noſtra, inclamare debemus ex compaſſione: O ſacratæ Spinæ, parcite, parcite ſacro illi & innocuo Capiti, venite potius & vertite aculeum contra me, pungite cor meum puncturis pœnitentiæ & compunctionis, ut ſi non ſanguinem, ſaltem vel lachrymam poſſitis è corde duro elicere : quia enim Sanguine Salvatoris eſtis aſperſæ, vim ſanctificandi habetis, & vulnerando me, poteſtis ſanare vulnera mentis meæ. Pungite ergò me & configite, ut poſſim dicere : *Converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.*
Cant. 5. 2.
Geneſ. 24. 31.
Pſal. 31. 4.

PROPOSITIO III.

Huic coronationi appoſita ſunt duo ignominioſa circumſtantia, dum dederunt arundinem pro ſcepro, purpuram pro Imperiali Pallio.

Arundo pro ſcepro, Chlamys purpurea pro trabea regis datur.

VOluerunt hoc modo ambitionem ejus arguere, quaſi regnum affectaſſet. Sed hæc myſterium magnum continent. Dicit Athanaſius arundinem ſerpentibus lethalem eſſe. Dedit ergò ignoranter dæmon gladium contra ſe: Ipſi quoq; arundine Regnum ejus quaſi vanum irridere voluerunt; ſed verè ſignificat Regna mundi & Sceptra quæ fiunt ex auro in ſignum excellentiæ & ſtabilitatis, in veritate tantum eſſe inſtar arundinis murabilis, & fragilis, cui nemo ſecurè innixi valeat. Unde dicitur : *Ecce confidis ſuper baculum arundineum confractum iſtum, ſuper Ægyptum, cui ſi nixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, & perforabit eam. Nolite confidere in Principibus,* &c. Purpura quoque hæc myſterium magnum continet.
S. Athan. *Arundo.*
Iſa. 36. 6.
Purpura quid ſignificet.

Primò enim ſignificat imperium, quod ſuo Sanguine Chriſtus comparabat. Unde in Apocal. viſus eſt veſte conſpertâ ſanguine, in qua ſcriptum erat: *Rex Regum, & Dominus Dominantium.*
Apoc. 19. 16.

Secundò, ſignificat cruentam veſtem peccatorum noſtrorum, quam Chriſtus aſſumpſit eluendam: erat enim vilis, attrita, & ſordida veſtis iſta, per quam ei illuditur.
Num. 4. 7

Tertiò, figurata fuit hæc veſtis Num. 4. ubi cùm ex uno loco altare ad alium portabatur, præcipiebatur purpura indui. Chriſtus ipſe Sacerdos, Sacrificium & altare, de domo Caiphæ ad domum Pilati transfertur, tanquam Altare portatile, ideoque purpura indui voluit, ut figuram compleret. Figura etiam poteſt eſſe in filo coccineo, quo domus Raab præſervata fuit a morte, quia & nos per hanc

Digitized by Google

veſtem, ſive coccineam, ſive purpuream (eſt enim Purpura Cocco ſatis ſimilis, unde utroque nomine eam vocant Evangeliſtæ) quam aſſumpſit pro peccatis noſtris, præſervamur à morte.

Quartò, ſignificat ardentem ejus charitatem, ſicut & alba veſtis ejus innocentiam.

Cant. 5. 9. Interrogabatur olim Sponſa: *Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum?* q.d. Cujus coloris eſt, quibuſnam ſignis dignoſci poteſt dilectus tuus? Reſpondet illa: *Dilectus meus Candidus & Rubicundus.* Hunc nempe utrumque colorem ab initio ſibi elegit Sponſus noſter. 1. *Candidus* ob puritatem & innocentiam: *Rubicundus* ob ardentem charitatem, per quam fudit ſanguinem. 2. *Candidus* eſt in Nativitate, virginea carne circumdatus: *Rubicundus* in Circumciſione, cruore ſuo aſperſus. 3. *Candidus* in Transfiguratione, in nivea veſte: *Rubicundus* in Olivarum monte, ſudore ſuo cruentus. 4. *Candidus* eſt in Herodis domo, ornatus veſte alba: *Rubicundus* in Pilati Prætorio, in veſte purpureâ. 5. *Candidus* in Cruce, ob aquam fluentem è latere: *Rubicundus* totus in ſuo Sanguine, 6. *Candidus* in Sacramento, ob Panis ſpeciem: *Rubicundus* in Vini ſpecie. 7. *Candidus* ob Miſericordiam: *Rubicundus* propter Juſtitiam. 8. *Candidus* in Corpore ſuo myſtico, ob Virgines: *Rubicundus* ob Martyres purpuratos.

Ecce ergo myſterium deſcripſimus Coronæ, myſterium quoque Purpuræ ſuæ, in quorum conſideratione anima ſæpe verſari debet, quæ Sponſi ac Regis ſui amore flagrat, ut & ejus amorem conſideret. Cum enim duo ſint præcipua membra hominis, Caput & Cor, Caput ſapientiæ ſedes, Cor amoris, utrumque voluit aperire Chriſtus, ut manifeſta fierent nobis ejus ſapientia & amor & divinæ cogitationes. Unde tu ſæpe cor apertum & caput perforatum viſita, ut amorem ibi & ſapientiam agnoſcas & fugas. Ad quamlibet animam fidelem dirigitur illud, quo invitantur Sponſæ ad bene conſiderandam hanc coronam: *Egredimini filiæ Sion, & videte*
Cant. 3. 11 *Regem veſtrum in diademate, quo coronavit illum mater ſua in die deſponſationis ſuæ.*

Attendite ornatum & Purpuram ejus Regiam, attendite Sceptrum & Coronam. Sic coronatur, ut coronam gloriæ vobis comparet. Sic coronavit eũ mater ſua ingrata Synagoga. Videte Sponſum veſtrum in die deſponſationis ſuæ, in veſte nuptiali procedentem: Videte diadema ex ſpinis, guttis ſanguineis, quaſi margaritis pretioſis adornatum. Manus ejus & brachia ſunes gerunt, quibus Columnæ ligatus fuit; ſed armillæ ſunt & dextrariola. In collo funem gerit, maleficii ſui & mortis ſignum, ſed ſervit ei loco velleris aurei. Picturæ veſtis hujus Regis & Sponſi plagæ ſunt, ex flagris relictæ. Sputa & phlegmata, colores varii ſunt, quibus divina ejus facies decoratur. Et omnia hæc amoris ejus ſunt inſignia, quæ quidem conveniens eſt animam recolligere, & in ſinu ſuo in perennem dilecti memoriam collocare.

Hinc eſt quod Chriſti Sponſæ, ut eundem cum Sponſo colorem geſtarent, non ſolum optarunt eſſe candidæ per caſtitatem, ſed & rubicundæ per propri ſanguinis aſperſionem. Unde in mediis vulneribus & martyriis jucundabantur.

Sic habetur de B. Eulalia, quæ tanto martyrii amore ſuccenſa fuit, ut cum eſſet duodecim tantum annorum, libere ſe præſentarit tyranno, ejus arguens in Chriſtianos crudelitatem, & Deorum vanitatem. Cum ergo tota dilaceraſa & velut excoriata ferreis pectinibus foret, mire anima ejus exultabat, & lætitiam ipſa quoque facie præ ſe ferebat. Unde ad cœlum oculos levans Sponſi ſui implorabat favorem, ſed reflectens ſe ad ſua vulnera, dicebat: *Nunc, ô mi Sponſe & Redemptor, quam bene reſplendet in me per vulnera iſta viva tui imago: & characteres iſti in corpore meo per ſanguinem meum exarati quam ad vivum mihi exprimunt & repræſentant ipſam Paſſionem tuam!* Igni tandem fuit tradita, ipſa verò in flammis exultans, illas ore velut attrahebat; viſique eſt anima ejus inſtar columbæ candidiſſimæ in cœlum evolare ab ipſo carnifice, qui etiam converſus, pœnitentiam egit. Exempl. Sur. 10. Decemb.

Sciebant hæ Sponſæ per Coronam ſpineam & conſortium Paſſionis Chriſti, æternam illam coronam comparandam.

Sic legimus de B. Lidwina virgine in Hollandia, ſanctitate inſigni, apparuiſſe ei Angelum in mentis exceſſu, coronam pretioſiſſimam oſtendentem, necdum tamen in orbem planè abſolutam. Rediens ad ſe, petiit pati pro Chriſto, ut coronam abſolveret. Mox in Ducis Philippi apud Hollandos inauguratione, milites impii eam adierunt mireque vexarunt, imò & virgineum ejus corpus totum morbidum indignis modis ſine pudore tractarunt, vulnera vulneribus addentes, & multis eam convitiis afficientes, beſtiam, proſtibulum, voracem vocantes. Angelus deinde ad eam venit, inſtar Solis ſplendidus, atque ad eam: *Salve chariſſima Soror, ecce nunc abſoluta eſt corona, quam nuper imperfectam vidiſti. Propter inverecundos tactus virorum illorum, non voris te poſſam ſiſſe in veſtigiis Salvatoris. Ludibria & vulnera corpori tuo impoſita, fuerunt gemmæ quas in illa Corona & adeſſe vidiſti & deeſſe.* Ita habet ejus vita apud Surium. Exempl. Surius 14. April.

Habemus & de S. Agapito Martyre, qui puer quindecim annorum furori Aureliani quaſi adamantem ſe objecit, Anno 273. Atque virgis, nervis, igne, fumo, aqua bulliente, aliiſque graviſſimis tormentis excruciatus & dilaceratus, cum in capite ejus carbones congererentur, & quaſi prunis ardentibus coronaretur, gratias agebat Deo, dicens: *Parva res eſt, ſi caput coronandum in cœlo, prunis coronatur & comburatur in terra. O quam decorabit corona gloriæ plagas & vulnera excepta pro Chriſto!* Ita ejus vita. Surius 18. Aug.

Dii Gentium coronis ornati fuere, alii auro, alii lauro, alii floribus, alii frondibus & arborum ramis, ut deſcribit Tertullianus: Saturnus, inquit, Tertull. l. de corona mil. cap. 7.

ante

ante omnes coronatis: Jupiter poſt devictos Titanas: Priapo ſertum ex auro, & Indicis gemmis adſcribitur: Juno vite coronata: Hercules nunc populum capite præfert, nunc oleaſtrum, nunc aprum: Apollo interfecto Delphico Draconе lauream induit: Liber nunc Hederatus ſcribitur, nunc Princeps coronæ naturæ aureæ, in qua ex Indis triumphantis: Iſis repertas ſpicas capite circumtulit. Ita Tertullianus.

Rex verò & Deus noſter Chriſtus, non lauream, non auream, non ex floribus, aut arborum frondе contexram elegit coronam ſed ſpineam quam omnibus ſuis offert in hac vita, offerens crucem, ut poſt crucem & ſpinas, poſt tempus luctus, offerat in tempore gaudii coronam gloriæ & diadema ſpeciei. Tunc dabit eis juxta vaticinium Iſaiæ, *Coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris.* Iſa. 61. 3.

LECTIO XIX.

DE QUARTO MYSTERIO DOLOROSO.

1. *Docet quomodo Crucis bajulatio gravis fuerit Chriſto.*
2. *Explicat Prophetias & Figuras de illa.*
3. *Oſtendit cuilibet Chriſtiano bajulandam Crucem.*

4. Myſterium doloroſum.

QUantum Myſterium doloroſum dicitur *Crucis bajulatio.* Ut enim Chriſtum tanquam malefactorem educerent, impoſuerunt ei Crucem, quia mos erat malefactorum, Crucem ad locum ſupplicii ferre. De hoc loquens Evangeliſta dicit: *Bajulans ſibi Crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum.* Joan. 19. 17. Ille verò locus Calvariæ dictus eſt, non ſolum quia ibi multæ Calvariæ malefactorum jacebant, ſed maximè ob Calvariam primi hominis, quem ibi ſepultum tradit Auguſtinus, & plurimi ex Sanctis Patribus. *Conveniunter creditur, ibi plantatus medicus ubi jacebat ægrotus.* Auguſt. ſerm. 71. de temp. Hæc de cauſa Pictores ſuo Cruce Chriſti, Calvariam pingunt, quæ repræſentat, Calvariam Adæ, ut ex Alberto Magno notat Molan. Quare tunc perfectè adimpletum dicunt aliqui illud Apoſtol. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis illuminabit te Chriſtus.* Molan. c. 78. de imag. Eph. 5. 14. Ubi legunt: *Continget te Chriſtus*, ita enim legit Auguſtin. in Pſal. 3. & Ambroſ. quaſi ſermo hic ſit ad Adam / & conſequenter ad nos Adæ filios, qui in ipſo continebamur, & ipſo peccante mortui ſumus / in monte Calvariæ ſepultum, quem Chriſtus ibidem crucifixus, Sanguine ſuo è Cruce ſtillante tangens redemerit, & ad lumen vitamque divinam reduxerit. Sic typus etiam ille impletus fuerit, quod Elizeus mortuus mortuum ſuſcitavit.

Crucis bajulatio fuit gravis Chriſto.

PROPOSITIO I.

Gravissimum dolorem & ignominiam intulit Chriſto hæc Crucis bajulatio.

HInc aliqui putant de illa locutum fuiſſe Chriſtum in monte Transfigurationis, ſecretò illic colloquio cum Moyſe & Elia: Quo *loquebantur de exceſſu quem completurus in Jeruſalem*: Interpretantur enim per hunc excellum exitum illum ignominioſum ex Hieruſalem, in quo onerатus ligno ſupplicii egreditur in tanta populi frequentia, qui ex omni Judæa, & aliis quoque Regionibus, convenerat in Hieruſalem ad diem feſtum, juxta præceptum Domini. Luc. 9. 31.

Primò ergò acerbus fuit hic dolor, quia milites eum veſte purpurea exuerunt, ut populo notior redderetur, & iterum ſuis veſtibus eum induerunt, renovantes & refricantes ejus plagas, vulnera ac dolores. Coronam verò ſpineam non detraxerunt, ut aſſerit Origines; & alii Patres; voluerunt enim eam, tanquam Regni affectati indicium relinquere. Unde & Evangeliſta chlamidis detractæ mentionem facit, non coronæ, quia nec hoc modo levare ejus dolorem voluerunt. Hoc etiam ſatis indicat facies ſudario impreſſa, juxta traditionem Eccleſiæ. Meditantur tamen aliqui hic debuiſſe auferri coronam, quando veſte inconſutili teinduti fuit, & iterum quando ante crucifixionem detracta ab eo fuit veſtis illa, ſed dicunt iterum impoſitam ei fuiſſe, & nova vulnera feciſſe. Quod etiam indicatur libro primo S. Brigittæ, Cap. 11. *1. Ob veſtium detractionē.* Origin. tract. 35. in Num.

Secundò, graviſſimum onus Chriſto fuit hæc Crux: tum ob ejus pondus (dicunt aliqui eam fuiſſe qui undecim palmorum in longitudine) tum ob Corporis debilitatem, quod tot jam doloribus, ſudore ſanguineo, & tot plagis attenuatum erat, maxima parte Sanguinis effuſa. Ipſa ergo Crux quaſi novum torcular eſt, in quo hoſtus hic electus, Caro Chriſti innocentiſſima iterum preſſa & calcata, novum cruorem exprimit, quo & ipſæ plateæ aſpergebantur ejus veſtigiis ſanguinolentis. Unde & gravitas hujus Crucis ex eo patet, quod ipſo deficiente, Simonem quendam angariarint ut Crucem ferret: quod non fuit pietatis ſed crudelitatis, timebant enim ne Crucifixo non ſequeretur, quam tamen tantopere reſpirabant. Revel. S. Brigittæ lib. 1. c. 1. *2. Ob pondus Crucis.*

Tertiò Crucis pondus ex myſtica ratione conſiderare poſſumus, quia poſuit in illa iniquitates omnium noſtrum, ubi omnia peccata præterita, præſentia, futura; ibi omnes blaſphemiæ, homicidia, ſodomiæ, latrocinia, quæ ab initio mundi fuerunt, vel erunt hæc Cruci ſuperpoſita, incurvant Creatorem Cœli. Peccatum adeò grave pondus eſt, ut unicam animam deprimat uſque in infernum: adeò grave pondus eſt, ut Cœlum licet ſoliditſimum, unicum Angeli peccatum ſuſtinere non potuerit, ſed Angelus pluſquam molari lapide gravatus ſubitò deſcenderit in profundum. De hoc onere peccatorum conqueri videtur Chriſtus: *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem ſuā*, q. d. Peccata comilla ab initio mundi in meos redundant humeros. Adam imponit humeris meis inobedientiam ſuam: Eva concupiſcen- *3. Ob peccata in Cruce poſita.* Pſ. 128. 3.

tiam & infidelitatem: Noe ebrietatem ſuam: Moyſes diffidentiam: Aaron idololatriam: David Superbiam, adulterium & homicidium: Et cæteri quilibet peccata ſua. Sed & impii hactenus prolongant iniquitatem ſuam peccata peccatis addentes, & quaſi ſupra dorſum meum fabricantes. Denique perverti fratres mei Judæ expugnaverunt, & perſecuti ſunt me, à prima ætate uſque ad ultimam, & calumnias fabricati ſunt ſuper me, & iniquitatem ſuam prolongaverunt, donec dorſum meum toe vulneribus oneraverunt, & proſciderunt, & tandem cruce oneratum perſequenter nec ceſſabit iniquitas, ſed prolongabunt illam donec exhauſerint ultimam ſanguinis mei guttam.

Onus ergò Domini Jeſu Chriſti jam ad mortem euntis, non tam crucis onus eſt, quam peccatorum noſtrorum, quæ projecit poſt tergum, ut expiet illa ſanguine ſuo, & tandem velut projiciat, in profundum maris, demergens ea in abyſſum miſericordiæ ſuæ.

Chriſto ergò è Jeruſalem egredienti jam convenientiſſime dicere poſſet Joannes, dicere poſſumus & nos omnes: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Quæ ſingula verba habent emphaſim.

Joa. 1. 29.

Iſa. 53. 7.

Prima enim in græco habetur: *Ecce Agnus ille*. Agnus ſcilicet ille quem Prophetæ prænunciarunt: *Quaſi Agnus coram tondente ſe* obmutuit: Agnus ille quem Patres tot votis flagrabant: *Emitte Agnum Dominatorem terræ ad montem filiæ Sion*. Agnus ille quem lex præſignavit mane & veſperi offerendum, quia Agnus hic in infantia & in fine vitæ ſanguinem debebat fundere. Agnus ille qui in egreſſu Iſrael eſt immolatus, quia hic Agnus Paſchalis eſt, cujus ſanguine liberamur. *Agnus ille occiſus ab Origine mundi*, tum in figuris, tum quia ejus ſanguis profuit omnibus qui ſalvi facti ſunt ab initio mundi. 1. Agnus dicitur ob manſuetudinem eximiam. 2. Agnus dicitur ob perfectam innocentiam. 3. Agnus dicitur ob candorem & puritatem. 4. Agnus dicitur quia à Nativitate deſtinatus ad ſacrificium. 5. Agnus nomine delectatur. Unde ſic eum vocat Joannes in Apocalypſi & quaſi in hoc titulo præ cæteris Chriſtus gloriatur, illum ibi vigeſies ſepties vocat *Agnum*.

Iſa. 16. 1.

Num. 26.

Apoc. 13. 8.

Secundò Agnus Dei dicitur, quia Deo Patre traditus in oblationem pro peccatis noſtris. Vel *Dei Agnus* dicitur, quia ipſemet per voluntariam ſuam oblationem Deo eſt oblatus. Vel *Dei* dicitur, quia Agnus divinus eſt, propter divinitatem inhabitantem, & quia non Agnus profanus eſt, ſed ſacer ad Deum ſpectans, Deo ſpecialiter dicatus.

Tertiò, Qui tollis peccata mundi, quia in ſe recepit omnia peccata, juxta illud: *Peccata noſtra ipſe portavit in corpore ſuo*: Tollere enim dicimur onera, quæ nobis ipſis imponimus: vel tollere, id eſt auferre, quia illa ſuper ſe tollendo, aufert ea a nobis, & abolet in ſanguine ſuo. Tollit verò via meriti & ſatisfactionis, tollit per modum Sacrificii ſive cruenti in Cruce, ſive incruenti in Euchariſtia. Et dicitur *tollit* in præſenti, non verò in præterito *abſtulit*, vel in futuro *tollet*, ut ſignificetur perpetuitas quædam, quia non ſolum in cruce, ſed quotidie tollit, & ſemper omni tempore & loco tollere aptus eſt, & ab omni homine, ſi homo non deſit. Sicut dicimus, *Herba hæc medetur huic morbo*, ſignificantes illi perpetuam & nativam ineſſe vim medendi huic morbo ſi applicetur.

1. Pet. 2. 24.

Quartò, Peccata mundi dicitur tollere non verò certum genus peccati aut unius gentis, ſed omnis ſæculi, ætatis, nationis, totius denique mundi à Primo peccato Adæ & Cain uſque ad ultimum potens eſt expiare.

Tollit peccata mundi quæ univerſa Agnorum veterum, aut aliorum animalium ſacrificia tollere non potuerunt: Impoſſibile fuit, inquit Apoſtolus: *Taurorum aut hircorum ſanguine auferri peccata, idèò ingrediens mundum, dixit: Ecce venio, ut faciam voluntatem tuam, in qua voluntate ſanctificati ſumus, per oblationem corporis Jeſu Chriſti ſemel.* Ita Apoſtolus. Heb. 10. 4

Græca quidem legunt, & aliqui Patres: *Peccatum mundi*; & tunc intelligitur vel univerſum corpus peccati, hoc eſt, omnium vitiorum mundi colluvies: vel peccatum Originale toti mundo commune, concludens omnia vitia in ſe tanquam in fonte, ad cujus abolitionem ſimul cum omnibus ab eo defluxis Chriſtus paſſus eſt, ut interpretatur Janſenius. Janſen. in c. 1. Joan.

De hoc eodem Agno prædixerat Hieremias: *Ego quaſi Agnus manſuetus qui portatur ad victimam*. Hier. 11. 19.

Uni aliqui legunt: *Ego quaſi Agnus Dux vel Dulcor gregis*, ut ſignificetur Chriſtus, qui omnes Martyres, antevit exemplo, & animavit ad mortem fortiter ferendam. Ipſe ergo eſt Agnus Dux tanquam Agnus Dei primogenitus, & ideò amat innocentes, amat virgines, amat martyres, amat mites, amat agnellos, & Agnes, & per manſuetudinem facit eos omnibus hoſtibus & tormentis ſuperiores. Unde veniens huc Agnus in mundum, voluit ſibi infantes agniculos immolari, balantibus matribus, inquit Auguſtinus: *Et hi ſunt qui empti ſunt de terra primitiæ Deo & Agno.* Auguſt. ſerm. de Innoc.

In memoriam hujus Agni ducti ad victimam B. Franciſcus quoties Agnum videbat, vel nominari audiebat, tenero affectu commovebatur, ſolvebatur in lachrymas, & quoties poterat, Agnos qui ad occaſionem ducebantur, redimebat; Intuebatur enim in eis Agnum Dei, à quo ipſe ſuam agninam ſimplicitatem, innocentiam & lenitatem hauſiſſe fatebatur. Fuit ei & ovicula, ſæpius templum ingrediens, cumque in miſſa arroſlerctur Euchariſtia adoranda, adorabat & ipſa genua flectens, caput inclinans, omnibus admirationi, omnes ad reverentiam inflammans. Apocal. 14. 4. Bonav. in ejus vita.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO II.

Prophetia & figura de cruce bajulatione.

Multa Prophetia & Figura de hac Crucis bajulatione præceſſerunt.

Primò de illa prædictum fuit : *Dabo clavem domus David ſuper humerum ejus.* Quæ eſt domus David, niſi domus illa æterna, ſive templum Dei æternum. Crux ergò clavis eſt regia, dominus illius Regiæ. Hanc Chriſtus defert ſuper humeros, tanquam ſignum poteſtatis, quam habet ad aperiendum cœlum, ut illuc nos introducat; & ad aperiendum infernum, ut indè animas educat. Per hanc ergò clavem crucis aperuit Limbum, Davidem cum cæteris Patribus educens, aperuit & cœlum, quandò tanquam Rex gloriæ jubet portas ejus reſeran. Iſa. 22. 21.

Secundò, de illa prædictum fuit : *Factus eſt Principatus ſuper humerum ejus.* Quam Scripturam hic impletam docet Auguſtinus. Quia hoc lignum ſignum erat Principatus ejus, juxtà illud ; *Regnavit à ligno Deus.* Grande, inquit, ſpectaculum, ſed ſi ſpectet impietas, grande ludibrium, ſi pietas, grande myſterium : Si ſpectet impietas, grande ignominiæ documentum, ſi pietas, grande fidei monimentum : Si ſpectet impietas, videt Regem pro virga Regni lignum ſui portare ſupplicii, ſi pietas, videt Regem bajulantem lignum ſemetipſum in eo figendum, quod fixurus fuerat etiam in frontibus Regum. In eo ſpemendus oculis inpiorum, in quo erant gloriatura corda Sanctorum : *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Ita Auguſtinus. Iſa. 9. 6. Auguſt. ſer. 71. de tempore in Joan. Tract. 19. Gal. 6. 14.

Chriſtus ergò egreditur è Jeruſalem cum ſceptro ſuo & ſigno Principatus ſui, tota ſpectante & confluente Jeroſolyma, imò ſpectaculum ipſe, non ſolum hominibus, ſed & Deo & Angelis ejus.

Olim Joſeph ingrediebatur primarium Ægypti urbem cum virga poteſtatis ſuæ, per quam inauguratus erat à Rege. Et ecce tantus factus eſt concurſus, ut filias urbis concurrentes, plateæ non caperent. Super muros & domos & portas & officinas conſcendebant, ut ejus pollent ſpecioſam faciem & majeſtatem contemplari, currebant ejus pulchritudine attractæ, quod ſignificare videtur Scriptura, dum dicit : *Filius accreſcens Joſeph, Filius accreſcens & decorus aſpectu, filiæ diſcurrerunt ſuper murum.* Venitæ filiæ Jeruſalem, & ſpectate egreſſum ex urbe veſtra illius qui eſt *ſpecioſus inter filios hominum.* Illo egrediente omnis decor, omnis ſplendor egreditur. Ipſe eſt Joſeph *filius accreſcens,* de quo dixit Joannes : *Illum oportet creſcere, me autem minui :* Joannes minutus eſt in capite, ille autem crevit in cruce, inquit Ambroſius. Spectate ergò eum portantem in humeris virgam majeſtatis ſuæ, per quam ejus nomen toto debet orbe creſcere. Gen. 49. 22. Joan. 3. 30 S. Ambr.

Sed forſitan non agnoſcitis in hoc egreſſu ejus ſpeciem & pulchritudinem, in qua proſperè procedit & regnat, quia illa tot plagis & vulneribus eſt conſpurcata, quia ipſe potiùs tanquàm leproſus toto corpore commaculatus & contaminatus ejicitur extra caſtra, & tanquam infamis malefactor, vehit ſecum ignominioſum lignum, ſub quo fellus languet, ſuſpirat, fatiſcit, concidit.

Flete ergò filiæ Jeruſalem ſuper illum, ſed non tanquam ſuper vulgarem hominem, & coactum pati ut imbecillem, has enim lacrymas ipſe repudiat. Flete affectu non tantùm humano, ſed altiori, tanquam ſuper eum, qui languores veſtros languidus ipſe portat, & pro vobis patitur. Flete ſuper vos ipſas, quia venient dies, in quibus dicetis : *Beata ſterilis, quæ non pepererunt* : Hoc fiet in urbis veſtræ deſtructione, in qua tot millia peribunt, alii fame, alii peſte, alii ut mancipia vendentur pro 30. denariis, in pœnam, quia à Juda triginta eum argenteis emerunt. Flete ſuper hoc filiæ Jeruſalem, rivi ſanguinis erunt in civitate veſtra. Aperientur viſcera maritorum ad ſcrutandum, an in illis non lateat aurum. Matres cogentur comedere filios præ fame. Avellentur à vobis parvuli & allidentur ad murum. Et hæc quidem omnia, quia hunc ſic ejicitis, & non agnoſcitis Regem veſtrum.

Egreditur ergò Chriſtus ex civitate, ſed neſcio, an tanquam is, de quo triumphus agitur. Solebant Reges bello domiti, ante triumphantis currum vincti trahi, trahebantur & per terram ſigna bello capta, ipſique undique pompâ & multitudine circumfuſi ducebantur cum ignominia. An non ergò diceres de Chriſto triumphum agi ignominioſum, dum vinculis ligatum, ſpinis coronatum, mille ludibriis affectum, per mediam trahunt Jeruſalem, ad montem fœtidum, ad crucis patibulum?

Sed ſi triumphus eſt, certæ charitatis triumphus eſt, de quo Bernard. *O amoris vim! Itanè ſummus omnium, viliſſimus factus eſt omnium? Quis hoc fecit? Amor dignitatis neſcius dignatione dives, affectu potens, ſuaſu efficax. Quid violentius? Triumphas de Deo amor. Quid tamen tam violentum? Amor eſt. Qua eſt iſta vis, qui ajo, tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam?* Ita ille. Bernard. ſerm. 64. in Cant.

Traxit ergò illum amor ſi Cœlo in uterum Virginis quaſi vinctum, & de utero in præſepe, & de præſepi, tot annis in hoc mundo vinctum circumduxit; denique per tot dolores ad crucis patibulum ignominioſè eum trahit. Hic eſt triumphus amoris. Hinc ubi nos in Canticis habemus : *Ordinavit in me charitatem.* Alia lectio habet : *Poſuit ſupra me vexillum amoris.* Eſtque Metaphora deducta à militibus, qui cum arcem aliquam obſidione ceperunt, ſuper eam vexillum figunt in ſignum victoriæ. Sic dum anima Chriſti vexillum ſuprà ſe poſitum fatetur (vexillum amoris, lignum crucis) ſignificat ſe ardenti charitate victam & ſuperatam. Si tamen perfectiùs hunc egreſſum conſideremus, reperiemus Chriſtum non tam in triumphum duci, quàm ipſum eſſe Triumphatorem, cujus triumphum Cant. 2. 4.

Digitized by Google

triumphi ſignum diximus eſſe hanc coronam. Et ipſa Crux currus triumphalis eſt, per quem de diabolo triumphat, ibi illum figens in æternum. Hoc ſignificat Apoſtolus dicens : *Chirographum decreti contrarium nobis tulit de medio, affigens illud cruci, expolians principatus, potestates triumphans eos in semetipso.* Origenes legit, *Triumphans eos in ligno.* Unde duos fuiſſe cruci affixos, Chriſtum viſibiliter & ſponte ſua & ad tempus, diabolum inviſibiliter & invitum, & in ſempiternum ejus opprobrium. Et hoc probat Origen. ex hoc loco Pauli, qui utitur Metaphora triumphi, indicans Crucem eſſe currum triumphalem, in cujus ſumma parte ſedet Chriſtus triumphator, in ima parte trahitur diabolus, & oſtentatur quaſi in pompa.

Origen. hom. 8. in Jeſue.

Idem ſignificare videtur Abacuc, dum de crucis cornibus loquens, dicit de Chriſto : *Cornua in manibus ejus, ibi abſcondita eſt fortitudo ejus, ante faciem ejus ibit mors, & diabolus ante pedes ejus* ; tanquam ſcilicet in triumphum ignominioſe ante eum tractus. Ecce ergò Chriſtus, non tam hic victus, quam triumphans in bajulatione ſuæ crucis.

Abac. 3. 4.

Implentur hic quoque multæ figuræ.

1. Ecce enim Iſaac ligna portans ad ſacrificium, & montem aſcendens, quem Pater ſequitur cum igne & gladio, quia Pater æternus comitari hic videtur Filium cum gladio Juſtitiæ, per quem immolari debet in holocauſtum ; & cum amoris igne, quia propter amorem noſtrum ibi immolaturus eſt illum, ita ut hic dicere poſſimus illud : *Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo,* montem Calvariæ aſcendente. 2. Ecce Abel, qui educitur à Fratre, ut ejus ſanguinem fundat. Chriſtus enim educitur à Judæis Fratribus ſuis, & terra ſuſcipiet ſanguinem ejus. Et ſicut Cain in pœnam ſanguinis effuſi, profugus factus eſt, ita & Judæi in pœnam ſanguinis Chriſti, toto ſunt orbe profugi. 3. Ecce David procedit contra Goliath cum baculo ſuo, & ſtatim quinque vulneribus, quaſi quinque ſelectis lapidibus, victum ſibi ſternet. 4. Ecce Salomon, humeris ſuis geſtans Regium Thronum. 5. Ecce ſponſus ſanguinem ſuum deferens nuptialem Thalamum. 6. Ecce Judex ſuum trahens Tribunal, in quo judicabit juſtum & impium. 7. Ecce Doctor Juſtitiæ ſuam erigens Cathedram, in qua tradat perfectionis doctrinam. 8. Ecce denique Dux, & Vexillum erigens, omnes ad ſua caſtra convocans, Reges, & Regna, omnesque nationes, hoc vexillo ſibi ſubjiciens, de quo prædixerat Iſaias : *Et levabit ſignum in nationes, & congregabit profugos Iſrael, & diſperſos Juda colliget à quatuor plagis terræ,* de quo etiam loquitur c. 49.

Genes. 22. 6.

Abac. 3. 13

Gen. 4. 8.

1. Reg. 17. 34.

Iſa. 11. 12.

PROPOSITIO III.

Crux ſua cuivis Chriſtiano bajulanda

Debet Chriſtianus quilibet poſt Chriſtum Crucem bajulare.

HOc ſignificatum fuit in Simone Cyrenæo, cui Crux impoſita fuit. Latebat enim ibi myſterium à Deo intentum, quia voluit hoc facto gloriam Crucis à Judæis ad gentes transferre : & in perſona Simonis Gentilis nobis omnibus portandam dare, ut fructuum ejus paticipes eſſemus. Matth. 27. 32.

Simon ergò, qui interpretatur obediens, quilibet fidelis eſt, qui ex obedientia Cruci ſe ſubjicit, ut Chriſtum ſequatur.

Chriſtus itaque bajulans Crucem Dux noſter, videtur omnibus clamare, quod olim Abimelech Princeps terræ ſuis militibus : Præſcidit ipſe tamum arboris, & poſuit in humeros ſuos, & inclamavit ; *Quod me videtis facere, facite.* Ita & Chriſtus nobis militibus ſuis, quod olim verbo, nunc facto clamat : *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Judic. 9. 48. Matth. 16. 24.

Sequamur ergò Imperatorem noſtrum extrà caſtra, inquit Apoſtolus, improperium ejus portantes : ſequamur viam quam initiavit nobis, ſequamur membra, caput. Si caput noſtrum ſpinis coronatum, cruce oneratum incedit, non decet nos ſub tali capite, membra eſſe mollia & delicata : Si ipſe uſque ad ſanguinem, uſque ad extremum ſpiritum, contra peccatum pro nobis pugnat, & nos quoque uſque ad ſanguinis effuſionem pugnare oportet, & peccato reſiſtere. Quapropter iterum monet Apoſtolus : *Deponentes omne pondus & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in auctorem fidei & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem confuſione contempta.* Recogitate, inquit eum, ut non ſitis animis deficientes, nondum enim uſque ad ſanguinem reſtitiſtis, contra peccatum. Vides quid ſit ſequi Chriſtum, & cum ipſo bajulare Crucem. Heb. 12. 1.

Cum David è Jeruſalem egrederetur, ob perſecutionem filii ſui Abſalon, dicit illi fidus ille ſenex Ethai : *Vivit Dominus, quoniam in quocunque loco fueris, Domine mi Rex, ſive in morte, ſive in vita, ibi erit ſervus tuus.* Ecce quanta fidelitas ! O ſi fidem hanc ergà Regem noſtrum Chriſtum ſervaremus : & ex corde idem ei dicere poſſemus ! Sed multi eum ſequuntur uſque ad fractionem panis, pauci uſque ad bibendum calicem paſſionis. Multi deſiderant eſſe ſocii menſæ ejus & conſolationis ; pauci ſocii eſſe patientiæ & tribulationis. Multi cum ipſo cupiunt eſſe in monte Thabor in gloria, pauci in monte Calvariæ in ignominia : amatores ſunt regni ejus, ſed non ſunt amatores Crucis ejus. Et tamen non eſt alia via ad Cœlum, niſi via Regia S. Crucis. *Hæredes quidem ſumus Dei, cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, ut & glorificemur*, inquit Apoſtolus. 2. Reg. 15. Rom. 8. 17

Cùm Sponſa dixiſſet Thronum Salomonis eſſe auro & argento exornatum, dicit ad eum nemine pervenire, niſi per *Aſcenſum purpureum*, ſignificans animam, quæ cœleſti ſuo ſponſo in throno gloriæ cupit ſociari, debere per ſanguinem & perſecutionem & afflictiones illuc aſcendere, & Cant. 3. 10

non

non eſſe iter ad gloriam, niſi per crucem & labores pro Chriſto paſſos, & cum Chriſto.

Luc. 9. 23. Marc. c. 8. 34. Ideò ergò ipſe omnibus inclamat: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucẽ ſuam, & ſequatur me.* Nec hoc ſolùm dicit perfectis aut Religioſis, expreſsè enim dicit Lucas: *Dicebat ad omnes*, & Marcus dicit Dominum peculiariter, & ſeorſum diſcipulos ſuos alloquentem, cum hanc ſententiam vellet proferre, convocaſſe turbam. Sed hujus ſententiæ breviter ponderamus verba ſingula.

Primò dicit: *Si quis vult*, q. d. Inter tot, eſtne aliquis? Indicat ergò paucitatem ſequentium, quia multi ſequuntur vocem mundi, & carnis ad mollia & ſuavia illectantis, & ad latum iter perditionis convocantis; pauci vocem Chriſti ad dura & auſtera, ad crucem vocantis, tanquàm ad ſecurum iter ſalutis. Toto corde univerſus Iſrael ſequitur Abſalonem, Patri Deoque rebellem; pauci Davidem verum Regem afflictum aſcendentem clivum Olivarum.

Indicat quoque in noſtra eſſe poteſtate & voluntate ſequi Chriſtum, dum dicit: *Si quis vult*, & ſalutem noſtram à noſtra pendere voluntate, quæ auxilio Dei nobis parato poteſt uti & cooperari, vel illud poteſt negligere vel rejicere. Opes & honores temporales licet velimus, ſæpè aſſequi non poſſumus, faciunt ſibi alas, & à nobis avolare videntur, dum putamus eas apprehendere: at opes cœleſtes ſi volumus & conamur, aſſequimur.

Indicat denique illis verbis: *Si quis vult*, non ſe invitos trahere & cogere, cùm tamen poſſet fortis & omnipotens; ſed ut ſit homini meritorium, voluit ad ſuam ſequelam volentes venire, nolens hominis libertatem infringere, ſuavi ſuâ providentiâ, noſtræ ſe attemperat naturæ, attingens fortiter, diſponens ſuaviter, fortiter pro ſe, ſuaviter pro me, inquit Auguſtinus. Fortiter quantum ad efficaciam gratiæ, ſuaviter, quia ſine liberi arbitrii læſione. Sic veritatem habet ænigma Samſonis in efficacia gratiæ & vocationis divinæ: *De forti egreſſa eſt dulcedo.*

Judic. 14. 14. Dicebat Jehu ad quendam: *Eſt ne cor tuum rectum cum corde meo? ſi eſt, da mihi manum, & aſcende mecum in currum.* Sic Chriſtus; Eſtne cor tuum rectum cum corde meo, id eſt: Idcirne quod ego, cogitas & cupis? Ego tuam ſalutem cupio ſi & tu, da mihi manum & levabo te, ut in currum crucis mecum aſcendas, & ſic ſalutem aſſequeris.

4 Reg. 10. 15.

Secundò dicit: *venite poſt me.* Ubi notant aliqui differentiam locutionis in veteri & novo Teſtamento. Antequam enim noſtram naturam ſumeret, dicebat Patribus antiquis: *Ambula coràm me.* hoc enim dixit Abrahæ & Scriptura dicit: *Ambulavit Noe cum Deo.* Et Ezechias: *Memento Domine quomodo ambulaverim coràm te.* Sed homo factus dicit: *Venite poſt me.* Illi agebant & patiebantur non habentes exemplum prævium patientiæ & laboris; Chriſtus autem paſſus eſt, nobis relinquens exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus. Vis hujus rei ſignum præclarum? Ex duobus illis, qui racemum uvæ portabant, is qui præcedebat, uvam videre non poterat aut edere, qui ſequebatur, viſu poterat frui & eſu; ſic populus Judæus Chriſtum cœleſtem racemum nec vidit, nec edit, id eſt, nec ejus divinis exemplis fruebatur aut doctrina, nec eum in Sacramento manducavit. Sed populus Chriſtianus, qui eum ſubſequitur, ante oculos defert, ejus fruitur doctrina, exemplis, Sacramentis. Verùm qualis confuſio, dum in antiquo populo, tot mitæ ſanctitatis viri extiterunt, cùm tale exemplar, nec tale auxilium gratiæ haberent, quale nos, & tamen ſumus adeò tepidi & torpidi.

Gen. 17. 1. Gen. 6. 9. 4 Reg. 20 3.

Tertiò dicit; *Abneget ſemetipſum.* Abnegare ſemetipſum, eſt abjicere veterem hominem cum cupiditatibus & concupiſcentiis ſuis, ſive ſeipſum & ſuas cupiditates pravaſque propenſiones coërcere, abſcindere, & à ſe rejicere. Abneget ergò homo ſemetipſum, interior ſcilicet exteriorem, negando ei voluptates & cupiditates. Undè Euſebius Emiſſenus: Abnegare inquit ſe, eſt non eſſe eundem qui priùs, ſi antea detractor, invidus, avarus, impudicus, cùm illis ſceleribus renunciavit, negavit ſeipſum. Abnegare ſemetipſum iterùm eſt propriam voluntatem relinquere, & in holocauſtum Deo mactare.

Quartò dicit, *Tollat Crucem ſuam.* Quid eſt tollere crucem ſuam, niſi ea, quæ nobis moleſta ſunt & adverſa lubenter pro Chriſti nomine tolerare? Tollere crucem ſuam, inquit Baſilius, eſt ad mortem pro Chriſto ſe præparare, mortificare membra noſtra ſuper terram ad omne periculum, pro Chriſti nomine ſuſcipiendum, ſedato animo accedere, & erga præſentem vitam affectum non eſſe. Dicit verò *Crucem ſuam*, quia cuilibet propria quædam crux commenſa eſt, & à Chriſto impoſita: quia quilibet ſtatus habet aliqua adverſa & dura ſibi adjuncta, vel ex natura ipſius ſtatus vel aliundè advenientia: ita ut rectè dixerit Boetius: *Nemo eſt adeò compoſitæ mentis, quin cum ſuo quandoq; ſtatu rixetur.*

Crux gravis eſt V. Exem. tract. 3. lect. 9. propoſ. 2.

1. Gravis crux Regibus & Principibus ſunt eorum ſceptra, quæ adeò hominibus videntur amabilia, dum illis onus adjungitur & cura totius Regni, dum ſuper ſe velut orbem portant, dum omnes audire, omnibus juſtitiam adminiſtrare, omnium jura tueri tenentur, & præter exteriora multa adverſa, quæ in eos incurrunt, etiam procaces & maledicas civium audire voces coguntur.

Urbanus VII.

2. Gravis crux Prælatorum & Paſtorum Eccleſiæ, pedum, & Tiara quâ ornantur, annexam habens gravem obligationem gregem docendi, viſitandi, curandi, & pro illo reſpondendi. Unde & Urbanus VII. cùm Pontificali habitu indueretur, dixiſſe fertur: *Quis credat tam fubtili indumento tantum ponderis involvi?* Propterea etiam dicebat Rex quidam dum coronâ Regia decorandus foret: *Quàm ſpecioſa videris gemmis ornata, ſed ſi quis plenè agnoſceret ſpinas & curas, quæ ſub gemmis tuis latent, nec de terra vellet tollere.*

Seleucus Rex.

Numer. 13. 4.

3. Gravis Crux Religioſorum, jejunium, orationes, vigiliæ, obedientia, mortificatio continua.

4. Gravis Crux Sacerdotum etiam ſolùm breviarium, ſive obligatio horas ſolvendi, caſtè vivendi, ſtudiis incumbendi, confeſſiones audiendi.

5. Gravis Crux Conjugatorum, mulieri morosæ junctum eſſe, familiam alere, filiis & filiabus providere.

6. Gravis Crux Ruſtico, ligone, aut ſecuri, aut trulla, aliæque artis inſtrumentis vitam ſuam in ſudore ſuſtentare.

Hanc verò Crucem omnes ſi propter Chriſtum tollant, non verò murmurantes trahant, habent quod præmium expectent; omnisque qui laborem aut perſecutionem pie tolerat, eſt in conſortio Chriſti crucem ferentis. Vide totum Caput. 12. Thomæ à Kempis in lib. 2. de Imitat.

Thom. à Kemp. li. 2. de Imitat. c. 2.

Denique addit: *Et ſequatur me.* Quia multi crucibus onerati incedunt, ſed non in ſequela Chriſti. Afflictio quam avarus ſubit pro pecunia, ambitioſus propter honorem, libidinoſus ut carni indulgeat, graves ſunt cruces: ſed dæmonem ſequuntur. Et ideò de cruce in crucem, & tandem in æternam cadunt crucem, & Sathanæ veri Martyres ſunt.

Cùm etiam dicit: *Sequatur me*, ſignificat oportere perſeveranter crucem tollere, Chriſtum imitando. Multi enim ſtatim deficiunt, jejunium, mortificationem, pietatis exercitia, ſtatim relinquunt. Hi Chriſtum non imitantur, qui uſque ad extremum ſpiritum non defecit, quem ſi adeò perfectè ſequi non poſſumus in mortificatione, jejunio, patientia, humilitate, pro poſſe tamen debemus.

Gen. 33. 14.

Dicamus ergò ei quod Jacob ad fratrem: *Præcedat Dominus meus, ſequar, ſicut parvulos meos videro poſſe, donec veniam ad Dominum meum.* Sic nos fratri noſtro Chriſto: Sequar te Domine juxta imbecillitatem meam, quia tecum paritet currere non poſſum; nec enim ut tu jejunare, vigilare, orare, totis noctibus poſſum, ob virium debilitatem; ſequar tamen quomodò potuero & non deficiam. Suſcepi de manu tua crucem, non deſeram eam, tecum in illa confixus ſum, non deſcendam uſque ad mortem.

Exempl. ex Plut. l. 3. de bono ſtatu Religioſ. c. 34.

Præclarum talis reſolutionis exemplum exhibuit quondam Albertus Comitis Falckemberg. filius, qui cùm Lutetiam miſſus eſſet, ut cum filiis Regiis educaretur, ille ad cœleſtem militiam, ad Ordinem Prædicatorum tranſivit. Rem ſciens Pater ſtatim advolat, & omnes conatus ad filii voluntatem expugnandam intendit, ſed fruſtrà, quia illa in Chriſto immobiliter fixa erat. Accedit ad eum Theodoricus Conſobrinus, qui lachrymas, preces, argumenta denique omnia adfert, aſſerens Matrem ejus moribundam decumbere hoc nuncio conſternatam. Sedebat ille è regione imaginis cujuſdam repræſentantis Chriſtum inter Matrem & Joannem in Cruce pendentem, igitur oculos & digitum in eam imaginem intendens: *Ecce*, inquit, *Dei Filius. cùm Matrem & cognatum tam charum doloris gladio confoſſum cerneret, tamen è cruce (quod poterat) non deſcendit, ſed in ea cum ſuo & illorum cruciatu uſque ad mortem manſit. Ita nec ego, hanc Religioſæ vitæ crucem deſeram unquam, licet & Matrem & te Cognatum ad pedes meos examines jacere viderem. Potius ergò tu mundi pericula derelinque, & in hanc eandem Crucem conſcende.* Tantum valuit hic ſermo, ut ille eundem Ordinem ſit ingreſſus tota ſtupente civitate, quia vanitatibus mirè obligatus agnoſcebatur.

Sed dicunt multi: *Durus eſt hic ſermo*, abnegare ſeipſum & tollere crucem. Sed ipſi duri ſunt, non ſermo. Nec cogitant hæc verba ab illo venire, qui verba æternæ vitæ habet, & verba ejus ſpiritus & vita ſunt. Scire etiam debent, quod omnis qui in Chriſti Societate crucem tollit, per ejus gratiam ſuaviter poteſt eam tolerare. Omnes enim labores & aſperitates, ejus gratia dulcorantur; Sicut farina Prophetæ dulcem effecit cibum qui mortifer videbatur. Et lignum Moyſis aquas Mara dulces fecit. 4. Reg. 4. 41.

Fugiunt hi crucem ſicut Moyſes virgam, putans colubrum, ſed apprehendens juſſu Dei, invenit virgam, quæ ei ſolatio fuit, qua hoſtes ſuperavit, & omnia vitæ impedimenta. Ita crucem iſti apprehendunt & horrent quaſi ſerpentem, omnemque pœnitentiam & aſperum laborem horrent, ſed ſi animo reſoluto accederent, crux eis & pœnitentia ſolatio foret, & per illam omnes hoſtes ſuperarent, & omnia æternitatis impedimenta diſſolverent. Exod. 17. 25.

Suavis ergò eſt Crux, licet exterius non appareat, quia intus habet unctionem. Unde dixit Bernardus: *Certè & Crux ſpecioſa eſt, & Crux amari poteſt, & Crux habet exultationem. Ita eſt Fratres mei, ſi fuerit qui colligat ſemper lignum Crucis, vitam germinat, fructificat jucunditatem, oleum lætitiæ ſtillat, balſamum ſudat ſpiritualium Chariſmatum. Non eſt ſylveſtre arbor, lignum vitæ eſt apprehendentibus eam, arbor frucifera, arbor ſalutifera eſt, aliàs quomodò dominicam occuparet terram?* Bernard ſer. de S. Andrea.

Hinc eſt quod Sancti tantopere Crucem amarunt. 1. Habes quomodò S. Andreas, eam ſummo amore ſalutarit, in qua & ipſe Domino ſe conſecravit. Vide Brevianum 30. Nov.

2. Amavit Petrus, in qua capite deorſum ſuſpenſus eſt.

3. Amavit Bartholomæus, qui vivo corpore, detracta pelle, Cruci eſt ſuffixus, & poſtea abſciſſo capite eſt extinctus.

4. Amavit S. Sixtus, qui poſt carcerem etiam Cruci affixus fuit.

5. Amavit D. Dionyſius qui poſt plurima tormenta in Crucem ſublatus fuit, ſed ex illa depoſitus capite cæſus, illud ad duo millia paſſuum geſtavit.

6. Alii, qui martyrium Crucis non ſunt paſſi, Chriſto

Digitized by Google

Christi cruci confixi & uniti fuere per mortificationem, per amorem & jugum crucis tolerantiam. Sic Paulus, sic Franciscus, qui in illa sola professi sunt se gloriari.

Exempl. Suntur in ejus vita.

Præclarum est, quod de B. Clara de Monte Falco legimus. Illa in Jesu crucifixo, sive vigilans sive dormiens hærebat, figens cordi per compassionem graves ipsius dolores. Cùm semel in hoc foret exercitio, graviter confixa, apparuit ei juvenis humeris ferens crucem, & dixit: *Filia mea Clara, quæsivi locum solidum in quo hanc Crucem plantarem, & inveni cor tuum, ibi eam figere volo; oportet ergò ut moriaris in hac Cruce, si filia mea & hæres mea esse.* Adeò cordi impressum exinde habuit Passionis mysterium, ut aliquot annis, quicquid comedebat vel bibebat, amarum ei foret in memoria Passionis, nec de illa sine lachrymis loqueretur, & quicquid videbat, intelligebat, dicebat, videbatur respersum felle crucis Christi. Et ex hac visione creditur, quod signa crucifixi impressa fuerint castæ Virginis cordi, ex eo enim tempore sensit graves dolores stomachi. Undè post ejus mortem, in corde inventus fuit crucifixus, cum tribus clavis & lancea, spongia, arundine, ex una parte cordis, ex altera verò erant flagella quinque cuspidata, & columna cum corona spinea, erantq; hæc omnia signa, quasi nervi quidam fortes, miro artificio concinnata

---

LECTIO XX.

DE QUINTO MYSTERIO DOLOROSO.

1. *Docet mysteria contenta in cruce Christi.*
2. *Quam acerbos tulit dolores in crucifixione.*
3. *Quomodò elevatio hæc in Crucem figurata fuerit.*

2. Mysterium dolorosum.

QUintum Mysterium dolorosum dicitur Christi in crucem elevatio, in qua fuit dolorum excessus & consummatio. In hac Cruce elevatus, videtur etiam vocem lamentabilem inter acerbissimos hos cruciatus elevare, & ad cordis nostri ostium pulsare, & intonare illud Thren. *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, si est dolor sicut dolor meus*: Omnes nos sumus viatores transeuntes ad Jerusalem; ad nos omnes ergò dirigitur: O qui transitis, gressum sistite! O vos mortales attendite, & figite cordis vestri oculos in me, qui pro vobis tanta patior! Estne a sæculo visum vel auditum, quod talia quis passus fuerit? An aliquid amplius à me desiderari potest, quod pati possim? Ipsi ergò vulnera, dolores, cruciatus ad vos clamant, ut attendatis, quis patitur, pro quo patitur, qualia, & quo amore patitur, ut non sitis ingrati, sed per compassionem condoleatis, nec permittatis tantos dolores frustra exantlatos, dum ad perditionem curritis.

Thren. 1. 12.

PROPOSITIO. I.

Crux hæc Christi multa continet mysteria.

Crux continet multa mysteria.

PRimò, juxtà Augustinum, in figura crucis totam significat perfectionem Christianam: Nam profundum significat fidem, sublimitas spem, latitudo charitatem, longitudo perseverantiam, & in his ustersectio consistit, & quatuor cornua crucis sunt velut scutum, quo protegamur à tentationibus contra has virtutes.

Vide D. Thom. 3. p. q. 46. artic. 4.

Secundò, figura Crucis significat Passionis Christi effectum, nam lignum supremum, significat cœlum Passione Christi apertum: inferior pars infernum evacuatum: transversum lignum respiciens ortum & occasum, significat totum mundum per crucem redemptum, & ideò crucifixum adorant cœlestia, terrestria, & infera. Ita Gregor. Nyssen.

Tertiò, figura Crucis juxta D. Hieron, significat formam quadratam mundi: Orientè significat pars superior: Occidentem inferior: Septentrionè pars dextra: Austrum, pars sinistra. Sic enim dicit D. Hieron. Species crucis, quid nisi pars quadrata mundi: Oriens de vertice fulget, Arcton dextera tenet: Auster in lævа consistit: Occidens sub plantis firmatur. Undè quod dicit Apostolus: *Flecto genua mea ad Patrem Domini Jesu Christi, ut in charitate radicati, & fundati, possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo & longitudo, & sublimitas & profundum*, indicat quatuor dimensiones, quæ juxtà supradicta cruci applicari possunt.

Hieron. in cap. 15. Marc.

Eph. 3. 14.

Quartò, alio sensu, Longitudo crucis sivè mysterii crucis & redemptionis, est æterna ejus prædestinatio: Latitudo est vis, qua se extendit ad omnes gentes & homines, qui fuerunt ante legem, in lege, & post legem: Profundum est vis crucis ad infernum descendens, cùm animas è Limbo & Purgatorio liberavit: Sublimitas est vis, qua eas & alias complures in cœlum subvexit.

Quintò, has dimensiones sic cruci applicare possumus, dicendo, quod Crucifixus, illi communicarit longitudinem, id est, æternitatem, ut virtus crucis æterna sit, & quasi trophæum in cœlis perduret in æternum: communicarit etiam suam latitudinem, id est, potentiam, quia per infirmitatem crucis & mortis potentissimos hostes vicit & contrivit: communicarit etiam suam sublimitatem, id est, majestatem, ut crux ab omnibus adoretur: communicarit denique suum profundum, id est, sapientiam suam, quæ mirè elucet in cruce Domini; dum non tam potentia, quàm sapientia sua per crucem satisfecit & redimit hominem; ut qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.

Alii alia mysteria in hoc meditantur, quod putent crucem fuisse ex diversi generis lignis, quæ & ipsi diversimodè nominant. Aliqui enim ex Cedro, Pino, Cypresso, alii ex Oliva, Palma, Buxo, crucem confectam fuisse dicunt. Denique aliqui putant lignum, ex quo facta est crux, inventum

fuiſſe in probatica piſcina, quaſi illa habuerit ex illo ligno virtutem ſanativam : Sed quia hæc nulla ſatis ſolida authoritate nituntur lubens prætereo,

Undè veriſimilis dicitur ex quercu fuiſſe, tum quia arbor magis obvia eſt, tum quia particulæ diverſis locis ſervatæ, videntur ſolidatæ, forma, colore, quercum referre. Eſtque quercus multis in Scripturæ myſteriis nobilis.

Gen. 18. 10. Subter eam enim pepegit Deus fœdus cum Abraham, ibi promiſſio fuit de ſobole Iſaac, ibi peregrini habitu viſus eſt : Item Joſue fœdus inter Deum & populum innovans, quo promittebant ſervire Deo, ejectis Diis alienis, tulit lapidem grandem, & poſuit ſubter quercum, quæ erat in Sanctuario Domini : Item Jacob defodit idola ſub quercu, ut idolatriam aboleret, nam quod Latinus Interpres dixit *ſubter Terebinthum*, Hebræa habet *ſubter quercum*, & ſignificatur nos omnia idola noſtra, voluptates, cupiditates, peccata, paſſiones debere refodere ad pedes crucis & crucifixi, & ibi cum illo fœdus ſacrum paciſci.

Gen. 35. 4.

Notant verò Patres, voluiſſe Deum figuram crucis ab initio in oculis hominum continuò verſari, eò quod crux electa erat inſtrumentum Redemptionis. *Conſiderate*, inquit Juſtinus, *omnia quæ in mundo ſunt, an ſine hoc Crucis ſigno gubernentur. Mare non ſcinditur, niſi iſtud trophæum, quod malus dicitur, ſalvum in navi maneat. Terra non aratur ſine eo: Foſſores & alii operarii in ſuis inſtrumentis formam ejus referunt. Statera habet Crucis effigiem. Aves volantes extenſis alis imitantur Crucem.* Homo natans formam Crucis aſſumit, ſicut & piſces, ut notat Hieronymus. Veru quo Agnus allabatur, crucis ſpeciem præ ſe ferebat, inquit Juſtinus. Moyſes virga in ſimilitudinem crucis percuſſit mare, ſalvans Iſraelem, ſubmergens Pharaonem, inquit Damaſcenus. Item bis petram percuſſit in modum crucis, & nullum ferè ſignum fecit ſine crucis Sacramento juxtà Auguſt.

Juſtinus
Hieron.
Juſtinus.
Damaſc.
Auguſt.

Præcellerat etiam figura crucis in arcu cœleſti, qui ſignum fuit fœderis inter Deum & Noe, ut poſtea dicemus. In manibus Moyſis expanſis contra Amalech, per quod ſignũ dabatur victoriæ populo Dei. In ſigno Tau, quod frontibus gementium, hoc eſt pœnitentium, impreſſum fuit.

Gen. 9. 13. Exod. 17. 11. Ezech. 9. 4.

Hæc verò omnia præceſſerunt, ut jam ab initio (ut dixi) ſignum illud Redemptionis in memoria hominum & oculis eorum verſaretur. In novo verò Teſtamento ob eandem cauſam ubique vexillum crucis erigitur, in locis & viis publicis, in ingreſſu templorum ſtatim occurit, in omnibus actionibus noſtris prævie formatur à veris fidelibus, quia vita veri Chriſtiani in crucifixi memoria frequenti debet verſari.

Exempl. de B. Didaco.

Præclarum hujus rei exemplum præbuit B. Didacus, Ordinis Minorum Laicus, cujus totum ſolatiũ & meditationis objectum erat in cruce & Paſſione Domini : Hanc meditabatur brachiis in modum crucis compoſitis tam tenero & ardenti affectu, ut poſteà memor eorum, quæ ſenſerat mira efficacia proferret de tormentis Chriſti in cruce. Ideò inter manus ſemper gerebat crucem ligneam ut ſemper in memoria & oculis haberet crucifixum, omni hora in ſe & in iis, qui cum ipſo converſabantur, excitans conſiderationem Paſſionis Chriſti, ita ut poſſet dicere illud Apoſtoli : *Judicavi me nihil aliud ſcire inter vos, niſi Jeſum, & hunc Crucifixum.* 1. Cor. 2. 2. Conſideratione crucis ejus ſummo ardore ferebatur ad martyrium, ut poſſet dicere. *Chriſto confixus ſum Cruci.* Gal. 2. 19. Undè etiam procuravit ſibi licentiam eundi ad infideles, in Canariam magnam, ſed ibi martyrio non animus defuit, ſed animo martyrium. Tandem Deus gravi apoſtemate cum morbo affixit, cumque morti vicinus foret, crucem amplexus & oſculatus (quæ juxtà caput ejus ſemper pendebat, & in vitale lignum oculis defixis verba illa, magno pietatis ſpiritu pronucians : *Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera, quæ ſola fuiſti digna portare Regem Cœlorum*, ſanctam Deo animam reddidit.

PROPOSITIO II.

In hac Crucifixione novos & acerbiſſimos dolores tulit Chriſtus.

In Crucifixione acerbos tulit Chriſtus dolores. Pſal. 21. 18

RAtio eſt, quia nova crudelitas fuit in manuum ac pedum tranſfixione, gravis violentia & dolor dum clavi fiduntur in his locis nervoſis. De hoc videtur conqueri Chriſtus: *Dinumeraverunt omnia oſſa mea, foderunt manus & pedes meos.* Quod aliqui interpretantur ſic fuiſſe divulſa Chriſti oſſa, dum violenter trahuntur ejus brachia, figendis clavis aptanda, ut totius corporis facta fuerit extenſio, ita ut etiam oſſa ejus dinumerari poſſent.

Certum eſt vehementiſſimos ibi fuiſſe cruciatus ut rectè dicat Propheta de Chriſto : *Aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti, non eſt ei ſpecies, neque decor, vidimus eum & ſpectum, & noviſſimum virorum, virum dolorum.* Iſa. 53. 2.

Deſcribit hic Prophetа vivam imaginem Chriſti in virgulto Crucis Crucifixi & deformati. Et rectè dicitur, *Vir dolorum*, qui in omnibus membris & ſenſibus indicibiles toleravit dolores, qui in capite tulit coronam illam crudelem, in oculis velamen, in auribus convitia, in ore fel & acetum, in facie ſputa & alapas, in genis vellicationem, in humeris crucem, in corde mœrorem, in viſceribus concuſſionem, in corpore flagella, in membris extenſionem, in manibus & pedibus confoſſionem, denique à capite ad pedes, dolores & vulnera ſine numero.

Secundò rectè dicitur, *Vir dolorum*, & quidem ſic ſolus nominatur : alii enim Sancti doloribus etiam afflicti fuerunt, ſed non ſicut ipſe. Fuit Abel afflictus à Cain, Iſaac ab Iſmaele, Jacob ab Eſau, Joſeph à propriis fratribus, David a Saule & Abſalone, Elias à Jezabele. Sed ipſe Chriſtus omne genus doloris ſenſit. Illi ſuos dolores ferebant, Chri-

Christus & suos & omnium hominum propter amorem eorum, ut & hominum sibi vendicaret amorem: Sed amor ejus longè major fuit, quàm dolor ejus, quia amoris mare absorbuit omnes dolorum rivos, maximo ergò dolore nos partunebat in Cruce, sed majore amore. Amorem ergò à nobis repetit. Undè dicebat ei S. Ignatius: *Amor meus crucifixus est.* Et Franciscus: *Da, Domine Jesu, ut absorbeat mentem meam ignita & mellifua vis amoris tui, ut amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori.* Et virgo quædam Crucifixum fixè intuens, amore æstuans exclamabat: O Deus, ô amor, ô excellus amoris, da mihi tantam vocem, quæ audiatur ab Oriente usq; ad Occidentem, à Cœlo usque ad infernum, ut te amorem omnibus inclamem, ut ab omnibus agnoscaris & ameris.

S. Ignatius mart. dicebat S. Francisci Virgini ejusdem.

Deplorare quoque videtur Propheta dolores Christi & ignominiam tum Coronæ, tum Crucis ejus, dum dicit: *Væ coronæ superbiæ: ebriis Ephraim, & flori decidenti, gloria exultationis ejus, qui erant in in vertice vallis pinguissimæ errantes à vino.* D. enim Hieronymus, Cyrillus, Procopius, & alii intelligunt hæc de Christi Passione & ejus Corona spinea, secundum Septuaginta, qui vertunt: *Heu Coronæ ignominiæ!* Et dicit, væ illis Scribis & Pharisæis, qui ebrii furore Christum Dominum, Nazarenum illum & florem ac decus gloriæ Israël, morti addixerunt, coronâ ignominiosâ coronatum. Undè Leo Castrius, secundum Septuaginta, loco *Væ*, legens *Heu*, sic vertit Paraphrastice: *Heu corona ignominiosa Domino imposita. Heu mercede conducentes Judam! Heu flos moriens magnificentiæ & decus Patris! Heu plebis Israel gloria Judæorum manibus moriens! Heu vallis Bethsemani! Heu malleatos sacros pedes, malleatas sacras manus.* Ita ille.

Is. 28. 1.

Leo Castrius in hunc Is. locum.

Quæritur verò hic, An Christo in terra extenso fuit fuerint clavi, an verò Cruce jam erecta, in ipsa erectus fuerit: Dicunt aliqui demonstrari locum aliquantum distantem a loco crucifixionis, ubi pedes & manus perfossæ fuerunt. Attamen Bonaventura & Brigitta dicunt Crucem prius erectam, & postea Christum elevatum, quibus favere videtur modus loquendi Scripturæ & SS. Patrum, qui loquuntur de Christo, quasi ascendente ad Crucem. Hinc de Juda in persona Christi dicitur: *Catulus Leonis Juda, ad prædam fili mi ascendisti.* Ubi significatur in Crucem ascendisse, ut virtute Crucis & Sanguinis ibi fusi prædarentur infernum, animas ibi detentas educendo.

Gen. 49. 9

Sic in Cantic. dicit Sponsus: *Dixi ascendam in palmam & apprehendam fructus ejus.* Dixi, sivè disposui ex intima charitate & spontanea mea voluntate, ascendere in palmam, hoc est in Crucem; victoriæ meæ trophæum, arborem à me electam, arborem fœcundissimâ, ideò verò ascendam, ut fructus ibi suavissimos colligam.

Cant. 7. 8.

Quinam sunt illi fructus? *Primò*, fructus hujus Palmæ sunt, hominum Redemptio, Justificatio, Glorificatio. *Secundò*, hujus Palmæ fructus sunt, Corporis ejus glorificatio. Resurrectionis ejus acceleratio, Nominis manifestatio & exaltatio, judiciariæ potestatis adeptio: *Tertiò*, fructus hujus Palmæ, est perfecta de hostibus victoria, quam virtute Crucis suæ reportavit de peccato, de morte, de inferno, de dæmone. *Quartò*, fructus hujus Palmæ, sunt totius Orbis conversio, virtute Prædicationis Apostolorum facta, qui Crucem Christi, & Jesum Crucifixum toto Orbe prædicatum, & Crucis virtute totum sibi subjecerunt. *Quintò*, fructus hujus palmæ, sunt, trophæa tot millium Martyrum, tot Confessorum, tot denique Virginum, quæ victoriam tulerunt contra carnem, Sathanam & mundum. *Sextò* denique, fructus hujus Palmæ est, conversatio sancta multarum animarum, quæ sub Cruce Christi vivere, quiescere & mori eligunt, ut possint dicere: *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, & fructus ejus dulce gustavi meo.*

Cant. 2. 3.

Præclara hæc de re cæremonia est apud Virgines Annunciatas, quam aliquandò præsens non sine animæ interiori motu consideravi, dum in earum fieram Congregationem & Oratorium vestita noviter Virgo introducitur, occurrit ei Priorissa, quæ Mater Ancilla apud eas nominatur, cum Filiabus suis ad ostium Oratorii, & ibi Virgini Novitiæ genuflexæ offert Crucem grandem floribus adornatam brachiis ejus amplexandam, & offerendo canit suaviter: *Veni, Soror nostra, ascendamus in Palmam Christi, & apprehendamus fructus ejus.* Sicque eam introducit profitentem sub Cruce se vivere & mori desiderare. Itaque de ligno Crucis verum est illud: *Plantabo super montem excelsum in monte sublimi Israel, plantabo illud, & erumpet in germen & faciet fructum, & erit in Cedrum magnam, & habitabunt omnes volucres sub ea, & universum volatile sub umbra frondium ejus nidificavit.* Ubi Septuaginta habent: *In monte sublimi suspendam illum,* & designari potest Crux in monte Calvariæ plantata, quæ admirabilem fructum tulit per universum Orbem, ad cujus umbram omnes volucres, hoc est, omnes animæ piæ accurrerunt.

Cæremonia devota in susceptione Novitiæ apud Annunciatas.

Ezech. 17. 22.

O ergò mons benedictus, in quo hæc arbor pretiosa plantata fuit! *Nulla silva talem profert, fronde, flore, germine. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus justinet.* O mons benedictus, mons fœcundus & pinguis, *in quo beneplacitum est Deo habitare*, & pendere in eo! O mons, roseo illo Sanguine Filii Dei irrigatus & fœcunditus, & lachrymis benedictæ Matris ejus aspersus!

Olim dicebat David: *Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant super vos, nec sint agri primitiarum, quia ibi cecidit Rex Israel, quasi non esset unctus oleo.* An forte idem nobis dicendum de monte Calvariæ, quia ibi cecidit verus Rex Israël? Absit id. Nec enim ibi tam cecidit, quàm hostes cadere fecit. Ibi dum Sathan & mors in eum irruit, ruit; dum occidit, occidit; & jure omnium perdidit servitutem,

2. Reg. 1.

Leo ſer. de Paſſione.

dum nil ſibi debeatis perſequitur libertatem, inquit Leo. Ibi ergò locus pugnæ, locus victoriæ, ibi exaltatus Rex Iſrael, in Solio ſuo & Regio Throno; unde ibi titulum gerit magnificum: *Ieſus Nazarenus, Rex Iudæorum.*

Benedictus ergò ille mons, in quo roſ ille purpureus & pluvia adeò abundans cœlum & terram fœcundat & lætificat, ex quo rore infiniti rubicundi flores Martyrum & lilia Virginum germinabunt.

Ager ergò primitiarum eſt mons iſte, in quo primitias ſui ſanguinis, primum fructum ſui roris, animam Latronis Deo offert, & converſionem Centurionis, contritionemque eorum, qui revertentes percutiebant pectora ſua.

In illo monte Mariæ Ægyptiaca incœpit converſionem ſuam, & indè progreſſa eſt in æternum, ubi per quadraginta ſeptem annos in oratione, abſtinentia & lachrymis vitam egit ſanctiſſimam.

Surius in vita ejus.

In illo monte multa millia animarum ſpiritum gratiæ hauſerunt & ſanctitatis, dum per multa ſæcula fideles illuc confluxerunt, *ut adorarent in loco, ubi ſteterunt pedes ejus*, in loco cruore Filii Dei purpurato.

In Crucifixione nuditas eſt Chriſtus. S. Ambr.

Porrò non tantùm in crucifixione hac, dolores Chriſti renovati ſunt, ſed & ignominia ſumma & confuſio, dum ibi turpiter iterum denudatus eſt.

S. Athan.

Putant aliqui, ipſum totum nudum cruci fuiſſe ſuffixum. Unde Ambroſius: *Nudum*, inquit, *video talem, quales nos natura formavit. Talis in Paradiſo homo primus habitavit, talis ad Paradiſum homo ſecundus intravit.* Similiter loquitur D. Athanaſius, cujuſque ſententiæ eſt D. Bonaventura. Sic de Iſaia tradunt Interpretes, per totam Jeroſolymam tribus diebus, totum nudum concionando ambulaſſe, quia præceptum fuerat ei: *Vade, & ſolve ſaccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis*, additque Scriptura: *Et fecit ſic, vadens nudus & diſcalceatus.*

Interpret. in hunc locum. Iſa. 20.2.

Figura ergò fuit Chriſtus tribus horis in nuditate conſonantis in Cruce, & expandentis manus ſuas ad populum non credentem & contradicentem. Nec incredibile eſt, quod de tali nuditate dicitur, quia juxtà omnium ſententiam, columnæ alligatus eſt cum hac nuditate, ut ſuprà diximus. Nec recuſavit hoc dedecore affici, noſtram ſic volens tegere nuditatem & expiare confuſionem.

Figura quoque fuit in Noe jacente in Tabernaculo ſuo & denudato. 1. Noe vino ebrius dormit. Chriſtus velut amore ibi ſoporatus eſt; ille in Tabernaculo, iſte in Cruce, uterque nudus. 2. Noe irridetur ob nuditatem a filio Cham, Chriſtus à Judæis. 3. Sem & Japhet nuditatem patris tegunt, Chriſtiani veri filii, nuditatem & opprobria Chriſti honorant. 4. Noe ſomno expergefactus benedixit Sem, maledixit Cham: Chriſtus in fine velut expergefactus benedicet electis filiis, qui in Sem repræſentantur, maledicet reprobis, qui per Cham deſignantur.

Aliqui tamen putant Chriſtum non omninò nudum fuiſſe, ſed ſtatim ei linteum ad velandum pudorem allatum fuiſſe, vel à Virgine, vel ab aliquo alio. & ſic etiam rectè figura Noe conſonabit, quia ipſe nudatus, ſtatim pallio coopertus eſt à filiis; ita Chriſtus à militibus nudatus, à piis perſonis velo contectus fuerit. Imò aliqui aſſerunt Aquiſgrani linteum illud ſervari, & ſeptimo quoquo anno oſtendi. Et qui ſacram Sindonem viderunt, ubi impreſſa eſt figura Chriſti, dicunt videri adhuc ſigna hujus linteoli.

PROPOSITIO III.

Elevatio hæc Chriſti in Crucem multis figuris fuit adumbrata.

Figura horum elevationis in Cruce. Joan. 3. 14. *Serpentis deſerti*

PRimò, interpretatur de hac ipſemet elevatione ſerpentis in deſerto: *Sicut exaltavit Moyſes ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis.* Chriſtus in Cruce formam habuit ſerpentis, hoc eſt, hominis venenati & malefici: ſed ſicut ſerpens Moyſis pugnavit & devoravit ſerpentes Magorum; ita Chriſtus, qui elevatus fuerat, ut deſtrueret regnum peccati, devoravit ſeptem capita draconis ita ut illud Pſalmi illi conveniat: *Contribulaſti capita draconum in aquis*, in pluvia illa ſanguinea e corpore tuo manante. Septem capita draconis ſunt peccata mortalia, ſive capitalia, quæ contrivit in ſua exultatione, & ſubmerſit in ſuo Sanguine. Pſal. 73. 13

1. Superbiam deſtruxit per ignominiam & humilitatem. 2. Avaritiam per extremam paupertatem & nuditatem. 3. Gulam guſtando in Cruce fel & acetum. 4. Luxuriam per totius Corporis dolores acerbiſſimos. 5. Iram per excellentem manſuetudinem & patientiam. 6. Invidiam per excellentiſſimos actus charitatis. 7. Accidiam per illum fervorem in opere Redemptionis.

Ecce ergo ſerpens exaltatus, quem aſpicientes Iſraelitæ ſanabantur. Ecce Chriſtus in Crucem elevatus, in quem qui oculum fidei & compaſſionis intendit, à ſerpentino veneno & morſu ſuus & liber evadit.

2. Scala Jacob. Gen. 28. 12. Auguſt. ſerm. 79. de temp.

Secundò, figura fuit in celebri illa ſcala Jacob, per quam in cœlum aſcenſus erat, & cui Dominus innixus apparebat. Quam figuram de hac re interpretatur Auguſt. *Ante Crucem ſcala carebat cœlum, nec Abraham, nec Iacob, nec David aſcendere valebat, nec ullus hominum: oppoſita eſt ſcala, erecta eſt Crux, in cœlum aſcenſus pater. Scalam vides è terra ad cœlum uſque pertingentem, dum crucem intueris. Scala cœlos attingens Crucis figuram habet; Dominus innixus ſcalæ, Chriſtus crucifixus oſtenditur.* inquit Auguſtinus. Chriſtus ergò in hac ſcala elevatus, omnia ad ſe trahit, ſicut prædixerat: *Ego ſi à terra exaltatus fuero, omnia traham ad meipſum.* Joan. 12. 32.

Chriſtus exaltatus in Cruce omnia trahit ad ſe.

Vis videre quomodò omnia trahat exaltatus in cruce? Certè trahit cœlum & terram, Deum & homines, Angelos & infernum ipſum.

1. Traxit enim Patrem ſuum æternum ad ſe, dum illum in cruce placatum nobis reddit.

2. Tra-

Digitized by Google

2. Trax: Spiritum ſanctum, dum virtute & meritis crucis illum è cœlis in terram ad nos miſit, vel, ut mitteretur meruit. 3. Traxit Angelos ad ſe, quia ipſe eorum caput, potentia ſuæ crucis ruinas Angelicas reſtauravit. 4. Traxit cor maternum, quod cum ipſo in cruce erat transfixum. 5. Traxit peccatores, dum ad ſe eos convertit. 6. Traxit tot millia Martyrum & Virginum, quæ ſpinas, cruces, mortem pro ipſo non horruerunt. 7. Traxit ſolem & lunam triſtia, dum in ejus paſſione ſigna edunt triſtitiæ. 8. Traxit mortuos ex ſepulchris, quia multa corpora ſanctorum ſurrexerunt. 9. Traxit infernum, quando animas è limbo eduxit, & dæmones velut triumphator traduxit.

Verum Domine, nunquid multa adhuc ſunt corda dura, quæ non traxiſti ad te, multæ animæ in peccatis hærentes & fœrentes, quæ ingratæ ſanguini tuo & cruci non trahuntur? Immò potius ipſum peccatum quaſi plauſtrum trahentes devolvuntur in infernum.

Trahe nunc illa per pœnitentiam & funiculos charitatis tuæ, adhuc vim retines velut Myſticus Magnes, ferrea corda attrahendi ad te.

Trahe ergo fortiter, diſtrumpe vincula quibus tenentur, quibus pertrahit eos Mundus, Caro, Dæmon in perditionem. Fac ut aſſequantur te, & jungantur tibi vinculo indiſſolubili, crucique tuæ. Ab eo enim tempore, quo elevatus es in Crucem, vim habes, ut dura quantumlibet corda, ſuavitati attractus & vocationis tuæ obediant.

1. *Pontifex ornatus Sanctis Sanctorum.* Hebr. 9. Levit. 16. 4.

Tertiò figura fuit in ſummo Sacerdote aſcendente ad Sancta Sanctorum, ut interpretatur Apoſtolus. Ecce enim Chriſtus ſummus Pontifex aſcendit, ut offerat Sacrificium cruentum, inter omnia excellentiſſimum & omnium ſacrificiorum conſummativum in altari Crucis. Signa Sacerdotii ejus plena quidem ſunt doloris & ignominiæ, ſed & plena myſterii, Vis videre quæ ſint illa?

1. Pro Tiara & Mitra, Coronam ſpineam gerit, quæ fixa capiti, ſacerdotii ejus perpetuitatem ſignificat. 2. Pro Pedo & baculo Paſtorali, crucem geſtat. 3. Pro annulis, clavos gerit in manibus. 4. Veſtis Sacerdotalis diverſi coloris, caro ejus eſt variis depicta livoribus. 5. Hæc eſt veſtis Podêris, in qua totum gerit orbem terrarum. In hoc ornatu ingreditur ſemel in Sancta, ut offerat ſeipſum in holocauſtum, igne doloris & amoris totum conſummatum, totumque ſanguinem in remiſſionem peccatorum. Nempè tali opus fuit Sacrificio, ut pacificaret Patrem, & pro peccato noſtro talis neceſſaria fuit oblatio. Offerens verò hoc Sacrificium in altari Chriſto, non ſolùm offert in genere pro toto mundo, ſed in particulari pro unoquoque, quia quemlibet noſtrum velut inſculptum gerit in corde. Sicut enim ſummus Sacerdos ſacrificaturus nomina filiorum Iſrael ad pectus & in humeris geſtabat, quia in duodecim lapidibus pretioſis nomina duodecim tribuum Iſrael continebantur, pro quibus ſacrificabat. Ita perfectius verum eſt de Chriſto, quod nonuna omnium hominum in corde gerat, in cruce eos ſanctificans, ita ut in particulari meminerit tui, impertiens omnes gratias, quas tota vita tibi dare decrevit, a baptiſmali uſque ad finalem, & ad hunc effectum ſeſe offerens, ut ſupra diximus. De quolibet ergò homine verum eſt quod Apoſtolus de ſe dicit: *Qui ſeipſum obtulit & tradidit pro me.*

Hinc S. Gertrudis aliquando divinitus edocta fuit, quod homo quilibet attendens imaginem Crucifixi in corde ſuo æſtimare debeat, Chriſtum blandè ſibi dicere: *En vides quomodo amoris tui anſa in cruce pendeo nudus, deſpectus, toto corpore vulneratus, per ſingula membra diſtentus? Sed adhuc tanta charitate erga te cor meum afficitur, ut ſi tua ſalus expediret, alterque æternam felicitatem conſequi non poſſes, vellem pro te ſolo tolerare omnia quæ toleravi pro toto mundo.* Eloſius c. 5. Monilis.

Sic S. Brigitta Chriſtum audit in ſpiritu ſibi dicentem. *Ego ſum charitas ſumma, nam omnia quæ ab æterno feci, & quæcumque facio, & in futurum facturus ſum, ſimiliter ex mea charitate procedunt & procedent. Dilectio mea erga hominem, modò aquè grandis & incomprehenſibilis eſt, ſicut erat tempore Paſſionis, quando per mortem meam ex nimia charitate liberavit omnes electos. Et ſi fieri poſſet, ut tetros moverer, quot ſunt animæ in inferno, ego voluntate promptiſſima & perfectiſſima charitate corpus meum traderem, eandemque paſſionem & mortem pro qualibet anima ſuſtinerem, quam ſuſtinui pro omnibus.* Hæc Chriſtus. Vides quam teneræ, quam ardenter diligit Deus animam rationalem? Vides quam vehementer deſiderant quemlibet venire ad cœleſtem beatitudinem, pro qua ſacrificium illud Crucis obtulit? Illud quidem ſacrificium optat non inane eſſe tibi dicens: *qua utilitas in ſanguine meo,* dum tu deſcendis in corruptionem & perditionem æternam. Idem ibi. Pſ. 29. 10.

LECTIO XXI.

DE MORTE CHRISTI.

1. *Docet quomodo Chriſtus quando voluit, mortuus ſit.*
2. *Quare inclinato Capite ſit mortuus.*
3. *Quomodo mortuo latus apertum ſit.*

PROPOSITIO I.

Mortuus eſt Chriſtus voluntariè & quando voluit, qui mortis ſuæ tempus præſciebat & elegerat. *Mortuus eſt Chriſtus voluntariè, & quando voluit.*

PRimo hoc ſignificat Pſaltes, quando dicit. *Sol cognovit occaſum ſuum. Quis hic Sol,* Inquit Auguſtinus, *niſi Sol juſtitiæ? Occaſus ejus, mors ejus, quam agnovit, approbavit, placuit ei, alioqui non occideret.* Aug. in Pſal. 103.

Nemo

Nemo tollit, inquit animam meam à me, ſed ego pono eam à me.

Secundò, hoc indicunt circumſtantiæ mortis ejus: nam mortem jam vicinam præſciens, teſtamentum quod in Cœna inchoarat, in lecto Crucis conſummat, legans & poſcens peccatoribus indulgentiam, latroni Paradiſum, Virgini dilectum diſcipulum, diſcipulo Matrem ſuam, Patri denique ſpiritum ſuum. Quaſi cygnus moribundus in Cruce ſuaviſſimum edit concentum. Quaſi cithara omnibus membris & nervis in ligno illo inſtar chordarum extenſis ſuaviſonam edit harmoniam. Ex ſeptem illis verbis, quaſi ſeptem ſactis ſigillis, librum vitæ ſuæ ſigillat Agnus. Et ſicut fuerunt ſeptem crines Samſonis, quibus erasis, vires ejus deperditæ ſunt, ita ſeptem his verbis effluxis, noſtri Samſonis ſpiritus defecit.

Tertio ex eo patet, quia noluit prius mori, quàm omnia quæ de ipſo prædicta erant, uſque ad apicem complerentur. Unde videns omnia completa, in ultimo ſpiritu clamavit, *Conſummatum eſt*. q. d. Ecce omnes figuræ, omnes Prophetiæ, omnia Sacrificia, omnes umbræ, Meſſiæ mortem ſignificantes, completæ ſunt. Ecce omnia illa antiqua jam ceſſarunt, ſicut ceſſat horologii præludium, dum incipit ſonare hora.

Item *conſummatum eſt*, opus redemptionis mihi commiſſum, omnia mandata Patris, omnes dolores Paſſionis. Ecce ſolutio pretii pro debito peccati: Ecce raptio chyrographi: quod adverſum homines erat, quia affixum eſt illud Cruci. Ecce finem accepit regnum mortis & diaboli.

Denique *Conſummatum eſt*, quia quicquid æterna Sapientia conſtituerat, quicquid juſtitia rigida exigebat, quicquid charitas poterat poſcere, quicquid deſideria Patrum & Angelorum expetere, quicquid conveniens erat redemptioni, completum eſt, & charitas ultra non potuit progredi. Ecce ergo ultima obſignatio teſtamenti, quod juxta Apoſtolum morte oportuit conſummari & confirmari.

Quartò, ut oſtenderet ſe habere poteſtatem ponendi animam, & iterum ſumendi eam, moriens clamat voce magna, oſtendens ſic ſe vitæ & mortis Dominum, ita ut dixerit Nazianzenus hoc clamore vocaſſe mortem, quaſi non audentem ad ſe accedere.

Auguſt. Propterea etiam dixit Auguſtinus: *Quis ita dormit, quando voluerit ſicut Jeſus mortuus eſt, quando voluit? Quis ita veſtem deponit, quando voluerit, ſicut ſe carne exuit, quando voluit? Quis ita cum voluerit, abit, quomodo cùm voluit obiit? Quantum timenda poteſtas Judicantis, ſi tanta apparuit morientis?* Clamat quoque moriens ut terreret infernum, ut is captivos ſuos redderet, ſicque Patres in limbo lætificaret. Sicut olim Gedeon teſtam ſuam frangens, furti voce inclamat, & omnes ad clamorem invitat, ſicque ſuperat hoſtem ſuam Madian: Ita Chriſtus clamore, & corporis ſui quaſi vaſis fragilis confractione de hoſtibus ſuis triumphat. Ipſe ergo tanquam egregius de morte & inferno triumphator eſt per mortem ſuam, ſicut Samſon Philiſtæos morte ſua obruit.

Clamat ergo moriens quaſi illud intonans: *Ero mors tua ô mors, ero morſus tuus, ô inferne!* Ad infernum utique clamat ut reddat vinctos, ſicut olim voce ſua territus reddidit Lazarum. Oſe. 13. 15.

Denique clamat, ut hæc vox per totum Orbem reſonaret: *Deus pro homine mortuus eſt*, & excitaret omnes dormientes, omnes in peccatis ſepultos, ad hujus rei conſiderationem, omneſque creaturas ad admirationem.

Unde ad hunc clamorem etiam ipſæ petræ ſciſſæ ſunt, ipſe mons Calvariæ contremuit, & ſciſſuram quandam eſt paſſus, à ſummitate uſque ad inferiorem partem. Quam ſciſſuram, notant, qui loca ſancta viſitarunt, factam eſſe inter crucem Chriſti & latronis reprobi, ut etiam illa ſignificaret, quod ille impœnitens & obſtinatus, nullam habuerit participationem & unionem cum merito crucis & ſanguinis Chriſti.

Nec etiam myſterio vacat, quod moriens reſpicit Occidentem & Occidentalem plagam. Ipſi quidem Judæi ita crucem collocarant, ut Chriſtus dorſum verteret ad Orientem & Jeroſolymam, faciem autem ad Occidentem, eo conſilio, quod eum indignum æſtimarent Sanctæ Urbis aſpectu; ſed alio conſilio id Chriſtus, ut facie ſcilicet Judæis aversâ, nos gentes illuſtraret, quorum habitatio eſt in Occidente, & reſpiceret Eccleſiam ſuam Sponſam, quæ Romæ ſedem figere debebat, & repudiaret, ac retrorſum poneret Synagogam rebellem. Unde multi putant tunc impletum illud Jeremiæ oraculum: *Dorſum & non faciem oſtendam eis in die perditionis eorum.* Tunc quoque impletum dici poteſt illud, Pſalm. *Oculi ejus ſuper gentes reſpiciunt.* Jer. 18. 17.

PROPOSITIO II.

Chriſtus inclinato capite emiſit ſpiritum.

Cor mortuus inclinato capite!

AN putas id fuiſſe ſine myſtica aliqua ſignificatione? Cæteri ſancti capiunt moti oculis in cœlum elevatis, ſpectantes illum ad quam tendunt patriam. Unde D. Stephanus dum crepitantium ſaxorum turbine quateretur, in cœlum ſuſpexit, & inter æthereos aulæ cœleſtis ſinus, divina ei claritas fulſit.

Sic B. Petrus optavit capite deorſum crucifigi, ut in cœlum poſſet intentos oculos dirigere.

Sic B. Martinus cùm diſcipuli ejus corpus in latus verterent, ut aliquantulum quieſceret, *Sinite*, inquit, *me cœlum aſpicere, ut jam itinere, iturus ad Deum ſpiritus dirigatur.*

Reſpicit verò terram Salvator, quia pro terra moritur. Reſpicit ad Calvariam Adæ, quam ſuo ſanguine aſpergebat. Reſpicit matrem, inquit Landſperg. cui ultimo valedicebat. Reſpicit Limbum, ad quem triumphaturus deſcendebat.

Sed

Digitized by Google

Sed cur inclinat caput? *Primò*, In ſignum obedientiæ, ſignificans ſe per illam veniſſe, & per illam mortem ſe acceptare. *Secundò*: In ſignum paupertatis, quia non habet ubi caput reclinet. *Tertiò*: Ut gravitatem peccatorum noſtrorum oſtendat, cujus onere ita deprimitur. *Quartò*: Ut ſignificet ſe ovem errantem ſuper collum reportare, quam invenit in cruce. *Quintò*: Ut offerat oſculum pacis omnibus filiis, & omnibus pœnitentibus in gratiam redire volentibus.

Sæpius ergò oculis noſtris obverſetur ſpecies Chriſti morientis. Accedamus frequenter tanquam veri filii, ad lectum moribundi Patris noſtri. Aſſiſtamus fratres & circumcingamus hunc durum crucis lectum, ut à Patre ultimam benedictionem impetremus, nec dimittamus eum, niſi benedixerit nobis. Dicamus cum lachrymis ultimum Vale morienti: Vale ergò ô mi Redemptor! Vale ô frater amabilis nimis! Vale ô Sponſe animarum noſtrarum! Vale ô lux mundi! Sed prius ante diſceſſum da Pater benedictionem. Da Frater amplexum. Da Sponſe dilecte amoris ſuavium. Da Redemptor miſericors, peccatoribus pacis oſculum. Da compunctionem & remiſſionem pœnitentibus. Da piis perſeverantiam.

Lugete interim & lamentamini omnes creaturæ, currite, & abundanter currite, ô lachrymæ, quia ecce filius Dei in extremis eſt. Ecce mundi ſalus & lumen extinguitur. Ecce vita moritur. Ecce Creator omnium ultimum edit ſuſpirium & animam agit.

Sed ecce: *Conſummatum eſt, emiſit ſpiritum*, mirarum, ut nos vitæ ſpiritum reciperemus, ipſe ſemmus ſpiritus expiravit.

Emiſit ſpiritum, & nodus operis Spiritus Sancti factus (unio illa inter corpus & animam) tanta tandem tormentorum vi eſt diſſolutus, ut mortem noſtram moriendo diſſolveret. *Emiſit ſpiritum* ad illum, qui fecit illum. *Emiſit ſpiritum*, & exivit ex arca innocens & puriſſima columba, anima ejus, ut intra tres dies tamum olivæ reportet, ſignum triumphi & victoriæ.

Verum moriente Filio Dei, eſtne cor quod non ſentiat aculeum doloris, quodque luctus ſignum non edat, quandoquidem omnes creaturæ lamentationis ſigna edant in ejus morte?

Cœlum, Sol & luna obſcurantur, petræ finduntur, terra tremit, velum ſcinditur, monumenta aperiuntur. Solum cor hominis, propter quem moritur Deus, durius petra, inter hæc omnia nihil ſentit compunctionis, nihil compaſſionis, toto effuſo ſanguine Filii Dei, non mollitur, ut vel lachrymam effundat. Et hæc ingratitudo ampliorem Chriſto infligit dolorem, quam clavi, ſpinæ, vulnera.

Phil. 2. 5. *Fratres*, inquit Apoſtolus: *Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jeſu*, hoc ſentite cordis & dolocis vivâ ſenſibilitate, hoc in corde figite, nec ſitis inſenſibiliores inanimatis. Nolite itaque tantum aſpicere, contemplari, cogitare, ſed ſic ſentire quæ Chriſtus paſſus eſt, ut animam attingant, ut vivaciter viſcera veſtra, dolores, labores anguſtias Chriſti ſentirent. Omnia membra capite languente dolent, & nos ſi membra Chriſti ſumus, ipſo dolente, non poſſumus non dolere. Ipſo patiente, non poſſumus non compati, quando pro noſtra omnium ſalute patitur. Si non compatimur, ſignum eſt, quod membra ejus non ſumus, nec de ſpiritu ejus vegetamus. Iterum ergò te, in hoc acerbo crucis & amoris lectulo oculis compaſſionis reſpiciam. Dominum meum pro me Crucifixum, & ubertim fluentibus lachrymis inclamabo. O Sacrum innocentiſſimum corpus, quomodo video te undique laceratum, cruentatum, & pro me tam atrociter vulneratum! O Caput aureum, quomodò video te amore mei languidum, depreſſum & fatigatum! O ſacræ manus! ſacri pedes! Quomodò peccata mea vos tranſfixerunt! In filiuris iſtis deſiderat anima mea habitare.

O mi Redemptor, dum te penitus inſpicio, in omnibus membris tuis ſcriptum lego: *Domine Deus, miſericors, miſerator, patiens, multæ miſericordiæ, & verax.* Singula enim hæc tua vulnera mihi inclamant, ſinguli livores tot ſunt miſericodiæ tuæ voces.

Accedo ergò, & toto corde exclamo: O pedes, ô clavi, ô vulnera, ô beate ſinguis! Ad vos dolens & gemens venio, ut cum immundus ſim, mundus per vos fiam & per peccata mea reus, remiſſionem inveniam in vobis. Ne repudiate ergò lachrymas meas, oſcula mea, amplexus meos. Accedite mecum omnes animæ peccatrices, quia quotidie adhuc ſtat in cruce affixus expectans nos, dicente Auguſtino: *Inſpice vulnera pendentis, ſanguinem morientis, pretium redimentis. Caput habet inclinatum ad oſculandum. Cor apertum ad diligendum, brachia ad amplexandum, totum corpus ad redimendum extenſum. Hæc quanta ſint cogitate, hæc in ſtatera cordis veſtri appendite, totus vobis figatur in corde, qui pro nobis totus fixus fuit in cruce.* Hæc ille. Vide eundem in Manuali 21. 22. & 23. cap. Auguſt. inſignis ſententia.

Felix anima, quæ ad hoc ſacrum altare Crucis ſæpius offert lachrymarum vota, & ad pedes Crucifixi proſtrata, profitetur ſe illi ſoli velle ſervire, ibi velle vivere, ibi velle mori, & inter brachia Salvatoris animam ſuam reddere, non enim poteſt tali, niſi mors felix contingere.

Sic B. Franciſcus de Paula, quia Crucifixo ſemper vixerat, inter ejus etiam brachia mortuus eſt. De illo refertur, quod cum ageret nonageſimum primum annum, perſentiens vicinam eſſe horam exitus ſui & coronæ poſt longos labores, venit ad Eccleſiam ipſo Jovis ſancto. Ibi in præſentia ſuorum Religioſorum, qui illuc adveneranr ex diverſis locis, recepit cum lachrymis viaticum ſacri corporis Chriſti, & ipſo Veneris ſancto cum amplexatus fuiſſet filios ſuos in oſculo pacis, exhortabatur eos ad fraternam charitatem, humilitatem, & Exempl. Surius 2. April. in ejus vita.

by Google

omnem virtutem. Et cum eis impertitus eſſet paternam benedictionem, inter brachia Crucifixum ſumens toto pronunciavit ſpiritu: *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*; ſicque levans oculos & manus ad cœlum animam ſuam reddidit Deo non ſolum eodem die, ſed eâdem etiam horâ (ut notatum eſt) qua ipſe Chriſtus Patri ſuo, ſuam reddiderat pro redemptione noſtra.

PROPOSITIO III.

Chriſto mortuo latus lancea apertum fuit.

Chriſto mortuo latus apertum fuit. An ſiniſtrum an dextrum?

SEd antequam ad latentis hic myſterii explicationem progrediamur: Quæritur, an latus ſiniſtrum, an verò dextrum vulneratum fuerit? Pro utroque rationes probabiles afferuntur, unde res incerta eſt, quia Joannes non aliud dicit, quàm quod unus militum, lanceâ latus ejus aperuit. Id verò ſpecialiter præ cæteris commemorat Joannes, tum quia ad illum, qui ſuprà pectus Domini recubuit, ſpectabat pectoris illius arcana, quæ per illam apertionem nobis patuerunt, commemorare & toti mundo declarare: tum quia ipſe ſolus inter Evangeliſtas teſtis oculatus fuit, qui filius cordis etiam erat ſpeciali dilectione à Chriſto dilectus, idcò vulnus cordis nobis aperuit & declaravit.

Qui in latere ſiniſtro vulneratum dicunt, rationem afferunt, quia ſedes eſt cordis; cum ergò in corde recumbat amor, & illud vulnus fuerit amoris argumentum; rectè dicitur circà cor vulneratus.

Secundò, Eva fuit formata ex latere ſiniſtro Adæ, quia ex coſtâ cordi proxima, quo ſignificaretur amor inter virum & uxorem. Dicunt verò Patres, ſicut ex latere Adæ Eva, ita ex latere Chriſti formata fuit Eccleſia, ergò etiam ex ſiniſtro.

D. Bern. Ezech. 47. 1. At D. Bernard. dextrum latus percuſſum dicit: *Dextrum latus ſibi fodi permiſit, ut à dextra*, inquit, *ad dextram tranſeamus.* Et in figura Ezechiel vidit aquas fluentes de latere dextro templi. Cumque latus dicatur ſimpliciter, de dextro videtur intelligi.

Revelat. B. Brigittæ: In revelationibus quoque S. Brigittæ habetur dextrum latus vulneratum fuiſſe. Sed dicamus ad concilationem utriuſque ſententiæ, vulnus à latere dextro inchoaſſe, & ad ſiniſtrum vergere.

Ratione verò hujus vulneris, in quo videtur Chriſtus paraſſe animæ velut quoddam ſpirituale refugium & domicilium, hic piam conſiderationem ſubnectam, de tribus tabernaculis, in quibus bonum eſt nos eſſe, & ſæpius habitare in monte Calvariæ.

Tres manſiones pia anima in vulneribus Chriſti. In manibus primam manſionem facimus: Secundam in pedibus: Tertiam in latere. Huc invitare videtur Sponſus dicens: *Surge, propera amica mea, & veni Columba mea in foraminibus petræ, in cavernâ maceriæ.*

Cant. 2. 13 Chriſtus animam fidelem modò vocat filiam, modò ſororem, modò ſponſam & amicam, modò columbam & immaculatam.

1. *Filia* eſt, quia adoptata ad æternam hæreditatem & ſpiritu ab illa genita. 2. *Soror*, ob Incarnationem & ejuſdem naturæ participationem. 3. *Sponſa*, ob amorem & ſpirituale conjugium. 4. *Immaculata*, in ſanguine ejus & decore ornata. 5. *Columba*, ob gemitum, quem quotidiè edit ob abſentiam ſponſi. Hanc invitat ad ſe & ad vulnera ſua conſideranda invitat, ut in illis cogitationem & affectum ponat, invitat ut ibi nidificet velut in foraminibus petræ, ibi quieſcat, ibi gemitum edat & amaritudinis & amoris.

Foramina ergò petræ, non aliud ſunt, niſi vulnera ejus, quia ipſe eſt petra myſtica. Anima ergò, quæ verè eſt Columba gemens, & pœnitens, aut quæ Sponſa eſt, faciat in hac petra myſtica tres manſiones, quia *Paſſer invenit ſibi domum, & Turtur nidum, ubi ponat pullos ſuos.*

DE VULNERIBUS MANUUM.

JLli animæ quæ verè Columba eſſe cupit, dicitur: *Surge & veni.* Hoc eſt, excute omnem torporem, excita alas tuas, & evola ad fiſſuras petræ, ad fiſſuras manuum Salvatoris tui. Ibi enim multa recondita ſunt myſteria, quæ poteſt cum fructu fidelis anima conſiderare. Nec enim ſine altiſſimo conſilio voluit Salvator manus in hac arbore duriſſima tantâ ſibi crudelitate extendi. Vis videre illa myſteria, quæ debes ibi conſiderare. *I. De vulneribus Manuum.*

Primò, voluit adimpleri illud: *Elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* Pſ. 140. 2.

Fuerat Salvator in prima ætate, in ortu ſuo oblatus in templo inter brachia matris, lachrymis Simeonis rigatus in templo gloriæ Dei, inter cantantium & laudantium voces: hoc erat ſacrificium matutinum. Nunc in ultima ætate, in occaſu ſuo, inter brachia crucis proprio ſanguine rigatus inter blaſphemantium voces in loco ignominioſo extendit manus ſuas, & ſacrificium offert veſpertinum. Vides myſterium.

Secundò, extendit manus, quia ſicut Moyſes, olim contra hoſtes populi Dei, in monte extendebat manus, ut ejus victoriam impetraret: Ita Chriſtus, ut contra hoſtes nobis victoriam reportet, elevat manus in monte hoc ſacro, quæ non ſuſtinentur à duobus hominibus, ſicut manus Moyſis, ſed à duobus duriſſimis clavis.

Tertiò, elevat manus velut orbem dimetiens, inquit Damaſcenus, ut jam oſtenderet ab ortu Solis magnum populum ex omnibus linguis congregandum ſub vexillo Crucis. Addit Athanaſius, una manu veterem populum, altera gentilem attrahit, ut ambos in ſe conjungat. *Stetit, & menſus eſt terram; Cornua in manibus ejus, ibi abſcondita eſt fortitudo ejus.* Damaſc. Athanaſ. Abac. 3. 6.

Quartò, extendit manus in formam arcus ſe conſtituens, variiſque eſt reſperſus livoribus & vulneribus,

Digitized by Google

bus, quæ ſingula ad Patrem clamant, ut ſicut olim Deus videns arcum variegatum in nubibus, placatus eſt tanquam ſigno fœderis, ita & nunc iterum reſpiciat ſignum fœderis novi, & leniatur. Hic arcus plenus eſt ſagittis amoris, quibus & cor Patris & peccatorum corda penetrat. *Vide arcum & benedic eum qui fecit illum, quia valde ſpecioſus eſt in ſplendore ſuo*, inquit Eccleſiaſticus.

Eccle. 43. 11.

Quæ & extendit manus quaſi pennas ſuas, ut ſub velamento illarum ſperemus & protegamur, & velut in umbra refrigerium reperiamus, *donec tranſeat iniquitas: Scapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis ejus ſperabis.*

Pſ. 56. 2. Pſ. 90. 4.

Sexto ſupra diximus quomodo tanquam Sponſus inviter ad amplexum, extendens manus, & præbeat oſculum capitis inclinati. Surge Sponſa & ad hos amplexus accurre. Hic myrrham rubicundam collige, quam diſtillant in cruce manus Redemptoris tui.

Denique voluit adimplere illud: *In manibus meis deſcripſi te.* Si enim Rectè conſideres, divinus ille ſcriptor ibi te deſcripſit. Clavi pro calamis ſerviunt, ſanguis attramentum eſt. Crux menſa ſuper quam ſcribitur utraque palma pro charta ſervit, characteres illi ſunt charactetes amoris, quos in æternum ſervabit. Ipſe ergo eſt tibi, velut liber ſcriptus intus & foris: Foris quidem tot livoribus qui facilè patent, intus verò charactere amoris qui occultus eſt, quem tamen poteſt legere quiſquis amat.

Iſa. 49. 16.

Vides quanta hic ſint myſteria? Surge Columba & gemens ibi hæc conſidera, ibi nidifica, illuc evola; ideo enim apertæ ſunt ut ingrediaris & conſideres, quomodo torqueantur illæ benedictæ manus quæ ægros ſanarunt, cæcos illuminarunt, & omni ſemper benedictione plenæ fuerunt.

Sed benedictio amplior fuit dum nunc apertæ ſunt clavis, quia ex illis fluit noſtræ pretium redemptionis. Nunc numerant manus illæ benedictæ pretium quo ſolvitur debitum Adæ. *Quæ non rapui*, inquit, *tunc exolvebam.* In illis ergo habitans, pete ſollicitè a Deo tuo, ut quicquid manus tuæ contra illum offenderunt, tibi remittatur per illud pretium abundanter ex illis fluens. Pete iterum, ut per ſanguinem illum lavare poſſis inter innocentes manus tuas, ſive ut laventur omnes maculæ operum tuorum & cordis tui, ut ſic poſſis aſcendere in montem Domini & ſtare in loco ſancto ejus: *Innocens manibus & mundo corde.*

Pſ. 68. 5.

DE VULNERIBUS PEDUM.

Judic. 14. 8.

IN vulneribus Leonis quem Samſon interfecerat inventæ ſunt apes mellificantes, & favos conficientes: Ita in vulneribus Leonis de tribu Juda interfecti ſuper montem Calvariæ debent Apes myſticæ, hoc eſt animæ piæ, alvearium ſuum conſtituere, ibi enim poterunt mel ſuaviſſimum, favoſque dulciſſimos conficere, dulcedinem pietatis, ſacrumque affectum ibi poterunt ſugere.

Poſtquam ergo anima tanquam columba volarit ad fiſſuras Manuum, debet deſcendere ad foramina Pedum, ibi poterit etiam cum gemitu facto meditari varia myſteria. 2. *In Pulveribus Pedum.*

Dicit Pſaltes: *Adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt.* Illic poterit adorare ſcabellum pedum ejus: licet enim loquatur Propheta de arca teſtamenti, quæ erat ſub Propitiatorio, id eſt, ſub throno Dei quaſi ſcabellum, intelligi etiam poteſt de ſcabello pedum Chriſti. Sed quod illud? Crux ipſa, in qua pedes ejus quieſcunt, vel, ſi mavis, lignum infixum cruci, quia docent Irenæus & Juſtinus in illo longo ligno, infixum fuiſſe & aliud in quo poſſent pedes figi. Unde & quatuor clavos fuiſſe multi aſſerunt. Pſ. 98. 5. Irenæus & Juſtin.

Vide ergo quale ſcabellum Redemptor tuus habet. Nunquid ideo datur ſcabellum ut pedes quieſcant? Sed heu, quàm acerbe torquet iſtud pedes tuos ô Salvator! Elegiſti Crucem tanquam cathedram ſecundam (prima enim fuit Præſepe) ex qua nobis omnem lectionem virtutis edoceres. Cathedra eſt Sapientiæ voce forti clamantis per univerſum Orbem, & tota die expandentis manus ſuas, ut doceat populum contradicentem & rebellem: Cathedra eſt, ex qua vi ſapientiæ ſuæ omnium corda ad ſe vult trahere, & ſuæ doctrinæ ſubjicere, omnes etiam mundi Sapientes, Philoſophos, Oratores.

Sed heu, quale ſcabellum hujus Cathedræ? Huic te figere voluerunt, ne deſcenderes, ne etiam deſereres & neſciebant quod à Nativitate illam amares, immò ab æterno uſque in æternum in illa doceres.

Advola ergo, ô Columba ad hæc foramina, & conſidera, quanta cum violentia vulnus ibi inflictum fuerit, dum rudes illi clavi in locis nervoſis penetrant & dilacerant beatos pedes, dum vulnera ſemper augentur propter pondus totius corporis.

Dic ergo potius: O duri clavi parcite, parcite ſacris illis pedibus, qui nunquam in via peccatorum ambularunt. Venite & pungite cor meum, pungite puncturis pœnitentiæ dura corda, ut ſaltem contritionis vel lachrymam poſſitis elicere, quia ex eo tempore, quo aſperſi eſtis Salvatoris ſanguine poteſtis vulnera mentis ſanare. Sed noluit Salvator hos clavos ſibi parcere ut ſatisfaceret pro offenſis commiſſis, per pedes noſtros ambulantes in via peccatorum, dum aberabamus ſicut ovis quæ perriit. Ut hoc pretio & his doloribus mereretur, ut pedes noſtri nunc dirigantur in viam pacis. Nec ſatis fuit ei tot labores, tot ſudores, tot laſſitudines, paſſum fuiſſe, dum quæreret ovem errantem, ſed voluit tandem pedes ſic ſibi reforari, non ſolum ſpinis, ſed clavis.

Iterum in his pedibus poteſt anima conſiderare quomodo refugium ſunt, ubi ſemper invenitur miſericordia. Unde debet conari ungere eos lachrymis compunctionis & unguento devotionis:

Docuit nos Magdalena quantum importet ad hos ſacros pedes accedere, quos poſtquam ſemel lachrymis perfudiſſet, noluit etiam in Cruce deſerere; & poſt reſurrectionem iterum ad eos accedit; immò totam vitam ad beatos illos pedes tranſegit, tanquam Columba ibi gemens & nidificans. Juvabit ergo eam invocare, ut & donum lachrymarum nobis impetret, & devotionis unguentum, ut ſacros hos pedes ungere poſſimus & lachrymis rigare, quos ipſe rigat Sanguine ſuo.

Ad hos beatos pedes non ſolum illa, ſed & animæ pœnitentes poſt peccata miſericordiam implorarunt, & vitam tranſegerunt.

§. Hieron. Sic B. Hieronym. de ſe dicit: Cùm graviſſimis carnis tentationibus urgeret, ſedebam ad pedes Jeſu, & pectus percutiens, ſæpe ibi multos dies & noctes tranſegi, donec animæ rediret tranquillitas. Ibi quoque ſapientes animæ ſederunt, ut ſapientiam hauriret.

D. Bonaventura. Quapropter D. Bonaventura cùm interrogaretur à S. Thoma, ut ei oſtenderet libros ex quibus ſublimem illam & Seraphicam ſapientiam hauriebat, tandem oſtendit ei Crucifixi imaginem lachrymis & oſculis detritam, ad cujus pedes dixit ſe hauſiſſe omnem ſcientiam.

DE VULNERE LATERIS.

§. De vulnere Lateris. Gen. 49. §. 6. NOn debet columba ſiſtere in ſciſſuris. Petræ, ſed oportet etiam ſæpius evolare ad *Cœruleam materiem*: Hæc eſt vulnus Lateris. Chriſtus enim fuit murus & antemurale Sion ſive Eccleſiæ: Sed *Simeon & Levi ſuffoderunt murum & occiderunt virum in furore ſuo*, inquit Jacob; ideò maledicis eis, *quia furor eorum pertinax & indignatio dura*. Hoc aliqui intelligunt de Chriſto à Judæis interfecto & perfoſſo, quando manus & pedes illius profoderunt, qui Eccleſiæ murus erat. Et ſpecialiter meminit Simeonis & Levi, quia conjuratores Chriſti ab eis originem trahebant, Levitæ enim ſacerdotium tenebant, & de tribu Simeon erat magna pars Phariſæorum. Ecce ergo murus foſſus eſt, ecce caverna maceriæ, latum illud lateris vulnus. Ibi ædifica & ingredere, ô Columba, quia ibi multa latent myſteria: Cur enim voluit latus aperiri?

Cur voluerit Chriſtus Latus aperiri. 1. Vt in eo habitaremus. *Primò*, ut ingredereris arcam cum ramo Olivæ pacis ſymbolo. Ecce Arca Chriſtus eſt, lateris vulnus, feneſtra arcæ per quam ingrediaris: quia ſicut Columba non invenit ubi pedem figeret, ſic tu fruſtra cum corvo vagaris, aut circa cadavera mortua mundi immoraris, quia non poteris requiem reperire, niſi in corde Salvatoris. Ibi enim voluit tibi domicilium conſtituere, ibi Paradiſus floridus cor ejus amore ardens, in quo poteſ deliciari & clamare: *Bonum eſt nos hic eſſe*. Quam bonum inquit Bernard. habitare in hoc corde, in hoc agro foſſo? *Bonus theſaurus cor tuum Domine, ſyro quo dabo omnes cogitationes & mentis affectus: Comparabo illum mihi ſanctum cogitatum in cor tuum; ad hanc arcam teſtemunii adorabo & laudabo nomen Domini.* Vide Auguſtin. in Manuali, c. 11.

Bernard. in Cant.

Ibi habitabat B. Elzearius Comes, ad quem diutius abſentem cùm uxor famulum mitteret, ut ſciret quid ageret, Reſpondit per literas. *Sanus corpore ſum & ſoſpes, quod ſi verò videre me cupis, Quære in vulnere lateris Chriſti, ibi habito, ibi me poteris invenire fruſtra alibi quæſitura.* Exempl. Surius 27. Sept.

Sic B. Mechtildis ibi omne bonum ſuum inveniebat. Hæc cum audiſſet in Miſſa legi: *Venite benedicti Patris mei*: O ſi eſſem, inquit, una ex illis benedictis, qui hanc ſuavem vocem ſunt audituri! Tunc Dominus ad eam: *Certò ſcias te ex illo eſſe, & ut non dubites, ecce tibi do cor meum in Signum & pignus amoris & donum refugii, ut ſemper ibi & maximo in merore conſolationem invenias.* Ex tunc cœpit mira devotione ferri erga cor Chriſti: Unde ſæpe in ſimplicitate dicebat: *ſi ſcribi deberent omnia bona quæ à corde Jeſu accepi, nullo vel magno volumine poſſent comprehendi.* Bloſius in Monili.

Si ergo cordis quandoque ſentis vel inopiam, vel reporem, vel aſperitatem, convertere ad Deum cordis tui, convertere ad cor Dei tui; apertum tibi ipſum eſt in hoc amoris lectulo. Ibi per illud latum oſtium lateris, per januam illam pieratis, patet tibi aditus uſque ad locum cordis. Illic junge cor cordi, ut particeps lucem, vitam, flammam denique Pacem quam loquitur ad eos *qui convertuntur ad cor.* Pſal. 84. 9

2. Vt naturam ſanguinem effunderet. *Secundò* voluit Latus aperiri, quia non ſatis fuit Redemptori corpus totum cruentum fuiſſe virgis, manus & pedes clavis; ſed voluit ut ſanguis qui circa cor manſerat, quem nec ſpinæ, nec virgæ extraxerant, lancea effunderet, in ſignum extremi amoris. Undenon tam lanceâ & amore vulneratus eſt, vel ſi mavis, & lancea & amore. Unde bis dicit: *Vulneraſti cor meum Sponſa, vulneraſti cor meum.* Tu quoque reſponde: *Vulnera cor meum Sponſe, vulnera cor meum.* Vulnera compaſſione, vulnera amore; has duas lanceas ex arcu tuo ejaculare in cor meum. Percuſſit Moyſes bis petram, tu bis percute cor petræum, ut, ſi non ſanguinem, det ſaltem lachrymam. Cant. 4. 9.

3. Voluit ibi oſtendere locum regenerationis noſtræ. *Tertiò* voluit ibi oſtendere locum regenerationis noſtræ. Hinc ſanguis & aqua fluxerunt, figura Baptiſmi & Euchariſtiæ, quæ nos Deo regenerant. Et ſic verum eſt illud: *Filia tua de latere ſurgent*, ô Chriſte, quia velut nos portabas in viſceribus, & tot doloribus pariebas in cruce, ſed & aqua & ſanguine tuo nos regenerabas, ex latere fluente. Iſa. 60. 4.

4. Cor Matris hac lanceâ aperto ſæpè vulneravit. *Quartò* conſidera, quod licet lancea nullum dolorem intulit Salvatori, tamen duriſſima fuit, quia cor matris acerbiſſimè vulneravit. Cor ejus, cordi Filii junctum erat. Nunquid de hoc conqueri videtur per Prophetam, dum dicit: *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Ut ergo finiam, repere: Surge Columba, ingredere amica, quia hæc eſt porta, qua intrabis ad nuptias cum ſponſo tuo: quia hæc eſt feneſtra amoris, qui te etiam cupit inflam- Pſ. 68. 27.

Digitized by Google

inflammare; quia hæc eſt fornax exundantis miſericordiæ. Ibi recolligens omnes pravos affectus, peccata, negligentias, projice in hanc fornacem amoris, ut ibi annihilentur. Ibi inclama cum Thoma: *Dominus meus, & Deus meus*, & cum Pſalte: *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo quoniam elegi eam.* Ibi enim oportet vivere, ibi mori.

Joan. 20. 28: Pſ. 131. 14. Ribad. in ejus vita.

B. Edmundus, qui ſemper Crucifixo devotus extiterat, extrema unctione munitus, Crucifixi imaginem amplectens, lachrymis eam rigabat; & velut figens ex vulnere lateris, magno ſpiritus fervore pronunciabat: *Amodò hauritis aquas cum gaudio de fontibus Salvatoris.* Ibi ergo mortuus eſt, ubi vixerat.

LECTIO XXII.

ET SEPVLTVS EST.

DE SEPULTURA CHRISTI.

1. *Docet eſſe juxtà naturæ motus corpora honorificè ſepelire.*
2. *Quomodò Chriſti ſepultura fuerit honorifica.*
3. *Gloriam ſepulchri oriri ex ipſo Corpore Chriſti.*

PROPOSITIO I.

Corpora mortuorum honeſtè ſepeliunda.

Semper moris fuit apud Veteres, mortuis corporibus honorem oſtendere, eaque decenter ſepeliendo.

HInc tanquam injuni naturæ æſtimati ſunt qui hunc honorem neglexerunt. Inter hos recenſentur Lothophagi, qui corpora amicorum in mare jactabant: & Sabæi, qui Regum etiam cadavera in Herquilinia projiciebant: & Scytæ, qui honoris & benevolentiæ gratia, cadavera eorum quos diligebant, inter epulas devorabant. Et Hyrcani vel Maſſagetæ, qui canibus aut feris ea objiciebant. Hi certè omnes execrabiles ſunt, inhumani & belluini; nihil enim magis naturæ conſonum eſt, quàm ſepulturæ rationem libere, & mortuis corporibus honorem exhibere.

Si antiquum teſtamentum conſulamus, inveniemus Veteres maximam habuiſſe rationem ſepulturæ. Unde legimus Abraham emiſſe agrum quadringentis ſiclis, in quo erat ſpelunca ad ſepeliendam Sarram. Habemus quoque de ſepulchro Joſuæ, qui poſt tot triumphos & victorias ſepultus fuit in Tamnathſare, ſive Civitate Solis (id enim ſignificat verbum Hebræum) quam civitatem ſic dictam putant a celebri Solis imagine in ſepulchro ejus ſculpta, ſignificante ibi jacere illum qui Solem ſtare fecit. Unde loco Epitaphii, monumento ejus hæc verba adſcripta referunt: *Sol contra Gabaon ne moveris.*

Gen. 23. Joſ. 24. 30 Joſ. 10. 12.

Habemus & de ſepultura Moyſis, quod Dominus eum ſepeliverit in valle Moab, quod Lyranus, Cajetanus & alii, factum putant miniſterio Angelorum, funus cum ſolemnitate efferentium. Deuter. 34. 5.

Illud quoque notabile eſt, quod Jacob adjuret Joſeph, ut in terra Ægypti non ſepeliatur. Sic etiam Joſeph adjuravit fratres ſuos, & hoc Apoſtolus tribuit fidei. *Fide Joſeph mandavit de oſſibus ſuis.* Voluerunt enim ſepeliri in terra Iſrael, ob fidem quam habebant de Chriſto, qui terram illam promiſſionis ſanctificare debebat perambulans eam, & laborem, ſudore, ac ſanguine ſuo conſecrare. Voluerunt etiam inter fideles ſepeliri, glorioſam Reſurrectionem cum illis ſperantes. Hebr. 11. 22.

Sicut in veteri, ſic & in novo Teſtamento, magnam habet Eccleſia rationem ſepulturæ fidelium. Illi quidem Veteres poterant ſibi locum eligere ad ſepulturam, nunc verò Chriſti fideles communem habent & ſacratum, *Cœmiterium* dictum, à dormiendo, quaſi tenentem dormientes: hoc autem fit propter fidei & Sacramentorum reverentiam, & charitatis commendationem.

Sepultura Chriſti fidelium eſt communis & ſacratus locus.

Primò ut ſicut viventes unanimes habitarunt in domo, in Eccleſia, in fide una; & morientes ab invicem non ſeparentur. *Secundò*, ut in uno cubent lecto ſecundum corpora dormientes, qui ſecundum animam uni accumbunt menſæ perpetuò viventes. *Tertiò*, ut in uno lecto dormiant, qui ſunt una voce excitandi, *Surgite mortui.*

Conſtituuntur verò hæc Cœmiteria juxta Eccleſias, ut tranſeuntes frequenter meminerimus mortis & mortuorum; & illos Deo & Sanctis, in quorum honorem Eccleſia eſt conſecrata, commendemus. Unde & monumenta dicuntur, quaſi mentem monentia; tum mortis pro vivis, tum orationis pro mortuis. De illis qui tranſeuntes pro eis non orant, conqueri poſſe videntur illis verbis. Pſalm. *Et non dixerunt qui præteribant, benedictio Domini ſuper vos.* Quid enim eſt benedictio, niſi pro ipſis bona precari. Pſ. 128. 8.

Ritus verò quos ſervamus in ſepultura fidelium, partim ex Scriptura, partim ex traditione Apoſtolica accepimus, & myſteriis pleni ſunt. *Ritus ſepeliendi quid ſint.*

Primò, aſpergitur funus aqua benedicta, ut defunctus ſignificetur fuiſſe Chriſtianus, baptizatus: & Apoſtolorum tempore, oleo conſecrato ungebatur, teſte Dionyſio, ut ſignificaretur defunctus Dei miſericordia unctus, aqua quoque luſtralis, diabolum fugat à funere. *Secundò*, Thuriſicationem adhibemus, ut pro defuncto pias Deo preces, & ignitas charitate, Deoque odoriferas offerre nos ſignificemus. *Tertiò*, Campanas pulſamus, ad ſignificandum Angelicæ tubæ ſonum, quæ mortuos vocabit ad Judicium, ſicut Campanæ ſono, corpus vocatur ad ſepulchrum. Eſt verò hic ſonus quaſi lugubris ut excitemur ad orandum pro anima, ad mortis meditationem. Propter eandem cauſam lugubrem cantum adhibemus, ut defuncto peccatorum veniam impetremus, & ad compaſſionem excitemus.

mur. Et hæc fuit antiqua Eccleſiæ conſuetudo, de qua D. Dionyſ. & alii Patres. *Quarrò*, lumine utimur, ſignificantes quod defunctus lumen fidei in Baptiſmo acceptum in finem uſque conſervarit, & cum lumine gratiæ deceſſerit, quodque lumen gloriæ ei optemus. *Quintò*, crucem præferimus, quia cum viveret, ſub crucis vexillo militavit, unde oramus, ut meritorum crucis jam particeps fiat. Crucem etiam panno loculi ſuperſternimus, quia in Baptiſmo cruce ſignatus fuit & characterem indelebilem accepit. *Denique*, magnus hominum numerus comitatur, tum ut pro anima orent, tum ut ſignificemus juſtorum animas, ab Angelorum choris deduci, ſicut deductus fuit Lazarus. Nigris verò induti ſequuntur; luctum teſtantes de amici obitu, cujus anima ad regionem migravit ignotam; de qua necdum certi ſumus in gloriam introiſſe, ſed timemus ne debeat per Purgatorii pœnas tranſire.

Dionyſ. li. de cœleſti hierarch. c. 7.

Luc. 16. 22.

Malè ergò Calviniſtæ hos ritus irrident, & hunc honorem funeris ac ſepulturæ, qui ab ipſis Apoſtolis originem habet. Immò ipſe Dominus multis exemplis oſtendit ſe velle illuſtrem eſſe ſepulturam Sanctorum ſuorum.

1. B. Catharina, cum Martyrium ſubitura, ſic oraſſet: *Da Domine Jeſu ut corpus meum, quod pro te fuit conſciſſum, non poſſit ab iis aſpici qui quærunt illud.* Miſit Deus Angelos, qui corpus ejus compoſuerunt, & viſi ſunt illud in montem Sina cum celebritate deducere.

2. S. Sebaſtianus cùm telis confixus fuiſſet, corpus ejus in cloacam projectum, noctu apparuit B. Lucinæ, jubens ut corpus inde tolleret, & ferret in Catacumbas, ibique ſepeliret juxta veſtigia Apoſtolorum.

3. Sic de Stanislao legimus, cùm corpus ejus feris projectum foret, nocturni de cœlo ſplendoris indicio, ſparſa membra à Cracovienſibus Canonicis collecta fuiſſe: & ſuis locis aptè diſpoſita, ita inter ſe copulata fuiſſe, ut nulla vulnerum veſtigia extarent.

4. Cùm Maria quoque Ægyptiaca mortua foret, invenit B. Zoſimas corpus ejus mortuum, cum hac in terra inſcriptione: *Sepeli Abba Zoſima miſeræ corpuſculum, redde terræ quod ſuum eſt, pulverem pulveri adjice, & ora Dominum pro me.* Venitque de Eremo, qui pedibus terram eruens, foveam effecit, in qua ſepulta eſt.

5. Sic duo Leones ad D. Antonium accurrerunt, qui lachrymas & ploratum edentes, ſuper funere B. Pauli Eremitæ: & certarim terram effoderunt, in qua tumulatus eſt manibus Antonii, cum Hymnis & Canticis.

Quid pluta? Etiam ipſi Reges gaviſi ſunt propriis humeris Sanctorum corpora ad tumulum deferre. Sic Theodoricus Rex, filius Clodovei, corpus S. Theodorici Abbatis, & diſcipuli S. Remigii, ad tumulum vexit.

S: Gerardi Martyris corpus translatum fuit humeris Ladislai Regis Hungariæ & Principum ejus, ut habet ejus vita 24. Septembris.

S. Romualdi corpus detulit Henricus Germanorum Rex, poſtea Imperator.

Conſtantinus octavo die poſt ſuſceptum Baptiſmum, venit ad locum Principis Apoſtolorum ſepulchro conſecratum: ubi depoſito diademate, & humi jacens, vim lachrymarum profudit, ſumptoque ligone terram eruit: & inde duodecim terræ Cophinis in honorem duodecim Apoſtolorum ablatis locum Eccleſiæ deſignavit & ædificavit.

Ecce, quomodo Principes ad Piſcatorum ſepulchra proſternuntur, pulverem oſculantur, vota nuncupant: quia ibi corpora eorum beatam reſurrectionem expectant, qua animæ jam fruuntur: Hæc eſt gloria omnibus Sanctis Dei, quia in hoc mundo etiam vult eorum ſepulchra honorari. Refert Chryſoſtomus quod Conſtantinum vita functum, Conſtantius ejus filius, intra baſilicam Apoſtolorum tumulare non fuerit auſus, ſed in ejus atrio. Exiſtimavit, inquit, ingenti honore filius ſe affecturum Patrem, ſi eum in Piſcatoris veſtibulo poneret. *Et quod Imperatoribus jure in aulis janitores, hoc in ſepulchro Piſcatoribus ſunt Imperatores. Illi velut Domini, interiores loci partes obtinent, hi velut accolæ ac vicini, præclarè agi putarunt ſecundum, ſi veſtibuli janua eis aſſignetur.* Ergò Apoſtolorum oſtiarii ſunt Reges.

2. ad Cor. S. Chryſ. hom. 26. in 2. ad Corinth.

PROPOSITIO II.

Licet mors Chriſti ſummè ignominioſa fuerit, ſepultura tamen valde fuit honorifica.

Chriſti ſepultura fuit honorifica.

PRimò, quia viri primarii eum ſepelierunt: Nicodemus Gamalielis nepos, magnus Juriſperitus, qui in tenebris ad Jeſum veniens, receſſerat illuminatus: & Joſeph vir primarius civitatis; dictus ab Arimathia, quod Hieronymus interpretatur, *depomens.* Si Joſeph nutritius Chriſti celebris eſt, quia ei thalamus commiſſus ubi corpus Chriſti vivum delituit; certè nec hic ignobilis erit, cui thalamus commiſſus eſt, in quo corpus Chriſti mortuum jacuit. Magna utriuſque viri conſtantia & charitas, dum ipſi qui primam erant, cadaver in ligno pendens deponunt, & ſepeliunt cui operi etiam plures fœminæ nobiles & religioſæ cooperatæ ſunt.

Secundò patet honor ſepulturæ ex circumſtantiis; tum quia abundantia aromatum corpus conditum fuit, emit enim libras centum unguenti, quibus veriſimiliter non ſolum perfudit corpus, ſed & ſepulchrum, & ideò forte tantam copiam emit; tum quia ſindone pretioſa involvit. Fit verò ſindon ex lino, & non ſine myſterio adhibitum fuit ad Chriſti ſepulturam: linum enim ex terra oritur, & ſummo labore ad candorem perducitur, ideoque rectè ſignificat corpus Chriſti, quod ex terra virginea ortum eſt, & per laborem Paſſionis pervenit ad candorem, & gloriam Reſurrectionis.

De Sindone cui Chriſti corpus, fuit involutum.

In memoriam hujus ſindonis Corporalia in ſacrificio adhibemus, quaſi debent eſſe non de ſerico aut panno tincto, ſed de lino puro.

Hodie

Digitized by Google

Hodie adhuc in Ecclesia servatur Sindon ista, longitudinis (ut dicit Archiepiscopus Palcottus) duodecim palmorum, & latitudinis trium; in qua figura naturalis Filii Dei, & velut vivæ notæ ac imago vulnerum corporis ejus impressa cernitur summa cum pietate. Undè D. Carolus Borromæus anno 1578. celebri peregrinatione ad illud linteum visendum pedes venit Taurinum, quæ Civitas est Ducalis Subaudiæ; ad quem locum Dux è civitate sua Camberinensi deportari curârat in gratiam ipsius Cardinalis Borromæi, & ibi toto populo publicè sindon illa exhibita fuit, in theatro specialiter ad hoc erecto, in quo eam deferebant duo Cardinales & duo Archiepiscopi, sexque alii Episcopi. Vide Petrum Guistano in vita Borromæi, *l. 1. c. 5.* Dicit verò speciali miraculo Sindonem illam venisse ad manus Domus Sabaudicæ anno 1457. postquam diu fuisset in potestate Regum Christianorum de Hierusalem. Miraculum autem sic se habet:

Venerat sacrum illud pignus ad manus cujusdam Margaretæ Cama; quæ conjux erat Hectoris de Lusignano, Joanni Regi Cypri consanguinitate conjuncti: hæc, cum maritus mortuus foret, fugiens Tyrannidem Turcæ, qui vi armorum tunc Imperium Orientis sibi subjiciebat, venit in Galliam, cumque transiret per Urbem Camberinum, nunquam eam potuit egredi Mulus, qui hoc sacrum pignus deferebat, nullisque modis cogi potuit, ut Urbis portas pertransiret. Omnibus ergò tentatis, non potuit res referri nisi ad miraculum. Undè judicatum fuit, velle Deum pretiosum hunc thesaurum manere in potestate horum Ducum Christianorum. Quare ipsa consignavit Sindonem illam, inter manus Ludovici Ducis Sabaudiæ, & Annæ de Lusignano Ducissæ, quæ ei affinitate juncta erat, Deo sic disponente, ut pignus adeò pretiosum, semper foret in protectione Principum Catholicorum, nec veniret in potestatem inimicorum fidei.

Tertiò, patet honor sepulturæ Christi, quia sepultus fuit in sepulchro novo, quod excisum erat in horto.

Voluit *primò*, sepeliri in horto, ut corpus ejus ibi velut seminaretur, & fructum ferret resurrectionis corporum electorum, instar grani, integram & pulchram spicam producentis. Voluit *secundò* in sepulchro novo sepeliri novus homo. Tum ne si alius unquam ibi sepultus fuisset, alius resurrexisse diceretur, ut notant Patres. Tum quia sicut Nativitas fuit ex intacto & purissimo Virginis thalamo; ita sepultura ejus insignem puritatem debebat habere, & a nullo corpore mortuo contingi. Sicut in Mariæ utero nemo ante illum, nemo post conceptus est; ita in hoc monumento, nemo ante, nemo post sepultus est. Voluit *tertiò*, in sepulchro alieno sepeliri, ut sicut in alieno domicilio natus est, nec in vita habuit ubi caput reclinaret; ita in alieno mortuus jaceret & quia pro aliorum morietur salute, noluit propriam sepulturam habere, qui propriam mortem non habebat, inquit Augustinus. Undè & Ambrosius: *Habeant tumulum proprium*, Ambros. *qui suò lege sunt mortis. Victor mortis suum tumulum non habebat, nec enim sepulchrum mortis desiderabat, qui de morte trophæa referebat.* Multum ergò gloriosa sepultura, tum ex loci circumstantiis, tum ex personis cooperantibus & comitantibus. Undè & multis locis annuâ repræsentatione & pompâ, Sabbato sancto hæc sepultura repræsentatur.

Augustin. tract. 33. de tempore.

Solemnis Lovanii ad hoc instituitur Processio, in qua repræsentatur Virgo, funus comitans Filii cum dolore, & Magdalenâ cum aliis piis mulieribus, quarum una defert clavos, altera Coronam spineam, Nicodemus & Joseph Crucem & aromata, aliaque instrumenta Passionis, ab aliis personis deferuntur, & hæc omnia in memoriam sepulturæ ejus. Sequamur & nos animi contemplatione Virginem & Magdalenam, hasque pias personas, & Redemptori nostro parentemus, deplorantes ejus mortem cum lachrymis. Nemo cujuslibet conditionis, debet esse exors hujus doloris. Veniant Reges & plorent, quia Rex ille Regum defunctus est. Veniant Sacerdotes & plorent, quia summus Sacerdos tumulo deponitur. Plorent Duces & populi Doctores, quia ille sepelitur, qui datus est Dux & Præceptor Gentibus. Plorent pauperes & se huic funeri jungant, quia Pater pauperum & in summa paupertate moritur. Plorent denique omnes, quia lumen, vita & salus omnium ad sepulchrum ducitur.

Guil. Tyr. in histor. bell. sacri. Gretser. l. 2. de Cruce cap. 11.

B. Helena Regina, ut summo huic Regi parentaret, sepulchrum ejus magnifico templo exornavit, in quo postea Godefridus Bullonius, Recuperator Terræ Sanctæ, & primus Rex Jerusalem, & omnes deinceps alii Reges Jerosolymæ fuer sepulti, teste Guilhelmo Tyrio. Hæc Ecclesia multis miraculis solemnis fuit; nam singulis annis in die S. Sabbati, lampades omnes divinitus accendebantur post Baptisma consecratum, igne sacro cœlitus descendente, & toto populo Christiano ignem illum summis votis exspectante & inclamante: *Hagios, Kyrie eleison*, decantando Litanias. Aliquando id Deus denegabat ob peccata populi & tunc Christiani totam noctem in luctu transigentes, illum cœlestem ignem suis precibus impetrabant.

J. Boucher in historiæ peregrin. l. 3. c. 13.

Adhuc modo, Patriarchæ sex Nationum Schismaticarum Orientis, scilicet Græci, Georgiani, Armeni, Nestoriani, Abissini, Cophitæ, ad locum sepulchri conveniunt; & ut sibi sanctitatis opinionem concilient, ac populos in errore confirment, sic omnia peragunt, quasi ignis de cœlo invisibilis descenderet, & luminaria accenderet. Rem sic refert P. Joannes Boucher Franciscanus, qui ante annos viginti, Conventum Ordinis fui in Jerusalem inhabitavit: Conveniunt, inquit, ad Sepulchrum eum populis, & advocant Gubernatorem Urbis Jerusalem, magna pecuniæ summa ei data. Ipse in omnium præsentia extinguit sexaginta & unam lampades, quæ ibi solent lucere: tunc illas Patriarcha includit, sibi reservans claves, & sedens in loco ador-

adornato ad portam templi. Ferè per horam ibi agunt Patriarchæ, velut orationi inſtantes; & tunc unus ex eis ad feneſtram inclamat, ut omnes ſe proſternant & orent, ut citius ignis cœlitus deſcendat. Mox ibi multa millia hominum ſolent inclamare ſuo idiomate: *O Deus magne, exaudi nos.* Ipſi verò inter illos clamores ſilice ignem excutientes, lampades accendunt: & Patriarcha Neſtorianus facem ardentem per feneſtram populo oſtentat, inclamans gloriam Deo: tunc omnes illâ face ſuas accendunt candelas, & omnia luce, fumo & clamoribus replent, perſuaſi ignem de cœlo deſcendiſſe.

PROPOSITIO III.

Sepulchri hujus gloria maximè oritur ex corpore quod condidit.

Sepulchri gloria oritur ex corpore Chriſti.

RAtio eſt, quia totam gloriam & Verbi Majeſtatem continet, licet enim anima fuerit ſeparata à corpore, tamen Verbi majeſtas ſemper fuit cum corpore in ſepulchro, & cum anima in limbo. Huic ergò ſepulchro rectè præfigit Iſaias, quaſi Epitaphium hoc: *Erit ſepulchrum ejus gloriоſum.*

Iſa. 11. 10.

Aliorum Regum, non dicuntur propriè glorioſa ſepulchra, quia *Cum interierit homo, non deſcendet cum eo gloria ejus.* Sed cum Chriſtus moritur, ejus gloria cum illo deſcendit, Majeſtas ejus & Potentia. Unde ejus ſepulchrum, tanquam *Salomonis lectulum ambiunt fortes*, hoc eſt, ipſi Spiritus Angelici illud circumdant laudibus, tanquàm domicilium Regium ſui Creatoris agnoſcentes. Hæc eſt ergò prima differentia ſepulchri Chriſti & Regum, quia quantumlibet illis in funere decemantur triumphi cum ſolemnitate & magnifica pompa, hæc tamen cum illis gloria non deſcendit, ſed comitatur uſque ad ſepulchrum, poſtea perit cum ſonitu.

Pſal. 48. 18.

Cant. 3. 7.

Sic vidimus noſtro tempore tantum triumphum in Funere Alberti Ducis Brabantiæ, piæ & glorioſæ memoriæ, dum ei cum tanta magnificentia erectus eſt currus triumphalis, & delata vexilla omnium Provinciarum: dum funus ejus ſubſequuntur omnes Duces & Principes, quorum unus deferebat Archiducalem Coronam, ex pretioſiſſimis orbis gemmis contextam, alter Sceptrum, alter Vellus aureum, alter Pileum Cardinalitium: Diverſi denique Principes, diverſi gloriæ ejus inſignia deferebant. Sed hæc ſecuta ſunt eum uſque ad ſepulchrum, neque deſcendit cum eo gloria ejus, non ſecum decuit aut diademata illa, aut ſceptra: *Quemadmodùm homo cum interierit, non juvat omnia.*

Pſal. 48. 18.

Hoc rectè ſignificavit Rex ille Aſiæ Saladinus, qui cum morbo lethali morti vicinum ſe videret, Vexilliferum ſuum ad ſe vocavit, & dixit ei: Ecce tu in triumphis meis, ſolitus es vexillum gloriæ meæ, ante me ferre, volo nunc ut ſigna mortis meæ præferas. Accipe ergò hoc tritum linteum, in quod corpus meum involvi volo, & in ſublimitate lanceæ elevans, circumi meas plateas Damaſci & exercitum meum, inclamans: *Ecce moritur Rex Orientis, & de omnibus trophæis, opibus, ac ſpoliis ſuis, nil ſecum deferet, niſi extremum illud linteum.*

Sic Cyrus Perſarum Rex, cùm Aſſyriorum Regno potitus foret, & Regnum ab Aſſyriis ad Perſas tranſtuliſſet, tandem moriens juſſit hoc Epitaphium tumulo inſcribi:

O vir, quicunque es, & undecunque advenis,
Neque enim te adventurum ignoravi:
Ego ſum Cyrus, qui Perſis Imperium conſtitui,
Puſillum hoc terræ, quo meum tegitur corpus,
Ne mihi invideas.

Secunda differentia, quod corpora Regum ſtatim obnoxia ſint corruptioni: *Putredini dixi, Pater meus es.* Undè juſſus eſt clamare Iſaias: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus, quaſi flos agri*, &c.

Job 17. 14. Iſa. 40. 6.

Accede ad ſepulchrum Abſalonis floridi Juvenis. Ubi ejus pulchritudo; Ubi decor? Invenies cranium nudum ſine decore, ſine cute, exeſa oſſa jam tibi timorem incutient. Sic & de aliis Regibus. At Chriſti corpus nulli fuit obnoxium corruptioni: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, quia ſemper fuit unitum verbo incorruptionis principio; non ergò putredinem vel vermes pati potuit. Hæc eſt itaque differentia, quod alia monumenta, licet exterius ſplendeant, intus tamen plena ſunt horridis oſſibus mortuorum & beſtiis corrodentibus, quia verum etiam eſt de Principibus: *Cùm moritur homo, hæreditabit ſerpentes & vermes.* Chriſti autem corpus arca eſt illa tota aurea, ex imputribili materia confecta.

Pſ. 15. 10.

Eccl. 10. 13.

Hic ergò exclamare potiùs libet: O ſacrum Domini ſepulchrum, ſed non ſepulchrum! Sepulchrum enim continet in ſe mortuum; tu verò continens in te authorem vitæ.

Sepulchrum locus eſt corruptionis & putredinis, tu verò in te continens incorruptionis Principium, illum, qui etiam omnem mundi corruptionem extinguit.

Sepulchrum locus eſt tenebrarum & horroris: tu verò in te continens omnis gratiæ Solem.

Sepulchrum, domicilium eſt triſtitiæ & fletus: tu verò lætitiæ noſtræ fontem continens & originem.

Sepulchrum, Tabernaculum eſt mortis: tu verò Paradiſus es vitæ & amoris. Paradiſum te voco vitæ & amoris, quia ille Paradiſus dicitur, ubi divinitatis eſt viſio & fruitio: tu verò continens ejus corpus, qui omnes ſuâ reficit viſione, & divinitatis ſuæ facit conſortes: tu ipſum Divinitatem in te poſſides, quæ non poteſt abeſſe a corpore, quod condis.

Hoc etiam hic notandum, Sepulchrum Chriſti glorioſum dici, quia ibi multa facta ſunt & fiunt miracula, peccatores convertuntur, dæmones fugantur, morbi curantur, terra ipſa quandam divinam ex corpore Domini virtutem hauſit, ut meritò, inquit Gregorius Turonenſis, fideles ſoleant ex ea accipere, tum ad morbos curandos, tum ad dæmones fugandos. Sic refert Auguſtinus de Heſperio viro Tribunitio, quod cum in cubiculo ſuo de terra illa ſuſpendiſſet, domus ejus ab omni infeſtatione purgata ſit.

Gregor. Turon. de glor. mart. c. 7. Auguſt. lib. 22. de civit. 8.

Glo-

Digitized by Google

Glorioſum quoque dicitur, quia à multis ſæculis uſque nunc, celeberrima eſt peregrinatio ex toto Orbe. Et ad peregrinos recipiendos, Fratres Franciſcani ſemper habent ibi reſidentiam ſuam, & Patriarcham ſuum.

Gen. 48. 22. Sicut ergo olim teſtamentum faciens Jacob in ſignum amoris ſpecialis Joſeph filio dixit: *Do tibi unam partem extra fratres tuos, quam tuli in gladio & arcu meo de manu Amorrhæi:* Ita Chriſtus Franciſco dilecto filio ſuo & filiis ejus hanc terram ſanctam & ſacram hæreditatem, quam acquiſivit in gladio & arcu, hoc eſt, Cruce & Paſſione, ſpecialiter committit: ut ſit Cuſtos ſacri Sepulchri ejus Ordo, nomine totius Eccleſiæ Rom. ibi die & nocte laudes decantans Crucifixi. Et jam ab annis plus ducentis & ſeptuaginta, hanc ſacram hæreditatem poſſidet, ut notat Franciſc. Gonz.

Gonza. de orig. D. Franciſ. famil.

Sepulchrum verò illud Chriſti, Turca licet hoſtis infeſtiſſimus, nunquam evertere auſus eſt, licet Pontifici id minatus ſit, niſi cogeret Emanuelem Regem Luſitaniæ Indicam expeditionem dimittere. Sed partim ob vectigal, partim ex metu, ne Deus hoc ſacrilegium punat, hactenus minas non eſt auſus exequi, ut Ozorius & alii narrant.

Hoc ergo Sepulchrum, locus eſt ſummæ devotionis omnium gentium. Unde Bernardus ait: *Sepulchrum Chriſti inter loca devotionis quodammodo tenet principatum, & devotionis neſcio quid plus ſentitur, ubi mortuus requievit, quàm ubi vivens converſatus eſt, & amplius movet ad pietatem mortis, quam vitæ recordatio.*

Bernard. ep. 11. ad milites Templi.

Sic D Hieron. loquens de Paula dicit: *Ingreſſa Sepulchrum Domini, oſculabatur lapidem: & ipſum corporis locum, in quo Chriſtus jacuerat, quaſi ſitiens deſideratas aquas, fideli ore lambebat.*

D. Hier. Epiſt. 72.

Traxit hoc Sepulchrum odore ſuo innumeros homines, ex diverſis mundi partibus, & impletur illud Iſaiæ: *Gentes, quæ te non noverunt, venient ad te.*

Iſa. 55. 5.

LECTIO XXIII.

DESCENDIT AD INFEROS.

DE DESCENSU CHRISTI AD LIMBUM.

1. *Docet, Animam Chriſti realiter deſcendiſſe ad inferos.*
2. *Chriſtum deſcendiſſe ad locum Purgatorii.*
3. *Chriſtum ad inferos damnatorum non deſcendiſſe.*

PROPOSITIO I.

Chriſti anima verè & realiter ad inferos deſcendit.

NOta quatuor loca in inferioribus terræ poſſe diſtingui. *Primus* eſt in centro terræ, & vocatur infernus damnatorum, ubi animæ cum peccato mortali decedentes, æternùm detinentur. *Secundus* altero ſuperior, in quo animæ quæ nondum plenè ſatisfecerunt ad tempus puniuntur. *Tertius* eſt puerorum ſine Baptiſmo morientium. *Quartus* eſt, in quo animæ juſtorum veteris Teſtamenti detinebantur, antequam Chriſtus pretium ſolvens redemptionis, portas cœli aperuiſſet.

4. Loca inferiora.

Hæc omnia loca infernus vocantur, quia in inferion loco terræ. Ad hunc ultimum locum certum eſt Chriſtum deſcendiſſe ex Scripturis & SS. Patribus, & eſt id definitum in Concil. Lateran.

Ad limbū Patrum Chriſtus deſcendit. Concil. Later. c. firmiter Act. 2. 17.

Deducitur id ex Act. ubi illud: *Non derelinques animam meam in inferno.* D. Petrus interpretatur de Chriſto, probans ejus Reſurrectionem. Hæretici non admittentes hæc loca inferiora Limbum aut Purgatorium, dicunt nomine inferni, in Scriptura ſignificari ſepulchrum, ita ut deſcendere ad inferos, nihil aliud ſit dicere, quam mori. Sed convincuntur ex hoc loco, ubi non poteſt intelligi ſepulchrum, quia eſt ſermo de anima, anima autem non fuit in ſepulchro.

Chriſtus ergo illuc deſcendit, ut animas SS. Patrum liberaret, quia jam pretium redemptionis ſolutum erat. Unde per ejus præſentiam beatificati ſunt viſione eſſentiæ divinæ, ſicque Limbum in Paradiſum convertit.

1. *Vt animas PP. liberaret.*

Secundo illuc deſcendit, ut poſſeſſionem caperet in infernoribus partibus terræ, ubi triumphavit de tenebrarum Principe, *exſpolians Principatus & Poteſtates, & triumphans illos in ſemetipſo,* inquit Apoſtolus. Quibus verbis ſignificat confuſionem Principi tenebrarum & carceris ad quem deſcendit adduxiſſe. Unde deſcribit ejus deſcenſum more triumphali, in quo victor victum hoſtem ad currum triumphalem alligatum trahebat & circumducebat coram populo. Sic Chriſtus videtur traduxiſſe palã in triumphum Principatus & Poteſtates coram animabus illis ſanctis in Limbo, in confuſionem ejus & omnium damnatorum. Unde D. Auguſtin. deſcribens triumphalem deſcenſum Chriſti, ſic ait: *Confeſtim Chriſto deſcendente ſiluit ſtridor lugentium, diruptæ ceciderunt vincula damnatorum: attonita mentes obſtupeſcunt torterum infernalium, omniſque ſimul impia officina contremuit. Quiſnam eſt inquiunt, iſte terribilis & ſplendore coruſcus? Nunquam talem excepit noſter Tartarus; nunquam in noſtram cavernam talem evomuit mundus. Invaſor eſt iſte non debitor, effractor non peccator, Judicem vidimus non ſupplicem, pugnare venit non ſuccumbere, eripere non manere. Perit poteſtas cunctis ſemper formidata populis, nullus ſub ſede noſtra captivus palpitat, ſed inſultat, omnis gentium rugitus obmutuit,* Ita ille.

2. *Vt Poſſeſſionem caperet inferiorum.* Coloſſ. 2. 15.

Auguſt. ſerm. in Sabb. 5.

Chriſtus ergo meritis Crucis ſuæ, hunc triumphum meruerat; & jam vera eſt de illo prophetia Jacob: *Catulus Leonis Juda, ad prædam fili mi aſcendiſti,* q.d. Virtute aſcenſus tui ad Crucem, meruiſti hanc de inferno prædam. Animas ſanctas educens, jam perfectè adimplet nomen ſuum: *Velociter ſpolia detrahe, cito prædare.*

Gen. 49. 9

Iſa. 8. 1.

Zach.9.11 Sic quoque impletur prophetia Zachariæ : *Tu quoque in ſanguine teſtamenti eduxiſti vinctos de lacu in quo non eſt aqua.*

Oſe.13.14 Ibi ergò Chriſtus victor inter omnes mortuos liber inclamat : *Ero mors tua, ô mors!* quia per reſurrectionem meam efficiam, ut omnes juſti tandem reſurgant nunquam morituri ; & ſic omne tuum dominium extinguetur, cumque mortale hoc induerint immortalitatem, tunc perfectè ô mors abſorpta eris in victoria.

Ibid. *Morſus quoque tuus ero, ô inferne* ; Morſus quem voluiſti deglutire, ſed non potens digerere, imò tantam anxietatem tibi inferam, ut non ſolum me cogaris evomere, ſed ſimul quicquid cibi electi deglutiſti, animas omnes juſtorum quas ventre tuo continebas. Ita Anſelmus, Rupertus & alii. Vel ſenſus eſt : *Morſus ero tuus*, activè, mordens te, & magnam partem morſu auferens a te, electos educens, reprobos relinquens, juxta Hieron.

Anſelm. Rupert. & alii.

Ecce ergo deſcenſus triumphatoris. Ubi eſt mors victoria tua? Ubi robur & dominium tuum? Ubi portæ tuæ ô inferorum regnum? Ubi vincula tua, ô ſathan? Ubi captivi tui, ô inferne? Evome, evome eſcam electam, quam à quatuor annorum millibus devorare præſumpſiſti. Ecce ad eſt ille, qui juxta Prophetam divinitatis hamo interiora tua confodit, & *maxillam tuam perforavit*, cogens cibum reddere cum confuſione. Ecce diſruptis ſeris tuis egreditur fortis Samſon noſter, & portas tuas ſecum eferens liber in montem aſcendet, egredietur à te per Reſurrectionem.

PROPOSITIO II.

Ad Purgatorium deſcendiſſe probabile eſt.

Probabile eſt Chriſtum etiam deſcendiſſe ad locum Purgatorii.

Ecclæ.24. D.Tho. 3.p.q.52. a.1. ad 1.

HOc ſignificat illud Eccleſiaſtici, ubi Sapientia incarnata ipſe Chriſtus dicit : *Penetrabo omnes inferiores partes terræ & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino.* Unde veriſimile eſt Chriſtum aliquos ex ſpeciali liberalitate tunc liberaſſe ex Purgatorio, ut dicit D. Thomas. Sicut enim, inquit, ex ſpeciali gratia in hac vita aliquibus peccata remiſit, & ex ſpeciali gratia aliquos ſecum ſuſcitavit, ita rectè dicitur aliquos inde liberaſſe.

Bonavent Imò probabilis eſt ſententia Bonaventuræ, Gabrielis & aliorum, omnes tunc liberaſſe, tum quia dicitur : *Illuminabo omnes ſperantes in Domino*; tum quia decebat illa Clementia triumphalem Chriſti deſcenſum, cum ſoleant Principes in ſuis triumphis pœnas reis condonare, & carceres aperire.

Iſa. 49. 9. Hinc etiam de Chriſto dicit Iſaias : *Dedi te in fœdus populi, ut ſuſcitares terram, & poſſideres hæreditates diſſipatas, ut diceres his qui vincti ſunt : Exite, & his qui in tenebris, Revelamini.*

Anſel. in Elucidar. D. Anſelmus refert hæc verba Iſaiæ ad animas in Limbo & Purgatorio exiſtentes, quas omnes putat Chriſtum inde liberaſſe, ut ſit ſenſus : Miſi te, ut his qui in vinculis ſunt & poteſtate diaboli, dicas : *Exite*, ego vos in libertatem aſſero : & his qui in tenebris : *Revelamini*, ſive illuſtramini lucе mea.

PROPOSITIO III.

Ad infernum damnatorum non deſcendit.

Chriſtus ad infernum damnatorum non deſcendit.

HÆc eſt communis ſententia. Unde Patres indicant ſolum deſcendiſſe ad eam inferni partem, in qua juſti detinebantur, & rationem afferunt, ut inde induceret victos.

Eccleſ. 24.25. Sed dices : Scriptura dicit. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ*, ergo & inferaum. Reſpondeo hoc verum eſſe, quia non ſolùm Chriſtus ad ſuperficiem deſcendit, ſed etiam uſque infimum terræ locum penetravit, licet non quoad omnes ejus ſinus illuc pertigerit. Sed tamen effectum deſcenſus ejus etiam damnati & dæmones in ſuo loco ſenſerunt, ſicque virtute quadam ad locum damnatorum deſcendiſſe verum eſt.

Bellarm. Sed, eſt ne error, dicere illum re aliter ad locum damnatorum deſcendiſſe? Reſpondeo, non eſſe. Nã & hoc aſſerit Bellarminus. Sed nunc explicari debet Chriſtum illuc deſcendiſſe, ut præſenti aliter hanc confuſionem quam deſcripſimus. Principi tenebrarum coram damnatis induceret : nam aliqui etiam Patres hoc ſignificare videntur, dum dicunt ad Chriſti deſcenſum exterritam fuiſſe totam Gehennam, quaſi ad ſingularis hoſpitis inſinuatum adventum. Certum interim eſt Chriſtum ex inferno nullum liberaſſe. Unde eſt hæreſis, juxta Auguſtinum, tunc aliquos credidiſſe incredulos, & indeliberatos. Hoc tamen dixerunt aliqui antiqui, decepti illo loco : *Chriſtus ſemel mortuus eſt ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem ſpiritu in quo his qui in carcere erant ſpiritibus veniens prædicavit qui increduli fuerant aliquando, quando exſpectabatur Dei patientiam in diebus Noe.*

Auguſt. li. de hæreſibus hæreſi 79. 1.Pet.3.18

Hic locus obſcurus eſt. Sed hæc eſſe poteſt explicatio planior, ut per ſpiritus qui in carcere erant, & qui increduli fuerunt in diebus Noe, intelligamus eorum animas, qui oppreſſi diluvii aquis egerunt pœnitentiam in fine vitæ, licet aliquando fuiſſent increduli; & ita erant in Limbo cum aliis juſtis, & intellexerunt beneficium ſibi præſtitum per Paſſionem Chriſti, ipſomet nunciante, cum mortuus quidem ſecundum carnem, vivens autem ſpiritu ſive anima illuc deſcendit. Hæc explicatio eſt D. Athanaſii & Cyrilli, cui favet quod Petrus poſtea dicit : *Ideo & mortuis prædicatum eſt Evangelium, ut judicentur quidem ſecundùm hominem in carne, vivant autem ſecundum Deum in ſpiritu.* Senſus eſt, ut annunciante Chriſto intelligerent, ſe, quamvis carne fuiſſent juſtè puniti aquis diluvii, tamen beneficio Chriſti ſpirituali vita & beata poſtea victuros.

Athanaſ. & Cyrill.

Sed quæres : Quare Petrus ſpecialiter facit mentionem illorum, qui tempore Noe fuerunt increduli, cùm omnibus juſtis in Limbo Chriſtus idem beneficium annunciarit? Reſpondeo, quia ſingulari commemoratione dignum erat, illud beneficium

Digitized by Google

cium etiam præstitum esse iis, qui primò sub finem vitæ convertebantur.

Greg. 34. moral. c. 13. Nec tunc ergò, nec unquàm putamus aliquem ex inferno liberatum, quia pœnæ ibi æternæ, & nulla redemptio. Undè quod aliqui de Trajano, id asserunt suscitato per D. Gregorium, id desumptum est ex Damasceno, Oratione de Defunctis, & de Falconilla. Sed liber istæ non est probatæ fidei, nec putatur esse Damasceni: & non est verisimile D. Gregorium orasse pro infideli, cùm doceat non esse orandum pro damnatis. Et Joannes Diaconus in ejus vita docet illam historiam nunquàm fuisse ab Ecclesia receptam.

LECTIO XXIV.

TERTIA DIE RESURREXIT à mortuis.

DE CHRISTI RESURRECTIONE.

1. *Docet, Resurrectionem Christi esse unum ex primis Articulis Fidei.*
2. *Docet, Quomodò tertia die resurrexit, & qua hora.*
3. *Docet Christum resurrexisse cum Corporis integritate.*

PROPOSITIO I.

Resurrectio Christi, est unus ex primis & fundamentalibus Articulis Fidei.

Resurrectio Christi est ex primariis Articulis Fidei.

1. Cor. 15. 14. Luc. 24. Genes. 49. 9.

HInc dicit Apostolus: *Si Christus non resurrexit, manis est fides nostra & præcatio nostra.* Christus, ut hoc fundamentum radicaret in corde fidelium, quadraginta diebus eam omnibus modis testari voluit, & discipulos suos euntes in Emaus, docuit eam ex Prophetis, Moyse & Psalmis.

Multis ergò miraculis antiquitus denunciata fuit.

Primò afferre possumus illam prophetiam: *Catulus Leonis Juda requiescens accubuisti ut Leo, & quasi Leena: Quis suscitabit eum?* Dicant Catulum Leonis, quasi mortuum nasci, sed tertiâ die rugitu patris concutiente cubile excitari. Quod si verum est, rectè Christo competit, qui in sepulchro velut in cubili jacens ut mortuus, tertiâ die voce & virtute Patris excitatus est. Dicitur etiam de Leone, quod dormiat apertis oculis, & quod valdè parum dormiat, undè solet esse vigilantiæ symbolum. Indè etiam est quod ad portas Templorum & palatiorum Leones appinguntur, quasi fidi & sine somno custodes. Christus ergò accubuit ut Leo, & dormivit oculis divinitatis apertis, & parum dormivit; unde somnum excutiens rugitu sive voce suâ terram tremere facit, sigillum sepulchri disrumpit, & custodibus pavorem inducit.

Secundò, interpretatur D. Paulus de Resurrectione illud Psal. *Ego hodie genui te.* Ut sit sensus: Novo quodam modo genui te, cum ad vitam revocavi te. Resurrectionis enim tempus a Christo regeneratio dicitur: *In regeneratione cum sederit Filius hominis,* &c. Psal. 2. 7. Heb. 1. 5. Matt. 19. 28.

Ecclesia etiam de illa intelligit illud: *Ego dormivi & exsurrexi, quoniam Dominus suscepit me.* Psal. 3. 6.

Tertiò de illa potest intelligi illud: *Ne lætaris inimica mea super me, quia cecidi: consurgam, cùm sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, donec causam meam judicet, educet me in lucem, videbo justitiam ejus.* Loquitur Christi humanitas ad mortem, vel ad Synagogam, q.d. Ne lætaris super me, postquàm fuero in tenebris sepulchri, Dominus me in lucem Resurrectionis ducet: Portabo iram Domini, quia humano generi iratus est, cujus ego Caput & Redemptor sum: sed Dominus faciet judicium meum, ut mortis, inferni & peccati victor agnoscar: Educet me in lucem, clarificabit me per universum orbem: Ostendet justitiam suam, exaltando me ita humiliatum. *Et aspiciet inimica mea, oculi mei videbunt in eam, nunc erit in conculcationem.* Sensus est: Inimica Synagoga, quæ insultat mihi in Cruce, erit in prædam & conculcationem, ab inimicis subacta & calcata, quasi lutum platearum: & oculi mei videbunt ruinam ejus, sanguinem filiorum ejus in pœnam peccati, quia adimplebitur illud: *Veniens dies in te, & circumdabunt te inimici tui valle.* Mich. 7. 8. Ibid. v. 10. Ibid. v. 11.

Postea loquitur ad Ecclesiam, de ejus propagatione dicens: *Dies est, ut ædificentur materiæ tuæ, in illa die longè fiet lex,* hoc est, tempus est, ô Ecclesia, reædificationis tuæ, si per infidelitatem Judæorum partes aliquæ tuæ ceciderunt, reparaberis intrante multitudine Gentium, & lex illa antiqua, imò & lex Gentium de idolis colendis & vana religione abjicietur, & de omnibus nationibus à mari usque ad mare, ab Oriente usque ad Occidentem venient ad te, &c.

Quartò, huc referri potest illud: *Oritur Sol & occidit, & renascens gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem. Oritur Sol,* ibi significatur ortus Christi. *Et occidit,* ibi significatur mors. *Et iterùm renascens,* ibi indicatur Resurrectio. *Gyrat per Meridiem,* ibi indicatur ejus Ascensio & Beatificatio, quam adfert Electis in illa æterna Meridie, *Donec flectatur ad Aquilonem,* ibi indicatur dies Judicii, quando rigorem suum erga reprobos, qui significantur per Aquilonem, declarabit, & impetu turbinis in infernum devolvet eos. Eccle. 1. 5.

Christus Soli comparatur.

Christus rectè comparatur Soli ob varias causas: *Primò,* quia Sol nullum facit passum inutilem ab Oriente usque ad Occidentem, sed omnia luce illustrat, radiis vivificat, calore fœcundat. Ita Christus ab ortu suo usque ad mortem, nullum passum fecit inutilem, sed modò cœcos illuminat, ægros sanat, modò mortuos suscitat, modò lucem gratiæ diversis personis infundit. *Secundò,* Sol primo

Digitized by Google

mane purpureo colore ſuffunditur, paulò poſt nitidior eſt, in meridie verò fulgidiſſimus, & veſpere pallidus; ideò quatuor equis quadrigam Solis vehi finxerunt Poëtæ, quorum primus Purpureus eſſet, ſecundus Candidus, tertius Accenſus, quartus Pallidus terras aſpiciens. Sic Chriſtus in primo ortu infantiæ apparet Purpureus in Circumciſione. Poſteà clarior & nitidior in annis pueritiæ, proficiens gratiâ & ſapientiâ, & in templo diſſerens cum claritate. Sed & in meridie fulget in Thabor. Veſpere verò in occaſu ſive morte, pallido eſt colore. *Tertiò*, Sol dum occidit, tantùm ad tempus nos deſerit, alterum inquit Hemiſpherium ſuo ſplendore illuminans; paulò poſt oritur, orbem noſtrum implens ſplendore. Sic Chriſtus diſparuit ad tempus in ſepulchro, ſed viſitavit inferiorum hemiſpherium, id eſt, Sanctorum Limbum, ibi illuminans ſperantes in Domino. Paulò poſt iterùm renaſcentem videmus, & immortalis gloriæ radiis effulgentem in Reſurrectione: & luce tunc ſuâ diſſipat tenebras vacillationis in Apoſtolis & mulieribus, tenebras quoque errorum & ignorantiæ in toto Orbe. *Quartò*, in Sole repræſentantur quatuor dotes Corporis Chriſti glorioſi. In ejus ſplendore claritas, in ejus velocitate agilitas; in eo, quod ſine alteratione permanet impaſſibilitas; in eo quod loca omnia pervadit, & vitrum ipſum penetrat, ſubtilitas.

PROPOSITIO II.

Chriſtus tertiâ die reſurrexit.

IMpleta fuit tunc illa Prophetia: *Poſt duos dies vivificabit nos, & in die tertia ſuſcitabit nos*, quia ſcilicet in ipſo reſurgente, qui caput noſtrum eſt, vita & reſurrectio noſtra inchoata eſt. Oſe. 6. 3.

Impleta quoque fuit figura Jonæ: *Sicut Jonas fuit in ventre Ceti tribus diebus & tribus noctibus, ſic Filius hominis erit in corde terræ.* Quod aliqui intelligunt, quia corpus ejus fuit in ſepulchro, ſed melius intelligitur de Limbo, in quo fuit anima. Cor enim terræ propriè centrum dicitur, in quo eſt infernus. Sicut cor maris non dicitur ejus ſuperficies ſed profunditas. Et cor in medio animalis eſt. Undè & Dominus opponit cor terræ ventri piſcis, venter autem intimus eſt in animali. Et Jonas clamat ad Deum, & orat de ventre piſcis, corpus autem non orat de ſepulchro: ſed anima de Limbo: *Non derelinques animam meam in inferno. Erue à framea Deus animam meam.* Matt. 12. 40. Pſ. 15. 10 Pſ. 21. 21.

Tres autem dies & noctes intelliguntur per Synecdochen. Sed tamen eſt difficultas adhuc de noctibus, quia Chriſtus ſolâ nocte Sabbati & Dominicæ videtur fuiſſe in ſepulchro, ergò non tribus noctibus, ne quidem per partes.

Sed nota, hos dies & noctes computari à media nocte in altum, uti & nos in feſtis dies computamus; & ſic Chriſtus parte diei, & noctis Veneris fuit in ſepulchro, item nocte die Sabbati, denique parte noctis Dominicæ, & parte diei ſivè diluculi, quando reſurrexit: & ita etiam computabant Romani Judæis imperantes dies & noctes, teſte Macrobio. Macrob.

Sed quæres, cur tertio die, & non antè ſurrexit, aut non longè poſt? Reſpondet Thomas, non ſtatim poſt mortem, ſed tertio die reſurriſſe, ut verè eum mortuum crederemus; nam hoc temporis ſpatium, ad veram mortem probandam ſatis eſſe videbatur, quia inter Mortem ejus & Reſurrectionem ferè 40. horæ interceſſerunt. D. Thò. 3. p. q. 53. art. 2.

Noluit verò uſque in finem ſæculi differre Reſurrectionem, tum quia ipſi ſtatus immortalitatis debebatur ob dignitatem ſuam, tum quia divinitatem voluit declarare, & veritatem Reſurrectionis confirmare, quia poſſet objici corpus non idem, ſed aliud reſurrexiſſe, ſi tamdiu diſtuliſſet.

Rationem quoque ternarii affert D. Thomas, quia eſt numerus perfectus, habens principium, medium & finem, & per Reſurrectionem tertiâ die factam ſignificabatur tertium tempus inchoari. Nam primum fuit ante legem, ſecundum ſub lege, tertium ſub gratia. Et ſignificatur inchoari in Chriſti Reſurrectione tertius ſtatus Sanctorum, nam primus fuit ſub figuris legis, ſecundus ſub veritate fidei, tertius erit in æternitate gloriæ, quam Chriſtus inchoat reſurgendo.

Reſurrexit die Dominica.

Fuit verò hæc Reſurrectio facta in die Dominica. Hinc eſt, quod Matthæus vocat eam *primam Sabbati*. Ubi per Sabbatum intelligi poteſt tota hebdomada, ita ut prima Sabbati idem ſit, quod dies prima hebdomadæ, quæ eſt Dominica, nam Sabbatum erat ſeptimus dies. Poteſt etiam ſignificare propriù diem Sabbati, & tunc prima Sabbati, id eſt, prima dies poſt Sabbatum. Hebræi enim à Sabbato, tanquam ſolemniori, cæteros dies appellabant, prima Sabbati, ſecunda Sabbati, tertia Sabbati.

Patet etiam id ex traditione Eccleſiæ, ideò enim hæc dies appellata eſt Dominica à tempore Apoſtolorum. Tract. ſup. 3. præcept.

Sic verò appellatur, ut in eo divinis tantum cultibus ſerviamus, dantes diei hunc honorem propter ſpem Reſurrectionis, quam habemus in illo. Et infrà dicemus, hunc diem ſolemnem eſſe, quia in ipſo creati ſunt Angeli & elementa mundi. In ipſo creata prima lux, in ipſo manna deſcendit, in ipſo Spiritus venit. Undè & D. Leo: *In hac die mundus ſumpſit exordium, in hac per Reſurrectionem Chriſti & mors interitum & vita accepit initium.* S. Leo.

Sed quæritur, quâ horâ ſurrexit? Communior ſententia dicit circà auroram. Colligitur ex Marco: *Surgens Jeſus manè prima Sabbati, apparuit primò Magdalenæ.* Sed non convincit, quia aliqui illud *manè* jungunt cum verbo *apparuit*, non verò cum voce *ſurgens*. *Quâ horâ reſurrexit.* Marc. 16. 9.

Probari etiam poteſt ex illo Pſal. *Exurge pſalterium & cithara, excitabo diluculo.* Ubi Auguſtinus: *Excitat Chriſtus pſalterium ſuum & citharam ſuam & exſurrexit diluculo.* Item docet D. Thomas: *Surrexit*, inquit, *illucſcente jam die, ſignificans, quod per Reſurrectionem nos ad lucem gloriæ inducebat.* Pſal. 56. 9. Auguſt. in hunc Pſal. D. Thò. loc. cit.

Idem

Idem docet Eusebius Emissenus, luctam Jacob in aurora Christo resurgenti accommodans; Et videtur Ecclesia favere, dum canit: *Aurora lucis rutilat, &c.*

Eusb. Serm. de Resur.

Euthy.

Multi tamen Sancti Patres direrunt surrexisse post mediam noctem circà primum Galli cantum, ut dicit Euthymius. Et afferunt figuram Samsonis, qui mediâ nocte non solùm exiit, sed etiam portas tulit, ut sit typus Christi, qui mediâ nocte liber de inferno egressus est, & claustra inferni destruxit.

Athanas.

Undè Athanasius dicit: *Mediâ nocte excitaberis, & hymnis celebrabis Dominum; ea enim hora surrexit à mortuis.*

Rupert.

Adde ex Ruperto, quod Christus mediâ nocte natus sit. Resurrectio autem sit secunda Nativitas, de qua dicitur: *Ego hodie genui te.* Mediâ quoque nocte, inquit Rupertus dicitur venturus ad judicium, mediâ nocte resurgemus, & clamabit Tuba.

Heb.1.5.

V.Suarez in 3. parte D.Tho.

Visum autem mihi est, has duas opiniones posse conciliari, si sequamur tertiam illam opinionem, quæ dicit, Solem ipso die Resurrectionis prævenisse solitam oriendi legem tribus horis, eò quod tribus horis obscuratus sit in Passione. Ita sentit Incognitus, explicans illud: *Nox sicut dies illuminabitur: Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* Prævidens, inquit Psaltes, tempus Passionis & Resurrectionis, quod scilicet lux diei per tres horas obscuraretur, dicit quod Christus volens satisfacere lùmini diei amisso in sua Passione, per tres horas illuminavit noctem in sua Resurrectione, ita quod Sol ante tempus secundum cursum naturæ debitum per tres horas surrexit. Ità Ille.

Ps.138.12.

B.Chrysol.ser.de Pascha.

Hæc est sententia B. Chrysologi: *Sol qui per tres horas, ut Domino compateretur, abscesserat, claritate ejus resurgeret Dominus, ante tempus occurrit, & qui ut suo commoreretur authori, meridianam mortificaverat claritatem, ut consurgeret authori suo evicto tenebris antelucanus erupit; & qui antè fugerat, nunc ipsam noctem prævenit fugaturus, ut reddat nox lucis horas, quas transitu Dominicæ Passionis invaserat.* Ità ille. Idem docet Gregor. Hom. de Pascha, & Rabanus.

Gregor. homil.de Pasch.

Rabanus in c.15. Marci.

Si ergò hoc secuti fuerimus, jam conciliantur ex parte duæ illæ opiniones: nam si Sol tribus horis ortus fuerit prius solito, statim aurora fuerit, & inchoarit lucis crepusculum, post primum Galli cantum; & post mediam noctem, hoc est, illâ horâ, quâ media sivè profunda nox, aliàs adhuc esse solet, Christus dicetur resurrexisse.

D. Hieró. & alii.

Dixit verò D. Hieronymus omnem rescindens disputationem: *Surrexit, quâ horâ voluit, qua nulli mortalium cognita est.* Ita enim sensit, Dionys. Alexand. Theoph. Marci ultimo.

PROPOSITIO III.

Resurrexit Christus cum omnitegritate corporis.

Christus resurrexit cum omni integritate & perfectione Corporis sui.

EXplico. Christus resurgens non solùm resumpsit partes corporis principales, sed & omnes quæ ad ornatum conferunt, sicut sunt barba, capilli, & similia. Licet enim tortorum crudelitate hinc indè divulsa hæc fuerint, in Christo tamen resurgente fuerunt: nam si hæc in resurgentibus corporibus sint, multò magis in Christo. Et si verum est de illis: *Capillus de capite vestro non peribit*, multò magis de illo, qui exemplar omnium resurgentium.

Luc.21.18

Quærunt aliqui, an Christus præputium Circumcisionis resumpserit? Ratio dubitandi est, quia traditio dicit illud reservari in Basilica Lateranensi, in loco, qui dicitur Sancta Sanctorum. Resp. Aliquos cum Gabriele existimare, simul manere in terra & in corpore Christi, cum hac tamen distinctione, quod in Corpore Christi informetur anima rationali & vivat, in terra verò inanimatum maneat ad devotionem Fidelium.

Aliam responsionem videre potes apud Suarez. Quantum ad sanguinem, cum ille effusus fuerit in Passione diversis locis, dicendum tamen omnem illum reassumptum, qui necessarius est aut conveniens, ad corporis humani optimam dispositionem. Hæc est communis Theologorum. Quia constitutio corporis non consistit sine sanguine, saltem illo quem vitalem aut arterialem vocant, quem etiam unitum fuisse divinitati docent certò Theologi, undè & vocatur sanguis pretiosus & pretium magnum.

V.Suarez in 3. p.

Quæritur tamen, an totum sanguinem resumpserit, ut nihil illius maneat in terris? Ratio dubii est, quia Mantuæ, Brugis, & alibi traditio est de Christi Sanguine ibi aliquid haberi. Et Pius II. in quadam Extravaganti data anno 1461. docuit id non repugnare veritati fidei, ut refert Sylvester; qui etiam dicit se vidisse in antro B. Magdalenæ vitrum plenum terra rubei & nigri coloris, quod Magdalena juxtà Crucem impleverat ex terra, quam Christus suo Sanguine rigaverat, ut erat traditio. Immò asserebant, inquit, in die Paraseves lectâ Passione illum sanguinem ebullire. Refert quoque Platina Leonem III. Mantuam petrexisse, ut Sanguinem Domini videret, miraculis tunc illustrem, eumque approbasse.

Silvester in rosa aurea.

Ex his probabile, manere parvam quantitatem Sanguinis Christi in terra, saltem quoad materiam, quasi sub forma cadaveris sanguinis, qui tamen jam non unitur Verbo, quia non est pars humanitatis Christi, nec ampliùs conjungendus corpori ejus. Sanguis verò effusus in Passione mansit unitus Verbo, tanquàm habens adhuc ordinem ad humanitatem Christi, cui erat rejungendus.

Sed dices, quod semel assumpsit, nunquàm dimisit, juxta axioma Theol. ex Damasceno.

Item ille sanguis adoratur, ergò est unitus Verbo. Respondeo ad prius, axioma illud intelligi de partibus principalibus, aut ad veritatem corporis & integritatem pertinentibus. Ad posterius: Si ille sanguis adoretur, id fit propter præcedentem unionem ad Verbum.

Digitized by Google

Interim multi putant non manſiſſe quicquam veri ſanguinis in terris, & illum qui ſervatur diverſis locis, ſolum manaſſe ex imagine Salvatoris a Judæis icta. Quæ ſententia eſt D. Thomæ ex Athanaſio.

Lib. de Paſſione imag. D. c. 7.

Juxta hanc opinionem, ille ſanguis qui alicubi oſtenditur adhæſiſſe ſpinis, clavis, lanceæ, ſudario, non eſt ſanguis quoad ſubſtantiam, ſed ſolum color de ſanguine relictus. Idem dic de rubea terra Magdalenæ.

Hæc ſententia inde etiam probabilitatem habet, quod non videatur conveniens ſanguinem unitum divinitati, dimitti; & quod totus ſanguis, quem habuit ab horto uſque ad vulnus lanceæ, videatur conveniens temperamento Corporis Chriſti, & eum fuerit pretium redemptionis, decuit perpetuò in Corpore Chriſti ſervari.

Denique, in Cœna Chriſtus conſecravit totum illum ſanguinem, quem tunc habuit in corpore, ergò eundem nos conſecramus. Et ſic idem etiam ſervatur in corpore ejus glorioſo.

Notandum porrò hic, licet corpus integrum reſumpſerit, manſiſſe tamen foramina vulnerum in pedibus, ac latere, ita ut Thomas in ea miſerit digitos, & manum in latus. Non ergò Chriſtus ea implevit carne glorioſa, ſpeciem clavorum habente, qualia fuerunt ſtigmata Sancti Franciſci, ſed planè aperta ſervavit. Undè ſpeciale miraculum fuit, quod hæc foramina non impedirent, quo minus nervi & arteriæ optimè eſſent diſpoſitæ, ad omnes actiones & motus vitales.

Suarez in 3. p. q. 44. art. 4.

Hæc itaque vulnera in Chriſti corpore non deformitatem, ſed decorem pariebant, velut quinque gemmæ rutilantes in veſte humanitatis Chriſti, quæ etiam lætificant Angelos & beatos in Cœleſti Paradiſo, ſuntque velut fontes irrigantes Paradiſum Dei, hoc eſt, Eccleſiam, ſive Militantem, ſive Triumphantem.

Apoc. 5. 6.

Propter hæc vulnera, quæ ſunt ſigna mortis ejus, vidiſſe dicit Joannes, *Agnum in medio Seniorum ſtantem tanquàm occiſum*; nimirum quia licet Chriſtus ſit vivens in ſæcula ſæculorum, ſtat tamen etiam in cœlo, tanquam occiſus ob cicatrices & mortis ſigna, quæ adhuc nunc retinet; ita ut dicere: Ille vidiſſe agnum tanquàm occiſum, non aliud ſit, quàm vidiſſe Chriſtum mortis ſuæ ſigna retinentem.

DE CICATRICIBUS CHRISTI RESURGENTIS.

Vulnera 5. cur Chriſtus reſervaverit.

1. In ſignū Reſurrectionis.

QUæritur verò: Cur Chriſtus illa vulnera ſervavit.

Primò, ut eſſent ſigna veritatis corporis & Reſurrectionis; non enim ex impotentia, quaſi non potuerit perfectiſſimè corpus ſanare, qui potuit ſuſcitare, quique tulit coſtam de Adam & carnem potuit pro ea ſupplere: *ſed ad dubitantium corda ſananda, vulnerum jura ſervata veſtigia.*

2. Victoriæ.

Secundò, in ſignum victoriæ, ideò enim in cœlo ſervat, ut perpetuum victoriæ ſuæ triumphum circumferat. Hinc etiam per illa ſigna, victoria aliquando Principibus Chriſtianis contra fidei hoſtes ceſſit.

An. 1111. Thom. Bozius de ſignis Eccl. lib. 17. c. 7.

Alphonſus Portugaliæ Rex, commiſſurus prælium adverſus quinque Saracenorum Reges, cum trepido eſſet animo, confirmatus eſt a Chriſto in ſomnis, juſſuſque in aciem deſcendere, & vexillum erigere, cui quinque ipſius vulnera depicta forent: fecit Alphonſus, & nobilem victoriam reportavit. Exindè Regibus Portugalliæ inſignia fuerunt quinque plagis Chriſti ornatum vexillum.

Quotidie quoque ſpiritualis victoria nobis per illa contra hoſtes animæ datur. Sunt enim quinque lapides electi, quibus hoſtem proſternimus, ita ut in omni tentatione, quiſquis ad hæc victoriæ ſigna recurſum habuerit, totus fiat.

Aug. 22. de civ.

Similiter dicit Auguſtin. manere in Martyribus cicatrices, quibus agnoſcatur, quod genus martyrii paſſi ſint, & quomodo victores extiterint.

D. Thó. 3. p.

Nec erit deformitas, ſivè in illis, ſivè in Chriſto, ſed dignitas fulgorque cicatricum: ſicut veſtis ſerica inciſuris diſtincta magis fulget, ſic Chriſti vulnera in humanitatis veſte, decorem ei addunt, & interiorem pulchritudinem manifeſtant.

3. In noſtri fiduciam. S. Cypr.

Tertiò, ſervavit ad majorem noſtri fiduciam, ut ſciamus, quod pro nobis ea Patri exhibeat, ut appareant vultui Patris pro nobis. Hinc Cyprianus dicit: *Servata in corpore plaga ſemper ſalutis humanæ exigunt pretium, & obedientia donativum.* Utique efficaciter interpellant, quaſi tot ora aperta veniam & miſericordiam inclamantia: undè & amorem noſtrum excitant, dum inclamant illud: *In manibus meis deſcripſi te.*

4. In refugium pœnitentium. V. Bern. in Cant. Serm. 6.

Quartò, ut animæ pœnitentes refugiū habeant, & miſericordiæ mel & dilectionis dulcedinem ſugant. Ego enim, inquit Bernard. quicquid mihi deeſt, uſurpo mihi ex vulneribus Domini mei Jeſu Chriſti. Foderunt, inquit, manus & latus ejus, per has rimas licet mihi mel ſugere de petra, nempè tot canales ſunt undè gratia fluit, ita ut liceat tibi ſugere, & haurire *aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.*

Surius in ejus vita ex Cantipr. to

Legimus de B. Lutgarde, quod cum corpore & ætate tenerrima foret, nocte quâdam circa Matutinas ſudor eam vehemens invaſit, & cùm abeſſe putaret, ut fortior poſtea ad obſequia divina rederetur. Ecce vox ad eam: *Quid jaces? Surge, oportet ut pœnitentiam nunc agas pro peccatoribus, qui in ſordibus jacent.* Illa exterrita, inchoato jam officio feſtinat ad Eccleſiam, & in ipſo oſtio repente obvium Chriſtum cruci affixum & cruentatum, qui brachium e cruce deponens & eam amplexans, os ejus vulneri lateris applicuit; undè tantam hauſit ſuavitatem, ut ex tunc in Dei obſequio fortior & alacrior foret. Retuleruntque qui id ſciverunt ea revelante ex eo tempore ſalivam ejus mellis dulcedinem ſuperaſſe. Nec mirum cum cor illius & divinitatis Chriſti mel, & humanitatis lac intus exſuxerat. Sic quandò aliquâ afflictione premebatur aut corporis, ſtabat coram Crucifixo in contempla-

Digitized by Google

templatione, adeumque rapiebatur in spiritu & lacrimis admovens, tantam fugebat suavitatem, ut nulla re posset affligi. Ideò & Martyres ibi habitabant, & vires ad tolerandum adversa quælibet delumebant.

V Bern. Serm. 61. in Cant. fusè hæc dicit.

Quantum verò ad peccatricem animam, ibi habet refugium. Si pungitur conscientiæ spinis ut Herinacius, fugit ad hanc petram apertam. Si tentationibus premitur, ibi habet quinque loca refugii, illuc evolat ut columba gemens. Ibi ergo debet reponere cor apud cor Christi, si prius superbum fuerit, fiet humile, si terrenum amabit cœlestia, si sordidum fiet castum, si vindicativum fiet mitte, si tepidum & languidum participabit de flamma, si obstinatum & durum, fiet mölle: Inde enim omnes pios affectus poterit elicere, & perversas inclinationes igne amoris inde egrediente, velut paleas poterit absumere.

Exempl.

Mirabile est quod de B. Catharina Senensi legimus. Quodam die vehementi amore Sponsi saucia instanter petiit, ut à se cor suum & propriam voluntatem radicitus evelleret, quod in omnibus rebus, sine tergiversatione ei obsequeretur. Visus est sic oranti venire Christus & latus sinistrum Virginis aperire, & ablato corde recedere. Ejus Confessarius id parvi faciebat, parumque sanæ mentis esse credebat. At illi quadam die ex Oratorio exire volenti cum multi luce Christus apparuit, in manu ferens Cor quoddam rubicundum, & accedens in sinistrum latus Virginis imposuit, dicens: *En filia habes pro tuo Cor meum*; clausoque latere recessit. Et ne putaretur Phantasma, manut cicatrix, quam sæpè Religiosæ ejus sodales viderunt. Quid autem ex hac stupenda cordis mutatione consecutum fuerit, facile est conjicere. Nec enim Sponsus tam diu voluit cor ejus retinere, nisi ut ardenti amore, & gratiarum affluentia repleret. Testis est ardor, quem in corde sentiebat, ita ut diceret tantam in anima puritatis & humilitatis renovationem se sentire, ut ad ætatem quatuor vel quinque annorum se rediisse putaret.

In conjunctum.

Postremò, servavit vulnera Christus, ut per ea impietatem Judæorum & Christianorum, qui tantam gratiam neglexerunt, in die Judicii arguat, & reprobos confundat: quasi dicens: *Ecce homini quem crucifixistis, videtis vulnera quæ infixistis: Agnoscitis latus quod pupugistis: Per vos & propter vos apertum est, nec intrare voluistis.* Ita Augustin.

Hoc significare videtur etiam Zacharias, dum dicit Christum tunc interrogandum: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Et respondebit: *His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.* Et tunc adimplebitur id quod dicit idem: *Videbunt in quem transfixerunt, & plangent terra, & familia seorsum: Familia Domus David seorsum, & mulieres eorum: Familia domus Nathan seorsum, & mulieres earum seorsum: Familia domus Levi seorsum, &c.* Cùm enim non acciderit hoc in Passione Domini, videtur Propheta describere planctum, qui fiet in die Judicii, quando videbunt eumque quem confixerunt cum confusione. In quo notantur etiam ipsi Christiani cujuslibet conditionis: Per domum David, Principes & Reges: Per domum Nathan, Nobiles: Per domum Levi, Sacerdotes: Per domum Semei, Legis Doctores, quia ex illa familia erant multi Scribæ & Pharisæi.

LECTIO XXV.

DE FRUCTU RESURRECTIONIS.

1. *Docet quomodo Cœlum & terrã lætificarit.*
2. *Quomodo fidẽ & spem nostrã confirmarit.*
3. *Quomodo propter justificationem nostram resurrexerit.*

PROPOSITIO I.

Christus resurgens Cœlum & omnes creaturas lætas affecit.

IN morte Christi communis fuit dolor, ita ut Cœlum lugubri veste amictum videretur, Sole & Luna lucem subtrahentibus, petris se findentibus: adeò ut deficiente Domino, omnia deficere viderentur; & diem suum finire cuperent, inquit Leo, sed illo surgente, communis fuit Cœlo & terræ lætitia. *In Resurrectione tua Christe Cœli & terra lætantur*, canit Ecclesia.

Primò ergò lætitia fuit Angelis, qui in candidis vestibus apparent Resurrectionis primi Præcones: gaudent jam adimpletam Resurrectionem, sicque ruinas suas instaurandas.

Secundò lætitia fuit Patribus, qui illuminantur in umbra mortis, divinæ essentiæ visione, & educuntur de lacu & carcere.

Tertiò lætitia Apostolis, qui summè tristes erant ob mortem Magistri & Salvatoris, ob quem omnia reliquerant, & in quem omnem spem jactarant.

Quartò lætitia summa Virgini, quia sicut nemo dolorem quem habuit ob filium suum explicare potest ita nec gaudium quod nunc recipit. Christus fuerat ei *Benoni* in Cruce, hoc est *filius doloris*: nunc ei est *Benjamin* in Resurrectione, hoc est *filius dextræ*.

Quintò lætitia fuit ipsis elementis, ita ut dixerit B. Maximus: *In Resurrectione Christi omnia elementa gloriantur, nam & solem ipsum arbitror in hac die clariorem solitò fuisse.* De illo dixi supra, juxta aliquos prævenisse horam solitam ortus sui. Hinc jam Ecclesia in illo Paschali præconio, *Salve festa dies*, dicit totum mundum in hac Resurrectione Christo velut applaudere & gratulari.

De hac ergo die verum est: *Hæc dies quam fecit Dominus exultemus & lætemur in ea.* Omnes dies fecit, sed hanc specialiter, quia excellentissimum opus in ea perfecit, ideò dies Domini dicitur, & per singulas Dominicas recolitur. Alii dies solemnes sunt & læti, sed semper aliquid triste mixtum habent,

Digitized by Google

habent. 1. Lætus dies Nativitatis; ſed tamen ibi vagit infans, &c. 2. Lætus dies Circumciſionis ob nomen Jeſu; ſed ibi ſanguis funditur. 3. Lætus dies Epiphaniæ, ſed myrrha mortem ſignificans offertur. 4. Læta Transfiguratio; ſed tamen ſermo ibi de exceſſu, hoc eſt, de morte.

Hic dies totus lætus eſt, dies ſalutis, redemptionis, repatationis, glorificationis noſtræ, quæ in capite initium ſumpſit. Unde Eccleſia lætitia tum perfuſa inclamat: *Exultemus & lætemur in ea. Exultemus* non in flore vanitatis; ſed in ſpe æternitatis. *Exultemus* non profano; ſed ſpiritus gaudio. *Exultemus* non terrena, ſed Angelicâ lætitiâ.

Multi in hoc die gaudent in vanitate veſtium, gaudent quia jejunia tranſierunt & luctus: gaudent quia nunc licitæ erunt recreationes, luſus, tripudia, commeſſationes.

An putas, hoc eſſe gaudium ad quod invitat Eccleſia? Abſit. De ſimilibus enim gaudet & ipſe ſathan, quod his diebus feſtivis majores occaſiones habeat animas capiendi, iterumque prioribus peccatis eas religandi. Gaudium ergò noſtrum debet
1. Pet. 1. 3. eſſe in Spiritu ſancto. *Gratias agentes Deo, qui nos regeneravit in ſpem vivam, per Reſurrectionem Jeſu*
Pſ. 102. 4. *Chriſti in hæreditatem incorruptibilem, &c.* Gaudium noſtrum debet eſſe cum Pſalte: *Benedic anima mea Domino, qui coronat te in miſericordia & miſerationibus*, jam quidem in ſpe, poſtea in re. Hoc erit feſtum
2. Cor. 5. 8. celebrare *non in fermento veteri, ſed in azymis ſinceritatis.* Hoc eſt in conſcientiæ puritate.

Gaudium à nobis expoſcit Eccleſia toto tempore Paſchali repetens *Alleluia*, vocem illam triumphantem, ex Davide deſumptam, qui plutibus Pſalmis hunc titulum inſcribit. Unde in Pſalm. 17. qui
Apoc. 19. de reſurrectione loquitur, titulus eſt *Alleluja, Alleluja.* Et toto tempore Paſchali repræſentat Eccleſia tempus Æternitatis, in quo perennis erit
Exempl. laus, perenne reſonabit *Alleluja.* Eſt ergò cœleſte beatorum Canticum & jubilus quem audivit Joannes è Cœlo omnes Sanctos reſonantes, ideò ergò jubilando toties ab Eccleſia repetitur.

Refert Franciſcus Alvarez in Toletana Ditione Cœnobium eſſe Religioſorum nuncupatum *Alleluja* ab hoc eventu. Aſceta ſive Cœnobita vixerat in vicinia, vigiliis, jejuniis & orationibus aſſiduis vocans, & is a beatis audiebat ſæpè ingeminari *Alleluja*, ſuaviſſimo cantu; eaque voce relata ad Præfectum Monaſterii, extitit ille author Monaſterii tunc inchoati hoc nomine appellandi. Olim quoque teſte Hieronymo Virgines & Monachi hac voce *Alleluja*, noctu ad preces & laudes Dei vocabantur in templum. Hæc vox etiam cœlitus aſpirata, animavit olim Chriſti Athletas ad martyria & tormenta cum gaudio ſuſtinenda.

Habemus de B. Maria Ognitca, cùm appropinSuriùs & quaſſet dies mortis ejus, fuiſſetque quinquaginta
l. 3. de Vi- duobus diebus ſine cibo, nocte præcedente mortatico in tem ſuaviſſima voce cœpiſſe cantare *Alleluja*; totamque illam noctem in quodam jubilo & exultatione perciſſe. Sequenti die apparuit ei ſathan intentans multas inſidias, & ita vexans eam, ut ipſa videretur aliquantùm trepidare, unde præſentium auxilium implorabat. Sed tamen firmam ſpem in Chriſtum convertens munienſque ſe ſigno crucis, omnes has tenebras, & diaboli conatus diſpulit; & iterum repetens vocem hanc victoriæ, *Alleluja*, omnia devicit, ſpirituumque ſuaviter in manus Dei tradidit. Ita Jacobus de Vitriaco.

Habemus & de S. Germano Altiſiodorenſi, quod cùm Angliam ab hæreſi Pelagiana purgaſſet, etiam à tumultibus bellorum contra Saxones protegere voluiſſe. Unde cùm Anglorum & Saxonum exercitus jam paratus eſſent ſeſe aggredi, ad Anglos accurrens & de victoria eos aſſecurans, jubet omnes milites ſimul forti & lætabunda voce inclamare, *Alleluja, alleluja.* Hæcque vox exultationis & ſalutis in tabernaculis Juſtorum, tantum terroris Saxonibus incuſſit, ut cùm mira totius exercitus confuſione terga verterint, relictis curribus & tota ſuppellectile, ſicut ad vocem Gedeonis & ſociorum ejus Madianitæ fugati fuerant. Vox ergò iſta, triumphalis vox eſt, vox victoriæ, in hac militia vitæ noſtræ hoſtibus cincti, reſonare ſæpiùs juvat non tam oris voce quàm cordis, ad Triumphantem Cœleſtem Eccleſiam, ad quam vocamur reſpirando, & calcar nobis adjiciendo.

PROPOSITIO II.

Chriſti Reſurrectione fides & ſpes noſtra confirmata eſt.

Reſurrectio Chriſti 1. fidei noſtræ confirmat.

PRimò quidem Fides. Ideò dicit Job: *Credo quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, &c.* Ubi finem ſuam de Reſurrectione noſtra deducit ex Reſurrectione Chriſti. Ut autem oſtendat, quàm multum importet fides hæc reſurrectionis, longo utitur prologo, dicens. *Quis mihi tribuat ut ſcribantur ſermones mei? Quis mihi det, ut exarentur in libro ſtilo ferreo? plumbi lamina, vel celte ſculpantur in ſilice?* q. d. Quia quæ dicturus ſum, magna ſunt & rara, & notatu digna, & quæ ad poſterorum inſtructionem uſque in finem ſæculi meritò ſervari debent; ideò ego optarem, ut per ſcripturam manentem conſervarentur, quia vox per ſe labilis eſt, & perit. Immò optarem, ut non ſolùm in foliis aut chartis, quæ facilè pereunt, ſcriberentur; ſed in bene compacto libro exararentur ſtilo ferreo & perfecta impreſſione, vel in lamina aliqua, aut ſilice bene ſculperentur, ut Scriptura durabilis foret, nec vetuſtate, nec igne corrumpi poſſet.

Job. 19. 23 Vultis ergo ſcire, quid ſit illud adeò grave, adeò dignum memoria? *Scio quod Redemptor meus vivit.* Chriſti ergò Reſurrectio noſtram confirmat reſurrectionem, & exemplo monſtravit Dominus, quod promiſit in præmio; ut ſicut ipſe reſurrexit, ita ſciant omnes fideles ſe reſurrecturos, virtute enim Reſurrectionis ejus fit noſtra reſurrectio.

Job. 19. 25 Ibid.

Hinc nota, quod ipſe Chriſtus reſurrexit virtute

Joan.10. 18. Joan.2.19

tute propriâ, nos verò aliena. Propterea dixit: *Pono animam meam à me, & iterùm habeo poteſtatem ſumendi eam. Solvite templum hoc, & in triduo excitabo illud.* Propterea etiam dicitur ſurrexiſſe, quaſi ſoporatus à ſomno, habens poteſtatem ſeipſum ſuſcitandi ab inſita ſibi virtute, ſicut is qui dormit. Non ergò ut Lazarus, aut adoleſcens in Naim ſuſcitatus eſt; ipſi enim aliena virtute, Chriſtus propria. Aderat enim Divinitas corpori in ſepulchro, & animæ in limbo, per quam poterat utrumque reunire: habebat Chriſtus in ſe radicalem virtutem vitæ, etiam in corpore mortuo, & ideò dicitur quaſi flos pullulaſſe:

Pſal.17.7. *Ecce reflorui*, inquit, *caro mea.* Caro ejus in Nativitate floruit, in Paſſione elanguit, in morte decidit, in Reſurrectione refloruit. Verè *Nazarenus*, verè floridus, flos prætioſus in horto, ubi fuerat ſepultus.

Plantæ in hyeme venuſtatem amittunt, floribus & foliis deſtitutæ quaſi mortuæ, ſed poſtea floreſcunt, & germinant cum foliis & floribus venuſtis & odoriferis, quia vitalis adhuc virtus & vitæ principium inerat. Ita Chriſtus tempore Paſſionis velut aſperæ hyemis, venuſtatem depoſuit flos elanguens & emortuus, ſed ipſum Verbum radix vitæ manebat; ideò in Reſurrectione tanquam novo vere fructum immortalitatis & gloriæ protulit. Hanc radicem vitalem non potuerunt Judæi abſcindere, & ideò non potuerunt hunc florem reſurgentem impedire; ita ut manſerit verè *Ieſus*, verè *Nazarenus*, verè floridus, multos poſtea flores producturus, lilia Virginum, roſas Martyrum, violas Sanctorum. *Flos odorem ſuum ſucciſus reſervat, & contritus accumulat, nec avulſus amittit. Ita Dominus Ieſus in illo patibulo Crucis, nec avulſus evanuit, nec contritus emarcuit, ſed illa lanceæ punctione ſucciſus, ſpecioſior fuſi cruoris colore vernavit, mori ipſe neſcius, & mortuus æterna vita munus exhalans.* Ita Ambroſius.

Ambroſ. lib. 2. de Spirit. S. c. 5.

Sicut verò proprium Chriſto eſt, virtute ſua reſurgere, tanquam ei, qui cauſa ſit reſurrectionis noſtræ; ita proprium ei eſt, primum omnium ad immortalitatem reſurrexiſſe, tanquam qui cauſa ſit immortalitatis noſtræ. Hinc in Scriptura vocatur, *Primogenitus ex mortuis, & primitiæ dormientium.* Quod intelligendum eſt, quia primus reſurrexit perfecta reſurrectione, quæ ſit ad vitam immortalem; nam ante illum Lazarus & alii reſurrexerunt, ſed cum neceſſitate iterum moriendi; ipſe verò ita reſurrexit, ut morte oppreſſâ, mori amplius non poſſet, *Mors illi ultrò non dominabitur.*

Col.1.18. 1.Cor.15. 20.

Sed dices: Multa corpora Sanctorum reſurrexerunt in Paſſione ante Chriſtum? Reſp. Licèt hoc narretur inter ſigna in Paſſione facta, hoc tamen fit per participationem, quia ſcilicet virtute morientis Chriſti factum id eſt. Unde non eſt intelligendum, quòd illi ante Chriſtum reſurrexerint, quia adjicitur, quòd poſt reſurrectionem, *Exierunt de monumentis, & venerunt in ſanctam Civitatem.* Cùm ergò illi non reſurrexerint, niſi ut teſtes Reſurrectionis Chriſti, & Redemptionis per ipſum factæ, ac liberationis animarum à dæmonis & mortis poteſtate, non oportuit eos ante Chriſtum reſurgere. An verò illi ad mortalem gloriam reſurrexerint, an iterum morituri, latè diſputant Doctores.

Matt.27. 53.

Communior opinio eſt affirmativa, quia non videretur ſufficienter probari Chriſti reſurrectio ad immortalitatem, ſi illi iterum in cinerem mortis redigerentur. Chriſtus ergò reſurgens videtur eos immortalitate etiam corporis veſtitos ſecum vexiſſe ad triumphum, traditurus illos Deo Patri, velut primitias regni, quod ſuo ſanguine conquiſierat.

Hinc Bernardus: *Flores apparuerunt in terra noſtra: Quaris quando putas, niſi cùm reflaruit caro Chriſti in Reſurrectione? hic primus & maximus flos, qui apparuit, nam primitiæ dormientium Chriſtus, flos campi, lilium convallium, à Nazareth, quod interpretatur flos. Is ergò flos apparuit primus, ſed non ſolus; nam & multa corpora Sanctorum ſurrexerunt, quæ velut quidam luciditſimi flores ſimul apparuerunt in terra noſtra, venerunt enim in ſanctam Civitatem, & apparuerunt multis.* Ita ille.

Reſurgent etiam, & repullulabunt corpora aliorum Sanctorum; ſed in die à Chriſto decreto; eruntque tanquam flores lucidi iterum germinantes ad rorem illum gratiæ & vitæ, quo tunc vivificabit eos Chriſtus. Ideò dicitur eis apud Iſaiam: *Expergiſcimini & laudate, qui habitatis in pulvere, quia ros lucis, ros tuus*, q. d. Sicut ros antelucanus, & lucis prænuncius, fœcundat plantas & flores, eiſque lucem & vitam adfert, ita ros tuus divinus, ô Chriſte, & gratia tua vivificat, & halitus vitalis, quem per juſſionem & verbum tuum inſpirabis electorum corporibus, lucem & vitam eis affert, eamque priori illuſtriorem, quia glorioſam.

Bernard. ſerm. 58. in Cant.

Iſa. 26. 19.

Secundò per reſurrectionem Chriſti ſpes noſtra erigitur, quia caput noſtrum reſurrexit, data eſt ſpes membris ad eandem immortalitatem, & gloriam reſurgendi, imò in ipſo Chriſto jam initium reſurrectionis noſtræ fuit.

2. Spes noſtra erigitur.

Sicut enim moriente Adam facti ſumus & nos mortui; ita ſurgente Salvatore, conſurgere oportuit ipſum Adam, & omnes ex Adamo oriundos, ut verificetur illud Pauli: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.* Propterea dixit Oſee: *Vivificabit nos poſt duos dies, in tertia die ſuſcitabit nos*, quia die tertio reſurgens omne hominum ſecum ſuſcitat genus, inquit Hieronymus. Et propterea etiam Paulus non dicit nos ſuſcitandos, ſed jam reſuſcitatos cum Chriſto, *Conreſuſcitavit*, inquit, *& conſedere fecit nos in cœleſtibus cum Chriſto.* Quia tam certa eſt ſpes reſurrectionis noſtræ ipſo reſurgente, ut poſſimus dicere nos jam cum ipſo ſuſcitatos. Et quia ſumus membra corporis ejus, ipſo reſurgente quodammodò reſurgimus.

1. Cor. 15. 22. Oſe. 6. 3. Eph. 2. 6.

Licèt verò realis corporum noſtrorum reſuſcitatio non ſit futura niſi in fine mundi, tamen poſt

modicum, & poſt momentum fieri ſignificatur. Unde dicit Dominus ad Martyres ſuos, & pro nomine ſuo interfectos, & ſimul ad omnes electos:

Iſa.26.20. *Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude oſtia ſuper te, abſconde te modicum ad momentum, donec pertranſeat indignatio.* q.d. Ite ad modicum, ô Sancti, ad ſepulchra veſtra, ibi quieſcite brevi ſuſcitandi,

Apoc. 6. mors enim Sanctis inſtar ſuavis ſomni unius noctis eſt reſpectu reſurrectionis & æternitatis: Cubile eſt ſepulchrum, unde vocamus illa cœmiteria, ſive dormitoria. Sic animæ Martyrum jubentur ad tempus ſub altari quieſcere. In his ergò ſepulchris, quaſi in cubilibus quieſcunt, dum animæ in gloria ſunt, juxta illud:

Pſ.149.5. *Exultabunt Sancti in gloria, Lætabuntur in cubilibus ſuis.*

Exempl. Quem verſum cùm ſanctus Evergiſlus Epiſcopus Colonienſis, Thebæorum Martyrum Eccleſiam oraturus ingrediens inchoaſſet, dicens illam priorem partem: *Exultabunt Sancti in gloria:* Martyres reſponderunt: *Lætabuntur in cubilibus ſuis.* Et de pulvere eorum caput aſpergens, à graviſſimo capitis dolore eſt ibi liberatus. Sepulchra ergò cubilia ſunt, & cubicula, de quibus illis dicitur: *Intra in cubicula tua, & claude oſtia tua ſuper te,* hoc eſt, oculos & ſenſus claude, quaſi ad tempus quieſcens, *donec*, inquit Propheta, *tranſeat indignatio.* Tum illa qua Adæ peccatum & ſingula noſtra communi morte & putrefactione punire vult. Tum qua impios puniet ſub finem mundi per tot plagas reſurrectioni prævias. Tanquam concludens ſubdit: *Ecce Dominus ingreditur viſitans iniquitatem habitatorum terræ, & revelabit terra ſanguinem ſuum, & non operiet ultra interfectos ſuos.* q. d. Ecce Dominus egredietur ad judicandum cum Angelis, & tunc terra reddet omnes Martyres, & omnes mortuos, quos gremio ſuo concludit, & reddet ſanguinem juſtorum, quem ſorbuit; tunc enim revelabuntur omnia homicidia, martyria, & peccata, ipſique tyranni & peccatores punientur à Deo; Sancti verò ſurgent ad beatam immortalitatem.

Utique hæc eſt ſpes repoſita in ſinu noſtro & omnium juſtorum. *Si enim in hac vita tantùm ſperantes eſſemus, miſerabiliores eſſemus omnibus hominibus,* inquit Apoſtolus. Chriſtus ergo reſurgens,

3.Corinth. 15.9.

1.Pet.1.3. *regeneravit nos in ſpem vivam hanc,* ut dicit Petrus.

PROPOSITIO III.

Chriſtus reſurrexit propter juſtificationem noſtram.

Reſurrexit propter noſtram juſtificationē.

INdicat ergò illa nos debere à vitiis ad virtutes, à morte peccati ad vitam gratiæ, à ſepulchro vitiorum & concupiſcentiæ animam ſuſcitare. Sicut enim mors Chriſti efficit & ſignificat, ut moriamur vitæ veteri, ita Reſurrectio efficit & ſignificat, ut in novitate vitæ ambulemus. Imitanda ergò nobis eſt Chriſti Reſurrectio tanquam exemplar noſtræ reſurrectionis ſpiritualis.

Reſurrectio Chriſti imitanda.

Primò in hoc imitanda, ut vitiorum ſepulchrum deſerentes, ad vitam gratiæ reſurgamus. Propterea tempore Reſurrectionis & Paſchatis præcipit Eccleſia, ut ad Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramentum accedamus, tanquam ad vivificam Chriſti cameram; quæ in nobis vitam hanc & producere, & conſervare poteſt. Unde unicuique tunc noſtrùm inclamatur illud: *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus,* luce ſcilicet gratiæ. Ubi alia lectio habet: *Contingat te Chriſtus,* tactu ſcilicet illo vivifico corporis & ſanguinis ſui Deifici. Verùm multi vitiis tunc irretiti tenentur, nempe injuſtitia, odio, libidine, & tamen vivificum illud corpus, in fœtido pectoris ſui ſepulchro ſepelire non verentur; ac velut in conſcientiæ ſuæ homidum infernum dimittere: & ſic tantum abeſt, ut vitam gratiæ recipiant, ſed potiùs mortem morte cumulant, peccatum peccato addentes, ita ut per buccellam ſacram Sathanas in eos introeat. Meliuſque foret ignis infernalis carbones ardentes deglutirent, quàm vivificum illud corpus in tali ſtatu; quia *judicium manducant & bibunt.* Certè magna pars tepidorum Chriſtianorum in hoc incurrit *judicium*, dum Paſchale Sacramentum recipit magis ex quadam coactione ob præceptum Eccleſiæ, quàm ex reverentia & præparatione. Hinc eſt, quòd ſacro-ſanctum illud myſterium, ejuſque fructum ab integris populis in pœnam peccati aliquando ſubtraxerit Deus. Quod ſpiritu quodam Prophetico de populo Germaniæ prædixiſſe viderur Virgo ſanctiſſima Hildegardis. Prævidens enim fidei jacturam deplorandam in illis populis, ſic dicit: *In tantam homines fluctuationem atque errorem præcipites ibunt, ut cumam con Catholicæ veritatis aſſertori credere tutò poſſint atque confidere, prorſus ſint ignoraturi. Et hoc quidem idcirco divina permittet Juſtitia, quòd nos ex multo jam tempore ita negligenter & vitiosè vivendo, ipſam fidem moribus & vita impugnamus: ac digniſſimum Dei Corpus, unà cum alus Eccleſiæ Sacramentis, tam irreverenter, indignè, impurè, infructuosè, tractare ac ſuſcipere auſi ſumus.* Addit illa: *Quæ nunc pace multa gaudere videntur, in maxima tunc vexatione erunt; & Dei verba pervertentur, cultuſq; divinus penè in oblivionem ibit, & unus huc, alius illuc properabit; nec facilè ſciri poterit, quorſum hæc tandem eruſtura ſint. Interim tamen fideliſſimus Deus nidulum aliquem habebit, ubi jnos conſervet & protegat.* Hæc illa Virgo ſanctiſſima.

1. *Vitia deſerentes reſurgemus ad vitam gratiæ.* Eph.5.14.

Prophetia S. Hildegardis ex Trithemio.

Ubi nota, mortuam eſſe anno Domini 1180. ſed hæc tempora infœliciſſima prævidebat, variaſque Germaniæ ſectas in tot diſſectas; dicitque nidulum aliquem Deum ſibi ſervaturum, quia adhuc aliquot loca, ſicut Bavaria, & alia, fidem Dei ſervant, quæ loca propterea, *Nidus Papiſtmus*, vocantur. Cauſam autem hujus infœlicitatis adjungit, inter præcipuas, Corporis Chriſti in Euchariſtico Sacramento indignam tractationem. An non putas eadem cauſa eſt, cur fructum hujus divini Sacramenti Deus ſubtraxerit, fidemque illius in Angliæ, Galliæ, & Belgii populis? Videamus & nos, ne indignos nos reddamus, & auferatur à nobis

tam

ſim pretioſum pignus, *ſimulq; regnum Dei, & detur genti faciunti fructum.* Videant, qui vix in anno ſemel communicant, & adhuc indignè.

2. *Vt verè à vitiis reſurgamus.*

Secundò, ergò in hoc eſt imitanda Chriſti Reſurrectio, ut verè à ſepulchro vitiorum reſurgamus, ſicut de Chriſto dicitur: *Surrexit Dominus verè.* Inter res naturales & artificiales, aliæ ſunt veræ, aliæ adulterinæ aut fictæ: eſt enim verum aurum & adulterinum, vera & falſa moneta, veræ & falſæ gemmæ. Ita eſt vera & ficta converſio, vera & ſimulata, ſive ſpeciem tantùm habens, humilitas & pietas. Exigitur ergò à nobis vera cordis converſio, ad imitandam veram Chriſti è ſepulchro reſurrectionem, quia in multis Chriſtianis eſt converſio, quæ foris tantùm pœnitentiæ imaginem gerit. Et multi quotannis in Paſchate divina Sacramenta, ſine perfecta peccati deteſtatione percipiunt, & ad multam ætatem pertingunt, deluſi falſa imagine pœnitentiæ. Hi ſunt, qui tantùm ſuperficialiter aut perfunctoriè, quæ præcepta ſunt, perficiunt, nec ex toto corde reſurgunt. Et ſicut ille illuſor, qui Jovi dimidium ex omni re à ſe inventa promiſerat, cum nuces invenisſet, obtulit teſtas: ſic illi exteriora quædam offerunt, cor verò & nucleum ſive ſpiritum devotionis Deo non offerunt. Hi etiam tantùm apparentem habent reſurrectionem, qui non diſſolvunt perfectè faſcias & vincula mortis ſive peccati, non omnes occaſiones diſrumpunt, & pericula peccatorum, v. g. conſortium pravum, ludum aleæ, potationes & commeſſationes, mulierum periculoſas converſationes, concubinæ cohabitationem, negotiationem, cui multum periculum fraudis & juramentorum. Hoc eſt partim tantùm aut apparenter reſurgere, quia eſt partem affectus peccato relinquere; imò verò eſt in ſepulchro manere, nec Chriſti Reſurrectionem imitari.

3. *Vt in vita permaneamus.*

Tertiò imitanda eſt Reſurrectio Domini in hoc quod dicit Apoſtolus: *Chriſtus reſurgens jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur.* Qui itaque ad vitam gratiæ reſurrexit verè cum Domino, debet & in illa vita gratiæ perſeverare, & non ſtatim ad eadem peccata, per quæ iterum anima moritur, redire. Qui poſt Sacramenti gratiam ſtatim in eadem recidunt, non perfectè Chriſti imitantur Reſurrectionem, dum mors ſtatim illis dominatur. Amant adhuc ſepulchrum & fœtorem ejus, & ſibi non præcaventes, amant adhuc mortem, pericula peccati & illecebras, non fugientes per quæ mors iterum ad animam ingreditur, Aquam vitæ, quam hauſerunt de fontibus Salvatoris, poſt paucos dies evomunt, peccata iterantes: quam ſi retinuiſſent, fuiſſet illa in eis facta, *Fons aquæ ſalientis in vitam æternam.*

Joan. 4. 14

Certè multi in die Reſurrectionis reſurgunt, ſed non cum Domino, ſed cum Lazaro, aut Adoleſcente in Naim. Quid ita? Quia illi reſurrexerunt iterum morituri, ſic iſti. At qui in gratia perſeverant, hi cum Domino reſurgunt. *Qui conſurrexiſtis cum Chriſto, cœleſtia ſapite, quæ ſurſum ſunt, quærite,*

Col. 3. 1.

ſtolam gratiæ & puritatis, qua in Reſurrectione induti ſunt, ſtudenti illibatam conſervare. Si prioris peccati ad oſtium pulſet tentatio, reſpondent cum Sponſa: *Expoliavi me tunica mea* (tunica veteris Adam) *quomodo* iterum *induar illa? Lavi pedes meos quomodo* iterum *inquinabo illos?* Quam deplorandi ergò, qui ſtatim ut ſis, redeunt ad volutabrum & lutum, ut canes ad vomitum, qui cùm tam benignè ſuſcepti fuerint à Domino, ſtola prima & annulo ornati, ac dimiſſi ad ſacrum Divinitatis epulum, nihilominus ornatum hunc Patris rejiciunt, fœdam & porcariam peccati veſtem iterum induunt, ſiliquas & porcos reperunt? Heu qualis ingratitudo, qualis injuria tanti Patris!

Cant. 5. 3.

Exhortatio moralis pro die Paſchatis.

Attendite hoc animæ vagæ, inconſtantes, inſtabiles, quæ ad primum tentationis occurſum, ad primum lenocinantis voluptatis ſenſum, captivum ſtatim iterum traditis conſenſum; ad vitiorum ſemitam, quam deſerere propoſueratis, lubrico veſtigio ſtatim reciditis; Deo veſtro ingratæ, dum gratiam ſuſceptam evomitis, & Deum hoſpitem ejicitis.

Bernard. ſerm. de Reſurr.

Plangit vos Bernardus, & injuriam, quam ſolemnitati Reſurrectionis Chriſti infertis. Proh dolor, inquit, Reſurrectio Salvatoris facta eſt peccandi tempus, terminus recidendi. Ex hoc nempe commeſſationes, & ebrietates redeunt, cubilia & impudicitiæ repetuntur, & laxantur concupiſcentiis fræna, quaſi ad hoc ſurrexerit Chriſtus, & non magis ob juſtificationem noſtram. Sic honoratis miſeri Chriſtum, quem ſuſcepiſtis, venienti paratis hoſpitium, confitentes cum gemitu, & ecce ſuſceptum proditis inimicis. Imò exire compellitis, priores nequitias admittendo; quaſi minus deberetis præſenti, quam venturo; & minus reverentiæ exigeret Reſurrectionis tempus, quàm Paſſionis: ex ſola ergò conſuetudine temporis, & ſimulatione quadam humiliatio veſtra proceſſit. Propter hoc, ut ait Apoſtolus: *Multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* Propter hoc multa in diverſis regionibus hominum mortalitas, ſpecialiter his diebus. Ita Bernardus.

Obſecro & ego vos per ipſam Dei miſericordiam, per ſacrum Corpus quod ſuſcepiſtis, & Sanguinem cujus participes eſtis, & per ipſam Reſurrectionem Domini, cujus conſortes eſſe cupitis, in novitate vitæ ambulate, puritatem, quam in Sacramento adepti eſtis, conſervate, nec maculate veſtem, quam in ſanguine Agni lavaſtis. State ergò, & nolite iterum ſubdi jugo peccati, jugo ſervitutis diabolicæ, quod excuſſiſtis.

Theſaurum gratiæ, quem tempore Quadrageſimæ ultimis ejus diebus collegiſtis, & theſaurum bonorum operum, nolite per peccatorum iterationem diſperdere.

Idolum Dagon, idolum peccati, quod coram arca cecidit in templo interiori animæ veſtræ, ne iterum erigite. Pulveres Sodomæ à vento gratiæ diſperſos, ne recolligite. Denique, nolite contra

Digitized by Google

Præceptum Domini muros Jericho reædificare, hoc eſt, civitatem diaboli peccata peccatis addendo, iterum in vobis exigere: ſcientes quia maledictus qui reædidcavit muros Jericho. Sed operum lapides pretioſos fundamento pretioſo, quod eſt in vobis Chriſtus Jeſus ſuperædificate, ut creſcat ædificium uſque in diem Chriſti Jeſu, in quo Reſurrectionis ejus participes eritis & gloriæ.

LECTIO XXVI.

DE APPARITIONIBUS CHRISTI Reſurgentis.

DE PRIMA APPARITIONE.

Prima Apparitio fuit facta Virgini Matri.

2. Apparitio Chriſti facta eſt Virgini Matri.

PRimò, quia hoc poſcebat dignitas & merita tantæ Matris. *Secundò* conveniens erat, ut prima eſſet conſors conſolationis, quæ conſors fuerat dolorum & Crucis.

Cant. 4. 6 Ita docent SS. Patr. Pſal. 56. 9. Figura. Jud. 14. 8. S. Bern. Prov. 31. 18.

Hinc Chriſtus apparens Virgini, dicere poterat illud: *Vadam ad montem myrrhæ, ad collem thuris.* Virgo mons myrrhæ, quia amaritudine repleta erat; ipſa quoque collis thuris, quæ in oratione cor ſuum effundebat. Fortè illis verbis utebatur: *Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara*, ut me ditantur aliqui Sancti Patres. Cùm Samſon in ore Leonis inveniſſet favum mellis, primò Matri partem dedit. Chriſtus ex ore Leonis infernalis, quem in Cruce extenſis manibus interemerat, favum mellis abſtraxit, cùm plebem illam ſuam è faucibus diaboli eripuit, illa enim facta eſt ei ſuavis ut mel. Hujus ergò lætitiæ Matrem primò facit conſciam, *apparens ei non ad confirmationē dubii, ſed ad conſolationem gaudii*, inquit Bernardus, illa quæ plus omnibus doluit, citiùs conſolationem accepit. Illa plus omnibus meruit, quia in fide non defecit, de qua dicitur in perſona mulieris fortis: *Non extinguetur in nocte lucerna ejus*; quia immobile fuit in ipſa fidei lumen, cujus nunc primum præmium eſt, viſio Chriſti reſurgentis. Viderat eum *Filium doloris*, nunc contemplatur a Patre vocatum, *Filium dextræ & gaudii*. Quis poteſt ejus gaudium explicare, quæ tanto fervebat amore & deſiderio videndi Filium, & cum ipſo totum mundum reſuſcitatum.

Si tantopere admiratur Jacob, cùm audit Joſeph vivere & dominari Ægypto, ut quaſi evigilans de ſomno dixerit: *Sufficit mihi, ſi adhuc Joſeph filius meus vivit, vadam, & videbo Filium meum antequam moriar.* Quantum gaudium concepit cor Virginis, cum videt Filium vivere, & toti orbi dominari, & in tanto ſplendore reſurgere? Cor ejus unitum cordi filii per ſpecialiſſimum amorem, plurimum doloris circa Crucem ſuſtinuerat: Dicit enim Bonaventura, quod dolores omnes per corpus Chriſti diffuſi, in corde Virginis quodammodò fuerint uniti, adeò ut cor ejus poſſet dici crucifixum, ſpinis coronatum, clavis perfoſſum, lancea transfixum. Nunc ergò nunciante filio ſuam Reſurrectionem, & in ſplendore ei apparente, quàm lætum fuit cor ejus? Quantò jubilationis ſenſu exultavit, in hac die quam fecit Dominus? Verè poterat dicere cum Sponſa: *Anima mea liquefacta eſt, ut Dilectus locutus eſt.* In ſignificationem hujus primæ Apparitionis, in Romana Eccleſia Pontifex in die Paſchæ ad S. Mariam Majorem primam facit ſtationem. Et tota Eccleſia in ſignificationem gaudii ejus ei hoc tempore decantat, *Regina Cœli lætare, alleluja.* Quem hymnum ab Angelis uſurpatum edoctus fuit D. Gregorius. Cùm enim in graviſſima peſte Romæ, B. Virginis imaginem (quæ aſſeritur à Luca depicta) ſolemni cum proceſſione per urbem circumferret, Angeli auditi ſunt è cœlo canere: *Regina cœli lætare, &c.* Cui cum Clero adjunxit Gregorius: *Ora pro nobis Deum alleluja*; luesque ſedata eſt, & aeris ſerenitas reſulſit. Unde & viſus eſt Angelus ſuper Caſtrum (quod ex tunc vocatur S. Angeli) gladium evaginatum & cruentum recondere. Sigon. li. 1. de Regno Ital.

Sed dices: Marcus dicit primò apparuiſſe Magdalenæ. Reſpondeo illum loqui de illis, de quibus poterat dubitari, & de illis qui de Reſurrectione dubitabant, & properera ad monumentum iverant. Secundò reſpondet Rupertus; Chriſtum primò elegiſſe Magdalenam ut teſtem Reſurrectionis, Mater autem ſecundùm leges non numeratur inter teſtes. Canif. l. 5. Mariał.

DE SECUNDA APPARITIONE.

Secunda Apparitio facta eſt Magdalenæ.

II. Matis Magdalena.

ILlam quæ maximo flagrabat amore dignatus eſt Dominus ſua oſtenſione. De qua ſic dicit D. Gregorius: *Penſandum hujus mulieris meritum, quanta vis amoris ascenderat, qua diſcipulis recedentibus non recedebat. Flebat inquirendo & amoris ſui igne ſuccenſa, ejus quem amabat, ardebat deſiderio, nec amanti ſemel aſpexiſſe ſufficit, quia vis amoris intentionem multiplicat inquiſitionis.* Ita ille. Si ergò interroges quid ploras Magdalena? Reſpondere tibi poterit: *Idcirco ego plorans & oculus meus deducens aquas, quia longè factus eſt à me Conſolator convertens animam meam.* Meruerunt ergo lacrymæ ejus hanc prærogativam in Chriſti Reſurrectione. Unde nota quatuor genera lachrymarum Magdalenam fudiſſe, & ſemper aliquid ſpeciale meruiſſe. *Primò* fudit lachrymas compunctionis ad pedes Domini, & meruit peccatorum remiſſionem. *Secundò* fudit lachrymas compaſſionis ſuper Lazarum fratrem, & meruit ejus reſuſcitationem, ut enim vidit Mariam plorantem, dixit, *Ubi poſuiſtis eum. Tertiò*, fudit lachrymas doloris ſequens Chriſtum ad Crucem; & meruit amplam participationem meritorum Crucis & Sanguinis ejus. *Quartò* fudit lachrymas amoris ad Chriſti ſepulchrum, & meruit primæ Chriſti reſurgentis viſionem. Joan. 20. Marc. ult. S. Greg. homil. 25. in Evang.

Tu

Tu quoque si vis impetrare peccatorum remissionem, funde lachrimas compunctionis: si conversionem animarum, funde lachrymas compassionis: si visitationes & consolationes divinas, funde lachrymas devotionis: si hæres esse cupis Crucifixi, funde cum ipso lachrymas doloris.

Nota quoque quod cum vidisset Maria Dominum, voluit apprehendere pedes ejus, ad deosculandum, sed responsum est ei: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem.* Hujus Scripturæ hic sensus est, Noli in contactu meo morari, aut in osculis pedum meorum; poteris enim id postea: quia adhuc conversabor in terris, & necdum ascendi, sivè ascendo, aut discedo. Propera ergò ad alias mulieres & Apostolos & dic illis me resurrexisse, & brevi ascensurum, sed tamen antea me ab eis videndum.

Joannes 1. p. q. 4. art. 10. dub. 6. Suarez, & alii.

Epiphan. hæres. 26.

Secundò moraliter Epiphanius dicit, Christum ob exemplum purissimæ castitatis non permisisse à Maria sola se tangi, paulò post in præsentia mulierum id permisit.

Rup. l. 14. in Joan. vit. & Chrysol. serm. 75.

Tertiò Rupertus dicit, hic Mariam gessisse personam Ecclesiæ ex Gentibus congregandæ, quæ non contactu corporali uti Judæi, sed spirituali post ascensum Christi ad Christum erat perventura, hoc est, per ipsam fidem,

Illud interim hic non est prætereundum, quod Maria libenter ad pedes Domini, & in ejus osculis immorarur, quia scilicet omne solatium ibi invenerat, & quicquid optari poterat. 1. Invenit ad pedes Domini gratiam & remissionem in domo Phariszi. 2. Invenit ad pedes Domini omnem cœlestem dulcedinem, Martha ministrante. 3. Ad pedes Domini stetit juxtà Crucem, ut posset gloriari se dolorum ejus esse consortem. 4. Totam vitam suam postea peregit ad pedes Domini in antro suo. 5. Nunc ad pedes resurgentis cupit immorari, & osculis ac lachrymis iterum rigare, sed noluit Dominus ob dictas rationes; & ideò manu frontem ejus sic tetigit, ut vestigia digitorum ejus remanserint.

Sylvest. in rosa aurea.

Undè refert Sylvester, Anno 1497. devotionis gratia antrum, in quo pœnituit Magdalena, & sacras Reliquias apud S. Maximinum visitavi, & ostensum est mihi pluries sacrum ejus caput grandè valdè, & totum undique usque ad os denudatum, exceptâ eâ parte frontis, quam Salvator tetigit: ibi enim pellis ad instar Æthiopissæ seu cadaveris antiqui latè apparet, & in pelle duæ fossæ duarum extremitatum digitorum, quarum altera est multò evidentior & profundior altera, & sub pelle citro ad albedinem declinans. Ita ille.

DE TERTIA APPARITIONE.

III. Mulieribus cum Magdalena.

Apparitio tertia facta est Mulieribus cum Magdalena.

ASsecuta est illa alias mulieres dubias & fluctuantes, & ibi iterum cum illis Christum videt, tangit, adorat. Hoc ergò meruerant illæ Mulieres amore & diligentiâ suâ, desiderioque obsequendi Christo, dum aromata præparant, dum summo diluculo surgunt ad quærendum Dominum.

Tu quoque consurge diluculo, in principio vigiliarum effunde cor tuum, & invenies Dominum. *Qui manè*, inquit, *vigilant ad me, invenient me, & qui invenerint, invenient vitam, & haurient salutem.* Manè quoq; vigilant, qui in initio adolescentiæ, in ætatis flore, vigilanter viam sapientiæ & salutis quærunt, & à passionibus ætatis illius lubricæ liberantur, merito ipsius Domini eis per auxilium gratiæ apparentis, & deducentis eos in viam rectam.

Porrò de his mulieribus ad ungendum venientibus, dicit Bernard. cum unctione spirituali eas reversas esse: *Reverà unctæ remeant, quæ unctura venerant. Quidni unctæ, tam lato nuncio novæ & admirandæ Resurrectionis? Quàm speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona? Missa ab Angelo, quæ faciunt Evangelistæ, factaque Apostola Apostolorum, dum festinant ad annunciandum manè misericordiam Domini, dicunt. In odorem unguentorum tuorum currimus.* Ita Bernardus.

Bernard. serm. de Pasch.

Advertendum hic, Mariam ter voluisse ungere Dominum, semel pedes, semel caput, nunc veniebat ad unguendum Corpus. *Primò*, qui cupit eam imitari, præparet unguentum compunctionis, ad unguendum pedes ejus, quod componitur ex recordatione peccatorum. *Secundò*, præparet unguentum pietatis, ad ungendum Caput ejus, quod est divinitas, & hoc componitur ex recognitione beneficiorum ejus. *Tertiò*, præparet & unguentum compassionis, ad ungendum ejus Corpus & membra, quæ sunt ipsi fideles, & hoc componitur ex misericordiæ operibus. Qui id fecerit, merebitur quoque unctionem interiorem ab ipso Christo, qua trahatur in odorem unguentorum ejus.

Notant quoque hic SS. Patres Christum Mulieribus apparuisse; ut fœmina, quæ primò nuncium mortis ad hominem detulerat, primò etiam vitam resurgentis Christi ad gloriam nunciaret. Hinc Cyrillus: *Fœmina quæ quondam fuit mortis ministra, Resurrectionis mysterium prima percepit & nunciat: adeptum est igitur fœmineum genus & ignominiæ absolutionem, & maledictionis repudium.* Ita ille.

Cyril. l. 12 in Joan. c. 52.

DE QUARTA APPARITIONE.

IV. Petro.

Apparitio quarta sui facta Petro.

IPse primus inter viros resurgentem vidit, quamvis quo loco, & quandò id fuerit, Evangelistæ non significent. Ostenditur tamen spelunca propè Jerusalem, in qua peccatum flevit, & ibi ei Christus apparuisse putatur. Dicit verò Nazianzenus, Virginem juxta Crucem pro Petro oasse. Undè introducit Christum ei respondentem.

Luc. 24.

Nazianz. in carm. de Christo patiente.

Jubeo nihil te hic moxiam, ô Virgo Parens,
Condono Petro, quicquid est lapsus, tua
Vel amoris causâ.

Digitized by Google

Fuit verò ſpecialis ratio apparendi Petro, ſicut & ſpecialiter Angeli dixerunt mulieribus : *Ite, dicite diſcipulis & Petro.* Rationem dat Gregorius, quia ſe indignum judicavit Apoſtolatu, cum ter negavit Magiſtrum, ſi Angelus nominatim non exprimeret, venire inter diſcipulos non auderet, vocatur ergo ex nomine, ne deſperaret ex negatione.

Marc. 16.

Greg. in homil. Paſch.

Secundò ratio ſpecialis fuit, quia primus confeſſus fuerat Chriſtum, & ipſe erat Eccleſiæ Caput à Chriſto conſtitutus, ideoque hoc primum myſterium fidei ſpecialiter ei manifeſtari decuit, ut ejus notitia ab eo tanquam capite in cætera membra diffunderetur. Confeſsio ergo Petri, dignitas Pontificalis, lachrymæ contritionis, humilitas ſatisfactionis, hanc meruit apparitionem conſolatoriam, per quam etiam certior factus eſt a Chriſto, de peccati ſui remiſsione. Adverte, licèt de hac certus eſſet, non tamen omiſit tota vita illud deflere. Refert B. Clemens, quotidie ad cantum galli excitatum, lachrymis rigaſſe genas, adeo ut in facie decurrentium lachrymarum veſtigia remanſerint : auſteramque duxiſſe totam vitam in jejuniis, nonniſi panem & olivas comedendo, & pro deliciis aliquando herbas & legumina.

V. Ribad. in vita S. Petri.

Attende hæc, ô homo, qui poſt centena, eaque graviſſima peccata, poſt aridum dolorem & frigidam confeſſionem, ſtatim de illis quaſi ſecurus agis, neſciens quòd Scriptura dicit : *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu.* Docet te Petrus non ſtatim poſt confeſſionem peccatum velut remiſſum oblivioni tradere, cum ſecuritate ; ſed ſæpiùs illud in amaritudine animæ recogitare, & pro illo ſatisfacere.

Eccle. 5. 5.

DE QUINTA APPARITIONE.

Quinta apparitio facta eſt duobus euntibus in Emaus.

V. Euntibus in Emaus.

Luc. 24.

HIs Chriſtus apparet in forma Peregrini, ut talem ſe iis exhiberet exterius in ſpecie, qualis erat in eorum mente : & talem foris in oculis corporis, qualis apud eos erat in oculis cordis. In cordibus enim eorum peregrinus erat à fide.

Sed & verè Peregrinus ſemper Dominus in hoc mundo. Peregrinus in Hieruſalem, ipſe enim de ſupernis venit tanquam Peregrinus pro nobis triginta tribus annis. Primò venit in Nazareth, poſtea in Bethleem, deinde ſeptem annis in Ægypto peregrinatus, redivit in Jeruſalem. Quadraginta diebus in deſerto quoque peregrinatus fuit, & tribus annis per vicos & caſtella, non habens domum, nec ubi caput reclinaret. Ut tandem finiret peregrinationem, aſcendit in montem Calvariæ, de illo monte deſcendit ad tumulum, de tumulo ad limbum, de limbo iterum venit in hunc mundum, ubi duobus hic diſcipulis ſe exhibet peregrinum : Ut jam verum ſit de illo : *Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.*

Pſal. 68. 9.

Utinam non multi ſint, qui in die Reſurrectionis eum adhuc tanquam pẽregrinum & hoſpitem apud ſe ſuſcipiant, & ſtatim poſt hoſpitium unius aut alterius diei, quem in corde ſuſceperant, cum omnibus gratiæ donis, quæ attulerat, per peccatum expellant.

Similes hi Judæis, qui poſtquam eum cum gaudio & palmis ſuſceperunt, clamantes: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, poſt quinque dies cum ignominia expulerunt & crucifixerunt. Potius ergò ſupplicèr eum rogare oportet, cum his diſcipulis: *Mane nobiſcum Domine*; imò & cogere oportet per ſupplices preces, ut maneat uſque ad illum diem, quo Sol debet nobis tenebreſcere, & lux hæc finiri, donec illuceſcat lucidus ille æternitatis dies.

Porrò aberrabant hi diſcipuli dubii in fide diſperſi ſicut *Oves* in die nubis & caliginis, *ò quòd non eſſet Paſtor*, ut dixit Propheta : ſed ecce nunc requirit eas, ut ad ovile reducat, ut fidem in eis confirmet, juxta id, quod apud eundem Prophetam promiſerat : *Viſitabo oves meas, & liberabo eas, ſicut viſitat paſtor gregem ſuum in die quando fuerit in medio ovium ſuarum diſſipatarum.* Ut ergo reducat eos ad fidem: Primò appropinquans eis jacit in corda eorum initialem quendam radium lucis ſuæ, quo ardens erat cor eorum, dum de illo loquuntur. Deinde increpans eos & arguens tardi cordis, illuminat explicatione Scripturarum.

Ezech. 34. 5.

Ibid. v. 12.

O, inquit, *ſtulti & tardi corde ad credendum!* Verè ipſi tardi corde erant, quibus tam ſæpè & tam explicatè propoſuerat hoc myſterium, dicens, ſe debere mori, & tertia die reſurgere, & afferens exemplum Jonæ. Item alibi dixerat: *Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & Filius hominis tradetur*, flagellabitur, occidetur, *& tertia die reſurget.* Subdit verò Scriptura: *Ipſi nihil horum intellexerunt.* Quomodò non intellexerunt? At non intelligunt, quid ſit flagellari, crucifigi, occidi? Quid ſit reſurgere, & quidem tertia die? Quid clarius? Sed ſingula hæc quidem per ſe ſatis intelligere poterant. Verum omnia ſimul parabolicè videntur eis dicta, quia non ſatis aſſequuntur, quomodo is, qui verè Filius Dei erat, vere Deus, & qui tanta opera exhibebat, imò, qui ipſa Vita erat, crucifigeretur & moreretur. Et ideò dum mortuum vident, quaſi de homine puro & infirmo vacillant, non ſatis firmè apprehendentes, quòd qui mortuus fuit ex infirmitate, vivat ex virtute. Ergò ipſi quidem ſpeculativè, ut ſolemus dicere, hæc omnia à Chriſto dicta aliquantum conſiderabant; ſed practicè hærent & vacillant, nec ſatis ea intelligunt, dum quæ infirmitatis ſunt, cum poteſtate Divinitatis conjungunt. Similes pueris, qui dum legere diſcunt, characteres ferè ſingulos agnoſcunt, ſed cùm conjungendi ſunt, hærent. Exempli gratia: Noverunt quid ſit D, quid E, quid V, quid S; & tamen neſciunt inde conſtitui vocem DEVS, ideoque hærent, dum recolligere debent hos characteres. Sic diſcipuli hærebant, neſcientes conjungere ſublimia Divinitatis facta in Chriſto, cum humilitate mortis.

Matth. 20. 18.

Sic

Sic & nos tardi sumus corde in multis, quæ nostram concernunt salutem, credimus quidem ea speculativè loquendo, practicè verò quasi non credentes nos exhibemus. Si enim agatur de peccati gravitate, de judicii severitate, de morte aut inferno, sumus quasi horum nihil intelligentes, licèt credere nos dicamus.

Hic verò duobus discipulis postquam amoris flammas in cordibus excitavit, & per Scripturarum oracula, mentes eorum illuminavit, apertius se manifestat in fractione panis, dum eum ex charitate velut cogunt suo uti hospitio. Nempè ad demonstrandum hospitalitatis meritum, voluit, ut per hanc jam agnoscerent eum, quem loquentem plenè non agnoverant, ut docent sancti Patres. Sicut & per hanc meruerunt aliqui Angelos latenter recipere
Heb.13.2. hospitio, ut dicit Paulus, qui & ideò Deo placuerunt. Sic Abraham, sic Loth, sic & D. Gregorius meruit ipsum Dominum Angelorum inter paupertes recipere. Unde in primitiva Ecclesia maximè viguit hospitalitas, ita ut Tertullianus hæc tria numeret Catholicæ fidei & Communicationis symbola,
Tertull. scilicet: *Communicationem pacis, Appellationem fraternitatis, Contesserationem hospitalitatis.* Ubi intelligit certum aliquod signum quasi tesseram Christianitimi, quod qui afferebat, ubilibet à Christianis, quasi amicus & frater hospitio excipiebatur, immò & in via deducebatur. Hoc signum cùm adulterassent hæretici, à Catholicis sæpè mutatum est, ac tandem commissum literis, quas Patres in Concilio
Concil. Niceno sanxerunt, & nominarunt formatas.
Nicen.

Cognoverunt verò isti Dominum in fractione panis, inquit Lucas. Hinc fractionem panis dixerunt aliqui fuisse Communionem ipsius Sacramenti Eucharistici, & Corporis Christi, sicut sub specie panis in ultima Cœna illud porrexerat, eo quod idem Christus dicatur fecisse quod in ultima Cœna. Verum alii probabilius putant, non hic fuisse Eucharistiæ Sacramentum, sed tamen actionem hanc Christi mysticam fuisse, & illam sacri Corporis dispensationem sub specie panis tantum significasse, talique actione Christum eam commendasse, sicut simili actione eam commendaverat in multiplicatione panum. Ideoque in hoc prævio mysterio voluit etiam Dominus significare vim Eucharistiæ susceptæ: nempe quòd per eam oculi hominum illuminantur ad cognitionem Jesu, sicut hic illuminati sunt discipuli in hac vera, sed & mystica fractione panis. Ita Theophilactus, & alii. Imò alrqui hinc colligunt, insinuatum hic fuisse usum Eucharistiæ sub sola panis specie, cùm calicis non fiat mentio; & statim fracto pane dicitur evanuisse ex oculis eorum. Aperti verò dicuntur oculi eorum, tum interiores, quia agnoverunt, quod prius ignorabant, tum exteriores quoad visionem veræ figuræ Christi; ex qua eum agnoscere potuerunt, removo impedimento, quo oculi eorum tenebantur.

DE SEXTA APPARITIONE.

Apparitio extra facta fuit Apostolis undecim. VI. Apostolis undecim.

FActa autem fuit in illo cœnaculo, ubi laverat pedes eorum, ubi corporis & sanguinis sui participes eos effecerat. Ibi & Spiritum sanctum postea acceperunt, & ex illo loco tanquam monte Domini ab eo specialiter electo, exivit lex nova, & verbum prædicationis in universum orbem.

De quo possumus interpretari illud Isaiæ: *Venite,* Isa. 2.3. *ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem:* Ascendamus ergo & nos ad hunc montem, quem Dominus tot miraculis honoravit, quem elegit, quem dilexit. De quo etiam dici potest: *Videbitur Deus Deorum in Sion,* quia ibi se videndum præbuit sæpius Apostolis post Resurrectionem, in corpore gloria vestito; & ibi cœpit Ecclesia nova Christi agnosci, Spiritu sancto illuc descendente.

Ibi ergò erant discipuli in terrore, omnes enim perdiderant fidem, vacillantes de Domini Resurrectione. Omnes exceptâ Virgine lumen fidei amisisse significat Ecclesia, in officio hebdomadæ sanctæ, ubi quindecim candelæ extinguuntur, exceptâ unâ, quæ finaliter accensa manet. Indicat hoc undecim Apostolos, cum tribus mulieribus, lucem fidei perdidisse, & in sola Virgine permansisse, de qua verum fuit: *Non extinguetur in nocte lucerna ejus.* His ergò Prov.31. congregatis affuit Christus in medio, licèt fores 18. essent clausæ, quia sicut per Virginem incorruptam exivit de utero, & per lapidem immotum de sepulchro: Ita potuit intrare ad discipulos sine impedimento; quia nihil potest glorioſum corpus impedire ad transeundum: *Steit verò in medio,* idque multis de causis: 1. Tanquam Pastor in medio ovium, eas congregans. 2. Tanquam dux in medio militum, eos animans. 3. Tanquam Sol in medio stellarum, eas illuminans. 4. Tanquam cor in medio membrorum, illa vivificans. 5. Tanquam arbor vitæ in medio Paradisi inter electas arbores. 6. Tanquam candelabrum in medio domus fulgens, & omnem pellens caliginem. 7. Tanquam columna in medio ædificii sui novi, illud sustentans. Hoc est in medio Ecclesiæ, quæ ex Apostolis constabat, in fide illam roborans.

Habet verò emphasim, quòd stetisse dicitur, nam illa vox *Steit*, rectè designat resurrectionem. Ante resurrectionem, cùm onus peccatorum nostrorum assumpsisset, modò in præsepio jacens describitur, modò sedens lassus apud puteum, modò prostratus facie in terram in montibus orans, modò curvatus clamans ad Patrem, ut in horto, modo depressus sub onere crucis ascendens Calvariam, & in ipsa cruce capite demisso describitur spiritum emittens. Omnis hic situs corporis designat onus peccatorum nostrorum quo premitur: Hunc autem excusso onere per resurrectionem (quia

Digitized by Google

(quia demerſit ea in profundum ſanguinis ſui) rectè dicitur ſtetiſſe in medio. Hinc Eccleſia in memoriam Reſurrectionis Chriſti, & ob ſpem noſtræ reſurrectionis, toto tempore paſchali orans non flectit genua, ſicut alio tempore, ſed ſtans orat. Quod etiam advertit Beda, dicens, id fieri exemplo mulierum & Apoſtolorum. *Sancta*, inquit, *mulieres, — tibus ſibi Angelis, non in terram cecidiſſe, ſed vultum dicuntur in terram declinaſſe. Nec quamquam Sanctorum legimus tempore Dominicæ Reſurrectionis vel ipſo Domino, vel Angelis viſis terra proſtratum adoraſſe. Ideò ergò ſit, ut non flexis genibus tunc, ſed declinatis in terram vultibus oremus.* Ita ille.

Beda citatus à D. Thoma in Catena.

Apparens verò Chriſtus, dixit diſcipulis, *Pax vobis.* Utique ejus anima velut columba rediens ad arcam, ad corpus ſuum, tamum fert olivæ, pacis ſymbolum, poſt tam aſperum bellum, poſt tot fluctus inundantes, qui Noë cum filiis ſuis, Petrum cum diſcipulis agitarant. Nempè pacis amator Chriſtus, in Nativitate pacem nunciat, progreſſu vitæ confirmat, in morte teſtamento pacem legat, in Cruce illam ſanguine ſuo ſignat, & in Reſurrectione noviter ad ſuos egrediens, eam adhuc annunciat tanquam ſignum quo dignoſcatur. Unde & hæc ſalutatio ſolemnis erat Chriſtianis, ſolebant enim ante ſacram Synaxin amico amplexu ſe ſalutare, dicendo, *Pax tecum*, eratque communicaturis reconciliationis & remiſionis omnis injuriæ, puræque charitatis ſymbolum. Huic poſtea ſucceſsit oſculum tabellæ pacis in ſacrificio.

V. Baron. anno 45.

Auguſt. epiſt. 77.

Familiaris etiam fuit Chriſtianis ſalutatio per hanc vocem, *Deo gratias*, ut docet Auguſtin. *Nam quid melius*, inquit, *& animo feramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quàm Deo gratias? hoc nec dici brevius, nec audiri latius, nec intelligi grandius, nec agi fructuoſius poteſt.*

Præmiſſa itaque hac ſalutatione, oſtendit eis manus & latus. Jam ſupra diximus, cur in latere & manibus cicatrices reſervavit. Hic ergò ſolum annotabimus, quomodo Chriſtus, quia Reſurrectio ejus erat primum fidei fundamentum, illam omnibus modis voluit certam reddere, & quoad omnes ſenſus, & quoad omnis generis, & conditionis teſtes.

Teſtes Reſurrectionis Chriſti.

Quantùm ergò ad teſtes, ex omni ſexu & conditione elegit. *Primò* è cælo Angelos, qui eam teſtari ſunt mulieribus. *Secundò* ex inferno ſanctos Patres, qui reſumptis corporibus apparuerunt multis. *Tertiò* è terra elegit mulieres, ne quis ſexus deeſſet. *Quartò* elegit Apoſtolos, quos per univerſum orbem deſtinat Reſurrectionis hujus teſtes irrefragabiles. *Quintò* elegit & ipſos ſuos hoſtes. Reſurrectionem enim Chriſti teſtati ſunt ipſi milites apud Phariſæos, & Pontifices: *ſed avaritia, qua captivavit diſcipulum comitem Chriſti, captivavit & militem cuſtodem ſepulchri.* Inter hos, dicit Metaphraſtes, Longinum fuiſſe, cui etiam cuſtodia ſepulchri commiſſa fuerat, nec recuſavit, licèt non eſſet ejuſdem cum Pilato ſententiæ. Sed ipſe teſtis Reſurrectionis, lingua & libera mente, Chriſtum verum Deum eſſe, & è mortuis ſuſcitatum affirmavit; ita ut Judæorum Principes in eum furorem, & invidiam conceperint. Quapropter magis volens abjici cum Chriſto, quàm habitare in tabernaculis Judæorum, cum veſte & cingulo dignitatis ipſam quoque exuit militiam, & acceptis duobus militibus, qui habebant eundem zelum pro Chriſto, & veritate, poſt Chriſti Aſcenſionem venit in Cappadociam, Præco ſimul, & Apoſtolus Chriſti; ubi poſt multa tormenta cum ſociis ſuis, capite plexus eſt. *Ita Metaphraſtes.* Sextò, ipſa terra teſtis fuit ſufficiens concuſsione, & tremore ſuo. *Ultimò* Moyſen, & Prophetas in teſtimonium adduxit Chriſtus, interpretans diſcipulis verba eorum; non ſolùm vivos, ſed & mortuos teſtes habere volens.

Quantum ad ſenſus corporis, per omnes etiam Reſurrectio confirmata eſt. *Primò* Reſurrectionis fidem confirmavit, per auditum, cùm dixit: *Pax vobis, ego ſum. Secundò* per viſum, oſtendens eis manus & latus. *Tertiò* per guſtum, manducans cum eis piſcem aſſum, & favum mellis. *Quarto* per tactum, *Infer digitum tuum huc,* &c. *Quintò* per olfactum, cum in diſcipulos inſufflavit, quem flatum valde odoriferum fuiſſe, ab illo pectore omnibus chariſmatibus referto, poſſumus exiſtimare.

Joan. 20. 27.

Inſufflavit verò Chriſtus in Apoſtolos, dans eis Spiritum S. ut ſignificaret naturam Spiritus S. qui procedit, ut flatus divinus ex ſpiratione Patris & Filii: ſic ergo ſignificavit, illum etiam à ſe procedere, inquit Auguſt. Item ut ſignificaret, ſe illum eſſe, qui primo homini inſpiravit ſpiraculum vitæ, inquit Cyrillus. Denique ſe illum eſſe, qui per Spiritum S. efflat peccatum, & inflat gratiam ſuam, inquit Baſilius. Porrò in hac appatitione non aderat Thomas. Unde in octavo die iterum apparuit diſcipulis, & Thomæ, cui exhibuit manus & latus ad ejus ſanandam infidelitatem. Ubi adverte, quantum Deus faciat pro una anima, ut ei ſuccurrat, quandoquidem qui ſe exhibuerat aliis Apoſtolis, idem & nunc faciat ad ſanandum vulnus, & infidelitatem unius. Quia ſicut non ſolùm pro omnibus, ſed & pro ſingulis mortuus eſt; ita & reſurrexit, ut ex hoc non detrectet, quilibet animarum curam habens, vel pro unica anima totum ſe impendere, nec enim in vanum laboravit, ſi uni animæ ſuccurrerit. Hoc interim habet fructus Thomæ infidelitas; quòd magis profuerit Eccleſiæ ad fidem, quam fides credentium; quia dum ille palpando reducitur, noſtra mens omni dubitatione poſtpoſitâ in fide ſolidatur, inquit D. Gregorius.

Auguſt. Cyrill. in Joan. Baſil. *In hac appatitione abfuit Thomas.*

S. Greg. *Thoma abſenti etiam data fuit poteſtas remittendi peccata.*

Sed quæres: Si Thomas aberat in altera illa appatitione, quomodo accepit Spiritum S. aut poteſtatem remittendi peccata, quæ tunc data fuit? Nec enim de ea mentio fit, cùm Thomæ apparuit, nec alibi. Reſpondeo, etiam Thomæ abſenti, jurta Cyrillum, à Chriſto inſpiratum fuiſſe Spiritum S. & hanc

Digitized by Google

& hanc potestatem. Sic & olim cùm Deus spiritum Moysis divisit in septuaginta seniores de Israël, licèt duo, *quorum unus vocabatur Eldad, alter Medad*, remanserunt in castris, nec convenerint ad ostium tabernaculi fœderis cum aliis, tamen super eos absentes requievit spiritus Moysis; adeò ut in castris prophetarent, quia & ipsi descripti fuerant, inquit Scriptura: Idem ergo dicemus de Thoma, qui etiam absens hunc spiritum accepit, & Apostolus, sive Vicarius Christi, Orbis Doctor, cum aliis hic fuit institutus. Illis enim verbis, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, docent sancti Patres, Apostolos accepisse Christi officium & authoritatem; omnem scilicet potestatem Ecclesiasticam, & consequenter eos hisce verbis creatos esse Episcopos. Unde hujus Scripturæ varius est sensus.

Num. 11. 25. & 27.

Joan. 20. 21.

Primò: Sicut Deus Pater misit me, ita & ego, qui sum illi æqualis Deus, vos mitto. Et sic significatur similitudo ex parte principii & potestatis mittentis, ut insinuetur Divinitas & auctoritas Christi, dum se Patri æquat in mittendo.

Secundò: significari potest similitudo ex parte finis, ut sit sensus, *Ego mitto vos*, ut vestra prædicatione & vita, gloriam Patris, & hominum salutem promoveatis; sicut & Pater misit me ad eundem finem, propter suam scilicet gloriam & hominum salutem, quam indefessè quæsivi.

Tertiò: significari potest similitudo ex parte mediorum, ut sit sensus: *Sicut misit me Pater*, ut omnibus doctrinam traderem, & illam miraculis confirmarem: ita & ego mitto vos, cum eadem potestate miraculorum & doctrinæ. Et sicut Pater misit me inter pericula, & inter cruces, ut doctrinam meam per sanguinem meum confirmarem; ita & ego inter persecutiones vos mitto, ut sanguine vestro doctrinam & fidem, & amorem erga me testatum relinquatis, quo ergò amore misit me Pater, eodem & mitto vos.

Quartò: ne significetur similitudo in officio, ut sit sensus: Quandoquidem ego perfectus mea legatione, Patrem repeto, à quo missus sum; ita & ego hanc vobis committo legationem, similemque potestatem, & authoritatem ad regendam Ecclesiam, ut sitis ejus Doctores & Pastores, meique Vicarii, habentes potestatem peccata remittendi, unde ad hunc effectum vobis Spiritum meum tribuo.

Per hæc ergò verba, Christus in Apostolis Sacerdotalem perfecit ordinem & potestatem: nam licèt fuerint creati Sacerdotes in illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, tamen tunc acceperunt tantum potestatem consecrandi. Hic verò accipiunt potestatem simul remittendi peccata, sunt enim hæ potestates disparatæ, & dividi possunt; sicut in ordinatione Sacerdotum, alia & alia forma, istæ potestates seorsim etiam nunc dantur.

1. Cor. 11. 24.

DE ALIIS APPARITIONIBUS.

SEptima apparitio fuit, quando Thomæ apparuit. *VII. Tho.*

Octava, quando discipulis piscantibus in mari Galilææ. *VIII. Discipulis piscantibus.*

Nona, quando in monte Galilææ plusquam quingentis fratribus. *IX. In monte Galilææ.*

Decima, quando apparuit Jacobo, ut dicit Apostolus Paulus. *X. Jacobo Apost.*

Undecima, quando apparuit Apostolis omnibus in die Ascensionis. *XI. In die Ascensionis.*

Ibi misit eos prædicare Evangelium omni creaturæ, ut essent testes in omni loco, non solum Mortis, sed & Resurrectionis ejus; prædicantes non solùm Judæis, sed & gentibus, non solùm plebeis, sed & Regibus, & tyrannis, & Magistratibus, omnisque conditionis, sexus, nationis, hominibus Evangelium Christi, hoc enim vult dicere, cùm dicit: *Omni creaturæ.* Sic & Petrus accipit, quando dicit: *Subjecti estote omni creaturæ, sive Regi quasi præcellenti, sive ducibus quasi ab eo missis.* Dixerat ergò Christus: *Eritis mihi testes usque ad ultimum terræ*, q. d. Filii mei estis, quos adoptavi. Scholæ meæ estis discipuli, quos instruxi. Estis oves gregis mei, quos elegi. Destino vos in universum orbem, ut testimonium perhibeatis de me, qui totius vitæ meæ testes fuistis, doctrinam quam annunciavi, percepistis; exempla, quæ dedi, vidistis; opera & miracula quæ feci, agnovistis: imò contradictiones quas tuli, tormenta, contumelias, mortem, quam passus sum pro salute totius mundi, non ignoratis. Sed & vidistis Resurrectionem meam, apud vos toties testatam, & nunc Ascensionem videbitis, Spiritumque sanctum, qui in æternum vobiscum manebit, accipietis. Ite ergo, benedictionem meam Patrisque vobis imperior, simulque potestatem increpandi omnes, monendi, docendi, arguendi, cujuscunque status sint, in quacunque sublimitate positi, prædicate illis Evangelium, annunciate toti mundo hoc bonum nuncium. Quod nuncium? *Primò*, quòd Filius naturalis Dei factus sit homo, ut homo Deus fieret, & Filius Dei. *Secundò*, quòd ille mortuus sit pro omnium salute, ut omnium mortem tolleret. *Tertiò*, quòd resurrexerit, ut vitam eis repararet, & secum omnes credentes resuscitaret. *Quartò*, quòd in cœlum jam ascenderit, ut locum gloriæ eis præparet. *Quintò*, quòd Judex ipse iterum venturus sit, à Patre constitutus, ut ab omnibus vitæ rationem exposcat. *Sextò*, quòd altera superstet vita, & quidem æterna in pœnis pro malis, in gloria pro bonis. Prædicate ergò hæc, & docete universum mundum, monete, ne in his errent, sed ad Deum convertantur; peccata eis remittite, meritorum meorum participes eos efficite, arguite eos, ut vanitatem non ament, perituris bonis non se implicent, sed ad cœlestia aspirent. Dei judicium meminerint, alteramque vitam suspiciant,

1. Pet. 2. 13. Act. 1. 8.

Quæ prædicare debuerunt Apostoli.

tized by Google

Interim multi putant non manſiſſe quicquam veri ſanguinis in terris, & illum qui ſervatur diverſis locis, ſolum manaſſe ex imagine Salvatoris a Judæis icta. Quæ ſententia eſt D. Thomæ ex Athanaſio.

Lib. de Paſſione imag. D. c. 7.

Juxta hanc opinionem, ille ſanguis qui alicubi oſtenditur adhæſiſſe ſpinis, clavis, lanceæ, ſudario, non eſt ſanguis quoad ſubſtantiam, ſed ſolum color de ſanguine relictus. Idem dic de rubea terra Magdalenæ.

Hæc ſententia inde etiam probabilitatem habet, quod non videatur conveniens ſanguinem unitum divinitati, dimitti; & quod totus ſanguis, quem habuit ab hortu uſque ad vulnus lanceæ, videatur conveniens temperamento Corporis Chriſti, & cum fuerit pretium redemptionis, decuit perpetuò in Corpore Chriſti ſervari.

Denique, in Cœna Chriſtus conſecravit totum illum ſanguinem, quem tunc habuit in corpore, ergò eundem nos conſecramus. Et ſic idem etiam ſervatur in corpore ejus glorioſo.

Notandum porrò hic, licet corpus integrum reſumpſerit, manſiſſe tamen foramina vulnerum in pedibus, ac latere, ita ut Thomas in ea miſerit digitos, & manum in latus. Non ergò Chriſtus ea implevit carne glorioſa, ſpeciem clavorum habente, qualia fuerunt ſtigmata Sancti Franciſci, ſed planè aperta ſervavit. Undè ſpeciale miraculum fuit, quod hæc foramina non impederint, quo minus nervi & arteriæ optimè eſſent diſpoſitæ, ad omnes actiones & motus vitales.

Suarez in 3. p. q. 44. art. 4.

Hæc itaque vulnera in Chriſti corpore non deformitatem, ſed decorem pariebant, velut quinque gemmæ rutilantes in veſte humanitatis Chriſti, quæ etiam lætificant Angelos & beatos in Cœleſti Paradiſo, ſuntque velut fontes irrigantes Paradiſum Dei, hoc eſt, Eccleſiam, ſive Militantem, ſive Triumphantem.

Apoc. 5. 6.

Propter hæc vulnera, quæ ſunt ſigna mortis ejus, vidiſſe dicit Joannes, *Agnum in medio Seniorum ſtantem tanquàm occiſum*; nimirum quia licet Chriſtus ſit vivens in ſæcula ſæculorum, ſtat tamen etiam in cœlo, tanquam occiſus ob cicatrices & mortis ſigna, quæ adhuc nunc retinet; ita ut dicere: ſe vidiſſe agnum tanquà occiſum, non aliud ſit, quàm vidiſſe Chriſtum mortis ſuæ ſigna retinentem.

DE CICATRICIBUS CHRISTI RESURGENTIS.

Vulnera 5. cur Chriſtus reſervarit.

1. In ſignū Reſurrectionis.

QUæritur verò: Cur Chriſtus illa vulnera ſervavit.

Primò, ut eſſent ſigna veritatis corporis & Reſurrectionis; non enim ex impotentia, quaſi non potuerit perfectiſſime corpus ſanare, qui potuit ſuſcitare, quique tulit coſtam de Adam & carnem potuit pro ea ſupplere: *ſed ad dubitantium corda ſananda, vulnerum jure ſervata veſtigia.*

2. Victoriæ.

Secundò, in ſignum victoriæ, ideò enim in cœlo ſervat, ut perpetuum victoriæ ſuæ triumphum circumferat. Hinc etiam per illa ſigna, victoria aliquando Principibus Chriſtianis contra fidei hoſtes ceſſit.

An. 1112. Thom. Bozius de ſignis Eccl. lib. 17. c. 7.

Alphonſus Portugaliæ Rex, commiſſurus prælium adverſus quinque Saracenorum Reges, cum trepido eſſet animo, confirmatus eſt a Chriſto in ſomnis, juſſuſque in aciem deſcendere, & vexillum erigere, cui quinque ipſius vulnera depicta forent: fecit Alphonſus, & nobilem victoriam reportavit. Exindè Regibus Portugalliæ inſignia fuerunt quinque plagis Chriſti ornatum vexillum.

Quotidie quoque ſpiritualis victoria nobis per illa contra hoſtes animæ datur. Sunt enim quinque lapides electi, quibus hoſtem proſternimus, ita ut in omni tentatione, quiſquis ad hæc victoriæ ſigna recurſum habuerit, tutus ſit.

Aug. 22. de civit.

Similiter dicit Auguſtin. manere in Martyribus cicatrices, quibus agnoſcatur, quod genus martyrii paſſi ſint, & quomodo victores extiterint.

D. Thó. 3. P.

Nec erit deformitas, ſivè in illis, ſivè in Chriſto, ſed dignitas fulgorque cicatricum: ſicut veſtis ſerica inciſuris diſtincta magis fulget, ſic Chriſti vulnera in humanitatis veſte, decorem ei addunt, & interiorem pulchritudinem manifeſtant.

3. In noſtri fiduciam. S. Cypri.

Tertiò, ſervavit ad majorem noſtri fiduciam, ut ſciamus, quod pro nobis ea Patri exhibeat, ut appareant vultui Patris pro nobis. Hinc Cyprianus dicit: *Servata in corpore plaga ſemper ſalutis humanæ exigunt pretium, & obedientia donativum.* Utique efficaciter interpellant, quaſi tot ora aperta veniam & miſericordiam inclamantia: undè & amorem noſtrum excitant, dum inclamant illud: *In manibus meis deſcripſi te.*

4. In refugium pœnitentium. V. Bern. in Cant. Serm. 6.

Quartò, ut animæ pœnitentes refugiū habeant, & miſericordiæ mei & dilectionis dulcedinem ſugant. Ego enim, inquit Bernard. quicquid mihi deeſt, ulur po mihi ex vulneribus Domini mei Jeſu Chriſti. Foderunt, inquit, manus & latus ejus, per has rimas licet mihi mel ſugere de petra, nempè tot canales ſunt undè gratia fluit, ita ut liceat tibi ſugere, & haurire *aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.*

Surius in ejus vita ex Cantiprato.

Legimus de B. Lutgarde, quod cum corpore & ætate tenerrima foret, nocte quádam circa Matutinas ſudor eam vehemens invaſit, & cum abeſſe putaret, ut fortior poſtea ad obſequia divina redderetur. Ecce vox ad eam: *Quid jaces? Surge, ſurge, oportet ut pœnitentiam nunc agas pro peccatoribus, qui in ſordibus jacent.* Illa exterrita, inchoato jam officio feſtinat ad Eccleſiam, & in ipſo oſtio reperit obvium Chriſtum cruci affixum & cruentatum, qui brachium è cruce deponens & eam amplexans, os ejus vulneri lateris applicuit; undè tantam hauſit ſuavitatem, ut ex tunc in Dei obſequio fortior & alacrior foret. Retulerunt quæ id ſciverunt ea revelante ex eo tempore ſalivam ejus mellis dulcedinem ſuperaſſe. Nec mirum cum cor illius & divinitatis Chriſti mel, & humanitatis lac intus exſuxerat. Sic quandò aliquá afflictione premebatur aut corporis, ſtabat coram Crucifixo in contempla-

Digitized by

templatione, ad eumque rapiebatur in spiritu & laterios admovens, tantam sugebat suavitatem, ut nulla re posset affligi. Ideò & Martyres ibi habitabant, & vires ad tolerandum adversa quælibet desumebant.

V Bern. Serm. 61. in Cant. fusè hac de re.

Quantum verò ad peccatricem animam, ibi habet refugium. Si pungitur conscientiæ spinis ut Herinacius, fugit ad hanc petram apertam. Si tentationibus premitur, ibi habet quinque loca refugii, illuc evolat ut columba gemens. Ibi ergo debet reponere cor apud cor Christi, si prius superbum fuerit, fiet humile, si terrenum amabit cœlestia, si sordidum fiet castum, si vindicativum fiet mitte, si tepidum & languidum participabit de flamma, si obstinatum & durum, fiet molle: Inde enim omnes pios affectus poterit elicere, & perversas inclinationes igne amoris inde egrediente, velut palcas poterit absumere.

Exempl.

Mirabile est quod de B. Catharina Senensi legimus. Quodam die vehementi amore Sponsi saucia instanter petiit, ut à se cor suum & propriam voluntatem radicitus evelleret, quod in omnibus rebus, sine tergiversatione ei obsequeretur. Visus est sic oranti venire Christus & latus sinistrum Virginis aperire, & ablato corde recedere. Ejus Confessarius id parvi faciebat, parumque sanæ mentis esse credebat. At illi quadam die ex Oratorio exire volenti cum multi luce Christus apparuit, in manu ferens Cor quoddam rubicundum, & accedens in sinistrum latus Virginis imposuit, dicens: *En filia habes pro tuo Cor meu*; clausoque latere recessit. Et ne putaretur Phantasma, manet cicatrix, quam sæpè Religiosæ ejus sodales viderunt. Quid autem ex hac stupenda cordis mutatione consecutum fuerit, facile est conjicere. Nec enim Sponsus tam diu voluit cor ejus retinere, nisi ut ardenti amore, & gratiarum affluentia repleret. Testis est ardor, quem in corde sentiebat, ita ut diceret tantam in anima puritatis & humilitatis renovationem se sentire, ut ad ætatem quatuor vel quinque annorum se rediisse putaret.

5. In confusionem.

Postremò, servavit vulnera Christus, ut per ea impietatem Judæorum & Christianorum, qui tantam gratiam neglexerunt, in die Judicii arguat, & reprobos confundat: quasi dicens: *Ecce hominè, quem crucifixistis, videtis vulnera quæ infixistis: Agnoscitis latus quod pupugistis? Per vos & propter vos apertum est, nec intrare voluistis.* Ita Augustin.

Hoc significare videtur etiam Zacharias, dum dicit Christum tunc interrogandum: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Et respondebit: *His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.* Et tunc adimplebitur id quod dicit idem: *Videbunt in quem transfixerunt, & plangent terræ, & familiæ seorsum: Familia Domus David seorsum, & mulieres earum: Familia domus Nathan seorsum, & mulieres eorum seorsum: Familia domus Levi seorsum, &c.* Cùm enim non acciderit hoc in Passione Domini, videtur Propheta describere planctum, qui fiet in die Judicii, quando videbunt eumque quem confixerunt cum confusione. In quo notantur etiam ipsi Christiani cujuslibet conditionis: Per domum David, Principes & Reges: Per domum Nathan, Nobiles: Per domum Levi, Sacerdotes: Per domum Semei, Legis Doctores, quia ex illa familia erant multi Scribæ & Pharisæi.

LECTIO XXV.

DE FRUCTU RESURRECTIONIS.

1. *Docet quomodo Cœlum & terrã lætificarit.*
2. *Quomodo fidẽ & spem nostrã confirmarit.*
3. *Quomodo propter justificationem nostram resurrexerit.*

PROPOSITIO I.

Christus resurgens Cœlum & omnes creaturas lætitia affecit.

IN morte Christi communis fuit dolor, ita ut Cœlum lugubri veste amictum videretur, Sole & Luna lucem subtrahentibus, petris se findentibus: adeò ut deficiente Domino, omnia deficere viderentur; & diem suum finire cuperent, inquit Leo, sed illo surgente, communis fuit Cœlo & terræ lætitia. *In Resurrectione tua Christe Cœli & terra lætantur*, canit Ecclesia.

Primò ergò lætitia fuit Angelis, qui in candidis vestibus apparent Resurrectionis primi Præcones: gaudent jam adimpletam Resurrectionem, sicque ruinas suas instaurandas.

Secundò lætitia fuit Patribus, qui illuminantur in umbra mortis, divinæ essentiæ visione, & educuntur de lacu & carcere.

Tertiò lætitia Apostolis, qui summè tristes erant ob mortem Magistri & Salvatoris, ob quem omnia reliquerant, & in quem omnem spem jactarant.

Quartò lætitia summa Virgini, quia sicut nemo dolorem quem habuit ob filium suum explicare potest ita nec gaudium quod nunc recipit. Christus fuerat ei *Benoni* in Cruce, hoc est *filius doloris*: nunc ei est *Benjamin* in Resurrectione, hoc est *filius dextræ*.

Quintò lætitia fuit ipsis elementis, ita ut dixerit B. Maximus: *In Resurrectione Christi omnia elementa gloriantur, nam & solem ipsum arbitror in hac die clariorem solitò fuisse.* De illo dixi supra, juxta aliquos prævenisse horam solitam ortus sui. Hinc jam Ecclesia in illo Paschali præconio, *Salve festa dies*, dicit totum mundum in hac Resurrectione Christo velut applaudere & gratulari.

De hac ergo die verum est: *Hæc dies quam fecit Dominus exultemus & lætemur in ea.* Omnes dies fecit, sed hanc specialiter, quia excellentissimum opus in ea perfecit, ideò dies Domini dicitur, & per singulas Dominicas recolitur. Alii dies solemnes sunt & læti, sed semper aliquid unde mœrum habent,

habent. 1. Lætus dies Nativitatis; ſed tamen ibi vagit infans, &c. 2. Lætus dies Circumciſionis ob nomen Jeſu; ſed ibi ſanguis funditur. 3. Lætus dies Epiphaniæ, ſed myrrha mortem ſignificans offertur. 4. Læta Transfiguratio; ſed tamen ſermo ibi de excellu, hoc eſt, de morte.

Hic dies totus lætus eſt, dies ſalutis, redemptionis, reparationis, glorificationis noſtræ, quæ in capite initium ſumpſit. Unde Eccleſia lætitia tum perfuſa inclamat: *Exultemus & lætemur in ea. Exultemus* non in flore vanitatis; ſed in ſpe æternitatis. *Exultemus* non profano; ſed ſpiritus gaudio. *Exultemus* non terrena, ſed Angelicâ lætitiâ.

Multi in hoc die gaudent in vanitate veſtium, gaudent quia jejunia tranſierunt & luctus: gaudent quia nunc licitæ erunt recreationes, luſus, tripudia, commeſſationes.

An putas, hoc eſſe gaudium ad quod invitat Eccleſia? Abſit. De ſimilibus enim gaudet & ipſe ſathan, quod his diebus feſtivis majores occaſiones habeat animas capiendi, iterumque prioribus peccatis eas religandi. Gaudium ergò noſtrum debet
1. Pet. 1. 3. eſſe in Spiritu ſancto. *Gratias agentes Deo, qui nos regeneravit in ſpem vivam, per Reſurrectionem Jeſu Chriſti in hæreditatem incorruptibilem, &c.* Gaudium
Pſ. 102. 4. noſtrum debet eſſe cum Pſalte: *Benedic anima mea Domino, qui coronat te in miſericordia & miſerationibus*, jam quidem in ſpe, poſtea in re. Hoc erit feſtum
1. Cor. 5. 8. celebrare *non in fermento veteri, ſed in azymis ſinceritatis.* Hoc eſt in conſcientiæ puritate.

Pſal. 17. Gaudium à nobis expoſcit Eccleſia toto tempore Paſchali repetens *Alleluia*, vocem illam triumphantem, ex Davide deſumptam, qui plutibus Pſalmis hunc titulum inſcribit. Unde in Pſalm. 17. qui
Apoc. 19. de reſurrectione loquitur, titulus eſt *Alleluja, Alleluja.* Et toto tempore Paſchali repræſentat Eccleſia tempus Æternitatis, in quo perennis erit
Exempl. laus, perenne reſonabit *Alleluja.* Eſt ergò cœleſte beatorum Canticum & jubilus quem audivit Joannes è Cœlo omnes Sanctos reſonantes, ideò ergò jubilando toties ab Eccleſia repetitur.

Refert Franciſcus Alvarez in Toletana Ditione Cœnobium eſſe Religioſorum nuncupatum *Alleluja* ab hoc eventu. Aſceta ſive Cœnobita vixerat in vicinia, vigiliis, jejuniis & orationibus aſſiduis vocans, & is a beatis audierat ſæpè ingeminari *Alleluja*, ſuaviſſimo cantu; eaque voce relata ad Præfectum Monaſterii, extitit ille author Monaſterii tunc inchoati hoc nomine appellandi. Olim quoque teſte Hieronymo Virgines & Monachi hac voce *Alleluja*, noctu ad preces & laudes Dei vocabantur in templum. Hæc vox etiam cœlitus aſpirata, animavit olim Chriſti Athletas ad martyria & tormenta cum gaudio ſuſtinenda.

Habemus de B. Maria Ogniaca, cùm appropin-
Surius & quaſſet dies mortis ejus, fuiſſetque quinquaginta
l. 3. de Vi- duobus diebus ſine cibo, nocte præcedente mor-
tâ ejus. tem ſuaviſſima voce cœpiſſe cantare *Alleluja*; totamque illam noctem in quodam jubilo & exultatione perpiſſe. Sequenti die apparuit ei ſathan intentans multas inſidias, & ita vexans eam ut ipſa videretur aliquantum trepidare, unde præſentium auxilium implorabat. Sed tamen firmam ſpem in Chriſtum convertens munienſque ſe ſigno crucis, omnes has tenebras, & diaboli conatus diſpulit; & iterum repetens vocem hanc victoriæ, *Alleluja*, omnia devicit, ſpirituumque ſuaviter in manus Dei tradidit. Ita Jacobus de Vitriaco.

Habemus & de S. Germano Altiſiodorenſi, quod cùm Angliam ab hæreſi Pelagiana purgaſſet, etiam à tumultibus bellorum contra Saxones protegere voluiſſe. Unde cùm Anglorum & Saxonum exercitus jam paratus eſſent ſeſe aggredi, ad Anglos accurrens & de victoria eos alleccurans, jubet omnes milites ſimul forti & lætabunda voce inclamare, *Alleluja, alleluja.* Hæcque vox exultationis & ſalutis in tabernaculis Juſtorum, tantum terroris Saxonibus incuſſit, ut cum mira totius exercitus confuſione terga verterint, relictis curribus & tota ſuppellectile; ſicut ad vocem Gedeonis & ſociorum ejus Madianitæ fugati fuerant. Vox ergò iſta, triumphalis vox eſt, vox victoriæ, in hac militia vitæ noſtræ hoſtibus cincti, reſonare ſæpiùs juvat non tam oris voce quàm cordis, ad Triumphantem Cœleſtem Eccleſiam, ad quam vocamur reſpirando, & calcar nobis adjiciendo.

PROPOSITIO II.

Chriſti Reſurrectione fides & ſpes noſtra confirmata eſt.

Reſurrectionis Chriſti 1. Fides noſtra confirmatur.

PRimò quidem Fides. Ideò dicit Job: *Credo quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, &c.* Ubi finem ſuam de Reſurrectione noſtra deducit ex Reſurrectione Chriſti. Ut autem oſtendat, quam multum importet fides hæc Job. 19. 25
reſurrectionis, longo utitur prologo, dicens. *Quis mihi tribuat ut ſcribantur ſermones mei? Quis mihi det, ut exarentur in libro ſtilo ferreo? plumbi lamina, vel cœlte ſculpantur in ſilice:* q. d. Quia quæ dicturus ſum, magna ſunt & rara, & notatu digna, & quæ ad poſterorum inſtructionem uſque in finem ſæculi meritò ſervari debent; ideò ego optarem, ut per ſcripturam manentem conſervarentur, quia vox per ſe labilis eſt, & perit. Immò optarem, ut non ſolum in foliis aut chartis, quæ facilè pereunt, ſcriberentur; ſed in bene compacto libro exararentur ſtilo ferreo & perfecta impreſſione, vel in lamina aliqua, aut ſilice bene ſculperentur, ut Scriptura durabilis foret, nec vetuſtate, nec igne corrumpi poſſet. Ibid.

Vultis ergo ſcire, quid ſit illud adeò grave, adeò Job. 19. 25
dignum memoria? *Scio quod Redemptor meus vivit.* Chriſti ergò Reſurrectio noſtram confirmat reſurrectionem, & exemplo monſtravit Dominus, quod promiſit in præmio; ut ſicut ipſe reſurrexit, ita ſciant omnes fideles ſe reſurrecturos, virtute enim Reſurrectionis ejus fit noſtra reſurrectio.

Hinc nota, quod ipſe Chriſtus reſurrexit virtute

Joan. 10. 18. tute propriâ, nos verò aliena. Propterea dixit: *Pono animam meam à me, & iterùm habeo poteſtatem ſumendi eam.* Joan. 2. 19 *Solvite templum hoc, & in triduo excitabo illud.* Propterea etiam dicitur ſurrexiſſe, quaſi ſoporatus à ſomno, habens poteſtatem ſeipſum ſuſcitandi ab inſita ſibi virtute, ſicut is qui dormit. Non ergò ut Lazarus, aut adoleſcens in Naim ſuſcitatus eſt; ipſi enim aliena virtute, Chriſtus propria. Aderat enim Divinitas corpori in ſepulchro, & animæ in limbo, per quam poterat utrumque reunire: habebat Chriſtus in ſe radicalem virtutem vitæ, etiam in corpore mortuo, & ideò dicitur quaſi flos pullulaſſe: Pſal. 27. 7. *Ecce refloruit,* inquit, *caro mea.* Caro ejus in Nativitate floruit, in Paſſione elanguit, in morte decidit, in Reſurrectione refloruit. Verè *Nazarenus*, verè floridus, flos pretioſus in horto, ubi fuerat ſepultus.

Plantæ in hyeme venuſtatem amittunt, floribus & foliis deſtitutæ quaſi mortuæ, ſed poſtea floreſcunt, & germinant cum foliis & floribus venuſtis & odoriferis, quia vitalis adhuc virtus & vitæ principium inerat. Ita Chriſtus tempore Paſſionis velut aſperæ hyemis, venuſtatem depoſuit flos elanguens & emortuus, ſed ipſum Verbum radix vitæ manebat; ideò in Reſurrectione tanquam novo vere fructum immortalitatis & gloriæ protulit. Hanc radicem vitalem non potuerunt Judæi abſcindere, & ideò non potuerunt hunc florem reſurgentem impedire; ita ut manſerit verè *Jeſus*, verè *Nazarenus*, verè floridus, multos poſtea flores producturus, lilia Virginum, roſas Martyrum, violas Sanctorum. Ambroſ. lib. 2. de Spirit. S. c. 5. *Flos odorem ſuum ſucciſus reſervat, & contritus accumulat, nec avulſus amittit. Ita Dominus Jeſus in illo patibulo Crucis, nec avulſus evanuit, nec contritus emarcuit, ſed illa lanceæ punctione ſucciſus, ſpecioſior fuſi cruoris colore vernavit, mori ipſe neſcius, & mortuus æterna vita munus exhalans.* Ita Ambroſius.

Sicut verò proprium Chriſto eſt, virtute ſua reſurgere, tanquam ei, qui cauſa ſit reſurrectionis noſtræ; ita proprium ei eſt, primum omnium ad immortalitatem reſurrexiſſe, tanquam qui cauſa ſit immortalitatis noſtræ. Hinc in Scriptura vocatur, Col. 1. 15. 1. Cor. 15. 20. *Primogenitus ex mortuis, & primitiæ dormientium.* Quod intelligendum eſt, quia primus reſurrexit perfecta reſurrectione, quæ ſit ad vitam immortalem; nam ante illum Lazarus & alii reſurrexerunt, ſed cum neceſſitate iterum moriendi; ipſe verò ita reſurrexit, ut morte oppreſſâ, mori ampliùs non poſſet, *Mors illi ultrà non dominabitur.*

Sed dices: Multa corpora Sanctorum reſurrexerunt in Paſſione ante Chriſtum? Reſp. Licèt hoc narretur inter ſigna in Paſſione facta, hoc tamen ſit per participationem, quia ſcilicet virtute morientis Chriſti factum id eſt. Unde non eſt intelligendum, quòd illi ante Chriſtum reſurrexerint, quia Matt. 27. 53. adjicitur, quòd poſt reſurrectionem, *Exeunt de monumento, & venerunt in ſanctam Civitatem.* Cùm ergò illi non reſurrexerint, niſi ut teſtes Reſurrectionis Chriſti, & Redemptionis per ipſum factæ, ac liberationis animarum à dæmonis & mortis poteſtate, non oportuit eos ante Chriſtum reſurgere. An verò illi ad mortalem gloriam reſurrexerint, an iterum mortui, latè diſputant Doctores.

Communior opinio eſt affirmativa, quia non videretur ſufficienter probari Chriſti reſurrectio ad immortalitatem, ſi illi iterum in cinerem mortis redigerentur. Chriſtus ergò reſurgens videtur eos immortalitate etiam corporis veſtitos ſecum vexiſſe ad triumphum, traditurus illos Deo Patri, velut primitias regni, quod ſuo ſanguine conquiſierat.

Hinc Bernardus: *Flores apparuerunt in terra noſtra: Quaris quando putas, niſi cùm reſloruit caro Chriſti in Reſurrectione? hic primus & maximus flos, qui apparuit, nam primitiæ dormientium Chriſtus, flos campi, lilium convallium, à Nazareth, quod interpretatur flos. Is ergò flos apparuit primus, ſed non ſolus; nam & multa corpora Sanctorum ſurrexerunt, quæ velut quidam luciduſſimi flores ſimul apparuerunt in terra noſtra, venerunt enim in ſanctam Civitatem, & apparuerunt multis.* Ita ille.

Reſurgent etiam, & repullulabunt corpora aliorum Sanctorum; ſed in die à Chriſto decreto; eruntque tanquam flores lucidi iterum germinantes ad Bernard. ſerm. 58. in Cant. rorem illum gratiæ & vitæ, quo tunc vivificabit eos Chriſtus. Ideò dicitur eis apud Iſaiam: Iſa. 26. 19. *Expergiſcimini & laudate, qui habitatis in pulvere, quia ros lucis, ros tuus,* q. d. Sicut ros antelucanus, & lucis prænuncius, fœcundat plantas & flores, eiſque lucem & vitam adfert, ita ros tuus divinus, ô Chriſte, & gratia tua vivificat, & halitus vitalis, quem per juſſionem & verbum tuum inſpirabis electorum corporibus, lucem & vitam eis affert, eamque priori illuſtriorem, quia glorioſam.

Secundò per reſurrectionem Chriſti ſpes noſtra erigitur, quia caput noſtrum reſurrexit, data eſt ſpes membris ad eandem immortalitatem, & gloriam reſurgendi, imò in ipſo Chriſto jam initium reſurrectionis noſtræ fuit. *2. Spes noſtra erigitur.*

Sicut enim moriente Adam facti ſumus & nos mortui; ita ſurgente Salvatore, conſurgere oportuit ipſum Adam, & omnes ex Adamo oriundos, ut verificetur illud Pauli: *Sicut in Adam omnes moriuntur,* 1. Cor. 15. 22. *ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.* Propterea dixit Oſee: *Vivificabit nos poſt duos dies, in tertia die* Oſe. 6. 3. *ſuſcitabit nos,* quia die tertio reſurgens omne hominum ſecum ſuſcitat genus, inquit Hieronymus. Et propterea etiam Paulus non dicit nos ſuſcitandos, ſed jam reſuſcitatos cum Chriſto, *Conreſuſcitavit,* Eph. 2. 6. inquit, *& conſedere fecit nos in cœleſtibus cum Chriſto.* Quia tam certa eſt ſpes reſurrectionis noſtræ ipſo reſurgente, ut poſſimus dicere nos jam cum ipſo ſuſcitatos. Et quia ſumus membra corporis ejus, ipſo reſurgente quodammodò reſurgimus.

Licèt verò realis corporum noſtrorum reſuſcitatio non ſit futura niſi in fine mundi, tamen poſt

modicum, & poſt momentum fieri ſignificatur. Unde dicit Dominus ad Martyres ſuos, & pro nomine ſuo interfectos, & ſimul ad omnes electos:

Iſa.26.20. *Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude oſtia ſuper te, abſconde te modicum ad momentum, donec pertranſeat indignatio.* q.d. Ite ad modicum, ô Sancti, ad ſepulchra veſtra, ibi quieſcite brevi ſuſcitandi,

Apoc. 6. mors enim Sanctis inſtar ſuavis ſomni unius noctis eſt reſpectu reſurrectionis & æternitatis: Cubile eſt ſepulchrum, unde vocamus illa cœmiteria, ſive dormitoria. Sic animæ Martyrum jubentur ad tempus ſub altari quieſcere. In his ergò ſepulchris, quaſi in cubilibus quieſcunt, dum animæ in gloria ſunt, juxta illud:

Pſ.149.5. *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis.* Quem verſum cum ſanctus Evergiſlus Epiſcopus Colonienſis, Thebæorum Martyrum Eccleſiam, oraturus ingrediens inchoaſſet, dicens illam priorem partem: *Exultabunt Sancti in gloria:* Martyres reſponderunt: *Lætabuntur in cubilibus ſuis.* Et de pulvere eorum caput aſpergens, à graviſſimo capitis dolore eſt ibi liberatus. Sepulchra ergò cubilia ſunt, & cubicula, de quibus illis dicitur: *Intra in cubicula tua, & claude oſtia tua ſuper te,* hoc eſt, oculos & ſenſus claude, quaſi ad tempus quieſcens, *donec,* inquit Propheta, *tranſeat indignatio.* Tum illa qua Adæ peccatum & ſingula noſtra communi morte & putrefactione punire vult. Tum qua impios puniet ſub finem mundi per tot plagas reſurrectioni prævias. Tanquam concludens ſubdit: *Ecce Dominus ingreditur viſitans iniquitatem habitatoris terræ, & revelabit terra ſanguinem ſuum, & non operiet ultra interfectos ſuos.* q. d. Ecce Dominus egredietur ad judicandum cum Angelis, & tunc terra reddet omnes Martyres, & omnes mortuos, quos gremio ſito concludit, & reddet ſanguinem juſtorum, quem ſorbuit; tunc enim revelabuntur omnia homicidia, martyria, & peccata, ipſique tyranni & peccatores punientur à Deo; Sancti verò ſurgent ad beatam immortalitatem.

Exempl.

1.Corinth. 15.19. 1.Pet.1.3. Utique hæc eſt ſpes repoſita in ſinu noſtro & omnium juſtorum. *Si enim in hac vita tantùm ſperantes eſſemus, miſerabiliores eſſemus omnibus hominibus,* inquit Apoſtolus. Chriſtus ergo reſurgens, *regeneravit nos in ſpem vivam hanc,* ut dicit Petrus.

PROPOSITIO III.

Chriſtus reſurrexit propter juſtificationem noſtram.

Reſurrexit propter noſtram juſtificationē.

INdicat ergò illa nos debere à vitiis ad virtutes, à morte peccati ad vitam gratiæ, à ſepulchro vitiorum & concupiſcentiæ animam ſuſcitare. Sicut enim mors Chriſti efficit & ſignificat, ut moriamur vitæ veteri, ita Reſurrectio efficit & ſignificat, ut in novitate vitæ ambulemus. Imitanda ergò nobis eſt Chriſti Reſurrectio tanquam exemplar noſtræ reſurrectionis ſpiritualis.

Reſurrectio Chriſti imitanda.

Primò in hoc imitanda, ut vitiorum ſepulchrum deſerentes, ad vitam gratiæ reſurgamus. Propterea tempore Reſurrectionis & Paſchatis præcipit Eccleſia, ut ad Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramentum accedamus, tanquam ad vivificam Chriſti carnem; quæ in nobis vitam hanc & producere, & conſervare poteſt. Unde unicuique tunc noſtrûm inclamatur illud: *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus,* luce ſcilicet gratiæ. Ubi alia lectio habet: *Continget te Chriſtus,* tactu ſcilicet illo vivifico corporis & ſanguinis ſui Deifici. Verum multi vitiis tunc irretiti tenentur, nempe injuſtitia, odio, libidine, & tamen vivificum illud corpus, in fœtido pectoris ſui ſepulchro ſepelire non verentur; ac velut in conſcientiæ ſuæ horridum infernum dimittere: & ſic tantum abeſt, ut vitam gratiæ recipiant, ſed potiùs mortem morte cumulant, peccatum peccato addentes, ita ut per buccellam ſacram Sathanas in eos introeat. Meliuſque foret ignis infernalis carbones ardentes deglutirent, quam vivificum illud corpus in tali ſtatu; quia *judicium manducant & bibunt.* Certè magna pars tepidorum Chriſtianorum in hoc incurrit *judicium,* dum Paſchale Sacramentum recipit magis ex quadam coactione ob præceptum Eccleſiæ, quàm ex reverentia & præparatione. Hinc eſt, quòd ſacro-ſanctum illud myſterium, ejuſque fructum ab integris populis in pœnam peccati aliquando ſubtraxerit Deus. Quod ſpiritu quodam Prophetico de populo Germaniæ prædixiſſe videtur Virgo ſanctiſſima Hildegardis. Prævidens enim fidei jacturam deplorandam in illis populis, ſic dicit: *In tantam hominum fluctuationem atque errorem præcipites ibunt, ut cuivam ex Catholicæ veritatis aſſertoribus credere tutò poſſint atque confidere, prorſus ſint ignoraturi. Et hoc quidem idcirco divina permittet Juſtitia, quòd nos ex multo jam tempore ita negligenter & vitiosè vivendo, ipſam fidem moribus & vita impugnamus: ac ingratiſſimum Deo Corpus, unà cum aliis Eccleſiæ Sacramentis, tam irreverenter, indignè, impurè, infructuosè, tractare ac ſuſcipere auſi ſumus.* Addit illa: *Quæ nunc pace multa gaudere videntur, in maxima tunc vexatione erunt; & Dei verba pervertentur, cultuſque divinus penè in oblivionem ibit, & unus huc, alius illuc properabit; nec facilè ſciri poterit, quorſum hac tandem evaſura ſint. Interim tamen fideliſſimus Deus nidulum aliquem habebit, ubi ſuos conſervet & protegat.* Hæc illa Virgo ſanctiſſima.

1. *Vitia deſerentes reſurgamus ad vitam gratiæ.* Eph.5.14.

Prophetia S. Hildegardis ex Taulero.

Ubi nota, mortuam eſſe anno Domini 1180. ſed hæc tempora infœliciſſima prævidebat, variaſque Germaniæ ſectas in tot diſſectas; dicitque nidulum aliquem Deum ſibi ſervaturum, quia adhuc aliquot loca, ſicut Bavaria, & alia, fidem Dei ſervant, quæ loca propterea, *Nidus Papiſmus,* vocantur. Cauſam autem hujus infœlicitatis adjungit, inter præcipuas, Corporis Chriſti in Euchariſtico Sacramento indignam tractationem. An non putas eadem cauſa eſt, cur fructum hujus divini Sacramenti Deus ſubtraxerit, fidemque illius in Angliæ, Galliæ, & Belgii populis? Videamus & nos, ne indignos nos reddamus, & auferatur à nobis

tam

Digitized by Google

tim pretiosum pignus, *simulq; regnum Dei, & detur genti facienti fructum.* Videant, qui vix in anno semel communicant, & adhuc indignè.

2. *Ut verè à vitiis resurgamus.*

Secundò, ergò in hoc est imitanda Christi Resurrectio, ut verè a sepulchro vitiorum resurgamus, sicut de Christo dicitur: *Surrexit Dominus verè.* Inter res naturales & artificiales, aliæ sunt veræ, aliæ adulterinæ aut fictæ: est enim verum aurum & adulterinum, vera & falsa moneta, veræ & falsæ gemmæ. Ita est vera & ficta conversio, vera & simulata, sive speciem tantùm habens, humilitas & pietas. Exigitur ergò à nobis vera cordis conversio, ad imitandam veram Christi è sepulchro resurrectionem, quia in multis Christianis est conversio, quæ foris tantùm pœnitentiæ imaginem gerit. Et multi quotannis in Paschate divina Sacramenta, sine perfecta peccati detestatione percipiunt, & ad multam ætatem pertingunt, deluli falsa imagine pœnitentiæ. Hi sunt, qui tantùm superficialiter aut perfunctoriè, quæ præcepta sunt, perficiunt, nec ex toto corde resurgunt. Et sicut ille illusor, qui Jovi dimidium ex omni re à se inventa promiserat, cum nuces invenisset, obtulit testas: sic illi exteriora quædam offerunt, cor verò & nucleum sive spiritum devotionis Deo non offerunt. Hi etiam tantùm apparentem habent resurrectionem, qui non dissolvunt perfectè fascias & vincula mortis sive peccati, non omnes occasiones disrumpunt, & pericula peccatorum, v. g. consortium pravum, ludum aleæ, potationes & commessationes, mulierum periculosas conversationes, concubinæ cohabitationem, negotiationem, cui multum periculum fraudis & juramentorum. Hoc est partim tantùm aut apparenter resurgere, quia est partem affectus peccato relinquere; imò verò est in sepulchro manere, nec Christi Resurrectionem imitari.

3. *Ut in gratia perseveremus.*

Tertiò imitanda est Resurrectio Domini in hoc quod dicit Apostolus: *Christus resurgens jam non moritur, vobis illi ultrà non dominabitur.* Qui itaque ad vitam gratiæ resurrexit verè cum Domino, debet & in illa vita gratiæ perseverare, & non statim ad eadem peccata, per quæ iterum anima moritur, redire. Qui post Sacramenti gratiam statim in eadem recidunt, non perfectè Christi imitantur Resurrectionem, dum mors statim illis dominatur. Amant adhuc sepulchrum & fœtorem ejus, & sibi non præcaventes, amant adhuc mortem, pericula peccati & illecebras, non fugientes per quæ mors iterum ad animam ingreditur, Aquam vitæ, quam hauserunt de fontibus Salvatoris, post paucos dies evomunt, peccata iterantes: quam si retinuissent, Joan. 4. 14 fuisset illa in eis facta, *Fons aquæ salientis in vitam æternam.*

Certè multi in die Resurrectionis resurgunt, sed non cum Domino, sed cum Lazaro, aut Adolescente in Naim. Quid ita? Quia illi resurrexerunt iterum morituri, sic isti. At qui in gratia perseverant, Col. 3. 1. hi cum Domino resurgunt. *Qui consurrexerunt cum Christo, cælestia sapiunt, quæ sursum sunt, quærunt,* stolam gratiæ & puritatis, qua in Resurrectione induti sunt, studenti illibatam conservare. Si prioris peccati ad ostium pulset tentatio, respondent cum Sponsa: *Expoliavi me tunica mea* (tunica veteris Adam) *quomodo* iterum *induar illa? Lavi pedes meos quomodo* iterum *inquinabo illos?* Quam deplorandi ergò, qui statim ut sus, redeunt ad volutabrum & lutum, ut canes ad vomitum, qui cùm tam benignè susceptí fuerint à Domino, stola prima & annulo ornati, ac dimissi ad sacrum Divinitatis epulum, nihilominus ornatum hunc Patris rejiciunt, fœdam & porcariam peccati vestem iterum induunt, siliquas & porcos repetunt? Heu qualis ingratitudo, qualis injuria tanti Patris! Cant. 5. 3.

Exhortatio moralis pro die Paschatis.

Attendite hoc animæ vagæ, inconstantes, instabiles, quæ ad primum tentationis occursum, ad primum lenocinantis voluptatis sensum, captivum statim iterùm traditis consensum; ad vitiorum semitam, quam deserere proposueratis, lubrico vestigio statim recidistis; Deo vestro ingratæ, dum gratiam susceptam evomitis, & Deum hospitem ejicitis.

Bernard. serm. de Resurr.

Plangit vos Bernardus, & injuriam, quam solemnitati Resurrectionis Christi infertis. Proh dolor, inquit, Resurrectio Salvatoris facta est peccandi tempus, terminus recidendi. Ex hoc nempe commessationes, & ebrietates redeunt, cubilia & impudicitiæ repetuntur, & laxantur concupiscentiis fræna, quasi ad hoc surrexerit Christus, & non magis ob justificationem nostram. Sic honoratis miseri Christum, quem suscepistis, venienti paratis hospitium, confirentes cum gemitu, & ecce susceptum proditis inimicis. Imò exire compellitis, priores nequitias admittendo; quasi minus deberetis præsenti, quam venturo; & minus reverentiæ exigeret Resurrectionis tempus, quam Passionis: ex sola ergò consuetudine temporis, & simulatione quadam humiliatio vestra processit. Propter hoc, ut ait Apostolus: *Multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* Propter hoc multa in diversis regionibus hominum mortalitas, specialiter his diebus. Ita Bernardus.

Obsecro & ego vos per ipsam Dei misericordiam, per sacrum Corpus quod suscepistis, & Sanguinem cujus participes estis, & per ipsam Resurrectionem Domini, cujus consortes esse cupitis, in novitate vitæ ambulate, puritatem, quam in Sacramento adepti estis, conservate, nec maculate vestem, quam in sanguine Agni lavastis. State ergò, & nolite iterum subdi jugo peccati, jugo servitutis diabolicæ, quod excussistis.

Thesaurum gratiæ, quem tempore Quadragesimæ ultimis ejus diebus collegistis, & thesaurum bonorum operum, nolite per peccatorum iterationem disperdere.

Idolum Dagon, idolum peccati, quod coram arca cecidit in templo interiori animæ vestræ, ne iterum erigite. Pulveres Sodomæ à vento gratiæ dispersos, ne recolligite. Denique, nolite contra

Digitized by Google

Præceptum Domini muros Jericho reædificare, hoc eſt, civitatem diaboli peccata peccatis addendo, iterum in vobis exigere: ſcientes quia maledictus qui reædidcavit muros Jericho. Sed operum lapides pretioſos fundamento pretioſo, quod eſt in vobis Chriſtus Jeſus ſuperædificate, ut creſcat ædificium uſque in diem Chriſti Jeſu, in quo Reſurrectionis ejus participes eritis & gloriæ.

LECTIO XXVI.

DE APPARITIONIBUS CHRISTI Reſurgentis.

DE PRIMA APPARITIONE.

I. Apparitio Chriſti facta eſt Virgini Matri.

Prima Apparitio fuit facta Virgini Matri.

PRimò, quia hoc poſcebat dignitas & merita tantæ Matris. *Secundò* conveniens erat, ut prima eſſet conſors conſolationis, quæ conſors fuerat dolorum & Crucis.

Cant. 4. 6 Ita docent SS. Patr. Pſal. 56. 9.

Hinc Chriſtus apparens Virgini, dicere poterat illud: *Vadam ad montem myrrhæ, ad collem thuris.* Virgo mons myrrhæ, quia amaritudine repleta erat; ipſa quoque collis thuris, quæ in oratione cor ſuum effundebat. Fortè illis verbis utebatur: *Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara*, ut me ditantur aliqui Sancti Patres. Cùm Samſon in ore Leonis inveniſſet favum mellis, primò Matri partem dedit. Chriſtus ex ore Leonis infernalis, quem in Cruce extenſis manibus interemerat, favum mellis abſtraxit, cùm plebem illam ſuam è faucibus diaboli eripuit, illa enim facta eſt ei ſuavis ut mel. Hujus ergò lætitiæ Matrem primò facit conſciam, *apparens ei non ad confirmationē dubii, ſed ad conſolationem gaudii*, inquit Bernardus, illa quæ plus omnibus doluit, citiùs conſolationem accepit. Illa plus omnibus meruit, quia in fide non defecit, de qua dicitur in perſona mulieris fortis: *Non extinguetur in nocte lucerna ejus*; quia immobile fuit in ipſa fidei lumen, cujus nunc primum præmium eſt, viſio Chriſti reſurgentis. Viderat eum *Filium doloris*, nunc contemplatur a Patre vocatum, *Filium dextræ & gaudii*. Quis poteſt ejus gaudium exphcare, quæ tanto fervebat amore & deſiderio videndi Filium, & cum ipſo totum mundum reſuſcitatum.

Figura. Jud. 14. 8. S. Bern. Prov. 31. 18.

Si tantopere admiratur Jacob, cùm audit Joſeph vivere & dominari Ægypto, ut quaſi evigilans de ſomno dixerit: *Sufficit mihi, ſi adhuc Ioſeph filius meus vivit, vadam, & videbo Filium meum antequam moriar.* Quantum gaudium concepit cor Virginis, cum videt Filium vivere, & toti orbi dominari, & in tanto ſplendore reſurgere? Cor ejus unitum cordi filii per ſpecialiſſimum amorem, plurimum doloris circa Crucem ſuſtinuerat: Dicit enim Bonaventura, quod dolores omnes per corpus Chriſti diffuſi, in corde Virginis quodammodò fuerint uniti, adeò ut cor ejus poſſet dici crucifixum, ſpinis coronatum, clavis perfoſſum, lancea tranſfixum. Nunc ergò nunciante filio ſuam Reſurrectionem, & in ſplendore ei apparente, quàm lætum fuit cor ejus? Quantò jubilationis ſenſu exultavit, in hac die quam fecit Dominus? Verè poterat dicere cum Sponſa; *Anima mea liquefacta eſt, ut Dilectus locutus eſt.* In ſignificationem hujus primæ Apparitionis, in Romana Eccleſia Pontifex in die Paſchæ ad S. Mariam Majorem primam facit ſtationem. Et tota Eccleſia in ſignificationem gaudii ejus ei hoc tempore decantat, *Regina Cœli lætare, alleluja.* Quem hymnum ab Angelis uſurpatum edoctus fuit D. Gregorius. Cum enim in graviſſima peſte Romæ, B. Virginis imaginem (quæ aſſeritur à Luca depicta) ſolemni cum proceſſione per urbem circumferret, Angeli auditi ſunt è cœlo canere; *Regina cœli lætare, &c.* Cui cum Clero adjunxit Gregorius; *Ora pro nobis Deum alleluja*; lueſque ſedata eſt, & aeris ſerenitas refulſit. Unde & viſus eſt Angelus ſuper Caſtrum (quod ex tunc vocatur S. Angeli) gladium evaginatum & cruentum recondere.

Sigon li. 1. de Regno Ital.

Sed dices: Marcus dicit primò apparuiſſe Magdalenæ. Reſpondeo illum loqui de illis, de quibus poterat dubitari, & de illis qui de Reſurrectione dubitabant, & propterea ad monumentum iverant. Secundò reſpondet Rupertus; Chriſtum primò elegiſſe Magdalenam ut teſtem Reſurrectionis, Mater autem ſecundùm leges non numeratur inter teſtes.

Canif. l. 5. Marial.

DE SECUNDA APPARITIONE.

II. Maria Magdalena.

Secunda Apparitio facta eſt Magdalenæ.

ILlam quæ maximo flagrabat amore dignatus eſt Dominus ſua oſtenſione. De qua ſic dicit D. Gregorius: *Conſideremus hujus mulieris mentem, quanta vis amoris aſcenderat, quæ diſcipulis recedentibus non recedebat. Flebat inquirendo & amoris ſui igne ſuccenſa, ejus quem amabat, ardebat deſiderio, nec amanti ſemel aſpexiſſe ſufficit, quia vis amoris intentionem multiplicat inquiſitionis.* Ita ille. Si ergò interroges quid ploras Magdalena? Reſpondere tibi poterit: *Idcirco ego plorans & oculus meus deducens aquas, quia longè factus eſt à me Conſolator convertens animam meam.* Meruerunt ergo lacrymæ ejus hanc prærogativam in Chriſti Reſurrectione. Unde nota quatuor genera lachrymarum Magdalenam fudiſſe, & ſemper aliquid ſpeciale meruiſſe. *Primò* fudit lachrymas compunctionis ad pedes Domini, & meruit peccatorum remiſſionem. *Secundò* fudit lachrymas compaſſionis ſuper Lazarum fratrem, & meruit ejus reſuſcitationem, ut enim vidit Mariam plorantem, dixit, *Vbi poſuiſtis eum. Tertiò*, fudit lachrymas doloris ſequens Chriſtum ad Crucem; & meruit amplam participationem meritorum Crucis & Sanguinis ejus. *Quartò* fudit lachrymas amoris ad Chriſti ſepulchrum, & meruit primæ Chriſti reſurgentis viſionem.

Joan. 20. Marc. ult. S. Greg. homil. 25. in Evang.

Tu

Digitized by Google

Tu quoque si vis impetrare peccatorum remissionem, funde lachrimas compunctionis : si conversionem animarum, funde lachrymas compassionis : si visitationes & consolationes divinas, funde lachrymas devotionis : si hæres esse cupis Crucifixi, funde cum ipso lachrymas doloris.

Nota quoque quod cum vidisset Maria Dominum, voluit apprehendere pedes ejus, ad deosculandum, sed responsum est ei: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem.* Hujus Scripturæ hic sensus est, Noli in contactu meo morari, aut in osculis pedum meorum; poteris enim id postea : quia adhuc conversabor in terris, & necdum ascendi, sivè ascendo, aut discedo. Propera ergò ad alias mulieres & Apostolos & dic illis me resurrexisse, & brevi ascensurum, sed tamen anteà me ab eis videndum.

Bannes 1. p. q. 4. art. 10. dub. 6. Suarez, & alii.

Epiphan. hæres. 26.

Secundò moraliter Epiphanius dicit, Christum ob exemplum purissimæ castitatis non permisisse à Maria sola se tangi, paulò post in præsentia mulierum id permisit.

Rupt. l. 14. in Joan. vit. & Chrysol. serm. 75.

Tertiò Rupertus dicit, hic Mariam gessisse personam Ecclesiæ ex Gentibus congregandæ, quæ non contactu corporali uti Judæi, sed spirituali post ascensum Christi ad Christum erat perventura, hoc est, per ipsam fidem,

Illud interim hic non est prætereundum, quod Maria libenter ad pedes Domini, & in ejus osculis immoratur, quia scilicet omne solatium ibi invenerat, & quicquid optari poterat. 1. Invenit ad pedes Domini gratiam & remissionem in domo Pharisæi. 2. Invenit ad pedes Domini omnem cœlestem dulcedinem, Martha ministrante. 3. Ad pedes Domini stetit juxtà Crucem, ut posset gloriari se dolorum ejus esse consortem. 4. Totam vitam suam postea peregit ad pedes Domini in antro suo. 5. Nunc ad pedes resurgentis cupit immorari, & osculis ac lachrymis iterum rigare, sed noluit Dominus ob dictas rationes ; & ideò manu frontem ejus sic tetigit, ut vestigia digitorum ejus remanserint.

Sylvest. in rosa aurea.

Undè refert Sylvester, Anno 1497. devotionis gratia antrum, in quo pœnituit Magdalena, & sacras Reliquias apud S. Maximinum visitavi, & ostensum est mihi pluries sacrum ejus caput grandè valdè, & totum undique usque ad os denudatum, exceptâ eâ parte frontis, quam Salvator tetigit : ibi enim pellis ad instar Æthiopissæ seu cadaveris antiqui latè apparet, & in pelle duæ fossæ duarum extremitatum digitorum, quarum altera est multò evidentior & profundior altera, & sub pelle citro ad albedinem declinans. Ita ille.

DE TERTIA APPARITIONE.

III. Mulieribus cum Magdalena.

Apparitio tertia facta est Mulieribus cum Magdalena.

ASsecuta est illa alias mulieres dubias & fluctuantes, & ibi iterum cum illis Christum videt, tangit, adorat. Hoc ergò meruerunt illæ Mulieres amore & diligentiâ suâ, desidenoque obsequendi Christo, dum aromata præparant, dum summo diluculo surgunt ad quærendum Dominum.

Tu quoque consurge diluculo, in principio vigiliarum effunde cor tuum, & invenies Dominum. *Qui manè*, inquit, *vigilant ad me, invenient me, & qui invenerint, invenient vitam, & hauriet salutem.* Manè quoq; vigilant, qui in initio adolescentiæ, in ætatis flore, vigilanter viam sapientiæ & salutis quærunt, & à passionibus ætatis illius lubricæ libentur, merito ipsius Domini eis per auxilium gratiæ apparentis, & deducentis eos in viam rectam.

Bernard. serm. de Pasch.

Porrò de his mulieribus ad ungendum venientibus, dicit Bernard. cum unctione spirituali eas reversas esse : *Reverà unctæ remeant, quæ unctura venerant. Quidni unctæ, tam lato nuncio novæ & admirandæ Resurrectionis ? Quàm speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona ? Missa ab Angelo, opus faciunt Evangelistæ, factaque Apostola Apostolorum, dum festinant ad annunciandum manè misericordiam Domini, dicunt. In odorem unguentorum tuorum currimus.* Ita Bernardus.

Advertendum hic, Mariam ter voluisse ungere Dominum, semel pedes, semel caput, nunc veniebat ad unguendum Corpus. *Primò*, qui cupit eam imitari, præparet unguentum compunctionis, ad unguendum pedes ejus, quod componitur ex recordatione peccatorum. *Secundò*, præparet unguentum pietatis, ad ungendum Caput ejus, quod est divinitas, & hoc componitur ex recordatione beneficiorum ejus. *Tertiò*, præparet & unguentum compassionis, ad ungendum ejus Corpus & membra, quæ sunt ipsi fideles, & hoc componitur ex misericordiæ operibus. Qui id fecerit, merebitur quoque unctionem interiorem ab ipso Christo, qua trahatur in odorem unguentorum ejus.

Notant quoque hic SS. Patres Christum Mulieribus apparuisse; ut fœmina, quæ primò nuncium mortis ad hominem detulerat, primò etiam vitam resurgentis Christi ad gloriam nunciaret. Hinc Cyrillus: *Fœmina quæ quondam fuit mortis ministra, Resurrectionis mysterium prima percipit & nunciat : adeptum est igitur fœmineum genus & ignominiæ absolutionem, & maledictionis repudium.* Ita ille.

Cyril. l. 12 in Joan. c. 52.

DE QUARTA APPARITIONE.

IV. Petro.

Apparitio quarta facta fuit Petro.

IPse primus inter viros resurgentem vidit, quamvis quo loco, & quandò id fuerit, Evangelistæ non significent. Ostenditur tamen spelunca propè Jerusalem, in qua peccatum flevit, & ibi ei Christus apparuisse putatur. Dicit verò Nazianzenus, Virginem juxta Crucem pro Petro orasse. Undè introducit Christum ei respondentem.

Luc. 24.

Nazianz. in carm. de Christo patiente.

Jubeo nihil te hic moxiam, ô Virgo Parens.
Condamo Petro, quicquid est lapsus, tua
Vel unius causâ.

Digitized by Google

Fuit verò ſpecialis ratio apparendi Petro, ſicut & ſpecialiter Angeli dixerunt mulieribus : *Ite, dicite diſcipulis & Petro.* Rationem dat Gregorius, quia ſe indignum judicavit Apoſtolatu, cum ter negavit Magiſtrum, ſi Angelus nominatim non exprimeret, venire inter diſcipulos non auderet, vocatur ergo ex nomine, ne deſperatet ex negatione.

Marc. 16.

Greg. in homil. Paſch.

Secundò ratio ſpecialis fuit, quia primus confeſſus fuerat Chriſtum, & ipſe erat Eccleſiæ Caput à Chriſto conſtitutus, ideoque hoc primum myſterium fidei ſpecialiter ei manifeſtari decuit, ut ejus notitia ab eo tanquam capite in cætera membra diffunderetur. Confeſsio ergo Petri, dignitas Pontificalis, lachrymæ contritionis, humilitas ſatisfactionis, hanc meruit apparitionem conſolatoriam, per quam etiam certior factus eſt a Chriſto, de peccati ſui remiſsione. Adverte, licèt de hac certus eſſet, non tamen omiſit tota vita illud deflere. Refert B. Clemens, quotidie ad cantum galli excitatum, lachrymis rigaſſe genas, adeo ut in facie decurrentium lachrymarum veſtigia remanſerint : auſteramque duxiſſe totam vitam in jejuniis, nonniſi panem & olivas comedendo, & pro deliciis aliquando herbas & legumina.

V. Ribad. in vita S. Petri.

Attende hæc, ô homo, qui poſt centena, eaque graviſſima peccata, poſt atidum dolorem & frigidam confeſſionem, ſtatim de illis quaſi ſecurus agis, neſciens quòd Scriptura dicit : *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu.* Docet te Petrus non ſtatim poſt confeſſionem peccatum velut remiſſum oblivioni tradere, cum ſecuritate ; ſed ſæpiùs illud in amaritudine animæ recogitare, & pro illo ſatisfacere.

Eccle. 5. 5.

DE QUINTA APPARITIONE.

Quinta apparitio facta eſt duobus euntibus in Emaus.

V. Euntibus in Emaus.

Luc. 24.

HIs Chriſtus apparet in forma Peregrini, ut talem ſe iis exhiberet exterius in ſpecie, qualis erat in eorum mente : & talem foris in oculis corporis, qualis apud eos erat in oculis cordis. In cordibus enim eorum peregrinus erat a fide.

Sed & verè Peregrinus ſemper Dominus in hoc mundo. Peregrinus in Hieruſalem, ipſe enim de ſupernis venit tanquam Peregrinus pro nobis triginta tribus annis. Primò venit in Nazareth, poſtea in Bethleem, deinde ſeptem annis in Ægypto peregrinatus, redivit in Jeruſalem. Quadraginta diebus in deſerto quoque peregrinatus fuit, & tribus annis per vicos & caſtella, non habens domum, nec ubi caput reclinaret. Ut tandem finiret peregrinationem, aſcendit in montem Calvariæ, de illo monte deſcendit ad tumulum, de tumulo ad limbum, de limbo iterum venit in hunc mundum, ubi duobus hic diſcipulis ſe exhibet peregrinum : Ut jam verum ſit de illo : *Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.*

Pſal. 68. 9.

Utinam non moniti ſint, qui in die Reſurrectionis eum adhuc tanquam peregrinum & hoſpitem apud ſe ſuſcipiant, & ſtatim poſt hoſpitium unius aut alterius diei, quem in corde ſuſceperant, cum omnibus gratiæ donis, quæ artulerat, per peccatum expellant.

Similes hi Judæis, qui poſtquam eum cum gaudio & palmis ſuſceperunt, clamantes: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, poſt quinque dies cum ignominia expulerunt & crucifixerunt. Potius ergò ſupplicitet eum rogare oportet, cum his diſcipulis: *Mane nobiſcum Domine*; imò & cogere oportet per ſupplices preces, ut maneat uſque ad illum diem, quo Sol debet nobis tenebreſcere, & lux hæc finiri, donec illuceſcat lucidus ille æternitatis dies.

Porrò aberrabant hi diſcipuli dubii in fide diſperſi ſicut *Oves* in die nubis & caliginis, *eò quòd non eſſet Paſtor*, ut dixit Propheta : ſed ecce nunc requirit eas, ut ad ovile reducat, ut fidem in eis confirmet, juxta id, quod apud eundem Prophetam promiſerat : *Viſitabo oves meas, & liberabo eas, ſicut viſitat paſtor gregem in die quando fuerit in medio ovium ſuarum diſſipatarum.* Ut ergo reducat eos ad fidem: Primò appropinquans eis jacit in corda eorum initialem quendam radium lucis ſuæ, quo ardens erat cor eorum, dum de illo loquuntur. Deinde increpans eos & arguens tardi cordis, illuminat explicatione Scripturarum.

Ezech. 34. 5.

Ibid. v. 12.

O, inquit, *ſtulti & tardi corde ad credendum!* Verè ipſi tardi corde erant, quibus tam ſæpe & tam explicatè propoſuerat hoc myſterium, dicens, ſe debere mori, & tertia die reſurgere, & afferens exemplum Jonæ. Item alibi dixerat: *Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & Filius hominis tradetur*, flagellabitur, occidetur, *& tertia die reſurget.* Subdit verò Scriptura: *Ipſi nihil horum intellexerunt.* Quomodò non intellexerunt? At non intelligunt, quid ſit flagellari, crucifigi, occidi? Quid ſit reſurgere, & quidem tertia die? Quid clarius? Sed ſingula hæc quidem per ſe ſatis intelligere poterant. Verum omnia ſimul parabolicè videntur eis dicta, quia non ſatis aſſequuntur, quomodo is, qui verè Filius Dei erat, vere Deus, & qui tanta opera exhibebat, imò, qui ipſa Vita erat, crucifigeretur & moreretur. Et ideò dum mortuum vident, quaſi de homine puro & infirmo vacillant, non ſatis fumè apprehendentes, quòd qui mortuus fuit ex infirmitate, vivat ex virtute. Ergò ipſi quidem ſpeculativè, ut ſolemus dicere, hæc omnia à Chriſto dicta aliquantum confidebant; ſed practicè hærent & vacillant, nec ſatis ea intelligunt, dum quæ infirmitatis ſunt, cum poteſtate Divinitatis conjungunt. Similes pueris, qui dum legere diſcunt, characteres feré ſingulos agnoſcunt, ſed cùm conjungendi ſunt, hærent. Exempli gratia: Noverunt quid ſit D, quid E, quid V, quid S; & tamen neſciunt inde conſtitui vocem DEVS, ideoque hærent, dum recolligere debent hos characteres. Sic diſcipuli hærebant, neſcientes conjungere ſublimia Divinitatis facta in Chriſto, cum humilitate mortis.

Matth. 20. 18.

Sic

Digitized by Google

Sic & nos tardi sumus corde in multis, quæ nostram concernunt salutem, credimus quidem ea speculativè loquendo, practicè verò quasi non credentes nos exhibemus. Si enim agatur de peccati gravitate, de judicii severitate, de morte aut inferno, sumus quasi horum nihil intelligentes, licèt credere nos dicamus.

Hic verò duobus discipulis postquam amoris flammas in cordibus excitavit, & per Scripturarum oracula, mentes eorum illuminavit, apertius se manifestat in fractione panis, dum eum ex charitate velut cogunt suo uti hospitio. Nempè ad demonstrandum hospitalitatis meritum, voluit, ut per hanc jam agnoscerent eum, quem loquentem plenè non agnoverant, ut docent sancti Patres. Sicut & per hanc meruerunt aliqui Angelos latenter recipere
Heb.13.2. hospitio, ut dicit Paulus, qui & ideò Deo placuerunt. Sic Abraham, sic Loth, sic & D. Gregorius meruit ipsum Dominum Angelorum inter pauperes recipere. Unde in primitiva Ecclesia maximè viguit hospitalitas, ita ut Tertullianus hæc tria numeret Catholicæ fidei & Communicationis symbola,
Tertull. scilicet: *Communicationem pacis, Appellationem fraternitatis, Contesserationem hospitalitatis.* Ubi intelligit certum aliquod signum quasi tesseram Christianitimi, quod qui afferebat, ubilibet à Christianis, quasi amicus & frater hospitio excipiebatur, immò & in via deducebatur. Hoc signum cùm adulterassent hæretici, à Catholicis sæpè mutatum est, ac tandem commistim literis, quas Patres in Concilio
Concil. Niceno finxerunt, & nominarunt formatas.
Nicen.

Cognoverunt verò isti Dominum in fractione panis, inquit Lucas. Hinc fractionem panis dixerunt aliqui fuisse Communionem ipsius Sacramenti Eucharistici, & Corporis Christi, sicut sub specie panis in ultima Cœna illud porrexerat, eo quod idem Christus dicatur fecisse quod in ultima Cœna. Verùm alii probabiliùs putant, non hic fuisse Eucharistiæ Sacramentum, sed tamen actionem hanc Christi mysticam fuisse, & illam sacri Corporis dispensationem sub specie panis tantùm significasse, talique actione Christum eam commendasse, sicut simili actione eam commendaverat in multiplicatione panum. Ideoque in hoc prævio mysterio voluit etiam Dominus significare vim Eucharistiæ susceptæ: nempe quòd per eam oculi hominum illuminantur ad cognitionem Jesu, sicut hic illuminati sunt discipuli in hac vera, sed & mystica fractione panis. Ita Theophilactus, & alii. Imò alrqui hinc colligunt, insinuatum hic fuisse usum Eucharistiæ sub sola panis specie, cùm calicis non fiat mentio; & statim facto pane dicitur evanuisse ex oculis eorum. Aperti verò dicuntur oculi eorum, tum interiores, quia agnoverunt, quod prius ignorabant, tum exteriores quoad visionem veræ figuræ Christi; ex qua eum agnoscere potuerunt, remoto impedimento, quo oculi eorum tenebantur.

DE SEXTA APPARITIONE.

Apparitio extra facta fuit Apostolis undecim. *VI. Apostolis undecim.*

FActa autem fuit in illo cœnaculo, ubi laverat pedes eorum, ubi corporis & sanguinis sui participes eos effecerat. Ibi & Spiritum sanctum postea acceperunt, & ex illo loco tanquam monte Domini ab eo specialiter electo, exivit lex nova, & verbum prædicationis in universum orbem.

De quo possumus interpretari illud Isaiæ: *Venite,* Isa. 2.3. *ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem:* Ascendamus ergo & nos ad hunc montem, quem Dominus tot miraculis honoravit, quem elegit, quem dilexit. De quo etiam dici potest: *Videbitur Deus Deorum in Sion,* quia ibi se videndum præbuit sæpius Apostolis post Resurrectionem, in corpore gloria vestito; & ibi cœpit Ecclesia nova Christi agnosci, Spiritu sancto illuc descendente.

Ibi ergò erant discipuli in terrore, omnes enim perdiderant fidem, vacillantes de Domini Resurrectione. Omnes exceptâ Virgine lumen fidei amisisse significat Ecclesia, in officio hebdomadæ sanctæ, ubi quindecim candelæ extinguuntur, exceptâ unâ, quæ finaliter accensa manet. Indicat hoc undecim Apostolos, cum tribus mulieribus, lucem fidei perdidisse, & in sola Virgine permansisse, de qua verum fuit: *Non extinguetur in nocte lucerna ejus.* His ergò Prov.ult. congregatis affuit Christus in medio, licèt fores 18. essent clausæ, quia sicut per Virginem incorruptam exivit de utero, & per lapidem immotum de sepulchro: Ita potuit intrare ad discipulos sine impedimento; quia nihil potest glorioſum corpus impedire ad transeundum: *Steit verò in medio,* idque multis de causis: 1. Tanquam Pastor in medio ovium, eas congregans. 2. Tanquam dux in medio militum, eos animans. 3. Tanquam Sol in medio stellarum, eas illuminans. 4. Tanquam cor in medio membrorum, illa vivificans. 5. Tanquam arbor vitæ in medio Paradisi inter electas arbores. 6. Tanquam candelabrum in medio domus fulgens, & omnem pellens caliginem. 7. Tanquam columna in medio ædificii sui novi, illud sustentans. Hoc est in medio Ecclesiæ, quæ ex Apostolis constabat, in fide illam roborans.

Habet verò emphasim, quòd stetisse dicitur, nam illa vox *Steit*, rectè designat resurrectionem. Ante resurrectionem, cùm onus peccatorum nostrorum assumpsisset, modò in præsepio jacens describitur, modò sedens lassus apud puteum, modò prostratus facie in terram in montibus orans, modò curvatus clamans ad Patrem, ut in horto, modo depressus sub onere crucis ascendens Calvariam, & in ipsa cruce capite demisso describitur spiritum emittens. Omnis hic situs corporis designat onus peccatorum nostrorum quo premitur: Hunc autem excusso onere per resurrectionem (quia

(quia demerſit ea in profundum ſanguinis ſui) rectè dicitur ſtetiſſe in medio. Hinc Eccleſia in memoriam Reſurrectionis Chriſti, & ob ſpem noſtræ reſurrectionis, toto tempore paſchali orans non flectit genua, ſicut alio tempore, ſed ſtans orat. Quod etiam advertit Beda, dicens, id fieri exemplo mulierum & Apoſtolorum. *Sancta*, inquit, *mulieres — tribus ſibi Angelis, non in terram cecidiſſe, ſed vultum dicuntur in terram declinaſſe. Nec quempiam Sanctorum legimus tempore Dominicæ Reſurrectionis vel ipſo Domino, vel Angelis viſis terræ proſtratum adoraſſe. Ideò ergò fit, ut non flexis genibus tunc, ſed declinatis in terram vultibus oremus.* Ita ille.

Beda citatus à D. Thoma in Catena.

Apparens verò Chriſtus, dixit diſcipulis, *Pax vobis.* Utique ejus anima velut columba rediens ad arcam, ad corpus ſuum, ramum ferit olivæ, pacis ſymbolum, poſt tam aſperum bellum, poſt tot fluctus inundantes, qui Noë cum filiis ſuis, Petrum cum diſcipulis agitarant. Nempè pacis amator Chriſtus, in Nativitate pacem nunciat, progreſſu vitæ confirmat, in morte teſtamento pacem legat, in Cruce illam ſanguine ſuo ſignat, & in Reſurrectione noviter ad ſuos egrediens, eam adhuc annunciat tanquam ſignum quo dignoſcatur. Unde & hæc ſalutatio ſolemnis erat Chriſtianis, ſolebant enim ante ſacram Synaxin amico amplexu ſe ſalutare, dicendo, *Pax tecum*, eratque communicaturis reconciliationis & remiſſionis omnis injuriæ, puræque charitatis ſymbolum. Huic poſtea ſucceſſit oſculum tabellæ pacis in ſacrificio.

V. Baron. anno 45.

Familiaris etiam fuit Chriſtianis ſalutatio per hanc vocem, *Deo gratias*, ut docet Auguſtin. *Nam quid melius*, inquit, *& animo feramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quàm Deo gratias? hoc nec dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi grandius, nec agi fructuoſius poteſt.*

Auguſt. epiſt. 77.

Præmiſſa itaque hac ſalutatione, oſtendit eis manus & latus. Jam ſupra diximus, cur in latere & manibus cicatrices reſervavit. Hic ergò ſolùm annotabimus, quomodo Chriſtus, quia Reſurrectio ejus erat primum fidei fundamentum, illam omnibus modis voluit certam reddere, & quoad omnes ſenſus, & quoad omnis generis, & conditionis teſtes.

Quantùm ergò ad teſtes, ex omni ſexu & conditione elegit. *Primò* è cælo Angelos, qui cum teſtari ſunt mulieribus. *Secundò* ex inferno ſanctos Patres, qui reſumptis corporibus apparuerunt multis. *Tertiò* è terra elegit mulieres, ne quis ſexus deeſſet. *Quartò* elegit Apoſtolos, quos per univerſum orbem deſtinat Reſurrectionis hujus teſtes irrefragabiles. *Quintò* elegit & ipſos ſuos hoſtes. Reſurrectionem enim Chriſti teſtari ſunt ipſi milites apud Phariſæos, & Pontifices: *ſed avaritia, qua captivavit diſcipulum comitem Chriſti, captivavit & militem cuſtodem ſepulchri.* Inter hos, dicit Metaphraſtes, Longinum fuiſſe, cui etiam cuſtodia ſepulchri commiſſa fuerat, nec recuſavit, licèt non eſſet ejuſdem cum Pilato ſententiæ. Sed ipſe teſtis Reſurrectionis, lingua & libera mente, Chriſtum verum Deum eſſe, & è mortuis ſuſcitatum affirmavit; ita ut Judæorum Principes in eum furorem, & invidiam conceperint. Quapropter magis volens abjici cum Chriſto, quàm habitare in tabernaculis Judæorum, cum veſte & cingulo dignitatis ipſum quoque exuit militiam, & acceptis duobus militibus, qui habebant eundem zelum pro Chriſto, & veritate, poſt Chriſti Aſcenſionem venit in Cappadociam, Præco ſimul, & Apoſtolus Chriſti; ubi poſt multa tormenta cum ſociis ſuis, capite plexus eſt. *Ita Metaphraſtes. Sextò*, ipſa terra teſtis fuit ſufficiens concuſſione, & tremore ſuo. *Ultimò* Moyſen, & Prophetas in teſtimonium adduxit Chriſtus, interpretans diſcipulis verba eorum; non ſolùm vivos, ſed & mortuos teſtes habere volens.

Teſtes Reſurrectionis Chriſti.

Quantum ad ſenſus corporis, per omnes etiam Reſurrectio confirmata eſt. *Primò* Reſurrectionis fidem confirmavit, per auditum, cùm dixit: *Pax vobis, ego ſum. Secundò* per viſum, oſtendens eis manus & latus. *Tertiò* per guſtum, manducans cum eis piſcem aſſum, & favum mellis. *Quarto* per tactum, *Infer digitum tuum huc*, &c. *Quintò* per olfactum, cum in diſcipulos inſufflavit, quem flatum valde odoriferum fuiſſe, ab illo pectore omnibus chariſmatibus referto, poſſumus exiſtimare.

Joan. 20. 27.

Inſufflavit verò Chriſtus in Apoſtolos, dans eis Spiritum S. ut ſignificaret naturam Spiritus S. qui procedit, ut flatus divinus ex ſpiratione Patris & Filii: ſic ergo ſignificavit, illum etiam à ſe procedere, inquit Auguſt. Item ut ſignificaret, ſe illum eſſe, qui primo homini inſpiravit ſpiraculum vitæ, inquit Cyrillus. Denique ſe illum eſſe, qui per Spiritum S. efflat peccatum, & inflat gratiam ſuam, inquit Baſilius. Porrò in hac apparitione non aderat Thomas. Unde in octavo die iterum apparuit diſcipulis, & Thomæ, cui exhibuit manus & latus ad ejus ſanandam infidelitatem. Ubi adverte, quantum Deus faciat pro una anima, ut ei ſuccurrat, quandoquidem qui ſe exhibuerat aliis Apoſtolis, idem & nunc faciat ad ſanandum vulnus, & infidelitatem unius. Quia ſicut non ſolum pro omnibus, ſed & pro ſingulis mortuus eſt; ita & reſurrexit, ut ex hoc non detrectet, quilibet animarum curam habens, vel pro unica anima totum ſe impendere, nec enim in vanum laboravit, ſi uni animæ ſuccurrerit. Hoc interim habet fructus Thomæ infidelitas; quòd magis profuerit Eccleſiæ ad fidem, quam fides credentium; quia dum ille palpando reducitur, noſtra mens omni dubitatione poſtpoſitâ in fide ſolidatur, inquit D. Gregorius.

Auguſt. Cyrill. in Joan. Baſil. *In hac apparitione abfuit Thomas.*

S. Greg. *Thomæ abſenti etiam data fuit poteſtas remittendi peccata.*

Sed quæres: Si Thomas aberat in altera illa apparitione, quomodo accepit Spiritum S. aut poteſtatem remittendi peccata, quæ tunc data fuit? Nec enim de ea mentio fit, cùm Thomæ apparuit, nec alibi. Reſpondeo, etiam Thomæ abſenti, juxta Cyrillum, à Chriſto inſpiratum fuiſſe Spiritum S.

& hanc

Digitized by Google

& hanc potestatem. Sic & olim cùm Deus spiritum Moysis divisit in septuaginta seniores de Israël, licèt duo, *quorum unus vocabatur Eldad, alter Medad,* Num. 11. 26. & 27. remanserint in castris, nec convenerint ad ostium tabernaculi fœderis cum aliis, tamen super eos absentes requievit spiritus Moysis; adeò ut in castris prophetarent, quia & ipsi descripti fuerant, inquit Scriptura: Idem ergo dicemus de Thoma, qui etiam absens hunc spiritum accepit, & Apostolus, sive Vicarius Christi, Orbis Doctor, cum aliis hic fuit institutus. Illis enim verbis, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos,* docent sancti Patres, Apostolos accepisse Christi officium & authoritatem; omnem scilicet potestatem Ecclesiasticam, & consequenter eos hisce verbis creatos esse Episcopos. Unde hujus Scripturæ varius est sensus. Joan. 20. 21.

Primò: Sicut Deus Pater misit me, ita & ego, qui sum illi æqualis Deus, vos mitto. Et sic significatur similitudo ex parte principii & potestatis mittentis, ut insinuetur Divinitas & auctoritas Christi, dum se Patri æquat in mittendo.

Secundò: significari potest similitudo ex parte finis, ut sit sensus, *Ego mitto vos,* ut vestra prædicatione & vita, gloriam Patris, & hominum salutem promoveatis; sicut & Pater misit me ad eundem finem, propter suam scilicet gloriam & hominum salutem, quam indefessè quæsivi.

Tertiò: significari potest similitudo ex parte mediorum, ut sit sensus: *Sicut misit me Pater,* ut omnibus doctrinam traderem, & illam miraculis confirmarem: ita & ego mitto vos, cum eadem potestate miraculorum & doctrinæ. Et sicut Pater misit me inter pericula, & inter cruces, ut doctrinam meam per sanguinem meum confirmarem; ita & ego inter persecutiones vos mitto, ut sanguine vestro doctrinam & fidem, & amorem erga me testatum relinquatis, quo ergò amore misit me Pater, eodem & mitto vos.

Quartò: ne significetur similitudo in officio, ut sit sensus: Quandoquidem ego perfectus mea legatione, Patrem repeto, à quo missus sum; ita & ego hanc vobis committo legationem, similemque potestatem, & authoritatem ad regendam Ecclesiam, ut sitis ejus Doctores & Pastores, meique Vicarii, habentes potestatem peccata remittendi, unde ad hunc effectum vobis Spiritum meum tribuo.

Per hæc ergò verba, Christus in Apostolis Sacerdotalem perfecit ordinem & potestatem: nam licèt fuerint creati Sacerdotes in illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem,* tamen tunc acceperunt tantùm potestatem consecrandi. Hic verò accipiunt potestatem simul remittendi peccata, sunt enim hæ potestates disparatæ, & dividi possunt; sicut in ordinatione Sacerdotum, alia & alia forma, istæ potestates seorsim etiam nunc dantur. 1. Cor. 11. 24.

DE ALIS APPARITIONIBUS.

SEptima apparitio fuit, quando Thomæ apparuit. *VII. Thomæ.*

Octava, quando discipulis piscantibus in mari Galilææ. *VIII. Discipulis piscantibus.*

Nona, quando in monte Galilææ plusquam quingentis fratribus. *IX. In monte Galilææ.*

Decima, quando apparuit Jacobo, ut dicit Apostolus Paulus. *X. Jacobo Apost.*

Undecima, quando apparuit Apostolis omnibus in die Ascensionis. *XI. In die Ascensionis.*

Ibi misit eos prædicare Evangelium omni creaturæ, ut essent testes in omni loco, non solùm Mortis, sed & Resurrectionis ejus; prædicantes non solùm Judæis, sed & gentibus, non solùm plebeis, sed & Regibus, & tyrannis, & Magistratibus, omnisque conditionis, sexus, nationis, hominibus Evangelium Christi, hoc enim vult dicere, cùm dicit: *Omni creaturæ.* Sic & Petrus accipit, quando dicit: *Subjecti estote omni creaturæ, sive Regi quasi præcellenti, sive ducibus quasi ab eo missis.* Dixerat ergò Christus: *Eritis mihi testes usque ad ultimum terræ,* q. d. Filii mei estis, quos adoptavi. Scholæ meæ estis discipuli, quos instruxi. Estis oves gregis mei, quos elegi. Destino vos in universum orbem, ut testimonium perhibeatis de me, qui totius vitæ meæ testes fuistis, doctrinam quam annunciavi, percepistis; exempla, quæ dedi, vidistis; opera & miracula quæ feci, agnovistis: imò contradictiones quas tuli, tormenta, contumelias, mortem, quam passus sum pro salute totius mundi, non ignoratis. Sed & vidistis Resurrectionem meam, apud vos toties testatam, & nunc Ascensionem videbitis, Spiritumque sanctum, qui in æternum vobiscum manebit, accipietis. Ite ergo, benedictionem meam Patrisque vobis impertior, simulque potestatem increpandi omnes, monendi, docendi, arguendi, cujuscunque status sint, in quacunque sublimitate positi, prædicate illis Evangelium, annunciate toti mundo hoc bonum nuncium. Quod nuncium? *Primò,* quòd Filius naturalis Dei factus sit homo, ut homo Deus fieret, & Filius Dei. *Secundò,* quòd ille mortuus sit pro omnium salute, ut omnium mortem tolleret. *Tertiò,* quòd resurrexerit, ut vitam eis repararet, & secum omnes credentes resuscitaret. *Quartò,* quòd in cœlum jam ascenderit, ut locum gloriæ eis præparet. *Quintò,* quòd Judex ipse iterum venturus sit, à Patre constitutus, ut ab omnibus vitæ rationem exposcat. *Sextò,* quòd altera supersit vita, & quidem æterna in pœnis pro malis, in gloria pro bonis. Prædicate ergò hæc, & docete universum mundum, monete, ne in his erret, sed ad Deum convertantur; peccata eis remittite, meritorum meorum participes eos efficite, arguite eos, ut vanitatem non ament, perituris bonis non se implicent, sed ad cœlestia aspirent. Dei judicium meminerint, alteramque vitam suspiciant, Luc. 16. 15. 1. Pet. 2. 13. Act. 2. 8. *Quæ prædicare debuerunt Apostoli.*

ciant. Hæc omnia continentur in his verbis: *Prædicate Evangelium omni creaturæ.*

Vltimò verò advertendum, ſæpiùs fortè Chriſtum apparuiſſe diſcipulis, quàm ſpecificet Evangelium; nam in Actis dicitur, per dies 40. apparens eis, & loquens de regno Dei; elegerat 40. circiter horas, ut mortem ſuam certam faceret, ſed 40. dies, ut Reſurrectionem ſuam, quia creditu erat difficilior. Non tamen 40. diebus voluit continuè cum illis converſari, ne occaſiò eſſet exiſtimandi, eum ad idem genus mortalis vitæ rediiſſe, inquit D. Thom. Voluit etiam paulatim diſſuefacere diſcipulos, ab aſpectu corporis, quos brevi erat relicturus, inquit Juſtin. Adde, fuiſſe id conveniens ad fidei probationem, ad ſpei & charitatis augmentum. Et hic modus accommodatus eſt ſtatui hujus vitæ, in quo non poſſunt homines continuè frui rebus divinis.

Actor. 1. 3. Quid ſit, *Loquens de Regno Dei?*

Sed quid eſt, quòd dicitur per illos dies locutus de regno Dei? *Primò* id verùm eſt, quia licèt omnis doctrina Redemptoris, durante vitâ, ad hoc tenderet, ut doceret illos & nos de regno Dei, & ad illud vocaret, & viam oſtenderet: tamen a Reſurrectione ſua clarius veriſimiliter de illo locutus fuerit, de illius magnitudine & excellentia, de viſione Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, de fruitione Divinitatis, de Angelorum conſortio, de æternitate illius manſionis. Tum, quia tunc diſcipulos relinquebat, & illuc aſcendebat, tum quia illi capaciores tunc erant ſublimis illius doctrinæ. *Secundò, Loquebatur de regno Dei*, hoc eſt, de Eccleſia, quæ ſic vocatur in Scripturis. Ipſe enim Rex ejus eſt, illam regit per Vicarios exterius, per dona & gratias interius, juſtificando, ſanctificando, deducendo ad regnum illud æternum. Loquendo ergò de hoc regno, inſtruebat eos de Hierarchia, & Ordinibus Eccleſiæ; de ſummo Primatu. Secundò inſtruebat eos numerum, formam, materiam Sacramentorum, modum ea adminiſtrandi, & Miſſæ ſacrificium offerendi. *Tertiò*, docebat eos præcepta Eccleſiæ ſervare, jejunia, feſta Sanctorum, interceſſionem, Reliquiarum ac Imaginum veneracionem, & multa ſimilia. Quia cum Eccleſia ab initio hæc ſervarit omnia, magna religione & conſtantia, rectè opinamur illa accepiſſe a Chriſto, tanquam Eccleſiæ Fundatore. *Quartò*, hic 40. diebus dicimus docuiſſe eos omnem directionem & gubernationem convenientem in Eccleſia, & multa, quæ per traditionem habemus.

Unde colligimus contra hæreticos, non omnia quæ Chriſtus Eccleſiæ propoſuit, ſcripta eſſe: quandoquidem his 40. diebus multa eis propoſuerit, quæ non extant.

LECTIO XXVII.

ARTICVLVS VI.

ASCENDIT AD COELOS, SEDET AD dexteram Dei Patris.

DE ASCENSIONE CHRISTI.

1. *Docet, Chriſtum cum Triumpho aſcendiſſe.*
2. *Docet locum, tempus, & modum Aſcenſionis ejus.*
3. *Docet, quem fructum ex ejus Aſcenſione habeamus.*

DEſcriptus fuit in ſuis prioribus articulis Chriſtus juxta tres facies Cherubim apud Ezechielem: nam Incarnatio deſcribitur in tertio articulo, juxta quam habet faciem hominis: Paſſio & mors in quarto, ubi tanquam Vitulus fuit immolatus: Reſurrectio in quinto, per quam eſt Leo de tribu Juda, qui rugiens vicit mortem, ſeipſum ſuſcitans. Nunc deſcribitur juxta faciem Aquilæ in ſublime volantis, in Aſcenſione. Sicut enim Aquila provocans pullos ſuos, & ſuper eos volitans: Sic Chriſtus nos ad volandum in ſublime, per Aſcenſionem ſuam invitat & docet. Unde proprietates Aquilæ Chriſto aſcendenti, rectè convenire docet D. Maximus. Ezech. 1. 10.

Quapropter de his Chriſti myſteriis rectè intelligitur illud Sapientis: *Tria ſunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro: Viam Aquilæ in cœlo, viam colubri ſuper terram, viam navis in medio mari, viam viri in adoleſcentula.* Sic legendum multi putant. Senſus ergò erit: Difficile eſſe cognoſcere myſterium illud Aſcenſionis, quo Chriſtus tanquam Aquila in cœlum aſcendit ſuper omnem creaturam. Difficile quoque eſſe noſſe, quomodò ipſe, quaſi elevatus fuit in Crucem, tanquam coluber & ſerpens venenoſus, poſtea in Reſurrectione, ſine veſtigio è terra & ſepulchro eruperit. Difficile quoque, quomodò ejus humanitas inter Paſſionis fluctus emerſerit, tanquam navis in medio mari. Denique, quomodò tanquam Vir in Adoleſcentula, ſive Virgine viam ſibi fecerit, ſine virginitatis diminutione. Maxim. ſerm. de Aſcenſ. Prov. 30. 18.

His etiam myſteriis conſonant quæſtiones illæ Sapientis: *Quis aſcendit in cœlum, atque deſcendit? Quis continuit ſpiritum in manibus? Quis colligavit aquas quaſi in vestimento? Quis ſuſcitavit omnes terminos terræ?* Ad hoc reſpondetur ex Apoſtolo: *Qui deſcendit ipſe eſt, & qui aſcendit*, ſcilicet Chriſtus. Ipſe etiam continuit ſpiritum in manibus, poteſtatem habens ponendi animam ſuam, & iterum ſumendi eam, quaſi ſpiritum aut animam in manibus haberet. Ipſe quoque colligavit aquas, quaſi in veſtimento. In veſte enim humanitatis ſuæ, omnes paſſionum aquas ſuſtinuit, & omnia peccata. Proverb. 30. 4. Eph. 4. 10.

Digitized by Google

ta nostra. Denique ipse suscitavit omnes terminos, à somno peccati & erroris, septimum suscitans, & Apostolos per universum orbem in Ascensione mittens.

PROPOSITIO I.

Christus consummato Redemptionis mysterio, ascendit ad Patrem cum triumpho.

Ascensio Christus triumphans.

TRiumphus iste in hoc consistit, quòd ascenderit, Angelis cum jubilo occurrentibus, & animabus sanctis subsequentibus.

Olim cùm decernebatur triumphus victori, curru triumphali urbem ingrediebatur, & Senatoribus occurrentibus in Capitolium deducebatur, ubi erat arcus triumphalis, & triumphantis heroica facta depicta: Laurum quoque manu gestabat, signum victoriæ, sed illam in sinu Jovis ibi deponebat, quasi victoriam omnem ei attribuens. Hæc omnia repetes in Christi ascensu. *Primò*, ingreditur curru vectus triumphali, glorioso scilicet corpore, cujus quatuor rotæ sunt quatuor dotes, impassibilitas, agilitas, claritas, subtilitas, quibus velocissimè vehitur in S. Civitatem.

Secundò, occurrunt ei Senatores, cœlestes Angeli, & deducunt ad thronum Patris, ubi ipse laurum sive totam victoriam deponit, ei attribuens, & gratias agens de auxilio humanitati suæ exhibito, ad hanc victoriam peragendam.

Tertiò, sequitur eum captivorum turba, quam de inferni faucibus eripuit, eamque Patri offert tanquam primitias, sive primos fructus sanguinis sui. Gen. 33. Dicere ergo potest sicut Jacob ad Patrem regrediens: *In baculo meo transivi Jordanem istum, & nunc regredior cum duabus turmis.* Ipse in crucis baculo solus Jordanem, & Passionis fluctus transivit, nunc regreditur cum duabus turmis, una ex Angelis est, altera ex hominibus. Vel juxta Aug. cum duobus populis, ex quibus regnum ejus constituitur, Gentibus & Judæis. In die ergò Ascensionis cœpit tradere regnum, quod suo sanguine acquisierat, Deo Patri; afferens secum primitias ex omni genere, & conditione nationis humanæ. *Primò* offert primitias ex Patriarchis, Justum Noe, Abraham Patrem fidei, quos consequuntur alii sancti Patres. *Secundò*, ex Propheris Moysen, summum Prophetarum, Samuelem a puero electum. *Tertiò*, ex Sacerdotibus, Aaronem cum aliis Levitici generis. *Quartò*, offert primitias ex Ducibus populi, Josue, qui populum in Terram Promissionis introduxit, quem alii subsequuntur. *Quintò*, ex Regibus Davidem sanctissimum, Ezechiam piorum Regum speculum. *Sextò*, ex Martyribus offert Hieremiam lapidatum, Isaiam serra lignea sectum. *Septimò*, primitias ex Virginibus offert Abelem, Danielem, Joannem Baptistam, qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Apocal. 14. 4. *Octavò*, offert primitias ex pueris, eos qui occisi sunt in Nativitate ejus. *Hi enim sunt primitiæ Deo & Agno.* *Nonò*, ex Adolescentibus, & Juvenibus, Babylonios illos pueros, & fortes Machabæos, juventutis decus & florem. *Decimò*, primitias etiam offert ex senibus, Simeonem justum & timoratum, qui senectutis piæ exemplar est & speculum, Duxque senum. *Undecimò*, primitias offert ex Gentibus, Melchisedech, Job, & similes, qui vitam inculpatam duxerunt. *Denique*, primitias ex sexu muliebri offert, Saram, Esther, Annam, quæ fœmineum chorum ducunt. Primitias ex viduis Judith, viduarum gloriam.

Deo Patri obtulit primitias ex omni genere hominum.

Vides ergò, quomodo tunc cœpit tradere regnum Deo Patri, sanguine suo acquisitum? Sed & indesinenter tradit, donec integrum in consummatione sæculi offerat, juxta id, quod dicit Apostolus: *Deinde finis cùm tradiderit regnum Deo, & Patri, cùm evacuaverit omnem principatum, & potestatem, & virtutem.* 1. Cor. 15. 24. Cùm scilicet præsentaverit omnes electos Deo suo, finis mundi erit, & finis hominis ad quem creatus est, & tunc cessabit omne dominium, & humanum, & Angelicum; cessabitque omnis dispensatio, quæ fit per Angelicos Principatus. Non erimus amplius sub Angelis tanquam tutoribus, qui nobis nunc præsunt, & dirigunt in statu hujus vitæ tanquam pueritiæ; sed immediatè tunc Deo erimus subjecti, & totum corpus Christi mysticum erit Deo planè subjectum, & per omnia obtemperans Capiti suo Christo filio Dei, ut sit Deus omnia in omnibus. Ita Apostolus, qui eodem loco dicit: *Qui descendit, ipse est, & qui ascendit, ut adimpleret omnia.* Ephes. 4. 10.

Ascendit, ut impleret omnia.

Quomodo ascendit, ut adimpleret omnia? *Primò* quidem, ut adimpleret omnia de se scripta & prophetata, quorum ultima sunt descensus ad inferos, & ascensus in cœlos; ut & sic perfectè concluderet peregrinationem suam, & opus redemptionis nostræ, cujus finis & terminus est ascensio Christi, & nostra in cœlos; hæc est enim felix clausula totius itinerarii Filii Dei, ut ait D. Bernardus. Bernard. serm. de Ascens. Nunc verè adimplevit omnia, inquit idem, quia natus est inter homines, & cum hominibus conversatus, ab hominibus & pro hominibus passus & mortuus, resurrexit, ascendit, sedet ad dextram Dei; *Agnosco tunicam desuper contextam per totum, quam superna illa mansio claudit, ubi adimpletus est, & adimplevit omnia Dominus Jesus Christus.* Ita ille. *Secundò*, ut adimpleret omnia, cœlestia, terrestria, infernа, sua potentia, majestate, gloria, victoria replens, & in imo, in medio, in summo mundi spatio possessionem capiens, ac virtutem suam declarans. Unde iterum Bernardus: *Restat Domine Jesu, ut qui te terræ, maris & inferorum Dominum probasti, ut ascendas per medium aeris super omnes cœlos; ex tunc probabitur, quia Dominus universorum tu es, quia omnia in omnibus adimpleveris, & jam tibi perfectè debebitur, ut in nomine tuo omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia tu es in gloria &* S. Bernard. ibid.

dextra Dei Patris. Tertiò aſcendit, ut adimpleret omnia, totum ſcilicet orbem, & omnia regna implens ſua fide, cultu, religione, totam Eccleſiam omnibus gratiarum donis & chariſmatibus, per
Eph. 4. 11. miſſionem Spiritus ſancti, dum *ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam Prophetas, Evangeliſtas, Paſtores, Doctores ad conſummationem Sanctorum, in ædificationem Corporis Chriſti*, inquit ibidem Paulus. *Denique* aſcendit, ut adimpleret omnia, ut omnes electorum, Angelorum & hominum ſedes ac numerum compleret, quod jam inchoat, ex omni genere hominum ſecum ad illas ſedes vehens: Patri, ut diximus, hos primos ſanguinis ſui fructus offerens, hanc inferorum prædam. Ecce ergò aſcenſus triumphantis.

DESCRIPTIO TRIVMPHI CHRISTI IN ASCENSIONE.

EX ISAIA PER MODUM DIALOGI, inter Chriſtum, & Angelos.

Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de
Iſa. 63. 1. *Boſra, formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ.*

SAncti Patres per *Edom & Boſra*, intelligunt mundum, & Judæam incredulam, è qua Chriſtus victor aſcendit. Boſra, civitas eſt in Edom, ſive Judæa, & ſignificat *Vindemiam*; Edom ſignificat ruſſum. Eſt ergò alluſio ad nomina. Introducit itaque interrogantes Angelos cum admiratione. Quis eſt ille, qui quaſi miles victorioſus, cruentatus ſanguine non tam ſuo, quàm hoſtium, cum fortitudine aſcendit?

Tinctis veſtibus de Boſra, inquit, q. d. Venit de vindemia, & torculari, quia habet veſtes ſuas rubro muſto tinctas. *Formoſus in ſtola ſua*, ſive decorus in veſte ſua, paludamento quodam regio amictus, & fulgidus. *Gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ*, hoc eſt, incedens imperatorio gradu, potenti & magnifico, ipſo ſologreſſu præ ſe ferens vires validas; animum heroicum. *Aſcendebat* (inquit Auguſt.)
Auguſt. ſerm. 178. de temp. *cruoris rubore perfuſus, à trophæis victricibus laureatus. Viderunt Cœlites cunctis ſpecioſum vulneribus Chriſtum, ſpolia cæſtris tyrannicis reportata, & admirantes fulgentia divinæ virtutis vexilla, talibus concrepant hymnis: Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Reſpondet Chriſtus: *Ego, qui loquor juſtitiam, & propugnator ſum ad ſalvandum.* q. d. Vos interrogatis, quis ſit iſte revertens è prælio, è terra hoſtili, tantam præ ſe ferens majeſtatem? Ego ſum juſtus hoſtium meorum vindex, & fortis populi mei propugnator & Salvator. Ego ſum, qui juſtam ſententiam profero contra tyrannum diabolum, opprimentem populum meum, & eam juſtè & fideliter exequor, deturbando eum ſua tyrannide, & populum meum potenter liberando. Unde & in Apocal. Chriſtus dicitur
Apoc. 19. 11. *fidelis & verax*, qui *cum juſtitia judicat & pugnat*. Iterùm interrogant: *Quare ergò rubrum eſt veſtimentum tuum, ſicut calcantium in torculari?* q. d. Si tu es ille Juſtus & Salvator, quare rubricatas habet veſtes, & ſanguine tinctas? Salvatorem enim magis decet candida veſtis, utpote, innocentiæ & miſericordiæ, ac gloriæ index, quàm rubra & ſanguinea. Hinc Hieronym. *Unde carnem tuam nive-* Hieron.
am & virgineam, ô Chriſte, ô Agne immaculate cruentaſti? Unde ſanguine rubricaſti? Magis enim tibi clementia convenit, quàm crudelitas, magis candor, quàm cruor. Reſpondet Chriſtus: *Torcular calcavi ſolus.* q. d. Rectè dicitis, me ex torculari venire, ego enim preſſi non uvas, ſed hoſtes meos; & aſperſus eſt ſanguis eorum tanquam humor rubeus, expreſſus per torcular, ſuper veſtes meas. Et quidem cruentam illam victoriam, ſolus mihi peperi, nemo in pugna adjuvit me, dum hoſtes meos conculcarem.

Torcular in Scriptura ſignificat vehementem oppreſſionem & ſtragem, qui enim eam ſubeunt, ſunt quaſi uvæ, quæ premuntur: *Torcular calcavit Dominus virgini filiæ Sion*, hoc eſt, graviſſimo ſupplicio preſſit Hieroſolymam.

Adverte ergò, quòd Chriſtus hic directè non loquitur de ſanguine ſuo, ſed de ſanguine hoſtium, diaboli ſcilicet, peccati, & mortis: non quòd hoſtes hi ſanguinem habeant; ſed per ſanguinis effuſionem non aliud ſignificat, quàm plenam de hoſtibus victoriam, inquit Hieronym. quia multus Hieron.
ſanguis ſolet in victoria fundi.

Per torcular tamen etiam intelligi poteſt Crux & Paſſio Chriſti, cum Tertull. Cypriano, Cyrillo, Ruperto & aliis; quia per Paſſionem veſtis ejus cruentata fuit, caro ejus aſperſa ſanguine uvæ, de qua dicitur: *Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in* Gen. 49.
ſanguine uvæ pallium ſuum. Hic ſenſus indirectus 11.
eſt, & ſic debet aptari; quòd ſcilicet Paſſio fuit torcular Chriſto, quo ejus ſanguis expreſſus fuit, & ſimul torcular, quo dæmones preſſi & calcati ſunt; fuit enim Crux inſtrumentum victoriæ Chriſti, quo cenſetur ſanguinem eorum fudiſſe, ſive victoriam contra eos obtinuiſſe; nam & vulnera cœlo intulit, tanquam victoriæ trophæa, & æternum ſervabit.

Unde Joannes vidit eum poſt Reſurrectionem: *& veſtimenta erant veſte aſperſa ſanguine*, quia caro ejus adhuc nunc rubicunda eſt cicatricibus. Ad hunc Apoc. 19.
ergò ſenſum dicit Gregorius: *Torcular calcavi ſo-* 13.
lus, quia ſolus torculor, in quo calcatus eſt, calcavit, Gregor.
cum ſua potentia eam, quam pertulit paſſionem, vicit, hom. 13. in
& ex morte cum gloria ſurrexit. Ezech.

Vultis ergò ſcire, ô Angeli, quis ſit ille triumphator, qui venit de Edom, de terra noſtra ſterili, de fæce hominum miſerorum & peccatorum?

1. Ille eſt primogenitus mortuorum, *& Princeps* Apoc. 1. 5.
Regum terræ, qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.

2. Ille eſt, qui dicit: *Ego ſum primus & noviſſimus,* Ibid. v. 18.
& fui mortuus, & ecce ſum vivens in ſæcula ſæculorum, & habeo claves mortis, & inferni.

3. Ille

Apoc. 19. 11. 3. Ille eſt triumphator, qui vocatur *fidelis & verax, & cum juſtitia judicat, & pugnat, & in capite ejus diademata multa, habens nomen quod nemo novit niſi ipſe.* Sed vultis ſcire, cur rubeus aſcendat? quia venit de vindemia & torculari.

Gen. 49. 11. Apoc. 7. 14. 4. Ipſe, qui lavit *in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum*, ipſe eſt Agnus, in cujus ſanguine omnes Sancti *laverunt ſtolas ſuas.*

Apoc. 5. 2. 5. Ipſe eſt Agnus, qui occiſus eſt, & propterea *dignus accipere honorem, & gloriam, & benedictionem* ab omni creatura, *quæ in cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terra* in ſæcula ſæculorum

6. Ipſe eſt, qui non habuit ſpeciem neque decorem; ſed nunc *formoſus eſt in ſtola ſua*; fœdus in morte, pulcher in Reſurrectione, infirmus, & vilis in Paſſione, nunc fortis, & potens in ſpoliis in Aſcenſione. Ipſe ergo rubeus eſt, quia ſigna mortis retinet rubicunda vulnera victoriæ ſuæ trophæa: *Candidus eſt & Rubicundus.* Candidus ex Virgine, Rubicundus a Cruce: Candidus ob gloriam Divinitatis: Rubicundus ob veſtem humanitatis: Candidus ob innocentiam, rubicundus ob charitatem: Candidus ob miſericordiam, rubicundus ob juſtitiam.

V. lect. ſuper 1. myſt. 2. doloroſo.

DESCRIPTIO SIMILIS EX PSALMISTA.

Eccleſia quoque ex Pſalmo 23. hunc triumphum indicat in ſua cæremonia, quando in die Palmarum ſolemnem Proceſſionem inſtituit, cum Palmis, victoriæ ſigno. Tunc Sacerdos perſonam Chriſti gerens, Eccleſiæ fores pulſans baculo crucis, tertiò inclamat: *Attollite portas Principes veſtras*, &c. Et intus tres chori a ſe invicem diſiit, unus juxta januam, alter in medio Eccleſiæ, tertius juxta altare, interrogant altiori ſemper voce: *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Ubi ſignificantur tres Angelorum Hierarchiæ, admirantes virtutem hujus Regis, ſuper omnes Angelos aſcendentis, & chorus Angelicis imperantis. Licèt enim non ignorarent Chriſtum, etiam ut hominem, Regem eſſe civitatis ſuæ, tamen indicant non fieri ſine totius naturæ magna admiratione, quòd ita terrenum corpus ſupra omnes cœleſtes ſpiritus cum imperio conſcendat; & ſic exalteretur admirabili modo terra ſupra cœlum, homo ſupra Angelum, pulvis uſque ad Deitatis ſolium.

Pſal. 23. 7. Pſ. 23. 10.

Quatuor tituli hic Chriſto tribuuntur.

Hic ergo Chriſto aſcendenti quatuor tituli eximii tribuuntur, ob poteſtatem, qua ſathanam, mortem & infernum profligavit. *Primò* dicitur *Fortis*, quia ingentes labores fortiter toleravit toto vitæ tempore, & ingentes cruciatus exantlavit toto tempore Paſſionis, infracto animo omnia ſuſtinens, nemine adjuvante, qui nec ullam conſolationem, aut à Patre, aut à Matre, aut ab Angelis, aut à diſcipulis, aut ab ulla creatura admiſit ab eo tempore, quo hortum eſt ingreſſus, uſque ad ſpiritus emiſſionem. Hinc dicit: *Torcular calcavi ſolus.*

Iſa. 63. 3. *Secundò*, dicitur *Potens in prælio*, quia in ſua Paſſione ſortem alligavit, & viribus ſpoliavit, & ſæpiùs cum ſathana prælians, eum ſemper devicit, ut late ſupra dixi. *Tertiò*, dicitur *Dominus virtutum*, Hebræa habent, *Dominus Sabaoth*, *ſive exercituum*, quod nomen ſæpiſſimè in Prophetis tribuitur Deo, nec eſt commune Diis per participationem, ut notat Bellarminus, ſed proprium ſoli Deo ſummo, tum, quia continet nomen quatuor litterarum ſoli Deo verè proprium; tum, quia verè ſolus Dominus exercituum eſt, propter exercitus innumeros & potentiſſimos Angelorum; & quia omnes creaturæ ei militant, ſive in cœlis, ſive in terra, ſive ſub terra: Cœli, aſtra, elementa, animalia, homines, ei tanquam ſummo Imperatori obediunt. Sunt exercitus ejus & vires, ignis, grando, nix, glacies, quæ faciunt verbum ejus, & pugnant ad imperium ejus. Armat enim ſuas creaturas contra ſibi rebelles, per vilia etiam animalia, ranas, muſcas, domat Regna & Reges, ut patet ex Pharaone. *Quartò* dicitur *Rex gloriæ*, quia ſine ejus merito & gratia, nulli obtingit gloria, & quia ipſe eam largitur quibus vult; & quia in ejus viſione gloria conſiſtit; & quia Rex eſt cœleſtis Jeruſalem, regionis illius lucidæ & glorioſæ.

Lect. de Nomine Jeſu.

Ex his collige, Chriſtum aſcendiſſe propria virtute, tum ipſius Divinitatis, tum ipſius humanitatis: quia Corpus Chriſti glorioſum à dotibus ſuis virtutem habebat ſibi inſitam, qua aſcendit etiam ſine aliquo miniſterio. Non ergo ſicut Elias Angelico vectus eſt miniſterio, aut ſicut Enoch raptus, aut ſicut Abacuc translatus, ſed gradiens in virtute ſua. Comitati quidem ſunt Angeli, ſed tamen ope eorum non fuit adjutus, verùm honoris gratia ab eis deductus eſt. *Sic honorabitur, quem Rex voluerit honorare.* Quomodo ergo deductus? Quo honore?

Eſth. 6. 9.

1. Tanquam bellator triumphans ad coronam victoriæ. *Datum eſt ei corona, & exivit vincens ut vinceret.* Apoc. 6. 2.

2. Tanquam David, qui cum jubilo deducitur revertens, à cæde Goliath. *Percuſſiſti* Chriſte *caput de domo impii, maledixiſti ſceptris ejus.* Abac. 3. 13.

3. Tanquam Joſeph, qui clamante præcone ſecundus a Rege declaratur: Verè *filius accrescens Joſeph noſter, filius accreſcens, & decorus.* Gen. 49. 22.

4. Tanquam Rex, qui inauguratur, & ad thronum deducitur: *Ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno ejus.* Apoc. 3. 21

5. Tanquam Pontifex ſummus, qui magnificè intrat ad Sancta Sanctorum. *Habemus Pontificem Jeſum, qui penetravit cœlos.* Heb. 4. 14

6. Tanquam arca fœderis, cum jubilo ad templum ducta Salomonis. *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ.* Pſal. 131. 8.

7. Tanquam Judex ſupremus, ad ſedem judiciariæ poteſtatis. *Judicabit in nationibus, implebit ruinas.* Pſ. 109. 6.

Digitized by Google

Apocal. 21. 9. 8. Tanquam Sponſus, procedens ad thalamum æternæ feſtivitatis: *Veni, oſtendam tibi ſponſam uxorem Agni.*

Utinam poſſimus hujus Triumphatoris, hujus Regis, hujus Sponſi tranſeuntis gloriam contemplari cum Moyſe in foramine petræ, in qualem & nos jubilum erumperemus? Sed forte luctus potius nos decet filios Sponſi, à quibus, & Pater & Sponſus auferetur; ita ut luctus clamare nos faciat cum Eliæo: *Pater mi, currus Iſrael, & auriga ejus!* Verum, pro ſolatio *Pallium ſuum* nobis reliquit, ſacrum pignus corporis ſui, per quod poſſimus Jordanis fluctus tranſmittere, hujus mundi undas calcare, & in Hieruſalem cœleſtem pertingere. Reliquit, & Spiritum duplicem, Spiritum ſanctum, omnis gratiæ, & conſolationis authorem, & mirabilium omnium operatorem. Exultemus ergò in ejus Aſcenſione, & decamus ei: *Exaltare Domine in virtute tua, cantabimus, & pſallemus virtutes tuas.* Jam ſatis deſcendiſti, humiliando te in terra uſque ad mortem, imò uſque ad infernum deſcendiſti per Patris obedientiam: Alius debetur locus corpori tuo glorioſo, terra locus nimis vilis eſt. Incipe igitur nunc exaltari. Cape imperium, non tantum in terra, mari, & inferis ſed in aëre, & in cœlo. Exaltare, inquam, *virtute tua*, non enim eges aliena, ut Enoch, ut Abacuc, ut Elias; ſed propria id potes, quam poſſides non ſolùm ut Deus, ſed etiam ut homo dono agilitatis, quo corpus movere potes quocumque volueris. Interim *cantabimus & pſallemus virtutes tuas*, potentiam, & fortitudinem, quam oſtendiſti vincendo diabolum, deſtruendo mortem, ſpoliando infernum, triumphando de omnibus hoſtibus, aſcendendo in cœlum, mittendo Spiritum ſanctum, implendo doctrinâ, donis, & miraculis totum mundum.

4. Reg. 2. 12.

Pſ. 20. 14.

DE LOCO, TEMPORE, ET MODO Aſcenſus Chriſti.

PROPOSITIO II.

Circumſtantia omnes Aſcenſus Chriſti non ſunt ſine myſterio, tempus, modus, locus.

Circumſtantia Aſcenſionis.

1. Tempus, circa meridiem.

Actor. 1. Marc. 14. Suarez in 3. part.

PRimò, quantum ad tempus, aſcendit circa meridiem. Hoc indicat Lucas in Actis, dum dicit, quòd Chriſtus, antequam aſcenderet, cum diſcipulis comedit. Et Marcus dicit, apparuiſſe undecim recumbentibus. Non eſt autem veriſimile, recubuiſſe multo ante meridiem. Unde, teſte Suarez, aliquibus locis eſt conſuetudo, hora diei duodecima uſque ad primam, publicæ ſolemnique orationi vacare in memoriam Aſcenſionis Dominicæ.

S. Auguſt. in Pſal. 45.

Hoc idem docet Auguſtinus tractans illud Pſal. *Veſpere & mane & meridie narrabo & annunciabo, & exaudies vocem meam: Veſpere*, inquit, *Dominus in Cruce, mane in Reſurrectione, meridie in Aſcenſione: Enarrabo veſpere patientiam moriendis; mane annunciabo vitam reſurrectionis; orabo ut exaudias meridie, ſedens ad dexteram Patris.* Sicut ergò Sol meridiano tempore cœli culmen conſcendit; ita Sol gratiæ Chriſtus meridiano tempore in ſupremam aſcendit cœlorum altitudinem: ut nemo ſe abſcondat a calore ejus, ſed lucis & gratiæ ſuæ radios quoquoverſum diffundat. Item, ſicut poſt meridiem olim ejectus eſt Adam è Paradiſo; ita ſtatim à meridie ingreſſus eſt ſecundus Adam Paradiſum cœleſtem, viamque filiis Adæ aperuit.

2. Locus mons Oliveti.

Secundò, quantum ad locum ex quo aſcendit, mons fuit Oliveti juxta Jeruſalem, *Sabbati habens iter*, inquit Lucas, hoc eſt, tantum diſtans, quantum itineris Judæis licebat facere in die Sabbati; illud autem erat ſpatium mille pedum, juxta Hieronymum; ſive mille paſſuum, juxta Bedam.

Act. 1. 12. Hieron. epiſt. 151. ad Aglaſ. Beda in Acta q. 1.

Elegit verò Chriſtus hunc montem, quia ibi voluit triumphum gloriæ aſcendendo inchoare, ubi exortus fuerat Paſſionis ſuæ humiliationem. Hinc & ibidem, juxta aliquos, Anti-Chriſtus elevabitur tanquam Deus, dicens ſe filium Altiſſimi; ſed cum confuſione dejicietur, & conteretur imperio Chriſti, & miniſterio Angelico, ut infra dicemus.

Ex hac Aſcenſione ſecuta ſunt ibi multa miracula. Nam ultima Chriſti veſtigia humo ita impreſſa fuerunt, ut licet terra à fidelibus devotionis gratia raderetur, ſemper tamen priſtinam recuperarent formam, de quibus olim videtur Zacharias prophetice locutus: *Stabunt pedes ejus ſupra montem olivarum, qui eſt contra Jeruſalem ad orientem.* De illo quoque loco verum eſt illud Pſal. *Adorabimus in loco, ubi ſteterunt pedes ejus.* Hæc veſtigia poſt ſeptingentos annos in eodem ſtatu perſeveraſſe, teſtatur Beda: Addens, feſtivitatem Aſcenſionis ſingulis annis divinis prodigiis ibidem fuiſſe decoratam. Miſſa enim peracta, validi flaminis procella deſuper conuenire conſueverat, & omnes, qui in Eccleſia erant, in terram proſternere: tota ea nocte ibi lucernæ ardebant, ut non illuſtrari tantum, ſed & ardere mons & ſuppoſita loca viderentur.

Zachar. 14. 4. Pſ. 131. 7. Beda de locis ſanctis, c. 7.

Sed & hoc ibidem prodigioſum erat, quòd cùm Eccleſia, in cujus medio ſunt veſtigia, pulcherrimo opere conderetur; ſummum tamen cacumen, propter Dominici Corporis meatum, nullo modo contegi & concamerari potuit, ſed tranſitus ejus a terra ad cœlum uſque patebat apertus, inquit Hieronymus de locis Hebraic.

V. Bedam loco cit. & Baron. tom. 1.

3. Modus elevatis manibus benedicens illis.

Tertiò, quantum ad modum: Aſcendit Chriſtus elevatis manibus benedicens Apoſtolis. Hanc benedictionem Tertull. putat Chriſtum feciſſe cancellatis manibus, ſicut Jacob benedicens Ephraim & Manaſſe filios Joſeph. Gen. 48. v. 17.

Nazianzenus verò putat extendiſſe manus, ſicut fecit Moyſes in monte. Aliqui recentiores dicunt Chriſtum ſignum Crucis in aëre formaſſe; & exinde manuſſe morem in Eccleſia benedicendi per Crucis formationem & ſignum. Ita Greſerus.

V. Lorinum in c. 1. Act.

Unde

Unde hanc repræſentat benedictionem, illæ quæ populo datur à Sacerdote in fine Miſſæ. Sicut & vox illa: *Ite Miſſa eſt*, repræſentat verba Angelorum ad Apoſtolos, quibus dimiſſi ſunt ex hoc loco, dum dicunt eis Angeli: *Viri Galilæi, quid ſtatis*, &c. Quibus auditis, reverſi ſunt cum gaudio in Jeruſalem, ſicut & populus relatâ gratiarum actione revertitur. Hanc autem benedictionem ſpecialiter Lucas exprimit præ cæteris, quia ſuſceperat deſcribendum Sacerdotium Chriſti; Sacerdotis autem eſt benedicere, ſive bona precari populo, juxta id, quod dicitur Levit. 9. *Aaron extendens manum benedixit.* Sic & Ozias benedixit Judith. Et exinde etiam probat Paulus Sacerdotium Melchiſedech, & eminentiam ſupra Abraham, quia à majore benedicitur.

Levit. 9. 22. Hebr. 5.

Benedictio Chriſti quem effectum habuerit.

Sed pete, quem effectum habuit hæc benedictio? *Primò*, fuit ſignum veri amoris, & paternæ protectionis. *Secundò*, fuit ſignum efficacis auxilii, virtute Crucis in univerſum orbem deſcendentis, hac enim manuum elevatione univerſum orbem cenſetur benedictione quadam locupletaſſe; & diaboli manum toto orbe extenſam, ineffi cacem & irritam reddidiſſe. *Tertiò*, benedictionem dedit Apoſtolis, quos in univerſum orbem prædicaturos mittebat. Sic enim & ei, qui prædicationis aſſumit officium, ſolet benedictio dari.

Aſcendit in nube. Eccl. 24. 7 Exod. 13. & 14. Ibid. 24. 2. Paral. 5. 3. Reg. 18. 44.

Aſcendit verò in nube, quia illa ſolet eſſe miniſtra in rebus divinis, divinam indicans majeſtatem: *Thronus meus in columna nubis*, inquit Sapientia, Gloria Domini ſæpè apparuit in nube, Exod. 36. v. 10.

In nube dedixit Hebræos: Legem dedit in nube: Moyſis tabernaculum & Salomonis templum, cùm abſolutum fuit, nube implevit Dominus: in nube pro populo pugnavit.

Hæc nubes deſignari potuit in illa viſione Eliæ, per quam vidit poſt longam ſterilitatem, quando cœlum jam tribus annis clauſum fuerat, *Nubeculam aſcendentem, habentem veſtigium quaſi hominis.* Et hæc nubecula aſcendebat de mari, eratque ſignum abundantis pluviæ venturæ. An non putas ibi Aſcenſionis Dominicæ fuiſſe ſymbolum? Aſcendit ipſe de mari hujus ſæculi nube, promittens abundantem gratiæ pluviam in univerſam terram deſcenſuram per Spiritus ſancti dona: per illum enim Spiritus ſancti imbrem, orbem totum irrigavit, de quo iterum infra latius.

Medin. in 3. part. tract. 4. hom. 2.

Hanc quidem nubem putat Medina ſolùm fuiſſe ſplendorem quendam, quem Corpus Chriſti jam cœlo propinquius generabat; cujus ſimilitudinem perſpicimus, inquit, in cœlo, in ea, quæ vocatur via lactea, quod etiam dixit Cajetanus. Sed nihil vetat dicere, fuiſſe veram nubem, cùm ſic etiam loquatur Scriptura, & ut diximus, illa ſymbolum ſit magnificentiæ Dei, ſæpe adhibita in ejus myſteriis, unde & in Transfiguratione nubes adfuit.

DE FRUCTU ASCENSIONIS CHRISTI.

PROPOSITIO III.

Aſcenſionis Chriſti fructus.

Profuit Chriſti Aſcenſio ad Fidei, Spei & Charitatis augmentum.

1. Fides crevit.

PRimò, quantum ad Fidem, ſubtracta Chriſti præſentia, illa crevit in diſcipulis; quamdiu enim cum Chriſto fuerunt, modicæ fidei exiterunt; illo autem aſcendente, ita fuit firmata, ut nulla vis tyrannorum eam potuerit infringere.

Abac. 3. 11.

Dicebat Abacuc: *Elevatus eſt Sol, & Luna ſteterit in ordine ſuo.* Quod D. Gregorius ſic explicat: *Quis Solis nomine, niſi Dominus, & qua Luna nomine, niſi Eccleſia deſignatur? Quo ergo, quæ enim Dominus aſcendit, ſancta Eccleſia adverſa omnimò formidavit, aut ejus Aſcenſione roborata, apertè prædicavit, quod occultè credidit.* Ita ille. Elevato itaque Sole Juſtitiæ, Luna ſive Eccleſia ſteterit in ſplendore ſuo, in fidei lumine & firmitate. Sicut enim Sol, quò magis à Luna diſtat, clariùs in ipſam lumen ſuum diffundit, & directius eam illuminat, (quando enim Luna decreſcit, tunc in conjunctione Solis eſſe dicitur,) & quando plenilunium eſt, tunc longiùs abeſt: (Sic quando Sol Chriſtus cum Luna Eccleſia conjunctus fuit, de fidei lumine non ita plenè participavit; ſed illo longiùs recedente, velut fidei plenilunium fuit, abundante luce in Chriſti Eccleſia. Et iterum: Sicut Sol, quo ſublimiùs elevatus eſt, eò ardentioribus radiis totam terram illuminat, ita Chriſtus in hac elevatione totum orbem gratiæ ſuæ radiis illuſtrat.

Leo ſerm. 2. de Aſcenſ. Domini.

Idem dixit D. Leo: *Fidem*, inquit, *Aſcenſione Domini auctam, & Spiritus ſancti munere roboratam, non vincula, non cruces, non carceres, non exilia, non ignis, non laniatus ferarum, nec exquiſita ſupplicia terruerunt. Pro hac fide per univerſum mundum, non ſolùm viri, ſed etiam tenera virgines, uſque ad effuſionem ſanguinis decertarunt.*

Pſal. 92. 1.

Idem deſcripſit David toto Pſal. 92. *Dominus*, inquit, *regnavit, decorem indutus eſt, indutus eſt fortitudinem, & præcinxit ſe.* Chriſtus in Reſurrectione & Aſcenſione indutus eſt decorem glorioſi Corporis, ornatus fortitudine ſive poteſtate illi data in cœlo & in terra, & præcinxit ſe ad propagandum regnum ſuum per Apoſtolos uſque ad fines terræ. *Etenim firmavit orbem terræ*; quia variis motibus à dæmonibus agitatum mundum, dum homines variis Diis ſerviebant, firmavit ac ſtabilivit in una ac vera religione & fide. Et tunc *Elevaverunt flumina vocem ſuam & fluctus ſuos.* Ubi ſignificatur magnitudo perſecutionis Judæorum & Paganorum adverſus Chriſti regnum; cœperunt enim elevare Judæi voces ſuas adverſus Evangelium, & ubique ei contradicere; imò fuerunt tunc *mirabiles elationes maris* contra Chriſti regnum. Per quas elationes intelligere poſſumus perſecutiones Neronis, Domitiani, & aliorum Imperatorum.

Sed

Sed mirabilis fuit Dominus in altis habitans, qui de omnibus perſecutionibus victoriam reportavit, & invitis omnibus regnum ſuum per omnem terram propagavit. Unde ſubditur: *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis:* quia teſtimonia Chriſti per Apoſtolos in orbem delata, facta ſunt credibilia, ob ſigna & prodigia Apoſtolorum, & ob multa alia, quæ Chriſtianam fidem faciunt omnino credibilem; ut nemo poſſit eam niſi temerè rejicere, poſtquam eam audierit à Chriſti præconibus. Tandem addit: *Domum tuam decet Domine ſanctitudo in longitudinem dierum*, hoc eſt, Eccleſiam tuam, in qua talia teſtimonia continentur, oportet ſanctam eſſe, & inviolabilem conſervari uſque ad mundi conſummationem, ut portæ inferi nunquam prævaleant adverſus eam. Debent & eam ut ſanctam omnes venerari; & qui in ea ſunt, ſanctitati doctrinæ tuæ, & teſtimoniorum tuorum ſanctis moribus reſpondere.

Hæc ergo omnia declarant, quomodo fides in Eccleſia firmata fuerit, & aucta, Chriſti in cœlos Aſcenſione. De qua re etiam agit totus Pſ. 46. *Omnes gentes plaudite manibus.* Lege, & expende illum.

Pſal. 46. 2.

2. *Spes mille eſt.*

Secundò, quantum ad ſpei noſtræ incrementum, profuit Aſcenſio: Dum enim humanam noſtram naturam in cœlo Chriſtus collocat, dat nobis ſpem illuc perveniendi. Unde Michæas dicit: *Aſcendet pandens iter ante eos Rex eorum*, q. d. Chriſtus Rex aſcendet in cœlum, & ſecum ſuos vehet; viamque aperiet, quò nullæ animæ antè pervenerunt, quia in ſanguine ſuo, omne impedimentum ad cœlum ſubmovit. Nemo enim antea poterat ingredi, propter generale decretum, quo à peccato Adami, cœlum clauſum erat, donec is veniret, qui omne debitum Adæ perſolveret. Quod quidem decretum adumbratum fuit, in flammeo gladio Paradiſum cuſtodiente, ut nemo ingrederetur, nec Adam, nec poſteri ejus.

Mich. 2. 13.

Sic ergo omnes morientes ante Chriſtum non in Paradiſum Dei aſcendebant, ſed in inferioribus terræ locis detinebantur; ita ut Abel, imò & ipſe Baptiſta ibi ageret. Chriſtus ergò aſcendens abſtulit gladium flammeum cuſtodientem Paradiſum, cujus flammam & aciem in corpore & ſanguine ſuo extinxerat: hoc eſt, abſtulit impedimentum totius naturæ, quia ipſe debitum peccati perſolverat. Ipſe eſt, qui habet clavem David, qua & cœlum aperiat. Ipſe eſt Joſue, cui mandatum eſt, ut populum præcedat, & in terram promiſſionis introducat. Itaque ſpes nobis eſt illuc quoque intrandi, quia quò præceſſit gloria capitis, eò ſpes vocatur & corporis; & Chriſti Aſcenſio, noſtra eſt provectio, inquit Leo. Imò verò in ipſo aſcendimus, & jam Paradiſi poſſeſſionem cepimus, juxta id, quod dicit Apoſtolus: *Conſedere nos fecit in Chriſto in cœleſtibus.* Nam quos virulentus inimicus primi habitaculi fœlicitate dejecit, eos ſibi corporatos, Dei Filius ad dexteram Patris collocavit.

Eph. 2. 6.

Jam ergo Paradiſi poſſeſſores firmati ſumus, jam cœlorum in Chriſto ſuperna penetravimus, ampliora adepti per Chriſti gratiam, quam per diaboli amiſeramus invidiam. Similiter Auguſtinus: *Ubi portio*, inquit, *mea regnat, ibi me regnare credo, ubi caro mea glorificatur, ibi glorioſum me agnoſco. Ubi ſanguis meus dominatur, ibi dominari me ſentio. Et licèt peccator ſim, de hac communi gratia non diffido.* Itaque ſicut quando ſoli capiti corona imponitur, totus homo coronatur, ſic nos in Chriſto coronamur & glorificamur: nam propter unitatem, qua caput noſtrum eſt, & nos corpus ejus, cùm aſcendit in cœlum, nos ab illo non ſeparamur, non nobis invidet cœlum, ſed quodammodo clamat: Mea membra eſtote, ſi vultis etiam aſcendere. Auguſt.

Hæc quidem ſpes ex eo firmatur, quòd aſcenderit, ut cauſam noſtram agat, & aſſiſtat vultui Dei pro nobis, oſtenſione vulnerum placans Patrem; & manum nobis porrigens, ut poſt ſe trahat, & ad aſcendendum auxilietur nobis. Quid ergò times, ô homo! *Aſcenſor cœli auxiliator tuus eſt. Beatus vir, cujus eſt auxilium ab eo, diſponet aſcenſiones in corde ſuo, benedictionem dabit ei*, ut aſcendat *de virtute in virtutem*, donec videatur *Deus Deorum in Sion.* Si ergo voluerit homo manum ei porrigere, auxilium ejus ſentiet, & poſtea fœliciter canet: *Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.*

Deut. 33. 26.

Pſal. 83. 6.

Advocatum ibi habemus, inquit Bernardus, qui fideliter ſalutis noſtræ negotia pertractabit; unde ſecurum habemus acceſſum, ubi Mater ſtat pro nobis ante Filium; Filius ante Patrem. Mater pro te oſtendit Filio pectus & ubera, Filius Patri latus & vulnera. An poterit eſſe repulſa, ubi tot ſunt charitatis indicia? S. Bernard.

Tertiò, profuit Aſcenſio, quantum ad charitatis perfectionem. Ipſe enim Chriſtus in cœlo exiſtens illuc deſideria & corda noſtra trahit. Nunquid ubi theſaurus noſter eſt, ibi & cor noſtrum? Et ubinam eſt theſaurus noſter, niſi abſconditus in Chriſto? Ibi ergo debet eſſe & cor noſtrum. Trahit illud ad ſe Chriſtus in vinculis Adam, in funiculis charitatis, ita ut animæ multæ optaverint cum Apoſtolo diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Unde B. Gregorius vocat corda Sanctorum thalamos Sponſi: Thalami, inquit, in Eccleſia ſunt illorum corda, in quibus animæ per amorem Sponſo inviſibili conjunguntur, ut ejus deſiderio mens ardeat, & nulla jam quæ in mundo ſunt, concupiſcat: præſentis vitæ longitudinem, pœnam reputat, exire feſtinat, & per amoris amplexum in Sponſi viſione quieſcere. Mens itaque talis nullam ſæculi conſolationem recipit, ſed ad illam quam diligit, medullitus ſuſpirat, fervet, anhelat, anxiatur, vilis ei ſit ipſa ſalus ſui corporis, quia eſt tranſfixa vulnere amoris. Ita Gregorius.

3. *Charitas perficitur.*

Matt. 6. 21.

Oſe. 11. 4.

Gregor. homil. 15. in Ezech.

Hinc Apoſtolus, poſtquam Chriſtus aſcendit, dicit nos debere quærere quæ ſurſum ſunt, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei Patris: nos debere ſapere

Col. 3. 1.

pere cœleſtia per verum affectum, guſtum & deſiderium, & illa quærere omni ſtudio, cura & ſollicitudine, & totâ cordis intentione. Non autem bona terrena, quæ deorſum ſunt, & potius à nobis calcanda, quia cor noſtrum debet eſſe apud Chriſtum. Quem ſi non poſſumus ſequi corpore, ſequamur vel ſaltem corde, donec dies promiſſus advenerit: & ita ex peccatis noſtris debemus ſcalam quandam conficere, ea calcando, ut dicit Auguſtinus, quia ſola hæc ſunt vincula, quæ poſſunt impedire cór noſtrum ad aſcendendum.

Auguſt. ſer. 2. de Aſcenſ. qui eſt 176. de temp. Bernard. ſerm. de Aſcenſ. Exempl. Bernardin. ſer. 1. de Aſcenſ. & Franc. Sales l. de amore Dei.

Sequamur ergò, inquit Bernardus, *Fratres, ſequamur Agnum quocunque ierit, ſequamur patientem, ſequamur & reſurgentem, ſequamur multò lubentius & aſcendentem, levantes corda ad illam, in qua regnat gloriam Dei Patris.*

Vis videre miram charitatem aſcendere cupientis cum Chriſto ad illam gloriam? Hanc tibi exhibebit in Nobili quodam Bernardinus Senenſis. Nobilis ille multo interiori fervore, à Deo impulſus fuit, ad viſitandum loca ſacra, ubi Chriſtus operatus eſt ſalutem noſtram; & ut dignè hoc iter aggredetetur, per Confeſſionis & Communionis Sacramenta ad illud ſe diſpoſuit. Illuc ergò pertingens, ſingula loca, prout potuit, ordine quodam viſitavit. Primò acceſſit Nazareth, ubi myſterium illud Incarnationis peractum fuit, Angelo nunciante, & ibi ferventer eſt contemplatus Dei bonitatem in hoc myſterio relucentem. Deindè venit Bethleem, mirâ teneritudine affectus, in illo loco ubi jacuerat infans Chriſtus. Exindè ad Jordanem proceſſit, recolens illud myſterium, quo Filius Dei ibi fuerat baptizatus. Ulterius procedens in deſertum, conſiderat Chriſtum contra ſathanam certantem; & pro peccatis noſtris jejunantem. Cætera quoque loca, in quibus aliquod myſterium agnovit, ſummâ devotione viſitavit. Tandem Calvariam conſcendit, Chriſtum ibi extenſum ſibi repræſentans, & velut columba in vulneribus gemens. Viſitato quoque ſepulchro, & aliis locis, finaliter in montem redit Oliveti, ex quo Chriſtus aſcenderat, ibi veſtigia Salvatoris oſculis & lachrymis ſuis rigat, & ſuſpirans ad Chriſtum, inclamat: *O ſuaviſſime mi Redemptor, cùm jam non habeam amplius, ubi quaram te in terra; cor meum in cœlum te ſequi deſiderat: trahe ergò illud ad te, imò trahe hanc animam de carcere hoc & corpore mortali, ut in monte gloriæ te ſequi poſſit, & ibi æternùm jungi.* Multis ibi lachrymis & amotis ſuſpiriis, ſic divinæ miſericordiæ viſcera commovit, ut tandem deſiderium cordis ejus tribuerit ei Dominus, & voluntate labiorum ejus non fraudaverit eum; egreſſa eſt enim anima, & ex eodem loco ad Deum ſuum evolavit.

Vides ergò, quomodo ille ſecutus ſit Agnum in hoc mundo, ſecutus eſt naſcentem, jejunantem, patientem, reſurgentem, aſcendentem; & nunc in æternis illis montibus ſequitur illum quocunque ierit.

Granat. l. 1. de Sym-bolo l. 2. Anno 1582. menſe Majo, in noſtra hac Olyſippi civitate, fuit quædam nobilis puella, ſed admodum tenuis, ſolitaria, humilis, & ſuis parentibus obediens. In morbum hæc incidit, qui ad novem perduravit menſes; eumque pertulit maximâ patientiâ. Et cùm ſola eſſet, audiebatur coram Crucifixo, quem apud ſe habebat, hæc verba repetere: *Domine, quando me de hoc carcere trues? quando apparebo coram te? quando tuâ fruar pulchritudine?* Quapropter Chriſtus innocentis puellulæ amator, ei apparens, promiſit fore eam voti compotem ipſo die gloriæ Aſcenſionis ſuæ. Hujus diei veſper advenerat, cùm quædam ei valdè familiaris ridens dixit: En quomodò deceptiſti nos, dicens te migraturam ipſo Aſcenſionis die. Ad id ægra nihil reſpondit, licet certò ſciret fore, quod dictum erat. Die autem poſtero, neſcio quid ſuo Confeſſario miſit, ei valefaciens, antequam ad Sponſum ſuum proficiſcatur. Statim etiam matrem vocavit, & nonnullas reliquias, quas habebat, ei tradidit. Nutrici quoque juſſit, quæ eam educaverat, ut novum indumentum ſibi ferret, & duos nummos aureos ſolvi voluit. Quibus dictis, ubi meridiei hora advenit, Crucifixum unâ manu cepit, alterâ cereum: quibus armis inſtructa, moriendi iter eſt ingreſſa, & devota Crucifixo verba pronuncians, vix animam efflaverat, cum horologium horam poſt meridiem ſignificavit, quâ Salvator noſter cœlum aſcendit.

Bolo. anno 1582.

Vide & aliud exemplum in Candelabro noſtro myſtico, de pueris in die Aſcenſionis à puero Jeſu in cœlum vocatis.

Candelabr. aur. tract. 8. lect. 13. de matrimonio.

LECTIO XXVIII.

ARTICVLVS VII.

INDE VENTVRVS EST IVDICARE Vivos & Mortuos.

DE CHRISTO JUDICE.

1. *Docet, Eſſe aliquod particulare Judicium in morte.*
2. *Vltrà illud convenienter fieri aliud Univerſale.*
3. *Docet, Quo loco & tempore illud fiet.*

PROPOSITIO. I.

Certum eſt eſſe aliquod particulare judicium ſingulorum in morte.

Judicium particulare in cujuſque morte.

HOc aſſerit Eccleſiaſticus, dicens: *Facilè eſt coram Deo in die obitus, retribuere unicuique juxtà vias ſuas, & in fine hominis denudatio operum illius.* Unde anima, quæ nihil habet tunc purgandum, ſtatim conſequitur beatitudinem, juxtà illud: *Si terreſtris domus noſtra diſſolvatur, habemus non manufactam*

Eccl. 11. 28 2. Cor. 5. 1. Luc. 16. 22.

Digitized by Google

factam æternam in cœlis. Si verò in peccato mortali diſcedat, ſtatim detruditur in gehennam. Patet de Epulone.

Hoc judicium etiam à Chriſto exercetur ut homine, quod non eſt intelligendum, quaſi veniat ad ſingulos morientes, ut de illis judicium ferat; loquendo de reali deſcenſu in diverſis etiam locis, dum multi ſimul moriuntur. Non etiam intelligendum eſt hoc, quaſi animæ ſtatim ſeiantur in cœlum ad tribunal Judicis, ut Chriſto præſententur. Nam id de animabus damnandis non eſt veriſimile. Ut quid enim aſcenderent in cœlum, ſtatim deſcenſuræ in infernum? *Nihil coinquinatum ingreditur in illam Civitatem.*

Apoc. 21. 27.

Dicendum ergò, animam in ipſo inſtanti mortis intellectualiter elevari ad audiendam ſententiam Judicis, quæ fit per intellectualem locutionem vel illuminationem; per quam etiam in illo inſtanti, cognoſcit ſe judicari, & ſalvari vel damnari imperio Chriſti. Hoc ergò volunt Patres, dum dicunt animas præſentari ad tribunal Judicis. Et ſic intelligendi ſunt aliqui, dicentes Chriſtum venire in morte uniuſcujuſque. Non enim intelligendum ſecundum præſentiam localem, ſed ſecundùm efficaciam; per quam fit, ut ſtatum ſuum agnoſcat anima & imperium Judicis, & ex vi illius ſtatim tendat in locum, meritis ſuis debitum. Sic ergò intelligendum eſt, quod dicit Innocentius, omnem animam, priuſquàm egrediatur à corpore, videre Chriſtum crucifixum, quo adducit illud: *Videbunt, in quem tranſfixerunt.* Et illud Apoſtoli: *Serva mandatum ſine macula, uſque in adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti,* ſivè uſque ad diem mortis. Sic etiam dicitur: *Vigilate, quia neſcitis, quâ horâ Filius hominis veniet.*

1. Tim. 6. 14. Matt. 24. 42. & 25. 13.

In illo ergò puncto mortis intelligit imperium Judicis, & in eodem puncto rapitur in cœlum, vel deſcendit in infernum. Non judicabitur ante illud punctum, & inſtans mortis; quia nondum finitum eſt meritum, nec exſpectatur inſtans poſt mortem; quia in inſtanti mortis, ſi pura eſt anima, capax eſt viſionis Dei. Hinc ergò intellige, quomodò à momento & puncto pendet æternitas, vel beata, vel miſera. Intellige quoque, quomodò formidabile ſit illud momentum, ad quod anima ſuſpenſa tremit in agone exiſtens, neſciens, quam momento iſto initum ſit viam: conſcientia eam pungit, & corpus ad corruptionem ſeſe diſponit, & ipſa horret brevi momento vel inferorum, vel cœli hoſpes conſtituenda. Undè & viri Sanctiſſimi tunc trepidaverunt.

Arſenius. Arſenius tanto timore correptus fuit, ut Diſcipuli teſtes ſanctitatis ejus dicerent: *Et tu Pater trepidus?* At ille: *Non eſt novum hic timor, ô filii, quamdiu vixi, hunc diem timui.*

Agathon. B. Agathon, cum tunc etiam trepidaret, & rogarent diſcipuli cauſam, cum ſcirent eum ſanctè vixiſſe: *Quia,* inquit, *ô filii, alia ſunt Dei, alia hominum judicia.* Attende ergò, ô homo, ſæpius, quid horâ illâ, quâ candelam accenſam in manu geſtabis trepidus velles feciſſe. O hora! ô momentum! quam ſæpè verſari deberes in mentibus hominum! quam longam trabis cateoam & cumulum miſeriarum, vel quam amplam lœlicitatem paris & cumulum gaudiorum!

Lignum, inquit Sapiens, *ſi ceciderit ad Auſtrum, ſive ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Lignum non poteſt in perpetuo virore eſſe, ſed aliquando debet cadere, vel antiquitate, vel putredine, vel violentia eradicatum aut præciſum. Et ubi ſemel cadit, ibi manet, non valens ſe transferre ad alium partem. Sic homo non poteſt perpetuo vitam ſervare, neceſſe eſt, ut aliquando cadat, ſivè ſenio, ſive morbi violentia, aut alio aliquo modo. Cum autem cadit, ad alteram partem cadit, vel ad Aquilonem, vel ad Auſtrum, Aquilo ſignificat partem reproborum, Auſter partem electorum. Cadunt ergò electi & reprobi, & quidem in momento, ſed non in eandem partem, quamvis utrique ad æternitatem; quod ſignificatur, dum dicitur: *Ubi ceciderit, ibi erit.* Multum intereſt, quandoquidem immutabiliter ibi ſit futura. Quo verò caſura ſit arbor, ſi ſcire volueris, ramos ejus attende. Ad illam partem, ubi major copia fuit ramorum, caſuram non dubites. Rami noſtri deſidera noſtra ſunt, quibus ad Auſtrum tendimus, ſi ſpiritualia fuerunt; ſi carnalia ad Aquilonem. Quæ verò præponderent, medium corpus indicat, ea namque præponderant, quæ ſecum traxerint corpus. Ita Bernardus. Eccl. 11. 3. S. Bernar. in parviſerm.

Chriſtus verò hoc judicium particulare aliquando exercet more quodam viſibili, & forma judicii hominibus accommodata, ad terrorem. Sic habes quomodò judicium exercuerit contra Udonem Archiepiſcopum Magdeburgenſem. Hic cum Virginis interceſſione, ingenium fœlix, doctrinamque eximiam impetraſſet, ob quam ad Archiepiſcopatum promotus fuit, initiò quidem ipſe piè vixit, ſed poſtea vitiis carnis ſe addixit, peſſime converſatus cum quadam Abbatiſſa Monaſterii Vallis lilii, tunc Oofterholt. Deus ejus vitæ ſcandaloſæ finem volens imponere, tribus continuò noctibus eum monuit: *Fac finem ludo, quia ſatis luſiſti Udo.* Ac cum nec ſic reſipiſceret, voluit Deus judicium ſuum toti orbi innotescere. Orabat in Eccleſia Magdeburgenſi, Venerabilis Canonicus Fredericus, ut Deus huic ſcandalo occurreret, & ecce ipſo orante, mediâ nocte ventus vehemens omnia luminaria extinxit, ingreſſique ſunt mediis tenebris, duo adoleſcentes cum facibus ardentibus, qui ad utrumque latus Altaris ſubſtiterunt. Secuti ſunt & alii duo, cum tapete pretioſo & duobus ſedilibus, quæ taperi ſuperpoſuerunt. Poſt hæc alius veniens cum gladio evaginato, inclamavit: *Omnes Sancti Dei, quorum hæc ſunt reliquiæ, ſurgite ad judicium.* Et ſtatim adimpletum eſt templum. Tum Chriſtus venit cum Apoſtolis, & B. Maria cum Virginibus, ſeſeruntque in duobus illis Thronis. Accelitis Naucler. volum. 2. Gen. 37. Trith. Fulgoſi. 9. c. 12. Spec. exempl. S. Antonin.

Digitized by Google

ceſſit quoque B. Mauritius Eccleſiæ Patronus cum ſociis Martyribus, & conqueſtus eſt apud Judicem de Udone. Unde ſtatim juſſus eſt adduci ; avulſus enim à latere concubinæ, judici eſt præſentatus. Cumque accuſationibus reſpondere nihil poſſet, capite plexus eſt, ita ut ſanguine ejus pavimentum reſperſum fuerit. Et antiquitus quoties aliquis ad Archiepiſcopatum illum promovebatur, dum in ejus inauguratione hymnus *Te Deum* cantabatur, ſolebat locus ille diſcoopertri, qui tapetibus tegebatur, ut ibi novus Epiſcopus, anteceſſoris ſui judicium conſpiceret, & ſibi præcaveret. Vide latius Speculum exemplorum.

Dan. 5. 26 Et ſicut in morte hujus, ita & in morte cujuslibet reprobi verum eſt illud : *Mane, Thecel, Phares: Numeravit Deus regnum tuum : Appenſus es in ſtatera, inventus es minus habens* : & ideò *divijum eſt regnum tuum.* Dividit Deus regnum tuum, dum animam dæmonibus tradit, & corpus vermibus, juſto judicio finiens vitam impiorum in mediis peccatis.

PROPOSITIO II.

Præter particulare inſtituetur Judicium univerſale.

Vtra hoc Judicium particulare conveniens ſuit & alterum univerſale.

1. Ex parte hominis. PRIMÒ, ex parte hominis, quia licet homo ex parte juſtitiæ divinæ in judicio particulari ſecundum animam ſententiam damnationis aut ſalutis acceperit ; non tamen ſecundam corpus præmium aut pœnam adhuc recepit, ſed illud revertitur in terram. Item tunc corpora Martyrum, quæ diſſecta fuerunt, aut exuſta, aut feris projecta, recipient plenam gloriam, & particulare ſignum gloriæ juxta martyrii pœnam. Integer ergo homo tunc judicabitur, & corpus quod ſocium fuit pœnitentiæ, erit & gloriæ : Quod verò ſocium fuit peccati, erit & pœnæ. Tunc enim anima maledicet corpori ſuo, & ſummo odio illud proſequetur, tanquam vas peccati, cujus cauſa perit ; cui ut indulgeret, ipſa quæ cœleſtis eſt naturæ, & divinam habet originem, à Deo ſuo & cœlo æternum ſeparatur. Cerrè erit animæ tunc ipſum corpus velut horribilis carcer, dum iterum illud cogetur inhabitare : Anima verò ſancta congratulabitur corpori ſuo, & per ejus reſumptionem gloria quædam accidentalis ei addetur.

Bernard. ſer. 6. de Adven. Hinc Bernardus : Noli, ô corpus, prætipere tempora, patere, ut nunc anima pro ſe laboret, ſi compareris, conregnabis. Nobilem hoſpitem habes, ô caro, nobilem valde, & tota ſalus tua pendet de ejus ſalute. Ut quid ergo pro temporali delectatione contriſtas hoſpitem talem ? Potius expone te ad omnia, ſi bene illi ſervieris, erit in bonum tuum ; nam loquetur pro te bonum, dum reſtituta fuerit in locum ſuum, & Dominus deſcendet, & reformabit te, configurans corpori claritatis ſuæ. Hæc & plura Bernardus.

2. Ex parte Dei. *Secundò*, ex parte Providentiæ & Juſtitiæ divinæ, de qua malè quidam ſentire videntur, eo quòd permittat opprimi innocentes, affligi bonos, malos honorari, & impios proſperari ; ita ut Viri ſancti, velut dubitantes viſi ſint querelam quandam formare contra Deum. Unde dicit David: *Mei autem penè moti ſunt pedes : Ecce ipſi peccatores obtinuerunt divitias, & dixi : Ergo ſine cauſa juſtificavi cor meum.* Sic conqueritur Hieremias, Abacuc, & Job. Pſ. 72. 2.

Conſtituit ergo diem, in quo nobis manifeſta erit hæc ratio providentiæ, ad hoc ordinata, ut glorificetur Deus, & omnes intelligant ad majorem gloriam juſtorum cedere & ad confuſionem impiorum modum illum, quo erga illos ſe geſſit Deus. Videbunt tunc, quomodo *univerſæ viæ Domini judicium & veritas.* Hinc Salomon ait : *Verti me ad alia & vidi calumnias, & innocentium lacrymas. Et in loco juſtitiæ impietatem, & dixi : Deus judicabit juſtum & impium, & erit tempus omnis rei.* Pſ. 24. 10. Eccle. 4. 1.

3. Ex parte Chriſti. *Tertia* ratio eſt ex parte Chriſti, quia in primo adventu eſt ab omnibus reprobatus in illa Civitate Orbis celeberrima, ab omnibus Statibus, Regibus, Sacerdotibus, Populo, Militibus, Judæis, Gentilibus. Et nunc quoque non agnoſcitur ab infidelibus, non recipitur Meſſias a ſuis, blaſphematur à Chriſtianis, repudiatur ejus divinitas ab hæreticis. Tunc autem coram cœlo, mundo, inferno, agnoſcetur ab omnibus ; ab his qui Cœlum incolunt, qui Infernum, qui Purgatorium, qui Limbum, qui mundum. Tunc flectetur omne genu, & Pater implebit promiſſionem ſuam, de qua apud Job : *Cauſa tua quaſi impii jam judicata eſt, cauſam, judicumque recipies.* De qua re etiam agit totus Pſalmus 109. Job. 36. 1. 2.

Dictum ei erat in Aſcenſione: *Sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Hoc eſt, Conſortium cape regni mei ſuper omnes creaturas elevatus, donec inimici tui tandem plenè ſubjiciantur tibi, & regnum prædeſtinatorum impleatur, & victoria tua ad perfectionem deducatur. Significatur verò ibi, impleto regno prædeſtinationis, & devictis inimicis, ac propagato imperio, quod erit in conſummatione ſæculi, iterum rediturus in mundum, ut omnia ei eſſe ſubjecta, manifeſtè appareat toti mundo. Unde ſubdit Pſalmiſta : *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum*, q. d. Sceptrum potentiæ tuæ regalis, ſceptrum fortitudinis, ex civitate & monte Sion incipies extendere & propagare uſque ad ultimum terræ, per legatos tuos Apoſtolos ; ut dominetis in medio inimicorum tuorum, Judæorum, Paganorum, Hæreticorum, falſorum Fratrum : ſed in fine ſæculi perfectè exaltabitur regnum tuum ſuper omnes inimicos, quando ſceptrum virtutis, ſive vexillum Crucis tuæ ex cœleſti Sion emittes, ut perfectè ſubjiciantur hoſtes pedibus tuis. Unde iteum ſubdit: *Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus ſanctorum.* Senſus eſt, in die illo noviſſimo tecũ Pſal. 109. 1. 2. Ibidem.

erit principium, ſive ut legunt Septuaginta *Tecum erit principatus*, quia tunc apparebit omnibus tuum eſſe Regnum, & apud te ſolum verum eſſe principatum. In die ſcilicet virtutis tuæ, quando potentia tua cœlum movebit, ſolem obſcurabit, terram concutiet, mortuos excitabit, & omnes ad Tribunal convocabit, in ſplendoribus Sanctorum, quando circumdatus eris Sanctis tuis, qui fulgebunt ut Sol. Ideò verò tecum erit tantus Principatus, quia *ex utero ante Luciferum genui te*, inquit Pater, q.d. Quaſi ego te genui, non ex nihilo, ſicut alias res creatas, ſed ex fœcunda ſubſtantia mea, tanquam Filium naturalem & mihi conſubſtantialem: & quidem ante Angelum, ante omnes Stellas, ante omnem creaturam, ante omnia ſæcula.

Tandem concludens Pſalmum, dicit David ad Patrem de Filio & poteſtate judicandi illi data: *Dominus à dextris tuis confregit in die iræ ſuæ Reges*, q.d. Chriſtus Dominus noſter ſedens à dextris tuis confringet omnium potentiam Regum, Eccleſiam ſuam perſequentium. Tunc Neroncs, Maximiniani, Decii, conterentur pedibus ejus, & in gehennam detruſi, pœnas dabunt.

Judicabit in nationibus, implebit ruinas, Senſus eſt: Ipſe tunc judicium exercebit ſuper omnes nationes, & condemnatis impiis, perficiet & conſummabit ultimum extremum. Legit D. Hieronymus: *Implebit foveas*, quia tunc implebuntur foveæ inferorum impiis hominibus, & dæmonibus illuc detruſis, & hoc modo *conquaſſabit capita multorum*, conterens ſuperbos, & confuſionem eis adducens coram toto mundo.

Si autem vis ſcire, cur tanta ſit potentia ejus, ut nationes poſſit judicare, & Reges & ſuperbos conculcare: *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput*. Quia ſcilicet in hac via & vita mortali, quæ ſicut torrens tranſit, bibit aquam turbidam, ærumnas tulit noſtræ mortalitatis, & per Paſſionem ad imam deſcendit torrentis, ob tantam humiliationem propter gloriam Patris, exaltavit illum, faciens Judicem omnium. Hæc Pſalles.

Mat. 21. 9. Marc. 11. 10. Si ergo in primo adventu clamatur: *Benedictus qui venit in nomine Domini, ô ſanna in excelſis*, quanto magis in ſecundo illo triumphali acclamabitur id ab Angelis, ab electis, a Regibus, à Sacerdotibus, à plebe & pueris, ab omnibus creaturis: *Exultabunt cœli & terra & ligna ſilvarum, quoniam venit judicare terram.* Pſal. 5. 11.

Nos quoque tempus illud triumphi conſiderantes, Regi & Salvatori noſtro acclamemus, fauſta illa acclamatione: *Dominare in medio inimicorum tuorum.*

Dominare, Filii David, ſuper omnes Reges elevans thronum: *Dominare*, Rex pacifice, totum ſathanæ ſuppeditans regnum: *Dominare*, Fili Mariæ, in medio hæreticorum te blaſphemantium, *Dominare* Galilæe, in medio infidelium olim rebellium, *Dominare* Nazarene, in medio Julianorum & perſecutorum. *Dominare*, Agne innocens, in medio luporum furentium. *Dominare* Agne occiſe, in medio Angelorum & omnium Electorum.

Audivi vocem Angelorum, inquit Joannes, & animalium, & ſeniorum in circuitu throni clamantium. *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem & divinitatem, gloriam & honorem*: Et omnem creaturam quæ in cœlo eſt, & ſub terra, & ſuper terram, ſedenti in Throno & Agno: *Benedictio & honor & poteſtas in ſæcula ſæculorum.*

RPOPOSITIO II.

De loco hujus Judicii.

HOc judicium exercebitur in inferiori mundo, non in cœlo. Ita aſſerit Articulus: *Inde venturus eſt judicare*, è cœlo ſcilicet. Nam cùm & dæmones & damnati judicentur, non convenit eos in cœlum aſcendere: *Nihil in illam Civitatem intrabit coinquinatum, ſed tantùm qui ſcripti ſunt in libro vitæ.* Apoc. 21. 27. Deinde merita & demerita ſunt peracta in inferiori mundo, ibi ergo judicabuntur, ibi locus pugnæ, ibi initium erit & coronæ. Denique ibi ipſe omnia myſteria peregit, ibi judicatus eſt, ibi ergo judicabit, & incipiet exaltare caput, ubi de torrente bibit.

Hinc multi putant Judicium fore in valle Joſaphat, media inter Jeruſalem & Oliveti montem, juxta illud: *Congregabo omnes gentes in valle Joſaphat, ibi diſceptabo cum eis.* Joel. 3. 2. Non ergo ſine myſterio vocatur *Vallis Joſaphat*, id eſt, Judicii Domini. Et congruè hic locus eligitur, quia ex monte Oliveti aſcendit, & Hieroſolimæ paſſus eſt; electa ergo eſt vallis media, complectens utrumque montem Oliveti & Calvariæ. Ibi Sancti gloriam Aſcenſionis Chriſti participabunt, & fructum Sanguinis ejus. Ibi gloriæ majeſtatem oſtendet, ubi ſummam tulit ignominiam, Paſſionem inchoavit in valle Joſaphat, per quam fluit Torrens Cedron, juxta Bedam, ibi comprehenſus eſt. Beda de loc. ſanct.

Sed quæritur: Quomodo capiet tantam multitudinem? Explicandum in hoc modo: Judicem ſcilicet non deſcenſurum uſque ad Vallem, ſed ad locum aeris ſupra Vallem, ut ſit eminentiori loco ob majeſtatem, quod etiam congruit agilitati corporis glorioſi. Sic Beati & Angeli erunt à terra elevati, ut indicat Apoſtolus. Soli reprobi in terra non ſolùm illum locum, ſed & Oliveti montem, & Sion, & alia loca, quantum erit neceſſe, occupabunt; non enim penetrativè ſe habebunt. Dicuntur tamen congregari in valle Joſaphat, quia ibi Judex collocabit ſedem ſuam.

An non aptè hic ſedes Judicis? Poterit enim eis ex eo loco ob oculos ponere loca præcipua, ubi operatus eſt Redemptionem, ad eorum confuſionem. Saltem mentaliter improperabit eis opera illa Redemptionis, quaſi dicens: O reprobi & infœlices, nonne vos ipſi hanc infœlicitatis æternæ telam orditi eſtis? Quid enim potui, & non feci? *Ecce* coram vobis omnia contra vos teſtimonium dant. *Ecce* mons Oliveti, in quo pro vobis ad Patrem

Digitized by Google

Item clamavi Sanguinem fudans, sed hoc sudore & Sanguine non estis abluti. Ecce torrens quem pro vobis nocte Passionis, cum tot angustiis penetransivi, ibi ligatus fui, ut dissolverem vincula vestra, sed peccatis vestris vos æternis pœnis obligatus. *Ecce* mons Sion, ubi amorem ostendi, dans corporis & sanguinis mei pignus, & vos illa contempsistis. Ibi Spiritum Sanctum dedi, quem contristatis. *Ecce* Calvariæ Mons, Sanguine meo rigatus, & quinque fontibus è corpore meo effluentibus. *Ecce* petræ adhuc ibi fissæ, contra cor vestrum petra durius dant testimonium. Ite ergò maledicti in ignem æternum, qui hæc omnia quæ tanti mihi constiterunt, contempsistis.

Laluza ex Holcot. V. judicium.

De hoc loco refert Holcot, viros duos peregrinationis gratia ad loca sancta perrexisse, cum verò ad vallem Josephat pervenissent, eorum alter lapidem quendam tollens, dixit socio animi gratia: Cùm hic futurum sit judicium, æquum est ut mihi modò loco assignem. Sedit ergò super lapidem illum dicens, sic tunc sedebo, & ex nunc possessionem capio. Elevavit autem oculos in Cœlum, quid viderit aut audierit, nescitur; tanto tamen terrore affectus fuit, ut in terram semimortuus ceciderit. Tandem ad se reversus discessit, & dicebat: Nunquam ex eo tempore sibi in mentem venire diem judicii, sine ingenti pavore.

DE TEMPORE JUDICII.

De Tempore judicii extremi.

CErtum est futurum in consummatione sæculi. Sed diversè opinantur antiqui, quo tempore sit hæc consummatio futura. Aliqui ergò dixerunt tantundem duraturum mundum post Christum, quam antè, quia non minor sit numerus electorum post, quam antè.

Alia opinio habet duraturum sex millibus annorum; quia mundus sex diebus creatus fuit, postea requies & Sabbatum: Cùm ergo apud Deum mille anni sint ut dies una, videtur mundus duraturus sex annorum millibus, postea sequitur requies diei Sabbati, hoc est, dies æternitatis.

Hic adduut antiqui Hebræi authoritatem ex Elia & Sibylla. Item dicunt duo millia fuisse ante legem, duo millia legis, duo millia post Christum.

Licet hæc convinci non possint falsitatis, quia juxta hebraicam veritatem, Christus venit circa annum quater millesimum à creatione, nunc ergò quadringentis annis restantibus, omnia possunt impleri. Est tamen incerta ista sententia, quia nec probatur auctoritate, nec solida ratione. Nam oraculum Eliæ ex Thalmud, Rabini fictio est. Et conjectura de sex diebus insolida est, quod enim mille anni dies unus dicuntur, immobilitas divinæ æternitatis significatur, non verò quod dies creationis significent sæculum durationis mundi. Deinde dici potest, illos sex dies significare sex mundi ætates, quæ non sunt æqualis durationis. Tempus ergò judicii incertum est, non solùm hominibus, sed & Angelis. *De die illo nemo scit*, Marci 13. Ubi significatur non solum diem incertum esse, sed etiam tempus & annum, quia, teste Augustino, dies & hora talibus Scripturæ locis pro temporis duratione ponitur. Item, *Non est vestrum nosse tempora & momenta.* Hæc responsio omnium calculantium digitos resolvit, & quiescere jubet, inquit Augustinus. Nec ergò Angeli, aut animæ beatæ tempus illud sciunt. Unde animæ clamant: *Usquequo Domine (sanctus & verus) non judicas & vindicas sanguinem nostrum.* Et dictum est illis, ut quiescerent adhuc modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum. Et licet diceremus Angelos nosse numerum prædestinatorum, & quod homines assumantur ad ruinas Angelicas reparandas, ut videtur docere Augustinus, nesciunt tamen quanto tempore sit implendus. Fortè tamen ex speciali privilegio, Virgini id revelatum est.

Quòd verò aliquando SS. Patres loquuntur de judicio quasi appropinquante, piè id interpretandum est. Videntes enim gravia mala, quibus Orbis fatebatur, illa velut judicii prænuntia existimarunt, & ideò peccatoribus timorem immittere cupiebant, poterantque verè dicere, semper judicium magis & magis appropinquare. Loquebantur etiam more Scripturæ, considerantes hoc vitæ tempus, quasi brevem morem Æternitati comparatam. Sic dicimus hominem brevi moriturum, dum decrepitus est. Ita mundus senescit, prope interitum est, in ultima sua ætate est, minatur occasum, tot habens annorum millia. Hinc & Scriptura dicit: *Nos sumus, in quos fines sæculorum devenerunt. Filioli novissima hora est.*

Et maximè quia videmus aliqua signa ex parte impleri, prædicari Evangelium in universo Orbe, gentem surgere contra gentem, pestilentias, venire in nomine Christi tot Pseudo prophetas, impleri illud. *Spiritus manifestè dicit, quod in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes Spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium & cauteriatam conscientiam habentium.* Tetis est Germania, Gallia, Anglia, Belgium. Videmus denique abundare iniquitatem, nam verè nunc maledictum, mendacium, falsum testimonium, perjurium, oppressio, dissensiones, processus, inimicitiæ, & sanguis inundaverunt. Non est veritas in terra, sed dolus, deceptio, hypocrisis, simulatio, oblivio Dei profundissima. Ita ut numerus bonorum videatur quasi pauci racemi post vindemiam, aut paucæ olex post excussionem.

In omni statu, conditione, ætate, malitia abundat, ita ut ob hæc videri possit alicui, aliud vix restare nisi adventum Antichristi. Ob quæ omnia possunt moneri acriter peccatores, & terror eis incuti.

Nihilominus quia & hæc præcedentibus sæculis ex parte fuerunt; ideò de hac re loquendum cum discretione & grano salis, hortantes quemlibet, ut huic se judici præparet, clamantes cum Apostolo:

Marc. 13. 32. August. Act. 1. 7. Aug. 18. li. de civ. c. 53. Apoc. 6. 10. August. Enchir. c. 62. 1. Joan. 2. 18. 1. Tim. 4. 1. Isa. 16.

Eph. 5. 15. *Fratres videte quomodò cautè ambuletis, tempus redimentes, quia dies mali sunt*, sed non cum certa assertione de re nobis ignota, nec cum curiosa investigatione rei nobis occultæ, sed soli Deo cognitæ, & illis solis quibus voluerit revelare.

Fuerunt verò inter Lutheri discipulos aliqui tam stolidè populum dementantes, ut illis diem judicii adesse persuaderent, & diem ac horam designarent.

Historia. Bellarm. lib. 4. de notis Eccl. c. 15. ex Cochlæo in Actis Lutheri.

Quidam Michael Stiphelius populo suo annunciarat fore illud quodam loco prope Wittenbergam, idque 3. Octobris anni 1533. quo die festurus foret Christus, & electos suos assumpturus, hoc se certa revelatione scire. Hoc rumore spatio per Saxoniam, multi agros suos reliquerunt incultos, & negotiationes suas. Die ac nocte alii oratione vacabant, alii omnia sua expendebant, genio indulgentes. Veniente ergò die, convocat Propheta suos, concurrunt populi undique ad montes: designat ipse horam decimam, sed ea elapsa adhuc spes crescebat, quia circa illam horam turpida tempestas Cœlum eis obscurum reddidit, & velut eos involvit. Sed aliquantò post, Cœlo serenato, viderunt suam & Prophetæ stoliditatem; eumque hinc inde arreptum Wittenbergam ad carceres, cum mille maledictionibus rapiunt: è quo tamen carcere Lutheri patrocinio postea liberatus est.

LECTIO XXIX.

DE SIGNIS ANTECEDENTIBUS JUDICIUM.

DE ANTICHRISTO.

DECLARATUR HAC LECTIONE EIUS Ortus, Malitia, Doctrina, Imperium, & Mors.

Antichristus erit homo verus & singularis.

SIgnum appropinquantis judicii erit adventus Antichristi, de quo sæpè Scriptura. Nota tamen hoc nomen *Antichristus*, solum reperiri apud Joannem; & significat generaliter hominem Christo contrarium, & in hoc sensu aliquando sumitur. Sic Joannes dicit: *Antichristi facti sunt multi. Omnis spiritus qui solvit Iesum, hic est Antichristus.* Hinc aliqui exiitimarunt, non fore determinatam personam, sed quemlibet Christi hostem Julianum, Mahometem, Arium, Lutherum, & similes.

1. Joan. 2. 18. & 4. 3.

Hippolytus Orat. de consummat. sæculi.

Alii dixerunt futurum non hominem sed dæmonem, aut Dæmonum Principem, in forma humana non vera, sed phantastica. Ita Hippolytus. Alii denique dixerunt futurum verum hominem, & simul dæmonem incarnatum.

Sed certum est futuram certam personam, quæ specialiter dicetur Antichristus, eritque verus homo, non dæmon incarnatus. Declaro: Sicut Christus certus & singularis homo est, licet secundum participationem gratiæ & unctionis sacræ aliqui Christi dicti sint: Ita est quidam specialis Christi hostis Antichristus dictus, licet ob ejus imitationem aliqui dicantur Antichristi. Unde D. Joannes utramque significationem conjunxit: *Audistis quia Antichristus venit, & Antichristi facti sunt multi*; quia in voce prima *Antichristus*, habetur articulus, quo designatur singularis persona. Illam verò personam non fore dæmonem, expressè docet Damascenus: *Neque enim*, inquit, *sicut Christus humanitatem assumpsit, ita etiam diabolus homo efficietur; sed omnem sathanæ afflatum suscipiet, & diabolum in eo domicilium sibi constituere studet.* Imò probabile est dæmonem non posse fieri hominem per Incarnationem. Et saltem certum est non posse fieri virtute dæmonis. Non est autem apparens ratio, cur Deus efficeret tantum miraculum, ad nullum bonum finem dignum Deo. Denique aperte nominatur *Homo peccati & filius perditionis*, & dicitur interficiendus; ergo non erit homo phantasticus, sed verus, verè vivens vita hominis. Ex his patet malè aliquos dixisse (teste Hieron. & Augustin.) Antichristum jam venisse & fuisse Neronem. Malè quoque alii dixerunt esse Mahometem. Hi enim licet sint Christi hostes, & Antichristi Metatores (ut loquitur Cyprianus) Præcursoresque illius, non tamen sunt illa persona particularis.

Damasc. l. 4. de fide c. 17.

2. Thess. 2. Hieron. in cap. 11. Danielis. Aug. 20. de civit.

NATIVITAS ANTICHRISTI.

1. *Ejus ortus.*

PRobabiliter dicitur nasciturus ex Tribu Dan. Unde dixerunt aliqui in Babylone nasciturum, ex muliere illius Tribus, ex impuro concubitu, erit enim Judæus origine & professione, ut recipiatur tanquam Messias. Unde aliqui illud Geneseos: *Fiat Dan coluber in via, Corastes in semita.* Dictum putant prophetice à Jacob, præviderente Antichristum ex tribu Dan oriundum. Vide Interpretes in hunc locum.

Gen. 49. 17.

Ob eandem causam in Apocal. omittitur tribus Dan, quasi non sit digna nominari, ob Antichristum ex illa oriundum, licet fuerint ex omni tribu hac aliqui signati sicut ex alis, quia ex omni tribu, inquit, duodecim millia signati, quo numero universitas designatur.

Apoc. 7.

Dicit tamen Cyrillus Hierosolymit. Antichristum persuasurum se esse de progenie David, debeteque se templum olim a Salomone extructum reædificare.

Cyril. catechet. 15.

MALITIA ANTICHRISTI.

2. *Malitiæ ejus.*

AB infantia dæmon velut capiens in ipso possessionem, replebit eum omni malitia, præcipitabitq; ad omne peccatum. Dicitur que autem possideri vel obsideri à dæmone, non sicut arreptitii aut dementati, sic enim non peccaret; sed quia in omnibus dirigetur ab illo, & instruetur omnibus artibus magicis, versutia diabolica, malefica, & crudelitate. Unde dicitur homo peccati, & caput, in quorum, ut ait Damascen. omnem sathanæ afflatum suscipiens.

Hinc aliqui dicunt, postquam venerit ad usum rationis, ab Angelo Custode deserendum, ob pronitatem

Digitized by Google

tatem ad malum, & quia nullum effectum custodiæ, poterit circà illud exercere, inquit D. Antoninus. Nunquam enim datutus est locum bonæ inspirationi, ob perpetuam cum Sathana conjunctionem. Quapropter putant aliqui, nunquam benè moraliter operaturum.

D. Antoninus.

Irenæus l. 5. c. 29. Apoc. 13. v. 2.

De illo ergò dixit Irenæus: *In bestia fit recapitulatio universæ iniquitatis & omnis doli.* Ideò etiam in Apocal. describitur tanquam *bestia similis Pardo, habens pedes sicut Ursi, os sicut Leonis, super capita ejus nomina blasphemiæ*; & Draco dicitur dedisse ei afflatu suo omnem potestatè & virtutem, quo significatur spiritum diabolicum participasse à dæmone.

In Pardo autem significatur varietas; tum ingenii, quia noverit se in omnem formam vertere; tum vitiorum in quibus obstinatus erit. In Urso calliditas insidiosa, & pedes ejus erunt sicut Ursi; ut ascendat & elevet se super omnem altitudinem Ecclesiæ; sicut Ursus non obstante mole corporis, elevat se super quamcunque arborem. In Leone crudelitas significatur, sicque per versutiam, falsaciam, crudelitatem, omnia subjiciet.

DOCTRINA ANTICHRISTI.

3. Doctrina ejus.

STatim incipiet destruere doctrinam Christi, & docere, non fuisse Messiam, & initio instaurabit legem Moysis; ut possit recipi à Judæis; postea verò seipsum Deum faciet. Undè in templo constituent imaginem suam, quam omnes adorare coget, & faciet eam loqui. De qua illud: *Dum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto*, &c. Curabit verò sibi & suæ imagini sacrificium offerri, auferens omnem doctrinam de aliis Sacrificiis & Sacramentis.

Matt. 24. 15.

Doctrinam verò suam superstitionem suadebit, inquit Anselmus, magnâ eloquentiâ & sapientiâ, omnes enim artes callebit, & totam Scripturam. *Secundò* suadebit largitione divitiarum; & verisimile est, diabolum ei ostensurum mineralia, & thesauros absconditos. *Tertiò* eam suadebit terroribus & minis. *Quartò*, signis & prodigiis mendacibus. Sicut enim Christus fecit in signum veritatis, ita ipse in confirmationem falsitatis, & verisimiliter similia illis quæ Christus fecit. Nam sicut Magi pugnabant contra Moysen, similia facientes; ita ipse contra Christum.

S. Anfel.

Athanas. q. 3. ad Antioch.

Non erunt tamen vera miracula, sed apparentia, v. g. Suscitet mortuum, non erit verè mortuus, vel non verè vivet, ut notat D. Athanasius. Aliquando fient per applicationem aliquam occultam, virtute dæmonis.

Erit tamen hæc magna tentatio. *Primò*, in vindictam incredulitatis Judæorum. *Secundò*, ut crescat fides, & constantia Sanctorum elucear, nec erit supra humanas vires, gratia Dei adjutas, quia ideò hæc prædicta sunt, ut verus Christus à falso, vera miracula à mendacibus discernantur, ut notant sancti Patres.

Habebit etiam ad doctrinam suam stabiliendam quendam Pontificem Sacrorum, qui erit de numero Christianorum Pseudopropheta, de quo aliqui interpretantur illud: *Vidi aliam bestiam ascendentem de terra*, id est, hominem bestialiter viventem in omni spurcitia vitiorum; ascendentem de Ecclesia. Nam altera bestia, Antichristus erat *ascendens de mari*, id est, de collectione malorum, quasi de quodam pelago, habens capita septem, quia erit bestia multorum capitum, sive Princeps multorum hæresiarcharum. Hæc verò bestia de terra ascendere dicitur, quasi de floridæ Ecclesiæ horto; & habebit *cornua duo similia Agni*, quasi mitratus Mitrâ Episcopali, & potestatem habebat primæ bestiæ, & faciebat adorare eam, omnes habitantes in terra, cujus ipse velut Mysta & Pontifex erat. Vide cætera, quæ de illa dicuntur in Apoc. c. 13.

Apoc. 13. 11

Apoc. 13. 11.

IMPERIUM ANTICHRISTI.

4. Imperium ejus. Apoc. 13. 1

NOn erit hæreditario jure Rex, quia ex vilissima origine; incipiet tamen per fraudem regnare in Babylone, per magiam, opes, eloquentiam. In Apocal. dicitur habere decem cornua, & super cornua, decem diademata, eo quod multitudo regnorum subjicietur ejus tyrannidi. Undè incipiet superare tres Reges Ægypti, Æthiopiæ, Lybiæ, & postea alios septem. Hi erunt decem cornua.

Apoc. 20. 7. Ezech. 38.

In diebus illis, inquit Joannes, *Solvetur satanas, & exibit, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog & Magog*; quibus nominibus aliqui in Prophetia Ezech. putant figurari Antichristum & Pontificem ejus. *Et congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris; & ascenderunt super latitudinem terræ, & circuierunt castra Sanctorum, & civitatem dilectam*; hoc est, Ecclesiam Christi.

Ex quibus sequitur, eum crudelius persecuturum Ecclesiam, quàm omnes tyranni fecerint; ideò dicitur solvendus Sathanas, ut significetur tanto graviorem fore persecutionem, quanto magis nocere potest, solutus, quàm ligatus; & ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Cogentur enim omnes negare Christum, omnem cultum ac sacrificium, & adorare Antichristum, vel ejus imaginem in templis Christianorum positam, quam faciet loqui. Imò ut omnes hujus cultus & idololatriæ professionem faciant, debebunt ferre characterem bestiæ, in manu dextra, aut fronte; ita ut non possit quis emere aut vendere, nisi habeat characterem bestiæ, aut nomen ejus, aut numerum nominis ejus. Graviora ergò tormenta inferentur, quàm unquàm. Undè Cyrillus & Hippolytus dicunt illustriores forè Martyres tunc, quam priores; quia illi pugnarunt contra ministros diaboli, hi verò contra ipsum Satanam solutum. Erit & universalissima persecutio, unde dicuntur ascendere super latitudinem terræ, & circuire castra Sanctorum.

Cyril. & Hippol. Orat. de consummatione. Apoc. 13.

Porrò,

venturus est, & restituet omnia, non loquitur de Baptista, qui jam venerat, nec restituit omnia. Cum addit: *Elias jam venit*, loquitur Metaphoricè de Ba-
Eccl. 44. ptista, ob Spiritus & ministerii similitudinem. Ita Patres. De Enoch, translatus dicitur, *ut det gentibus pœnitentiam*. Sicut ergò Christus habuit primi adventus Præcursorem, ita & secundi. Differentia verò est, quod Præcursor Primi, tunc fuerit natus & educatus; illi de prioribus sæculis assumuntur, & ad hoc vivi conservantur. Differentia item est quod unus Præcursor primi, duo secundi. Ratio est, quia Christus immediatè tantum missus est ad Judæos: *Non sum missus nisi ad ad oves domus Israel*; sed tunc veniet ad Judæos & Gentes. Ideo mittitur unus ex Circumcisione, restituere tribus Jacob, Elias scilicet, qui zelo divini cultus & spiritu Prophetiæ maximè excelluit. Alius ex præputio, ut det gentibus pœnitentiam, Enoch scilicet, qui inter primos in Dei Religione eminuit.

Prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta: Hoc est, prædicabunt spiritu quodam divino, post quam Antichristus pleno regno potitus fuerit. Verisimile est diversas regiones peragraturos, & missuros discipulos in universum orbem. Postea convenient nutu Dei Hierosolymis, ubi occidentur, & corpora
Apoc. 11. tribus diebus cum dimidio jacebunt in Plateis. Po-
12. stea spiritus vitæ ingredietur in eos, & audietur vox cœlestis, *Ascendite huc*; & ascendent in nube in conspectu omnium. Tandem dicitur factus terræmotus, & decimam partem civitatis cecidisse, & occisa esse nomina hominum septem millia, reliquos timore correptos, dedisse gloriam Deo.

Cum autem duo tantùm testes significentur, non recipimus opinionem D. Hilarii, & aliorum dicentium Moysen venturum: eo quod in primo adventu, inquiunt Moyses & Elias, testes fuere gloriæ, sic & in secundo. Hoc soliditate caret, quia variæ rationes afferri possunt, cur in primo apparuerit, quæ non convincunt pro secundo.

Idem negamus de Joanne Evangelista, quem aliqui dicunt venturum, & supponunt non esse
Joan. 21. mortuum, ob verba Christi: *Sic eum volo manere,*
22. *donec veniam*. De quo etiam dicitur, quod Calicem
Apoc. 10. Domini sit bibiturus. Item illi dicitur: *Oportet te*
11. *iterum prophetare Gentibus, & Regibus multis*. Propter hæc omnia asserunt illi eum venturum; ut sicut aderunt testes legis naturæ & veteris, ita & huic adsit testis legis novæ oculatus, & diu cum Christo conversatus, qui etiam latè, quæ ad Antichristum spectant, prædixit.

Tom. 3. c. 6. & Tom 2. c. 14. 7. Syn. act. 5. Sed probabilius est eum mortuum & Ephesi sepultum, ubi etiam ejus Reliquias fuisse honoratas patet ex Concilio Ephesino, & id asserit Cœlestinus Papa, & habetur in septima Synodo: ex quibus collige eum non esse corpore glorificatum,

Ecclesia quoque celebrans ejus festum, supponit esse beatum, & per consequens mortuum. Non videtur itaque, quod anima beata iterum unienda sit corpori mortali. Quod verò dicitur iterum propheturus, intelligitur vel ob Evangelium postea scriptum, vel quia ex Pathmos rediens iterum in Asia prædicavit. Quod allegatur debere venire aliquem testem legis gratiæ, non erit necessarium novum Joannis testimonium, cùm multi tunc futuri sint testes, multi Sancti & Prædicatores Evangelii. Nec necessarius erit oculatus testis, qualis tamen erit Elias si necessarium sit. Neque verò Christus dicit eum non moriturum, donec veniat; verior enim lectio habet: *Si sic eum volo manere*. O Petre, *quid ad te*! Quod verò calicem dicitur bibiturus, id interpretatur Hieronymus, propter tormenta quæ passus est ad Portam Latinam. V. Brevianum 6. Maii. S. Hiero. li. 3. in ca. 20. Matt.

LECTIO XXX.

DE SIGNIS TERRIBILIBUS Judicium præcedentibus.

Primo de Signis in Sole, Luna & Stellis. Secundo de Apparitione Crucis.

Signis prodigiosis solet Deus insignes calamitates prænunciare.
Luc. 21. 25
Matt. 24. 29.
Marc. 13. 24.
2. Mach. 5. 2.
Granat. 4 p. Catech. in symb. ex Joseph. l. 7. de bello, ca. 12.

VNum ex Signis erit illud, de quo Lucas: *Erunt Signa in Sole, Luna & Stellis*. Solet divina Providentia insignes calamitates prodigiosis signis prænunciare. Sic antequam Antiochus illam cladem intulisset, qua octoginta millia trucidavit Hierosolymis, & templum profanavit, quadraginta diebus exercitus in aere dimicantes visi sunt.

Sic ante destructionem Jerusalem, multa signa præcesserunt, de quibus sic Granatensis: Divina bonitas se erga ingratos etiam Judæos ostendere voluit, ut converterentur; nam per quadraginta annos eos expectavit, quibus omnes Apostoli, & præsertim Jacobus Episcopus Hierosolymitanus eos monebat ad præveniendam iram Judicis. Deinde, ut eorum duritiem emolliret, prodigia minantia eis ostendit. Supra Civitatem sidus simile gladio, & per annum (Alii dicunt septennio) perseveravit Cometes. Festo die Pentecostes, Sacerdotes in Templo vocem subitam audierunt clamantem: *Migremus hinc*. Quod autem his horribilius fuit, Jesus quidam filius Apani Plebeius, priusquam bellum gereretur, quadriennio, cùm ad festum diem venisset, repentè clamare cœpit: *Vox ab Oriente: Vox ab Occidente: Vox à quatuor ventis: Vox in Hierosolymam & Templum: Vox in Maritos novasque Nuptas: Vox in omnem Populum*. Et hoc noctè dieque clamitans, circuibat vicos civitatis. Nonnulli omen indignè ferentes, hominem multis verberibus afficiunt. Ipse verò nihil ad eos locutus, vociferans perseverabat. Ductus ad Præfectum Romanorum, ibi plagis usque ad ossa lacerarus fuit, neque supplex cuiquam fuit, neque lachrymatus, sed ad singulos ictus respondebat: *Va Va Hierosolymis*. Perseveravit ergò donec cincta urbe, in muro clamans: *Va, Va Hierosolymis, va Templo, va Populo, va*

Joſeph, l. 7. de bello Jud. c. 12. Victor Uticenſis l. 2. circa an. 1107.

mihi, telo hoſtili interiit. Plura vide apud Joſeph. Sic quoque ante perſecutionem illam per Wandalos factam, plura ſigna refert Victor Uticenſis. Illud verò mirabile fuit, quod tempore Benedicti Papæ Octavi in Aquitania prodigium accidit; tribus enim diebus pluit ſanguis, qui cadens ſuper carnem hominis, aut ſuper lapidem, non poterat lavari. Si verò ſuper lignum caderet, lavabatur. Hinc Robertus Rex Francorum conſuluit Fulbertum Epiſcopum Carnotenſem, inter Gallicanos Epiſcopos doctrina eminentem. Qui reſpondit, videri ſibi per hæc, tria genera hominum ſignificata. Per lapidem (inquit) impii: Per carnem, fornicarii deſignantur: Per lignum verò quod neque durum eſt ut lapis, neque molle ut caro, illi qui neque impii ſunt, neque fornicarii. Cum ergò venerit ſuper illam gentem, cui portenditur gladius, ſive peſtilentia deſignata per ſanguinem; ſi antea duri & molles, non fuerint mutati in melius, molientur perpetualiter in ſanguine ſuo. Medii verò per anguſtiam mortis, vel aliter poterunt liberari pro arbitrio Judicis. Hæc Fulbertus, apud Baronium.

Baronius Tom. 11. an. 1017.

Sic noſtro tempore ante victoriam Bohemicam, & bella illa crudelia, Cometes prodigioſus longam trahens caudam inſtar virgarum compoſitam, in tota Europa viſus eſt, non ſine terrore.

Sic denique præcedenti ſæculo ante Lutheranam hæreſim, & clades ſanguineas ex illa ortas, multa prodigia in Cœlo & aere præceſſiſſe refert Florimundus Remundus, & alii Hiſtorici.

Florimũ. Rem. lib. 2. de ortu hæreſ. c. 2.

Sed & Prophetæ ſolebant funeſtis aliquibus ſignis afflictiones populo intimare, ut præcaverent. Sic Iſaias totus nudus per plateas Jeruſalem incedit, denudationem & captivitatem indicans. Sic & Micheas, qui dicit: *Vadam ſpoliatus & nudus, clamabo & faciam planctum ſicut draconum.* Sic Jeremias vadit cum catena ferrea ad collum, demonſtrans futuram ſervitutem, & captivitatem apud Babylonios. Sic Ezechiel capillos novacula ſibi per tres partes abraſit, quarum unam combuſit, alteram diſcindit, tertiam in aerem ſpargit: Per primam ſignificans populum peſte & fame laboraturum: Per ſecundam gladio percutiendum: Per tertiam, captivum fore diſpergendum.

Iſa. 20. Mich. 1. 8. Ezech. 5.

3. Signa præcedentia ultimũ Judicium.

Sic ergò voluit ultimam calamitatem Deus multis prodigiis funeſtis pronunciare. Ita ut Cœli, Aſtra, Elementa, terribilem illum diem prodigioſa mutatione ſignificatura ſint, & multis ſignis terribilibus.

2. Erunt ſigna Miſericordiæ & Juſtitiæ.

Partim verò miſericordiæ erunt hæc ſigna, partim juſtitiæ. Miſericordiæ quidem, quia data ſunt ut fugiant homines à peccatis juxta illud: *Dediſti metuentibus te ſignificationem, ut fugiant à facie arcus.* Deus enim velut clementiſſimus Judex cogitur punire & antequam punit, dat tempus converſionis, imò quoddam ſignum edit doloris. Sic Geneſ. 6. dicitur: *Tactus dolore cordis intrinſecus* dixiſſe, quaſi cum planctu, *Delebo hominem quem formavi*

Pſ. 59. 6. Gen. 6. 6.

Secundò: Erunt hæc quaſi ſigna luctus totius Orbis, & totius creaturæ, in diſceſſu hominis; Sicut inquit Chryſoſtomus, quando Paterfamilias aut Rex moritur, tota aula aut familia deſolatur, lamentantur filii & filiæ, famuli lugent, tapetes deponuntur, omnia nigris veſtiuntur.

2. Luctus creaturæ in diſceſſu hominis.

Quocumq; aſpicias nihil eſt niſi mortis imago.

Funus cum lachrymis, angulus omnis habet. S. Chryſ. Hom. 49. in Matt.

Sic homo Dominus eſt, & Rex univerſi: & ideò in ejus diſceſſu omnes creaturæ velut planctum edent & lamentationem, & ultimum vale inclamabunt. Cœlum & Aer obſcuritate, terra & elementa concuſſione, omniſque decor univerſi velut in funus & imaginem mortis convertetur.

Tertiò erunt & hæc ſigna juſtitiæ quia eruut initia dolorum ad vindictam malorum, jamque *pugnabit orbis terrarum contra inſenſatos.* quo fugient Deo rebelles, cum jam omnis creatura armabitur contra eos? Quod refugium ſuptà, ubi non poterunt intueri, niſi Judicem inexorabilem, & Sanctos cum eo, ad faciendam vindictam in nationibus? Quod refugium infrà, ubi occurret eis infernus & æternitas inſupportabilis? Quod refugium, ſive à dextris ſive ſiniſtris, quia cuncta erunt dæmonibus? Quod refugium intra, ubi nihil niſi rodens conſcientia? Quod refugium extrà, cùm nec in cavernis latere poterunt, nec in mundo manere, ubi tales concuſſiones, & omnia funeſta: Immò ubique ignis terribilis;

3. Juſtitia. Sap. 5. 21.

Hinc in Apocalypſi aperto ſigillo ſexto, quod continebat myſteria ſextæ ætatis, quæ eſt ultima mundi, dicitur: *Ecce terra motus factus eſt magnus, & Sol niger tanquam ſaccus cilicinus?* & Luna tota ſicut ſanguis, & omnes Principes & potentes ſervi & liberi, fugerunt ad cavernas, dicentes montibus: *Cadite ſuper nos, & collibus operite nos à facie ſedentis ſuper Thronum, & ab ira Agni.*

Apoc. 6. 12. Luc. 23. 30.

Hinc etiam monet Eccleſiaſtes: *Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam appropinquent anni, de quibus dicas, non placent: Antequam tenebreſcat Sol, & Luna & Stellæ.* Quod intelligunt aliqui de conſummatione ſæculi. Aptè tamen intelligunt de fine cujuslibet hominis, ita ut ibi deſcribat incommoda ſenectutis. Vide Titelmannum, & alios Interpretes.

Apoc. 6. 16. Eccl. 12. 1.

Propter hæc ſigna canimus in Eccleſia: *Dies illa, dies iræ, calamitatis & miſeriæ, &c.* Et propter illa inclamat Joel: *Magnus dies Domini, & quis ſuſtinebit illum?* Magnus utique dies, qui in ſe complectitur omnia tempora, & omnium ſæculorum dies. Ideò verò dies Domini dicitur, quia in illo de hoſtibus triumphabit, & ſupplicium ſumet, *Primò*, Magnus & terribilis, ob ſigna antecedentia aſcentibus hominibus præ timore. *Secundò* Magnus & terribilis, ob multitudinem eo die judicandorum, dum omnium Ordinum homines, qui in Cœlo, qui in Inferno, qui in Purgatorio, qui in Limbo, comparebunt. *Tertiò* Magnus, quia omniũ ſæculorum peccata complectetur, à primo peccato

Joel. 2.

Digitized by Google

cato sive Angeli, sive hominis, usque ad ultimum peccatum sæculi. *Quartò*, Magnus & terribilis, ob magnitudinem iræ divinæ, quæ illo die declaranda est.

Omnes calamitates, pestilentiæ, bella, fames, ignes, inundationes, quæ ab initio ob peccata contigerunt, non nisi scintillæ fuerunt procedentes à furoris igne in Deo latente: tunc autem totus ignis, disruptis undique claustris misericordiæ & patientiæ erumpet in malorum capita, & illius tot erunt nutrimenta & ligna, quot omnium sæculorum scelera.

DE APPARITIONE CRUCIS.

II. Crucis apparitio. Chrysost. hom. de Cruce.

ALterum signum erit, Crucis apparitio.

Aliqui putant, veram Crucem recollectis ejus omnibus partibus sparsis, per orbem ministerio Angelorum appariturum. Hæc opinio non est improbabilis, quam tenent aliqui Antiqui. Hi dicunt ipsam Crucem perpetuò in cœlis conservandam, & velut immutandam ad statum incorruptibilitatis, eò quod fuerit speciale instrumentum Redemptionis, & Altare, in quo Christus se sacrificavit. Imò ut sit perpetuum trophæum victoriæ, & quasi currus triumphalis.

1. Reg. 21. 9. Habes figuram in ense, quo vicit David Goliath, qui solemniter in templo collocatus fuit. Sic dic de Cruce, quasi ense triumphali, rectè jam in æternæ gloriæ templo collocari. Idem asserunt aliqui de corona spinea, dicuntque hæc instrumenta deferenda ab Angelis, quasi vexilla Judicem præcedentia.

Anselm. Jansen. Tostat. Alia opinio dicit, tantum fore figuram Crucis ex aëre lucido, vel igne formatam; quæ tantum splendorem emittet, ut dixerint aliqui Patres, Solis claritatem superaturam, & quatuor orbis partibus fore conspicuam.

Crux cur erit præambulum Judicii? Erit ergò hoc signum præambulum. *Primò*, ut significetur Christus sibi totum orbem subjecisse, & hostes omnes per ejus virtutem continuisse: clavemque esse, cœlos aperientem. *Secundò*, ut significetur nullum cum Christo ad gloriam ingressurum, qui sub vexillo Crucis fortiter non certant. *Tertiò*, ut significetur omnia opera nostra per Crucem mensuranda, nam quisquis huic Cruci confixus fuit, particeps Passionum Christi, & signatus ejus pretioso sanguine, mercedem recipiet: omnia autem mala opera, quæ Cruci conformata non fuere, rejicientur ut cœlo indigna cum operatoribus suis.

Piis ergò gaudium erit Crux, qui eam amarunt, quia in corde gestarunt, quia fiduciam in ea collocarunt. Impius ad confusionem cedet eis terribilior quàm signa in Sole & Luna, quia tremere faciet, & Zach. 12. 10. plangere omnes tribus terræ, *videbunt* tunc *in quem transfixerunt*.

Joan. 19. 37. Illud ergò signum, quod solebat esse amoris signum & fœderis, spes peccatorum, solamen afflictorum, refugium desperatorum, tunc erit malorum omnium prognosticum, impiorum terror, belli signum, & ruina peccatorum. Illud signum, quod remedium fuit contra morsus serpentum, in hoc mundi deserto exaltatum, illud signum Tau, quod impressum frontibus gementium causa fuit salutis, præservans ab Angelo percutiente, illud signum rubei coloris, salvans domum Raab, jam non nisi vindictam inclamabit contra animam peccatricem, jam funesta arbor erit, ad cujus umbram solebant recurrere contra iram Dei salubriori consilio, quàm Adam, qui absconderat se sub ligno in medio Paradisi. Ezech. 9. 4. Jos. 2. 18.

Nullum ergò, ô peccator, habebis refugium, tota spes concidit, nullus asylus, dum arbor Redemptionis contra te insonabit, & sanguis qui melius clamabat, quàm Abel, vocem habens misericordiæ non vindictæ, jam contra te resumet vocem sanguinis Abel; ita ut cogaris cum fratribus Joseph in angustiis dicere: *En sanguis ejus exquiritur*. Et illo tempore implebitur illa petitio Domini apud Job: *Terra, Terra, ne operias sanguinem meum, neque inveniat in te locum latendi clamor meus*. Non enim tunc in terra latebit, sed maximâ voce justitiam implorabit, contra eos, qui per peccatum sanguinem testamenti polluerunt. Hæc rumina. Gen. 42. 22. Job. 19. 19

1. Crux terret, quis consolabitur?

2. Si totius pietatis signum examinat, quis animabit?

3. Si sanguis contra nos vociferatur, quis pro nobis clamabit?

4. Si in Christi vulneribus & visceribus, quæ misericordia affluunt, jam misericordia non invenitur, ad cujus opem confugiemus?

Dicent ergò, *Meritò hæc patimur & sanguis ejus exquiritur*: Exquiret enim ab eis Christus sanguinem; & improperabit eis tot beneficia mortemque suam. Quasi exprobret & dicat eis, inquit Augustinus: Ego imaginem meam tibi impressi, ô homo! Ego spiritum infudi, & cùm in mortis esses vinculis, carnem assumpsi, in Præsepio jacui, contumelias tuli, flagellatus sum, coronatus, Cruci affixus. En clavorum vestigia, en perfossum latus. Cur quod pro te pertuli, perdidisti? Cur ingrate Redemptionis munera renuisti? Cur habitaculum quod mihi in te sacraveram, luxuriæ sordibus polluisti? Cur me graviori criminum tuorum Cruce, quàm illa, in qua quondam pependeram, affixisti? Et quia post omnia mala tua, ad medicamenta pœnitentiæ confugere noluisti, ab auditu malo non mereberis liberari; sic enim in Judice veniam despexisti. Vide Augustinum, vide simile apud eundem Divum Augustin. Tom. 9. tractatu 20. de rectitudine Conversationis Catholicæ. Gen. 41. 21. 22. August. serm. 67. de temp.

Digitized by Google

LECTIO XXXI.

DE ILLIS QUI COMPAREBUNT in judicio.

1. *Docet omnes homines comparituros.*
2. *Malos à bonis ſeparandos.*
3. *Inter bonos ordinem etiam quondam fore.*

PROPOSITIO I.

In judicio comparebunt omnes.

Certum eſt omnes homines, nemine excepto, comparituros.

HInc dicuntur congregandi electi à quatuor ventis, à ſummis Cœlorum uſque ad terminos eorum. Similiter de reprobis dicitur : *Mare dedit mortuos ſuos, & mors, & infernus mortuos, qui in ipſis erant.*

Matt. 24. 31.

Apoc. 20. v. 13.

Et dicuntur alibi congregandi, tàm oves, quàm hædi, tàm reprobi, quam electi. Undè non eſt dubium etiam pueros, qui in limbo ſunt comparituros, licet Matthæus tantùm agat de illis, à quibus opera exigentur. Hi tamen etiam ſententiam ſuam recipient, quia D. Joannes dicit, *Mortuos magnos & puſillos ſtantes in conſpectu throni, judicatos eſſe : Et qui non eſt inventus in libro vitæ, miſſus eſt in ſtagnum ignis.* Cum ergò parvuli non ſint de libro vitæ, mittentur etiam in ſtagnum ignis. An tamen pœna ignis torqueantur, an ſolâ privatione viſionis, dicemus alibi.

Apoc. 20. v. 12. Ibid. v. 15.

PROPOSITIO II.

Malè à bonis ſeparandi.

Separatim comparebunt boni à malis.

ID ſignificant multæ parabolæ. Id ſignificat parabola Piſcatoris trahentis rete, & ſegregantis piſces malos à bonis : Et Paſtoris ſeparantis oves ab hædis : & Patrisfamilias ventilantis in area, & ſeparantis paleas ac zizania à frumento. Nunc ergò mali vivunt mixti bonis, nunc hædi & oves, ſub eodem ſunt Paſtore, iiſdem paſcuis, iiſdem Sacramentis utentes, unam fidem & ritum colendi Deum, eandem ſpem vocationis habentes, nunc diſcerni poſſunt ab hominibus : ſed tunc *exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum.* Tunc diſcernentur fœtidi hædi, auferetur ſpecies illa pietatis & Religionis, & cum rubore ſegregabuntur ab eis, quibus meliores videbantur. Maritus ab uxore, uxor à marito, Pater à filio, Filius à patre, Mater ab ipſis, quos multo dolore ediderat viſceribus, Paſtor ab ovibus, quas ducere debebat : Doctor ab his, quos docendo probos reddidit, ipſe reprobus. Et tunc conſummabitur illud : *Erunt duo in agro, unus aſſumetur, & unus relinquetur : Erunt duo in lecto, unus aſſumetur, &c.*

Matt. 25. 32.

Matt. 13. 49.

Matt. 24. 40.

Luc. 17. 34.

Collocabitur fortè Filius inter electos, ubi ſimul ſententiam cum Chriſto feret, contra Patrem, & fortè contra Paſtorem. Hæc erit mirabilis mutatio, & luctus dum ex eadem domo, ex eadem profeſſione, alii à dextris, alii à ſiniſtris erunt, in æternum ſeparandi. Mirabilis mutatio & luctus, dum, qui in mundo primi fuerunt, ibi erunt noviſſimi, qui in mundo præfuerunt, ibi ſtare erunt indigni inter eos quos calcabant. Qui hic fuerunt à dextris, hoc eſt, in proſperitate, ibi erunt à ſiniſtris, hoc eſt, in ſumma adverſitate.

Figuram habes Geneſis 28. dum Joſeph addurit filios duos ad Jacob, Manaſſen Primogenitum ad dextram ponens, Ephraim ad ſiniſtram : Jacob interim ſpiritu divino illis benedicens, commutavit manus, & in modum Crucis compoſuit, & ita factum eſt, ut qui ad dextram erat, foret ad ſiniſtram. *Manaſſes* figuram gerit peccatoris. *Ephraim* juſti : *Manus dextra* ſignificat proſperitatem. *Siniſtra* adverſitatem. Patet ergò æternus benedicens, commutat manus, & ita fiet ut juſtus modò afflictus, & velut in ſiniſtra poſitus, in dextra ſit, in abundantia proſperitatis. Peccator verò, qui in mundo proſperatur, in ſumma etiit afflictione, quaſi de dextra tranſiens ad ſiniſtram. Patet in Lazaro & Epulone.

Gen. 48. 13.

Luc. 16.

Magna utique confuſio, dum divites, nobiles, ſapientes, hos quos nec aſpectu dignabantur, ſuprà ſe videbunt, ſe in æternùm deſpectos in igne, in Dæmonum ſervitute calcatos. *Audite hæc Reges, qui placetis vobis in turbis nationum,* inquit Sapiens, *ut diſcatis ſapientiam & non excidatis.* Audite hæc, qui non vultis deſpici, ſed ab omnibus honorari, & videre, ut poſſitis honorem æternum adipiſci, & non in illam incidere confuſionem.

Sap. ſ. 12. Sap. ſ. 10.

In illa verò diſterminatione, adimplebitur illud ex parte impiorum *videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperata ſalutis, præ anguſtia ſpiritus gementes, & dicentes intra ſe. Hi ſunt, quos aliquando habuimus in deriſum : Ecce quomodò computati ſunt inter filios Dei : Ergò erravimus, laſſati ſumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles, &c. Quid nobis profuit ſuperbia, aut divitiarum jactantia, tranſierunt tanquàm umbra, &c.*

Sap. ſ. Ⅴ. totum Caput.

Ex parte electorum implebitur illud, *Tunc ſtabunt in magna conſtantia, adverſus eos, quiſe anguſtiaverunt.* Tunc verum erit : *Gladii anceps in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus.* Veniet Chriſtus tunc, quaſi Dux contra hoſtes. Venient & Sancti contra illos, quaſi armati milites, lætabuntur, cùm viderint vindictam : *Manus lavabunt in ſanguine peccatoris.* Incipabunt nationes de neglecta gratia Chriſti, de ſanguine conculcato, & exprobrabunt eis iniquitates. *Venient ad alligandos Reges in compedibus.* Ferent enim ſententiam cum Chriſto, contra Antiochos, Nerones, Diocletianos, & decernent cum Judice, *ut ligatis manibus & pedibus,* projiciantur *in tenebras exteriores.* Hæc erit gloria Sanctis Dei, poſtquam in terris injuſtè judicati ſunt, juſtum judicium jam olim conſcriptum & decretum contra perſecutores facere.

Sap. ſ. 1. ¶ Pſ. 34. 9. 6.

Pſ. 57. 13.

Matt. 22. 11.

Non

Non parum augebit pœnam damnatorum, quod apud fratres nullam misericordiam inveniant, nullum amicum, aut advocatum in hoc tribunali, nec ipsam Matrem misericordiæ. Ibi non stabunt Noë, Daniel, & Job, ut liberent filios suos, quia omnes approbabunt judicium Dei; undè meminisse de-
Psal. 31.6. bent dictum esse: *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.* Pro hac nempè, venia peccatorum, tempore hujus vitæ, quod opportunum est ad inveniendam gratiam, orare possunt Sancti pro nobis; *in diluvio aquarum multarum*, in die judicii, quando diluvium suppliciorum irruet super impios: *Tunc non approximabunt* ad Deum, ut orent pro peccatoribus, quia tempus miserendi effluxerit. Nunc opportunum tempus est, quando, nec calix aquæ mercede caret, & lachryma corde fusa, totius vitæ sordes potest eluere; hac opportunitate transactâ, etiamsi te totum verteres in lachrymarum fontem, imò tot lachrymas funderes, quot Oceanus undas, ne venialis quidem peccati maculam posses eluere. Ipse Angelus tuus, qui tantoperè te dilexit, tam fideliter adjuvit, tam ferventer pro te oravit, tot te periculis exemit, & semper adfuit auxilio, ne dæmones nocerent, omnia tibi adjiciet beneficia, & ob ingratitudinem ipse in ignem præcipitabit, gau-
Matt. 13. 3. 9. debit de perditione tua: *Messores enim sunt Angeli*, qui zizania colligent ad comburendum.

PROPOSITIO III.

Inter bonos ordo aliquis erit.

Inter eos, qui ad dextram sunt, ordo aliquis potest assignari.

SIc possumus dicere Divam Virginem comparituram cum Virginibus, tanquàm Ducem & Caput: Petrum cum Apostolis: Stephanum cum Martyribus: Martinum cum Episcopis: Paulum Eremitam cum Anachoretis: Annam cum Matratis: Magdalenam cum Pœnitentibus: Ordinum Patronos cum suis gregibus: ut unusquisque nectatur sub aliquo capite. Simili enim modo dicit D. Gre-
S. Greg. Hom. 17. in Evang. gorius, unumquemque comparituram cum illis, quos à peccato ad justitiam traduxerit. Ponamus, inquit, ante oculos districtionis diem, quo judex rationem cum servis suis, quibus talenta credidit, ponet. Ecce in majestate coram Angelis videbitur ibi Petrus cum Judæa conversa, quam post se trahet, apparebit ibi Paulus conversum, ut ita dixerim, mundum ducens. Ibi Andreas Achaiam, Joannes Asiam, Thomas Indiam, in conspectu Judicis conversam ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes cum grege & animarum lucris. Quid igitur miseri nos dicturi sumus, quia ad Dominum post negotium vacui redimus? Qui Pastorum nomen habuimus, & oves, quas ex nutrimento nostro ostendere debemus, non habemus? ita ille utique populus tunc circumdabit Pastorem tanquàm corona gloriæ.

Sic legimus de S. Amando moriente, & ad Cœlum ascendente. Apparuit ipse B. Aldegundi absenti & oranti augusta specie, cinctus turba candidorum, cumque interrogaret illa, quis ille esset, audivit ab Angelo. Hic est amabilis Deo Amandus qui migrat ad cœlum, stipatus sanctis animabus, quas virtute, & exemplo, ad virtutem instituit; & proindè ab illis, quasi Pater colitur, & cum illis ad gaudia Domini transit.

Ordinem quoque inter eos, qui à sinistris sunt, possumus designare; ut unusquisque sub capite suo compareat, ad cujus imitationem peccârit. Sic dicere possumus Cain comparaturum cum homicidis, Lamech cum adulteris. Jezabel cum meretricibus, Judam cum perfidis, Herodem cum Principibus iniquis, Pilatum cum Judicibus injustis, Neronem cum Ecclesiæ persecutoribus. Simonem cum Simoniacis, Hæreticos cum suis hæresiarchis, Machiavellum cum suis politicis. *Inter malos etiam quidam assignari potest ordo.*

Huc referri potest, quod Scriptura dicit, impios congregandos, quasi in fasciculos ad combustionẽ. Fasciculum facient Judices cum suis Advocatis, Procuratoribus, Notariis; Caupones cum suis potatoribus; Filiæ impudicæ cum suis amasiis & lenonibus, saltatoribus & lusoribus; & sic de cæteris. Matt. 13.

Undè & ordinem aliquem designare videtur Zacharias dicens: *Plangent familiæ seorsum, familia domus David seorsum, & mulieres eorum seorsum; familia domus Nathan seorsum, & mulieres eorum seorsum, &c.* Alludit ad planctum, qui fuit in morte Josiæ in campo Mageddon, & dicit similem fore planctum, in die judicii, per omnes tribus terræ, & per familias ac tribus Judæorum, quæ speciale lamentum edentes, separatæ erunt. Specialiter autem nominat familias, quæ in morte Domini habuerunt authoritatem. *Familia ergò domus David*, hoc est, primores Jerusalem de domo Regia: *Familia Nathan*, qui fuit filius David, hæc erat familia prorima Regiæ nobilitati: *Familia Levi*, de hac erant Pontifices & Sacerdotes: *Familia Semei*, de quibus (inquit Hieronymus) Doctorum ac Magistrorum agmina pullularunt. Zach. 12. 12. Hieron.

Addit denique, *Omnes familiæ reliquæ seorsum*, hoc est, omnes illæ familiæ quæ à Pharisæis subornatæ clamarunt, *Crucifige*.

Origenes putat significari differentiam eorum, qui ad fidem vocati sunt, sed Deo non placuerunt. 1. *Domus David*, significat Reges & Principes, qui in bonos iniqui fuerunt. 2. *Domus Nathan*, Potentes illos, qui apud Principes potestatem habentes, pios persecuti sunt. 3. *Domus Levi*, malos Sacerdotes. 5. *Domus Semei*, Doctores populi, ac superbos Concionatores, qui opinione Sanctitatis & doctrinæ contra Sanctos intumescunt, & eos persequuntur. 5. Denique in cæteris promiscuum vulgus intelligitur illorum, quos eadem manet damnatio. Origen.

LECTIO XXXII.

DE EXAMINE FUTURI Judicii.

Hæc Lectio docet examinanda merita & demerita.
Peccata occulta & aliena.
Dona & beneficia.

In Iudicio quæ ſint examinanda.

IN illo Judicio examen fiet omnium meritorum & demeritorum. Dicit Scriptura id ſæpiùs. Sicut ergò dicitur, quod *in manu Chanaan ſtatera doloſa ſit*: Idem dicere poſſumus de mundo, per Chanaan ſignificato, quia *Mendaces filii hominum in ſtateris.* Mundi enim ſtatera eſt ſui & ſuorum amor cœcus, ita ut gravia peccata levia æſtimet, immò vitia tanquàm virtutes. Ita ſæpè hypocriſis humilitatis nomen ſibi vendicat, avaritia prudentiæ, Spiritus vindictæ generoſitatis, verba impudica hilaritatis; & ſub hoc colore & pallio, quaſi ſpeciem pietatis habentia, appendit ea in ſtatera ſua mundus. Ideò advenire neceſſe eſt ſtateram juſtitiæ divinæ, cum *Ponderè Sanctuarii*, in qua quæ leviſſima videbantur, graviſſima apparebunt, & patebit vitia fuiſſe, quæ pietatis ſpeciem habebant, ibique quodlibet juxtà pondus & valorem æſtimabitur. Tunc implebitur illud: *Revelabo pudenda tua in facie tua, & oſtendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.*

Oſe.12.7. Pſ.61.10. Num.3.50. Nahum.3.5.

Revelabo, hoc eſt, omne velum auferam, omne pallium, omnes prætextus, quibus celas deformitatem, omnia perizomata, & folia hæreditaria Adam, hoc eſt, omnes excuſationes; & ibi confundam te coram omnibus habitatoribus cœli, infetni, mundi.

Quondam admirabili prodigio Regi Babylonis apparuerunt articuli manus, quaſi hominis ſcribentis in pariete: *Mane, Thecel, Phares.* Quod interpretatus eſt Daniel. *Mane*, id eſt, numeravit Deus Regnum tuum. *Thecel*, id eſt, appenſus es in ſtatera, & *inventus es minùs habens. Phares*, id eſt, diviſum eſt Regnum tuum.

Dan.5.25.

Sic quod ipſe viſibiliter vidit, nos oculis mentis attendere deberemus, unicuique enim noſtrùm minatur manus ſcribens, *Mane, Thecel.* Numeravit Deus annos tuos, menſes, dies, horas, momenta. Appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens ponderis, pretii, valoris, minus juſtitiæ, quàm à te exigebatur. Hoc quidem patebit in illo examine & bilance. Sed explicandum eſt particularius, de quibus examen fiet.

1. De omnibus peccatis propriis.

Primò, examinabuntur omnia peccata tam mortalia quàm venialia, opera, verba, cogitationes & patebunt non confuſè, ſed diſtinctiſſimè cum ſuis circumſtantiis. Adulterium, verbi gratia, quod quis commiſerit, non ſolum patebit in ſe, ſed etiam quomodò alienam ſollicitârit, quibus modis thorum alterius violârit. Ita ut nunc etiam homini nullus futurus ſit excuſandi locus, quia verum erit illud Job. 9. *Non juſtificabitur homo compoſitus Deo, nec poterit reſpondere unum pro mille.* Apparebunt verò peccata omnia, quæ levia vel nulla exiſtimamus, in gravitate ſua, peccata omnia adoleſcentiæ & ignorantiæ noſtræ, quæ vel ignoramus, vel oblivioni tradimus, tunc hominem anguſtiabunt.

Job.9.3.

Propter quod de hoc examine agens Pſalmiſta, ut omnibus terrorem incutiat, & omnes doceat de tremendo illo die, ſic exordiatur Pſalmo 48. *Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem, Terrigenæ & filii hominum, ſimul in unum dives & pauper.* Peregrinum certè exordium, quo omnes omnis generis & ſtatus convocat. Sed quam ob cauſam? *Os*, inquit, *meum loquetur ſapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam*, hoc eſt: Dicam, quæ ſapienter audire decet, & docebo, quæ diu corde concepi, ut faciam homines ſapientes & prudentes, ſive futura providentes, illaque non à me, ſed à Spiritu ſancto dicam. Vide quot præmiis utitur. Loquere ergò Propheta, quæ eſt tua propoſitio? Hæc eſt: *Cur timebo in die mala?* hoc eſt, in die mortis vel judicii. Quaſi dicat: Propono vobis omnibus, qui habitatis orbem, quæſtionem hanc ſolvendam. Quid eſt, quod me terrere poterit in die illa, quæ erit dies anguſtiæ, & caliginis, dies turbinis, tubæ & clangoris? Quid eſt, quod me in illo die, a quo dependet totum bonum, vel malum meum, ſecurum poterit reddere? Magna utique propoſitio, quæ omnes concernit.

Pſ.48.1.

Solvit Propheta ſuum ænigma, cùm dicit: *Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Senſus eſſe poteſt. I. Id quod me timere nunc faciet, non erit paupertas, quia Judex non reſpicit perſonas, aut dona: Non erit malitia teſtium, quia omnia novit Judex: Non erit potentia adverſariorum, quia neminem timet: Non ergò aliud erit niſi iniquitas mea, & maximè *Iniquitas calcanei mei*, iniquitas extrema vitæ meæ, iniquitas perſeverans uſque ad finem, quam pœnitentia non delevi. Illa tunc anguſtiabit me, quia non erit amplius locus indulgentiæ. Sic è contra poterat dicere, id quod me impavidum tunc faciet, non erit nobilitas, aut divitiæ, aut advocatorum diligentia, aut amicorum potentia, ſed juſtitia calcanei mei, ſive extremæ vitæ meæ. II. propiùs ad propoſitum: *Iniquitas calcanei*, eſt illa quam pedibus terimus, quam nihili facimus, ſive peccata, quæ levia exiſtimamus, vel quæ voluntariè oblivioni tradimus. Sic enim ſolemus loqui ad tergum & calcaneum nos projicere, quæ nihili facimus, vel quæ oblivi ſci volumus. Sed dicimus pone omnes illas injurias ſub pedibus tuis, id eſt, oblivi ſcere, & nihili fac. Peccata ergo ad tergum & calcaneum rejecta, oblita & levia a nobis exiſtimata, tunc juxtà pondus ſuum judicabuntur, & anguſtiabunt nos, quia aliter judicat Deus, quàm nos.

Bellarm. illum loc. Pſalmi.

Digitized by Google

Genes. 3. Num. 15. Num. 20. Actor. 5. Sophon. 1. 12.

nos. Quis judicaret tantum peccatum Adæ pomum edentis ut placeret uxori ? Aut peccatum hominis duo ligna colligentis in Sabbato ? Aut peccatorum diffidentiæ in Moyse ? Aut peccatum Davidis ex levitate populum numerantis ? Aut Ananiæ & Sophiræ mendacium? Sed Deus illorum ostendit gravitatem per pœnam inflictam eis. Sic multa in pundere sanctuarii gravia apparebunt à nobis neglecta, dum *scrutabitur Dominus Jerusalem in Lucernis*; dum lucernam divinæ Sapientiæ accendens, pulveres in angulis abstrusos, & sordes ibi neglectas in lucem proferet.

Eccl. 11. 9.

Unde fortiter inculcandum est juvenibus dissolutis, quod eis dicit Ecclesiastes : *Lætare juvenis in adolescentia tua, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum meorum* : nihil æstimans peccatum, putans tibi licere, quicquid libet; bibens quasi aquam, iniquitatem; nihil oscula, tactus, ebrietates, pugnas, vindictas ponderans. Sed scito, quod pro

Ibid. v. 13.

his omnibus *adducet Deus in judicium*. Consideravit omnes gressus tuos ad minimam usque cogitationem: Iniquitas calcanei tui peccata quæ nihil æstimasti, in pondere suo apparebunt & angustiabunt *te, consumet te Deus peccatis adolescentiæ tuæ, scribet contra te amaritudines tuas*, omnes dissolutiones, & quæ tibi nunc adeò suaves videntur, tunc vehe-

Jer. 31. 21.

menter amarescunt. *Statue* ergo *tibi speculum* juxta consilium Hieremiæ, *pone amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam*. Ascendens in mentis tuæ speculam, considera quæ ventura sunt, quam amara erunt, Mors, Judicium, Infernus, vermis conscientiæ: & horum consideratione emenda vitam tuam, dirige pedes tuos in viam rectam, in viam salutis, ne

Eccl. 12. 1.

postea te pœniteat : *Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam approximent anni, de quibus dicas, non placent.*

Exempl. Joan. Climacus in scala Paradisi gradu 6.

Refert B. Joannes Climacus, Solitarium quendam in Choreb habitasse, hic cùm diutiùs negligentissimè vixisset, non habens animæ curam, morbo tandem ad extrema deductus est: cumq; corpore jã migrasset, post horam ad se rediit, rogans ut inde abscederemus. Cellæ verò aditum obstruens, mansit intus annis duodecim, nihil præter panem & aquam gustans; & sedens attonitus volvebat semper quæ viderat, & ita fixo cogitatu, ut nec vultum immutaret, vim solùm Lachrymarum profundens. Cùm jam morti foret vicinus, rupto aditu ingressi sumus; cumque ab illo doctrinæ verbum, supplices requireremus, hoc tantum audivimus: *Ignoscite mihi, nemo qui mortis & judicii memoriam verè agnoverit, peccare unquam potest.* Nos verò mirati sumus talem in eo qui adeo negligens fuerat, beatissimam transformationem. Ita ille.

1. *De peccatis alienis.*

Secundo, examinabuntur peccata aliena, quibus communicavimus. Unde David : *Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce servo tuo.*

Ps. 18. 13.

Duo autem genera alienorum timenda sunt. *Primò*, Eorum, quæ alii committunt ob malum exemplum nostrum, hæc verò tunc patebunt. *Secundò*. Eorum, quæ alii committunt, qui sub cura nostra sunt. Reddet enim Pater rationem de peccatis filiorum, ob nimiam indulgentiam, Domini famulorum, Pastores subditorum : *Ipsi enim pervigilant rationem reddituri pro animabus vestris*, inquit Apostolus. Confessarii peccatorum, à quibus malè absolverunt, vel nimia facilitate pœnitentem in peccatis nutrierunt, quibus minatur Dominus per Prophetam: *Væ qui consuitis pulvillos sub capite omnis ætatis. Væ qui linistis parietem absque paleis*, dimittentes pœnitentem sine reprehensione in peccatis; sic molliter agendo, quasi linientes ei brevi casurum parietem. Ibi interrogabuntur habentes animarum curam : *Ubi est grex qui datus est tibi, pecus inclytum tuum ? Quid dices in die quando visitaberis? Nunquid dolores apprehendent te quasi mulierem parturientem* ? Tunc quoque verum erit : *Sanguinem de manu tua requiram*, ô Speculator, ô Pastor, quia tuba non insonueris, & peccante impio illum non monueris. Certè vita Ecclesiasticorum & eorum qui indignitate sunt constituti, severe examinabitur.

Hebr. 13. 17.

Ezech. 13.

Jer. 13. 20.

Ezech. 3. 18.

Exempl. Fran. Put. in vita Brunonis.

Habes exemplum de Doctore Parisiensi, quod passim reperies. Hic cùm piæ vitæ existimaretur, tamen dum ejus celebrarentur exequiæ, solemni officio inclamavit : *Justo Dei Judicio accusatus sum.* Et iterum: *Justo Dei Judicio judicatus sum.* Et tertio: *Justo Dei judicio condemnatus sum.*

3. *De operibus bonis.*

Tertiò, Examinabuntur ipsa opera bona. Multi enim bonis operibus existimant se Deo placere, qui sine merito invenientur : quia non fecerunt tali intentione, qua debuerunt, sed potius suum commodum quærentes, vel vanam gloriam & complacentiam, & ita receperunt mercedem suam. Item non omnia bona opera suis vestita sunt circumstantiis, sed mixta multis imperfectionibus. *Si fulserint*, inquit Job, *velut mundissima manus mea, tamen sordibus intinges me.* Si opera mea existimavero munda & fulgida, in illis tu sordes & aliquid imperfecti poteris ostendere. Unde & alibi ait : *Si quid justum habuero, tamen Judicem meum deprecabor.*

Job. 9. 30.

Sicut enim parvus nævus ab artifice perito facilè deprehenditur; & parvus error à pictore etiam in imagine quæ pulchra apparet. Et lignum quod rectum putatur, si funiculum mensor adhibeat, curvum statim apparet. Ita erunt opera nostra respectu supremi Artificis, Pictoris, Mensoris. *Sapè sordet in discretione Judicis, quod fulget in æstimatione operantis*, inquit Gregorius.

S. Grego.

Si bona opera ponderabuntur, quanto magis neglectus illorum; Multi ergo propter bona omissa rejicientur. Sic reprobatæ sunt Virgines, quæ lampades ardentes non habuerunt : Et qui veste nuptiali caruit : Et qui pecuniam Domini in sudario ligavit.

Matt. 25. Matt. 22. Luc. 19.

Refertur, illa hora qua Bernardi anima migravit, triginta millia discessisse, de quorum numero Decanus Lingonensis qui honores fugiens in Eremo annis viginti quinque egerat. Hic apparuit Dinatus Episcopo ex B. Vin.

Exempl. Spec. exempl. V.

Digitized by Google

Epiſcopo Lingonenſi, dicens: *Age pœnitentiam, corrige vitam, dimitte ſuperbiam & avaritiam, non enim eſt tam facilè ſalvari, ut credunt, nam dum judicis tremendo præſentatur, fuerunt triginta ſimul millia, de quorum numero Bernardus & ego ſalvati ſumus, tres in Purgatorium, alii omnes in infernum deſcenderunt.*

4. De beneficiis & donis Dei. Luc. 16. 2.

Quarto, examinabuntur beneficia & dona: ſumus enim diſpenſatores donorum Dei, ſive ſpiritualium, ſive temporalium. Unde ſicut Dominus à famulis, ita & ipſe à nobis exigit rationem de donis acceptis, an ad ejus gloriam uſi fuerimus. Redde ergò rationem de donis, ſive corporis, ſive fortunæ, de donis animæ, de ſpiritualibus beneficiis. Redde rationem Fidei, Baptiſmi, Sacramentorum, concionum, admonitionum, inſpirationum, quibus toties pulſavi. Sed ſi hæc parva ſunt, redde rationem ſanguinis, crucis, mortis meæ.

Hæc itaque ſæpe conſideranda ſunt. Quod ſi dona & beneficia, bonaque opera, ſi otioſa verba in examen venient, quanto magis tot laſciva verba & malitioſa (quæ tam parvi faciunt homines) calumniæ, convitia, detractationes ponderabuntur, & in enormitate ſua apparebunt? Rectè ergo monet nos Scriptura, cum timore & tremore incolatus noſtri tempore converſari, tanquam quadrantem noviſſimum redditurus. Unde & Job dicebat: *Verebar omnia opera mea ſciens quod non parcares delinquenti.* Job. 9. 28.

Abac. 2. Optimum ergo conſilium, quod proponit Abacuc: *Super cuſtodiam meam ſtabo, figam gradum ſuper munitionem meam, & contemplabor, ut videam quid dicatur mihi, & quid reſpondeam ad arguentem me.* Quid arguet Dominus?

Arguet ſuperbiam, arguet vanitatem, arguet cor impurum, arguet invidiam, odia, charitatis defectum. Ergo ſta ſuper cuſtodiam tuam, ut hæc à te rejiciens, & in teipſo tempore hoc opportuno arguens, non inveniat poſtea quod poſſit arguere. Timere verò te oportet, & diligenter te cuſtodire, quia hæc omnia ſevere arguet.

Granat. Ducis peccatorum c. 7. Refert Granatenſis, defunctum quendam poſt mortem apparuiſſe amico, maximis oppreſſum doloribus, magna & lamentabili voce exclamantem: *Nemo credit, nemo credit, nemo credit.* Amicus expaveſcens rogat quid ſibi velit talis exclamatio. Cui ille. *Nemo credit, quàm ſtrictè judicat Deus, & quam ſeverè caſtigat.*

LECTIO XXXIII.

DE SENTENTIA JUDICIS.

EXPLICATIO SENTENTIÆ PRO Electis.

Sententia Judicis pro Electis. Matt. 25. 34. *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, &c.*

VErba hæc melliflua ſunt, affectione & exultatione plena, habentque ſingula pondus ſuum.

Primo ergo dicit: *Venite*, illis dicitur *Venite*, qui euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua. Nunc invitantur, ut *venientes veniant cum exultatione portantes manipulos ſuos*; ut operum ſuorum fructum afferant, & illorum mercedem recipiant. *Venite*, illis dicitur, qui *anguſtiati, egentes, afflicti circumbant.* Peregrini & exules, nunc ad locum quietis invitantur, & ad patriam dulciſſimam. *Venite*, illis dicitur, qui ſedebant ad ripas Babylonis, flumina præterfluentia contemplantes, fluxa ſcilicet bona hujus mundi, & recordati Civitatis Jeruſalem, recordati patriæ æternæ, flebant & gemebant. Illi ergo nunc ad locum gaudii deducentur, de loco mœroris & afflictionis; ad locum quietis, de loco exilii; de Babylone & captivitate, ad Civitatem pacis & contemplationis. Pſ. 115. 6. Hebr. 11. 38. Pſ. 136. 1.

Secundo dicit: *Benedicti Patris mei*, q. d. Vos ab hominibus maledictiones paſſi eſtis, opprobria, irriſiones, quia multi vitam veſtram putabant inſaniam, & tanquam excrementa & purgamenta rejecti fuiſtis: *Omnium peripſema uſque adhuc.* Sed à Patre electi & computati eſtis inter filios: *Benedicti vos à Domino qui fecit cœlum & terram.* Omnes qui viderint vos, cognoſcent, inquit Iſaias, *quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus.* 1. Cor. 4. 13. Pſ. 113. 16. Iſai. 61.

Benedicti vos in perſona Sem & Japhet, quibus benedixit pater, maledicens Cham, qui reproborum perſonam agebat. *Benedicti* in perſona Iſaac, qui à patre hæres conſtitutus fuit, Iſmaele ab hæreditate excluſo. *Benedicti* vos in perſona Jacob, quia à patre cum benedictione Primogenituram accepit loco Eſau reprobi. In his omnibus figura erat electorum & reproborum.

Tertiò dicit: *Poſſidete Regnum.* Utique Regnum illud multis titulis veſtrum eſt. 1. Titulo donationis, quam fecit Pater vobis. 2. Titulo hæreditatis, quia hæredes Dei, cohæredes Chriſti. 3. Titulo emptionis, per pretium Sanguinis mei. 4. Titulo mercedis, ob veſtræ meritum actionis.

In illius ergo poſſeſſionem realem, liberam & ſecuram vos immitto, ad quam jus multiplex habuiſtis.

Regnum verò eſt, quod vobis præparavi, non quælibet hæreditas, *Regnum decoris & diadema ſpeciei accipietis de manu Domini.* Diadema quod nemo jam tollere poterit à vobis. Regnum quod nemo turbare poterit, ubi nec inimicus inſidians eſt, nulla premens anxietas, nullus terror, nullus error, nulla ambitio, ſed pax imperturbabilis. Sap. 5. 17.

Regnum Patris eſt, Regnum gloriæ, Regnum omnis fœlicitatis, Regnum cujus non eſt finis, Regnum omnium ſæculorum.

O felix Regnum, quomodo totos nos rapere deberes in tui conſiderationem! Quomodo totum deſiderium & voluntatem rapere deberes in tui amorem! O Patris benedictio, quam deſiderabilis es! O ſecura poſſeſſio, trahe ex imo cordis noſtri ad te ſuſpirantes lachrymas. *Quando veniam*, inquit Propheta, *& apparebo ante faciem Dei mei*, Pſal. 41. 3.

ante

Digitized by Google

ante vultum Patris æterni benedictionem impertientis, & possessionem æterni Regni inducentis?

Psl.83. 8. *Etenim benedictionem dabit Legislator, videbitur Deus Deorum in Sion.*

Possidete ergò Regnum, quod vexillo Crucis militantes acquisivistis. *Possidete* coronam, quæ vobis debetur, quia bonum certamen certastis, & cursum consummâstis. *Possidete*, quia vicistis & triumphâstis de peccato, de diabolo, de mundo. *Possidete*, quia superâstis proprias passiones, tentationes, concupiscentias; ideò enim reposita fuit vobis corona hæc justitiæ, quam nunc reddo in die solemni & publico coram toto mundo, juxtà promissum meum: *Qui vicerit, dabo ei sedere in throno meo*, in

Apoc. 3. regni mei consortio, *sicut & ego sedi in throno cum Patre meo.*

Quartò dicit: *Quod paratum vobis fuit à constitutione mundi.* Quia scilicet hoc regnum filiis adoptivis ab æterno Pater præparavit. *Stat fixa sententia*

S. Bernar. *æternitatis*, inquit Bernardus, & *Misericordia ejus ab æterno usque in æternum super timentes eum.* Ab æterno per prædestinationem, usque in æternum per glorificationem.

Rom. 8. 30. *Quos prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Nunquid ergò misericordia ejus ab æterno usque in æternum porrigitur.

Isa. 26. 1. Hieron. in Isaiam D. Thó. & Hugo in Isaiam. Isa. 26. 1. In illa ergò die, cùm fœlix hæc sententia pronunciata fuerit, habebit locum suave illud Canticum de quo Isaias in persona electorum. 1. *In illa die cantabitur canticum istud in terra Juda*, hoc est, in Ecclesia cœlesti, ubi perpetua laus & confessio. Cantabunt electi, cùm videbunt tantam suam gloriam, & tantam damnatorum se pœnam evasisse. Quid ergò cantabunt? 2. *Urbs fortitudinis nostræ Sion, Salvator ponetur in ea murus & antemurale.* Sensus est: Urbs beatitudinis nostræ illa Sion cœlestis, munitissima erit & fortissima, ita ut nullus ei nocere possit; quia Salvator erit ejus protector & salus, & tanquàm murus fortissimus undique eam cinget, ut nullus possit eam accedere inimicus, malum nullum, nulla turbatio. 3. *Aperite portas, & ingredietur gens justa, custodiens veritatem.*

Idem ibi. 2. Sanch. & A Lapide in Isaiam. Verba sunt beatorum, qui audientes à Judice vocem illam lætitiæ: *Venite Benedicti Patris mei*: exultantes ad Angelos dicunt: Aperite, ô Angeli, portas Cœli, ad quod jam ascendimus cum triumpho, ut ingrediatur gens, quæ justitiam colnit & veritatem servavit. Vel juxtà D. Hieron. Est hic mutatio personæ quasi in dialogo, suntque verba Chri-

Isa. 26. 3. sti ad Angelos dicentis: O Angeli referate Cœlum, ut Sancti mei intrent ad æternam illam pacis visionem, quam per fidem & gratiam meam hic speraunt. 4. *Vetus error abiit, servabis pacem, quia in te speravimus.* Et iterùm vox Electorum, quasi sibi congratulantium, & dicentium: Nunc patet verus error voluptuariorum & damnatorum, qui nos stultos judicabant, sequentes viam asperam. Patet enim nos sapienter egisse, illos stultè: ecce enim adepti sumus pacem illam, & omnium bonorum abundantiam, quam nobis Domine contulisti, & servabis in æternum, quia illam à te speravimus, & propter illam dura omnia tulimus, per cruces, spinas, & duras semitas te sequentes. 5. *Sperastis in Domino in sæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum.* Sunt verba Prophetæ, vel Angelorum Beatis congratulantium: Speràstis, ô Viri sapientes & divini, in Domino; speràstis consequi ab illo sæcula æterna, beatam illam æternitatem. Nunc capite spei vestræ fructum, ipsam beatam vitam possidete, in sæcula æterna. Idem ibi.

Hoc ergò canticum, quasi dialogus est Beatorum, Christique & Angelorum congratulantium de hac beata æternitate, & de hac fœlici sententia; *Venite Benedicti, percipite Regnum.*

Hæc ergò ultima vox Christi electos invitantis, digna est, quæ imprimatur cordibus nostris, & trahat ac excitet affectum nostrum, ut dignam se anima exhibeat, ad vocem illam in illo die excipiendam.

Exempl. Blos. in Monili. B. Mechtildis Virgo, Filia Comitis cujusdam Germaniæ, Sponsa Christi ab ineunte ætate, tanto in his verbis deliciabatur affectu, ut cùm feria quarta post diem Paschæ inchoaretur introitus Missæ per illa ipsa verba: *Venite Benedicti Patris mei:* ipsa insolita lætitia (noverat enim linguam latinam) exultârit, & Domino dixerit: *O si essem una ex illis benedictis, qui hanc dulcissimam vocem sunt audituri!* Tunc Dominus ad eam: *Scias certò te ex illis esse, & ut nihil dubites, ecce tibi do cor meum in pignus amoris, & in domum refugii, ut semper, & maximè in hora mortis, ibi consolationem & requiem invenias.* Ex eo ergò tempore, facta est mira cordis Christi & illius conjunctio, sivè spiritus creati cum increato unio. Cùm verò jam in mortis agone esset constituta, nihil aliud dicebat, quàm hæc verba: *Iesu bone, Iesu bone.* Hæc assiduè replicabat, apertè demonstrans illum cordi suo impressum, cujus nomen inter acerbos mortis dolores tam suaviter ruminabat, tam crebrò pronunciabat. Instante autem horâ, quâ migratura erat, Dominus eam lumine suæ divinitatis totam illustrans, suavi voce invitavit: *Veni Benedicti Patris mei, possida regnum tibi paratum à constitutione mundi:* Commonefaciens eam doni illius, quo in pignus amoris, cor suum Christus illi dederat, dum illa verba in Missa cantarentur. Igitur illa beata anima in ipsum cor Jesu suavissimè admissa, sempiternis ejus gaudiis fœliciter fuit sociata.

Similem vocem audivit B. Quintinus, cum fortiter pro Christi nomine varia tormenta pertulisset: & tunc anima ejus in forma candidæ Columbæ in Cœlum visa est conscendere, ut regni foret particeps.

Sic B. Petrus Alcantara, Ordinis D. Francisci, qui Confessarius quandoque fuit B. Theresiæ, absoluto vitæ cursu, in extremis ruminans hanc Dei promissionem de regno, totus in spiritu exhilara-

Digitized by Google

tus ſpiritum reddidit, hæc verba pronuncians: *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.*

Nos ergò hodie vocem illam Chriſti audivimus, non finamus eam præterfluere, nec obduremus corda noſtra; ſed excitemur ad viriliter certandum, contra peccata & ſalutis impedimenta, ad perſeverandum in fide, ſpe, gratia, tolerantia, ac bonis operibus; ad requirendum illam benedictionem Patris ſimus ſoliciti: *feſtinemus in illam requiem*, ad illud Heb. 4. 11. Regnum: & videamus, *ne quis ex vobis deſit*, inquit Apoſtolus, ſed omnes digni ſimus hac felici voce, conſortio Patris, Chriſti hæreditate.

Undè ad id multum juvabit, ſi ultimam D. Franciſci ad Fratres admonitionem, quæ etiam omnes nos concernit, attendamus. O inquit, dilectiſſimi Fratres, & in æternum benedicti Filii, audite me, audite vocem Patris veſtri.

S. Franciſci ultima ad fratres exhortatio.

Magna promiſimus: Majora promiſſa ſunt nobis.
Servemus hæc: ſuſpiremus ad illa.
Voluptas brevis: pœna perpetua.
Modica paſſio: gloria infinita.
Multorum vocatio: paucorum electio.
Omnium retributio.

LECTIO XXXIV.

EXPLICATIO SENTENTIÆ, QUÆ feretur contra Reprobos.

Sententia contra Reprobos. Matt. 25. 41. Apoc. 1. 13

Diſcedite Maledicti in ignem æternum.

FOrma illa & ſpecies, in qua Chriſtus apparuit in Apocalypſi Joannis, applicari poteſt ipſi ut Judici. Dicit enim ibi apparuiſſe *ſimilem Filio hominis, in medio ſeptem Candelabrorum aureorum, veſtitum pondere, & præcinctum ad mamillas zona aurea*, capillis candidis, tanquàm lana & nix; oculis ut flamma ignis, cum pedibus calcantibus fornacem ardentem, vox illius, tanquàm vox aquarum multarum, in dextera ſeptem ſtellæ, in ore utraque parte gladius acutus, facies ſicut Sol lucens, dicebatque ſe habere claves mortis & inferni.

Hæc omnia hic applicari poſſunt.

1. *Veſtis talaris*, veſtis juſtitiæ eſt, quâ Chriſtus fulget.

2. *Cingulum ad mamillas*, ſignificat tunc miſericordiæ reſtrictionem.

3. *Caput candidum*, Sapientiæ maturitatem.

4. *Oculi ignei*, Judicis zelum & furorem.

5. *Pedes ſicut in camino ardenti*, reproborum in fornace conculcationem.

6. *Vox aquarum multarum*, reproborum velut per torrentem iræ inundantem rejectionem.

7. *Facies ſicut Sol*, indicat Majeſtatem.

8. *In dextra ſeptem Stellæ*, gloriæ pro electis donationem.

9. *Gladius utraque parte acutus*, ultimæ ſententiæ pronuntiationem, quæ corpus animamque plagâ æternâ afficiet.

Hic ergò erit gladius biceps: *Diſcedite maledicti*, &c. ubi ſingula verba vim & emphaſim habent. *Diſcedite*, Pœna damni indicatur, ſcilicet ſeparatio à Deo, & privatio gloriæ. Quæ pœna graviſſima eſt & lamentabilis. Sic enim, dum quis in exilium extra patriam mittitur, a domo paterna & parentum conſortio, tantus eſt luctus; quantæ hic erunt lamentationes, dum ab illa patria, quæ his jure Baptiſmi debetur, & Sanguine Chriſti empta eſt, ſeparabuntur à Deo Patre, a Virgine Matre, ab amicis Angelis, a fratribus Chriſtianis, & hoc non ad tempus, ſed in æternum?

Hæc autem pœna ſeparationis, dicitur à Theologis gravior, quam ipſe ignis & tota gehenna, quia cum viſio ſit tota merces, privatio viſionis erit velut tota pœna, ſaltem principalis. Hinc Chryſoſtomus: *Multi timent ſolum ignis acerbitatem, ſed hæc pœna longè gravior erit & acerbior. Ignis eſt intolerabilis, ſed ſi mille mihi ignes proponeres, non tanti æſtimo ac privari illâ beatitudine, gloriâ, præſentiâ Chriſti.* Similiter loquuntur & alii Patres. Chryſoſt.

Maledicti: Gravis pœna, ab illo maledici, à quo omnis benedictio profluit.

Benedictionem Patris amittere, quàm dignum luctu ſit, attende in Eſau. Hic cum vendidiſſet primogenita, & hoc parvi penderet, poſt aliquod tempus, dum Jacob jure Primogeniti benedictionem poſtulâſſet & impetrâſſet, Eſau verò ſe illâ privatum videret, rediens ex agro, *irruens*, inquit Scriptura, *clamore magno*, ob perditam Patris benedictionem. Gen. 27.

Tunc primùm advertit dignitatem primogenituræ, quam antea ob leve ferculum vendiderat. Si ita rugit pro temporali benedictione, quantò magis rugitum edent reprobi privati æternâ benedictione Patris, & ejecti cum omni imprecatione ac maledictione, exhæreditati ab omni conſolatione & ſpe? Tunc ergò illi ſerò ululabunt. Serò ſicut Eſau advertent dignitatem primogenituræ, id eſt, gratiæ divinæ, quam pro eſca & re nihili, pro momento voluptatis, pro puncto honoris, vendiderunt, cum hæreditate æterna in æternum ad eam non rediturí.

Maledictionem hanc innumeræ aliæ conſequentur inter ipſos reprobos: *Vnuſquiſque vorabit carnem brachii ſui, Manaſſes Ephraim, Ephraim Manaſſem.* Iſa. 9. 20.

Sua corpora maledicent, quod ut illis ſuos appetitus indulgerent, priventur tantâ gloriâ. Pater filium, quod ut ibi divitias acquireret; Mater filias, quod ut eas in Matrimonio nobiliter collocaret, ſui ipſius & ſalutis oblita ſit. Filius patrem, quod ipſum non inſtruxerit in via Dei, quod non correxerit, quod injuſtè acquiſitis eum ditârit, & perdiderit. Unuſquiſque alterum, qui peccati ei ſocius fuit, maledicet. Imò verò & diem nativitatis ſuæ, miris clamoribus, & uterum quo portatus ſunt, & ubera

Digitized by Google

ubera quæ fuxerunt, diris devovebunt. Hæc enim erit eorum musica, hi cantus, hæ matutinæ eorum,
Job. 3. 1. quæ describuntur in Job: *Pereat dies in qua natus sum*, &c.

In ignem. Pœna sensus hic designatur, pœna ignis in quo vivi comburentur, nec consumentur, desiderabunt mortem, & fugiet ab eis, desiderabunt in nihilum redigi, & corpus cum anima extingui, & non dabitur. Hæ sunt eorum lamentationes. Væ misero, væ cur natus sum? Cur lucem vidi? Cur non fœlicitas saltem bestiarum datur mihi, quarum animæ cum corpore pereunt? Jam perire cupio, & non conceditur, mors fugit, & tamen sine morte mortem morior sempiternam.

Greg. l. 9. moral. c. 39. Hinc Gregorius dicit: *Horrendo modo sit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, quia & mors semper vivit, & finis semper incipiet, & defectus deficere nescit, mors perimit, & non extinguit.*

S. Aug. Eodem modo dicit Augustinus: *O mors quam dulcis foret illis, quibus antea adeò erat amara! Jam te summoperè desiderant, qui super omnia oderant; laborabit ergo in æternum angustiatus in pœnis, & vivet adhuc in finem.*

Hunc nimirum ignem ipsi peccatis suis accenderunt; ideo meritò in illum dejiciuntur. Unde eos cum Sarcasmo & irrisione alloquens Propheta, di-
Isa. 50. 11. cit: *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis quas accendistis: de manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis*, q.d. Volutamini nunc in incendio ignis inextinguibilis, quod vobis adornastis, in vinculis igneis, quæ vos retinent sub caligine, ut loquitur Judas, quæ vobis per peccata vestra fabricastis. Ambulate nunc & ludite, sicut in igne concupiscentiæ, & vinculis cupiditatis vobis complacebatis. Verùm, *de manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis.* Cithara vestra in luctum versa est, & organum in vocem flentium, lætitia in mœrorem. Decumbetis inter ignes, dolores & cruciatus, hi erunt lecti vestri, hæc cervicalia; ego justus Judex ad hunc ignem, ad hos dolores vos damno, manu mea invicta & æterna, quæ proinde hunc ignem vobis in æternum alet & conservabit.

Isa. 33. 14. Iterum alibi eos alloquens Dominus per Prophetham ait: *Quis de vobis poterit habitare cum igne devorante & cum ardoribus sempiternis?* Quis ex vobis poterit volutari in illo flammarum pelago, & cum æternis ignibus colluctari; Si hujus vitæ dolores, qui sunt tantum umbra, ferre non possumus, imò nec dentis unius dolorem, aut vermis pulicisve infestationem, quis poterit ardorem illum sempiternum? Est ne aliquod lumen rationis in hominibus, aut mica cerebri? Aut certè hæc non credunt, aut fortè ad alios tantum spectare existimant? Dum, non obstantibus omnibus his quæ in Scripturis manifesta sunt, & fidei dogmata, peccatis gravissimis involvuntur, & magnam partem ætatis in illis conferunt, quasi hæc commenta sint vetulatum aut fabulæ.

Hæc interim, si quis mente ruminavit, potentissima sunt ad animam commovendam, & curam illi salutis imprimendam. Verum homines, quadam stupiditate & cæcitate insensibiles ad hæc reduntur, vel ea non considerant, vel nimis de divina misericordia præsumunt; & ex illa peccandi ansam arripientes, misericordiam semper ante oculos, justitiam retro projicientes, ut non considerent eam. Vel certè valde leviter id faciunt; ideoque illa consideratio nihil in eis efficit ad mutationem vitæ, neque cor tangit, quia ad illud cogitationem hanc plenè descendere non permittunt. Sicut si ignem, quantumvis efficax sit, leviter & celeriter attingas, non adurit; sic si judicia, & ignem æternum in transitu tantùm percuras, vim & efficaciam non senties.

Esai. Abb. in lamen. Orat. 26. ibi multa. Propterea Esaias Abbas, qui profundè & crebrò hunc ignem meditabatur, hominum deplorabat miseriam, multis cum lachrymis. Unde in lamentationibus suis, sic dicit: Væ nobis, qui tenebrosum illud & materiæ expers incendium æternumque & amarum fletum & stridorem dentium non consideramus. Ablato enim flammæ splendore, Deus in illo igne relinquit urendi vim & obscuritatem, qua magis impii excruciantur. Væ nobis, qui hic sine timore nos peccatis obstringimus, quoniam nos illic ignis æternus excipiet, & tenebræ exteriores, & vermis qui non dormit, & luctus & stridor dentium, & coram Angelis ac creaturis omnibus dedecus sempiternum. Væ nobis, qui cùm assiduos conscientiæ reprehendentis stimulos sentiamus, non erubescimus, nec rationem actionum nostrarum reddituri, Dei judicium formidamus. Væ nobis, qui in hoc exiguo vitæ spatio, non iniquæ & brevi carnis cupiditati satisfaciamus, nos jucundissimo divinæ gloriæ spectaculo indignos constituimus. Ita ille.

Idem Orat. 14. Et iterum alibi exclamat: Me miserum, me miserum, quia nondum à gehennæ igne sum liber. Qui ad illam homines detrahunt, adhuc in me operantur, adhuc in corde meo agunt, & pessimos fructus suos proferre cupiunt. Nondum mihi constat, quoniam hinc sim profecturus, nondum mihi parata est recta via. Nondum video, quæ mihi apud Judicem possit esse fiducia. Nondum ex reorum numero exemptus sum. Reus qui in carcere vinctus est, non lætatur: qui ferreis obstrictus est vinculis, voluntatem suam non facit, non quiescit. Non edit cum voluptate, cujus collo injectus est laqueus. Neque amplius cogitat, quomodo alia scelera committat, sed in luctu est, ob illa propter quæ obstrictus est. Qui considerat extrema illa supplicia, quibus afficiendus est ob peccata, is animum in cæteris non habet occupatum, cor ejus stimulat dolor tormentorum. Ita ille.

Exempl. Theod. in Philotheo. c. 2. Refert Theodoretus, se vidisse Thalelæum, qui eum maximo esset corpore, inclusit se totæ, quæ alta erat cubitos duos, lata unum, ita ut collum non posset erigere, sed semper incurvus, lectum habebat annexam genibus, & ita sederat decem annos

continuos. Rogavit eum Theodoretus, cur ſeſe ita affligeret? Reſpondit: *Ego multis peccatis ſum obnoxius, & andivi pœnas quæ in futuro parantur, Elegi ergò potius corpus hic caſtigare pœna mediocri, quàm exſpectare pœnas longè graviores.*

DE ÆTERNITATE IGNIS.

Ignis æternitas.

In ignem æternum.

HÆc erit deſperatio reproborum, ſeparari à Deo, & in ignem detrudi; non ad tempus, non per annorum myriades, ſed per totam æternitatem. Ita ut ſi quis conſideret tot annorum millia, quot ſunt momenta in tempore à creatione mundi, quot guttæ in mari, quot denique arenæ in univerſa terra, nihil numerando proficit, plus teſtat quam numerarit, & æternitatis necdum habet principium. Sed durabunt illa tormenta, quamdiu Cœlum erit Cœlum, terra erit terra, Angelus erit Angelus, Deus erit Deus, quia *fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum.* Deſperationem adducet damnatis hæc conſideratio æternitatis, in qua nulla unquam conſolatio, nec à Deo nec ab Angelis, nec à Beatis, nec ab ulla creatura. Et licet manſerit in pœnis per omne imaginabile tempus, nihil diminuetur de illis.

Apoc. 14. 12.

Interroga Cain, qui jam quinque annorum millibus ibi fuit, an aliquid de pœnis ejus tanto tempore diminutum ſit? Reſpondebit, quod nihil prorſus, quia manet infinita, & ſemper incipit ſolvenda.

Propterea de illis dictum eſt: *Pone eos ut rotam ante faciem venti.* Rota quia circularis eſt, non habet finem. Ita nec illi in tormentis. Rota agitata à vento ſemper vertitur, quamdiu ventus durat: Ita & illa à furore juſtitiæ æternum durante, volventur de pœna in pœnam, de tormento in tormentum.

Pſ. 76. 18. Huc etiam referri poteſt illud Pſalmi: *Sagitta tua tranſiunt, vox tonitrui in rota.* Ut ſit ſenſus: Afflictiones hujus mundi, bella, fames, peſtilentiæ, tandem finem accipiunt, ſuntque velut flagellum, aut ſagitta tranſiens. Sed *vox tonitrui tui*, vox illa: *Diſcedite in ignem æternum*, quæ velut tonitrua inſonabit, qua perſonante, terra ſubitò abſorbebit reprobos. *Dominus* enim, inquit Propheta, *ſicut fortis egredietur, vociferabitur, diſſipabit, & abſorbebit ſimul.* Hæc inquam, vox tonitrui, tantæ virtutis erit, ut effectus ejus non ſit tranſiens, ſed efficaciæ æternæ, volvens reprobos de pœnis in pœnas, inſtar rotæ ſemper à vento furente agitatæ, & hoc in ſæcula ſæculorum.

Iſa. 42. 13.

Ventus iſte divinæ iræ, meritò nobis eſt conſiderandus. Memineris ergo trium quæſtionum, quas Angelus propoſuit Eſdræ: *Pondera mihi pondus ignis: Menſura flatum venti: Revoca diem qui præteriit.* Reſpondet Eſdras: Quis natorum poterit facere, ut me interroges de his? Quaſi dicat: Quis modus ignem in bilance ponendi, ut poſſit ejus pondus à nobis ſciri? Quis ventum ab Oriente ad Occidentem ſe extendentem, juſtè menſurare poſſet? Quis diem præteritum revocare, cùm ad præteritum non ſit potentia? Verum moraliter, ille *ponderat pondus ignis*, qui in cogitationis ſuæ bilance ſæpius illum expendit. Ille *menſurat flatum venti*, qui vitæ ſuæ brevitatem conſideret, dicens Deo: *Memento quia ventus eſt vita mea.* Vel ille, qui divinæ iræ, quaſi turbinis impios in æternas miſerias volventis, vim conſiderat in conſpectu, cujus impii ſunt pulvis, quem projicit ventus à facie terræ. Ille *revocat diem qui præteriit*, qui implet illud: *Recogitabo tibi annos meos in amaritudine animæ meæ.*

Job. 7. 7.

Iſa. 38. 15.

Illud ergò *æternum*, illa vox tonitrui, effectus erit juſtitiæ tunc dominantis; quam cum ſtupore conſiderabat David dicens: *Nunquid in æternum projiciet Deus? Aut non apponet, ut complacitior ſit adhuc? Aut in finem miſericordiam ſuam abſcindet? Aut obliviſcetur miſereri Deus, & continebit in ira miſericordias ſuas.*

Pſ. 76. 8.

Attende ibi, quoties replicat idem diverſis verbis, admirans diem illum ultionis, diem juſtitiæ deputatum; in quo cum ſtupore admiratur, quomodo amator hominum Deus, quos ad imaginem condidit, & ſanguine redimit, in æternum à ſe projiciet, nullis precibus aut ſuppliciis placandus. Et ideò inclamat: Nunquid bonitatis ille fons tunc gratiæ & miſericordiæ fluenta, & id quidem in ſæcula, abſcindet ab impiis, nec fluere ſolito more ſinet? Nunquid qui malos puniens, miſericordiam ſemper immiſcuit, cui proprium eſt miſereri, qui gloriari ſolet in operibus miſericordiæ, qui miſericors & miſerator ſemper vocatus eſt; tunc obliviſcetur miſereri, & ita iram ſuam inundare permittet, ut ita miſericordiam ſibi quaſi captivam ſubjiciat? *Hæc* inquit, *meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabor, & ſcopebam ſpiritum meum.* Cùm ſcilicet, omnia nocturno tempore ſilerent, nec tumultuantis familiæ ſtrepitus mentis aciem perturbaret. Tunc omnia terrena & temporalia infra me relinquens, in æternitatem illam mentis oculos attollebam.

Idem ibi. 7.

Et hâc *Æternitatis* conſideratione, dixi, *Nunc cepi.* Hoc eſt: Vitam meam ſic decrevi inſtituere, ut quadam mutatione *dextra excelſi*, nunc rectius vivere incipiam, & meipſum judicare, antequam judicer, ideò cogito annos æternos, & ſcrutor omnia latibula conſcientiæ meæ.

Idem ibi. 11.

Ergò hæc ſententia: *Diſcedite Maledicti*, deberet homini mutationem vitæ inducere, cujus ſingula verba, ut ex dictis patet, pondus & emphaſin habet.

Quapropter hic exclamare libet. O diſceſſio! O maledictio! O ignis? O Æternitas formidanda! Quid primum mirer? Quid primum ingeam? Quid magis amplificem? An ſeparationem à Deo? An ejus maledictionem? An ignem crudeliſſimum? An malorum omnium nunquam finiendam Æternitatem? Hæc omnia terrore & luctu plena ſunt, in illa

Digitized by Google

in illa die calamitatis & miseriæ magna & amara valde.

Discedite, inquit, *in ignem æternum.*

Apocal. 18.2. Ad hanc vocem tonitrui: *Cecidit, cecidit Babylon illa magna, & facta est habitatio dæmoniorum & spirituum immundorum*, ut describit Joannes. Quæ quidem Babylon, non aliud significat quàm congregationem omnium impiorum, quæ horum verborum fulmine icta, terra absorbente ruet, in confusionis irrevocabilem abyssum.

Cujus impetum describere volens Angelus, lapidem molarem magnum sustulit in altum, & misit in mare, clamans: *Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, & ultra non invenietur. Exultate super eam Cœli & Sancti Apostoli & Prophetæ, quia judicavit Deus judicium vestrum de illa. Væ, væ, Civitas illa magna Babylon, quoniam una hora venit judicium tuum.* Ubi semper per Babylonem possumus intelligere totam collectionem reproborum, quæ ruet ad dictam vocem Domini horribilem: *Discedite Maledicti in ignem æternum.*

Hanc ergo vocem audi terra & treme: audi Cœlum & obstupesce: audite elementa & plotate: audite omnes creaturæ & lamentum edite super miseria æterna peccatoris.

Utinam vox mea tantæ sit efficaciæ, ut hanc sententiam intonare & resonare faciat, per aulas Regnum, per Palatia Principum & Magnatum, per Tribunalia Judicum, per domos Mercatorum, per officinas artificum; & omnium possit cordibus tremorem salubrem incutere, ut in illa die possint *liberari à verbo aspero.*

Audite ergo Principes, & *nunc* vos *Reges intelligite, erudimini* ad hanc vocem *qui judicatis terram.* Pſal. 2. 10. Audite qui Civitates incolitis, qui pagos & rura, *filii hominum simul in unum divites & pauper*, quique in dignitate, aut statu Ecclesiastico, aut Religioso estis constituti. Audite, inquam, hanc vocem, & per illam discite servire Domino in timore. Et vos intelligite, quicumque obliviscimini Deum, animam, salutem, & animvertite hanc sententiam, ne quando rapiat, & non sit qui eripiat. Pſal. 48. 3.

TRACTATUS IV.

EXPLICATIO ARTICULORUM SPECTANTIUM AD TERTIAM TRINITATIS PERSONAM.

LECTIO I.

ARTICULUS VIII.

CREDO IN SPIRITUM SANCTUM.

DE PERSONA SPIRITUS SANCTI.

1. *Decet Spiritum Sanctum æqualem esse Patri & Filio.*
2. *A Patre Filioque procedere.*
3. *Hunc esse Spiritum vivificantem.*

PROPOSITIO I.

Tertia in Trinitate Persona est Spiritus Sanctus, æqualis Patri & Filio.

HANC Personam Spiritum S. nominamus per appropriationem. Unde cum Spiritum S. dicimus, non intelligimus, aut animas beatas, aut Angelos, qui Spiritus sunt, & sanctitatem habent; neque intelligimus personam Patris aut Filii, licet utraque Spiritus sit, & quidem sanctitatis author. Sed intelligimus hanc tertiam personam, per quandam tam Scripturæ quam Ecclesiæ appropriationem: Non enim proprium nomen habemus, quo illam personam nuncupemus, aut quo exprimere possimus illam communicationem Patris & Filii per modum amoris, sed spiratio solet appellari; & persona per illam spirationem producta Spiritus Sanctus dicitur. *Scriptura & Ecclesia.*

Dicit verò Cyprianus, *Spiritus Sanctus nomen accepit à vento, quem trahimus & afflamus, ut respiratio, aspiratio, insperatio, inspiratio, expiratio, à Spiritu Sancto, & cujam habeat & materiam & proventum.* Cyprian. Serm. de Pentecoste.

Hanc verò personam æqualem esse cum aliis, in essentia & omni perfectione, supra declaratum est. Unde trium personarum æqualitatem significantes Seraphim clamant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, plena est omnis terra gloria ejus.* Apoc. 4. 8 Isa. 6. 3. Ubi ter Sanctus repetitur, ad significandam Trinitatem Personarum, & gloria ejus dicitur plena terra, ad significandam unitatem & æqualitatem essentiæ & majestatis in tribus.

Ecclesia idem significat in suo Trisagio, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis*: quem Hymnum edocta est ab Angelis, ut Deum trinum & unum

Joſeph. l. 7. de bello Jud. c. 12. Victor Uticenſis l. 2. circa an. 1107.

mihi, telo hoſtili interiit. Plura vide apud Joſeph. Sic quoque ante perſecutionem illam per Wandalos factam, plura ſigna refert Victor Uticenſis. Illud verò mirabile fuit, quod tempore Benedicti Papæ Octavi in Aquitania prodigium accidit; tribus enim diebus pluit ſanguis, qui cadens ſuper carnem hominis, aut ſuper lapidem, non poterat lavari. Si verò ſuper lignum caderet, lavabatur. Hinc Robertus Rex Francorum conſuluit Fulbertum Epiſcopum Carnotenſem, inter Gallicanos Epiſcopos doctrina eminentem. Qui reſpondit, videri ſibi per hæc, tria genera hominum ſignificata. Per lapidem (inquit) impii: Per carnem, fornicarii deſignantur: Per lignum verò quod neque durum eſt ut lapis, neque molle ut caro, illi qui neque impii ſunt, neque fornicarii. Cum ergò venerit ſuper illam gentem, cui porrenditur gladius, ſive peſtilentia deſignata per ſanguinem; ſi antea duri & molles, non fuerint mutati in melius, morientur perpetualiter in ſanguine ſuo. Medii verò per anguſtiam mortis, vel aliter poterunt liberari pro arbitrio Judicis. Hæc Fulbertus, apud Baronium.

Baronius Tom. 11. an. 1027.

Sic noſtro tempore ante victoriam Bohemicam, & bella illa crudelia, Cometes prodigioſus longam trahens caudam inſtar virgarum compoſitam, in tota Europa viſus eſt, non ſine terrore.

Florimũ. Rem. lib. 2. de ortu hæreſ. c. 2.

Sic denique præcedenti ſæculo ante Lutheranam hæreſim, & clades ſanguineas ex illa ortas, multa prodigia in Cœlo & aere præceſſiſſe refert Florimundus Remundus, & alii Hiſtorici.

Iſa. 20.

Sed & Prophetæ ſolebant funeſtis aliquibus ſignis afflictiones populo intimare, ut præcaverent. Sic Iſaias totus nudus per plateas Jeruſalem incedit, denudationem & captivitatem indicans. Sic &

Mich. 1. 8.

Micheas, qui dicit: *Vadam ſpoliatus & nudus, clamabo & faciam planctum ſicut draconum.* Sic Jeremias vadit cum catena ferrea ad collum, demonſtrans futuram ſervitutem, & captivitatem apud

Ezech. 5.

Babylonios. Sic Ezechiel capillos novacula ſibi per tres partes abtaſit, quarum unam combuſit, alteram diſcindit, tertiam in aerem ſpargit: Per primam ſignificans populum peſte & fame laboraturum: Per ſecundam gladio percutiendum: Per tertiam, captivum fore diſpergendum.

3. Signa præcedentia ultimũ Judicium.

Sic ergò voluit ultimam calamitatem Deus multis prodigiis funeſtis pronunciare. Ita ut Cœli, Aëra, Elementa, terribilem illum diem prodigioſa mutatione ſignificatura ſint, & multis ſignis terribilibus.

2. Ernus ſigna Miſericordiæ & Juſtitiæ.

Partim verò miſericordiæ erunt hæc ſigna, partim juſtitiæ. Miſericordiæ quidem, quia data ſunt ut fugiant homines à peccatis juxta illud:

Pſ. 59. 6.

Dediſti metuentibus te ſignificationem, ut fugiant à facie arcus. Deus enim velut clementiſſimus Judex cogitur punire & antequam punit, dat tempus converſionis, imò quoddam ſignum edit doloris. Sic

Gen. 6. 6.

Genes. 6. dicitur: *Tactus dolore cordis intrinſecus* dixiſſe, quaſi cum planctu, *Delebo hominem quem formavi*

Secundò: Erunt hæc quaſi ſigna luctus totius Orbis, & totius creaturæ, in diſceſſu hominis; Sicut inquit Chryſoſtomus, quando Paterfamilias aut Rex moritur, tota aula aut familia deſolatur, lamentantur filii & filiæ, famuli lugent, tapetes deponuntur, omnia nigris veſtiuntur.

2. Luctus creaturæ in diſceſſu hominis.

Quocumq; aſpicias nihil eſt niſi mortis imago.

Funus cum lachrymis, angulus omnis habet.

S. Chryſ. Hom. 49. in Matt.

Sic homo Dominus eſt, & Rex univerſi: & ideò in ejus diſceſſu omnes creaturæ velut planctum edent & lamentationem, & ultimum vale inclamabunt. Cœlum & Aer obſcuritate, terra & elementa concuſſione, omniſque decor univerſi velut in funus & imaginem mortis convertetur.

3. Juſtitiæ.

Tertiò erunt & hæc ſigna juſtitiæ quia erunt initia dolorum ad vindictam malorum, jamque

Sap. 5. 21.

pugnabit orbis terrarum contra inſenſatos. quo fugient Deo rebelles, cum jam omnis creatura armabitur contra eos? Quod refugium ſuprà, ubi non poterunt intueri, niſi Judicem inexorabilem, & Sanctos cum eo, ad faciendam vindictam in nationibus? Quod refugium infrà, ubi occurret eis infernus & æternitas inſupportabilis? Quod refugium, ſive à dextris ſive ſiniſtris, quia cincta erunt dæmonibus? Quod refugium intrà, ubi nihil niſi rodens conſcientia? Quod refugium extrà, cùm nec in cavernis latere poterunt, nec in mundo manere, ubi tales concuſſiones, & omnia funeſta: Immò ubique ignis terribilis;

Hinc in Apocalypſi aperto ſigillo ſexto, quod continebat myſteria ſextæ ætatis, quæ eſt ultima mundi, dicitur: *Ecce terra motus factus eſt magnus,*

Apoc. 6. 12.

& Sol niger tanquam ſaccus cilicinus? & Luna tota ſicut ſanguis, & omnes Principes & potentes ſervi & liberi, fugerunt ad cavernas, dicentes montibus:

Luc. 23. 30.

Cadite ſuper nos, & collibus operite nos à facie ſedentis ſuper Thronum, & ab ira Agni.

Apoc. 6. 16.

Hinc etiam monet Eccleſiaſtes: *Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam appropinquent anni, de quibus dicas, non placent: Antequam tenebreſcat Sol, & Luna & Stellæ.* Quod intelligunt aliqui de conſummatione ſæculi. Aptè tamen intelliguntur de fine cujuslibet hominis, ita ut ibi deſcribat incommoda ſenectutis. Vide Titelmannum, & alios Interpretes.

Eccl. 12. 1.

Joel. 2.

Propter hæc ſigna canimus in Eccleſia: *Dies illa, dies ira, calamitatis & miſeriæ, &c.* Et propter illa inclamat Joel: *Magnus dies Domini, & quis ſuſtinebit illum?* Magnus utique dies, qui in ſe complectitur omnia tempora, & omnium ſæculorum dies. Ideò verò dies Domini dicitur, quia in illo de hoſtibus triumphabit, & ſupplicium ſumet. *Primò*, Magnus & terribilis, ob ſigna antecedentia arescentibus hominibus præ timore. *Secundò* Magnus & terribilis, ob multitudinem eo die judicandorum, dum omnium Ordinum homines, qui in Cœlo, qui in Inferno, qui in Purgatorio, qui in Limbo, comparebunt. *Tertiò* Magnus, quia omniũ ſæculorum peccata complecteur, à primo peccato

d by Google

cato ſive Angeli, ſive hominis, uſque ad ultimum peccatum ſæculi. *Quartò*, Magnus & terribilis, ob magnitudinem iræ divinæ, quæ illo die declaranda eſt.

Omnes calamitates, peſtilentiæ, bella, fames, ignes, inundationes, quæ ab initio ob peccata contigerunt, non niſi ſcintillæ fuerunt procedentes à furoris igne in Deo latente: tunc autem totus ignis, diſruptis undique clauſtris miſericordiæ & patientiæ erumpet in malorum capita, & illius tot erunt nutrimenta & ligna, quot omnium ſæculorum ſcelera.

DE APPARITIONE CRUCIS.

II. Crucis apparitio.

ALterum ſignum erit, Crucis apparitio.

Aliqui putant, veram Crucem recollectis ejus omnibus partibus ſparſis, per orbem miniſterio Angelorum appariturum. Hæc opinio non eſt improbabilis, quam tenent aliqui Antiqui. Hi dicunt ipſam Crucem perpetuò in cœlis conſervandam, & velut immutandam ad ſtatum incorruptibilitatis, eò quod fuerit ſpeciale inſtrumentum Redemptionis, & Altare, in quo Chriſtus ſe ſacrificavit. Imò ut ſit perpetuum trophæum victoriæ, & quaſi currus triumphalis.

Chryſoſt. hom. de Cruce.

1. Reg. 21. 9.

Habes figuram in enſe, quo vicit David Goliath, qui ſolemniter in templo collocatus fuit. Sic dic de Cruce, quaſi enſe triumphali, rectè jam in æternæ gloriæ templo collocari. Idem aſſerunt aliqui de corona ſpinea, dicuntque hæc inſtrumenta deferenda ab Angelis, quaſi vexilla Judicem præcedentia.

Anſelm. Janſen. Toſtat.

Alia opinio dicit, tantum fore figuram Crucis ex aëre lucido, vel igne formatam; quæ tantùm ſplendorem emittet, ut dixerint aliqui Patres, Solis claritatem ſuperaturam, & quatuor orbis partibus fore conſpicuam.

Crux cur erit præambulum Judicii?

Erit ergò hoc ſignum præambulum. *Primò*, ut ſignificetur Chriſtus ſibi totum orbem ſubjeciſſe, & hoſtes omnes per ejus virtutem continuiſſe: clavemque eſſe, cœlos aperientem. *Secundò*, ut ſignificetur nullum cum Chriſto ad gloriam ingreſſurum, qui ſub vexillo Crucis fortiter non certarit. *Tertiò*, ut ſignificetur omnia opera noſtra per Crucem menſuranda, nam quiſquis huic Cruci confixus fuit, particeps Paſſionum Chriſti, & ſignatus ejus pretioſo ſanguine, mercedem recipiet: omnia autem mala opera, quæ Cruci conformata non fuere, rejicientur ut cœlo indigna cum operatoribus ſuis.

Piis ergò gaudium erit Crux, qui eam amarunt, quia in corde geſtarunt, quia fiduciam in ea collocarunt. Impis ad confuſionem cedet eis terribilior quàm ſigna in Sole & Luna, quia tremere faciet, & plangere omnes tribus terræ, *videbunt* tunc *in quem tranſfixerunt*.

Zach. 12. 10. Joan. 19. 37.

Illud ergò ſignum, quod ſolebat eſſe amoris ſignum & fœderis, ſpes peccatorum, ſolamen afflictorum, refugium deſperatorum, tunc erit malorum omnium prognoſticum, impiorum terror, belli ſignum, & ruina peccatorum. Illud ſignum, quod remedium fuit contra morſus ſerpentum, in hoc mundi deſerto exaltatum, illud ſignum Tau, quod impreſſum frontibus gementium cauſa fuit ſalutis, præſervans ab Angelo percutiente, illud ſignum rubei coloris, ſalvans domum Raab, jam non niſi vindictam inclamabit contra animam peccatricem, jam funeſta arbor erit, ad cujus umbram ſolebant recurrere contra iram Dei ſalubriori conſilio, quàm Adam, qui abſconderat ſe ſub ligno in medio Paradiſi.

Ezech. 9. 4. Joſ. 2. 18.

Nullum ergò, ô peccator, habebis refugium, tota ſpes concidit, nullus aſylus, dum arbor Redemptionis contra te inſonabit, & ſanguis qui melius clamabat, quàm Abel, vocem habens miſericordiæ non vindictæ, jam contra te reſumet vocem ſanguinis Abel; ita ut cogaris cum fratribus Joſeph in anguſtiis dicere: *En ſanguis ejus exquiritur*. Et illo tempore implebitur illa petitio Domini apud Job: *Terra, Terra, ne operias ſanguinem meum, neque inveniat in te locum latendi clamor meus*. Non enim tunc in terra latebit, ſed maximâ voce juſtitiam implorabit, contra eos, qui per peccatum ſanguinem teſtamenti polluerunt. Hæc rumina.

Gen. 42. 22. Job. 19. 19

1. Crux terret, quis conſolabitur?

2. Si totius pietatis ſignum examinat, quis animabit?

3. Si ſanguis contra nos vociferatur, quis pro nobis clamabit?

4. Si in Chriſti vulneribus & viſceribus, quæ miſericordia affluunt, jam miſericordia non invenitur, ad cujus opem confugiemus?

Dicent ergò, *Meritò hæc patimur & ſanguis ejus exquiritur*: Exquiret enim ab eis Chriſtus ſanguinem; & improperabit eis tot beneficia mortemque ſuam. Quaſi exprobret & dicat eis, inquit Auguſtinus: Ego imaginem meam tibi impreſſi, ô homo! Ego ſpiritum infudi, & cùm in mortis eſſes vinculis, carnem aſſumpſi, in Præſepio jacui, contumelias tuli, flagellatus ſum, coronatus, Cruci affixus. En clavorum veſtigia, en perfoſſum latus. Cur quod pro te pertuli, perdidiſti? Cur ingrate Redemptionis munera renuiſti? Cur habitaculum quod mihi in te fabraveram, luxuriæ ſordibus polluiſti? Cur me graviori criminum tuorum Cruce, quàm illa, in qua quondam pependeram, afflixiſti? Et quia poſt omnia mala tua, ad medicamenta pœnitentiæ confugere noluiſti, ab auditu malo non mereberis liberari; ſic enim in Judice veniam deſperaſti. Vide Auguſtinum, vide ſimile apud eundem Divum Auguſtin. Tom. 9. tractatu 20.

Gen. 42. 21. 22. Auguſt. ſerm. 67. de temp.

de rectitudine Converſationis Catholicæ.

LECTIO XXXI.

DE ILLIS QUI COMPAREBUNT in judicio.

1. *Docet omnes homines comparituros.*
2. *Malos à bonis ſeparandos.*
3. *Inter bonos ordinem etiam quondam fore.*

PROPOSITIO I.

In judicio comparebunt omnes.

Certum eſt omnes homines, nomine excepto, comparituros.

HInc dicuntur congregandi electi à quatuor ventis, à ſummis Cœlorum uſque ad terminos eorum. Similiter de reprobis dicitur : *Mare dedit mortuos ſuos, & mors, & infernus mortuos, qui in ipſis erant.*

Matt. 24. 31. Apoc. 20. v. 13.

Et dicuntur alibi congregandi, tàm oves, quàm hædi, tàm reprobi, quàm electi. Undè non eſt dubium etiam pueros, qui in limbo ſunt comparituros, licet Matthæus tantùm agat de illis, à quibus opera exigentur. Hi tamen etiam ſententiam ſuam recipient, quia D. Joannes dicit, *Mortuos magnos & puſillos ſtantes in conſpectu throni, judicatos eſſe : Et qui non eſt inventus in libro vitæ, miſſus eſt in ſtagnum ignis.* Cum ergò parvuli non ſint de libro vitæ, mittentur etiam in ſtagnum ignis. An tamen pœna ignis torqueantur, an ſolâ privatione viſionis, dicemus alibi.

Apoc. 20. v. 12. Ibid. v. 15.

PROPOSITIO II.

Mali à bonis ſeparandi.

Separatim comparebunt boni à malis.

ID ſignificant multæ parabolæ. Id ſignificat parabola Piſcatoris trahentis rete, & ſegregantis piſces malos à bonis : Et Paſtoris ſeparantis oves ab hædis : & Patrisfamilias ventilantis in area, & ſeparantis paleas ac zizania à frumento. Nunc ergò mali vivunt mixti bonis, nunc hædi & oves, ſub eodem ſunt Paſtore, iiſdem paſcuis, iiſdem Sacramentis utentes, unam fidem & ritum colendi Deum, eandem ſpem vocationis habentes, nunc diſcerni poſſunt ab hominibus : ſed tunc *exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum.* Tunc diſcernentur fœtidi hædi, auferetur ſpecies illa pietatis & Religionis, & cum rubore ſegregabuntur ab eis, quibus meliores videbantur. Maritus ab uxore, uxor à marito, Pater à filio, Filius à patre, Mater ab ipſis, quos multo dolore ediderat viſceribus, Paſtor ab ovibus, quas ducere debebat : Doctor ab his, quos docendo probos reddidit, ipſe reprobus. Et tunc conſummabitur illud : *Erunt duo in agro, unus aſſumetur, & unus relinquetur : Erunt duo in lecto, unus aſſumetur, &c.*

Matt. 25. 32. Matt. 13. 49. Matt. 24. 40. Luc. 17. 34.

Collocabitur fortè Filius inter electos, ubi ſimul ſententiam cum Chriſto feret, contra Patrem, & fortè contra Paſtorem. Hæc erit mirabilis mutatio, & luctus dum ex eadem domo, ex eadem profeſſione, alii à dextris, alii à ſiniſtris erunt, in æternum ſeparandi. Mirabilis mutatio & luctus, dum, qui in mundo primi fuerunt, ibi erunt noviſſimi, qui in mundo præfuerunt, ibi ſtare erunt indigni inter eos quos calcabant. Qui hic fuerunt à dextris, hoc eſt, in proſperitate, ibi erunt à ſiniſtris, hoc eſt, in ſumma adverſitate.

Figuram habes Geneſis 28. dum Joſeph addurit filios duos ad Jacob, Manaſſen Primogenitum ad dextram ponens, Ephraim ad ſiniſtram : Jacob interim ſpiritu divino illis benedicens, commutavit manus, & in modum Crucis compoſuit, & ita factum eſt, ut qui ad dextram erat, foret ad ſiniſtram. *Manaſſes* figuram gerit peccatoris. *Ephraim* juſti : *Manus dextra* ſignificat proſperitatem. *Siniſtra* adverſitatem. Pater ergò æternus benedicens, commutat manus, & ita fiet ut juſtus modò afflictus, & velut in ſiniſtra poſitus, in dextra ſit, in abundantia proſperitatis. Peccator verò, qui in mundo proſperatur, in ſumma erit afflictione, quaſi de dextra tranſiens ad ſiniſtram. Patet in Lazaro & Epulone.

Gen. 48. 13. Luc. 16.

Magna utique confuſio, dum divites, nobiles, ſapientes, hos quos nec aſpectu dignabantur, ſuprà ſe videbunt, ſe in æternùm deſpectos in igne, in Dæmonum ſervitute calcatos. *Audite hæc Reges, qui placetis vobis in turbis nationum*, inquit Sapiens, *ut diſcatis ſapientiam & non excidatis.* Audite hæc, qui non vultis deſpici, ſed ab omnibus honorati, & videre, ut poſſitis honorem æternum adipiſci, & non in illam incidere confuſionem.

Sap. 5. 18. Sap. 5. 20.

In illa verò diſterminatione, adimplebitur illud ex parte impiorum *videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperata ſalutis, præ anguſtia ſpiritus gementes, & dicentes intra ſe. Hi ſunt, quos aliquando habuimus in deriſum : Ecce quomodò computati ſunt inter filios Dei : Ergò erravimus, laſſati ſumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles, &c. Quid nobis profuit ſuperbia, aut divitiarum jactantia, tranſierunt tanquàm umbra, &c.*

Sap. 5. V. totum Caput.

Ex parte electorum implebitur illud, *Tunc ſtabunt in magna conſtantia, adverſùs eos, qui se angustiaverunt.* Tunc verum erit : *Gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus.* Veniet Chriſtus tunc, quaſi Dux contra hoſtes. Venient & Sancti contra illos, quaſi armati milites, lætabuntur, cùm viderint vindictam : *Manus lavabunt in ſanguine peccatoris.* Increpabunt nationes de neglecta gratia Chriſti, de ſanguine conculcato, & exprobrabunt eis iniquitates. *Venient ad alligandos Reges in compedibus.* Ferent enim ſententiam cum Chriſto, contra Antiochos, Nerones, Diocletianos, & decernent cum Judice, *ut ligatis manibus & pedibus*, projiciantur *in tenebras exteriores.* Hæc erit gloria Sanctis Dei, poſtquam in terris injuſtè judicati ſunt, juſtum judicium jam olim conſcriptum & decretum contra perſecutores facere.

Sap. 5. 1. Pſ. 14. 5. 6. Pſ. 57. 11. Matt. 11. 11.

Non

Non parum augebit pœnam damnatorum, quod apud fratres nullam miſerationem inveniant, nullum amicum, aut advocatum in hoc tribunali, nec ipſam Matrem miſericordiæ. Ibi non ſtabunt Noë, Daniel, & Job, ut liberent filios ſuos, quia omnes approbabunt judicium Dei; undè meminiſſe debent dictum eſſe: *Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno.* Pro hac nempè, venia peccatorum, tempore hujus vitæ, quod opportunum eſt ad inveniendam gratiam, orare poſſunt Sancti pro nobis; *in diluvio aquarum multarum*, in die judicii, quando diluvium ſuppliciorum irruet ſuper impios: *Tunc non approximabunt* ad Deum, ut orent pro peccatoribus, quia tempus miſerendi effluxerit. Nunc opportunum tempus eſt, quando, nec calix aquæ mercede caret, & lachryma corde fuſa, totius vitæ ſordes poteſt eluere; hac opportunitate tranſctâ, etiamſi te totum verteres in lachrymarum fontem, imò tot lachrymas funderes, quot Oceanus undas, ne venialis quidem peccati maculam poſſes eluere. Ipſe Angelus tuus, qui tantoperè te dilexit, tam fideliter adjuvit, tam ferventer pro te oravit, tot te periculis exemit, & ſemper adfuit auxilio, ne dæmones nocerent, omnia tibi adjiciet beneficia, & ob ingratitudinem ipſe in ignem præcipitabit, gaudebit de perditione tua: *Meſſores enim ſunt Angeli*, qui zizania colligent ad comburendum.

Pſal. 31. 6.

Matt. 13. 3. 9.

PROPOSITIO III.

Inter bonos ordo aliquis erit.

Inter eos, qui ad dextram ſunt, ordo aliquis poteſt aſſignari.

Sic poſſumus dicere Divam Virginem comparituram cum Virginibus, tanquàm Ducem & Caput: Petrum cum Apoſtolis: Stephanum cum Martyribus: Martinum cum Epiſcopis: Paulum Eremitam cum Anachoretis: Annam cum Matribus: Magdalenam cum Pœnitentibus: Ordinum Patronos cum ſuis gregibus: ut unuſquiſque nectatur ſub aliquo capite. Simili enim modo dicit D. Gregorius, unumquemque comparaturum cum illis, quos à peccato ad juſtitiam traduxerit. Ponamus, inquit, ante oculos diſtrictionis diem, quo judex rationem cum ſervis ſuis, quibus talenta credidit, ponet. Ecce in majeſtate coram Angelis videbitur ibi Petrus cum Judæa converſa, quam poſt ſe trahet, apparebit ibi Paulus converſum, ut ita dixerim, mundum ducens. Ibi Andreas Achaiam, Joannes Aſiam, Thomas Indiam, in conſpectu Judicis converſam ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes cum grege & animarum lucris. Quid igitur miſeri nos dicturi ſumus, quia ad Dominum poſt negotium vacui redimus? Qui Paſtorum nomen habuimus, & oves, quas ex nutrimento noſtro oſtendere debemus, non habemus? ita ille utique populus tunc circumdabit Paſtorem tanquàm coronam gloriæ.

S. Greg. Hom. 17. in Evang.

Sic legimus de S. Amando morituro, & ad Cœlum aſcendente. Apparuit ipſe B. Aldegundi abſenti & oranti auguſta ſpecie, cinctus turba candidorum, cumque interrogaret illa, quis ille eſſet, audivit ab Angelo. Hic eſt amabilis Deo Amandus qui migrat ad cœlum, ſtipatus ſanctis animabus, quas virtute, & exemplo, ad virtutem inſtituit; & proindè ab illis, quaſi Pater colitur, & cum illis ad gaudia Domini tranſit.

Ordinem quoque inter eos, qui à ſiniſtris ſunt, poſſumus deſignare; ut unuſquiſque ſub capite ſuo compareat, ad cujus imitationem peccârit. Sic dicere poſſumus Cain comparaturum cum homicidis, Lamech cum adulteris. Jezabel cum meretricibus, Judam cum perfidis, Herodem cum Principibus iniquis, Pilatum cum Judicibus injuſtis, Neronem cum Eccleſiæ perſecutoribus. Simonem cum Simoniacis, Hæreticos cum ſuis hæreſiarchis, Machiavellum cum ſuis politicis.

Inter Malos etiam quidam aſſignari poteſt ordo.

Huc referri poteſt, quod Scriptura dicit, impios congregandos, quaſi in faſciculos ad combuſtionẽ. Faſciculum facient Judices cum ſuis Advocatis, Procuratoribus, Notariis; Caupones cum ſuis potatoribus; Filiæ impudicæ cum ſuis amaſiis & lenonibus, ſaltatoribus & luſoribus; & ſic de cæteris.

Matt. 13.

Undè & ordinem aliquem deſignare videtur Zacharias dicens: *Plangent familiæ ſeorſum, familia domus David ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum; familia domus Nathan ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum, &c.* Alludit ad planctum, qui fuit in morte Joſiæ in campo Mageddon, & dicit ſimilem fore planctum, in die judicii, per omnes tribus terræ, & per familias ac tribus Judæorum, quæ ſpeciale lamentum edentes, ſeparatæ erunt. Specialiter autem nominat familias, quæ in morte Domini habuerunt authoritatem. *Familia ergò domus David*, hoc eſt, primores Jeruſalem de domo Regia: *Familia Nathan*, qui fuit filius David, hæc erat familia prorima Regiæ nobilitati: *Familia Levi*, de hac erant Pontifices & Sacerdotes: *Familia Semei*, de quibus (inquit Hieronymus) Doctorum ac Magiſtrorum agmina pullularunt.

Zach. 12. 12.

Hieron.

Addit denique, *Omnes familiæ reliquæ ſeorſum*, hoc eſt, omnes illæ familiæ quæ à Phariſæis ſubornatæ clamarunt, *Crucifige*.

Origenes putat ſignificari differentiam eorum, qui ad fidem vocati ſunt, ſed Deo non placuerunt. 1. *Domus David*, ſignificat Reges & Principes, qui in bonos iniqui fuerunt. 2. *Domus Nathan*, Potentes illos, qui apud Principes poteſtatem habentes, pios perſecuti ſunt. 3. *Domus Levi*, malos Sacerdotes. 4. *Domus Semei*, Doctores populi, ac ſuperbos Concionatores, qui opinione Sanctitatis & doctrinæ contra Sanctos intumeſcunt, & eos perſequuntur. 5. Denique in cæteris promiſcuum vulgus intelligitur illorum, quos eadem manet damnatio.

Origen.

Digitized by Google

LECTIO XXXII.

DE EXAMINE FUTURI Judicii.

Hæc Lectio docet examinanda merita & demerita.
Peccata occulta & aliena.
Dona & beneficia.

In Judicio quæ ſint examinanda.

IN illo Judicio examen fiet omnium meritorum & demeritorum. Dicit Scriptura id ſæpiùs. Sicut ergò dicitur, quod *in manu Chanaan ſtatera doloſa ſit*: Idem dicere poſſumus de mundo, per Chanaan ſignificato, quia *Mendaces filii hominum in ſtateris.* Mundi enim ſtatera eſt ſui & ſuorum amor cœcus, ita ut gravia peccata levia æſtimet, immò vitia tanquàm virtutes. Ita ſæpè hypocriſis humilitatis nomen ſibi vendicat, avaritia prudentiæ, Spiritus vindictæ generoſitatis, verba impudica hilaritatis; & ſub hoc colore & pallio, quaſi ſpeciem pietatis habentia, appendit ea in ſtatera ſua mundus. Ideò advenire neceſſe eſt ſtateram juſtitiæ divinæ, cum *Pondere Sanctuarii*, in qua quæ leviſſima videbantur, graviſſima apparebunt, & patebit vitia fuiſſe, quæ pietatis ſpeciem habebant, ibique quodlibet juxtà pondus & valorem æſtimabitur. Tunc implebitur illud: *Revelabo pudenda in facie tua, & oſtendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.*

Oſe.12.7. Pſ.61.10. Num.5.50. Nahum.3.5.

Revelabo, hoc eſt, omne velum auferam, omne pallium, omnes prætextus, quibus celas deformitatem, omnia perizomata, & folia hæreditaria Adam, hoc eſt, omnes excuſationes; & ibi confundam te coram omnibus habitatoribus cœli, inferni, mundi.

Quondam admirabili prodigio Regi Babylonis apparuerunt articuli manus, quaſi hominis ſcribentis in pariete: *Mane, Thecel, Phares.* Quod interpretatus eſt Daniel. *Mane*, id eſt, numeravit Deus Regnum tuum. *Thecel*, id eſt, appenſus es in ſtatera, & *inventus es minùs habens. Phares*, id eſt, diviſum eſt Regnum tuum.

Dan.5.25.

Sic quod ipſe viſibiliter vidit, nos oculis mentis attendere debemus, unicuique enim noſtrùm minatur manus ſcribens, *Mane, Thecel.* Numeravit Deus annos tuos, menſes, dies, horas, momenta. Appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens ponderis, pretii, valoris, minus juſtitiæ, quàm à te exigebatur. Hoc quidem patebit in illo examine & bilance. Sed explicandum eſt particulariùs, de quibus examen fiet.

1. De omnibus peccatis prius.

Primò, examinabuntur omnia peccata tam mortalia quàm venialia, opera, verba, cogitationes & patebunt non confuſè, ſed diſtinctiſſimè cum ſuis circumſtantiis. Adulterium, verbi gratia, quod quis commiſerit, non ſolum patebit in ſe, ſed etiam quomodò alienam ſollicitârit, quibus modis thorum alterius violârit. Ita ut nunc etiam homini nullus futurus ſit excuſandi locus, quia verum erit illud Job. 9. *Non juſtificabitur homo compoſitus Deo, nec poterit reſpondere unum pro mille.* Apparebunt verò peccata omnia, quæ levia vel nulla exiſtimamus, in gravitate ſua, peccata omnia adoleſcentiæ & ignorantiæ noſtræ, quæ vel ignoramus, vel oblivioni tradimus, tunc hominem anguſtiabunt.

Job.9.3.

Propter quod de hoc examine agens Pſalmiſta, ut omnibus terrorem incutiat, & omnes doceat de tremendo illo die, ſic exordiatur Pſalmo 48. *Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem, Terrigenæ & filii hominum, ſimul in unum dives & pauper.* Peregrinum certè exordium, quo omnes omnis generis & ſtatus convocat. Sed quam ob cauſam? *Os*, inquit, *meum loquetur ſapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam*, hoc eſt: Dicam, quæ ſapienter audire decet, & docebo, quæ diu corde concepi, ut faciam homines ſapientes & prudentes, ſive futura providentes, illâque non a me, ſed à Spiritu ſancto dicam. Vide quot præmiis utitur. Loquere ergò Propheta, quæ eſt tua propoſitio? Hæc eſt: *Cur timebo in die mala?* hoc eſt, in die mortis vel judicii. Quaſi dicat: Propono vobis omnibus, qui habitatis orbem, quæſtionem hanc ſolvendam. Quid eſt, quod me terrere poterit in die illa, quæ erit dies anguſtiæ, & caliginis, dies turbinis, tubæ & clangoris? Quid eſt, quod me in illo die, a quo dependet totum bonum, vel malum meum, ſecurum poterit reddere? Magna utique propoſitio, quæ omnes concernit.

Pſ.48.1.

Solvit Propheta ſuum ænigma, cùm dicit: *Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Senſus eſſe poteſt. I. Id quod me timere nunc faciet, non erit paupertas, quia Judex non reſpicit perſonas, aut dona: Non erit malitia teſtium, quia omnia novit Judex: Non erit potentia adverſariorum, quia neminem timet: Non ergò aliud erit niſi iniquitas mea, & maximè *Iniquitas calcanei mei*, iniquitas extrema vitæ meæ, iniquitas perſeverans uſque ad finem, quam pœnitentia non delevi. Illa tunc anguſtiabit me, quia non erit amplius locus indulgentiæ. Sic è contra poterat dicere, id quod me impavidum tunc faciet, non erit nobilitas, aut divitiæ, aut advocatorum diligentia, aut amicorum potentia, ſed juſtitia calcanei mei, ſive extremæ vitæ meæ. II. propiùs ad propoſitum: *Iniquitas calcanei*, eſt illa quam pedibus terimus, quam nihili facimus, ſive peccata, quæ levia exiſtimamus, vel quæ voluntariè oblivioni tradimus. Sic enim ſolemus loqui ad tergum & calcaneum nos projicere, quæ nihili facimus, vel quæ oblivi ſci volumus. Sed dicimus pone omnes iſtas injurias ſub pedibus tuis, id eſt, oblivi ſcere, & nihili fac. Peccata ergo ad tergum & calcaneum rejecta, oblita & levia a nobis exiſtimata, tunc juxtà pondus ſuum judicabuntur, & anguſtiabunt nos, quia aliter judicat Deus, quàm nos.

Bellarm. illum loc. Pſalmi.

Digitized by Google

Genes. 3. Num. 15. Num. 20. Actor. 5. Sophon. 1. 12.

nos. Quis judicaret tantum peccatum Adæ pomum edentis ut placeret uxori ? Aut peccatum hominis duo ligna colligentis in Sabbato ? Aut peccatorum diffidentiæ in Moyse ? Aut peccatum Davidis ex levitate populum numerantis ? Aut Ananiæ & Sophiræ mendacium? Sed Deus illorum ostendit gravitatem per pœnam inflictam eis. Sic multa in pondere sanctuarii gravia apparebunt à nobis neglecta, dum *scrutabitur Dominus Jerusalem in Lucernis*; dum lucernam divinæ Sapientiæ accendens, pulveres in angulis abstrusos, & sordes ibi neglectas in lucem proferet.

Eccl. 11. 9.

Unde fortiter inculcandum est juvenibus dissolutis, quod eis dicit Ecclesiastes : *Lætare juvenis in adolescentia tua, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum meorum* : nihil æstimans peccatum, putans tibi licere, quicquid libet; bibens quasi aquam, iniquitatem; nihil oscula, tactus, ebrietates, pugnas, vindictas ponderans. Sed scito, quod pro

Ibid. v. 13.

his omnibus *adducet Deus in judicium*. Consideravit omnes gressus tuos ad minimam usque cogitationem: Iniquitas calcanei tui peccata quæ nihil æstimasti, in pondere suo apparebunt & angustiabunt te, *consumet te Deus peccatis adolescentiæ tuæ*, *scribet contra te amaritudines tuas*, omnes dissolutiones, &

Jer. 31. 21.

quæ tibi nunc adeò suaves videntur, tunc vehementer amarescunt. *Statue* ergo *tibi speculum* juxta consilium Hieremiæ, *pone amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam*. Ascendens in mentis tuæ speculam, considera quæ ventura sunt, quam amara erunt, Mors, Judicium, Infernus, vermis conscientiæ: & horum consideratione emenda vitam tuam, dirige pedes tuos in viam rectam, in viam salutis, ne

Eccl. 12. 1.

postea te pœniteat : *Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam approximent anni, de quibus dicas, non placent*.

Exempl. Joan. Climacus in scala Paradisi gradu 6.

Refert B. Joannes Climacus, Solitarium quendam in Choreb habitasse, hic cùm diutiùs negligentissimè vixisset, non habens animæ curam, morbo tandem ad extrema deductus est: cumq; corpore jã migrasset, post horam ad se rediit, rogans ut inde abscederemus. Cellæ verò aditum obstruens, mansit intus annis duodecim, nihil præter panem & aquam gustans; & sedens attonitus volvebat semper quæ viderat, & ita fixo cogitatu, ut nec vultum immutaret, vim solum lachrymarum profundens. Cùm jam morti foret vicinus, rupto aditu ingressi fumus; cumque ab illo doctrinæ verbum, supplices requireremus, hoc tantum audivimus: *Ignoscite mihi, nemo qui mortis & judicii memoriam verò agnoverit, peccare unquam poterit*. Nos verò mirati sumus talem in eo qui adeo negligens fuerat, beatissimam transformationem. Ita ille.

1. *De peccatis alienis.*

Secundo, examinabuntur peccata aliena, quibus communicavimus. Unde David: *Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce servo tuo.*

Ps. 18. 13.

Duo autem genera alienorum timenda sunt. *Primò*, Eorum, quæ alii committunt ob malum exemplum nostrum, hæc verò tunc patebunt. *Secundò*. Eorum, quæ alii committunt, qui sub cura nostra sunt. Reddet enim Pater rationem de peccatis filiorum, ob nimiam indulgentiam, Domini famulorum, Pastores subditorum : *Ipsi enim pervigilant rationem reddituri pro animabus vestris*, inquit Apostolus. Confessarii peccatorum, à quibus malè absolverunt, vel nimia facilitate pœnitentem in peccatis nutrierunt, quibus minatur Dominus per Prophetam: *Væ qui consuitis pulvillos sub capite omnis ætatis. Væ qui linistis parietem absque paleis*, dimittentes pœnitentem sine reprehensione in peccatis; sic molliter agendo, quasi linientes estis brevi casurum parietem. Ibi interrogabuntur habentes animarum curam : *Ubi est grex qui datus est tibi, pecus inclytum tuum ? Quid dices in die quando visitaberis? Nunquid dolores apprehendent te quasi mulierem parturientem* ? Tunc quoque verum erit : *Sanguinem de manu tua requiram*, ô Speculator, ô Pastor, quia tuba non insonueris, & peccante impio illum non monueris. Certè vita Ecclesiasticorum & eorum qui indignitate sunt constituti, severe examinabitur.

Hebr. 13. 17. Ezech. 13. Jer. 13. 20. Ezech. 3. 18.

Exempl. Fran. Pur. in vita Brunonis.

Habes exemplum de Doctore Parisiensi, quod passim reperies. Hic cùm piæ vitæ existimaretur, tamen dum ejus celebrarentur exequiæ, solemni officio inclamavit : *Justo Dei Judicio accusatus sum*. Et iterum: *Justo Dei Judicio judicatus sum*. Et tertio: *Justo Dei judicio condemnatus sum.*

3. *De operibus bonis.*

Tertiò, Examinabuntur ipsa opera bona. Multi enim bonis operibus existimant se Deo placere, qui sine merito invenientur : quia non fecerunt tali intentione, qua debuerunt, sed potius suum commodum quærentes, vel vanam gloriam & complacentiam, & ita receperunt mercedem suam. Item non omnia bona opera suis vestita sunt circumstantiis, sed mixta multis imperfectionibus. *Si fulserint*, inquit Job, *velut mundissima manus mea, tamen sordibus intinges me*. Si opera mea existimavero munda & fulgida, in illis tu sordes & aliquid imperfecti poteris ostendere. Unde & alibi ait : *Si quid justum habuero, tamen Judicem meum deprecabor*.

Job. 9. 30.

Sicut enim parvus nævus ab artifice perito facilè deprehenditur; & parvus error à pictore etiam in imagine quæ pulchra apparet. Et lignum quod rectum putatur, si funiculum mensor adhibeat, curvum statim apparet. Ita erunt opera nostra respectu supremi Artificis, Pictoris, Mensoris. *Sapè sordet in discretione Judicis, quod fulget in æstimatione operantis*, inquit Gregorius.

S. Grego.

Si bona opera ponderabuntur, quanto magis neglectus illorum; Multi ergo propter bona omissa rejicientur. Sic reprobatæ sunt Virgines, quæ lampades ardentes non habuerunt : Et qui veste nuptiali caruit : Et qui pecuniam Domini in sudario ligavit.

Matt. 25. Matt. 22. Luc. 19.

Exempl. Spec. exempl. V. Dan.

Refertur, illa hora qua Bernardi anima migravit, triginta millia discessisse, de quorum numero Decanus Lingonensis qui honores fugiens in Eremo annis viginti quinque egerat. Hic apparuit Episcopo ex B. Vin.

Digitized by Google

Epiſcopo Lingonenſi, dicens: *Age pœnitentiam, corrige vitam, dimitte ſuperbiam & avaritiam, non enim eſt tam facilè ſalvari, ut credunt, nam dum judicio tremendo præſentarer, fuerunt triginta ſimul millia, de quorum numero Bernardus & ego ſalvati ſumus, tres in Purgatorium, alii omnes in infernum deſcenderunt.*

4. De beneficiis & donis Dei. Luc. 16. 2.

Quartò, examinabuntur beneficia & dona: ſumus enim diſpenſatores donorum Dei, ſive ſpiritualium, ſive temporalium. Unde ſicut Dominus à famulis, ita & ipſe à nobis exigit rationem de donis acceptis, an ad ejus gloriam uſi fuerimus. Redde ergò rationem de donis, ſive corporis, ſive fortunæ, de donis animæ, de ſpiritualibus beneficiis. Redde rationem Fidei, Baptiſmi, Sacramentorum, concionum, admonitionum, inſpirationum, quibus toties pulſavi. Sed ſi hæc parva ſunt, redde rationem ſanguinis, crucis, mortis meæ.

Hæc itaque ſæpe conſideranda ſunt. Quod ſi dona & beneficia, bonaque opera, ſi otioſa verba in examen venient, quanto magis tot laſciva verba & malitioſa (quæ tam parvi faciunt homines) calumniæ, convitia, detractationes ponderabuntur, & in enormitate ſua apparebunt? Rectè ergo monet nos Scriptura, cum timore & tremore incolatus noſtri tempore converſari, tanquam quadrantem noviſſimum reddituros. Unde & Job dicebat: *Verebar omnia opera mea ſciens quod non parceres delinquenti.* Job. 9. 28.

Abac. 2. Optimum ergo conſilium, quod proponit Abacuc: *Super cuſtodiam meam ſtabo, figam gradum ſuper munitionem meam, & contemplabor, ut videam quid dicatur mihi, & quid reſpondeam ad arguentem me.* Quid arguet Dominus?

Arguet ſuperbiam, arguet vanitatem, arguet cor impurum, arguet invidiam, odia, charitatis defectum. Ergo ſta ſuper cuſtodiam tuam, ut hæc à te rejiciens, & in teipſo tempore hoc opportuno arguens, non inveniat poſtea quod poſſit arguere. Timere verò te oportet, & diligenter te cuſtodire, quia hæc omnia ſevere arguet.

Granat. Ducis peccatorum c. 7. Refert Granatenſis, defunctum quendam poſt mortem apparuiſſe amico, maximis oppreſſum doloribus, magna & lamentabili voce exclamantem: *Nemo credat, nemo credat, nemo credit.* Amicus expavescens rogat quid ſibi velit talis exclamatio. Cui ille. *Nemo credit, quàm ſtrictè judicat Deus, & quam ſeverè caſtigat.*

LECTIO XXXIII.

DE SENTENTIA JUDICIS.

EXPLICATIO SENTENTIÆ PRO Electis.

Sententia Judicis pro Electis. Matt. 25. 34. *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, &c.*

VErba hæc melliflua ſunt, affectione & exultatione plena, habentque ſingula pondus ſuum.

Primo ergo dicit: *Venite*, illis dicitur *Venite*, qui *euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua.* Nunc invitantur, ut *venientes veniant cum exultatione portantes manipulos ſuos*; ut operum ſuorum fructum afferant, & illorum mercedem recipiant. *Venite*, illis dicitur, qui *anguſtiati, egentes, afflicti circuibant.* Peregrini & exules, nunc ad locum quietis invitantur, & ad patriam dulciſſimam. *Venite*, illis dicitur, qui feſſi ſedebant ad ripas Babylonis, flumina præterfluentia contemplantes, fluxa ſcilicet bona hujus mundi, & recordati Civitatis Jeruſalem, recordati patriæ æternæ, flebant & gemebant. Illi ergo nunc ad locum gaudii deducentur, de loco mœroris & afflictionis; ad locum quietis, de loco exilii; de Babylone & captivitate, ad Civitatem pacis & contemplationis. Pſ. 125. 6. Hebr. 11. 38. Pſ. 136. 1.

Secundo dicit: *Benedicti Patris mei*, q. d. Vos ab hominibus maledictiones paſſi eſtis, opprobria, irriſiones, quia multi vitam veſtram putabant inſaniam, & tanquam excrementa & purgamenta rejecti fuiſtis: *Omnium peripſema uſque adhuc.* Sed à Patre electi & computati eſtis inter filios: *Benedicti vos à Domino qui fecit cœlum & terram.* Omnes qui viderint vos, cognoſcent, inquit Iſaias, *quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus.* 1. Cor. 4. 13. Pſ. 113. 16. Iſai. 61.

Benedicti vos in Perſona Sem & Japhet, quibus benedixit pater, maledicens Cham, qui reproborum perſonam agebat. *Benedicti* in perſona Iſaac, qui à patre hæres conſtitutus fuit, Iſmaele ab hæreditate excluſo. *Benedicti* vos in perſona Jacob, quia à patre cum benedictione Primogenituram accepit loco Eſau reprobi. In his omnibus figura erat electorum & reproborum.

Tertiò dicit: *Poſſidete Regnum.* Utique Regnum illud multis titulis veſtrum eſt. 1. Titulo donationis, quam fecit Pater vobis. 2. Titulo hæreditatis, quia hæredes Dei, cohæredes Chriſti. 3. Titulo emptionis, per pretium Sanguinis mei. 4. Titulo meritedis, ob veſtræ meritum actionis.

In illius ergo poſſeſſionem realem, liberam & ſecuram vos unmitto, ad quam jus multiplex habuiſtis.

Regnum verò eſt, quod vobis præparavi, non quælibet hæreditas, *Regnum decoris & diadema ſpeciei accipietis de manu Domini.* Diadema quod nemo jam tollere poterit à vobis. Regnum quod nemo turbare poterit, ubi nec inimicus inſidians eſt, nulla premens anxietas, nullus terror, nullus error, nulla ambitio, ſed pax imperturbabilis. Sap. 5. 17.

Regnum Patris eſt, Regnum gloriæ, Regnum omnis fœlicitatis, Regnum cujus non eſt finis, Regnum omnium ſæculorum.

O felix Regnum, quomodo totos nos rapere deberes in tui conſiderationem! Quomodo totum deſiderium & voluntatem rapere deberes in tui amorem! O Patris benedictio, quam deſiderabilis es! O ſecura poſſeſſio, trahe ex imo cordis noſtri ad te ſuſpirantes lachrymas. *Quando veniam*, inquit Propheta, *& apparebo ante faciem Dei mei*, Pſal. 41. 3.

ante

Digitized by Google

ante vultum Patris æterni benedictionem impertientis, & possessionem æterni Regni inducentis?

Psal.83. 8. *Etenim benedictionem dabit Legislator, videbitur Deus Deorum in Sion.*

Possidete ergò Regnum, quod vexillo Crucis militantes acquisivistis. *Possidete* coronam, quæ vobis debetur, quia bonum certamen certastis, & cursum consummástis. *Possidete*, quia vicistis & triumphástis de peccato, de diabolo, de mundo. *Possidete*, quia superástis proprias passiones, tentationes, concupiscentias; ideò enim reposita fuit vobis corona hæc justitiæ, quam nunc reddo in die solemni & publico coram toto mundo, juxtà promissum meum: *Qui vicerit, dabo ei sedere in throno meo*, in regni mei consortio, *sicut & ego sedi in throno cum Patre meo.*

Apoc. 3.

Quartò dicit: *Quod paratum vobis fuit à constitutione mundi.* Quia scilicèt hoc regnum filiis adoptivis ab æterno Pater præparavit. *Stat fixa sententia aternitatis*, inquit Bernardus, & *Misericordia ejus ab æterno usque in æternum super timentes eum.* Ab æterno per prædestinationem, usque in æternum per glorificationem.

S. Bernar.

Rom. 8. 30. *Quos prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Nunquid ergò misericordia ejus ab æterno usque in æternum porrigitur.

Isa. 26. 1. Hieron. in Isaiam D. Thó. & Hugo in Isaiam. Isa. 26. 1.

In illa ergò die, cùm fœlix hæc sententia pronuncíata fuerit, habebit locum suave illud Canticum de quo Isaias in persona electorum. 1. *In illa die cantabitur canticum istud in terra Juda*, hoc est, in Ecclesia cœlesti, ubi perpetua laus & confessio. Cantabunt electi, cùm videbunt tantam suam gloriam, & tantam damnatorum se pœnam evasisse. Quid ergò cantabunt? 2. *Urbs fortitudinis nostræ Sion, Salvator ponetur in ea murus & antemurale.* Sensus est: Urbs beatitudinis nostræ illa Sion cœlestis, munitissima erit & fortissima, ita ut nullus ei nocere possit; quia Salvator erit ejus protector & salus, & tanquàm murus fortissimus undique eam cinget, ut nullus possit eam accedere inimicus, malum nullum, nulla turbatio. 3. *Aperite portas, & ingredietur gens justa, custodiens veritatem.* Verba sunt beatorum, qui audientes à Judice vocem illam lætitiæ: *Venite Benedicti Patris mei*: exultantes ad Angelos dicunt: Aperite, ô Angeli, portas Cœli, ad quod jam ascendimus cum triumpho, ut ingrediatur gens, quæ justitiam colnit & veritatem servavit. Vel juxtà D. Hieron. Est hic mutatio personæ quasi in dialogo, suntque verba Christi ad Angelos dicentis: O Angeli referate Cœlum, ut Sancti mei intrent ad æternam illam pacis visionem, quam per fidem & gratiam meam hic speraruut. 4. *Vetus error abiit, servabis pacem, quia in te speravimus.* Et iterùm vox Electorum, quasi sibi congratulantium, & dicentium: Nunc patet verus error voluptuariorum & damnatorum, qui nos stultos judicabant, sequentes viam asperam. Patet enim nos sapienter egisse, illos stultè: ecce enim adepti sumus pacem illam, & omnium bonorum abundantiam, quam nobis Domine contulisti, & servabis in æternum, quia illam à te speravimus, & propter illam dura omnia tulimus, per cruces, spinas, & duras semitas te sequentes. 5. *Speravistis in Domino in sæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum.* Sunt verba Prophetæ, vel Angelorum Beatis congratulantium: Sperástis, ô Viri sapientes & divini, in Domino; speràstis consequi ab illo sæcula æterna, beatam illam æternitatem. Nunc capite spei vestræ fructum, ipsam beatam vitam possidete, in sæcula æterna.

Idem ibi.

Idem ibi. 2. Sanch. & A Lapide in Isaiam.

Isa. 26. 3.

Hoc ergò canticum, quasi dialogus est Beatorum, Christique & Angelorum congratulantium de hac beata æternitate, & de hac fœlici sententia: *Venite Benedicti, percipite Regnum.*

Hæc ergò ultima vox Christi electos invitantis, digna est, quæ imprimatur cordibus nostris, & trahat ac excitet affectum nostrum, ut dignam se anima exhibeat, ad vocem illam in illo die excipiendam.

Exempl. Blos. in Monili.

B. Mechtildis Virgo, Filia Comitis cujusdam Germaniæ, Sponsa Christi ab ineunte ætate, tanto in his verbis deliciabatur affectu, ut cùm feria quarta post diem Paschæ inchoaretur introitus Missæ per illa ipsa verba: *Venite Benedicti Patris mei:* ipsa insolita lætitia (noverat enim linguam latinam) exultárit, & Domino dixerit: *O si essem una ex illis benedictis, qui hanc dulcissimam vocem sunt audituri!* Tunc Dominus ad eam: *Scias certò te ex illis esse, & ut nihil dubites, ecce tibi do cor meum in pignus amoris, & in domum refugii, ut semper, & maximè in hora mortis, ibi consolationem & requiem invenias.* Ex eo ergò tempore, facta est mira cordis Christi & illius conjunctio, sivè spiritus creati cum increato unio. Cùm verò jam in mortis agone esset constituta, nihil aliud dicebat, quàm hæc verba: *Jesu bone, Jesu bone.* Hæc assiduè replicabat, apertè demonstrans illum cordi suo impressum, cujus nomen inter acerbos mortis dolores tam suaviter ruminabat, tam crebrò pronunciabat. Instante autem horâ, quâ migratura erat, Dominus eam lumine suæ divinitatis totam illustrans, suavi voce invitavit: *Veni Benedicta Patris mei, posside regnum tibi paratum à constitutione mundi:* Commonefaciens eam doni illius, quo in pignus amoris, cor suum Christus illi dederat, dum illa verba in Missa cantarentur. Igitur illa beata anima in ipsum cor Jesu suavissimè admissa, sempitemis ejus gaudiis fœliciter fuit sociata.

Similem vocem audivit B. Quintinus, cum fortiter pro Christi nomine varia tormenta pertulisset: & tunc anima ejus in forma candidæ Columbæ in Cœlum visà est conscendere, ut regni foret particeps.

Sic B. Petrus Alcantara, Ordinis D. Francisci, qui Confessarius quandoque fuit B. Theresiæ, absoluto vitæ cursu, in extremis ruminans hanc Dei promissionem de regno, totus in spiritu exhilara-

Digitized by Google

rus ſpiritum reddidit, hæc verba pronuncians: *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.*

Nos ergò hodie vocem illam Chriſti audivimus, non ſinamus eam præterfluere, nec obduremus corda noſtra; ſed excitemur ad viriliter certandum, contra peccata & ſalutis impedimenta, ad perſeverandum in fide, ſpe, gratia, tolerantia, ac bonis operibus; ad requirendum illam benedictionem Patris ſimus ſoliciti: *feſtinemus in illam requiem*, ad illud Heb. 4. 11. Regnum: & videamus, *ne quis ex vobis deſit*, inquit Apoſtolus, ſed omnes digni fiamus hac felici voce, conſortio Patris, Chriſti hæreditate.

Undè ad id multum juvabit, ſi ultimam D. Franciſci ad Fratres admonitionem, quæ etiam omnes nos concernit, attendamus. O inquit, dilectiſſimi Fratres, & in æternum benedicti Filii, audite me, audite vocem Patris veſtri.

S. Franciſci ultima ad fratres exhortatio.

Magna promiſimus: Majora promiſſa ſunt nobis.
Servemus hæc: ſuſpiremus ad illa.
Voluptas brevis: pœna perpetua.
Modica paſſio: gloria infinita.
Multorum vocatio: paucorum electio.
Omnium retributio.

LECTIO XXXIV.

EXPLICATIO SENTENTIÆ, QUÆ feretur contra Reprobos.

Sententia contra Reprobos. Matt. 25. 41. Apoc. 1. 13

Diſcedite Maledicti in ignem æternum.

FOrma illa & ſpecies, in qua Chriſtus apparuit in Apocalypſi Joannis, applicari poteſt ipſi ut Judici. Dicit enim ibi apparuiſſe *ſimilem Filio hominis, in medio ſeptem Candelabrorum aureorum, veſtitum pondere, & præcinctum ad mamillas zona aurea*, capillis candidis, tanquàm lana & nix; oculis ut flamma ignis, cum pedibus calcantibus fornacem ardentem, vox illius, tanquàm vox aquarum multarum, in dextera ſeptem ſtellæ, in ore utraque parte gladius acutus, facies ſicut Sol lucens, dicebatque ſe habere claves mortis & inferni.

Hæc omnia hic applicari poſſunt.

1. *Veſtis talaris*, veſtis juſtitiæ eſt, quâ Chriſtus fulget.

2. *Cingulum ad mamillas*, ſignificat tunc miſericordiæ reſtrictionem.

3. *Caput candidum*, Sapientiæ maturitatem.

4. *Oculi ignei*, Judicis zelum & furorem

5. *Pedes ſicut in camino ardenti*, reproborum in fornace conculcationem.

6. *Vox aquarum multarum*, reproborum velut per tortentem iræ inundantem rejectionem.

7. *Facies ſicut Sol*, indicat Majeſtatem.

8. *In dextra ſeptem Stellæ*, gloriæ pro electis donationem.

9. *Gladius utraque parte acutus*, ultimæ ſententiæ pronuntiationem, quæ corpus animamque plagâ æternâ afficiet.

Hic ergò erit gladius biceps: *Diſcedite maledicti*, &c. ubi ſingula verba vim & emphaſim habent. *Diſcedite*, Pœna damni indicatur, ſcilicet ſeparatio à Deo, & privatio gloriæ. Quæ pœna graviſſima eſt & lamentabilis. Sic enim, dum quis in exilium extrà patriam mittitur, a domo paterna & parentum conſortio, tantus eſt luctus; quantæ hic erunt lamentationes, dum ab illa patria, quæ his jure Baptiſmi debetur, & Sanguine Chriſti empta eſt, ſeparabuntur à Deo Patre, a Virgine Matre, ab amicis Angelis, a fratribus Chriſtianis, & hoc non ad tempus, ſed in æternum?

Hæc autem pœna ſeparationis, dicitur à Theologis gravior, quàm ipſe ignis & tota gehenna, quia cum viſio ſit tota merces, privatio viſionis erit velut tota pœna, ſaltem principalis. Hinc Chryſoſtomus: Chryſoſt. *Multi timent ſolum ignis acerbitatem, ſed hæc pœna longè gravior erit & acerbior. Ignis eſt intolerabile, ſed ſi mille mihi ignes proponeret, non tanti æſtimo ac privari illâ beatitudine, gloriâ, præſentiâ Chriſti.* Similiter loquuntur & alii Patres.

Maledicti: Gravis pœna, ab illo maledici, à quo omnis benedictio profluit.

Benedictionem Patris amittere, quàm dignum luctu ſit, attende in Eſau. Hic cum vendidiſſet primogenita, & hoc parvi penderet, poſt aliquod tempus, dum Jacob jure Primogeniti benedictionem poſtulâſſet & impetrâſſet, Eſau verò ſe illâ privatum videret, rediens ex agro, *irrugit*, inquit Scriptura, *clamore magno*, ob perditam Patris benedictionem. Tunc primùm advertit dignitatem primogenituræ, quam antea ob leve ſerculum vendiderat. Si ita rugiit pro temporali benedictione, quantò magis rugitum edent reprobi privati æternâ bendictione Patris, & ejecti cum omni imprecatione ac maledictione, exhæreditati ab omni conſolatione & ſpe? Tunc ergò illi ſerò ululabunt. Serò ſicut Eſau advertent dignitatem primogenituræ, id eſt, gratiæ divinæ, quam pro ſica & re nihili, pro momento voluptatis, pro puncto honoris, vendiderunt, cum hæreditate æterna in æternum ad eam non rediturí. Gen. 27.

Maledictionem hanc innumeræ aliæ conſequentur inter ipſos reprobos: *Vnuſquiſque vorabit carnem brachii ſui, Manaſſes Ephraim, Ephraim Manaſſem.* Iſa. 9. 20.

Sua corpora maledicent, quod ut illis ſuos appetitus indulgerent, priventur tantâ gloriâ. Pater filium, quod ut illi divitias acquireret; Mater filias, quod ut eas in Matrimonio nobiliter collocaret, ſui ipſius & ſalutis oblita ſit. Filius patrem, quod ipſum non inſtruxerit in via Dei, quod non correxerit, quod injuſtè acquiſitis eum ditârit, & perdiderit. Unuſquiſque alterum, qui peccati ei ſocius fuit, maledicet. Imò verò & diem nativitatis ſuæ, mitis clamoribus, & uterum quo portati ſunt, & ubera

Digitized by Google

ubera quæ suxerunt, diris devovebunt. Hæc enim erit eorum musica, hi cantus, hæ matutinæ eorum, Job. 3. 1. quæ describuntur in Job : *Pereat dies in qua natus sum*, &c.

In ignem. Pœna sensus hic designatur, pœna ignis in quo vivi comburentur, nec consumentur, desiderabunt mortem, & fugiet ab eis, desiderabunt in nihilum redigi, & corpus cum anima extingui, & non dabitur. Hæ sunt eorum lamentationes. Væ misero, væ cur natus sum? Cur lucem vidi? Cur non fœlicitas saltem bestiarum datur mihi, quarum animæ cum corpore pereunt? Jam perire cupio, & non conceditur, mors fugit, & tamen sine morte mortem morior sempiternam.

Greg. l. 9. moral. c. 39. Hinc Gregorius dixit: *Horrendo modo fit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, quia & mors semper vivit, & finis semper incipiet, & defectus deficere nescit, mors perimit, & non extinguit.*

S. Aug. Eodem modo dicit Augustinus: *O mors quam dulcis foret illis, quibus antea adeò eras amara! Iam te summoperè desiderant, qui super omnia oderant; laborabit ergo in æternum angustiatus in pœnis, & vivet adhuc in finem.*

Hunc nimirum ignem ipsi peccatis suis accenderunt; ideo meritò in illum dejiciuntur. Unde eos cum Sarcasmo & irrisione alloquens Propheta, dicit: Isa. 50. 11. *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis quas accendistis: de manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis*, q.d. Volutamini nunc in incendio ignis inextinguibilis, quod vobis adornastis; in vinculis igneis, quæ vos retinent sub caligine, ut loquitur Judas, quæ vobis per peccata vestra fabricastis. Ambulate nunc & ludite, sicut in igne concupiscentiæ, & vinculis cupiditatis vobis complacebatis. Verùm, *de manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis.* Cithara vestra in luctum versa est, & organum in vocem flentium, lætitia in mœrorem. Decumbetis inter ignes, dolores & cruciatus, hi erunt lecti vestri, hæc cervicalia; ego justus Judex ad hunc ignem, ad hos dolores vos damno, manu mea invicta & æterna, quæ proinde hunc ighem vobis in æternum alet & conservabit.

Isa. 33. 14. Iterum alibi eos alloquens Dominus per Prophetam ait: *Quis de vobis poterit habitare cum igne devorante & cum ardoribus sempiternis?* Quis ex vobis poterit volutari in illo flammarum pelago, & cum æternis ignibus colluctari; Si hujus vitæ dolores, qui sunt tantùm umbra, ferre non possumus, imò nec dentis unius dolorem, aut vermis pulicisve infestationem, quis poterit ardorem illum sempiternum? Est ne aliquod lumen rationis in hominibus, aut mica cerebri? Aut certè hæc non credunt, aut fortè ad alios tantùm spectare existimant? Dum, non obstantibus omnibus his quæ in Scripturis manifesta sunt, & fidei dogmata, peccatis gravissimis involvuntur, & magnam partem ætatis in illis conferunt, quasi hæc commenta sint vetularum aut fabulæ.

Hæc interim, si quis mente ruminarit, potentissima sunt ad animam commovendam, & curam illi salutis imprimendam. Verùm homines, quadam stupiditate & cæcitate insensibiles ad hæc reddunter, vel ea non considerant, vel nimis de divina misericordia præsumunt; & ex illa peccandi ansam arripientes, misericordiam semper ante oculos, justitiam retro projicientes, ut non considerent eam. Vel certè valde leviter id faciunt; ideoque illa consideratio nihil in eis efficit ad mutationem vitæ, neque cor tangit, quia ad illud cogitationem hanc plenè descendere non permittunt. Sicut si ignem, quantumvis efficax sit, leviter & celeriter attingas, non adurit; sic si judicia, & ignem æternum in transitu tantùm percurras, vim & efficaciam non senties.

Propterea Esaias Abbas, qui profundè & crebrò hunc ignem meditabatur, hominum deplorabat miseriam, multis cum lachrymis. Unde in lamentationibus suis, sic dicit: Væ nobis, qui tenebrosum illud & materiæ expers incendium æternumque & amarum fletum & stridorem dentium non consideramus. Ablato enim flammæ splendore, Deus in illo igne relinquit urendi vim & obscuritatem, qua magis impii excruciantur. Væ nobis, qui hic sine timore nos peccatis obstringimus, quoniam nos illic ignis æternus excipiet, & tenebræ exteriores, & vermis qui non dormit, & luctus & stridor dentium, & coram Angelis ac creaturis omnibus dedecus sempiternum. Væ nobis, qui cùm assiduos conscientiæ reprehendentis stimulos sentiamus, non erubescimus, nec rationem actionum nostrarum reddituri, Dei judicium formidamus. Væ nobis, qui in hoc exiguo vitæ spatio, non iniquæ & brevi carnis cupiditati satisfaciamus, nos jucundissimo divinæ gloriæ spectaculo indignos constituimus. Ita ille. Esai. Abb. in lamen. Orat. 26. ibi multa.

Et iterum alibi exclamat: Me miserum, me miserum, quia nondum à gehennæ igne sum liber. Qui ad illam homines detrahunt, adhuc in me operantur, adhuc in corde meo agunt, & pessimos fructus suos proferre cupiunt. Nondum mihi constat, quoniam hunc finem profecturus, nondum mihi parata est recta via. Nondum video, quæ mihi apud Judicem possit esse fiducia. Nondum ex reorum numero exemptus sum. Reus qui in carcere vinctus est, non lætatur: qui ferreis obstrictus est vinculis, voluntatem suam non facit, non quiescit. Non edit cum voluptate, cujus collo injectus est laqueus. Neque amplius cogitat, quomodo alia scelera committat, sed in luctu est, ob illa propter quæ obstrictus est. Qui considerat extrema illa supplicia, quibus afficiendus est ob peccata, is animum in cæteris non habet occupatum, cor ejus stimulat dolor tormentorum. Ita ille. Idem Orat. 14.

Refert Theodoretus, se vidisse Thalelæum, qui cum maximo esset corpore, inclusit se rotæ, quæ alta erat cubitos duos, lata unum; ita ut collum non posset erigere, sed semper incurvus, faciem habebat annexam genibus, & ita federat decem annos Exempl. Theod. in Philotheo. c. 2.

Digitized by Google

in illa die calamitatis & miseriæ magna & amara valde.

Discedite, inquit, *in ignem æternum.*

Apocal. 18.2. Ad hanc vocem tonitrui : *Cecidit, cecidit Babylon illa magna, & facta est habitatio dæmoniorum & spirituum immundorum*, ut describit Joannes. Quæ quidem Babylon, non aliud significat quàm congregationem omnium impiorum, quæ horum verborum fulmine icta, terra absorbente ruet, in confusionis irrevocabilem abyssum.

Cujus impetum describere volens Angelus, lapidem molarem magnum sustulit in altum, & misit in mare clamans : *Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, & ultra non invenietur. Exulta super eam Cœli & Sancti Apostoli & Prophetæ, quia judicavit Deus judicium vestrum de illa. Væ, væ, Civitas illa magna Babylon, quoniam una hora venit judicium tuum.* Ubi semper per Babylonem possumus intelligere totam collectionem reproborum, quæ ruet ad dictam vocem Domini horribilem: *Discedite Maledicti in ignem æternum.*

Hanc ergo vocem audi terra & treme : audi Cœlum & obstupesce : audite elementa & plorate: audite omnes creaturæ & lamentum edite super miseria æterna peccatoris.

Utinam vox mea tantæ sit efficaciæ, ut hanc sententiam intonare & resonare faciat, per aulas Regnum, per Palatia Principum & Magnatum, per Tribunalia Judicum, per domos Mercatorum, per officinas artificum; & omnium possit cordibus tremorem salubrem incutere, ut in illa die possint *liberari à verbo aspero.*

Audite ergo Principes, & *nunc* vos *Reges intelligite, erudimini* ad hanc vocem *qui judicatis terram.* Psal. 2.10.
Audite qui Civitates incolitis, qui pagos & rura, *filii hominum simul in unum divites & pauper*, quique in dignitate, aut statu Ecclesiastico, aut Religioso estis constituti. Audite, inquam, hanc vocem, & per illam discite servire Domino in timore. Et vos intelligite, quicumque obliviscimini Deum, animam, salutem, & animverrite hanc sententiam, ne quando rapiat, & non sit qui eripiat. Psal. 48.3.

TRACTATUS IV.

EXPLICATIO ARTICULORUM SPECTANTIVM AD TERTIAM TRINITATIS PERSONAM.

LECTIO I.

ARTICULUS VIII.

CREDO IN SPIRITUM SANCTUM.

DE PERSONA SPIRITUS SANCTI.

1. *Docet Spiritum Sanctum æqualem esse Patri & Filio.*
2. *A Patre Filioque procedere.*
3. *Hunc esse Spiritum vivificantem.*

PROPOSITIO I.

Tertia in Trinitate Persona est Spiritus Sanctus, æqualis Patri & Filio.

Spiritus S. est æqualis Patri & Filio. Vocatur Spiritus S. ex accommodatione

HANC Personam Spiritum S. nominamus per appropriationem. Unde cum Spiritum S. dicimus, non intelligimus, aut animas beatas, aut Angelos, qui Spiritus sunt, & sanctitatem habent; neque intelligimus personam Patris aut Filii, licet utraque Spiritus sit, & quidem sanctitatis author. Sed intelligimus hanc tertiam personam, per quandam tam Scripturæ quam Ecclesiæ appropriationem : Non enim proprium nomen habemus, quo illam personam nuncupemus, aut quo exprimere possimus illam communicationem Patris & Filii per modum amoris, sed spiratio solet appellari; & persona per illam spirationem producta Spiritus Sanctus dicitur. *Scriptura & Ecclesiæ.*

Dicit verò Cyprianus, *Spiritus Sanctus nomen accepit à vento, quem trahimus & afflamus, ut respiratio, aspiratio, suspiratio, inspiratio, expiratio, à Spiritu Sancto, & causam habeat & materiam & proventum,* Cyprian. Serm. de Pentecoste.

Hanc verò personam æqualem esse cum aliis, in essentia & omni perfectione, supra declaratum est. Unde trium personarum æqualitatem significantes Seraphim clamant : *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, plena est omnis terra gloria ejus.* Apoc. 4. 8 Isa. 6. 3. Ubi ter Sanctus repetitur, ad significandam Trinitatem Personarum, & gloria ejus dicitur plena terra, ad significandam unitatem & æqualitatem essentiæ & majestatis in tribus.

Ecclesia idem significat in suo Trisagio, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis*: quem Hymnum edocta est ab Angelis, ut Deum trinum & unum

Digitized by Google

Niceph. l. 14. c. 46. Synodus 5 Conſtantinopol.

unum cum illis celebret æquali gloria, cujus Triſagii originem habes apud Nicephorum. Cum enim terræ motus Conſtantinopoli miras clades inſtigeret, Turres, vicoſque dehiſcentes, & ferè ad ſex menſes continuos perduraret, recurſus plebis & Paſtoris ad Litanias fuit & ſupplicationes. Cumque unanimi conſenſu cum lachrymis divinam implorarent miſericordiam, miraculum ſubitò exortum eſt; Puer namque è medio, ſpectantibus omnibus divina quadam vi in æra ſublatus eſt, & cœleſtem vocem Angelorum in Choro ſonantem audivit. Hacque voce percepta, rurſum priore per aerem via reverſus deſcendit, & Proclo Epiſcopo ac Theodoſio Imperatori, totique multitudini renunciavit ſe hæc verba audiſſe: *Sanctus Deus, Sanctus fortus, Sanctus immortalis, miſerere nobis.* Statim ergò ad illum modum populus juſſus eſt pſallere per Epiſcopum, & ſubitò motus ille quievit. Unde Imperator Theodoſius decrevit ut toto orbe Hymnus ille decantaretur, & ex eo tempore Eccleſia illum frequentat. Puer verò ille verborum illorum miniſterium executus, ſtatim vita functus eſt, & in magna Eccleſia quæ Pacis nomen obtinet, conditus eſt. Locus autem in quo ſublimè elatus eſt, *Divina exaltatio* vocatus eſt.

Gregor. Turon. l. 1. de mirac. c. 13. Sigebert. ad an. 438

Habemus etiam quomodò in Urbe Vaſatenſi trium perſonarum æqualitas demonſtrata fuerit. Erat ea urbs ab Hunnis obſeſſa. Cum verò Sacerdos Miſſam celebraret pro liberatione, vidit ex alto cadentes tres guttas æquales magnitudine & claritate, & candore cryſtallum vincentes; quæ dum per altare vago curſu rotantur, defluentes in ipſam patenam, ſtatim in ſe conjunctæ, unam gemmam pulcherrimam effecerunt. Sic patuit evidenti ſigno contra hæreſim Arianam, tunc ſuppullulantem, tres perſonas in Trinitate æquales in unam naturam convenire. Gemmam hanc cruci ex auro incluſerunt, per quam multa Deus fecit miracula, & ſtatim fugatis Hunnis civitas eſt liberata.

Eandem æqualitatem ſatis docet ille Eccleſiæ verſus; *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto.* Hic ex Apoſtolorum inſtituto & uſu ortum habet, inquit Baronius. Cui Concilium Nicenum addidit: *Sicut erat in principio & nunc*, &c. ut retunderet Arianos dicentes: *Erat quando non erat*, hoc eſt, erat tempus, quando non erat filius.

Patres. tom. 3. an. 25. ex Baſilio.

Hoc ergò verſu monet Eccleſia, ut poſt ſingulos Pſalmos mentem recolligamus, & nonniſi Trinitatis gloriam in tota Pſalmodia intendamus, tribuentes æqualem gloriam tribus perſonis. Sæpe ergò repetamus cum ſuavitate *ſpirituali*: *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto* 1. *Gloria Patri* Creatori, *Filio* Redemptori, *Spiritui Sancto* Sanctificatori. 2. *Gloria Patri* qui eſt Potentia, *Filio* qui eſt Sapientia, *Spiritui Sancto* qui eſt Bonitas. 3. *Gloria Patri* qui eſt a ſe, *Filio* qui eſt a Patre, *Spiritui Sancto* qui ab utroque 4. *Gloria Patri* qui tanquam Sol æternus eſt, *Filio* qui eſt æterni hujus Solis radius, *Spiritui Sancto* qui ardor eſt Solis & hujus radii. 5. *Gloria Patri* qui miſit Filium, *Filio* qui Spiritum, *Spiritui Sancto* qui amor eſt ab utroque miſſus. 6. *Gloria Patri* per Seraphim, Cherubin & Thronos. *Gloria Filio* per Virtutes, Poteſtates, Dominationes. *Gloria Spiritui Sancto* per Principatus, Archangelos. 7. *Gloria Patri* per Patriarchas & Prophetas, *Filio* per Apoſtolos & Martyres, *Spiritui Sancto* per Confeſſores & Virgines. 8. *Gloria Patri* per Filium, *Filio* per vulnera, *Spiritui Sancto* per dona ſua. 9. *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto* per Fidem, Spem, Charitatem. 10. *Gloria* Trinitati inunitate, *gloria* æqualibus in æternitate.

Hunc verſum ſummo odio proſequitur dæmon. *Primò*, quia profeſſionem fidei continet, unde olim Catholici ab Arianis per *Gloria Patri* diſtinguebantur, ut refert Nicephorus. Quidam enim Ariani dicebant: *Gloria Patri in Filio*, ut ſic hac propoſitione obſcurius ſecundas partes Filio tribuerent. Alii, *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto.* Quidam etiam *Gloria Patri & Filio in Spiritu Sancto.* Sed qui verè profeſſionem faciebant conſubſtantialitatis, concinebant: *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto.*

Niceph. l. 9. c. 24.

Sophron. in prato ſpirit.

Secundò, quia dæmon ſummè invidet hanc gloriam Trinitati. Unde refert Sophronius, ſenem quendam Anachoretam fuiſſe, quem diabolus in ſpecie etiam Anachoretæ viſitabat, quaſi conſilii gratia. Quem cum ſenex hortaretur, ut ante colloquium more ſolito precibus inſiſteret: Hæc ſecum demurmurabat: *Et nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum.* Monuit eum ſenex, ut & præcedentia recitaret & diceret: *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto.* At ille ſtatim diſparuit, divinæ gloriæ & adorationis Sanctiſſimæ Trinitatis nomen non valens ſuſtinere. Evanuit ergò, quaſi vim paſſus ab igne, his ſolis verbis: *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto.*

Habuit & hic verſus miram vim contra Simoniacos. Cum enim Simonia in orbe graſſaretur. Victor 2. miſit Hildebrandum Archidiaconum, ut ad eam extirpandam Concilium Lugduni celebraret, in quo Archiepiſcopus fuit accuſatus. Cum verò negaret, dixit ei Archidiaconus, dic: *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto.* At ille expedité dixit: *Gloria Patri & Filio*, ſed Spiritum Sanctum proferre non potuit. Quod cùm ſæpius tentaret, videns ſe divino judicio confuſum procidit ad pedes Archiadiaconi & confeſſus eſt ſe ſimoniacum. Poſtquam verò ab officio Pontificali eſt depoſitus, rectè verſum illum decantavit. Hoc adeò terruit ſimoniacos, ut Prælati quadraginta quinque ſimoniacos ſe confeſſi ſint, & ſuis honoribus abſque ulla accuſatione renuntiarint.

Baronius ann. 1055. ex Sigonio, & aliis.

PROPOSITIO II.

Spiritus S. procedit à Patre & Filio per voluntatem.

Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio, per voluntatem, per modum ſcilicet amoris.

Sicut ergò diximus, quod Pater intelligens ſe ipſum, & ſuam eſſentiam comprehendens producat

ducit vivum conceptum & perfectam imaginem ſui, quaſi in ſpeculo ſuæ eſſentiæ ſe contemplans; & hæc imago Filius eſt, ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ, diciturque *Verbum Dei*: Ita Pater producendo filium, neceſſariò amat eum amore infinito, quia bonitas infinita eadem, & infinitæ perfectiones in ipſo ſunt. Similiter amat & Filius Patrem ſuum infinitæ bonitatis, amore infinito & æterno, & ſic procedit Spiritus ſanctus, tanquàm unio & amor inter Patrem & Filium. Procedit, inquam, ab utroque, tanquàm ab uno Principio, quia ab eadem ſpirativa potentia, eademque ſpiratione. Propter hunc procedendi modum, appropriatur Spiritui ſancto nomen *amoris*.

Amor in divinis tripliciter accipitur.

Sed notant Theologi vocem *amoris*, tribus modis accipi in divinis. *Primò*, pro amore eſſentiali, & abſoluto communi tribus perſonis. *Secundò*, pro amore notionali producente, quo Pater & Filius producunt Spiritum ſanctum. *Tertiò*, pro amore notionali producto. Sic eſt proprium nomen Spiritus ſancti.

Hanc proceſſionem Spiritus ſancti ab utroque, indicare videtur Joannes, dum dicit, oſtenſum ſibi *fluvium aquæ vitæ, procedentem de ſede Dei & Agni.* Ubi Ambroſius intelligit per fluvium, Spiritum ſanctum, quia ille irigat & vivificat animas.

Apo. 22. 1

Dicitur *fluvius* & non fons, quia fons eſt id, à quo fluvius procedit. Undè Pater fonti comparatur, Filius etiam quatenus ab eo Spiritus ſanctus procedit; ipſe Spiritus autem ſanctus, non dicitur fons, niſi ad extrà, in ordine ad creaturas.

Dicitur verò procedere de *ſede Dei & Agni*, hoc eſt à Patre & Filio, cum dicatur de ſede & non ſedibus, ſignificatur ab illis procedere, tanquàm ab uno principio.

Innocent. lib. 2, de Miſſ. c. 44

Græcorum ergò eſt error; negantium Spiritum ſanctum à Filio procedere. Undè Innocentius dicit Græcos, ex quo à Romana Eccleſia receſſerunt, ſignum Crucis à dextra ad ſiniſtram ducere, ut confirment errorem, quod Spiritus ſanctus ad Patris ſiniſtram velut junior aſſiſtat. Sed nos contrà tribus digitis formamus, ob myſterium Trinitatis, deindè in capite Patrem, in pectore filium deſcendentem, denique è ſiniſtra ad dexteram, Spiritum ab utroque procedentem & conſubſtantialem deſignamus; & finimus in dextera, quia perfectionem in ſcriptura ſignificat, ad quam nobis ſemper tendendum.

Concil. Conſtantinopol.

Expreſsè ergò contrà Græcorum errorem definit Concilium Conſtantinopolitanum in Symbolo: *Qui à Patre Filioque procedit.*

Idcò Michael Patriarcha Conſtantinopolitanus inſurrexit in Eccleſiam Romanam, & excommunicavit, vel excommunicatos declaravit Romanos Pontifices; quod contra decreta Concilii Epheſini adjeciſſent in ſymbolo hanc particulam, *Filioque procedit.* Voluit hoc modo ſe univerſalem Epiſcopum declarare & inſtituere, quaſi illo titulo Romanus Pontifex excidiſſet, tanquam excommunicatus. Undè & Græci ſtatim Eccleſias & templa, quæ in Græcia erant, clauſerunt Latinis, favore Imperatoris Conſtantini Monomachi, qui multa etiam promittebat, ſcribentibus contra authoritatem Eccleſiæ Romanæ. Sed quia Græci Spiritui ſancto jam ab initio bellum intulerunt, dum negant ejus proceſſionem a Filio: ideò etiam Spiritus ſanctus eis bellum intulit, quia Imperialis Urbs eorum Conſtantinopolis à Turcis capta fuit ipſo die Pentecoſtes, cum feſtum colitur Spiritus ſancti. Et nunc ſub Turcarum ſunt tyrannide, adeò ut dum Epiſcopi illorum eligunt Patriarchas, debeant à Turca confirmari, & annuè ſolvunt graviſſimum tributum.

De hac civitate à Turcis capta ita quidam ſcribunt.

Conſtantinopolis capta, cur? & quando?

Conſtantinopolis eſt à Conſtantino I. Imperatore Chriſtiano extructa. Hujus matri fuit Helena: Primus Epiſcopus vel Patriarcha fuit Gregorius. Amiſſa eſt eadem Civitas ſub Conſtantino Palæologo ultimo Imperatore, cujus mater fuit Helena, exiſtente Patriarcha ejuſdem Civitatis Gregorio. Cepit eam Mahomet 2. anno 1453. 29. Maii.

Excidium hoc Græcorum, & infœlicitatem vaticinatus fuerat Nicolaus V. Pontifex, qui ad Græcos Romanæ ſedis authoritati ſe opponentes, & decretum de concordia & conjunctione cum Eccleſia Romana non recipientes, ſcripſit litteras plenas timoris & horroris. Undè ſic dicit: *Toleramus adhuc dilationem veſtram, reſpicientes in IESVM ſempiternum ſacerdotem & Dominum, qui ſtabilem illam ficum, uſque ad tertium annum juſſit aſſervari, agricola jam ad excidendam arborem ſe accingente, quia nullum fructum ferebat. Tres annos expectavimus, ſi vos fortè à ſchiſmate & ſeparatione converteritis ſecundum Salvatoris de ficu præceptum, ſin minùs excidemini, ne terram otioſam & inutilem reddatis.* Anno 1451. hanc ſcripſit Epiſtolam & 1454. capta eſt Conſtantinopolis, & magna facta eſt calamitatis ruina. Ita refert ipſe Gennadius Patriarcha Conſtantinopolitanus, deplorans excidium gentis ſuæ, quod Græcorum gens illa magna & formidabilis, ſapiens, clara, fortis, terrarum Domina, ob divinam ultionem, ita in Barbarorum ſervitutem adducta ſit.

Nicol. V. V. Boziũ de fig. Eccl. l. 6.

Joan. 15. 26.

Sed dicunt Græci, in ſcriptura tantùm ſignificari Spiritum ſanctum à Patre procedere, non à Filio. Undè dicit Chriſtus. *Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis, ſpiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Ibi non dicit à ſe procedere.

Sed reſpondetur, in iſta Scriptura potius contrarium ſignificari. In divinis enim perſona non mittitur ab aliquo, niſi illa quæ procedit ab eo: Ergò cùm Spiritum ſanctum dicat ſe miſſurum Chriſtus, ſignificat quod à ſe etiam procedat. Mitti autem dicitur aliqua perſona divina, dum alicubi incipit eſſe novo modo, quo ibi prius non erat. Sic Filius miſſus eſt in mundum, dum novo

modo

modo per humanitatem cœpit eſſe in mundo : ſic & Spiritus Sanctus dicitur mitti, cùm alioqui ſit ubique, qui cum Apoſtolis cœpit eſſe per novam gratiam & efficaciam, & in aliis fidelibus.

Sed urgebis : Cur Chriſtus non dicit, quem mittam à me.

Item, cur non dicit : Qui à Patre & Filio procedit.

Reſpondeo, quia Filius à Patre habet eſſentiam divinam, & conſequenter à Patre habet vim ſpirandi & mittendi : Ideò dicit : *Quem mittam à Patre* : ſicut in Geneſi dicitur : *Pluit Dominus à Domino*, hoc eſt, Filius à Patre. Et Chriſtus loquens ut homo, reverentiæ cauſa, ſæpè omnia ſua refert ad Patrem : ſatis verò ſignificat Chriſtus à ſe procedere, dum dicit de Spiritu Sancto : *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Hoc eſt : ſicut à me per productionem habet eſſentiam, ita & ſcientiam omnem. Vide Janſenium in c. 15. Joannis.

Joan. 15 6.

Gen. 19. 24.

PROPOSITIO III.

Spiritus S. Eccleſiam vivificat, dirigit, illuminat.

CREDO IN SPIRITVM SANCTVM VIVIFICANTEM. Spiritus Sanctus eſt, qui vivificat, regit, ac illuminat Eccleſiam.

HOc ſignificans Symbolum Conſtantinopolitanum dicit : *Credo in Spiritum Sanctũ vivificantem*, quia ſcilicet ſpiritualem vitam infundit, & ſine numinis ejus afflatu, nihil æternâ vitâ dignum efficere poſſumus. Ipſe ergò Spiritus Sanctus Eccleſiæ tribuit omnem ornatum, perfectionẽ, ſanctificationem, fortitudinem. Ita ut fabrica Eccleſiæ, correſpondentiam quandam habeat cum fabrica ipſius mundi.

Gen. 1. 2.

Dicitur in creatione mundi : *Terra erat inanis & vacua*, vel ut alii legunt, inutilis & incompoſita, & tenebræ erant ſuper faciem terræ, ſed poſteà adjicitur : *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Ideò verò Spiritus aderat in initio mundi, ut quæ tantum inchoata erant, ab illo perficerentu. Nam ſuper aquas ferebatur, illa fovens, fœcundans, immò totum mundum perficiens. Hinc dicit Pſalmiſta :

Pſal. 32. 6.

Verbo Domini Cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum. Ubi indicatur Trinitas concurriſſe ad creationem, ſed Spiritui ſancto virtus Cœlorum, hoc eſt, perfectio illorum attribuitur. Undè poſtea ſubditur : *Igitur perfecti ſunt Cœli & terra, & omnis ornatus eorum.*

Auguſt. Tra. 108. in Joan.

Sic dicimus initio fundamenta Eccleſiæ à Chriſto jacta fuiſſe, ſed à Spiritu ſancto perfectionem accepiſſe ; miſſum enim Spiritum ſanctum dicit Auguſtinus, *ut qua Salvator inchoârat, Spiritus ſancti virtus conſummet & quod iſte acquiſivit, ille cuſtodiat, & quod iſte redemit, ille ſanctificet.* Redemptionis ergò & juſtificationis conſummationem Spiritui ſancto aſſignat, ita ut Spiritus ſanctus, qui eſt Trinitatis complementum, idem etiam ſit, per quem omnia inchoata perficiantur. Dicamus ergò de Eccleſia, quod nam fundavit Altiſſimus : Sed antequam veniret Spiritus ſanctus, erat inanis & incompoſita, ipſe verò ornatum adjecit. Et ſicut olim ferebatur ſuper aquas, ita & ferebatur ſuper fontes aquarum, ſuper ipſos Apoſtolos, fontes doctrinæ & gratiæ, qui debebant univerſam terram irrigare. Sic ergò correſpondet primò orbi, novus Eccleſiæ Orbis.

Sed & rectiſſimè Spiritus ſanctus vivificare Eccleſiam dicitur, quia juxta Auguſtin. Spiritus S. in Eccleſia idem efficit, quod anima in corpore, ita ut ſit anima corporis Chriſti myſtici. Quid ergò agit anima in corpore ? *Omnia membra vegetat, per oculos videt, per aures audit, per linguam loquitur, per manus operatur, per pedes ambulat, omnibus ſimul adeſt membris ut vivant, vitam dat omnibus, officium ſingulis.* Ita Auguſtinus. Hoc etiam facit Spiritus ſanctus in Eccleſia, quæ eſt corpus unum, & Fideles membra. Licet ergò Eccleſia haberet membra ante Spiritus ſancti adventum, videbatur tamen mortua & ſine operatione. Sicut enim corpus mortuum oculos habet, ſed non videt, manus, ſed non operatur, pedes & non ambulat, quia non habet ſpiritum animantem membra & moventem ea : Ita & Apoſtoli non reddebant lumen, licet eſſent oculi ; nec prædicabant, licet eſſent linguæ ; nec miracula faciebant, licet eſſent manus ; nec circuibant orbem, licet eſſent pedes. Sed ubi Spiritus ſanctus venit, tunc videre eſt, quanto fervore hæc omnia operati ſint, ubique prædicantes : *Ubi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur*, ægrotos, ſurdos, cœcos ſanantes. *Tunc* ergò incepit ornatum ſuum habere Eccleſia. *Tunc* incepit pulchritudinem habere Sponſa. *Tunc* habuit *oculos ut Columbæ.*

Auguſt. ſerm. 186.

Linguam, ex qua fluebat *mel & lac.*

Labia diſtillantia myrrham primam, Pœnitentiæ amaritudinem.

Manus cum monilibus, hoc eſt, plenas bonis operibus.

Crura quaſi columnæ marmoreæ, hoc eſt, Martyres fortiſſimos.

Pedes quaſi vaſa aurea, hoc eſt, Apoſtolos ubique pacem Evangelizantes.

Omnem denique ornatum habuit à Spiritu ſancto, ſicut pingitur in Canticis.

Ex his ergò patet, quàm rectè vocetur Spiritus vivificans, illuminans, dirigens, perficiens Eccleſiam, & omnia ejus membra.

Hinc etiam rectè Spiritus S. dicitur *Cor* Corporis myſtici. Nam illius Corporis *Caput* eſt Chriſtus, *Collum* Virgo. *Spiritus S. dicitur Cor Eccleſiæ.*

Oculi, Epiſcopi & Paſtores, qui ex alta ſpecula proſpiciunt, ut hoſtium dolos detegant & videant an grex alienam viam ſequatur.

Lingua, ſunt Doctores, Eccleſiam inſtruentes.

Dentes, ſunt Prædicatores, qui panem frangunt & maſticant parvulis.

Aures, ſunt Confeſſarii, qui peccata excipiunt.

Pedes & manus, ſunt ii, qui ſunt in egenos miſericordes.

Sed

Digitized by Google

Sed hæc omnia quid facerent ſine corde? Paulatim arefcerent, niſi ejus calore foveantur.

Cor ergo eſt Spiritus ſanctus, ob plures rationes.

Primò, quia ſicut cor eſt fons vitæ, à quo in ſingulas corporis partes vigor derivatur, & eſt origo omnium actionum vitalium: ita Spiritus ſanctus eſt principium gratiæ, tanquam vitæ ſpiritualis, cujus virtute omnia opera noſtra vivificantur, & ſunt meritoria. Rectè ergò dicimus: *Credo in Spiritum Sanctum vivificantem.*

Secundò, ſicut cor eſt ſedes amoris, à quo amantium affectus prodeunt: ita Spiritus ſanctus amor eſt Patris & Filii, & amoris noſtri origo.

Tertiò, cor habet ſollicitudinem pro omnibus partibus corporis: dum per ſomnum ceſſant ſenſus & animæ facultates, nec auris audit, nec oculus videt, nec memoria recordatur, nec voluntas vult, nec mens intelligit: Cor tamen tunc vigilat, quaſi ſollicitum pro corpore, nunquam quieſcit a motu, quem ſi intermitteret, tota corporis compago diſſolveretur. Ita Spiritus ſanctus Cor Eccleſiæ, eandem gerit ſollicitudinem & vigilantiam, tum erga juſtos, tum erga peccatores: quia dum nec remedia cogitant ſalutis, nec bonorum cœleſtium meminerunt, dum voluntas in eis quodam ſomno lethali correpta eſt, non amans Deum, ipſe Spiritus ſanctus ſaluris eorum amantiſſimus, inſpiratis amorem & deſiderium mutandi vitam, quærendi viam ſalutis, Cant.5.2. ita ut poſſit dicere Eccleſia: *Ego dormio, & cor meum vigilat* pro me ſollicitum.

CONCIO MORALIS DE SPIRITU Sancto pro die Pentecoſtes.

Pſ.142.10 *SPIRITVS TVVS BONVS DEDVCET me in terram rectam.*

4.Reg.2. ELias curru aſcendens igneo Eliſæo Diſcipulo reliquit *Pallium & Spiritum duplicem*, quibus potuit liberè & ſine offendiculo aquas Jordanis pertranſire. Ita duplex nobis medium reliquit, quòſ felicitèr poſſimus fluctus hujus mundi ſicco pede, & ſine offenſione pertranſire. Pallium ſcilicet ſuum, ipſum corpus quo ejus divinitas velata fuit, quod nobis datur in Euchariſtico Sacramento: & ſpiritum duplicem ſive abundantem & eximium, quem miſit in Apoſtolos & in omnes Fideles, ut virtute illius dividamus aquas mundi, hoc eſt, ſuperemus omnia impedimenta ſalutis, & tandem deducat nos in terram rectam, in cœleſtem Jeruſalem.

Hunc ergò Spiritum ad ſe vocare, & magnis votis optare, decet quemque Fidelem, & dicere Domino: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Singula hæc verba pondus habent, & ideò ſingula expendemus.

Primo dicit, *ſpiritus tuus*, ſive ad Patrem hoc dirigatur, ſive ad Filium, quia ad utrumque dirigi poteſt, Spiritus enim ſanctus utriuſque ſpiritus eſt, ab utroque ſpiratus & procedens. Unde vidit eum Joannes tanquam *fluvium procedentem de ſede Dei & Agni*, ut ſuprà explicuimus, Spiritum ergo Pa- Apocal. 22.1.
tris optamus, Spiritum quoque Filii, qui nobis ab ipſo Patre per Filium communicatur, *in quo clamamus Abba Pater.* Rom.8. 15.

Secundo dicit, *Spiritus bonus tuus*, quia huic tertiæ perſonæ appropriatur bonitas, ſicut & Patri potentia, & Filio ſapientia. Author eſt ipſe totius bonitatis, fons amoris, à quo omnia nobis dona proceduut: ab illo omnia dona, quæ in Eccleſia fulgent, in Prophetis, Apoſtolis, in Martyribus, in omnibus denique ejus membris profluxerunt. Hic eſt *Spiritus ſapientiæ* in Salomone: *Spiritus ſcientiæ* Iſa.11.2. in Beſeleel: *Spiritus conſilii* in Moyſe, & Septuaginta *Spiritum* Judicibus: *Spiritus fortitudinis* in Joſue, Gedeone, *intellectus* Samſone: *Spiritus pietatis* in Tobia: *Spiritus timoris* *in Daniele &c.* in Simeone juſto & timorato. Ergò omnia gratiarum dona ab ipſo vehiunt. Omnis bonitas quæ in nobis eſt, quæ in Cœlo, quæ in Terra, quæ in Sacramentis, ab illo eſt: Per illum enim ſanctificamur, ab illo eſt virtus Baptiſmi, ab illo virtus Pœnitentiæ & omnium Sacramentorum; ab illo eſt remiſſio peccatorum, ab illo omnis emundatio, quia & *Sanguis Chriſti per Spiritum ſanctum emundat nos ab operibus mortuis.* Et quia omnis ſanctitas ab ipſo eſt, ideo Spiritus ſanctus dicitur, & Spiritus bonus, & Spiritus rectus, & Spiritus dulcis, & Spiritus principalis.

Tertio dicit, *Deducet me* Ad hunc enim effectum miſſus eſt ut nos in viam æternitatis & ad hæreditatem deducat, quia Spiritus adoptionis eſt Spiritus filiorum Dei. Ejus verò ductus neceſſarius nobis eſt in hac via longa & confragoſa. Nam ſpiritus noſter humanus niſi adjuvetur à divino, non eſt ſufficiens nos deducere. Eſt enim vanus, inconſtans, vagus, infirmus, & ſæpè nefcimus cujus ſpiritus ſimus. Modo trahit ab una parte ſpiritus vanitatis, modò ſpiritus impatientiæ, modò ſpiritus ſuperbiæ, & per varia præcipitia nos deducit, nos agnoſcimus. Quia ergò in hac via qua ambulamus, multa ponit impedimenta ſpiritus maliguus, ſæpe ſub ſpecie boni etiam nos decipiens, & quia nos imbelles ſumus & infirmi, neceſſarium eſt ut ſpiritus ille bonus deducat nos, & adjuvet nos juxta id quod dicit Apoſtolus: *Spiritus adjuvat infirmitatem* Rom.8. *noſtram.* Hoc autem agit variis modis variiſque 26. auxiliis.

Primò, adjuvat *infirmitatem noſtram*, dum facit ut arumnas quaslibet corporis vel animæ, de manu Dei accipiamus, & in illis Deum noſtrum laudemus.

Secundò, adjuvat nos depellendo ignorantiam ab intellectu, docens nos quid agere, quidve fu- Bernard. gere debeamus; ut planè & plenè videamus viam ſerm. de per quam ambulamus, cautelam qua ambulare de- Pentec. bemus, & ad quam ambulemus manſionem, inquit Bernardus.

Digitized by Google

Tertiò, voluntatem roborat ad agendum bona ſolida, & æterna, & contemnenda præſentia quæ ſenſum elliciunt & decipiunt.

Quartò, adjuvat memoriam, ut recordemur beneficiorum Dei cum gratitudine, & judiciorum quibus malos punit, bonos præmiat; præceptorum quoque & peccatorum, ne tranſgrediamur, vel ſi tranſgreſſi fuerimus, ut compungamur.

Quintò, adjuvat ſpiritum noſtrum contra concupiſcentiam, dat robur ad aggrediendum opera heroica; denique adjuvat nos ad perſeverandum in Dei obſequio fervore, & gratia.

Vides ergò quomodò neceſſarium ſit, ut adjuvet
Pſ.93.17. nos in omni ſtatu, ſive peccati, ſive gratiæ? Exiſtentes enim in peccato adjuvat ut erripiantur, & non pereant, juxta id quod dicit Pſaltes: *Niſi quia Dominus adjuvit me paulo minus habitaſſet in inferno anima mea.* Adjuvat cadentes, velut ſupponens manum ne collidantur. Adjuvat in ſtatu gratiæ, ne cadamus; & confirmat noviter de peccato exeuntes, ne facilè relabantur; & deducit ut progrediantur in bono, *de virtute in virtutem*, donec videatur
Pſal.83.8 *Deus Deorum in Sion.*

Ad hunc ergò effectum miſſus eſt in Apoſtolos & fideles, ut eos in hac via lubrica & difficili duceret, tanquam in dubiis Conſolator, tanquam Lux in tenebris, tanquam Protector in adverſis, tanquam Conſiliarius in anxiis, tanquam Fortitudo eorum in periculis.

Chriſtus ergo diſcedens à filiis inſtar pii Patris, amanter omnia diſpoſuit. Nam valedicens pignus ſui amoris dat, corpus & ſanguinem ſuum, & ſimul tutorem eis mittit, qui eos inſtruat, gubernet, protegat, dirigat. Hoc fecit Spiritus ſanctus in Apoſtolis.

1. Idiotæ erant, cùm tamen in univerſum orbem proficiſci deberent: ſed eis ſcientiam infundit qua
Pſ.54.13. omnem eloquentiam & mundi ſapientiam poſſent deſtruere, & omnes ad ſe trahere: *Dabo univerſis filiis tuis doctos à Domino.*

2. Timidi erant, ſed eos virtute ex alto contra
Pſ.74.4. omnia pericula induit & corroborat. *Ego confirmavi columnas ejus.*

3. Viles erant & ignobiles, ſed poteſtate miracu-
Iſa.8.18. lorum eos mundo admirabiles reddidit: *Ecce pueri mei quos dedit Dominus in ſignum, & in portentum Iſrael.*

4. Tepidi erant, ſed Spiritu ſancto in eos influente zelum induunt: *De excelſo miſit ignem in oſſibus*
Thren.1. 13. *meis & erudivit me.*

5. Verba eorum velut ignea, lapidea etiam corda penetrare poterant. Hinc Petrus ipſo die Penteceſtes unica Concione tria millia animarum convertit, & ſequenti die quinque addita ſunt millia. Illi ergò qui adeò debiles antea erant, tam ſolidi facti ſunt, ut nec tyranni, nec tormenta, nec quælibet vis inferni, eis animos potuerit infringere; ſed potiùs ipſi totum mundum ſub jugum fidei miſerunt, Idola deſtruxerunt, Principes & totum orbem Crucifixo ſubjecerunt: Ecce ergò vis Spiritus deducentis eos, & infirmatem eorum adjuvantis.

6. Hoc eodem Spiritu animati ſunt Martyres ad quælibet tormenta, Pueri & Virgines tanto numero; quibus dum latera incendebantur, uberaque vellebantur, rotæ & ignes parabantur, exultatio erat & jubilus, ipſoſque tyrannos ſapientia ſua, & convincebant, & irridebant.

Sic B. Lucia animi fortitudine reſpondebat tyranno, ut diceret illi tyrannus: *Ceſſabunt verba, cum ventum fuerit ad verbera.* At iſta: *Servis Dei verba deeſſe non poſſunt, quibus Dominus dixit: Cùm ſteteritis ante Reges & Præſides, nolite cogitare quid aut quomodo loquamini, non enim vos eſtis qui loquimini ſed Spiritus ſanctus qui loquitur in vobis.* Cumque interrogaſſet: *Eſtne in te Spiritus ſanctus.* Reſpondit: *Caſtè & piè viventes, templum ſunt Spiritus ſancti.* At ille: *Jubebo te ad lupanar deduci ut Spiritus ſanctus te deſeras.* Cui Virgo: *Si invitam me juſſeris violari, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam.* Exempl. Surius 13. Decemb.

Quartò dicit: *in terram rectam*, hoc eſt, ad terram illam ad quam tendimus, ubi nihil niſi rectitudo, nullum peccatum, nihil diſtortum, nulla tentatio nullum periculum, nullum in via impedimentum. Sed terra rectorum eſt, terra nulla habens diverticula errorum.

Sicut ergo filios Iſrael deducebat columna ignis de nocte, & columna nubis de die ad terram promiſſionis: ita Spiritus hic luce ſua nos deducit, & refrigerio ſuo nos protegit in die proſperitatis, in nocte adverſitatis, & toto tempore vitæ noſtræ nos non deſerit, donec in terram illam rectam & terram promiſſionis introducat. Gratia enim Spiritus ſancti inſtar ignis lucentis eſt, & inſtar roſcidæ nubis. Per ſuam gratiam prævenientem inſpirat, & in viam bonam inducit: Per concomitantem deducit: Per ſubſequentem perducit: per donum perſeverantiæ introducit: & per conſummatam gratiam introductam coronat. Nemo ergò ad illam pervenit terram rectam, ſine Spiritus ſancti deducentis auxilio & afflatu. Sicut enim navis quantumlibet in mari omnia habeat adaptata à Nautis, vela ſuſpenſa, malum navis erectum, funes diſpoſitos, anchoram & contos, tamen niſi ventus favens adveniat, procedere fœliciter eſt impoſſibile: ſic nobis navigantibus ad Æterniratem, in mari hujus ſæculi neceſſarius eſt ventus favorabilis Spiritus ſancti. Et quantumlibet liberum noſtrum arbitrium conetur, & quicquid fecerimus ex nobis cooperantes, non ſumus ſufficientes naviculam noſtram dirigere aut navigare. Ergo Spiritum hunc neceſſarium eſt invocare, qui vela noſtra fœliciter afflatu ſuo impleat, & deducat in *terram rectam*, hoc eſt ad littus de fluctibus maris, & ad portum ſalutis. Exod.13. 21. *Similitò de Nautis.*

Certè quicquid agit Spiritus S. erga nos, ad hoc tendit, ut iter rectum aſſequamur ad terram viventium, illuc ſemper nos impellit. Vis id præſticè videre?

Num-

Nunquid aliquando gravibus peccatis fuiſti obnoxius & ſenſiſti interius conſcientiæ remorſus: cor conturbatum timore Dei & judicii ejus? Spiritus ſanctus erat quem expuleras, & pulſabat ad cor tuum, per donum timoris, ut poſſes dicere: *A timore tuo Domine, parturivimus ſpiritum ſalutis.* Et nunquid Spiritus ille perduxit te ad Pœnitentiam & confeſſionem? Hoc erat deducere te in terram viventium de terra mortuorum, in terram rectam de itinere diſtorto. Nunquid excuſſo onere peccatorum ſenſiſti lætitiam & pacem interiorem? Id efficiebat ille Spiritus, iterum te inhabitans, pro quo clamabat David: *Spiritum rectum Domine innova in viſceribus meis: Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me.* Quid plura? Si quandoque ſentis animum tuum in amorem Dei exardeſcere, Spiritus eſt pietatis, qui te ſtimulat, illuminat, accendit; huic cor totum aperi, hunc ne extingue corpore tuo. Sunt etiam pleræque animæ, quæ vitam illam æternam conſiderantes, & ex altera parte exilium hoc miſerum, ſuſpirant velut de medio Babylonis, amarè flent, recordatæ Sion civitatis ſuæ. Ibi quoque agit Spiritus ille, de quo dicit Apoſtolus, quod *poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*: hoc eſt, poſtulare nos facit, & gemitus ac ſuſpitia vitæ æternæ in nobis producit, facitque clamare in mediis fluctibus: *Spiritus tuus bonus deducet nos in terram rectam.*

Ultimò addit: *Vivificabis me in æquitate tua*, quia ut diximus, Spiritus vivificans eſt, anima animæ noſtræ, ſine qua ipſa eſt mortua: quia ſine motione Spiritus ſancti nihil poſſet operari, nihil mereri, nihil dignum vitæ producere. Sicut enim, inquit D. Thomas, ſine concurſu primæ cauſæ, nec anima videret per oculos, nec operaretur per manus, nec audiret per aures, ita Spiritus ſanctus omnes actiones vivificat & ſupernaturales in nobis efficit, illuminat intellectum, inflammat voluntatem, excitat memoriam; & per dona ſua omnia in nobis operatur, illuminat per fidem, firmat per ſpem, accendit per charitatem.

Sine hoc ſpiritu vivificante, orbis terrarum mortuus erat, prædeſignatus per campum illum Ezechielis plenum oſſibus mortuorum, de quibus dicit ad Prophetam *Fili hominis putaſne vivent oſſa iſta? Et dixi Domine Deus tu noſti & dixit ad me, vaticinare de oſſibus iſtis, & dices eis: Oſſa arida audite verbum Domini, ecce ego intromittam in vos ſpiritum, & vos vivetis. Et dixit ad me Vaticinare ad ſpiritum & dices. Hæc dicit Dominus: A quatuor ventis, veni ſpiritus, & inſuffla ſuper interfectos iſtos, & reviviſcant*, &c. Antequam ergò veniret Spiritus ille miſſus in mundum à Domino, ut repleret orbem terrarum a quatuor ventis, nunquid omnes quaſi oſſa arida erant? ſed illo veniente, ecce ubique ſpiritus vitæ. Nunc adhuc multa ſunt oſſa arida, quæ egent hoc ſpiritu vivificante, ita ut debeamus vaticinari, & clamare ad Spiritum: *Veni Spiritus à quatuor ventis.* Veni ab Oriente, ab Occidente, veni à Meridie, a Septentrione.

Per has autem quatuor orbis partes, hominis diverſas ætates poſſumus intelligere, & dicere: Veni ſpiritus ab Oriente, & inſuffla ſuper pueros. Veni à meridie, & inſuffla ſuper viros; qui in media ætate ſunt tanquam in Meridie. Veni a Septentrione, ſuper eos qui jam ſeneſcere incipiunt, & in frigida ætate quaſi Septentrionis plaga ſunt. Veni ab Occidente, & inſuffla ſuper decrepitos illos: qui Occidenti ſuo & morti ſunt vicini. Vivifica eos, illumina, accende, dirige ad iter rectum; ut poſſit unuſquiſque eorum dicere, *Spiritus tuus bonus Domine deducet me in terram rectam, vivificabis me in æquitate tua.*

Luc. 6. 12.

Pſ. 50. 12.

Rom. 8. 26.

D. Thom

Ezech. 37

Pſ. 142. 10

LECTIO II.

DE APPARITIONE SPIRITUS SANCTI.

1. *Decet apparuiſſe in forma Columbæ.*
2. *Apparuiſſe in ſpecie nubis.*
3. *Apparuiſſe in ſpecie ignis.*

PROPOSITIO I.

Apparuit Spiritus ſanctus in ſpecie Columbæ in Baptiſmo Chriſti.

Cur Spiritus ſanctus apparuerit in Baptiſmo Chriſti in forma Columbæ?

SEd cur hanc ſpeciem elegit? *Primò*, quia columba eſt puritatis ſymbolum, quam Spiritus ſanctus operatur in nobis ſignificabatque puritatem, quam Chriſtus attulit, animas purificans, & vim quam aquis impertiit ad animas ſanctificandas. Puritas ergò Spiritui ſancto dignum præparabat habitaculum, juxta illud: *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in viſceribus meis.* Et illa ſignificatur in candore columbæ, & in naturali ejus munditia. Quam munditiam colligunt aliqui ex eo quod non inveniens ubi quieſceret, reverſa ſit in arcam.

1. *Columba eſt ſymbolum puritatis.*

Pſ. 50. 12.

Exiſtimant enim multi non inveniſſe ubi quieſceret, locum ſcilicet mundum, quia terra erat luto, cadaveribus fœtibuſque conſpurcata: Per hoc ſignificatur poteſt, quod Spiritus ſanctus nolit requieſcere in conſcientia cadaveroſa, fœculenta peccatis, & conſpurcata vitiis. Mittit æternus Pater tanquam alter Noë hanc Columbam è cœleſti ſua arca, ſed vix invenit in hac terra noſtra ubi quieſcat aut habitationem figat; quia ubique regnat peccati ſpurcitia, in omni conditione, ſexu, ætate, ſtatu, ubique cadavera fœtida invenit Spiritus ſanctus: In Palatiis inter nobiles, & Magnates fœda reperit peccata: In Urbibus inter mercatores: In tribunalibus inter Judices & cauſidicos: In Eccleſiâ inter ipſos Sacerdotes & Dei miniſtros. Ponunt ergo hi impedimentum Spiritui ſancto eumque fœtore ſuo à ſe repellunt. Non invenit in eis ubi quieſcat Columba hæc puriſſima.

Gen. 8. 10

Secundò, quia ſymbolum eſt ſimplicitatis & manſuetudinis. Quapropter dicitur eſſe ſine felle: Unde

2. *Eſt Symbolum conſuetudinis.*

Unde licet possessor columbarii sæpius pullos surripiat, non ideo fugit aut mutat domicilium, sed potius oblita molestiæ, novos Domino parit pullos, docens nos oblivisci injurias, & vincere in bono malum. Significatur ergo Spiritum sanctum mansuetudinem & columbinam simplicitatem in nobis producere.

3. Pœnitentia. *Tertiò*, symbolum est Pœnitentiæ, quia timore & pavore facilè concutitur. Unde ad foramina petræ refugium habet, nec alium cantum habet quam gemitum: quæ omnia repræsentant animam timore concussam, ad Vulnera Salvatoris confugientem, & pro peccatis gementem. Hunc autem timorem, & hunc gemitum operatur Spiritus sanctus, Rom. 8. 26. de quo dicit Apostolus, quòd *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Columba quoque ad singula grana elevans oculos, & velut Deo authori gratias agens, nos gratitudinem docet erga Deum.

4. Pacis. *Quartò*, multi notant, sæpius Antiquos fuisse usos Columba tanquam internuncia; filo enim alligabant epistolam sub alis in obsidionibus, ut Gen. 8. 11. referunt Historici. Unde & Noë inter tot animalia usus est illa internuncia, nunciavitque ei pacem dum olivam retulit. Columba ergo super Christum, Is. 61. 1. 2 significat eum esse pacis Legatum: *Spiritus*, inquit, *Domini super me, evangelizare pauperibus misit me: ut prædicarem captivis indulgentiam, clausis apertionem, & annum placabilem Domino.* Hoc animal semper fuit Spiritus sancti instrumentum. Hinc dicit Hugo: Hugo. *Fortassis si permissus fuisset, diabolus ad Evam in specie Columbæ venire voluisset, sed hoc vas Spiritus sanctus sibi reservavit, quia profectò dignum non erat, ut spiritus malignus illam formam hominis odiosam faceret, in qua postea Spiritus sanctus apparere debebat.*

Baron. tom. 11. Sic legimus, quod sæpius in specie Columbæ B. Gregorio adstiterit ad Altare, sicut Joanni Diacono declaratum fuit. Sic & B. Remigio vas sacri Chrismatis attulit Columba.

Apparuit & quondam Columba super quendam hæreticum Severianum sed fuliginosa, indicans fidem ejus fuligine & fœtore plenam. Historia sic se habet: Refert Theodorus Abbas, advenisse tanquam hospitem Monachum Syrum genere ad xenodochium prope Pharum, nihil habentem præter cilicium & pallium & panes paucos. Stabat autem in uno angulo semper nocte dieque psallens, & nemini loquens. Venienteautem Dominica, adii illum, inquit Abbas Theodorus, dicens, veni frater ut communices sanctis venerandisque mysteriis. Qui ait, non venio, quia Severianus sum, & non communico Ecclesiæ, Audiens, inquit Theodorus Abbas, quod non communicaret S. Ecclesiæ Apostolicæ, & videns optimam ejus conversationem, abii lugens in cellam, & prostravi me in faciem coram Domino per tres dies orans cum multis lachrymis, & dicens: *Dominator Christe Deus noster, qui ob immensam clementiam descendisti, & propter salutem nostram incarnatus es ex sancta Virgine Ma-*

Exempl. Sophron. in Prato Spir. c. 16.

ria, revela mihi qui sint, qui bene & rectè credunt; nec ne qui sanctæ Ecclesiæ jungimur, an qui Severo consentiunt. Die verò tertia venit mihi vox invisibiliter dicens: *Vade Theodore, inspice fidem ejus.* In crastinum ergo profectus cum mansillem sedens juxta eum, intuens in ipsum stantem & voce Syra psallentem, vidi, teste Deo, Columbam super caput ejus suliginosam, quasi ex coquina venientem, squalidam ac fœtidam, agnovique hanc ipsius esse fidem. Hæc, inquit Sophronius, narravit nobis cum lachrymis & singultibus multis ipse Theodorus.

Itaque nomen Columbæ multa in Scriptura significat. *Columbæ nomen quæ significet.*

Primò, apud Jeremiam solet indicare exercitum Babyloniorum, quia hi in vexillis suis Columbam gerebant, sicut & Romani Aquilam Columbamque tanquam Deum colebant, & illi sacrificabant. Unde Jeremias: *Fugite*, inquit, *à facie gladii Columbæ.* Item: *Fugite à facie iræ Columbæ.* Jer. 50. 16 Jer. 25. 38

Secundò, accipitur pro anima pœnitente, aut anima pia. Ob illa quæ jam dicta sunt: *Quis dabit mihi*, inquit Propheta, *pennas sicut Columbæ, & volabo, & requiescam?* Item: *Sicut Columbæ lactentes quæ residentes juxta fluenta plenissima.* Solent juxta aquas limpidas versari, & in illis etiam accipitres volantes considerare, ut possint effugere, ideòque in hoc significant animam Deum timentem. Ps. 54. 7. Cant. 5. 12.

Tertiò Columba significat animam imprudentem apud Ose. *Factus est Ephraim quasi Columba seducta non habens cor.* Habet enim hoc Columba, ut licet volatu velocissima est, sic & corde tardissima; nec magnopere aucupem retia tendentem aut videre aut vitare curet, sed quodammodo sponte sua incidere in retia videatur. Deinde, cæteræ aves pullos defendunt & propugnant, sola Columba ablatos pullos nec dolet, nec requirit. Cum ergo multa habeat laude digna, quod volet celerrimè, quòd felle & amaritudine careat, quod limpidas aquas amet, quòd cadaverum pastum refugiat; hoc solum in ea peccator imitatur, quòd facilè seducitur, quod non habet cor, fallacis boni specie capitur, brevi & caduca voluptate illectus ultro se in manus & in laqueos infestantium conjicit, spoliatur, laceratur, nec irascitur spoliantibus aut lacerantibus, sed ad easdem ædes revertitur, in quibus mala hæc pertulit. Non habet profectò cor: *Utinam saperet & intelligeret, novissima provideret*, vitaret certè laqueos, & intelligeret se sæpè cecidisse, nec rediret ad eadem retia, ad eadem loca & occasiones per quas cecidit. Ose. 7. 11. Ribera in hunc loc.

Quartò, significat Ecclesiam: *Vita ejus Columba mea*, &c. Sic etiam significare videtur in illo loco: *Si dormiatis inter medios Cleros, penna Columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri.* Quod aliqui sic explicant: Si vos, qui evangelizatis verbum Dei, quiescatis in medio duorum Testamentorum, acquiescentes veritati divinitùs inspiratæ Prophetis & Apostolis, tunc pennæ Columbæ (id est, Ecclesiæ fides & mos) erũt deargentatę puritate Cant. 6. 8 Ps. 67. 14. Bellarm. in illum loc.

ante ſapientiæ, & deuſtæ fervore charitatis. Nec malè per Cleros intelliges duo Teſtamenta, quia Clerus ſortem, poſſeſſionem & hæreditatem ſignificat: ſunt autem Scripturæ utriuſque Teſtamenti poſſeſſio & hæreditas Eccleſiæ.

Sunt & duo termini, ut vertit Hieronymus, extra quos egredi non licet, niſi veritatis ſemitam perdere velimus.

V. Aug. in illum loc. Aliter juxta Auguſt. ſenſus eſſe poteſt? Si vos ô Paſtores Eccleſiæ, manentis inter duas ſortes ſive hæreditates, cœleſtem & terrenam, partim per contemplationem bonorum cœleſtium aſcendentes ad Deum, partim per charitatis obſequium deſcendentes ad proximum, hoc eſt in medio contemplativæ & activæ vitæ agentes, erit Eccleſia quaſi Columba formoſiſſima, habens alas deargentatas, & dorſum deauratum.

Quintò, Columba, ut explicatum eſt, ſignificat Spiritum ſanctum, qui per gratiam ſuam nos candidos facit, & bonorum operum fœcunditatem in nobis producit, manſuetudinemque nos docet; dat denique alas, quibus volemus ad locum ſecuritatis, ad domum æternitatis.

Denique, ſignificat animas beatas, de quibus etiam illud intelligi poteſt: *Vidi ſpecioſam ſicut Columbam aſcendentem ſuper vivos aquarum*, &c. Sæpiſſimè enim animæ de his fluviis Babylonis, de his aquis turbidis, de hoc mundo, è corpore in cœlum aſcendentes, viſæ ſunt inſtar Columbæ candidæ. Sic viſa eſt anima B. Quintini è corpore in cœlos evolare inſtar Columbæ ſpecioſæ. Sic & B. Juliæ ancillæ Chriſtianæ pro ipſius fide crucifixæ anima viſa eſt exire inſtar Columbæ, dum ſpiritum efflaret, de quo Baronius.

Baron. tom. 6. An. 440. Surius 13. Octobr. Cornel. à Lapide in cap. 11. ad Hebr.

B. Oſwaldus Epiſcopus Vigornienſis mortuus fuit lavans more ſolito pauperum pedes, & in illo miniſterio perſolutis de more quindecim Pſalmis, pronuncians, *Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto*, ſpiritum ante pauperum pedes reddidit. Cumque ejus corpus ad Eccleſiam ferretur, ni vè Columba è Cœlo deſcendens, viſa eſt ejus corpus protegere alis expanſis. Sic in cryptis & locis ſubterraneis Romæ viſuntur adhuc multa ſepulchra Sanctorum: Ad deſignandos beatos Martyres, inſculpta eſt ſepulchris eorum Palma; ad deſignandas beatas Virgines, inſculpta eſt Columba.

PROPOSITIO II.

Spiritus Sanctus apparuit in ſpecie Nubis in Transfiguratione.

Eur apparuerit in Transfiguratione in Nubis ſpecie. Eccl. 24.

NUbes in Scriptura ſymbolum eſt divinæ Majeſtatis, & adeo ſolet eſſe familiaris apparitionibus divinis, ut Scriptura dicat: *Thronum ejus eſſe in columna Nubis.* Recte verò Spiritui ſancto convenit deſignari in Nube. Unde cùm in Transfiguratione myſterium Trinitatis deſignatum fuit, apparuit Filius in veſte gloriæ, Pater in voce, Spiritus ſanctus in lucida Nube.

Petr. 1. Act. 17. Sic Spiritus ſanctus fuit Nubes illa obumbrans, per quam obumbrata Virgo Maria Chriſtum concepit. Hæc Nubes etiam nos obumbrare ſolet, carnalium deſideriorum in nobis æſtum extinguens, & à terrenis ad cœleſtia animum noſtrum elevans. Hæc eſt etiam Nubes, quæ nos veros Iſraelitas deducit in terram promiſſionis. Hæc quoque eſt Nubes illa levis, ſuper quam Dominus dicitur aſcendiſſe, ut ingrederetur Ægyptum. Significabat Nubes iſta abundantem gratiam Spiritus ſancti, & doctrinæ cœleſtis, quam Chriſtus in Ægyptum intulit, ubi fide ejus propalata, tot Monachorum germina protulit, & in ea dæmones & idola exterminavit. Sed libet hic explicare varia ſymbola, ſub quibus Spiritus ſancti gratia in Scriptura ſolet indicari. Iſa. 1. 9. 1.

GRATIA SPIRITUS SANCTI per Aquam ſignificata.

Spiritus S. gratia ſignificatur per Aquam.

RAtio, cur Spiritus ſanctus Nubes dicatur, eſt, quia nubes aquam, pluviam, imbrem, rorem producit. Solet in Scriptura Spiritus ſancti gratia ſignificari per omnia illa.

Primò per aquam: *Effundam aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam, effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictionem meam ſuper ſtirpem tuam.* Iſa. 44. 3.

Ad hanc aquam reſpirare nos docet Propheta, dum dicit: *Expandi manus meas ad te: Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.* q. d. Anima mea ita ſitit gratiam tuam, ſicut terra arida aquam. Nam ſicut terra ſine aqua nec conſiſtentiam habet, nec veſtitur herbis, nec ornatur floribus, nec producit fructus, ſed eſt inanis & vacua; ſic anima ſine gratia Spiritus ſancti, nec tentationibus reſiſtit, ſed ſicut pulvis jactatur à facie venti, nec veſtem habet juſtitiæ, nec ornatum ſapientiæ, nec fructum bonorum operum. Pſ. 142. 6.

Et ſicut aqua emundat, ſitim extinguit, refrigerat: ſic & gratia Spiritus ſancti purificat animam, extinguit ſitim cupiditatis noſtræ. Ideo vocatur aqua viva, & dicit Chriſtus: *Qui biberit ex hac aqua, non ſitiet in æternum*, niſi ſcilicet aquam hanc per peccatum evomat: Vult enim ſignificare aquam communem ſemel guſtatam, tantum ad tempus ſedare ſitim; quia non manet, ſed concoquitur & evaneſcit; hæc verò aqua Spiritus ſancti quantum eſt ex parte ſua, ſemel guſtata, ſemper ſufficit, manens ſemper eadem, afferens humorem & vigorem ipſi animæ, imò & perſeverantiam & ſalutem, niſi ſponte quis eam evomat, denuo peccando. Sic ergo per Spiritum ſanctum inhabitantem, ſit in nobis *Fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Joan. 4. 13.

GRATIA SPIRITUS SANCTI ſignificata per Rorem.

2. Per Rorem.

SEcundò per Rorem ſignificatur gratia Spiritus ſancti. Hic eſt *Ros Hermon deſcendens in montem Sion.* Hermon ſignificat lumen elevatum, & Sion ſpeculam: Eſt ergo gratia Spiritus ſancti Ros luminis, Ros deſcendens à Patre luminum in ipſam Eccleſiam, & ipſo die Pentecoſtes deſcendit hic Pſ. 132. 3. Bellarmi. in illum loc.

Digitized by Google

Ros in montem Sion, ubi erant Apoſtoli congregati, qui mons dici potuit *mons Hermon*, ob lumen ex alto deſcendens, quo illuſtratus tunc fuit.

Poteſt & de hoc Rore intelligi illud Prophetæ: Iſa.26.19 *Ros lucis ros tuus, & terram gigantum detrahes in ruinam. Ros lucis* dicitur, quia fœcundat affectum & illuminat intellectum; & ſicut Ros maturinus vitam affert plantis, ita Ros Spiritus ſancti vitam & lucem affert animabus. Et hunc rorem lucidum Apoſtoli in orbem deferentes, terram Gigantum detraxerunt in ruinam. Per Gigantes enim intelliguntur Tyranni, qui contra Deum inſurrexerunt. Hos verò Apoſtoli vi Spiritus ſancti cum omni eorum potentia devicerunt.

Judic.16. 37. Hæc gratia Spiritus ſancti & doctrina cœleſtis Apoſtolorum, ſignata olim fuit in Rore Vellus Gedeonis irrigante. Ros quidem ille primò vellus madefecerat, tota area arida permanente, & poſtea vellere exſiccato, tota area rore immaduit. Similiter cœleſtis gratia primò populum Iſrael irroravit ſignificatum per vellus; & poſtea illo exſiccato & repudiante gratiam, in totam aream, in totum S. Bernar. Gentium Orbem pertranſivit & non jam amplius ſicut roſ leni & placido fluxu, ſed, ut ait Bernardus: *Sicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram, cum ſonitu verborum, cum ſpiritu miraculorum.* Exſiccatum ergo eſt vellus, quia populus Iſrael repudiatus eſt, & area tota immaduit, quia gentilitas eſt electa, & Spiritus ſancti gratia in illam effuſa eſt.

Gen.27. 28. De hoc Rore iterum intelligi poteſt illud: *Det tibi Deus de Rore Cœli abundantiam.* Verè enim Ros Cœli eſt, cœleſtis illa gratia, & deſcendit ad fœcundandum corda noſtra. Deſcendit verò ad valles, 1.Reg.1. 21. hoc eſt, ad corda humilia, & inanes relinquit ſuperbos. De his rectè dicitur: *Montes Gelboe nec ros* Pſ.103.10 *nec pluvia veniant ſuper vos*, quia *inter medium montium pertranſibunt aqua*, & emittit Dominus eas *in convallibus.*

GRATIA SPIRITUS SANCTI ſignificata per Vinum.

3. *Per vinum.* Joel.2.23 TErtiò ſignificatur hæc gratia per Vinum. Sic Joël dicit: *Filii Sion exultate in Deo veſtro, quia dedit vobis Doctorem juſtitiæ, deſcendere faciet ad vos imbrem matutinum & ſerotinum, & implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino.* Ipſo die Pentecoſtes Apoſtolorum pectora exundarunt hoc vino, ut ab ipſis tanquam refertiſſimis torcularibus in univerſa electionis vaſa transfunderetur. Propterea de illis dicitur: *Ecce hi ebrii ſunt.* Nec hoc negat Petrus, ſed *non putatis*, inquit, *ebrii ſunt.* Ebrii ergo, ſed non tumultuoſo vino ſpiritum vertiginis germinante, & mentem à ſua ſpecula deturbante, ſed vino cœleſti, quod ipſa Sapientia miſcuit, & amicis ſuis propinavit: *Venite amici, bibite* Cant.5.1. *& inebriamini chariſſimi.* Vinum ergo illud, vinum eſt generans Prophetas, conſecrans Nazaræos, germinans Virgines mentis & ventris recalcitrantem ſopiens pruriginem. Hoc vino impleti Apoſtoli, ſunt in quodam *mentis exceſſu*, ſicut de Benjamin adoleſcentulo dicit Prophera. Hoc etiam vino repleti Martyres, inter candentes prunas, inter crepitantes flammas, inter excarnificantes equuleos, inter effodientes ungulas quaſi ſenſu deſtituti exultabant.

GRATIA SPIRITUS SANCTI ſignificata per Pluviam.

4. *Per Pluviam.* Pſ.67.10 QUartò Spiritus ſancti gratia deſignatur apud Pſalmiſtam nomine Pluviæ voluntariæ: *Pluviam*, inquit, *voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ.* Senſus eſt: Eccleſiam tuam quaſi propriam hæreditatem elegiſti, immittes ergo in eam pluviam voluntariam, ſive pluviam ſpontaneam, quæ ex ſe deſcendit. Hæc autem eſt Spiritus ſancti gratia, quæ non deſcendit ex meritis operum, quaſi vaporibus terræ ſurſum elevatis, ſed ſponte ſua Spiritus S. fudit eam in corda Fidelium. Et dicitur *ſegregata hæreditati Dei*, quia bona temporalia ſunt communia fidelibus & infidelibus, ſed Spiritus ſancti gratia ſegregata eſt, ut ſolùm detur fidelibus in Eccleſia, extra quam non eſt ſalus.

Et infirmata eſt, inquit, *tu verò perfeciſti eam*, quia ſcilicet hæreditas Dei ſive Eccleſia ejus, ob invaleſcentes concupiſcentias & ignorantiam jam dudum debilitata erat, idolis ſerviens & vitiis, ipſe eam per Spiritus ſancti gratiam roboravit & confirmavit.

Ipſo ergo die Pentecoſtes, *diſtillaverunt Cœli* hanc pluviam ſelectam, *à facie Dei Iſrael*, Chriſto Domino qui Cœlos aſcenderat illam emittente, ut fœcundaret Eccleſiam, hortum & hæreditatem ſuam, & germina ejus multiplicaret. Unde poſt Spiritus ſancti adventum, tot Martyrum roſas purpureas, tot Virginum & illibatæ pudicitiæ candida lilia, tot Confeſſorum vernantes flores, tot Religioſorum millia, quaſi cœleſtes violas, tantum denique numerum Fidelium ſubitò produxit, ut admirans dixerit Iſaias: *Quis audivit tale? Quis vidit* Iſa.66.8. *huic ſimile? Nunquid parturiet terra in die una? Aut parietur gens ſimul? Quia parturivit & peperit Sion filios ſuos.* Reſpiciebat Prophera ad tempus adventus Spiritus ſancti cùm Eccleſia tot fideles peperit: nam ad Petri Prædicationem, primo die tria millia, ſequenti die quinque millia fidem Chriſti ſuſceperunt. Tunc cœpit impleri illud Iſaiæ: *Lætabitur deſerta &* Iſa.35.1. *exultabit ſolitudo, germinans germinabit, & quæ erat arida, erit in ſtagnum, & ſitiens erit* & 7. *in fontes aquarum.*

Hoc quoque præfigurabat illa viſio Eliæ, quando Cœlo jam tribus annis clauſo aſcendit in montem, & ponens caput inter genua, miſit puerum ſuum, ut reſpiceret contra mare, an non foret aliquod pluviæ ſignum. Cumque ſepties reſpicere juſſus eſſet, vidit in ſeptima vice *Nubeculam aſcendentem, habentem veſtigium quaſi hominis*, & hæc abundantis pluviæ præſagium fuit. Quid erat hæc nubecula, niſi ſymbolum Aſcenſionis Chriſti? Ipſius meritis 3.Reg.18. 41.

meritis debebat mitti abundans gratia Spiritus ſancti poſt Aſcenſionem ejus, de mari hujus ſæculi. Et quidem Cœlo jam aperto, quod tribus tunc annis clauſum fuerat. In quo deſignantur tres ſtatus veteris teſtamenti: Unus ante legem; alter ſub lege, tertius ſub Prophetis, quo tempore abundans illa cœleſtis gratia non fuit effuſa, ſed poſtnubeculæ aſcenſionem, in omnes nationes, in omnem terram ſeptiformis illa gratia Spiritus ſancti effuſa eſt, & ideò non ſine myſterio puer Eliæ ſepties jubetur reſpicere.

Propositio III.

Spiritus ſanctus apparuit etiam in igne in die Penteceſtes.

Spiritus S. cur apparuerit in ſpecie ignis.

PRimò, convenienter in ſpecie ignis apparuit, quia ignis ſolet eſſe ſymbolum divinitatis, & ſæpè per illum Deus ſuam manifeſtavit. Unde Exodi 24. *Erat ſpecies gloriæ Domini, quaſi ignis ardens in vertice montis.* Hinc enim Moyſi dicit: *Ignis conſumens Dominus Deus tuus.* Vidit quoque eum Daniel, & ait: *Thronus ejus flamma ignis.*

1. *Ignis eſt Symbolum divinitatis.* Deut. 4. Dan. 7. 9.

Hinc plurimæ nationes ignem coluerunt inſtar Numinis, & dixerunt illum è Cœlo lapſum, ideoque perpetuò eum conſervabant. Sic Chaldæi goſ colebant. Nam quod Scriptura dicit, *Abraham de Ur Chaldæorum eduſtum*, interpretantur quidam de igne Chaldæorum eductum, tum quia Ur Hebraicè ignem ſign. ſieat, tum quia tradunt Hebræi, & D. Hieronymus Abrahamum, eo quod ignem colere noluerit, in illum injectum fuiſſe, & miraculoſè eductum. Unde & dicitur, *Deus qui eduxiſti Abrahã de igne.* Sed quicquid ſit de hoc, ignem coli ſolitum, ſatis indicat impius ritus traducendi filios per ignẽ, quaſi ab eo tanquam Numine conſecrarentur. Unde reprehenditur Achaz quod conſecraverit *filios ſuos per ignem* transferens juxta ritum Gentium; Sic Ægyptios ignem coluiſſe refert Diodorus: Item de Perſis affirmat Procopius. De Romanis res eſt ſatis nota, ideò enim Veſtales Virgines erant conſtitutæ, ut ignem perpetuò conſervarent, tanquam Numen quoddam, colebant enim ſub nomine Veſtæ. Hinc Ovidius.

Gen. 11. 31.

2. Eſdræ 9. 7.

2. Paral. 23.

Nec tu aliud Veſtam quam vivam intellige flammam,
Nataque de flamma corpora nulla vides.
Iure igitur virgo eſt quæ ſemina nulla remittit,
Nec capit, & comites virginitatis amat.

Secundò, ignis ſpecialiter Spiritum S. rectè deſignat. Cùm enim Spiritui ſancto attribuatur bonitas & amor: Rectè bonitas divina, & amor divinus per ignem ſignificantur. Ignis enim inter cætera elementa, maximè nititur ſe omnibus rebus communicare, ſuamque vim illis imprimere & ſibi aſſimilare. Unde ſi oleum, ſi ligna, ſi ferrum, immò ſi aquam admoves, in ſuam naturam illa transmutare nititur, ſuamque formam & ſplendorem eis communicare. Talis eſt divinæ bonitatis & divini amoris natura, in omnia enim ſe diffundit & ſe communicat, conaturque hominem ſibi ſimilem omnino facere, ſuæ charitatis & gloriæ participem & reliqua pro naturæ ſuæ capta ſibi aſſimilare, in omnibus enim rebus quoddam veſtigium & participatio divinitatis eſt.

1. *Eſt Symbolum Spiritus ſancti.*

Cùm ergò Spiritus ſanctus procedat ut amor, & ad nos egrediatur, ut omnia in ſui naturam transformet, quod igni proprium eſt, rectè ignis nomine deſignatur. Unde etiam ſignificari videtur per fluvium illum igneum, qui ut ait Daniel, *à facie Domini egrediebatur* procedit enim à Patre, non ut genitus, ſed ut impulſus, ut loquuntur Theologi, & ſic quodammodò ut fluvius.

Dan. 7. 10

Tertiò, appoſitè ignis ſignificat in nobis gratiam & effectum Spiritus ſancti & ardorem charitatis. Hinc jubebat Dominus in antiquo illo altari ſemper ignem conſervari, & ſine igne ſacrificium non offerebatur: per illum enim & victima comburebatur, & agnus aſſabatur, & fruges torrebantur; ita ut in ſacrificio etiam Melchiſedech, panis partem igne toſtam multi exiſtiment.

3. *Eſt Signum gratiæ & effectus Spiritus ſancti in nobis.* Levit. 1.

Illud quoque notabile eſt, quoties gratum Deus ſibi ſacrificium indicare voluit, igne cælitùs emiſſo id feciſſe.

1. Super ſacrificium Abelis multi tradunt ignem cælitus deſcendiſſe, & eo probari poteſt, quod ubi lectio noſtra habet: *Reſpexit Dominus ad Abel.* Altera lectio legat: *Inflammavit Dominus ſuper Abel.* Ex illo igne cælitus deſcendente ſuper ſacrificium, & non ſuper ſacrificium ſuum. Cain cognovit acceptum Domino Abelis ſacrificium, & non ſuum. Quomodo enim aliter id ſcivit. 2. In Sacrificio Abrahæ apparuit *clibanus fumans, & lampas ignis tranſiens.* 3. Azymos Gedeonis panes abſumpſit ignis, quaſi de terra ebulliens 4 Sacrificium Manuë, Aaronis, Eliæ, cœleſtis flamma corripuit. Non hæc fuere ſine myſterio.

Genes. 15. 17. Judic. 6. 21.

Quid verò in his omnibus ſignificabatur, niſi gratum nullum Deo ſacrificium ſine charitatis igne, & divini amoris flamma, quo inſtar thymiamatis ſpiritus noſter velut Deo adoletur? Vult ergò Deus hunc ignem ſemper ardere in altari cordis noſtri: hic eſt enim ille ignis, de quo dicit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur.*

Luc. 12. 49.

Hunc ignem in die Penteceſtes miſit in terram. Unde ſcintillans apparet in vertice Apoſtolorum; ita ut potuerit Eccleſia tunc uſurpare illud Jeremiæ: *Miſit de excelſo ignem in oſſibus meis, & erudivit me.* Per oſſa Eccleſiæ, rectè primi fideles intelliguntur, quia ſicut robur corporis per oſſa conſiſtit, ita & per illos totius Eccleſiæ corpus robur accepit, & tunc eam erudivit Dominus mira ſapientia in Apoſtolos infuſa.

Thren. 1. 13.

Figuram hujus rei habes apud Ezechielem, ubi ait ſe vidiſſe virum lineis indutum, cui cælitus dicebatur: *Ingredere in medio rotarum, quæ ſunt ſubtus Cherubim, & imple manum tuam prunis ignis, & effunde ſuper civitatem.* Myſtice poſſumus id interpretari de Chriſto, ipſe enim eſt vir ille per antonomaſiam,

Figura. Ezech. 10. 2.

Digitized by Google

maſiam, de quo dicitur, *Famina circumdabit virum.* Indumentum ejus lineum, eſt ſacra ejus humanitas, quæ plurima ſubiit tormenta, ſicut & linum ut ad telam candidam perducatur, multis modis atteritur. Pro his ergo laboribus & doloribus, dicit ei Pater: *Ingredare in medio rotarum*: Alcende a terra in cœlum, & ſedem pone in medio orbium cœleſtium, & quia tcio te ignem velle mittere in regionem unde venis *Imple montium prunis & effunde, ſuper civitatem.* Impletum id fuit in Pentecoſte.

Ira Cartagena.

4. *Eſt ſignum ſeptem donorum Spiritus ſancti.* Iſai.11.3.

Quartò ignis per proprietates ſuas aptè deſignat ſeptem dona Spiritus ſancti. *Primò* quidem, ignis nativa ſibi vi petras conterit, montes ſubvertit; quæ proprietas ſignificat *timoris Spiritum*, è dura & ſuperba mente ſpiritum tumoris & ſuperbiæ excutientem, & ſaxea corda conterere potentem. *Secundò*, ignis habet proprietatem liquefaciendi glaciem & alia coagulata aut dura; quæ proprietas ſignificat *Spiritum pietatis*, qui frigida corda & coagulata ac dura, etiam uſque ad lachrymas liquefacere poteſt, juxta illud: *Flabit ſpiritus ejus & fluent aquæ.* Pſ.147.18 *Tertiò* habet proprietatem excoquendi & conſolidandi vaſa limoſa & mollia ac viſcoſa; quæ proprietas deſignat *ſpiritum fortitudinis*, qui hominem mollem fortificat, & vaſa electionis conſolidat. *Quartò* habet ignis lucem, calorem, ardorem, habet & vim ſuperiora penetrandi, ſurſum ſemper tendendi, quæ omnes proprietates deſignant *ſpiritum ſapientiæ, & ſcientiæ, ſpiritum conſilii & intellectus*, qui ab homine omnem caliginem diſſipat, torporem fugat, ſuperiora penetrantem reddit & ad cœleſtia capacem.

Vides ergò ſeptem dona Spiritus ſancti in igne ſignificari, ideoque Spiritum ſanctum in ignis ſpecie apparuiſſe, ut exterius exhiberet in imagine, quod interius operabatur in mente. Et hæc quidem dona, velut ſeptem monilia ſunt, quæ Sponſæ dantur pro dote aut pignore amoris. Et deſignata fuerunt per *ſeptem lucernas*, quas Dominus voluit ſemper in ſuo tabernaculo ſplendeſcere: Per *ſeptem ſpicas*, quas vidit Pharao, quæ pullulabant in culmo uno plenæ & pulcherrimæ: Per *ſeptem crines Samſonis*, quibus abraſis defit ab eo ſpiritus Domini: Per *ſeptem oculos*, qui apud Zachariam erant in lapide uno: Per *ſeptem cornua Agni* in Apocal.

Num.8.2 Gen.41.7 Judic.6.13. Zach.3.9 Apoc.1. & 5.6.

DE LINGUIS IGNEIS.

Cur Linguæ igneæ 1. *ut ignito eloquio accendevent frigida corda.* Jer.23.29 Eccl.48.1

VLtimò advertendum ignem illum ſuper Apoſtolos inſtar Linguarum fuiſſe.

Primò ad ſignificandum Apoſtolorum linguas hoc igne ſic imbuendas, ut ignito eloquio potentes fierent ad frigida corda inflammanda, immò & ad ſaxea conterenda, ita ut illis conveniret illud: *Nunquid verba mea, dicit Dominus, quaſi ignis ardens & quaſi malleus conterens petram?* Hoc ipſo igne inflammata erat Eliæ lingua, de quo dicitur: *Surrexit Elias & verbum ipſius, quaſi facula ardens.* Sic ſurrexit Petrus in die Pentecoſtes, & verba ejus omnes præſentes inflammant.

Surrexerunt & alii Apoſtoli, & per totum orbem hunc, ſacrum ignem deferentes, *per ignitum eloquium ſuum*, depromunt ſagittas ardentes & ut loquitur Pſalmiſta: *Sagittas potentis acutas, & carbones deſolatorios.* Hoc eſt, ut interpretatur Auguſtinus, depromunt verba ardentia in corda inimicorum Chriſti, cum exemplis charitate ſuccenſis; & illa inflammant, odium eorum convertentes in amorem ipſius Chriſti. Pſal.119. Pſ.119.4. Auguſt. in hunc loc.

Hoc igne etiam inflammati fuere Apoſtolici quidam viri, qui infidelium orbem tranſeuntes, miſſi in eis amorem Dei accenderunt, verbo & prædicatione.

Sic B. Vincentius qui obiit Anno 1418. Ordinis Prædicatorum, ignem hunc ſacrum per varias orbis partes circumferens, ab Hiſpaniis per Gallias in Belgium uſque virtute illius octo Saracenorum, & viginti millia Judæorum convertit; publicorum verò & infamium peccatorum, ſive homicidarum, prædonum, uſurariorum, meretricum, quadraginta millia ad publicam pœnitentiam induxit; aliorum verò peccatorum pluſquam centum millia, ad Confeſſionis Sacramentum perduxit. Quocumque ibat, ſequebatur eum copioſa multitudo, etiam ſæpius ad decem millia. Donum ei linguarum Deus conceſſerat, ita ut cum loqueretur Valentina ac materna lingua, tamen qui aderant ita ſingula verba perciperent, ac ſi in patria ſingulorum natus & eorum idiomate fuiſſet locutus. Græci, Teutonici, Sardi, Hungari, Galli, etiam eum loquentem materno idiomate, ſingula tamen quaſi propria lingua locutus fuiſſet, intelligebant, & plurimum fructus ex ejus doctrina percipiebant. Exempl. Surius in vita de S. Vincent.

Sic B. Antonius de Padua plurima millia convertit, cui velut lingua ignea etiam data erat. Cùm verò annis triginta duobus poſt mortem transferretur ejus corpus, præſente B. Bonaventura Miniſtro generali inventa eſt ejus lingua integra, & perfecti coloris, quaſi hominis viventis, quam in manus ſumens Bonaventura cum cordis devotione plorans, dicebat: *O beatiſſima lingua, qua ſemper Deum laudaviſti, & cauſa fuit cur alii laudarent; tam manifeſta ſunt merita tua, coram illo qui te formavit, ut nobis adeo officio prædicationis verbi ſui fungeretur.* Sic ipſe hanc linguam lachrymis rigans & oſculis, repoſuit in ſacrario Conventus. De S. Antonio Paduano.

Secundo, in linguis igneis apparet Spiritus ſanctus, quia venit ſanare membrum, quod præ cæteris gehennalis flamma noverat inflammatum. *Et lingua*, inquit Jacobus, *ignis eſt, Univerſitas iniquitatis, quæ inflammat totam Nativitatis noſtræ, inflammata à gehenna.* Mittitur ergo ignis de altari divino, mittitur ignitus calculus Iſaiæ, qui prurientis illius membri contagium, ac virus omne decoquat & expurget. 2. *Ut Spiritus ſanctus Linguam ſanaret.* Jacob.3.

Ad hunc porrò Spiritus ſancti ignem quem Dominus miſit in terram, ſæpius reſpirare nos oportet, ut illo mens noſtra accendatur, & ſit tanquam Moyſis Rubus, qui igne circumdatus, igne nos com-

comburitur; quia non ignis conſumens eſt, ſed hominem perficiens & conſumans, non deſtruens ſed inſtruens, non in cineres ſed in Deum transformans. De hoc igne frequens in ſcriptura eſt mentio.

1. Ignis eſt, *Purgans filios Levi*, vaſa electionis conflans, gloriæ apta. Ignis eſt, omnem vitiorum ſcoriam & rubiginem eradens.

Malach. 3. 3.

2. Ignis eſt quo igniti ſunt lapides, de quibus dicitur ad Luciferum: *In medio lapidum ignitorum ambulaſti* Ezech. 28. Agitur ibi de Angelis, inter quos eminebat Lucifer. Hi lapides ſunt Seraphici illi Spiritus, qui ab hoc igne ardentes dicuntur.

Ezech. 28 14.

3. Ignis eſt, quo ignitum eſt aurum, de quo Dominus: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum*, id eſt, ardentem tibi comparare à me charitatem.

Apoc. 3. 18.

Clamemus ergò ad illum: *O ignis ſancte! Quàm ſuaviter ardes, quàm ſecretò lucis, quam deſiderantèr aduris! Va ius qui ex te non ardent, qui per te non lucent; tempore enim ſuo nauſeam & vomitum Deo provocant, & caligine circumdati, ad ignem tenebroſum pergunt.* Tu ergò Spiritus divine, potentis flammæ tuæ fervore, ſpinoſi & tenebroſi cordis noſtri univerſa latibula pervade, medullas & intima quæque depaſce. Expunge quicquid tibi tabidum eſt, quicquid lubricum, quicquid corruptelæ ſeminarium. Omne infœlix germen, omnem ſterilem ſurculum penitus ſuccide, ſuccide radicitùs, ut nihil funeſto dente ſuo rodendum inveniat piacularis & vindex flamma ollæ illius quam vidit Hieremias ab Aquilone ſuccenſam, quæ iram Dei vindicem & pœnas aſperas præparatas peccatoribus deſignabat.

LECTIO III.

ARTICVLVS IX.

CREDO SANCTAM ECCLESIAM Catholicam.

DE DIVERSA ACCEPTIONE Eccleſiæ.

1. *Docet Eccleſiam aliquando accipi ut complectatur omnes fideles ab initio ſæculi.*
2. *Sæpius accipi pro Eccleſia novi Teſtamenti, agitque de ejus differentia à veteri.*
3. *Docet illam ſemper manifeſtam fuiſſe & viſibilem.*

Eccleſiæ nomen quos modos accipiatur.

PRIMA ACCEPTIO ECCLESIÆ.

Eccleſia ſignificat Convocationem ſive Congregationem Fidelium.

Dupliciter ergo accipi poteſt.

1. Pro Congregatione Fidelium ab initio mundi.

PRimò, ut ſignificet Congregationem Fidelium, jam ab initio mundi, & tunc prima membra Eccleſiæ fuerunt Adam & Eva. Ipſi enim fuerunt primi Fideles, & educti ac evocati ſunt ex delicto ſuo per fidem Chriſti, eſtque veriſimile hos fuiſſe primos, qui fidem exteriori cultu proteſtati ſunt: & Doctorum opinio eſt, Adamum docuiſſe filios ſuos offerre Deo primitias & decimas, cultumque Dei.

Nota tamen rectè ab aliquibus Patribus dici cœpiſſe Eccleſiam ab Abel, & ipſum dici primum Eccleſiæ membrum.

Primò, quia tunc diviſa fuit Eccleſia Dei ab Eccleſia malignantium, Civitas Dei à Civitate diaboli. Cœleſtem enim Civitatem ſecundùm Auguſtinum ædificabat Abel, terrenam Cain, quem ſuprà dixi fuiſſe caput & originem hæreſis & hæreticorum. *Abel dicitur primus membrorum Eccleſiæ.* V. lib. 1. Tract. 1. Lect. 7.

Secundò, quia primò legitur Abel titè ſacrificium Deo obtuliſſe; ſacrificium autem eſt profeſſio ſolemnis fidei, Adam autem ſacrificaſſe, non dicit Scriptura.

Tertiò, quia Abel primus hominum, ſanctitatem non interruptam ſervavit, ut ergo ſanctitas commendetur, ſimulque integritas & pulchritudo, dicitur ab illo incœpiſſe, qui actuali peccato non legitur à ſanctitate excidiſſe.

Quartò, quia Abel tanquam juſtus primus à Chriſto eſt commendatus, *à ſanguine*, inquit, *Abel juſti*. Et quia Abel primus eſt perſecutionem paſſus: Perſecutio autem eſt quædam putatio vineæ Eccleſiaſticæ, ita ut vinea illa tunc velut cœpiſſe dicatur, quando cœpta eſt coli. Matt. 23. 35. Luc. 11. 11

Quintò, quia in Abel relucet primus fructus Eccleſiæ, primus eſt confirmatus in gratia, primus deceſſit in juſtitia. Porrò à tempore Abel, ſemper perſeveravit Eccleſia viſibilis in multis membris fidelibus, quia nullum tempus fuit, in quo non fuerint aliqui veri Fideles, qui Eccleſiam viſibilem conſtituerent. Poſt Adam enim vixit Enoch, poſt Enoch Noë, poſt Noe Abraham, poſt Abraham Iſaac; denique ſemper ſibi viciſſim Patriarchæ ſucceſſerunt, & poſt Patriarchas, Prophetæ, in quibus verè perſeveravit fides & Eccleſia. Et ſic omni tempore agnitifuerunt veri Fideles, & viri aliqui eminentes, veram fidem cuſtodientes, & Eccleſiam conſtituentes. Sed dicet aliquis Eccleſiam totam defeciſſe tempore Aaronis, cùm omnes Iſraelitæ vitulum aureum adorarunt, & ipſe Aaron, qui Dux erat & Caput Eccleſiæ. Reſpondeo populum Iſraelem neque fuiſſe Eccleſiam totam (quia aliqui inter Gentes potuerunt eſſe Fideles) neque totum defeciſſe. Unde Moyſes de monte deſcendens dicit: *Si quis eſt Domini, jungatur mihi.* Neque Aaron tunc erat Caput Eccleſiæ, ſed Moyſes, & Aaron necdum tunc erat unctus Sacerdos, licet foret deſignatus. Exod. 32. 26.

SECUNDA ACCEPTIO ECCLESIÆ.

2. Pro Convocatione Fidelium juxta ſtatum novi Teſtamenti.

SEcundò, Eccleſia accipitur pro convocatione Fidelium, juxta ſtatum novi Teſtamenti, & tunc eſt congregatio omnium Chriſti fidem & doctrinam profitentium, quæ ſub uno & ſummo poſt

Digitized by Google

Christum Capite & Pastore, in terris gubernatur. Hæc autem Ecclesia rectè dicitur in Sion & Jerusalem cœpisse Apostolorum tempore, & exinde per universum orbem sese diffudisse. Unde de illa prophetatum erat : *Erit in novissimis diebus mons* Isai. 2. 2. *in vertice montium, & fluent ad eum omnes gentes, &c. quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.*

Per montem illum domus Domini Ecclesia intelligitur, quæ monti comparatur, quia verè excelsa est & illustris, & omnibus ubique notissima, inquit Cyrillus. Mons quoque dicitur ob stabilitatem & firmitatem, & inexpugnabilem dogmatum traditionem. Quemadmodum enim licet quis montem vallo circumdet & militibus obsideat, quorum aliqui arcus intorqueant, alii hastas vibrent, aut jaculentur, alii bellica alia instrumenta adhibeant, nihil tamen noxæ aut detrimenti invehit soliditati montis, sed illinc cogitu secedere, inaniter consumpta fortitudine. Sanè idipsum contigit omnibus, qui oppugnarunt Ecclesiam. Hæc quidem inconcussa perstitit, illi, propria perdita virtute, dum eam feriunt, evanescunt, dum jaculantur in eam, imbecilles redduntur, dum cædunt flagris, ab his vincuntur, qui malè affecti sunt. Unde & dicitur Ecclesia mons præparatus, firmatus & stabilitus, quia non concidet Ecclesia ut Synagoga, nec *porta inferi prævalebunt adversus eam.*

S. Cyril. in hunc loc. Isa.

Secundò dicitur *Mons in vertice montium*, mons elevatus super omnes colles, quia admodum illustris est, quasi Civitas quæ abscondi non potest, super excelsos montes posita & elevata. In vertice ergo montium est, quia ejus doctrina tam quæ ad fidem, quàm quæ ad mores spectat, altior est omni humana sapientia, & altitudine sua longè superat, quicquid altum apud homines videtur, ut explicat Cyrillus in Isaiæ c. 2. Hanc contemplemur, inquit Origenes, quomodo ædificata sit in summis montibus, in propheticis sermonibus, qui ejus fundamenta sunt.

Cyril. ubi supra. Orig. l. 5. contempl. Celsum.

Tertiò dicit: *Fluent ad eum populi & gentes multæ.* Quia ad Ecclesiam fluent ex omnibus nationibus, seseque mutuò hortabuntur: Venite intremus per fidem in Ecclesiam quæ est Dei Jacob, domus Dei, veri, quem coluerunt Jacob & omnes Patres veteris Testamenti, ipse nos docebit vias suas, quibus ad æternam vitam veniamus, docebit nos quid agere & quomodo vivere debeamus.

Quartò dicit: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.* Sunt verba Prophetæ rationem reddentis, cur tanta festinatione & concursu Gentes properaturæ sint ad Evangelium, quia, inquit, nova lex dabitur in Jerusalem, & non se continebit intra illius populi angustias, sicut lex data à Moyse in monte Sinai, sed ad omnes Gentes exibit. Quod evidenter inchoatum est in die Pentecostes, dum concurrunt aliqui *ex omni natione, quæ sub Cœlo est*, & multa millia convertuntur, & exinde Apostolis per totum orbem prædicantibus, corda hominum divino splendore illustrata, errores gentilitatis deserebant, & ad Ecclesiam confluebant. Sed & quotidie impletur dum in remotis Insulis & Regionibus nova fidelium proles exoritur.

Act. 2. 5.

Cæterum de differentia Ecclesiæ veteris & novæ Paulus dicit: *Non accessistis ad tractabilem montem,* Hebr. 12. *& accessibilem ignem, & turbinem, & caliginem, &* 18. *procellam, & tubæ sonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, excusaverunt se, ne eis fieret verbum. Non enim portabant quod dicebatur : Et si bestia tetigerit montem, lapidabitur. Sed accessistis ad montem Sion & Civitatem Dei viventis, Hierusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in Cœlis, & Judicem Deum, & Spiritus justorum perfectorum, & novi Testamenti mediatorem Jesum.*

Vocat autem Ecclesiam cœlestem Jerusalem, quia, ut loquitur Chrysostomus, in terris sita est Ecclesia, sed & in cœlo versatur & transcendit cœlos ; ejus radix in cœlo honoratior. Hinc etiam Apostolus dicit: *Illa autem quæ sursum est Jerusalem,* Gal. 4. 26. *libera est, mater nostra.* Ita vocat Ecclesiam novi Testamenti, quam significat Sara, id est, Princeps vel Domina; & opponitur Synagogæ Judæorum, quam significat Agar serva. Habet ergo Ecclesia quatuor notas. Quod sit de sursum : Quod sit Jerusalem: Quod sit libera : Quod sit mater fœcunda.

Primò, *Quod sit de sursum*, quia Christus ejus caput è cœlo est, & nunc in cœlo est, & ir de eam regit. Item quia perfectio Ecclesiæ in rebus superis & cœlestibus consistit, in fide, spe, charitate. Denique quia *conversatio ejus in cœlis est*, ibi habet cor & thesaurum, ibi habet coronam, ad quam tendit & anhelat.

Secundò dicitur *Jerusalem*, sive visio pacis, quia pacem ei legavit Sponsus & vult eam cœlesti pace frui : Hierusalem etiam dicitur & Sion in Scriptura, quia cœpit in Sion & Hierusalem.

Tertiò dicitur *Libera*, per libertatem quandam spiritualem, quæ ex perfecta charitate oritur, & foras expellit timorem servilem, generatque filialem amorem, quo servitur Deo. Libera quoque est à servitute cupiditatum & vitiorum, & sperat tandem liberari ab omni servitute rerumnarum, tam corporis, quàm animi ; & hanc libertatem spe quodam modò degustat, post resurrectionem adeptura.

Quartò dicitur *Mater fœcunda*, quia ex sterili gentilitate, quæ dæmonibus serviebat, collecta, multos filios spirituales parit, non ex solis Judæis, ut Synagogæ, sed ex omnibus gentibus. Unde ait illi Propheta: *Lætare sterilis quæ non paris, quia multi filii desertæ magis quàm ejus quæ habet virum.* De hac fœcunditate sic Ambrosius : Sancta Ecclesia immaculata coitu, fœcunda partu, virga est castitate, mater est prole; parturit nos itaque virgo, non viro plena, sed spiritu ; parit nos virgo, non cum dolore membrorum, sed cum gaudio Angelorum ; nutrit nos virgo, non corporis lacte, sed Apostolorum:

Ambros. lib. 1. de Virgin.

Virgo

Virgo eſt Sacramentis & virtutibus, Mater eſt populis.

Eccleſia ſemper fuit viſibilis.

ECCLESIA SEMPER VISIBILIS.

ILla autem Eccleſia nova, quæ in loco illo celebri Sion & Hieruſalem manifeſtè & viſibiliter cœpit (Spiritu ſancto in linguis ignis viſibiliter apparente, & ejus initia conſecrante) viſibiliter etiam crevit, & multiplicata eſt multitudine magna per viſibilem baptiſmum ad eam accedente. Sed & perpetuò viſibilis manſit & permanebit, ità ut perpetuò poſſit agno ſci manifeſtè, quinam ſint de vera Eccleſia Chriſti, quænam ſit Congregatio vera, Chriſti fidem & doctrinam profitentium. Hoc eſt contra noſtros hæreticos, quos interrogamus, ubi ante Calvinum & Lutherum fuerit Eccleſia eorũ? Quis cœtus aut Congregatio fidelium eandem tenuit fidem, eandem profeſſa ſit doctrinam. Cum omnes tunc in eandem fidem Catholicam conſpiràrint? Dicunt Eccleſiam ſuam fuiſſe inviſibilem, & aliquos eandem fidem tenuiſſe, ſed latuiſſe, & occultos fuiſſe. At ècontra docent ſcripturæ & Patres, ſemper Eccleſiam viſibilem & manifeſtam eſſe debere, quæ ab omnibus agnoſci poſſit Iſaiæ 61. dicit Dominus de Eccleſia ſua nova, & Apoſtolis, primis ſuis

Iſa. 61. 9. filiis: *Fundus perpetuum feriam eis, & ſciant in gentibus ſemen eorum, & germen eorum in medio populorũ, omnes qui viderint eos, cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus.* Idem Iſaias dicit, quod aperientur Eccleſiæ portæ jugiter: *Do ac nocte non claudentur, ut afferatur ad eam fortitudo gentium.* Pronuntiat quoque quod Gentes ambulabunt in lumine Eccleſiæ, & quod gloria Domini in Eccleſia videbitur. Non ergò erit occulta, progenies vera Chriſti & Apoſtolorum. Non erit occulta Sponſa Chriſti. Non erit abſcondita ejus gloria niſi his, qui infidelitatis ſuæ caligine obſcurantur, & qui malitia ſua excæcantur nolentes videre.

Auguſt. in Pſal. 18. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* Hunc locũ interpretans Auguſt. ait: *In manifeſtatione Eccleſiam ſuam poſuit, non in occulto, non qua lateat, non velut operta, ne forte fiat ſicut operta ſuper greges hæreticorum. Quid tu hæretice fugis in tenebras? Quid erras frater? Quid per Angulos fugis; Quid latitare conaris? In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* Ita ille. Undè &

Chryſoſt. Chryſoſt. in Iſaiam: Faciliùs eſt ſolem extingui, quàm Eccleſiam obſcurari. Item & Ambroſ. Illa, inquit, Jeruſalem, quæ in cœlo eſt, in qua militat fides noſtra, in illo altiſſimo omnium collocata monte, hoc eſt Eccleſia locata in Chriſto, non poteſt tenebris, & ruinis hujus mundi abſcondi, ſed fulgens candore ſolis æterni, luce nos gratiæ ſpiritualis illuminat. Verum hæreticis ſplendor ille diſplicet. Noctuæ ſunt, quæ non libenter vident ſolem, claudunt oculos ne videant. Immò, ut dicit Auguſt. ad

Aug. contra Donatiſt. tr. 2. ep. Joan. Donatiſtas. De Eccleſia dictum eſt: *Non poteſt civitas abſcondi ſuper montem poſita; ſed Donatiſtu operta eſt, qui audiunt tam lucida & manifeſta teſtimonia, qua illam toto orbe demonſtrant, & malunt cluſis oculis offendere montem, quam in illum aſcendere.* Et tractatu 2. in Epiſt. Joan. *Quid amplius dicturus ſum, quam cæcos, qui tam magnum montem non vident? Qui contrà lucernam in candelabro poſitam oculos claudunt.*

Concludo igitur Calviniſtas & alios dum Eccleſiam ſuam olim inviſibilem & occultam fuiſſe aſſerunt, eo ipſo illam veram Eccleſiam Chriſti Sponſam non fuiſſe ſat inſinuare. Hæc enim nunquam latuit, ſed contra hæreſes & infidelitatem pro veritate palam, & pro Sponſi ſui honore, pro fidei ſinceritate & gloria decertavit. Cumque ſingulis ſæculis aliqui ſpeciales fidei hoſtes inſurrexerint, ipſa tanquam *acies ordinata*, vexillis ſuis explicatis obviam illis prodiit, & victoriam reportavit. Ipſa ſingulis ſæculis populos aliquos anteà infideles, ad veram fidem & cultum Sponſi ſui traduxit. Cant. 6. 3.

Verè inviſibilis erat tunc Eccleſia Lutheri & Calvini; & utinam ſemper inviſibilis manſiſſet cum authoribus ſuis; à tot cladibus & malis exempta fuiſſent Regna, Provinciæ, Civitates, quæ ab eo tempore, quo viſibilis facta eſt, prodierunt. Verè inviſibilis erat & occulta, quia in tenebris ſtygiis latebat ſepulta, ab inferno ergò revocarunt antiquas & ſepultas hæreſes, & ex diverſis erroribus, jam ab Eccleſia olim condemnatis in ſectas ſuas contexuerunt. Ipſis data eſt clavis putei abyſſi, ut pugnarent contra clavem Petri, & aperuerunt abyſſum, & exivit fumus, quo obſcuratus eſt Sol & Luna, ut loquitur Joannes in Apocal. fumus ſcilicet Apoc. 9. 2. doctrinæ peſſimæ, quo obſcuratur Chriſtus & Eccleſia, ut poſtea dicemus.

LECTIO IV.

DE VARIIS NOMINIBUS, QUÆ Scriptura tribuit Eccleſiæ.

Eccleſia varia nomina.

ECcleſia varia ſortitur nomina in Scripturis, per tropum ei accommodata.

1. Corpus dicitur. Eph. 1. 23. Coloſſ. 1. 18. Primò enim ſolet vocari *Corpus*, eo quod uno eodemque ſpiritu univerſa ejus membra nectuntur in vinculo unius Fidei, Spei, & Charitatis. Cùm ergò aſſimilatur Corpori, habet tunc caput ſuum, ſuos oculos, ſua làbia, ſuos dentes, aures, manus. Quæ omnia ſignificant diverſa ejuſdem Eccleſiæ membra, ſecundum diverſa gratiarum dona, & ſecundum diverſa officia. *1. Caput* eſt Chriſtus, influens in omnia membra. *2. Oculi* ſunt Prælati, vigilantes pro cuſtodia corporis. *3. Labia* ſunt Prædicatores, diſtillantes lac & mel doctrinæ. *4. Dentes* ſunt Paſtores, per quos fideles Chriſto incorporantur. *5. Aures* ſunt Confeſſarii, peccata fidelium excipientes.

Digitized by Google

Sic de cæteris membris loquendo, potes accommodare variis perſonis, ſecundum diverſa in Eccleſia officia. Quodlibet verò membrorum alteri membro obſequitur, ob connexionem ſub uno capite, & omnia ſpectantur in bonum totius corporis, ſicut infrà dicemus, agentes de Communione Sanctorum.

2. *Navis.* Secundò vocatur *Navis*, & tunc habet Puppim ſuam, Proram, Malum, Anchoram, Velum, Munitiones & Proviſiones, diverſoſque in hac navi Officiarios. Si conſideremus Eccleſiam, juxtà durationem ſuam ab initio mundi, tunc dicemus tres ejus partes eſſe, componentes Eccleſiam tanquàm Navem; ſcilicet, Legem naturæ, Legem veterem & Evangelium, ſuntque velut Prora, Medium & Puppis.

Item tres in ea ſunt contignationes, ſicut in arca Noë, treſque manſiones: Cœlibatus, Viduitas, Matrimonium. Malus hujus Navis eſt Crux, Fides eſt anchora, Spes velum, bitumen quo partes Navis compaginantur, eſt Charitas. Proviſiones aquæ, panis, armorum, ſunt diverſa Sacramenta. Eſt enim Baptiſmus inſtar aquæ dulcis, Euchariſtia inſtar Panis: Orationes, benedictiones, exorciſmi ſunt arma quibus impugnatur inimicus: abundantia mercium, & proviſio monetæ & divitiarum, ſunt merita & ſatisfactiones Chriſti & Sanctorum, quibus emimus gratiam & gloriam, & debita noſtra ſolvimus.

Diverſi Præpoſiti hujus Navis, ſunt diverſi in ea Prælati, Archinavarchus eſt Pontifex, qui in puppi ſedet, in ſede Apoſtolica: Gubernaculum ejus eſt baculum Paſtorale, in quo ejus Poteſtas & Juriſdictio deſignatur, quâ juriſdictione Navem regit. Alii ſub ipſo ad gubernacula vocantur ad diverſa officia, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Paſtores, Confeſſarii, qui velut ſentinam expurgant, & aquas corruptas ejiciunt, Navemque exonerant. Habet quoque Prophetas & Prædicatores, qui ad Piratas, pericula, rupes, ſcopulosque proſpiciunt: & incurſus malignorum ſpirituum, morum corruptelas, tanquàm fluctus inundantes prævident & providunt: & tempeſtates annunciant, hoc eſt, minas & judicia Dei, tribulationeſque plebium, quaſi agitationes hujus maris, ideoque clamant, ut anchora aliaque inſtrumenta expediantur, quibus tempeſtati poſſint reſiſtere.

3. *Sponſa.* Tertiò vocatur *Sponſa*, & tunc habet veſtes ſuas nuptiales, ſuam coronam, ſuas fimbrias, ſuas inaures, armillas, monilia, calceamenta ſua, de quibus Ezech. 16. 10. latè apud Ezechielem: *Veſtivi te diſcoloribus, calceavi te hyacintho, cinxi te byſſo, dedi armillas in manibus tuis, torquem circà collum tuum & coronam decoris in capite tuo, & decorata facta es nimis, & proſperata in regnum.*

1. *Veſtis Polymita*, eſt variarum virtutum connexio.

2. *Torques aureus*, ſignificat obedientiam perfectam.

3. *Vitta* ſunt duo Teſtamenta, quibus lactat & paſcit filios.

4. *Cingulum* eſt integritas fidei, & fidelis caſtitas.

5. *Monilia*, diverſa gratiarum & Spiritus ſancti dona.

6. *Armillæ in manibus*, ſignificant opera juſta.

7. *In aures*, ſignificant fidei donum, quo aures Deo dicantur.

8. *Calceus hyacinthini coloris*, ſignificat converſationem cœleſtem.

9. *Corona in capite*, deſignare poteſt charitatem eminentem.

Ex his omnibus ornata eſt Eccleſia velut Regina, ſicut deſcribit eam Pſaltes, quæ aſſiſtens eſt à dextris, id eſt, proxima Throno Sponſi ſui.

4. *Hortus.* Quartò vocatur *Hortus*. Et tunc habet varios flores, areolas, arbores, fontes, fructus. Lilia ſunt Virgines, Roſæ ſunt Martyres, Violæ ſunt animæ humiles, & quæ diverſis donis ornantur, diverſi coloris flores nominantur.

Cantic. 5. Eſt quoque Eccleſia *Hortus Myrrhæ & thuris*, quia in ipſa eſt mortificationis amaritudo, & orationis devotio. Habet & *Spinas inter Lilia*, quia habet reprobos inter electos, & impios inter bonos. Habet & *Sepem*, cuſtodiam ſcilicet Angelorum. Habet & fructus bonorum operum, & fontes aquarum ſive gratiarum. Habet & *Vulpes, quæ demoliuntur Vineas*; homines fallaces & ſeductores, qui inſidiantur, in cavernoſis anfractibus hærentes, odore etiam tetro putentes.

5. *Regnum* Quinto, vocatur *Regnum*, & tunc habet Leges ſuas, diverſoſque Gradus & Ordines, Duces & Principes, Conſiliarios, Milites, Comitia & Status, Exercitus, Propugnacula, Turres, Armamentarium, &c.

Chriſtus eſt Rex: Duces & Principes ejus ſunt Apoſtoli præſignati in duodecim Ducibus populi, & in illis duodecim, quos conſtituit Salomon Vicarios ſuos; Senatores & Conſiliarii ſunt Eccleſiæ Doctores & ii qui ſapientiâ in Eccleſia lucent. Milites Martyres pro fide pugnantes. Comitia ſunt Concilia generalia. Turres & propugnacula ſunt, qui Eccleſiam tuentur contra hæreſes. Armamentarium univerſale eſt ſacra Scriptura: *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium: Sagittæ quæ deprimantur in corda inimicorum Regis:* Leges ſunt Præcepta Dei & ſtatuta Eccleſiæ, quibus politia in hoc regno ſtatuitur. Cant. 4. 4.

Diverſi Gradus & Ordines ſunt diverſi Prælati, diverſaque miniſteria. Vigiles quoque in hoc regno ſunt cuſtodes Angeli.

Caſtra & Exercitus ſunt diverſa Regiones. Caſtra & Exercitus, ſunt diverſæ Religiones. *Quid videbis in Sunamite, niſi choros caſtrorum?* Ipſi excubant & parati ſunt ad prælium contra animarum hoſtes, contra vitia, contra hæreſes: Ipſi ſunt Præſidiarii Milites, ſub Imperatore Chriſto, & ejus Vicario Pontifice, ut Currus & Exercitus Pharaonis ſive diaboli ſubvertant, & regnet ubique Cantic. 12.

Chri-

Chriſtus. Hinc eſt, quod omni tempore novos Ordines Deus ſuſcitat, quaſi novas acies ſub Ducibus diverſis, quia ipſe ſathan novas hæreſes ſuſcitat, novos dolos & bella. Cùm peſtis Ariana pervaſit Orientem, Deus in Ægypto protulit Antonium illum cum innumeris Monachis pro Dei cultu pugnaturis, & Baſilium in Cappadocia, Authorem Ordinis Religioſi, & Patrem multorum. Sed cum ſe etiam effudit in Occidentem, Vandalis Africam, Oſtrogottis Italiam vaſtantibus, dedit Deus Africæ Auguſtinum, Italiæ Benedictum, qui etiam fuêre Patres tot virorum ſanctitate excellentium. Orti poſtea Bernardus & Norbertus cum ſuis, contra Abailardum, Tranchilinum, & alios hæreticos, & hæreſes tunc exſurgentes. Cum Albigenſes omnia in Occidente conturbarent, Dominicus & Franciſcus ſuos Ordines dederunt: Albertus quoque & Angelus, Carmelitas. Cùm Huſſitæ ex inferis erupiſſent, S. Bernardinus & S. Vincentius, hic Dominici, ille Franciſci inſtituta in antiquam formam reſtituerunt.

Nunc ergò veteranis illis bellatoribus, qui portaverunt pondus diei & æſtum, velut novos ſubſidiarios miſit milites, dum noſtro ſæculo poſt Auguſtinianos, Hieronymianos, Dominicanos. Franciſcanos, & alios veteranos, qui ſemper de Eccleſia bene meriti ſunt, adduxit contra Lutherum, Calvinum, & alios Hæreſiarchas, hoſtes utique novos, Franciſcum de Paula cum ſuis, Ignatium & Xaverium cum Societate ſua, Carmelitas reformatos, Capucinos & ſimiles, quaſi acies novas contra ſatanam & ſatanicam poteſtatem, ſub vexillo Crucis militantes. Utinam ergo hi dimittant multas curioſas quæſtiones novitatem ſapientes, dimittant verborum pugnas, quæ ſæpè lites generant & charitatem imminuunt, dum è Cathedris templorum & ſcholarum in ſeſe mutuò invehuntur, diſſidenteſque opiniones proponunt de prædeſtinatione, de Prædeterminationibus, de divinis auxilius, de ſcientia conditionata, aliaque ſimilia. Utinam, inquam, dimiſſis contentionibus inter ſe, quæ hoc ad videntur tendere, ut agnoſcantur à populis, & ſciatur, videaturque quis eorum ſit major) toti in hoc incumbant, ut contra vitia pugnent, contra adverſarias poteſtates, contra hæreſes, & ut diſſolvant opera diaboli, hæc enim eorum eſt vocatio & profeſſio.

F. Ribera in minores Prophet.

Præclarum eſt hac de re votum, quod pius ac eruditus quidam, optans ſummo ardore in diverſis Religionibus unanimem conſenſum in ejuſdem Regis militia, his verbis proponit: Da nobis, Pater luminum, à quo omne donum perfectum, ut charitate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem prævenientes, ſolicitudine non pigri, ſpiritu ferventes, uno tibi ſpiritu ſerviamus. Da nobis labium electum, ut te laudemus, fratres noſtros ædificemus, mutuò nos exhortemur ad charitatem, nec diligamus verbo, ſed opere & virtute. Habet multos miniſtros malitiæ ſuæ, multos cooperatores & diſcipulos diabolus, in hoc ſæculo nequam, habeamus nos dilectionem ad invicem, ut cognoſcant homines, te diſcipulos habere & imitatores. Tolle radices amaritudinis, ut in charitate radicati, alii de aliorum gloria & profectu, de aliorum victoria, uti fratres germanos decet, exultemus & te communem Patrem adoremus, noſtrumque putemus eſſe, quicquid faciunt fratres & commilitones noſtri. Ejuſdem corporis membra ſumus, à communi Chriſtianorum vita ad perfectiorem pariter vocati ſumus, ſimul nos victuros ſperamus in indiſſolubili charitate in Regno Chriſti. Cur in hujus vitæ brevi curriculo animis dividimur? Novas acies quotidiè educit ſatanas, de Provinciis Chriſti triumphans, ardent bellis omnia, cadunt à latere noſtro millia de noſtris, & nos Milites Chriſti civilia inter nos bella concitabimus? Quærimus noſtra, & quæ Jeſu Chriſti ſunt, perdi diſſipatique patiemur? Quid hoſtibus noſtris gratiùs aut jucundiùs? Hæc duo rogavi te, ne deneges mihi antequam moriar, Pater miſericordiarum, pro me & pro omnibus ſervis tuis, quos non alienos arbitror, quacunque velle induantur; ſed meos Patres, Fratres meos, quos amo & veneror, ut veteranos tuos, quos novis indies gratiis divitiarum tuarum augeri cupio, quos ego dum vivam ſemper votis & precibus juvabo, & quorum precibus ac ſacrificiis adjuvari plurimùm opto. Maneat Domine his literis congnatum pignus charitatis meæ, & obſervantia erga illos, & oratio mea, quà clamavi ad te; ut quicunque hæc legerit, levet mecum vocem, & clamet, & quod ego peccatis non mereor, ipſe à te impetret per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Hæc ille.

LECTO V.

DE UNITATE ECCLESIÆ.

1. *Docet Vnam eſſe Eccleſiam etiam ab initio Mundi.*
2. *Quomodò una Eccleſia novi Teſtamenti.*
3. *Quomodò Eccleſia Lutheri aut Calvini non ſit una.*

PROPOSITIO I.

Prima proprietas Eccleſiæ eſt, quod ſit Vna.

Eccleſiæ proprietates.

HInc in Symbolo credimus Eccleſiam, non verò Eccleſias. Dicitur verò Eccleſia una, etiam loquendo de ea ab initio mundi, uſque ad conſummationem ſæculi: eadem enim manet & manebit in æternùm, & univerſitas credentium, quæ fuit ante legem, ſub lege, & ſub Evangelio, eadem eſt, & una eſt.

1. Quod ſit una ab initio Mundi.

Neque refert, quod alia ſit forma nunc colendi Deum, alia Sacramenta, alia ratio fidei, quam in lege, alius Legislator & Caput ultra Moyſen. Hæc enim non tollunt unitatem Eccleſiæ, ſed ſolùm

Digitized by Google

dicant diverſas ætates & diverſos ſtatus, manente eâdem Eccleſiâ. Declaratur exemplo

Idem homo, qui infans fuit, deindè puer, poſteà vir, aliter eſt diſpoſitus in infantia, aliter in pueritia, aliter in virilitate. Nam infans lacte & faſciis opus habet: Puer regitur à pædagogo. Vir libertate donatur, & ſub hac diverſitate ætatum & incrementorum idem homo eſt. Ita à tempore Adæ, una eſt & fuit Eccleſia hucuſque, ſed ſecundùm ſucceſſionem diverſas ætates habuit, & incrementa, & diverſum ſtatum. 1. Ante legem infans erat, diviniſque inſpirationibus, velut lacte alebatur. Sub lege velut parvula paulatim creſcens eſt, ſub Pædagogio Legis & Prophetarum. 3. Sub Evangelio tanquam adulta donata eſt libertate Chriſtiana, habens nunc Ubera utriuſque Teſtamenti, quibus lactet, quos Deo regenerat, juxta illud: *Soror noſtra parvula, Vbera non habet*, ante Evangelium, ſcilicet quæ habuit creſcente Evangelio, quibus lacte cœleſtis doctrinæ pleniùs cœpit fœcunda eſſe, adeò ut mundum impleverit prole, implerura &c. Cœlum. Cant. 8.8.

Sicut ergò tu non es alius à te, ob diverſas ætatum tuarum qualitates, aut incrementa membrorum & virium; Ita nec Eccleſia diverſas habens ætates & incrementa, juxtà quæ poſtulabat diverſas leges & formam vivendi, diverſa ſymbola, & fidei Sacramenta. Sic nec dicitur diverſa arbor aut vitis, quod novi prodeant rami, ſuccisis veteribus.

Eccleſia ergò, quæ fuit ſub lege, continuatur in eam, quæ militat ſub Evangelio, adaucta & coadunata ex Judæis & Gentibus. Et licet rami veteres ſint reſecti, non tamen totaliter, quia non eſt planè abjecta tota Synagoga, ſed ſolùm pars carnalis populi contradicens verbo Dei. Conſervata ſunt interim multa millia cum Apoſtolis, qui tanquam ſemen ſpirituale Synagogæ, inſertis ſibi Gentibus creverunt in Eccleſiam Chriſtianam; ita ut populus Gentilis velut exciſus de Oleaſtro, inſertus fuerit plebi ex Judæis credenti, tanquàm bonæ Olivæ, ut participaret de pinguedine & radice, juxtà Apoſtolum.

Non ergò aliam Olivam, cum alia radice aut alio vitæ ſpiritu; ſed ipſammet quæ priùs erat, auxit & perfecit. Non aliam vineam plantavit, ſed illam olim plantatam, abſtulit à malis agricolis, Scribis & Pontificibus perditis, & locavit eam aliis agricolis, Epiſcopis & viris Apoſtolicis; ita ut non defecerit illa Eccleſia, aut extincta ſit, ſed tranſit per ſemen juſtorum in meliorem ſtatum, Chriſto illam adaugente de populo Gentium.

Vis ergò noſſe, quomodò manet una Eccleſia omni tempore, & undè unitas illa conſideranda ſit? Adverte & indè conſidera, quod ſemper fuit unum & idem fundamentum Eccleſiæ, unum caput, idem lapis angularis. Undè etiam dicimur, ſuperædificari ſuprà fundamentum Prophetarum, & ſuper eundem lapidem angularem Chriſtum, jungentem utrumque populum.

Secundò, ſemper fuit una fides, licet doctrina fidei pro diverſo ſtatu, nunc ſimplicior, nunc explicatior fuerit.

Tertiò, idem Spiritus dirigens Eccleſiam, & eam illuminans, varié tamen pro ſtatus qualitate.

Quartò, idem finis fidei, ſalus animarum, *de quo*, inquit Petrus, *ſcrutati ſunt Prophetæ*.

Quintò, ejuſdem Agni ſanguine omnes juſtificati, tunc in meritis piæ vitæ, nunc in exhibitis, eadem vita ſpiritualis, eodem Deo & Chriſto illam operante, in omni tempore, per eandem fidem de mediatore; licet tunc crederetur venturus, nunc veniſſe; in hoc enim ſolùm eſt variatio temporis, & variatio circà accidentia, non circa ſubſtantiam rei.

PROPOSITIO II.

Vnitas hæc maximè comperit Eccleſia, ut à Chriſto inceperit, juxtà ſtatum novi Teſtamenti. 2. Vna in ſtatu Teſtamenti novi.

UNdè de hac dicit: *Vna eſt columba mea, perfecta mea*, unum Ovile, unus Hortus concluſus, unus Puteus aquæ vivæ; una Domus Raab, una Jeruſalem, Templum unum, Corpus unum. Et propterea dixit Chriſtus: *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Ubi in ſingulari dicit Eccleſiam.

Licet ergò quandoque nominet Scriptura plures Eccleſias, ſicut in Apocal. *Joannes ſeptem Eccleſiis, quæ ſunt in Aſia.* Et Apoſtolus ſalutat Eccleſiam, quæ eſt Corinthi: Non tamen propter hoc plures ſunt Eccleſiæ, licet plures ſint fidelium Congregationes, quia omnes ad unam univerſalem Congregationem referuntur, ſuntque tantùm diverſa membra ejuſdem corporis, diverſi rami ejuſdem radicis, plures filii, ejuſdem matris fœcundæ, plures rivi ejuſdem fluvii aut fontis, plures radii ejuſdem Solis per univerſum orbem lumen ſuum ſpargentis. Apoc. 1. 4.

Unitas ergò hæc oritur ex diverſis.

Primò, ratione ejuſdem Fidei, Spei & Charitatis: Fidei quidem & doctrinæ, quia una eſt doctrina ipſius Eccleſiæ, in his quæ concernunt fidem, una vox, una lingua, juxta id, quod dicit Auguſtinus: *Qui volunt unam linguam, veniant ad Eccleſiam, quia & in diverſitate linguarum carnis, una eſt lingua in fide cordis.* Et Irenæus: *Licet loquela diſſimiles ſint in mundo, ſed tamen unius traditionis. Neque quæ in Germania ſunt fundatæ Eccleſiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt, neque quæ in Hiberis ſunt, neque hæ, quæ in Celtis, neque hæ, quæ in Oriente, neque hæ, quæ in Ægypto, neque hæ, quæ in Lydia, neque hæ, quæ in medio mundi ſunt conſtitutæ. Sed ſicut Sol creatura Dei in univerſo mundo unus & idem eſt, ſic & lumen, & prædicatio veritatis ubique lucet.* Ita Irenæus. Si hanc vis videre perfectius unitatem, conſule generalia Eccleſiæ Concilia, ubi ex omnibus nationibus aliqui convenerunt, & invenies conſenſum firmum in fidei dogmatibus. Cyprian. l. de unitat. Eccleſ. 1. Ratione Fidei. Aug. in Pſal. 74. Iren. li. 1. cap. 3. de unitat. fidei multa ſup.

Ratione quoque ejuſdem Spei, juxtà id, quod dicit Apoſtolus: *Obſecro vos, ut dignè ambuletis in ea ſpe vocationis veſtræ.* Eandem enim ſalutem, gloriam Spei. Epheſ. 4. 1. 4.

Digitized by Google

gloriam & æternitatem ſperamus, per eadem merita eiuſdem Salvatoris Jeſu Chriſti, & per opera noſtra meritoria, ab eadem fide procedentia.

Charitatis Epheſ. 4.

Ratione etiam ejuſdem Charitatis, per quam Eccleſia una eſt unitate voluntatis, juxta quod petebat à Patre Chriſtus, *Pater ſancte, conſerva eos in nomine tuo quos dediſti mihi, ut ſint unum ſicut & nos.* Et hæc unitas maximè eluxit in Eccleſiæ incunabulis, quando *multitudinis credentium erat cor unum & anima una.* Hæc eſt unitas Spiritus, quam ſolicitè nos ſervare monet Apoſtolus, quæ non ſolùm conſiſtit in unitate fidei, ſed in unitate voluntatis & unione charitatis.

2. Ob unitatem Sacramentorum.

1. Cor. 12. v. 13.

Secundò, unitas eſt in Eccleſia propter unitatem Sacramentorum; quæ ad hoc inſtituta ſunt, ut colligamur in unam fidem, ob quam dixit Apoſtolus: *Nos omnes ſumus baptizati in uno Spiritu, ut ſimus unum corpus, ſive Iudæi, ſive Gentiles, ſive ſervi, ſive liberi, & omnes in uno Spiritu potati ſumus*: Sic etiam dixit de Euchariſtia, quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane participamus. Sic de reliquis Sacramentis dicere poſſumus, quia omnia ad hoc inſtituta ſunt, ut uniant membra Eccleſiæ in unam fidem, & in unam veram religionem & ſocietatem.

Eph. 4. 5.

Rectè ergò unitatem hanc ſignificans Apoſtolus dixit: *Unus Dominus, una fides, unum Baptiſma, unus Pater omnium.* Ubi ſub baptiſmate reliqua comprehendit Sacramenta, quæ in unum ſpiritum & corpus nos colligant. Hinc eſt quod dum ad unam hanc Eccleſiam Chriſti, Valerianum Sponſum Ceciliæ adducere voluit Urbanus Pontifex, hæc verba ei litteris aureis ſcripta divinitus ſunt exhibita: *Unus Deus, una fides, unum baptiſma.* Hiſtoriam retulimus ſuprà.

Libr. 1. Tract. 2. Lect. 12.

3. Ob unitatem Capitis.

Coloſſ. 1. 18.

Tertiò unitas hæc ſumitur ex unitate Capitis non ſolùm inviſibilis, ſed & viſibilis. Caput inviſibile eſt Chriſtus, de quo dicit Apoſtolus: *Qui eſt conſtitutus Caput ſuper omnem Eccleſiam.* tam ſcilicet Angelorum quam hominum, tam triumphantem quam militantem, à quo omnis gratiæ influxus, in nos tanquam membra derivatur.

Caput viſibile eſt ejus in terris Vicarius Petri Succeſſor. Sicut ergò Regnum dicitur unum ab uno Rege, Civitas ab uno Gubernatore, Familia ab uno Patre, Grex ab uno Paſtore, Exercitus ab uno Duce, Corpus à colligatione membrorum ſub uno Capite: Sic Eccleſia una dicitur quæ in Scripturis vocatur, Regnum, Civitas, Familia, Grex, Exercitus, Corpus. De hac unitate dixit Dominus per Ezechielem: *Faciam eos in gentem unam, & Rex unus erit omnibus imperans, Paſtor erit unus omnium eorum.* Una ergò Eccleſia eſt, quæ dum ſubeſt multis Paſtoribus, uni primo Paſtori vices Chriſti gerenti ſubjectis, ipſi primo Vicario Chriſti ſubjecta eſt ac proinde ipſi Chriſto. Et ſic ex unitate obedientiæ ad unum Caput, unitas Eccleſiæ conſurgit. Neque enim aliunde, inquit Cyprianus, hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſchiſmata, quam quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Chriſti cogitatur.

Hanc ergò unitatem diſcindunt Schiſmatici & hæretici, ipſi enim ſunt, qui ſcindunt tunicam Chriſti, quæ unica eſt & inconſutilis, prout ipſemet Chriſtus conqueſtus eſt de Ario apparens D. Petro Alexandrino conſcilla veſte, ut ſuprà retulimus. *Libr. 1. Tract. 3. Lect. 10.*

Concludamus ergò repetendo cum Hieronymo unicam eſſe Arcam, in qua quiſquis non fuerit, peribit, regnante diluvio: Unicam eſſe domum Jacob, in qua agnus comeditur. Unde multum errant, qui unumquemque in ſua fide & religione ſalvari poſſe putant, & indifferenter converſantur modò cum hæreticis, modò cum Catholicis, modò agnum verum ſumentes, in Euchariſtia cum his, modò cœnam ridiculam cum illis, accommodantes ſe omnibus. Qui quidem condemnantur exemplo illo quod refert Joannes Moſcus.

Narravit, inquit, nobis Abbas Gregorius Presbyter Cænobii Scholarium, quod ibi ſenex magnus, magnæque abſtinentiæ moratus ſit, erat autem ſimplex circa fidem, & ubicumque cum eſſe contigiſſet, indiſcretè communicabat. Quadam ergò die apparuit ei Angelus, dicens: *Die ſenex, ſi mortuus fueris, quomodo vis ſepeliamus te? Ut Ægypti Monachi faciunt, an ut Hieroſolymita?* Senex autem reſpondens, ait, neſcio. Tunc ei Angelus: cogita & delibera. Poſt tres autem hebdomadas veniam, & dices mihi. Pergens ergò ſenex ad alium narravit ei, quæ dixerat Angelus. Quod cum audiſſet ſenex, ſtupefactus & diutius intendens in eam & divinitus inſpiratus, dixit ei: *Ubi ſumis ſancta Myſteria?* Reſpondens illi ait, ubicumque me invenio: Tunc ait illi ſenex: *Non tibi ultra contingat; ut extra ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam communices, ubi nominantur ſancta quatuor Synodi. Nicena trecentorum & octo Patrum, Conſtantinopolitana centum quinquaginta, Epheſina prima ducentorum, Chalcedonenſis ſexcentorum triginta.* Cum autem venerit Angelus, dic ei: *Sicut Hieroſolymita ſepeliri volo.* Poſt tres ergò hebdomadas venit Angelus, & dixit ſeni: *Quid eſt ſenex, cogitaſti?* Dixit autem illi ſenex: *Sicut Hieroſolymita ſepeliri volo.* Dicit ei Angelus: *Bene, bene*, & continuò reddidit ſpiritum. Hoc autem totum factum eſt, ne labores ſuos perderet, & cum hæreticis condemnaretur. Ita in Prato ſpirituali. *Exempl. Joan. Moſcus ſeu Sophron. in prato ſpir. c. 18.*

PROPOSITIO III.

Eccleſia Lutherana aut Calviniſtica non eſt una, aut vera Eccleſia.

Eccleſia hæreticorum non eſt una.

PRimo non eſt una & eadem cum matrice Eccleſia ſub Chriſto collecta, aut ſub Apoſtolis nata. Ergo adulterina eſt, & inter Eccleſias malignantium numeranda.

Decla-

Digitized by Google

Declaratur, quia non convenit in Sacramentis, aut in doctrina fidei cum illa Eccleſia prima ; non enim recipit confeſſionem peccatorum, quam Chriſtus Joan. 20. Jaco. ult. Joan. 20. quam Eccleſia uſurpavit ſub Apoſtolis, Jacobi ultimo, & ſuccedentes Eccleſiæ immobiliter retinuerunt uſque ad tempora noſtra, & à Baptiſta Præcurſore Domini inchoationem accepit.

Secundò non recipit Sacrificium Miſſæ à Domino inſtitutum ab Apoſtolis oblatum, ab Eccleſia ſemper cuſtoditum.

Tertiò non recipit Sacramentum extremæ Unctionis, quod tam diſertis verbis Jacobus deſignavit : *Infirmatur quis in vobis*, &c. Jac. 5. 14. & ſic de multis aliis.

Quartò non eſt una & indiviſa in ſe. In his enim quæ ſunt fidei diſſentiunt ; nam à tempore ipſiuſmet Lutheri pluſquam centum diverſæ ſectæ ortæ fuerunt, dum unuſquiſque ſibi ſectam & novam hæreſin format : hinc aliqui dicti ſunt ZWingliani, Menoniſtæ, Georgiani, Adamitæ, de quorum diſſenſionibus videre potes Florimundum. De Calviniſtis idem dicendum, quorum alii rigidi Calviniſtæ dicuntur, alii molles, alii Puritani, Alii Anglo-Calviniſtæ, alii Calvino-Papiſtæ, alii Gommariſtæ, alii Arimiſtæ ; qui in multis quæ ſunt fidei, inter ſe diſſentiunt. Florim. Remund. lib. 2. de ortu hæreſum. Ita hæreſis jam noſtro tempore eſt velut hydra plurium capitum, chymera plurium natutarum, monſtrum diverſorum ſexuum, & velut inferni Janitrix, non tantùm ſicut Cerberus, tria habens capita, ſed innumerabilia, ululatum edentia centum linguis, centum vocibus. Non ergò unum corpus, aut unus ſpiritus in tanta varietate ferarum, & in tantis diſſidiis opinionum, ſed ſchiſmata, quia inter eos tot hæreſiarchæ ſunt, quot ingenia præclara ; dum unuſquiſque ex proprio ſpiritu Scripturam interpretatur. Tot ſectæ quot opida, imò in una ſæpè domo & familia doctrinæ diverſitas reperitur, ita ut nonniſi Babel ædificent, diviſi inter ſe linguis, & confuſionem parant. Quod autem inter eos etiam in fidei articulis non ſit unitas & concordia, patet ex libris multis, quibus ſe invicem lacerant & ex confeſſionibus ſuis ſæpiùs variatis, & ex Scripturis depravatis & perverſè interpretatis. Nam & Catholici aliqui numerant trecentas explicationes ſuper illa ſola verba : *Hoc eſt corpus meum*. Sed hæc diſſentiones, Deo providente, apud eos multiplicabuntur, ut tandem confuſi linguis, deſiſtant civitatem diaboli, & turrim Babel ædificare adverſus civitatem Dei & Eccleſiam Chriſti. Et bellum hæreticorum inter ſe, pax tandem erit Eccleſiæ, juxta vaticinium Iſaiæ : *Concurrere faciam Ægyptios adverſus Ægyptios, & pugnabit vir contra fratrem ſuum, & civitas adverſus civitatem, regnum adverſus regnum, & dirumpetur ſpiritus Ægypti in viſceribus ejus, & conſilium ejus præcipitabo.* Iſa. 19. 2.

Ipſi enim ſunt Ægyptii, quia tenebris errorem & fidei; contra veram lucem pugnant : *Ipſi ſunt rebelles lumini*, ut loquitur Job, ſpiritu ſatanico & tenebroſo acti : ſed tandem inter ſe diſſentientes diſpergentur, & lux fidei has omnes tenebras diſſipabit, ſpiritumque tenebrarum & errorum orco temerget Rogemus interim Deum, ut *protegat nos in tabernaculo ſuo à contradictione linguarum*. Quid eſt, inquit Auguſtinus, tabernaculum niſi Eccleſia hujus temporis ? *Illa tabernaculum adhuc dicitur, quia in hac terra adhuc peregrinatur : Tabernaculum enim eſt habitaculum multum in expeditione poſitorii. Ergò in hoc tabernaculo protege eos ne eos à contradictione linguarum, Contradicunt lingua multa, diverſa hæreſes, diverſa ſchiſmata, diverſa doctrina. Tu curre ad tabernaculum Dei, Eccleſiam Catholicam tene, à regula veritatis noli diſcedere, & protegeris in tabernaculo à contradictione linguarum.* Ita Auguſtinus. Hoc interim adverte cum ſanctis Patribus, hæreticos omnes qui inter ſe diſſentientes ſunt, in hoc uno puncto concordes eſſe & conſentire, in oppugnatione ſcilicet veritatis, & conſpiratione contra veram Eccleſiam, ſicut Pilatus & Herodes (alioqui inter ſe diſcordes) in Chriſti perſecutione, & Paſſione concordes fuere. Pſ. 30. 21. Aug. in Pſal. 30.

Ideò hæretici rectè comparantur vulpibus Samſonis, quæ caudis colligatæ ſeſe mutuò mordebant, & in ſe invicem inſurgebant ; ſed tamen faces in caudis colligatis gerentes, meſſem illam amplam pariter incendebant. Illi ergò dentibus ſe invicem lacerant, ſed tamen caudis ligati, Eccleſiæ meſſem quantum in ſe eſt, invadunt, pari conſenſu & concordi conſpiratione demoliri conantur Chriſti vineam. Judic. 15.

Ut ergò concludam hanc de unitate Eccleſiæ Propoſitionem, attendant qui oculos habent, quàm in varias ſectas & opiniones fluctuantes fides diſſecta ſit ab eo tempore quo Lutherus ab Eccleſia Catholica ſe ſeparavit, & quam firma in ſuis dogmatibus maneat ſemper Eccleſia Catholica. Quare ab eo deceptos, compellare libet his verbis: O fratres mei errantes, unica eſt via regia doctrinæ, vos ſemitas, quæ à ſinithis ſunt, ſequimini quæ ad interitum ducunt. Erratis in ſolitudine ſoli ſapere volentes, & plus ſapere cæteris, qui à tot annorum centuriis veram viam nos docuerunt. Hi adhuc clamant poſt tergum monentes vos: *Hæc eſt via, ambulate in ea*, nam illa quam ſequimini, illa eſt, de qua Sapiens : *Eſt via quæ videtur homini recta, & noviſſima ejus ducunt ad mortem.* O Fratres mei, unica eſt amica & ſponſa, quæ etiam eſt Mater veſtra, quam deſeruiſtis. Redite ergò ad gremium Matris veſtræ piorantis vos, & aperientis brachia ſua, ut redeuntes amplectatur, unicum eſt Corpus Chriſti myſticum, vos ab eo ſeparati eſtis, tanquam oſſa arida, aut membra putrida, ſed ſanari poteſtis, & ſpiritum recipere ſuccumque vitæ, ſi ad unitatem corporis redire vultis per junctuam veræ fidei, & ſubjectionem reſpectu ejuſdem Capitis. O Fratres mei, unica eſt arca, extra quâ agentes peribitis, ſed redire poteſtis cum columba, & gemitum ejus ſuſcipere, Sed & hoc ipſum ad Iſa. 30. 21. Prov. 14. 12. & 16. 15.

redeun-

Digitized by Google

redeundum vos compellat, quod extra eam nullibi tutò potestis quiescere, ipsa conscientia quietem vobis non dante, nisi forte cum corvo in cadaveribus delectatio vestra est, in operibus mortuis, in peccatis fœtidis. Videnda sunt, quæ diximus de Fide ejusque unitate & infirmitate, ac de hæresi opposita.

Libr. 1. Tract. 1. Lect. 5. 6. 7.

LECTIO VI.

DE SANCTITATE ECCLESIÆ.

1. *Docet cur Ecclesia dicatur Sancta.*
2. *In Ecclesia etiam impios contineri.*

PROPOSITIO. I.

Altera Proprietas Ecclesiæ est, quod sit Sancta.

II. *Proprietas quod sit Sancta.*

Dicitur verò *sancta*. *Primò*, quia continet sanctitatem doctrinæ, legesque sanctas, ita ut in doctrina ejus, quantum ad fidem, aut mores, nullus error, nulla impuritas aut impietas contineatur. Ex eo ergò capite tota pura est, tota sancta, tota perfecta: ex eo capite de ea potest dici. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Tota utique pulchra in doctrina fidei, tota pulchra in documentis morum. Hoc verò non potest dici de Ecclesia Luthen aut Calvini, quæ in sua doctrina impietatem continet, & filios iniquitatis producit: dum facit Deum authorem peccati: dum homini aufert liberum arbitrium, & merita bonorum operum: dum tollit virtutem Sacramentorum: dum carni habenas laxat: dum Ecclesiæ præcepta contemnit: dum vota & jejunia tollit, cultumque Sanctorum, &c. Pulchritudo verò doctrinæ in Ecclesia, & fallibilitas veritatis in ea, ac sanctitas à Spiritu sancto provenit, qui semper cum ipsa est, juxta promissiones Sponsi ejus, & semper in eam influit, inspirat, illuminat, possidet, & in omnem deducit veritatem.

1. *Ob sanctitatem doctrinæ.*

Cant. 4. 7.

Secundò dicitur, *sancta*, quia tota Deo dicata, Deo serviens in pietate & justitia, ad hoc tandem perventura, ut sit plane sine macula. Item quia ejus sanguine sanctificata professionem continens sanctitatis, & omnes filios suos ad sanctitatem vocans & instruens. Propterea Apostolus scribens ad Fideles, vocat eos Sanctos. Propterea vidit Joannes *Civitatem sanctam novam descendentem de cœlo.* Hoc est, Ecclesiam per Christum sanctificatam.

2. *Quod Deo sit dicata.*

Ap. 21. 2.

Tertiò dicitur *sancta*, quia in ea sunt media & instrumenta Sanctitatis, Baptismus, aliaque Sacramenta, per quæ sanctificamur. Undè Apostolus dicit: *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut sit sancta & immaculata.* Unde etiam dicit Augustinus super illud Psalmi: *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum.* Unumquemque Fidelem posse dicere illud: *Quoniam sanctus sum*, quia accepit gratiam sanctitatis, gratiam Baptismi, & remissionis peccatorum. *Dicat ergò unusquisque Fidelium*, inquit, *Sanctus sum: Non est ista superbia elati, sed confessio non ingrati. Dic Deo tuo: Sanctus sum, quia sanctificasti me.*

3. *Ob Sacramenta.*

Eph. 5. 25.

Quartò dicitur *sancta*, quia caput ejus Sanctus Sanctorum est: sicut enim pulchra dicitur persona, quæ pulchram faciem habet, ita & Ecclesia ob pulchritudinem Capitis sui: sed & membra aliqua pulchra semper habet & sancta, quia semper fuat aliqui sancti in Ecclesia, qui tanquàm prior pars ad eam pertinent, & eam illustrant. Sic arborem vivam nominamus, licet multos ramos habeat corruptos, si aliqui principaliores rami vernantes sunt & fructificantes. Sic Ecclesia habet radicem suam vivam, habet & principales ramos sanctitatis vita illustres, & semper in ea sunt, & erunt, & fuerunt aliqui sancti, etiam ab initio sæculi, ab Abel justo, in lege naturæ, in lege Moysis, in lege nova. Semper ergò Sanctos parit & peperit hæc Mater fœcunda, ut meritò ob sanctas proles & fructus sanctitatis, dicatur Sancta.

4. *Ob Christum ejus caput, Sanctum Sanctorum.*

Quintò dicitur *sancta*, quia extrà eam non potest vera sanctitas inveniri. Possunt quidem extra Ecclesiam aliqua inveniri dona & munera, sed non hoc donum sanctitatis; nec solida spes æternæ hæreditatis. Sicut Abraham filiis concubinarum (per quos hæretici & schismatici designantur) largitus est munuscula quædam; at soli filio Saræ, (quæ Matrem nostram Ecclesiam præsignabat) largitus est hæreditatem. Sic etiam in Ecclesia sola Catholica inveniuntur miracula, quæ sunt testimonia sanctitatis, nec ullà unquàm ætate Ecclesia his caruit, sicut nec Sanctis: *Domum tuam Domine decet sanctitudo in longitudine dierum*: quamdiu durabunt dies, sanctitas ornabit Ecclesiam. Nempè sicut olim ascendens curru igneo Elias, pallium & spiritum duplicem reliquit Elizæo, per quæ miracula operaretur. Sic in Ecclesia nunquam deerit verus aliquis Elizæus, qui hæres sit spiritus duplicis & pallii Christi, hoc est, sanctitatis & virtutis, per quam miracula possit operari, & potestatem Magistri ostendere.

5. *Quod extra eam non invenimatur sanctitas.*

Psal. 92. 5.

Hinc si percurras omnia sæcula, invenies viros sanctitate & vitâ admirabili illustres, donisque Dei, quibus toti orbi prodigium fuerunt. Novissimè nostro sæculo vidimus inter SS. ascribi, Carolum Borromæum per Paulum V. Philippum Nerium, Isidorum, Ignatium, Xaverium, & Teresiam, de quorum miraculis speciales sunt libri. Et jucundabatur maximè Ecclesia in his novissimis Sanctis, celebres eis triumphos decernens, tanquàm Mater quæ gaudet in prole, quam in senectute sua generat. Sic enim dicitur de Jacob, quod maximè adamaret Joseph, tunicâ eum polymitâ in signum benevolentiæ adornans, eo quod in senectute genuisset eum.

Ecclesia ergò licet videatur jam in senectute sua esse, tamen non definit esse fœcunda. Parit eximios sanctitatate viros, parit Martyres sanctitate illustres, qui pro ea pugnant, qui eam tutantur, variis hostium cuneis circumcinctam. Immò si aliquid ei detrahatur, quantùm ad amplitudinem & multitudinem filiorum, dum multæ Provinciæ fidem

Digitized by Google

deſerunt, & pervertuntur filii ejus ab hæreticis; ex alia parte divinitùs adjicitur, & filios parit innumeros. Sic nunc in Indiis videmus, quàm fœcunda ſit per ſanctas proles, & credentium animas, quæ ibi converuntur.

Denique tum tempora illi fuêre iniquiſſima, tum maximè ſanctis viris cœleſti munere eſt amplificata, Omnes hi, quos numeravimus, exorti ſunt tanquam ſtellæ, dum Lutheri & Galvini peſtilens hæreſis ſpargi cœpit, ut contra errorũ tenebras, doctrinæ & ſanctitatis luce depugnarent, id enim præſtiterunt Ignatius, Philippus, Carolus, per ſe & ſuos.

Id præſtiterunt Martyres inclyti in Anglia, in Gallia, in Germania. Et in Belgio, inter cæteros excellenter illi Gorcomienſes, qui & vocis, & ſanguinis ſui teſtimonio, fidei Catholicæ ſubſcripſerunt præcedenti ſæculo, & hæreſim condemnârunt. Tentaverunt hæretici tyranni ſimutatem illorum, minis, tormentis, promiſſis; ſed fides eorum inexpugnabilis manſit. Vita eis promittebatur & honores, ſi vellent negare Chriſti præſentiam in Euchariſtia, & Sedis Apoſtolicæ authoritati renunciare: ſed moti fortiter maluerunt, quàm à Petri Sede recedere, quæ caput eſt omnium Eccleſiarum, cui totam doctrinam cum ſuo ſanguine Apoſtoli profuderunt. In hac ergò confeſſione firmi, brevis hujus & incertæ vitæ gaudium deſpicientes, per ſanguinem & necem crudeliſſimam, ad æternam ſibi fœlicitatem, viam paraverunt.

Ac ut martyrium eorum ſibi acceptiſſimũ oſtenderet Deus, quaſi ſacrificium holocauſti, ad eorum ſacras Reliquias multa miracula patrata ſunt, tum in ipſa Hollandia, tum in Hannonia, & Brabantia, Athi, Cameraci, Valenecnis, Bruxellis, Antuerpiæ. Illud verò memoria dignum, quod ſuper eorum ſepulchrum germinarint floſculi albicantes, ante hac nuſquam viſi, de quibus illud admirandum ſcribitur: *Surculus in loco martyrii BB. Martyrum Gorcomenſium prope Brillam in Hollandia decerptus paxidique incluſus habens tres vel quatuor floſculos, biennio poſt, anno 1617. inventus eſt non ſine miraculo in totidem excreviſſe floſculos, quot Martyres fuere, novemdecim.*

Guil. Eſtius l. de marty. Gorcomenſibus.

Surius in comment. rerum an. 1535.

Eandem Pontif. Romani authoritatem in Anglia multi & voce & ſanguine aſſeruere. Inter cæteros ſcriptis eam defenderat contra, Henricum VIII. Joannes Traverſius Theol. Doctor in Hybernia, qui raptus ad Tribunal non negavit; ſed extenſis digitis: *Hinc ait, ea ſcripſi, nec me ejus facti pœnituit, vel pœnitebit.* Igitur dictata in eum mortis ſententia, accidit ibi res mira, quam retulerunt, qui eam viderunt præſentes. Cum carnifex manum ejus amputaſſet, & ſpectante populo in ignem injeciſſet, reliqua parte exuſta, pollicè cum duobus digitis, quibus ſolemus ſcribere, nunquã potuit ignis abſumere, quo miraculo Deus oſtendit Martyrem ſuum bonam cauſam tutatum eſſe.

Surius in ann. 1535.

PROPOSITIO II.

Eccleſia non dicitur ſancta, eò quod ſoles juſtos & prædeſtinatos continens, ut volunt hæretici. *In Eccleſia etiam impii continentur.*

HOc manifeſtè repugnat Scripturis quæ Eccleſiam comparant diverſis rebus aliud ſignificantibus. 1. Eſt arca Noë, in qua animalia erant munda & immunda. 2. Area, in qua triticum & paleæ. 3. Eſt Sagena ex omni genere piſcium congregans. 4. Eſt Vinea, in qua Palmites aliqui abſcindendi. 5. Eſt Convivium nuptiale, in quo invenitur non habens veſtem nuptialem. 6. Eſt Congregatio Virginum, in qua ſunt quædam fatuæ. 7. Eſt Ovile, in quo ſunt oves & hœdi. 8. Eſt Domus, in qua ſunt vaſa in honorem, & vaſa in contumeliam.

Eccleſia dicitur Convocatio, ideò in illa multi ſunt vocati, non omnes electi, ſicut probat Auguſtinus ex illo Pſalmo: *Annunciavi, & locutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum.* Eſt numerus, inquit, ſuper numerum, eſt & numerus certus pertinens ad cœleſtem illam Jeruſalem; novit enim Dominus qui ſunt ejus, Chriſtianos ſcilicet timentes, Chriſtianos Dei vias ambulantes, Dei præcepta ſervantes, à peccatis abſtinentes. Ipſi ad numerum pertinent, ſed nunquid ſoli ſunt? Sunt & aliqui ſuper numerum. Quanti Fideles agglomerantur? Quantæ turbæ concurrunt? Multi verè converſi, & multi falsè converſi, annunciante Chriſto, mittente annunciatores ſuos in univerſum orbem. Ideò dicit: *Annunciavi, & locutus ſum, & multiplicati ſunt ſuper numerum.* Vide latius Auguſt. ibi. Pſ. 39. 6. S. Auguſt. ſuper illum Pſal.

Et quidem in comparatione multitudinis malorum, pauci ſunt, qui ad numerum pertinent, & propterea dicitur: *Multiplicaſti gentem, ſed non magnificaſti lætitiam.* Cum pauci erant Fideles, erat illis cor unum & anima una, communia erant omnia, poſſeſſiones vendebant, & afferebant ad pedes Apoſtolorum, auctus eſt numerus, imminuta eſt pietas, & primus ille fervor paulatim in numero magno diminutus eſt. Sic in omni ſtatu etiam ſanctitatis profeſſionem faciente, videre eſt ex parte obeſſe multitudinem. In hominum enim multitudine non ita viget mortificatio, humilitas, pax, & concordia morum, non ita diu illa conſervantur, quia facilè ſubrepunt ambitiones, avaritiæ, æmulationes, voluptates. Vix auctus fuit numerus Apoſtolorum ad duodenarium, & unus fur & proditor reperitur. Numerus diſcipulorum ad ſeptuaginta duos pertigit, & inter eos unus repertus eſt author hæreſis quidam Nicolaus. Item quando Clericorum numerus non ita fuit amplus, ſanctiores longè fuerunt, & perfectionis ſectatores, nunc autem cum unuſquiſque ad gradum Clericatus, & ſtatum Eccleſiaſticum admittitur, multi irrepunt ſuperbi, avari, cervicoſi, æmuli, lubrici; pauci illuc aſcendunt purè propter Deum, multi propter lucrum, & patrimonium Crucifixi, quo famulorum greges alant, ſuperbiamque ſuam, & gulam, aliaque vitia inde orientia foveant. Itaque cum plurimi ubique ſint Sacerdotes, etiam verum eſt, *Multiplicaſti gentem, &c.* Iſa. 9. 3.

Hoc

Digitized by Google

S. Greg. Hom. 17. in Evang.

Hoc deplorat Gregorius: *Ecce*, inquit, *mundus Sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus reperitur operator, quia Officium sacerdotale suscipimus, sed opus officii non implemus.* Ita ille.

Sed non solum reperiuntur rari operatores, sed & multi operis interturbatores. Unde ii quibus negotium admittendi commissum est, probatos tantum, & à Deo vocatos deberent admittere. Quia licet in Ecclesia bonos & malos oporteat esse, quia sagena est ex omni genere piscium congregans; in iis tamen qui lumen Ecclesiæ & exemplar sanctitatis debent esse, & quasi stellæ lucentes in Cœlo, non deberent esse nisi perfecti, aut perfectionis sinceri sectatores.

Idem dicendum de Religioso Statu, cum fuere pauci, plures perfecti fuere; dum aucti sunt, vitia, & vitiosi inter illos reperti sunt, sicque etiam de illis verum est: *Multiplicasti gentem, sed non magnificasti lætitiam.*

Unde aliqui sacri Doctores monent Religionum Præfectos, ut paucos, & nonnisi benè probatos admittant: nam & annus probationis ad hoc servit, ut mali foras mittantur, & experientia longa docuit multitudinem pestem quandam Religionis esse. Non ergò omni spiritui & vocationi credendum, sed probandi spiritus, an ex Deo sint, quia sæpè non esse experientia & exitus indicavit. Non ergò ita sint solliciti de sua Religione augenda & propaganda, & novis domibus extruendis, quam de perfectionis studio & fervore, qui in pusillo grege faciliùs reperitur conservando & augendo.

Ex his itaque patet, quod ad Ecclesiam soli boni non pertinent, cùm & Christus reprobum unum habere voluerit inter Apostolos, ut doceret Ecclesiam malos tolerare, usque ad messem. Vult enim Sapientia perpetuò bonos esse inter malos, tanquam viva quædam specula melioris vitæ, vult & malos inter bonos in exercitium, velut limam repurgandæ virtutis.

Sicut Aurifaber in officina non solùm habet aurum & argentum, sed & malleos, incudes, catbones, forfices, limas, flabellum, quæ sunt instrumenta ad vasa argentea formanda: Ita in Ecclesia Deus aurum habet & argentum, hoc est bonos & electos, habet etiam malos & reprobos in exercitium electorum, tanquam malleos & limas, quibus conflet & purget hæc vasa aurea. Boni ergò soli nusquam sunt nisi in Cœlo, mali soli nusquam nisi in inferno, Ecclesia quæ media est inter Cœlum & infernum, utriusque partis cives recipit, ut mali mutentur per exempla bonorum, & boni purgentur per tormenta malorum, inquit Gregorius.

S. Greg. Hom. 38. in Evang.

Erunt ergò boni & mali mixtim usque ad messem, usque ad sæculi consummationem. Tunc colligent Angeli de regno Dei omnia scandala, & mittent eos in caminum ignis. Tunc omnis arbor quæ non facit fructum bonum exscindetur. Tunc omnis plantatio quam non fecit Pater, eradicabitur. Tunc erit sponsa Christi sine macula, sine ruga, cùm tradet regnum Deo & Patri. Tunc erit Civitas Hierusalem cum Sponso suo, *& ejicientur foris canes, & venefici, & impudici, & idolis servientes*, &c. Apoc. 22. 15.

Tunc perfectè erit Ecclesia *Hortus conclusus*, quia nihil coinquinatum intrabit in eam, quia non ingredientur, & egredientur amplius, nullumque venenum poterit serpens in eam injicere. Tunc erit perfectè *Fons signatus*, quia aquam limpidam, quam continet fœlicitatis æternæ, nullus motus, nulla tentatio poterit perturbare. Cant. 4. 12.

Sed quæres, quinam ergò excludantur ab Ecclesia, si etiam in ea sint mali & reprobi? Respondeo triplicis generis excludi. Paganos & infideles (sub quibus comprehendimus & Judæos) Hæreticos & Schismaticos. Denique & excommunicatos. Alii quantumlibet peccatores, in Ecclesia sunt, usque ad finem sæculi.

Quinam extra Ecclesiæ sint.

Pro quo intelligendo nota tria requiri, ut sit quis de Ecclesia, sive in numero populi Dei. *Primò*, ut sit baptizatus, quia hæc est janua, per quam ingredimur. *Secundò*, ut faciat professionem fidei ejusdem Ecclesiæ. *Tertiò*, ut sit quasi membrum unitum Capiti ejus Romano Pontifici.

Sic ergò Pagani extra Ecclesiam sunt, quia nunquam ingressi sunt. Hæretici quoque egressi sunt, deficientes à fide, & ejus professione. Schismatici etiam extra sunt, quia sese rescinderunt, tanquam membra, quæ non volunt manere in unione capitis & corporis mystici. Excommunicati quoq; extra sunt, quia separati tanquam oves infectæ & scabiosæ.

Hi ergò omnes fugiendi; ab his separare se debent Fideles, veri Ecclesiæ Filii, ne contaminentur. Intellexit hoc rectè Ecclesia Samosatensis, dum hæresis Ariana serpebat: nam ut est apud Theodoretum, cùm esset in ea civitate populus Catholicus, & Episcopus hæreticus: Concionabatur Episcopus in Ecclesia, sed seamnis & parietibus: omnes eum ut peste laborantem fugiebant. Ibat Episcopus ad balnea, & alios qui fortè aderant, ut secum lavarent, comiter invitabat; ac nemo unquam, ipso præsente, locum introivit? nemo etiam postea, nisi priùs aqua omni ejecta, & nova rursum adducta, lavit. Ludebant aliquando pueri in foro, contigit verò ut lusoria pila pedem contigerit jumenti, quo Episcopus vehebatur, continuò exclamabant omnes, & magno in ipso foro accenso igne, in eum pilam injecerunt. Ita ille.

Theodoretus l. 4. c. 14.

LECTIO VII.

III. *Alia proprietas quod sit Catholica.*

DE ECCLESIÆ UNIVERSALITATE, à qua dicitur Catholica.

DECLARAT HÆC LECTIO MULTAS Rationes, ob quas Catholica dicitur.

ALia proprietas Ecclesiæ est, à qua dicitur *Catholica*, sive Universalis. Hinc rectè aliqui

Eccleſia hieroglyphicum.

Eccleſiam depingentes, dederunt ei in una manu globum mundi pro ſymbolo, cum hoc ſcripto, *Catholica*, ut ſignificarent ejus univerſalitatem : In altera manu erat *Phœnix*, ut ſignificarent ejus ſingularitatem & unitatem cum hoc ſcripto : *Unica ſemper.*

Dicitur verò *univerſalis*, eo quod extendat Palmites ſuos in omnia tempora, in omnem nationem.

1. *Quod ad omnia tempora ſe extendat.*

Primò ergò extendit ſe ad omnia tempora, quia non fuit tempus, in quo non fuerit hæc Eccleſia & doctrina, Paſtores & Epiſcopi ejus ; ita ut ab Apoſtolis poſſint deſignari, quinam quolibet tempore, aut ſæculo præfuerint, & doctrinam noſtræ Eccleſiæ tenuerint.

Per hanc proprietatem, diſtinguitur ab Eccleſiis hæreticorum, quia hæreſes quæ in uno ſæculo ſunt natæ, ſtatim poſt aliquod tempus deſierunt, & ſucciſæ ſunt, velut ad infernum remiſſæ. Ideò eas comparat Auguſtinus torrentibus hyemali tempore cum ſtrepitu currentibus, ſed paulò poſt nil niſi arenam & ſordes relinquentibus, *Ad nihilum devenient, tanquam aqua decurrens* : Explicans hunc verſum, ſic dicit Auguſtin. *Non vos terreant fratres quidam fluvii, qui dicuntur torrentes, hyemalibus aquis implentur, aqua ad tempus perſtrepit, mox ceſſant, diu ſtare non poſſunt. Multa hæreſes jam emortua ſunt : cucurrerunt in rivis ſuis, quantum potuerunt : ſiccati ſunt rivi, vix eorum memoria reperitur. Ad nihilum devenient, tanquam aqua decurrens.*

Pſal. 57. 8.

Auguſt. in Pſal. 57.

At Eccleſia Romana eſt velut fluvius magnus, habens vivam ſcaturiginem, & ſemper decurrit, ſucceſſione non interrupta, Nulla ætas ab Apoſtolorum ævo, nullum ſæculum deſignari poteſt, quo non fuerit in omnibus ſæculis celebrata Miſſa pro vivis & defunctis, feſta, & jejunia ſervata, invocati Sancti, honoratæ Reliquiæ, vota Religionis frequentata, & alia Religioni illi propria, ut conſtat ex omnium ætatum ſcriptoribus.

2. *Quod omnes homines recipiat.*

Secundò, Catholica, quia recipit omnis conditionis & ſtatus homines. Nam non eſt familiæ ulli alligata, ſicut olim in familia Jacob, ſtabat Eccleſia veteris teſtamenti. Non eſt jam diſtinctio Judæi & Græci, Indi & Ægyptii. Poteſt enim membrum effici Eccleſiæ per Spiritum Chriſti, quicumque accedere voluerit, & ingredi per januam baptiſmi. Ubi non eſt diſtinctio, nobilis ſis an ignobilis, dives an pauper : *Quicumque enim crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Et jubetur Evangelium prædicari omni creaturæ. Unde & in Eccleſia Triumphante (ad quam nemo transfertur, niſi primò fuerit ſub vexillo Chriſti in Militante) vidit Joannes turbam ex omnibus gentibus, populis & linguis.

Marc. ult. 16.

3. *Quia eſt per orbem totum diffuſa.*

Tertiò, Catholica dicitur, quia per totum orbem diffuſa, extendens ſe ad omnes gentes, & omnia regna; nullum enim regnum eſt, nulla gens nobis cognita, quæ hanc Religionem vel non habeat adhuc, vel aliquando non habuerit, vel modò non incipiat habere. Immò hoc tempore ferè apud omnes gentes eſt publica Religionis noſtræ profeſſio. Nimirum apud Japones, Sinas, Indos, Perſas, Tartaros, Turcas, Baſilios, Mexicanos, &c. Omnibus his locis reperiuntur templa, altaria, imagines Chriſti, & Sanctorum. Celebratur Miſſa, adminiſtrantur Sacramenta.

Adverte ergò, per Prædicationem Apoſtolorum & aliorum Sanctorum, Romanam religionem actu ſe extendiſſe in omnem ferè angulum mundi, aut certè ante conſummationem ſæculi ſe extendet, juxta illud : *In omnem terram exivit ſonus eorum.* Quod quidem ſuo tempore dixit compleri Apoſtolus, quia tunc verè compleri cœpit. Perfectè autem implebitur in fine mundi, ita ut vocula illa (*exivit*) poſita ſit more prophetico, præteritum pro futuro, quia vident quaſi præſens quod futurum eſt, Prophetæ. Tunc ergò non erit mundi angulus, in quo Evangelium non fuerit prædicatum. Unde & nunc in incognitis regionibus magno fructu incipit prædicari.

Pſal. 18.5.

Quod etiam prædixiſſe videtur Iſaias de regno illo magno Sinarum, de quo multi interpretantur illud. *Ecce iſti de longè venient, & ecce illi ab Aquilone & mari, & iſti de terra Auſtrali.* Hebræa habent de Terra Sinim. Oſorius, Arias Montanus, Cornelius, & alii putant eſſe Prophetiam de regno Sinarum. Unde vertunt : *Et iſti de terra Sinarum.* Sicut enim Hebraicè Gelilim vocantur Galilæi ; Gehudim Judæi ; Aſſurim Aſſuni ; Caſdim Chaldæi ; ita non potuit Iſaias Sinas aliter nominare, quàm dicendo Sinim, id eſt Sinæ, qui ſunt populi de longè venientes, quia longiſſimè diſſiti, in extremo Oriente. Et illorum ſpecialiter meminit Iſaias, quia magnificum eſt regnum, & populoſiſſima regio, ita ut numerentur urbes vulgares ſupra 1150. & majores 247. Item quia inacceſſi ſunt, & ſub periculo capitis ſervitutis, & carceris, exteris aditum negant.

Iſa. 49. 12.

Cornelii Lapide in illum locum.

Unde & muro qui quadringentas quinque leucas longus eſt, à Tartaris ſe diremerunt. Significat ergò inacceſſos illos populos tandem Europæ Apoſtolos & fidem admiſſuros ; & Eccleſiæ Catholicæ ſeſe aggregaturos. Unde ut ſignificet fore inſignem illam Converſionem, & Eccleſiam illuſtrem Sinarum, exultans in jubilo ſubdit : *Laudate cœli & exulta terra, quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum* : Ubi & zelo ſalutis animarum Propheta optat cœlis & elementis linguas quibus gratulentur hominibus illis è captivitate peccati redeuntibus, & ut celebrent tantum Dei beneficium, quo gentes illas ad ſalutem vocat, miſertus populi illius ſub captivitate dæmonum agentis.

Sub Sinis verò intelligit etiam Japones vicinos, & Orientales populos. Ita ferè Cornelius à Lapide. Rectè ergò Eccleſia Catholica dicitur ſive univerſalis, ad Orbis quatuor partes ſe extendens. Unde & Jeruſalem undique habet tres portas, ab Oriente, Occidente, Meridie, Aquilone, quia ab omni parte mundi vocati ſunt electi de Eccleſia hac militante.

Digitized by Google

tante. Hæreſes verò & ſectæ, tantùm aliquot loca vel Regna ſibi per vim vendicarunt. Lutherana vix egreditur Germaniam, Calviniſtica habet aliquot Europæ angulos, & potiùs deficit, quàm proficit.

Aug. in Joan. c. 9.

Univerſalitatem hanc Eccleſiæ per quatuor partes mundi, dicit Auguſt. ſignificatam in veſte Domini. Quadripartita veſtis Chriſti, inquit, quadripartitam figuravit ejus Eccleſiam, quatuor ſcilicet partibus in orbe diffuſam, & in eiſdem æqualiter ſive concorditer diſtributam. Tunica verò illa ſortita omnium partium ſignificat unitatem, quæ charitatis vinculo continetur. Et veſtis merito perhibetur contexta per totum, quia nemo ejus expers, qui pertinere videatur ad totum, à quo toto, Catholica vocatur Eccleſia. Ita Auguſt.

Auguſt. contra ep. Manichæi. c. 4.

Hoc nomen (*Catholica*) ita proprium eſt Eccleſiæ, ut dixerit Auguſt. Multa ſunt, quæ in gremio Eccleſiæ Catholicæ me tenent: Tenet me conſenſus populorum: Tenet authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata. Tenet ab ipſo Petro Sacerdotum ſucceſſio. Tenet poſtremo ipſum Catholicæ nomen, quod ita inter tot hæreſes Eccleſia ſola obtinuit, ut cum omnes hæretici, Catholicos ſe dici velint; quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum Baſilicam ſuam audeat oſtendere.

Lutherani ergo vel Calviniſtæ volentes perſuadere apud ſe veram Catholicam Eccleſiam à Chriſto fundatam reperiri, ſimiles videntur illis qui vellent perſuadere Carolopolim, aut Philippopolim noviter exſtructam, eſſe antiquam illam Romam, ubi ante mille annos Cæſares imperabant. Sicut ergo illi ridiculi forent, ita & noſtri hæretici, cùm ſint eorum nota initia. Et qui dicit eos eſſe Eccleſiam Reformatam, non minus errat aut blaſphemat, quàm ſi Deum ſitnam, & damnatos Sanctos dicat.

Vinc. Lirinenſis.

Ut ergo ſi quis Catholicus, debet tenere quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt; in hoc eum dignoſces ab hæretico, ſi ſequatur univerſalitatem, antiquitatem, conſenſionem. Sequetur autem univerſalitatem, ſi fidem illam veram ſequatur, quam tota per orbem confitetur Eccleſia. Sequetur antiquitatem, ſi non recedat ab illis, quæ SS. Patres ac Majores noſtri docuerunt. Sequetur conſenſionem, ſi in ipſa vetuſtate omnium, vel certè penè omnium Sacerdotum pariter & Magiſtrorum definitiones ſententiaſque ſectetur. Ita Lirinenſis.

LECTIO VIII.

IV. Proprietas, quod ſit Apoſtolica.

DECLARAT HÆC LECTIO, QVARE *Eccleſia dicatur Apoſtolica.*

ALtera quoque Eccleſiæ proprietas eſt, à qua dicitur *Apoſtolica*, quia ab Apoſtolis fundata eſt; tum prædicatione, tum ſanguine. Ipſi ergo ſunt, qui primitias Spiritus habentes, divinum illum Spiritum Eccleſiæ communicarunt. Ipſi ſunt Montes illi, de quibus Propheta: *Suſcipiant montes pacem populo & colles juſtitiam*, quia univerſo populo pacem annunciandam ſuſceperunt, & juſtitiam edocendam, Denique ipſi ſunt ſecundaria fundamenta, in quibus exſtruitur Civitas Dei viventis, ut videt Joannes de quibus ſupra. Pſal. 71. 3. Tract. 1. Lect. 8.

Duplici ergo de cauſa, Eccleſia ab illis *Apoſtolica* nominatur. *Primò*, ratione doctrinæ ab Apoſtolis acceptæ, quam ſemper retinuit & retinebit, ut verificetur illud Iſaiæ, quod Eccleſiam novam concernit: *Spiritus meus qui eſt in te, & verba quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, & de ore ſeminis tui, amodò & uſque in ſempiternum.* Et quia illam doctrinam ad ſe derivatam ſemper conſervat integram & incorruptam, ab Apoſtolo dicitur *Columna & firmamentum veritatis.* Ubi dicunt aliqui Apoſtolum alludere ad duas columnas, quas Salomon in ingreſſu templi erexerat, ſtabilitatem & perſeverantiam templo ſuo optans. Harum dexteram vocavit *Iachin*, hoc eſt, *directio*, ſiniſtram *Booz*, hoc eſt, *fortitudo*, & utraque columna erat coronata. Eccleſia eſt columna erecta & directa, quia in ea eſt rectitudo veritatis, quam ſignificat *Iachin*: in ea eſt etiam fortitudo & conſtantia veritatis, nulla vi poteſt divelli à veritatis profeſſione, & hoc ſignificat *Booz*. 1. *Ratione doctrinæ.* Iſa. 59. 21. 1. Tim. 3. 16. 3. Reg. 7. 21.

In ea ergo duæ columnæ inconcuſſæ, vox dirigens Sponſi, & virtus ſolidans Spiritus ſancti. In hac duplici veritate contra falſitatem pugnans, & contra adverſa omnia ſtans, tandem coronabitur. Sicut verò ab Apoſtolis Eccleſia doctrinam veritatis accepit, ita & exempla virtutis, propterea eis decernit feſtos dies, ut non ſimus ingrati iis qui nos lacte doctrinæ ſanctæ aluerunt, & viam ſalutis annunciaverunt. Et proponit eos tanquam ſpecula viva totius perfectionis, ut ad eorum imitationem excitemur. Et hos quidem ſpeciali modo imitantur in Eccleſia Catholica viri illi Religioſi, qui ad vocem Domini omnia relinquentes, eorum paupertatem, humilitatem, caſtitatem, patientiam, zelum, in ſequela Chriſti ſectantur, & prædicationis officio, ac animarum ſaluti toti incumbunt.

Dicant ergo noſtri hæretici, quomodo Eccleſia ſua, Apoſtolica dici poſſit, quorum cum Apoſtolis nullatenus conſonat vel vita, vel doctrina? An veſtri Miniſtri Apoſtolorum ſectatores? Hi poſtquam Chriſtum ſecuti ſunt, continentiam & caſtitatem ſunt amplexi, & terrena contempſerunt: Ipſi verò caſtitatem impoſſibilem dicentes, omnibus uxores ducendas prædicant, toti rei uxoriæ & libidini immerſi ſunt; & vota perfectionis irrita, nec ſervanda, imò impia eſſe clamant.

An eorum doctrina Apoſtolica? 1. Petrus dicit, ut *per bona opera certam noſtram vocationem faciamus.* Ipſi repudiant bona opera. 2. Paulus dicit: *Tenete traditiones, quas didiciſtis à me.* Ipſi reprobant tradi-

Digitized by Google

traditiones etiam ab Apoſtolis ortas. 3. D. Joannes dicit: *Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ.* Ipſi neſcio quas ei tenebras affingunt, dum omnium peccatorum eum authorem blaſphemant. 4. D. Jacobus dicit: *Vocandos Presbyteros Eccleſiæ, ut ungant infirmos,* &c. Ipſi verò Unctionis Sacramentum irridet. 5. D. Andreas dicit: *Ego quotidie immolo immaculatum Agnum in Altari.* Ipſi verò ſacrificium incruentum Agni rejiciunt.

Doctrina hæreticorum orta non ab Apoſtolis, ſed hominibus infamibus.

Non ergo talis doctrina ab Apoſtolis orta, aut Viris Apoſtolicis, ſed à viris infamibus, ab Eccleſia Catholica apoſtatis, Luthero & Calvino: quorum prior profeſſione Religioſus & Sacerdos, duplici ſacrilegio ſe contaminans, Monialem profeſſam fœdo ſibi matrimonio copulavit, & cum dæmone pluſquam modium ſalis ſe comediſſe faſſus eſt. Poſterior Novioduni de Sodomitico crimine & aliis convictus, ferri candentis uſtulatione in tergo inſignitus fuit. Hi ſunt Apoſtoli, hi fundatores Doctrinæ, quam tenent Eccleſiæ, quæ ſe dicunt Reformatæ.

Quòd ſi altiùs originem ſuam velint referre, non ab Apoſtolis ortam reperient talem doctrinam, ſed ab Hæreſiarchis quibuſdam jam olim diverſis ſæculis ab Eccleſia condemnatis. Doctrina & Religio eorum, non eſt niſi colluvies quædam antiquarum hæreſum.

Cum Simone Mago & Manichæis liberum arbitrium tollunt, Deumque ſcelerum omnium authorem & impulſorem decernunt.

Cum Eunomino & Marcione, fidem ſatis eſſe ad beatitudinem volunt.

Cum Novatianis, Chriſma tollunt & poteſtatem remittendi peccata.

Cum Donatiſtis contendunt Eccleſiam conſtare ex ſolis bonis & electis.

Cum Wicleff & Huſſitis preces pro defunctis, & interceſſiones Sanctorum tollunt,

Cum Berengario bellum movent contra Euchariſtiam, qui tamen ter ſuam ſententiam abjuravit, & tandem in fide Catholica cum magna pœnitentia mortuus eſt.

Hi ergo ſunt eorum Apoſtoli, hi doctrinæ eorum fundatores: Errores utique ſepultos ab inferno revocant, ac doctrinam Apoſtolicam impugnant.

2. Ratione ſucceſſionis continuæ.

Secundò Apoſtolica dicitur, ratione ſucceſſionis continuæ, quam habet ab Apoſtolis, non ſolùm in doctrina, ſed etiam in authoritate & juriſdictione. Miniſtri omnes Catholicæ Eccleſiæ ab Apoſtolis deſcendunt, ſuntque Apoſtolorum ſucceſſores, vel ab eorum ſucceſſoribus ordinationem & authoritatem acceperunt. Quia Presbyteri ab Epiſcopis Ordinem acceperunt, Epiſcopi ab aliis Epiſcopis, & hi rurſus ab aliis, & ſic deinceps ſurſum verſus, uſque ad Apoſtolos, qui hanc poteſtatem proximè a Chriſto habuerunt.

Sicut ergo homines longo hominum tractu deſcendunt ab Adam: Ita ſecundum potentiam ſupernaturalem omnes Eccleſiæ miniſtri longa ordinationum ſerie deſcendunt à Chriſto, qui eſt ſecundus Adam.

Rectè itaque Apoſtolica Eccleſia dicitur, quæ eandem authoritatem habet, juriſdictionem & functionem, quam Chriſtus tradidit Collegio Apoſtolorum, & quam habuit Eccleſia ſub Apoſtolis conſtituta. Habet & eundem modum & ordinem, quem tunc habuit. In ipſa ſunt Apoſtoli, Prophetæ, Evangeliſtæ, Doctores, Paſtores, & hoc quamdiu durabit, quia illa poſuit, inquit D. Paulus, *ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti:* hoc eſt, ut per illa Sanctorum numerus compleatur; & ut miniſterium, ſive diſpenſatio myſteriorum Dei indefinenter fluat, & ut perpetuò ædificetur Corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia. Cum ergò Sanctorum necdum conſummatus ſit numerus, necdũ ceſſet miniſterium, necdum ædificatio Corporis Chriſti ſit completa, non expiravit functio Apoſtolica, cum Apoſtolis. Poteſtas ſcil. evangelizandi, docendi, paſcendi: ſed tunc tantum quando occurremus omnes ad agnitionem perfectam veritatis in gloria: Manet ergò ab Apoſtolis in eos transfuſa illa poteſtas Epiſcopalis, Sacerdotalis, Paſtoralis. Manet continua ſucceſſio originem habens ab Apoſtolis, ideo nos de Apoſtolica Eccleſia ſumus. Accedant hæretici, & oſtendant origines Eccleſiarum, inquit Tertull. evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſionem ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis vel Apoſtolicis viris habuerit authorem & anteceſſorem. Ita ille l. de Præſcript. contra hæreticos. Eph. 4. 12. Tertull. l. de Præſcr.

Sic ergo nos dicimus: Quis ante Lutherum Lutheranæ Religionis fuit Antiſtes? Quis ante Calvinum Calvinianæ? Oſtendant ſi poſſint Epiſcopos ſuos uſque ad Apoſtolos, ut poſſint oſtendere ſuam Eccleſiam eſſe Apoſtolicam. Hoc facit & oſtendit manifeſtè Romana Eccleſia, quæ jam ducentos triginta novem Epiſcopos oſtendet, uſque ad Petrum. Hoc argumentum ſucceſſionis, maximi faciunt antiqui Patres ad hæreſes convincendas; quia per illud oſtenditur continuatio Religionis noſtræ per ſingula ſecula uſque ad tempora Apoſtolorum. Et propterea dicit Auguſtinus: *Tenet me in Eccleſia, ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum, ſucceſſio Sacerdotum.* Auguſt. ſupra cit.

LECTIO IX.

DECLARAT HÆC LECTIO, Quare Eccleſia dicatur Romana.

Eccleſia cur dicatur Romana.

ROmana dicitur, quia ad Romanam Eccleſiam, inquit Irenæus, propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem Eccleſiam convenire; id eſt qui ſunt undique fideles, in qua ſemper eſt conſervata ea, quæ ab Apoſtolis eſt, traditio. Ita ille. Iren. l. 3. c. 3.

Romani

2. A nobiori sui parte & fidei incorruptione. Rom. 1. 8. Cyprian. Bernard. in lib. ad Eugen.

Romana utique Ecclesia mater est omnium Ecclesiarum, cui Christus Primatum dedit, Petri sedem ibi constituens, ex qua infallibilis doctrina proflueret in cæteras omnes Ecclesias, & fides indefectibilis, de qua dicit Apostolus scribens ad Romanos: *Fides vestra annunciatur in universo mundo.* Undè dixit Cyprianus: *Ad Romanam fidem perfidia non habet accessum.* Et Bernardus scribens ad Innocent. *Oportet*, inquit, *ad vestrum Apostolatum referri pericula quæque, & scandala in Regno Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt. Dignum namq; arbitror, ibi potissimum reparari damna fidei, ubi fides non potest sentire defectum. Cui enim alteri dictum est: Ego rogavi prote Petre, ut non deficiat fides tua.* Ita ille.

Augustin. epist. 162. & cit. in decret dist. 24.

Fides ergò hujus Apostolicæ Sedis supra firmam petram est, & nunquam prævalere poterunt adversus eam inferorum portæ. Et ut dicit Augustinus: Cùm aliæ omnes Ecclesiæ, quibus Apostoli præfuerunt, a fide defecerint, sola hæc sancta & Apostolica Mater omnium Ecclesiarum Christi, per omnipotentis Dei gratiam, à tramite Apostolicæ prædicationis nunquàm erravit, nec hæreticis prævitatibus unquam & depravanda decubuisse probatur, sed quam ab exordio fidei Christianæ normam ab ipsis Apostolis accepit, in ea semper illibata permansit. Ita ille.

In 4. Ecclesiis Patriarchalibus Orientis sederunt hæretici.

In quatuor Patriarchalibus Ecclesiis Orientis sederunt Hæretici. 1. In Ecclesia Constantinopolitana, Macedonius, Nestorius, Anthimius, Sergius, & alii plures, quos Iconomachi Imperatores constituerunt. 2. In Antiochena, hæresiarcha sedit Paulus Samosatenus, Eulalius, Petrus Gnapheus, & alii. 3. In Alexandrina, Gregorius Cappador, Lucius Dioscorus, & alii. 4. In Hierosolymitana Joannes Origenista, Salustius, Arsenius, Heraclius, & alii.

In Romana verò nullus unquàm sedit hæreticus, aliæ defecerunt, illa nunquàm. Ita hic verificari Isa. 18. 18. potest illud Isaiæ 19. *In die illa erunt quinque civitates jurantes per Dominum Deum exercituum*: veruntamen *Civitas Solis una vocabitur.* Hæ Patriarchales Civitates, quæ olim in Christi cultu florentissimæ fuerunt, paulatim defecerunt ad hæreses, & impios cultus. Unica autem illa Romana stabilis steterit, tanquam Mater & Magistra totius Christianæ Religionis, tanquam Civitas Solis, à qua lux fidei & spiritualis lucis radii, toto orbe diffunduntur; ita ut sicut Solem perimi est impossibile, ita & Ecclesiam Romanam extingui. Hinc speciali divini numinis protectione factum est, ut cum prisci illi Imperatores, Christianæ Religionis inimicissimi, occiderint viginti quatuor Pontifices, intra annos 250. non tamen potuerunt Romæ exscindere Pontificiam sedem. Nec id potuêre Gothi, Ariani, qui Italiam, Romamque summo imperio, per annos 59. tenuerunt. Imò cum quadragies diversis ex causis Roma exacti fuerint Pontifices summi, semper tamen ad eam revocati sunt. Adde, quod Galliæ Reges Avenionem transtulêre hanc dignitatem, Pontificibus id volentibus, & tamen divinæ voluntati parendum fuit, ut Romam referretur; de qua Dei voluntate admonuerunt Pontifices duæ sanctissimæ fœminæ, Catharina & Brigitta.

Non ergò sine speciali Dei cura Romam Petrus destinatus est, ubi sedem figeret, & Ecclesiam Romanam stabiliret totius Religionis Caput. Undè Divus Maximus, loquens de Petro & Paulo, ait: Hi Ecclesiarum omnium Principes, dispensatione cœlesti Romam petentes, sacratissima sua corpora in illius urbis arce condiderunt, quæ totius orbis obtinuerat Principatum, quatenus potentiam virtutis suæ Christus ostendens, ubi mundus habebat caput imperii, ibi regni sui Principes collocaret. D. Max. serm. in Natali eorum.

Huc spectare potest Davidis oraculum, quoad Christum dicitur, *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.* Ps. 109. 2. In monte Sion Spiritus Sanctus descendit, ibi Petrus habuit illam concionem, qua tot millia convertit, indè dilleminata est fides in universum orbem, & doctrina, quæ est *Virga virtutis* Christi. Sed tamen, quod specialiter dicitur: *Dominare in medio inimicorum*, specialiter convenit urbi Romanæ, & Romanis Imperatoribus, qui summo odio persecuti sunt Christi doctrinam tot persecutionibus: Imò & a Præside Romano Pilato morti adjudicatus est Christus. Dicit ergò ei nunc, ut Regnum Romæ accipiat, Romæ dominetur, ibi utique dominabitur in medio inimicorum suorum. Hinc & aliqui putant, tunc impletam illam Prophetiam *Civitatem sublimem* (Roma hebraicè idem est quod excelsa) *humiliabit; humiliabit eam usque* Horat. *ad terram, detrahet eam usque ad pulverem, conculcabit eam pes, pedes pauperis, gressus egenorum.* Illa utique *Terrarum Dea, gentiumque Roma: Cui par est nihil, nihil secundum*, pauperi obtemperat, collum subdit Piscatori, coronas suas ejus pedibus substernit. Suscitavit enim Dominus *de pulvere egenum, ut sibi solum gloria teneat*, & quia *Domini sunt Cardines terræ*, (vel ut alii legunt, afflicti terræ) *posuit super eos orbem.* Impletur quoque illa Prophetia: *Venient ad te curvi filii eorum qui humiliaverunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum, qui detrahebant tibi, & vocabunt te Civitatem Domini Sion Sancti Israel.* Isa. 60. 14 Nam filii eorum qui maximè Ecclesiam vexarunt, curvi veniunt Romam, & osculantur ejus pedes, eam caput Ecclesiæ agnoscentes. Sic Reges Visigottorum, Francorum, Anglorum, Northmanorum, Longobardorum, Germanorum, Hungarorum, & aliarum gentium, quæ Ecclesiam sæpius vexârunt, Romam venerunt, ibi adorarunt vestigia pedum illius, qui servum servorum se vocat, cumque Caput sit, pedum sibi nomen assumit, dum se humillimorum servum professus est.

Idipsum alio loco apertè prædixerat Isaias, loquens ad Ecclesiam: *Erunt Reges Nutritii tui, &* Isa. 49. 23.

Regina

Digitized by Google

Regina Nutrices tuæ, vultu in terram demiſſo adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.

Neque hoc vitio tribui poteſt Pontifici, quod à filiis ſuis pedum oſcula permittat, quia illud non ſibi attribuit, ſed Chriſto cujus gerit perſonam. Undè curat pedibus Crucem affigi, ut hic honor Cruci detur, & voluit Chriſtus hunc honorem ei exhiberi, qui eum repræſentat in ſummo faſtigio collocatus. Undè & per oracula voluit illum honorem prædici. Et ut oſtendat ſe ſibi hunc honorem non arrogare, ipſemet annuè feria 5. Hebdomadæ ſanctæ, duodecim pauperes ad menſam vocat, dat eis nova veſtimenta, eorum pedes ipſemet abluit, abſtergit, oſculatur: Ita vilifſimis omnium, ipſe maximus reddit oſcula.

Qui etiam, ut tanto gradu indignum ſe agnoſcat, cum ſtatim ab electione ducitur ad S. Joannem in Laterano: Ubi eo ventum eſt, ſedet in lapidea ac ſtercoraria ſede, ex antiquiſſimo inſtituto, & illi canitur verſus: *Suſcitans de pulvere egenum, & de ſtercore erigens pauperem.*

Sed hic occurrunt hæretici, & ut nos ab Eccleſia Romana, & ejus capite Pontifice ſummo retrahant, clamant Romam eſſe meretricem illam, cui nomen Babylon, deſcriptam in Apocal. quæ ſedet ſuper aquas multas, & nomina gerit blaſphemiæ, eſtque ebria ſanguine Sanctorum. His reſpondemus, etiam aliquos ex antiquis Patribus de Roma hæc intelligere, inter quos Hieronym. & Tertull. ſed pro tempore, quo adhuc Gentilis erat, & quo omnium gentium imbuta erat erroribus, omnibus ſerviens vitiis & ſuperſtitionibus, blaſphemans contra Deum, & ſanguinem Sanctorum effundens. Poſtquàm verò nomen Chriſto dedit, non ampliùs Babylon eſt; non ampliùs meretrix Sponſo infidelis: ſed Civitas plena Judicii, urbs fidelis, & ut dicit Hieronymus: *Scriptam in fronte blaſphemiam Chriſti confeſſione delevit.* Ex eo tempore facta eſt velut *Tabernaculum Domini*, à quo tempore decreta fidei petuntur. *Fons purus*, à quo in univerſum orbem pura defluit doctrina. *Civitas Solis*, à qua lux veritatis diffunditur in omnem locum. *Tribunal Chriſti*, à quo omnis hæreſis & erroris condemnatio procedit. *Oraculum Chriſtianorum*, à quo infallibiliter omnis de veritate dubitatio reſolvitur. *Sedes ſublimis Petri*, in qua, ut dixit Chryſologus, Petrus vivit adhuc, & præſidet uſque ad finem ſæculi non derelinquens eam. Denique, *Terra ſancta eſt*, Apoſtolorum ſanguine purpurata, & ſactis eorum pignoribus decorata. *Terra ſancta*, in qua ſepruaginta duo numerantur Pontifices in Canonem SS. relati, tot quot Chriſtus habuit diſcipulos; & ex illis pluſquam triginta, propter Chriſti fidem, Martyrio affecti fuêre, & ſanguine illam teſtati ſunt. *Terra Sancta*, in qua pluſquam trecenta millia Martyrum, propter Chriſti fidem obierunt, & eam ſanguine ſuo rigârunt, & nunc etiam reliquiis ſuis ſanctificant, ut meritò dixerit B. Catharina Senenſis, dum Romæ ſtationes obiret: *Ego calco ſanguinem Martyrum.* Ideò & ipſa Romæ vivere deſiderabat, & ibidem mori voluit, ſepultaq; eſt in templo Beatæ Virginis ſuper Minervam. Imò plurimi olim Romam adiverunt, & ibi mori voluerunt & vivere, ut faciliorem ad cœlum viam haberent.

Apoc. 17. & 18.

Inter hos Ceadvalla, Rex Britonum, venit Romam, hoc ibi gloriæ ſingularis deſiderans adipiſci, ut ad limina Apoſtolorum Petri & Pauli, fonte Baptiſmatis ablueretur; ſperans etiam, quia mox baptizatus, carne ſolutus ad æterna gaudia mundus tranſiret. Quod utrumque, ut mente diſpoſuerat, Deo juvante, factum eſt, nam illuc perveniens, baptizatus eſt Sabbatho S. Paſchæ anno 689. & in Albis adhuc poſitus languore correptus, carne ſolutus ad Beatorum conſortium tranſivit, teſte Beda. V. Com. in Iſa. fol. 397. Bedal. ſ. hiſt. c. 7.

Ut verò pleniùs intelligatur, & quomodò à Romana Eccleſia, & Pontificibus Romanis, fides in multas regiones profluxerit, tanquam à fonte & capite; recurrendum eſt ad hiſtorias diverſarum regionum, quæ de hoc fidem faciunt. *2. Quod Fidelis toto orbe ſparſis adhæſerint Rom. Pontif. à quo fidem dicerunt.*

Ac primò ipſe Petrus, tanquàm Petra Eccleſiæ, à primaria Petra Jeſu conſtitutus, electuſque ab antiquis diebus, ut gentes per os ejus fidem ſuſciperent, orbis Eccleſias principales, à quibus aliæ minores in fide edoceretur, ipſe fundavit. Ideò creavit Antiochiæ Epiſcopum Enodium ad Orientem, cui olim totius Orientis Epiſcopi parebant.

2. Ad Meridiem tranſmiſit Marcum diſcipulum Alexandriam, cujus Civitatis Epiſcopus, Ægypto, Arabiæ, Æthiopiæ, & parti Africæ præerat.

3. Ad Occidentem præcipuas Galliarum, Hiſpaniarum, Africæ, Italiæ & adjacentium Inſularum Eccleſias conſtituit.

4. Ad Septentrionem fundavit etiam Primarias Eccleſias, in Ponto, Cappadocia, Bythinia, Græcia, Dalmatia, Germania, per ſe, vel per miſſos à ſe.

5. Sic legimus Trevirenſes, Colonienſes, Hasbanos, Leodienſes, Namurcenſes, per Maternum, & ſocios à Petro miſſos, fuiſſe converſos.

6. Denique, quoties Regna aliqua ad fidem ſunt adducta, Romani Pontificis authoritas interceſſit.

In Angliam miſſus eſt quidam Auguſtinus Religioſus à Gregorio Pontifice, qui eam convertit cum ſuo Rege Ethelberto anno 599.

Sic Germaniæ Apoſtolus miſſus eſt S. Bonifacius à Gregorio II. anno 716.

Sic ex magna parte converſi Hungari, per Epiſcopos, illuc à Romano Pontifice deſtinatos, ſæculo 11.

Sic Lambertus Taxandriam, Willibrordus Friſiam, Dubertus Arduennam, à cultu idolorum, ad fidem traduxerunt.

Denique

Digitized by Google

Eccleſia Romana Mater & Magiſtra Eccleſiarum.

Denique nunc in India Orientali, in Japonia, in Sinarum regno, innumeri convertuntur ab iis qui Romano Pontifici adhærent: ut merito propter hoc maneat hic titulus inviolabilis Eccleſiæ, *Mater & Magiſtra Eccleſiarum.*

Oſtendant hæretici, quas gentes infideles ad ſuam fidem traduxerint. Nulla enim unquam facta eſt Regnorum Paganorum converſio, ad Lutheranam aut Calviniſticam ſectam, ſed ſolùm norunt pervertere Chriſtianos tepidos, qui libertatem carnis, & novitatem ſectantes illis adhæſerunt. Ita ut hæreſis non ſit aliud, quàm Catholicæ doctrinæ corruptio, & Chriſtianorum à vera Religione defectio, & ita ipſorum eſt non convertere Ethnicos, ſed pervertere Chriſtianos. Unde Tertullianus de iis loquens ſic dicit: De Verbi adminiſtratione quid dicam? Cùm hoc ſit negotium illis non Ethnicos convertendi, ſed noſtros vertendi, hanc magis gloriam captant, ſi ſtantibus ruinam, non ſi jacentibus elevationem operentur: quoniam & ipſum opus eorum non de ſuo proprio ædificio venit, ſed de veritatis deſtructione, noſtra ſuffodiunt, ut ſua ædificent; ita fit, ut ruinas potius operentur ſtantium ædificiorum, quam extructiones jacentium ruinarum. Ita Tertullianus, Lib. de Præſcriptionibus. *Tertull. l. de Præſcript.*

Ut ergò hic concludam: Attendant Angli, Germani, Belgæ, quomodo à Viris Apoſtolicis, & ab Eccleſia Romana miſſis, fidem acceperint, & non ſint ingrati: *Memineritis præpoſitorum veſtrorum qui vobis locuti ſunt Verbum Dei, quorum intuentes exitum Converſationis, imitamini fidem.* Monet nos his verbis Apoſtolus, ne memoria excidere patiamur obligationem erga primos fidei Doctores, qui vitam ſuam impenderunt, ut è tenebris ad lucem Chriſti nos evocarent. *Hebr. 13. 7.*

Hos ergo recogitate, ô Angli! ô Germani! *Bene currebatis, quis vos impedivit? Quis vos faſcinavit non obedire veritati*, quam illi primi fidei Patres tot exantlatis laboribus vobis tradiderunt, quamque non ſolùm verbis, ſed & plerique ſanguine teſtati ſunt? Heu quanta paſſi ſunt, ut vos Chriſto filios parerent, & in portum ſalutis deducerent. Interim vos ſequimini, non parentes, ſed peremptores, non Navarchos ſed Piratas, qui falſæ doctrinæ fallaci lumine, ad Syrtes & naufragia vos deducunt. *Galat. 3. 5.*

Novi hæreſeos doctores, inquit Origines, qui mentes imperitas fallunt, ſimiles ſunt Piratis. Solent enim hi in mari in locis vadoſis occultiſque ſcopulis, per obſcurum noctis accendere lumen, quo navigantes ſub ſpe, confugiendi ad portum, ad naufragia perditionis invehant: Ita & quoddam lumen falſæ doctrinæ ab his illuſoribus ſolet accendi, non per quod evadant, ſed per quod pereant homines mundi hujus fluctus, & vitæ pelagus navigantes. Propterea navigantes hujus vitæ undas, non omni ſapientiæ, æque omnibus omnium conſiliis credere debemus. *Orig. in c. 14. ad Rom.*

Magnum interim beneficium Dei eſt, dum eos ad veram ſalutis viam portumque reducis, qui errabundo veſtigio, naufragio jam erant proximi. Habemus de hac re nobile exemplum Rudolphi Maximiliani Ducis Saxoniæ, qui noviſſimè ad viam veritatis, de hæreſis naufragio revocatus, hoc beneficium agnoſcens, ſic ſcribit ad Summum Pontificem communem fidelium omnium Parentem.

LITERÆ RVDOLPHI MAXIMILIANI ad Summum Pontificem.

MUlta mihi & juſtiſſima cauſa eſt, Sanctiſſime Pater, ſcribendi ad vos. Erſi enim ſummam Chriſti majeſtatem in Vicario meritiſſimo vereri debueram, ut auderem tamen fecit ipſa Chriſti clementia, & vox invitantis: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, &c.* Fecit & ipſa cauſa noviſſimæ converſionis meæ ad Eccleſiæ gremium; ut quantum prius à Primario veſtro, ſeu vicario Chriſti in vobis, abhorrui; tanto eidem & animo & corpore & præſentibus litteris, ultroque ſubjectionis fideliſſimis teſtibus ſubmittam. Fui aliquando, heu me! peſtilentiſſima Lutheranorum hæreſi infectus, eamque quaſi cum Matris lacte ſugens, ad hanc uſque ætatem protraxi, neque à parentum meorum Ducum Saxoniæ gloria, degenerem futurum exiſtimabam, ſi quam à Principio naſcentis hæreſis opinionem conceperam, non ipſe retinerem & foverem. Attamen à decem ferè annis, quibus me ſacræ Majeſtatis Imperatoris mei cauſæ tuendæ per varios bellorum occurſus adjunxi, placuit ei qui me ſegregavit ab utero matris meæ, infinitos miſericordiæ ſuæ theſauros paulatim elargiri. Ex ipſo enim Catholicorum Chriſti fidelium convictu, viſo etiam ſanctæ Eccleſiæ optimè conſtituto ordine, cœpi nonnihil anteactæ vitæ faſtidium concipere: Quouſque tandem in hanc Sereniſſimæ Hiſpaniarum infantis aulam, obſequia mea cauſæ publicæ præſtiturus, adveniens, ita omnia pietatis & religionis plena conſpexi, ut me terram pro Paradiſo commutaſſe, exiſtimarem: Inibi autem præter alia quæ me plurimum commoverunt & confirmarunt; frequens interfui publicis Concionibus, quæ per Quadrageſimam in Eccleſia Patrum Minimorum à Reverendo Patre Mattheo Martin ejuſdem Ordinis diſertiſſimo, tota hac Curia concurrente habebantur. Hujus Patris miniſterio erumpentibus ſæpè lachrymis, tanta vi rapiebar à Domino miſericordiarum Patre, ut amplius differre non poſſem, quin me ab hæreſi ad ſanam fidem converterem. Tandem verò Deo juvante, dicti Patris ſtudio & laboribus, ad diſſolvendas difficultatum mearum nubes impenſis: Factum eſt, ut data die hæreſim præ manibus illuſtriſſimi Sanctitatis veſtræ in his partibus Nuntii abjuraremq; meque ille in Eccleſiæ gremium reciperet, & introduceret in æternum

victurum; aſſiſtentibus Eximiis D.D.D. Marchione Spinola, D. Octavio Viſconti Comite de Gamalieres, & D. Petro de Medicis. Æquum igitur eſt, P.S. ut hæc mihi de Cœlo collata gratia, Cœli vicario, Apoſtolorum hæredi, gratias acturum, meque Sedi veſtræ ſubmiſſurum offeram, ut quanto prius mihi jure optimo infenſus fuit, tanto eidem reconciliatus amantiſſimus evadam.

Adſum igitur & corpore & animo Sanctitatis Veſtræ pedibus provolutus, & quod præſens præſtare nequeo, pes has meas literas exhibeo. Veniam ſupplex imploro, & plorans dico: *Pater, peccavi in Cœlum & coram te.* De cætero autem in Eccleſia victurus, cujus Caput es viſibile; Sanctitatem veſtram divinorum oraculorum Interpretem, morum fideique infallibilem Magiſtrum, Chriſti in terris Vicarium, totius Eccleſiæ Præſidem, Sacrorum Supremum Antiſtitem, Petri Succeſſorem (& ut paucis omnia comprehendam) talem tantumque, qualem & quantum Chriſtus voce conſtiturum ſcio in perſona Petri, cum diceret: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Profiteor.

Ad hæc igitur oro, ut mihi dignetur Sanctitas Veſtra Patris amantiſſimi benedictionem elargiri, Sacrumque Ordinem Minimorum, meque cum eo, pro ſolita humanitate amplecti, ut quod cœpi eſſe permaneam.

Datum Bruxellis die 27. Maij, 1623.

Sanctitatis Veſtræ, Humillimus & obſequentiſſimus in Chriſto filius RUDOLPHUS MAXIMILIANUS, DUX SAXONIÆ, ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ.

LECTIO X.

CREDO SANCTORUM COMMUNIONEM.

1. *Docet, quid ſit hæc Sanctorum Communio.*
2. *Malos etiam de hac participare.*
3. *Animas Purgatorii hac juvari.*

PROPOSITIO I.

Eſt in Eccleſia Dei Sanctorum Communio.

In Eccleſia eſt Sanctorum communio rerum ſanctarum.

HOc dupliciter poteſt intelligi: Primò eſt *Communio Sanctorum*; hoc eſt, Sancti & juſti habent inter ſe communionem, ſicuti membra ejuſdem corporis inter ſe unionem habent, & communicationem ſpecialem.

Secundò *Communio Sanctorum*, hoc eſt, rerum Sanctarum, eſt in Eccleſia. Sicut olim in bonis temporalibus erat communicatio, ut dicitur in Actis Apoſtolorum: Simili modo in rebus ſpiritualibus & preciosis donis Dei communicatio eſt. Hic uterque ſenſus conveniens eſt, & ad idem ferè redit. Act. 4. 32.

Quantum ergò ad poſteriorem ſenſum, eſt communio rerum ſanctarum, quia communicamus in Sanguine Jeſu Chriſti, in Sanguine Redemptionis, in donis gratiæ, quibus ſanctificamur, in Sacramentis fidei, in verbo Dei, in promiſſis Evangelii: & iſta omnia bona cunctis ſunt communia, qui omnes vocati ſunt ad eandem fidem, in eadem ſpe vocationis, ad eadem ſuperna bona, ad eadem gratiæ chariſmata, ad eadem Sacramenta. Non aliud ſperant divites, aliud pauperes, aliud Principes, aliud Plebeii; unum baptiſma omnium, una euchariſtia, una abſolutio, idem verbum Dei pro omnibus. Sicut qui ejuſdem ſunt civitatis, habent communicationem in iiſdem privilegiis, in ſylvis, paſcuis, fluminibus, fontibus, in foro, plateis, propter colligationem quandam in eadem ſocietate politica: Ita Eccleſia, Civitas Dei, omnes ſuos cives facit participes ſpiritualium bonorum, quæ Chriſtus in ea poſuit. Ipſa enim eſt *Jeruſalem quæ ædificatur ut Civitas, cujus participatio in idipſum.* Pſ. 121. Quantum ad priorem ſenſum, eſt ſpecialis communicatio juſtorum in meritis & bonis operibus, quia cum ſint invicem membra dum orant, non tantùm ſibi orant, ſed omnibus orant, dum laborant in via virtutum, non tantùm ſibi laborant, ſed omnibus laborant: dum patiuntur, omnibus patiuntur.

Sicut pes dum ambulat, pro toto corpore ambulat, manus dum operatur, auris dum audit, os dum comedit, oculi dum vident.

Hinc dicebat Apoſtolus: *Gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſioni Chriſti, in carne mea, pro corpore ejus quod eſt Eccleſia.* Coloſ. 1. 24. Quaſi dicat, licet pro peccatis veſtris ſatisfecerit Chriſtus, vult tamen ut & vos aliquid ſatisfaciatis, & patiamini: hoc autem nomine veſtro præſto, & particeps vos mearum paſſionum reddo, tanquam membrum ſatisfaciens pro toto corpore. Sic & de aliis loquens: *Veſtra*, inquit, *abundantia illorum inopiam ſuppleat, ut & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum, ut fiat æqualitas. Sicut ſcriptum eſt: Qui multum non abundavit, & qui modicum, non memoravit.* 2. Cor. 8. 14. Sic quoque dicit: *Quod ſpiritus poſtulet pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Rom. 8. 26. Quod quidem dicit, non quod hujus vel illius gemitus ſit inenarrabilis, qui ſæpè vel nullus vel frigidus eſt; ſed quia nullus eſt dies, vel momentum quo non ſupplicatur Deo à Sanctis, ab uno ferventius, ab alio tepidius, qui omnes unam Columbam (cui Dominus Eccleſiam electam comparat) conſtituunt: hinc ſiunt gemitus inenarrabiles, qui ex omnibus gemitibus conficiuntur, & omnibus in corpore Eccleſiæ conſtitutis proſunt.

Propter-

Digitized by Google

Propterea etiam dicit Augustinus: *Varia sunt in Ecclesia dona Spiritus sancti, nec omnes omnia habere possumus. Si amas unitatem, nihil non habes, nam etiam tibi habet quisquis in illa aliquid habet. Tolle invidiam, & tuum est quod habeo; tollam invidiam & meum est quod habes; livor separat, charitas jungit.* Ita Augustinus. Augustin. Tract. 32. in Joan.

Sicut ergò in domo benè constituta, omnia sunt communia, agri, pecunia, suppellex, nobilitas: Frater unus ad negotiationes discurrit, soror manibus operatur, altera familiam regit, interim commune est lucrum omnium propter conjunctionem specialem propinquitatis. Ita in familia Christi fratres sumus, quidquid agimus, in commune redundat luctum spirituale. Exempli gratia, dum tu jejunias, alter orat, ego lego, alter eleemosynam largitur, alius deinque infirmitates & afflictiones patitur: Tu de mea lectione fructum, ego de tuo jejunio, de alterius eleemosyna aut patientia, lucrum percipio. Quicquid agis meum est, & quicquid ago tuum est, participatione: Particeps ego sum thesauri quem comparat frater meus. Sic ergo fratrem aut jejunantem, aut eleemosynam dantem non debes contemnere, judicare, invidere, si tu id facere nequis; sed amore complecti, tecum reputans, quia pro te orat vel operatur.

Cum David persequeretur hostes suos, ducenti ex exercitu coacti sunt subsistere præ lassitudine, alii persecuti sunt, & reversi cum præda. Nolebant autem participes reddere illos qui remanserant, quia æquum videbatur, ut qui periculi & laboris expertes fuerant, forent & lucri, & qui victoriam sanguinis, & vitæ periculo emerant, justè præmium victoriæ sibi retinerent. Sed sapienter David determinavit, æqualem debere esse partem cuntis ad prælium, & ad sarcinas remanentis, & postea vim legis obtinuit in militari disciplina, propter illam, quæ est in uno exercitu societatem. Sic & nos in spirituali militia sumus sub eodem Imperatore, nemo ergo litiget, si suorum operum participatio ad alios derivetur, sed suos labores in communi exponat, ut & ipse omnium aliorum laboribus fruatur, hoc enim est fraternum lucrum. 1. Reg. 30 24.

Magnum utique in Ecclesia præsidium & solatium fidelium, hæc communicatio meritorum. Sic qui in infirmitate detinetur, & piis operibus aut orationi vacare non potest, cogitet quod millies Sacrificiorum in Ecclesia offerantur, & dicat: *Particeps ego sum Domine omnium timentium te.* Nam charitatis nexu & intentione pia, se illis uniens, particeps efficitur illorum, maximè si sit in charitatis statu. Si quis debilis corpore, aut aliter impeditus austeritates ferre nequit, cogitet quot millia Religiosorum utriusque sexus disciplinis, ciliciis, jejuniis, vigiliis sese affligunt. An pro se tantùm? Imò verò pro toto corpore Ecclesiæ, ut faciebat Paulus. Roget ergò & ipse particeps eorum fieri. Præsticet id pius Fidelis, dum noctu excitatur, & religiosæ animæ vigilant, in pœnitentiis agunt, laudes Dei canunt. Ps. 118. 63

PROPOSITIO II.

Etiam mali de hac Communione Sanctorum, fructum participant. *Etiam mali de hac communione participant.*

PRimò quidem, quia sæpè ex bonorum societate, spiritualem vitam recipiunt, ita ut cum fiant membra mortua, viva fiant, quia boni spiritum vitæ illis impetrant. Quàm sæpè in peccatis gravibus fuisti, & cùm in damnationis statu te relinquere posset Deus, erexit te, inspiravit, tetigit cor tuum, ut ad pœnitentiam recurreres? Et hoc sæpissimè aliud etiam te cogitante, nec cor tuum disponente, idque propter merita, opera ac preces aliorum.

Quotidiè enim orat Ecclesia, orat Sacerdos in Sacrificio, orant viri pii, & austeras ad hunc effectum pœnitentias adjungunt, ut qui in peccatis sunt, & peccatorum occasionibus, à Deo excitentur, ut disrumpant vincula.

Sic orabat Monica pro Augustino, & lachrymas fundebat, licet aliud apud se cogitaret. Unde ipse alibi dicit: *Matris meritis credo esse, quod vivo.* Præfat. ad beat. vitam tom. 1. Augustin. l. 3. conf. c. 11.

Sic orabat Stephanus pro persecutoribus, & Paulum in mediis sceleribus respiciebat Dominus.

Sunt tamen aliqui, qui in aliorum meritis affinium fidentes sunt, & quod sui muneris est, non exequuntur, confisi in aliorum precibus. Refertur in vita Sancti Andreæ, Nicolaum quendam cum accessisse, & declarasse se sexaginta quatuor annos in omni genere impudicitiæ egisse: à pauco autem tempore, inquit, lupanar ingrediens, portans Evangelium super me, cùm voluissem accedere meretricem, cœpit illa retrocedere & rogare, ut non accederem, nec locum illum ingrederer, eo quod conspiceret circa me res miras, mysteriis plenas. Rogat ergò ipse Andream, ut remedium suggerat, contra hunc inveteratum peccandi morem. Vir Sanctus orationem & jejunium quinque dierum impendit, ut Deus huic misero parceret, & donum ei castitatis daret. In oratione perseverans vox ei cœlestis fit: *Conceditur tibi petitio pro Sene, sed sicut tu jejunasti, ita & ipse debet pro se; & carnis mortificationem debet portare.* Mandatum ergo, hoc Seni imponit Andreas: Communem etiam fieri à Christianis orationem pro illo curat. Domum itaque Senex reversus, sex menses jejunio in pane & aqua impendit, pauperibusque eleemosynas distribuit. Post hanc pœnitentiam, ex hac luce à Deo evocatus est; & revelata S. Andreæ fuit salus ejus. Si ergò salutem consecutus est; partim sua cooperatione, partim S. Apostoli ac Fidelium oratione, particeps ipse Communionis Sanctorum. V. Vitam S. Andreæ apud Ribadeneiram.

Digitized by Google

Sic quoque Deus sæpius non nobis cogitantibus, nos speciali favore afficit, intuitu Sanctorum suorum, ut in varia peccata non incidamus. Sæpius enim lapsus fuisses in gravissima scelera, nec tentationes, nec occasiones satis vitasses, nisi aliorum preces & bona opera tibi gratiam, & fortitudinem impetrassent, ut stabilis fores, & in gratia perseverares. Adhoc enim diriguntur preces Sanctorum, ut illi qui in gratia sunt, stabiliantur, sic sese invicem juvant membra.

Secundo fructum etiam participant mali ex hac Sanctorum Communione & Societate, quia propter illorum Societatem sæpè Dei afflictiones evadunt. Patet Genesis 18. Ubi Dominus ad Abraham dicit, si in Sodoma forent 50. justi. 30. 20. parcere se velle Sodomitis, & locis vicinis.

Vides ergò quantum prodest sceleratis, consortium habere cum bonis? Sæpè Deus flagellis eos affligeret, nisi hi velut ligarent manus Deo. Sic orante Moyse, & elevante manus, Deus in populum non sævit: & Aarone incensum offerente, & inter mortuos ac viventes stante, cessat percutiens Dei plaga.

Gen. 18. 26.

Paulus Act. 27. 22.

Sic cum Romam navigaret Paulus, orta sæva tempestate, quicumque comitabantur, de salute desperabant. At ille: *Suadeo vobis bono animo esse; amissio enim nullius anima erit ex vobis, præterquam navis. Astitit enim mihi hac nocte Angelus, cui deservio dicens. Ne timeas Paule, Cæsari oportet te assistere, & ecce donavit tibi Deus omnes, qui navigant tecum.* Sic 276. animæ ob merita Pauli ereptæ sunt de naufragio.

Platus l. 1. c. 34.

Habes quoque de Bß. Francisco, & Dominico, quomodo eos præsentaverit B. Virgo filio suo judici irato, & orbis ruinam minitanti, per quos iram ejus orbi imminentem placuit.

V. Surius in vita Lutgardis.

Sic etiam in vita S. Lutgardis invenies quomodo diversis vicibus septennium integrum jejunaverit, ut iram Dei peccatoribus imminentem averteret.

Sic de B. Catharina Senensi legimus, quomodo diris simis se cruciatibus addixerit, cùm videret magnam Ecclesiæ impendere calamitatem, rogans Deum, ut scelerum pœnas in se transferret, & reis ignosceret. Vide latè Surium in ejus vita.

Gen. 31.

Tertiò, non solùm malis tutela contingit à plagis, ex societate justorum, sed etiam benedictio in temporalibus. Sic benedixit domui Laban propter præsentiam Jacob. Sic benedixit domui Putipharis propter convictum & societatem Joseph.

Propositio III.

Ex hac Communione etiam fructum participant animæ in Purgatorio.

Ex hac Communione animæ Purgatorii fructum capiunt.

Ratio est. Quia sunt membra viva Christi, & eandem fidem, spem, charitatem, nobiscum habent, idemque Caput Christum. Fructum ergo participant ex operatione aliorum membrorum. Et licet non sint in statu meriti, meruerunt tamen dum hic erant, ut ibi juvarentur, fratres enim nostri sunt. Hinc est quod in sacrificio specialiter pro illis offert Sacerdos, dicens: *Memento Domine famulorum famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis.* Quasi dicat: Commendamus tibi Domine, non quidē operatios illos iniquitatis, quos ligatos manibus & pedibus in æternum à te repulisti, quorum dedignatis vel memoriam admittere, nec nominum eorum per labia nostra vis nos recordari: Sed pro his rogamus, qui in carne viventes piè tibi servierunt, & qui in signo sacrosanctæ fidei Christianæ ante nos decedentes, licet corporibus separati, spiritualibus tamen nexibus adhuc nobiscum colligantur; & non spiritu ejusdem mystici corporis, nobiscum tanquam membra agglutinantur, & charitatis vinculo connexi adhærent. Quot filius tuus (pro omnium salute hostiam seipsum in Cruce appendens) intra viscera sua portavit, eosque preciosæ mortis, & effusi sanguinis sui merito, ad juvari ac sublevari voluit. Cui per fidem insiti, & membra ejus effecti, resuscitationem & glorificationem corporum suorum spe certa expectantes, in somno pacis quiescunt.

Semper quoque sancti viri, pro animabus illis, orationes, afflictiones, pœnitentias, Deo obtulerunt.

S. Dominicus singulis ferè noctibus tertiò se ad sanguinem usque cædebat, semel pro suis peccatis, secundò pro illis qui in peccato mortali agebant, tertiò pro animabus in Purgatorio existentibus.

B. Christina illa mirabilis speciales pœnitentias assumebat pro illis animabus, de qua narratur, adiisse acerbissimas pœnas, in quibus nonnisi divino miraculo persistere posset. Conjiciebat enim se in ardentissimos clibanos ignem vomentes, in illisque miris cruciatibus afflictata persistebat, per spinas acutissimas se convolutabat, in nives glaciesque sese abdebat, & ibi longo tempore morabatur. In rotas quæ aquis circumvolverentur, se dabat contorquendam, miserimeque vexandam. Neque tamen pars ulla corporis decedebat, reservata ad majores pœnas. Hujus Virginis vitam scribit Thomas Cantiprato, octo annis post ejus obitum, & innumeros adhuc viventes advocat testes tantarum rerum, qui eas vidissent.

Surius 24. Julii

Habes quoque in libro, qui *Vita Prædicatorum* inscribitur, quod Vir Dei F. Ulricus Romæ to die animarum Teutonibus prædicabat: Supervenit meretrix, & se ad ejus pedes locavit, tanta autem contritione præventa est, ut vi illius animam efflaverit. Accurrens Vir Dei, precibus suis ad vitam reditum ei impetravit; Respirans ergò dixit, eadem hora animam sancti Wichmanni, Ordin. Prædic. à corpore egressam, ejusque meritis triginta tres animas, è Purgatorio liberatas, & virginti tres peccatores publicos ad gratiam vocatos, quorum una

inquit

inquit ego sum; sicque confessionem faciens F. Ulrico, vitam brevi post in Domino finivit. Ita ibi.

Vides ergò ex his, quantus sit fructus hujus communionis Sanctorum in Ecclesia Dei. Sed & cum Beatis communicemus, quia, inquit Apostolus: Si patitur unum membrum, compatiuntur & alia; si gloriatur unum membrum, congaudent & alia. Nos ergò illis congratulamur, & congaudemus, ipsi nobis condolent & succurrunt; ita ut omnis fructus qui ad nos ab illis profluit, fundetur in hac *Communione Sanctorum*, quia ejusdem capitis sunt membra.

1. Cor. 12. 26.

Ut verò concludam hunc de Ecclesia articulum & tractatum, appendere hic libet orationem à me pronunciatam coram illustrissimo Francisco Bucheret, & Abbatibus Namurcensis Diœcesis in Floreffiensi Monasterio congregatis, dum Namurco discederet ad Archiepiscopatum Cameracensem, cui nimis velociter abreptus est.

Matt. 8. 24. *ECCE MOTVS FACTVS EST magnus in mari ita ut Navicula operiretur fluctibus.*

DECLARAT HÆC ORATIO QVOMODO ECCLESIA NAVIS SIT semper passa fluctus; sed illos semper superaverit.

EXORDIUM.

Ecclesia Navi comparatur quæ omnes fluctus superavit. Proverb. 30. 18. Jer. 31. 22

IN hac celebertima corona Virorum illustrium de eo hodiè differere volui, quod inter sibi difficilia Sapiens noster recensuit.

Tria, inquit, mihi sunt difficilia & quartum penitus ignoro, Viam Aquilæ in Cœlo: Viam colubri super terram: Viam navis in medio mari: Viam viri in adolescentia. Vel juxta Hebræam Lectionem: *Viam viri in adolescentula*, hoc est, Viam Christi in Virgine, de quo apud Hieremiam. *Novum creavit Dominus super terram fœmina circumdabit virum. Via Aquilæ in Cœlo*, via est ejusdem Christi, instar Aquilæ pernicibus alis Cœlorum sublimia penetrantis. *Via colubri super terram*, via est hæreseos quasi humi repentis, & per varios anfractus & circuitus, fidei perniciem quæritantis. Denique *via navis in medio mari*, via est Ecclesiæ inter casus asperos, inter scopulos allatrantes, inter minaces fluctus peregrinantis & æternitatis portum suspirantis. Hanc autem ut ad dicendum materiam potissimum assumerem, duæ causæ impulerunt. Primùm ipsius adhuc Ecclesiæ nostra hac ætate inter varios turbines lucta, etiâ cum lucta conjuncta. Deinde quia apud eos dicturus sum, qui in hac navi ad gubernacula assumpti sunt, quorum opem, peritiam, sedulitatem, alta & confidenti voce implorat Ecclesia adversus Antichristi meratores, qui serpere ubique nituntur, eamque discerpere. Divini igitur Numinis lumine (ut confidimus) prævio, vestrum favorem. Eximii Viri, pro Favonio mihi adoptabo ne oratio cunctans in salebris hæreat, sed illius secundiori aura propellente, liberiorem cursum capessat.

Ecclesia jam inde à primordiis & cunis suis, antiquum serpentem infensum sibi sensit & perduellem. Nostis etenim quomodo vix orti Christi numen sit infectatus. Dum Pharaonis spiritum in Herode suscitans Hebræorum masculos internecioni devovit, & velut primigenitos Ecclesiæ flores, intempesta persecutionis procella decoxit. Hoc describens cœlestis Aquila nostra in Apocal. *Signum*, inquit, *magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole* (verba ejus ne prolixior sim, contraho:) *& in capite ejus corona stellarum duodecim, & in utero habens. Et stetit Draco ante mulierem, quæ erat paritura: ut cùm peperisset, filium ejus devoraret. Et peperit masculum, qui recturus erat omnes gentes, & raptus est ad Deum & thronum ejus.* Quænam est hæc mulier, tanto circumradians fulgore, tot sideribus coronata? Ecclesia est, Christum in spiritu parturiens: aut si Augustino & Bernardo subscribimus, Virgo nostra est, fœcunda sine corruptione gravida sine gravamine, perpetua sine dolore. Hæc peperit illum, cui dicitur: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Et ipse raptus est ad thronum Dei, non quidem statim à partu mulieris, sed in ascensione sua, multam jam prædam serpentinis faucibus erutam Cœlis inferens. *Et iratus est*, inquit Joannes, *Draco in mulierem*, gravi scilicet ignominiæ sibi ducens, nec valens concoquere; sicut olim Abimelech, quod per fœminam vinceretur. *Et misit ex ore suo aquam tanquam flumen, sed terra aperiens os suum, audivit mulierem, & absorbuit flumen.* Ipse evomuit quoddam flumen, illuviem spurcissimam blasphemiarum, convitiorum, maledictorum, quibus per suos ejus & virginitatem apperiit, & maternitatem sigillavit. At videns se nihil proficere, *abiit*, inquit Joannes, *facere prælium cum reliquis qui sunt de semine ejus, & stetit super arenam maris.* Ut quid verò stetit adhuc super arenam maris? Nisi ut naviculam in qua mulieris semen ferebatur, multiplicatis fluctuum aggeribus obrueret? Videamus quantis, quàm variis turbinibus, disperdere eam conatus sit, & demergere.

Primos igitur in hanc naviculam fluctus, per Judæorum Principes concitavit; hi enim in Crucis Præcones cruentis quamprimum edictis sævire cœperunt, certatim ad tribunalia rapientes, vinculis, internecione maltantes. Testis est ille de tribu Benjamin: *Lupus quondam rapax, spirans minarum & cædis in discipulos Domini.* Testes Epistolæ in manibus ejus, legationis crudelissimæ, auctoritatis execrandæ, potestatis iniquæ. Sic nimirum existimarunt novellam Christi plantationem à suo cespite divellere, sic surgentis fidei autoram, his offusis nebulis, in suo crepusculo ac ortu sepelire. Sic persuasum fuit, fragilem hanc (ut apparebat)

Apocal. 12. 1.

Actor. 9.

naviculam, adeò turbidæ vaſtitate obruendam. Verùm fruſtra fremuerant, meditati ſunt inania. *Sæpè*, inquit, *expugnaverunt me à juventute mea, etenim non potuerunt mihi.* Piſcatores enim inter hæc nihil trepidi adverſus fluminis ictum obnituntur. Imò verò animæ quietes effecti, crucem pro malo erigunt, ſpei vela ſuſpendunt, fidei anchoram fugunt, ſpei vela ſuſpendunt. Ps.128.2.

timunt, etiam non conteſti angustiis Judææ limitibus, in Gentium ditionem progrediuntur, in turbulentiſſimæ profunditatis Oceanum. Deus bone quot tibi *Flumina elevaverunt vocem ſuam, elevaverunt fluctus ſuos*? Imò quot fulmina, quantoque exploſa ſunt fragore, ad eam funditus profligandam? Immiſſi ſunt ab Aquilone (a quo juxta Propheram, *reſpandatur omne malum*) Boreales illi venti, Nerones, Decii, Maximiani, Severi, Diocletiani qui omnem inferorum impetum & furorem effundentes, exacuerunt adverſus eam equuleos, craticulas, ſartagines, cruces, catapulta, ungulas, leones, & ſexcenta alia ſupplicia, quæ ſemper nova meditabatur ingenioſa crudelitas, adeò ut ad hominis corpus unum, plura ſæpiùs adeſſent ſupplicia, quam membra. Omnis ætas, omnis ordo, omnis ſexus, nullo diſcrimine ad hanc ditiſſimam rapiebatur lanienam, adeò ut centena etiam millia dies unica abſorberet. Nec enim erat aliquis orbis angulus, qui non Chriſtiano ſanguine immaderet. Hi ſunt fluctus, hæ procellæ, quibus Apoſtolica cimbula ab initio, totis primis trecentis annis quaverſum exagitata fuit. Et quidem Diocletiani tempore ita invaluerant, ut Chriſtianum nomen quaſi abortivum jam ſepultum videretur. Certè vix niſi in antris & ſpeluncis, quo ſe à facie debacchantis furoris abdiderat, vivere putabatur. Imò & de profligata penitus Chriſtiana Religione, publica trophæa Diocletiano erecta fuere. Etiam nunc, teſte Manutio, Cluniæ & Arevaci in Hiſpania, columnæ viſuntur cum hac inſcriptione: *Dioclesiano Cæſari Augusto, ſuperſtitione Chriſti ubique deletæ, & cultu Deorum propagato.* Pſ.92.3. Hier. t. 24.

Hæc turbulentiſſima tempora obtutu prophetico videtur deſignaſſe David Pſalm.106. *Qui deſcendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis. Ipſi viderunt opera Domini in profundo: Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ, & exaltati ſunt fluctus ejus. Deſcendunt uſque ad abyſſos, anima eorum in malis tabeſcebat*, &c. Qui ſunt qui deſcendunt mare in navibus, niſi Apoſtolici Viri, qui Eccleſiarum gubernacula ſunt ſortiti? Et hi quidem nebuloſis adeò procellis circumvallati, quæ æcutiantes palpitabant, & clavum, & regendi peritiam amiſiſſe videbantur, maximè cum ille fremitus ac furor, Antiſbites Religionis præcipuè impereret, dum certatim ad factitios fictitioſque Deos rapiuntur, ut illi qui eminebant; tanquam *Montes transferuntur in cor maris.* Sed nihil ne ſubſidii inter tot ingruentes malorum undas? *Clamaverunt ad Dominum, & exaudivit eos.* Clamaverunt cum Diſcipulis: *Salva nos, perimus.* Et *excitatus eſt tanquam dormiens Dominus*, & imperavit mari & ventis, *& factus eſt procellam ejus in auram.* Utique tandem ſatis multiplicatis arca noſtræ inundationibus fluctuarat. Pſ.106. 19.

Immiſit ergò Spiritum ſuum Dominus ad ſiccandas aquas, & Columba ad arcam adveniens, Olivæ ramum tanquam pacis ſymbolum tulit. Hoc ſcilicet, imperii faſcibus Conſtantino delatis; qui cùm ad lepram curandam de infantium ſanguine balneum meditaretur, divinis inſtructus monitis, Sylveſtrum in Soracte monte latitantem accerſit, à quo infantis illius ſanguine mundatus eſt, qui totius humani generis lepram mundaturus venerat, *Lavacro aquæ in verbo vitæ.* Hic ergò Religionem Chriſtianam quaſi è ruderibus ſuſcitans, vel è latebris eruens, in ſolio repoſuit, *In ſole poſuit tabernaculum ejus*, hoc eſt, loco omnibus conſpicuo. Tunc que ejus propagines toto ſeſe orbe diffuderunt; Imperatoris & indulto & exemplo, Baſilicis erectis, Altaribus conſtructis, & Principatu Apoſtolico omnibus privilegiis adornato: dum ei Romanum Conſtantinus cedens Imperium, Conſtantinopoli ſedem fixit. Utique hæc eſt tranquillitas, ad quam reſpexiſſe videtur Iſaiæ vaticinium: *Paupercula tempeſtate convulſa: Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Sapphiris, & ponam Jaſpidem propugnacula tua.* Quaſi dicat. Conſtituam in te Hierarchicum quendam Ordinem, quaſi lapidum pretioſorum, ut ſis velut Hieruſalem nova, deſcendens de Cœlo, quia eris ad exemplar cœleſtis Hieruſalem & ornata & ordinata. Idipſum alibi delineaſſe videtur Propheta Ezechiel, dum in perſona Sponſi ait: *Tranſiens per te, vidi te conculcari in ſanguine tuo, & dixi tibi: Vive, in ſanguine tuo vive.* Quod licet de Synagoga intelligatur, tamen & de Eccleſia hunc ſenſum habet. Cum adhuc in adoleſcentia jaceres in ſanguine tuo: in Martyrum ſcilicet ſanguine: Tranſivi per te, & dixi: *Vive in ſanguine tuo*, quia per ſanguinem illum, quaſi pertemen quoddam (inquit Leo) fœcunda eris, & propagaberis: *Et emundavi*, inquit, *ſanguinem tuum ex te, & veſtivi te diſcoloribus, & calceavi te hyacintho, & dedi armillas in manibus tuis, & coronam decoris in capite tuo, & decora facta es nimis, & proſperiſti in regnum.* Hæc jam perſecutione ceſſante, dum Chriſtiana Religio quaſi in Regium & Sacerdotalem decorem per Conſtantinum evecta reſloruit. Iſa.54.11. Ezech.16. Ibid. v.9. 10.

Verùm Eccleſiæ calcaneo ſemper inſidians antiquus ille ſerpens, hunc invidit tranquillitati, & novam tempeſtatem, novos fluctus cœpit impingere, inundante ſcilicet hæreſum & errorum colluvie, eam conatus eſt ſubmergere. Nam licet ab initio hæreſes multæ irrepſerant, Cerinthi, Ebionis, Simeonis, Nicolai, Menandri; parum tamen robaris obtinuerunt, illas eas redarguentibus, qui, quod audierant, quod viderant, quod contrectaverant de verbo vitæ annunciabant.

Inſurrexerunt ergo Aërii, Neſtorii, Donati, Pelagii, Manichæi, & plura ſimilia monſtra, qui latratu ſuo

suo Naviculæ insidiarentur, sub facie Scyllæ, Virginis comptæ, & tergemini Gerionis, quos navigantibus infestos esse fabulosa finxit antiquitas.

Sed omnium procaciſſimè Arius insultavit, qui & mamillam Regum qua lactabatur Ecclesia, præcidit, & virus suum totum penè per orbem diffudit. Primo quidem dolosa arte irrepens, deinde imperioso Marte irrumpens. Fallor, si non hæc pestilentia etiam primas Cathedras occuparit. Multum laboret necesse est, qui Liberium Romanæ Sedis Antistitem Arianæ factioni non subscripsisse, tueri voluerit. Certè de hac re agens Hieronymus: *Ingemuit*, inquit, *orbis, & se Arianum miratus est.* S. Hiero.

Veruntamen, sicut primam tyrannorum procellam, Martyrum patientia devincit, ita & hanc præclarissimorum virorum sapiētia propulsavit. Tunc enim exorti nobis sunt Athanasii, Basilii, Nazianzeni, Hilarii, Ambrosii, Augustini, quasi sapientiæ suæ fulgore has tenebras dissipaturi, & stygiis latebris remergerent, discissamque Christi tunicam resarcirent. Tunc etiam coactum Nicenum illud Cōcilium, in quo Sylvester (sicut olim Abram trecentis & octodecim vernaculis) adversum Arianorum aciem trecentis & octodecim Patribus congregatis profligavit. Unde & paulatim postea siluit Arianæ tempestas Posterioribus sæculis hæreseos dominatu extincto; cùm jam Navicula liberiorem cursum capessere videtur, ipsis domesticorum corruptissimis moribus, quasi novis fluctibus cœpit prægravari: mundante fœculenta vitiorum illuvie, in populis iniquitate, in Religionibus libertate, in Rectoribus ambitione, in toto Clero Ecclesiastica disciplina collabente: adeo ut teste Bernardo, à planta pedis usque ad verticem tabida lues serperet, & à Judicibus populi iniquitas egrediebatur. Tunc verò excitati nobis Brunones, Romualdi, Bernardi, Norberti, & postea Francisci & Dominici. Quorum quidem tempore, quantum flagitiorū invaluerit, testatur illa Dominici visio, qua Christū vidit solio confidentem, cum terribili in vultu severitate, jamque tres lanceas vibrantem, quibus universum orbem configeret, nisi B. Virgo, hanc à nobis deprecans plagam, occurrisset, proponens duos orbis Athletas, Franciscum & Dominicum, quorum zelo & sedulitate, evita morum probitas pristino nitori restitueretur. Hi ergo, ut & alii supradicti, in hoc incubuerunt, ut & Monasticam & Ecclesiasticam, & generaliter Christianam disciplinam, exemplo restaurarent & verbo.

Sed ne singula sæcula percurrendo prolixior fiam, ad nostra venio tempora. Tempora proh dolor ulcerata! In quibus triplices hi fluctus, quasi agmine facto, in Naviculam conspiraruut. Nostis etenim Auditores, quomodo præcedenti sæculo Babylonicus persecutorum gladius Catholicorum sanguine fuerit inebriatus, Sacerdotum, Monachorum, Episcoporum cervicibus incumbens. Nostis, quomodo in Dei & Sanctorum imagines, templa, aras direptione, demolitione, incendiis, furor ille efferbuerit.

Sensit Anglia, in qua decem millia templorum unus sustulit annus. Sensit Gallia & Germania, & Belgici maxima pars orbis, & certè per illum unum sectarum omnium in varias jam diffectarum, Patrem Lutherum, tantæ tenebræ quoquo versum irruperunt, ut videatur illud Apocalypsis vaticinium adimpletum: *Vidi stellam cecidisse de Cœlo in terram, & data est ei clavis putei abyssi, & aperuit, & ascendit fumus putei, & obscuratus est Sol, & aër de fumo putei.* Apoc. 9. 1. Nempe illa quasi stella fulgebat, quasi in Cœlo, in præclara Augustini Religione. Sed horribili casu cecidit, & dedit ei diabolus claves abyssi, quasi Antagonistæ Primatus Petri, cui commissæ erant claves Cœli. Et aperuit, & erupit fumus errorem spurcissimorum, Solem & Lunam, Christum & Ecclesiam obscurantium. Nam fumus ille non solum in Saxonia ubi ortus fuerat, invaluit; sed citissimè Dania, Norvvegiam, Sueciam, Pannoniam, Galliam, Angliam, & varios Belgii populos involvit. Gratias vero Deo Optimo, Maximo, tutelaribus Divis, tibique, Vir illustrissime, quod hanc tuam Namurcensem provinciam hæc ferialis caligo non attingat. Hoc enim vigilantiæ tuæ lubenter etiam ascribimus, quæ quidem multis jam quibus præfuisti annis & publicè & privatim eluxit. Testes illius reliquisti Conventus Synodales, varias & Cleri & populi Reformationes, quibus in hoc totius incubuisti, ut si quid bellorum æstus fuliginis afflicuisset, repurgares. Et nunc quoque videmus, & gandemus quatuor diversas Religionis familias in hanc tuam Diœcesim per te introductas, ut exemplo & verbo, incursantibus vitiorum fluctibus, occurrant. Itaque quia hanc Naviculam adeò prosperè te direxisse, exploratum est; jam juberis in superiorem conscendere, eamque Belgici orbis primariam: Jamque tibi dicitur, quod olim Piscatori primatio, *Duc in altum.* Hanc tu Naviculam conscendis, Luc. 5. 4. ut eam ab omnibus adversantibus undis, liberam tutamque conserves. Et quidem habes in hac re Antecessores tuos, quorum gloriam Dei æmulatione æmuleris. Habes, inquam, Diogenios, Vedastos, Auberros, Gaugericos, & multos similes, qui hanc Cymbam in media vastitate, Petri Naviculæ in violabili nodo alligatam, prosperè gubernarunt. Et ecce ampliori quam ipsi adornatus es potestate, qua Christi hostes expugnes. Habes enim duplicem gladium: In dextera quidem gladium Spiritus, quem si effugere inveniantur, habes in sinistra alterum, Ducalem scilicet potestatem, alteri suppetias laturam; ut hæc quasi Romphæa bis acuta, omnis altitudo extollens se contra Deum, quantocyus demeratur. Dicam ergo, *Ecce duo gladii hic, sufficit.* Ad te valida & confidenti voce clamat afflicta Belgica nostra; quæ dum te in prora confidentem, clavumque tenentem intuetur, gestit, & sibi congratulatur.

Confidit utique *Paupercula tempestate convulsa*, tua & sedulitate & experta peritia, altissimos quantumlibet

tumlibet fluctus se supergressuram. Nos interim sub te Archinavarcho ad laboravimus, ut excitemus eum qui dominatur potestati maris, ut æternitatis portum appellentes, videamus concordi voce, gestientium in portu Nautarum, celeusma decantare. Dixi.

LECTIO XI.

ARTICVLVS X.

CREDO REMISSIONEM PECCATORUM.

1. *Docet, Omne peccatum remitti.*
2. *Sapius iterata remitti.*
3. *Non remitti unum sine alio.*

Hic Articulus spem erigit hominis, qui ex se pronus in peccata est, & ideo eum facilè desperatio illaquearet, nisi fides de remissione peccatorum, quæ in hoc Articulo proponitur, eum erigeret.

Ut autem hæc remissio peccatorum plenius intelligatur, ponendæ hic sunt aliquot Propositiones.

PROPOSITIO I.

Nullum esse peccatum quod non remittitur.

Nullum est peccatum quantumlibet enorme, ex qualibet malitia consurgens, quod non remittatur.

RAtio est: Quia repugnat infinitati bonitatis divinæ, vinci aliqua malitia hominis, sicut & hoc derogaret efficaciæ sanguinis Christi, qui propitiatio est non tantum pro peccatis aliquibus, sed pro totius mundi, inquit Joannes. Unde hanc bonitatem considerans Manasses, clamabat ad Deum; omnes peccatores ad idem exemplo suo provocans: *Tu Domine secundum multitudinem bonitatis tuæ promisisti remissionem iis qui peccarunt tibi, non posuisti pœnitentiam pro justis, qui non peccarunt, sed propter me peccatorem. Peccavi super numerum arenæ maris. Et nunc incurvatus multo vinculo ferreo, non possum attollere caput, & non est mihi respiratio, tamen flectio genu cordis mei, precans à te bonitatem. Remitte mihi Domine, remitte mihi, quia tu es Deus. Deus inquam pœnitentium, & in me ostendes omnem bonitatem tuam, qui indignum salvabis me.* Peccata autem Manassis videre potes, C. 33. 4. Reg.

Nullum esse peccatum quod non remittitur.

Oratio Manassis.

4. Reg. 21

Omni ergo tempore recurrentibus ad Deum, remissio peccatorum oblata est; sed & maximè nunc facilis est in Ecclesia remissio, quantumlibet homo enormiter peccarit, quia juxta Zachariæ prophetiam, *in domo David* (hoc est, in Ecclesia Christi) *est fons patens in ablutionem peccatoris & menstruatæ.*

Zachar. 13. 1.

Fons hic est Christus, fons salutis, perennis fons, ex quo perpetuo salus fluit, fons qui nullis hominum peccatis arescit, qui accedere volet, *inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Et quantumlibet sordidus sit, abluetur. Neque fons hic salutis clausus est, aut absconditus, quem pauci possent invenire, sed patens & omnibus obvius, nemo prohibetur haurire. Quinimo multos rivulos habet de se scaturientes, quasi secundarios fontes, ipsa scilicet Sacramenta, de quibus Isaias: *Hauritis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Fons quoque patens Christus, quia quinque aperturas habet. Patens est *Domui David*, hoc est, filiis Ecclesiæ, *& habitantibus Hierusalem*, hoc est, iis qui ad visionem & amorem pacis adspirant.

Fons est Christus. Prov. 8. 35.

Isai. 12. 3.

Zach. 13. 1

Nec mysterio vacat, quod patens dicitur, *In ablutionem peccatoris & menstruatæ*; quia scilicet abluere potest animas quantumlibet sanguine cruentas, quantumlibet fœdas, licet *vestimentum* habeant *mixtum sanguine, quod in combustionem esset, & cibus ignis.*

Isaiæ 9. 5.

Non enim est macula, quam non eluat, licet inveterata & multiplicata sit. Unde si quis peccata in se haberet omnium hominum, omnium damnatorum, à peccato fratricidæ Cain usque ad ultimum peccatum Antichristi, omnia homicidia, adulteria, sodomias, blasphemias, hæreses, &c. Imò omnia peccata omnium dæmonum, si ad hunc fontem accedat, & hauriat per cordis humilitatem, & animæ contritionem, lavatur & mundatur.

Qua propter D. Gregorius ad hunc fontem invitans dicit: Curramus igitur, patet fons, curramus, & lavemur in hoc fonte pietatis.

D. Greg.

Ibi lota est Magdalena, famosa peccatrix, ibi tersit maculas criminis. In hoc fonte misericordiæ omnibus aperto, lavit petrus quod negarat, quia *flevit amare.* In hoc fonte misericordiæ in fine latus est latro, & à culpa ablutus est, confessione veritatis. Cur ergo torpentes & frigidi manemus, qui in hoc fonte pietatis tam multos se lavisse cognovimus? Quærere fontem hunc debuimus, etiamsi clausus esset: Ecce pater, & negligimus?

Quæres? Quomodo ergò aliqua dicuntur non remitti, neque in hoc sæculo, neque in futuro? Sic dicitur de peccatis in Spiritum sanctum.

Peccata in Spiritum sanctum cur dicuntur non remitti.

Respondeo: Non dici illa esse irremissibilia. Sed dicuntur non remitti: ut significetur, quod ordinariè magis contingit; & ut significetur difficultas remissionis, non ex parte ipsius Dei, sed ex parte peccantis, qui se malitiæ obfirmata, ipsi gratiæ per quam fit remissio, velut opponit. Unde & dicuntur tales peccare in Spiritum sanctum, qui gratiæ Spiritus sancti velut obsistunt. Et ideò moraliter loquendo, *vix* remittuntur, quia talibus difficile est veram pœnitentiam concipere, ob cordis obdurationem, & mentis obcæcationem. Est & peccatum aliquod quod non remittitur, nimirum *finalis impœnitentia*, non propter malitiam peccati, quasi superet misericordiam Dei, sed propter qualitatem adjunctam, videlicet perseverantiam in peccato usque ad mortem, cum qua non consistit remitti.

Simpliciter ergo loquendo, omne peccatum remissibile est: quia obstinatio, obcæcatio, obduratio, impli-

ſimpliciter & abſolutè tolli poteſt, ſi homo gratiæ divinæ cooperetur. Nec gratiam ſufficientem denegat Deus ad illam tollendam, cùm præcipiat illam tolli; ipſe autem nunquam inſtar præcepto, quin præcurrat auxilio, inquit D. Leo.

Exempl. D. Aug. de li. arb. & refertur 2 3. q. 4.

Ex parte ergò liberi arbitrii contra Deum pugnantis eſt defectus. Exemplum ponit D. Auguſt. in Pharaone & in Nabuchodonoſor. Poſt innumeras, inquit, impietates flagellatus pœnituit Rex ille pœnitentia fructuoſa, & regnum rurſus accepit. Phatao ipſis flagellis durior effectus eſt, & periit. Hic mihi rationem reddat, qui divinum conſilium nimis altè ſapienti corde dijudicat: Cur medicamentum unius medici manu confectum, alteri ad interitum, alteri ad ſalutem valuerit? Quantum ad naturam unus homines erant, quantum ad dignitatem ambo Reges, quantum ad cauſam ambo Dei populum captivum poſſidebant, quantum ad pœnam ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo finis eorum fecit eſſe diverſos? Niſi quod unus manum Dei ſuper ſe ſentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, alter verò libero, contra Dei miſericordiſſimam manum, pugnavit arbitrio? Hæc Auguſtinus.

PROPOSITIO II.

Peccata æternata remittuntur.

Quantumlibet quis reinciderit in idem peccatum, tamen ei ſemper parata eſt remiſſio.

UNde nullus numerus peccatorum eſt, nulla obſtinatio in eodem peccato, quæ remiſſionem excludat, quia nullo numero poteſt vinci bonitas Dei, aut efficacia ſanguinis Chriſti. Homo pronus eſt ad iterationem ſui mali, Sicut arundo à vento facilè in aliam partem flectitur: Ita homo ſuggeſtione maligna vel carnis illecebris, facile à propoſito reſilit, & in diem reincidit. Non debuit ergò à Deo reliqui ſine remedio infirmitatis ſuæ, ut licet quotidie peccet, quotidie poſſit reſurgere, & veniam reperire.

Matt. 18. 21.

Hinc interroganti Petro: *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? An ſepties?* Reſpondit: *Non dico tibi ſepties, ſed ſeptuagies ſepties*, id eſt, toties quoties poteſt peccare. Ponitur enim finitus numerus pro infinito. Sic ergo homo jubetur toties, quoties offenditur remittere pœnitenti, an potes major eſt propitiatio hominis propitiatione Dei? Non ergo hominem retardet à converſione, aut multitudo aut inveterata conſuetudo, quia licet in eo ſint, ut in Magdalena, ſeptem dæmonia, hoc eſt, juxta Gregorium, univerſa vitia, licet ſepties Deum offenderit, tamen ſi ingemuerit:

Ezech. 18 21. 11. 55. 7.

Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, &c. Iniquitatis ejus quas operatus eſt non recordabor, inquit Dominus. *Derelinquat ergo impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, & miſereberur ejus, & ad Deum noſtrum: quoniam multus eſt ad ignoſcendum.* In hoc multo nihil deeſt, in quo eſt omnipotens miſericordia & miſericors omnipotentia: Tanta autem eſt benignitas omnipotentiæ, & omnipotentia benignitatis in Deo, ut nihil ſit quod nolit, aut non poſſit relaxare converſo. Si peritus eſt medicus noſter, omnes poteſt infirmitates ſanare: Si miſericors eſt Deus noſter, omnia poteſt peccata dimittere. Non eſt perfecta bonitas, à qua non vincitur omnis malitia; nec perfecta medicina, cui morbus aliquis incurabilis reperitur; Sapientiam autem non vincit malitia. Ita Fulgentius.

S. Fulgen. Epiſt. ad Venant.

Imò verò ultra remiſſionem, ſæpius abundantiſſimam gratiam poſt converſionem donat Deus. Unde dicit Chryſologus: *Quid non poteſt pœnitentia? Quis in ſæculo peccavit enormius Paulo? Quis in Religione enormius Petro? Illi tamen per pœnitentiam enormitatis aſſequi non ſolum miniſterium, ſed etiam Magiſterium Sanctitatis.*

P. Chryſol.

Exempl. li. 1. tract. 2. lect. 1.

Sic Thais nobile ſcortum, cum à Paphnutio Abbate à meretricio quæſtu ad pœnitentiam deducta foret, ut ſupra retulimus; cumque omnia quæ ſibi ſic comparaverat, publicè combuſſiſſet, fœminarum Monaſterium ingreſſa, cellæ ſe incluſit lugens peccatum ſuum, pane tantum & aqua vitam ſuſtentans, ipſumque Dei nomen profert non aſpera, orabat dicens: *Quia plaſmaſti me, miſerere mei.*

Marulus l. 4. c. 10.

In tali labore triennio exacto Paulus Antonii diſcipulus, in quiete vidit ſupra Cœlum poſitum cubile auro gemmiſque refulgens, arteque effabili ac decore conſtructum. Et cum rogaſſet an illud Antonio eſſet paratum. Reſponſum accepit: *Non Antonio, ſed Thaidi meretrici.* Eductа ergo de Cellæ carcere, quinto decimo die migravit ad Dominum, & cœleſtem thalamum fœliciter poſſedit, quæ terrenum & impudicum aliquando poſſeſſide doleater tulit. Videetiam de Pelagia pœnitente, apud Ribad. Surium & alios.

Ribad. & Surius de Pelagia.

Sed dices: Deus poſt imploram aliquam menſuram peccatorum, dicitur in Scriptura non remittere. Sic Amos 1. & 2. Sic Geneſis 15. dicitur: *Nondum implata ſunt iniquitates Amorrhæorum.* Et Matt. 23. *Implete menſuram Patrum veſtrorum.* Reſpondeo, hoc non eſſe intelligendum, quaſi impleta illa menſura, ſi ipſi convertuntur, peccata non dimittantur; ſed ſolum ſignificat ſcriptura, Deũ non niſi ad certam menſuram, peccata impunè tolerare, ita ut tunc certò peccatorem temporali pœna puniat: Aliquando etiam morte temporali, ex qua ſequatur æterna, niſi finaliter converatur.

Amos 1. & 2. Geneſ. 15. 16. Matt. 23.

Sic ſæpè in Scriptura, Deus ſignificat, ſe poſt complecam malitiam ſic decreviſſe populos punire, ut quæliber Sanctorum interceſſio non ſit profutura. *Si fuerint in medio populi Noe, Daniel & Job, non liberabunt filium & filiam.* Item: *Tu autem noli propopulo iſto orare.* Item: *Super tribus ſcelaribus Damaſci, & ſuper quatuor non convertam eum*, id eſt, non pascam; ſed puniam eos.

Ezech. 14. 20. Jerem. 7. & 11. Amos 1. & 2.

Sæpè ergo aliqui, multis annis in peccatis hærent, non obſtante inſpiratione Dei eos evocante, & cum mererentur in æternam damnationem protrudi, exſpectat eos Deus ad pœnitentiam. Sed ipſi ejus benignitatem velut contemnentes, adiciunt

peccata peccatis, implent menſuram, qua impleta rapit eos ex hac vita, per infauſtum aliquem caſum, ut plurimum ſine præparatione, ſine contritione, ſine confeſſione.

Attende in Judæis, quomodo impleta menſura peccatorum, Deus eos contrivit irreparabiliter. Attende in illis quos diluvium in peccatis abſorbuit. Sic & Sodomitas diu expectavit, donec impleta & menſura.

Genes. 7. Gen. 19.

Exempl. An. 1621.

Subiiciam hic funeſtum exemplum, quod oculis noſtris conſpicere potuimus. Juvenis quidam Oppidi noſtri, in Hiſpanias profectus, ibi uxorem duxit. Aliquot poſt annos, neſcio quam ob cauſam Matrimonii ſui pertæſus, uxorem deſerit. Redit in patriam, ibi carnis vitiis ſe addicit. Puellas plures, quæ honeſtæ habebantur, ad caſtitatis naufragium pertrahit, & in peccati occaſiones præcipitat. Multis jam annis una, quam defloraret, utebatur ut cõcubina. Volebam ego tanquam Paſtor ejus cupiditati obſiſtere, nec valebam; quia & militiæ & malitiæ ſeſe aſcripſerat. Frequentiſſimè interim ad ſuam redibat pellicem. Dolebam verò utriuſque animæ perditionem, publicumq; ſcandalum. Acceſſi ejus Capitaneum D. Inigo de Brizuela, rogavi, ut huic ſcandalo provideret: quod ſtatim promiſit. Nam vocato illo, qui vices ſuas gerebat in Urbe Philippolitana, (ubi partim, & partim Mariæ-burgi præſidiarii erant milites ejus) vices gerenti huic præcipit, ut militem hunc revocet Mariæ-burgo (loco nimis vicino ſuæ concubinæ) Philippopolim; & advigilet ne excurrat quoquam ſine ſpecialiſſima licentia, interdicatque ei ingreſſum Urbis Convienſis. Revocatur igitur, & præcinduntur ei occaſiones peccati. Nihilominus aliquoties adhuc ſubreptivè nocturno tempore ad ſuam accedit Verum, non multæ hebdomadæ poſtea excurrerunt, dum chartarum luſui vacans cum Hiſpano quodam, oborta contentione, pugione confoditur; & ita ſubitò vita ei eripitur, ut nullius auxilio juvari potuerit, nec Sacramenti alicujus ſubſidio. In qua verò fuerit diſpoſitione tunc, novit Deus. Ego non potui aliud cogitare, quàm menſura jam impleta, Deum finem ejus peccatis voluiſſe imponere, acerbo hoc caſu. Ita ut hic ejus exemplo alios monere liceat, & dicere cum Sapiente: *Lætare juvenis in adoleſcentia tua, & ambula in viis cordis tui, & ſcito, quòd pro his omnibus adducet te Deus in judicium.* Intelligite ergo hæc, qui oblivi ſcimini Deum, ne quando rapiat, & non ſit, qui eripiat.

Eccleſ. 11.9.

PROPOSITIO III.

Unum peccatum non poteſt remitti ſine alio.

RAtio eſt: Quia remiſſio peccatorum eſt quædam amicitiæ cum Deo redintegratio, eſt ablutio & ſanctificatio cum adoptione in ſocietatem unigeniti filii Dei, qua homo inſtituitur filius & hæres regni; quæ omnia non poſſunt conſiſtere, vel cum uno peccato: Quia quamdiu manet vel unum ſolum mortale peccatum, manet inobedientia & averſio & manet macula & ſervitus peccati, morique & inextricabilis obligatio ad damnationem. Unde Jacobus dicit: *Qui totam legem ſervavit, offendit autem in uno, factus eſt omnium reus.* *Qui enim dixit. Non mœchaberis, dixit, Non occides, quod ſi occideris, factus es tranſgreſſor legis.* Sic ergò manente uno peccato, non poteſt eſſe amicitiæ redintegratio: & remiſſionẽ petere de uno & non de altero eſt velle ponere conventionem inter gratiã & peccatum, inter vitam & mortem, inter cœlum & infernum. Item eſt velle ſervire Deo & Mammonæ, velle flectere genu coram Arca & Dagon, velle cor dividere, ſicut meretrices Salomonis infantem. Jac. 2. 10.

Pro particulariori intellectu hujus rei adverte, quod hæc remiſſio peccati, non eſt mera non imputatio Dei, ut volunt hæretici, aut condonatio exterior tantum, ſed fit per dona interiora, quæ homini infunduntur. Patet tum ex Concilio Tridentino, quod expreſſè definit, tum ex Scripturis, quæ dicunt nobis infundi charitatem per Spiritum Sanctum. Item imprimi nobis imaginem hominis cœleſtis injuſtificatione, & dari nobis ſpiritum & gratiam, qua adoptamur hæredes vitæ æternæ. Denique Deum dare nobis *pretioſa dona, per quæ divinæ conſortes reddimur naturæ.* Quæ omnia ſignificant hominem habere juſtitiam inhærentem in ſe. Sicut ergo Sol non diſpellit tenebras, niſi infundendo lucem; ſic Sol juſtitiæ, & Pater luminum, non remittit peccata, nec tenebras peccati pellit, niſi infundendo internam juſtitiam & gratiam, quæ eſt participatio lucis æternæ, per quam illuminat lucernam mentis noſtræ, & illuminat tenebras noſtras. Item, ſicut macula tollitur, addendo nitorem, & nigredo, addendo candorem; ita peccatum tollitur, veram ſuperaddendo juſtitiam, quæ puram & candidam efficit conſcientiam. Et ſicut in corporalibus non intelligitur vita, ſine forma vivificante; ita nec in anima ſine dono gratiæ, animam informante, & operatione Dei intus in animam agente. Trident. Concil. 1. Pet. 1. 4.

Reſte itaque inter homines intelligitur condonatio offenſæ exteriùs fieri: ſed cum Dei condonatio ſit efficax, producit effectum ſanctificationis in homine. Quæ quidem ſanctificatio, nullam poteſt maculam peccati in anima relinquere; & ideo fit per illam integra peccatorum remiſſio, nec poſſumus niſi impiè dimidiam à Deo peccatorum veniam ſperare, aut petere.

LECTIO XII.

DE INCERTITUDINE REMISSI PECCATI.

1. *Docet, nos certò non ſcire juſtificationem noſtram.*
2. *Docet, probabiliter id aliquos ſcire.*
3. *Docet, hominem neſcire ſuam perſeverantiam.*

Hæte-

HÆretici docent nemini remitti peccata, & neminem juſtificari, niſi certò credat ſibi illa eſſe remiſſa, & ſe juſtificatum eſſe.

Verùm, hæc doctrina condemnatur à Concilio Tridentino. ſeſſ. 6. c. 9. Ut verò plenius id intelligatur, ponemus hac de re aliquot Propoſitiones.

PROPOSITIO I.

Nemo poteſt ſcire certitudine infallibili, ſe in gratia eſſe, ſibique peccata remiſſa (niſi ex ſpeciali revelatione, ut contigit Magdalenæ, Paralitico, Zachæo, Latroni.)

Nemo poteſt ſcire certitudine fidei ſcire poteſt ſuam juſtificationem. Trid. ſeſſ. 6. c. 9. 13. & can. 13. & ſeq. Eccl. 9. 1.

PRobatur primò ex Eccleſiaſte, qui dicit: *Sunt juſti & ſapientes & opera eorum in manu Dei, & tamen neſcit homo an amore vel odio ſit dignus, ſed omnia in futurum ſervantur incerta.* His verbis docet, in hac vita, unicuique incertam eſſe juſtitiam ſuam, quia Dei amore ſit dignus. Unde & multi multa bona operantur, & illa ſapienter reponunt in manu Dei, & tamen neſciunt certò, an ex vero Dei amore procedant. Ratio eſt: Quia multi ſimilia operantur, non ex radice charitatis, ſed ex impetu & fervore quodam naturalis amoris, qui facilè diſcerni non poteſt ab affectione ſupernaturalis amoris, ob ſimilitudinem operationis.

Sic Cholericos fervore multo, quem illis cholera ſuppeditat, videmus quaſi zelo commoveri: Melancholia graves, à multis, quibus utuntur cæteri, mirabiliter abſtinere. Sanguineos multam cõpaſſionem habere. Phlegmaticos multam longanimitatem & patientiam magis in rebus exhibere. Et tamen hæc omnia ex quodam fervore ſpiritus naturalis proveniunt, non autem ſemper ex amore Dei. Multa ergo & à natura poſſunt procedere, imò & ab illuſione. Multi ſentiunt magnas cordis teneritudines, ſuavitates, devotiones, & hoc tæpe à ſpiritu humano non à ſpiritu charitatis; imò dæmon aliquando ſimilia immittit, ut ſibi non diſpliceant, licet ipſi ſint in peccatis.

Job. 9. 11. & 10. Secundò: Idem ſignificatur Job 9. *Si venerit ad me, non videbo eum, ſi abierit, non intelligam, ſi juſtificare me voluero, os meum condemnabit me, ſi innocentem oſtendere pravum me comprobabit: etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea.* Quibus verbis fatetur Job ſe neſcire, an Deus per gratiam & gratiæ dona ad eum venerit, & neſcire divinæ gratiæ ſubtractionem, ſi fortè propter occultum peccatum ab illo fiat, ignorareque ſtatum juſtitiæ ſuæ. Nam & alibi dicit: *Si volut mundiſſima fulſerint manus meæ, tamen ſordibus intinges me*, id eſt, ſordidum me declarabis, ſi me mundum exiſtimo vero.

1. Corint. 4. 4. Pſ. 18. 13. Tertiò: Idem ſignificat Apoſtolus: *Nihil mihi conſcius ſum ſed non in hoc juſtificatus ſum.* Item Pſaltes: *Delicta quis intelligit?* quia tæpe venit, ut etiam ignorantes peccemus, ait Theodoret. ibid. & Hieron. adverſus Pelag. Hinc ſeriò monet nos Petrus, *in timore inco latus noſtri tempore* converſari.

1. Petr. 1. 17. Ratio eſt: Quia licet ſimus certi de Dei miſericordia, promiſſis, & de efficacia meriti Chriſti applicati per Sacramenta, ſemper tamen poſſumus timere de noſtra indiſpoſitione, an vera pœnitentia peccata expiaverimus.

Secundò, neſcimus & non videmus fundum cordis noſtri, an vitium ſecretum lateat, quo Deo diſpliceamus, an opera noſtra occulta intentione perverſa non vitientur.

Tertiò: Quia aliæ hominum, alia Dei judicia; & propter occultam hominis ſuperbiam aut negligentiam, ſenſim Deus gratiam ſubtrahit, & hominem in peccatum ruere permittit, quod ipſemet homo non cognoſcit: quia multa homine non advertente opera intercurrunt, quibus vel per cupiditatem occultam, vel per infirmitatem, vel per imprudentiam, animam inquinat, neſciens ſæpe homo diſcernere de conſenſu ſuo, ut ſciat, an peccatum ſit, an veniale ſit, an mortale. Propter hæc etiam dixit Auguſtinus: *Va etiam laudabili vitæ hominum, ſi remotâ miſericordiâ diſcutias eam.* Auguſt. l. 9. Confeſſ. c. 30.

Ratio vero, cur Deus nolit nos habere omnimodam certitudinem de juſtificatione noſtra, eſt, ut ſemper ſolliciti ſecuritate non torpeſcamus; monet enim Apoſtolus: *Cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini.* 2. utilis timor iſte ad humilitatem continuam conſervandam. 3. curam, cautionem, majoremque diligentiam parit ſerviendi Deo, ut notat Hieron. & Auguſtin. Propter hujus utilitatem ſecreti, ne fortè quis extollatur, ſed omnes etiam qui benè currunt, timeant, dum nocultum eſt, quo perveniant, &c. B. Proſper l. de vocat. Gent. Philip. 2. Greg. l. 6. Epiſt. 22. Hieron. in c. 3. Joan.

Hinc B. Gregorius ſcribit ad Gregoriam cubicularem Auguſtæ. Aug. l. de correct. & gratia c. 13.

Quod in Epiſtolis tuis ſubjungis, tempus tuum mihi fore, donec ſcribam mihi revelatum, quod peccata tua remiſſa ſint, rem difficilem & etiam inutilem poſtulaſti. Difficilem quidem, quia ego indignus ſum, cui revelatio debeat fieri: inutilem verò, quia ſecura de peccatis tuis fieri non debes, niſi quando jam in vitæ tuæ die ultimo ea plangere non valebis, quæ dies quoad uſque veniat, ſuſpecta ſemper & trepida metuere culpas debes & eas fletibus lavare. Certè Paulus jam ad tertium Cœlum aſcenderat, & in Paradiſum ductus fuerat, & tamẽ adhuc trepidans dicebat: *Caſtigo corpus meum*, &c. Adhuc timet, qui ad cœlum ducitur, & timere non vult, qui adhuc in terra converſatur. Perpende ergo, dulciſſima filia, quia mater negligentiæ ſolet eſſe ſecuritas: habere ergo non debes in hac vita ſecuritatem, per quam negligens reddaris, quia ſcriptum eſt: *Beatus homo qui ſemper eſt pavidus.* 1. Cor. 9. 27. Proverb. 28. 14. In pauco ergo hujus vitæ tempore, mentem veſtram neceſſe eſt ut timor teneat, quatenus per ſecuritatis gaudium ſine fine poſtmodum exultet. Ita S. Greg.

PROPOSITIO II.

Poteſt tamen homo habere conjecturalem & probabilem quandam certitudinem de ſua gratia. *Probabiliter poteſt homo ſcire ſe in gratia eſſe.*

QUia probabiliter confidere poteſt, ſe feciſſe ea, quæ Deus requirit ad juſtificationem, & talem certitudinem requirit Apoſtolus in eo, qui com-

1.Cor.11. communicat: *Probet*, inquit, *ſeipſum homo.* Ecce hæc certitudo ſufficit ad tollendam conſcientiæ anxietatem, & ſtabiliendam in homine cordis pacem. Addo, quòd multi juſti adeo poſſunt proficere, ut moralem quandam certitudinem habeant, etiam ſine revelatione ſpeciali.

4.Reg.20 Talem videtur habuiſſe Ezechias: *Memento Domine, quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum eſt coram te, fecerim.* Sic D. Bernardus, dicit in Eccleſia eſſe ſpirituales viros, qui non tantùm fideliter, ſed & fiduciáliter agant cum Deo, quaſi cum amico loquentes: Ita ut poſſint dicere: *Dilectus meus mihi, & ego illi*, teſtimonium illis perhibente conſcientia.

Bernard. ſerm.96. in Cant.

Sufficiant ergo homini ad pacem interiorem ſtabiliendam, & anxietatem turbidam evellendam, probabilia teſtimonia. Inprimis, dum putat ſe moraliter feciſſe quod in ſe eſt, ad remiſſionem peccati poſcendam. Secundò, ſi poſt converſionem ſuam, ſentiat ſe interius onere gravi, quo premebatur & urgebatur, jam alleviatum. Tertiò, ſi odium peccati, & zelum ad illud in ſe & in aliis exſtirpandum agnoſcat in anima ſua, & timorem magnum offenſæ Dei. Quartò, ſi promptitudinem voluntatis agnoſcat ad bene operandum, & quæ Dei ſunt, exequendum, & veluc quandam gubernationem, & directionem paternam Dei, qua à peccatis gravioribus ſe cuſtodiat. Per hæc enim omnia, ſpiritus Dei teſtimonium quoddam probabile reddit ſpiritui noſtro, quòd ſimus filii Dei, ita ut clamor ille, de quo Apoſtolus: *In quo clamamus, Abba Pater*, colligatur probabiliter provenire ex filiali affectu, & ejus authorem eſſe ſpiritum inhabitantem.

Rom.8. 15.

Specialiter quibusdam revelatio facta de ſua juſtificatione.

Aliquibus tamen ſpecialiter hæc remiſſio revelata eſt. Sic per verbum ipſius Chriſti revelata fuit Magdalenæ, dum ei dixit: *Remittuntur tibi peccata tua.* Luc.7.v.47.

Exempl. de S. Eligio. Ribad. in ejus vita.

Revelata etiam fuit D. Eligio ſua juſtitia per vocem cœleſtem. De illo legimus, quod diuturno tempore repreſſus fuerit quadam ſpiritus anxietate. Opinionem ſibi impreſſerat, ſe eſſe de numero reproborum: Satan enim ei perſuadebat quidquid ageret, nihil ei profuturum, ſed finaliter tandem caſurum, nec peccati veniam obtenturum. Permittebat id Deus, ad patientiam ejus probandam. Duravit diu hæc anxietas, donec vice quadam dormienti ſuper lectum, cujus lintea cilicina erant, ad eum vox facta eſt cœleſtis, cum aſſecurans de peccatorum remiſſione & ſtatu gratiæ. Et ipſe ſtatim è ſtrato exiliens, ad hanc vocem, miram in anima ſua vitatem ſenſit & libertatem, depulſa omni anxietate, viditque ex Reliquiis ſactis, quas ſupra lectum ad tabulatum appenderat, mirè ſuavem liquorem defluere, in ſignum unctionis interioris, quam à Deo recipiebat.

Sophron. in Prat. ſpir.c.143

Exemplum aliud de Davide latrone refert Sophronius: David in Thebaide princeps latronum, innumero perpetrarat homicidia. Die quodam compunctus venit ad Monaſterium, & urget Abbatem ut recipiatur de numero Religioſorum. Egreſſus ad illum Abbas, videns quis jam ſenex foret, dixit ei: *Non potes hic manere, quia multos labores tolerare fratres, & multam abſtinentiam, cui tu aſſuetus non es, nec aptus.* Ille verò urgebat, offerens ſe paratum ad omnia. Abbas verò nolens eum recipere, dicebat: Non poteris ferre. Tum ipſe aperiens quis eſſet, dixit: Scias me Davidem eſſe famoſum illum latronum principem, & ideirco veni huc, ut deſleam peccata mea. Si autem me non ſuſcipis, ſub jurejurando proteſtor, ad priorem ſtatum redeo, & aſſumptis ſociis vos omnes interficiam, totumque evertam Monaſterium. Suſcepit ergo eum Abbas, eique religioſum tradidit habitum. Cœpit itaque in ſpirituali militia vetera nus tyro pugnare, & abſtinentia, obedientia, humilitate cunctos antecellere. Erant autem ferè 70. Monachi, & omnibus exiſtebat forma virtutis, & ſanctitatis exemplum. Die quadam ſedebat in cella, & facta eſt vox Angeli ad eum: *David, David remiſit tibi Deus peccata tua, & eris ex nunc ſigna faciens.* Reſpondit ille: *Credere non poſſum, quod tanta peccata, plura quàm arena maris, tam brevi tempore remiſerit Deus.* Cui Angelus: *Si Sacerdoti Zacharia non credenti, cùm filium promiſi, linguam vinxi, ſic faciam & tibi, eris ergo amodo non loquens.* Ille verò humi proſtratus, dixit: *Cùm eſſem in ſæculo nefaria ſcelera faciens, & humanum ſanguinem fundens loquebar, modò cùm ſervire volo Deo, & laudes illi offerre, tu linguam meam ligas?* Reſpondit Angelus: *Cùm pſallendum tibi erit, loquere, alioquin verè penitus tacebis.* Plurima ergo per illum Deus miracula oſtendit, recitabat Pſalmos, nec aliud verbum ullum proferre poterat. Ita Sophronius.

PROPOSITIO III.

Licet homo ſciret ſe juſtificatum certò, non tamen ſequeretur ipſum ſcire in juſtitia ſe perſeveraturum uſque in finem.

Noſſe hominem ſuam in juſtitia perſeverantiam.

I Deo unumquemque monet Apoſtolus 1. Cor. 10. *Qui ſtat, videat ne cadat.* Quam multos vidimus inquit Auguſtinus, aſcendiſſe uſque ad Cœlos, & veluc inter ſidera collocaſſe nidum ſuum, poſtmodum cecidiſſe uſque ad abyſſos. Vidimus ſtellas de Cœlo cecidiſſe ab impetu ſericantis caudæ Draconis. Vult ſignificare, etiam perfectiſſimos viros, & qui fulgebant per cœleſtem converſationem, tentatione dæmonis ſubverſos: *Ne glorietur accinctus, ſicut* 1.Reg.20 *aquè ut diſcinctus*, id eſt, ut non glorietur homo, dum adhuc in pugna eſt, & nondum quaſi triumphans ſibi præſumat, qui adhuc in periculo eſt. Aug.in Soliloq. c.29.§.2.

Nulla enim certitudo eſſe poteſt, nullus locus tutus, nullus ſtatus, nulla perſona ſecura. Quia cecidit Angelus è Cœlo: Adam è Paradiſo: Judas ex Apoſtolico Collegio: Saul cadit electus à Deo: David peccat inter Prophetas: Salomon inter Sapientes. Petrus inter Apoſtolos; Nicolaus inter primos

Digitized by Google

mos Diaconos. Omnia ſunt inſtabilitati ſubdita, nulla certitudo. Judas damnatur, Latro ſalvatur, Magdalena juſtificatur, Phariſæus reprobatur, Publicanus exauditur.

S. Greg. Joan. 5. Ad hanc rem confirmandam utitur D. Gregorius verbo Chriſti, Joan. 5. *Spiritus ubi vult ſpirat, & nescis unde veniat, aut quò vadat.* Spiritus, inquit, venit, & vadit, quia reprobos deſerit, electos aſſumit, & quia judicium Dei inſcrutabile eſt, unde veniat, & quò vadat, homo neſcit, quia ſciri non poteſt, an quis in gratia quam recipit, perſeverare debeat. Ab illo igitur qui defecit, venire Spiritus dicitur, ire ad illum qui perſeveraturus eſt, quia

Job. 41. 21. Greg. in illum locum. alios in tempore aſſumit, nec tamen deſerit.

Sic idem Gregorius interpretatur illud Job: *Sternet ſibi aurum quaſi lutum*, quod de Behemoth dicitur, id eſt, de diabolo, ad oſtendendam ejus potentiam & aſturiam. Per aurum ſanctitas vitæ, per lutum immunditia peccati deſignatur. Aurum quaſi lutum ſternere, eſt vitæ munditiam in quibuſdam per illicita deſideria conculcare: ut bi etiam ſordidis ejus veſtigiis ſerviant, qui contra illum prius virtutum ſplendore rutilabant. Ita Gregorius.

Salus ergo pendet à finali perſeverantia, & hæc ipſa à momento ultimo, de quo ſecuri eſſe non poſſumus.

Sicut tranſiens arctiſſimum pontem, licet magnam partem tranſierit, ſecurus tamen non eſt, quia in ultimo, ſi titubaverit, æque periculoſus caſus eſt: Sic & nos licet magnam partem vitæ rectè tranſegerimus, ſecuri eſſe non poſſumus: Sic timebat ipſe Apoſtolus, dum dicit: 1. Cor. 9. 27. *Caſtigo corpus meum, ne forte cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.*

Quid facient Agnus, ubi Dux gregis timet & tremit? O quot cæleſtes viri, gratiam & religionem & fidem deſeruerunt, qui in illa præclarè fuiſſemant, *qui nutriebantur in croceis*, id eſt, pane ſpirituali & cæleſtibus deliciis, *amplexati ſunt ſtercora*, luto peccati & carnis ſe immergentes.

Sicut ergò pertinet ad Dei miſericordiam aliquos dormientes, & velut cæcatos in peccatis, radio ſuæ lucis illuminare, vi vocis excitare, potenti manu miſericordiæ ſuæ erigere & ſtabilire ut patet in Magdalena, Paulo, & ſimilibus: Ita & ſpectat ad ejus juſtitiam, eos qui velut ſtellæ, gratiæ luce radiabant, in ſublimi perfectionis locati, permittere ut cadant, vel ob Præſumptionem, vel ob nobis incognitam cauſam, quæ ad ejus inſcrutabilia judicia ſpectat: Patet in Juda & Saule, & pluribus aliis *Tene ergo coronam tuam, ne alius accipias eam.* Apoc. 3. v. 11. Noluit Deus revelare noſtram in bono perſeverantiam, ut ſemper ſolliciti ſimus de bonis operibus, & ut ſemper ſub illo humiliemur, ſicut propter eandem cauſam, noluit à Paulo ſtimulum carnis auferre.

LECTIO XIII.

ARTICVLVS XI.

CREDO CARNIS RESVRRECTIONEM.

1. *Docet ex Scripturis veritatem Reſurrectionis.*
2. *Quàm facilis ſit Deo hæc Reſurrectio.*
3. *Per illam animatos fuiſſe Sanctos.*

PROPOSITIO I.

Univerſalis Reſurrectio manifeſtata eſt ex antiquo & novo Teſtamento. — *Reſurrectionis mortuorum veritas aſſeritur.*

CHriſtus illam probat in Evangelio contra Saducæos, ex illo quod Deus dicatur, *Deus Abraham, Iſaac, & Jacob*, ubi ſubſumit: *Non eſt Deus mortuorum, ſed vivorum*, ergò eſt reſurrectio mortuorum. Ubi adverte Saducæos non admiſiſſe reſurrectionem mortuorum ex erroneo principio, quo aſſerebant: *Non eſt Spiritus, aut Angelus, aut vita alia poſt iſtam vitam.* Exod. 3. 6 Luc. 20. 37.

Chriſtus ergo hoc principium falſum eſſe convincit ex illa ſcriptura, qua Deus nominat ſe Deum Abraham, Iſaac, & Jacob. Non eſt autem Deus mortuorum ſed viventium: Ergò illi vivunt, at non ſecundùm corpus, ergò ſecundùm animam ſive ſpiritum: Et ſic alia vita eſt poſt hanc vitam. Falſum ergò eſt veſtrum principium, ô Saducæi, & malè infertis ex illo, non eſſe reſurrectionem mortuorum.

Quod autem Chriſtus utatur illa ſcriptura, cùm ſint aliæ clariores: Ratio eſt, inquit Hieronymus, Quia Saducæi recipiebant quinque libros Moyſis, alios non, & ſic ex libro Moyſis eos convincit. Ipſi ergò negantes aliam vitam, conſequenter negare debebant hanc reſurrectionem. Et certè hi non abſimiles ſunt multi Chriſtiani, qui toti rebus hujus mundi immerſi, ita ſe gerunt, quaſi non foret alia vita, & quaſi verum foret illud: *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* Imò eodem modo loquuntur aliqui, quo Saducæi, dicunt enim neminem rediviſſe, qui nova referat de altera vita, quod falſiſſimum eſt. S. Hier. Iſa. 22. 13.

In primis rediit Lazarus, qui à Domino ſuſcitatus, multa ſecreta revelavit de inferis antea abſcondita, ut dicit Auguſtinus. Et cum ei revelata fuiſſent alterius vitæ mala, inferorumque pœnæ, nihil exiſtimavit omnia hujus mundi tormenta; ſed libenter ea toleravit, ad evitanda illa futuræ vitæ. Haud dubium quin mira retulerit de pœnis animarum: Unde & propter eum, ejuſque relata, multi crediderunt in Chriſtum. Certè vita ejus admodùm mirabilis fuit, poſtquam à Chriſto ſuſcitatus fuit. De illo enim legitur, quod ex eo tempore nunquam ridere viſus ſit. Quodque ſolum ſemel in die comederit, aqua & hordnaceo pane veſcens, Joan. 12. 17. S. Aug. in hoc. cap. Joannis. Joan. 12. 17. Melchior Flavius l. de ſtatu *Animarum poſt hanc vitam.*

veſcens, quem ſumebat circa veſperam, exceptis tribus anni ſolemnitatibus, in quibus aliquid vini ſumebat. Utebatur autem continuò cilicio, & terrâ nonquam lecto, ac lapide pro pulvinari. Maxima verò temporis parte plorabat miſeriam animarum, ad pœnas illas, quas viderat, deſcendentium. Poſt Chriſti mortem, diſperſis Apoſtolis, impoſitus fuit navi cum Martha & Magdalena ſine remis & velis, quæ Dei directione Maſſiliam appulit, ubi multis annis Epiſcopus fuit, martyrio poſtea affectus. Fuit autem crudeliſſimum martyrium; primò, quia lacerarus fuit toto corpore pectinibus ferreis, deinde veſte quadam ferrea, inſtar loricæ compoſita, tota ignea, veſtitus fuit. Gumque hæc patienter ferret, craticulæ ſuperpoſitus fuit, ſed ſubitò ab Angelis auxilium & refrigerium ibi habuit. Poſtea expoſitus fuit, ut ſagittis configeretur, ſed nihil eum lædere potuerunt in aëra elevatæ. Tandem denique caput ei amputatum eſt. Ita Melchior Flavius.

V. Iatius Ribad. & Surius.

Vides ergò quomodo nihili æſtimavit pœnas hujus vitæ, poſtquam viderat pœnas alterius vitæ. Itaque redivit Lazarus nuncians nobis quid in altera vita fiat. Rediverunt & alii, qui per Eliam & Elizæum ſuſcitati fuerunt: omneſque illi, qui per Chriſtum & Apoſtolos ſuſcitati ſunt

Redivit & ille Petrus, de quo in vita S. Stanislai, qui teſtimonium perhibuit de agro à ſe vendito coram Rege: cumque illi longiorem vitam impetrare vellet Stanislaus, dixit ille ſe in Purgatorio ad paucum adhuc tempus agere malle, quam vitam tot periculis & anguſtiis plenam agere, & ita eligere ſe ſecuritatem præ periculo, quod in hac vita eſt.

Redivit & Doctor ille famoſus Pariſienſis, inclamans: *Iuſto Dei judicio judicatus accuſatus, condemnatus ſum:* ita ut cauſa fuerit D. Brunoni, & ſociis ejus, in ſolitudinem pergendi, mundumque calcandi.

Libr. 1. Tract. 2. Ceſt. 25.

Redivit & ille Decanus Lingonenſis Epiſcopo dicens: *Age pœnitentiam, emenda vitam, corrige ſuperbiam: non enim eſt tam facile ſalvari ac dicunt homines.* Vide ſuprà.

Luc. 16. 29.

Sed etſi nullus rediviſſet, rectè tamen dicitur diviti illi, *Habent Moyſen, & Prophetas, audiant illos.* Habemus & nos Moyſen, & Prophetas quibus tenemur credere de inferno, de altera vita, de reſurrectione. Habemus & Chriſtum Doctorem, quem Jubet Pater nos audire. Habemus & ejus Apoſtolos, qui plurimis in locis aſſerunt hanc reſurrectionem. Manifeſta eſt Scriptura Joannis 5. 2. Corinth. 15. Matth 22. & aliæ plurimæ, quas brevitatis gratia pertranſeo.

Propositio II.

Reſurrectio hæc, quamvis naturalis difficulter apprehendat, Deo facillima eſt.

Reſurrectio hæc eſt Deo facillima.

PHiloſophis quidem ignota fuit Reſurrectio: Paulum enim irridebant in Areopago multi, cùm audiſſent Reſurrectionem mortuorum. Difficile illis erat intelligere, quomodo idem corpus, poſt tot tranſmutationes reſurgat, & eidem animæ uniatur. Sed ſi divinam omnipotentiam conſideremus, nihil eſt difficile illi qui ex nihilo corpus & animam poteſt creare. Unde Auguſtinus ſic ait: Non poterit Deo non obedire terrena materies, de qua mortalium creatur caro, ſed in quemlibet cinerem, pulverem reſolvatur, in quoslibet balitus auraſve diffugiat, in quamcunque aliorum corporum ſubſtantiam, vel in ipſa elementa vertatur, in quorumcunque animalium etiam hominum cibum cedat, carnemque mutetur, illi animæ humanæ puncto temporis redditur, quæ illam primitus animavit. Ita ille. Act. 17 v. 18. & 23. Auguſt. Enchir. cap. 38.

Unde hæc facilitas deſcribitur Ezech. 37. ubi conſtituitur Propheta in Campo pleno oſſibus mortuorum, & vox inquit ad me: *Fili hominis putaſne vivent oſſa iſta? Et dixi: Domine Deus tu noſti.* Et juſſus eſt Propheta clamare: *Oſſa arida audite verbum Domini: Ecce ego intromittam Spiritum in vos, & vivetis,* &c. *Et ſtatim ad ejus vocem, facta eſt ſonitus, & acceſſerunt oſſa ad oſſa, unum quodque ad juncturam ſuam, & nervi, caro ac pellis deſuper extenſa,* & illo iterum clamante: *A quatuor ventis veni Spiritus, flatim ſtuerunt ſuper pedes ſuos, exercitus grandis valde.* Quæ quidem Scriptura facilitatem Reſurrectionis indicat, & ſupponit. Ezech. 37. 3. Idem ibid. 7. Idem ibid. 10.

Hinc etiam Daniel de hac reſurrectione loquens, dicit: *De his qui dormiunt in pulvere, evigilabunt alii in vitam æternam, alii in opprobrium.* In qua Scriptura ſignificatur, tam Deo eſſe facilem reſurrectionem, quam ſit dormientis alicujus ſuſcitatio. Dan. 12.

Hinc Nicephorus, Metaphraſtes, & alii, putant miraculum illud de ſeptem fratribus, qui à tempore Decii Imperatoris, uſque ad tempus Theodoſii Junioris annis plus 177. in quadam caverna latuerunt, ſine corruptione, aut corporum, aut veſtium, quaſi ſomno aliquo obdormientes, à Deo permiſſum fuiſſe, ad certificandam veritatem hujus articuli reſurrectionis generalis corporum. Niceph. Metaph. Sur 27. Julii.

Hinc etiam S. Germanus Altiſiodorenſis Epiſcopus, cùm per Italiam tranſiret, vocatus ab Imperatrice pro gravibus negotiis, adiit ſepulchrum S. Caſſiani Martyris, qui aliquando Epiſcopus fuerat in Germania, & quaſi viventem ſic allocutus eſt. *Quomodo tibi eſt ô frater? Quantum ad animam æterna felicitate fruor, quantum vero ad corpus quieſcit hic uſque ad generalem Reſurrectionem.* Tunc Germanus. *Quieſce ergo frater ad id tempus, & roga Dominum, ut reſurgentes ad ſonum tubæ tecum poſſimus æterna beatitudine frui.*

Ad hanc rem etiam facit, quod typus reſurrectionis, & imago quædam in rebus etiam naturalibus, reperiatur, v. g. in ſemine morienre, & poſtea repullulante ac quaſi reſurgente. Unde Auguſtinus: Tota hujus mundi admiſtratio, teſtimonium eſt Reſurrectionis futuræ. Videmus hyemis tem-

tempore arbores ſpoliari pomis & foliis, ſed & verno tempore ſpeciem Reſurrectionis exprimere, quæ quidem incipiunt primò ſurgere in gemmis, ornari floribus, veſtiri foliis, poſtmodum pomis gravari. Interrogo te infidelis homo, qui de Reſurrectione dubitas, ubi ſunt iſta, quæ tempore iſto quo Deus diſpoluit, producuntur? Dic mihi ubi latitant, antequam producantur? Quæ nuſquam quidem videntur, ſed tamen Deus qui omnipotens eſt, ſecreta ſua virtute producit. Sic & herba quæ antè vixit & moritur, rurſus reviviſcit ex ſemine. Ita & noſtrum corpus reviviſcet ex pulvere. Hæc Auguſtinus.

Hydrargyrum eſt ſymbolum reſurrectionis.

Inter reſurrectionis ſymbola, etiam pulchrum eſt ſymbolum Hydrargyri, ſive argenti vivi; ſi enim in munitiſſimas arculas, & quaſi atomos manu diducas, ita ut in pulviſculos evaneſcere videatur, mox ut eos rurſum manu aſſocies, & conjungis, in priſtinam formam confluendo redeunt; & quaſi reviviſcunt.

PROPOSITIO III.

Hæc reſurrectionis fides ſolamen fuit inter afflictiones, & tormenta Martyribus & Sanctis.

Fides Reſurrectionis eſt ſolamen in afflictionibus & tormentis. Job.19. 27.

PAtet exemplo Job, qui in mediis afflictionibus ſic ſe conſolabatur. *Credo quod Redemptor meus vivit, &c. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo*, q.d. Hæc ſpes velut fagina Propheræ, omnem amaritudinem mihi ſuavem facit inter dolores.

Sic & Fratres Machabæi ac Mater, animum ſumebant inter tormenta ex hac fide.

Primus, cùm cutis capitis ejus cum capillis vi abſtraheretur, in ultimo jam ſpiritu Regi dicebat: *Tu quidem ſceleſtiſſime in præſenti vita nos perdis, ſed Rex mundi, defunctos pro legibus ſuis in æterna vita reſurrectione ſuſcitabit.*

2.Mach. 7.8.

Tertius linguam poſtulatus protulit citò, & manus conſtanter extendit & cum fiducia ait: *E cœlo iſta poſſideo, ſed propter Dei leges nunc hæc ipſa deſpicio, quoniam ab ipſo me ea recepturum ſpero.*

Ibid.11.

Ibid.14.

Quartus, inter eadem tormenta dicebat: *Potius eſt ab hominibus mortis datos ſpem expectare à Deo, iterum ab ipſo reſuſcitandos, tibi enim ad vitam reſurrectio non erit.*

Ibid.22.

Mater quoque ſingulos hortabatur fortiter eandem ſpem habens, & dicens: *Neſcio qualiter in utero meo apparuiſtis neque enim ſpiritum, & animam donavi vobis, & ſingulorum membra non ipſa compegi, ſed mundi Creator qui & ſpiritum vobis iterum cum miſericordia reddet & vitam.*

Jurius in ejus vita, & alii.

Ad hanc reſurrectionem reſpiciebat S. Jacobus dictus interciſus, natione Perſa, cum à Rege Perſarum ob fidem Chriſtianam comprehenſus foret, juſſit Rex ut omnia ei membra ſucceſſivè detruncarent, Ergò primo digiti manus dexteræ, deinde & ſiniſtræ truncati ſunt, ac ipſe ad ſingula tormenta benedicebat Deum, gratias agens quod eum amputaret quaſi vineam, ut poſtea repullularet ac refloreret, & fructum uberiorem ac ſuaviorem proferret. Poſtea pedum digitis, brachiis, & tibiis abſciſſis, in illis tormentis mirabiliter exultans, cum conſtantia clamabat: *Audi Domine Deus vivorum & mortuorum, cum non amplius manus quas ad te levare poſſim habeam, nec genua qua flectam, jube animam meam de hoc corpore ad te evolare.* Et poſt hanc orationem collum ei abſciſſum eſt, animaque ad Deum evolavit.

Sic B. Nicaſius Rhemorum Epiſcopus, occupata Urbe à Wandalis, in Templo orans repertus, cervicem gladio ſubdere eſt coactus, cum autem eum carnifex feriret, cœpit recitare verſum illum: *Adhæſit pavimento anima mea.* Caputque à reliquo corpore ſeparatum, ſpeciali miraculo verſum perfecit addens: *Vivifica me ſecundum verbum tuum*, ad vitam æternam & reſurrectionem reſpiciens Pſal.8.25.

Hinc & Apoſtolus ex eo probat reſurrectionem mortuorum, quod qui volunt piè vivere in Chriſto, perſecutionem patiantur; addens: *Si in hac vita tantum ſperantes eſſemus, miſerabiliores eſſemus omnibus hominibus.* q.d. Si in altera vita ſpes reſurrectionis hujus miſerabilis corporis non affulgeret, ut quid tantis illud afflictionibus exponeremus? Sed *expectamus Salvatorem Dominum noſtrum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ*, & in hac ſpe facilè quidlibet patimur: *Cunctis diebus quibus nunc militio*, inquit Job, *expecto donec veniat immutatio mea* ad ſtatum gloriæ & immortalitatis, *vocabis me, & ego reſpondebo tibi.* Sicut Lazarus vocatus mox ſurrexit. 1.Cor.15. 19. Philip.3. 20. Job.14. 14.

Sicut ergò agricola expectat fructum pretioſum terræ, inquit D. Jacobus, ex illis ſeminibus quæ videt putrefieri ſub terra, patienter ferens, donec accipiat fructum temporaneum & ſerotinum; ita & nos oportet uſq; ad adventum Domini patientes eſſe, & non contriſtari ſicut gentes, quæ ſpem non habent, ſed quam libet in corpore afflictionem, quaſi ſeminis putrefactionem ſuſtinere. Dicebat enim Propheta Abacuc: *Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat: ut requieſcam in die tribulationis, ut aſcendam ad populum accinctum noſtrum*, id eſt; Veniant in me omnia mala; ut ſi neceſſe fuerit, oſſa mea putredine impleantur, & caro mea vermibus ſcateat, dummodò hic à meis peccatis expiet, & in die illo ſeveriſſimi judicii ſecurus ſim, & ad eorum ſocietatem adjungat, qui cum Chriſto regnant, quos Deus accinxit & armavit, ut fœliciter contra omnes hoſtes, tentationes, perſecutiones dimicarent. Jacob.5. Abac.3. 16.

LECTIO XIV.

QUOMODO IDEM CORPUS RESURGAT.

1. *Docet idem numero corpus ſurgere.*
2. *Illud corpus reſurgens mutari in qualitatibus.*
3. *Corpora hic vitioſa, ibi ſore perfectiſſima.*

PRO-

Propositio I.

In hac reſurrectione erit idem numero corpus.

Reſurget idem numero Corpus.

HOc ſignificatur in eo, quod Articulus dicit: *Carnis reſurrectionem.*

Primò enim Carnis dicit, ut ſignificetur non poſſe animæ reſurrectionem, eo quod ſit immortalis.

Secundò dicit Carnis, & non corporis reſurrectionem; quia aliqui dixerunt fieri reſurrectionem in quodam corpore æreo non autem carneo. Significatur ergò illa pars hominis, quæ caro dicitur, quæ mox ubi homo expiravit, alget, ſtupet, mortua eſt, ſine ſenſu, ſine motu, ſine operatione, & quæ tranſeunte ſanguine & colore, tota vertitur in pus, atque putredinem, ita ut condi debeat ſub terra, & ſollicitè concludi, ne fœtore inficiat, & poſtea in cinerem redigatur.

Illa inquam pars, quantumlibet putrefacta & incinerata, aut quaſi in nihil redacta, iterum animabitur eadem anima, ut ſit idem homo tunc qui nunc, idem corpus, idem ſuppoſitum numero, eadem ſubſtantia individuo.

Job. 19. 26. Quod apertiſſimè dixit Job: *Rurſum circumdabor pelle meâ, & in carne meâ videbo Deum, ego ipſe, & non alius,* in eadem pelle, in eadem carne, & non alia, iiſdem oculis.

Hoc eſt, quod confiteri coactus fuit Eutychius Patriarcha Conſtantinop. qui contra veram corporum reſurrectionem librum ſcripſerat, quem Gregorius ad eum Legatus miſſus ita convicit, ut ejus librum Imperator Tiberius in ignem conjiceret, & quod docuerat ipſemet Eutychius, retractaret. Unde cum paulò poſt in morbum incidiſſet, inſtante morte, pellem manus ſuæ tenebat, multis præſentibus dicens: *Confiteor, quia in hac carne omnes reſurgemus.*

Hinc etiam eſt, quod Sanctorum corpora poſt mortem, & ipſos pulveres tanti vult fieri Deus à nobis, imò & ab ipſis Angelis: tum quia fuerunt organum Spiritus Sancti, tum quia ſunt æternitatis ſemina in illa reſurrectione animanda, & cum Chriſto in æternum regnatura. Quapropter ipſi Angeli Sanctorum corpora multum honorant. Sic habes de S. Catharina, quod corpus ejus ab Angelis in montem Sinai delatum fuerit; quodque ipſi Angeli ibi ejus exequias cum miro jubilo celebraverunt, & ſepelierunt, ex quo loco dulcis liquor emanabat medela omnium infirmitatum.

Sur. in vita S. Catharinæ 25. Nov.

Sic & de corpore S. Clementis legimus, ædiculam marmoream in Templi forma, & arcam lapideam, ubi Martyris corpus erat, Angelos concinniſſe; cùm juſſu Trajani in mare dejectum fuiſſet, anchoræ alligatum. Et hoc iterum ſpecialis miraculi acceſſit, quod mare ad tria milliaria receſſerit, ita ut poſſent accedere Chriſtiani ad hanc ædiculam. Nec ſolum hoc anno, ſed ſingulis annis, ſeptem diebus recedens mare, liberum tranſitum ad illam Capellam dabat; ipſo ſcilicet die Martyris, & aliis ſequentibus diebus, quo peregrinantium innumera multitudo concurrebat. Sic Deus per Angelos, & per nos, vult honorari corpora & cineres Sanctorum, tanquam æternitatis ſemina, in reſurrectione animanda.

Idem Surius 23. Nov.

Celebrant Poloni S. Stanislaum, & in Breviario Sanctorum ſuorum habent, quod cùm eum trucidaſſet Boleslaus Rex, mox miniſtros Regis ex rabie corpus diſſecuiſſe in 72. partes, eaſque canibus & avibus devorandas projeciſſe. Verum cœlitus advolantes Aquilæ S. Corporis cuſtodes & tutores fuerunt. Poſt biduum clerus animos relumens, Epiſcopi ſui membra requiſivit & compoſuit. Res mira! Dei virtute factum eſt, ut illicò ita ſimul concrecerent, ac ſi nunquam divulſa fuiſſent. Digitus unus deerat, ſed neciſum quidem diu latere paſſus eſt Deus. Lucerna cœleſtis eum in vicinam piſcinam conjectum, & a piſce devoratum demonſtravit, quem exenterantes, digitum exemerunt, ſuoque loco reſtituerunt. Quaſi ſimilis hæc viſio viſioni illi quam vidit Ezechiel, dum vidit oſſa oſſibus, carnem carni, membra membris ſociari, argumento aperto reſurrectionis futuræ. Sic Deus cuſtodit oſſa Sanctorum, unum ex his non conteretur. V. Brev. Roman. 8. Maj.

Propositio II.

Licet idem ſit corpus in Reſurrectione quoad ſubſtantiam, erit tamen immutatum quoad accidentia.

Corpus idem reſurget in ſubſtantia mutabitur in accidentibus.

RAtio eſt, quia corpora gloriosa habebunt quatuor dotes, quæ nominari ſolent, *Impaſſibilitas, Claritas, Agilitas, Subtilitas.*

1. *Impaſſibilitas*, præſtat corpori, ne corrumpi poſſit, pati aut affligi.

2. *Claritas*, efficit ut fulgeant tanquam Sol, cujus ſplendoris ſpecies in Transfiguratione apparuit.

3. *Agilitas*, efficit ut corpus omni onere aggravante liberatum, pro animæ nutu, citiſſimè moveatur & ſtatim ſine mora ſit, ut anima voluerit.

4. *Subtilitas*, efficit ut corpus ad nutum animæ cuncta poſſit penetrare, nullo ei corpore obſtante; & hæc gloria corporis ab animæ gloria derivabitur.

De hac conditionis corporum diverſitate Apoſtolus dicit: *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione, ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria, ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute, ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale.* 1. Cor. 15. 42.

Sumit ſimilitudinem à grano quod reconditur ſub terram, & velut ſepelitur ut reſurgat cum fructu: Sic & corpora noſtra conduntur & fodiuntur ſub terram ut fructificent: *Seminantur ergò in corruptione*, ita ut corrumpantur & putrefiant ſicut & alia ſemina; ſed ſurgent de terra in corruptione, id eſt, integra & incorruptibilia.

Secundò *ſeminantur in ignobilitate*, adeo ut quantumlibet nobilia, generoſa, aut illuſtria, tamen poſt mortem fiant prorſus ignobilia, uſque ad abominationem & fœtorem intolerabilem: ſed ſurgent in gloria, quia planè erunt illuſtria & glorioſa

rioſa intus & foris, in oculis omnium, in ſubſtantia, in qualitatibus.

Tertiò, *ſeminantur in infirmitate*, ita ut nulli prorſus actioni reſiſtere valeant, ſed cedunt omni contrario ad incinerationem uſque; ſed ſurgent in virtute, quia tantæ erunt potentiæ, ut à nulla re mundi lædi poſſint, aut debilitari, aut concludi, aut arctari, aut vinci.

Quartò *ſeminantur animalia*, id eſt, qualificata ut corpora reliquorum animalium, ſed ſurgent ſpiritualia, non amplius erit corpus animale, quia alimentis & officiis vegetantis animæ ultra non indigebit, nec ultrà ſerviet paſſionibus illis affectuum animalium. Ideò ergò ſpirituale, quia prorsùs ſubditum ſpiritui, ut non amplius ſit rebellio legis mentis, & legis quæ eſt in membris & quocumque præceſſerit ſpiritus effectu, illuc ſtatim ſequantur virium corporalium affectiones, nec in ullo retardabit moles corporis affectiones glorificati ſpiritus; quod erat in homine antea multæ miſeriæ & imperfectionis. Item ſpirituale dicitur, quaſi qualitates & dotes ſpirituum cœleſtium participans, quia ſine pondere aggravante erit ut ſpiritus, agile ut ſpiritus, quocumque voluerit, pergens ſine mora ut ſpiritus, ſubtile ut ſpiritus, adeò ut nihil ei non pervium ſit, quantumlibet durum aut ſolidum.

Phil. 3. 21. 1. Cor. 15. 49.

Hæc verò omnia erunt, quia tunc conformabit nos Chriſtus *corpori claritatis ſuæ*, ut *ſicut portavimus imaginem terreni* Adam in hoc mundo, *ita & portemus imaginem cœleſtis* hominis Chriſti in altero ſæculo. Portamus enim per nativitatem carnis imaginem terreni Adam, ſimiles illi in mundo, vitæ & naturæ qualitate, quoad affectiones & paſſiones, impulſus, officia, inclinationes, figuram, ſtaturam, incrementa denique & elementa ætatum: Portabimus autem tunc per reſurrectionem, imaginem cœleſtis Chriſti ſcilicet reſurgentis, habentes corpus configuratum corpori claritatis ſuæ, ſpirituale, immortale, ſine affectionibus, paſſionibus, officiis carnis & ſanguinis, animalibus & inordinatis; ſi tamen etiam hic portaverimus in eadem carne imaginem Chriſti præeuntis ſecundum virtutem.

PROPOSITIO III.

Corpora hic vitioſa ibi erunt perfectiſſima.

Corpora hic deformia, ibi perfectiſſima erunt.

DOcent enim Scholaſtici, divinâ poteſtate quicquid ſuperfluum fuerit aut vitioſum reformandum in corpore. Undè non erit ibi aliquis gibboſus, claudus, deformis, luſcus: ſtatura verò varia erit, cuique illa quam in flore ætatis habere debuiſſet: Si tamen naturæ vitio nimia brevitas, aut proceritas contigiſſet, reformabitur. Undè Gigantes & Pygmæi decentem ſtaturam recipient.

Ad Epheſ. 4. 13.

Docent quoque reſurrectionem futuram in ætate, qua Chriſtus reſurrexit, ex Apoſtolo: *Donec occurramus in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.*

Quod autem dicit *in virum perfectum*, non ſequitur, non fore ſexum fœmineum, ut aliqui voluerunt, ſed nomen viri accipit Apoſtolus pro homine, ut habet Auguſtinus. Undè Chriſtus non negat ibi fore uxores, & nuptas. Erit ergò diſtinctio ſexus, ut in eodem corpore triumphent, *in* quo debellarunt carnem, dæmonem, mundum, hoc enim cedet in magnam gloriam Virginum, quando in corpore tenero, & imbecilli relucebit tanta virtus & victoria. Alias quomodo poſſet cognoſci gloria Matris Dei, niſi in corpore fœmineo reſurgat?

S. Auguſt. lib. 18. de Civitat. c. 22. Matt. 22.

Quod verò allegant aliqui, omnes ibi dici ſimiles Angelis Dei, hoc ſecundum Hieronymum intelligendum eſt, quoad immortalitatem, & beatam Dei contemplationem.

S. Hieron.

Voluit Deus hanc corporum perfectionem poſt reſurrectionem, indicare velut in imagine, in quibuſdam corporibus Sanctorum, miro ea decore poſt mortem exornans, ultrà quam in vita habuerant; & ea ab omni corruptione præſervans poſt multa annorum curricula.

Sic habemus de corpore S. Martini, quod poſt mortẽ repertum fuerit, habens faciem quaſi Angeli.

Mirabile eſt, quod de Franciſci corpore memoriæ proditum eſt, ſtare illud nullis humanæ induſtriæ fulcris ſubnixum, ſolâ divini Spiritus viſuſtentatum: facie totâ, oculis & manibus junctis in cœlum ſemper intentum ſupplicantis in modum; nulla vetuſtatis vi debilitatum, nulla temporis injuria parte aliqua incurvum. Id profectò tanti eſt; ut cum ſit viventium ſtare, mortuorum procumbere, nemo tamen vivens per annum perſtare poſſit immobilis in precibus.

Bozius de ſignis Eccleſ. l. 15. c. 9.

Sic Corpus S. Cæciliæ à Clemente VIII. integrum repertum eſt noſtris temporibus, poſt nongentos & amplius annos.

Sic & apparuit in corpore S. Huberti, cùm decimoſexto anno poſt ejus obitum translatum fuit. De quo ſic refert ejus diſcipulus, & familiaris. Introſpicientes glorioſum ejus corpus, nulla detrimenta paſſum, illæſum à diſſolutione & putredine reperetrunt, & pro putredine aromatum mirifico odore fervere. Caput ejus perluſtrantes, vident vultum ejus ſudore perfuſum, & velut noctis opacæ roſcidulis perfuſum guttulis: coronam verò capillorum alteram prorſus ab omni læſione, ea ſpeciemque auctam & prolixitate & pulchritudine, neque enim eandore ſenili albebat, ſed colore & viſione ſui, juvenis caput repromittebat. Eſtque opinio in ejus Monaſterio, nunc quoque eſſe integrum illæ ſumque, ita ut ſolo corporis ſopore detineti dicerentur. Ita apud Surium & Baronium.

Surius in vita S. Huberti 3. Novem & Baron. tom. 9. ann. 771.

Sic de B. Eadmundo, Anglorum Rege Martyre ſcribit Abbo Floriacenſis Abbas. Cùm ejus corpus putrefactum putaretur, ob diuturnum ſpatium, plenè tamen ſanum & incolume eſt repertum, & cum caput ei abſciſſum fuiſſet in martyrio, ipſum inventum eſt redintegratum & compaginatum corpori, & in eo nihil omninò vulneris, nihil cicatricis,

tricis, ſed integer, & viventi ſimillimus, exſpectans beatæ reſurrectionis præmium ſepromiſſum. Tantum in ejus collo, ob ſignum martyrii, rubet una tenuiſſima ruga in modum fili coccinei, ſicut teſtari erat ſolita quædam beata fœmina, quæ apud ejus ſacroſanctum tumulum jejuniis & orationibus vacans, multa tranſegit annorum curricula. Cui venerabili fœminæ, aut divinâ revelatione, aut nimiâ devotione, mos inoleverat, ut patefacto B. Martyris ſepulchro, quotannis in die Dominicæ Cœnæ, ejus attondendo præciderat capillos & ungues, quæ omnia diligenter colligens, & in capſella recondens, non neglexit, quamdiu vixit, excolere mirâ affectione, poſita ſuper altare Eccleſiæ, ubi adhuc reſervantur debitâ veneratione. Hujus Edmundi caput amputatum, cum ab impiis miniſtris, in loco ſentibus horrido, occultatum fuiſſet, nec diu conquiſitum inveniretur, ipſumnet edidit vocem, inquirentibus quonam loco foret. Et Deus illi immanem lupum providit cuſtodem, qui excubias impendebat Martyri, ne ab aliqua bellua læderetur.

Quantum ad corpora damnatorum, immortalia erunt, & juxta plurimorum ſententiam, etiam erunt quantum ad membra perfecta: etiamſi enim antea fuiſſent mutila aut deficientia in aliquo, tamen reſtituentur quoad integritatem, in illa ſcilicet integritate, quam ſecundum naturæ curſum habere potuiſſent. Non ergò erunt gibboſa, ægra, aut manca. Neque tamen id vertetur eis ad aliquam conſolationem, ſed potiùs ad pœnæ augmentum, quia in illis punientur. Sicut & quod immortalia futura ſint, ac tamen ſimul paſſibilia, hoc eis juſto Dei judicio in pœnam vertetur, quia vivent in æternum vitam naturæ, & quærent mortem, & fugiet ab eis. Vitam ergò agent, ſed miſerabilem, ita ut in æternum relucere debeat in eorum pœnis oſtenſio juſtitiæ divinæ, ſicut ſempiterna Dei bonitas in præmiis juſtorum. Ideò verò integra erunt, quia a Deo reproducentur, inquit Divus Thomas, cujus opus ſolet perfectum eſſe, quantum ad integritatem, quæ eis debetur ex principiis naturæ. Interim manebunt hæc corpora ponderoſa ut priùs obſcura, paſſibilia, miſera, gravia; quia hæc non excluduntur, niſi per dotes gloriæ, & otiuntur ex principiis naturæ, & ſunt defectus connaturales corpori.

D. Thó. in ſuppl. q. 80. art.

LECTIO XV.

DE CIRCUMSTANTIIS RESURRECTIONIS.

1. *Docet quomodo hanc Reſurrectionem præcedet Tuba.*
2. *Quis locus Reſurrectionis futurus ſit.*
3. *Quo tempore futura ſit Reſurrectio.*

PROPOSITIO. I.

Hanc Reſurrectionem præcedet Tuba. Hinc illud: *In momento, in ictu oculi, in noviſſima Tuba.*

Circumſtantiæ Reſurrectionis.

ET vocatur vox Archangeli, & tuba Dei, non quod duæ voces ſunt emittendæ, ſed idem eſt, ac ſi dicatur: *In voce Archangeli*, quæ erit tuba Dei, dicituſque Dei per Hebraiſmum, id eſt, maxima, & maximè ſonora per totum mundum audienda, ſicut dicuntur *Montes & Cedri Dei*, id eſt, altiſſimi.

1. Tuba præcedet eam. 1. Cor. 15. 52. 1. ad Theſſ. 4.

Secundò, quia Deum Judicem præibit, ſicut tuba Regem, vel Imperatorem.

Tertiò, dicitur Dei vox, quia magnifica & terribilis, inſtar tonitrui, taliſque qualis decet Majeſtatem divinam. Unde tubæ hujus typus fuit tuba illa Angeli, in Sina Decalogum proclamantis. Vocatur verò hæc tuba noviſſima, quia poſt tubas ſeptem Angelorum, plagas maximas orbi inducentium, hæc ſequetur ultima. Non verò exiſtimanda eſt fore realis tuba, ſed erit vox quaſi tubæ, ſenſibiliſque clangor per aeris colliſionem, imperio Chriſti ab Angelo formatus, unde & dicitur vox Filii Dei, quia licet miniſterio Angelorum, juſſu tamen ejus formabitur. Imò dicitur vox Archangeli, quem putat D. Thomas fore Michaelem; qui juſſu & vice Chriſti eſt Præſes Eccleſiæ, ſicut & olim Synagogæ. Alii exiſtimant fore Gabrielem, ut ſicut Primum adventum nunciavit Virgini, ſic & ſecundum mundo. Hæc verò tuba Archangeli virtutem & efficaciam habebit, etiam circa alios Angelos, qui huic operi erunt miniſtraturi. Sicut dicitur Matthæi 24. *Mittet Angelos ſuos cum tuba & voce magnâ, & congregabunt electos ejus à quatuor ventis.*

Exod. 19. Apoc. 8. & 9. D. Thō. Matth. 24. 31.

Hæc ergò erit noviſſima tuba, quia hæc erit noviſſima convocatio omnium, non ſolum electorum, ſed & reproborum. Cecinit olim tuba, ſivè vox Dei, per origanum Moyſis & Prophetarum ad convocationem filiorum Iſrael: Cecinit & per Angelum magni conſilii, id eſt, per Chriſtum & Apoſtolos, ad convocationem omnium hominum, ad ſalutem Evangelicam, & ad hæreditatem ſalutis. Canet denique adhuc ſemel, & erit noviſſima ac generaliſſima convocatio omnium ad judicium Dei, & erit ſignum in perfectionem (ſicuti tuba erat *Numer. 10.*) Angelis de Cœlo, dæmonibus ex inferno, hominibus e mundo. Erit que ad terrorem ſicut in bellis, quia ad illam *armabitur omnis creatura contra inſenſatos.* Si ergò quæras, ad quem finem canet tuba? Reſp.

Num. 10.

Primò, ut faciat Angelos paratos, ut ſtatim colligant cineres eorum, qui reſurrecturi ſunt. An verò ſoli Angeli boni, vel etiam mali, huic operi ſint miniſtraturi, incertum eſt; aliqui enim putant damnatorum cineres, à dæmonibus, qui eos vicerunt, colligendos, Juſtorum verò a SS. Angelis eorum Cuſtodibus. Verisimile tamen eſt, quod ſicut omnium

omnium resurrectio à Christo fieri debet, ita & hæc præparatio, à propriis ejus ministris.

Secundò, ut omnes excitet à mortuis, citetque ad
Joan. 5. 28 judicium. Unde *audient illam qui in monumentis*
Joan. 11. 43. *sunt & vivent*, quia dabit voci suæ vocem virtutis Christus, sicut cùm exclamaret: *Lazare veni foras*, statim prodiit mortuus. Audient; id est, sentient vim vocis, vel obedient, quoniam Deus vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.

Num. 10. 10. *Tertiò*, ut electos vocet ad solemnitatem & lætitiam beatæ æternitatis, instar tubæ quæ Hebræos vocabat ad festa.

S. Anfel. *Quartò*, ut terreat reprobos, & vocet electos ad bellum, ut reprobos deturbet in gehennam, erit enim quasi classicum militare. Ita Anselmus.

Hæc ergò tuba, tuba terribilis erit, quando unus assumetur, alter relinquetur, quæ sæpius resonare
S. Hieron. deberet in auribus nostris. Sic B. Hieronymus dicere solebat: *Sive comedo, sive bibo, sive quid aliud facio, semper insonare videtur auribus meis tuba illa terribilis surgite mortui, venite ad judicium.* De qua
Idem ep. ad Heliodorum. etiam tuba ipse agit in epist. ad Heliodorum sub finem: Veniet inquit, veniet illa dies, quando mortale hoc induet immortalitatem. Tunc ad tubæ vocem pavebit terra cum populis, & tu gaudebis. Judicaturo Domino lugubre mundus immugiet, tribus ad tribum pectora ferient: potentissimi quondam Reges nudo latere (hoc est suis aulicis & satellitibus destituti) palpitabunt. Ad vocem tubæ hujus exhibebitur tunc cum prole sua Venus, adducetur & ignitus Jupiter. Adducetur & cum suis stultus Plato discipulis. Aristotelis argumenta non proderunt. Tunc tu rusticanus & pauper exultabis, & dices: Ecce crucifixus Deus meus: Ecce Judex qui obvolutus pannis in præsepio vagiit: Hic est fabri filius. Hic qui matris gestatus sinu fugit in Ægyptum, hic vestitus coccino, hic coronatus spinis. Hic dæmonium habens & Samarites. Cerne manus Judæ quas fixeras. Cerne latus Romanæ quod foderas: Videte corpus, an idem sit quod decebatis clam discipulos suffulisse. Dilectio me compulit fatear, ut hæc tibi dicerem, ut his tunc interesse contingat, pro quibus nunc labor durus est. Ita Hieronymus.

PROPOSITIO II.

2. *Locus Resurrectionis incertus.* *Locus hujus resurrectionis est incertus, pendens ob admirabilis Dei providentia.*

ALiqui putant, tam bonos quàm malos omnes, in eodem loco in valle Josaphat resurrecturos, ubi judicandi sunt: sicque Angelos imperio Christi cineres universamque materiam, ex qua corpora hæc formanda erunt, illuc congregaturos, quod potuerunt motu celerrimo & brevissimo tempore. Hos cineres ibi in momento animabit Deus, sicque resurgent. Ita loquitur Sotus.

Alii verò dicunt cineres coacervandos ad duo loca, in uno coacervabuntur cineres justorum ut resurgant, in altero damnatorum, juxta illud Matthæi: *Exibunt Angeli & separabunt malos de medio* Matth. 13. 49. *justorum.* Hæc enim separatio videtur fore ante resurrectionem, nam post resurrectionem non est necessaria separatio per Angelos, quia ipsi Sancti virtute & agilitate sua rapientur in aëra, & à reprobis secernentur.

Richard. Alii dicunt singula corpora resurrectura in illo loco ubi fuerunt; & si in diversas partes sint sparsa, ubi major vel præcipua pars fuerit, ibi adducentur & reliquæ. Ita Richard.

Ita resurrectio fiet ut plurimum in sepulchro, quod videtur conforme scripturæ Joan. 5. *Omnes qui* Joan. 5. 28 *in monumentis sunt, audient vocem filii Dei & procedent, &c.* Sic qui cum Christo surrexerunt, exierunt de sepulchris; & de sanctis Petro & Paulo
S. Chrys. Chrysostomus ait: *Non ita Cœlum splenduit, quando sol radios emittit, sicut Roma duas illas Lampades ubique terrarum effundens. Hinc rapientur Paulus, illinc Petrus, quale spectaculum visura est Roma, Paulum repentè ex hoc illa cum Petro resurgentem in occursum Domini sursum ferri.* Sic ergò explicando, advertendum est: reprobos à dæmonibus subitò portandos ad locum judicii, & quasi invitos ac coactos trahendos. Justi verò virtute sua ferentur quo eos Custodes Angeli duxerint, & sic tam boni quam mali congregabuntur Angelorum ministerio.

RPOPOSITIO III.

Tempus quoque quo fiet hæc resurrectio, incertum nobis manet.

ALiqui putant fore hora matutina, qua Christus etiam resurrexit, & hæc est communior opinio Theologorum. Quia cum Christus sit exemplar nostræ resurrectionis, verisimile est illo tempore nos suscitandos quo ipse. Unde Anselm. in Elucida-
S. Anfel. in Elucidario. rio dicit, resurrectionem futuram in die Paschatis: &
S. Macar. in homil. 6. & 12. significavit Macarius dicens futuram tempore Aprilis, quando omnia florere incipiunt.

Confirmatur ex eo quod tempus lucis sit magis commodum, tum ad judicium, tum ut omnes homines possint naturali modo sine miraculis se mutuo videre; spectareque videntur ad bonorum gloriam, ut tempore lucis resurgant.

Alii dixerunt Resurrectionem fore intempesta
Aug. lib. 83. q. 57. Ambros. lib. 8. in Luc. c. 17. nocte ex illis verbis; *Media nocte clamor factus est*, &c. Et ita sentit Hieronymus Matth. 5. Et Augustin. Ambrosiusque circa illa verba: *Erunt in illa nocte duo in lecto.*

Afferri etiam potest figura egressionis filiorum Israel de Ægypto, quando media nocte Angelus descendit, Ægyptios percutiens, & Israelitas è servitutis jugo liberans. Hæc tamen non convincunt, quia dum Scriptura loquitur quasi de resurrectione aut judicio futuro in nocte, vult solùm significare, mundi consummationem illo tempore futuram, quo erunt homines securiores, & quasi obliti talis diei; & sæpè loquitur, non tam de hora resurrectionis, quàm de hora mortis, cùm noctis facit mentionem.

Digitized by Google

LECTIO XVI.

ARTICVLVS XII.

CREDO VITAM ÆTERNAM.

DE VITA ÆTERNA.

1. *Docet omnes nos creatos eſſe ad æternam vitam.*
2. *Docet ad ejus deſiderium dupliciter nos impelli.*
3. *Docet Deum dare nobis auxilia ſufficientia ad illam.*

Vita æterna ſcopus eſt totius religionis noſtræ.

HIc Articulus ponitur ultimus, quia fides vitæ æternæ ſcopus eſt totius Religionis Chriſtianæ, & finis quem ſperamus, & cui ſuſpiramus: ideoque in illum frequenter mentis noſtræ oculos figere debemus, ut ab illo non excidamus. Qui unum claudit oculum melius ſcopum attingit: Sic ſi terrenis oculum unum claudamus, alterum cœleſtibus aperientes, non aberrabimus.

Dan. 6.10 Daniel cùm in Babylone captivus foret, *ingreſſus domum ſuam, feneſtris apertis in cœnaculo ſuo contra Ieruſalem, ter in die flectebat, & adorabat.* Nos in Babylone ſumus, ſed conjicere debemus oculos, non ad Babylonem, ſed ad Jeruſalem. Intremus ergò ſuperiorem partem domus noſtræ, ibi tres ſunt feneſtræ, tres animæ potentiæ, ſpectantes verſus Jeruſalem cœleſtem; per illas proſpiciamus, ut nunc in ſpe exultemus, & quæ Babylonis ſunt, contemnamus. Ut verò plenius intelligatur, quomodo ad Jeruſalem, & vitam illam æternam creati ſimus, id plenius declarabunt ſequentes Propoſitiones.

PROPOSITIO I.

S. Aug. li. 1. Confeſſ. c. 1. *Omnes creati ſumus ad illam æternam vitam.* Ideo dixit Auguſtin. *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.*

ESt enim finis noſter ipſe Deus, eſt centrum noſtrum. Sicut ergò unum quodque ad finem ſuum, centrumque tendit quodam pondere naturæ; Ita quodam pondere à Deo inſito, tendit hominis cor ad Deum tanquam ad centrum. Propterea dixit Propheta in perſona electorum: *Quid mihi eſt in Cœlo, & à te quid voluì ſuper terram, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Rectè interrogatus quidam Philoſophus, quid in hoc mundo ſummum foret: Reſpondit, *Cor hominis*: Verè enim mundus totus minor eſt corde noſtro, quia omnia creata ejus non explent capacitatem, ſed ſolus Deus. Hoc ſatis ſignificavit Salomon, qui fatetur ſe opes habuiſſe, & delicias, voluptateſque omnes, imò & ſapientiam præ omnibus Regibus, cumque cor omni voluptate frui permiſiſſet, poſtea tamen inclamare cogitur: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Et fatetur, ſe in omnibus quæ ſub Sole ſunt, nihil reperiſſe niſi laborem, afflictionem & vanitatem; ſicis ſignificans, nihil poſſe cor noſtrum ſatiare, niſi bonum infinitum, & ſolum illum qui eſt *Deus cordis.*

Idem fatebatur Auguſtinus, qui poſtquam per varias voluptates divagatus fuiſſet, & a Deo receſſiſſet, tandem ad ſe reverſus, inclamat: *Verſa & reverſa, in tergum, & in latera, & in ventrem* (inſtar febricitantis qui ex diverſa corporis compoſitione, ſolamen ubique quærit;) *dura ſunt omnia: Sed in ſolus* Domine *requies.* Aug. l. 6. Confeſſ. c. 16.

Itaque Deus creavit hominem, ut ſummum bonum intelligeret, intelligendo diligeret, diligendo poſſideret, poſſidendo frueretur: Ergò in Deo ſolo locus quietis eſt; & imago divinitatis quæ eſt in homine, non quieſcet, donec primo ſuo exemplari conjungatur.

Intelliges hoc per ſimilitudinem à mari deductam. Omnia flumina inceſſanter fluunt, & tandem per varios circuitus ad locum unde exierunt, refluunt: Et mare eſt locus, unde oriuntur, & locus in quo quieſcunt; quia omnis eorum motus illuc tendit, ut ſuæ reddantur origini. Sic ergò eſt & homo reſpectu Dei, inquietus eſt, donec illi uniatur: & quia exivit a Deo per creationem, non quieſcet, donec ad eum refluat per glorificationem.

Habet homo hoc deſiderium vitæ æternæ ſibi ab initio infixum, eſtque quaſi ignis quidam ſacer, qui ſæpius ſcintillas quaſdam emittit, niſi planè vitiorum pondere obruatur. In multis jam à prima ætate, ſcintillas ignis hic ſacer excitat: affectus ſcilicet pios, deſideria ferventia animæ, ad illam vitam, ad illam æternitatem ſuſpirantes, & cor inflammantes.

Thereſia de ſe in vita ſua c. 1. De ſeipſa fatetur id ſancta Mater Thereſia. Cùm, inquit, ætatis forem octo annorum, mirum in me affectum ſentiebam ad legendas vitas Sanctorum, eratque mihi frater parvulus ejuſdem mecum affectus. Intelligens autem ex illa lectione, quomodò Martyres pro amore Dei multa paſſi forent, nihilominus judicabam eos levi pretio vitam illam æternam, & Dei fruitionem emiſſe. Unde & ego in me ſentiebam deſiderium moriendi pro Chriſto, ut his poſſem bonis frui, quæ legebam illis in Cœlo reſervari. Itaque agebam cum fratre meo de mediis, quibus ad illa pertingeremus, & agebamus de itinere aggrediendo ad Mauros infideles eleemoſynam petendo, ut ipſi nos propter fidem tandem necarent. Et certè videbatur nobis animus eſſe ſufficiens in illa etiam ætate, niſi impedimentum adverteremus à parentibus, quibus ſubditos nos agnoſcebamus. Id verò quod maximè admirabamur, erat, quod ſæpius legeremus vitam illam & gloriam, quæ manet Sanctos, æternam eſſe. Hinc ſæpenumero de hoc colloquentes cum ſuavitate & ſpirituali guſtu illud repetebamus, *In æternum, in æternum, in æternum.* Et diuturno tempore id pronunciantes flammam interiorem ſentiebamus. Sicque placebat Deo, ut jam in illa ætate, via veritatis imprimeretur cordibus noſtris. Ita illa.

Sic,

Digitized by Google

Sic quoque multi adoleſcentiæ ſuæ initio perſentiſcunt lucis cujuſdam divinæ radiunculos, & bonorum deſideriorum ſcintillas, ad illam beatam æternitatem animum inflammantes. Sed adoleſcentia incauta hanc lucem, & hunc Dei ſpiritum, cor ad Deum excitantem, facilè extinguit vanitatibus, vitiis, ſocietate prava, aliiſque impedimentis, quæ ſcintillas has velut aquarum copia inundans, extinguunt & obruunt. Propterea ſero aliquando illius rei memores, coguntur uſurpare illud Job: Utinam

Job. 29.2 *ſim ſecundum dies priſtinos, quando ſplendebat lucerna ſuper caput meum, & ad lumen ejus ambulabam in tenebris, ſicut fui in diebus adoleſcentiæ meæ, quando ſecretò Deus erat in tabernaculo meo.* Itaque, ô Adole-

1. Theſſ. 5. ſcentes, *Spiritum nolite extinguere*, ait Paulus, hoc eſt, afflatum, impulſum, lucem Spiritum Sancti in tenera ætate exorientem, ſpiritu malitiæ, carnalibus deſideriis, otioſa vita, nolite extinguere. Dum vocat Oriens, nolite attendere ad Occidentem, ut loquitur Bernardus. Et vos Parentes, nolite in prolibus Spiritum extinguere, hoc eſt, deſideria caſtitatis, aut vitæ perfectioris, per vitam licentioſam qua cogitis eos ornatui ſtudere, tripudiis, vanitatibus, conviviis, & ſimilibus, nolite perimere.

RPOPOSITIO II.

Deus impellit nos ad deſiderium illius vitæ æternæ, & per mala hujus mortalitatis, & per delibationem quandam illius ſuavitatis.

PRimò: Per mala hujus mortalitatis: quia illa quæ hic patimur, ad Deum ire compellunt ſicut & Prodigum calamitates ad paternam domum ſu-

Luc. 15. ſpirare compellebant. Sic & Peregrinus multa inopia coactus, laſſitudine, aliiſque malis feſtinat ad pa-

Pſal. 41.2. triam. Sic Cervus ſiti preſſus, deſiderat ad fontes aquarum. Sic ſpinæ & vepres ſecus viam poſitæ, in

Oſe. 2. 6. viam faciunt redire viatorem, juxta illud Oſeæ: *Sepiam viam tuam ſpinis.*

Sunt tamen aliqui, de quibus poteſt illud dici: *Ephraim vitula docta diligere triturare* illi nimirum ſunt, qui afflictiones hujus mundi quaſi ex conſuetudine quadam libenter ſufferunt, nec propterea ad alteram vitam quietam deſiderandam moventur. De his explicat Scripturam propoſitam hoc modo

Gregor. l. 20. Mo- Gregorius: Amant perverſi homines pro hujus mundi gloria etiam tribulationes, cunctiſque pro

ral. c. 16. ea ſudoribus libenter ſerviunt, & gravium laborum jugo devotiſſimè colla ſubmittunt. Quod bene ſub Ephraim ſpecie Propheta deſcribit, dum dicit: *Ephraim vitula docta diligere triturare*: Vitula enim trituræ laboribus aſſueta, relaxata plerumque ad eundem laboris uſum etiam non compulſa revertitur. Ita pravorum mens hujus mundi ſervitiis dedita, & rerum temporalium fatigationibus aſſuetæ, etiamſi ſibi liberè vacare liceat, ſubeſſe tamen terrenis ſudoribus feſtinat, & uſu miſeræ converſationis triturum laboris quærit, ut à jugo mundanæ ſervitutis ceſſare non libeat, etiamſi liceat. Ita Gregorius.

Melius ergo illi agunt, qui conſiderant Deum per hæc mundi mala monere nos, ut ſuſpiremus ad æterna bona. Utique aſperſit Deus amaritudine hanc vitam, ut aliam quæramus; ideoque noluit quamdiu ſumus in hoc mortali corpore, plenam nos habere lætitiam, quia quocunque te verteris, & in quocunque ſtatu fueris, omnis fœlicitas habet aliquid mœroris, omnis lætitia aliquid amaritudinis, quaſi vinum mixtum, habens aliquid amaræ faecis.

Has faeces velut poſt longam epotationem ſentiebat Salomon, dum inclamat: *Vanitas vanitatum,* Eccl. 1. 2. *& omnia labor & afflictio,* Sicut enim illis, qui poſt & 14. ebrietatem profundam, & poſt ſomnum brutalem ex ea ſecutum, ad ſe redeunt, vini faeces totum guttur mira amaritudine inficiunt, ita ut ad aſpectum etiam vini nauſeent, & non aliud quàm fontis aquam exquirant, ut illas reliquiarum amaritudines abluant. Sic videtur accidiſſe Salomoni, & aliis multis poſt longam voluptatem, illis enim non reſtant niſi faeces, cogentes eos fateri ſe non invenire niſi laborem & afflictionem. Nempe Deus cum hominibus inſtar bonæ matris ſe gerit, quæ ubi videt puerum ſemper dulcedini lactis velle adhærere, ungit ubera aliqua amaritudine, ut eum ad ſolidum cibum traducat. Sic Deus videns homines deditos fugendo lacti voluptatis & vanitatis, aſpergit aliquid abſynthii, aliquid amaritudinis, ut veris bonis cœleſtibus diſcant inhiare, & quærant ſolidum bonum ipſum Deum, quaſi illud eis inculcans: *Vſquequo parvuli diligitis infantiam, & mixta* Proverb. *quærtis.* 1. 22.

Itaque temporalia hæc mala erudire nos debent, ut tota intentione curramus ad bona æterna. Laboriosa hæc & amaritudine plena vita monet, ut ad illam aſpiremus, ubi nulla erit miſeria.

Amaritudo & alteratio quam patimur in via Ægypti, bibendo aquas turbidas, monet nos quærere aquam vivam, & fontem vitæ. Hujus aquæ exeuntis de Paradiſo, & iterum ſalientis in vitam æternam, deſiderium homini ſummum ineſſe deberet, etiam ſolum propter aquas putridas hujus mundi, quæ ſitim non poſſunt extinguere; imò potiùs illam accendunt, ſicut qui ſitim cuperet aqua ſalſa ſopire; tantò magis illam accenderet.

Hujus aquæ ſummo deſiderio afficiebatur S. Thereſ. c. Thereſia, quæ de ſe ait: O quam ſæpe in memo- 30. vitæ riam venit aqua illa viva, de qua Dominus Sama- ſuæ. ritanæ! Ita ut magna devotione ferat ad Evangelium illud, & verè jam ab adoleſcentia affectu quodam ad illud ferebar, licet adhuc plenam illius boni notitiam non haberem, prout nunc. Unde ſæpè Deum rogabam, ut mihi daret de hac aqua, & ſemper mecum ferebam imaginem & figuram Samaritanæ, cum illis verbis, quæ ad fontem dixit: *Domine da* Joan. 4. 15 *mihi hanc aquam.*

Secundò verò impellit hominem ad deſiderium hujus æternæ vitæ, delibatio quædam ſuavitatis illius. Sicut enim aliquid vini deguſtandum ali-

Digitized by Google

tumlibet fluctus ſe ſupergreſſuram. Nos interim ſub te Archimandrita ad laboravimus, ut excitemus eum qui dominatur poteſtati maris, ut æternitatis portum appellentes, videamus concordi voce, geſtientium in portu Nautarum, celeuſma decantare. Dixi.

LECTIO XI.

ARTICVLVS X.

CREDO REMISSIONEM PECCATORUM.

1. *Docet, Omne peccatum remitti.*
2. *Sæpius iterata remitti.*
3. *Non remitti unum ſine alio.*

Hic Articulus ſpem erigit hominis, qui ex ſe pronus in peccata eſt, & ideo cum facilè deſperatio illaquearet, niſi fides de remiſſione peccatorum, quæ in hoc Articulo proponitur, eum erigeret.

Ut autem hæc remiſſio peccatorum plenius intelligatur, ponendæ hic ſunt aliquot Propoſitiones.

PROPOSITIO I.

Nullum eſſe peccatum quantumlibet enorme, ex qualibet malitia commiſſum, quod non remittatur.

Nullum eſſe peccatum quod non remittitur.

RAtio eſt: Quia repugnat infinitati bonitatis divinæ, vinci aliqua malitia hominis, ſicut & hoc derogaret efficaciæ ſanguinis Chriſti, qui propitiatio eſt non tantum pro peccatis aliquibus, ſed pro totius mundi, inquit Joannes. Unde hanc bonitatem conſiderans Manaſſes, clamabat ad Deum; omnes peccatores ad idem exemplo ſuo provocans: *Tu Domine ſecundum multitudinem bonitatis tuæ promiſiſti remiſſionem iis qui peccarunt tibi, non poſuiſti pœnitentiam pro juſtis, qui non peccarunt, ſed propter me peccatorem. Peccavi ſuper numerum arenæ maris. Et nunc incurvatus multo vinculo ferreo, non poſſum attollere caput, & non eſt mihi reſpiratio, tamen flectio genu cordis mei, precans à te bonitatem. Remitte mihi Domine, remitte mihi, quia tu es Deus. Deus inquam pœnitentium, & in me oſtendes omnem bonitatem tuam, qui indignum ſalvabis me.* Peccata autem Manaſſis videre potes, C. 21. 4. Reg.

Oratio Manaſſis.

4. Reg. 21

Omni ergo tempore recurrentibus ad Deum, remiſſio peccatorum oblata eſt; ſed & maximè nunc facilis eſt in Eccleſia remiſſio, quantumlibet homo enormiter peccarit, quia juxta Zachariæ prophetiam, *in domo David* (hoc eſt, in Eccleſia Chriſti) *eſt fons patens in ablutionem peccatoris & menſtruatæ.*

Zachar. 13. 1.

Fons eſt Chriſtus. Prov. 8. 35.

Fons hic eſt Chriſtus, fons ſalutis, perennis fons, ex quo perpetuo ſalus fluit, fons qui nullis hominum peccatis arcetur, qui accedere volet, *invenit vitam, & hauriet ſalutem à Domino.* Et quantumlibet ſordidus ſit, abluetur. Neque fons hic ſalutis clauſus eſt, aut abſconditus, quem pauci poſſent invenire, ſed patens & omnibus obvius, nemo prohibetur haurire. Quinimo multos rivulos habet de ſe ſcaturientes, quaſi ſecundarios fontes, ipſa ſcilicet Sacramenta, de quibus Iſaias: *Hauritis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Fons quoque patens Chriſtus, quia quinque aperturas habet. Patens eſt *Domui David*, hoc eſt, filiis Eccleſiæ, *& habitantibus Hieruſalem*, hoc eſt, iis qui ad viſionem & amorem pacis adſpirant.

Iſai. 12. 3.

Zach. 13. 1

Nec myſterio vacat, quod patens dicitur, *In ablutionem peccatoris & menſtruatæ*; quia ſcilicet abluere poteſt animas quantumlibet ſanguine cruentas, quantumlibet fœdas, licet *veſtimentum* habeant *mixtum ſanguine, quod in combuſtionem eſſet, & cibus ignis.*

Iſaiæ 9. 5.

Non enim eſt macula, quam non eluat, licet inveterata & multiplicata ſit. Unde ſi quis peccata in ſe haberet omnium hominum, omnium dæmonum, à peccato fratricidæ Cain uſque ad ultimum peccatum Antichriſti, omnia homicidia, adulteria, ſodomias, blaſphemias, hæreſes, &c. Imò omnia peccata omnium dæmonum, ſi ad hunc fontem accedat, & hauriat per cordis humilitatem, & animæ contritionem, lavatur & mundatur.

Qua propter D. Gregorius ad hunc fontem invitans dicit: Curramus igitur, patet fons, curramus, & lavemur in hoc fonte pietatis.

D. Greg.

Ibi lota eſt Magdalena, famoſa peccatrix, ibi terſit maculas criminis. In hoc fonte miſericordiæ omnibus aperto, lavit petrus quod negarat, quia *flevit amare.* In hoc fonte miſericordiæ in fine lotus eſt latro, & à culpa ablutus eſt, confeſſione veritatis. Cur ergo torpentes & frigidi manemus, qui in hoc fonte pietatis tam multos ſe laviſſe cognovimus? Quærere fontem hunc debuimus, etiamſi clauſus eſſet: Ecce patet, & negligimus?

Quæres? Quomodo ergò aliqua dicuntur non remitti, neque in hoc ſæculo, neque in futuro? Sic dicitur de peccatis in Spiritum ſanctum.

Reſpondeo: Non dici illa eſſe irremiſſibilia. Sed dicuntur non remitti: ut ſignificetur, quod ordinariè magis contingit; & ut ſignificetur difficultas remiſſionis, non ex parte ipſius Dei, ſed ex parte peccantis, qui ſe malitiæ obfirmata, ipſi gratiæ per quam fit remiſſio, velut opponit. Unde & dicuntur tales peccare in Spiritum ſanctum, qui gratiæ Spiritus ſancti velut obſiſtunt. Et ideò moraliter loquendo, *rix* remittuntur, quia talibus difficile eſt veram pœnitentiam concipere, ob cordis obdurationem, & mentis obcæcationem. Eſt & peccatum aliquod quod non remittitur, nimirum *finalis impœnitentia*, non propter malitiam peccati, quaſi ſuperet miſericordiam Dei, ſed propter qualitatem adjunctam, videlicet perſeverantiam in peccato uſque ad mortem, cum qua non conſiſtit remitti.

Peccata in Spiritum ſanctum cur dicantur non remitti.

Simpliciter ergo loquendo, omne peccatum remiſſibile eſt: quia obſtinatio, obcæcatio, obduratio, ſimpli-

ſimpliciter & abſolutè tolli poteſt, ſi homo gratiæ divinæ cooperetur. Nec gratiam ſufficientem denegat Deus ad illam tollendam, cùm præcipiat illam tolli; ipſe autem nunquam inſter præcepto, quin præcurrat auxilio, inquit D. Leo.

Exempl. D. Aug. de li. arb. & refertur 2. 3. q. 4.

Ex parte ergò liberi arbitrii contra Deum pugnantis eſt defectus. Exemplum ponit D. Auguſt. in Pharaone & in Nabuchodonoſor. Poſt innumeras, inquit, impietates flagellatus pœnituit Rex ille pœnitentia fructuoſa, & regnum ruſus recepit. Pharao ipſis flagellis durior effectus eſt, & periit. Hic mihi rationem reddat, qui divinum conſilium nimis altè ſapienti corde dijudicat: Cur medicamentum unius medici manu confectum, alteri ad interitum, alteri ad ſalutem valuerit? Quantum ad naturam ambo homines erant, quantum ad dignitatem ambo Reges, quantum ad cautam ambo Dei populum captivum poſſidebant, quantum ad pœnam ambo flagellis clementer admonti. Quid ergo finem eorum fecit eſſe diverſos? Niſi quod unus manum Dei ſuper ſe ſentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, alter verò liber, contra Dei miſericordiſſimam manum, pugnavit arbitrio? Hæc Auguſtinus.

PROPOSITIO II.

Quantumlibet quis reciderit in idem peccatum, tamen ſi ſemper parata eſt remiſſio.

Peccata iterata remittuntur.

VNde nullus numerus peccatorum eſt, nulla obſtinatio in eodem peccato, quæ remiſſionem excludat, quia nullo numero poteſt vinci bonitas Dei, aut efficacia ſanguinis Chriſti. Homo pronus eſt ad iterationem ſui mali. Sicut rotundo à vento facilè in aliam partem flectitur: Ita homo ſuggeſtione maligna vel carnis illecebris, facile à propoſito refilit, & in diem reincidit. Non debuit ergò à Deo relinqui ſine remedio infirmitatis ſuæ, ut licet quotidie peccet, quotidie poſſit reſurgere, & veniam reperire.

Matt. 18. 21.

Hinc interroganti Petro: *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Auſepties?* Reſpondit: *Non dico tibi ſepties, ſed ſeptuagies ſepties*, id eſt, toties quoties poteſt peccare. Ponitur enim finitus numerus pro infinito. Sic ergo homo jubetur toties, quoties offenditur remittere pœnitenti, an putas major eſt propitiatio hominis propitiatione Dei? Non ergo hominem retardet à converſione, aut multitudo aut inveterata conſuetudo, quia licet in eo ſint, ut in Magdalena, ſeptem dæmonia, hoc eſt, juxta Gregorium, univerſa vitia, licet ſepties Deum offenderit, tamen ſi ingemuerit:

Ezech. 18. 21. 33. 11. 7.

Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, &c. Iniquitatis ejus quas operatus eſt non recordabor, inquit Dominus. *Derelinquat ergo impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus, & ad Deum noſtrum: quoniam multus eſt ad ignoſcendum.* In hoc multo nihil deeſt, in quo eſt omnipotens miſericordia & miſericors omnipotentia: Tanta autem eſt benignitas omnipotentiæ, & omnipotentia benignitatis in Deo, ut nihil ſit quod nolit, aut non poſſit relaxare converſo. Si peritus eſt medicus noſter, omnes poteſt infirmitates ſanare: Si miſericors eſt Deus noſter, omnia poteſt peccata dimittere. Non eſt perfecta bonitas, à qua non vincitur omnis malitia; nec perfecta medicina, cui morbus aliquis incurabilis reperitur; Sapientiam autem non vincit malitia. Ita Fulgentius.

S. Fulgen. Epiſt. ad Venant. P. Chryſol.

Imò verò ultra remiſſionem, ſæpius abundantiſſimam gratiam poſt converſionem donat Deus. Unde dicit Chryſologus: *Quid non poteſt pœnitentia? Quis in ſæculo peccavit enormius Paulo? Quis in Religione enormius Petro? Illi tamen per pœnitentiam enormitate aſſequi non ſolum miniſterium, ſed etiam Magiſterium Sanctitatis.*

Exempl. li. 1. tract. 2. lect. 1.

Sic Thais nobile ſcortum, cum à Paphnutio Abbate à meretricio quæſtu ad pœnitentiam deducta foret, ut ſupra retulimus; cumque omnis quæ ſibi ſic comparaverat, publicè combuſſiſſet, fœminarum Monaſterium ingreſſa, cellæ ſe includit lugens peccatum ſuum, pane tantum & aqua vitam ſuſtentans, ipſumque Dei nomen proferens non auſa, orabat dicens: *Quoplaſmaſtime, miſerere mei.* Marulus l. 4. c. 10. In tali labore triennio exacto Paulus Antonii diſcipulus, in quiete vidit ſupra Cœlum poſitum cubile auro gemmiſque refulgens, arteque effabili ac decore conſtructum. Et cum rogaſſet an illud Antonio eſſet paratum. Reſponſum accepit: *Non Antonio, ſed Thaidi meretrici.* Educta ergo de Cellæ carcere, quinto decimo die migravit ad Dominum, & cœleſtem thalamum fœliciter poſſedit, quæ terrenum & impudicum aliquando poſſediſſe dolenter tulit. Videetiam de Pelagia pœnitente, apud Ribad. Surium & alios.

Ribad. & Surius de Pelagia.

Sed dices: Deus poſt impletam aliquam menſuram peccatorum, dicitur in Scriptura non remittere. Sic Amos 1. & 2. Sic Geneſis 15. dicitur: *Nondum implata ſunt iniquitates Amorrhæorum.* Et Matt. 23. *Implet menſuram Patrum veſtrorum.* Reſpondeo, hoc non eſſe intelligendum, quaſi impleta illa menſura, ſi ipſi convertuntur, peccata non dimittantur; ſed ſolum ſignificat ſcriptura, Deum non niſi ad certam menſuram, peccata impunè tolerare, ita ut tunc certò peccatorem temporali pœna puniat: Aliquando etiam morte temporali, ex qua ſequitur æterna, niſi finaliter convertatur.

Amos 1. & 2. Geneſ. 15. 16. Matt. 23.

Sic ſæpè in Scriptura, Deus ſignificat, ſe poſt completam malitiam ſic decreviſſe populos punire, ut quælibet Sanctorum interceſſio non ſit profutura. *Si fuerint in medio populi hoc, Daniel & Job, non liberabunt filium & filiam.* Item: *Tu autem noli pro populo iſto orare.* Item: *Super tribus ſcelaribus Damaſci, & ſuper quarto non convertam eum*, id eſt, non parcam; ſed puniam eos.

Ezech. 14. 20. Jerem. 7. & 11. Amos 1. & 2.

Sæpè ergo aliqui, multis annis in peccatis hærent, non obſtante inſpiratione Dei eos evocante, & cum mererentur in æternam damnationem protrudi, exſpectat eos Deus ad pœnitentiam. Sed ipſi ejus benignitatem velut contemnentes, adiciunt

peccata peccatis, implent menſuram, qua impleta rapit eos ex hac vita, per infauſtum aliquem caſum, ut plurimum ſine præparatione, ſine contritione, ſine confeſſione.

Attende in Judæis, quomodo impleta menſura peccatorum, Deus eos contrivit irreparabiliter.

Genes. 7. Gen. 19. Attende in illis quos diluvium in peccatis abſorbuit. Sic & Sodomitas diu expectavit, donec impleta & menſura.

Exempl. An. 1621. Subiiciam hic funeſtum exemplum, quod oculis noſtris conſpicere potuimus. Juvenis quidam Oppidi noſtri, in Hiſpanias profectus, ibi uxorem duxit. Aliquot poſt annos, neſcio quam ob cauſam Matrimonii ſui pertæſus, uxorem deſerit. Redit in patriam, ibi carnis vitiis ſe addicit. Puellas plures, quæ honeſtæ habebantur, ad caſtitatis naufragium pertrahit, & in peccati occaſiones præcipitat. Multis jam annis una, quam defloraverat, utebatur ut cœnubina. Volebam ego tanquam Paſtor ejus cupiditati obſiſtere, nec valebam; quia & militiæ & malitiæ ſeſe aſcripſerat. Frequentiſſimè interim ad ſuam redibat pellicem. Dolebam verò utriuſque animæ perditionem, publicumq; ſcandalum. Acceſſi ejus Capitaneum D. Inigo de Brizuela, rogavi, ut huic ſcandalo provideret: quod ſtatim promiſit. Nam vocato illo, qui vices ſuas gerebat in Urbe Philippolitana, (ubi partim, & partim Mariæ-burgi præſidarii erant milites ejus) vices gerenti huic præcipit, ut militem hunc revocet Mariæ-burgo (loco nimis vicino ſuæ concubinæ) Philippopolim; & advigilet ne excurrat quoquam ſine ſpecialiſſima licentia, interdicatque ei ingreſſum Urbis Conviencenſis. Revocatur igitur, & præcinduntur ei occaſiones peccati. Nihilominus aliquoties adhuc ſubreptivè nocturno tempore ad ſuam accedit Verùm, non multæ hebdomadæ poſtea excurrerunt, dum chartarum luſui vacans cum Hiſpano quodam, oborta contentione, pugione confoditur; & ita ſubitò vita ei eripitur, ut nullius auxilio juvari potuerit, nec Sacramenti alicujus ſubſidio. In qua verò fuerit diſpoſitione tunc, novit Deus. Ego non potui aliud cogitare, quàm menſura jam impleta, Deum finem ejus peccatis voluiſſe imponere, acerbo hoc caſu. Ita ut hic ejus exemplo alios monere liceat, & dicere cum Sapiente: *Lætare juvenis in adoleſcentia tua, & ambula in viis cordis tui, & ſcito, quòd pro his omnibus adducet te Deus in judicium.* Intelligite ergo hæc, qui obliviſcimini Deum, ne quando rapiat, & non ſit, qui eripiat.

Eccleſ. 11. 9.

Propositio III.

Unum peccatum non poteſt remitti ſine alio.

Ratio eſt: Quia remiſſio peccatorum eſt quædam amicitiæ cum Deo redintegratio, eſt ablutio & ſanctificatio cum adoptione in ſocietatem unigeniti filii Dei, qua homo inſtituitur filius & hæres regni; quæ omnia non poſſunt conſiſtere, vel cum uno peccato: Quia quamdiu manet vel unum ſolum mortale peccatum, manet inobedientia & averſio & manet macula & ſervitus peccati, morſque & inextricabilis obligatio ad damnationem. Unde Jacobus dicit: *Qui totam legem ſervavit, offendit autem in uno, factus eſt omnium reus. Qui enim dixit, Non mœchaberis, dixit, Non occides, quod ſi occideris, factus es tranſgreſſor legis.* Sic ergò manente uno peccato, non poteſt eſſe amicitiæ redintegratio: & remiſſionē petere de uno & non de altero eſt velle ponere conventionem inter gratiā & peccatum, inter vitam & mortem, inter cœlum & infernum. Item eſt velle ſervire Deo & Mammonæ, velle flectere genu coram Arca & Dagon, velle cor dividere, ſicut meretrices Salomonis infantem. Jac. 2. 10.

Pro particulariori intellectu hujus rei adverte, quod hæc remiſſio peccati, non eſt mera non imputatio Dei, ut volunt hæretici, aut condonatio exterior tantum, ſed fit per dona interiora, quæ homini infunduntur. Patet tum ex Concilio Tridentino, quod expreſſè definit, tum ex Scripturis, quæ dicunt nobis infundi charitatem per Spiritum Sanctum Item imprimi nobis imaginem hominis cœleſtis in juſtificatione, & dati nobis ſpiritum & gratiam, qua adoptamur hæredes vitæ æternæ. Denique Deum dare nobis *pretioſa dona, per quæ divina conſortes reddimur natura.* Quæ omnia ſignificant hominem habere juſtitiam inhærentem in ſe. Sicut ergo Sol non diſpellit tenebras, niſi infundendo lucem; ſic Sol juſtitiæ, & Pater luminum, non remittit peccata, nec tenebras peccati pellit, niſi infundendo internam juſtitiam & gratiam, quæ eſt participatio lucis æternæ, per quam illuminat lucernam mentis noſtræ, & illuminat tenebras noſtras. Item, ſicut macula tollitur, addendo nitorem, & nigredo, addendo candorem; ita peccatum tollitur, veram ſuperaddendo juſtitiam, quæ purat & candidam efficit conſcientiam. Et ſicut in corporalibus non intelligitur vita, ſine forma vivificante; ita nec in anima ſine dono gratiæ, animam informante, & operatione Dei intus in animam agente. Trident. Concil. 1. Pet. 1. 4.

Reſte itaque inter homines intelligitur condonatio offenſæ exteriùs fieri: ſed cum Dei condonatio ſit efficax, producit effectum ſanctificationis in homine. Quæ quidem ſanctificatio, nullam poteſt maculam peccati in anima relinquere; & ideo fit per illam integra peccatorum remiſſio, nec poſſumus niſi impiè dimidiam à Deo peccatorum veniam ſperare, aut petere.

LECTIO XII.

DE INCERTITUDINE REMISSI PECCATI.

1. *Docet, nos certò non ſcire juſtificationem noſtram.*
2. *Docet, probabiliter id aliquos ſcire.*
3. *Docet, hominem neſcire ſuam perſeverantiam.*

Hæreſ-

HÆretici docent neminī remitti peccata, & neminem juſtificari, niſi certò credat ſibi illa eſſe remiſſa, & ſe juſtificatum eſſe.

Verùm, hæc doctrina condemnatur à Concilio Tridentino ſeſſ. 6. c. 9. Ut verò plenius id intelligatur, ponemus hac de re aliquot Propoſitiones.

PROPOSITIO I.

Nemo poteſt ſine certitudine infallibili, ſe in gratia eſſe, ſibique peccata remiſſa (niſi ex ſpeciali revelatione, ut contigit Magdalenæ, Paralitico, Zachæo, Latroni.)

Nemo certitudine fidei ſcire poteſt ſuam juſtificationem.

PRobatur primò ex Eccleſiaſte, qui dicit: *Sunt juſti & ſapientes & opera eorum in manu Dei, & tamen neſcit homo an amore vel odio ſit dignus, ſed omnia in futurum ſervantur incerta.* His verbis docet, in hac vita, unicuique incertam eſſe juſtitiam ſuam, qua Dei amore ſit dignus. Unde & multi multa bona operantur, & illa ſapienter reponunt in manu Dei, & tamen neſciunt certò, an ex vero Dei amore procedant. Ratio eſt: Quia multi ſimilia operantur, non ex radice charitatis, ſed ex impetu & fervore quodam naturalis amoris, qui facilè diſcerni non poteſt ab affectione ſupernaturalis amoris, ob ſimilitudinem operationis.

Trid. ſeſſ. 6. c. 9. 13. & can. 13. & ſeq. Eccl. 9. 2.

Sic Cholericos fervore multo, quem illis cholera ſuppeditat, videmus quaſi zelo commoveri: Melancholia graves, à multis, quibus utuntur cæteri, mirabiliter abſtinere. Sanguineos multam cōpaſſionem habere. Phlegmaticos multam longanimitatem & patientiam magis in rebus exhibere. Et tamen hæc omnia ex quodam fervore ſpiritus naturalis proveniunt, non autem ſemper ex amore Dei. Multa ergo & à natura poſſunt procedere, imò & ab illuſione. Multi ſentiunt magnas cordis teneritudines, ſuavitates, devotiones, & hoc læpe à ſpiritu humano non à ſpiritu charitatis; imò dæmon aliquando ſimilia immittit, ut ſibi non diſpliceant, licet ipſi ſint in peccatis.

Secundò: Idem ſignificatur Job 9. *Si venerit ad me, non videbo eum, ſi abierit, non intelligam, ſi juſtificare me voluero, os meum condemnabit me, ſi innocentem oſtendere prævnm me comprobabit: etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea.* Quibus verbis fatetur Job ſe neſcire, an Deus per gratiam & gratiæ dona ad eum venerit, & neſcire divinæ gratiæ ſubtractionem, ſi fortè propter occultum peccatum ab illo fiat, ignorareque ſtarum juſtitiæ ſuæ. Nam & alibi dicit: *Si lotus mundiſſima fulſerint manus meæ, tamen ſordibus intinges me*, id eſt, ſordidum me declarabit, ſi me mundum exiſtimo vero.

Job. 9. 11. & 20.

Tertiò: Idem ſignificat Apoſtolus: *Nihil mihi conſcius ſum ſed non in hoc juſtificatus ſum.* Item Pſaltes: *Delicta quis intelligit?* quia læpe evenit, ut etiam ignorantes peccemus, ait Theodoret. ibid. & Hieron. adverſus Pelag. Hinc ſeriò monet nos Petrus, *in timore incolatus noſtri tempore* converſari.

1. Corint. 4. 4. Pſ. 18. 13. 1. Petr. 1. 17.

Ratio eſt: Quia licet ſimus certi de Dei miſericordia, promiſſis, & de efficacia meriti Chriſti applicati per Sacramenta, ſemper tamen poſſumus timere de noſtra indiſpoſitione, an vera pœnitentia peccata expiaverimus.

Secundò, neſcimus & non videmus fundum cordis noſtri, an vitium ſecretum lateat, quo Deo diſpliceamus, an opera noſtra occulta intentione perverſa non vitientur.

Tertiò: Quia alia hominum, alia Dei judicia; & propter occultam hominis ſuperbiam aut negligentiam, ſenſim Deus gratiam ſubtrahit, & hominem in peccatum ruere permittit, quod ipſemet homo non cognoſcit: quia multa homine non advertente opera intercurrunt, quibus vel per cupiditatem occultam, vel per infirmitatem, vel per imprudentiam, animam inquinat, neſciens ſæpe homo diſcernere de conſenſu ſuo, ut ſciat, an peccatum ſit, an veniale ſit, an mortale. Propter hæc etiam dixit Auguſtinus: *Va etiam laudabili vitæ hominum. ſi remotâ miſericordiâ diſcutias eam.* Auguſt. l. 9. Confeſſ. c. 30.

Ratio vero, cur Deus nolit nos habere omnimodam certitudinem de juſtificatione noſtra, eſt, 1. ut ſemper ſolliciti ſecuritate non torpeſcamus; monet enim Apoſtolus: *Cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini.* 2. utilis timor iſte ad humilitatem continuam conſervandam. 3. curam, cautionem, majoremque diligentiam parit ſerviendi Deo, ut notat Hieron. & Auguſtin. Propter hujus utilitatem ſecreti, ne fortè quis extollatur, ſed omnes etiam qui benè currunt, timeant, dum neſcitum eſt, quo perveniant, &c. B. Proſper l. 1. de vocat. Gent. Philip. 2. Greg. l. 6. Epiſt. 22. Hieron. in c. 3. Joan. Aug. l. de correct. & gratia c. 13.

Hinc B. Gregorius ſcribit ad Gregoriam cubiculariam Auguſtæ.

Quod in Epiſtolis tuis ſubjungis, reimportunam mihi fore, donec ſcribam mihi revelatum, quod peccata tua remiſſa ſint, rem difficilem & etiam inutilem poſtulaſti. Difficilem quidem, quia ego indignus ſum, cui revelatio debeat fieri: inutilem verò, quia ſecura de peccatis tuis fieri non debes, niſi quando jam in vitæ tuæ die ultimo ea plangere non valebis, quæ dies quoad uſque veniat, ſuſpecta ſemper & trepida metuere culpas debes & eas fletibus lavare. Certè Paulus jam ad tertium Cœlum aſcenderat, & in Paradiſum ductus fuerat, & tamē adhuc trepidans dicebat: *Caſtigo corpus meum*, &c. Adhuc timet, qui ad cœlum ducitur, & timere non vult, qui adhuc in terra converſatur. Perpende ergo, dulciſſima filia, quia mater negligentiæ ſolet eſſe ſecuritas: habere ergo non debes in hac vita ſecuritatem, per quam negligens reddaris, quia ſcriptum eſt: *Beatus homo qui ſemper eſt pavidus.* In pauco ergo hujus vitæ tempore, mentem veſtram neceſſe eſt ut timor teneat, quatenus per ſecuritatis gaudium ſine fine poſtmodum exultet. Ita S. Greg. 1. Cor. 9. 27. Proverb. 28. 14.

PROPOSITIO II.

Poteſt tamen homo habere conjecturalem & probabilem quandam certitudinem de ſua gratia. *Probabiliter poteſt homo ſcire ſe in gratia eſſe.*

QUia probabiliter conſidere poteſt, ſe feciſſe ea, quæ Deus requirit ad juſtificationem, & talem certitudinem requirit Apoſtolus in eo, qui com-

1.Cor.11. communicat: *Probet*, inquit, *ſeipſum homo.* Ecce certitudo ſufficit ad tollendam conſcientiæ anxietatem, & ſtabiliendam in homine cordis pacem. Addo, quòd multi juſti adeo poſſunt proficere, ut moralem quandam certitudinem habeant, etiam ſine revelatione ſpeciali.

4.Reg.20 Talem videtur habuiſſe Ezechias: *Memento Domine, quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum eſt coram te, fecerim.* Sic D. Bernardus, dicit in Eccleſia eſſe ſpirituales viros, qui non tantùm fideliter, ſed & fiduciali-

Bernard. ſerm.96. in Cant. ter agant cum Deo, quaſi cum amico loquentes: Ita ut poſſint dicere: *Dele ſus meus mihi, & ego illi*, teſtimonium illis perhibente conſcientia.

Sufficiant ergo homini ad pacem interiorem ſtabiliendam, & anxietatem turbidam evellendam, probabilia teſtimonia. Inprimis, dum putat ſe moraliter feciſſe quod in ſe eſt, ad remiſſionem peccati poſcendam. Secundò, ſi poſt converſionem ſuam, ſentiat ſe interius onere gravi, quo premebatur & urgebatur, jam alleviatum. Tertiò, ſi odium peccati, & zelum ad illud in ſe & in aliis exſtirpandum agnoſcat in anima ſua, & timorem magnum offenſæ Dei. Quartò, ſi promptitudinem voluntatis agnoſcat ad bene operandum, & quæ Dei ſunt, exequendum, & velut quandam gubernationem, & directionem paternam Dei, qua à peccatis gravioribus ſe cuſtodiat. Per hæc enim omnia, ſpiritus Dei teſtimonium quoddam probabile reddit ſpiritui noſtro, quòd ſimus filii Dei, ita ut clamor ille, de quo Apoſtolus: *In quo clamamus,*

Rom.8. 15. *Abba Pater*, colligatur probabiliter provenire ex filiali affectu, & ejus authorem eſſe ſpiritum inhabitantem.

Specialiter quibusdam revelatio facta de ſua juſtificatione. Aliquibus tamen ſpecialiter hæc remiſſio revelata eſt. Sic per verbum ipſius Chriſti revelata fuit Magdalenæ, dum ei dixit: *Remittuntur tibi peccata tua.* Luc.7.v.47.

Revelata etiam fuit D. Eligio ſua juſtitia per vocem cœleſtem. De illo legimus, quod diuturno tempore repreſſus fuerit quadam ſpiritus anxietate. Opinionem ſibi impreſſerat, ſe eſſe de numero reprobo-

Exempl. de S. Eligio. rum: Sean enim ei perſuadebat quidquid ageret, nihil ei profuturum, ſed finaliter tandem caſurum, nec peccati veniam obtenturum. Permit-

Ribad. in ejus vita. tebat id Deus, ad patientiam ejus probandam. Duravit diu hæc anxietas, donec vice quadam dormienti ſuper lectum, cujus lintea cilicina erant, ad eum vox facta eſt cœleſtis, eum aſſecurans de peccatorum remiſſione & ſtatu gratiæ. Et ipſe ſtatim è ſtrato exiliens, ad hanc vocem, miram in anima ſua viratem ſenſit & libertatem, depulſa omni anxietate, vidirque ex Reliquiis ſacris, quas ſupra lectum ad tabulatum appenderat, mirè ſuavem liquorem defluere, in ſignum unctionis interioris, quam à Deo recipiebat.

Sophron. in Prat. ſpir.c.143 Exemplum aliud de Davide latrone refert Sophronius: David in Thebaide princeps latronum, innumero perpetrarat homicidia. Die quodam compunctus venit ad Monaſterium, & urget Abbatem ut recipiatur de numero Religioſorum. Egreſſus ad illum Abbas, videns quia jam ſenex eſſet, dixit ei: *Non poteris hic manere, quia multos laboret tolerant fratres, & multam abſtinentiam, qui tu aſſuetus non es, nec aptus.* Ille verò urgebat, offerens ſe paratum ad omnia. Abbas verò nolens eum teripere, dicebat: Non poteris ferre. Tum ipſe aperiens quis eſſet, dixit: Sciasme Davidem eſſe famoſum illum latronum principem, & idcirco veni huc, ut deſleam peccata mea. Si autem me non ſuſcipis, ſub jurejurando proteſtor, ad priorem ſtatum redeo, & aſſumptis ſociis vos omnes interficiam, totumque evertam Monaſterium. Suſcepit ergo eum Abbas, eique religioſum tradidit habitum. Cœpit itaque in ſpirituali militia veteranus tyro pugnare, & abſtinentia, obedientia, humilitate cunctos antecellere. Erant autem ferè 70. Monachi, & omnibus exiſtebat forma virtutis, & ſanctitatis exemplum. Die quadam ſedebat in cella, & facta eſt vox Angeli ad eum: *David, David remiſit tibi Deus peccata tua, & eris ex nunc ſigna faciens.* Reſpondit ille: *Credere non poſſum, quod tanta peccata, plura quàm arena maris, tam brevi tempore remiſerit Deus.* Cui Angelus: *Si Sacerdos Zacharia non credenti, cùm filium promiſit, linguam vinxi, ſic faciam & tibi, eris ergo amodo non loquens.* Ille verò humi proſtratus, dixit: *Cùm eſſem in faculo nefariæ ſcelera faciens, & humanum ſanguinem fundens loquebar, modò cùm ſervire volo Deo, & laudes illi offerre, tu linguam meam ligas?* Reſpondit Angelus: *Cùm pſallendum tibi erit, loqueris, alias verò penitus tacebis.* Plurima ergo per illum Deus miracula oſtendit, recitabat Pſalmos, nec aliud verbum ullum proferre poterat. Ita Sophronius.

PROPOSITIO III.

Licet homo ſciret ſe juſtificatum certò, non tamen ſequeretur ipſum ſcire in juſtitia ſe perſeveraturum uſque in finem.

Neſcit homo ſuam in juſtitia perſeverantiam.

IDeo unumquemque monet Apoſtolus 1. Cor. 10. *Qui ſtat, videat ne cadat.* Quam multos vidimus inquit Auguſtinus, aſcendiſſe uſque ad Cœlos, & velut inter ſidera collocaſſe nidum ſuum, poſtmodum cecidiſſe uſque ad abyſſos. Vidimus ſtellas de Cœlo cecidiſſe ab impetu fetentis caudæ Draconis. Vulgariſicatæ, etiam perfectiſſimos viros, & qui fulgebant per cœleſtem converſationem, tentatione dæmonis ſubverſos: *Ne gloriatur accinctus,* 3.Reg.20 *aquè ut diſcinctus*, id eſt, ut non glorietur homo, dum adhuc in pugna eſt, & nondum quaſi triumphans ſibi præſumat, qui adhuc in periculo eſt.

Aug. in Soliloq. c.29.§.2.

Nulla enim certitudo eſſe poteſt, nullus locus tutus, nullus ſtatus, nulla perſona ſecura. Quia cecidit Angelus è Cœlo: Adam è Paradiſo: Judas ex Apoſtolico Collegio: Saul cadit electus à Deo: David peccat inter Propheras: Salomon inter ſapientes. Petrus inter Apoſtolos; Nicolaus inter primos

Digitized by Google

mes Diaconos. Omnia ſunt inſtabilitati ſubdita, nulla certitudo. Judas damnatur, Latro ſalvatur, Magdalena juſtificatur, Phariſæus reprobatur, Publicanus exauditur.

S. Greg. Joan. 3. Ad hanc rem confirmandam utitur D. Gregorius verbo Chriſti, Joan. 3. *Spiritus ubi vult ſpirat, & vocem ejus audis, ſed nescis unde veniat, aut quò vadat.* Spiritus, inquit, venit, & vadit, quia reprobos deſerit, electos aſſumit, & quia judicium Dei inſcrutabile eſt, unde veniat, & quò vadat, homo neſcit, quia ſciri non poteſt, an quis in gratia quam recipit, perſeverare debeat. Ab illo igitur qui defecit, venire Spiritus dicitur, ire ad illum qui perſeveraturus eſt, quia alios in tempore aſſumit, nec tamen deſerit.

Job. 41. 21. Greg. in illum locum. Sic idem Gregorius interpretatur illud Job: *Sternet ſibi aurum quaſi lutum*, quod de Behemoth dicitur, id eſt, de diabolo, ad oſtendendam ejus potentiam & aſtutiam. Per aurum ſanctitas vitæ, per lutum immunditia peccati deſignatur. Aurum quaſi lutum ſternere, eſt vitæ munditiam in quibuſdam per illicita deſideria conculcare: ut hi etiam ſordidis ejus veſtigiis ſerviant, qui contra illum prius virtutum ſplendore rutilabant. Ita Gregorius.

Salus ergo pendet à finali perſeverantia, & hæc ipſa à momento ultimo, de quo ſecuri eſſe non poſſumus.

Sicut tranſiens arctiſſimum pontem, licet magnam partem tranſierit, ſecurus tamen non eſt, quia in ultimo, ſi titubaverit, æque periculoſus caſus eſt: Sic & nos licet magnam partem vitæ rectè tranſegerimus, ſecuri eſſe non poſſumus: Sic timebat ipſe Apoſtolus, dum dicit: *Caſtigo corpus meum, ne forte cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.*

1. Cor. 9. 27.

Quid faciet Agnus, ubi Dux gregis timet & tremit? O quot cæleſtes viri, gratiam & religionem & fidem deſeruerunt, qui in illa præclarè ſolerant, *qui nutriebantur in croceis*, id eſt, pane ſpirituali & cæleſtibus deliciis, *amplexati ſunt ſtercora*, luto peccati & carnis ſe immergentes.

Sicut ergò pertinet ad Dei miſericordiam aliquos dormientes, & velut cæcatos in peccatis, radio ſuæ lucis illuminare, vi vocis excitare, potenti manu miſericordiæ ſuæ erigere & ſtabilire ut patet in Magdalena, Paulo, & ſimilibus: Ita & ſpectat ad ejus juſtitiam, eos qui velut ſtellæ, gratiæ luce radiabant, in ſublimi perfectionis loco tari, permittere ut cadant, vel ob Præſumptionem, vel ob nobis incognitam cauſam, quæ ad ejus inſcrutabilia judicia ſpectat: Pater in Juda & Saule, & pluribus aliis *Tene ergo coronam tuam, ne ullus accipias eam.* Noluit Deus revelare noſtram in bono perſeverantiam, ut ſemper ſolliciti ſimus de bonis operibus, & ut ſemper ſub illo humiliemur, ſicut propter eandem cauſam, noluit à Paulo ſtimulum carnis auferre.

Apoc. 3. v. 11.

LECTIO XIII.

ARTICVLVS XI.

CREDO CARNIS RESVRRECTIONEM.

1. *Docet ex Scripturis veritatem Reſurrectionis.*
2. *Quàm facilis ſit Deo hæc Reſurrectio:*
3. *Per illam animatos fuiſſe Sanctos.*

PROPOSITIO I.

Univerſalis Reſurrectio manifeſtè eſt ex antiquo & novo Teſtamento.

Reſurrectionis mortuorum veritas aſſeritur.

CHriſtus illam probat in Evangelio contra Saducæos, ex illo quod Deus dicatur, *Deus Abraham, Iſaac, & Jacob*, ubi ſubſumit: *Non eſt Deus mortuorum, ſed vivorum*, ergò eſt reſurrectio mortuorum. Ubi adverte Saducæos non admiſiſſe reſurrectionem mortuorum ex erroneo principio, quo aſſerebant: *Non eſt Spiritus, aut Angelus, aut vita alia poſt iſtam vitam.*

Exod. 3. 6 Luc. 20. 37.

Chriſtus ergo hoc principium falſum eſſe convincit ex illa ſcriptura, qua Deus nominat ſe Deum Abraham, Iſaac, & Jacob. Non eſt autem Deus mortuorum ſed viventium: Ergò illi vivunt, at non ſecundùm corpus, ergò ſecundùm animam ſive ſpiritum: Et ſic alia vita eſt poſt hanc vitam. Falſum ergò eſt veſtrum principium, ô Saducæi, & malè infertis ex illo, non eſſe reſurrectionem mortuorum.

Quod autem Chriſtus utatur illa ſcriptura, cùm ſint aliæ clariores: Ratio eſt, inquit Hieronymus, Quia Saducæi recipiebant quinque libros Moyſis, alios non, & ſic ex libro Moyſis eos convincit. Ipſi ergò negantes aliam vitam, conſequenter negare debebant hanc reſurrectionem. Et certè his non abſimiles ſunt multi Chriſtiani, qui toti rebus hujus mundi immerſi, ita ſe gerunt, quaſi non eſſet alia vita, & quaſi verum foret illud: *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* Imò eodem modo loquuntur aliqui, quo Saducæi, dicunt enim neminem rediviſſe, qui nova referat de altera vita, quod falſiſſimum eſt.

S. Hier. Iſa. 22. 13.

In primis redivit Lazarus, qui à Domino ſuſcitatus, multa ſecreta revelavit de inferis antea abſcondita, ut dicit Auguſtinus. Et cum ei revelata fuiſſent alterius vitæ mala, inferorumque pœnæ, nihil exiſtimavit omnia hujus mundi tormenta; ſed libenter ea toleravit, ad evitanda illa futuræ vitæ. Haud dubium quin mira retulerit de pœnis animarum: Unde & propter eum, ejuſque relata, multi credidiſſent in Chriſtum. Certè vita ejus admodum miſerabilis fuit, poſtquam à Chriſto ſuſcitatus fuit. De illo enim legitur, quod ex eo tempore nunquam ridere viſus ſit. Quodque ſolum ſemel in die comederit, aqua & hordiaceo pane veſcetur, *tam*

Joan. 12. 17. S. Aug. in hoc. cap. Joannis. Joan. 12. 17. Melchior Flavinus l. de ſtatu *Animarum poſt hanc vitam.*

veſcens, quem ſumebat circa veſperam, exceptis tribus anni ſolemnitatibus, in quibus aliquid vini ſumebat. Utebatur autem continuò cilicio, & terrâ tanquam lecto, ac lapide pro pulvinari. Maxima verò temporis parte plorabat miſeriam animarum, ad pœnas illas, quas viderat, deſcendentium. Poſt Chriſti mortem, diſperſis Apoſtolis, impoſitus fuit navi cum Martha & Magdalena ſine remis & velis, quæ Dei directione Maſſiliam appulit, ubi multis annis Epiſcopus fuit, martyrio poſtea affectus. Fuit autem crudeliſſimum martyrium; primò, quia lacerarus fuit toto corpore pectinibus ferreis, deinde veſte quadam ferrea, inſtar loricæ compoſita, tota ignea, veſtitus fuit. Cumque hæc patienter ferret, craticulæ ſuperpoſitus fuit, ſed ſubitò ab Angelis auxilium & refrigerium ibi habuit. Poſtea expoſitus fuit, ut ſagittis configeretur, ſed nihil eum lædere potuerunt in aëra elevatæ. Tandem denique caput ei amputatum eſt. Ita Melchior Flavius.

V. Iatius Ribad. & Surius.

Vides ergò quomodo nihili æſtimavit pœnas hujus vitæ, poſtquam viderat pœnas alterius vitæ. Itaque redivit Lazarus nuncians nobis quid in altera vita fiat. Rediverunt & alii, qui per Eliam & Elizæum ſuſcitati fuerunt: omneſque illi, qui per Chriſtum & Apoſtolos ſuſcitati ſunt.

Redivit & ille Petrus, de quo in vita S. Stanislai, qui teſtimonium perhibuit de agro à ſe vendito coram Rege: cumque illi longiorem vitam impetrare vellet Stanislaus, dixit ille ſe in Purgatorio ad paucum adhuc tempus agere malle, quam vitam tot periculis & anguſtiis plenam agere, & ita eligere ſe ſecuritatem præ periculo, quod in hac vita eſt.

Redivit & Doctor ille famoſus Pariſienſis, inclamans: *Iuſto Dei judicio judicatus accuſatus, condemnatus ſum*: ita ut cauſa fuerit D. Brunoni, & ſociis ejus, in ſolitudinem pergendi, mundumque calcandi.

Libr. 1. Tract. 1. Leſt. 25.

Redivit & ille Decanus Lingonenſis Epiſcopo dicens: *Age pœnitentiam, emenda vitam, corrige ſuperbiam: non enim eſt tam facile ſalvari ac dicunt homines.* Vide ſuprà.

Luc. 16. 29.

Sed etſi nullus rediviſſet, rectè tamen dicitur diviti illi; *Habent Moyſen, & Prophetas, audiant illos.* Habemus & nos Moyſen, & Prophetas quibus tenemur credere de inferno, de altera vita, de reſurrectione. Habemus & Chriſtum Doctorem, quem jubet Pater nos audire. Habemus & ejus Apoſtolos, qui plurimis in locis aſſerunt hanc reſurrectionem. Manifeſta eſt Scriptura Joannis 5. 1. Corinth. 15. Matth 22. & aliæ plurimæ, quas brevitatis gratia pertranſeo.

Propositio II.

Reſurrectio hæc, quam vatio naturalis difficulter apprehendat, Deo facillima eſt.

Reſurrectio hæc eſt Deo facillima.

PHiloſophis quidem ignota fuit Reſurrectio: Paulum enim irridebant in Areopago multi, cùm audiſſent Reſurrectionem mortuorum. Difficile illis erat intelligere, quomodo idem corpus, poſt tot tranſmutationes reſurgat, & eidem animæ uniatur. Sed ſi divinam omnipotentiam conſideremus, nihil eſt difficile illi qui ex nihilo corpus & animam poteſt creare. Unde Auguſtinus ſic ait: Non poterit Deo non obedire terrena materies, de qua mortalium creatur caro, ſed in quemlibet cinerem, pulverem reſolvatur, in quoslibet halitus auraſve diffugiat, in quamcunque aliorum corporum ſubſtantiam, vel in ipſa elementa vertatur, in quorumcunque animalium etiam hominum cibum cedat, carnemque mutetur, illi animæ humanæ puncto temporis redditur, quæ illam primitus animavit. Ita ille.

Act. 17. v. 18. & 23.

Auguſt. Enchir. cap. 38.

Unde hæc facilitas deſcribitur Ezech. 37. ubi conſtituitur Propheta in Campo pleno oſſibus mortuorum, & vox inquit ad me: *Fili hominis putaſne vivent oſſa iſta? Et dixi: Domine Deus tu noſti.* Et juſſus eſt Propheta clamare: *Oſſa arida audite verbum Domini: Ecce ego intromittam Spiritum in vos, & vivetis*, &c. *Et ſtatim ad ejus vocem, factus eſt ſonitus, & acceſſerunt oſſa ad oſſa, unum quodque ad juncturam ſuam, & nervi, caro ac pellis deſuper extenſa, & illo iterum clamante: A quatuor ventis veni Spiritus, ſtatim ſteterunt ſuper pedes ſuos, exercitus grandis valde.* Quæ quidem Scriptura facilitatem Reſurrectionis indicat, & ſupponit.

Ezech. 37. 3.

Idem ibid. 7.

Idem ibid. 10.

Hinc etiam Daniel de hac reſurrectione loquens, dicit: *De his qui dormiunt in pulvere, evigilabunt alii in vitam æternam, alii in opprobrium.* In qua Scriptura ſignificatur, tam Deo eſſe facilem reſurrectionem, quam ſit dormientis alicujus ſuſcitatio.

Dan. 12.

Hinc Nicephorus, Metaphraſtes, & alii, putant miraculum illud de ſeptem fratribus, quia tempore Decii Imperatoris, uſque ad tempus Theodoſii Junioris annis plus 177. in quadam caverna latuerunt, ſine corruptione, aut corporum, aut veſtium, quaſi ſomno aliquo obdormientes, à Deo permiſſum fuiſſe, ad certificandam veritatem hujus articuli reſurrectionis generalis corporum.

Niceph. Metaph. Sur 27. Julii.

Hinc etiam S. Germanus Altiſiodorenſis Epiſcopus, cùm per Italiam tranſiret, vocatus ab Imperatrice pro gravibus negotiis, adiit ſepulchrum S. Caſſiani Martyris, qui aliquando Epiſcopus fuerat in Germania, & quaſi vivente ſic allocutus eſt. *Quomodo tibi eſt ô frater? Quantum ad animam æterna felicitate fruor, quantum vero ad corpus quieſcit hic uſque ad generalem Reſurrectionem.* Tunc Germanus. *Quieſce ergo frater ad id tempus, & roga Dominum, ut reſurgentes ad ſonum tubæ tecum poſſimus æterna beatitudine frui.*

Ad hanc rem etiam facit, quod typus reſurrectionis, & imago quædam in rebus etiam naturalibus, reperiatur, v. g. in ſemine moriente, & poſtea repullulante ac quaſi reſurgente. Unde Auguſtinus: Tota hujus mundi admiratio ſtratio, teſtimonium eſt Reſurrectionis futuræ. Videmus hyemis tem-

tempore arbores ſpoliari pomis & foliis, ſed & verno tempore ſpeciem Reſurrectionis exprimere, quæ quidem incipiunt primò ſurgere in gemmis, ornari floribus, veſtiri foliis, poſtmodum pomis gravari. Interrogo te infidelis homo, qui de Reſurrectione dubitas, ubi ſunt iſta, quæ tempore iſto quo Deus diſponit, producuntur? Dic mihi ubi latitant, antequam producantur? Quæ nuſquam quidem videntur, ſed tamen Deus qui omnipotens eſt, ſecreta ſua virtute producit. Sic & herba quæ antè vixit & moritur, rurſus reviviſcit ex ſemine. Ita & noſtrum corpus reviviſcet ex pulvere. Hæc Auguſtinus.

Hydrargyrum eſt ſymbolum reſurrectionis.

Inter reſurrectionis ſymbola, etiam pulchrum eſt ſymbolum Hydrargyri, ſive argenti vivi; ſi enim in munitiſſimas arenulas, & quaſi atomos manu diducas, ita ut in pulviſculos evaneſcere videatur, mox ut eos rurſum manu aſſocias, & conjungis, in priſtinam formam confluendo redeunt; & quaſi reviviſcunt.

PROPOSITIO III.

Hæc reſurrectionis fides ſolamen fuit inter afflictiones, & tormenta Martyribus & Sanctis.

Fides Reſurrectionis eſt ſolamen in afflictionibus & tormentis.

PAtet exemplo Job, qui in mediis afflictionibus ſic ſe conſolabatur. *Credo quod Redemptor meus vivit, &c. Reposita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo*, q.d. Hæc ſpes velut farina Propheræ, omnem amaritudinem mihi ſuavem facit inter dolores. Job.19. 27.

Sic & Fratres Machabæi ac Mater, animum ſumebant inter tormenta ex hac fide.

Primus, cùm cutis capitis ejus cum capillis vi abſtraheretur, in ultimo jam ſpiritu Regi dicebat: *Tu quidem ſceleſtiſſime in præſenti vita nos perdis, ſed Rex mundi, defunctos pro legibus ſuis in æterna vita reſurrectione ſuſcitabit.* 2.Mach. 7.8.

Tertius linguam poſtulatus protulit citò, & manus conſtanter extendit & cum fiducia ait: *E cœlo iſta poſſideo, ſed propter Dei leges nunc hæc ipſa deſpicio, quoniam ab ipſo me ea recepturum ſpero.* Ibid.11.

Quartus, inter eadem tormenta dicebat: *Potius eſt ab hominibus mortis datos ſpem expectare à Deo, iterum ab ipſo reſuſcitandos, tibi enim ad vitam reſurrectio non erit.* Ibid.14.

Mater quoque ſingulos hortabatur fortiter eandem ſpem habeas, & dicens: *Neſcio qualiter in utero meo apparuiſtis neque enim ſpiritum, & animam donavi vobis, & ſingulorum membra non ipſa compegi, ſed mundi Creator qui & ſpiritum vobis iterum cum miſericordia reddet & vitam.* Ibid.22.

Ad hanc reſurrectionem reſpiciebat S. Jacobus dictus Interciſus, natione Perſa, cum à Rege Perſarum ob fidem Chriſtianam comprehenſus foret, juſſit Rex ut omnia ei membra ſucceſſivè detruncarent. Ergò primo digiti manus dexteræ, deinde & ſiniſtræ truncati ſunt, ac ipſe ad ſingula tormenta benedicebat Deum, gratias agens quod eum amputaret quaſi vineam, ut poſtea repullularet ac reflureret, & fructum uberiorem ac ſuaviorem profetret. Poſtea pedum digitis, brachiis, & tibiis abſciſſis, in illis tormentis mirabiliter exultans, cum conſtantia clamabat: *Audi Domine Deus vivorum & mortuorum, cum non amplius manus quas ad te levare poſſim habeam, nec genua qua flectam, jubs animam meam de hoc corpore ad te evolare.* Et poſt hanc orationem collum ei abſciſſum eſt, animaque ad Deum evolavit. Sanctis in ejus vita, & alii.

Sic B. Nicaſius Rhemorum Epiſcopus, occupata Urbe à Wandalis, in Templo orans repertus, cervicem gladio ſubdere eſt coactus, cum autem eum carnifex feriret, cœpit recitare verſum illum: *Adhæſit pavimento anima mea.* Caputque à reliquo corpore ſeparatum, ſpeciali miraculo verſum perfecit addens: *Vivifica me ſecundum verbum tuum*, ad vitam æternam & reſurrectionem reſpiciens Pſal.118.25.

Hinc & Apoſtolus ex eo probat reſurrectionem mortuorum, quod qui volunt piè vivere in Chriſto, perſecutionem patiantur; addens: *Si in hac vita tantum ſperantes eſſemus, miſerabiliores eſſemus omnibus hominibus.* q.d. Si in altera vita ſpes reſurrectionis hujus miſerabilis corporis non affulgeret, ut quid tantis illud afflictionibus exponeremus? Sed *expectamus Salvatorem Dominum noſtrum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ*, & in hac ſpe facilè quidlibet patimur: *Cunctis diebus quibus nunc milito*, inquit Job, *expecto donec veniat immutatio mea* ad ſtatum gloriæ & immortalitatis, *vocabis me, & ego reſpondebo tibi.* Sicut Lazarus vocatus mox ſurrexit. 1.Cor.15. 19. Philip.3. 20. Job.14. 14.

Sicut ergò agricola expectat fructum precioſum terræ, inquit D. Jacobus, ex illis ſeminibus quæ videt putrefieri ſub terra, patienter ferens, donec accipiat fructum temporaneum & ſerotinum; ita & nos oportet uſq; ad adventum Domini patientes eſſe, & non contriſtari ſicut gentes, quæ ſpem non habent, ſed quam libet in corpore afflictionem, quaſi ſeminis putrefactionem ſuſtinere. Dicebat enim Propheta Abacuc: *Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcatebat: ut requieſcam in die tribulationis, ut aſcendam ad populum accinctum noſtrum*, id eſt; Veniant in me omnia mala; ut ſi neceſſe fuerit, oſſa mea putredine impleantur, & caro mea vermibus ſcateat, dummodò hic à meis peccatis expiet, & in die illo ſeveriſſimi judicii ſecurus ſim, & ad eorum ſocietatem adjungat, qui cum Chriſto regnant, quos Deus accinxit & armavit, ut fœliciter contra omnes hoſtes, tentationes, perſecutiones dimicarent. Jacob.5. Abac.3. 16.

LECTIO XIV.

QUOMODO IDEM CORPUS RESURGAT.

1. *Docet idem numero corpus ſurgere.*
2. *Illud corpus reſurgens mutari in qualitatibus.*
3. *Corpora hic vitioſa, ibi fore perfectiſſima.*

PRO-

PROPOSITIO I.

In hac reſurrectione erit idem numero corpus.

Reſurget idem numero Corpus.

HOc ſignificatur in eo, quod Articulus dicit: *Carnis reſurrectionem.*

Primò enim Carnis dicit, ut ſignificetur non poſſe animæ reſurrectionem, eo quod ſit immortalis.

Secundò dicit Carnis, & non corporis reſurrectionem; quia aliqui dixerunt fieri reſurrectionem in quodam corpore æreo non autem carneo. Significatur ergò illa pars hominis, quæ caro dicitur, quæ mox ubi homo expiravit, alget, ſtupet, mortua eſt, ſine ſenſu, ſine motu, ſine operatione, & quæ tranſeunte ſanguine & colore, tota vertitur in pus, atque putredinem, ita ut condi debeat ſub terra, & ſollicitè concludi, ne fœtore inficiat, & poſtea in cinerem redigatur.

Illa inquam pars, quantumlibet putrefacta & incinerata, aut quaſi in nihil redacta, iterum animabitur eadem anima, ut ſit idem homo tunc qui nunc, idem corpus, idem ſuppoſitum numero, eadem ſubſtantia in individuo.

Job. 19. 26. Quod apertiſſimè dixit Job: *Rurſum circumdabor pelle meâ, & in carne meâ videbo Deum, ego ipſe, & non alius*, in eadem pelle, in eadem carne, & non alia, iiſdem oculis.

Hoc eſt, quod confiteri coactus fuit Eutychius Patriarcha Conſtantinop. qui contra veram corporum reſurrectionem librum ſcripſerat, quem Gregorius ad eum Legatus miſſus ita convicit, ut ejus librum Imperator Tiberius in ignem conjiceret, & quod docuerat ipſemet Eutychius, retractaret. Unde cum paulò poſt in morbum incidiſſet, inſtante morte, pellem manus ſuæ tenebat, multis præſentibus dicens: *Confiteor, quia in hac carne omnes reſurgemus.*

Hinc etiam eſt, quod Sanctorum corpora poſt mortem, & ipſos pulveres tanti vult fieri Deus à nobis, imò & ab ipſis Angelis: tum quia fuerunt organum Spiritus Sancti, tum quia ſunt æternitatis ſeminà in illa reſurrectione animanda, & cum Chriſto in æternum regnatura. Quapropter ipſi Angeli Sanctorum corpora multum honorant. Sic habes de S. Catharina, quod corpus ejus ab Angelis in montem Sinai delatum fuerit; quodque ipſi Angeli ibi ejus exequias cum miro jubilo celebraverunt, & ſepelierunt, ex quo loco dulcis liquor emanabat medela omnium infirmitatum. Sur. in vita S. Catharinæ 25. Nov.

Sic & de corpore S. Clementis legimus, ædiculam marmoream in Templi forma, & arcam lapideam, ubi Martyris corpus erat, Angelos concinniſſe; cùm juſſu Trajani in mare dejectum fuiſſet, anchoræ alligatum. Et hoc iterum ſpecialis miraculi acceſſit, quod mare ad tria milliaria receſſerit, ita ut poſſent accedere Chriſtiani ad hanc ædiculam. Nec ſolum hoc anno, ſed ſingulis annis, ſeptem diebus recedens mare, liberum tranſitum ad illam Capellam dabat ipſo ſcilicet die Martyris, & aliis ſequentibus diebus, quo peregrinantium innumera multitudo concurrebat. Sic Deus per Angelos, & per nos, vult honorari corpora, & cineres Sanctorum, tanquam æternitatis ſemina, in reſurrectione animanda. Idem Surius 23. Nov.

Celebrant Poloni S. Stanislaum, & in Breviario Sanctorum ſuorum habent, quod cùm eum trucidaſſet Boleslaus Rex, mox miniſtros Regis ex rabie corpus diſſecuiſſe in 72. partes, eaſque canibus & avibus devorandas projeciſſe. Verum cœlitus advolantes Aquilæ S. Corporis cuſtodes & tutores fuerunt. Poſt biduum clerus animos reſumens, Epiſcopi ſui membra requiſivit & compoſuit. Res mirat Dei virtute factum eſt, ut illicò ita ſimul concrecerent, ac ſi nunquam divulſa fuiſſent. Digitus unus deerat, ſed neciſtum quidem diu latere paſſus eſt Deus. Lucerna cœleſtis eum in vicinam piſcinam conjectum, & a piſce devoratum demonſtravit, quem exenterantes, digitum exemerunt, ſuoque loco reſtituerunt. Quaſi ſimilis hæc viſio viſioni illi quam vidit Ezechiel, dum vidit oſſa oſſibus, carnem carni, membra membris ſociari, argumento aperto reſurrectionis futuræ. Sic Deus cuſtodit oſſa Sanctorum, unum ex his non conteretur. V. Brev. Roman. 8. Maij.

PROPOSITIO II.

Licet idem ſit corpus in Reſurrectione quoad ſubſtantiam, erit tamen immutatum quoad accidentia.

Corpus idem reſurget in Subſtantia mutabitur in accidentibus.

RAtio eſt, quia corpora glorioſa habebunt quatuor dotes, quæ nominari ſolent, *Impaſſibilitas, Claritas, Agilitas, Subtilitas.*

1. *Impaſſibilitas*, præſtat corpori, ne corrumpi poſſit, pati aut affligi.

2. *Claritas*, efficit ut fulgeant tanquam Sol, cujus ſplendoris ſpecies in Transfiguratione apparuit.

3. *Agilitas*, efficit ut corpus omni onere aggravante liberatum, pro animæ nutu, citiſſimè moveatur & ſtatim ſine mora ſit, ut anima voluerit.

4. *Subtilitas*, efficit ut corpus ad nutum animæ cuncta poſſit penetrare, nullo ei corpore obſtante; & hæc gloria corporis ab animæ gloria derivabitur.

De hac conditionis corporum diverſitate Apoſtolus dicit: *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione, ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria, ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute, ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale.* 1. Cor. 15. 42.

Sumit ſimilitudinem à grano quod reconditur ſub terram, & velut ſepelitur ut reſurgat cum fructu: Sic & corpora noſtra conduntur & fodiuntur ſub terram ut fructificent: *Seminantur ergò in corruptione*, ita ut corrumpantur & putrefiant ſicut & alia ſemina; ſed ſurgent de terra in corruptione, id eſt, integra & incorruptibilia.

Secundò *ſeminantur in ignobilitate*, adeo ut quantumlibet nobilia, generoſa, aut illuſtria, tamen poſt mortem fiant prorſus ignobilia, uſque ad abominationem & fœtorem intolerabilem: ſed ſurgent in gloria, quia planè erunt illuſtria & glorioſa

rioſa intus & foris, in oculis omnium, in ſubſtantia, in qualitatibus.

Tertiò, *ſeminantur in infirmitate*, ita ut nulli prorſus actioni reſiſtere valeant, ſed cedunt omni contrario ad incinerationem uſque; ſed ſurgent in virtute, quia tantæ erunt potentiæ, ut à nulla re mundi lædi poſſint, aut debilitari, aut concludi, aut arctari, aut vinci.

Quartò *ſeminantur animalia*, id eſt, qualificata ut corpora reliquorum animalium, ſed ſurgent ſpiritualia, non amplius erit corpus animale, quia alimentis & officiis vegetantis animæ ultrà non indigebit, nec ultrà ſerviet paſſionibus illis affectuum animalium. Ideò ergò ſpirituale, quia prorſus ſubditum ſpiritui, ut non amplius ſit rebellio legis mentis, & legis quæ eſt in membris & quocumque præceſſerit ſpiritus effectu, illuc ſtatim ſequantur vitium corporalium affectiones, nec in ullo retardabit moles corporis affectiones glorificati ſpiritus; quod erat in homine anteà multæ miſeriæ & imperfectionis. Item ſpirituale dicitur, quaſi qualitates & dotes ſpirituum cœleſtium participans, quia ſine pondere aggravante erit: ut ſpiritus, agile ut ſpiritus, quocumque voluerit, pergens ſine mora ut ſpiritus, ſubtile ut ſpiritus, adeò ut nihil ei non pervium ſit, quantumlibet durum aut ſolidum.

Phil. 3. 21. 1. Cor. 15. 49.

Hæc verò omnia erunt, quia tunc conformabit nos Chriſtus *corpori claritatis ſuæ*, ut *ſicut portavimus imaginem terreni* Adam in hoc mundo, *ita & portemus imaginem cœleſtis* hominis Chriſti in altero ſæculo. Portamus enim per nativitatem carnis, imaginem terreni Adam, ſimiles illi in mundo, vitæ & naturæ qualitate, quoad affectiones & paſſiones, impulſus, officia, inclinationes, figuram, ſtaturam, incrementa denique & crementa ætatum: Portabimus autem tunc per reſurrectionem, imaginem cœleſtis Chriſti ſcilicet reſurgentis, habentes corpus configuratum corpori claritatis ſuæ, ſpirituale, immortale, ſine affectionibus, paſſionibus, officiis carnis & ſanguinis, animalibus & inordinatis; ſi tamen etiam hic portaverimus in eadem carne imaginem Chriſti præcuntis ſecundum virtutem.

PROPOSITIO III.

Corpora hic vitioſa ibi erunt perfectiſſima.

Corpora hic deformia, ibi perfectiſſima erunt.

DOcent enim Scholaſtici, divinâ poteſtate quicquid ſuperfluum fuerit aut vitioſum reformandum in corpore. Undè non erit ibi aliquis gibboſus, claudus, deformis, luſcus: ſtatura verò varia erit, cuique illa quam in flore ætatis habere debuiſſet: Si tamen naturæ vitio nimia brevitas, aut proceritas contigiſſet, reformabitur. Undè Gigantes & Pigmæi decentem ſtaturam recipient.

Ad Epheſ. 4. 13.

Docent quoque reſurrectionem futuram in ætate, qua Chriſtus reſurrexit, ex Apoſtolo: *Donec occurramus in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.*

Quod autem dicit *in virum perfectum*, non ſequitur, non fore ſexum fœmineum, ut aliqui voluerunt, ſed nomen viri accipit Apoſtolus pro homine, ut habet Auguſtinus. Undè Chriſtus non negat ibi fore uxores, & nuptas. Erit ergò diſtinctio ſexus, ut in eodem corpore triumphent, *in* quo debellarunt carnem, dœmonem, mundum, hoc enim cedet in magnam gloriam Virginum, quando in corpore tenero, & imbecilli relucebit tanta virtus & victoria. Alias quomodo poſſet cognoſci gloria Matris Dei, niſi in corpore fœmineo reſurgat?

S. Auguſt. lib. 18. de Civitat. c. 22. Matt. 22.

Quod verò allegant aliqui, omnes ibi dici ſimiles Angelis Dei, hoc ſecundum Hieronymum intelligendum eſt, quoad immortalitatem, & beatam Dei contemplationem.

S. Hieron.

Voluit Deus hanc corporum perfectionem poſt reſurrectionem, indicare velut in imagine, in quibuſdam corporibus Sanctorum, miro ea decore poſt mortem exornans, ultrà quam in vita habuerant; & ea ab omni corruptione præſervans poſt multa annorum curricula.

Sic habemus de corpore S. Martini, quod poſt mortè repertum fuerit, habens faciem quaſi Angeli.

Mirabile eſt, quod de Franciſci corpore memoriæ proditum eſt, ſtare illud nullis humanæ induſtriæ fulcris ſubnixum, ſolâ divini Spiritus vi ſuſtentatum: facie totâ, oculis & manibus junctis in cœlum ſemper intentum ſupplicantis in modum; nulla vetuſtatis vi debilitatum, nulla temporis injuria parte aliqua incurvum. Id profectò tanti eſt; ut cum ſit viventium ſtare, mortuorum procumbere, nemo tamen vivens per annum perſtare poſſit immobilis in precibus.

Bozius de ſignis Eccleſ. l. 15. c. 9.

Sic Corpus S. Cæciliæ à Clemente VIII. integrum repertum eſt noſtris temporibus, poſt nongentos & amplius annos.

Sic & apparuit in corpore S. Huberti, cùm decimoſexto anno poſt ejus obitum tranſlatum fuit. De quo ſic refert ejus diſcipulus, & familiaris. Introſpicientes glorioſum ejus corpus, nulla detrimenta paſſum, illæſum à diſſolutione & putredine reperierunt, & pro putredine aromatum mirifico odore fervere. Caput ejus perluſtrantes, vident vultum ejus ſudore perfuſum, & velut noctis opacæ roſcidulis perfuſum guttulis: coronam verò capillorum alienam prorſus ab omni lætione, exſtriemique auctam & prolixitate & pulchritudine, neque enim candore ſenili albebat, ſed colore & viſione ſui, juvenis caput repromittebat. Eſtque opinio in ejus Monaſterio, nunc quoque eſſe integrum illæſumque, ita ut ſolo corporis ſopore detineri dicerent. Ita apud Surium & Baronium.

Surius in vita S. Huberti 3. Novem & Baron. tom. 9. ann. 771.

Sic de B. Eadmundo, Anglorum Rege Martyre ſcribit Abbo Floriacenſis Abbas. Cùm ejus corpus putrefactum putaretur, ob diuturnum ſpatium, plenè tamen ſanum & incolume eſt repertum, & cum caput ei abſciſſum fuiſſet in martyrio, ipſum inventum eſt redintegratum & compaginatum corpori, & in eo nihil omninò vulneris, nihil cicatricis,

tricis, ſed integer, & viventi ſimillimus, exſpectans beatæ reſurrectionis præmium ſepromiſſum. Tantum in ejus collo, ob ſignum martyrii, rubet una tenuiſſima ſuga in modum fili coccinei, ſicut teſtari erat ſolita quædam beata fœmina, quæ apud ejus ſacroſanctum tumulum jejuniis & orationibus vacans, multa tranſegit annorum curricula. Cui venerabili fœminæ, aut divinâ revelatione, aut nimiâ devotione, mos inoleverat, ut pateſacto B. Martyris ſepulchro, quotannis in die Dominicæ Cœnæ, ejus attondendo præcideret capillos & ungues, quæ omnia diligenter colligens, & in capſella recondens, non neglexit, quamdiu vixit, excolere mirâ affectione, poſita ſuper altare Eccleſiæ, ubi adhuc reſervantur debitâ veneratione. Hujus Edmundi caput amputatum, cum ab impiis miniſtris, in loco ſentibus horrido, occultatum fuiſſet, nec diu conquiſitum inveniretur, ipſummet edidit vocem, inquirentibus quonam loco foret. Et Deus illi immanem lupum providum cuſtodem, qui excubias impendebat Martyri, ne ab aliqua beſtia læderetur.

Quantum ad corpora damnatorum, immortalia erunt, & juxtà plurimorum ſententiam, etiam erunt quantum ad membra perfecta: etiamſi enim antea fuiſſent mutila aut deficientia in aliquo, tamen reſtituentur quoad integritatem, in illa ſcilicet integritate, quam ſecundum naturæ curſum habere potuiſſent. Non ergò erunt gibboſa, ægra, aut manca. Neque tamen id vertetur eis ad aliquam conſolationem, ſed potiùs ad pœnæ augmentum, quia in illis punientur. Sicut & quod immortalia futura ſint, ac tamen ſimul paſſibilia, hoc eis juſto Dei judicio in pœnam vertetur, quia vivent in æternum vitam naturæ, & quærent mortem, & fugiet ab eis. Vitam ergò agent, ſed miſerabilem, ita ut in æternum relucere debeat in eorum pœnis oſtenſio juſtitiæ divinæ, ſicut ſempiterna Dei bonitas in præmiis juſtorum. Ideò verò integra erunt, quia a Deo reproducentur, inquit Divus Thomas, cujus opus ſolet perfectum eſſe, quantum ad integritatem, quæ eis debetur ex principiis naturæ. Interim manebunt hæc corpora ponderoſa ut priùs obſcura, paſſibilia, miſera, gravia; quia hæc non excluduntur, niſi per dotes gloriæ, & oriuntur ex principiis naturæ, & ſunt defectus connaturales corpori.

D. Thõ. in ſuppl. q. 80. art.

LECTIO XV.

DE CIRCUMSTANTIIS RESURRECTIONIS.

1. *Docet quomodo hanc Reſurrectionem præcedet Tuba.*
2. *Quis locus Reſurrectionis futurus ſit.*
3. *Quo tempore futura ſit Reſurrectio.*

PROPOSITIO. I.

Hanc Reſurrectionem præcedet Tuba. Hinc illud: *In momento, in ictu oculi, in noviſſima Tuba.*

Circumſtantia Reſurrectionis.

ET vocatur vox Archangeli, & tuba Dei, non quod duæ voces ſunt emittendæ, ſed idem eſt, ac ſi dicatur: *In voce Archangeli*, quæ erit tuba Dei, diciturque Dei per Hebraiſmum, id eſt, maxima, & maximè ſonora per totum mundum audienda, ſicut dicuntur *Montes & Cedri Dei*, id eſt, altiſſimi.

1. Tuba præcedet eam. 1. Cor. 15. 52. 1. ad Theſſ. 4.

Secundò, quia Deum Judicem præibit, ſicut tuba Regem, vel Imperatorem.

Tertiò, dicitur Dei vox, quia magnifica & terribilis, inſtar tonitrui, taliſque qualis decet Majeſtatem divinam. Unde tubæ hujus typus fuit tuba illa Angeli, in Sina Decalogum proclamantis. Vocatur verò hæc tuba noviſſima, quia poſt tubas ſeptem Angelorum, plagas maximas orbi inducentium, hæc ſequetur ultima. Non verò exiſtimanda eſt fore talis tuba, ſed erit vox quaſi tubæ, ſenſibiliſque clangor per aeris colliſionem, imperio Chriſti ab Angelo formatus, unde & dicitur vox Filii Dei, quia licet miniſterio Angelorum, juſſu tamen ejus formabitur. Imò dicitur vox Archangeli, quem putat D. Thomas fore Michaelem; qui juſſu & vice Chriſti eſt Præſes Eccleſiæ, ſicut & olim Synagogæ. Alii exiſtimant fore Gabrielem, ut ſicut Primum adventum nunciavit Virgini, ſic & ſecundum mundo. Hæc verò tuba Archangeli virtutem & efficaciam habebit, etiam circa alios Angelos, qui huic operi erunt miniſtraturi. Sicut dicitur Matthæi 24. *Mittet Angelos ſuos cum tuba & voce magnâ, & congregabunt electos ejus à quatuor ventis.*

Exod. 19. Apoc. 8. & 9. D. Thõ. Matth. 24. 31.

Hæc ergò erit noviſſima tuba, quia hæc erit noviſſima convocatio omnium, non ſolum electorum, ſed & reproborum. Cecinit olim tuba, ſivè vox Dei, per origanum Moyſis & Prophetarum ad convocationem tiborum Iſrael: Cecinit & per Angelum magni conſilii, id eſt, per Chriſtum & Apoſtolos, ad convocationem omnium hominum, ad ſalutem Evangelicam, & ad hæreditatem ſalutis. Canet denique adhuc ſemel, & erit noviſſima ac generaliſſima convocatio omnium ad judicium Dei, & erit ſignum in perfectionem (ſicuti tuba erat *Numer. 10.*) Angelis de Cœlo, dæmonibus ex inferno, hominibus e mundo. Etitque ad terrorem ſicut in bellis, quia ad illam *armabitur omnis creatura contra inſenſatos.* Si ergò quæras, ad quem finem canet tuba? Reſp.

Num. 10.

Primò, ut faciat Angelos paratos, ut ſtatim colligant cineres eorum, qui reſurrecturi ſunt. An verò ſoli Angeli boni, vel etiam mali, huic operi ſint miniſtraturi, incertum eſt; aliqui enim putant damnatorum cineres, à dæmonibus, qui eos vicerunt, colligendos, Juſtorum verò a SS. Angelis eorum Cuſtodibus. Veriſimile tamen eſt, quod ſicut omnium

omnium resurrectio à Christo fieri debet, ita & hæc præparatio, à propriis ejus ministris.

Secundò, ut omnes excitet à mortuis, citetque ad
Joan. 5. 28 judicium. Unde *audient illam qui in monumentis*
sunt & vivent, quia dabit voci suæ vocem virtutis
Joan. 11. 43. Christus, sicut cùm exclamaret: *Lazare veni foras*, statim prodiit mortuus. Audient; id est, sentient vim vocis, vel obedient, quoniam Deus vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.

Num. 10. 10. *Tertiò*, ut electos vocet ad solemnitatem & lætitiam beatæ æternitatis, instar tubæ quæ Hebræos vocabat ad festa.

S. Ansel. *Quartò*, ut terreat reprobos, & vocet electos ad bellum, ut reprobos deturbet in gehennam, erit enim quasi classicum militare. Ita Anselmus.

Hæc ergò tuba, tuba terribilis erit, quando unus assumetur, alter relinquetur, quæ sæpius resonare
S. Hieron. deberet in auribus nostris. Sic B. Hieronymus dicere solebat: *Sive comedo, sive bibo, sive quid aliud facio, semper insonare videtur auribus meis tuba illa terribilis surgite mortui, venite ad judicium.* De qua
Idem ep. ad Heliodorum. etiam tuba ipse agit in epist. ad Heliodorum sub finem: Veniet inquit, veniet illa dies, quando mortale hoc induet immortalitatem. Tunc ad tubæ vocem pavebit terra cum populis, & tu gaudebis. Judicaturo Domino lugubre mundus immugiet, tribus ad tribum pectora ferient: potentissimi quondam Reges nudo latere (hoc est suis aulicis & satellitibus destituti) palpitabunt. Ad vocem tubæ hujus exhibebitur tunc cum prole sua Venus, adducetur & ignitus Jupiter. Adducetur & cum suis stultus Plato discipulis. Aristotelis argumenta non proderunt. Tunc tu misticanus & pauper exultabis, & dices; Ecce crucifixus Deus meus: Ecce Judex qui obvolutus pannis in præsepio vagiit: Hic est fabri filius. Hic qui matris gestatus sinu fugit in Ægyptum, hic vestitus coccino, hic coronatus spinis. Hic dæmonium habens & Samarites. Cerne manus Judææ quas fixerus. Cerne latus Romanæ quod foderas: Videte corpus, an idem sit quod decebatis clam discipulos sustulisse. Dilectio me compulit frater, ut hæc tibi dicerem, ut his tunc interesse contingat, pro quibus nunc labor durus est. Ita Hieronymus.

PROPOSITIO II.

2. *Locus Resurrectionis incertus.* *Locus hujus resurrectionis est incertus, pendens ob admirabilis Dei providentia.*

ALiqui putant, tam bonos quàm malos omnes, in eodem loco in valle Josaphat resurrecturos, ubi judicandi sunt: sicque Angelos imperio Christi cineres universamque materiam, ex qua corpora hæc formanda erunt, illuc congregaturos, quod potuerunt motu celerrimo & brevissimo tempore. Hos cineres ibi in momento animabit Deus, sicque resurgent. Ita loquitur Sotus.

Alii verò dicunt cineres coacervandos ad duo loca, in uno coacervabuntur cineres justorum ut resurgant, in altero damnatorum, juxta illud Matthæi: *Exibunt Angeli & separabunt malos de medio* Matth. 13. 49. *justorum.* Hæc enim separatio videtur fore ante resurrectionem, nam post resurrectionem non est necessaria separatio per Angelos, quia ipsi Sancti virtute & agilitate sua rapientur in aëra, & à reprobis secernentur.

Alii dicunt singula corpora resurrectura in illo Richard. loco ubi fuerunt; & si in diversis partes sint sparsa, ubi major vel præcipua pars fuerit, ibi adducentur & reliquæ. Ita Richard.

Ita resurrectio fiet ut plurimum in sepulchro, quod videtur conforme scripturæ Joan. 5. *Omnes qui* Joan. 5. 28 *in monumentis sunt, audient vocem filii Dei & procedent, &c.* Sic qui cum Christo surrexerunt, exierunt de sepulchris; & de sanctis Petro & Paulo Chrysostomus ait: *Non ita Cælum splenduit, quando sol radios emittit, sicut Roma duas illas lampades ubique terrarum effundens. Hinc rapietur Paulus, illinc Petrus, quale spectaculum visura est Roma, Paulum repentè ex hoc illa cum Petro resurgentem in occursum Domini sursum ferri.* Sic ergò explicando, advertendum est: reprobos à dæmonibus subitò portandos ad locum judicii, & quasi invitos ac coactos trahendos. Justi verò virtute sua ferentur quo eos Custodes Angeli duxerint, & sic tam boni quam mali congregabuntur Angelorum ministerio.

RPOPOSITIO III.

Tempus quoque quo fiet hæc resurrectio, incertum nobis manet.

ALiqui putant fore hora matutina, qua Christus etiam resurrexit, & hæc est communior opinio Theologorum. Quia cum Christus sit exemplar nostræ resurrectionis, verisimile est illo tempore nos suscitandos quo ipse. Unde Anselm. in Elucida- S. Ansel. in Elucidario. rio dicit, resurrectionem futuram in die Paschatis: & significavit Macarius dicens futuram tempore Aprilis, quando omnia florere incipiunt. S. Macar. in homil. 6. & 12.

Confirmatur ex eo quod tempus lucis sit magis commodum, tum ad judicium, tum ut omnes homines possint naturali modo sine miraculis se mutuo videre; spectareque videtur ad bonorum gloriam, ut tempore lucis resurgant.

Alii dixerunt Resurrectionem fore intempesta Aug. hb. 63. q. 57. Ambros. lib. 8. in Luc. c. 17. nocte ex illis verbis; *Media nocte clamor factus est*, &c. Et ita sentit Hieronymus Matth 5. 5. Et Augustin. Ambrosiusque circa illa verba: *Erunt in illa nocte duo in lecto.*

Afferri etiam potest figura egressionis filiorum Israel de Ægypto, quando media nocte Angelus descendit, Ægyptios percutiens, & Israelitas è servitutis jugo liberans. Hæc tamen non convincunt, quia dum Scriptura loquitur quasi de resurrectione aut judicio futuro in nocte, vult solum significare, mundi consummationem illo tempore futuram, quo erunt homines securiores, & quasi obliti talis diei; & sæpè loquitur, non tam de hora resurrectionis, quàm de hora mortis, cùm noctis facit mentionem.

Digitized by Google

Sic quoque multi adoleſcentiæ ſuæ initio perſentiſcunt lucis cujuſdam divinæ radiunculos, & bonorum deſideriorum ſcintillas, ad illam beatam æternitatem animum inflammantes. Sed adoleſcentia incauta hanc lucem, & hunc Dei ſpiritum, cor ad Deum excitantem, facilè extinguit vanitatibus, vitiis, ſocietate prava, aliſque impedimentis, quæ ſcintillas has velut aquarum copia inundans, extinguunt & obruunt. Propterea ſero aliquando illius rei memores, coguntur uſurpare illud Job: Utinam

Job. 29.2 *ſim ſecundùm dies ſpriſtinos, quando ſplendebat lucerna ſuper caput meum, & ad lumen ejus ambulabam in tenebris, ſicut fui in diebus adoleſcentiæ meæ, quando ſecretò Deus erat in tabernaculo meo.* Itaque, ô Adoleſcentes, *Spiritum nolite extinguere*, ait Paulus, hoc

1. Theſſ. 5. eſt, afflatum, impulſum, lucem Spiritum Sancti in tenera ætate exorientem, ſpiritu malitiæ, carnalibus deſideriis, otioſa vita, nolite extinguere. Dum vocat Oriens, nolite attendere ad Occidentem, ut loquitur Bernardus. Et vos Parentes, nolite in prolibus Spiritum extinguere, hoc eſt, deſideria caſtitatis, aut vitæ perfectioris, per vitam licentioſam qua cogitis eos ornatui ſtudere, tripudiis, vanitatibus, convivis, & ſimilibus, nolite perimere.

RPOPOSITIO II.

Deus impellit nos ad deſiderium illius vitæ æternæ, & per mala hujus mortalitatis, & per delibationem quandam illius ſuavitatis.

PRimò: Per mala hujus mortalitatis: quia illa quæ hic patimur, ad Deum ire compellunt ſicut & Prodigum calamitates ad paternam domum ſuſpirare compellebant. Sic & Peregrinus multa inopia coactus, laſſitudine, aliiſque malis feſtinat ad pa-

Luc. 15. triam. Sic Cervus ſiti preſſus, deſiderat ad fontes

Pſal. 41.2. aquarum. Sic ſpinæ & vepres ſecus viam poſitæ, in

Oſe. 2. 6. viam faciunt redire viatorem, juxta illud Oſeæ: *Sepiam viam tuam ſpinis.*

Sunt tamen aliqui, de quibus poteſt illud dici: *Ephraim vitula doctа diligere triturаm* illi nimirum ſunt, qui afflictiones hujus mundi quaſi ex conſuetudine quadam ſubenter ſufferunt, nec propterea ad alteram vitam quietam deſiderandam moventur. De his explicat Scripturam propoſitam hoc modo

Gregor. l. 20. Mo- Gregorius: Amant perverſi homines pro hujus

ral. c. 16. mundi gloria etiam tribulationes, cunctiſque pro ea ſudoribus libenter ſerviunt, & gravium laborum jugo devotiſſimè colla ſubmittunt. Quod bene ſub Ephraim ſpecie Propheta deſcribit, dum dicit: *Ephraim vitula doctа diligere triturаm*: Vitula enim trituræ laboribus aſſueta, relaxata plerumque ad eundem laboris uſum etiam non compulſa revertitur. Ita pravorum mens hujus mundi ſervitiis dedita, & rerum temporalium fatigationibus aſſueta, etiamſi ſibi liberè vacare liceat, ſubeſſe tamen terrenis ſudoribus feſtinat, & uſu miſeræ converſationis tritura laboris quærit, ut à jugo mundanæ ſervitutis ceſſare non libeat, etiamſi liceat. Ita Gregorius.

Melius ergo illi agunt, qui conſiderant Deum per hæc mundi mala monere nos, ut ſuſpiremus ad æterna bona. Utique aſperſit Deus amaritudine hanc vitam, ut aliam quæramus; ideoque noluit quamdiu ſimus in hoc mortali corpore, plenam nos habere lætitiam, quia quocunque te verteris, & in quocunque ſtatu fueris, omnis fœlicitas habet aliquid mœroris, omnis lætitia aliquid amaritudinis, quaſi vinum mixtum, habens aliquid amaræ faeis.

Has fæces velut poſt longam epotationem ſentiebat Salomon, dum inclamat: *Vanitas vanitatum,* Eccl. 1. 2. *& omnia labor & afflictio*, Sicut enim illis, qui poſt & 14. 4 ebrietatem profundam, & poſt ſomnum brutalem ex ea ſecutum, ad ſe redeunt, vini fæces totum guttur mira amaritudine inficiunt, ita ut ad aſpectum etiam vini nauſeent, & non aliud quàm fontis aquam exquirant, ut illas reliquiarum amaritudines abluant. Sic videtur accidiſſe Salomoni, & aliis multis poſt longam voluptatem, illis enim non reſtant niſi fæces, cogentes eos fateri ſe non invenire niſi laborem & afflictionem. Nempe Deus cum hominibus inſtar bonæ matris ſe gerit, quæ ubi videt puerum ſemper dulcedini lactis velle adhærere, ungit ubera aliqua amaritudine, ut eum ad ſolidum cibum traducat. Sic Deus videns homines deditos fugendo lacti voluptatis & vanitatis, aſpergit aliquid abſynthii, aliquid amaritudinis, ut veris bonis cœleſtibus diſcant inhiare, & quærant ſolidum bonum ipſum Deum, quaſi illud eis inculcans: *Uſquequo parvuli diligitis infantiam, & mixta* Proverb. quæritis. 1. 22.

Itaque temporalia hæc mala erudire nos debent, ut tota intentione cunctamus ad bona æterna. Laboriosa hæc & amaritudine plena vita monet, ut ad illam aſpiremus, ubi nulla erit miſeria.

Amaritudo & alteratio quam patimur in via Ægypti, bibendo aquas turbidas, monet nos quærere aquam vivam, & fontem vitæ. Hujus aquæ exeuntis de Paradiſo, & iterum ſalientis in vitam æternam, deſiderium homini ſummum ineſſe debetur, etiam ſolum propter aquas putidas hujus mundi, quæ ſitim non poſſunt extinguere; imò potiùs illam accendunt, ſicut qui ſitim cuperet aqua ſalſa ſopire; tantò magis illam accenderet.

Hujus aquæ ſummo deſiderio afficiebatur S. Thereſ. c. Thereſia, quæ de ſe ait: O quam ſæpe in memo- 30. vitæ riam venit aqua illa viva, de qua Dominus Samari- ſuæ. tanæ! Ita ut magna devotione ferar ad Evangelium iſtud, & verè jam ab adoleſcentia affectu quodam ad illud ferebar, licet adhuc plenam illius boni notitiam non haberem, prout nunc. Unde ſæpè Deum rogabam ut mihi daret de hac aqua, & ſemper mecum ferebam imaginem & figuram Samaritanæ, cum illis verbis, quæ ad fontem dixit: *Domine da* Joan. 4. 15 *mihi hanc aquam.*

Secundò verò impellit hominem ad deſiderium hujus æternæ vitæ, delibatio quædam ſuavitatis illius. Sicut enim aliquid vini deguſtandum ali-

quando datur, non quo ſitis extinguatur, ſed potiùs accendatur, & ut illuc properetur, ubi ſedàgi poteſt: Sic Deus aliquando communicat de cœleſti illo vino gloriæ, ut accendat deſiderium illuc properandi, ubi abundè poteſt hauriri.

De hac re fusè Li. 2. Tract. de ſpe, Lect. de ſpei effectib.

Et ſicut Dux Militibus dona aliqua facit, ut animet ad victorum, poſt illam coronas, & ampla præmia promittens. Ita Deus nobis ſub vexillo Crucis militantibus, donat aliqua in pignus, ut animemur ad pugnam, & ad æternam illam coronam. Dat de ſuperuis aliquam conſolationem, ut excitemur ad fœlicitatem illam æternam quærendam, & animemur ad omnia adverſa fortiter ſuperanda. Imò verò conſideratione illius leniuntur, & mitigantur omnes afflictiones & tormenta hujus ſæculi.

PROPOSITIO III.

Deus creavit omnes ad vitam æternam, & ad eam neceſſaria dedit media.

Sicut omnes creati ſumus ad vitam æternam, ita & auxilia ſufficientia habemus ad eam.

DEus ergo nullo modo cauſa eſt, ſi illa excidamus, ſed nos, quia auxiliis datis uſi non ſimus.

Sic proteſtatur per Moyſen: *Teſtes invoco cœlum & terram, quod propoſuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem, elige ergo vitam, ut tu vivas*, &c. Ubi ſupponit, in poteſtate populo eſſe eligere benedictionem & vitam, & conſequenter auxilium ad id non deeſſe.

Deut. 30.

Iſa. 5. 4.

Conteſtatur quoque per Iſaiam, dicens: *Quid potui facere vineæ meæ, & non feci? Judicate inter me & vineam meam*, q. d. Ex parte mea implevi cooperans ſaluti tuæ, quæ ad me ſpectabant. Unde in cauſa tua, ô anima, teipſam judicem conſtituo quod dicere non poſſis: *Per Deum abeſt: quia enim odit, ne faceret. Non dicat ille me implanavit.* Reliquit enim hominem in manu conſilii ſui: *Appoſuit aquam & ignem*: Ergo homines libertatem accipientes, inquit Eſdras, ſpreverunt Altiſſimum, & vias ejus deſeruerunt, & hæc eſt cauſa perditionis eorum. Unde rectè illis dicitur: *Perditio tua ex te, tantummodò in me auxilium tuum.*

Eccleſ. 15. 11.

Ibid. v. 17.

Oeſe. 13. 9

Sicut ergo Deus omnes vocat ad æternam illam vitam, ita & continuò media ſuppeditat. Inprimis quia poſt peccatum dedit redemptionem pro omnibus ſufficientem, ſi ea uti voluerint. Ipſe eſt tanquam Sol juſtitiæ, cupiens quantum in ſe eſt, & potens omnes illuminare & calefacere, niſi voluntariè in tenebris deliteſcant.

Secundò, fontes gratiæ abundantes omnibus aperuit juxta illud: *Erit fons patens domui David in ablutionem peccatoris & menſtruatæ.* Ita ut non ſit defectus, niſi ex parte ejus qui non vult haurire.

Zach. 13. 1

Tertiò, vocat, hortatur, monet, promittit, minatur, demulcet, terret. Defectus tantùm eſt ex parte hominis, qui tanquam equus & mulus non habens intellectum, non obtemperat voci Dei; ſed ſuo appetitui, & ideo damnum hoc ſuper caput ejus eſt.

Quartò, ultra redemptionem, ſanguinem & Sacramentorum fontes, continuos dat de Cælo nobis favores, auxiliaque gratiæ, inſpirationes, conſilia Confeſſorum, Prædicatorum monitiones, quibus mediis homo poteſt uti.

Hinc & Apoſtolus dicit: *Omnes homines Deus vult ſalvos fieri.* Quod primò intelligitur, quia ex omni genere & omni ſtatu aliquos, v. g. Reges, plebeios, viros, fœminas, Judæos, Gentiles, Hiſpanos, Gallos, Belgas. Secundò univerſim omnes vult ſalvos fieri, quantum ex ſe eſt, quia pro omnibus mortuus eſt, pro omnibus venit, omnes vocat, neminem creavit ad damnandum, ſed omnes ut efficiat bonitatis ſuæ participes. Sicut pater non genuit filium ut eum exhæredet, & a ſe ejiciat, ſed cupit ei ſincere hæreditatem: At ille ſe rebellem exhibens, cauſa eſt ſuæ exhæredationis.

1. Tim. 2. 4.

Simile.

Ex parte hominis, cooperationem requirit, ita ut ipſe velit hominem uti mediis præſcriptis ad ſalutem, ut eam per bona opera conſequatur: *Qui creavit te ſine te, non ſalvabit te ſine te.* Rectè ergo dicitur, Deum velle omnes ſalvos fieri, ſi & ipſi velint: & hæc eſt tertia expoſitio D. Ambroſii, cum dicit: *Si is omnipotens dicitur, omnes vult ſalvos fieri, cur non impletur ejus voluntas?* Et reſpondet: In hac locutione conditio latet, vult enim omnes ſalvos fieri, ſed ſi accedant ad eum: non enim vult ut nolentes ſalventur, ſed vult illos ſalvari ſi & ipſi velint.

S. Ambro.

Sed dicet aliquis: Quis eſt qui non velit ſalvari, omnes enim ſalutem cupiunt & fælicitatem? Reſpondet Sapiens: *Vult & non vult piger.* Ubi Hieronymus pigri nomine dicit deſignari eum, qui vult regnare cum Domino, non tamen pati cum eo. Sic rectè dicimus, vult peccator & non vult; quia vult victoriam ſine prælio, coronam ſine certamine, præmium ſine obſequio, gloriam ſine merito. Vult ad vitam ingredi, & non vult mandata ſervare; vult ſalvari, & non vult a delictis ceſſare, vult finem & non media, & ſic eſt, quaſi volens & non volens. Qui enim vult ſincerè aliquid, de illo cogitat, illud deſiderat, de illo loquitur, media quærit & auxilia, quibus illud adipiſcatur, nec difficultatem horret aut laborem, ut deſiderium aut voluntatem ſuam ad effectum perducat. Rectè ergo dicimus quòd pauci ſunt qui velint ſalvari, quia pauci ſunt qui ſincero corde cogitant, deſiderant, media requirunt, ad æternam illam vitam. Pauci qui pro Deo tantum faciant, quantum pro hominibus, pro bonis cœleſtibus, quantum pro terrenis, pro vita æterna, quantum pro temporali. Si itaque verè vis ſalutem, muta vitam, quære viam, ſuſtine pro ea laborem, vince difficultatem, & cogita illud: *Non ſunt condigna paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.*

Proverb. 13. 4.

Rom. 8. 18.

Ad horum omnium confirmationem facit, quod de B. Thoma Aquinate legimus. Cum interrogaretur à Germana ſua ſorore: *Quomodò, ô frater, poteris æternam ſalutem conſequi?* Reſpondit: *Poterus id volendo.* Hoc brevi reſponſo indicabat in voluntate hominis rem eſſe poſitam. Sic dixit Beda: *Reſiſta regnum*

Thom. Aquin.

Digitized by Google

regnum cœlorum poſita eſt in poteſtate facientis: res iſta ô homo, aliud non quærit pretium, quàm tu ipſum: Tantùm vales, quantum es tibi, te da & habebis illud. Quandò ergò ô homo peris, perditio tua ex te eſt.

V. Beda ſer. 8. de Sanctis.

Vis videre in exemplis? Attende, quid dicat Auguſtinus, in medium producens Nabuchodonoſor & Pharaonem. Poſt innumeras, inquit, impietates flagellatus pœnituit Rex ille pœnitentia fructuoſa, & regnum rursus accepit: Pharao ipſis flagellis durior effectus eſt, & perit. Quantum ad naturam, ambo homines erant: quantum ad dignitatem, ambo Reges: quantum ad cauſam, ambo Dei populum captivum poſſidebant: quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti ſunt. Quid ergò fines eorum fecit eſſe diverſos? Niſi quod unus manum Dei ſuper ſe ſentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit. Alter verò libero contra Dei miſericordiſſimam veritatem pugnavit arbitrio. Hæc Auguſtinus. Perditio ergò tua ex te eſt, ô Pharao! Nec dicas Deo: *Ille me ſupplantavit.*

Exempl. S. Aug. Lib. de libero arbitrio, & refertur cauſa 3. q. 4.

Eccl. 15. 12.

Vis ſimile videre in novo Teſtamento? Prodeat Judas reprobus cum Petro electo. Quid habet conqueri Judas de Deo? Quo medio minus eſt erga Petrum, quo non erga Judam? Homo erat uterque, hic Apoſtolus, ita & ille: Hic vocatus a Chriſto, ita & ille: Hic eum prodidit, iſte negavit. Quare hic deſperans, ſuſpendit ſe, & hic pœnitens ſalvatur? Si Petrus habet Gallum monentem, Judas habet & Chriſtum: *Amice ad quid venisti?* Huic etiam prius laverat pedes cum lachrymis, juxta Auguſtinum, & monuerat. Sed ob diſpoſitionem pravam & libertatem, unus ſe damnat, alter ſe ſalvat.

S. Aug.

Prodeant omnes damnati & ſalvati. An poſſent dicere damnati, quod Deus eis defuerit? Ex eadem domo & familia, eosdem habentes parentes carnis, uno fortè tempore, eodem utero fuſi, ad eundem Baptiſmum acceſſerunt, eoſdem inſtructores habuerunt, eoſdem animarum Paſtores habuerunt, eadem Sacramenta potuerunt ſuſcipere: Sed ex voluntate & libertate unus ſe damnat, alter ſe ſalvat: *Perditio tuâ ex te,* ô miſer peccator, ex prava voluntate tua. Quieſce agere perverſè, diſce benefacere, relinque vitia, ingredere bonam viam, & ſi Deus te non ſalvat, argue eum & dic injuſtum.

LECTIO XVII.

IN QUO CONSISTAT ÆTERNA VITA?

1. *Docet conſiſtere in viſione Dei.*
2. *In amore & fruitione Dei.*
3. *In perpetua quadam laude Dei.*

2. Æterna vita conſiſtit in viſione Dei.

PROPOSITIO I.

AEterna hæc vita conſiſtit primò in viſione Dei. Hæc viſio fit per lumen gloriæ, quod intellectui datur, ut attingat divinam eſſentiam viſione clarâ, ſine quo id non poſſet.

De hoc lumine intelligunt Theologi illud: *Apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Sicut ergò ſine dono gratiæ & charitatis, non poteſt homo perfectè Deum diligere in hac vita. Ita nec ſine illo dono luminis gloriæ, poteſt perfectè videre Deum in altera. Eſt verò illud lumen participatio quædam ſpecialis luminis illius æterni, quo Deus ſeipſum perfectè videt, intelligit & comprehendit. Ideò per illud homo objectum ſuum beatificum, ipſam ſcilicet divinam eſſentiam videt.

Pſ. 35. 10. V. Theologos in 1. 2. D. Thom

Primò, intellectus per hoc lumen elevatus, videt omnia, quæ ſunt in Deo formaliter, hoc eſt, omnes perfectiones ejus, ſapientiam, bonitatem, potentiam, æternitatem, immenſitatem, & reliqua attributa. Vident enim Beati eum ſicuti eſt, ſi aliquid eorum, quæ in ipſo ſunt, non viderent; & cùm omnes perfectiones in eo ſint unica ſimpliciſſima perfectio, qui eſſentiam divinam videt, clarè omnes perfectiones videt.

Secundò, vident notitia diſtincta Beati in Verbo, pulchritudinem & ordinem totius Univerſi, & proinde omnes rerum naturalium ſpecies vel genera, quæ ſunt, fuerunt, vel erunt. Non enim erit beatifica illa viſio inferior naturali ſcientiâ Angelorum; ſed Angeli naturaliter omnia cognoſcunt, ergò & Beati: Eſt hoc ſpectat ad perfectionem intellectus, quæ tunc non poterit deeſſe.

Tertiò, videbunt omnia myſteria ſupernaturalia, quæ hic crediderunt; tunc enim revelata facie illa videbimus, tranſeuntes de obſcuritate fidei ad claritatem viſionis, de ſpe ad ſpeciem, de ænigmate & fide ad faciem, de cortice Sacramenti ad adipem frumenti. Tunc Agnus aperiet librum myſticum, & ſolvet ſeptem, hoc eſt, univerſa ſignacula ejus, ut apertè videamus, quæ in illo continentur myſteria, a ſæculis abſcondita. Tunc comprehendemus cum omnibus Sanctis, quæ ſit longitudo, latitudo, ſublimitas & profundum, & myſticas illas dimenſiones, de quibus loquitur Apoſtolus, ad Epheſios 3. Tunc perfectè intelligemus, quomodò ſub albicanti panis ſpecie, poſt myſticam conſecrationem, Chriſtus integer contineatur, & orbe ſit clauſus modico, totius Orbis Dominus. Tunc verum illud erit. *Sicut audivimus, ſic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei noſtri.* Pſ. 47 9.

Tunc videbit Sponſa Sponſum, non ſtantem poſt parietem, non per feneſtras, aut per interjectos cancellos, non in aſſumpta aliqua forma, ut vidit Abraham & Jacob, non ænigmaticâ & umbratili aliquâ cognitione, ut cæteris indultum eſt Prophetis: ſed ſemotâ omni obſcuritatis nube, videbit eum ſicuti eſt, & in divini vultus gloriabitur ſplendore. Ibi patebunt ei viſcera miſericordiæ, cogitationes pacis, divitiæ ſalutis, arcana divinæ voluntatis.

Tunc

Tunc denique videbimus Myſterium illud ſublime Trinitatis. Quomodò Pater filium producat ab æterno, ſibi conſubſtantialem, & in omni perfectione æqualem. Quomodò Pater & Filius ſeſe amando ſpirent Spiritum Sanctum. Quomodò tres unum ſint, & Trinitas in unitate.

Nunc ergò ſufficiat nobis ad illam viſionem aſpirare, & dicere cum Propheta: *Sitivit anima mea* Pſal. 41. 3. *ad Deum fontem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei*, q. d. Quando dies ille tot votis optatus veniet, cum intuebor Regem in decore ſuo? Quandò videbo Patrem illum totius bonitatis, Solem illum qui ante omnem lucem, lucet in montibus æternitatis? Quandò videbo Verbum bonum, quod cor Patris ab æterno eructavit, Verbum æternum, quod erat in principio apud Deum, & ipſum erat Deus? Quando licebit ſacros pedes pro me perforatos oſculari, os aperto lateri admovere, ad pedes ejus in æternum ſedere? Quandò veniet illa dies, in qua totius ſanctitatis, authorem Spiritum Sanctum contemplabor à Patre Filioque procedentem, & beatas animas, cum amor ipſe ſit, ardore ſacro amoris inflammantem?

Hæc omnia videbimus tunc perfectiſſimè, quia in viſione Dei Trini & Unius, tota noſtra conſiſtit beatitudo, cui nunc ſuſpiramus.

Quartò, Quantum ad res contingentes & particulares, licet beati non cognoſcant omnia, quæ ſunt in Deo eminenter; (non enim cognoſcunt diem Judicii:) tamen cognoſcent ex his, quæcunque ad ſtatum uniuſcujuſque ſpectant, hoc enim conveniens eſt, ut ſatietur deſiderium eorum. Sic Rex beatus totum regni ſui ſtatum videt, Epiſcopus gregis, Paterfamilias ſtatum filiorum ſuorum, & ſic de cæteris. Sic Sancti cognoſcunt preces & vota ad ipſos directa, hoc enim ad ſtatum eorum ſpectat.

Vident autem hæc omnia Beati in eſſentia divina, quaſi in ſpeculo voluntario.

Sicut ſpeculum nos ipſos repræſentat, & ipſummet ſpeculum, & quicquid præſens eſt: Sic per ſpeculum divinæ charitatis, videbimus ipſum Deum & nos ipſos, & alias Creaturas. Unica viſione, unico intuitu hæc omnia videbimus, in illo ſpeculo, de quo ſcriptum eſt: *Speculum ſine macula, & candor Lucis æternæ.*

PROPOSITIO II.

2. In amore & fruitione Dei.

Vita hæc æterna conſiſtit in amore & fruitione Dei, ex qua ineffabile gaudium oritur.

AMor ille Dei ibi erit conſummatus, imò neceſſarius, ita ut homo tunc non ſit liber ad Deum amandum: quia non poteſt non amare ſummum bonum, ſibi per claram viſionem propoſitum; ſed voluntas neceſſario in illud fertur. Per hunc verò amorem ita perfectè Deo adhærebit, ut ſit anima quaſi unus Spiritus cum Deo, per perfectam amoris unionem. Tunc perfectè adimplebitur illa petitio Joan. 17. 21. Chriſti: *Sicut tu Pater in me, & ego in te, ita fac, ut ipſi in nobis unum ſint.*

Per hunc ergò amorem & fruitionem beatificam anima velut in abyſſum divinitatis ſeſe immergeret, nullo jam depreſſa corporis pondere; nullâ carnis illecebra retardante. Ibi poterit Domino inclamare: *Defecit caro & cor meum Deus cordis mei, &* Pſ. 72. 26. *pars mea Deus in æternum.*

Sicut enim ſtilla aquæ multo ſuperfuſa vino à ſeipſa deficiens, vini induit colorem, & ſaporem: Et velut ferrum candens propriâ exutum formâ, igni fit ſimillimum: Velut denique Solis luce perfuſus aër, in eandem transformatur luminis claritatem: Sic omnem tunc humanam affectionem, ineffabili modò neceſſe erit, & à ſemetipſa liqueſcere, & in Deum effluere, & in divinam penitus transfundi voluntatem: Ita ut omnis affectio ibi ſit deificata, & totus homo deiformis.

Ex illo verò amore, & perfectâ ad Deum unione, exoritur ſupereffluens copia gaudii perfectiſſimi, pleno corde, plena mente, pleno toto homine. Et ipſum gaudium adeò abundans erit, ut non intret in gaudentes, ſed gaudentes intrabunt in gaudium, ut loquitur ſcriptura, voluns ſignificare ſupereffluentem eſſe copiam illius æterni gaudii, & in quandam gaudii abyſſum inexhauſtam beatos ſeſe immergere. Hinc & ibi dicitur eſſe torrens lætitiæ, flumen gloriæ & fons vitæ, à cujus ubertate dicuntur beatæ mentes inebriari; *Torrente voluptatis* Pſal. 35. 9. *tuæ potabis eos, quia apud te eſt fons vitæ*, inquit David. Ad hunc fontem ipſe reſpirabat inclamans: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, ſicut* Pſal. 41. 3. *deſiderat Cervus ad fontes aquarum.* Utique Deus rectè fons vitæ nominatur, fons ſapientiæ, fons eſſentiæ: quia à nullo habet quod vivat, quod ſapiat, quod ſit, cum ipſe ſit ipſa vita, ipſa ſapientia, ipſum eſſe: & omnia quæ vivunt, ſapiunt, & ſunt, ab illo vivunt, ab illo ſapiunt, ab illo ſunt. Ibi ergò vita & ſapientia à beatis in fonte ſuo bibitur, nec amplius ad rivulos, aut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram os erit apponendum, ſed ad ipſam plenitudinem fontis, ubi plena tacitas eſt, & ſatiata plenitudo.

Si ſtilla de illo fonte aliquandò defluens, tantam ſuavitatem effecit in animabus, adhuc in hac mortali vita agentibus, ut rerum pene omnium oblivionem pariat: Quid erit, quando homo hauriet de fontis illius plenitudine?

Beatus Ephrem tantâ alquandò ſuavitate cœleſti reficiebatur, ut illam vix poſſet ſuſtinere, ſed cogeretur clamare: *Recede à me paululum Domine, re-* Surius 1. Febr. *mitte aliquantum undas tuæ gratiæ, quia corpus meum ubertatem illam jam amplius non poteſt ſuſtinere.* Sic B. Xaverius ſubinde in precibus dicebat: *Satis* Turſellinus lib. 6. vitæ ejus. *eſt Domine, ſatis eſt, noli objecto in hac vita mortali tantam mihi conſolationem indulgere, quin potius ad aliam me voca vitam, & cœleſtem patriam, quia qui ſemel tuam experrus eſt dulcedinem, is ſine te hic vitam degit acerbam.*

Beatus Ægidius rerum omnium oblitus, ad hanc ſolam vocem, *Paradiſus frater*, totus extra ſe mirâ cum ſuavitate rapiebatur.

Si

Si ergo in hac vita mortali tantùm valuit ſola confideratio illius fælicitatis : quid putamus futurum, quando totus affectus animæ nulla mole corporea gravatus, in Deum perfectiſſimè feretur & effundetur? Ibi audietur : *Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis juſtorum, vox exultationis & confeſſionis & ſonus epulantis.* Pſ.117.15. & 41.5.

Ibi ergò clamat Petrus, & in æternum clamabit: *Domine bonum eſt hìc nos eſſe,* Mat.17.4

Ibi Thomas fæliciori quàm olim contactu cum jubilo æterno dicit : *Dominus meus & Deus meus.* Joan. 20. 28.

Ibi Paulus meritò poteſt dicere: *Vivo ego jam non ego* : quia ibi vita noſtra *abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Gal.2.20.

Ibi Moyſes non in foramine petræ, ſed in faciei divinæ contemplatione, inclamat : *Dominator Domine Deus miſericors & clemens, patiens & multæ miſerationis & verax, qui cuſtodis miſericordiam in millia:* Et ab hac voce in æternum non ceſſabit. Exod. 34.5.

Ibi Franciſcus: *Deus meus & omnia* : Ibi Thereſia: *Miſericordias Domini in æternum cantabo.*

Ibi David illud repetit : *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.*

Ibi Abacuc : *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jeſu meo.* Abac.3.18

Ibi Iſaias ingeminat: *Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi.* Quia nimirum exprimere non poteſt abſconditam illam gloriam, quam *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit,* quam *præparavit Deus diligentibus ſe.* Iſa.24.16. 1.Cor.2.

Propterea dicebat Auguſtinus: *Quod Deus præparavit diligentibus ſe, fide non capitur, ſpe non attingitur, charitate non apprehenditur, deſiderio & vota tranſgreditur, acquiri poteſt, æſtimari non poteſt.* Auguſt. l. 11.de Civ.

Denique tanta eſt lætitia Sanctorum, ut de illis dixerit Iſaias : *Redempti à Domino convertentur, & venient in Sion cum laude & lætitia ſempiterna ſuper caput eorum, gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.* Iſaiæ 35.

Lætitia illa ſempiterna, dicitur eſſe ſuper capita eorum tanquam corona eos decorans ; quia anima beata in Sion, ſive in Eccleſiam illam triumphalem introducetur, quaſi Sponſa a Sponſo, cum geniali plauſu, cum nuptiali dimemate, cum gaudio ſempiterno. Hoc deſcribens Eſdras dicit : *Recipe Sion numerum tuum, & conclude candidatos tuos qui legem Domini compleverunt. Filiorum eorum quos optabas, plenus eſt numerus. Ego Eſdras vidi in monte Sion turbam magnam quam numerare non potui, & omnes canticis collaudabant Dominum. & in medio erat juvenis ſtatura celſus, eminentior omnibus, & ſingulis eorum capitibus imponebat coronas, & magis exaltabatur. Ego autem miraculo tenebar : Tunc interrogavi Angelum. Qui ſunt hi Domine? Qui reſpondens dixit: Hi ſunt qui mortalem tunicam depoſuerunt, & immortalem ſumpſerunt, & confeſſi ſunt nomen Dei : modò coronantur & accipiunt palmas, & dixi : Ille juvenis quis eſt qui eos coronat, & dat palmas. Et reſpondit mihi: Ipſe eſt filius Dei, quem in ſeculo confeſſi ſunt : Ego autem magnificare eos cœpi, qui fortiter pro Domino ſteterunt. Tunc dixit mihi Angelus: Vade & annuncia populo meo, quanta & quanta mirabilia Dominus Deus vidiſti,* ita Eſdras. 4 Eſd.2. 40.

Quia verò anima tanquam Sponſa introducitur in thalamum æternum, ideò Doctores triplicem illi dotem aſſignant, quam vocant, *Viſionem, tentationem, fruitionem.* Sicut ergo in creatione, animam Deus triplici potentia ornavit, tanquam imaginem Trinitatis ſuæ, intellectu ſcilicet, voluntate, & memoria : Et ſicut in diſpenſatione quæ ſit per juſtificationem, dat ei velut triplicem amictum fidei, ſpei, charitatis, Ita in illa matrimonii conſummatione, & in thalamum introductione, dat ei dotem triplicem dictam. *Anima beata triplex dos.*

Primò ergo dotabit eam viſione clara Dei, ſummi veri, quæ præmium erit fidei, & per hanc futurus eſt intellectui plenitudo lucis.

Secundò dotabit eam perfectiſſimo amore Dei tanquam ſummi boni ; & per hanc futurus eſt voluntati multitudo pacis, eritque præmium charitatis.

Tertiò dotabit eam apprehenſione, juxta illud: *Tenui, nec dimittam eum.* Et hæc tentio erit præmium ſpei, & per hanc futurus eſt memoriæ continuatio æternitatis. Cant.3.4.

Ibi ergò ob æternam ſecuritatem, noſtrum eſſe non habebit mortem : ob miram ſerenitatem, noſtrum intelligere non habebit errorem : ob plenam ſuavitatem, noſtrum amare non habebit interpolationem.

PROPOSITIO III.

Conſiſtit & hæc vita æterna in perpetua Dei laude, quæ oritur ex illa viſione & fruitione. 3. In perpetuus laude Dei.

HInc dicit Pſaltes : *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Ipſi ſcil. in ſæcula ſæculorum videbunt te, & in ſæcula ſæculorum amabunt te, & ex hoc amore laus æterna ab eis procedet ; & ideò in ſæcula ſæculorum laudabunt te in cœleſti illa civitate, de qua dicitur : *Super muros tuos Jeruſalem conſtitui cuſtodes, tota die & nocte non tacebunt laudare nomen Domini.* Et iterum per Pſalmiſtam: *Te decet hymnus Deus in cœleſti Sion, & tibi reddetur votum in Jeruſalem.* Ideò & Eccleſia canit: Pſal.83. 5. Iſa.62. 6. Pſ. 64. 2.

Omnis illa Deo ſacra, & dilecta civitas
Plena modulis in laude, & canore jubilo
Trinum Deum, unicumque cum ſervore prædicat.

Hinc viginti quatuor ſeniores mittentes coronas ſuas coram throno Agni, & Angeli in Circuitu throni continuò clamabant : *Sedenti in Throno & Agno benedictio & gloria, & honor, & poteſtas in ſæcula ſæculorum. Et quatuor animalia requiem non habebant* Apocal. 5. 13. Ibid. 4. 8.

bebant die ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, ſanctus Dominus Deus omnipotens. Ideò etiam ad æternam
Pſ.26.4. illam vitam ſuſpirans David, inclamabat: *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini, & viſitem Templum ejus.* Ubi domum illam vocat templum, quia non eſt profana domus, ſed domus ſacratiſſima, verè Templum & Baſilica, æterni Dei, in qua animæ ſeipſas perfectè ſacrificant Deo; in qua aſſiduè offertur hoſtia laudis & jubilationis, in qua enarrantur magnalia Dei ſine intermiſſione, in qua eſt Sabbatum Domini ſanctum, &
Iſa.66.23. dedicatum, *Sabbatum ex Sabbato, Menſis ex Menſe*, hoc eſt perpetua ſolemnitas, perpetua neomenia &
Pſ.86.7. jubilatio; quia *ſicut lætantium omnium habitatio eſt in te*, Civitas Dei.

Hoc conſiderantes aliqui ex Sanctis Patribus, volenteſque illam perpetuam laudem cœleſtem pro viribus imitari, inſtituerunt in Monaſteriis perpetuum ſine intermiſſione cantum, laudeſque Dei.

Sic legimus in Luxovienſi Monaſterio B. Columbani inſtitutis celebri & ſanctiſſimo, tantam fuiſſe multitudinem Religioſorum, ut ſi invicem ſuccedentibus choris, nocte dieque continuarentur divinæ laudes, adeo ut nullum temporis interſtitium vacuum foret à Canticis divinis.

Porro illa laus in domo Dei æterna, non ſolum erit ſine interruptione, ſed etiam ſine impedimento, diſtractione, aut imperfectione, tanquam ſacrificium laudis Deo perfectiſſimum.

In hoc ſæculo, licet Apoſtolus dicat, ut ſine intermiſſione oremus (quia ſcilicet ſine intermiſſione benefacere nos oportet, & ſic factis noſtris continuò Deum laudare.) Non poteſt tamen homo vacare continuò laudibus divinis: quia mille habet impedimenta, & diſtractiones à negotiis quotidianis, à mundo, carne, dæmone, a curis & ſollicitudinibus, cum debeat providere corpori, & neceſſitatibus ejus. Sed in illa domo æterna, omnia hæc ceſſabunt, laudis nullum erit impedimentum.

Ideò ad illam Beatorum congregationem in-
Pſ.147. 12. clamat Propheta: *Lauda Jeruſalem Dominum, lauda Deum tuum Sion.* Ubi Auguſt. adjungit: Ecce hoc eſt negotium tuum, quia non otare debes, non ſeminare, non novellare, non negotiari, non mortuum ſepelire, ægrum viſitare, eſurientem paſcere. Non amplius ſollicita es, aut turbaris erga plurima.
Ibid. 13. Nec enim habes in viis tuis eſurientem, cui frangas panem, aut ſitientem, cui præbeas calicem, aut peregrinum, cui exhibeas hoſpitalitatem. Quid ergo facturus es? Lauda ſtructorem tuum, Paſtorem tuum, Regem tuum, Sponſum tuum, qui te prævenit dignatus eſt in benedictionibus dulcedinis. *Quoniam confortavit ſeras portarum tuarum*: hoc eſt munitiſſimis vectibus & inconvulſis ſeris portas tuas confirmavit, ut nemo egrediatur, de quo doleas, neque ingrediatur quem timeas: Nec enim amplius habitura es paleas cum tritico, zizania cum frumento, ſpinas cum Liliis, hœdos aut lupos cum Agnis: *Benedixit & ipſe filiis tuis in te.* Filii enim tui, ô Sion, *velut juniores & novelli* Thren. 4.2.
primo, ſive optimo, veſte ſcilicet aurea gratiæ & gloriæ, & jam non amplius reputandi ſunt ut vaſa teſtea, vilia & fragilia. *Poſuit quoque fines tuos pacem.* In te enim pax eſt ſuper pacem, pax quæ exuperat omnem ſenſum, pax in corde, pax in carne, pax ab iniquis, pax cum proximis, pax cum Deo, & pacis non erit finis. Nullus ergò amplius timor in finibus tuis, nullus prædo depopulatur, nullus inimicus inſidiatur, nullæ ibi tentationes, nulla ſeſe cogitationum turma confundit. Serpens ille antiquus, omneque ejus venenum longè eſt à muris tuis, longè à filiis tuis. Ille enim ab initio pacem tuam turbare volens, tanto exturbatus eſt impetu, ut de eo veritas dicat: *Videbam Satanam tanquam fulgur de cœlo cadentem.* In te ergò ille qui idem eſt, omnia in identitate ſuo ſolidat & conjungit, ille inquam, *cujus participatio in idipſum.* Denique addit: *Lauda Dominum, quia adipe frumenti ſatiat te.* Quis non in Jeruſalem, inquit Bernardus, vehementer cupiat paſci, & propter pacem, & propter adipem, & propter ſatietatem? Nihil ibi formidatur, nihil faſtiditur, nihil deficit: Tuta habitatio Paradiſus: Dulce pabulum Verbum: Opulentia multa nihil, Æternitas. Habemus & nos verbum, ſed in carne, nobis apponitur veritas, ſed in Sacramento. Pleni ex adipe frumenti, & nudo ſaginantur grano. Nos interim oportet contentos eſſe Sacramenti cortice, carnis furfure, fidei velamine: Et quantalibet abundantia ſpiritus pinguefcat, non pari ſapit jucunditate Sacramentum, & adeps frumenti, vulnus & ſpeculum, fides & ſpecies. Ita Bernardus.

Luc. 10 18.

Pſ. 147. 14. Bernard. ſerm. 33. in Cant.

Merito ergo ad Laudem advocatur. Jeruſalem illa cœleſtis, quæ tot divinis beneficiis præventa eſt, ut ejus ſit hoc & otium, & negotium unicum, laudare & benedicere Dominum, & hoc ſine impedimento.

Tria mira in Templo Salomonis applicantur templo cœleſti.

In Templo illo celebri Salomonis, tria notant ſpecialia aliqui ex Antiquis.

Primò: quod quotieſcunque Sacrificium incenſi oblatum fuit, aut oblatio thuris, fumus in altum ita ſeſe elevavit, ut nunquam viſus fuerit deſcendere poſt aſcenſum.

Secundò: quod cum ibi tot Sacrificia animalium offerrentur, nunquam tamen fuerit viſa aliqua muſca carnibus Sacrificii inſidere, ut habet Joſephus & Galatinus. Quod certè mirum planè erat, cum ſanguinem effuſum, & carnes in Sacrificiis pro idolis immolatis tot muſcæ circumvolitarent; ut ideò dæmonem in idolis adoratum Beelzebub nominarent, id eſt, Deum muſcarum.

Joſephus lib. Antiquitat.

Tertiò: Dicitur, quod Templum iſtud (licet undique in ſolemnitatibus tribus Judæ concurreretur) nunquam tamen adeò implerum fuerit, quin locus ſupereſſet.

Nunquid hæc in figura contingebant eis? Rectè enim

enim hæc tria admiranda, tria alia significare dicerent.

Primò: quod Sacrificium illud laudis, quasi thuris, quod in templo æternitatis Deo offerunt Beati, semper ascendat coram illo in odorem suavitatis.

Secundò: quod muscæ nunquam circumvolitant illud Sacrificium, id est, distractiones aut sollicitudines pungentes, quæ sunt velut muscæ, quæ *perdunt suavitatem unguenti* orationis.

Tertiò; quod licet undique ab Oriente & Occidente, à Meridie & Septentrione, portæ tres sunt ad Templum illud, populis undique concurrentibus; tamen manet adhuc ampla domus Dei, & ingens locus possessionis.

Porrò Viri Sancti multùm optaverunt vinculis hisce corporeis exolvi, ut in illo æterno Templo possent perfectius, & sine impedimento perpetuò Deum laudare cum Beatis illis, quibus convenit illud Psalmi: *Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Ps. 115. 17.

In horum etiam persona dicebat David: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini ad confitendum nomini Domini.* Ps. 121. 1.

Surius in vita ejus 4. Octob.

Hinc D. Franciscus videns appropinquare diem exitus sui, curavit se deferri in Ecclesiam B. Mariæ Angelorum, ut ubi spiritum gratiæ hauserat, spiritum vitæ Deo suo redderet. In ultimo ergò spiritu constitutus, pronunciavit Psal. 141. qui incipit: *Voce meâ ad Dominum clamavi.* Cujus ultimus versus est: *Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo.* Hunc versum cum fervore pronuncians, spiritum in manus Creatoris sui reddidit. Anhelabat educi de hoc carcere corporis, ut perfectius posset laudare Dominum Deum, cum beatis illis mentibus.

B. Ludovicus idem respirans, in ultimo spiritu hunc versum pronunciabat: *In conspectu Angelorum, psallam tibi, adorabo ad Templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.*

Fernandus Castiglius in vita ejus.

S. Vincentius, Ordinis S. Dominici, singularis fuit doctrinæ, humilitatis, abnegationis sui, & amoris Dei, & mirè B. Virgini devotus, ita ut nunquam concionaretur, quin aliquid in ejus laudem diceret. Cum in morbum gravem, & longam melancholiam incidisset, sub finem vitæ, visâ Beata Virgine, cœpit in spiritu exultare & jubilare, cumque socius ejus Matutinum & laudes recitaret, & pervenisset ad verbum ultimi Psalmi: *Omnis spiritus laudet Dominum.* Ipse æger & agonizans justit socium sistere, & multoties iterando & jubilando, *Omnis spiritus laudet Dominum.* Ipse spiritum emisit in cœlos perpetuò Dominum laudaturum.

Ad hanc ergò laudem nos quoque respirare convenit, & ad cœleste illud Templum, cujus lucerna est Agnus, ubi perpetua cantantium lætitia; quia non possumus perfectè cantare canticum Domini in terra aliena, inter filios Babylonis. Hoc solum dabitur nobis, dum habitare concedetur inter filios illos cœlestis Sion. Dicat ergò quilibet nostrum cum B. Augustino: O domus luminosa & speciosa! Tibi quoque suspirat peregrinatio mea: & dico ei qui fecit te, ut possideat me in te, quia fecit & me. Stantes quondam erant pedes mei in atriis tuis, dum terrestrem Paradisum (qui porticus & vestibulum quoddam erat æternæ tuæ gloriæ) in primo Parente incolerem. Sed heu viperinis nexibus in hoc detractus exilium, erravi sicut ovis quæ periit. Attamen in humeris Pastoris mei, Structoris tui, spero me quandoque reportandum tibi; ut in montibus illis Æternitatis cum nonaginta novem ovibus ubertimis pascuis gloriæ possim refici, & deduci ad vitæ fontes aquarum: Et, ut possim in Templo illo jubilationis perpetuæ in sæcula sæculorum te laudare & benedicere.

Tibi enim

REGI SÆCULORUM,
IMMORTALI ET INVISIBILI
SOLI DEO
HONOR ET GLORIA
IN SÆCULA SÆCULORUM
AMEN.

DE OFFICIO PASTORALI,

COLLATIO SACRA HABITA COUVINII, CORAM ILLUSTRI ET R. D. ABLOCQUERIE ARCHIDIACONO FAMENNÆ & Cancellario Leodienſi, in Synodo Paſtorum.

Paſcite qui in vobis eſt Gregem Dei. 1. Petr. 5.

Joan. 21. CHRISTUS, Petrum Eccleſiæ Paſtorem inſtituens, & in illo tanquàm cæterorũ Coriphæo & Principe omnes erudiens, poſtquàm tertiò interrogavit de amore, tertiò etiam injungit ei *Paſce*: ut ſignificet teſte S. Bernardo, triplici alimento debere quemlibet Paſtorem gregem paſcere: *Paſce*, inquit, *verbo, paſce oratione* & Sacramentorum ſpirituali ſubſidio, *paſce converſationis exemplo*. Petrus ergò, cui cæteros erudiendi commiſſa erat cura, ſollicitè id adimplens, paterno ſpiritu & affectu hortatur nos: *Seniores, qui in vobis ſunt, obſecro conſenior & teſtis Chriſti Paſſionum, ac gloriæ Communicator, paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei.* Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus. Ideò hæc verba mihi ad dicendum aſſumpſi in hac Venerabili Seniorum, hoc eſt, Presbyterorum, & Paſtorum Corona. Declarabo ergò in hac exhortatione potiſſimùm tria. *Primò*: Quomodò oporteat paſcere doctrinæ verbo. *Secundò*: Quomodo orationis & Sacramentorum ſubſidio. *Tertiò*: Quomodo converſationis exemplo.

Bernard. ſer. 2. de Reſur. *Paſtoris tria incumbunt.*

PRIMA PARS.

1. Paſce verbo. SOlebant Prophetæ non ſolùm verbis, ſed etiam factis futura pronunciare, & vaticinari. Sic Iſaias de illuſtri licet ſtemmate Propheta oriundus, incedit diſcalceatus, & totus ignominiosè nudus per Jeruſalem per triduum, (vel ut alii dicunt, per tricennium) ut ſignum daret & portentum ſuper Æthiopia & Ægypto, ubi juvenes & virgines nudatæ cum ignominia, per Regem Aſſyriorum ſignificabantur in captivitatem abripiendæ.

Iſa. 20. 3.

Hierem. 19. 11. Sic Hieremias jubetur lagunculam figuli accipere, & convocatis ſenioribus Jeruſalem, in oculis eorum eam allidere, & conterere, ac dicere: *Hæc dicit Dominus: Sic conteram populum iſtum & Civitatem, ſicut vas figuli, quod non poteſt ultrà inſtaurari.*

Ezech. 5. 1 Sic Ezechiel jubetur aſſumere gladium acutum, radentem pilos, & ducere per caput & barbam, treſque partes facere: unam comburere igni, alteram concidere gladio, tertiam diſpergere in ventum. Ut ſignificaret partem civitatis peſte & fame interituram, partem gladio, partem in civitatem, quaſi in ventum diſpergendam.

Ozee. 1. Denique ſic Ozeas jubetur accipere uxorem fornicariam, & unam prolem ex ea ſuſcitatam vocare, *Abſque miſericordia*; Alteram; *Non populus meus*; ad ſignificandam fornicationem ſpiritualem plebis à Deo per idololatriam, propter quam repudiandus erat, tanquam non populus Dei, ſed ſemen ſpurium, vindictæ obnoxium.

Zach. 11. 15. Similem in modum ad Zachariam dicit Dominus: *Sume tibi vaſa Paſtoris ſtulti, quia ego ſuſcitabo Paſtorem, qui diſperſum non quæret, contritum non ſanabit, quod ſtat non enutrier.* Ut ergò id non tantum verbis, ſed & exterior facto populo ſignifices: *Sume vaſa Paſtoris*, hoc eſt, inſtrumenta quibus uti ſolent. Aſſume rudem aliquam & hirſutam veſtem, peram, baculum, fiſtulam, ſibilum, canem, & cornu olearium, & ſi quid ſit, quod ad Panopliam Paſtoralem ſpectet, ſicque in publicum procedo. Talia verò accipe vaſa ſive inſtrumenta

Panoplia Paſtoralis.

Digitized by Google

menta ut ſatis agnoſcant te *Paſtoris ſtulti* & flagitioſi perſonam agere. Accipe v. g. pedum ferreum, quo ſi te contingat ferire bvem, pedum ei infringas, aut necem infligas. Accipe peram pertuſam, ex qua omnia decidant, Canem qui non latret contra feras, ſed ſolum infeſtet oves, Cornu vacuum oleo. Volo enim exteriori ſchemate repræſentare, me tales permiſſurum Paſtores, ob peccata populi mei, & ipſorum, qui ovium nil curent ſalutem, nec paſcant, ſed potius noceant.

Attendamus (Viri Fratres) ne de numero illorum ſimus, quos hoc portentum deſignat & indigitat, ne propter peccata noſtra & plebis, permiſerit Deus nos præfici ad majorem damnationis cumulum, ad reprobationem noſtram. Ut autem non ſimus de illis, ſollicitè monet nos D. Petrus. 1. Pet. 5. 1. *Seniores obſecro teſtis Paſſionum Chriſti, & gloriæ, in futuro revelandæ eſt communicator, paſcite, qui in vobis eſt gregem Dei*, q. d. Obteſtor vos & per ſacra omnia adjuro, per ipſam Paſſionem Chriſti cujus teſtis ſum, per ipſum Sanguinem, quem pro grege fudit, per gloriam quam exſpectamus, & cujus ego in monte prælibavi ſuavitatem: Paſcite gregem verbo, oratione, exemplo. Explicemus ergò diſtinctiùs quomodò oporteat paſcere verbo. Hoc clariùs intelligetur, ſi contrario quodam ſchemate exhibuero vaſa Paſtoris ſapientis, ſatagentis, ſolliciti. Paſtor ſapiens ſolet habere peram & panem in pera, baculum quoq; & canem latrantem, & cornu cum oleo curativo. Panis in pera (inquit Bernardus,) *eſt verbum Dei in memoria*. Canis latrans eſt *zelus clamans contra vitia, qui aliquando tamen debet eſſe in fune, quia zelus debet eſſe cum diſcretione*. Baculus & virga, eſt verbum correctionis, & increpationis aſperæ, quo rebellia ferit corda. Oleum leniens eſt monitio ſuavis, quo ſcabiem & impetiginem fricat, quo linit & lenit ulcera. Hæc ergò ſunt vaſa neceſſaria Paſtori ſapienti.

Paſtori neceſſaria. Bernard. in parvis ſerm.

2. Tim. 4. 1. Hæc quoque omnia ipſe Apoſtolus requirit ſcribens ad Timoth. *Teſtificor coram Chriſto Ieſu, per adventum ejus & regnum, prædica verbum, inſta opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina. Prædica verbum*; Ecce panis in pera: *Inſta & argue*, en canis ſive zelus latrans contra vitia: *Obſecra*, ecce oleum leniens. *Increpa*, en baculus & virga percutiens. Obſecro ergò hîs omnibus inſtructi, paſcite gregem Dei, adminiſtrando eis doctrinam Chriſtianam, verbum ſalutis, panem frangendo, imò maſticando, & in fauces inſerendo parvulis & rudibus; hoc eſt, ſimplices inſtruendo, monendo, catechizando in fide & pietatis rudimentis, & docendo eos, ut loquitur, Heb. 5. 12. Apoſtolus: *Elementa exordia ſermonum Dei*. Hoc eſt enim, quod à nobis tam ſollicitè requiritur, & quidem ſub interminatione cenſuratum: quia plurimi ſimplices & errant & ignorant, gravi eorum, qui præſunt, negligentiâ. Experientia id docet. Nam interrogati facilè tibi reſpondent; plures Deos eſſe: Patrem eſſe Filio ſeniorem: Patrem hominem eſſe. Ignorant, quæ perſona carnem aſſumpſerit, vinum, quod datur communicantibus, putant Chriſti ſanguinem & circa Euchariſtiam vix quicquam benè norunt. Suum *Credo* recitant, velut Pfitzacus ſuum χαῖρε. Neſciunt, quid ſit dolere de peccato. Neſciunt, quid ſit Eccleſia, quid carnis reſurrectio. Cogitationes eſſe confitendas ignorant, & pleraque ſimilia ad ſalutem omninò neceſſaria. Incumbit ergò hæc nobis cura; nec quiſquam dedignari debet hanc humilem inſtructionem, quia & eam Paulus & Apoſtoli non ſunt dedignati, & poſt eos viri inſignes & Eccleſiæ Doctores, hoc munere magno, fructu & Eccleſiæ bono perfuncti ſunt. Hoc munus ipſe obibat Joannes Gerſon, licet Cancellarius Pariſienſis, cumque aliqui obtrectarent, tanquam indignum id foret Cancellario. Convincit, inquit, illos exemplum Chriſti, qui ait: *Sinite parvulos ad me venire. O bone Ieſu, quis ultrà poſt te verecundabitur eſſe humilis ad parvulos, quando tu uſque ad caſtiſſimos puerorum amplexus, brachia incisinas & circumligas? Abſit ergò, ut indignum ſit parvulorum animas plantare & rigare. Venite igitur parvuli ad me, ego vobis doctrinam, vos mihi orationem impendetis, ſic Angelos noſtros vicissim lætificabimus.* Ita ille.

Gerſon libr. de pueris ad Chriſtum trahendis.

SECUNDA PARS.

SEcundò oportet paſcere orationis & Sacramentorum ſubſidio. Officium enim Paſtoris eſt, intercedere pro populo: quia velut medius & ſequeſter conſtitutus eſt inter populum & Deum. Sic Aaron ſumens orationem pro ſcuto, & ignem de altari cum incenſo procedit, ut leniat iram Dei. Sic Moyſes, velut luctans contra Deum, & ultrices ligans manus, urget dimitti noxam populo. Samuel quoque luget, & intercedit pro Saul: & Hieremias die ac nocte pro peccatis Jeruſalem. Hinc etiam eſt, quod Angeli nomen ſortiantur Sacerdos. *Angelo Epheſi, Angelo Philadelphiæ ſcribe. Debet habere mulier velamen propter Angelos.* Apoc. 2. 1. & 3. 7. 1. Cor. 11. 10.

2. Paſcere Orationis & Sacramentorum ſubſidio.

Quia ſicut Angeli officium eſt, nos à trito tramite vitiorum, ad Æternitatis anguſtam ſemitam traducere, revocando à malo, inſtigando ad bonum: item preces & vota noſtra Deo offerre, & dona Dei ad nos referre; ideò enim aſcendunt ad Deum, & deſcendunt ad nos in ſcala Jacob:) Ita etiam Paſtorum eſt, gregem ſuum per veram ſalutis viam manuducere, vota & preces æterno Deo vivo & vero offerre, pro redemptione animarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis eorum: Miſerias orphanorum, inopiam debilium, deſperationes languentium, afflictorum gemitus, defectus ſenum, ſuſpiria juvenum, vota virginum, lamenta viduarum, Deo præſentare. Orare pro pereuntibus, ut revocentur, pro labentibus, ut non collidantur, pro lapſis, ut erigantur, pro ſtantibus, ut confirmentur, pro juſtis, ut coronam adipiſcantur, Sæpè ergò accedens ad thronum gratiæ, ad aureum Vir-

Digitized by Google

Propoſitio I.

In hac reſurrectione erit idem numero corpus.

Reſurget idem numero Corpus.

HOc ſignificatur in eo, quod Articulus dicit: *Carnis reſurrectionem.*

Primò enim Carnis dicit, ut ſignificetur non poſſe animæ reſurrectionem, eo quod ſit immortalis.

Secundò dicit Carnis, & non corporis reſurrectionem; quia aliqui dixerunt fieri reſurrectionem in quodam corpore æreo non autem carneo. Significatur ergò illa pars hominis, quæ caro dicitur, quæ mox ubi homo expiravit, alget, ſtupet, mortua eſt, ſine ſenſu, ſine motu, ſine operatione, & quæ tranſeunte ſanguine & colore, tota vertitur in pus, atque putredinem, ita ut condi debeat ſub terra, & ſollicitè concludi, ne fœtore inficiat, & poſtea in cinerem redigatur.

Illa inquam pars, quantumlibet putrefacta & incinerata, aut quaſi in nihil redacta, iterum animabitur eadem anima, ut ſit idem homo tunc qui nunc, idem corpus, idem ſuppoſitum numero, eadem ſubſtantia in individuo.

Job. 19. 26. Quod apertiſſimè dixit Job: *Rurſum circumdabor pelle meâ, & in carne meâ videbo Deum, ego ipſe, & non alius*, in eadem pelle, in eadem carne, & non alia, iiſdem oculis.

Hoc eſt, quod confiteri coactus fuit Eutychius Patriarcha Conſtantinop. qui contra veram corporum reſurrectionem librum ſcripſerat, quem Gregorius ad eum Legatus miſſus ita convicit, ut ejus librum Imperator Tiberius in ignem conjiceret, & quod docuerat ipſemet Eutychius, retractaret. Unde cum paulò poſt in morbum incidiſſet, inſtante morte, pellem manus ſuæ tenebat, multis præſentibus dicens: *Confiteor, quia in hac carne omnes reſurgemus.*

Hinc etiam eſt, quod Sanctorum corpora poſt mortem, & ipſos pulveres tanti vult fieri Deus à nobis, imò & ab ipſis Angelis: tum quia fuerunt organum Spiritus Sancti, tum quia ſunt æternitatis ſemina in illa reſurrectione animanda, & cum Chriſto in æternum regnatura. Quapropter ipſi Angeli Sanctorum corpora multum honorant. Sic habes de S. Catharina, quod corpus ejus ab Angelis in montem Sinai delatum fuerit; quodque ipſi Angeli ibi ejus exequias cum miro jubilo celebraverunt, & ſepelierunt, ex quo loco dulcis liquor emanabat medela omnium infirmitatum.

Sur. in vita S. Catharinæ 25. Nov.

Idem Surius 23. Nov.

Sic & de corpore S. Clementis legimus, ædiculam marmoream in Templi forma, & arcam lapideam, ubi Martyris corpus erat, Angelos concinaſſe; cùm juſſu Trajani in mare dejectum fuiſſet, anchoræ alligatum. Et hoc iterum ſpecialis miraculi acceſſit, quod mare ad tria milliaria receſſerit, ita ut poſſent accedere Chriſtiani ad hanc ædiculam. Nec ſolum hoc anno, ſed ſingulis annis, ſeptem diebus recedens mare, liberum tranſitum ad illam Capellam dabat; ipſo ſcilicet die Martyris, & aliis ſequentibus diebus, quo peregrinantium innumera multitudo concurrebat. Sic Deus per Angelos, & per nos, vult honorari corpora, & cineres Sanctorum, tanquam æternitatis ſemina, in reſurrectione animanda.

Celebrant Poloni S. Stanislaum, & in Breviario Sanctorum ſuorum habent, quod cùm eum trucidaſſet Boleſlaus Rex, mox miniſtros Regis ex rabie corpus diſſecuiſſe in 72. partes, eaſque canibus & avibus devorandas projeciſſe. Verum cœlitus advolantes Aquilæ S. Corporis cuſtodes & tutores fuerunt. Poſt biduum clerus animos reſumens, Epiſcopi ſui membra requiſivit & compoſuit. Res mira! Dei virtute factum eſt, ut illicò ita ſimul concreſcerent, ac ſi nunquam divulſa fuiſſent. Digitus unus deerat, ſed ne iſtum quidem diu latere paſſus eſt Deus. Lucerna cœleſtis eum in vicinam piſcinam conjectum, & a piſce devoratum demonſtravit, quem exenterantes, digitum exemerunt, ſuoque loco reſtituerunt. Quaſi ſimilis hæc viſio viſioni illi quam vidit Ezechiel, dum vidit oſſa oſſibus, carnem carni, membra membris ſociari, argumento aperto reſurrectionis futuræ. Sic Deus cuſtodit oſſa Sanctorum, unum ex his non conteretur. V. Brev. Roman. 8. Maj.

Propoſitio II.

Licet idem ſit corpus in Reſurrectione quoad ſubſtantiam, erit tamen immutatum quoad accidentia.

Corpus idem reſurget in Subſtantia mutabitur in accidentibus.

RAtio eſt, quia corpora gloriosa habebunt quatuor dotes, quæ nominari ſolent, *Impaſſibilitas, Claritas, Agilitas, Subtilitas.*

1. *Impaſſibilitas*, præſtat corpori, ne corrumpi poſſit, pati aut affligi.

2. *Claritas*, efficit ut fulgeant tanquam Sol, cujus ſplendoris ſpecies in Transfiguratione apparuit.

4. *Agilitas*, efficit ut corpus omni onere aggravante liberatum, pro animæ nutu, citiſſimè moveatur & ſtatim ſine mora ſit, ut anima voluerit.

4. *Subtilitas*, efficit ut corpus ad nutum animæ cuncta poſſit penetrare, nullo ei corpore obſtante; & hæc gloria corporis ab animæ gloria derivabitur.

De hac conditionis corporum diverſitate Apoſtolus dicit: *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione, ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria, ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute, ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale.* 1. Cor. 15. 41.

Sumit ſimilitudinem à grano quod reconditur ſub terram, & velut ſepelitur ut reſurgat cum fructu: Sic & corpora noſtra conduntur & fodiuntur ſub terram ut fructificent: *Seminantur ergò in corruptione*, ita ut corrumpantur & putrefiant ſicut & alia ſemina; ſed ſurgent de terra in corruptione, id eſt, integra & incorruptibilia.

Secundò *ſeminantur in ignobilitate*, adeo ut quantumlibet nobilia, generoſa, aut illuſtria, tamen poſt mortem fiant prorſus ignobilia, uſque ad abominationem & fœtorem intolerabilem: ſed ſurgent in gloria, quia planè erunt illuſtria & glorioſa

tioſa intus & foris, in oculis omnium, in ſubſtantia, in qualitatibus.

Tertiò, *ſeminantur in infirmitate*, ita ut nulli prorſus actioni reſiſtere valeant, ſed cedunt omni contrario ad incinerationem uſque; ſed ſurgent in virtute, quia tantæ erunt potentiæ, ut à nulla re mundi lædi poſſint, aut debilitari, aut concludi, aut arctari, aut vinci.

Quartò *ſeminantur animalia*, id eſt, qualificata ut corpora reliquorum animalium, ſed ſurgent ſpiritualia, non amplius erit corpus animale, quia alimentis & officiis vegetantis animæ ultra non indigebit, nec ultra ſerviet paſſionibus illis affectuum animalium. Ideò ergò ſpirituale, quia prorsùs ſubditum ſpiritui, ut non amplius ſit rebellio legis mentis, & legis quæ eſt in membris & quocumque præceſſerit ſpiritus effectu, illuc ſtatim ſequantur virium corporalium affectiones, nec in ullo retardabit moles corporis affectiones glorificati ſpiritus; quod erat in homine anteà multæ miſeriæ & imperfectionis. Item ſpirituale dicitur, quaſi qualitates & dotes ſpirituum cœleſtium participans, quia ſine pondere aggravante erit ut ſpiritus, agile ut ſpiritus, quocumque voluerit, pergens ſine mora ut ſpiritus, ſubtile ut ſpiritus, adeò ut nihil ei non pervium ſit, quantumlibet durum aut ſolidum.

Phil. 3. 21. 1. Cor. 15. 49.

Hæc verò omnia erunt, quia tunc conformabit nos Chriſtus *corpori claritatis ſuæ*, ut *ſicut portavimus imaginem terreni* Adam in hoc mundo, *ita & portemus imaginem cæleſtis* hominis Chriſti in altero ſæculo. Portamus enim per nativitatem carnis, imaginem terreni Adam, ſimiles illi in mundo, vitæ & naturæ qualitate, quoad affectiones & paſſiones, impulſus, officia, inclinationes, figuram, ſtaturam, incrementa denique & elementa ætatum: Portabimus autem tunc per reſurrectionem, imaginem cœleſtis Chriſti ſcilicet reſurgentis, habentes corpus conſiguratum corpori claritatis ſuæ, ſpirituale, immortale, ſine affectionibus, paſſionibus, officiis carnis & Sanguinis, animalibus & inordinatis; ſi tamen etiam hic portaverimus in eadem carne imaginem Chriſti præcuntis ſecundum virtutem.

PROPOSITIO III.

Corpora hic vitioſa ibi erunt perfectiſſima.

Corpora hic deformia, ibi perfectiſſima erunt.

Docent enim Scholaſtici, divinâ poteſtate quicquid ſuperfluum fuerit aut vitioſum reformandum in corpore. Undè non erit ibi aliquis gibboſus, claudus, deformis, luſcus: ſtatura verò varia erit, cuique illa quam in flore ætatis habere debuiſſet: Si tamen naturæ vitio nimia brevitas, aut proceritas contigiſſet, reformabitur. Undè Gigantes & Pigmæi decentem ſtaturam recipient.

Ad Epheſ. 4. 13.

Docent quoque reſurrectionem futuram in ætate, qua Chriſtus reſurrexit, ex Apoſtolo: *Donec occurramus in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.*

Quod autem dicit *in virum perfectum*, non ſequitur, non fore ſexum fœmineum, ut aliqui voluerunt, ſed nomen viri accipit Apoſtolus pro homine, ut habet Auguſtinus. Undè Chriſtus non negat ibi fore uxores, & nuptas. Erit ergò diſtinctio ſexus, ut in eodem corpore triumphent, in quo debellarunt carnem, dœmonem, mundum, hoc enim cedet in magnam gloriam Virginum, quando in corpore tenero, & imbecilli relucebit tanta virtus & victoria. Alias quomodo poſſet cognoſci gloria Matris Dei, niſi in corpore fœmineo reſurgat?

S. Auguſt. lib. 18. de Civitat. c. 22. Matt. 22.

Quod verò allegant aliqui, omnes ibi dici ſimiles Angelis Dei, hoc ſecundum Hieronymum intelligendum eſt, quoad immortalitatem, & beatam Dei contemplationem.

S. Hieron.

Voluit Deus hanc corporum perfectionem poſt reſurrectionem, indicare velut in imagine, in quibuſdam corporibus Sanctorum, miro ea decore poſt mortem exornans, ultra quam in vita habuerant; & ea ab omni corruptione præſervans poſt multa annorum curricula.

Sic habemus de corpore S. Martini, quod poſt mortem repertum fuerit, habens faciem quaſi Angeli.

Mirabile eſt, quod de Franciſci corpore memoriæ proditum eſt, ſtare illud nullis humanæ induſtriæ fulcris ſubnixum, ſolâ divini Spiritus vi ſuſtentatum: facietenùs, oculis & manibus junctis in cœlum ſemper intentum ſupplicantis in modum; nulla vetuſtatis vi debilitatum, nulla temporis injuria parte aliqua incurvum. Id profectò tanti eſt; ut cum ſit viventium ſtare, mortuorum procumbere, nemo tamen vivens per annum perſtare poſſit immobilis in precibus.

Bozius de ſignis Eccleſ. l. 15. c. 9.

Sic Corpus S. Cæciliæ à Clemente VIII. integrum repertum eſt noſtris temporibus, poſt nongentos & amplius annos.

Sic & apparuit in corpore S. Huberti, cùm decimoſexto anno poſt ejus obitum translatum fuit. De quo ſic refert ejus diſcipulus, & familiaris. Introſpicientes gloriоſum ejus corpus, nulla detrimenta paſſum, illæſum à diſſolutione & putredine reperetunt, & pro putredine aromatum mirifico odore fervere. Caput ejus perluſtrantes, vident vultum ejus ſudore perfuſum, & velut noctis opacæ roſcidulis perfuſum guttulis: coronam verò capillorum alienam prorſus ab omni læſione, ex ſuæ quam & prolixitate & pulchritudine, neque enim candore ſenili albebat, ſed colore & viſione ſui, juvenis caput repromittebat. Eſtque opinio in ejus Monaſterio, nunc quoque eſſe integrum illæſumque, ita ut ſolo corporis ſopore detineri dicerent. Ita apud Surium & Baronium.

Surius in vita S. Huberti 3. Novem & Baron. tom. 9. ann. 771.

Sic de B. Eadmundo, Anglorum Rege Martyre ſcribit Abbo Floriacenſis Abbas. Cùm ejus corpus putrefactum putaretur, ob diuturnum ſpatium, plenè tamen ſanum & incolume eſt repertum, & cum caput ei abſciſſum fuiſſet in martyrio, ipſum inventum eſt redintegratum & compaginatum corpori, & in eo nihil omninò vulneris, nihil cica-

tricis, ſed integer, & viventi ſimillimus, exſpectans beatæ reſurrectionis præmium ſepromiſſum. Tantum in ejus collo, ob ſignum martyrii, rubet una tenuiſſima riga in modum fili coccinei, ſicut teſtari erat ſolita quædam beata fœmina, quæ apud ejus ſacroſanctum tumulum jejuniis & orationibus vacans, multa tranſegit annorum curricula. Cui venerabili fœminæ, aut divinâ revelatione, aut nimiâ devotione, mos inoleverat, ut patefacto B. Martyris ſepulchro, quotannis in die Dominicæ Cœnæ, ejus attondendo præcideret capillos & ungues, quæ omnia diligenter colligens, & in capſella recondens, non neglexit, quamdiu vixit, excolere mirâ affectione, poſita ſuper altare Eccleſiæ, ubi adhuc reſervantur debitâ veneratione. Hujus Edmundi caput amputatum, cum ab impiis miniſtris, in loco ſentibus horrido, occultatum fuiſſet, nec diu conquiſitum inveniretur, ipſummet edidit vocem, inquirentibus quonam loco foret. Et Deus illi immanem lupum providerat cuſtodem, qui excubias impendebat Martyri, ne ab aliqua beſtua læderetur.

Quantum ad corpora damnatorum, immortalia erunt, & juxtà plurimorum ſententiam, etiam erunt quantum ad membra perfecta: etſi enim antea fuiſſent mutila aut deficientia in aliquo, tamen reſtituentur quoad integritatem, in illa ſcilicet integritate, quam ſecundum naturæ curſum habere potuiſſent. Non ergò erunt gibboſa, ægra, aut manca. Neque tamen id verterur eis ad aliquam conſolationem, ſed potius ad pœnæ augmentum, quia in illis punientur. Sicut & quod immortalia futura ſint, ac tamen ſimul paſſibilia, hoc eis juſto Dei judicio in pœnam vertetur, quia vivent in æternum vitam naturæ, & quærent mortem, & fugiet ab eis. Vitam ergò agent, ſed miſerabilem, ita ut in æternum relucere debeat in eorum pœnis oſtenſio juſtitiæ divinæ, ſicut ſempiterna Dei bonitas in præmiis juſtorum. Ideò verò integra erunt, quia à Deo reproducentur, inquit Divus Thomas, cujus opus ſolet perfectum eſſe, quantum ad integritatem, quæ eis debetur ex principiis naturæ. Interim manebunt hæc corpora ponderoſa ut priùs obſcura, paſſibilia, miſera, gravia; quia hæc non excluduntur, niſi per dotes gloriæ, & oriuntur ex principiis naturæ, & ſunt defectus connaturales corpori.

D. Thō. in ſuppl. q. 80. art.

LECTIO XV.

DE CIRCUMSTANTIIS RESURRECTIONIS.

1. *Docet quomodo hanc Reſurrectionem præcedet Tuba.*
2. *Quis locus Reſurrectionis futurus ſit.*
3. *Quo tempore futura ſit Reſurrectio.*

PROPOSITIO. I.

Hanc Reſurrectionem præcedet Tuba. Hinc illud: *In momento, in ictu oculi, in noviſſima Tuba.*

Circumſtantia Reſurrectionis.

ET vocatur vox Archangeli, & tuba Dei, non quod duæ voces ſunt emittendæ, ſed idem eſt, ac ſi dicatur: *In voce Archangeli*, quæ erit tuba Dei, diciturque Dei per Hebraiſmum, id eſt, maxima, & maximè ſonora per totum mundum audienda, ſicut dicuntur *Montes & Cedri Dei*, id eſt, altiſſimi.

1. Tuba præcedet eam. 1. Cor. 15. 52. 1. ad Theſſ. 4.

Secundò, quia Deum Judicem præibit, ſicut tuba Regem, vel Imperatorem.

Exod. 19.

Tertiò, dicitur Dei vox, quia magnifica & terribilis, inſtar tonitrui, taliſque qualis decet Majeſtatem divinam. Unde tubæ hujus typus fuit tuba illa Angeli, in Sina Decalogum proclamantis. Vocatur verò hæc tuba noviſſima, quia poſt tubas ſeptem Angelorum, plagas maximas orbi inducentium, hæc ſequetur ultima. Non verò exiſtimanda eſt fore realis tuba, ſed erit vox quaſi tubæ, ſenſibiliſque clangor per aeris colliſionem, imperio Chriſti ab Angelo formatus, unde & dicitur vox Filii Dei, quia licet miniſterio Angelorum, juſſu tamen ejus formabitur. Imò dicitur vox Archangeli, quem putat D. Thomas fore Michaelem; qui juſſu & vice Chriſti eſt Præſes Eccleſiæ, ſicut & olim Synagogæ. Alii exiſtimant fore Gabrielem, ut ſicut Primum adventum nunciavit Virgini, ſic & ſecundum mundo. Hæc verò tuba Archangeli virtutem & efficaciam habebit, etiam circa alios Angelos, qui huic operi erunt miniſtraturi. Sicut dicitur Matthæi 24. *Mittet Angelos ſuos cum tuba & voce magnâ, & congregabunt electos ejus à quatuor ventis.*

Apoc. 8. & 9.

D. Thō.

Matth. 24. 31.

Hæc ergò erit noviſſima tuba, quia hæc erit noviſſima convocatio omnium, non ſolum electorum, ſed & reproborum. Cecinit olim tuba, ſivè vox Dei, per organum Moyſis & Prophetarum ad convocationem filiorum Iſrael: Cecinit & per Angelum magni conſilii, id eſt, per Chriſtum & Apoſtolos, ad convocationem omnium hominum, ad ſalutem Evangelicam, & ad hæreditatem ſalutis. Canet denique adhuc ſemel, & erit noviſſima ac generaliſſima convocatio omnium ad judicium Dei, & erit ſignum in perfectionem (ſicuti tuba erat *Numer. 10.*) Angelis de Cœlo, dæmonibus ex inferno, hominibus e mundo. Etitque ad terrorem ſicut in bellis, quia ad illam *armabitur omnis creatura contra inſenſatos.* Si ergò quæras, ad quem finem canet tuba? Reſp.

Num. 10.

Primò, ut faciat Angelos paratos, ut ſtatim colligant cineres eorum, qui reſurrecturi ſunt. An verò ſoli Angeli boni, vel etiam mali, huic operi ſint miniſtraturi, incertum eſt; aliqui enim putant damnatorum cineres, à dæmonibus, qui eos viceruut, colligendos, Juſtorum verò à SS. Angelis eorum Cuſtodibus. Verſimile tamen eſt, quod ſicut omnium

Digitized by Google

omnium resurrectio à Christo fieri debet, ita & hæc præparatio, à propriis ejus ministris.

Secundò, ut omnes excitet à mortuis, citetque ad
Joan. 5. 28 judicium. Unde *audient illam qui in monumentis sunt & vivent*, quia dabit voci suæ vocem virtutis
Joan. 11. 43. Christus, sicut cùm exclamaret: *Lazare veni foras*, statim prodiit mortuus. Audient; id est, sentient vim vocis, vel obedient, quoniam Deus vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.

Num. 10. 10. *Tertiò*, ut electos vocet ad solemnitatem & lætitiam beatæ æternitatis, instar tubæ quæ Hebræos vocabat ad festa.

S. Anſel. *Quartò*, ut terreat reprobos, & vocet electos ad bellum, ut reprobos deturbet in gehennam, erit enim quasi classicum militare. Ita Anselmus.

Hæc ergò tuba, tuba terribilis erit, quando unus assumetur, alter relinquetur, quæ sæpius resonare
S. Hieron. deberet in auribus nostris. Sic B. Hieronymus dicere solebat: *Sive comedo, sive bibo, sive quid aliud facio, semper insonare videtur auribus meis tuba illa terribilis: surgite mortui, venite ad judicium.* De qua
Idem ep. ad Heliodorum. etiam tuba ipse agit in epist. ad Heliodorum sub finem: Veniet inquit, veniet illa dies, quando mortale hoc induet immortalitatem. Tunc ad tubæ vocem pavebit terra cum populis, & tu gaudebis. Judicaturo Domino lugubre mundus immugiet, tribus ad tribum pectora ferient: potentissimi quondam Reges nudo latere (hoc est suis aulicis & satellitibus deflituti) palpitabunt. Ad vocem tubæ hujus exhibebitur tunc cum prole sua Venus, adducetur & ignitus Jupiter. Adducetur & cum suis stultus Plato discipulis. Aristotelis argumenta non proderunt. Tunc tu rusticanus & pauper exultabis, & dices; Ecce crucifixus Deus meus: Ecce Judex qui obvolutus pannis in præsepio vagiit: Hic est Fabri filius. Hic qui matris gestatus sinu fugit in Ægyptum, hic vestibus coccino, hic coronatus spinis. Hic dæmonium habens & Samarites. Cerne manus Judæ quas fixeras. Cerne latus Romane quod foderas: Videre corpus, an idem sit quod dicebatis clam discipulos furtivisse. Dilectio me compulit frater, ut hæc tibi dicerem, ut his tunc interesse contingat, pro quibus nunc labor durus est. Ita Hieronymus.

PROPOSITIO II.

2. *Locus Resurrectionis incertus.* *Locus hujus resurrectionis est incertus, pendens ob admirabilis Dei providentia.*

ALiqui putant, tam bonos quàm malos omnes, in eodem loco in valle Josaphat resurrecturos, ubi judicandi sunt: sicque Angelos imperio Christi cineres universamque materiam, ex qua corpora hæc formanda erunt, illuc congregaturos, quod potuerunt motu celerrimo & brevissimo tempore. Hos cineres ibi in momento animabit Deus, sicque resurgent. Ita loquitur Sotus.

Alii verò dicunt cineres coacervandos ad duo loca, in uno coacervabuntur cineres justorum ut resurgant, in altero damnatorum, juxta illud Matthæi: *Exibunt Angeli & separabunt malos de medio* Matth. 13. 49. *justorum.* Hæc enim separatio videtur fore ante resurrectionem, nam post resurrectionem non est necessaria separatio per Angelos, quia ipsi Sancti virtute & agilitate sua rapientur in aëra, & a reprobis secernentur.

Alii dicunt singula corpora resurrectura in illo Richard. loco ubi fuerunt; & si in diversas partes sint sparsa, ubi major vel præcipua pars fuerit, ibi adducentur & reliquæ. Ita Richard.

Ita resurrectio fiet ut plurimum in sepulchro, quod videtur conforme scripturæ Joan. 5. *Omnes qui* Joan. 5. 28 *in monumentis sunt, audient vocem filii Dei & prodient, &c.* Sic qui cum Christo surrexerunt, exierunt de sepulchris; & de sanctis Petro & Paulo Chrysostomus ait: *Non ita Cœlum splenduit, quando* S. Chryſ. *sol radios emittit, sicut Roma duas illas lampades ubique terrarum effundens. Hinc rapientur Paulus, illinc Petrus, quale spectaculum visura est Roma, Paulum repentè ex hac illa cum Petro resurgentem in occursum Domini sursum ferri.* Sic ergò explicando, advertendum est: reprobos à dæmonibus subitò portandos ad locum judicii, & quasi invitos ac coactos trahendos. Justi verò virtute sua ferentur quo eos Custodes Angeli duxerint, & sic tam boni quam mali congregabuntur Angelorum ministerio.

RPOPOSITIO III.

Tempus quoque quo fiet hæc resurrectio, incertum nobis manet.

ALiqui putant fore hora matutina, qua Christus etiam resurrexit, & hæc est communior opinio Theologorum. Quia cum Christus sit exemplar nostræ resurrectionis, verisimile est illo tempore nos suscitandos quo ipse. Unde Anselm. in Elucida- S. Anſel. rio dicit, resurrectionem futuram in die Paschatis: & in Elucidario. significavit Macarius dicens futuram tempore Aprilis, quando omnia florere incipiunt. S. Macar. in homil. 6. & 12.

Confirmatur ex eo quod tempus lucis sit magis commodum, tum ad judicium, tum ut omnes homines possint naturali modo sine miraculis se mutuo videre; spectareque videtur ad bonorum gloriam, ut tempore lucis resurgant.

Alii dixerunt Resurrectionem fore intempesta Aug. hb. nocte ex illis verbis; *Media nocte clamor factus est*, 83. q. 57. &c. Et ita sentit Hieronymus Matth. 5. Et Augu- Ambroſ. stin. Ambrosiusque circa illa verba: *Erunt in illa* lib. 8. in *nocte duo in lecto*, Luc. c. 17.

Afferri etiam potest figura egressionis filiorum Israel de Ægypto, quando media nocte Angelus descendit, Ægyptios percutiens, & Israelitas è servitutis jugo liberans. Hæc tamen non convincunt, quia dum Scriptura loquitur quasi de resurrectione aut judicio futuro in nocte, vult solùm significare, mundi consummationem illo tempore futuram, quo erunt homines securiores, & quasi obliti talis diei; & sæpè loquitur, non tam de hora resurrectionis, quàm de hora mortis, cùm noctis facit mentionem.

Digitized by Google

Sic quoque multi adoleſcentiæ ſuæ initio perſentiſcunt lucis cujuſdam divinæ radiunculos, & bonorum deſideriorum ſcintillas, ad illam beatam æternitatem animum inflammantes. Sed adoleſcentia incauta hanc lucem, & hunc Dei ſpiritum, cor ad Deum excitantem, facilè extinguit vanitatibus, vitiis, ſocietate prava, aliſque impedimentis, quæ ſcintillas has velut aquarum copia inundans, extinguunt & obruunt. Propterea ſero aliquando illius rei memores, coguntur uſurpare illud Job: Utinam

Job. 29.2 *ſim ſecundùm dies priſtinos, quando ſplendebat lucerna ſuper caput meum, & ad lumen ejus ambulabam in tenebris, ſicut fui in diebus adoleſcentiæ meæ, quando ſecretò Deus erat in tabernaculo meo.* Itaque, ô Ado-

1. Theſſ. 5. leſcentes, *Spiritum nolite extinguere*, ait Paulus, hoc eſt, afflatum, impulſum, lucem Spiritus Sancti in tenera ætate exorientem, ſpiritu malitiæ, carnalibus deſideriis, otioſa vita, nolite extinguere. Dum vocat Oriens, nolite attendere ad Occidentem, ut loquitur Bernardus. Et vos Parentes, nolite in prolibus Spiritum extinguere, hoc eſt, deſideria caſtitatis, aut vitæ perfectioris, per vitam licentioſam qua cogitis eos ornatui ſtudere, tripudiis, vanitatibus, conviviis, & ſimilibus, nolite perimere.

RPOPOSITIO II.

Deus impellit nos ad deſiderium illius vitæ æternæ, & per mala hujus mortalitatis, & per delibationem quandam illius ſuavitatis.

PRimò: Per mala hujus mortalitatis: quia illa quæ hic patimur, ad Deum ut compellunt ſicut & Prodigum calamitates ad paternam domum ſu-

Luc. 15. ſpirare compellebant. Sic & Peregrinus multa inopia coactus, laſſitudine, aliiſque malis feſtinat ad pa-

Pſal. 41.2. triam. Sic Cervus ſiti preſſus, deſiderat ad fontes aquarum. Sic ſpinæ & vepres ſecus viam poſitæ, in

Oſe. 2. 6. viam faciunt redire viatorem, juxta illud Oſeæ: *Sepiam viam tuam ſpinis.*

Sunt tamen aliqui, de quibus poteſt illud dici: *Ephraim vitula docta diligere triturum* illi nimirum ſunt, qui afflictiones hujus mundi quaſi ex conſuetudine quadam lubenter ſufferunt, nec propterea ad alteram vitam quietam deſiderandam moventur. De his explicat Scripturam propoſitam hoc modo

Gregor. l. 20. Mo- Gregorius: Amant perverſi homines pro hujus mundi gloria etiam tribulationes, cunctiſque pro
ral. c. 16. ea ſudoribus libenter ſerviunt, & gravium laborum jugo devotiſſimè colla ſubmittunt. Quod bene ſub Ephraim ſpecie Propheta deſcribit, dum dicit: *Ephraim vitula docta diligere triturum*: Vitula enim trituræ laboribus aſſueta, relaxata plerumque ad eundem laboris uſum etiam non compulſa revertitur. Ita pravorum mens hujus mundi ſervitiis dedita, & rerum temporalium fatigationibus aſſueta, etiamſi ſibi liberè vacare liceat, ſubeſſe tamen terrenis ſudoribus feſtinat, & uſu miſeræ converſationis triturum laboris quærit, ut à jugo mundanæ ſervitutis ceſſare non libeat, etiamſi liceat. Ita Gregorius.

Melius ergo illi agunt, qui conſiderant Deum per hæc mundi mala monere nos, ut ſuſpiremus ad æterna bona. Utique aſperſit Deus amaritudine hanc vitam, ut aliam quæramus; ideoque noluit quamdiu ſumus in hoc mortali corpore, plenam nos habere lætitiam, quia quocunque te verteris, & in quocunque ſtatu fueris, omnis fœlicitas habet aliquid mœroris, omnis lætitia aliquid amaritudinis, quaſi vinum mixtum, habens aliquid amaræ faeis.

Has fæces velut poſt longam epotationem ſentiebat Salomon, dum inclamat: *Vanitas vanitatum,* Eccl. 1. 2. *& omnia labor & afflictio.* Sicut enim illis, qui poſt & 14. ebrietatem profundam, & poſt ſomnum brutalem ex ea ſecutum, ad ſe redeunt, vini fæces totum guttur mira amaritudine inficiunt, ita ut ad aſpectum etiam vini nauſeent, & non aliud quàm fontis aquam exquirant, ut illas reliquiarum amaritudines abluant. Sic videtur accidiſſe Salomoni, & aliis multis poſt longam voluptatem, illis enim non reſtant niſi fæces, cogentes eos fateri ſe non invenire niſi laborem & afflictionem. Nempe Deus cum hominibus inſtar bonæ matris ſe gerit, quæ ubi videt puerum ſemper dulcedini lactis velle adhærere, ungit ubera aliqua amaritudine, ut eum ad ſolidum cibum traducat. Sic Deus videns homines deditos fugendo lacti voluptatis & vanitatis, aſpergit aliquid abſynthii, aliquid amaritudinis, ut veris bonis cœleſtibus diſcant inhiare, & quærant ſolidum bonum ipſum Deum, quaſi illud eis inculcans: *Vſquequo parvuli diligitis infantiam, & moxis* Proverb. quærtis. 1. 22.

Itaque temporalia hæc mala erudire nos debent, ut tota intentione curramus ad bona æterna. Laboriosa hæc & amaritudine plena vita monet, ut ad illam aſpiremus, ubi nulla erit miſeria.

Amaritudo & alteratio quam patimur in via Ægypti, bibendo aquas turbidas, monet nos quærere aquam vivam, & fontem vitæ. Hujus aquæ exeuntis de Paradiſo, & iterum ſalientis in vitam æternam, deſiderium homini ſummum ineſſe deberet, etiam ſolum propter aquas putidas hujus mundi, quæ ſitim non poſſunt extinguere; imò potius illam accendunt, ſicut qui ſitim cuperet aqua falſa ſopire; tantò magis illam accenderet.

Hujus aquæ ſummo deſiderio afficiebatur S. Thereſ. c. Thereſia, quæ de ſe ait: O quam ſæpe in memo- 30. vitæ riam venit aqua illa viva, de qua Dominus Samari- ſuæ. tanæ! Ita ut magna devotione ferar ad Evangelium illud, & verè jam ab adoleſcentia affectu quodam ad illud ferebar, licet adhuc plenam illius boni notitiam non haberem, prout nunc. Unde ſæpè Deum rogabam ut mihi daret de hac aqua, & ſemper mecum ferebam imaginem & figuram Samaritanæ, cum illis verbis, quæ ad fontem dixit: *Domine da* Joan. 4. 15 *mihi hanc aquam.*

Secundò verò impellit hominem ad deſiderium hujus æternæ vitæ, delibatio quædam ſuavitatis illius. Sicut enim aliquid viui deguſtandum ali-

Digitized by Google

regnum cœlorum poſita eſt in poteſtate faciemis; res iſta ô homo, aliud non quærit pretium, quam tempus: Tantum vales, quantum estis, te da & habebis illud. Quandò ergò ô homo peris, perditio tua ex te eſt.

V. Beda ſer. 8. de Sanctis. Exempl. S. Aug. Lib. de libero arbitrio, & refertur cauſa 3. q. 4.

Vis videre in exemplis? Attende, quid dicat Auguſtinus, in medium producens Nabuchodonoſor & Pharaonem. Poſt innumeras, inquit, impietates flagellatus pœnituit Rex ille pœnitentia fructuoſa, & regnum rursus accepit: Pharao ipſis flagellis durior effectus eſt, & periit. Quantum ad naturam, ambo homines erant: quantum ad dignitatem, ambo Reges: quantum ad cauſam, ambo Dei populum captivum poſſidebant: quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admonti ſunt. Quid ergò fines eorum fecit eſſe diverſos? Niſi quod unus manum Dei ſuper ſe ſentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit. Alter verò libero contra Dei miſericordiſſimam veritatem pugnavit arbitrio. Hæc Auguſtinus. Perditio ergò tua ex te eſt, ô Pharao! Nec dicas Deo: *Illa me implanavit.*

Eccl. 15. 12.

Vis ſimile videre in novo Teſtamento? Prodeat Judas reprobus cum Petro electo. Quid habet conqueri Judas de Deo? Quo medio uſus eſt erga Petrum, quo non erga Judam? Homo erat uterque, hic Apoſtolus, ita & ille: Hic vocatus a Chriſto, ita & ille: Hic eum prodidit, iſte negavit. Quare hic deſperans, ſuſpendit ſe, & hic pœnitens ſalvatur? Si Petrus habet Gallum monentem, Judas habet & Chriſtum: *Amice ad quid venisti?* Huic etiam prius laverat pedes cum lachrymis, juxta Auguſtinum, & monuerat. Sed ob diſpoſitionem pravam & libertatem, unus ſe damnat, alter ſe ſalvat.

S. Aug.

Prodeant omnes damnati & ſalvati. An poſſunt dicere damnati, quod Deus eis defuerit? Ex eadem domo & familia, eosdem habentes parentes carnis, uno forte tempore, eodem utero fuſi, ad eundem Baptiſmum acceſſerunt, eoſdem inſtructores habuerunt, eoſdem animarum Paſtores habuerunt, eadem Sacramenta potuerunt ſuſcipere: Sed ex voluntate & libertate unus ſe damnat, alter ſe ſalvat: *Perditio ergò tua ex te*, ô miſer peccator, ex prava voluntate tua. Quiesce agere perverse, diſce benefacere, relinque vitia, ingredere bonam viam, & ſi Deus te non ſalvat, argue eum & dic injuſtum.

LECTIO XVII.

IN QUO CONSISTAT ÆTERNA VITA?

1. *Docet conſiſtere in viſione Dei.*
2. *In amore & fruitione Dei.*
3. *In perpetua quadam laude Dei.*

2. Æterna vita conſiſtit in viſione Dei.

PROPOSITIO I.

Æterna hæc vita conſiſtit primò in viſione Dei. Hæc viſio fit per lumen gloriæ, quod intellectui datur, ut attingat divinam eſſentiam viſione clarâ, ſine quo id non poſſet.

De hoc lumine intelligunt Theologi illud: *Apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Sicut ergò ſine dono gratiæ & charitatis, non poteſt homo perfectè Deum diligere in hac vita. Ita nec ſine illo dono luminis gloriæ, poteſt perfectè videre Deum in altera. Eſt verò illud lumen participatio quædam ſpecialis luminis illius æterni, quo Deus ſeipſum perfectè videt, intelligit & comprehendit. Ideò per illud homo objectum ſuum beatificum, ipſam ſcilicet divinam eſſentiam videt.

Pſ. 35. 10. V. Theologos in 1. 2. D. Thom

Primò, intellectus per hoc lumen elevatus, videt omnia, quæ ſunt in Deo formaliter, hoc eſt, omnes perfectiones ejus, ſapientiam, bonitatem, potentiam, æternitatem, immenſitatem, & reliqua attributa. Vident enim Beati eum ſicuti eſt: Non eſſet autem videre eum ſicuti eſt, ſi aliquid eorum, quæ in ipſo ſunt, non viderent; & cùm omnes perfectiones in eo ſint unica ſimpliciſſima perfectio, qui eſſentiam divinam videt, clarè omnes perfectiones videt.

Secundò, vident notitia diſtincta Beati in Verbo, pulchritudinem & ordinem totius Univerſi, & proinde omnes rerum naturalium ſpecies vel genera, quæ ſunt, fuerunt, vel erunt. Non enim erit beatifica illa viſio inferior naturali ſcientiâ Angelorum; ſed Angeli naturaliter omnia cognoſcunt, ergò & Beati: Sit hoc ſpectat ad perfectionem intellectus, quæ tunc non poterit deeſſe.

Tertiò, videbunt omnia myſteria ſupernaturalia, quæ hic crediderunt; tunc enim revelata facie illa videbimus, tranſeuntes de obſcuritate fidei ad claritatem viſionis, de ſpe ad ſpeciem, de ænigmate & fide ad faciem, de cortice Sacramenti ad adipem frumenti. Tunc Agnus aperiet librum myſticum, & ſolvet ſeptem, hoc eſt, univerſa ſignacula ejus, ut aperte videamus, quæ in illo continentur myſteria, a ſæculis abſcondita. Tunc comprehendemus cum omnibus Sanctis, quæ ſit longitudo, latitudo, ſublimitas & profundum, & myſticas illas dimenſiones, de quibus loquitur Apoſtolus, ad Epheſios 3. Tunc perfectè intelligemus, quomodò ſub albicanti panis ſpecie, poſt myſticam conſecrationem, Chriſtus integer contineatur, & orbe ſit clauſus modico, totius Orbis Dominus. Tunc verum illud erit. *Sicut audivimus, ſic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei noſtri.* Pſ. 47 9.

Tunc videbit Sponſa Sponſum, non ſtantem poſt parietem, non per feneſtras, aut per interjectos cancellos, non in aſſumpta aliqua forma, ut vidit Abraham & Jacob, non ænigmaticâ & umbratili aliquâ cognitione, ut cæteris indultum eſt Prophetis: ſed ſemotâ omni obſcuritatis nube, videbit eum ſicuti eſt, & in divini vultus gloriabitur ſplendore. Ibi patebunt ei viſcera miſericordiæ, cogitationes pacis, divitiæ ſalutis, arcana divinæ voluntatis.

Tunc

Tunc denique videbimus Myſterium illud ſublime Trinitatis. Quomodò Pater filium producat ab æterno, ſibi conſubſtantialem, & in omni perfectione æqualem. Quomodò Pater & Filius ſeſe amando ſpirent Spiritum Sanctum. Quomodò tres unum ſint, & Trinitas in unitate.

Nunc ergò ſufficiat nobis ad illam viſionem aſpirare, & dicere cum Propheta : *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei,* q. d. Quando dies ille tot votis optatus veniet, cum intuebor Regem in decore ſuo? Quandò videbo Patrem illum totius bonitatis, Solem illum qui ante omnem lucem, lucet in montibus æternitatis? Quandò videbo Verbum bonum, quod cor Patris ab æterno eructavit, Verbum æternum, quod erat in principio apud Deum, & ipſum erat Deus? Quando licebit ſacros pedes pro me perforatos oſculari, os aperto lateri admovere, ad pedes ejus in æternum ſedere? Quandò veniet illa dies, in qua totius ſanctitatis, authorem Spiritum Sanctum contemplabor a Patre Filioque procedentem, & beatas animas, cum amor ipſe ſit, ardore ſacro amoris inflammantem? Pſal. 41. 3.

Hæc omnia videbimus tunc perfectiſſimè, quia in viſione Dei Trini & Unius, tota noſtra conſiſtit beatitudo, cui nunc ſuſpiramus.

Quartò, Quantum ad res contingentes & particulares, licet beati non cognoſcant omnia, quæ ſunt in Deo eminenter; (non enim cognoſcunt diem Judicii:) tamen cognoſcent ex his, quæcunque ad ſtatum uniuſcujuſque ſpectant, hoc enim conveniens eſt, ut ſatietur deſiderium eorum. Sic Rex beatus totum regni ſui ſtatum videt, Epiſcopus gregis, Paterfamilias ſtatum filiorum ſuorum, & ſic de cæteris. Sic Sancti cognoſcunt preces & vota ad ipſos directa, hoc enim ad ſtatum eorum ſpectat.

Vident autem hæc omnia Beati in eſſentia divina, quaſi in ſpeculo voluntario.

Sicut ſpeculum nos ipſos repræſentat, & ipſummet ſpeculum, & quicquid præſens eſt: Sic per ſpeculum divinæ charitatis, videbimus ipſum Deum & nos ipſos, & alias Creaturas. Unica viſione, unico intuitu hæc omnia videbimus, in illo ſpeculo, de quo ſcriptum eſt: *Speculum ſine macula, & candor Lucis æternæ.*

PROPOSITIO II.

Vita hæc æterna conſiſtit in amore & fruitione Dei, ex qua ineffabile gaudium oritur.

2. *In amore & fruitione Dei.*

AMor ille Dei ibi erit conſummatus, imò neceſſarius, ita ut homo tunc non ſit liber ad Deum amandum: quia non poteſt non amare ſummum bonum, ſibi per claram viſionem propoſitum; ſed voluntas neceſſario in illud fertur. Per hunc verò amorem ita perfectè Deo adhærebit, ut ſit anima quaſi unus Spiritus cum Deo, per perfectam amoris unionem. Tunc perfectè adimplebitur illa petitio Chriſti: *Sicut tu Pater in me, & ego in te, ita fac, ut ipſi in nobis unum ſint.* Joan. 17. 21.

Per hunc ergò amorem & fruitionem beatificam anima velut in abyſſum divinitatis ſeſe immergeret, nullo jam depreſſa corporis pondere; nullâ carnis illecebra retardante. Ibi poterit Domino inclamare: *Defecit caro & cor meum Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Pſ. 72. 26.

Sicut enim ſtilla aquæ multo ſuperfuſa vino à ſeipſa deficiens, vini induit colorem, & ſaporem: Et velut ferrum candens propriâ exuitur formâ, igni fit ſimillimum: Velut denique Solis luce perfuſus aër, in eandem transformatur luminis claritatem: Sic omnem tunc humanam affectionem, ineffabili modò neceſſe erit, & a ſemetipſa liquefcere, & in Deum effluere, & in divinam penitus transfundi voluntatem: Ita ut omnis affectio ibi ſit deificata, & totus homo deiformis.

Ex illo verò amore, & perfectâ ad Deum unione, exoritur ſuperefluens copia gaudii perfectiſſimi, pleno corde, plena mente, pleno toto homine. Et ipſum gaudium adeò abundans erit, ut non intret in gaudentes, ſed gaudentes intrabunt in gaudium, ut loquitur ſcriptura, volens ſignificare ſuperefluentem eſſe copiam illius æterni gaudii, & in quandam gaudii abyſſum inexhauſtam beatos ſeſe immergere. Hinc & ibi dicitur eſſe torrens lætitiæ, flumen gloriæ & fons vitæ, à cujus ubertate ducuntur beatæ mentes inebriari; *Torrente voluptatis tuæ potabis eos, quia apud te eſt fons vitæ,* inquit David. Ad hunc fontem ipſe reſpirabat inclamans: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, ſicut deſiderat Cervus ad fontes aquarum.* Utique Deus rectè fons vitæ nominatur, fons ſapientiæ, fons electuæ: quia a nullo habet quod vivat, quod ſapiat, quod ſit, cum ipſe ſit ipſa vita, ipſa ſapientia, ipſum eſſe: & omnia quæ vivunt, ſapiunt, & ſunt, ab illo vivunt, ab illo ſapiunt, ab illo ſunt. Ibi ergò vita & ſapientia a beatis in fonte ſuo bibitur, nec amplius ad rivulos, aut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram os erit apponendum, ſed ad ipſum plenitudinem fontis, ubi plena ſatietas eſt, & ſatians plenitudo. Pſal. 35. 9. Pſal. 41. 3.

Si ſtilla de illo fonte aliquandò defluens, tantam ſuavitatem effecit in animabus, adhuc in hac mortali vita agentibus, ut rerum penè omnium oblivionem pariat: Quid erit, quando homo hauriet de fontis illius plenitudine?

Beatus Ephrem tantâ aliquandò ſuavitate cœleſti refi ciebatur, ut illam vix poſſet ſuſtinere, ſed cogeretur clamare: *Recede à me paululum Domine, remitte aliquantum undas tua gratiæ, quia corpus meum ubertatem illam jam amplius non poteſt ſuſtinere.* Sic B. Xaverius ſubinde in precibus dicebat: *Satis eſt Domine, ſatis eſt, noli obſecro in hac vita mortali tantam mihi conſolationem indulgere, quin potius ad aliam me voca vitam, & cæleſtem paternam, quia qui ſemel tuam expertus eſt dulcedinem, is ſine te hic vitam degit acerbam.* Surius 1. Febr. Turſellinus lib. 6. vitæ ejus.

Beatus Ægidius rerum omnium oblitus, ad hanc ſolam vocem, *Paradiſus frater*, totus extra ſe mirâ cum ſuavitate rapiebatur.

Si

Si ergo in hac vita mortali tantùm valuit ſola conſideratio illius fœlicitatis : quid putamus futurum, quando totus affectus animæ nulla mole corporea gravatus, in Deum perfectiſſimè ferretur & effundetur? Ibi audietur : *Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis juſtorum, vox exultationis & confeſſionis & ſonus epulantis.*

Pſ. 117. 15. & 41. 5.

Ibi ergò clamat Petrus, & in æternum clamabit: *Domine bonum eſt hic nos eſſe,*

Mat. 17. 4

Ibi Thomas fœliciori quàm olim contactu cum jubilo æterno dicit : *Dominus meus & Deus meus.*

Joan. 20. 28.

Ibi Paulus meritò poteſt dicere: *Vivo ego jam non ego* : quia ibi vita noſtra *abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.*

Gal. 2. 20.

Ibi Moyſes non in formine petræ, ſed in faciei divinæ contemplatione, inclamat : *Dominator Domine Deus miſericors & clemens, patiens & multæ miſerationis & verax, qui cuſtodis miſericordiam in millia*: Et ab hac voce in æternum non ceſſabit.

Exod. 34. 5.

Ibi Franciſcus: *Deus meus & omnia* : Ibi Thereſia: *Miſericordias Domini in æternum cantabo.*

Ibi David illud repetit : *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.*

Ibi Abacuc : *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jeſu meo.*

Abac. 3. 18

Ibi Iſaias ingeminat: *Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi.* Quia nimirum exprimere non poteſt abſconditam illam gloriam, quam *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit,* quam *præparavit Deus diligentibus ſe.*

Iſa. 24. 16.

1. Cor. 2.

Propterea dicebat Auguſtinus: *Quod Deus præparavit diligentibus ſe, fide non capitur, ſpe non attingitur, charitate non apprehenditur, deſideria & vota tranſgreditur, acquam poteſt, æſtimari non poteſt.*

Auguſt. l. 11. de Civ.

Denique tanta eſt lætitia Sanctorum, ut de illis dixerit Iſaias : *Redempti à Domino convertentur, & venient in Sion cum laude & lætitia ſempiterna ſuper caput eorum, gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.*

Iſaiæ 35.

Lætitia illa ſempiterna, dicitur eſſe ſuper capita eorum tanquam corona eos decorans ; quia anima beata in Sion, ſive in Eccleſiam illam triumphalem introducetur, quaſi Sponſa a Sponſo, cum geniali plauſu, cum nuptiali diademate, cum gaudio ſempiterno. Hoc deſcribens Eſdras dicit : *Recipe Sion numerum tuum, & conclude candidatos tuos qui legem Domini compleverunt. Filiorum vocem quos optabas, plenus eſt numerus. Ego Ejdra vidi in monte Sion turbam magnam quam numerare non potui, & omnes canticis collaudabant Dominum & in medio erat juvenis ſtatura celſus, eminentior omnibus, & ſingulis eorum capitibus imponebat coronas, & magis exaltabatur. Ego autem miraculo tenebar : Tunc interrogavi Angelum. Qui ſunt hi Domine? Qui reſpondens dixit: Hi ſunt qui mortalem tunicam depoſuerunt, & immortalem ſumpſerunt, & confeſſi ſunt nomen Dei : modò coronantur & accipiunt palmas, & dixi : Ille juvenis qui eſt qui eos coronat, & dat palmas. Et reſpondit mihi: Ipſe eſt filius Dei, quem in ſæculo confeſſi ſunt : Ego autem magnificare eos coepi, qui fortiter pro Domino ſteterunt. Tunc dixit mihi Angelus: Vade & annuncia populo meo, quales & quanta mirabilia Domini Dei vidiſti,* Ita Eſdras.

4 Eſd. 2. 40.

Quia verò anima tanquam Sponſa introducitur in thalamum æternum, ideò Doctores triplicem illi dotem aſſignant, quam vocant, *Viſionem, tentationem, fruitionem.* Sicut ergo in creatione, animam Deus triplici potentia ornavit, tanquam imaginem Trinitatis ſuæ, intellectu ſcilicet, voluntate, & memoria : Et ſicut in diſpenſatione quæ fit per juſtificationem, dat ei velut triplicem armam fidei, ſpei, charitatis, Ita in illa matrimonii conſummatione, & in thalamum introductione, dat ei dotem triplicem dictam.

Anima beata triplex dos.

Primò ergo dotabit eam viſione clara Dei, ſummi veri, quæ præmium erit fidei, & per hanc futurus eſt intellectui plenitudo lucis.

Secundò dotabit eam perfectiſſimo amore Dei tanquam ſummi boni ; & per hanc futurus eſt voluntati multitudo pacis, eritque præmium charitatis.

Tertiò dotabit eam apprehenſione, juxta illud: *Tenui, nec dimittam eum.* Et hæc tentio erit præmium ſpei, & per hanc futurus eſt memoriæ continuatio æternitatis.

Cant. 3. 4.

Ibi ergò ob æternam ſecuritatem, noſtrum eſſe non habebit mortem : ob miram ſerenitatem, noſtrum intelligere non habebit errorem : ob plenam ſuavitatem, noſtrum amare non habebit interpolationem.

PROPOSITIO III.

Conſiſtit & hæc vita æterna in perpetua Dei laude, quæ oritur ex illa viſione & fruitione.

3. In perpetuas laudes Dei.

Hinc dicit Pſaltes : *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Ipſi ſcil. in ſæcula ſæculorum videbunt te, & in ſæcula ſæculorum amabunt te, & ex hoc amore laus æterna ab eis procedet ; & ideò in ſæcula ſæculorum laudabunt te in cœleſti illa civitate, de qua dicitur : *Super muros tuos Ieruſalem conſtituti cuſtodes, tota die & nocte non tacebunt laudare nomen Domini.* Et iterum per Pſalmiſtam: *Te decet hymnus Deus in cœleſti Sion, & tibi reddetur votum in Ieruſalem.* Ideò & Eccleſia canit:

Pſal. 83. 5.

Iſa. 62. 6.

Pſ. 64. 2.

Omnis illa Deo ſacra, & dilecta civitas
Plena modulis in laude, & canore jubilo
Trinum Deum, unicumque cum ſervore prædicat.

Hinc viginti quatuor ſeniores mittentes coronas ſuas coram throno Agni, & Angeli in Circuitu throni continuò clamabant : *Sedenti in Throno & Agno benedictio & gloria, & honor, & poteſtas in ſæcula ſæculorum. Et quatuor animalia requiem non habebant*

Apocal. 5. 13. Ibid. 4. 8.

habent die ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, ſanctus Dominus Deus omnipotens. Ideò etiam ad æternam
Pſ.26.4. illam vitam ſuſpirans David, inclamabat: *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini, & viſitem Templum ejus.* Ubi domum illam vocat templum, quia non eſt profana domus, ſed domus ſacratiſſima, verè Templum & Baſilica, æterni Dei, in qua animæ ſeiptas perfectè ſacrificant Deo; in qua aſſiduè offertur hoſtia laudis & jubilationis, in qua enarrantur magnalia Dei ſine intermiſſione, in qua eſt Sabbatum Domini ſanctum, &
Iſa.66.23. dedicatum, *Sabbatum ex Sabbato, Menſis ex Menſe*, hoc eſt perpetua ſolemnitas, perpetua neomenia &
Pſ.86.7. jubilatio; quia *ſicut lætantium omnium habitatio eſt in te*, Civitas Dei.

Hoc conſiderantes aliqui ex Sanctis Patribus, volenteſque illam perpetuam laudem cœleſtem pro viribus imitari, inſtituerunt in Monaſteriis perpetuum ſine intermiſſione cantum, laudeſque Dei.

Sic legimus in Luxovienſi Monaſterio B. Columbani inſtitutis celebri & ſanctiſſimo, tantam fuiſſe multitudinem Religioſorum, ut ſi invicem ſuccedentibus choris, nocte dieque continuarentur divinæ laudes, adeo ut nullum temporis interſtitium vacuum foret à Canticis divinis.

Porro illa laus in domo Dei æterna, non ſolum erit ſine interruptione, ſed etiam ſine impedimento, diſtractione, aut imperfectione, tanquam ſacrificium laudis Deo perfectiſſimum.

In hoc ſæculo, licet Apoſtolus dicat, ut ſine intermiſſione oremus (quia ſcilicet ſine intermiſſione benefacere nos oportet, & ſic factis noſtris continuò Deum laudare.) Non poteſt tamen homo vacare continuò laudibus divinis: quia mille habet impedimenta, & diſtractiones à negotiis quotidianis, à mundo, carne, dæmone, à curis & ſollicitudinibus, cùm debeat providere corpori, & neceſſitatibus ejus. Sed in illa domo æterna, omnia hæc ceſſabunt, laudis nullum erit impedimentum.

Ideò ad illam Beatorum congregationem in-
Pſ.147. 12. clamat Prophera: *Lauda Ieruſalem Dominum, lauda Deum tuum Sion.* Ubi Auguſt. adjungit: Ecce hoc eſt negotium tuum, quia non arare debes, non ſeminare, non novellare, non negotiari, non mortuum ſepelire, ægrum viſitare, eſurientem paſcere. Non amplius ſollicita es, aut turbaris erga plurima. Nec enim habes in viis tuis eſurientem, cui
Ibid. 15. frangas panem, aut ſitientem, cui præbeas calicem, aut peregrinum, cui exhibeas hoſpitalitatem. Quid ergo factura es? Lauda ſtructorem tuum, Paſtorem tuum, Regem tuum, Sponſum tuum, qui te prævenne dignatus eſt in benedictionibus dulcedinis. *Quoniam confortavit ſeras portarum tuarum*: hoc eſt munitiſſimis vectibus & inconvulſas feris portas tuas confirmavit, ut nemo egrediatur, de quo doleas, neque ingrediatur quem timeas: Nec enim amplius habitura es paleas cum tritico, zizania cum frumento, ſpinas cum liliis, hœdos aut lupos cum Agnis: *Benedixit & ipſo filiis tuis in te.* Filii enim tui, ô Sion, *melyſſimi & amicti auro primo*, ſive optimo, veſte ſcilicet aurea gratiæ & gloriæ, & jam non amplius reputandi ſunt ut vaſa teſtea, vilia & fragilia. *Poſuit quoque fines tuos pacem.* In te enim pax eſt ſuper pacem, pax quæ exuperat omnem ſenſum, pax in corde, pax in carne, pax ab iniquis, pax cum proximis, pax cum Deo, & pacis non erit finis. Nullus ergò amplius timor in finibus tuis, nullus prædo depopulatur, nullus inimicus inſidiatur, nullæ ibi tentationes, nulla ſeſe cogitationum turma confundit. Serpens ille antiquus, omneque ejus venenum longe eſt à muris tuis, longe à filiis tuis. Ille enim ab initio pacem tuam turbare volens, tanto exturbatus eſt impetu, ut de eo veritas dicat: *Videbam Satanam tanquam fulgur de cœlo cadentem.* In te ergò ille qui idem eſt, omnia in identitate ſonſolidat & conjungit, ille inquam, *cujus participatio in idipſum.* Denique addit: *Lauda Dominum, quia adipe frumenti ſatiat te.* Quis non in Jeruſalem, inquit Bernardus, vehementer cupiat pafci, & propter pacem, & propter adipem, & propter ſatietatem? Nihil ibi formidatur, nihil faſtiditur, nihil deficit: Tuta habitatio Paradiſus: Dulce pabulum Verbum: Opulentia multa nimis Æternitas. Habemus & nos verbum, ſed in carne, nobis apponitur veritas, ſed in Sacramento. Ipſi ex adipe frumenti, & nudo ſaginantur grano. Nos interim oportet contentos eſſe Sacramenti cortice, carnis furfure, fidei velamine: Et quantalibet abundantia ſpiritus pinguefcat, non pari ſapit jucunditate Sacramentum, & adeps frumenti, vulnus & ſpeculum, fides & ſpecies. Ita Bernardus.

Thren. 4.2.

Luc. 10. 18.

Pſ. 147. 14. Bernard. ſerm. 33. in Cant.

Merito ergo ad Laudem advocatur. Jeruſalem illa cœleſtis, quæ tot divinis beneficiis præventa eſt, ut ejus ſit hoc & otium, & negotium unicum, laudare & benedicere Dominum, & hoc ſine impedimento.

Tria mira in Templo Salomonis applicantur templo cœleſti.

In Templo illo celebri Salomonis, tria notanc ſpecialia aliqui ex Antiquis.

Primò: quod quotieſcunque Sacrificium incenſi oblatum fuit, aut oblatio thuris, fumus in altum ita ſeſe elevavit, ut nunquam viſus fuerit deſcendere poſt aſcenſum.

Secundò: quod cum ibi tot Sacrificia animalium offerrentur, nunquam tamen fuerit viſa aliqua muſca carnibus Sacrificii inſidere, ut habet Joſephus & Galatinus. Quod certè mirum planè erat, cum ſanguinem effuſum, & carnes in Sacrificiis pro idolis immolatis tot muſcæ circumvolitarent; ut ideò dæmonem in idolis adoratum Beelzebub nominarent, id eſt, Deum muſcarum.

Joſephus lib. Antiquitatis.

Tertiò: Dicitur, quod Templum iſtud (licet undique in ſolemnitatibus tribus Judæ concurrerent) nunquam tamen adeò impletum fuerit, quin locus ſupereſſet.

Nunquid hæc in figura contingebant eis? Rectè enim

Digitized by Google

enim hæc tria admiranda, tria alia ſignificare dicerent.

Primò: quod Sacrificium illud laudis, quaſi thuris, quod in templo æternitatis Deo offerunt Beati, ſemper aſcendat coram illo in odorem ſuavitatis.

Secundò: quod muſicæ nunquam circumvolitant illud Sacrificium, id eſt, diſtractiones aut ſollicitudines pungentes, quæ ſunt velut muſcæ, quæ *perdunt ſuavitatem unguenti* orationis.

Tertiò; quod licet undique ab Oriente & Occidente, a Meridie & Septentrione, patræ tres ſint ad Templum illud, populis undique concurrentibus; tamen manet adhuc ampla domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis.

Potrò Viri Sancti multùm optavetunt vinculis hiſce corporeis exolvi, ut in illo æterno Templo poſſent perfectius, & ſine impedimento perpetuò Deum laudare cum Beatis illis, quibus convenit illud Pſalmi: *Dirupiſti Domine vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.* Pſ. 115. 17.

In horum etiam perſona dicebat David: *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus. Illuc enim aſcenderunt tribus, tribus Domini ad confitendum nomini Domini.* Pſ. 121. 1.

Surius in vita ejus 4. Octob.

Hinc D. Franciſcus videns appropinquare diem exitus ſui, curavit ſe deferri in Eccleſiam B. Mariæ Angelorum, ut ubi ſpiritum gratiæ hauſerat, ſpiritum vitæ Deo ſuo redderet. In ultimo ergò ſpiritu conſtitutus, pronunciavit Pſal. 141. qui incipit: *Voce meâ ad Dominum clamavi.* Cujus ultimus verſus eſt: *Educ de cuſtodia animam meam, ad confitendum nomini tuo.* Hunc verſum cum fervore pronuncians, ſpiritum in manus Creatoris ſui reddidit. Anhelabat educi de hoc carcere corporis, ut perfectiùs poſſet laudare Dominum Deum, cum beatis illis mentibus.

B. Ludovicus idem reſpirans, in ultimo ſpiritu hunc verſum pronunciabat: *In conſpectu Angelorum, pſallam tibi, adorabo ad Templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.*

S. Vincentius, Ordinis S. Dominici, ſingularis fuit doctrinæ, humilitatis, abnegationis ſui, & amoris Dei, & miræ B. Virgini devotus, ita ut nunquam concionaretur, quin aliquid in ejus laudem diceret. Cum in morbum gravem, & longam melancholiam incidiſſet, ſub finem vitæ, viſa Beata Virgine, cœpit in ſpiritu exultare & jubilare, cumque ſocius ejus Matutinum & laudes recitaret, & perveniſſet ad verbum ultimi Pſalmi: *Omnis ſpiritus laudet Dominum.* Ipſe æget & agonizans juſſit ſocium ſiſtere, & multoties iterando & jubilando, *Omnis ſpiritus laudet Dominum.* Ipſe ſpiritum emiſit in cœlos perpetuò Dominum laudaturum. Fernandus Caſtiglius in vita ejus.

Ad hanc ergò laudem nos quoque reſpirare convenit, & ad cœleſte illud Templum, cujus lucerna eſt Agnus, ubi perpetua cantantium lætitia; quia non poſſumus perfectè cantare canticum Domini in terra aliena, inter filios Babylonis. Hoc ſolum dabitur nobis, dum habitare concederur inter filios illos cœleſtis Sion. Dicat ergò quilibet noſtrum cum B. Auguſtino: O domus luminoſa & ſpecioſa! Tibi quoque ſuſpirat peregrinatio mea: & dico ei qui fecit te, ut poſſideat me in te, quia fecit & me. Stantes quondam erant pedes mei in atriis tuis, dum terreſtrem Paradiſum (qui porticus & veſtibulum quoddam erat æternæ tuæ gloriæ) in primo Parente incolerem. Sed heu viperinis nexibus in hoc detractus exilium, erravi ſicut ovis quæ periit. Attamen in humeris Paſtoris mei, Structoris tui, ſpero me quandoque reportandum tibi; ut in montibus illis Æternitatis cum nonaginta novem ovibus uberrimis paſcuis gloriæ poſſim refici, & deduci ad vitæ fontes aquarum: Et, ut poſſim in Templo illo jubilationis perpetuæ in ſæcula ſæculorum te laudare & benedicere.

Tibi enim

REGI SÆCULORUM,
IMMORTALI ET INVISIBILI
SOLI DEO
HONOR ET GLORIA
IN SÆCULA SÆCULORUM
AMEN.

menta ut ſatis agnoſcant te *Paſtoris ſtulti & flagitioſi* perſonam agere. Accipe v. g. pedum ferreum, quo ſi te contingat ferire ovem, pedum ei infringas, aut necem infligas. Accipe peram perruſam, ex qua omnia decidant, Canem qui non latret contra feras, ſed ſolùm infeſtet oves, Cornu vacuum oleo. Volo enim exteriori ſchemate repræſentare, me tales permiſſurum Paſtores, ob peccata populi mei, & ipſorum, qui ovium nil curent ſalutem, nec paſcant, ſed potiùs noceant.

Attendamus (Viri Fratres) ne de numero illorum ſimus, quos hoc portentum deſignat & indigitat, ne propter peccata noſtra & plebis, permiſerit Deus nos præfici ad majorem damnationis cumulum, ad reprobationem noſtram. Ut autem non ſimus de illis, ſollicitè monet nos D. Petrus.

1. Pet. 5. 1. *Seniores obſecro teſtis Paſſionum Chriſti, & gloriæ, in futuro revelandæ eſt communicator, paſcite, qui in vobis eſt gregem Dei*, q. d. Obteſtor vos & per ſacra omnia adjuro, per ipſam Paſſionem Chriſti cujus teſtis ſum, per ipſum Sanguinem, quem pro grege fudit, per gloriam quam exſpectamus, & cujus ego in monte prælibavi ſuavitatem: Paſcite gregem verbo, oratione, exemplo. Explicemus ergò diſtinctiùs quomodò oporteat paſcere verbo. Hoc clariùs intelligetur, ſi contrario quodam ſchemate exhibuero vaſa Paſtoris ſapientis, ſatagentis, ſolliciti. Paſtor ſapiens ſolet habere peram & panem in pera, baculum quoq; & canem latrantem, & cornu cum oleo curativo. Panis in pera (inquit Bernardus,) *eſt verbum Dei in memoria.* Canis latrans eſt *zelus clamans contra vitia, qui aliquando tamen debet eſſe in ſilentio, quia zelus debet eſſe cum diſcretione.* Baculus & virga, eſt verbum correctionis, & increpationis aſperæ, quo rebellia ferit corda. Oleum leniens eſt monitio ſuavis, quo ſcabiem & impetiginem fricat, quo linit & lenit ulcera. Hæc ergò ſunt vaſa neceſſaria Paſtori ſapienti.

Paſtori neceſſaria. Bernard. in parvis ſerm.

2. Tim. 4. 1. Hæc quoque omnia ipſe Apoſtolus requirit ſcribens ad Timoth. *Teſtificor coram Chriſto Ieſu, per adventum ejus & regnum, prædica verbum, inſta opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina. Prædica verbum*; Ecce panis in pera: *Inſta & argue*, en canis ſive zelus latrans contra vitia: *Obſecra*, ecce oleum leniens. *Increpa*, en baculus & virga percutiens. Obſecro ergò his omnibus inſtructi, paſcite gregem Dei, adminiſtrando eis doctrinam Chriſtianam, verbum ſalutis, panem frangendo, imò maſticando, & in fauces inſerendo parvulis & rudibus; hoc eſt, ſimplices inſtruendo, monendo, catechizando in fide & pietatis rudimentis, & docendo eos, ut loquitur,

Heb. 5. 12. Apoſtolus: *Elementa exordii ſermonum Dei.* Hoc eſt enim, quod a nobis tam ſollicitè requiritur, & quidem ſub interminatione cenſurarum: quia plurimi ſimplices & errant & ignorant, gravi eorum, qui præſunt, negligentiâ. Experientia id docet. Nam interrogati facilè tibi reſpondent; plures Deos eſſe: Patrem eſſe Filio ſeniorem: Patrem hominem eſſe. Ignorant, quæ perſona carnem aſſumpſerit, vinum, quod datur communicantibus, putant Chriſti ſanguinem & circà Euchariſtiam vix quicquam benè norunt. Suum *Credo* recitant, velut Pſittacus ſuum χαῖρε. Neſciunt, quid ſit dolere de peccato. Neſciunt, quid ſit Eccleſia, quid carnis reſurrectio. Cogitationes eſſe confitendas ignorant, & pleraque ſimilia ad ſalutem omninò neceſſaria. Incumbit ergò hæc nobis cura; nec quiſquam dedignari debet hanc humilem inſtructionem, quia & eam Paulus & Apoſtoli non ſunt dedignati, & poſt eos viri inſignes & Eccleſiæ Doctores, hoc munere magno, fructu & Eccleſiæ bono perfuncti ſunt. Hoc munus ipſe obibat Joannes Gerſon, licet Cancellarius Pariſienſis, cumque aliqui obtrectarent, tanquàm indignum id foret Cancellario. Convincit, inquit, illos exemplum Chriſti, qui ait: *Sinite parvulos ad me venire. O bone Ieſu, quis ultrà poſt te verecundabitur eſſe humilis ad parvulos, quando tu uſque ad caſtiſſimos puerorum amplexus, brachia inclinas & circumligas? Abſit ergò, ut indignum ſit parvulorum animas plantare & rigare. Venite igitur parvuli ad me, ego vobis doctrinam, vos mihi orationem impendetis, ſic Angelos noſtros viciſſim lætificabimus.* Ita ille.

Gerſon libr. de pueris ad Chriſtum trahendis.

SECUNDA PARS.

SEcundò oportet paſcere orationis & Sacramentorum ſubſidio. Officium enim Paſtoris eſt, intercedere pro populo: quia velut medius & ſequeſter conſtitutus eſt inter populum & Deum. Sic Aaron ſumens orationem pro ſcuto, & ignem de altari cum incenſo procedit, ut leniat iram Dei. Sic Moyſes, velut luctans contra Deum, & ultrices ei ligans manus, urget dimitti noxam populo. Samuel quoque luget, & intercedit pro Saul: & Hieremias die ac nocte pro peccatis Jeruſalem. Hinc etiam eſt, quod Angeli nomen ſortiatur Sacerdos. *Angelo Epheſi, Angelo Philadelphiæ ſcribe. Debet habere mulier velamen propter Angelos.*

2. Paſce Orationis & Sacramentorum ſubſidio.

Apoc. 2. 1. & 3. 7. 1. Cor. 11. 10.

Quia ſicut Angeli officium eſt, nos à trito tramite vitiorum, ad Æternitatis anguſtam ſemitam traducere, revocando à malo, inſtigando ad bonum: item preces & vota noſtra Deo offerre, & dona Dei ad nos referre (idcò enim aſcendunt ad Deum, & deſcendunt ad nos in ſcala Jacob:) Ita etiam Paſtorum eſt, gregem ſuum per veram ſalutis viam manuducere, vota & preces æterno Deo vivo & vero offerre, pro redemptione animarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis eorum: Miſerias orphanorum, inopiam debilium, deſperationes languentium, afflictorum gemitus, defectus ſenum, ſuſpiria juvenum, vota virginum, lamenta viduarum, Deo præſentare. Orate pro pereuntibus, ut revocentur, pro labentibus, ut non collidantur, pro lapſis, ut erigantur, pro ſtantibus, ut confirmentur, pro juſtis, ut coronam adipiſcantur. Sæpè ergò accedens ad thronum gratiæ, ad aureum Vir-

pereuntium animarum ſanguis requiritur de manibus eorum. Præclarum de hoc refert exemplum Cantipratanus : Quidam erat per multos annos malè regens ſibi ſubditos, nec reſpondens vocationi ſuæ. Tandem morbo correptus decubuit, & apparuit ei D. Petrus, qui Paſtorum curam agit Paſtorum primus, apparuit autem huic cum gravi ægritudine conflictanti, ſevero & minaci vultu, exhibens libellum, in quo cogebat eum legere: ſcriptura autem quæ libro continebatur, hæc erat ex Ezech. deprompta : *Mortificas animas, quæ non moriuntur, & vivificas, quæ non vivunt.* Hæret ipſe & horret, contra ſe velut decretum pronuncians, averſatur conſpectum, ut ulterius non legat : ſed urgetur & cogitur ab Apoſtolo Gloſſam legere, quæ in margine erat talis : *Quando reduces animas de inferno, quas tuo deſtructas exemplo æterno ſupplicio demerſiſti ?* Cum verò is præ horrore & confuſione reſpondere non poſſet, diſparet viſio, ad ſe rediens anxium ſe & ſudore perfuſum reperit. Nec mora, conſilio cujuſdam viri ſancti, diſrumpit omnes compedes, ſolvit omnia vincula, ſæculo valedicit, & Chriſti ſe vovens ſervituti in monaſterio Camberonenſi, Ordinis D. Bernardi, beatiſſimo fine quievit. Jam ſcilicet agebatur cum illo, ſed ſatis tempeſtivè, examen & tribunal illud quod omnes Paſtores concernit apud Jeremiam : *Vbi eſt grex tuus, pecus inclytum tuum ? Quid dices in die quando viſitaberis ? Nunquid dolores quaſi parturientis apprehendent te ?* Non ergo parvi momenti eſt aliorum curam ſuſcipere, ad quam tam facilè aſpiramus, & tam languidè eam adminiſtramus, ſed ſæpè eſt periculo ſe exponere, & æternitatis aleam jactare. Quia de quolibet ſubdito nobis dicitur : *Cuſtodi virum iſtum ſollicitè, qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima illius.*

Thom. Cantipr. l. apum.

Ezech. 13. 19.

Multos præſtaret aſinarum, quàm animarum eſſe Paſtores. Magnum eſt periculum de factis alienis rationem reddere, illi qui pro ſuis non ſufficit. Hoc eſt, quod ſcribebat Bernardus : Si ego latens in caverna & velut ſub modio, non quidem lucens ſed fumigans, tamen impulſus ventorum & tentationum nec hic declinare ſufficio, ſed vento agitatus inſtar arundinis huc illuc circumferor. Quid poſitus ſupra montem, poſitus ſupra candelabrum ? Solus mihi ſervandus, ſolus mihi ſum tædio, ſolus ſcandalo, oneri, periculo, ita ut propriæ gulæ, ventri, oculo ſcandalizanti ſæpe iraſci oporteat.

Bernard. epiſt. 42. ad Henric. Epiſc. Senonen.

Quibus ergo moleſtiis agitur is, cui ſi propria deſint, nunquam tamen de alienis deſunt, foris pugnæ, intus timores ? Hinc & Auguſtinus ad Valerium : Ep. 148. Ante omnia peto ut cogitet religioſa tua prudentia, nihil eſſe maximè nunc facilius & latius hominibus, Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi officio, ſi perfunctoriè res agatur, ſed apud Deum nihil miſerius, triſtius & damnabilius. Et nihil eſſe in hac vita laboriоſius, difficilius, periculoſius; apud Deum verò nihil beatius, ſi eo modo militetur quo Imperator jubet: Hæc Auguſtinus.

Propterea ergo ad bene paſcendum animat nos D. Petrus, dum ſubjungit : *Et cum apparuerit Princeps Paſtorum, immarceſſibilem coronam cum eo percipietis in gloria.* Tunc enim is qui fructum in grege fecerit, veniens veniet cum exultatione portans manipulos ſuos ; & coronam accipiet non ſolum vitæ æternæ, ſed & ſpecialis gloriæ aureolam, quæ debetur eis qui ad juſtitiam eruditi multos: Hi tanquam ſtellæ illuſtrius cæteris *fulgebunt in perpetuas æternitates.* Cum ergò apparuerit Princeps Paſtorum, tunc & apparebunt ipſi cum gregibus ſuis, qui inſtar coronæ eos cingent, dicente Apoſtolo : *Quis eſt ſpes noſtra & corona gloriæ ? Nonne vos ante Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in adventu ejus?* Ibi ergo Petrus trahens poſt ſe Judæam converſam apparebit, inquit Gregorius, Ibi Paulus converſum, ut ita dixerim, ducens ſecum mundum. Ibi Andreas Achajam, Joannes Aſiam, Thomas Indiam, in conſpectu Judicis ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes cum animarum luctis. *Quid ergo nos miſeri dicturi ſumus, qui ad Dominum poſt negotium vacui redimus ? qui Paſtorum nomen habuimus, & oves quas ex nutrimento noſtro debebamus oſtendere, non habemus ?* Jonamus (Viri Fratres) ob oculos illum diſtrictiſſimi diem, quo Princeps Paſtorum veniet & rationem cum ſervis ſuis, quibus talenta credidit, ponet ; & hac conſideratione excitemur & ſtimulemur ad ſolerter paſcendum ejus gregem. Quare concludens Apoſtolica voce, iterum repeto: Obſecro vos in Chriſto Jeſu, & obteſtor per ejus factam Paſſionem, per Sanguinem quem pro grege fudit, per communem fidem & ſalutem, per gloriam quam expectamus, per quodlibet quod ſacrum eſt in cœlo vel in terra, paſcite qui in vobis eſt gregem, paſcite doctrinæ verbo, paſcite converſationis exemplo, paſcite ſpirituali ſubſidio, ut ſic immarceſſibilem coronam percipiatis in gloria.

Dan. 12. 3.

1. Theſſ. 2.

Gregor. Hom. 17. in Evang.

LIBER

principalem corporis partem (à quo reliqua membra & totus homo pendet) tuetur & munit; ita Spes ſalutis & gloriæ munit caput, hoc eſt, cogitationes, fines & intentiones, quæ ſunt caput ſive principium ac gubernaculum actionum & agendorum. Sicut enim caput regit & movet cætera membra; ita finis & intentio omnia hominis deſideria, verba, opera. Itaque Spes quaſi galea munit caput, hoc eſt, intentionem, quia facit ut ultimus noſter finis & intentio ſit Deus, Dei fruitio, ſalus & beatitudo, & illuc refert omnes alios fines & intentiones, omneſque cogitationes & opera. Efficit quoque ut homo cogitans & ſperans bona illa æterna, repellat viriliter cogitationes à diabolo ſuggeſtas; & efficit ut hac Spe, ardua quæque intrepide aggrediatur. Hæc ergo Galea muniti Sancti, nullum timuerunt cum hoſte conflictum, ad dura quælibet animo infracti ob ſpem gloriæ.

Rectè quoque dixeris *Spem* & *Timorem* eſſe duo *Calcaria* Equitis Chriſtiani Timorem quidem calcar ſiniſtrum, Spem verò calcar dextrum; quo utroq; equum ſtimulat torpidum aut recalcitrantẽ, ut fortiter & alacriter currat etiã per ardua & aſpera loca: ut feſtinet, ne forte lædatur à ſerpente venenoſo, qui latet tanquam *Coluber in via, aut Ceraſtes in ſemita, mordens ungulas equi, ut cadat aſcenſor ejus retrò*: Hoc eſt, ne lædatur à Sathana, qui tanquam Anguis latens in herba, dolos multos ſtruit caſtitati ac perſeverantiæ, inſidians calcaneo, ut is qui fæliciter graditur, retrò cadat, & *cum ſpiritu cœperit, carne conſummetur*.

Gen.49. 17.

Gal.3.3.

3. *Calceus.*

Tertiò *Spes* eſt *Calceus*, qui à Patre datur Prodigo revertenti. Sicut enim *Annulus* ei datus ſignificat fidem, & *Stola primà* gratiam ac charitatem; ita *Calcei* quibus ejus pedes ornantur, ſignificant donum Spei. Calceus enim olim ſymbolum erat poſſeſſionis & dominii, ſicut decalceatio ſymbolum erat ceſſionis juris ſibi debiti. Ideo in libro Ruth dicitur: *Hic erat mos in Iſrael inter propinquos, ut ſi quando alter alteri ſuo juri cedebat, ſolvebat homo calceamentum ſuum*, & dabat proximo ſuo. Prodigus ergo filius perdiderat jus ad hæreditatem æternam Patris, calceamentis ſpiritualibus ſpoliatus per peccatum, omni ſpe nudatus cæleſtium bonorum. Nunc autem cum ad Patrem revertitur, reddantur ei Calcei, redditur ei donum Spei, quo iterum novam quandam incipit adire poſſeſſionem cæleſtis hæreditatis. Unde Spes *Calceus* eſt ille *hyacinthinus*, qui datur ſponſæ, de quo dicitur Ezech. 13. *Veſtivit te byſſo, calceavit te hyacintho.* Eſt enim hyacinthus, gemma aut flos coloris cæleſtis, & ideo ſignificat ſpem rerum cæleſtium, qua velut calceamento munitus Juſtus, per aſperitatem deſerti hujus ſine læſione poteſt incedere, & cæleſtis hæreditatis poſſeſſionem quandam adire. Et hoc genus Calceamenti videtur etiam commendare Sponſus in ſponſa, dum dicit: *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis ô Filia Principis!*

Lu.15.22

Ruth.4.7

Ez.15.10

Cant.7.1: 4. *Tabernaculum.*

Quartò *Spes* eſt *Tabernaculum*, quo promittit Dominus apud Iſaiam, ut ſit electis *in umbraculum diei ab æſtu, & in abſconſionem à turbine & pluvia*, id eſt, ab omni adverſitate & proſperitate mundi. Unde Juſti quoties aut æſtu vitiorum affliguntur, aut aliqua tempeſtas eis ingruit, ad hoc Tabernaculum accedunt tanquam ad præſidium tutiſſimum, ſub quo proteguntur & reſpirant, *donec tranſeat iniquitas.* Non ad hederam Jonæ refugium habent, aut ad umbram hederæ, quæ ſubito vento urente & vento rodente emarceſcit: & ſic umbra ejus ac protectio ſtatim deperit: Hoc eſt, non recurrunt ad ſpem, quam in hominibus aut rebus humanis figere poſſent, quia illa caduca eſt & decidua, & citò evaneſcit: ſed recurrunt ad ſpem vivam, quæ ſolida eſt & ſtabilis, quia in Deo firmitatem habet, dicente Propheta ad electos: *Sperate in Deo forti in perpetuum, in ſæculis æternis.*

Is.4.6.

Pſ.56.2. Jonæ 4.6

Is.26.4.

Quintò Spes, *Baculus* eſt quo hanc peregrinationem peragimus, cui laſſi innitimur & incumbimus, in quo ſolamen reperimus. De quo quidem Spei baculo interpretari poſſumus cum D. Hiero. illud Pſal. *Virgatua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Hic baculus opponitur *Baculo arundineo confracto Ægypti, cui ſi innitatur homo perforat manum ſuam*, ut loquitur Scriptura. Hæc iterum eſt Spes mundi & mundanorum, quam figunt in rebus perituris, inſolidis & ſpinoſis; ita ut eis non ſolamen, ſed potius aſperitatem & læſionem pariant. At Spes hæc cœleſtis, Baculus eſt Jacob peregrinantis, quo ſecurè pertranſimus hujus ſæculi aquas, quaſi Jordanis tumultuantis undas: de quo poterimus in fine dicere cum Jacob redeuntes ad Patrem cæleſtẽ: *In baculo meo tranſivi Jordanem iſtum*, & nunc cum gaudio ad paternam revertor hæreditatem. Propterea etiam peregrinantes filii Iſrael ad terram promiſſionis, jubentur habere baculos in manibus.

5. *Baculus.*

Pſ.22.4. Is 36.6.

Gen.32. 10.

Exod.12.

Sexto *Spes* eſt *Lava Sponſa*, qua Sponſum amplectitur in præſenti vita, ponens eam *ſub capite ejus*, donec perfectius eamſtringat & amplectatur dextera ſua, in futuro æternitatis thalamo florido: donec apprehendat illum, & *ducat in domum Matris ſuæ, & in cubiculum genitricis ſuæ*, quando inclamare poterit illud: *Tenui, nec dimittam eum.*

6. *Lava Sponſa*

Cant.2.6

Cant.3.4.

Per Spem enim nunc, quantum in nobis eſt Deo utimur; & eum licet abſentem ſpe quodammodo apprehendimus, donec per viſionem perfectam illum præſentem perfectè comprehendemus, amplectemur & fruemur; quando de ſpe facta fuerit res, quando de fide tranſibimus ad faciem, & de ſpe ad ſpeciem, & tunc gloriari poterimus in ſplendore vultus ejus.

Septimo Spes eſt *Lucerna fulgida*, ad cujus lucem operamur & ambulamus, juxta illud: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, in quo mihi ſpem dediſti.* Hinc Auguſtinus: *Lucerna animæ ſpes ejus, ad illam operatur omnis homo, quicquid boni ad ſpem facit, & in nocte ardet lucerna noſtra, qui enim quotidie loquitur nobis verbum, tanquam oleum infundit, ne lucerna extinguatur.*

7. *Lucerna.*

Aug. in Enchir.

Digitized by Google

LECTIO II.

DE EFFECTIBUS SPEI.

1. *Docet, Spem dare vires ad currendam viam Dei.*
2. *Spem conſolari in afflictionibus.*
3. *In morte tollere omnem anxietatem.*

PROPOSITIO I.

Effectus Spei.

Spes animat & dat vires ad alacriter currendam ſalutis & perfectionis ſemitam.

I. *Animare & confortare in via ſalutis.* Bern. ſer. in Pſal 9.

EST quædam cognatio germana (teſte D Bernardo) inter fidem & ſpem, quod illa futurum credit, hæc ſibi incipit ſperare futurum. Fides dicit: *Parata ſunt magna & inæſtimabilia bona à Deo fidelibus* Dicit ſpes: *Mihi illa ſervantur.* Excitat quoque Charitatem, quæ dicit: *Curro ut amplectar illa.* Itaque ſpes efficaciter animum pungit & ſtimulat ad currendum, eſtque, ut diximus, quaſi calcar quoddam Equitis Chriſtiani, punctione ſua teporem ac torporem excutiens, ne in via aſpera animum deſpondeat. Exemplum deſumere licet, ut vis Spei magis eluceſcat, rebus ab humanis. Quid non poteſt Spes? quas non vires ſubminiſtrat? Spes meſſis ſic alit agricolam, ſic eum excitat, ut omnes labores in arando, fodiendo, occando, ſeminando, ſuaves ei videantur. Spes lucri ſic animat negotiatorem, ut nives, frigora, æſtus, maria, pericula nulla pertimeſcat. Spes prædæ & triumphi militem ſic afficit, ut nec vulnera nec ſanguis ei animos infringant. Nos quoque integro Domini laborantes ſumus, tempus ſementis eſt præſens vita quam currimus: *Exibit homo ad opus ſuum & operationem ſuam uſque ad veſperam* hujus vitæ. Spes ergo meſſis, animat nos ad perſeverantiam laboris, dicente Apoſtolo: *Bonum facientes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus non deficientes.* Mercatores ſumus, & ideo nullum laborem refugere debemus, ſed ſpes theſauri indeficientis in Cœlis, quem nobis comparamus, etiam ſuaves reddere debet noſtros omnes ſudores. Denique, ſub Chriſto Rege Crucifixo, nomen militiæ dedimus, non decet nos molles eſſe & delicatos, nec ipſam crucem horrere, quam non horruit ipſe Dux noſter, qui & ſpe illius quam acquiſivit cœleſtis coronæ, nos animat ad fortiter pugnandum, vires ipſe ſubminiſtrans ad prælium.

Similia. Pſ. 103. 23. Gal. 6.

De hac Spe loquens D. Petrus, & fideles omnes animans, ſic dicit: *Benedictus Deus qui regeneravit nos in ſpem vivam per reſurrectionem Jeſu Chriſti ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam & immarceſſibilem, conſervatam in Cœlis, &c.* Conſideratione digna ſunt hæc Principis Apoſtolorum verba: *Sermo iſte fidelis eſt, & omni acceptione dignus,* Spem noſtram excitans, & gratitudinem erga Patrem & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Spei noſtræ authorem.

1. Petr. 1. 3.

Primò ergo dicit, quod *regeneraverit nos in ſpem.* Hoc vero multipliciter, jam in Cruce tot anguſtiis & doloribus parturiebat & generabat nos adoptionis filios, & ex filiis iræ & gehennæ, ex filiis perditionis, efficiebat nos filios gratiæ, filios ſalutis, dans nobis ſpem hæreditatis æternæ. Deinde hanc ſpem confirmavit per reſurrectionem ſuam à mortuis, in ſeipſo nos reſuſcitans & regenerans ad vitam immortalem, tanquam membra ſua myſtica, quibus immortalitatis conſortium donabat. Denique regeneravit nos in Baptiſmo, qui non eſt aliud quam regeneratio ſpiritualis filiorum Dei, habetque myſticam repræſentationem mortis & reſurrectionis ejus: quia ibi per immerſionem conſepulti ſumus cum illo, ut mortui peccatis, juſtitiæ vivamus, & ad novam vitam emergamus. Ibi regeneramur in ſpem, quia ibi *tres ſunt qui teſtimonium dant in terra*, quod ſimus filii Dei & hæredes Regni, *Spiritus, Aqua, & Sanguis, Spiritus* quidem divinus, quem recipimus ibi, in quo clamare poſſumus, *Abba Pater*, illo teſtificante. *Aqua* ex qua regeneramur, quæ quoddam ſemen ſpirituale eſt, per quod formatur Chriſtus in nobis, *Sanguis* quoque Chriſti, qui nobis ibi per aquam applicatur, & gratiam confert, quæ eſt generatio cæleſtis, quam ſi ſervemus (quod in noſtro eſt arbitrio poſitum) jam ſpes noſtra aſſecuratur de hæreditate, quia *ſi filii ſumus & hæredes.*

1. Joh. 5. 1

Secundò dicit D. Petrus hanc ſpem in quam geniti ſumus, eſſe *ſpem vivam*; quia eſt quædam ſpes apparens & mortua, ſicut & fides quædam mortua eſt, quæ non eſt charitate formata, nec producit opera vitæ. Talis ſpes reperitur in peccatoribus, qui non ſunt filii Dei: ſed in illis non parit effectus vitæ, qui ſunt animare, conſolari, lætificare animam, viteſque ei miniſtrare, durante hac peregrinatione. At verò in Juſtis & veris filiis Dei omnia hæc operatur, quia viva eſt, vitam gratiæ & charitatis participans. Arbor quæ vivam habet radicem, lætas germinat frondes, flores odoriferos, fructus ſuaves. Sic ſpes in juſtis germinat bonas cogitationes, cæleſtia deſideria, bonorum operum fructus, quibus anima palcitur & oblectatur. Ideo de ſe & de juſtis dicit Pſaltes: *Ego quaſi Oliva fructifera in domo Dei ſperavi.* Oliva fœcundiſſima eſt, & pinguedinem ſuavè producit, ſemper viteſcit, nec folia ejus defluunt, imò ejus lignum nec tempeſtas, nec caries, nec vetuſtas labefactat, ideò ſpei, imò & æternitatis eſt ſymbolum. Juſtus ergo per ſpem quaſi Oliva fœcundus eſt, fructu bonorum operum; & ſpes in illo parit pinguedinem gratiæ & devotionis, eumque reddit ſemper virentem & vividum: Æternitatis quoque efficit eum candidarum, dans ei vires contra æſtum, pruinam, frigus, tempeſtatem, vitiorum caſiem, ut nihil eum ab expectatione ſua dimoveat, nihil animum ei incurvet. Hoc diſerte etiam dixit Jeremias: *Benedictus vir qui confidit in Domino, erit quaſi lignum quod plantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas, & non timebit cùm venerit*

Pſ. 51. 10.

Jer. 17. 7.

Digitized by Google

merit aſſus : & erit ſolium ejus viride , & in tempore ſiccitatis non erit ſollicitum , nec aliquando deſinet facere fructum. Quomodo poſſet clarius exprimere effectus, germina, ac fructus, quos ſpes illa viva in juſtis parit.

Ut ergo concludamus, tantas vires animo ſuperaddit hoc cœleſte donum ſpei, ut nihil difficile juſtis videatur currentibus ad æterna, ita ut quælibet ardua aggrediantur, viribus licet propriis diffiſi, ſpe in Deum nixi. Quid replet Clauſtra & Religiones etiam auſteritatem maximam pœnitentiæ profitentes, tot Adoleſcentibus delicatis, tot tenellis Virginibus, tanto zelo ad perfectionem contendentibus, inter cinerem & cilicium, inter paupertatem & nuditatem, inter æſtus & frigora, inter auſteritates humanis quodammodo viribus impares? Nunquid ſpes æternitatis novas eis vires ſuppeditat? Pauci certè ſubſiſterent ſub hoc onere, quibus naturalis complexio ſat debilis & fragilis, qui natura torpidi & puſillanimes, qui deliciis aſſueti erant, *qui veſcebantur voluptuoſè, & nutriebantur in croceis*, niſi ſpem in Deum dirigerent, & deterſam mentis aciem in æternitatis figerent mercedem. Qua quidem ſpe ſic animantur corda eorum, ut & ipſi aſperrimi labores, ſuaves videantur pro Chriſto ſuſcepti. Alias dicere poſſent cum Apoſtolo : *Si in hac vita tantùm ſperantes eſſemus, miſerabiliores eſſemus omnibus hominibus.* De his ergo verum eſt illud Domini apud Iſaiam : *In ſilentio, & in ſpe erit fortitudo veſtra.* Quia bonum eſt *præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei, & bonum eſt viro cùm portaverit jugum Domini ab adoleſcentia ſua, ſedebit ſolitarius & tacebit, quia levavit ſe ſuprà ſe.* Per conſiderationem ſcilicet rerum cœleſtium, per ſpem illam bonorum æternorum, per quam novas vires accipit ad facilè portandum Domini jugum, levat ſe ſuper ſe.

Thre. 4. 5

1. Cor. 15. 9.

Iſa. 30. 15

Thr. 3. 26.

Hinc iterum de his dicit Propheta : *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Utique ſpes & fiducia dabit eis quaſi *Leonis fortitudinem*, ut in via nihil eos terreat: Dabit & *alas* quaſi *Aquilæ*, ut ad ſublimia volare poſſint, & in Solis fulgentis radios aciem mentis intendere, cœleſtia contemplando; & renovatis alis per novam viam pœnitentiæ, poterunt liberè volatum altiùs erigere : Dabit & eis *pedes* quaſi *Cervorum*, ut alacriter currant & non deficiant. Poterunt ergo dicere cum Propheta : *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jeſu meo : Qui ponet pedes meos quaſi Cervorum, ſuper excelſa ſtatuens me* ; Dans ſcilicet vires contra ſerpentes belligerandi & ad arduas & difficilia ſine labore currendi. *Et de Lucet me videtur in Pſalmis canentem* præ lætitia, profligatis jam hoſtibus & omnibus difficultatibus ſuperatis.

Iſa. 40. 31

Abac. 3. 18.

Refert Hieron. Platus, hanc Propheticæ ſententiam, magnam vim habuiſſe in Andrea Spinula Viro Nobili, & in Eccleſiaſtica dignitate conſtituto. Cùm ipſe jam provectiori ætate (& ut ipſe humili quodam joco de ſedicere ſolebat triginta & octo annos habens in infirmitate) de ſæculo relinquendo deliberaret, & in partem contrariam tum valetudinis imbecillitas, tum deliciarum conſuetudo & familiæ nobilitas, denique diſciplinæ difficultas *ad* terrorem ei ſeſe offerrent, repentè Dei bonitas hunc verſum ei objecit : *Ponet pedes meos quaſi Cervorum.* Et per illum, tanquam lumine quodam oborto, ita illuſtratus eſt, ut ſicut ipſe narrabat, omnes illæ timidæ & diffidentes cogitationes momento evanuerint, itaque animo confirmato penitus ac conſtanti, adverſus omnia illa incommoda permanſerit, & vincula omnia diſruperit.

Exempl. Platus l. 3. c. 16.

Itaque ſpes illa viva generat in Eccleſia viros perfectos & fortes, generat Virgines, Confeſſores & Martyres, generat novos Chriſtianos. Sic olim ad Chriſtianiſmum convertit B. Adrianum ſpes illa, quam videbat in Chriſtianis. Cùm enim eſſet florenti ætate miles & videret tantam Chriſtianorum in tormentis conſtantiam, interrogavit, *Quid pro tantis tormentis expectatis? Quid illa vos ſuperare contendis?* Reſponderunt illi : *Speramus bona illa quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis comprehendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe.* Hac voce commotus Adrianus curavit ſe Catalogo Martyrum inſcribi, & duriſſimum martyrium alacer ſubiit, cooperante Natalia uxore: quæ tanta ſpe firmata fuit, ut cum audiſſet vetitum eſſe fœminis ne ſervirent Martyribus, aut carceres adirent, totondit capillos, & veſte virili induta, carcerem ingreſſa, Martyribus miniſtrabat; quam poſt ſecutæ ſunt aliæ Matronæ habitu ſimiliter mentito. Sed tandem cùm Maximianus tyrannus id comperiſſet, juſſit incudem in carcerem inferri, & Martyrum pedibus ſubiici, vectæque ferreo manus ac tibias iliorum confringi. Fecerunt Lictores quod juſſi fuerunt quibus occurrit B. Natalia rogavitque ut ab Adriano inciperent, quod fecerunt. Unde & ipſa apprehendens ejus pedem, extendit ſuper incudem, pedeſque amputarunt, & crura ei confregerunt. Sed & Natalia ait ad Adrianum : *Præcor te mi Domine, ſerve Chriſti, dum adhuc in te hæret ſpiritus, extende etiam manum, ut amputent eam, ut ſanctis Martyribus ſimilis efficiaris per omnia, majora enim ſupplicia illi perpeſſi ſunt, quàm tu.* Extendit ergo manum & porrexit eam Nataliæ, illa impoſuit incudi, & carnifices ſimiliter eam amputarunt, & amoventes incudem mox ſpiritum reddidit. Vides quanta fuerit ſpes utriuſque conjugis? Vides quantum potuerit ſpes aliorum Martyrum in corde Adriani, dum non ſolùm Chriſtianum novum, ſed & Martyrem efficit?

Exempl. de S. Adr. Sur. in ejus vit. 8. Sept.

Simili quodam modo converſus fuit Maximus Præfecti Cubicularius per Tyburtium & Valerianum fratres, dum ad Martyrium ducerentur. Flebat ipſe compaſſione motus, videns eos lætos ad mortem properare. Cui Tiburtius : *Niſi nos certiſſimè ſciremus alteram vitam perpetuam, & illam*

Sur. in vita S. Tiburti 4. Apr.

ſperamus, non ita hanc amittere gauderemus. At Maximus: *Contemnerem*, inquit, *& ego vitam hanc, ſi certum eſſet quod loqueris.* Tum Valerianus: *Si promittis poſſidere, facit te Deus certum, illa hora qua pro ejus confeſſione tunicas illas corporeas deponemus.* Quod cum Maximus jurejurando promiſiſſet, ac paulò poſt Sancti Martyrium ſuſciperent, vidit Maximus Angelos Dei fulgentes ſicut Sol, & animas eorum egredientes de corporibus, quaſi virgines de thalamo aſcendentes ad Cœlos. Hujus igitur tantæ fœlicitatis Spe erectus Maximus, Chriſti fidem conſtantiſſimè profeſſus eſt, & crudeliſſimum maximeq; diuturnum ſupplicium, invicto animo pertulit. Nam à Præfecto tamdiu plumbatis cædi juſſus eſt, quouſque ſpiritum exhalaret. Sic novum hunc Chriſto militem peperit Spes, quam in Martyribus invictam viderat; qua eadem roboratus ſancto eorum conſortio adſcribi meruit. Annon ergo meritò dixi, quòd Spes illa quam Eccleſiæ Sponſæ dedit Deus, adeo eam fœcundam reddit, & ejus ſacra germina ad auget, ut pariat in ea fortes Milites, perfectos Athletas, Confeſſores, Virgines, Martyres novoſq; Triumphatores & Debellatores mortis? Hinc pingebatur ab Antiquis Spes, quaſi Nympha ſacra Cœlum fixis oculis reſpiciens, cum arcu & ſagittis (quæ ſunt arma ipſius mortis) contritis & confractis in manu ſua. Quia ſcilicet ad futuram gloriam figens oculos, nihil veretur mortem, nec vires ejus, ſed de illa triumphat.

II. *Conſolari mentem in afflictionibus.*

Propositio II.

Spes hæc mirè animam conſolatur in mediis afflictionibus.

PRopterea cum D. Petrus dixiſſet, quòd regenerarit nos Deus in Spem vivam, & hæreditatem incontaminatam & immarceſſibilem, addit, per illam Spem exultare nos debere in mediis tribulationibus, quas ſuſtinere oportet, ut proberur fides noſtra, & auro pretioſior inveniatur, in die Domini noſtri Jesu Christi. Spes itaque in mediis afflictionibus gaudium menti infundit, quia ipſa eſt immortalitatis quædam arrha, æternitatis pignus, inchoatio beatitudinis, ipſa eſt quoddam patrimonium & poſſeſſio filiorum Dei, in qua gloriantur durante hac mortalitatis vita, de

Rom. 5. 3. qua dixit Apoſtolus: *Gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei, non ſolùm autem, ſed & gloriamur in tribulationibus ſcientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio autem ſpem, ſpes verò non confundit.*

Itaque Spes ſolidum cordi dare poteſt gaudium; quia ad æternitatis divitias ac hæreditatem cor erigit, & jam quandam illius quaſi poſſeſſionem adit, ut propterea dicat Apoſtolus: *Fortiſſimum ſolatium habemus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus tutam*

Heb. 6. 18 *ac firmam, incedentem uſque ad interiora velaminis.* Spes penetrat & incedit uſque ad interiora velaminis, hoc eſt, uſque ad Sancta Sanctorum, quæ per velum diſtinguebantur ab aliis Templi locis, & ibi erant Arca & Manna. Vult ergo dicere, quòd Spes non ſolùm præſentis Eccleſiæ ſtatum (qui per Sancta deſignatur) ſed & Sancta Sanctorum, hoc eſt, futuræ gloriæ ſtatum conſideret; & ibi guſtat Manna abſconditum, prælibans ſuavitatem illam, de qua Pſaltes: *Quam magna multitudo dulcedinis tua* Pſ. 30. 20 *Domine, quam abſcondiſti timentibus te, & perfeciſti eis qui ſperant in te.*

Ad hanc anchoram ſemper refugium habuere Viri ſancti in omnibus ſuis ærumnis, ut non deficerent, aut nutarent.

Sic Tobias cæcitate percuſſus irridebatur ab amicis improperantibus: *Ubi eſt ſpes tua, pro qua eleemoſynas faciebas & ſepeliebas?* At ille: *Nolite ita loqui, quia filii Sanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam daturus eſt his, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo.* Tob. 2. 16.

Sic B. Suſanna jam accuſata erat & damnata, jam ad necem ducebatur, nec tamen in mediis his fluctibus anchoram Spei deſerit, ſed erat, inquit Scriptura, *Cor ejus fiduciam habens in Domino.*

Job toto corpore afflictus, liberis & rebus omnibus ſpoliatus, ab amicis deriſus, in ſterquilinio fœtidus jacens, & ſaniem radens, nullum aliud ſolatium reperit, niſi Spem illam per quam dicit: *Scio* Job. 19. *quòd Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de* 25. *terra ſurrecturus ſum, & videbo Deum Salvatorem meum: repoſita eſt hæc ſpes in ſinu meo*, q.d. Hæc Spes eſt, quæ cor meum fovet in tot ærumnis ſolatio ſuo, ſola illa ſpes potens eſt mihi vires miniſtrare. Denique de antiquis illis Sanctis dicit Apoſtolus: *Alii ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt, circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti*, &c.

Quomodo putas omnia hæc potuiſſent ſuſtinere, niſi animati fide & ſpe, per quam aſpiciebant ad Heb. 11. 36. æternam retributionem & repromiſſionem? Quæ tamen adhuc dilata fuit, donec author & conſummator fidei ac Spei noſtræ Chriſtus *aſcendit ante eos pandens iter*, inquit Michæas, illos Patri offerens Mic. 2. 13 tanquam Crucis & ſanguinis ſui primitias.

Quid de noſtris dicam Martyribus? Quàm fortes illos effecit in tormentis viva Spes appropinquantis coronæ? Tot pueri tenelli, tot delicatæ virgines, in mediis gladiis, equuleis, flammis, exultabant. Et hanc ſpei anchoram ſibi propoſitam habentes, tantæ conſtantiæ firmatæ ſunt, ut nulla minarum acerbitas, nulla vis tormentorum, terrere eos potuerit, aut animos infringere.

Sic B. Agatha, cum eam tyrannus minis tormentorum à fide deterrere conaretur, ſpe interius magis roborata dicebat tyranno: *Si jubes in me ſtringere ferrum, en collum meum: ſi flagella, ecce dorſum: ſi ignem, en tibi totum corpus: Ure, ſeca, ſtringe, diſſende, lacera, exercita, quantùm in me crudelitas* Exempl. in vita ejus apud Sur. 5. Feb.

D. Th. in illum locum.

liùs ſæviet, tanto majus mihi beneficium conferes, tanto majorem mihi Chriſtus coronam adornabit. Sic ſpes eam in trepidam reddebat, & divino fulta auxilio dicebat cum fiducia : *Si ignem mihi minaris, Angeli rorem vivificum de cœlo mihi miniſtrabunt : ſi feras promittis, audito ſolo Chriſti nomine manſuefcent.* Sic ipſa lætiſſimè & gloriantèr ibat ad carcerem, quaſi ad epulas invitata. Cum verò juſſu tyranni ei mammillæ avellerentur, nihil trepida reſpondit : *Impie, crudelis, & dire tyranne, non es confuſus amputare in fœmina quod ipſe in matre ſuxiſti ? ſed ego habeo mammillas integras in anima mea, quas ab infantia Domino conſecravi, has illibata manebunt, has non poterit attingere.* Nempe hæ mammillæ animæ, quæ ſunt intellectus & voluntas, cœleſti quodam lacte ſanctæ ſpei plenæ erant in hac virgine : quo lacte ſuaviter intus reficiebatur, nulla exterius tormenta formidans. Sed & per hanc ſpem in medio carceris expanſis manibus, finaliter orabat ad Dominum : *Gratias tibi ago Domine Jeſu Chriſte, qui me feciſti vincere torminta carnificum, qui tuliſti à me amorem ſæculi, & corpus meum à pollutione ſeparaſti, jube me ad tuam immarceſſibilem gloriam fœliciter pervenire.* Vides, in medius tormentis, quam firma ſit hæc virgunculæ per ſpei anchoram ?

Qui quis ergo in hujus ſæculi amaro mari, fluctibus amaris afflictionum agitaris, ne deſeras hanc anchoram, ſed per illam ingredere uſque ad interiora velaminis, uſque ad æterna illa bona, quæ iis qui patiuntur ærumnas, promittuntur. Confidera, quod *Levis & momentaneum hoc tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis, & quod non ſunt condigna paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Itaque licet jejunio & omnibus corporis afflictionibus ſe maceret homo, in cinere, ſacco, & cilicio ; dicere tamen poteſt : *Non ſunt condigna paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Licet inſtar Job in ſterquilinio jaceat, totus corroſus, doloribus & plagis confectus, tamen, *non ſunt condigna paſſiones iſtæ ad futuram coronam.* Licet quis ſeſe ſecari permittat, ut Iſaias, aut in fornacem mitti, ſicut pueri Babylonici ; licet deberet lapidari cum Stephano, aſſari cum Laurentio, excoriari cum Bartholomæo, tamen omnes hi dolores & cruciatus *non ſunt condigni ad futuram gloriam.* Denique, etſi quis omnia tormenta mundi, omnes dolores, & cruciatus imaginabiles pateretur, ad conſolationem ſuam dicat : *Non ſunt condigna paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Et ita præſentia reſpicere non oportet quæ videntur, ſed futura quæ non videntur. Sic S. Tiburtius Mart. converſus per S. Cæciliam, cum ab Almachio Præfecto infamiæ argueretur, reſpondit : *Vtinam Dominus dignetur nos referre in numerum ſervorum ſuorum, qui reſpuerunt id quod videtur eſſe, & non eſt, & invenerunt quod videtur non eſſe & eſt.* Inquirit Almachius : *Quid eſt illud quod videtur eſſe, & non eſt ?* At ille : *Omnia inquit illa quæ in mundo ſunt, quæ & cultores ſuos ad æternum exitium per brevis temporis latitiam ducunt.* Quid verò, inquit, eſt quod non videtur eſſe ? Reſpondit : *Vita juſta, & ſupplicium injuſtum.* Ita habetur in vita S. Cæciliæ.

Ro. 8. 18.

Surius in vita S. Cæciliæ 22. Nov.

Simile quid reſpondit quidam Diaconus nomine Abibus Martyr in Edeſſa civitate. Hic cum omnes confirmaret ad pietatem & fidem, ungulis laceratus eſt, & membris omnibus tortus. Interrogabat verò eum Præſes, quamnam ei utilitatem tormenta conferent, quæ ita corpus ejus conſumerent ? Reſpondet Chriſti Martyr. *Non ad præſens tantùm tempus, nec ad ea quæ tantùm oculis cernuntur, adſpicimus : ſed ſi in quoque adſpicere voluerit ad ſpem & promiſſam nobis remunerationem, dicet cum Paulo. Non ſunt condigna paſſiones hujus temporis, ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Unde in ignem conjectus, ignis flammam hilariter excipiens. Ignitum Deo reddidit. Ita habetur in actis ejus, quæ recitat Metaphraſtes 15. Novem. cap. 13.

Baron. to. 3. ad An. 316. num. 48.

Metaphraſtes.

Propositio III.

III. In ſpe vitæ datur ſecuritatem

Spes vera in finis vitæ tollit anxietatem, & dat ſecuritatem.

IN perſona juſtorum dicebat David : *Letatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.* Hæc eſt vox ab interiori ſpe elicita, quæ hoc interius dicens animæ, quandam ei ſerenitatem & ſecuritatem infundit, quia *ſpes non confundit*, teſte Apoſtolo. Ideo iterum alio loco in perſona juſtorum canit : *In pace, in idipſum dormiam & requieſcam.* Quid ita ? *Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.* Spes immortalitatis futuræ facit ut in pace obdormiant, expectantes animæ gloriam, imo & corporis renovationem per reſurrectionem, ita ut etiam *Caro requieſcat in ſpe.* Ideo apud Iſaiam dicitur : *Vade populus meus, intra in cubicula, claude oſtia ſuper te, abſcondere modicum ad momentum, donec tranſeat indignatio.* Eſtque vox iſta vox Dei, ad eos qui in Domino moriuntur q. d. Ite ad modicum ad ſepulchra veſtra, ibi quieſcite brevi luſcitandi : Quia mors quaſi ſomnus eſt unius noctis, reſpectu reſurrectionis & æternitatis. Quieſcite in ſepulchris inquit, quaſi clauſis oſtiis dormientes in ſpe, donec pertranſeat illa indignatio, qua peccatum Adæ, immo & ſingula peccata communi morte, & putrefactione, ponire me oportet.

Pſ. 118. 1.

Rom. 5. 5.

Pſal. 4. 9.

Pſal. 15. 9. Iſ. 26. 20.

Lignum habet ſpem, inquit Propheta Job, *ſi præciſum fuerit, rurſum vireſcit, & rami ejus pullulant, ſi ſenuerit in terra radix ejus, & in pulvere mortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam, quaſi cùm primùm plantatum eſſet. Homo verò cùm mortuus fuerit, ubi eſt ?* Vult dicere Propheta, quod homo virtute naturali, ſicut arbor præciſa, aut truncus mortuus,

Job. 14. 7.

virorem non poteſt recipere, neque de ſepulchri loco repullulare: tamen hoc poteſt virtute divina ad odorem ſive attactum aquæ & roris divini, rotis ſcilicet illius, de quo apud Iſaiam dicitur:

Iſaiæ 26. 19. *Ros tuus ô Domine ros lucis, vivificabit nos, & oſſa noſtra iterum germinabunt*, dum rore virtutis tuæ, ad virorem immortalitatis iterum redibunt. Qui ergo in hac ſpe obdormiunt, *non confundentur, cùm loquentur inimicis ſuis in porta.* Hoc eſt, in exitu

2. ad Cor. 5. 1. hujus vitæ, nihil timebunt adverſarios poteſtates, nec mortis vires; quia ſpes eis dicit: *Si terreſtris domus noſtra diſſolvatur, habemus non manufactam æternam in cœlis, quam cupimus ſuperveſtiri.* Tunc merita, virtutes, bona opera, quæ homo Dei adjutus gratia, durante vita collegit, animæ occurrunt, eamque conſolantur. Et ſicut bonus ſanguis ad cor anxium recurrit, ut illud confortet, ita omnia virtutum opera ſolatium animæ conferunt, & quaſi putior ipſius animæ ſanguis, triſtitiæ &

Pſ. 41. 6. anxietatis nubilum depellunt. Unde poteſt tunc homo dicere. *Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi ſalutare vultus mei & Deus meus. Tranſibo in locum tabernaculi admirabilis uſque ad domum Dei.* Tantas vires tunc habet ſpes, tantam efficaciam, ut multi qui magna parte vitæ multum timidi fuerant, cum timore & tremore ſalutem operantes, tunc omni depulſa trepidatione, viva ſpe animati, exultarint.

Breviarium Rom. 11. Octob. D. Hilarion cùm penè cum extremo ſpiritu conflictaretur, dicebat: *Egredere, quid times, egredere anima mea quid dubitas? Septuaginta propè annis ſervivisti Chriſto, & mortem times?* Quibus in verbis ſpiritum exhalavit, hoc quaſi calcari trepidã animam urgens: ad exeundum ex hac lutea domo, ex hoc peregrinationis tabernaculo, formiſſima ſpe concepta ex operibus bonis gratia Dei factis: quæ quidem comitabantur eum, donec introduceretur in domum æternitatis.

Jac. de Vitriaco in vita ejus. Sic B. Maria Ogniaca in extrema illa quam in mortali corpore peregit nocte, multis à ſatana validiſque inſidiis & tentationibus divexata, cœpit timorem aliquem concipere, ita ut etiam aſtantium auxilium imploraret. Verum paulo poſt ita per ſpem erecta fuit & firmata, ut omnes inferni vires contemnens, & ſerpentis *calcaneo* (hoc eſt, extremæ parti vitæ) *inſidiantis*, velut caput conteret, illum etiam forti voce à ſe propelleret, quo abſcedente, & cum ignominia devicto cœpit ſuavi voce ſæpiùs intonare vocem illam lætitiæ, *Alleluja*, reliquum tempus in lætitia tranſigens, & exultans quaſi ad epulum invitata.

Ipſe quoque Apoſt. Paulus, cum timore & tremore hanc degebat vitam, tot peccati periculis

1. ad Cor. 9. 27. obnoxiam: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* At appropinquante ultima vitæ ejus periodo, quam ſuavi voce canit hac beata ſpe animatus? Ad Timotheum diſcipulum ſuum ſic ſcribit: *Ego jam deliber, & tempus reſolutionis meæ inſtat: Bonum certamen certavi, curſum conſummavi fidem ſervavi, in reliquo reposita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi juſtus Judex.* q.d. O chariſſime Timothee! jam propè eſt tempus, quo ſanguinem meum quaſi ſacrum libamen, Deo profundere debeo & immolare: ſed nihil timeo, quia potius animo exulto, quia profidi Chriſti tot exantlatis laboribus optimè decertavi, & profligatis hoſtibus trophæum jam erigo, ſcioque vertici meo mox appropinquare debitam certantibus & victoribus coronam. Hoc mihi dicit fiducia bonæ conſcientiæ, hanc mihi dat ſecuritatem ſpes certiſſima, proveniens ex memoria præteritæ vitæ. Ecce quomodo tanquam Cygnus in fine vitæ ſuaviter canit: quia purus ſanguis bonorum operum & præcedentium meritorum jam animum ejus circumcingit, lætitiam cum ſecuritate infundent. Nempe, opera quæ juxta vocationem noſtram fecerimus, jejunia, eleemoſynæ, orationes, mortificationes, humilitas, caſtitas, obedientia, manſuetudo, juſtitia, pietas, bonus ſanguis ſunt; cor in anguſtiis non deſerent, ſed in ſpem vivam erigent, & exhilarabunt. 1. Tim. 4. 6.

Nimis prolixus forem, ſi Sanctorum vitas percurrens, referre vellem, quàm multi ex hac vita emigrarint, cum voce exultationis à viva ſpe elicita. Paucos hic breviter attingam.

Narrat Bernardus de fratre ſuo Gerardo, media nocte moribundum in illam ex Pſalmo vocem erupiſſe: *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelſis*: Jam tibi, inquit, Frater mi, nocte adhuc media dies erat, nec ſicut dies illuminabatur. Accitus ſum ego ad id miraculi videre exultantem in morte hominem inſultantes morti: *Ubi eſt mors victoria tua? ubi eſt mors ſtimulus tuus?* Jam non eſt ſtimulus ſed jubilus. Jam cantando moritur homo, & moriendo cantat. Bernar. Serm. 26. in Cant.

Beata quoque Aletha Bernardi mater, cùm in extremis ageret, Sacerdotes advocarat, qui Eccleſiæ preces recitarent. Cùm autem in Litaniis dicerent: *Per crucem & paſſionem tuam, libera eam Domine*, quo adhuc poterat ſpiritu idem pronuncians, & manum levans ſignavit ſe, & ſpiritum emiſit, ita ut manum non poſſent deponere quam levarat. Sic ſpe plena, tabulam crucis arripiens, ad portum ſalutis evecta eſt. Guiliel. Abbas in vita Bernardi.

Beatus Petrus Alcantara ſpei anchoram in littore Æternitatis figens, in his verbis moritur: *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in Domum Domini ibimus.*

B. Eligius in extremo ſpiritu hanc ſpei vocem edebat: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace*: & in his verbis animam reddidit, quæ viſa eſt inſtar ſtellæ in crucis modum compoſitæ, in cœlum ferri, Deo diſponente ut ſic in cœlum conſcenderet is, cujus vita perpetua quædam crux fuerat, ſed & inſtar ſtellæ præluxerat. Ribadeneira in vita ejus.

B. Tho-

Digitized by

B. Thomas Aquinas, in morbo explicaverat Cantica, & ad illa verba pertigerat: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum.* Quæ verba repetens, & toto ſpiritus fervore pronuncians, in floridum Eccleſiæ Triumphantis agrum & Paradiſum, anima ejus *innixa ſuper dilectum, deliciis affluens, de deſerto* hujus mundi fœliciter aſcendit.

Breviar. Rom. 6. Decemb. Sanctus Nicolaus inſtante morte ſuſpiciens in cœlum, cum Angelos ſibi occurrentes intueretur, illo Pſalmo pronunciato: *In te Domine ſperavi, non confundar in æternum*, in cœleſtem Patriam migravit.

Ribade. S. Emundus morti jam jam proximus, arripiens Crucifixi imaginem lectulo ſuo appoſitam, & os lateri admovens, dicebat: *Amodò hauriſtis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.*

Hæ ſunt voces quas elicit ſpes, exultationem in corde pariens, dum hominem mors æternitati reddit, in qua ſperatam coronam apprehendat nunquam dimiſſurus.

LECTIO III.

DE SPE VANA MUNDI, ET EJUS DIRECTRIBUS.

1. *Docet fallaciam Spei mundanæ ſive in honoribus, ſive in opibus, ſive in Amicis.*
2. *Docet ſpem illam hominem in fine deſerere & magis anxium reddere.*

PROPOSITIO I.

Spes hominum in rebus hujus mundi poſita, vana eſt & fallax.

1. *Spes mundi vana & fallax eſt.*

RAtio eſt, quia cum omnes res mundi hujus caducæ ſint & inſtabiles; non poteſt ſpes quæ illis innititur, ſolida eſſe. Non poteſt ſuper fragili fundamento ſtabile ædificium conſtrui: & qui parieti inclinato, aut maceriæ depulſæ innititur, cum labente labitur. Qui itaque rebus perituris inhæret, & in illis fiduciam ponit, cùm illis perit.

Bern. Serm. 1. de Advent. Similes ſunt multi (inquit Bernardus) his qui ſubmerſi periclitantur in aquis: *Nimirum videas eos tenentes tenere, nec ulla ratione deſerere, quod primùm occurrerit manibus; licet tale ſit quod prodeſſe non poſſit, ut ſunt radices herbarum & ſimilia. Sic pereunt in hoc mari magno & ſpatioſo miſeri, dum pertinaciter ſectantes, omittunt ſolida, quibus apprehenſis emergere & ſalvare poſſent animas ſuas.*

Sap. 5. 15. De hac vana ſpe mundanorum Sapiens dicit: *Spes impii, tanquam Lanugo eſt quæ à vento tollitur, & tanquam ſpuma gracilis quæ à procella diſpergitur, & tanquam fumus qui à vento diffuſus eſt, & tanquam memoria hoſpitis unius diei prætereuntis.* Ita Sapiens.

Optimè quoque ſpes iſta comparatur hederæ Jonæ ut ſupra tetigi, & nunc paulò fuſius explicandum eſt.

Dicit ergò Scriptura: *Egreſſus eſt Jonas de Civitate, & ſedit contra Orientem Civitatis, & fecit ſibimet umbraculum ibi, & præparavit Dominus hederam, ut eſſet umbra ſuper caput ejus, & lætatus eſt Jonas ſuper hedera lætitia magna.* Jonæ 4. 5 Quanta res eſt hedera aut umbra ejus, ut ita lætaretur Jonas? Res utique infirma ac inſtabilis, modò virens, modò creſcens, modò erecta eſt, & umbram præbet, modò decidit & conculcatur. Unde aſcenſu diluculi venit vermis, & percuſſit hederam, & exaruit. Res ſæculi cùm poſſidentur, magnæ apparent, ſpecioſæ & quaſi perpetuæ videntur, lætitiamque homini pariunt; ſed ſtatim etiam apparet, dum ſubitò intermoriuntur aut amittuntur, quam vanæ ſint & fluxæ, nullamque in eis ſpem collocandam. Omnia in quibus homo poteſt ſpem ponere & lætari, habent vermem ſuum à Deo paratum, quo in aſcenſu diluculi percutiantur & areſcant. Videamus id particularius.

2. *Spes in potentia ſæculi.*

Primò aliqui ſpem ponunt in potentia ſæculi, ut Reges, Principes, Magnates. Sed illa habet vermem ſuum, & ciò concidit, eo etiam tempore quo magis florere videbatur. Tranſeunt ſæpe Regna de uno ad alterum, tranſit & Regum poteſtas, ipſique Reges pereunt. Unde Ozeas dicit: *Tranſire fecit Samaria Regem ſuum, quaſi ſpumam ſuper faciem aquæ.* Ozée 10. 7. Senſus eſt: Samaria ſuis ſceleribus cauſa eſt, cur regnum Iſrael omnino diſſiparit Deus: Et quidem inſtar ſpumæ citò diſſipandum eſt: *Sicut ſpuma quæ ſuper aquam eſt, citò diſſolvitur, ſic regnum decem tribuum velociter finietur*, inquit ibi Hieronymus. Optimè Principes ac Reges, ſpumæ ſeu potius bullis quæ ſuper aquam excitantur, comparantur. Sicut enim bullæ in aqua excitatæ, quo magis intumeſcunt, eò celerius evaneſcunt, majorque earum tumor nihil aliud eſt quam celerior ad exitium progreſſus. Ita major Regum potentia & ſuperbia, ferè celerioris ruinæ eſt argumentum; ut in omnibus mundi imperiis cernere licet. Sicut etiam bullæ in aqua, aliæ aliis ſuccedunt, ſed eundem omnes exitum habent: Sic Reges omnes alii alios in Regnorum ſucceſſione & potentia conſequuntur, ſed tandem omnes ſicut bullæ, brevi temporis ſpatio evaneſcunt. S. Hier. eum loc.

Phil. l. de Joſeph. Imperiorum mutationes. Præclarè de his dixit Philo: Ante Macedonum Imperium, inclyta fuerat Perſarum fœlicitas; ſed una dies tam ingenti Regno finem attulit: Fuit Ægyptiorum magnifica potentia, ſed nubis inſtar ejus fœlicitas præteriit. Quid Æthiopes, quid Carthago, quid Africa, quid Europa, Aſiaque, & ut compendio dicam, quid totus Orbis habitabilis? Nonne more Navis jactatæ marinis fluctibus, nunc adverſis ventis, nunc ſecundis utitur; nam verbum divinum choreas in orbe ducit, & omnes gentes circumluſtrando, nunc his, nunc illis, imperia dividit, tribuit, aut adimit. Nihil igitur eſt in humanis rebus, præter umbram, eamque leviſſimam, ſine mora prætervolantem; eum ultrò citroque tanquam æſtuaria. Ita Philo.

Hue

Prov.8.1. Lyranus. ibi.

Huc etiam aliqui referunt illud quod in Proverbiis dicitur: *Sapientia ludens in orbe terrarum*: Quod Lyranus & alii explicant, quia Deus ludum quendam facit de orbe terrarum; tum quia orbis terrarum ſimilis eſt ludo pilæ, quæ ab uno ad alium transfertur ſecundum quandam revolutionem, regna enim & imperia transfert Deus de gente in gentem; tum etiam quia inſtar ludi parum durabit & inſtar ſcenæ in theatro exhibitæ, ſtatim pertranſibit. Vidit id Cæſar Auguſtus, teſte Suetonio, qui cum per annos quadraginta & amplius imperaſſet, familiares ſuos convocans, morti jam vicinus dixit illis: *An non perſonam Imperatoris mihi commiſſam in hac mundi fabula tot annorum decurſu commodè egiſſe videor? Valete ergo, & plaudite.*

Suet. in Auguſto.

Sperent ergò qui voluerint, in honoribus, dignitatibus, & potentia mundi tumida, delectentur in ejus umbra, ſed attendant vermem brevi aſcendentem, & corrodentem hanc hederam; & ſic hanc ſpem & lætitiam vanam eſſe conſpicient. Quid profuit Pompejo in potentia ſæculi ſperare? Hic poſtquam tumultu militari totum concuſſerat Romanum imperium, tandem Lictori crudeli cervicem debet ſubiicere. Ubi eſt ſpes Julii Cæſaris? Hic poſtquam Imperii Romani habenas, & orbis dominium invicto milite ſibi ſubdidiſſet; tandem in medio Senatus, multiplici pugionum vulnere confoſſus jacet.

Ubi eſt ſpes tua Abſalon? Tua quidem fretus potentia regium ſceptrum in vadis, totum Iſraëlis commovens regnum, paterno etiam ſanguine, patricidialem dexteram polluere paratus, ut regio diademate potiaris. Ecce verò funeſta arbor capitis tui aureos cincinnos circumplectens ſpem tuam contrivit, & aptum extitit inſtrumentum, ubi penderet ingratus filius, medius inter cœlum & terram, tanquam utroque loco indignus. Denique ubi ſpes Alexandri, qui cum totius orbis Monarchas ſuo ſubjeciſſet imperio, tandem veneno interiiſſe fertur? Rectè pinxit Apelles Alexandrum tenentem manu fulgur, quaſi qui celerrimè ſuo imperio penetravit ab ortu ad occaſum, ſed rurſum celerrimè diſparuerit. Nempè una dies paravit vermem diluculo aſcendentem, ut ejus gloria tanquam umbra hederæ Jonæ, citò exareſceret & interiret.

2. *In Principum favore & honoribus.*

Secundò non ſolùm Reges aut Principes falluntur, qui in potentia ſua ſpem ſuam figunt; ſed & illi qui in eorum favore & gratia ſpem collocant, quam omnibus obſequiis demereri ſtudent.

Utique hæc Magnatum amicitia & gratia habet vermem ſuum, quia inſtabilis eſt & mutabilis Principum voluntas ac opinio; ita ut qui eis hodie gratus eſt, cras odioſus ſit, cui hodie vultum exhibent benignum, cras ſeverum, Pſal.145. *Nolite confidere in Principibus, in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus.* Id eſt, à quibus certa ſalus non provenit: cum ob inopiam non poſſint nos juvare; & ob inconſtantiam aut malitiam, interdum nolint adjuvare. Et Propheta: *Maledictus homo, qui confidit in homine.* Jer.17.5.

Pſ.145.3.

Agnoverunt id illi (de quibus apud Auguſtinum) Imperatoris Theodoſii aulici, qui juxta Treviros deambulantes, devenerunt fortuitò in quandam caſam, ubi aliqui Dei ſervi habitabant & invenerunt codicem continentem vitam S. Antonii. Cæpit unus mirari inter legendum, & accendi ad arripiendum talem vitam, ut relicta militia ſerviret Deo. Tunc ſubitò repletus amore ſancto, & ſobrio pudore iratus ſibi conjecit oculos in amicum, & ait illi: *Dic quæſo te, omnibus noſtris laboribus quò ambimus pervenire? Quid quærimus: Cujus rei cauſa militamus? Majorne eſſe poterit ſpes noſtra in Palatio, quàm ut amici Imperatoris ſimus? Et ibi quid non fragile, plenumque periculis? Et per quos pericula pervenitur ad grandius periculum? Et quamdiu iſtud erit? Amicus autem Dei ſi voluero eſſe, ecce nunc fio.* Dixit hoc, & turbidus parturitione novæ vitæ, reddidit oculos paginis, & legebat, & mutabatur intus, & eruebatur mundo mens ejus. Unde amico dixit: *Ego jam abrupi me ab illa ſpe noſtra, & Deo ſervire ſtatui: & hoc ex hac hora in hoc loco aggredior: Te ſi piget imitari, noli adverſari.* Reſpondit ille: adhærere ſe ſocio tantæ mercedis tantæque militiæ. Ita ergo firmiter decreverunt meliora, ut advenientes alii amici aulici ibidem deambulantes, cum eos in Palatium declinante jam die reducere vellent, nihil vel in minimo voluntatem eorum flectere potuerint: ſed ipſi trahentes cor in terra, abierunt in Palatium, illi autem affigentes cor Cœlo, manſerunt in Caſa. Et ambo habebant Sponſas, quæ his auditis dicaverunt etiam ipſæ virginitatem Deo. Pſalmiſta regius *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino ſpem meam.* Pſ.72.28

S. Aug. lib.8. Conf.c.6

Sed & ipſi Principes intereunt, & ſic omnis ſpes illorum, qui in favore ac gratia innitebantur Principum, cito perit. Unde monet Rex ipſe David: *Nolite confidere in Principibus: Exibit ſpiritus ejus, & revertetur in terram ſuam, & in illa die peribunt omnes cogitationes eorum:* confidentium ſcilicet in eo, ut exponit Div. Hieron. Hoc præclarè figuratum eſt, in ſublimi illa arbore, quæ Danieli repræſentata fuit in ſomnio. *Hujus arboris folia erant pulcherrima & fructus nimius, & in ramis ejus volucres Cœli, & ex ea veſcebatur omnis caro.* Arbor utique eſt Monarcha, arbor ad Cœlum pertingens, quia nullus illo ſublimior poſt Deum agnoſcitur. Quid folia, niſi gloria ejus florentiſſima? Quid fructus, niſi rerum omnium abundantia? Volucres verò ſignificant illos qui ad eum confugiunt, & adulationibus velut cantibus aures mulcent, in umbra & fructu hujus arboris vivunt. Sed poſtea dicitur: *Succidite arborem, excutite folia, diſpergite fructus, fugiant beſtiæ & volucres.* Hic ergò omnes, ſucciſa arbore fugiunt; pereunt cogitationes & ſpes eorum decidunt. Pſ.145.3. Hieron. Dan.4.9

Quotidiè hoc accidit: ſublimatur aliquis, accurrunt

Digitized by Google

ſunt propinqui & familiares cum familiis ſuis omnem ſpem in illo ponunt, omnes ſub umbra ejus vivere deſiderant. Paulò poſt venit mors & ſtatim diffugere coguntur, umbra hederæ exareſcit.

3. *In opibus* Tertiò: Aliqui in opibus ſuis fiduciam ponunt, & lætantur in umbra earum, ſed & illæ habent vermem ſuum, habent inſtabilitatem, & ſæpè dum quis minùs cogitat intereunt, alas ſibi facere videntur & avolare. Hinc monet Paulus ad Timoth. 1. Tim. 6. 17. *Præcipe divitibus non ſublime ſapere, nec ſperare in incerto divitiarum, ſed ſperare in Deo vivo.* Ubi inſtabilitatem divitiarum inſinuat, tanquam vermem quo citò corrodantur: minimo enim vento belli, naufragii, furti, & cujuslibet mutationis rerum humanarum diſſipantur, & pereunt, & ab uno alteri affluntur: hodiè dives, cras pauper, hodiè Cræſus, cras Irus. Hinc Diogenes opes vocabat *Vomitum fortunæ*, quia viles & fluxæ ſunt: Chryſoſtomus vocat *ſervum fugacem*. Rectè ergo monet: Non in incertitudine opum tranſeuntium ſperare; ſed in Deo qui ſemper manet & ſtabilis eſt, & opes æternas nobis ſervat. Diogenis dictum.

Hoc optimè agnovit inclytus ille Martyr Thomas Morus; ad quem cum in carcere miſſa fuiſſet uxor, ut animum ipſius tentaret omnibus blanditiis, ſi fortè eandem conſentiret Regi; ejulabat illa ſuam & mariti proſumque & totius familiæ miſeram ſortem; alia ex parte magnas opes & honores dicebat promitti a Rege. At Morus animo invictus: *Quamdiu inquit, ô Aloiſia chara Conjux, hiſce opibus fruemur?* Reſpondet illa: Facilè ad viginti annos dilecte mi marite. Tandem ille: *O ſtulta, inquit, mercatrix, ego ne pro viginti annis modicæ falcitatu vendam annos æternos perpetua quam expectio æternitatis. Non ita deſipio, malo confuſionem, ignominiam, & tota vita cruciatum; malo mortem, quàm ſic prodigere beatam illam æternitatem.* Stapleton. in vita Thomæ Mori.

4. *In amicis.* Quartò: Aliqui ſpem ponunt in Parentibus, aut Parentes in filiis, in propinquis & amicis; ſed & hæc amicitia mundi inſtabilis eſt & fallax: habet & illa vermem ſuum; ita ut non oporteat fidere umbræ, quam hedera hæc præbere poteſt, quæ ſtatim etiam perire poteſt.

Hoc expertus eſt Job [illegible] omnibus circumfluus, filius, propinq[illegible] amicis potens, cum ſub umbra eorum [illegible]ere, aut ſolatium repetire putaret, [illegible]us eſt, hedera deperierat & protectio ejus: Unde conqueritur: Job. 6. 15. *Fratres mei præterierunt me, ſicut torrens qui rapidus tranſit in convallibus.* Alio lectio habet: *Fratres mei fidem fefellerunt.* Alludit ad viatorem, qui iter agens hyeme torrentem reperit, cum copia aquæ perſpicuæ & dulcis; æſtate autem iter iterum agens, ſibi fatigatus, aquæ copiam ſibi ibi promittit, ſed poſtea alveum ſiccum reperiens: Fefellit me, inquit, torrens ille, & tempore opportuno abeſt, qui adfuerat tempore importuno.

Sic Job de ſuis amicis dicit: Tempore quo earum ope non egebam, copiam bonorum offerebant: at tempore neceſſitatis pertranſierunt me ſicut torrens, de quo bibere non potui.

Adiit ipſe Job ſpecialius conquerendo: *Inquilini domus meæ & ancillæ meæ ſicut alienum habuerunt me: Servum vocavi, & non reſpondit mihi, ore proprio deprecabar illum: halitum meum exhorruit uxor mea, & orabam filios uteri mei*, hoc eſt, nepotes filiorum meorum. Interim à nullo ſibi auxilium petrectum dicit, ſed potius ſe ab omnibus deſpectum, ita ut verum ſit illud Ovidii. Job. 19. 15.

Si fueris felix, multos numerabis amicos.
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

Sicut hirundines vere accedunt, hyeme recedunt: Sic in proſperis multi accedunt, ut apud te nidulentur, ſed aſperioni adverſoque tempore diffugiunt, nec amicos ſe exhibent, ut propterea rectè dicat Ariſtoteles apud Laërtium: *O amici, nullus amicus.* Sola itaque cum Deo amicitia firma eſt, in illa ſola ſpes figenda. Laërt.

PROPOSITIO I.

Spes in rebus mundi poſita, in fine hominem deſerit, & magis anxium facit.

II. *Spes mundi in fine hominem deſerit.*

RAtio eſt, quia tunc aperient oculos, & manifeſtè videre cogentur, quam vana fuerit & ſeductoria ſpes, in rebus perituris collocata. Videamus particularius.

1. *Spes in potentia & gloria ſæculi.* Primò: Reges & Principes qui in potentia & gloria ſæculi ſpem deſixerant; tunc aperient mentis oculos, & videbunt quid ſceptra, diademata, purpura eis profuerint. Non enim poterunt eos comitari Regna, Regiones, Provinciæ, potentia & gloria, exercitus & caſtra.

Hoc optimè agnovit Saladinus potens ille Aſiæ Imperator & Dominator, qui cum approximantem cerneret vitæ ſuæ terminum, lethali morbo afflictus, vocari juſſit Vexilliferum ſuum, & ait ei: Ecce tui ſemper muneris fuit, militiæ meæ, & victoriæ ſigna, in caſtris & triumphis præferre; nunc volo ut & mortis meæ Anteſignanus exiſtas. Accipe ergò tritum hoc linteum, & in ſublime elevans, exercitum meum plateaſque Damaſci circumbis, & clamabis: *Ecce moritur Rex Orientis, & de omnibus ſuis ſplendis & trophæis, nihil efferet ſecum niſi vile hoc linteum, quo vult involvi.* Exempl.

Verum itaque eſt de illo & de omnibus aliis Principibus: *Non deſcendat cum eo gloria ejus*: Decidit flos & roſa gloriæ, ſpinæ tantum & aculei remanebunt; qui acriter pungent, & miſerum cor lancinabunt. *Heu mihi quos fluctus triſtitiæ devoro!* (clamabat Rex ille Antiochus) *qui jucundus eram in meo poteſtate!* 1. Mach. 6. 11.

Rex Hiſpaniarum Philippus III. noviſſimè defunctus, morti vicinus cum multa anxietate conflictabatur, ita ut Concionatori qui ad conſolandum eum vocatus fuerat, diceret: *Vitam viginti annos* Exempl. V. l. 11. 3. lect. 9. propoſ. 2.

annos quos in Regia dignitate conſumpſi, in ſolitudine mihi Deoque vacans peregiſſem. Filio quoque ſuo regnum deferens, & paternis monitis inſtruens, dicebat: *Fili mi ſic age, ut te in ſuis regnaſſe non pœniteat, quia regnare in vita ſuave eſt, in morte amarum.*

Referunt quoque quendam Galliæ Regem, cùm moribundi lectus à Principibus & Nobilibus circumcingeretur, dixiſſe: *Ergone nemo veſtrum qui continuo lateri meo aſſitiſtis, & fidelitatem tantum juraſtis, hunc meorum pergere volet viam; ſed ſolus & anxius nudo latere regio, eam inire cogar?*

Pſal.81.6 De Monarchis verum eſt illud: *Ego dixi dii eſtis, & filii excelſi omnes, vos autem ſicut homines moriemini.* Sicut minimum de plebe, mors illos eripiet

Job.19.10 de hoc ſæculo. Et illa veniente cogentur dicere illud Job: *Deſtruxit me undique & pereo, & quaſi evulſæ arbori abſtulit ſpem meam: ſpoliavit me gloria mea, & abſtulit coronam de capite meo.* Vana ergo eſt illa ſpes & fallax, in potentia ſæculi defixa, quæ ſic debet perire, & hominem anxium reddere, dum *in illa oculi claudantur omnia.* Tunc, *Beatus vir qui poſuit in Domino, & non reſpexit in vanitates & inſanias falſas.*

1. Spes in opibus. Secundò qui in opibus ſuis ſpem poſuerint, tunc quoque oculos aperient, quos terreno divitiarum pulvere & luto clauſos tenebant, & anxii dicere co-

Sap.5.8. gentur illud: *Quid nobis profuit ſuperbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Tranſierunt illa tanquam umbra & tanquam navis pertranſiens fluctuantem aquam, cujus non eſt veſtigium reperire, &c.*

Pſ.75.6. *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis*, inquit Pſalmus;

Iſa.29.8. Sed *ſicut ſomniat eſuriens*, inquit Iſaias, *ſe comedere, & ſitiens ſe fonti aſſidere, dum verò expergiſcitur, inanis eſt venter, & vacua anima ejus*: Ita illis continget, quia nec veras, nec verè poſſident divitias, ſed tantum quaſi per ſomnium, quod in morte fugit.

Job.27. 19. Diſertè id quoque dixit Job: *Dives cum dormierit, nihil ſecum auferet, aperiet oculos, & nihil invenies.* Mors ergò aperit oculos, quos velut excæcatos & clauſos pulverulentis terræ bonis, divites habebat. Vis videre id in divite Epulone? Dicitur quod *elevans oculos vidit Lazarum*: Elevat ergo oculos, quos antea tantum habebat ad terrena depreſſos. Videt Lazarum à longè, quem antea in janua ſtantem non videbat. Videt ſe poſſe juvari ab illo, quod antea non vidit. Videt periculum ſuum, & fratrum ſuorum quos moneri cupit. Antea cæcus, nunc clarè videns.

Eccl. 31.8 Beatus ergò dives, *qui non ſperavit in pecunia & theſauris.* Stultus qui in illis confidit & maledictus.

Luc.12. 19. Sic ſtultitiæ arguitur ille qui dicebat: *Anima mea habes poſita multa bona in annos plurimos, requieſce nunc, bibe, epulare: Stulte hac nocte repetent animam tuam à te, & quæ paraſti cujus erunt?* Non proderunt tunc opes, imò magis augent, & animum poſſidentis anguſtiabunt; quia mortem amaram magis & difficilem reddent, ita ut ſit mors quaſi duplex. Una qua anima ſeparatur à corpore, altera qua anima & affectus violentia quadam ſeparatur ab opibus, quibus tenaciſſimè adhærebant. Ita bis ſeparatur, bis moritur, ideo forte dicitur illi divitis *Repetent animam tuam à te*, hoc eſt, bis potent, ſemel ab opibus quibus fixa erat, ſemel à corpore avellentes.

Sicut ergò arbor quæ altè egit radices, difficilè evellitur renitentibus radicibus: ſic qui terrenis toti immerſi ſunt, ita in hoc ſæculo radices figunt, ut violentus ſit eorum interitus. Nec mirum, quia ſentiunt ſe adigi ne evelli, ita ut ſola mortis eos contorbet memoria. *O mors quàm amara eſt memoria tua homini habenti pacem in ſubſtantiis ſuis!* Eccl.41. Exempl. Robert. de Licio in Quadrageſimali.

Refert Magiſter Robertus de Licio in ſuo Quadrageſimali. Vidi quendam in extremis laborantem qui diutiſſimus erat, & divitias non ſinepeccato congregaverat, cumque monerem eum, ut jam animæ ſalutem quæreret; ejuſmodi monitionem meam non lubenter audiebat. Quinimo in lectulo in quo jacebat ſe volvens, ſuſpirabat, gemebat, imò rugiebat dicens: O quantum laboravi ut theſaurizarem, & alii gaudebunt de theſauris meis! O divitiæ meæ! O pecuniæ O jocalia mea! Quis vos poſſidebit, & quibus vos relinquam? Et in his figens cor & animum miſerimus expiravit.

Qui ergò ſpem in opibus ponunt, attendant & fluxas eſſe, ſicut & res omnes ſub aſtro inconſtantis lunæ projectas, & cum vita ſubitò transvolare. Attendant hoc epitaphium nobilis & opulenti adoleſcentis ſubita morte ſubrepti, omni ſpe hujus ſæculi abrupta.

Epitaphium Adoleſcentis.

Forma nitore, genere, & opibus floruit:
Floret ſed iſtos meſſuit mortis manus:
Ubi juventus? Abiit, & ſpes abſcidit:
Dei ad tribunal pene adhuc vivus ſtetit:
Hæc profuere ſtirpi, opes, eris vigor:
Vſque ad ſepulchrum hæc omnia, ultrivius nihil:
O Arundinem mortalis hanc quiſquis legis:
Æternitatem proſpice, & longum vale.

Tertiò qui in amicis ſpem poſuerunt, fallentur tunc & confundentur, quia ab eis auxilium ſperare inutile erit. [illegible] filiis Iſrael dicitur: *Væ filii* 3. Qui in amicis. Iſa.30. 1. & 2. *deſertores ut ordiremini [illegible] & non per ſpiritum meum ſperantes auxilium in confuſionem Pharaonis, & habentes fiduciam in umbra Ægypti, erit vobis fortitudo Pharaonis in confuſionem, & fiducia umbra Ægypti in ignominiam.* Ita dicere poſſum: Væ illis qui in Deo ſpem ſuam non collocarunt, ſed in hominibus, filiis, parentibus, amicis, propter illos Deum deſerentes & offendentes, fiducia hæc quaſi umbra Ægypti evanescet, & in ignominiam cedet: Tunc enim nec frater redimet, nec quiſpiam alius homo poterit dare pretium, quo ſententiam aut mortis aut damnationis evadat: *Frater non redimit, redimet homo, non dabit Deo placationem ſuam, &c.* Pſ.48.8.

Pre-

Præclara eſt parabola hanc ad rem B. Damaſceni, quam Barlaam proponebat Regi Joſaphat. Quidam, inquit, tres habuit amicos, quorum duos vehementer amabat & colebat, tertio autem exiguam exhibebat benevolentiam, imò ex parte aſperabatur. Vocatus ille ad regium tribunal, ut rationem redderet decem millium talentorum, in maximas conjectus angustias, quærebat aliquem qui in hac ratione reddenda ei opem ferret. Venit ergò ad primum amicum, exponit quomodo ejus causa vitam ſæpè in diſcrimen adduxerit, & qua nunc urgeatur neceſſitate, imploratque ejus opem. At ille: Amicus tuus non ſum ô homo, nec quis ſis novi: Sunt & mihi alii cum quibus hodie me oblectari oportet, non poſſum tibi vacare. Tamen ecce præbeo tibi induſium hoc, quo in via qua pergis, utaris, aliud non eſt quod poſſis à me ſperare. Ille ſpe ſua fruſtratus & confuſus adit ſecundum, exponit ei neceſſitatem ſuam, in memoriam reducit beneficia plurima ei collata; poſtulat ergò auxilium: At ille reſpondet ſibi per negotia non vacare; ſe curis aliis urgeri, tamen paratum ſe pergere cum illo & deducere aliquantum per viam, ſed ſtatim ſibi redeundum, ut negotiis ſuis det operam. Sic ergo ille omni ope diſtitutus, deplorabat vanam ſuam ſpem, quam in his amicis ingratis collocaſſet, & labores omnes quos eorum amore ſuſceperat. Pergit verò confuſus ad tertium, & cum verecundia fatetur, ſe non illum animum & affectum erga eum exhibuiſſe quem debuerat: tamen, inquit, quia graviter oppreſſus, nullam in reliquis amicis ſalutis ſpem inveni, accedo ad te & obſecro, ut vel exiguam mihi opem præſtes, & ingratitudinis meæ obliviſcaris. At ille hilari cum vultu excipiens, nihil, inquit, pertimeſcas, ante te proficiſcar, & Regem pro te obſecrabo, cauſamque tuam agam. Joſaphat itaque hunc ſermonem ſuſcipiens cum admiratione, ejus interpretationem requirebat. Dixit ergò Barlaam. Primus amicus, opum copia eſt & amor divitiarum, ob quem homo in multa pericula incidit, & multa patitur: cùm autem extremus dies venerit, nihil ſecum effert, niſi quædam lintea quibus obvolvitur. Secundus amicus, uxor, filii, propinqui, amici, pro quorum amore animam ſæpè negligimus, & in morte hoc ſolum præſtant, quod ad ſepulchrum cadaver comitantur, & iterum ad negotia ſua revertuntur: & ſicut corpus ſepulchro, ita ſæpè defunctum oblivioni tradunt. Tertius amicus quem negligimus, bonorum operum chorus eſt, hoc eſt fides, ſpes, charitas, miſericordia, hic amicus agit fideliter cauſam apud Deum, præcedens nos ad judicium, quia Deus quamlibet exiguum noſtrum opus memoria tenet, & cum fœnore rependit.

Jo. Damaſcen. in vita Barlaam & Joſaphat.

Experientia tunc multi reperient verum eſſe illud Thren. *Vocavi amicos meos, ipſi deceperunt me.* De quo exemplum hoc refert Cornelius à Lapide.

Thren. 1. 2. Exempl. Corne. in ocũ cit.

Audivimus, inquit, in Belgio nuper inſignem virum in morte implorantem opem uxoris, Charissima Conjux adjuva me in his angustiis. Cumque illa diceret flens: Quomodo poſſum te juvare ô chare Marite in morbo incurabili? Vocavit filium primogenitum, fili adjuva me, & eripe me de his angustiis: Ego pro te noctes dieſque laboravi, & vitam ſæpè periculo expoſui. Cumque ille pariter gemens diceret. Utinam Pater mi, morti te eripere poſſem, ſed hoc vires meas excedit: Vocat ſecundum & tertium ac deinde filios & filias, poſtea famulos & ancillas, quemque ſigillatim compellans, & opem implorans. Cùm ſinguli idem dolentes reſponderent, contra mortem non eſſe remedium, exclamavit ille: *O vanas hominum curas! O quantum eſt in rebus inane!* Ecce ego tibi, ô uxor, vobis ô filii laboravi, ſudavi, vires & vitam impendi, quin & animam fortè oppignoravi, & ecce hæc eſt merces mea, ut in hac hora ultima opem veſtram non inveniam. O quàm ſatius fuiſſet ſi Deo ſerviviſſem, ſi amicos in terra & in cœlis paraſſem, qui in hoc articulo mihi opitulari poſſent. O ſi vivere liceret, quàm ſaperem!

LECTIO IV.

EXPLICAT HÆC LECTIO SINGULAS PARTES DEFINITIONIS SPEI.

Spei definitio.

SPES definitur à Magiſtro: *Expectatio certa futuræ beatitudinis, proveniens ex gratia Dei, & meritis noſtris.* Hæc definitio paulò latiùs à nobis explicanda eſt, ut ea quæ de ſpe diximus, & dicemus, melius intelligantur. Ponderabimus ergò ſingula verba hujus deſcriptionis.

Mag. ſentent. & Scholaſtici in 3. diſt. 26.

I. *Expectatio.*

Primò dicitur *Expectatio*. Illud verò proprie expectare dicimus, quod per alienam virtutem & alterius auxilio nobis debet obvenire. Sic ergò cùm ſpes tendat in bonum arduum poſſibile, quod per ſolam propriam virtutem adipiſci non poſſumus, ſed auxilio divino debet nobis obtingere; rectè illa dicitur expectatio eſſe, ſive donum per quod expectamus bona futura juxta illud Apoſtoli: *Si autem quod non videmus ſperamus, per patientiam expectamus.* Rom. 8. 25.

De hac expectatione dicit Hieremias: *Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare DEI, pars mea Dominus dixit anima mea, & propterea expectabo eum.* Jerem. Thren. 3. 26.

Ubi dicit ſe cum ſilentio Deum præſtolari & quærere eum: *Quia mens humana*, inquit Petrus Damiani, *dum intra ſilentii claustra circumeluditur, in ſuperiora ſublimis erigitur, & ad Deum per cœleſte deſiderium rapitur, & in amore ejus per ardorem ſpiritus inflammatur, & tanquam fons vivus, dum per verborum circulos fluere hinc inde non ſinitur, undis creſcentibus in altiora cumulatur. Tamdiu ergò tui pectoris, nunc per ſilentium creſcat, & virtutum ſtructura conſurgat, ut ſuperemus illa ſponſus, quam toti viſceribus diligis, velut in thalamo ſuo dilectabiliter quieſcat.* Ita ille.

Petrus Damiani. ep. 23.

De hac quoque expectatione loquebatur David, cùm dicit : *Suſcipe me Domine ſecundùm eloquium tuum, & vivam, & non confundas me ab expectatione mea.* Quem verſum ſolent multis locis in Religione profitentes cum ſuavitate Deo canere, & tertiò illud repetere cum genu flexione, & corporis totius ac animi ſubmiſſione. Hanc cæremoniam in Floreſienſi Cœnobio Ordinis Præmonſtratenſis, non ſine mentis ſenſu & reflexione conſideravi. Hunc eundem verſum canunt Sanctimoniales, dum velum ſuſcipiunt, tradentes totum corpus, res omnes externas, totamque voluntatem per Caſtitatem, Paupertatem, & Obedientiam, ut à Domino ſuſcipiantur, & juxta promiſſum ejus ſpe ſuæ & expectatione gloriæ non fraudentur. Hinc quædam Soror Anna de Jeſu Carmelitiſſarum Diſcalceatarum Alumna, adhuc Novitia celebris inter eas, ſacra ſynaxi in morbo extremo munita dicebat Domino : *Flagrabam Domine maximo deſiderio ſerviendi tibi in religione hac ſancta, ſed fiat voluntas tua, ſi tibi gratum eſt, ut hic patiar quadraginta annis in hoc lectulo, fiat, imò usque ad finem mundi, ſi tibi placet, id fiat. Interim ſuſcipe me ſecundùm eloquium tuum & vivam, & non confundas me ab expectatione mea.* Quem verſum nocte ſibi ultimâ cum ſuavi cantu repetens, paulò poſt vocem vitamque perdidit, illam reddens Creatori ſuo.

Pſ. 118. 116.

In vita B. Mariæ de Incarnat.

II. *Certa, unde hæc oriatur certitudo?*

Secundò ſpes dicitur *expectatio certa*, quia per ſpem juſti certitudine quadam futura bona præſtolantur. Sed quærunt Theologi, unde oriatur aut in quo fundetur hæc certitudo? Reſpondeo; Electi illam certitudinem concipiunt, primò ex æterna Dei ordinatione, qua nos creando ordinavit ad beatitudinem. Secundo ex omnipotentia divina per quam beatitudinem præparatam potens eſt nobis dare ; *qui potens eſt ædificare & dare hæreditatem in ſanctificatis omnibus*, inquit Apoſtolus, cujuſque potentiæ nemo poteſt obſiſtere *nec abbreviata eſt ejus manus*, quin poſſit quem voluerit ſalvare. *Scio cui credidi*, inquit Paulus, *& certus ſum quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem.* Quem locum ad ſpem refert D Thomas, & explicans dicit ſenſum eſſe : *Scio quod ille qui promiſit eſt verax, & potens ad reddendum vitam æternam, quam repromiſit homini fideli exiſtenti* ; ideoque meipſum omneſque labores & paſſiones meas illi credidi ſive commiſi, tanquam de poſitum factum, omnia opera mea, omnem ſalutem meam, uſque ad diem illum remunerationis : *Ob quam cauſam, etiam hæc patior*, inquit, *ſed non confundor.* In hunc etiam ſenſum multas profert ſententias Sapiens. *Credo Deo & remunerabit te, & dirige viam tuam, & ſpera in illum.* *Qui timetis Dominum credite illi : & non evacuabitur merces veſtra, reſpicite filii nationes hominum, & ſcitote quia nullus ſperavit in Domino & confuſus eſt.*

1. Ex Dei ordinatione.

2. Ex Dei omnipotentia.

Act. 20. 32.

2. Tim. 1. 12.

D. Tho. ibi.

Eccl. 2. 6. ibid. v. 8.

Tertiò certitudo hæc oritur ex divinæ liberalitate & miſericordia, per quam nobis promittit illam beatitudinem, & ſimul auxilium ad ſuperanda omnia impedimenta, quæ difficultatem nobis poſſent inducere ad illam conſequendam : Ego inquit Dominus, *apprehendam manum tuam & dicam, noli timere.* Cui reſpondet quod in perſona electorum canit David : *Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me : Mihi ergo adhærere Deo bonum eſt & ponere in Domino Deo ſpem meam : Ut annuntiem omnes prædicationes tuas in portis filiæ Sion.* Hoc eſt, ut poſſim miſericordias Domini coram ejus populo, in locis publicis nunc, imò & portis cœleſtis Sion in æternum canere. Sic & in alio loco dicit : *In Deo ſalutare meum, & gloria mea, Deus auxilii mei, & ſpes mea in Deo eſt : Sperate in eo omnis congregatio populi ; effundite coram illo corda veſtra, Deus adjutor noſter in æternum.*

3. Ex Dei liberalitate & miſericordia.

Pſ. 72. 24.

Pſ. 61. 8.

Quartò : licet incertitudo videatur ex parte libertatis arbitrii, pro quo poteſt homo ponere obicem peccati ; & deficere à ſperata beatitudine ; tamen hoc habet libertas arbitrium, quod nulla creatura poſſit illud inducere aut cogere ad peccatum, nec auferre ei gratiam, & ſic, ſi velit, nemo poteſt ei beatitudinem eripere, ita ut ſuppoſito jam auxilio divino, ſit illa quodammodo in manibus ejus. Ideò dicebat Apoſt. *Certus ſum quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus* (hoc eſt maligni Principes tenebrarum) *neque altitudo, neque profundum* (hoc eſt, nec ipſe infernus totus) *neque ulla alia creatura poteſt nos ſeparare à charitate Dei.* Illam ergò poſſumus charitatem deſerere, ex prava noſtra voluntate ; nemo autem vi illam poteſt nobis eripere. Spei ergò certitudo in juſtis etiam in hac certitudine fundatur.

4. Ex libertate arbitrii.

Rom. 8. 38.

Quæ omnia ut perfectus intelligantur, adverte ad actum ſpei requiri judicium certum certitudine fidei, virtute triplex. *Primò* quod Deus omnipotens & miſericors ſit coronaturus legitimè certantes. *Secundò* quod antecuiue hominum ſaltem credentium ſufficiens det auxilium, quod legitimè certare poſſit, niſi prava voluntate ponat obſtaculum. *Tertiò* quod legitimè certantes non deſerat niſi prius ab eis liberè deſeratur. Ex hujus ergò judicii certitudine, ortur in ſpe certitudo non quidem omninò abſoluta, ſed conditionata : *Si legitimè certaveris, coronaberis.* Quæ tamen conditio in noſtra eſt poteſtate ſuppoſitis quæ diximus. Licet ergò incertitudo aliqua videatur, ex parte infirmitatis & voluntatis noſtræ ; ſpes tamen non debet dici incerta aut infirma ; quia propriè reſpicit potentiam & miſericordiam divinam cui innititur, ad quam ſpectat quodammodò in ſe ſuſcipere infirmitatem noſtram, & illam firmare ſicut promiſit : ita ut propterea anima fidelis, per ſpem meritò poſſit quadam certitudine extendi ultra opinionem propriarum virium, exſpectans

pectans à Dei miſericordia infirmitatis ſuæ ſtabilitatem, & Deo ipſi innitens. Verum eſt ergo de anima fideli illud Canticorum: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto, ut nixa ſuper dilectum?* Merito innititur anima Deo, quia adeo diligit eam, ut promiſerit illam portare quaſi mater puerum, quem utero aut brachiis complectitur, ſpecialem curam ejus habens. Hæc eſt promiſſio quam fecit per Iſaiam. *Audite me domus Jacob, & omne reſiduum domus Iſrael, qui portamini à meo utero, qui geſtamini à mea vuiva, uſque ad ſenectam, ego ipſe & uſque ad canos ego portabo, ego feci & ego feram, ego portabo & ſalvabo.*

Cant. 8. 5.

Iſa. 46. 3.

Quid amplius polliceri poſſet Deus? Quomodo teneriorem amorem declarare? Aut ſpem noſtram magis firmare? Hanc autem firmitatem & certitudinem ſpei, ſpecialiter aliquando in cordibus juſtorum operatur Spiritus ſanctus, dum certiſſima ſigna in eis operatur, tum gratiæ aſſecutæ, tum gloriæ futuræ, per quoddam pignus illius, juxta illud Apoſtoli: *Qui dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris.* Quem locum explicans Gregorius dicit: *Ad hoc, pignus accepimus, ut de promiſſione quæ nobis fit, certitudinem teneamus. Donum ergo Spiritus Sancti pignus dicitur, quia per hoc anima noſtra ad interioris ſpei certitudinem roboratur.* Ita ille.

2. Cor. 5. 5.

3. Grego.

III. *Beatitudinis futura*

Tertio dicitur Spes. *Expectatio futuræ beatitudinis.* Ubi ſignificatur objectum primarium Spei eſſe beatitudinem: Objectum vero ſecundarium ſunt omnia illa quæ ſpectant ad beatitudinis conſecutionem, ut gratia, auxilia divina, cæteraque Dei dona.

Indicatur quoque per hanc particulam, in quo ſubjecto ſit ſpes, ſive quinam illius capaces ſint.

1. *Spes non eſt in Beatis.*

In primis ſatis indicatur in Beatis non eſſe ſpem, eo quod beatitudo illis non ſit futura, jam enim poſſident illam per fruitionem & viſionem, & ita evacuatur ſpes, quæ non eſt niſi de bono futuro arduo & poſſibili.

Dices: Licet in illis non ſit ſpes reſpectu beatitudinis animæ, ſaltem manet reſpectu beatitudinis corporis, quam nondum poſſident, ſed expectant. Unde ob illius deſiderium in Apocalypſi clamant: *Vindica ſanguinem noſtrum Deus noſter.* Et reſpondetur eis: *Expectate modicum tempus, donec compleatur numerus fratrum veſtrorum*; quia numero electorum impleto, reſurrectio fiet, & hanc beatitudinem corporis poſſidebunt, vindicta accepta de impiis, qui ſanguinem Martyrum & juſtorum effuderunt.

Apoc. 6.

D. Tho. 2. 2. q. 18. a. 4. ad. 4.

Reſpondet D. Thomas, objectum principale Spei eſſe gloriam animæ, non autem gloriam corporis, & ita cum objectum principale non reperiatur in Beatis, neque etiam habitus ſpei reperitur. Gloria quoque corporis, inquit, etſi habeat rationem ardui, *per comparationem ad naturam humanam*, non habet tamen rationem ardui habentis gloriam animæ; tum quia gloria corporis eſt minimum quiddam in comparatione ad gloriam animæ, tum etiam quia habens gloriam animæ, habet jam ſufficienter cauſam gloriæ corporis. Ita D. Thomas.

2. *Non manet in damnatis.*

Secundò: Satis per hanc particulam colligitur Spem non manere in damnatis, quia nunquam illis futura eſt beatitudo, qui in æternum à Deo ſeparandi ſunt. Et ſicut ſciunt ſuam damnationem, ita ſciunt ejus perpetuitatem, & ſic ſciunt ſe nunquam liberandos, ideoque beatitudinem non poſſunt apprehendere ut ſibi poſſibilem, & per conſequens nec ſperare.

Dices: Per potentiam abſolutam poteſt Deus damnatos liberare, imò videtur id aliquando feciſſe, quando per Sanctos ad vitam revocavit impios, qui in damnationis ſtatu deceſſerant. Nequeunt videtur verisimile, inter tot ſuſcitatos ab Apoſtolis, nullos fuiſſe in peccato aut infidelitate mortuos: Ergo poſſunt damnati liberationem ut poſſibilem conſiderare & ſperare.

Reſpondeo: Quotquot ſuſcitati ſunt à mortuis, in peccato mortali, ſuſpenſi fuerunt à divina ſententia futuræ damnationis, quæ ordinariè in malos profertur in morte aut ſtatim poſt: Alioquin qui ſententiam ſuam jam acceperunt, par eſſet illorum exemplo nihil ſperare poſſunt. Secundus verum eſt illud Job de illis: *Non credit quod reverti poſſit de tenebris ad lucem.* Et illud Eccleſiaſtis: *Si ceciderit lignum ad Aquilonem, ibi erit*, hoc eſt, ſi homo tanquam arbor infructuoſa per mortem excidatur, ad damnationem ceciderit, non poterit inde *ad Auſtrum*, ſive ad partem electorum reverti, nec id ſperare. Immò ipſa deſperatio propria eſt damnatorum, qui præ deſperatione in æternum ululabunt & maledicent: Sicut & Beati in æternum Deum laudabunt, juxta illud Iſaiæ Proph. *Servi mei laudabunt pra exultatione cordis, & vos clamabitis pra dolore cordis, & pra contritione ſpiritus ululabitis.* De qua re latiùs alibi diſſerui.

Job. 19. 22. Eccl. 11. 3.

Iſa. 65. 14

L. 1. tract. 3. de Judicio, ſect. 33. & 34.

3. *Eſt in Juſtis hic viventibus* Sap. 3. 4.

Tertio: Colligimus ſpei virtutem reperiri omnibus juſtis qui Deum adhuc non clarè vident. Tales erant Angeli, dum adhuc in via erant, quia tunc fidem etiam habebant. Tales & Patres in Limbo, de quibus dicitur: *Spes eorum immortalitate plena eſt.* Tales & animæ nunc in Purgatorio, quæ licet certæ ſint de ſalute; quia tamen illam adhuc non poſſident, per patientiam expectant & ſperant.

IV. *Proveniens ex gratia Dei & meritis noſtris.*

Quarto: Spes & expectatio hæc in definitione dicitur: *Proveniens ex gratia & meritis noſtris.* Vetanim ſpes debet fundari in his duabus columnis ut firma ſit. Scala qua cœlum conſcendimus, debet habere hæc duo ſuſtentacula, Dei gratiam, & merita noſtra. Hæ ſunt duæ alæ neceſſariæ animæ ad volandum in cœlum. Una eſt dextra, hæc eſt gratia Chriſti ac merita ejus, quibus potiſſimum innititur anima ad Deum volans: Altera ſiniſtra eſt, bona ſcilicet opera, quæ neceſſaria ſunt, ut in Cœlum pertingamus, ſine quibus anima in ſublime non volat, nec ſalutem aſſequitur.

Augusti. *Qui creavit te sine te; non salvabit te sine te.* Ideo
1. Cor. 15. 10. Apostolus modò allegat gratiam, modò opera: *Abundantius illis omnibus*, inquit, *laboravi, non ego, sed gratia Dei mecum.* Cumque ipse coronam sibi appropinquantem dicit, non solum gratiam allegat, sed & opera sua: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, ideo reposita est mihi corona justitiæ.* Hanc sibi certam facit ex operibus quæ per gratiam Dei fecit: bene enim certare
2. Tim. 4. 7. bonum opus est, fidem servare bonum opus est, cursum consummare operis est perseverantia, quam certò sequitur corona. Hinc etiam idem Apostolus ad Hebræos dicit: *Cupimus unumquemque*
Heb. 6. 11 *vestrum ostentare solicitudinem, ad expletionem spei usque in finem*, q. d. Optamus & obsecramus, ut per exercitium bonorum operum, procuretis ut spes vestra certa sit & plena, donec veniatur in rem adipiscendo quod speratis.

2. Pet. 1. 10. Idem vult dicere Apostolus Petrus: *Satagite, fratres, ut per bona opera certam vestram electionem faciatis; hæc enim facientes non peccabitis aliquando: & abundanter vobis ministrabitur introitus in regnum Domini nostri.* Ubi tria dicit sequi ex bonis operibus. Imò: Quòd salutem certiorem faciant; sicut qui in causa plures adhibet testes, certiorem sententiam pro se expectat. Secundò: Quòd bona opera contineant nos, ne in peccata labamur, justitiæ semper studentes. Tertio: Quod abundantiorem gloriam nobis præparant, quæ pro meritis datur, & ita quo majora merita, eo abundantior gloria.

Gratia Dei principaliter causa speranda est quam nostra merita, cum & ipsa sint ex gratia Dei.

Quia vero in operibus & meritis nostris ex parte spes nostra fundatur; Lectionem hic subnectimus latiùs declarantem, quomodo opera nostra meritoria sint gloriæ, & quomodo in illis spes & fiducia nostra possit collocari. Notandum interim. Licet hæc duo, *Gratia Dei & propria merita*, conjunctim adultis necessaria sint, velut media à Deo ordinata ad beatitudinem æternam assequendam: tamen principalior est Gratia Dei, quæ per merita
Philip. 2. Christi nobis communicatur: quia ab ea merita nostra dependent, vim & efficaciam accipiunt, *Deus enim est*, ait Apostolus, *qui operatur in nobis & velle & perficere, pro bona voluntate* seu beneplacito. Et Christus: *Ego sum vitis, vos palmites*, &c.
Joan. 15. *quia sine me nihil potestis facere*, quod vel ad justitiam coram Deo, vel ad vitam æternam consequendam utile sit. Item Apostolus ad Roman. & Galat. sæpe inculcat, hominem nec justificari, nec salvari posse sine fide in Christum, & gratia Dei per Christum. Hinc etiam colligitur, quomodo in nostris operibus sperare seu confidere possimus, videlicet,
Aug. l. de gratia & li. arb. c. 6 & de ver. Ap. ser. 15. non quia præcisè ex nobis aut viribus naturæ sunt, sed confidere aliquo modo in bonis nostris operibus, quatenus illa ex Dei gratia proficiscuntur: ideoque & ipsa Dei dona sunt, ac media misericorditer ordinata ad vitam æternam. Uti docet S. Augustinus & Concil. Trident. sess. 6. c. 16. Siquidem id magis exaltat Dei misericordiam & Christi merita, quod eorum virtute consequamur, uti & ipsi salutem nostram ministerialiter operemur. Cum ergo Deus hominis adulti cooperationem ac merita exigat, ut vitæ æternæ non sit tantum gratia, sed etiam merces & corona justitiæ. *Nemo coronatur, nisi legitimè certaverit*, hinc sequitur, quod certitudo spei seu infallibilis expectatio beatitudinis non sit absoluta, ut Trident. inquit, quia spes & expectatio nostra ceu fundamento nititur promissione Dei, quæ nobis facta est non absolutè, sed conditionatè. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Item: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* At nemo sine speciali revelatione certus est, se in gratia Dei constitutum, legis mandata observare, aut nullo etiam occulto peccato mortali teneri. Verum de hac re supra est actum.

2. Tim. 2. 5. Sess. 6. c. 13 Matt. 19. Matt. 10. V. Lib. 1. Tract. 4. Lect. 11. Pro. 1. 2. 5.

LECTIO V.

DE MERITIS QUIBUS SPES FIRMATUR.

1. *Docet, Bona opera mereri vitam æternam.*
2. *Licitum esse operari ob mercedem æternam.*
3. *Posse poni fiduciam in meritis.*

PROPOSITIO I.

Homo justus per bona opera meretur vitam æternam de condigno.

Distinguunt Theologi duplex meritum: unum vocant de condigno, alterum de congruo. Meritum de condigno est, cui ex condignitate operis seu ex justitia, & Dei promissione debetur præmium. Meritum de congruo, est opus quod ex quadam congruitate seu honestate acceptatur à Deo ad præmium. Itaque ad meritum condignum requirunt tria.

Primo, ex parte operis, ut sit moraliter bonum, liberum, & præmio proportionatum. *Si volens hoc*
1. Cor. 9. 17. *ago, mercedem habeo; si autem invitus, dispensatio mihi credita est.*

Secundo, ex parte meretis, ut ipse sit viator in statu gratiæ & amicitiæ divinæ. *Ecce nunc tempus*
1. Cor. 6. 2 *acceptabile, ecce nunc dies salutis. Si distribuero in cibos pauperum, &c. Charitatem autem non habuero,*
1. Cor. 13. 3. *nihil mihi prodest.* Et Joan. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites.*
Joa. 15. 4. Hinc apertè patet, ad fructum id est, ad opera fructuosa & meritoria facienda necessariam esse eam gratiam, qua homo constituitur vivus palmes in
Sess. 6. c. 16. Christo, tanquam in vite: hæc autem est gratia habitualis & sanctificans V. Concil Trident.

Tertio, ex parte Dei, ut intercesserit divina ac-
Aug. ser. 6. de verb. Ap. ceptatio & promiserit præmium tali operi. Hoc sensu dixit Augustinus: *Debitor nobis factus est Deus*

Digitized by Google

Deus non aliquid accipiendo, sed quod ei placuit, promittendo. D. Bern. *Promissum quidem ex misericordia, sed tamen ex justitia persolvendum.*

Bern. l. de grat. & lib. arb.

Opera ergo nostra sunt de condigno meritoria vitæ æternæ, id est, homo justus per bona opera & observationem mandatorum Dei, meretur augmentum gratiæ & justitiæ de condigno, ut patet ex Conc. Trident. Et Can. 32. *Si quis dixerit, hominem justificatum, bonis operibus non mereri augmentum gratiæ, anathema sit.* Ex Aug. *Gratia meretur augeri ut aucta mereatur & perfici.* Et deducitur ex Scripturis. Primò ex illis quæ gloriam vocant *Coronam legitimi certaminis.* Sic dicit Div. Jac. 1. *Beatus qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam quam repromisit Deus diligentibus se.*

Trid. sess. 6. c. 10. Au. ep. 106. Jacob. 1. 12.

Sic etiam vocatur 1. Petri 5. Apocalyp. 2. & sæpius alibi. Sic & Apostolus vocat eam *Coronam justitiæ*, repositam sibi, quia bene certavit usque in finem: *Reposita est mihi*, inquit, *corona justitiæ*, hoc est, quam juste merui, & justa judicis sententia mihi adjudicanda est; quia ad mortem usque, fidelitatem Deo servavi, curre- s per tentationes, plagas, pericula, ita ut nec Judæi, nec Gentiles, nec Reges, nec mundi Sapientes, nec ipsi dæmones, cursum meum potuerint impedire, & fidelitati quam Deo meo promiseram, maculam ullam aut teporem inicere. Hæc autem corona pro vario certamine variisque meritis, varia erit juxta Augustin. qui loquens de Ecclesia Triumphante ait: *Floribus ejus, nec rosa, nec lilia desunt, serunt* ergò *singuli accipere coronas*, vel de virginitate candidas, vel de Passione purpureas, vel de doctrina aureas. V. Bedam homil. 18. de Sanctis.

1. Pet. 5. 4 Apoc. 2. 10. & 3. 11. 2. Tim. 4. 8.

Secundo deducitur idem ex Scripturis quæ dicunt vitam æternam esse *mercedem* boni operis. *Merces vestra copiosa est in Cœlis*, inquit Dominus. *Reddidit justis Deus mercedem laborum suorum*, inquit Sapiens.

Mar. 5. 12 Sap. 10. 17.

Hinc apud Matthæum conventio fit cum operariis de denario reddendo sub vesperam: Per quem denarium SS. Doctores vitam æternam interpretantur, quæ redditur ex conventione quadam quæ est inter Deum & homines: ita ut supposita hac conventione & promissione, teneatur Deus ex quadam Justitia vitam æternam bene operantibus dare, quã diversis meritis suam faciunt, & quodam quasi pretio oblato emunt. Aliqui quidem sanguine suo & vita pro Christo profusa eam emunt, sicut Martyres: Petrus per crucem emit: Paulus per ensem: Stephanus per lapides: Laurentius per ignem: Catharina per rotam: Sebastianus per sagittas. Alii eam emunt per opera pœnitentiæ, per cilicia, mortificationes, disciplinas, jejunia, austeritates, ut Benedictus, Franciscus, Dominicus & sexcenti alii, qui totam vitam in pœnitentiæ operibus consumpserunt, & Deo consecrarunt, tanquam condignum pretium *æternæ vitæ*.

Mat. 20. 2

Exempl. quav.

Referent B. Franciscum, eum Frater ejus carnalis, qui in sæculo manserat, adipexisset in summa hyeme seminudum horrendumque frigore, amaro ludibrio ab eo irrisum fuisse; ita ut mitteret quendam qui ejus irridens paupertatem & nuditatem, amaro joco diceret: *Rogat frater tuus, ut unam ei guttam sudoris tui gutturi vendere velis.* At ille patientissimè & sapientissimè respondit: *Dic fratri meo, me jam pridem totum meum sudorem Domino vendidisse, & quidem ingenti pretio.*

in legenda S. Francisci, Plateus l. 3. c. 16.

Alii denique eum emunt operibus pietatis, charitatis, & misericordiæ erga egenos. Et hæc quoque opera condignum pretium sunt, propter quod electis se dare Regnum protestatur Deus in ultima illa fœlici sentencia, *Venite Benedicti Patris mei, percipite Regnum: Esurivi enim & dedistis mihi manducare, &c.* Imo præbenti solum calicem aquæ frigidæ propter nomen suum, hanc mercedem Regni promittit. In istis operibus pietatis in gratia factis, tale pretium reperitur, ut per illa emptio fieri Regni cælestis rectè dicatur.

Matt. 25. 34.

Declaratum id quondam fuit Sancto Joanni Alexandrino, qui Eleemosynarius dictus est. Hic sæpè visebat ægros & pauperes, & quandoque Troilum Episcopum secum assumebat. Quodam ergò die dixit ei: *Frater Troile, obsecro, amicos Christi invenimus.* Ille veritus sermonem Patriarchæ, imò ea hora ad pietatem incitatus, curat distribui triginta libras quas tunc famulus ejus rebus aliis emendis secum ferebat. Verum quia magis nummorum quàm ægrorum erat amator, multa cœpit avaritiæ cogitatione turbari, & inde orta est quædam ei febris, ob quam super lectum jacebat. Audiens de ejus ægritudine Patriarcha, & ejus conficiens causam, invisit eum, & tantum argenti retulit, quantum pauperibus largitus erat Troilus, & excusans se dixit: Nuper cum te pro pauperibus stipem rogabam, jocabar, & non nisi musso eam quæ tibi aderat pecuniam volebam, quia non ita mihi erat ad manum quæritas quam pauperibus distribuere volebam. Unde eam refero, gratias agens. Ille statim ad hæc exhilaratus est, & cæpit melius habere: Unde & eum invitavit Patriarcha ad prandium, & numeratis nummis, petiit ab eo cohscriptionem renunciationis mercedis earum. Quam fecit his verbis: *Deus Domino meo Ioanni Patriarchæ da mercedem 30. librarum, quæ data sunt tibi, quia recepisti.* Post meridiem incidit in somnum, & ostendit ei Deus qua mercede privatus esset. Vidit enim domum, cujus pulchritudinem nulla hominum ars posset imitari, & in ejus janua aurea ieriptum erat: *Mansio æterna, & reposita Troili Episcopi.* Gaudebat summoperè sciens sibi hanc domum præparatam: Sed ecce statim quidam Regius Cubicularius ait operariis: Deponite titulum istum, & hunc suffigite: *Mansio Ioannis Archiepiscopi empta libris 30. argenti:* Horruit ille, & excitatus venit ad Patriarcham, vita referens, & exinde ex avaro factus est eleemosynarius magnificus, ut mansionem æternam posset sibi emere, juxta dictam

Leont in ejus vita.

Digitized by Google

visionem, operibus misericordiæ, tanquam condigno pretio.

Sed dicet aliquis : Non videtur condignitas in operibus nostris respectu vitæ æternæ , quandoquidem aperte dicat Apostolus : *Non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam , quæ revelabitur in nobis.* Quem locum amplificans Bernardus dicit : *Non sunt condigna ad futuram gloriam quæ promittitur : ad præsentis consolationis gratiam quæ impertitur : ad peccati pœnam quæ remittitur.* Quomodò ergò dicimus esse aliquod meritum de condigno?

Rom. 8. 18.

Unde condignitas operibus nostris ad gloriam æternam.

Respondeo non esse condignitatem in operibus nostris respectu gloriæ, si illa considerentur secundum se, ut opera naturalia sunt, à nobis & à libero nostro arbitrio procedentia. Si tamen considerentur opera nostra , quatenus sunt opera supernaturalia , proventia à monitione Spiritus S. & à gratia inhabitante , sic sunt opera hominis elevati ad statum deificum filiiq. adoptivi, ut ait D. Thom. Sic habent condignitatem & proportionem ad vitam æternam , & accedente promissione fiunt meritoria illius. Item si considerentur, quatenus sunt opera Christi, dum ejus meritis innituntur , & ejus virtute influente à membris ejus fiunt, sic sunt passiones quædam membrorum ipsius Christi, & hoc modo habent proportionem & condignitatem ad gloriam.

D. Tho. 2. q. 114. a. 1. 3. id.

Opera ergò nostra & passiones secundum se, sive secundum perfectionem naturalem , quam habent à libero arbitrio, pauci valoris sunt : sed à deifico statu operantis , à Spiritu S. inhabitante per gratiam, à meritis Christi, valorem & dignitatem sortiuntur & nobilitantur; & quæ alias sordida forent ut pannus menstruatæ , Sanguine Christi abluuntur, & in pretio sunt.

Sicut aquæ Hiericho quæ steriles erant , sordidæ , & fœtentes , Elizæo Propheta mittente in illas sal dulces effectæ sunt : Sic opera nostra à libero arbitrio, multam sæpè habent amaritudinem , sed sale Passionis & Crucis Christi aspersa, sibi illis dulciusque Deo gratius.

Similitudines. 4. Reg. 2. 2.

Sicut enim Oleaster insertus olivæ socius fit radicis & pinguedinis, qui aliàs infructuosus erat, amarus , & sylvestris : Ita opera nostra ex se amara, sylvestria & infructuosa, dum per fidem & charitatem inseruntur arbori vitæ Christo , participant de gratia ejus , & meritoria fiunt æternæ gloriæ.

Item sicut semen rectè dicitur habere proportionem ad fructum, licet exiguum sit, quia habet vim & efficaciam producendi frondes, flores, fructus : Ita gratia tanquam semen gloriæ est, & per opera ex ipsa manantia habet vim & efficaciam producendi dispositivè moraliter gloriam cælestem & beatam.

Rom. 11. 17.

Hinc in scriptura ipsa gratia vocatur aliquando *vita æterna*, juxta illud : *Qui credit in Filium, habet vitam æternam. Hæc scribo vobis ut sciatis quoniam vitam habetis æternam.* Et alibi sæpius.

Joa. 5. 36. 1. Joa. 5. 13.

Est enim gratia vita quædam æterna inchoata, quæ semen quoddam futuræ immortalitatis est, sed in Cœlo erit in gradu consummato perfectionis suæ, non potens ullo modo deficere, ita ut gloria non sit aliud quam gratia consummata , & ipsa gratia definitur à Theologis, *Accepisse ad gloriam :* & ipsa æterna est hoc sensu , quia potens est non deficere , nec habet à quo corrumpatur contrariè & physicè, nisi ab ipso homine voluntariè deseratur , & velut per peccatum demeritoriè expellatur.

Hinc est quod de illa dicitur : *Qui biberit ex hac aqua non sitiet in æternum* , quia nisi homo hanc aquam evomat voluntariè, ipsa sitim animæ sedat & usque in æternum perdurabit. Joa. 4. 13.

PROPOSITIO II.

Licitum est justo bene operari intuitu mercedis æternæ.

Licet justo benè operari intuitu mercedis.

Trid. sess. 6. c. 11. Ps. 118. 12. Heb. 11. 24.

IT a habet Concilium Tridentinum. Et satis colligitur ex divinis Scripturis. Dicit enim ipsemet Propheta ad se : *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem.* Et de Moyse dicit Apostolus ad Hebræos quod grandior effectus, *negavit se filium filiæ Pharaonis , magis eligens affligi cum populo Dei ; aspiciebat enim in remunerationem.* Scriptura quoque sæpissimè nos excitat ad bene operandum, promissione mercedis.

Homo primariò spectare debet in operando gloriam Dei, non suam mercedem.

Advertit tamen primariò hominem non debere mercedem respicere, ut perfectè operetur : sed præcipuè spectare debere gloriam Dei , & operari ut glorificetur Deus: Quamvis secundario possit respicere hanc *Coronam quam promisit Deus diligentibus se.* Non licet tamen justo habere hunc affectum : *Si non esset merces, non benè operaretur* : Hic enim affectus purè mercenarius est & vitiosus. Sed debet dicere. Licet nulla foret merces posita, licet nullam expectarem remunerationem à Deo ; tamen propter ejus bonitatem , omnem amorem & omne obsequium ei impenderem. Hæc enim est mens disposita, & verè amans Deum amore amicitiæ , quæ propter seipsum illum amat, & illi jungi optat tam in afflictione, quam in gloria , illique sociari desiderat non solum in monte Thabor sicut Petrus, hoc est, in deliciis cælestibus, sed & in monte Calvariæ, in cruce & doloribus.

Exempl. Lud. Granat. serm. de Assumpt.

Sic legimus Beatam Catharinam Senensem quadam die dixisse sponso suo Christo, cum quo ipsa magna familiaritate agebat : *Ecce dilecte mi , tu nosti nihil præter te , me in hac vita delectare posse , sed omnia mihi fastidio esse , aspiranti ad æternam illam in Cœlesti regno tecum conjunctionem , & individuam societatem. Cur ergò hunc tam flagrantem desiderio non foves ? Cur tam longa dilatione afflictam afflictionem adauges ? Cur non evocas me ex hoc exilio*

Digitized by Google

exilio eruinnoso, ut quantocius tibi jungar? Respondet ille: Filia mea tu scis, quòd cum agerem in hoc mundo, tantopere desideraverim brevi finire hanc peregrinationem, ut ad domum Patris mei cœlestis opere mihi commisso expleto, ingredi possiem: Sed tamen dilatum fuit desiderium meum ex voluntate Patris, per triginta tres annos, quibus continuò laboravi & opus meum consummavi; & cum breviori Tempore id fieri potuisset, amabilis tamen mihi fuit voluntas Patris & gloriæ meæ dilatio. Cui iterum illa: O *dilecte, quandoquidem per tuam voluntatem te frui necdum datur visione illa & societate aterna: fac, ut durante hac vita, ita spinarum ac crucis tuæ sentiam aculeos, ut possim tibi continuò sociari in invisibiliter in spinis & pœnis, donec tibi placuerit me ad gloriæ consortium evehere.*

Itaque viri perfecti non serviunt Deo ob vitam æternam principaliter, sed serviunt Deo propter Deum, puro amoris affectu, ita ut si nulla esset gloria proposita, vellent nihilominus integrè Deo servire, & totos se Deo consecrare.

Nicolaus Denisse. Tract. 1. de divina Prov.

Habes hac de re exemplum duorum Anachoretarum, quod refert Nicolaus Denisse, & alii. Hi duo fratres erant, quorum unus junior, alter senior: dæmon invidens his duobus servis Christi, apparuit seniori dicens: Ego sum Angelus Dei, & ex parte ejus missus sum, ut tibi aliqua nuntiem. Noveris ergò fratrem tuum juniorem filium esse damnationis, & de numero reproborum. Quapropter vanè laborat & inaniter se in pœnitentiis consumit; quia finaliter casurus est, & in peccato deceder, flammis æternis addicendus. Ex eo tempore quoties juniorem hunc videbat senior, flebat amare, nec poterat lachrymas continere. Tandem hoc advertens junior, interrogat causam tristitiæ, cur quoties eum alloquitur, lachrymis se conficiat? Urgente illo, rem tandem totam illi aperuit senior, causamque lachrymarum suarum exposuit. Quam intelligens junior dicit ei: Non est quod me propter revelationem istam tuam contristes, aut propter me contristeris; faciat Deus secundum beneplacitum suum, nam ego non servio ei propter regnum cœlorum, sed propter bonitatem suam & amorem erga me & ob mortem & passionem quam propter me pertulit. Si placeat ei mihi dare regnum Cœlorum, faciat ex bonitate sua, potens est id facere: Si verò ejus voluntas fuerit me ad æternas pœnas demergere, quis potest eum impedire; Sequenti nocte apparuit Angelus Dei, seniori, & aperuit ei quomodo alter Angelus sathan fuisset, transfigurans se in Angelum lucis. Et adjecit fratrem illum juniorem plus meriti acquisivisse per illam cõstantiam, quam fecisset omnibus diebus vitæ suæ.

PROPOSITIO III.

Potest justus antiquam ponere fiduciam in meritis suis.

Quomodo possit justus

RAtio est; quia cum opera nostra (ut jam diximus) sint æternæ vitæ meritoria, potest in illis confidere, & ex illis gloriam expectare, non tamen ut sunt à se, sed à divina gratia. Hinc de nostris bonis operibus loquens B. Cyprianus ait: Præclara & divina res est, fratres charissimi salutaris operatio, solatium grande credentium, securitatis nostræ salubre præsidium, munimentum spei, tutela fidei, medela peccati. Operatio bona, Dei munus est infirmis necessarium, fortibus gloriosum, quo Christianus promeretur Christum Judicem, Deum computat debitorem. Ad hanc operum salutarium palmam libenter & prompte certemus, omnes in agone justitiæ, Deo & Christo spectante, curramus. Si in hoc operis agone currentes dies ultimus invenerit, nusquam Dominus meritis nostris ad præmium deerit: in pace vincentibus coronam candidam pro operibus dabit, in persecutione purpuream pro passione geminabit. Ita ille. *fidere suis meritis.* S. Cypr. tract. de oper. eleemosynis.

Hinc etiam Sancti ex hac confidentia aliquando allegant merita. Sic Ezechias dicebat Deo: *Memento Domine quomodo ambulaverim coram te in corde perfecto, & quod placitum est coram te, fecerim.* 4. Reg. 20.
Sic & Job toto capite 31. allegat justitiam suam, & misericordiam erga pauperes & viduas, & innocentiam. *Si declinavit gressus meus de via & secutum est oculos meos cor meum, & si manibus meis adhæsit macula: Seram & alius comedat, & progenies mea eradicetur. Appendat me in statera justa, & sciat Deus simplicitatem meam.* Sic & Paulus cum fiducia passioni appropinquans merita sua allegat, dum dicit: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, &c.* Job. 31. 7.

In operibus verò & meritis confidere, non est in se confidere, sed in Domino, cujus tanta est bonitas, ut velit dona sua esse merita nostra, ut dixit Concilium Tridentinum. Perfectam tamen & consummatam spem, nemo facilè debet concipere de propriis meritis, quia ut monet ipsum Concilium, in multis offendimus omnes, neque seipsum aliquis debet judicare, licet nihil sibi conscius sit; & opera nostra multis sæpius permixta sunt imperfectionibus, ita ut cum putemus ea Deo placere, sæpe inconspectu illius fœda sint, *quasi pannus menstruata*; quia non omnibus vestita debitis circumstantiis, non puro fine aut intentione. Sæpè ignis ardet, sed sine fumo flamma non accendit; sic & multorum opera, quæ ab igne charitatis procedere videntur, fumo aliquo vanæ intentionis, aut proprii amoris, impura & fuliginosa sunt. Multi qui Deo putant se placere, & operibus bonis abundare, sine meritis se invenient, & cum multis peccatis, quia dum in *Pondere Sanctuarii* appendet illa Deus, pondus & valorem debitum non reperiet: *Et sæpe sordet in discretione Judicis, quod fulget in æstimatione operantis*, ut dicit Div. Gregorius. Lignum quod rectum æstimatur, si funiculum mensor adhibeat, curvum statim apparet: Sic erunt multorum opera respectu Dei, dum illa metietur suæ funiculo rectitudinis. Trid. sess. 6. c. 16. D. Greg.

Hinc D. Bernardus cum quo[illegible] gravi morbo

Digitized by Google

Exempl. Invita S. Bernardi.

urgeretur, raptus in extaſim, viſus eſt ſibi duci ad Dei tribunal ; ubi invenit hoſtem ſalutis noſtræ paratum ad accuſandum. Cùmque varia contra eum protuliſſet, & merita ejus elevans, concluderet eum gloria illa æterna indignum ; non fuit auſus Bernardus in meritis ſuis confidere, hoc ſolùm reſpondit : Confiteor me indignum æterna gloria ; ſi in opera mea & merita ſola confiderem. Sed Dominus meus eam poſſidet duplici titulo : Primò, quia filius æterni patris eſt, quo quidem titulo etjam hæres eſt regni. Secundò, quia eam meritis ſuis & pretioſo ſuo Sanguine acquiſivit. Contentus ergò primo titulo, qui etiam ei ſufficit, donavit mihi ſecundum, cujus virtute jus ad regnum illud habeo. Hoc reſponſo confuſus eſt ſatan, & forma judicii diſparuit, Bernardo ad ſe reverſo.

Tutiſſimum igitur eſt, non tam in ſuis operibus & meritis confidere, quam in ipſa Dei miſericordia, nihil interim remittendo de ſtudio bonorum operum, ſed continuò opera operibus cumulando:

Pſ.103. 23 *Exibit enim homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam uſque ad veſperam.*

Eccl.11.6. Propterea monet Sapiens : *Manè ſemina ſemen tuum, & veſpere ne ceſſet manus tua.* Opera noſtra ſemen ſunt, ex quo fructum exſpectamus. Vult ergò nos eſſe ſtrenuos & infatigabiles, quia, *Qui parcè*

2. Cor. 9. 6. *ſeminat, parcè & metet :* Arguitque illos deſides, qui ubi modicum quid ſecerint, quaſi egregiè officio functi ſint, ſtatim otio ſe tradunt ; cum non ſufficiat mane exiſſe ad opus, ſed ad veſperam uſque

Matt. 20. perſeverantibus merces reddatur. Non ſufficit in valida ætate (quæ per manè hic etiam intelligi poteſt) aliquid boni egiſſe, ſed oportet & veſpere, hoc eſt in tempore ſenectutis, quando ad occaſum homo declinat, ſtrenuè laborare, non verò carni curandæ vacare, aut otio indulgere. Poteſt etiam ſignificari nos operati manè & veſpere, hoc eſt, tàm in tempore proſperitatis, quàm adverſitatis. Addit verò ipſe Sapiens cauſam, cur tam ſeriò moneat & veſperi & manè boni operis ſementem jacere. *Quia noſcis quid magis oriatur, hoc aut illud.* Indicat nos de operibus noſtris incertos, quæ placeant Deo, & quæ non, & ideò nullam boni operis occaſionem negligendam, quia ſi priora non placeant, poſteriora placere poterunt.

Philip.3. 13. Eadem eſt monitio B. Pauli dum ad Philippenſes ſic ſcribit : *Quæ retro ſunt obliviſcens ad priora extendo meipſum, ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis.* Quibus verbis monet ſui ipſius exemplo, nos non debere præterita bona noſtra nimium reſpicere, & de illis nobis adblandiri, aut nimis confidere ; ſed potiùs illorum oblivíſci, & velut retrò ponere. Toto autem conatu ad nova

S. Chryſ. homil. 12. ad eum Loc. & S. Anſelm. virtutum heroica opera ſe exercere, & verſus ſcopum tota intentione ferri, vocat Apoſtolus. *Ad interiora ſe extendere, & ad deſtinatum perſequi.* Unde & hunc locum explicans D. Chryſoſtom. cum D. Anſelmo [illegible]ntur ſimilitudine currentis in ſtadio, qui non cogitat quot ſpatia perfecerit, ſed quot adhuc reſtent. Meminiſſe enim rectè factorum duo mala parit ; quia facilè in arrogantiam hominem tollit ; & negligentiores ſolet multos efficere.

Hinc Sancti Patres & perfectionis Duces, hoc tanquam fundamentum & ſtimulum ad perfectionem conſtituebant : *Cogitare quotidiè ſe inchoare, nihil adhuc feciſſe.*

Hæc eſt Doctrina Div. Gregorii dicentis : *Neſcit mens per torporem veteraſcere, quæ ſtupet per deſiderium ſemper inchoare.* Hinc per Apoſtolum dicitur: *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ,* & Pſalmiſta qui ad perfectionis culmen venerat, quaſi inchoans dicebat : *Dixi nunc cœpi* : quia ſcilicet niſi laſſeſcere ab inchoatis bonis volumus, valdè neceſſe eſt, ut inchoare nos quotidiè credamus. S. Greg. l. 2. mor. cap. 2. Eph. 4. 23 Pſ. 76. 11.

Hæc quoque fuit doctrina Div. Antonii, quam moriturus ſuis tradebat fratribus. Hoc, inquit ſit primum cunctis mandatum, nullum in arrepti propoſiti vigore laſſeſcere, ſed quaſi incipientem augere ſemper debere, quod cœperit. *Ego quidem filioli, ſecundum eloquia ſcripturarum, Patrum gradior viam, jam Dominus me invitat, jam cupio videre cœleſtia : Sed vos, ô viſcera mea admoneo, ne tanti temporis laborem repente perdatis. Hodiè vos Religioſum ſtudium arripuiſſe arbitremini, & cœpta voluntatis fortitudo ſuccreſcat.* Ita ille apud Athanaſium. D. Athan. in vita S. Antonii.

Idem præceptum & doctrinam eandem tradebat Barlaam moriturus, Beat. Joſaphat antea Regi, poſt Anachoretæ & diſcipulo ſuo, quem allexerat relictis ſceptris ad divinum obſequium in ſolitudine. Nunc inquit quandoquidem mortis meæ tempus inſtat, & collactanea atque mihi æqualis ea cupiditas, quæ ut cum Chriſto eſſem, ſemper me tenuit, jam expletur. Tu quidem corpus meum terræ conde, & pulveri pulverem redde. Poſt autem tu ipſe in hoc loco hære, ſuſceptum vitæ genus proſequens, meæque tenuitatis memoriam retinens : Tu verò fili ne religioſæ exercitationis laborem metuas, ne ad temporis longitudinem aut dæmonum inſidias elangueſcas, at potius eorum imbecillitatem Chriſti virtute munitus, tide. Ad laborum verò duritiam & diuturnitatem, ita te compara, quaſi quotidiè diſceſſum expectans, eundem diem tibi vitæ monaſticæ tum initium, tum finem exiſtimans. Sic ſemper quæ à tergo obliviſcens, ad anteriora te extendens, ad deſtinatum perſequere bravium ſupernæ vocationis. Ita Damaſc. in hiſtor. Barlaam. Damaſc. in hiſt. Bar. c. 39.

Doctrina ſimili D. Franciſcus fratres ad ſpiritus fervorem, ſub finem vitæ excitabat. *Incipiamus,* inquit, *fratres ſervire Deo noſtro, quia uſque nunc parum profecimus.* Flagrabat deſiderio magno ad humilitatis redire primordia, ut leprolis ſicut à principio miniſtraret, corpuſque præ labore jam collapſum, revocaret ad priſtinam ſervitutem. Proponebat Chriſto Duce ſe facturum ingentia, & fatiſcentibus membris, ſpiritu fortis & fervidus, Bonav. in legenda S. Fran. c. 14.

novo

novo sperabat certamine de hoste triumphum, nec enim languor vel desidia locum habet, ubi amoris stimulus semper ad majora perurget. Ita Bonaventura.

LECTIO VI.

DE PERSEVERANTIA SPEM FIRMANTE.

1. *Docet firmari spem per perseverantiam finalem.*
2. *Illam non à nobis sed à Deo pendere.*
3. *Cum dono perseverantiæ hominem finaliter non excidere.*
4. *Dari aliqua signa probabilia electionis & perseverant æ.*

PROPOSITIO I.

Spes nostra fundatur in perseverantia finali in gratia ac bonis operibus.

tes firmatur finali perseverantia.

Matth. 10 2. & cap. 4. 13.

RAtio est, quia vita æterna quam per spem expectamus, non datur nisi perseverantibus. Promissio enim est conditionata : *Si quis perseveraverit usque in finem salvus erit.* Hanc conditionem sæpè repetit Scriptura, ut eam tanto profundius animis nostris imprimat ; ut nobis advigilemus ne deficiamus. Sic in Apocal. dicitur : *Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ :* Corona non datur inchoantibus certamen aut cursum, sed currentibus usque ad metam : *Sic currite ut comprehendatis.*

poc. 2. 2.

Cor. 9. 4.

poc. 2. 7 v. 28. & 3. 21.

Ita quoque sub variis symbolis, hæc vita æterna in Apocalypsi vincenti promittitur, dum post perfectam victoriam, ei promittitur. *Esus ligni vitæ, stella matutina, sessio in throno.* Per vincentem enim ibi intelligitur is qui omnes debellant hostes, & victoriam finalem obtinuerit, dicitur enim. *Qui vicerit & custodierit usque in finem opera mea, dabo ei stellam matutinam.* Hæc est gloria animæ, quæ transacta nocte hujus sæculi, lucem & vitam Sanctis affert ; & quasi novum manè in splendore visionis, novumque diem æternitatis. Ut hanc ergò promereamur, oportet custodire usque in finem opera Dei.

Cor. 15. 1.

Sic & ipse monet Apostolus : *Fratres dilecti, stabiles estote & immobiles, abundantes in opere Domini, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.*

Eccl. 5. 11. Eccl. 10. 4

Sic monet & sapiens : *Non te ventilet omnem ventum, & non eas in omnem viam : esto firmus in via Domini. Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris :* Si diabolus tentationibus te agitat, & dominari vult, stabilis mane in bono proposito, & in statu gratiæ firmus : *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.*

poc. 3. 11

Denique non aliud vult sacra Scriptura, dum monet, ne simus claudicantes, ne simus ut sidera errantia, ne simus mutabiles ut luna. Dum quoque monet, ne manum ad aratrum mittentes respiciamus retrò, & ut non descendamus de tecto & culmine virtutum, ad tunicam nostram veterem repetendam. Exemplum quoque nobis proponit uxoris Loth, tam graviter punitæ, quia retrò aspexit : Excusabilis videri posset infirma mulier, quæ dum advertit cœlum & terram fumo & sulphure misceri, è cœlo fulmina & ignes erumpere, omnia à tergo conflagrare, ædificia ruere, urbes magno fragore decidere, in tanto strepitu retrò aspicit, ut patriæ suæ ruinam conspiciat, & se ereptam gaudeat & gratias agat. Et tamen tam severè punitur versa in statuam salis ; quia voluit Dominus per hanc punitionem & statuam, perseverantiam commendare ; ut qui è gravibus vitiis, quasi è Sodoma, Dei gratia liberantur, sub divinæ justitiæ metu trepident ; nec desiderio aut voluntate retro aspiciant, sed cum perseverantia Angelo deducente ascendant, donec ad montem salutis pertingant.

Ad hanc quoque perseverantiam præclarè nos hortantur Sancti Patres : Imprimis B. Cyprianus qui sic ait. Hortamur vos fratres per communem fidem, per veram circa vos charitatem nostram, ut gloriam vestram perseveranti virtute teneatis. Adhuc in sæculo sumus, adhuc in aciè constituti, de vita nostra quotidie dimicamus. Danda opera est, ut post hæc initia ad incrementa veniamus, & consummetur in vobis, quod jam rudimentis fœlicibus esse cœpistis. Parum est aliquid potuisse adipisci, plus est servare. Sicut & fides ipsa & nativitas salutaris, non accepta sed custodita vivificat, consummatio hominem Deo servat. Salomon & Saul recesserunt à viis Domini, recessit ab illis & gratia. Ita ille. Cyprian. li. 1. ep. 5.

Audiamus & Bernardum mellifluè hac de re disserentem : O fratres, inquit, non tædeat incipere magna, nec fastidiat tenere inchoata, scientes quod perseverantia informat merita, coronat bonum propositum, remunerat currentem, coronat pugnantem, ducit ad bravium, conducit cunctos ad portum. Hæc est tunica talaris Joseph usque ad finem pertingens. Hæc est tunica Sacerdotalis, ad pedes perveniens. Hæc est causa hostiæ, quam tenemur Deo reddere & offerre. Hæc est calcaneum bonæ operationis, quod contra serpentis morsum debemus observare. Hæc est virtus quæ Deum ligat, quæ omne bonum informat. Hæc est perseverantia, qua laureantur Martyres, qua Virgines coronantur, Sacerdotes sublimantur & Confessores. Ita ille. Vide ejus epist. 129. ad Januenses. *Perseverantia sola meretur viris gloriam, coronam virtutibus. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Væ ergò illis qui perdiderunt sustentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & deverterunt in vias pravas. Quid facient cùm inspicere cœperit Dominus,* S. Bern. Eccl. 2. 16.

Digitized by Google

Job.15.33 inquit Sapiens? Væ illis qui ſunt ut *vinea quæ ladi-tur in primo flore ſuo*, ut loquitur Job, Vinea fructuum abundantiam promittit per flores, ſed nebula ſuperveniente marceſcit, & ſine fructu eſt. Sic multi flores multos, deſideria & primordia converſionis exhibent, ſed deficiente perſeverantia, ad fructuum maturitatem non pertingunt.

Daniel.2.32. Væ illis qui ſunt inſtar *ſtatuæ Nabuchodonoſor*, quæ cœpit in auro, deſiit in luto. Illa rectè imaginem nobis exhibet inconſtantiæ multorum in via Dei, in via virtutis & pietatis. *Caput aureum* deſignat purum amorem Dei: *Pectus argenteum* deſignat aliquam mox deficientiam, ab illo puro amore & perfectione. Argentum illud efficitur *æs & ferrum*, cùm homo deficiens, paulatim durus fit ad emendationem, & ſalubria conſilia, Tandem totum vertitur *in lutum*, cùm voluptati ſe totum tradit, & qui ſpiritu cœpit, carne conſummatur.

Thr.4.2. Hos luget Hieremias: *Filii Sion incl, ti amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea?* Qui erant vaſa aurea, vaſa in honorem facta ſunt vaſa in contumeliam, vaſa immunditiæ ſervientia, quæ apta erant ſervire menſæ Domini.

S.Hiero. Itaque non quæruntur *in Chriſtianis initia, ſed finis: Paulus malè cœpit, ſed benè finivit: Iuda laudantur exordia, ſed finis prodítione damnatur*: inquit D.Hieron. Quid prodiit Judæ benè cœpiſſe in ſchola Salvatoris: in faſtigio Apoſtolicæ dignitatis, cujus exitus adeò infœlix fuit & exitialis, parricidali proditione & funeſta arbore? Quid prodeſt Sauli, quod humilis fuerit in oculis ſuis, & innocens quaſi puer unius anni, dum initiatur ad regnum; qui regia poſt dignitate inſoleſcens, & Deo inobediens, infauſtè ſibi mortem conſcivit, regno temporali privatus & æterno? Quid profuit Salomoni tanta ſapientia & gratia Regnum Iſraeliticum adminiſtraſſe, qui poſtea non ſolum turpibus amoribus deditus fuit & depravatus, ſed & idololatriam ſecutus, & ut multi putant, in vitiis ſuis ſine pœnitentia mortuus? Quid profuit Udoni Magdeburgenſi, divinitus impetrante D. Virgine donum ſcientiæ ac pietatis accepiſſe, & ad Archiepiſcopalem dignitatem evectum fuiſſe ob eminentiam virtutis, qui poſtea voluptatibus incœſtis immerſus, tertiò etiam voce de cœlo monitus, capitis ſubiit ſententiam in ipſo ſuo Templo, æternamque ſimul damnationem incurrit? Vide ſuprà Libro 1. Tract. de Judicio. Quid profuit multis aliis cœleſti quadam converſatione aſcendiſſe uſque ad cœlos, & velut inter ſidera collocaſſe nidum ſuum, qui poſtea ab impetu ferientis caudæ Draconis, de ſublimi virtutum gradu velut de Cœlo ad enormia vitia detracti ſunt, deſcenderunt in profundum abyſſi? Denique, ut verbis Baſilii concludam: Quid profuit tanta in Martyrio pati, unum ex quadraginta illis Martyribus. Quorum unum omnium erat votum: *Quadraginta Domine in ſtadium ingreſſi ſumus, quadraginta item corona donemur, ne una quidem huic numero de ſit: eſt in hono-re hic numerus, quem tu quadraginta dierum jejunio decoraſti, per quem divina lex ingreſſa eſt in Orbem terrarum, Elias quadraginta dierum jejunio Deum quærens, ejus viſionem conſecutus eſt.* Et hæc quidem illorum erat oratio, dum jam ſæpius in horribilem carcerem detruſi fuiſſent, & ora ipſorum lapidibus contuſa, dum hyemis tempore frigidiſſimo, nudi ſub aperto aere pernoctare juſſi ſunt, ut frigore congelati necarentur. Unus interim repertus eſt ea animi inconſtantia, ut frigoris tolerantiam deſperans, ad hoſtes tranſierit: *Miſerabile ſpectaculum*, inquit Baſilius, *miles tranſfuga Chriſti, ovis à lupo direpta, & miſerabilius à vita perpetua excidens, ſed nec præſenti vita diu gaudens, nam ſimul atque lavacrum inſilit tepefactum, corpore quod glacie torpebat diſſoluto, ſtatim interiit.* Multum verò profuit Janitori tardè converſionem ſuam inchoanti, ſed perſeveranti; qui cùm illos orantes & luce circumfuſos vidiſſet, & quoſdam à Cœlo deſcendentes Angelos, qui coronas triginta novem diſtribuerent, mox ipſe [illegible] aliis cuſtodibus Chriſtianum ſe profeſſus, [illegible]etis veſtibus Martyribus ſe adjunxit, & quadrageſimam coronam obtinuit; ne fruſtraretur oratio Sanctorum illorum Martyrum.

S.Baſil. de 40. Mart. Brev. Rom. 9.Martii.

PROPOSITIO II.

Perſeverantia non à nobis pendet, ſed ex munere Dei venit.

Perſeverantia à Deo ſolo eſt

DE illa loquens Concilium Tridentinum. *Donum*, inquit, *perſeverantia non poteſt aliunde haberi, niſi ab eo qui potens eſt eum qui ſtat, ſtatuere, ut perſeveranter ſtet: & eum qui cadit reſtituere.* Additque Concilium, neminem certò ſcire ſe illud donum habere, tametſi in Deo firmam ſpem omnes debent collocare & in ejus auxilio: Deus enim niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere. Verum tamen, inquit, qui ſe exiſtimant ſtare, videant ne cadant, & cum timore ac tremore ſalutem ſuam operentur, in laboribus, in vigiliis, in eleemoſynis, in orationibus & oblationibus, in jejuniis & caſtitate. Formidare enim debent (ſcientes quod in ſpem gloriæ, & nondum in gloriam renati ſunt) de pugna quæ ſupereſt cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores eſſe non poſſunt, niſi cum Dei gratia, Apoſtolo obtemperent dicenti: *Debitores ſumus non carni, ut ſecundum carnem vivamus: ſi enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini, ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Ita Tridentinum. De hac verò incertitudine perſeverantiæ latiùs egimus Lib.1. tractantes articulum fidei de Remiſſione peccatorum.

Trid. ſeſſ. 6.c.13. Philip.2. & 3. 1.Cor.10. Philip.2. 1.Pet.1. Rom.8. 13.

De hoc quoque dono perſeverantiæ loquens B. Proſper conformiter Concilio ſic dicit: *Si in ſanctitate vivitur, ſi in virtute proficitur, ſi in bonis ſtudiis*

B. Proſper ad 14. object. Vin.

Digitized by Google

ſtudiis permanetur, manifeſtum munus eſt Dei, ſine quo nullus boni operis fructus acquiritur: ſi autem ab his receditur, & ad vitia tranſitur, nihil ibi Deus malæ tentationis immittit, & receſſurum non deſerit, antequam deſerat; & facit plerumque ne deſeratur, aut etiam ſi diſceſſit ut redeat. Cur autem illum retineat, illum non, nec poſſibile eſt comprehendere, nec licitum veſtigare cum ſcire ſufficiat, & ab illo eſſe quod ſtatur, & non ab illo eſſe quod ruitur.

Donum Perſeverantiæ quid ſit.

Sed quæres quid ſit donum perſeverantiæ? Reſpondetur eſſe ſpecialem quandam protectionem & cuſtodiam Dei, qua fit ut juſtus reipſa uſque in finem in gratia permaneat. Hæc verò cuſtodia includit varia auxilia interna vel externa, quibus fortificatur interius contra tentationes, aut externus illæ avertuntur ab eo, aliaque impedimenta ſalutis. Hoc itaque perſeverantiæ donum non omnes juſti habent. Licet enim omnes habeant aliquod auxilium, quo poſſint vitare omne peccatum mortale, tamen ob infirmitatem naturæ, poſt lapſum de facto non vitabunt, niſi illa ſpecialis protectio accedat. Sicut homo qui non eſt perfectè reſtitutus ſanitati, non tantùm alimentis eget, ſed & continuis medicamentis, ut in bona valetudine perſeveret: Sic homo ut in gratia perſeveret, & theſaurum gratiæ conſervet, quem portat in vaſe fictili, eget illa ſpeciali protectione contra ingruentes undique tentationes. Qua quidem non indigebat primus homo, qui cum communi auxilio juſtorum poterat facilè perſeverare; quia ſana erat natura ſine illis difficultatibus. Unde cum ſimili auxilio perſeveraruntboni Angeli. Neque tamen homo deficiens per peccatum debet illud Joan. 1.12 Deo referre, ſed ſibi & ſuæ pravæ voluntati. *Quotquot enim receperunt eum* per gratiam, *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri* & permanere. Bern. ſer. de duplici Bapt. *Hæc verò non inanis eſt*, inquit Bernard. *aut infirma talis poteſtas, quia nimirum certi ſumus continuò & nos, quoniam neque mors, neque vita, neque virtutes, neque altitudo, neque Angeli, neque profundum poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu. Sed attende quanta enumeravit Apoſtolus (ejus enim verba ſunt.) Minimè tamen adiiciens, nec nos ipſi. Nimirum hæc eſt libertas, quâ Chriſtus nos liberavit, ut nulla penitus creatura avellere nos aut vim facere poſſit. Soli id deſerere poſſumus propriæ voluntate abſtracti & illecti à propria concupiſcentia. Præter hanc enim nihil eſt quod timeamus.* Denique donec voluntatis uſum & facultatem deliberandi renatus quiſque recipiat, à charitate Dei omninò ſeparari non poteſt. Securus interim degit, ſub protectione & advocatione Domini Dei ſui, non eſt quod vereatur ex omnibus. At ubi ſanè diſcretionis annos ingrediens redditur ſibi cæterorum utique violentiam, nec tunc quidem formidare neceſſe eſt: ſed ab ea quæ dormit in ſinu caveat, prodria ſcilicet voluntate. Erit fortè peccatum in foribus, ſed appetitus ejus ſub eo eſt, tantùm ipſe aperire renuat, conſentire recuſet. Hæc Bernardus.

De hoc dono perſeverantiæ intelligit Auguſtinus illud Davidis: *Præſtitiſti decori meo virtutem.* Hoc eſt, inquit ipſe, *Decori gratiæ ſuper adjectiſti virtutem perſeverantiæ.* Hanc quoque petebat dum Pſalmo ſeptimo dicit: *Ne proicias me in tempore ſenectutis, cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Aug. de gratia & lib. arbit. c. 6. Pſ. 29. 9.

Docet verò idem Auguſt. libro de dono perſeverantiæ per varia Capita, tribus potiſſimum modis Deum juſtos protegere ut perſeverent. Primus eſt, dando eis vim ad tentationes ſuperandas, de quo Hieremias: *Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant à me.* De hoc ſæpius etiam agit Pſalmiſta: *A dextris eſt mihi Dominus, ne commovear.* Item: *Non dedit in commotionem pedes meos.* Item: *Niſi quia Dominus adjuvit me, paulò minùs habitaſſet in inferno anima mea.* Secundus eſt, ſubtrahendo tentationes juſtis quas ferre non poſſent. De quo Apoſt. *Fidelis Deus eſt qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis.* Tertius modus eſt, hominem ſubtrahendo tentationibus per mortem. De quo Sapiens: *Placens Deo factus dilectus, & vivens inter peccatores translatus eſt: raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. Placita erat Deo anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.* S. Aug. l. de bono perſeverantiæ. Hier. 32. 40. Pſal. 15. 8. Pſal. 93. 17. 1. Cor. 10. 13. Sap. 4. 10.

PROPOSITIO III.

Qui habet donum hoc perſeverantiæ, finaliter non excidet.

Perſeverantiæ donum habens non peribit.

DE illo ergo dicere poſſumus: *Non peccabit peccato ad mortem*, hoc eſt, peccato finali, & *cùm ceciderit, non collidetur* ad damnationem, *quia Dominus ſupponit manum ſuam*, ut iterum clevet eum ad gratiam. Licet verò finaliter caſurus non ſit, non tamen impetit donum hoc perſeverantiæ hominis libertatem; ſed agit cum illo Deus fortiter & ſuaviter ut finem attingat, *fortiter proſe, ſuaviter pro me*, inquit Auguſtinus, quia efficaciter deducit ad finem, & tamen ſine violentia aut læſione libertatis. Quaſi tenens manum juſtorum ſuaviter eos deducit ſecundum voluntatem ſuam, alliciens voluntatem eorum, ut cum gloria eos ſuſcipiat, juxta id quod dicit David in perſona illorum: *Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me.* 1. Joan. 5. 15. Pſ. 36. 24. S. Aug. Pſal. 72. 2

Conſiderari hic poteſt Deus agere cum juſtis, quaſi mater cum puero, quæ docet eum progredi, & in via deducit illuc quo vult ille pervenire. Mater ergò fragilitati infirmitatique illius diffidens, illum manu apprehenſum uſquequaque ſuſtinet: & licet liberè quo velit incedere permittat; tamen ſi manumitteret illum, infans diu ſe ob pedum inſtabilitatem ſuſtinere non poſſet, ſed caderet. Sic homo poſt peccatum adeo infirmus eſt, ut Simile matre.

Digitized by Google

ſine Dei auxilio diu conſiſtere non poſſit. Et ſicut infans iſte, retenta gradiendi libertate matri tamen ſubſtat: ita & liberum arbitrium etſi liberum, Deo ſubjectum eſt. Rurſum ſicut infans poſt caſum, libertatem habet vel gradiendi vel ſedendi, tamen ſine auxilio matris ſurgere non poteſt. Ita homo in peccatum lapſus, libertatem habet ſurgendi à peccato, in illo manendi; non poteſt tamen ſe erigere, niſi Deo manum dante. Et ſicut infans licet manum porrigat mater, poteſt nolle incedere: ita homo Dei manum porrigentem auxilium poteſt repellere. Vides ergò utrobique libertatem, non obſtante manuductione & auxilio; Tamen Deus ſic cum homine ſuaviter agit, ut infallibiliter ſit eum deducturus, impenſa illi protectione & cuſtodia ſpeciali, per quam infallibiliter ſit perſeveraturus. Quæ quidem protectio, ut ſupra diximus', varia continet auxilia, ut meritò Matri aut Nutritio ſe comparet Deus, non ſolùm deducenti, ſed etiam inter brachia puerum portanti: *Ego quaſi Nutritius Ephraim, in brachiis portabam eos:* Et apud Iſaiam: *Ego feci, ego feram, ego portabo & ſalvabo.* Sicut ergò mater benignè omnibus auxiliis agit cum puero, modò manum porrigens, modò inter brachia portans, modò humeris aſſumens: Sic Deus in ardua virtutis via, variis modis omne auxilium neceſſarium præbet, donec ſecurè in gloriam introducat, ut ſalutis portum aſſecuti, celeuma decantemus.

Oſee. 11.3

Scala cœli. Gen. 28. 12. *Converſio peccatoris uſque ad ejus glorificationem ſcala comparatur.*

Quia verò per varia auxilia, & per varios gradus, aſcenſiones in corde noſtro diſponit Deus, donec pertingamus ad locum quem poſuit; Myſticam quandam Scalam (inſtar Scalæ Jacob) in peccatoris converſione uſque ad ejus glorificationem variis gradibus diſtinctam, conſiderare poſſumus. Scala hæc egreditur è pectore Chriſti; & pertingit uſque ad ſinum Patris æterni: fundatur enim & innititur redemptioni Chriſti tanquam radici.

Vis videre aliquot ejus gradus, per quos datur nobis aſcendere.

Primus gradus per quem juvatur peccator ad aſcendendum, eſt vocatio ſeu inſpiratio divina. Hæc peccatori obdormienti in vitiis & tenebris vocem immittit qua excitetur, lucemque qua illuſtretur. Varios autem modos, variaſque vias habet Deus, nobis non ſatis notas; quibus vocat & inſpirat:

Joan. 3. 8. *Spiritus ubi vult ſpirat, & noſcis unde veniat, aut quò vadat*, inquit Dominus Joan. 3. Spirat ubi vult, quando vult, quomodo vult; & infinita ejus ſapientia ſuaviſque providentia infinitas habet vias, quibus inſpiret & illuminet nos, ut propterea dicat

Job. 38. 24. ad Job: *Indica mihi, ſi habes intelligentiam, per quam viam ſpargitur lux, dividitur æſtus ſuper terram?* Lux illa mentem illuminans, & æſtus divini amoris cor calefaciens variis perſonis à Deo communicatur, & non comprehendimus cur potius huic quam illi; nec varia media quibus lucem hanc in nos ſpargit, ſatis intelligimus.

Secundus gradus eſt obedientia, per quam vocanti conſentit. Vocem enim Dei poteſt repellere, & aures mentis occludere. Hinc aliqui dicuntur, *inſtar aſpidis ſurdæ, obturantis aures ſuas*, ut

Pſal. 57. 5. non audiant *vocem venefici incantantis ſapienter.* Propterea etiam dicitur: *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Poteſt ergò homo Dei vocem, poteſt & lucem repellere, cordisque feneſtras illi claudere. Unde de aliquibus dicitur: *Ipſi ſunt rebelles lumini, & neſcierunt viam ejus.* Quam Scripturam in ſenſu morali explicuimus ſupra de obcæcatis. Vide ibi dicta de variis vocationibus ad finem & ad gratiam Tract. 1. Lect. 4.

Pſal. 94. 8. Job. 24. 13 Lib. 1. tra. 1. lect. 4.

Tertius gradus eſt perfecta pœnitentia, quæ conſentienti datur. Illa enim perfecta converſio cordis, non ſolum à nobis, ſed maximè à Deo eſt: unde cum ipſe monet: *Convertimini ad me*, reſpondemus illi: *Converte nos Domine, & convertemur.* Ipſe eſt qui in nobis efficit cor molle & contritum; ſpiritum compunctionis infundens, quo & cor in lachrymas ſolvitur: *Flabit enim ſpiritus ejus, & fluent aquæ.* Reſpicit Magdalenam, reſpicit Petrum, *& convertit petram in ſtagna aquarum.*

Iſa. 45. 22. Thr. 5. 21. Pſ. 147. 18 Pſ. 113. 8.

Quartus Scalæ noſtræ gradus, eſt gratia & charitas quæ pœnitenti infunduntur, quæ animæ conferunt non ſolum pulchritudinem, per quam placeat Deo & Sponſo ſuo Chriſto, ornata hac veſte texta a Spiritu S. ſed etiam fortitudinem ad aſcendendum de gradu in gradum. *Eternum benedictionem dabit legislator*, ibunt *de virtute in virtutem* donec videatur *Deus Deorum in Sion.*

Pſal. 83. 8.

Quintum gradum facient opera à gratia & charitate procedentia: non enim gratia & amor otioſus eſſe poteſt in anima, ſed magna operatur, quod ſi operari renuit, amor non eſt, inquit D. Gregorius.

Sextus gradus eſt augmentum gratiæ & charitatis, illa enim ſemper creſcit, juxta dictum Sapientis: *Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens creſcit uſque ad perfectam diem.* Quo etiam ſpectat illud monitum Domini in Apoc. *Qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc: Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc.* Et multi Theologi exiſtimant charitatem augeri non ſolum actibus ferventioribus & intenſis, ſed & ſingulis actibus etiam remiſſis.

Prov. 4. 18 Apoc. ult. 11.

Septimus gradus eſt perſeverantia, per quam uſque in finem in gratia & charitate homo permanet, & pertingit uſque ad Deum, qui in ſummitate Scalæ eſt, innixus Scalæ, aut cui potius Scala ipſa innititur, juxta lectionem LXX. Interpretum. Ipſe enim Dominus in vertice Scalæ; triplex agit officium. Primò reſpicit & conſiderat per immenſam ſuam ſapientiam omnes electos qui ab initio mundi uſque ad finem aſcenſuri ſunt: & conſiderat quidquid erga eos agitur, neceſſitates, pericula, tentationes, quibus aliquando cadunt & retrogrediuntur: mediaque quibus poſſunt reſurgere & progredi. Secundò non ſolum hæc conſiderat, ſed & ipſam ſcalam firmam facit, & manum porrigit, ut juvet ad aſcendendum, & protegat contra adverſi

quæ

quæ eos è gradu deiicere conantur. Unde in ſcalæ ſummitate, quam vidit Jacob, dicebat illi & omnibus electis in perſona Jacob: *Ero cuſtos tuus quocunque perrexeris, nec dimittam niſi complevero univerſa quæ dixi* q.d. Sive in oriente adoleſcentiæ fueris, ſive in occidente mortis aut ſenectutis, ſive in aquilone tentationis & adverſitatis, ſive in meridie proſperitatis protegam te, & complebo omnia quæ dixi, efficiens ut hoſtes tui omnibus ſuis viribus & conatibus impedire te non poſſunt, quò minus pertingas quo ſtatui. De ovibus enim ſuis dicit, ſic ita earum curam habere, ut nemo eas poſſit rapere de manu ſua, aut de manu Patris. Tertiò in vertice ſcalæ exhibet ſe electis quaſi exemplar & ſpeculum quod intueantur, ut imitentur, ut ad illum quoque omnem ſuam dirigant intentionem, ut ſe illi conforment. Denique ut cum ſummitatem attigerint, eos ſuaviter excipiat, & complectatur unione æterna & fruitione beata.

Gen.28. 15.

Joan.10.

Scala gradus in cœlum ducentes.

Hi ergò ſunt gradus hujus ſcalæ quæ in cœlum ducit; & hi gradus inhærent, velut duobus fulcris ſpei ſcilicet & fidei: hæ duæ virtutes habent ſe tanquam duo ſuſtentacula, quibus ſtabiliuntur omnia noſtra opera & merita. Et per perſeverantiam ſummitas ſcalæ attingitur, quia ut jam dictum eſt, ipſa virtutum finis eſt & conſummatio, ſine qua nec qui pugnat victoriam, nec victor palmam conſequitur: nec obſequium mercedem habet, nec fortitudo laudem. Denique ipſa eſt vigor virium, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium, ſoboles conſtantiæ, ſoror patientiæ, amica pacis, propugnaculum ſanctitatis, filia unica æterni Regis: Sola eſt cui æternitas redditur, vel potius quæ hominem æternitati reddit, inter brachia Dei & Sponſi canens: *Tenui, nec dimittam eum.*

S. Ber. ep. 119. ad Januenſes.

Quicunque verò hanc ſcalam debet ſcandere, non deſpondeat animo, licet alta ſit & arcta, licet aſcenſus ejus difficilis ſit & rectus; ſed erigat oculos ad Dominum majeſtatis ſtantem in vertice, qui & omnes aſpicit aſcendentes. Ejus conſideret exemplum, qui primus aſcendit per Crucem, & varios paſſionum virtutumque heroicarum gradus. Reſpiciat manum ejus extenſam ad opem & protectionem. Attendat ejus promiſſionem: *Ero cuſtos tuus quocunque perrexeris.* Licet ergò multi hoſtes ſint adverſantes, tamen poterit dicere: *Impulſus everſus ſum ut caderem, & Dominus ſuſcepit me.*

Gen.28. 15. Pſ.117.13.

Non omnes tamen eodem modo, eademque fortitudine eam aſcendunt. Quidam enim aſcendunt ita recti & erecti, ut nunquam cadant, nunquam impingant, & non tam aſcendere videmur, quã volare. Ita multi viri ſancti, qui nunquam peccato mortali à gratia exciderunt. Et maximè B. Virgo, quæ nunquam etiam per veniale impegit: Alii modò cadunt, modò eriguntur, aſcendunt & deſcendunt: tandem tamen auxilio Dei ad finem uſque ſcalæ pertingunt, imò & auxilio ipſorum Angelorum, qui ideo aſcendentes & deſcendentes in ſcala Jacob deſcribuntur, ut cadentibus auxilientur, & aſcendentibus comitentur. Denique Sanctorum interceſſionibus, ope & meritis ſæpè fit, ut aliqui perſeverantiam obtineant, & ſcalæ ſummitatem pertingant, maximeque Beatiſſimæ Virginis Mariæ. Quod exemplis aliquibus poſſumus comprobare.

In Franciſcanis Annalibus legimus; B. Leoni, qui unus fuit ex Franciſci intimis familiaribus, hujuſmodi aliquando viſionem objectam. Erat magna planities, & in ea ſpecies quædam judicii mox futuri. Magna aderat hominum multitudo, Angelorum tubæ perſonabant. Denique binæ ſcalæ è Cœlo ad terram uſque demiſſæ, altera candido colore, altera purpureo. Huic purpuræ imminens viſebatur ex alto Chriſtus, & Franciſcus paulò infra ipſum Fratres ſuos evocans, ut aſcenderent fidenter, Dominum ita velle eoſque invitare. Cùm autem illi ſe per ſcalas audenter efferrent; alius de quinto, alius de decimo, alii de ſuperioribus ac pene jam ultimis gradibus decidebant. Qua ſuorum clade magnopere commotus Franciſcus, eos voce magna admonuit, ut ad ſcalam alteram candidam accurrerent, illic nihil fore periculi. Itaque, cùm ad eam acceſſiſſent, Mariam ei incumbentem vident, quæ eos blandiſſimè intuens, ſtudioſè etiam juvabat ad aſcendendum, & excipiebat ſingulos, ita ut nullo negotio omnes in Cœlum conſcenderint. Qua quidem viſione ſignificatum eſt, Virginis opem & interceſſionem ad aſcendendam perfectionis ſcalam, & perſeverantiam ac coronam obtinendam, plurimum valere.

Exempl. Platus de bon. ſtatus Relig. l.1.c.34.

Idem ſignificatum videtur in perſona B. Dominici, juxta viſionem exhibitam Priori Brixienſis Cœnobii. Nam qua hora animam agebat Dominicus, Prior Vir ſanctus cui nomen Goala, dulci ſomno conſopitus, Cœli quendam quaſi hiatum aſperit, per quem candidiſſimæ ſcalæ ſubmittebantur, quas hinc Chriſtus, inde Chriſti Mater ſanctiſſima, ſumma earundem apprehenſa parte, manibus fulciebant. Per has deſcendebant & aſcendebant cœleſtes Angeli, ſicut olim per ſcalas Jac. Erat in imo ſedes; & in ea quidem Prædicatorum habitu, facie velata. Scalæ ſenſim ac leviter à Chriſto & ejus Matre ſurſum trahebantur, eodem pariter nutu ſedes illa pariter ferebatur in Cœlum, illeque ſimul, qui in ea velatus & contectus requieſcebat, comitantibus Angelis & triumphum agentibus. Scalasque tandem illas, & eum qui ſolio collocatus erat, Chriſti, Deiparæque manus in Cœlum intulerunt, ſicque Cœlum claudi viſum eſt. Dilapſa viſione, Prior Bononiam properat, illaque eadem hora qua rem tantam viderat, S. Dominicum Patrem ſuum, comperit ex hac noſtra mortalitate ad Cœlum migraſſe.

Anton. in 3. parte Chron. tit. 23. c. 4.

PROPOSITIO IV.

Perſeverantiæ & electionis detur aliqua probabilis ſigna in hac vita.

HInc dixit D. Bernardus: Datur in terra teſtimonium, quo diſcernuntur cives Cœli à civibus,

Bern. ſer. de Ct. Paſch.

Digitized by Google

bus Babylonis. Quomodo enim sine testimonio electos deserat Deus? Aut quænam eis esse poterit consolatio, inter spem & metum sollicitudine anxia fluctuantibus, si nullum omnino electionis suæ habere testimonium mereantur? Novit Dominus qui sunt ejus, & solus ipse. Quis enim scit hominum, si est amore dignus an odio? Sed si certitudo nobis negatur, nunquid tanto delectabiliora erunt, si quæ forte electionis hujus signa possimus reperire? Ita Bernardus. Varia autem signa à Patribus indicantur, quorum aliqua hic breviter indicabimus.

1. *Libenter audire verbum Dei.* Joan. 10.

Primum ergo signum est lubenter audire verbum Dei, sive delectari in rebus divinis auditis aut lectis. Hoc signum insinuat Dominus: *Oves meæ vocem meam audiunt.* Nimirum homines delectantur audire quod amant. Miles de bellis lubens audit & loquitur: Religiosus de Deo & pietate: Venator de canibus, sylvis, apris, cervis: Mercator de mari & commerciis: Peregrinus quoque in alieno loco gaudet, si aliquem audit loquentem lingua sua, & de patria sua. Sic verus Filius Dei lubenter & loquitur & audit loquentem de Cœlo. Interroget ergo quilibet, si verba Dei in aure cordis percipit & intelliget unde sit. Hinc B. Ephrem dicebat:

B. Ephrē in pretiosam Margaritam.

Amo & exosculor Domine Evangelium tuum, quia me esurientem nutris per illud, & desidero sermones tuos; quia dum sitio, fontis instar mihi sunt. Nam quoscunque volo, ad tua fercula convoco, pluraque relinquimus quàm inveniunt, cum multis comedo & solus invenior, bibo cum multitudine & soli mihi tuam propinas gratiam. Quid igitur tibi retribuam nisi meipsum in consensionem & concordiam?

Ita ille, Nempe electis eloquia Dei dulciora super mel: *Comedi volumen*, inquit Propheta, *& factum est in ore quasi mel dulce.* Cibus est verbum Dei reficiens & oblectans animas.

Ezech. 3. 3

2. *Desiderium cœli.*

Secundum signum est desiderium vehemens cœlestis Patriæ, cum quo aliquando ubertas lachrymarum jungitur, ita ut sit desiderium anhelans salutis, de quo David: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei.* Addit ipse in persona Electorum: *Fuerunt mihi lachrimæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Ubi est Deus tuus.* De hoc desiderio loquens Bernardus dicit: Triforme est desiderium Electorum. Unanimiter habitare in domo; unde est illud: *Unam petii à Domino.* Victoriam obtinere de mundo; unde illud: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Præsentialiter frui Deo; unde illud: *Cupio dissolvi & esse cum Christo:* Addit idem Bernard. *Triformis est Sanctorum dolor: quia ceciderunt de Paradiso: quia tenentur in exilio: quia differuntur à Regno.* Super flumina Babylonis sient filii Sion recordati illius, ut latè describit David.

Ps. 41. 3.

Bern. in sententiis.

Ps. 136. 1.

3. *Timor offensæ divinæ.*

Tertium signum est, timor filialis offensæ Dei, qua quis detestatur peccatum super omne detestabile, quatenus est offensa bonitatis illius, tanquam patris amantissimi, cum promptitudine voluntatis ad executionem mandatorum ejus, sive in adversis, sive in prosperis. Hic est timor ille, quo homo præservatur à peccato: & si ex infirmitate ceciderit, per illum excitatur, ut citò surgat, nec in peccato permaneat. Surgere enim à peccato statim ac quis peccaverit, signum est electionis: *Qui enim ex Deo natus est, non peccat*, id est, non permanet in peccato, inquit Bernardus, *ut perire non possit ea, quæ fallis non potest, generatio cœlestis.* Amor ergo & gratia in anima electi extincta, statim reaccenditur minima scintilla inspirationis divinæ accedente. Sicut candela noviter extincta, quæ adhuc odorem & fumum quendam ignis retinet, minimo attactu, alterius luminis, vel etiam solo flatu statim accenditur. Vix respexerat Petrum radiis suis Christus, & statim amor in corde ipsius iterum inflammatur, & cor ejus liquefacit. Sic Thomas statim ubi tetigit vulnera Salvatoris, fides ejus & amor inflammatur, & inclamat: *Dominus meus & Deus meus.* Vix tetigerat Nathan Davidem repræsentando ei peccatum & inclamat forti voce contritionis: *Peccavi Domino.* Imò verò signũ electæ animæ est, si magis inflammetur in amorem post casum, & ferventius resurgat. Equus cum impegit, si generosus sit, statim alacrius surgit. Sic nunquam ita saluti animarum & fidei affectus fuit Thomas, quam quando ab infidelitate surrexit. Omnes illæ nationes quas convertit, Hircani, Bactri, Indi, testes sunt laboris, quem pro fide exantlavit, sanguis ejus testimonium dat de constantia & amore.

1. Joan. 3. 9.

Simile.

Joan. 20. 28.

2. Reg. 12.

4. *Pax conscientiæ.*

Quartum signum est, pacem habere interiorem conscientiæ, ex qua delectabiliter quis cum Deo agit in laboribus, vigiliis & mandatorum observantia. Hoc verò maximè verum est, si pax ista delectans, juncta sit cum humilitate, ut cum omnia benè feceris, te servum inutilem putes; & quicquid boni in te inveneris, illi tribuas à quo omne bonum; & quò plus proficis, eò magis coneris, quasi inchoans, & minus te profecisse reputans.

5. *Fructus bonorum operum.*

Quintum signum, sunt bonorum operum fructus; ex fructu enim arbor judicatur: qui autem fructus nostri sunt, nisi opera nostra? Attende ergò quæ opera habeas. Si opera carnis habes, illa te condemnant, *Manifesta sunt autem*, inquit Apostolus, *opera carnis*, quæ ipse particulariter enumerat. Attende illa particulatim, & vide an in te inveniantur. Qui enim illa faciunt, nunquam regnum Dei possidebunt. Considera etiam fructus Spiritus, quos ipse enumerat. Si fructus illi in te inveniantur, inveniuntur & electionis signa. De hoc ergo signo dicebat Petrus: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.*

Gal. 5.

2. Pet. 1. 10.

6. *Contemptus mundi.*

Sextum signum, contemptus mundi & rerum terrenarum. Hinc dicit Ambrosius: *Qui contempserit sæcularia, merebitur sempiterna. Nec potest quis regni cœlestis meritum adipisci, qui mundi cupiditate possessus, emergendi non habet facultatem.* Hinc dicunt omnes SS. Patres, quòd electi utuntur quidem bonis hujus mundi, sed reprobi illis fruuntur.

Vti,

Frui, juxta Theologos, est id quod in usum venit, referre ad obtinendum illud quo est fruendum, *Frui*, est amore alicui rei inhærere propter seipsum. Mali ergo fruuntur hoc mundo, & Deo utuntur; quia amant mundum propter se, Deum verò tantum propter commoditates quas ab eo recipiunt: Hoc est proprium incolarum terrenæ civitatis hujus; contra, boni ad hoc utuntur hoc mundo, ut fruantur Deo, qui sunt cives cœlestis civitatis.

Religiosi status assumptio. Lau. Just. de perf. mon. conc. c. 7.

Septimum signum addunt aliqui, Religiosi status spontaneam assumptionem, de quo latius Platus. De illo dixit Laurentius Justinianus: *Securè sperat post hanc peregrinationem ad supernam intrare Hierusalem, quicunque in justorum congregationem fuerit vocatus. Magnum quippe electionis indicium est, hujus fraternitatis habere consortium, & facile ab illo excluditur, qui ab hac fuerit segregatus.* Ideò etiam dicebat Bernardus ad Fratres de monte: Bonum est nos hic esse, videlicet in Religione, quia ibi homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, quiescit securius, irroratur frequentius, purgatur citiùs, moritur confidentiùs, remuneratur copiosius. Illa ille.

Bern. ser. ad Fratres de Monte.

Quapropter gratulor ex animo omnibus qui divini Numinis lumen & ductum sequentes, & vocationi Dei aurem cordis aperientes in sacro Religionis statu totos se illi vovent, tanquam sacrum Holocaustum, quod Deo non potest non esse odoriferum & summè gratum. Hi non pauca in se sentiunt electionis suæ testimonia à spiritu Dei, à quo inter filios Dei adducuntur, ut sint de numero eorum.

Plango interim illos filios Adam, qui sunt *rebelles lumini*, & dum à Deo è sæculi hujus caligine evocantur, ut in Religionis statu sint *digni sortis Sanctorum in lumine*, claudunt aures & oculos, respicientes in vanitates & insanias falsas. Suntque tanquam lignum aridum, quod gratiæ cœlitus stillantis, humorem respuit. Et tandem eis tanquam arbori infructuosæ, *securis ad radicem* ponitur, ut esca fiat flammis vindicibus. Quod sæpius vidimus, & ideo plangimus.

Sed & hic meritò gratias ago Deo meo, pro familia nostra, cui ita benedixit Dominus, ut cum ex viginti quinque prolibus, decem superstites forent (reliquis post candidam Baptismi vestem in immaculata ætate, ad cœlestem gloriam evocatis) quinque ex superstitibus, pubertatis virgineum florem Deo libantes, illi se in Religionis statu totos dicarunt, in quo adhuc optimum odorem spargunt pietatis & doctrinæ exemplis. Quos ego gemens sub onere & aquis tanquam in portu quodam agentes mihi repræsento, & eorum ope ad litus provehi spero.

Ut verò plenius intelligatur quomodo vocatio Religiosa electionis signum sit, & testimonium illis quòd sint filii Dei, subnecto hic gratulationem
Ann. 1613. sacram ab aliquot annis à me conceptam in Professione Religiosa ultimi ex Fratribus meis in Conventu S. Francisci ad Sambram, quæ hoc plenius declarat ex Psalmo 28.

APPLAVSVS SACER ANIMÆ Religiosæ.

GRatulor tibi, mi Francisce, dum video te Francisci sacræ Militiæ cingulo donatum, in Seraphica Religione, triplici funiculo, trino Deo religatum, Alloquar te paucis *de voce Domini loquentis ad cor*, & è turbido sæculi salo, ad placidum Religionis solum evocantis. Accommodo Regii Vatis Psalmum. Arrige autem, erige mentem, videbis quàm opportunè. Ecce sic orditur: *afferte Domino filii Dei, afferte Domino filios arietum.* Psal. 28. 1.

Qui sunt filii Dei, nisi qui spiritu ejus aguntur? Afferunt hi Domino filios arietum, dum annuæ probationis lacte educati, tanquam *Agnos annículos* se sistunt Domino immolandos. Et pro victoria contra triplicem hostem, triplicem hostiam, sacræ offerunt Triadi, *in atrio sancto ejus.* At quod illud atrium? O sancta Religio, verè tu es *atrium domus Domini*, vestibulum Templi æterni, Ostium cœlestis Tabernaculi, qui stant in te, jam læti possunt canere: *In domum Domini ibimus: Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalem.* Ad hoc Atrium invitans vox Domini ait: *Introite, afferte, offerte.* Et vox ista resonat *super aquas*, dum resonat super copiosos adolescentum greges, qui quasi *aqua dilabuntur super terram*, & per vitiorum anfractus, ac per varios circuitus diffluunt ad abyssos. Sed ipsi hac voce instar Jordanis conversi retrorsum ad Deum suum, ad vitæ fontem refluunt, per compendiosum Religionis tramitem. Verè ergo de hac voce dixeris: *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia.* Psal. 28. 5.

Quam fortis est, mi Francisce, vox ista, sed quàm suavis? De illa verum est illud Ænigma Samsonis: Jud. 14. 14.

DE FORTI EGRESSA DULCEDO.

Vis clarius edisseram? *Fortis* est, dum trahit consensum. *Suavis* quia exuperat omnem sensum. *Fortis*, pertingens ad divisionem animæ. *Suavis*, quia vox Sponsi ad cor Sponsæ. *Fortis* est, cor durum liquefaciens. *Suavis*, rore lachrymarum aspergens. *Fortis* Cedros confringens. *Suavis*, flammam ignis intercidens.

Nonne superbæ mentes, & quasi Cedri excelsæ, omni calcato fastu, humiliatæ sunt ad hanc vocem? *Incurvati sunt colles mundi ab itineribus Æternitatis ejus.* Abac. 3. 6.

Nonne multi ut petra aridi, ad hanc vocem molles quasi cera facti sunt, & lachrymis irrigui: *Loquere ad petram, & dabit tibi aquas: flabit Spiritus & fluent aqua.* Nū. 20. 8. Ps. 147. 18

Nonne flamma concupiscentiæ juvenum animos ululans hac voce intercisa sopitur? Succedente castitatis amore flamma flammam, clavus clavum, amor depellit amorem.

Vides ergo vocis Domini virtutem? Vides & sua-

Auguſt. *Qui creavit te ſine te; non ſalvabit te ſine te.* Ideo
1.Cor.15. Apoſtolus modò allegat gratiam, modò opera:
10. *Abundantius illis omnibus*, inquit, *laboravi, non ego, ſed gratia Dei mecum.* Cumque ipſe coronam ſibi appropinquantem dicit, non ſolùm gratiam allegat, ſed & opera ſua: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi, ideo reposita eſt*
2.Tim. *mihi corona juſtitiæ.* Hanc ſibi certam facit ex ope-
4.7. ribus quæ per gratiam Dei fecit: bene enim certare bonum opus eſt, fidem ſervare bonum opus eſt, curſum conſummare operis eſt perſeverantia, quam certò ſequitur corona. Hinc etiam idem Apoſto-
Heb.6.11 lus ad Hebræos dicit: *Cupimus unumquemque veſtrum oſtentare ſolicitudinem, ad expletionem ſpei uſque in finem*, q.d Optamus & obſecramus, ut per exercitium bonorum operum, procuretis ut ſpes veſtra certa ſit & plena, donec vertatur in rem adipiſcendo quod ſperaſtis.

2.Pet.1. Idem vult dicere Apoſtolus Petrus: *Satagite, fra-*
10. *tres, ut per bona opera certam veſtram electionem faciatis: hæc enim facientes non peccabitis aliquando: & abundanter vobis miniſtrabitur introitus in regnum Domini noſtri.* Ubi tria dicit ſequi ex bonis operibus. Imò: Quòd ſalutem certiorem faciant; ſicut qui in cauſa plures adhibet teſtes, certiorem ſententiam pro ſe expectat. Secundò: Quòd bona opera contineant nos, ne in peccata labamur, juſtitiæ ſemper ſtudentes. Tertio: Quod abundantiorem gloriam nobis præparant, quæ pro meritis datur, & ita quo majora merita, eo abundantior gloria.

Gratia Dei principaliter cauſa ſperandi eſt quam noſtra merita, cum & ipſa ſint ex gratia Dei.

Quia vero in operibus & meritis noſtris ex parte ſpes noſtra fundatur; Lectionem hic ſubiicimus latiùs declarantem, quomodo opera noſtra meritoria ſint gloriæ, & quomodo in illis ſpes & fiducia noſtra poſſit collocari. Notandum interim. Licet hæc duo, *Gratia Dei & propria merita*, conjunctim adultis neceſſaria ſint, velut media à Deo ordinata ad beatitudinem æternam aſſequendam: tamen principalior eſt Gratia Dei, quæ per merita Chriſti nobis communicatur: quia ab ea merita noſtra dependent, vim & efficaciam accipiunt,
Philip.2. *Deus enim eſt*, ait Apoſtolus, *qui operatur in nobis & velle & perficere, pro bona voluntate* ſeu bene placito. Et Chriſtus: *Ego ſum vitis, vos palmites*, &c.
Joan.15. *quia ſine me nihil poteſtis facere*, quod vel ad juſtitiam coram Deo, vel ad vitam æternam conſequendam utile ſit. Item Apoſtolus ad Roman. & Galat. ſæpe inculcat, hominem nec juſtificari, nec ſalvari poſſe ſine fide in Chriſtum, & gratia Dei per Chriſtum. Hinc etiam colligitur, quomodo in noſtris operibus ſperare ſeu confidere poſſimus, videlicet,
Aug.l de gratia & li arb c.6 & de ver. Ap.ſer.13. non quà præciſè ex nobis aut viribus naturæ ſunt, ſed confidere aliquo modo in bonis noſtris operibus, quà illa ex Dei gratia proficiſcuntur: ideoque & ipſa Dei dona ſunt, ac media miſericorditer ordinata ad vitam æternam. Uti docet S. Auguſtinus & Concil. Trident. ſeſſ. 6. c. 16. Siquidem id magis exaltat Dei miſericordiam & Chriſti merita, quod eorum virtute conſequamur, uti & ipſi ſalutem noſtram miniſterialiter operemur. Cum ergo Deus hominis adulti cooperationem ac merita exigat, ut vita æterna non ſit tantum gratia, ſed etiam merces & corona juſtitiæ. *Nemo coronatur, niſi legitimè certaverit*, hinc ſequitur quod certitudo ſpei ſeu infallibilis expectatio beatitudinis non ſit abſoluta, ut Trident. inquit, quia ſpes & expectatio noſtra ceu fundamento nititur promiſſione Dei, quæ nobis facta eſt non abſolutè, ſed conditionatè. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Item: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* At nemo ſine ſpeciali revelatione certus eſt, ſe in gratia Dei conſtitutum, legis mandata obſervare, aut nullo etiam occulto peccato mortali teneri. Verum de hac re ſupra eſt actum.

2.Tim.2. 5.
Sef.6.c.13
Matt.19.
Matt.10.
V.Lib.1. Tract.4. Lect.11. Pro.1.2.5.

LECTIO V.

DE MERITIS QUIBUS SPES FIRMATUR.

1. *Docet, Bona opera mereri vitam æternam.*
2. *Licitum eſſe operari ob mercedem æternam.*
3. *Poſſe poni fiduciam in meritis.*

PROPOSITIO I.

Homo juſtus per bona opera meretur vitam æternam de condigno.

Diſtinguunt Theologi duplex meritum: unum vocant de condigno, alterum de congruo. Meritum de condigno eſt, cui ex condignitate operis ſeu ex juſtitia, & Dei promiſſione debetur præmium. Meritum de congruo, eſt opus quod ex quadam congruitate ſeu honeſtate acceptatur à Deo ad præmium. Itaque ad meritum condignum requiruntur tria.

Primo, ex parte operis, ut ſit moraliter bonum, liberum, & præmio proportionatum. *Si volens hoc*
1.Cor.9. 17. *ago, mercedem habeo; ſi autem invitus, diſpenſatio mihi credita eſt.*

Secundo, ex parte merentis, ut ipſe ſit viator in ſtatu gratiæ & amicitiæ divinæ. *Ecce nunc tempus*
1.Cor.6.2. *acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Si diſtribuero in cibos pauperum, &c. Charitatem autem non habuero,*
1.Cor.13. 3. *nihil mihi prodeſt.* Et Joan. *Si ut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites.*
Joa.15.4. Hinc apertè patet, ad fructum id eſt. ad opera fructuoſa & meritoria facienda neceſſariam eſſe eam gratiam, qua homo conſtituitur vivus palmes in
Sef.6.c. 16. Chriſto, tanquam in vite: hæc autem eſt gratia habitualis & ſanctificans V. Concil Trident.

Tertio, ex parte Dei, ut interceſſerit divina ac-
Au.ſer.6. de verb. Ap. ceptatio & promiſerit præmium tali operi. Hoc ſenſu dixit Auguſtinus: *Debitor nobis factus eſt Deus*

Digitized by Google

Deus non aliquid accipiendo, sed quod ei placuit, promittendo. D. Bern. *Promissum quidem ex misericordia, sed tamen ex justitia persolvendum.*

Bern. l. de grat. & lib. arb.

Opera ergo nostra sunt de condigno meritoria vitæ æternæ, id est, homo justus per bona opera & observationem mandatorum Dei, meretur augmentum gratiæ & justitiæ de condigno, ut patet ex Trid. sess. 6. c. 10. Can. 32. *Si quis dixerit, hominem justificatum, bonis operibus non mereri augmentum gratiæ, anathema sit.* Ex Aug. *Gratia meretur augeri ut aucta mereatur & perfici.* Et deducitur ex Scripturis. Primò ex illis quæ gloriam vocant *Coronam legitimi certaminis.* Sic dicit Div. Jac. 1. *Beatus qui sustinet tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam quam repromisit Deus diligentibus se.* Sic etiam vocatur 1. Petri 5. Apocalyp. 2. & sæpius alibi. Sic & Apostolus vocat eam *Coronam justitiæ*, repositam sibi, quia bene certavit usque in finem: *Reposita est mihi*, inquit, *corona justitiæ*, hoc est, quam juste merui, & justa judicis sententia mihi adjudicanda est; quia ad mortem usque, fidelitatem Deo servavi, curre s per tentationes, plagas, pericula, ita ut nec Judæi, nec Gentiles, nec Reges, nec mundi Sapientes, nec ipsi dæmones, cursum meum potuerint impedire, & fidelitati quam Deo meo promiseram, maculam ullam aut teporem inicere. Hæc autem corona pro vario certamine variisque meritis, varia erit juxta Augustin. qui loquens de Ecclesia Triumphante ait: *Floribus ejus, nec rosa, nec lilia desunt, certant* ergò *singuli accipere coronas*, vel de virginitate candidas, vel de Passione purpureas, vel de doctrina aureas. V. Bedam homil. 18. de Sanctis.

Trid. sess. 6. c. 10. Can. 32. Aug. ep. 106. Jacob. 1. 12. 1. Pet. 5. 4 Apoc. 2. 10. & 3. 11. 2. Tim. 4. 8.

Secundo deducitur idem ex Scripturis quæ dicunt vitam æternam esse *mercedem* boni operis. *Merces vestra copiosa est in Cœlis*, inquit Dominus. *Reddidit justis Deus mercedem laborum suorum*, inquit Sapiens.

Mar. 5. 12 Sap. 10. 17.

Hinc apud Matthæum conventio fit cum operariis de denario reddendo sub vesperam: Per quem denarium 53. Doctores vitam æternam interpretantur, quæ redditur ex conventione quadam quæ est inter Deum & homines: ita ut supposita hac conventione & promissione, teneatur Deus ex quadam justitia vitam æternam bene operantibus dare, quã diversis meritis suam faciunt, & quodam quasi pretio oblato emunt. Aliqui quidem sanguine suo & vita pro Christo profusa eam emunt, sicut Martyres: Petrus per crucem emit: Paulus per ensem: Stephanus per lapides: Laurentius per ignem: Catharina per totam: Sebastianus per sagittas. Alii eam emunt per opera pœnitentiæ, per cilicia, mortificationes, disciplinas, jejunia, austeritates, ut Benedictus, Franciscus, Dominicus & sexcenti alii, qui totam vitam in pœnitentiæ operibus consumpserunt, & Deo consecrarunt, tanquam condignum pretium *æternæ* vitæ.

Mat. 20. 2

Exempl. Bonav.

Referunt B. Franciscum, cum Frater ejus carnalis, qui in sæculo manserat, adspexisset in summa hyeme seminudum horrendumque frigore, amaro ludibrio ab eo irrisum fuisse; ita ut mitteret quendam qui ejus irridens paupertatem & nuditatem, amaro joco diceret: *Regat frater tuus, ut unam si fuderis tui gutturis vendere velis.* At ille patientissimè & sapientissimè respondit: *Dic fratri meo, me jam pridem totum meum fudisse Domino vendidisse, & quidem ingenti pretio.*

in legenda S. Francisci, Platus l. 3. c. 16.

Alii denique eum emunt operibus pietatis, charitatis, & misericordiæ erga egenos. Et hæc quoque opera condignum pretium sunt, propter quod electis se dare Regnum protestatur Deus in ultima illa fœlici sententia, *Venite Benedicti Patris mei, percipite Regnum: Esurivi enim & dedistis mihi manducare, &c.* Imo præbenti solum calicem aquæ frigidæ propter nomen suum, hanc mercedem Regni promittit. In istis operibus pietatis in gratia factis, tale pretium reperitur, ut per illa emptio fieri Regni cœlestis rectè dicatur.

Matt. 25. 34.

Exempl. Leont. in ejus vita.

Declaratum id quondam fuit Sancto Joanni Alexandrino, qui Eleemosynarius dictus est. Hic sæpè visebat ægros & pauperes, & quandoque Trollum Episcopum socium assumebat. Quodam ergò die dixit ei: *Frater Troile, obsecro, amicos Christi juvemus.* Ille veritus sermonem Patriarchæ, imò ea hora ad pietatem incitatus, curat distribui triginta libras quas tunc famulus ejus rebus aliis emendis secum ferebat. Verum quia magis nummorum quàm ægrorum erat amator, multa cœpit avaritiæ cogitatione turbari, & inde orta est quædam ei febris, ob quam super lectum jacebat. Audiens de ejus ægritudine Patriarcha, & ejus conilciens causam, invisit eum, & tantum argenti retulit, quantum pauperibus largitus erat Troilus, & excusans se dixit: Nuper cum te pro pauperibus stipem rogabam, jocabar, & non nisi muuso eam quæ tibi aderat pecuniam volebam, quia non ità mihi erat ad manum quantitas quam pauperibus distribuere volebam. Unde eam refero, gratias agens. Ille statim ad hæc exhilaratus est, & cœpit melius habere: Unde & cum invitavit Patriarcha ad prandium, & numeratis nummis, petiit ab eo conscriptionem renunciationis mercedis earum. Quam fecit his verbis: *Deus Domino meo Ioanni Patriarchæ da mercedem 30. librarum, quæ data sunt tibi, quia recepisses.* Post meridiem incidit in somnum, & ostendit ei Deus qua mercede privatus esset. Vidit enim domum, cujus pulchritudinem nulla hominum ars posset imitari, & in ejus janua aurea scriptum erat: *Mansio æterna, & reliquiæ Troili Episcopi.* Gaudebat summoperè sciens sibi hanc domum præparatam: Sed ecce statim quidam Regius Cubicularius ait operariis: Deponite titulum istum, & hunc affigite: *Mansio Ioannis Archiepiscopi empta libris 30. argenti:* Horruit ille, & excitatus venit ad Patriarcham, visa referens, & exinde ex avaro factus est eleemosynarius magnificus, ut mansionem æternam posset sibi emere, juxta dictam vi-

Digitized by Google

visionem, operibus misericordiæ, tanquam condigno pretio.

Rom. 8. 18.

Sed dicet aliquis : Non videtur condignitas in operibus nostris respectu vitæ æternæ, quandoquidem aperte dicat Apostolus : *Non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Quem locum amplificans Bernardus dicit : *Non sunt condigna ad futuram gloriam quæ promittitur : ad præsentis consolationis gratiam quæ immittitur : ad peccati parnamque remittitur.* Quomodò ergò dicimus esse aliquod meritum de condigno?

Unde condignitas operibus nostris ad gloriam æternam.

Respondeo non esse condignitatem in operibus nostris respectu gloriæ, si illa considerentur secundum se, ut opera naturalia sunt, à nobis & à libero nostro arbitrio procedentia. Si tamen considerentur opera nostra, quatenus sunt opera supernaturalia, proventia à monitione Spiritus S. & à gratia inhabitante, sic sunt opera hominis elevati ad statum deificum filiiq. adoptivi, ut ait D. Thom. Sic habent condignitatem & proportionem ad vitam æternam, & accedente promissione fiunt meritoria illius. Item si considerentur, quatenus sunt opera Christi, dum ejus meritis innituntur, & ejus virtute influente à membris ejus fiunt, sic sunt passiones quædam membrorum ipsius Christi, & hoc modo habent proportionem & condignitatem ad gloriam.

D. Tho. c. 2. q. 114. a. 1. 3. id.

Opera ergò nostra & passiones secundum se, sive secundum perfectionem naturalem, quam habent à libero arbitrio, pauci valoris sunt : sed à deifico statu operantis, à Spiritu S. inhabitante per gratiam, à meritis Christi, valorem & dignitatem sortiuntur & nobilitantur; & quæ alias sordida forent ut pannus menstruatæ, Sanguine Christi abluuntur, & in pretio sunt.

Similitudines. 4. Reg. 2. 3.

Sicut aquæ Hiericho quæ steriles erant, sordidæ, & fœtentes, Elizæo Propheta mittente in illas sal dulces effectæ sunt : Sic opera nostra à libero arbitrio, multam sæpè habent amaritudinem, sed sale Passionis & Crucis Christi aspersa, nil illis dulcius aut Deo gratius.

Rom. 11. 17.

Sicut enim Oleaster insertus olivæ socius fit radicis & pinguedinis, qui aliàs infructuosus erat, amarus, & sylvestris : Ita opera nostra ex se amara, sylvestria & infructuosa, dum per fidem & charitatem inseruntur arbori vitæ Christo, participant de gratia ejus, & meritoria fiunt æternæ gloriæ.

Joa. 5. 36. 1. Joa. 5. 12

Item sicut semen rectè dicitur habere proportionem ad fructum, licet exiguum sit, quia habet vim & efficaciam producendi frondes, flores, fructus : Ita gratia tanquam semen gloriæ est, & per opera ex ipsa manantia habet vim & efficaciam producendi dispositivè moraliter gloriam cælestem & beatam.

Hinc in scriptura ipsa gratia vocatur aliquando *vita æterna*, juxta illud : *Qui credit in Filium, habet vitam æternam. Hæc scribo vobis ut sciatis quoniam vitam habetis æternam.* Et alibi sæpius.

Est enim gratia vita quædam æterna inchoata, quæ semen quoddam futuræ immortalitatis est, sed in Cœlo erit in gradu consummato perfectionis suæ, non potens ullo modo deficere, ita ut gloria non sit aliud quam gratia consummata, & ipsa gratia definitur à Theologis, *Acceptatio ad gloriam* : & ipsa æterna est hoc sensu, quia potens est non deficere, nec habet à quo corrumpatur contrariè & physicè, nisi ab ipso homine voluntariè deseratur, & velut per peccatum demeritoriè expellatur.

Joa. 4. 13.

Hinc est quod de illa dicitur : *Qui biberit ex hac aqua non sitiet in æternum*, quia nisi homo hanc aquam evomat voluntariè, ipsa sitim animæ sedat & usque in æternum perdurabit.

PROPOSITIO II.

Licitum est juste bene operari intuitu mercedis æternæ.

Licet juste benè operari intuitu mercedis.

Trid. sess. 6. c. 11. Ps. 118. 12 Heb. 11. 24.

Ita habet Concilium Tridentinum. Et satis colligitur ex divinis Scripturis. Dicit enim ipsemet Propheta ad se : *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem.* Et de Moyse dicit Apostolus ad Hebræos quod grandior effectus, *negavit se filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei; aspiciebat enim in remunerationem.* Scriptura quoque sæpissimè nos excitat ad bene operandum, promissione mercedis.

Homo primariò spectare debet in operando gloriam Dei, non suam mercedem.

Adverte tamen primariò hominem non debere mercedem respicere, ut perfectè operetur : sed præcipuè spectare debere gloriam Dei, & operari ut glorificetur Deus : Quamvis secundario possit respicere hanc *Coronam quam promisit Deus diligentibus se.* Non licet tamen justo habere hunc affectum : *Si non esset merces, non benè operaretur* : Hic enim affectus purè mercenarius est & vitiosus. Sed debet dicere. Licet nulla foret merces posita, licet nullam expectarem remunerationem à Deo; tamen propter ejus bonitatem, omnem amorem & omne obsequium ei impenderem. Hæc enim est mens disposita, & verè amans Deum amore amicitiæ, quæ propter seipsum illum amat, & illi jungi optat tam in afflictione, quam in gloria, illique sociari desiderat non solum in monte Thabor sicut Petrus, hoc est, in deliciis cælestibus, sed & in monte Calvariæ, in cruce & doloribus.

Exempl. Lud. Granat. serm. de Assumpt.

Sic legimus Beatam Catharinam Senensem quadam die dixisse sponso suo Christo, cum quo sæpius magna familiaritate agebat : *Ecce dilecte mi, tu nosti nihil prater te, me in hac vita delectare posse, sed omnia mihi fastidio esse, aspiravi ad æternam illam in Cœlesti regno tecum conjunctionem, & indivisibilem societatem. Cur ergò hanc tam flagranti desiderio non foves? Cur tam longa dilatione afflicta afflictionem adauges? Cur non evocas me ex hoc exilio*

exilio arumnoso, ut quamcitius tibi jungar? Respondet ille: Filia mea tu scis, quòd cum agerem in hoc mundo, tantopere desideraverim brevi finire hanc peregrinationem, ut ad domum Patris mei cœlestis opere mihi commisso expleto, ingredi possem: Sed tamen dilatum fuit desiderium meum ex voluntate Patris, per triginta tres annos, quibus continuò laboravi & opus meum consummavi; & cum breviori Tempore id fieri potuisset, amabilis tamen mihi fuit voluntas Patris & gloriæ meæ dilatio. Cui iterum illa: *O dilecte, quandoquidem per tuam voluntatem te frui necdum datur visione illa & societate aterna: fac, ut durante hac vita, ita spinarum ac crucis tuæ sentiam aculeos, ut possim tibi continuò sociari indivisibiliter in spinis & pœnis, donec tibi placuerit me ad gloriæ consortium evehere.*

Itaque viri perfecti non serviunt Deo ob vitam æternam principaliter, sed serviunt Deo propter Deum, puro amoris affectu, ita ut si nulla esset gloria proposita, vellent nihilominus integrè Deo servire, & totos se Deo consecrare.

Nicolaus Denise. Tract. 1. de divina Prov.

Habes hac de re exemplum duorum Anachoretarum, quod refert Nicolaus Denisæ, & alii. Hi duo fratres erant, quorum unus junior, alter senior: dæmon invidens his duobus servis Christi, apparuit seniori dicens: Ego sum Angelus Dei, & ex parte ejus missus sum, ut tibi aliqua nuntiem. Noveris ergò fratrem tuum juniorem filium esse damnationis, & de numero reproborum. Quapropter vanè laborat & inaniter se in pœnitentiis consumit; quia finaliter casurus est, & in peccato decedet, flammis æternis addicendus. Ex eo tempore quoties juniorem hunc videbat senior, flebat amare, nec poterat lachrymas continere. Tandem hoc advertens junior, interrogat causam tristitiæ, cur quoties eum alloquitur, lachrymis se conficiat? Urgente illo, rem tandem totam illi aperuit senior, cautimque lachrymarum suarum expositit. Quam intelligens junior dicit ei: Non est quod me propter revelationem istam tuam contristes, aut propter me contristeris; faciat Deus secundum beneplacitum suum, nam ego non servio ei propter regnum cœlorum, sed propter bonitatem suam & amorem erga me & ob mortem & passionem quam propter me pertulit. Si placeat ei mihi dare regnum Cœlorum, faciat ex bonitate sua, potens est id facere: Si verò ejus voluntas fuerit me ad æternas pœnas demergere, quis potest eum impedire; Sequenti nocte apparuit Angelus Dei, seniori, & aperuit ei quomodo alter Angelus sathan fuisset, transfigurans se in Angelum lucis. Et adjecit fratrem illum juniorem plus meriti acquisivisse per illam constantiam, quam fecisset omnibus diebus vitæ suæ.

PROPOSITIO III.

Potest justus antiquam ponere fiduciam in meritis suis.

Quomodo possit justus

RAtio est; quia cum opera nostra (ut jam diximus) sint æternæ vitæ meritoria, potest in illis confidere, & ex illis gloriam expectare, non tamen ut sunt à se, sed à divina gratia. Hinc de nostris bonis operibus loquens B. Cyprianus ait: Præclara & divina res est, fratres charissimi salutaris operatio, solatium grande credentium, securitatis nostræ salubre præsidium, munimentum spei, tutela fidei, medela peccati. Operatio bona, Dei munus est infirmis necessarium, fortibus glorioſum, quo Christianus prometetur Christum Judicem, Deum computat debitorem. Ad hanc operum salutarium palmam libenter & prompte certemus, omnes in agone justitiæ, Deo & Christo spectante, curramus. Si in hoc operis agone currentes dies ultimus invenerit, nusquam Dominus meritis nostris ad præmium deerit: in pace vincentibus coronam candidam pro operibus dabit, in persecutione purpuream pro passione geminabit. Ita ille.

fidere suis meritis. S. Cypr. tract. de oper. eleemosynis.

Hinc etiam Sancti ex hac confidentia aliquando allegant merita. Sic Ezechias dicebat Deo: *Memento Domine quomodo ambulaverim coram te in corde perfecto, & quod placitum est coram te, fecerim.* 4. Reg. 20. Sic & Job toto capite 31. allegat justitiam suam, & misericordiam erga pauperes & viduas, & innocentiam. *Si declinavit gressus meus de via & secutum est oculos meos cor meum, & si manibus meis adhæsit macula: Seram & alius comedat, & progenies mea eradicetur. Appendat me in statera justa, & sciat Deus simplicitatem meam.* Sic & Paulus cum fiducia passioni appropinquans merita sua allegat, dum dicit: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, &c.* Job. 31. 7.

In operibus verò & meritis confidere, non est in se confidere, sed in Domino, cujus tanta est bonitas, ut velit dona sua esse merita nostra, ut dixit Concilium Tridentinum. Perfectam tamen & consummatam spem, nemo facilè debet concipere de propriis meritis, quia ut monet ipsum Concilium, in multis offendimus omnes, neque seipsum aliquis debet judicare, licet nihil sibi conscius sit; & opera nostra multis sæpius permixta sunt imperfectionibus, ita ut cum putemus ea Deo placere, sæpe inconspectu illius fœda sint, *quasi pannus menstruata*; quia non omnibus vestita debitis circumstantiis, non puro fine aut intentione. Sæpè ignis ardet, sed sine fumo flamma non ascendit; sic & multorum opera, quæ ab igne charitatis procedere videntur, fumo aliquo vanæ intentionis, aut proprii amoris, impura & fuliginosa sunt. Multi qui Deo putant se placere, & operibus bonis abundare, sine meritis se invenient, & cum multis peccaris, quia dum in *Pondere Sanctuarii* appendet illa Deus, pondus & valorem debitum non repetiet: *Et sæpe sordet in discretione Judicis, quod fulget in æstimatione operantis*, ut dicit Div. Gregorius. Lignum quod rectum æstimatur, si funiculum mensor adhibeat, curvum statim apparet: Sic etunt multorum opera respectu Dei, dum illa metietur suæ funiculo rectitudinis. Trid. sess. 6. c. 16. D. Greg.

Hinc D. Bernardus cum quo[illegible] gravi morbo

Exempl. Invita S. Bernardi.

urgeretur, raptus in extaſim, viſus eſt ſibi duci ad Dei tribunal; ubi invenit hoſtem ſalutis noſtræ paratum ad accuſandum. Cumque varia contra eum proturliſſet, & merita ejus elevans, concluderet eum gloria illa æterna indignum; non fuit auſus Bernardus in meritis ſuis confidere, hoc ſolùm reſpondit: Confiteor me indignum æterna gloria; ſi in opera mea & merita ſola confiderem. Sed Dominus meus eam poſſidet duplici titulo: Primò, quia filius æterni patris eſt, quo quidem titulo etiam hæres eſt regni. Secundò, quia eam meritis ſuis & pretioſo ſuo Sanguine acquiſivit. Contentus ergò primo titulo, qui etiam ei ſufficit, donavit mihi ſecundum, cujus virtute jus ad regnum illud habeo. Hoc reſponſo confuſus eſt ſatan, & forma judicii diſparuit, Bernardo ad ſe reverſo.

Tutiſſimum igitur eſt, non tam in ſuis operibus & meritis confidere, quam in ipſa Dei miſericordia, nihil interim remittendo de ſtudio bonorum operum, ſed continuò opera operibus cumulando:

Pſ.103.23 *Exibit enim homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam uſque ad veſperam.*

Eccl.11.6. Propterea monet Sapiens: *Manè ſemina ſemen tuum, & veſpere ne ceſſet manus tua.* Opera noſtra ſemen ſunt, ex quo fructum exſpectamus. Vult ergò nos eſſe ſtrenuos & infatigabiles, quia, *Qui parcè*

2. Cor. 9. 6. *ſeminat, parcè & metet:* Arguitque illos deſides, qui ubi modicum quid fecerint, quaſi egregiè officio functi ſint, ſtatim otio ſe tradunt; cum non ſufficiat mane exiſſe ad opus, ſed ad veſperam uſque

Matt. 20. perſeverantibus merces reddatur. Non ſufficit in valida ætate (quæ per manè hic etiam intelligi poteſt) aliquid boni egiſſe, ſed oportet & veſperè, hoc eſt in tempore ſenectutis, quando ad occaſum homo declinat, ſtrenuè laborare, non verò carni curandæ vacare, aut otio indulgere. Poteſt etiam ſignificari nos operari manè & veſpere, hoc eſt, tàm in tempore proſperitatis, quàm adverſitatis. Addit verò ipſe Sapiens cauſam, cur tam ſeriò moneat & veſperi & manè boni operis ſementem jacere. *Quia neſcis quid magis oriatur, hoc aut illud.* Indicat nos de operibus noſtris incertos, quæ placeant Deo, & quæ non, & ideò nullam boni operis occaſionem negligendam, quia ſi priora non placeant, poſteriora placere poterunt.

Philip.3. 13. Eadem eſt monitio B. Pauli dum ad Philippenſes ſic ſcribit: *Quæ retro ſunt obliviſcens ad priora extendo meipſum, ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis.* Quibus verbis monet ſui ipſius exemplo, nos non debere præterita bona noſtra nimiùm reſpicere, & de illis nobis adblandiri, aut nimis confidere; ſed potiùs illorum obliviſci, & velut retrò ponere. Toto autem conatu ad nova virtutum heroica opera ſe exercere, & verſus ſcopum tota intentione ferri, vocat Apoſtolus. *Ad inferiora ſe extendere, & ad deſtinatum perſequi.* Unde & hunc locum explicans D. Chryſoſtom. cum

S. Chryſ. homil. 12. ad eum Loc. & S. Anſelm. D. Anſelmo [illegible]ntur ſimilitudine currentis in ſtadio, qui non cogitat quot ſpatia perfecerit, ſed quot adhuc reſtent. Meminiſſe enim rectè factorum duo mala parit; quia facilè in arrogantiam hominem tollit; & negligentiores ſolet multos efficere.

Hinc Sancti Patres & perfectionis Duces, hoc tanquam fundamentum & ſtimulum ad perfectionem conſtituebant: *Cogitare quotidiè ſe inchoare, nihil adhuc feciſſe.*

Hæc eſt Doctrina Div. Gregorii dicentis: *Neſcit mens per torporem veteraſcere, quæ ſtupet per deſiderium ſemper inchoare.* Hinc per Apoſtolum dicitur: *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ,* & Pſalmiſta qui ad perfectionis culmen venerat, quaſi inchoans dicebat: *Dixi nunc cœpi*: quia ſcilicet niſi laſſeſcere ab inchoatis bonis volumus, valdè neceſſe eſt, ut inchoare nos quotidiè credamus. S. Greg. l. 2. mor. cap. 2. Eph. 4. 23 Pſ. 76. 11.

Hæc quoque fuit doctrina Div. Antonii, quam moriturus ſuis tradebat fratribus. Hoc, inquit ſit primum cunctis mandatum, nullum in arrepti propoſiti vigore laſſeſcere, ſed quaſi incipientem augere ſemper debere, quod cœperit. *Ego quidem filioli, ſecundùm eloquia ſcripturarum, Patrum gradior viam, jam Dominus me invitat, jam cupio videre cœleſtia: Sed vos, ô viſcera mea admoneo, ne tanti temporis laborem repente perdatis. Hodiè vos Religioſum ſtudium arripuiſſe arbitremini, & cœpta voluntatis fortitudo ſuccreſcet.* Ita ille apud Athanaſium. D. Athan. in vita S. Antonii.

Idem præceptum & doctrinam eandem tradebat Barlaam moriturus, Beat. Joſaphat antea Regi, poſt Anachoretæ & diſcipulo ſuo, quem allexerat relictis ſceptris ad divinum obſequium in ſolitudine. Nunc inquit quandoquidem mortis meæ tempus inſtat, & collactanea atque mihi æqualis ea cupiditas, quæ ut cum Chriſto eſſem, ſemper me tenuit, jam expletur. Tu quidem corpus meum terræ conde, & pulveri pulverem redde. Poſt autem tu ipſe in hoc loco hære, ſuſceptum vitæ genus proſequens, meæque tenuitatis memoriam retinens: Tu verò fili ne religioſæ exercitationis laborem metuas, ne ad temporis longitudinem aut dæmonum inſidias elangueſcas, ac potiùs eorum imbecillitatem Chriſti virtute munitus, ride. Ad laborum verò duritiam & diuturnitatem, ita te compara, quaſi quotidiè diſceſſum expectans, eundem diem tibi vitæ monaſticæ tum initium, tum finem exiſtimans. Sic ſemper quæ à tergo obliviſcens, ad anteriora te extendens, ad deſtinatum perſequere bravium ſupernæ vocationis. Ita Damaſc. in hiſtor. Barlaam. Damas. in hiſt. Bal. c. 39.

Doctrina ſimili D. Franciſcus fratres ad ſpiritus fervorem, ſub finem vitæ excitabat. *Incipiamus,* inquit, *fratres ſervire Deo noſtro, quia uſque nunc parum proficimus.* Flagrabat deſiderio magno ad humilitatis redire primordia, ut leproſis ſicut à principio miniſtraret, corpuſque præ labore jam collapſum, revocaret ad priſtinam ſervitutem. Proponebat Chriſto Duce ſe facturum ingentia, & fatiſcentibus membris, ſpiritu fortis & fervidus, Bonav. in legenda S. Fran. c. 14.

by Google

novo sperabat certamine de hoste triumphum, nec enim languor vel desidia locum habet, ubi amoris stimulus semper ad majora perurget. Ita Bonaventura.

LECTIO VI.

DE PERSEVERANTIA SPEM FIRMANTE.

1. *Docet firmari spem per perseverantiam finalem.*
2. *Illam non à nobis sed à Deo pendere.*
3. *Cum dono perseverantiæ hominem finaliter non excidere.*
4. *Dari aliqua signa probabilia electionis & perseverantiæ.*

PROPOSITIO I.

Spes firmatur finali perseverantia.

Spes nostra fundatur in perseverantia finali in gratia ac bonis operibus.

RAtio est, quia vita æterna quam per spem exspectamus, non datur nisi perseverantibus. Promissio enim est conditionata : *Si quis perseveraverit usque in finem salvus erit.* Matth. 10 22. & cap. 24. 13. Hanc conditionem sæpè repetit Scriptura, ut eam tanto profundius animis nostris imprimat ; ut nobis advigilemus ne deficiamus. Sic in Apocal. dicitur : *Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ :* Apoc. 2. 10. Corona non datur inchoantibus certamen aut cursum, sed currentibus usque ad metam : *Sic currite ut comprehendatis.* 1. Cor. 9. 24.

Ita quoque sub variis symbolis, hæc vita æterna in Apocalypsi vincenti promittitur, dum post perfectam victoriam, ei promittitur. *Ejus lingi vitæ, stella matutina, sessio in throno.* Apoc. 2. 7 ib. v. 28. & c. 3. 21. Per vincentem enim ibi intelligitur is qui omnes debellant hostes, & victoriam finalem obtinuerit, dicitur enim. *Qui vicerit & custodierit usque in finem opera mea, dabo ei stellam matutinam.* Hæc est gloria animæ, quæ transacta nocte hujus sæculi, lucem & vitam Sanctis affert ; & quasi novum manè in splendore visionis, novumque diem æternitatis. Ut hanc ergò promereamur, oportet custodire usque in finem opera Dei.

Sic & ipse monet Apostolus : *Fratres dilecti, stabiles estote & immobiles, abundantes in opere Domini, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.* 1. Cor. 15. 58.

Sic monet & sapiens : *Non te ventiles in omnem ventum, & non eas in omnem viam : esto firmus in via Domini. Si Spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris :* Si diabolus tentationibus te agitat, & dominari vult, stabilis mane in bono proposito, & in statu gratiæ firmus : *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Eccl. 5. 11. Eccl. 10. 4 Apoc. 3. 11

Denique non aliut vult sacra Scriptura, dum monet, ne simus claudicantes, ne simus ut sidera errantia, ne simus mutabiles ut luna. Dum quoque monet, ne manum ad aratrum mittentes respiciamus retrò, & ut non descendamus de tecto & culmine virtutum, ad tunicam nostram veterem repetendam. Exemplum quoque nobis proponit uxoris Loth, tam graviter punitæ, quia retrò aspexit : Excusabilis videri posset infima mulier, quæ dum advertit cœlum & terram fumo & sulphure misceri, è cœlo fulmina & ignes erumpere, omnia à tergo conflagrare, ædificia ruere, urbes magno fragore decidere, in tanto strepitu retrò aspicit, ut patriæ suæ ruinam conspiciat, & se ereptam gaudeat & gratias agat. Et tamen tam severè punitur versa in statuam salis ; quia voluit Dominus per hanc punitionem & statuam, perseverantiam commendare ; ut qui è gravibus vitiis, quasi è Sodoma, Dei gratia liberantur, sub divinæ justitiæ metu trepident ; nec desiderio aut voluntate retro aspiciant, sed cum perseverantia Angelo deducente ascendant, donec ad montem salutis pertingant.

Ad hanc quoque perseverantiam præclarè nos hortantur Sancti Patres : Imprimis B. Cyprianus qui sic ait. Hortamur vos fratres per communem fidem, per veram circa vos charitatem nostram, ut gloriam vestram perseveranti virtute teneatis. Adhuc in sæculo sumus, adhuc in aciè constituti, de vita nostra quotidie dimicamus. Danda opera est, ut post hæc initia ad incrementa veniamus, & consummetur in vobis, quod jam rudimentis fœlicibus esse cœpistis. Parum est aliquid potuisse adipisci, plus est servare. Sicut & fides ipsa & nativitas salutaris, non accepta sed custodita vivificat, consummatio hominem Deo servat. Salomon & Saul recesserunt à viis Domini, recessit ab illis & gratia. Ita ille. Cyprian. li. 1. ep. 5.

Audiamus & Bernardum mellifluè hac de re differentem : O fratres, inquit, non tædeat incipere magna, nec fastidiat tenere inchoata, scientes quod perseverantia informat merita, coronat bonum propositum, remunerat currentem, coronat pugnantem, ducit ad bravium, conducit cunctos ad portum. Hæc est tunica talaris Joseph usque ad finem pertingens. Hæc est tunica Sacerdotalis, ad pedes perveniens. Hæc est causa hostiæ, quam tenemur Deo reddere & offerre. Hæc est calcaneum bonæ operationis, quod contra serpentis morsum debemus observare. Hæc est virtus quæ Deum ligat, quæ omne bonum informat. Hæc est perseverantia, qua laureantur Martyres, qua Virgines coronantur, Sacerdotes sublimantur & Confessores. Ita ille. Vide ejus epist. 129. ad Januenses. *Perseverantia sola meretur viris gloriam, coronam virtutibus. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Væ ergò illis qui perdiderunt sustinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diverterunt in vias pravas. Quid facient cùm inspicere cœperit Dominus,* S. Bern. Eccl. 2. 16.

Job.15.33 inquit Sapiens? Væ illis qui ſunt ut *vinea quæ ladi-*
tur in primo flore ſuo, ut loquitur Job, Vinea fru-
ctuum abundantiam promittit per flores, ſed ne-
bula ſuperveniente marceſcit, & ſine fructu eſt. Sic
multi flores multos, deſideria & primordia con-
verſionis exhibent, ſed deficiente perſeverantia, ad
fructuum maturitatem non pertingunt.

Daniel.2. 32. Væ illis qui ſunt inſtar *ſtatuæ Nabuchodonoſor*,
quæ cœpit in auro, deſiit in luto. Illa rectè imagi-
nem nobis exhibet inconſtantiæ multorum in via
Dei, in via virtutis & pietatis. *Caput aureum* de-
ſignat purum amorem Dei: *Pectus argenteum* de-
ſignat aliquam mox Dei deficientiam, ab illo puro
amore & perfectione. Argentum illud efficitur *as*
& ferrum, cùm homo deficiens, paulatim durus
fit ad emendationem, & ſalubria conſilia. Tandem
totum vertitur *in lutum*, cùm voluptati ſe totum
tradit, & qui ſpiritu cœpit, carne conſummatur.

Thr.4.2. Hos luget Hieremias: *Filii Sion incl,ti amicti auro*
primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea? Qui e-
rant vaſa aurea, vaſa in honorem facta ſunt vaſa in
contumeliam, vaſa immunditiæ ſervientia, quæ
apta erant ſervire menſæ Domini.

S.Hiero. Itaque non quæruntur *in Chriſtianis initia, ſed*
finis: Paulus malè cœpit, ſed benè finivit: Iuda lau-
dantur exordia, ſed finis proditione damnatur: in-
quit D.Hieron. Quid profuit Judæ benè cœpiſſe
in ſchola Salvatoris: in faſtigio Apoſtolicæ digni-
tatis, cujus exitus adeò infœlix fuit & exitialis,
parricidali proditione & funeſta arbore? Quid
prodeſt Sauli, quod humilis fuerit in oculis ſuis,
& innocens quaſi puer unius anni, dum initiatur
ad regnum; qui regia poſt dignitate inſolescens, &
Deo inobediens, infauſtè ſibi mortem conſcivit,
regno temporali privatus & æterno? Quid pro-
fuit Salomoni tanta ſapientia & gratia Regnum
Iſraeliticum adminiſtraſſe, qui poſtea non ſolum
turpibus amoribus deditus fuit & depravatus, ſed
& idololatriam ſecutus, & ut multi putant, in vi-
tiis ſuis ſine pœnitentia mortuus? Quid profuit
Udoni Magdeburgenſi, divinitus impetrante D.
Virgine donum ſcientiæ ac pietatis accepiſſe, & ad
Archiepiſcopalem dignitatem evectum fuiſſe ob
eminentiam virtutis, qui poſtea voluptatibus in-
cœſtis immerſus, tertiò etiam voce de cœlo mo-
nitus, capitis ſubiit ſententiam in ipſo ſuo Tem-
plo, æternamque ſimul damnationem incurrit?
Vide ſuprà Libro 1. Tract. de Judicio. Quid profuit
multis aliis cœleſti quadam converſatione aſcen-
diſſe uſque ad cœlos, & velut inter ſidera collo-
caſſe nidum ſuum, qui poſtea ab impetu ferientis
caudæ Draconis, de ſublimi virtutum gradu velut
de Cœlo ad enormia vitia detracti ſunt, deſcende-
runt in profundum abyſſi? Denique, ut verbis Baſilii
S.Baſil. de 40. Mart. concludam: Quid profuit tanta in Martyrio pati,
Brev. unum ex quadraginta illis Martyribus. Quorum
Rom. unum omnium erat votum: *Quadraginta Domine*
9.Martii. *in ſtadium ingreſſi ſumus, quadraginta item corona*
donemur, ne una quidem huic numero de ſit: eſt in bono-
re hic numerus, quem tu quadraginta dierum jejunio decoraſti, per quem divina lex ingreſſa eſt in Orbem terrarum, Elias quadraginta dierum jejunio Deum quærens, ejus viſionem conſecutus eſt. Et hæc quidem illorum erat oratio, dum jam ſæpius in horribilem carcerem detruſi fuiſſent, & ora ipſorum lapidibus contuſa, dum hyemis tempore frigidiſſimo, nudi ſub aperto aere pernoctare juſſi ſunt, ut frigore congelati necarentur. Unus interim repertus eſt ex animi inconſtantia, ut frigoris tolerantiam deſperans, ad hoſtes tranſierit: *Miſerabile ſpectaculum*, inquit Baſilius, *miles tranſfuga Chriſti, ovis à lupo direpta, & miſerabilius à vita perpetua excidens, ſed nec præſenti vita diu gaudens, nam ſimul atque lavacrum inſiliit tepefactum, corpore quod glacie torpebat diſſoluto, ſtatim interiit.* Multum verò profuit Janitori tardè converſionem ſuam inchoanti, ſed perſeveranti; qui cùm illos orantes & luce circumfuſos vidiſſet, & quoſdam à Cœlo deſcendentes Angelos, qui coronas triginta novem diſtribuerent, mox ipſe [illegible] aliis cuſtodibus Chriſtianum ſe profeſſus, [illegible]etis veſtibus Martyribus ſe adjunxit, & quidagesimam coronam obtinuit; ne fruſtraretur oratio Sanctorum illorum Martyrum.

PROPOSITIO II.

Perſeverantia non à nobis pendet, ſed ex munere Dei venit. *Perſeverantia à Deo ſolo eſt*

DE illa loquens Concilium Tridentinum. Trid. ſeſſ. 6.c.13.
Donum, inquit, *perſeverantia non poteſt aliunde haberi, niſi ab eo qui potens eſt eum qui ſtat, ſtatuere, ut perſeveranter ſtet: & eum qui cadit reſtituere.* Additque Concilium, neminem certò ſcire ſe illud donum habere, tametſi in Deo firmam ſpem omnes debent collocare & in ejus auxilio: Deus enim niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere. Verum tamen, inquit, qui ſe exiſtimant ſtare, videant ne cadant, & cum timore ac tremore ſalutem ſuam operentur, in laboribus, in vigiliis, in eleemoſynis, in orationibus & oblationibus, in jejuniis & caſtitate. Formidare enim debent (ſcientes quod in ſpem gloriæ, & nondum in gloriam renati ſunt) de pugna quæ ſupereſt cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores eſſe non poſſunt, niſi cum Dei gratia, Apoſtolo obtemperent dicenti: *Debitores ſumus non carni, ut ſecundum carnem vivamus: ſi enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini, ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Ita Tridentinum. De hac verò incertitudine perſeverantiæ latiùs egimus Lib.1.tractantes articulum fidei de Remiſſione peccatorum.

Philip.2. & 3.
1.Cor.10. Philip. 2.
1.Pet.1.
Rom.8. 13.

De hoc quoque dono perſeverantiæ loquens B. Proſper conformiter Concilio ſic dicit: *Si in ſanctitate vivitur, ſi in virtute proficitur, ſi in bonis ſtudiis* B. Proſper ad 14. object. Vin.

Digitized by Google

ſtudiis permaneatur, manifeſtum munus eſt Dei, ſine quo nullus boni operis fructus acquiritur : ſi autem ab his receditur, & ad vitia tranſitur, nihil ibi Deus malæ tentationis immittit, & receſſurum non deſerit, antequam deſerat ; & facit plerumque ne deſerat, aut etiam ſi diſceſſit ut redeat. Cur autem illum retineat, illum non, nec poſſibile eſt comprehendere, nec licitum veſtigare cum ſcire ſufficiat, & ab illo eſſe quod ſtatur, & non ab illo eſſe quod ruitur.

Donum Perſeverantiæ quid ſit.

Sed quæres quid ſit donum perſeverantiæ ? Reſpondetur eſſe ſpecialem quandam protectionem & cuſtodiam Dei, qua fit ut juſtus reipſa uſque in finem in gratia permaneat. Hæc verò cuſtodia includit varia auxilia interna vel externa, quibus fortificatur interius contra tentationes, aut externus illæ avertuntur ab eo, aliaque impedimenta ſalutis. Hoc itaque perſeverantiæ donum non omnes juſti habent. Licet enim omnes habeant aliquod auxilium, quo poſſint vitare omne peccatum mortale, tamen ob infirmitatem naturæ, poſt lapſum de facto non vitabunt, niſi illa ſpecialis protectio accedat. Sicut homo qui non eſt perfectè reſtitutus ſanitati, non tantùm alimentis eget, ſed & continuis medicamentis, ut in bona valetudine perſeveret : Sic homo ut in gratia perſeveret, & theſaurum gratiæ conſervet, quem portat in vaſe fictili, eget illa ſpeciali protectione contra ingruentes undique tentationes. Qua quidem non indigebat primus homo, qui cum communi auxilio juſtorum poterat facilè perſeverare ; quia ſana erat natura ſine illis difficultatibus. Unde cum ſimili auxilio perſeverarunt boni Angeli. Neque tamen homo deficiens per peccatum debet illud Joan. 1.12 Deo referre, ſed ſibi & ſuæ pravæ voluntati. *Quotquot enim receperunt eum* per gratiam, *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri* & permanere. *Hæc verò non* Bern. ſer. de duplici Bapt. *inanis eſt*, inquit Bernard. *aut infirma talis poteſtas, qua nimirum certi ſumus continuò & nos, quoniam neque mors, neque vita, neque virtutes, neque altitudo, neque Angeli, neque profundum poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Sed attende quanta enumeravit Apoſtolus (ejus enim verba ſunt.) Minimè tamen adiciens, nec nos ipſi. Nimirum hæc eſt libertas, qua Chriſtus nos liberavit, ut nulla penitus creatura avellere nos aut vim facere poſſit. Sola id deſerere poſſumus propria voluntate abſtracti & illecti à propria concupiſcentia. Præter hanc enim nihil eſt quod timeamus.* Denique donec voluntatis uſum & facultatem deliberandi renatus quiſque recipiat, à charitate Dei omninò ſeparari non poteſt. Securus interim degit, ſub protectione & advocatione Domini Dei ſui, non eſt quod vereatur ex omnibus. At ubi ſanè diſcretionis annos ingrediens redditur ſibi cæterorum utique violentiam, nec tunc quidem formidare neceſſe eſt : ſed ab ea quæ dormit in ſinu caveat, prodita ſcilicet voluntate. Erit fortè peccatum in foribus, ſed appetitus ejus ſub eo eſt, tantùm ipſe aperire renuat, conſentire recuſet. Hæc Bernardus.

De hoc dono perſeverantiæ intelligit Auguſtinus illud Davidis : *Præſtitiſti decori meo virtutem.* Hoc eſt, inquit ipſe, *Decori gratiæ ſuper adjeciſti virtutem perſeverantiæ.* Hanc quoque petebat dum Pſalmo ſeptimo dicit : *Ne projicias me in tempore ſenectutis, cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Aug. de gratia & lib. arbit. c. 6. Pſ. 29. 9.

Docet verò idem Auguſt. libro de dono perſeverantiæ per varia Capita, ubi potiſſimum modis Deum juſtos protegere ut perſeverent. Primus eſt, dando eis vim ad tentationes ſuperandas, de quo Hieremias : *Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant à me.* De hoc ſæpius etiam agit Pſalmiſta : *A dextris eſt mihi Dominus, ne commovear.* Item : *Non dedit in commotionem pedes meos.* Item : *Niſi quia Dominus adjuvit me, paulò minùs habitaſſet in inferno anima mea.* Secundus eſt, ſubtrahendo tentationes juſtis quas ſcire non poſſent. De quo Apoſt. *Fidelis Deus eſt qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis.* Tertius modus eſt, hominem ſubtrahendo tentationibus per mortem. De quo Sapiens : *Placens Deo factus dilectus, & vivens inter peccatores translatus eſt : raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. Placita erat Deo anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.* S. Aug. l. de bono perſeverantiæ. Hier. 32. 40. Pſal. 15. 8. Pſal. 93. 17. 1. Cor. 10. 13. Sap. 4. 10.

PROPOSITIO III.

Perſeverantiæ donum habens non peribit.

Qui habet donum hoc perſeverantiæ, finaliter non excidet.

DE illo ergo dicere poſſumus : *Non peccabit peccato ad mortem*, hoc eſt, peccato finali, & *cùm ceciderit, non collidetur* ad damnationem, *quia Dominus ſupponit manum ſuam*, ut iterum elevet eum ad gratiam. Licet verò finaliter caſurus non ſit, non tamen impetit donum hoc perſeverantiæ hominis libertatem ; ſed agit cum illo Deus fortiter & ſuaviter ut finem attingat, *fortiter pro ſe, ſuaviter pro me*, inquit Auguſtinus, quia efficaciter deducit ad finem, & tamen ſine violentia aut læſione libertatis. Quaſi tenens manum juſtorum ſuaviter eos deducit ſecundum voluntatem ſuam, alliciens voluntatem eorum, ut cum gloria eos ſuſcipiat, juxta id quod dicit David in perſona illorum : *Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me.* 1. Joan. 5. 15. Pſ. 36. 24. S. Aug. Pſal. 72. 2.

Conſiderari hic poteſt Deus agere cum juſtis, quaſi mater cum puero, quæ docet eum progredi, & in via deducit illuc quo vult ille pervenire. Mater ergò fragilitati infirmitatique illius diffidens, illum manu apprehenſum uſquequaque ſuſtinet : & licet libere quo velit incedere permittat ; tamen ſi manumitteret illum, infans diu ſe ob pedum inſtabilitatem ſuſtinere non poſſet, ſed caderet. Sic homo poſt peccatum adeo infirmus eſt, ut Simile matre.

ſine Dei auxilio diu conſiſtere non poſſit. Et ſicut infans ille, retenta gradiendi libertate matri tamen ſubſtat: ita & liberum arbitrium etſi liberum, Deo ſubjectum eſt. Rurſum ſicut infans poſt caſum, libertatem habet vel gradiendi vel ſedendi, tamen ſine auxilio matris ſurgere non poteſt. Ita homo in peccatum lapſus, libertatem habet ſurgendi à peccato, in illo manendi; non poteſt tamen ſe erigere, niſi Deo manum dante. Et ſicut infans licet manum porrigat mater, poteſt nolle incedere: ita homo Dei manum porrigentem auxilium poteſt repellere. Vides ergò utrobique libertatem, non obſtante manuductione & auxilio; Tamen Deus ſic cum homine ſuaviter agit, ut infallibiliter ſit eum deducturus, impenſa illi protectione & cuſtodia ſpeciali, per quam infallibiliter fit perſeveraturus. Quæ quidem protectio, ut ſupra diximus *, varia continet auxilia, ut meritò Matri aut Nutritio ſe comparet Deus, non ſolùm deducenti, ſed etiam inter brachia puerum portanti: *Ego quaſi Nutritius Ephraim, in brachiis portabam eos:* Et apud Iſaiam: *Ego feci, ego feram, ego portabo & ſalvabo.* Sicut ergò mater benignè omnibus auxiliis agit cum puero, modò manum porrigens, modò inter brachia portans, modò humeris aſſumens: Sic Deus in ardua virtutis via, variis modis omne auxilium neceſſarium præbet, donec ſecurè in gloriam introducat, ut ſalutis portum aſſecuti, cœleuma decantemus.

Oſee. 11.3

Scala cœli. Gen. 28. 12. *Converſio peccatoris uſque ad ejus glorificationem ſcala comparatur.*

Quia verò per varia auxilia, & per varios gradus, aſcenſiones in corde noſtro diſponit Deus, donec pertingamus ad locum quem poſuit; Myſticam quandam Scalam (inſtar Scalæ Jacob) in peccatoris converſione uſque ad ejus glorificationem variis gradibus diſtinctam, conſiderare poſſumus. Scala hæc egreditur è pectore Chriſti; & pertingit uſque ad ſinum Patris æterni: fundatur enim & innititur redemptioni Chriſti tanquam radici.

Vis videre aliquot ejus gradus, per quos datur nobis aſcendere.

Primus gradus per quem juvatur peccator ad aſcendendum, eſt vocatio ſeu inſpiratio divina. Hæc peccatori obdormienti in vitiis & tenebris vocem immittit qua excitetur, lucemque qua illuſtretur. Varios autem modos, variaſque vias habet Deus, nobis non ſatis notas; quibus vocat & inſpirat: *Spiritus ubi vult ſpirat, & neſcis unde veniat, aut quò vadat*, inquit Dominus Joan. 3. Spirat ubi vult, quando vult, quomodo vult; & infinita ejus ſapientia ſuaviſque providentia infinitas habet vias, quibus inſpiret & illuminet nos, ut propterea dicat ad Job: *Indica mihi, ſi habes intelligentiam, per quam viam ſpargitur lux, dividitur æſtus ſuper terram?* Lux illa mentem illuminans, & æſtus divini amoris cor calefaciens variis perſonis à Deo communicatur, & non comprehendimus cur potius huic quam illi; nec varia media quibus lucem hanc in nos ſpargit, ſatis intelligimus.

Joan. 3. 8.

Job. 38. 24.

Secundus gradus eſt obedientia, per quam vocanti conſentit. Vocem enim Dei poteſt repellere, & aures mentis occludere. Hinc aliqui dicuntur, *inſtar aſpidis ſurdæ, obturantis aures ſuas*, ut non audiant *vocem venefici incantantis ſapienter.* Propterea etiam dicitur: *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Poteſt ergò homo Dei vocem, poteſt & lucem repellere, cordisque feneſtras illi claudere. Unde de aliquibus dicitur: *Ipſi ſunt rebelles lumini, & noſcierunt viam ejus.* Quam Scripturam in ſenſu morali explicuimus ſupra de obcæcatis. Vide ibi dicta de variis vocationibus ad finem & ad gratiam Tract. 1. Lect. 4.

Pſal. 57. 5.

Pſal. 94. 8.

Job. 24. 13

Lib. 1. tit. 1. lect. 4.

Tertius gradus eſt perfecta pœnitentia, quæ conſentienti datur. Illa enim perfecta converſio cordis, non ſolum à nobis, ſed maximè à Deo eſt: unde cum ipſe monet: *Convertimini ad me*, reſpondemus illi: *Converte nos Domine, & convertemur.* Ipſe eſt qui in nobis efficit cor molle & contritum; ſpiritum compunctionis infundens, quo & cor in lachrymas ſolvitur: *Flabit enim ſpiritus ejus, & fluent aqua.* Reſpicit Magdalenam, reſpicit Petrum, & *convertit petram in ſtagna aquarum.*

Iſa. 45. 22. Thr. 5. 21.

Pſ. 147. 18 Pſ. 113. 8.

Quartus Scalæ noſtræ gradus, eſt gratia & charitas quæ pœnitenti infunduntur, quæ animæ conferunt non ſolum pulchritudinem, per quam placeat Deo & Sponſo ſuo Chriſto, ornata hac veſte texta a Spiritu S. ſed etiam fortitudinem ad aſcendendum de gradu in gradum. *Etenim benedictionem dabit legislator*, ibunt *de virtute in virtutem* donec videatur *Deus Deorum in Sion.*

Pſal. 83. 8.

Quintum gradum facient opera à gratia & charitate procedentia: non enim gratia & amor otioſus eſſe poteſt in anima, ſed magna operatur, quod ſi operari tenuit, amor non eſt, inquit D. Gregorius.

Sextus gradus eſt augmentum gratiæ & charitatis, illa enim ſemper creſcit, juxta dictum Sapientis: *Inſtorum ſemita quaſi lux ſplendens creſcit uſque ad perfectum diem.* Quo etiam ſpectat illud monitum Domini in Apoc. *Qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc: Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc.* Et multi Theologi exiſtimant charitatem augeri non ſolum actibus ferventioribus & intenſis, ſed & ſingulis actibus etiam remiſſis.

Prov. 4. 18

Apoc. ult. 11.

Septimus gradus eſt perſeverantia, per quam uſque in finem in gratia & charitate homo permanet, & pertingit uſque ad Deum, qui in ſummitate Scalæ eſt, innixus Scalæ, aut cui potius Scala ipſa innititur, juxta lectionem LXX. Interpretum. Ipſe enim Dominus in vertice Scalæ; triplex agit officium. Primò reſpicit & conſiderat per immenſam ſuam ſapientiam omnes electos qui ab initio mundi uſque ad finem aſcenſuri ſunt: & conſiderat quidquid erga eos agitur, neceſſitates, pericula, tentationes, quibus aliquando cadunt & retrogrediuntur: mediaque quibus poſſunt retrogredi & progredi. Secundò non ſolum hæc conſiderat, ſed & ipſam ſcalam firmam facit, & manum porrigit, ut juvet ad aſcendendum, & protegat contra aduerſa

quæ

quæ eos è gradu deiicere conantur. Unde in ſcalæ ſummitate, quam vidit Jacob, dicebat illi & omnibus electis in perſona Jacob: *Ero cuſtos tuus quocunque perrexeris, nec dimittam niſi complevero univerſa quæ dixi* q.d. Sive in oriente adoleſcentiæ fuens, ſive in occidente mortis aut ſenectutis, ſive in aquilone tentationis & adverſitatis, ſive in meridie proſperitatis protegam te, & complebo omnia quæ dixi, efficiens ut hoſtes tui omnibus ſuis viribus & conatibus impedire te non poſſunt, quò minus pertingas quo ſtatui. De ovibus enim ſuis dicit, ſe ita earum curam habere, ut nemo eas poſſit rapere de manu ſua, aut de manu Patris. Tertiò in vertice ſcalæ exhibet ſe electis quaſi exemplar & ſpeculum quod intueantur, ut imitentur, ut ad illum quoque omnem ſuam dirigant intentionem, ut ſe illi conforment. Denique ut cum ſummitatem attigerint, eos ſuaviter excipiat, & complectatur unione æterna & fruitione beata.

Gen.28. 15.

Joan.10.

Scala gradus in cœlum ducentes.

Hi ergò ſunt gradus hujus ſcalæ quæ in cœlum ducit; & hi gradus inhærent, velut duobus fulcris ſpei ſcilicet & fidei: hæ duæ virtutes habent ſe tanquam duo ſuſtentacula, quibus ſtabiliuntur omnia noſtra opera & merita. Et per perſeverantiam ſummitas ſcalæ attingitur, quia ut jam dictum eſt, ipſa virtutum finis eſt & conſummatio, ſine qua nec qui pugnat victoriam, nec victor palmam conſequitur: nec obſequium mercedem habet, nec fortitudo laudem. Denique ipſa eſt vigor virium, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium, ſoboles conſtantiæ, ſoror patientiæ, amica pacis, propugnaculum ſanctitatis, filia unica æterni Regis: Sola eſt cui æternitas redditur, vel potius quæ hominem æternitati reddit, inter brachia Dei & Sponſi canens: *Tenui, nec dimittam eum.*

S. Ber. ep. 129. ad Januenſes.

Quicunque verò hanc ſcalam debet ſcandere, non deſpondeat animo, licet alta ſit & arcta, licet aſcenſus ejus difficilis ſit & rectus; ſed erigat oculos ad Dominum majeſtatis ſtantem in vertice, qui & omnes aſpicit aſcendentes. Ejus conſideret exemplum, qui primus aſcendit per Crucem, & varios paſſionum virtutumque heroicarum gradus. Reſpiciat manum ejus extenſam ad opem & protectionem. Attendat ejus promiſſionem: *Ero cuſtos tuus quocunque perrexeris.* Licet ergò multi hoſtes ſint adverſantes, tamen poterit dicere: *Impulſus everſus ſum ut caderem, & Dominus ſuſcepit me.*

Gen.28. 15. Pſ.117.13.

Non omnes tamen eodem modo, eademque fortitudine eam aſcendunt. Quidam enim aſcendunt ita recti & erecti, ut nunquam cadant, nunquam impingant, & non tam aſcendere videntur, quã volare. Ita multi viti ſancti, qui nunquam peccato mortali à gratia exciderunt. Et maximè B. Virgo, quæ nunquam etiam per veniale impegit: Alii modò cadunt, modò eriguntur, aſcendunt & deſcendunt: tandem tamen auxilio Dei ad finem uſque ſcalæ pertingunt, imò & auxilio ipſorum Angelorum, qui ideo aſcendentes & deſcendentes in ſcala Jacob deſcribuntur, ut cadentibus auxilientur, & aſcendentibus comites ſint. Denique Sanctorum intercеſſionibus, ope & meritis ſæpè fit, ut aliqui perſeverantiam obtineant, & ſcalæ ſummitatem pertingant, maximeque Beatiſſimæ Virginis Mariæ. Quod exemplis aliquibus poſſumus comprobare.

In Franciſcanis Annalibus legimus; B. Leoni, qui unus fuit ex Franciſci intimis familiaribus, hujuſmodi aliquando viſionem objectam. Erat magna planities, & in ea ſpecies quædam judicii mox futuri. Magna aderat hominum multitudo, Angelorum tubæ perſonabant. Denique binæ ſcalæ è Cœlo ad terram uſque demiſſæ, altera candido colore, altera purpureo. Huic purpuræ immineus viſebatur ex alto Chriſtus, & Franciſcus paulò infra ipſum Fratres ſuos evocans, ut aſcenderent fidenter, Dominum ita velle eoſque invitare. Cum autem illi ſe per ſcalas audenter efferent; alius de quinto, alius de decimo, alii de ſuperioribus ac pene jam ultimis gradibus decidebant. Qua ſuorum clade magnopere commotus Franciſcus, eos voce magna admonuit, ut ad ſcalam alteram candidam accurrerent, illic nihil fore periculi. Itaque, cùm ad eam acceſſiſſent, Mariam ei incumbentem vident, quæ eos blandiſſimè intuens, ſtudioſè etiam juvabat ad aſcendendum, & excipiebat ſingulos, ita ut nullo negotio omnes in Cœlum conſcenderint. Qua quidem viſione ſignificatum eſt, Virginis opem & interceſſionem ad aſcendendam perfectionis ſcalam, & perſeverantiam ac coronam obtinendam, plurimum valere.

Exempl. Platus de bon. ſtatus Relig. l.1.c.34.

Idem ſignificatum videtur in perſona B. Dominici, juxta viſionem exhibitam Priori Brixienſis Cœnobii. Nam qua hora animam agebat Dominicus, Prior Vir ſanctus cui nomen Guala, dulci ſomno conſopitus, Cœli quendam quaſi hiatum aſpexit, per quem candidiſſimæ ſcalæ ſubmittebantur, quas hinc Chriſtus, inde Chriſti Mater ſanctiſſima, ſumma earundem apprehenſa parte, manibus fulciebant. Per has deſcendebant & aſcendebant cœleſtes Angeli, ſicut olim per ſcalas Jac. Erat in imo ſedes; & in ea quidem Prædicatorum habitu, facie velata. Scalæ ſenſim ac leviter à Chriſto & ejus Matre ſurſum trahebantur, eodem pariter nutu ſedes illa pariter ferebatur in Cœlum, illeque ſimul, qui in ea velatus & contectus requieſcebat, comitantibus Angelis & triumphum agentibus. Scalasque tandem illas, & eum qui ſolio collocatus erat, Chriſti, Deiparæque manus in Cœlum intulerunt, ſicque Cœlum claudi viſum eſt. Dilapſa viſione, Prior Bononiam properat, illaque eadem hora qua rem tantam viderat, S. Dominicum Patrem ſuum, comperit ex hac noſtra mortalitate ad Cœlum migraſſe.

Anton. in 3. parte Chron. tit.23.c.4.

PROPOSITIO IV.

Perſeverantiæ & electionis dantur aliqua probabilia ſigna in hac vita.

HInc dixit D. Bernardus: Datur in terra teſtimonium, quo diſcernuntur cives Cœli à civibus,

Bern. ſer. de Ct. Paſch.

Digitized by Google

bus Babylonis. Quomodo enim sine testimonio electos deserat Deus? Aut quænam eis esse poterit consolatio, inter spem & metum sollicitudine anxia fluctuantibus, si nullum omnino electionis sitæ habere testimonium mereantur? Novit Dominus qui sunt ejus, & solus ipse. Quis enim scit hominum, si est amore dignus an odio? Sed si certitudo nobis negatur, nunquid tanto delectabiliora erunt, si quæ forte electionis hujus signa possimus reperire? Ita Bernardus. Varia autem signa a Patribus indicantur, quorum aliqua hic breviter indicabimus.

1. Libenter audire verbum Dei. Joan. 10.

Primum ergo signum est lubenter audire verbum Dei, sive delectari in rebus divinis auditis aut lectis. Hoc signum insinuat Dominus: *Oves meæ vocem meam audiunt.* Nimirum homines delectantur audire quod amant. Miles de bellis lubens audit & loquitur: Religiosus de Deo & pietate: Venator de canibus, sylvis, apris, cervis: Mercator de mari & commerciis: Peregrinus quoque in alieno loco gaudet, si aliquem audit loquentem lingua sua, & de patria sua. Sic verus Filius Dei lubenter & loquitur & audit loquentem de Cœlo. Interroget ergo quilibet, si verba Dei in aure cordis percipit & intelliget unde sit. Hinc B. Ephrem dicebat: *Amo & exosculor Domine Evangelium tuum, quia me esurientem nutris per illud, & desidero sermones tuos; quia dum sitio, fontis instar mihi fiunt. Nam quoscunque volo, ad tua fercula convoco, pluraque relinquimus quàm inveniunt, cum multis comedo & solus invenior, bibo cum multitudine & soli mihi tuam propinas gratiam. Quid igitur tibi retribuam nisi me ipsum in consensionem & concordiam?* Ita ille, Nempe electis eloquia Dei dulciora super mel: *Comedi volumen*, inquit Propheta, *& factum est in ore quasi mel dulce.* Cibus est verbum Dei reficiens & oblectans animas.

B. Ephrē in pretiosam Margaritam.

Ezech. 3. 3

2. Desiderium cœli. Ps. 41. 3.

Secundum signum est desiderium vehemens cœlestis Patriæ, cum quo aliquando ubertas lachrymarum jungitur, ita ut sit desiderium anhelans salutis, de quo David: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei.* Addit ipse in persona Electorum: *Fuerunt mihi lachrimæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Ubi est Deus tuus.* De hoc desiderio loquens Bernardus dicit: Triforme est desiderium Electorum. Unanimiter habitare in domo; unde est illud: *Unam petii à Domino.* Victoriam obtinere de mundo; unde illud: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Præsentialiter frui Deo; unde illud: *Cupio dissolvi & esse cum Christo:* Addit idem Bernard. *Triformis est Sanctorum dolor: quia ceciderunt de Paradiso: quia tenentur in exilio: quia differuntur à Regno.* Super flumina Babylonis sient filii Sion recordati illius, ut latè describit David.

Bern. in sententiis.

Ps. 136. 1.

3. Timor offensæ divinæ.

Tertium signum est, timor filialis offensæ Dei, qua quis detestatur peccatum super omne detestabile, quatenus est offensa bonitatis illius, tanquam patris amantissimi, cum promptitudine voluntatis ad executionem mandatorum ejus, sive in adversis, sive in prosperis. Hic est timor ille, quo homo præservatur a peccato: & si ex infirmitate ceciderit, per illum excitatur, ut citò surgat, nec in peccato permaneat. Surgere enim à peccato statim ac quis peccaverit, signum est electionis: *Qui enim ex Deo natus est, non peccat*, id est, non permanet in peccato, inquit Bernardus, *ut perire non possit ea, quæ falli non potest, generatio cœlestis.* Amor ergo & gratia in anima electi extincta, statim reaccenditur minima scintilla inspirationis divinæ accedente. Sicut candela noviter extincta, quæ adhuc odorem & fumum quendam ignis retinet, minimo attactu, alterius luminis, vel etiam solo flatu statim accenditur. Vix respexerat Petrum radiis suis Christus, & statim amor in corde ipsius iterum inflammatur, & cor ejus liquefacit. Sic Thomas statim ubi tetigit vulnera Salvatoris, fides ejus & amor inflammatur, & inclamat: *Dominus meus & Deus meus.* Vix tetigerat Nathan Davidem repræsentando ei peccatum & inclamat forti voce contritionis: *Peccavi Domino.* Imò verò signū electæ animæ est, si magis inflammetur in amorem post casum, & ferventius refulgat. Equus cum impegit, si generosus sit, statim alacrius surgit. Sic nunquam ita saluti animarum & fidei affectus fuit Thomas, quam quando ab infidelitate surrexit. Omnes illæ nationes quas convertit, Hircani, Bactri, Indi, testes sunt laboris, quem pro fide exantlavit, sanguis ejus testimonium dat de constantia & amore.

1. Joan. 3. 9.

Simile.

Joan. 20. 28.

2. Reg. 12.

4. Pax conscientiæ.

Quartum signum est, pacem habere interiorem conscientiæ, ex qua delectabiliter quis cum Deo agit in laboribus, vigiliis & mandatorum observantia. Hoc verò maximè verum est, si pax ista delectans, juncta sit cum humilitate, ut cum omnia benè feceris, te servum inutilem putes; & quicquid boni in te inveneris, illi tribuas à quo omne bonum; & quò plus proficis, eò magis coneris, quasi incboans, & minus te profecisse reputans.

5. Fructus bonorum operum. Gal. 5.

Quintum signum, sunt bonorum operum fructus; ex fructu enim arbor judicatur: qui autem fructus nostri sunt, nisi opera nostra? Attende ergò quæ opera habeas. Si opera carnis habes, illa te condemnant, *Manifesta sunt autem*, inquit Apostolus, *opera carnis*, quæ ipse particulariter enumerat. Attende illa particulatim, & vide an in te inveniantur. Qui enim illa faciunt, nunquam regnum Dei possidebunt. Considera etiam fructus Spiritus, quos ipse enumerat. Si fructus illi in te inveniantur, inveniuntur & electionis signa. De hoc ergo signo dicebat Petrus: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.*

2. Pet. 1. 10.

6. Contemptus mundi.

Sextum signum, contemptus mundi & rerum terrenarum. Hinc dicit Ambrosius: *Qui contempserit sæcularia, merebitur sempiterna. Nec potest quis regni cœlestis meritum adipisci, qui mundi cupiditate possessus, emergendi non habet facultatem.* Hinc dicunt omnes SS. Patres, quòd electi utuntur quidem bonis hujus mundi, sed reprobi illis fruuntur.

Vti,

Digitized by Google

Vti, juxta Theologos, est id quod in usum venit, referre ad obtinendum illud quo est fruendum, *Frui*, est amore alicui rei inhærere propter seipsam. Mali ergo fruuntur hoc mundo, & Deo utuntur; quia amant mundum propter se, Deum verò tantum propter commoditates quas ab eo recipiunt: Hoc est proprium incolarum terrenæ civitatis hujus; contra, boni ad hoc utuntur hoc mundo, ut fruantur Deo, qui sunt cives cœlestis civitatis.

Religiosi status assumptio. Lau. Just. de perf. mon. conc. c. 7.

Septimum signum addunt aliqui, Religiosi status spontaneam assumptionem, de quo latius Platus. De illo dixit Laurentius Justinianus: *Securè sperat post hanc peregrinationem ad supernam intrare Hierusalem, quicunque in justorum congregationem fuerit vocatus. Magnum quippe electionis indicium est, hujus fraternitatis habere consortium, & facile ab illa excluditur, qui ab hac fuerit segregatus.* Ideò etiam

Bern. ser. ad Fratres de Monte.

dicebat Bernardus ad Fratres de monte: Bonum est nos hic esse, videlicet in Religione, quia ibi homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, quiescit securius, irroratur frequentius, purgatur citiùs, moritur confidentius, remuneratur copiosius. Illa ille.

Quapropter gratulor ex animo omnibus qui divini Numinis lumen & ductum sequentes, & vocationi Dei aurem cordis aperientes in sacro Religionis statu totos se illi vovent, tanquam sacrum Holocaustum, quod Deo non potest non esse odoriferum & summè gratum. Hi non pauca in se sentiunt electionis suæ testimonia à spiritu Dei, à quo inter filios Dei adducuntur, ut sint de numero eorum.

Plango interim illos filios Adam, qui sunt *rebelles lumini*, & dum à Deo è sæculi hujus caligine evocantur, ut in Religionis statu sint *digni sortis Sanctorum in lumine*, claudunt aures & oculos, respicientes in vanitates & insanias falsas. Suntque tanquam lignum aridum, quod gratiæ cœlitus stillantis, humorem respuit. Et tandem eis tanquam arbori infructuosæ, *securis ad radicem* ponitur, ut esca fiat flammis vindicibus. Quod sæpius vidimus, & ideo plangimus.

Sed & hic meritò gratias ago Deo meo, pro familia nostra, cui ita benedixit Dominus, ut cum ex viginti quinque prolibus, decem superstites forent (reliquis post candidam Baptismi vestem in immaculata ætate, ad cœlestem gloriam evocatis) quinque ex superstitibus, pubertatis virgineum florem Deo libantes, illi se in Religionis statu totos dicarunt, in quo adhuc optimum odorem spargunt pietatis & doctrinæ exemplis. Quos ego gemens sub onere & aquis tanquam in portu quodam agentes mihi repræsento, & eorum ope ad littus provehi spero.

Ut verò plenius intelligatur quomodo vocatio Religiosa electionis signum sit, & testimonium illis quòd sint filii Dei, subnecto hic gratulationem

An. 1623. sacram ab aliquot annis à me conceptam in Professione Religiosa ultimi ex Fratribus meis in Conventu S. Francisci ad Sambram, quæ hoc plenius declarat ex Psalmo 28.

APPLAVSVS SACER ANIMÆ *Religiosæ.*

GRatulor tibi, mi Francisce, dum tueor te Francisci sacræ Militiæ cingulo donatum, in Seraphica Religione, triplici funiculo, trino Deo religatum. Alloquar te paucis *de voce Domini loquentis ad cor*, & è turbido sæculi salo, ad placidum Religionis solum evocantis. Accommodo Regii Vatis Psalmum. Arrige autem, erige mentem, videbis quàm opportunè. Ecce sic orditur: *afferte Domino filii Dei, afferte Domino filios arietum.* Psal. 28. 1.

Qui sunt filii Dei, nisi qui spiritu ejus aguntur? Afferunt hi Domino filios arietum, dum annuæ probationis lacte educati, tanquam *Agnos anniculos* se sistunt Domino immolandos. Et pro victoria contra triplicem hostem, triplicem hostiam, sacræ offerunt Triadi, *in atrio sancto ejus.* At quod illud atrium? O sancta Religio, verè tu es *atrium domus Domini*, vestibulum Templi æterni, Ostium cœlestis Tabernaculi, qui stant in te, jam læti possunt canere: *In domum Domini ibimus: Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalem.* Ad hoc Atrium invitans vox Domini ait: *Introite, afferte, offerte.* Et vox ista resonat *super aquas*, dum resonat super copiosos adolescentum greges, qui quasi *aqua diluuntur super terram*, & per vitiorum anfractus, ac per varios circuitus diffluunt ad abyssos. Sed ipsi hac voce instar Jordanis conversi retrorsum ad Deum suum, ad vitæ fontem refluunt, per compendiosum Religionis tramitem. Verè ergo de hac voce dixeris: *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia.* Psal. 28. 3.

Quam fortis est, mi Francisce, vox ista, sed quàm suavis? De illa verum est illud Ænigma Samsonis: Jud. 14. 14.

DE FORTI EGRESSA DULCEDO.

Vis clarius edisseram? *Fortis* est, dum trahit consensum. *Suavis* quia exuperat omnem sensum. *Fortis*, pertingens ad divisionem animæ. *Suavis*, quia vox Sponsi ad cor Sponsæ. *Fortis* est, cor durum liquefaciens. *Suavis*, rore lachrymarum aspergens. *Fortis* Cedros confringens. *Suavis*, flammam ignis intercidens.

Nonne superbæ mentes, & quasi Cedri excelsæ, omni calcato fastu, humiliatæ sunt ad hanc vocem? *Incurvati sunt colles mundi ab itineribus Æternitatis ejus.* Abac. 3. 6.

Nonne multi ut petra aridi, ad hanc vocem molles quasi cera facti sunt, & lachrymis irrigui: *Loquere ad petram, & dabit tibi aquas: stabit Spiritus & fluent aquæ.* Nũ. 20. 8. Ps. 147. 18

Nonne flamma concupiscentiæ juvenum animos titulans hac voce intercisa sopitur? Succedente castitatis amore flamma flammam, clavus clavum, amor depellit amorem.

Vides ergo vocis Domini virtutem? Vides & sua-

Digitized by Google

Auguſt. ſuavitatem ? *Attingit fortiter ; Diſponit ſuaviter,* Fortiter pro ſe : Suaviter pro te.

Tandem ejus virtutem attende in verbis, quæ pro fœlici omine tibi appono, quia facræ tuæ Profeſſionis annum continent.

VOX DOMINI PRÆPARANTIS CERVOS.

Chronic. An. 1623. Quàm multi ſimiles Cervis, difficilè pariunt ſpiritum ſalutis : *Filii venerunt ad partum, & virtus non eſt parièndi,* inquit Propheta. His obſtetricatur

Iſ. 37. 3. vox iſta, ad partum præparat, excitatque ad alacriter currendam coniagoſam Æternitatis ſemitam. *Vox Domini præparantis Cervos*, vel ut Græca, *obſtetricantis Cervas.* Sed finem jungens principio gratulor tibi, *mi Franciſce*, quòd hodie compuratus ſis inter filios Dei, & inter Sanctos ſors tua ; Quodque tanquam *Agnum anniculum*, poſt annuum tyrocinium ad oſtium Tabernaculi admirabilis, te ſiſtas in holocauſtum. Congaudeo, agnoſcens vocem Domini ſuper te, quæ mundanæ cupiditatis fluxum luxumq; reſtringit, & altas ſæculi cogitationes in te confringit, ipſi eſt quæ ſalubriter cor tuum concutiens,

Abac. 3. 19 obſtetricata eſt ut pareres ſpiritum ſalutis : *Ponetque pedes tuos quaſi Cervorum, ſuper excelſa ſtatuens te.* Merito ergo Coronam tibi optans pro coronide

Cant. 8. 14. adiicio. *Fuge Dilecte mi, fuge, aſſimilare hinnulo Cervorum ſuper montes aromatum.*

Fuge convallis retia ; fuge mundi devia ; aſcende de virtute in virtutem, uſque ad perfectionis vertices ; uſque ad Dei montem. Ille te deducat fortiter qui prævenit ſuaviter ; deducat auxilio, qui prævenit conſilio. Sic opto, ſic voveo.

LECTIO VII.

DE TIMORE JUNCTO SPEI.

1. *Docet Multipliciter timorem dividi.*
2. *Timorem ſervilem non eſſe vitioſum.*
3. *Timorem non repugnare ſpei.*

PROPOSITIO I.

Diſtingui poteſt timor, & dividi in varia membra.

1. Naturalis. EST enim timor quidam naturalis, eſt & alius timor qui mundanus dici poteſt, eſt & tertius timor Dei bonus. Timor naturalis eſt quo homo naturaliter timet quodlibet nocumentum vel incommodum incurrere, aut etiam aliquod commodum amittere : & eſt pœna peccati originalis.

Geneſ. 3. 10. Nam Adam ſi non peccaſſet, timorem non habuiſſet, quo dixit : *Vocem tuam audivi & timui, eo quòd nudus eſſem* : quia timor pœnam habet, quæ non debetur alicui niſi propter culpam. Nunc

Sap. 9. 14. autem, ut dicit Sapiens : *Cogitationes mortalium timidæ ſunt, & incertæ providentiæ noſtræ.* Iſto tamen timore nec meremur, nec demeremur, quia non ſubjacet libero arbitrio, niſi quis ſe inordinatè habeat circa timorem illum. Non enim eſt malum timere pericula, vel membrorum, aut famæ, aut rerum ſuarum amiſſionem, dummodo timor ſit ordinatus, non contrahens ad illicita, & tunc propriè dicitur timor naturalis : quem Chriſtus etiam in Paſſione ſuſtinuit, ſudans ſanguinem præ timore ; ut in conſolationem puſillorum, offenderet infirmis membris ſuis, hunc timorem licitum eſſe : Nec tamen in aliquo timor iſte voluntatem & charitatem, qua ferebatur ad humanam ſalutem perficiendam, retardavit, quo minus adhorrendam illam mortem feſtinaret. Unde, licet naturale ſit, quòd contraria quis timeat, & pro virili refugiat ; tamen eſt contra naturalem rationem, quòd propter hæc à juſtitia recedat.

2. Mundanus & vitioſus. Secundò ergo eſt & alius timor qui & mundanus & fœdus dicitur, quo ſcilicet alicujus corporalis boni timetur amiſſio, famæ, vitæ, membrorum aut rerum temporalium, propter quæ conſervanda quis peccatum incurrit, aut neceſſarium bonum deſerit. Hoc timore Chriſtum Petrus negavit. Matt. 26. Hoc timore Aaron filiis Iſrael non reſtitit in fabricatione & adoratione vituli aurei. Exod. 32. Hoc timore Marcellinus thus idolo adhibuit, quem tamen poſtea pœnituit. Hoc timore Judices Iſrael ad inſtantiam Jezabelis injuſtè damnarunt Naboth. 3. Reg. 21. Hoc timore David mortem Uriæ procuravit, ne ſcilicet famæ pateretur detrimentum, detecto ſuo peccato. 2. Reg. 11. Hoc timore multi naufragium faciunt à fide, timentes vel vitæ vel rerum ſuarum jacturam. De quibus dicit Cyprianus : *Decepit multos patrimonii ſui amor cæcus, nec ad recedendum parati aut expediti eſſe potuerunt, quos faculatates ſuæ velut compedes ligaverunt. Illa ſuerunt remeantibus vincula, illa catenæ, quibus & virtus retardata eſt, & fides preſſa, & mens vincta, & anima præcluſa : ut ſerpenti terram ſecundum Dei ſententiam devoranti, præda & cibus fierent, qui terreſtribus inhærerent.* Cypr. ſer. de lapſis.

Timor ergo iſte malus eſt, propter quem homo deviat à juſtitia, quia ad peccandum nemo ullo timore debet cogi : Pejus enim eſt peccare quàm quaslibet pœnas ſuſtinere. Ideo in Evangelio dicit Dominus : *Oſtendam vobis quem timeatis, timete eum qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam, ita dico vobis hunc timete. nolite timere eos qui occidunt corpus.* Luc. 12. 5. Hoc conſilium amplectentes Sancti Dei, Reges vicerunt & tyrannos ; & ut timorem hunc velut pedibus ſe conculcaſſe & penitus viciſſe oſtenderent, etiam ultrò ſe Judicibus & variis tormentis tradiderunt ; & ut loquitur Apoſtolus : *Experti ſunt vincula & careceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt*, nullius pœnæ aut mortis acerbitate territi. Heb. 11. 36.

Sic dicit Div. Chryſoſtomus, ſcribens ad Cyriacum : Ego cum ab Eudoxia è civitate fugarer & in exilium pelleret, nihil eorum curabam, ſed dicebam intra me : Siquidem me vult Regina exulem, in exilium agat, Domini eſt terra & plenitudo ejus : ſi vult ſecare, ſecet : idem paſſus eſt Iſaias, ſubſcribam Chryſoſt. ep. ad Cyriacum.

Digitized by

ferebam illi: Si vult in pelagus mittere, Jonæ recordabor: Si me lapidare, Stephanum habeo primum Martyrem socium: Si caput tollere, tollat, socium habeo Joannem Baptistam: Si substantiam auferre, auferat, nudus exivi de utero matris, nudus revertar illuc.

Sic etiam D. Prosper in quodam Epigrammate Martyrem introducit intrepidè sic loquentem:

Ignem adhibe, rimare manu, mea viscera, tortor:
Effugiunt pœnas membra soluta tuas.
Carcere si caco claudar, nectarque catenis:
Liber in excessu mentis adibo Deum.
Si mucrone petet cervicem abscindere lictor:
Imparidum inveniet mors cita, pœna brevis.
Non metuo exilium, mundus domus omnib. una est,
Sperno famem, Domini sit mihi sermo cibus.

Theodorus Martyr inter minas carnificum intrepidus dicebat: *Pro fidei confessione qui voluerit, incidat; & qui verberat, laceret, & qui cremat, flammam adiciat; & qui his verbis offenditur, linguam eximat.* S. Damianus, cum in manus venisset latronum, interrogatus ab illis an non timeret, nihil se timere respondit. Optimum enim est, inquit pati pro Christo: *Quin potius rogarem vos, ne brevi compendio mortem mihi accelleretis, sed paulatim singula præcisa membra, oculis meis contemplanda obiciatis; ut ea Deo consecrem, & cruciatus mihi duplicetur, præmiumque Regni cœlestis auctius mihi efficiatur.*

In vita B. Dam. c. 3.

Sed quæres: An fuerit mundanus ille timor & malus, quo aliqui tormenta timentes fugerunt, & diversa in loca abscondita transmigrarunt, ne quæsiti reperirentur. Respondeo: hunc timorem naturalem fuisse, nullique peccato obnoxium; nam & Christus ut infirmis membris hunc timorem licitum esse ostenderet, dixerat: *Si vos persequentur in una civitate, fugite in aliam.* Nec ipsemet cum quæreretur, indignum putavit se abscondere, quia nondum tempus ejus advenerat.

Matt. 10.

Sic D. Athanasius hoc timore compulsus quinque annis in quadam cisterna delituit, cum undique à Constantio quæreretur vel vivus vel mortuus, exploratoribus quoquo versum missis per Urbes & Provincias: & in alia quadam persecutione quatuor mensibus in sepulchro paterno absconditus fuit. Vide Apologiam ejus pro fuga sua.

V. Brev. Roman. 2. Maij.

Simili quoque timore correptus Paulus primus Eremita fugam iniit & desertum petiit: cum enim sub Decio & Valeriano Imperatoribus persecutio sæva cunctas Thebaidis Ecclesias depopularetur; & loca omnia Martyrum sanguine repleret, timuit ipse, maximè quia callidus hostis tarda supplicia conquirens, animas magis jugulare cupiebat quam corpora. Viderat ergo inter alios Martyres duos agone mirabili concertantes, unum toto corpore nudo melle perunctum, in ardore Solis apibus expositum, vinctis post tergum manibus, ut qui antea ignitas superaliet sarragines, apum & muscarum aculeis cederet. Viderat & alterum sub arbore frondosa, inter flores & lilia, super lectum delicatum, totum nudum meretricis blandæ amplexibus & contrectationibus expositum, fericis nexibus vinctum, ut quem tormenta non poterant, libido superaret. Qui tandem cœlitus inspiratus, præcisam morsu linguam in faciem meretricis osculantis expuit, ut doloris magnitudo, voluptatis sensum extingueret. Hæc ergo cernens Paulus, nec propriæ fidens constantiæ fugit, & potius elegit Eremi squalorem & penuriam sustinere. Idipsum fecere & alii multi, desertum ejus exemplo adeuntes, de quibus verum est illud Apostoli: *Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, in solitudinibus, & speluncis errantes, quibus dignus non erat mundus.*

Sur. 15. Jã V. Hiero. in vita ejus.

Hebr. 11.

PROPOSITIO II.

Timor Dei etiam servilis, vitiosus ex se non est.

3. Servilis ex se bonus est & initium, conversionis nostræ.

UT plenius id intelligatur, advertendum est, Theologos distinguere triplicem timorẽ, unum vocant servilem, alterum filialem, tertium initialem.

Servilis dicitur, cum Deum timemus ratione pœnæ, & ita ad Deum convertimur, ne in plagas incidamus, quas servis fugitivis immittit.

Filialis dicitur, quo timemus culpam & offensam Dei, sicut filii timent Patrem offendere.

Initialis dicitur, quo timemus pœnam simul & offensam. Ita D. Thomas.

D. Th. 2. 2. q. 19. a. 2.

Timor itaque servilis imperfectus est, non est tamen vitiosus, nisi affectum hunc contineat: *Nisi esset pœna proposita, peccatum non vitarem.* Talis enim affectus malus est, quia eo ipso peccat, quo peccare vellet, si impunè posset: & talis non odit culpam, nec amat justitiam, sed solùm cavet pœnam, & ita non satis recedit à malo, sed quædam vivit adhuc in eo peccandi voluntas, quæ in opus exiret, nisi timeretur vindictæ pœnalitas. Verumtamen servilis timor non necessariò continet talem vitiorum affectum: imò verò potest efficaciter omnem peccandi affectum & voluntatem extinguere, & totaliter hominem à peccato separare.

Hinc Concilium Tridentinum declarat gehennæ timorem non esse vitiosum, sed sæpe peccatoris veram conversionem operari. Et SS. Patres de timore illo loquentes non tribuunt vitio, quin potius laudant, & ejus efficaciam variis similitudinibus demonstrant.

Tri. sess. 14. c. 4.

Timor servilis est.
1. Instar Pædagogi.

Primò, dicunt esse velut Pædagogum, qui datur adhuc parvulis & imperfectis, ut custodiat eos, donec spiritum filialem perfectum adipiscantur grandiores & perfectiores per charitatem effecti.

2. Setæ.

Secundò, dicunt esse instar setæ, quæ introducit filum cum aliquid suitur. Seta enim prius intrat & præcedit linum, & lino succedente ipsa exit. Sic prius timor pœnæ occupat mentem, & locum præparat charitati, qua intrante fugit timor pœnæ, & succedit amor justitiæ. *Tu mihi dicis*, inquit Augustinus: *Ardere timeo, in æternum puniri timeo:*

Au. tract. 9. in Joan.

Aug. ser. 18. de ver. Apostoli.

Digitized by Google

Quid dicturus ſum? Malè times? Vanè times? Non audeo, quia & ipſe Dominus dixit: Timete eum qui poteſt corpus & animam mittere in gehennam. Quare ergo dicturus ſum, malè times iſta? Planè time, nihil eſt, quod magis timere debeas. Sed interrogo te: Si non te videret Deus, nec quiſquam convinceret in judicio illius, an peccatum faceres? Inſpice te: Si faceres, ergo pœnam times, caſtitatem nondum amas, charitatem nondum habes, ſerviliter times, formido eſt mali, nondum delectatio boni. Sed time tamen, ut iſta formedo cuſtodias te, ut perducas ad dilectionem. Ita Auguſtinus.

3. Freni. Tertiò, dicunt eſſe frænum, quo retinemur, ne in peccata labamur. Qui enim excuſſit timorem hunc, ruit in omne malum, & in omne præcipitium, laxans habenas ad omnes cupiditates. Sicut equus ferociens, qui frænum excuſſit, in foveas, & ſaxa ſe dat præcipitem, ſeſſoremque periculo gravi exponit: ita qui frænum timoris perdidit, exitio proximus eſt.

4. Janitoris. Quartò, dicunt eſſe inſtar Janitoris aut Vigilis armati, qui caſtrum cuſtodit, ne hoſtes introëant: quia timor ad januam animæ vigilat, ne vitia ingrediantur & prædentur. Sic dicit Chryſoſtomus: Chryſoſt. hom. 15. *Gehenna timor Regni nobis affert coronam. Ubi timor eſt, livor non eſt: Ubi timor eſt, pecuniarum amor non vexat: Ubi timor eſt, extinctus furor eſt, cupiditas improba correpta, omnis irrationalis paſſio exterminata. Et ſicut in domo ſtante milite ſemper armato, non latro, non fur, non alius quiſpiam hoſtis apparere propiùs audebit; ſic & motus animas noſtras detinente, nulla perturbationum facilè nobis ſubrepit, ſed omnes fugiunt & pelluntur, timoris imperio undique exacta.* Ita ille.

5. Sepis ac maceria. Quintò, dicere poſſumus timorem eſſe ſepem aut maceriam, quia anima tanquam vinea circumcingitur, ne belluarum incurſus patiatur; quæ totaliter eam diſſiparent, corroderent, conculcarent, Pſ. 5. 5. juxta illud: *Auferam ſepem, & erit in direptionem, diruam maceriam, & erit in conculcationem.* Diruto enim timore, ſtatim in animam veniunt omnes animales paſſiones, deſideria nociva, peccatorum omne genus: & tota conculcatur & depaſcitur. Unde cùm David dixiſſet, quod omnes declinaverunt in peccata, & in particulari narrans: *Os* inquit *eorum maledictione & amaritudine plenum eſt,* Pſal. 13. 3. *veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem*, &c. Tandem reddens rationem omnium horum, dicit: *Non eſt timor Dei ante oculos eorum.* Quod idem eſt, ac ſi diceremus: Tot belluæ ſylveſtres hanc vineam ingreſſæ ſunt, & totaliter conculcata jacet, quia ſepes & maceria ejus diruta fuit.

Scripturæ quoque ad timorem Dei & judiciorum ejus nos continuo adhortantur, ob ejus utilitatem & efficaciam. Sic Joannes in Apocalypſi dicit: Apoc. 14. 6. *Vidi alterum Angelum volantem per medium Cœli, habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret ſuper omnem gentem, tribum & linguam, & ſuper omnem populum, dicens magna voce: Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus.* Quid eſt tota Scriptura, niſi quoddam æternum Evangelium, veritatis æternæ bona annunciatio? Et quid aliud clamat à principio uſque ad finem, quàm *Timete Dominum, timete Deum*? ut excitet omnes populos, omnes gentes, omnes cujuslibet conditionis homines, ut aurem arrigant, mentem engant, & diſcant timere Dominum, *Congrega ad me populum*, inquit Dominus ad Moyſen, Deu. 4. 20. *ut audiant ſermones meos, & diſcant timere me omni tempore.*

Huic quoque timori initium converſionis ſæpiſſimè tribuit Scriptura. Quo ſenſu illud intelligi poteſt: *Initium ſapientiæ timor Domini*, quod de Eccl. 1. 16. ſervili intelligit Beda, quia filialis, *conſummatio* eſt *ſapientiæ*, charitati enim junctus eſt. Alii legunt hic: *Primitia ſapientiæ Timor Domini*, quia primus fructus eſt, quem Spiritus Sanctus in anima producit, ejus operans converſionem: & licet timor ille, qui initium eſt converſionis, non ſit adhuc à Spiritu ſancto inhabitante, eſt tamen ex ejus motione & operatione; ſicut aurora licet nondum ſit cum Sole, eſt tamen à Sole: & Spiritui ſancto timor ille habitaculum præparat charitatiq; perfectæ. Servus præcedit, ut locum Dominæ ſuæ præparet: *Timor ſervus eſt*, inquit Auguſtinus, *Charitas libera eſt, & ut ſic dicamus, Timor ſervus eſt charitatis. Ne poſſideat diabolus cor tuum, præcedat ſervus in corde tuo, & ſervet Domina ventura locum. Veniente Domina, ſervus abſcedet, quia conſummata charitas foras mittit timorem.* Ita Auguſtinus. Itaque timor primus fructus eſt, quem anima debet producere, ut ſit arbor bona; quæ jam fructum aliquem ferre incipit, cum timet ne exſcindatur, cum timet ſecurim quæ ad radicem arboris poſita eſt, & ut ab illa ſecari ſit ſecura, primordia inchoat converſionis. Aug. ſer. 13. de verb Apoſt.

Hinc etiam apud Iſaiam, Timor vocatur ſemen quo concepto parturimus ſpiritum ſalutis, *A timore tuo Domine concepimus & parturivimus ſpiritum ſalutis.* Iſa. 26. 18. Ob eandem quoque cauſam apud Pſalmiſtam dicitur, quod vox Domini cervos præparet ad currendum, *Vox*, inquit *Domini præparantis cervos.* Pſ. 28. 7. Quod intelligi poteſt, eo quod vox minax judicii Dei timorem incutiens, & torporem excutiens, homines præparet, & velut calcar premat & excitet ad currendam viâ mandatorũ Dei. Alia Lectio habet: *Vox Domini obſtetricantis cervos.* Cervæ anguſtam habent vulvam, ideoq; multam habent difficultatem ad pariendum, & ita dum vox tonitrui (quæ vox Domini in Scriptura dicitur) inſonat, timore quodam concuſſæ pariunt. Hoc rectè de peccatoribus intelligitur, qui emendationis bona propoſita ſæpe concipiunt, ſed difficulter pariunt, aut ad affectum producunt; niſi vox tonitrui divini, hoc eſt, timor judicii comminationis divinæ eis opituletur, ad ſpiritum ſalutis pariendum. Hoc ergo timore ſalubriter concuſſi, emendationem inchoant. Alioqui ſæpe verum eſt de multis r

ized by Google

Il.37.3. *Filii venerunt ad partum, & non habet ultra vires parturiens*, semper parturientes nunquam parientes. Et utinam tandem non sint similes Ericio in partu crepanti. Solent veteres per hoc animal, exprimere damnum quod solet afferre procrastinatio, & dilatio in meliori vita sectanda. Solet enim partus tempore, prolium aculeis & spinosa pelle vehemẽter pungi; & ideò quantum potest, partum differt, sed fœtu crescente dum jam parere cogitur, acrius dilaniatur, & sæpius in partu crepat. Ita dum differtur pœnitentia, augentur indies peccatorum aculei, & tandem multi divinis inspirationibus non acquiescentes, infœlici mortis genere intereunt, quasi præ peccatorum multitudine crepantes.

Timor filialis est custodia gratiæ.

Porrò sicut conversionis nostræ initium timori servili adscribitur: ita cullodia & conservatio gratiæ quæ justificato datur, timori filiali adscribenda est. Incipit enim homo converti timore pœnæ, sed per justificationem perducitur ad amorem justitiæ & timorem filialem, per quem nihil ita metuit, quàm gratiam illam & benevolentiam æterni Patris amittere: ideoque illam tanquam thesaurum conservat, timetque spiritu adoptionis & affectu filiali omnem offensam Patris, per quam posset ab ejus gratia & amore excidere.

Hinc etiam ille timor vocatur *Timor casus*, quia sicut sponsa sponso displicere summè timet, & non aliud quærit quàm ei placere, purum spirans amorem: Ita anima quæ se sponsam novit, nihil ita timet quàm a fide & dilectione, per quam Christo sponsata est, excidere, & ita timet omnem sponsi offensam.

Vocatur quoque *Timor sanctus*, quia sanctimoniam animæ & confert, & conservat, & adauget, puritatis, & integritatis fidus custos. De hoc timore dicit Psaltes: *Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi*, manet enim & in Beatis, qui filiali timore & reverentia, divinæ Majestati subiiciuntur. Ps.18.10.

Nihil itaque sic nos à vitiis conservat immunes ac timor iste Domini. *Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subvertetur domus tua*, inquit Sapiens. *In veritate*, inquit D. Bernar. *didici nihil æquè efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm si omni tempore, coram Deo inveniaris non altum sapere, sed timere. Beatus qui semper est pavidus.* Cui consonat illud Sapientis. *Timenti Deum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conservabit & liberabit à malis.* Eccl.27.4 Bern.ser. 55.in Can. Prov.28. 14. Eccl.33.1.

Lepidum est quod hac de re refertur in Annalibus Societatis Jesu An.1545. In Hispania instar miraculi quibusdam erat, quod illi Patres adhuc satis juvenes ætate, cum omni gente & sexu liberè sine macula castitatis versarentur. Rumor autem sparsus fuit, eos herbam circumferre habentem vim interimendæ libidinis, per quam tutò possent etjam inter fœminarum greges versari, & eis confitentibus, sine periculo aures præbere. Res ad Regem usque delata est, qui interrogavit Patrem Arao-

Roderiguez tract.4. de castit.c.9.

sium an ita esset, & quodnam genus herbæ tantæ esset potestatis? Qui dixit rem ita esse, & herbam hanc non solùm contra libidinem, sed etiam contra omnia vitia vim habere. Sed quod illud herbæ genus? Herba, inquit, illa, *Timor Domini* nuncupatur: Hanc quotquot de Societate sunt, jubentur secum ferre, ut ejus præsidio castitatem conservent, & in mediis flammis innoxii sint: Hæc habet vim dæmonium repellendi & fugandi, sicut & piscis Tobiæ prunis impositus. Ita ille peracutè eludens jactam columniam in suos.

PROPOSITIO III.

Timor non repugnat Spei, sed illi debet ordinariè conjungi. *Timor non repugnat Spei.*

DEclaro: Licet enim Spes dicat certitudinem quandam, qua ex parte divini auxilii, expectamus vitam æternam per Dei omnipotentiam & misericordiam, quibus firmiter spes innititur; tamen dicit etiam infirmitatẽ ex parte hominis, à cujus perseverantia in gratia, pendet expectatio hujus beatitudinis. Et ideo cum hæc perseverantia ex parte nostra habeat incertitudinem, involvit simul timorem ne gratiam illam perdamus, qui timor conservat ipsam gratiam, & spem quoque.

Unde dixit Bernardus: Investigemus fratres judicium Dei, & frequentemus in timore & tremore ipsius considerationem, quo minus possimus comprehendere investigabilem dispositionem abyssum judiciorum ejus, & irrefragabilem dispositionem. Cum hoc timore spes habet meritum, cum hoc metu fructuosè speratur. Est autem is ipse timor firmissima quædam & efficax materia spei, si quis prudenter advertat. Siquidem quoddam maximum Dei donum est timor iste, & ex perceptione præsentium firma est expectatio futurorum. Postremò beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia ejus. Hæc Bern. Bernard. Serm.in Psal.90.

Hinc etiam Sapiens dicit: *Beatus qui semper est pavidus.* Et Apostolus monet cum timore & tremore operari salutem nostram. Multæ utique causæ timoris sunt. Prov.28. 14. Eph.6.5.

Timoris causa 1. Hominis fragilitas & inconstantia.

Primò: Quia multa in homine fragilitas & inconstantia est, levique tentationis flatu deiicitur. Una dies vel nox, omnia bona hominis proposita & desideria mutat ac disperdit, ut meritò homo dicatur esse *Inconstantiæ imago*, qui nullatenus sui propositi tenax est: Jam amat, postea odit quod amabat, jam desiderat, postea fugit quod desiderabat, jam probat, statim reprobat, jam sperat, postea desperat. Vix in tot partes revolvitur ventorum judex in vertice turris, ac homo in diversa proposita commutatur.

2. Hostes tres.

Secundò: Quia tres hostes validos in nos conspirantes habemus, & ita timere debemus ne succumbamus, aut de gradu nostro deiiciamur, maximè cum stemus in loco periculoso. Sicut artifex tegularius, inquit Chrysost. licet valde sit peritus, cum timore tamen stat ne ab ædificio decidat. Sic ru S.Chrys.

Digitized by Google

quidem credidisti & multa bona paravisti, in sublime ascendisti, caute tamen te continebis, & cum timore stabis, oculum habebis vigilantem, ne inde decidas, sunt enim multæ nequitiæ spirituales, quæ te deiicere conantur.

S. Bern. dictum de Timore.

Sic dicit Bernardus: Qui ardens est & lucens per gratiam & charitatem, nondum se in domo esse confidat, ubi sine omni timore ventorum accensum lumen soleat deportari, sed meminerit se esse sub dio; & utraque manus studeat operire quod portat, nec credat aeri, etiamsi vigeat esse tranquillum, repente enim & hora qua non putaverit, mutabitur; & si vel ad modicum manus remiserit, lumen extinguetur. Et licet ardor manus portantis adusserit, eligat potius pati quam manum retrahere, quia in ictu oculi poterit exsufflari. Si essemus in domo illa non manufacta æterna in cœlis, ubi nullus inimicus intrat, nullus amicus exit, nihil esset timendum: Nunc verò tribus malignissimis & validissimis ventis expositi sumus, carni, diabolo, mundo, qui conscientiam illuminatam moliuntur extinguere, insufflantes desideria mala, motus illicitos, & ita re repentè turbantes, ut vix noscere valeas unde veniant, aut quò vadant. Ex quibus licet duo sæpius intermittant, à tertio tamen nunquam induciæ sunt. Ideò utrisque manibus & Cordis & Corporis, anima est tegenda, ne lumen ejus extinguatur, nec cedendum, licet gravis tentationum fervor utriusque hominis statum vehementer afflixerit, sed dicendum cum Sancto: *Anima mea in manibus meis semper.* Eligamus potius ardere quàm cedere. Et sicut quod in manibus tenemus, non facilè obliviscimur: Sic nunquam obliviscamur negotium animarum nostrarum, sed illa cura principaliter vigeat in cordibus nostris. Hæc Bernardus. Qui etiam videri potest de his tribus inimicis melliflue disserens cap. 14. & 15. Medit.

D. Bern. in Med. c. 14. & 15. 3. Incertitudo gratiæ.

Tertiò: Timor inde provenit, quod incerti sumus, an in gratiæ statu simus, an verâ pœnitentiâ peccata expiaverimus: an vitium secretum non lateat in nobis, per quod Deo displiceamus: an opera nostra perversa intentione occultè vitiata non sint; nec enim videmus fundum cordis nostri. Denique cùm in omni statu multi deficiant, incerti sumus & de nobis. Cecidit Angelus è Cœlo cum tanta sapientia. Cecidit Adam è Paradiso tanta ornatus gratia. Cecidit Saul electus à Domino, & Salomon tantis illustris sapientiæ donis, & multi etiam viri sanctissimi, qui tanquam stellæ in Ecclesia fulgebant. De qua re consule, quæ latè diximus supra l. 1.

V. lib. 1. tract. 4. lect. 10. ad art. 10. S. Leo.

Rectè ergò, inquit D. Leo: *Hæc Sanctis est causa metuendi, ne ipsis operibus pietatis elati, deseramur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ.* Ne ergo id in te fiat, diligenter divinis utere auxiliis: Si in casu porrigit manum, protinus tuam porrige: Si in naufragio tabulam, statim arripe: Si ostium pulsat, citò aperi: Si vocat, sine morâ cum Paulo responde: *Quid me vis facere?* Si te respicit, mox cum Petro egredere, flens amarè: Si ad statum perfectiorem vocat, die cum Isaia: *Ecce ego mitte me.* Act. 9. 6. Matt. 26. 75. Isa. 6. 8.

Itaque ut concludamus, timor apertissimum est remedium ad perseverantiam & salutem, nec anxios facit, sed certiores de salute; quia spes & timor utrumque medium est à Deo ordinatum, utrumque via salutis est. Hinc in Scriptura spei sæpè jungitur timor; *Beneplacitum est*, inquit David, *Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia ejus.* Et iterum. *Servite Domino in timore: (Exultate)* ecce ibi spes, *cum tremore*, ecce ibi sanctus timor. Spes provenit à Dei misericordia, timor ab ejus justitia. Hic est uterque pes Domini, quem oportet cum Magdalena amplecti, quorum alterum sine altero osculari, vel temeraria securitas est, inquit Bernardus, vel desperatio fugienda. *Qui enim misericordiam Dei indesinenter attendit, statim deceptoria spe sibi blanditur, judicium nescit, ignorat justitiam, & punienda æstimat non puniri. Fallitur ergò qui sic osculatur misericordia pedem, ut pedem judicii non attendat. Nec est tamen judicii & justitiæ pedi etiam morosius inhærendum, ne pietatis intuitum severitas judicantis excludat.* Ita Bernardus. Ps. 146. 11. Ps. 2. 11. S. Bern. serm. de Magdalen.

Dubium verò non est, timorem hunc Domini, donum Dei esse, quo animas sanctissimas ipse sæpè replevit, ita ut tota ferè eorum vita, quodam sancto timore repleta fuerit. Sic dicit de se Job. 1. *Quasi tumentes super me fluctus timui Deum. Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* B. Arsenius ita in timore salutem suam operabatur, ut cum jam morti propinquaret, discipuli sanctitatis ejus testes admirantes dicerent ei: *Et tu Pater etiam trepidas?* Quibus ille: *Non est novus hic timor, ô fili, semper enim quamdiu vixi, hunc diem timui.* Job. 31. 23 & 9. 28. Surius in vita B. Arsenii 19. Julii.

Sic & B. Agathon celebris inter Antiquos Monachos, cum indicia aliqua coram discipulis suis timoris sui exhibuisset, illi causam interrogarunt timoris, quandoquidem scirent sanctissimè eum vixisse, quibus ille: *Quia ô fili, alia sunt Dei, alia hominum judicia.* In vitis PP. l. 5. libello 11. num. 2.

Denique de Lutgarde virgine sanctissima legimus, ita spiritu timoris repletam fuisse, ut cum B. Job quasi tumentes super se fluctus Dominum timeret & omnia opera sua quasi in dubio facta vereretur. Diu itaque ejulans quotidie Dominum precabatur, ut ipsam etiam in hac vita certam efficeret. Illo desiderio cum multo tempore æstuasset, audivit vocem hanc: *Secura jam esto charissima, placet Deo vita tua.* Ad horam exultavit, deinde sicut priùs formidare cœpit. Cui vox iterum: *Visne Dominam Mariam de Roma, securitatis tuæ testem dari?* Non, inquit, quia quæ nollet revelare differret. Iterum ergo vox divina ei dixit: *Tranquillo animo esto, redderis brevi omninò secura.* Vix quatuor lapsi erant dies, vir quidam spectabilis & ignotus in locum ubi colloquebantur Sorores, ingreditur, salutatisque omnibus, Lutgardem vocat, veni- Surius & Canti-prat. in vita ejus.

venientem ſalutat, & cunctis audientibus ait: *Hæc tibi mandat Omnipotens, ſecura eſto, quia Domino in te bene complacuit.* His dictis, repetè diſparuit. Ita Cantipratanus apud Surium in ejus vita, 16. Junii, c. 5.

Nemo ergò poteſt eſſe ſecurus niſi revelatione quadam divina, & quamvis anxiam fluctuationem ſpes debeat excludere, non tamen timorem qui omnino utilis eſt. Propterea rectè dicebat Beat. Macarius: Sicut Mercatores inter navigandum licet ventus & mare tranquillum ſit, cùm nondum ad portum pervenerint, metuunt ne contrario vento excitato, fluctibus exæſtuet mare, & navis periclitetur: Sic Chriſtiani licet habeant proſperum ventum Spiritus S. tamen adhuc formidant ne ventus adverſariæ poteſtatis exurgat, qui tempeſtatem fluctuſque moveat. Ita ille. Nautæ ergò etiam mari placido, inſtrumenta ſemper habent parata, quibus utantur contra tempeſtatem, timentes mutationem. Ita qui timent Deum, timentes etiam aliquam erga ſe mutationem, ſemper parant ſe ad obluctandum contra dæmonum incurſus. Et quaſi tranſeuntes pontem arctum reſpiciunt ad pedes ſuos, ne in præceps ferantur.

Macarius hom. 45.

B. Arſenium interrogabat quidam Religioſus: Cur continuò ſuſpiriis & lachrymis ſe conficeret? Reſpondit ille: Quando memini Eſau fuiſſe reprobum de ventre matris: Et Judam è diſcipulatu & ſocietate Chriſti ſic excidiſſe & periiſſe: Et quod Salvator dicat adeò arctam eſſe Cœli viam; Denique quando conſidero me ignorare quid animæ meæ miſeræ continget, qua parte caſura ſit arbor, quis finis & exitus vitæ meæ, non poſſum à lachrymis temperare, aut in me locum gaudio daré.

LECTIO VIII.

DE DESPERATIONE OPPOſita Spei.

1. *Decet, deſperationem inter graviſſima peccata cenſeri.*
2. *Eſſe periculoſiſſimum omnium peccatorum.*
3. *Continet exhortationem ad deſperantes.*

PROPOSITIO I.

Deſperatio merito inter graviſſima peccata recenſetur.

I. *Deſperatio graviſſimum peccatum cenſetur.* Auguſt. Serm. 58. de temp.

RAtio eſt, quia illa repugnat bonitati, potentiæque divinæ, & efficaciæ Sanguinis Chriſti. Ideò dicit Divus Auguſtinus, *O homo qui peccatorum multitudinem attendis, cur & omnipotentiam cæleſtis Medici non attendis? Cùm enim Deus velit miſereri quia bonus eſt, & poſſit quia omnipotens eſt, ipſe contra ſe divinæ pietatis januam claudis, qui Deum ſibi miſereri aut non velle, aut non poſſe credis, eumque aut bonum aut omnipotentem eſſe diffidis.*

Primò ergo repugnat omnipotentiæ divinæ, quia credere debemus nullum adeò eſſe grave peccatum, quin poſſit Deus illud remittere, qui etiam *Potens eſt de lapidibus filios Abraha ſuſcitare*, hoc eſt, de cordibus quantumlibet duris & lapideis, filios gratiæ & ſalutis efficere. Nullus itaque deſperare debet, licet cor habeat ad pœnitentiam obduratum. Quod enim cor adeò durum eſt, ut Dei voce non poſſit emolliri? Clamavit Dominus, & infernus reddidit Lazarum etiam quatriduanum: Clamavit piſci & pelago, & reddidit Jonam; ſi velit dicere diabolo qui te captum tenet, ſolvet te & evomet in aridam. Vox Domini in Scriptura tantæ dicitur efficaciæ & virtutis, *ut concutiat deſertum, confringat cedros, intercidat flammam ignis.* Quo quidem loquendi modo ſignificatur, per vocem Domini interius intonantem, quantumlibet arida, ſpinoſa, dura corda, ad pœnitentiam commoveri, elatoſque ſuperbia animos, ab altitudine illa & faſtu deiici & humiliari. Denique & cupiditatis ignem vhulentem, mundanorum hominum corda uſtulantem & inflammantem, virtute hujus vocis exſcindi & penitus interimori.

1. *Repugnat Dei omnipotentiæ.* Matth. 3.

Pſ. 28. 8.

Addo, quod ſicut vox divinæ potentiæ, mortuos de ſepulchro & pulvere ſuſcitabit, vitam eis reddet: Ita omnes per peccatum mortuos, vitam poteſt reddere per infuſionem gratiæ. Ad illos ergò rectè dirigere poſſumus illud Iſaiæ: *Vivent mortui tui*, inquit Propheta loquens Deo. Reſpondet Deus: *Interfecti mei reſurgent.* Subiicit Propheta: *Expergiſcimini & laudate qui habitatis in pulvere, quia ros lucis ros tuus*, ô Domine. Senſus moralis hic eſſe poteſt. O infælices peccatores, qui in profundo vitiorum jacetis, nolite de ſalute veſtra deſperare, quia Deo tam facile eſt vos ad vitam revocare, quàm dormientem excitare. Expergiſcimini ergò & ad vitam novam reſurgite, ut laudetis Dei miſericordiam, charitatem, patientiam. Licet ut arbor abſciſſa exaruerit, nec tamen adhuc deſperate; quia *Lignum habet ſpem, ſi præciſum fuerit ad odorem aquæ germinabit.* Ros ergò divinæ gratiæ iterum vos faciet germinare, virere, & fructus benedictionis producere. Si in tenebris errorum agitis, ros ille Dei, *Ros lucis eſt*, qui animam illuminat, & omnes tenebras diſſipat. Ergò expergiſcimini & laudate eum, qui ad novam vult ſuam lucem vos reſpirare.

Iſa. 26. 19.

Job. 14. 7. Iſa. 26. 19.

Secundò, repugnat bonitati & miſericordiæ divinæ. Clamat enim ubique Scriptura, quod miſericors ſit & miſerator, quodque nolit mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat, & quacumque hora converſus fuerit, omnes ejus iniquitates dicit ſe oblivioni traditurum. Denique paſſim in Scripturis invitat Deus peccatores, quantumlibet rebelles & obduratos, ſignificans ſe illis non ſolum paratum peccata indulgere, ſed & manum auxiliatricem ad converſionem porrigere. *An ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*, inquit Apoſtolus loquens obdu-

2. *Bonitati & miſericordiæ Dei.*

Rom. 2. 4

Digitized by Google

obdurasti. Et per Prophetam dicit Dominus ad domum Israel rebellem & exasperantem: *Revertere aversatrix Israel & non avertam faciem meam.* Itaque bonitas Dei nullis peccatis vincitur, sed in infinitum superat omnia hominum peccata etiam possibilia.

Hier. 3.12

Idipsum satis ostendunt exempla eorum, qui nefandis oppressi peccatis, per Dei misericordiam & bonitatem, subitò ad gratiam revocati sunt, & salutis æternæ participes effecti. Unicum hic produco exemplum, quod ex Cardinali Vitriaco referunt Julius Mazarinus, & Antonius d'Averoultius his ferè verbis.

Exempl. Mazarin. in Ps.50. p.1. D'averoult.in. Florib. c.2. de Spe tit.3.exemp.5.

Quædam juvenilibus annis florens puella, improbo parentis suasu, incestu se cum illo polluit. Agalma mater nefandi coitus non ignara, acerbis admodum verbis filiam arguit de nefario hoc crimine. Illa peccatum suum propalatum acerbè ferens, venenato pharmaco vitam matri eripit. Pater quidam aberat, domum reversus, sinistrum hunc casum intelligens, filiam acerrimè objurgat. Infœlix puella id non ferens, desperationis ictu graviter saucia, etiam Patri cervicem obtruncare animum induxit. Quod arrepta occasione remotis arbitris perfecit. Tot ergò tantisque designatis facinoribus, fugit ablata præcipua suppellectilis parte, & dæmoni præda facta est, peccata peccatis accumulans, sine fronte voluptatibus se prostituens. Contigit verò eam quodam die templum ingredi, cùm verbi divini Concionator divinam misericordiam summè exaggeraret, addens neminem ita peccatis immersum, cui spes salutis non affulgere debeat. Peracta concione, benè jacto verbi Dei semine, accedit sine mora Concionatorem, interrogat, num vera sint quæ de misericordia Dei prædicarat? Respondit ille verissima esse, pluribusque sententiis, ea confirmat. At illa: Obsecro, Pater, si ita est, excipe confessionem meam, ut apud tantam misericordiam pius intercessor mihi fias. Ubi eam audivit, cepit spatium cogitandi, quam ei pœnitentiam injungeret. At illa: Quid hoc, inquit, Pater, jam misericordiam tantoperè extollebas, & mihi nunc videris de salute mea desperare? Non ita ô filia sicut cogitat, sed in tuæ animæ bonum opto, ut eas concioni iterum te sistas & id pro pœnitentia salutari tibi injungo. Illa tum tantis ob peccatorum memoriam dolorum aut suspiriorum cæpit afflictari aculeis, ut è templo egredi non potuerit, sed ibi charam Deo animam efflarit. Quod ut Concionatori nunciatum est, eam Religiosis Vitis Cœnobii commendavit. Sed his orantibus, audita vox è Cœlo est: Non est opus ut oretis pro ipsa, potius ipsa orabit pro vobis.

S.Aug. hom.50. l.50.hom.

Hic ergò dicamus cum Augustino: Cur ô homo desperans addis peccata peccatis? Cur de profundis non clamas ad eum qui potest audire vocem tuam? De tali profundo Ninivitæ clamaverunt, & propitiationem invenerunt, faciliusque est evacuata comminatio Phophetæ, quam humiliatio pœnitentiæ. Nec dicas: Baptizatus sum in Christo, à quo mihi omnia peccata remissa sunt. Sed vilis factus sum nimis, iterans vias meas, ut canis, horribilis oculis Dei conversus ad vomitum suum: Quò ibo à spiritu ejus, quò à facie ejus fugiam? Quò fratet nisi ad ejus misericordiam pœnitendo, cujus potestatem contempseras peccando? Nemo enim rectè fugit ab illo, nisi ad illum, ab ejus severitate, ad ejus bonitatem. Quis enim locus te excipiet fugientem? Si ascenderis in Cœlum, ibi est; si in infernum, adest. Recipe ergò pennas tuas in directum, & habita in spe in extremo hujus sæculi, etenim illuc manus sua deducet te, & perducet te dextera sua. Quantumcumque peccaveris, adhuc in vita es; si te sanare nollet, de illa te auferret. Cur ergò ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Qui enim clamando tibi persuasit ut non recederes, parcendo clamat ut redas. Ita ille.

Blosius in monili spirit.c.1.

Notatu dignum est, quod B. Catharinæ Senensi quondam dixit Deus. Peccatores qui in mortis extremitate desperant de misericordia mea, multò gravius me offendunt & displicent mihi hoc uno peccato, quam omnibus aliis quæ unquam commiserunt. Qui enim desperat, contemnit apertè misericordiam meam, & perversè existimat iniquitatem suam illa majorem esse. Unde detentus tali peccato non dolet de offensa in me admissa, sed dolet de irremediabili damno suo. Quod si in veritate doleret quod me offendisset & contempsisset: & in misericordia mea, fideliter speraret, ipse eam certissimè inveniret, quia in infinitum major est misericordia mea, quam sint omnia peccata quæ committi possunt ab aliqua creatura. Ita Blosius.

Quid sunt peccata nostra ad Dei misericordiam nisi nubes quæ ad Solis præsentiam citò dissolvitur? Aut cera quæ ad faciem ignis liquescit? Aut araneæ tela quæ vento efflatur? Quis ergo adeo stolidus est, ut putet malitiam suam, illam Dei superare bonitatem?

3. Efficacia Sanguinis Christi.

Tertiò desperatio repugnat efficaciæ Sanguinis Christi, Desperans enim sic agit, quasi sanguis non esset sufficiens, ad emundandum quodlibet & quantumlibet enorme peccatum. Quod manifestè Scripturis repugnare supra latius ostendimus. Christus enim per Sanguinem suum; *Propitiatio est, non solùm pro peccatis nostris, sed etiam pro totius mundi*, inquit Joannes: Etsi peccata nostra *fuerint ut coccinum, aut rubra quasi vermiculus*, per illum sanguinem *alba* reddentur *quasi lana*: habet enim miro quodam modo sanguis hic vim lavandi & dealbandi animam, & peccati colorem sanguineum quantumlibet in anima inveteratum & impressum expurgandi, accedente pœnitentiâ. Imò licet homo sit vitiorum fœtida & abominabili lepra undique conspurcatus, si vel minima gutta hujus sanguinis aspergatur aspergillo pœnitentiæ, jam fit sanus & mundus totus. Ad illum respiciebat David dum in persona cujuslibet peccatoris quasi

V.in art. 10. Symb. 1.Joan. 2. Isa.1.18.

leprosi

leprosi dicit ! *Asperges me Domine hyssopo & mundabor, lavabis me & super nivem dealbabor* : Alludens ad expiationem veterem leprosi, quæ in sanguine passeris hyssopo fiebat. Denique, licet anima videatur esse velut *vestimentum mixtum sanguine*, quod *in combustionem erit & cibus & ignis*, ut loquitur Isaias, licet sit fœtida & abominabilis quasi pannus menstruatæ, accedat ad fontem Sanguinis Christi, qui *patens est domui David in ablutionem peccatoris & menstruatæ*, juxta Zachariam, & dubio procul munda & immaculata recedet.

Pf.50.9.

Is.9.5.

Zach.13.1

Heb.12. 24.

Sanguis verò ille, qui sanguis est misericordiæ, vocem habens *melius loquentem quàm Abel*, ut dicit Apostolus, contra desperantes tam sanguis est vindictæ, voce acri contra illos in Cœlum clamans ob majorem injuriam sibi inflictam per desperationem, quàm per alia etiam nefanda peccata. Hinc Judas desperando gravius peccavit, quàm ipsum sanguinem justum fundendo, quia sanguis quem fundebat, poterat & ipsum pro quo fundebatur peccatum abolere. Infœlicissimè ergò abiens laqueo se suspendit, qui tanquam Absalon alter, in arbore funesta pendet, tribus confixus lanceis, avaritiæ, parricidio, desperatione. Hi sunt tres lethales ictus, qui æterna cum morte confixerunt. Sed desperatio præsertim laqueus aut parricidalis mucro est, quo animam miseram præfocavit, & æternis flammis addixit, ita ut ad eum exclamare nobis liceat. O mortalium infœlicissimè ! Quam exili pretio simul cum Sanguine Salvatoris, Apostolicam dignitatem, jus primogenituræ inter filios Dei vendidisti. Quàm exiguo nummo æternitatis pœnas mercatus es : Verum parum erat vendidisse te Sanguinem justi, si non ad laqueum, ad funem, ad funestam arborem, desperans cucurrisses. Ad funes potiùs Domini tui crudeliter colligati recurrere te oportebat, ad columnam ejus cruore purpuratam, ad fœlicem illam Crucis arborem, sub qua poteras remissionis fructum carpere. Ibi patebat tibi porta gratiæ, janua misericordiæ : Ibi ipso quem fuderas sanguine abluì poteras : Ibi ad pedes Domini cum lachrymis prostratus audivisses cum Magdalena : *Remittuntur tibi peccata tua.*

Matt.27.

Luc.7. 48.

Refert Godschalcus Ordinis D. Augustini Concionator, virum quendam à Domino gravi percussum fuisse infirmitate ob enormitatem scelerũ. Amici ergò ejus hortabantur eum ad pœnitentiam & confessionem. Ille verò velut in furorem versus dicebat : Nescitis quod ego peccator pessimus sim, quid mihi prodesset pœnitentia, damnatus sum. Venit postea ad ipsum Christus, & dicit ei : *Ego sum Iesus, pro te mortuus & miserationes meæ excedunt omnia peccata tua, fac confessionem & miserebor tui.* Ille verò renuit. Tandem elevans Dominus pallium quo tegebatur, ostendit ei vulnera sua dicens : *Hæc omnia pro te sustinui. Te damnare nolo, si vis pœnitentiam agere.* At ille nequaquam acquievit. Tunc piissimus Dominus noster, Sanguinem copiosum de latere suo manu dextera in faciem desperati projecit, dicens : *Hoc signum coram omnibus hominibus in extremo judicio portabis in signum quod misericordiam meam contempseris.* Ita Godschalcus Holen. Serm. 58. Partis hyemalis.

Exempl.

PROPOSITIO II.

Desperatio inter omnia peccata periculosissima est.

II. *Desperatio periculosissima est omnium peccatorum.*

RAtio est, quia reliqua peccata ita damnationis adducunt interitum, ut conversionis possibile relinquant remedium : Desperans verò, de se quasi damnationis anticipans sententiam, etiam remedium ipsum ut impossibile sibi proponit, ideòque facit ut de aliorum etiam peccatorum remedio non cogitet.

Secundò exponit hominem omnibus peccatis : Desperantium enim vox hæc est : Si jam damnandus sum, cur peccata non addo peccatis : Fruar hoc sæculo in voluptate & omni cupiditate. Jam perdita spe reparationis, vel hoc habeam quod video, si non possum habere quod credo : & sic statuentes se ad damnationem destinatos, quare inquiunt quod volumus non facimus ? Quasi gladiatores ferro destinati se gerunt inquit Div. Augustinus. Cui consonat illud Apostoli : *Hoc dico & testificor in Domino, ut jam non ambuletis, sicut & gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum, qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam. Vos autem non ita didicistis Christum.*

D. Aug. Tract. 31. in Joan.

Eph.4. 20.

Hinc vitium desperationis *inferno* comparatur : Sic dicit Divus Gregorius. Potest *inferni* nomine, peccatoris desperatio designari, dum in Psalmo dicit : *In inferno quis confitebitur tibi.* Unde iterum scriptum est : *Impius cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit.* Quisquis impietati succumbit, vitam justitiæ moriendo relinquit, qui verò etiam post peccatum mole desperationis obruitur, quid aliud quam post mortem in inferni supplicio sepelitur ? Quia dum desperatio nequitiæ sociatur, via jam reversionis abscinditur. Ita Greg. lib. 4. moral. c. 14.

S. Greg.

Psal. 6.6. Prov.18.3

Sed & de hoc inferno, aut peccatorum centro potest Deus hominem eripere, si de profundis voluerit clamare, hoc est, de hac profunda abysso vocem ad Deum erigere. Sic in persona aliquorum peccatorum dicit Propheta : *Lapsa est in Lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me, inundaverunt aquæ super caput meum, dixi perii. Invocavi nomen tuum Domine, de lacu novissimo, vocem meam audisti, ne avertas aurem tuam à singultu meo & clamoribus.* Hæc est vox eorum qui diutius in malis hæserunt ; sepulti sub habitu vitioso, quasi sub quodam obstinationis saxo, ita ut parum

Thren.3. 53.

abſit quin tradant ſe deſperationi : ſed tamen ad auxilium Dei & gratiam tandem reſpirantes divinam implorant opem, quæ nunquam quærentibus negatur.

Jonæ 2. 3 Qui ergò ſe deſperationis procella penè obrutos videns, Jonam imitentur, qui de ventre piſcis clamabat : *De ventre inferi clamavi , & exaudiſti vocem meam.* Imò quantumlibet homo obrutus ſit peccatis, ita tamen debet in illo ſpes manere , ut dicant Theologi, quod licet Deus vel Angelus damnationem ſuam alicui prædicerent , vel revelarent, nec ille tamen deberet deſperare. Non quod Deus vel Angelus mentiri poſſit, ſed quia cum hæc audires , judicare deberes non eſſe præfinitam & certam ſententiam, ſed comminationem , quæ ad terrorem & utilitatem tuam tibi fieret. Sic Davidi dicit Nathan : *Quia blaſphemare feciſti inimicos Domini, filius qui natus eſt tibi morte morietur.* Non tamen propterea deſperat David , licet deſperatus eſſet puer , & Medici deſperarent , & Prophetæ mortem prædiceret , ſed ingreſſus ſeorſum jacuit ſuper terram, jejunans & orans pro parvulo. Quæ ſpe ? *Si forte* , inquit , *donet eum mihi Dominus , & vivat infans.*

2. Reg. 12. 14.

Jonæ 3. 4 Sic Jonas clamabat : *Adhuc quadraginta dies & Ninive ſubvertetur.* Terrentur Niniviræ , ſed non deſperant, indicunt jejunium dicentes : *Quis ſcit ſi convertatur & ignoſcat Deus ?* Similiter in libro Judicum orant filii Iſrael oppreſſi ab hoſtibus , dicentes : *Peccavimus tibi* , quia *dereliquimus te & ſervivimus Baalim.* Reſpondet Dominus : *Nunquid non Ægyptii & Amorrhæi oppreſſerunt vos, & clamaſtis ad me, & erui vos, & tamen reliquiſtis me , & coluiſtis Deos alienos , idcirco non addam ut ultrà vos liberem. Ite ad Deos quos elegiſtis , ipſi vos liberent.* Quis non putaret hic deſperandum ? Et tamen dixerunt filii Iſrael : *Peccavimus, redde tu nobis quidquid tibi placet , tantùm nunc libera nos , & hæc dicentes, projecerunt idola de finibus ſuis, & ſervierunt Deo, & doluit ſuper miſeriis eorum.*

Judic. 10. 10.
Ibid. v. 11

D. Thom. q. 23. de veritate, ar. 2. ad 2. Itaque docent Theologi cum D. Thoma non poſſe Deum de potentia ordinaria, revelare abſolutè alicui viatori ſuam damnationem : Sed ſi fiat talis revelatio, eam eſſe accipiendam per modum comminationis non per modum prædictionis abſolutæ.

Ex his quoque ſatis patet, nos non ſolùm de nobis , ſed etiam de nullius debere deſperare ſalute, quamcumque reprobus videatur : Sicut enim ægri à Medicis deſperati , ſæpe Deo meliùs medente ſanantur ; ita multo ſæpius qui omnino perituri videbantur , divina bonitate in novos homines mutantur , nullus morbus incurabilis eſt huic Medico ejuſque medicinæ. Mulier ſanguinis fluxum patiens erogaverat in Medicos omnem ſubſtantiam, ſed tetigit ſolam hujus Medici fimbriam, & ſteriit fluxus ſanguinis. Quæ eſt illa ſanguinis fluxum patiens ? Anima eſt in qua *maledictum & mendacium, furtum & adulterium inundaverunt , & ſanguis ſanguinem tetigit*, id eſt, peccatum peccato acceſſit, ſed ſi per peccatorum confeſſionem Sacramentis participet , ſtatim fluxus ſtabit ſanguinis , & ſanitatem recuperabit, ab illo qui ſanat omnes infirmitates noſtras. Sic ergò neminem quamdiu hic vivit , tanquam à Deo derelictum reiiciamus , ſed potiùs ipſoſmet deſperantes, quantum in nobis eſt, juvemus, & in ſpem erigamus cum ſpiritu lenitatis, & ad viam juſtitiæ reducamus.

Matth. 9. 20.
Luc. 8. 2.
Oſee. 4. 2

Sic Sanct. Abraham Eremita, cùm neptem haberet, quæ ab ipſo in via Dei inſtructa poſtea ad ſæculum redierat ; & biennium in flagitioſa & luxurioſa vita conſumpſerat , ut eam revocaret ementito habitu militis eques ad illam profectus eſt , & inventam remotis arbitris allocutus eſt, & ad pœnitentiam hortatus eſt, dicens : *Super me ſit peccatum tuum, quo haſtenus amatoribus fœdè proſtituiſti corpus tuum, ego pro te ſatisfaciam, ego in die judicii, filia mea, pro te rationem reddam.* Cumque illi reſponderet : Nimis magna eſt iniquitas mea , non poteſt mihi ſpes eſſe ſalutis Reſpondit : *Super me ſit iniquitas tua, filia mea, extremis manibus Deus hoc peccatum requirat , tantùm veni mecum.* Ita venit, & pœnitentiam pro peccatis ſuis reliquo vitæ tempore tantam egit, ut etiam miraculis clara è vita exceſſerit.

Surius 16 Mart. ex B. Ephrem in vita B. Abraham.

EXHORTATIO EX D. CHRYSOSTOMO ad Deſperantes.

O Grandis miſericordia Domini ! Cùm omnis mundus concluſus in peccatis eſſet , venit Creator univerſitatis , & principia peccantium evacuavit , ut nullus poſtmodum deſperaret de ſalute : Si impius es, cogita Publicanum : ſi immundus es, attende meretricem : ſi homicida es , reſpice latronem : ſi iniquus es , cogita blaſphemum : conſidera Paulum Apoſtolum, priùs perſecutorem, poſteà annunciatorem , priùs pervaſorem , poſteà diſpenſatorem : ante hoc zizania poſt hoc frumentùm : anteà lupum, poſteà Paſtorem : anteà plumbum , poſtmodum aurum : anteà piratam , poſteà Gubernatorem : anteà diſperſorem ovium , poſteà diſpenſatorem Eccleſiæ : primò evellentem vineam, poſteà plantantem : priùs diſſipantem, poſteà ædificantem. Vidiſti multimodam malitiam , ſed perſpice ineffabilem miſericordiam , vidiſti ſuperbiam ſervuli , conſidera benevolentiam Domini. Nolo mihi dicas blaſphemus ſum , nolo dicas perſecutor ſum, immundus ſum. Habes omnium oſtenſiones , in quem volueris portum confugito, Vis in novo ? Vis in veteri ? In veteri David, in novo Paulus. Nolo excuſationes mihi afferas : nolo ignaviam mihi tuam prætendas : Peccaſti, pœnitere : Millies peccaſti, millies pœnitere. Hæc aſſiduè infundo medicamenta , & timorem intercipio. Novi enim multum conſcientiæ cruciatum , ſcio quanta eſt deſperatio. Stat diabolus gladium acuens & dicens in hæc verba : Omnem intuentem tuam confudiſti , omnem vitam tuam perdidiſti, antè eras in theatro cum amicis , in circo cum ſo-

S. Chryſoſt. ho. 3. in Pſ. 50.

dalibus

Digitized by Google

dalibus, in lupanari cum meretricibus. Deindè rapuiſti, avaritiæ ſtuduiſti, perjoraſti, blaſphemaſti: quæ jam tibi ſalutis ſpes eſt? Periſti, periſti, fruere ergò jam vel præſentis vitæ voluptatibus, ducito in lætitia cor tuum. Hæc diaboli verba ſunt, iſta inimici conſilia, ſed mea contraria ſunt verba. Si lapſus es, poteris ſurgere, periſti ſed poteris ſalvari; fornicatus es ſed poteris continere; mœchatus es, ſed poteris liberari; ad ſpectacula properabas ſed poteris revocare pedem; cum malis hominibus verſabaris, poteris recedere & cum bonis eſſe. In utram vis partem liberum habes arbitrium, tantùm vel parva incipiat eſſe converſio, paululum pœnitere; fundant oculi lachrymam, redi ad conſcientiam tuam, conſidera temetipſum: propone ante oculos judicii diem, & paradiſi delicias, quæ præparantur ſanctis. Occidiſti, ſed pœnitere: mœchatus es, ſed confitere: cecidiſti, ſed reſurge: vulneratus es, ſed adhibe tibi curam, dum vivis; dum ſpiras, etiam in ipſo lecto poſitus, etiam, ſi dici poteſt, animam efflans, ut jam de hoc mundo exeas, de hac compede libereris, pœnitere. Non impeditur temporis angustiâ miſericordia Dei. Quid eſt peccatum ad Domini miſericordiam? Tela aranеæ quæ vento flante nuſquam comparet. Si Deus voluerit, nullus impediet. Hæc dico non ut negligentiores vos faciam, Chariſſimi, ſed ut vos ad finem ſalutaris expectationis adducam. Nunquam deſperetis de vobis, ſed de Dei miſericordia confidite. Deſperate potiùs de illo, qui de ſe deſperaverit, qui revocare pedem non vult, qui Dei præcepta contemnit & deſpicit, & non ſe cogitat eſſe moriturum. Hæc Chryſoſtomus.

LECTIO IX.

DE PRÆSUMPTIONE OPPOSITA Spei.

Docet hæc Lectio, quid ſit Præſumptio, & quàm grave peccatum.

PROPOSITIO UNICA.

Sicut ſpei per defectum repugnat deſperatio, ita & per exceſſum Præſumptio, eſtque peccatum graviſſimum ac periculoſiſſimum.

Præſumptio repugnat ſpei per exceſſum, & eſt graviſſimum ac periculoſiſſimum peccatum.

HOc ut intelligatur, adverte, tunc præſumptionem eſſe; cum homo de ſola Dei miſericordia confidens, ad peccandum audax fit, objecto timore Dei, & juſtitiæ ejus conſideratione. Hoc peccatum grave eſt; unde & recenſetur inter illa quæ ſunt contra Spiritum ſanctum. Ratio eſt, quia ponit obicem gratiæ Spiritus ſancti negligens aut contemnens media ordinata quibus ſolet gratiam impertiri, ita ut abiiciat illud quo Spiritus S. ſolet hominem à peccando revocare. Periculoſum quoque peccatum eſt: eo quod hominem audacem faciat ad cumulandum peccata peccatis. Dicunt enim: Bonus eſt Deus, miſericors eſt, faciam quòd mihi placet, laxem habenas cupiditatibus meis, impleam deſideria animæ meæ, dimittet mihi omnia peccata mea: & ſic ſperat ut peccet, & peccata peccatis adiicit, inquit D. Auguſt. Manifeſtum ergò eſt præſumptionem illam originem eſſe multorum peccatorum, dum frænum animo excutit timorem & juſtitiam Dei: ita ut homo tunc ſit quaſi equus effrænis & exoculatus, ruens de foveâ in foveam, de præcipitio in præcipitium. S. Aug.

Præſumptione peccant 1. Hæretici.

Primò per hanc præſumptionem peccant noſtri hæretici, qui ſola fide in Chriſtum ſine operibus ſalvari ſe poſſe putant, non ſolùm ſibi, ſed & aliis ſecuritatem promittentes, licet pœnitentiæ fructus negligantur, modò fidem concipiant, & certò ſibi perſuadeant remitti ſibi peccata per Chriſtum. Hanc fiduciam ſpecialem reprobat Concilium Tridentinum, docetque illam eſſe temerariam præſumptionem, & fallacem fiduciam. Et illam etiam reprobant Scripturæ, quæ in nobis requirunt fidem non mortuam, ſed vivam & efficacem, quæ per charitatem operatur, & manifeſtè docet Jacobus, *Fidem ſine operibus mortuam eſſe.* D. quoque Baptiſta monet: *Facite fructum dignum pœnitentiæ.* Quod autem aliquando Scripturæ dicant nos per fidem juſtificari aut ſalvari, non propterea volunt quod ſola fides juſtificet aut ſalvet nos, ſine operibus & ſine pœnitentiæ actibus. Sed ideò dicit nos per fidem juſtificari & ſalvari, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix omnis juſtificationis, ſine qua eſt impoſſibile placere Deo, & ad filiorum ejus conſortium pervenire. Et quando unius rei plures ſunt cauſæ, Scriptura more ſuo modò huic, modò illi effectum attribuit, ut ſignificet quid hæc cauſa ex ſua parte valeat & efficiat, niſi aliunde defectus ſit; non verò quod hæc cauſa ſola, totum effectum producat. Sic etiam dicitur: *Omnis qui ſperat non confundetur: Omnis qui petit accipit: Omnis qui invocaverit nomen Domini ſalvus erit.* Trid. ſeſſ. 6. can. 12. & 13. Gal. 5. & 6. Jac. 2. 17. Matt. 3. 8. Rom. 3. Gal. 2. & 3. Trid ſeſſ. 6. c. 8. Eccl. 2. 11 Luc. 11. 10 Rom. 10. 13.

2. Peccant Catholici per præſumptionem.

Secundò peccant etiam per præſumptionem multi Catholici, qui ſecuri in utramque aurem dormiunt negligentes vitam perfectam, aut conatum ad perfectionem, juxta vocationem veri Chriſtiani. Dicuntque ſibi ſufficere gravia peccata vitare, non opus eſſe tot jejuniis, ciliciis, aut corporis afflictione, longis orationibus, aut operibus laboriosis: Non eſſe; ita difficilem aut aſperam Cœli viam: Deum non condidiſſe Paradiſum ſuum, ut falcibus impleret, nec creaſſe illum pro pecudibus aut capris, ſed pro hominibus. Hæc & ſimilia in ſympoſiis & tabernis, à vanis & mundanis Catholicis parum Catholicè & Chriſtianè proferuntur: cùm & ſacræ Scripturæ & Sanctorum exempla nos aliud doceant, & continuò moneant voces Apoſtolicæ: *Fratres ſatagite ut per bona opera certam veſtram electionem & vocationem faciatis: Cum timore & tremore incolatus veſtri tempore converſamini, noviſſimum Domino quæ-*

2. Pet. 1. 10. Matt. 5. 26.

drantem reddituri. Spes ergo eorum fallax est, vana præsumptio est, qua vanè sibi blandiuntur & decipiuntur, dum in otio vitam degunt & bonorum operum negligentia: qui etiam *vacuos & sine fructu se reperiens, in die Domini*, in die asperitatis & hyemis; quia nihil collegerunt messis in die æstatis, in tempore opportuno hujus vitæ. Ita ut rectè ad tales dirigimus illas Sapientis voces: *Vsque quò piger dormies? Vsque quò consurges manus? Paululum dormies, paululum dormitabis, & veniet tibi tanquam vir armatus egestas*: & iterum: *Vade ad formicam ô piger!* Pigrum mittit ad formicam, quia illa doctrinam dat contra omnia vitia. Quia enim sollicita est, docet otium fugere: Quia provida, monet in futurum tempus prospicere: Quia juvat laborantes socias, instruit ad charitatis opera: Quia arcta incedit semita, & in silice viam sibi facit, ad mortificationem & pœnitentiam incitat. Hinc dicit Bonaven. *Formica est animal parvum, laudatur humilitas: socias laborantes adjuvat, docetur charitas: sollicita curritur, monstratur industria: provida est de futuro, ostenditur prudentia: pondus portat majus se ipsa, monstratur zeli compassio: vias facit in silice, docet custodire vias duras.* Non Regina austri, aut Ninivitæ, sed ipsa surget in judicio, & condemnabit otiosos & steriles bonorum operum. Cum enim non habeat Ducem, aut Præceptorem cujus exemplum sequatur, sicut nos Christum & Sanctos, Ecclesiam quoque & ejus Præpositos; congregat in messe ut comedat in hyeme. Nos verò in præsenti vita cùm habeamus tot boni operis occasiones, negligimus nobis prospicere, & decipimur nescio qua vana spe, aut potius præsumptione.

Prov. 6. 9

D. Bonaventur. Dictæ salutis c. 28

Attendant ergo hæc, illi qui desides sunt, putantque sibi dormientibus obventurum Regnum Cœlorum, quod tamen non datur nisi laborantibus aut certantibus, vel etiam violenter illud rapientibus. Frustra ergo illud expectant, nisi manus exserant. Frustra dicunt illud non pro pecudibus condidisse Deum, ideoque præsumunt se ad illud perventuros: Nam etiam Deus non pro pecudibus infernum condidit, sed pro dæmonibus, & pro hominibus infructuosis, qui tanquam paleæ illic debent ardere: Timeant de illis esse.

3. Peccant pœnitentiam differentes.

Tertiò gravius illi per præsumptionem peccant, qui ut jumenta computrescunt in peccatis suis, sub vana & perversa spe misericordiæ Dei, de die in diem pœnitentiam differentes. Contra quos clamat Scriptura: *Ne dicas miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserabitur: Misericordia enim & ira ab illo cito proximant, & in peccatores respicit ira illius.*

Eccl. 5. 6.

Pœnitentia in fine vitæ est.

3. Injuriosa Deo.

Præsumptio ergò qua putant se tandem misericordiam consecuturos, pœnitentiam agendo in senectute vel in fine vitæ, Deo injuriosa est, stolida, & periculosa, cum propter illam in peccatis perseverant. Primò injuriosa Deo; qui ejus misericordiæ obstruuntur ad peccandum. Ex eo enim quod Deus bonus sit, quodammodo concludunt sibi licere peccare, cùm potius è contra concludere deberent, ex eo quod bonus sit, dignum esse cui nunc serviatur, dimissis omnibus peccatis, quæ contra ejus bonitatem sunt, quique ametur ex nunc & colatur ex toto corde, relicta omni peccati occasione. Quantò ergò magis amplificat quis Dei bonitatem, tantò magis exaggerat peccatum in illam commissum. Quapropter videtur Dominus de similibus per Prophetam conqueri, dum dicit: *Super dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam.* Quasi dicat: Sub spe misericordiæ meæ, adjecerunt peccata peccatis, quasi fabricantes super humeros meos, & dicentes magnam esse misericordiam meam, satisque fortem quæ ista peccata sustineat, & sic prolongant suam pessimam vitam. Sed vide quid sequitur: *Dominus justus concidet cervices talium peccatorum*, in mediis peccatis vitam eis auferens, eos flammis æternis devovebit, & præsumptionem hanc in injuriam misericordiæ suæ vergentem, acri sua justitia vindicabit.

Ps. 128. 3.

2. Stulta est.

Secundò stultam dicimus præsumptionem illam, differentium pœnitentiam in ultimam senectam aut extremum diem. An non stolidus foret, qui jam pressus sub onere, nec valens illud sublevare, tamen pondus ponderi adiicit, sperans se postea facilè illud levare & portare posse? Arsenius Abbas in cella sua sedens audivit vocem sibi dicentem: Veni & ostendam tibi opera hominum. Inter cætera, vidit quendam incidentem ligna, ut fascem ex illis componeret, fasceque confecto, conabatur illum sublevare in humeros, nec poterat præ pondere, cum verò aliquid de onere demere debuisset, nova nihilominus ligna cædebat & fasci superaddebat. Cumque miraretur stultitiam hominis per plures vices idipsum facientis, is cujus vocem audierat, dixit ei. Hic homo designat eos qui variis sunt onerati peccatis, & cùm de illis pœnitentiam agere deberent, & de hoc onere subtrahere, tamen peccata peccatis adiiciunt, donec tandem cum peccatorum pondere in infernum ruunt.

Surius 19. Julii in vita B. Arsenii.

Qui ergo nunc centum peccatis oneratam habes conscientiam, cur non exoneras te, huic oneri impar? Cur expectas & stolidè præsumis, etiam mille adiiciens, quasi in posterum totum hoc pondus facilè levare potens? Si jam pro debito nescis centum solvere, quomodo poteris mille? Cur debitum debito superaddis?

An non etiam is stolidus foret, qui mane aquam non pertransit: dum parvus adhuc rivulus est, & vesperi vult pertransire, dum alveus fluminis instar exundat? Sic agunt illi qui pœnitentiam differunt & conversionem usque in vitæ vesperam, cum jam exundantibus peccatis submerguntur, & per torrentem hunc rapidum peccatorum in amarum mare æternarum pœnarum devolvuntur.

3. Periculosa.

Tertio dicimus præsumptionem illam summè periculosam esse, quia per illam homo velut aleam jactat

jactat totius æternitatis. Sæpè enim tales ita præveniuntur repentino Dei furore, ut nec conversionis tempus, nec remissionis beneficium reperiant.
Isa.30.13. De quibus possumus usurpare illud Isaiæ: *Et erit velut interruptio cadens & requisita in muro excelso, quoniam subitò dum non speratur, veniet contritio ejus, Comminuetur sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida, & non invenietur de fragmentis ejus testa, in qua portetur ignis culus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea.* Perseverans sub spe misericordiæ peccator, ita subito aliquando opprimitur & convertitur justo Dei Judicio per mortem improvisam; ut nec concedatur ei tempus quo aliquam compunctionis scintillam, aut amoris divini igniculum possit ostendere, nec de profundo & abundanti puteo divinæ gratiæ & misericordiæ, possit vel guttulam haurire. Ideo monet
Eccl.5.8. Scriptura: *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Et iterum: *Hodie si*
Ps.94.8. *vocem ejus audieritis nolite obdurare corda vestra.* Cui consonat Apostolus, dicens: *Videte Fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, dis-*
Heb.3.13. *cedendi à Deo vivo; sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec* hodie *cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* Obduratur verò inquit D. Fulgentius, sive qui non convertitur,
B.Fulg.de fide c.3. desperans de indulgentia, sive qui sic misericordiam sperat, ut usque in finem vitæ, in criminum immanitate permaneat.

Au. tract. 33.in Jos. Pulchra quoque hæc de re est sententia D. Augu. Dulcis & rectus est Dominus: Ama quod dulcis est, time quod rectus est. Tanquam mansuetus dixit: Tacui. Sed tanquam justus, Nunquid semper tacebo? Misericors & miserator est Dominus, sed time quod in novissimo est & verax. Quos modo sustinet peccantes, judicaturus est contemnentes. Cur divitias bonitatis ejus contemnis, & thesaurizas tibi iram? Semper expectas & de misericordia Dei tibi multum polliceris, quasi ille qui tibi promisit indulgentiam, promiserit etiam prolixiorem vitam, Unde scisquid pariat crastinus dies? Propter illos ergo qui desperatione periclitantur, proponit indulgentiæ portum; propter illos qui spe periclitantur & dilationibus illuduntur, fecit diem mortis incertum. Ita ille. Videri etiam potest D. Bernardus serm. 18. inter parvos suos sermones.

Ber.ser.18 9. *Infirma & parum secura.* Lu.Gran. lib. Dux peccat. Aug.l. 50 hom.50. Sed & hic advertendum est, SS. Patres docere pœnitentiam, quam multi in extrema infirmitate agunt, sæpe etiam esse infirmam & parum securam. De qua re latius videri potest Granatensis, in libro Ductis peccatorum.

Unicum hujus rei testimonium brevitati consulens, ex D. Augustino produco: Si quis, inquit, posticus in extrema necessitate ægritudinis, voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatus hinc vadit, fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non præsumimus, quia bene hinc exit. Pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum. Non dico quod damnabitur, sed nec dico quod salvabitur. Vis te à dubio liberare? age pœnitentiam dum sanus es. Si autem tunc vis agere pœnitentiam, quando peccare non potes, peccata dimiserunt te, non tu illa. Sed unde scis, inquis ne forte Deus dimittat mihi? Verum dicis, nescio; nam ideo tibi do pœnitentiam, quam si scirem tibi non prodesse, non darem. Ita si scirem tibi prodesse non te admonerem, non te terrerem. Quod horum tibi futurum sit nescio. Ergo tene certum, dimitte incertum. Hæc August. & plura l 50.hom.50.

Multi itaque in fine, *non invenerunt pœnitentiæ* Heb.12.17. *locum, quamvis cum lachrymis inquirerent eum*, ut de Esau loquitur Apostolus. Et si quam tunc viderentur habere pœnitentiam, non vera erat sed coacta, sed extorta, ideoque infructuosa. Habet exemplum de Antiocho Rege: Hunc cùm ob superbiam afflixisset Deus, ille ad Dominum conversus dicebat: *Justum est subditum esse Deo, & mortalem non* 2.Mach. *paria sentire Deo.* Ecce animi humiliatio. Sed & quan- 9.
tuor offert Deo. Primo Judæos quos nec sepultura dignos judicarat, æquales Athenienfibus se facturos pollicetur. Secundò, Templum quod spoliarat donis ornaturum & vasis, sumptusque ad sacrificium ex suis reditibus daturum. Tertio, Judæum se futurum. Quarto, omnem locum terræ se perambulaturum, & prædicaturum Dei potestatem. Et tamen addit Scriptura: *Orabat scelestus Dominum, à quo non erat misericordiam consecuturus.* Nempe hæc pœnitentia sera erat, & vera non erat, sed coacta & extorta ideoque inanis.

Habes & exemplum Chrysaurii ex D. Gregorio qui vitam vitiis deditam agens, tandem ad extrema deductus, cum se dæmonibus prædam expectantibus cinctum vidisset horrenda voce inclamare cœpit: *Inducias vel usque manè, inducias vel usque* Greg.l.4. *manè.* Sed in his verbis expirans, *manè* illud non in- dial.c.38.
venit, qui dum *hodie* cognominatur, Dei voce surdus fuit.

In vita quoque B. Thomæ Mori, legitur de quodam variis vitiis implicato, qui monitus solebat dicere, se tribus verbis in fine tandem salutem consecuturum, alludens ad hæc aut similia verba: *Miserere mei Deus.* Contigit vero eum quodam die arctum satis pontem transire, & equo impingente decidens, cœpit clamare: *Rapiat omnia dæmon.* Hæc sunt tria verba, quibus salutem, imo vero æternam animæ perditionem est assecutus.

Nempe claudit eis oculos dæmon, & ideo cæco gressu in omne genus peccati ruunt: & ut libere peccent, persuadet eis in fine sufficere unum bonum *Peccavi*; pro quo miseri sæpe reperiunt unum infœlicissimum *Desperavi*: Estque hæc desperatio quasi Scorpius venenosus, qui cauda sua eos perimit, & in exitu vitæ eos illaqueat, ictumque æternæ mortis infigit.

(†)

d by Google

TRACTATUS II.
DE ORATIONE.

CUM Oratio Spei sit actus, & illa spem nostram multùm fulciat ac promoveat, de illa hîc copiosè disseremus. Ac *primò* quidem ejus definitionem explicabimus. *Secundò* de loco ac tempore Orationi congruo tractabimus. *Tertiò* de Oratione publica pro flagellis Dei avertendis, Peste, Bello, Fame. De quibus flagellis speciatim agemus, quia in illa tempora incidimus, in quibus per hæc tria conjunctim flagella, aggravata est manus Dei super populos varios. Ita ut Pastores sæpius agere debeant de Oratione, ut exhortentur plebem, ad iram Dei precibus divertendam. *Quartò* agemus de aliquot conditionibus efficacis Orationis.

LECTIO I.

EXPLICAT DEFINITIONEM ORATIONIS.

PROPOSITIO UNICA:

Orationis definitio.

ORatio est mentis in Deum elevatio, per quam vel mala deprecamur, vel bona nobis altiusque petimus, vel Deo benedicimus. Ita eam describit D. Joan. Damasc.

1. Damas. 1. *Dicitur Mentis elevatio.*

Primò ergo Oratio dicitur, *Anima in Deum elevatio sive ascensus.* Quia in Oratione, per mentis attentionem, & voluntatis affectum, quasi per duplicem alam, anima levat se super se, Cœlum penetrat, & usque ad Dei thronum volatu suo pertingit, ita ut possit dicere: Ingrediar *in locum Tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.* Hinc etiam Sapiens dicit: *Oratio humiliantis se, penetrat nubes, & non discedet, donec altissimus aspiciat.*

Ps. 41. 5.

Eccl. 35.

Oratio comparatur.

D. Quoque August. de Oratione dicit: *Quid est Oratio, nisi ascensio anima de terrestribus ad cœlestia, inquisitio supernorum, invisibilium desiderium?*

1. *Scala Jacob.* Gen. 28.

Propterea etiam rectè comparatur Oratio scalæ Jacob. Quia sicut per illam à terra in Cœlos usque patebat ascensus, usque ad Dominum Majestatis, qui in summitate scalæ erat: Ita per Orationem cuilibet Christiano, qui instar Jacob peregrinans est & luctator contra vitia, patet ascensus, usque ad solium divinæ Majestatis. Et sicut scalæ innitebatur Dominus tenens eam, aut potiùs scala innitebatur Domino, juxta lectionem LXX. Interpretum: ita Oratio totam virtutem habet à divino auxilio eam sublevante, & ad se trahente. Denique, sicut in scala Jacob erant Angeli ascendentes & descendentes; ita & in Oratione nostra Angeli ascendunt, ut vota nostra & suspiria Deo repræsentent; & descendunt, ut Dei dona ad nos referant.

Itaque per Orationem elevans se anima usque ad Dei thronum, ingreditur nullo obice ei objecto, nullo janitore eam impediente. Habetque ipsa clavem auream, per quam omni tempore ei patet accessus ad cubiculum & thalamum Regis, ut ejus liberè fruatur colloquio. Inter Deum enim & animam, per Orationem quædam exoritur familiaritas & conversatio, quæ in tantam aliquando fiduciam exurgit, ut homo ibi non tantùm colloquatur cum Deo supplicans illi ut Patri, aut illum deprecans ut Judicem, sed etiam quasi amicus cum amico potens dicere fiducialiter: *Dilectus meus mihi & ego illi.* Ita ut ipsa summa Majestas sibi complaceat in mutuo quodam cum anima colloquio. *Fac me,* inquit, *audire vocem tuam; vox enim tua dulcis.* Et iterum: *Labia tua sicut vitta coccinea, & eloquium tuum dulce. Jucundum sit ei eloquium meum* (dicebat Regius Propheta) *Ego verò delectabor in Domino.*

2. *Clavis aurea.*

Cant. 2. 16

Cant. 4. 3

Ps. 103. 34

Oratio pepererat tantam familiaritatem Moysi cum Deo, ut, teste Scriptura, facie ad faciem, ore ad os loqueretur ei, quasi amicus cum amico. Et ex consortio sermonis Dei, facies ejus splendida erat & cornuta, hoc est, radios emittens instar cornuum fulgurientium, ita ut non possent filii Israel in eum intendere.

Ex. 33. 11.

Exempl. de S. Francis. Chroni. Min. Bonaven. in vita ejus c. 13.

D. Franciscus quoque, noctibus integris familiariter agebat cum Domino; & tanta erat vis Orationis ejus, ut non solùm mentem elevare potens foret, sed & ipsum corpus. Sæpe enim (Bonaventura teste) visus est, orans manibus in crucis modum protensis, toto corpore à terra sublevatus & nubecula fulgente circumdatus, ut illa corporis elevatio & illustratio, testis foret mirabilis circa mentem ejus illustrationis & elevationis. Sæpe morabatur in monte Alverno, soluſque B. Leo eum poterat accedere, semel in die cum pane & aqua, semel in nocte ad persolvendas Matutinas. Et tunc dicebat: *Domine labia mea aperies,*

Si

Si respondebat Sanctus : *Et os meum annunciabit laudem tuam* : Persolvebant matutinum. Si nihil respondebat, oportebat eum discedere, quia sæpè erat in extasi , ita ut per diem & noctem nihil loqueretur. Quadam vice accessit Beatus Leo dicens : *Domine labia mea aperies* , & nihil ei respondit, Respiciens ergò per sylvam , Luna lucente, vidit virum Sanctum extra cellam facie elevata in Cœlum, sæpè repetentem : *Quid es tu dulcissime Domine Deus meus ? Quid ego vermiculus & pauper servus tuus ?* Nec aliud dicebat. Viditque splendidam flammam ad eum de Cœlo descendentem , & ex illa vox loquebatur illi, & ipse ter ad illam manum protendebat. Flamma recedente voluit secretò B. Leo discedere, sed audivit Franciscus sonitum pedum & ait : Præcipio quisquis es, in virtute Jesu Christi ut stes fixus. Dixitque Leo : Ego sum Pater. At ille : Ad quid venis ad me explorandum ? Præcipio tibi per obedientiam, ut dicas mihi si quid videris. Projecit se Leo ad pedes ejus, & aperuit ei cuncta quæ viderat , supplex rogans ut exponeret ei quid hæc vellent. Quia ergò Franciscus multum diligebat eum ob puritatem & mansuetudinem, dixit ei : In his quæ vidisti erant mihi aperta duo lumina , unum de cognitione Creatoris , alterum de cognitione mei ipsius. Quando ergò dicebam : *Quis es tu Domine*, in quodam eram lumine, in quo videbam abyssum infinitæ bonitatis , & profundum meæ vilitatis. Ideò dicebam : *Quis es Domine, summè sapiens, bone, clemens, ut visites me , qui sum vilis vermiculus, abominabilis & despectus.* In illa verò flamma loquebatur mihi Deus sicut olim Moysi : & inter alia petiit à me ut tertio ei aliquid offerrem. Cui respondi : *Domine sum totus tuus, non habeo nisi tunicam & chordam, & tua sunt, quid potero offerre ? Cœlum & terra, ignis & aqua, & omnia tua sunt.* Tunc ait : Mitte manum in sinum , & quod inveneris offer. Et inveni monetam auream fulgidissimam , cui similem nunquam videram & obtuli Deo. Dixitque offer iterum & tertiò, quod inveneris ut prius. Et dixi : *Domine non amo nec volo , nec habere volo aliquid præter te , aurum & omnia despexi ob amorem tui , si ergo aliquid in sinu meo est, tu posuisti illud, & redde Dominatori omnium.* Ter ergò feci oblationem ; & benedixi Deum, & intellexi statim per tres aureos in hnu meo repertos, significari obedientiam , castitatem , paupertatem : quas per gratiam suam dedit mihi Deus perfectè servare, ipse ergò posuit in me, & dat mihi gratiam ut ei reddam & eum honorificem. Hæc audisti & vidisti. Itaque oratio in Francisco mixtam mentis , sed & corporis elevationem & oblationem operabatur.

2. *Per quam mala deprecamur.*

Secundò in definitione adiicitur : *Per quam mala deprecamur.* His verbis indicatur orationis necessitas , cùm enim hæc vita nostra innumeris sit referta malis , unicum remedium quo illa à nobis propellimus, unicum refugium & portus inter tot inundantia mala fluctuantibus, est oratio ad Deum mentem elevans, per quam habitamus in adjutorio Altissimi, & protectione Dei cœli.

Duplicia mala nos circumstant ex parte animæ.

Duplicia nos circumstant mala , duplices illæque graves miseriæ : ex parte scil. animæ , ex parte quoque corporis. Ex parte quidem animæ, in intellectu est cæcitas , error, ignorantia : In voluntate ad malum proclivitas, rebellio, malitia, obstinatio. Vitia quoque in nos undique irruere tentant, & vitiorum occasiones nos circumdant, à carnis concupiscentia, à mundo , à satana, immò ab ipsis creaturis, quæ factæ sunt velut *Muscipula pedibus insipientium.* Sap.14.11 Quid ageremus inter hæc omnia , nisi haberemus orationis antidotum contra hæc venena : nisi illa foret in medelam contra hæc vulnera ? Illa nobis dat vim & robur , illa gratiam impetrat, ut inter tot pericula innocui pertranseamus. Fumus orationis vim habet ad omne dæmonium à nobis fugandum, omnemque concupiscentiæ fœtorem, hujus thymiamatis & incensi cœlestis odor dispellit.

Rom.7. 24.

Beatus Apostolus inter concupiscentiæ fluctus anxius, fœdis motibus agitatus inclamat : *Infelix ego homo : Quis me liberabit de corpore mortis hujus.* Ubi non tam intelligit corpus naturale morti subditum , quàm appetitum nostrum pravè inclinatum & corruptum, quem & ipse alibi vocat *Corpus peccati* , de quo quasi corpore procedunt totrami passionum & desideriorum inordinatorum, loquitur enim de tyrannide appetitus & carnis. Quis ergò liberabit ? *Gratia*, inquit, *Domini nostri Jesu Christi.* 2.Cor.12. 7. At quomodò illa obtinetur ? Per orationem. *Ter*, inquit, *Dominum rogavi , ut auferretur à me stimulus carnis meæ* , qui tanquam Angelus Satanæ me inquietat & colaphizat : Sed dictum est mihi : *Sufficit tibi Paule gratia mea.* In omni ergò peccati periculo, orationem aptum esse remedium, ostendit Apostolus exemplo suo , & ipsa Scriptura plurimis in locis id docet. Sed etsi quis jam in peccatis & vitiis profundè jaceat, quasi submersus inundantium criminum fluctibus ; Oratio tabula est, quam si arripiat, evadet. Clamet verbis Prophetæ: *Salvum me fac Deus , quoniam introierunt aquæ* Ps.68.2. *usque ad animam meam, infixus sum in limo profundi, tempestas demersit me , &c.* Sic clamans & orans dubio procul auxilium inveniet. Vide in Manasse.

Ex parte corporis.

Sed & ex parte corporis , vita hominis gravissimis est obnoxia malis , cum unoquoque die quædam consurgunt miseriæ. Homo homini adversatur, multaque animalia : Ipsa elementa in ejus nocumentum conspirare videntur , miserias multas patitur ab aere, aqua, igne, terra. Hinc morbi, sterilitates , pestilentiæ , conflagrationes, paupertas, siris, fames, bella, persecutiones, & mille casus infœlices. Oratio remedium generale est contra hæc omnia : Portus est, quò confugimus, per illam omnia mala deprecamur : Unde dixit Divus Chrysostomus. *Vis orationis vim ignis extinxit , impetum leonum cohibuit , bella compescit , prælia removit,* Chrys. hom.5. de incom-

tum.

preh. Dei natura. *tempeſtates ſuſtulit, dæmonia expulit, cœli fores aperuit, vincula mortis diſrupit, languores ejecit, offenſas repreſſit, urbes terra motu nutantes firmavit, plagas cœleſtes irruentes, inſidias hominum, mala denique omnia delevit oratio.* Ita ille.

3. *Bona nobis aliiſque petimus.* Tertiò in deſcriptione adiicitur : *vel bona nobis aliiſque petimus.* Quænam bona: Omnia bona dictis malis contraria. Ex parte animæ veram fidem, firmam ſpem, charitatem perfectam. Veram quoque ſapientiam in oratione poſtulamus & impetramus, Jac. 1. 5. juxta illud Jacobi : *Si quis indiget ſapientia, poſtulet à Deo nihil hæſitans* : Hæc nobiſcum eſt, & nobiſcum laborat, ut ſciamus *quid acceptum ſit coram* Sap. 9. 10. *Deo omni tempore*, ut dicit Sapiens ; qui ad hunc effectum illam à Deo poſtulabat & nos ſuo exemplo eam obnixè petere docebat. Denique ad id oratio inſtituta eſt, ut impetremus dona omnia nobis neceſſaria, quæ deſurſum ſunt, & deſcendunt à Patre luminum. Oratio clavis eſt aperiens Dei theſauros, ut ex illis innumera nobis communicentur dona. Canalis eſt per quem gratiæ auxilia & munera ad nos deſluunt, quaſi *Stillicidia fluentia ſuper terram*, ut arida cordis noſtri humus irroretur, & omnigenæ virtutis fructum poſſit producere. Ad illum ergò ſæpè noſtra aſcendat oratio, *qui das Spiritum bonum petentibus ſe* ; ut hujus Spiritus dona participemus quibus prompti reddamur ad omne ejus obſequium : & ut gratiæ ſuæ auxiliis nos ſemper prævenìat, comitetur, deducat, ſubſequatur, & tandem in gloriam introducat : *Gratiam enim & gloriam dabit Dominus.* Ipſe ſolus eſt qui nobis infundit veram juſtitiam, manſuetudinem, charitatem, caſtitatem, continentiam, *Sciebam quod non poſſem eſſe continens niſi Deus* Sap. 8. 21. *daret*, inquit Sapiens. Dicamus ergò illi cum Auguſtino : *Da quod jubes, jube quod vis !* Si humilitatem, continentiam, caſtitatem jubes : Da quod jubes, jube quod vis. S. Aug. lib. 10. Conf. c. 29.

Ex parte quoque corporis bona à Deo in oratione petere poſſumus, ſanitatem, robur, pacem, fœlicitatem, & alia temporalia, ſed ſub conditione: *Si expediant ſaluti animæ noſtræ*, nec enim abſolutè ea petere debemus, ut infra dicemus.

Hæc verò tam ſpiritualia quàm temporalia bona, *nobis aliiſque petimus*, ut dicit definitio, nec enim Aug. Ser. 1 de Sanctis pro nobis tantùm fieri oratio debet, ſed & pro omnibus, etiam inimicis, etiam infidelibus.

Sic oravit Stephanus pro Paulo Perſecutore, & adeò accepta fuit oratio, ut ejus converſionem promeruerit. Hæc de re ſic loquitur Div. Aug. *O Saule, olim quidem dabui te perdere, ſed Stephanus meus oravit pro te. O Saule, quid me perſequeris ? Quia inſanis contra nomen meum, ego te faciam ſervum meum. O Saule, ſupe rapax comediſti, expecta paulliſper & digeres. Dicam planè : Elifus eſt filius perditionis, & erectus eſt vas electionis. Nam ſi Stephanus ſic non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet. Sed ideò erectus eſt Paulus, quia in terra inclinatus exanimus eſt Stephanus. Sic exanimus eſt Stephanus, ut ejus oratione deleretur peccatum, quod commiſerat Saulus.* Ita ille.

Sic monet & Apoſtolus fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus : *Pro Regibus & omnibus qui in ſublimitate ſunt, ut quietem & tranquillam vitam agamus in omnipietate & caſtitate.* Hoc enim bonum eſt, inquit, & acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 1. Tim. 2. 1.

Hinc & Tertull. dicit: *In cœlum ſuſpicientes Chriſtiani, manibus expanſis quia innocuis, nudato capite quia non erubeſcimus, precantes ſumus pro omnibus imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum ; & quæcumque hominis & Cæſaris vota ſunt.* Ita ille. Tertull. in Apolog. contra Gentes c. 3.

Id autem rectè etiam fieri à Chriſtianis etiam pro Regibus infidelibus, ſatis colligitur ex Prophetâ Baruch : *Orate pro vita Nabuchodonoſor Regis & Balthaſar filii ejus : ut ſint dies eorum ſicut dies cœli ſuper terram : & ut det Dominus virtutem nobis, & illuminet oculos noſtros, ut vivamus ſub umbra Nabuchodonoſor Regis Babylonis, & ſub umbra Balthaſar filii ejus, & inveniamus gratiam in conſpectu eorum.* Ita Baruch, cum in Babylone populus captivus teneretur. Baruch. 1. 11.

De B. Xaverio legimus, quod in oratione ac ſacrificio ſpecialiter & enixè Ethnicorum converſionem petere à Domino ſolebat. Ad hunc effectum hanc orationem compoſuerat : Æterne rerum omnium effector Deus, memento à te animas infidelium procreatas, eaſque ad imaginem & ſimilitudinem tuam conditas. Ecce Domine in opprobrium tuum, his ipſis infernus impletur. Memento Jeſum filium tuum pro eorum ſalute atrociſſimam ſubiiſſe necem. Noli quæſo ultrà permittere, ut filius tuus ab infidelibus contemnatur, ſed precibus ſanctorum virorum, & Eccleſiæ ſanctiſſimæ Filii tui Sponſæ placatus, recordare miſericordiæ tuæ, & oblitus idololatriæ & infidelitatis eorum, effice quoque ut ipſi agnoſcant quem miſiſti Jeſum Chriſtum qui eſt ſalus, vita, & reſurrectio noſtra, cui ſit gloria per infinita ſæculorum ſæcula. Turſel. l. 6. c. 7.

Denique in definitione dicitur, *vel Deum benedicimus*, quia non omnis oratio illuc tendit, ut bona precemur, vel mala à nobis deprecemur, ſed & præcipuè ut Deum laudemus, & gratias agamus, eum benedicamus, & quantum in nobis eſt, glorificemus ſicut & Angeli & Beati in Cœlis. Et ſæpè ad hoc noſtra debet oratio tendere, ut excitemus nos ad conſiderationem divinæ bonitatis, ſapientiæ, potentiæ, charitatis, & infinitarum aliarum perfectionum ejus. 4. *Vel Deo benedicimus.*

Huc collimant plurimi Pſalmi, in quibus Pſaltes totus eſt in Dei potentia, magnificentia, ſapientia extollenda. Unde ſæpè invitat ad Dei gloriam prædicandam omnes creaturas, à cœlis uſque ad abyſſos.

Et

Et hæc oratio summè placet Deo, qui propter hoc sæpè laudat labia Sponsæ: Et hoc est Sacrificium de quo per Psalten dicit: *Sacrificium laudis honorificabit me.* Et iterum per Isaiam: *Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit.* Hic populus est nova Christi Ecclesia, quæ continuò laudibus divinis cantandis debet vacare. Unde & nomine totius Ecclesiæ, Clerus quotidiè divinis laudibus debet intendere, ad quem spectant præcipuè verba illa Davidis: *Ecce nunc benedicite Dominum omnes servi Domini: Qui statis in domo Domini in atriis domus Dei nostri, in noctibus extollite manus vestras in Sancta, & benedicite Dominum.*

Pf. 49. 23. Isa. 43. 21. Pf. 133. 1.

Immò Virgines sanctæ ad loca infamia, ad lupanaria perductæ, in illis locis oculos & manus ad Deum levabant. Sic B. Theophila dicebat: *O mi Iesu, meus amor, mea lux, meus spiritus, mea custos castitatis! Vide eam quæ tibi desponsata est, festina ne lupi tuam pecudem lanient, serva Sponse Sponsam, meam servа castitatem fons castitatis.* Exaudita est ejus oratio, Angelo eam protegente, ut alibi dixi.

Licet verò locus omnis aptus esse possit orationi, longè tamen aptior est is qui à tumultu & turbis remotior est. Hinc de anima fideli dicit Deus, *Ducam eam in solitudinem, ibi loquar ad cor ejus*: Dum enim homo & corde & corpore ab hominum se segregat conversatione & externarum rerum occupatione, aptior fit rebus divinis, cælestibusque consolationibus percipiendis. Hoc significat ille campus, in quem egressus est Isaac ad meditandum. Ubi Chaldaicus Paraphrastes legit: *Egressus est ad meditandum in agro.* Ager enim locus liber est & semotus ab hominum commercio, contemplationi aptus. Ideò etiam omnes ferè insigniores visiones in montibus factas legimus. Moyses vidit illam magnam visionem rubi, cùm progressus esset ad interiora deserti: Jacob vidit suam scalam in campo solitarius. Sic Eliæ in monte ad ostium speluncæ apparuit Dominus, *in sibilo auræ tenuis.* Sic & ipse Christus orare volens, solitaria loca quærebat, & à turbis secedebat.

Aptior orationi locus, i. & turbis remotus.

Ose. 2. 14

Gen. 24.

Hæc considerantes antiqui Patres, deserta loca petierunt, ubi ibi tori Deo vacarent, & totam vitam in divinis contemplationibus & orationibus Domino liberius consecrarent. Eremus ergò illis erat Paradisus deliciarum: Hortus erat in quo crescebant rosæ charitatis igneo rubore flammescentes, lilia castitatis niveo candore albentia, humilitatis violæ, quæ dum imis contentæ sunt, nullis flatibus impelluntur: Ibi sanctarum mentium delectatio, & intimi gustus inexhausta dulcedo.

Ideò D. Hieron. invitans Heliodorum ad solitariam vitam: *O desertum*, inquit, *Christi floribus vernans! O solitudo in qua illi nascuntur lapides de quibus Civitas magni Regis extruitur. O Eremus familiarius Deo gaudens!* Ipse quoque fatetur, se ibi in orationibus ineffabilem sæpè hausisse dulcedinem. Unde in libro de Virginitate ad Virgines sic scribit.

Hieron. ep. ad Heliodorum.

Post multas lachrymas, post Cælo inhærentes oculos nonnunquam videbat mihi interesse agminibus Angelorum, & lætus canebam: *Post te in odorem unguentorum tuorum currimus.* Experto seni devotè consulenti credite filiæ, *si semel gustatis quàm suavis est Dominus, ad quem accedentes lapidem vivum à Deo electum*, poteritis illud audire. *Venite & ostendam vobis omne bonum.* Tunc ostendet vobis talia, qualia non nisi mentes assuetæ norunt. Scio quid loquor, Charissimæ. Nam ut meam insipientiam loquar, ego homuncalus, sic abjectus, sic vilis in domo Domini, sæpè

Idem lib. de Virg.

Ex. 33. 19.

LECTIO II.

DE LOCO ORATIONIS.

1. *Docet omnem locum Orationi aptum esse.*
2. *In templis consecratis acceptiorem esse Deo.*

PROPOSITIO I.

Omnis locus orationi potest idoneus esse.

Orationi locus omnis aptus est.

1. Tim. 2. 8.

RAtio est, quia in omni loco potest fieri mentis, imò & vocis ad Deum elevatio, ita ut dicat Apostolus: *Volo viros in omni loco orare levantes puras manus.* q. d. in agris, sylvis, officina, itinere, navi, mensa, lecto, licitum est orare, & hoc tanquam utile suadeo. Non impedit locus, quominus ad Deum pergat oratio, grataque fit & exaudiatur. Daniel orat in lacu Leonum, & accepta est ejus oratio: Manasses in carcere vinculis constrictus & curvatus orabat, sed ejus oratio erecta, & libera divino se sistit conspectui, & exauditur: Ezechias in lecto orat: Jonas in ventre Cœti: Job in fœtido sterquilinio, & exaudiuntur. Sic & Martyres nostri in mediis flammis sicut & pueri Babylonici orabant, & benedicebant Dominum. Beat. Agnes in medio flammarum cùm illæ jam divisæ eam non attingerent, sed potius circumstantes adurerent, expandens manus ad Dominum sic orabat: *Omnipotens, adorande, colende, tremende Pater Domini nostri IESV Christi, benedico te, quia per Filium tuum evasi manus impiorum, & spurcitias diaboli impolluto calle transivi. Et ecce nunc rore cælesti perfusus per Spiritum S. focus juxta me moritur, flamma dividitur, & ad eos à quibus in me ministratur, effunditur. Benedico te Pater, qui etiam inter flammas intrepidam me ad te pervenire permisisti. Ecce jam quod credidi video, quod speravit teneo, quod concupivi complector. Te confiteor labiis & corde, te totis visceribus concupisco. Ecce ad te venio vivum & verum Deum, qui cum Iesu Christo Filio tuo & Spiritu Sancto vivis & regnas in cuncta sæcula sæculorum.*

cationem; eorumque ornatum, rituſque ſacros, quibus in domum Dei & domum orationis erigun-
Hæretici impiè templa profanant. tur, irridere, locaque ſacra polluere. Nempè Nabu-
4. Reg. 25. chodonoſor Rex Babylonis, dæmonis figuram ge-
rens, invaſit templum Domini, diripiens vaſa ejus
preciosa, ipſumque fœdavit & conſpurcavit, de-
ſtruens columnas, baſes, capitella. Impius quoque
2. Mach. 5 Antiochus ſuſtulit altare aureum, candelabrum,
menſam propoſitionis, libatoria, coronas, phialas,
mortariola aurea: ſed & prohibuit holocauſta, &
ſacrificia, & placationes fieri in templo Dei. Ita ho-
ſtis antiquus omni quâ poteſt viâ, miniſtros ſuos
ſubmittit, qui vaſa & templi ornamenta, *hoc eſt,
Sacramenta & ſacramentalia rituſque ſacros demo-
liri conentur, & ab Eccleſia exterminare, qui & ipſa
Templa, Baſilicas, Oratoria, evertant & fœdent,
prohibeantque ſacrificia & orationes in illis fieri,
Deum Divoſque in illis coli. Quam multas tem-
plorum ruinas, non ſine lachrymis videre coacta eſt
Eccleſia, præcedenti ſæculo in Gallia, Germania,
Anglia? De qua quidam ſic deſcripſit:

Millia dena unus templorum ſuſtulit annus:
Quam timeo in pœnas, vix ſatis unus erit.

Act. 17. 24. Vanè verò allegant illud Pauli: *Deus in manufactis templis non habitat, neque humanis manibus colitur:* Et cùm cœli & terræ ſit Dominus, ubique coli & adorari poteſt. Scimus enim Deum non habitare in templis manufactis, quaſi illis alligatus ſit, vel contentus, quem cœli cœlorum non capiunt; aut quaſi egens templis, manu, & opera hominum fabricatis, ut ibidem ſubjicit Apoſtolus: *Non indigens aliquo.* Scimus etiam eum ubiq; præſentem, per eſſentiam, præſentiam, potentiam, ubique coli & adorari poſſe. Sed & novimus eum modo quodam ſpeciali, in aliquibus locis eſſe; ibi velle coli, ibique ſpecialius operari, quàm in aliis locis.

Gen. 28. Non in omni loco videt Jacob ſcalam illam cœleſtem, per quam Angeli deſcendunt & aſcendunt, cui etiam innixus erat Dominus, promittens ei ſpecialem protectionem.

Gen. 22. 14. Non in omni monte jubetur Abraham filium ſuum immolare, ſed in monte à Domino electo, qui & *Mons viſionis* appellatur.

Exod. 3. 2. Non in omni loco videt Moyſes *Rubum ardentem incombuſtum*, in quo loquitur ei Dominus, & dicit ei: *Terra in qua ſtas, terra ſancta eſt: Solve calceamenta de pedibus tuis antequàm appropies huc.*

Denique reſponſa & oracula non dabantur à Domino omni loco: Sed propitiatorium & Arcam elegerat ſibi Dominus, in qua ſpecialiter habitabat & exaudiebat.

Omnia hæc loca à Deo electa & ſanctificata, typum gerebant templorum noſtrorum, in quibus ſpeciali modo Deus habitat, & myſteria ſua revelat, ac propitium ſe exhibet, & ideò *Domus Dei* vocantur.

Figura & Primò quidem, typus manifeſtus eſt locus ille, in qua Jacob ſcalam illam videt, de quo expergectus dicit: *Verè Dominus eſt in loco iſto & ego neſciebam. Non eſt hic aliud niſi domus Dei & porta Cæli.* Undè & erexit lapidem in titulum fundens oleum deſuper, & appellatur nomen loci, Bethel, hoc eſt, domus Dei. An non in Templis conſecratis hæc manifeſtè complentur? An non ibi Angeli aſcendunt, ut vota noſtra Deo præſentent, & deſcendunt, ut Dei ad nos dona referant? An non illa ſacro oleo delibuta ſunt, & ſpeciali ritu Domino conſecrantur, ut domus Dei ſint, & Bethel nominentur, quæ antea profana loca erant. *typi noſtrorum Templorũ.* Gen. 28. 16.

Secundò, *Mons viſionis*, in quo Abraham vult immolare filium, typus Eccleſiarum noſtrarum eſt, in quibus Dominus ſpecialiter nos reſpicit, & ideò de illis rectè dicimus: *In monte Dominus videbit.* Et nos ibi Dominum ſpecialiter videmus præſentem, ſub velamento ſpecierum ſacramentalium, ibi quotidiè immolatur vetus Iſaac incruento ſacrificio, ibi Deus ſua revelat Myſteria. Gen. 22. 14.

Tertiò locus, in quo Moyſes vidit rubum flammantem ſine combuſtione, ejuſdem rei typus eſt. Nam in Eccleſiis noſtris, eſt in divino illo Sacramento, Chriſti humanitas divinitatis flamma circumdata, & ſine læſione illi juncta, de quo dicitur: *Ignis conſumens Dominus Deus tuus.* Quid verò aliud eſt hoc, quàm *Rubus ardens incombuſtus?* Exod. 3. 2. Deut. 4. 24.

Quartò, locus ille, qui dicebatur Sancta Sanctorum, in quo erat Arca & Propitiatorium, figuram gerebat Templi noſtri manifeſtam. In Arca enim erat *Virga Moyſis, Tabula legis & Manna.* Virga illa Moyſis, per quam tot operatus eſt miracula in Ægypto, per quam diviſit mare, ut populum ſuum in promiſſionis terram deduceret, ſignificabat Chriſti crucem, *Miraculorum Virgam*, per quam mare rubrum tranſimus, & ad terram promiſſam deducimur. Heb. 5.

Hæc crux ſtatim Eccleſiam, intranti in medio ejus occurrit, vexillum fidei noſtræ, Virga potentiæ Ducis noſtri. Tabulæ quoque legis, in Eccleſia ſervantur, tanquàm in Tabernaculo Domini, quia ibi lex docetur & præcepta Domini populo proponuntur. Denique ſicut in Arca manna ſervabatur, tanquam memoriale beneficiorum Dei: Ita & in Templo cœleſte manna corpus ipſum Domini, Panis Angelicus, continuò aſſervatur in memoriam mirabilium Dei. Rectè ergò propter hoc etiam Myſterium, vocem illam de throno audivit Joannes: *Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus* (Corpus Chriſti Tabernaculum eſt, in quo Deus habitat.) *Et ipſe Deus cum eis erit eorum Deus.* Nempè uſque ad conſummationem ſæculi, præſens adeſt in hoc Tabernaculo, in hoc Propitiatorio, ut orationes noſtras exaudiat. Apo. 21. 3.

Itaq; olim ut exaudirentur, accedebant ad Tabernaculum Domini, ubi requieſcebat Arca fœderis. Hinc David, cùm vidiſſet Angelum Domini peſte percutientem populum, voluit pergere ad Tebernaculum Domini, quod erat in excelſo Gabaon, ut pro *Orandum ſæpè in Templis.* 1. Paral. 21

populo deprecaretur, ſed non prævaluit nimio timore perterritus, ideò extruxit altare in loco ubi viderat Angelum. Daniel quoque, qui non poterat ingredi templum in Babylone captivus, apertâ feneſtrâ orabat, converſus ad eam partem, in qua erat Templum Domini. Ezechias quoque flens, convertit ſe ad parietem, non ſolum ut ſecretius oraret, & liberius ploraret, ne ab aliis conſpiceretur; ſed etiam quia ad eam partem templum ſuum erat, ad quod in periculis confugere ſolebat, nunc quia pedibus non poteſt, oculis facit.

Sic ergò & nos, ut efficaciùs oremus, frequenter & lubenter loca Deo conſecrata accedamus; ubi Angelorum frequentia eſt, ubi Arca fœderis & Tabernaculum Domini requieſcit. Ipſe ſcil. Chriſtus ipſum verum corpus ejus divinitati conjunctum. Heb. 4. 16. *Adeamus ibi cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut inveniamus miſericordiam in auxilio opportuno*, ut loquitur Apoſtolus. Quod ſi quis carcere, ægritudine, aut alio impedimento detentus, illuc pergere non poteſt, conjiciat cum Daniele & cum Ezechia plorante, illuc oculos mentis & gemitus cordis, ut poſſit particeps fieri omnium ſacrificiorum, orationum, gemituum, quæ ibi à fidelibus Deo offeruntur, conjungat cum Sacerdotibus & fidelibus ibi orantibus intentionem ſuam, & particeps erit fructus, quem referunt ibi adorantes Dominum in loco ſancto ejus. Neque dubitandum eſt, plus proficere orationem, quæ cum Fratribus fit, quam quandò ſolus quis orat: Eſt enim, inquit D. Chryſoſt. plus aliquid ibi, verbi gratia. *Concordia, conſpiratio, copula amoris & charitatis, Sacerdotum clamores: Præſunt enim ob eam rem Sacerdotes, ut populi orationes, quæ per ſe ſunt infirmiores, validiores illæ complexæ, ſimul in cœlum evehantur.* Orationes ergò noſtræ, in Eccleſiis communi amoris fraterni copula factæ, elevantur per Spiritum Eccleſiæ, per gemitum Columbæ, per merita Sponſæ, per totius corporis Chriſti myſtici conjunctas vires. Et ſi quid deeſt, ſupplet gemitu ſuo grata Deo Columba, hoc eſt, Eccleſia, ſupplent ejus & Chriſti Sponſi ſui merita: Sanctorum quoque ſupplent patrocinia, quorum Reliquiæ in locis iſtis & altaribus ſacris, requieſcunt: Hi enim noſtras preces & deſideria, Domino, cui ſemper aſtant, repræſentant: *Ægri*, inquit Ambroſius, *niſi ad eos aliorum precibus, Medicus fuerit invitatus, pro ſe rogare non poſſunt: Infirma eſt caro, mens ægra, & peccatorum vinculis impedita, ad Medici illius ſedem, debile non poteſt explicare veſtigium. Objecrandi ſunt Angeli, nobis ad præſidium dati: Obſecrandi Martyres, quorum videmur quodam corporis pignore patrocinium vendicare. Poſſunt pro peccatis rogare noſtris, qui proprio ſanguine, etiamſi qua habuerunt peccata, laverunt.* Ita ille.

Ambr. l. de vid. c. 8.

Ex his ergò colligere potes, quod habeant adjumenta preces noſtræ in locis conſecratis, ex animi affectu oblatæ & cordis fervore; ab Angelis & Sanctis, quibus loca ſunt conſecrata, ab ipſo Chriſto mediatore in illis præſente, a Spiritu Eccleſiæ in-

Oratio facta cum pluribus utilior. S. Chryſ.

bi ſpecialiter operante, juvantur & evehuntur. Inque concludendo adjicimus, non vanè tot ritibus ſacris, Eccleſias illas conſecrari à Dei miniſtro, Sacrorum Hierarcha; nec vanè magnifico opere extrui, varioque ornatu decorari. Id enim fit, tum ut mens noſtra excitetur ad devotionem majorem, quæ etiam exterioribus moveri ſolet: tum ut honoremus orationis & Dei domum, Reliquiaſque Sanctorum, quæ Sanctitatis organa & miraculorum fuêre inſtrumenta. Denique, ut decentem locum, quantum in nobis eſt, paremus pretioſo Corpori Domini, quod ibi ſolet reponi.

Timeant noſtri hæretici, ne in judicio ſurgant etiam beſtiolæ parvulæ, & condemnent generationem incredulam, Sacra omnia ſubſannantem: quandoquidem illæ aliquandò ſuum agnoſcentes Creatorem, ei miraculoſâ induſtriâ parârunt ædiculam ſacram, in qua ſuo modo ei laudes decantarent.

Narrat Cæſarius, mulierem quandam apes multas alere ſolitam. Cùm verò illæ non proficerent, ſed paſſim morerentur; quærebat undequaque remedium. Dictumq; eſt ei à quadam ſuperſtitioſa fœmina, quod lues illa ceſſaret, ſi Corpus Domini inter illas locaret. Adiens ergò Eccleſiam, & ſe communicare velle ſimulans, retulit ſecum Corpus Domini, & in uno ex alveolis illud locavit. Mira Dei potentia. Vermiculi Creatorem agnoſcentes, ei de favis ſuis capellulam, miræ ſtructuræ erexerunt, in qua altare ejuſdem materiæ erigentes, Sacratiſſimum Corpus ſuper illud locaverunt. Et benedixit Dominus operibus eorum. Proceſſu temporis, cum fœmina idem vaſculum aperuiſſet, conſiderans illud Oratorium, expavit, currensque ad Sacerdotem, omnia ei confeſſa eſt. Veniens ergò ille cum ſuis ſubditis, apes circumvolantes & velut Creatoris ſui laudes circûſonantes abigens, Oratorii parietes, feneſtras, tectum, campanile, oſtium & altare admiratus, cum ſolemnitate & laude divina Corpus Domini in Eccleſiam retulit. Sic docent, ſic condemnant hæ apiculæ generationem incredulam. Sic Deus in rebus etiam minimis, mirabilem ſe exhibet.

Exempl. Cæſarius l. 9. c. 8.

LECTIO III.

DE TEMPORE ORATIONIS.

1. *Decet omne tempus Orationi aptum eſſe.*
2. *Congruum eſſe, maximè tempus matutinum.*
3. *Tempus veſpertinum ſivè nocturnum.*

PROPOSITIO I.

Tempus omne Orationi poteſt idoneum eſſe.

Orationis Tempus omne aptum eſt.

HOc voluit ſignificare Chriſtus, dum dicit Lucæ 18. *Oportet ſemper orare, & nunquam deficere.* Et Apoſtolus: *Sine intermiſſione orate*

Digitized by Google

1. Theſ. 5. 17. *orate, in omnibus gratias agite,* Commendat enim his loquendi formulis Scriptura Orationis frequentiam, cui omne tempus aptum eſt, q. d. Orate & gratias agite omni tempore, tam in morbo, quam in ſanitate, tam in egeſtate, quam in copia, tam in deſolatione, quàm in conſolatione, tam in tentatione, quam in pace, tam in humiliatione, quàm in exaltatione, tàm in adverſis, quàm in proſperis: eſt enim ſæpè majus donum Dei, morbus, inopia, deſolatio, adverſitas, quàm ſanitas, copia, pax, proſperitas. Hæc eſt Sanctorum vita per ætatumnas hujus vitæ, læto & reſignato animo, in cœlum iter carpere, Deum orando & laudando in omnibus etiam adverſis. Hinc B. Theodorus miles in carcerem miſſus, ungulis excarnificatus, coſtis nudatus, lætus canebat: *Benedicam Dominum in omni tempore.* Quare in ardentem rogum conjectus, in oratione & divinis laudibus, animam Chriſto reddidit.

V. Brev. Rom. 9. Nov. lect. 9.

Sic Martyres, in mediis vulneribus, Dei laudes canebant: Primus è Præſulibus ſacris in Anglia, ob fidem & veritatem cæſus & multorum Martyrum Dux Joannes Fiſcherius Cardinalis & Epiſcopus Roffenſis, cum ad locum Martyrii ductus foret, priuſquam cervicem ſecuri ſubjiceret, ſublatis in cœlum oculis, Hymnum, *Te Deum laudamus,* totum decantavit.

Surius 11. Nov.

B. Martinus, cùm graviſſima & extrema licet febri conflictans, invictum ab oratione ſpiritum non relaxabat, oculis ac manibus in cœlum ſemper intentus. Cumque in illa vehementi febre ſupinum orantem viderent diſcipuli, rogabant ſupplices, ut converſo tantiſper corpore pronus conquieſceret, dum ſe vis morbi remitteret. Reſpondet ille: *Sinite me potiùs Cœlum quàm terram adſpicere, ut ſuo jam ſtimere iturus ad Dominum ſpiritus dirigatur.* Sic ille benedicebat Dominum in omni tempore, in ſanitate, in ægritudine, in vita, in morte.

Itaque, quando Scriptura monet ſemper aut ſine intermiſſione orare; invitat nos & monet ſemper in Deum mentem elevare, quantum per negotia hujus vitæ licet. In ſola enim cœleſti Jeruſalem continua Dei laus & rerum divinarum meditatio licebit; ubi nulla occupatio, nulla diſtractio, nullum impedimentum poterit occurrere: ubi Angeli continuò inclamant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Omnipotens,* nec ullo tempore à laude divina ceſſant, idcoque dicuntur non habere requiem die ac nocte. Sed & nos poſſumus ſemper orare, hoc ſenſu, quia poſſumus piâ intentione omnia opera in Deum referre; & hoc eſt quodammodo orare: quia oratio nihil aliud eſt, quam mentis in Deum elevatio, pia autem intentio opera in Deum referens, mentem elevat in Deum, & nos illi conjungit.

Iſa. 6. 3. Apoc. 4. 8

Abbas Lucius in vitis Patrum, cùm quidam fratres ad eum veniſſent, interrogabat eos, quid ſoletis manibus operari? Reſponderunt illi: Nos nihil manibus operamur, ſed juxta Apoſtolum *ſine intermiſſione oramus.* At ille: Non ergò manducatis? Reſpondent quod ſic. Quis ergò tunc orat pro vobis? Nec illi tunc reſpondere potuerunt. Tunc ait eis? Indulgete mihi, non facitis ut dicitis. Ego dicam vobis, quomodo manibus operans, ſine ceſſatione oro. Sedeo de mane uſque ad horam conſtitutam, & pauca folia palmarum infundo, & facio indè funiculos, & interim oro dicens: *Miſerere mei Deus, &c.* Et cum complevero opera manuum mearum, & fecero pauca vaſa aut funiculos, & emero ex eis nummos decem, duos do pauperibus, reliquos comedo. Quandò autem comedo aut dormio, tunc pro peccatis meis, illi ſine ceſſatione, implent orationem meam. Ita ille in vitis Patrum.

In vitis PP. lib. 3.

PROPOSITIO II.

DE ORATIONE MATVTINA.

Licet omne tempus idoneum ſit orationi, maximè tamen congruum eſt tempus matutinum & veſpertinum.

Orationi congruum Tempus eſt matutinũ & veſpertinum.

APerit nimirum oratio matutina deterſis tenebris, feneſtras animæ divino lumini: Veſpertina verò oratio claudit cordis feneſtras, & illas munit contra Hygias tenebras: Et mentem protegit à *negotio perambulante in tenebris*; ſicut & matutina, *à ſagitta volante in die, ab incurſu & dæmonio meridiano.*

Pſ. 90. 6.

Horologium, ut rectè dirigatur & dirigat, ſolent ejus pondera ad terram ſemper vergentia, matutino & veſpertino tempore engi; & ab hoc pendet totius horologii motus & progreſſus. Sic ut animæ horologium rectè incedat, cum carnis pondus continuò ad terram vergat, & animam ſecum deprimat, opportuna eſt veſpertina matutinaque oratio, per quam pondere iſto depreſſa anima ad terrena, ſurſum elevetur ad cœleſtia, & congrua ſecundum Deum revolutione moveri poſſit & incedere.

Simile de de Horologio.

Primò ergò de oratione matutina ſæpè mentio fit in Scriptura. Sic Pſaltes dicit: *Prevenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.* Tunc nimirum melius mens eſt diſpoſita ad conſideranda & percipienda divina, poſt aliquam quietem corporis; minus obnoxia diſtractionibus, cum necdum ſe implicuit diurnis curis; & liberius in Deum volat, cum necdum pennæ ejus, occupationum divinarum pulvere reſperſæ ſunt & depreſſæ. Hinc monet Sapiens. *Hora ſurgendi non te teneat, præcurre autem prior in domum tuam, & illic avocare, illic lude & age conceptiones tuas.* q. d. Ingredere in domum interiorem, in aulam mentis tuæ, illic vaca, illic ambula, ſtatim ubi experrectus fueris, illic lude, & delectare cum ſponſo animæ tuæ ſacris vacans amplexibus. *Illic age conceptiones tuas, & benedicito Dominum, qui facit te, & inebriantem te ab omnibus bonis ſuis.* Hoc poſtremum addit Sapiens, ſatis ſignificans, opportunum tunc eſſe

1. Matutinum. Pſ. 118. 148.

Eccl. 32. 15.

Digitized by Google

ac vacare rerum divinarum considerationi & meditationi, hoc enim est agere conceptiones suas: Opportunum quoque esse gratias Deo agere, quod nos ad imaginem suam creârit, & ad Beatitudinis suæ participationem ordinârit, & ut eam assequamur, tot nos quotidiè cumulet & velut inebriet donis, bonisque cœlestibus, tot repleat benedictionibus.

Sap.16.28 *Oportet prævenire Solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare*, inquit Sapiens alibi. Loquitur ibi de Manna, quod ex speciali Dei benedictione pro filiis Israël descendebat quotidiè, sed qui volebat colligere, debebat id agere antè Solis exortos radios, quia per illos Manna calefactum tabescebat & liquefiebat. Figura hic erat, & significatur eum, qui voluerit participare de cœlesti orationis dulcedine & benedictione (est enim oratio refectio filiorum Dei, sicut & Manna filiorum Israel) oportere eum matutino tempore paratum esse ad colligendum: quia tunc defluxit ros cœlicus, ros lucis, ad animam vigilem irrorandam & impinguandam.

Cant.7.12 In eundem sensum interpretari possumus illud Canticorum: *Manè surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt.* Cùm evigilamus, hoc sit primum negotium nostrum, hæc prima sit colendæ vineæ nostræ cura, animæ scilicet nostræ, ut possit producere flores bonorum desideriorum, & fructus bonorum operum. Primò ergò manè illa considerationi nostræ occurrat, ut sarmenta inutilia abscindamus, & eam circumfodiamus per conscientiæ examen, & per contritionis sarculum expurgemus. Æternarum rerum consideratio optimè colit hanc vineam, non patitur eam silvescere aut spinosam esse, ejus operâ manè utamur, illa flores, illa fructus vineæ hujus promovebit, illa eam Domino suo reddet acceptam. Vocemus & Sanctos operarios, qui nos ad eam colendam adjuvent, invocemus matutino tempore Angeli nostri Custodis, Beatissimæ Virginis, & Divi nostri tutelaris auxilium.

Cant.2.12 Tempus ergò matutinum, tempus illud esse solet, quo animæ piæ, tanquam *Vineæ florentes* dare solent *odorem suum* Deo gratissimum, & tanquàm Turtures expromere vocem amoris: *Vox turturis audita est in terra nostra*, & tanquàm Columbæ gemere in foraminibus petræ: *Surge, propera amica mea, Columba mea, sonet vox tua in auribus meis.* Cùm ergò tunc tot pietatis sectatores, Deo sistant vocem suam & cor suum, ut illorum sis particeps, tu quoque: *Consurge & lauda, & in principio vigiliarum, effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini, leva ad eum manus tuas*, inquit Jeremias Propheta. Primum quod Deus petit, est cor, hoc est, primas tuas cogitationes & affectiones; delectatur enim ipse primogenitis, hæ sunt primogenita mentis & cordis nostri, illi ex integro consecranda. Starim ergò evigilans, offer ei cor tuum & dic: *Totum tibi Domine cor meum offero, ut illud purifices, venoves, sanctifices, ut illud emollias quasi ceram, in eo amorem tuum sculpas, in eo ponas te quasi signaculum, ut nullus affectus tibi displicens ad illud ingredi possit nulla cogitatio indecens. Benedic Domine omnibus cogitationibus, verbis, actionibus meis, & unire digneris cum omnibus cogitationibus, verbis, actionibus, quas tibi benedictus filius tuus obtulit, ut sint in odorem suavitatis.*

Thr.2.19.

Opportunum quoque erit tunc miseriæ nostræ intuitu nos coram Deo humiliare, & agnoscere ingratitudinem nostram; quia cum quotidiè nova in nos beneficia & favores conferat, & cum lucis novæ usura, spiritualem etiam lucem gratiæ mentibus nostris offerat; nos tamen tam parum beneficiis ejus respondemus, quin potius *rebelles lumini* vix proficimus, sed in deterius imus, & quotidiè cum offendimus, indigni luce, quâ fruimur, multò magis luce illâ æterna, ad quam nos vocat Deus. Hæc humiliatio in nobis calcar & stimulus erit, imò & initialis quidam ad perfectionem gradus.

In vitis PP.l.7.c. 15.§.21. Hoc practicabat ille Coriarius Alexandriæ, ad quem mittebatur D. Antonius. Cùm enim D. Antonius in cella oraret, venit ad eum vox. *Antoni nec dum ad perfectionem Coriarii, qui in Alexandria est, pervenisti.* Hoc audito, consurgit ille manè, arrepto baculo & festinus venit Alexandriam. Cumque ad designatum hominem pervenisset, ille viso tanto viro obstupuit: Cui senex dixit: *Refer mihi opera tua, quia propterea de deserto veni.* Qui respondit: *Nescio me unquàm aliquid boni perpetrasse: Undè ex cubili proprio manè consurgens, antequam in opere resideam, dico quod hæc civitas à minore usque ad majorem, ingrediatur Regnum Dei propter justitias suas, ego autem solus propter peccata mea pœnam ingrediar sempiternam: quid verbum, antequam quæscam, ferò ex corde mei recenseo veritate.* Hoc audiens B. Antonius dixit ei: *In veritate fili sicut bonus artifex, sedens in domo tua cum requie regnum Dei adeptus es; ego autem sine discretione omne tempus meum in solitudine conversatus, necdum verbi tui assumpsi mensuram.* Ex lib. sent. Patrum Paragraph. 21.

Neque verò propter occurrentes occupationes, debet facilè hæc prætermitti matutina oratio, a quâ ferè pendet operum totius diei directio, fœlixque progressus. Debetque obsequium servitutis nostræ Deo debitum, quoad fieri potest ante omnia persolvi.

Te lingua primùm concinat,
Te mentis ardor ambiat,
Ut actuum sequentium,
Tu, Sancte, sis exordium.

Surius 26.Mart. de S Ludgero. Sic nos exemplo suo docuêre Viri Sancti, qui omni quantumlibet gravi negotio postposito, Deo primùm vacandum esse judicarunt. De S. Ludgero Episcopo Monasteriensi sic legimus. Carolus Imperator, Ludgerum ad se pro quadam Reipublicæ utilitate, evocari fecit. Qui cùm veniens

juxtà

juxta Palatium manſionem accepiſſet, primo ſtatim mane miſſo ad eum Rex cubiculatio, ipſum ad ſe venire præcepit. Et ipſa hora perſolvendis horatiis precibus inſiſtebat. Reſpondit nuncio, his expletis ſe venturum. Secundò ergo & tertiò à Rege miſſum eſt, ſed divinum obſequium cunctis aliis anteponendum non ignorans, diſtulit venire donec preces conſummaret. Tandem cum veniſſet, interrogavit Imperator, cur ad imperium ſuum venire contempſiſſet? At ille vultu mentеque conſtanti: Ego, inquit Imperator, tuum præceptum ita in omnibus ſemper exequendum putavi, ut tamen Deum tibi ubique ſemper præferendum non dubitarem. Hoc & ipſe mihi præcepiſti, quando paſtoralis curæ ſollicitudinem mihi commendabas, ut Deo primum ſerviendum ſcirem, poſt hæc tuis conſequenter imperiis eſſe obtemperandum. Ideo non regiæ poteſtis inhonorationem & contemptum ut malevoli criminantur, ſed potius propter tuam ſalutem, quæ Deo debebam exolvere curavi, & ita ad tuum expeditior ſervitium veni. Hoc reſponſum Rex optimus amplexus, Gratias inquit, habeo Epiſcope, quia qualem eſſe credidi ſemper, talem te nunc expertus ſum. Tu ut hactenus ſemper Dei exorare voluntatem, & ſimul nobis devotus & fidelis, pro noſtri Imperii ſtatu orate memento. Ita Surius.

Surius in com. ad an. 1558.

Nec illud hic prætermittendum, quod de Carolo V. Legimus, illum ſcilicet quotidie manè duas ferè horas precibus impendere ſolitum, graviſſimis licet imperii bellique negotiis impeditum, non enim ſuis fidebat viribus potentiſſimus Princeps, ſed totus a ſummi Numinis ope & auxilio pendebat, quod ſibi precib. tam longis quotidie conciliare ſtudebat. Et hinc tanta illi in rebus gerendis felicitas, tam inſignes victoriæ, adeo ut ob multa fortiſſimè geſta Galli eũ Herculi, Germani Carolo Magno, Itali Davidi, Turcæ Julio Cæſari, Afri Hannibali compararint. Multi cum adverterent & domi & militiæ æquè continuum, & prolixum eſſe in precibus ſuis, dicere ſolebant, Carolus ſæpius & diutius cum Deo, quam cum hominibus loquitur.

DE VESPERTINA ORATIONE.

Veſpertinum.

DE Oratione quoque Veſpertina ſive nocturna, ſæpe fit mentio in Scriptura. De illa in Pſalmis dicitur. *In noctibus extollite manus veſtras in ſanctis, & benedicite Dominum.* Tunc benedicendus Deus pro beneficiis, quæ per ſingulos dies, imò per ſingula momenta de manu ejus accipimus. Ejus nutu vitæ noſtræ momenta decurrunt: *In manibus tuis ſortes meæ,* ſive (ut alia Lectio habet) *tempora mea.* Poſſet ſæpè vitæ noſtræ tempus abrumpere, dum in mortiferi peccati luto infixi hæremus, & tunc infœlix æternæ damnationis ſors certò nos maneret: ſed ex benignitate ſua ſic tempora noſtra diſponit, dieſque noſtros prolongat, ut è peccati abyſſo tenebroſa, tandem reſpiremus ad lucem gratiæ, *ad partem ſortis Sanctorum in lumine.* Aliquos tamen etiam in mediis ſceleribus abripit ſevera juſtitiæ ſuæ ultione; ut ſciat omnis peccans, quòd ſtatim à peccato, divinæ vindictæ ei incumbit mucro: & propter hoc nec unum quidem diem vel noctem ſecurus peragit in peccato: *Intelligite hæc qui obliviſcimini Deum, ne quando rapiat & non ſit qui eripiat.* Ad hoc ergo veſpertina ſerviat oratio, ut quæ per diem fragilitate commiſimus, nocturno tempore recenſeamus, & cordis contritione eluamus: lavando per ſingulas noctes lectulum conſcientiæ noſtræ pœnitentiæ aſperſione: *Quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini*, q. d. Quæ per diem vel ſola cogitatione prava cordis, in Deum vel proximum peccando commiſiſtis, ſtatim noctu cum ſoli eſtis, in ſilentio & quiete recogitate, rationem & pœnas à conſcientia exigite per veram cordis compunctionem, ut ſic coram Deo vos continuò ad mortem judiciumque præparetis, quaſi ea nocte à Domino evocandi. Multi enim etiam ſani cubile ſuum petentes, ſubitanea præventi morte fuere, & peccato mortali obnoxii, ad inferos nocte illa deſcenderunt, de quibus verum eſt illud Job: *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.*

Pſ. 49. 22.

Pſalm. 4.

Job. 21.

Ephes. 4.

Propterea etiam ſcriptum eſt: *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Nolite locum dare diabolo.* Quod quidem Div. Ambroſius etiam univerſaliter intelligit, de omnibus ſcilicet peccatis: Sol non occidat ſuper iram, ſuper avaritiam, ſuper calumniam veſtram, &c.

S. Ambr.

Sic D. Antonius (teſte Athanaſio) ſuadebat jugi meditatione illud retinendum, & interpretabatur *non ſolũ ſuper iracundiam Solem occidere non debere, ſed & ſuper omnia delicta, ne peccatorum unquam noſtrorum, aut in nocte Luna, aut in die teſtes abſcederent.* Id verò ſpecialiter de ira dicitur, quia illa maximè dat locum & aditum diabolo, ille enim iracundis cogitationibus ſe inſinuat, injuriam factam aggravando, hominem inflammat, & ſuggeſtione vindictæ quaſi folle ſuccendit, totumque judicium perturbat & furiis agit. Unde iram vocat Nazianzenus dæmonem intus conditum. Item, quia ira turbidis vindictæ cogitationibus, totam hominis quietem nocturnam, & orationem, quæ aptè fit nocturno tempore, penitus impedit.

Athan. in vita S. Antonii.

Nazian.

Hoc monitum Apoſtoli diligenter practicarunt antiqui Patres. Ita S. Joannes Eleemoſynarius, cum quadam die contra Nicetam Patricium ita licet juſta commotus fuiſſet, ſub veſperam miſit Presbyterum ſuum ad Nicetam, qui ei diceret: *Sol jam eſt in Occaſu, Vir maximè Venerande.* Quo ſtimulo ille commotus, venit ad Virum Dei, & uterque ante Occaſum ruit in mutuos amplexus.

Leon. in ejus vita.

Sic quoque S. Epiphanius Epiſcopus Cypri dixit S. Hilarioni: *Ego ex quo acce, i habitum iſtum, non dimiſi aliquem dormire, qui haberet aliquid adverſum me: Neque ego dormivi, aliquid habens adverſum aliquem.* Cui Hilarion: *Ignoſce mihi, quia tua converſatio major mea eſt.* Hinc & in aliquibus Religionibus pia hæc lex ſtatuta eſt, ut ſi quis

Invit. PP. l. 5. libello 4. §. 16.

Digitized by Google

quis alium per diem offenderit, non liceat illi nocturnæ quieti se dare, nisi prius veniam ab eo, quem ostendit, petierit.

Nocturnum itaque tempus, dum silent omnia, dum perstrepentis familiæ, aut negotiorum tumultus quiescunt; aptum est conscientiæ examini, piæque de Deo cogitationi & meditationi.

Sic de viro bono & sapiente Ethnicus Poeta dicit:

Non prius in dulcem declinant lumina somnum,
Omnia quàm longi repetiverit acta diei.
Quo pravergressus: quid gestum in tempore? quid non?
Cur isti facto decus abfuit, aut ratio illi? &c.

Ps.76.7. Sic practicabat ipse Rex in mediis regni negotiis: *Meditabar*, inquit, *nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum.* Per scopas stricti examinis & perfectæ contritionis, everrebat ex animæ suæ cubiculo, quicquid immunditiæ, quicquid sordium de die contraxerat. Alii legunt cum D.

S. Hiero. Hieron. *Fodiebam & sarriebam spiritum meum.* Quia scilicet compunctionis sarculo, omnem expungere nitebatur infœlicem peccati surculum, ut

Matth. 3. foret securus ab illa securi, quæ minatur excisionem infructuosæ arbori. Sed & quieto illo tempore, altam mentis speculam conscendens, ad æternitatis annos aciem suam figebat, ruminans illud *Æternum* cum corde, cum gemitu columbæ. Timens quoque ipse, ne forte in æternum à Deo projiceretur, statuebat mutare & emendare vitam suam, & de die in diem proficere, imo quasi de novo incipere; *Dixi*, inquit, *Nunc cœpi.*

Imitetur ejus exemplum, quilibet pietatis & veræ vitæ Christianæ sectator. Attendat illud Jerem.

Jer. 31. 21. *Statue tibi speculum, pone amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam*, q.d. Ascende mentis verticem, & ibi speculare tum prætenta, tum præsentia, tum futura. Considera peccata tua, & illa pone ante oculos tuos; ut jam tibi amarescant, & recogites illa in amaritudine animæ tuæ. Propone quoq; tibi mortis, judicii, pœnarum futurarum amaritudines. Quas ut evites, dirige cor tuum in viam rectam: delere vias priores, vias obliquas, pravos omnes gressus cordis tui, omnes peccati affectus derelinque; & sequere viam justitiæ, pietatis, puritatis, temperantiæ, castitatis. Hoc ergo sit nocturnum exercitium viri Christiani, ex illo poterit non mediocrem fructum reportare.

Narrat Baldesanus Doctor Theologus: in potenti Italiæ civitate fuisse nobilem quendam Adole-

Exempl. Baldes. in sum. virt. scentem, qui cùm immersus esset voluptatibus, monitus à Confessario de pœnitentia agenda, multisq; modis ei propositis, negabat se ullum ex his pari posse aut perferre. Tandem ille omnia tentans ut ejus saluti consuleret, monet ut quartam saltem horæ partem, in hac cogitatione poneret: *Jacere se in lecto mortuum brachiis in crucis formam compositis, ad caput ut appositio ardente cereo, ad pectus Crucifixi imagine: tamque sibi super se judicium expectandum.* Paruit Adolescens, & hæc nocturno tempore secum revolvens, sic exterritus est & illustratus à divina gratia, ut conspecta peccati fœditate, totus solveretur in lachrymas: & postridie bene manè, ad eundem Patrem accedens, miro cum dolore peccata sua deflere, & de vitæ emendatione seriò cogitans pro satisfactione & pœnas impositas sibi acciperet, & ultrò majores assumeret; sicque initium fecit sanctius vivendi in posterum. Ita Baldesan.

Poterat ergò & ipse dicere cum Propheta: *Meditabar nocte cum corde meo: Nunquid in æternum projiciet Deus? Et dixi: Nunc cœpi, hæc mutatio dextera excelsi.* Quam fructuosum ergo ei hoc breve nocturni temporis exercitium? An non tale est inter homines mundi, qui tamen Christianos se confitentur, nocturnis exercitium: quin potius de multis verum est, Psal. 35. 5. *Iniquitatem meditatus est in cubili suo, astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit.* His minatur Propheta: *Væ qui cogitatis mutile, & operamini malum in cubilibus vestris: In luce matutina faciunt illud. Concupierunt agros, & violenter tulerunt & calumniabantur virum & domum ejus, virum & hæreditatem ejus.* Sensus est: Væ vobis, qui omnes cogitationes vestras confertis, non in res salutis, in res nullius momenti, imò potius in coacervationem fœdas & nefas, id quidem vesperi; & manè quæritis media contra proximum, ut ejus bonis frui possitis. Noctu cùm quiescendum est, aut de rebus cogitandum, aut cùm de peccatis commissis pœnitentia purgandis, solliciti esse deberetis, & cùm in cubilibus vestris compungi oporteret, nova scelera cogitatis. Et cum lux matutina optari debuerat ad compensanda peccata novis virtutum actibus, illam exoptatis ut malitiam conceptam exequi festinetis.

Cæterum, quoniam non omnibus datum est diu orationi vacare tum ob animum negotiorum mole pressum, tum etiam in multis sudore suo panem quærentibus, ob corporalem lassitudinem; caveant tamen ex toto negligere piam ad Deum reflectionem, & porcorum more, quieti membra dare. Sed juvabit ejus tunc seriò cogitare de tot servis & ancillis Dei, qui in Religionibus & extra, tunc vigilant & perseverant in conspectu Dei uberrimas lachrymas fundentes, imò fortasse etiam sanguinem pro amore illius elicientes. Hac cogitatione vel incendantur ad devotionem, vel saltem si legitimè impediantur, cum illis intentionem conjungant & spiritum, & supplicent Patri spirituum, ut eos participes efficiat tot orationum & bonorum operum, ut possint dicere: *Particeps ego sum timentium te Domine.* Juvabit quoque cubitum ituro, aliquam de Christo piam cogitationem animo figere, quæ claudat firmiter cordis ostium pravis alienisve cogitationibus. Sic poterit imaginari lectum suum esse Crucem illius, & cervical Coronam ejus spineam, in qua cum ipso oportet quiescere. Et cum exuet vestimenta, cogitet quanta Christus cum ignominia, nunc vestibus indutus fuerit, nunc exutus. Meminerit vestis innocentiæ, qua tam infœliciter exuti sumus, & respiret ad illam. Meminerit demi-

Digitized by Google

deique tot ciliciorum, in quibus obdormiunt toc viri pii, in frigore & nuditate, cùm ipse molliter & vestiri & decumbere cupiat. Cùm noctu excitatur, mentem in Deum statim elevet, & versum *Gloria Patri, &c.* aut similem reciter, Si horologii sonum audit, meminerit Deo omnium horarum reddendam rationem: Recordetur mortis suæ, similiter & illius, qua Deus pro nobis mori dignatus est, & legat verba, quæ quidam sanctissimus Pater docet: *Benedicta sit hora, in qua Dominus meus Iesus Christus pro me natus & mortuus est.* Omnes hæ piæ cogitationes & jaculatoriæ preces, quasi pium semen sunt, quod vespere & nocte serere in corde juvat: quia & manè ejus sementis in corde tuo fructum potes reperire, & multum muniunt contra stygias tenebras, & phantasmata impudica, quæ maximè tunc dæmon in corde serere conatur: Ita ut Div. S. Hieron. Hieron. dixerit, in sanctum Davidis lectulum, quem lachrymis per noctes singulas rigare solet, diabolum cum omni voluptatum suarum pompa accessum non habuisse. Huic ergò sanctis his cogitationibus obviandum. Et sicut is, qui vesperi carbones cineribus tegit, tantò facilius manè cum surgit, potest focum struere, & rogum accendere; ita qui cum pia consideratione vesperi cubitum vadit, manè ignem facilius reperiet, & fervorem in se accendet: *Reliquiæ cogitationis* nocturnæ *diem festum agent Domino.* Ps. 57. 11.

Ex Hist. Dominican. Platus l. 3. c. 38.

Nobilis quidam Rolandus, postquam totum diem epulis, lusibus, choreisque traduxisset, vespertino tempore ad cubile suum, & simul ad cubile cordis ingressus, cogitare cœpit: *Ubi nunc festum quod egimus? ubi dies lætitiæ? ubi cætera? Nimirum ut hic dies, sic reliqua omnis vita transvolat, nihil post se relicturæ, nisi æternum pœnitere.* Fixit hoc profundè cordi, & illà nocte cogitationem ad annos æternos volvebat. Sequenti ergò die ita commotus est, ut Ordinem S. Dominici ingressus sit, sanctiorem vitam adorsurus.

Hübert. in 7. de timore. Plat. loc. citat.

Alius quidam Adolescens Bononiæ vitam agebat deliciis omnibus diffluentem, nec sibi patiebatur verbum fieri, de vita alia ineunda. Adit eum quidam Religiosus Ordinis S. Dominici, & multa familiariter locutus aliis de rebus; tandem egrediens, hoc unicum verbum monuit: *Cogita sub noctem lectum ingressus, illud Prophetæ: Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Fecit ille, & hoc ita animo ejus insedit, ut rebus omnibus abdicatis, arctæ Religionis viæ sese mancipârit. Vides ergò in his & similibus exemplis, quomodò reliquiæ cogitationis nocturnæ, diem festum agunt Domino.

LECTIO IV.

DE ORATIONE PUBLICA IN CALAMITATE generali facienda.

1. *Docet, Recurrendum ad Orationem in afflictionibus publicis.*
2. *Tria Dei flagella Oratione avertenda.*

PROPOSITIO I.

Tempus calamitatis publicæ, tempus est Orationis.

RAtio est, quia illæ calamitates à Deo solent infligi ob peccata nostra, ideòque convenit tunc ad eum recurrere per Orationem & cordis conversionem. Cùm Pater iratus filio intentat minas & verbera, opportunum remedium est, inter ejus brachia supplici corde recurrere; hoc enim affectum & viscera paterna commovet ad indulgentiam, virgam castigantem suspendit, removetque. Sic cùm Deus nos percutit, affectum paternum non deserit, quin potius optat ulnis nos bonitatis suæ complecti, si ad eum recurramus corde humili; coactus enim quodammodò peccatis nostris irascitur, & pœnas infligit. Undè protestatur per Prophetam, se non ex odio facere: *Indignatio,* inquit, *non est mihi.* Deindè cunctatur (sicut pater qui filium peccantem debet percutere, sed cupit parcere) & dicit: *An ascendam super vineam meam? Succendam eam pariter? An potiùs tenebit fortitudinem meam: faciet pacem, pacem faciet mihi.* Cogitur ergò civitates, populos, provincias, regna, ob scelera punire: Imò tanquàm vineæ infructuosæ, loco bonorum fructuum vepres & spinas producentes, merentur exscindi radicitùs. Sed optat Deus mediatores aliquos intercedere, qui ejus manus vindices impediant, & instar Moysis velut ligent, aut instar Jacob cum illo precibus suis colluctentur & fortitudinem ejus teneant, pacemque concilient, hoc utique Scriptura illa indicat. Simile. Isa. 27. 4.

Sic Dominus apud Ezechielem, multa comminatur domui Israël ob scelera: *Fili hominis,* inquit, *versa est mihi domus Israel in in scoriam, omnes isti, as & stannum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis, scoria argenti facti sunt. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Eo quòd versi estis omnes in scoriam, congregabo vos in medio Ierusalem, congregatione argenti, & æris, & stanni, & ferri, & plumbi, in medio fornacis; ut succendam in ea ignem, congregabo & succendam vos in igne furoris mei; ut conflatur argentum in medio fornacis, sic eritis in medio ejus & scietis, quia ego Dominus, cùm effuderim indignationem meam super vos.* Hæc utique gravis comminatio est, quia gravia scelera regnabant in populo suo, in omni statu, quæ divinam poscebant vindictam. Undè inter cætera allegat: *Patrem & matrem contumeliis affecerunt in te: Advenam calumniati sunt in medio tui: Pupillam & viduam contristaverunt apud te: Sanctuaria mea sprevisti, & Sabbata mea polluisti: Viri detractatores fuerunt in te: Et unusquisque in uxorem proximi sui operatus est abominationem: Usuram & superabundantiam accepisti, & avarè proximos calumniabaris, & mei oblita es, dicit Dominus.* Hæc ergò scelera & plura quæ ibidem enarrat, causa fuêre tantæ indignationis Dei: Et tamen cupiens Deus, ut aliquis sese huic furori lachrymis precibusque opponeret, Ezc. 11. 18. Ibid. v. 7.

Digitized by Google

velut invitus puniens, ſubdit: *Et quæſivi de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſſiparem eam, & non inveni.* Et effudi ſuper eos indignationem meam, in igne iræ conſumpſi eos. Ib. v. 30.

Nos itaque non miremur, Deum nunc varias provincias plagis multis affligere, ſterilitate, morbis, bellorum ærumnis aliiſque calamitatibus atterere; quandoquidem eadem ſcelera, propter quæ indignationem ſuam in domum Iſrael effundere ſe minatur, impunè graſſantur etiam in populis Chriſtianis, ita ut poſſimus cum Oſee dicere: *Audite filii Iſrael verbum Domini, quia judicium Domino cum habitatoribus terræ: non eſt enim veritas, & non eſt miſericordia, non eſt ſcientia Dei in terra. Maledictum & mendacium & homicidium & furtum & adulterium inundaverunt & ſanguis ſanguinem tetigit: Propter hoc lugebit terra, & qui habitat in ea.* Oſee 4. 1.

Cyprian. l. 2. ep. 2.

D. Cyprianus, volens amicum quendam ad contemptum mundi inducere, conſiderat ſe in montem excelſum cum eo conſcendere, ex quo poſſit ei oſtendere, ſicut ſatan Domino, omnia regna mundi. Ex illo ergò loco, tanquàm ex ſublimi ſpecula, hos igne, illos fluctibus, alios cruento gladio interire conſiderat. Alios flentes circumſpicit, alios ærumnarum inſenſibiles in mediis ſceleribus ridentes, & quoſdam in bonis ducentes dies ſuos, in puncto ad inferna deſcendere.

O utinam in talem ſpeculam poſſimus conſcendere, ex qua peccata in variis mundi Regionibus inundantia, poſſemus conſpicere! Sed cum re ipſa id fieri à nobis nequeat, mente & ſpiritus contemplatione id fieri, quid impedit? Aſcendite ergò mecum, & perſpicaces oculos mentis undique conjicite.

Primò Regum aulas inſpice & Principum palatia. Quanta ibi vanitas & ſuperbia, ambitio & invidia, hypocriſis & adulatio? Perverſa ibi conſilia, conſpirationes, aliaque aulicorum vitia dominantur, ita ut ab aliquibus aula rectè vocetur *Univerſitas iniquitatis.* Quia iniquitas ibi non ſolùm ſedet, ſed & docet.

Secundò, inſpice Judicum tribunalia. Quanta ibi juris legumque perverſio? Oppreſſio pauperum, calumniæ, falſa teſtimonia, perjuria ibi regnant, ibi juſtitia excæcatur donis; & quæ deberet eſſe integra tanquam virgo, ab ipſiſmet corrumpitur, quibus tradita eſt cuſtodienda; ita ut de his temporibus, verum ſit illud Sapientis: *Vidi ſub ſole in loco judicii impietatem, & in loco juſtitiæ iniquitatem.* Eccl. 3. 16.

Tertiò, intuſpice Mercatorum officinas, & videbis, quanta ibi regnet avaritia, & falſitas, uſuræ fraudes in ponderibus & menſuris; mendacia cum juramentis ibi nimis frequentia ſunt, & parvi æſtimantur.

Quartò inſpice vel publica Urbium loca, particulares domos, & numera ſi potes, maledicta, blaſphemias, juramenta, ebrietates, fornicationes, adulteria, diſſolutiones juventutis, & nefandas impudicitias, de quibus paſſim etiam homines gloriantur, qui *peccatum ſuum quaſi Sodoma* audent prædicare, & lætari cum maleſecerint: *Bibunt quaſi aquam iniquitatem.* Iſa. 3. 9. Job. 15. 16

Poſtremò Dei Eccleſiam ingredere, & vide quot in ſtatu Eccleſiaſtico, in ſtatu Sacerdotali, immò etiam Religioſo, crimina dominentur. Quanta diſſolutio & libertas in Clero & in pleriſque Monaſteriis: Ingluvies, avaritiæque ſordes, fœtor luxuriæ, peſtis invidiæ, in illis dominantur, qui ſanctitatis ſtatum adepti ſunt. Quàm frequenter tractatur Filius Dei conſcientiâ maculatâ, manibuſque ſacrilegis, à Sacerdotibus in Altari? Si poſſes cum Propheta *fodere parietem*, quàm multam reperires abominationem, ſub privatis multorum tectis? Eze. 8. 8.

Iterùm ego repeto, non tam mirari nos debere calamitates, quibus involvimur, quàm peccata noſtra, quæ longè ampliora flagella merentur; ideoque lachrymis & precibus faciem Domini prævenire tunc oppotunum eſt, & mediatores ac interceſſores ad iram Domini placandam adhibere. Quia niſi Sanctorum, tum viventium, tum cum Chriſto regnantium, orationes interveniſſent, multos ſæpius populos ira Dei abſorbuiſſet.

Patet id per illam viſionem factam D. Dominico, cui apparuit Chriſtus, tres vibrans lanceas, quibus orbi perniciem minabatur, niſi occurriſſet B. Virgo præſentans Dominicum & Franciſcum, quorum opera, meritis & interceſſione, peccatores ad Deum converterentur. Platus l. 1. de ſtatu Rel. c. 34.

Imminente quoque peſte ſæviſſimâ Albigenſium hæreticorum, apparuit B. Lutgardi Virgo Deipara, vultu lugubri & obſcuro. Inquirit verò Lutgardis compaſſione mota, undè talis pallor & ſqualor, in illa quæ plena gratia nominatur? Reſpondet ei: *Ecce ab hæreticis & falſis Chriſtianis iterùm conſpuitur & crucifigitur filius meus. Quid ergò miraris lugubrem vultum meum? Verumtamen tu aſſume lamentum, & continuis ſeptem annis jejuna, ut ſopiatur ira filii mei, toto imminens orbi.* Peregit ergò ipſa jejunium toto ſeptennio, in ſolo pane & cereviſia. Cum verò aliquandò ſuperiorum voluntate coacta, tentaret aliquid pulmenti ore haurire, nunquam potuit (quaſi quodam miraculo) quicquam vel minimum deglutire. Electa erat ſpecialiter, ut pro peccatoribus oraret. Quare expleto ſeptennio, iterum aliud jejunium ſuſcipere mandatum eſt ei per revelationem. Unde & alios ſeptem annos ſolo pane & olere tranſegit. Rapta autem vidit Jeſum, quaſi recentibus vulneribus adſtare, & pro peccatoribus deprecari. Deindè vertebat ſe ad ipſam, & dicebat: *Cernis, ut me totum offero Patri pro peccatoribus? Ita volo, ut totam te offeras pro illis, & nunquam recenſam avertas.* Lamentis ergò diuturnis, propter illos adeò ſe afflixit, ut facie quotidiè rigata, velut fontem lachrymarum deduceret. Apparuit Surius 16. Junii in ejus vita.

verò

Digitized by Google

verò ei Christus annis quinque ante mortem, gratulans quòd miserorum causam tam diu fideliter egisset, & illa manu quam pro peccatoribus in cruce extenderat, lachrymas in facie ejus tersit, dicens: *Volo te ab his lamentis jam absolvi, nec deinceps luctu confici, sed placido cordis fervore in oratione persistas.*

In Sodoma quoque, quantum valuissent paucorum justorum merita & preces, pro avertenda illa funesta clade, ipse Dominus ostendit in colloquio illo cum Abrahamo. Ubi ad singulas petitiones, Abraham rogantem pro impiis exaudit, dum dicit: *Parcam civitatibus illis, si invenero quinquaginta justos: Non delebo si invenero quadraginta quinque: Non percutiam propter quadraginta: Remittam si invenero triginta, Non interficiam propter viginti: Non delebo propter decem.* Fortis erat Abraham vera fortitudine, qui fortissimum Dominum tenebat, inquit Robertus in illum locum. Non fuit verò ausus ultra decem descendere Abraham, quia dixerat se non amplius locuturum, & justo Dei judicio conformare se voluit Vir justus.

Ge.18.26.

Rupertus ad hunc locum.

Mysticè verò Eucherius id interpretans, ait: *Usque ad decem non perire Sodomam Dominus dixit: & innuit, quòd si in quolibet per præceptorum custodiam Christi nomen inveniatur, iste non perit: denarii enim numeri figura Crucem Christi significat, quia litera X. qua denarius exprimitur, in figura Crucis firmatur.* Ita ille.

Eucher.

Sed quærit ulterius D. Augustinus: Utrum quod dicit Dominus de Sodomis, non velle eam perdere propter decem, specialiter dictum sit, an etiam de quocunque loco in quo fuerint decem justi? Respondet, id non esse necessarium, sed de Sodomis id potuisse dici, tum quia sciebat non esse ibi decem, tum quia volebat Abrahæ ostendere quàm effusa foret in omnes iniquitas illa Sodomorum quamque justè eam puniret.

August. in Hen.

Sed & propter unum aliquando parcit Deus: *Circuite*, inquit, *Jerusalem, & aspicite, & quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium & quærentem fidem, & propitius ero ei.* Imò & aliis propter illum propitium se fore significat; quærit enim virum, qui se interponat, & sit mediator pro aliis. Sed quando non invenit inter viventes, adhuc parcit & miseretur ob defunctorum virtutem: *Protegam*, inquit, *civitatem hanc propter me, & propter David puerum meum.* Quasi dicat: Licet ipsi indigni sint, quia tamen solitus sum misericorditer agere; faciam id propter me, & propter merita David servi mei.

Jere.5.1.

4.Reg.19 34.

Veruntamen ejus aliquando justitia non parcit propter multos bonos. Sicut Samariæ non pepercit, licet supersent septem millia virorum, qui non curvaverant genua ante Baal. Aliquando multis non parcit propter unum. Propter peccatum David tot millia peste intereunt. Propter peccatum Saul fames tribus annis affligit populum. Dominus bonus est, justus est, sapiens & clemens, nostrum non est scrutari consilium Majestatis, sed in ipsum sperare, credere, bene operari, illumque benedicere.

3.Reg.18.

2.Reg.24

2.Reg.17.

Scimus verò impleta aliquando mensura peccatorum, Deum sic decernere peccatorum punitionem, ut etiam Sanctorum orationes, Dei vindices, plagas non possint evertere. Hinc dicit ad Jeremiam: *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te.* Et ad Ezechielem: *Si quatuor judicia mea pessima, gladium & famem, & bestias malas, & pestilentiam immisero in Jerusalem. Et si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel & Job, non liberabunt filios neque filias.* Horum specialiter fit mentio, quia hi in medio nationis pravæ quasi luminaria fuere vitæ irreprehensibilis: Job in terra Hus gentili: Noe tempore diluvii hominum malitia inundante: Daniel in terra Babylonis inter Idololatras. Item, quia hi viri maximi meriti, olim pro aliis intercessérunt: Noe post diluvium, unde cum illo Dominus fecit pactum, de non immittendo ultra diluvio, posuitque arcum suum in nubibus, in signum fœderis. Daniel pro libertate captivorum in Babylone affligebat se, unde & Angelus ei apparuit, & finem indicavit: Job verò pro amicis suis intercessit, ad quem à Domino missi sint, ut oraret pro illis.

Jer.7.16.

Ezc.14. 21.

De hac porrò peccatorum mensura sæpe mentio fit in Scriptura: *Nondum completa sunt iniquitates Amorrhæorum. Implete mensuram patrum vestrorum.* Hinc Propheta Zacharias vidit *mulierem sedentem in medio amphoræ*, sive *in medio mensuræ*, ut legunt LXX. & dictum est ei: *Hæc est impietas.* Illa ergo mensura significat peccata populi Israel in unum coacervata, quibus merebantur abjici. Vide Ribetam & Interpretes in illum locum.

Gen.15. 16. Matt. 23. 32. Zach.5.7. Ribera.

De hac re sic loquitur Origenes: *Sicut omnia in mensura fecit Deus, & pondere, & numero, ita etiam patientia ejus certa mensura est, quàm mensuram credendum est impletam esse ab his, qui diluvio perierunt, qui in Sodoma cœlesti igne vastati sunt. Patienter ergo nunc fert Deus, expectans ad pœnitentiam, sed nos hoc non dissolvat, & tardos ad conversionem faciat, quia rursus patientia ejus certa mensura est.* Ita ille.

Origenes in c.2. ad Rom.

PROPOSITIO II.

Tria flagella Dei, Oratione avertendam sunt, quæ ob peccata solet in populos immittere, Pestilentia, Fames, Bellum.

TRia Dei flagella satis demonstrata sunt Davidi per Gad Prophetam 2.Reg.24 Vide textum. De illis quoque fit sæpe in Scriptura mentio. Specialiter verò miro prodigio Ezechiel Propheta, jubetur à Domino illa populo Israelitico indicare, dum jubetur radere pilos omnes capitis & barbæ,

2.Reg.24

Ezech.5.1

Digitized by Google

& in tres partes dividere, illoſque in ſtatera ponderare. Tertiam, inquit, partem combures in medio civitatis. Tertiam partem concides gladio : Tertiam diſperges in ventum. Quo quidem portento ſignificabat partem plebis peſte, partem gladio, partem fame & captivitate affligendam & vastandam. Id verò fieri ob peccata eorum, manifeſtè declarat, dicens : *Iſta eſt Ieruſalem, in medio Gentium poſui eam : Et contempſit judicia mea, ut plus eſſet impia quàm Gentes, & præcepta mea ultra quàm terræ quæ in circuitu ejus ſunt.* Nempè, ſicut fulmina & tonitrua quæ terram devaſtant, ex ipſa oriuntur terra, oriuntur enim ex vaporibus & exhalationibus quæ de terra aſcendunt, & in locis ſuperioribus coarctantur, tandemque erumpunt, & inferiora devaſtant : Ita peccata noſtra ſunt tetri vapores, aſcendentes ex pravo corde noſtro, quaſi exuliginoſa terra, ex illisque tandem ira, furor, & ſupplicia ac fulmina divina prodeunt, in caput noſtrum erumpentia.

Ezc. 5. 5.

Simile.

Patet id in tot plagis jam ab initio ſæculi in peccatorum vindictam immiſſis, in diluvio, in Sodomis, in tot Ægypti percuſſionibus. Ita ut rectè dixerit Eccleſiaſticus : *Mors, ſanguis, contentio & rhomphæa, oppreſſiones, fames & contritio & flagella, ſuper iniquos creata ſunt hæc omnia, & propter illos factus eſt Cataclyſmus.* Sed & hæc omnia flagella ſpecialiter comminatur Deus populo ſuo Deuteronom. 28. dum dicit : *Si nolueris audire vocem Dei tui, ut cuſtodias mandata ejus, venient ſuper te omnes maledictiones iſtæ : Maledictus eris in civitate, maledictus in agro, maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum, & greges ovium tuarum : Adjungat tibi Dominus peſtilentiam, donec conſumat te : Percutiat te egeſtate, febri & frigore, ardore & æſtu, & aere corrupto ac rubigine : Sit cælum, quod ſupra te eſt, æneum ; & terra, quam calcas, ferrea. Tradat te Dominus corruentem ante hoſtes tuos, per unam viam egrediaris contra eos, & per ſeptem fugias & diſpergaris per omnia regna.* Vide ibi, & conſidera cætera in textu.

Eccl. 40.

Deut. 28. 15.

Sed dices ſi propter peccata & contemptum mandatorum Dei hæc infliguntur, cur bonos etiam ſæpe involvunt ? Cur & mali ab illis ſæpius exempti cernuntur.

Cur bonos etiã involvat calamitas : malos ab illa exempti interdum.

Job. 21. 7.

Hanc certè querelam frequenter etiam Viri ſancti & Prophetæ moverunt ; unde Job dicit : *Quare impii vivunt, ſublevati ſunt & confortati divitiis : Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba & nepotum in conſpectu eorum, domus eorum ſecura ſunt & pacata, & non eſt virga Dei ſuper illos :* Similiter & Jeremias : *Juſtus es Domine, ſi diſputem tecum, verumtamen juſta loquar ad te : Quare via impiorum proſperatur : bene eſt omnibus qui prævaricantur : Plantaſti eos & radicem miſerunt, proficiunt & faciunt fructum : Prope tu es ori eorum, & longè à renibus eorum ?* Abacuc cap. 1. & David Pſ. 72. idem conqueruntur multis Propoſitionibus & Sententiis.

Jer. 12. 1.

Sed reſpondendum, ideo Deum aliquando impios & peccatores plagis temporalibus non affligere, quia deſtinati ſunt ob ſcelera ſua ad pœnas æternas, ubi graviùs plectendi ſunt, ubi juxta menſuram delicti erit & plagarum modus, ubi eos jam corripiet, non tanquam Pater, ſed tanquam Judex in furore ſuo. Tunc verum erit illud : *Plaga inimici percuſſi te caſtigatione crudeli. Quid clamas ſuper contritione tua ? Inſanabilis eſt dolor tuus, propter dura peccata tua, feci hæc tibi.* Peccator in tormentis illis fruſtra clamabit, quia cruciatus erit æternus, dolorque non habebit remedium. Duriſſima peccata tua, ô homo impœnitens & inflexibile cor tuum ; Deum fecere tibi duriſſimum & inflexibilem : tanquam hoſtis juratus implacabilis tunc erit, & crudeli plaga æternum te affliget. In hoc verò tempore tanquam amicus plagis corrigit, tanquam filios virgis arguit. Qui ergò licet peccantes, ejus percutientem virgam aliquando percipiunt, ſignum eſt quod filii non ſint, ſed tanquam adulterini negliguntur à Deo, & rejiciuntur, inquit Apoſtolus, Magna ira quando peccatoribus non iraſcitur Deus. *Et auferetur*, inquit, *manus à te, & quieſcam, ne iraſcar amplius.*

Jer. 30. 14.

Heb. 12. 8.

Ezech. 16.

Reſpondendum ſecundò, non omnia impiorum opera eſſe mala, ſed eos aliquando opera moraliter bona exercere. Deus verò nullum bonum irremuneratum relinquit, & ideo aliquibus eos temporalibus benedictionibus, aut temporali fœlicitate gaudere permittit in hoc ſæculo, qui ob peccata ſua caituri ſunt æterna fœlicitate in altero.

In figura hujus rei Abraham filiis concubinarum, & Iſmaeli filio ejectitio dedit munera aliqua aurum, argentum, aut bona aliqua mobilia, ſed Iſaac filio dedit hæreditatem & immobilia bona. Sic dicit Auguſtinus de Romanis, qui opera moralium virtutum exercebant, licet infideles & impii ; non reliquiſſe Deum illa opera irremunerata, ſed quibus non erat daturus, inquit, vitam æternam cum ſanctis Angelis, terrenam eis gloriam excellentiſſimi imperii conceſſit.

Gen. 25. 6.

Aug. l. de Civ. Dei.

Reſpondetur tertiò, quantùm ad bonos, eos etiam involvi plagis à Deo immiſſis : quia ferè ſemper etiam in eis aliquid purgandum reperitur levioris delicti, aut præteritorum peccatorum, quæ omnia purgantur per afflictiones temporales, eorumque patientia & virtus ac conſtantia per flagella probatur : & utiliter eis iraſcitur Deus in præſenti, ne iraſci cogatur in futuro, aut eos tunc punire : *Cum iratus fuerit, miſericordiæ recordaberis.* Quia iratus in præſenti Deus, miſericordiæ recordabitur in futuro. *Non enim in perpetuum iraſcetur, neque in æternum comminabitur*, inquit Pſalmiſta.

Abac. 3. 2.

Pſ. 102. 9.

Qui ergo iram futuram cavere voluerit, lubens amplectatur caſtigationem Domini in præſenti. In hujus rei ſymbolum interpretari poſſumus viſionem illam Jeremiæ, de qua Capite primo : *Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens : Quid tu vides*

Jer. 1. 11.

Digitized by Google

vides Ieremia? Et dixi : virgam vigilantem ego video. Et factum eſt verbum Domini ſecundò ad me. *Quid tu vides? Et dixi : Ollam ſuccenſam ego video, & faciem ejus à facie Aquilonis.*

Virga vigilans ſive minans & parata percutere, jamque ſeſe librans, ſignificat ultionem Dei, vigilantem ad peccatorum noſtrorum correptionem & correctionem; hæcque à meridie & ſinu divinæ miſericordiæ provenit, & ab ejus paterno affectu.

Olla ſuccenſa ſignificat ultionem Dei per pœnas alterius ſæculi: unde & venire dicitur ab Aquilone; Aquilo autem mortis ſymbolum eſt, diræque vindictæ, & partem reproborum ſignificat, unde Lucifer dicebat: *Sedebo in lateribus Aquilonis.*

Sic etiam Antiqui dixerunt Deum habere duo tribunalia: unum clementiæ & fœlicitatis in Meridie, alterum ſeveritatis & vindictæ in Aquilone, & inde dejectus eſt Lucifer, qui dixerat *ſedebo in lateribus Aquilonis.* Significatur ergò per hanc viſionem, Deum pœnitentibus hic exhibere virgam correctionis, reprobis autem illam rejicientibus, reſervare ollam gehennæ & furoris.

Eſa.14.15.

LECTIO V.

DE ORATIONE PRO PESTE.

1. *Docet Deum ob peccata peſtilentiam immittere.*
2. *Docet precibus publicis illam avertendam.*

PROPOSITIO I.

I. *Flagellum à Deo ob peccata immiſſum eſt peſtis.*

Primum flagellum, quod ſolet Deus ob peccata immittere, eſt peſtilentia.

PEr hanc peſtem ſolitus eſt vitia peſſima & peſtilentiſſima, quæ in populis in animarum perniciem graſſantur punire. Luxuriam enim, hæreſim, & ambitionem, & ſuperbiam, intemperantiam, ſimileſque contagioſos mores, undique in plebe ſerpentes ſolet Deus corporum aeriſque infectione ulciſci.

Sic punire ſolet Deus 1. *Luxuriam* Gen.19.

Sic cùm Deus Sodomorum fœtidiſſimam luxuriem igne ſulphureo & fœtidiſſimo puniviſſet, in hujus rei memoriam & criminis illius deteſtationem, Regionem illam quæ fœcunda erat & irrigua quaſi Paradiſus Dei, tanta aeris marisque corruptione infecit; ut nec ab hominibus, nec ab animalibus habitabilis ſit: Ibi nec mare piſces, aut alia vitam habentia producit, ideòmortuum nominatur : Nec terra fructus, niſi quædam poma, quæ ubi manu attinguntur, in cinerem reſolvuntur. Ideò de illa Regione D. Hieron. interpretatur illud Job : *Semitam ignoravit avis, nec intuitus eſt eam oculus vulturis, non calcaverunt filii inſtitorum.* Tantus enim fœtor ibi remanſit, ut aves & mercatores eam fugerent. Et ita voluit fieri Deus, in ſignum fœtoris eorum, de quo dicitur; *Fætor eorum venit contra me* : Sic enim aliqui legunt, loco illius quod noſtra lectio habet: *Clamor Sodomorum venit coram me.*

Hieron. in Job.28.

Gen. 18. 20.

2. *Superbiam.*

Superbiam quoque hac plaga ulciſci Deum, patet in Davide, qui jubens populum ſuum numerari, & in multitudine exercitus & plebis ſibi ſubjectæ glorians, cauſam dedit peſtiferæ luis, quæ paucis horis ſeptuaginta millia virorum internecioni dedit, ut ſic ſuperbiens Rex, populi ſui diminutione puniretur, & culpam ſuam agnoſceret.

2. Reg. 24

Superbiam quoque Sennacherib in fortitudine exercitus ſui gloriantis, & Deum Iſrael blaſphemantis, retundere voluit Deus, percuſſis per Angelum Domini una nocte centum octogintaquinque millibus. Quos quidem peſte interiiſſe exiſtimant aliqui interpretes. Non enim ſignificat Scriptura, quo genere mortis perierint, ſed tantum dicit : Venit Angelus Domini illa nocte, *& percuſſit in Caſtris Aſſyriorum centum octogintaquinque millia*: Quo ferè modo dicit extendiſſe Angelum Domini manum ſuper Jeruſalem, & percuſſiſſe populum tempore Davidis. Potuit ergò una nocte aer ita infici, ut tot millia perirent, ita ut de illis verum fuerit : *Vidi eos qui ſeminant dolores, & metuunt eos, flante Deo periiſſe, & ſpiritu iræ ejus conſumptos* q. d. Non eget Deus exercitu, non gladio, non haſta, ut peccatores interimat, ſed ſolo flatu interficit : Quaſi ſi homo iratus ſolum reſpirans per os vel nares, hoſtem ſuum proſterneret. *Quieſcite ergò*, inquit Iſaias *ab homine cujus ſpiritus in naribus ejus, quia excelſus reputatus eſt ipſe.* Cavete iram Dei & Chriſti hominis in vos concitare, qui potens eſt ſola reſpiratione, vos in æternas pœnas devolvere.

4. Reg. 19

Iſa. 37. 36.

Job. 4. 8.

Iſaiæ 2. 22.

3. *Hæreſim ac ſacrorū neglectum.*

Ob hæreſim etiam, & rerum ſacrarum injuriam, ac indignam tractationem, ſolet Deus tabidam luem Provinciis ac Urbibus in vindictam immittere. Sic Philiſtæos percuſſit morbo fœtido & contagioſo, ob Arcam Domini indignè tractatam. De quo Scriptura dicit : *Fiebat pavor mortis in ſingulis urbibus & percutiebantur in ſecretiori parte narium, & aſcendebat ululatus uniuſcujuſque civitatis in Cœlum.* Hæc contagio ſpecies quædam erat dyſenteriæ, & inteſtinorum, partiumque ſecretiorum exulceratio, cum fluxu ſanguinis inſtar Hæmorrhoidum. Similem ferè luem anno præterito per Provinciam Leodienſem & vicinas vidimus graſſari, ita ut pluribus locis fuerit confuſio mortis magnæ, tam in civitatibus quàm locis ruralibus, peſtilente quadam dyſenteria ubique ſerpente, & populos diſcerpente.

1. Reg. 5. 12.

An. 1624.

De hæreſi verò ſpecialiter peſte punita, exemplum habemus tempore impii Conſtantini Copronymi. Hic cum adverſus ſanctas Eccleſias & ſactas imagines multa inſania inſurrexiſſet, earum cultum abolere conatus, vidit regiam ſuam urbem Conſtantinopolim, miro peſtilentiæ flagello à Deo percuſſam, licet ipſe ut Pharao quondam incorrectus permanſerit. Cœperunt ergo fieri ſubitò tam in hominum indumentis, quam in ſactis

Baron. 10. 9. an. 746. ex Theophane, aliis.

Digitized by Google

Eccleſiarum ornamentis,& in velis, cruciculæ plurimæ veluti ex oleo deſignatæ. Facta eſt verò inde triſtitia & defectio animi multa, propter dubium ejuſmodi ſignum: multi etiam quaſi in extaſi, conſpiciebant circa ſe viros quoſdam velut peregrinos,cum truci facie,qui domos ingreſſi, alios quidem ex domo deferebant, alios autem vulnerabant. Et hæc quidem multorum phantaſiis occurrebant, ſed & reipſa quæ viderant, fieri inveniebantur, ita ut non eſſent domus, quæ non haberent mortuos ſepeliendos. Et ita repleta ſunt univerſa; tam urbana,quàm ſuburbana monumenta, & ciſternæ & lacus & plurimæ vineæ, & horti ad ſepulturam effoſſi & vix capere poterant ſepeliendos omni domo calamitate repleta, propter depoſitionem quæ impiè facta erat ſacrarum imaginum ab Imperatoribus.

PROPOSITIO II.

Hoc flagellum ſacrificiis precibuſque avertendum eſt.

Sacrificiis & Oratione hoc flagellum avertendū.

HOc etiam Ethnici agnoverunt. Ita Oecumenius interpretans Aram illam *Ignoto Deo* conſecratam,quam Athenis Apoſtolus reperierat, refert Athenienſes graviſſima peſtilentia afflictos Sacrificiis ſolemnibus omnibus Diis ſuis oblatis, voluiſſe eos placare. At cum hæc nihilominus mortalitas non ceſſaret,conſuluiſſe oracula,& reſponſum accepiſſe, plagam hanc ab Ignoto Deo cui divinos deferre honores hactenus neglexiſſent,immiſſam eſſe. Itaque ſtatim novam erexerunt aram cum his aureis litteris,*ignoto Deo*,ceſſavitque peſtilens tabes. Ex hac verò occaſione inſcriptionis,Chriſtum eis Apoſtolus evangelizavit. Ita aliqui Interpretes cum Oecumenio.

Oecumenius in c. 17. Actorum

1. Sacrificia.

1.Reg.6.8 Sed & ipſi Philiſtæi exitiali illo morbo, de quo diximus,percuſſi, tandem agnoverunt à Deo Iſrael hanc ultionem procedere, eumque placandum eſſe: ideoque remiſerunt arcam cum honore,pro delicto reddentes vaſa & dona aurea, juxta numerum Provinciarum Philiſtinorum,ſic dantes Deo Iſrael gloriam,ut revelaret manum à Diis ſuis & terra ſua, ut loquitur Scriptura.

Eudæus ex Suida.

Conſtat quoque ex antiquis Scriptoribus, Gentiles ſolitos fuiſſe tempore publicæ talis calamitatis, immolare homines quaſi piaculares victimas, ad communem luem ſedandam & numen placandum. Sic Servius refert,quod cum Maſſilienſes peſte laborarent,unus è pauperibus ſe offerebat alendum anno integro,publicis & purioribus cibis,poſtea verbenis veſtibuſque ſacris ornatus, circumducebatur per urbem cum imprecationibus, ut in eum inciderent omnia mala civitatis, ſicque mactabatur, vel aquis immergebatur,& Neptuno ſacrificabatur,quaſi hoſtia pro ſalute. Et inclamabant omnes: *Eſto piaculum noſtrum, eſto victima noſtra,peccata noſtra in te ſint.*

Nos verò exitialium morborum æruminis concuſſi, humiliemur ſub potenti manu Dei nos percutientis,Non ignotus ille nobis eſt, ſed ſub noſtræ mortalitatis veſte apparere nobis voluit, & nobiſcum converſari, ut mortis noſtræ vincula diſrumperet, & quoties mortis pavore concutimur, ad ejus pias manus confugiamus. Illi in templo interiori mentis noſtræ aras erigamus, in quibus ipſi cor contritum & humiliatum immolemus, hancque victimam ei gratam,lachrymis conſperſam, offeramus: hoc eſt ſacrificium quod pro peccato ei debemus: hæc eſt hoſtia placationis quam à ſe rejicere non poteſt: hæc vindicem ejus manum à nobis removere potens eſt: *Cor contritum & humiliatum non deſpicies.* Pſ.50.19. *Poſuiſti lachrymas meas in conſpectu tuo.* Pſ.55.9.

Sacrificium quoque pretioſum Corporis & Sanguinis Chriſti Domini tunc oblatum, Patris iram ultricem avertit. Ibi ipſe Chriſtus & ſacrificium & Sacerdos eſt: Aaron verus ipſe eſt *ſtans inter mortuos & viventes*,ut plagam deſævientem, incenſi odore compeſcat. Imò ſi Gentiles tunc habebant piaculares victimas,& nos quoque. Ipſe enim Chriſtus piacularis noſtra victima eſt,quam Patri æterno nos percutienti, quotidie vovemus pro delictis noſtris,pro ſalute noſtra. In illum ergo transferamus per cordis converſionem & compunctionem, omnia peccata noſtra; & illi inclamemus, dum affligimur: *Eſto piaculum noſtrum,eſto victima ſalutis,in te ſint peccata noſtra, & ſanguis tuus illa eluat, ac iratum nobis placet Deum.* Si Rex David, ubi vidit afflictionem populi, Angelo percutiente, recurrit ad Sacrificium,erigens altare Domino, & offerens in loco ubi viderat Angelum, holocauſtum veſpertinum & ceſſavit plaga,& propitiatus eſt Dominus terræ: Multò majoris valoris eſt holocauſtum, quod Patri obtulit Chriſtus in Cruce, ut propitius foret omni terræ. Hoc ergo idem holocauſtum offerimus illi,ad placandam ejus iram, dum flagellis ſuis nos cædit.

Num.16. 48.

2. Sanctorum invocatione.

Sed & Sanctos quærere mediatores opportunum eſt,& Deo in honorem eorum aras erigere,dum calamitates iſtæ graſſantur: Hoc ſibi acceptum multoties indicavit Deus.

Paulus Diac. apud Baron. to.8. an.680. nu. 51.

Anno 680. peſtis ingens vaſtavit Romam & Italiam, ita ut viſibiliter tunc multis apparuerit bonus & malus Angelus,noctu per civitatem pergens, & ex juſſu boni Angeli malus Angelus quoties inſtrumento quod manu ferre videbatur, oſtium cujuscumque domus percuſſiſſet, tot de eadem domo die ſequenti homines interirent. Tunc cuidam revelatum fuit, peſtem illam non prius ceſſaturam, quam in Baſilica quæ B. Petri ad vincula dicitur, S. Sebaſtiani Martyris altare erigeretur. Factumque eſt, ut delatis ad Romanam Urbem Martyris Reliquiis & altari erecto, peſtis ſtatim quieverit.

Surius & Ribad. in vita S. Rochi.

Illis verò Sanctis ſpecialem dedit Deus virtutem intercedendi pro populo hac peſtilentia graſſante, qui eam in ſeipſis patienter experti ſunt & tole-

tolerârunt. Hinc S. Rochum invocamus, quia ipse illam in corpore suo pertulit; quam in aliis signo Crucis frequenter sanârat, & cum illâ perculsus foret, ab hominibus desertus, per canem cibum ei quotidiè afferentem, & per Angelum fuit consolatus. Traditurque, in carcere morienti Angelum tabulam attulisse, in qua scriptum erat: *Ad Rochi patrocinium confugientes truculentam pestem evasuros significo.* Quæ Tabella post mortem ad latus ejus est reperta. Undè & in Concilio Constantiensi, cum pestis validè grassaretur, ejus imago solemniter in Processione delata est, approbantibus Concilii Patribus. Et mox auxilium sensit Civitas Constantiensis.

V. Molanum de Sanctis Belgii.

Solemus etiam contra pestilentiam invocare S. Macarium, quondam Antiochenum Patriarcham. Hic resignatâ suâ sede, cum quatuor discipulis terram sanctam peragravit, & postea per Germaniam superiorem in Belgium venit, & Gandavi in Monasterium S. Bavonis receptus, multis miraculis floruit. Nam levis ejus attactus, ad depellendos morbos fuit efficax, imo & sola ejus benedictio. Postquàm autem annum unum plus minus, eo loci egisset, gravis Gandavensem in populum pestilentia sæviebat. Contra quam inductum est triduanum jejunium hominibus & pecoribus: cumque pius Macarius multum ardenterque pro populo oraret, commune periculum cum aliis incurrit, fore prædicens, ut post suum interitum nemo hoc pestifero incendio moreretur: Quod factum est. Nam à morte ejus liberata est Civitas, ita ut ipse videatur fuisse quasi piacularis quædam victima, suscipiens in se peccata populi, & se offerens morti, ut illa expiaret, iramque divinam averteret.

LECTIO VI.

DE ORATIONE PRO BELLO.

1. *Docet bellum flagellum esse gravissimum.*
2. *Flagellum istud oratione depellendum.*
3. *Ostendit efficaciam Orationis contra hostes.*

PROPOSITIO I.

Secundum Flagellum, quo utitur Deus ad scelerum vindictam est bellum, flagellum gravissimum, & maximè formidandum.

II. *Flagellum ad scelerũ vindictam est Bellum.* 1. *Gravissimum est flagellum ob clades temporales.*

PRimò, quia innumeras parit ærumnas, fabricat & connectit catenam longam miseriarum, quâ populos crudeliter involvit. Et ordinariè cætera secum trahit flagella, quia morbi varii, fœtidi, & contagiosi, per exercitus in Provincias invehuntur, ut experientiâ notum est: dicuntur bellum, paupertas, egestas, fames, quasi pedissequæ, consequuntur. Sed & anxia tunc est & ærumnosa populorum vita, periculis obnoxia sine ulla tranquillitate, qui etiam mors sæpius foret præferenda. Etenim nihil pace gratius aut jucundius, quando *unusquisque* sedens *sub ficu & sub vite sua*, panem suum in tranquillitate comedit, & cum securitate *manducat labores manuum suarum*: Habens filios suos, *sicut novellas olivarum in circuitu mensæ suæ*, & uxorem quietam & fœcundam *in Lateribus domus suæ operantem lanam & linum consilio manuum suarum* Ita nihil calamitosius belli tumultibus, qui pavore & angustiâ Provincias ita afflictant, ut etiam tædeat vivere. Unde & tale tempus calamitosum respicit Ecclesia, dum verbis D. Ambrosii orat: *Dignetur Domine propitius intueri tribulationes plebium, pericula populorum, captivorum gemitus, miserias orphanorum, desperationes languentium, defectus senum, suspiria juvenum, vota virginum, lamenta viduarum.* Quis enim recenseat afflictiones, pressuras, clades, gemitus, lachrymosa suspiria & lamenta, quæ bellicæ concussiones & insolentiæ militares, cordibus senum, juvenum, virginum, orphanorum, viduarum infligunt? Aut quandò magis verum esse potest illud: *Lachryma viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio ejus super deducentem eas: à maxilla enim ascendunt usque ad Cœlum.* Et illud Baruch: *Adduxit super illos gentem de longinquo, gentem impudentem & alterius linguæ, qui non sunt reveriti senem, neque puerorum miserti sunt, & abduxerunt dilectos viduæ, & à filiis unicam desolaverunt.*

Jer. 5. 15.

Has easdem scelerum & peccatorum nostrorum vindices pœnas minabatur Dominus per Hieremiam: *Ecce adducam super vos gentem cujus ignorabis linguam & comedet segetes tuas, & panem tuum & devorabit filios tuos & filias tuas, comedet gregem tuum & armenta tua, comedet vineam tuam & ficum tuam.*

Hæc satis norunt Provinciæ Belgicæ à tempore hæreseon, tot tumultibus belgicis conculsæ & convulsæ.

2. *Maximè formidandum ob scelera quæ producit.*

Secundò, flagellum hoc maximè formidandum est, non solùm ob temporales miserias & discrimina, sed ob fœda scelera & crimina, quæ producit. Tempus enim belli multam adducit confusionem; facta profanaque omnia miscet, & contemptum parit legum, tum humanarum, tum divinarum: *Inter arma silent leges.* Hinc bellum rectè appellatur fons scelerum, radix criminum, origo flagitiorum. Tempore enim tumultuoso, impunè licet quidquid lubet: *Est verò impunitas* (teste Bernardo) *incuria sobolis, insolentiæ mater, radix impudentiæ, transgressionum nutrix.* Hinc blasphemiæ, juramenta, perjuria, furta, rapinæ, sacrilegia, liberè tunc grassantur: Imò verò homicidia, concussiones, Sacerdotum percussiones, altarium & Ecclesiarum prædationes & profanationes nihili æstimantur. Adde fornicationes, stupra, adulteria, corruptiones violentas, tum virginum, tum conjugatarum. Hi sunt fructus amari; hæc pira angustiæ, quæ ab infœlici hac radice generantur: dum exhibilatur pietas, exulat justitia; castitas, tem-

S. Bernar.

perantia, & ipſe timor Dei cæterarum virtutum cultos, conculcatur & expellitur per militarem, ſed
Apoc.9.3. ſatanicam libertatem. Tunc videtur aperiri puteus abyſſi, & ex illo turmatim diceres erumpere dæmones, flagitiorum omnium incentores, ut in illa impellant homines naturâ quidem lubricos, occaſione tamen impunitatis jam præcipites.

Notant quidam ſcripturam, quæ habetur 1.Reg.
1.Reg.13. 13. ubi lectio noſtra habet: *Egreſſi ſunt ad prædandum tres cunei Philiſthinorum.* Altera verò lectio dicitur habere: *Egreſſi ſunt ad prædandum.* In textu autem Græco, & Hebræa Paraphraſi: *Egreſſi ſunt ad corrumpendum.* Hoc de multis etiam Chriſtianis verum eſt, qui militiæ adſcripti, ſtatim ad prædationes, concuſſiones, rapinas, toti anhelant, & in fœditates luxurioſas, ſtupra, adulteria, immerguntur, ſine ullo timoris divini fræno. Sed & alios nefanda crimina docent; multa enim ſcelera ab extraneis militibus in has Provincias ſunt inducta, & juventus in malum proclivis, eſt edocta; cùm antea forent inſolita. Unaquæque enim natio habet vitia quædam ſibi agnata, quæ tanquam peſtilens virus in alios facilè ſerpunt. Sic dum omnis generis nationes militari conſortio colligantur, ſibi mutuò, & provinciis, ad quas veniunt, vitia ſua & fœdos mores affricant, ut experientia notum eſt.

Itaque bellorum funeſto tempore maximè ve-
Oſee.4.2. rum eſt illud Oſee: *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt & ſanguis ſanguinem tetigit.* Quæ quidem ſcelera per ſanguinis pluviam, quondam videntur ſignificata in regione Aquitaniæ, ubi legimus, tribus diebus
Baron. an.1017. tempore Benedicti VIII. ſanguinem pluiſſe valde prodigioſum; nam ſi cadebat ſuper carnem aut lapidem, non poterat lavari, ſi ſuper lignum cadebat, lavabatur. Terruit hoc prodigium totam Galliam, adeò ut Robertus Rex Francorum, ſcriptis conſuluerit Fulbertum Epiſcopum Carnotenſem, inter Epiſcopos doctrinâ præcellentem, cujus extat Epiſtola, in qua ſic reſpondet. Quod nuper cruorem in regno veſtro pluiſſe audiſtis, qui ſi ſupra petram vel carnem hominis ceciderat, ablui non poterat, ſuper lignum autem facilè abluebatur: Tria genera hominum ſignificata videntur. Per lapidem impii. Per carnem fornicarii. Per lignum, quod nec durum eſt ut lapis, nec molle ut caro, illi qui neque impii ſunt, nec fornicarii. Cum ergò venerit ſuper illam gentem, cui portenditur gladius, ſive peſtilentia, ſi antea duri & molles, non fuerint mutati in melius, morientur perpetualiter in ſanguine ſuo. Medii verò per angultiam mortis, aut aliter poterunt liberari, pro arbitrio ſecretiſſimi Judicis. Ita habetur apud Baronium.

3. Graviſſimus ob animarum interitum. Tertiò bellum grave, omninò flagellum eſt, quia non ſolum affert interitum corporum, ſed & multorum millium animarum, quæ cum neglectu conſcientiæ, cruento ſæpiùs prælio ſe ſiſtentes, ad æternam damnationem, æterno ſe præcipitio colliduntur. Hoc ſatis agnoſces, ſi jam dicta conſideraveris. Magna enim militantium pars, turba eſt hominum vitioſorum: alii ob debita ſunt transfugæ, alii ob flagitia. Sic ad Davidem convenerunt: *Omnes qui erant in angustia conſtituti, & oppreſſi ære alieno, & amaro animo, & factus eſt eorum Princeps.* 1.Reg.22. 2. Alii parentibus inobedientes vel infauſto conjuncti matrimonio, ut excutiant jugum paternum vel uxorium, deſperantes militiæ ſeſe adſcribunt; & tunc licentia militari facilè ſe variis involvunt ſceleribus, rapinis, concuſſionibus, luxuris, ut dictum eſt. Interim vix de conſcientia cogitant, vix in anno illam confeſſione expurgant. Multos ſcio, qui ſe triennales, imò quinquennales faſſi ſunt, Catholicos tamen ſe profitentes, & hi tamen ad ſonitum tubæ vel tympani, ad conflictum prodeunt, centenis & millenis mortalibus peccatis onerati, nullam conſcientiæ curam gerentes, & ſic ſe inferno & Plutoni velut victimas vovent. Quot putas ex tot millibus, qui in prælio moriuntur, in gratia moti? Vix enim unquam ad gratiam ſe præparant, nec ſciunt quid ſit contritio, nec illam norunt elicere in peccatis inveterati. Putant per unum leve *Peccavi*, per unam pectoris tunſionem ſe ſalvari; ſed fallax eſt ſpes iſta, præſumptio eſt deploranda & ipſi lachrymis digni.

Flebat amarè David Filium Abſalonem, & irre-
2.Reg.19. 4. mediabilibus lachrymis multoties repetebat ambulans: *Fili mi Abſalon, Abſalon fili mi! quis mihi det ut moriar pro te!* Cur ſic deflet David rebellem filium, Patris ſceptro & ſanguini inſidiantem? Reſpondet D. Bernardus: *Meritò planxit ſuper parricida filio, cui perpetuò ſciret obſtructum exitum de ventre mortis, mole criminis.* Bern.Ser. 26.in Cant.

Deplorat ergò, non tam mortem corporalem, quàm æternam, rebellis filii in peccato ſuo morientis, & hanc propriâ morte redimere paratus erat. Quantò magis planctu digna tanta hominum multitudo, quia ad ſanguinem animati (quaſi elephanti Machabæorum, qui viſo mori & uvæ ſanguine ad prælium acuebantur) ſine conſideratione, contritione, & confeſſione in medis ſceleribus abripiuntur, ad flammas æternas ſubitò devolvuntur? Nam tunc maximè verum eſt. *Dilatavit infernus animam ſuam & aperuit os ſuum abſque ullo termino, & aſcendent fortes ejus, & populus ejus, & ſublimes glorioſi ejus ad eum.* O cœcitas lachrymis etiam digna ſanguineis!

PROPOSITIO II.

Hoc flagellum oratione prævertendum eſt, vel avertendum.

Precibus hoc flagellum avertendū. Cur Apoſtolus monet orandū pro Regibus.

ID ſollicitè monet Apoſtolus ad Timotheum ſcribens: *Obſecro primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, pro Regibus & omnibus qui in ſublimitate ſunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & caſtitate.* Ubi tria ab Apoſtolo ſignificari videntur.

1. Vtorū præſidio pietas tutatur.

Primum, pietatem & caſtitatem cum tranquilla & quieta vita, tantam habere connexionem & cogna-

Digitized by Google

cognationem, ut vix cum turbidis armorum & bellorum motionibus possit consistere. Et sic confirmat, quæ suprà docuimus: Ad quem etiam sensum dixit Poeta:

Nulla fides pietasq; viris, qui castra sequuntur.

Bellorum auctor plerumq; est diabolus.

Licet ergò bella quandoque licita sint, tamen ut plurimum, à Satana dissensionis authore & incentore, ortum habent; qui illa suscitat, ut multa alia mala invehat, animas illaqueet. Sagenam suam mittit tunc in mare turbidum, ut ex omni genere piscium congreget, hoc est, varios hominum status, modò hæresum errore, modo armorum terrore perturbat, ut liberius piscari possit. Sed nec mirum, quod bella ab illo sæpius procedere dicimus, Jo.8.44. de quo dicit Scriptura: *Ille homicida est ab initio.* Ipse primum in cœlo adortus est prælium, contra Deum & Angelos ejus; sed subitò exturbatus est, Luc.10.18 & quidem tanto impetu, ut de ipso Christus asserat: *Videbam satanam, sicut fulgur de cœlo cadentem.*

Deindè in Paradiso invidens paci primi hominis, illam fallaci persuasione perturbavit, author ipse disrupti fœderis, quod Deus cum homine pepigerat, & discordiæ illius interioris, quæ modò adhuc in nobis quotidianam rebellionem parit, concupiscentiæ contra rationem.

Denique etiam pacem exteriorem hominis cum homine profligavit; dum Cain concitat contra Abelem fratrem, pessimum invidiæ & discordiæ semen ex eo tempore in mundo seminans, quod ad finemusque sæculi non extirpabitur: sed germinabit amarum fructum homicidiorum, duellorum, præliorum, tumultuum, non solum inter exteros, sed etiam inter fratres & fratres, inter Patrem & filium, inter affines & agnatos. Ut patuit inter Esau & Jacob, inter Saulem & Davidem, inter Absalonem & Ammon, inter ipsum Absalonem & Davidem Patrem. Et hoc est semen virulentum, tot & tam turbulenta dissidia modò germinans inter Reges & Provincias, inter ipsos Principes Christianos, qui in Sanguine Jesu Christi fœdus habere deberent, & communionem sanctæ pacis. Attendite hoc, ô Reges & Principes, & semen hoc pessimũ suffocate, dum recens est, bellorum radicem amaram succidite: Ne excrescat in virgas, *& ignis de virga ramorum ejus egressus, fructum* regnorum vestrorum comedat, & sceptrum vestrum devoret. Hoc ne vobis contingat, *Deus pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter.*

Ezech. 19.14.

Rom. 16. 20.

Quia ab illius pietas dependet subditorũ.

Secundum quod Apostolus verbis citatis indicat, tranquillam vitam cum pietate conjunctam, à Regibus, & his qui in sublimitate sunt, dependere. Quod satis manifestum est: omnem enim regnorum turbidam vastitatem, à Regum vel procerum ambitione, cupiditate, libidine enasci, antiqua & hodierna docent exempla.

2. Reg.

Absalon regnandi libidine, totum Patris commovet regnum, paterno etiam cruore manus fœdare paratus.

Abimelech septuaginta fratres occidit super lapide uno, dominandi impulsus ambitione. Jud.8.9.

Cæsar & Pompejus totum concutiunt Imperium Romanum, & bellis civilibus cruentant, imperandi cupiditate.

Alexander totum conturbat orbem, ut solus imperio potiatur. Huic rectè respondit quidam Pirata ab eo captus. Interrogabat Alexander: *Cur mare sic infestas?* Respondet ille. *Cur tu totum infestas orbem? quia parvo naufragio per mare curro, vocor latro, tu quia magna classe, diceris Imperator.* Ita ille audaci libertate, sed non dissonè à veritate.

Nostro quoque ævo sæpius experta est Gallia, experitur Germania & Bohemia, & aliæ Europæ regiones, quàm turbulentas vehere possit clades, unius Principis cœca ambitio & cupiditas.

Sicut ventus etiam exiguus, terræ viscеribus inclusus, non erumpit sine gravi concussione, & graves sæpius terræ motus ciere visus est: Aut sicut exhalationes & vapores cœli nubibus concluſi, fulgura, tonitrua, & tempestates concitant: Ita ambitionis ventus, & ambitiosæ cupiditatis turbidus vapor, Principis insolentis cerebro inclusus, in plebis perniciem erumpit, bellorum ciens tempestates & vastitates. Simile.

Sed & maximè ex Regum Consiliariis pendet regnorum tranquillitas, & salus populorum ac Regum. Patet in Roboam, qui deserens consilium senum, secutus est consilium juvenum. Et populo petenti & dicenti: *Pater tuus aggravavit jugum nostrum, tu releva super nos.* Respondit superbo inductus consilio: *Minimus digitus meus grossior est dorso Patris mei: Et nunc Pater meus posuit super vos jugum grave, ego autem addam super jugum vestrum: Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem vos cædam scorpionibus.* Indignatæ & acerbatæ hoc consilio decem tribus, ab eo defeiverunt, & regnum ejus divisum fuit. 3. Reg. 12. 10.

Sed valdè frequenter Regum Consiliarii, illos & regna eorum florentissima in varia discrimina conjiciunt, illos præcipiti suo consilio, bellorum ancipiti & periculosæ aleæ exponentes; non ponderantes in pondere sanctuarii tot cædes, tantam sanguinis effusionem, tantam hominum imò & animarum necem, ac innumera in populos mala è bellis erumpentia. Propter hæc omnia, nec de ulla re alia magis deliberandum est, nec religiosius consultandum, nec maturius aliquid statuendum. Adeò ut Principes vel magistratus, nunquam nisi inevitabili necessitate pressi, aleam belli movere vel minimum debeant. Nimis periculosus est hic Principum ludus, cum tanta popolorum clade & strage conjunctus, tot scelerum portentis connexus. Itaque hic attendendum est illud Augustini: *Pacem habere voluntatis est, bellum autem debet esse necessitatis, ut liberet Deus à necessitate & conservet in pace: Non enim pax quæritur ut bellum exerceatur, sed bellum geritur, ut pax acquiratur.* S. August. epist. 2. ad Bonif.

Digitized by Google

populo deprecaretur, ſed non prævaluit nimio timore perterritus, ideò extruxit altare in loco ubi viderat Angelum. Daniel quoque, qui non poterat ingredi templum in Babylone captivus, apertâ feneſtrâ orabat, converſus ad eam partem, in qua erat Templum Domini. Ezechias quoque flens, convertit ſe ad parietem, non ſolum ut ſecretiùs oraret, & liberius ploraret, ne ab aliis conſpiceretur; ſed etiam quia ad eam partem templum ſuum erat, ad quod in periculis confugere ſolebat, nunc quia pedibus non poteſt, oculis facit.

Sic ergò & nos, ut efficaciùs oremus, frequenter & lubenter loca Deo conſecrata accedamus; ubi Angelorum frequentia eſt, ubi Arca fœderis & Tabernaculum Domini requieſcit. Ipſe ſcil. Chriſtus ipſum verum corpus ejus divinitati conjunctum. Heb. 4. 16. *Adeamus ibi cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut inveniamus miſericordiam in auxilio opportuno*, ut loquitur Apoſtolus. Quod ſi quis carcere, ægritudine, aut alio impedimento detentus, illuc pergere non poteſt, conjiciat cum Daniele & cum Ezechia plorante, illuc oculos mentis & gemitus cordis, ut poſſit particeps fieri omnium ſacrificiorum, orationum, gemituum, quæ ibi à fidelibus Deo offeruntur, conjungat cum Sacerdotibus & fidelibus ibi orantibus intentionem ſuam, & particeps erit fructus, quem referunt ibi adorantes Dominum in loco ſancto ejus. Neque dubitandum eſt, plus proficere orationem, quæ cum Fratribus fit, quàm quandò ſolus quis orat: Eſt enim, inquit D. Chryſoſt. plus aliquid ibi, verbi gratia. *Concordia, conſpiratio, copula amoris & charitatis, Sacerdotum clamores: Præſunt enim ob eam rem Sacerdotes, ut populi orationes, quæ per ſe ſunt infirmiores, validiores illas complexa, ſimul in cœlum evehantur.* Orationes ergò noſtræ, in Eccleſiis communi amoris fraterni copula factæ, elevantur per Spiritum Eccleſiæ, per gemitum Columbæ, per merita Sponſæ, per totius corporis Chriſti myſtici conjunctas vires. Et ſi quid deeſt, ſupplet gemitu ſuo grata Deo Columba, hoc eſt, Eccleſia, ſupplent ejus & Chriſti Sponſi ſui merita: Sanctorum quoque ſupplent patrocinia, quorum Reliquiæ in locis iſtis & altaribus ſacris, requieſcunt: Hi enim noſtras preces & deſideria, Domino, cui ſemper aſtant, repræſentant: *Ægri*, inquit Ambroſius, *miſi ad eos aliorum precibus, Medicus fuerit invitatus, pro ſe rogare non poſſunt: Infirma eſt caro, mens ægra, & peccatorum vinculis impedita, ad Medici illius ſedem, debile non poteſt explicare veſtigium. Objecrandi ſunt Angeli, nobis ad præſidium dati: Obſecrandi Martyres, quorum videmur quodam corporis pignore partocinium vendicare. Poſſunt pro peccatis rogare noſtris, qui proprio ſanguine, etiamſi qua habuerunt peccata, laverunt.* Ita ille.

Oratio facta cum pluribus utilior. S. Chryſ.

Ambr. l. de vid. c. 1.

Ex his ergò colligere potes, quod habeant adjumenta preces noſtræ in locis conſecratis, ex animi affectu oblatæ & cordis fervore; ab Angelis & Sanctis, quibus loca ſunt conſecrata, ab ipſo Chriſto mediatore in illis præſente, a Spiritu Eccleſiæ in-

bi ſpecialiter operante, juvantur & evehuntur. Itaque concludendo adjicimus, non vanè tot ritibus ſacris, Eccleſias illas conſecrari à Dei miniſtro, Sacrorum Hierarcha; nec vanè magnifico opere extrui, varioque ornatu decorari. Id enim fit, tum ut mens noſtra excitetur ad devotionem majorem, quæ etiam exterioribus moveri ſolet: tum ut honoremus orationis & Dei domum, Reliquiaſque Sanctorum, quæ Sanctitatis organa & miraculorum fuêre inſtrumenta. Denique, ut decentem locum, quantum in nobis eſt, paremus pretioſo Corpori Domini, quod ibi ſolet reponi.

Timeant noſtri hæretici, ne in judicio ſurgant etiam beſtiolæ parvulæ, & condemnent generationem incredulam, Sacra omnia ſubſannantem: quandoquidem illæ aliquandò ſuum agnoſcentes Creatorem, ei miraculoſâ induſtriâ parârunt ædiculam ſacram, in qua ſuo modo ei laudes decantarent.

Exempl. Cæſarius l. 9. c. 8.

Narrat Cæſarius, mulierem quandam apes multas alere ſolitam. Cùm verò illæ non proficerent, ſed paſſim morerentur; quærebat undequaque remedium. Dictumq; eſt ei à quadam ſuperſtitioſa fœmina, quod lues illa ceſſaret, ſi Corpus Domini inter illas locaret. Adiens ergò Eccleſiam, & ſe communicare velle ſimulans, retulit ſecum Corpus Domini, & in uno ex alveolis illud locavit. Mira Dei potentia. Vermiculi Creatorem agnoſcentes, ei de favis ſuis capellulam, miræ ſtructuræ erexerunt, in qua altare ejuſdem materiæ erigentes, Sacratiſſimum Corpus ſuper illud locaverunt. Et benedixit Dominus operibus eorum. Proceſſu temporis, cum fœmina idem vaſculum aperuiſſet, conſiderans illud Oratorium, expavit, currensque ad Sacerdotem, omnia ei confeſſa eſt. Veniens ergò ille cum ſuis ſubditis, apes circumvolantes & velut Creatoris ſui laudes circumſonantes abigens, Oratorii parietes, feneſtras, tectum, campanile, oſtium & altare admiratus, cum ſolemnitate & laude divina Corpus Domini in Eccleſiam retulit. Sic docent, ſic condemnant hæ apiculæ generationem incredulam. Sic Deus in rebus etiam minimis, mirabilem ſe exhibet.

LECTIO III.

DE TEMPORE ORATIONIS.

1. *Decet omne tempus Orationi aptum eſſe.*
2. *Congruum eſſe, maximè tempus matutinum.*
3. *Tempus veſpertinum ſivè nocturnum.*

PROPOSITIO I.

Tempus omne Orationi poteſt idoneum eſſe.

Orationi Tempus omne aptum eſt.

HOc voluit ſignificare Chriſtus, dum dicit Lucæ 18. *Oportet ſemper orare, & nunquam deficere.* Et Apoſtolus: *Sine intermiſſione orate*

Digitized by Google

1. Thes. 5. 17. *orate, in omnibus gratias agite,* Commendat enim his loquendi formulis Scriptura Orationis frequentiam, cui omne tempus aptum est, q. d. Orate & gratias agite omni tempore, tam in morbo, quam in sanitate, tam in egestate, quàm in copia, tam in desolatione, quàm in consolatione, tam in tentatione, quàm in pace, tam in humiliatione, quàm in exaltatione, tam in ádversis, quàm in prosperis: est enim sæpè majus donum Dei, morbus, inopia, desolatio, adversitas, quàm sanitas, copia, pax, prosperitas. Hæc est Sanctorum vita per summas hujus vitæ, læto & resignato animo, in cœlum iter carpere, Deum orando & laudando in omnibus etiam adversis. Hinc B. Theodorus miles in carcerem missus, ungulis excarnificatus, coltis nudatus, lætus canebat: *Benedicam Dominum in omni tempore.* Quare in ardentem rogum conjectus, in oratione & divinis laudibus, animam Christo reddidit.

V. Brev. Rom. 9. Nov. lect. 9.

Sic Martyres, in mediis vulneribus, Dei laudes canebant: Primus é Præsulibus sacris in Anglia, ob fidem & veritatem cæsus & multorum Martyrum Dux Joannes Fischerius Cardinalis & Episcopus Roffensis, cum ad locum Martyrii ductus foret, priusquam cervicem ferro subjiceret, sublatis in cœlum oculis, Hymnum, *Te Deum laudamus,* totum decantavit.

Surius 11. Nov.

B. Martinus, cùm gravissima & extrema licet febri conflictans, invictum ab oratione spiritum non relaxabat, oculis ac manibus in cœlum semper intentus. Cumque in illa vehementi febre supinum orantem viderent discipuli, rogabant supplices, ut conversò tantisper corpore pronus conquiesceret, dum se vis morbi remitteret. Respondet ille: *Sinite me potiùs Cœlum quàm terram adspicere, ut suo jam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur.* Sic ille benedicebat Dominum in omni tempore, in sanitate, in ægritudine, in vita, in morte.

Itaque, quando Scriptura monet semper aut sine intermissione orare; invitat nos & monet semper in Deum mentem elevare, quantum per negotia hujus vitæ licet. In sola enim cœlesti Jerusalem continua Dei laus & rerum divinarum meditatio licebit; ubi nulla occupatio, nulla distractio, nullum impedimentum poterit occurrere: ubi Angeli continuò inclamant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Omnipotens,* nec ullo tempore à laude divina cessant, ideoque dicuntur non habere requiem die ac nocte. Sed & nos possumus semper orare, hoc sensu, quia possumus piâ intentione omnia opera in Deum referre; & hoc est quodammodo orare: quia oratio nihil aliud est, quam mentis in Deum elevatio, pia autem intentio opera in Deum referens, mentem elevat in Deum, & nos illi conjungit.

Isa. 6. 3. Apoc. 4. 8

In vitis PP. lib. 3.

Abbas Lucius in vitis Patrum, cùm quidam fratres ad eum venissent, interrogabat eos, quid soletis manibus operari? Responderunt illi: Nos nihil manibus operamur, sed juxtà Apostolum *sine intermissione oramus.* At ille: Non ergò manducatis? Respondent quod sic. Quis ergò tunc orat pro vobis? Nec illi tunc respondere potuerunt. Tunc ait eis? Indulgete mihi, non facitis ut dicitis. Ego dicam vobis, quomodo manibus operans, sine cessatione oro. Sedeo de mane usque ad horam constitutam, & pauca folia palmarum infundo, & facio indè funiculos, & interim oro dicens: *Miserere mei Deus, &c.* Et cum complevero opera manuum mearum, & fecero pauca vasa aut funiculos, & emero ex eis nummos decem, duos do pauperibus, reliquos comedo. Quandò autem comedo aut dormio, tunc pro peccatis meis, illi sine cessatione, implent orationem meam. Ita ille in vitis Patrum.

PROPOSITIO II.

DE ORATIONE MATVTINA.

Licet omne tempus idoneum sit orationi, maximè tamen congruum est tempus matutinum & vespertinum.

Orationi congruum Tempus est matutinũ & vespertinum.

APerit nimirùm oratio matutina detersis tenebris, fenestras animæ divino lumini: Vespertina verò oratio claudit cordis fenestras, & illas munit contra Stygias tenebras: Et mentem protegit *à negotio perambulante in tenebris*; sicut & matutina, *à sagitta volante in die, ab incursu & dæmonio meridiano.*

Ps. 90. 6.

Horologium, ut rectè dirigatur & dirigat, solent ejus pondera ad terram semper vergentia, matutino & vespertino tempore erigi; & ab hoc pendet totius horologii motus & progressus. Sic ut animæ horologium rectè incedat, cum carnis pondus continuò ad terram vergat, & animam secum deprimat, opportuna est vespertina matutinaque oratio, per quam pondere isto depressa anima ad terrena, surSimile de de Horologio.

sum elevetur ad cœlestia, & congrua secundum Deum revolutione moveri possit & incedere.

Primò ergò de oratione matutina sæpè mentio fit in Scriptura. Sic Psaltes dicit: *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.* Tunc nimirum melius mens est disposita ad considerandа & percipienda divina, post aliquam quietem corporis; minus obnoxia distractionibus, cum necdum se implicuit diurnis curis; & liberius in Deum volat, cum necdum pennæ ejus, occupationum divinarum pulvere respersæ sunt & depressæ. Hinc monet Sapiens. *Hora surgendi non te trices, præcurre autem prior in domum tuam, & illic avocare, illic lude & age conceptiones tuas.* q. d. Ingredere in domum interiorem, in aulam mentis tuæ, illic vaca, illic ambula, statim ubi expertectus fueris, illic lude, & delectare cum sponso animæ tuæ sacris vacans amplexibus. *Illic age conceptiones tuas, & benedicito Dominum, qui fecit te, & inebriantem te ab omnibus bonis suis.* Hoc postremum addit Sapiens, satis significans, opportunum tunc esse

1. *Matutinum.* Ps. 118. 148.

Eccl. 32. 15.

Digitized by Google

ac vacare rerum divinarum conſiderationi & meditationi, hoc enim eſt agere conceptiones ſuas: Opportunum quoque eſſe gratias Deo agere, quod nos ad imaginem ſuam creârit, & ad Beatitudinis ſuæ participationem ordinârit, & ut eam aſſequamur, tot nos quotidiè cumulet & velut inebriet donis, boniſque cœleſtibus, tot repleat benedictionibus.

Sap.16.28 *Oportet prævenire Solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare*, inquit Sapiens alibi. Loquitur ibi de Manna, quod ex ſpeciali Dei benedictione pro filiis Iſraël deſcendebat quotidiè, ſed qui volebat colligere, debebat id agere antè Solis exortos radios, quia per illos Manna calefactum tabeſcebat & liquefiebat. Figura hic erat, & ſignificatur eum, qui voluerit participare de cœleſti orationis dulcedine & benedictione (eſt enim oratio refectio filiorum Dei, ſicut & Manna filiorum Iſrael) oportere eum matutino tempore paratum eſſe ad colligendum: quia tunc defluxit ros cœlicus, ros lucis, ad animam vigilem irrorandam & impinguandam.

Cant.7.12 In eundem ſenſum interpretari poſſumus illud Canticorum: *Manè ſurgamus ad vineas, videamus ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturiunt.* Cùm evigilamus, hoc ſit primum negotium noſtrum, hæc prima ſit colendæ vineæ noſtræ cura, animæ ſcilicet noſtræ, ut poſſit producere flores bonorum deſideriorum, & fructus bonorum operum. Primò ergò manè illa conſiderationi noſtræ occurrat, ut ſarmenta inutilia abſcindamus, & eam circumfodiamus per conſcientiæ examen, & per contritionis ſarculum expurgemus. Æternarum rerum conſideratio optimè colit hanc vineam, non patitur eam ſilveſcere aut ſpinoſam eſſe, ejus operâ manè utamur, illa flores, illa fructus vineæ hujus promovebit, illa eam Domino ſuo reddet acceptam. Vocemus & Sanctos operarios, qui nos ad eam colendam adjuvent, invocemus matutino tempore Angeli noſtri Cuſtodis, Beatiſſimæ Virginis, & Divi noſtri tutelaris auxilium.

Tempus ergò matutinum, tempus illud eſſe ſolet, quo animæ piæ, tanquam *Vineæ florentes* dare ſolent *odorem ſuum* Deo gratiſſimum, & tanquàm Cant.2.12 Turtures exprimere vocem amoris: *Vox turturis audita eſt in terra noſtra*, & tanquàm Columbæ gemere in foraminibus petræ: *Surge, propera amica mea, Columba mea, ſonet vox tua in auribus meis.* Cùm ergò tunc tot pietatis ſectatores, Deo ſiſtant vocem ſuam & cor ſuum, ut illorum ſis particeps, tu quoque: Thr.2.19. *Conſurge & lauda, & in principio vigiliarum, effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini, leva ad eum manus tuas*, inquit Jeremias Propheta. Primum quod Deus petit, eſt cor, hoc eſt, primas tuas cogitationes & affectiones; delectatur enim ipſe primogenitis, hæ ſunt primogenita mentis & cordis noſtri, illi ex integro conſecranda. Statim ergò evigilans, offer ei cor tuum & dic: *Totum tibi Domine cor meum offero, ut illud purifices, renovès, ſanctifices, ut illud emollias quaſi ceram, in eo amorem tuum ſculpas, in eo ponas te quaſi ſignaculum, ut nullus affectus tibi diſplicens ad illud ingredi poſſit nulla cogitatio indecens. Benedic Domine omnibus cogitationibus, verbis, actionibus meis, & unire digneris cum omnibus cogitationibus, verbis, actionibus, quas tibi benedictus filius tuus obtulit, ut ſint in odorem ſuavitatis.*

Opportunum quoque erit tunc miſeriæ noſtræ intuitu nos coram Deo humiliare, & agnoſcere ingratitudinem noſtram; quia cum quotidiè nova in nos beneficia & favores conferat, & cum lucis novæ uſura, ſpiritualem etiam lucem gratiæ mentibus noſtris offerat; nos tamen tam parum beneficiis ejus reſpondemus, quin potiùs *rebelles lumini* vix proficimus, ſed in deterius imus, & quotidiè eum offendimus, indigni luce, quâ fruimur, multò magis luce illâ æterna, ad quam nos vocat Deus. Hæc humiliatio in nobis calcar & ſtimulus erit, unò & initialis quidam ad perfectionem gradus.

Hoc practicabat ille Coriarius Alexandriæ, ad quem mittebatur D. Antonius. Cùm enim D. Antonius in cella oraret, venit ad eum vox. *Antoni nondum ad perfectionem Coriarii, qui in Alexandria eſt, pervenisti.* Hoc audito, conſurgit ille manè, arrepto baculo & feſtinus venit Alexandriam. Cumque ad deſignatum hominem pervenillet, ille viſo tanto viro obſtupuit: Cui ſenex dixit: *Refer mihi opera tua, quia propterea de deſerto veni.* Qui reſpondit: *Neſcio me unquàm aliquid boni perpetraſſe: Vndè ex cubili proprio manè conſurgens, antequam in opere reſideam, dico quod hac civitas à minore uſque ad majorem, ingrediatur Regnum Dei propter juſtitias ſuas, ego autem ſolus propter peccata mea pœnam ingrediar ſempiternam: quod verbum, antequam quieſcam, ſerò ex cordis mei recenſeo veritate.* Hoc audiens B. Antonius dixit ei: *In veritate fili ſicut bonus artifex, ſedens in domo tua cum requie regnum Dei adeptus es; ego autem ſine diſcretione omne tempus meum in ſolitudine converſatus, necdum verbi tui aſſumpſi menſuram.* Ex lib. ſent. Patrum Paragraph. 21. In vitis PP.l.7.c. 15.§.21.

Neque verò propter occurrentes occupationes, debet facilè hæc prætermitti matutina oratio, a qua ferè pendet operum totius diei directio, fœlixque progreſſus. Debetque obſequium ſervitutis noſtræ Deo debitum, quoad fieri poteſt ante omnia perſolvi.

Te lingua primùm concinat,
Te mentis ardor ambiat,
Vt actinum ſequentium,
Tu, Sancte, ſis exordium.

Sic nos exemplo ſuo docuêre Viri Sancti, qui omni quantumlibet gravi negotio poſtpoſito, Deo primùm vacandum eſſe judicarunt. De S. Ludgero Epiſcopo Monaſterienſi ſic legimus. Carolus Imperator, Ludgerum ad ſe pro quadam Reipublicæ utilitate, evocari fecit. Qui cum veniens Surius 26.Mart. de S Ludgero.

juxtà

Digitized by Google

juxta Palatium manſionem accepiſſet, primo ſtatim mane millo ad eum Rex cubiculatio, ipſum ad ſe venire præcepit. Et ipſa hora perſolvendis horariis precibus inſiſtebat. Reſpondit nuncio, his expletis ſe venturum. Secundò ergo & tertiò à Rege miſſum eſt, ſed divinum obſequium cunctis aliis anteponendum non ignorans, diſtulit venire donec preces conſummaret. Tandem cum veniſſet, interrogavit Imperator, cur ad imperium ſuum venire contempſiſſet? At ille vultu menteque conſtanti: Ego, inquit Imperator, tuum præceptum ita in omnibus ſemper exequendum putavi, ut tamen Deum tibi ubique ſemper præferendum non dubitarem. Hoc & ipſe mihi præcepiſti, quando paſtoralis curæ ſollicitudinem mihi commendabas, ut Deo primum ſerviendum ſcirem, poſt hæc tuis conſequenter imperiis eſſe obtemperandum. Ideo non regiæ poteſtis inhonorationem & contemptum ut malevoli criminantur, ſed potius propter tuam ſalutem, quæ Deo debebam exolvere curavi, & ita ad tuum expeditior ſervitium veni. Hoc reſponſum Rex optimus amplexus, Gratias inquit, habeo Epiſcope, quia qualem eſſe credidi ſemper, talem te nunc expertus ſum. Tu ut hactenus ſemper Dei exorare voluntatem, & ſimul nobis devotus & fidelis, pro noſtri Imperii ſtatu orare memento. Ita Surius.

Surius in com. ad an. 1558.

Nec illud hic prætermittendum, quod de Carolo V. Legimus, illum ſcilicet quotidie manè duas ferè horas precibus impendere ſolitum, graviſſimis licet imperii belliquæ negotiis impeditum, non enim ſuis fidebat viribus potentiſſimus Princeps, ſed totus à ſummi Numinis ope & auxilio pendebat, quod ſibi precib. tam longis quotidie conciliare ſtudebat. Et hinc tanta illi in rebus gerendis felicitas, tam inſignes victoriæ, adeo ut ob multa fortiſſimè geſta Galli eũ Herculi, Germani Carolo Magno, Itali Davidi, Turcæ Julio Cæſari, Afri Hannibali comparârint. Multi cum adverterent & domi & militiæ æquè continuum, & prolixam eſſe in precibus ſuis, dicere ſolebant, Carolus ſæpius & diutius cum Deo, quam cum hominibus loquitur.

DE VESPERTINA ORATIONE.

Veſpertinum.

DE Oratione quoque Veſpertina ſive nocturna, ſæpè fit mentio in Scriptura. De illa in Pſalmis dicitur. *In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum.* Tunc benedicendus Deus pro beneficiis, quæ per ſingulos dies, imò per ſingula momenta de manu ejus accipimus. Ejus nutu vitæ noſtræ momenta decurrunt: *In manibus tuis ſortes meæ*, ſive (ut alia Lectio habet) *tempora mea.* Poſſet ſæpè vitæ noſtræ tempus abrumpere, dum in mortiferi peccati luto infixi hæremus, & tunc infœlix æternæ damnationis ſors certò nos maneret: ſed ex benignitate ſua ſic tempora noſtra diſponit, dieſque noſtros prolongat, ut è peccati abyſſo tenebroſa, tandem reſpiremus ad lucem gratiæ, *ad partem ſortis Sanctorum in lumine.* Aliquos tamen etiam in mediis ſceleribus abripit ſevera juſtitiæ ſuæ ultione; ut ſciat omnis peccans, quòd ſtatim à peccato, divinæ vindictæ ei incumbit mucro: & propter hoc nec unum quidem diem vel noctem ſecurus peragit in peccato: *Intelligite hæc qui obliviſcimini Deum, ne quando rapiat & non ſit qui eripiat.* Ad hoc ergo veſpertina ſerviat oratio, ut quæ per diem fragilitate commiſimus, nocturno tempore recenſeamus, & cordis contritione eluamus: lavando per ſingulas noctes lectulum conſcientiæ noſtræ pœnitentiæ aſperſione: *Quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini*, q. d. Quæ per diem vel ſola cogitatione prava cordis, in Deum vel proximum peccando commiſiſtis, ſtatim noctu cum ſoli eſtis, in ſilentio & quiete recogitate, rationem & pœnas à conſcientia exigite per veram cordis compunctionem, ut ſic coram Deo vos continuò ad mortem judiciumque præparetis, quaſi ea nocte à Domino evocandi. Multi enim etiam ſani cubile ſuum petentes, ſubitanea præventi morte fuere, & peccato mortali obnoxii, ad inferos nocte illa deſcenderunt, de quibus verum eſt illud Job: *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.*

Pſ. 49. 22.

Pſalm. 4.

Job. 21.

Epheſ. 4.

Propterea etiam ſcriptum eſt: *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Nolite locum dare diabolo.* Quod quidem Div. Ambroſius etiam univerſaliter intelligit, de omnibus ſcilicet peccatis: Sol non occidat ſuper iram, ſuper avaritiam, ſuper calumniam veſtram, &c.

S. Ambr.

Sic D. Antonius (teſte Athanaſio ſuadebat jugi meditatione illud retinendum, & interpretabatur *non ſolũ ſuper iracundiam Solem occidere non debere, ſed & ſuper omnia delicta, ne peccatorum unquam noſtrorum, aut in nocte Luna, aut in die teſtes abſcederent.* Id verò ſpecialiter de ira dicitur, quia illa maximè dat locum & aditum diabolo, ille enim iracundis cogitationibus ſe inſinuat, injuriam factam aggravando, hominem inflammat, & ſuggeſtione vindictæ quaſi folle ſuccendit, totumque judicium perturbat & furiis agit. Unde iram vocat Nazianzenus dæmonem intus conditum. Item, quia ira turbidis vindictæ cogitationibus, totam hominis quietem nocturnam, & orationem, quæ aptè fit nocturno tempore, penitus impedit.

Athan. in vita S. Antonii.

Nazian.

Hoc monitum Apoſtoli diligenter practicarunt antiqui Patres. Ita S. Joannes Eleemoſynarius, cùm quadam die contra Nicetam Patricium ira licet juſta commotus fuiſſet, ſub veſperam miſit Presbyterum ſuum ad Nicetam, qui ei diceret: *Sol jam eſt in Occaſu, Vir maximè Venerande.* Quo ſtimulo ille commotus, venit ad Virum Dei, & uterque ante Occaſum ruit in mutuos amplexus.

Leon. in ejus vita.

Sic quoque S. Epiphanius Epiſcopus Cypri dixit S. Hilarioni: *Ego ex quo acce, i habitum iſtum, non dimiſi aliquem dormire, qui haberet aliquid adverſum me: Neque ego dormivi, aliquid habens adverſum aliquem.* Cui Hilarion: *Ignoſce mihi, quia tua converſatio major mea eſt.* Hinc & in aliquibus Religionibus pia hæc lex ſtatuta eſt, ut ſi quis

Invit. PP. l. 5. libello 4. §. 16.

Digitized by Google

quis alium per diem offenderit, non liceat illi noctuinæ quieti ſe dare, niſi prius veniam ab eo, quem oſtendit, petierit.

Nocturnum itaque tempus, dum ſilent omnia, dum perſtrepentis familiæ, aut negotiorum tumultus quieſcunt; aptum eſt conſcientiæ examini, piæque de Deo cogitationi & meditationi.

Sic de viro bono & ſapiente Ethnicus Poeta dicit:

Non priùs in dulcem declinant lumina ſomnum,
Omnia quàm longi reputaverit acta diei.
Quo pratergreſſus: quid geſtum in tempore? quid non?
Cur iſti facto decus abſuit, aut ratio illi? &c.

Pſ.76.7. Sic practicabat ipſe Rex in mediis regni negotiis: *Meditabar*, inquit, *nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum.* Per ſcopas ſtricti examinis & perfectæ contritionis, everrebat ex animæ ſuæ cubiculo, quicquid immunditiæ, quicquid ſordium de die contraxerat. Alii legunt cum D.

S.Hiero. Hieron. *Fodiebam & ſarriebam ſpiritum meum.* Quia ſcilicet compunctionis ſurculo, omnem expungere nitebatur infœlicem peccati ſurculum, ut

Matth. 3. foret ſecurus ab illa ſecuri, quæ minatur excitionem infructuoſæ arbori. Sed & quieto illo tempore, altam mentis ſpeculam conſcendens, ad æternitatis annos aciem ſuam figebat, ruminans illud *Æternum* cum corde, cum gemitu columbæ. Timens quoque ipſe, ne forte in æternum a Deo projiceretur, ſatagebat mutare & emendare vitam ſuam, & de die in diem proficere, imo quaſi de novo incipere; *Dixi*, inquit, *Nunc cœpi.*

Imitetur ejus exemplum, quilibet pietatis & veræ vitæ Chriſtianæ ſectator. Attendat illud Jerem. *Statue tibi ſpeculum, pone amaritudines, dirige cor*

Jer. 31. 21. *tuum in viam rectam*, q.d. Aſcende mentis verticem, & ibi ſpeculare tum præterita, tum præſentia, tum futura. Conſidera peccata tua, & illa pone ante oculos tuos; ut jam tibi amarеſcant, & recogites illa in amaritudine animæ tuæ. Propone quoq; tibi mortis, judicii, pœnarum futurarum amaritudines. Quas ut evites, dirige cor tuum in viam rectam: delere vias priores, vias obliquas, pravos omnes greſſus cordis tui, omnes peccati affectus derelinque; & ſequere viam juſtitiæ, pietatis, puritatis, temperantiæ, caſtitatis. Hoc ergo ſit nocturnum exercitium viri Chriſtiani, ex illo poterit non mediocrem fructum reportare.

Narrat Baldeſanus Doctor Theologus: in potenti Italiæ civitate fuiſſe nobilem quendam Adoleſcentem, qui cùm immerſus eſſet voluptatibus, monitus a Confeſſario de pœnitentia agenda, multiſq; modis ei propoſitis, negabat ſe ullum ex his pari poſſe aut perferre. Tandem ille omnia tentans ut ejus ſaluti conſuleret, monet ut quartam ſaltem horæ partem, in hac cogitatione poneret: *Iacere ſe in lecto mortuum brachiis in crucis formam compoſitis, ad caput appoſito ardente cereo, ad pectus Crucifixi imagine: Iamque ſibi ſuper ſe judicium expectandum.* Paruit Adoleſcens, & hæc nocturno tempore ſecum revolvens, ſic exterritus eſt & illuſtratus à divina gratia, ut conſpecta peccati fœditate, totus ſolveretur in lachrymas: & poſtridie bene manè, ad eundem Patrem accedens, miro cum dolore peccata ſua deflеret, & de vitæ emendatione ſeriò cogitans pro ſatisfactione & pœnas impoſitas ſibi acciperet, & ultrò majores aſſumeret; ſicque initium fecit ſanctius vivendi in poſterum. Ita Baldeſan.

Exempl. Baldeſ. in ſum. virt.

Poterat ergò & ipſe dicere cum Propheta: *Meditabar nocte cum corde meo: Nunquid in æternum projiciet Deus? Et dixi: Nunc cœpi, hæc mutatio dextera excelſi.* Quam fructuoſum ergo ei hoc breve nocturni temporis exercitium? An non tale eſt inter homines mundi, qui tamen Chriſtianos ſe confitentur, noctis exercitium: quin potius de multis verum eſt, *Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo, aſtitit omni via non bona, malitiam autem non odivit.* His minatur Propheta: *Væ qui cogitatis inutile, & operamini malum in cubilibus veſtris: In luce matutina faciunt illud. Concupierunt agros, & violenter tulerunt & calumniabantur virum & domum ejus, virum & hæreditatem ejus.* Sentus eſt: Væ vobis, qui omnes cogitationes veſtras confertis, non in res ſalutis, in res nullius momenti, imò potius in coacervationem fas & nefas, id quidem veſperi; & manè quæritis media contra proximum, ut ejus bonis frui poſſitis. Noctu cùm quieſcendum eſt, aut de rebus cogitandum, aut cum de peccatis commiſſis pœnitentia purgandis, ſolliciti eſſe deberetis, & cùm in cubilibus veſtris compungi oporteret, nova ſcelera cogitatis. Et cum lux matutina optari debuerat ad compenſanda peccata novis virtutum actibus, illam exoptatis ut malitiam conceptam exequi feſtinetis.

Pſ.76.9.

Pſal. 35. 5.

Mich. 1. 2.

Cæterum, quoniam non omnibus datum eſt diu orationi vocare tum ob animum negotiorum mole preſſum, tum etiam in multis ſudore ſuo panem quærentibus, ob corporalem laſſitudinem; caveant tamen ex toto negligere piam ad Deum reflectionē, & porcorum more, quieti membra dare. Sed juvabit ejus tunc ſeriò cogitare de tot ſervis & ancillis Dei, qui in Religionibus & extra, tunc vigilant & perſeverant in conſpectu Dei uberrimas lachrymas fundentes, imò fortaſſe etiam ſanguinem pro amore illius elicientes. Hac cogitatione vel incendantur ad devotionem, vel ſaltem ſi legitimè impediantur, cum illis intentionem conjungant & ſpiritum, & ſupplicent Patri ſpirituum, ut eos participes efficiat tot orationum & bonorum operum, ut poſſint dicere: *Particeps ego ſum timentium te Domine.* Juvabit quoque cubitum ituro, aliquam de Chriſto piam cogitationem animo figere, quæ claudat firmiter cordis oſtium pravis alienisve cogitationibus. Sic poterit imaginari lectum ſuum eſſe Crucem illius, & cervical Coronam ejus ſpineam, in qua cum ipſo oportet quieſcere. Et cum exuet veſtimenta, cogitet quanta Chriſtus cum ignominia, nunc veſtibus indutus fuerit, nunc exutus. Meminerit veſtis innocentiæ, qua tam infœliciter exuti ſumus, & reſpiret ad illam. Meminerit domi-

by Google

deique tot ciliciorum, in quibus obdormiunt toc viri pii, in frigore & nuditate, cùm ipſe molliter & veſtiri & decumbere cupiat. Cùm noctu excitatur, mentem in Deum ſtatim elevet, & verſum *Gloria Patri, &c.* aut ſimilem recitet, Si horologii ſonum audit, meminerit Deo omnium horarum reddendam rationem: Recordetur mortis ſuæ, ſimiliter & illius, qua Deus pro nobis mori dignatus eſt, & legat verba, quæ quidam ſanctiſſimus Pater docet: *Benedicta ſit hora, in qua Dominus meus Ieſus Chriſtus pro me natus & mortuus eſt.* Omnes hæ piæ cogitationes & jaculatoriæ preces, quaſi pium ſemen ſunt, quod veſpere & nocte ſerere in corde juvat: quia & manè ejus ſementis in corde tuo fructum poteſ reperire, & multum munient contra ſtygias tenebras, & phantaſmata impudica, quæ maximè tunc dæmon in corde ſerere conatur: Ita ut Div. S. Hieron. Hieron. dixerit, in ſanctum Davidis lectulum, quem lachrymis per noctes ſingulas rigare ſolet, diabolum cum omni voluptatum ſuarum pompa acceſſum non habuiſſe. Huic ergò ſanctis his cogitationibus obviandum. Et ſicut is, qui veſperi carbones cineribus tegit, tantò faciliùs manè cum ſurgit, poteſt focum ſtruere, & rogum accendere; ita qui cum pia conſideratione veſperi cubitum vadit, manè ignem faciliùs reperiet, & fervorem in ſe accendet: *Reliquiæ* Pſ. 57. 11. *cogitationis* nocturnæ *diem feſtum agent Domino.*

Ex Hiſt. Dominican. Platus l. 3. c. 38.

Nobilis quidam Rolandus, poſtquam totum diem epulis, luſibus, choreisque traduxiſſet, veſpertino tempore ad cubile ſuum, & ſimul ad cubile cordis ingreſſus, cogitare cœpit: *Ubi nunc feſtum quod egimus? ubi dies lætitiæ? ubi cætera? Nimirum ut hic dies, ſic reliqua omnis vita tranſvolat, nihil poſt ſe relicturа, niſi æternum pœnitere.* Fixit hoc profundè cordi, & illâ nocte cogitationem ad annos æternos volvebat. Sequenti ergò die ita commotus eſt, ut Ordinem S. Dominici ingreſſus ſit, ſanctiorem vitam adorſurus.

Hübert. tr. 7. de timore. Plat. loc. citat.

Alius quidam Adoleſcens Bononiæ vitam agebat deliciis omnibus diffluentem, nec ſibi patiebatur verbum fieri, de vita alia ineunda. Adit eum quidam Religioſus Ordinis S. Dominici, & multa familiariter locutus aliis de rebus; tandem egrediens, hoc unicum verbum monuit: *Cogita ſub noctem lectum ingreſſus, illud Prophetæ: Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Fecit ille, & hoc ita animo ejus inſedit, ut rebus omnibus abdicatis, arctæ Religionis viæ ſeſe mancipârit. Vides ergò in his & ſimilibus exemplis, quomodò reliquiæ cogitationis nocturnæ, diem feſtum agunt Domino.

LECTIO IV.

DE ORATIONE PUBLICA IN CALAMITATE generali faciendа.

1. *Docet, Recurrendum ad Orationem in afflictionibus publicis.*
2. *Tria Dei flagella Oratione avertenda.*

PROPOSITIO I.

Tempus calamitatis publicæ, tempus eſt Orationis.

RAtio eſt, quia illæ calamitates à Deo ſolent infligi ob peccata noſtra, ideòque convenit tunc ad eum recurrere per Orationem & cordis converſionem. Cùm Pater iratus filio intentat minas & verbera, opportunum remedium eſt, inter ejus brachia ſupplici corde recurrere; hoc enim affectum & viſcera paterna commovet ad indulgentiam, virgam caſtigantem ſuſpendit, removetque. Sic cùm Deus nos percutit, affectum paternum non deſerit, quin potius optat ulnis nos bonitatis ſuæ complecti, ſi ad eum recurramus corde humili; coactus enim quodammodò peccatis noſtris iraſcitur, & pœnas infligit. Undè proteſtatur per Prophetam, ſe non ex odio facere: *Indignatio*, inquit, *non eſt mihi.* Deindè cunctatur (ſicut pater qui filium peccantem debet percutere, ſed cupit parcere) & dicit: *An gradiar ſuper vineam meam? Succendam eam pariter? Aut potius tenebit fortitudinem meam: faciet pacem, pacem faciet mihi.* Cogitur ergò civitates, populos, provincias, regna, ob ſcelera punire: Imò tanquàm vineæ infructuoſæ, loco bonorum fructuum vepres & ſpinas producentes, merentur exſcindi radicitus. Sed optat Deus mediatores aliquos intercedere, qui ejus manus vindices impediant, & inſtar Moyſis velut ligent, aut inſtar Jacob cum illo precibus ſuis colluctentur & fortitudinem ejus teneant, pacemque concilient, hoc utique Scriptura illa indicat.

Simile.

Iſa. 27. 4.

Sic Dominus apud Ezechielem, multa comminatur domui Iſraël ob ſcelera: *Fili hominis*, inquit, *verſa eſt mihi domus Iſrael in ſcoriam, omnes iſti, æs & ſtannum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis, ſcoria argenti facti ſunt. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Eo quòd verſi eſtis omnes in ſcoriam, congregabo vos in medio Ieruſalem, congregatione argenti, & æris, & ſtanni, & ferri, & plumbi, in medio fornacis; ut ſuccendam in ea ignem, congregabo & ſuccendam vos in igne furoris mei; ut conflatur argentum in medio fornacis, ſic eritis in medio ejus & ſcietis, quia ego Dominus, cùm effuderim indignationem meam ſuper vos.* Hæc utique gravis comminatio eſt, quia gravia ſcelera regnabant in populo ſuo, in omni ſtatu, quæ divinam poſcebant vindictam. Undè inter cætera allegat: *Patrem & matrem contumeliis affecerunt in te: Advenam calumniati ſunt in medio tui: Pupillum & viduam contriſtaverunt apud te: Sanctuaria mea ſprevisti, & Sabbata mea polluiſti: Viri detractatores fuerunt in te: Et unuſquiſque in uxorem proximi ſui operatus eſt abominationem: Uſuram & ſuperabundantiam acceſiſti, & avarè proximos calumniabaris, & mei oblita es, dicit Dominus.* Hæc ergò ſcelera & plura quæ ibidem enarrat, cauſa fuêre tantæ indignationis Dei: Et tamen cupiens Deus, ut aliquis ſeſe huic furori lachrymis precibusque opponeret,

Ezc. 22. 18

Ibid. v. 7.

Digitized by Google

velut invitus puniens, subdit: *Et quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inveni.* Et effudi super eos indignationem meam, in igne iræ consumpsi eos. Ib. v. 30.

Nos itaque non miremur, Deum nunc varias provincias plagis multis affligere, sterilitate, morbis, bellorum ærumnis aliisque calamitatibus atterere; quandoquidem eadem scelera, propter quæ indignationem suam in domum Israel effundere se minatur, impunè grassantur etiam in populis Christianis, ita ut possimus cum Osee dicere: *Audite filii Israel verbum Domini, quia judicium Domino cum habitatoribus terræ: non est enim veritas, & non est misericordia, non est scientia Dei in terra. Maledictum & mendacium & homicidium & furtum & adulterium inundaverunt & sanguis sanguinem tetigit: Propter hoc lugebit terra, & qui habitat in ea.* Osee 4. 1.

Cyprian. lib. 2. ep. 2.

D. Cyprianus, volens amicum quendam ad contemptum mundi inducere, considerat se in montem excelsum cum eo conscendere, ex quo posset ei ostendere, sicut Satan Domino, omnia regna mundi. Ex illo ergò loco, tanquàm ex sublimi specula, hos igne, illos fluctibus, alios cruento gladio interire considerat. Alios flentes circumspicit, alios ærumnarum insensibiles in mediis sceleribus ridentes, & quosdam in bonis ducentes dies suos, in puncto ad inferna descendere.

O utinam in talem speculam possimus conscendere, ex qua peccata in variis mundi Regionibus inundantia, possemus conspicere! Sed cum re ipsa id fieri à nobis nequeat, mente & spiritus contemplatione id fieri, quid impedit? Ascendite ergò mecum, & perspicaces oculos mentis undique conjicite.

Primò Regum aulas inspice & Principum palatia. Quanta ibi vanitas & superbia, ambitio & invidia, hypocrisis & adulatio? Perversa ibi consilia, conspirationes, aliaque aulicorum vitia dominantur, ita ut ab aliquibus aula rectè vocetur *Universitas iniquitatis.* Quia iniquitas ibi non solùm sedet, sed & docet.

Secundò, inspice Judicum tribunalia. Quanta ibi juris legumque perversio? Oppressio pauperum, calumniæ, falsa testimonia, perjuria ibi regnant, ibi justitia excæcatur donis; & quæ deberet esse integra tanquam virgo, ab ipsismet corrumpitur, quibus tradita est custodienda; ita ut de his temporibus, verum sit illud Sapientis: *Vidi sub sole in loco judicii impietatem, & in loco justitiæ iniquitatem.* Eccl. 3. 16.

Tertiò, intuospice Mercatorum officinas, & videbis, quanta ibi regnet avaritia, & fallitas, usuræ fraudes in ponderibus & mensuris; mendacia cum juramentis ibi nimis frequentia sunt, & parvi æstimantur.

Quartò inspice vel publica Urbium loca, particulares domos, & numera si potes, maledicta, blasphemias, juramenta, ebrietates, fornicationes, adulteria, dissolutiones juventutis, & nefandas impudicitias, de quibus passim etiam homines gloriantur, qui *peccatum suum quasi Sodoma* audent prædicare, & lætari cum malefecerint: *Bibunt quasi aquam iniquitatem.* Isa. 3. 9. Job. 15. 16

Postremò Dei Ecclesiam ingredere, & vide quot in statu Ecclesiastico, in statu Sacerdotali, immò etiam Religioso, crimina dominentur. Quanta dissolutio & libertas in Clero & in plerisque Monasteriis: Ingluvies, avaritiæque sordes, fœtor luxuriæ, pestis invidiæ, in illis dominantur, qui sanctitatis statum adepti sunt. Quàm frequenter tractatur Filius Dei conscientiâ maculatâ, manibusque sacrilegis, à Sacerdotibus in Altari? Si posses cum Propheta *fodere parietem*, quàm multam reperires abominationem, sub privatis multorum tectis? Eze. 8. 8.

Iterùm ego repeto, non tam mirari nos debere calamitates, quibus involvimur, quàm peccata nostra, quæ longè ampliora flagella merentur; ideoque lachrymis & precibus faciem Domini prævenire tunc opportunum est, & mediatores ac intercessores ad iram Domini placandam adhibere. Quia nisi Sanctorum, tum viventium, tum cum Christo regnantium, orationes intervenissent, multos sæpius populos ira Dei absorbuisset.

Patet id per illam visionem factam D. Dominico, cui apparuit Christus, tres vibrans lanceas, quibus orbi perniciem minabatur, nisi occurrisset B. Virgo præsentans Dominicum & Franciscum, quorum opera, meritis & intercessione, peccatores ad Deum converterentur. Platus l. 1. de statu Rel. c. 34.

Imminente quoque peste sævissimâ Albigensium hæreticorum, apparuit B. Lutgardi Virgo Deipara, vultu lugubri & obscuro. Inquirit verò Lutgardis compassione mota, undè talis pallor & squallor, in illa quæ plena gratia nominatur? Respondet ei: *Ecce ab hæreticis & falsis Christianis iterum conspuitur & crucifigitur filius meus. Quid ergò mireris lugubrem vultum meum? Verumtamen tu assume lamentum, & continuis septem annis jejuna, ut sopiatur ira filii mei, toto imminens orbi.* Peregit ergò ipsa jejunium toto septennio, in solo pane & cerevisia. Cum verò aliquandò superiorum voluntate coacta, tentaret aliquid pulmenti ore haurire, nunquam potuit (quasi quodam miraculo) quicquam vel minimum deglutire. Electa erat specialiter, ut pro peccatoribus oraret. Quare expleto septennio, iterum aliud jejunium suscipere mandatum est ei per revelationem. Unde & alios septem annos solo pane & olere transegit. Rapta autem vidit Jesum, quasi recentibus vulneribus affixum, & pro peccatoribus deprecari. Deindè vertebat se ad ipsam, & dicebat: *Cernis, ut me totum offero Patri pro peccatoribus? Ita volo, ut totam te offeras pro illis, & transacensam averteris.* Lamentis ergò diuturnis, propter illos adeò se afflixit, ut facie quotidiè rigata, velut fontem lachrymarum deduceret. Apparuit Surius to. Junii in ejus vita.

verò

verò ei Christus annis quinque ante mortem, gratulans quòd misericordiam tam diu fideliter egisset, & illa manu quam pro peccatoribus in crucem extenderat, lachrymas in facie ejus tersit, dicens: *Volo te ab his lamentis jam absolvi, nec deinceps luctu confici, sed placido cordis fervore in oratione persistere.*

In Sodoma quoque, quantum valuissent paucorum justorum merita & preces, pro avertenda illa funesta clade, ipse Dominus ostendit in colloquio illo cum Abrahamo. Ubi ad singulas petitiones, Abraham rogantem pro impiis exaudit, dum dicit: *Parcam civitatibus illis, si invenero quinquaginta justos: Non delebo si invenero quadraginta quinque: Non percutiam propter quadraginta: Remittam si invenero triginta, Non interficiam propter viginti: Non delebo propter decem.* Fortis erat Abraham vera fortitudine, qui fortissimum Dominum tenebat, inquit Robertus in illum locum. Non fuit verò ausus ultra decem descendere Abraham, quia dixerat se non amplius locuturum, & justo Dei judicio conformare se voluit Vir justus.

Gen.18.26.

Rupertus ad hunc locum.

Mysticè verò Eucherius id interpretans, ait: *Usque ad decem non perire Sodomam Dominus dixit: & innuit, quòd si in quolibet per præceptorum custodiam Christi nomen inveniatur, iste non perit: denarii enim numeri figura Crucem Christi significat, quia litera X. qua denarius exprimitur, in figura Crucis formatur.* Ita ille.

Eucher.

Sed quærit ulterius D. Augustinus: Utrum quod dicit Dominus de Sodomis, non velle eam perdere propter decem, specialiter dictum sit, an etiam de quocunque loco in quo fuerint decem justi? Respondet, id non esse necessarium, sed de Sodomis id potuisse dici, tum quia sciebat non esse ibi decem, tum quia volebat Abrahæ ostendere quàm effusa foret in omnes iniquitas illa Sodomorum quamque justè eam puniret.

August. in Hen.

Sed & propter unum aliquando parcit Deus: *Circuite*, inquit, *Jerusalem, & aspicite, & quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium & quærentem fidem, & propitius ero ei.* Imò & aliis propter illum propitium se fore significat; quærit enim virum, qui se interponat, & sit mediator pro aliis. Sed quando non invenit inter viventes, adhuc parcit & miseretur ob defunctorum virtutem: *Protegam*, inquit, *civitatem hanc propter me, & propter David puerum meum.* Quasi dicat: Licet ipsi indigni sint, quia tamen solitus sum misericorditer agere; faciam id propter me, & propter merita David servi mei.

Jere.5.1.

4.Reg.19 34.

Veruntamen ejus aliquando justitia non parcit propter multos bonos. Sicut Samariæ non pepercit, licet superessent septem millia virorum, qui non curvaverant genua ante Baal. Aliquando multis non parcit propter unum. Propter peccatum David tot millia peste intereunt. Propter peccatum Saul fames tribus annis affligit populum. Dominus bonus est, justus est, sapiens & clemens, nostrum non est scrutari consilium Majestatis, sed in ipsum sperare, credere, bene operari, illumque benedicere.

3.Reg.18.

2.Reg.24

Scimus verò impleta aliquando mensura peccatorum, Deum sic decernere peccatorum punitionem, ut etiam Sanctorum orationes, Dei vindices, plagas non possint evertere. Hinc dicit ad Jeremiam: *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te.* Et ad Ezechielem: *Si quatuor judicia mea pessima, gladium & famem, & bestias malas, & pestilentiam immisero in Jerusalem. Et si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel & Job, non liberabunt filios neque filias.* Horum specialiter fit mentio, quia hi in medio nationis pravæ quasi luminaria fuere vitæ irreprehensibilis: Job in terra Hus gentili: Noe tempore diluvii hominum malitia inundante: Daniel in terra Babylonis inter Idololatras. Item, quia hi viri maximi meriti, olim pro aliis intercesserunt: Noe post diluvium, unde cum illo Dominus fecit pactum, de non immittendo ultra diluvio, posuitque arcum suum in nubibus, in signum fœderis. Daniel pro libertate captivorum in Babylone affligebat se, unde & Angelus ei apparuit, & finem indicavit: Job verò pro amicis suis intercessit, ad quem à Domino missi sunt, ut oraret pro illis.

1.Reg.15.

Jer.7.16.

Eze.14. 21.

De hac porrò peccatorum mensura sæpe mentio fit in Scriptura: *Nondum completa sunt iniquitates Amorrhæorum. Implete mensuram patrum vestrorum.* Hinc Propheta Zacharias vidit *mulierem sedentem in medio amphoræ*, sive *in medio mensuræ*, ut legunt LXX. & dictum est ei: *Hæc est impietas.* Illa ergo mensura significat peccata populi Israel in unum coacervata, quibus merebantur abjici. Vide Ribetam & Interpretes in illum locum.

Gen.15. 16. Matt. 23. 32. Zach.5.7. Ribera.

De hac re sic loquitur Origenes: *Sicut omnia in mensura fecit Deus, & pondere, & numero, Ita etiam patientiæ ejus certa mensura est, quàm mensuram credendum est impletam esse ab his, qui diluvio perierunt, qui in Sodoma cœlesti igne vastati sunt. Patienter ergo nunc fert Deus, expectans ad pœnitentiam, sed nos hoc non dissolvat, & tardos ad conversionem faciat, quia rursus patientiæ ejus certa mensura est.* Ita ille.

Origenes in c.2. ad Rom.

PROPOSITIO II.

Tria flagella Dei, Oratione avertendam sunt, quæ ob peccata solet in populos immittere, Pestilentia, Fames, Bellum.

TRia Dei flagella satis demonstrata sunt Davidi per Gad Prophetam 2.Reg.24 Vide textum. De illis quoque fit sæpe in Scriptura mentio. Specialiter verò miro prodigio Ezechiel Propheta jubetur à Domino illa populo Israelitico indicare, dum jubetur radere pilos omnes capitis & barbæ,

2.Reg.24

Ezech.5.1

Digitized by Google

& in tres partes dividere, illoſque in ſtatera ponderare. Tertiam, inquit, partem combures in medio civitatis. Tertiam partem concides gladio : Tertiam diſperges in ventum. Quo quidem portento ſignificabat partem plebis peſte, partem gladio, partem fame & captivitate affligendam & vastandam. Id verò fieri ob peccata eorum, manifeſtè declarat, dicens : *Iſta eſt Ieruſalem, in medio Gentium poſui eam : Et contempſit judicia mea, ut plus eſſet impia quàm Gentes, & præcepta mea ultra quàm terræ quæ in circuitu ejus ſunt.* Nempè, ſicut fulmina & tonitrua quæ terram devaſtant, ex ipſa oriuntur terra, oriuntur enim ex vaporibus & exhalationibus quæ de terra aſcendunt, & in locis ſuperioribus coarctantur, tandemque erumpunt, & inferiora devaſtant : Ita peccata noſtra ſunt terri vapores, aſcendentes ex pravo corde noſtro, quaſi exuligino ſa terra, ex illisque tandem ira, furor, & ſupplicia ac fulmina divina prodeunt, in caput noſtrum erumpentia.

Ezc. 5. 5.

Simile.

Patet id in tot plagis jam ab initio ſæculi in peccatorum vindictam immiſſis, in diluvio, in Sodomis, in tot Ægypti percuſſionibus. Ita ut rectè dixerit Eccleſiaſticus : *Mors, ſanguis, contentio & rhomphæa, oppreſſiones, fames & contritio & flagella, ſuper iniquos creata ſunt hæc omnia, & propter illos factus eſt Cataclyſmus.* Sed & hæc omnia flagella ſpecialiter comminatur Deus populo ſuo Deuteronom. 28. dum dicit : *Si nolueris audire vocem Dei tui,* ut cuſtodias mandata ejus, *venient ſuper te omnes maledictiones iſtæ : Maledictus eris in civitate, maledictus in agro, maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum, & greges ovium tuarum : Adjungat tibi Dominus peſtilentiam, donec conſumat te : Percutiat te egeſtate, febri & frigore, ardore & æſtu, & aere corrupto ac rubigine : Sit cælum, quod ſupra te eſt, æneum ; & terra, quam calcas, ferrea. Tradat te Dominus corruentem ante hoſtes tuos, per unam viam egrediaris contra eos, & per ſeptem fugias & diſpergaris per omnia regna.* Vide ibi, & conſidera cætera in textu.

Eccl. 40.

Deut. 28. 15.

Sed dices ſi propter peccata & contemptum mandatorum Dei hæc infliguntur, cur bonos etiam ſæpe involvunt ? Cur & mali ab illis ſæpius exempti cernuntur.

Cur bonos etiâ involvat calamitas : mali ab illa exempti interdum.

Hanc certè querelam frequenter etiam Viri ſancti & Prophetæ movetunt ; unde Job dicit : *Quare impii vivunt, ſublevati ſunt & confortati divitiis : Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba & nepotum in conſpectu eorum, domus eorum ſecura ſunt & pacata. & non eſt virga Dei ſuper illos :* Similiter & Jeremias : *Juſtus es Domine, ſi diſputem tecum, verumtamen juſta loquar ad te : Quare via impiorum proſperatur : bene eſt omnibus qui prævaricantur : Plantaſti eos & radicem miſerunt, proficiunt & faciunt fructum : Prope tu es ori eorum, & longè à renibus eorum ?* Abacuc cap. 1. & David Pſ. 72. idem conqueruntur multis Propoſitionibus & Sententiis.

Job. 21. 7.

Jer. 12. 1.

Sed reſpondendum, ideo Deum aliquando impios & peccatores plagis temporalibus non affligere, quia deſtinati ſunt ob ſcelera ſua ad pœnas æternas, ubi gravius plectendi ſunt, ubi juxta menſuram delicti erit & plagarum modus, ubi eos jam corripiet, non tanquam Pater, ſed tanquam Judex in furore ſuo. Tunc verum erit illud : *Plaga inimici percuſſi te caſtigatione crudeli. Quid clamas ſuper contritione tua ? Inſanabilis eſt dolor tuus propter dura peccata tua, feci hæc tibi.* Peccator in tormentis illis fruſtra clamabit, quia cruciatus erit æternus, dolorque non habebit remedium. Duriſſima peccata tua, ô homo impœnitens & inflexibile cor tuum ; Deum fecere tibi duriſſimum & inflexibilem : tanquam hoſtis juratus implacabilis tunc erit, & crudeli plaga æternum te affliget. In hoc verò tempore tanquam amicus plagis corrigit, tanquam filios virgis arguit. Qui ergò licet peccantes, ejus percutientem virgam aliquando percipiunt, ſignum eſt quod filii non ſint, ſed tanquam adulterini negliguntur à Deo, & rejiciuntur, inquit Apoſtolus, Magna ira quando peccatoribus non iraſcitur Deus. *Et auferetur,* inquit, *manus à te, & quieſcam, ne iraſcar amplius.*

Jer. 30. 14

Heb. 12. 8.

Ezech. 16.

Reſpondendum ſecundò, non omnia impiorum opera eſſe mala, ſed eos aliquando opera moraliter bona exercere. Deus verò nullum bonum irremuneratum relinquit, & ideo aliquibus eos temporalibus benedictionibus, aut temporali fœlicitate gaudere permittit in hoc ſæculo, qui ob peccata ſua carituri ſunt æterna fœlicitate in altero.

In figura hujus rei Abraham filiis concubinarum, & Iſmaeli filio ejectitio dedit munera aliqua aurum, argentum, aut bona aliqua mobilia, ſed Iſaac filio dedit hæreditatem & immobilia bona. Sic dicit Auguſtinus de Romanis, qui opera moralium virtutum exercebant, licet infideles & impii ; non reliquiſſe Deum illa opera irremunerata, ſed quibus non erat daturus, inquit, vitam æternam cum ſanctis Angelis, terrenam eis gloriam excellentiſſimi imperii conceſſit.

Gen. 25. 6

Aug. l. de Civ. Dei.

Reſpondetur tertiò, quantùm ad bonos, eos etiam involvi plagis à Deo immiſſis : quia ferè ſemper etiam in eis aliquid purgandum reperitur levioris delicti, aut præteritorum peccatorum, quæ omnia purgantur per afflictiones temporales, eorumque patientia & virtus ac conſtantia per flagella probatur : & utiliter eis iraſcitur Deus in præſenti, ne iraſci cogatur in futuro, aut eos tunc punire : *Cum iratus fuerit, miſericordiæ recordaberis.* Quia iratus in præſenti Deus, miſericordiæ recordabitur in futuro. *Non enim in perpetuum iraſcetur, neque in æternum comminabitur*, inquit Pſalmiſta.

Abac. 3. 2.

Pſ. 102. 9.

Qui ergo iram futuram cavere voluerit, lubens amplectatur caſtigationem Domini in præſenti. In hujus rei ſymbolum interpretari poſſumus viſionem illam Jeremiæ, de qua Capite primo : *Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens : Quid tu vides*

Jer. 1. 11.

Digitized by Google

vides Ieremia? Et dixi: virgam vigilantem ego video. Et factum eſt verbum Domini ſecundò ad me. *Quid tu vides? Et dixi: Ollam ſuccenſam ego video, & faciem ejus à facie Aquilonis.*

Virga vigilans ſive minans & parata percutere, jamque ſeſe librans, ſignificat ultionem Dei, vigilantem ad peccatorum noſtrorum correptionem & correctionem; hæcque à meridie & ſinu divinæ miſericordiæ provenit, & ab ejus paterno affectu.

Olla ſuccenſa ſignificat ultionem Dei per pœnas alterius ſæculi: unde & venire dicitur ab Aquilone; Aquilo autem mortis ſymbolum eſt, diræque vindictæ, & partem reproborum ſignificat, unde Lucifer dicebat: *Sedebo in lateribus Aquilonis.*

Sic etiam Antiqui dixerunt Deum habere duo tribunalia: unum clementiæ & fœlicitatis in Meridie, alterum ſeveritatis & vindictæ in Aquilone, & inde dejectus eſt Lucifer, qui dixerat *ſedebo in lateribus Aquilonis.* Significatur ergò per hanc viſionem, Deum pœnitentibus hic exhibere virgam correctionis, reprobis autem illam rejicientibus, reſervare ollam gehennæ & furoris. Iſa.14.15.

LECTIO V.

DE ORATIONE PRO PESTE.

1. *Docet Deum ob peccata peſtilentiam immittere.*
2. *Docet precibus publicis illam avertendam.*

PROPOSITIO I.

1. *Flagellum à Deo ob peccata immiſſum eſt peſtis.*

Primum flagellum, quod ſolet Deus ob peccata immittere, eſt peſtilentia.

PEr hanc peſtem ſolitus eſt vitia peſſima & peſtilentiſſima, quæ in populis in animarum perniciem graſſantur punire. Luxuriam enim, hæreſim, & ambitionem, & ſuperbiam, intemperantiam, ſimileſque contagioſos mores, undique in plebe ſerpentes ſolet Deus corporum aeriſque infectione ulciſci.

Sic punire ſolet Deus 1. *Luxuriam* Gen.19. Sic cùm Deus Sodomorum fœtidiſſimam luxuriem igne ſulphureo & fœtidiſſimo puniviſſet, in hujus rei memoriam & criminis illius deteſtationem, Regionem illam quæ fœcunda erat & irrigua quaſi Paradiſus Dei, tanta aeris mariſque corruptione infecit; ut nec ab hominibus, nec ab animalibus habitabilis ſit: Ibi nec mare piſces, aut alia vitam habentia producit, ideòmortuum nominatur: Nec terra fructus, niſi quædam poma, quæ ubi manu attinguntur, in cinerem reſolvuntur. Ideò de illa Regione D. Hieron. interpretatur illud Job: *Semitam ignoravit avis, nec intuitus eſt eam oculus vulturis, non calcaverunt filii inſtitorum.* Tantus enim fœtor ibi remanſit, ut aves & mercatores eam fugerent. Et ita voluit fieri Deus, in ſignum fœtoris eorum, de quo dicitur; *Fœtor eorum venit contra me:* Sic enim aliqui legunt, loco illius quod noſtra lectio habet: *Clamor Sodomorum venit coram me.* Hieron. in Job.28. Gen.18.20.

2. *Superbiam.* Superbiam quoque hac plaga ulciſci Deum, patet in Davide, qui jubens populum ſuum numerari, & in multitudine exercitus & plebis ſibi ſubjectæ glorians, cauſam dedit peſtiferæ luis, quæ paucis horis ſeptuaginta millia virorum internecioni dedit, ut ſic ſuperbiens Rex, populi ſui diminutione puniretur, & culpam ſuam agnoſceret. 2.Reg.24

Superbiam quoque Sennacherib in fortitudine exercitus ſui gloriantis, & Deum Iſrael blaſphemantis, retundere voluit Deus, percuſſis per Angelum Domini una nocte centum octogintaquinque millibus. Quos quidem peſte interiiſſe exiſtimant aliqui interpretes. Non enim ſignificat Scriptura, quo genere mortis perierint, ſed tantum dicit: Venit Angelus Domini illa nocte, *& percuſſit in Caſtris Aſſyriorum centum octogintaquinque millia*: Quo ferè modo dicit extendiſſe Angelum Domini manum ſuper Jeruſalem, & percuſſiſſe populum tempore Davidis. Potuit ergò una nocte aer ita infici, ut tot millia perirent, ita ut de illis verum fuerit: *Vidi eos qui ſeminant dolores, & metunt eos, flante Deo periiſſe, & ſpiritu iræ ejus conſumptos* q. d. Non eget Deus exercitu, non gladio, non haſta, ut peccatores interimat, ſed ſolo flatu interficit: Quaſi ſi homo iratus ſolùm reſpirans per os vel nares, hoſtem ſuum proſterneret. *Quieſcite ergò*, inquit Iſaias *ab homine cujus ſpiritus in naribus ejus, quia excelſus reputatus eſt ipſe.* Cavete iram Dei & Chriſti hominis in vos concitare, qui potens eſt ſola reſpiratione, vos in æternas pœnas devolvere. Iſa.37.36. Job.4.9. Iſaiæ 2.22.

3. *Hæreſim ac ſacrorum neglectum.* Ob hæreſim etiam, & rerum ſacrarum injuriam, ac indignam tractationem, ſolet Deus tabidam luem Provinciis ac Urbibus in vindictam immittere. Sic Philiſtæos percuſſit morbo fœtido & contagioſo, ob Arcam Domini indignè tractatam. De quo Scriptura dicit: *Fiebat pavor mortis in ſingulis urbibus & percutiebantur in ſecretiori parte narium, & aſcendebat ululatus uniuſcujuſque civitatis in Cœlum.* Hæc contagio ſpecies quædam erat dyſenteriæ, & inteſtinorum, partiumque ſecretiorum exulceratio, cum fluxu ſanguinis inſtar Hæmorrhoidum. Similem ferè luem anno præterito per Provinciam Leodienſem & vicinas vidimus graſſari, ita ut pluribus locis fuerit confuſio mortis magnæ, tam in civitatibus quàm locis ruralibus, peſtilente quadam dyſenteria ubique ſerpente, & populos diſcerpente. 1.Reg.5.12. An.1624.

De hæreſi verò ſpecialiter peſte punita, exemplum habemus tempore impii Conſtantini Copronymi. Hic cum adverſus ſanctas Eccleſias & ſactas imagines multa inſania inſurrexiſſet, earum cultum abolere conatus, vidit regiam ſuam urbem Conſtantinopolim, miro peſtilentiæ flagello à Deo perculſam, licet ipſe ut Pharao quondam incorrectus permanſerit. Cœperunt ergo fieri ſubitò tam in hominum indumentis, quam in ſacris Baron. 10.9. an. 746. ex Theophane, alijs.

Digitized by Google

Eccleſiarum ornamentis,& in velis, cruciculæ plurimæ veluti ex oleo deſignatæ. Facta eſt verò inde triſtitia & defectio animi multa, propter dubium ejuſmodi ſignum: multi etiam quaſi in extaſi, conſpiciebant circa ſe viros quoſdam velut peregrinos,cum cruci facie,qui domos ingreſſi, alios quidem ex domo deferebant, alios autem vulnerabant. Et hæc quidem multorum phantaſiis occurrebant, ſed & reipſa quæ viderant, fieri inveniebantur, ita ut non eſſent domus, quæ non haberent mortuos ſepeliendos. Et ita repleta ſunt univerſa; tam urbana,quam ſuburbana monumenta, & cifternæ & lacus & plurimæ vineæ, & horti ad ſepulturam effoſſi & vix capere poterant ſepeliendos omni domo calamitate repleta, propter depoſitionem quæ impiè facta erat ſacrarum imaginum ab Imperatoribus.

PROPOSITIO II.

Hoc flagellum ſacrificiis precibuſque avertendum eſt.

Sacrificiis & Oratione hoc flagellum avertendū.

HOc etiam Ethnici agnoverunt. Ita Oecumenius interpretans Aram illam *Ignoto Deo* conſecratam,quam Athenis Apoſtolus repererat, refert Athenienſes graviſſima peſtilentia afflictos Sacrificiis ſolemnibus omnibus Diis ſuis oblatis, voluiſſe eos placare. At cum hæc nihilominus mortalitas non ceſſaret,conſuluiſſe oracula,& reſponſum accepiſſe, plagam hanc ab Ignoto Deo cui divinos deferre honores hactenus neglexiſſent,immiſſam eſſe. Itaque ſtatim novam erexerunt aram cum his aureis litteris,*ignoto Deo*,ceſſavitque peſtilens tabes. Ex hac verò occaſione inſcriptionis,Chriſtum eis Apoſtolus evangelizavit. Ita aliqui Interpretes cum Oecumenio.

Oecumenius in c. 17. Actorum

1. Sacrificia.

1.Reg.6.8 Sed & ipſi Philiſtæi exitiali illo morbo, de quo diximus,percuſſi, tandem agnoverunt à Deo Iſrael hanc ultionem procedere, eumque placandum eſſe: ideoque remiſerunt aream cum honore,pro delicto reddentes vaſa & dona aurea, juxta numerum Provinciarum Philiſtinorum,ſic dantes Deo Iſrael gloriam,ut revelaret manum à Diis ſuis & terra ſua, ut loquitur Scriptura.

Budæus ex Suida. Conſtat quoque ex antiquis Scriptoribus, Gentiles ſolitos fuiſſe tempore publicæ talis calamitatis, immolare homines quaſi piaculares victimas, ad communem luem ſedandam & numen placandum. Sic Servius refert,quod cum Maſſilienſes peſte laborarent,unus è pauperibus ſe offerebat alendum anno integro,publicis & purioribus cibis,poſtea verbenis veſtibuſque ſacris ornatus, circumducebatur per urbem cum imprecationibus, ut in eum incideretur omnia mala civitatis, ſicque mactabatur, vel aquis immergebatur,& Neptuno ſacrificabatur,quaſi hoſtia pro ſalute. Et inclamabant omnes: *Eſto piaculum noſtrum, eſto victima noſtra,pascat a noſtra in te ſpes.*

Nos verò exitialium morborum æruminis concuſſi, humiliemur ſub potenti manu Dei nos percutientis,Non ignotus ille nobis eſt, ſed ſub noſtræ mortalitatis veſte apparere nobis voluit, & nobiſcum converſari, ut mortis noſtræ vincula diſrumperet, & quoties mortis pavore concutimur, ad ejus pias manus confugiamus. Illi in templo interiori mentis noſtræ aras erigamus, in quibus ipſi cor contritum & humiliatum immolemus, hancque victimam ei gratam,lachrymis conſperſam, offeramus: hoc eſt ſacrificium quod pro peccato ei debemus: hæc eſt hoſtia placationis quam à ſe rejicere non poteſt: hæc vindicem ejus manum à nobis removere potens eſt: *Cor contritum & humiliatum non deſpicies.* Pſ.50.19. *Poſuiſti lachrymas meas in conſpectu tuo.* Pſ.55.9.

Sacrificium quoque pretioſum Corporis & Sanguinis Chriſti Domini tunc oblatum, Patris iram ultricem avertit. Ibi ipſe Chriſtus & ſacrificium & Sacerdos eſt: Aaron verus ipſe eſt *ſtans inter mortuos & viventes*,ut plagam deſævientem, incenſi odore compeſcat. Imò ſi Gentiles tunc habebant piaculares victimas,& nos quoque. Ipſe enim Chriſtus piacularis noſtra victima eſt,quam Patri æterno nos percutienti, quotidie vovemus pro delictis noſtris,pro ſalute noſtra. In illum ergo transferamus per cordis converſionem & compunctionem, omnia peccata noſtra; & illi inclamemus, dum affligimur: *Eſto piaculum noſtrum,eſto victima ſalutis,in te ſint peccata noſtra, & ſanguis tuus illa eluat, ac gratum nobis placet Deum.* Si Rex David, ubi vidit afflictionem populi, Angelo percutiente, recurrit ad Sacrificium,erigens altare Domino, & offerens in loco ubi viderat Angelum, holocauſtum veſpertinum & ceſſavit plaga,& propitiatus eſt Dominus terræ: Multò majoris valoris eſt holocauſtum, quod Patri obtulit Chriſtus in Cruce, ut propitius foret omni terræ. Hoc ergo idem holocauſtum offerimus illi,ad placandam ejus iram, dum flagellis ſuis nos cædit.

Num. 16. 48.

2. Sanctorum invocatione.

Sed & Sanctos quærere mediatores opportunum eſt,& Deo in honorem eorum aras erigere,dum calamitates iſtæ graſſantur: Hoc ſibi acceptum multoties indicavit Deus.

Anno 680. peſtis ingens vaſtavit Romam & Italiam, ita ut viſibiliter tunc multis apparuerit bonus & malus Angelus,noctu per civitatem pergens, & ex juſſu boni Angeli malus Angelus quoties inſtrumento quod manu ferre videbatur, oſtium cujuscumque domus percuſſiſſet, tot de eadem domo die ſequenti homines interirent. Tunc cuidam revelatum fuit, peſtem illam non prius ceſſaturam, quam in Baſilica quæ B. Petri ad vincula dicitur, S. Sebaſtiani Martyris altare erigeretur. Factumque eſt, ut delatis ad Romanam Urbem Martyris Reliquiis & altari erecto, peſtis ſtatim quieverit.

Paulus Diac. apud Baron. to. 8. an. 680. nu. 51.

Surius & Ribad. in vita S. Rochi.

Illis verò Sanctis ſpecialem dedit Deus virtutem intercedendi pro populo hac peſtilentia graſſante, qui eam in ſeipſis patienter experti ſunt & tole-

Digitized by Google

tolerârunt. Hinc S. Rochum invocamus, quia ipse illam in corpore suo pertulit; quam in aliis signo Crucis frequenter sanârat, & cum illâ perculsus foret, ab hominibus desertus, per canem cibum ei quotidiè afferentem, & per Angelum fuit consolatus. Traditurque, in carcere monenti Angelum tabulam attulisse, in qua scriptum erat: *Ad Rochi patrocinium confugientes truculentam pestem evasuros significo.* Quæ Tabella posit mortem ad latus ejus est reperta. Undè & in Concilio Constantiensi, cùm pestis validè grassaretur, ejus imago solemniter in Processione delata est, approbantibus Concilii Patribus. Et mox auxilium sensit Civitas Constantiensis.

V. Molanum de Sanctis Belgii.

Solemus etiam contra pestilentiam invocare S. Macarium, quondam Antiochenum Patriarcham. Hic resignatâ suâ sede, cum quatuor discipulis terram sanctam peragravit, & postea per Germaniam superiorem in Belgium venit, & Gandavi in Monasterium S. Bavonis receptus, multis miraculis floruit. Nam levis ejus attactus, ad depellendos morbos fuit efficax, imo & sola ejus benedictio. Postquàm autem annum unum plus minus, eo loci egisset, gravis Gandavensem in populum pestilentia sæviebat. Contra quam indictum est triduanum jejunium hominibus & pecoribus: cumque pius Macarius multum ardenterque pro populo oraret, commune periculum cum aliis incurrit, fore prædicens, ut post suum interitum nemo hoc pestifero incendio moreretur: Quod factum est. Nam à morte ejus liberata est Civitas, ita ut ipse videatur fuisse quasi piacularis quædam victima, suscipiens in se peccata populi, & se offerens morti, ut illa expiaret, iramque divinam averteret.

LECTIO VI.

DE ORATIONE PRO BELLO.

1. *Docet bellum flagellum esse gravissimum.*
2. *Flagellum istud oratione depellendum.*
3. *Ostendit efficaciam Orationis contra hostes.*

PROPOSITIO I.

Secundum Flagellum, quo utitur Deus ad scelerum vindictam est bellum, flagellum gravissimum, & maximè formidandum.

I. *Flagellum ad scelerũ vindictam est Bellum.* 1. *Gravissimum est flagellum ob clades temporales.*

PRimò, quia innumeras parit ærumnas, fabricat & connectit catenam longam miseriarum, quâ populos crudeliter involvit. Et ordinariè cætera secum trahit flagella, quia morbi varii, fœtidi, & contagiosi, per exercitus in Provincias invehuntur, ut experientiâ notum est: diurnum bellum, paupertas, egestas, fames, quasi pedissequæ, consequuntur. Sed & anxia tunc est & ærumnosa populorum vita, periculis obnoxia sine ulla tranquillitate, qui etiam mors sæpius foret præferenda. Etenim nihil pace gratius aut jucundius, quando *unusquisque* sedens *sub ficu & sub vite suâ*, panem suum in tranquillitate comedit, & cum securitate *manducat labores manuum suarum*: Habens filios suos, *sicut novellas olivarum in circuitu mensæ suæ*, & uxorem quietam & fœcundam *in Lateribus domus suæ operantem lanam & linum consilio manuum suarum* Ita nihil calamitosius belli tumultibus, qui pavore & angustiâ Provincias ita afflictant, ut etiam tædeat vivere. Unde & tale tempus calamitosum respicit Ecclesia, dum verbis D. Ambrosii orat: *Dignetis Domine propitius intueri tribulationes plebium, pericula populorum, captivorum gemitus, miserias orphanorum, desperationes languentium, defectus senum, suspiria juvenum, vota virginum, lamenta viduarum.* Quis enim recusset afflictiones, pressuras, clades, gemitus, lachrymosa suspiria & lamenta, quæ bellicæ concussiones & insolentiæ militares, cordibus senum, juvenum, virginum, orphanorum, viduarum infligunt? Aut quandò magis verum esse potest illud: *Lachryma vidua ad maxillam descendunt, & exclamatio ejus super deducentem eas: à maxilla enim ascendunt usque ad Cœlum.* Et illud Baruch: *Adduxit super illos gentem de longinquo, gentem impudentem & alterius linguæ, qui non sunt reverriti senem, neque puerorum miserti sunt, & abduxerunt dilectos viduæ, & à filiis unicam desolaverunt.*

Reg. 4. 25. Psal. 127. 2. Prov. 31. 13. S. Ambr. oratio. Eccl. 25. 18. Baruch 4. 15.

Has easdem scelerum & peccatorum nostrorum vindices pœnas minabatur Dominus per Hieremiam: *Ecce adducam super vos gentem cujus ignorabis linguam & comedet segetes tuas, & panem tuum & devorabit filios tuos & filias tuas, comedet gregem tuum & armenta tua, comedet vineam tuam & ficum tuam.*

Jer. 5. 15.

Hæc satis norunt Provinciæ Belgicæ à tempore hæreseon, tot tumultibus belgicis concussæ & convulsæ.

Secundò, flagellum hoc maximè formidandum est, non solùm ob temporales miserias & discrimina, sed ob fœda scelera & crimina, quæ producit. Tempus enim belli multam adducit confusionem; sacra profanaque omnia miscet, & contemptum parit legum, tum humanarum, tum divinarum: *Inter arma silent leges.* Hinc bellum rectè appellatur fons scelerum, radix criminum, origo flagitiorum. Tempore enim tumultuoso, impune licet quidquid lubet: *Est verò impunitas* (teste Bernardo) *incuriæ soboles, insolentiæ mater, radix impudentiæ, transgressionum nutrix.* Hinc blasphemiæ, juramenta, perjuria, furta, rapinæ, sacrilegia, liberè tunc grassantur: Imò verò homicidia, concussiones, Sacerdotum percussiones, altarium & Ecclesiarum prædationes & profanationes nihili æstimantur. Adde fornicationes, stupra, adulteria, corruptiones violentas, tum virginum, tum conjugatarum. Hi sunt fructus amari; hæc pita angustiæ, quæ ab infœlici hac radice generantur: dum exsibilatur pietas, exulat justitia; castitas, tem-

2. *Maximè formidandum ob scelera quæ producit.*

S. Bernar.

peran-

Digitized by Google

cognationem, ut vix cum turbidis armorum & bellorum motionibus possit consistere. Et sic confirmat, quæ supra docuimus: Ad quem etiam sensum dixit Poeta:

Nulla fides pietasq; viris, qui castra sequuntur.

Bellorum auctor plerumq; est diabolus.

Licet ergò bella quandoque licita sint, tamen ut plurimùm, à Satana dissensionis authore & incentore, ortum habent; qui illa suscitat, ut multa alia mala invehat, animas illaqueet. Sagenam suam mittit tunc in mare turbidum, ut ex omni genere piscium congreget, hoc est, varios hominum status, modò hæresum errore, modo armorum terrore perturbat, ut liberiùs piscari possit. Sed nec mirum, quod bella ab illo sæpiùs procedere dicimus, Jo.8.44. de quo dicit Scriptura: *Ille homicida est ab initio.* Ipse primùm in cœlo adorsus est prælium, contra Deum & Angelos ejus; sed subitò exturbatus est, Luc.10.18 & quidem tanto impetu, ut de ipso Christus asserat: *Videbam satanam, sicut fulgur de cœlo cadentem.*

Deindè in Paradiso invidens paci primi hominis, illam fallaci persuasione perturbavit, author ipse disrupti fœderis, quod Deus cum homine pepigerat, & discordiæ illius interioris, quæ modò adhuc in nobis quotidianam rebellionem parit, concupiscentiæ contra rationem.

Denique etiam pacem exteriorem hominis cum homine profligavit; dum Cain concitat contra Abelem fratrem, pessimum invidiæ & discordiæ semen ex eo tempore in mundo seminans, quod ad finemusque sæculi non extirpabitur: sed germinabit amarum fructum homicidiorum, duellorum, præliorum, tumultuum, non solum inter exteros, sed etiam inter fratres & fratres, inter Patrem & filium, inter affines & agnatos. Ut patuit inter Esau & Jacob, inter Saulem & Davidem, inter Absalonem & Ammon, inter ipsum Absalonem & Davidem Patrem. Et hoc est semen virulentum, tot & tam turbulenta dissidia modò germinans inter Reges & Provincias, inter ipsos Principes Christianos, qui in Sanguine Jesu Christi fœdus habere deberent, & communionem sanctæ pacis. Attendite hoc, ô Reges & Principes, & semen hoc pessimũ suffocate, dum recens est, bellorum radicem amaram succidite: Ne excrescat Ezech. in virgas, *& ignis de virga ramorum ejus egressus, fructum* regnorum vestrorum comedat, & sceptrum 19.14. vestrum devoret. Hoc ne vobis contingat, *Deus pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter.* Rom. 16. 20.

Quia ab illa pietas dependet subditorũ.

Secundum quod Apostolus verbis citatis indicat, tranquillam vitam cum pietate conjunctam, à Regibus, & his qui in sublimitate sunt, dependere. Quod satis manifestum est: omnem enim regnorum turbidam vastitatem, à Regum vel procerum ambitione, cupiditate, libidine enasci, antiqua & hodierna docent exempla.

1. Reg. Absalon regnandi libidine, totum Patris commovet regnum, paterno etiam cruore manus fœdare paratus.

Abimelech septuaginta fratres occidit super lapide uno, dominandi impulsus ambitione. Jud.8.9.

Cæsar & Pompejus totum concutiunt Imperium Romanum, & bellis civilibus cruentant, imperandi cupiditate.

Alexander totum conturbat orbem, ut solus imperio potiatur. Huic rectè respondit quidam Pirata ab eo captus. Interrogabat Alexander: *Cur mare sic infestas?* Respondet ille. *Cur tu totum infestas orbem? quia parvo navigio per mare curro, vocor latro, tu quia magna classe, diceris Imperator.* Ita ille audaci libertate, sed non dissonè à veritate.

Nostro quoque ævo sæpius experta est Gallia, experitur Germania & Bohemia, & aliæ Europæ regiones, quàm turbulentas vehere possit clades, unius Principis cœca ambitio & cupiditas.

Sicut ventus etiam exiguus, terræ viscеribus in- Simile. clusus, non erumpit sine gravi concussione, & graves sæpiùs terræ motus ciere visus est: Aut sicut exhalationes & vapores cœli nubibus concluſi, fulgura, tonitrua, & tempestates concitant: Ita ambitionis ventus, & ambitiosæ cupiditatis turbidus vapor, Principis insolentis cerebro inclusus, in plebis perniciem erumpit, bellorum ciens tempestates & vastitates.

Sed & maximè ex Regum Consiliariis pendet regnorum tranquillitas, & salus populorum ac Regum. Patet in Roboam, qui deserens consilium senum, secutus est consilium juvenum. Et populo 3. Reg. petenti & dicenti: *Pater tuus aggravavit jugum* 12. 10. *nostrum, tu releva super nos:* Respondit superbo inducтus consilio: *Minimus digitus meus grossior est dorso Patris mei: Et nunc Pater meus posuit super vos jugum grave, ego autem addam super jugum vestrum: Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem vos cædam scorpionibus.* Indignatæ & acerbatæ hoc consilio decem tribus, ab eo defeciverunt, & regnum ejus divisum fuit.

Sed valdè frequenter Regum Consiliarii, illos & regna eorum florentissima in varia discrimina conjiciunt, illos præcipiti suo consilio, bellorum ancipiti & periculosæ aleæ exponentes; non ponderantes in pondere sanctuarii tot cædes, tantam sanguinis effusionem, tantam hominum imò & animarum necem, ac innumera in populos mala è bellis erumpentia. Propter hæc omnia, nec de ulla re alia magis deliberandum est, nec religiosius consultandum, nec maturiùs aliquid statuendum. Adeò ut Principes vel magistratus, nunquam nisi inevitabili necessitate pressi, aleam belli movere vel minimum debeant. Nimis periculosus est hic Principum ludus, cum tanta populorum clade & strage conjunctus, tot scelerum portentis connexus. Itaque hic attendendum est illud Augustini: S. August. epist. 2. ad Bonif. *Pacem habere voluntatis est, bellum autem debet esse necessitatis, ut liberet Deus à necessitate & concedat in pace: Non enim pax quæritur ut bellum exerceatur, sed bellum geritur, ut pax acquiratur.*

Digitized by Google

Eſto ergò bellando pacificus, ut eos quos expugnas, ad pacis unitatem vincendo perducas.

Noſtro verò ſæculo infœlici & tumultuoſo, ſufficiens belli ratio cenſetur, imperii proprii amplificatio, alienæ potentiæ æmulatio, vicinæ Coronæ nimius ſplendor: ut propterea liceat Regibus, Principibus, Rebuspublicis Chriſtianis, fœdera inire cum Regum rebellibus, cum hæreticis, cum infidelibus, ſuppetias illis ferre, bellatores viros bellandique vires ſuppeditare, & in rebellione eos fovere, imò & accendere. Hæc videmus & dolemus, quia non ponderantur hæc in ſtatera juſtitiæ, in Sanctuarii pondere, ſed in ſtatera Chanaan, in
Oſee.12.7 ſtatera mundi, de quo verum eſt: *Chanaan in manu ejus ſtatera doloſa.* Prætexuntur varii tituli ſpecioſi, ſed utinam non ſint folia Adam, perizomata Evæ, ad cooperiendam nuditatem & fœditatem. Ille qui tenet corda Regum in manu ſua, & ſcrutatur illa, novit cogitationes eorum, aſtutias & profunda conſilia, & tandem ea revelat, & retorquet in caput & confuſionem eorum, omni detracto
Nahũ.3.5. velo: *Revelabo*, inquit, *pudenda tua in facie tua, & oſtendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.* Et iterum: *Væ qui profundi eſtis corde, ut à Domino abſcondatis conſilium, quorum ſunt*
Iſa.19.15. *in tenebris opera.* Ille qui eſt *Ponderator ſpirituum*, in regiis aulis & parietibus illud exararum cupit, quod Balthaſaris Regis oculis objecit: *appenſus es*
Prov.16.2 *in ſtatera.* Appendet ipſe, & quotidie appendit
Dan.5.27 Regum corda & conſilia, ipſosque Reges & Conſiliarios: & de illis judicat in trutina juſtitiæ ſuæ, ab illis repetit tot corporum & animarum necem, tantam ſanguinis effuſionem, tot clades & inundantia mala, quæ ob eorum machinationes, prava conſilia, confœderationes iniquas, in populos irrumpunt.

Audiant ergò, qui cum rebellibus, cum hæreticis, cum perfidis & infidelibus fœdera jungunt, & injuſtis eorum bellis, conſilio auxilioque cooperantur, illud Prophetæ ad Regem Joſaphat: *Impio*
2.Paral. 19. 2. *prabes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia jungeris, & idcircò iram Domini mereberis.* Attendant ipſi Dei *virgam vigilantem & oculatam*
Jer.1.11. quam vidit Hieremias: hoc eſt, ſceptrum Domini Regis Regum, quod oculum habet excubantem ſuper Regna & Reges, quo pravas eorum machinationes, & videt & vindicat. Sed ad Apoſtoli verba redeamus.

3. Quia ſalus ſubditorum ab eis dependet, Eccleſia orat pro eis.

Tertium & principale, quod in verbis Apoſtoli exprimitur, eſt ſolicitè & ferventer orandum eſſe pro Regibus & Principibus, quandoquidem ab iis pia & tranquilla ſubditorum vita ita dependeat, quemadmodum & ſalus navigantium, à navis Rectoribus. Hinc Eccleſia monito huic Apoſtolico obtemperans, frequentiſſimè omnis generis præces, obſecrationes, poſtulationes, ſupplicationes Deo offert, pro illis, qui in ſublimitate ſunt. Præſtat id quotidiè in Canone Miſſæ, in Collectis, in Litaniis: *Ut Regibus & Principibus Chriſtianis pacem & concordiam donare digneris, te rogamus audi nos.* Sed & ſpeciales ad hunc effectum indicit proceſſiones, & continuatas preces, modò decem, modò viginti, modò quadraginta horarum, coram Sacramento Corporis & Sanguinis Chriſti; ut reſpiciat Reges & populos afflictos, illo ſanguine redemptos, & audiat vocem *hujus ſanguinis melius loquentem,* Heb. 12.
quàm Abel, & flectatur ad miſericordiam, recorde- 24.
turq; fœderis, quod cum populo Chriſtiano pepigit in ſanguine illo, & veram det pacem Regibus & regnis, ut parcatur ſanguini Chriſtiano; nec tam facilè bellorum efferveſcente crudelitate, effundatur.

Certè ſi unquam, hoc maximè tempore, preces iſtæ ſunt neceſſariæ, quia Hæreſis, Meretrix illa in Apocalypſi deſcripta, ſedens ſuper aquas, ornatu re- Apo.17.1.
gio, plena nominibus blaſphemiæ, ſuper beſtiam coccineam, invitat modò potentes ad bibendum de poculo ſuo aureo, ſed pleno veneno, abominatione, crudelitate. Et illos inebriare cupit ſanguine Catholico, accendere eos ad bella, quibus ille profundatur: Magnates decipiens ſpecie recti, ut Eccleſiæ vera ſponſa Chriſti opprimatur, & hæc adultera fines ſuos poſſit propagare. Videant Principes & Reſpublicæ Catholicæ, quæ ad bibendum de hoc crudelitatis poculo, ſed ſub ſpecioſis titulis invitantur, dum invitantur ad ad fœdus cum hæreticis paciſcendum, quaſi per talia fœdera propria regna & potentia tutior ſit futura, quod revera per tales confœderationes, non aliud intendit Hæreſis, quam ſe propagare & veram Religionem ſuffocare, & pau- Judic. 5.
latim exterminare. Confœderationem modò ineunt, & ligant ſe hæretici, quaſi vulpes Samſonis, ut ignem diviſionis ſpargentes, totam Eccleſiæ meſſem, totam Chriſtianitatem invadere poſſint, & flammis ſuis ſuccendere. Vetendum eſt, ne hic diviſionis ignis, quem in terram veniunt mittere, & inter Principes & Provincias ſeminare, aliter extingui non poſſit, quam copioſo ſanguine fuſo. Ergò ferventer & continuatis precibus, cum privatis, tum publicis interpellandus Deus, ut minantia flagella averat & diſſipet, & reprobet conſilia Principum iniquitati faventium.

PROPOSITIO III.

Efficacia orationis contra hoſtes fidelium, manifeſta eſt exemplis, tum antiquis, tum novis.

Orationis efficacia contra hoſtes.

MOyſes in vertice collis, pugnante Joſue contra Exod. 17.
Amalec, ſtabat tenens virgam Dei in manu. 11.
Cumque levaret Moyſes manus, vincebat Iſraël, ſin autem paululum remiſiſſet, ſuperabant Amalecitæ. Sedit ergò Moyſes ſuper lapidem, & Aaron & Hur ſuſtentabant manus ejus, quia graves erant. Et ſic ſuſtentatæ non fuerunt laſſatæ, uſque ad occaſum Solis, fugavitque Joſue Amalec & populum ejus in ore gladii. Dixit autem Dominus ad Moyſen: *Scribe hoc ob monumentum in libro, & trade auri-* Exod.17
bus Joſue, delebo enim memoriam Amalec ſub cœlo. 14.

Simi-

Digitized by Google

Judith. 4.12. Similiter tempore Judith, Eliachim Sacerdos magnus circuivit omnem Iſrael, dicens: *Scitote quoniam exaudiet Dominus preces veſtras, ſi permanſeritis in jejuniis & orationibus in conſpectu Domini. Memores eſtote Moyſi ſervi Dei, qui Amalec confidentem in virtute ſua, in exercitu ſuo, in clypeis ſuis, in curribus & equitibus, non ferro pugnando, ſed precibus ſanctis orando dejecit. Sic eruit univerſi hoſtes Iſrael, ſi perſeveraveritis in hoc opere quod feciſtis.* Quomodo autem perſeveraverint, & oratio efficax fuerit. Vide libr. Judith.

Eſth. 4.16 Tempore quoque Aſſueri, videns Eſther dirum mucronem populo ſuo incumbentem, minacemque plagam ab Aman hoſte Judæorum parari, jubet Mardochæo ut congreget omnes Judæos, & orationi inſtent tribus diebus & noctibus, ſimulque jejunio placare conentur iram Dei. Et res fœlicem ſortita eſt exitum, & Aman ſuperbus exitium.

Iſa. 37.1. Ezechias quoque lectis litteris minacibus Sennacherib de diſperdenda Jeruſalem, ſcidit veſtes, opertus eſt ſacco, ingreſſuſque domum Domini, expandit litteras coram Domino, & oravit in conſpectu ejus. *Nunc tu Domine Deus Iſrael, tu es ſolus Dominus Regum omnium terræ, tu feciſti cœlum & terram, inclina aurem ad verba Sennacherib exprobrantis nobis Deum viventem, ſalvos nos fac de manu ejus, ut ſciant omnia Regna terræ, quia tu es Dominus Deus ſolus.* Notiſſima autem eſt victoria poſtea Angelo pugnante conſecuta.

4. Reg. 19 15.

1. Reg. 7. 6. Notabilis quoque eſt hac de re hiſtoria 1. Reg. 7. Ubi congregavit Samuel univerſum populum Iſrael in Maſphat, ad orandum Dominum, *ubi effuderunt aquam in conſpectu Domini, & dixerunt: Peccavimus Domino*, & poſtea perculſerunt Philiſtæos uſque ad certum locum, in quo Samuel lapidem poſuit, & vocavit nomen loci, *Lapis adjutorii*, dixitque *huc uſque auxiliatus eſt nobis Dominus.*

Itaque ſemper ſolitus eſt populus Dei ad thronum divinæ miſericordiæ, per ſupplices preces refugium habere contra hoſtes ſuos; & expertus eſt Dei opem. Idipſum peragit Eccleſia nova contra Chriſtiani nominis hoſtes, nec ope deſtituitur.

Surius in vita S. Baſilii. Sic contra Julianum Apoſtatam, congregavit Baſilius totum clerum ſuum & populum, ad montem quendam in Eccleſiam dedicatam B. Virgini; ut Deus diſſiparet conſilium ejus impium. Cum enim in Bellum contra Perſas pergeret, minatus erat ſe totum populum Cæſareæ agentem, internecioni daturum: immò, ut ſupra diximus, totam Religionem Chriſtianam, funditus ſe everſurum. Indixit ergò Baſilius trium dierum orationem & jejunium, & cum in oratione perſeveraret in quadam viſione oſtenſus eſt ei S. Mercurius Martyr qui Cæſareæ colebatur, procedens cum armis ſuis ad necem Juliani, vitâque fuit poſt ejus necem, lancea, ad ſepulchrum S. Martyris appenſa, tota madens ſanguine.

Sic Reges & regna quæ ſe per multorum preces Deo commendarunt, ejus contra hoſtes auxilium experta fuêre.

De Alphonſo I. Rege Luſitan. Alphonſus I. Luſitanorum Rex ſanctiſſimus, cùm in caſtris eſſet adverſus innumeram multitudinem Saracenorum, audivit à viro religioſo & ſexaginta ſex annorum probatæ ſolitudinis, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum certa quadam hora poſtridiè ſeſe in ejus conſpectum daturum, ab eoque ſe acceptum de victoria ac poteſtate ſua, gratiſſima nuntia, præſto tantum eſſet cùm vocaretur. Paruit Rex, & quæ ſecuta ſunt ipſe poſtea ſic manu ſcripſit: Egreſſus extra caſtra, vidi a parte dextra verſus Orientem micantem radium: & paulatim ſplendor creſcebat, & dum oculos ad illam partem efficaciter pono, ecce in ipſo radio clariore Sole, ſignum crucis aſpicio, & Jeſum Chriſtum in eo crucifixum, & ex una & ex altera parte multitudinem juvenum candidiſſiorum, quos ſanctos Angelos eſſe credo. Quam viſionem dum video, depoſito enſe & ſcuto, & depoſitis veſtibus, & calceamentis, pronus in terram me projicio; lachrymiſque abundè miſſis, cœpi rogare pro confortatione meorum vaſallorum, dixique nihil turbatus: *Quid tu ad me Domine? Credenti Domine fidem vis augere? Melius eſt ut te videant infideles, & credant, quam ego, qui à fonte Baptiſmatis te Deum verum, Filium Virginis & Patris æterni agnovi & agnoſco.* Erat autem crux miræ magnitudinis & elevata à terra quaſi decem cubitos. Et Dominus ſuavi vocis ſono quem indignæ aures meæ ſuſceperunt, dixit mihi. *Non ut fidem tuam augerem hoc modo apparui tibi, ſed ut roborarem in hoc conflictu cor tuum, & initia regni tui ſupra firmam petram ſtabilirem: Confide Alphonſe, non ſolum hoc certamen vinces, ſed & omnia in quibus contra inimicos crucis pugnaveris.* Quæ fœliciſſimo exitu confirmata ſunt omnia. Habentur hæc ſcripta in Monaſterio Ciſtercienſi à Bernardo fundato, quod Alcobaz nominatur.

Surius in commen. de Carolo V. & Florimun. Rem. l. 3. de ortu hæreſ. c. 15 Sed ut ad noſtra tempora veniamus, in bellis contra hæreticos ſæpius Dei auxilium affuit. Carolus V. pius Imperator de cœlo ſenſit auxilium, ſuis ac fidelium precibus advocatum, in cruento illo prælio, contra Saxonem & Proteſtantes. Cùm enim copioſum Ducis Saxoniæ exercitum cum ſuis copiis inſequeretur, conſpicatus eſt in itinere crucifixi imaginem, ictu bombardæ ab hæretico aliquo impetitam & colliſam. Equo ergò delapſus, terræ ſupplex proſternitur, & coram imagine oculis in cœlum levatis, ſic orat: *O Domine Deus ſive equidem omnem tibi potentiam ſuppetere, ad vindicandas tot & tam enormes injurias, ab impiis nomini tuo inflictas: Sed & ego ſervus tuus, opem manumque tuam implore, ut poſſim hodiè de impio & ſacrilego dignam vindictam, nomine tuo ſumere: Exurge ergò Domine & judica cauſam tuam.* Sic animatus, & fiduciam figens in DEO ſuo, proſequitur iter, hoſti appropinquat, aciem ſuam inſtruit, numero, viribus, locoque longè

Digitized by Google

inferiorem. At Deus ſe pium Cæſaris zelum votumque reſpexiſſe, ſtatim variis indicat prodigiis. Cùm enim jam ad conflictum acies parata ſtaret, & manus conferendæ, apparet Aquila Imperialem aciem circumvolans, & velut de appropinquante victoria Chriſtiano Imperatori, volatu ſuo congratulans. Ex altera parte Lupus è nemore erumpens inter Pedites ingreditur, quaſi ſe eorum manui & poteſtati ſubjiciens. Verùm quod mirabilius eſt, cœlum igneo veſtitur colore. Sol verò ſanguinolento: quod non ſolum in Saxonia ab utraq; acie, ſed & in remotis Provinciis Anglia, Gallia, fuit adnotatum. Illud quoque celebris miraculi qui præſentes huic prælio fuere, aſſerunt accidiſſe, quod tempore Joſue: Solem ſcilicet ſolitum ſuum curſum retardaſſe, & ſteriſſe, ut Dux verorum Iſraelitarum, hoc eſt, Catholici exercitus, pleniori victoria potiretur. Unde & quidam Verbi Dei Præco, tunc exercitui præſens, milites his verbis animaſſe fertur: *O filii dilecti, nemo animum deſpondeat, certate viriliter. An non cernitis quomodo Sol ipſe Dei oculus vobis favet, & monet ut fortiter & ſtrenuè, contra Dei hoſtes dimicetis?*

Sicut verò Julius Cæſar cùm in Aſiam veniſſet, & ibi bello finem dediſſet, victoria potitus, hoc ſibi Symbolum aſſumpſit, *veni, vidi, vici.* Ita hic pius Imperator, cœleſtem hanc reportans victoriam; adhuc in campo certaminis, hoc ſibi Symbolum aſſumpſit, *Veni, vidi, Deus vicit.* Noluit enim ſibi victoriam adſcribere, ſed illam Deo acceptam grato animo retulit. Hæc ex Florimundo Remundo.

Silentio quoque non eſt hic obvolvenda recens adhuc memoria inclitæ illius victoriæ, quo Civitas Pragenſis & totum Bohemiæ Regnum uno velut ictu cœleſti, Ferdinando II. Imperatori pio, eſt ſubactum; Friderico Palatino invaſore, hæreticorum Duce & anteſignano, exacto. In qua quidem victoria exercitus hæreticus viginti quinque & amplius amatorum millibus conſtans, partim cæſus, partim captus, partim infugam eſt actus *ad Stellam*, Palatium Civitati propinquum. Hanc victoriam non niſi auxilio cœlitus miſſo obtentam, omnes agnoſcunt, etiam ipſi Duces, prout patet ex literis quas Dux Bavariæ & Comes Bucquoius ad ſummum Pontificem dederunt, ubi nominant eam *Victoriam Dei admirandam*, quam videtur Stella illa, ſive Cometa anno uno antea trahens longas virgas & velut longum crinem rubicundum, porrendiſſe. *A Domino ergo factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.* Cum enim hoſtis & numeroſior foret, & vallo potentiſſimo munitus, & in colle ſublimi conſtitutus, tormentis bellicis potentiſſimè detonans & fulminans; nihilominus una ferè hora profligatus eſt, ſeptem millibus cæſis, cæteris vel in fugam actis, vel captivis, cum vexillis circiter centum, in quo & Regium erat, continens Sphæram cum hac inſcriptione. *Diverti neſcio.* Sed divina manu, Regia dignitas à Frederico Rege hiemis unius, ante annum revolutum evanuit, in eodem loco, ubi primùm Rex fuerat ſalutatus, & ipſe ſubverſus, adverſus, diverſuſque fuit, illo pugnante de quo dicitur: *Sedes ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis.* Eccli. 27.

Sic turrim Babylonicam, quam hæreſis in primaria Imperii Civitate erigere geſtiebat, ſubitò confudit & evertit Deus. Nec ambigi poteſt cœlitus auxilium adfuiſſe, nam & vexillum quod in hoc prælio delatum primo loco fuit, paucis ante diebus, ignea quadam luce effulſiſſe in cuſpide à pluribus, viſum eſt, & boni ominis portentum judicatum eſt. Erat autem vexillum legionis Wallonum qui in prima acie conſtituti, fortiter admodum ſe geſſerunt. Adde quod cùm noſter nutaret exercitus, & dubitarent duces loco tam patenti, tam potentem hoſtem aggredi, quod contra leges militaris prudentiæ videbatur, P. Dominicus natione Aragonius, ex Ordine Carmelitarum Diſcalceatorum ſanctitate celebris (quem Bavarus ſecum ad caſtra adduxerat dubitantibus animos addidit, & certam à Deo Victoriam pollicitus, Joannis Capiſtrani & aliorum Sanctorum exemplo Chriſti Crucifixi effigiem in hoſtes intulit. Bavarus quoque pro fœlici omine teſſeram militarem dedit nomen *Maria*, & inito ſtatim conflictu juſſit recitari Antiphonam *Salve Regina* a Sacerdote Societatis Jeſu: Bavaro & Bucquoio, utroque Belli Imperatore reſpondente. Sed & dies, quo victoria obtenta fuit auxilium cœlitum ſatis deſignat, erat enim *Octava omnium Sanctorum*, in qua Divi voluerunt vindictam ſumere, & judicare cauſam ſuam contra hos hæreticos, qui in Praga ante annum eorum imagines ſacras colliſerant & aras ac templa prophanarant, ne eos jam in cœlo ſedere ſurdos, ut ſolent, exiſtimarent. Eadem quoque dies incidebat *in Dominicam 22 poſt Penteceſten*, quo die Romana Eccleſia Evangelium illud recitat; in quo habetur: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Unde & illo die in poteſtatem Cæſaris, uſurpatum regnum reddi conveniebat. Sed & ſequens dies *Dedicatio eſt Baſilicæ Salvatoris*, in quo belli Duces Bavarus & Bucquoius Capucinorum Pragæ Templum (quod unicum Catholicis ea in urbe teſtabat) ingreſſi ſunt, rem divinam audituri, & cæteros viros religioſos & Eccleſiaſticos, ad ſuas Baſilicas Salvatori denuò dedicandas, revocaturi. Quod ſtatim factum eſt; revocatis paucis poſt diebus Dominicanis, Franciſcanis, Patribus Soc. & aliis, magno cum bonorum gaudio.

Ad hæc verò tempora à multis refertur celebre illud vaticinium à Joanne Lichtenbergio apud Germanos celebri Aſtronomo an. 1484. ſcriptum. Et Coloniæ an. 1526. ſecundò excuſum, ubi dicit. Novus Princeps exurget in brevi tempore, O alma Mater Eccleſia plange: O virgo Rheni clama, ululate Paſtores & Doctores. Factus eſt mihi quaſi leo inſidians: ideo verſum eſt in luctum gaudium meum. O plebs miſera, quia Regulus novus ſurrexit in re; Jo. Lichtenbergii prognoſt. Exd. c. 9.

non

Digitized by Google

non gubernator, ſed deſolator fidelium; non conſolator, ſed deprædator ſpiritualium, non protector, ſed depreſſor orphanorum & viduarum in tota alta Germania. Novus Rex ſine ruga Germaniæ Principibus videtur accedere. Hic Patrimonii Jeſu dilapidator, hic erit Draco pernicioſiſſimus perſequens Sponſam Chriſti in multis Diœceſibus, qui perturbabit terram, ponet orbem deſertum, non dormiet, ſed continuò machinabitur malum: cujus conſilium eſt cum impiis, & ſtabit cum conſilio iniquorum. Nullus veterum Tyrannorum fecit tot & tanta pernicioſa, quanta in populo Alemannico faciet. Non timebit Deum, non parcet Sanctis, non formidabit capita fidei, non veretur exterminare loca ſacra, non pudet eum committere ſacrilegium. Heu! Quanta perficiet contra Catholicam ordinationem, vix lingua ſufficit enarrare. Punieris à Deo, ô tadix peccati, verè punieris à Deo: Nam hoc tibi ſignum erit. Aurum ſapientiæ tuæ obſcurabitur, quia phreneticabis, rumor famæ tuæ infatuabitur, mutabitur color tuus optimus, & diceris per totum mundum hæreticus. Obmuteſce ergo abominatio, ne cogites quovis modo ſeminare zizaniam ſilveſtris Leonis inter Germaniæ Principes ac imperium. Heu Beelphebor Hereſiarcha Bohemorum: Regulus venenoſus, qui ſe pro Rege Bohemiæ gerit, Romanæ ac orthodoxæ fidei hoſtis acerrimus: Sponſæ Chriſti turbationes plurimas afferet, egregioſque viros interficiet. O juvenis ad Bella ductus per tuos, quomodo audes vivere in ſtatu, in quo mori non audes? Neſcis quòd ſepelieris ſepultura aſinina? Progenitores tui viri Catholici, viri famoſi. Quid tu gloriaris de Doctoribus tuis excommunicatis? Tu pelles mortuas vis conſulere, id eſt, hæreticos, qui neſciunt quid dicunt. Sequere Paulum. Cùm in ætate tenera fuiſti, ſicut à parentib. ducebaris ſic feciſti. Jam ubi ratio ſenſum cœpit dominari, excute quæſo quæ ſunt parvuli, corrige, emenda vitam tuam, & idolum tuum excommunicatum ut viperam fuge. Poſt te veniet qui Eccleſiam Pragenſem adducet ad Matrem fidelium, & erit nova Reformatio in Bohemia. Hactenus ex Lichtenbergio.

Ex. c. 20.

LECTIO VII.

DE ORATIONE PRO FAME ET STERILITATE.

1. *Docet Quomodo fame peccata Deus puniat.*
2. *Quomodo Oratio efficax ſit contra hoc flagellum.*
3. *Quomodo Sanctorum invocatio opportuna ad id ſit.*

III. *Flagellum eſt Fames, & ſterilitas.*

PROPOSITIO I.

TErtium flagellum eſt fames & ſterilitas, per illam enim Deus ſolet peccata noſtra punire. Patet tam in lege naturæ & veteri, quàm in lege gratiæ.

Primò declaratur in lege naturæ. Cùm enim Deus poſuiſſet hominem in Paradiſo, ut operaretur & excoleret illum (quod ei ſuave exercitium erat, ſine anguſtiis, laboribus aut ſudoribus) ſtatim peccantem Protoplaſtum ejecit in terram, quæ in pœnam peccati non niſi ſpinas & tribulos produceret, non obſtante ſedula cultura. Sed & poſtea inundante diluvio deterior facta eſt & ſterilior; prout ſignificare videntur illa verba: *Diſperdam eos cum terra:* quod aliqui interpretantur, quaſi idem ſit, ac diſperdam eos cum fertilitate terræ. Fuit enim terra tunc cooperta aquis diluvii, quæ magna ex parte (inquit Lyranus) erant de mari Oceano ſalſo. Hinc & poſtea uſus carnium conceſſus eſt, cùm antea tantùm terræ fructibus veſcerentur. Sic ergo verum tunc fuit: *Poſuit terram fructiferam in ſalſuginem à malitia habitantium in ea.* Et ita cum tempeſtates, inundationes, inclementia aeris, grandines omnes fructus devaſtantes immitti videmus, timeamus à vindice Dei manu id fieri, ob malitiam noſtram. Sic enim Ægyptios afflixit ob rebellionem contra Dominum & ſervum ejus Moyſen: *Occidit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina: Dixit, & venit cœnomyia: & cinipes in omnib. finibus eorum.*

1. *In lege naturæ.* Gen. 2. Gen. 6. 13. Lyranus. Pſ. 106. 34. Pſ. 77. 47 Pſ. 104. 31

Secundò in lege veteri, ſæpiſſime Deus comminatus fuit ſterilitatem & famem ob peccata populi: *Si nolueris audire vocem Dei tui, maledictus eris in civitate, & maledictus in agro, maledictus fructus terræ tuæ, & greges ovium tuarum: Percutiat te egeſtate & aere corrupto ac rubigine, ſit cœlum ſupra te æneum, & terra quam calcas ferrea,* &c.

2. *In lege veteri.* Deut. 28. 15.

Sic in diebus David tribus annis facta eſt fames, & conſuluit oraculum Domini. Dixitque Dominus id factum *propter Saul & domum ejus ſanguinum, quia occidit Gabaonitas.* Vide textum. Grave fuit peccatum perfidia Saulis, quia juraverant eis filii Iſrael, & recepti erant à populo Dei ad ſerviendum Sacerdotibus & Levitis, ad exſcindenda ligna, ad comportandas aquas, ad expurganda tabernaculi vaſa: & voluit eos Saul percutere zelo, quaſi pro filiis Iſrael, & forſan populus conſenſit in necem, & ideo punitus eſt. Multas alias diræ famis plagas Scriptura narrat. Adeo vehemens fuit in Samaria tempore Eliſæi, *ut venundaretur caput aſini octoginta argenteis, & quarta pars cabi ſtercoris columbarum quinque argenteis. Cumque Rex Iſrael tranſiret per murum, mulier quadam exclamavit: Salva me Domine mi Rex. Dixitque ad eum Rex: Quid tibi vis? Quæ reſpondit: Mulier iſta dixit mihi. Da filium tuum, ut comedamus eum hodie, & filium meum comedemus cras. Coximus ergo filium meum, & comedimus. Dixitque ei die altera: Da filium tuum, ut comedamus eum. Quæ abſcondit filium ſuum.*

1. Reg. 21. 1. Joſue 9. 4. Reg. 6. 24.

Tertiò in lege nova frequenter Deus hac plaga varias provincias percutit. Sic Act. 11. Prophetа Aga-

3. *In lege nova.*

Digitized by Google

Act. 11.28 *Agabus ſignificabat per Spiritum, famem magnam futuram in univerſo orbe*, quæ facta eſt ſub Claudio Cæſare.

Exemplis non immoror, quia plenæ ſunt hiſtoriæ.

Illud notabile eſt, quod in Nornhortia Provincia Britanniæ accidiſſe refertur: Nimirum approBeda l. 4. hiſt. Ang. pinquante tempore meſſis valde copioſæ venille quoddam genus muſcarum in maxima multitudine, & ita tectum triticum & meſſem totam conſumpſiſſe, ut vix intra quinque milliaria una menſura grani reperiretur. Homines verò ejus Provinciæ admirati, cum quaſdam ex illis muſcis cepiſſent & diligenter inſpexiſſent, invenerunt in una ex aliis ſcriptum, *Ira*, in altera, *Dei*, ut manifeſtum eſſet miſſas in vindictam.

Non ergo miremur & nunc ſterilitatem, egeſtatem, famem, in populos immitti; quandoquidem Oſee. 9.2. varia grallentur ſcelera, talibus plagis digna, ita ut Aggæi. 15 verum ſit illud Oſee: *Area & torcular non paſcet eos quia Domino peccaverunt*. Et illud Aggæi: *Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras: Seminaſtis multum, & intuliſtis parum; comediſtis, & non eſtis ſatiati, &c. Quia domus mea deſerta eſt, & vos feſtinatis unuſquiſque in domum ſuam. Propter hoc ſuper vos prohibiti ſunt cæli, ne darent rorem ſuum, & terra prohibita eſt, ne daret germen ſuum, & vocavi ſiccitatem ſuper terram.* Arguit Judæos, qui è captivitate redeuntes, negligebant templum Domini ædificare, cum ſibi jam domus ornatas inſtauraſſent; docetque omnem ſterilitatem, hac de cauſa eis contingere. Monet itaque, ut corda ponant ſuper vias ſuas, hoc eſt, diligenter recogitent opera ſua, & agnoſcant ſuis demeritis hanc calamitatem deberi. Similiter monere poſſumus Chriſtianos. *Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras*, & attendite hanc eſſe cauſam, cur Dei benedictio in agros veſtros, & pecora, & merces ac negotia, non deſcendat, ſed infœliciter multa vobis contingant: *quia* ſcilicet *domus mea deſerta, & vos feſtinatis unuſquiſque in domum ſuam.* Quæ Dei ſunt, negligitis, toti veſtris immerſi negotiis & commodis feſtorum dierum parvam agitis curam, quæ veſtra ſunt, illis etiam diebus toti curatis; decimas, oblationes, primitias, & jura quæ debentur, fraudatis. Templorum & eorum quæ divinum cultum concernunt, ut decenter & dignè Deo fiant, nullam curam habetis, cùm tamen Deus ſuis vos temporalibus bonis ad id locupletarit. Aureis & argenteis vaſis domos & menſas veſtras exornatis, & domus Dei, menſa pretioſa Domini deſerta eſt; cupreis & ſtanneis vaſis debet eſſe contenta: Mappis & lineis caret, cum arcæ veſtræ plenæ ſint. Veſtes ſacræ, caſulæ, albæ, & aliæ ſacrificiis neceſſariæ, detritæ ſunt, ſordidæ, laceræ, & nemo vult obſtringi, nemo manum commodare. Altaria jacent ſqualida & parietes quaſi materiæ depulſæ, ad eorum inſtaurationem nemo vult intendere, cum tamen domus veſtræ ornatæ ſint, pavimento vario ſtratæ, laqueatæ & ſplendidæ.

An non ergo meritò exprobrat vobis Dominus: *Domus mea deſerta, & unuſquiſque feſtinatis ad ex-* Ibid. v. 9. *ornandam domum ſuam?* Hoc quotidie videmus (& dolemus) in variis parochiis: ubi etiam nobiles & abundantes in ſæculo commorantur, qui vix regalem unum impendere volunt pro decore domus Dei, cum tamen in vanitates & convivia aliaque ſuperflua, ſint profuſiſſimi. Plebs quoque communis dum de ornatu domui Dei neceſſario agitur, ſtatim inopiam allegat & obmurmurat, cum tamen multò graviorem pecuniæ ſummam in neſcio quæ parata ſit, vel cogatur erogare. Sic noſtro tempore, cum renovatum fuit præceptum de lampade coram Venerabili Sacramento nocte dieque accendenda, vidimus multas parochias impoſſibilitatem quandam ob plebis inopiam objeciſſe, & non paruiſſe: & ſtatim poſtea, etiam plura millia in extraneos milites oportuit profundere, & ad manum mox adfuere.

Itaque licet varia noſtra peccata agglomerata divina ſuper ſe advehant flagella, morbos & ſterilitates, ac fructuum vaſtitates, inter primarias tamen hujuſce rei cauſas meritò numeratur neglectus & contemptus rerum ſacrarum & divinarum. Sed & inter primarias rectè cenſebimus ingratitudinem noſtram, qua abutimur Dei donis etiam temporalibus. Conqueritur de hoc per Prophetam: *Ego dedi* Oſee. 2.8. *eis frumentum, vinum & oleum, argentum & aurum, quæ fecerunt Baal*, hoc eſt, illa obtulerunt idolo Baal. Sic multi inter Chriſtianos bona quæ acceperunt à Deo, ſacrificant idolo Bacchi aut Veneris, dum illis abutuntur ad luxurias, voluptates, commeſſationes, ebrietates, & alia ſcelera. Nempe, nos Deo è diametro contrarii ſumus: ipſe à malis bona ſolet elicere, quaſi mel de felle, aut de veneno medelam, de vipera theriacam. Nam de malis pœnæ quibus nos affligit, elicit correctionem & converſionem noſtram, è malis culpæ univerſalem elicuit redemptionem, & ex multorum ſceleribus, abundantioris gratiæ ſumit occaſionem, quaſi apis argumentoſa de viſceribus leonis mortui, mellis abundantiam. Nos vero contra de bonis mala ſolemus educere, non ſicut apes mel, ſed ſicut bufones de floribus venenum, aut de melle fel amarum, de donis enim Dei ſumimus peccati occaſionem. Sic videmus multos de ſanitate & viribus corporis ſumere audaciam præſumptionem; de pulchritudine, voluptatis occaſionem; de potentia & authoritate, tyrannidem; de miſericordia Dei, in peccatis perſeverantiam; de opibus arrogantiam, de fœcunditate terræ & abundantia, Dei oblivionem & innumera alia peccata: *Prodiit quaſi* Pſ. 72.7. *ex adipe iniquitas eorũ, & tranſierunt in affectũ cordis.*

Perpende id in Sodoma. Quænam enim in illa fuit tot ſcelerum origo? *Hæc fuit iniquitas Sodo-* Ez. 16.48. *mæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, otium ipſius & filiarum ejus, & manum egeno non porrigebant.* Eadem cernitur radix ſcelerum in populis Chriſtianis, qui ubi abundant, recalcitrant contra Deum, quaſi equi effrenes, impinguа-

Digitized by Google

pinguati: *Incraſſatus eſt dilectus & recalcitravit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus: Dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo.*

Deut. 32. 15.

Videre licet, quomodò plebei homines, ubi paululum abundant, ſtatim ſe otio dedunt, luxuriantur, popinas frequentant, in comeſſationes & ebrietates omnia perfundunt; ex ebrietate contentiones & rixæ, ex rixis homicidia & alia flagitia conflantur; ſic panis abundantia, omnis eis peccati & infelicitatis mater eſt. At ubi egeſtate vident ſe confici, ſedulò operantur, humiliantur, non popinas, ſed Eccleſias frequentius adeunt, Dei & ſalutis memores ſunt, ingemiſcunt ſub egeſtatis flagello, & agnoſcunt Dei vindicem manum peccatorum ultricem.

Fames & ſterilitas juſtitia divina ſunt ſatellites.

Sterilitas, egeſtas, fames, vaſtitas, ſunt velut juſtitiæ divinæ ſatellites, inobedientiæ & diſrupti cum Deo fœderis ultores, quos in varias mittit provincias ſibi rebelles. *Vocavit famem ſuper terrã & omne firmamentum panis contrivit.* Vocavit famem, quaſi executorem juſtitiæ ſuæ, qui peccatores comprehendat in angustiis ſuis, & reducat ad judicem. Sic fames compulit prodigum redire ad Patrem, & cum ſenſiſſet ut Judicem, tunc agnovit & Patrem. Omnes ergò creaturæ Deo obediunt, ad hominis obſequiũ vel vindictam. Sol eſt ſervus, cui præcipit orbem perambulare, & illum quaſi face flammigerâ illuſtrare. Luna eſt ancilla, cui præcipit cucurrire, & noctem tenebris horridam, vultus ſui ſpecie & ſplendore illuminare: *Fecit Solem in poteſtatem diei: Lunam in poteſtatem noctis.* Sic & Stellæ fulgore ſuo, ad idem ancillantur. Mare ſervus eſt inquietus & tumultuoſus, cui tamen terminos præfigit, quaſi dicens: *Nolo ultrà progrediaris: Hic confringes tumentes fluctus tuos,* limitat quoque ei horas fluxus & refluxus. Terra eſt ancilla, quæ ad ejus nutum producit herbas, frutices, arbores, & omnia hæc ad obſequium hominis. Quandò ergò homo ipſi rebellis eſt, cùm cæteræ obediant creaturæ, tunc omnibus his utitur ad vindictam: *Armat creaturam ſuam, & pugnat contra inſenſatos.* Sol ardore ſuo uſtulans ei nocet: Luna cœlumq; malignis influentiis morbos ei creant: aër, mare & alia elementa, pluviis, tempeſtate, inundatione in eum conſpirant: *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, faciunt verbum ejus,* hoc eſt, adimplent imperium Dei vindicis, nocendo terræ frugibus. Ipſa tellus licet vario labore ſubacta, exculta, impinguata, denegat fructum ſuum illi, qui Creatori ſuo denegat obedientiam.

Pſ. 104. 16.

Pſ. 135. 8.

Job. 38. 11

Sap. 5. 18.

Pſ. 148. 8.

PROPOSITIO II.

Efficax præſidium ad avertendum hoc flagellum eſt humilis & pia plebis Oratio.

Oratio eſt efficax præſidium adverſus hoc flagellum. Eccleſia inſtituit preces & ſupplicationes per agros, delatis etiam Sanctorum Reliquiis, ut loca ſanctificentur, & benedictione repleantur, & fructus terræ conſerventur à fulgure, tempeſtate, aut alià vaſtatione.

Eccleſia ad hunc finem, publicas quotannis inſtituit preces & ſupplicationes per agros, delatis etiam Sanctorum Reliquiis, ut loca ſanctificentur, & benedictione repleantur, & fructus terræ conſerventur à fulgure, tempeſtate, aut alià vaſtatione. Has ſupplicationes, cruces, ac rogationes vocamus, quia in illis vexillo crucis præcedente, ſequitur clerus & populus, quaſi exercitus Chriſtianus militans ſub hoc labaro Regi ſuo crucifixo, ſupplicans meritis crucis ſuæ, ab omnibus adverſis protegi; ut liberiori mente poſſit ſervire huic Regi & Domino, & ejus gloriæ militare, ſi etiam temporalibus non deſtituatur auxiliis, aut involvatur calamitatibus. Undè verò initium ſumpſerint hæ annuæ Cruces & Rogationes, paſſim reperies; ideò hic repetere ſupervacaneum judico.

ne inſtituas proceſſiones, &c.

Neque verò mirum, Chriſtianos ſupplicationes indicere pro avertenda ſterilitate & fructuum terræ vaſtitate, dum vel nimiæ pluviæ, vel nimiæ ſiccitatis ardor minatur; nam & Gentiles tunc ad idola ſua ſoliti erant recurrere. Maximè verò ad idolum Solis ſupplices accedebant, cui fœcunditatem & ſterilitatem adscribebant. Hoc imitati videntur Judæi tempore Joſiæ, qui inter cæteras ſuperſtitiones & abominationes, *abſtulit quoque equos, quos dederant Reges Juda Soli, in introitu Templi Domini, currus autem Solis combuſſit igni.* Aliqui interpretes in hunc locum dicunt, Gentiles ſolitos alere certos equos publico ſumptu (& ipſorum imitatione Judæos,) quibus cum quadriga veherentur illi, qui quotidie deſignabantur, ut ad montem certum procederent, Solem orientem adoraturi & ſaluturi. Alii dicunt hos equos ſervire ſolitos ad ſtatuam Solis, quam adorabant, per vicos ſolemniter circumducendam, maximè imbrium inundantium tempore, ut ab illo ſerenitatem impetrarent. Quod conforme eſt Macrobio ſic ſcribenti: *Heliopolitani colebant Apollinis ſive Solis ſimulacrum, totum aureum, ſpecie imberbi, dextrâ levatâ cum flagello auriga, lævâ tenens fulmen & ſpicas & vehebatur hoc vehiculo in pompa ludorum Circenſium, (ſicut & Deorum imagines derelicti colebant) & ſalutabant plerique Provinciæ Proceres, raſo capite, longi temporis captivonia puri.* Aliqui tamen exiſtimant non fuiſſe veros equos, ſed tantum equos ſculptos, quos poſuerant Reges Judæ ante ſtatuam Solis, quæ ſolet in quadriga collocari & deſcribi.

1. Reg. 23. 11.

Macrob. l. 1. Satur.

Nos interim non ad Solem materialem recurrere oportet, aut illi adſcribere, vel in ſolas cauſas naturales referre calamitates, quas patimur; ſed in manum Dei vindicem, ex qua flagellum multis modis excutere poſſumus.

Calamitates ſunt à manu Dei, ex qua flagellum extorquemus. Per Proceſſiones cum Venerabili Sacram.

Primò itaque per Proceſſiones ſacras, *verum Solem juſtitiæ Chriſtum ſub nube ſpecierum*, cum ſolemni adoratione circumducamus, qui cœlum poteſt claudere vel aperire, & nobis dare de rore cœli & pinguedine terræ abundantiam, quatenus congruit nobis juxta ejus promiſſum Levitic. 26. *Si mandata mea cuſtoderitis, dabo vobis pluvias temporibus ſuis, & terra gignet germen ſuum, & pomis arbores replebuntur.* Vide cætera eodem textu. Ipſe eſt, qui aquas ligat in nubibus, ut non erumpant pariter deorſum, inquit Job: vult illas ad

Levit. 26. 3.

Digitized by Google

ad nutum ſuum guttatim defluere, ad irrigandam terrâm: & in peccatorum pœnam eas quandoque detinet, quandoque nimiâ copiâ & impetu defluere permittit, ut terram cum fluctibus diſperdat. Ipſe eſt panis de cœlo verus, qui omnem nobis non ſolum ſpiritualem, ſed materialem panem ſuppeditat. Illi terræ fœcunditas adſcribenda, non Ceteri Deæ fictitiæ. Ipſe ſolus terræ Dominus, ſegetes creans & multiplicans, ab ipſo ubertas frumenti, vini & olei, non à Baccho aut Libero patre, ut finxêre Poetæ. Ipſe ſolus aeris Dominus tempeſtates & ventos concitat aut compeſcit, non Juno, non Æolus. Ipſe dominatur mari, ut ad ejus nutum exundet, & calamitates invehat, non Neptunus falſus Deus. Ipſe in Sole poſuit tabernaculum ſuum, lumen ei miniſtrans, & vim penetrandi aerem & & viſcera terræ fervore ſuo, quandoque in hominis commodum, quandoque ardore nimio in vindictam & nocumentum: Procul ergò figmenta idololatrarum cum ſuo Phœbo aut Apolline. Ipſe eſt, qui fulgur fulmenque manu ſuâ tenet, qui cœlum moderatur, illudque in peccati pœnam quandoque æneum reddit, vel quaſi ferreum, ut loquitur Scriptura: Cùm ſcilicet nihil roris aut pluviæ ab illo defluit, nihil hic poteſtatis habet Jupiter, fruſtrà ab infidelibus tunc invocatur.

Deut. 28. 23.

Habemus exemplum in vita S. Porphyrii. Apud Gentiles Gazenſes anno 398. gravis ſiccitas accidit. Cives verò omnes id adſcribebant ingreſſui B. Porphyrii Epiſcopi, dicentes: Nobis reſponſum dedit Marna, Porphyrium fore authorem malorum civitati. (Erat verò Marna idolum eorum & dicunt eſſe Jovem.) Cum ergò per plures menſes non plueret, congregati idololatræ in Marnæo, multa ſacrificia & preces ea de cauſa faciebant. Dicebant enim Marnam ſive Jovem ſuum, eſſe Dominum imbrium. Cùm autem dies ſeptem perſeveraſſent hymnos ſuos canentes, & orationem facientes; animum deſpondentes, reverſi ſunt ad opera ſua. His ſic factis, congregati ſunt Chriſtiani cum viris, fœminis, & pueris ducentis & octoginta: rogaruntque S. Porphyrium, ut cum eis egrederetur ad locum orationis pro pluvia, eò quod eſſet fames, & eò magis, quod ejus ingreſſui adſcriberent ſiccitatem. Indixit ergò jejunium, & omnes in Eccleſia congregati ſunt, Vigilias peracturi. Manè facto, accepto ſigno Crucis, egrediuntur ad Eccleſias extrà civitatem, in qua Martyrum erant Reliquiæ, & ibi preces fundunt. Cum autem redirent, invenerunt civitatem clauſam, idololatræ enim id fecerant, volentes diſſipare populum, ne perficeret ſupplicationes. Cùm autem horis duabus ad portam ſtetiſſent, & nemo aperiret, reſpiciens Deus populi patientiam, vota ac lachrymas, ſicut tempore Eliæ movit ventum Auſtrum, & nubibus cœpit tegi cœlum, & fulgura fieri, & tonitruâ, & imber plurimus defluebat, perſeveravitque totâ nocte & altera die. Quidam verò Gentiles aſpicientes miraculum, portam aperuerunt, & commixti Chriſtianis clamabant: Chriſtus ſolus Deus, ipſe ſolus vicit. Et convenerunt in Eccleſiam cum Chriſtianis centum viginti ſeptem, & fœminæ 35. & pueri 14. quos omnes Chriſti ſignatos ſignaculo, Vir Beatus dimiſit in pace & gaudio.

Surius in vita S. Porphyrii 26. Feb. ex Metaph.

Secundò recurrendum ad B. Virginis patrocinium: Hæc eſt enim Sole ſpecioſior, Lunâ pulchrior, Aurorâ rutilantior, Stellis præclarior: quæ in omni tribulatione & anguſtia miſeris ſuccurrere eſt parata, ut canit Eccleſia. Hujus interceſſione ad nos defluunt etiam temporalia dona, ita ut fons ſit aquæ ductus, per quem ad nos defluit, non ſolùm aqua ſpiritualis, ſed & materialis ubi neceſſaria eſt: & in afflictos per illam derivatur omnis conſolatio.

2. Recurſum ad B. Virginem.

Hinc ſpeciales ad eam ab Eccleſia diriguntur Litaniæ, Antiphonæ, Orationes, quæ ſæpius favorabilem ſucceſſum impetrârunt, & a malis liberationem.

Notum eſt, quomodò tempore D. Gregorii dum circumferretur imago B. Virginis, audita ſit vox Angelorum canentium: *Regina Cœli lætare, Alleluja.* Et corruptiſſimus aer omnes inficiens lue peſtimâ, ſtatim diſſipatus eſt. Quam hiſtoriam retulimus alibi pleniùs.

Legimus quoque in hiſtoria belli Chriſtianorum Principum contra Turcas, B. Virginis precibus, Chriſtianos fame preſſos & hoſtibus, liberatos fuiſſe, cùm tamen de vita diffiderent. Epiſcopo enim cuidam Podienſi apparere dignatus eſt Chriſtus, & cum eo B. Virgo & D. Petrus Eccleſiæ Paſtor & Protector. Cùm enim in quadam Eccleſia B. Virginis, nocte ſomnum caperet, oſtendens ſe ei Chriſtus, ait: *Agnoſcis me?* Cui ille: *Qui es Domine?* Tunc in capite Salvatoris Crux cœpit apparere. Et iterùm interrogat: *An modò agnoſcis?* Reſpondet ipſe: *Non aliter agnoſco, quàm quia in capite tuo Crucem video, ſicut in imaginibus Domini noſtri ſolet.* Intelligens ergò Chriſtum Dominum eſſe; ſtatim proſternit ſe ad pedes ejus, & obſecrat, ut Chriſtianis fame oppreſſis ſubveniat. Cui Dominus: *Non ſatis tibi videtur, quod hactenùs eos in omnibus bellis juverim, ſuperiores eos efficiens: quod-que Niceam civitatem eis tradiderim? Scias verò, tribulationes, quas modò patiuntur, eis obvenire ob multa nefanda, quæ operati ſunt cum mulieribus Chriſtianis ac paganis.* Tunc Beata Virgo & Petrus prociderunt ad pedes Chriſti Domini, intercedentes, ut populi ſui miſereretur, quorum precibus placatus Chriſtus ait Epiſcopo. *Vade & dic populo meo, ut revertatur ad me, & ego revertar ad eum, & infra quinque dies mittam eis auxilium, interim quotidiè cantent iſtud Reſponſorium: Congregati ſunt inimici noſtri, & gloriantur in virtute ſua, contere Domine fortitudinem illorum &c.* Ille ergò viſione completâ, a ſomno excitatus, gratias Deo agens procedit ad Principes obſidentes Antiochiam, & illis lætò animo inclamat: *Otelligeratores Regis æterni, ex parte Salvatoris omne vobis annuntio gau-*

Robert. Monachus l. 7. de bello contra Turcas.

Digitized by Google

gaudium, ipſe per me benedictionem vobis tranſmittit. Exponitque eis totam viſionem, & ſuper Crucem ac Evangelium ſolemniter viſionem hanc coram cunctis juramento aſſerit, addens: Si mendax inveniat, hoc ipſum corpus meum omni tormento exponite. Tuncque juſſit aſſerri Crucem & Evangelium, ut coram cunctis juraret ita eſſe. Ita Robertus Monachus de bello Chriſtianorum Principum contra Turcas l. 2.

2. *Per refugium ad Sanctos.*

Tertiò refugium habere debemus ad Sanctos, quos Deus miraculis clarefcere voluit, & honorari tanquam Patronos, his in neceſſitatibus & flagellis. Solebant Hebræi juxta diverſas afflictiones, diverſorum SS. quærere interceſſiones: contra ignis incendium, Danielem; contra pluviæ inundantiam Noe; pro captivitate avertenda Judith; pro ſiccitate & ſterilitate Eliſæum ſolebant invocare & Eliam; quia hic tribus annis Cœlum clauſum aperuit, ut plueret; Ille terram Hiericho & aquas ejus ſteriles, immiſſo ſale, fœcunditate donavit. Sampſonem quoque ac Moyſen in ſiccitate invocabant, quia Moyſes è Petra, Sampſon è maxilla aſini aquas eduxit. Sic poſſumus & nos imiti novi teſtamenti Sanctos, dum ſimili clade premimur, aliquos ſpecialiter invocare. Invocari poteſt Divus Clemens, qui precibus ſuis quaſi alter Moyſes, convertit petram in ſtagna aquarum. Dum enim Chriſtiani à Trajano trans mare Ponticum in ſolitudinem relegati & condemnati ad marmora eruenda & ſecanda, penuria & ſiti extrema laborarent; Clemens facta oratione in vicinum collem aſcendit, in cujus ſummitate vidit Agnum, dextro pede terram attingentem, & fontem aquæ dulcis educentem, qua omnes ſitim expleverunt, eoque miraculo multi infideles ad fidem converti, Clementis ſanctitatem venerari cœperunt. Et poſtea Eccleſia in illo Inſulæ loco unde divinitus fons emanarat, Clementis nomine dedicata eſt.

De S. Clemente Brev Rom. 23. Nov. in 2. nocturno lect. 5.

De S. Hilarione.

Similiter invocari poteſt Div. Hilarion, de quo refert Antonius, inter cætera prodigia eum oculos manuſque cum fiducia in Cœlum elevando, pluviam de cœlo impetraſſe, cùm poſt mortem Beati Antonii, jam quatuordecim menſibus ſiccitas omnia devaſtaret: ita ut populus exiſtimaret aſtra, cœlumque in hominum quandam oblivionem veniſſe & mortem D. Antonii lugere, qui eo anno è vivis exceſſerat.

Solet & invocari S. Follianus, cujus corpus in Oppido Foſſenſi requieſcit; & cum ſiccitas vaſtitatem minatur frugibus terræ, ſolet celebri populorum concurſu corporis ejus ſacrum pignus, per agros ſolemni proceſſione deferri, quia ejus beneficio ſterilitatem depulſam, pluviamque terris datam ſæpius experti ſunt populi Belgici.

Eccleſia quoque Atrebatenſis habet inter Reliquias ſacras lanam quandam (quæ vulgò Manna dicitur) & è cœlo fluxiſſe aſſeritur, ac fertilitate terram illam donaſſe. Unde & illa demonſtratur ſtatuto tempore: nempè in maxima aeris terræque ſiccitate, ad eliciendam implorandamque è ſuperis pluviam. Sed & annuè Dominica ſecunda poſt Paſcha, ejus memoria recolitur, in qua Miſſæ introitus eſt: *Miſericordia Domini plena eſt terra.* Et annua ſit gratiarum actio de adepta agrorum fertilitate, vocatque vulgus feſtum Mannæ: Clerus verò vocat feſtum Reliquiarum. Recolitur ergò tunc beneficium illud quo Atrebatenſis ditio, cum planè foret arida, & veluti maledicta, anno quadringenteſimo tertio ſummam accepit fertilitatem, quam hactenus conſervat. Hanc autem fertilitatem accepit a Deo (ut ſcribit Paulus Orozius) vera lana de nubibus pluviæ mixtæ defluente. Et etiam Atrebati memoratiſſimus Cereus, illuminatus anno milleſimo nonageſimo quinto, qui quotidie veſperi ſub Laudibus incenditur, & nunquam deficit, multiſque miraculis eſt illuſtris. Fuſè refert de hoc Cereo Buzelinus in Annalibus Gallo Flandriæ lib. 5. anno 1096.

Pſ. 32. 5.

Orozius Lib. 7. Molanus in SS. Belgii.

LECTIO VIII.

DE CONDITIONIBUS BONÆ ORATIONIS.

BONÆ ET EFFICACIS

ORATIONIS PRIMA CONDITIO.

I. *Conditio Orationis eſt Mentis attentio & pia voluntatis affectus.* 1. Cor. 14 15.

PRima *Orationis bona & efficacis conditio eſt, ut fiat ex mentis attentione & pio voluntatis affectu.* Declaratur id ex ipſa definitione, quæ deſiniri ſolet, *Elevatio mentis in Deum.* Attentio itaque & affectus, ſunt velut duæ rotæ, quibus anima ad Deum volvitur & elevatur: Sunt velut duæ alæ, quibus mens ad cœleſtia, & ad Dei Thronum fertur; & ſine his Oratio non aſcendit, ſed ſuper terram repit, & ſine fructu perit. Unde Apoſtolus: *Orabo ſpiritu, orabo & mente, pſallam ſpiritu, pſallam & mente,* q. d. Non ſolum ſpiritu oris, ſed & ſpiritu cordis & mentis meæ orabo, ut oratio mea non ſit ſine fructu, qualis foret ſi ſolis fiat labiis ſonantibus, corde & mente aliud volventibus aut agentibus. Idè innuit Chriſtus, dum dicit: *Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem in abſcondito,* Tria enim ibi indicantur. Primò: Diligenter cavendum omne vanæ gloriæ ſtudium, quia bonis operibus inſidiatur; & facillimè irrepit in ipſam etiam orationem, tanquam tinea aut vermis eam corrodens, & totum ejus fructum perdens: monet ergò, ut quantum poſſumus, occultè oremus, alieni ab omni laudis humanæ deſiderio, quod ſi publicæ etiam orationi incumbamus, ſic tamen Deum ſolum ſpectemus, *ut opus ſit in publico, intentio maneat in occulto.*

Matt. 6. 6.

1. *Cavendum ab inani gloria.*

Greg. hom. 11. in Evan.

Secundò, juxta Auguſt. monet Chriſtus orantem, interius cordis ſui cubiculum ingredi, ut ibi

1. *Cordis cubiculum intrandū.*

purius, ferventius, familiarius & liberius, Deum poſſit alloqui,& audire loquentem: *Loquitur enim pacem ſuper eos qui convertuntur ad cor*, inquit Pſalmiſta: Et animæ à tumultu cogitationum ſecedenti ad interiora mentis & ſolitudinem cordis, arcana ſua pandit, ſuas eam lætat cœleſtibus beneficiis, & loquitur ad cor ejus,ut dicit Oſee. Intrare ergò orantem in cubiculum non aliud eſt,quam in cor ipſum deſcendere,& revocare ſe ad ſe,affectus fugitivos & variis locis velut captivos,cogitationes undequaque diſperſas congregare & ſeipſum recolligere in oratione. Sic & Pſalmiſta videtur corda appellaſſe cubilia;dicens: *Quæ dicitis in cordibus veſtris,in cubilibus veſtris compungimini.*

Auguſt. Pſal. 84. Oſe.2.14. Pſ.4.5.

3. *Porta cordis claudenda turbis cogitationum.*

Tertiò monet claudere oſtium, quia parum eſſet intrare in cubile cordis noſtri, niſi januam claudamus hoſtibus & importunis perturbationibus. Portæ cordis noſtri ſenſus noſtri ſunt, per quos in illa quæ foris ſunt,improbè ſe ingerunt,& nos interturbant. Vult ergò ut omni cuſtodia cor noſtrum cuſtodiamus, & advigilemus ne per ſenſum carnalem, importunæ cogitationes & ſolicitudines tumultuoſæ illabantur menti,dum oramus: Verùm,quantumlibet exteriùs pulſent & importunæ ſint, ſi feram obſeratam teneamus, & per conſenſum non aperiamus,ad cordis conclave non penetrant, nec nocent, aut orationis fructum immmuunt. Si verò oſtium aperiamus, aut operculum cordis profanis illis cogitationibus detegamus, tunc illæ tanquam fœtidæ muſcæ conſputcant & inficiunt ſuave & odoriferum unguentum orationis,juxta id quod dicit Sapiens: *Muſca morientes perdunt ſuavitatem unguenti.* q.d. Sicut muſcæ illæ fœtidæ quæ ſtercoribus inſidere ſolent, immergentes ſe in unguenta pretioſa mori ſolent, & corruptionem fœtoremque inducere, & ſuavem unguento odorem auferre: Ita cogitationes & affectiones ptavæ (quæ nos circumvolutant ſicut muſcæ, & pungere aculeum infigere ſolent)niſi continuò abigantur, perdent fructum & ſuavitatem orationis,quæ tanquam unguentum pretioſum coram Deo & Angelis fragrantem odorem ſpargit, & tanquam *virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii*, ad Thronum uſque Dei aſcendit. Abigendæ ergò ſunt magna diligentia muſcæ iſtæ. Et ſicut Abraham cum ad occaſum Solis ſacrificium offerret, diligenter & muſcas & aves abegit, ne oblatum ſacrificium vel macularent vel raperent: *Sic nos cum in ara cordis holocauſtum Deo offerimus, ſtudioſè ab immundis volucribus cuſtodiamus,ne malignus ſpiritus & perverſæ cogitationes rapiant quod mens noſtra offerre ſe Domino utiliter ſperat*, ait D. Gregorius.

Eccl.10.1. Cant.3.6. Gen.15.11 Greg. li. 16.mor. c.20.

Certè ſi unquam, maximè in oratione cor revocandum eſt, & ſtudioſè cuſtodiendum ac Deo offerendum. Verùm, plurimi ita illud habent diſperſum,alibi captivum, rebus ſuis totum immerſum, ut conqueri cogatur Dominus: *Populus hic labiis me glorificat,cor autem ejus longè eſt à me.* Ubi ergò eſt? In agris, in officinis,in mercaturis, in uſuris, conviviis,ludis,tripudiis,in ſæculi negotiis, in arte ſua & inſtrumentis. Hos deſcribens Eccleſiaſticus ait: *Qui tenes aratrum & ſtimulo boves agitat, cor ſuum dabit ad verſandos ſulcos,& vigilia ejus in ſagina vaccarum. Si omnis Faber & Architectus qui ſculpit ſignacula ſculpſilia, & aſſiduitas ejus variat picturam, cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ. Sic Faber ferrarius ſedens juxta incudem, & conſiderans opus ferri, cor ſuum dabit in conſummationem operum. Sic Figulus ſedens ad opus ſuum cor ſuum dabit ut conſummet linitionem, & vigilia ſua mundabit fornacem. Omnes hi quia in manibus ſuis ſperaverunt*, ita operibus ſuis & lucro cor affigunt, ut vix illud etiam breve tempus Deo dare vel commodare poſſint. Eccl. 38. 26.

Verùm non ſolum illis, ſed & maximæ parti hominum contigit cùm orationi vacandum eſt, maximam pati difficultatem, ut cogitationes ſuas volubiles, diu in Deo fixas tenere poſſint. Unde conguntur conqueri cum Propheta: *Cor meum dereliquit me.* Quo enim conari magis videntur, ut illud revocent, & ad cœleſtia elevent, eo magis divagans,& in varia diſtractum longiſſimè fugere videtur. Quærent verò conſcientiæ timoratæ,an id ſemper hominis culpa accidat,an ideò oratio deſerenda ſit. Pſ. 39.13. *Diſtractiones unde oriantur.*

1. *Ex corruptione naturæ.*

Reſpondendum eis, id ex triplici radice procedere. Primò ex vulnere primævo & corruptione naturæ, quæ per peccatum primum adeò eſt depravata, ut anima perdiderit imperium quod habebat ſuper potentias ſuas, ita ut imaginatio tanquam ſervus fugitivus, clam erepat etiam ſine ejus ſenſu & aſſenſu. Unde non eſt ſemper vitrum hominis,ſed labes naturæ corruptæ, quæ etiam in viris perfectis reperitur. Aliquibus tamen in ſignum ſanctitatis & benevolentiæ ſpecialis, videtur Deus quoddam dominium in cogitationes reddidiſſe, ut cum illi vacare vellent, ſtatim id ſine obſtaculo poſſent, corde eorum ad divina cum ſumma quiete,& ad Deum cordis effluente. Sic de B. Francisco legimus, cùm oraturus Eccleſiam ingrederetur ſolitum dicere: *Manete hic cogitationes mea, donec egrediar, & ubi opus Dei complevero, ſi indigere me vobis contingat,iterum vos aſſumam.* Sic & B. Lutgardis tanta quiete & familiaritate divina utebatur,ut cum Chriſto aliquando ſuaviter in oratione jungeretur, ſi ob aliquod negotium evocaretur, ejus vitæ Surius 16. Jun. Deſ. Francisco. Deſ. Lutgardis et Tho. Cantipr. in

Iſa.29.13.

velut

velut animo expeditè aſcendentes, dicentes cum Abraham negotiis aut occupationibus ſuis: *Cùm adoraverimus revertemur ad vos.* Hoc quantum in nobis eſt, imitari debemus, nam & ideò ad ingreſſum templi, vas aquæ benedictæ apponi ſolet, ut cum ad orandum ingredimur, ibi cogitationes interturbantes immergamus & ſepeliamus in aquis, quaſi Ægyptios, qui nos à ſacrificio impedire volunt & ad lutum & paleas revocare conantur, dum divino operi vacare volumus. Gen. 22. f.

2. *Ex prava conſuetudine.* Altera radix diſtractionum eſt prava noſtra conſuetudo, quâ longo uſu & nimiâ licentiâ permittimus imaginationem per omnia evagari: adeò ut cùm eam uni objecto ſacro figere decernimus, libertati aſſueta evolet ad alias ineptias, & cor ſecum velut captivum & per varia trahat & circumducat. Undè merito conqueri poſſumus verbis D. Bernardi: *Nihil eſt in me corde meo fugacius, quod quoties me deſerit, & per cogitationes pravas defluit, toties Deum offendit. Cor meum, cor vanum, vagum & inſtabile, dum ſuo ducitur arbitrio, & divino caret conſilio; in ſeipſo non poteſt conſiſtere, ſed omni mobili mobilius, per innumera huc illuc diſcurrit.* S. Bern. medit. c. 9

Simile de molendino. Sortitur verò cor humanum cogitationes, juxtà illud quibus frequenter involvitur. Si enim terrena frequenter tractes, terrenas parturit cogitationes, ſi cœleſtibus aſſuefias, cœleſtes. Undè rectè comparatur molendino, quod continuò volvitur, & farinam parit juxtà appoſitum ſibi granum: ſi enim triticum aut ſpeltam appoſueris, optimam reddit farinam, ſi paleam, arenam, aut ſordes, reddit & immunditiam. Hæc eſt comparatio D. Bernardi dicentis: Sicut molendinum velociter volvitur, & nihil reſpuit; ſed quicquid imponitur molit, ſi autem nihil apponitur, ſeipſum conſumit. Sic cor meum ſemper eſt in motu & nunquàm quieſcit, ſed ſive dormiam, ſive vigilem, ſomniat & cogitat quicquid occurrit. Et ſicut molendinum arena ſi imponatur exterminat, pix inquinat, palea occupat, ſic cor meum cogitatio amara turbat, immunda maculat, vana inquietat & fatigat. Ita Bernardus hac de re ibidem pluribus diſſerens.

Oportet verò paulatim frænum injicere imaginationi, & cor per varia vagari aſſuetum, paulatim à terrenis ad cœleſtia, ab exterioribus ad interiora revocare. Cum orationi vacandum eſt, oportet prævia aliquâ conſideratione à fluctibus tumultuantium cogitationum ad quietem aliquam illud componere, ut in Deum erigi poſſit. Velle enim à turbidis occupationibus, ad orationem ſubitò irruere ſine aliqua animi recollectione, potiùs eſt Deum tentare & irritare, quàm orare. Eccl. 18. 23 Hinc monet Eccleſiaſticus: *Ante orationem prapara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo, qui tentat Deum.* Tentat Deum, eſt velle Deum aliquid facere ſine mediis ordinariis, quæ requirit: & ſic optare, ut Deus animæ infundat devotionem, & nullo modo ad eam ſe componere, eſt Deum quodammodò tentare & irritare. Sicut enim non poteſt inſtrumentum muſicum aliud edere, quam ſtrepitum confuſum, niſi chordæ & fides prævie diſponantur: Ita nec animus coram Deo in oratione, niſi prævià conſideratione componatur. Optimum ergò eſt Divinitatis præſentiam mente apprehendere & conſiderare: *Quis ſis, de qua re, & quem alloquaris.* Tu vilis creatura & ingratus peccator, abyſſus vanitatis, coràm Throno divinæ Majeſtatis Angelicis cincto Legionibus contremiſcentibus quodam timore reverentiali, tractas de negotio omnium maximo, de peccati remiſſione, de juſtificatione, de animæ ſalute, de gloria æterna. Si coràm terreno Rege, de terreno negotio loquereris, quantâ id reverentiâ ageres? Quid igitur cum Deo tuo? Simile.

Interim fictâ diligentiâ ſi animus ad aſſueta & inutilia, revolvatur, non ideò turbari debet oratio, vel ab oratione ceſſare, ſed agnoſcat miſeriam ſuam corde humiliato, & inſtet cum Chananæa, ut ſaltem micas, tanquàm catellus de menſâ Domini poſſit participare. Non abjiciat animum ſed luctetur & dicat: *Non dimittam te niſi benedixeris mihi.* Frequenter negat Deus in oratione ſpiritum devotionis, ne ſibi homo complaceat in illo exiſtimans venire à ſe, & ut agnoſcat eſſe rarum Dei donum, & ſpeciale opus Spiritus divini intus agentis. Hanc verò gratiam ſi non percipiat homo, ſed variis licet fluctuet cogitationibus, non peccat ſi involuntariæ ſint. Obſiſtat ergò & obluctetur, nec fructum, nec meritum orationis perdet. Sic qui adverſo flumine navigant, licet quandoque repellantur & retrocedant, non deſperant, ſed vires ingeminant, & cum conatu remigant. Sic & Abraham non intermiſit ſacrificium, ſed diligenter volucres ſæpè redeuntes fugabat. Quemadmodum cœcus ille Evangelicus non deſinebat inclamare, licet turba inclamaret: Item licet turba & tumultus cogitationum nos increpet ut taceamus, debemus multò magis clamare: *Jeſu Fili David, miſerere mei.* Ipſe enim ſupplere ſolet omnem miſeriam noſtram in oratione contingentem. Gen. 25. 26. Marc. 10. 47. Luc. 8. 38.

Beata Gertrudis, divinum Officium cum aliis Virginibus peragens, ſingula verba attentè pronunciare ſtudebat. Sed cùm ex infirmitate humana ſæpè diſtraheretur, mœſta dixit intra ſe: Et quis fructus provenire poteſt ex hoc ſtudio, cui tanta inſtabilitas eſt conjuncta? At Dominus volens eam conſolari, præſentavit ei digniſſimum illud totius boni Gazophylacium cor ſuum, & dixit: Ecce cor meum oculis mentis tuæ prætendo; cui omnia, quæ per te minus perficere potes, fiduciaiter pro te perficienda commendabis, & ita coram oculis meis apparebunt perfecta. Certè ipſum cor meum divinum humanam fragilitatem, inſtabilitatemque cognoſcens, ſemper cum deſiderio expectat, ut tu ſi non verbis, ſaltem cogitatione committas ei pro te ſupplendum, emendandum, ac perficiendum: quicquid minus per te vales: Lud. Bloſius in Monili c. 3. §. 11.

Igitur quilibet post horas expletas, potest hoc modo orare: *Bone Jesu, propitius esto mihi peccatori: Ego tepidum & distractum servitium, commendo mollissimo corde tuo emendandum ac perficiendum: tibique ipsum offero ad salutem omnium, in unione illius perfectissimæ attentionis, qua tu Patrem orasti, & laudasti in terris. Respondeque quæso, satisfac & supple pro me plenissimè.* Hæc ex Blosio.

3. Ex malitia dæmonum. Surius in vita B. Ægidii.

Tertia radix distractionum est malitia dæmonum, qui ex inveterata invidia in hominem, molestias ei maximas pariunt, cum orationi vacare destinat. Undè B. Ægidius interrogatus; cur dæmones plus adversarentur oranti, quàm alind opus pium exercenti; Respondit: *Si quis litem alicui intendat coram Judice, is cui vis infertur, omni studio laborat, ne contra ipsum sententia feratur: Ita & dæmon facit, nam quando plus homo Deum erat pro suo suorumque salute, litem intendit dæmoni tanquàm animarum prædoni.* Novit scilicet dæmon inæstimabilem orationis fructum, & ideò negotium facessit tunc homini, ut fructum omnem exinanire possit, sæpè & turpissimas & abominabiles cogitationes ingerendo, imò & blasphemias in Deum ac Sanctos.

Plurima hujus rei suppetunt exempla in vita S. Catharinæ Senensis, S. Antonii, S. Francisci, S. Hilarionis. De Hilarione sic loquitur Hieron. Quoties illi nudæ mulieres cubanti, quoties esurienti largissimæ dapes apparuere? Interdùm orantem lupus ululans & vulpecula ganniens transilivit, psallentique gladiatorum pugna spectaculum præbuit, & unus quasi interfectus, & ante pedes ejus corruens, sepulturam rogavit.

Hieron. in vita B. Hilarionis.

Cæterum parum æstimandum est quicquid ingerat dæmon, si invitus illa pateris. Undè Climacus ait: Noli tristari, si dum oras, subtiliissimè inimicus irrepit, animique intentionem clam ut fur avertit: sed bono animo esto, dum semper lubricam revocas mentem. Angelis enim datum est, hujusmodi furibus non parere.

S. Climacus.

Sic cum S. Brigitta orans tentationibus fatigaretur, dixit ei Virgo Deipara: Diabolus explorator invidus quærit impedire bonos dum orant, tu verò filia, quàcunque tentatione pulseris, perfiste in desiderio vel bona voluntate, & conatu sancto prout potes, quia desiderium & conatus pius reputabitur pro effectu orationis. Etsi pravas & sordidas cogitationes ejicere non potueris, tamen pro illo conatu coronam in cœlo recipies; ita tibi proderit illa molestia, modò non consentias tentationi, sed sed tibi displiceat.

Blosius in monili c. 2. §. 5.

Idem dixit Christus B. Gertrudi: Vellem electis meis persuasum esse, quod eorum bona exercitia & opera mihi omninò placeant, quandò serviunt expensis suis: Illi autem sic serviunt; qui licet saporem devotionis minimè sentiant, fideliter tamen ut possunt, orationes & alia pia peragunt, fidentes pietati meæ, quod libenter ea suscipiam. Plerisque ii sapor & consolatio datur, non prodesset eis ad salutem, & meritum valdè minueretur.

Blosius ibidem.

DE MULTIPLICI ATTENTIONE.

Attentio in oratione quænam necessaria sit? 1. Ad verba.

UT verò intelligatur, quænam attentio sit necessaria in oratione, advertendum est multiplicem distingui posse attentionem. Prima est quantum ad verba, ut scilicet perfectè pronuncies, distinctè ac reverenter. Et hæc attentio bona est, & requisita in illis, qui ex obligatione ad preces aliquas obligantur; Debent enim attendere, ne unum pro altero dicant, aut verba Ecclesiæ confundant, cum illa sint ordinata per directionem Spiritus S. Hæc verò attentio communis est doctis & indoctis, maribus & mulieribus, & licet aliquandò error aliquis materialis ignorantibus contingat; parum refert, si modò attendat quis ne erret, animo vacandi per hoc Deo, & officio suo satisfaciendi.

2. Ad sensum verborum.

Secunda attentio est ad sensum verborum, ut percipiat mente, & applicet affectum ad id, quod verbis significat. Et hæc non est planè necessaria, licèt sit melior quàm prima, non enim est communis omnibus, sed solùm doctis, qui sensum precum Ecclesiæ percipiunt & penetrant. Patet ex usu Ecclesiæ, quæ etiam preces latino idiomate proponit indoctis, imò & communi populo: quæ tamen propterea non sunt sine fructu, quia verba sunt Spiritus S. & in illis etiam à non intelligente pronunciatis, orat Spiritus Ecclesiæ; Spiritus columbæ, postulans pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Licet ergò orans Latinè, & non intelligens, non pascatur intelligentia & sensu precum, habet tamen fructum devotionis ergà Deum, & reverentiæ erga preces sacras. Imò tales plus sæpè merentur & impetrant, quàm hi qui intelligunt, si majori humilitate, pietate & devotione orent.

Surius in vita ejus 16. Junii.

Ostendit id Deus in sancta Virgine Lutgarde. Huic talem gratiam contulerat; ut contactu salivæ vel manus, morbos statim curaret. Cum verò hominum frequentia in oratione sæpius impediretur, dicebat: *Quorsum Domine hac gratia totiès impediens, ne tibi vacare possim? Aufer eam à me, sed meliori dono commuta.* Respondit Dominus: *Quid verò petis?* At illa. *Cupio intelligere Psalterium, pro majori devotione.* Præstitit ei Deus, sed vidit illa ex hac gratia, se non adeò proficere, ut sperârat; reverentia enim velati mysterii, mater est devotionis, & res celata avidiùs quæritur, & majori veneratione concupiscitur. Iterum ergò dixit Domino: *Quid attinet ad me simplicem & idioticam Monialem, Scriptura arcana nosse? Potius ergò Domine, cor tuum mihi tribue, & cordis tui amorem cordi meo sic attempera, ut in te cor meum possideam omni tempore, tuâ protectione securum.* Dedit ergò Dominus ei quod petierat; & ex eo tempore facta est quædam commutatio cordium, vel potius unio spiritus creati & increati per gratiæ

gratiæ excellentiam. Deinceps enim Chriſtus ita cordi Virginis inhæſit eam protegens, ut nec tentatio carnis, nec turpis cogitatio eam infeſtârit, vel momento.

Preces Monialium ſenſum non intelligentium placent Deo.

Patet ergò hujus Virginis exemplo, non minus ſæpè valere preces, licet ſenſus ignoretur, nec minus Deo placere. Undè & S. Jordanes rogatus, an preces Monialium non intelligentium placerent Deo? Reſpondit: *Sicut gemma in manu ruſtici ignorantis pretium, tantum valet ac in manu aurifices, qui pretium novit. Sic & preces tantum valent in ore indocti, quantum in ore docti, qui intelligit.*

In vitis PP.

Sic & libellus ſupplex, qui ab idiota Principi porrigitur, tantum impetrat, quantum, ſi a viro litterato. Propterea etiam Abbas Paſtor in Vitis Patrum, cum quidam ei conquereretur: *Ecce oro & non eſt compunctio in corde meo, quia neſcio virtutem, ſive ſignificationem verbi.* Reſpondit: *Tu tamen orare perge, quia ſicut incantator licet virtutem verborum, quæ dicit neſciat; ſerpens tamen audit & intelligit, & ſubjicitur incantanti: Sic & nos, quamvis ignoremus virtutem eorum, quæ loquimur, Dæmones tamen audientes intelligunt, terrentur, & diſcedunt.*

3. *Ad petita.*

Tertia attentio eſt ad id quod petimus, ſivè ad gratiam quam optamus, puta, remiſſionem peccatorum, caſtitatem, humilitatem, fidem, ſpem, amorem Dei, cœleſtem patriam, & ſimilia, quæ communiter petuntur per Eccleſiæ preces. Hæc attentio etiam ſufficiens eſt & valdè bona. Cum enim omnes orationes ordinari debeant ad gratiam & gloriam æternam: valdè fructuoſum eſt ad gloriam illam æternam electorum attendere & reſpirare, vel ad id, quod medium eſt ad illam, ſcilicet ad gratiæ & virtutum dona, quæ ſunt velut gloria adoptionis filiorum Dei in via, & cœleſtis converſationis inchoatio.

4. *Ad ipſum Deum.*

Quarta attentio eſt ad ipſum Deum, in cujus conſpectu ſtamus, & quem orantes deprecamur, vel ad Chriſtum, vitæ vel paſſionis ejus myſterium aliquod inter orandum conſiderando. Hæc quoque optima attentio eſt, quandoquidem & Eccleſia in memoriam Paſſionis Chriſti preces ſuas ordinat. Sic optimè attendit ad ſacrificium & orationes ibi oblatas, qui ſibi Chriſtum crucifixum repræſentat, aut Redemptionis aliquod myſterium cogitatione volvit, cum tota illa actio Redemptionis & Crucis, ſit rememoratio & quædam renovatio: *Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis.* Similiter & horarum lectio, ſeptempliciter diſtincta, varias Chriſti patientis horas repræſentat; juxta illud:

1. Cor. 11.

Horarum lectio ſeptemplex quomodò attentè perſolvenda?

Matutina *ligat Chriſtum, qui crimina ſolvit.*
Prima *replet ſputis, cæſum dat* Tertia *mortis.*
Sexta *Crucifigit pectus, ſed* Nona *loquetur.*
Veſpera *deponit tumulo,* Completa *reponit.*

Optimum ergò erit has perſolvendo (cum debita tamen verborum pronuntiatione) aſpicere in Jeſum & hunc Crucifixum, ſicut & in omnibus aliis precibus. Quapropter non ſolùm ad diem judicii, ſed etiam ad totum tempus Eccleſiæ referri poteſt illud: *Effundam ſuper domum David & ſuper habitatorem Jeruſalem ſpiritum gratiæ & precum, & aſpicient ad me quem confixerunt, & plangent planctu, quaſi ſuper unigenitum.* Veri Chriſtiani ſunt filii David, ſunt quoque habitatores Jeruſalem, quia de facto habitant intrà muros Eccleſiæ militantis; animo quoque converſantur intra mœnia Eccleſiæ Triumphantis, quæ utraque nomine *Jeruſalem* in ſcriptura deſignantur. His ergò Dominus communicat *Spiritum gratiæ & precum,* quia veri Catholici ter orare ſolent, veſperi, mane, meridie, qui verò de Clero ſunt, etiam ſepties in die. Hic verò Spiritus, monet & movet eos ad memorandam & plangendam Chriſti mortem. Nam propterea ſemper auſpicantur orationem a ligno Crucifixi, omne auxilium implorantes per merita crucis & paſſionis ejus: *Aſpicientes in auctorem fidei & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem.* Et quia pro ipſis illam ſuſtinuit, Crucifixi ſe obſequio totos offerunt. Et quoties ad templa orationis vel ſacrificii gratia concurrunt, toties ad deplorandam Chriſti necem accedunt. Nam & in templis ſtatim ideò Crucifixi imago occurrit, & in Miſſa ejus crucifixio repræſentatur. Et dum elevatio fit hoſtiæ (quaſi Chriſti Crucifixi nova erectio) tunſiones pectorum, & piorum gemitus audiuntur, peccata ſua quæ Chriſto necem attulerunt deplorantium. An non igitur verum eſt de Chriſtianis filiis David, & non ſolum de Judæis: *Aſpicient in me, quem confixerunt.*

Zach. 12. 10.

In precibus Chriſtus crucifixus aſpiciendus.

Heb. 12.

Imò verò ille *Spiritus gratiæ & precum,* tantum fervorem in aliquibus Chriſtianis operatus eſt, ut continuo planctu ſe Chriſto configurantes, & cum illo ardenti vel vehementi amore cruci ſe figentes, ejus ſtigmata corpori ſuo impreſſa meruerint recipere, adeò ut poſſint dicere: *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.* Notiſſimum eſt de ſtigmatibus D. Franciſci, quæ ipſe Pontifex Alexander ſe vidiſſe aſſeruit.

Exempl.

Simile quid de S. Catharina Senenſi refertur, de S. Coleto, de S. Lyduina & aliis; & quamvis fortè non ita exterius apparuerint, ut in Franciſco, graves tamen dolores in pedibus, manibus, latere, perſenſerunt: illo imprimente, qui ſibi eas Sponſas dilectiſſimas volebat confirmare.

De B. Maria Ogniaca quoque legimus, cum die quodam maximâ cordis compunctione paſſionem Domini conſideraſſet, ubertate tantâ lachrymarum fuiſſe perfuſam, ut in totum corpus defluerent, & ex eo tempore nec Chriſti Crucifixi imaginem adſpicere poterat, nec de ejus paſſione loqui vel audire, quin præ cordis defectu extaſim pateretur.

Simile quid retulimus de S. Thereſia, cùm tractavimus de Chriſti Paſſione. Nimis etiam notum eſt de S. Clara a Monte Falco, quomodò ejus cor-

V. li. 1. c. 3. lect. 17. & 19.

cordi etiam nunc viſantur inſignia Paſſionis Chriſti impreſſa. Vides itaque, quàm verum ſit de his omnibus: *Effundam ſpiritum gratiæ & precum, & aſpicient ad me, quem confixerunt, & dolebunt ſicut doleri ſolet in morte primogeniti.* Zach.12. 10.

Sed neque ſine myſterio eſt, quod ibidem additur de diverſis familiis plorantibus: *Familiæ & familiæ ſeorſum & mulieres eorum ſeorſum, familiæ domus David ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum, &c.* Idem ib. v. 12.

Significatur enim diverſi generis, ordinis, conditionis, ſtatus, congregationes, in memoriam Chriſti Crucifixi preces offerre debere & pios gemitus. Et cùm dicitur, quod ſeorſum viri plangent, ſeorſum mulieres; id maximè verificatur, in tot monaſteriis virorum & mulierum, quæ toto orbe nocte dieque mentem elevant ad vulnera Crucifixi cum gemitu & ſuſpiriis.

Patet ergò ex his omnibus, non ſolùm ſufficientem eſſe hanc attentionem, dum oramus: ſed & omnibus commendandam & inculcandam, doctis & indoctis, utpotè, quæ & litteratis & idiotis communis eſſe poſſit, & maximè fructuoſa, nec impertinens eſt, quælibet in eo fundatur oratio: quia quicquid petimus, petere debemus meritis Crucifixi, & omne noſtrum obſequium debet offerri Chriſto Crucifixo. Opportunè quoque hoc modo diſtractiones propelluntur, dum cor noſtrum cordi Chriſti patientis firmiter jungimus, ut aliorſum non diffluat. Ad illius autem cor nobis acceſſus patet per latum illud oſtium lateris, per ſacram illam januam pietatis apertam omnibus.

Poſſunt & alia myſteria ad eundem finem conſiderari. Unde Thomas à Kempis loquens iis, qui in Choro preces perſolvunt, ſic dicebat: Chorus eſt Dei & Sanctorum Angelorum locus ſacratus, ſicut Angeli in cœlo, ſic Miniſtri ordinati ſunt in Choro. Opus Angelorum eſt Deum ſemper laudare, opus Religioſorum eſt, intentâ mente pſallere & orare. Sic ſta in Choro & canta, quaſi in medio Angelorum ſtares. Recordare dilecti Dómini tui in præſepio jacentis, aut in cruce pendentis, aut in cœlo ad dexteram Patris ſedentis, tanquàm coram aſſiſteres & cantares. Ipſe ſit in corde tuo & in labiis tuis, ad pronunciandum apertè & diſtinctè verba Spiritus Sancti, à quo divinum officium eſt ordinatum. Statue Jeſum ad dexteram tuam, & Mariam ad ſiniſtram & omnes Sanctos in circuitu eorum. Omnes fratres tui ſint tibi tanquàm Angeli Dei, & cum quibus nunc pſallis in terris, ſpera etiam te cantaturum in cœlis. Hæc ille. Kempis lib. 8. de diſciplina Clauſtralium.

ORATIONIS SECUNDA Conditio.

II. *Conditio Orationis eſt ſui Diffidentia & in Deum Fiducia.*

Altera Orationis Conditio, eſt humilis ſui diffidentia, & firma in Deum fiducia.

HI ſunt duo pedes, quibus oratio ſecurè accedit ad regium Dei thronum. Hæ ſunt duæ famulæ, quibus inſtar Heſter ad Regis ſolium, & ad virgam auream clementiæ ingreditur: Una colligit veſtimenta per terram repentia: Alteri innititur & ejus humeris incumbit. Eſth. 5. 6.

Hæc ſunt duo brachia, quibus Dei pedes amplectimur. His brachiis luctabatur Jacob cum Angelo Domini perſonam gerente: *Flevit enim & invaluit ad Angelum*, inquit Scriptura. Flevit ecce ſui diffidentia, & prævaluit dicens: *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi*, ecce fiducia. Oſee. 12. 4. Ge. 32. 26.

Primo ergò quod attinet ad diffidentiam ſui, quæ cum humiliatione magna conjuncta eſt, illam benignis oculis reſpicit Deus. Undè dicitur per Prophetam: *Reſpexit in orationem humilium, & non ſprevit preces eorum, ſcribantur hæc in generatione altera.* Et per Sapientem. *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit, & donec propinquet non conſolabitur, & non diſcedet donec Altiſſimus aſpiciat.* Ad hanc facilè adducitur, qui cognoſcit extremam nuditatem ſuam & paupertatem, ac profundam miſeriarum abyſſum, in qua jacet poſt peccatum. Tanta eſt enim miſeria hominis, ut nec unum ſolum deſiderium bonum aut propoſitum, vel cogitationem Deo gratam poſſit habere à ſe, immò nec orare, niſi ſpecialiter à Deo juvetur. Hinc Eccleſia id agnoſcens, orationes ſuas ſemper inchoat; *Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me feſtina.* Gravis quoque miſeria hominis eſt, quod adeò ad peccatum lubricus ſit, & cùm cecidit non poteſt reſurgere, niſi Deus manum ſupponat: *Spiritus eſt, vadens & non rediens;* à Dei gratia in peccati barathrum facilè decidens, ſed ab illo non rediens, niſi ſpeciali auxilio. Et cum in gratiam reſtituitur, non poteſt diu in illa perdurare, niſi Deo manum tenente, & novis ſemper auxiliis opitulante. Eſt velut antiqua domus, quæ planè corruit, niſi omni fulcrorum genere ſuſtentetur. Prætereo hic miſerias, quas habet ex parte cœcitatis intellectus, voluntatis perverſæ, rebellionis carnis, lubricitatis memoriæ; quæ omnia faciunt, ut ad bonum vel ineptus ſit, vel tardus. Prætereo etiam innumeras miſerias & afflictiones humanas, quibus eſt circumcinctus, & volens nolens illas patitur, ita ut clamare cogatur, *Salvum me fac Deus, quoniam introierunt aquæ uſque ad animam meam: Infixus ſum in limo profundi & non eſt ſubſtantia.* Hæc profundæ miſeriæ ſuæ perfecta notitia, parit in homine diffidentiam illam, qua totaliter ſuis diffidens viribus, ſoli Deo niti ſe poſſe agnoſcit, ut poſſit vel bonum inchoare, vel à lapſu ſe conſervare. Undè in ſpiritu humilitatis ſeipſum coràm illo exinaniens deprecatur, & miſerias ſuas repræſentat inſtar mendici, qui à mane uſque ad veſperam clamat, nec mendicare ceſſat, ſuam ſentiens & repræſentans neceſſitatem. Hoc docere nos volens David in plurimis Pſalmis ſuis, ſine intermiſſione gemit & ſuſpirat, noctu diuque non quieſcit: & modò induit ſpiritum & cor mendici clamantis & oſtentantis ſcabiem, afflicta membra, ulcera & vulnera, ut ad

Hominis miſeria & corporalis & ſpiritualis.

Pſ. 68.

Affectus Davidis varius in Pſalmis ex varia ſua miſeria.

ut ad compassionem moveat Deum, cujus opem flagitat. Modo se gerit instar infantis, qui nullas habet vires quibus innitatur, nisi paterna manu juvetur & ducatur; nullum cibum capere potest, nisi ab uberibus vel ore matris, à qua in omnibus pendet, & lachrymis ei continuò importunus est, ejus opem flagitans & fletu implorans: *Sicut ablactatus*, inquit, *est super matre sua, ita retributio in anima mea*, q.d. Sicut infans à natura destitutus auxilio, non potest se inducere, aut cibum sumere, aut etiam petere, sed ipse totus est pendens à benignitate matris, & illa mamillas & ubera admovet, induit, protegit, ut dormiat: circumagit; plorantis lachrymas abstergit: Ita ego à benignitate divina totus pendeo, illi totum me committo, ab eo omnia expecto, illum lachrymis fatigo, gemitibus interpello, in omni necessitate mea illius providentiæ totus innitor, mihi planè diffidens; & cùm sim pupillus & orphanus, inter ejus brachia me projicio, dicens: *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.* Ps. 9. 14.

Hanc diffidentiam & humiliationem agnoscès in omnibus orationibus antiquorum patrum, quarum meminit Scriptura. Unde Jacob orans, dicebat: *Deus Patris mei Abraham, & Deus Patris mei Isaac, miser sum cunctis miserationibus tuis & veritate tua quam explevisti servo tuo, erue me de manu fratris mei Esau.* Sic Manasses: *Peccavi super numerum arena maris, sed flectio genu cordis mei, precans à te bonitatem, quia tu es Deus, Deus inquam pœnitentium, & in me ostendas omnem bonitatem, si indignum salves me.* Gen. 32. 9. Vide cætera. Sic & Daniel: *Ostende faciem tuam super sanctuarium tuum propter temetipsum, non enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis, attende & fac ne moreris propter temetipsum Deus meus.* Dan. 9. 17. Vide cætera.

2. Fiducia in Deo.

Quantum ad fiduciam, illa firma debet esse in Deo. Unde dicit D. Jacobus: *Postulet in fide nihil hæsitans, qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento circumfertur. Non ergo æstimet homo ille quòd aliquid à Deo accipiat.* Jacob. 1. 6. Hinc offendit Deum Moyses, quòd à Deo aquam petens ad subveniendum populo hæsitaverit; & cum diffidentia petram percusserit. Sic & reprehenduntur Israelitæ, qui dicebant: *Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto?* Quomodo Moyses & Aaron direrunt: *Nam de petra hac poterimus vobis aquam ejicere.* Deut. 1. 37. Ps. 77. 19. Num. 20. 10.

Hinc inter antiquos Patres S. Hermas Pauli discipulus, in libro qui dicitur Pastor, dicit sibi datum in mandatis: Postulandum à Deo assiduè & sine hæsitatione, licet peccatorem se quis agnoscat, nec dubitare aliquem debere etiamsi non accipiat, quia id profit vel ad tentationem, vel ut insinuet latens aliquod peccatum. Dubitationem verò illam perniciosam, & filiam diaboli, quæ valde nequiter agit eum servis Dei, vocat quoque terrenum spiritum & à diabolo, è contra fidem firmam dicit esse potentem, omnia repromittentem & consummantem, & de Deo esse. Lib. 2. man. l. 9.

Cassianus quoque scribit signum certum impetrationis esse, cùm quis in oratione magnam fiduciam sentit: Deus enim cùm non exaudit, fiduciam non infundit, cùm verò exaudire decernit, fiduciam & lætitiam ingentem in cor orantis infundit. Hinc etiam Redemptor miraculorum impetrationem & peccatorum salutem, solet fidei, hoc est, fiduciæ tribuere. *Adeamus ergo cum fiducia*, inquit Apostolus, *ad thronum gratiæ.* Et dicamus ei cum Davide; *Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea.* Nam & hanc fiduciam jubet nos habere; dum initio orationis jubet dicere. *Pater noster*, &c. Habet enim filius fiduciam impetrandi, quod à patre sibi congruum aut necessarium postularit. Cassianus co, 9. c. 32. Heb. 4. 16. Ps. 56. 2.

Unde fiducia concipienda.

Sed dices: Unde hanc potero fiduciam tantam concipere, qui mihi conscius sum, exiguum me vel nullum Deo præstitisse obsequium, quo ejus favorem potuerim demereri? Respondet primò Apostolus Joannes: *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum & quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quia mandata ejus custodimus.* Si sumus ejus filii per gratiam animæ inhærentem, jam *Spiritus adoptionis in quo clamamus Abba Pater*, hanc nobis tribuit fiduciam. 1. Joan. 3. 21. Rom. 8. 15.

Respondeo secundò: Si in peccato sumus, & jus filiationis perdidimus, adhuc tamen fiduciam hanc concipere debemus, quia illius fiduciæ fundamentum non sunt humana merita, sed bonitas & misericordia Dei ex una parte, merita verò Salvatoris ex altera. Primum indicat D. Jacobus, dicens: *Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat.* Infinitas enim habet divitias, infinitè liberalis est, infinitè misericors est. Nec potest ægrè ferre cùm importunè rogatur, quia dando nihil ei decedit. Unde Augustinus: *Non tu accipiendo proficis, & Deus deficit in dando, quantumlibet capaces fauces adferas, fons vincit sitientem.* Sed neque debes existimare te posse importunum esse, cùm peccatorum remissionem vel misericordiam efflagitas: cum ei afferas majoris gloriæ segetem, & occasionem agendi quod sibi illustre est & proprium. Sicut enim Soli proprium est illuminare, igni ardere; ita divinæ bonitati proprium est misereri & benefacere. Et sicut non gravat puerperam plena ubera gestantem infans sugens, sed alleviat potius & delectat; ita divinæ bonitati non est molestus sed gratissimus, qui eam fidenti oratione frequenter sugit, quia exuberans est.

1. Fundamentum fiducia est Dei misericordia.

Addit Augustinus: *Erubescere debet humana pigritia, quia plus paratus est Deus dare quàm nos accipere.* Et Ambrosius: *Uberior est gratia quàm precatio, semper enim Dominus plus tribuit, quàm rogetur.* Id verò multis potest exemplis ex sacris Literis declarari. Jaco. 1. 5. Augustin. S. Ambr.

Exemplo fiducia.

1. Abraham petit filium, & accepit promissionem de semine multiplicando instar stellarum cœli & arenæ maris, Christumque de semine suo processurum.

2. Jacob

2. Jacob poſtulat panem & veſtimentum, & accepit cuſtodes comiteſque Angelos, multas viſiones divinas, ac promiſſiones opeſque affluentes.

3. Salomon petit ſapientiam, & accipit eximiam illam regni gloriam & pacem.

4. Ezechias petit ſanitatem, vertens ſe cum lachrymis ad parietatem, & non ſolùm à lecto ægritudinis erigitur, ſed & quindecim anni vitæ ſuperadduntur, & victoriæ ei datur promiſſio contra hoſtes,

5. In novo teſtamento petit Samaritana aquam materialem, & accipit aquam vivam.

6. Petit Centurio puero ſanitatem, & accepit de prædeſtinatione ſua ſignificationem : *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Iſrael : Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham*, &c. Matth. 8. 10.

7. Multi à Chriſto poſcebant ſanitatem corporis, ſed & acceperunt animæ ſanitatem, & peccatorum remiſſionem.

Poſtremò Latro in cruce poſtulat haberi ſui memoriam, & Chriſtus ei promiſit Paradiſum.

Fundamentum ſunt merita Chriſti. Auguſt. in Manuali c. 21.

Secundum fundamentum fiduciæ diximus eſſe merita Chriſti, qui Redemptor eſt, Salvator, Mediator, Sacerdos, Sacrificium pro nobis. Ipſius ergo merita ſupplent, quicquid ex parte noſtra deficit. Unde S. Auguſtinus: *Quidquid ex me mihi deeſt, uſurpo mihi ex viſceribus Domini mei Jeſu Chriſti, quoniam miſericordia affluunt : nec deſunt foramina, per quæ effluant*, &c.

Hinc etiam jubemur, quæ petimus. in ejus nomine petere, & promiſſio datur de impetratione: *Nec eſt aliud nomen ſub cœlo, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Act. 4. 12. Hæc conſiderans Eccleſia, ſolet ſuas orationes concludere : *Per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum*, &c.

Sicut ergo non eſt niſi unus Sol habens in ſe lumen, & illud communicans omnibus ſtellis; ita unicus eſt juſtitiæ Sol, quo mediante omne lumen, omnis ſanctificatio, omnis gratia, omnia dona ad nos derivantur, & ejus meritis dantur. Accedere ergo nos oportet, nec vereri repulſam, ſiquidem & nos invitat Propheta, dicens: *Exquiſivi Dominum & exaudivit me. Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.* Pſal. 33. 5.

Simile. Multi ad aulas Regum cum fiducia accedunt & multa petunt, nec tamen ullum obſequium Regi ſe exhibuiſſe commemorare poſſunt. Quid ergo allegant? Merita Patris vel Fratris ſui defuncti, quæ nunquam dignè regia munificentia remunerationem acceperint. Repræſentant res fortiter per eum geſtas, pericula quæ adierit pro Regni ſalute, vulnera quæ paſſus fuerit pro Regis obſequio. Simili modo accedamus & nos ad regium Dei thronum & cum fiducia poſtulemus quæ nobis neceſſaria ſunt, repræſentemus merita Patris ac Fratris noſtri defuncti Chriſti Jeſu? nec vereamur repulſam, quia illa eximia ſunt, nec unquam remunerationem condignam & æqualem acceperunt; ſed in nobis hæredibus ſuis quotidie remunerationem aliquam accipiunt, & uſque in finem ſæculi accipient, per dona quæ ejus meritis donare nobis decrevit Pater æternus. Dicamus ergo in miſeris noſtris ejus poſtulantes fiducialiter miſericordiam : *Protector noſter aſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti tui*, in merita Domini noſtri Jeſu Chriſti, *Redemptoris, Mediatoris, Sacerdotis noſtri.* Pſ. 83. 10.

Quærunt verò Theologi: An ſolùm merita Chriſti repræſententur Patri objectivè, ita ut illorum intuitu nobis donet quæcunque donat, an non etiam Chriſtus expreſſam orationem pro nobis Patri offerat, petendo nobis ſalutaria? Reſpondeo aliquos Theologos priorem loquendi modum ſequi dicendo, Chriſtum jam non orare, niſi interpretativa quadam & tacita oratione, ſive oblatione humanitatis ſuæ vulnerum & cicatricum, ut in illa Deus intuens, nobis beneficiat. Verùm probabilius & magis piè dicimus cum D. Thoma, ipſum etiam nunc orare pro nobis propria dicta & expreſſa oratione. Hoc enim ſignificat Scriptura, dum de illo dicit: *Qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Et iterum, *ſemper vivens ad interpellandum pro nobis.* Hæc teſtimonia D. Auguſtinus interpretans de propriè dicta oratione, dicit: *Nunquid interpellat Chriſtus, & non etiam poſtulat? Imò verò quia poſtulat, pro eo poſitum eſt, interpellat, evidenter quippe de eo dicitur : Advocatum habemus apud Patrem, & ipſe eſt exoratio pro peccatis noſtris.* Idem alibi dicit. *Orat in forma Dei, orat in forma ſervi, orat pro nobis, orat in nobis, & oratur à nobis. Ut Sacerdos noſter orat pro nobis, orat in nobis ut caput noſtrum, oratur à nobis ut Deus? oramus ad illum, per illum, in illo, & dicimus cum illo, & dicit nobiſcum*: ita Auguſt. Vaſquez Rupert. D. Thom lect. 7. in c. 8. ad Rō. Rō. 8. 34. Heb. 7. 35 Aug. ep. 59. Aug. præf. in Pſ. 85.

D. Bernardus ad eundem ſenſum ſic loquitur: *in omnibus Deum & per omnia providus miſeros, trepidationem noſtram ſolatur, fidem excitat, ipſum roborat, diffidentiam abigit, erigit puſillanimitatem. Ad Patrem verebaris accedere, ſolo audito territus ad ſolia fugiebas, Jeſum dedit tibi Mediatorem. Quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat? Exaudietur utique pro reverentia ſua. An verò trepidas & ad ipſum: Frater tuus eſt & caro tua, tentatus per omnia abſque peccato, ut fieret.* Bern. ſer. De Nativ. Mariæ.

ORATIONIS III. CONDITIO.

Tertia conditio Orationis eſt Perſeverantia.

III. *Orationis conditio eſt Perſeverantia.*

HAnc docet Chriſtus, dum ter Patrem in horto orat. Magdalena quoque, dum perſeveranter Dominum quærit, nec a ſepulchro recedit. Sed & Chananæa illius egregium exhibet documentum, quæ, licet à Domino repulſam pati videretur etiam aſperioribus verbis, nihilominus tanta inſiſtit perſeverantia, ut voto potiri mereatur, & ejus fides a Domino commendari, ut meritò Chananæa, id eſt negotiatrix vocetur, inquit Hieronymus: quia negotium ſuum optimè apud Dominum geſſit, eum reſponſo ſuo, & perſeverantia velut convincens, & in ſuam trahens ſententiam. Matt. 22. Joan. 20. S. Hieron.

Si

Si ex veteri Teſtamento exempla cupis, attende luctam Jacob dicentis : *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi in eodem loco.* Conſidera & Moyſen velut Deo manus ligantem , & dicenti Domino: *Dimitte me, ut iraſcatur furor meus,* reſpondentem : *Dimitte noxam populo huic aut dele me de libro vitæ.* Sed & attendenda eſt actio Eliæ & famuli ejus, qui capite in genua curvato diu orat , & oratione perdurante ſepties ire & redire monet puerum ſuum : In ſeptima autem vice vidit nubeculam aſcendentem de mari quæ pluviam , quam poſcebat oratione , portendebat. Hæc omnia docent continuatam & perſeverantem orationem impetrare quod poſtulat.

Gen. 32. 26.

Ex. 32. 10.

3. Reg. 18.

Cur Deus differat gratiam petitam.

Cæterùm , ſæpiùs Deus differt gratiam quam petimus , & hujus rei varias afferre poſſumus rationes.

1. Ut probet fidem & ſpem noſtram.

Primò id facit , ut probet fidem noſtram & ſpei firmitatem. Multi quærunt à Deo auxilium, & ubi ſtatim non invenerint, remedium quærunt viis illicitis, vel animum deſpondent. Similes ſunt hi Ochoziæ , qui cum cecidiſſet per cancellos cœnaculi ſui, gravi languens infirmitate dicebat ſuis : *Ite, conſulite Deum Accaron Beelzebub, utrùm vivere queam de infirmitate mea hac.* Sed reſpondendum eis quod Elias : *Numquid non eſt Deus in Iſrael, ut eatis ad conſulendum Beelzebub Deum Accaron ?* Quamobrem hæc dicit Dominus : *De lectulo ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris.*

4 Reg. 1. 2

v. 3. & 4.

Sed & Judith reprehendit Sacerdotes & cives Bethuliæ, dicens: *Quod eſt hoc verbum in quo conſenſit Ozias, ut tradat civitatem Aſſyriis, ſi intra quinque dies non veneris vobis adjutorium . Et qui eſtis vos qui tentatis Dominum ?*

Jud. 8. 10.

Quam multi Dominum tentant, impatientia ſua volentes ei velut terminum præfigere , dum opem implorant ? Deficiente Hedera humanæ proſperitatis, afflicti æſtu adverſitatis, iraſcuntur ſuper Hederam & præ impatientia mortem ſibi optant. Et ſi interroges : *Putaſne bene iraſceris tu ?* Reſpondent cum Jona : *Bene iraſcor ego uſque ad mortem.* Melius reſponderent cum Job : *Etiamſi occiderit me in ipſo ſperabo.* Quam multi etiam ægritudine preſſi, ubi vident tarditatem divini auxilii , ad ſuperſtitiones fugiunt, adhibentes pro febri vel alia ægritudine remedia cum verbis aliquibus aut chartulis ſcriptis, quæ non niſi à dæmone efficaciam poſſunt habere?

Jonæ 4. 9

Job 13. 15.

2. Ut miſeriam noſtram agnoſcamus & indigentiam.

Secundò differt Deus auxilium, ut eò magis agnoſcamus miſeriam noſtram, & ejus opis indigentiam, & ſic humiliati, eam cum gemitu frequenter imploremus. Ideo ſæpius Deus etiam uſque ad extremum diſtulit auxilium , & quando jam omnis humani auxilii ſpes elanguit, pius ipſe affuit ; Patet in Suſanna, in Davide obſeſſo à Saule, in Bethulia obſeſſa ab Holoferne. Non ergo animum abiicere nos vult, ſed humiliari, etiamſi videatur orationem repellere. Sic nos docet David, dicens : *Domine Deus ſalutis meæ , in die clamavi & nocte coram te, quia repleta eſt malis anima mea, & vita mea inferno appropinquavit.* Cum verò ipſe ſe velut à Deo abjectum vereretur, nihilominus magis ſe humilians, & miſeriam ſuam agnoſcens & exponens, addit : *Ut quid Domine repellis orationem meam, avertis faciem tuam à me. Pauper ſum ego* &c. Vide ſequentia in eodem Pſalmo , imò totum illum Pſalmum bene perpende.

Pſ. 87. 15.

3. Ut dona Deipetita magni faciamus.

Tertio differt Deus orationi noſtræ ſatisfacere, ut dona quæ à Deo petimus , maximi eſſe pretii, imò inæſtimabilia conſideremus ; ideo vult ut ſæpe & diu & ardenter petantur & deſiderentur, ut & poſtea homo illa pluris æſtimet , & debitas gratias agat, nec ſit ingratus tantis donis. Sic & in humanis, Patet non ſtatim filio donat rem magni momenti, quam poſtulat filius ; ſed tardat ne ejus deſideria crelcant, & cum tandem illa re potitur , tanto pluris æſtimet , quanto longiori deſiderio & frequentioti prece, impetravit à Patre.

4. Sæpe expedit differre poſtulata.

Quartò , ſæpe Deus non ſtatim donat quod rogamus , quia ſæpe expedit differre propter aliquas occultas cauſas , quas ejus novit Sapientia , nobis verò occultæ ſunt. Hoc ſolum ſcimus, Deum id agere ſuavi ſua providentia in bonum noſtrum. Dicebat Propheta Abacuc : *Uſquequo Domine clamabo, & non exaudies ? Vociferabor ad te vim patiens, & non ſalvabis ?* Quem locum interpretans Hieronymus, dicit : Quomodo ſi æger & æſtuans febribus aquam poſcens dicat ad Medicum, vim patior , crucior, uror, exanimor, uſquequo clamabo, Medice, & non exaudis ? Et reſpondeat ei ſapiens & clemens Medicus , ſcio quo tempore debeam dare quod poſtulas, non miſereor modò , quia miſericordia illa crudelitas eſt , & voluntas tua contra te perit. Ita Dominus noſter ſciens clementiæ ſuæ pondera & menſuras, interdum non exaudit clamantem, ut probet eum, & magis provocet ad rogandum. Sic ergo bonitas Dei omnia dirigit & diſponit ad ſalutem electorum. Unde vota noſtra cum fiducia & perſeverantia illi ſunt committenda. Sæpe ergo nobis attendenda eſt ſcriptura illa , quam per Abacuc jubet Dominus in tabulis ſcribi , talibus literis quas omnes poſſint legere ; omnibus proponi hæc verba jubet : *Si moram fecerit , expecta illum , quia veniens veniet, & non tardabit.* Licet enim Dominus non ſtatim atque vocatur veniat, tamen tardare non dicitur, quia ſuo tempore venit, & opportunum auxilium impertitur tempore à ſe determinato.

Abac. 1. 2.

S. Hiero. in illum loc.

Abac. 2. 3.

TRACTATUS III.
DE ORATIONE DOMINICA.

LECTIO I.
DE EXCELLENTIA ORATIONIS Dominicæ.

1. *Docet Hanc Orationem omnium excellentissimam esse.*
2. *Declarat ejus fœcundam brevitatem & fructum:*

PROPOSITIO I.

Oratio Dominica inter omnes primatum tenet & excellentiam.

Oratio Dominica 1. omnium præstantissima.

I. *Ob auctorem.*

PRimò ab auctoritatem dictantis eam; Ejus enim auctor est ipse Filius Dei & Sapientia Patris.

Genes. 3. Antiqui Patriarchæ & Prophetæ filios suos orare docuerunt, & modum eis orandi tradiderunt. Adam instruxit filios suos orationem & cultum Dei, quia statim sacrificiis eum coluere Abel & Cain.

Gen. 6. Seth quoque idem docuit filios suos: Unde Scriptura vocat filios Seth filios Dei, quia Deum colebant ejus servituti addicti.

Gen. 4. 26 De Enoch quoque specialiter dicitur: *Hic cœpit invocare nomen Domini*, quia speciali publico cultu Dei fidem profectius est, & exemplo suo plebis animos excitavit.

Job. 1. Job etjam filios suos Deum colere & orare edocuit, ad quos quotidie mittebat sanctificans eos, & pro illis sacrificia offerens.

Tob. 1. 10 Denique Tobias docebat filium pietatem & timorem Domini, ac per hoc, orationem. Sic & Prophetæ filios instruebant Dei laudes canere, nam & magnus numerus erat illorum, qui filii Prophetarum dicebantur, & specialiter divinis laudibus vacabant: Quapropter in

1. Reg. 10. 11. Scriptura vox, *Prophetare*, idem sæpe significat quod laudes Dei canere: *Nunc & Saul inter Prophetas.* Ut verò de novo loquamur Testamento, Joannes discipulos suos orare docuit, ut colligitur ex

Luc. 10. Lucæ 10.

Nos itaque non à Patriarchis aut Prophetis, non à Moyse aut Davide, non ab Elia & Joanne sed ab Unigenito Dei Filio, orationem quam è sinu Patris didicit, edocti sumus, & ita divina institutione formati audemus dicere: *Pater noster qui es in Cœlis.*

Ipsemet autem nos specialiter voluit instruere, quia *quid oremus, & sicut oportet, nescimus*, ut dicit Apostolus. Sæpe enim propria cupiditate impulsi, noxia postulamus. *Sicut infirmus non ea quæ conducunt*, inquit Origenes, *sed quæ præsens desiderium suggerit, à medico petit: Ita & nos in hujus sæculi infirmitate languentes, interdum à Deo petimus, quod non expedit nobis.*

Ipse Christus docuit quid erat debeamus. Rom. 8. 26. Orig. l. 7. in ep. ad Rom.

Cœlestium obliti, frequenter temporalia poscimus, instar Saulis, qui importunus est Samueli, ut precetur ne Regno excidat, & hoc tanta urget instantia, ut pallium ejus sciderit; non meminit autem remissionis peccatorum.

Nos verò 1. petimus temporalia 1. Reg. 15. 27.

Sic & Rachel instanter orabat ut prole donaretur, adeò ut viro suo Jacob diceret: *Da mihi liberos alioquin morior.* Deus quod postularat ei dedit, & secundam prolem enixa, interiit.

Gen. 30. 1

Secundò aliqua petimus frequenter ex zelo indiscreto. Sic filii Zebedæi orare volebant, ut ignis descenderet, & Samaritanos consumeret, quos reprehendit Dominus: *Nescitis cujus spiritus estis.*

2 petimus ex zelo indiscreto. Luc. 9. 55.

Tertio à malis quibusdam liberari precamur, quæ nobis tamen proficua sunt, vel ad humiliationem, vel ad virtutis exercitium & incrementum. Sic D. Paulus cupiebat eximi à stimulo carnis & respondetur ei: *Sufficit tibi gratia mea: Virtus in infirmitate perficitur.*

3. A malis liberari, quæ sunt nobis utilia.

Quartò à Deo aliquando postulamus statum aliquem certum, cum nesciamus an conducat nobis. Alius Religionis statum à Deo precatur, alius Sacerdotii, alius Matrimonii, & novit Dominus quod petimus nobis ad salutem non expedire, & tamen instanter id poscimus.

4. Statum quem nescimus nobis conducere.

Christus ergo Dominus, ipse Veritas & Sapientia, suo nos instruit magisterio, quid petere debeamus: & talem concinnat orationem, quæ omnibus personis, omni conditioni, omni ætati, omni tempori, omni negotio, omni necessitati congruit. Estque brevissima, ordinatissima, absolutissima, efficacissima, utilissima, quam semper irreprehensibiliter Patri æterno possumus præsentare.

II. *Ob brevitatem.*

Excellit hæc Oratio, ob brevitarem admirandam, in hoc quod tam paucis verbis omnia precanda complectatur. Sacra Scriptura testatur, quòd *Verbum abbreviatum fecerit Dominus super terram.* Hoc multipliciter verum est, sed & hic locum habet.

Rom. 9. 28.

Pri-

Digitized by Google

Primò ergo, *Verbum abbreviatum fecit*, quia ipsum æternum Patris Verbum quodammodo se abbreviat, in assumpta carne per Incarnationis mysterium.

Secundò, quia ipsum Verbum, & ejus Caro ultra se adhuc abbreviare videtur; dum carnem & divinitatem concludit in Eucharistia sub panis specie.

Tertiò, quia omnia legis sacrificia abbreviat in unico Missæ sacrificio: & in illo victimas omnes consummat, & ita verum est quod ait Isaias: *Consummationem & abbreviationem Domini facies in medio omnis terræ.* Isa.10. 23.

Quartò, omnes leges & præcepta abbreviat in duplici charitatis præcepto, quandoquidem in illo & ab illo *Lex pendet & Prophetæ.*

Postremò, dicamus Verbum abbreviatum fecisse Dominum super terram, quando nobis sermonem hunc & verbum breve tradidit in quo omnia nobis precanda, & nobis necessaria, sapientia sua complexus est.

Sed petes: Cur adeo voluit brevem esse hanc orationem? Respondeo: Primò, ut facilius capi possit & intelligi, & ab omnibus memoria teneri, ut nemo cujuslibet sexus, ætatis, conditionis, dives aut pauper, doctus aut indoctus, possit se excusare ab addiscendo tam brevi sermone, quem ipse Deus suo nos instruxit magisterio. Secundò, voluit brevem esse, ut frequentius recitaretur, nec fastidium generaret. Nec enim repetere eundem sermonem cum omni affectu, aut inutile est, aut superfluum, aut superstitiosum, cùm & ipse Christus eandem orationem ter ad Patrem transmiserit dicens: *Pater si possibile est, transeat calix iste.* Matt. 26. 39. Ipsa enim repetitio, affectus renovatio & desiderii ferventioris signum est. Sic David in Psalmo 135. vigesies & septies repetit *Quoniam in æternum misericordia ejus.* Psal.135. Et in Psalmo ultimo, qui tantùm constat quinque versibus undecies repetit: *Laudate.* Psal.150.

Sic & Viri sancti integras ferè noctes consumebant, orantes paucis verbis bene ruminatis & sæpe repetitis. D. Augustinus his frequenter verbis multas horas consumebat: *Noverim te Domine noverim me.* August. D. Franciscus in similibus his: *Quis es ô Domine, qui ego?* Franciscus. Item in illis: *Deus meus & omnia.* B. Theresia his hærebat: *Misericordias Domini in æternum cantabo*; hæc ruminabat, hæc repetebat, his summo cum affectu immorabatur. Nempe hæc est imitatio orationis quam faciunt cœlestes spiritus, qui in contemplatione divinæ Majestatis continuò repetunt die noctesque: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.* Theresia. Apoc.4. Isa.6.

Impiè ergo nostri hæretici superstitionem impingunt illis, qui frequenter & certo quodam mystico numero, Orationem Dominicam repetunt. Imò (ut dixi) voluit brevem illam esse Christus, ut frequentius recitaretur: & sæpe repetita, & viva attentione considerata, mirè affectum excitat supra omnes etiam orationes alias.

Surius 11. Octobr. Refert Surius de S. Jacob Alemanno Ordinis S. Dominici, illum multùm orationi contemplationique divinæ deditum fuisse. Varias ipse orationes ad Deum, ad B. Virginem, ad Sanctos omnes fundebat. Sed nullam orationem suaviorem sibi ac jucundiorem promebat, quàm Dominicam. Tunc enim putabat sibi os melle & quodam divino nectare compleri.

Refert quodque idem, Hugoni Episcopo Gratianopolitano, hanc orationem adeo frequentem fuisse, ut una nocte licet infirmus & imbecillitate affectus, Dominicas Orationes trecentas expleverit; cumque ab inservientibus sibi comperetur, quòd hæc agendo non solùm corpori fatigationem, sed & infirmitati augmentum præberet: Respondebat ipse, non solùm non hinc suis incrementa miseriis, sed insuper magna provenire remedia. Rectè ergo Christiani decies & quinquies eam repetunt in recitatione Rosarii, in honorem quindecim mysteriorum principalium Redemptionis nostræ, quod sibi gratum Deus multis miraculis & exemplis declaravit. Sur. 1 Apr.

Rectè quoque & alii piè trigesies & ter eam repetunt, in honorem tot annorum Christi, & hæc dicitur *Corona Salvatoris.* Tot enim orationes, tot sunt flores ex quibus corona contexitur, & velut ejus sacro vertici imponitur. Benedicti ergo sint à Domino, qui piè hanc ei coronam offerunt, & benedicat Dominus coronæ annorum benignitatis suæ. Ps.64.12.

Quæritur verò hic, an Christus adeo brevem orationem condens, prolixas preces condemnet, maximè cùm dicat: *Orantes nolite multum loqui sicut Ethnici* faciunt. Respondeo, non præcipere ibi Christum absolute, ut orantes non multum loquamur sicut Ethnici faciunt, qui multiloquio sno putant causam suam Deo notiorem fieri, aut sicut hominem Judicem, verbis multis in suam sententiam adduci & flecti. Unde additur: *Putant quòd in suo multiloquio exaudiantur.* Nos ergo non ob id longiores adhibemus orationes; sed ut excitetur animus ad elevandum se in Deum, & jam elevati animi devotio augeatur & continuetur. Sic & ipse Christus legitur in oratione pernoctasse. Quem & imitati sunt alii Viri sancti. Unde & de B. Antonio scribit Cassianus, solitum noctes integra orationi impendere, & tanta divini luminis in noctu caligine jucunditate fruebatur, ut oriente Sole conqueretur: *Quid me impedis ô Sol: Quid me impedis? qui ad hoc jam oreris, ut me ab hujus veri luminis abstrahas claritate.* Matt.6.7. Luc.6.12. Cassi.collat.9.c.31.

Hic tamen adverte, similes Ethnicis videri aliquos Christianos, qui non solùm in multiloquio, sed etiam verbis sine mente prolatis, Deum exaudire putant; idque cum tanta linguæ volubilitate, ut nec ipsi sese intelligere possint, & cum tanta distractione & corporis irreverentia, ut se ostendant nulla pietate & timore moveri, quia nec sic Ethnici suos Deos orare ausi forent, nec homo hominem æqualem, magisque videntur Deum contemnere quàm orare.

Digitized by Google

Sic & alii Christiani etiam perfectionis studiosi multa verborum in oratione effusione, Verbum ipsum interius loqui cupiens impediunt, plus frugis facturi, si cum tranquillitate & attentione coram Deo starent, & cordis aures aperirent, dicentes cum Propheta: *Audiam quid loquatur in me Dominus, loquetur pacem super eos qui convertuntur ad cor.* Hoc monet Psaltes, cùm dicit: *Audi filia & vide.* Et iterum: *Vacate & videte, quoniam ego sum Deus.*

Ps.84.9.
Ps.44.11.
Ps.45.11.

De S. Catharina Sé. refert Granat.

Interrogavit quondam B. Catharina Senensis Christum: Quare ô Domine, servis tuis tot mysteria non revelas, sicut in præcedentibus sæculis? Respondet: Quia animæ non accedunt nunc, ut me audiant tanquam Magistrum interius in silentio docentem, sed potius ut loquantur; & adeo loquuntur, ut mihi non concedant, ut eas alloquar. Ita Granatensis.

Luc.10.39.

Itaque multùm juvat ad pedes Domini sæpiùs animam cum Magdalena sedere, non tam ut loquatur, quàm ut audiat in silentio & tranquillitate sibilum auræ lenis & divini susurri, quo Dominus solet loqui ad cor, & auditui interiori gaudium & lætitiam dare.

Thr.3.26

Sic dicit Jeremias: *Bonum est cum silentio præstolari salutare Dei: Sedebit solitarius: & tacebit, quia levavit super se.*

August. epist. ad Probam.

Cæterùm rectè monet Augustinus, nonnunquam preces prolixas utiles esse, nonnunquam brevissimas. Dicuntur enim fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen brevissimas & raptim quodammodo jaculatas, ne vigilantis erecta intentio, per productiores moras laberetur, ac per hoc ipsi satis ostendunt, hanc intentionem sicut non est obtundenda, si perdurare non potest, ita si perduraverit, citò non esse rumpendam. Ita August.

Illæ verò orationes jaculatoriæ, vel solo cordis desiderio aut gemitu emissæ, ad cor usque Dei pertingunt. De quibus rectè intelliges illud Cantic. *Vulnerasti cor meum Soror mea Sponsa in uno crine colli tui, in uno oculorum tuorum.* Crines in Scriptura symbolum sunt cogitationum; & ita significari hic potest, vel unicam cogitationem in cor Dei jaculatam, sive desiderium aut gemitum cordis nostri, ita illi gratum esse, ut amorem ejus validè possit attrahere, & cor divinum commovere.

Cant.4.9.

Exempl. in vit. PP. l.1.p.286.

Sic legimus, quòd famosa illa meretrix Thais cùm per Paphnutium conversa foret, & in cella reclusa, ipsum Dei nomen proferre non ausa hoc solum proferebat: *Qui plasmasti me, miserere mei.* Qua quidem oratione in cor Dei jaculata, viscera ejus ad misericordiam commovit, & mirum ipsius amorem sensit. Triennio enim exacto, illam ad cœlestem thalamum introduxit. Poterat ergo de illa Christus dicere: *Vulnerasti cor meum Soror mea, in uno crine tuo, in uno oculorum tuorum.* Unica scilicet brevi & hac oratione, mentis oculum in me figens, amorem meum attraxisti.

Cant.4.9.

PROPOSITIO II.

Brevis est hæc Oratio sed fœcunda & maximè fructuosa.

II. *Hæc fœcunda & fructuosissima est.* 1. Fœcunda.

ITaque si verba sola spectemus, humilis videtur & facilis Oratio Dominica, sed si introspiciamus, sublimia continet: in cortice simplex est, sed intus mysteriis plena; continet enim medullam omnis orationis quæ ad Deum fundi potest. Et sicut arbos illa fertilis dicitur, quæ sub quolibet folio fructum tegit; ita & in hac Oratione nullum folium, nullum verbum est superfluum, quodlibet habet pondus suum & fructum suum.

Continet 7 petitiones.

Nec sine mysterio Petitiones in septenario sunt numero, qui mysticus solet esse in Scripturis & perfectus, universitatem sæpè designans, ut patebit consideranti. Petitiones ergo septem sunt, quia continent universa necessaria tam corpori quam animæ, tam præsenti quam futuræ vitæ.

Et hæ continent quicquid à Deo possumus petere

Omnia quæ sunt, aut desideranda aut fugienda sunt. Primum inter omnia desideranda, est honor Dei, quem poscit prima Petitio. Secundum est salus æterna, hanc postulat secunda Petitio. Tertium desiderandum est gratia & media ad gloriam, hæc petimus tertia Petitione. Quarto loco ad vitam necessaria desideranda sunt, & hæc postulantur in Petitione quarta. Quintò illa quæ fugienda sunt aut vitanda, sunt mala præterita, hinc quinto loco dicimus: *Dimitte nobis debita nostra.* Aut sunt futura, hinc sexto loco petimus ab illis præservari. Aut sunt præsentia, & hæc etiam removeri cupimus dicentes. *Sed libera nos à malo.* Cùm ergò omnia necessaria hic contineantur, rectè dixit Augustinus: *Liberum est aliis atque aliis verbis, eadem tamen quæ hac oratio continet, in orando dicere, sed non est, nec debet esse liberum alia dicere.* Nulla interim convenientior est, nec aliam frequentius in ore habere nos convenit, quia nulla Deo magis placet.

Aug. ep. ad Probam.

Dicamus ergo primò, has septem Petitiones esse velut *septem crines Samsonis nostri*, & Sponsi nostri Christi, quos Sponsæ in sui memoriam reliquit, ut quoties se cum illis Sponso repræsentavit, ejus cor ad amorem moveat, & quod petit impetret, nec ab illo reiici possit.

Jud.16.19

Dicamus secundò, esse *septem spicas speciosas & fœcundas de culmo uno*, de Christi corde pullulantes, de quibus granum electum sufficienter colligere possumus animæ, ad famem omnem depellendam. Hæc enim oratio mirè mentem reficit.

Gen.41.5.

Dicamus tertiò, esse *septem cornua Agni*, in quibus nostra consistit fortitudo, quibus ventilare possumus & expugnare omnes hostes, omnemque eorum fortitudinem conterere. Dat enim hæc oratio virtutem contra omnes tentationes mundi, carnis, dæmonis & inferni.

Apoc.5.6.

Dicamus quartò, esse *septem oculos* cordis nostri, quibus elevat intuitum suum ad æterni Patris domum, & quib. simul prospicit sibi cõtra pericula circumstantia & occationes peccatorum, ut eas caveat.

Zach.3.9.

Di-

Dicamus poſtremò, eſſe tanquam *libellum Agni*, ſeptem Petitionibus, quaſi *ſeptem clauſulis & ſigillis* comprehenſum, quem nobis Agnus ipſe tradidit & aperuit, vultq; illo nos cibare, vult illū nos ruminare.

2. *Fructuoſa eſt.*

Si enim attentè ea quæ continet conſideremus, reficitur mens noſtra, & quaſi mel comedet, ſuavitatem, conſolationemq; cœleſtem inde eliciens. Sed & aliquando ſentiet amaritudinem ſalubrem, in compunctione peccatorum, quam excitat hæc Domini pia oratio.

Itaq; ut concludam, ſi orationis hujus fructus cupis percipere, ſit tibi frequens in corde, frequens in ore: Quia ſicut nulla eſt hora, qua Dei non egeas bonitate, ita nulla debet hora præterire, quin ad Deum hac oratione debeas recurrere. Quapropter ut Sapientis verbis utar: *Liga* eam *in corde tuo, & circumda gutturi tuo: Cum ambulaveris gradietur tecum, cùm dormieris cuſtodiat te, evigilans loquere cum* illa.

Prov. 6. 21.

Primò ſit tibi tanquam *ſpeculum matutinum*, per quod maculas animæ inſpicere poſſis & expurgare.

Secundò, ſit tibi *quotidianus cibus*, quo libenter veſcatur anima tua, alioqui arida erit, ſi hunc panem comedere obliviſcaris.

Tertiò, ſit tibi tanquam *Stimulus & calcar*, quo mentem excitare poſſis & elevare ad cœleſtia bona deſideranda, & à Patre expoſcenda.

Quartò, ſerviat tibi tanquam *Fax præfulgida*, qua poſſis pedes tuos dirigere & cuſtodire in omnibus viis tuis, ne cadas aut impingas.

Poſtremò, ſerviat tibi tanquam *Armatura fortis*, qua poſſis omnes hoſtiū conatus eludere, & omnes tentationes elidere, omnemque ſatanæ poteſtatem.

Cyprian.

Quid plura? Pro coronide addo, nihil te poſſe gratius Patri in donum offerre, quàm proprii Filii ore divino prolata verba. Cum ipſe Chriſtus oret in nobis tanquam in membris ſuis, orare cupit propriis ſuis verbis: ergò qui habitat intus in pectore, ipſe ſit & in voce. Et cum ipſum habeamus apud Patrem advocatum pro peccatis noſtris: quando peccatores pro delictis noſtris petimus, Advocati noſtri verba promamus, quæ non poſſunt non eſſe efficacia apud Patrem. Nam cum dicat: *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*; Quanto efficacius impetramus quod petimus in Chriſti nomine, ſi petamus ipſius oratione? Ita Cyprianus.

Joan. 16. 23.

LECTIO II.

HÆC LECTIO EXPLICAT VERBA illa Præambula.

PATER NOSTER QUI ES IN COELIS.

Quid vox Pater?

Vox Pater excitat in nobis fiduciam filialem.

HÆc vox, *Pater*, excitat fiduciam filialem in nobis. Non enim repellit filios ad brachia recurrentes qui affectu Pater eſt, ſed ſupplici eorum petitioni acquieſcit, licet iratus, quando nomen Patris cum humilitate invocatur. Unde prodigus ſibi nomen paternum repræſentans, in fiduciam erigitur, & dicit: *Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam illi Pater peccavi.* Qua ſpe ibis? illa qua Pater eſt: Ego perdidi quod erat Filii, ipſe quod Patris eſt non amiſit: Intus eſt in Patris pectore, qui exorat affectus, iterum me gignens perveniam: Viſcera ergò illa paterna appello, illa invoco, ut pro me exorent; miſericordiam volo Patris, non ſeveritatem Judicis.

Luc. 15. 18

Multis autem modis, *Pater noſter* vocatur Deus: Primò propter creationem per quam communicat nobis eſſe naturale, quo gignimur in hanc mortalem vitam. Hinc Moyſes dicit: *Deum qui te genuit dereliqueſti, & oblitus es Domini Creatoris tui.* Hinc etiam dicit Apoſtolus: *Ipſius enim & genus ſumus*; ab illo enim naſcimur, & anima noſtra divinæ quædam portio mentis eſt, quia imaginem & ſimilitudinem divinitatis expreſſit in nobis. Si ergò Parentibus carnis noſtræ tantum nos honoris & amoris debere exiſtimamus, ut pro illis vitam exponere paratiſimus, cum tamen ab illis tantum trahamus corpus miſerum hoc, commune cum belluis: quantum illi debemus, a quo animam habemus adeò nobilem, Dei capacem & divinitatis ejus ſigillo inſignitam?

Deus dicitur Pater. 1. Ratione Creationis.

Deut. 32. 18. Act. 17. 28.

Secundò dicitur Pater ratione Redemptionis & adoptionis per illam factæ, de qua dicit Apoſtolus. *Accepimus noſ ſpiritum adoptionis in quo clamamus, Abba Pater.* Hunc accepimus in juſtificatione, & in Baptiſmo, qui regeneratio ſpiritualis eſt filiorum Dei. *Pater* ergò dicitur, quia eſſe ſupernaturale gratiæ nobis communicat per ſemen ſpirituale gratiæ, per quod renaſcimur, & ſimiliores Deo efficimur quam in creatione: quia reddimur *conformes imagini Filii Dei, & divinæ conſortes naturæ.* Et jam ab æterno cognovit nos, & elegit filios ſuos adoptivos, per filium ſuum naturalem Jeſum Chriſtum. Unde apud Iſaiam veri Dei filii dicunt. *Abraham neſcivit nos, & Iſrael ignoravit nos, tu Domine Pater noſter, Redemptor noſter, à ſæculo nomen tuum.* Ubi non ſine myſterio dicitur, Abraham & Jacob non cognoviſſe eos, quia nullus Pater ſecundum carnem, ſcivit unquam aut cognovit quos filios generaret, cujus conditionis eſſent futuri, cujus humoris, cujuſve moris; nec finem eorum, an ſcil. fœlicem exitum, an verò æternum ſortituri forent exitum. Hoc ſoli Deo reſervatur, qui verè Pater eſt, habens ab æterno perfectam providentiam amoremque filiorum. Unde dicit: *A ſæculo nomen tuum*, ab æternitate habet nomen Patris, non ſolum reſpectu Filii unici ac naturalis, ſed & reſpectu filiorum adoptivorum, quorum ex tunc noverat nomina, humores, mores, & ſuo eos favore benedicere ex tunc deſtinavit, & amore paterno proſequi, donec novo quodam modo pariat Æternitatis, & gloriæ filios in noviſſima rege-

2. Ratione Redemptionis & adoptionis.

Rom. 8. 15

Iſaiæ 63. 16.

neratione, ut regnent cum Filio unico & naturali hæreditatis participes.

Patris titulus Filio ſpecialiter convenit.

Licet verò tres perſonas *Patrem* vocemus, quia adoptionis ſpiritum in nobis pariunt; tamen etiam ſpecialiter hic titulus Filio convenit: quia in cruce nos tot doloribus perperit, ut eſſemus filii lucis, filii gratiæ, filii ſalutis, filii adoptionis, qui antea eramus filii iræ & perditionis, filii tenebrarum & æterni ignis. Adde quod ipſe nos tanquam filios propria paſcit ſubſtantia de viſceribus paternis deprompta, proprio nutrit ſanguine. Si ergo tantum matri naturali debet filius, tum quia novem menſibus ab illa portatur, tum quia tanto cum dolore gignitur, tum denique quia proprio cum lacte nutrit. Quanto magis Chriſto nos debemus, qui tanquam pius Pelicanus nos pullos ſibi charos, ſed morti genitos, ſuo regenerat, vivificat, alit Sanguine? Rectè ergò Bernardus: *Si in te eſſent omnes vitæ filiorum Adam, omnes dies ſæculi, omnes labores omnium hominum qui ſunt, fuerunt & erunt, nihil eſſet ad compaſſionem ejus quod pro te Filius Dei toleravit. Cùm ergò donaveris quidquid es, quidquid poteſ, non erit ſicut ſtella ad Solem, ſicut ſtilla ad fluvium, ſicut pulvis ad montem.* Ita ille.

Bern. ſer. de debito quadruplici.

Totam vitam debes illi, qui te tanto cruciatu genuit, ſanguinem & vitam ponens, qui & quotidie carnis alimento paſcit; & ſingulis momentis te velut utero aut brachiis portat. Ideò non ſolùm ſe *Patrem*, ſed & *Matrem* nominat apud Iſaiam dicens: *Audite me domum Jacob & omne reſiduum domus Iſrael, qui portamini ab utero meo, qui geſtamini à vulva mea, uſque ad ſenectam, & uſque ad canos ego portabo, ego feci, ego feram, ego portabo, & ſalvabo.* Quomodo poſſet præclarius & ſuavius dicere? Quomodo teneriùs amorem noſtrum attrahere? Quomodo paternum & maternum amorem expreſſius erga electos ſuos declarare: Fidelis hic ſermo & omni acceptione dignus, vivus & efficax in nobis eſſe deberet, & penetrare uſque ad medullas & interiora cordis noſtri, ut filialem amorem poſſimus rependere.

Iſaiæ 46.3

3. Ratione Glorificationis.

Matth. 19 28.

1 Joan. 3.2

Tertiò, *Pater* dicitur propter glorificationem; quia per illam communicat eſſe gloriæ, eſſe æternũ & immortale. Unde & illa, *Regeneratio* vocatur, juxta illud: *In regeneratione cum ſederit Filius hominis in ſede Majeſtatis ſuæ &c.* Tunc verò perfectiſsimè *filii Dei erimus, dum videbimus eum ſicuti eſt.* Dei formes effecti & transformati in eandem claritatem. Tunc illius hæreditate omnibuſq; bonis perfectè fruemur, & perfectè verum erit illud quod Pater dicebat ad Primogenitum ſuum, qui figuram tenebat electorum: *Fili tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt.* In hoc ergò verbo, *Pater*, debet affectus noſter erigi, & fiducia mirum in modum excitari & confirmari, ut ſe totum bonitati paternæ homo committat.

FRUCTUS HUJUS VOCIS, PATER.

Fructus hujus vocis.

HÆc vox, *Pater*, vox ſuavitate plena eſt, & multipliciter nos monet. Primò excitat affectum & obedientiam noſtram cum reverentia filiali conjunctam. Hinc dicit B. Gregorius: *Cùm vult timeri ſe Dominum nominat, cùm vult honorari Patrem, cùm vult amari Sponſum, cùm ſe Dominum nominat, indicat quod creati ſumus: cùm Patrem nominat, indicat quod adoptati ſumus: cùm Sponſum quod conjuncti ſumus. Et quanto dignior & nobilior eſt amor & honor quàm timor, tanto plus gaudet Pater vocari quàm Dominus.* Ita ille.

1. Excitat obedientiam ſanctam filii reverentiæ.

Excitat quoque fiduciam filialem per quam nos totos bonitati paternæ committere debemus.

Et fiduciã filialem.

Hinc Beatæ Mechtildi quærenti quondam à Domino, quidnam potiſsimum credere deberet de ineffabili ejus bonitate. Reſpondit Dominus: *Certa fide crede, ô filia, quod te poſt mortem ſuſcipiam, ſicut Pater filium chariſſimum, quodque nullus unquam Pater tam fideliter cum unico ſuo nato hæreditatem diviſit, ſicut ego bona mea & meipſum tibi communicabo. Quicumque de bonitate mea id firmiter & cum humili charitate crediderit, beatus eris.* Et iterum ei dixit Dominus: Mihi valde gratum eſt quod homines in bonitate mea confidant & de me præſumant; nam quiſquis in me humiliter confiſus fuerit, ac mihi benè crediderit, ego & in hac vita illi adero, & poſt mortem ſupra omne meritum ei benefaciam. Ita Bloſius.

Lud. Bloſius in Monili c. 11.

2. Mens nos excellentia noſtra.

1. Joan. 3.1.

Joan. 1.12

Rom. 8.15

Secundò, vox iſta nos monet de excellentia noſtra. *Videte*, inquit Joan. *qualem charitatem dedit nobis, ut filii Dei nominemur & ſimus: dedit* enim nobis *poteſtatem filios Dei fieri qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Gloriabantur Judæi ſe Patrem habere Abraham, quanto magis nos gloriandi rationem habemus, qui Patrem cœpimus habere Deum. Illi ſervi, nos filii: *Non enim accepiſtis*, inquit Apoſtolus, *ſpiritum ſervitutis, ſed ſpiritum adoptionis in quo clamamus Abba Pater.* Unde adverte in antiquo Teſtamento non fuiſſe ſolitos Judæos Deum invocare ſub nomine Patris, ſed reſervabatur id uſque ad tempus quo data eſt lex amoris, in quo ipſe Filius Dei, qui dignatus eſt nos vocare fratres, doceret quoque nos Patrem ſuum & noſtrum ſic orare: *Pater noſter qui es in Cœlis.*

Neque ſine myſterio dicit Apoſtolus nos clamare per ſpiritum adoptionis, *Abba Pater*, ubi vox *Abba* eſt Hebræa, & idem ſignificat quod *Pater*, ut ſignificetur nos bis eum tempore gratiæ Patrem vocare, hoc eſt, more Scripturæ loquendo, iterum & valdè Patrem nobis eſſe, hoc enim ſignificare ſolet reduplicatio in ſacris literis.

D. Tho.

Notat quoque ſubtiliter D. Thomas, quod ibi Apoſt. non dixerit, *Pater, Pater*, ſed *Abba* Hebraicè, & poſtea *Pater*, quod eſt Græcum & Latinum: & hæ tres ſunt linguæ mundi principales, & ita ut ſignificetur, Hebræos, Græcos, & Latinos (hoc eſt omnes gentes) eum Patrem vocaturos: quia jam non uni populo, ſed omnibus nationibus Patrem per ſpiritum adoptionis ſe vult exhibere. Sed & aliqui notant, in promulgatione veteris legis in monte

Digitized by Google

monte Sinai, novem vicibus *Dominum* nominati, & quinque vicibus *Deum*, nunquam verò *Patrem*, in promulgatione verò novæ legis sexdecim vicibus *Patrem* se nominavit, ut constaret nos accepisse Spiritum, in quo clamamus *Abba Pater*, & quo in eum fidentes dicere possemus : *Pater noster qui es in cœlis.*

3. Monet, ne degenerer simus filii. Isaiæ 51. Joan. 8. 39

Tertio, vox ista nos monet, ut non degeneremus, filii tanti Patris : debemus enim esse imago Patris, & illi similes non tam repræsentatione faciei, quàm expressione virtutis & imitatione morum. Elegit enim ideò nos, ut simus conformes imagini Filii sui. Quapropter sicut ad Israelitas dictum est : *Attendite ad Abraham Patrem vestrum, & filii estis Abraha, opera facite Patris vestri Abrahæ.* Illius scilicet fidem, obedientiam, virtutem sectando : Ita & nobis dicitur : si filii Dei estis, exhibete opera Patris vestri, nolite degenetes esse. Misit enim Deus filium imaginem sui perfectam, ut ejus colores & lineamenta virtutum dignosceremus, & in nobis exprimeremus. Alioqui si opera facimus diaboli, filii ejus sumus : si superbiam ac invidiam sequimur, filii sumus Sathanæ : si immunditiam & luxuriam, filii Sodomæ & Gomorrhæ : si malefici sumus & impii, filii erimus serpentis venenum jacientis ; & ita rectè cum Pharisæis vocabit nos Joannes, *Genimina viperarum.* Sic de aliquibus conqueritur Dominus : *Nunquid Filii Æthiopum estis vos omnes mihi Filii Israel?* Quasi dicat. Non videmini vos filii Abraham, filii Isaac, filii Jacob, filii Dei : tanta sunt peccata vestra, ut filios Æthiopum vos potius dicendos arbitrer ; quia estis sordidati & denigrati vitiis ; frustrà ergò fiditis in meritis Jacob & Israel, frustra dicitis, *Pater noster qui es in Cœlis*, quia ipsa hæc verba testimonium contra vos dant vosque condemnant : Si enim *ego Pater vester, ubi est honor meus?* Sic & nos frustrà gloriamur nos esse Filios Dei, aut Filios Apostolorum & Sanctorum, frustrà aliqui Patrum suorum & Patriarcharum Religionis suæ jactant merita, si eorum virtutes non imitentur : frustra Sanctorum se filios clamant, si tanquam filii Æthiopum nigredinem gestent in anima. Ad Religionem enim vocatis non proderit Patrum splendor, si vestium & nominis tantum, & non etiam virtutum spiritus hæredes fuerint, corde sæculo adhuc dediti. Divi Francisci apophthegma dignum consideratione est, dicentis, quosdam virtutibus magnos & nobiles extitisse ; alios nihil faciendo, sed horum res gestas tantùm narrando, claros fieri velle. Attendant hoc qui se Benedicti, Bernardi, Francisci, Dominici filios gloriantur, & eorum virtutes, non nomina sola sectentur. Attendant hoc & omnes Christiani, qui & Dei & Sanctorum sunt filii, nec ipsi Sancti quos patronos invocant, eorum sint judices.

Amos 9. 7

Malach. 1. 6.

D. Francisci apophthegma.

Exempl. Anton. Senensis An. 1370.

Sic refert Antonius Senensis in Chronico Ordinis Prædicatorum Anno 1370. Bononiæ in Sacello D. Dominici cantantibus Fratribus : *Ora pro nobis Pater Dominice*, vocem cœlestem insonuisse : *Nec ego Pater, nec vos filii.* Quod quidem inquit illle, existimandum est non tantum propter illum Conventum accidisse, sed propter universos qui in Patrum virtutibus gloriantur, & nihil virtutis illorum imitantur. Sicut, inquit, in politico regimine, locis solemnioribus proclamationes fiunt, ut ad omnium notitiam deveniant, imò singularis benevolentiæ protectio ostenditur his quibus similia contingunt.

QUID VOX, NOSTER?

Voce noster 1. Monemur Charitatis fraternæ.

PEr hanc particulam, monemur charitatis proximi, ut consideremus nos fratres esse, eundem Patrem habere, cujuslibet simus conditionis, ideoque neminem contemnendum, quantumlibet vilis & inferioris gradus : quia in Christo Jesu non est servus & Dominus, pauper & dives, nobilis aut ignobilis, sed & omnes ejusdem hæreditatis sumus capaces, æqualiter ad eam vocati : etsi quidem ipse inæqualiter distribuit dona naturæ, aut fortunæ, æquale tamen dat jus ad dona gloriæ ac gratiæ.

2. Orationis pro aliis

Secundò monemur etiam his verbis, *Pater noster*, quod generalem pro omnibus orationem facere nos oporteat, non enim tantum pro nobis oramus, sed pro omnibus, sicut & omnes pro nobis. Unde non dicimus, *Pater mi*, sed *Pater noster.* Et gratissima est Deo non solùm pro se, sed & pro aliis oratio, quia omnes à se creatos & redemptos diligit, gauderque orari pro illis. Unde Chrysostomus dicit : *Pro se orare necessitas cogit, pro aliis charitas fraternitatis hortatur, dulcior autem est ante Deum oratio, non quam necessitas transmittit, sed quam charitas fraternitatis commendat.*

Chrysost. hom. 14. in Matth.

Sicut ergò in familia benè ordinata, quicquid acquirunt fratres, non solùm sibi acquirunt, sed & omnibus fratribus, & qui societatem ineunt in commune lucrum reportant. Ita in Ecclesia propter fraternitatis & charitatis conjunctionem, cùm quis orat, in commune orat, & lucrum ejus fratribus communicatur.

Sicut etiam in corpore oculus videt pro toto corpore, manus operatur pro omnibus membris, pes pro universis ambulat : Ita pro invicem oramus, pro invicem benè operamur, juvamus nos invicem & orationibus & operibus sanctis, tanquam membra ejusdem corporis, tanquam fratres ejusdem familiæ, tanquam colligati in eadem societate quæ sanguine Christi coaluit. Hæc est communio Sanctorum indicata in verbis istis ; *Pater noster.* De qua latiùs suo loco.

Li. 1. ti. 4. lect. 10. ad art. 9. Symboli.

QUID VOX, QUI ES?

Qui es, proprie convenit Deo.

SI verba illa, *Qui es*, profundiùs considerare velimus, inveniemus illa continere proprium nomen Dei, de quo dicit Moyses : *Qui est, misit me ad vos.* Nam Dominus ei dixerat : *Ego sum qui sum*

Digitized by Google

sum, hoc est nomen meum. Et virtute hujus nominis, Moyses tanta patravit in Ægypto; ita ut dicant aliqui in virga Moysis hæc verba nominis Dei circumexarata fuisse. Exod.3. 14. Et propterea dicitur Exod.4. *Moyses tenebat virgam Dei*, ut explicat Abulensis. Deus ergo habet hoc nomen solus sibi proprium, *Qui est:* Exod.4.2 quia solus habet esse à se, & independens, infinitum, immutabile, illuminatum, æternum, sine principio, sine fine; non antiquatur, non variatur, non senescit, semper fuit, semper est, semper erit, imò potius in illo non est præteritum aut futurum, sed semper præsens esse. *Cœli peribunt & mutabuntur sicut vestimentum*, inquit Psalmista: *Tu autem idem ipse es.* Ps.101.27 Nec Angelus ergò nec homo vocari potest: *Qui est*, quia ex nihilo est, & ad nihilum tendit sine Deo sustentante: & ipsa vita hominis fumus est, ventus, vapor, somnium, imago, imò umbra est, & nihil est: *Parce mihi Domine* inquit Job, *Nihil enim sunt* Job.7.16. *dies mei: Substantia mea tanquam nihilum ante te,* Psal.38.6. inquit David. Alii legunt: *Substantia mea, & duratio mea tanquam nihilum est*, punctum tantum est, momentum, & nunc. Hinc Dominus loquens ad Beatam Catharinam Senensem initio revelationum suarum dixit: *Ego sum qui sum, tu es, qua non es: Hoc si attendas, omnes laqueos inimici fran-* S.Catharinæ Sen. loquitur Christus. *ges:* Imò quilibet debet ita sentire. Qui enim existimat se aliquid esse cum nihil sit, ipse se seducit.

QUI ES IN COELIS.

In cœlis quid sibi velit?

NUnquid ipse est ubique? Utique, quia recte dicit Propheta: *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? &c.* Ubiq; ergò per essentiã, præsentiam, potentiã. Sed in cœlis specialiter per gloriæ suæ manifestationem, ibi regia aula ejus est, in qua adoratur ab Angelis, & glorificatur a beatis, inde omnia circumspicit & contẽplatur, inde nobis auxilium omne, & omne bonum, omnis benedictio, rosque cœlestis, manna divinum. *Levavi oculos meos in montes*, inquit Propheta: *Unde veniet auxilium mihi. Ad te levavi oculos qui habitas in cœlis, illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.*

Psal. *Deus est ubique, specialiter in Cœlis,* Ps.120.1. Ps.122.1. Ps.75.5.

1. *Docemur mentem à terrenis ad cœlestia erigere.*

Docet ergò nos Christus his verbis ad cœlestia animum erigere, & illum avellere à terrenis, illuc oculos cordis nostri intendere, ubi pater noster est, Patria & parentes, fratres & hæreditas nostra quam expectamus: cui suspirare debemus toto corde, quia illic ille de quo dicimus: *Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum.* Ps.72.26.

Propterea dicebat Apostolus de veris filiis Dei. *Nostra autem conversatio in cœlis est*: quasi dicat. Phil.3.20 Terreni & mundani terrena sapiunt, amant & curant, nos Christiani sapimus, amamus, curamus cœlestia. Illi quasi talpæ in terra versantur, terram fodicant, terræ inhiant, terræ opibus delectantur; nos Christiani filii Patris æterni, cœlestibus pascimur, ad illa tendimus, ibi cor nostrum & omnia bona nostra, & ita non tam in terra sumus conversantes quam in cœlis. Hinc Ecclesiæ (quæ est sanctorum & fidelium congregatio) datus est, *Calceus* Ezech.16. 10. *Hyacinthinus*, id est, violacei & cœlestis coloris; ut hoc symbolo significaret Deus, Sanctorum in Ecclesia conversationem esse in cœlis. Legit Tertul- Tertul. lianus, *Municipatus noster in cœlis est*, q.d. Respublica nostra & civitas nostra est in cœlis, cœlesti quodam regimine regimur, quia cœlestibus legibus regimur, & tanquam peregrinos nos existimamus ad Civitatem nostram continuò respirantes.

Hoc præclarè intellexerunt illi, de quibus in vita S.Pamphilii Martyris qui de gentilismo conversi, abdicatis prioribus nominibus gentilitiis, Prophetarum nomina sumpserunt, vocati Isaias, Jeremias, Samuel, Elias, Daniel, & simul cœlestem eorum vitam imitati sunt. Quare capti Cæsareæ professique se esse Christianos, interrogati sunt: *Quæ eorum esset patria?* Respondit primus pro omnibus: *Ierusalem patria nostra est*: Intelligens scilicet illam de qua Paulus. *Quæ sursum est, libera* Gal.4.26. *est, Ierusalem mater nostra*: Et iterum: *Accessistis* Hebr. 12. *ad Civitatem Dei viventis Ierusalem cœlestem.* Instante Præside Firmiliano quænam esset illa Civitas: Respondit ille. *Christianorum est patria, nulli alii prater ipsos sunt participes* Interrogatus quo loco sita esset? *Respondet sita est ad Orientem, & ad ipsam lucem & solem.* Cum Præses aliam vocem non posset extorquere, etiam acerrimis tormentis (quia corde in cœlis fixo, caro tormenta vix sentiebat:) Tandem cum sociis secuti percussus, ad cœlestem illam civitatem, Laurea Martyrii coronatus transmeavit. Accidit id sub Diocletiano & triumphus eorum celebratur decima sexta Februarii. Exempl. Surius 16.Febr.

Docent denique hæc verba: *Pater noster qui es in* 2. *Renunciare parentibus terrenis.* *cœlis* etiam debere nos terreno Patri & Matri renunciare, postquam per regenerationem Patrem cœpimus habere in cœlis; quoniam in Evangelio Dominus præcepit, ne vocemus nobis Patrem in terris. Et Levitæ laudantur quod dicerent Patri & Matri: *Nescio vos.* Sic & multi heroico animo, Patrem & Matrem parentes carnis relinquunt, ut possint servire Patri Spirituum.

Sic præclarè Franciscus, qui à Patre ductus est In vita S. Francisci Bonav. ad Episcopum Assisinatem, ut cederet bonis paternis, quia de eo conquerebatur Pater quod omnia prodigeret, quia nimirum in pauperes cuncta quæ poterat distribuebat. At ille amore Christi lubenter omnibus cedens tanquam perfectionis Evangelicæ percupidus, rejectis etiam vestibus Patri omnia concessit, & dixit: *Iam imposterum mihi major facultas erit dicendi & inclamandi: Pater noster qui es in cœlis.*

Quapropter parentibus qui à Religione proles S.Bern. impedire conantur recte respondet Elias Mona- Ep.111. chus apud Bernardum: Quid à vobis habeo nisi peccatum & miseriam? hoc quod gero corruptibile corpus de vestro me habere fateor. Non sufficit vobis

Digitized by Google

vobis quod me in hanc sæculi miseriam miseri miserum induxistis ? quod in peccato & peccatorem peccatores genuistis ? quod peccato natum, de peccato nutristis : nisi etiam invidendo mihi misericordiam, quam consecutus sum ab eo qui non vult mortem peccatoris, filium etiam gehennæ faciatis ? Si me ut boni parentes diligitis, quid me Patri omnium Deo placere satagentem inquietatis ? Cur ab ejus servitio, cui servire regnare est, abstrahere tentatis ? Verè nunc cognosco, quia inimici hominis domestici ejus. In hoc obedire non debeo, nec vos cognosco parentes, sed hostes.

Augustin. Epist. 58. ad Lætum

Simili modo Augustinus amicum ad sæculi contemptum urgens docet quod parentes repugnantes curare non debeat. Quid dicit, inquit, aut quid allegat mater ? Fortè menses quibus viscera ejus oneravit, & dolores, parturitiones, & labores educationis ; sed Mater Ecclesia, mater est etiam matris tuæ. Hæc nos de Christo concepit, hæc Martyrum sanguine parturivit, hæc in sempiternam lucem peperit, hæc fidei lacte nutrivit & nutrit, hæc te vocat, ut pro illa adversus abortivos ejus filios qui adversus eam infestis armis belligerare non dubitant, auxilium feras. Hujusne necessitates deserens ad carnalia ubera convertaris ? Nonne Hæc cariora viscera & cœlestia ubera ostentat ? Hæc Augustinus.

Exempl. Antonin. 3. p. tit. 24. c. 9. §. 7.

Mirabile est quod narrat Antonius de quodam Doctore insigni, qui se Franciscanæ Familiæ addixerat. Mater quæ inopia haud mediocri premebatur, & manuum laboribus ipsum in studiis aluerat, accessit lachrymis conquerens tum apud Filium, tum apud Patres Ordinis, eos inhumanos & injustos accusans. Quibus cùm commotus jam in proposito nutaret, & ante Crucifixi imaginem oraret, quasi veniam ab eo petens discedendi ad matrem sublevandam ; vidit è Christi latere manantem cruorem, simulque hanc vocem audivit : *Ego te carius nutrivi quam mater tua, quare non me deserere debes propter matrem.* Quo ille & stupefactus, & ita roboratus est, ut deinceps maternas omnes vel blanditias, vel querelas facilè contempserit.

LECTIO III.

EXPLICAT PRIMAM PETITIONEM hanc,

SANCTIFICETUR NOMEN TUUM.

Docet variis modis sanctificari nomen Dei.

PROPOSITIO UNICA.

Explicatur prima Petitio. Hic petimus, ut

PRIMUM *quod petere debent veri Filii Dei, est ipsius Patris sui æterni honor & gloria.* Itaque dum petimus ut sanctificetur nomen Dei, non aliud petimus quam ut Majestas, potentia, sapientia, bonitas, cæteræque perfectiones ejus ubique notificentur & celebrentur, ut sic ab omnibus & in omnibus locis adoretur, timeatur, ametur. Hoc debent non solum petere, sed & omni conatu procurare filii Dei adoptivi, quibus sese exemplum in hoc præbuit ipse naturalis filius Dei qui ad hoc venit in mundum, ut Patris sui gloriam promoveret, de quo loquitur ad Patrem : *Pater manifestavi nomen tuum hominibus.* Itaque licet sanctificari non possit amplius nomen Dei in se, quia ejus sanctitas augeri non potest nec gloria, ex eo tamen sanctificari dicitur, quia tanquam sanctum omnibus inclarescit, & ab omnibus cognoscitur, tanquam reverendum, colendum, glorificandum, quo nihil est vel sanctius, vel augustius, vel integrius, juxta id quod dicitur per Ezechielem : *Et nomen meum, sanctum notum faciam in medio populi mei Israel, & scient gentes quia ego Dominus sanctus Israel.* Adverte itaque quod *Nomen Dei* in scripturis sæpè accipitur ut non sit aliud quam ipse Deus. Ita ut dicatur nomen Dei admirabile, glorioſum, justum, sanctum, quia Deus est admirabilis, glorioſus, justus, sanctus. Sicut è contrà alicujus nomen dicitur odioſum & ingratum, quia illa persona est odioſa & ingrata.

Deus celebretur & colatur ubique.

Joan. 17. 6.

Ezech. 38. 7.

Cùm autem variis modis possit dici sanctificari nomen Dei, hinc est quod multa includuntur in hac petitione.

Sanctificatur nomen Dei.

Primò ergò sanctificari censetur nomen Dei, dum ejus laudes celebrantur ab ejus creaturis, maximè intellectualibus Angelis & hominibus : Et ita hic petimus, ut nomen Majestatis ejus celebretur & sanctificetur, à Spiritibus illis Angelicis, & in sæcula sæculorum impleatur laus illa quam describit Joannes in Apocal. Ubi postquam Angeli & seniores millia millium dedissent laudem Deo, omnes etiam creaturæ dicuntur clamasse : *Benedictio & honor & gloria & potestas in sæcula sæculorum sedenti in throno & Agno.* Quod ipsum Isaias describit, dum dicit se vidisse Seraphim alternis Choris clamantia. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.* Licet verò ea laus necessariò ab Angelis semper sit continuanda, nos tamen id petimus fieri, tanquam filii per hanc petitionem desiderantes & congaudentes in hac glorificatione Patris nostri, cum quibus & nostras voces admitti postulamus, etiam ipsi una voce dicentes : *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, &c.*

1. Cum Deus laudatur à creaturis.

Apo. 5. 13.

Isa. 6. 3.

Hanc continuam sanctificationem & celebrationem nominis Dei in Hymnis & Canticis, toto studio procurantes sancti Patres in suis Cœnobiis, statuebant tantum numerum Fratrum, ut per singulas horas decantarentur laudes Dei sine ulla intermissione, ut alibi diximus.

2. Excitatione creaturarū ad laudandū Deū simul nobiscum.

Dan. 3. 57 Ps. 148. & 149 & 150

Secundò sanctificatur nomen Dei, dum nos mutuò excitamus ad hanc laudem, imò & creaturas ipsas irrationales ad laudem sui Creatoris invitamus : Sicut faciebant pueri Babylonici in fornace per illud suum Canticum : *Benedicite omnia opera Domini Domino.* Sic & ipse David glorificare cupiens nomen Domini, vidensque suam insuffi-

Digitized by Google

cientiam, invocat Cœlum Empyreum omneſque Angelos & cœleſtes Spiritus, invocat etiam Cœlum ſtelliferum, firmamentum, Solem, Lunam, Stellas: Præterea deſcendit ad elementa, invocans ignem, aërem, nivem, grandinem, ventum & volucres. Deinde adhuc infra deſcendens, invocat montes, colles, arbores, cùm omnibus fructibus & foliis: ac terram cum omnibus ſuis animalibus, etiam uſque ad dracones & ſerpentes: Denique & abyſſos cum ſuis aquis, ut laudent nomen Domini. Tunc rediens & dirigens vocem ſuam ad animas rationales, convocat omnis generis, conditionis & ſtatus, ætatis & ſexus: *Reges terræ & omnes populi: Principes & omnes Iudices terræ, juvenes & virgines, ſenes cum junioribus, laudent nomen Domini, quia exaltatum eſt nomen ejus ſolius.* Denique, videns ſe ulterius progredi non poſſe, elevans vocem clamat & concludit: *Omnis ſpiritus laudet Dominum*, q.d. Quicquid animam habet; omnem vitam ſuam, ſpiritum & omnem vocem, in hoc unicum impendat, ut glorificetur nomen Domini.

Exempl. Hac ipſa voce & deſiderio vitam ſuam concluſit S. Petrus Cœleſtinus, qui in agone conſtitutus, hunc Pſalmum toto ſpiritu pronuncians, cùm invitaſſet omnes creaturas ad laudem Dei, tanquam cygnus præclarè & ſuaviter in fine cantans, in hac voce vitam & ſpiritum Deo reddidit: *Omnis ſpiritus laudet Dominum.* Pſ.150.6.

Sic Beat. Franciſcus qui totam vitam ſuam impenderat ad procurandum Patris æterni gloriam, relicto Patre terreno; videns ſe non poſſe plenè magnificare nomen Domini in hac vita, reſpirabat ad laudem illam æternam in Cœlis. Ideòque fini proximus, recitans Pſalmum 141. qui incipit: *Voce mea ad Dominum clamavi*, in his verbis vitam finivit: *Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo.* Pſ.141.2. Ibid.v.8.

Sic B. Ludovicus (qui pro gloria nominis Dei, tota vita ſua zelatus fuerat, cupiens etiam illud ſanctificari & coli ab ipſis infidelibus) in bello contra infideles morte præventus, in his verbis ſpiritum reddidit: *In conſpectu Angelorum pſallam tibi, & adorabo ad Templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.* Pſ.137.1.

3. Cultus nominis Dei vel Jeſu. Iſa.16. Bonav. in vita S. Franciſci.

Tertiò ſanctificatur nomen Dei, meditando ejus excellentiam, ſanctitatem, bonitatem, cum reverentia ad ejus nomen, de quo apud Prophetam: *Domine nomen tuum & memoriale in deſiderio animæ*; Sic plures ſancti viri ſumma cum ſuavitate ruminabant nomen Dei. B. Franciſcus Pſalmos toto mentis affectu recitans, cum nomen Domini in eis occurrebat, præ ſuavitatis dulcedine, labia ſua lingere videbatur. Ipſum quoque nomen Domini non ſolum cogitatum, verùm etiam ſcriptum & prolatum, reverentia præcipuâ volens honorare, Fratribus præcipiebat, ut ſchedulas ubi illud ſcriptum eſſet repertas, mundo loco reponerent, ne fortè ſacrum illud nomen contingeret conculcari. Nomen autem Jeſu cùm exprimeret vel audiret, jubilo quodam repletus intrinſecus, totus videbatur exterius alteriari, ac ſi mellifluus ſapor guſtum, vel harmoniæ ſonus, ipſius immutaſſet auditum.

Sic etiam nomen Dei & memoriam ejus ſummo deſiderio recolebat, & ſumma ſuavitate ruminabat anima S. Juliani, ut ubicunque illud in libris ſcriptum reperiret, lachrymis abluetet, earumque copia lituras multas libris induceret, ut refert oculatus teſtis S. Ephrem in ejus vita. Quidam, inquit, die dixi ad ipſum: Quis hoſce libros lituris corrumpit? Beatus verò ille vir ad me: Nihil, inquit, a te penitus abſcondam. *Fornicatrix mulier ad Salvatorem accedens lachrymis pedes ipſius rigavit & capillis terſit, & ego ubicunque Dei nomen ſcriptum reperio lachrymis meis rigo, ut & ego ab eo remiſſionem peccatorum accipiam.* Dixit quoque: non imgatur cor meum, niſi plorem coram Domino Deo meo. Ephrem. in vita S. Juliani.

Quartò ſanctificatur nomen Dei, dum populis infidelibus annunciatur & ab illis agnoſcitur. Hac ergò petitione rogamus, ut tot barbaræ nationes, quæ Dei nullam notitiam habent adorantes Solem & Lunam, ligna & lapides, opera manuum hominum, adducantur per mediatà Deo ordinata, ad veram fidem & nominis ejus confeſſionem, ut relictis idolis veri Dei nomen & exaltent & adorent. *4. Infidelium converſione.*

Hæc ergò petitio ex parte impletur, dum Deus per zelatores honoris ſui, nomen ſuum & fidem veram in terras & populos ignotos transfert: dum Crucis vexillum in regionibus infidelibus erigitur, in ſummis montium, in portis & muris urbium erectum adoratur; & tot populi qui peribant ſine veri Dei fide, tanta aviditate, zelo, fervore, ejus nomen ſuſcipiunt, ut nobis ignominiam pariant, dum forma quædam pietatis primitivæ Eccleſiæ apud Japones, Braſilios, Sinas, infinitos quosdam populos refloteſcit, & ſanguis Chriſti quaſi adhuc effervescit in cordibus eorum, ſicut de primis Chriſtianis loquitur Hieronymus: dum convertuntur Templa idolorum in veri Dei cultum, & ſacrificia ſatanæ, in veri Dei adorationem & Sacrificium. S. Hieron.

Sic ergò impletur illud: *A Solis ortu uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus, & offertur ac ſacrificatur nomini meo oblatio munda.* Oblatio ſcilicet Euchariſtica: quæ in vaſtiſſimis illis provinciis Orientis antea ignotis, Domino ſacrificatur, etiam notum fit & exaltatur nomen ejus, non tantum in Judæa, non tantum in Iſrael, non tantum in aliquot Provinciis, ſed etiam in finibus terræ. Mala 1.11.

Ergò pergite infracto animo viri Religioſi zelo zelantes pro Domino Deo exercituum, ut nomen ejus in terris infidelium ſanctificetur. Pergite viri Apoſtolici, nulli parcite labori, imò nec vitæ veſtræ, per immenſa Oceani ſpatia ad populos illos ignotos, ad Sinas & Japones, puro ſalutis ipſorum deſi-

desiderio & gloriæ nominis Dei, contendentes:
1. Cor. 15. 58. *Labor vester non erit inanis in Domino*: Famem, sitim persecutiones, carceres, mortes, generosè superare, hoc erit sacrificium gratum nomini ejus, quo nova Ecclesia ibi Domino dedicatur, sicut & primitiva sanguine non solùm Christi, sed & Apostolorum fuit fundata & consecrata.

Rodriq. par. 3. tra. 1. c. 6. ex Ann. Francisc. Gratissimum hoc esse Deo, patet exemplo Fratris Alphonsi de Rosa, Ordinis S. Francisci, de quo sic refertur. Cùm diu servus ille Dei pro nominis Dei gloria laborasset ad conversionem Indorum; voluit secedere ad tempus, ut majori otio sibi vacaret, & securius se ad mortem disponeret; in Hispanias ergo redivit, ubi soli sibi cœpit vacare, fructum illum in proximis deserens. Verùm toties, quoties orationi volebat intendere, statim videbatur sibi videre Christum crucifixum oculis suis se præsentantem & reprehensione quadam amica ac querula dicentem: Quare tu me reliquisti in hac Cruce, & tu interim solatium tuum & quietem quæris? Quæ visio adeò efficax fuit, & tam validè cor ejus permovit, ut statim regressus fuerit ad messem copiosam animarum in partibus infidelium; quibus se pluribus postea adhuc annis totum impendit, ut in illis infidelium animabus per veram fidem sanctificaretur nomen Dei.

5. Hæreticorum conversione. Quinto sanctificatur nomen Domini per conversionem hæreticorum, dum vera fides & vera nominis Dei confessio, tanquam radius solaris elucescat in illis regionibus, quæ in hæreseon, errorum, schismatum tenebris jacent & umbra mortis.

Apo. 9. 2. Rogamus ergò Deum per hanc petitionem, ut claudatur modò ille *Puteus abyssi*, de quo tot errorum & sectarum tenebræ eruperunt, ut in eadem Provincia, urbe, familia, se mutuò non agnoscant. Et quia per has tenebras obscuratur doctrina veritatis & gloria nominis ejus, rogamus hic ut illuminare dignetur populos illos, per veram fidem; & dissipare has tenebras per sacri nominis sui lucem,
Ps. 148. 13. ut ab illis glorificetur, & exaltetur *nomen ejus solum*.

Et hæc petitio partim impletur dum generosos Athletas sibi servat Deus, quos destinat certaturos pro gloria nominis sui contra *Angelum abyssi*,
Apo. 9. 11. *cui nomen Hebraicè Abaddon, Græcè Apollyon, Latinè habens nomen exterminans.* Hic est Angelus abyssi, præses hæreseos, qui rectè Exterminator dicitur, quia totam Ecclesiam nititur exterminare, & quicquid in illa sacrum est, Sacramenta, cæremonias, vota, purgatorium, festa, jejunia sacerdotium, Templi aras, crucem, reliquias, & omnia pietatis monumenta, ut alibi dixi latiùs libr. 1. tract. 1. sect. 6.

Contra hunc ergò Angelum, & ejus sectatores, qui cum illo parati sunt ad prælium, blasphemantes nomen Domini (quos describit Joannes, tanquam equo hinnientes, cum corona superbiæ, tanquam Leones rugientes ad devorandum, tanquam Scorpiones veneno percutientes) mittit fortes bellatores, qui defendant gloriam nominis sui, & in provincias illas infectas, invehant iterum veram fidem, & blasphemis illis obstruant os, invicta doctrina & sapientia. Ad hoc laborant ex diversis Ordinibus spectatæ doctrinæ & pietatis viri, qui toti in hoc incumbunt, *Ut sanctificetur & glorificetur nomen Domini*; imò & pro illo sanguinem parati sunt fundere.

Com. à Lap. in c. 8 Isaiæ. Inter hos excelluit Edmundus Campianus Angliæ Apostolus & Martyr, verus athleta Christi. Hic cùm capitis damnatus esset quasi perduellis & patriæ proditor, gratias egit Deo, & velut Cygnus in fine cum suavitate Hymnum illum in quo nomen Dei sanctificatur, *Te Deum laudamus* recitavit. Et productus in theatrum quo tota Urbs Londinensis, imò tota ferè Anglia concurrerat, dicebat: *Spectaculum facti sumus mundo &*
1. Cor. 4. 9. *Angelis, & hominibus.* Ego hic spector suspendendus, & in quatuor partes secandus, quasi hostis Patriæ: *Spectaculum sum mundo.* Sed tu Domine scis innocentiam meam, scis me non aliud spectasse quàm gloriam tuam, quam fidem & Angliæ salutem. Quod si aliud spectassem, in Anglia amplos honores & opes acceptassem, oblatos ab iis, qui me morti addicunt. Veniet, veniet Elizabetha dies, qui revelabit secreta tenebrarum, & occulta cordium, & ostendet, an ego & socii te sincerè amaverimus, qui pro te & pro salute tua tot periculis, laboribus, & morti nos exposuimus: An tui ministri, qui à te non aliud quærunt quàm opes & dignitates, qui tibi adulantur in hæresi & ad cædem Sanctorum Virorum, qui tuam salutem sitiunt, te adhortantur: *Deum oravi & oro, ut hæc mors mea, quam lubens patior, sit piaculum peccatorum tuorum, tibi veniam, fidem, felicitatem æternam impetret, quam utinam hac morte mea à te illata possim tibi emere.*

6. Innocentia vita & bonis operibus. Sextò sanctificatur nomen Domini vitæ innocentia; & insistendo sanctis operibus, eaque referendo ad Dei gloriam. Sanctitas ergo vitæ, quatenus omnia peccata tam mortalia quàm venialia, quantum in se est, fugit, glorificat & sanctificat nomen Dei: quia excludit illa, quæ in injuriam Dei redundant. Sed & cùm per illam exemplarem vitam multi convertuntur, & à peccatis alii avertuntur, censetur glorificari nomen Dei; quia per malam vitam nomen ejus blasphematur inter Christianos. Rogamus ergò ut sanctificetur non tantum infidelium conversione, aut hæreticorum reductione, sed etiam in fidelibus piâ invocatione: & ut tot perjuria, calumniæ, juramenta, quibus nomen Dei vilipenditur, extirpentur ab ore Christiano, ut illud sanctum semper habeatur: & ut tot animæ languentes in peccatis, putrescentes in vitiis & quasi mortuæ in iniquitatibus, illius invocatione nominis respirent, illius vocem & lumen agnoscant, & in sanctitate ac justitia Domino serviant.

Ultimò sanctificatur nomen ejus, maximè dum

7. Tolerantia persecutionum pro Dei gloria.

pro illo persecutiones patiuntur Christiani, & ærumnas ac mortem, & dum pro gloria Dei sanguinem fortiter fundunt. Nulla enim major est laus Dei, quàm Martyrium pro ejus nomine subire, hoc est sacrificium illi gratissimum quo nomen ejus invocatur. De illo interpretatur Augustinus, & alii illud Psal. 115. 12. Psam. 1. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi! Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Intelligit enim de calice Passionis & mortis, de quo Dominus dixit: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Quem dicit Augustinus accipere Martyres, & illum bibere, & sic nomen Dei invocare & sanctificare, dum capitis sui imitantur passionem, pro eo tolerando mortem. Unde & subditur: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Pretiosa utique oblatio, pretiosum Sacrificium.

Matt. 20. 22.

Hoc rectè intellexit mulier illa in Nagran civitate Arabiæ; de qua ex Procopio Baronius. Hæc tempore Justini Imperatoris Anno 522. cum duabus filiabus passa est. Ense ante faciem ejus hæ filiæ perfossæ sunt. Cumque sanguis afflueret, copiosè colligens partem Carnifex, Matri propinavit: quem accipiens Mater gustavit, & in Cœlum suspiciens: *Tibi, inquit ô Christe, hoc meum offero sacrificium, & tibi Martyres exhibeo virgines castas quæ egressa sunt ex utero meo, cum quibus quoque me connumeratam, introducere digneris in thalamum, & ut dicit divinus David; Ostende Matrem propter filios lætantem.* Quapropter & ipsa martyrio laureata est, quæ hoc heroico suo facto rectè poterat dicere: *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo: Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Item illud: *Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.* Voluntarium enim tum sui, tum sanguinis filiarum sacrificium obtulit, ad confitendum nomini Domini.

Baron. ad Ann. 522. ex Procopio.

Psl. 53. 8.

LECTIO IV.

EXPLICAT SECUNDAM PETITIONEM.

ADVENIAT REGNUM TUUM.

1. *Docet peti hic regnum gratiæ.*
2. *Petit regnum gloriæ.*
3. *Petit ut Adveniat regnum perfectissimum Christi.*

Regnum Dei dicitur Ecclesia militans, & triumphans.

RECTÈ dividitur Ecclesia in *Militantem & Triumphantem*, & utraque Regnum Dei dicitur in Scripturis.

Militans est, quæ continuò adhuc in procinctu est in hoc mundo, ad bellandum contra adversarias potestates, undique hostibus cincta, ubi standi cadendique vicissitudo est, & incerta victoria. *Triumphans est*, para illa quæ præcessit & nunc triumphat in Cœlis, sine hoste, sine periculo, cum æternitatis securitate.

Hæ verò non sunt diversæ Ecclesiæ, sed est diversus status Sanctorum in Cœlo, ab illo quem hic habebant in hoc mundo. Ecclesia præsens adhuc versatur in fide, Illa autem altera in specie & vultus divini contemplatione: Una est in tempore peregrinationis. Altera in æternitate mansionis: Una in labore, altera in requie: Una in via, altera in patria. Sicut autem duplex est status, ita duplex est modus regnandi Dei. Nam super *Militantem Ecclesiam* regnat per gratiam & interiora dona; super *Triumphantem Ecclesiam* per gloriam & perfectam pacem. Et ita duplex est regnum ejus: regnum scilicet spirituale & internum; & regnum cœleste & æternum. Quomodo autem utrumque regnum petamus, declarabunt sequentes Propositiones.

Regnum Dei duplex

PROPOSITIO I.

Petimus hic 1. Regnum spirituale & internum.

PEtimus hic primò *regnum spirituale gratiæ, quo Deus regnat in animabus justis.* De illo rectè potest intelligi: *Regnum Dei intra vos est.* Et iterum illud: *Non est regnum Dei esca & potus, sed justitia & pax in Spiritu sancto.*

Luc. 17. 21. Rom. 14. 17.

Petimus itaque, ut in animas nostras veniat Deus tanquam Rex eiciens à nobis omnem potestatem Principis tenebrarum, & in pace ac cordis tranquillitate regat nos, cœlestes in terris leges condens, pravas passiones, affectiones, inclinationes comprimens. Itaque per pacem cordis & animi tranquillitatem, & conscientiæ serenitatem ac securitatem, inchoatur in nobis regnum quoddam spirituale, gratia dominante in nobis, & affectus nostros ordinante, & hoc regnum initium est quoddam illius æterni quod expectamus.

S. Bern. Luc. 1. 32.

De hoc regno intelligit Bernardus illud: *Dabit ei Dominus sedem David, & regnabit in domo Jacob:* quasi significetur regnaturus in Ecclesia & animabus justis spirituali quodam regno, cujus imaginem gerebat solium David: Non enim temporalis ille thronus Davidis potest intelligi, quia in illo nunquam sedit Christus, imò fugit, cùm Regem eum vellent constituere.

Cur Ecclesia vocetur domus Jacob? Gen. 32. 24.

Rectè verò *domus Jacob* dicitur Ecclesia & congregatio justorum & perfectorum in fide Jacob.

Primò: Quia Jacob luctator interpretatur: & sic Ecclesia militans rectè domus Jacob dicitur, quæ continuò luctatur contra adversarias potestates, oportetque eam esse prius domum Jacob, ut postea fiat domus Israel, hoc est, domus videns Deum: quod erit quando ex militante fiet triumphans.

Secundò: Ecclesia dicitur domus Jacob, quia Jacob primus ædificavit domum & altare Deo, & primus fuit domum Dei consecrans. De qua dixit: *Hic domus Dei est & porta Cœli.* Et id fecit in loco peregrinationis suæ. Ubi figura erat Ecclesiæ adhuc peregrinantis & ad Cœlum contendentis.

Gen. 28. 17.

Temid.

Digitized by Google

Tertiò. Per domum Jacob intelligitur rectè congregatio populi Dei, quia tota familia Jacob recepta fuit in populum Dei, & nullus ex illa familia populus infidelis ortus eſt, ſicut ex familia aliorum Patriarcharum, Iſaac, Abraham, Noë; ex quibus orti ſunt Iſmaël & Iſmaëlitæ, Eſau & Idumæi, Cham & Chananæi. De quo latiùs diximus alibi.

Itaque Regnum cœlorum non ſemper ſignificat Eccleſiam triumphantem, ſed ſæpe etiam militantem, & maximè illam quam Chriſtus veniens in terras tanquam Rex ſub vexillum ſuum congregavit, de quo dicitur: *Pervenit in vos Regnum Dei*; quod Joannes incepit prædicare ab illo auſpicans prædicationem ſuam, ſicut & Chriſtus: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum Cœlorum.* Ita de Joanne dicit Rupertus, fuiſſe primum hujus regni poſt Chriſtum, Ducem *Qualis*, inquit, *Magiſter militum, qualis Signifer Regis, qualis prima legionis primicerius, pilis veſtitus, zona pellicea cinctus, inclamans: Arma accipite, pœnitentiam agite.*

Matth. 12. 28. Matth. 4. 17.

Sicut verò Chriſtus habet regnum ſuum fundatum in amore Dei, & contemptu ſui, fundatum in humilitate, charitate aliisque virtutibus: Sic & habet Princeps tenebrarum regnum ſuum, in hoc mundo longè lateque diffuſum, per quod in animas tyrannidem exercet per peccatum & concupiſcentiam, pravaſque paſſiones.

Regnum Satanæ.

Ad hoc regnum ſpectat quiſquis concupiſcentiæ, quiſquis peccato ſervit, quia hoc modo Principi huic mancipium ſe facit, ac ejus obſequitur voluntati. Planè diffuſum eſt hoc regnum ſatanæ, quia ubique diffuſum eſt peccatum. Hoc ſcilicet eſt regnum tenebroſum, regnum Ægypti, regnum Babylonis & confuſionis, ubi continuum bellum & tumultus, timor & conſcientiæ remorſus, nulla pax, ſed continua tyrannis & initium quoddam regni infernalis.

Habet verò ſatan in hoc regno Principes varios & exercitus fortes quibus totum mundum ferè opprimit, ut dilatet regnum ſuum. Nam Chriſto adverſans, per totum orbem innumeros mittit dæmones ad nocendum, tanquam miniſtros regni hujus; qui nullis civitatibus & locis, nullis perſonarum generibus parcunt, ſed omnibus inſidiantur, ut regno huic tenebroſo eos ſubiiciant.

Sunt verò aliquot tyranni præcipui cum exercitu grandi: *Cum curribus Pharaonis & fortitudine Ægypti ac viribus Babylonis.* De quibus Joannes: *Omne quod eſt in mundo*, aut *eſt concupiſcentia carnis*, aut *concupiſcentia oculorum*, aut *ſuperbia vitæ.* Ubi tres deſignat velut Duces exercitus ſatanæ, ad imperium ejus totum per orbem proferendum, nimirum *Superbiam, Luxuriam, Avaritiam*, cum dæmonibus qui his vitiis præſidere dicuntur.

1. Joan. 2. 16. *Duces tres regni Satanæ.*

1. *Superbia* 2. *Luxuria*

Superbia ergo magnum exercitum habet, in quo cohortes ducunt ambitio, vana gloria, præſumptio, jactantia, obſtinatio, inobedientia, invidia, impatientia, contentio, hæreſis. *Luxuria* quoque magnum & fortem ducit exercitum, & ſub ſe milites varios habet & Capitaneos: Fornicationem, adulterium, ſtuprum, inceſtum, ebrietatem, gulam, immunditiam, ingluviem, impudicitiam, &c. *Avaritia* denique in ſuo exercitu tribunos habet, furtum, rapinam, ſacrilegium, fraudem, mendacium, oppreſſionem, uſuram, ſimoniam, &c. 3. *Avaritia.*

Hi omnes peſſimi milites & militum Præfecti totum ſe per orbem diſpergunt, & regnum ſatanæ terra marique proferunt, & adaugent, & opprimere ac conculcare regnum Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti omni via conantur.

Verùm non etiam deſunt ad regnum Chriſti tuendum & dilatandum Milites Ducesque ſtrenui. Hinc Zacharias dicit: *Vidi per noctem, & ecce vir aſcendens ſuper equum ruſum, & poſt eum equi ruſi, varii & albi. Et dixi, quid ſunt iſti Domine mi? Et reſpondit vir, Iſti ſunt quos miſit Dominus, ut perambulent terram.* Aſcenſor ille equi ruſi Michaël Archangelus eſt, qui olim Synagogæ, nunc Eccleſiæ Chriſti cuſtos eſt & defenſor, duxque præcipuus, qui ſicut in cœlo bellavit contra Luciferum, etiam nunc in terra ei obſiſtit, donec perfectum Dei & Chriſti regnum, in ejus ultimo adventu compleatur. *Equo inſidere* dicitur, ut celeritas ejus ad omnia juſſa Dei peragenda indicetur, & quia equus animal eſt ad bellum aptiſſimum. *Et ruſus* dicitur, quaſi ſanguineo colore perfuſus, ut ſignificetur ultionem ſumpturus de Dei hoſtibus. Poſt eum verò equi ruſi, varii & albi, ſunt Angeli cuſtodes variorum regnorum, qui dicuntur perambulare terram, quia Provincias ſibi commiſſas perluſtrant & illarum curam habent.

Duces regni Chriſti ſunt 1. Angeli. Zach. 1. 8.

Ad hoc regnum colligendum & convocandum miſit Dominus electos Apoſtolos, Diſcipuloſque per univerſum orbem, qui omni hominum generi, ſtatui & conditioni annunciarent bona illa cœleſtia gratiæ & gloriæ, per quæ regnat Deus in nobis, & omnibus acclamarent appropinquaſſe regnum illud ſpirituale, regnum internum, quod nobis viam ſternit ad æternum.

2. Apoſtoli & diſcipuli Domini. Luc. 10. 9.

Poſſunt etiam per equos varios, ruſos, nigros, albos, varii Ordines in Eccleſia intelligi, qui pro imperio Chriſti contra regnum ſatanæ & peccati depugnant, & in omnes mundi partes diſperſi in hoc incumbunt, ut opera diaboli diſſolvant, & contra hæreſes & errores dimicent pro Regis Chriſti gloria, tanquam validi bellatores. Et licet diverſis veſtibus & coloribus induantur, eodem tamen animo, iiſdem votis, iiſdem armis ſub uno Rege & Imperatore militant, & regni ejus pomœria dilatant, uſque ad ignotas etiam Regiones. Ut ergo breviter repetam: In hac Petitione petimus venire in nos regnum Dei, excluſo omni dominatu diaboli, quod fit, quando venit in animas noſtras Deus, ſua nos gratia & ſapientia regens & confirmans, *ut ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati ſerviamus illi in ſanctitate & juſtitia* &c. De hoc latiùs agens Bernardus dicit: *Veni Domine Jeſu, auſer ſcandala de regno tuo, quod eſt anima mea, ut regnes in*

3. Ordines Religioſi.

Luc. 1. 74.

Bern. hom. ſup. Miſſ.

qui debes in ea. Venit enim avaritia & vendicat ſibi ſedem, jactantia cupit dominari, ſuperbia vult eſſe Rex, luxuria dicit, ego regnabo, ambitio, itacundia, invidia certant in meipſo de meipſo, cujus potiſſimum eſſe videar. Ego autem quantum poſſum reſiſto, & reclamo Dominum meum, & dico me non habere alium Regem niſi Dominum meum Jeſum, ipſum mihi in Deum ipſum Dominum teneo. Veni ergo Domine, & diſperge in virtute tua, & regnabis in me, quia tu es ipſe Rex meus & Deus meus. Hæc Bernardus.

PROPOSITIO II.

Petimus hic ſecundò Regnum gloriæ æternum.

VErus Dei Filius, ſciens Patris promiſſum de conſortio illius regni, ad illud reſpirat. Et quia ejus hæreditas eſt, illam adire optat, illam poſſidere quantocyus deſiderat. Non enim hic fit ſicut in humana hæreditate, ubi filius non poteſt regni hæreditatem adire, niſi poſt mortem Patris, aut cum præjudicio alterius fratris: ut propterea ſæpius contentiones graviſſimæ inter fratres oriantur, & ſanguinis effuſio, ſine qua ad regnum accedi vix poteſt. Hinc de initiis Romanæ Urbis dicimus:

Fraterno primùm maduerunt ſanguine muri.

Sic in Scriptura Jacob & Eſau, jam ab utero contendunt pro jure primogenituræ.

Sic Abimelech ſeptuaginta fratres occidit ſuper lapide uno, ut regnaret.

Sic Athalia omne ſemen regium extinguit, regnandi libidine.

Denique & Abſalon in paternam necem & ſanguinem conſpirat, ut ſceptrum obtineat. Nempe regnum temporale non dividitur in plures ſine præjudicio: At regnum illud æternum plures poſſunt poſſidere ſine diminutione. Unde dicit de illo Gregor. *O præclara & ampla hæreditas, non deceſſu Patrum & ſucceſſu filiorum obtinenda, non inter fratres & ſorores dividenda, quia eam cohæredum numerus non anguſtat, & omnibus una, ſingulis tota, tanto longiùs extenditur, quanto ad hanc multitudo percipientium dilatatur.* Greg. in lib. mor.

Hanc ergo hæreditatem meritò quotidiè petimus & deſideramus; & de illo regno ſæpius agere, loqui, cogitare debemus, & ad illud omnia noſtra opera referre. Eſt enim ſcopus noſter & finis, portus & patria, merces & corona, quam Deus dat iis qui ex animo illam optarunt, & ferventer petierunt, & pro illa laborarunt.

Pſ.26.4. Pſ.41.3. Hinc in perſona Electorum dicebat David ad illud regnum ſuſpirans: *Unam petii à Domino, hanc requiram,* &c. Et iterum: *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei: Fuerunt mihi lachryma,* &c.

Signum ergo electionis, eſt deſiderium hujuſce Regni, in peregrinatione hujus ſæculi. Unde & dicebat David: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt!* Pſ.119.5. Veri filii Sion in Babylone gemunt recordati Hieruſalem, præſtolantes reditum. Hos introducit Pſaltes dicentes: *Super flumina Babylonis illic flevimus* &c. Pſ.136.1.

Si veri filii Dei & cœleſtis Sion ſæpius ſuſpirant, donec adveniat regnum illud ad quod jus habent; interim peregrinationem ſuam graviter ferentes & regni illius dilationem.

Sed & aliqui ſunt *Filii hominum gravi corde* ad terrena depreſſi, qui ſunt inſtar filiorum Gad: Hi cùm ad terram promiſſionis ambularent, in monte Galaad figere voluerunt domicilium, contenti ejus fertilitate, *pro nihilo* habentes *terram deſiderabilem*, nihil prætendentes ad promiſſionis terram. Pſ.105. 24. Sic aliqui cuperent in hoc mundo inter ejus voluptates degere, & omni juri, quod ad æternam habent hæreditatem, cedere parati, ſi modò certitudinem haberent de terrenæ hujus voluptatis fruitione.

Hi videntur in effectu dicere, ut Deus ſervet ſibi ſuum Paradiſum, ſe autem contentos ſorte ſua in terra: *Cœlum Cæli Domino* ſervetur, *terram autem dat filiis hominum.* Epicurei homines ſola voluptate fœculenta contenti: Talpæ ſolam terram comedentes & terrena ſapientes. De his rectè uſurpamus illud: *Iſſachar aſinus fortis accubans inter termonos, vidit requiem quòd eſſet bona, & terram quòd optima, & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum, factuſque eſt tributis ſerviens.* Pſ.113.16. Gen.49. 14. Hoc peccatoribus & mundanis hominibus rectè accommodatur. Fortes ſunt ad onera ſæculi, & graviſſimos mentis & corporis perferendos labores: ad jejunia autem & ſatisfactiones, & jugum Chriſti imbecilles. *Accubant inter terminos*, quia ſi eorum opera conſideres, nec prorſus Chriſtiani ſunt, quia toti in rebus ſæculi, nec tamen à Chriſtianiſſimo abhorrent, Deum colunt & Sacris interſunt. Quia ergo nec toti ſunt intra terminos Dei, nec intra terminos ſæculi, accubare dicuntur inter terminos. *Accubant* quia præſentia complectuntur, futura non quærunt. Placet illis delidia, & laborioſi ac difficilis viſa eſt via Sanctorum. *Terram* judicant optimam, quia in Cœlo converſatio eorum non eſt. Et ſponte *ſupponunt humeros ad portandum*, & tributis moleſtiſſimis diaboli, mundi & carnis, non annuis, ſed quotidianis deſerviunt.

Hi neſciunt quàm præclara ſit hæreditas illa regni cœleſtis, in ſplendore divinæ viſionis, in dulcedine divini amoris, in conſortio divinitatis, in ſolatio ſocietatis, in magnitudine exultationis: Quia noverat Jacob pulchritudinem Rachelis, ideo tam deſiderantèr illam a patre requirebat, ſibi in Sponſam aſſumere, & quia differebatur, æſtus magnos interius perſenti ſcebat: interim lubenter ſervitutem etiam annis quatuordecim paſſus fuit, noctuque perferens triſtoris & æſtus viciſſitudinem, ut tandem illa potiretur, *& videbantur ei pauci dies præ amoris magnitudine.* Gen.29.

Figura hic Electorum, qui inſtar Jacob luctantur adhuc in hoc mundo contra vitia, & ſerviunt lubenterque omnia hujus mundi adverſa perferunt;

pro

Digitized by Google

pro Rachel quæ interpretatur *viſio Dei* : & nihili æſtimant omnia hæc mundi adverſa tolerare , præ affectus & amoris magnitudine , omnia opera eorum parva eis videntur , reſpectu illius inæſtimabilis glonæ. Norunt ergò ipſi pulchritudinem Rachel, pro qua ſerviunt tota vita præſenti per ſeptem annos deſignata. Norunt pulchritudinem & abundantiam illius regni in omnibus bonis affluentis. De quo verificari poteſt illud Iſaiæ : *Tunc videbis & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum. Tunc videbis* divinum illum vultum : *& afflues* omnibus bonis : *& mirabitur cor tuum* abyſſum gloriæ & divinitatis ac bona illa æterna: *& dilatabitur* cor tuum per lætitiam & exultationem. Iſ. 60. 5.

Propter hæc ergò omnia tantopere optabant Sancti venire illud regnum æternum , & finire hanc ſervitutem & peregrinationem , quæ eis intolerabilis ex parte erat non tam ob afflictionem , quam ob peccatum & concupiſcentiam & pericula peccandi ; unde cupiebant diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, & quælibet tormenta optabant , ſi modò vita illa æterna frui poſſent.

Exempl. de S. Ignatio Mart. Surius in vita ejus 1. Febr.

Hinc S. Ignatius ad Romanos ſcribebat : *Veniam fruar beſtiis quæ mihi ſunt præparatæ , quas & volo mihi veloces eſſe ad interitum & ad ſupplicia, & allicio comedendum me , ne ſicut & aliorum Martyrum non audeant corpus attingere , quod ſi venire noluerint, ego vim faciam , ego urgebo. Ignoſcite mihi filioli , quid mihi proſit ego ſcio. Nunc incipio Chriſti eſſe diſcipulus , nihil de his quæ videntur deſiderans, ut Jeſum Chriſtum inveniam. Ignis, crux, beſtiæ, confractio oſſium , membrorum diviſio , & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantùm Chriſto fruar.*

Greg. Turonenſ. l. 8. hiſt. Franc.

Scribit Gregorius Turonenſis Libr. 8. Hiſtoriæ Francorum , S. Salvium Abbatem , poſt peractam in magna auſteritate vitam , ad aliam emigraſſe, non ſine magno Monachorum ejus , genitricisque ſuæ deſiderio. Manè itaque facto & funeris officio præparato, corpus moveri cœpit in feretro , & ecce *malis rubeſcentibus* , vir quaſi de gravi ſomno ſuſcitatus , excutitur, apertiſque oculis , manibus elevatis , ait : *O Domine miſericors , quid feciſti mihi, ut me in hunc tenebroſum mundanæ habitationis locum redire permitteres , cùm mihi melior eſſet in Cœlo tua miſericordia , quàm ſæculi hujus vita nequiſſima.* Stupentibus autem ſuis , ſurgit de feretro , & triduo abſque cibi & poculi perſtitit alimento, die autem tertio convocatis Monachis & matre [illegible] *audite , ô dilectiſſimi , & intelligite , quia nihil eſt quod cernitis in hoc mundo , ſed ſunt juxta id quod Salomon Propheta cecinit : Omnia vanitas ; Felix enim qui ea agere poteſt in ſæculo , ut gloriam Dei cernere mereatur in Cœlo.* Cum hæc dixiſſet , tunc à fratribus interrogatus , ut quod vidiſſet exponeret , ait. Cum me ante hos quatuor dies contremiſcente cellula examinem vidiſtis , apprehenſus à duobus Angelis in Cœlorum excelſa ſublatus ſum , ita ut non ſolum hoc ſqualidum ſæculum, verum etiam Solem & Lunam, nubes & ſidera ſub pedibus habere putarem. Deinde , per portam luce iſta clariorem , introductus ſum in illud habitaculum, in quo omne pavimentum erat quaſi aurum argentumque fulgidiſſimum , lux ineffabilis, amplitudo inenarrabilis, quam ita multitudo promiſcui ſexus obtexerat , ut longitudo ac latitudo catervæ prorſus prævideri non poſſet. Ecce ibi etiam me peccatorem ſalutabant humiliter viri in veſte ſacerdotali ac ſæculari, quos mihi duo Angeli qui præcedebant, enarraverunt eſſe Martyres ac Confeſſores, quos ibi ſummo excolebant famulatu. Stans igitur in loco in quo juſſus ſum, operuit me odor nimiæ ſuavitatis, ita ut hac ſuavitate refectus, nullum adhuc cibum potumque deſiderarem, & audivi vocem dicentem : *Revertatur hic in ſæculum, quoniam neceſſarius eſt Eccleſiis noſtris.* Vox enim audiebatur , nam qui loqueretur, penitus ceni non poterat. Ego proſtratus ſuper pavimentum cum fletu dicebam : *Heu heu Domine Domine , cur mihi hæc oſtendiſti , ſi his fraudandus eram : Ecce hodie eicis me à facie tua , ut revertar ad ſæculum fragile , & huc ultrà redire non valeam : Ne quæſo Domine auferas miſericordiam tuam à me ; ſed deprecor ut permittas me hoc habitare, ne illuc decidens peream.* Et ait vox quæ loquebatur mihi : *Vade in pace, ego enim ſum cuſtos tuus, donec reducam te in hunc locum.* Tunc relictus a Comitibus meis diſcedens cum fletu, per portam qua ingreſſus fueram, huc ſum regreſſus. Hæc Gregorius.

Sicut autem his verbis : *Adveniat regnum tuum* optare nos ſignificamus regnum illud, ita & illis monemur ad agendum ſemper ea, quibus illud acquiritur. Variis autem modis illud acquiri dicit Bernardus. Alii, inquit, violenter rapiunt , alii mercantur, alii furantur, alii ad illud compelluntur. Illi rapiunt qui reliquerunt omnia, & ſecuti ſunt Chriſtum, per paupertatem & pœnitentiam & auſteritatem , de quibus verum eſt : *Regnum Cœlorum vim patitur.* Alii mercantur, qui in præſenti pauperibus temporalia largiuntur, ut in futuro recipiant illis intervenientibus æterna. Alii furantur, qui bona in occulto faciunt quibus illud regnum merentur : Furari verò illud dicuntur , quia laudem humanam vitantes, occultè rapiunt regnum Cœlorum. Alii compelluntur, v. g. pauperes neceſſarii, quos ſcilicet nunc ignis paupertatis, Deo diſpenſante, purgat ; ne in futuro ignis judicii puniat. De quibus ſcriptum eſt : *Compelle intrare, ut impleatur domus mea.* Compelluntur multi variis neceſſitatibus & oppreſſionibus afflicti, qui mira Dei providentia, dum temporalem pœnam, ſi non libenter, tamen patienter ſuſtinent, vitam conſequuntur æternam. *Modi, quibus regnum cœlorum acquiritur.* Bern. ſer. inter parvos. Luc. 14. 23.

PROPOSITIO III.

Petimus tertiò Regnum perfectiſſimum Chriſti venire.

HOc eſt Regnum , quo quadam nova ratione , regnare incipiet in ſecundo adventu, quando eſt regnum. *Quod, & quando eſt regnum.*

Digitized by Google

perfectissimum Christi.

quando sublata morte & omni principatu sive hominum sive malignorum spirituum in terris, destructo quoque penitus regno peccati & diaboli, subjectisque omnibus inimicis sub pedibus suis, jam perfectè cum suis & Beatis, perfectissimo regnabit regno, nullis existentibus in regno ejus scandalis, nullo existente qui regno desit, aut cui quicquam in fœlicissimo illo regno desit. Hoc est ergò perfectissimum regnum, in quo manifestabitur potentia tum Patris, tum ipsius Christi, supplantatis inimicis, & ita tanquam filii illud regnum ei optamus advenire, non tam amore nostri, quàm zelo gloriæ ejus, quæ tunc perfectissimè relucebit, dum ipse erit omnia in omnibus, destructo diabolo, morte, peccato. De hoc regno agit Apostolus ad

1.Cor.15. 24. Corinth. 15. dum dicit: *Deinde finis, cùm tradiderit regnum Deo & Patri, cum evacuaverit omnem principatum, & potestatem, & virtutem*, q.d. Tunc finis erit cùm perduxerit regnum suum, hoc est, fideles suos, quos proprio sanguine acquisivit, ante conspectum Dei & Patris sui, & cùm cessaverit omne dominium tam humanum quàm angelicum, quia tunc immediatè erimus sub Deo, & verum erit il-

Isaiæ, 2.11 lud: *Exaltabitur Dominus solus in die illa.* Et tunc inimici ejus erunt sub pedibus, sub humanitate ejus, & ipsimet cum confusione regnum ipsius agnoscent, quia omnia erunt ei subjecta, ut sit Deus omnia in omnibus.

De hoc Christi regno ultimo & consummato frequenter etiam mentio fit in antiquis oraculis Prophetarum, qui de Christo & Messia loquentes asserunt eum regnaturum in Jerusalem, regnaturum super Israel in pace opulenta.

Frustrà ergò Judæi Messiam suum regnaturum temporali quodam regno expectant, frustra expectant venturum cum triumpho, pompa aut magnificentia, quasi totum orbem & nationes omnes suo debeat subiicere imperio, armis suis victricibus. Sic interpretantur malè oracula antiqua, quæ dicunt illum regnaturum à mari usque ad mare, & sessurum illum supra sedem David: hoc enim totum intelligendum est, partim de regno spirituali per fidem in Ecclesia nova, partim de regno il-

Act.1. lo perfecto post Resurrectionem. In fine ergò

Ps.146.2. sæculi *restituet tribus & regnum Israel*; tunc *ædificans Jerusalem Dominus, dispersiones Israelis congregabit.* Hactenus enim in omnes ferè gentes Judæi dispersi sunt, & vagi ac profugi super terram, simili pœna mulctati qua Cain, quia Christum innocentissimum Abelem fratrem suum peremerunt. Et sicut in Cain Dominus signum posuit ut non interficeretur, ita Dominus reliquit eis adhuc varia signa, scilicet Circumcisionem, Sabbati observantiam, Agni immolationem, azymorum & aliarum similium cæremoniarum observantias, quibus ab aliis discernuntur populis: Et per Dei providentiam non occiduntur, sed contemptibiles facti irridentur, ipsi verò in cæcitate sua permanent palpantes in meridie, & ambulantes quasi cæci in tenebris, juxta id quod Deuteronomii 28. dicitur: *Percutiet te Dominus amentia, & cæcitate, & furore mentis, ut palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris, ut non dirigas vias tuas.* Et ibidem versu 37. dicit: *Eris in proverbium ac fabulam omnibus populis, ad quos te Dominus introduxerit.* Hanc dispersionem videtur prophetare David, dum ait: *Deus ostendet mihi super inimicos meos, ne occidam eos, ne quando obliviscantur populi mei: Disperge eos in virtute tua, & depone eos Protector meus Domine.*

Deut.28. 28. Ib.v.37. Ps.58.12.

Hunc locum de Judæis fusè & pulchrè interpretatur Augustin. in illum Psalmum, & rationem addit cur dispersionem illam Deus voluerit his verbis: *Iam factum est, per omnes gentes dispersi sunt Iudæi, ut testes forent iniquitatis suæ & veritatis nostræ. Ipsi habent Codices, de quibus prophetatus est Christus, & nos tenemus Christum, & si aliquando aliquis paganus dubitaverit, dum ei allegamus prophetias de Christo, & obstupescit putans à nobis conscriptas, de codicibus ipsorum Iudæorum probamus.* Ita Augustinus.

S.Aug. in hunc Ps.

Itaque Judæi non sunt occisi, sed dispersi secum sacros libros deferunt, quibus velint nolint fidem nostram confirmant apud gentes, dum vident Gentiles non esse figmenta Christianorum, quæ illi de Christo docent, sed longè antè prophetata fuisse & nunc impleta. Sicut ergò servi post Dominos Codices ferunt, quorum pondere ipsi deficiunt, sed Domini legendo proficiunt: Ita Judæi sacros libros portant, quibus onerantur, sed Christiani illis eruditiuntur, & Gentiles convertuntur.

Tandem ergò Christus regnum suum consummaturus ex utroque populo, profugos Israel ad fidem revocabit & convertet per Enoch & Eliam, & tunc eis manifestabitur Arca, quam abscondit Hieremias, & dixit ignotum fore locum, *donec congreget Deus congregationem populi sui, & propitius fiat,* ut dicitur 2. Machabæorum. Quod de fine mundi intelligunt S. Epiphanius & S. Dorotheus Martyr Episcopus Cypri & alii. Manifestabitur autem tunc, ut certius Judæi converti cognoscant, se in Christum credendo veteres Patriarchas & Prophetas imitari, & veros esse Abrahæ filios & Moysis discipulos, cum viderint Jeremiæ propheriam suo tempore impletam & se arcam habere, qua Majores sui caruerant. Ita Ribera.

2.Mach. 2.7.

Hoc ultimum Christi regnum etiam optant animæ sub altari, dum inclamant. *Vindica sanguinem nostrum Domine Deus noster.* Intelliguntur enim ibi animæ Martyrum, quæ sub altari dicuntur esse, quia in locis ubi Martyres sunt sepulti, sæpius erecta sunt altaria, sub quibus altaribus animæ Martyrum clamare dicuntur, quia ex iis locis eorum sanguis ad cœlum clamat. Clamor verò hic non est aliud, quam magnum desiderium tum Resurrectionis, tum judicii, tum hujus regni Dei. Nam quod vindictam sui sanguinis postulare videntur, nihil aliud petunt quàm confusionem tyran-

Apo.6.10

Digitized by

tyrannorum ac Regum qui Ecclesiam persequuntur, ut sic agnoscant divinitatem Christi & potentiam, & impleatur regnum ejus perfectissimum. Et ipsi Martyres non tam ipsorum hominum per se, quàm peccati eversionem postulant. Itaque non in homines, sed in eorum peccata invehuntur, juxta S.Aug. Augustinum. *Quis*, inquit, *audeat affirmare cùm illi Sancti vindictam petierunt contra ipsos homines, non contra regnum peccati petisse? Nam ipsa est sincera & plena justitia vindicta Martyrum, ut evertatur regnum peccati, quo regnante tanta perpessi sunt.* Animabus verò illis responsum est: *Expectate modicum temporis, donec impleatur numerus fratrum vestrorum.* Itaque dum petimus advenire regnum illud Dei: Virtualiter petimus impleri illum numerum prædestinatorum, quo impleto regnum illud adveniet. Sed dices: Quid opus est a Deo petere, ut numerus prædestinatorum impleatur, & ut regnum ejus adveniat, quandoquidem regnum illud perfectissimum definito tempore ventutum sit, sive velimus, sive nolimus? Respondetur voluisse Dominum nos precari regni illius adventum, ut desiderium nostrum ad illud regnum excitaremus (inquit Augustinus ad Probam) ut etiam nobis veniat, & in eo regnare cum Christo mereamur. Deinde, Dominus suos admonere voluit hac prece, debere ipsos talis esse conversationis, conscientiæ & fiduciæ, ut non formident regni Dei adventum, sed confisi testimonio conscientiæ suæ & bonitati paternæ, securè illud expectent, non dubitantes se illius fore consortes. Itaque nemo dicere rectè potest: *Adveniat regnum tuum*, nisi is qui contemptis rebus omnibus terrenis, ex animo desiderat tanquam bonus filius, Patri in regno conjungi, & fiduciam habet se illud consequuturum. Sic se & filios Dei Apostolus testatur quotidie regni illius adventum precari, dum dicit: *Nos ipsi primitias Spiritus habentes, intra nos gemimus, adoptionem filiorum expectantes, redemptionem corporis nostri.* Rom.8. 23.

Quando adveniet hoc regnum? Licet infallibile tamen precandum. Aug.ep. ad Probam.

LECTIO V.

EXPLICAT TERTIAM *Petitionem.*

FIAT VOLUNTAS TUA.

1. *Docet peti hic ut fiat voluntas signi.*
2. *Docet peti ut fiat ad imitationem Angelorum.*
3. *Explicat quomodò etiam petatur fieri voluntas beneplaciti.*

Medicum illud Regnum consequendi.

POstquam docuit petere regnum, docet & petere medium, per quod illud regnum acquiritur; unicum enim medium est facere voluntatem Dei. *Non enim omnis qui dicit Domine, Domine, intrabit in regnum Cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, intrabit in regnum Cœlorum*, inquit Filius Dei Christus. Multi ergò petunt & desiderant regnum, sed non videntur efficaciter desiderare, quia negligunt media per quæ acquiritur. Volunt Civitatem ingredi; sed non sequuntur iter rectum; & cùm in monte sita sit, nolunt ingredi Cœli januam, & cùm humilis sit & angusta, nolunt caput submittere, aut onus relinquere. Volunt aquam vitæ habere, & nolunt hauriendi laborem subire, aut se incurvare ut bibant de fonte. Quando ergò petimus, *Fiat voluntas tua*, eo ipso petimus id quod conducit, & nos ducit ad regnum illud Patris nostri. *est facere voluntatem Dei.* Mat.7.21.

Sed voluntas Dei à Theologis diversimodè accipitur. Est enim aliqua voluntas, quam vocant *Beneplaciti*, & hæc est voluntas Dei efficax; qua Deus absolutè & simpliciter aliqua disposuit, cui nemo potest resistere, quia omnia quæcumque voluit, fecit. *Consilium*, inquit, *meum stabit & omnis voluntas mea fiet.* *Voluntas Dei est duplex.* *1.Beneplaciti.* Is.46.10.

Est & alia voluntas quam vocant *Signi*, & sic voluntas Dei dicitur, quicquid ejus declarat voluntatem, ut præcepta, leges, consilia, monita, per quæ Deus significat quid a nobis requirat. Et hujus voluntatis impletio consistit in libertate hominum, quos noluit Deus cogere, aut necessitare, sed significare quid jubeat, quid consulat, quid ei gratum sit, & ideò *voluntas signi* dicitur. Itaque ut intelligatur quænam voluntas hic denotetur, ponemus aliquot Propositiones. *2.Signi.*

PROPOSITIO I.

Petimus hic fieri voluntatem illam quæ signi dicitur. I. *Petimus hic fieri voluntatem signi, id est, ut Dei præcepta & voluntas perficiatur*

SEnsus ergò: Fiat voluntas tua ab omnibus, & mandata tua constantissimè observentur, consilia quoque & inspirationes, nihilque homines antiquius habeant quam exquirere & facere nutum tuum. Dum verò petimus Dei à nobis fieri voluntatem, petimus consequenter gratiam obtemperandi ejus præceptis, eamque constantiam ad perficiendam voluntatem Dei, ut mortem qualemcumque ejus voluntati postponamus. Et certè in divinorum mandatorum observatione & ejus voluntatis adimpletione, magna non foret molestia, sponteque homines ad illa traherentur, sicut cæteræ creaturæ, quæ naturæ instinctu cursum suum tenent & Dei instituta perficiunt: *Ignis* enim, *grando, nix, glacies, spiritus procellarum faciunt verbum ejus.* At post peccatum natura corrupta in vetitum nititur, ita ut homo sine particulari auxilio, cujusvis potius sequatur voluntatem quam Dei. Captivus enim tenetur ad voluntatem dæmonis, in desideriis & voluntate carnis, quæritque perficere voluntatem suam contra voluntatem Dei. Et hæc est propria voluntas quæ origo est omnis peccati, quam dicit Bernardus solam ardere in inferno. *Tolle*, enim inquit, *propriam voluntatem, in quid* Ps.148.8. Bern.ser. 3.de resurrect.

Digitized by Google

illo ignis deſeviet? Sic quia primus homo relinquens voluntatem Dei, ſuam ſecutus eſt, totius ruinæ cauſa fuit. De hac etiam dicit D. Anſelmus. *Sicut nihil ditius aut melius offertur Deo, bona voluntate; ita nihil exterabilius poſſidetur propria voluntate; nec eſt lapis deteſtabilior, quàm lapis propriæ voluntatis.* Propria itaque voluntas, ex amore proprio procedens, fundamenta jacit civitatis diaboli: ſicut abjectio propriæ voluntatis ex amore Dei fundamenta jacit civitatis Dei.

Anſelm.

Chriſtus nos ſibi vult conformari in exequenda voluntate Dei.

Filius ergo Dei hac tertia petitione vult nos ſibi conformes reddere, quia exemplar eſt & imago ad quam debent formari omnes electi, ipſe autem dicit ſe veniſſe non ut faceret voluntatem ſuam, ſed voluntatem Patris ſui, dicitque hunc eſſe cibum quo libenter veſcitur. Sic per Prophetam dicit: *in capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam.* Et iterum: *Sacrificium & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi* (vel ut alia Lectio habet) *aures perfodiſti mihi*, ut obediens forem ad nutum tuum: Eſtque alluſio, ut diximus, ad ſervum antiquæ legis, cui aures perfodiebantur ſubula, in ſignum obedientiæ, & ſervitutis perpetuæ q.d. Tu me tibi ô Pater, addixiſti ſervum perpetuum & obedientiſſimum.

Joan. 6. 38. Joan. 4. 34. Pſ. 39. 7. Exod. 21. Deut. 15. 17.

Vult itaque nos ſibi conformari, ut non quæramus noſtram impleri voluntatem, ſed ſuam & Patris ſui, illi noſtram ex animo offerentes, dum dicimus: *Fiat voluntas tua.*

Qua propter per Iſaiam dicit, ſe Eccleſiam ſuam vocaturum nomine novo, & explicans poſtea quod ſit illud nomen, dicit eſſe illud: *Voluntas mea in ea.* q.d. Inter illos qui Chriſtiani non ſunt, unuſquiſque propriæ obſequitur voluntati, & carnis voluntatem ſequitur; ſed inter veros Filios Dei unuſquisque propriam abnegabit voluntatem, & non erit niſi una voluntas dominans, & univerſaliter illos animans ac dirigens, ita ut nomen hoc honoris portet fidelium congregatio, imò, & quælibet anima fidelis: *Voluntas mea in ea.*

Iſ. 62. 4.

Act. 4. 32. Quod perfectè completum fuit & verificatum in primitiva Eccleſia, dum *multitudinis credentium non erat niſi cor unum & anima una*, unus ſpiritus, una voluntas in obſequiis divinis. Rectè ergò tibi Domine dicimus: *Fiat voluntas tua*, quia ſicut non veniſti in mundum ut tuam faceres voluntatem, ſed voluntatem Patris, quam in medio cordis tui velut inſculptam gerebas, & ad ea quæ ejus concernebant honorem & obſequium, continuò te impellebat: ita nos in mundo hoc non ſumus, ut voluntatem noſtram adimpleamus, ſed voluntatem bonitatis tuæ quam impreſſiſti cordibus noſtris, novo hoc nomine honorifico nos inſignire cupiens: *Voluntas mea in eis.* Da ergò ut à nobis fiat non quod caro concupiſcit, non quod diabolus ſuggerit, non quod mundus ingerit, ſed quod tu vis à nobis fieri, cujus ſolius voluntas rectiſſima eſt & ſanctiſſima.

Sicut itaque flos ille qui flos Solis nominatur, ut floreat fœcundè & fœliciter, ad nutum Solis & aſpectum, flores & folia ſua expandit, ad ejus acceſſum & receſſum claudit ſe aut aperit: & licet ipſe Sol nubibus obſcuretur, tamen continuò videtur flos ille illum reſpicere; ita electi ſemper dirigunt cogitationes & affectus ſuos, ad divinam voluntatem quaſi Solem luciditſimum omnis gratiæ fontem, ad illum aſpiciunt florida corda eorum. Et licet aliquando ſeſe abſcondat ſub alicujus tribulationis nube, profunda tamen ſubmiſſione illum intuentur & clamant: *Fiat voluntas tua.*

Simile de Heliotropio.

Habemus præclarum exemplum S. Severiani Martyris; hic contemptis omnibus mundi opibus & in egenos erogatis, ſolius Dei ardebat amore, ejuſque voluntatem ſtudioſiſſimè in omnibus exquirebat, ut ſe illi conformem ex toto corde redderet. Ipſe ergo ſponte ſeſe obtulit Judicibus in Chriſtianos tunc ſævientibus, exiſtimans id divinæ conſentaneum voluntati. Cum verò corpus ejus crudis nervis dilacerarent, deinde trahi appenſum ferreis ungulis dilaniarent, dentes vellerent, & os ei ſaxis contunderent: Imò cum utrique pedi ejus graviſſimum ſaxum alligaſſent, ut tali pondere omnia ejus membra divellerentur: Ipſe vir ſanctus tali modo excarnificatus, ita habebat mentem in Deo fixam; ut hæc tormenta per aliquot dies perdurantia, ne puncto quidem temporis à divina eum voluntate ſeparârint, imò gaudebat & exultabat in illis quia ſciebat id divinæ voluntati placere. Unde & in acerbiſſimis his cruciatibus fatebatur nullum ſe malum formidare, niſi ſolum peccatum; tormenta autem ſe ſummè amare, eo quod conjunctiſſimum eum Chriſto Domino redderent, agnoſcensque hanc voluntatis ſuæ rectitudinem eſſe à Chriſto, illi gratias agens canebat cum Pſal. Gratias tibi ago Domine quia docuiſti *manus meas ad prælium, & poſuiſti ut arcum æreum brachia mea.* Nempe illa in trabe inſtar arcus extenſa fuerant, ex qua ſagittas igniti amoris ejaculabatur. Ita Metaphraſtes apud Surium.

Exempl. Sur. to. 5. de S. Severiano Martyr.

Pſ. 17. 35.

PROPOSITIO II.

Petimus hanc voluntatem fieri ſicut in Cælo & in terra.

1. Ut ei non reſiſtatur.

FOrma noſtræ obedientiæ dirigi debet, ad normam obedientiæ cœleſtis. Primò quidem ut ſic ab omnibus fiat in terris, ut nemo ejus voluntati reſiſtat, ſicut in cœlo nemo divinæ voluntati reſiſtit.

2. Ut integrè illa fiat.

Pſ. 102. 20.

Secundò ut integrè fiat Dei voluntas & perfectè, & non ſolùm quædam præcepta: ſicut & ſancti Angeli integrè & perfectè & infatigabiliter ejus obediunt voluntati, de quibus dicit Pſal. *Benedicite Domino omnes Angeli ejus potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem ſermonum ejus. Benedicite Domino omnes virtutes ejus, miniſtri ejus qui facitis voluntatem ejus.* Ad quem locum videri poteſt Dominus hic alluſiſſe, inquit Cornelius Janſenius.

Tertiò

Tertiò, ut alacriter ex charitate, & lubenter voluntas Dei impleatur, non ex proprio commodo, sed solius gloriæ ejus intuitu, sicut implent Angeli voluntatem Dei, qui ad nutum ei obediunt, solam ejus gloriam respirantes. Et propterea alati describuntur tanquam promptè volantes ad nutum Dei.

Corn. Jansenius in hunc Ps. 3. *Ut libenter illa impleatur.*

Licet verò ad illum obedientiæ gradum perfectè ascendere non possimus, tamen optamus ut quantum fieri potest, hanc promptam impletionem voluntatis Dei homines imitentur in terris, donec perfectè illam impleant in cœlis; ubi summa conformitas erit voluntatis nostræ cum voluntate Dei. Hanc conformitatem explicans D. Anselmus, dicit, tam perfectam fore concordiam inter voluntatem nostram & Dei, quam perfecta inter oculos duos ejusdem corporis est, quorum unus aliquid intueri non potest, quin alter idem simul intueatur, & ita licet res utroque oculo conspiciatur, unico tamen conspici videtur. Sic Sancti in cœlo totaliter se conformant divinæ voluntati in omnibus & per omnia, ut velint idem quod Deus vult, & propter eundem finem & rationem qua vult, & hoc imitari debemus in terris, ut quantum in nobis est, perfectè voluntatem Patris impleamus.

4. *Ut omnis gradus hominum illum imitentur.*

Quartò sensus esse potest, sicut Cherubin, Seraphim, Throni, Dominationes &c. Angeli. Archangeli, Patriarchæ Prophetæ, Martyres, Confessores, Virgines, & totus ordo cœlestis Hierarchiæ, omnesque animæ beatæ voluntati tuæ totaliter se conformant: ita etiam in terra Episcopi, Presbyteri, Clerici, Reges, Principes, populi, & homines cujuslibet conditionis, voluntatem tuam divinam impleant. Quasi dicamus: O Pater æterne, sicut ardore tuæ divinitatis corda inflammas Beatorum, ut cum fervore & promptitudine tuam adimpleant voluntatem, quique eis vires donas ad eam infatigabiliter faciendam: ita nos filios tuos quos in divertis gradibus & ordinibus constituisti in Ecclesiastica hac Hierarchia (qui a nobis virtutem non habemus, sed in hac frigida regione terræ degentes, ex corruptione quadam tuam refugimus voluntatem) sic accende, ut toto corde & affectu ad illam adimplendam conemur: & da vigorem & gratiam, ut constanter eam adimpleamus pro viribus nostris, donec in nobis in unione illa beatifica, perfectius adimpleatur, quando unum tecum erimus, dum eris omnia in omnibus.

Hic ergò petimus, ut omnes qui gradum aliquem in Ecclesia sortiti sunt, & in sublimitate positi, vocationi suæ respondeant, & quod Deus ab eis exigit, promptè exequantur: quia Ecclesiasticus Ordo debet dirigi juxta Ordinem Hierarchicum cœlestem: *Inspice & fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.* Hoc Moysi dictum est, dum tabernaculum erigeret. Sed & nos in Ecclesia Dei debemus facere secundum exemplar quod nobis exhibetur in sublimi illo monte gloriæ, ubi Sancti omnes nobis exemplar proponuntur, ut amemus & desideremus & velimus (juxta capacitatem nostram) in omnibus impleri Dei voluntatem, sicut & ipsi eam perfectè in omnibus adimplent. Cur putas in Apocalypsi dicitur vidisse Joannes, *Hierusalem novam, descendentem de Cœlo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo?* Quid est Hierusalem nova, nisi Ecclesia à Christo fundata? Apoc. 21. 2.

Exod. 25. 40.

Quare de Cœlo dicitur descendere, nisi quia ad instar cœlestis est formata? Nempè sicut in cœlesti Hierusalem aliqui ex Spiritibus Angelicis sunt assistentes, alii illuminantes, alii purgantes, & omnes sunt divinas laudes conformi voluntate decantantes. Ita in Ecclesia Dei alii contemplationi vacant, alii docent & illuminant, alii ad purgandas animas opem ferunt, alii divinis laudibus insistunt, omnes interim uniformiter ad hoc constituti sunt, ut voluntatem Dei faciant, & ejus nutum adimpleant. Sed & ideò Ecclesia tanquam *Sponsa viro ornata* describitur, quia debet habere conformitatem voluntatis, & idem velle cum sponso, & illi soli placere: Quod si fiat, jam perfectius innotescet quomodo descendat de cœlo, implens ejus voluntatem in terra, sicut in cœlo eam adimplent amici Sponsi.

PROPOSITIO III.

Petimus quoque fieri voluntatem beneplacisi divini.

II. Luc. 22. 42. *Quæ sit voluntas Beneplaciti?*

DE illa loquebatur Christus Dominus dum dicebat: *Non mea sed tua voluntas fiat.* Petere autem vel optare ut hæc voluntas fiat, non est aliud, quàm hominem suam voluntatem conformare & subjicere divinæ. Quod quidem in omnibus facere debemus, quia saltem tenemur in volito formali nos conformare (ut loquuntur Theologi) licet non semper in volito materiali. Exempli gratia. Vult Deus Patrem meum mori aut damnari; vult plebem pestilentia punire: licet ego non tenear idem velle, teneor tamen in volito formali, hoc est, in ratione volendi me eatenus conformare, quatenus non potest licitè mihi displicere sub ea ratione qua vult Deus. Hinc B. Maria Ogniaca intelligens damnationem Matris suæ propter certa peccata: cum antea amarissimè pro illa fleret, desiit flere, conformans se voluntati divinæ justissimæ.

B. Maria Ogniaca.

Sic & David post mortem pueri ex Bersabée nati desiit contristari, approbans justum erga se judicium Dei. 2. Reg. 12. 21.

In Conformitate nostræ voluntatis cum divina consistit omnis perfectio.

Itaque in hanc conformitate cum divina voluntate consistit omnis perfectio & rectitudo nostra. Voluntas enim humana ut sit recta, debet esse conformis divinæ, eo quod illa cum sit perfectissima, sanctissima, justissima, rectissima; regula est, mensura, causa, & origo omnis rectitudinis, quæ reperitur in humana voluntate. Et si illi sit conformis voluntas creata, tunc recta est & justa Deoque accepta: si est difformis, injusta est, curva, vitiosa, & odibilis Deo.

Digitized by Google

S. Aug. in Pſ. 35.

Hinc in Scriptura illi qui conformes ſunt voluntati divinæ vocantur *Recti corde*. Sic explicat Auguſtinus in Pſalmum 35. Juſtitia, inquit, Dei eſt, ut aliquando ſis ſanus, aliquando ægrotus: ſi quando ſanus eſt, dulcis eſt voluntas Dei, & quando ægrotus, amara eſt voluntas Dei, non recto corde es, quia non vis dirigere voluntatem tuam ad voluntatem Dei, ſed Dei vis curvare ad tuam, illa recta eſt & tu curvus, tua corrigenda ad illam, non illa ad te, & tunc eris recto corde. Sic de Job dicitur. *Erat vir ſimplex & rectus.* Ubi dicit Gregorius: Rectus eſt ille qui adverſis non frangitur, qui ad temporalia non inclinatur, qui ad ſuperiora totus erigitur, qui divinæ voluntati totus ſubiicitur, ſicut Job cum ipſe affligeretur, in ſe erectus fuit: quia ad nullum impatientiæ verbum curvus, nec à ſtatu mentis ejus. *Sicut*, inquit, *Domino placuit ſic factum eſt.*

Job. 1. & 2.

Joannes Thaulerus pag. 685.

Hanc conformitatem cum divina voluntate in omnibus optimè exprimit colloquium quoddam ex Thaulero deſumptum cujusdam Theologi (quem ipſummet Thaulerum fuiſſe multi exiſtimant) cum paupere quodam ignoto, aut potius cum Angelo in perſona pauperis apparente. Quidam magnus Theologus, inquit Thaulerus, per octo annos Deum obſecrat ut dignaretur eum dirigere ad aliquem qui eum veram virtutis viam edoceret. Quodam ergò die cùm id cum fervore obſecraret, audit vocem ſibi dicentem: Vade ad portam Templi & ibi quod optas reperies. Vadit & reperit illic pauperem ſordidum, nudum & miſerrimum. Salutat eum Theologus, dicens: Amice donet tibi Deus bonum mane. Reſpondit pauper: Domine non memini me unquam adverſum manè habuiſſe. Et Magiſter: Eja, inquit, fortunatum te faciat Deus, quid ita loqueris? Reſpondit mendicus: Sed nec infortunatus aliquando fui: Et ille, fœlix eſto, ait, quid ſibi hæc tua verba volunt? Et pauper. Nunquam, ait, infœlix fui. Rurſus itaque Magiſter: Salvet, inquit, te Deus, jam nunc apertius loquere, neque enim capio quid dicas. Tunc pauper reſpondit: Id faciam libenter. Optabas mihi magiſter, proſperum manè, & ego me nunquam adverſum manè habuiſſe reſpondi; quando enim fame premor, Deum laudo, ſi frigus patior, ſi grando, ſi nix, ſi pluvia cadit, ſi aura ſerena eſt, vel turbulenta, Deum laudo; ſi miſer ſum atque deſpectus, Deum ſimiliter laudo, & ideò nunquam triſte mihi mane contigit. Optabas etiam me fortunatum fieri, & ego me nunquam infortunatum fuiſſe reſpondi, novi enim cum Deo vivere, certuſque ſum quidquid ille facit, non poſſe non eſſe optimum. Unde quidquid ipſe vel dabat, vel evenire mihi permittebat, ſive gratum id eſſet, ſive contrarium, dulce vel amarum, lætus id tanquam optimum ab ipſo ſuſcepi, & ideò nunquam infortunatus fui. Dicebas præterea, ut fœlicem me faceret Deus, ad quod ego ſimiliter, nunquam me in fœlicem fuiſſe ſubjunxi: ſoli namque divinæ voluntati inhærere ſtatui, in quam ſic integrè omnem meam transfudi voluntatem, ut quidquid ille vult & ego velim, & meam ipſi voluntatem ex integro reſignarim. Hæc cùm mendicus ille retuliſſet, ita eum rurſus Magiſter affatus eſt: Quid obſecro, dicturus eſſes, ſi te Dominus Majeſtatis in abyſſum demergere vellet? Et ille: In abyſſum, inquit, me demergeret? Et revera ſi id faceret, duo mihi brachia ſunt, in quibus eum amplexarer. Unum eſt vera humilitas, & hoc illi ſuppono, atque per ipſum ſacratiſſimæ humanitati ipſius unitus ſum. Alterum idem dexterum, eſt amor, qui divinitati ipſius unitus eſt, atque per hunc ipſum circumplector, ita ut mecum ad infernum deſcendere cogeretur. Optatius autem mihi foret in inferno cum Deo eſſe, quam vel in Cœlis ſine illo. Ex his igitur Magiſter ille didicit, veram reſignationem cum humilitate profunda compendioſiſſimam ad Deum ſemitam eſſe: De hinc iterum ex illo mendico percunctatus eſt, unde veniſſet, Cui ille, à Deo ſe venille reſpondit: Cumque Magiſter ubi eum reperiſſet, ſciſcitaretur, Ibi, inquit ille, ubi creaturas omnes dereliqui. Et Magiſter, ubi verò ait, Deum reliquiſti? Reſpondit pauper: In mundis cordibus & hominibus bonæ voluntatis. Et Magiſter: Quiſnam ait, es tu: Reſpondit ille ſe Regem eſſe. Sciſcitante Magiſtro, ubinam eſſet regnum ipſius? In anima ſua id eſſe reſpondit. Sic enim ait & externos & internos ſenſus meos regere novi, ut cunctæ affectiones, & vires animæ meæ mihi ſubditæ ſint. Quod profecto regnum cunctis mundi hujus regnis præſtantius eſſe nullius ambigit. Et rurſus Magiſter: Quid, inquit, ad hanc te perfectionem perduxit? Reſpondit pauper: Nimirum ſilentium meum, ſublimes meditationes & unio cum Deo. In nulla re quæ Deo minor foret quieſcere potui: Jam verò Deum meum inveni, & in ipſo pacem, & quietem habeo ſempiternam.

LECTIO VI.

EXPLICAT QVARTAM Petitionem.

PANEM NOSTRUM QUOTIDIANUM, &c.

PROPOSITIO UNICA.

1. *Per Panem intelligitur victus ſuſtentandæ neceſſaria.*

PEr panem *hic intelligitur quidquid neceſſarium eſt ad vitæ ſuſtentationem.* Hinc aliqui ex textu Græco legunt: *Panem noſtrum eſſentialem & ſubſtantialem da nobis hodie.* Quod exponit D. Baſilius de illo pane, qui ad quotidianam vitam eſſentiæ ſive naturæ noſtræ neceſſarius eſt, vel ſubſtantiæ noſtræ congruus. Sed ſolet in Script. more Hebræorum, nomine panis cibus omnis comprehendi.

Extre-

Digitized by Google

Cæterùm in verbis hujus petitionis, ſi ſingula ponderentur, multa latent moralia documenta.

1. Docemur non eſſe petenda ſuperflua.

Primò dum panem petere docemur, ſignificatur non eſſe petenda ſuperflua aut immoderata, ſed ea quæ humanæ ſuſtentationi congrua ſunt. Sic dicebat Salomon: *Divitias & paupertatem ne dederis mihi, ſed tantum victui meo tribue neceſſaria.* Prov. 30. 8.

Quod ſi quæras quomodò Salomon filius ditiſſimus Regis id petat? Rectè reſpondetur, hic docere modum poſtulandi, qui majori parti hominum conveniat; & ſic agere partes Sapientis docentis quod congruum eſt ut plurimum à plurimis peti.

2. Nec divitias nec delicias petendas aut quærendas

Secundò docet hac petitione Chriſtus, non ſolùm non divitias, ſed nec delicias petere aut quærere debere. Unde condemnat humanam inſatiabilitatem & concupiſcentiam infatigabilem, qua undique terrarum penetratur, & maria omnia ſulcantur, ut deliciæ conquirantur & gulæ ſatisfiat. Sola enim gula tot aromaticas ſpecies, tot ſapores, tot variegata fercula adinvenit, ut membro duorum digitorum lato ſatisfieret; & nondum ſatisfit, ſed plura adhuc requirit, nec mare, nec terra, tantillo membro ſatisfacere adhuc poſſunt, deliciæ novæ deſiderantur. *Venter noſter*, inquit Seneca, *Sepulchrum inſatiabile eſt, quidquid avium volitat, quidquid piſcium natat, noſtris ſepelitur ventribus, mortibus vivimus, ita miſeri ſumus, ſed & inſatiabiles.* Seneca.

3. Orare Deum, ut benedicat creaturis ad noſtrâ ſuſtentationem cooperantibus.

Tertiò dum panem petere docemur, ſub nomine panis Deum deprecamur, ut præſtet terræ germen ſuum, elementis fœcunditatem, cœlo, & creaturis corporalibus fœcundum ſuum influxum, ut nobis ad vitam neceſſaria miniſtrent. Ipſe enim eſt qui propter hominem omnia benedictione implet, ut cooperentur ſuſtentationi vitæ noſtræ.

PANEM NOSTRUM.

Vox, Panem noſtrum,

ILlud quoque ponderandum eſt quod dicit, *Panem noſtrum*: Non enim dicit *Panem meum*, ut nemo ſibi ſoli appropriet bona temporalia, & in ſolum ſuum commodum illa adminiſtret. Hæc enim à Domino & petimus & recipimus, ut pro indigentia & neceſſitate proximis diſtribuamus. Quicquid enim Deus nobis largitur, ſive precibus, ſive labore noſtro, non ſolum nobis donat, ſed etiam per nos aliis: *Salvat divitem per pauperem, & probat bonum diſpenſatorem: Fecit pauperem ut probet hominem, fecit & divitem ut probet illum de paupere,* inquit Auguſt.

1. Significat bona temporalia dari à Deo & pro nobis & pro proximis. S. Aug.

Job. 31. 16

Hoc conſiderans B. Job dicebat. *Si negavi quod volebant pauperibus & oculos viduæ expectare feci: Si comedi buccellam ſolus & pupillus non comedit ex ea: Si non eſt calefactus pauper de velleribus ovium mearum, non habeat Deus partem mecum.*

Job. v. 20.

2. Significat Panem non alienum

Docemur quoque panem noſtrum petere, non alienum: quia vult nos docere ea quæ vitæ noſtræ neceſſaria ſunt juſto titulo eſſe poſſidenda, & alienum panem à nobis reſecandum. Alienum verò panem manducat, is qui ex acquiſitis per injuſtitiam manducat, aut qui omnino in otio degit. Hic ergo unuſquiſque diligenter penſet, an panem ſuum manducet, an alienum, an pauperis, an viduæ; an pupilli, quia ſæpè multi mediis illicitis acquirunt ſuſtentationi opportuna, non labore honeſto aut induſtria.

petendum ac quærendum.

Panis mendacii homini ſuavis eſt, inquit Sapiens: *ſed poſtea implebitur os ejus calculo.* Senſus eſt, Lucrum injuſtum quod per mendacia & fraudes acquiritur, ſuave videtur, quia non magnis laboribus partum ſed poſtea erit inſuave, & inſtar arenæ aut lapillorum maſticandum, multam amaritudinem generabit, ut remorſum ſcilicet conſcientiæ & pœnam peccati acerbam. Prov. 20. 17.

Multi ergò panem ſuum non comedunt, ſed pupillorum aut pauperum per oppreſſionem ſugunt & comedunt ſanguinem eorum. De his iterum dicebat Job: *Si levavi ſuper pupillum manum meam cùm viderem me in porta ſuperiorem, non habeat Deus partem mecum.* Unde & monet Sapiens: *non facias violentiam pauperi, quia pauper eſt, neque conteras in porta egenum, quia judicabit Dominus cauſam ejus, & configet eos qui confixerunt animam ejus.* Et iterum: *Ne attingas parvulorum terminos & agrum pupillorum ne introeas*, quia *propinquus illorum fortis eſt, & ipſe judicabit contra te cauſam illorum.* Job. 31. 21. Prov. 22. 22. Prov. 23. 10.

PANEM NOSTRUM QUOTIdianum.

Panis quotidianus, id eſt, 1. ſingulis diebus neceſſarius.

QUotidianum vocat, quia ſingulis diebus neceſſarius eſt, adeò enim miſera eſt vita noſtra, ut citò intereat niſi cibo quotidiano repararetur. Rectè autem panem nunc nobis neceſſarium, *quotidianum* dicimus, ad diſtinctionem panis quem in cœlo ſemel ſumemus nunquam iterandum, nam ſemel ſumptus ſic perpetuò ſatiabit, ut nunquam homo defectum patiatur: ita ut ille panis beatorum (qui verè eſt panis vitæ) non ſolùm à fame, ſenio, corruptione, morte, ſed ab omni alteratione, & mutatione, corpus animumque ſervet liberum in æternum. Indicatur etiam hic providentia divina, quæ quotidiè nobis de pane & neceſſariis providet, ut non ſit minus mirum, inquit Auguſtinus, quod totum mundum & tot milliones hominum quotidiè nutriat & paſcat, quam quod ſeptem millia hominum per paucos panes ſemel nutriverit: ſed hoc quotidianum alimentum totius mundi conſuetudine quadam viluit, nec ita conſideratur, ſicut illud miraculum de ſeptem panibus. S. Aug. tract. 24. in Joan.

2. A Deo quotidiè poſtulandus: & ab ejus providentia ſola ſperandus.

Quia verò quotidianum panem Chriſtus nos petere docet; ita tacitè monet, ut quotidiè hanc orationem ei præſentemus, ut ab ejus providentia pendere nos totos agnoſcamus? Unde & ex hac parte melior eſt pauperum, quàm divitum conditio: quia oculi pauperum ſingulis diebus in Dominum diriguntur, ut paterna ſollicitudine eorum miſe-

misereatur, & cùm quotidiè egeat, ejus quotidie memores vel sunt vel esse debent. De his specialiter dicit Scriptura : *Tibi derelictus est pauper, & orphano tu eris adjutor. Ego autem mendicus sum & pauper, Dominus sollicitus est mei.* Sed quia omnes respectu magni illius Patrisfamilias pauperes sumus & mendici, rectè omnibus nobis dicitur : *Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* Videtur Scriptura ista Metaphoram quandam a parentibus sumere, qui filiorum curam habent & enutritionis eorum, ita ut sæpè dum puer sui obliviscitur, ipse pater vigilet, dum dormit filius, ipse sollicitus est quomodo alat eum.

Ps.9.14.

Jacta ergò cogitatum in Domino, quia tu pauper es, æger, afflictus, in necessitate constitutus, ipse verò universorum Pater est & Dominus, universis ipse providet : *Qui dat escam omni carni.* Fiduciam ergò in illo pone, non in rebus humanis fallacibus. Noli spem ponere in amicis aut consanguineis, qui ubi te egentem conspiciunt, despiciunt. Noli fidere fortunæ, inconstans ipsa est, & citò volvitur; in rota stat, & versatilis est. Noli fidere in Principibus, quorum voluntas & favor nimis mutabilis est. Noli in filiis, quia & ipsi aliquando Patris mortem optant, ut hæreditate fruantur : Noli in opibus tuis, quia facient sibi alas & evolabunt : Noli in honore, quia fumus & aura fugax est : Noli in qualibet re mundi, quia in omnibus falsitas & deceptoria vanitas. Jacta ergo cogitatum & fiduciam in Domino, in ejus providentia paterna quiesce, dicens illi quotidie : Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Itaque licet quis possit uti labore suo, industria, arte, & per illa sibi panem & necessaria comparare, caveat tamen totam fiduciam in illis collocare, sed magis in Domino universorum Provisore.

Ps.13.25. *In Dei providentia quiescendum.*

Quidam sunt similes illis qui notantur à Propheta dicente : *Immolabit sagenæ, & sacrificabit reti suo, quia in ipsis incrassata est pars ejus & cibus ejus electus.* Videtur Propheta velle indicare (ut aliqui interpretantur) quosdam eo dementiæ venisse, ut retia sua & sagenam adorarent, sive illi sacrificarent. Quasi diceret piscator reti suo & sagenæ : Ego te adoro quasi Deum meum, quia mihi cibum suppeditas, & similiam meam alis. Similes videntur illi, qui in industria sua vel arte & artis instrumentis, totam suam fiduciam ponunt, plus illis fidentes quàm divinæ providentiæ, quasi tota sustentatio, cibus & vita eorum ab illis penderet, & non a Deo. Videntur ergò illa adorare, dum nimiam in illis ponunt fiduciam, dives in divitiis, artifex in arte, piscator in reti, pictor in penicillo, rusticus in vaccis & equis suis. Nec illum considerant, à quo nobis panis victusque quotidianus de die in diem suppeditatur.

Abac.1. 16.

Mira Dei providentia pro pane quotidiano effulsit erga Israelitas, dum eis quotidie manna pluebat, ita ut 40. annis nec seminare, nec metere, nec coquere, nec furno aut macello uti opus fuerit : imò nec vestibus aut medicina, quia vestes eorum non fuere attritæ, nec in tribubus eorum infirmus. De nocte lampas ignis effulsit eis, de die columna nubis dux & protectio fuit.

Deut.8.2. Josue 5.

Sic erga Eliam divina emicuit providentia, de quo dicit Dominus. *Præcepi corvis ut pascant te.* Ubi antiqui Hebræi dicunt corvum certis horis è culina Regis Achab, & carnes & panes abstulisse, & ad Eliæ victum attulisse, & ita factum est, ut Vates cibo & alimonia Regis vesceretur, vel invito Rege & insscio, fame tunc dominante.

1.Reg.17. 4.

Simile quid legimus de S. Paulo primo Eremita qui sexaginta annis à corvo dimidium ei panem afferente, alimentum accepit. Cumque ad eum D. Antonius visitandum accessisset, integrum detulit. Vide vitam S. Pauli Eremitæ.

Hieron. in vita S. Pauli.

Mirabile quoque est quod de B. Ægidio habemus, diu cervæ lacte, quæ statis horis ad eum veniebat, in eremo vixisse.

Surius 1. Sept.

Maria quoque Ægytiaca post admirabilem illam conversionem suam, cum audisset vocem illam cœlestem : *Si transieris Jordanem invenies requiem.* Emptis tribus panibus Jordanem transiit, & in desertum perrexit, ubi quadraginta septem annis (ut ipsa confessa est Abbati Zosimæ) his tribus panibus vitam sustentavit.

In vitis PP. lib. 2.

Circa suos Deus quotidianam exercet providentiam; quæ in veteri etiam testamento mirè eluxit circa Danielem in lacu Leonum, dum Abacuc per Angelum in aëra evectus ei fert mellorum prandiũ. Circa Sampsonem quoq; siti fatigatum & pene enectum, dum ei dens molaris maxillæ ostenditur, è quo fons ad sedandam sitim erupit : Circa Ismaëlem etiam & Agar in deserto, quibus Angelus fontem demonstrat, qui postea ab Agar vocatur *Puteus viventis & videntis me.* In novo verò testamento infinita occurrent exempla legenti vitas Sanctorum. Itaque rectè dicemus cum Psalte : *Non vidi justum derelictum.* Licet enim Lazarus aliique Martyres fame interierint, non tamen ideò derelicti sunt, quos ad tempus probavit, ut majoribus bonis donaret, & coronaret æternâ vitâ.

Gen.16. 14.

Ps.36.25.

DA NOBIS.

Da nobis id est, ut panis sit à Dei manu sanctificatus & utilis corpori & spiritui.

PEr hæc verba docet nos non debere panem comedere, nisi de manu Domini sanctificatum. Unde & illi qui panem possident, & congruæ sustentationi sufficienter habent domi per providam sollicitudinem præparata, nihilominus dicere debent : *Panem nostrum da nobis hodie.* Nec enim (inquit D. Chrysost.) solum hic oramus, ut habeamus quod manducemus, sed ut quod manducamus, de manu Domini accipiamus : hoc est, ut panis quem manducamus, ita à Deo sit sanctificatus, ut salubris sit corpori, & conducat quoque ad serviendum spiritui, & ut sine peccato sumatur.

Cibi sumptioni præmittitur benedictio.

Propterea præmittitur benedictio ante cibi sumptionem ab omnibus Christianis, & illa benedictione multa indicantur.

Pri-

Digitized by Google

Primò quidem, per illam profitemur, nos à Deo cibos & omnia accipere, taciteque pro eis gratias agimus: debemuſque cogitare hoc eſſe manna noſtrum, quod æquè nobis ac Hebræis quotidiè è Cœlo miniſtratur.

Cant. 1. 4. Simile. Debent oculi noſtri eſſe ſicut oculi Columbarum: laudat enim Sponſus Sponſam, dicens: *Oculi tui Columbarum.* Solent Columbæ ad ſingula grana quæ ore carpunt, oculos in altum tollere, cœlumque reſpicere, dicereſq; manſueta hæc animalia, quadam gratitudine ad Cœli Conditorem omniumque bonorum Largitorem intuitum ſuum erigere. Sic & nos monemur, non ſolum corporis, ſed & mentis oculos ad illum elevare, cujus bonis quotidie paſcimur. Verum multi ſimiles ſunt non Columbis, ſed Porcis ſub quercu paſcentibus, qui dum eorum Paſtor quercum conſcendens eis glandes eſcamque copioſam excutit, tantum abeſt, ut ad benefactorem reſpiciant qui eis cibum providet, quin potius grunientes, & ſeſe invicem mordentes ſunt, ut ſeſe a pabulo invicem prohibeant, aut illud præripiant. Tales ſunt illi quibus cum Deus media ad ſuſtentationem ſufficientiſſima ſuppeditarit, nihilominus Deo ingrati & injuſti, rapinis & litibus illos etiam quibus partem benedictionis temporalis elargiri deberent, impediunt, defraudant, divexant.

Secundò, per orationem quam cibo præmittimus, ſignificamus nos ad honorem Dei cibo velle veſci, ideoque tacitè illum Deo offerimus; ut, non tanquam vel pecora, vel infideles, ſine ulla Dei cogitatione in cibos irruere cenſeamur, ſed potius cogitemus prius de cibo animæ & de pane edendo in regno Dei. Hinc & in Congregationibus Religioſorum præclarè ordinatum eſt; ut non ſolum cibo benedictio & oratio prævia ſit, ſed & ſacra lectio fiat toto refectionis tempore: ut dum corpus corporali cibo paſcitur, ipſe animus ſpirituali cibo reficiatur, & cogitet de pane illo edendo in regno Dei, & reſpiret ad menſam illam cœleſtem, conſiderans benedictionem illam quæ cibo præmitti ſolet: *Menſa cœleſtis participes faciat nos Rex æterna gloriæ.* Convenit ergo unumquemque dicere cum B. Job. *Antequam comedam, ſuſpiro.* Job. 3. 24.

Tertiò, benedictione illa petimus, ut cibus corpori & animæ ſit ſalubris, ne forte noxia aliqua qualitate, aut mixtione, vel etiam diabolica poteſtate ſit infectus. Notandus verò & vitandus ſtolidus error Manichæorum circa panem & cibum, qui putabant carnem eſſe malam, & à malo Deo. Putabant quoque quidam ex illis, omnia quæ vivunt vivere anima rationali: Hinc nec ſegetes metere, nec pinſere, aut coquere panes volebant, ſed tantum coctos ab aliis comedebant prævia adhuc proteſtatione & excuſatione. Unde hæc erat eorum benedictio, teſte Cyrillo Hieroſolymitano: *Ego non te ſeminavi, ſeminetur ſeminans te: Ego non te meſſui, metatur metens te: Ego non te coxi, coquatur coquens te, hæc alius fecit & attulit mihi, ego ſine culpa comedo.* Putabant illi in panem eſſe mutandum, & pariter comedendum, qui aliter panem comederet intrepidè. Sic & reum eſſe dicebant, qui carnem comederet, ſi taurum comedat ut taurus fieret, ſi porcum ut porcus fieret, teſte Epiphanio. Hæc ſtolida erat opinio eorum. Cyri. Catech. 72. Epiph. hæreſ. 66.

Nos verò benedictionem cibo præmittimus, non quòd malam eſſe carnem vel alium cibum exiſtimemus; ſed quia ſæpe dæmon Dei permiſſu poteſtatem habet ſuper cibum, ut per illum nocear tum animæ tum corpori: *Sanctificatur autem creatura Dei per orationem & verbum Dei*, inquit Apoſtolus. Notum eſt ex B. Gregorio, quomodo quædam Sanctimonialis hortum ingreſſa, quadam impulſa concupiſcentia, lactucam carpſerit, & avidè comederit; ſed arrepta à dæmone protinus cecidit, cumque diu vexaretur, Patri ſpirituali Monaſterii, cui nomen Equicius, res ſtatim indicata fuit, ut veniret, & precibus ſuis ſuccurreret. Cumque ille ingreſſus foret, cœpit dæmon ex ore poſſeſſæ clamare: Ego quid feci? Ego quid feci? Sedebam ſuper lactucam, venit illa & momordit me. Interim præcipiente viro Dei abſceſſit, nec ultrà eam attingere auſus fuit. 1. Tim. 4. 5. Greg. l. 1. dial. c. 4.

Refert quoque Joannes Nider ſua ætate Coloniæ puellam quandam ſexdecim annorum, hac occaſione à dæmone obſeſſam. Illa ſcilicet habitans in domo conſanguineæ ſuæ, caſu quodam ollam confregerat. Irata graviter conſanguinea, verbis eam acerbis objurgavit. Puella autem id graviſſimè ferens nolebat vel cibum capere; tandem authoritate & minis ut comederet compulſa, intra ſe dixit: Si oportet me comedere in nomine diaboli fiat: Sicque ad menſam accedens, neglecta benedictione prima buccella ſenſit muſcam quandam ori inferri, quam nulla arte eiicere potuit, ſed deglutire eam coacta eſt, & ſtatim obſeſſa fuit. Exorciſmis tamen M. Godefridi Sluſſel Ordinis Præd. Doctoris Theol. ejectus fuit dæmon, hoc pacto cum parentibus prævio, quod ſi liberaretur puella, deinceps in caſtitate permitteretur vivere, ſi ita vellet; unde & ipſa liberata, Domino in caſtitate ſervivit. Jo. Nider l. 5. Formic. c. 11.

DA NOBIS HODIE.

Vox Hodie quid ſibi velit.

MOnet vox illa, *hodie*, nobis quotidie petendum eſſe illum panem, & fidendum in illo, qui dare poteſt.

1. Tollit anxietatem in futurum. Luc. 12. 22.

Sic quoque monet ſollicitudines ſuperfluas & anxias de futuro reſecare, quia animi pacem perturbant, & ſæpe quandam habent diffidentiam de bonitate ac providentia Dei. Hinc illud expreſſum Domini monitum: *Nolite eſſe ſolliciti in craſtinum, dicentes quid manducabimus?* Ubi tollit anxietatem illam nimiam, quæ habet quandam diffidentiam, ne nobis deficiant neceſſaria, quæ multis etiam Chriſtianis ineſſe videtur, qui plus quam par eſt terrenis implicari, temporalia longè plus curant, quam ea quæ ſunt ſalutis, toti immerſi negotiis & de cibis ſolliciti, ita ut nullam aliam vitam expectare videantur. Hinc propter particulam terræ, lites, rixas, homi-

Digitized by Google

homicidia conflant, imò totum mundum invertunt. Et hi in mediis licet opibus, vix sine inquietudine & sollicitudine cibum suum capiunt, ita ut illis beatiores sint, qui vel solo quotidiano pane contenti in Deo fidunt, & in quiete vivunt.

Invit. PP. de verbis Seniorum, l. 3. exemp. v. 19. & l. 5. v. 66.

Habes in Libro Sent. Patrum, v. 19. exemplum, quod referre solebat Fratribus Beatus Senior Pœmen, sive Pastor: Fuit, inquiebat ille, tempore Theodosii Imp. Monachus solitarius in cellula extra Constantinopolim, juxta locum in quo Imperatores de civitate egressi lubenter degere solent. Audiens ergo Imperator ibi agere quendam solitarium, qui nunquam egrederetur e cella, cœpit deambulare ad illum locum; & præcepit comitantibus se, ut nullus cellæ appropinquaret, sed solus perrexit, & ostium cellulæ pulsavit: aperuitque ei solitarius, nec Imperatorem agnovit, quia tulerat coronam de capite, ne agnosceretur. Post orationem ergo sederunt pariter, & interrogavit Imperator, quid agerent SS. Patres in Ægypto? Respondet ille. Orant omnes Deum pro salute vestra. Aspiciebat autem Imperator intentè cellam, & nihil vidit nisi paucos panes in sporta pendentes, & dixit: Da mihi benedictionem Abba, ut reficiamur. Statimque festinavit & misit aquam & salem & buccellas & comederunt pariter, porrexitque calicem aquæ, & bibit. Tunc Imperator: Scis quis ego sim? Respondet: Nescio Domine. At ille: Ego sum Theodosius Imperator, & ob devotionem huc veni: *Beati estis vos, qui liberi à negotiis sæculi, tranquilla vita fruimini, solum de salute animæ solliciti. & de modo quo ad vitam & regnum æternum pertingatis. In veritate dico tibi, in Palatio natus sum, & in Regno ago, & nunquam sine sollicitudine cibum capio.* Illum ergò honorifice salutans Imperator discessit. Eadem nocte cœpit intra se cogitare famulus Dei. Multi fortè de populo & Palatio exemplo Imperatoris huc venturi sunt, ut honorem tanquam Dei servo deferant: Ego autem timeo, ne fortè malignus satan mihi subrepat, & delectetur cor meum laude & honore eorum, & virtutem humilitatis perdam. Itaque non congruit me amplius in hoc loco degerere; & sic eadem nocte fugit & perrexit in Ægyptum ad SS. Patres. Ita ibi.

2 Moderata cura non vetatur. Gen. 3. 19. Job. 5. 7.

Cæterum, licet quotidie panem petere doceat Dominus, non tamen vetat curam moderatam, cùm dictum sit: *In sudore vultus tui vescaris pane tuo*; cùm etiam homo nascatur ad laborem, sicut avis ad volatum, ut dicitur apud Job. Unde & Dominus mittit nos ad formicam, quæ suo parat tempore quod necessarium est. Imò mittit nos ad volatilia, quæ quidem non laborant, non serunt, neque metunt, non tamen dicitur (ut notat D. August.) quòd non volent ut quærant necessaria: Non enim exspectant ut Deus eis granum in os inserat, sed volant & quærunt sibi necessaria, juxta naturæ instinctum. Alioqui quædam foret Dei tentatio velle soli ejus providentiæ inniti; & expectare ut quotidie sine labore, necessaria nobis provideat, sicut Eliæ, aut Danieli, aut populo in deserto.

In vit. PP. li. 3. v. 56. & l. 5. v. 27.

De quodam Joanne brevi sive nano lepidum refertur exemplum in Vitis Patrum: Hic dixit aliquando Fratri in eadem cella habitanti: Vellem esse securus sicut Angeli nihil operantes, sed semper servientes Deo. Spolians ergo se veste qua erat vestitus, abiit in eremum & facta ibi hebdomada una, rediit ad Fratrem, pulsans ostium. At Frater: Quis, ait, es tu? Et ille? Ego sum Joannes. Tunc Frater ait: Joannes Angelus factus est, & ultra inter homines non est. Ille autem pulsabat, dicens: Ego sum. Et non aperuit ei, sed permisit eum affligi. Tandem aperiens dixit ei: Si homo es, opus habes operari ut vivas; si autem Angelus es, quid quæris intrare in cellam? At ille pœnitentiam agens ait: Ignosce mihi Frater, quia peccavi. Ita ibi.

3. Memoratur vox (Hodie) incertitudinem vitæ nostræ. Jac. 4. 13.

His etiam verbis *da nobis hodie*, monemur, ut vitæ nostræ incertitudinem ob oculos ponamus. Dicimus enim *hodie*, quia cras forsitan hac petitione non erit opus. Quæ est n. vita nostra? *Vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* Unde reprehenduntur à D. Jacobo, qui dicunt: *Hodie aut crastino ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & ignoratis*, inquit, *quid erit de crastino?* Dum itaque panem hodie petere docemur, hominum importunitas condemnatur, qui multos annos congregant, obliti finis sui & brevis hujus ævi. Unde ad divitem illum qui gloriabatur: *Anima mea requiesce, bibe, epulare, habes reposita in annos plurimos*, dictum est: *Stulte hac nocte repetent animam tuam à te, & quæ parasti, cujus erunt?* Luc. 12. 19.

Isidorus.

Refert Isidorus, animal quoddam, quod Ephemeron vocant, habere quatuor alas & quatuor pedes, sicque volare & necessaria quærere magna sollicitudinè, & tamen eodem die quo nascitur, interit. Quis ergo non miretur ejus diligentiam in quærendis alimentis? Et tamen si intellectu præditum foret, nunquid dicet, ut quid ita anxior, quandoquidem hodie mors mihi impendeat? Miranda magis hominum stultitia, qui cùm brevi vivant tempore, totum illud insumunt in superflua & vana, nihilque eis curæ aut cordi sunt æterna. Vix diceres illos credere illud: *Homo natus de muliere, brevi vivens* est *tempore.* Ita vivunt, ita congregant, quasi nunquam morituri. Job. 14. 1.

LECTIO VII.

DE PANE SPIRITUALI.

1. *Docet, Nomine panis omnem cibum animæ intelligi.*
2. *Docet, Quis sit panis & cibus animæ.*
3. *Docet, peti etiam panem Eucharistiæ.*

PROPOSITIO I.

Nomine panis etiam petimus hic panem spiritualem animæ.

II. *Per Panem intelligitur etiam cibus animæ*

RAtio est, quia cùm non minus egeat anima pane suo, quam corpus, quotidie etiam ille petendus est.

Simi-

Similia.

Similes debemus eſſe pueris aut ſervis, qui de manu domini aut patris, de manu dominæ aut matris cibum expectant, de die in diem, ab illiſque toti pendent: *Sicut* enim *oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ: ſicut oculi ſervorum in manibus dominorum ſuorum, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri*, & largiatur animæ noſtræ cibum neceſſarium. Pſ.122. v.2.

Similes quoque debemus eſſe catellis continuò dominos reſpicientibus, ut edant de micis è menſa eorum cadentibus, & quo blandius ejus dat dominus, eo magis aſſiſtunt, ut à Domino novum cibum accipiant. Sic nos licet accipiamus quotidie à Domino quæ animæ noſtræ neceſſaria ſunt, tamen ſæpe ſæpius recurramus, nova ſemper dona exſpectantes. Geramus nos inſtar mendicorum, novam ſemper neceſſitatem repræſentantium, & fores pulſantium illius qui abundè eis ſolet elargiri. Licet enim hoc homines judicent importunum, non ita Deus; hominibus enim, dum frequenter largiuntur, aliquid decidit, Deo nihil.

Potrò magnæ miſeriæ obnoxii ſunt multi, qui hic gravi animæ fame laborant, nec cibum hunc à Patre æterno requirere norunt, quin potius cibo incongruo animum paſcere nituntur.

Sic ſuperbi videntur velle vento & aëre veſci, inſtar Cameleontis: & tamen hic cibus incongruus eſt, nec animum reficit, quia anima Cameleon non eſt, nec vana gloriæ aura ſatiari poteſt.

Avari quoque inſtar talpæ terram videntur velle comedere, terræ inhiant, terram fodicant & accumulant: Aut inſtar Struthionum videntur velle metallis veſci, auro & argento famem ſatiare: Sed & hic cibus incongruus eſt, anima his non paſcitur terrenis, quia nec Talpa, nec Struthio eſt.

Luxurioſi quoque luto & ſordibus inſtar porcorum: Invidi veneno inſtar ſerpentis putant animæ ſitim famemque ſedare: Sed & iſte cibus incongruus eſt, anima ſpiritus eſt, non veſcitur niſi ſpirituali cibo.

Bern.ſer. Ecce nos reliq. omnia.

Hos deſcribens D. Bernard. dicit, mundum hunc eſſe regionem illam, in qua fames validà dominatur, additque ſe vidiſſe quinque ejus incolas verè fatuos. *Primus*, inquit, buccis tumentibus marinam maſticabat arenam. *Secundus* ſulphureo aſtans lacui, fœtidum geſtiebat haurire vaporem. *Tertius* fornaci incubans, micantes ſcintillas hiantibus faucibus excipere lætabatur. *Quartus* ſupra pinnaculum templi levioris auræ ſpiritum aperto ore hauriebat, & ſi minus inſuere videretur, flabello ipſe ſibi ventum ciebat, quaſi ſperaret aërem totum deglutire. *Quintus* ſeorſum poſitus ridebat cæteros, ipſe quoque ridendus, proprias enim carnes miro ſtudio fugebat, modò manus, modò brachium, modò alia membra. Miſeratus hos homines, & cauſam miſeriæ ſciſcitatus, unam omnibus eſſe reperio validiſſimam utique famem. Macilentas verò eorum facies contemplatus, recordabat Prophetæ gementis: *Aruit cor meum, quia obliti ſum comedere panem meum.* Pſ.101.5.

Et dixi: Quid hæc vobis ſtulti proſunt: Non ſunt iſti naturales cibi, magis famem provocant, quam extinguunt: Panis animæ juſtitia eſt, ſoli beati, qui eſuriunt illam, ſaturabuntur. Ita Bernardus.

Qui ſunt verò hi incolæ fame confecti? *Primus* ſignificat divitiarum amatorem, qui divitiis quaſi arena ſe vult ſatiare. *Secundus* libidinoſum, qui fœtido libidinis vapore putat famem ſedare. *Tertius* iracundiam, qui ſcintillis ex fornace iræ inediam vult depellere. *Quartus* ambitioſum, qui vento paſcitur. *Quintus* ſibi complacentem, dum ſeipſum fugit & inaniter laudat; Anima ergo his non reficitur, ideòque ad cibum ſibi proportionatum decet recurrere.

PROPOSITIO II.

Anima panis eſt quicquid eam interius confortat & reficit.

Panis animæ eſt.

PRimò quidem Verbum Dei: *Non ex ſolo pane vivit homo, ſed ex omni verbo quod procedit de ore Dei.* Hic eſt panis, quem petunt parvuli, quem eis non ſolùm frangere, ſed & maſticare, & in fauces oportet inſerere. *1. Verbum Dei.* Matth.4.

Rectè verò panis vocatur, quia eoſdem effectus in anima parit, quos panis materialis in corpore, eam enim reficit & confortat: tanquam panis peregrino neceſſarius ad iter conficiendum: tanquam panis munitionis, qui militi datur ad fortiter bellandum: tanquam panis quotidianus, qui operario exhibetur ad prompte laborandum. Vim quoque habet oculos mentis illuminandi, ſicut mel Jonathæ oculos corporis: *Declaratio ſermonum tuorum illuminat.* Habet tres præclaras conditiones (inquit Bernardus) Saporem ad guſtandum, ſubſtantiam ad nutriendum, efficaciam ad medendum. Hunc verò panem eſurire, ſignum eſt ſpiritualis ſanitatis; ſicut & bonæ valetudinis ſignum eſt eſuries panis materialis. Sicut enim eſurienti magis proficit cibus, ſic & ſpirituale alimentum magis proficit illi, qui cum deſiderio & ſapore illum ſumit. Et ſicut illius vita deſperatur, qui alimenta non retinet, ſed reiicit; ita malè ſperamus de illo, qui hunc animæ panem non retinet, ſed abiicit. *Cibus mœtis*, inquit D. Gregorius, *ſermo Dei eſt, acceptus cibus ſtomacho languente reiicitur, quando auditus ſermo in ventre memoriæ non tenetur.* 1.Reg.14. 27. Pſ.118. 130. S.Bern. S.Greg.

Illud verò nos tenere deberet, quod dicit D. Auguſtinus: Interrogo vos Fratres, quid plus vobis videtur, Corpus Chriſti, an Verbum Chriſti? Si vultis verè reſpondere, debetis dicere quod non ſit minus Dei verbum, quam Corpus Chriſti. Et ideò quanta ſollicitudine obſervamus dum nobis miniſtratur, ut nihil in terram cadat, tanta ſollicitudine obſervemus, ne Verbum Domini cum nobis erogatur, dum aliud cogitamus vel loquimur, de corde puro pereat: quia non minus reus erit qui Dei verbum negligenter audierit, quam ille qui Corpus Chriſti ſua negligentia in terram cadere permiſerit. Ita Auguſtinus. Aug. & refertur cauſa 1.q.1.c. interrogo.

Ubi tamen adverte, quod dicit, Verbum Chriſti

Digitized by Google

non est minus quàm Corpus Christi, intelligi ab aliquibus; quantum ad efficaciam & effectum: quia sæpe majorem fructum parit Verbum Dei declaratum quàm Corpus Christi receptum. Sic peccator illud recipiendo non justificatur, sæpe verò audiendo Verbum Dei conteritur & convertitur. Et quia Dei & Christi Verbum est, magna sollicitudine vult Augustinus illud à nobis suscipi ut tale, nec sine gravi reatu neglectu quodam contemni aut repudiari asserit.

2. Sacra doctrina lecta vel cogitata.

Secundò, panis animæ est non solùm Verbum Dei auditum, sed & omnis sacra doctrina lecta aut cogitatione vel meditatione ruminata: mirabiliter enim illa animam & oblectat & pascit, & qui oblivisci tur hunc panem comedere vel legendo vel meditando, aridi cordis periculo se exponit, & dicere potest: *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* Hinc monet D. Bernardus: De quotidiana lectione aliquid quotidie in ventrem memoriæ est dimittendum, quod fideliùs digeratur, & rursus revocatum, crebrius ruminetur, quod proposito conveniat, quod intentioni proficiat, quod detineat animum, aut aliena cogitare non libeat. Et qui ad legendum accedit, non tam quærat scientiam quàm saporem, inquit ipse.

Ps.101.5. Bern.ep. ad fratres de Monte Domini.

Ezech. 3.3 Ezechieli liber propositus fuit, quem debebat comedere, qui instar mellis dulcis in ore ejus fuit, Ibid.2.9. sed & postea ventrem amaricari fecit. Continebat verò liber ille *Lamentationes & Carmen & Va*, inquit Propheta. Sacra doctrina liber est, quem debemus devorare, qui modò agit de gloria justorum, quæ per *Carmen* ibi indicatur: modò agit de pœnitentia peccatorum, quæ per *Lamentationes* significatur: modò agit de maledictione obstinatorum & damnatorum, quæ per *Va* intelligitur. Si ergo hanc doctrinam sæpius ruminemus, suavis erit palato animæ quasi panis sapidus; sed & aliquando generabit amaritudinem, quia in corde nostro producet peccati amaram compunctionem.

Quam multi ex sacrorum Librorum lectione non solùm animæ refectionem, sed & peccatorum medelam, & vitæ impiæ morumque conversionem nacti sunt? Sanct. Ignatius de Loyola conversionis suæ initium cœpit, & primum ad sanctitatem gradum fecit, legens vitas & gesta Sanctorum. Vide ejus vitam.

In vita S. P. Ignatii.

S. Columbanus ex lectione vitæ S. Mariæ Ægyptiacæ, mirè interiùs commotus fuit, & inde perfectionis vitam est auspicatus, Anno 1355. Paulus Morisius l.1. de orig. Relig. c.38.

S. Antonius audiens illud: *Si vis perfectus esse vende quæ habes, da pauperibus, veni & sequere me,* totus in alterum virum mutatus est, & huic dicto obediens, omnibus divenditis deserta petiit.

Alius quoque Anachoreta, Theonas nomine, cum Biblia secum ferret, & legenti statim eadem illa sententia occurrisset, exuit tunicam, & pauperi nudo eam dedit. Postea interrogatus a quodam ei occurrenti, quis prædo eum sic spoliasset; ostendens librum: Iste, inquit, prædo tunica mea & omnibus me spoliavit.

D. Augustinus quoque, cùm multos jam ætatis annos in carnis vitiis contrivisset, & solæ hæ illecebræ conversioni ejus temeram iniicerent, aperto libro Epistolarum D. Pauli incidit in illud: *Non in cubilibus & impudicitiis, non in contentionibus & æmulationibus, sed induimini Jesum Christum:* & illatim disruptis omnibus vinculis, totum se Christo dicavit. Aug.l.8. Conf.c.12. Rom. 13.

Narrat quoque ipse duos Nobiles Aulæ Imperatoriæ ex lectione vitæ Div. Antonii, quam fortè fortuna in quadam caverna aut solitarii cella reperterant deambulantes, ad vitam solitariam amplectendam divinitus monitos fuisse. Vide Confess. Augustini l.8. Aug.ibi. c.5.

II. *Per Panem intelliguntur Panis Eucharisticus*

Tertiò, panis animæ justitia est: *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quia ipsi saturabuntur.* Omnia quoque dona cœlestia a Deo nobis provenientia, omnes suspirationes, & auxilia gratiæ, omnes cogitationes sanctæ, panis sunt: quia animam reficiunt & oblectant, & contra concupiscentiam confortant, suavitatem & saporem in anima perducunt: & ita animæ esca sunt, qua quotidie egemus, & quotidie a Deo petere debemus, & ideo nomine *Panis quotidiani* rectè comprehenduntur.

PROPOSITIO III.

Vb pane quotidiano etiam præcipuè hic petitur Panis Eucharisticus. Unde Matthæus habet: *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie*, quod de pane Eucharistico interpretatur D. Hieronymus & alii. *Supersubstantialis* dicitur, quia super omnes substantias est, & omnes superat creaturas, solusque sic nominari potest propriè, quia solus omnem excedit substantiam, in quo & ipsa divinitas continetur. Aliqui etiam legunt *Consubstantialem*, quia ejusdem substantiæ cum Deo & cum homine, ob duas Christi naturas. Hinc in Missa S. Isidori, quam sæpe se Toleti audivisse dicit Didacus à Stella, dum Sacerdos dicit: *Panem nostrum quotidianum:* Respondet Chorus: *Qui tu es, Christe.*

Cur Eucharistia dicatur. 1. Panis.

Eucharistia verò rectè panis dicitur, tum quia ex pane est, tum quia similitudinem panis habet, tum quia effectus similes producit: Quicquid enim calor concupiscentiæ deperdit, panis ille abundè restaurat. Hic est panis, de quo Dominus dicit: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* De quo propheticè etiam dictum est: *Pinguis panis prabens delicias Regibus.* Joan.6. 52. Gen.49. 20.

Quod si quæras, ex quo panis confectus sit? Respondetur tibi, ex adipe frumenti, ex frumento electorum, ex frumento illo de quo apud Joannem: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Frumentum illud de manu æterni Patris, latum fuit in electa & fecunda Joan.12. 24.

munda terra, in viſceribus puriſſimis Virginis, & aqua ac rore Spiritus Sancti fomentatum eſt. Crevit verò in ſpica triginta tribus annis vitæ perfectiſſimæ: Sectum tandem eſt paſſionis falce, trituratum & quaſi mola comminutum, per tormenta duriſſima in Cruce. Sed & aqua lachrymarum coaluit, & in fornace amoris, igne charitatis coctus fuit, datusque ad edendum in ſpecie Panis in Sacramento altaris, Panis verè Angelos & homines lætificans. Imò ſi plenius vis intelligere, ex qua materia & quomodo formatus ſit panis his: Scire debes non opera Angelorum, ſed virtute Spiritus Sancti ex triplici nobiliſſima ſubſtantia, quaſi ex triplici farina confectum eſſe.

Quæ illa triplex ſubſtantia: Divinitas, Caro, Anima. Prima hæc ſubſtantia æterna eſt, ipſa ſcilicet Divinitas: Altera non æterna, ſed antiqua tamen eſt, ſcilicet Caro ab Adam tradućta. Tertia ſubſtantia quodammodo nova eſt, ſcilicet anima de novo creata & Verbo æterno conjuncta. Panis ergo hic verè admirabilis & miro planè modo confectus, qui omnem etiam intellectus Angelici ſuperat facultatem.

Vide autem quomodò ſingula petitionis hujus verba congruè de hoc pane intelligantur. Expende ſingula.

Primò enim petimus *Panem*, & hic eſt panis per excellentiam, panis omnem excedens ſubſtantiam, meritò ſuperſubſtantialis vocatus.

Panis animam paſcens, reficiens, conſervans, & perducens uſque in vitam æternam. Imò panis etiam corpori proficiens, quia illius virtute corroboratæ perſonæ multæ piæ, omni pane & cibo corporali per longum tempus carere omnino potuerunt.

Sic B. Maria Ogniaca, triginta quinque dies jejuna permanſit, cibo hoc divino enutrita.

Sic B. Catharia Senenſis aliquot Quadrageſimas peregit, nihil præter panem Euchariſticum ſumens, quem cùm percipiebat, miris modis afficiebatur.

Ludovicus Pius Imperator in ſupremo morbo quo obiit, totos quadraginta dies jejunus tranſegit, ſolum hunc panem quotidie ſumens, ut teſtatur Scriptor vitæ ejus qui præſens adfuit.

Virgo quædam Fœlix nomine, præcedenti ſæculo Romæ vixit, quæ quinque totas Quadrageſimas ſola Euchariſtia traduxit teſte Bozio.

Boz. de ſignis Eccl. to. 2 l. 15. c. 2. ex Sigeberto.

In territorio quoque Tullonenſi (teſte eodem) imperante Ludovico Pio, puella quædam poſt Euchariſtiam ſumptam, primùm per decem menſes abſtinuit pane, deinde triennio toto omni cibo & potu.

2. Panis noſter.

Secundò petimus *Panem noſtrum*, & hic propriè noſter eſt, qui pro nobis de Cœlo deſcendit, & exhibitus nobis eſt primùm in Bethlehem, in domo panis, ſed & quotidie deſcendit & exhibetur in Eccleſia, quæ eſt verè *Bethlehem*, hoc eſt, *Domus panis*, illum conſervans uſque ad conſummationem ſæculi. Ad hanc domum venite, ô increduli & vacillantes in hoc divini panis myſterio: Venite & credite, & dicite cum Paſtoribus illis, qui fidei primitiæ fuerunt: *Tranſeamus uſque Bethleem, & videamus verbum hoc quod factum eſt, quod fecit Dominus.* Attendite verbum illud (*Hoc eſt corpus meum*) quo Verbum æternum Patris, panem Sacerdotum miniſterio in corpus ſuum tranſubſtantiat, & ut loquitur D. Ambroſ. tranſelementat, ut jam illud ſub ſpecie panis, cœleſtis animarum panis ſit, divinus noſter panis cibuſque, uſque in finem ſæculi. Luc. 2. 15. S. Ambr.

De hoc noſtro pane in figura ſermo eſt apud Sapientem: *Angelorum eſca nutriviſti populum tuum, & paratum panem de Cœlo ſine labore præſtiriſti, omne delectamentum habentem; ſubſtantia enim tua dulcedinem tuam quam in filios habes, oſtendebat.* Ille utique Panis, qui Angelorum eſca eſt in Eccleſia triumphante; Panis eſt noſter & cibus viatorum, in Eccleſia militante: Et panis de Cœlo eſt ſine labore, quia verbis Sacerdotis nullo cum labore è Cœlo advocatur, & opponitur pani illi, de quo Adamo dicitur: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Si enim primus Adam per peccatum cauſa fuit, cur manducemus panem doloris & laboris: Ecce ſecundus Adam liberalitate ſua dat nobis panem gratuitum, ſine ullo labore, panem omnis ſuavitatis. Sap. 16. 20.

Noſter quoque optimè dicitur, quia ad omnem nobis uſum ſervit, omni noſtræ neceſſitati deſervit: habemus in eo, quicquid poſſumus deſiderare. Si triſtis es & deſolatus, habes hic conſolationis plenitudinem; ſi æger & infirmus es, continet omnem medelam: ſi debilis & vacillans, hic reperis fortitudinem; eſt enim *Panis cor hominis confirmans:* ſi frigidus aut tepidus, rubus ardens eſt, continens flammam amoris. Denique ſicut in manna juſti inveniebant omnem ſaporem, etiam delicati cibi aut delicatæ carnis, prout deſiderabant; Murmuratores tamen & carnales homines, reſpirantes ollas, cepas & allia Ægypti, non niſi nauſeam ibi reperiebant; Ita viri ſpirituales & animæ bene diſpoſitæ, omnem hic reperiunt ſaporem & ſuavitatem: ſed qui cor habent in Ægypto, in delectationibus mundanis & carnalibus, nihil hic ſaporis inveniunt, quia Deus gratiam & ſuavitatem hujus panis non impertitur niſi palato animæ bene puro & defæcato. Pſ. 103. 16. Deut. 8. 3. Num. 11. 5.

Tertiò petimus *Quotidianum Panem*: Hic verò panis verè quotidianus eſt, qui nobis quotidie præparatur, ſicut & Manna quotidie filiis Iſraël deſcendebat. Manna ergo erat panis è Cœlo formatus per Angelos: Noſter hic panis è Cœlo etiam eſt, & ſoli Sacerdotes, qui nomen & officium habent Angelorum, illud quotidie conficiunt. Quotidianus quoque dicitur, quia licet quotidie à Fidelibus non ſumatur (ob reverentiam & propter occupationes varias hujus vitæ, quæ quotidianam præparationem impediunt) tamen quotidie in initio Eccleſiæ ſumebant illum Fideles, de quibus dicitur: *3. Quotidianus.*

Act. 2. 42. *Erant perſeverantes in oratione & communicatione fractionis panis.*

Imò olim non celebrabatur, niſi aliquis de populo communionem de manu celebrantis acciperet. Sed & modò licet Fideles non ſumant quotidie ſacramentaliter hunc panem, tamen ſpiritualiter convenit eos quotidie ſumere, per fidem & ardens ejus deſiderium: Ipſe verò Sacerdos in perſona totius populi panem hunc quotidie ſumit. Sicut enim panis non tantum ſuſtentat os quod intrat, ſed & reliqua membra: Ita panis hic ſuperſubſtantialis, per os Sacerdotis (qui eſt velut os Corporis myſtici Chriſti) nutrit omnia membra Capiti juncta, & id quidem quotidie, ideoque rectè *quotidianus Panis* dicitur.

Num. 3. Figuram etiam habemus panis hujus quotidiani, in Panibus Propoſitionis, qui quotidie offerebantur in memoriâ beneficiorum Dei, & proponebantur ſuper menſam in præſentia Dei: At die Sabbati renovabantur, & calidi ponebantur. Sic panis noſter, eſt & hebdomadalis & quotidianus. Quotidie offertur in memoriam beneficiorũ Dei à filiis ejus: ſed & ipſo die Sabbati (qui nobis Dominicus eſt) vult Deus ut renovetur oblatio iſta, hoc eſt, ut novo calore charitatis, & recenti affectu pietatis offeratur, & qui ſpecialiter filios Dei ſe profitentur, illo die ad hunc panem ſolent accedere. Addo panem hunc quotidianum dici & quotidiè peti, quia quotidiana eſt indigentia noſtra & quotidie neceſſarius eſt ad cuſtodiendum hominem in divina gratia & fovendam fidem, ſpem & charitatis ardorem.

4. *Dicitur Da nobis.* Ultimò in Petitione dicimus Panem hunc *da nobis*. Ille enim Panis primò nobis præparatus eſt, & pro nobis in Cruce coctus. Secundò debetur nobis tanquam filiis, qui legatus eſt nobis teſtamento Patris noſtri, tanquam pignus paterni amoris, & arrha æternæ hæreditatis. Tertiò quia debetur nobis tanquam membris Corporis Chriſti myſtici, cùm ad hoc ſit inſtitutus à Chriſto, ut vitam ſpiritualem membrorum, ejus conſervet. Quartò debetur nobis tanquam peregrinantibus, quia eſt viaticum noſtrum, quo nos refici & confortari oportet, quamdiu duratura eſt hujus vitæ aſpera peregrinatio, quæ per illud *hodie* poteſt intelligi: omnes enim anni mortalis hujus vitæ, dies una in conſpectu Dei, imò reſpectu Æternitatis hora una eſt, vel momentum unum, vita noſtra.

LECTIO VIII.

EXPLICAT PETITIONEM Quintam.

ET DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA.

1. *Docet, Petibile remiſſionem venialium.*
2. *Peti etiam remiſſionem mortalium.*
3. *Aliis dimittendum, ut nobis dimittatur.*

PROPOSITIO I.

Petimus hic primò nobis venialia peccata dimitti.

HÆc enim ſunt quotidiana noſtra debita, ſine quibus hanc vitam tranſigere non poſſumus, & ideo quotidie pro illorum remiſſione Deum obſecramus: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus,* 1. Joa. 1. 8. *ipſi nos ſeducimus: ſi autem confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, ut remittat ea nobis.* Itaque omnes Sancti hanc Deo orationem præſentare poſſunt etiam pro ſe, quia ſine ſpeciali privilegio non poſſunt longo tempore peccata vitare; animus enim infirmus eſt poſt lapſum, & multis occaſionibus circumdatus. Et quidem SS. Patres hujus rei varias cauſas recenſent. Nempe tentationes diaboli, objecta ſenſibilia, concupiſcentiam carnis, corruptionem corporis, quæ non ſinit hominem ſemper invigilare: Item ignorantiam & inconſiderationem, pravam conſuetudinem, exempla & conſilia aliorum, deniq; innatam quandam inſtabilitatem. Quæ omnia faciunt, ut non ſolùm non à veniali, ſed nec etiam à mortali, longo omnino tempore ſine auxilio & gratia ſpeciali homo poſsit abſtinere.

B. Virgini conceſſum privilegium immunitatis à venial. Hinc communis ſententia omnium Theologorum aſſerit, nulli præter Virginem Deiparam, conceſſum fuiſſe privilegium immunitatis à veniali: Licet verò peccatis venialibus totaliter immunes eſſe non poſſumus, non propterea debemus puſillanimes eſſe, aut animo concidere; ſed debemus coram Deo miſeriam agnoſcere ut ignoſcat, & ad remedia parata ab *ipſo* recurrere tanto ſæpius, quanto frequentius labimur. Quapropter ſtultè agunt, qui inchoata bona volunt dimittere, eo quòd non videantur ſibi proficere, ſed frequenter in eadem relabi. Simile. Imprudenter quoque illi agunt, qui negligunt remedium per pœnitentiam quærere, quia ſtatim eandem infirmitatem vident recurrere. Hi enim ſimiles ſunt illis, qui lintea ſua lavare negligunt, quia iterum uſu novo ſunt ſordidanda. Si quotidie manus ſordidantur, non minus eas abluemus, quia etiamſi redeant ſordes, tamen tenacitate non cohæreſcunt: nec ideo inſoluta relinquere debemus debita, quia quotidie nova contrahenda ſunt, ſed ideo diligenter ſolvenda, ne nimis exc. eſcant. Nec ideo navem aut ſentinam exhauriens, deſerit opus, quia tantundem redibit aquæ, quantum expulerit, ſed diligenter exonerat, ne periculo exponat.

Licet verò ſolliciti eſſe debeamus, ut quantum in nobis eſt, à peccatis etiam quotidianis abſtineamus; ſi tamen recurrant, non debent anxietatem nimiam ingerere, quia vita noſtra perpetuus quidam caſus eſt & reſurrectio, anxietas verò illa nimia, quæ aliquos animum deſpondere facit, etiam Deo diſplicet.

In vita M. Ogniacæ. Habemus exemplum in vita B. Mariæ Ogniacæ de quodam Religioſo Ciſtercienſi, qui immoderato innocentiæ & puritatis zelo præ ſpiritus fervore

Digiti

Jacobus de Vitriaco.

vore indiſcreto ad ſtatum primi parentis pertingere nitebatur. Suſcepit ea de cauſâ laboris plurimum, affligebat ſe inedia, vigiliis, precibus: ſed cùm hæc omnia frustra forent, nec poſſet ad illam innocentiam pertingere, incidit in tædium & acediam. Volebat cibum ſumere, & nullam edendo ſentire delectationem; primos ſenſualitatis motus conabatur reprimere, imò penitus extinguere, contendebat in perfecta puritate ſine veniali vitam agere: erat ea tentatio dæmonii meridiani, ad impoſſibile inſtigantis. Immemor erat doctrinæ Sapientis: *Noli eſſe juſtus multum.* Itaque præ mœrore illigatus eſt quadam deſperatione, perſuadens ſe in illo corruptionis ſtatu nullatenus ſalutem poſſe conſequi. Veniales culpas jam mortiferas eſſe ſibi perſuadebat, & ideò nolebat Corpus Chriſti ſumere, etiam illis diebus quibus ex regula obſtringebatur. Ad hanc calamitatem & miſerandam ruinam, ſub ſpecie boni ab hoſte perductus eſt, ut infirmus reſpueret medelam, & propriæ voluntatis ſectator, jam iret contra obedientiam. Hunc animi morbum agnoſcens pius quidam Abbas, cum aliis multis Dominum pro illo deprecabatur, ſed prævalebat inimicus. Tandem Abbas ille cùm eſſet amicus ancillæ Chriſti, & virtutem ejus non ignoraret, quam in ſe aliquando expertus erat, jubet illum ad ancillam Chriſti adduci. Et ecce illa orante pro illo cum lachrymis, ante introitum Miſſæ, cum Confiteor recitaret Monachus, quaſi arti quidam lapilli ad ſingula confeſſionis verba ex ore decidere videbantur. Sic agnovit illa deſperationis & triſtitiæ nigredinem ab illo receſſiſſe, & Domino gratias egit, qui mortem peccatorum non vult, ſed converſionem. Monachus verò peracto ſacrificio quaſi ex longinqua regione ad ſe reverſus, Chriſti Corpus accepit & hac ſalutis medicina perfectè curatus eſt.

Eccl. 7. 17

Sed quæres: An homo non poſſit uno die abſtinere à venialibus? Reſpondeo aliquos determinare tempus illud tam breve, ut dicant non poſſe hominem etiam juſtum uno die abſtinere & ab omni peccato veniali: Sed veriſimilius eſt contrarium: Poſſe ſcilicet etiam ſine ſpeciali privilegio abſtinere ad unum aut alterum diem. Nec repugnat illud *Septies in die cadit juſtus & reſurgit.* Nam vel non intelligitur id de peccato, ſed de afflictione, quia cadit per afflictionem & tribulationem, & non deſeritur à Deo, nec colliditur, quia Dominus ſupponit manum ſuam, ut ſtatim animum erigat. Sic interpretatur hunc locum Auguſt. Vel ſi de peccato intelligas, non ſignificatur quod juſtus ſepties in die peccet, ſed quod non peccet, quin facile reſurgat, etiamſi ſepties, hoc eſt, ſæpius peccet. Denique vera lectio non habet illud *in die*, & licet id haberet, interpretantur tamen aliqui, in die hujus vitæ, hoc eſt, durante hoc mortalitatis die & tempore, & tunc cadere juſtus dicitur etiam per peccatum mortale ſepties, hoc eſt, ſæpius durante vita.

Quamdiu homo poſſit eſſe immunis à venialibus.

Prov. 24. 16.

S. Aug. li. 1. de Civit. c. 31.

Sciens itaque Chriſtus vitam noſtram adeò his peccatis obnoxiam, plurima etiam præſcripſit per Eccleſiam remedia. Inter hæc ſunt, aſperſio aquæ benedictæ, pectoris tunſio, ex pietatis motu procedens, Sacerdotalis benedictio, ſacrificii Miſſæ oblatio & auditio, & recitatio hujus orationis Dominicæ. Illa enim piè pronunciata ſpecialem ad id vim habet ex Chriſti inſtituto, ita ut dicat Auguſt. *Pro quotidianis & levioribus delictis, ſine quibus vita præſens non agitur, oratio quotidiana ſatisfacit.* Valet & pro pœnis peccato debitis, hæc enim etiam debita vocantur. De qua re ſubiicit ibidem Auguſt. *Delet omnino oratio minima & quotidiana peccata, delet & illa quibus vita Fidelium etiam ſceleratè geſta, ſed pœnitendo ità melius mutata diſcedit.* Ubi dum dicit delere peccata, cum quibus diſcedit vita jam in melius mutata, loquitur de dimiſſione quantum ad pœnæ reatum.

Remedia contra venialia.

S. Aug. Enchirid. c. 71.

PROPOSITIO II.

Petimus hic etiam remiſſionem peccatorum mortalium.

Petimus 2. remiſſionem mortalium.

HÆc propriiſsimè debita dicuntur etiam in Scripturis, eo quod hominem apud Deum conſtituant debitorem pœnæ & ultionis, aut impetrandæ gratiæ. Sic in parabola ſervi vocantur debita. Sic vocat etiam debitores eos qui fuerunt extincti ſub ruina turris: *Putatis*, inquit, *quia & ipſi debitores fuerint præter omnes homines?* Unde adverte primò, ex peccato mortali duplex debitum contrahi, debitum culpæ & debitum pœnæ. Debitum pœnæ eſt obligatio ad pœnam æternam, quam contrahit homo ſtatim ac peccavit. Debitum culpæ eſt obligatio compenſandæ injuriæ Deo per peccatum illatæ: & utrumque debitum eſt infinitum, quia peccatum habet infinitam quandam malitiam, injuriam ac culpam, ex infinitæ Majeſtatis contemptu & offenſa, ex privatione infiniti boni, ex demerito pœnæ infinitæ. Unde nulla creatura pro hoc debito potuit ſatisfacere, ſed neceſſe fuit ipſum filium Dei venire, & ſanguinis ſui pretium infinitum offerre, quo ſolo debitum hoc poterat aboleri, ut alibi latè diſſerui.

Matth. 18. 24. Luc. 13. 4.

1. Duplex debitum ex peccato mortali.

Chriſtus itaque ſciens nos hanc vitam ſine peccatis gravibus non poſſe tranſigere, ſalubriter nos inſtruit, ut memores ſimus infirmitatis noſtræ ne efferamur, & paternæ miſericordiæ ne deſperemus, & ita docet nos ad ejus ſinum recurrere, & cum fiducia dicere: *Dimitte nobis debita noſtra.* Quaſi dicamus: O Pater cœleſtis, qui poteſtatem habes omnia nobis debita dimittendi, quia Deus es, & voluntatem, quia Pater es, obſecramus te ut ea dimittas, nemo enim præter te poteſt, qui de teipſo dicit: *Ego ſum, ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas, & abſque me non eſt Salvator.* Tu es qui claves vitæ habes & mortis, qui deducis ad inferos & reducis; ſed ſi velis obſervare iniquitates noſtras & debita noſtra, & juxta demerita non punire, quis poterit ſuſtinere infligendas pœnas, quis pro debitis ſatisfacere. Dimitte ergò & ignoſce illa, quia

Iſaiæ 43. 25. & v. 11.

Digitized by Google

quia agnoſcimus, & in ſatisfactionem rependimus ac offerimus pretium Sanguinis Filii tui, quod ipſe nobis reliquit, & in Crucis menſa pro nobis ſolvit, & quotidiè ex ejus manibus adhuc fluit, tanquam lytrum redemptionis noſtræ, in cujus virtute peccata ac debita nobis dimitti poſcimus.

Adverte quam bonus ſit Dominus Jeſus Chriſtus, qui ipſemet verba nobis præſcribit, quibus eum placare poſsimus, & gratiam apud Patrem reperire. Sic animæ a ſe averſæ, & variis peccatis inquinatæ per Hieremiam loquens, docet eam quibus verbis poſsit eam reconciliationem petere, dum dicit: *A-modò voca me. Pater meus es tu, Dux virginitatis mea: numquid in æternum iraſceris.*

Jere. 3. 4.

2. *Hanc petitionem præſupponere pœnitentiam.*

Adverte ſecundò, quod explicata petitio non excludat pœnitentiam, ſed potius includat & præſupponat, ſine qua, tanquam diſpoſitione non datur remiſsio. Unde debet hæc petitio quotidie repeti, actum in nobis excitare doloris & contritionis pro peccatis præteritis. Hæc enim verba vult Chriſtus non tantùm ore proferri, ſed etiam ex ſpiritu & dolore interiori ob offenſam Patris, cum firmo propoſito de cætero eum non offendendi. Sic enim fiet perfecta cum illo reconciliatio, & omne peccatum ac debitum nobis remittetur, ſi ex perfecta contritione hanc petitionem eliciamus. Sed & implicitè rogamus per iſta verba, ut hanc contritionis gratiam nobis donet, qua debita remittantur, & tantum Patrem amplius offendere vereamur.

3. *Debere nos orare & pro noſtris & pro alienis delictis.* Coloſſ. 1. 24.

Adverte tertiò, nos non ſolùm orare debere pro debitis vel delictis propriis, ſed & pro alienis. Unde non dicimus: *Dimitte mihi, ſed dimitte nobis.* Cùm enim ſimus invicem membra debita aliorum quodammodò etiam noſtra ſunt, pro quibus & orare & ſatisfacere nos convenit. Hinc dicebat Apoſtolus: *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionibus Chriſti pro corpore ejus quod eſt Eccleſia.* Paſsionibus quidem & ſatisfactioni Chriſti nihil deeſt quoad ſufficientiam, quia illæ fuerunt condignum pretium ſatisfactorium pro omnium debitis & delictis: Sed tamen ut ejus ſatisfactio proſit nobis quoad efficaciam, debet per noſtram cooperationem applicari & offerri, & ejus paſsionibus ſatisfactoris oportet nos communicare, & participes eſſe. Paulus ergo multas pro Chriſto & cum Chriſto tolerans paſsiones, non habens propria debita aut delicta, illas offerebat pro tota Eccleſia, illa applicabat corpori Chriſti myſtico, pro quo tot & tanta tolerabat, ut ei efficaciter prodeſſent Chriſti ſanguis & paſsio.

Cùm ergo fratres ſimus, debita uniuſcujuſque noſtra exiſtimemus & quantum in nobis eſt pro illis oremus & ſatisfaciamus, orando pro iis qui in peccatis mortalibus agunt, vel qui Deo pœnas adhuc pro peccatis debent, vel etiam & maximè pro debitis illis quibus obnoxiæ ſunt animæ illæ quæ in carcere purgatorii detinentur, donec ſolverint noviſsimum quadrantem, de quibus vox illa poteſt intelligi: *Educ de cuſtodia animam meam* (hoc eſt de carcere) *ad confitendum nomini tuo. Me expectant juſti donec retribuas mihi.* Juvandæ à nobis ſunt, cum ſeſe juvare non poſsint, ſolvendum nobis pro illis eſt, ut citiùs liberentur & tranſeant ad conſortium Sanctorum, ubi expectantur ad confitendum nomini Domini, & in æterna retributione eum benedicendum. Pſ. 141. 8.

Conſiderans hæc S. Dominicus cum aliis Sanctis Viris, ſatagebat non ſolùm pro ſuis, ſed & pro omnibus debitis membrorum Chriſti, ſive illorum quæ adhuc hic degunt, ſive aliorum quæ in alia vita necdum plenam redemptionem & glorificationem cum capite ſortita ſunt. Hinc ipſe ſingulis noctibus diſciplina triplici ſe cruentabat & affligebat: unam aſſumebat pro peccatis ſuis: ſecundam pro his qui in peccato mortali ſunt: tertiam pro animabus quæ in flammis purgatoriis detinentur. Ter ergo ſe victimam expiatoriam & ſatisfactoriam ſanguine proprio aſperſam, Deo offerebat pro omnium debitis & delictis. De S. Dominico Sur. 4. Aug.

SICUT ET NOS DIMITTIMUS
Debitoribus Noſtris.

PROPOSITIO III.

Neceſſarium eſt dimittere fratri, ſi & nobis volumus dimitti.

Dimittendum alii, ſi nobis volumus dimitti.

HÆc eſt conditio quam ſubiicit Chriſtus. Sciebat ipſe vitam noſtram non poſſe coram Deo culpa carere, ſed nec converſationem mutuam ſine aliqua fratris offenſione fore: ideò monſtrat viam, qua Dei indulgentiam poſsimus obtinere, ſi nempe & nos fratri charitatem parati ſimus impendere. Æqua omninò conditio iſta eſt. Quid enim iniquius, quàm velle a Deo graviter offenſo poſt tot beneficia veniam obtinere, & nolle fratri leviter offendenti, & in quem ſubinde nos offendimus condonare? Hoc ponderans Sapiens dicit: *Homo homini reſervat iram, & à Deo quærit medelam? in hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecetur? Ipſe cum caro ſit, reſervat iram, & propitiationem petis à Deo, Quis exorabit pro delictis ejus?* Eccl. 28. 5.

Ponderat quoc ſententiis idem inculcet, q.d. Iniquiſsimum hoc eſt, & meretur talis condemnari, taliter quod nullus pro illo exoret, qui oranti fratri aures non præbet. *Qui* ergo *vindicari vult, à Domino inveniet vindictam, & peccata illius ſervans ſervabit.* Qui non vult dimittere, frangit pontem per quem debet tranſire; obſtruit viam per quam debet procedere. Ibid. v. 1.

Id ſæpe repetit Script. & SS. PP. Unde Auguſt. *Fortè peccavit aliquis dimitte veniam petenti, ne dum fratri negas miſericordiam, claudas Patri indulgentiam, judicium enim ſine miſericordia fiet ei qui non fecerit miſericordiam.* Et iterum ait: Mentiri veritas non Aug. de temp. ſerm. 185.

poteſt.

potest, si non dimiseritis, nec Pater dimittet. *Ad tam magnum contrarium qui non expergiscitur, non dormit, sed mortuus est, & tamen potens est Deus & mortuos suscitare.* In eandem sententiam dicit D. Leo: *Iusta & benigna est conditio, ut homo sententiam Dei ex suo libret arbitrio, & eo sibi judicio obstringat Dominum, quo judicarit ipse conservum.*

Idem Aug. Enchar. c. 74. S. Leo.

Itaque notant SS. Patres, eum qui alteri non dimittit, non solum hac oratione mendacium, sed etiam suam præferre condemnationem, & provocare Deum contra se, ac ferreum se magis reddere inducendo maledictionem loco benedictionis. Hinc de tali dicitur: *Constitue super eum peccatorem, & diabolus stet à dextris ejus: Cum judicatur, exeat condemnatus, & oratio ejus fiat in peccatum.* Quid ita? Quia *non est recordatus facere misericordiam, & persecutus est hominem inopem & compunctum corde mortificare.* Ideò *dilexit maledictionem, & veniet ei, & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Vides, quanta mala immineant, misericordiam proximo deneganti? Habet diabolus (qui peccator dicitur potestatem in eum, & relinquit benedictionem hanc: *Dimitte & dimittetur vobis*, & diligit maledictionem illam: *Si non dimiseritis, non dimittetur vobis*, & maledictionem Jacob dicentis: *Maledictus furor eorum quia pertinax, & indignatio quia dura:* Maledictionem quoque Domini per Amos: *super tribus sceleribus Edom, & super quarto non convertam eum, eo quod fratrem persecutus fuerit, & indignationem servaverit usque in finem.* Denique oratio ejus fit in peccatum, quia continet mendacium, & iram Dei provocat. *Os bilingue testor*, inquit Sapientia: Quis magis bilinguis, quam qui dicit: Dimitte nobis sicut dimittimus, cum tamen ipse non dimittat? Nulla alia sententia (inquit Augustinus) sic oramus, ut paciscamur cum Domino; in qua pactione si mentimur, orationis totius fructus nullus erit.

Pſ. 108. 6.
Ib. v. 16.
Ib. v. 18.
Luc. 6. 37
Mat. 6. 15.
Gen. 49. 7
Amos 1. 11
Prov. 8. 13

Attendant hæc qui quotidie orationem hanc in odio fratris offerunt; & sacrificio interfunt. Oratio & oblatio eorum Deo ingrata est, dicente Malachia: *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? Et si offeratis claudum & languidum, nonne malum est? Non est mihi voluntas in vobis, & non suscipiam munus de manu vestra.* Quando hi orationē offerunt vel sacrificium, offerunt cæcum, quia odio quodam obcæcati sunt: offerunt claudum, quia altero pede charitatis claudicant: offerunt languidum, qua charitatis vita privati sunt. Addit Propheta: *Mensa Domini contaminata est, & quod superponitur contemptibile est, cum igne qui illud devorat.* Mensa scilicet Domini odio contaminatur, & ignis iracundiæ & rancoris devorat virtutem oblationis & muneris.

Mal. 1. 8.
Ib. v. 10.

Hinc olim ut sacrificium gratum foret, solemne fuit Christianis, statim post Orationem Dominicam ante factam Synaxim, se invicem cum osculo amplecti, in signum scilicet reconciliationis; in signum perfectæ pacis; in signum lætitiæ & renovatæ dilectionis; denique in signum Catholicæ Communionis. Sed ob abusus quosdam, aliquorum insolenniter irrepentium in loca mulierum, quæ à viris distincta erant, hæc consuetudo est sublata, & successit tabella pacis. Vide latius Baronium.

Baron. tom. 1. An. 45. nu. 26.

Sine hac ergo perfecta pace & offensæ remissione non solum Communio Deo displicet, sed & omnis sacra actio, & indigni sumus vel Christi Corpus intueri. Refert Thomas à Kempis sæcularem quendam anno integro licet frequentaret Missæ sacrificium, nunquam tamen potuisse Venerabile Sacramentum in manibus Sacerdotis videre. Existimans verò ipse id accidere ob caliginem oculorum & ob distantiam, sæpè quàm potuit propè accessit, ut illud intueretur & adoraret, nihilominus licet Sacerdoti proximus, nunquam potuit illud videre. Hac de re ergo perplexus, tandem accessit Sacerdotem, & cuncta in Confessione aperuit. Sacerdos diligenter scrutans & investigans ejus conscientiam, invenit hujusce rei causam: nimirum, ipsum in odio proximi esse, cui noluerat offensam dimittere. Monet ergo eum de periculo status, & urget, ut ex corde odium omne dimittat. Fecit id ipse magna compunctione, & absolutus Missam audiens, sine difficultate Corpus Christi in manibus Sacerdotis vidit; Huc spectat quod monet ipse Christus: *Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum, vade & reconciliare fratri tuo.* Hoc attendens S. Joannes Eleemosynarius in illa ipsa hora sacrificii, in qua sacrum velum aufertur à Sanctis donis, recordatus alicujus Clerici qui odium in eum conceperat: memor præcepti Domini præcipit Diacono sæpius repetere petitiones orationis Dominicæ: & ipse recedens ab Altari prætexens necessitatem aliquam, mittit celeriter ad eum, qui ubi mox adfuisset, Sanctus procidens ad pedes ejus, veniam postulat, nihil præsentiam aliorum veritus. Ille hac humilitate commotus, timens DEI vindictam, prostratus quoque petit ab eo veniam. Cui vir sanctus: Deus ambobus ignoscat, fili mi: eumque secum assumens, & ad Altare regrediens, cum fiducia decantavit, quod antea vix ausus fuerat: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus, &c.*

Kempis in fine operum suorum.

Mat. 5. 25.

De S. Joanne Eleemosynario.

Oportet verò hanc remissionem ex animo fieri, quia oportet & nos pro persequentibus & calumniantibus nos exorare, ut simus filii Patris nostri, qui nos sibi inimicos morte unigeniti ab æterno exitio redemit, & sibi reconciliavit, alioqui si ex animo non remittimus, non sumus de illis de quibus dicitur: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Si ex corde non condonamus, & confundi debemus dum dicimus: *Pater noster qui es in Cœlis,* & magis dum adjicimus. *Dimitte nobis sicut dimittimus, &c.*

Matt. 5. 9.

Sed

Digitized by Google

Sed petes: An qui necdum potest oblivisci injuriam, & necdum habet animum dimittendi, debeat abstinere ab hac oratione: quandoquidem sine mendacio eam non possit recitare? Respondeo: Tales debere eam recitare hoc sensu, quod licet adhuc non sint eo animo ut remittant; tamen veniam peccatorum poscant, & talem sibi dari à Deo mentem postulent, ut ipsi etiam oblivisci possint injuriarum, & iis à quibus læsi sunt, ignoscere. Et hæc erit initialis quædam animi præparatio, quam fortè Spiritus S. per hanc orationem in eis perficiet. Vel hoc sensu ab illis etiam verè recitatur: quod quilibet de Fidelium numero preces has facit nomine totius Ecclesiæ, in qua semper sunt aliqui qui verè debitoribus suis debita hæc remittunt.

D. Th. 2. 2

Quomodo debeat dimitti offensa.

Cæterùm, ut intelligas quomodò debeat remitti offensa, nota tria considerari posse, dum alterum quis offendit. *Primò* est offensa Dei quam committit alteri injuriam irrogans. *Secundò* est offensa nostra, dum iram concipimus aut odium. *Tertiò* est damnum quod infertur corpori, aut famæ, aut bonis nostris.

Quod spectat ad primum, nos non possumus remittere illam offensam, hoc enim solius Dei est: Debemus tamen rogare Deum ut velit remittere, & tenemur desiderare ut Deus ob hanc injuriam illum in æternum non puniat. Hinc dicitur: *Orate pro calumniantibus vos.* Sic se gessit David erga Absalon intelligens à Joab lanceis confixum, deplorabat enim infœlicem ejus sortem cum lachrymis & singultu repetens: *Absalon fili mi, fili mi Absalon, quis det ut moriar pro te.* Non tam mortem plangit quam peccatum, & ex illo æternum Absalonis exitium. *Planxit meritò*, inquit Bernardus, *super parricida filio, cui perpetuò sciret obstructum exitum de ventre mortis, mole criminis.* Quando ergo sic oramus, impetramus sæpè illis remissionem, quia Deus illam orationem pro inimicis factam maximè gratam habet. Patet in Stephano orante pro Paulo, in Divo Jacobo orante pro lictore suo, & multis Martyribus orantibus pro tyrannis suis, & eis de facto conversionem suam impetrantibus.

Luc. 6. 28.

2. Reg. 18. 33.

S. Bern. ser. 26. in Cant.

Magister Avila. epist.

S. Elizabeth Hungariæ Regis filia orabat semel Deum, ut singulos qui eam injuria affecissent, afficeret Deus singulari aliquo beneficio, ut injuriæ beneficium responderet; divinumque ad eam responsum factum est; nunquam orationibus suis sic Deo placuisse quàm tunc, pro illaque oratione diversorum peccatorum remissionem ei concedi.

Quod spectat ad secundum: Offensam nostram, hoc est, rancorem, odium, indignationem tenemur dimittere, & omnem inimicitiam quam læsi concipere potuimus, tollere. Sic David se gerit erga Semei remittens omnem injuriam & vindictam, quàm dementus erat, maledictis eum lacessens, virum Belial, virum sanguinum eum inclamans; noluitq; ut servi sui ullam de ipso sumerent vindictam.

1. Reg. 16. 17.

Quod spectat ad tertium: Possumus licitè rogare, ut damnum quod bonis corporis, aut famæ illatum est, via & mediis licitis reparet, qui intulit, ita ut non fiat id ex odio, sed ut in integrum restituat, quoad honorem aut aliam læsionem. Imò possumus Judicem rogare, ut injuriantem puniat, non ob vindictam, aut ut gaudeamus de ejus pœna, sed ut servetur justitia publica, & ut sic emendetur, aliisque exemplum præbeatur. Imò non petere id, si scandalum sequeretur, posset vitiosum esse. Hinc David licet Rex mitissimus, amator tamen etiam justitiæ, cum proximus morti foret, præcipit Salomoni: *Habes apud te Semei qui maledixit mihi maledictione pessima, quando ibam ad castra: Sed quia descendit mihi in occursum cùm transirem Iordanem, juravi: Non interficiam te gladio. Tu noli pati eum insontem, vir sapiens es, ut scias quæ facias ei: deduces que canos ejus cum sanguine ad inferos.* Idem præcepit de Joab.

3. Reg. 2.

Respondendum verò hic est aliquibus objectionibus, quas homines hujus sæculi faciunt, dum eos de injuria condonanda alloquimur. Dicunt enim, omnes me pusillanimem existimabunt, si talem injuriam non vindicem, periclitatur honor meus. Respondetur; Erat hominum in hoc judicium, injuriam enim condonando actum magnanimum exerces, animo tuo dominaris, & passioni violentiæ dominium usurpanti super te, hoc verò fortissimi vir est, quia *melior est*, teste Sapiente, *patiens viro forti, & qui animo dominatur, expugnatore urbium.*

Prov. 16. 32.

Dicunt & alii: Homo iste qui injuriam mihi inflixit, homo pessimus est, veniam non meretur. Respondeo: Tu etiam apud DEUM non mereris, qui tam graviter offendentem tamdiu te sustinet, nec vindictam sumit, cùm posset æterno supplicio. An verò Christus non meretur etiam cujus nomine id facere deberes? Certè gratissimum ei esse donari injurias in ejus gratiam, multis ostendit exemplis. Celebre est exemplum S. Joannis Gualberti. Ille Abbas fuit sanctissimus & Fundator *Vmbrosæ Vallis*, cùm verò adhuc in sæculari habitu ageret, contigit eum in hostem interfectorem fratris sui incidere, loco adeò angusto, ut non posset de via flectere, alter videns sibi mortem præsentem, humi prostratus veniam junctis manibus sibi dari pro-Crucifixi amore suppliciter petiit. Audito Crucifixi nomine compunctus Joannes, non solùm ignovit, sed ultrò eum amplexatus est. Ingressus postea Ecclesiam S. Miniati, quæ nunc arce Florentinæ Civitatis obducitur, cùm coram Crucifixi imagine flexisset genua, vidit Christi in Cruce pendentis caput ad se inclinari, quasi gratias agentis, quod pro ejus amore hosti pepercisset. Hodieque adhuc visitur sacra illa Christi imago, cernitur que ad facti memoriam sempiternam, etiam nunc caput ejus porrecta fronte motum longius a ligno & dimissum quasi amicum benignè salutet, illique præstitum officium gratu-

De S. Joan. Gualberto, Surius 12. Julii, & Baron. to. 11. ad An. 1051.

letur.

letur. In' compenſam quoque inſpiravit ei religioſæ vitæ amorem, ita ut ipſe poſteà ordinis celebris author fuerit.

Dicunt etiam quidam: Jam ſæpiùs ei remiſi, & iterum in me peccavit: Reſpondet illis Chriſtus i-
Matt.18. 21. dem quod Petro, qui cum rogaret, *quoties peccavit in me frater meus & remittam ei an ſepties?* Reſponſum ei fuit: *Non dico tibi ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties.* Eſt numerus determinatus pro indeterminato, idem ſignificans ac ſi diceret: Remitte ei toties, quoties peccare poteſt. Nam & tu quotidiè in Deum peccas, & quotidiè peccata tibi remittit Deus; eſto ergò Filius Patris tui eum in hoc imitando, id ſi feceris, magnam ſecuritatem reperies apud eum, & maximè in fine vitæ, dum totius vitæ tuæ peccata dimitti petes.

Ex Anaſtaſio, orat. de ſacra ſynaxi Baron. tom. 8. ann. 599.

Declarat hoc exemplum, quod habemus ex Anaſtaſio Sinaita Epiſcopo Antiocheno. Quidam inquit Monachus, cum negligentiſſimè vitam per otium egiſſet, infirmitate ad extrema ductus, mortem nequaquam horrebat, ſed magnâ voluntate & gratiarum actione, mori videbatur. Hunc verò ſic allocutus eſt quidam Patrum: Scias frater, vidiſſe nos ſummâ negligentiâ te vixiſſe uſque nunc, & unde tibi tanta ſecuritas? Reſpondet: ita eſt. Patres mei, negligentiſſimè vixi, ſed Angeli hac horâ chirographum peccatorum meorum ad me attulerunt, eumque ea quæ feciſſem, poſtquam ſæculo renunciatam peccata legiſſent, rogârunt num illa agnoſcerem? Quibus ego: Imò verò agnoſco, ſed ex quo renuciavi ſæculo, non judicavi quemquam, nec ab illo mihi factam injuriam unquàm meminiſſe volui. Itaque Domini verba ad me pertinere & opto & oro, qui dixit: *Nolite judicare & non judicabimini: Dimittite & dimittetur vobis.* Quæ poſtquam dixi, chirographum peccatorum meorum ſciderunt Angeli, & indè nunc ſumma cum lætitia & ſecuritate ad Dominum proficiſcor. Hæc ubi Frater narravit Patribus, Domino in pace ſpiritum reddidit, & aſtantibus magnæ ædificationis cauſa fuit & auctor.

LECTIO IX.

EXPLICAT PETITIONEM Sextam.

ET NE NOS INDUCAS IN Tentationem.

1. *Decet non poſſe nos liberari ab omni tentatione.*
2. *Nos petere ut non ſuperemur à tentatione.*

PROPOSITIO I.

Non petimus hic ab omni liberari tentatione.

1. *Quia ſine hac non poteſt hæc vita perag.*

RAtio triplex eſſe poteſt: Tum quia non poteſt peragi mortalis hæc vita ſine aliqua tentatione: Tum quia tentatio non eſt peccatum, quandò non accedit conſenſus: Tum etiam, quia ipſa ſæpè utilis eſt, & à Deo.

Prima ratio declaratur: Homo enim poſt peccatum circumcinctus eſt occaſionibus, contra quas debet dimicare durante hâc ærumnoſâ vitâ, & propterea dicit Job: *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* Alia lectio habet: *Tentatio eſt vita hominis ſuper terram.* Ideò dicit Sapiens: *Scito, quoniam in medio laqueorum ingredieris.* Non dicit aſpice, ſed *ſcito*: quia latet quidam laqueus in rebus, quæ hominem circumſtant, & obumbratus eſt, ita ut opus diligenti conſideratione. Laqueus eſt in cibo, in potu, in lucro, in opibus, in paupertate, in honore, in utilitate, homo ergò in medio laqueorum eſt. Hoc explicans Chryſoſtomus dicit: *Proceſſit quis in forum, vidit inimicum, exarſit: vidit alium Laudem aſſequentem invidit, vidit pauperem, contempſit: vidit mulierem, capeus eſt. Vides quot laquei? Sæpè laqueus eſt uxor, ſæpè filii, ſæpè amici, ſæpè tu ipſe tibi.* Hinc & Pſaltes dicit: *Pluet ſuper peccatores laqueos.* Ubi indicat multitudinem dum comparat guttis pluviæ frequenter cadentibus. In eandem ſententiam dicebat Jerem. *Laqueus ſuper te ô habitator Moab,* Laquei in juventute, in ſenectute, in divitiis, in paupertate, in ſocietate, in ſolitudine, in adverſitate, in proſperitate. Laquei in lingua, in oculis, in auditu, in omnibus ſenſibus. Hinc D. Antonius apertis mentis oculis, vidit mundum laqueis intertextum & admirans clamabat: *Quis eſt Domine, qui tot poterit retia evadere?* Cui reſponſum eſt *Humilitas.* Si mentis oculi nobis aperirentur, videremus cum illo nos undique cinctos tentationibus, peccatis, dæmonibus: pluraque in hoc mundo eſſe peccata, tentationes, dæmones, quam ſint in radiis ſolaribus atomi volitantes. Ideoque optaremus cum Propheta: *Quis dabit mihi pennas ſicut Columbæ, & volabo & requieſcam?* Volandum enim eſt ad ſuperiora, his qui in terra ſunt, ne tot laqueis irretiantur, nec unquam dormiendum eſt inter tot hoſtes.

Job.7.1. Eccl.9.20

S. Chryſ. hom. 15. ad pop. Antioch.

Pſ.10.7.

In vitis PP. lib.5. v.1.9. & lib.5.c. de humilitate.

Pſ.54.7.

Propter hæc etiam anima in hoc mundo *Lilium inter ſpinas* nominatur. Hoc explicans Bernardus dicit animæ piæ: O candens lilium, ô tener & delicate flos, increduli & ſubverſores ſunt tecum, vide quomodò cautè ambules inter ſpinas, plenus eſt mundus ſpinis, in carne tua ſunt, in terra ſunt, in aëre ſunt, verſari in his, minimè lædi divinæ potentiæ eſt, non virtutis tuæ. Donec ergò in carne eſt anima, inter ſpinas verſatur, & neceſſe eſt, ut patiatur inquietudines tentationum, tribulationumque aculeos. Spina culpa eſt, ſpina pœna eſt, ſpina fallax frater, ſpina vicinus malus: Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. Vide fusè Bernard.

Cant.2.2. S. Bern. Serm.48. in Cant.

Ut verò diſtinctiùs & particulariùs intelligas, quibus homo tentationibus ſit cinctus: Adverte primò, ipſum ſemper circumferre infirmitatem & inclinationem ad malum, omniq; horâ in ſinu portare ignem concupiſcentiæ, qui ſtatim accenditur; & per-

Tentationes hominis.
1. *Infirmitas & concupiſcentia*

Digitized by Google

& perverſas habitudines : quibus in peccatum cum facilitate & delectatione pertrahitur.

2. *Mundi res viſibiles.* Secundò, extrà ſe habet res omnes mundi viſibiles, proſperitatem, honorem, pulchritudinem, utilitatem, damna, voluptates & mille illecebras, quæ ſenſus & affectiones noſtras & illiciunt & irretiunt.

3. *Diabolus.* Tertiò habet res inviſibiles, adverſarium, qui tanquam Leo rugiens modò violento Marte in hominem irrumpens, modò fraudulentâ arte irrepens, nihil aliud interim ſitiens, quàm hominis ruinam & peccatum, Hic eſt enim cibus electus, quo à tot millibus annorum paſcitur & oblectatur. *Fiduciam habet quod Jordanis influet in os ejus,* hoc eſt, Job.40. 18. quod tandem omnes baptizatos (qui per Jordanem ſignificantur, quia in Jordane baptiſmus cœpit) tandem poterit abſorbere. Hæc omnia conſiderans infirmus homo in loco tentationis conſtitutus, meritò dicit cum Propheta : *Anima mea in manibus meis ſemper,* Pſal.118. 109. hoc eſt : Semper in periculo eſt, tribus potentiſſimis cincta hoſtibus, qui continuò flant, ut lumen gratiæ extinguant, ut alibi latiùs deduxi ex Bernardo lib.2.lect. 7.de timore.

II. *Quia non eſt noſtrũ non ſentire Tentationes, ſed conſentire.*

Secunda ratio declaratur, quia non eſt in noſtra poteſtate tentationes non ſentire ; eſt tamen in noſtra poteſtate illis non conſentire, & quamdiu conſenſus ille voluntatis non acceſſit, licet importunè recurrant, peccatum non admittitur. Patet in D.Paulo, D.Catharina Senenſi, D.Franciſco, & aliis, qui multis & diuturnis tentationibus fuere agitati, nec tamen ob id à gratia Dei exciderunt, quin potius auxerunt.

Simile. Sicut ergò, ſi lapidem ferro confrices ad excutiendum ignem, licet ſcintillæ diſſiliant, nihil tamen efficis, niſi fomitem adhibeas, ut accendatur : Ita licet ſatan per tentationem quaſi ferrum fuſile, è ſenſualitate noſtra ignem conetur elicere, nihil tamen ei proderit, nec accendetur, niſi tu adhibeas conſenſum & voluntatem, quaſi fomitem, qui ignem illum perverſum accendit.

Suſcitet ergò dæmon, quas voluerit ſuggeſtiones ; agitationes in corde pariat, quaſi ad januam cordis pulſans, ut poſſit ingredi, nihil proficit quamdiu firmâ reſolutione, tanquàm ferâ cor obſeratum eſt, quamdiu iſta nobis diſplicent, nec conſenſum damus. Sicut enim puella non poteſt matrimonio jungi, quamdiu negat conſenſum, quamdiu dicit : *Non.* Licet multis ſollicitationibus importunè urgeatur, & perturbetur ; Ita voluntas diabolo non poteſt obligari, quamdiu dicit, *Non,* & licet urgeatur per lenocinantis voluptatis ſenſum, quamdiu Pſ 18. 14. negat conſenſum. Verum ergò tunc eſt : *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.* Quaſi dicat. V. Brev. Rom. Domin. 4. poſt Pent. Licet omni impetu hoſtes mei in me irruant, ut ad peccatum pertrahant : tamen niſi per aſſenſum voluntatis meæ, poteſtatem ſuper me habuerint, nullam culpam, nullam maculam contraho. Declarat in 2. Nocturn. lc. 5. quoque id Auguſtinus, ſimilitudine Canis latrantis, ſed ligati, qui latrare poteſt, ſed mordere non poteſt niſi volentem & propriùs ad ſe accedentem. Vide Auguſtin. ſerm.197. de tempore.

III. *Quia utilis eſt Tentatio.* *1. Notas facit virtutes Sanctorum.* Ecc.27.6.

Tertia ratio declaratur. Multipliciter enim utilis eſt tentatio. Primò, quia notas nobis facit virtutes Sanctorum. Quandò enim magis eluceſcit virtus conſtantiæ, fortitudinis, patientiæ, quàm in mediis tribulationibus ? Sic tentatio notam fecit nobis caſtitatem Joſephi & Suſannæ, patientiam Job. Abrahæ fidem & obedientiam, adeò ut tunc verum eſſe agnoſcamus : *Vaſa figuli probat fornax, ſic homines juſtos tentatio.* Hoc noſtro tempore plurimorum fides & pietas eluxit ; dum patriam, parentes, bona omnia & opes omnes deſeruerunt pro fide Catholica, imò vitam ipſam & ſanguinem fuderunt, ut propterea dixerit Apoſtolus : *Oportet hæreſes eſſe, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant.* 1. Cor.11. 19. Eſt tentatio velut ventilabrum, paleas à frumento diſcernens : Eſt certamen coronam præparans, dicente Jacobo : *Beatus vir, qui ſuffert tentationem,* hoc Jac.1.12. eſt impugnationem ab hoſte vel viſibili vel inviſibili, vel etiam à concupiſcentia carnali : *Quia cùm per illam probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Sine tentatione non eſt certamen, ſine certamine victoria, ſine victoria corona, quo verò aſperius eſt certamen, quò fortior tentatio, eò major victoria & corona.

Præmium variatur certaminibus ac tentationi-bus reſiſtentibus, promittitur.

Ob hanc cauſam ; ſepties promittit Dominus coronam & præmium ſub diverſis nominibus, illi *qui vicerit* : Hoc eſt, qui omnes tentationes à diabolo, carne, mundo, ortas ſuperârit. *Primò* promittit illi, *edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei* : Apoc.2.7. quod rectè intelligitur de fruitione illa gloriæ, in Eccleſia triumphante. *Secundò* promittit ei immunitatem, *à morte ſecunda,* hoc eſt, à damnatione æterna. *Tertiò* promittit, *Manna abſconditum,* per Apoc.2.17. interiorem animæ refectionem in hac vita, & per divinitatis fruitionem in altera. *Quartò* promittit *poteſtatem ſuper gentes, & ſtellam matutinam,* v.26.&28. quia conſortes erunt ſancti luminis gloriæ, per ſtellam matutinam deſignati, conſortes quoque poteſtatis judicandi. *Quintò* promittit *veſtem candidam* gratiæ & gloriæ, quodque nunquam delendus ſit de libro vitæ. Apoc. 3.5. *Sextò* promittit *ſedere in throno cum ipſo,* ut ſimul regnet in illa beata æternitate. v. 21. *Septimò* promittit ſtabilitatem, quaſi *Columna in templo Dei,* gerentis ſcriptum nomen novum, & nomen Dei ſui. v. 12.

His ergò omnibus idem præmium ſignificatur, quod viriliter pugnanti, & tentationibus reſiſtenti, ſpondetur, & ſic patet quomodò tentatio auget virtutem, auget merita, auget coronam, in figura hujus rei Deus Job multipliciter tentato, addidit duplicia.

Subjiciam ad hujus rei probationem exemplum ex antiquis Patribus. Diſcipulus cujuſdam impugnabatur ſpiritu fornicationis, & Dei gratiâ viriliter reſiſtebat per jejunia, orationes, & alias auſteritates. Hoc videns Senior dixit : *Si vis, ô fili,* In vitis PP. lib.1. v.7. *rogabo Deum, ut auferat à te tentationem & impugna-*

pugnationem. Respondit ille. *Magnum quidem à tentatione sensi laborem, sensi tamen & fructum, quia illius occasione amplius jejuno, in vigiliis ac oratione persisto: roga ergò tantùm pro me misericordiam Dei, ut det mihi virtutem, qua possim sustinere & viriliter certare.* Tunc Sanctus Senior dixit ei: Ecce nunc cognovi, fili, quia fideliter intelligis hoc spirituale certamen pro patientia ad salutem animæ tuæ proficere. Ita enim & Sanctus Apostolus dicit: *Bonum certamen certavi, de reliquo reposita est mihi corona justitiæ* &c. Hæc ibi. Nempe sicut equus, licet fortis sit & acer, segnius tamen currit si calcaria desint, sic isti dæmonis aculei conferunt ad ferventius orandum, & mortificandum proprias passiones.

1. Tim. 4. 7.

2. *Notam nobis facit nostram infirmitatem.*

Altera tentationis utilitas est, quod inducat notitiam propriæ infirmitatis, ut semper timeamus in timore Dei. Docet enim hominem non esse securum in hac vita, tot agitationibus pressum, & semper esse incertum, an in gratiæ statu sit perseveraturus.

Sicut qui partem maximam angusti pontis transiit, non est securus, si ventus validus impetat, si pons titubet, quia impingere potest, cespitare & cadere: Unde ad singulos passus attendit & fulcris quantum potest, innititur. Sic & nos licet maximam partem vitæ transegerimus, adhuc tamen periculo sumus obnoxii, quia ventus circa nos validus perflat, angusta est pontis nostri via & lubrica, facilè labi possumus, & ideò nullam nobis securitatem possumus promittere: sed semper debemus super custodiam nostram stare, & ad gressus singulos attendere. Hoc nos monet ipsa tentatio, quæ & infirmitatem nostram nobis repræsentat, simul monens ad Deum cum fiducia recurrere, sub pennis ejus sperare, & obsecrare ut protegamur *à Sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano.*

Ps. 90. 6.

Ad hanc rem dicebat Sapiens: *Qui non est tentatus quid scit?* Utique nescit nec vires tentationis, nec suas, sed forte præsumit. Hic autem vires urgente tentatione agnoscit, multi enim in tranquillo nimium sibi fidunt de castitate & constantia, adveniente tentatione, statim succumbunt. Sic Petrus mira de se promittebat, qui postea Deum negat. Verum, se postea agnovit, & modestior factus, non audet respondere Domino interroganti, an plus cæteris diligeret. Itaque qui non est tentatus, quomodò sciret vires suas quas non probavit? Quomodò aliorum infirmitati compati posset, quam non est expertus? Quomodò diffidere sibi qui vix se putat egere auxilio? Imò forte de viribus aut virtutibus suis præsumit & superbit, ipsa ergò tentatio eum & humiliat, & præservat a superbia & præsumptione. Sic agnoscit ipse Paulus, dum dicit: *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi Angelus satanæ qui me colaphizet.* Et cum ipse conquereretur, & rogaret auferri a se, responsum est ei: *Sufficit tibi gratia mea.*

2. Cor. 12. 7.

3. *Servit.*

Tertia utilitas est: quod serviat ad purganda peccata, & dum homo viriliter resistit, ampliorem postea consolationem à Deo persentiscit.

ad purganda peccata.

Molestia quæ in resistendo est & violentia quam homo patitur, in satisfactionem peccatorum oblata, plurimum ad id confert: Sicut enim ignis aurum purgat & sordes & scoria, lucidum illud magis reddens. Ita tentatio purgat à peccato, & lucem multam animæ affert. Et sicut vasa quæ per ignem probantur, si solida fuerint, ampliùs & solidantur & purgantur: Ita homo evadit purior, solidior, lucidior, in fide, spe, charitate hoc modo probatus; homo verò inanis dissolvitur per consensum, quando tentationi cedit. Lucem verò consolationis ampliorem post pugnam Deum infundere, plurimis posset demonstrari exemplis. Nam hoc ipsum significat ipsiusmet Christi Domini contra Satanam dimicantis exemplum, cum enim omnes ejus tentationes elisisset, venerunt Angeli, & ministrabant ei.

Simile.

Sic cùm D. Thomas Aquinas violentam illam tentationem carnis, quam puella in cubiculum ejus introducta verbis & blanditiis illecebrosis induxerat, devicisset, ardente titione fugãs hanc mulierem verum inferni titionem, statim Angeli affuerunt, & ei prostrato & obdormienti coram signo Crucis, quod in pariete formarat, renes præcinxerunt perpetuo castitatis cingulo, ex quo summam percepit consolationem.

Surius in ejus vita 7. Martii tom. 2.

Sic etiam cùm D. Antonius validè dimicasset, à legione Dæmonum prostratus, vidit aperiri tectum cellulæ suæ, & radium quendam cœlestem ingredi dissipantem omnem illam tenebrosam turbam, & miram consolationem animo suo sensit infusam, per divinum hunc radium.

Athanas. in vita ejus.

Infero igitur ex omnibus dictis hoc corollarium. Tentationis tribulatio licet amara sit in cortice, multum tamen sæpius fructum continet in medulla. Unde forti corde & animo infracto sustinenda est, propter honorem & amorem Dei. Tunc enim purgat peccata, disponit ad gratiam, auget merita, præservat à superbia, conformat Christo, liberat à pœnis futuris, docet nos aliis compati, consolationem inducit, & tandem ad æternam quietem deducit, & adimpletur illud Tobiæ. *Domine tu enim non delectaris in perditionibus nostris, sed post tempestatem tranquillum facis: & post lachrymationem & fletum exultationem infundis.*

Tob. 3. 22.

PROPOSITIO II.

Petimus hic ne à tentatione superemur.

Petimus hic ne à Tentatione superemur.

HOc explicans quidam ex antiquis Patrib. dicit: Quando oramus dicentes; Ne nos inducas in tentationem, non ut non tentemur, oramus, sed ne à tentatione absorbeamur. Hoc enim est non intrare in tentationem. Sancti enim Martyres, tentati per supplicia, nec superati, non intrarunt in tentationem, sicuti neque qui pugnat cum bestia quousque non devoratur ab ea. Cùm verò devoratus fuerit, tunc intravit in tentationem.

In viris PP. Sophron. vel Jo. Moschus lib. 10. c. 2. 209.

Ita & in omni paſſione ſit, neque enim intramus in tentationem, niſi à Paſſione ſuperemur. Hæc Sophronius.

Auguſt. Matth. Hinc & aliqui legunt: *Et ne nos inferas in tentationem*, ut notat Auguſt. Et apud Matthæum dicitur: *Orate ne intretis in tentationem*, hoc eſt, ne cedatis tentationi. Itaque hoc ipſum eſt induci, quod Græcè eſt, in tentationem inferri. Meritò verò Deo dicimus: Et ne nos inducas in tentationem, ut ſignificemus non ex ſola dæmonis malitia illas provenire, ſed & maximè ex permiſſione divina, quia nec Dei injuſſu ſathan ſe movere poteſt.

S. Ephrẽ ſerm. de patientia. Bonitas verò illa divina pro amore & providentia ſua, ita inimici inſultus ex noſtrarum virium menſura moderatur, ut non ſolum ſuprà quam poſſimus, ſed etiam multò minus quàm poſſumus, tentari nos ſinat. Rectè enim B. Ephrem ait: *Si homines parva prudentia præditi, ſciunt diſcernere quantum onus ſingula jumenta aut Camelus ferre queant, tantumque onus imponunt: Si figulus vaſa formans novit quanto tempore ea in igne relinqui oporteat, ne ſi diutiùs relinquat adurantur, ſi minus, diſſolvantur nec uſui eſſe poſſint: Quantò magis Deus cujus eſt infinita ſapientia novit quibus tentationibus indigeant, animæ ipſi placere volentes, neque majores permittit, quàm ipſarum utilitati conducat.*

Cæterum, cùm petimus hic ne à tentatione vincamur, conſequenter petimus gratiam & auxilium Dei, ut illis poſſimus reſiſtere: quia ſine gratia ſpeciali non poteſt homo univerſim omni tentationi efficaciter reluctari, ut docent Theologi: *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam*: Niſi ipſe ſit *murus & antemurale* civitatis animæ noſtræ per gratiæ protectionem, non erit *urbs fortitudinis*, nec poterit contra hoſtes adeò potentes diu obſiſtere, & impetum eorum ſuſtinere.

Pſ. 126. 1. Iſa. 26. 1.

Quapropter ſicut non dormitat neque dormit, qui impugnat Iſrael: Ita *non dormitat neque dormit* Dominus Protector, *qui cuſtodit Iſrael*, & ejus vigilantiæ & cuſtodiæ omnis noſtra victoria eſt adſcribenda. Quia *niſi Dominus adjuviſſet me, paulò minus in inferno habitaſſet anima mea*, inquit Propheta. Cuſtodit verò nos Deus & adjuvat per auxilium gratiæ, per Angelos ſuos, per multiplicia media quæ ſuggerit ad ſupetandum peccatum & ejus tentationes. Unde & D. Paulo petenti à ſe amoveri graviſſimas carnis tentationes, ſolum dictum eſt, *ſufficit tibi gratia mea*: Itaque multitudo & fortitudo hoſtium nos non terreat, ſed animet illius fortitudo, qui auxilium nobis præbet. Et ſciamus plures nobiſcum eſſe quam ex adverſaria parte, potiora auxilia nobiſcum, quàm vires ſint hoſtium: Quia contra naturam corruptam eſt gratia: contra ſatanam Deus, contra prava exempla exhortationes Sanctorum, contra delectationes mundi, conſolationes Spiritus ſancti, contra multitudinem ſpirituum malorum, multitudo bonorum. Immittet enim Angelos quaſi caſtra fortia in circuitu timentium eum & eripiet eos.

Pſ. 93. 17. 2. Cor. 12. 2.

Oſtenſum id fuit uni ex antiquis illis Patribus qui Moyſes dicebatur. Hic graviſſimè tentatus acceſſit Iſidorum Abbatem, eique impugnationes dæmonis expoſuit. Iſidorus primò ſcripturis & rationibus conſolari eum conatus eſt: Deinde eductum è cella reſpicere juſſit verſus occidentem, ubi magnam vidit multitudinem hoſtium, furentem ad eum invadendum. Iterum reſpicere juſſit verſus orientem, ubi innumerabiles vidit Angelos, magna luce fulgentes, quaſi exercitus paratos ad auxilium: *Cognoſce*: ergo inquit, *plures nobiſcum eſſe*, uti dixit Elizæus Propheta. Hæc ille, alludens ad hiſtoriam quæ habetur 4. Reg. 6. Ubi cum famulus Elizæi vidiſſet potentem exercitum in circuitu civitatis in qua erat vir Dei, ipſe totus animo fractus cœpit clamare. Heu heu Domine quid mę faciemus? Verum Elizæus convertens ſe ad Deum dixit: *Aperi oculos Domine hujus ſervi tui.* Aperti ſunt ei cœlitus oculi, & vidit puer iſte quaſi montes plenos curribus & quadrigis in auxilium Elizæi. Sic & nos ſi mentis oculos aperiamus, multiplicem Angelorum exercitum circa nos videbimus ſemper paratum ad auxilium noſtrum, & hæc eſt fiducia quam habere debemus conſcii infirmitatis noſtræ. Attendamus quoque illud quod Joannes dicit: *Major eſt qui in nobis eſt quàm qui in mundo.* Et quod ipſe Chriſtus ait: *Confidite, ego vici mundum.* Qui ſemel vicit ſatanam, quotidie in nobis pugnat & eum vincit. Imò verò in ſola nominis ejus invocatione, omni dæmonum caterva cum confuſione diſſipatur.

In vitis PP. lib. 3. ſent. Patrum. v. 10.

4. Reg. 6. 16.

1. Jo. 4. 4. Jo. 16. 33.

Habes præclarum exemplum hujus rei in vita S. Hilarionis. Hic quadam nocte audire cœpit vagitus puerorum, balatus pecorum, mugitus boum, planctum quaſi mulierum, rugitus leonum, varia quoque vocum portenta, & murmur exercitus, ut territus vel ſonitu vel aſpectu fugeret. At intellexit ille Dæmonum ludibria, & provolutus genibus Chriſti crucem ſignavit in fronte, & hujus ſigni ac fidei armatus lorica, jacens in terra fortiùs præliabatur, amodò videre deſiderans, quos horrebat audire. Et ſollicitis oculis huc illuc circumſpiciebat, cum interim ex improviſo ſplendente luna, cernit rhedam ferventibus equis ſuper ſe irruere. Cumque inclamaſſet *Jeſum*, ecce ante eum repentino terræ hiatu pompa omnis abſorpta eſt. Tunc ait: *Equum & aſcenſorem projecit in mare, & hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini gloriabimur.*

Hier. in vita S. Hilario.

LECTIO X.

TRACTAT DE ALIQVOT REMEDIIS contra tentationes.

OLim ſolliciti erant Philiſtæi armis omnibus egentes reddere filios Iſrael, ut cum ad pugnam 1. Reg. 13. 19.

incur-

Digitized by Google

ineundam provocarentur, inermes reſiſtere non poſſent. Unde omnem operam dabant, ne faber ferrarius inveniretur in Iſrael, qua quidem eorum cautela factum fuit, ut ſolus Saul & Jonathas armati reperirentur, cùm ad pugnam procedendum foret. Simili conſilio Madianitæ uſi erant contra populum Dei, Unde poſt victoriam illorum cecinit Debora: *Gladius & haſta non apparuerunt in cunctis millibus Iſrael.* Certè eodem conſilio uti videtur perduellis hoſtis noſter ſathan, procurans quantum poteſt, dum nos aggreditur, ut armis omnibus ſpiritualibus carentes inveniamur, & ſic inermes ſuccumbamus. Cùm tamen Eccleſia & Scriptura ſacra tanquam *Turris David ex qua mille clypei* pendent, tot nobis ſuggerat ſpiritualia arma, quibus contra ipſum generosè dimicemus. David pugnaturus contra Goliath, *quinque lapides de torrente elegit*, quibus ipſum proſterneret. Nos quoque de torrente Scripturæ hic ſeligemus quinque lapides, hoc eſt, quinque primaria media & remedia, quibus ſuperbo Goliath, hoc eſt, ſathanæ, dum nos tentatione aggreditur, & reſiſtere poſſimus, & ipſum proſtigare. Hæc arma & remedia ſunt, Oratio, B. Virginis invocatio, noviſſimorum meditatio, Sacramenti Pœnitentiæ & Euchariſtiæ frequentatio, occaſionum fuga, cum reſiſtentia in peccati initiis.

Judic. 5. 9.

Cant. 4. 4
1. Reg. 17. 40.

I. Remedium contra tentationes.

Primum Remedium contra tentationem eſt Oratio. Hoc remedium Chriſtus ipſe præcripſit: *Vigilate & orate ne intretis in tentationem.* Hoc remedio utebatur Apoſtolus, qui dicit: *Ter Dominum rogavi, ut auferretur à me ſtimulus carnis meæ, angelus ſatanæ qui me colaphizat, & reſponſum eſt mihi: Sufficit tibi* Paule *gratia mea.* Certè cum omni tempore recurrendum ſit ad thronum gratiæ Dei, maximè in tentatione; quia tunc opportunam gratiam reperiemus ab illo *qui adjutor eſt in opportunitatibus, in tribulatione.* Debet verò eſſe ſervens frequenſque oratio ut indicat Apoſtolus, dum dicit: *Ter Dominum rogavi.* Ter enim ibi ſignificat idem quod frequenter; Ternarius enim numerus eſt perfectus, vel licet pluries rogarit, ter tamen expreſſe & inſtanter. Debet & eſſe perſeverans, ita ut quantumlibet recurrant importunæ tentationes; ab illa deſiſtendum non ſit; ſed inſtar Abrahæ à manè uſque ad veſperum reſiſtendum illis importunis volucribus eſt; illas orationis flabello abigendo. Hic quoque fervor & perſeverantia orationis contra hoſtes noſtros, optimè ſignificatur in Moyſe brachia elevante contra Amelec hoſtem populi Dei, quo quidem perſeverante in oratione brachiis elevatis, vincebat Iſrael, ſtatim verò ac dimittebat brachia, vincebat Amelec. Elevemus ergo cor & manus puras ad Dominum frequenter & ferventer, & nobis victoria ſuccedet contra Amelec, qui interpretatur *Lingens ſanguinem*, & ſignificat diabolum, qui delectatur peccatis noſtris, quæ per ſanguinem in Scriptura ſignificantur.

Matt. 26.
2. Cor. 12. 7.

D. Thom. in illum locum

Plurimi certè ardore precum è medio periculo evaſerunt, & victoriam reportarunt divinæ gratiæ radio affulgente, & omnes tentationis tenebras diſſipante. Sic deſſe refert Hieronymus, noctes integras dieſque ad pedes Jeſu permanſiſſe cum gemitu orando, & pectus aſpero lapide tundendo: ut ebullientes carnis flammas retundere poſſet flatu maligni ſuccenſas; nec ceſſaſſe ab oratione & tunſione, donec rediret tranquillitas.

S. Hieron. de ſeipſo.

Joſaphat quoque adoleſcens Regis Indiæ filius, quem S. Eremita Barlaam ad fidem adduxerat, & ſacra unda ablutum in vita Chriſtiana inſtituerat, cùm jam parens ejus rei conſcius omnia moliretur, ut ad Idololatriam rediret; peſſimo conſilio cum Magis ſuis inito, efficax medium repertum eſt ad ejus conſtantiam labefactandam, ſi ſolæ ad miniſtrandum ei mitterentur puellæ, ſpecie, ornatu, blanditiis adoleſcentis animum, quo voluerint inflexuræ: Dum hoc conſilium procedit, & puellæ illi aſſident, amplexantur ac blandiuntur: Ecce Magus impuriſſimi conſilii author, unum ex nequiſſimis ſpiritibus immittit magicis carminibus ad tentandum adoleſcentem, qui libidinis tale incendium in pectore ejus accendit, quod nec firma fide, nec cogitatione de præmiis cœleſtibus, aut inferorum pœnis, poterat ſedare. Confugiens ergo ad orationem, in has voces erupit: *Domine Deus, tu ſolus potens es & miſereris, ſpes deſperatorum & carentium adjutorio; recordare ſervi inutilis, ac propitio vultu me reſpice, nec in hoſtium manum incidere permitte. Non ſuper gaudeant qui oderunt me iniquè, ne me iniquitatibus corrumpi ſinas, aut corpus meum quod tibi caſtum exhibere promitto, dedecore afficere: te enim concupiſco, te adoro Patrem & Filium & Spiritum Sanctum in ſæcula, Amen.* Cum dixiſſet, *Amen*: ſtatim affuit divina conſolatio, cujus lumine omnium turpium cogitationum nebula evanuit. Ipſe verò ex tunc cùm inclinaret jam dies, ad ſolem uſque orientem in precibus perſiſtit. Hæc ex Damaſceno.

I. Damaſce. in vita ejus c. 30.

Optimum verò remedium eſt, ſpecialiter ad Crucem Domini per orationem tunc recurrere, & ad ejus Vulnera, in quibus omnis medela contra tentationem eſt præparata. Sicut ergo parvuli dum vident canem latrantem, ad patris brachia recurrunt, & ejus auxilium implorant: Sic dum contra te dæmon latrat, & incurrere ac mordere te conatur, curre in ſpiritu ad Crucem Salvatoris, & ad Chriſtum crucifixum, dicens: *In umbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas.* Verè enim *ſcapulis ſuis obumbrabit tibi, ſcuto circumdabit te, & ſub pennis ejus ſperabis.*

Similit.

Pſ. 56. 2.
Pſ. 90. 4.

Sicut lepores & alia animalia à venatoribus agitata ad ſua recurrunt latibula: Sic tu contra retia inſidiantis ſatanæ, tutum habens refugium ad Salvatoris Vulnera. *Petra refugium herinaciis*, inquit Pſaltes: Petra myſtica Chriſtus, refugium opportunum his qui tanquam herinacii aut lepores timidi, fugiunt inſequentem animarum venatorem. Habet hæc petra foramina ubi abſcondant fugientem vulnera ſcilicet ſacra.

Pſ. 103. 18.

Digitized by Google

Aguſt. Manuali. c.22.& 23

Hoc remedium præſcribit Auguſtinus: *Cùm me pulſat*, inquit, *aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Domini mei Ieſu Chriſti, & ad viſcera miſericordiæ ejus, nec alibi efficacius remedium reperio.* Vide latè eum hac de re diſſerentem in Manuali. Qui olim percuſſi erant à ſerpente, ſanabantur aſpicientes in ſerpentem æneum in deſerto elevatum. Figura Chriſti erat ſanitatem dantis contra ſuggeſtiones & morſus venenati ſerpentis infernalis, ſi in eum Cruci affixum aſpicias. De quo etiam in-

Iſa.13.2. telligi poteſt illud Prophetæ: *Levate ſignum ſupra montem caliginoſum*, hoc eſt, Crucem contra diabolum & ejus atram caliginem, & huc ſpectant quæ diximus alibi de virtute ſigni crucis contra tentationes.

Th. Kẽp. ſer.10.ad Novit. parte 3. *Deſcriptio Arboris Crucis.*

Hoc quoque remedium præſcribens Th.à Kempis, ſic dicit: Plantate in hortulo memoriæ veſtræ arborem. S. Crucis, contra omnes mortiferas diaboli ſuggeſtiones mediciuam virtuoſam proferentem. Hujus enim nobiliſſimæ arboris radix eſt humilitas & paupertas: cortex labor & pœnitentia: Rami miſericordia & juſtitia: folia veritas & doctrina: flores honeſtas & pudicitia: odor ſobrietas & abſtinentia: pulchritudo caſtitas & obedientia: ſplendor fides recta & ſpes firma: fortitudo magnanimitas & patientia: longitudo longanimitas & perſeverantia: latitudo benignitas & concordantia: altitudo charitas & ſapientia: dulcedo amor & lætitia: fructus ſalus & vita æterna. Nulla ſylva talem profert fronde, flore, germine, nulla arbor tantam vim habet pro omnis languoris medicamine. Hæc eſt arbor fœcundiſſima ſupet omnes arbores Paradiſi benedicta, tantis pulcherrimis extenta, foliis virentibus ornata, fructibus uberrimis per mundum dilatata, altitudine tangens cœlos, profunditate penetrans inferos, latitudine ambiens montes & colles, magnitudine implens orbem terrarum, fortitudine vincens impios Reges & fidei perſecutores, pietate attrahens debiles, ſuavitate ſanans peccatores. Hæc eſt vitis deifera, oliva fructifera, dulcis ficulnea, foris aſpera, intus melliflua, in domo Dei plantata, in humilitate radicata, in patientia probata, in obedientia conſummata, in charitate confirmata. Hæc eſt palma deifera, per quam & in qua de omnibus hoſtibus noſtris carne, mundo, ſatano trophæa referimus. Hæc ille.

Jaculatoriæ preces.

Opportunum quoque maximè eſt contra immiſſiones malign tentantis ad manum habere jaculatorias orationes, è Scripturis depromptas, quibus velociter conteratur ſathanas ſub pedibus noſtris. Hæc ſunt eloquia breviter ejaculata è cordis noſtri arcu & pharetra, de quibus dicit Pſaltes:

Pſ.118. 11. *In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi.*

Si ergo caro ſtimulat, aut carnalis cogitatio occurrat, ora & lege: *Configes timore carnes meas, à judiciis enim tuis timui.*

Ib.v. 120.

Pſ. 113.1. Si vana gloria inflat, ora & lege: *Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.*

Si accidia impugnat, ora & lege: *Dormitavit anima pra tadio, confirma me in verbis tuis.* Pſ.118. 28

Si prava te premit triſtitia & torpor, ora & lege: *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me.* Pſ.50. 14.

Si impatientia te conturbat, ora & lege: *Da patientiam Domine & pacem ſervo tuo, ne perdam coronam animæ meæ; quia dixiſti: In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Luc.11. 19.

Si ſuſpicio prava incurrit, aut ſuggeſtio immunda, ora & lege: *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova viſceribus meis.* Pſ.50. 12.

Si affectus rerum temporalium te conturbat, ora & lege: *Inclina cor meum Deus in teſtimonia tua, & non in avaritiam.* Pſ.118. 36

Si cibus & potus te tentat, ora & lege: *Non eſt regnum Dei eſca & potus, ſed gaudium & pax in Spiritu Sancto.* Ro.14.17

Denique contra omne peccatum mortale dic: *Illumina Domine oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus prævalui adverſus eum.* Sæpe quoque illud: *Mihi adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino ſpem meam.* Pſ.12. 4. Pſ.72. 28.

II. Remed. refugium ad B. Virg. & patrocinium SS.

Secundum remedium eſt refugium ad B. Virginem aut Sanctorum patrocinium, maximè eorum qui ſimilibus tentationibus obnoxii fuerunt, & eas devicerunt.

Quantum ad B. Virginem, illa ſemper auxilium præbuit tentatis fiducialiter ad eam recurrentibus, quia ipſa eſt ſtella maris, quæ nobis inter fluctus agentibus, viam demonſtrat, lucemque præbet, ne mergamur, & tentationis nubilum diſſipat, quo obvolvimur: Ipſa eſt *myrrha electa, quæ dat ſuavitatem odoris*, quo præſervamur à peccati corruptione & tentationis fœtido aere. De qua ſic ait Thom. à Kempis: *Dilecto S. Maria, expellit omnem æſtum carnalis concupiſcentiæ, & donat refrigerium caſtimoniæ. Dilecto S. Maria facit mundum contemnere & Chriſto humiliter ſervire. Dilecto S. Maria ab omnu mala ſocietate conſervat, & pia converſatione puritatem informat. Dilige ergo S. Mariam, & percipies ſpiritualem gratiam; invoca Mariam, & obtinebis victoriam.* Eccl.24. Kemp. in ſer. 24. ad Novit.

Hic viri ſancti, ut fœlicem è tentatione exitum fortirentur, ad ejus præſidium ſoliti ſunt confugere.

D. Antonius de Padua, quoties aliqua premebatur tentatione, ſolebat Virgini hymnum recitare: *O gloriosa Domina*, &c. Quodam die cum orantem ſathan invaſit mira violentia etiam corporaliter in eum irruens, & cum periculo vitæ guttur conſtringens ac ſuffocans: Sed ſtatim ad hymnum hunc recurrens, liberatus eſt. In ultima vitæ periodo hymnum hunc ſuum recitanti apparuit B. Virgo, & mirè conſolata eſt eum, eique impetravit Filii ſui viſionem ante diſceſſum ex hoc mundo, ſicque mira cum ſerenitate & pace animam Deo reddidit. Surius in vita ejus c.9.13. Jũ.

Bea-

Idem Surius 5. April. in Vita S. Vincentii.

Beatus quoque Vincentius ad Virginem ſolitus fuit recurrere, tanquàm ad ſinum Matris graviſſimis ſæpè agitatus tentationibus & illuſionibus. Undè cum ſemel legeret librum Divi Hieronymi *De Virginitate*, & inter ſuavitatem lectionis ipſam Virginem obſecraret, ut ejus virginitatem cuſtodiret: facta eſt ad eum vox: Non omnes poſſumus eſſe Virgines. Vir Dei attonitus & tacitus volvebat intrà ſe, quid vellet ille ſermo, non enim credere poterat verba illa ab ore Virginis emanaſſe, quæ Virginitatis cuſtodes ſemper amavit & adjuvit. Genua ergò flectens, petiit ab ipſa Virgine, ut ei indicet, quid ſibi vox illa voluerit: Et non ita multò poſt, cum multâ luce apparuit ei Virgo lætitiam infundens. Dixitque ei verba illa dæmonis fuiſſe, qui bonorum operum difficultatem ei proponeret, ut eum ab incepto terreret. Tu autem, inquit, cautus eſto & conſtanti animo, crebras tibi parabit inſidias, ut periclitetur virginitas tua, & aliæ virtutes in te corruant; ſed ſemper ſpera in Domino, quia ipſe clypeus tuus erit, quo ejus arma & artes contemnere poteris & ſuperare. His dictis virgo diſparuit, & ex eo tempore tantus fervor novo Chriſti militi acceſſit, ut non terrebris homo, ſed cœleſtis Angelus eſſe videretur.

Nempè B. Virgo hanc ſpecialem virtutem, quâ nos contrà dæmonis aſſultus protegat, habuit jam ab initio mundi ſibi promiſſam, in illis verbis Dei ad ſerpentem, *Ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo ejus, inimicitias ponam inter te & mulierem, inter ſemen tuum & ſemen illius.* Semen Virginis non ſolum eſt ipſe Chriſtus, ſed & omnes ejus ſpirituales filii, fratres Chriſti, qui contra ſerpentem virtute matris hujus depugnant, & pedibus ſuis eum conterunt. Contra ſemen ſerpentis dimicant, hoc eſt contra malignorum hominum inſidias, immò & contra ſuggeſtiones peſſimas, quæ tanquam ſemen venenatum à ſerpente enaſcuntur.

Gen. 3. 15.

Olim antiqui Eremi Patres, dæmonem tentantem, his ſolis verbis à ſe fugabant: *Diſcede infelix, inanes ſunt vires tuæ, qui à muliere devictus es.* Et hæc verba exprobatoria ob ſuperbiam non ſuſtinens, cogebatur cum confuſione recedere, & quietos eos deſerere.

Olim Abimelec non poterat ferre, quod à fœmina victus haberetur. Cum enim quædam mulier è tumi partem lapidis molaris in eum torſiſſet, & ejus caput obtriviſſet, clamabat ad armigerum: *Percute me, ne dicatur, quod à fœmina interfectus ſim.* Sic & dæmon (cujus ille figuram gerebat,) non poteſt ferre, quod à fœmina victus dicatur, non poteſt quod hoc ei exprobretur, concoquere.

Judic. 5. 54.

Neque verò ſolùm B. Virgo, ſed & ejus imagines dum piè coluntur, vim habent contra dæmonis tentationem. Hinc referebat Abbas Theodorus Æliotes, fuiſſe incluſum quendam in monte Olivarum, quem impugnabat ſpiritus fornicationis. Die quadam cum inſtaret vehementer, cœpit ejulare ſenex: Quamdiu non dimittis me? Recede jam à me, qui mecum conſenuiſti. Apparuit autem ei dæmon viſibiliter dicens: Jura mihi, quod nemini dices, quæ tibi dicturus ſum, & te amplius non impugno. Juro, inquit ſenex, per inhabitantem in altiſſimis, nemini me dicturum. Tunc dæmon: Noli adorare hanc imaginem, & ultrà te non impugno: Erat autem imago Virginis Chriſtum geſtantis. Ait verò ſenex dæmoni: Dimitte me ut deliberem. In craſtinum autem ſignificavit id Abbati Theodoro. Cui ille: Verè tu illuſus es, quia juraſti dæmoni? Sed benè feciſti hoc revelans. Præſtaret autem te omne ingredi lupanar, quàm negare te adorare Dominum Jeſum Chriſtum cum Matre ſua. Multis ergò verbis corroboratum dimiſit ad locum ſuum: Apparuit itaque ei iterùm dæmon dicens: Quid eſt hoc peſſime ſenex? Nonne juraſti mihi quod nemini diceres? Dico tibi, periurus in die judicii judicaberis. Reſpondet ſenex: Scio quia juravi, ſed Dominum & Creatorem cum Matre adorabo, & tibi non obediam.

Sophron. in prato Spirit. c. 45. & citatur in vitis PP. l. 10. c. 45.

Quantum verò ad Sanctos, opportunè ad illos recurrimus, qui ſimiles nobis tentationes paſſi ſunt, quia & in hoc, quod ipſi paſſi ſunt, poſſunt tentatis auxiliari, & juſtè à Deo hoc præmio donantur, ut aliis auxilium ferant, qui tentationes tales in ſeipſis vicerunt. Ita qui ſpiritum ſuperbiæ, iræ, gulæ, in ſe domuerunt, etiam in aliis illum ſuperare poſſunt. Imò Sanctorum Anachoretarum ſententia fuit & communis ſenſus, quod quilibet, quem dæmonem ſe tentantem ſuperaret, eundem ab aliorum non tantùm mentibus, ſed & corporibus obſeſſis expellere poſſet, hoc docuit inter alios Abbas Pichyrion, diſcipulus Beati Antonii, & ſpiritus ejus hæres in dæmonibus pellendis potens. *Quiſquis*, inquit, *ô filii, vult ejicere dæmones, priùs in ſervitutem redigat animi affectiones, qualem enim quis ſuperaverit animi affectionem, ejus quoque expellit & dæmonem, ſi quis ergò gulam ſuperavit, expellit ejus dæmonem.* Ita apud Palladium in hiſt. Lauſiaca capit. 74. vel lib. 8. cit.

In vitis PP. l. 2. c. 13. l. 9. c. 74.

Invocentur ergò à nobis Sancti, ut in eo in quo tentati ſunt, auxilientur nobis. Petamus opem in tentatione libidinis, à Virginibus, quæ pro caſtitate uſque ad mortem certârunt. Petamus a Sanctis illis, qui tentationes has licet valdè importunas ſuperarunt. Itaque tunc in his recurre ad B. Hieronymum, Benedictum, Bernardum, Franciſcum, Thomam Aquinatem, qui præclaram de hac tentatione victoriam reportârunt. Sic in tentationibus fidei & perſecutionibus à Martyribus conſtantiam rectè poſtulamus. In tentationibus impatientiæ, rectè ad B. Job. & ſimiles recurrimus. In infamia & ignominia, ad B. Suſannam, quia pro caſtitate eam ſubiit, & precibus depulit. Sic contra ſcrupulos ad B. Joſeph recurrebat S. Thereſia, quia multas ipſe anxietates paſſus eſt, dum Virginem gravidam vidit. Poſſumus quoque ad B. Mariam Ogniacam contra illos recurrere, quia ipſa in ſe & in aliis illos

illos ſanavit, ut ſuprà dixi, explicans Petitionem quintam.

Tertium Remedium eſt, Meditatio noviſſimorum.

Remedii III. Meditatio noviſſimorum.

Hoc remedium ſuggerit Sapiens : *Memorare noviſſima, & in æternum non peccabis.* Memoria enim mortis, judicii, inferni, timorem gignit, qui quaſi clavus affigit omnes ad peccatum inordinatos motus ligno Crucis, juxtà illud : *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui.* Quid enim morte horribilius? Quid judicio terribilius? Quid gehenna intolerabilus cogitari poteſt? Quid metuit, qui ad iſta non trepidat & expaveſcit, ut ſibi frænum imponat, quo non obſtante tentationis impulſu, à peccando deterreatur.

Eccl. 17. Pſ. 118. 120.

Sicut pro pueris, ut à lacte avellantur, ſolet aliquid ſinapis & abſinthii admoveri uberibus : Ita ut homo abſtrahatur à delectatione peccati, memoria mortis, quæ amara eſt velut abſinthium, multùm conducit. Si ergò quis ſæculi hujus divitiis nimis affectus eſt, & variis tentationibus obnoxius, mortis ſibi proponat memoriam, & ejus amaritudo animum ab inordinato temporalium amore avellet. Cogitet ſe nihil ſecum ablaturum ex omnibus his, niſi peccata, quæ congerendo cumulavit, quia ſolo linteo ſordido contentus eſſe deber. Attendat ergò illud : *Stulte hac nocte repetent animam tuam à te, & quæ parâſti cujus erunt? Quid prodeſt homini, ſi universum mundum lucretur, anima verò ſuæ detrimentum patiatur?* Attendant quàm multi propter opes æternis addicti flammis inclamant cum divite Evangelico, vel unam guttam aquæ poſtulantes.

Lu. 12. 20

Mat. 16. 26.

Si carnis tentationibus aliquis ſit obnoxius, ut ab uberibus voluptatis avellatur, cogitet amaritudinem futuram, vermeſque carnem rodentes, imò conſcientiæ vermem ſtatim ac peccarit ipſum tranſfigentem. Cogitet illud Job : *Putredini dixi Pater meus es mater mea & ſoror mea vermibus.* Quidam vir pius, cum intellexiſſet ſepultam fœminam, cujus memoria ſæpius animum titillabat, adiens ſepulchrum ejus, abſtulit putridi cadaveris partem, quam ſervabat linteo involutam, cumque in ſe aliquam carnis commotionem ſentiret, naribus ſuis illam admovebat, quo quidem remedio tentationis victor evadebat.

Job. 17. 14

De quodam etiam adoleſcente refert Palladius, ſepulchro ſe includi ad puniendum carnis vitium, & ad vitandum ejus præcipitium; ubi poſt aſperrimam vitam tranſactam, magnâ cum opinione ſanctitatis ſpiritum reddidit.

Palladius in hiſt. Lauſiaca c. 45. l. 8. vitæ PP. Idem ib. c. 113.

Refert idem de Philoromo Presbytero, Galatha, ſex annis ſepulchra inhabitaſſe, ut mortis ſibi memoriam imprimeret ad frænum peccati & lenocinantis voluptatis.

Si Gula & deliciis importunè quis tenetur, cogitet illud : *Quantum in deliciis fuit, & glorificavit ſe, tantum ei date tormentum & luctum.* Et hoc modo animabitur ad pugnandum viriliter contra has tentationes. Proponat ſibi frequenter convivium illud, quod talibus apud inferos præparatur, in quo *ignis & ſulphur, & ſpiritus procellarum, eſt pars calicis eorum.* Mortis utique memoria hujus ſæculi delicias amaritudine aſpergit, & intemperantiam frænat. Undè ſolebant Ægyptii in optimatum conviviis genialibus, cadaver ligneum in orbem circumferre, & inclamare : *Hoc intuearis, bibe, comede, epulare, poſt mortem talis futurus.* Hoc ipſum ſibi repræſentet Chriſtianus.

Apoc. 18. 7.

Denique ſi ſuperbia & honores multas pariunt ei cogitationes & tentationes, cogitet illud : *Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Brevi conſpergendus es pulvere, & ab omnibus conculcandus. Quid ergò ſuperbis terra & cinis? Vide converſionem B. Franciſci Borgiæ ex intuitu cadaveris Imperatricis, quo ita fuit commotus, ut ſtatim omnibus honoribus & coronis ac mundo ipſi valediceret.

Pſ. 10. 7.

Herodotus & alii.

Iſa. 14. 11.

In vita B. Borgiæ l. 1. c. 3.

Si acedix quoque ſpiritus hominem tentat, juvabit labores, tormenta, vermeſque futuros conſiderare, & cogitare, quid in morte voluiſſes feciſſe. Frater quidam rogabat Achillem ſenem : Cur ſedenti cellæ patior acediam? Cui ſenex. Quia necdum vidiſti requiem quam ſperamus, nec tormenta, quæ timemus. Si diligenter ea aſpiceres, etſi vermibus plena eſſet cella uſque ad collum, tu tamen in ipſa jaceres, ſine acedia. Ita ille.

In vitis PP. l. 3. §. 107.

Itaque generaliter verum eſt : Quicumque poſuerit ſuper cor imaginem mortis, & rerum noviſſimarum conſiderationem, efficiet ut diabolus imprimere ei non poſſit peccati imaginem. Sæpè ergò tibi propone, multos etiam in florida ætate in mediis ſceleribus abripi : Hoc te monebit frænum cupiditati injicere, & virtutem ad elidendas tentationes ſuppeditabit. Undè juvenes in vitia lubricos monet Sapiens : *Lætare juvenis in adoleſcentia tua, ambula in intuitu oculorum tuorum, ſequere concupiſcentias cordis tui, & ſcito, quia pro his omnibus adducet te Deus in judicium.*

Eccl. 11.

Nobilis quidam adoleſcens (ut refert Baldeſanus) ex potenti civitate Italiæ, cùm eſſet immerſus voluptatibus, acceſſit quodam die Confeſſarium, qui ei multa propoſuit de pœnitentia agenda. Sed hujc adeò nova & terribilia videbantur, quæ à Confeſſario dicebantur, ut multis pœnitentiæ modis propoſitis, negaret ſe ullum ex iis poſſe pati. Quid faceret Confeſſarius? Hoc ſolum monet, ut ſaltem quartam horæ partem impendat in hac cogitatione *Jacere ſe in lecto, brachiis in formam Crucis compoſitis, ad caput cereo, ad pectus Crucifixi imagine, cogitans quid vellet tunc feciſſe.* Paruit adoleſcens, ita ut repentè illuſtratus conſpecta peccati gravitate totus in lachrymas ſolveretur. Poſtridie ad Confeſſarium accedens, miro cum dolore peccata ſua deflet, & jam longè majores paratus aſſumere pœnas, initium fecit melioris ac ſanctioris vitæ.

Baldeſanus in ſtimulo virtutum.

Quar-

Digitized by Google

Remedii 4. est frequentatio Sacramentorum D. Tho: 1. *Confessio seu manifestatio sui Cogitationes secretas patri spirituali aperiendæ.* Simile.

Quartum Remedium frequentatio Sacramentorum est. Ratio est, quia in his gratia abundè datur, cujus minimus gradus, secundum D. Thom. si homo cooperetur, sufficit ad omnes tentationes superandas. Sed & specialiter Sacramentum Confessionis vim habet contra tentationem maligni. Quia ibi dum totum nostrum cor & conscientiam explicamus, ejus etiam omnes tentationes Patri Spirituali detegimus, quod quidem omnium maximè diabolo displicet. Nihil enim adeò destruit virtutem diaboli, ut docent SS. Patres, quam secretas cogitationes Directori pandere: statim enim pessimum ejus consilium evanescit, & confunditur ipse, dum videt consilium contra se agi, & remedium proponi.

Solet utique dæmon cum anima quam vult seducere per suggestiones, quasi pactum quoddam inire silentii, similis est amatoribus illis impudicis, qui ubi puellam aliquam aut alterius conjugem volunt seducere, statim hoc primò rogant & curant, ne eorum colloquia à filia patri, aut à muliere marito, indicentur. In confessione autem ubi hæc proponuntur satanæ consilia & suggestiones, videt se deprehensum & detectum, & adeò fugit.

Cassian. collat. 2. Eccl. 27. 19. Eccl. 10. 11.

Huc refert Cassianus illud Sapientis. *Si denudaveris abscondita illius, non persequeris post eum, q.d. Non decipieris ab eo, nec intercipiet te.* Huc etiam refert illud: *Si mordeat serpens in silentio*, q.d. Cave ne mordeat serpens occultè & in silentio, sed statim sibilum ejus quo ad te accedit, detege, & communica, ut possit remedio convenienti arceri. Immò verò dicit Cassianus, ubi per submissionem & humilitatem animi, tentatio Patri spirituali declaratur, hanc humilitatem & submissionem, adeò placere Deo, ut antequam ipsum remedium præsetur, jam per se evanescat. *Tamdiu*, inquit, *illa suggestiones ejus noxia dominantur in nobis, quamdiu celantur in corde, illico enim ut patefacta erit cogitatio maligna, marcescit, & antequam discretionis judicium proferatur, serpens teterrimus velut è tenebroso ac subterraneo specu, virtute confessionis pertractus ad lucem, & traductus quodammodo ac deobstratus abscedit.* Ita ille.

Alludit ad serpentem qui sub lapidibus aliquibus latet sicut & colubri, bufones, & alia germina serpentina: si lapides subleves, sub quibus jacent, statim fugiunt. Sic & antiquus ille serpens ubi detegitur, statim fugit, præest tenebris, nec diem patitur.

In ritis Patrum.

Habemus hac de re exemplum in vitis Patrum. Religiosus quidam septuaginta septimanis jejunium & orationem adhibuerat, pro dubii alicujus quod eum angebat, resolutione à Deo obtinenda, & cum tanto tempore resolutionem adhuc nullam haberet, resolvit adire aliquem alium Eremi Patrem, ut ei rem communicaret, & statim exeunti è cellulâ occurrit Angelus, qui totam difficultatem resolvit, adjiciens plus illum hac humilitate meruisse, quam orationibus & jejuniis priùs factis.

Sic & Christus misit leprosos ad Sacerdotes dicens eis: *Ostendite vos Sacerdotibus*: & cum necdum pervenissent, dum adhuc irent, mundati sunt. Luc. 17. 14.

Sæpè ergo fit, ut dum solum minamur diabolo, nos ejus suggestiones Superiori aperire, & detegere velle, fugiat; adeò ut hic possimus facere quod solent pueri, qui dum vexantur, minantur se Patri suo dicturos.

Sed dicunt aliqui: Scio quid mihi responsurus sit Confessarius, & remedia quæ præscripturus est. Quid ergo opus est, ut ei importunus sim? Hæc aliquorum nova tentatio est, & non considerant hi, quod aliud sit à se remedium præscriptum scire, aliud ab eo qui locum tenet Christi, quodque simul multum operetur humilitas & submissio nostra, in hâc cordis nostri apertione: *Custodiens parvulos Dominus humiliatus sum & liberavit me.* Ps. 114. 6. Denique sæpius cæci sumus in propriis, nec boni judices eorum quæ nos concernunt. Nam & Medici dum ægrotant, alios Medicos advocant, & Jurisconsulti in propriis causis cœcutiunt, ideòque aliorum consilium quærunt; Sæpius enim intervenit propria affectio & proprius amor; *Vehementer*, inquit Gregorius, *claudit oculum cordis amor privatus.* S. Greg. Et certè irruentibus tentationibus & peccatis, possumus dicere: *Lumen oculorum & ipsum non est mecum,* Ps. 37. 19. Item: *Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem.* Ps. 39. 13. Licet enim remedia sciamus per quandam Theoriam, practicè tamen non applicamus, & plus juvat Deus ad unum verbum illius qui ut Vicarius Dei tenet locum, quàm ad id quod per nos facimus.

B. Dorotheus serm. 5.

Habemus hic exemplum B. Dorothei, qui quoties Superiori tentationes suas cupiebat aperire, statim hac nova tentatione urgebatur: *Ut quid tempus inutiliter perdere cupis? Hoc & hoc respondebit tibi, jam probè id nosti: importunus ei futurus es.* At ego, inquit, contra proprium judicium propugnabam & dicebam: *Anathema tibi, & judicio tuo, & intelligentiæ ac prudentiæ tuæ, cogitationi & scientiæ.* Et cum, inquit, Superior mihi id ipsum respondisset quod præcogitaram, statim cum inquietudine cogitatio mea mihi dicebat: Vides quod jam antea rectè dixerim tibi hoc responsum tibi dandum, quodque non egeres importunus illi esse. Sed ego, inquit, respondebam: *At nunc bonum est, nunc à Spiritu Sancto est* q.d. Hoc remedium nunc quatenus à Spiritu Sancto venit longè melius est, quam quando a teipso procedebat, nec ita tunc in illo poteras fidere sicut nunc, cùm à Superiore est. Sic ergo hanc tentationem debellabat Sanctus Dorotheus.

2. *Eucharistiæ frequentatio.*

Eucharistiæ quoque frequens sumptio plurimùm efficax est contra tentationes: Ejus enim effectus est confirmare cor hominis; confirmare scilicet contra tentationes hostis nostri, ideòque fuit etiam designata Eucharistia per panem illum qui volvebatur contra castra Madian. Item per panem Eliæ quo confirmatus fuit contra fatigationem &

perſecutionem Jezabel. Sic enim panis hic fortificat cor hominis peregrinantis, & luctantis contra concupiſcentiam perſequentem. Denique de
Pſ.22.5. illo dictum eſt: *Paraſti in conſpectu meo menſam adverſus eos qui tribulant me.* Qui ergo variis ſuggeſtionibus & tentationibus obnoxius eſt, non poteſt ſalubrius reperire remedium, quàm frequenter ad hanc menſam accedere; in qua fortitudo datur contra hoſtes, in qua panis porrigitur cujus fructus eſt puritas animæ, cordis firmitas; in qua *vinum germinans virgines* propinatur, hoc eſt, puritatem & ſanctitatem omnimodam producens. De hac re latius agetur infrà.

Interim hic ſubjicio hujus rei exemplum.

Baldeſanus in ſtimulo virtutum.

Narrat Baldeſanus noſſe ſe quendam qui in adoleſcentia vehementer tentatus in carnis peccata ruerat, & cum non requieſceret, acceſſit virum Religioſum conſilium petens. Ille ei tantum dixit, uxorem duceret. Quod fecit. Poſt aliquot annos uxor mortua eſt, & timuit ille ne in primas miſerias reincideret, abhorrebat tamen, ut ajebat à ſervitute matrimonii. Ut ergo hoc malum præveniret, orationi ſe addicit, confeſſione ſæpè ſe purgat, & per Sacramentum Euchariſticum ſeſe confirmat in propoſito cœlibatus. His ipſe adeò ſeſe firmum invenit, ut admirans & dolens ſuperioris ætatis infœlicem ſortem diceret: Heu me miſerum! cur olim adoleſcens non incidi in virum qui non diceret: uxorem duc, ſed diceret mihi: utere Sacramentis divinis. Quàm melius mihi conſultum fuiſſet!

Sæpius ergo ſimilia accidunt, & qui penè deſperabant dum Eccleſiæ Sacramentis ſeſe ex animo addicunt, vident poſtea miram mutationem circa ſe, ita ut poſſint dicere: Hæc mutatio dexteræ Excelſi.

Remedii V. eſt, 1. Reſiſtere tentationum initio.

Quintum Remedium eſt reſiſtere diligenter initiis tentationis & malignæ ſuggeſtionis, omnesque, peccati occaſiones evitare. Ratio eſt, quia ſic nequitia dæmonis eliditur in ſemine; & impeditur creſcere. Hoc ſignificare videtur Salomon dum
Cant.2.15 dicit: *Capite nobis vulpes parvulas quæ demoliuntur vineas*, ſignificans tentationes eſſe quaſi vulpeculas quas ſtatim necare oportet, dum adhuc parvulæ ſunt & non poſſunt grave incommodum vineæ noſtræ afferre. Alia id ſimilitudine declarat
S. Hier. in c. 9. Eccl. Hieronymus dicens: *Diabolus ſerpens lubricus eſt, cujus capiti, hoc eſt, primæ ſuggeſtioni, ſi non reſiſtatur, non eſt dubitandum quin in penetrale cordis noſtri furtim illabatur.* Noli ergo ludere cum ſerpente, ſed ejus caput contere, ejus initiis reſiſte. Idem
Idem ad Euſtoch. ad Euſtochium ſic ſcribit: *Nolo ſinas cogitationes pravas creſcere, nihil in te Babylonicum, nihil confuſionis adoleſcat, dum parvus eſt hoſtis interfice, nequitia & zizania ne creſcat? elidatur in ſemine.*
Pſ.136.8. Audi Pſalten: *Filia Babylonis miſera: Beatus qui tenebit & allidet parvulos tuos ad Petram.* Primi itaque motus continendi ſunt, ne ulterius procedant; & per mortificationem allidendi ad petram, quæ Chriſtus eſt. Maſculos Hebræorum ſtatim perimit Pharao, ne poſtquam creverint, grave ei bellum indicant: Ita & à nobis motus illi dum parvuli ſunt perimendi ſunt, ne dum diſſimulamus creſcant, & gravius certamen præjudiciumque nobis invehant. Graviter ferebat Sara, quod Iſmael è ſerva natus, cùm Iſaac luderet & jocaretur, quem jocum
Gen.21.9 vocat Paulus perſecutionem: *Sic & noſtra Sara ratio ſcilicet recta & virtus*, inquit Origenes, *non debet ferre, ut ſervilis appetitus cum ſpiritu jocari ſe ſimulans, bellum inceptet proditorium, ejus enim voluptates & blanditiæ crudelitates ſunt & inimicitiæ.* Origenes in epiſt. ad Rom. Itaque nihil ſecurius, quam ſuper cuſtodiam ſuam ſtare, & pravæ cuilibet vel carnis vel dæmonibus ſuggeſtioni, aditum prohibere. Quia non reſtitit
Gen.3. Eva primæ ſuggeſtioni ſerpentis, & principio tentationis à viſu pomi procedentis, in tanta lapſa eſt incommoda. Sic Cain ſi primæ cogitationi invidiæ reſtitiſſet, nec in fratricidium, nec in tanta peccata corruiſſet: *A ſcintilla augetur ignis*, inquit Sa-
Eccl.11. 34. piens: Illa ergo ſtatim extinguenda eſt. Nam qui ſcintillam in acervum paleæ injectam ſtatim non extinguit, totum acervum periculo ignis ſubjicit. Sic qui omni diligentia ſcintillam infernalis ignis, hoc eſt, pravam ſuggeſtionem in aridam carnis paleam injectam, non ſupprimit, cenſetur velle incendium.

Surius in vita B. Ægidii Franciſc.

Hoc verò, licet in omnibus peccatis locum habeat, maximè tamen in luxuriæ cogitationibus, & ideò illis vigilantiſſimè aditus omnis præcludendus eſt. Hujus rei præclarum habemus teſtimonium in vita B. Ægidii Franciſcani. Ibi refertur non diu poſt obitum D. Franciſci aliquot ejus Religioſos conferentiam quandam ſpiritualem habuiſſe de vincenda importunitate tentationis luxuriæ, & ibi variæ dictæ ſunt ſententiæ. Dicebat unus: Cùm impugnor objicio mihi deformitatem vitii, quod non ſolùm Deo, ſed & hominibus abominabile eſt. Alius dicebat: Cùm ſentio tentationem, flecto genua cum lachrymis, & Virginis auxilium imploro, nec ceſſo donec hoſtis ceſſet. Tertius, qui erat frater Juniperus: Ego, inquit, cum procul venientem hoſtem proſpicio, portas animi bonis deſideriis & cogitationibus occludo, & intus ſublata voce exclamo: Procul, procul, occupatus eſt diverſorii locus. Frater Ægydius præſens erat, & audito Juniperi reſponſo: Ego quoque inquit, mihi arma Juniperi aſſumo. Et id quidem reſponſum optimum fuit; quia qui poteſtatem ſubeundæ domus hoſti facit, periclitatur. Non ergo expectandum donec ingreſſus opprimat, ſed ab ipſo ingreſſu prohibendus eſt.

Similia.

Oportet igitur cor ſanctis deſideriis & bonis cogitationibus præmunire, & ſic tentationis aditum prohibere. Eſt enim cor noſtrum velut molendinum, quicquid ei imponitur molens. Impone ergo electum granum, ut non ſit locus paleis vel immundis ſordibus. Eſt etiam cor velut ſpeculum, imaginem ejus rei recipiens circa quam vertitur; Verte igitur illud ad cœlum & cœleſtia, ut illorum imaginem in ſe recipiat: diverte illud à terrenis ſordi-

Digitized by Google

sordibus, ne illarum in se imprimat imaginem. Si sanctis aspirationibus, desideriis, affectionibus, cogitationibus bene munitum fuerit, jam non erit locus carnalium cogitationum fœdæ imagini. Undè & monet Sapiens : *Omni custodia serva cor tuum,* Prov. 4. 23. *quia ex ipso vita procedit.* Custodi illud benè ornatum & immaculatum Deo tuo authori vitæ, qui illud elegit tanquam suum habitaculum, quia in omni creatura, quæ sub Sole est, nihil sublimius, nihil nobilius, nihil Deo similius. Undè nihil quærit à te Deus, nisi cor tuum & quidem mundum, quia Deus cordis tui ipse est, & author puritatis est, illi ergò consecra, & dum te aggreditur satanas tentationem ingerens, ut cordis tui aliquam possit possessionem per peccatum adire : tu noli multum cum illo disceptare, sed tantùm responde illud Mat. 4. 10 Christi : *Vade satana, scriptum est, adorabis Dominum Deum tuum, & illi soli servies.* Sic ejus dissipabis suggestiones.

Mulier fidelis viro suo, si epistolas aliquas recipiat ab adultero eam sollicitante, statim ac illas recipit, & advertit ejus nefandum desidenum, non immoratur his litteris, imò nec perlegit nec servat eas, sed igni tradit, ut omnem a se infidelitatis cogitationem vel occasionem statim propellat. Sic anima, quæ Deo fidelis est, dum a dæmone ad peccatum & spirituale adulterium, tentationibus multis, quasi quibusdam literis sollicitatur, nihil debet immorari, sed statim succensere nefandæ suggestioni, illamque amoris fidelis igne succendere, nisi infidelitatis suspicionem aut periculum velit incurrere.

2. *Occasionem peccati evitare.*

Diximus verò non solùm resistendum initiis tentationis, sed & omnem peccati occasionem evitandam, quia magna est vis occasionis, quæ multos etiam constantes & firmos, in peccati præcipitium tandem impulit. Fortes erant primi parentes, occasione tamen cibi miserè perierunt. Fortis & Gen. 3. constans erat David, vir secundum cor Dei, occasionem tamen, quam dedit aspectus mulieris, superare non potuit. 3. Reg. 11. Dilectus erat Deo Salomon, & sapientissimus, occasione tamen uxorum alienigenarum, etiam ad idololatriam est devolutus. Propterea peccati occasionem devitare monens D. Hieronymus, dicit : *Nec Sampsone fortior, nec Davide sanctior, nec Salomone potes esse sapientior.* Sampson spiritu fortitudinis à Deo donatus, dum occasionem negligit, & in sinu Dalilæ suæ dormit, primò quidem funibus nerviceis colligatur, sed ipse illos facilè disrumpit, postea iterum novis funibus gravioribus, & licet illos etiam disruperit, dum tamen tandem in occasione persistit, & in Dalilæ consuetudine, crines ei abscinduntur, fortioribus vinculis colligatur, Philisthæis hostibus sum traditur, oculi ei eruuntur, illuditur & ad molam circumducendam infœliciter pertrahitur. Sic homo peccator, dum occasiones negligit, & blanditias sive illecebras peccati, à minimis ad majora prosedit, ab aspectu ad sermones, à sermonibus ad

Hieron. Judic. 16. de Sampsone.

contactus, à contactu ad oscula, tandem & ad peccati consummationem pertrahitur, deindè crines abscinduntur, per quos verecundia designatur, & oculi evelluntur, quia cœli & inferni contideratione privatur. Denique dum de peccatis in peccata volvitur, fortius colligatur, & ad molam æterni doloris æternùm circumducendam, miserè pertrahitur, nisi divina succurrat iterùm misericordia & pietas, quæ crines capitis nostri iterùm erescere faciat, hoc est, nisi spiritus Dei fortitudinem novam nobis conferat, & mentis oculos iterùm nobis aperiat, ac vincula disrumpat, quibus colligamur, detque vires ad omnes hostes iterùm profligandos.

Habemus hujus rei præclarum exemplum in vita sancti Jacobi Eremitæ apud Surium. Hic non solùm sanctitate apud infideles, è quibus multos ad fidem perduxerat, sed etiam maximis miraculis claruerat. Is totos quadraginta annos in solitudine solis herbis & radicibus vitam tolerans, nocturnis diurnisque horis continenter precibus vacabat. Huic insidias struens satan, fœminam locupletum parentum filiam, ingressus est, & per eam nomen S. Jacobi prodit. Parentes eam ad tugurium ejus diu quæsitum adducunt, exponunt filiæ miseriam, utque jam à viginti diebus nihil cibi potusque degustaret, & propriis manibus carnes suas discerperet. Orat pro illa Sanctus Vir, & dæmon abscedit. Parentes veriti, ne brevi reverteretur, obsecrant Sanctum, ut biduò saltem eam secum retineat. Ille ad sanctitatem vitæ superioris & miracula nimiùm sibi præfidens, consentit. At Deus videns eum suæ imbecillitatis immemorem, pristinum suum auxilium ei subtraxit, permisitque eum labi, non solum in sacrilegam fornicationem, sed etiam homicidium : Nam post lapsum reformidans, ne puella scelus aliquandò patefaceret, eam è medio sustulit. Perpendens verò sanctus Jacobus, quàm tetro scelere se inquinasset, in tantam desperationem animi venit, ut cogitaret desertâ vitâ religiosâ redire ad mundum. Sed clementissimus Deus memor laborum, quos pro Christi nomine tot annis sustinuit, divinæ lucis radiis ejus animum per alium quendam Dei servum ita perstrinxit, ut spe veniæ impetrandæ erectus, sese in pervetustum quoddam sepulchrum subterraneum integro decennio usque ad mortem abdiderit : noctu diuque cum asperrima pœnitentia lapsum suum incredibili dolore animi, assiduis lachrymis, & tantâ confusione sui deplorans, ut neque oculos in cœlum attollere auderet, nec cum ullo mortalium miscere sermonem, plenam scilicet sui diffidentiam tandem assecutus, & Dei misericordiam.

Surius ex Metaph.

Cùm ergò tanta sit occasionis vis, cuilibet cautè, advigilandum est, & super sui custodia standum, & quàm procul potest ab illa fugiendum. Quantum possumus, à lubrico fugiamus, in sicco etiam parum firmiter stamus. Qui viseo aut laqueo teneri

non vult, non appropinquet. Qui pice non vult in-
Ge.19.17. quinari, non tangat. Qui non vult calefieri, aut uri, ad ignem non accedat. Præcipiebat Dominus Loth non ſolùm exire de Sodoma, ſed de omni circà regione, ne ſcintillis aut fumo incendii ejus conſpergeretur, vel etiam ipſo involveretur incendio: Sic & præcipit nobis, non ſolùm à peccato fugere, ſed etiam ab omni peccati occaſione, quâ involuti, facilè in peccati præcipitium & incendium de-
Pſ.18.29. volvimur. Meritò ergò David orat, *Viam iniquitatis Domine amove à me.* Ubi non ſolùm petit iniquitatem amoveri, ſed & viam omnem, hoc eſt, omnem occaſionem, quæ hominem ad peccatum ducit, quaſi via ad terminum. Fallax enim diabolus non ſtatim peccatum proponit, ſed initiis quibuſdam & occaſionibus peccati ſolet hominem irretire, ſub titulo, quod illa licita ſint. Sic ſi tentat de luxuria, perſuadet licitum eſſe, videre, alloqui, oſculari, quaſi in oſculo pacis & benevolentiæ. Quid enim inquit ibi mali? Et hæc interim eſt via, qua deducere vult ad conſummatam iniquitatem, & ideò omninò fugienda eſt. Sicut juvenem aliquem in varia peccata præcipitet, non ſtatim ei proponit peccata in ſe, v.g. ebrietatem, juramenta, rixam; ſed proponit ei licitum eſſe ludere chartis, aut alea, frequentare aliorum conſortia, & interim novit ludum hunc & conſortium occaſionem ei eſſe multorum peccatorum. Hæc eſt ergo via iniquitatis, à qua declinare debet juvenis ille, & quam debet à Deo petere amoveri à ſe. Debetque attendere illud Pſaltis: *Declinantes in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* Pſ.124.5. Qui ſunt, qui declinant in obligationes, niſi qui in peccati occaſiones declinant, quæ ſuis quaſi vinculis irretiunt & circumligant hominem, ita ut vix ſe poſſit expedire. Hos ergò adducet Dominus cum operantibus iniquitatem, & tanquàm operarios iniquitatis puniet, quia non declinando has occaſiones, peccati periculo ſe exponunt, idem autem cenſetur in moralibus peccare, & peccati periculo propinquo ſeſe exponere. Alia lectio habet: *Declinantes in obliquationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* Nec incongruè id propoſito noſtro. Occaſiones enim ſunt & *obligationes* præpedientes hominem, & *obliquationes* ſivè viæ obliquæ deducentes ad peccati præcipitium: ſunt via iniquitatis, & ideò, qui illam viam obliquam ingrediuntur, non facilè ſeſe à peccati caſu retrahunt, ergò computantur cum illis, qui operantur iniquitatem, & cum illis à Deo puniri merentur.

LECTIO XI.

EXPLICAT VLTIMAM Petitionem.

SED LIBERA NOS à malo.

1. *Decet, quomodo hic petamus liberari à malo.*
2. *Omnes tam bonos quam malos petere id debere.*
3. *Petitionem hanc rectè intelligi de mala pœna.*

Cur vocatur Malus? 1. Ob plenitudinem malitiæ.

PROPOSITIO I.

Petimus hic primò liberari à malo, hoc eſt, à maligno.

VOcatur dæmon *Malus* per Antonomaſiam & cum Emphaſi, ob plenitudinem & ſupereminentiam malitiæ, quo modo etiam D. Paulus dicit: *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus,* Eph.6.12. hoc eſt, contra ſpirituales nequitias, ſic enim vocat dæmones: *Emphaticè loquendo,* inquit D. Thom. D. Tho. in hunc locum. *ut intelligatur in illis eſſe plenitudo nequitiæ, quia quantò eſt altior dæmon ſecundùm naturam, tantò quando convertitur ad malum eſt pejor & nequior:* Vocantur ergò ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus, quia & ſpirituales ſunt, & nequiſſimi, & ex aere caliginoſo, quaſi loco nobis altiori pugnant, & pro rebus cœleſtibus pugna eſt.

2. Quia malitiæ omnis author.

Secundò, *Malus* abſolutè vocatur, quia primus peccati & malitiæ author, primus malitia infectus, nemine eum impellente, ſed propriâ voluntate peccando: & ſic non ex infirmitate, ſed ex malitia ſollicitus fuit: ita ut omnis malitia in mundo exiſtens ab illo originem ducat, & incrementum ab illo accipiat. Peccatum enim infœlix ſemen & fructus eſt, quo ſolo paſcitur & oblectatur, omni tentans via, ut ubique illud radicem figere poſſit, & virulentum germen producere.

3. Quia in malitia obſtinatus eſt.

Tertiò abſolutè *Malus* denominatur, quia in malitia eſt confirmatus & inflexibilis; & ita malus, ut cum jam ab initio peccârit; continuò peccet uſque in præſens, & in æternùm ſit peccaturus, nec vel unum bonum actum eliciturus totâ æternitate. Undè licet exeat in actum naturalem, *motum tamen quem natura inchoat, voluntas deformat,* inquit D. Thomas. De illo ergò verum eſt: *Cor ejus indurabitur quaſi lapis, & ſtringetur quaſi malleatoris incus,* quia ejus voluntas magis obſtinatur in peccato, quo magis à Deo percutitur, ſicut incus quo magis à Fabro percutitur, magis intra ſe compacta roboratur & induratur. Th. in 1. Epiſt. Joan. c. 3. Job. 41. 1.

Ob

Digitized by Google

Ob easdem rationes vocatur in Scriptura per Antonomasiam *Malignus*. Sic dicit D. Joannes: *Qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conservat eum, & malignus non tanget eum.* Et iterum: Scribo vobis adolescentes, quia victistis malignum. Congruè autem malignus nominatur, si rationem grammaticam, quam Divus Thomas & alii afferunt, consideres, quia malo igne & succensus & succendens. Succensus quidem, non solum igne inferni, quia à Deo est in pœnam ejus ordinatus, & eatenus bonus quatenus divinæ justitiæ instrumentum est, sed & succensus pessimo superbiæ igne, cujus fumus & caligo ascendit semper contra Deum, cum scintillis blasphemiæ: *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*: Inflammatus quoque igne invidiæ & odii contra hominem. *Hic est ignis, qui nunquam dicit, sufficit*, per illum enim à quinque annorum millibus animarum myriades absorbuit, & quotidiè absorbet, nec unquam dicit, satis est: Novo semper odio hominum respirat perniciem, *Fiduciam* habens, *quod Jordanis influet in os ejus*, hoc est, omnes baptizatos, qui per Jordanem significantur, quia ibi cœpit baptismus, absorbere sperans aut desiderans.

Cur vocetur Maligous?
1. Malignè insidians nostræ saluti.
1. Jo. 3. 9.
D. Tho. ubi sup.
Ps. 73. 23.
Prov. 30. 16.
Job. 40. 18.

De illo potest rectè intelligi illud Apoc. *Et secundus Angelus tuba cecinit, & tanquàm mons magnus igne ardens missus est in mare, & facta est tertia pars maris sanguis, & mortua est tertia pars creaturæ eorum, quæ habebant animas in mari, & tertia pars navium interiit. Hunc montem magnum*, dæmonem aliqui interpretantur, qui *Mons magnus* dicitur, ob superbiam, & *ardens* dicitur, quia invidiæ facibus inflammatus propter hominum salutem: Secundò ergò Angelo tubâ canente (per quem designari possunt verbi divini nuntii & præcones in secunda ætate Ecclesiæ) hic mons magnus igne ardens, missus dicitur à Deo permissivè, vel a Lucifero aliquis dæmon præcipuus cum consortibus in mare, quod vel mundum, vel Ecclesiam significat ob Baptismi aquam; ad quam oppugnandam Gentilium Principum tyrannide, instar montis magno impetu ruit. Tum verò tertia pars maris versa est in sanguinem, quia multi Martyres sanguinem pro fide tunc fuderunt: Tertia etiam pars viventium in mari mortua est, hoc est, multi fideles, qui in mari Ecclesiæ, instar piscium vivebant, acerbitate persecutionis deterriti, fidem deserentes miserè perierunt. Tertia quoque pars navium: qui doctrinâ & pietate eminere videbantur, & qui tanquam naves, in portum salutis reliquos vehere debuissent, tempestate jactati & allisi ad persecutionis scopulos, miserandum fidei naufragium fecerunt.

Ap. 8. 8.
Viegas in illum loc.

Malignus itaque nominatur, non solum ob ignem superbiæ & invidiæ, quo ipse ardet, sed & ob illum quo totum mundum succendere nititur. Sicut Christus dixit: *ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut ardeat?* Ita ipse è contra ignem virulentum superbiæ, luxuriæ, avaritiæ, quaquaversum spargit, igni illi sacro adversum. Ignem utique caliginosum, quia hi super quos *cecidit hic ignis, non viderunt Solem*; ita obtenebrantur, ut ad Solem divinæ gratiæ vix possint oculos mentis figere, sed ut plurimùm de tenebris interioribus ad tenebras exteriores & æternas proruunt.

Ignis diaboli.
2. Malitia ignis in nos.
Ps. 57. 9.

Refert Beda S. Fursæum (fuit is frater S. Folliani, cujus corpus in oppido Fossensi quiescit) in spiritu raptum, in aere quatuor ignes vidisse, qui totum mundum succendebant. Cumque rogaret Angelum ductorem quinam illi essent? Audivit ab eo: Unus est mendacii, cum hoc quod huc in baptismo promiserunt abrenunciare satanæ & operibus ejus, minimè implent. Secundus est cupiditatis, cùm mundi divitias amori cœlestium præponunt. Tertius dissensionis, cum animos proximorum etiam in supervacuis rebus offendere non formidant. Quartus impietatis, cum infirmiores spoliare & eis fraudem facere pro nihilo ducunt. Ignis verò crescens in majus effectus est unus, & illi Fursæo appropinquabat. Timens ille ignem minacem dicebat Angelo: Ecce ignis mihi appropinquat. Cui respondit. Quod non accendisti non ardebit in te, licet enim terribilis sit ignis iste, tamen secundum merita operum singulos examinat, quia uniuscujusque cupiditas in isto igne ardebit. Sicut enim corpus ardet per illicitam voluptatem, ita & anima ardebit per debitam pœnam, & implebitur illud Isaiæ, loquens ad impios: *Ecce vos omnes accendentes ignem accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri & in flammis quas succendistis.* Nempè mundus per ignem cupiditatis, accendit ignem æterni doloris.

V. Beda hist. Angl. lib. 3 c. 19.
Is. 50. 1.

Itaque hic est multiplex ignis, ob quem dici potest: *Mundus in maligno positus*, quasi dicas malo igne cinctus. Hunc succendit dæmon, de quo dicitur: *Halitus ejus prunas ardere facit*, quia ut exponit D. Gregorius, dæmon quasi sufflator, iniquæ suggestionis afflatu, iniquorum mentes igne pravi desiderii inflammat. Et de illo verificatur illud Isaiæ: *Ego creavi Fabrum sufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus suum.* De officina ejus prodeunt peccatores, quasi lebetes aut vasa fœditate nigerrima, apta ad opus ejus, id est ad vilia peccandi ministeria. Hos tamen Deus quandoque gratiâ sua convertit, & ex lebetibus vasisque fœdis, in aurea vasa & phialas transmutat, juxta illud Zachariæ ultimo: *Erunt lebetes quasi phialæ.* Sic de de Magdalena canit Ecclesia:

1. Joan. 5.
Job. 41. 12.
D. Greg.
Is. 54. 16.
Zach. 14. 20.

Post fluxa carnis scandala, fit ex lebete phiala:
De vase contumelia, in vas translata gloria.

De hoc quoque Maligno verum est, quod addit Job: *Flamma de ore ejus egreditur & de naribus ejus procedit fumus, sicut olla succensa atque fervens.* Hoc fumo nititur actiones omnes nostras inficere, & quâdam fuligine commaculare, conatur enim omnium actionum nostrarum vel principium, vel finem, vel medium vitiare. Initium quidem, depravando nostram intentionem in bono

Job. 41. 11 & 12.

Digitized by Google

etiam opere, quia ut dicit D. Gregorius: *Cum facilia ad decipiendum corda hominum conſpicit, eorum deſideriis auram tranſitoriæ faveris appenis, & tunc verum eſt: factæ ſunt hoſtes ejus in capite, quia cùm bonum opus non bonâ intentione fit, adverſarii ſpiritus ab ipſo cogitationis exordio principantur eamque pleniùs poſſident, quando & per initium dominantes tenent.*

S. Greg. l. 1. mor. c. 38.

3. Malignitatem noſtris operibus ut pergere laborant.

Medium verò actionis depravant, cùm intentionem vitiare non valent; curant enim quando jam aliquid bene agitur, ut cor ſe exaltans ex latere ad vitium derivetur, & ſic quod bene inchoatum erat, jam aliter perficiatur. Finem verò actionis polluere malignus nititur, quando nec in exordio intentionis, nec in medio operationis quidquam potuit; ut ſicut ipſe continuò peccat, actus etiam ſuos naturaliter elicitos voluntate pravâ deformans, ita & nos ei ſimiles efficiamur continuò peccantes. Sic ergò vel prava complacentia, vel vanâ laude, vel faſtidio operandi, vel alio quolibet modo finem noſtræ operationis contaminare nititur. Tunc verum eſt illud: *Ipſi calcaneum meum obſervabunt*: Quid enim ait D. Gregor. per calcaneum niſi terminus ſignatur actionis, quandoquidem in calcaneo finis ſit corporis? *Unde & ſerpenti dicitur, ipſa tuum obſervabit caput, & tu calcaneum ejus: caput quippe ſerpentis obſervare, eſt initia ſuggeſtionis ejus aſpicere & mentem ſollicita conſideratione à cordis aditu ſagaciùs extirpare: qui tamen cùm ab initio deprehenditur, percutere calcaneum molitur, quia etſi ſuggeſtione primâ, intentionem non percutit, decipere in fine tendit. Si autem ſemel cor in intentione corrumpitur, ſequentis actionis media & terminus, ab hoſte callido ſecurè poſſidetur, quoniam totam ſibi arborem fructus ferre conſpicit, quam veneni dente in radice vitiavit.*

Pſ. 55. 7. Greg. l. 1. mor. c. 38.

Pſ. 139. 6.

Huc quoque applicat D. Gregorius illud Pſalmi, *In via qua ambulabam, abſconderunt ſuperbi laqueum mihi*: quia ſcilicet maligni ſpiritus ſemper abſcondunt laqueum, vel in principio viæ, hoc eſt, operis, inſidiando intentionis puritati; vel in progreſſu, objicientes vanam complacentiam; vel in fine, faſtidium benè operandi generando.

Meritò ergò Filii Dei ſuſpirant, & enixè petunt ab æterno Patre. *Libera nos à malo*, hoc eſt, ab illo, qui nil niſi malitiam reſpirat, & ſemper malignè inſidians, malitiam omnibus noſtris operibus inſpergere nititur, ut ſicut & ipſe mali ſimus. Semper nequitiæ ſuæ venenum ſpargit in via noſtra, ut noſtros greſſus & progreſſus fœlices impediat, tanquàm *Coluber in via*, aut *Ceraſtes*. (Hoc eſt ſerpens cornutus & cornupeta) lateus *in ſemita, mordens ungulas equi, ut cadat aſcenſor ejus retrò*: hoc eſt, inſidians eis, qui velociter quaſi divinæ gratiæ equo vehuntur & fœliciter progrediuntur, ut eos à divinæ gratiæ ſtatu dejiciat, & veneno inficiat ſerpens utique, imò & draco virulentus.

Gc. 49. 17

Contra hunc ſerpentem & draconem multum valet hæc petitio, & orationis Dominicæ, pia ex ſpiritu & fiducia divina pronuntiatio; per illam enim ejus caput viresque omnes conteruntur. Hoc expertus fuit S. Caluppa Recluſus, de quo ſic refert S. Gregorius Turonenſis: Cùm oraret, ſerpentes ſuper caput ejus decidebant (ut cum lachrymis referre nobis ſolitus fuit) & involventes ſe circà collum ejus, horrorem ei inferebant, & hæ erant ſerpentis antiqui inſidiæ. Cum verò ille immobilis perſtaret, quadam die, dracones duo immenſæ magnitudinis ad eum ingreſſi ſunt, quorum unus ipſe dux tentationis validior altero erat: qui erecto pectore, os ſuum contra os beati, quaſi aliquid muſſitaturus erexit. At ille timore perterritus, tanquam aheneus valdè diriguit, nullumque penitus membrum movere poterat, neque manum elevare, ut ſignum beatæ crucis opponeret. Cumque ambo diutiſſimè in ſilentio conſtitiſſent venit in mentem ſancto per ſpiritum, ut *Orationem Dominicam*, & ſi labia movere non poterat, vel corde clamaret: Quam dum tacitus loquitur, cœperunt paulatim membra ejus, qui inimici fuerant arte devincta, diſſolvi: & ſentiens ſe manum dexteram habere jam liberam, ori ſignum beatæ crucis imponit. Rurſum converſus ad hydrum, pingit iterum crucem Chriſti, adverſus eum dicens. *Tune es ille, qui protoplaſtum de Paradiſi habitaculo projeciſti? Qui Germani dexteram parricidio cruentaſti? Qui Pharaonem, ut populum Dei perſequeretur, armaſti? Qui ad extremum, ipſum Hebraum populum ut inundus ſuccendente perſequeretur Dominum, excitaſti? diſcede à ſervis Dei, à quibus ſæpius ſuperatus diſceſſiſti confuſus. Tu es enim in Cain projectus, in Eſau ſupplantatus, in Golia proſtratus, in Juda traditore ſuſpenſus, & in ipſa Dominica Crucis virtute cum poteſtatibus & dominationibus tuis contritus es. Abde nunc inimice caput, & humiliare ſub ſignaculo Crucis divinæ, quia non eſt tibi portio cum ſervis Dei, quorum eſt hæreditas regnum Chriſti.* Hæc & hujuſmodi ſancto dicente, crucemque per ſingula faciente, Draco hujus vexilli virtute confuſus, vicißim ſe humiliàns terræ ſubditur. Ita Gregorius Turonenſis.

Greg. Turon. in vitis SS. PP. in vita S. Caluppæ Recluſi.

Notandum verò, quod hic orantes liberari à malo, ſivè à diabolo, etiam conſequenter oramus liberari ab ejus membris, ab hominibus ſcilicet impiis & perverſis ac malignis.

N. Patimur & à diabolo liberari, & ſimul ab hominibus impiis, cum ejus membris.

Hi corpus ejus & membra dicuntur, ipſe caput, quia in eos malitiam quodammodò influit ſuggerendo & inducendo in peccatum: & ſunt quaſi ſub ejus regimine eum imitando & ſequendo, & ſini ipſi propoſito cooperando; qui eſt averſio rationalis creaturæ a Deo. Undè & de ipſo dicitur: *Ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ*, quia eos gubernat & ſini ſuo ſubſervire facit, ac pravæ voluntati ſuæ & ſic ſub ejus ſignis & vexillis militant. Sicut ergò Rex caput dicitur multitudinis ſibi ſubjectæ; ita & diabolus caput congregationis impiorum tanquam corporis cujuſdam myſtici & mora-

Job. 41. 25

Digitized by Google

Ex. Maximè verò de illius corpore dicuntur, qui in peccato jam ſunt obdurati: de quibus illud Job verificatur, qui ſub typo Leviathan de dæmone & impiis ejus membris loquens dicit: Job. 41. 6 *Corpus illius quaſi ſcuta fuſilia compactum ſquamis ſeſe prementibus, una uni conjungitur, & ne ſpiraculum quidem incedit per eas.* Quibus verbis ſignificat dæmonem, & impia quædam ejus membra, ita eſſe undequaque obfirmata in malo, ut nulli vel minimæ Spiritus Sancti auræ, hoc eſt, inſpirationi ſanctæ, velint locum præbere.

Analogici corporis diaboli deſcriptio.

Cum verò dæmoni corpus & membra attribuamus, poſſimus per quandam analogiam & proportionem, diverſos peccatores ad diverſa ejus membra referre.

1. Dicamus ergò, ſuperbos ejus capiti adhærere, quia ejus primum peccatum fuit ſuperbia.

2. Ad linguam & os ejus ſpectant blaſphemi, ſuſurrones, mendaces, juramentis aſſueti; quia lingua ſua diabolica ſacra omnia prophanant, & ignem diſſenſionis virulentum ſpargunt.

3. Ad dentes ejus ferias detractores, qui alienam famam tam vivorum quàm mortuorum & jam ſepultorum; tam inferiorum quàm ſuperiorum, venenoſo dente corrodunt, lacerant, devorant.

4. Ad aures ſpectant, qui delectantur turpiloquio, verbis cantibuſque immundis, vel etiam detractionibus auditis.

5. Ad collum pertinent hæretici & hæreſiarchæ, ſive Doctores hæreſeos & pravæ doctrinæ, quia ſicut collum eſt medium inter caput & corpus, & per collum caput in cætera membra influit, ita iſti mediatores ſunt conjungentes & adducentes alia membra diabolo tanquam capiti, & per illos influit malitia in alia membra.

6. Ad brachia & manus refer homines injuſtos, violentos, rapaces, qui inſatiabili avaritia ſemper dicunt: Prov. 30. *Affer, affer.*

7. Ad ventrem pertinent guloſi & luxurioſi, qui toti ventri dediti, in comeſſationibus & ebrietatibus, in cubilibus & impudicitiis, meliorem ætatis ſuæ partem conterunt.

8. Cordi ejus venenato adhærent, qui in fratris odio confirmati ſunt, vel invidiæ livore tabeſcunt, virus ſemper ſpirantes.

9. Ad pedes ejus ſpectant, qui inſtabiles ſunt atque veloces ad currendum ad malum, mobiles ad omne peccatum, de peccatis in peccata proruentes.

10. Denique ad caudam ejus referendi ſunt, qui ſuggeſtione, conſilio, auxilio, alios peccatis involvunt, & quaſi colligatos in varia crimina pertrahunt. Cauda enim Draconis in Apoc. dicitur traxiſſe Apoc. 12. 4. tertiam partem ſtellarum; ideò ad hanc caudam ſpectant, qui alios ſuggeſtione ſuâ in voraginem profundam & tenebroſam peccati pertrahunt, qui in ſtatu gratiæ divinæ quaſi ſtellæ lucebant. Hoc eſt ergo corpus diaboli, hoc eſt corpus peccati, à quo petimus liberari, contra quod continuò luctari & pugnare nos oportet. De quo etiam rectè poteſt intelligi illud Apoſtoli: *Scientes quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, ut ultrà non ſerviamus peccato*, q. d. Peccatum & concupiſcentia, veteres mores, vetus vivendi ratio & peccandi conſuetudo, quam ex Adamo veteri trahimus, cum Chriſto debet crucifigi & deſtruendum eſt totum corpus peccati, hoc eſt tota peccatorum congeries & maſſa, quæ quaſi unum corpus eſt ſatanæ, vel veteris hominis, cujus membra ſunt libido, avaritia, fornicatio, quæ omnia deſtruenda & mortificanda ſunt, ut mortui peccato vivamus Deo vita gratiæ, & ſimus jam non membra ſatanæ, ſed membra viva Jeſu Chriſti filii Dei, ejus ſpiritu animata. Rom. 6. 6

PROPOSITIO II.

Omnes tam boni, quàm mali debent petere liberari ab hoc maligno.

RAtio eſt, quia omni ſtatui inſidias & dolos nectit, nec ab ejus malignitate ſecuri ſunt etiam perfecti, nec homines in mundo, nec virgines in clauſtro, nec conjugati in matrimonio, nec Eccleſiaſtici in templo, nec Religioſi in choro, nec Anachoretæ in eremo, nec Sacerdotes in ſacrificio. Unde nec Petrus in Apoſtolico Collegio, nec jejunans Filius Dei in deſerto, ab ejus inſidiis exempti fuerunt. Malos bonoſque malignè circumvenit, illos ut ſecurè ſub ſuâ detineat poteſtate, hos ut è gratiæ ſtatu dejiciat, ſibique ſubjiciat. Bonis hanc vocem inſurrat: *Mitte te deorſum. Vox diaboli eſt iſta*, inquit D. Hieronymus; *qui ſemper omnes deorſum cadere deſiderat; ſed ſuadere poteſt, præcipitare non poteſt.* Unde reſpondent illi, qui firmo pede ſtant. Tu teipſum deorſum mitte, & in profundum inferni proprium tuum locum deſcende, tu viam illuc noſti, quam primus calcaſti, ego illam inire nolo, neſcire cupio, non poteris illuc me invitum vel deducere, vel pertrahere, vel aſportare. Licet ergo quantum in ſe eſt, impellat & luctetur ut dejiciat; non conſentientibus moleſta quidem eſt luctа, ſed fructuoſa; quia ſi habet pœnam, habebit & coronam, non nocet ſenſus, ubi non eſt conſenſus, imò id quod reſiſtentem fatigat, vincentem coronat. Et ſic ſæpe impugnatio in caput ejus retorquetur, & in ejus confuſionem redundat: quia ex illa juſtus fit humilior, fortior, vigilantior, majoremque ſui gerit cuſtodiam, ne de gradu dejiciatur, attendens illud monitum Sapientis: *Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcendat ſuper te, ne dimiſeris locum tuum.* Dum ergo juſtus ex illa impugnatione proficit, verum eſt de ſatana illud Pſalm. *Convertetur dolor in caput ejus, & in vertícem ipſius iniquitas ejus deſcendet.* Et iterum: *Captio quam abſcondit, apprehendat eum & in laqueum cadat in ipſum.* Hiero. in c. 4. Matt. Eccl. 10. 4 Pſ. 7. 17. Pſ. 34. 8.

Cæterum adverte, dæmonem non habere tantam poteſtatem, quantam ante adventum Chriſti; Chriſtus enim veniens ejus tyrannidem imminuit, & vir-

Digitized by Google

& virtutem attrivit, de quo ſcriptum eſt : *Jugum enim oneris ejus, & virgam humeri ejus, & ſceptrum exactoris ejus ſuperaſti, ſicut in die Madian* : Senſus eſt : Jugum ſervitutis diabolicæ, quâ velut onere graviſſimo omnium colla premebantur, & virgam quâ omnes affligebat, & ſceptrum quo velut exactor ad peccata homines quaſi ad tributum quoddam compellebat, tu ſuperaſti & confregiſti ô Chriſte, ſicut quondam Iſraelitas Gedeone duce, ab hoſte Madian liberaſti. Ita explicat D. Hieronymus cum Baſilio.

Iſa. 9. 4.

S. Hiero. & Baſil. in hunc locum.

Habes huic rei accommodam figuram Judic. 1. in Rege Adonibezec, cui amputatæ ſunt manus & pedes in pœnam ſuæ tyrannidis. Unde illius memor dicebat : *Septuaginta Reges amputatis manibus & pedibus comedebant micas ſub menſa mea, ſicut ego feci, ſic facit mihi Dominus.* Diabolus Princeps hujus mundi multis ante adventum Domini manus amputabat, ut ad benè agendum inhabiles eos redderet ; & pedes, ut impediret boni deſiderii fœlicem greſſum in viâ virtutum eorum ; cogebat etiam eos comedere micas decidentes in menſâ ſuâ, paſcens eos voluptatibus carnalibus & mundanis, quæ ſatiare non poſſunt ſicut nec micæ. At veniens Salvator eâdē pœnâ eum plectit, amputans manus pedeſque ejus ; hoc eſt, omnes ejus vires reſcindens, ut jam facilè de ipſo ejuſque exercitu, carne, mundo, vitiſque omnibus poſſit Victoriam Chriſtianus quilibet reportare, ſi divinæ velit cooperari gratiæ.

Jud. 1. 7.

Quod ergo nunc multos adhuc ſuæ ſubjiciat virtuti, eorum culpa eſt, quia ſcilicet divinæ gratiæ auxiliis, virtute Crucis & Sanguinis Chriſti acquiſitis, non utuntur, quibus innixi ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulare poſſent & conculcare leonem & draconem. Quod ipſum fateri coactus eſt ſatan D. Antonio, ut refert D. Athanaſius. Quodam enim die cum fores Cœnobii pulſaſſet, egreſſus eſt Antonius ut videret ſe evocantem, & occurrit ei vir ſtaturæ proceræ & admirabilis. Cumque interrogaſſet quis eſſet ille : faſſus eſt Satanam eſſe. At ille : Quid hic importune quæris ? Vellem, inquit, ſcire cur non tantum tui Religioſi, ſed & paſſim homines mihi maledicunt. Dum enim eis aliquid infauſti accidit, ſtatim dicunt : *Maledictus diabolus.* Reſpondit Antonius : Non mirum ſi te maledicunt, qui omnis eis mali & peccati author es & incentor. At ſtatim negat ſatan ſe eis peccati efficacem cauſam eſſe, quin potius ipſoſmet ſibi peccatorum authores & cauſas eſſe, in varias ſe occaſiones, in varia diſcrimina & crimina præcipitando. Ab eo enim, inquit, tempore, quo Deus factus eſt homo, vires meæ attritæ ſunt, nec urbes poſſideo, aut alia loca, imò etiam de deſerto expellor ob Monachos ibi locum ſibi deligentes. Itaque conquetantur de ſe in peccatis ſuis, non de me qui imbellis & inermis ſum. Agnovit verò Antonius eum à Chriſto veritatem dicere coactum. Unde & gratias Deo egit, & invocato Jeſu nomine Satan diſparuit. Hæc ipſe Antonius diſcipulis ſuis referebat, ut eos & præmoneret, & præmuniret, & ad certamen animaret.

Athanaſ. in vita D. Antonii.

Sed & ipſum colligitur ex Apoc. *Vidi Angelum deſcendentem de cœlo habentem clavem abyſſi, & catenam magnam in manu, & apprehendit draconem ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus & ſatanas, & ligavit eum, & miſit eum in abyſſum, & clauſit, & ſignavit ſuper illum, ut non ſeducat amplius gentes, donec conſummentur mille anni, & poſt hoc oportet ſolvi modico tempore.* Hunc Angelum communiter Doctores interpretantur Chriſtum, quia ipſe eſt qui habet clavem abyſſi, qui apprehendit & ligavit dæmonem imperii ſui catena uſque ad mille annos, hoc eſt, toto tempore quod à morte Chriſti uſque ad tempus Anti-Chriſti decurrit : & tunc ſolvetur modico tempore, hoc eſt, tribus annis cum dimidio, quia per Anti-Chriſtum & ejus ſectatores, adverſus fideles inauditam perſecutionem excitat. Millenarius eſt numerus perfectionis, & ideò univerſalitatem ſignificat, univerſum ſcilicet tempus à Chriſto uſque in finem ſæculi decurrens.

Apoc. 20. 1.

Cum ergò ligatus ſit dæmon, non ſolum nihil poteſt in hominem, niſi voluntate ſua ſe in ejus fauces injiciat, ſed & homo ei poteſt illudere, juxta illud : *Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei.* Sicut leoni aut urſo alligato illudunt pueri & puellæ, ſic dæmoni animæ juſtæ. Unde dicit Dominus ad Job loquens de Behemot : *Numquid illudes ei quaſi avi, aut ligabis eum ancillis tuis*, q. d. Tu id efficere non vales, ego autem id efficaciam, quia eum pueris & ancillis meis tradam in ludum, hoc eſt, animabus juſtis eum tradam, ut ei inſultent. Patet ex Sanctorum geſtis, quot adoleſcentuli, quotque virgunculæ maliguum vicerint, eique victores inſultarint.

Pſ. 103. 26.

Job. 14. 24.

Licet verò ligatus ſit, non deſinit continuò allatrare, & incaute accedentes mordere ; Licet illi manus & pedes quodammodo videantur uti Adonibezec amputati, vel ligno crucis in ejus poſteriori parte confixi cum ejus opprobrio, ſunt tamen adhuc *ejus oſſa velut fiſtula æris*, ut loquitur Job. In oſſibus conſiſtit fortitudo hominis, ſic ſatanæ fortitudo & potentia adhuc in hoc conſiſtit, quòd quaſi fiſtula æris reſonantis, auribus inſuſurrat & venefico ſono incantat, ut peccarum ſuadeat & perſuadeat, & hoc ſuggeſtionis malignæ veneficio, bonos maloſque non ceſſat vel inquietare vel ſeducere. Particularius verò hic nobis differendum paucis eſt, quibus mediis bonos inquieter, quibuſve mediis malos ſeducat, ut de his inſtructi rudiores poſſint ſibi præcavere.

Job. 40. 15.

TENTATIONES MALORUM.

Malos decipit diabolus infundendo tenebras, ne malum peccati videant.

Quantum ergo ad malos, in duplici ſunt differentia.

1. Aliqui enim enormibus & graviſſimis peccatis ſunt obnoxii : alii peccatis communioribus, quæ non ita inter homines ponderantur, & tamen mortalia ſunt, quia & animæ mortem afferunt, & in ſalutis diſcrimen adducunt. His poſterioribus ſolet ſatan

Digitized by Google

ſatan caliginem quandam offundere, ut turpitudinem & gravitatem latentem non advertant, nec ſalutis periculum. Perſuadet eis eſſe ordinaria peccata, nec Eccleſiæ clavibus in confeſſione neceſſariò ſubjicienda: imò quodam velo ea obducit, ut vix peccata exiſtimentur. Sic comeſſationes & ebrietates colorat velo recreationis amicæ, impudicitias in verbis & tactibus perſuadet eſſe levitates; oſcula, amicitias juveniles & honeſtas vult vocari; juramenta dicit eſſe quendam modum loquendi militum & aulicorum, extortiones vocat turnum baculi, & ſic de cæteris. Deindè hæc perſuadens, quantum in ſe eſt, conſcientientiæ remorſus ab his tollere nititur, & facit ut quadam peccandi conſuetudine jam callum obducant, nec ſentiant gravem intus læſionem. Sic dum offuſa quadam interiori caligine, hæc non ponderantur, nec conſcientiæ latebræ pervaduntur, Confeſſio perfunctoriè peragitur, nec plenè, nec cum perfecto emendationis propoſito: & manet homo velut quietus in peccati fæcibus, quæ quia non agitantur, fœtorem edere non videntur, cum tamen coram Deo maximè fœteant: Nec ſolet dæmon eos multis aliis gravioribus tentationibus inquietare, ne ſibi jam incipiant diſplicere: imò neſciunt, quid ſit tentatio, non multum vexat eos, quos quieto jure poſſidet. Auceps non tendit laqueos perdicibus, quas in ſua detinet cuſtodia, nec canis mordere ſolet domeſticos ſuos. Nec ſentiunt carnis luctam contra ſpiritum, nec mirum, quia in ipſis non eſt ſpiritus; & tamen tunc maximè oppugnantur, cùm ſe oppugnari neſciunt. *Abſcondita eſt pedica noſtra in terra & decipula ejus ſuper ſemitem*, ut loquitur Job, ſed ibſi non advertunt. Quinimò ut ſibi non diſpliceant, quendam fictitium devotionis ſpiritum eis immittit, multa bona operari permittit, Sacrum quandoque audire, eleemoſynam aliquam largiri, roſaria recitare, ut ſic ſibi benè cum Deo eſſe, ſeque in gratiæ ſtatu agere exiſtiment; cum tamen iniquitatis vinculis & peccati funiculis ab hoſte teneantur conſtricti, in illis liberè ſe volventes & obdormientes. His ergò inclamamus, quod Samſoni in ſinu Dalilæ ſuæ obdormiſcenti, & ſeptem neviceis funibus ibi colligato inclamatum fuit: *Philiſtiim ſuper te Samſon*, ut excitent ſpiritum & diſrumpant ſeptemplicis peccati funes, quo ab hoſte vincti tenentur.

Job. 18. 10.

Judic. 16. 9.

2. Promiſſione longioris vitæ.

Sap. 2. 6.

2. Alii impii qui in enormibus graviſſimisq; peccatis vitam conterunt, decipiuntur a ſatana fallaci promiſſione longioris vitæ, ut in aliud tempus veram pœnitentiam rejiciant. Interim dum facultas ſuppetit, voluptati indulgendum perſuadet. Undè hi apud Sapientem dicunt: *Venite fruamur bonis quæ ſunt, & utamur creatura tanquàm in juventute celeriter, vino pretioſo nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis, coronemus nos roſis, antequam marceſcant, ubiq; relinquamus ſigna lætitiæ*, Imò verò multis perſuadet non eſſe aliam vitam poſt hanc, ut ſic liberiùs voluptati fræna laxent. Quapropter ipſi hac perſuaſione decepti dicunt apud eundem Sapientem: *Exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt, qui agnitus ſit reverſus ab inferis: quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus tanquam non fuerimus.* Vide ibi cætera.

3. Spe divinæ miſericordiæ.

3. Quos verò ſic decipere non poteſt, ſpe divinæ miſericordiæ fallit, ut in peccatis detineat; proponitq; eis exempla graviſſimorum peccatorum, qui in fine vitæ pœnitentiam egerunt, & Deum propitium invenerunt, & ſic unius alteriuſve fœlicitatem, multorum facit eſſe ruinam. Nec conſiderant illi illud Eccleſiaſtici: *Ne dicas; Miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum miſerebitur, miſericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores reſpicit ira illius.* Denique dum his modis effecit, ut totâ penè vitâ conſenuerint in peccatis, tandem eos illaqueat tentatione deſperationis, tanquam laqueo ultimo, quo eos in gehennam pertrahit. De qua re latius ſuprà diſſeruimus.

Eccl. 5. 6.

Diabolus odio proſequitur bonos.

Quantum ad bonos: hos maximo odio proſequitur dæmon, propter ipſum odium quo in Deum & Chriſtum fertur, ab illo irrevocabili ſententiâ è cœlo evitubatus, & cùm non poſſit Deo nocere, in eos, qui ejus imaginem, gratiæ donis adornatam, in ſe gerunt, inſurgit, ut ſic hoſtilem in Deum animum oſtendat, & exerat ejus nocendo imagini, & quantum in ſe eſt, nocendo ei in rebus ſuis. Sicut Pantheræ, inquit D. Baſilius, quæ crudele odium gerunt in hominem, ubi hominum ſimulacra adverterint, quadam feruntur furiâ & ea dilacerant. Cùm etiam Chriſto nullum nocumentum inferri poſſit, in membra ejus furit, & quia caput ferire nequit, corpus aggreditur. Undè deſcribitur draco, paratus ad devorandum fructum mulieris, ſtellis duodecim coronatæ & parturientis; ſed cum ille raptus eſſet ad Deum & ejus faucibus erutus, *abiit facere prælium cum ſemine ejus.* Nempè invidet juſtis, quod ad reparandas ſedes illas cœleſtes, à quibus pulſus eſt, ipſi electi ſint. Cùm verò boni in triplici ſint differentia: Incipientes, Proficientes, Perfecti, diverſis ejus fraudes experiuntur.

D. Baſil.

Apoc. 2. 17.

TENTATIONES BONORUM.

1. Incipientes difficultatibus deterret à bono Eccl. 2. 1.

PRimò quidem: Incipientes multis deterret difficultatibus, ut à bono deliſtant. Quapropter monet Sapiens: *Fili accedens ad ſervituterm Dei, ſta in juſtitia, timore, & prepara animam tuam ad tentationem.* Statim enim ac quis fortiter reſolvit vitam in melius mutare, & incipit Deo perfectiùs ſervire, ſatanæ vires contra ſe armatas experitur, & mille patitur impedimenta ac contrarietates. Sic Pharao perſequitur fortiùs Iſraelem, cùm videt ſe deſeri, & Laban Jacob, cùm videt domum ſuam relinqui. Adverte in filiis Iſrael egredi volentibus ex Ægypto, quot obſtacula ſtatim occurrerint. Non enim ſolùm Pharao inſequens, ſed & mare, ſed & ſolitudo, ſitis, egeſtas, panis, ſerpentes, & mille alii, hoſtes ſeſe oppoſuerunt. Sic qui piè volunt vivere, & è ſervitute dæmonis egredi, multiplicem perſecutionem patiuntur à ſatana, qui & mundo & carne utitur

Gen. 31. 20.

Exod. 16.

Digitized by Google

utitur tanquàm suis subsidiariis militibus. Caro ergò amarrix delectationum, & ad malum proclivis ab eo tempore, quo à venenato serpente infecta fuit, continuò sollicitat & importunè invitat ad consuetas oblectationes: & consuetudo prava non minùs potens quàm natura, recusat hanc vitæ mutationẽ. Quia sicut laboriosum est, potentem fluvium abstrahere a canali, per quem multis annis cursum fecit; Ita difficile est hominem à perversæ consuetudinis cursu, ad aliam viam ineundam, pertrahere.

Dæmon quoque mirum in modum fingit hanc mutationem vitæ difficilem, terret objiciens te talem agendi modum non posse totâ vitâ tenere. Sic Patri Ignatio, viam salutis incipienti dicebat: *Quomodò hac & hac sustinebis per sexaginta annos, quibus victurus es?* Sic multos terrore quodam in priorem redigit errorem, qui non considerant illud: *Viam sapientiæ monstrabo tibi, & ducam te per semitam æquitatis, quas cùm ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum.* Via Domini initio videtur arcta, sed ubi quis totâ animi intentione ingreditur, suavis fit & lata. *Qui sperant in Domino, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Deindè si corona est æterna, cur pugna non sit aliquantùm diuturna? & tamen *leve est & momentaneum* hoc tempus tribulationis, si comparetur ad *pondus æternum gloriæ, quod operatur in nobis.* Ut hos ergò contra dæmonis afflatus præmoneamus, verbis Apostolicis inclamamus: *De cætero fratres confortamini in Domino & in potentia virtutis ejus, induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.*

In ejus vita Ribad. & Maffeus

Prov. 4. 11.

Isa. 40. 31.

2. Cor. 14. 17.

Eph. 6. 10

Jud. 14. 5. Samsoni in via occurrit catulus leonis, quo tantum abest ut territus fuerit, quin potiùs spiritum in se excitans fortitudinis, illum in partes discerpsit. Postea iterum illuc transiens, ut videret leunculi cadaver, invenit favum mellis. Sic in via Christiana leones sævi & rugientes frequenter nobis obviant: aliqua semper occurrit contradictio, tentatio, tribulatio: Sed in spiritu Dei fortes resistimus, leunculum rugientem superamus, ex quo postea exit mellis dulcedo, suavis scilicèt consolatio. Nihil ergò carnis, nihil satanæ insultus vereamur, imò nec mundi, qui mille exemplis armatus sese nobis viam perfectionis ineuntibus opponit, modò pompa & & vanitate invitans, modò occasionibus & pravis exemplis ad malũ sollicitans; imò variis oblocutionibus, amicorum consiliis & irrisionibus, ad viam ordinariam reducens. Verùm propter latrantes canículos non est à via bona recedendum, & aves diei non debent inquietari, licet ululent caliginosæ noctuæ. Clamet cæcus ille mundus, quantum voluerit, transire oportet immobili proposito, animoque constanti se Deo offerre, illi dicendo: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Paratum in prosperis, paratum in adversis ad patiendum quælibet pro amore Dei, & quicquid occurrerit contemnendum, sive sint dæmonum infestationes, sive hominum irrisiones. Sic David derisus à Michol, quod coram arca saltaret, cùm id ex amore Dei fervido fecisset, dicit: *Ludam & vilior fiam.*

Pf. 56. 8.

Secundò, Proficientes, vel ad teporem conatur reducere, & quodam fastidio & tædio obruere; vel etiam ad indiscretum fervorem pœnitentiamq; excitare, ut postea viribus fractos debilitatosq; imprudenti austeritate, ad omnia reddat inutiles. Utraque hæc extremitas viam perfectionis & pœnitentiæ ineunti diligenter cavenda est: quia nec fervor negligendus est, ne torpore vomitum Deo provocemus, & tamen discretio ac prudentia adhibenda est, tanquàm virtutum auriga & directrix, nutrixq; *Ipsa est quæ ordinat Charitatem, imò omni virtuti ponit ordinem, unde modum tribuit & decorem etiam & perpetuitatem: fervor ergò vehemens absq; discretionis temperamento præcipitat; ideoq; laudabilis, cui neutrum deest, quatenus & fervor discretionem regat, & discretio fervorem regat*; quia alioqui & fervor vitium est, & fructum etiam tollit.

2. Reg. 6. 11.

2. *Proficientes ad teporem, vel indiscretum fervorem conatur deducere.* Bern. in Cantic.

Hoc declaratum fuit B. Brigittæ viduæ, dum pro quodam Roberto Ordinis sancti Bernardi Religioso, qui indiscretionis jejunii fervore amens erat factus, Deum oraret. Salvator enim ei in visu apparens, hac respondit ei similitudine: *Homo quidam conductus fuit ut vineam coleret, cumque multorum dierum haberet opus, lucri cupidus totam mercedem voluit uno die lucrari; & ideò se conficiens labore, in ægritudinem incidit, & ita magna ex parte vinea inculta mansit, & merces ei non est persoluta. Ita accidit huic Roberto pro quo eras, dum à dæmone deceptus; nimiæ pœnitentiæ cum indiscretione se dedit.* Ita in vita ejus.

Surius 25. Jun. c. 18.

Solent quoque hi comparari illis, qui longum iter suscipientes, primis diebus tantam viam conficiunt, & jumentum quo vehuntur, ita lassitudine obruunt, ut procedere ulterius non possit aut iter peragere. Attendant ergò illi monitum Apostoli, exhibeant Deo *rationabile obsequium* suum, sciantque quod *honor Regis judicium diligat*, hoc est, prudentiam & discretionem, & advertant dæmonis eos decipere volentis, tentationem.

Rom. 12. 1 Ps. 98. 4.

Tertiò, Perfectos variis etiam agitat modis, ac imprimis multos eis scrupulos & anxietates ingerere conatur, quibus animi pax tranquillitasque perturbetur: & dulcedo spiritualis vitæ, quæ exuperat omnem sensum, ab eis tollatur, & his anxietatibus mens occupata, à spirituali profectu impediatur. Hæc itaque dubietas & inquietudo, *scrupulus* vocatur per metaphoram deductam à lapillo, qui intra calceum constitutus, ambulantis pedem lædit, nec suaviter ambulare permittit; ille enim lapillus proprie scrupulus dicitur: & quia angor conscientiæ nos cum Deo ambulare suaviter non sinit, sed continuò conscientiam pungit, ideò etiam scrupulus nominatur.

3. *Perfectos exagitat vel scrupulis.*

Optimum verò remedium est contra hanc tentationem, quod Sylvester refert tradidisse defunctum quendam Religiosum amico viventi: *Con-*

Syl. verbo Scrupulus.

fule,

ſulo, inquit, *virum doctum & pium, maximè Confeſſarium, & ei obtempera, & ſecurus eris: ille enim rationem redditurus eſt ejus quod præcipit; à te verò ratio alia non exigetur, quàm ſi parueris & optemperaveris.* Itaque ſi ille judicet ea quæ te angunt, ne quidem Confeſſioni eſſe ſubjicienda, ei obtempera, multò enim ſecurior eris coram judicio Dei, & illi gratior, dicens: Hæc & illa præſtiti, & hæc confeſſus non ſum, qui credidi aliorum judicio quod longè potiùs erat quàm meum, & obedivi eis: quàm ſi dicas: Præpoſui judicium meum eorum judicio, magis credens mihi quam illis, & ideo hoc & illud præſtiti.

I. Clim. in ſcala Paradiſi gradu 4.

Narrat Climacus, cùm quidam vir obediens defunctus eſſet, & eum interrogaret Pater ſpiritualis quomodo in judicio Dei cum illo actum eſſet, reſpondiſſe: Ego judicium non ſubivi, quia obediens fui.

Vel decipere conatur ſpecie boni.

Perfectos quoque dæmon decipere nititur ſub ſpecie boni, transfigurans ſe in Angelum lucis, cujus rei plurima ſuppeditabunt exempla Vitæ SS. Patrum. Sic decipere conatus fuit S. Abraham Eremitam, qui cum media nocte oraret, lux inſtar ſolis in cella ejus refulſit, & vox audita eſt: *Beatus es Abraham, nulliſque tui ſimilis, qui omnes meas voluntates explevisti.* Sed agnoſcens dolum diaboli exclamavit: *Tenebræ tuæ tecum ſint in perditionem, ô plene dolo atque fallacia, homo enim peccator ſum ego, quia tamen charitatem Dei mei habeo, & ſpem in ipſum atque auxilium, in nullo ego te tuaſque inſidias pertimeſco; neque plurima tua phantaſmata ac ſpectra terrorem mihi incutiunt. Pro muro ſiquidem munitiſſimo atque tutiſſimo eſt mihi nomen Domini mei Salvatoris Jeſu Chriſti, quem dilexi ac diligo, in quo te nomine increpo immundiſſime canis.* Quæ cùm ipſe diceret, illicò inſtar fumi a conſpectu ejus evanuit, Deique famulus multa cum alacritate ac tranquillitate benedicebat Deum.

in vit. PP. l. 1. c. 6. & 7. de Simeon. Styl. p. 32.

Simili modo dæmon fulgens in ſplendore cum equis igneis, & quaſi currus igneus, apparuit juxta columnam in qua ſtabat S. Simeon Stylites dicens: *Dominus miſit me Angelum ſuum, ut rapiam te ſicut rapui Eliam. Aſcende ergò mecum in currum, eamus, in cœlis optant te videre Angeli, Virgines Apoſtoli, Prophetæ, cum Maria Matre Domini.* Cumque Simeon elevans dextrum pedem, ut aſcenderet in currum, faceret ſignum Crucis, mox dæmon diſparuit: Ita Antonius ejus diſcipulus in ejus vita.

Pallad. in hiſt. Lauſaca c. 31.

Valentem quoque Monachum decepit dæmon, crebrò ei apparens quaſi Angelus. Undè ſuperbia intumuit, quaſi cum Angelis converſaretur. Tandem apparuit ei fingens ſe Chriſtum, cum mille Angelis lampades tenentibus, & rotam igneam, dixitque ei unus: *Chriſtus dilexit tuam vivendi libertatem & confidentiam, & venit ut videat te, egredere, adora eum.* Egreſſus eſt, & pro Chriſto diabolum adoravit, & factus eſt ita emotæ mentis, ut ingreſſus Eccleſiam, diceret: *Ego non habeo opus communione, Chriſtum ego vidi hodiè.* Quapropter Patres vinxerunt eum, & in ferreos compedes conjecerunt.

Hoc eſt dæmonium meridianum, quod juſtos infeſtare ſolet. De quo vide Bernardum & alios. Contra illam hanc doctrinam dabant SS. Patres: *Licet Angelus in veritate tibi appareat, non facilè ſuſcipias, ſed humilia te, dicens: Non ſum dignus Angelum videre, vivens in peccatis.* Sic enim & ipſi practicabant. Habetur enim in libro doctrinæ Patrum, quod cuidam apparuit dæmon quaſi Angelus, dicens: *Ego ſum Gabriel miſſus ad te.* Ipſe verò reſpondit: *Vide, ne ad aliùd miſſus ſis, ego enim non ſum dignus ad quem Angelus mittatur*: & hac humilitate victus diabolus, ſtatim diſparuit.

S. Bern. in Pſ. 90. Qui habitat. In vit. PP. l. 5. de humilitate, n. 68. 69. 70.

Quidam etiam ſenex ſedens in cella ſua, ſuſtinebat tentationes, ſed dæmones videbat & contemnebat. Videns autem diabolus ſe vinci, venit in gloria & dicebat ei: *Ego ſum Chriſtus.* Senex verò claudebat oculos. Cui ille: *Cur oculos claudis? Ego ſum Chriſtus.* Reſpondet ipſe: *Ego Chriſtum hic nolo videre, ſed in alia vita,* & ſic dæmon diſparuit.

Optimum quoque hic conſilium eſt, contra incurſum dæmonii meridiani, judicium Superioris aut Confeſſarii ſequi, quia ſatanas illud odit, qui lucem odit.

PROPOSITIO III.

Reſtè quoque hæc Petitio intelligitur de malo pœnæ, à quo petimus liberari quatenùs ſalutem noſtram impedit. Cum enim innumeræ ſint miſeriæ, quæ nos circumſtant, docemur gemitum ad illum edere, qui nobis poteſt opitulari, & liberare cum expedit nobis; miſeriæ autem iſtæ præſentis vitæ, ex primario lapſu ſunt ortæ, & dividi poſſunt in pœnas ſpirituales, corporales & temporales.

II. *Petimus hic etiam liberari à malo pœnæ.*

Miſeriæ duplices ſunt præſentis & futuræ vitæ.

1. *Præſentis quarti 1. ſunt ſpirituales, à quibus liberari petimus.*

Primò ergò petere poſſumus liberari à pœnis & miſeriis ſpiritualibus. Sunt verò illæ, quæ ſe tenent ex parte animæ; nulla enim eſt facultas, vel potentia animæ, quæ non ſit obnoxia alicui pœnæ & miſeriæ. Memoria enim gravatur quadam difficultate & labilitate, ita ut vix diſcat, & facilè obliviſcatur quæ ſalutis ſunt: At quæ vana ſunt, facilè illi imprimuntur, ita ut ſordidæ & vanæ imaginationes ei frequenter occurrant, vel in vigilia, vel in ſomno. Intellectus obnoxius eſt cuidam ruditati & cæcitati in his quæ Dei ſunt, & hinc in illo error frequens eſt & gravis ignorantia circà cœleſtia & divina. Voluntas ſubdita eſt proclivitati ad malum & ad amorem ſui ipſius & ſæculi curas. Undè multi pravi in ipſa oriuntur affectus, multæque pravæ paſſiones, ſollicitudo, timor, triſtitia, vel lætitia inepta. In omnibus quoque ſenſibus multa reperitur inclinatio ad vana & ſuperflua, ad carnalia & ſaluti contraria, ut patet in viſu, auditu, guſtu, dum vanis, obſcœnis, illecebroſis delectantur: & quodammodò hominem pertrahunt ad peccatum, ut propterea dixerit Apoſtolus: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem*

Ro. 7. 23.

Digitized by Google

Ro. 7. 24. *me in lege peccati.* Ideòque exclamat: *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Hoc eſt de prava hac inclinatione & corruptione mortem
Ib. v. 5. animæ generante. Et reſpondet: *Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Ad hanc ergo gratiam reſpirare docemur, & ingemiſcere orando: *Sed libera nos à malo.*

2. *Corporales.* Secundò poſſumus petere à corporalibus liberari miſeriis & malis, quatenus ſaluti nocent. Hæc ſunt fames, ſitis, frigus, calor, & aliæ afflictiones, tribulationeſque corporis; quæ in nos undique inſurgunt, & variè afflictant: ac à bono retardant; infirmitates quoque variæ quæ nos torquent, & ad divina ineptos reddunt, quæ in tanto ſunt numero, ut licet Hippocrates cum medicis volumina impleverint, non tamen vel quartam partem attigerint. Ab his tamen malis ſub conditione liberari petimus; quia ſæpe tribulationes hæ expediunt nobis, & immittuntur à Deo, triaque bona conferunt, inquit Ber-
Bern in Sent. p. 458. nardus: *Exercitium, ne virtus amoris otii tepore frigeſcat. Probationem, ut noſtra conſtantia fortitudo ad exemplum hominibus innoteſcat. Præmium, ut juxta tribulationis modum homo immenſum gloriæ pondus accipiat.* Unde juxta eundem Bernardum adverſitati in nos incurrenti tria ſunt opponenda, ut facilius
Idem ibi. & ſuavius proferatur: *Electorum agones & anguſtiæ, quas patiuntur qui piè vivunt: Redemptoris afflictiones & modeſtia, quas ei ſæviſſimi Principes intulerunt: Diſpoſitio moderatricis juſtitiæ, cujus altitudinem quaſi virga Ioſeph ſummitatem, non diſcutere, ſed adorare debemus. Hæc ſunt tria illa oſtia, veſtes & termini, quibus Dominus circumdat mare ſæculi.*

3. *Temporales.* Tertiò poſſumus hic petere liberari à temporalibus pœnis & miſeriis ſive malis. Hæc ſunt quæ nobis obveniunt in bonis fortunæ & famæ. In bonis enim fortunæ multa occurrunt mala, multæ afflictiones, quia corruptibilia ſunt & pereuntia. Hinc multa in illis ſollicitudo dum acquiruntur, multus timor & anxietas ut conſerventur, multis dolor dum perduntur, quæ omnia animum à cœleſtibus bonis avellunt, & ideò rectè mala vocantur, à quibus petimus liberari. Sic quoque multas patimur in fama & honore moleſtias, ob detractationes, murmura, contumelias & oblocutiones: quæ generaliter in hac Petitione contineri poſſunt, qua petimus & Domino ingemiſcimus: *Libera nos à malo.* Quas omnes
Bern. in ſententiis. miſenas coacervans Bernardus dicit: *Quadriformis eſt preſſura noſtra. Corruptibilis carnis anguſtiæ, quæ ſunt dolores mortis: Temporalium preſſurarum moleſtiæ, quæ ſunt torrentes iniquitatis: Occulti hoſtis latentes inſidiæ, quæ ſunt dolores inferni: Deceptoriæ facies mundanæ gloriæ, quæ ſunt laquei mortis.* Ubi alludit
Pſ. 17. 5. ad iſtam Scripturam: *Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbaverunt me. Dolores inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis.* Sic ergo vides, quàm meritò doceat Chriſtus hanc Orationem Dominicam ſic concludere: *Sed libera nos à malo.* Quandoquidem ipſe tot malis ſerebat obnoxium hominem. De quo meritò dixit Job: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis.* Tota enim ejus vita nihil eſt niſi miſeria, quia natus eſt de re omni-
Job. 14. 1. no fragili, de fœmina: *Quaſi flos egreditur* in adoleſcentia: & multis morbis *conteritur* durante vita, & *fugit* in ſenectute; eſtque *velut umbra*, tranſiens
Ibid. v. 2. ſubitò in morte. *Et nunquam in eodem ſtatu permanet*, quia nunquam in eadem ſtabilis eſt diſpoſitione: nam ſecundùm animam modò lætus eſt & alacer, modò triſtis & deſolatus: ſecundùm corpus modò æger eſt, modò ſanus, & in his omnibus multa ſalutis reperit impedimenta, & ideò illa à Deo diſponi rogat, vel etiam amoveri quatenus ſunt mala.

II. *Futuræ vitæ miſeria.* Quartò petimus etiam hic liberari non ſolùm à malis præſentis, ſed etiam futuræ vitæ, quæ duplicia ſunt; Vel temporalia in Purgatorio, vel in Inferno æterna. Hoc enim, cùm vitæ præſentis mala incomparabiliter ſuperent, urgent nos ad illum clamare, qui ab illis poteſt nos liberare. De quibus omnibus malis illud Job intelligi poteſt: *In ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptima non tanget te malum.*
Job. 5. 19. Ubi per ſex tribulationes poſſunt intelligi tribulationes hujus vitæ, quæ non attingit electos, quia ab illa omnipotentis Dei manus illos eximit: *Juſtorum*
Sap. 3. 1. enim *animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum malitiæ, viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace.*
Apoc. 7. 17. & 21. 4. Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum & jam non erit amplius neque luctus, neque dolor erit ultrà, quia prima abierunt, *& oblivioni tradita ſunt anguſtia priores*, ut dicit
Iſa. 65. 16. Iſaias. Per ſex tribulationes tranſierunt, in ſex illis diebus quibus continuò volvitur, & miſeriis involvitur vita noſtra, in ſeptima autem die requiei, non tanget illos malum, nec amplius eis opus erit gemere aut clamare: *Sed libera nos à malo.*

A M E N.

HÆc eſt clauſula & ſignaculum, quo concludi ſolet Oratio, & idem ſignificat quod FIAT.

Eſt verò vox precantis aut confirmantis aliquid. Unde cùm benedicit Propheta vel Sacerdos, ſolet populus reſpondere; *Amen*; confirmans benedictionem ſibi, quam Sacerdos à Domino deprecatur. Hac ergo clauſula recolligitur orantis intentio, quia cum dicimus Amen, intentio noſtra ſummatim fertur ſuper omnia præcedentia; & ſi aliquid ex humana fragilitate per diſtractionem mentis, abſque actuali intentione in oratione pertranſit, ad illud implicitè redit intentio, dicendo Amen.

Eſt ergò vox optantis, ut quicquid poſtulatum eſt in hac oratione, per benignam Dei miſericordiam adimpleatur, ut ſic ipſi ſit gloria & imperium in ſæcula ſæculorum.

A M E N.

TRA-

TRACTATUS IV.

DE SALUTATIONE ANGELICA.

QUia frequenter convenit Pastores agere de Virginis laudibus,& ejus intercessione; hic copiosam suggeremus materiam de Virgine,explicantes Salutationis Angelicæ singulas partes per aliquot Lectiones. Præviam autem Lectionem de ejus Intercessione & patrocinio præmitto, in qua ostendetur quomodo spes nostra Virgini imitatur.

LECTIO I.

DE VIRGINIS MARIÆ PATROCINIO.

1. *Docet spem nostram post Christum in Virgine recte locari.*
2. *Devotionem erga Virginem esse predestinationis signum.*
3. *Hanc devotionem debere imitationi esse junctam.*

PROPOSITO I.

Præcipuum spei nostræ fundamentum post Christi merita, est B. Virginis patrocinium.

Spes nostra post Christum rectè locatur in patrocinio B. Virginis.

DEclaro primò ex sacra Scriptura: De illa enim ab Ecclesia intelligitur illud: *Ego Mater pulchræ dilectionis,& timoris,& agnitionis,& sanctæ spei,* Ego sum illa Mater,quæ filiis meis & animabus mihi devotis ingero castum amorem, castumque timorem salutis ego scientiam,spemque sanctam eorum in cordibus pario. Hæc sunt sancta germina, quorum ego Mater sum: *Transite ergo ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.* Alius etiam hic sensus non incongruus est: Ego sum illa Mater,quæ digna est ab omnibus pulchra illa & casta dilectione coli, casto timore ab omnibus honorari & agnosci, digna denique in qua omnes sanctam spem suam firmiter collocent. Unde sequitur: *In me gratia omnis vitæ & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis.*

Licet ergo hæ Scripturæ primariò intelligantur de Sapientia incarnata, in officio tamen divino etiam Ecclesia à Spiritu Sancto directa, Virgini nostræ accommodat,& de illa vendicari dicit: Imò in cantico suo eam disertè his verbis salutat: *Vita dulcedo,& spes nostra salve.* S. Bern. serm. de Nativ. Virg. Mariæ.

Declaro secundò,ex authoritate Sanctorum Patrum. Inter illos Bernardus sic ait: Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus,qui totum voluit nos habere per Mariam. In omnibus & per omnia providens Deus miseris, trepidationem nostram solatur,fidem excitat,spem roborat, diffidentiam abigit. Ad Patrem verebaris accedere, solo sonitu ad fulia fugiebas: Jesum dedit tibi Mediatorem. Quid non apud talem patrem filius talis obtineat? An verò trepidas & ad ipsum? Frater tuus est & caro tua,tentatus per omnia absque peccato, ut misericors fieret. Hunc tibi fratrem Maria dedit, & si in ipso forsitan Majestatem vereris divinam, ad Mariam recurre,exaudiet Matrem filius,& exaudiet filium Pater. *Filioli hæc peccatorum scala,hæc mea maxima fiducia est,hæc tota ratio spei meæ.* Hæc & plura Bernardus.

D. Augustinus sic quoque Virginem alloquitur, Admitte nostras preces inter sacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis. Accipe quod afferimus,te dona quod rogamus, excusa quod timemus: *Quia tu es spes unica peccatorum,per te speramus veniam delictorum, & in te beatissima nostrorum est expectatio præmiorum.* D. Aug. ser. 1. de Annunciat.

Similiter loquuntur & alii sancti Patres. Præclarè autem D. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus:

Nullus est qui salvus fiat nisi per te, ô sanctissima!
Nullus qui liberetur à malis nisi per te, ô purissima!
Nemo est cui donum concedatur nisi per te, ô castissima!
Nemo est cujus misereatur divina gratia nisi per te,ô Virgo nobilissima! Ita ille. German. hom. de zona & fascijs Virg.

Digitized by Google

Declaro tertiò, ex ratione, indicata in verbis ſanctorum Patrum. Significant enim illi,immò diſertis verbis aſſerunt, omnia dona ſive gratiæ ſive gloriæ,quæ ad nos à Deo defluunt, mediante Maria defluere: nihilque filium nobis donare, quin per Mariæ manus tranſiverit. Quicquid petimus per illam,vult nos filius petere, quia per illam decrevit dare. An non ergo meritò poſt Chriſtum ſpem & fiduciam noſtram in illa collocamus, à qua filius noſtram vult pendere gratiam & gloriam! *Altius intueamini fratres*,inquit D.Bernard. *quanto devotionis affectu à nobis Mariam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem poſuit in Maria, ut proinde ſi quid ſpei in nobis eſt,ſi quid gratiæ,ſi quid ſalutis, ab illa noverimus redundare.* Ita ille. Ipſa ergo alveus eſt & aquæ ductus, per quam cœleſtes aquæ ad nos defluunt de æternitatis fonte, tanquam ſtillicidia ſtillantia ſuper terram noſtram, ſine qua aridi ſumus & omnium bonorum inopes. De illa rectè intelligimus illud: *Ego quaſi aquæductus exivi de Paradiſo & dixi: Rigabo hortum plantationum mearum & inebriabo partus mei vel* (ut alii legunt) *prati mei fructum.* Ipſa enim eſt, quæ ab initio rigabat novellas plantationes Eccleſiæ, dum adhuc erant in juventute ſua, quando ipſa adhuc in terris agebat, cum aſcendente Domino illi cura demandata fuit agri dominici, ut novellas & primas plantas (animas noviter ad fidem converſas) excoleret, rigaret, firmaret, cœleſtibus doctrinis, meritis, exemplis. Nunc autem in cœlo degens & fonti gratiarum conjuncta,tanquam aquæductus pleniſſimus,non ſolum rigat, ſed & quodammodo inebriat hunc hortum ſuum filiique ſui,ita ut rectè dicamus illi: *Viſitaſti terram & inebriaſti eam, multiplicaſti locupletare eam, multiplica gemmina ejus, in ſtillicidiis tuis lætabitur germinans.* Denique ideo ſpem noſtram ab illa pendere aſſerimus,quia ipſa eſt à Filio Mediatrix & Mater noſtræ ſalutis conſtituta, per quam acceſſus nobis patet ad thronum miſericordiæ ejus.

Virgo regia (inquit D.Bernardus) ipſa eſt via per quam Salvator advenit, procedens ex ipſius utero tanquam ſponſus de thalamo. Studeamus ergò & nos per eam adipſum aſcendere, qui per ipſam ad nos deſcendit,per eam venire in gratiam ipſius, qui per eam in noſtram miſeriam venit. Per te acceſſum habeamus ad filium, ô benedicta inventrix gratiæ, genitrix vitæ,mater ſalutis,ut per te nos recipiat,qui per te datus eſt nobis. Ita ille.

Collige ex dictis, optimè à nobis dici ſpem noſtram duobus inniti fulcris: *vulneribus ſcilicet Jeſu Chriſti,& uberibus Mariæ Virginis.* Ille enim per vulnera Mediator eſt, illa per ubera Mediatrix eſt ſalutis noſtræ. Mater pro te filio oſtendit pectus & ubera, inquit Bern. Filius Patri latus & vulnera: An poterit eſſe repulſa,ubi tot ſunt charitatis inſignia? Dicamus ergo Virgini: *Exultabimus & lætabimur in te, memores uberum tuorum ſuper vinum.* Hebræa legunt, *Memores amorum tuorum ſuper vinum*, ut ſit ſenſus: Multiplex amor tuus, quo nos proſequeris à devota mente recogitatus, meliùs longè ſapit ſuaviuſque eam reficit, quam quicquid ſapidum poſſet guſtum corporeum oblectare.

Sed vox Hebræa & amores & ubera ſignificat,& ideò etiam ſenſus eſt. Fœliciſſima ſunt,ô amantiſſima mater,ubera tua quibus pias mentes lectare ſoles,ſuaviſſima ſunt ſuper omne id quod ſapidum & ſuave eſt: ideò filii tui exultabunt & lætabuntur in te,& uberibus tuis, reſpuentes præ lacte devotionis & conſolationis,quod ex te ſugunt, omnis voluptatis vinum.

Ubera duo B. Virginis.

Duo verò ubera in hac Virgine & matre noſtra conſideramus. Unum eſt quod ſugunt juſti ex quo gratiæ abundantiam cum ſuavitate eliciunt. In hujus rei ſymbolum orante B.Bernardo coram imagine B.Virginis, & cum totô cordis affectu verſum illum pronunciante: *Monſtra te eſſe Matrem*, velut ex uberibus ſuis Virgo,maternum demonſtrans affectum,in os ejus ſuaviſſimum & lacti ſimilem liquorem inſtillaſſe perhibetur. Sic etiam D.Auguſtinus depingi ſolet inter Chriſtum ex una parte è latere in os ejus ſanguinem fundentem, & B. Virginem ex altera parte lac fundentem, cum hac inſcriptione: *Hinc lacter ab ubere, hinc paſcor à vulnere.* B.Fulberto Abbati Fuldenſi (teſte Baronio tom. 11.) ægrotanti apparens per viſum Maria, ſugenda aperuit ſacra ubera, quia ejus amator fuerat, & librum in ejus laudem ſcripſerat, Baſilicamque ei conſtruxerat.

1. Pro juſtis. D.Bern.

S.Aug.

2. Pro peccatoribus. Richardus Victorin.

Alterum ex uberibus Virginis eſt quod ſugunt peccatores, ex quo eliciunt abundantiam miſericordiæ. De quo dicit Richardus de S.Victore: *Replentur adeò pietate ubera tua,ô Virgo! Ut facta alicujus miſeriæ notitia,lac fundant miſericordiæ,adeò cor teneræ habes,ut non poſſis miſeriæ ſcire & non ſubvenire: ubicumque fuerit miſeria,tua ſtatim curret, & ſuccurret miſericordia.*

Cant. 7.

De his etiam uberius rectè intelliges illud Cant. 7. *Dixi,aſcendam in palmam,& apprehendam fructus ejus, & erunt ubera tua ſicut botri vineæ.* Chriſtus in Crucem aſcendit, ex qua deſtructo mortis imperio ad vitam victor redivit, ideoque crux palma ei fuit & inſigne victoriæ ac triumphi. Poſtquam ergo palmæ hujus fructus collegit (hi ſunt fructus qui ſequebantur crucis aſcenſum, Reſurrectio,Aſcenſio, Adventus Spiritus Sancti, Redemptio mundi) tunc Virginis ubera fuêre fœcundiſſimi & ſuaviſſimi botri: tunc per totum orbem notiſſima fuêre ejus ubera,quibus lactaverat Chriſtum Dominum. Agnita enim eſt & honorata ut Mater filii Dei,habens duo ubera, virginitatem & fœcunditatem, quæ nulli alteri competunt Matri. Aguita quoque eſt tanquam Mater omnium fidelium, quibus data eſt poteſtas filios Dei fieri, & fratres cohæredes Chriſti. Agnita ſunt ubera pietatis ejus, de quibus Eccleſia adhuc infans, adhuc in ounis ſuis educata fuit, quia primos fideles ipſa edu-

Eccl. 24. 41.

Pſ. 64. 10.& 11.

Bern. ſer. 2. de Adventu.

Bernard.

Cant. 1. 3.

Digitized by Google

educavit, & fortes in fide effecit, vitæ suæ sanctitate illis præfulgens, sapientiâ suâ illos illuminans, doctrinæ salutaris lacte eos pascens, constantiâ suâ eos roborans & confirmans.

Et postquàm in cœlos assumpta est, superabundanter impleta sunt ubera pietatis ejus ac misericordiæ, superfluunt in justos & peccatores; ita ut gratissimam se ei omnes ad illa confluere, omnesque suaviter invitet. Sicut enim matri lacte abundanti non affert molestiam infans sugens, sed potius delectationem & allevationem: Ita gratissimum est huic piæ Matri, si omnes peccatores ad eam accedant, & lac sugant misericordiæ, quo eam filius ejus totam replevit, ut toti mundo communicet abundanter, & quò magis premuntur ubera pietatis ejus, eò magis abundant.

Cant. 8. 10. De illa iterum non inconcinnè explicatur illud Cant. 8. *Ego murus & ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens.* Hæc quidem Scriptura, primò intelligitur de Ecclesia sicut & præcedens, rectè tamen etiam Virgini competit; quia ipsa est, quæ pacem nobis conciliat cum Deo & cum filio suo: Ipsa se opponit, tanquàm murum fortissimum, protegentem nos contra salutis hostes, sed & pietas ac misericordia ejus (quæ per ubera designantur,) velut turris munitissima protectionem nobis exhibent adversus iræ divinæ jacula, Dei flectunt vultum severum, & pacem impetrant.

Ti. Livius, & Val. Max. l. 5. c. 4. Referunt antiquæ historiæ quiddam huic proposito non incongruum. Coriolanus bellator inclytus à Romanis irritatus, venit cum potenti exercitu internecioni Romanam Urbem daturus. Cum nulla alia spes eum placandi superesset, consilio Senatus ad eum destinata Mater est, quæ pro salute civium & communis Patriæ deprecaretur. Peregit hoc ipsa forti & animo & oratione. Illi ergò obvia, ecce inquit, ô fili, uterus qui te novem mensium spatio gestavit, en ubera, quæ te aluerunt, nunc ergò si patriam communem, quæ te genuit ferro vastare paras, & manus tuas ejus cruore fœdare, ferro primum ipsam Matrem tuam perfode: Illa quæ tibi vitam dedit, parata est furoris tui impetum prima excipere: incipe in materno corpore tuum satiare furorem, illius sanguine parricidalem dexteram pollue, aut certè pro ea, quæ te peperit Roma deprecantis lachrymas suscipe. Ad hæc verba ipse anteà implacabilis, statim contremuit, arma abjicit, lachrymis perfunditur, matrem complectitur, & ejus favore Romano parcit sanguini, & luctus in triumphum vertitur.

Exod. 32. 32. Quid aliud agit Maria, dum filius ejus sceleribus nostris toties irritatus, orbi vindictam & exitium minitatur? Occurrit illa, & exhibet illi pectus & ubera materna, ut crudelem à nobis plagam deprecetur, & cum Moyse videtur dicere: *Aut dimitte hanc noxam, aut dele me de libro vitæ.* Et flectitur ob amorem matris filius, ejusque ubera fiunt tanquam turris fortissima iram divinam expugnans, & per illa pacem cum illo reperimus.

Itaque ut concludamus & breviter, quæ dicta sunt repetamus, Maria spes est justorum, spes est peccatorum. *Maria est spes 1. Justorum.*

Justorum quidem spes, quia omnes Ecclesiæ status, sub speciali ejus protectione sperant, & respirant, sub ejus umbra & clypeo obnituntur contra satanam, mundum, carnem. Et omne donum, quod Ecclesia habet, fructus est intercessionis hujus Virginis, zelus & charitas Apostolorum, fortitudo & constantia Martyrum, sapientia & lumen Doctorum, humilitas & pœnitentia Confessorum, castitas & puritas Virginum: conjugalis quoque castitas maritorum, fructus est intercessionis hujus Matris. *Ipsa est mulier media inter solem & lunam* (inquit Bernardus) *hoc est, inter Christum & Ecclesiam.* Ecclesia tanquam luna omne lumen suum, omnia dona cœlica, à Christo sole & omnis lumini fonte recipit; sed per hanc mulierem quæ media est. D. Bern.

Spes quoque peccatorum est, quia per illam ad vitam redeunt & salutem respirant: Ita ut de illa possimus dicere: *Respicite filii nationes hominum, & servate, quia nullus in ea speravit, & confusus est.* Imò advertendum, quod dicit D. Anselm. *Velocior nonnunquàm est salus invocato nomine Mariæ, quàm invocato nomine Iesu: non quod illa potentior sit, (nam per illum ipsa potens est) sed quia Matrem vult Filius sic honorare: & quia Filius ejus Dominus & Judex est, discernens merita singulorum, dum ergo ipse invocatus suo nomine non exaudit, justè facit, invocatus autem nomine matris, etsi merita invocantis non merentur, merita tamen matris intercedunt:* Ita Anselm. *2. Peccatorum.* Anselm. libr. de excell. Virg. c. 12.

Ipsa enim est naufragium & desperantium portus: Ipsa est civitas refugii, de qua possumus dicere: *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei: Ecce alienigena & Tyrus & populus Æthiopum hi fuerunt illic.* Hæc nempè est gloria Virginis hujus, Dei civitatem esse, in qua Deus ipse habitavit, in qua cum homine æternæ pacis fœdus fecit: sed & in hoc ejus gloria celebranda quod omnes ad se refugientes peccatores, civitas hæc recipiat & protegat: *Ecce alienigena*, hoc est, qui maximè à Deo alieni, ab ejus fide & gratia planè extranei vivebant, hic asylum reperiunt: *Et Tyrus* (quod interpretatur angustia & tribulatio) hoc est, qui peccatis & criminibus pleni undique, conscientiæ angustiis oppressi desperabant: *Et populus Æthiopum*, hoc est, sceleribus suis toti fuliginosi & denigrati: *Hi fuerunt illic* accessum, spem, protectionem in hac civitate Dei inveneruntᵉ. Ps. 86. 3.

Mille id exemplis demonstrare liceret, unum pro mille sit Mariæ Ægyptiacæ. Hæc multis annis quasi Veneris victima, fœdæ libidini se prostituerat. Occasione verò concursus ad festum Exaltationis Crucis in Jerusalem, venit cum cæteris, non tam pietatis gratia, quàm ut animas illaquearet. Verum ab ingressu Templi ter & quater divinitus repul- De Maria Ægypt. in vitis PP. lib. 1. in ejus vita Sophron. c. 16. & 17

repulſa. Hoc ipſa agnoſcens, cœpit vitæ prioris turpitudinem deplorare, & ad Deiparæ imaginem ſe convertere cum fletu, dicens: *O Domina Virgo, quæ Deum verum genuiſti, & propter hoc ipſe factus eſt homo, ut peccatores ad pœnitentiam vocaret, auxiliare mihi jam auxilium non habenti, ut poſſim crucem, in qua paſſus eſt pro ſalute mea, cum aliis conſpicari.* Adjecit deindè promiſſionem, ſe poſthac omnibus mundi illecebris renunciaturam, ſi voto potiretur. Virginis ergò ope ingreſſa, ſtatim voluptates repudians, in vaſtam Eremum contendit, ubi vitæ prioris labes pœnitentiâ expiaret. Semper verò ſe Mariæ commendavit, ut ad votum explendum ſibi propitia foret & cuſtos. *Tu*, inquit, *ô Domina, quò placuerit me ducito, eſto mihi ſalutis magiſtra, mihi viam, qua ad pœnitentiam ducit, indica, & ne me derelinquas.* Sub ejus verò patrocinio, quadraginta ſeptem annos in auſtera pœnitentia complevit, acerrimis tentationibus divexata, ut omnibus pœnitentiæ ſpeculum foret & exemplum.

PROPOSITIO II.

Pietas & devotio ergà Deiparam Virginem, probabile admodum eſt æternæ prædeſtinationis teſtimonium.

I. *Devotio erga Deiparam eſt Prædeſtinationis teſſera.* Luc. 10. 20.

NOn poteſt quidem homo certò cognoſcere electionem ſuam, ut latiùs alibi demonſtravimus: Habet tamen in hac vita, aliqua æternæ electionis probabilia ſigna, quæ verum ſolidumque menti gaudium poſſunt infundere, juxtà illud: *Gaudete quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.* Inter hæc autem à ſacris Stiptoribus enumeratur ſingularis pietas & affectus in Virginem: favent verò huic aſſertioni aliquæ authoritates ex Scriptura depromptæ.

Prov. 8. 34 1. *Affectus ergà B. Virginem vel à puerita vel ſingulis diebus.*

Primò allegari poteſt illud: *Beatus homo qui audit me, qui vigilat ad fores meas quotidiè, & obſervat ad poſtes oſtii mei: Qui me invenerit, invenit vitã, & hauriet ſalutem à Domino.* Hoc B. Virgini Eccleſia in officio ſuo applicat, & ſenſus hic eſſe poteſt. Qui manè vigilant ad me, & fores meas, hoc eſt, qui à pueritia amori & obſequio meo ſe conſecrant, beatitudinis quandam inchoationem participant; illi enim invenient me, & per me omne bonũ & omnẽ ſalutem: ego enim illis obviabo, quaſi mater honorificata, & amanter excipiam, protegam, deducam, & perducam; denique introducam in thalamum meum, & filii mei: *Ego enim diligentes me diligo.* Prov. 8. 17 Et non poteſt non eſſe efficax dilectio mea, eos enim quos diligo, divinæ quoque dilectionis & electionis conſortes efficio.

Alius ſenſus eſſe poteſt: *Beati, qui manè vigilant ad me quotidiè, & ad fores oſtii mei*, ut ſignificetur, illum, qui verè affectus eſt Virgini, ſingulis diebus primo mane eam debere quærere, & ſpeciali eam obſequio ſibi devincire. Vel manè, idem eſt quod magna diligentia, ut ſit quædam alluſio ad amatores, qui diligenter omnem explorant occaſionem apud fores amicarum, ut eas alloquantur, & omne eis obſequium devoveant, ac difficultates & longas moras patiuntur, ut voto potiantur: Virgo autem quærentibus ſe, ſtatim in foribus eſt, immò verò prior ſe oſtendit eis, & præoccupat illos: & dum inveniunt eam, inveniunt vitam & ſalutem, quia omnis vita, gratia, & ſalus, per illam ad nos derivatur, quia non fruſtratur quærentes eam.

De S. Bernard. Surius 20. Maii.

S. Bernardinus adhuc adoleſcens, ita Virginis obſequio totus deditus erat, ut quotidiè mane extra portam urbis progrederetur ad ad locum, in quo imago B. Virginis ſita erat, & à tranſeuntibus frequenter ſalutata. Cùm verò familiares interrogarent quò tam frequenter illo tempore iret. Reſpondebat ſe amicam quandam ſuam viſitare. Nec ipſi intellexerunt; donec aliquoties coram imagine illâ orantem invenerunt, dum ejus explorarent actiones, & maximè viſitationem hanc, quam habebant ſuſpectam. Ex hac ergò viſitatione in qua multis annis perſeveravit, magna à Virgine dona, multamque gratiam hauſit, ita ut verè expertus fuerit illud: *Beati qui manè vigilant ad me, & obſervant poſtes oſtii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam & hauriet ſalutem à Domino.* Qui vitam ejus ſcripſit ita ait: Certè ego ipſe concionem illo habente Senis, de B. Virgine anno 1427. in die Nativitatis Virginis, ita audivi eum dicentem: Ego Frater Bernardinus, ſemper fui devotus B. Virgini, in die enim Nativitatis ejus ego natus ſum, eodem die baptizatus ſum, illo ipſo die monaſticum habitum indui. Itemque eodem profeſſus ſum, & eodem etiam die primum Sacrificium obtuli Deo, eodem die cupio exire ex hac vita.

De S. Edmundo etiam ſtatim dicemus: Quomodò in Sponſam Virginem à prima ætate acceperit, digito imaginis ejus annulum inſerens, cui inſculpta erat Angelica Salutatio.

2. *Affectus ergà Deiparam ſpecialis in omni vita.*

Secundò aſſerri poteſt & hæc Scriptura: *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, & dixit mihi; in Iacob inhabita, in Iſrael hæreditare, & in electis meis mitte radices.* Quaſi dicat: Chriſtus Dominus & Creator meus, qui dignatus eſt in utero meo ſibi tabernaculum eligere, dixit mihi: *In Iacob inhabita*: Non dicit in Eſau, per quem reprobi deſignantur; ſed in Jacob per quem electi ſignantur; qui ideò Jacob nomine deſignantur, quia luctantur in hoc ſtadio, contra mundum, dæmonem carnem, imò verò cum Deo colluctantur inſtar Jacob, ut benedictionem æternam extorqueant. Inter quos inhabitat Maria, quia ipſi ſpeciali cultu & affectu eam colunt, & in medio eorum eſt, per ſpecialem aſſiſtentiam & protectionem. Illi quoque iidem ſignificantur nomine Iſrael, dum dicitur: *In Iſrael hæreditare*, Iſrael enim interpretatur, *videns Deum*. De electis autem verum eſt: *Hæc eſt generatio quærentium faciem Dei Iacob.* Eccl. 24. 12. Pſ. 23. 6. Inter illos hæreditatem accipit Maria, & ſortem ſuam, illosque ad hæreditatem æternam filii ſui perdu-

Digitized by Google

perducit. In cordibus eorum radicata eſt pietas erga hanc Virginem, quæ germinat flores omnigenæ virtutis: *In electis*, inquit, *meis mitte radices*. Quicumque ergo vult ſcire an de electis ſit, videat an hanc radicem in corde geſtet, hunc ſpecialem affectum & devotionem erga Chriſti Matrem. De illa enim verum eſt: *Recti diligunt te*. Nam ſi conſideres omnes qui in Eccleſia Dei ſanctitate floruerunt, & nunc in Cœlis glotia effulgent, repenes eos in hac Virginis devotione excelluiſſe: Et quicumque ſcriptis Eccleſiam illuſtrarunt, hunc ad Virginem affectum & pietatem, quaſi electionis ſymbolum, mirè commendarunt.

Cant. 1. 3.

Tertio confirmatur aſſertio noſtra, ex titulo honorifico qui Mariæ ſolet attribui, non enim tantum nominatur Mater Chriſti, ſed & *Mater electorum, & omnium Filiorum Dei*. Matris nomen alicui ſolet attribui, vel quia genuit, vel quia maternam exhibet curam, vel etiam quia affectum verè maternum declarat. Maria mater eſt electorum primo modo, quia cum Chriſtum ipſa genuerit, & electi ſint membra Chriſti myſtica, illorum etiam mater illa genuiſſe cenſetur: quia Chriſtum tanquam caput parturivit in quo virtute omnes electi continebantur: ſicut Rebecca continens utero ſuo Jacob & Eſau, qui capita erant duplicis populi, cenſetur mater utriuſque populi, unde dicitur ei: *Duæ gentes & duo populi in utero tuo ſunt*. Quapropter de B. Virgine explicans D. Ambroſius illud Cant. *Venter tuus ſicut acervus tritici*, dicit Chriſtum quidem unum fuiſſe granum in utero Virginis, dici tamen acervum, quia virtute omnes electos continebat. Sed & propter hoc *Electorum Mater* dicitur, quia ſpecialiter ſub cruce cum Chriſto illos generavit conſors dolorum filii, ibi erat cum illo velut parturiens omnes filios Dei, ut alibi diximus. Mater etiam ſecundo modo, quia curam maternam electis exhibet, illis compatitur, eorum condolet miſeriis, ſollicitè procurat negotia ſaluris eorum, totam ſe eorum cauſa impendit. Tertio quoque modo Mater eſt, quia non ſolum curam eis exhibet, ſed & eos diligit pluſquam ulla mater ſuum unquam dilexit filium. Et ſicut mater non poteſt obliviſci fructum uteri, ita minus illa obliviſcitur illorum, quos ſpiritualiter peperit tanquam membra myſtica filii ſui, & plus illa diligit quàm ſi corporali utero geſtaſſet. Et ſicut pia mater pro defenſione filii opponit ſe etiam Patri perſutere volenti, & ſinum maternæ pietatis, quò confugiat, aperit. Ita Maria obſiſtit iræ paternæ pia ſua interceſſione, & materna pietate nos protegit, ut ſupra dixi.

3. *Mater Electorum eſt.*

Gen. 25. 23. Cant. 7. 2. Ambroſ. de inſtit. B. Virg. c. 14.

Notum eſt quomodo B. Dominico quodam die contemplationi intento apparuerit Chriſtus ſolio confidens regali, manu tres lanceas vibrans, quibus orbem perdere parabat. Cum autem nemo reperiretur qui ſe juſto ejus furori opponeret. Virgo Mater genibus advoluta & filium complexa, rogat hominũ miſereretur, quos Sanguinis ſui pretio emerat: duoſque ſervos ſuos Dominicum & Franciſcum obtulit: quorum laboribus flagitioſi ad pœnitentiam reducerentur. Placatuſque eſt Chriſtus maternis precibus, & ad peccatorum converſionem accepit duos illos validos bellatores.

S. Antonin. p. 3. Chron. tit. 23. c. 3. Bozius de ſign. li. 9. tom. 3. c. 10.

Quartò, ex eo probari poteſt devotionem erga hanc Virginem & Matrem electionis ſignum eſſe, quia ſibi devotis fœlicem mortem procurat. Licet enim quandoque in peccata labantur qui hanc colunt Virginem, ſolet tamen illos ſuo auxilio ita reducere, ut tandem fœliciter finiant, & opitulatur ac protegit eos ne in peccato moriantur. De hac re latius infra dicemus, quomodo adfuerit multis in fine vitæ.

3. *Devotio ſibi B. Vir. fœlicem mortem procurat.*

Rectè ergò dixit B. Anſelmus: *Sicut omnis, ô Beatiſſima, à te averſus, & à te deſpectus neceſſe eſt ut intereat: ita omnis ad te converſus, & à te reſpectus impoſſibile eſt ut pereat*. Ex quo colligimus, quod ſicut devotio ad Virginem electionis eſt ſignum, ſic ejus honorem parvifacere, vel cultum negligere, reprobationis ſignum eſſe, ita ut de illa verum ſit: *Qui in me peccaverit, lædit animam ſuam, & qui oderunt me, diligunt mortem*. Peccant verò contra eam, non ſolum qui ejus cultum blaſphemant & aſpernantur, ſicut faciunt hæretici & Virginis hoſtes, ſed & ii qui eam negligunt, & ejus opem non implorant. Hoc aſſerit Bonaventura his verbis: *Non ſolum in te peccant, ô Domina, qui tibi injuriam irrogant, ſed etiam qui te non rogant*. Et iterum: *Qui dignè coluerit illam juſtificabitur, & qui neglexerit illam morietur in peccatis ſuis*. Idipſum ſignificatur dum dicitur: *Qui oderunt me, diligunt mortem*. Vitam itaque ſpiritualem, imò & æternam in diſcrimen adducit, qui Virginis opem non quærit: quia homo ſine ejus ope, non videtur longo tempore perſiſtere in gratia, ſine peccato mortali. Cum enim multis pateat hoſtibus, tentationibus, vulneribus, facilè læditur ſine protectione Virginis: inermis eſt, niſi ex hac turri arma deſumat, ex qua *omnis armatura fortium deſumitur*, hoc eſt, omnis defenſio & protectio contra vitia & tentationes. Quicunque longo tempore ſine peccato vitam tranſigere potuerunt, in Virginis patrocinio præſidium repererunt.

S. Anſel. ſententia.

Pro. 8. 36.

D. Bona. in ſpeculo Virg.

Cant. 4. 4.

Adde, nihil nos boni obtinere niſi per Mariam: ita nec dona Dei poſſumus retinere niſi per illam: Cognovi quod nemo poteſt *eſſe continens niſi Deus det*: inquit Sapiens: *& niſi Maria intercedat*, inquit B. Bonaventura. Nemo ergo caſtus erit & temperans, niſi ejus juvetur patrocinio, quæ Mater eſt caſtitatis, & Mater divinæ gratiæ.

Sap. 7. 21. Bonav. in ſpec. Vir.

PROPOSITIO III.

Vera & ſolida devotio erga Deiparam, debet imitationi ejus eſſe conjuncta.

II. *Hæc devotio erga Deip. junctã eſſe debet ejus imitationi.*

DEclarat hoc ipſa ejus monitio, qua introducitur Mater hæc pulchræ dilectionis ſic ſuos alloquens: *Tranſite ad me qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini*. Quaſi dicat: Vos

Ec. 24. 26.

Digitized by Google

Vos omnes qui me colere vultis, & qui amorem mei profitemini, derelinquite vias distortas, obliqua itinera, & per novæ conversationis iter transite ad me: peccati & satanæ castra deserite, si sub vexillo meo vultis militare. Venite ad me, ut adimpleamini generationibus meis, virtutibus sanctis, quos amatoribus meis ingenerare cupio, hi sunt flores & fructus quos in eorum cordibus qui mihi placent germinare cupio, humilitas, castitas, charitas, puritas.

Prov. 8. 32 Similis est & altera ejusdem monitio: *Nunc ergo fili audite me. Beati qui custodiunt vias meas: Audite disciplinam, & estote sapientes, & nolite abjicere eam.* Quasi dicat: Non illi beati aut fœlices statim dici debent, qui leve aliquod obsequium mihi impendunt; sed qui studeant sectari vestigia mea & virtutum itinera, quæ eis prævi ut sequantur, hi meritò fœlices dicendi sunt: Audite ergo, si filii mei esse & dici vultis, doctrinam quam ego vobis trado & virtutum exempla, quibus ad pietatem vos erudio, si enim perfectionis viam inire cupitis, meis vos oportet insistere vestigiis. Meritò utique his nos verbis illa alloquitur, quæ omnibus Fidelibus proposita est tanquam exemplar absolutissimum omnigenæ virtutis, tanquam speculum lucidissimum veræ perfectionis, ad cujus aspectum mores erigere, defectusque nostros corrigere valeamus. Omnes viri sancti qui ad perfectionem adspirarunt, hoc sibi exemplar proposuerunt, à Maria viam perfectionis didicerunt, hæc prima post Christum virtutis norma, & salutaris disciplinæ magistra.

Exiguum obsequium offerunt D. Virg. nisi virtutes ejus imitentur.

Exiguum itaque Virgini obsequium offerre censendi sunt, qui ei preces aliquas recitant: si mores ejus aut virtutes imitari negligant. Et hic est plurium error, qui leviter Virgini quotidianum aliquod pensum exhibentes, statim se ab omni malo securos existimant: & inter Filios Mariæ devotos numerari se præsumunt ejusque favore salutem omnimodè expectant, Interim nulla eis cura est aut sollicitudo, vitia quæ Virgini huic maximè displicent extirpandi, & virtutes solidas moresque Virginis imitandi. Vis particularius exprimam? In impudicitiis hærent & luxuriæ sordibus, qua nihil putidius coram Virgine puritatis amatrice, & tamen volunt videri devoti esse Virgini. Superbiam & arrogantiam in corde alunt, immò & eam in sermone, incessu, actione, sat manifestant; & Sanctæ Virgini quæ in omnibus humilitatem est professa, per preces aliquas ex consuetudine ei recitatas, placere se existimant. Odia, dissentiones, detractiones & alunt & seminant, quibus nihil magis odit hæc Virgo pacis & charitatis amatrix. Unde de illa verum est illud: Prov. 8. 13 *Superbiam, & arrogantiam, & viam pravam & os bilingue ego detestor.* Superbia mater est & seminarium discordiæ. Os autem bilingue habet, qui aliter coram homine, aliter in ejus absentia loquitur, sic detractores, sic & adulatores agunt. Via prava omnis consuetudo male agendi est, consuetudo enim mala, quasi via trita est. Hæc omnia detestatur Virgo, cupitque ut ea detestentur, qui ejus se famulos profitentur. Alioqui illos qui Virginem precibus aliquibus quotidie colunt, & quotidie peccata peccatis cumulant, non incongrue assimilabimus Philistæis, qui genu unum coram Arca Domini flectebant, alterum coram idolo Dagon. Quid enim aliud agunt illi, qui *Mariam Arcam fœderis Domini* honorant, & quotidie colunt, simulque peccato idolo satanæ obsequuntur? Servi sunt peccati & satanæ, non possunt simul servi esse Christi & Mariæ. *O Domine, quia ego servus tuus & filius ancillæ tuæ.* Ps. 115. 16. Ille solus verè potest se dicere servum Mariæ Ancillæ Domini, qui dupliciter servus est Christi, & fidei signo & charitatis sive gratiæ charactere.

Puritatem conscientiæ in suis amat B. Virgo.

Amat Maria conscientiæ puritatem in servis suis, quæ puritatis domicilium semper fuit, in qua nulla unquam vel peccati labecula locum habuit. Hanc puritatem assequi non possumus, quantum tamen in nobis est, si Virginis amatores sumus, imitari debemus; ut saltem a peccato mortifero (quod summè illi displicet, quia maximè displicet filio) liberi esse valeamus. Verus & fervens amor ad similitudinem adnititur; si ergo ardenter te Virginem dicis amare, debes & ad ejus similitudinem aspirare. Et ipsa ad hoc etiam cooperatur, ut nos sibi similes efficiat: est enim amor ejus velut ignis quidam; qui ferrum frigidum, durum, & rubiginosum, coloris, caloris, & lucis suæ particeps efficere nititur.

Cæterùm, quia ei placet puritas, conqueritur de nobis, cùm ejus nos obsequio vovemus, & vitiis mortiferis semper implicati manemus. Conqueritur dum ad eam recurrimus, sine desiderio & proposito efficaci mutandæ voluntatis & vitæ nostræ pravæ. Unde peccatori cuidam ejus auxilium imploranti & dicenti: *O Mater misericordiæ intercede pro me! Respondit ipsa: Vos peccatores vocatis me matrem misericordiæ, & interim peccatis vestris non cessatis facere me matrem misericordiæ & tristitiæ.* Non quod Maria gloriæ gaudiis semper fruens, tristitia affici possit, sed quia quantum in ipsis est, videntur ei tristitiæ materiam afferre per peccatum, quo Deus & Filius ejus offenditur, & vulnera ejus quasi renovantur, quomodo etiam dicit Scriptura, per peccatum nos contristare Spiritum sanctum.

Propterea apparuit quondam B. Lutgardi Maria, tota obducta quodam mœroris nubilo. Inquirit Lutgardis præ cordis compassione: Unde talis pallor & squallor in illa quæ nominatur plena gratia, respondet Virgo. Ecce ab hæreticis & pravis Christianis iterum conspuitur & crucifigitur filius meus, an non hæc satis gravis mœroris causa? Tu ergo assume lamentum, & continuis annis septem jejuna, ut sopiatur ira Filii mei universo imminens orbi. Ideo toto septennio ipsa pane, & cerevisia contenta fuit. Hæc autem apparitio ei Surius in vita ejus.

Digitized by Google

facta eſt imminente peſte ſævissima Albigenſium hæreticorum, de qua ſuprà.

Alb. Caſtellanus Lib. de miracul. Roſarii.

Refert Albertus Caſtellanus, juvenem quendam turpi vitæ deditum, ſolitum Virgini laudes frequenter offerre. Apparuit autem ei quodam die gravi fame laboranti B. Virgo cibum offerens delicatum, ſed in patina valde immunda. Cumq; diceret ei Virgo; Comede. Reſpondit ipſe: Cibus bonus eſt, ſed nauſeam mihi generat ob immunditiam ſcutellæ, nec poſſum comedere. Tunc ait ei Virgo. Laudes quas mihi offers bonæ ſunt, ſed cor tuum immundum eſt, & adeò tuis laudibus non delector; ſicq; diſparuit vitio, ipſe verò per pœnitentiam ſe mundavit, ut deinceps placeret oratio; quam Virgini præſentabat.

Etſi peccatis obnoxii, non deſerenda preces ad B. Virg.

Sed dices, ſi ingratæ ſint Virgini preces noſtræ, dum à corde peccatis contaminato prodeunt, & quando peccatis mortiferis obnoxii ſumus, ſatius erit deſerere preces illas quotidianas Virginis, Roſarium, Coronam, & ſimiles. Reſpondeo primò non eſſe deſerendas, licet enim Salutationes Angelicæ, quas ei offerimus, non ita ei placeant, quando ab anima immunda offeruntur, tamen non poſſunt non eſſe gratæ, quatenus verba ſunt affiata à Spiritu S. per Angelii & Elizabethæ miniſterium pronunciata, Incarnationis myſterium in ſe continentia, quatenus etiam Spiritus Eccleſiæ, quæ illa conteruit, in illis orat.

Secundò, quia cum in peccato mortali agimus, tunc maximè ad Virginem recurrere debemus, ut eruamur: & placet illi noſtra devotio, ſi ſaltem initiali cuidam converſioni conjuncta ſit, ipſa enim auxilium nobis ad perfectiorem converſionem impetrabit. Immò verò etiam multis in peccatorum faecibus obdurato quodam corde defixis, profuit devotio & affectus erga Dei Matrem. Aliqui enim ſubitâ quadam inſpiratione & impulſu interiori ad pœnitentiam convertuntur, dum etiam novis ſceleribus deſignandis animum adjiciebant. Sicut accidit Paulo, qui dum necem Chriſtianorum reſpirabat, ſubitò luce & voce divina ita commutatur, ut de lupo agnus, de perſecutore factus fuerit Apoſtolus, quod B. Stephani interceſſione factum fuiſſe docet Auguſtinus. Sic multis contingit ſubita mutatio ad pœnitentiam, & ignorant quidem ipſi, undè illa procedat, ſæpè verò venit à Virginis ope, quæ miſericordes oculos ſuos jacit in eos, qui in mediis jacebant ſceleribus, imò verò peccata peccatis cumulare deſtinabant: impetratq; eis inſpirationem, lucem, auxilium, contritionem, converſionemque perfectam nihil minus cogitantibus.

Aug. Ser. 2. de S. Stephan.

Surius in vita S. Lutgard.

Impetravit ipſa contritionem in extremis, Innocentio III. Pontifici ſummo, prout poſt mortem teſtatus eſt. De illo enim refertur, quod poſt Lateranenſe Concilium moriens, viſibiliter B. Lutgardi apparuerit. Illa ut vidit eum ingenti flammâ cinctū, quærit quis ſit; Ipſe ſe Innocentium Papam aſſerit. Cumque illa gemens quæreret, undè communis Chriſtianorum Pater in tanto cruciatu? Reſpondet: Tres ob cauſas ita crucior, quæ me æternis ſuppliciis juſtè addixiſſent, niſi interceſſio Matris Dei mihi Contritionem in extremis impetraſſet: Et æternam evaſi mortem, ſed graviſſimis pœnis uſque ad judicii diem cruciabor. Hoc tamen etiam impetravit Mater miſericordiæ a Filio, ut ad te ſuffragia petiturus venire poſſem, & his dictis diſparuit. Illa Sororibus hæc indicans, mire ſe pro illo afflixit. Noverit Lector (inquit Cantiprato) nos tres illas cauſas non ignorare revelante Lutgarde, ſed pro tanti Pontificis reverentia referre noluiſſe. Ita Thomas Cantiprato ejus Confeſſarius, & Scriptor vitæ ejus.

Cantipratanus.

LECTIO II.

DE SALUTATIONE ANGELICA.

EXPLICAT HÆC LECTIO EXCELLENTIAM illius Salutationis.

PROPOSITIO I.

Poſt Dominicam Orationem, præſtantiſſima eſt illa, qua Angelica Salutatio nominatur.

Poſt orationem Dominicam præſtantiſſima eſt ſalutatio Angelica, orationis hujus excellentia colligitur. 1. Ex nomine Angelica: ob auctorem S. Trinitatem, cujus juſſu eam pronunciavit Angelus.

PRimò ejus excellentiam indicat ipſum nomen: *Angelica* enim dicitur, non quod ejus author Angelus ſit, ſed quia primaria ejus pars non hominis, ſed Angeli ore primò pronunciata fuit, & exindè in Eccleſia uſitata. Ipſe verò Spiritus ſanctus, aut Sanctiſſimæ Trinitatis conſiſtorium, à quo Angelus deſtinabatur, eam dictavit & compoſuit. Angeloq; inſpiravit. Itaque quia ipſa ab æterno electa erat Mater Unigeniti Filii Dei, cùm veniſſet plenitudo temporum, ut illa jam de ineffabili illo myſterio inſtrueretur, & ejus conſenſu & cooperatione perficeretur admirabile illud Matrimonium, & conjunctio inter divinam & humanam naturam, mittitur ad eam Archangelus, qui ab ipſa Trinitate inſtructus, novo eam & inaudito modo ſalutat & veneratur dicens: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.*

V. lib. 1. tract. 3. lect. 11.

Quis verò & quantus fuerit Angelus iſte, ſuprà explicuimus, & cur conveniens fuerit talem ſalutationem per Angelum hunc fieri. Vide articul. III. Symboli.

D. Tho. in opuſc.

Antiquitus erat valdè magnum, inquit D. Thomas, quod Angeli hominibus apparerent, vel quod homines Angelis reverentiam exhibercnt. Undè ad laudem Abrahæ ſcribitur, quod Angelos hoſpitio exceperit, quodque eis reverentiam exhibuerit. Quod verò Angelus homini reverentiam exhiberet, nunquam eſt auditum, niſi poſtquam Virginem adeò reverenter ſalutavit, dicens: *Ave gratia plena.* Rationem verò ſubdit idem S. Doctor, cur olim non reverebatur hominem Angelus, ſed homo Angelum; quia Angelus erat homine major quantum ad tria. Primò quantum ad dignitatem naturæ; eſt enim Angelus naturæ ſpiritualis & in-

Digitized by Google

corruptibilis. Secundò, quantùm ad officii dignitatem & familiaritatem divinam, assistunt enim Deo Angeli & coram eo ministrant. Tertiò, quantùm ad plenitudinem splendoris gratiæ; participant enim lumen divinum magnâ plenitudine, undè solent cum splendore magno apparere. Hinc Angelos olim homines non ausi erant adspicere; unde Daniel ad aspectum Angeli totus contremuit, & emarcuit species ejus. Et Manue pater Sampsonis, cùm vidisset Angelum, quem nesciebat Angelum esse, postea tamen agnoscens esse Angelum, qui Dei vices gereret, dixit ad uxorem: *Moriemur quia vidimus Dominum.* Sic Jacob, cum luctatus fuisset cum Angelo Dei vices gerente, quasi pro miraculo narrat: *Vidi Deum,* & tamen *salva facta est anima mea.*

Judic. 13. 22. Gen. 32. 20.

Maria excedit angelum de tribus.

Conveniens verò fuit tunc Angelum hominem venerari, quando inventa est persona aliqua humana, quæ in tribus excedit Angelum: & hæc est Maria, quam salutat Angelus. Primò enim excedit in plenitudine gratiæ, undè ei dicit: Ave gratia plena. Secundò in familiaritate divina, non posset enim majorem familiaritatem Deus exhibere, quàm se ut filium illi exhibendo & consanguineum: undè dicit Angelus: *Dominus tecum,* speciali quodam modo quàm cum Angelis, quia per quandam identitatem & affinitatem: *At nusquam Angelos apprehendit.* Tertiò in puritate, major enim in Virgine puritas, quàm in Angelis, in qua puritatis author habitavit; & majoris æstimationis est puritas tanta reperta in humana natura, in corpore corruptibili, & de se ad malum proclivi, quàm in spirituali Angelica natura. Itaq; cum in omnibus Virgo Angelis sit superior, non immeritò ab Angelo colitur & salutatur, & modus quo eam salutare debemus, nobis ab illo designatur.

Alber. M. D. Tho. 3. p. q. 30. art. 4.

Neque verò turbata est Maria ad aspectum Angeli, ut veteres Sancti: Quinimò Virginem vidisse non solùm corpus ab Angelo assumptum, sed etiam essentiam Angelicam, aliquorum est probabilis opinio post Albertum Magnum; quia etiam de aliquibus Sanctis legimus Angelos & animas in hac vita vidisse, D. Thomas tamen non asserit Mariam vidisse Angelicam essentiam, eo quod videatur hoc, inquit, præter statum viatoris.

Licèt verò ad Angelicam speciem non fuerit turbata Maria, sermonem tamen ejus omninò admirata fuit ob humilitatem, & ob tam excellentem salutationem. Undè dicit B. Ambrosius: *Maria benedictionis novam formulam mirabatur, quæ nusquam ante comperta: soli Mariæ hæc salutatio servabatur, sola gratia plena dicitur, quæ sola gratiam, quam nulla alia meruerat, consecuta est, ut gratia impleretur author.* Ita ille.

Ambr. in c. 1. Lucæ.

Ex his ergò patet excellentia Orationis hujus tam ob authorem, quam ob dignitatem ejus, qui eam primo Virgini obtulit Deiparæ electæ.

Secundò Orationis hujus præstantia ex ejus antiquitate demonstrari potest, quia jam ab exordio nascentis Ecclesiæ continuò usitata fuit. Ab eo enim tempore, quo Angelus & Elisabeth sic Virginem salutarunt Spiritus Sancti instinctu, fideles magno honore colere cœperunt Virginem hanc, Christi, fideliumque omnium Matrem, & singulari affectu in eam ferebantur. Sicut enim Agni instinctu quodam naturæ, inter mille oves matrem quærunt, & ex voce agnoscunt. Ita electi inclinatione quadam gratiæ, Virginem tanquam Matrem & agnoscunt & colunt: & ad eam recurrunt sicut Agnus ad ubera Matris, sicut pullus ad alas gallinæ, quæ eum peperit. Hoc confirmat authoritas D. Ignatii, qui fuit Antiochenæ Ecclesiæ post Petrum tertius Episcopus: Asserit verò ipse, quod omnes, qui ad fidem veniebant, continuo desiderio flagrabant videndi Mariam, & undique ad eam concurrebant. Audientes de rubo illo incombusto, qui divinitatis ardorem sine læsione ulla Virginitatis sustinuerat & pepererat, dicere videbantur cum Moyse: *Vadam & videbo visionem hanc magnam*: Vadam & vibebo arborem illam humilem, de qua Christus flos ille divinus & fructus pretiosus ortus est, qui odore cœlum terramque replet. Hinc & ipse D. Dionysius per Paulum Athenis conversus, Jerosolymam venit cum multis ex sanctis fratribus, *ad contuendum corpus illud, quod authorem vitæ Deumq; in se tulerat,* ut testatur ipse lib. de divinis nominibus cap. 3. Sed & notatu dignum est, quod ex Chronicis Hispaniæ refertur, D. Jacobum in honorem B. Mariæ adhuc viventis, sacellum erexisse. Cùm enim S. Jacobus Cæsaraugustæ agens angeretur, quod septennio prædicasset in Hispania, & novem duntaxat ad fidem convertisset, urbe sub vesperam egressus ad ripam Ebri fluminis, ibi vidit Deiparam columnæ marmoreæ insistentem, multis constipatam Angelis hymnos suavissimè cantantibus, qui eam columnam Hierosolymis attulerant. Consolata verò est Jacobum his verbis: *Quod vivens multos non effeceris discipulos, post mortem efficies.* Justitque ibi extrui sacellum, addens se illius loci tutelam suscepisse. Et modò adhuc Cæsaraugustæ extat & vocatur *Nostra Domina de Columna,* miraculisque claret, & putatur fuisse prima Christianorum toto orbe Ecclesia. Ita ex Vasæo & aliis, Ribadeinera in vita D. Jacobi, & Franciscus Arias lib. de Imitat. Virginis.

1. *Excellentia ejus desumitur ex antiquitate hujus Salutationis, & cultus Deiparæ.*

S. Ignat. Episc. & Martyr.

Exod. 3. 3.

S. Dionys. lib. de div. nomin. c. 3. de S. Jacobo Apost. refert Ribad. in vita ejus & Arias de imit. Virg.

Ex his ergò patet cultum Virginis cum Ecclesia novella Christi incepisse, cùm cognita fuit per Angelicam Salutationem ut Dei Mater. Imò verò piè aliqui dicunt ab initio sæculi, tam in Ecclesia triumphante, Mariam cognitam fuisse, & in veneratione habitam. Inprimis, quia Angeli in principio suæ creationis Christum fide cognoverunt, & jam Beati in Verbo intuiti sunt, (ad eorum enim statum spectabat Caput suum ac Regem cognoscere) Probabiliter ergò etiam dici potest, Virginem tanquàm Matrem Dei ab eis cognitam fuisse, & in verbo vidisse fœminam illam, ex qua filius Dei erat carnem sumpturus: quia & hoc ad eorum sta-

Suarez 3. p. q. 37. art. 4. disp. 22.

statum pertinebat, quandoquidem illa jam ab æterno electa erat Domina ac Regina eorum. Sicut ergò ex tunc Christum agnoscentes illum adoraverunt, ita & Virginem ex tunc agnoscentes ejus Matrem, venerationem ei exhibuerunt. Quod verò aliqui Patres videntur dicere, non fuisse cognitam ab Angelis Dei Matrem, intelligendum id est quoad omnes circumstantias, non verò quoad substantiam & Personam ipsam, inquit Suarez

S. Bern. ep. 174. S. Hiero.

Quantum verò ad homines, ante adventum Christi a Sapientibus, Patriarchis, Prophetis, præcognitam fuisse Virginem asserunt SS. Patres, & per consequens ei venerationem exhibitam. Hinc & ipsa a B. Hieronymo, Micheæ 6. vocatur, *Vaticinium Prophetarum*.

Ex Missa S. Jacobi Canis. l. 5. de Deipar. c. 31.

Post adventum verò Christi, & postquàm ipsa in cœlum translata est, singulari cultu ab universa Ecclesia celebrata est, & hæc Salutatio Angelica extunc a Fidelibus frequentata etiam in officiis solemnibus, & exindè ad posteros transmissa. Patet ex Liturgia sivè Missa Jacobi Apostoli & Fratris Domini, ubi habetur: *Commemorationem agamus sanctissimæ, immaculatæ, gloriosissimæ, benedictæ Dominæ nostræ, Matris Dei & semper Virginis Mariæ*. Et post pauca subdit: *Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, quia Salvatorem peperisti animarum nostrarum; Dignum est, ut te verè beatam dicamus & omnibus modis irreprehensam & Matrem Dei nostri honorabiliorem quàm Cherubim, & gloriosiorem quàm Seraphim, qua sine corruptione Deum verum peperisti, &c.* Hanc eandem Salutationem habet Chrysostomus in sua Liturgia sive Missa, & ejus meminerunt antiquissimi Ecclesiæ Patres.

3. Ex utilitate hujus orationis.

Tertiò præstantia hujus orationis declarari potest ex ejus utilitate; est enim & Virgini gratissima, & nobis utilissima. Virgini quidem gratissima, quæ rememorat & quodammodò renovat gaudium illud, quo perfusa fuit, cum ei primum ab Angelo nuncium Incarnationis Filii Dei & salutis totius generis humani indicatum fuit. Item quia hæc Salutatio quodam compendio continet singulares Mariæ prærogativas.

Hæc salutatio compendio continet Mariæ prærogativas. Ec. 24. 12.

Primò, quod ipsa sit speculum omnis munditiæ, & fons quidam superfluens cœlestis gratiæ, ita ut per illam ad nos derivetur, quod indicatur illis verbis: *Ave gratia plena*. Secundò, quod ipsa sit thalamus Regis gloriæ & Deitatis tabernaculum, ita ut possit dicere: *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo*, quod significatur illis verbis: *Dominus tecum*. Tertiò, quod ipsa sit electa super omnes mulieres, immò & super omnes creaturas prima utique post Deum creatura: quod indicant illa verba: *Benedicta tu in mulieribus*. Quartò agnoscimus illam esse arborem pretiosissimam, ex qua oritur fructus vitalis, qui vitam toti mundo attulit, ille fructus pretiosus, à quo omnis benedictio in omnes derivatur, excludens omnem maledictionem per primum illum noxium fructum ad nos manantem: quod disertè illa verba annunciant: *Benedictus fructus ventris tui*. Denique ultimus illis verbis: *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis nunc & in hora mortis nostræ*, indicatur illi competere officium Mediatricis, ita ut apud Filium curam gerat generis humani, potens nobis in omnibus necessitatibus opem ferre & modo in hac vita misera, & in egressu, ut eripiamur à morte æterna.

Nihil itaque Virgini gratius offerre possumus, quam hanc cœlestem Salutationem ejus laudes & prærogativas continentem, per pauca quidem verba, sed multorum mysteriorum pondere gravida. Nihil quoque utilius nobis, quam mysterium illud Incarnationis divinæ sæpius memoria repetere, ore & corde volvere, quia initium nostræ salutis est, & primum redemptionis nostræ mysterium, omnium aliorum fundamentum. Illud autem in hac Salutatione Angelica rememoramus, & quò frequentius eam repetimus, eò magis animo infigere debemus, ne ingrati simus.

Crebra salutationis hujus recitatio.

Hinc & ter in die, vesperi, manè, meridiè, pulsus campanæ dari solet in memoriam hujus mysterii, quo tempore solent veri fideles hanc Salutationem recitare. Immò & ad singulas horas recitantibus eam, summi Pontifices de thesauro Ecclesiæ indulgentiam elargiuntur. Itaque hæc oratio adeò brevis, adeò fœcunda & Deo ac Virgini grata, & summè nobis utilis, debet jam ab incunabilis ori & menti infantium cum lacte instillari, ut vel per partes dicere possint: *Ave Maria*. Gaudet enim Virgo ex ore infantium & lactantium perfici laudem suam. Quod multis possumus exemplis declarare.

Surius in vit. ejus.

Cum S. Thomas de Aquino adhuc puerulus foret, & nutrix eum in balneo abluere vellet, contigit ipsum reperire chartulam, in qua Angelica Salutatio descripta foret, eam ergò è terra sublatam ita manu clausit, ut non nisi cum violentia nutrix ei eripere potuerit; cum verò absolvisset, non temperavit a fletu & clamore, donec iterum eam recepit, & acceptam ori ingerens deglutiit, ut jam a teneris annis Deiparam coluisse visus sit, cujus etiam ope castitatis perpetuæ donum impetravit, Angelis ei teneros cingentibus.

Raymun. in ejus vita.

B. quoque Catharina Senensis annos nata quinque, Salutationem hanc assiduè repetebat, per domus suæ gradus ascendens, morabatur in singulis, Salutationem Angelicam Matri Misericordiæ offerens. Intellexerat non ex hominum sermone, sed ex divino colloquio, Mariam Dei Matrem primam se voto virginitatis obligasse: illam imitata cum septennis foret, atque in secreto domus angulo superiæ mentis patrocinium fidenter imploraret, castitatis perpetuæ promisso se Christo conjunxit, suam virginitatem immortali Sponso, invocatâ Mariæ Virginis ope, voto dedicavit.

Ex Lit. Societ. an. 1598.

In literis quoque annuis Societatis Jesu, sic legimus. Conimbricæ initio cum doctrinam Christianam tradendi ratio non esset tam illustris, aliquando in

Digitized by Google

do in foro interrogavit P. Ignatius Martius, ecquis eſſet, qui velit Angelicâ oratione Virginem ſalutare? Conticuere autem omnes, ex inepta quadam verecundia, interim infantulus ſemeſtris pendens è materno ſinu non conticuit, ſed in hanc vocem erupit: *Ave Maria gratia plena* Undè multitudo excitata hocce miraculo, Mariæ laudes cœpit decantare, & Mariam verè gratiâ plenam prædicare.

Ribera in ejus vita.

Neque hic prætereundum, quod de S. Thereſia legimus: Hæc puella ſeptem annorum ſolitudinem quærebat: ut Virgini, cui addictiſſima ſemper fuit, Roſarium perſolveret: duodecimum deindè agens annum, cum doleret ſe matre orbatam, ante Mariæ imaginem fuſis lachrymis oravit, ut matris vicem gereret dignaretur. Quam quidem orationem Mariæ acceptiſſimam fuiſſe, probavit ſingulare ejus in illam patrocinium.

4. Ex hujus ſalutationis efficacia contra ſatanam.

Quartò, ejus præſtantia declaratur ex efficacia quam habet contra ſatanam & inferorum vires. Summè enim odit, & ſummam confuſionem ingerit hæc Salutatio; quia ſicut initium ruinæ noſtræ, à colloquio illo ſeductorio cœpit, quod cum Eva habuit per linguam ſerpentis: ita initium reparationis noſtræ & deſtructionis regni peccati & ſatanæ, cœpit ab hoc colloquio cum Maria, ab hac Salutatione Angelica. Et ſic verificatur de diabolo illud: *Ponam circulum in naribus tuis, & reducam te in viam, per quam veniſti.* Tu enim per mulierem inobedientem regnum adeptus es, & peccatum introduxiſti, mortemque in orbem. Tu ipſam mortis nunciam effecisti, & filiorum peremptricem. Ego ad alteram Evam Archangelum meum mitto cum vitæ nuncio, & per illam toti mundo vitam annuncio, Matremque omnium viventium eam efficio. Sed *& ipſa conteret caput tuum, & inimicitias* capitales *ponam inter te & mulierem, inter ſemen tuum & ſemen illius.* Chriſtus ſemen eſt hujus mulieris, & nos quoque Chriſtiani, quia & nos Virginis hujus ſumus filii, bellum ergò implacabile contra ſerpentem gerimus. Et Salutatio Angelica clypeus eſt, quo ejus vires retundimus, quia per illam ingerimus & rememoramus ei confuſionem primam, quam ſuſtinuit, dum per virgunculam humilem ſuperbæ hujus creaturæ vires ad nihilum redactæ ſunt: Non enim poteſt ferre, ſicut ſuperbus Abimelech, quod per fœminam victus dicatur, non poteſt id benè digerere. Sed & quotidiè Virgo hæc multa ei ſpolia detrahit, multas animas, quæ ad ejus protectionem & vexillum confugiunt è caſtris diaboli, & per invocationem Virginis ſalutem reperiunt, quæ peccatorum nexibus conſtrictæ ad perditionem devolvebantur.

4. Reg. 9. 26.

Gen. 3. 15.

Jud. 9. 54.

Vis ergò efficaciam Salutationis hujus videre? *Antidotum cœleſte eſt*, animam præſervans à mortifero ſerpentis morſu, habetque vires contra omne ejus virus. Imò *Virga eſt*, qua ſerpentis caput potes conterere, hoc eſt, omnes ejus ſuggeſtiones pravas & maligna conſilia, quibus ſenſim in animas noſtras illabi conatur.

Refert Rupertus, tantam eſſe naturalem inimicitiam inter mulierem & ſerpentem, ut ſi nuda mulieris planta dentem ſerpentis prævenerit, & vivaciſſimum ejus caput preſſerit etiam leviter, repentè totum cum capite corpus interire debeat, ita ut nullus omninò motus, nullus ſenſus in aliqua parte ſit reſiduus, quod nec malleis certè aut vectibus, nec gladiis ita citò effici poteſt, inquit ipſe, aſſeritq; hoc uſu & experientiâ fidâ compertû. Ut ut ſit, rectè de Virgine id aſſeritur, cujus planta premens vel leviter antiqui ſerpentis caput, omnem ei motum & ſenſum adimit, quod fit, cum tentati à ſerpente, ad Virginis opem præſidiumque confugimus, quæ leviter impreſſo pede, poteſt illum tanquam vermiculum abjectum ſubitò opprimere; hoc eſt, ſumma ei facilitas adeſt, ad vim omnem dæmonis frangendam. Eandemque vim habet Oratio Angelica, quæ tanquam virga quædam eſt, ut dixi, qua fugatur & percutitur ſerpens iſte. Vis plura adjiciam? Oratio iſta *pars mala eſt*, qua ſuperbus Abimelech contunditur à muliere: *Clavus*, quo à fœmina Siſaræ tempora transfiguntur: *Gladius Judith*, quo Holoſernis impii caput obtruncatur. In his enim omnibus Mariæ victoria contra dæmonem præſignatur. Hæc Angeli lucis verba, *arma ſunt lucidiſſima*, quibus Angelus tenebrarum cum omni ſua caligine diſſipatur, ne filiis lucis noceat. Vide exemplum in Tract. 3. ſuper. 10. Præcepti in Præcep. 2. Elect. 7. ubi ad ſolum pulſum Angelicæ Salutationis, qui in Eccleſia manè ſolet dari, dæmon fugatus fuit à quodam juvene.

Ruper. in 3. c. Gen.

Viegas in Apoc. c. 12

Jud. 4. 21. Jud. 13. 9.

LECTIO III.

DE PRIMA PARTE SALUTATIONIS ANGELICÆ.

AVE MARIA, GRATIA PLENA, Dominus tecum.

Tres ſunt partes hujus orat.

TRes ſunt partes Orationis hujus. Prima eſt ab Angelo: *Ave gratia plena, Dominus tecum.* Secunda ab Eliſabeth. *Benedicta tu in mulieribus*, &c. Tertia ab Eccleſia: *Sancta Maria, ora pro nobis*, &c.

AVE MARIA.

Vox Ave ad gaudium B. Virginem excitat.

AVE idem ſignificare poteſt hic (ut ex Græco colligitur) quod *Salve, Gaude, Lætare*. Meritò verò ad gaudium ab Angelo excitatur, quia cœleſte nuncium, quod ad eam deſtinatur, ineffabilis gaudii ſegetem ſubminiſtrat.

1. Ex certitudine gratiæ.

Primò quidem ineffabile eſt gaudium, quod concepit de certitudine, quam ex Angelica revelatione habuit, placita eſſe Deo opera ſua, ſe in ſtatu gratiæ eſſe, & objectum amoris divini; cum enim nemo noſtrûm ſcire poſſit, an amore, an odio ſit dignus, hoc de ſe certò agnoſcere ex prærogativa particulari datum eſt Virgini.

2. Ex amore æterno Dei erga illam.

Secundò, quia non ſolùm agnovit ſe à Deo amari ob ſtatum præſentis juſtitiæ, ſed etiam amorem illum ab æterno, uſque ad æternum ſe protendere.

Agnovit

Agnovit enim ſuam in gratia confirmationem, & æternam electionem ſignatam in libro vitæ ut potuerit dicere: *In capite libri ſcriptum eſt de me*, quia prima inter putas creaturas in libro prædeſtinationis eſt deſcripta. Pſ.39. 8.

3. *Ex ſui in Matre Dei electione.*

Tertiò inenarrabile gaudium fuit, cùm agnovit ſe Matrem illius electam eſſe in terris, cujus Pater Deus eſt in cœlis, & ſapientiam illam genitam æterni Patris, Angelos beatificantem in cœlis, filium ſuum fore in terris, Uterumque ſuum jam præparari & adornari, quaſi cœlum nobile in quo divinitatis plenitudo corporaliter habitaret, ita ut cum gaudio & admiratione, tam ab Angelis quam ab hominibus dici poſſit: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus & habitabit cum eis, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus.* Apoc. 21. 3.

4. *Ex electione ſui in Reginam cœli & terræ.*

Quartò & hoc gaudium adauget, quod agnoverit ſe electam eſſe Dominam & Angelorum & hominum, Reginam cœli, terræ, & inferorum: Ita ut jam ſi Angelus ex parte cœleſtis hierarchiæ honorem ſubjectionemque debitam deferat, & Reginam agnoſcat: futuris verò temporibus omnis hominum ſexus, omnis ſtatus, omnes generationes, Reginæ huic quoddam velut homagium ſunt delaturæ, & ejus præconia totus orbis cum admiratione & veneratione proclamabit.

5. *Ex ſuis prærogativis ſingularibus.*

Quintò gaudium illi fuit ineffabile non ſolùm ob agnitas ſpeciales prærogativas ſuas, ſed & maximè ob redemptionem totius generis humani jam appropinquantem, poſtquam tot votis expetita fuerat, tot oraculis prænuntiata, tot figuris præſignificata, tot lachrymotis deſideriis advocata: Illius redemptionis per Filii incarnationem, jam in ejus utero jaciebantur fundamenta.

An non igitur hæc omnia cor Virginis miro debebant perfundere gaudio, ut meritò prima vox Angeli ſit Ave, id eſt, ſalve, gaude, & lætare? Imo licerat nobis aſſerere: Si omnia gaudia à principio creationis alicui collata & in finem uſque ſæculi conferenda, in unum confluerent, non poſſe adæquare gaudium illud ineffabile, quod B. Virgo habuit de incarnatione Filii Dei: addit quidam Theologus, Deo ſoli animæ Chriſti & Virgini ejus gaudii magnitudinem eſſe perſpectam, cæleſtium enim gaudiorum ineffabilis quædam ſuavitas eam perfudiſſe meritò aſſeritur, dum illud æternum lumen cum toto ſuo fulgore in eam deſcendit, & quod totus mundus non capit, intra ejus viſcera ſe condidit. Hinc & aliqui ut alibi dixi, putant Virginem in Filii ſui incarnatione ipſam etiam eſſentiam divinam in tranſitu viditſe.

Ex his collige quàm accepti ſint, qui frequenter offerunt illud Angelicum, *Ave gratia plena*, quandoquidem quodammodo renovent illud indicibile gaudium, quod in Annunciatione Angelica ei infuſum fuit. Hinc & liliis & roſis odoriferis cor exhilarantibus, eam coronare viſæ ſunt plures animæ piæ, dum ei ſalutationem hanc ſæpe repetitam offerebant, ut poſtea dicemus.

Notandum vero, licet illud *Ave* idem ſit, quod *gaudium tibi ſit*. ſicque ſit vox exhortantis ad lætitiam tum de proprio, tum de communi bono: Non tamen ſine myſterio inverſis literis facit nomen Eva, ut etiam notat Eccleſia in illo verſu. *Quid Ave ſignificet.*

Sumens illud Ave, Gabrielis ore, Funda nos in pace, Mutans Eva nomen.

Et videtur ſignificari Mariam Evæ opponi, & ejus gaudium Evæ dolori, ejus benedictionem Evæ Maledictioni, Mariæ gratiam peccato Evæ, Mariæ fructum fructui Evæ. Ipſa ergo eſt altera Eva verè *Mater viventium*, quia prima verè fuit *Mater morientium*. Unde & Auguſtinus latius hac de re diſſerens: *Eva*, inquit, *luxit, iſta exultavit: Eva lachrymas, Maria gaudium in ventre portavit: Mater generis noſtri pœnam intulit mundo, Genitrix Domini noſtri ſalutem attulit mundo. Auctrix peccati Eva, auctrix meriti Maria: Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit: Illa percuſſit, iſta ſanavit. Pro inobedientia obedientia commutatur, fides pro perfidia compenſatur.* Ita ille. V. Brev. in 2. noct. lect. 5. in Nativit. Virg. ex Aug. ſer. 2. de Annunc. Domini.

Rectè ergò dixit Sapiens. *Contra malum bonum eſt, & contra mortem vita, ſic & contra virum juſtum peccator: & ſic intuere in omnia opera Altiſſimi, duo & duo & unum contra unum.* Eccl. 33. 15

Patet in hac ſalutatione, ubi Angelus lucis eſt contra Angelum tenebrarum, benedictus fructus, contra fructum vetitum, contra Adamum & Evam, Jeſus opponitur & Maria.

Unde & eleganter Bernardus: Currite Matres, currite filiæ; currite omnes, quæ poſt Evam, & ex Eva & parturimini cum triſtitia, & parturitis: adite virginalem thalamum, & pudicum ſororis veſtræ cubiculum; Ecce Deus mittit ad Virginem, affatur Angelus Mariam, apponite aurem parieti, auſcultate quid nunciet ei, ſi fortè audiatis unde cõſolemini. Lætare Pater Adam, ſed magis tu ô Eva mater exulta, quia ſicut omnium parentes, ita eſtis & peremptores, & prius peremptores quam parentes: Lætamini tamen ſuper filia & tali filia: Curre Eva ad Mariam, curre mater ad filiam, filia pro matre reſpondeat, & matris opprobrium auferat, ipſa patri pro matre ſatisfaciat, quia ſi vir cecidit per fœminam, jam non emitur niſi per fœminam. Hæc Bernardus Clamant. Bern. ſup. Miſſus.

Notant ad idem ſignificandum aliqui, primum E, vel A, Angeli verbum Ave, habere primam literam, A, quaſi ſignificantem Adam, ultimam E, quaſi ſignificantem Evam, inter quas media eſt V, ſignificans Virginem, quæ media eſt inter Adam & Evam, quia per illam tanquam mediatricem Adæ & Evæ utrique ſexui ſalus eſt reſtituta. quotquot naſcuntur ab Eva. Holcot. in ſap. c. 7.

AVE MARIA.

De nomine Mariæ.

Cur Angelus nomen Mariæ non expreſſerit.

NOmen MARIA, non expreſſit Angelus, cùm primum allocutus eſt Virginem, inquit Blaſius Viegas, ſed ſolum dicit, *Ave gratia plena*, quia nimirum præ reverentia noluit nomen Virginis utpote ineffabile effere, niſi poſtquam ex colloquio Viegas in 12. Apoc.

Virginis

Digitized by Google

Virgini familiarior ei redditus tandem dixit : *Ne timeas Maria.* Ita ille. Explicat & ostendit idem author nomen illud apud Hebræos esse Tetragrammaton, sive quatuor literis constans, ad instar nominis ineffabilis Dei & nominis Jesu.

Nominis Maria significatio præcipuè triplex.

Varia verò est significatio hujus nominis, MARIA, apud Doctores & Sanctos Patres : Tres præcipuas breviter attingemus.

1. Illuminatrix. Hier. l. de nominibus Heb. Gen. 1. 16.

Primò S. Hieronymus dicit, nomen MARIÆ, apud Hebræos significare idem quod Illuminatrix. Aptè hoc ei nomen tribuitur, quæ verum fudit sæculis lumen, ex qua etiam ipse Sol æternus, qui est lux de luce, lumen de lumine, immò & nobis fons luminis, formari voluit. *Fecit Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut præesset diei, luminare minus, ut præesset nocti & stellis.* Dicamus *luminare majus* esse Christum, qui præest speciali quadam ratione justis, qui diei nomine designari possunt ; luminare minus esse Mariam : quæ præest nocti, hoc est peccatoribus, quia specialiter illis lumen impetrat. *Stellæ* sunt reliqui Sancti. Immò verò *Illuminatrix* optimè dicitur, quia omne lumen gratiæ, omne donum descendens a Patre luminum, per eam in Ecclesiam descendit. Et sicut Theologi docent omnem illuminationem in Angelis inferioribus fieri ab Angelo superioti, & ita consequenter omnem illuminationem Angelorum à supremo Seraphim provenire : similiter dicimus omnem illuminationem ad Ecclesiam derivari, mediante Virgine, verèque illi competit illud : *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* Possumus ergò sano sensu respondere ad quæstionem illam celebrem, quam proponit Dominus apud Job : *Indica mihi si habes intelligentiam : Per quam viam spargitur lux, aut dividitur æstus super terram ?* Maria enim via est, per quam cælestis lux sese terris diffundit : Via est, per quam divini amoris calor æstuans in cordibus Fidelium accenditur, & modò huic, modò illi ejus interventione communicatur : Undè & ei canimus : *Tu porta lucis fulgida.*

Ps. 75. 5.

Job. 38. 24

2. Domina

Secundò Maria sermone Syro idem significat quod Domina. Meritò sic nuncupatur, quia per excellentiam Domina est & Princeps omnium creaturarum. Regina potestatem habens in cœlo & in terra à filio sibi communicatam, ut sit Matri cum filio communis potestas & gloria. Undè dicit D. Bonaventura : *Quia Dominus patientissimus tecum est, ideò & tu potentissima secum es, potentissima es per ipsum : potentissima es apud ipsum*, ita ut verè dicere possis : *In Jerusalem potestas mea.* Comparat eam Bonaventura cum Esther Regina, quam duæ comitabantur ancillæ, quarum una Dominam sequebatur defluentia vestimenta colligens ; alteri ipsa Esther præ deliciis innitebatur : *Duæ*, inquit, *ancillæ quarum Domina est Regina Maria, sunt Angelica & humana creatura : humana est famula illa, quæ sequitur Dominam suam in mundo, colligens vestimenta Dominæ, hoc est, virtutes & exempla Mariæ : Angelica verò est illa altera, super quam in cubo innititur se fociando ac deliciando cum Angelis, innititur insuper tanquam potentissima Angelis imperando.* Itaque sicut Christus vocatur Dominus per Antonomasiam, ita & Virgo ex suo nomine, Domina per excellentiam. Propterea S. Gerardus Martyr, Episcopus Canadiensis in Pannonia nomen Mariæ specialiter voluit honorari, & ipso authore ab Hungarica gente non pronunciatur nomen Mariæ, sed Dominam eam vocant. Si fit autem pronunciatum ejus nomen, statim flexis genibus, & demissis in terram capitibus sese inclinant. Et ideò etiam Panonia à S. Rege suo Stephano *Familia S. Mariæ* appellata est. Idem quoque sanctus Gerardus in tanta veneratione nomen illud habebat, ut si quis reus clam à S. Viri familiaribus edoctus, veniam ab ipso peteret per nomen Matris Christi, mox audito nomine Matris misericordiæ, ipse lachrymis perfunderetur, & perinde ac ipse reus esset, à reo veniam peteret. Sed & Stephanus Hungariæ Rex sanctissimus, agnoscens hanc verè Regum etiam esse Dominam & omnium Regnorum Reginam, seipsum, sceptrum suum ac Regnum, speciali oblatione & voto Virgini Mariæ consecravit, assiduè exorans, ut se suumque regnum Domina illa tueretur, cujus patrocinio ac potestati se Hungarosque omnes addixerat. Quin etiam solemne promulgavit edictum, ut omnes diem quo Virgo assumpta fuit celeberrimum haberent, & diem Dominæ appellarent, & cætera ejus festa jejuniis & singulari solemnitate transigerent, eamque peculiarem sibi patronam assumerent. Nec silentio prætereundum est, quod de ipso scribitur. Cum quadam nocte cœlesti instinctu clam sine comite ex aula regia egressus esset, magnam nummorum copiam populo pauperi distributurus, cùm singulis nummum aliquem elargiretur, inter petulantes rogatores, orto tumultu, ipsi etiam Regi per contumeliam ab avidioribus plerisque barba distracta est, & ex parte convulsa. Ipse verò nec hoc indigne ferens, in ædem quandam Virginis interius gaudens properavit, & ante aram procidens ingentes Divæ gratias egit, *Regina*, inquit, *cæli, unica Hungarica Patrona gentis, tibi gratias ago quod me milites tui hoc modo tractarunt : si hos ab hostibus injurias accepissem, auxilio tuo ulciscerer. Proinde futuræ felicitatis hinc auxilia capio, scioque non fore irrita filii tui verba dicentis, ne minimum quidem è capite capillum periturum.*

In vita ejus Sur. 24. Sept.

Baron. to. 11. an. 1038. Bonfin. l. 1. Dec. 2. de rebus Hun.

Bonav. in speculo Virg. Esther.

Ecc. 24.

Ex his ergo satis constat, quàm meritò Domina vocetur, digna cui Principes & Reges omnes, diademata sua ac sceptra consecrent, Prælati verò, Episcopi ac Pontifices infulas suas ac tiaras committant, omnesque gentes subserviant, quandoquidem & in cœlo & in terra & sub terra dominetur. Unde ipsa rectè introducitur loquens : *Gyrum cæli circuivi, abyssi profundum penetravi, in fluctibus maris ambulavi, & in omni terra steti, & in omni populo & gente primatum habui, & omnium excellentium & humilium corda propria virtute calcavi.*

Digitized by Google

calcavi. Ubi dum dicit: *Gyrum cœli circuivi*, indicat se in cœlo dominari, dum ait, *abyssum penetravi*, significat se dominari in inferno. Quando addit, *in fluctibus maris ambulavi*, potest intelligi de purgatorio, quia ibi pœnæ sunt quasi fluctus transeuntes non permanentes. Tandem subdit: *in omni gente primatum tenui*, in terra se dominari manifestans, ubi etiam exercet potestatem in rebelles & superbos, eos velut calcans cum Satana Rege super omnes filios superbiæ, qui etiam solum Mariæ nomen horrescit. Ad illas vero animas quæ Satanæ suggestione Deum & Mariam deseruerunt rectè illud dicimus, quod Angelus olim ad Agar fugitivam: *Revertere ad Dominam tuam, & humiliare sub manu ejus: Revertere ad Mariam*, cum cordis humilitate, & gratiam & benedictionem, peccatique remissionem, in ejus domo & obsequio reperies. Ipsa est enim Sara (quod interpretatur Domina) quæ verum genuit Isaac Filium Dei, in cujus semine benedictæ sunt omnes gentes.

Gen. 19. 9

3. *Stella maris.*

Tertio Maria idem significat quod *Stella maris*, & hæc est communior acceptio tum Sanctorum Patrum, tum ipsius Ecclesiæ, quæ eam sic salutat: *Ave maris stella.* Hoc vero nomen mire ei convenit, si stellæ proprietates expendantur, dicit enim Aristoteles: *In stellis non est corruptio, nec casus, nec error.*

Aristot. l. de cœlo.

Comparatur D. Virgo stellæ.

Primò ergò stellæ assimilatur, quia in eam non incidit corruptio, vel in nativitate, vel in vita, vel in morte. In nativitate quidem orta est sine corruptione originalis peccati: in vita nulli subdita corruptioni actualis peccati etiam venialis: in morte præservata fuit a putrefactione & corruptione illa quæ communis est.

Secundò assimilatur stellæ, quia in ea nullus fuit casus, vel luminis ulla unquam diminutio. Ceciderunt aliquando Apostoli, & obscurati sunt in nocte Dominicæ Passionis, ipsa verò stetit, nec luminis fidei aut gratiæ quicquam amisit. Unde de illa verum est: *Non extinguetur in nocte lucerna ejus.*

Prov. 31. 18.

Tertiò stellæ assimilatur, quia nullus in ipsa fuit error. Stellæ enim in suo motu errare non possunt, quæ moventur motu à Deo sibi concreato; moventur autem motu firmamenti citissime, motu verò suo lentissime: & in hoc significari potest obedientia Mariæ, quæ ad divinæ voluntatis motum citissime movebatur. Movebatur à Spiritu S. ut Christi conceptioni consentiret, & statim acquievit: ut in Ægyptum fugeret, & statim obedivit: ut inde rediret, & mox obtemperavit. Sic ad omnia opera sua divinum sequebatur motum: nihil repugnante motu propriæ voluntatis. Nos autem sæpè sidera sumus errantia, quia corruptæ naturæ motum sequimur, & sapientiæ divinæ nos monenti resistimus.

Jacobus de Voragine fer. de Nat. Mariæ.

S. Bern. serm. 2. super Missus,

Quartò assimulatur stellæ, quia *sicut sine corruptione cum puritate sidus emittit radium, sic absque læsione Virgo parturit filium, nec sideri radius suam minuit claritatem, nec Virgini filius suam virginitatem.* *Ipsa ergo est stella ista ex Iacob, cujus splendor & radius & prafulget in supernis, & inferos penetrat, & terras perlustrat.* Ita Bernardus.

Sed quæres, cur *Stella maris* specialiter nuncupetur? Respondeo, quia stella est micans inter tenebras hujus mundi. *Cur Stella Maris vocetur.*

Adverte ergo varias ob causas, Mare significare hoc sæculum. *Mare significat hoc sæculum & mundum.*

Primò quidem, quia sicut mare obnoxium est ventis, tempestatibus, nebulis: Ita hic mundus multis agitationibus, inquietudinibus & turbinibus, multa quoque est caligine circumfusus.

Secundo, sicut mare fluxum & refluxum habet, & quædam ei indita est naturalis inconstantia, modò enim serenum est, modò turbulentissimum: ita in hoc sæculo statuum, fortunarum, rerum omnium vicissitudo reperitur, agnata est illi quædam instabilitas, ut nemo fidat.

Tertio, in mari pisces majores devorant minores: ita in hoc mundo homines sibi mutuo præda sunt. Unde conqueritur Abacuc: *Usquequò Domine taces, impio devorante justiorem se, & facis homines quasi pisces maris.* Abac. 1. 13.

Quartò, quoscumque maris sinus explores, omnes sallédine ingrata respersos reperies, non est gutta non salsa: ita omnia quæ continet hoc sæculum, amaritudine quadam respersa sunt, & qui sæculo huic immersi sunt, miram salsedinem reperiunt in peccati & pravæ conscientiæ amaris fluctibus, licet ad tempus delectari videantur.

Non mare tot guttas, quot mala mundus habet.

Quinto, denique in mari scopuli sunt & periculæ, syrtes & voragines, imò & multæ belluæ insidiantes, ideoque frequentissima naufragia. Quid reperies in sæculo nisi scopulos & rupes ad quas navis nostra allidatur? Quid nisi occasiones & peccati pericula? Nullus locus, nullus status à periculo est exemptus, insidiantur belluæ quoque monstruosæ, luxuria, ira, superbia, gula, nulla securitas cui fidere possis, & ideo tam multi naufragium patiuntur & pereunt.

Maria itaque præclara est illa stella super hoc mare magnum & spatiosum necessariò sublevata, micans meritis, illustrans exemplis, O, inquit, D. Bernardus, *quisquis te intelligis in hujus sæculi profundo, magis inter tempestates fluctuare, quàm per terram ambulare; ne avertas oculos à fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis, respice stellam, voca Mariam. Si insurgunt venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum: si jactaris superbiæ undis, respice stellam, voca Mariam: si ira aut avaritia aut carnis illecebra navisulam concusserit mentis, respice stellam, voca Mariam: si criminum immanitate confusus, conscientiæ fœditate, judicii horrore perterritus, barathro incipis absorberi tristitiæ, & desperationis, respice stellam, voca Mariam: in periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca, non recedat à corde, non recedat ab ore. Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras, ipsa propitia ad portum pervenis, &c.* Bern. homil. 2. super missus

Digitized by Google

Bonav.in speculo B. V.lect.3.

Idem explicans D.Bonav.Nautæ, inquit, cùm in aliquam terræ partem navigare disponunt, unum sidus eligunt, cujus signo & luce radiante, in eam quam desiderant partem, possint sine errore adduci. Officium gerit Maria stellæ marinæ, quæ navigantes per mare mundi in navi innocentiæ vel pœnitentiæ, dirigit ad littus patriæ. In eandem sententiam refert D. Bonaventura Innocentium Papam sic interrogantem : Quibus auxiliis possint naves inter tot pericula transire usque ad littus? Respondet ; Certè per duo, scilicet per lignum & stellam, id est, per fidem Crucis, & per virtutem lucis, quam nobis peperit Maria maris stella.

Nomen Maria non fortuito, sed cœlitus Virgini impositum

Ex his satis colligitur non fortuito hoc nomen Maria Virgini inditum fuisse, sed è cœlo esse delapsum, & divinitus Virginis parentibus inspiratum. Solet enim Deus illis quos ad munus aliquod speciale eligit, nomen dare illi muneri aut dignitati congruum. Ideo illum qui antea vocabatur Abram, vocari voluit Abraham, quod significat Patrem multarum gentium, quia ad hoc eum eligebat, ut in semine ejus omnes gentes benedicerentur. Sic Jacob vocari voluit Israel, ob luctam, quam cum Angelo habuit Dei vices gerente. Sic in novo testamento Simeonem vocari vult Petrum, ob firmitatem fidei, super quam fundare volebat Ecclesiam, Jacobum item & Joannem vocat Boanerges, id est, filios Tonitrui. Et sic de aliis multis reperies discurrendo per Scripturas. Sic ergo & nos dicimus nomen Maria, quod muneri & dignitati ad quam Virgo electa erat, mirificè convenit, à Deo inspiratum fuisse, & quodammodo è cœlo lapsum.

Hinc viri sancti illud summa pietate coluerunt, & in ejus laudem præclarissima scripserunt. Inter cæteros antiquus quidam Pater, cui nomen Idiota, sic dicit : *Dedit tibi Maria Trinitas nomen, quod post nomen filii tui est super omne nomen, ut in nomine tuo omne genus flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Hoc nomen super omnia nomina Sanctorum resicit lassos, sanat languidos, illuminat cæcos, penetrat aures, ungit Agonistas, jugum diaboli extrudit. Tanta excellentia est ut ad ejus invocationem cœlum & terra lætetur, Angeli congaudeant, dæmones tremant, infernus conturbetur.*

Idiota in l. contemp.de Virg.

Carthus. lib.3. de laud. Virg. c.ult.

In revelationibus S.Brigittæ (ut refert Carthusianus) dicitur B. Virgo ei apparuisse, & dixisse : Audi quantum filius meus nomen meum honorat : Angeli dum illud audiunt, gaudent & gratias agunt, quod per me & mecum talem gratiam fecit, & quia vident humanitatem Filii mei in deitate glorificatam. Qui in Purgatorio sunt, gaudent sicut æger in lecto, audito verbo solatii : Angeli etiam boni audito hoc nomine justis magis propinquant, & de eorum lætantur profectu, quibus sunt ad custodiam deputati. Omnes quoque dæmones verentur hoc nomen, & illo audito fugiunt.

Vincent. in spec. hist.

Memorabile exemplum habes de B. Josione, qui nomini Mariæ ita devotus erat, ut singulis diebus quinque Psalmos recitaret, quia tot literis Maria nomen constat. Id vero sibi gratissimum Deus ostendit quinque floribus ex ejus ore, auribus, oculis, prodeuntibus post mortem ejus. Vide latè in speculo exemplorum, & floribus D'averoultii, c.2. tit. 35.num.3.item apud Molanum.

Antonius in Chronico. Molanus in Natalibus Belgiæ Novemb.

GRATIA PLENA.

De Gratia Virginis.

Gratiæ plenitudo diversimodè accepta.

PLenitudo gratiæ diversimodè diversis tribui solet in sacris literis

1. Tributa Christo Col.1. 19 Joan.1.16

Primo illa Christo tribuitur, de quo dicitur : *Complacuit in ipso omnem plenitudinem inhabitare.* Item : *De plenitudine ejus omnes accepimus.* Habuit vero Christus plenitudinem gratiæ intensivam, ut loquuntur Theologi, quia habuit secundum perfectissimum modum & mensuram, secundum quam Sapientia divina eam alicui creaturæ decrevit dare. Tum quia anima Christi unita fonti gratiæ, ejus influxum perfectissimè debuit participare. Tum quia accepit eam in alios transfundendam, tanquam caput omnium justorum. Habuit quoque plenitudinem gratiæ extensivam, non solum quia habuit supremum gratiæ gradum, quem dare Deus decrevit creaturæ : sed præterea quia habuit omnes gratiæ effectus & operationes, quia habuit gratiam tanquam universale principium à quo in genus humanum omne genus gratiæ, omnis effectus & operatio gratiæ debebat derivari. Plenitudo itaque gratiæ quæ Christo tribuitur, illi soli competit, quia illi soli competit esse caput, fontem, principium universale gratiæ. Sicut Soli plenitudo lucis appropriatur, quia ipse est fons quidam luminis, a quo cæteris lux communicatur.

2. Aliis Sanctis tribuitur.

Secundo, plenitudo gratiæ aliquando aliis Sanctis tribuitur, quia abundantem gratiam illis communicavit Deus statui suo, ministerio & officio congruam, ut perfectè illo fungi possint, sicut Joannes, Stephanus, Apostoli dicuntur repleti fuisse Spiritu S. unusquisque juxta ministerium ad quod electus erat : Item & hoc sensu dicuntur aliqui pleni gratia, quia habent gratiam abundantem ad vitam æternam consequendam. Hoc modo se precari dicit Apostolus pro Ephesiis : *Vt impleamini*, inquit, *in omnem plenitudinem Dei.*

Ephes.3. 19.

3. B. Virgo Maria.

Tertio, plenitudo gratiæ Mariæ specialiter post Christum tribuitur & vocari potest plenitudo specialis prærogativæ : quia habuit excellentissimam gratiam super omnes Sanctos, & super omnes Angelos, Rationem affert D.Thomas, quia unicuique a Deo datur gratia secundum dignitatem ad quam eligitur. Prædestinatus Filius Dei, & omnium Sanctificator, habuit plenitudinem gratiæ sibi propriam, quæ redundaret in omnes : Maria vero electa ad dignitatem Matris Dei, obtinuit tantam plenitudinem gratiæ ; ut esset propinquissima gratiæ authori, ita quod eum qui est plenus omni gratia in se reciperet, & eum pariendo quodammodo gratiam ad omnes derivaret. Ita Thomas.

D.Tho. 3. p.q.27. art.

Hinc etiam Virgo à sanctis Patribus vocatur,

Mare

Digitized by Google

Chrysol. ser. 146. Alber. sub Missus. Bonav. in speculo Virg. c. 2.

Mare gratiarum, ita ut Latinè ejus nomen Maria, à mari derivetur, quia sicut Deus præcepit, ut aquæ congregarentur in unum locum, & *Congregationes aquarum appellavit maria*, ita etiam voluit ut omnes gratiæ in Virgine congregarentur, & gratiarum omnium congregationes Maria dicerentur, sic observat B. Chrysologus, & Albertus Magnus. Unde & D. Bonav. applicat Virgini illud: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat.* Omnia inquit flumina intrant in mare, dum omnia charismata Sanctorum intrant in Mariam: flumen gratiæ Angelorum, flumen gratiæ Patriarcharum, flumen gratiæ Apostolorum, flumen gratiæ Martyrum, flumen gratiæ Confessorum & Virginum intrat in Mariam. *In me gratia*, inquit, *omnis via & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis.* Addit idem Bonaventura: Quid mirum si omnis gratia ad Mariam confluxit, per quam tanta gratia ad cæteros diffluxit? Quam quidem rationem amplificans B. Laurentius Justinianus ait: Magna profectò fuit Mariæ gratia exuberans & completa, quæ cœlis dedit gloriam, terris præbuit Deum, gaudium præstitit Angelis, sæculoque pacem refudit, fide docuit gentes, vitiisque finem imposuit: Quomodo non est Maria juxta Gabrielis oraculum plena gratiâ, quæ effecta est Mater Dei, Paradisi scala, Cœli janua, interventrix mundi, dæmonum fuga, peccatorum spes, Dei & hominum verissima Mediatrix? Ita ille.

Eccl. 24. 25.

B. Laur. Justin. ser. de Annunc.

Quando acceperit D. Virgo gratia plenitudinem; 1. Ad Conceptionem.

Quæres, an gratiæ plenitudinem primum assecuta fuerit Virgo in Filii incarnatione? Ratio dubitandi est, quia tunc primum effecta est Mater Dei, ob quam dignitatem dicitur hac gratiæ plenitudine donata, & ob conjunctionem ad Christum. Respondeo B. Virginem jam ab ortu & conceptione sua plenitudinem gratiarum adeptam, quia licet necdum tunc Mater foret Christi, ex divinâ tamen prædestinatione ordinata erat ad illam dignitatem & consanguinitatem cum authore gratiæ; & ita in prima Sanctificatione in utero accepit majorem gratiam, quàm ullus hominum vel Angelorum. Ideò illi accommodatur illud: *Fundamenta ejus in montibus sanctis: Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.* Quod in sensu mystico de Virgine interpretari possumus, quia fundamenta sanctitatis Virginis posita fuerunt, ubi alii finiunt, & gratia quæ in aliis fuit finis & terminus, in Virgine initium & fundamentum fuisse videtur; Hæc enim prima gratia quâ sanctificata est, superat suprenam gratiam, in qua Angeli & homines consummantur. Quo eodem sensu dici potest, *Mons domus Domini*, Maria scilicet) *præparatus esse in vertice montium*, juxta D. Gregorium. Ratio est, quia ex tunc plus amata fuit a Filio, utpote futura mater ipsius, quam alii Sancti. Quod videntur indicare adjecta verba: *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.* Maternitatem & Virginitatem Mariæ quâsi portas per quas venturus erat in mundum, ex tunc magis diligebat, quam Patriarchas & Prophetas: & hanc Civitatem in qua debebat nasci verus ipse homo, ex tunc fundabat Altissimus super verticem montium sive elevabat in gratia, super gratiam omnium Sanctorum.

Ps. 86. 2.

Isaiæ 2. 2.

Hæc verò sanctificationis gratia adeò plena fuit & perfecta, ut per illam ex tunc confirmata fuerit non solum contra omne peccatum mortale, sed etiam contra omne veniale. Ipsâ à conceptione sua fuit *Hortus conclusus, fons signatus:* Hortus ad quem serpenti nullus unquam accessus, ut veneni sui semina spargeret; quia igneo divinæ gratiæ vallo undique circumseptus: fons gerens sigillum Regis, ut nemo limpidissimam fontis hujus aquam, vel minimo pulvere posset inspergere.

Cant. 4. 12.

Et sicut vas plenum balsamo pretioso admixtionem liquoris alterius non admittit, sed penitus respuit: ita in Virgine nihil maculæ peccati intrare poterat, in qua sanctificationis plenitudo regnabat. Undè rectè ipsa dicit: *Balsamum non misceam odor meus.* Addunt aliqui adeò copiosam & efficacem fuisse in prima sanctificatione ei impertitam gratiam, ut non solum ligarit peccati formitem (quod omnes asserunt) sed etiam penitus extinxerit & sustulerit, auferendo scilicet omnem illam inordinatam inclinationem appetitus sensitivi, qua aliquando nititur contra rationis consensum; quæ imperfectio ex originali peccato orta fuit in nobis, & fomes est ac origo in nobis actualis peccati. Hunc quidem fomitem fuisse in Virgine quoad essentiam asserit D. Thomas, sed tamen sopitum & ligatum, ne motum aliquem haberet rationi contrarium, in conceptione verò Filii Dei totaliter fuisse sublatum, & Virginem ab eo liberatam. Sed Alexander ab Ales, Scotus, & alii etiam per gratiam primæ sanctificationis in utero illum totaliter sublatum existimant probabiliter.

Eccl. 24. 31.

D. Tho. 3. p. q. 27. art. 3. Ales, Scotus, & alii.

2. Hæc gratia fuit aucta tota vita ejus.

Quæres secundò: An Virginis gratia durante ejus vita augeri potuerit? Ratio dubitandi est, quia jam ab initio vitæ plena gratia asseritur, ergo ex tunc ejus gratia in sua fuit perfectione consummata. Respondeo rectè dici Mariam jam ab utero gratia plenam, qui excellentem & perabundantem gratiam accepit ultra omnes homines & Angelos, & hæc fuit plenitudo & perfectio gratiæ quasi dispositiva, qua reddebatur idonea; ut esset Mater Christi. Ex præsentia autem Filii incarnati in utero, à Spiritu S. copiosius & excellentius adhuc, donis gratiæ fuit adornata. Imò tota vita, ejus gratia incrementum accepit novis actibus meritoriis amoris & dilectionis, aliarumve virtutum usque ad ultimum instans vitæ; in quo habuit quodammodo immensam gratiam, & tantam charitatis amorisque perfectionem, ut non tam mors quàm amor animam ejus à corpore avulserit, ut evolaret ad centrum amoris.

De Virginis ergo gratia etiam verum est quod de cæteris justis dicit Sapiens: *Justorum semita quasi lux splendens procedit & crescit usque ad*

Prov. 4. 18

perfectam diem. Quia quamdiu homo est in statu viatoris, augeri potest gratia ejus, tunc prius perfectionem omnem habitura & consummationem, quando erit in statu comprehensoris.

3. Probabile est gratiam B. Virg. superare omnium sanctorum gratiam collectivè. S.Bern. Serm.de Assump.

Quæres tertiò: An tantam habuerit Virgo gratiæ plenitudinem, ut ejus gratia superet gratiam omnium Angelorum & omnium Sanctorum in unum collectam? Respondeo id valde probabiliter à multis affirmari. Ex quo sequitur eam etiam majori gloria perfrui, quam omnes Beati simul sumpti, quod expresse asseruit Bernardinus Senensis explicans illud: *Posuit diadema regni super caput ejus: Istud est inquit diadema speciei & corona gloriæ, qua Virgo super Angelos coronatur, ita ut intra Trinitatis gloriam ipsa sola amplius sit evecta, ac plus ea fruatur, quàm omnis creatura simul sumpta.* Eadem autem est ratio de gratiâ & de gloriâ, quia gloriæ perfectio perfectioni gratiæ correspondet. Eandem sententiam videntur sequi illi Patres, qui perfectiones omnes cæteris Sanctis, vel Angelis distributas, dicunt excellentiori quodam modo in Virgine esse congregatas. Quomodo supra diximus Mariam mare gratiarum esse, in quâ congregationes sunt omnium gratiarum. Confirmat & id Hieronymi dictum: *Cæteris per partes præstatur, Mariæ verò simul se tota infudit gratiæ plenitudo.* Hinc & in ejus persona dicitur: *In plenitudine Sanctorum, detentio mea.* Quod Bonaventura cum Bernardo sic explicat. *Ideo in plenitudine Sanctorum Maria detentio fuit, dum in mirificâ detentione suâ, plenitudo perfectionis omnium Sanctorum non defuit.* Itaque ardor Seraphicorum, scientia Cherubinorum, magnificentia, authoritas, potentia, excellentia Thronorum, Dominationum, Potestatum, Virtutum, Principatuum Hierarchiæ cœlestis: Denique Archangelorum & Angelorum sanctitas, & puritas eminentiùs reperitur in MARIA. Item charitas Apostolorum, constantia Martyrum, innocentia Confessorum, castitas Virginum, patientia & tolerantia Sanctorum omnium, eminentiori quodam modo reperitur in Maria. Hinc aliqui dicunt, ideo gestare in capite coronam stellarum duodecim, quia sola possidet gratiam & gloriam novem Ordinum Angelorum, ac trium statuum animarum sanctarum, Martyrum nempe, Confessorum ac Virginum. Dicendum verò consequenter Deum plus amare & amasse Virginem, quam reliquos omnes Sanctos conjunctim. Unde & ab æterno divina menti specialiter objecta describitur, tanquam eximium opus cæteris longè excellentiùs, dum de illa dicitur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, ab æterno ordinata sum: Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram: Quando præparabat cœlos aderam.* Quid aliud est (inquit Viegas) adfuisse Virginem Deo mundum mente designanti & ex æternitate molienti, nisi in illa creaturarum archetypa molitione divino intellectui objectam fuisse, quasi jam tunc Deus in singulis creaturis investigaret quidquid in illis excelleret, ut inde decerptum in Virginem transfunderet? Virgo ergo omnium perfectionum Epitome ac Compendium erat, & ideò supra omnes creaturas Deus eam diligebat. Correspondenter autem Virgo Deum amavit perfectius, quàm omnes Sancti simul. Dedit enim ei Filius tanquam Matri amorem perfectissimum, amori suo quantum capax fuit creatura, correspondentem.

S.Hieronym.ser. de Assump. B.Virg. Bonav.in speculo V. lect.7.5.6.

Prov.8. 22. Vieg. in Apoc.

DOMINUS TECUM.

Dominus tecum, salutatio usitata Hebræis.

APud Hebræos usitata fuit talis salutatio & apprecatio. Unde Angelus Gedeonem alloquens ait: *Dominus tecum virorum fortissime.* Et Booz messores visitans impertiebatur eis salutem his verbis, *Dominus vobiscum.* Salomoni quoque filio suo David in hinc vitæ benedicens dicebat: *Nunc ergo Fili mi sit Dominus tecum, & prosperare.* Saul etiam ipsum Davidem contra Goliath pugnaturum, cum hac benedictione dimiserat: *Vade, & Dominus sit tecum.*

Judic.6. 12. Ruth.2. 4 1.Paral.22. 1.Reg.17. 37.

Nempe, salutatis est apprecatio ista, quia *Deus nobiscum*, hoc est, ejus præsentia & assistentia radix est & origo omnis boni, & omnis benedictionis, ut ex exemplis S. Scripturæ liquet. Unde putas tantam benedictionem nactus est Isaac, nisi ex hâc præsentiâ Dei? Promiserat enim ei Dominus: *Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra quam dixero tibi, eroque tecum, & benedicam tibi.* Quapropter ad eum venit Abimelech, & alii Principes populi, & dixerunt: *Vidimus Dominum tecum esse,* & ideò venimus inire fœdus tecum.

Gen.26.1

Ib.v.28.

Undè adeò prosperatus est Jacob in laboribus suis; Ex hâc utique Dei præsentiâ & speciali assistentia, per quam etiam dignus factus visione frequenti Angelorum, revelatione mysteriorum & luctâ cum Deo, ob quam dictus est *Israel*, hoc est, *videns Deum*, vel ut alii interpretantur. *Princeps cum Deo.* Nempe Dominus cum illo se futurum promiserat, dum è scalâ illâ mysticâ eum sic alloquitur: *Ero custos tuus quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc.*

Gen.28. 15.

Unde tot victoriæ Josue, nisi ex eâdem Dei præsentiâ? Ideò Moyses dicit ei: *Dominus qui ductor est vester, ipse erit tecum, non dimittet nec relinquet te, ne paveas.*

Deut.31.8

Denique unde tot res feliciter gestæ per Gedeonem, Davidem, Judith, & alios populi Duces, nisi quia Dominus erat cum illis, ut asserit Scriptura disertis verbis.

Hinc documentum accipimus nihil nos (maximè si arduum sit) adoriri debere, nisi sentiamus Dominum nobiscum esse, & ab illo nos moveri: sine illo enim nihil faustum, cum illo omnia feliciter possumus. Undè Nathan dicit Davidi Regi: *Omnia quæ in corde tuo sunt fac: Deus enim tecum est.* Imò nec egredi, nec ingredi, nec quicquam aggredi nos oporteret, nisi fulciamur hâc Dei præsentiâ, & nisi eam priùs invocemus. Propterea Moysi dicit: *Præcipis, ut educam populum istum & non*

1.Par.17. Exod.33.

non indicas mihi quem miſſurus es mecum. Si non tu ipſe præcedas, ne educas nos, in quo enim ſcire poterimus ego & populus tuus, invenisſe nos gratiam in conſpectu tuo, niſi ambulaveris nobiſcum?

Dei præſentia fons omnis benedictionis.

Sicut verò omnis benedictionis fons eſt Dei præſentia, ita omnium malorum noſtrorum origo eſt ejus à nobis abſentia. Hinc de populo ſuo Dominus dicit: *Derelinquam eum, & abſcondam faciem meam ab eo, & invenient eum omnia mala*, ita ut dicat in illo die: *Verè quia non eſt Dominus mecum, invenerunt me hæc mala*: Et Judith quintò dicitur: *Non fuit qui inſultaret populo iſti, niſi quando receſſit à cultu Domini Dei ſui, ubicumque ingreſſi ſunt ſine arcu & ſagitta, & abſque ſcuto & gladio, Deus eorum pugnavit pro eis & vicit.* Idcircò etiam Saul in tot cecidit infauſta, quando Dominus receſsit ab eo, de quo ipſe conqueritur: *Contriſtor nimis: ſi quidem Philiſtum pugnans adverſus me, & Deus receſſit à me.* Et de eodem dicit Scriptura: *Spiritus autem Domini receſſit à Saul, & exagitabat eum Spiritus nequam.* Deus verò non deſerit hominem, niſi priùs deſeratur ab eo: undè cum nos mala apprehendunt & angustiæ, non de Deo conqueramur, ſed de nobis, quia Deum dereliquimus. Nec enim ſi ille nobiſcum foret, quicquam timeremus, ſed diceremus: *Si ambulavero in medio umbræ mortis: non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Nec quicquam nobis nocere poteſt aut malum eſſe, quando nobiſcum eſt, quin potiùs omnia mala cooperantur in bonum. Si verò reliquit te Dominus: *Scito, & vide, quia malum eſt, & amarum reliquiſſe te Dominum Deum tuum.*

Deut. 31. 17.
Judith. 5. 17.
1. Reg. 28. 15.
1. Reg. 16. 14.
Pſ. 22. 4.
Jer. 2. 19.

I. *Hic Angelus utitur voce apprecantis & affirmantis ſe adeſſe Dominum excellenter*

Cæterum, cùm Angelus Virgini dicit: *Dominus tecum.* Non ſolum eſt vox apprecantis, ſed eſt vox affirmantis Dominum illi adeſſe excellentiſsimo quodam modo, & ſpeciali quâdam præſentiâ eſſe cum illâ quæ debebat eligi Mater Filii Dei. Et ita triplicem gaudii cauſam exprimere cenſetur Angelus. Gaude & Ave Maria, quia *gratiâ plena*, quia *Dominus tecum*, quia *benedicta tu inter mulieres.* Itaque per hæc verba multa poſſunt hic ſignificari, quia multis modis Dominus eſt cum Maria eam inhabitans, & ei multipliciter favens.

Primò ergò juxta Bernardum: Pater tecum, qui filium ſuum fecit & tuum. Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile Sacramentum miro modo ſibi fecit ſacrarium, & ſibi referat genitale ſecretum, & tibi ſervat virginale ſignaculum. Spiritus S. tecum, qui cum Patre & Filio tuum ſanctificat uterum.

Secundò tota Trinitas tecum, quia tecum potentia Patris te fœcundans ut eundem filium poſſis generare, & cum illo dicere: *Ego hodie genui te.* Tecum ſapientia Filii erudiens te & præparans, ut digna mater inveniaris. Tecum ſanctitas Spiritus ſancti ut tuam puritatem illibatam te concipiente conſervet.

Tertiò Tecum Pater, qui ante ſæcula te elegit Matrem viventium, imò & ipſius vitæ. Tecum filius, quem carne indutum novem menſibus geſtabis, & ubere de cœlo pleno lactabis. Tecum Spiritus S. qui tanquam fons perennis gratiæ ſuis te influentiis replebit, & tanquam per aquæ ductum illam ad nos derivabit.

Quartò Dominus tecum, quaſi Pater cum filiâ quam vigilanter cuſtodit, quaſi ſponſus cum ſponſa, quam unicè diligit, quaſi Rex cum Regina, quam ſublimi honore extollit, quaſi Sol cum Luna, quam ſuis illuſtrat radiis.

Poſſumus quoque in his verbis, *Dominus tecum*, intelligere ſignificatam fuiſſe Virgini ſuam prædeſtinationem, ſicut & prioribus juſtitiæ ſuæ certitudinem accepit. Et ita ſignificatur Deum ſic virginem hanc inhabitare & cum illa eſſe, ut ab eâ nunquam ſit receſſurus, ſed poſtquam in illâ verificatum fuerit: *Qui creavit me, requievit in Tabernaculo meo*, ipſe tabernaculum ſuum collocabit in gloriæ ſuæ tabernaculo, in ſolio & ſole æternitatis ſuæ.

II. *Significatur hæc voce Virgini ſuam prædeſtinationem eſſe indicatum.*

Eccl. 24. 12.

Similibus verbis Dominus D. Sebaſtiano electionem ſuam ſignificavit. Tanto zelo fidei ardebat Sebaſtianus, ut plurimos ad fidem converteret, & novos Chriſtianos ſua & voce & zelo, in fide roboraret. Cùm verò Marcum & Marcellianum fratres in carcere jam ferè nutantes, ob lachrymas parentum, uxorum, filiorum (qui graviſsimis querelis ſe deſeri lamentabantur) cœleſtibus monitis ſuis confirmaſſet, & invictos ad omnes illecebras & tormenta reddidiſſet; Ecce lumen de cœlo eum circumcinxit, omnes in admirationem rapiens & quâdam lætitiâ perfundens, & in medio luminis ſeptem Angeli; ante eos verò Dominus Angelorum, qui Sebaſtiano oſculum pacis tribuens, clarâ voce dixit: *Semper mecum eris.* Quibus quidem verbis non potuit Martyr Chriſti æternam ſuam prædeſtinationem ignorare. Quod ipſum aſſerimus de B. Virgine, ſcivisſe ſuam in hac Salutatione Angelicâ prædeſtinationem, in quâ aſſeritur Dominum cum illa eſſe, & gratiæ plenitudinem ipſi adeſſe, & ſuper omnes creaturas benedictionem obtinuiſſe.

Sutius in vitâ S. Sebaſt. 20. Jan.

Quod verò aliqui Patres per illa verba, *Dominus tecum*, ſignificare videntur, jam tunc per carnis aſſumptionem cum Maria Dominum eſſe quaſi in virgineo jam utero conceptum, hoc caute intelligendum eſt, nam conſtat ex verbis illis, *Ecce concipies*, poſtea conceptum Filium Dei. Reſpiciunt ergo SS. Patres dum dicunt: *Dominus tecum in mente, tecum in ventre*, ad tempus proximè futurum, quod quaſi præſens erat.

Nos verò cum jam ei hanc Salutationem præſentamus, & dicimus: Dominus tecum ô Maria: rectè intelligimus de ſpeciali illo modo quo per carnis aſſumptionem eſt cum Maria. Quia ſcilicet partem ſubſtantiæ puriſsimi Sanguinis ejus, ſibi inviolabili unione copulavit, & ſic tali modo eſt cum Maria, qui nec Angelis, nec Sanctis, nec ulli competit creaturæ.

III. *Per carnis aſſumptionem ex B. Virg.*

Congruè quoque dicimus nunc Mariæ *Dominus* IV.

Digitized by Google

In omnibus myſteriis invenitur Dominus Jeſus cum illa.

tecum, peracta redemptione noſtra, quia in omnibus ferè myſteriis invenitur Jeſus cum Maria, & inter ipſos ſocietas indiviſibilis reperitur. *Dominus tecum*, ô virgo, cum invenitur à Paſtoribus, cum adoratur à Magis: Invenerunt enim puerum cum Maria matre ejus. *Dominus tecum*, cum in Ægyptum fugit, cum ibi commoratur, & ſimulachra confringit: Ecce enim *aſcendet Dominus*, inquit Propheta, Iſa.19.1. *ſuper nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur ſimulachra ejus.* Tu nubes levis es aut brachia tua, inter quæ in Ægyptum defertur, & per quæ ab Ægypto in Judæam reducitur. *Dominus tecum*, cum in Templo præſentatur, & à Simeone & Anna benedicitur; in pulchra enim illa proceſſione tunc facta, graditur ſublimis Trinitas terræ, *Jeſus, Maria, Joſeph.* Subſequuntur cum illis ſenes & viduæ, pueri & puellæ. *Dominus tecum*, cùm aſcendit duodennis in Templum, & cùm ad tempus breve te reliquit let, ut probaret amorem, tecum tamen erat in tuo recumbens affectu, & ardentiſſimo deſiderio. *Dominus tecum*, cum primum miraculum fecit, aquam convertens in vinum, cum nuptiis benedicit, ut ſciant omnes conjugati ſe à Jeſu & Maria benedictionem petere debere, & illos ad nuptias vocare. Denique *Dominus tecum*, cum turbis prædicat, cùm crucifigitur, cùm reſurgit, qui tibi ad tempus deſolatæ poterat dicere: Exſurrexi & adhuc tecum ſum: *Dominus tecum*, per ſpecialem gloriam in tota æternitate.

Quicumque ergo vult cum Jeſu eſſe, ſit & ipſe cum Maria; quia nec Jeſus à Maria, nec Maria ſeparatur à Jeſu. Concludam ergo cum Thoma à Kempis dicendo: Bonum eſt cum Maria Jeſum adorare jacentem in præſepio, cum Maria Jeſum in ulnis portare, cum Maria Jeſum quærere, cum Maria & Jeſu in Nazaret habitare, cum Maria ire in Jeruſalem, cum Maria juxta crucem ſtare, cum Maria Jeſum plorare, cum Maria Jeſum ſepelire, cum Maria & Jeſu reſurgere, cum Maria & Jeſu cœlos aſcendere, cum Maria & Jeſu vivere & mori deſiderare. Fœlix anima quæ habet Jeſum & Mariam familiares amicos in hac vita, ſodales in menſa, comites in via, proviſores in neceſſitate, conſolatores in tribulatione, adjutores in periculis, conſultores in dubiis, ſuſceptores in extremis. Sic ergo age, ut ſemper Jeſus ſit tecum, ſicut cum Maria, & hoc habe pro ſolatio in hujus mundi exilio, Jeſum & Mariam habere in cordis hoſpitio.

Thom. à Kempis ſerm. ad Novit.

LECTIO IV.

DE SECVNDA PARTE SALVTAtionis Angelicæ.

BENEDICTA TU IN MULIEribus.

Hæc verba & per Angelum

HÆc verba non ſolum primitus ab Angelo, ſed & a ſancta Eliſabeth Virginem ſalutante pronunciata ſunt, & mirabiliter factum eſt, ut Elizabeth quaſi interfuiſſet colloquio angelico, ab his verbis angelicis ſuam auſpicaretur gratulationem: nempe uno eodemque ſpiritu afflati, eiſdem verbis uſi ſunt Angelus & Elizabeth. Nec ſine myſterio dicitur Eliſabeth voce magna exclamaſſe hæc verba pronuntians, tum quia ex magno ſpiritus ardore & ſpirituali lætitia ac admiratione, Salutationem hanc Virgini deferebat, cujus hæc vox indicium eſſe debebat: Tum quia non poterat non voce magna in tanti myſterii notitia exclamare, quæ in utero gerebat vocem illam ſonoram ſcilicet Joannem, quæ verbum divinum cum clamore præcurrere debebat & jam exiliens & præcurrere geſtiens, matrem ad exclamandum impellebat, imò per os matris ſuæ ſonoram hanc vocem edebat ad Verbi & Matris ejus adventum. Denique ideò voce magna exclamavit Elizabeth: *Benedicta tu in mulieribus & benedictus fructus ventris tui*, quia iſta vox debebat reſonare per univerſum orbem, & ad omnium aures devenire, & per omnium ora uſque in finem ſæculi decantari: Debebat & omnes hæreticos, Judæos, infideles, qui de Maria malè loquuntur confundere: debebat & omnes Chriſtianos animare, ut eodem ſpiritus ardore ac ſpirituali lætitia valeant Deiparæ hanc ſalutationem præſentare. Ob eandem etiam rationem mulier illa quæ Eccleſiæ Catholicæ typum geſſit (inquit Beda) voluit extollere vocem de turba decantans Salvatori: *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti.* V. Beda l. 4. c. 49. in Luc. 11. 27.

& per Eliſabetham pronunciata fuere

Licet verò Maria benedicta ſuper omnes creaturas, ſuper omnes electos, ſuper Angelos & homines, donis & gratiæ & gloriæ cæteris omnibus potè filium præfulgens, tamen hic ſola mentio fit de mulieribus, quia & Angelus & Elizabeth reſpiciebant ad dignitatem Matris Dei, quæ ſolis mulieribus competere poterat. Multiplici verò ratione inter mulieres benedicta pronunciatur.

I. *Cur B. Virgo dicitur Benedicta inter mulieres?*

Primò, quia cùm per mulierem maledictum & peccatum in orbem ingreſſum ſit (ita ut in mulierum opprobrium illa viri querela vertatur: Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno 1. Gen. 3. 12.) Meritò in mulieribus illa benedicta dicitur, quæ benedictionem maledictioni illi adverſam attulit mundo, omnibus proponens fructum vitæ, ut nemo amplius de muliere conqueratur. Quia ſi prima mater eſt mortis & morientium, hæc eſt mater vitæ & viventium: ſi prima lachrymas & miſerias peccati attulit, hæc gaudium & divitias gratiæ protulit: ſi prima ſerpenti conſenſit, hæc illius caput non ſolùm pro ſe, ſed & pro ſemine ſuo contrivit.

1. *Quia per mulierem maledictio, per mulierem hanc benedictio.*

Secundò, olim omnes mulieres alicui maledicto obnoxiæ erant. Si enim in virginitate agebant, opprobrium ſuſtinebant, quia ſteriles: Unde filia Jephte à Patre juxta votum immolanda, petit tres menſes, ut cum ſodalibus ſuis montes circuiens deplorare poſſit virginitatem ſuam, quod jam nubilis morte prohibeatur ſuſcitare ſemen in Iſraël

2. *Quia expers fuit omnis maledictionis.*

Digitized by Google

Gen.3.16. Israël. Si verò conjugio reddebantur fœcundæ, jam illi maledicto erant obnoxiæ : *In dolore paries filios, & multiplicabo ærumnas tuas.* Meritò ergo Maria inter mulieres benedicta, quæ & virginitatem possidet & fœcunditatem, & in partu jucunditatem.

Bern.super missus hom.3. Hæc est explicatio D.Bernardi dicentis : *Benedicta tu in mulieribus, quæ generalem mulierum evasisti maledictionem, ut nec sterilis maneas, nec cum dolore parturias. Concipies, sed sine peccato ; Gravida eris, sed non gravata ; paries, sed non cum tristitia ; nescies virum, & gignes filium. Qualem filium ? Illius, eris Mater, cujus Deus est Pater, Filius paterna claritatis erit corona tuæ castitatis : Sapientia paterni cordis erit fructus uteri virginalis : Confortare ergo Virgo fœcunda, casta puerpera, Mater intacta, quia non erit in Israel ultrà maledicta, nec inter steriles deputata.*

3. Quia ab æterno prædestinata, ab omnibus expetita, & fœminei sexus decus.

Tertio benedicta inter mulieres, quia ab initio & ante sæcula præ cæteris prædestinata, à Patriarchis desiderata, à Prophetis prænunciata, variis figuris præsignata, à Regibus & justis exoptata, à populo sancto exspectata, tandem in fine sæculorum mundo exhibita, de Patriarcharum stirpe orta, ex sacerdotali genere producta, ex Pontificali dignitate nobiliter derivata, ex regali stirpe, ex nobilissima tribu ; ex electa Israëlitica plebe, illustrissimè & felicissimè progenita, tanquam rosa inter spinas sine spina, & in illo populo singulariter prælecta, omnibusque donis adornata tanquam aula Dei, Angelorum gloria, hominum lætitia, fœminei sexus decus & gemma pretiosissima & speciosissima.

4. Quia præfiguratæ per illustres fœminas.

Quartò, cùm tres sint status mulierum, conjugatæ, viduæ, virgines, non solum super omnes est benedicta ; sed & quæcunque leguntur benedictæ à Deo vel ob fœcunditatem sicut Sara, Rachael, Rebecca ; vel ob castimoniam vidualem, ut Judith ; vel ob sapientiam, sicut Abigail aut mulier Thecuitis ; vel ob insignem aliquam victoriam, ut Jahel, Esther & Judith, typum gerebant victoriæ, quam tulit de Satana tenebrarum principe. Unde cum de Jahel ob interfectum Sisaram legitur *benedicta inter mulieres*, vel de Judith, *benedicta præ mulieribus* ob interfectum Holofernem, excellentia illa benedictionis non comperit eis perfectè, nisi ut typum prætulerunt Mariæ, Satanam populi Dei hostem supplantantis, & virtutem ejus conterentis. Non ergo dubites divina ordinatione sapienter & convenienter, Mariam jam ab initio sæculi præconiis celebratam in typo, & præfiguratam per illustres illius temporis fœminas, per sacras virgines, per castas viduas, per devotas Prophetissas, per honoratas Matronas pudicitiæ & prudentiæ singularis ; quandoquidem, ipsa fuerit virginum Virgo prudentissima, omnium fœminarum pudicissima, omnium puellarum speciosissim, omnium Matronarum honestissima & sapientissima, omnium Domicellarum venustissima, omnium Reginarum Regina nobilissima, omnium Prophetissarum oratione devotissima, meditatione purissima, contemplatione altissima.

Sicut etiam nemo potest ambigere, quin Christus Filius ejus, olim per sanctos Patriarchas & Prophetas, per Reges & Judices populi, per Sacerdotes & Pontifices, verbis, signis & figuris prænunciatus fuerit.

Sed, per hos tres status fœminei sexus discurrere libet, ut specialius videas, quomodo super omnes ipsa sit benedicta. *Conjugatas* benedictione superminet, tum ob virginitatem fœcunditati conjunctam, quia à sæculo non est auditum, hæc duo fuisse conjuncta, Mater & Virgo ; Partus & Integritas ; tum quia sine peccato concipit, & sine dolore parturit, quod nulli alteri concessum fuit : tum quia etiam prolis dignitate omnes superat. Si enim aliquæ peperunt Reges, Patriarchas, Prophetas, Pontifices, ipsa Regem Regum, cœli & terræ Imperatorem, Prophetarum Dominum, Angelorum & hominum Dominatorem, Filium ipsum Dei & concipere & parere meruit, totius sæculi lucem.

Viduas, quarum status poscit in silentio, pudicitia, oratione, pietate, jejunio ac operibus misericordiæ soli Deo vacare, ut Anna in Templo, ipsa longè superat benedictione : utpote quæ & virginitate candidissima est, & humilitate profundissima, charitate ferventissima, patientia mitissima, misericordiæplenissima, oratione & contemplatione sublimissima : pietatis speculum, forma morum, splendor virtutum, fax & lucerna spiritualis vitæ. Luc.27.

Virgines quoque supereminet, tum ob fœcunditatem, quæ non potest ulli convenire cum virginitate ; tum ob puritatem, quæ longè major est in illa, quia tanta, quanta major sub Deo nequit intelligi, teste Anselmo, tum ob prioritatem, quia prima virginitatem Deo vovit, & cæteras virgines suo exemplo ad eam sectandam attraxit. Prima, ut alibi diximus, vexillum erexit virginitatis sub quo postea innumeræ virgines militare voluerunt, virginitatis decorem purpureo etiam martyrii colore decorantes. Anselm.

Adducentur Regi virgines post eam, cum lætitia adducentur in templum Regi Domino. Ipsa ergo primatum tenet ; Mater omnium in virginitate, quia ipsa illam primò per votum in se consecrans, nullo præcedente præcepto, consilio, vel exemplo, cæteras virgines per imitationem sui censetur genuisse. Ipsa primam vocem Turturis fecit audiri in terra nostra. Vox enim qua virginitatis votum emisit, vox censetur Turturis castissimæ, & audita fuit in terra nostra vox illa, quæ prius à sæculo nusquam personuerat : postea autem mille virgines sunt imitatæ, quæ tanquam sacræ Turtures in Religionis solitudine votum perpetuæ castitatis ediderunt. Ipsa est, *Virga Aaron, Virga Amygdalina*, de qua dicitur : *Germinavit virga, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis, in amygdalos deformati sunt* : Amygdalus autem apud Ps.44.15.

Nu.17.8. *Amygdalus castitatis symbol.*

anti-

Digitized by Google

antiquos castitatis symbolum fuit, & inter omnes arbores hoc peculiare habet, quod prima flores emittat. Mariæ ergo symbolum hoc optimè competit, quæ prima florem virginitatis Deo per votum consecravit. Itaque ipsa in virginitate omnibus præeminet, quia ejus virginitas, quantum ad propositum & animum, tanto efficacior fuit & excellentior, quanto ex majori charitate & gratia procedebat, quantum ad intentionem, ex perfectissimo Dei & puritatis amore hoc fecit: quantum ad executionem, tam perfectè servavit, ut omni prorsus motu repugnante caruerit.

Denique & in hoc supereminet, quòd ei tale donum Deus impertitus sit, ut mortalium nemo illum concupisceret; imò ea visa, infrænis libido in aspicientibus extingueretur, & tic habebat efficaciam motus illicitos in aliis reprimendi, ut docent Ambrosius & alii Patres. Erant enim duo ejus oculi, velut duæ faces amoris casti, extinguere potentes flammas concupiscentiæ, in illis quos intuebantur, ita ut ardorem ardore, ignem igne efficaci sopirent. Propterea etiam rectè Cedro comparatur Virgo, de qua dicimus: *Quasi Cedrus exaltata sum in Libano.* quia sicut Cedrus insita sibi virtute vermes extinguit, ita Virgo castitatis suæ dote, extinguere poterat libidinis vermes, animæ decorem corrodentes. Rectè quoque myrrhæ ipsa assimilatur: *Quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.* Sicut ergo myrrha à corruptione præservat, ita Maria castitatis odore intuentium côrda à libidine præservabat: Hoc cæteris virginibus non fuit indultum, quæ licet à se omnem concupiscentiam exterminarint; non tamen ab aliorum corde & oculis eam exterminare potuerunt. Patet de B. Agnete, Catharina, Lucia, Agatha, Margaretha, & aliis; quarum concupiscentiâ impuri homines mirè commoti fuêre. Congruè ergo ad hoc propositum accommodatur Virgini illud: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Ut sit sensus; Hæc est differentia inter Mariam & alias virgines etiam castissimas, quòd illæ sua pulchritudine *quasi spinæ* intuentium animos pungebant: Maria verò *quasi lilium* neminem suo decore læsit, nec cuiquam inordinati alicujus motus occasio fuit.

S. Ambr. & alii.

Eccl. 24. 17.

Ibid. 20.

Cant. 2.

Ad horum omnium confirmationem facit, quòd gravissimi Doctores asserunt splendentes quosdam radios & divinum fulgorem, in Virginis facie emicuisse, maximè à Filii Dei conceptione: Sicut olim ob consortium cum Deo splendor quidam è facie Moysis promicabat. Unde Origenes, Hilarius, Lyranus, & alii explicantes illud Matthæi: *Ioseph non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum*, asserunt præ nimio vultus fulgore, Iosephum non potuisse oculorum aciem in illam figere. Quamdiu Virgo Beata: inquit Origenes, in utero Solem Justitiæ habuit, tantus fulgor exibat de ejus facie, ut Joseph eam cognoscere & discernere non valeret, nec in ejus faciem intendere, donec ejus uterus fuerit evacuatus.

Orig. Hilar. Lyra in Matth. 1. 25. Origenes.

BENEDICTA TU IN MULIERIBUS.

II. *Dicitur benedicta in mulieribus, quia à triplici mulierum statu ipsa benedictionem accipit.*

ALio quoque sensu benedicta dicitur in mulieribus, quia a triplici dicto mulierum statu ipsa benedictionem accipit, ob multiplicia beneficia, quæ conferre solet devoto fœmineo sexui.

Primò ergo à *Conjugatis* benedicitur, quæ cum muliere illa Evangelica (quam putant aliqui fuisse B. Marcellam) extollere possunt vocem & mentem, dicentes Christo: *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti.* Sit Virgini accinentes: *Exultabimus & lætabimur in te, memores uberum tuorum.*

1. *A Conjugatis.* Luc. 11. 27.

Meritò verò ab illis benedicitur, quæ & fœcunditatem & in conjugio fœlicitatem, meritis suis solet impetiri. Hinc B. Dominicus cùm à Christianissima Regina Blancha rogaretur, ut vellet orationibus sibi a Deo impetrare filium, legitur respondisse: Regina te exhortor, ut Virgini sis devota illique frequenter per Rosarii recitationem obsequium offeras, tibiquè multa compares Rosaria, & des illis qui legere volent: Si enim hoc feceris, & Virgini devota fueris, Deus per ipsius preces dabit tibi filium sibi carum virumque sanctum. Fecit id devota Regina, & tempore statuto peperit filium Ludovicum, qui ob eximias virtutes, opera ac miracula, Sanctorum numero est adscriptus. Debet quoque à Mulieribus conjugatis Maria benedici, quia ipsis difficultate partus pressis sæpe auxiliari solet. Patuit id in S. Brigitta, quæ tot divinis fuit revelationib. clara, cui in partu laboranti Matrona quædam serica veste albi coloris induta adfuit, parturientisque blandissimè membra tractavit, corpusque omne flexibile reddidit, ut nullo negotio ventris fructus egrederetur. Abeunte ergo illa, proles in lucem cum gaudio & gratulatione suscepta est, post tantos dolores & pericula ob illam perpessos. Cognovit autem postea Brigitta beatissimam Dei Matrem fuisse, ipsa seipsam iterum illi manifestante. Colebat enim religiosissimè Dei Matrem, & coluit quoad vixit, suumque maritum virum sane præclarum sanctissimæ Dei Genitricis preces horarias recitare docuit, & omni officio & sanctitate venerari.

Canis. l. 4. Sera. Razius in hor. exempl. de B. Virg.

Surius in vi. B. Brig.

Denique debet & ab illis benedici, & omnes proles a conjugio natæ illi offeri, ut ipsius benedictione christianè possint educari, & in salutis via fœliciter progredi. Solet enim speciali illis auxilio adesse, qui a pueritia ei serviunt, vel à parentibus offeruntur, & in Virginis cultu instruuntur. Ideo tantus evasit Ludovicus, qui à Blancha matre, Deo & Virgini, cujus meritis fuerat impetratus, statim ab infantia fuit oblatus. D. quoque Elzearius tantæ extitit sanctitatis, qui huic Matri, infans fuit commendatus. Unde cum nobilis Domina Garsenda ejus nutrix, aliquando Dominum pro eo in Ecclesia noctu deprecaretur, hanc vocem audivit: *Puero huic, pro quo tam multum oras, noveris me Matrem meam*

Surius 25. Aug. c. 8. vitæ ejus. Idem 27. Sep. c. 14. in ejus vita.

Digitized by Google

Ribad. in vita S. Edmundi.

meam dedisse magistram, nihil igitur de illo dubites. Sed & S. Edmundus à puerilibus annis in Virginis devotione à matre instructus, admirabilem postea sanctitatem Virginis ope est adeptus. Miserat eum mater Paritios studiorum gratia; & ut puritatem virgineam conservaret, sæpè per literas monitis suis eum instruebat, & hortabatur omnem societatem lascivam quasi pestem fugere, Virginis cultum & Sacramenta frequentare: & cùm induvia vel alia lintea ei mitteret, ciliciolum solebat interserere, quo carnis petulantiam posset coërcere. Unde caro ejus nunquam immunditia polluta fuit, sed usque ad mortem mansit ipse incorruptus. Nam secutus consilium cujusdam Sacerdotis pii, vovit virginitatem coram imagine Beatæ Virginis, cui se tanquam Dominæ & Sponsæ dicabat, & in signum conjunctionis indissolubilis, imposuit imaginis digito annulum cui insculpta erat Salutatio hæc Angelica; ita ut in morte fallus fuerit ex eo tempore habuisse fœlicem exitum in omni tentatione, & consolationem in adversitate quacunque occurrente, quoties ad Virginem recurrebat, & hic quidem annulus post mortem divinitus ei redditus est, & digito ejus impositus. Cùm verò Sacrista Pontiniacensis, ubi ejus corpus erat, illum ut sacratissimum pignus è viri sancti digito eruere vellet, nulla id potuit violentia; sed pia prece ad viri sancti aures facta, eum dimisit sine difficultate, & per illum multis sanitas est reddita.

2. A Viduis.

Secundo à *Viduis* benedicitur, quia ipsa earum est protectrix, & desolatorum consolatrix, ipsa eis exemplum præbuit solitudinis, orationis, castitatis & pietatis. Debent ergo cum Anna illa vidua in templo, illam benedicere, illius laudes decantare, illius se tutelæ committere, quia ejus ope poterunt in statu viduali castè vivere, pietatem sectari, & solatium reperire, imò & in desolationibus temporalibus protectionem.

J. Bonif. hist. Virg. l. 2. c. 25.

Refert Joannes Bonifacius, viduam quandam inopem & egentem, cum adversario potentissimo coactam fuisse litigare, cui quidem propter opes & gratiam qua pollebat apud Judicem, litem pro arbitrio licebat prorogare, immò & Judicis animum donis corrumpere. Cùm verò egentissima fœmina deprecatore ac patrono careret, ad illam Reginam confugere statuit, cui viduarum & pupillorum est cura. Oranstergo ferventer Virginem, & frequenti Rosarii recitatione obsequium ei offerens, paulò post causam obtinuit, non sine divinæ virtutis auxilio & Dei præclaro miraculo. Ter enim Judex iniquus sententiam ex scripto pronunciare aggressus, ter à Virgine revocatus, & contra quam vellet conversa lingua pro inope muliere coactus est proferre sententiam.

3. A mulieribus castitatis naufragium passis.

Tertio benedicitur à mulieribus quæ post castitatis naufragium, ad meliorem vitam respiraruut, quia hoc eis Virginis beneficio frequentissimè conceditur.

Hubes exemplum de Maria Ægyptiaca.

De B. Benedicta à Dominico conversa, cui apparuit B. Virgo monens, ne ingrata Deo foret, tot periculis æternæ perditionis eruta, & miro beneficio conversionis suæ Deo obstricta: cùm multi iisdem peccatis quibus ipsa involuti, in æternas quotidie devolverentur miserias. Tales filiæ pœnitentes rectè intelliguntur, per *filias Tyri*, hoc est, angustiæ, de quibus: *Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur.* Item de illis rectè introducitur Virgo loquens: *Memor ero Raab & Babylonis scientium me.* Babylon confusionem significat, Raab meretrix erat; designant ergo filias confusionis, quæ tamen tandem conversæ scientes benignitatem S. Virginis, ad illam, tanquam civitatem Dei, refugium habent. In vit. pp. l. 1. p. 295. Ps. 44. 13. Ps. 86. 4.

4. A Virginibus.

Quartò benedicta in mulieribus, quia à Virgineo Choro nocte dieque benedicitur, de qua optimè illud intelligitur: *Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicaverunt, & Regina laudaverunt eam.* Ubi per *filias Sion* rectè intelligimus filias pietati addictas, & per *Reginas* animas justas & virgineas, carni & passionibus imperantes; animas perfectas, quæ Dei regnum jam quodammodo intra se habent. Hæ beatissimam eam prædicant, quia eatenus & Mater & Princeps est, & (ut innuit Textus,) ideò eam beatam prædicant, quia *viderunt eam*, hoc est, quia ejus perfectiones assiduè contemplantur, ejus virtutes semper præ oculis habent, tanquam exemplar cui se debent conformare. Illi se totas vovent ut puritatem ejus ope illibatam possint conservare, cum illa caput serpentis conterere, & victoriam contra mundum, carnem, Satanam reportare. Ideò Religiones & Cœnobia Virginum specialiter Mariam in Patronam eligunt, & speciale officium illi decantant, ejusque laudes magna cum lætitia frequentant. Can. 6. 8.

Beatissimam ergo eam prædicant, beata viscera, quæ protulerunt vitæ fructum, beata ubera, quæ lactaverunt Dei Filium, beatum os, quod ori divino adeò frequenter fuit applicatum. Beata prædicant brachia, quæ puritatis authorem sunt complexa; beatos oculos, qui divinitatis solem nebula humanitatis circumcinctum tam amarosè sunt intuiti; beata omnia membra, inter quæ totius benedictionis author adeò frequenter recubuit.

5. Ab omni sexu & ætate.

Quintò, non solum benedicitur à mulieribus, sed & ab omni sexu, ætate, conditione, natione, prout & ipsa spiritu prophetico dixit: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Quem locum explicans Hugo Cardinalis dicit: Omnes gentes scilicet Judæorum & Gentium, virorum & mulierum, divitum & pauperum, Angelorum & hominum; quia omnes per ipsam salutare beneficium acceperunt, homines reconciliationem, Angeli reparationem: Christus enim Dei Filius *operatus est salutem in medio terræ*, id est, in utero Mariæ, quæ quadam mirabili proprietate terræ medium appellatur: Ad illam enim respiciunt, & qui habitant in Cœlo, & qui habitant in inferno sive in Luc. 1. 48. Hu. Card. tom. 6. in c. 1. Lucæ. Ps. 73. 12.

Digitized by Google

Purgatorio, & qui habitant in mundo: Primi ut refarciantur: Secundi ut eripiantur: Tertii ut reconcilientur. Judith.15. Cui rectè conveniunt illa verba: *Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri, quia feciſti viriliter.* Primum eſt vox Angelorum, quorum ruina per ipſam reparata eſt. Secundum eſt vox hominum, quorum triſtitia per eam lætificata eſt. Tertium eſt vox mulierum quarum infamia per ipſam deleta eſt. Quartum eſt vox mortuorum, quorum captivitas per eam reducta eſt. Hæc ille.

Benedicunt ergo eam omnes viventes, qui ei quotidie hanc Salutationem repetunt: Benedicunt morientes in Domino, dum ei dicunt: Cant. 8.5. *Maria Mater gratiæ, Dulcis parens clementiæ, Tu nos ab hoſte protege, Et mortis hora ſuſcipe.* Benedicunt mortui in Purgatorio, auxilium ejus implorantes. Benedicunt Angeli eam admirantes; quod de deſerto hujus mundi veniens, tantis affluat delitiis ſupra Angelicam naturam exaltata, & ſuper dilectum innixa. Benedicunt omnes Sancti, tanquam aſtra matutina circa hanc mulierem Sole amictam. Unde Turrecremata Cardinalis, ſic de ea loquitur: Fœlix quam Angeli laudibus proſequuntur: Benedicta quam Apoſtolorum Chorus honorat: Benedicta quam Martyres candidati beatificant: Benedicta quam ſanctorum Confeſſorum turba celebrat: Benedicta quam ſanctarum Virginum cum palmis exultans Chorus circumdat: Benedicta, cujus ex ore infantium & lactentium laus in cœlo perficitur: Benedicta duodecim ſtellis coronata, præfulgens præ omnibus Beatis in cœleſtibus regnis. Turrecr.

Iſtæ duodecim ſtellæ duodecim ſunt prærogativæ regnantis ejus claritatis, quas habet præ omnibus aliis civibus ſupernis, inquit Thomas à Kempis. Reſpectu enim Eccleſiæ militantis habet quatuor ſpecialia ſuperlucentia dona, miſericordiæ operibus plena. Quia præ cæteris omnibus exaudit benigniùs, condeſcendit humiliùs, agit virtuoſiùs, ſuccurrit frequentius, ſicut experientia docet in arduis Eccleſiæ caulis. Item reſpectu Eccleſiæ triumphantis habet quatuor eminentes prærogativas: quia cæteris omnibus collocatur in cœlo altiùs; reſplendet lucidiùs, amatur ferventius, honoratur ampliùs, ſicut dignum eſt, ſentire de glorioſis ejus meritis. Item reſpectu ſummæ Trinitati beatificantis, quatuor ſimiliter habet prærogativas, ſive ſtellas cunctis ſideribus clariores. Quia præ cæteris omnibus æternæ Trinitatis gloriam contemplantibus, ipſam ſanctam Trinitatem intuetur lympidiùs, afficitur erga illam jucundiùs, contemplatur intimiùs, & fruitur illa ſuper omnes in cœlo fœliciùs, de quibus nemo dubitare debet ampliùs. Ita Kempis. Thom. à Kemp. ſer. 2 5. ad Novitios.

Itaque ſoli illi eam maledicunt, qui ſunt de ſemine ſerpentis, vel draconis, qui deſcribitur in Apocalypſi tanquam *os habens apertum ad blaſphemias contra Deum, & tabernaculum ejus, & eos qui habitant in cœlo.* Quod eſt Dei tabernaculum niſi Maria, quæ dicit: *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo?* Hanc draco blaſphemat, quia ejus hoſtis eſt perducllis, paratus ad devorandum hanc mulierem ſtellis coronatam & filios ejus ſpirituales, emittens ex ore flumen blaſphemiarum poſt hanc mulierem, ut abſorbeat eam, hoc eſt ejus laudem per orbis totius plagas reſonantem. De ſtirpe verò draconis ſunt Judæi & hæretici, qui Virgini huic intenſi, totis viribus conantur ab ea auferre *pallium laudis* & honoris, quo à filiabus Sion, hoc eſt, ab animabus juſtis, quotidie exornatur, dum Virginis cultum & præconia ſuis blaſphemiis exterminare conantur. Sed non mirum, ſi indigna loquantur; nec pareant Virgini, cum etiam iniqua contra Deum & Virginis Filium efflatiant. *Non eſt* Joan.15. *ſervus major Domino*, nec Mater major Filio, ſi 16. illum perſequuntur, & lingua ſua maledicta vulnerare niruntur, & illam quoque perſequentur. De quibus conqueri poteſt: *Filii Matris meæ pugnaverunt contra me.* Cant.1.5. Judæi ſcilicet Synagogæ veteris, ex qua nata eſt Maria, & hæretici filii Eccleſiæ per baptiſmum, ex qua eſt renata. De his quoque verificatur illud: *Generatio quæ patri ſuo maledicit: Ge-* Prov.30. *neratio quæ ſibi munda videtur, & tamen non eſt lota à ſordibus. Generatio quæ pro dentibus habet gladios, & commandit molaribus ſuis, ut comedat inopes de terra & pauperes de hominibus.* Singula enim hæc, noſtris hæreticis conveniunt. Primo *Patri ſuo*, Deo & Chriſto *maledicunt*, dum eum authorem peccati faciunt: & *Matri ſuæ* Virgini *non benedicunt*, imò quantum in ſe eſt, ejus laudem & benedictionem impediunt. Secundo ipſi ſunt *generatio quæ videtur ſibi munda*, dum per æternam quandam & imputativam juſtitiam & ſpecialem fiduciam mundari & juſtificari ſe putant; Sed quia inanis eſt omnis hæc juſtitia & fiducia, *manent in ſordibus ſuis* illoti & immundi. Tertio ſunt etiam ipſi *generatio cujus excelſi ſunt oculi* & palpebræ erectæ, quia in illis ſuperbia omnis hæreſis eſt mater, & illa ſuperbia aſcendit ſemper tanquam fumus putei obſcurans Solem & Lunam, Chriſtum & Virginem, Deum & Eccleſiam, contra quam erecta cervice inſurgunt. Denique *habent pro dentibus gladios*, & commandunt molaribus ſuis, quia gladio linguæ omnia ſacta conſcinduut: & *comedunt inopes & pauperes de terra:* quia audientium animas, & ſimplices fideles, veneno ſuo inficiunt, & in infernum abſorbent.

Verùm, cum de hac benedicta Virgine illud etiam dictum ſit, quod ad Jacob dicitur: *Incurventur* Gen.27. 29. *ante te filii matris tuæ, ſerviant tibi & adorent te tribus & populi, qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus:* Non ignoramus illos maledictioni obnoxios, qui in eam peccant & inſurgunt; & benedictione cumulandos, qui eam benedicunt. Ipſa eſt filia Jacob, cui dedit Deus *de rore cœli benedictionem*, dum divinæ Ib.v.28. gratiæ ros in ejus uterum deſcendit, ros ille cœleſtis quem poſtulabant SS. Patres: *Rorate cœli de-* Iſa.45.8. *ſuper & nubes pluant juſtum.* De quo dicit S. Chryſologus

Apoc.13.

Chrysol. sologus: *Cœlestis imber virgineum in vellus placido se fudit illapsu, & tota divinitatis unda nostra carnis celavit in vellere, donec per patibulum Crucis expressum terris omnibus in pluviam salutis se effunderet.* Ipsa est cui Dominus dedit de pinguedine terræ benedictionem, dum adeo eam fœcundam reddidit, ut Christum germinaret. *Frumentum electorum & vinum germinans Virgines.* Ipsi ergo servire debent populi fideles, & filii Ecclesiæ Matris communis, ante ipsam incurvari, eique cultum impendere & eam benedicere, alioquin & in hoc sæculo & in futuro sunt maledicti.

Zach. 9. 17.

Sic maledictus fuit Nestorius, cujus punitionem alibi descripsimus.

Sic & Imperator Copronymus, qui ei post Christi partum honorem negabat debere impendi. De quo etiam alibi dixi.

Sic & alii multi Virginis hostes, qui infœlici morte tandem sunt absorpti, quibus historiæ plenæ sunt.

Niceph. l. 18. c. 33. Canis. l. 5. de Deip. c. 20.

Unicum hic ex Nicephoro & Canisio exemplum appendo: Cùm Cæsar Mauritius imperaret, Christiani quidam in caupona compotabant, & lepidi sibi videri non poterant, nisi inter compotandum, ter convitiis in Mariam jactis impune certarent. Sed ecce statim vindex Deus adfuit, qui præcipuos hujus nefariæ concertationis authores, potenter arripuit, prostravit, delevit, rectaque ad inferos misit perpetuò cruciandos. Hospes autem & dominus ædium ab hac divina punitione vix mansit immunis præsertim quòd is conniventiâ potius, quam ut cæteri ex destinata malitia deliquisset. Cui non multò post nocte dormienti Dei Mater adstare visa est, illique in memoriam revocavit, quòd blasphemos illos convivas in suis ædibus toleraret. Tum ille miser supplex veniam poscit, & ne tam subitâ morte mulctetur, sed ut tempus ipsi pœnitentiæ relinquatur orare cœpit. Virgo daturam se hoc ei promittit, nec ipsum mortis modò pœnas luiturum: Vimine autem, quod manu gestare videbatur, genua ejus circum circa velut exarans, circumscribit. Et tunc disparuit. Sed ille somno discutto membra quæ vimine notata fuerant, a reliquo corpore disrupta statim invenit, recentemque sanguinem profluere sensit. Igitur in publicum productus miser, miserando corporis habitu, non minus quam oris testimonio, veritatem publicè confirmavit, & justum Dei judicium promulgavit; ut mali, proposito exemplo ne quid simile delignent, terreantur; & boni in honorandæ Virginis officio magis confirmentur.

LECTIO V.

EXPLICAT HÆC VERBA:

ET BENEDICTUS FRUCTUS Ventris Tui.

HÆc verba sunt à Beata Elisabeth ad Virginem dicta, nec ab Angelo sunt prolata, quia nec-dum Virgo filium Dei conceperat. Continent autem primariam rationem benedictionis Mariæ: ideò enim ipsa benedicta, quia fructus ejus benedictus Non quia tu benedicta, ideò benedictus fructus ventris tui; sed quia ille prævenit te in benedictionibus dulcedinis, ideò tu benedicta, inquit Bernardus. Ideò illam conjunctionem, &, aliqui accipiunt positam pro voce, *quia*; quomodo accipitur in Psalmo 59. *Da nobis auxilium de tribulatione, & vana salus hominis:* Sic enim habet Hebræa & Græca, teste Jansenio, loco illius: *Quia vana salus hominis*, ut legunt Latina.

S. Bernar. Ps. 59. 13. Jansenius.

Multa autem his verbis mysteria continentur. Primò enim Mariæ Filius sub nomine fructus indicatur, quia sicut ex arbore sine læsione fructus exoritur, ita Christus ex Virgine sine ulla corruptione & læsione: & sicut arboris pulchritudo & venustas à fructu procedit; ita Virginis decor omnis à Christo Filio ejus. Significatur quoque à Virgine Christum produci, tanquam fructum vitæ, fructui illi mortifero oppositum, quem Eva nobis protulit. Hic est enim ille fructus, quem comedentes reddimur sicut Dii, quia qui illo vescuntur, in ipsum transformantur, & divinæ consortes fiunt naturæ. Hic est fructus primigenius, in florido gratiæ vere divino flante spiritu productus, primogenitus æterno Patri & Virgini Matri. Primigenius quoque ob excellentiam, quia perfectione inter natos mulierum primus. Hic est fructus ille de quo Isaias vaticinatur: *In illa die erit germen Domini in magnificentia, & fructus terræ sublimis.* Ubi Christus vocatur fructus ventris Mariæ, non solùm tanquam arboris, sed & tanquam terræ virgineæ, cum fœcunditate germinantis germen pretiosum cœlo & terræ; florem speciosum Angelis & hominibus, super quem requiescent omnes Spiritus Sancti gratiæ: & hæc terra germinans nullo est culta labore, nullo defossa sarculo, nullo sulcata vomere: Sed sicut terra rore cælesti perfusa sine alia humana industria, flores suos & germen speciosum ex se producit: Ita Christum absque humano adjutorio, sola vi & imbre cœlesti, summa puritate & pulchritudine terra virginea tanquam florem & fructum sublimem producit. Christus enim modò flos, modò fructus nominatur, & quidem *flos campi*, non horti, quia hortus solet humana industria coli, campus ex semetipso flores suos producit: Item quia flos campi non paucis tantum, ut flos horti, sed universis patet, suumque odorem & pulchritudinem omnibus qui accedere voluerint, impertitur; sic Christus in omnium salutem & usum est exortus. Ipse est flos ille pretiosus, illo die ortus quo Salutatio hæc Angelica Virgini est præsentata, & quidem ortus in loco dicto Nazareth, qui flos interpretatur. Qui quidem locus ob Salutationem illam Angelicam, & floris hujus emissionem, tempore hyemis (hoc est, veteris legis) jam transeunte tempore renovationis sæculi quasi veris novi appropinquante fa-

Isa. 4. 2.

Cant. 2. 1.

I. *Fructus ventris B. Virg. dicitur Christus. 1. ut fructus ex arbore sine læsione nascitur, ita Christus ex Virg. sine corruptione.*

Digitized by Google

ſtam , innumeris eſt miraculis & divinis operibus decoratus.

De illo itaque referunt graviſsimi Authores , ſacram hanc domum, ob præclarum illud Incarnationis myſterium,& ob alia ibi peracta myſteria , in orationis domum ſolemni more fuiſſe conſecratam ab Apoſtolis , & à Chriſtianis ſumma in veneratione habitam : utpote qui rectè agnoviſſent in ea Virginem natam & enutritam (exiſtimatur enim fuiſſe etiam domus Annæ)& ab Angelo ſalutatam,ac Spiritu ſancto obumbratam, ibi Filium Dei concepiſſe, & magna ex parte educaſſe. Poſtea verò Anno 1294. 10. Decembris, ſub Bonifacio VIII. Pontifice , hoc ſacellum à Nazaret relictis fundamentis avulſum & elevatum eſt , & Angelorum miniſterio ad Dalmatiam ſeu ad Illyricos delatum fuit , ſuo ut olim cæmento lapideaque ſtructura cohærens, quatuorque adhuc parietibus conſtans. Deinde illinc abreptum miro modo ſuper æquora , eodem Angelico miniſterio , primùm in nemore , mox in colle fratrum , & tandem in via publica collocatum eſt in agro Piceno , in media ſylva nobiliſsimæ cujuſdam fœminæ, cui nomen erat Lauretana , à qua Domus illa Lauretana dicta. Hæc innumeris miraculis decorata, uſque modo peregrinantium frequentia viſitatur. Benedicta utique domus , in qua reparationis noſtræ jactum eſt fundamentum,& legis gratiæ germinavit exordium,divinique amoris ſummum myſterium eſt completum. Beatum pavimentum , toties Chriſti veſtigiis tritum : Beati parietes , conſcii tot arcanorum ibi peractorum.

Carthag. de arcan. Deip.l.5. hom.3.ex var.auct.

2. His verbis multæ hæreſes refelluntur.

Secundò , non ſine myſterio dicitur Chriſtus *Fructus ventris Mariæ* , his enim verbis plures ſæpius refelluntur hæreſes. Nam refellitur error eorum omnium qui Chriſtum aſſeruerunt phantaſticum tantum corpus aſſumpſiſſe , aut per Virginem tanquam per aquæ ductum tranſiſſe. Cùm enim Chriſtus aſſeritur fructus ventris Mariæ ; jam ex ejus ſubſtantia & carne productum nemo poteſt negare. Refellitur quoque error Eutychetis qui Chriſtum negabat ejuſdem fuiſſe naturæ nobiſcum , & cum Virgine , omnis enim fructus ejuſdem eſt naturæ cum planta, cujus eſt fructus. Propriè quoque fructus uteri virginalis dicitur , quia reliqui ſunt plurium parentum fructus. Chriſtus verò cum Patrem in terris non habuerit , unius tantum ventris fructus dicitur ; ſicut & à proprietate Filius dicitur hominis. Quomodo etiam alibi notavimus ad Davidem dici : *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Ubi notat Auguſtinus , dici fructum ventris deſcendentis ex Davide , non autem femoris aut lumborum viri. Propter hunc quoque fructum ventris Mariæ, de illa in Canticis dicitur : *Venter tuus ſicut acervus tritici vallatus lilus*, ubi notant aliqui, in acervo tritici fœcunditatem Virginis , in liliis virginitatem adumbrari. Itaque venter ejus acervus tritici fuit, quia fœcunditatem habuit ; ſeptus liliis, quia virginitatem retinuit. Et merito venter Virginis acervo tritici confertur , quia ad ejus ventrem, tanquam ad immenſum & inexhauſtum tritici acervum mortales omnes imò & Angeli , cibi quærendi cauſa confluxerunt , quia ibi genitum eſt frumentum electorum.

Auguſt.in Pſ.13.

Cant.7.2.

Tertiò non ſine myſterio fructus hic dicitur benedictus abſque limitatione : nec enim dicitur benedictus inter viros , ſicut Maria benedicta inter mulieres : Nempe, ipſe ſolus abſolutè benedictus pronunciatur , quia per ipſum omnes gentes benedicendæ, ſicut de illo promiſſum fuit Abraham : ab ipſo omnis benedictio in cœlo & in terra derivata eſt , quia *de plenitudine ejus omnes accepimus.* Solus quoque hic fructus ventris benedictus , quia reliqui omnes ex concupiſcentia nati ſub maledictione naſcuntur , natura filii iræ ; à qua maledictione non liberantur, niſi per fructum Mariæ. Itaque multis omnino modis fructus iſte Virginis benedictus pronunciatur.

3. Benedictus ſic fructus dicitur abſque limitatione.

Gen.12.3. Joan.1. 16.

1. *Benedictus à Deo* omni benedictione,tanquam fons benedictionem in cæteros influens, ſecundum humanam naturam : benedictus à ſe ſecundum divinam.

2. *Benedictus ab Angelis & hominibus* , in tempore & æternitate : Ab Angelis quidem jam ab initio ſæculi, de quibus apud Job : *Ubi eras cum me laudarent aſtra matutina , & jubilarent omnes filii Dei :* & novo quodam gaudio iterum benedictus ab illis , dum iterum introducit primogenitum in orbem terrarum, & dicit : *Adorent eum omnes Angeli ejus.*

Job.38.7. Heb.1.6

3. *Benedictus à Patriarchis & in Patriarchis*, jam ab exordio naſcentis mundi. Benedictus ab Iſaac in perſona Jacob, à Jacob in perſona filiorum ſuorum : nam illi convenit illa benedictio : *Juda, laudabunt te, fratres tui. & adorabunt te filii Patris tui, manus tua in cervicibus inimicorum.* Quibus verbis ſignificatur adorandus , & ab Angelis & ab hominibus, & victoriam reportaturus de inimicis ſuis , de ſatana & de infidelibus. De illo quoque ad prædam mortis & inferni aſcendente in Crucem & reſurgente cum fortitudine, verificantur quæ ſequuntur : *Catulus leonis Juda ad prædam : fili mi aſcendiſti : requieſcens accubuiſti ut leo, quis ſuſcitabit eum ?* Et de ejus Paſſione ſubjicitur : *Lavabit in vino ſtolam ſuam & in ſanguine uva pallium ſuum.* Judas ergo in his omnibus Chriſtum Dominum ad vivum expreſsit , & Jacob ſpiritu Prophetico ipſum in perſona Chriſti benedicebat. Illi quoque convenit illa benedictio : *Aſer pinguis panis ejus, & prabebis delicias Regibus.* Et illa benedictio Nephthali : *Cervus emiſſus, & dans eloquia pulchritudinis :* Quia diffuſa fuit gratia in labiis ejus, ad eloquia ſuaviſsima ſacræ prædicationis.

Gen.49.8

Ibid.v.9.

Ibid.v.11.

Ibid.v.20.

4. *Benedictus à Prophetis.* Nam de illo prophetans Moyſes moriens dicebat : *Benedictio illius qui apparuit in rubo, veniat ſuper caput Joſeph, & ſuper verticem Nazarai inter fratres ſuos.* Hoc non poteſt intelligi de Joſeph filio Jacob, qui tunc erat mortuus. De Chriſto ergo debet intelligi , ſicut & ſimilis illa

Deut.33.

Jacob

Gen.49. 26. Jacob prophetantis benedictio : *Fiat in capite Ioseph & in vertice Nazarei inter fratres suos*, quia ipse est ille Nazaræus, ille floridus, de quo verum est : *Super ipsum efflorebit sanctificatio mea.* Omnes hæ benedictiones in ipso verificantur : Sed clarissime David de illo dicit : *Benedictus qui venit in nomine Domini.*

Ps.131. 18

Ps.117.26

5. *Benedictus in veteri & in nova lege*, prout significatur in illis verbis Evangelistæ : Et qui præibant, & qui *sequebantur, clamabant ô Jauna in excelsis, benedictus qui venit in nomine Domini.* Qui præibant, designabant antiquæ legis Patres : Qui sequebantur, designabant novæ legis fideles, qui omnes unanimi consensu & voce inclamant : *Benedictus qui venit in nomine Domini :* quæ vox personabit usque in sæculi finem.

Matt.21. 9.

Exod.4. 13.

Gen.49. 26.

Isa.11.19.

6. *Benedictus à Judæis & Gentibus*, quia ipse *exspectatio Israel*, tantoperè desideratus : *Obsecro, mitte quem missurus es :* Desideratus quoque Gentibus à Propheta nominatur, & à Jacob: *Desiderium collium æternorum.* Isaias quoque dicit : *Ipsum gentes deprecabuntur.* Unde Latini ac venit, adoratur, & à Magis ac Regibus Gentilibus, & à Pastoribus Judæis benedicitur. Hi primitiæ Judæorum, illi primitiæ Gentium. Hi propè, isti longè, utrique tamen ad angularem Lapidem cucurrerunt. Veniens quippe, sicut Apostolus dicit : *Evangelizavit pacem nobis qui eramus longè, & pacem his qui propè* ; ipse ergo est pax nostra qui fecit utraque unum.

Eph.2.17.

7. *Benedictus & benedicendus ab omni ætate & conditione*, a Senioribus cum Simeone, à pueris cum Joanne adhuc in utero exiliente, a Virginibus cum Maria Matre, à maritatis cum Elizabetha, a viduis cum Anna, à Sacerdotibus cum Zacharia exclamante :

Luc.1.68. *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit & fecit redemptionem plebis suæ.*

8. *Benedictus in cœlo & in terra ab omnibus creaturis*, quas Psaltes, sicut & Prophetæ, ad laudem excitat, dicens : *Benedicite, laudate, exultate*, quoniam venit. Nam & cum pueros clamantes ; *Benedictus qui venit in nomine Domini*, Pharisæi vellent coërcere, respondit Dominus : *Si hi tacuerint, lapides clamabunt.*

Matt.21. 34.

9. *Benedictus & benedicendus in omnibus membris*, quia omnia in illo benedictionis & salutis sunt instrumenta. *Benedictum ejus caput*, quod pro nobis spinis debet coronari, ut sic nobis comparet diadema speciei & coronam gloriæ. *Benedicti capilli*, qui purpureo & sanguineo rore debent immadere, ut expient frigidas & tenebrosas peccatorum nostrorum guttas. *Aperi mihi* (cor tuum per compassionem, ut in eo possim quiescere) *Soror mea Sponsa, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei pleni guttis noctium. Benedicti oculi*, qui divinos quondam radios emittentes, solo intuitu ad se attrahunt peccatores, & frigida eorum corda liquefaciunt, ut fluant in lachrymas, ut patet in Petro, Magdalena, & aliis conversis. *Benedicta facies* aureo divinitatis fulgore rutilans, cujus intuitu & Angeli reficiuntur & electi, quam exquirent & deprecabuntur omnes divites plebis : *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei ?* Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. *Benedicta lingua, os & labia. Diffusa* enim *est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Mel & lac sub lingua ejus, favus distillans labia ejus ; sicut vitta coccinea labia ejus & eloquium dulce*, suaviter attrahens, & colligans sibi animas peccatrices decoro & efficaci sermone, quasi filo coccini. *Benedicta vox*, quæ etiam mortuos potest suscitare, quæ & vagiens nobis salutaris est, & benedictas ciens lachrymas, peccata nostra illis potens erat abluere. *Benedicta & ipsa saliva*, quæ solo tactu mutis sermonem, cæcis visum, ægris sanitatem potest restituere. *Benedicta manus*, sive fasciis in cunis colligatæ, sive ad matrem amplexandam extensæ, sive tactu suo sanitatem impertientes, aut alia miracula operantes, sive in Cruce protensæ & clavis confixæ, distillantes myrrham probatissimam, mirrham rubicundam, quicquid egerunt hæ manus nostræ, fuerunt salutis instrumenta. *Benedicti humeri*, qui jam ab ortu ejus & cunis, usque ad extremum spiritum ; onus peccatorum nostrorum & Crucis dulce pondus sustinent, dicente Propheta : *Principatus factus est nobis, & principatus ejus super humerum ejus.* Crux scilicet, lignum regni ac principatus ejus, in qua jam ab ortu in sacrificium se Patri offerebat. *Benedicta viscera ejus*, quæ pietate & misericordia affluunt, nec deerunt foramina per quæ in nos effluant. *Benedicta vena*, benedictum Sanguinem continentes, qui in redemptionem & ablutionem nostram superabundanter effluet. *Benedictus pulmo*, & omnia interiora ejus, per quæ quoties respiravit, toties salutem nostram impensè intendit ; quæ etiam flatum illum odoriferum, quo Spiritus Sanctus afflabatur discipulis & omnibus eorum in Sacerdotio successoribus, adspirarunt. *Benedictum cor*, quod tanto nostri amore flagravit ; ut flammam non potuerit continere, sed per apertura illam lateris, tandem debuit erumpere. *Benedictum femur*, ex Patriarcharum benedicto femore procreatum, in quo Joannes scriptum dicit : Rex Regum & Dominus Dominantium. *Benedicta crura & genua*, tot noctibus pro salute nostra in oratione deflexa. *Benedicti pedes*, ad peccatorum conversionem tot laboriosos gressus peragentes, & loca in quibus perambulabant consecrantes, tandemque in scabello rigido crucis pro nobis confixi, & nos ibi exspectantes, liquoremque pretiosum fluentes. Denique *benedictum totum corpus, benedicta tota anima*, cum omnibus suis potentiis in nostram salutem ex integro impensa, & usque in finem sæculi in pretiosum cibum nobis impendenda, & per totam æternitatem.

Ps.41.3.

Ps.44.3. Cant.4.

Isa.9.6.

Cant.5.

Lubenter his Jesu Christi Filii Dei & fructus ventris Mariæ benedictionibus enarrandis immoror, quia nunquam satis benedici à nobis potest, qui & per omnia, & super omnia est benedictus in

Digitized by Google

æterna sæcula, qui omni nos cœlesti benedictione replevit, à quo etiam consummatam illam & nunquam finiendam benedictionem exspectamus: *Venite Benedicti Patris mei, percipite regnum.* Itaque nunquam cessles, sed in omni tempore, in omni loco dominationis ejus; Benedic anima mea Domino Jesu Christo, benedic fructui Mariæ. *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: Qui sanat omnes infirmitates tuas: qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus: Qui replet in bonis desiderium tuum:* Benedic illum hic in hoc brevis ævi tempore, donec perfectius benedicas, in interminata sæculorum æternitate.

Matt. 25. 34.

Ps. 102. 1.

Postremam & hanc benedictionem pro coronide adiicio: *Benedictus fructus ventris tui,* in colore, in odore, in sapore: *Benedictus in colore,* quia *candidus & rubicundus,* electus ex millibus. In candore significatur ejus puritas, innocentia, benignitas, misericordia, caroque ejus virginea & immaculata. In robore designatur ejus justitia & ardens charitas, per quam carnem illam purpureo Sanguinis sui decore exornavit, tam in Circumcisione, quàm in Passione. Si fructus ille arboris vitæ adeò speciosus erat & aspectu delectabilis, cùm tamen mortis fructus foret. Quantò magis vitalis hic fructus, electus ex millibus, cujus est ex cœlesti Sion species decoris, cujus aspectu delectabili Spiritus cælestes nunquam poterunt satiari? Novo semper desiderio in illum Angeli desiderant prospicere; colore, & decore suo rutilo, electorum mentes semper rapit.

Cant. 5. 10.

1. Pet. 1.

Benedictus in odore. Non enim est instar fructuum illorum qui circa Sodomam oriuntur, qui aspicientibus speciosissimi sunt, sed si accedas & tangas, fœtorem sentis; & cinerem vides. Fructus hic odorem suavissimum spargit his qui longè sunt: & illum adauget, his qui propè. Ejus fragrantiam sentiebat à longè is qui dicebat: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni cui Dominus benedixit:* Quibus verbis Patriarcham ad Christum potissimum respexisse docent SS. Patres: unde Bernardus ait: *Nondum speciem suam ille flos agri induerat, & jam dabat odorem suum, quem sic præ gaudio exclamans præsensit spiritu, corpore marcens sanctus & senex Patriarcha, caligans visu, sed odoratu sagax.* Illius etiam odorem præsenserat alter Propheta, dum per illum totus exhilaratus inclamat: *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jesu meo.* Statim vero ac ortus fuit fructus iste benedictus, ita longè lateque odorem fudit, ut totum mundum impleret: nam & à remotissimis orbis partibus Orientales Reges ad se propius odorandum, adorandumque pertraxit: Et sicut fructus cum tangitur ac manibus premitur magis redolet: Ita fructus hic benedictus, cum jam omnino maturus laboribus, Judæorum manibus attrectatus & pressus fuit, & decerptus ex crucis arbore, & punctione lanceæ concisus, majorem afflavit odorem per universum orbem, myriades animarum suavitatis suæ fragrantia ad se pertrahens, & in sui amorem rapiens imò & hoc odore mortuis vitam afflans.

Gen. 27. 27.

Bern. ser. 47. in Cant.

Habac. 3. 18.

Benedictus in sapore. De illo enim scriptum est. *Qui edunt me adhuc esurient.* Nihil cogitatur dulcius; nihil gustatur suavius, quàm Jesus Dei & Mariæ Filius. *Gustate & videte quam suavis est Dominus,* inquit Propheta: Suavis est hic fructus, qui animarum esurientium & sitientium justitiam, esca est & potus. Suavis est palato sano, qui & semel gustatus novum excitat appetitum, & imperitat omnem saporem suavitatis. Experiuntur hoc quotidie qui illum comedunt sub umbra sacramentali, dicentes cum sponsa: *Sub umbra illius quem desidera veram sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Benedictus ergo fructus, qui & pios reficit in tempore peregrinationis, & electos in die æternitatis. In illius enim & visione & fruitione tota electorum consistit beatitudo. Quamobrem quotidie has ad Virginem supplices preces dirigimus. *Et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende.* Quæ quidem verba Virgini Filioque ejus gratissima esse, Ordini S. Dominici aliquando declaratum fuit. Solent hi devotam illam Antiphonam, *Salve Regina,* quotidie cum celebri populi concursu Virgini in vespertinis Laudibus intonare, Virginis protectioni, tanquam filii ab ea geniti, sese commendantes. Cùm ergo quodam die illam decantarent, & ad illa verba pervenissent: *Et Jesum benedictum fructum &c.* visa est B. Virgo in medio eorum superelevata, offerens eis Filium suum parvulum quem ulnis gerebat, quasi in arrham promissionis: qua significabat se illis, si in sancta vocatione & cultu virgineo perseverarent, Filium illum in æternitatis processione & Sanctorum cœtu ostensurum, ut illo fruantur in æternum. Hæc visio ostensa fuit piæ cuidam & honoratæ Matronæ, sorori Clementis IV. ut refert Antoninus in Chronico. Refertur quoque in lib. 4. cap. 53. S. Gertrudis, quod cum devotissimè Antiphonam illam recitaret, in illis verbis: *Eja ergo Advocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos converte,* visa fuerit oculos filii sui blandè precibus suis tangere, ipsumq; vertus terram inclinare, & dicere: *Isti sunt misericordissimi oculi mei, quos ad omnes me invocantes salubriter possum inclinare.* Hinc a Domino hanc tunc percepit eruditionem, ut ad minus semel quotidie Matrem suam beatissimam per ista verba invocaret, certa quod per hoc in hora sua novissima non mediocre solatium obtineret, quia hæc verba materna pietatis ejus viscera tangunt. Ita ibi.

Ps. 33. 9.

Cant. 2. 3.

Antoninus 3. p. Chron. tit. 2. c. 11. 4. c. 53. S. Gertrud.

L E-

LECTIO VI.

DE TERTIA PARTE SALVTATIONIS Angelicæ.

SANCTA MARIA ORA PRO NOBIS Peccatoribus, &c.

Hæc tertia pars accessit Salutationi tempore Conc. Ephes. Conc. Ephes. An. 431.

HÆc est tertia pars Salutationis Angelicæ, quæ hoc additamentum accepisse putatur, postquam hæresis Nestorii profligata fuit, qui Virginem volebat dici Χριστοτόκον *Christotocon*, non verò Θεοτόκον *Theotocon*, sive *Christiparam*, non verò *Deiparam*, quæ hæresis in Concilio Ephesino ex sacræ Scripturæ oraculis condemnata fuit Anno 431. tempore Cœlestini Pontificis. Et tunc Cyrillus Alexandrinæ Urbis Antistes, aliique Patres qui Ephesi convenerant, atque etiam ipse Theodosius Imperator, legationem miserunt ad summum Pontificem, ipsi gratulantes de prostrata cum suo Authore hæresi Nestoriana. Tunc Ecclesia Sancta Deo gratias immortales egit, quòd vindex extitisset divinitatis Filii, & honoris Matris ejus, ubique locorum, *Matrem Dei Mariam* omnium ore cantans, laudans, atque prædicans: Unde & tunc accessisse creditur Angelicæ Salutationi hanc particulam; *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus*, ut omnium Fidelium ore *Mater Dei* prædicaretur: & Nestorii hæresis stygiis latebris & tenebris demergeretur; nec amplius caput exerere auderet, ipsorum etiam infantium & lactentium ore condemnata. His enim, hæc verba tanquam prima elementa à piis parentibus una fermè cum lacte propinari solent, ut illudant superbo draconi pueruli, Matris Dei laudes decantantes, & ad ejus intercessionem recurrentes, ut adimpleatur illud: *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem tuam.*

Baron. Tom. 5. An. 431.

Psal. 8. 3. Mat. 21. 16.

Ecclesia magnam fiduciam ponit in B. Virg. intercessione.

Itaque per illa verba significat Ecclesia quantam ponat fiduciam in Beatæ Virginis intercessione, quamque illam miseris mortalibus necessariam agnoscat. Cum enim peccatis variis simus obnoxii, hostibus cincti, necessitatibus maximè spiritualibus durante toto hujus vitæ cursu subditi, auxilio continuo egemus, continuisque Dei donis: Illa verò à Maria tanquam per aquæductum derivantur ad nos, nec decrevit nobis dare Deus, nisi per ejus manus. Ideò ad eam frequentissimè recurrere his verbis docet Ecclesia, & in ea spem firmam collocare; quia cum sit Mater Dei; nihil ei potest filius denegare, cui censetur dicere illud Salomonis: *Pete Mater mea; non enim fas est ut avertam faciem tuam.* Potest ergo à filio impetrare nobis peccatoribus vitæ conversionem, pœnitentibus peccatorum remissionem, afflictis consolationem, ægris medelam, egentibus subventionem: justis verò gratiæ augmentum, protectionem, perseverantiam & coronam. Imò cùm sit Mater Christi, etiam est Mater nostra tanquam membrorum ejus, & ideò nunquam deserit nos, nisi prius à nobis deseratur: Sed amat, regit, protegit, & quasi gremio pietatis suæ nos portat, ab incurrentibusque in mortali hac vita malis vel in ejus egressu periculis tuetur, donec nos beatæ æternitati pariat filios salutis, filii sui cohæredes. Vides ergo, quam meritò illi quotidie, imò & singulis horis, (maximè dum horæ pulsus datur,) Fideles omnes insonare debeant: *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis nostræ.* Amen.

Reg. 2. 20.

Similis est Oratio illa altera Ecclesiæ: *Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & mortis hora suscipe.* In qua oratione duplex titulus indicatur, qui ei competit ex eo quod Mater Dei sit. Cum enim Matrem Dei esse, necessariò consequatur authorem ipsum gratiæ & fontem totius misericordiæ è visceribus suis genuisse, meritò huic geminus honoris titulus ejus fronti appenditur: *Mater gratiæ: Mater misericordiæ.* Cum & ipse filius omnibus gratiæ donis, quæ in angelica vel humana creatura reperiri possunt, eam uberrimè repleverit, ut possit Fidelium mentibus illa ingenerare: Viscera quoque ejus misericordia & pietate superabundare voluit, ut supereffluant in miseros peccatores.

Duplex titulus B. Virg. Mater gratiæ.

Dicere ergo possumus primò, illam maximè dici *Matrem gratiæ* propter bonos, in quibus solicita est divinæ gratiæ dona fovere, augere, conservare, donec tandem per gloriam superveniente consummentur; quia gloria non est aliud juxta Theologos, quam gratia consummata. Hinc etiam electi describuntur in Apocalypsi, *mittentes coronas suas coram Agno & Throno ejus*: tanquam Agno & Throno acceptas referentes. Thronus agni rectè dicitur Maria, in qua residere voluit, & regiam suam dignitatem toti orbi declarare, veniens in hunc mundum: De Maria enim verum est: *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo*, aut tanquam Rex de Regio throno suo: dum de Virgine Matre processit, ad currendam hanc immortalitatis viam, ut per illam nos ad immortalitatis suæ solium reduceret, & ad regni sui consortium provehetet. Ipsa ergo tanquam Thronus & Mater Dei electa invenit gratiam tantam apud Deum, tantamque lucem participavit, ut non solum sibi sufficeret, sed & in alios illam abundè posset refundere, ita ut *nemo se abscondat à calore ejus.* Nec illepidè dixit quidam antiquus: Maria tenetur & obligatur nobis gratiam exhibere, nec justè posset nobis eam denegare: justum enim est & de jure obligatorium, ut qui rem alterius invenit, ei restituat cujus erat, ei qui eam perdiderat. Cùm ergò humanum genus in lapsu primorum parentum gratiam perdiderit, & illam (Angelo testante) Maria invenerit, justum omninò est, ut humano eam generi restituat, & perditam restauret, quam pro se & omnibus invenit.

Apoc. 4. 10.

Psal. 18. 6.

Dicere

Digitized by Google

2. Mater misericordiæ.

Bernard. super Salve Regina.

Dicere quoque possumus secundo, *Matrem misericordiæ* vocari, maximè propter peccatores, quorum miseriis materno affectu compatitur, & illis occurrit, & succurrit invocata. Unde dicit Bernardus, Mariam vocari *Matrem & Reginam misericordiæ, quia divinæ bonitatis & misericordiæ abyssum, cui vult, & quantum vult, & quomodo vult, creditur aperire, ut quis peccator enormis non pereat, cum ipsa patrocinii suffragia præstet.* Habet ergò Maria, ut supra dixi, quasi duo ubera; Unum dextrum ad quod accurrunt omnes justi, ut abundantiam gratiarum & donorum Dei ex illo sugant, & propter illud rectè dicitur *Mater gratiæ.* Ad illud accesserunt omnes electi jam ab initio legis gratiæ, tanquam agnelli candidi ad ubera Matris suæ: & omnes qui pietate floruerunt, apud Mariam invenerunt & suxerunt illam. Testes tibi erunt Augustinus, Bernardus, Fulbertus, Franciscus, Dominicus, Ignatius, & alii, qui tantam lætis copiam à cœlesti Mariæ ubere suxerunt, ut illam etiam copiam innumeris filiis spiritualibus communicare potuerint, & illos hoc lacte pietatis alere. Alterum ex uberibus Mariæ vocamus sinistrum, ex quo lac misericordiæ sugunt peccatores, & propter illud vocatur *Mater misericordiæ.* Nemo quantumlibet animo afflictus, & peccati miseriis obrutus, imò etiam desperatus, ad eam accurrit, quin misericordiam invenerit: & quicumque apud Deum misericordiam reperit, per Mariam reperit. Sicut enim dicit filius, *Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum:* Ita quadam proportione dicere possumus, nemo venit ad Patrem aut filium, nisi Mater traxerit eum. *Nec ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas,* inquit Bernardus, *nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suavis est, omnibus offerens lac & lanam. Omnibus omnia facta est, sapientibus & insipientibus copiosissima charitate debitorem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus acceperint universi.* Hoc ergò nomen suave admodum peccatoribus, *Mater misericordiæ*, per quod afflictus peccatis animus erigitur, & in spem excitatur; quam quidem ejus misericordiam, laudare nos convenit, benedicere, & prædicare, si ingrati esse nolumus.

Joan. 6. 44.

Bern. ser. 1 super Magnif.

Idem D. Bern. ser. 4 de Assumpt. B. V.

Unde iterum Bernardus: *Sileat misericordiam tuam Virgo B. si quis est qui invocatam se in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. Nos quidem servuli tui cæteris in virtutibus congaudemus tibi, sed in hac potiùs nobis ipsis. Laudamus virginitatem, humilitatem miramur, sed misericordia miseris sapit dulciùs, misericordiam amplectimur charius, recordamur sæpius, crebriùs invocamus. Hæc est enim quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnibus impetravit.* Certè misericordia Virginis adeò eluxit, & elucet toto orbe, ut gravissimi & desperatissimi peccatores apud eam misericordiam opportunam inverierint, omniumque spem excitârint. Pater in Theophilo, qui etiam proprio manus suæ scripto, dæmoni se voverat. In Maria Ægyptiaca, quæ tot annis, quasi jumentum in stercore suo, in luxuriæ sordibus computruerat. In aliis quoque innumeris peccatoribus, *è lacu miseriæ & de luto fæcis* ejus intercessione eductis. Nec potest tanta esse peccatoris miseria, quin major sit virginis misericordia, dicente Bernardo: *Quis misericordiæ tuæ, ô benedicta, longitudinem & latitudinem, sublimitatem & profundum queat investigare. Nam longitudo ejus usque in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis. Latitudo ejus replet orbem terrarum, ut tua quoque misericordia plena sit omnis terra. Sublimitas ejus civitates superna attingit restaurationem. Profundum ejus, sedentibus in tenebris & umbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cœlum repletum, infernus evacuatus est, instaurata ruina cœlestis Jerusalem, exspectantibus miseris vita perdita data.*

Pet. Cantl. lib. 5.

de Deip. c. 29. idem ibid.

Idem Ber. ibid.

Huic ergo Matri misericordiæ meritò dicimus: *Ora pro nobis peccatoribus nunc;* dum scilicet tempus adhuc agitur misericordiæ, dum agitur illa pars regni, cujus tibi potestas à filio data est: dimidiam enim regni partem censetur dedisse, dum sibi servans justitiam, matri dedit misericordiam, de qua pro bona voluntate & pietate sua disponat, durante præsenti vita: Itaque dicimus: *Ora nunc*: Quia nunc tempus oppottunum est, & præsens vita est quoddam *nunc*, sive quoddam breve momentum, à quo tamen pendet æternitas. Sic videtur vocare Job vitam currentem dum dicit: *Cunctis diebus quibus nunc milito.* Petrus dum dicit: *Modicum nunc, si oportet contristari.* Ipse quoque David: *Ecce nunc benedicite Dominum.* Punctum ergò est, instans est, momentum est, præterfluens vita nostra: à qua tamen pendet æterna miseria, nisi Dei & Virginis subveniat misericordia. Dicimus quoque illi: *Ora pro nobis peccatoribus, nunc*, quia non tantum singulis diebus, sed & singulis momentis ab ejus misericordia dependemus, quia protegimur, ne in abyssum æternæ miseriæ devolvamur. Si enim voluerimus dicere, *Dives sum & nullius egeo.* Respondetur: *Nescis quia tu es miser & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Nihil est vita nostra nisi purissima miseria, & in mille peccata laberemur, nisi divina pietas nobis succurreret, Virginis Matris nostræ intercessione invocata; per quam sæpissime fit, ut vita nobis protrahatur, ne in peccatis nostro æterno damno finatur; & tamen hoc non consideramus.

Job 14. 14.

1. Pet. 1. 6.

Ps. 133. 1.

Apoc. 3. 17.

Exempl.

Sic cuidam conquerenti se in speciali Virginis obsequio plurimos annos contrivisse, nec tamen ob id speciale aliquod beneficium se percepisse, apparuit B. Virgo, & ingratitudinem exprobrans, respondit: An non meministi tales amicos tuos infausta morte fuisse abreptos? Nonne vidisti hos & illos (quos nominabat) vicinos tuos, peste interiisse? illi quoque amicitia tibi devincti (quorum nomina exprimebat) nonne infortuniis talibus & talibus sunt obruti? Immò verò ex illis multi æternis flammis sunt addicti. Cur ergò conquereris, te nihil

nihil à me specialis beneficii accepisse? Quare tu simili morte, vel infortunio, mulctatus non es? Quis te protexit? Nunquid misericors manus mea? Amodò ergò desine conqueri, sed grato animo gratias refer Deo, qui per me tot te eximit peccatis, totque periculis æternæ damnationis. Imò ferventior in meo obsequio persevera, cæterisque exemplo tuo calcar adjice, & dic illis. *Venite, audite, & narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit anima mea* Ps.65.16. meritis Matris suæ: *Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu,* Ps.114.8. ejus intercessione: *magnificate* ergò eam *mecum, & exaltemus nomen ejus in idipsum.* Ps.33.4.

LECTIO VII.

ET IN HORA MORTIS NOSTRÆ.

Conclusio Salutationis Angelicæ.

COncluditur Salutatio Angelica his verbis, *Et in hora mortis nostræ, Amen.* Quia licet ejus auxilio tota vita durante egeamus, maximè tamen in hora mortis. Undè & alia Oratio dicit: *Tu nos ab hoste protege, & mortis hora suscipe.* Hostis noster fortis est, & multiplex; callidus est, fraudulentus; respirans continuò perniciem nostram, & sitiens sanguinem animarum nostrarum.

Postulam' protectionē B. Virg. in supremo agone. Cant.6.9. Innoc.III. ser.2.de Assumpt.

Meritò ergò Virginis protectionem contra illum requirimus, quia ejus intercessio clypeus potens est, contra omnes hostis astutias & impugnationes, ut latè suprà dixi. Ipsius vel solum nomen invocatum, hostem nostrum terret. Undè de ea dicitur: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Quod explicans Innocentius tertius dicit: Luna lucet in nocte, aurora in diluculo, sol in die. Nox est culpa, diluculum pœnitentia, dies gratia. Qui ergò jacet in nocte culpæ, respiciat lunam, deprecetur Mariam, ut ipsa per filium cor ejus ad compunctionem illustret. Quis enim de nocte invocavit, & non est exauditus? Ipsa est Mater pulchræ dilectionis & sanctæ spei. Qui verò ad diluculum pœnitentiæ surgit, respiciat auroram, deprecetur Mariam; ut ipsa per filium cor ejus ad satisfactionem illuminet. Quis enim devotè invocavit eam, & non est exauditus? Ipsa est Mater pulchræ dilectionis & sanctæ spei. Quicumque etiam sentit impugnationem ab hostibus, vel à mundo, vel à carne, vel à dæmone, respiciat castrorum aciem ordinatam, deprecetur Mariam, ut ipsa per filium mittat auxilium de sancto, & de Sion tueatur. Hæc Innocentius.

Fortissimum verò incumbit nobis bellum in egressu animæ ex hoc mortali corpore, quia tunc hostis noster omnes suas vires effundit, ut in hoc ultimo prælio nos profligat & supplantet. Multi qui videbantur fortes in prælio contra hostes spirituales, tunc conversi sunt retrorsum, & victas dederunt manus. De quibus possumus illud usurpare: *Filii Ephrem intendentes & mittentes arcum,* Ps.77.9. *conversi sunt in die belli.* Quia qui videbantur omnes impetus hostis posse retundere, & fidei, spei, orationis arcu satanam posse expugnare, tunc tentatione infidelitatis, desperationis, præsumptionis victi fuêre: in illo die, in quo generosissimè oportuit decertare. Tunc maximè verum est illud: *Væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet.* Apoc.12. 12. Cùm enim ultima illa hora sit, in qua agitur de absoluta victoria, de animæ irrevocabili perditione vel salute, ipse magnâ insurgit irâ & violentia, ut in errorem vel peccatum inducat; furorem ingeminat, quia modicum tempus habet. Ipse est Pharao, qui egredientes de Ægypto crudeliùs tractat. Genes. 31. Ipse est Laban, qui totis viribus persequitur Jacob, reverti volentem in terram Patrum suorum. Ipse est insidiator, qui juxta iter, quod ingredi tunc oportet, insidias suas adornat, & quasi venator, qui laqueos ponit in loco, per quem debet fera transire, secundum illud: *Absconderunt superbi laqueum mihi, & funes extenderunt in laqueum mihi, & juxta iter scandalum posuerunt mihi.* Ps.139.6. Neque verò unius tunc dæmon impugnat, sed & infernales legiones procurrunt, ita ut tunc verum sit: *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & rectores tenebrarum harum.* Eph.6.12. Tunc quoque rectè potest anima dicere: *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me.* Ps.114.3. Et iterum: *Circumdederunt me sicut apes.* Ps.117.12. Quia multi dæmones eam tunc circumdant, quasi apes aculeatæ, quarum unaquæque peccati aculeum per pessimam suggestionem nititur infigere. Quid ergò remedii in tam acri prælio, inter tot hostium assultus & aculeos, animæ timidæ & jam anxiæ? Tunc corpus, opes, amicos, honores, cogitur deserere, nescia quam istâ nocte ineat viam, aut ad quem perventura sit terminum & hospitium, an cœlo recipienda sit, an in inferni horridis tenebris hospitatura. Interim sola sine Duce, omnibus quibus affectu inhæserat derelictis, iter hoc debet aggredi hostibus & insidiis periculosissimum, cum sit inermis. Quonam igitur se vertet? Ubinam vires, arma, lucem, Ducemque poterit reperire; Ad illam recurrat, quæ est ut castrorum acies ordinata, in cujus vel solo nomine terretur infernus. Illa tunc præsto est his, qui devoto sibi obsequio devincti fuêre, luce suâ tenebras dispellit, hostium vires atterit fortitudine suâ, Ducem se præbet anxiis, & protectricem timidis: per ignotam hanc viam manum præbens tuto deducit, perducit, introducit ad regiam filii sui aulam. Hinc eam deprecamur: *Vitam præsta puram, iter para tutum, ut videntes Jesum, semper collætemur.* Meritò ergò Salutationem Angelicam, his verbis concludimus: *Ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostræ, Amen.* Meritò illi dicimus: *Tu nos ab hoste protege, & mortis horâ suscipe.*

Longum hic foret enarrare, quàm multis assuerit in illo agone. Quàm multos in desperatione

Digitized by Google

penè ruentes in illo articulo animârit, & erexerit, victoriæque & coronæ eis causa fuerit. Multi tunc potuerunt illi dicere: *Tenuisti manum dextram*
Ps.72.24. *meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.* Inter brachia pietatis tuæ animã meam, ò Mater, suscepisti, ut filio tuo præsentares.

Ex Revelat. S. Brigittæ Osorius to.4. Conc.

Pauca tamen ex multis exempla hic subnectimus. In primis, in revelationibus B. Brigittæ, examinatis in Concilio Constantiensi, & approbatis, legitur habuisse filium Carolum, ætate & moribus juvenem, militiæ deditum, militaribusque dissolutionibus, qui in ætatis flore morte abreptus est. Cùm verò angeretur ipsa de ejus salute: Christus eam hâc visione consolatus est: Vidit tribunal in quo Christus sedebat, & Mariæ dextræ adstabat: Accessit Satan, multa conquestus contra Mariam tanquam injustam. Allegabat enim primò, quod cùm ei jus concessum sit tentandi animas, & maximè in morte, tamen in morte Caroli, Virgo cubiculum ingressa, indè eum depulerit, nec permiserit ullo modo ingredi ad tentandum. Allegabat secundò, se jus habere animas in judicio præsentandi & accusandi, ipsum tamen Virginem statim animam exeuntem è corpore, inter brachia suscepisse, judicioque præsentasse, prohibendo omnem dæmonis accusationem, & ideò judicium sine parte actum esse, contra omne jus. Respondit B. Virgo se meritò omnia hæc illi animæ præstitisse, quia in vita eam summè dilexerat, & omni die se ejus tutelæ commendârat: ipsumque solitum magnopere lætari de honore Mariæ, & pro illa vitam fundere paratum fuisse. Christus ergò concludens ait dæmoni: *Scias Matrem mecum in regno meo principari, non solùm ut alii electi, sed ut Matrem, Reginam & Dominam, unde potest dispensare, justa occurrente causa in legibus meis. Justum autem fuit, ut id ageret cum anima Caroli, à quo sic fuit honorata.* Sic ergò dæmoni silentium indictum fuit, & Brigitta illâ revelatione intellexit filium suum salvum esse, ob devotionem quam Matri Dei semper exhibuerat.

Ex litt. Indiæ Orient. an. 1514.

In litteris ex India Orientali ad Generalem Societatis JESU, anno 1514. hoc exemplum refertur. In quodam ibi Burgo delata est quædam mulier Christiana (quæ peste obierat) ad sepulchrum. Cùm verò illud nimis angustũ foret, & mora fieret ut inferretur; Vox quædam audita est, quasi cadaveris ingementis: Heu mihi! Mirantur omnes, & statim linteum, quo obvolvebatur, discindunt, inveniuntque mulierem adhuc vivere, & ut confessione peccata sua expiaret, Confessarium implorare. Reducta ergò est in ædes suas, & cùm illuc miraculo accitus, advenisset loci Dominus, curat advocari Patrem Casparum Ruiz, Sacerdotem Societatis, qui tunc temporis non longè aberat. Hic adveniens interrogat mulierem, ut totam rei seriem enarret. Dicebat ergò se in instanti mortis, per adolescentem fulgidum deductam fuisse ad thronum quendam magnificum, in quo Christus sedebat cum Maria Matre, multis Sanctis & Angelis cinctus; ubi dæmon comparens eam de omnibus peccatis accusarat. Cùm verò ipsa, nec ejus Angelus, quicquam respondere posset, ad Virginis patrocinium confugere se coactam dicebat, ut opem implorararet in tanto discrimine: Cumque precibus commota forent Materna Virginis viscera, Filio Matrem supplicasse, ut tempus pœnitendi & peccata confitendi ei daretur, certam repræsentans eleëmosynam, quam in Virginis honorem pauperi mendicanti, paucis abindè diebus elargita fuerat, cùm mendicus à marito severiore, domo expulsus fuisset. Addebat deindè, Christum Judicem Matris precibus trium dierum spatium indulsisse: jussisse tamen, ut satisfieret divinæ justitiæ, à dæmone multis eam verberibus eâ horâ affici, ac statim postea animam corpori redditam fuisse. Hæc utique narrabat mulier, multis cum lachrymis totius vitæ delicta confessione generali expians. Cumque tres dies elapsi forent, quos cum Patre spiritualibus colloquiis impenderat, sacro Viatico & Extremâ Unctione munita animam magna cum fiducia iterum Deo reddidit. Hæc scripsit ipsemet Sacerdos Societatis Confessarius mulieris, ad suum Generalem. Ex his exemplis patet, Mariam Deiparam pro nobis peccatoribus in hora mortis orare: & sæpè peccatorum contritionem vitesque ad dæmoni resistendum nobis impetrare. Jacob. Vitria in vita ejus.

Sed & ipsa justis ex hac vita migrantibus servis suis, ad consolationem in morte frequenter apparuit trepidationem omnem excutiens. Sic adfuit B. Mariæ Ogniacæ, dum Extremæ-Unctionis Sacramento munita fuit. Testata est enim ipsa, Christum tunc sibi apparuisse, ad pedes lectuli Crucem affigentem, tanquàm vexillum suum, in signum victoriæ quam de Satana Virgo hæc moriens debebat reportare, quæ semper sub Crucis labaro invicta decertârat. Testata quoque fuit, se vidisse Petrum cum Apostolis Cœli claves ostentantem, quibus securum in Dei regnum aditum promittebat. Affuisse quoque referebat Virginem Deiparam, Virginum choro cinctam, & indicibilem lætitiam ejus animo infudisse.

Platus l. 1. de bono statu Relig. c. 31.

Apparuit etiam B. Adulpho Franciscano, quiret licto Alsatiæ Principatu, sanctam & humilem in Francisci Ordine vitam egerat, & eum trepidantem ita confirmavit. *Quid times fili? aut cur ob imminentem mortem angeris? Veni securus, quoniam filius meus, cui fideliter servivisti, dabit tibi coronam gloriæ.* Quibus ille Virginis verbis & aspectu adeò recreatus est, ut omnis horror mortis in ingentem lætitiam versus sit.

Surius de vita Ant. Pad. 13. Junii.

Sanctus quoque Antonius de Padua, cùm ad ultimam vitæ periodum venisset, & omnibus Sacramentis munitus Pœnitentiales Psalmos cum Fratribus recitasset; finaliter tanquam Hymnum illum, *ô Gloriosa Domina, &c.* Virgini toto spiritus fervore præsentavit, quem solitus erat in omni tentatione recitare. Apparens autem ei B. Virgo, mirè

eum

eum præſentia ſua conſolata eſt, quia ejus impetratione ante diſceſſum meruit videre ejus filium, unde mira cum ſerenitate & pace, hac viſione recreatus animam Deo reddidit.

Idem 10. Sept.

Sic etiam ſanctus Nicolaus Tolentinas ſex ante obitum menſibus, paulò ante nocturnas preces, ſingulis noctibus ſuavem Angelorum concentum audiebat, quaſi præguſtationem quandam futuræ fœlicitatis. Cum verò reſolutionis tempus inſtaret, in extremo ſpiritu vocem inſtar lætantis & geſtientis elevabat. Cumq; Fratres inuſitati hujus gaudii cauſam quærerent, admonitus ille, vixque ſui compos præ magnitudine rei, cauſam hujus gaudii eſſe dicebat, Chriſti viſionem ſibi apparentis cum ſanctiſſima Matre Maria, & S. Patre Auguſtino. Et illi, inquit, mihi dicunt: *Euge ſerve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* In hiſque verbis expiravit.

Apud Surium c. 21. 20. Aug.

Hic eſt ergo fructus pietatis erga Deiparam, mors fœlix & gaudiis cumulata; quia filios ſuos inter brachia maternæ benignitatis ſuſceptura eſt, ut Deo præſentet, ut Jeſum benedictum fructum ventris ſui nobis poſt hoc exilium oſtendat. Unde & nunc & omni hora, maximè autem in extremâ, juvat ſe illi committere & commendare. Id exemplo S. Stephani Regis Hungariæ concludendo demonſtro. Hic Virginis obſequio addictiſſimus fuerat, ita ut Regnum ſuum *Familiam S. Mariæ* nominarit, & ſceptrum ac Regnum ſuum ſpeciali voto illi conſecrarit, ejuſque feſta jejuniis præviis, & ſingulari ſolemnitate agi mandarit. Hic ergo morti vicinus accerſitis Epiſcopis, & Primoribus Palatii, paternè monuit Catholicam ſervare fidem, amare juſtitiam, fraternæ charitati ſtudere, humilitati operam dare, & ante omnia Chriſtianiſſimi plantationi, quæ adhuc novella erat, omnem ſollicitudinem adhibere. His dictis manus & oculos ad cœlum erigens, dicebat: *O Regina Cœlorum, mundi inclyta reparatrix, tuo patrocinio novellam hanc Eccleſiam cum Epiſcopis & Clero commendo, Regnumque cum Primatibus & populis tibi ex integro committo, quibus nunc ultimum valedicens, animam etiam meam manibus tuis depono.* Inſtabat vero tunc ſolemnitas lætiſſima Angelis & hominibus Aſſumptionis Mariæ, & lachrymis, gemitibuſque rogabat, ut eo die corporis ſui diſſolutio fieret, ſperans cumulationis miſericordiæ ſe ſpem habiturum. Cum ergò ille dies advenilſet, Rex in medio Cleri ac Principum ſuorum cum Epiſcopis circumſtantibus, ſacram percepit Unctionem, ſanctamque animam Corporis & Sanguinis Chriſti viatico recreatam in manus B. Virginis, & Sanctorum Angelorum æternæ quietis certitudini inferendam tradidit, Anno 1038.

Baron. tom. 1. ann. 1038. nu. 17. & 19.

TRACTATUS V.
DE JUBILÆO, ET INDULGENTIIS.

PROOEMIUM.

NOn exiguum ſpei ſuæ fulcrum & præſidium conſtituunt Fideles in ſacro Indulgentiarum theſauro, quem non in ſudario ligatum, non in terra defoſſum, ſed ejus qui Chriſti vices gerit arbitrio commiſſum, agnoſcit Eccleſiæ fides.

Hunc aperuit & larga manu diſtribuit anno præcedente Urbanus VIII. qui in Chriſti ſolio, Petriſque ſede modò præſidet; & ejus participes effecit Fideles accedentes ad Urbem Apoſt. Petri & Pauli doctrina & ſanguine rigatam & purpuratam: Anno ſancto recurrente, convocans omnes ad lætitiæ ſpiritualis jubilum & celebre Indulgentiarum Jubilæum.

Hoc verò anno immediatè ſubſequente, ſimiles Jubilæo indulgentias per Orbis Catholici provincias communicat: ut qui limina SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, certis detenti impedimentis viſitare non potuerunt, ſacræ tamen lætitiæ & fructus ſpiritualis non ſint exortes.

Inſtitui itaq; brevem hunc de Jubilæo & indulgentiis Tractatum, ut conſulerem Paſtorum bono, inſtante nunc dictæ indulgentiæ promulgatione, & frequenter ad hâs illarum occaſione occurrente, ut eis ſuggererem materiam concionis, exhortationis,

Digitized by Google

tionis,inſtructionis,ad plebem ſibi commiſſam eo tempore ferventiùs excitandam : & ut ſimul haberent ad manum reſolutionem aliquorum dubiorum frequenter circa indulgentias occurrentium.

Utinam ergo hoc tempore in veritate dicere poſſit omnis cathedram conſcendens Concionator illud, quod Domino in Synagoga aperto libro, primùm occurrit: *Spiritus Domini ſuper me, Evangelizare pauperibus miſit me, ut mederer contritis corde, ut prædicarem clauſis apertionem, captivis indulgentiam.* Nunc enim forti & voce & zelo clamare convenit illis qui evangelizant Sion. *Diſſolve colligationes impietatis: Solve vincula colli tui captiva filia Sion* O anima fidelis, nunc tempus eſt, ut funes omnes funereos culpæ aut pœnæ diſrumpas, qui collum tuum circumplexi ſunt, ut te pertrahant vindictæ obnoxiam, ita ut poſſis dicere cum lamento: *Vigilavit jugum iniquitatum mearum in manu ejus, convolutæ ſunt & impoſitæ colli meo, infirmata eſt virtus mea.* Hæc autem vincula ſive culpæ, ſive pœnæ, efficaciter ſacro hoc Jubilæi tempore diſſolvuntur auctoritate Apoſtolica: ſicut olim Lazari è ſepulchro divina voce excitati, initiæ & faſciæ ſepulchrales manus colligantes, manu Apoſtolica fuere diſſolutæ. Ergo filiam Sion modò Propheticis verbis adhortentur qui ejus curam gerunt, & dicant ei: *Statue tibi ſpeculum, pone amaritudinem, dirige cor tuum in viam rectam.* Hoc eſt, aſcende in mentis ſpeculam, quandoquidem filia Sion nomineris (Sion enim ſpeculam ſignificat) & ex alto proſpiciens, conſidera amaritudinem futurarum pœnarum, quibus nos peccata involvunt: intuere æternitatem amaram reproborum, aut piaculares flammas in carcere terro purgandorum, quas nunc tam facili negotio potes evadere, & levi pœnitentia, Chriſtique ac Sanctorum ſatisfactionibus redimere, & expiare: ita ut hic verum ſit illud Prophetæ: *Diem pro anno dedi tibi.* Expende ergo iſtud, pœnitentiam brevem modò age, & *dirigetur cor tuum in viam rectam*: Diſruptis culpæ pœnæque vinculis, quæ te liberè ambulare non permittunt, ſtatue nunc meliùs agere, ut tota ſpiritus libertate poſſis Deo vacare, & ad Æternitatis Jubilæum, ad annum illum ſanctum, qui nunquam finietur, pervenire.

LECTIO I.

DE JUBILÆO.

ANtequam de Jubilæo diſſeram, ponam hic primum Bullam S.D.N. URBANI VIII. & aliquas Notationes circa illam adſcribam. Bulla Jubilæi Anni 1625. ſic incipit.

VRBANVS EPISCOPVS SERVVS SERVORUM Dei, Univerſis Chriſti Fidelibus præſentes literas inſpecturis ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

OMnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo, in voce exultationis: non enim ut in veteri lege Sacerdotalis buccinæ clangore, ſed Apoſtolicæ vocis oraculo Sacroſanctum Jubilæi annum, jam Regis ſæculorum beneficio appropinquantem, vobis evangelizamus: Annum divino cultui dicatum, ac ferventioribus Chriſtianæ pietatis ſtudiis deſtinatum: Annum remiſſionis ac veniæ, tempus acceptabile, dies ſalutis. Licet enim nulla excurrant tempora, quæ divinæ largitatis muneribus fœcunda ſpiritualibus nos non cumulent bonis, ac nunquam ad ineffabilem Dei miſericordiam; ejus aſpirante gratia nobis aditus præcludatur; nihilominus tot tantaque eo anno ad hominum ſanctificationem beneficia cœlitus promanant, ut pœne omnes ſacros theſauros divina munificentia in Chriſti Fideles diffundere videatur. Quapropter ſi quinquageſimus annus, quem Deus Moyſen ſanctificare juſſit, incredibili Hebræorum plauſu, atque inæſtimali gaudio excipiebatur, quanto magis decet Chriſtianum Orbem ſacro Jubilæi Anno recurrente lætari? Laborioſa eo tempore agriculturæ opera intermittebantur: nunc proprio quiſque parcens labori, fructus quos Chriſti Domini, Deiparæ Virginis, ac Sanctorum merita protulerunt, ubertimos percipit. Diſtracta tunc prædia, alienique juris effecta recuperabantur: nunc virtutes, dona, & merita, quibus peccando meritò exuimur, liberali Dei miſericordia recipimus. Exules tunc Patriam repetebant: nunc ad cœlum, unde exulantes in hac lachrymarum valle miſerè peregrinamur, iter nobis præmonſtratur & aperitur. Vos igitur Catholici Principes, qui tot decorum prærogativis inſigniti ad Chriſtianam pietatem promovendam arctioribus, quam cæteri, obligationis nexibus obſtricti eſtis, voſque omnes Chriſti Fideles, quos Romana Eccleſia materno gremio complectitur, ad jucundiſſimam ſacroſancti hujus Jubilæi celebrationem, paterna, quæ urget Nos, Charitate, vocamus & invitamus, ac quali tubam exalta-

Digitized by Google

exaltantes vocem noſtram, Prophetica in vos oracula convertimus,& clamamus: Audite hæc omnes gentes. auribus percipite, qui habitatis orbem. Adveniunt dies pœnitentiæ ad redimenda peccata, ad ſalvandas animas. Appropinquat tempus, quo Dei miſericordia eos tandem convertat, quos ſera ejus ulciſcendi voluntas diu toleravit. Humanæ vitæ brevitatem vobis ipſi ob oculos proponite: cogitate, nos inſtar aquæ dilabi,ac vitam noſtram, velut à texente præcidi. Et quamvis nonnulli ex Romanis Pont. Prædeceſſoribus noſtris eidem Jubilæi anno concelebrando præſcriptum olim temporis ſpatium providè arctantes tam ſolemnem culparum remiſſionem,divinæque juſtitiæ debitarum pœnarum relaxationem,intra anguſtiores annorum limites contraxerint, nihilominus ob paucitatem dierum noſtrorum, paucis illam redituram putantes, quæramus Dominum dum inveniri poteſt, invocemus eum dum prope eſt. Venite ergo ad locum, quem elegit Dominus,aſcendite ad myſticam hanc Hieruſalem,tot tantiſque à Deo Beneficiis auctam, tot muneribus cumulatam,ut verè de ea dicatur,fluminis impetum lætificare Civitatem Domini, cœlectium nempe fluminum gratiarum, cujus opportuna irrigatione Fidelium animæ fœcundantur. Venite & afferte Domino gloriam & honorem,afferte Domino gloriam nomini ejus, adorate Dominum in atrio ſancto ejus. Hic filii dilectiſſimi, verè confitebimini Deo in Eccleſia magna,& populo gravi laudabitis eum,quandoquidem hæc eſt cæterarum Eccleſiarum Magiſtra,prima Catholicæ Religionis Sedes, Mater credentium, orbis Caput,Vertex rerum. Quapropter & cœleſtes benedictiones, quas ſitiſtis, hic non ex rivulis petitis,ſed haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris,aquas videlicet ſalubertimas,quibus hauſtis, efficietur in vobis fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Hæc igitur Nos præ oculis,atque in votis habentes, Romanorumque Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes,& eorum pium ac ſalubertimum inſtitutum retinentes; de Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium aſſenſu. Jubilæi celebrationem in annum proximum M. DC. XXV. à primis Veſperis Vigiliæ Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti proximè futuræ inchoandam,& per totum annum ipſum finiendam, auctoritate Dei Omnipotentis,& BB. Apoſtolorum Petri & Pauli, ac noſtra,quanto maximo poſſumus animi noſtri gaudio,ad ipſius Dei gloriam, & Catholicæ Eccleſiæ exaltationem indicimus,& promulgamus. Quo ipſo Jubilæi anno durante, omnibus utriuſque ſexus Chriſti Fidelibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui Eccleſiam Lateranenſem BB. Petri & Pauli Apoſtolorum,nec non S. Mariæ Majoris de Urbe Baſilicas, ſemel ſaltem in die,per triginta continuos, aut interpolatos dies,ſi Romani vel incolæ Urbis, ſi verò peregrini,aut alias externi fuerint, per quindecim ſaltem dies devotè viſitaverint, & pro ipſorum Fidelium,ac totius Chriſtiani populi ſalute, pias ad Deum preces effuderint, pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, remiſſionem ac veniam miſericorditer in Domino concedimus & impertimur: & quoniam evenire poteſt,ut ex iis,qui hac de cauſa iter aggreſſi fuerint, vel ad Urbem ſe contulerint, aliqui in via, aut etiam in ipſa Urbe, morbo vel alia legitima cauſa impediti, aut morte præventi, præfinito dictum numero non completo, ac ne quidem fortaſſe inchoato,præmiſſa exequi,ac Eccleſiam & Baſilicas hujuſmodi obire nequeant: Nos piæ promptæque illorum voluntati, quantum in Domino poſſumus, benignè favere cupientes, eoſdem verè pœnitentes & confeſſos, prædictæ indulgentiæ & remiſſionis participes perinde fieri volumus, ac ſi Eccleſiam & Baſilicas prædictas diebus à Nobis præſcriptis reipſa viſitaſſent. Vos autem Venerabiles Fratres noſtri Patriarchæ,Primates,Archiepiſcopi & Epiſcopi, in partem ſollicitudinis Noſtræ vocati, capite tubas argenteas quarum uſus eſt in Jubilæo,adhibete prædicationem Verbi Dei, & prænunciate populis gaudium magnum, ut ſanctificentur, & Dei juvante gratia,parati ſint ad ea cœleſtia dona capienda, quæ bonorum omnium largitor Deus, filiis dilectionis ſuæ per miniſterium humilitatis Noſtræ præparavit. Ad cœleſtia munera in hac Urbe percipienda vocate cœtum, congregate populum,ſanctificate Eccleſiam, docete oves fidei veſtræ creditas, quia advenæ & peregrini ſumus in hac vita, & civitatem hic permanentem non habemus,ſed futuram inquirimus. Docete omnes,ſi unquam alias,nunc potiſſimum,iras,rixas, contentiones,& inveterata odia extinguenda propter Chriſtum; nunc præcipuè omnes carnis ſordes eſſe detergendas, templum Dei mundum ſit,ut unuſquiſque vas ſuum poſſideat in honore & ſanctificatione, & propter Deum in corpore ſuo. Docete eos maximè ſcelera deteſtanda eſſe,dandamque operam, ne quis Chriſtiano nomine abutatur. Docete,ſactos indulgentiarum theſauros lucrandi ſpem omnem inanem eſſe, niſi quis contrito & humiliato corde ſeipſum præparare, & Chriſtianis operibus exercere ſtudeat. Qui autem divitiis abundant, aperiant viſcera ſua,& fratrum ſuorum pauperum inopiam ſublevent, præcipuè verò erga peregrinos Romam venientes, miſericordes ſint, & ſanctam hoſpitalitatem Deo gratiſſimam, & quam vetuſtiſſimi illi Chriſtiani, etiam inter perſecutionum fluctus diligentiſſimè coluerunt, ipſi quoque multa cum hilaritate ſpiritus renovent atque obſervent,faciantque ſibi amicos de mammona iniquitatis, ut recipiantur in æterna tabernacula. Admonete etiam omnes, ut orent pro Regibus & Principibus Chriſtianis, ut quietam & tranquillam vitam agamus, & pax ac concordia perpetuò conſervetur. Poſtremo docete eos,cùm ſanctam peregrinationem ſuſceperint,qua moleſtia,qua devotione, qua fraternæ pacis obſervantia connecti eos oporteat,ut ſint Chriſti bonus odor in omni loco. Præbete autem vos ipſos fratres Venerabiles, & omnes Clerum exemplum

in primis bonorum operum, & formam gregis, & veſtiæ virtutis, ac religionis veluti ſale cæteri condiantur, & omnem peccati putredinem abhorreant, denique omnes unanimes in uno ſpiritu Chriſtianæ charitatis: atque in omni Sanctitate & Juſtitia Deo ſerviamus. Hortamur quoque & rogamus in Domino chariſſimos in Chriſto filios noſtros Imperatorem electum, ac Reges & Principes omnes Catholicos, ut quo plura, & magis illuſtria beneficia ab eo, per quem Reges regnant, acceperunt, tantò ardentius, ut par eſt, ad Dei gloriam procurandam pio zelo excitentur, præcipuè verò Fratrum noſtrorum Epiſcoporum, & Superiorum Antiſtitum Paſtoralem ſedulitatem & vigilantiam adjuvent, & à ſuis Magiſtratibus ac Miniſtris adjuvari mandent, ut improborum licentia coerceatur, & bonorum ſtudia eorum regia ope & gratia foveantur: Maximè autem erga peregrinos beneficentiam & liberalitatem exerceant, curentque ut tutis incedant itineribus, & nulla hominum perditorum vexatione perturbentur, ſed hoſpitalibus, domibus, & publicis hoſpitiis amanter excepti & commeatu, & rebus ad vitam neceſſariis recreati, ſine ulla concuſſione, & injuria inſtitutum iter læti peragant, & cum gaudio in patriam revertantur. His enim hoſtis Reges potiſſimum & Principes Deum ſibi placabilem reddent, ut diu in terris fœlices vivant, & demum in æterna Tabernacula recipiantur ab illis ipſis pauperibus, erga quos miſericordiam exercuerint, in quibus Chriſtus paſcitur & nutritur. Ut verò præſentes litteræ, ad omnium Fidelium quibuſcumque locis exiſtentium notitiam facilius perveniant, volumus earum exemplis etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, ac perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo munitis, eandem prorſus fidem haberi, quæ haberetur iiſdem præſentibus, ſi exhibitæ forent & oſtenſæ: Nulli ergo omnino hominum licet hanc paginam noſtræ indictionis, promulgationis, conceſſionis, impertitionis, hortationis, rogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire, ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ, apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto, tertio Kalend. Mai, Pontificatus noſtri Anno primo.

OBSERVATIONES CIRCA Bullam.

Nomen Jubilæi quidnam Lyra, Toletus & alii.

JUbilæum à JOBEL dici paſſim reperies, & interpretes multi putant ſignificare buccinam, ſive cornu arietis, quo ſolebant illo anno clangere in memoriam liberationis Iſaac, & arietis ejus loco ſubſtituti & immolati.

Secundò illi deducunt à voce ſeu radice JABAL, quam dicunt Hebræis ſignificare idem quod offerre, & adducere cum lætitia & gaudio. Et ſic annus hic JOBEL dicitur quaſi afferens omnia bona & reducens quemque in libertatem priſtinam & hæreditatem. Ita Ribera, Serarius, Cornelius. Ribera,

Tertiò quidam deducunt à radice JEBEL, quæ Hebræis ſignificat germen, ita ut annus Jobel idem ſit quod annus germinans omne bonum. Ita Cajetanus & Bellarminus. Serarius, Cor. a Lap.

Quartò non abſonè aliqui Latini deducunt à Jubilando, nam & Pontifices in ſuis Bullis id videntur indicare. Hinc Urbanus VIII. ad Jubilæum ſuum omnes invitans, ſic ſuam inchoat Bullam: *Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis.* Nimirum tota Chriſtiana Reſpublica tunc jubilat animo & corpore, quia exoneratur ſarcina & onere peccatorum, de quo dicit Propheta: *Iniquitates ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravata ſunt ſuper me.* Hoc eſt, onus Babyl. onus Ægypti, quod anno Jubilæi excutere monentur Chriſtiani, ut ſanctificationis operibus poſſint vacare. Pſ. 46. 1. Pſ. 37. 5.

Jubilæus cur annus Sanctus vocatur?

Propterea etiam vocatur à Pontificibus *Annus ſanctus.* Primò quia, nimirum, ut loquitur Urbanus Pontifex initio Bullæ ſuæ: *Annus eſt divino cultui dicatus, ac ferventioribus Chriſtiana pietatis ſtudiis deſtinatus.* Annus remiſſionis ac veniæ, tempus acceptabile, dies ſalutis. Secundò *annus ſanctus*, id eſt, ſeparatus, ac ab aliis ſegregatus, plus venerationis habens quam alii anni. Sanctum enim idem ſignificare aliqui putant, quod ſeparatum, ſegregatum, ſejunctum; ſicque ſignificatur annum illum inſtitutum eſſe, ut homo ſeparetur à carnali vita, & ſegregetur à ſæculi vitiis, & ſejungatur ab omnibus peccati occaſionibus: ut ſit annus quo homo melius vivendi initium faciat, dicens cum Propheta: *Nunc cœpi*, quandoquidem buccina & vox Apoſtolica, omnes tunc ad pœnitentiam vocet. Annus quoque ſeparatus ab aliis ideò dici poteſt, quia ut in eadem Bulla dicitur: *Licet nulla excurrant tempora, quæ divinæ largitatis muneribus non ſint fœcunda, ſpiritualibus nos non cumulent bonis, & nunquam ad ineffabilem Dei miſericordiam, ejus aſſiſtante gratia, nobis aditus præcludatur: Nihilominus tot tantaque eo anno ad hominum ſanctificationem beneficia cœlitus promanant, ut penè omnes ſacros theſauros divina munificentia in Chriſti fideles diffundere videatur.* Tertiò *Sanctus* dici poteſt, ut ſanctus idem ſit quaſi ſanguine conſecratum: ergo quaſi ſanguine conſecratus eſt, quia fons & origo illius, eſt theſaurus Eccleſiæ, qui conficitur ex valore Sanguinis Chriſti Domini & Sanctorum Martyrum, *Sanctus* enim dicitur à *Sancio*, quod idem eſt ac firmum efficio. Pacta autem fiebant antiquitùs firma ſanguine animalium, ſanguine hoſtiæ oblatæ, nihil enim ſanctum veteres faciebant, niſi quod ſanguine victimæ eſſet conſecratum, vel reſperſum; & qui hoc ſanguine aſpergebantur, ſanctificati dicebantur. Sic & nos illo anno ſpecialiter Sanguine

guine Chriſti tanquàm victimæ expiamur, dum ejus ſatisfactiones ſanguine acquiſitæ, nobis applicantur.

Proſequitur Urbanus, & ſignificat hujus anni figuram fuiſſe annum olim quinquageſimum : *Quapropter ſi quinquageſimus annus, quem Deus Moyſen ſanctificare juſſit, incredibili Hebræorum plauſu atque inæſtimabili gaudio excipiebatur, quantò magis decet Chriſtianum orbem ſacro Jubilæi anno recurrente lætari?* Undè immeritò Navarrus id negat, hac ratione ductus, quod ille in quinquageſimo, noſter in centeſimo anno fuerit inſtitutus à Bonifacio VIII. poſtea per Clementem VI. reductus ad annum quinquageſimum, deindè per Sixtum IV. & alios Pontifices ad ann. 25. ut quælibet ætas illius muneris particeps fieret. Licet ergò non ſit uniformis annorum obſervatio, ſicut antiquâ lege quinquageſimus uniformiter obſervabatur : propter hoc tamen non deſinit ille eſſe figura noſtri : quia inter figuram & figuratum non eſt neceſſarium uniformitatem univerſim reperiri, ſed ſufficit in multis. Vis ergò noſſe in quibus conformitas ſit figuræ ad figuratum, antiqui Jubilæi ad noſtrum? Explicat id ſpecialiter Urbanus.

Navarrus.

Ritus olim in Jubilæo ſervati.

Primò, inquit laborioſa eo tempore agriculturæ opera intermittebantur. Ecce ergò figura. *Nunc proprio quiſque parcens labori, fructus quos Chriſti Domini, Deiparæ Virginis, ac Sanctorum merita protulerunt, uberrimos percipit.* Ecce veritas adimpleta.

Secundò, diſtracta tunc prædia, alieniſque juris effecta recuperabantur. Ecce iterum figura. *Nunc virtutes, dona & merita, quibus peccando meritò exuimur, liberali Dei miſericordiâ recipimus.* Ecce iterum veritas adimpleta.

Tertiò, exules tunc Patriam repetebant. *Nunc ad Cœlum unde exulantes in hac lachrymarum valle miſerè peregrinamus,* iter nobis præmonſtratur & aperitur : & ita noſtrum Jubilæum in remiſſione peccatorum, in bona ſanctaque conſcientia, in bona & firma ſpe fœlicitatis æternæ conſiſtit, jubilus ibi noſter. Hinc dicebat B. Apollonius ſuis Cœnobitis (teſte Rufino & Palladio in vita ejus :) *Non oportet nos eſſe triſtes, quibus ſalus in Deo, & ſpes in regno cælorum. Triſtentur Gentiles, lugeant Judæi, plangant ſine ceſſatione peccatores : Nos verò qui tanta gloriæ ſpem & æternitatis habemus exultationem, cur non omni exultatione replemur?* Et ita ſuos excitabat B. Apollonius, ut in ejus Cœnobio nullus triſtis inveniretur : ſed ſupra modum gaudium & lætitia inter eos regnaret tanta, quanta haberi ab ullo hominum poſſet in terris.

Ruff. & Palad. in vita B. Apollonii, in vitis PP. l. 2. c. 7.

Quartò poſſumus addere his, quod ſervi in Jubilæo libertate donarentur: eratque figura libertatis noſtræ, quam de peccati & dæmonis ſervitute aſſequimur, dum in filios adoptionis iterum recipimur per pœnitentiam & Jubilæum, pleniſſimâ peccati remiſſione acceptâ.

Quintò, incarcerati liberabantur. Sic vinculis ſpiritualibus obligati, liberi à vinculis redduntur, & è carcere educuntur, & hoc videtur ſignificare ſolemnis illa *porta aurea* apertio, quæ fit Romæ : Deſignare quoque poteſt, apertionem illam portarum Limbi, quam fecit Dominus, cùm anima ejus deſcendit ad liberandos Patres Sanctos incarceratos, de quibus intelligunt aliqui illud Pſalmi : *Attollite portas Principes veſtras, &c.* quia & tunc in Limbo fuit Jubilæum maximum & univerſale, quo liberavit omnes ibidem exiſtentes, & ſecundum aliquos, omnes etiam in Purgatorio detentos. Significat quoque illa Portæ apertio, virtute clavium Petri aperiri theſaurum aureum Eccleſiæ, imò & januam cœli, remotis omnibus impedimentis, culpâ per pœnitentiam, pœnâ per indulgentiam. Quæ omnia in ſuo Jubilæo Clemens VIII. apertiùs expreſſit, dicens : In hac urbe claves Regni Cœlorum ſunt, & theſaurus ille Eccleſiæ inexhauſtus, cujus Cuſtos & Diſpenſator eſt Romanus Pontifex : qui eas quidem omni tempore diſtribuit, prout ſalubriter in Domino intelligit expedire : ſed anno potiſſimùm ſancti Jubilæi pia & larga profundit manu, quandò Portæ ſanctæ aperiuntur more ſolemni, & fideles à peccatorum labe expurgati, intrant in conſpectu Domini in exultatione, ut non jam ex veteris legis inſtituto, (quæ umbram tantùm habebat futurorum bonorum) neque ex Hebræorum conſuetudine (quibus omnia contingebant in figura) aut ſervi humanæ virtutis jugo conſtricti, liberi evadunt, aut in carceribus vincti dimittantur, aut gravi ære alieno preſſi liberentur : Sed animæ Chriſti Sanguine redemptæ, jugo ferreo diabolicæ tyrannidis, atque ex tetro carcere & vinculis peccatorum, divinâ Sacramentorum efficaciâ abſolvuntur, & dimiſſis debitis ac pœnis in adoptionem filiorum Dei, & ad cœleſtis regni hæreditatem, & Paradiſi poſſeſſionem admittuntur, & alia quamplurima Dei beneficia accipiunt. Hæc Clemens VIII. in ſuo Jubilæo.

Pſal. 23. 9.

Ulterius Bullam hanc proſequens Urbanus, rationem addit, cur quod olim centeſimo vel quinquageſimo anno ſervabatur, ad brevius tempus ſit coarctatum. *Humana*, inquit, *vita brevitatem ob oculos proponite, cogitate nos inſtar aquæ dilabi, ac vitam noſtram velut à texente præſcindi, &c.* Denique omnes invitat ad Urbem, ut ibi tanto beneficio fruantur. *Venite*, inquit, *ad locum, quem elegit Dominus, accedite ad myſticam hanc Hieruſalem, tot tantiſque à Deo beneficiis auctam. Hic cœleſtes benedictiones, quas ſitiis, non ex rivulis petetis : ſed haurietis aquas cum gaudio de fontibus Salvatoris.* Nempè Romana urbs, ob hunc Indulgentiarum theſaurum, ſemper frequentata fuit & celebris, & à ſanctis viris ejus habitatio exoptata. Sic S. Catharina Senenſis ob hæc libenter Romæ agebat; & quia Martyrum ſanguine fuit conſecrata inter cæteras urbes. Undè ſolebat dicere, cum Romæ ambularet : *Ego calco ſanguinem Martyrum.* Sanctam quoque Brigittam viduam, ut habetur in

S. Catharina Sen. Brigitta l. revelat. c. 102. & 105.

libro

libro revelat. ejus cap. 102. & 105. Chriſtus frequenter ei apparens, monebat ut Indulgentias Romæ lucraretur, volebatque ab ipſa magnifieri Indulgentias illas Romanas. Sed & in Jubilæis olim tantus fuit concurſus hominum ad Romanam urbem, ut ſub Nicolao V. anno 1450. multi Romæ in turba ſuffocati perierint, teſte Platina & Sabellico. Platina & Sabell.

Meritò verò ad illam Urbem omnes Fideles convocantur, ut agnoſcant unitatem capitis omnia membra, unitatem Paſtoris omnes oves, Petri ſedem & fidei petram omnes Fideles.

DE ANNO SEQUENTE JUBILÆUM
Et ejus Indulgentiis.

Zach.14.8 *In illa die exibunt aqua vivæ de Hieruſalem, medium earum ad mare orientale, & medium earum ad mare noviſſimum.* Hæc verba uſurpat Propheta, intuitu prophetico prævidens aquas doctrinæ & gratiæ Evangelicæ, quas Chriſtus & Apoſtoli ex Hieruſalem eduxerunt, & derivarunt per totum Orientem & Occidentem (ſub quibus reliquas duas mundi plagas ſcilicet Auſtrum & Aquilonem ſubintellige) dum in diverſis orbis partibus fidem prædicant. Nos autem his verbis uti poſſumus in hoc ſequente Jubilæum anno, in quo ſolet Pontifex ad inſtantiam Primatum, & Principum Eccleſiæ, de Romana Urbe (Hieruſalem vera & ſpirituali) fontes gratiæ cœleſtis per indulgentias ad diverſas Orbis plagas derivare. Nempe adimplet Pontifex Romanus illud Sapientis: *Bibe de ciſterna* Prov.5.15. primus, *& deriventur fontes tui foras.* Zach.13.1 Fontem hunc Indulgentiarum in medio urbis ſanctæ, *in ablutionem peccatoris & menſtruatæ* primò aperit, ut Romani qui cenſentur primi *de domo David*, abundè bibere poſſint & lavari. Et omnes *habitantes Hieruſalem*, hoc eſt, omnes qui Romanam fidem ſequuntur, ſivè omnes Eccleſiæ militantis incolæ, illuc poſſint concurrere. Sed quia non omnibus ob varia impedimenta id poſſibile eſt, ex benignitate ſua derivat puteos ſuos foras, & ad diverſas Provincias rivulos emittit, ut omnes & lavari poſſint & bibere.

Nos ergò ad illam Urbem non potuimus progredi, quæ eſt cæterarum Magiſtra Eccleſiarum, prima Catholicæ Religionis ſedes, Mater credentium, orbis Caput. Non potuimus ad Eccleſiam illam magnam & populum gravem pervenire, & afferre ibi gloriam in atrio ſancto ejus, nec calcare terram illam ſanctam, quæ tot Martyrum ſanguine fuit conſecrata & cruentata; nec videre ordinem illum hierarchicum divini aliquid præ ſe ferentem, & repræſentantem quoddam gloriæ cœleſtis ſpecimen, ſeriem illam Summi Pontificis, cum tot Cardinalibus, Epiſcopis, ac diverſi officii prælatis, quæ *ut Caſtrorum acies eſt ordinata*, quæ habet in hoc mundo aliquid divinitatis. Non potuimus ad illud templum materiale proficiſci, in quo adeſt petra angularis, Eccleſiæ fundamentum: & capita illa Apoſtolorum, per quos Eccleſia Religionis ſumpſit exordium, inviſere. Iterum dico, non potuimus haurire ibi aquas de fontibus Salvatoris: hinc rivuli modò ad nos deſcendunt, de petra illa ſcaturiente aquas per deſertum hujus mundi. Nunc canimus & meritò uſurpamus propheticam illam ſententiam: *De Hieruſalem exeunt aqua vivæ ad mare orientale & ad mare occidentale,* (per quod aliqui intelligunt, Arias Montanus in eum loc. v. Cornel. a Lapide ibid. Oceanum orientalem & occidentalem, quo Hiſpani & Luſitani navigant in Indiam, tam orientalem quàm occidentalem, fidem gratiamque Chriſti ibi prædicantes) hoc eſt, ad diverſas orbis partes. Et rectè propoſito noſtro cogruit quod ſequitur: *In æſtate & in hyeme* Zach.14. *erunt; & erit Dominus Rex ſuper omnem terram: In* 9. *die illa erit Dominus unus, & nomen ejus unum:* quia hæ indulgentiæ ad aliquas partes orbis deveniunt citius, ad alias tardius, ita ut quibuſdam locis in æſtate, aliis in hyeme promulgentur, & finis earum eſt, ut omnes Fideles per orbem diſperſi, Regem unum, Dominum unum Chriſtum agnoſcant, uno ore, uno ſpiritu, unâ fide illum laudantes. Et ita hæc largitas ſit a Pontifice ad orbis varias plagas, ut benignitas Patris ad filios diſperſos, & Paſtoris ad oves, quæ in unum ſimul confluere non poſſunt, magis eluceſcat; & unius ovilis unius que Paſtoris unitas appareat, ejuſdemque fidei ſplendor toto orbe rutilet: Denique ut in membra ſingula caput influat, & illa charitatis glutino arctiſſimè ſe capiti connexa agnoſcant, & idem ille ſpiritus unitatis, veritatis, pietatis, quo mirabiliter totum corpus compactum & coagmentatum eſt, tantò illuſtrius declaretur.

Doleret certè interim Pontifex, quod ad quaſdam Provincias & Regiones, hæ aquæ vivæ, hi rivuli gratiæ derivari non poſſunt, eo quod ab unitate ſeſe abſciderint, & tanquàm ingrati filii Eccleſiam Matrem reliquerint, recalcitrantes poſtquàm ſuxerunt ubera, ejus ſcilicet fidei & doctrinæ rebellantes, & in aquis fœtidis doctrinæ pravæ & hæreticæ ſeſe immergentes. Cuperet tanquam pius Pater, ut filii omnes eſſent uniti ſpiritu fidei, tanquam pius Paſtor, ut oves omnes unum ovile agnoſcerent: tanquàm caput myſticum, ut omnia membra viva eſſent, & eodem ſpiritu animante conjuncta. Hunc dolorem tanquam Patris amantis cor lancinantem, ſuis lachrymis & verbis ſic expreſſit Clemens VIII. pius Pontifex: *Cùm verò ex noſtro Paſtoralis Officii munere chariſſimos in Chriſto filios noſtros Imperatorem electum, Reges & Principes Catholicos, & omnes Chriſti Fideles toto terrarum orbe, in remotiſſimis etiam Provinciis & Regionibus commorantes, ad Jubilei hujus ſanctam & jucundiſſimam in Domino celebritatem, ſummo cum gaudio vocamus, atque invitamus, eodem planè tempore acerbiſſimi doloris ſenſu vehementiſſimè commovemur, mente atque animo recogitantes, quàm multa*

Digitized by Google

multa nationes & populi ſeipſos miſerabiliter abſciderint ab unitate & communione Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, qui proximo ſuperiori centenario, in ipſa una Catholica & Apoſtolica Eccleſia Romana, nobiſcum inanimes, & cum conſenſu in domo Domini ambulantes, ſanctum Jubilæi illius annum, multa cum lætitia & ſpirituali exultatione celebrarunt: pro quorum æterna animarum ſalute, vitam noſtram & ſanguinem, ſi opus eſſet, libentiſſimè effunderemus.

Reſpiciebat hic Pontifex verè clemens ad Angliam & Scotiam, Daniam, Norvegiam, Hollandiam, Saxoniam, aliaſque Aquilonares Provincias, quæ præcedenti ſæculo Lutheranæ, Calvinianæq; doctrinæ veneno infectæ, à Romana Eccleſia & fidei unitate ſe præſciderunt, ita ut verificatum videamus illud Prophetæ: *Ab Aquilone pandetur omne malum*, quia omnis Hæreſis jam regnantis initium, à partibus Aquilonaribus proceſſit, hos ergò ipſe lachrymis paternis deplorat, & cruoris proprii unda vellet poſſe iis ſuccurrere, & ad unitatem reducere. Hier. l. 14.

Debemus quoque nos fratrum horum errantium miſerereri; & pro illis ferventer orare, ut Deus eorum tandem miſeratus, meliorem eis meatem inſpiret, ut ad fidei veritatem reſpirent, & de errorum tenebris ad veram lucem emergant: & corporis unitati iterum tanquàm membra connectantur, gaudeatque Mater Eccleſia clementi & benigno ſinu ſuo iterum illos excipiens, ac brachiis charitatis amplectens, & ad ubera veræ doctrinæ iterum ſugenda tanquam parvulos admovens. Hæc eſt una ex primariis cauſis, cur Romani Pontifices theſaurum Eccleſiæ tam large aperiant, & tam abundanti indulgentiarum benedictione nos repleant. Expreſsè enim præſcribunt tanquam conditionem indulgentiæ lucrandæ, ut oremus piè & ferventer pro exaltatione ſanctæ Matris Eccleſiæ, pro hæreſum extirpatione, pro Principum Chriſtianorum, & fidei unitate.

Itaque in hac indulgentiæ publicatione debent Paſtores & verbi Dei præcones, uti verbis illis Apoſtoli: *Obſecro primùm fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt: ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate: hoc enim bonum eſt, & acceptum coràm Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* 1. Tim. 2. 1.

Oportet primò ferventem orationem offerre pro Pontifice, quia pro illo orantes, pro tota Eccleſia oramus; nam multùm ab illo Eccleſiæ dependet fœlicitas. Sicut enim ſtellæ à Sole, membra à capite, milites à Duce, oves à Paſtore, filii a parente, navis à rectore dependet; ita nos ab illo. Ipſe Sol noſter eſt, nos ſtellæ: ipſe Paſtor, nos oves paſcuæ ejus: ipſe Dux omnium, qui militant ſub Chriſti Cruce, nos milites de grege: Ipſe Navarchus, nos in navi ejus remigantes. Orandum igitur, ut aream ſuam, tanquam alter Noë rectè dirigat, inter tot fluctus, bella, ſeditiones, hæreſes. Conſpirant undique inferni vires ad eam ſubmergendam, niſi gubernaculum viriliter teneat, ſpei vela expandat, fidei anchoram figat, & nutantem naviculam confirmet: Imploranda eſt illi abundans ſapientia & gratia, quia non unius populi curam habet, ſed totius mundi: ad eum ſpectat regere Eccleſias totius orbis, ordinare Epiſcopos, fidem plantare in locis infidelium, orbem totum judicare, Principes ad unionem reducere. Hinc Bernardus ad Eugenium ſcribens dicit: *Intereſt tua, dare operam quam poſſis, ut increduli convertantur ad fidem, converſi non avertantur, averſi revertantur, perverſi ordinentur ad rectitudinem, ſubverſi revertantur ad veritatem.* Sic ergò Dominus ſuper eum poſuit orbem, ad quem ſuſtinendum multa eget fortitudine, & ferventi Fidelium prece tanquàm adjutorio. Bern. l. de Conſider.

Paſtores quoque ac verbi Dei Præcones, debent in his Jubilæi indulgentiis præire, & clangere buccinâ ſicut olim in anno quinquageſimo, & Apoſtolico ſpiritu ac voce omnibus inclamare: Quod quicumque voluerit, poſſit redire ad poſſeſſiones quas vendidit, exul ad patriam, debitor ad plenam libertatem, ſervus ad manumiſſionem. Tantum requiritur ab eis, ut adferant chirographa ſua, & oblitterabimus ea in ſanguine Agni: Declarent captivi vincula ſua, diſrumpemus ea auctoritate Petri. Qui vendiderunt ut Eſau primogenituram ſuam, qui gratiam & merita ſua animamque dæmoni obſignarunt, qui renunciarunt hæreditati cœleſti, revertantur ſolùm, & pœniteant; & in integrum illos reſtituentes, dimittemus cum gaudio jubilantes. Quis non feſtinet, ut tam facili negotio tanta deperdita bona recuperet? Quis non optet exui jugo ferreo diabolicæ ſervitutis tam levi pretio? Quis recuſet debitis graviſſimè oneratus, alienis pecuniis & operibus ſibi oblatis ſatisfacere, cùm ex ſe ſolvere non poſſit? Utique jejuniis, vigiliis, diſciplinis, auſterâ pœnitentiâ oporteret nos peccata noſtra redimere; ſed quia exculat ſe homo infirmus & delicatus, dicitur ei: Ecce opes ſuperfluas ſancti habent, & ſatisfactiones quibus non indiguerunt ob ſuam innocentiam; tu ergò accipe eorum vigilias, jejunia, ſudores, ſanguinem, & tua debita ſolve: ſolùm pœniteat te tanta contraxiſſe debita, & illa aperi ſacerdoti Chriſti locum tenenti. Quare ergò torpent aut cunctantur homines, & negligunt tanti fructus occaſionem? Accedant omnes, ut poſſit gratias agere pro tanto beneficio, & dicere: *Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.* Pſ. 115. 17.

OBSERVATIONES CIRCA Jubilæum.

I. De Indulgentiis & Caſibus

PRimò, Pontifex ut tanto celebriores ſint Jubilæi indulgentiæ, ſolet alias indulgentias & facultates abſolvendi à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſer-

Digitized by Google

Papa reſervatis.

reſervatis, anno currente ſuſpendere. Hinc Urbanus VIII. Bullam ſequentem edidit.

VRBANVS EPISCOPVS, SERVVS SERVORVM Dei, ad futuram rei memoriam.

CUm nuper ſancti Jubilæi celebrationem, à vigilia Nativitatis D. N. Jeſu Chriſti anni proximè venturi inchoandam, & uſque ad finem ejuſdem anni duraturam, univerſo populo Chriſtiano de Ven. Fratrum noſtrorum, S. R. E. Cardinalium aſſenſu indixerimus, ac omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui beatiſſimorum Petri & Pauli Apoſtolorum Baſilicas, & S. Joannis Lateran. ac B. Mariæ Majoris de Urbe Eccleſias viſitarent, pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, remiſſionem, & veniam conceſſerimus, prout in noſtris nuper deſuper confectis literis plenius continetur. Cupientes, ut Chriſtianæ nationes, ex omnibus terrarum orbis locis, in Alma Urbe noſtra, in fide ac religionis unitate congregatæ, eodem pietatis, ac devotionis ſpiritu Baſilicas, & Eccleſias prædictas, quo maximo fieri poterit concurſu, durante eodem Jubilæo, viſitent & frequentent, multorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum exemplo adducti, omnes & ſingulas indulgentias, etiam perpetuas, & peccatorum remiſſiones, ac facultates, & indulta abſolvendi etiam in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, etiam in literis de Cœnæ Domini legi ſolitis contentis, quibuſvis Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, etiam ſancti Joannis Hieroſolymitani Domibus, Militiis, Ordinibus, etiam Mendicantium, Congregationibus, Confraternitatibus, etiam Laicorum, Univerſitatibus, & piis locis, illorumque Ordinibus, Capitulis, Conventibus, Magiſtris, Superioribus, & tàm ſæcularibus, quàm quorumvis etiam Mendicantium, Ordinum Regularibus perſonis, Coroniſque, Granis, Imaginibus & Numiſmatibus ex metallo, ſeu quàcumque aliâ materiâ confectis, tàm ſingulariter, quàm univerſaliter per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac etiam Nos, etiam ad inſtantiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, aut ipſis, etiam Imperatori, Regibus, Ducibus & Principibus, vel aliis quacumque alia mundana, vel Eccleſiaſticâ dignitate, etiam ſpeciali nota digna fulgentibus etiam ad inſtar Jubilæi, aut aliàs quomodocumque, & ex quibuſvis cauſis & occaſionibus, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac alias quomodolibet conceſſis, quorum omnium tenores, formas, derogationes, & decreta præſentibus pro expreſſis haberi volumus, Apoſtolicâ auctoritate, de eorundem Fratrum conſilio & aſſenſu, & ſuſpenſas eſſe declaramus, caſque & ea, eodem anno durante, nulli prodeſſe aut ſuffragari debere, irritum quoque & inane decernimus, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca per præſentes auctoritate Apoſtolicâ præcipimus & mandamus, ne interim aliæ, quam indicta a nobis prædicti jubilæi indulgentiæ, ſivè publicè, ſive privatim quovis prætextu, ubivis locorum, & gentium ſub excommunicationis, eo ipſo incurrendæ, aliiſque, arbitrio Ordinariorum infligendis pœnis publicentur, vel nuncientur, aut in uſum demandentur. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conventuum, Ordinum, Congregationum, Hoſpitalium, Confraternitatum, Univerſitatum, Collegiorum, & locorum, aliorumque prædictorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, exemptionibus & indultis Apoſtolicis illis, eorumque Superioribus & perſonis, ac aliis quibuſcumque, per eosdem Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac nos, & dictam Sedem ejuſque Legatos ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis, & ex quibuſvis cauſis conceſſis, confirmatis & innovatis, quibus omnibus etiamſi in illis caveatur expreſsè, quod ſub ſimilibus, vel diſſimilibus ſuſpenſionibus nequaquam comprehendantur, niſi de illis ſpecialis, & individua mentio fiat, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad effectum præmiſſum, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Et quia difficile nimis eſſet præſentes, quocumque ubi illis opus fuerit, perferri: Volumus earum exemplis etiam impreſſis, Notarii publici manu & ſigillo perſonæ, in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eandem prorsùs fidem in judicio, & extra ubique locorum exhiberi, quæ adhiberetur præſentibus, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ ſuſpenſionis, declarationis, decreti, præcepti, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire, ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto, ſexto Non. Maii, Pontificatus Noſtri anno primo.

Indulgentiæ omnes durante Jubilæo ſuſpenduntur.

Circa quam Bullam adverte primò, omnes omninò tolli, ſivè ſuſpendi, quæ à Romanis Pontificibus conceſſæ fuerunt, ſivè ſint plenariæ, ſive non plenariæ. Undè quidam decepti fuere ex lectione Navarri aut aliorum, qui de Jubilæo tractant, & ſcribunt non ſuſpendi, niſi indulgentias plenarias. Licet enim aliqui Pontifices in ſuis Jubilæis tantùm plenarias ſuſpenderint, tamen hoc non eſt juris univerſalis, ſed pro libito poteſt etiam non plenarias Pontifex ſuſpendere, quod feciſſe Urbanum, tum ex Bullæ verbis conſtat, tum ex reſponſione

Car-

Digitized by Google

Cardinalium poſt Bullam emanatam. Suſpenduntur quoque indulta & facultates abſolvendi à caſibus Pontifici reſervatis: quod intelligit Navarrus de illis indultis, quæ conceſſa ſunt à Sede Apoſtolica, in ordine ad lucrandas indulgentias.

Ex facultates abſolvendi à caſibus Papæ reſervatis.

Sed Bulla Urbani loquitur abſolutè & univerſaliter, ita ut vi illius omnis abſolutio caſuum Sedi Apoſtolicæ reſervatorum, cenſeatur invalida illo anno durante (exceptis caſibus neceſſitatis) niſi ab illis detur, quibus tunc ſpecialiter illa facultas committitur.

Adverte ſecundò, ſuſpendi indulgentias, quoad omnes, ita ut nec poſſimus facere exceptionem etiam pro mortis articulo, quia morituris non ſunt neceſſariæ indulgentiæ, quibus poteſt ſuccurri per Sacramenta, & propriam ſatisfactionem. Speciali tamen favore Urbanus poſt Bullam, Patribus Societatis aſſeritur conceſſiſſe, ut illo anno in mortis articulo poſſent lucrari plenariam indulgentiam. Sic & Patribus Ord. Minorum de Obſervantia, in gratiam Capituli generalis eorum, quod illo anno habebat Romæ, conceſſit ut certum numerum Medalliorum cum indulgentiis conceſſis in Canonizatione S. Caroli Borromæi, poſſent diſtribuere. Sic & Apoſtolica benignitas per Bullam ſpecialem providit, ut incarcerati & perpetuâ clauſurâ detenti, Jubilæum illo anno poſſent lucrari ſine viſitatione Urbis & Baſilicarum ejus.

2. Etiam Indulgentia pro mortis articulo.

Adverte tertiò, non ſuſpendi indulgentias quas Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, Cardinales concedunt, quia ſolum illas ſuſpendit Pontifex, quas ipſe vel Romani Pontifices ejus Prædeceſſores conceſſerunt. Et cùm illas omnes & ſingulas ſuſpendat, ſequitur illo anno ſuſpenſas fuiſſe etiam indulgentias Confraternitatis Roſarii, & indulgentias Portiunculæ Ordini Minorum conceſſas, cujus contrarium malè aliqui docuerunt.

3. Non ſuſpenduntur Epiſcopales Indulgentiæ.

Adverte quartò, ſuſpenſionem intelligi de indulgentiis, quoad vivos, non de indulgentiis quoad defunctos: has enim non ſolet Sedes Apoſtolica ſuſpendere, quia cùm ſuſpenſio illa ſoleat fieri, ut omnes ad Romanum Jubilæum concurrant, hoc defunctos non concernit. Unde Romæ declaratum fuit altaria privilegiata etiam illo anno ubilibet exiſtentia, manere in ſuo vigore, ſicut & indulgentias pro defunctis, quæ aliquibus Numiſmatibus ſunt conceſſæ.

4. Neque Indulgentia quoad mortuos.

II.

Secundò ſolet Pontifex anno ſequente Jubilæum aut in ſimilibus Jubilæo indulgentiis, per univerſum orbem conceſſis, quindecim dies, aut duas hebdomadas, à die promulgationis in loco factæ, deſignare ad perageuda opera requiſita & præſcripta.

Quomodo 15. dies vel 2. hebdomadæ à die promulgationis intelligendi? 1. De Confeſſione.

Quæritur primò, an qui die Veneris vel Sabbati ante primam Dominicam confitetur propter multitudinem concurrentium, lucretur indulgentiam. Reſpondeo affirmativè, tum quia hæc eſt praxis Eccleſiæ, tum quia opinio communior tenet non eſſe neceſſariam confeſſionem, ut infrà dicemus, ſi quis non habeat mortale; illi autem communicantes ſupponuntur non habere peccatum mortale. Ita Laymannus, Henriquez & alii, qui etiam rectè advertit in hac materia favorabili per 2. hebdomadas aſſignari ſolitas, tres Dominicas comprehendi ex praxi Eccleſiarum. Quia Dominica non tantum eſt principium ſeptimanæ ſequentis, ſed quodammodo etiam finis & complementū præcedentis. Quapropter ſufficiet confiteri & communicare in Dominica, qua finitur ſecunda hebdomada: id enim approbat Eccleſiarum conſuetudo, quæ eſt optima legum & privilegiorum interpres. Et quamvis conſultius ſit confiteri ante alia opera præcipta, ut in gratia fiant, non eſt tamen id neceſſarium (ut infrà dicemus) quia ſufficit eſſe in gratia in actu ultimo, quandò indulgentiæ lucrandæ ſunt.

2. De jejunio.

Quæritur ſecundò, an qui jejunavit in una hebdomada poſſit communicare in altera? Reſpondeo affirmativè, nam & hoc expreſſit Gregorius 14. an. 1591. & Gregorius 15. in indulgentiis anni 1621. Addit Henriquez Epiſcopum Salmanticenſem conſultatione habitâ cum ſapientibus Salmanticenſibus, declaraſſe eos qui diligentiam fecerint in ſecunda hebdomada, poſſe etiam alio die tertiæ hebdomadæ communicare. Licet ergò Bulla quandoq; videatur ſignificare, intra eandem hebdomadam omnia eſſe facienda, & tunc ſecurius ſit ita etiam facere, tamen probabile eſt multis Doctoribus, ſatis impleri mentem Pontificis, licet in una hebdomada jejunes & alterâ adimpleas alia opera. Ita Rodriquez, Laymannus & alii.

3. De operibus alibi, quam ubi eſt jubilæum explendis.

Quæritur tertiò, an qui in loco ubi promulgatum eſt Jubilæum, viſitavit præſcriptas Eccleſias, ſed poſteà certa de cauſa alio migrat, ubi non eſt promulgatum, vel jam adimpletum ibi eſt; an inquam ille poſſit in altero illo loco jejunare, confiteri, communicare, & ſic Jubilæum lucrari? Reſpondeo affirmativè, quia cùm habeat privilegium confitendi cuilibet approbato, poteſt & alibi confiteri & communicare & cùm non ſit ordo neceſſarius inter opera præſcripta, ſufficit, quod viſitarit locum in quo erat Jubilæum, aut proceſſioni ibi interfuerit ſi id requirebatur, & alia opera adimpleverit ubicumque modo intra tempus præſcriptum in Bulla.

4. De lucrandis ſæpiùs tempore Jubilæi Indulgentiis.

Quæritur quartò, an pluries quis poſſit lucrari Jubilæum, ſi pluries fecerit opera præſcripta, v. g. una ſeptimana jejunat, communicat, viſitat Eccleſiam, altera quoque ſeptimanâ id facit, ut bis lucretur. Item lucratus eſt in una Diœceſi, poſt aliud tempus promulgatur in altera, vadit & ibidem adimpler opera, ut lucretur illud iterùm. Reſpondeo plurimos Doctores graviſſimos exiſtimare pluries poſſe dictis modis, aliquem lucrari Jubilæum: Item pluries vi illius abſolvi poſſe a caſibus reſervatis, ſi poſtquam ſemel lucratus eſt Jubilæum, iterum in illos incidat, & adimplens opera præſcripta iterum petat abſolvi. E. hæc fuit hactenus communior opinio; quia cum lex & privilegium non reſtringat, nec nos reſtringere debemus: Imo beneficium Principis, juxtà Juriſperitos; latè, quatenus

Digitized by Google

verba patiuntur, interpretandum eſt: ideò niſi alia mens Pontificis expreſſa fuerit, vel aliundè conſtet, hactenus dicta opinio omninò probabilis eſt. Dicit tamen Vincentius Filliucius Soc. Theologus & Romæ Pœnitentiarius, Anno 1620. menſe Majo, declaraſſe ſanctam Congregationem Interpretum Concilii, tantùm ſemel acquiri poſſe indulgentiam per Jubilæum, & tantum ſemel quempiam a caſibus reſervatis poſſe vi illius abſolvi. Quæ declaratio ſi certa eſt, illi ſtandum erit. Dico ſi certa eſt, nam multæ declarationes incertæ feruntur ſub nomine Congregationis Cardinalium, ut paſſim doctis notum eſt.

5. De reſervatis poſt Jubilæum.

Quæritur quintò, an qui oblitus eſt aliqua reſervata, & tranſacto Jubilæo meminit & confitetur, poſſit tunc à quolibet Confeſſario approbato abſolvi? Reſpondeo affirmativè, quia indirectè abſolutus fuit, & ſublata reſervatio. Ita ferè docent omnes.

6. De voti commutatione.

Quæritur ſextò, an idem ſit dicendum de voti commutatione, ſi pœnitens fuit oblitus, & Jubilæo tranſacto petit commutari. Affirmat Henriquez; ſed Rodriquez, Laymannus, & alii negant. Ratio diverſitatis afferri poteſt, quia ut dixi virtute Jubilæi, pœnitens indirectè fuit abſolutus à caſu reſervato, non poteſt autem dici virtute illius abſolutus à voto. Atera tamen opinio non eſt etiam improbabilis. Vide Leſſium.

7. De operibus aliàs præceptis. Leſſius c. de voto.

Quæritur ſeptimò, an per opera, quæ ſunt aliundè præcepta vel obligationis, poſſit ſatisfieri Jubilæo. Sed ad hoc infra reſpondebimus affirmativè: nam & ſolent promulgari quandoque Jubilæa requirentia tria jejunia, in quadrageſima, aut feriis quatuor temporum.

LECTIO II.

DE THESAURO INDULGENTIARUM.

1. *Decet eſſe in Eccleſia theſaurum Satisfactionum.*
2. *Iam ab initio Eccleſiam illum diſpenſaſſe.*

PROPOSITIO I.

Indulgentiæ ortum habent ex theſauro ſatisfactionum Chriſti & Sanctorum.

Indulgentia unde oriantur.

OPrimè hic theſauri nomine utimur, ſimilitudine deſumpta à theſauro materiali. Definiunt autem theſaurum Juriſconſulti: *Depoſitionem pecuniæ cujus non extet memoria.* Sed latius loquendo vocamus theſaurum, cumulum aliquem, in quo res ſpecioſæ ſunt reconditæ. Sivè ergò primo modo accipias, eſt in Eccleſia theſaurus ex ſatisfactionibus Chriſti ac Sanctorum conflatus, ab immemoriali tempore initiatus, hoc eſt, ab initio mundi, & tempore Abel juſti, ut ſtatim dicemus. Sivè ſecundo modo accipias, eſt hic theſaurus in Eccleſia, velut cumulus reſervatus rerum maximè pretioſarum & divitiarum ipſius Chriſti. Sic enim loquitur Apoſtolus ad Epheſ. 3. *Data eſt mihi gratia evangelizare inveſtigabiles divitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti à ſæculis abſconditi.* Ubi inveſtigabiles divitias, vocat copiam gratiarum & bonorum, ſivè meritorum, ſivè ſatisfactionum, quam Chriſtus nobis reliquit: Et Sacramentum à ſæculis abſconditum, in Deo eſt redemptio, quam per Chriſtum deſtinavit facere Pater æternus, & hæc diſpenſatur quotidiè per applicationem quæ fit pretii per Chriſtum acquiſiti, ſivè in Sacramentis, ſivè in Sacrificiis, ſivè in Indulgentiis: ibi enim diſpenſantur, ſivè communicantur hæ Chriſti divitiæ, hujus theſauri inexhauſti opes. Eph. 3. 4.

Eodem modo loquitur cap. 1. dicens, Deum, *qui dives eſt in miſericordia*, oſtendiſſe *in ſuperventuris ſæculis abundantes divitias gratiæ ſuæ, in bonitate ſuper nos in Chriſto Jeſu.* Itaque ſicut in omni Republica benè inſtituta, eſt ærarium quoddam ex quo deſumi poſſunt, quæ neceſſaria ſunt ad ſubveniendum neceſſitatibus Reipublicæ, aut eorum, qui magis egent: ita & in Eccleſia Dei theſaurus hic, eſt velut ærarium, è quo deſumitur pretium pro iis qui inopes, aut vix ſolvendo ſunt. Eph. 1. 4.

Hic theſaurus conſiſtit in acceptatione divina.

Sed quæres, ubinam ſit hic theſaurus, ſi enim diſpenſatur & diſtribuitur, oportet ſcire ubinam ſit? Reſpondeo ſi eſſet theſaurus materialis, deſignaretur locus in quo reconditus reperiretur, ſed cum ſit ſpiritualis, non eget loco materiali; ſed eſt in divina acceptatione, & præſentia Dei perpetuo exiſtens. Et quidem ita perpetuò, ut etiam poſt diem judicii manſurus ſit iſte theſaurus, quia inexhauſtæ ſunt ſatisfactiones Chriſti & Sanctorum, nec oblivioni tradentur in perpetuum: Et licet tunc de facto non ſint applicandæ remittendis ulteriùs peccatis, non tamen otioſæ erunt, quia Dei gloriam Chriſtique ac Sanctorum illuſtrabunt.

Hic theſaurus eſt conflatus ex ſatisfactionib. Chriſti.

Sed particularius forſitan noſſe aliquis cupiet, quomodò ex ſatisfactionibus Chriſti ac Sanctorum dicamus Theſaurum hunc conflatum. Primò igitur, ut de Chriſto loquamur, certum eſt ipſum per ſe nullâ indiguiſſe ſatisfactione, utpote qui peccatum non fecit, nec facere potuit. De quo dicit Apoſtolus ad Hæbræos 7. Non habuit neceſſe *prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deindè pro populi*, cum fuerit *innocens, ſanctus, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus.* Potuit ergò ſatisfactiones ſuas & paſſiones aliis applicare, & cum fuerint infiniti pretii, toto mundo reconciliando ſufficientes ſunt, & infinitis ſi darentur mundis. Imò verò, cùm una ſanguinis ejus gutta, propter unionem ad Verbum, pro totius humani generis redemptione ſufficiſſet, nihilominus copioſum quoddam profluvium dedit: & ut ait D. Bernardus: *Quod gutta potuit, voluit unda.* Nec unum ſatisfactorium opus operatus eſt ſed innumera à conceptione ſua uſque ad mortem, idque ex ardentiſſima charitate. Superabundans ergò fuit ejus, Heb. 7. 17.

ſatiſ-

Digitized by Google

ſatisfactio, per tot paſſiones, & opera pœnalia, & pluſquàm ſufficiens pro exhauriendis totius mundi peccatis, tam ſecundum pœnam, quàm ſecundum culpam: & ita ex ſuperaffluentibus ſatisfactionibus, infinitum theſaurum militanti Eccleſiæ acquiſivit, quo poſſit uſque in finem ſæculi uti, ſive ad culpas redimendas in Sacramentis, ſive ad debitum pœnæ extinguendum in indulgentiis. Vide quæ diximus de infinita Chriſti ſatisfactione. Lib. 1. tract. 3. lect. 25.

2. Sanctorum ſatisfactionibus. Clem. VI. de pœnit. & remiſ. in 6.

Secundò, etiam ex paſſionibus & ſatisfactionibus Sanctorum confici hunc theſaurum, definit Clemens Pontifex in Extravaganti. *Vnigenitus.* Ubi declarat ad hujus theſauri cumulum Beatiſſimæ Dei Matris, omniumque electorum à primo juſto uſque ad ultimum, merita ſive ſatisfactiones adminiculum præſtare. Licet enim hic theſaurus infinitus foret, ex vi ſatisfactionum Chriſti intenſivè, ut loquuntur Theologi: ex ſatisfactionibus tamen ſanctorum extenſivè creſcere nihil vetat; & ita voluit Chriſtus ſuos Sanctos honorare, ſatisfactionibus ſuis illorum paſſiones in hoc etiam theſauro conjungendo, ut illæ quoque aliis poſſint applicari. Cùm enim propter unionem charitatis unus pro alio poſſit ſatisfacere, & multi Sanctorum plurima paſſi ſunt, plurima opera pœnalia exercuerunt, quæ non erant neceſſaria ad ſatisfaciendum pro peccatis propriis: non debuerunt illæ ſatisfactiones oblivioni tradi, ſed manent in acceptatione Dei, ut aliis applicentur. Sic beatiſſima Virgo Maria, ne quidem peccato veniali fuit obnoxia, & ſic nulla eguit ſatisfactione: & tamen quantos paſſa eſt ipſa cruciatus; & quoties doloris gladius animam ejus pertranſivit? Sic B. Joannes Baptiſta in utero ſanctificatus fuit, & *neſcivit labem ni vei pudoris*, & tamen quam auſteram egit pœnitentiam in deſerto; An putas id inutiliter eum feciſſe: Item pro quibus exiſtimabimus peccatis Stephanum ita lapidatum, Laurentium aſſatum, Bartholomæum excoriatum? Et ita de aliis diriſſimis paſſionibus Sanctorum, ſive Apoſtolorum, ſive Martyrum, ſive pœnitentium, poſſumus loqui. Quid peccavit Dominicus, quotidiè ad ſanguinem uſque flagellis cædens? Quid Athanaſius in antris & ſepulchris deliteſcens? Quid Antonius, Benedictus, Franciſcus? Quid Catharina, Agatha, Agnes, Liduina, Ludgardis, Chriſtina Mirabilis, quæ tantis corpus expoſuerunt paſſionibus? Quid illi omnes, de quibus Apoſtolus ad Heb. 11. *Alii lapidati ſunt, ſecti ſunt, diſtenſi ſunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, in ſpeluncis & cavernis terræ.* An non hi omnes dicere poterant cum Job: *Vtinam appenderentur peccata quibus iram merui, & calamitas quam patior in ſtatera, quaſi arena maris hæc gravior appareret.* An ergò perierunt hæc omnia opera pœnalia: Imò verò vivunt & permanent ante oculos Dei, ut indigentibus membris ejuſdem corporis Chriſti myſtici applicentur. Ipſi tanquam Parentes noſtri nobis theſaurizaverunt, ut in præſenti tempore illorum abundantia, noſtræ ſit inopiæ ſupplementum. Hoc indicat Apoſtolus dum dicit: *Non debent filii parentibus theſaurizare, ſed parentes filiis. Ego autem libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris.* Ubi ſignificat Apoſtolus, ſe ut ſpiritualem Patrem theſaurizare filiis, quos per Evangelium genuerat; & ſe libentiſſimè impendere omnia pro illis, omnes labores & cruciatus quos ſuſtinebat: & poſt omnia, inquit, libentiſſimè ſuperimpendar, hoc eſt, expendat ipſe meum ſanguinem, vitam meam, pro vobis exhauriendo & profundendo. Quod idem alibi dixerat: *Omnia ſuſtineo propter electos.* Et iterùm: *Nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea, pro corpore ejus quod eſt Eccleſia.* Ex quo loco multi interpretes hunc theſaurum non ſolùm ex paſſionibus Chriſti, ſed & Sanctorum conſtare colligunt. Quaſi dicat Apoſtolus, quia voluit Deus theſaurum Eccleſiæ ex Chriſti ſatisfactionibus conflatum, compleri paſſionibus Sanctorum, ideò gaudeo tanta pati pro Eccleſia, ut poſſim hiſce paſſionibus meis adjungere quod deeſt; & ex altera parte adimplere, quod voluit Deus adjici, ut completus foret theſaurus. Vide Cornelium in illum locum, Bellarm. & Suarez de Indulg.

Heb. 11. 37.

Job. 6. 2.

1. Cor. 12. 14.

Col. 1. 14.

A Lapide in eum loc.

Bellar. & Suarez de Indulgent.

Tertiò, ex dictis collige conflari hunc theſaurum, non ſolùm ex ſuperfluis ſatisfactionibus Sanctorum, jam cum Chriſto regnantium, ſed etiam ex ſatisfactionibus Sanctorum adhuc viventium. Ex operibus ſcilicet piis, exercitiis pœnalibus, ærumnis, tribulationibus, pœnitentiis membrorum Eccleſiæ, augetur indies hic theſaurus: cum multi ita juſti ſint, & à peccatis liberi, ut non egeant milleſimâ parte paſſionum quas ſuſtinent, ad ſatisfaciendum pro peccatis propriis. Ipſi ergò omnes illas paſſiones ſuperfluas ſibi, in commodum totius corporis, cujus membra ſunt, contribuunt; & ſic illa quotidiè reponuntur in hoc theſauro.

3. Ex ſatisfactionibus juſtorum hic viventium.

PROPOSITIO II.

Theſauri hujus diſpenſatio, & diſpenſandi authoritas, data fuit Eccleſiæ jam ab initio.

Theſauri hujus diſpenſatio data eſt Eccleſiæ. Clemens VI.

IN veteri lege jam inchoatus fuit hic theſaurus, ut patet ex definitione Clementis VI. qui dicit incepiſſe à primo juſto Abel, uſque ad ultimum; nec dubium Sanctos veteris teſtamenti plurimas ſuperabundantes ſatisfactiones habuiſſe. Hoc patet de Job, & aliis Prophetis, qui multa paſſi ſunt, non neceſſaria ad peccatorum ſuorum expiationem. Jeremias in utero ſanctificatus, lapidatus fuit, Iſaias ſectus, Zacharias occiſus. Attamen authoritas diſpenſandi hunc theſaurum, reſervata fuit Eccleſiæ novæ. Illo ergò tempore colligebatur, ut cum veniret tempus gratiæ, diſtribueretur: quandò ſcilicet ad inſtar prudentis Patrisfamilias, diſpen-

Dispensator Evangelicus juxta commissionem sibi datam, de thesauro suo proferre debebat nova & vetera. Et cum antiquis Sacerdotibus non fuerint claves datæ ad aperiendum regnum cœlorum, etiam non fuerunt datæ ad aperiendum hunc thesaurum. Sed dices, bonorum communio videtur semper spectare ad illum, qui communitati præest, & sic videtur apud antiquum Pontificem etiam fuisse potestas, indulgentias aliquas distribuendi. Respondetur, ad illum qui præest, spectare bona communia distribuere, tempore quo distributio facienda est, illo autem tempore, necdum erat distributio faciend-

1. Cor. 2. 10. da, donec præcederet *dispensatio Sacramenti à sæculis abscondita.*

Statim verò initio Ecclesiæ, licet non ita frequens, tamen aliquis fuit indulgentiarum usus. Hoc multi probant ex Apostolo ad Corinth. c. 2. Ubi indulgentiam & remissionem pœnæ dedit incestuoso post absolutionem à communione. Si *quid* inquit, *donavi propter vos in persona Christi.* Per donationem enim illam, remissionem pœnæ impositæ intelligi notant communiter Interpretes, Div. Ambros. Anselmus, Theodoretus, Theophilactus, & alii. Incestuoso ergò illi & fornicario, Paulus excommunicationem & increpationem publicam fulminârat: At ipse resipiscens gravem pœnitentiam jam agere cœperat: sed rogarunt pro illo Corinthii per Titum, ut Apostolus ei gratiam faceret, & reliquum satisfactionis remitteret, ne nimiâ tristitiâ conficeretur, si reconciliatio diutius differretur. Donavit ergò ei Paulus, quod ei condonari supplicabant Corinthii, & per preces jam cenlebantur ipsi condonare, & ita indulgentiam ei præstat: quam dicit se dare in persona Christi, tanquam scilicet Christi Vicarium, authoritate ab ipso cujus personam gerebat accepta, qui dixit: *Quodcunque*

Ambros. Anselm. Theod. Theoph.

Matth. 16. 19. *solveris super terram, erit solutum & in Cœlo.* Quod ergò Corinthii velut donabant rogando, Apostolus authoritativè donat, authoritate Christi, cujus legatione fungebatur.

Licet itaque exactior & clarior notitia indulgentiarum habeatur à tempore Gregorii Magni & Bonifacii VIII. qui per Bullam specialem Jubilæum fanxit, tamen est etiam antiquissimus usus, quamvis non ita sub nomine *Indulgentiæ*, sed sub nomine condonationis, relaxationis, remissionis pœnæ. Sic olim Martyres in carcere detenti, lapsos mittebant ad Episcopos, orantes ut pœnam eis relaxarent, ut

Tertull. & Cypr. patet ex Tertull. ad Martyres cap. 1. & Cypriano epist. 1. 21. 12.

Cur in primitiva Ecclesia non ita frequens Indulgentiarum usus.

Sed quæres, cur in primitiva Ecclesia non erat ita frequens & solemnis indulgentiarum usus? An forte erat otiosus ille, de quo agimus, thesaurus? Respondetur multiplici de causa non ita frequentes aut solemnes fuisse. Primò, quia ob Christianorum persecutiones, non ita poterant solemnes fieri fidelium Conventus & Congregationes, sicut modò videmus in Jubilæis aut Jubilæo similibus indulgentiis, quibus populi convocantur aut invitantur ad Festivitates Ecclesiæ & Sanctorum solemnitates. Secundò, quia Apostoli multa & majora conferebant charismatum dona, qui æquipollebant indulgentiis; Spiritu sancto super fideles ad eorum preces frequenter descendente etiam visibiliter. Tertiò, quia adhuc calente & in cordibus fidelium bulliente Christi sanguine, ut loquitur D. Hieronymus; ita perfecti erant primi Christiani, ut vix egerent indulgentiâ: ita constantes & firmi in gratia, ut vix mortaliter peccarent: ita charitate ardentes, ut etiam ultrò martyrio se præsentarent, quod multis doceri posset exemplis. Cum ergò non ita indigerent, potius impendebant se ad augendum illum thesaurum, postmodum frequentius & latiùs aperiendum, tempore indigentiæ tepidorum Christianorum. Quartò cum quis tunc peccato mortali erat obnoxius, exacta servabatur canonum censura, & graves pœnitentiæ etiam solemnes peragebantur. Undè tempore D. Ambrosii Theodosius ille magnus, octo etiam mensibus ab ingressu templi per Ambrosium prohibitus fuit, ob eædem Thessalonicæ factam præcipite iracundia. Cum enim orta fuisset seditio, & aliqui ex suis Magistratibus, à furenti multitudine saxis obruti fuissent, & indignè tractati: Ipse furorem furori objiciens, in promiscuam multitudinem immisso milite magnam stragem ediderat. Sed cùm Mediolanum veniens ad Templum de more procederet, à B. Ambrosio libera oratione prohibitus est, & reprehensus de admisso scelere, & excommunicationis vinculo, ad condignam usque satisfactionem subjectus, jussusque reverti in Palatium. Gemebat interim ille, lamentabaturque in consideratione calamitatis suæ, quod cum servis & mendicis pateret divinum Templum, illique liberè ad deprecandum Dominum suum ingredierentur, Imperatori illud jam esset inaccessum, insuper & cœlum occlusum. Sciebat enim illud: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlo.* Tandem post octo menses, instante Natalitiorum festo ad pedes Episcopi iterum se projicit. Rogat ut meminerit clementiæ Domini, nec januam ei occludat veniæ, quam Dominus pœnitentibus aperit. Tandem post multa ab Ambrosio ei dicta, ab excommunicatione solutus est: & templum ingressus, nec stans, nec genibus flexis supplicabat Domino, sed prenus humi prostratus, Davidicam vocem emittebat: *Adhæsit pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum Domine.* Manibus capillum vellens, & frontem percutiens, ac guttis fidelium lachrymarum pavimentum irrigans, dari sibi veniam petebat. Theodoretus lib. 5. hist. c. 18.

De Theodosio M. Theodoretus l. 5. hist. c. 18.

Matth. 16. 19.

Ps. 118. 25.

Quamdiu ergò fervor ille Christianorum etiam Principum viguit, exacta canonum censura servabatur, disciplina Ecclesiastica in suo erat flore: undè non facilè per indulgentias relaxatio dabatur, postea tamen abundante malitiâ & refrigescente charitate, Ecclesiastico illo rigore temperato, relaxatæ

Digitized by Google

ratæ fuerunt publicæ illæ pœnitentiæ rationabili de cauſa; & cœpit Eccleſia uti nomine Indulgentiarum, & frequentius aperire hunc theſaurum ob indulgentiam Chriſtianorum. Non ergò miteris, ſi tunc pauci dies Indulgentiæ concederentur, quandò pauca erant peccata, quandò unum peccatum mortale etiam ſeptem annis pœnitentiæ puniebatur. Cùm autem nunc multa peccata ſint, & vix ullâ pœnitentiâ plectantur, tantaque ſit ignavia Chriſtianorum, ut exiguam etiam reſpuant pœnitentiam pro graviſſimis peccatis injunctam: neceſſe eſt Romanos Pontifices, paternâ lenitate, & condeſcenſione, filiorum infirmitati compatiendo, frequentes & amplas Indulgentias concedere: hæ enim Indulgentiæ beneficia ſunt infirmorum, & ita cum multi nunc ſint infirmi, oportet illas amplificari. In primitiva autem Eccleſia, cùm eſſent infirmâ valetudine pauci, non ita neceſſum fuit eorum hoc beneficium. Quid opus eſt aperiri ærarium publicum, cum populus opibus abundat? Quid opus commune Reip. horreum reſerari, quando copia ſuppetit omnibus frumenti? Illa utique publica & communia beneficia reſervari debent pro tempore, quo neceſſitas aut fames populum affligit. Hoc ergò tempore maximè, cum maxima miſeria eſt & paupertas in Eccleſia, cùm immenſa ſint peccatorum debita, quæ lachrymis aut pœnitentiâ non ſolvuntur à tepidis Chriſtianis, ſed miſeros prægravant, congruum eſt ad theſauros Eccleſiæ per diſpenſatores a Chriſto conſtitutos habere recurſum, ut infirmi & obærati, inopeſque juventur. Si Eccleſiæ judicio, unius peccati mortalis condigna pœnitentia erat ſeptennio continuanda, quandoquam integrè ſolverent multi Chriſtiani, qui mille peccata admiſerunt? Nec verò (proh dolor!) pauci tales ſunt, quia multi *iniquitatem quaſi aquam bibunt*. Quia ergò Mater Eccleſia materno ſinu eos complecti optat, illiſque condolet, ſolam cordis contritionem ab eis petit, & non ſolum ſinum maternum, ſed & theſaurum ſuum abundè eis aperit: ut Deo offenſo ſatisfaciant pro pœna, poſtquàm cordis contritione & oris confeſſione ſatisfecerint pro culpa. Undè quandoque eis proponit indulgentiam centum, vel mille annorum, vel ſeptem annorum, vel ulterius certi numeri dierum, vel annorum: quibus ſignificatur remiſſio pœnitentiæ, quæ tot diebus vel annis, ſecundum Eccleſiæ ritum, & in ordine ad prudens Sacerdotis arbitrium peragenda foret, ſi vita humana intantum ſe extenderet; & conſequenter remiſſio pœnæ purgatorii, quæ pœnitentiæ illi condonatæ correſpondet. Antiquitus itaque certus numerus dierum vel annorum pœnitentibus injungebatur, ut ſe illo tempore in bonis & pœnalibus exercerent operibus. Licet id nunc non ſervetur, tamen juxta magnitudinem & multitudinem peccatorum, tales pœnitentiæ debitores ſumus. Et ita non ſunt unquam ridiculæ habendæ Indulgentiæ, quibus mille vel plures anni conceduntur. Quia ſi canonicam pœnitentiam ſpectemus, multi tot annorum pœnitentiæ debitores reperiuntur.

Job. 15. 16.

Sed nunquid tales ſi careant indulgentia, nec ſatisfecerint, tamdiu in Purgatorio cruciandi ſunt? Reſpondeo, non eſſe id neceſſe, quia illa diuturnitas, acerbitate & intenſione pœnæ compenſatur. Varius ergò modus eſt indulgentias concedendi, quia variis modis juxtà rationabilem cauſam, vult Eccleſia Mater, & Pontifex, ut pius Pater, filiorum infirmitati condeſcendere. Sic interdum plenarias concedit Indulgentias, quæ totum pœnæ reatum tollunt, à quibus non differunt indulgentiæ Jubilæi, niſi in quibuſdam privilegiis, v. g. abſolutionis à reſervatis, diſpenſationis in quibuſdam votis, electionis Confeſſarii, & ſimilibus. Interdum tertia, vel quarta, vel alia pars peccatorum remitti ſignificatur, hoc eſt, pœna illi parti peccatorum debita, & conſequenter pœnitentia, quæ ad illam expiandam neceſſaria foret. Interdum datur indulgentia unius quadragenæ. Et ſignificatur remiſſio pœnitentiæ, quæ quadraginta continuis diebus, in jejuniis, aliiſque laboriofis operibus agenda fuiſſet. Quæ quadragena cùm aliter præſcriberetur, ita ut ſolus panis & aquæ pœnitenti relinqueretur, *Carena* dici ſolebat; quia ſcilicet carentiam omnium ferè ciborum obſervabat.

Indulgentiæ ſunt variæ.

Ex dictis concludo, non minus ignoranter, quàm impiè, hæreticos noſtri temporis indulgentias contemnere

Hic fuit primus *lapis offenſionis*, in quem ſuperbia & avaritia cæcatus impius Lutherus impegit, hic primus ejus error è Cathedra ab ipſo publicatus, cæterorum fons & origo, ex quo tanta mala proruperunt. Cùm enim Leo V. veritus inſolentes victorias Imperatoris Turcarum, Chriſtiano orbi exitium minitantes, multis jejuniis & orationibus negotium Deo commendaſſet, etiam perſonaliter in proceſſione, viſitando nudis pedibus ſeptem Eccleſias Romanas cum Cardinalium Collegio: invitavit & ipſe omnes Principes & Reges Chriſtianos, ad ſacrum bellũ viribus junctis infideli Imperatatori inferendum. Imò ſub interminatione cenſurarum præcepit, ut ad quinquennium inducias paciſcerentur pro partialibus inter ſe diſſidiis & bellis. Illis ergò animo viribuſque conjunctis ad id beli ſe parantibus, curavit prædicari crucem & indulgentias cruciatæ dedit, inſtar Jubilæi, omnibus eleemoſynam ad id bellum conferentibus. Publicatio hæc ab Archiepiſcopo Moguntino demandata fuit in Germania Fratribus Dominicanis. Verum, quia id privilegii primum deferri ſolebat in Germania Fratribus Auguſtinianis, inſanit Lutherus, invidiâ & ambitione torquetur, immò & avaritia, ob deſperatum ex illa commiſſione lucrum. Ut ergò & aliis lucrum eripiat, & injuriam velut Ordini ſuo factam vindicet, aſcendit cathedram, multa contra indulgentias & poteſtatem Pontificiam deblaterat; dicit eſſe pias fraudes, ad emungendam pecuniam,

Indulgentia fuerunt primus lapis offenſionis Hæreticorum. Florimũ. Rem. l. 1. de ortu hæreſ. c. 6.

Digitized by Google

niam, erroneas quoq; multas propoſitiones effudit: quæ initia fuêre errorum & dolorum in Chriſtiano orbe ſubſequentium. Latiùs hiſtoriam relatam vide apud Florimundum.l. 1.de ortu hæreſ.c.6.

Ex liter. Collegii An. 1606.

Lutherum imitati ſunt, & adhuc hodie imitantur ejus diſcipuli,at non ſemper impunè. Audi quid acciderit Auguſtæ Vindelicorum an. 1606. Quidam Lutheranus prædicans, cùm videret Auguſtæ Proceſſionem fieri ad lucrandas indulgentias conceſſas à Paulo V. furibundus ad cathedram procedebat, ut contra indulgentias decclamaret. Sed cùm veniſſet ad portam Crucis, ibi antequam id faceret, derepentè concidit mortuus, durante adhuc eadem Proceſſione. Itaque eâ re in Proceſſione nunciatâ, Præſules publicas Deo gratias agi curaverunt. Ita habetur ex annuis literis Collegii Auguſtani Societatis Jeſu.

Sub Greg. XIII. anno 1575.

Longè fœliciùs contigit cuidam alteri Lutherano Miniſtro, tempore Pontificatus Gregorii XIII. in anno Jubilæi 1575. Hic Polonus natione, miniſterium verbi apud Lutheranos viginti tribus annis obierat. In anno autem illius Jubilæi, quadam impulſus curioſitate, accinxit ſe Romano itineri; ut videret, inquiebat, Babyloniam Romanam in hoc anno confuſionis, ſic enim vocabat annum illum ſanctum. Habitu ergò peregrini venit Romã, & acceſſit ad Confraternitatem S. Trinitatis, ubi omnes peregrini excipiebantur & alebantur. Hujus Confraternitatis Protector erat Ferdinandus de Medicis Cardinalis, qui frequenter magno Nobilium comitatu illuc accedebat, & peregrinorum pedes lavabat. Contigit ergò, ut & huic miniſtro illud humilitatis officium exhiberet, quo non potuit non commoveri interiùs; videns tam eminentis dignitatis & nobilitatis virum, ad pedes ſuos tantâ humilitate & pietate abjectum. Interim ulteriùs progreſſus hic curioſus & ſubdolus explorator, videt Gregorium Pontificem magno pietatis fervore, Eccleſias viſitantem, ingreditur & ipſe, & conſiderat ſepulchra Apoſtolorum Petri & Pauli, & admiratur tantam externarum nationum turbam illuc confluentem, ut vota ſua cum lachrymis offerant. Percuſſus igitur luminis divini interiori quodam radio, & igneo Spiritus Sancti jaculo, aperit oculos, & in cœlum eos attollens ad pedes altaris ſe proſternens, ſubdolam curioſitatem in ſanctam mutat reſolutionem. Cum ergò in ſancta Capella Pontificem orantem advertiſſet, inſert ſe turbæ, & quo poteſt modo, acceſſum acceſſu ſibi parat, illius pedibus ſe proſternit, amplectitur, oſculatur totus immadens lachrymis. Nec vocem elicere poterat, ſolus cordis ſingultus, oculique lachrymantes loquebantur. Exiſtimabat Pontifex eſſe aliquem è pœnitentibus, qui horrore criminis confuſus, peccatum non audeat ſuum propalare, jubet ergò urgentem turbam ſecedere, ut eum ſeorsim arbitrio alloquatur. At ille vocem ſingultibus intercisam, prout potuit, attollens: *Non opus eſt*, inquit, *ô Pater ſancte turbam ſemoveri, offenſam meam opere propalare, & pœnitentiam publicam expiare: Viginti jam tribus annis miniſter fui ſatanæ, nunc cupio Chriſti ſervus eſſe, & Eccleſiæ ejus humilis diſcipulus; & in eorum numerum transcribi ſupplicibus his lachrymis à tua obteſtor Sanctitate.* Audit eum Pontifex, & plenius interrogat, & tandem ei collachrymans & compatiens, benedictionem impertitur; negotium que ſalutis ejus duobus committit Cardinalibus. Confeſſione peractâ, & ſacrâ Euchriſtiâ maximo pietatis ſenſu perceptâ, viſitans in maximo Solis ardore loca ſancta, morbo corripitur, & ad Hoſpitale S. Spiritus defertur: Ubi tribus poſt diebus mortuus eſt, ſumma cum ſpiritus ſuavitate & conſcientiæ pace, gratias agens Deo, quod poſt tanta pericula & naufragia, cum ad ſalutis portum nil minus cogitantem transveriſſet. Re delata ad Pontificem, cui tunc aderant duo Capucini, oculos in cœlum tollens, cœpit dicere cum Apoſtolo: *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Cum tàm multi peccatores, ut pœnitentiam condignam agant, alii Monaſterium, alii deſertum petant, hic cùm eſſet tantus peccator, trium dierum ſpacio, cum grandi ſua contritione, & veniam adeptus eſt & Paradiſum.* Rom.11.33.

Attendant hæc Hæretici noſtri, & ad hunc theſaurum, qui omnibus corde contritis patet, accedant relicto errore, & in melius mutatâ mente. Alioqui ſi illum calumniari pergunt, ſimiles ſe oſtendunt invidis illis, de quibus Gen. 26. qui conati ſunt obſtruere puteos aquæ vivæ, ſpectantes ad Abraham Patrem Fidelium, & ad Iſaac filium ejus: conantur enim obſtruere fontem ſatisfactionum ſpectantem ad Chriſtum & filios ejus. Gen.26.

Ibi etiam refertur Iſaac fodiſſe tres puteos, quorum unum vocavit *Calumniam*, alterum vocavit *Inimicitias*, tertium vocavit *Latitudo*. Nos hunc puteum aquæ vivæ, hoc eſt, meritorum & ſatisfactionum Chriſti theſaurum ſivè fontem, meritò poſſemus vocare *Calumniam*, quia illum calumniis ſuis obſtruere, & obruere conantur noſtri errantes, poſſemus etiam vocare *Inimicitias*, quia velut fundamentum fuit primæ hoſtilitatis inter Lutheranos & Catholicos. At melius vocabitur à nobis *Latitudo*, quia non obſtantibus omnibus eorum calumniis & hoſtilibus mendaciis, nunquam deſinet abundanter fluere in ſubſidium animarum, ut expientur à pœnis, & in finem ſæculi perdurabit inexhauſtus.

LECTIO III.

DE CAUSA INDULGENTIÆ.

1. *Docet, Pontificem habere plenitudinem poteſtatis.*
2. *Docet, Non poſſe illum dare indulgentiam abſque cauſa.*

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO I.

Potestatem concedendi indulgentias habet in plenitudine Pontifex immediatè à Deo.

Matt.16. HÆc ei promissa est in Persona Petri, dum dicitur: *Tibi dabo claves regni cœlorum, quicquid solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Utique si claves ei commissæ sunt, plena administratione illis potest aperire, & dispensare hunc thesaurum, illis potest aperire Cœlorum regnum, & removere omnia impedimenta ingressus regni. Cùm ergo reatus pœnæ sit impedimentum aditus regni Cœlorum, censetur ei data potestas illud removendi, alioqui claves ejus essent imperfectæ: & cum ille idem reatus pœnæ sit vinculum, potest illud dissolvere super terram, ut sit & in Cœlis dissolutum: Alioqui potestas ejus censeretur manca & diminuta. Ratio quoque est D.Tho. manifesta, quam D. Thomas aliique Theologi affe- n 4.d.20. runt: quia nimirum distributio bonorum communi- 3.1.2.4. nium potissimùm ad ipsum Reipubl. Principem spectat: hæc autem distributio indulgentiarum ex æterno Ecclesiæ, est quædam distributio bonorum communiũ, satisfactionum scilicet Christi & Sanctorũ.

Sed inquiret aliquis: An ergo hæc applicatio thesauri non aliud sit, quàm applicatio talis qualem faciunt Superiores Religionum, dum specialibus literis nos faciunt participes omnium bonorum, quæ in illa fiunt Religione, orationum, jejuniorum, pœnitentiarum, suffragiorum, &c. Respondeo, Indulgentiam longè ceteriorem esse. *Primò*, quia fit virtute clavium illa applicatio satisfactionum Christi & Sanctorum: Illa autem altera, à Prælatis non fit virtute clavium, & ideo nec indulgentia dici potest. *Secundò*, indulgentiæ applicatio absolvit à pœnitentia injuncta à Sacerdote in Sacramento pœnitentiæ: Illa autem communicatio meritorum, vel satisfactionum Religionis, hunc effectum non habet. *Tertiò*, quia in indulgentia applicantur satisfactiones Christi & Sanctorum jam de facto exhibitæ. Prælati verò Religionum, non communicant, nisi merita vel satisfactiones futuras post illam communicationem. *Quartò*, quia ista communicatio prodest solum per modum impetrationis, quia scilicet orant Religiosi pro amicis Religionis & Congregationis, juxta mentem Prælatorum: Communicatio quæ fit in indulgentiis, ex opere operato effectum suum confert. Neque tamen dicta Religionum communicatio parvi facienda est, cùm etiam ab Ecclesia approbetur: quia cùm quis possit in particulari communicare omnia bona sua opera, cuilibet fideli in gratia existenti, etiam quoad vim satisfaciendi, eodem modo possunt illi Prælati communicare opera & suffragia, quæ in eorum fiunt Religione. Quia hæc potestas eis data est, consensu omnium membrorum dictæ Religionis, dum eliguntur in Superiores. Tum enim constituuntur dispensatores bonorum etiam spiritualium.

Hanc ergo communicandi potestatem habet & ipse Pontifex tanquam Religionum omnium primus Superior: sed habet & alteram specialem, quam virtute clavium facit in Persona Christi, & ejus authoritate, tanquam vices gerens Sanctissimi Domini Nostri Jesu Christi Pontificis Supremi, quia authoritatem suam plenissimam erga Ecclesiam communicavit Petro & ejus Successoribus Romanis Pontificibus, tanquam suis Vicariis, in quibus suam vult coli & honorari personam. Propterea enim & ad pedum ipsorum osculum etiam Principes accedunt, & impletur illud: *Vultu demisso in terram prosternent se, & pedum tuorum pulverem lingent.* Isa.49.23. Propterea quoque vocamus eum *Sanctissimum Dominum nostrum*: quia tanquam Christi Vicarius, etiam omnibus Sanctis ex ea parte censetur major, ut notant Canonistæ, Abbas & alii. Hinc dicit Zerola Episcopus Minorensis, Papam non flectere genua ante aliquem Sanctum vel Sanctorum imagines; sed solum ante sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum & Crucem Domini, quæ adoranda sunt adoratione latriæ. Dicitque observatum fuisse à viris doctis & piis, ritium observantissimis, quando Gregorius XIII. transtulit corpus D. Gregorii Nazianzeni, à Monasterio Sanctimonialium Campi Martii de Urbe ad suam Capellam Gregorianam, cùm venisset ad præsentiam corporis, non genu flexisse, sed amplexatum fuisse loculum, ubi sacra pignora asservabantur. In quo amplexu, ostendit quandam majestatem cum charitate conjunctam respectu illius sancti Episcopi: sicut cùm venit nobilis aliqua persona ad domum Principis, ille ad demonstrandum majestatem & charitatem, amplectitur personam illam advenientem. Advertit quoque, Summum Pontificem genu flectere ante altaria, quia in illis solet Crux reperiri, quæ adoratur adoratione latriæ. Sed est & alia ratio cur Pontifex *Sanctissimus* nominetur; quia est Sponsus Ecclesiæ universalis, quæ Sancta in symbolo nominatur; & olim laudabilioris vitæ fidelibus sancti nomen tribui solitum fuit, ut patet ex Epistolis Pauli; non mirum ergo esse debet, si omnium fidelium Caput *Sanctissimus* nominetur, quo etiam nomine antiquitus Episcopi insigniti fuerunt. *Cur Papa vocetur Sanctissimus?* Zerola.

Porrò hanc a Pontificibus Indulgentiarum concessionem non esse dubiam, multa in illarum concessione edita miracula confirmant. Hinc in libro vitæ S. Bernardi cap. 4. legimus D. Bernardum concionatum fuisse de Indulgentiis ab Eugenio Pont. concessis, sed latum post concionem, fidem illam de indulgentiis, viginti ægrorum curatione comprobasse. Certa quoque historia est, quæ in Chronicis D. Francisci legitur, Christum ipsum B. Virginis intercessione Indulgentiam plenariam pro Ecclesia S. Mariæ de Portiuncula Francisco concessisse: præcepisse tamen ei ut suum Vicarium aditet, & ab illo dictæ indulgentiæ confirmationem postularet. Unde B. Franciscus comite Fratre Massæo Pontificem Honorium III. adit; & is divina inspiratione opta- In vita S. Bern.c.4. Ex tom.1. Chron.Fr. Minor.Lz c.1.2.3.

Digitized by Google

optatam indulgentiam confirmavit, renitentibus licet Cardinalibus, qui exiſtimabant talem indulgentiam derogare indulgentiæ datæ viſitantibus limina Apoſtolorum Petri & Pauli. Voluit verò Dominus illam indulgentiam dari die ſubſequente feſtum Vinculorum D. Petri, ut ſignificaret per illam vincula peccatorum diſſolvi, & quidem auctoritate Petro conceſſa. Quod quidem ita etiam tunc accidiſſe, confirmat exemplum quod in iisdem Chronicis refertur. Ad illam ſcilicet indulgentiam, publico & celebri rumore vulgatam, centum & viginti Sclavones divino impulſu concurriſſe; & inter illos quandam mulierem peractis omnibus exercitiis defunctam fuiſſe; eumque poſtea alii comites navigio ſe commiſiſſent, ut Sclavoniam repeterent, dicta mulier illis apparuit, dicens: *Ne quicquam timeatis, quia ad conſolationem veſtram vobis apparo, & miſſa ſum à B. Virgine Domina noſtra, ut vobis indicem ad gloriam Dei ipſiuſque Virginis, me beneficio indulgentiarum Eccleſiæ S. Mariæ de Portiuncula, Cœli liberum aditum habuiſſe ſine purgatorius ullis flammis.* Hiſque dictis diſparuit magna eis conſolatione relicta. Illud quoque in dictis indulgentiis Portiunculæ mirabile fuit, quod cum Honorius III. diploma Franciſco dare vellet, dixit ille, non opus eſſe, ſed ſibi ſufficere verbum ipſius. Cum enim opus Dei eſſet, Deum per ſe ipſum opus ſuum divulgaturum ac magnificaturum, nec cupere ſe aliam Bullam, quàm beatiſsimæ Virginis Angelorumque teſtimonium. Unde hæc indulgentia taliter à Chriſto conceſſa, ab ejus Vicario confirmata, præſente Virgine, quaſi Notarii vices gerente, & Angelis tanquam teſtibus promiſſa, multis deinde miraculis tanquam ſigillo ſignata, in Eccleſia Dei ſemper inter cæteras fuit celeberrima. Vide latius Annal. Ord. Fratrum Minor.

Ibid. c. 5.

Epiſcopi limitatam poteſtatem habent Indulgentias concedendi

Quæres, An alii præter Pontificem, auctoritatem habeant indulgentias concedendi? Reſpondeo. Epiſcopos, Archiepiſcopos, Legatos habere auctoritatem, ſed limitatam; eamq; provenire a Pontifice, tanquam à fonte totius jurisdictionis & auctoritatis. Alii verò Prælati inferiores Epiſcopis non habent hanc poteſtatem jure communi, quia diſpenſatio theſauri Eccleſiæ reſervata eſt his, qui propriè Sponſi ſunt Eccleſiæ, & ideo præſident ſuper bonis communibus illius. Paſtores autem inferiores Epiſcopis propriè Sponſi non dicuntur. Qualis autem poteſtas Cardinalibus, Legatis, Archiepiſcopis, Epiſcopis competat, hic non diſputo; Hoc jure notum eſt, cùm primùm dedicatur Eccleſia, poſſe Epiſcopos indulgentiam unius anni concedere, ac deinde in anniverſario dedicationis non ultra dies quadraginta; quam etiam concedere poſſunt in quocunque caſu, in quo eis cauſa ſufficiens occurrerit.

PROPOSITIO II.

Ad indulgentiæ valorem requiritur cauſa legitima.

RAtio eſt, quia poteſtas iſta data eſt Eccleſiæ in ædificationem, non in deſtructionem. Conceſſio autem indulgentiæ ex qualibet cauſa, verteret potiùs in perniciem fidelium, qui debitas in hac vita vel in futura pœnas peccatis, nihil metuerent. Et ita dicimus, Indulgentiam ſine juſta cauſa datam, non eſſe validam: quia Pontifex non eſt Dominus ſed tantùm diſpenſator Eccleſiaſtici theſauri, juxta illud Apoſtoli: *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Et ideo non poteſt ſuo arbitratu diſpenſare, ſed debet ſe juxta Domini ſui voluntatem regere in hac diſpenſatione ſatisfactionum Chriſti. Alioqui non eſt diſpenſator, ſed diſſipator: & maxime cum pœna peccato debita, expianda ſit jure divino, non poteſt ſummus Pontifex, ſine juſta cauſa, diſpenſare in illis, quæ aliquo modo ad jus divinum pertinent; quia ipſe non eſt Dominus, ſed miniſter. Unde docent Theologi, relaxationem voti, & juramenti, ſine cauſa factam, nullam eſſe. Sed hic dicimus relaxationem pœnarum ſine motivo aliquo juſto nullam eſſe, quia contra voluntatem Domini, quam ipſe ſatis teſtatur ſuo exemplo. Licet enim Deus infinitè ſit miſericors & liberalis, non tamen ſtatim remittit omnem pœnam temporalem, ſed quendam ſervat juſtitiæ ordinem. Sic debet ejus miniſter ac diſpenſator æquitatem ſervare.

1. Cor. 4.

Diſputant tamen Doctores, an neceſſaria ſit non ſolùm pia cauſa & juſta, ſed etiam Indulgentiæ ipſi proportionata, & multi putant non ſufficere cauſam piam, ſed debere eſſe proportionatam, de qua re vide latius paſſim Scholaſticos. Inter cauſas autem Indulgentiarum, cenſetur non ſolùm gloria Dei in genere, ſed & particularis neceſsitas Eccleſiæ, vel publica gravis utilitas, v. g. pax Principum, extinctio bellorum, pii loci erectio, pauperum & miſerabilium perſonarum ſubventio, hæreſum extinctio, Concilii univerſalis expeditio, placatio iræ divinæ in peſtilentia, fame, bello, ſchiſmatis ſedatio, bellum contra hæreticos, Eccleſiarum viſitatio, & Sacramentorum frequentatio, celebritas Sanctorum in canoniſatione eorum.

Dices, ſi requiritur cauſa proportionata, ergo ſemper fideles erunt dubii, an lucrati ſint indulgentiam conceſſam? Reſpondeo, ſicut Judicis ſententiam ſemper dicimus juſtam, niſi contineat intolerabilem errorem, ſic etiam dicimus indulgentiam ſemper cenſeri validam, niſi contineat intolerabilem errorem, neque pertinet ad ſubditos, diſcutere & judicare de cauſis indulgentiæ, ſed eas cum humilitate ſuſcipere, & ſimpliciter de earum juſtitia bene ſentire. Quapropter non ſunt facilè damnandæ indulgentiæ, quia licet frequenter Summus Pontifex maximas det Indulgentias illis qui opus aliquod præſcriptum, quod apparet facile, præſtiterint: Non eſt tamen alia Pontificis mens, quàm id præſtare, quantum poteſtas clavium intra terminum conſtitutum, tali cauſa exiſtente, ſeſe extendere potuit: quia cum certò ſciri nequeat, quæ & quanta cauſa requiratur ad hanc vel illam indulgen-

gentiam concedendam ; occurrente pia quadam cauſa, tantam indulgentiam intra præfixum terminum Summus Pontifex dare intendit, quantam vi clavium poteſt. Ita ut ſi cauſa coram Deo tantæ indulgentiæ ſit proportionata, tantam ſimpliciter conferat : Si autem ſit minor, minorem intra terminum præfixum.

Hinc ſua utilitate non caret, quod terminus amplior præfigatur : quia is qui ferventius opus præſcriptum executus fuerit, ampliorem poterit quandoque indulgentiam lucrari, ut docet Navarrus Tract. de Jubilæo, Notab. 13. & 14. Hinc patet, quomodo intelligendum ſit quod communiter dicitur : *Indulgentia tantum valent, quantum ſonant.* Hoc enim intelligi poteſt, primò negativè, hoc eſt, non valent pluſquam ſonant. Si enim centum dies dantur, non plus conferunt quàm centum dies : Secundò etiam poſitivè tantum valent, quantum ſonant, ſi adſint conditiones neceſſariæ, auctoritas in concedente, operis præſcripti debita adimpletio, charitas in ſuſcipiente, juſta cauſa ad concedendum.

Navarrus & alii.

Ex dictis inferunt Navarrus, Zerola, & alii, quandoque fieri, ut non omnes æqualiter lucrentur indulgentiam : quia non omnes æqualiter operantur opus injunctum, dum unus majore devotione, fervore, charitate, pœnitentia, peragit opus, alter longè inæquali & inferiori. Cauſa autem concedendi indulgentiam multum augetur, vel minuitur, ex modo eam adimplendi ; & ſic poteſt fieri quod quis totam, alter medium, tertius tertiam partem indulgentiæ lucretur : ita ut ſimiles ſint illis qui pannum habent abundanter ad conficiendam ſibi veſtem, ſed unuſquiſque conficit ſibi juxta menſuram ſuam. Sic quoque fieri poteſt, ut unus plus pœnæ debeat, alter minus, & ita poteſt eſſe cauſa juſta reſpectu hujus, ut aſſequatur plenariam remiſſionem ; reſpectu autem alterius non ita, quamvis aliquam remiſſionem ſit conſecuturus. Verùm cùm cauſa indulgentiarum non ſolùm ſit labor, aut devotio, aut opus adimplendum à lucrante, ſed etiam alia gravia motiva ex parte Pontificis Eccleſiæ bonum concernentia, cum quibus concurrit & abundantia meritorum ac ſatisfactionum quæ ſunt in Eccleſia, debemus captivare intellectum noſtrum, cùm de Indulgentiis cenſemus, & meminiſſe illius Pauli : *Non plus ſapere quàm oportet, ſed ſapere ad ſobrietatem.* Et oportet omnibus viribus noſtris ad illarum lucrum ſtudium noſtrum intendere, non diſceptando de cauſâ, aut quantitate indulgentiæ : cum in his rebus moralibus, non ita agatur de rigore mathematico, vel metaphyſico, nec punctualiter procedendum ſit ; ſed juxta latitudinem donorum Dei, qui dat omnibus abundanter & affluenter. Et frequenter quæ exigua opera in ſe videntur, magna omnino ſunt, ſi bene ponderentur. Sic non debet æſtimari exiguum, ad Sacramentorum frequentiam populos excitare, ad cordis contriti & humiliati compunctionem illos ſtimulare, ad Sanctorum glorificationem illos animare, ad ferventes preces inſtigare pro unione Principum, pro extinctione bellorum, pro extirpatione hæreſum, pro Eccleſiæ Catholicæ amplificatione & propagatione, quæ omnia ordinariè in indulgentiis illis majoribus concurrunt.

Navarr. Zerol.

Rom. 12. 3

Sed tamen quæres, An Papa poſſit errare in judicando quod hæc vel illa cauſa ſit juſta ? Reſpondet Cajetanus, Adrianus, Navarrus, poſſe errare : quia res eſt facti, cum indulgentiæ poſſint dari ſine conſilio, & ſine ponderatione debita : & quia ignoratur numerus, pondus, menſura divinæ ſapientiæ, quam requirit in diſpenſatione hujuſce theſauri. Exactè enim & perfectè omnia nota ſunt divinæ Majeſtati ; Pontifex autem, quantum poteſt, ſtudet ſe illi conformare, & cùm ſit Vicarius Chriſti, non debet præſumi errare in illis quæ agit ut Vicarius, quia ſpecialiter dirigitur à Deo. Nec tamen irrogatur aliqua macula Eccleſiæ ſanctæ, ſi dicatur in his quæ facti ſunt non ita infallibiliter dirigi, quin aliquando poſſit error contingere, ſicut aliqui de indulgentiis aſſerunt : quia ſufficit Eccleſiæ habere hoc pro fundamento infallibili, quod in ea ſit poteſtas diſpenſandi theſaurum per Pontificem & Epiſcopos. Sed quod illa vel illa indulgentia ſufficiente nitatur cauſa, ad veritatem Catholicæ concluſionis non ita neceſſarium eſt. Nec aliud Pontifex Clemens VI. in Extravag. *Vnigenitus* definit, quàm in Eccleſia eſſe theſaurum hunc : *Quem quidem theſaurum*, inquit, *non in ſudario repoſitum, non in agro abſconditum, ſed per B. Petrum Cœli clavigerum, ejusque ſucceſſores commiſſis fidelibus ſalubriter diſpenſandum, ex propriis & rationabilibus cauſis.*

An poſſit Papa errare in cauſa juſta indulgentiarum ?

Clem. VI. In Extrav. unigenitus.

LECTIO IV.

DE DISPOSITIONE REQUISITA.

1. *Docet, Requiri ſtatum gratiæ.*
2. *Docet, Requiri adimpletionem operum.*

PROPOSITIO I.

Ad lucrandas Indulgentias requiritur ut quis ſit in ſtatu gratiæ.

RAtio eſt, quia per Indulgentiam remittitur reatus pœnæ, & ita ſupponitur culpa remiſſa : non enim pœna remitti poteſt abſq; culpa, & qui inimicus Dei eſt, indignus eſt tali remiſſione, quæ non datur niſi filiis, ſtatumq; gratiæ & filiationis ſupponit. Hinc illos qui Indulgentiæ fructū percipere optant, rectè Prophetæ verbis monemus : *Novate vobis novale, & nolite ſerere ſuper ſpinas.* Renovate & præſcindite conſcientiæ veſtræ agrum, tribulis, carduis, ſpinis peccatorum conſitum, aratro pœnitentiæ & compunctionis : aut fodite eum ligone contritionis, & vepres exſtirpate ſarculo confeſſionis, alioqui ſemen illud pretioſum & granum electum,

Jer. 4. 3.

Digitized by Google

quod de horreo Eccleſiæ per indulgentiarum confeſſionem participare putatis, nihil vobis proderit, ſicut nec ſemen in dumeta aut ſpinas projectum. Audiant hæc qui ſpe indulgentiæ plenariæ allecti, ad viſitationem Eccleſiarum veniunt; ſed tali quali examine conſcientiæ, tali quali contritione & confeſſione, putant ſufficere; ſi hæc curſim & perfunctoriè peragantur, reliquum largitate indulgentiæ ſuppleri. Audiant & illi hoc Prophetæ monitum, qui lucrandæ indulgentiæ gratia accedunt ad Confeſſionem & Sacramenta, ſed plerumque ne nota aliqua ſuſpicionis de hæreſi aut vita prava inurantur, non verò ex veræ pietatis & contritionis motivo. Imò cùm gravibus peccatorum ſpinis exaſperatam habeant conſcientiam, & in illorum occaſionibus continuò volutentur, non exſcindunt ſpinas, non exſtirpant aut reſecant occaſiones, non habent voluntatem dimittendi concubinam aut libidinis pericula, non fraudes & injuſtitias, nec odia inveterata, non ſocietatem pravam & ſimilia. Hæ ergo ſunt vepres, quæ ſuffocant bonum ſemen gratiæ & indulgentiæ, in ſylvoſis eorum cordibus. Certè multis accedentibus & cum tumultu concurrentibus ad publicas & ſolemnes indulgentias, poſſumus cum veritate dicere illud alterius Prophetæ: *Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras: Seminaſtis multum & intuliſtis parum, comediſtis & non eſtis ſaturati, bibiſtis & non eſtis inebriati, operuiſtis vas & non eſtis calefacti, & qui mercedes congregavit, miſit eas in ſacculum pertuſum.* Agg.1.5.6 Hæc utique omnia contingunt illis qui in peccato mortali bona opera faciunt, vel ad Sacramenta & Indulgentias accedunt. Videntur enim ſeminare, & parum fructus faciunt: Videntur comedere de pane vivifico & bibere de Sanguine Domini, ſed in ſuam potius perniciem, quàm commodum: Videntur cooperire ſe lana & vellere Agni, hoc eſt, Chriſti Domini, qui per Indulgentias nobis communicat veſtem duplicem meritorum & ſatisfactionum ſuarum; ſed illa non calefacit eos, manente intus frigore peccatorum ſuorum, corde inſtar cryſtalli glaciato, cui priùs neceſſe erat ignem contritionis admoveri, ut in lachrymarum undam glacies illa difflueret.

Denique videntur multa aggregare lucra, ſic verò illis contingit ſicut negotiatoribus, qui ad nundinas euntes multas emere merces, vel vendendo multa lucra congregare videntur; ſed dum omnia in ſaccum ruptum proiiciunt, omnia eis pereunt. Sic ergo his de quibus loquimur, omnia ſpiritualia quæ putant ſe facere lucra, pereunt quaſi in loculos pertuſos projecta. *Ponite*, inquit, *corda veſtra ſuper vias veſtras*, hoc eſt, diligenter conſiderate & recogitate vias veſtras, opera veſtra, operaque aliorum hominum, & hoc invenietis vobis quandoque, aliiſque contingere.

Hinc tam ſeduló ſolent Pontifices, dum Jubilæum, aut ſimiles Jubilæo indulgentias promulgant, pœnitentiam & compunctionem peccatorum inculcare, tanquam neceſſariam, & prævium diſpoſitionem. Clemens VIII. in ſua Bulla Jubilæi Anno 1600. ſic paternè hortatur.

Hunc autem annum verè Sanctum, annum Domini acceptum & placabilem, quo homines pœnitentiam agerent, & ad Deum & Patrem miſericordiarum in corde perfecto converterentur, primus mundi annunciavit ipſe vitæ & ſalutis noſtræ Auctor Jeſus Chriſtus Filius Dei, quem Pater unxit Spiritu S. & omni ſuper eum gratiæ plenitudine effuſa, miſit illum evangelizare pauperibus, & manſuetis mederi, & ſanare contritos corde, prædicare captivis indulgentiam & remiſſionem, clauſis apertionem, & cæcis viſum. Et nos etiam qui licet humiles & indigni vices tamen Chriſti Domini in terris, ipſo ita diſponente, gerimus & tenemus, ex hac ſublimi Apoſtolicæ vigiliæ ſpecula, vobis univerſis Chriſti Fidelibus annunciamus, indicimus & evangelizamus hunc eundem annum Jubilæi veræ pœnitentiæ & ſpiritualis lætitiæ. Et quia charitas Chriſti, pro quo legatione fungimur ad omnes gentes, urget nos, & zelus ſalutis animarum comedit cor noſtrum, hortamur & obſecramus omnes per aſperſionem Sanguinis Jeſu Chriſti, per adventum ejus & per diem tremendi Judicii, ut ſacro potiſsimum Jubilæi tempore, convertatur unuſquiſque à via ſua mala, & revertatur ad Dominum in corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, quia clemens & miſericors eſt Deus noſter, multæ miſerationis & præſtabilis ſuper malitia. Hæc Pontifex.

Urbanus quoque VIII. promulgans ſuum Jubilæum, ſic alloquitur Prælatos: *Docete omnes, ſi unquam alàs, nunc potiſſimùm, iras, rixas, contentiones, & inveterata odia extinguenda, propter Chriſtum; nunc potiſſimùm omnes carnis ſordes eſſe detergendas, ut templum Dei mundum ſit, & unuſquiſque vas ſuum poſſideat in honore & ſanctificatione, & portet Deum in corpore ſuo. Docete eos nunc maximè ſcelera deteſtanda eſſe, dandamque operam, ne quis Chriſtiano nomine abutatur. Docete ſacros indulgentiarum theſauros lucrandi ſpem omnem manem eſſe niſi quis contrito & humiliato corde ſeipſum præparare, & Chriſtianis operibus exercere ſtudeat?*

Notabile quædam.

Propterea etiam Pontifices ſolent concedere Indulgentiam verè pœnitentibus & confeſsis, circa quæ verba, quæ Bullis ſolent adiici, aliqua ſunt notanda ex Doctoribus Scholaſticis.

Primò, ſecundùm communionem, non eſſe neceſſarium confiteri, ſi non habes materiam peccati mortalis: ſicut enim præceptum de annua confeſſione, ita & forma talis indulgentiæ intelligitur, ſi habeas materiam neceſſariam Confeſsionis.

Secundò, aliqui etiam docent, etiamſi peccato mortali ſis obnoxius ſufficere ſolam contritionem, nec omnino neceſſariam eſſe Confeſsionem. Sed contrarium eſt ſecurius.

Tertiò, non eſſe neceſſarium, ut Confeſsio ſit generalis, ſed ſufficere ea peccata confiteri, quæ priùs

prius legitimè confessus non fueris, est certa sententia.

Quartò, nota quod qui in peccatis venialibus est, & de illis non conteritur, vel atteritur, potest lucrari remissionem mortalium de quibus confessus fuit vel contritus, remissionem quoque totius pœnæ illis debitæ: Non tamen potest lucrari indulgentiam absolutè plenariam, quia non dimittitur ei illud veniale, in quo voluntariè manet, nec pœna illi debita. Unde ipse impedimentum ponit, propter quod, illa indulgentia non est ei plenaria. Ex quo colliges, frequenter fieri, ut quis plenariam indulgentiam non lucretur, licet Bulla ita sonet, quia frequenter fit, ut aliquæ personæ venialibus obnoxiæ sint nec eis illa displiceant; sed potius complaceant, non obstante contritione & confessione mortalium.

Sic de Baptismo possumus dicere, licet institutum sit ad tollendum omne peccatum originale, veniale, mortale, & omnem pœnæ reatum: tandem potest fieri ut adultus Baptizandus afficiatur alicui veniali; & sic accedenti ad Baptismum non tollitur omnis omnino reatus culpæ & pœnæ; non defectu Baptismi, sed Baptizati. Simili ergò modo, defectus esse potest non ex parte indulgentiæ, quæ plenaria est; sed ex parte tua, quia obicem ponis ejus plenitudini per pravum venialium affectum.

PROPOSITIO II.

Opus est, ut lucretur quis indulgentias, adimplere opera injuncta.

RAtio est, quia concessio indulgentiarum censetur conditionata, & ideò conditio debet impleri, & quidem quantum ad omnia opera in Bulla contenta.

Hinc nihil consequitur is qui morbo impeditus, aut alia impotentia, opera præscripta non adimpleverit, nisi contrarium expressè in concessione indulgentiæ habeatur: ita ut non habeat hic locum illud vulgare: *Voluntas pro facto reputatur*. Unde si jejunium præscribitur, aut visitatio Ecclesiæ, æger non consequitur fructum, qui jejunium aut visitationem illam non potest peragere. Aliquando tamen in concessione indulgentiæ, hæc Confessariis commutanda committuntur. Si visitatio Ecclesiæ præscribatur, & quis propter multitudinem populi ingredi omnino non possit, videtur sufficere si oret juxta Ecclesiam v.g. in cœmiterio annexo, hæc enim videtur esse mens concedentis.

Q. 1. An omnia opera fieri debeant in gratia.

Sed variæ hic quæstiones moventur. Primò quæritur, an omnia præscripta opera debeant fieri in statu gratiæ? Resp. communiorem Doctorum opinionem esse, sufficere ut ultimum opus in quo indulgentia percipienda est, in gratia fiat, & ita videtur approbare usus Fidelium. Nam cum jejunia aliaque pia opera præscribuntur, solent Fideles illa præmittere Confessioni & Eucharistiæ, cùm tamen contingat eos in peccato mortali agere. Secutius ergo est confessionem vel contritionem præmittere, non est tamen de necessitate.

2. An omnia præscripta ita peragenda ut nulla circumstantia vitientur? Navarrus affirmat: Corduba Valentia & alii negant.

Secundò quæritur, an omnia opera præscripta debeant in individuo ita esse bona, ut si peccato veniali inficiantur, aut circumstantiâ aliquâ vanâ, nihil valeant ad consecutionem indulgentiæ: v. g. præscribitur jejunium, oratio, eleëmosyna, & aliquis eleëmosynam dat ex vana gloria, orationem suam facit cum aliqua animi distractione & irreverentia: Jejunium peragit, sed excedit aliquantum in potu, aut intemperanter se in prandio habet, & sic de aliis operibus, quæ possunt vana aliqua circumstantia infici. Respondet Navarrus, tali opere non obtineri indulgentiam. Alii tamen cum Corduba, Valentia, & aliquibus aliis Scholasticis contrarium probabiliter existimant, putantque sufficere, ut opus ex suo genere bonum fiat, quamvis fortè si in individuo consideretur, non omnibus circumstantiis ad bonitatem moralem requisitis perfectè vestiatur. Sicut impletio præcepti adimpletur per opus ex se bonum, licet aliqua circumstantia quandoque vitietur. Alioqui valdè difficilis redditur, & lubrica indulgentiæ consecutio, si ita singulæ circumstantiæ in actibus nostris sint considerandæ. Vide Suarez, & alios hac de re latiùs disputantes. Suarez.

3. An operibus obligatoriis possit quis lucrari indulgentias.

Quæritur, an sufficiat præstare opera, ad quæ [illegible] alia obligatione teneris, v.g. ex voto teneris ad aliquod jejunium, an per illud jejunium censearis satisfacere jejunio, quod ad indulgentiarum lucrum etiam requiritur? Respondeo, licet opera supererogationis sint gratiora, & accommodatiora ad justificandam causam indulgentiæ: certum tamen videtur, etiam ex usu Pontificum, sic concedi indulgentiam, ut per opera aliunde præcepta, satisfieri possit. Sic dantur indulgentiæ jejunantibus in Quadragesima, & communicantibus tempore Paschæ, ad quæ præceptum Ecclesiæ etiam obligat. Unde si indulgentiæ requirentes tua jejunia, promulgentur in quatuor temporibus, illo jejunio satisfit præcepto & indulgentiis: idem cense, si jejunium vel confessio ex voto sit obligatoria. Et licet incidat in hebdomadam Paschæ indulgentia, communicans & confitens pro indulgentia est liber à præcepto Ecclesiastico: nihil enim prohibet quo minus uno actu pluribus obligationibus satisfiat, dummodò & natura talium obligationum id patiatur, & intentio obligantis non repugnet.

4. De intentione lucrantis Indulgentias.

Quartò quæritur, an ad lucrandum indulgentiam, necessarium sit opus facere ex tali expressa intentione, v.g. habet quis numisma benedictum, cui recitanti has vel illas orationes, datur indulgentia, an sit necessarium, ut præscriptas orationes recitando indulgentiam lucrari intendat? Respondeo, non requiri actualem intentionem, sed sufficere habitualem, vel interpretativam. Ratio est, quia unus alteri potest applicare satisfactiones suas etiam inscio, cur Pontifex non possit Christi satisfactiones applicare homini v.g. morituro, aut sensibus

Digitized by Google

alienato, aut alicui habenti numiſma benedictum ſed de illo non cogitanti?

5. De viſitante Eccleſiam ſæpius in die.

Quintò quæritur, utrum viſitans Eccleſiam ſæpiùs in die toties lucretur? Reſpondetur, ſi indulgentia ſit ſine temporis determinatione abſolutè conceſſa, toties lucratur quis quoties viſitat, ita ut dicat Navarrus, pluries etiam in die talem poſſe lucrari indulgentiam, non tamen toties & tali modo, ut fraus quædam & irriſio videatur, v. g. viſitantibus Eccleſiam S. Petri Romæ, indulgentia data eſt ſine limitatione, ſi quis pluries in die viſitant; putat Navarrus pluries lucrari. Alii tamen cum Paſudano & Corduba hoc putant debere intelligi & reſtringi ad ſingulos dies, quia conceſſio talis, juxta communem uſum, videtur talem determinationem admittere, ut indulgentia cenſeatur prudenti & rationabili modo conceſſa. Itaque res hæc pendet ex intentione concedentis, & ſatis incerta eſt: Si autem indulgentia eſt determinato tempori alligata, v. g. à veſpera in veſperam, nonniſi ſemel poteſt obtineri.

6. De habente plura numiſmata.

Sextò quæritur, an qui habet plura numiſmata, ubi in ſingulorum benedictionibus conceſſa eſt, ſeptem annorum indulgentia, ſi recitaverit ſepties Orationem Dominicam, an in quara ille lucretur pro illa recitatione ſeptena Oration[illegible] triplicatam indulgentiam, ſi tria diverſa nummata habeat, unum S. Caroli, alterum S. Ignatii, tertium alia ratione benedictum? Reſpondet affirmativè Fernandez, citans Aſtenſem, Cordubam, Hoſtienſem, & Henriquez. Negat Joannes Clarius dicens hanc non videri concedentis intentionem, ex eo quod unaquæque indulgentia poſtulet talem actum applicatum ad talem effectum, ut cauſam ſaltem partialem talis conceſsionis; idem autem finitus actus applicatus ad multa, minor fit in ſingulis & ita non reddit proportionatam cauſam ad tot indulgentias ſimul ſumptas.

LECTIO V.

DE INDULGENTIIS PRO DEfunctis.

1. Docet poſſe juvari defunctos indulgentiis.
2. Docet infallibiliter eis prodeſſe.

PROPOSITIO I.

Certum eſt indulgentiis poſſe juvari animas defunctorum.

HOc ex traditione & uſu Eccleſiæ manifeſtum eſt, & ratio etiam probat. Quia ſi privati homines pro defunctis tanquam membris ejuſdem corporis myſtici, ſatisfactiones ſuas offerre poſſunt, & illos juvare ſuis ſuffragiis, jejuniis, eleëmoſynis, laborioſis operibus, peregrinationibus, & & aliis: Quare non poſsit Pontifex applicare eas ſatisfactiones Chriſti & Sanctorum, quæ ſunt in ſpirituali theſauro, cujus ipſe eſt diſpenſator? Nam hæc eſt voluntas Chriſti, ut ſatisfactiones ejus non ſolùm vivis, ſed & defunctis indigentibus & capacibus proſint, tanquam membris corporis ſui myſtici unitis glutino fidei & charitatis. Ipſe enim eſt Aaron Sacerdos ille Summus, ſtans cum thuribulo inter mortuos & viventes, ut iram Dei deſævientem poſsit placare: hoc eſt, ejus merita & ſatisfactiones, tanquam Sacerdotis Summi & Mediatoris inter populum & Deum adhuc vivunt & permanent in oculis Dei, & exhalant odorem ſuaviſsimum inſtar thuris aut thymiamatis in thuribulo incenſi, & odoratur Dominus odorem hunc ſuavitatis, illum acceptans tam pro mortuis quam pro vivis uſque in finem ſæculi. Quia hæc fuit voluntas offerentis, ut proſint omnibus quorum Mediator & Redemptor eſt conſtitutus, qui adhuc redemptionis capaces ſunt. Hæc eſt etiam voluntas Sanctorum, cum ſuperabundantes ſatisfactiones operantur, ut proſint omnibus etiam defunctis, ad quos non minùs ſe charitas extendit, quam ad vivos. Solis verò animabus Purgatorii prodeſſe poſſunt indulgentiæ, non verò beatis, nec damnatis. Non beatis, tum quia non indigent, tum quia incapaces ſunt, quandoquidem nullum debitum habent. Non damnatis, quia & illæ animæ in peccato mortali defunctæ, extra ſtatum gratiæ ſunt, & omnes liberalis remiſſionis indignæ, ideoque incapaces: & quia illæ etiam in termino ſunt, in ſtatu immobili permanent, de quo dicitur: *Lignum ſi ceciderit, ſive ad Auſtrum, ſive ad Aquilonem, ubicumque ceciderit, illic erit.* Illæ animæ quæ ad Aquilonem damnationis & reprobationis ceciderunt, non poſſunt juvari ut ad Auſtrum gratiæ & gloriæ revertantur: ſicut nec illæ quæ ad Auſtrum Æternitatis glorioſæ per mortem ceciderunt, nocumentum ullum aut mutationem accipere poſſunt, ut ad Aquilonem revertantur. Utrimque ergo ſtatus eſt immobilis, utræque in termino ſunt: ſed quæ in Purgatorio ſunt, necdum ſunt planè extra viam, quia necdum ſunt terminum aſſecutæ, ideò indulgentiarum fructu, & ſatisfactionibus Chriſti & Sanctorum, poſſunt adjuvari. Num. 16. v. 46. & 48. Eccleſ. 11. 3.

Hinc frequenter apparuerunt animæ Purgatorii, à vivis requirentes Miſſæ Sacrificia, ut de theſauro ſatisfactionum Chriſti per ſacrificium eis applicato, juvari poſſent. In vita S. Nicolai Tolentini legimus, quod ipſe pro mortuis ſæpenumero celebrando, plurimum adjumenti attulerit. Unde animæ in Purgatorio unam ex earum numero electam (cui hoc quaſi legationis cujuſdam munus impoſuerunt) ad ipſum miſerunt, ac neceſſitate in qua erant conſtitutæ propoſitæ, Sanctum virum rogaverunt, ne Miſſas pro ipſis dicere intermitteret. Cui ipſe reſpondit; ſequenti die (quod dies eſſet Dominica) ſe Miſſam pro defunctis legere non poſſe. Anima verò illa ingentem illi numerum animarum, ſpectandum exhibuiſſe dicitur, quæ In vita S. Nicolai Tolent. Surius.

igitized by Google

quæ mirum in modum diris cruciatibus in Purgatorio vexabantur : & hoc viſo commotum Sanctum, à Priore ſuo impetrata facultate, non modò die Dominica, ſed ſingulis etiam reliquis per iſtam ſeptimanam diebus, pro defunctis Miſſas celebrando, maximum animarum numerum à Purgatorii pœnis liberaſſe. Unde finita ſeptimana ; eadem anima ad ipſum reverſa, de auxilio eis præſtito gratias egit.

Quapropter ſolent Pontifices altaria privilegiata, in quibus Miſſæ pro defunctis cum indulgentia plenaria celebrantur, certis in locis concedere ; & per certa numiſmata poteſtas datur Miſſam applicandi animabus aliquibus Purgatorii, aut Communionem factam, ut illæ virtute indulgentiæ liberentur.

Eſt verò pia Cajetani opinio dicentis, cùm Miſſæ aut indulgentiæ generaliter pro defunctis offeruntur, illis maximè prodeſſe, qui in carne adhuc mortali degentes, magnâ erga indulgentias ferebantur devotione ; & erga claves Eccleſiæ fide, per quas indulgentiæ conferuntur ; & qui ſollicitudinem ac diligentiam in adjuvandis defunctis impenderunt.

Illi enim maximè merentur tunc juvari, qui quantum in ſe fuit, aliis juvare in Purgatorii pœnis ſolliciti fuerunt, ut verificetur in illis illud Evangelii : *Quâ menſurâ menſi fueritis, eâdem remetietur vobis.* Refert Vincentius in Speculo, Religioſum quendam in dicendis Miſſis pro defunctis quas juxta Ordinis inſtitutum Religioſi dicere conſueverant, negligentem fuiſſe. Illo ergo mortuo, punitio & reprehenſio gravis ſecuta eſt, ita ut Miſſas omnes, aliaſque orationes, quæ pro illo dicendæ erant, alteri Deus applicari voluerit, ut ipſe nullum earum fructum perciperet.

Vincent. lib. 2. in Speculo dict. 12. c. 1

Bonav. in hiſt. S. Franciſci l. 9. c. 22.

Simile exemplum habemus in hiſtoria S. Franciſci l. 9. c. 22. de Monacho quodam, qui poſt mortem cuidam ſuorum Sodalium magnos ſe in Purgatorio pati cruciatus ſignificavit, propterea quod adhuc vivens negligens fuiſſet in recitandis precibus pro defunctis ; ideoque nihil ſibi profuiſſe Miſſas pro ipſo oblatas : ſed in pœnam negligentiæ aliis fructum Deum applicaſſe.

Porrò indulgentiæ quæ defunctis conferuntur, *per modum Suffragii* eis proſunt : Sic ſolent loqui Pontifices in conceſſione indulgentiæ : Explicandum verò hoc nobis eſt : Quæritur ergo, cur dicantur eis applicari per modum ſuffragii ? Reſpondeo, quia aliter vivis, aliter mortuis indulgentiæ à Pontifice applicantur. Vivis enim applicantur per modum juridicæ abſolutionis, quia Pontifex habet in illos jurisdictionem, ejuſque judicio ſunt ſubjecti ; ideoque poteſt eos abſolvere à pœnis debitis, tanquam exercendo judicium erga illos. Sed non habet jurisdictionem Pontifex in eos qui ſunt in Purgatorio, quia divinum judicium immediatè ſubierunt, nec amplius eorum judex eſt, & ita non poteſt eos abſolvere à pœnis per modum juridicæ abſolutionis. Sed cùm habeat auctoritatem in theſaurum Eccleſiæ, ipſe offert de theſauro Eccleſiæ tantum ſatisfactionis, quantum neceſſe eſt ad illas animas liberandas, & Deus illam ſatisfactionem animabus defunctorum communicatam acceptat, & eas à reatu pœnæ liberat. Et ita indulgentiæ, non dicuntur illis prodeſſe per modum abſolutionis juridicæ, ſed per modum cujuſdam ſolutionis ſive compenſationis, & ſuffragii ſatisfactorii. Pontifex enim illas animas non abſolvit, nec remittit pœnam : ſed offerri id ad quod tanquam ſuffragium ſatisfactorium, à Deo remiſſio & abſolutio datur. Voco ſuffragium ſatisfactorium, quia non ſolum prodeſt per modum meriti de congruo, aut per modum impetrationis, ſed per modum pretii ſatisfacientis.

PROPOSITIO II.

Indulgentia proſunt defunctis infallibiliter, & non ſolum ex libera Dei acceptatione & miſeratione.

Ex epiſt. Leon. X.

HÆc eſt receptior & verior Doctorum opinio, & deducitur ex Epiſt. Leonis X. de indulgentiis ad Cajetanum. Ubi docet Romanum Pontificem B. Petri Clavigeri Succeſſorem, & Jeſu Chriſti in terris Vicarium, poteſtate clavium, quarum eſt aperire Regnum Cœlorum, tollendo illius impedimenta, poſſe pro rationabilibus cauſis iiſdem Chriſti Fidelibus, qui charitate jungente membra ſunt Chriſti, ſive in hac vita, ſive in Purgatorio indulgentias concedere, ex ſuperabundantia meritorum Chriſti & Sanctorum & tam pro vivis quam pro defunctis Apoſtolicâ authoritate theſaurum meritorum Chriſti & Sanctorum diſpenſare. Ubi eâdem certitudine loquitur de vivis & defunctis Pontifex, & utrumque dicit Apoſtolicâ auctoritate fieri, & ex clavium poteſtate ; & ita infallibiliter fieri colligimus, quia clavis ſemper aperit, ſi non errat, id eſt, ſi rationabiliter id intendat. Quando ergo rationabili ex cauſa Pontifex aperit illum, & applicat defunctis, efficaciter illis & infallibiliter prodeſſe concludimus : & oriri dicimus hanc infallibilitatem, tum ex æqualitate oblati pretii, tum ex divina promiſſione Chriſti.

Dices : Poſſet ſic Pontifex certò animam liberare, & conſequenter etiam omnes, quia poteſt pro omnibus ex infinito hoc theſauro pretium ſufficiens offerre. Reſpondeo, ſicut Pontifex non poteſt dare indulgentiam vivis, ſine juſta cauſa & proportionata, ita nec mortuis ; & ſic ſolùm illis prodeſt pro ratione cauſæ ſufficientis. Nec enim ex ſolo miſericordiæ motivo poteſt Pontifex quaslibet animas liberare, quia diſpenſatio theſauri erga illas debet etiam fieri cum moderamine & diſcretione : quia ut dicit D. Chriſoſtomus : *Miſericordia tunc vera eſt, ſi ſic facta fuerit, ut juſtitia per eam non contemnatur, ſi autem contempta juſtitia miſericordia obſervatur, ipſa miſericordia non eſt miſe-*

S. Chryſoſt. in Matth.

Digitized by Google

miſericordia , ſed fatuitas : nam juſtitia non eſt vera juſtitia, niſi in ſe habuerit miſericordiam : ſic & miſericordia non eſt vera miſericordia , niſi habuerit in ſe juſtitiam.

Propterea etiam in operibus Dei hæ duæ virtutes ſociali fœdere ita aptè junguntur , ut nunquam ab invicem ſeparentur, quia *omnes viæ ejus Miſericordia & Veritas.*

Q. 1. de anima, cui applicantur Indulgentiæ ?

Sed quæritur ; an determinatè illa anima liberetur , cui intendimus applicare indulgentiæ ſuffragium ? Reſpondeo , ita videtur ſignificare forma indulgentiæ , quam pro defunctis ſolet applicare Pontifex in Altaribus privilegiatis , ſic enim ſe habet.

Gregorius Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Omnium ſaluti paternâ charitate intenti , inter tam multa pietatis officia , quæ nos pro munere noſtro convenit exercere , ſacra interdum loca ſpirituali privilegio inſignimus , ut inde Fidelium defunctorum ſaluti ampliùs conſulatur Quare cùm talis Eccleſia N. hoc privilegio necdum fuerit decorata , & in ea tale ſit Altare N. auctoritate nobis à Domino tradita concedimus, ut quoties Miſſa defunctorum ad dictum Altare celebrabitur , pro anima cujuſque Fidelis , quæ Deo charitate conjuncta migraverit ab hac [illegible] ipſe de theſauro Eccleſiæ indulgentiam co[illegible] ; quatenus D.N. Jeſu Chriſti & Beatiſſimæ Virginis Mariæ , Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli , aliorumque Sanctorum omnium meritis ſuffragantibus , à Purgatorii pœnis liberetur. Datum Romæ, &c.

2. Si anima non ſit in purgatorio ?

Quæritur ſecundò , ſi illa anima non ſit in Purgatorio , ad quid profit illa indulgentia , vel aliud opus pro illa factum ? Reſpondeo , primò tibi proderit ad meritum , & *oratio tua in ſinu tuo convertetur.* Secundò ſi illa anima ſit beata , obligabitur jam ſpecialiter pro te apud Deum intercedere. Tertiò , licet damnationi ſit addicta , tamen nec tunc meritum tuum perdis : reſpicit enim Deus charitatem tuam : ſicut cùm pro aliquo orationem fundis qui non meretur , non ideò tu merito privaris. Quartò dicit Sylveſter , & alii, quod oratio facta pro aliquo, ſi ei eſt ſuperflua , datur magis indigenti: ſic & indulgentia Dei benignitate indigenti poterit applicari.

Sylveſt. V. Suffragium.

Adverte verò, non rectè docuiſſe authorem quendam antiquum , cui nomen Præpoſitus , quod ſuffragium Miſſæ pro una anima oblatum , æquè profit & aliis : ſicut , inquit , candela quæ pro uno accenditur æquè lucet illis qui in eodem ſunt cubiculo. Hæc ratio & comparatio non eſt benè fundata ; nam cùm quis lumen accendit , ab ejus intentione non pendet, cui hoc lumen profit. At in ſuffragii Miſſæ oblatione , determinatur ab intentione offerentis , cuinam profit. Semper tamen quando anima aliqua juvatur per Miſſæ Suffragium , vel indulgentiæ applicationem , aliæ refrigerium aliquod percipiunt : tum quia in oratione & ſacrificio pro illis omnibus qui ſunt in Purgatorio oratur, poſtquam ſpecialiter pro aliqua oravimus : nam collectæ generales ſunt , & virtute Eccleſiæ orantis & applicantis generaliter aliquis fructus animabus Purgatorii provenit : Tum quia accipiunt aliquam conſolationem & gaudium ex liberatione cujuslibet animæ ibi detentæ, quia ſunt charitate conjunctæ. Et ſicut dicitur, quod *Angeli gaudent ſuper peccatore pœnitentiam agente* , ita etiam dicimus animas flammis expiatoriis detentas gaudere ſuper cujuslibet è carcere illo diro liberatione. Luc. 15. 10

Zerola tract. de Indulgent.

Advertè tamen , aliquos docere , non certò determinatè illam animam cui indulgentia ex intentione noſtra applicatur , liberari à purgatorii pœnis : putant enim requiri in animabus Purgatorii diſpoſitionem aliquam divinæ ſapientiæ notam, in qua diſpoſitione ſi ſit anima illa cui applicare intendimus , ipſa liberabitur , ſi non ſit in ordine illo quem diſpoſuit Deus , & in proxima diſpoſitione requiſita ad egreſſum ex hoc carcere , altera anima liberari poterit, quæ eſt in tali ordine & diſpoſitione ; Illa tamen anima cui applicare intendimus non carebit fructu , ſed ab aliquibus pœnis liberabitur & juvabitur , ut ad illum ordinem & diſpoſitionem animarum liberandarum accedat. Et ſic putant ſatisfieri Bullæ Altarium privilegiatorum , in qua dicitur quod anima cujuſque Fidelis qui in charitate diſceſſerit, liberabitur à Purgatorii pœnis : ſi nimirum ſit in illo ordine aut diſpoſitione à divina ſapientia requiſita : aut liberabitur à Purgatorii pœnis ſaltem aliquibus, & ſic ſi non liberetur a Purgatorio totaliter & ex integro , ſaltem partialiter liberatur. Vide Zerolam Tract. de Indulg.

3. De alia Miſſa, quam de Requiem.

Quæritur tertiò : An ſi celebretur Miſſa alia quàm *Requiem* in Altari privilegiato , applicetur indulgentia , aut ſatisfiat intentioni Pontificis , qui celebranti *Miſſam defunctorum* in tali altari dat poteſtatem applicandi indulgentiam ? Reſpondet Navarrus conſ. 37. de Pœnit. & remiſſ. & Zerola in praxi Epiſcopali , etiam valere ad id Miſſam aliam v.g. de feſto aut Dominica , nec eſſe intentionem Pontificis coarctare , ſed principale ejus intentum eſſe, ut in tali Altari Miſſa celebretur.

4. Exiſtens in peccato mortali an valide applicet indulgentias ?

Quæritur quarto : An in peccato mortali exiſtens poſſit validè ſatisfacere , & applicare indulgentiam animæ exiſtenti in gratia , vel in Purgatorio ? Reſpondent multi affirmativè. Quia illa ſatisfactio & indulgentia habet vim non tam ex parte ſatisfacientis, quam ex parte Chriſti : hujus autem merita applicantur & ſatisfactiones, ſi ſit diſpoſitio ex parte illius cui debent applicari : nec nocebit, ſi non eſt diſpoſitio, ſive ſtatus gratiæ ex parte illius qui applicat.

F I N I S.

LIBER

Digitized by Google

LIBER TERTIUS.

DE CHARITATE ET DECEM PRAECEPTIS DECALOGI.

MONILE SACRUM.

CVR Homo mortalis, titulos & ſtemmata fingis?
Nonne per hæc, Mortis pellere tela poteſ?
Falleris, & mundi te gloria fallit inanis,
Vix tua poſt cineres fama ſuperſtes erit.
Cum Titulis mox Nomen abit; Mors ſtemmata ſternit,
Alta metit, cæcis cæca triumphat equis.
Vanus & inconſtans, per multa volubilis erras:
Eſt tua nobilitas, hæc tua Mobilitas.
Vita & honor, fortuna, genuſque, quid omnia? Dicam:
Sunt cinis & fumus, labilis umbra, Nihil.
Corpus humo, cinerem cineri, Te fata perurgent,
Reddere: Quàm ſubitò vita peremta fugit?
Vive Deo, & Cœlo, nec erit Tibi vita peremta,
Empta datur meritis, altera vita tuis.
Vive Deo, & Cœlo, mortis Tibi ſtemmata pinge,
Sic tua poſt cineres, vita perennis erit.

MIſerICorDIa & VerItas ob VIa VerVnt sIbI. *Pſal. 84.*

HOMINI MORTALI AD IMMORTALITATEM ADSPIRANTI

Monile Sacrum.

ANNO ſeſe revolvente, ſoleo Xenium tibi repræſentare: en Monile quod pectori appendas, Nobilitatis tuæ ſymbolum. Monile voco, quod mentem moneat, ut ſtemmata hic inſculpta conſideret. Rationale vocare poſſem, quod hominis rationem erudiat, ut rectum de ſe judicium ferat. Olim Sacerdos in Rationali inſculptum gerebat *Doctrina & Veritas*: Ego Monili huic tuo pro ſymbolo inſcribo.

MISERIA ET VANITAS.

AN id miraris? Appende te in æqua Veritatis lance, in Sanctuarii pondere, & mirari deſines, Nobilitas tua non alia eſt, quam agnata calamitati Vanitas & Mobilitas. Omnia in te & circa te mutationi ſunt obnoxia. Vita, Animus, Corpus, Fortuna. Inſpice ſingula, & dum interrogo, animum reflecte.

QUID VITA TUA? *Rota volubilis.*

VOlvitur per luſtra, annos, menſes, & citato gradu ad metam properat, nec ſiſtere curſum poteſt, nec revocare gradum. Elabitur vita etiam invita. Magna pars effluit nobis malè agentibus, maxima nihil agentibus, penè tota aliud agentibus. Melior portio prætervolat, deterior ſuccedit, nec proſpicimus. Ex amphora primò effluit quod purum eſt; turbidum ſubſidit: Sic in ætate noſtra, quod eſt optimum primum eſt, reliquum fœce mixtum. Vide ne ætas florida præterfluat inanis & vacua.

QUID ANIMUS TUUS? *Arundo mobilis.*

FLectitur huc, illuc, ad omnem auram volubilis. Quantas cogitationum volubilium patitur alternationes? Quam varias affectuum diſſidentium alterationes? Modò ſerenus prodit cum jubilo, modò turbidus cum nubilo: modò plangit, mox plaudit: modò fauſta ſibi ſpondet, mox deſpondet: quod citò probat, mox reprobat. An non ergo arundo mobilior aurâ: Pugnant vota noſtra cum votis, conſilia diſceptant cum conſiliis, optamus contra id quod optavimus.

QUID CORPORIS MOLES? *Mola verſatilis.*

MOla volvitur, & volvendo teritur: Corpus noſtrum, pulveris maſſa, inquieto motu rotatur,

tatur, ſed paulatim teritur, donec pulveri reddatur. Diverſa mutatione quaſi circuitu molam hanc trahunt. Æſtas & Hyems, Ver & Autumnus, variasque ei affricant qualitates. Hinc modò vigorem habet, & florida eſt, mox languorem patitur, ægreſcit, & olida eſt. Domus eſt lutea terrenum habens fundamentum, ſenſim ſine ſenſu collabaſcens. Noli ei magis niti, quàm *parieti inclinato aut macuræ depoſitæ.*

QUID FAVOR FORTUNÆ?
Ludus inconſtantiæ?

VAria & inſtabilis fortuna: nihil in ea tam conſtans, quam inconſtantia. Si ſtabilem eam velis, tolle globum volubilem cui inſidet, tolle rotam quâ omnia ſurſum deorſum alternatâ verſat ſerie. Blanditur multis & ludit, ſed frequentius illudit. Tangit eos fugitiva, & angit: niſi quis compoſitæ mentis ſuprà aſſurgat, & eam ſive aſperam, ſive proſperam deſpiciat. Intuens igitur quæ in te, quæ circa te, agnoſce titulos avitæ nobilitatis tuæ, quos Sapiens quidam ſic depinxit: *Homo eſt imbecillitatis exemplum, corruptionis ſpeculum, inconſtantiæ imago, fortunæ ludus, invidiæ & calamitatis trutina, temporis ſpolium.* Sed ſingula poſtrema hac quæſtione complector.

QUID IPSE HOMO?
Vniverſa vanitas.

Sic aſſerit Vates: *Vniverſa Vanitas omnis homo vivens.* Quare univerſa vanitas? Microcoſmos eſt, ſive parvus mundus, & ita eſt Epitome vanitatis, *Vanitati enim ſubjecta eſt omnis creatura,* quæ in homine cum nativo ſibi defectu eſt abbreviata. In quiris igitur quid Homo? Exemplar abbreviatum eſt miſeriæ & vanitatis. Perluſtra elementa & orbis partes, & intelliges quæ dico. Terra variæ eſt alterationi obnoxia, frigore ſtringitur, calore ſolvitur. Sic eſt corpus hominis. Mare multis agitatur fluctibus, deorſum procurrit ſeſe volventibus undis. Sic eſt vita hominis. Aër modò tenebris conſpergitur, mox luce fruitur. Sic eſt, & animus hominis. Ignis modò fulgidus, modò fumo turbidus. Sic cupiditas noſtra exæſtuans eſt, ſed caligine circumfuſa. Vides igitur quomodò homo *Vniverſa vanitas*, & quàm rectè Nobilitatis ſymbolum ei inſcribo.

MISERIA ET VANITAS.

BIna hæc ſunt ſtemmata, quibus gloriari poteſt. Bina hæc elementa ſunt, quibus conſtat, vel potius quibus inconſtans eſt. Hæ ſodales affines vitæ noſtræ, quæ ut comites lateri ſe jungunt, aut ut Domini præeunt, aut ut pediſſequæ ſubſequuntur. Nec deſerunt, niſi vita cum illis deſeratur, adhuc funeri aſſiſtunt parentantes. Hæ ſunt Rotæ, Bigæ, & Currus verſatilis, quem vehit infœlix filius Adæ, *Grave enim jugum ſuper filios Adæ*, ut Miſeriæ & Vanitatis triumphalem Currum vincti trahant: *A die exitus ventris, uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium.* Sub hoc jugo omnes gemunt, *ab eo qui ſumitur hyacinthus, & portat coronam uſque ad eum qui operitur lino crudo.* Sed væ illis qui non ſolum trahunt jugum & currum miſeriæ, ſed & cum illo, & in illo trahunt *iniquitatem in funiculis Vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum.* Ab illo væ tibi proſpice. Quomodò proſpicies? Monile hoc inſpice, & à te in Deum aſcendens, in divina ſtemmata animum converte. Quænam illa?

MISERICORDIA ET VERITAS.

SI Miſeria & Vanitas in terreno ſolo reſident: Miſericordia & Veritas in cœlesti ſolio præſident. Hæc ſunt divini Numinis inſignia, quibus ejus gloria nobis innoteſcit. Hæ ſunt gemellæ Altiſſimi Filiæ, quæ vultu ſereno manum porrigunt, ut eruatur homo ab humo, *infixus in limo profundi.* Uterinæ Sorores ſunt, fœderatæ ut ferant Mortalibus opem: è Cœlo prodeuntes obviaverunt ſibi ac oſculatæ ſunt, inito pacto, ut Miſericordia Miſeriæ, Veritas ſuccurrat Vanitati. Illarum cura eſt, ut exterſo vultus ſudore, illuc reducant hominem unde traxit imaginem. Amplectere manum earum protenſam, ut te deducant per tramitem in quo nil fœdum, nil lubricum, nil devium. Defere Vanitatem, quæ mater eſt iniquitatis, amplectere Veritatem, quæ mater eſt Æternitatis. Tranſeunt omnia, tranſit vanitas, tranſit iniquitas: *Iniquum eſt vinum, iniquus Rex, iniqua mulieres, iniqui filii hominum & opera eorum, & in iniquitate peribunt. At veritas manet, & invaleſcit, & vivit in æternum.* Hoc igitur Monile pectori tuo appendo, ut ad illam adſpires & ſuſpires quæ perennat, Miſericordiam & Veritatem, & eruaris à Miſeria & Vanitate. Hoc tibi toto animo, corde, calamo, adopto & voveo.

DE

Digitized by Google

DE OFFICIO PASTORALI.

COLLATIO SACRA IN SYNODO PASTORUM PRONUNCIATA.

VIDI SIMILEM FILIO HOMINIS VESTITVM podere, præcinctum zona aurea ad mamillas, & oculi ejus flamma ignis. Apoc. 1.v.13.

Ephes. 6. 17.

BEATUS Apoſtolus ut nobis exhiberet perfecti Chriſtiani imaginem, deſcripſit illum tanquam militem, à capite ad calcem armatura & panoplia ſpirituali adornatum. Ac *primò* ejus capiti imponit Spem, tanquam galeam ſalutis. *Secundò* Juſtitiam, tanquam loricam. *Tertiò*, Fidelitatem, tanquam balteum & cingulum militare. *Deindè* dat ei Verbum Dei pro gladio. Denique pro Ocreis & calceis, dat ei præparationem & alacritatem ad currendam viam mandatorum, & Evangelii pacis. Ego non ſolùm militem; ſed & Ducem, ſive Sacerdotem Chriſtianum, in imagine cupio vobis hodie exhibere. Aptè illum deſcribere mihi viſus eſt D. Joannes in Apocalypſi, dum dicit ſe vidiſſe ſimilem filio hominis, veſtitum podere, præcinctum cingulo aureo, ad mamillas, candidis capillis, oculis flammeis. De hac re diſſerere mihi animus eſt, in hac Venerabili Sacerdotum ac Paſtorum Corona, & quatuor declarare conabor compendioſo ſermone.

1. Quomodo Sacerdos debeat eſſe ſimilis Filio hominis.

2. Quomodo debeat eſſe veſtitus podere & ſtola juſtitiæ.

3. Quomodò ubera præcinctus cingulo caſtitatis.

4. Quomodò ejus oculi debeant eſſe flamma ignis.

§. 1. *VIDI SIMILEM FILIO hominis.*

Rom. 8. 29.

QUod de Electis dicit Apoſtolus, Deum eos elegiſſe *conformes fieri imaginis Filii ſui*, hoc maxime de Sacerdotibus verum eſt. Electi enim ſunt, ut vices Filii Dei agant, & perſonam ejus repræſentent in terris. Ideò per ſpecialem conſecrationis Characterem eos ſibi aſſimilavit; & æterni ſui ſacerdotii conſortes effecit. Sunt igitur ei conformes ſicut membra capiti, ſicut milites Duci, ſicut Miniſtri Summo Sacerdoti: Imò ut perfectius ſibi aſſimilaret, quicquid muneris à Patre accepit, quicquid poteſtatis, quicquid honoris, illis commune eſſe voluit. Expendite mecum titulos honorificos Redemptoris, & id plenius clariuſque perſpicietis.

Primò. Ipſe eſt *Sponſus Eccleſiæ*, quam lavit & acquiſivit ſanguine ſuo, ut eſſet ſine macula, ſine ruga, Agni cruore ablura. Et nos quoque ſponſi ſumus, quia pro grege noſtro ſpopondimus, vel certè amici ſumus ſponſi, ſacrique ejus fœderis ac connubii paranymphi & ſponſæ cuſtodes. Etenim ſponſam ſuam nobis commiſit, ut eam ſartam tectam cuſtodiremus; & unuſquiſque noſtrûm de grege ſuo dicere poteſt: *Æmulor vos Dei æmulatione, deſpondi enim vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto*: Ob hæc igitur rectè de Sacerdote dicitur: *Vidi ſimilem Filio hominis.*

Mat. 9. 15. Luc. 5. 35. Eph. 5. 27. 2. Cor. 11.

Secundò. Ipſe eſt *Mediator Dei & hominum*, pacificans per ſanguinem ſuum, ſive quæ in cœlis, ſive quæ in terris. Nos quoque conſtituit tanquam medios inter Deum & populum, ita ut unuſquiſque dicere poſſit quod Moyſes: *Ego ſequeſter & medius fui inter Dominum & vos.* Inſtar Aaronis, cum incenſo & thuribulo medii ſumus inter mortuos & viventes, ad placandam iram Dei ſævientem. Ergò & ob id rectè dicitur de Sacerdote: *Vidi ſimilem filio hominis.*

1. Tim. 2. 5. Deut. 5. 5. Num. 16. 46.

Tertiò: Ipſe eſt *Judex* à Patre conſtitutus. Sed nunquid & nos Judices conſtituit, ut quodammodò ante diem judicemus, & ratum ſit in Cœlo

Act. 10. 42.

Digitized by Google

quod noſtro decretum fuerit arbitrio ; Ipſe habet claves vitæ & mortis. Sed nunquid has nobis communicavit ? Illis cœlum aperimus, his infernum claudimus, & animas è faucibus diaboli erutas cœlo inferimus. Rurſus igitur de Sacerdote hic verum eſt : *Vidi ſimilem filio hominis.*

Dan.9.25 Mat.1.16 *Quartò :* Ipſe ſecundùm naturam humanam *Chriſtus eſt*, hoc eſt, à Patre ſpecialiter unctus : ſecundum alteram, *Filius Dei & Deus.* Sed & nos olei ſui conſortes fecit, quia ab ipſo tanquam capite, in nos tanquam oram veſtimenti defluit. Et nos ergo etiam Chriſti ſumus, ſacratæ Unctionis ejus partiPſ.104.15 Pſ.81.6. cipes effecti. Quapropter de nobis dicit : *Nolite tangere Chriſtos meos.* Imò verò & Deos nos eſſe rectè aſſeritur, ipſo dicente : *Ego dixi Dii eſtis, & filii excelſi.* Quid ergò ſibi reſervavit : Nunquid in omnibus & per omnia ſimiles ſumus filio hominis ? Nunquid conſortes facti ſumus muneris ejus , unctionis, poteſtatis, honoris, denique & divinitatis ? O quam benignus eſt Dominus, qui talem poteſtatem impertitur hominibus, ut ope illorum ſalutem animarum uſque in finem ſæculi procuraret ! Fecit enim eos divini ſui operis Cooperatores, quod diviS.Dion. norum omnium diviniſſimum eſſe teſtatur Dionyſius. Et hanc quidem poteſtatem ſuper corpus Chriſti verum & myſticum, ſtupet Cœlum, mirantur Angeli, horrent dæmones ; nos verò homines Deo ingrati, ut oportet id non attendimus, nec æqua lance appendimus. Sicut enim magna eſt noſtra celſitudo , ita major eſſe debet noſtra ſollicitudo. Sicut ei ſimiles ſumus poteſtate, ita exigit ut ſimiles ſimus morum imitatione. Et ſi ejus perſonam agimus, vult ut & vitam exprimamus, ut poſſit unusGal.2.20. quiſque noſtrum dicere : *Vivo ego jam non ego, vivit* Heb.10.7 *verò in me Chriſtus.* Quapropter monet nos : *Sanctiefſtote , quoniam ego Sanctus ſum , qui ſanctifico vos.* Monetur etiam hujuſce rei Sacerdos, quando ad ſacrificium accedens, gerit ante ſe & poſt ſe Crucem in veſte. Ante ſe , ut moneatur Chriſti veſtigia & inſpicere & ſectari : Poſt ſe, ut meminerit adverſa pro ejus nomine tolerare. Ante ſe, ut propria peccata lugeat : Poſt ſe, ut aliena per compaſſionem portet & defleat, mediumque inter Deum & peccatorem ſe agnoſcat. Vides igitur quàm aptè de Sacerdote dicatur : *Vidi ſimilem filio hominis.*

§. 2. VESTITVM PODERE.

POderis , veſtis erat Sacerdotalis , inde poderis dicta quod ad pedes uſque ſe porrigebat. Sicut ergò Græci agnoſcebantur per pallium , Romani per togam , pueri per prætextam , milites per ſagum , Imperatores per purpureum paludamentum , Victores per Palmatam veſtem : ita Sacerdotes per Cidarim & Poderem. Significat autem hæc poderis juſtitiam , qua verus Paſtor ornatus eſſe debet. Ita interpretatus eſt Sapiens : *Si ſequaris juEccl.27.9 ſtitiam, apprehendes poderem honoris.* Juſtitia verò in Scripturis duo ſignificat. Primò particularem illam virtutem , quæ reddit unicuique jus ſuum, ſuperiori , inferiori , æquali. Hac veſtitus erit Sacerdos , ſi Deo exhibeat pietatem ; ſuperiori obedientiam , æquali honorem & charitatem , inferiori curam & ſollicitudinem. Juſtitia ornatus erit , ſi infirmis exhibeat conſolationem , afflictis compaſſionem , egentibus miſericordiam. Si piis præſtet auxilium , peccantibus correctionem, obſtinatis ſeveritatem , omnibus charitatem. Hac veſte carent illi , de quibus conqueritur B. Ambroſius ; quod deſpecto juſto paupere injuſtos divites honorant , illis aſſurgunt , hunc alloquio vix dignantur. Hac veſte carent, qui in infirmitatibus non viſitant eos à quibus nihil exſpectant ; nec conſiderant omnes animas æquales eſſe apud Deum, , æquali pretio emptas, æqualiter ad æternam hæreditatem jus habentes. Secundò, Juſtitia ſumitur pro interiori gratia , qua coram Deo juſtificamur. Hac etiam debet eſſe veſtitus Sacerdos, quia *in medio ſeptem Candelabrorum aureorum* agit, Apo.1.13. hoc eſt , in medio Sacramentorum Eccleſiæ quorum miniſterium in ſtatu gratiæ debet obire. Hac verò veſte gratiæ maximè indiget ad altare accedens : *Quis* enim *habitabit in tabernaculo Domini,* Pſ.14.1. *aut quis ſtabit in loco ſancto ejus , niſi is qui operatur juſtitiam , innocens manibus & mundo corde ?* In hujus rei typum in templo erat vas æneum, 1.Paral. quod mare dicebatur , in quo ſe abluebant Sa- 18.8. cerdotes. Erant & ſpecula, in quibus faciem inſpi- Exod.38. ciebant, ne qua foret in eis macula. Quiſquis er- 8. go cum peccati mortalis macula accedit , novo ſe crimine inficit, novo ſcelere obſtringit ; quia quantum in ſe eſt , ſancta contaminat & polluit Sacramenta.

Idcircò inclamat Propheta : *Ad vos ô Sacerdotes* Malach *qui deſpicitis nomen meum, & dixiſtis in quo deſpexi-* 1.7. *mus nomen tuum ? Offertis ſuper altare meum panem polluetum.* Ad vos ô Miniſtri novi teſtamenti, etiam illa vox dirigitur , qui licet panem pollutum offerre non poſſitis , quia nulla offerentis malitia vivificus panis Chriſti contaminatur , tamen quantum in vobis eſt illum polluitis , immundis manibus , hoc eſt, operibus , & immundo corde, ad ſacram Domini menſam accedentes. Conſiderate obſecro , quàm purum debet eſſe cor , ad quod toties ingreditur author puritatis. Quam mundæ manus , quæ corpus deificum debent contrectare. Quàm innocuum os , quod Dominum majeſtatis verbis ſacris debet benedicere & conſecrare. Quam immaculata lingua , quæ tremendo nimis rubeſcit ſanguine. Quoties ergo accedetis, videte an ornati ſitis podere , veſtimento candido puritatis & juſtitiæ. Væ nobis miſeris , qui miniſterium adeò celſum ſortiti ſumus , & vera tamen juſtitia non fulgemus : *Sed juſtitiæ noſtræ* Iſ.64.6. *quaſi pannus menſtruatæ* , ſanguinea ſorde ſunt infectæ. Hoc contingit dum conſcientiæ noſtræ variis peccatis fœdatæ ſunt, odio, ſuperbia, impudicitia,

dicitia, avaritia sanguinolentæ. Timeamus illud
Isc.9.5. Prophetæ : *Vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis.* Veltis itaque nostra sit sine macula, sit & talaris instar poderis, sit usque ad pedes protensa, hoc est, usque ad finem vitæ perseverans ; *ut serviamus coram illo in sanctitate & justitia omnibus diebus nostris.* Sic erit vestis Jacob, ex
Luc.1.74. qua fragrantia procedet, propter quam æternam à
Gen.27. Patre benedictionem merebimur impetrare.

§. 3. PRÆCINCTVM AD MAMILLAS.

SCriptura Ubera tribuit & Sponso & Sponsæ :
Cant.4. 10. De Sponsa dicitur : *Quam pulchra sunt mamma tua soror mea Sponsa, pulchriora sunt ubera tua vino.*
Cant.1.1. Idem de Sponso dicit Sponsa : *Osculetur me, quia melicra sunt ubera tua vino.* Cum ergo Sacerdotes & Pastores Sponsi vices agant, cumque non solum Patres sint spiritu, sed & Matres & Nutrices, rectè eis Ubera attribuuntur. Ideo dictum est de fi-
Isa.66.11. delibus : *Ad ubera portabimini, & super genua ad-blandientur vobis.* Quid ergo sunt Ubera ? Ubertas doctrinæ, ex qua lac elicitur ad alendas animas adhuc incapaces solidi cibi, hoc est, imperfectas in doctrina, in fide, in pietate, egentes simplici instructione, in rudimentis doctrinæ Christianæ. De hoc
Heb.5.12. lacte loquebatur Apostolus Hebræis : *Rursus indigetis, ut doceamini elementa exordii sermonum Dei & facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo.* Hoc lacte ipse plenus erat, cujus cum gladius caput impeteret, non sanguinem dedit, sed lac fudit, symbolum sapientiæ cælestis, in ipso abundantis quasi nutritio multorum filiorum spiritualium. De his etiam
Cant.8.8. Uberibus loquebatur Sponsus : *Soror nostra parvula ubera non habet.* Loquitur de eo tempore, quo Ecclesia in sui initio parvula erat, humilis & abjecta in medio persecutionum : & tunc videbatur ubera non habere, quia non habebat libertatem effundendi lac sacræ doctrinæ, nec convocandi fideles ad ubera sua. Non enim audebat publicè ad prædicationem fidei, ad verbum Dei filios suos advocare, sed tantum in occulto docere, & sic ubera ejus erant velut abscondita. Postea verò cessante persecutione, filii ejus per universum Orbem ad ubera portabantur, tempore scilicet Constantini, quo fides cœpit fœliciſſimè propagari. Pro quo tempore scriptum
Isa.60.16. erat per Prophetam : *Suges lac gentium, & mamillâ*
Ibid.v.4. *Regum lactaberis.* Et iterum : *Leva in circuitu oculos tuos & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi, filii tui de longè venient, & filia tua de latere surgent.* D. Hieronymus & alii legunt : *De latere lac sugent,* quia Hebræa habent : *Juxta latus nutrientur.* Ubi videtur insinuare, quod animæ piæ velut in Christo lactentes, tunc sugent lac Apostolorum & Ecclesiæ Doctorum.

Vides ergo, quàm aptè his, quibus incumbit instruere animas parvulas, homines simplices & illiteratos, mamillæ attribuantur ? Ad nos ergo diri-
Cant.7.11 guntur verba illa Sponsæ : *Egrediamur in agrum, commoremur in villis, mane surgamus ad vineas videamus si florvit vinea, si flores fructus parturiunt ibi dabo tibi ubera mea.* Nostra vocatio est in agris, in villis, in pagis commorari, ibique vineas colere, hoc est, animarum curam habere. Manè ergo surgamus, hoc est, diligenter id peragamus ut possint flores & fructus producere, flores honorum, desideriorum, fructus bonorum operum. Ibi etiam convenit nos sugere lac de uberibus Sponsæ, hoc est, teneram doctrinam de cœlesti sapientia Ecclesiæ, ut rudes & simplices illo alamus, ut sic possint in salutem crescere. Unico verbo dicam, omnibus his commendatur & inculcatur doctrina Catechismi, quam subditis tenemur tradere, alioqui coram Deo de eorum imperitia responsuri.

ZONA AVREA.

SEd parum prodessent ubera spiritualia, sive doctrina Sacerdotibus : nisi ornentur hac Zona, quæ est Castitas, Zona dicitur Castitas, quia carnis lasciviam, libidinis ardorem, concupiscentiæ stimulum comprimit. Zona iterum dicitur, quia sub jugo spiritus, sensus omnes & cogitationes ac diffluentia desideria ordinat ac constringit. Aurea verò dicitur, ob fulgorem & pretium, quia sicut aurum inter metalla, ita Castitas inter virtutes emicat. Hinc B. Ephremus clamat : *O Castitas, qua homines similes Angelis reddis ! O Castitas, qua cor possidentis te, latificas, & animæ ad cœlestia alas adjungis ! Castitas, qua spirituale gaudium, paris mœrorem adimis, passiones minuis ! O Castitas, currus spiritualis, possessorem suum in sublime evehens ! O Castitas, qua rosæ instar in medio animæ & corporis flores, universamque domum odoris fragrantia replet ! O Castitas, præcursor & cohabitator Spiritus Sancti !* De eadem dixit Cyprianus : *Honor est corporum, ornamentum morum, sanctitas sexuum, hostis immunditiæ, lorica pudoris, pronuba sanctitatis, repudium turpitudinis, abolitio scandalorum, pax virtutum, mater innocentiæ, dilectionis parens, qua soli Deo placere cupit.* Quam necessaria ergo nobis hæc Zona, quæ Sacerdotii primum est ornamentum, & fascia pectoralis, cujus nunquam debemus oblivisci ; præclarum cingulum dilectum Deo & hominibus, faciens Sacerdotem. Curandum ergo sollicitè, ne Zona hæc fulgida, tetro aliquo inficiatur odore, vel macula, aut scoria obtenebretur, hoc est, ne incauta conversatione, vel occasionis labe, Castitas in nobis periclitetur. Quapropter monent SS. Patres, omne alterius sexus consortium vel occultum colloquium vitandum esse quasi contagium. Hic est lapis offensionis in quem impingitur, ad quem alios viri etiam magni, naufragium fecerunt. Et multi quotidie cadunt, non satis sibi in hoc caventes. Viri enim & mulieris consortium, est velut fomitis & stuppæ conjunctio, ita ut cum lateat ignis, facilè ac cendatur illo flante, *cujus habetis primas ardere facit*, hoc est, Satana suggestiones immittente. Multi casti putantur exterius, sed quæ ab ipsis in occul-

B. Eph. Serm. de Castit.

Cypr. ser. de Pudic.

Job.41.

occulto fiunt, turpe esset dicere. Nemo tamen facilè
Rom. 14. 4. judicet *alienum servum*, *Domino suo stat aut cadit.*
Ezech. 8. Si quis instar Ezechielis mandatum Domini haberet ad fodiendum parietem, multam reperiret abominationem, quia in interiori domo & conscientia multorum, loco Dei, idolum Veneris aut Adonidis adoratur. O quanta & qualia in illo die videbimus in quo revelabuntur abscondita tenebrarum! Multi tunc repenentur cecidisse, ob occasiones in quas imprudenter ceciderunt. Hæc quandoque parum æstimantur etiam à Sacerdotibus, puta in consortiis hominum impudica loquentium demorari, inter puellas & mulieres risum miscere, in tabernis & locis publicis per colloquia & blanditias cum diverso sexu nugari. Inter hæc omnia multi putant se posse cor mundum servare, quo tamen nihil facilius inficitur, vel verbo vel cogitatione. Est enim cogitatio immunda vel verbum dissolutum instar guttæ olei in vestem cadentis, quæ statim se diffundit, & maculam dilatat.

§. 4. OCVLI FLAMMA IGNIS.

Matt. 6. 22. OCulus in Scriptura intentionem significat: *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* Juxta Augustinum & Gregorium sensus est: Si intentio tua recta fuerit & munda, opera tua munda erunt & Deo placentia; quia ut ait Gregorius, *Per bonæ intentionis radium, merita actionis illustrantur.* Sicut ergo, ut benè ambules, duos debes habere lucidos oculos; ita ut munere tuo fungaris in actionibus tuis dirigendis, duplicem oculum habe. Pro dextro sit intentio honoris Dei, pro sinistro intentio salutis Proximi. Hi sunt duo oculi lucidi *ut flamma ignis*, quibus omnia opera nostra dirigi debent, ut placeant in conspectu Dei. Sed quotus quisque est, qui in suis operibus semper hac intentione moveatur? Quis est qui non aliquando impellatur ut hominibus placeat, vel proprium emolumentum, proprium honorem quærat, aut alium finem vanum habeat? *Omnes enim quæ sua sunt, quærunt, non quæ sunt Iesu Christi.*
Phil. 2. 21. Hic dicere licet, quod in simili Augustinus; *Quis est Domine, qui non aliquando rapiatur, ultra metas? Quisquis est, magnus est, magnificet nomen tuum, ego autem non sum, quia homo peccator ego sum.* Interim quisquis hac intentione munus aliquod exercet, lippis oculis est ut Lia, aut caligantibus ut Heli; oculos habet, sed gravi humore defluentes, vel pulvere humano respersos; & sic nihil lucidum est in operibus ejus, aut Deo gratum.
August.

Rectè ergo monet Gregorius: *Vigilanti curâ intentio nostra nobis pensanda est, ut nihil temporale in his quæ agit, appetat; sed totum se in æternitatis soliditate figat. Nam alioqui extra fundamentum suum actionis nostra fabrica ponitur, & terra dehiscente solvitur; quia scilicet opera nostra inaniter fiunt, si æterna vita præmiis non intenduntur.* Dolendum igitur est, quod magna pars eorum qui curam Pastoralem suscipiunt, non tam oves & earum salutem, quàm lac & lanam arrendant, aut proprium honorem ambiant, propriam gloriam spectent. Hic est parvus vanitatis fumus, qui oculos nostros inficit, cùm lucidi debeant esse ut flamma ignis: *Flammescat igne charitas: Accendat ardor proximos.* Sit in nobis animarum zelus, ut non simus remissi & tepidi, sed ardentes & accensi, tanquam divini operis cooperatores illius gloriam pure & ferventer sectantes.
Greg. in Job. explicans illud. *Super quo bases solidatæ sunt.*

Ut ergo finem faciam; paucis fusiùs dicta repetens, speculum Sacerdotibus exhibeo, in quo faciem suam possint intueri. Primò igitur meminerit Sacerdos & Pastor, quòd sicut *similis est filio hominis* potestate, ita debet esse vitæ & morum conformitate ac puritate. Secundò, curet ut sit *vestitus podere*: quia in ipso debet bonorum operum splendor eminere, & justitia interior eum circumvestire. Debet & hæc vestis se usque ad pedes porrigere, quia debet in sanctis operibus ad finem usque vitæ perseverare. Tertiò, debet *Ubera* & lactis ubertatem habere, sive doctrinam abundantem pro commisso sibi grege. Quartò, *Aurea Zona* oportet cinctum esse, quia pudicitiæ cingulo, mentis & ventris decet lumbos restringere, & carnis recalcitrantem pruriginem coërcere. Denique, *Oculi flammei* debent esse, quia zelo charitatis decet accensum esse eum, qui debet accendere.

Ecce ergo speculum Sacerdotum, speculum Pastorum, quod quotidie oculis nostris deberet obversari ut consideremus, an hæc omnia in nobis reperiantur; & si quid maculosum sit, nitamur corrigere. Sic eandem possemus vivam Christi exemplar (cujus personam gerimus) in nobis exprimere. Ergo *Fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque sancta, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate, hæc agite, & Deus pacis erit vobiscum.* Phil. 4. 8

(†)

Digitized by Google

TRACTATUS I.
DE CHARITATE.

PROOEMIVM.

DOmus DEI jecimus Fundamenta, tractantes de Fide, ejusque Mysteriis, in duodecim articulis Symboli Apostolici contentis. Hi enim sunt lapides fundamentales sacri ædificii. Muros erexímus, de SPE in secundo Libro differentes, ejusque naturam & vim, effectus, & actus describentes, cum aliis mysteriis illi annexis. Restat, ut tertio hoc Libro structuram nostram CHARITATIS tecto perficiamus, & Doctrinam Christianam, hanc Theologicam virtutem concernentem, explanemus, floribusque sacris coronemus. Primò igitur agemus de Charitatis excellentia suprà alias virtutes. Secundò de gemina Charitate, in Deum, & in proximum. Tertiò de decem præceptis sigillatim pertractabimus, quia Dei ac proximi Charitatem ordinant: Habes enim in tribus primis dilectionem Dei, habes in posterioribus septem dilectionem proximi. Hæ sunt decem chordæ sacri Psalterii quas speciatim tangemus, ut sonorum dent suaveque melos piorum mentibus: & spiritum malum depellant ab impiorum cordibus, sicut cithara Davidis illum expulit à venenato corde Saulis: *Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo Altissime, in decachordo Psalterio cum canico in cithara.* Ut psallant pii in ejus observatione, ut se agnoscant impii in ejus transgressione, & peccata sua expient secundum ejus præcepta, humili confessione, debent Pastores frequenter hunc decalogum suis explicare.

1. Reg. 16. 23.
Psal. 91. 2.

LECTIO I.
DE EXCELLENTIA CHARITATIS.

1. *Docet Charitatem inter dona Dei Primatum tenere.*
2. *Inter Theologicas virtutes excellere.*
3. *Esse formam virtutum & fontem meritorum.*

PROPOSITIO I.

Charitas inter dona Dei primatum tenet & excellentiam.

DEclaratur id ex Apostolo, qui cùm varia enumerasset dona à Spiritu Sancto profluentia, donum sapientiæ & scientiæ, donum prophetiæ, donum miraculorum, donum linguarum & discretionis spirituum, tandem subiicit: *Æmulamini charismata meliora*, hoc est, desiderate, sectamini, petite à Deo, quæ ex illis potiora sunt dona & utiliora, & ne in illis quiescatis, *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro*: capite seq. Ipsam scil. Charitatem, qua directius & certiùs imur ad Deum, ad vitam, ad gloriam. *Hæc est via, ambulate in ea.* Via Dei ad homines est, & via hominis ad Deum, per Charitatis enim amorem anima ascendit, & pertingit usque ad Deum, per charitatis amorem descendit DEUS usque ad cor nostrum. Viæ ad DEUM multæ sunt in multis præceptis, de quibus rectè dicitur, *Via ejus via pulchra & omnes semitæ illius pacifica.* Sed omnes viæ illæ ad unam colliguntur, quia ad unam tendunt charitatem, *Finis autem præcepti est charitas.* Per hanc viam ambularunt Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines & omnes Sancti.

1. Cor. 12. 13.
1. Cor. 13.
Prov. 3. 17
1. Tim. 1. 5

Declaratur secundò ex Apostolo Joanne: *Deus charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ubi adverte duplicem charitatem distingui à Theologis: Una dicitur increata, alia creata. Increata est ipse Deus, qui est origo, fons, centrum, præmium omnis amoris, & ipsemet amor infinitus & æternus: unde dicit Joannes, *Deus charitas est.* Charitas creata, est donum quoddam infusum, quo Deum amamus super omnia propter se, & proximum propter Deum, de quo dicit D. Paulus: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis.* Estque hoc donum participatio quædam ipsius increatæ Charitatis, sive infiniti amoris qui Deus est, & de illo subjungit Joannes: *Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* Deus ergò charitas est substantialis, ad quam tendimus per illud donum accidentale nobis infusum, hoc est, per charitatem nostram; non poterat verò D. Joannes aptioribus verbis charitatis excellentiam explicare. Unde illa ponderans D. Bernardus dicit: *Deus charitas est: Quid ergò charitate melius? Et qui manet in charitate, in Deo manet: Quid ergo charitate securius? Et Deus in eo: Quid ergo charitate jucundius?* Hoc donum charitatis aliqui existimant non distingui realiter à gratia, per quam divinæ reddimur consortes naturæ, ut loquitur D. Petrus, quæ & à Theologis definitur: *Participatio quædam specialis essentiæ divinæ secun-*

1. Joan. 4. 16.
Charitas duplex.
1. *Increata*
2. *Creata.*
Rom. 5.
Joan. 4. 16
Citatur D. Thom. in illud Joan.

Digitized by Google

Gratia sanctificans & habitus Charitatis infusa sunt una qualitas realiter Scotus q. unica §. Hic quæritur Bellar.l.1.de gratia & l. arb.1.6.

secundum quod est pelagus infinitarium perfectionum. Idem ergò donum (secundum Scotum & ejus sequaces) quatenus nos Deo gratos reddit, dilectos, & acceptos ad gloriam, *Gratia* vocatur; quatenus vero per illud reddimur Deum ipsum diligentes, quatenus est principium producens actum charitatis, *Charitas* nominatur. Et hæc sententia non est improbabilis, quia effectus eosdem & gratiæ & charitati frequenter adscribit tum Scriptura, tum Sancti Patres. Utramque asserunt Deo nos conjungere, Filios Dei facere, hæredes regni, cohæredes Christi. Utramque vocant vestem textam a Spiritu Sancto, vestem nuptialem, sine qua excludimur à Dei convivio, & beatitudinis participatione. Unde non potest aliquis ulla earum destitutus salvari, utraque principium & radix omnis meriti est, nec possiunt ab invicem separari, neutra in peccatoribus esse potest.

Matt.22. 11.

Cant.8.7. Declaratur tertiò eminentia charitatis, ex verbis illis Cant. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam*, q.d. Adeò speciosa & pretiosa charitatis gemma, ut omnia ejus respectu quasi nihil computanda sint, & omnia quæ desiderari possunt, ei non valent comparari. Quapropter homo pro illa acquirenda vel conservanda, paratus esse debet omnem substantiam domus suæ dare, hoc est, omnes facultates suas, ipsam vitam & proprium corpus (quod velut domus animæ est) & quæ quomodolibet ad eum spectant: quia charitas quæ Deum secum affert, in infinitum omnia illa superat, & de illa verum est illud Sapientis: *Infinitus thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei propter disciplinæ dona commendati.* Et quæcunque ibi pronunciat Sapiens de excellentia Sapientiæ, verificantur de gratia & charitate, quia hæc est vera sapientia, amor, & timor Dei. Homo ergo sapiens considerans pretium & valorem amoris Dei, omnem suam erogat substantiam, tam naturæ, quàm fortunæ, non solùm temporalia relinquendo & vilipendendo propter amorem Dei, sed etiam seipsum penitus abnegando, dicens cum Psalte: *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.*

Cap.7.14.

Ps.72.25. Hugo to. 2.li.de laude charitatis.

Propterea dicebat Hugo de S. Victore. *O charitas, si scirem quanti valeres, pro te pretium appenderem. Sed fortè excedis angustias meas; nec invenirem. Sed fortè excedis angustias meas; nec invenirem. Sed fortè excedis angustias meas; nec invenir

est idioma amoris, quod non satis intelligunt qui non amant, hæc est petitio ex charitatis ardore pro-
Job. 6. 8. cedens. Cui non absimilis est illa Job : *Quis det ut veniat petitio mea, & quod expecto tribuat mihi Deus ? & qui cæpit, ipse me conterat, solvat manum suam & succidat me. & hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat, nec contradicam sermonibus Sancti.* Nempè jam charitas Job, multis aquis & fluminibus inundantium tribulationum, pressa fuerat, sed non oppressa, at splendidior reddita, ideoque majores tribulationum aquas exoptabat & advocabat.

PROPOSITIO II.

Charitas excellit non solum inter virtutes morales, sed & inter Theologicas.

1. Cor. 13. 5. HOc expressè asserit D. Paulus. *Nunc autem manent fides, Spes, Charitas, tria hæc, major autem horum est Charitas :* Hæ tres virtutes principatum habent inter cæteras, & Theologicæ nominantur, quia Deum immediatè respiciunt tanquam finem supernaturalem, & ad eum hominem ordinant, diversis tamen modis, & charitas perfectiùs cæteris. *Fides* enim respicit Deum, tanquam primam veritatem, cui assensum præbet in omnibus revelatis. *Spes* respicit eum, tanquam altissimum bonum, quod homo se assecuturum sperat gratia divina & operibus bonis. Sed *Charitas* ipsum Deum jam quodammodo apprehendit, amando illum propter se amore summo, & sic quodammodò illud summum bonum possidet, donec plenius brachiis amoris
Cant. 3. 4. comprehendat inseparabiliter, in beata æternitate, quando poterit dicere : *Tenui nec dimittam eum.* Et ita hic modus tendendi in Deum, excellentissimus est, qui habens poterit in via, & perdurabit, sed perficietur in patria, quando jam anima nulla illecebra retardante, nullo carnis depressa pondere, in Deitatis quiescet amore & fruitione. Itaque ex eo etiam nobilitas charitatis ab Apostolo designatur, quod Fides & Spes in altera vita non maneant, Charitas verò manet in æternum, & in gloria non consumitur, sed consummatur. Fides ibi deficit, quia involvit obscuritatem, & objecti inevidentiam, quæ absorbebitur à lumine claritatis superveniente in visione Dei : Spes quoque dicit rei speratæ absentiam, & ideò absorbebitur per beatifici objecti visionem & apprehensionem.

Cant. 6. 9. His tribus virtutibus rectè accommodari potest illud Cant *Qua est ista quæ progreditur quasi Aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut castrorum acies ordinata ?* Anima enim, quatenus per fidem à tenebris ignorantiæ, cæcitatis, infidelitatis, ad lucem veritatis & notitiam Jesu Christi erigitur, potest dici progredi *quasi Aurora consurgens :* quatenus per Spem elevatur, & clarior redditur, *pulchra sit ut Luna :* cum verè luci increatæ per charitatem jungitur, fit *electa ut Sol ;* & cum charitas ordinet omnes actiones, passiones, affectiones voluntatis, sic redditur *ut castrorum acies ordinata.* De hac acie per charitatem aptè ordinata loqui videtur Bernardus, dum de charitate differit. *O felix amor, ex quo oritur strenuitas morum, puritas affectionum, subtilitas intellectuum, desideriorum sanitas, operum claritas, virtutum fœcunditas, meritorum dignitas, præmiorum sublimitas.*

De eadem charitatis eminentia supra cæteras virtutes, & de acie ab ipsa ordinata dicebat Sponsa in Cant. *Ordinavit in me charitatem.* Ubi alia lectio ex Hebræo habet : *Vexillum ejus super me charitas.* Quia nimirum charitas prima est in acie virtutum, tanquam dux & vexillum, cæteras dirigens & in ordinem redigens. Nam sicut diabolus in peccatore constituit aciem vitiorum, cujus vexillum est amor proprius, qui est principium omnis peccati, & post se trahit omnia vitia (unde & ab Augustino dicitur fundamentum civitatis Babylonis sive diabolicæ) quicquid enim peccator agit, est, ut sibi placeat & suum expleat appetitum : ita Deus in anima sancta, aciem ordinat virtutum contra vitia, cujus vexillum est charitas & amor Dei amori proprio adversarius, qui ob eam etiam causam dicitur à B. Augustino fundamentum Hierusalem, sive civitatis Dei. Interroget unusquisque quid amet, & inveniet ubi sit civis, amor enim sui usque ad contemptum Dei, facit nos cives Babylonis, amor Dei usque ad contemptum sui, facit nos cives civitatis Jerusalem. Interroget unusquisque sub quo vexillo militet, & inveniet ad quem Imperatorem spectet : Si enim sub amore proprio, non nisi satanæ miles esse potest, & pro stipendio habet mortem æternam. Si autem sub amore Dei militet, jam ad Christi Imperatoris aciem spectat, & pro stipendio expectet vitæ æternæ lauream & coronam.

Cant. 2. 4. Simile.

Aug. l. 14. de Civ. Dei, c. 28. & ib. l. 15. c. 4.

Sed videˊ, quàm aptè excellentia charitatis designatur super cæteras virtutes, dum *Vexillum* nominatur. Sicut enim vexillo acies Ducum distinguuntur, ita sola charitate distinguuntur veri milites Christi. Non enim fides aut spes distinguit justos ab injustis, peccatores à sanctis, amicos ab inimicis, nam fides & spes utrisque sunt communes : Sola ergò charitas dividit oves ab hœdis, sola dividit inter filios Dei & filios diaboli, inter filios regni æterni & perditionis æternæ. Unde D. August. dicit, *Signent se omnes signo crucis, respondeant omnes Amen, cantent omnes Alleluja, baptizentur omnes, intrent Ecclesias : non distinguuntur filii Dei à filiis diaboli nisi charitate : Qui habent charitatem, nati sunt ex Deo ; & quamdiu semen hoc custodiunt, non peccant, nec separantur à Deo.*

S. Aug. Tract. 4. in ep. 1. Joan.

Primaria itaque ratio excellentiæ Charitatis inter alia dona & virtutes est, quia tanquam *Vinculum perfectionis* animas Deo perfectè colligat, & deiformes efficit, summo bono conjungens. Et sicut Pater & Filius nectuntur nexu amoris & uniuntur ; ita homo per charitatem unione supernaturali adhærendo Deo, deificatur, & unus spiritus efficitur cum eo. Unde Christus pro filiis suis Patrem obse-

Coloss. 3. 14.

Digitized by Google

crans dicit : *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi ut sint unum, sicut & nos.* Concludendo ergò adiicio, charitatem esse fructum nobilissimum, quem Spiritus S. diffundere potest in cordibus nostris : & sicut inter elementa eminet ignis, inter metalla aurum, inter gemmas adamas, inter cœlos empyreum, inter planetas Sol, inter Angelos Seraphim, ita inter cætera dona præcellit charitas.

Cornel.à Lapide in c.6. Deut.n.5.

1. Est enim ipsa ignis cœlestis, qui animam accendit & inflammat : *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur ?* Hoc igne mens inflammatur quasi *Rubus Moysi*, nec consumitur, sed perficitur.

Luc.12. 49. Apoc.3. 18.

2. Est aurum fulgidissimum, quo cœlestes inteces emimus & ipsum cœlum : *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, ut locuples fias.* Et quò magis premitur hoc aurum, eò magis dilatatur.

Joan.14. 23. 1. Joan.4. 17.

3. Est cœlum quoddam sublime, in quo habitat Deus ; quia per charitatem tota Trinitas animam inhabitat, & ibi figit suum domicilium : *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

4. Est gemma pretiosissima, & instar adamantis nulla vi, nullis tormentis, nullo ictu frangi potest : Unio est, & margarita pretiosa, pro qua emenda animæ justæ, Confessores multi, Virgines, Martyres, omnia sua impenderunt, etiam ipsum sanguinem. Sciebant sine hac margarita nihil prodesse quicquid habueris, nihil obesse si modò hanc habueris, quia sola sufficit.

Augustl. Hom.7. in Joan. Idem in Psal.145. Apo.12.1. Isa.6.6.

5. Est Sol illuminans, fœcundans, vivificans aridam cordis nostri terram : *Sicut enim tenebrosa est cupiditas, ita luminosa est charitas,* inquit Augustinus. *Quod Sol est sensibus, hoc amor est mentibus : sicut Sol terrena omnia illustrat, ut videri possint, ita intelligibilia illustrat amor Dei*, inquit idem. Hoc Sole amicta erat mulier illa in Apoc. quæ Ecclesiam repræsentat.

6. Est Seraphicum donum, *Seraphicus calculus Isaiæ :* de altari divino veniens, de cœlesti DEI domo descendens, quo omnis pruritus & immunditia cordis & oris nostri excoquitur, & emundatur. Est Seraphica virtus, quæ B. Franciscum aliosque similes viros velut Seraphinos ardentes effecit.

S.Greg. Hom.34. in Evang.

Ab hac enim charitate ardente, Spiritus illi primi ordinis, Seraphini dicuntur, & quia in hac virtute excellunt, supremum locum sortiuntur. Similes sunt & nonnulli, inquit D. Gregorius : *Qui superna contemplationis facibus accensi, in solo Conditoris desiderio anhelant, nihil jam in hoc mundo cupiunt, solo æternitatis amore pascuntur, terrena quæque abiiciunt, cuncta temporalia mente transcendunt, amando ardent, loquendo & alios accendunt, & quos verbo tangunt, ardere protinus in Dei amore faciunt. Quid ergo istos nisi Seraphim dixerim, quorum cor in ignem conversum, lucet & uris, quia & mentium oculos ad superna illuminant, & eos compungendo in fletibus, vitiorum rubiginem purgant ?*

Tales fuêre Ordinum Patriarchæ & Institutores inter quos excellit nunquam satis nominatus Franciscus. Hic biennio ante mortem in monte Alverno solitarius & contemplationi deditus, cœlestium desideriorum mirabili flamma succensum se sensit. Vidit ergò tunc quasi speciem Seraphim, sex alas tam fulgidas quàm ignitas habentem, de cœlorum sublimitate descendere, qui mentem ipsius Seraphico interius inflammavit ardore, & carnem exterius Crucifixi insignivit effigie : tanquam si ad ignis liquefactivam virtutem, sigillativa quædam esset impressio subsecuta. Statimque in manibus, pedibus ac latere Crucifixi stigmata apparuerunt, ita ut ex latere rubra cicatrice signato, sæpe sanguis efflueret tunicam beati viri aspergens. Ideò verò hæc visio facta est, ut amicus Christi præsciret, se non per martyrium carnis, sed per incendium mentis, totum in Christi Jesu Crucifixi expressam similitudinem transformandum.

Bonav. in Legenda S. Francisci.

Inter mulieres quoque hac in re excelluit S. Theresia, quæ de se refert apparuisse proximum lateri suo sinistro Angelum, mira pulchritudine fulgentem. Videbaturque mihi, inquit ipsa, ex sublimioribus illis esse, qui toti ignei sunt & flammantes, fortè de his qui Seraphini dicuntur, habebat autem in manu jaculum aureum cum cuspide acuta & ignita : quod aliquoties cordi hujusce mulieris infixit, ejus velut transvadens viscera. Tanto verò eam inflammabat & amore & dolore, ut tota in lachrymas solveretur. Huic doleri & amori, admirabili consortio, ita indicibilis suavitas jungebatur, ut talem dolorem & pœnam non posset non amare, & talem transfixionem non desiderare : quæ affectum omnem à rebus creatis abstrahens, ad solius Dei amorem, totum illum transferebat. Tali ergò visione & sensu, repræsentabatur illi vis ignita charitatis, animum sacro vulnere transverberantis, & efficacia doni hujus Seraphici, cor nostrum inflammantis.

de B. Theresia in ejus vita

PROPOSITIO III.

Charitas non solum est regina, sed & forma ac vita cæterarum virtutum, fonsque & origo omnium meritorum.

1. Reg.

HÆc est altera ratio excellentiæ charitatis, quæ paulò fusiùs hic explicanda est : Itaque reginam esse ex dictis satis patet, tum ob eminentiam, quia nos deiformes efficit, tum quia imperat actus aliarum virtutum ; licet enim proprius ejus actus sit, diligere Deum & proximum, tamen facit etiam elici actus alios ab aliis virtutibus, v.g. actus obedientiæ, humilitatis, patientiæ, qui eliciuntur à propriis virtutibus, imperante tamen charitate, & eas ad munus suum ignito quodam calcari excitante, & sic dirigente, ut purè quis ob amorem Dei obediat, humilietur, patiatur.

2. Anima cæterarum virtutum.

Secundò dicitur anima & vita cæterarum virtutum, quia sine ea omnes mortuæ censentur. Sic fides mortua dicitur quæ per dilectionem non operatur,

Digitized by Google

ratur, unde cum fides justificare dicitur, aut corda purificare, aut salvare, hoc intelligendum est de fide, quæ charitate informatur & vivificatur. Sicut enim corpus sine anima, corpus quidem est, sed vitam non habet, ita fides aliæque virtutes vitam non habent, nec Deo placent nisi charitate animentur. Hinc dicit D. Bernard. *Castitas sine charitate, lampas est sine oleo. Tolle oleum, lampas non lucet, tolle charitatem, castitas non placet.* Idem asserunt & alii Patres. Audi D. Gregorium: *Ut multi arboris rami ex una radice prodeunt, sic multæ virtutes ex una charitate generantur, nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis.* Audi & D. Leonem: *Quamvis magnum sit habere rectam fidem & multa laude digna sit gula circumcisio, lenitas mansuetudinis, puritas castitatis, nuda tamen sunt omnes sine charitate virtutes & nihil est fructuosum, quod non dilectionis partus ediderit.*

Bern. in Epist ad Hen. Senonens.
D. Greg. hom. in Evang.
D. Leo.

Ob eandem causam, charitas dicitur forma virtutum, quia scilicet est perfectio illarum. Sicut materia ante susceptionem formæ, est imperfecta, sine decore, sine virtute, sine actione: habita verò forma venit ad perfectionem suam, decorem habens, & virtutem, & actionem: Sic & anima Deo nondum unita per verum amorem, licet habeat alias virtutes, nudæ tamen sunt, mortuæ sunt, informes sunt, sine decore, sine virtute exercendi actus vivificos, meritorias vitæ æternæ; cum verò Deo per charitatem conjuncta est anima, jam divinam quandam vitam participat mediante amore, divinaque quadam forma informatur, & actiones ejus ad gloriam promerendam sunt efficaces, & Deo acceptæ, quæ sine illo amore, ad id non valebant, nec acceptabantur.

Et earum forma.

Quemadmodum enim homo non tenetur æstimare, quod propter se aut in gratiam sui non fit: sic nec Deus æstimat opera licet excellentia, quando non fiunt propter amorem suum. Si ergo jejunes, eleemosynam des, castitatem, justitiam, patientiam colas, hæc autem non facias ex amore Dei, cur illa remuneraret? Multi ex Philosophis Gentilibus id præstiterunt, nec præmium acceperunt, sed æternæ damnationi obnoxii permanserunt. Cur opera sint grata & accepta Deo, cum ipsa persona non sit accepta gratia carens & charitate? *Respexit* prius *Dominus ad Abel, &* postea *ad munera ejus*: Respicit prius personam, justitia, gratia, charitate ornatam, & tunc placent ejus opera.

Gen. 3. 4.

3. Fons & origo omnium meritorum.

Tertiò dicitur charitas fons & origo omnium meritorum. Tum quia, ut jam diximus, vivificans cæteras virtutes, actus eorum meritorios facit. Tum quia non solùm operibus virtutum, sed etiam operibus indifferentibus hanc vim merendi tribuit: ita ut quæ naturalia sunt, edere, bibere, dormire, meritoria sint a charitate ordinata, & in Deum relata. Hinc monet Apostolus: *Omnia vestra in charitate fiant.* Tum denique, quia etiam ipsa mala pœnæ, quæ homines refugiunt, meritoria reddit: persecutiones, tribulationes, injurias, contumelias, charitas reddit meritorias, & sic elevat in sublime, *ut æternum gloriæ pondus operentur in nobis.* Lutum facit aurum, aquas convertit in ignem, persecutiones in amorem, illis enim nutritur, & increscit, & cœlestis Regni gloriam acquirit: *Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.*

1. Cor. 16. 14.
2. Cor. 4. 17.
Rom. 8. 28.

Apte omnino charitas, propter hæc omnia, auro comparatur, juxta illud: *Suadeo tibi emere à me aurum cognitum.* Quia sicut aurum reddit omnia pretiosa, ita & ipsa: Et sicut aurum est pretium omnium aliarum rerum, ita ut omne appretiabile auri pretio æstimetur, ita omnes nostræ cogitationes, affectus, verba, opera, coram Deo charitatis pretio commensurantur.

Apoc. 3. 18.

In hujus rei figuram, quicquid Salomon in templo suo ordinavit, auro voluit vestiri & ornari cœlaturas, tornaturas, imagines, imò & ipsa emunctoria. Sic quicquid in anima est, spirituali templo Dei, vult Deus hoc auro charitatis decorari, ut sibi placeant omnes actus, cogitationes, affectus, vult ab hac aurea charitate procedere, quæ quicquid tangit, in aurum convertit.

3. Reg. 7.

Addit postremò, charitatem dici fontem & originem meritorum, quia qui ex majori charitate operatur, majorem in Cœlo merebitur mercedem, licet opus in se minus videatur, aut minori labore confectum. Sic qui in vinea pauco tempore laborarunt, æqualem accepêre mercedem quia ferventiùs labori se impenderant: & plures majorem gloriam adipiscuntur pauco tempore ferventi charitate Deo servientes, quàm alii qui longo tempore, sed remissè & languidè: Sic & paupercula vidua duo minuta offerens, magno præmio digna fuit, non quia magnum quid fecit, sed quia magna charitate perfecit. Sic denique & Apostoli omnes Sanctos in gloria superant, non quod aliqui majora non sustinuerint tormenta, aut majores austeritates; sed quia (ut ait D. Thomas) meriti magnitudo principaliter & respectu essentialis præmii, attenditur secundum charitatem in qua excelluerunt, tanquam proximi fonti charitatis, hoc est, ipsi Christo; ex qua charitate dispositi fuerunt ad majora peragenda, si opportunum fuisset. Charitas itaque est *mensura illa aurea*, qua cœlestis civitatis lapides & muri in Apoc. mensurantur, de qua dicitur ibi: *Mensura hominis quæ est Angeli*, quia juxta charitatis gradum, Angelis homines æquales sunt, vel superiores, vel inferiores.

Thom. in c. 8. ad Rom.
Apoc. 21. 17.

Ex omnibus ergo dictis satis patet nobilitas, eminentia, efficacia, & virtus charitatis. Unde si D. Prosperum audire velis, & eum interrogare quid sit charitas; Respondet: *Charitas est voluntas recta, ab omnibus terrenis & præsentibus prorsus aversa, juncta Deo inseparabiliter, igne quodam Spir. S. incensa, omnis inquinamenti extranea, corrumpi nescia, affectionum potentissima, divina contemplationis avida, in omnibus semper invicta.*

Ex D. Prospero charitatis definitio,

Si iterũ interroges quid sit charitas, qui tituli ejus honorifici? Respondet: *Est summa actionũ bonarum,*

Digitized by Google

ſolus morum, finis cæleſtium præceptorum, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, palma victorum, cauſa bonorum meritorum, præmium perfectorum.

Si tertiò interroges, quid ſit charitas, qui ejus effectus, quæ vis & efficacia? Reſpondet: *In peccatis ſuis mortuos ſuſcitat, languentes ſanat, perditos inſtruit, ſpem deſperatis inſpirat, pacificas mentes inhabitat: virtus eſt ſine qua nullus Deo placuit, cum qua nullus peccare potuit, fructuoſa in pœnitentibus, lata in perſeverantibus, victorioſa in Martyribus, operoſa in omnibus Fidelibus.*

Si rurſus interroges, quid ſit charitas, quæ ejus generatio, quas proles habeat? Reſpondeo ego, Charitas fœcunda Mater eſt omnium Angelorum & electorum, omnium perfectorum parens ac nutrix. Seraphinos genuit, Apoſtolos procreavit, Confeſſores eminentes & Apoſtolicos viros quotidie producit, ſanctificat Sacerdotes, conſecrat Nazaræos, generat Virgines, fortes Athletas, & perfectos Martyres & parit & coronat. Hos enim nec poteſt alia Mater generare nec alia Regina coronare. Imò ſine charitate, ſine perfecta Dei & proximi dilectione veri Martyres eſſe non poſſunt.

Sur.to.1. 9.Febr. Admirabile eſt & memoria dignum, quod hac de re ex Metaphraſte refert Surius & alii. Sapricius Antiochiæ Presbyter odio quodam ferebatur contra laicum hominem Nicephorum, cui ſumma amicitia ab ineunte ætate junctus fuerat. Cum diu capitali odio diſſiderent, tandem Nicephorus quærit per amicos conciliationem, ſed repulſam patitur. Mittit ſecundò & tertiò viros magnos, ſed nihil efficit. Tandem ipſe ſupplex venit, & ad pedes ejus ſe abjecit, repellitur & ipſe. Hæc cum agerentur, exorta eſt perſecutio gravis Antiochiæ & inter alios Sapricius vinctus eſt, & Præſidi oblatus. Ille de nomine & conditione interrogatus, forti voce Chriſtianum ſe fatetur; & Sacerdotem Chriſtianorum. Urget Præſes, ut Diis ſacrificet, alioquí ad ſupplicium rapiendus. Intrepidus reſpondet: *Nos Chriſto Deo Cæli ſacrificamus, Dii veſtri dæmonia ſunt, nec opem ferre poſſunt.* Jubetur ergo immaniter torqueri, at ipſe Præſidi inſultat invicto animo dicens: *Corpus tu quidem excarnificare potes, anima autem mea quæ in manu Chriſti eſt, poteſtatem nullam habes.* Damnatur ergo capitis, ſed accepta ſententia lætus ad palmam ergreditur. Hoc audiens Nicephorus iterum ſupplex venit, ille pertinax vultu eum eſt averſatus. Nicephorus de ſalute ejus ſollicitus, alia iterum via, obviam procedit cum lacrymis, veniam obteſtans per ſacrum nomen Domini, pro quo vitam & ſanguinem profundebat. At ille nec precibus, nec lachrymis movetur, lachrymantem nec verbo dignatus eſt. Venitur ad locum certaminis, jubetur genua flectere. Ille totus in ſe turbatus, abſit, inquit, ut capite plectar. decretis obtempero, & Diis ſacrificio; & totus mutatus eſt, qui tanta fortitudine ſupplicia contempſerat. Non potuit adeò heroicum actum Martyrii exercere, ſine proximi ſui dilectione. Hæc fuit merces iniquitatis, ut juſto Dei judicio ei fores Regni Cœlorum clauderentur, qui dilectionis viſcera fratri clauſerat. Nicephorus interim cernens eum perditioni proximum, lachrymas pro eo fudit ad Dominum, obſecrat Sapricium, ne tanta ſe perfidia inquinaret: *Quid facis, inquit, frater? Ubi mens? Ubi ratio? Ubi animi robur, quo tyrannidem vicisti? Ergone coronam cæleſtem tantis tormentis jam emptam uno momento perdere decreviſti?* Sed nullum pondus habent hæc apud animum malitia cæcatum. Interim Nicephorus flamma divini amoris accenſus, magna voce in medium proſiliens exclamat: *Ego ſum Chriſtianus, ego in Chriſtum credo quem ille negat, me pro illo ferite.* Res refertur ad Præſidem, Sapricium reſiliiſſe, Nicephorum ſeſe offerre ad mortem, & Chriſtum confiteri. Quapropter decernitur, ut Sapricii ſupplicium ſubeat, & ſic exultans capite truncatur.

LECTIO II.

DE DUPLICI PRÆCEPTO Charitatis.

1. *Docet duplici præcepto totam legem comprehendi.*
2. *Explicat mandatum charitatis de diligendo Deo.*
3. *Quomodo diligendus ſit ex toto corde.*
4. *Quomodo dignoſci poſſit in nobis amor Dei.*

PROPOSITIO I.

Charitas duplici præcepto comprehenditur dilectionis Dei, & dilectionis proximi.

HI ſunt duo poli in quibus volvi debet tota vita Chriſtiani, ut ſit perfecta. Hæc ſunt duo fundamenta ædificii ſpiritualis. Hæ ſunt duæ columnæ eminentes in templo Salomonis, hoc eſt, in templo ſpirituali animæ: Hæc eſt duplex ſepes vineæ Chriſti. Hæc eſt duplex via certiſſima ad Cœlum. Hæc ſunt duo fulcra ſcalæ, qua infallibiliter aſcenditur in Paradiſum, quibus gradus alii virtutum cohærent. Denique hac duplici charitate quaſi duobus pedibus ſecure ambulat anima, imò quaſi duabus alis volat ad Deum, & velut duobus his brachiis dextro lævoque illum complectitur. Ideò Chriſtus Dominus qui dicitur, *Verbum abbreviatum*, totam ſuam doctrinam in hoc duplici præcepto abbreviavit, comprehendente univerſam legem, totamque Prophetarum doctrinam: *In his*, inquit, *univerſa lex pendet & Prophetæ.* q.d. Quicquid in Scripturis continetur, in hac lege charitatis continetur, quia omnia à principio Geneſis ad ultimam literam Apocalypſis, imò cuncta à ſanctis

Rom.9. 18. Matt. 22. 40.

Docto-

Doctoribus exarata volumina, ad hoc tendunt, ut Deus & proximus diligatur. Finis enim omnis doctrinæ & præcepti est charitas. Sicut finis Architecti in omni suo apparatu, dum adducit lapides, lateres, calcem, ligna, aquam, machinas, est constructio domus, sic omnia quæ in divinis præceptis, figuris, cæremoniis, prophetiis, consiliis continentur, charitatem tanquam finem spectant.

In vita ejus c.6. Hinc B. Catharinæ de Genua quondam in spiritu dixit Deus, cum recitare voluerit *Pater noster*, accipe semper pro fundamento hæc verba. *Fiat voluntas tua*: Ex reliquo autem totius Scripturæ, hanc sume vocem pro fulcro *Amor*. Huic innitens, promptè, rectè, securè ambulabis sine errore, nec eges alia luce, alio Duce. Voluit scilicet Christus hic ei significare totam perfectionem consistere in hoc verbo *Diliges*, & in hoc, *Fiat voluntas tua*, hoc est, in charitate & voluntatis divinæ adimpletione. Huic rei conformiter loquitur D. Cyprianus, docens compendium totius vitæ & perfectionis Christianæ dictis verbis comprehendi. Sic enim ait: Voluntas Dei quam Christus docuit & fecit, est 1. Humilitas in conversatione. 2. Stabilitas in fide. 3. Verecundia in verbis. 4. Justitia in factis. 5. In operibus misericordia. 6. In moribus disciplina. 7. Injuriam facere non posse, factam tolerare posse, cum fratribus pacem tenere. 8. Deum toto corde diligere, amare in illo quod Pater est, timere quod Deus est. 9. Christo nihil præponere, quia nec nobis quicquam præposuit. Charitati ejus separabiliter adhærere; crucis ejus fortiter ac fidenter assistere; 10. Quando de ejus honore certamen est, exhibere in sermone constantiam qua confitemur, in quæstione fiduciam qua congredimur, in morte patientiam qua coronamur, hoc est, hæredem Christi velle esse, hoc est, voluntatem Patris adimplere. Ita Cypr. Tract. de Orat. Dom.

D. Cypr. tract. de orat Dominica.

PROPOSITIO II.

Primum mandatum Charitatis est, ut diligatur Deus ex toto corde.

1. Charitatis Mandatum est, ut Deus diligatur. Motiva diligendi Deum.

CUm autem varia sint motiva & variæ rationes diligendi Deum, ad duas tamen reduci possunt. Primò ergo diligi debet propter perfectiones suas. Secundò propter beneficia ejus erga nos.

2. Ob ejus perfectiones.

Quantum ad primum. Si aliquid est diligibile & amore dignum, quia continet aliquam in se perfectionem amoris illicem, quanto magis Deus, in quo sunt infinitæ perfectiones, & à quo omnis perfectio in creaturis tanquam à fonte derivatur? Sic diligimus personam ob sapientiam, pulchritudinem, nobilitatem, potentiam, benignitatem: Cùm ergò Deus infinitè sit sapiens, pulcher, potens, benignus, infinitè etiam amabilis est. Imò verò ipse sapientia est, pulchritudo, potentia, bonitas, & sic magis amabilis est, quàm quicquid amabile in creaturis potest reperiri: qui ergò per creaturas vano amore, Deo relicto dispergitur, guttulas emendicat, fontem relinquit: & juxta Jeremiæ prophetiam: *Derelinquit fontem aquæ vivæ, & fodit sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Jer. 2. 5.

Exempl. ex Cantipratl. 2. Apum. c. 37.

Ad hoc propositum refert Cantipratanus, puellam quandam nobilem, in amorem cujusdam juvenis per multos annos miro dæmonum stimulatam insultu. Hæc, inquit, cùm mihi frequenter cum lachrymis, in confessione diabolicas insidias aperiret, consului ut summopere præcaveret, ne nutu aut verbo juveni tentationis occasio præberetur, & paruit illa diligenter. Cumque adeò graviter tentaretur, ut somni cibique perderet appetitum, accidit nocte quadam tanto dæmonum agitari impulsu, ut superveniente aurora surgere cogitaret, & clam adire juvenem in vicinia morantem. Nec mora ubi surgens oculos aperuit, vidit Christum quasi plagis recentibus crucifixum leni sermone dicentem sibi lingua patria: *Tu me dois aymer, je suis tres-beau, bon & doux, noble & loyal.* Quod Latinè diceremus. *Me diligere deberes, cum sim formosus, bonus, dulcis, & generosus.* Hæc ut dixit, repentè disparuit, & puellam in omni pace & gaudio & gratiarum actione ab omni tentatione liberam reliquit. Nempè Christus quatenus Deus, ita bonus est, ita nobilis, ita pulcher, ut nihil cogitari possit amabilius, cum sit filius æterni Regis, *splendor gloriæ & figura substantiæ Patris*: quatenus verò homo est, *speciosus est forma præ filiis hominum*, suavis ac bonus *cujus labia favus distillans*, amabilis nimis, quia *electus est ex millibus, & caput ejus aurum optimum*, ut dixit Sponsa, in illo ergò cujuslibet amare volentis amor debet collocari, cum in ipso solo solidi & veri amoris ratio reperiatur.

Cæterùm cùm omnis perfectio in Deo, amorem alliciat, maximè tamen diligibilis est propter bonitatem, quia voluntas nihil diligit nisi bonum, cùm ergo ipse sit summum bonum, & ipsa bonitas, summo amore diligendus est: nam si propter specimen aliquod bonitatis, creaturam diligimus mille imperfectionibus claudicantem, cur ipsa bonitas in se non diligatur? *Nemo bonus nisi solus Deus*, si qua species bonitatis in creaturis reperitur, umbra est, aut stillula ab ipso DEO quasi Oceano derivata. Et quidem anima habet inclinationem quandam ad amorem summi boni; nec potest nisi in eo quiescere tanquam in centro, ad quod tendit per amorem, tanquam per pondus suum; juxta illud Augustini: *Ponderibus suis aguntur omnia, levia sursum, gravia deorsum: Amor meus, pondus meum, illo feror.* Pondus ergò quoddam amoris ad summum bonum, homini est innatum. Unde nec hominibus à prima conditione tale præceptum dilectionis datum legimus, quia ad illud adimplendum natura calcaribus non egebat, cui lex amoris à primæva conditione cum natura erat infita; At modò, post peccatum, ita propensio ad

S. Aug. l. 13. conf.

Digitized by Google

amorem Dei obſcurata, vitiata & impedita eſt, ut vix præceptis, minis, promiſſionibus, beneficiis immenſis, ad Dei amorem attrahatur. Nam ſi parvo tempore animus ad divina rapitur, ſtatim ſuo pondere ad terrena & tranſitoria relabitur, pondere inquam peccati & inhabitantis concupiſcentiæ. Idcò ergo novum ſive ſpeciale præceptum datum eſt amoris, quo anima moneretur tendere in ſummum bonum & Deum diligere. Et quidem ſi caſtus & purus eſt hic amor, debet diligi in ſe & propter ſe, propter ſuam bonitatem purè, licet nullum unquam ab eo beneficium reflueret in nos, licet nihil ab eo unquam conſolationis expectaremus. Hic eſt perfectus amor quem Theologi vocant amorem amicitiæ ſive benevolentiæ, quo alicui omne bonum optamus purè propter ſe, non propter commodum noſtrum.

Amor Amicitiæ.

Hic amor in paucis reperitur, quia plurimi Deum amare volunt, ut ejus gloria ſtruantur aut beneficiis, vel ut ſupplicia ab eo non amantibus comminata evadant; qui quidem amor aut timor licet bonus ſit, alter tamen perfectior eſt.

Ad id ſignificandum refertur in vita B. Ludovici Regis Francorum, quadam die ex profeſſo ei occurriſſe quandam piam mulierem ætate grandævam, una manu ignem ferentem, altera aquam oſtentantem. Cùm verò interrogaſſet vir ſanctus, quid ſibi vellet rebus adeò contrariis quas gerebat? reſpondet illa, ſe igne illo cupere Paradiſum incendere & conſumere, aqua verò inferni ignem extinguere: ut jam homines in Dei amorem ferantur non propter gloriam ſuam, ſed propter Deum ipſum, nec propter timorem ſupplicii, ſed propter bonitatis purum amorem.

Nicol. Deniſe. V. lib. 2. tract. 1. prop. 2.

Cuidam etiam ſeniori referunt apparuiſſe ſatanam transfigurantem ſe in Angelum lucis & dixiſſe ſe miſſum ut ſecretorum Dei redderet eum conſcium. Noveris ergò, inquit, fratrem juniorem tecum agentem, filium eſſe damnationis & de numero reproborum, adeoque in vanum laborare & ſe affligere. Ex ea hora ſenior quoties juniorem videbat, flebat amare. Urget tandem junior, poſtquam id frequenter advertiſſet, & inſtantiſſime agit apud ſeniorem, ut cauſam exponat triſtitiæ, ſi fortè poſſit ſolamen aliquod afferre. Senior ejus importunitate victus, rem totam aperit. At ille fortis Dei amator, nihil turbatus, ſapienter reſpondet. *Deus quod in oculis ſuis beneplacitum eſt adimpleat, ego enim non ſervio ei propter regnum cœlorum, ſed propter bonitatem ſuam & amorem, quem erga me morte & paſſione ſua teſtatum reliquit. De cætero ſi mihi regni conſortium donare decrevit, ſit benedictus. Si ad inferos demergere velit, juſta erit voluntas ejus, quis poterit impedire?* Sequenti nocte apparuit Angelus ſeniori & fraudem ſatanæ detegens, addidit juniorem illum ex conſtantia amoris, plus meriti ſibi eo die comparaſſe, quam reliquis diebus vitæ ſuæ.

2. Ob be-

Quantum ad ſecundum motivum diligendi Deum; tenemur diligere eum propter beneficia quæ in nos contulit, & quæ ab eo expectamus: quæ cum ſint infinita, quia ſingulis momentis in nos defluunt *& ab æterno in æternum uſque miſericordia ejus benefica eſt ſuper nos*; ab æterno utique prædeſtinationis uſque ad æternum glorificationis; hinc eſt, quod infinito & æterno amore dignus ſit, adeò ut omnes creaturæ ſimul ſumptæ, non poſſint amorem dignum rependere, quia ſemper amor earum finitus eſt, cum Dei bonitas & beneficentia ſit infinita. Unde nec ab Angelis aut Spiritibus Seraphicis, nec ab hominibus quolibet amoris ardore inflammatis, ſatis diligi poteſt: quia plus bonitatis eſt in Deo, quam poſſint eſſe cogitationes in hominibus & Angelis ad eam concipiendam, & quam poſſint eſſe affectus in corde humano & Angelico ſimul juncto ad illam amandam. A ſe ſolo ergò ſufficienter poteſt amari, quia ſolus infinito amore ſe poteſt amare. Interim vult, ut quantum in nobis eſt, amore quodam æterno amare optemus, & miſericordias ejus in æternum cantare deſideremus.

beneficia in nos collata.

Anſelm. medit.

Debemus itaque totum amorem tanquam Creatori, debemus tanquam Redemptori, debemus tanquam glorificatori. Hinc dicit D. Anſelmus. *Conſidera, ô anima mea, intendite omnia intima mea quantum illi debeat tota ſubſtantia mea. Certè Domine quia me feciſti, amori tuo me debeo totum; quia me redemiſti, me debeo totum, quia tanta promiſiſti, debeo me totum, imò tantum amare debeo plus quam me, quantum tu es major me pro quo dediſti totum. Fac ergo me, Domine precor guſtare per amorem, quod guſto per cognitionem, trahe me in amorem tuum, & quidem totum; fac totum ſit dilectione tuum, quod totum tuum eſt conditione.*

S. Bern.

In eandem quoque ſententiam Bernardus dicit: Totum me debeo pro me facto: quid addam jam & pro refecto? nec enim tam facilè refectus, quam factus: ſiquidem de omni quod factum, ipſe dixit & facta ſunt: At qui dicendo me fecit, in reficiendo & dixit multa & geſſit mira, & pertulit dura & indigna. Quid ergò retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? In primo opere me mihi dedit, in ſecundo ſe, datus ergò & redditus me pro me debeo, & bis debeo, quid Deo retribuam pro ſe? Nam etſi me millies rependere poſſem, quid ſum ego ad Dominum meum? Hæc Bernardus.

Attendat ergò homo, quod titulis cor ſuum & amorem poſcat, imò ſibi vendicet Deus. Si enim gratis amorem ſuum donare & impendere velit homo, ubi melius eum poterit collocare, quam in illo qui ſummè bonus eſt; & omnis bonitatis author & fons inexhauſtus? Si verò vendere velit amorem, jam emptus eſt pretio magno Sanguinis Jeſu Chriſti, jam illud pretium in redemptione perſolutum eſt ad amorem hominis emendum, Imò Deus trinus & unus in amoris noſtri pretium ſe proponit. Denique etſi homo amorem ſuum nollet vel donare vel vendere, ſed neceſſarium ſit

ab

Digitized by Google

ab eo violenter auferri ; quæ violentia poteſt eſſe major ad amorem hominis attrahendum, & obtinendum vinciendumque, quam tantam dilectionem totque beneficia ad illum evincendum impendiſſe ? Hi ſunt funiculi Adam, hæc vincula charitatis, de quibus Dominus per Prophetam : *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Et iterum : *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.* Quæ violentia major ad amorem hominum ſibi obligandum, quam mori taliter pro amore ? Nulla eſt major dilectio, inquit Bernardus, nullus amor ſincerior, nullus affectus ardentior, nulla charitas ſanctior, quam quod mortuus eſt pro nobis, nihil quod amaret inveniens. Hoc autem totum fecit, ut dura corda noſtra emolliret, & inſenſibiles mortuoſque affectus noſtros, quaſi excitando ſuſcitaret.

Oſee 11.4 Joan. 12. 32.

Oratio D. Franciſci. Bonav. in ejus vita.

Hoc conſiderans D. Franciſcus ſolebat hunc in modum precari : *Abſorbeat quæſo Domine, mentem meam ignita & meliſſua vis amoris, ab omnibus quæ in mundo ſunt, quia amore amoris mei in ligno crucis dignatus es mori.* Et flebat ipſe frequenter, totus abſorptus & liqueſcens hoc amore, propterea quærebat loca ſolitaria lachrymis apta.

De Virgine quadam ſancta etiam legimus Deum pro ſe crucifixum conſiderando, ſic amore æſtuaſſe, ut exclamaret : *O Deus, ô amor, ô exceſſus amoris, da mihi tantam vocem, quæ audiatur ab Oriente uſque ad Occidentem, à cælo uſque ad infernum, ut tuum amorem omnibus inclamem, ut ab omnibus agnoſcaris & amaris.*

De B. Jacopono v. Raderum in viridario SS.

Beatus quoque Jacoponus Ordinis S. Franciſci tanto Dei amore erat incenſus, ut cor ejus totum liqueſceret, & in lachrymas ſolveretur. Cùm verò jugiter fleret ; cauſam interrogatus, hanc dedit : *Quia amor non amatur*, ipſe ſcilicet Deus amor æternus.

PROPOSITIO III.

Diligi debet Deus perfecto amore, quod ſignificatur, dum dicitur diligi debere ex toto corde.

Deut. 6. 5. ADverte hoc Præceptum diverſimodè tradi in diverſis locis. Nam Deut. 6. ponitur : *Diliges ex toto corde, ex tota anima, ex tota fortitudine.* Matth. 22. *Diliges ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente.* Marc. 12. *Diliges ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex tota virtute*, quæ idem eſt cum fortitudine. Luc. 10. hæc quatuor etiam tanguntur, ſed loco virtutis ſeu fortitudinis dicitur, *ex omnibus viribus.* Ex quibus colligitur, literaliter & ſimpliciter loquendo, unum idemque hæc omnia ſignificare, ſed hanc repetitionem fieri ad majorem energiam & emphaſim ; & ad imprimendam inculcandamque hanc Dei dilectionem fortius & profundius hominis animo & cordi, Nec aliud his omnibus vult Scriptura deſignare, quam Deum diligi debere ex toto animo & affectu, & ex toto conatu ac poſsibilitate, prout patitur ſtatus & infirmitas hujus vitæ : ita nimirum ut totum cor & affectum ſic Deo conſecremus, ut nullam partem ejus dæmoni demus, aut peccato amori Dei contrario. Qui enim vult ſervire Deo, & eum diligere, & nihilominus peccato adhærere, cenſetur cor velle dividere ſicut & meretrix illa coram Salomone Judice optabat infantem litigioſum dividi. Partem ergo facit Deo ; partem diabolo, iratus verò DEUS, quia ibi pars ſit diabolo, diſcedit, & totum habet diabolus, inquit Auguſtinus : *Nempe coangustatum eſt ſtratum cordis noſtri, & nimis breve eſt anima pallium*, ita ut amorem Dei ſimul cum peccato operire non poſsit : Non poteſt utrumque in eodem cordis lectulo ſimul commorari, unum aliud excludat neceſſe eſt. Non poteſt Dagon cum Arca Dei in eodem loco collocari. Non poteſt eſſe conventio lucis ad tenebras, Chriſti cum Belial, templi Dei cum idolis : Diliges ergo Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ita ut totam occupet amor Dei, & nullam in interiori animæ templo habeat partem idolum peccati.

3. Reg. 3. 16. Auguſt. Iſa. 28. 20 1. Reg. 5. 3 2. Cor. 6. 15.

Cæterùm licet iſta tria : *Ex toto corde, tota anima, tota mente*, dicamus ſimpliciter pro eodem accipi poſſe : Aptè tamen SS. Patres ad rem hanc magis illuſtrandam, diverſas afferunt interpretationes, diverſis rebus hæc adaptando, quas videre potes partim in Catena D. Thomæ & in ejus Summa, partim apud ſacros Interpretes. Paucas hic breviter attingemus.

V. D. Thom. 2. 2. q. 44. ar. 5. ad 1.

Primò, juxta D. Thomam, *ex toto corde*, id eſt, ex tota voluntate, ut ſcilicet in omnibus totam intentionem noſtram quæ per cor exprimitur, in ejus amorem & obſequium dirigamus. *Ex tota mente*, id eſt, ex toto intellectu, quem totum Deo ſubiiciamus. *Ex tota anima*, ita ut omnes appetitus, qui per animam notantur, ad normam ſanctæ ſuæ legis componamus : Et denique omnia noſtra opera exteriora, quæ nomine *fortitudinis* aut *virtutis* ſignificantur, eidem conformemus.

Secundò, *ex toto corde*, ut nihil illo charius habeamus. *Ex tota anima*, ut vitam & animam etiam pro illo ponamus. *Ex tota mente*, ut omnis cogitatio ad finem ei placendi tendat

Aug. l. 1. de doctr. Chriſt. c. 22.

Tertiò, S. Auguſtinus per *Cor* accipit cogitationes, per *animam* vitam, per *mentem* intellectum ; quaſi hic præcipiat Deus, ut hæc omnia in illum qui ea nobis contulit, conferamus.

Nyſſ. l. de creat. hom.

Quartò, Nyſſenus per *animam*, accipit partem animæ vegetativæ : Per *cor*, ſentientem : Per *mentem* intelligentem.

Quintò, *Ex toto corde*, id eſt, intellectu. *Ex tota anima*, id eſt, voluntate. *Ex tota mente*, id eſt, memoria ; ut diligatur Deus intellectu ſine errore, voluntate ſine contradictione, memoria ſine oblivione.

Bern. ſer. 20. in Cant.

Ultimò, Bernardus ait : *Mihi videtur amor cordis ad zelum pertinere affectionis : anima verò amor ad*

Digitized by Google

ad induſtriam ſeu judicium rationis : virtutis verò dilectio ad animi poſſe referri conſtantiam vel vigorem, q.d. Dilige toto & pleno cordis affectu, dilige tota rationis vigilantia & circumſpectione, dilige & tota virtute, ut pro ejus amore mori non pertimeſcas.

An præceptum dilectionis Dei poſſit impleri in hac vita.

Ex his ſatisfieri poteſt quæſtioni, quam proponunt Theologi. An iſtud Præceptum dilectionis ex toto corde & tota mente, &c. poſſit in hac vita adimpleri? Reſpondetur enim cum Auguſtino, ſi intelligatur in ſua perfectione (quantum ſcilicet ad dilectionem actualem in gradu perfectiſſimo & continuato actu) non impleri in hac vita: quia impoſſibile eſt, amorem Dei ita totum cor poſſidere, ut excludat omnem affectum extraneum, cùm multiplex cura hujus vitæ variam mentis diſſipationem involvat, ab actuali amore Dei diſtrahentem: Concupiſcentia quoque continuò rebellans eam in perfectione ſua impedit; eſtque viſcus quidam, imò pondus ſpiritualium pennarum, quo anima perfecto amore in Deum volatum inire vix permittitur.

Perfectio ergo & plenitudo dilectionis habebitur in Patria, quia ibi nullum impedimentum, nulla diſcontinuatio, ibi amor perpetuus & nullus finis amoris. Ibi amor eſt, velut quidam circulus æternus, per optimum, ex optimo, in optimum, inenarrabili converſione circumiens.

Reſpondetur ſecundò, ſimpliciter loquendo, poſſe impleri hoc præceptum in hac vita. Ratio eſt, quia ille continuus & perfectiſsimus actus dilectionis, non propriè cadit ſub hoc Præceptum, ſed eſt finis ipſius Præcepti: hic autem ſolùm præcipitur dilectio tanquam medium ad illum finem: & perfectiſsima illa dilectio dabitur loco præmii in Cœlis, unde non obligat viatores.

Quid ſi ulteriùs quæras, Ad quid ergo obligemur vi hujus Præcepti? Reſpondetur, obligari nos ad diligendum Deum. ita ut nihil ejus amori contrarium faciamus, & nihil ejus amori præponamus, ſive ut ejus amorem pluris faciamus & æſtimemus quam omnia alia, ita ut potius parati ſimus omnia perdere, imò & vitam ipſam, quam ejus amorem deſerere, quàm Deum mortali peccato offendere, & hoc eſt amorem Dei eſſe ſummum appreciativè, ut loquuntur Theologi. Unde etiam non eſt contra hoc Præceptum, ſi fortè teneriùs, ardentiùs, intenſiùs, patrem quis amet aut filium, aut aliquam aliam perſonam; modò tamen quantum ad æſtimationem, amorem Dei quis præferat: ita ut ſi illi relinquendi forent, vel Deus abnegandus, paratus ſit omnibus potius renunciare quàm Deo, tunc enim diligit Deum ſuper omnia, & amor Dei tunc cenſetur appreciativè major omni alio amore, & cenſetur tunc amor perfectus vitæ, amor ſuminus, amor ex toto corde.

V. Th. 2. 2. q. 24. ar. 8. ad 1.

Unde advertenda eſt pulchra diſtinctio & reſponſio D. Thomæ quærentis, utrum Charitas in hac vita poſſit eſſe perfecta? Reſpondet enim, Charitatem quatuor modis poſſe intelligi perfectam. Primus eſt ex parte Dei, ut Deus diligatur quantum diligibilis eſt: quæ perfectio non poteſt haberi ab ulla creatura etiam beata, quia infinitè eſt diligibilis, unde à ſe ſolo ſic perfectè diligi. Secundus eſt, quando Deus diligitur non quidem quantum eſt diligibilis, ſed tamen quantum ipſa creatura poteſt diligere, ſemper actualiter ejus amori inſiſtendo, quæ perfectio non hujus vitæ ſed futuræ eſt. Tertius, quo non ſemper actu Deus diligitur, ejus tamen amori vacatur ſepoſitis impedimentis, quantum licet per hujus vitæ infirmitatem: hoc modo Charitatem perfectam habere poſſunt, qui relicto ſæculo ad ſtatum perfectionis quantum poſſunt, contendunt. Quartus eſt communis omnibus juſtis, quod habitualiter homo totum cor ſuum ponit in Deo, ita ut nihil velit contrarium dilectioni Dei. Et primum gradum habet ſolus Deus per naturam impeccabiles. Secundum gradum Angeli & homines impeccabiles per gratiam confirmatam & conſummatam. Tertium illi qui conantur quantum poſſunt, venialia vitare. Quartum illi qui non peccant mortaliter.

Licet verò non obliget hoc Præceptum ad aliam dilectionem quàm ad hanc poſtremam, qua Deum ita diligimus, ut nihil velimus contrarium ejus amori: monet tamen ſimul, ut Deum amemus pro poſſibili noſtro, & continuò aſpiremus ad perfectiſſimam illam Patriæ dilectionem, quæ finis eſt omnis dilectionis noſtræ.

Unde dicit D. Bernardus: *Diligam te Domine fortitudo, firmamentum meum, refugium meum liberator meus, & quicquid optabile & amabile dici poteſt. Diligam te Deus meus pro dono tuo & modo meo, minus quidem juſto, ſed non minus poſſe meo, non enim poſſum ultra quod poſſum, potero ergò plus, cùm plus donare dignaberis, nunquam tamen prout dignus haberis.* Et alibi iterum dicit: *Modus diligendi Deum debet eſſe ſine modo, quia ipſe prior dilexit nos ſine menſura, & velut ſine modo, quis inquit finis noſtri, vel modus debet eſſe amoris, præſertim cùm amor noſter jam non gratuitus impenditur, ſed rependitur debitus? Amat immenſitas, amat æternitas, amat ſupereminens Charitas, amat Deus, cujus magnitudinis non eſt finis, cujus Sapientiæ non eſt numerus, & vicem rependimus cum menſura?* Ita ille. Eodem modo loquuntur veri Dei amatores, qui pro ſtatu hujus vitæ & infirmitatis humanæ poſſibilitate, totas vires animi amori conati ſunt impendere, amori ſe totos conſecrare.

Bern. de dilig. Deo.

Talis fuit S. Auguſtinus, qui Deum ſuum ſic alloquitur: Scis occultorum cognitor Deus, quia Cœlo & terra & omnibus quæ in ea ſunt, tu mihi acceptior, tu mihi amabilior. Amo te Deus meus amore magno, magiſque amare cupio: da mihi ut amem te, quantum volo, quantum debeo, ut tu ſolus ſis ſemper tota & omnis meditatio mea. Te meditet per diem ſine ceſſatione, te ſentiam per ſopotem in nocte, te alloquatur ſpiritus meus, tecum fabu-

Auguſt. 10 Medit. c. 35. a. 3

Digitized by Google

fabuletur mens mea. Fœlices qui nihil aliud diligunt, nihil quærunt, nihil aliud cogitare didicerunt.

Vides igitur quomodò cor ejus amoris flammâ incensum erat, & ipse in holocaustum perfectissimum offerre peroptabat? Vides quare depingatur D. Augustinus gestans in manu cor flammans, sagittaque & vulnere amoris totum transfixum? Magnoperè dolebat ipse, quod filii hujus sæculi tanto studio diligerent vanitatem, filii autem Dei tanto tepore ferrentur in veritatis amorem. Unde sic loquitur: Amator hominum benignissime, Judex æquissime, decernisne hoc æquum & justum esse, ut filii hujus sæculi, filii noctis & tenebrarum, fervent. tiori desiderio & studio diligant, & quærant perituras divitias, fugitivos honores, quam nos servi tui diligimus te Deum nostrum, per quem facti & redempti sumus? Si enim sponsa sponsum tanto ardore diligit, ut nulla requie frui possit præ amoris magnitudine, nec ejus absentiam ferre sine mœrore? quâ dilectione & fervore, anima quam sponsasti tibi in fide & miserationibus, te debet diligere Deum verum, sponsum pulchrum, qui nos amasti sic & salvasti? Immensus es Domine, & ideò sine mensura amari deberes, & laudari ab iis, quos pretiolo Sanguine redemisti. Hæc variis in locis B. Augustinus.

Idem Aug in Medit. c. 35. n. 6.

Cæterum, ab hoc Præcepto dilectionis Dei ex toto corde, nemo se excusare potest, nec caetare illud esse difficile, cùm de illo verum sit: *Mandatum quod ego præcipio tibi, non supràte est, neque procul positum, nec in cœlo situm, ut possis dicere: Quis nostrum valet ad cœlum ascendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus atque opere compleamus? Neque trans mare positum, ut dicas: Quis ex nobis poterit transfretare, & ad nos deferre, ut possimus facere, quod præceptum est? Sed juxta te est sermo in ore tuo & in corde tuo.* Solùm enim requiritur, ut cor tuum Deo offeras, quod quidem donum in tua est potestate: estque amor tuus, velut moneta aurea, quam è bursa cordis tui potes depromere, & per illam cœleste regnum emere; & Deum pacto quodam tibi obligare, non solùm ad redamandum, sed ad retribuendum tale præmium, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod præparavit Deus diligentibus se. O quam facili precio illa gloriæ inæstimabilis gemma comparatur! Si Deus ad eam adipiscendam scientiam multam requireret, multi se excusarent, quia multi ingenio rudes sunt & illiterati. Si pro illa multæ opes impendendæ, aut in eleëmosynas erogandæ forent, jam pauperibus spes non foret. Si solum jejuniis, austeritatibus, gravibusque laboribus, eam Deus venderet, homo debilis & infirmus se excusaret. Tale ergò pretium constituit, quo nemo possit carere si velit, ipsam scilicet Dei dilectionem, à qua nec infirmus, nec rudis, nec pauper & abjectus se potest excusare. Quia tantum potest diligere pauperculus & idiota, quantum dives, potens, sapiens: tantum ovium & porcorum pastor capax est gratiæ & divini amoris, quantum vir dignitate & scientiâ sublimis.

Deut. 30. 11.

Hoc sapienter respondit Doctor Seraphicus D. Bonaventura B. Ægidio ejusdem Ordinis laico: In quodam enim colloquio spirituali dicebat ei Frater Ægidius: *O quàm fœlices vos qui docti estis, & multarum rerum scientiâ periti; illa enim multiplex scientia plurima vobis suggerit, quibus Deum laudare possitis; nos verò idiota & illiterati, quid agemus?* Respondet D. Sanctus: *Non est quod conqueraris Frater Ægidi, sola enim sufficit dilectio.* Sed replicat B. Ægidius: *An ergò potest is illiteratus, & rudis Deum diligere, ac is qui multa scientia est præditus?* Respondet Bonaventura: *Imò verò mulierecula pauperecula & simplex aquè potest Deum diligere, ac sublimis Theologia Doctor.* Adhæc, in spiritu exhilaratus Ægidius, cum fervore cœpit exclamare: *O simplices & pauperecula mulieres, Deum amate, & aquè magna poteritis esse ac Frater Bonaventura:* & in hæc verba erumpens, tribus horis in raptu & extasi fuit. Hinc ergò scientiæ amoris opera danda est, quia juxta amoris mensuram, anima in cœlo locum sortitur sublimiorem, ita ut plurimi simplicitatis maximæ, illos ibi præcellant, qui sapientia fuere admirabiles, & subtilitate eminentes. Sed & sola illa scientia est, quæ hic animam reddit fælicem, dicente Augustino: *Quid est Domine, quod amari te jubens à me, & minaris mihi ingentes miserias, si non amem te. Parvane est ipsa miseria non amare te?*

Bonav. de B. Ægidio Francisc.

Aug l. 1. conf. c. 5.

PROPOSITIO IV.

Multa sunt signa, quibus dignoscere possimus, an Deum ex toto corde diligamus.

Aliquibus tantus Dei amor, tantaque illius amoris certitudo, ex speciali gratia desuper infunditur, ut cum securitate dicere possint cum Sponsa: *Ego dilecto & ad me conversio ejus.* Et iterum: *Dilectus meus mihi, & ego illi,* q. d. Ipse totus est meus, ego ex toto illius sum. Totum se in mei amorem effundit, ego totum me in ejus amorem reciprocè refundo. Ipse totus mihi intendit, & meæ saluti, quasi mei unius curam gereret, ego me totum illius obsequio consecro, illi vivere, illi mori cupio, & omnia mea in ejus amorem & gloriam referre contendo.

Can. 7. 10. Can. 2. 16.

Hoc tamen ex certitudine, cui non possit subesse falsum, posse dicere, nulli datur nisi ex speciali privilegio, quia verum est illud Sapientis: *Nescit homo, an amore, an odio sit dignus*; quod non solum intelligi debet, de amore Dei per æternam prædestinationem, sed etiam de amore Dei ob præsentem justitiam. Si autem homo certò nosset se in charitate esse, jam certus etiam foret de illo Dei amore, quia *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Et ita qui explorare cupit, an in ipso Deus habitet; præcipuè ipsam matrem virtutum Charitatem, in secretis suæ mentis inquirat: & si in ea dile-

Eccl. 9. 1.

ctionem Dei ex toto corde reperenit. Deum & rectorem & habitatorem sui esse non dubitet. At quænam signa reperiet illius Charitatis & amoris Dei super omnia?

Primò, signum, quod rem aliquam amemus, est, si de illa frequenter cogitemus, ac lubenter loquamur Sic de filiis, fratribus, amicis, frequens nobis cogitatio est & jucundus sermo, lubenter cum eis coversamur, ambulamus, colloquimur, ædes eorum frequentamus. Ita si mente & cogitatione frequenter circà Deum sic occuperis, ut in omnibus viis tuis illum cogites Directorem tuum, & illum actionum tuarum tibi finem præfigas: si sollicitè cum eo & coram eo ambules, cum eo jucundè in oratione conversèris & colloquaris, ædes ei sactatas cum voluptate frequentes, jam in te signum habes dilectionis divinæ.

Secundò, qui alterum amat, ejus mensæ frequenter assidere optat, cibi enim & potus communicatio amoris est symbolum & amicitiæ tessera. Communicatio quoque totius animi & secretorum omnium, amoris sinceri indicium est non obscurum. Undè Dalila dicebat Samsoni: *Quomodò dicis quod amas me, cùm animus tuus non sit mecum? Per tres vices mentitus es mihi & noluisti dicere in quo sit maxima fortitudo tua.* Si ergò in sincera confessione cor tuum aperis & effundis coràm Domino: Si interioris conscientiæ tuæ eum conscium omninò cupis, omniumque affectionum: Si avidus es societatis ejus & mensæ per frequentem Communionem, amoris veri præclarum habes testimonium.

Jud.16. 25.

Tertiò, signum est dilectionis divinæ, si mandata ejus quis diligat & sollicitè custodiat. Sic enim ipsemet asserit: *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me.* Et iterum: *Qui diligit me, sermonem meum servabit*, hoc est, præcepta & mandata mea. Quomodò enim potest dici amare illum, cujus mandata vel odit vel contemnit? Quis potest dicere: Imperatorem diligo, ejus verò voluntatem legemque repudio? Hic est enim amor, obedire & credere ei qui diligitur. Undè D. Augustinus explicans illud: *Qui habet mandata mea & servat ea, ille diligit me*, sic ait: *Qui habet in memoria, & servat in vita: Qui habet in sermonibus, & servat in operibus. Qui habet audiendo, & servat faciendo. Qui habet faciendo, & servat perseverando, ipse est qui diligit me: opere est demonstranda dilectio, ne sit infructuosa nominis appellatio.* Hinc etiam David, ostendere volens se Deum ex toto corde exquirere & amare dicit: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. In via testimoniorum tuorum* (sivè mandatorum tuorum) *delectatus sum sicut in omnibus divitiis. Dilexi mandata tua super aurum & topazion.* In illo Psalmo 118. singulis ferè versibus inculcat & repetit, quomodò Dei mandata adamarit, ut se Deum amatle insinuet: & cum ille Psalmus centum & septuaginta versus contineat, nullus ferè est, qui non faciat mentionem vel legis, vel mandati, vel præcepti, vel sermonum, vel viarum Dei, vel justificationum, vel verborum, (quæ omnia idem significant, ut notant Interpretes) ut ad observantiam mandatorum Dei nos excitet, & ostendat illam observantiam debere esse finem omnis orationis nostræ. Ideoque illum Psalmum quotidiè repetimus, ut ad illam observantiam & DEI amorem stimulemur, & omnes actiones, cogitationes, orationes totius diei referamus.

Joan.14.

Aug.in c.14. Joan.

Psal.118.

Quartò, signum adhuc luculentius divini amoris est, si non tantùm ejus præcepta opere adimplere cures, sed omnia quæ noviliti ei grata, statim cum promptitudine, sedulitate & fervore exequi studeas, omnia in ejus gloriam referendo, quam in omnibus & ante omnia desideres, spectes, procures. Hoc utique est diligere *non verbo & linguâ, sed opere & veritate.* Et promptitudo illa, fervor & sedulitas, quæ reperitur in te, cum ad opera divina etiam ardua te accingis, signum est amoris divini. Amor enim nescit moras, nescit tarda molimina; nihil durum, nihil amarum, nihil grave computat verus amor. Nam sicut sal condimentum est omnium, ita amor divinus condimentum rebus omnibus affert, ea sapida reddit & conservat. Et sicut ostium in cardine, si oleo inungitur, statim facilè huc illuc, quo volueris, vertitur: ita animus amoris oleo inunctus, sine difficultate vertitur quò Spiritus Sti impulsus voluerit. Amoris itaque est, ubi agitur de honore Dei, promptum esse & sedulum, aggredi ardua, labores non recusare, animum debilem confortare, pusillanimitatem excutere, calori quodam urgere, difficultatem fervore superare, suavitatè etiam rebus asperis aspergere. Sicut enim mel non solùm dulce est in se, sed & cibos amarulentos, quibus miscetur, dulces facit: ita & Charitas non tantùm in se suavis est, sed & omnes labores ob Dei gloriam susceptos, suaves efficit: Similis farinulæ Propheticæ, quæ herbas amaras in suaves convertit, dum clamaretur: *Mors in illa vir Dei.* Similis quoque ligno illi, quod in aquas deferri immissum, illis suavitatem indidit. Qui ergò vult dignoscere, an verum Dei amorem possideat, videat quo animo, quo fervore, quâ spiritus hilaritate ad divina impellatur; an non frigidè & ex parte, an non negligenter & animo tristi, quæ Dei sunt, exequatur. Quod Angelus referur Esdræ dixisse, hoc cuilibet Christiano potium non incongruè dicere. *Pondera mihi pondus ignis.* Sicut corpus fertur suo pondere, sive deorsum gravitate, sivè sursum levitate, sic anima suo fertur amore. Ingredere ergò, ô Christiane, in secretum cordis tui, & ibi in statera justa te appende, ibi *Pondera pondus ignis*, id est, explora & attende, quo affectus tuus, qui est velut vis ignea feratur; an sursum ad cœlestia, an deorsum, ad terrena, & quo fervore vel torpore, ad hæc tendat vel illa. Hoc si sedulò examines, invenies an odio dignus sis, an amore? Indè poteris dignoscere, an Deum toto corde diligas, an diviso, quia

1.Joan.3. 18.

4.Reg.4.

4.Esdr. 4.5.

Dic

Eccl. 10. 2. quia de multis verum éſt : *Diviſum eſt cor eorum*, ideo interierunt : Væ igitur cordi diviſo, væ cordi duplici, væ cordi vecordi, væ menti amenti. Vis ſcire quis tale cor exors, mentemque dementem poſſideat? Qui Deum ſe amare dicit, & ei in ſua voluntate contradicit, dum per illicita deſideria à Deo

S. Greg. diffluit, inquit D. Gregorius. Non poteſt divinæ amicitiæ eſſe particeps, cui ea placent quæ Deo diſplicent, & iis apperit delectari, quibus illum novit

D. Leo. offendi, inquit D. Leo. Heu! quam multi ſunt, qui Deum ſe velle amare dicunt, imò & amare putant, terrenorum tamen amore illicito involuti, in peccatis hærent! Tales ergo ad cor ſuum converſi, ſagaci cum ſcientia ſcrutentur conſcientiam : affectus cordis explorent, & videbunt quomodo ore ſe profiteantur amare Deum, corde autem & factis negent.

Quintò itaque veræ dilectionis ſignum erit, ſi quis in ſe peccati odium magnum ſentiat. Qui enim amat lucem, odit tenebras : qui amat bonitatem, odit ei adverſam iniquitatem : qui amat vitam, odit mortem. Cùm ergo Deus ſit lux, bonitas, vita, qui illum amare ſe dicit, conſequenter odiſſe debet peccatum, quod non eſt aliud quam iniquitas in corde, caligo in mente, mors in anima. Hinc dicit

Aug. l. 14. de Civit. Dei c. 9. D. Auguſtinus : *Quia rectus eſt amor juſtorum, omnes afflictiones rectas habent : metuunt peccare, cupiunt perſeverare, dolent in peccatis, gaudent in operibus bonis, metuunt pœnam æternam, cupiunt, vitam æternam, dolent in re, gaudent in ſpe.* Imò qui verè amat Deum, non ſolùm odit peccatum in ſe, ſed & in omnibus aliis : & omnes quantum in ſe eſt, à peccatis evocare nititur ad divini amoris conſortium, ad

Idem. divinæ bonitatis & pulchritudinis amorem æternum. Hinc iterum Auguſtin. *In illius pulchritudinis amore, non ſolùm non invideo cæteris, ſed etiam quæro qui mecum appetant, mecum inhient, mecum teneant, mecum perfruantur : tanto mihi amiciores futuri, quanto erit nobis amata communior : Prorſus tales quærit illa cujus verè caſta eſt, & ſine ulla contaminatione conjunctio.* Cùm verò vident Deum à ſe vel ab aliis offenſum veri Dei amatores, cruciantur, &

Pſ. 18. 158 improborum vita eos tabeſcere facit : *Vidi prævaricantes, & tabeſcebam, quia eloquia tua non cuſtodierunt.*

Ib. v. 136. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam.* q. d. Illos prævaricatores mandatorum tuorum, non potui ſiccis oculis aſpicere, ſed tabeſcere me fecit & in lachrymas erumpere zelus meus, dum viderem te ab hominibus tam facilè offendi, dum viderem illos bibere quaſi aquam iniquitatem.

De S. Dominico Sanus in ejus vita. Sic D. Dominicus frequentiſſimè flebat, dum ſuæ ætate inundantia peccata, & amorem Dei neglectum, imò & conculcatum conſiderabat : nec ſolùm lachrymis, ſed & proprio ſanguine ſe aſpergebat, ſingulis noctibus ſe ob aliorum peccata, uſque ad cruoris copioſam effuſionem percutiens. In ejus quoque vita legitur, quendam Religioſum ſui Ordinis, ſolitum ob peccata propria continuas lachrymas dare. Advertens id vir ſanctus, præcepit ei lachrymis temperare ob peccata propria ; indulſit tamen ei, ſi flere vellet, flere ob aliena. Mirum dictu. Oculi ejus qui velut duo lachrymarum fontes effluere ſoliti erant, jam aridi & ſicci inveniebantur in recordatione propriorum peccatorum : copioſè autem exundabant in recordatione peccatorum alienorum. Et ita vir ſanctus Dominicus præcipiens huic beato viro temperare fletu pro culpis propriis, donum ei lachrymarum impetravit pro alienis ; ut ex vero Dei amore poſſet dicere : *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam* inimici tui. Pſ. 118. 163.

Sextò perfecti amoris indicium eſt, ſi tali affectu in Deum feratis, ut etiam rerum temporalium jacturam pro eo facere paratus ſis ; imò & vitam, ſi res ita exegerit, profundere : *Majorem dilectionem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat* ; hoc eſt, non poteſt excellentiori teſtimonio dilectionem comprobare quis, quàm animam ſive vitam exponendo pro illo quem diligit, quia nihil habet precioſius quod impendat in argumentum amoris. Sic amat verè Deum, qui paratus eſt potius mori, quàm peccare. Sic amabat Joſeph, qui maluit carcerem pati & capitis diſcrimen ſubire, quam in Deum peccando, cum Ægyptia Domina commiſceri. Joan. 15. 13. Gen. 39. 8.

Sic & Suſanna pudica malens morti exponi, quàm Dei legem prævaricari, & voluntati iniquæ Senum laſcivorum conſentire. Sic denique ſanguine ſuo amorem teſtati ſunt perfectum ſancti Martyres, qui effectu oſtenderunt dilectionem morte elle fortiorem. Dan. 13.

Denique ut concludam, ſi quis dignoſcere velit, an vero Charitas in ipſo habitaculum figat, attendat effectus ipſius Charitatis, de quibus D. Auguſtinus ſic loquitur : Hæc in adverſitatibus tolerat, in proſperitatibus temperat, in dutis paſſionibus fortis eſt, in bonis operibus hilaris, in temporalibus ditiſſima, in hoſpitalitate latiſſima, inter bonos fratres lætiſſima, inter falſos ſapientiſſima. In Abel per ſacrificium læta : In Noe per diluvium ſecura : In Abrahæ peregrinatione fideliſſima : In Moyſe inter injurias leniſſima : In David tribulationibus mitiſſima : In tribus pueris blandos ignes fortiter tolerat. Caſta in Suſanna ſuper virum : In Anna poſt virum : Maria præter virum : Libera in Paulo ad arguendum, humilis in Petro ad obediendum, humana in Chriſtianis ad confitendum, divina in Chriſto ad coguoſcendum. Ipſa eſt fidei fructus, divitiæ pauperum, vita morientium. Hæc Auguſtinus. Aug. de laud. cha.

Sed audiamus ipſum Apoſtolum : *Charitas patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non inflatur, non agit perperam, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati.* Vide an hæc in te reperiantur, ut poſſis dignoſcere, an 1. Cor. 3. 4.

Digitized by Google

Charitas in te locum ſibi elegerit. Hæc interpretatus D. Gregorius ſic ait: *Charitas patiens eſt*; quia illata mala æquanimiter tolerat. *Benigna eſt*; quia pro malis bona largiter miniſtrat. *Non æmulatur*; quia per hoc quod in præſenti mundo nihil appetit, invidere terrenis ſucceſſibus neſcit. *Non inflatur*; quia cum præmium internæ retributionis anxia deſideret, de bonis ſe exterioribus non exaltat. *Non agit perperam*; quia quo ſe in ſolum Dei ac proximi amorem dilatat, quicquid à rectitudine diſcrepat, ignorat. *Non eſt ambitioſa*; quia quo ardenter intus ad ſua ſtatagit, foris nullatenus aliena concupiſcit. *Non quærit quæ ſua ſunt*; quia cuncta quæ hic tranſitorie poſſidet, velut aliena negligit, cùm nihil ſibi eſſe proprium, niſi quod ſecum permaneat, agnoſcit. *Non irritatur*; quia & injuriis laceſſita ad nullos ſe ultionis ſuæ motus excitat. *Non cogitat malum*: quia in amore munditiæ mentem ſolidans, omne odium maculans eruit. *Non gaudet ſuper iniquitate*; quia ſolâ dilectione ergà omnes inhiat, nec de perditione aliorum exultat. *Congaudet veritati*; quia ut ſe cæteros diligens, per hoc rectum in aliis conſpicit, quaſi de augmento proprii profectus hilarèſcit

Greg. l. 10. Moral c. 18.

LECTIO III.

DE SECUNDO CHARITATIS PRÆCEPTO.

1. *Docet, Charitatis Præcepto dilectionem proximi contineri.*
2. *Etiam dilectionem inimici comprehendi.*

PROPOSITIO I.

Secundum Charitatis mandatum eſt: Diliges proximum ſicut teipſum.

IN illo verò Mandato illa particula, *ſicut*, non ſignificat æqualitatem, ſed ſimilitudinem, q.d. Sic dilige proximum, ut omne bonum ei deſideres ſicut tibi ipſi, & ei ſuccurras ſicut velles tibi fieri, ipſumque ad omnem fœlicitatis ſortem pervenire exoptes, & ad id, quantum in te eſt, juves. Debet autem hæc dilectio, ut ſit Charitatis, eſſe propter Deum, & in ordine ad ſummum bonum: non enim poteſt actu Charitatis diligi proximus, quin implicitè diligatur Deus.

Aug. l. 5. hom. Dilectio multiplex.

Hinc D. Auguſtinus, multiplicem dilectionem diſtinguit, quæ ex ſe meritoria non eſt, ſed naturalis, ordinata tamen per Charitatem in Deum ſupernaturale bonum, fit meritoria. Primò, inquit, eſt quædam dilectio carnalis inter virum & uxorem, quæ licet ſit licita, de ſe tamen non eſt meritoria, quia & in infidelibus reperitur, imò & in animalibus quadam ratione. Nam & paſſeres conjugia habent, nidos faciunt, ova confovent, pullos alunt. Fit tamen meritoria, ſi vir diligat uxorem in ordine ad ſalutem, optans ei & gratiam in præſenti & gloriam in futuro; quia tunc, Deum diligit in uxore. Secundò, eſt quædam dilectio naturalis inter patrem & filium, inter fratres, inter ſanguine junctos, & illa quoque de ſe non eſt meritoria. Hinc idem Auguſtinus dicit: Quare laudaturus ſum in homine, quod video in Tigride? Serpentes & lupi amant filios: Non eſt laudandus qui amat, ſed deteſtandus qui illos non amat. Sed ſi pater eos diligit in ordine ad Deum, educans eos in timore Dei, ut ſalutem aſſequantur; jam Charitatis amor eſt & multi meriti. Tertiò eſt quædam dilectio ſocialis, quæ contrahitur conſortio, colloquiis, cohabitatione: eo quod ejuſdem ſint civitatis, officii, negotii, militiæ, ſocietatis. Et hic quidem amor etiam non eſt de ſe meritorius, niſi per charitatem ordinetur in Deum. Quartò eſt quædam dilectio, qua quis diligitur ob fidem, ob virtutem, ob bonitatem, aut aliquid aliud quod Deum ipſum reſpicit: hæc animalibus & infidelibus non eſt communis, ſed reſpicit finem ſupernaturalem, & ideò meritoria eſt, & hujus præcepti charitatis impletiva: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*:

Rationes excitantes ad proximi dilectionem.

Multiplex verò ratio reperitur, excitans ad hanc proximi dilectionem. Primò, quod proximus ſit imago ipſius Dei, ſi ergò Deum diligis, ejus quoque vivam imaginem, ab ipſo formatam & manibus propriis delineatam, diligere te convenit. Secundò, quia proximus ſanguine Filii Dei emptus eſt & redemptus: Si ergò tantoperè eum dilexit Deus, ut tanto pretio redimere voluerit, cur eum tu quoque non diligeres? Tertiò, quia eſt membrum ejuſdem corporis myſtici. Qua ratione frequenter utitur Apoſtolus, ut in nobis oſtendat firmam debere eſſe unionem charitatis. Sic ad Rom. *Multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alterius membra*, Et ad Corin. *Pro invicem ſollicita ſint membra: Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: ſivè gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra: Vos autem eſtis corpus Chriſti & membra de membro*, hoc eſt, invicem membra & partes ejuſdem corporis, vel ut interpretatur D. Thomas, eſtis membra de membro illo principali, quod eſt Chriſtus caput Eccleſiæ. Vult ergò dicere Apoſtolus: Licet in corpore ſint diverſa membra, diverſa officia, diverſæ functiones, tamen eſt unio ejuſdem corporis & animæ, & eſt communicatio quædam, dum ſibi invicem membra ſubſerviunt, quia quodcumque non ſibi ſoli ſed & aliis operatur. Ita non debet eſſe ulla divitio inter nos, qui ſumus membra ejuſdem corporis myſtici, ſed ſumma concordia, ſumma charitatis unio & amoris copula; ita ut unus alium non contemnat, non invideat, de ejus bono non doleat, ſed juvet, amet, congaudeat, cooperetur. Quartò diligendus proximus, quia frater eſt, eundem nominans Patrem in cœlis, eandem Matrem intertis, ejuſdem Eccleſiæ Matris utero geſtatus, eâdem cœleſti alimoniâ nutritus, eodem ſanguine potatus, eodem ſpiritu repletus, Apoſtolo dicente: *Etenim in uno ſpiritu omnes nos in unum corpus baptiſ-*

Rom. 12. 1. Cor. 12. 26. Ib. v. 13.

baptizati sumus, sivè Iudæi, sive Gentiles, sive servi, sivè liberi: & omnes in uno spiritu potati sumus. Deniq; hæreditatis ejusdem consors est, ad æternitatis & vitæ perpetuæ consortium vocatus, ubi amoris æterni vinculo illi es indissolubiliter sociandus.

Sed & hic adverte, cùm voluit à nobis Christus proximi amorem exigere, nostri ipsius amorem constituit exemplar amoris proximi, dicens: *Dilige sicut teipsum*, quia amor nostri maximus est, potentissimus est, & quodammodo indissolubilis: undè & voluit amorem proximi fortissimũ esse & indissolubilem. Et ideò non dixit, diliges sicut amicus, amicum: Nam amicitia hujus mundi facile dissolvitur. Nec dixit, diliges sicut frater fratrem: nam & amor fraternus etiam invidiæ & odiis est obnoxius. Patet in Josephi & fratribus. Nec dixit, diliges sicut Pater filium, aut filius Patrem: nam & inter illos dissidia frequenter reperiuntur. Patet inter Davidem & Absolonem. Denique non dixit, diliges sicut mater prolem: nam & ibi odium & crudelitas potest reperiri, ut multis patet exemplis. Dixit ergò, diliges sicut teipsum, quia omnis amor cedit amori nostro, nullus est fortior amor, nullus potentior, nullus indulgentior. Attende quantum ames te, quantum indulgeas, quantum supportes, quantum excuses, quantum bonum tibi velis; hoc exemplar amoris, hic modus tibi in dilectione proponitur imitandus; ut sicut benè tibi esse cupis & benefacis, aliosque tibi benefacere cupis, ita ergà proximum te geras.

Proximo multa debemus, si verè illum diligimus. 1. amorem benevolentiæ.

Ex his sequitur, multa nos proximo debere, si verâ & perfectâ in eum ferimur dilectione, quæ quidem paulò latiùs ad plebem differenti explicanda sunt.

Primò ergò, ei debemus sincerum affectum, sivè amorem benevolentiæ. Non enim sufficit eum amare amore concupiscentiæ, quod fit, quando ei bonum optamus propter nostrum commodum, tunc enim non tam eum diligimus, quam nos ipsos & nostram utilitatem; sed debemus amare amore amicitiæ, ut loquuntur Theologi, ita ut velimus proximo bonum propter ipsius proximi utilitatem: & ita primum quidem gratiam & gloriam ei optamus, sive bonum æternum simpliciter, denique reliqua bona in ordine ad illud. Hinc D. Paulus ex hac vera dilectione (cùm Rex Agrippæ diceret: *In modico suades me Christianum fieri*) Respondit: *Opto apud Deum, & in modico, & in magno, non tantum te, sed etiam omnes qui audiunt hodiè, fieri tales quales & ego, exceptis his vinculis.* Vides quomodò diligebat Paulus Proximum sicut seipsum? Alibi quoque hunc sincerum charitatis affectum declarat, dicens: *Nam & ego me impendam & superimpendar pro animabus vestris; licet plus diligens minus diligar.*

Act. 26. 28.

2. Cor. 12. 15.

2 affectum beneficentiæ.

Secundò debemus proximo non solum affectum benevolentiæ, sed & affectum beneficentiæ: debemus enim diligere non solum verbo & linguâ, sed & opere & veritate; ita ut quantum in nobis est tempore & loco opportunis, proximo benefaciamus; alioqui ficta censetur dilectio, quæ ubi vera est, otiosa non est, sed efficax. Quapropter sicut ob dilectionem tui, non solum tibi bene esse cupis, sed etiam in effectu tibi benefacis, & alios tibi benefacere vis; ita & proximo impende, quantum in te est, beneficium sive spirituale sive temporale. *Si Frater aut soror nudi sunt* (inquit D. Jacobus) *& indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis: Ite in pace; calefacimini & saturamini, non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori; quid proderit;* An hæc est dilectio vera? An non potius ficta.

Jac. 2. 5

3. affectum supportationis infirmitatis proximi.

Tertiò debemus proximo affectum supportationis in infirmitatibus & imperfectionibus ejus, multa enim est fragilitas, ignorantia, imperfectio, in hominibus: & difficile est in humana conversatione non occurrere quandoque scandala, offendicula, aliaque gravamina; illa autem magno & tranquillo animo ferre, munus est charitatis juxta illud: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Sicut ergò volumus defectus nostros ab aliis tegi, infirmitates portari, ignorantiam excusari, offensam donari: idipsum debemus & aliis. Hinc monet Apostolus: *Induite vos sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem & donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam.* Sensus est. Vos Christiani, qui *Electi* estis Dei: per æternam prædestinationem, & *Sancti*, per aspersionem Sanguinis Jesu Christi ac Sacramentorum participationem, & *Dilecti* per præsentem justificationem, induite viscerales misericordiam, sive commiserationem, benignitatem quoque sive animi dulcedinem & patientiam cum æquanimitate, supportantes invicem onera, imperfectiones, offendicula, quæcumque injustè vobis illata remittentes. *Super omnia autem charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*, quia scilicet charitas est vinculum perfectum, colligans & perficiens omnes virtutes dictas, benignitatem, patientiam, humilitatem, misericordiam: & nisi illa adsit, illæ quoque virtutes diffluunt, dissolvuntur & pereunt: Qui verò charitatem veram possidet, has quoque virtutes connexas habeat necesse est, quia ipsa est *Vinculum perfectionis Christianæ*, quæ in virtutum omnium aggregatione consistit.

Gal. 6. 2.

Col. 3. 14.

Ib. v. 14.

4. affectum gaudii in ejus prosperis & doloris in contrariis.

Quartò, debemus proximo, affectum gaudii & congratulationis in prosperis, affectum quoque piæ compassionis in adversis. Sicut enim sequitur dolor, si tibi malum accidit, & gaudium, si bonum obvenit & id ob dilectionem tui: Ita si proximum diligis sicut teipsum, ob mala ejus dolere te oportet, & ob bonum ejus congaudere. Lætatur ergò charitas de alieno bono sicut de suo, præsertim de profectu spirituali, de temporali quoq; quatenus non est contrarius saluti proximi juxta illud: *Gaudete cum gaudentibus: Si unum membrum gaudet, congaudent & cætera membra.* Et tenetur quandoque homo, sive verbis, sive signis, hunc sincerum affectum

Rom. 12. 15.

declarare. Sic cùm ægrè ferret Joſue, quod Eldad & Medad in populo prophetarent, quaſi id foret in præjudicium gloriæ Moyſis : Reſpondit Moyſes.
Nu.11.29 *Quid æmularis pro me ; Quis tribuat ut omnis populus prophetet, & det eis ſpiritum ſuum Dominus ?* Sic loquitur Moyſes, ut oſtendat ſe non tantùm non invidere bono tanto, ſed & congratulari illis qui ſpiritum prophetiæ participarant, idque ex vera & ſincera charitate. Sicut verò charitas lætatur in bonis proximi, ita condolet in malis, quaſi ſua reputans, principaliter in malis ſpiritualibus ſivè pœnæ, ſivè culpæ, ſecundario in malis temporalibus, illa quantum in ſe eſt, à proximo amoliri cupiens. Sicut enim in corpore naturali ſeſe invicem juvant
1.Cor.12.26. membra, & ut dicit Apoſtolus : *Si patitur unum membrum, compatiuntur & reliqua*, ita oportet & fieri in corpore Chriſti myſtico. Sicut ergò ſi pedi figitur ſpina, univerſum corpus id ſentit, caput inclinat ſe, dorſum ſe incurvat : oculi circumſpiciunt vulnus, manus cooperatur & leviter extrahere tentat : & tamen pes infima pars corporis eſt, ſemper in loco & pulvere, & caput ſuprema pars ſe dimittere & infimam juvare non dedignatur. Ita & nos oportet erga proximos gerere, qui licet inferiores nobis ſint, juvari debent, illisque compati nos oportet, quaſi membris infirmioribus, ita ut illi, qui in Republica quaſi caput ſunt, non debeant dedignari ſe demittere ut eis ſuccurrant.

1. Reductionem à via erroris.

Quintò tenentur proximum quantum in nobis eſt, à via erroris & peccati reducere. Licet enim id primò, & ex officio, incumbat illis, qui curam animarum ſuſcipiunt (de quibus dicitur : *Ipſi pervigilant rationem reddituri pro animabus veſtris* : Et iterum : *Sanguinem animarum perquiram de manu veſtra*) Tamen id etiam incumbit unicuique ex vi charitatis Chriſtianæ, quia verum eſt illud:
Heb.13.17. Ezech.3.18. Eccl.17. *Unicuique Deus mandavit de proximo ſuo*, ita ut non liceat ei dicere cum Cain : *Nunquid Cuſtos Fratris mei ſum ego ?* Talis enim cuſtodia cuilibet Chriſtiano eſt demandata, ut quantum in ſe eſt (tempore & loco opportunis) teneatur inſtructione, monitione, precibus, lachrymis, ubi ejus ſalus periclitatur fratri opem ferre : Et olim præcepto ſancitum
Exod.23.4. fuit, *Si occurreris bovi aut aſino erranti* (non ſolum fratris, ſed & inimici) *reduc eum*. Quantò magis id de perſona ipſa fratris intelligi debet ? Imò tanta eſt hæc obligatio, ut quilibet paratus eſſe debeat, vitam temporalem pro ſalute proximi ponere, ſi ita res exigeret. Hoc eſt enim mandatum, de quo
Joa.13.34 1.Jo.3.16 Dominus : *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* Ut enim explicat D. Joan. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam animam pro nobis poſuit, ſic & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Utique cum ſit ordo in charitate, tenemur plus amare animam proximi, quàm corpus proprium, eò quod bonitas animæ, bonitatem corporis præcellat ; eſt enim anima directè capax Dei per cognitionem & amorem, quod corpori non competit.

Hanc animæ excellentiam conſiderans B. Thereſia, dicebat ſe non ſolùm paratam profundere vitam pro una anima ſalvanda, ſed etiam pœnas Purgatorii uſque ad diem judicii ſuſtinere. *Quale*, inquit, *mihi damnum, aut cur conqueri debeam, licet uſque ad diem judicii in purgatorii pœnis perſiſtere me oporteat, ſi modò per id conſequar, ut anima mea ſalutem aſſequatur ?* Theréſia in vitâ ejus.

D. Chryſoſt. quoque de ſe ipſo ſic ſcribit : *Vellem ſi fieri poſſet, veſtris oculis oſtendere, quam in vos habeo charitatem : Nihil eſt enim mihi vobis jucundius & deſiderabilius, ne hac ipſa quidem luce : Millies enim optarem ipſe eſſe cæcus, ſi per hoc liceret animas veſtras convertere : Quid enim me juvant ſolares radii, quando qua propter vos accipitur animi ægritudo, oculis meis magnas offundit tenebras ?* S. Chryſ. homil. in Acta.

Obligationem hanc reducendi fratrem, optimè quoque intellexerunt antiqui Patres. Illuſtre exemplum habemus de Abrahamo Eremita. Hic ubi cognovit neptem ſuam Mariam, quam in omni pietate inſtituerat, ob lapſum in fornicationem fuga elapſam, turpique quæſtu alicubi corpus ſuum proſtituere : Abjecto eremitico habitu, aſſumpſit militarem, nullis ſumptibus & laboribus parcens, donec eam invenit. Invenit eam tandem in quodam diverſorio, & jam in flagitioſa vita biennium conſumpſerat. Ubi ergò eam agnovit, ſimulat apud hoſpitem ſe magno ejus amore teneri, cænam opiparam curat inſtrui, menſæ eam adhibet, liberè cum ea carnibus, quibus jam 50. annos abſtinuerat, veſcitur. A cœna in intimum cubile illam abducit, remotiſque arbitris detracto pileo è capite, declarat quiſnam ſit. Illa ubi veterem Patruum & Magiſtrum agnovit, tota cœpit contremiſcere, & ad pedes ejus labi. At ille eam erigit, ad pœnitentiam & viam ſalutis incitat, ut redeat monet mira charitate & efficacia verborum. *Super me*, inquit, *ſit peccatum tuum, quo hactenus fœdè proſtituiſti corpus tuum, ego pro illo ſatisfaciam, ego in die judicii pro te rationem reddam :* Cumque illa reſponderet, nimis magna eſt iniquitas mea : Iterum reſpondit : *Super me ſit iniquitas iſta, filia mea, ex manibus meis peccatum hoc, requiram Deus, tantum vem mecum.* Illa videns charitatem, ad mentem & eremum redit, & reliquo vitæ tempore tantam egit pœnitentiam, ut etiam miraculis claruerit. Sur. 16. Martii de B. Abrahamo Eremita.

Præclarum aliud exemplum habes apud Sophronium : Duo, inquit, Eremitæ juraverant ſibi invicem, ne unquam alter ab altero ſeperaretur. Unus poſtea tentatus, ad ſæculum redire & libidini indulgere voluit. Sequitur eum alter, ut ſaltem perpetrato peccato, ad eremum eum reduceret : & è lupanari prodeuntem complectitur, obſecrans ut redeat. Illo nihilominus perſiſtente, manet & ipſe in eadem urbe, quotidiè manibus laborans, & luxurianti ſocio laboris fructum quotidiè largiens, ipſe jejunans, & pro ſalute fratris ſe affligens. Hac tantâ charitate tandem compunctus alter, Sophron. in Prat. ſpir. c.97

vitæ

vitam flagitiosam deserit, & ad eremum revertitur. Hæc est vis Charitatis.

PROPOSITIO II.

Hoc præcepto dilectionis proximi comprehenditur etiam dilectio inimici.

RAtio est, quia nomine Proximi, non solùm intelligitur amicus, sed quilibet homo vivens, qui aliquâ ratione nobis conjunctus est etiam solâ generis ab Adamo conjunctione. Unde cum Jurisperitus Christum interrogaret: *Quis est meus proximus*; Respondit ei Christus per parabolam de Samaritano opē ferente Judæo, ostendens Judæum Samaritano (inter quos tamen non erat conversatio & amicitia. *Non enim coutuntur Iudai Samaritanis*) proximum censeri. Undè hoc præceptum dilectionis inimicorum, non solùm est novi sed & veteris testamenti. Nam Prov. 25. dicitur: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; & si sitierit, potum da illi: prunas enim congregabis super caput ejus, & Dominus reddet tibi.* Item: *Si occurreris bovi inimici aut asino erranti, reduc eum: Si videris asinum oderis te jacere sub onere, non pertransibis sed sublevabis cum onere.* Item Prov. 24. *Cum ceciderit inimicus, ne gaudeas, & in ruina ejus ne exultet cor tuum; ne fortè videat Dominus & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam.* Certè hæc omnia satis indicant etiam in veteri testamento dilectionem inimicorum præceptam. Quapropter etiam effectu eam tunc exhibuerunt viri timorati. Sic Joseph, cum eum odissent fratres tantum abest, ut odium rependerit, imò verò eis benefaciendo, congessit carbones & amoris flammas in caput & corda eorum, eos tanta benevolentia in Ægypto complectendo, & in penuria rei frumentariæ opem ferendo.

Luc. 10. 29.

Joan. 4. 9. *Hoc præceptum obligavit etiam in veteri lege.*

Prov. 25. 21.

Exod. 23. 4.

Prov. 24. 17.

Exempla Josephi.

Sic & Job protestatur dicens: *Si gavisus sum ad ruinam ejus qui me oderat, & exultavi quod invenisset eum malum.* Quasi dicat, sim maledictus, & non habeat Deus partem mecum, si unquam id mihi accidit: *Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut exposcrem maledicens animam ejus.*

Job. 31. 29

Sed & maximè illustre est hac in re, exemplum Davidis erga Saulem toe persecutionibus undique eum coarctantem, cui toties ille pepercit & benefecit, cùm tamen ejus vitam & sceptrum multoties in sua haberet potestate. Cùm quâdam nocte invenisset eum dormientem in tentorio, & hastam fixam in terra ad caput ejus, dixit ad eum Abisai: *Conclusit Deus inimicum tuum hodie in manus tuas, nunc ergò perfodiam eum lancea.* Quid respondit David? *Vivit Dominus, quia nisi percusserit eum Dominus aut dies ejus venerit ut moriatur, aut in prælium descendens perierit, non extendam manum meam in Christum Domini. Tulit* ergò *David hastam & scyphum aquæ, qui erat ad caput Saul,* & abiit: & cum foret in vertice montis, clamavit ad ABNER eum foret in vertice montis, clamavit ad ABNER Principem militiæ, & ad ministros Regis: Heus tu Abner: *Quare non custodisti Dominum tuum Regem? Ingressus est enim unus de turba, ut interficeret Regem, Dominum tuum. Vivit Dominus, quoniam filii mortis estis vos: Vide ubi sit hasta Regis & scyphus aquæ.* Excitatus Saul hac voce, cognovit vocem David, & dixit: *Nunquid vox hæc tua fili mi David?* Cui ille: *Vox mea Domine mi Rex. Quam ob causam Dominus meus persequitur servum suum? Quid feci, aut quod est malum in manu mea? Egressus est Rex Israel, ut quærat pulicem unum, sicut persequitur perdix in montibus.* Hâc voce commotus Saul, ait ei: *Peccavi, revertere fili mi David: nequaquam ultrà tibi malefaciam, eo quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie.* Nempè suâ in Saulem hostem dilectione, quam in tanto discrimine ostendit David, congessit prunas super caput ejus, & carbones ardentes super cor ejus odii acerbo veneno infectum; ita ut flammâ exardescente victus, cogatur agnoscere Davidem justiorem se, & seipsum injustitiæ arguendo dicere: *Benedictus tu fili mi David, & quidem faciens facies & potens poteris,* q. d. Quia benedixit te Deus, omninò perficies, quæ optas & prævalebis.

1. Reg. 26. 8.

1. Reg. 26. 8.

Davidis

Vide quoque quomodò se gesserit erga eum in spelunca Engaddi. Attende denique, quomodò plangit super Saul mortuū; & quomodò eum, qui putabat ei lausta nunciare de morte SAUL hostis sui, curat interfici, & in his omnibus videre poteris ratissimum exemplum dilectionis inimici.

2. Reg. 2.

Excelluit quoque hæc dilectio erga rebellem Absalonem, coronæ sceptro, sanguini paterno insidiantem. Quem ubi audisset lanceis confixum, inconsolabiliter plorabat: *Absalon fili mi, fili mi Absalon. Quis mihi tribuat ut moriar pro te?* Pro hoste suo perduelli mortem opperere optat ex dilectione. Cujus rei rationem profundiùs considerans D. Bernardus dicit: *Planxit meritò David super parricida filio, cui perpetuò scires obstructum exitum de ventre mortis, mole criminis.* Nempè diligendi sunt ex charitate etiam maximi peccatores, non quatenus sunt peccatores, sed quatenus homines sunt, beatitudinis capaces. Undè recte Prosper.; *Sic diligendi sunt homines, ut eorum non diligantur errores: quia aliud est amare quod facti sunt, aliud odisse quod faciunt.* In quem sensum etiam dixit D. Augustl. *Nec propter vitium oderit hominem, nec amet vitium propter hominem: sed oderit vitium, amet hominem.* Immò ex vera dilectione proximi, sequitur odium in ipso existentis peccati, quia si verè eum diligimus, jam quod ipsi malum est odio habemus.

2. Reg. 18. 33.

Bern. ser. 26. in Cant.

D. Prosp. sent. 2. Augustl. l. 14. de civit. c. 6.

Sed dices, licet ex dictis exemplis satis colligatur, quosdam in veteri testamento inimicos dilexisse; non tamen videtur fuisse id præceptum, quia Dominus dicit. *Audistis quia dictum est, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum,* ergo antiquis potiùs odium, quam amor inimicorum præscribebatur. Respondeo, nullo in Scriptura haberi, *odio habebis inimicum tuum*; sed Legisperiti & Pha-

Mat. 5. 43.

Digitized by Google

& Phariſæi erroneè ſic interpretabantur, quia dictum erat. *Diliges amicum tuum*, aut ut in Lev. 19. habetur: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*, ipſi à contrario ſenſu colligebant, odio habebis inimicum tuum. Quam eorum interpretationem corrigit hic Chriſtus expreſsè dicens: *Diligite inimicos veſtros*, ſignificans nomine proximi, etiam inimicos eſſe cenſendos, quod & expreſsè docuit; dum Legisperitum monuit, proximi nomine etiam Samaritanum intelligi, ut ſuprà dixi. Et hanc quoque interpretationem de odio inimici, non fuiſſe niſi recentiorum Scribarum & Phariſæorum, ex eo colligitur, quod non dixerit Chriſtus, dictum eſt antiquis, ſed ſolùm dixit, *dictum eſt*, à vobis ſcilicet, ô Phariſæi, pravè legem interpretantibus.

Levit. 19.

Cæterùm, licet præceptum de diligendis inimicis, etiam in lege veteri fuerit, non tamen ita fuit explicatum, ſicut in nova: nihil enim eſt in lege veteri, niſi de ope ferenda inimico in neceſſitate, aut de non expetenda vindicta, aut de non gaudendo ſuper ruina ejus; in nova lege verò expreſsè dicitur, diligendos eſſe inimicos corde, benefaciendum eis opere: *Benefacite his, qui oderunt vos*; orandum pro illis ore: *Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* Hi ergò ſunt triplices carbones, quos vult nos Dominus congerere ſuper caput inimici, dilectio cordis, beneficentia operis, apprecatio fauſta oris. Ut ſic pro tribus malis, tria bona reddas, quia inimicus ſolet te corde perſequi odiendo, opere perſequendo, ore maledicendo. Eſto verò illi tu planè contrarius, nam ſi tu odiſti, & ille odit, non eſtis contrarii, ſed ſi ille odit, & tu ames: ſi ille maledicit, & tu benedicas; ſi ille perſequitur, & tu benefacias; ſi malus eſt, & tu bonus: ſi ille iniquus, & tu rectus perſeveras.

Matt. 5. 44. Luc. 6. 28. Rom. 12. 20.

Quare verò antiquis non ita expreſſum fuerit hoc præceptum, rationem reddit Auguſt. *Non jam erant idonei quibus diceretur, diligite inimicos veſtros, ſed tales erant, quibus tantùm dici poterat, diliges proximum tuum, & oderis inimicum tuum; adhuc enim ille proximus, quàm latè intelligendus eſſet, non erat tempus tradere; inchoatio ergò quædam facta eſt ſub Pædagogo, ut Magiſtro perfectio ſervaretur.*

Aug. q. 53. & 83.

Hinc patet, arctius obligare hoc præceptum in nova lege quam in veteri: quia expreſſius datum eſt ab ipſo fidei noſtræ Doctore cum emphaſi dicente; *Ego autem dico vobis*: Quaſi dicat: Licet videatur difficile, ego ſum tamen, qui hoc præſcribo, qui à Patre Doctor veritatis miſſus venio: Majeſtatem ergò præſcribentis attendite, & voluntatem meam adimplete, qui vitæ & necis imperium habeo, qui æternum præmium obedientibus reddo. Cum princeps aliquid præcipit aut Rex; inſcribere ſolet. *Ludovicus Gallia, Philippus Hiſpaniarum Rex*, &c. Et hæc inſcriptio tantam vim habet, ut omnes ſtatim detecto capite annuant, chartam oſculentur, & capiti ſuperimponant in ſignum obedientiæ. Quantam ergò vim debet habere vox Filii dicentis: *Ego dico*, hvè præcipio *vobis, diligite inimicos veſtros.* Et licet id durum videatur, tamen illi meritò dicere debemus: *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras.*, ut tuam ſcilicet adimplerem voluntatem. Dicere quoque debemus quod Rechabitæ, cùm eis vinum propinaretur: *Non bibimus, quia Pater noſter Ionadab præcepit nobis, obediemus ergò voci Patris noſtri in omnibus.* An fortè præceptum hominis, licet difficilè potius implendum eſt, quam præceptum Filii Dei, æternum præmium proponentis?

Hoc præceptum in nova lege arctiùs obligat.

Matth. 5. 44. Pſ. 16. 4. Jere. 35. 6.

Secundò, arctius obligat in nova lege, ob majorem gratiam, quæ in illa præſtatur: lex enim vetus ſpiritum magis habebat timoris, & imperfectior erat; lex autem nova perfectior eſt, & ſpiritum habet perfectæ charitatis. Illi ergò, qui ſub lege ſcripta in tabulis lapideis fuerunt, inimicos lapidabant: Hi qui ad Chriſti legem ſcriptam in cordibus pertinent, pro lapidantibus ſe orare debent; & precibus ſuis lapides removere à lapidantium ſe duro corde. Hoc enim eis præſcribit, & ad hoc adjuvat ſpiritus perfectæ charitatis, per quem efficiuntur filii Patris ſui, qui etiam ſuper injuſtos pluit, & ſuper malos orin facit Solem benignitatis ſuæ.

Tertiò: quia habent non ſolùm gratiam a Chriſto ad hoc præceptum adimplendum, ſed & ejus habent præ̃vium exemplum; qui pro inimicis ſuis mortuus eſt, & pro illis expreſsè in cruce oravit ad Patrem clamans: *Pater ignoſce illis.* De qua re loquens Anſelmus dicit: *O verbum magnæ patientiæ, magna dulcedinis, magni amoris, indicibilis Charitatis! Ecce enim non ſuam ſentit injuriam, non pœnam attendit, ſed ipſis potiùs à quibus patitur, compatitur, à quibus vulneratur, medetur, vitam procurat, à quibus occiditur. Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam.* Vi autem hujus orationis Centurio, Latro, & alii multi converti ſunt, qui revertebantur percutientes pectora ſua, cùm antea clamaſſent, *Sanguis ejus ſuper nos & ſuper filios noſtros.* Imò vi hujus orationis pro inimicis factæ, exiſtimat D. Cyprianus, ſupplicium Judæorum quadraginta annos dilatum, ut poſſent pœnitentiam agere, & remiſſionem conſequi.

D. Cypr. ſerm. de Paſſione.

Chriſti in hoſtes charitas.

Hoc quoque Chriſti exemplum imitati ſunt Sancti Martyres, qui pro perſecutoribus ſuis & tortoribus orationem fuderunt, idque tanto charitatis ardore, ut frequenter eorum converſionem meruerunt impetrare.

Stephanus orat pro Paulo perſecutore, & ejus orationi ipſius eſt adſcribenda converſio, dicente Auguſtino: *Saule, Saule, quid me perſequeris, olim quidem debui te perdere, ſed Stephanus meus oravit pro te; Tu inſanis contra nomen meum, ego te factum ſervum meum, ô Saule, lupe rapax, comediſſe, expecta paululum & dijeres. Ejus eſt filius perditionis, & erectus eſt vas electionis. Ejus eſt Saulus, erectus eſt Paulus: Nam ſi Martyr Stephanus non ſic oraſſet, Eccleſia Paulum hodie non haberet. Sed idèo de terra erectus*

S. Steph. Auguſt. ſer. 1. & 2. de Sanctis.

Digitized by Google

erectus eſt Paulus, quia in terra inclinatus, exauditus eſt Stephanus.

Sic & ipſe Paulus orat pro illo, qui necem ei inferebat, & exauditus eſt. S. Amb. ſerm. 68. nam ſanguis ejus lactis ſpecie, in tunica illius, qui ipſum percuſſit, apparuit, & animã illius barbari ſupra modum dulciorem reddens, fidelem eum effecit cum ſociis, inquit Chryſoſtomus. De Jacobo quoque Apoſtolo habemus, quod is, qui eum ad tribunal duxerat, ejus conſtantiã intus commotus, ab eo veniam petierit, quem ipſe oſculatus dixit: *Pax tibi ſit Frater*, & ita ejus oſculo roboratus eſt, ut Chriſtianũ ſe profeſſus, invicto animo ſecuri cum ipſo caput ſubdiderit.

S. Chryſ. orat. in Principi.

Edmundi Campian.

Ut verò de Martyrum noſtri temporis eminentiſſima etiam in hoſtes charitate loquar, exemplum illuſtre habes in Edmundo Campiano Angliæ Martyre. Hic productus in theatrum, quo tota Urbs Londinenſis convenerat: *Spectaculum*, inquit, *facti ſumus & Angelis & hominibus*. Ego hic ſpector ſuſpendendus, & in quatuor partes ſecandus, quaſi proditor & hoſtis Patriæ: ſed tu Domine ſcis innocentiam meam, ſcis me non aliud reſpiraſſe, quam Angliæ ſalutem. Si aliud ſpectaſſem, in Anglia amplos honores, & opes oblatas ab iis, qui me morti addicunt, acceptaſſem. Sed veniet Eliſabetha dies, qui revelabit occulta cordium, & oſtendet, an ego & ſocii te ſincerè amaverimus, qui pro ſalute tua tot periculis, labori & morti nos expoſuimus? an tui miniſtri, qui à te nihil aliud quærunt, quàm opes & & dignitates, tibi adulantur, & in hæreſim ac cædes

1. Cor. 4. 6

Sanctorum inducunt. *Deum oravi, & oro, ut hac mors mea quam lubens patior ſit piaculum peccatorum tuorum: tibi veniam, fidem, fœlicitatem æternam impetret, & utinam hac morte mea à te illata fœlicitatem tibi emam.* Vides igitur, quàm ſublimis fuerit hujus Martyris Charitas in ſuum hoſtem?

Quæ ſigna dilectionis ſint inimico exhibenda

Sed quæritur, quænam dilectionis ſigna inimico ex præcepto exhibenda ſunt? Reſpondeo eſſe illis exhibenda ſigna dilectionis & beneficia omnibus communia; peculiaria autem exhibere, eſt conſilii ſed non de neceſſitate ſalutis, niſi ſecundùm præparationem animi, ut ſcilicet ſis paratus ei ſubvenire in articulo neceſſitatis. Hinc ſi oras pro tota communitate, ſequitur te non poſſe excipere inimicum. Idem dicendum de ſalutatione, eleëmoſyna, & ſimilibus. Sequitur ſecundò, inimicum ſalutantem non reſalutare, eſſe ordinariè peccatum: & poteſt eſſe mortale, quando æſtimaretur is notabilis contemptus attentâ circumſtantiâ temporis, loci, & perſonarum, & conſuetudine Patriæ.

Sed quid ſi inimicus veniam roget, & ſatisfactionem offerat? Teneborne ei etiam illam ſatisfactionem remittere, quam licitè poteram coram Judice exigere? Reſpondeo teneri ex charitate, niſi ſatisfactio legitimè à Judice taxanda, nihilominus neceſſaria ſit reparando tuo aut tuorum honori, tunc enim exigi poterit; niſi rurſus ex eo oriretur præponderans ſcandalum, reſpectu ſalutis animæ vel corporis. Ita Sylveſter.

Sylveſt. V. Charitas. q. 6.

TRACTATUS II.

DE DECEM PRÆCEPTIS DECALOGI.

LECTIO I.

DE OBLIGATIONE LEGIS Decalogi.

1. *Docet conveniens fuiſſe Deum dare hanc legẽ*
2. *Illam obligare etiam populum Chriſtianum.*
3. *Illum præcepta non eſſe impoßibilia.*

PROPOSITIO I.

Conveniens fuit Deum dare populo ſuo legem Decalogi per manus Moyſis.

Cur conveniens fuit dare homini hanc legem Decalog.

PRO pleniori explicatione adverte: nullum fuiſſe ſtatum, in quo Deus homini legem aliquam & aliqua præcepta non dederit. Nam etiam ſi ſtatum innocentiæ conſideres, invenies ſpeciale præceptum, non de edendo fructu ſcientiæ boni & mali. Nempè primò, Deus ſe voluit hominis Dominum oſtendere, voluitque ut homo ſe agnoſceret creatum ſervum, ad obtemperandum Domino. *Non erat autem*, inquit Auguſtinus in Geneſim, *unde ſe homo haberet Dominum cogitaret, niſi & aliquid ei juberetur, & aliquid prohiberetur.* Sit ita voluit ejus & fidelitatem & obedientiam præcepto experiri. Sic ut oſtenderet ſe Dominum creaturarum omnium, ordinationes quaſdam eis præſcripſit infallibiliter obſervandas. Et ob hanc ordinationem, non ceſſat Sol illuminare & calefacere inferioa, cœli non ceſſant à motu, & terra continuò fructus ſuos producit: Ignis quoque, nix, glacies, ſpiritus procellarum faciunt

Exod. 20. Deut. 5. *1. Ut agnoſcat ſermonem Dei.* Auguſt. in Gen.

Digitized by Google

verbum ejus; quasi agnoscentes Creatorem, & se sub ejus potentia obedientiali, ut loquuntur Theologi.

Undè & per quandam metaphoram, dicitur Deus eis præscripsisse leges & præcepta: *Legem ponebat aquis: præceptum posuit, & non præteribit.*

2. Ut Deus ostenderet hominem esse liberi arbitrii. August. Enchir. cap. 14.

Secundò voluit Deus præcepta homini dando, ostendere esse hominem liberi arbitrii, qui posset transgredi præceptum vel adimplere; bonũ facere vel omittere: alioqui si libertate caruisset homo, non oportuisset ei legem ponere, pœnamque minari si transgrediatur. Undè D. Augustinus, sic dicit: *Oportuit sic hominem primùm fieri, ut bene velle posset & male: nec gratis si benè, nec impunè si malè: posteà verò sic erit, ut male velle non possit, sicuti Beati qui in bono sunt confirmati, aut sicut damnati in malo confirmati, ut non possint velle bonum.*

3. Ut homo legem servando meritum augeret.

Tertiò præcepta voluit homini dare, quia per illa augetur hominis meritum. Licet enim nostra obedientia aut servitute nihil Deo accedat, aut decedat (undè servi inutiles sumus, quia Domino nihil fructus afferimus) accrescit tamen per obedientiam meritum nostrum, & sic nobis utiles sumus, ipsumque præceptum utile. Sic si non præcepisset de non edendo ligno illo scientiæ, homo abstinendo nihil mercabatur, post præceptum autem abstinendo plurimùm mercabatur.

Præter istud verò præceptum, quod erat positivum, habebat homo in statu innocentiæ legem naturalem animo cum creatione infitam, de qua non incongruè potest illud intelligi: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, quia lex illa est quoddam lumen à Patre luminum, dirigens hominem in his quæ agenda sunt & vitanda, cujus ductum si sequatur homo, non aberrat. Habuit quoque ab initio legem supernaturalem fidei, spei, & charitatis, per quam ad finem supernaturalem, ad fœlicitatem æternam dirigeretur. Et facilè eâ jucundumque fuisset, in illo primævo statu juxtà has leges agere, earumque directionem sequi, si voluisset: quia adhuc integer erat & incorruptus, concupiscentia non obluctante. Psal. 47.

Verùm post peccatum, invalescente concupiscentiâ, pravis moribus inundantibus, & diuturna perversitate dominante: cùm lex naturalis & supernaturalis, & lux divina secundùm illas dirigens obscurata foret populo ad idola, ad carnis vitia, ad innumera corruptæ naturæ peccata defluente; oportuit hanc Decalogi legem, legis naturalis præcepta renovantem, & explicatius proponentem, populo promulgari, promissionibus allici, minisque deterreri. Undè ut sui timorem legisque hujus rigidam observationem, fortiùs Fidelium cordibus imprimeret, miras terrificasque cæremonias in ejus promulgatione & acceptatione voluit observari.

Ritus promulgationis legis.

Primò quidem elegit locum multis miraculis celebrem Montem Sinai. Hic est enim ille mons in quo Dominus apparuit Moysi in rubo ardente & incombusto, de quo dicit: *Terra in qua stas, terra sancta est, solve calceamenta:* Mons enim Horeb, idem est cum monte Sinai, vel ut notat Adrichomius, Horeb propriè est pars vel jugum eminens montis Sinai. 2. Hic est mons, ubi Moyses percutiens petram aquas dedit populo, ut patet Exodi 17. v. 6. ubi dicit Dominus: *Ego stabo coram te suprà petram Horeb, percutiesque petram, & exibit ex ea aqua, ut bibat populus.* 3. Hic est mons, ubi Moyses levans manus & orans, obtinuit victoriam contrà Amalec. Exod. 17. v. 4. Hic est mons, ad quem pervenit Elias post 40. dierum jejunium, & ibi vidit Dominum in sibilo auræ tenuis. 3. Reg. 19. 5. Hic est mons, in quo corpus B. Catharinæ per Angelos sepultum est, ubi illi spiritus Angelici, quibus cum Virginibus quædam affinitas est & parentela, ei parentarunt extremumque obsequium impenderunt, exequias miris cum laudibus celebrando. Cùm enim ipsa martyrii sui agone jam consummari videret, manus suas ad Dominum levans, gratias ei agebat, quod eam velut holocaustum odoriferum accipere dignaretur, & sanguinem totum offerebat in sacrificium & sinceri pignus amoris, rogans ut & spiritum purum reciperet, & corpus intemeratum non permitteret attrectari manibus impuris carnificum. Angelica ergò ope, statim consummato agone, elatum est cum cantu cœlesti ad celebrem illum Domini montem, ubi & multo tempore suavis liquor manabat, medela omnium infirmitatum.

a Deus eam promulgavit in monte Sinai. Exo. 17. 6.

Postea ab Imperatore Justino ibidem Ecclesia ædificata est: & celebre Monasterium, ubi plurimi sanctitate eminentes antiqui Patres claruerunt miraculis, qui suprà modum humanum pœnitentiæ & contemplationi toti vacabant. Inter cæteros B. Joannes Climacus ibidem præfuit, & institutiones Religiosæ Perfectionis ibi orando & meditando à Deo accepit, quasi alter Moyses tabulas legis divinæ: quas & nobis reliquit in illo libro, quem scribit, *Scala Paradisi.* De illo ergò monte possumus dicere illud Hieronymi ad Heliodorum: *O desertum floribus Christi vernans! O solitudo in qua nascuntur lapides, de quibus civitas Regis magni extruitur! O Eremus familiarius Deo gaudens!* O mons deliciis spiritualibus affluens, mons sanctus & electus, pluviâ voluntariâ & rore cœli circumfluus, qui descendit a facie Dei Sinai, à facie Dei Israel: *O mons pinguis & coagulatus, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* S. Joan. Climac. S. Hieron. epist. ad Heliod.

2. Dedit legem cum signis terribilibus.

Secundò, locum hunc, dum in eo legem dedit, voluit tonitruis, fulguribus, igne, nebulis, circumvestire, totumque terribilem esse? totus enim mons tremebat, totus igne & fumo ardebat: horrenda tonitrua & fulgura erant, & caligo densissima, sonus buccinæ perstrepebat. Angelus quoque voce tubali & horribili Decalogum proclamabat. Ut quid hæc omnia, nisi ut populum horrore ac reverentiâ, tum numinis, tum legis observandæ per-

celle-

cellerent; Tantus erat eorum timor, ut dicerent Moysi: *Loquere tu nobis, non loquatur nobis Dominus ne moriamur.*

3. *Voluit ut populus triduo ante sanctificaretur.*

Tertiò, voluit & ipsum populum triduò antè lavare vestes, sese purificare, & uxores non attingere, ut ut sic ad accipiendam legem sanctiores & paratiores essent: & hoc, ut ipsam legis sanctitatem declararent, quam ipse volebat esse inviolabilem ut nemo auderet eam transgressione temerare. Sed & ipsum Moysen, Mediatorem inter sé & populum ac Legislatorem electum, antequam legis tabulas ad populum referret, voluit divina contemplatione & colloquio, dierumque 40. facto jejunio præparari, ut legis hujus sanctitas omnibus innotesceret. Unde cum ob peccatum populi tabulas legis ad radices montis confregisset, debuit iterum per 40. dierum jejunium præparari.

4. *Moyses altare exstruxit ad radicem montis.*

Quartò, cùm Moyses legem populo promulgaturus foret, *ædificavit altare ad radices montis & duodecim titulos*, immolatisque duodecim victimis pacificis, tulit mediam partem sanguinis, & in crateras, partemque residuam fudit super altare. Et assumens volumen fœderis, legit audiente populo; cum autem diceret populus: *Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus*, ille sumptum sanguinem respersit super populum, dicens: *Hoc est sanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus.* Immò aspersit quoque volumen legis, ut dicit Apostolus Hebr. 9. An putas inanes fuisse has omnes cæremonias? Nempe solebant veteres fœdera victimis & sanguine sanciri, & hoc etiam inter veri Dei cultores usitatum fuit. Sic Deus volens confirmare fœdus initum cum Abraham, jussit victimas immolari, & dividi per medium & lampas Deum repræsentans per medias divisiones transit, indicans ita dividendum qui fœdus rumperet. Idem in hoc fœdere Dei cum Moyse & Judæis significabatur: Sanguis enim victimarum divisus, significabat violatorem pacti sanguine violatum fœderis fidem luiturum, & quia pactum erat inter Deum & populum, ideò non solum populus, sed & altare, loco Dei, sanguine aspergitur. Vide eandem significationem Jeremiæ 34. v. 18.

Exod. 24. 4.
Exo. 24. 3
Ibid. v. 8.
Heb. 9. 21
Gen. 15.
Jer. 34. 18

5. *Decalogus est scriptus digito Dei.*

Quintò, hic Decalogus scriptus fuit, non à Moyse, non ab homine? non ab Angelo, sed digito Dei, inquit Scriptura, ut legis hujus dignitatem ostendat: & quidem inscripta fuit non chartæ aut pergameno, sed tabulis lapideis perdurabilibus, ut omnis occasio neglectus, socordiæ, aut oblivionis tolleretur, & hoc signo acuerentur mentes ad legis firmam arctamque custodiam: In prima autem tabula scripta erant præcepta quæ Deum Deique dilectionem spectant: quæ Hebræi numerant quatuor, dividunt enim primum præceptum in duo, scilicet *Vnum Deum cole, & non facies sculptile.* Catholici verò hæc duo conjugunt, quia ad idem spectant, & ita tantùm numerant tria primæ tabulæ præcepta. Secundâ tabula continebat præcepta spectantia proximum, quæ Hebræi numerant sex, conjungentes duo ultima de concupiscentia uxoris & rei alienæ; sed Catholici melius dividunt, & numerant septem; quia tam differunt: Non concupisces uxorem proximi, & non concupisces bona ejus, quàm non mœchaberis, & non furtum facies. Si enim actus illi externi, specie differunt, ita & actus illi interni, cùm ab eodem objecto externus & internus actus speciem sumat. Dicuntur autem illæ duæ tabulæ, *Testimonii tabulæ*, quia testes erant voluntatis divinæ: & dicuntur Exod. 32. 15. scriptæ ex utraque parte, quia cùm parvæ forent (utpote quas Moyses manu gesturet & in arca testamenti exigua erant ponendæ) litteræ tamen grandiores erant, ut possent à populo eminus legi; & ideò ab utraque parte scribendum fuit, ut Decalogus integer scriberetur: Ita Abulensis; Lippomanus tamen, & alii putant bis scriptum Decalogum, in utroque scilicet latere semel, ut consistentibus utrimque legi posset. Sed & voluit tabulas Deus servari in arca, ad perpetuam rei memoriam, & ut ibi essent in testimonium contra violatores. Quid verò factum sit de arca & tabulis, alibi dixi.

Exo. 31. 18

Abulens. Lippom.

Expende itaque singulas has legis datæ circumstantias & cæremonias, & videbis quanta religione & sollicitudine Deus imprimi voluerit cordibus nostris ejus observantiam. Hanc meritò dixit Psaltes: *Tu mandasti mandata tua custodiri*, hoc est summa diligentia & studio.

Ps. 118. 4.

Sed quàm bene & quàm emphaticè dicit: *Mandasti custodiri nimis.* Imprimis, quia is qui præcipit, colendus ac metuendus nimis est, cùm sit supremus Dominus, suprema Majestas, & ita si attendas ad præcipientem, oportet mandata custodiri nimis. Secundò, si attendas celebrem apparatum promulgationis mandatorum ejus, qui terribilis nimis est, etiam & is significat oportere mandata hæc custodiri nimis. Tertiò, quia si attendas ad præmium, servantibus ea promittit præmia magna nimis. Quartò, si attendas ad pœnas, violantibus eam minatur supplicia acerba nimis. Quintò, si attendas ad ipsa mandata, nec minimum eorum vult violari, ita ut *Qui offendit in uno, fiat is omnium reus.* Sextò, quia adeò arctè illa observari mandat, ut potiùs mortem subiri velit, quàm unum ex illis violari. Septimò, quia tota vita à primo rationis usu usque ad extremum spiritum vult omnia mandata sua observari. An non ergo meritò cum emphasi dicitur: *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis*? Ideò correspondenter alibi simili modo loquendi dicit Psaltes: *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis*, hoc est, in mandatis ejus multam habebit complacentiam, multam observationis eorum curam. Quid ita? Quia nimirum scit Dominum mandatis mandata sua custodiri nimis.

Jac. 2. 10

Ps. 111. 1

Digitized by Google

PROPOSITIO II.

Hæc lex Decalogi non solum populum antiquum sed & Christianum obligat.

RAtio est, quia non est lex cæremonialis aut judicialis (hæc enim utraque à morte Christi finem accepit) sed est renovatio quædam & explicatio majoris legis naturalis animis nostris ingenitæ, quandoquidem omnia ejus præcepta eruantur ex principiis quibusdam naturalibus: & ita in lege nova non cessat, immò per Christum & Apostolos est confirmata, & ideò obligatoria.

Ut autem res probè intelligatur, nota: Præcepta
D.Tho. Veteris legis fuisse triplicia; Moralia, Cæremonialia,
2.2.q.99. Judicialia, ut docet D. Thomas, & probat ex illo
Deut.6.1. Deut. 6. *Hæc sunt præcepta & cæremonia, atque judi-*
Rom.7. *cia, quæ mandavit Dominus Deus vester, ut docerem*
12. *vos.* De quibus Apost. *Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum & bonum.* Hinc idem S. Thom. ib. art. 1. putat hic mandatum legis vocari *Sanctum* propter præcepta cæremonialia: *justum* propter judicialia; *bonum* propter moralia. Porrò Judicialia solos Judæos obligabant: nam illis solum Deus præscripserat modum regendi Rempubl. & benè conservandi, iisque (tanquam uni nationi) ita promulgarat. Cæremonialia eosdem etiam duntaxat Judæos obligabant quoad observantiam, licet quadam tenus pertinerent ad Christianos quoad significationem, quatenus erant figuræ quædam eorum quæ per Christum adimpleta sunt, ut deduci-
1.Cor.10. tur ex Scripturis. *Hæc autem in figura facta sunt no-*
6. *stri.* Et infra. *Hæc autem omnia in figura contingebant*
Gal.3.23. *illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram.* Et ad Galatas. *Prius quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ revelanda erat; itaque lex pædagogus noster fuit in Christo.* Illa verò tantum obligabant usque ad promulgatam fidem post ascensum Christi in cœlos: quia nil aliud adumbrabant quam venturum Christum, & redemptionem per eundem futuram, postquam robur suum amiserunt. Sic intelligenda sunt verba Luc. 16. *Lex & Prophetæ usque ad Joannem*, id est, lex cæremonialis prophetans per figuras & umbras, tunc cessavit, non quod tunc absolutè sit abrogata, sed quod tunc cœperit ægrotare, & ad mortem quasi se disponere: à prædicatione enim Evangelii inchoabatur lex nova: abrogata verò penitus fuit post mortem & passionem Christi. Ratio est. Quia *lex*
Heb.10.1 *pædagogus noster fuit in Christo*, ut ait Paulus: & *umbram* tantum habebat *futurorum bonorum* ut dicitur ad Hebræos. Unde prodeunte lumine Evangelii, & sole justitiæ Christo, offuscatæ sunt cæremoniæ legales, ut notat. Hieron. & Theodoretus ad Philip.c.3. *Supervacaneus est hymnus, si sol apparuerit: supervacaneus pædagogus in qui perfectum acceperunt sapientiam.*

Mandata vero moralia omnes & quoscunque semper obligarunt tam Gentiles, quam Judæos: quia naturalia præcepta per ea significantur, qualia sunt præcepta decalogi: ac eadem uti sunt juris naturalis, non sunt abrogata, vel abrogari unquam potuerunt, vel possunt. Unde etiam quatenus per Moysen data sunt, Christianos obligant. Quod Matth. 5. ex scripturis evidenter apparet. I. in cap. 5. 6. 7. 67. Matthæi, ubi Christus approbat & explicat legem Moysis, addens se non venisse solvere legem, sed adimplere, id est, benè interpretando perficere, removendo scilicet corruptelas quæ falsis interpretationibus illi accesserant. II. ex Apostolo ad Rom. 3.31 Rom. *legem ergo destruimus per fidem? Absit, sed legem statuimus.* III. quia Apostoli semper allegant verba veteris Testamenti cum docent, Præcepta moralia esse servanda, ut Rom. 13. v. 9. Eph. 6. v. 2. Jacob. 2. v. 8. at cur id fecerunt, nisi illa testimonia ad Christianos non pertinerent? IV. quia SS. Patres & omnes Theologi utuntur auctoritate veteris testamenti ad probanda moralia præcepta. v.g. probant usuras esse illicitas, citans illud Psal. 14. v. 5. *Qui pecuniam non dedit ad usuram*, & sic in cæteris.

Hinc inferunt Doctores quemlibet Christianum obligari scire & memoriæ tenere hunc Decalogum. Quod intelligo de scientia præceptorum Decalogi saltem quoad substantiam: nam quoad verba, aut ordinem, non existimo facilè incurri peccatum mortale, si quis illa memoria non teneat, quia in multis tanta est tarditas ut ferè sit incapacitas. Interim negligentia gravis, grave etiam peccatum potest inducere: quia ipsa sapientia æterna ad mores probe instituendos, Fidelibus tradidit hunc sermonem brevem decem verborum, ut ait scriptura, sive decem sententiarum, ut nemo etiam rudis facilè excusaretur. Brevissima enim sunt ejus præcepta, ne impediretur memoria: Clarissima, ne oneraretur intelligentia: Facillima, ne ab eis revocaretur voluntas nostra. Succinctè ergo & paucis vocibus tradit Decalogus primaria capita & fontes legis naturalis, ut propterea dixerit D. Augustinus, esse legum omnium summum & epitomen, sive breve compendium. Nempe sicut quicquid de Fide sparsim in Scripturis, aut per revelationem Dei traditum est, id per Apostolos a Spiritu Sancto inspuatos videmus contractum & redactum in duodecim verba unius symboli; & quicquid rectè orando peti potest, id per Christum reductum est in septem Petitiones breves: ita quidquid agendum, aut vitandum est, decem brevibus sententiis est comprehensum. Ut qui hæc omnia neglexerit, Symbolum, Orationem Dominicam, præcepta decem, meritò salutem suam negligere, & reatum gravem apud Deum contrahere judicetur.

1. Hæc præcepta debet Christianus memoriæ tenere,

Aug. in q. 18. sup. Exod.

Neque verò sufficere debet Christiano præcepta illa per memoriam tenere, sed & fideliter animo & cordi debet ea in ordine ad praxim imprimere, & infigere, ut possit dicere: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Sic ergo ea

2. debet quoque practicè exercere. Ps.118.11.

Digitized by Google

animo impreſſa habeat, ut intellectus ea cognoſcat, memoria recogitet, voluntas amet, & quicquid in homine eſt, ad eorum adimpletionem excitet : Sic practicabat & docebat Propheta, dicens : *Volvi legem tuam in medio cordis mei* : Illam quaſi rem maximè adamatam, collocavi non in latere, aut in angulo aliquo, ſed in medio cordis : quia ipſa mihi theſaurus, ipſa primarium negotium quod cordi habui, prima cura & ſollicitudo mea : Quaſi dicat: Homines ſæculi primam ſedem in corde, aut negotiis, aut vanitati dedicant, Deum verò & ejus mandata inferiori loco collocant; plus ſollicitudinis habent de rebus ſuis, quam de divinis : ego verò omnia hæc humana & vana deſpiciens, omnia etiam regia & multi ponderis negotia poſtremo loco habens, & velut pedibus ſubterternens, primam curam geſſi obſervationis legis tuæ, illam omnibus antepoſui, & chariorem habui, illam in corde abſcondens & in opere implens.

Ps. 39. 9.

Nempe hoc ipſum eſt præceptum Domini, qui cùm legem dediſſet populo, adjunxit : *Erunt verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo : & narrabis ea filiis tuis & meditaberis in eis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque conſurgens. & ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntque & movebuntur inter oculos tuos, ſcribesque ea in limine & oſtiis domus tuæ.* Quibus omnibus non aliud vult ſignificare, quam continuam dilectionis Dei & præceptorum ejus recordationem habendam eſſe, ac ſi ipſa fronti, aut brachio, aut liminaribus inſcripta ante oculos ſemper pendula forent, ut ad amorem, reverentiam, gratitudinem accenderent: Judæi ergo nimis craſsè & literaliter hoc accipiunt, qui ut huic præcepto ſatisfaciant, legem Decalogi membranulis inſcriptam, brachio, fronti, fimbriis affigunt, ut patet Matth. 23. Imò etiam modò, ſententias Hebraicas legis, parietibus ſuis domi inſcribunt ; & cùm orant, appendunt ante ſe chartulam continentem hæc verba: *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter Deus unus eſt*, & quæ ſequuntur, uſque ad verſum decimum *Cumque introduxerit te*, ut teſtatur Cornelius.

Deut. 6. 6

Matt. 23.

Ib. Deut. C. à Lap. in hunc loc. Deu.

Ad hæc quoque Patris æterni præcepta, aptè referes illam præclaram monitionem Sapientis: *Conſerva fili præcepta Patris, liga ea in corde tuo jugiter, circumda gutturi tuo: cùm ambulaveris, gradiantur tecum : cùm dormiveris, cuſtodiant te : evigilans loquere cum eis* : q.d. Bonum eſt te illa ſemper habere in corde, & quaſi præ oculis, & tecum illa eſſe in omnibus operibus tuis ; imò cùm dormis, tecum ſint, ut ab omni dæmonis infeſtatione te conſervent : cùm expergefactus fueris, etiam tecum ſint tanquam regula maturino tempore oportuna, juxta quam omnes cogitationes & actiones tuas exigere poſſis & dirigere. Sint tibi tanquam ſpeculum matutinum, in quo conſcientiæ tuæ faciem inſpicias, & maculas ac nævos, quos ibi repræſentabit, abſtergas.

Prov. 6. 20.

Appoſitè omnino & Speculi & Regulæ nomen his Dei præceptis convenit. Primò quidem ſpeculum quoddam ſunt, quod traditur baptizato, ut intueatur quantum per fidem acceptam vitam ſuam renovarit, vel ordinarit. Vel quantum à via illa declinaverit, per quam Spiritus Sanctus baptiſmo acceptus, ipſum deducebat: & qua in re, vel quantum candidam illam veſtem quam ibi induerat, tranſgrediendo quod ibi promiſerat, macularit : & ut poſtquam maculas & vulnera probè conſpexerit, de illis doleat, & cum integra fiducia redeat ad Medicum, qui nullum ægrum repellit etiam ſæpiſſimè relapſum.

Secundo. Regula ſunt cujuslibet Chriſtiani, quam profeſſi ſumus in baptiſmo. Sicut enim olim Iſraelitæ aſperſi fuere ſanguine victimarum, in ſignum fœderis quod pepigerant cum Domino, quando dixerunt Moyſi, ſe omnia quæ in lege locutus fuerat Dominus, obſervaturos : Ita & nos renunciantes ſathanæ, & omnibus operibus ejus in Baptiſmo, quaſi pacto quodam ſolenni Angelis ſcribentibus profeſſi ſumus, nos fore filios obedientiæ, in ſignum fœderis hujus cum Deo, aſperſi ſumus Sanguine Jeſu Chriſti quaſi Agni immaculati, juxta id quod Chriſtianis ſcribens dicit D. Petrus in Epiſtola ſua prima : *Petrus Apoſtolus Jeſu Chriſti electis ſecundum præſcientiam Dei Patris, in ſanctificationem ſpiritus, in obedientiam & aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti : Gratia vobis & pax multiplicetur.*

1. Pet. 1.

Hæc eſt ergo Regula ſuprema, nobiliſſima, antiquiſſima, & regularum regula, ſanguine non ſolum antiquarum victimarum ſancita ; ſed & ipſius Agni, ab æterno in redemptionem noſtram prædeſtinati, ſanguine & morte confirmata. Unde ſi gloriantur Religioſi regulas ſuas è cœlo veniſſe, & ſuis Patribus a Deo traditas & conſignatas : & propterea maximo in precio eas habent, adeoque illarum rigidi obſervatores ſunt, ut etiam pro illarum obſervatione mortem oppetere parati ſint, quidni glorientur & Chriſtiani, quibus hæc regula multò certius è Cœlo à Deo promanat? Ab ipſomet ſcripta eſt non ſolum in tabulis lapideis, ſed & rerum per Spiritum Sanctum in cordibus, juxta illud Hieremiæ : *Hoc erit pactum quod feriam cum domo Iſrael, & fœdus novum : Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam : & ero eis in Deum, & erunt mihi in populum.* Novum ergo fœdus dicitur, quia nova remiſſio, adoptio, Chriſtianis eſt data : nova quoque promiſſio, & nova gratia ad implendum præcepta, & regulam illam à Deo illis præſcriptam. Itaque ſicut Religioſi qui zelum habent vocationis ſuæ, ſolent ſecum gestare regulam, ſæpiuſque eam præ oculis & mente habere ut ſe conforment profeſſioni ſuæ: ita & hanc cœleſtem regulam, hæc mandata Dei, debet quilibet Chriſtianus frequenter ſibi proponere, ut illi actiones ſuas poſſit conformare, & profeſſioni ſuæ in Baptiſmo factæ correſpondere. Chriſtianus enim ob tranſgreſſa divina hæc man-

Jerem. 31.

Digitized by Google

data, gravius punietur, quàm infidelis paganus, quia cum lumen fidei ac gratiam in Baptismo ad ea perficienda acceperit, gratiæ ac luci fidei non correspondens, majori damnationi se reddit obnoxium.

Exempl. in vita S. Macarii.

Hoc quondam declaratum fuit S. Macario Alexandrino quodam miraculo. Cùm enim ipse per desertum ambulans reperiret caput mortui cujusdam hominis, inspiratione quadam interiori impulsus, illud adjurans interrogat: Num caput sit hominis fidelis, an verò infidelis? Vim verò adjurationis hujus Calvaria illa sentiens, respondet se caput esse pagani hominis. Interrogat ulterius, ubi anima agat, quæ corpus istud primitus vivificarat? Respondet, in inferno agere, & flammis torqueri. Interrogat, num & ibi sint aliqui Christiani? Respondet multos esse, & quidem profundioti loco, & gravius torqueri, eo quod gratiæ Christi ac meritis ejus rebelles, graviori addicti sint damnationi. Ita refertur in vita S. Macarii.

PROPOSITIO III.

Præcepta hæc Decalogi non sunt impossibilia, imò verò sunt facilia.

NAtura corrupta judicare videtur mandata Dei dura esse & difficilia. Ratio est, quia caro contra spiritum remittitur. *& lex peccati, lex regnans in membris,* (quibus nominibus ab Apostolo concupiscentia designatur) recalcitrat, & funibus pravæ affectionis ac passionis trahit in diversum: & ideo aversionem & difficultatem parit, amaritudinem & tædium ingerit. Hoc etiam quandoque viris sanctis contigit, nam ipse Apostolus hanc in se retinentiam & exterioris hominis contra interiorem pugnam sentiens, exclamat: *Infelix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis hujus?* Mirum profectò, quòd tantus Apostolus, qui paulò antè protestabatur forti voce & animo, nullam creaturam eum à charitate Dei posse separare, nunc ita clamet & gemat. Cur ergo ita ingemiscit? *Video*, inquit, *aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ & captivantem me in lege peccati.* Hæc erat concupiscentia, ejus mentem obnubilans passionum vaporibus, & pravis affectionum funiculis eum distrahens a perfecta servitute Dei, & obedientia mandatorum. Unde & alibi dicit: *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio.* Ad quem locum alludens Augustinus dicit: *Velle quod bonum est non possum, nisi tu velis: nec quod volo possum; nisi potentia tua me confortet: & quod possum, aliquando nolo, nisi fiat tua voluntas sicut in cœlo & in terra. Et quod volo & possum, ignoro, nisi me tua illustret sapientia: & si etiam sciam, quandoque volens, quandoque valens, imperfecta & vacua transit sapientia mea, nisi adjuvet vera sapientia tua.* Concupiscentia itaque multa objicit homini impedimenta in observatione mandatorum, & discordiam serit inter partem inferiorem & superiorem: dumque homo secum ipse pugnat, difficile videtur & amarum virtutis opus. Ad intelligendum, apposita est similitudo duorum equorum. Nempe sicut dum equi vehementes nituntur in diversum, aut nihil promovent, aut valde parum, licet currus sit sine onere gravi: Et hoc verò, non propter pondus plaustri, sed quia non eodem trahunt equi. Sic quandiu in affectibus suis secum dissidet homo, & aliò rapit concupiscentia carnis, aliò impetus iræ, aliò ambitio, aliò ratio & spiritus; tamdiu homo onus sentit & jugum quasi molestæ servitutis, & quo major fuerit turba, eo gravius videtur jugum legis: Sic homini avaro durum videtur a fraudibus abstinere: homini carnali austerum ab impudicitiis temperare: homini superbo subdi videtur intolerabile: homini ebrioso intra sobrietatis metas se exercere asperum. Nunquid omnia hæc propter passiones interius militantes, & belligerantes adversus spiritum & rationem? Quid enim his omnibus rationi & animo bene constituto conformius? Sed hæ turbidæ passiones, sedem præparant iniquitati, *& fingunt laborem in præcepto.*

Rom. 7.

Rom. 7. 23.

August. in solilo. c. 24. n. 3.

Dicendum itaque absolutè, præcepta Domini non esse difficilia, cùm expressè asserat Joannes. *Mandata ejus gravia non sunt.* Imò ipsemet Christus: *Jugum meum suave est, & onus meum leve.* Et ratio est, quia quæcunque apparet difficultas, non est ex parte legis, etenim non nisi bonum præcipit & conforme rationi, & materiam virtutis quæ suavis esse debet; sed est ex parte hominis, cui noxius concupiscentiæ humor, & passionum temulentia impedimento sunt, ut suavitatem legis & virtutis non percipiat. Nonne lux per se amabilis est? Attamen oculis ægris est odiosa. Nonne vinum per se delectabile est? Amarum tamen videtur febricitanti. Nonne palato non sano panis pœna est, qui sano est plane suavis? Idem contingit circa legem hanc Christi, quæ planè suavis est, florida, amœna, animo tamen malè constituto horrida videtur, spinosa & petrosa.

1. Joan. 5. Matth. 30.

Quæ reddant Præcepta facilia & suavia.

Multa porrò concurrunt, quæ præcepta hæc suavia reddere debent & facilia. Primò, si amor adsit, suavia erunt quæ aspera viderentur, aspera carni, suavia amori. Si dura in principio, suavia in processu, suavissima in termino. Da amantem, & sentiet quod dico: etenim in eo quod amatur, aut non laboratur, aut labor ipse amatur.

1. Amor.

Secundò, illa debent reddere facilia innumera beneficia in nos collata in creatione, conservatione, redemptione, regeneratione. Pro his autem omnibus nihil aliud a nobis petit, nisi ut hæc pauca mandata servemus, sitque hæc mandatorum observatio tanquam obsequium servitutis nostræ, & sacrificium justitiæ, quod illi rependamus: *Salutare sacrificium est attendere mandatis, & discedere ab iniquitate*, inquit Sapiens. Salutare utique sacrificium inter omnia, quia cum aliis sacrificiis homo damnari potest, cum hoc non potest.

1. Beneficia Dei.

Eccl. 35. 3.

Tes-

by Google

Tertiò, illa reddit facilia fructus, qui consequitur ex mandatorum obedientia. Nam ut ait Div. Hieronymus: nullus labor durus, nullum tempus debet videri longum, quo æternitatis gloria acquiritur & damnationis æternitas evitatur. Ideò dicit David: *Inclinavi cor meum, ad faciendas justificationes tuas propter retributionem*, q.d. Cùm ab una parte lex peccati me traheret, ab altera lex tua me invitaret: Ego inclinavi cor meum, quasi stateram aut bilancem, ad legem tuam faciendam, consideratione mercedis illius æternæ, & immensæ gloriæ attractus pondere.

3. Fructus ex eorum observantia.

Pſ.118.112

Quartò, debet reddere illa facilia consideratio multitudinis illorum, qui illa observarunt, omnes enim Fideles & Sancti, viam mandatorum prætriverunt, & levem ac facilem gressu suo & prævio exemplo nobis reddiderunt. Ideò enim voluit Deus semper ab ipso mundi exordio, inter homines esse viva quædam specula eorum, qui inoffenso pede semitam mandatorum Dei cucurrerunt, ne quis diceret: ego qui pulvis sum & instabilis, miser, impotens, & imbellis, quomodò potero hanc inire viam? quomodò à peccato mortifero innoxius esse? quomodò inter tot offendicula inoffensè callem præceptorum Dei currere? Nempè illi homines fuerunt, ut & nos, carne etiam circumdati, sicut & nos; in hac miseriarum valle & regione umbræ mortis agebant, sicut & nos: & tamen facilè se à mandatorum transgressione servarunt innocuos. Cur ergò idem nobis non liceat? Hac ratione se animabat Augustinus ad castitatem, quam sibi omninò difficilem concupiscentia & consuetudo violenta figurabat & retardabat volentem se excutere, abripere ab immunditiis carnis. Vanitates, inquit, vanitatum antiquæ amicæ meæ succutiebant vestem meam carneam, & submurmurabant, dimittisne nos; & à momento illo non erimus tecum ultra in æternum? Et quæ suggerebant in eo quod dixi, hoc & illud, quæ suggerebant Deus meus? Avertat ab anima servi tui misericordia tua? Quas sordes suggerebant? quæ dedecora? Et audiebam eas jam longè minus quàm dimidium, non tanquàm libere in contradicentes eundo in obviam, sed veluti à dorso mussitantes, & discedentem quasi furtim vellicantes ut respicerem: Sed aperiebatur etiam ab ea parte, qua intenderam faciem, & quo transire trepidabam, casta dignitas continentiæ, serena & non dissolutè hilaris, honestè blandiens ut venirem neque dubitarem, & extendebat ad me suscipiendum & amplectendum, pias manus plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri & puellæ, ibi juventus multa & omnis ætas, & graves viduæ & Virgines, & in omnibus ipsa continentia nequaquàm sterilis, sed fœcunda mater filiorum gaudiorum de marito te Domine. Et irridebat me irrisione exhortatoria, quasi diceret, tu non poteris quod isti & istæ? an verò isti & istæ in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo. *Hæc D. Augusti.*

4. Multitudo eorum observantiæ.

Aug. l. 8. Confess. c.11.n.2.

Quintò itaque reddit præcepta facilia, gratia quam Deus nobis exhibet. Hæc alleviat & suave reddit jugum, ipsa est unctio quædam interior de qua potest dici: *Computruit jugum à facie olei.* Illa autem nobis non deest, si illi nos non defuerimus, quia juxta D. Leonem: *Deus nunquàm instat præcepto, quin præcurrat auxilio.* Unde & Tridentinum dicit: *Deus dum jubet, etiam gratiam dat implendi: quia jubendo monet facere quod possis, petere quod non possis, adjuvat ut possis.* Hanc gratiam nos petere docet Augustinus. *O amor, qui semper ardes, & nunquam extingueris! Charitas Deus meus, accende me, continentiam jubes? da quod jubes, & jube quod vis.* Et hac gratia eget homo, ut observet omnia præcepta, & non peccet mortaliter: quia animus infirmus in bono opere post lapsum, facilè fatigatur & remittitur; ita ut in peccatum impingat, nisi per auxilium gratiæ confirmetur. Multa enim sunt circa hominem pollicientia ad peccatum, tentationes Satanæ, objecta sensibilia, corruptio corporis, concupiscentia carnis, ignorantia, inconsideratio, prava consuetudo, exempla & consilia aliorum, innata quædam instabilitas, quâ fit, ut diu in eodem pede operatio hominis non consistat. Contra hæc omnia auxilium gratiæ dat vires, ne deficiat & cadat. Hinc dicit Bernardus: *Gratia Dei liberum excitat arbitrium, cùm boni sensi seminat appetitum, sanat, cum imminuit affectum; roborat, ut perducat ad actum, servat, ne jentiat defectum.*

5. Gratia Dei.

Isa. 10.
D. Leo.
Trid. sess. 6. c. 11.

Bern. lib. de gratia & l. arb.

Gratia itaque est homini, quod avibus pennæ, per quas apis licet ponderosa sit corpore, facilè in altum fertur: Gratia iterum servit homini, sicut currui rotæ, quibus lignum illud ponderosum & superjecto adhuc pondere pressum, facilè volvitur: sic nimirum homo ad virtutis opera exercenda, ad onus Domini portandum, ad viam mandatorum ejus currendam, aptus fit per supernam gratiam. Gratia iterum servit homini sicut equus ad ascendendum: qui equo vehitur, facilius ascendit, quam descendit, sic quem portat gratia Dei facilius in cœlum, quàm in infernum properabit.

Concludendo ergò adjicio, non oportere hominem conqueri de difficultate, cum verum sit plus difficultatis reperiri in transgressione mandatorum, quam in eorum adimpletione. Hoc fatentur impii apud Sapientem, inclamantes: *Ambulavimus vias difficiles.* Undè & de iis dicit Jeremias: *ut iniquè agerent, Laboraverunt.* Et Ecclesiasticus ait: *Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ & pœna.* Vis videre particularius quomodò laborent, qui iniquè agunt, quomodò vias difficiles ambulent, quam pretiosa sit eorum semita? Considera ambitiosum, vel eum interroga: si fateri velit, dicet se vix quietè panem suum manducare, vix dormire, sed cerebro irrequieto, in eo quod ambit continuò rotari. Hinc & diversis sollicitationibus omnes inquietat, si videt alterum præferri, murmurat, tor-

Plus difficultatis est in Præceptorũ transgressione.

Sap. 5.7.
Hier. 9.5.
Eccl. 21.11

1. Ambitiosus.

Digitized by Google

torquetur, intus corroditur. An non ergò meritò dixerint Ambitioſi : *Ambulavimus vias difficiles.*

2. *Avarus* Secundò conſidera avarum, quomodo intus torquetur, patitur famem, ſitim, frigora, exponit ſe periculis latronum in via, periculis maris. Si alius lucrum quod ſperabat, aſſequatur, furto ſibi ſublatum exiſtimat, intus miré affligitur, per fas & nefas magno labore quæ poteſt corradit ; ſi detrimentum in aliquo patitur, melancholia abſorbetur & triſtitia, laborat ut iniquè agat. An non ergò meritò avari dixerint : *Ambulavimus vias difficiles.*

3. *Iracundus & vindicativus.* Tertiò interroga vel conſidera hominem iracundum & vindicativum. Quot ille noctes inſomnes ducit, in neſcio quibus ſe volutans cogitationibus ? quomodò uritur interiùs & cruciatur ? Mille ſibi fingit phantaſias, habet cor odio velut gladio tranſfixum, imò & dura patitur ſomnia : ſi cum aliquo inimicitias gerit, mille excogitat modos ſe vindicandi, ſemper inquietus. An non ergò meritò & hi dixerint : *Ambulavimus vias difficiles.*

4. *Luxuriosus.* Interroga denique, & conſidera hominem in impudicitias abreptum. Quot incommoda patitur ? quàm ſæpè pericula ſubit & corporis & honoris ? quot noctes laborioſas, quot dies, quot conſcientiæ remorſus ? Illa vita quæ voluptuoſa videtur eſſe, ſummè eſt ærumnoſa. *Habet hoc voluptas omnis, ſtimulis agit fruentes : apiumque inſtar volantium, ubi grata mella fudit, fugit : & nimis tenaci ferit icta corda morſu*, inquit Boetius lib. 3. de conſolat. Phil. metro. 7. Meritò ergò & ipſi voluptuoſi dixerint : *Ambulavimus vias difficiles.*

Boetius.

5. *Ebrioſus* Idem dicere poteſt ebrioſus, qui in poculis perditus & pernox, graviſſimas ſibi corporis animique aggregat ærumnas, morbos, mortemque præmaturam. Idem dicant invidi, quandoquidem nullum ſit damnoſius damnum, nulla pœnalior pœna quàm quæ ipſum cor à quo oritur, tanquam tinea corrodit, tanquam peſtis depaſcitur, viperinus fœtus eſt, patientem ſe diſcrucians & interimens. Sed & hoc habent pro cumulo malorum omnes præceptorum Dei tranſgreſſores, quod poſt innumeras hujus ævi labentis ærumnas, pœnarum æternitas in altero ſæculo eos ſequatur, & ſic Romphæa bis acuta hominis iniquitas : *Laborabit in æternum, & vivet adhuc in finem.*

6. *Invidus*

Pſal. 48.

LECTIO II.

DE FRUCTIBUS LEGIS Decalogi.

1. *Docet eſſe frænum à malo coercens.*
2. *Benedictionem ſpiritualem & temporalem afferre.*
3. *Afferre benedictionem æternam.*

PROPOSITIO I.

Primus Legis Decalogi fructus eſt, quod ſit frænum hominum à malo coercens, & calcar ad bonum inſtigans.

HOc indicat Propheta David, qui celebrans laudes divinæ legis, de ea ſic loquitur : *Lex Domini immaculata, convertens animas, teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis : Juſtitia Domini recta lætificantes corda. Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Nempe lex Domini meritò *immaculata* nominatur, quæ nullâ fœditate inquinatur : cum nihil contineat, niſi conforme rationi, conſonum gloriæ Dei, congruum bono proximi. Jubet enim Deum amare, ac omnem ejus offenſam evitare. Docet amare proximum, ac ei auxiliatricem manum ferre ; Eliminat omnem injuſtitiam, fraudem, furtum, mendacium, adulterium, & quicquid poteſt proximo nocumentum afferre. Ligat manus, ne malè operentur : ligat pedes, ne ad præcipitium ruant : ligat cor, ne ad prava diffluat deliderio : oculos claudit, ne concupiſcentiæ noxio humore inficiantur : linguam reprimit, ne in juramenta, blaſphemias, detractiones ſe effundat, totumque hominem interius exteriuſque componit. Pſ. 18. 8.

Et quicquid præſcribit, ad hunc ſcopum tendit, ut hominem ab omni macula poſſit præſervare monens cum Juda Apoſtolo, *odiſſe eam quæ maculata eſt carnalem tunicam* ; quandoquidem *Veſtimentum mixtum ſanguine, futurum ſit in combuſtionem & cibum ignis.* An non ergò meritò ob hæc omnia immaculata lex dicitur ? Quid enim aliud præſcribit, quàm munditiam, caſtitatem, puritatem ? Quid aliud vetat, quàm cordis animique immunditiam, eliminans quicquid fœdum in moribus eſt, nullum permittens omninò peccatum : Non ſic immaculatæ dici poſſunt leges humanæ, quæ multa peccata, multas fœditates permittunt. Non ſic immaculatæ leges Platonis, quæ dicunt licere mentiri, nec ſuccumbendum valetudinatis : Non ſic immaculatæ leges Solonis, quæ adulterium diſſimulabant. Non ſic immaculatæ leges Lycurgi, quæ jubebant hoſpites finibus pelli, pueros impunè proſtitui, fœminas licenter exponi, leges nuptiales everti. Non ſic immaculatæ leges Numæ Pompilii, per quas furtum ac rapina erant licita : quicquid enim dolo aut vi ab altero extorquebas, lex illius tuũ id faciebat. Non ſic immaculatæ leges Chananæorum, per quas parentes filios, idolis comburendos conſecrabant & immolabant. Denique reperies leges à Philoſopis & ſapientibus populis traditas, multis maculis aſperſas, multis iniquis conſtitutionibus refertas. Judas in epiſt 23. Ita 9. 5. Vide Theod. l. 9. q. 10. de græc. affect.

In prædictis porrò Prophetæ verbis quatuor legis encomia continentur, de quibus paulò latius ad elucidationem propoſitionis noſtræ diſſerendum eſt. *Quatuor encomia legis divina.*

Primò

1. Convertens animam.

Primò ergò, dicitur: *Lex Domini convertens animas.* Illa enim educit hominem à via prava, ab erroris distorta semita, & deducit ad viam justitiæ, ad viam rectam. Illa si bene attendatur & appendatur, convertit hominis animum; & ad sui traducit amorem, & consequenter ad Deum legis authorem, à malo tanquam frænum eum coercens, dum divinam ei indicat voluntatem. Quapropter adolescentibus frequentiùs illa proponenda est, ut à lubrico & erroneo vitiorum gressu, illius matura consideratione abstrahantur. Hanc frequenter inculcat Sapiens adolescentis animo, eum informare ad virtutem satagens, & ad vitam meliorem suscitare. *Fili,* Prov. 7. inquit, *servat mandata mea & vives, & legem meam quasi pupillam oculi tui, liga eam in digitis tuis, scribe eam in tabulis cordis tui.* Quasi dicat: Fili scio ætatem tuam ad vitium flexibilem & quasi ceream, video eam multis periculis obnoxiam, considero pedes tuos lubricos, & suopte impulsu ad malum procurrentes: cupiens ergo te contra lapsum & discrimina præmonere & præmunire, nullum præsentius remedium & fortiùs frænũ possum proponere, quam legis divinæ frequentẽ considerationẽ: hanc te oportet in arca memoriæ tuæ recõdere & servare, in tabulis cordis describere, imò custodire quasi pupillam oculi. Nempe sicut pupilla diligenter custoditur, eo quod facilè & periculosè lædatur, est enim delicatissima, & ideò natura eam diligenter muniit: ita & lex Dei facilè læditur, quia sola etiam voluntate violatur, sed maximè periculosè læditur, quia melius foret oculos tibi erui, quàm legem per te violari.

Job. 15. 16 Utinam hæc considerarent, qui *bibunt quasi aquam iniquitatem*, & legem Domini adeò speciosam & pretiosam, velut pedibus conterunt & contemnunt, dum ob rem nullius pretii, ejus præcepta violant; & libidinem semel expleant, ut exiguum lucrum assequantur, ut semel se vindicent, pro uno puncto ut vocant honoris; & per hoc tamen sibi majus malum conscisc unt, quàm si utrumque oculum eruerent.

Specialiter verò adolescentem monet Sapiens, ut legis divinæ meminerit, & authoris ejus, ut sic se à Ps. 118. 9. peccato possit compescere, *In quo enim corrigit adolescentior viam suam?* inquit Psaltes. Et respondet. *In custodiendo sermones tuos.* Quasi interrogaret qua arte? quo medio? quo remedio? lubricus Adolescens emendare poterit viam, vitamque suam, & impetus naturæ corruptæ pellicientis ad malum? Aptissima autem responsio subjicitur: *In custodiendo sermones tuos.* Hoc est præcepta tua in memoriæ arca recondendo, ut illa possit custodire, & illa ipsum possint custodire, & a præcipiti vitiorum gressu eum retinere. Qui enim ab Adolescentia assuescit temere Deum, ex illo sancto timore servare diligenter legem divinam, plurimos indubiè vitabit errores, plurimaque peccati pericula, & offendicula, quæ in peregrinationis nostræ via ab exordio usque ad terminum reperiuntur. Nullus verò magis indiget lege, quàm ingrediens iter vitæ, hoc est, adolescens, tum quia in ipso maximè viget *lex membrorum & concupiscentiæ*, tum quia nondum acquisivit prudentiam, quæ multa experientia acquititur. Denique, quia sicut viatori maximè prodest initio itineris invenire viam rectam, ne postquam diu erraverit, cogatur gravi labore & dispendio reverti ad principium viæ; sic etiam optimum est in adolescentia assuescere mandatis Domini, ut possis ætatem teneram servare illibatam, inter tot offendicula & lutosas illecebras, ut possis iter rectum invenire inter tot Tob. 1. 10 diverticula. Exemplum habes in Tobia juniore, *quem* Pater *docuit ab infantia timere Deum*, servare mandata, *& abstinere ab omni peccato.* In S. Blancha quæ similiter suum edocebat filium Regem Ludovicum. In S. Edmundo, qui adhuc puer edocebatur à matre in lege Domini in castitate, pietate, timore peccati. S. Lud. Rex. S. Edmundus.

2. Testis divinæ voluntatis & Sapientiam largiens.

Secundò, dicitur *Lex testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.* Legem vocat testimonium fidele, quia nobis fideliter testificatur voluntatem divinam: Sapientiam quoque dicitur præstare parvulis, quia veram scientiam & sapientiam docet, sive humiles corde, sive parvulos ætate. Et illis, qui parvuli sunt sensu, dat lumen scientiæ, sive prudentiæ, quo possint inter bonum & malum discernere, & scire quid agendum, quid omittendum, quo modo se voluntati divinæ conformandum. Est aliqua alia carnalis, animalis, mundana scientia & sapientia, quæ terrenos homines inflat, mentis elationem & præsumptionem generans, de qua dixit D. Bonaventura: *Arbor scientiæ multos privat arbore vitæ.* Sed hanc sapientiam despiciunt parvuli, hoc est, humiles corde, quia vana est, & sæpè maledicto obnoxia. At verò sapientia quam observatio mandatorum parit, vera scientia Domini est, quam conquerebatur Osee à populo deseri, dicens: *Maledictum, mendacium, adulterium, inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit.* Quid ita? quia *non est veritas, & non est scientia Dei in terra.* Sapientia ergo illa & scientia, quam Dei mandatum præstat parvulis, causat in illis notitiam & viam salutis, quæ est ultimum bonum hominis. Unde simplex & illiteratus tali scientia præditus superat Astrologos, Philosophos, Jurisperitos, Salomonem, Platonem, Aristotelem, & quoslibet hujus sæculi Sapientes, qui umbram tantum habuerunt sapientiæ, quorum multi ardent in æternum cum sua scientia. Illa verò sapientia parvulorum, quæ consistit in cognitione & amore DEI ac mandatorum ejus notitia & observatione: *Scientia Sanctorum est*, de qua dicit Sapiens: *Justum deduxit Dominus per vias rectas, & dedit illi scientiam Sanctorum, ostendit illi Regnum Dei & contemplavit labores illius.* Sap. 10. 10

D. Bonaventura. Ose. 4. 1.

In Revelat. S. Brigittæ l. 6. c. 30.

Refertur l. 6. S. Brigittæ c. 30. Fratrem quendam simplicem triennali infirmitate, pede ejus putrescente, afflictum fuisse; ipse autem nihil aliud in ore habebat, quam *Jesu miserere mei.* Appropinquans autem morti clamabat: *Desidero, desidero, desidero.*

Digitized by Google

Cum interrogaretur quid deſideraret? Reſpondet, Deum, & ex deſiderio ejus exulto, ita ut ſi centum annis vivere poſſem in hac infirmitate, contentus omninò forem. Poſt hæc idem Frater exultans media nocte in manibus Fratrum mortuus eſt. Sequenti dominica Brigitta rapta fuit in ſpiritu & audivit: *O filia, quia Domini & Magiſtri ad me nolunt venire humiles, ideo colligo pauperes & idiotas in Regnum Cœlorum.* Nam iſte pauper & idiota invenit hodie ſapientiam ſupra Salomonem, divitias quæ non veteraſcunt, & coronam quæ nunquam finietur. Dic etiam illi Fratri qui ei in infirmitate ſervivit, quod ob illud obſequium liberabitur à tentationibus, & habebit fortitudinem ad ſpiritualia, finem quoque gaudioſum, & vigilabit in Regno Lazari. Ita ibi.

3. Illuminans eos fax quædam.

Tertiò, dicitur *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*, ob eandem cauſam de qua modò: quia ſcilicet lex eſt quædam lux, fax, vel lucerna pedibus noſtris, in caliginoſo loco lucens, ut poſſimus evitare ſcrupos, offendicula, *laqueos, quos abſconderunt maligni ſpiritus in via noſtra*, ut impingamus; dirigit ergò nos lex Domini, ut poſſimus videre veram viam vitæ; & ut in hac mundi nocte ſciamus ubinam greſſus noſtros debeamus ponere. Utique lex peccati, hoc eſt, cupiditas, excæcat, vel magnas offundit tenebras, ut vera vita & verum bonum non innoteſcatur. Unde qui hanc legem ſequuntur, per cæcas paſſiones duci ſe ſinunt, & in varia præcipitia ruunt. Verùm lex Domini has tenebras diſſipat, veram vim præmonſtrat, & qui eam ſequuntur, non cæcutiunt, non aberrant, non offendunt, ſed recto & plano tramite ad cœleſtem patriam pergunt.

4. Juſtitia corda lætificantes.

Quartò dicit, *Juſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda.* Ubi præcepta Domini vocat juſtitias, tum quia juſtiſſima ſunt & Juſtitiam docent, tum quia juſtum faciunt obſervatorem. Horum ergo obſervatio lætitiam interiorem parit, veram utique & ſolidam lætitiam, pacemque animi. Unde alibi dixit:

Pſ.118. 165. *Pax multa diligentibus legem tuam,* & iterum: *Hæreditate acquiſivi teſtimonia tua, in æternum, quia exultatio cordis mei ſunt.* Ob eandem etiam interiorem

Ib.v.111. lætitiam, quam mandatorum obſervantia parit, dicit:

Ib.v.45. *Ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquiſivi.* q.d. Cum gaudio & magno cordis affectu me habebam, non in aporiâ, non in angustiis timoris, ſed in latitudine dilectionis, ſervans legem tuam tota perfectione cordis. Hæc confirmans D. Au-

Aug. l. de catech. rudibus. guſt. ſic nos alloquitur: *Tu qui veram requiem quæris promiſſam Chriſtianis poſt mortem, etiam hic eam inter amariſſimas hujus vitæ moleſtias, ſuavem guſtabis: ſi ejus qui promiſit præcepta dilexeris: verùm enim gaudebis de bona conſcientia inter moleſtias, quam de mala inter delicias.* Eſt enim bona conſcientia, velut Paradiſus abundans gratia, floribus, & deliciis caſtis: ſed talis conſcientiæ quænam eſt mater, niſi obſervatio legis? Hæc ergo lætificat corda etiam pauperum, etiam calamitoſorum, quaſi melle aſpergens amaritudinem eorum, ut propterea dixerit Sapiens: *Omnes dies pauperis, mali; ſecura mens quaſi juge convivium.* q.d. Tota pauperum vita calamitoſa eſt, quia paupertas ipſa perpetuam adfert moleſtiam, ſed qui in lege Domini aſe obſervata gaudere poteſt & gloriari, conſcientiæ tranquillitatem habet, quæ potens eſt diſcutere omnem illam moleſtiam: ſuaviuſque talis vivet in paupertate, quam dives in divitiis & curis; ſecuritas enim mentis, eſt velut continuum convivium, hominem reficiens, & ſolidum menti gaudium donans. Prov.15. 15.

Exempl. Speculum Exempl. V. Infirmitas.

Expertus id eſt nobilis quidam, in paupere leproſo & tabe continua confecto. Cum enim nobilis ille venatu feram perſequeretur, pervenit ad tugurium quoddam circa nemus, & audivit humanam vocem ſuavem planè & jucundam. Mirabatur unde vox illa, intravit ergo & reperit leproſum aſpectu horribilem, cujus carnes tabe defluebant. Admiratus, hominem ſalutat, licet primo aſpectu territus: Inquirit autem, unde vox illa adeo ſuavis quam ipſe audierat? Cui leproſus: Ego, inquit, illam emiſi. At ille: Quomodo potes lætari tantis confectus doloribus? Reſpondet Leproſus: *Inter Dominum Deum & me, non mediat niſi paries de luto, hoc eſt corpus meum, quo confracto & interſtitio diſſipato, ad ipſum me perventurum mihi teſtatur conſcientia. Videns igitur quotidie diſſolvi, & debilitari corpus meum, gaudeo, & canto pro lætitia cordis, expectans diſſolutionem corporis, ut ſine impedimento ad Deum fontem vivum valeam pervenire.* Sic nempe lex Domini obſervata lætificat cor, & præſertim in fine vitæ, quando homo, nihil eum redarguente conſcientia, poteſt liberè dicere: *Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat, ut requieſcam in die tribulationis, & aſcendam ad populum accinctum noſtrum.* Qui enim in mandatis Domini perfecto corde ambularit, tunc poterit cum Apoſtolo dicere: *Curſum conſummavi, fidem ſervavi, in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.* Ut hanc ergo lætitiæ vocem poſſimus in fine ſecurè elicere, prius nobis ſequendum eſt ejuſdem Apoſtoli ad Timotheum monitum, quod omnes Chriſtianos concernit. *Tu autem, ô homo Dei, ſectare juſtitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, manſuetudinem. Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, & confeſſus bonam confeſſionem coram multis teſtibus. Præcipio autem tibi coram Deo qui vivificat omnia, & Chriſto Jeſu, ut ſerves mandatum ſine macula irreprehenſibile, uſque in adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Abac. 3. 16. 2. Tim. 4. 7. 1. Tim. 6. 11.

PROPOSITIO II.

Secundus fructus legis divinæ eſt, non ſolum benedictio ſpiritualis, ſed & temporalis.

MAniſeſtè illam promittit obſervantibus legem ſuam Dominus Deut. 28. *Si audiveris vocem* Deut. 28. 1.

Domini

Domini & custodieris mandata ejus veniens super te benedictiones istæ : Benedictus tu in civitate & benedictus in agro : Benedictus fructus ventris tui & fructus terræ tuæ, fructusque jumentorum tuorum : Benedicta horrea tua, & benedicta reliquiæ tuæ ; hoc est, abundabis frumento & panibus, ita ut reliquiæ futuræ sint multæ quas in pauperes eroges. Vide cæteras benedictiones ibidem. Et licet hæ promissiones magis ad Judæos, quam ad Christianos spectare videantur? quia his potiora & altiora bona gratiæ & gloriæ promissa sunt, illis verò temporalia: non est tamen denegandum, etiam ad Christianos spectare? quia sicut in illa lege carnali Deus justis Judæis non denegavit spiritualia, ita nec in lege spirituali, bonis Christianis denegat temporalia. Quinimò eis custodientibus mandata sua, de benedictione temporali providet, saltem secundùm mensuram necessitatis, si non secundùm abundantiam talem, quæ posset esse causa intemperantiæ & otiositatis. Pluribus enim rescindit temporalium copiam, ne evanescant in illis : quia tanquam sapiens Medicus, scit superfluitatem temporalium tantùm nocere animæ, quantum superfluum nutrimenti nocivum est corpori.

Deus itaque velut pactum quoddam inire videtur cum homine, quod si homo ei intendat & mandatis ejus, ipse etiam hominis conservationi & rebus ejus intendet : ex parte autem Dei non claudicabit hic contractus, nam si homo ei sit bonus servus, ipse melior erit ei Dominus : si homo ei sit filius obediens, ipse erit ei Pater optimus : providens de bonis præsentibus & futuris. Hinc dixit & Apostolus: *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est & futuræ* : quia scilicet si hic piè vixerimus, & Dei mandata observaverimus, proderit ut vitam hic paratam, longævam, & rebus necessariis instructam agamus, & æternam exspectemus : & hæc est promissio Christi Matth. 6. *Quærite primùm Regnum Dei, & cætera adjicientur vobis.*

1. Tim. 4. 8.

Matth. 6. 33.

Sicut verò præcepta observantibus, vita & benedictio promittitur, ita illa transgredientibus mors & maledictio comminata est. *Quod si audire noluerit vocem Domini Dei tui, ut custodias & facias omnia mandata ejus, venient super te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te. Maledictus eris in civitate, maledictus in agro : Maledictum horreum tuum, maledicta reliquiæ tuæ, maledictus fructus ventris tui & fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, & greges ovium tuarum.* Vide cæteras maledictiones ibidem.

Deut. 28. 15.

Sed dices : Sæpè paupertate torquentur, imò fame & ærumnis confecti moriuntur, qui in pietate & timore Dei vitam agunt : & è contra impii, & præceptorum Dei violatores, in pace vivunt, & benedictione temporali abundant.

Respondeo ad priorem partem, ita quandoque accidere, speciali Dei providentiâ, id in bonum eorum ordinante. Sic constat Lazarum justum, & multos Martyres, alioſque Sanctos, in carceribus, fame, aliisque miseriis periisse; sed Deus tunc defectum vitæ præsentis à se promissæ, compensat amplioribus bonis spiritualibus & æternis, & sic censetur promissis satisfacere. Sicut si tibi promitto argentum, abundè promissum expleo, si aurum dono; Deus ergò donum patientiæ aut Martyrii lauream suis donans panem terrenum subtrahens, abundè satisfacit. Dicendum similiter ad posteriorem partem, quandoque Deum impiis benedictiones temporales impertiri : & id facit in remunerationem aliquorum operum bonorum, quæ quandoque faciunt, nec vult Deus illa relinquere immunerata; interim exortes sunt benedictionis æternæ, quia non sunt filii.

Cur impii hic sæpius felices & prosperi

In figura hujus rei, Abraham Pater Fidelium, legitur dedisse munera aliqua filiis concubinarum, hoc est, aliqua mobilia bona; filio verò suo Isaac servavit hæreditatem & immobilia bona. Isaac quoque benedicens filiis, dilecto suo Jacob optat primò benedictionem de rore cœli, secundò autem loco benedictionem de pinguedine terræ. At verò cùm Esau ab eo etiam benedictionem extorquet; Primò impertitur benedictionem de pinguedine terræ. Secundo autem loco benedictionem de rore cœli. Cur ita invertit ordinem? Quia scilicet duo personam repræsentabant electorum & reproborum. Electi autem primò cœlestes benedictiones inquirunt, & cordi habent; benedictiones autem terrenas secundo loco habent, opes terrenas non tam desiderantes, quàm illis ex quadam necessitate utentes, totum desiderium vertentes ad æterna. Si contrà reprobi, totam fiduciam & curam collocant in temporalibus & terrenis bonis, cœlestia & æterna non ut oportet æstimantes. Deus ergò illos privans perpetuis illis & immobilibus vitæ alterius bonis, eos quandoque temporalibus abundè ditat, sed ad tempus, & ad majorem eorum damnationem, quia eis abutendo, graviùs sibi conquirunt supplicium.

Gen. 27. 28.

Mirabile planè & stupendum est, quod hac de re in vita B. Ambrosii legitur. Quadam vice Romam petens, in villa quadam Tusciæ, apud virum valdè divitem hospitatus, interrogabat eum sollicitè de statu. Respondet ille se semper fœlicem fuisse, in divitiis, in servis, in copiosa filiorum turba, denique se posse gloriari omnia sibi ad votum succedere. Audiens Ambrosius obstupuit, & suis ait : *Surgite discedamus hinc ; nam Dominus non est in loco isto, festinemus ne peccatis eorum involvamur, & nos ultio apprehendat.* Vix discesserat, & ecce terra dehiscens hominem illum cum omnibus ad eum spectantibus ita absorbuit, ut nullum vestigiũ remaneret. Tunc Ambrosius ad suos : *Ecce Fratres quàm misericorditer Deus parcit, dum hic adversa tribuit, & quàm severè irascitur, dum hic prospera semper elargitur.* In eodem autem loco profunda fovea mansisse dicitur, quæ usque hodie in hujus rei testimonium perseverat.

Exemp. P. de Natal. l. 2. c. 36. Marul. l. 3.

Digitized by Google

PROPOSITIO III.

Fructus ultimus obſervationis mandatorum eſt vita æterna.

Matt. 19. 16. MAnifeſtè id aſſeruit Chriſtus, qui à quodam adoleſcente interrogatus: *Magiſter bone, quid faciam boni, ut habeam vitam æternam*: Reſpon-
Ib. v. 17. det: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Pulchra admodum & utilis quæſtio hujus adoleſcentis, quæ de felicitate & fine ultimo hominis inquirit ad quem creatus eſt, & de mediis opportunis ad illum aſſequendum. Hæc frequenter & in corde & in ore hominis Chriſtiani verſari deberet, ut poſ-
Eccl. 7. 1. ſit ſcire ſcientia practica, *Quid conducat ſibi in vita ſua numero dierum peregrinationis ſuæ, & tempore quod velut umbra præterit*, ut loquitur Eccleſiaſtes, *Quid neceſſe eſt homini majora ſe quærere?* Quid eget homo multa multo cum labore inveſtigare, quæ vel captum humanum ſuperant, vel quæ ſcire ad ſalutem nihil pertinet, quin potiùs nocet: Valdè inſipiens eſt, qui aliis intendit, quam illis, quæ ſaluti deſerviunt, fatiſceſcente ingenio multa cum diſtractione, & ſæpiùs etiam cum deceptione: *Quia verò plures magis ſtudent ſcire, quam benè vivere, ideò ſæpè errant, & ferè nullum vel modicum fructum ferunt*, inquit Thomas à Kempis. *O ſi tantam adhiberent diligentiam ad extirpanda vitia & virtutes inſerendas, ſicut ad movendas quæſtiones, non fierent tanta mala & ſcandala in populo.* inquit idem. Duo autem indicat Eccleſiaſtes in ſupradictis verbis, quæ monent homines neglectis ſuperfluis, fructuoſis intendere. Primò dum recordantur ſe peregrinos, debent attendere iis, quæ ad ambulandum conducunt, & ad finem aſſequendum; quales non ſunt multæ occupationes, quæ potiùs animum avocant ab iis, quæ ad vitam benè inſtituendam faciunt. Peregrini eſt nunquam hærere, omnem moram inutilem abjicere, ſemper de itinere inquirere, & ad ambulandum per certam viam conari. Secundò, dum brevitatem temporis, *quod velut umbra præterit*, inquit, monentur utilibus incumbere. Si enim mille anni homini darentur, tolerabile foret, ſi homo quandoque curioſis intenderet, ſed adeò momentaneum eſt tempus noſtrum, ut meritò comparetur umbræ nihil ſolidum aut ſtabile habenti.

T. Kempis l. 1. de imit. c. 3. num. 4.

Eccl. 7. 30 Sed verum eſt, quod ibidem Sapiens dicit: *Deus hominem fecit rectum, ipſe ſe infinitis miſcuit quæſtionibus*, ſivè rerum curioſarum & inutilium nocivis inquiſitionibus. Quam multæ ſunt Philoſophorum & Aſtrologorum quæſtiones vanæ, circa curſum cœli & ſiderum, circà motum in vacuo, circà ſpatia imaginaria, & multa ſimilia? Quam multæ Theologorum curioſæ & verboſæ quæſtiones, ſcientiæ ſolidæ inutiles. Sæpè verum eſt illud Sapientis: *Verba ſunt plurima, multamque in diſputando habentia vanitatem.* Sed & hominum hujus ſeculi, pauca & ultima quæſtio eſt de bonorum operum exercitio, de mandatorum obſervatione, de ſtatu felicitatis, de vita æterna. At quæſtiones eorum ut plurimùm de rebus alienis, de rebus noxiis. Quis eorum videatur eſſe major? Quomodò opes acquirendæ? Quomodò honoratè familia alenda etiam aliorum impendiis? Quomodò lis eis incumbens evincenda juſtè vel injuſtè? Quomodò decipiendus in contractu lucroſo proximus? Quomodò hoc vel illud beneficium quacumque via aſſequendum, ut proli provideatur? Quomodò vindicare ſe poterunt de proximo? Multæ ſimiles quæſtiones pertractantur ab hominibus hujus ſæculi, in his deſudat eorum ingenium, ſollicitudo turbulenta. Attendant ergò homines immerſi negotiis nociviſque quæſtionibus & occupationibus, hanc adoleſcentis hujus quæſtionem, *quid boni faciam, ut vitam æternam habeam?* Illam ruminent adoleſcentes, qui ingredi cupiunt iter vitæ, illos enim maximè concernit, prout paulò ſuprà diximus.

Attendant omnes, & benè ponderent reſponſum Domini breve, ſed multa paucis verbis complectens: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Ubi ponderandum eſt, quod non ſpecificet ad quam vitam, ſed vitam abſolutè & ſine addito, ſignificans neminem habere poſſe ſine obſervatione mandatorum vitam: quâ ſcilicet vivat in Deo & ſecundum Deum, qua ſpiritu ejus vivificetur, & participet eſſe quoddam & vivere divinum, quod eſt vivere abſolutum. Unde & alio loco cùm de dilectione Dei ac proximi mentio facta fuiſſet, ſubdit Dominus. *Hoc fac & vives.* Obedientia itaque mandatorum, unica eſt, veriſſima, & certiſſima via ad vitam veram, vitam juſtam, vitam ſanctam, inſuper ad vitam cæleſtem, vitam divinam, vitam beatam, vitam æternam. Omnia hæc comprehenduntur, cum dicitur: *Si vis ad vitam ingredi.* Sed nunquid omnis homo hanc vitam appetit, quandoquidem finis ſit ad quem & ob quem homo creatus eſt? Cur ergò huic itineri certo ad illam nos ducenti, cum omni diligentia & circumſpectione non inſiſtit? Cur diſtortè per varia itinera erroneo greſſu ambulat, cum hoc unicum ſit iter? Luc. 10. 28.

Hoc advertens Eccleſiaſtes, cum in libro ſuo omnibus inclamaſſet, nihil niſi vanitatem eſſe ſub Sole, & afflictionem ſpiritus; & poſtquam varia documenta tradidiſſet, tandem finem ſuæ Concionis adornans, & omnia brevi ſermone complectens, omnes ad hoc compendioſum iter convocat & exclamat: *Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time & mandata ejus obſerva. Hoc eſt omnis homo.* Brevis & arguta concluſio, ſed multa complectens. Quid ergò vult dicere obſcuris his verbis, Deum time & mandata ejus obſerva, hoc eſt omnis homo: qualis eſt iſta definitio hominis? Primò quidem ſenſus eſt: hoc eſt officium uniuſcujuſque qui verè hominem agit, hoc omnes concernit, hoc omnes obligat. Secundò, quaſi dicat, propter hoc eſt omnis homo; & ſine hoc Eccl. 12. 13.

nihil

Digitized by Google

nihil eſt omnis homo, & in hoc ſolo poteſt gloriari omnis homo: quia quicquid circà eum eſt ſine hoc nihil eſt, opulentia nihil eſt, honor nihil eſt, ſcientia nihil dicente Apoſtolo: *Circumciſio nihil eſt, præputium nihil eſt, ſed obſervatio mandatorum Dei.* Si autem hoc habet, totum habet, quod ab homine deſiderari poteſt. In hoc conſiſtit tota ejus dignitas, tota hominis perfectio, tota ejus in hac vita fœlicitas, in hoc conſiſtit hominis eſſe & bene eſſe. Tertiò, quaſi dicat: Hic eſt finis omnis concionis, quæ fit ad hominem, initium ac complementum omnis doctrinæ, quæ ei tradi poteſt. Quicquid ſcriptura, quicquid lex, quicquid Prophetæ continent, quicquid ſcribi poteſt; ad hoc ſpectat, ut in nobis ſit exacta obſervatio mandatorum Dei, illuc collimant, omnia tam Chriſti, quam Sanctorum conſilia & documenta. Omnis ergò homini neceſſaria ſcientia, ſub hoc uno verbo continetur, *Deum time, & mandata ejus obſerva.*

1 Cor. 7. 19.

Ponderandum quoque in verbis & reſponſo Domini ad adoleſcentem, quod dicit: *Si vis ad vitam ingredi*, ubi indicat in ejus arbitrio poſitum eſſe vitam aſſequi, quia in ejus poteſtate poſitum ſit, quod monſtratur iter ſequi. Undè licet Dominus ſuadeat & proponat hoc iter vitæ omnibus, neminem tamen vult cogere, non vult libertatem noſtram infringere, vult volentes non verò invitos venire; ſufficit ei iter demonſtrare, & auxilium ad ambulandum præbere, ita ut in hominis poteſtate ſit pertingere. Hinc conteſtatur per Moyſen: *Teſtes invoco hodie cœlum & terram, quod propoſuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem: elige ergò vitam, ut & tu vivas, & ſemen tuum, & diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, & illi adhæreas: ipſe enim eſt vita tua & longitudo dierum tuorum.* Graviſſima utique obteſtatio, quæ non ſolùm populum Iſraëliticum ſed & Chriſtianum concernit: quia Deus cœlum & terram creaturas inanimes tanquàm teſtes & judices conſtituit ingratitudinis & tranſgreſſionis noſtræ. Cum enim creaturæ illæ inanimes obediant Creatori, ejuſdem legi & ordinationi (juxtà illud Baruch: *Stellæ dederunt lumen in cuſtodiis ſuis, & lætatæ ſunt, vocatæ ſunt & dixerunt adſumus; & luxerunt ei cum jucunditate; qui fecit illas*) Nos ejus legem & mandata facilè præterimus imò & contemnimus. Undè ſi hi teſtes vitam & vocem haberent, omnes unâ voce clamarent & condemnarent impios: nunc autem tacitè & muta voce clamant & condemnant illos, & frequenter vindices ſunt injuriæ Creatoris, qui plagas per cœlum & terram infligit. Et maximè erunt in die judicii, dum terra dehiſcens impios in pœnas devolvet, cœlumque miris portentis contra eos pugnabit in vindictam inobedientiæ eorum. Tunc verum erit: *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos.* Quia verò præcepta Domini, ſicut & minæ ac pœnæ, ad futuras omnes generationes uſque ad finem ſæculi extendebantur; ideò non invocat teſtes morituros, ſed cœlum & terram, qui ſunt teſtes immortales & æterni: teſtes qui in ſæculum ſæculi perſeverantes faciunt voluntatem Dei, & ſic futuris omnibus ſæculis divina præcepta inclamant, & mutâ voce tranſgreſſores condemnant.

Deut. 30. 19.

Baruch. 3. 34.

Sap. 5. 21.

Itaque ſicut benedictio promittitur & vita obſervantibus legem, ita maledictio & mors tranſgredientibus illam: *Maledicti qui declinant à mandatis tuis.* Si ergò homo non trahitur amore vitæ, ad præceptorum obſervationem, ſaltem metu maledictionis ab eorum tranſgreſſione retrahi debet, dum talem intuetur contra ſe comminationem & Dei obteſtationem. Attendant tranſgreſſores volumen illud volans, quod dicit Zacharias cap. 5. ubi dicit: *Et converſus ſum, & levavi oculos meos, & vidi, & ecce volumen volans: & dixit ad me Angelus: Quid tu vides? Et dixi, video volumen volans, longitudo ejus viginti cubitorum, & latitudo ejus decem cubitorum. Et dixit ad me. Hæc eſt maledictio, quæ egreditur ſuper faciem omnis terræ: quia omnis fur, ſicut ibi ſcriptum eſt, judicabitur. Educam illud, dicit Dominus exercituum, & veniet ad domum furis, & ad domum jurantis in nomine meo mendaciter: & commorabitur in medio domus ejus, & conſumet eam, & lignum ejus, & lapides ejus.* Lex Domini volumen eſt benedictionis & liber vitæ, undique volans & Filius Dei multiplicem benedictionem, tum temporalem, tum ſpiritualem, tum æternam, annuncians & afferens, ſi præcepta in ea contenta obſervarint. Sed impiis, volumen eſt maledictionis, volans & celerem eis vindictam imminere ſignificans, tum temporalem, tum ſpiritualem, tum æternam. Quia ſecundùm ipſam judicabuntur & condemnabuntur impii in futuro: & frequenter judicantur in præſenti, propter ejus enim tranſgreſſionem, multis ærumnis ac ruinis domus impiorum affliguntur, & conſumuntur uſque ad lapides & ligna, hoc eſt uſque ad totalem deſolationem. Sic videmus frequenter familias potentes, quæ per bona malè parta ſplendidæ evaſerunt, juſto Dei judicio ac vindicta eis incumbente, ad miſeram ſortem deductas eſſe.

Pſ. 118. 5.

Zach. 5.

TRACTATUS III.

DE PRÆCEPTIS PRIMÆ TABULÆ.

LECTIO I.

DE PRIMO PRÆCEPTO Decalogi.

1. Pars præcepti. { *EGO SVM DOMINVS DEVS TVVS, &c.* / *NON HABEBIS DEOS ALIENOS CORAM ME.*

1. *Explicat quid hoc Præcepto mandetur.*
2. *Explicat quid hoc mandato vetetur.*

PROPOSITIO I.

Hoc præcepto quatenus affirmativum eſt, continentur actus varii virtutum, quos elicere tenemur, ut Deo debitum obſequium perſolvamus.

Vim 1. præcepto quid mandetur.

UT ergò breviter ea complectar:

2. Deo adoratio.

Primò præcipitur nobis, Deum adorare, quia ſuprema Majeſtas eſt, cui non ſolum labiis aut corporis humiliatione, ſed toto ſpiritu, toto cordis affectu cultum & venerationem impendimus & ſupremum honorem, ob ſupremam & ſupereminentem dignitatem infinitè ſuper omnem creaturam: & ideò hic honor nulli alteri debetur, aut impendi poteſt.

2. Cultus ligrus.

Secundò præcipimur illi ſervire ſervitute perfectâ, quæ à Theologis Latria dicitur: quia ſupremum dominium habet in nos independens, æternum, immutabile, quam quidem ſervitutem infinitis ei titulis debemus.

1. Titulo univerſalis dominii ſuper omnem creaturam. 2. Titulo creationis ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, per quam ſigillum ſuum quaſi rei ſuæ nobis impreſſit. 3. Titulo conſervationis & dependentiæ neceſſariæ ab eo. 4. Titulo adoptionis quâ nos elegit in filios ſuos. 5. Titulo emptionis & redemptionis per ſanguinem Agni. 6. Titulo commutationis, quo vitam filii pro noſtra commutavit, ut & viveremus & moreremur, & illius toti eſſemus: *Sivè vivimus, Domino vivimus, ſive morimur, Domino morimur, ſive vivimus, ſive morimur, Domini ſumus.* Titulo quoque donationis legitimæ, quia ſponte nos ei dedimus in Baptiſmo, ſolemniter nos aſſerentes in ejus ſervitutem, abnegatis mundo & dæmone. Hinc illi ſoli Sacrificium offerimus, in recognitionem dominii ſupremi & in proteſtationem ſervitutis perfectæ ac ſubjectionis noſtræ: omne quoque opus noſtrum in ejus obſequium & gloriam ordinamus, hanc ſervitutem profitentes.

Rom. 14. 8

3. Timor Dei ſanctus

Tertiò tenemur illum timere timore ſancto, quia omnipotens eſt, quia author vitæ & mortis, quia ſortes ſalutis noſtræ in manu ejus ſunt, quia deducit ad inferos & reducit, quia Judex & vindex eſt, quia denique omnes ſuas creaturas tanquam vas figuli poteſt confringere. Ideò non ſolum communis plebs illum debet timere, ſed & vos *Reges intelligite, & qui judicatis terram, ſervite Domino in timore.* Pſ. 2. 10.

4. Fides perfecta.

Quartò tenemur illi credere perfectâ fide, ſine ulla dubitatione aut vacillatione; tenemur intellectum noſtrum in ejus obſequium captivare, dum talia aſſerit, quæ ejus omnem captum ſuperant, quæ rationi naturali aut ſenſui etiam repugnare videntur, quia ipſe eſt prima veritas & æterna ſapientia, ideòque nec falli poteſt, nec fallere.

5. Spes firma.

Quintò tenemur per ſpem firmam in illum tendere, quia per creationem ab illo exivimus, per ſpem pergimus, per glorificationem pervenimus: ipſe eſt primum principium, & finis ultimus in quo noſtra conſiſtit fœlicitas. Et ipſe cum natura ſua ſit ipſa pietas & miſericordia, oportet in illo confidere, cui contra naturam eſt non recipere ſupplicem, non juvare impotentem, non remunerare hominem ſibi ſervientem, non ſervare ſuam promiſſionem. Hanc quoque perfectam fiduciam non poſſumus in alio conſtituere tanquam ſalutis authore, aut ſpei fundamento.

6. Charitas intenſa

Sextò, tenemur per charitatem toto amore & perfecta in eum ferri dilectione, quia ſuprema bonitas eſt, fons, origo, & plenitudo omnis boni: & in illo eſt omnis ratio ad amorem potens movere, quia ipſe eſt cauſa, ipſe centrum, ipſe præmium amoris noſtri, fons eſt noſtræ dilectionis a quo fluit, in quem refluit.

7. Fuga omnium peccatorum.

Denique per hoc præceptum conſecutivè tenemur ab omni peccato abſtinere: quia in omni peccato mortifero reperitur ſervitus contrarians ſervituti Dei. Reperitur quoque ſpiritualis quædam idololatria, quia qui peccato mortali ſe obſtringit creaturam plus colit quàm Deum, pro illa Deum relinquens, & illo ſpreto illi adhærens, Deique amorem ejus amori poſtponens: & ſic pro Deo illum colere interpretativè cenſetur. Sic Avaritiam dixit Apoſtolus idolorum ſervitutem, Col. 3. 5.

eo

eo quod avarus se totum impendat pecuniæ, illam cogitat, illam somniat, in illa omnia sua studia collocat, sicque quasi Deum illam colere censetur. Unde Dei aurei & argentei avaris sunt opes & nummi, quia, ut dicit Innocentius III. lib. de vilit. conditionis humanæ: sicut idololatra servit simulachro, sic avarus servit thesauro. Nam ille cultum idololatriæ diligenter ampliat, & iste cumulum pecuniæ libenter augmentat. Ille cum diligentia colit simulachrum, & iste cum omni cura custodit thesaurum. Ille spem ponit in idololatria, & iste spem constituit in pecunia. Ille timet mutilare simulachrum, & iste timet minuere thesaurum.

1. Reg. 15. 23. S. Greg.

Sic etiam inobedientia vocatur idololatria 1. Regum. 15. *Quasi scelus idololatriæ est nolle acquiescere.* Ubi Gregorius: *In inobedientia sua obstinatione nemo persisteret, si propositi sui figmentum in corde quasi idolum non gestaret, dum enim agenda in corde concipit, quasi dolum fecit, & dum conceptum mentis propositum actarum fi deliberat, quasi ad adorandum simulachrum se inclinat.* Pari modo gulam, idololatriam vocare censetur Apostolus, dum dicit: *Multi ambulant quorum finis interitus, quorum Deus venter est,* hoc est, qui toti ventri student, & illi indulgent. Illud enim cuique Deus censetur quod maximè colit, cui totus servit, & se suaque omnia impendit: & propriè tales sunt, qui omnia studia, cogitationes, opes ad gulam ventremque referunt, quasi ad summum & ultimum bonum, parati pro gula Dei legem & amicitiam violare, & sic ventrem Deo ipsi præponere. Ad hunc locum alludens Hugo Victorinus dicit, superstitiosum nimis quidam in cibis præparandis adhibent studium, infinita decoctionum, frixurarum & condimentorum genera excogitantes: modo mollia, modo dura, modo frigida, modo coacta, modo assa, modo pipere, modo allio, modo cymino condita, secundum consuetudinem prægnantium mulierum desiderantes, ita ut eis desudent coquorum artes, quæstiones & sollicitudo. Isti videntur colere ventrem tanquam Deum. Et hoc postea latius explicans, dicit: *Solent Diis templa construi, altaria erigi, ministri ad serviendum ordinari, immolari pecudes, thura concremari. Ita Deo ventri templum est coquina, altare mensa, ministri coci, immolata pecudes colla carnes, fumus incensorum, ordo saporum.*

Phil. 3. 19.

H. Vict. tract. de claustro animæ.

Itaque recapitulando dico, quot pravas passiones homo habet, quibus indulget, Deum offendens & relinquens, tot censetur idola colere. Propria excellentia idolum est, cui servis in superbia: Proprium judicium idolum est, cui servis in hæresi. Propria voluntas idolum est, cui servis in inobedientia. Venter idolum est, cui servis in ebrietate & crapula. Voluptas carnis idolum est, cui servis in luxuria. Passio inordinata idolum est, cui servis in ira. Et sic generali quadam ratione in omnibus vitiis huic Præcepto contravenis: *Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Vide ergo quot in te sint idola, & satage ea exterminare, & templum cordis tui emundare, ut solo veri Dei cultui in illo sit locus. Tibi dicitur quod Prophetæ: *Fili hominis fode parietem, & ingredere, & vide in templo abominationem, juxta ostium interius invenies ostium zeli, ad provocandam æmulationem.* Sic tu ingredere conscientiam tuam, fode & scrutare interius, ne forte sit idolum alicujus peccati mortiferi, quod Dei zelotis oculos offendat, vindictamque provocet, qui solus in corde tuo coli vult & adorari.

Ezech. 8. 9.

Ibid. v. 8.

PROPOSITIO II.

Peccata quæcunque contra fidem hoc Præcepto vetantur.

HOrum præcipua breviter attingemus. Primo peccat contra hoc Præceptum, non solum qui pertinaciter discredit alicui articulo fidei, sed etiam qui voluntariè de aliqua propositione fidei sufficienter proposita dubitat: fides enim fluctuans non est fides, sed infidelitatis species. Ideò Thomas dubitans reprehenditur tanquam incredulus & Apostoli qui vacillarunt tempore Passionis Christi. Hoc enim fidei lumen per hanc dubitationem perdidisse, significatur in candelis illis quæ extingui solent in Matutinis hebdomadæ sanctæ, unica excepta, quæ designat B. Virginem firmissima fide semper lucentem. Sive enim tempore Passionis, sive Resurrectionem Filii exspectans, nunquam Virgo in fide fluctuans fuit: Apostoli verò tunc dubitarunt, sed adventu Spiritus sancti in gratia & fide confirmati sunt, de quo rectè intelligitur illud ab Augustino. *Ego confirmavi columnas ejus.* Hoc est, Apostolos, quasi columnas, passione velut terræ motu concussas & in fide nutantes, ita stabilivi, ut qualibet persecutionis procella impetiri, nil commovendi sint. Quomodo autem fides nostra & integra & firmissima ac inconcussa esse debeat, alibi latè dixi.

Aug. to. 1. Tract. de Fide.

Cæterum adverte, non peccare contra hoc Præceptum; qui subreptitiis dubiis & tentationibus contra fidem agitantur, si voluntate renitantur. Et licet illæ perdurent, & molestæ sint frequenter recurrentes; vulnus non infligunt, si voluntati displiceant. Nam & Viri sancti ab illis non fuere exempti, licet in fide firmissimi & eminentes.

Exempl. de S. Pet. Mart. Surius 29. Apr.

Sic de S. Petro Martyre legimus Deum permisisse, ut gravissimas in fide tentationes sustineret, licet maximus ipse fidei defensor hæreticos doctrina sua confunderet, qui ab infantia excellentissimæ fidei dono erat præditus. Cùm ergo hanc pateretur violentam tentationis luctam, recurrit ad B. Virginis patrocinium, ante ejus imaginem orans pro subsidio & victoria contra sathanam. Vox verò quædam ei eadem verba quæ Christus Petro resonans audita est: *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, sed tu confirmabis fratres tuos.* Quod & factum est: quia vita, prædicatione, miraculis, doctrina, sanguine, morte, fidem Christi confirmavit: & cum confossus gladio animam ageret, Symbolum

Luc. 22. 32.

fidei

Digitized by Google

fidei toto ſpiritu pronuntiabat, imò & digitum ſanguine tingens conabatur hæc verba in pulvere ſcribere : *Credo in Deum Patrem.*

Marc. 9. 23. Non ergo turbentur qui ſimiles tentationes patiuntur, ſed interiorem actum fidei cum fervore renovantes, dicant : *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam* : In vera fide Eccleſiæ Dei cupio extremum ſpiritum dare, utinam & pro illa per gratiæ tuæ donum poſſim occumbere. Juvabit quoque aliquando, dum importuniùs à maligno ingeruntur, non tam reſiſtere, quàm illas contemnere ejuſque authorem ; quaſi ei improperes: *Vade retro me ſatana, ſcandalo tu mihi es*, revertere cum ſuggeſtionibus tuis in locum tenebrarum, ego in fide Domini JESU Chriſti & luce ejus perſevero. Experientia enim compertum eſt, ſimili modo graves fidei & blaſphemiæ tentationes fuiſſe profligatas. Unde Climacus ſcribit : Qui blaſphemiæ ſpiritu perturbari ſe ſentit, & vult liberari, pro certo habeat, non ſuam animam, ſed impurum ſpiritum hujus cogitationis eſſe cauſam, qui dixit Domino : *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me*, ideò nos contemnentes intrepidi dicamus : *Vade poſt me ſatana : Sermo tuus & dolus in caput tuum convertetur, & in verticem tuum blaſphemia tua deſcendet in præſenti & futuro ſæculo.* Qui præter hunc modum adverſus blaſphemiæ ſpiritum pugnare vult, eſt ſimilis illi qui manibus ſuis coruſcationem continere nititur. Ita ille. Qui idipſum confirmat hoc exemplo.

Climacus gradu 23.

Exempl. Climacus ubi ſupra. Monachus ſalutis ſtudioſus, cùm à dæmone perturbaretur cogitatione blaſphemiæ, ad vigiuti annos carnem vigiliis & jejuniis macerabat. Cùm verò inde nullam utilitatem ſentiret, conſcriptam in charta tentationem ſancto cuidam ſeni obtulit, in faciem proſtratus. Ut autem legit ſenior, ſubriſit, Fratremque erigens, dixit : Pone fili manum ſuper oculum meum. Quod cùm feciſſet, ait ei: Super collum meum fit hoc peccatum Frater, quotquot annis te oppugnavit vel oppugnabit, tu autem id obſerva, ut jam nihili æſtimes. Quibus verbis ita roboratus eſt, ut non ante cella ſenis excederet, quàm is morbus evaneſceret. Hoc autem qui expertus eſt, mihi enarravit, Deo gratias referens. Ita Climacus, gradu 23.

Secundò, contra hoc Præceptum peccant, qui corde retinentes fidem, ore aliquem fidei articulum negant ob metum, vel aliam cauſam, vel etiam opus aliquod infidelitatis faciunt. Tenemur enim confiteri fidem, cùm honor Dei id poſcit, vel utilitas proximi, & pro ea etiam mortem obire : nec poſſumus eam ullo caſu negare, aut aliquid facere, unde cenſeremur illam denegaſſe. De quo alibi dixi Lib. 1. ſup. 1. ar. Symboli.

V. Brev. Roman. 26. April. Hoc agnovit S. Marcellinus, qui cùm in illa immani perſecutione Diocletiani, terrore perterritus Deorum ſimulachris thus adhibuiſſet ; licet fidem corde retineret, tamen tantopere illius rei eum pœnituit, ut Sinoeſſam ad Concilium plurimorum Epiſcoporum venerit cilicio indutus, ubi lachrymis profuſis ſcelus ſuum palam confeſſus eſt. Quem tamen damnare auſus eſt nemo, ſed omnes una voce clamarunt : *Tuo te ore, non noſtro judicio judica; nam prima ſedes à nemine judicatur.* Petrum quoque propter eandem animi infirmitatem deliquiſſe, & à Deo ſimilibus lachrymis veniam impetraſſe dixerunt. Marcellinus ergo Romam reverſus, Imperatorem adit, graviter eum accuſans, quòd ſe ad tantam impietatem impuliſſet. Unde ille Marcellinum capite plecti jubet, qui ſanguine ſuo priorem maculam eluere paratus fuit.

Nazianz. ora. 1. in Julian. Hoc etiam agnoverunt milites Chriſtiani, quos Julianus Apoſtata dolo ad idololatriam voluit inducere. Invitarat eos Julianus, ut de manu ſua munus acciperent, utque recedentes, thuris grana quædam honoris gratia, in focum conjicerent coram ſe & ſuis, qui cæremoniam hanc ut idolis factam, & Chriſtianiſſimi adjurationem tacitam interpretantur: Milites hi mente Imperatoris & fraude poſt factum comperta, frementes Julianum adierunt, exclamarunt: *Non dona accipimus Imperator, ſed morte damnati ſumus: non honoris cauſa vocati, ſed ignominia notati ſumus: Da hoc beneficium militibus tuis: Chriſto nos macta atque obtrunca, cujus nunc imperio ſubjicimur. Ignem igni repende : pro illo in cinerem nos redige. Manus amputa, quas ſceleratè porreximus : pedes quibus malè currimus : alios auro dona, quos accepiſſe poſtea non pœniteat. Nobis ſatis ſuperque eſt Chriſtus, quem inſtar omnium habemus.* Julianus ira accenſus, invidenſque eis martyrii gloriam; eos exilio mulctavit. Rem fusè Nazianz. ora. 1. contra Julianum enarrat.

Matt. 10. Baro. to. 9. an 494. ex Greg. Tuon.

Agnoverunt ergo omnes hi oportere confiteri Chriſtum coram hominibus, nec ſufficere privatim corde credere, cùm ipſe Chriſtus dicat : *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in cœlis eſt.* Non confiteri autem publicè, cùm honor Dei & utilitas proximi id poſtulat, vel cùm alias ſcandalum ſequitur, quodammodo negare eſt. Unde cùm S. Avitus Epiſcopus Viennenſis rebus hæreſi turbatis agnoſceret Gundebaldum Burgundionum Regem, velle clam Chriſmate conſecrari, non verò palam, ne ſeditio oriretur: cùm tamen ipſe agnoſceret hæreticorum aſſertiones nihil eſſe, & confiteretur Chriſtum & Spiritum ſanctum coæqualem Patri, de quo nunc agebatur, ſic eum allocutus eſt: Si verè credis quod nos Dominus edocuit, nunc oſtende. Ait autem Dominus: *Si quis me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo. Qui negaverit me coram hominibus, negabo & eum coram Patre meo.* Matt. 10. Sic & dilectos ſuos Apoſtolos monuit : *Ante Reges & Præſides ſtabitis propter me in teſtimonium illis & gentibus.* Tu verò cùm ſis Rex, & à nullo apprehendi formides, ſeditionem paveſcis populi, ne Creatorem omnium in publico fatearis ; relinque hanc ſtultitiam, & quod corde te dicis credere, ore profer in plebe. *Corde enim creditur ad juſtitiam, ore* Rom. 10. 10. *confeſſio*

Digitized by

feſſio ſit ad ſalutem. Undè & Propheta ait: *Confitebor tibi in populis Domine, Pſalmum dicam nomini tuo inter gentes.* Tu verò, ô Rex, metuens populum, ignoraſne ſatiùs eſſe, ut populus ſequatur fidem tuam, quam tu infirmitati faveas populari? Tu es caput populi, non populus caput: Si enim ad bellum proficiſcaris, tu præcedis catervas, & illæ quò abieris, ſubſequuntur. Undè meliùs eſt, ut te præcedente cognoſcant veritatem, quàm te pereunte permaneant in errore. Nam Deus non irridetur, nec enim diligit illum, qui propter terrenum regum, eum non confitetur in hoc ſæculo. Hac ille oratione confuſus eſt, nec tamen converſus, quia uſque ad exitum vitæ ſuæ in hac inſania perduravit, ut publicè æqualitatem Trinitatis confiteri non fuerit auſus.

Tertiò peccant, qui legunt libros hæreticorum, & hi incurrunt excommunicationem per Bullam Cœnæ Domini, quocunque id prætextu faciant. Neque verò ſine ratione Eccleſia prohibet, tam conciones eorum audire, quam libros legere, ob præſentiſſimum periculum, quo plurimi hoc modo in errores eorum lapſi ſunt: dum enim in libris nomen Domini, nomen Chriſti & dulces ſermones ac benedictiones, ſcripturaſque eloquentiæ colore fulgidas inveniunt, nil ibi contineri niſi pietatem exiſtimant: ſicque dum lectione paſcuntur, ſenſim venenum in animos eorum ſerpit. Nec conſiderant nihil eſſe tam ſacrum, nihil tàm divinum, quo malignus ſpiritus non abutatur, quaſi eſcâ, quâ in ſua retia attrahit improvidos. Neque verò mirum eſt, eos Scripturas citare, cum etiam diabolus illis uſus ſit, ut Chriſtum falleret. Et rectè Irenæus hæreticos abutentes Scripturis, comparat impoſtoribus vitrum pro margaritis vendentibus. Rectè quoque confert illos cum meretricibus rugoſis & fœdis, quæ fuco & coloribus vitia occultant, & cum veneficis, quæ toxica melle tegunt. Undè ſcias eorum libros verè eſſe Calicem illum aureum meretricis Babyloniæ, qui intus plenus erat veneno & abominatione. Adverte quoque, quod ſicut ſatan Chriſtum alloquens, uſus eſt Scripturis falſificatis & mutilatis, ita & hæretici. Dicit enim Chriſto ſatan: *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te,* &c. Sed ad decipiendum citat, & in falſo ſenſu utitur: nam de vitis juſtis intelligitur, non de Chriſto Filio Dei, qui cuſtodiâ Angelorum non eget, cùm humanitas in ipſo à verbo divino immediatè regatur, cuſtodiatur, protegatur. Ita hæretici ad decipiendum falsò Scripturis utuntur, eaſque ſæpè vel corrumpunt vel mutilant. Undè contra imagines proferunt: *Non facies tibi ſculptile:* detruncant, *Ne adores illud.* Contra templa: *Non in manu factis habitat Deus*: omittunt, *Indigens aliquo.* Contra Sanctos: *Vnus eſt mediator*, omittunt: *Qui dedit ſe redemptionem pro multis.* Contra bona opera, allegant Apoſtolum dicentem: *Nos fide juſtificari*, addunt ipſi, *ſolâ fide.*

Irenæus.

Pſ. 90. 11.

Act. 17. 24. 1. Tim. 2. 5. Rom. 3. 28.

Sciendum quoque non excuſari illos, qui libros eorum volvunt ad majorem firmitatem in fide, vel etiam ex ſola curioſitate, quia Bulla Cœnæ Domini expreſsè excommunicat eos, quocumque id prætextu faciant vel colore. Ratio eſt, quia & hi quoque periculo ſe exponunt. Cùm enim nova, placentia, curioſa afferant, quæ carnales aures ſcalpunt, non eſſe jejunandum, virginitatem non eſſe colendam, non eſſe confitendum, pœnitentiam non eſſe agendam, cùm Chriſtus pro nobis ſatisfecerit, & multa ſimilia, quæ libertatem carnis ſapiunt: ideò periculum ſemper involvunt. Et ideò de illis dixit Apoſtolus: *Sermo eorum ut cancer ſerpit*, paulatim inficiens. Cavendique ſunt, inquit D. Leo, *quaſi ſerpentes qui humiliter irrepſerunt, blandè capiunt, molliter ligant, latenter occidunt.* Latet verò hic ſerpens ſub pulchritudine & eloquentia verborum, velut ſub floribus, & paulatim per aures venenum ſuum influit in animum. Optimè quoque de hæreticorum libris dixit Nazianzenus, quod *Aſpidum ova ſint, quæ nata ſint aſpides & baſiliſcos procreare.* Itaque qui volunt experiri, ſuâ curioſitate ducti, quid eorum libris contineatur, frequenter inficiuntur: & ſimiles ſunt illi, qui aconitum ſumpſit, ut ejus virtutem exploraret, quam non potuit cognoſcere, niſi propriâ morte. Similes quoque ſunt illis, qui natant in littore, quaſi animi gratia & recreationis cujuſdam prætextu, nihil verò minùs cogitantes, à fluctibus rapiuntur & involvuntur. Sic hi vento levitatis ſuæ & periculo ſe committentes, in altos frequenter errores abripiuntur, quod experientiâ nimis notum eſt.

2. Tim. 2. 17. D. Leo. Naz. or. de fide.

Quantùm autem damni ſibi procuret, qui libros hæreticos domi ſuæ retinet, exemplo eluceſcit, quod refert Jo. Moſchus in Prato ſpirituali. Acceſſimus, inquit, ad Abbatem Cyriacum Presbyterum Lauræ Calamonis juxtà ſanctum Jordanem, narravitque nobis: Die quadam vidi per ſomnum mulierem, honeſtâ facie, purpura indutam, & cum ea viros duos, & ipſos venerando habitu & aſpectu præclaro. Arbitratus autem ſum mulierem illam eſſe Dominam noſtram, ſanctam Dei Genitricem, eoſque qui cum ea erant duos viros, S. Joannem Baptiſtam, & S. Joannem Theologum, & Evangeliſtam. Egreſſusque de cellula orabam illam, ut ingrederetur. Quæ non conſenſit. Permanſi ergò diutiùs orans, obſecrans ac dicens: *Ne quaſo avertatur humilis facius confuſus*; & alia plurima hujuſmodi. Illa igitur, ut me vidit inſtare precibus, eandemque poſtulationem iterare, ſeverius mihi reſpondit: *Habes intra cellam tuam inimicum meum, & vis ut ingrediar.* Et his dictis abſceſſit. Evigilans autem ego affligi cœpi, & cogitabam num aliquod in mente peccatum contra illam admiſiſſem, neque enim erat alius aliquis in cella mea, niſi ego ſolus. Diutiùs igitur meipſum diſcutiens, nihil inveni quod in illam peccaſſem. Cùm verò viditſem me nimio mœrore abſorberi, ſurgens accepi librum ut legerem, quo per hujuſmodi lectionem, dolorem, cogitationeſque repellerem. Librum autem ipſum

I. Moſch. in Prato ſpir. c. 46. In vit. PP. l. 10. c. 46.

Pſ. 37. 21.

Digitized by Google

mutuò acceptam à B. Heſychio Presbytero Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, evolvenſque librum, inveni duos impii Neſtorii libros, in fine volnminis ſcriptos. Moxque agnovi hunc eſſe Dominæ noſtræ Dei Genetricis ſemperque Virginis Mariæ inimicum. Tunc ſurgens abii, librumque illi, qui mihi eum accommodaverat, reddidi, dicens illi : *Accipe librum tuum, Frater, neque enim ex eo tantum utilitatis cepi, quantum detrimenti.* Cùm verò ille detrimenti illius cauſam ſciſcitaretur, omnem illi ordinem retuli. Qui zelo Dei ſuccenſus protinus duos illos Neſtorii libros præcidit, eoſque igni tradidit, dicens : *Non manebit in cella mea Domina noſtra S. Dei Genetricis ſemperq; Virginis Maria inimicus.*

Surius in vita S. Pach. 14. Maii ex Metaph.

Lectione librorum hæreticorum, tetrum fœtorem animo affari indubium eſt, ſed & illum SS. Viri aliquandò ipſis etiam corporeis ſenſibus percepe-runt. Illuſtre hujus rei exemplum ſuppeditat nobis vita S. Pachomii. Hic cum Anachoretas quoſdam Origenis hæreſi infectos hoſpitio accepiſſet, & una cum illis de divinis literis ſermocinati cœpiſſet, fœtor intolerabilis exivit. Illis digreſſis, Pachomius volens ſcire cauſam tetri illius odoris, Deum oravit : & ſtatim cognovit, fuiſſe dogmata impuritatis, quæ ex eorum anima emiſſa, tantam adferebant moleſtiam : & non cunctatus, viros eſt perſecutus. Quos cùm eſſet aſſecutus, dixit eis : Volo unum ex vobis ſciſcitari. Illi verò dixerunt : Dic. Origenis vos opera legitis : Illi verò cùm hoc audiſſent, negarunt. Sanctus autem dixit : Ecce teſtor vobis coram Deo, quod omnis homo, qui legit Origenem, & ſuſcipit ejus dogmata, deſcendet in profundum inferorum, & ejus hæreditas erunt tenebræ exteriores. Ego autem ſum vobis proteſtatus, id quod eſt à Domino mihi ſignificatum, & ſum innocens, vos videbitis. Ecce audiviſtis veritatem. Si autem mihi credideritis, volentes verè Deum eſſe propitium, accipite omnes libros Origenis, & projicite in fluvium.

Quibuſdam tamen (illorum licentia quibus ad hoc auctoritas à Summo Pontifice eſt commiſſa) rectè librorum hæreticorum lectio, non ſolùm permittitur, ſed & committitur : ut ipſi in fide ſatis firmi & eruditi, eorum poſſint errores vel verbo, vel ſcripto diſcutere & evincere, ac ab animis infirmis excutere. Ob eam cauſam Dionyſius Alexandrinus cœleſti oraculo juſſus eſt hæreticorum libros legere, & eodem quoque teſtimonio idoneus ad hoc præſtandum judicatus eſt. De quo ſic Euſebius ex ipſo Dionyſio, epiſtola de Baptiſmate, quam dedit ad Philomonem Presbyterum Romanum : Equidem tamen hæreticorum libros & traditiones perlegebam, & meum ipſius animum ad tempus ſceleſtiſſimis eorum opinionibus quodammodò inquinari videbar : hoc tamen ab illis capiebam commodi, ut non modò eos interiore animi cogitatione condemnarem ac refellerem, ſed multò vehementiùs inpoſterùm deteſtarer. Ac cum quidam ex numero Presbyterorum me vetaret, deterreretque a legendo, ne turpi pravitatis & perverſæ eorum doctrinæ cœno contaminarer (meam enim mentem errorum labe pollui aſſeruit) eumque vera meo quidem judicio diceret, viſo quædam cœlitus ad me demiſſa me confirmavit, & vox ad aures dilapſa manifeſtè præcepit : *Omnes libros quos ſumis in manu, evolve ſedulò, nam ſatis habes virium & firmitatis ad quaque tum convincenda, tum explorandæ : Atq; hac cauſa eras, cur in initio ad fidem Chriſti vocatus fueris.* Viſionem utpotè ritè conſentientem voci Apoſtolicæ, ſic ad potentiores dicent : *Omnia probate, & quod bonum eſt, tenete,* lubens equidem approbavi. 1. Theſſ. 5.

Euſeb. de Dionyſio Alex.

Quartò peccant, qui contra ordinationem Eccleſiæ Biblia vulgari idiomate legunt : id enim prohibuit Eccleſia, quia maxima pars hæreſeon indè originem ſuam traxit, quod indifferenter Laici, mulieres, mechanici, Scripturas legerent, & non intelligerent myſteria, quæ ſub cortice literæ latent : proprio ergò decepti judicio, errores varios ſunt ſecuti. Quapropter hoc fuit primum ſtudium noſtrorum hæreticorum, eudere hæc Biblia, & inter manus populares illa deponere, variis locis vel mutilatis vel falſificatis. Hoc modo velut gladium in manu furioſi depoſuerunt, quo ſeipſum interimeret. Eſt enim Scripeura velut gladius, qui vel occidit, vel vivificat, defendit vel offendit, juxtà uſum bonum vel malum tractantis eam. Unde & Hebræi non permittebant lectionem libri Canticorum, aut initia Geneſis vel Ezechielis ante trigeſimum annum (juxtà Hieronymum) timentes abuſum. Certè myſteria Scripturarum indifferenter vulgaribus tractanda relinquere, eſt *Sanctum dare canibus, & margaritas ante porcos projicere.* Nempè hoc debet reſervari illis, qui in Eccleſia ſunt conſtituti ut Apoſtoli, ut Doctores, ut Sacerdotes : his ſunt commiſſi ſacri libri eorumque interpretatio, *qui veſtè ſciunt tractare verbum veritatis,* ut loquitur Apoſtolus. Meritò ergò tidet D. Hieronymus, quod unaquæque ars ab iis, qui eam didicerint, tractetur (nam de medicina Medicus diſſerit, de Juriſprudentia Juriſperitus, de vaſis figulus, de arte ſua quilibet artifex.) Sola verò Scripturarum ars eſt, quam omnes hæctant, docent antequàm diſcant. Hanc Sophiſta verboſus, hanc garrula anus, hanc delirus ſenex ore profano tractare præſumunt : De hac faber ferrarius, ſutor, ſartor, armentarius, figulus differere audet : quibus rectè dicimus, ut de calceis ſuis loquantur, de inde, de bobus, de vaſis, de inſtrumentis artis ſuæ, nec ſcrutentur, quæ ſuprà ſe ſunt. Ad hæc enim artis ſuæ inſtrumenta relictis ſapientiæ ſtudiis, remittit eos Eccleſiaſticus c. 38. à verſu 26. uſque ad finem, docens, eos non eſſe aptos ſapientiæ. Vide ibi. 2. Tim. 2. 15.

Narrat Sanderus & ex eo Bellarminus, quandam Domicellam, dum in hæreticorum congregatione de Bella legeretur 24. caput Eccleſiaſtici, ubi agit de malitia mulierum, & dicit : *Malior eſt iniquitas viri, quam* Sanderus de Bella

mu-

mulier bene faciens tanta ira percitam fuiſſe, ut in congregatione publicè aſſurgens ad miniſtrum inclamarit: Eſt ne hoc verbum Dei? Verbum potius eſt diaboli. Sic & alius quidam, dum legeretur quod aſina Baal locuta fuerit, publicè improperavit miniſtro: Quis adeo beſtia eſt, ut credat beſtiam loqui? Quid ſit cantica Canticorum legant carnales, & multa alia difficilia loca Scripturæ? Certè ex illis potius venenum haurient quam inſtructionem, ut quotidiana experientia conſtat.

Peccant & laici diſputantes de fide, & hoc quoque prohibetur eis ob periculum, ſub excommunicatione c. Quicunque de hæret. in 6. Quamvis in locis ubi paſſim verſantur hæretici, illa conſtitutio videatur enervata per contrariam conſuetudinem. Interim convenientia eis foret tacere quam diſputare, & dicere cum Pſalte: *Quoniam non cognovi literaturam, introibo in potentias Domini.* q.d. Cum non ſim ſatis inſtructus ſcientiis, ut poſſim diſputare de altiſſimis myſteriis, recurram ad Dei potentiam, quem ſcio omnia poſſe, licet ego non aſſequar, & hoc mihi ſufficiet contra omnem ſcientiam fidei adverſantem. Ad hanc potentiam recurrebat cæcus, qui diſputantibus Phariſæis ait: *Hoc unum ſcio, quia cum cæcus eſſem, modò video.* Sic reſponde hæretico interroganti: Quomodo Chriſti corpus in cœco eſſe poſſit & in terra? Quomodo in tam parva hoſtia? Deduc eum ad potentiam Domini, & dic non eſſe impoſſibile apud Deum omne verbum. Dic te credere in Deum Patrem Omnipotentem, & ſic conclude diſputationem.

Pſ. 70. 15.

Joan. 9. 25.

LECTIO II.

DE SUPERSTITIONE.

1. *Explicat varia peccata quæ committuntur per ſuperſtitiones.*
2. *Docet eſſe religioſum. Agnum cereũ deferre*
3. *Docet divinationem hic prohibitam.*
4. *Maleficium & veneficium reprobatum.*

PROPOSITIO. I.

Omnis ſuperſtitio cenſetur prohibita primo Præcepto.

PRimo ergo peccant, qui verbis vel ſacris, vel prophanis utuntur, ut animalibus ſanitatem reſtituant, vel aliqua adhibent, quæ nullam virtutem naturalem aut ſupernaturalem ad id habent. Ratio eſt, quia in his expreſſa vel tacita invocatio dæmonis eſt, & pactum cum illo. Cum enim efficere nituntur per cauſas quæ nec virtutem naturalem ad id habent, nec à Deo aut ab Eccleſia ad hoc ordinatæ ſunt, non niſi à dæmone effectus exſpectari poteſt, virtute alicujus pacti quod aliquando iniit cum aliquibus perſonis ſibi familiaribus, à quibus doctrina illa accepta in alios manavit.

Neq; refert verba eſſe ſacra, & nihil niſi bonum continere, quia dæmon ſuam malitiam ſacrorum verborum velamine ſolet occultare: & ſicut Deus in ſacris myſteriis, verborum virtute, quam illis indidit, multa operatur; ita & dæmon, tanquam Simia Dei, vult ſua nefanda myſteria verborum quorundam ſpecie tenus ſacrorum cortice velare, & nihil eſt adeo ſacrum quo ipſe corrumpendo non utatur, nomenque Chriſti & Sanctorum intermiſceat; quaſi aliquid melle miſcens, ut toxicum abſcondat. Hoc advertens D. Chryſoſtomus, ſic dicit: *Ad ligaturas & incantamenta, conjuges vetulas ebrias, & titubantes illas in domum tuam introducere non erubeſcis: & quod gravius eſt, quando hac admonemus, putant ſe excuſari dicentes, quod Chriſtiana eſt mulier hæc excantans, & nihil aliud loquitur quam Dei nomen. Propterea namque magis ipſam debes deteſtari, quod Dei nomine ad contumeliam utatur, quod ſe dicens eſſe Chriſtianam, Gentilium opera facit. Nam & Dei nomen dæmones fatebantur, & tamen dæmones erant, dicentes Chriſto: Novimus te quoniam Sanctus Dei es: qui nihilominus eos increpavit & ejecit.* Mira profecto ſtoliditas eſt hominum his ſuperſtitionibus credentium, quaſi Deus vetulis quibuſdam deliris, & hominibus ignaris vel etiam corruptis moribus, poteſtatem largitus fuerit quam Sanctis ſuis non dederit, quibus profunda ſapientiæ ſuæ arcana virtutemque miraculorum communicavit. Clamandum itaque frequenter Paſtoribus & Prædicatoribus contra hos abuſus, quia adhuc hoc tempore in animis ſuperſtitioſorum hominum, & plurimum vetularum ita inhærent, ut poſt multas monitiones, vix extirpes. Eſt tamen poſt monitionem, peccatum mortale his uti, & in multis Diœceſibus eſt caſus reſervatus.

Chryſ. hom. 12. ad pop.

Graviter ergo reprehendendi ſunt multi, qui contra febres, contra oculorum vel aliorum membrorum dolores, neſcio quibus chartulis vel vaniſſimis verbis, quandoque etiam afflatu ſuperſtitioſe utuntur, & dolorem ſanant vana quadam confidentia. Omnis vero ſanitas eſt ex vi pacti dicti, ex vi cujus dæmon impertitur ſive procurat ſanitatem, ut his eos deliciis detineat, & à vero Dei cultu ad ſui ſuperſtitioſum cultum traducat, quia in his ſuperſtitionibus tacite adoratur. Præclare ergo ille cui ſimilia remedia in morbo lethali præſentabantur, dixit: *Malo mori cum Deo, ſine tali Medico; quam vivere ſine Deo, Medico diabolo.* Hæc eſt Chriſtiana vox.

Nempe ſanitas talibus remediis illicitis procurata, in eorum gravius præjudicium vertitur, vel ſpirituale, vel etiam temporale; quia dæmon nullum beneficium impendit, quod non ordinet in perniciem hominis. Sit ideo qui ſic ſanant, vel ſanantur, meritò debent expectare aliud grave infortunium corpori vel animæ impendens. Interrogo ergo te ô Chriſtiane, qui ſimilibus uteris ut ſanitatem conſequaris: An illam à dæmone habere tibi expediat,

Digitized by Google

pediat,an potius graviori dolore torqueri? an expediat ſanari te corpore,animo vulnerari? Attende &
In vita D. Bernardi. imitare exemplum D. Bernardi. Hic adhuc puerulus gravi capitis dolore vexatus in lectum decidit: acceſſit mulier quædam dolorem verbis quibuſdam & carminibus mitigatura. Ille acri indignatione commotus,eam à ſe clamoribus repulit, & impetu quodam ſpiritus è lecto exiliens, mox divinitus ab omni dolore ſe liberatum agnovit. Attende
Chryſ. ho. 10. ad Coloſſ. quoq;quid dicat D. Chryſoſtomus de Rege Davide:
Idem orat. con. Jud. *Diligebat filiolum agrotum, & in ſacco & cinere jacebat: Verùm, neque divinos,neque incantatores adduxit: cùm tamen tales non deeſſent (ut patet in hiſtoria Saulis) ſed ipſe Deo propuero ſupplicavit.* Aliis id quoque exemplis alibi confirmat Chryſoſtomus, dicens: Ille qui triginta octo annis detentus fuerat infirmitate, ſingulis annis currebat ad piſcinam, & refellebatur,nec aſſequebatur ſanitatem; non tamen profilit ad eos qui per applicaturas promittunt ſanitatem,ſed exſpectavit divinam opem, & tandem illam adeptus eſt. Lazarus quoque cùm morbo & fame tota vita colluctatus eſt, exſpiravit in divitis veſtibulo,contemptus jacens, & canibus pabulum: Non tamen quærebat ipſe incantationem, non petala circumligavit,non quicquam vetitarum artium tentavit,ſed maluit illis immori malis, quam ulla arte deſerere pietatem. Quam igitur veniam impetrabimus, qui cùm illi in tantis malis perdurarint, ob febriculam aut leve vulnus veneficos ac impoſtores, in ædes noſtras acceſſimus? Hæc Chryſoſtomus.

Quod autem ejuſmodi ſanitates, quæ chartulis & verbis fiunt,ex pacto dæmonis oriantur, & vana fide tùm ſanantis tùm ſanandi, pluribus exemplis declarari poteſt.

Feliſius in 1. Præcep. Decalogi. Refert Gotſchalcus Roſemundus, & Mat. Feliſius, mulierem quandam gravi oculorum dolore laborantem, cùm jam fruſtra tentaſſet aliqua remedia naturalia, adiviſſe juvenem quendam ſtudioſum, qui dicebatur ſcire ſcripturam quandam, aut habere ſchedulam, quæ remedium foret contra talem dolorem: promittit ergo illa ei novam veſtem, ſi ab illo ſanari poſſit. Ille aſſerens ſe remedium noſſe, dat ſchedulam panniculis involutam, tali conditione, ut continuò ſecum illam deferret, nec eam per ſe vel per alium inſpiceret. Mulier huic nixa fidei ſanitatem recuperat, & cum quædam mulier ſimili laboraret morbo, eandem ei ſchedulam eadem conditione tradit, quæ etiam ſanitatem per hoc eſt aſſecuta. Tandem cùm miraretur hunc effectum ſanitatis,chartulam illam inſpexerunt, & invenerunt in ea ſcriptum: *Diabolus cruat tibi oculos & luto obſtruat foramina.* Confuſæ ergo mulieres hac ſcriptura acceſſerunt Parochum, & rem totam ei indicarunt, cujus conſilio condignæ pœnitentiæ ſe ſubjecerunt,& illos oculos lachrymis rigarunt,quos non tam fides quam perfidia illuſtraverat.

Alius quidam illiteratus, nimis credulus à ſodali quodam ſuo, tanquam rem myſticam acceperat ſchedulam, quæ vi inſcriptionis omnes ſeras & clauſtra poſſet diſſolvere & aperire, & ita iſte firma fide ſeris ſchedulam applicans,ſtatim illas reſerebat. Cùm autem ipſe cuidam Sacerdoti rem aperuiſſet, laudabat mitam & efficacem divinamque verborum chartæ ſuæ potentiam, imò & eo præſente quaſcunque voluit applicatâ chartâ ſeras diſſolvit. Videns id Sacerdos petit ſchedulam, & diſplicatam legit,& in ea ſcriptum reperit: *Ioannes eſt malus nequam*,nihil plus,nihil minus,nihil aliter. Unde graviſſimis verbis juvenem eſt inſectatus, monens, ut execrandam artem jam nunc edoctus, abhorreret, ne erroris ſui brevi ſupplicia pendere vellet. Adhæc juvenis de verborum iſtorum virtute cœpit vacillare, hæſitabundus tamen experiri voluit,utrùmne vel adhuc ſicut aliàs clauſtra poſſent diſſolvere,dum ergo vacillans applicat, nihil effectus ſequi videt. Unde indignatus, maledictam ſchedulam igni tradit.

Manifeſtum eſt igitur ex his & ſimilibus, quæ quotidie & audimus & videmus, in his omnibus eſſe miram diaboli deceptionem, ut illaqueet animas damnabili pacto & erronea fide, ita ut qui his utuntur, verè poſſint dicere illud Iſaiæ: *Percuſſimus fœdus cum morte, pactum fecimus cum inferno.* Iſa. 28. 15.

Superſtitioſi monendi ſunt. Quapropter acriter monendi & reprehendendi ſunt varii generis homines, vel ex ignorantia; vel ex perfidia & malitia ſimilibus implicati, in grave præjudicium ſalutis. In primis monendi ſunt opiliones, quos frequenter advertere plurimis deditos eſſe vanis obſervationibus, ut gregem ſuum, vel à lupis, vel à ſcabie, vel ab aliis incommodis tutentur. Secundò fabri ferrarii, qui circa equos ſanandos utuntur verbis, vel ex Pſalmis pœnitentialibus, vel ex Oratione Dominica deſumptis. Tertiò multi villici & ruſtici, qui ad ſananda pecora ſua, multa inani & diabolica arte & ſuperſtitioſa obſervatione utuntur, vel ad eos recurrunt, qui tales artes callent. Quibus præſtaret ſaucia habere animalia, vel etiam mortua, quam animas. Quartò monendæ etiam vetulæ, quæ circa mulieres in partu laborantes, vanas orationes, vel ſuperſtitioſas obſervationes adhibent. Tanta enim invaluit corruptio,ut in neceſſitatibus potius recuramus ad vana & ſuperſtitioſa, quam ad vera auxilia ſpiritualia, quale eſſet in hoc caſu lumen coram Venerabili Sacramento accendere, ut Chriſtus, qui lux eſt de luce, lumen de lumine, lucem tam corporalis quàm ſpiritualis vitæ, per Baptiſmi gratiam puero impertiatur. Invocatio quoque ſpecialis Virginis Deiparæ & luminis accenſio coram ejus imagine; Invocatio etiam ſpecialis illorum Sanctorum qui reperiuntur in talibus neceſſitatibus auxilium tuliſſe; de qua re iterum alibi differui. Quintò monendi ſunt & illi; qui deferunt ſecum aliqua nomina ſacra, vel ſacras orationes, cum certitudine quod nunquam vulnus in bello

Digitized by Google

bello vel duello accepturi sint, vel nunquam aqua, igne aut subita morte interituri. Unde enim virtutem talem hæc nomina vel orationes haberent? Non virtute naturali, non ex promissione Dei, non ex Ecclesiæ instituto, vana igitur est talis observatio. Talia sunt quæ Galli vocant *Les Hautnoms*, in quibus conscribendis, multæ vanæ circumstantiæ intercurrunt; continentque varia fragmenta scripturarum, sine ordine, & asseritur in illis Angelum ad Carolum Magnum ea detulisse, dum prælium iniret contra infideles, multa quoque alia continent & incerta & falsa. Simlis quoque farinæ est oratio quæ incipit, *La S. Buche*, & frequens est inter vetulas rusticanas, & alia quæ incipit, *La Barbe nostre Seigneur*, & vita quædam sanctæ Margaritæ, Gallicè per rhythmos composita: & similes multæ, quæ promittunt illas recitanti, vel secum ferenti, immunitatem à vulnere, ab igne, ab aqua, à mala morte; & puerperæ cum certitudine partum facilem promittunt, si illi apponantur parienti. Quæ quidem ficta sunt, vana & superstitiosa. Unde miror talia hodiè imprimi, distrahi, circumferri, & à multis magna cum æstimatione recitari, quibus omnibus deberet obviare Superiorum diligens cura, & Pastorum vigilantia.

Licet deferre Evangelium S. Joannis, &c.

Nemo tamen colligat ex dictis, me improbare si aliquis secum ferat verba aliqua ex Scripturis, vel ex Evangelio desumpta, aut alia sacra nomina, v. g. Evangelium Joannis, nomen Jesu & Mariæ, aut alicujus Sancti. Neque enim hoc improbandum est, si nulla vana adsit circumstantia, vel in modo scribendi & ligandi, vel in characteribus aliquibus adjectis, aut similibus. Imò hoc pium est, & cum reverentia fieri potest, & cum spe aliqua de auxilio divino obtinendo propter illa. Valent enim hæc & contra maleficia & contra morbos, ut docet D. Augustinus Tractatu 7. in Joannem. Quod ergo dicit Apostolus: *Evangelium virtus est in salutem omni credenti*, intelligi potest non solum quia sit virtus & causa instrumentalis salutis & vitæ futuræ: sed etiam quia causa sit salutis corporalis piè susceptum, & delatum à fidelibus. Ut enim ait D. Thom. Non minoris efficaciæ est verbum Dei scriptum, quàm reliquiæ Sanctorum, sed illis utimur ad salutem, ergò etiam uti licet verbo Dei scripto. Sic de B. Cæcilia legimus, quod semper virgo illa devota Evangelium Christi gerebat in pectore: ut scilicet per illud & ab adversis protectionem haberet, & ad martyrium aliorumque conversionem sibi fortitudinem conciliaret: Similiter de S. Barnaba legimus, sub Zenone Imperatore repertum fuisse in Cypro corpus ejus habens ad pectus Evangelium Matth. propria Barnabæ manu descriptum. Videtur verò secum sepeliri voluisse, ut haberet illud quasi pignus cœleste resurrectionis in Evangelio promissæ. Est quoque inter fideles consuetudo gestandi Evangelium Joannis, quod duplici fieri potest ex causa. Tum quia virtutem habet contra maleficia, ut ipse Ecclesiæ usus approbat, frequenter illud legens & supra maleficiatos lectitari decernens. Tum quia est brevis fidei nostræ confessio, ac primariorum mysteriorum testificatio. Unde quicquid Ariani contra filii divinitatem dogmatizarunt; statim ad præsentiam hujus Evangelii evanescit, quasi tenebræ ad lumen Solis: & verisimile est tempore quo Ariani Ecclesiam afflixerunt, ortam esse consuetudinem hoc Evangelium secum deferendi in testimonium fidei Catholicæ, & odium hæresis illius virulentæ. Et ob eandem causam Evangelium istud ordinat Ecclesia legendum in fine Missæ.

Augustt. tract. 7. in Joan. Ro. 1. 16.

D. Tho. 2. 2. q. 76. a. 4. ad 3.

DE AGNO DEI.

PROPOSITO II.

Pium & contra maleficia efficax est, gestare imaginem ceream.

HAnc Agnum Dei vocamus, quia Agni cui Christus comparatur gerere solet imaginem.

Talem autem imaginem Pontifex solus conficerat, ex cera candida confectam, cui aliquid balsami sacrique Chrismatis jungi, aspergique aqua viva fontis. Et hæc quidem omnia adhibet ad excitandam devotionem nostram, & mysteriorum redemptionis nostræ memoriam: quia per virginem hanc ceram Christus designatur, purus, & è virgine ortus, oleo Spiritus sancti unctus, vivus ipse fons doctrinæ & gratiæ, qui etiam virtutum exemplis odoriferis (quasi balsamum aromatizans) ad se homines attraxit, peccatorum infami fœtore derelicto. In figura quoque Agni ceræ huic impressa, in memoriam nobis reducitur CHRISTI Agni innocentia, mansuetudo, patientia imitanda. Unde illam gestantes debent id facere cum reverentia, & ab omni impuritate peccati (quæ Agni hujus candori repugnat, cujus expressam gerunt imaginem) se servare debent immunes, maximè ab impudicitiis & aliis coram Deo fœtentibus & infamibus vitiis. Nam ut tanto majori cum honore & reverentia gestarentur, Pontifex sibi benedictionem cereorum Agnorum reservavit; ut scias quanti sint faciendi, cum à solo CHRISTI Vicario, a suprema illa à solo DEO dependente jurisdictione benedicantur, & soli illi qui in sacris sunt, soleant contrectare.

Hinc & ab Imperatoribus magnifiunt. Nam cum Leo III. dedisset imaginem Agni Carolo Magno, quem coronaverat Imperatorem, is illam tanquam magnum thesaurum cum insigni pietate accepit. Et cum Urbanus V. plures Agnos cereos misisset ad Imperatorem Constantinopolitanum, is solemni processione instituta, cum Clero & populo obviavit, & triumphali more in urbem induxit, ut legitur in Registro summorum Pontificum.

Ex quibus etiam constat non esse novam hanc benedictionem, sed ab antiqua Ecclesiæ traditione manare:

Aug. ep. ad Janu. *Cur hunc ritum inſtituerit Eccleſia.*

manare: cujus cum initium non habeatur, recte juxta Auguſtini regulam ab Apoſtolis, & à Chriſto ipſo originem habuiſſe creditur, qui hanc cæremoniam vel inſpiravit vel tradidit Eccleſiæ & Apoſtolis. Cùm enim tota Apoſtolorum ſollicitudo ad exterminandum idolorum cultum, & ſatanæ ſervitutem incumberet, Gentiles autem pernicioſa conſuetudine quædam parvula idola, vel amuleta incantatione plena, in collo geſtarent; ut ſuperſtitioni huic veram religionem ſubſtituerent Apoſtoli, & ſatanæ invocationi memoriam redemptionis noſtræ, geſtationem hanc Agni benedicti introduxerunt, qua etiam Fideles ab infidelibus poſſent diſcerni, ſicut & nunc per hanc ab hæreticis Catholici diſtinguuntur.

Agnus Dei quas virtutes habeat.

Unde & in primitiva Eccleſia poſt Baptiſmum ſolemnem, cùm veſtes albas Sabbato poſt Paſcha deponerent baptizati, dabatur eis Agnus Dei in memoriam innocentiæ baptiſmalis conſervandæ. Quare benedictio Agni non ſolet à Pontifice fieri, niſi in ſſo Sabbato. In illa autem benedictione invocat Dei virtutem, ut à facie Agni & crucis ejus fugiant dæmonis inſidiæ & ſatanicæ omnes poteſtates, fugiant quoque tempeſtates, peſtilentiæ, ignes, tonitrua, fulmina, nec noceant his qui Agnum hunc geſtarint. Invocat quoque auxilium divinum, ut virtute illius ſanitas conſerveturmatri gravidæ ac ejus fructui, & ut illa quæ in dolore partus eſt, à periculo liberetur. Quæ omnia ſi non ſemper accidant, ſcire debemus frequenter defectum eſſe ex parte præparationis, fiduciæ, indignitatis noſtræ: Deum quoque juſto judicio ordinare certas cauſas, ut infallibiliter hæc non fiant, velle tamen ut fides & reverentia in nobis per hæc continuò excitetur. Interim ubi firma fides eſt, frequenter hæc fieri, multis exemplis docet Daveroultius tom. 2. in floribus, unum hic appendo.

Daveroultius c. 3. in floril. exempl. tit. 71. Ex annu. Soc. Jeſu 1596.

Mulier quædam Ratisbonæ multis nocturnis illuſionibus & larvarum viſu mirè vexabatur. Rem aperit Catechiſtæ cuidam Societatis JESU, ille Agnum benedictum ei dat, monens ut magnam fiduciam concipiat. Excitata mulieris magna fide, liberata eſt illa ab his formis noctu occurrentibus. Vulgatâ verò rei famâ, magna paſſim omnium animos ſubiit reverentia erga hos Agnos cereos: ita ut accurrerent viri & fœminæ; juvenes & puellæ ad Catechiſmum, parati reſpondere in rudimentis fidei, ut Agnum benedictum obtinerent. Cùm verò lecto quodam die Pentecoſtes idem Catechiſta de virtute agnorum conſecratorum diſſereret, & aſſereret puerperam quandam applicatione hujus Agni liberatam fuiſſe à diuturnis & graviſſimis doloribus facilemque partum fœliciter edidiſſe, duo Calviniſtæ ruſtici in pagum ſuum redeuntes, caſu illac iter facientes, templum ingreſſi ſunt, & riſu rem excepere. Sed unus illorum domum ſuam ingreſſus reperit uxorem puerperii doloribus oppreſſam, in periculo mortis verſari, tota ſequenti nocte durat cruciatus, tentantur remedia, ſed fruſtra. Ruſticus ergo ad meutem rediens, cœpit cogitare de dictis à Catechiſta, & neceſſitate adactus dolere ſe ſubſannatione tem excepiſſe, & ſtatuit experiri. Mittit ergo ad Collegium Societatis, & à Catechiſta curat poſtulari Agnum conſecratum uxori periclitanti. Datur ſine mora, parturienti admovetur, confeſtim divina ſentitur virtus. Ceſſat cruciatus & filium edit, magna omnium lætitia & admiratione. Ruſticus gratias agit, & hæreſim in qua natus erat, abjuravit.

Quomodo etiam contra ignem valeant Agni cerei, habes exemplum in vita Patris noſtri Caroli Borromæi ſcripta per Petrum Guiſſiano lib. 6. c. 13.

P. Giſſanus l. 6. c. 12. vitæ B. Borromæi.

DE DIVINATIONE.

PROPOSITIO III.

Prohibetur quoque hoc præcepto divinatio ſuperſtitioſa.

Peccant legentes & conſulentes libros magicos & magos.

HÆc ſic, quando aliqua occulta, vel etiam futura vult quis cognoſcere per artes & modos illicitos. Sic peccant legentes libros aliquos, qui ſub titulo magiæ naturalis in veram magiam degenerant, & multa docent, quæ non niſi virtute dæmonis fiunt. Idem judicandum eſt de illis libellis, quæ ex lineamentis corporis multa volunt prædicere: quos quidem tenentur comburere vel comburendos tradere, qui verè pœnitent, & abſolutionem volunt obtinere, ſicut exemplo ſuo docuerunt illi de quibus in Actis Apoſtolorum dicitur cap. 19. *Multi ex his qui curioſa fuerant ſectati, contulerunt libros ſuos & combuſſerunt.*

Act. 19. 19.

Aſtrologia judiciaria eſt ſpecies divinationis.

Sic peccant & illi qui per chartas, aleas, vel per cribri agitationem, volunt furtum furemque deprehendere, aut alia quæ ſunt occulta, cognoſcere.

Denique peccant & illi qui viros vaniſſimos, quaſi Aſtrologos, de futuris contingentibus, & maxime de illis quæ ab hominum libertate pendent, conſulunt; cum liberæ actiones non pendeant à ſtellis: & ideò ex illis non poteſt homo cognoſcere de conditione vitæ, de matrimoniis, de liberis, honoribus, opibus, de infortunis, inimicitiis, præliis, carcere, morte, aliiſque caſibus humanis, niſi pactum cum dæmone interveniat; qui tamen etiam hæc certò nequit cognoſcere, ſed tantùm conjecturaliter. Qui ergo ſe iis in rebus Aſtrologos jactitant, ſæpe magi ſunt & malefici, & qui illos conſulunt, contra illud Domini præceptum agunt: *Anima quæ declinaverit ad magos & ariolos interficiam illam.* Deut. 18. *Non inveniatur in te qui Pythones ac divinos conſulat.* Hinc quia Saul coarctatus ab hoſtibus, Pythoniſſam conſuluit, poſtridie in peccatis ſeipſum interimit. Et Ochoziæ Regi, ob conſultum de ſua ſanitate oraculum Beelzebub in Accaron, mortem prædixit Elias. Manaſſes quoque Rex quia obſervabat ſomnia, ſectabatur auguria, magos & incantatores ſecum habebat, vinctus carenis in Babylonem ductus eſt, licet facta pœnitentia, regno fuerit reſtitutus.

Exod. 18. 6. Deut. 18. 11. 1. Reg. 28. 4. Reg. 1. 16. 4 Reg. 21. 6.

Diabolus Simon.

Hic verò advertere diabolum, tanquam Dei ſimiam & perverſum æmulatorem, omnes fere modos imi-

imitatum fuiſſe, quibus vera Religio Deum ſolita fuit conſulere, & quibus Deus ipſe viciſſim ſervis ſuis ſolet reſpondere: ut ſcilicet hac ratione ſpeciem aliquam diviniratis captaret & oſtentaret.

Dei oracula divina fuit imitatus.

Primò enim conſuli ſolebat Deus, per *Propitiatorium*, per illud ſolebat ſervis reſpondere: ſic dæmon voluit conſuli per preces in idolis, & tunc reſpondere ſolebat per ipſa idola, & vocabatur *Oraculum.*

Secundò conſuli ſolebat & reſpondere per *Sacrificia*; ſic & dæmon voluit conſuli per ſacrificia animalium, & tunc reſpondere ſolet per ſigna quædam apparentia in extis animalium, & hoc genus vocatur *Haruſpicium*.

Tertiò Deus conſuli ſolet, & reſpondere per Prophetas numine divino plenos; & ſic dæmon habet ſuos Prophetas, quos ipſe poſſidet, qui vocantur Pythones, vel Pythoniſſæ.

Quartò Deus reſpondere ſolet per mortuos vivis apparentes, vel per Angelum ſpecie humanâ indutum: ſic ſæpè invocari ſolet dæmon, ut excitet aliquem mortuum qui reſpondeat, & vocatur *Necromantia*. Hâc uſa eſt Pythoniſſa, cum vellet ſibi excitari Samuelem ad petitionem Saulis, quamvis Samuel non apparuerit virtute illius.

Quintò ſolebat Deus reſpondere per ſomnia, vel per viſiones imaginarias, aut alia ſigna & figuras: ſic & dæmon per ſomnia reſpondet, & tunc facit hominem ſomniare ea, quæ vult ipſi perſuadere, habetque & ipſe multas figuras, multaque ſigna quæ inſtituit, quibus invocari ſolet à ſuis divinatoribus, ut occulta ſciant, & variis ipſe modis reſpondet. In quibus omnibus graviſſimum ineſt peccatum, quia ineſt commercium cum diabolo religioni adverſum, contra fidem & honorem Deo debitum, qui præcipit, ne cum hoſte tractemus. Et qui tales divinos conſulit, huic commercio conſentit in ſuam damnationē: quia ſicut conſuetudo cum Angelis in hac vita (inquit Cajetanus) eſt quædam inchoatio æternæ beatitudinis, ita commercium cum dæmonibus, eſt initium quoddam æternæ damnationis, & ſignum reprobationis, undè non facilè ad ſalutem emergunt, qui his artibus implicantur.

Cajetan. 2.2.q.95. art.4.

Advertant hæc Principes, qui ejuſmodi fatinæ homines in aulis ſuis ſuſtinent & conſuluut, quos exterminare, imò in eas animadvertere deberent: ſæpè enim infortunia patiuntur, quia peccatis eorum communicant. Interim Alphonſum Regem, de quo refert Æneas Sylvius, quod cum in omne genus hominum ſe oſtenderet liberalem, & maximè in Præceptores diſciplinarum, ſolos Aſtrologos ſuſpectos habebat & oderat; tantum abeſt, ut in rebus ſuis vel domeſticis vel bellicis eos conſiliarios adhiberet. Cujus cùm rationem quidam ex ſuis interrogaret, reſpondit: *Quia ſidera regunt & impellunt ſtultos, ſed Sapientes aſtris imperant, ſic ſtulti Principes Aſtrologos honorant, non ita Sapientes.* Incumbit verò Principibus ſpecialiter inquirere in magos & ariolos, quia & ipſi nocivi ſunt regno & Reipublicæ, & Principes in varia frequenter diſcrimina conjiciunt, quod multis exemplis ex variis hiſtoriis deſumptis declarari poſſet. Unicum ex Sozomeno & Socrate à Cardinali Baronio relatum ſubjicio.

Æneas Sylvius l. 4. de Alphonſo c. 3.

Socrat. l. 4. Eccl. hiſt. c. 19. Sozom. l. 6. c. 35. Baron. tom. 4. an. 370.

Tempore Valentis Imperatoris anno 370. cùm magi quidam per necromantiam aut incantationem magicam, inquiſiviſſent, quis poſt Valentem eſſet imperaturus: Reſpondit dæmon pro more ſuo obſcurè, quatuor illis literas oſtendens, θ, ε, ο, δ, t, e, o, d, ac dicens: ex his fore initium nominis ejus, qui poſt Valentem eſſet, imperaturus. Rumor hac de re venit ad aures Imperatoris, & ipſe multos interemit, quos tyrannidem invaſuros ſuſpicabatur. Occidebanturque itaque Theodoti, Theodoti, Theodoſii & Theoduli, inter quos quidam Theodoſius ex nobili proſapia Hiſpaniæ ortus. Et ita factum eſt, ut multi ob periculum, nomina à Parentibus impoſita mutârint & negârint. Sic decepit dæmon homines illos magos, qui ſe Aſtrologos mentiuntur, & Imperatorem, qui poſteà miſerè interiit.

Ex dictis ſatis colligitur peccare mortaliter illos, qui erroneos & vagos homines, quos nos Ægyptios vocamus percontantur de fortuna & de rebus futuris, animo illis credendi, quaſi ipſi ex corporis lineamentis poſſint hæc cognoſcere. Hoc aſſerit peccatum eſſe mortale Navarrus, & alii Doctores. Ratio eſt, quia cum hæc non norint ipſi, niſi ex diabolico pacto & ſuggeſtione, illos interrogando, huic pacto communicas: neque poteſt dæmon eos certos reddere niſi de præteritis, aut de illis, quæ jam ſunt, de futuris autem nonniſi aliqua conjectura probabili. Quapropter tales homines rectè tibi reſpondere poſſunt, quot habeas pueros, quot fratres, & ubinam locorum ſint, quidve agant. Sed de futuris ſi interroges, v. g. quot habiturus ſis pueros aut uxores, cum qua ſis matrimonium initurus, quid tibi poſteà contingere poſſit, nullâ certitudine id aſſequuntur. Dæmon tamen habet aliquando probabiles conjecturas de rebus ſimilibus.

Primò, quia viget ſubtilitate naturæ, & ſummam habet experientiam, & millies obſervavit, quid ex quo ſoleat ſequi, etiam in cauſis liberis: undè fit, ut ſæpè de futuris liberis actionibus verè conjectet.

Secundò, judicat ex aliquibus ſignis, quæ procedunt ab animo hominis, ea quæ ſunt vel erunt circâ hominem, ſicut Medicus ex pulſu aut urina ægrum. Novit enim inclinationes & inſtinctus hominis, & quid ex illis inclinationibus ſecuturum ſit, veriſimiliter conjicit.

Tertiò, prædicit aliquandò morbos, mortem, naufragia, tempeſtates, calamitates, quia cognoſcit exactè omnes cauſas naturales & vim earum, & ſic cognoſcit & effectus qui mortaliter ſequu-

Digitized by Google

sequi solent. Deindè scit etiam quid alii dæmones malorum socii Dei permissione immitti sint, & illa prædicit.

Cæterùm notorium est homines de quibus agimus, & mulieres earum chiromantiæ, divinationi, & maleficiis, ac furtis esse intentos. De quibus scribit Munsterus, ciùa annum Domini 1417. per Germaniam primùm vagari cœpisse, & litteras circumferre Sigismundi Regis, & aliquorum Principum, ut transitus liber per Provincias eis permittatur. Ferunt autem ex injuncta pœnitentia se mundum peregrinantes circumire: sed splendidè mentiuntur, quia post longa temporum intervalla ad eadem redeunt loca, ne brevi tempore agnoscantur & repellantur.

Munsterus l. 3. Geogr.

Refert idem Munsterus, se Heidelbergæ extorsisse ab eis litteras Sigismundi, in quibus mentio fiebat, quomodò Majores eorum in minori Ægypto olim ad aliquot annos, rejecto Christianismo, ad Gentilismum relapsi fuissent; quodque illis resipiscentibus, pœnitentia injuncta fuerit, ut certis annorum temporibus, ex singulis eorum familiis aliquot per orbem peregrinarentur, diluerentque exilio perfidiæ suæ crimen. Sed dudum tempus peregrinationis eorum expletum est, & non cessant vagari, furari, mentiri, divinare, nec interclusum illis est iter, quò minùs Ægyptum petant, ut dicunt. Verum, est colluvies quædam collecta ex otiosis hominibus, qui callent diversa idiomata, & sic furando & augurando vitam suam miserabiliter transigunt.

Patet quoque ex dictis, illos erroris arguendos, qui futura volunt ex somniis suis præscire. Quam superstitionem expressè prohibet Dominus Levit. 19. *Non augurabimini, nec observabitis somnia.* Undè & Ecclesiasticus illam reprehendens dicit: *Quasi qui apprehendit umbram, & persequitur ventum, sic & qui attendit ad visa mendacia, hoc secundum hoc visio somniorum.* In quo Capite multa dicit contra somniorum vanitatem. Sed & ipsi Gentiles Philosophi hanc superstitionem irriserunt, inter quos Comicus dicit: *Cùm nobis Dii somnium dederint, curarum & laborum delinimentum, superstitiosus sibi illum reddit carnificinum.* Diogenes quoque, teste Laërtio, lib. 6. dicebat: *Quæ vigilantes agitis, negligetis; quæ verò dormientes somniatis, sollicitè perquiretis. Ad felicitatem vel infelicitatem hominis, non tam refert quid patiatur in somniis, quàm quid agat vigilans: ibi quoties aliquid turpe commisit, oportebat metuere Deorum iram ac tristem eventum, non si quid dormientibus sit visum.* Si quis autem ita sit deditus observationi somniorum, ut passim illa in rebus agendis utatur, & illis firmiter credat, non potest excusari à gravi peccato, maximè cum illis vult capere prænotionem de eventis liberis, quia alioqui ex somniis potest judicari de corporis temperamento, de humorum redundantia, de morbis, & aliis quorum somnia naturaliter sunt signa, ut docent Medici.

Levit. 19. 26.
Eccl. 34. 2.
Laërtius 6. de Diogene.

Est tamen adnotandum, Deum ex peculiari providentia quandoque immittere somnia, ex quibus fas est homini capere futurorum prænotionem, quia ad hoc à Deo immittuntur. Tale fuit somnium Joseph Gen. 37. & alia somnia, quæ ipse interpretatur, Pincernæ & Pistoris, Pharaonis de septem spicis. Tale etiam fuit somnium Nabuchodonosoris de statua illa mystica, quam interpretatus est Daniel. Et in novo Testamento, tale fuit somnium Joseph de Virgine non deserenda, de fuga in Ægyptum, & de reditu ex Ægypto, & somnium Magorum de non redeundo ad Herodem, & alia multa, quæ viris sanctis contigerunt. Quapropter dicit Ecclesiasticus de somniis: *Nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis in illis cor tuum, multos enim errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis.* Quandoque ergò ab Altissimo immittitur cogitatio, quæ in somnis fit, sed admodùm est salutaris admonitio S. Isidori: Non facilè somniis tanquam divinis esse credendum, eò quod ex variis causis oriantur, nobis non satis perspectis: & satan sæpè in Angelum lucis se transfigurat. Itaque in dubio semper judicanda sunt somnia non esse ex Dei revelatione; nec refert rem esse sanctam, quia ad talia etiam diabolus hortatur, ut vel sic fidem mereatur, qua vel illudat tunc, vel postmodum fallat. Neque etiam satis est rem evenisse, ut erat prædicta, monet enim Scriptura: *Etiamsi dixerint vobis, & ita evenerit, ne credatis.* Solet verò Deus in suis revelationibus mentem simul reddere certam, quod ipsemet sit revelans, & hoc vel interna illustratione, vel occulto quodam gustu & experimento. Undè si cognoscere vis utrum sit à Deo vel à dæmone.

Ex somniis à Deo immissis licet capere futurorum notitiam.
Gen. 37.
Dan. 2.
Matth. 1. & 2.
Eccl. 34.
Isid. l. 3. sent. c. 6.
Deut. 3.

Primò, videndum an id ad quod impellitur, sit res sancta, v. g. ad deserendum sæculum, ad timorem inferni, ad dolorem peccatorum.

Somnium divinum à diabolico discernitur.

Secundò, ex affectu qui relinquitur, v. g. si inde remaneat illustratio animi, consolatio sancta, promptitudo ad obsequium Dei.

Tertiò, ex intimo quodam sapore & gustu; aliter enim afficiunt, quæ divinitus immittuntur, aliter quæ aliundè oriuntur. Undè dicit D. Gregorius: *Sancti Viri inter illusiones atque revelationes, ipsas visionum voces aut imaginationes quodam intimo sapore discernunt, ut sciant vel quid à bono spiritu percipiant, vel quid ab illusore patiantur.*

Exemplum refert D. Augustinus in Matre sua, de qua sic ait c. 13. Et instabatur impigrè, ut uxorem ducerem: (instabant scilicet amici, quia voluptati deditus erat, ut ad matrimonii se portum è fluctibus libidinis tandem reciperet:) & jam petebam uxorem, jam promittebatur: maximè Matre dante operam, quo me jam conjugatum Baptismus salutaris ablueret, cui me indies gaudebat aptari, & vota sua ac promissa tua, in mea fide compleri animadvertebat. Cum sanè & rogatu meo, & desiderio suo, forti clamore cordis abs te deprecaretur quotidiè, ut ei per visum ostenderes aliquid

Aug. l. 6. conf. c. 13.

aliquid de futuro matrimonio meo nunquam voluisti. Et videbat quædam vana & phantastica, quo cogebat impetus de hac re satagentis humani spiritus: & narrabat mihi non cum fiducia qua solebat, cum tu demonstrares ei, sed contemnens ea. Dicebat enim discernere se nescio quo sapore, quem verbis explicare non poterat, quid interesset inter revelantem te & animam suam somniantem. Alibi verò de divinitus immisso somnio ait.

August. Confess. l. 3. c. 11.

Plorabat me Mater, amplius quàm flent Matres corporea funera. Videbat enim mortem meam ex fide, & spiritu, quem, ex te habebat. Exaudisti eam, ô Domine; nec despexisti lachrymas ejus. Nam, unde illud somnium quo eam consolatus es, ut vivere me secum crederet in eadem domo & mensa, quod nolle jam cœperat, detestans blasphemias erroris mei; Vidit enim stantem se in quadam regula lignea, & ad se venientem juvenem splendidum, hilarem, & arridentem sibi cum esset mœrore confecta. Qui cum causas quæsisset lachrymarum, & illa respondisset, se peditionem meam plangere, jussit esse securam, ut attenderet & videret ubi esset illa, ibi esse & me. Quod illa ubi attendit, vidit me juxta se in eadem regula stantem. Unde hoc, nisi quia erant aures tuæ ad cor ejus? Unde illud etiam quod cum mihi narrasset visum, & ego ad id trahere conarer, ut illa potius non desperaret futuram esse, quod eram; non, inquit, nec enim dictum est: Ubi ille, ibi & tu; sed ubi tu, ibi & ille.

DE MALEFICIO.

PROPOSITIO IV.

Prohibetur quoque hic omne maleficium & veneficium.

ADverte dæmones in aerem degrusos, multam potestatem habere & omni conatu satagere, ut ejusdem quo plectuntur supplicii, homines reddant consortes. Duo autem peccata maximè procurant, quibus homo involutus vix ad salutem respirat, hæresim scilicet, & veneficium, quibus innumeram multitudinem ad inferna devolvunt. Et hoc postremum vitium maximè inficit genus muliebre, a quo eas vocamus veneficas, fagas, sortilegas, quæ totæ se voveut dæmoni, & ejus ministræ sunt ad multa crimina, & abominationes patrandas. Itaque in illis non repetitur unum solum aut alterum vitium, sed multiplicia, eaque gravissima.

In veneficio repetuntur multa crimina gravissima.

Primo quidem sæpè vehuntur ad suum Sabbatum, & ibi adorant satanam in forma tauri inversi, vel in forma hirci, cui offerunt honorem Deo debitum, & solemni se quadam professione obstringunt ad malum.

Secundò, solent abnegare Baptismum, & fidem Christo datam; imò quadam cæremonia exteriori characterem in Baptismo vel Confirmatione impressum, conantur expungere: dum quodam novo diabolus charactere eas insignire se significat.

Tertiò, diabolum loco Dei accipientes, ei quoddam Sacrificium offerunt, blasphemiam evomentes in Deum; in Christi humanitatem, in B. Virginem & Sanctos omnes.

Quartò, solent illi vovere & dicare proprios infantes, elevando in aera dum nati sunt, immò & illi consecrare nondum natos.

Quintò, solent illi promittere se ad sectam illam & consortium, quos poterunt, adducturas.

Sextò, Sacrilegia multa solent committere, in incantationibus suis utentes rebus sacris, etiam interdum ipsa Sanctissima Eucharistia.

Septimò, conantur occidere parvulos Christianorum, & procurare abortum, ut non attingant ad Baptismum, & sic æterna gloria priventur.

Octavò, etiam ex infantium corpusculis decoctis, ubi illa furari possunt, conficiunt unguina, pulveres, & alia diabolica symbola.

Nonò, committunt luxurias nefandas, & commixtiones cum dæmone.

Decimò, procurant morbos, mortes, & hominibus & animalibus, & damna innumera per vastationes segetum, suscitationes tempestatum, grandines, vermes, & similia.

Diligenter examinandæ sunt à Confessariis de his & similibus, cùm aliquando eas contingit resipiscere: & certè manifestum est eas dignas esse morte, licet damna non intulerint, ob Apostasiam, idololatriam, nefandos concubitus, & similia. Quod etiam significat Dominus Exod. 22 dicens: *Maleficos non patieris vivere.* Una autem ex causis cur difficilè convertantur; est, quia promittunt dæmoni se nunquam Confessionem integram facturas, licet ad Sacramentum pœnitentiæ quandoque accedant; & ideò multiplici eas vinculo dæmon obstrictas, ut plurimum impœnitentes secum ad præcipitium æternum devehit, in quorum etiam corpora quandoque vim exercet. Exod. 22. 8.

Exemplum habes apud Olaum Magnum Upsalensem Archiepiscopum. Mulier quædam apud Bertheliam Angliæ villam auguratrix & malefica, cum quodam die convivaretur, Cornicula quam habebat in deliciis, vocaliùs solito nescio quid cornicata est. Quo audito cultellus ei de manu excidit, vultus expalluit, & ingemiscens dixit: *Hodiè ad ultimum sulcum pervenit aratrum meum, hodie accipiam grave incommodum.* Adhuc ea loquente, venit nuncius dicens: *Hodiè filius tuus & tota familia subita morte interiit.* Quo audito tota conterrita decubuit, & vocari præcepit superstites liberos duos Monachum & Monacham, quibus ait: *Ego miserabili fato damoniacis semper artibus servivi, ego omnium malorum mihi causa sperabam in religione vestra, nunc desperavi: Scio me damones habituram exactores in pœna, quos habui suasores in culpa. Rogo tamen vos per materna viscera, ut mea attentetis alleviare tormenta, nam de anima sententiam damnationis non revocabitis.* Corpus ergò meum insuite in corio

Olaus M. lib. 1. hist. de Gentib. c. 20. Vinc. in Specul. hist. l. 25. c. 26.

Digitized by Google

cotio cervino, & includite in lapideo Sarcophago, & operculum ferro & plumbo conſtringite, & lapidem ipſum tribus magnis catenis circumdate. Si tribus noctibus ita ſecurè jacuero, quarta die infodietis me in humo, quanquam vereat ne terra nolit me recipere pro maleficiis meis. Pſalmicines quinquaginta ſint noctibus, & Miſſæ canentur pro me tot diebus. Factum igitur eſt ut præceperat, & nihil valuit. Primis enim duabus noctibus, cum chori Clericorum Pſalmos canerent circa corpus, ſinguli dæmones oſtium Eccleſiæ immani obice clauſum levi negotio confringentes, duas extremas catenas dirupuerunt. media verò operoſiùs elaborata, illibata duravit. Tertia nocte circa galli cantum ſtrepitu advenientium hoſtium, omne Monaſterium viſum eſt à fundamentis moveri: Unus nempè vultu cæteris terribilior, & ſtatura celſior, januas majori vi concuſſas, in fragmenta dejecit: & arroganti geſtu acceſſit ad Sarcophagum, inclamatoque nomine, ut ſurgeret, imperavit. Qua reſpondente: Nequeo præ vinculis. Solveris, inquit, & malo tuo: ſtatimque catenam quæ cæterorum ferociam eluſerat, nullo conamine ut ſtupam diſtupit, operculumque tumbæ pede depulit, & apprehenſa manu palam ab Eccleſia extraxit ad fores, ubi paratus erat equus niger ſuperbè hinniens uncis ferreis per totum prætuberantibus, ſuper quem miſera illa mulier impoſita ab oculis omnium cum ſuis diſparuit. Audiebantur tamen clamores per quatuor ferè milliaria miſerabiles, ſuppetias deprecantis.

Exempl. Petr. Tyreus de loc. infeſtis p. 1. c. 19.

Anno 1260. Studioſus quidam miſerè deperibat puellam. Cùm aliter ea non poſſet frui, conatus id eſt per aliquem maleficum data pecunia. Ille ſe cum adoleſcente circulo includens, ſeveri imperat ne eundem egrediatur. Tunc ad conjurationes ſe convertens, varia phantaſmata offert adoleſcenti, inter cætera etiam imaginem & formam ipſius puellæ. Ille libidine victus, immemor præcepti extendit manum, quaſi illam apprehenſurus, ſed maximo ſuo malo, ſiquidem parieti illiſus a ſpiritu nequam, miſeram exhalavit animam.

DE LIGATURIS ET AMATORIIS MALEFICIIS.

Prohibetur etiam Maleficiis. 1. Arte dæmonis vel philtro amatorio procuratum.

COntra hoc quoque præceptum agunt, qui arte diabolica & maleficio amatorio utuntur, ut perſonam aliquam in ſui carnalem amorem pertrahant. Quod quidem abominabile crimen eſt, & tamen adeò commune, ut non ſine dolore, tum ex confeſſionibus, tum aliunde, perſpicere nobis liceat multos juvenes cœco amoris æſtu percitos, hæc maleficia ſectari, & nil non quantumlibet diabolicum moliri, ut experitis fruantur amoribus vel conjugiis. Heu lubrica & cæca juventus! Quomodo in te accepit ſceptrum luxuria, & veſana libido? Quomodo totas ei dediti manus? In quam miſeriarum voraginem præcipiti greſſu protuis? Etenim per has artes maleficas & deluſorias, non ſolum te graviſſimo crimine dæmoni obſtringis, ſed & frequenter per hæc pacta ſatanica, infauſta tibi matrimonia conſilias: & totum vitæ tuæ ſtatum ærumnis & infœlicitati obnoxium reddis, & tandem æternum ſequitur exitium, de quo nunquam reperire poteris exitum. Permittit enim juſto judicio Deus, ut iſta maleficia effectum ſortiantur, ad damnationis majorem cumulum, quam illis reſervat, qui ſimilibus ſint dediti. Sed & aliquando antequam votis fruantur infœlici eos morte mulctat. Attende exemplum quod hac de re habetur apud Petrum Tyræum de loc. infeſtis p. 1. c. 19.

Variis modis, quibus dæmon utitur in his Maleficiis.

Multis verò modis dæmon utitur in his maleficiis. Aliquando enim perſonam intrat, quam vult ad amorem commovere: aliquando ſumendum illi perſonæ aliquod philtrum porrigitur, per quod commovetur, vel dementatur, amens vel amans efficitur. Sed certè perſona à qua porrigitur, ſive qui eam porrigi curat, à dæmone quodammodo prius poſſidetur. Hujus rei exemplum habes apud Hieronymum in vita Hilarionis. Quædam puella, cui per philtrum dæmon ab Amaſio immiſſus erat, præſentata fuit Hilarioni. Ille dæmonem irridens, ait ei: *Grandis fortitudo tua qui licio & lamina ſtridiùs teneris. Dic quare auſus es ingredi puellam Dei?* Reſpondet dæmon: *Vt ſervarem eam virginem.* Cui Hilarion: *Tu virginem ſervares proditor caſtitatis?* Cur non potius in eum qui remittebat es ingreſſus? *Vt quid*, inquit, *intrarem in eum, cùm habeat collegam meum, amoris dæmonem?* Ita Hieronymus.

S. Hieron. in vita S. Hilar.

Aliquando pulvis corpori vel veſti tantùm aſpergitur. Aliquando ſignum aliquod extra hominem ponitur, quo poſito, per ſe dæmon, aut arte aliqua ſibi nota, perſonam dementat, illudit, variè commovet. Ad hunc modum ſpectat quod apud Baruch. capite ſexto legimus. *Mulieres autem circumdata ſumibus in viis ſedent, ſuccendentes oſſa olivarum, cùm autem aliqua ex ipſis attracta ab aliquo tranſeunte, dormierit cum eo, proxima ſua exprobrat, quod ea non ſit digna habita ſicut ipſa, neque funis ejus diruptus ſit.* Olivas enim ſuccendebant, maleficio quodam amatorio: nimirum imprecantes, ſic inſano ſui amore viros ſuccendi, ut explicat Delrio, Malderus, & alii.

Baruch. 6. 42.

Delrio Malderus, &c.

Advertendum verò, licet diabolus hac in re multum poſſit permiſſione divina immittendo varias illuſiones & phantaſmata perſonæ quam vult inflammare, ſenſus interiores & exteriores ejus commovendo variis & occultis modis, non poſſe tamen cogere hominis voluntatem. Unde fit, ut poſſit initio perſona reſiſtere his omnibus ejus artibus, & confugere ad auxilium opportunum, quibus omnem dæmonis poteſtatem elidat, vel ſaltem peccatum vitet. Ut enim ait Gregorius: *dia-*

S. Greg.

bolus dum ei in initio reſiſtitur formica eſt, ſi non reſiſtitur, fit Leo: & cum ſemel accepit poteſtatem

pro

per consensum & negligentiam, miro modo agitat personam.

Remedia contra maleficia.

Quod ergò remedium adversus hæc? Respondet Apostolus: *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis nequissimi tela ignea extinguere.* Fides ergò firma maximè hic prodest, & signum fidei, signum Crucis, magnâ fide in corde firmatum. Mortificatio quoque carnis per jejunium & maximè Eucharistiæ pia sumptio, in qua porrigitur: *Frumentum electorum & vinum germinans virgines*, hoc est, castissima & vivifica Christi Caro, ejusque Sanguis Virgineus, qui mentis & ventris recalcitrantem sopire potest prurigínem. Juvabit quoque Sanctorum invocatio, & maximè Deiparæ Mariæ, ad hæc maleficia & virtutem omnem dæmonis elidendam.

Eph.6.16.

Zach.9.17

Memineris hic, quomodò B. Justina vicerit Cyprianum Magum, omnesque artis ejus magicæ & satanicæ machinationes. Ardentibus nimirum precibus ad Deiparam victrix evasit, signoque fidei, signo Crucis munita. His enim satan se victum recessisse coactus fuit confiteri, & ob eam causam à Mago Cypriano contemptus est; quia & ipse ad Virginis Justinæ Deum, sicut Saul ad Davidis citharam, confugit, ut à malo spiritu per fidem in Christum purgaretur; amoremque carnalem erga Justinam commutavit in spiritualem, libros magicos consumens, & Virgini se in martyrio jungens, cum qua laurea Martyrii est coronatus. Vide fusè B. Gregorium oratione in laudem Cypriani.

V. Brev. Rom. 26. Septemb.

Licet ergò quis hisce maleficiis deditus fuerit, licet dæmoni his artibus se obligârit, non tamen debet desperare, quia nullum est adeò vinculum forte, quo se homo possit dæmoni obligare, nullum fœdus adeò firmum cum Dei hoste, vel cum inferno & morte, quin possit sanguis Agni illud dissolvere per pœnitentiæ remedium applicatus. Licet propria scriptura proprio cruore obsignata se quis dæmoni devoverit, tamen valet illud Christus obliterare, *& chyrographum decreti, quod adversum nos est delendo, illud Cruci affigere.* Invocet ergò quisquis talis est, pœnitentiæ lamentis & cordis contriti valido clamore divinam opem: recurrat ad sinum Matris communis Mariæ & proculdubio auxilium & spem salutis reperiet. Hoc multa exempla docent. Unicum ex Tursellino subjicio.

Col.2.14.

Adolescens quidam chirographo suo fidem & animam satanæ obstrinxerat, si ejus ope posset potiri congressu mulieris quam perditè amabat. Postea verò pœnitentia ductus, Lauretum venit, confessus est, & ad omnem pœnitentiam paratum se exhibet, si modò spes foret salutis. Itaque Sacerdos monet ut per triduum jejunio, cilicio, & disciplinâ corpus affligat, B. Virginis opem implorans, polliceturque se eodem triduo sacrificium oblaturum. Triduo exacto, Sacerdos optimum ratus est ante absolutionem chirographum à dæmone extorqueri, ne quid omninò juris in illum haberet. Monet ergò, ut Virginis sacellum sacratissimum ingressus, precibus & lachrymis Virginem fatiget, donec chirographum à dæmone recipiat. Morem gerit ille, suæ salutis avidus, speratque forti fiduciâ se id posse impetrare. Ergò prostrato cum lachrymis corpore ante Deiparam, obnixè id precatur, versiculos illos ex animo iterabat; *Monstra te esse Matrem, sumat per te preces, qui pro nobis natus tulit esse tuus.* Et ecce subitò chirographum in manus suas delapsum conspicit. Itaque vix sibimet ex inopinato gaudio credens, fletu gratias enixè agit Virgini. Indè sacello egressus, lætitia exultans Sacerdotem adit, scriptum ostendit, receptum Virginis beneficio. Illud verò erat tot tantisque in Christum, & in illum qui scripserat, diris & execrationibus refertum, ut facilè appareret ab illo Dei & hominum hoste dictatum.

Tursel. l. 4. hist. Laret.

2. Ligaturæ quibus usus Matrimonii impeditur.

Ut tandem concludam, ad hæc quoque diabolica maleficia & pacta primo præcepto prohibita, omninò referendæ sunt ligaturæ illæ maleficæ, quibus Sacramenti Matrimonii usus impeditur. Diversæ autem sunt ligaturæ istæ aut maleficia, & diversi eorum ritus; nam ex dæmonis placito illorum pendent formulæ, cui multa à Deo permittitur potestas super instrumentis generationis. Quod si petas: Quare potiùs generationis instrumenta, & frequentius, quam alia hominis membra maleficio sint obnoxia? Respondet Div. Thomas: Quia corruptio peccati, per quam homo factus est servus diaboli, in nos per actum generationis devenit, juxta illud Job 40. interprete B. Gregorio: *Fortitudo ejus in lumbis ejus, & virtus illius in umbilico ventris ejus.* Similem ob causam, quia per serpentem diabolus mulierem tentavit, etiam in serpentibus crebrior est usus maleficii, quasi in prioris facti memoriam. Adde quod effrænis libido, quæ plerumque ad hunc actum generationis pronuba esse solet, potestatem dæmonio faciat, ut præmonuit Angelus Tobiam. Undè Asmodæus viros sanè non in convivio, sed in lecto occidebat, ad quem accessum etiam habebat libido. Interim certum est hasce ligaturas arte maleficâ factas, esse abominabilia scelera, licet aliqui illas parvi videantur æstimare: & in Diœcesi nostra Leodiensi casus ille Episcopo est reservatus. Plurima ergò in illis peccata involvuntur. Primò, est conventio tacita vel expressa cum dæmone, & sic opus diaboli operantur. Secundò violant legem naturæ, quatenus humanam generationem impediunt. Tertiò, habet hoc opus affinitatem cum homicidio dum productionem impedit creaturæ, quod fere idem est atque si occideret. Quartò, impediunt amorem conjugalem, qui debet esse in Sacramento & matrimonii vinculo. Quintò, frequenter ponunt odium & aversionem inter conjuges, & divortium, per quod sunt causa damnationis eorum. Sextò, dant occasionem adulterandi cum aliis, Septimò frequenter hasce incan-

D. Tho. 2. p. q. 98. a. 2. ad 1. Job 40. 11.

Tob. 6. 17

In his multa peccata involvuntur.

tationes commiſcent cum verbis ſacramentalibus. Octavò, cauſa ſunt frequenter diſſidiorum inter innocentes, dum in hos vel illos culpa rejicitur, & oriuntur rixæ graves. Denique per hæc maleficia cauſa ſunt frequenter morbi & periculi mortis in maleficiatis. Vides quanta hic involvantur crimina? Aperi ergò oculos, ô cœca & improvida juventus, à dæmone dementata, ſtimulíſque libidinis & invidiæ ad omne genus flagitiorum projecta! Scito & vide, quia pro his omnibus citò adducet te Deus ad judicium; & tunc ſerò inclamabis: Væ tenebris! Væ cœcitati! Væ abyſſo, in qua jacui! animam obſtringens Principi tenebrarum, flammiſque æternis, pro fœda voluptate, pro vindicta & æmulatione? dum ligaturis maleficis vacans, vinculis igneis æternum indilolubilibus me colligavi, & caligini ac umbræ mortis horridæ me devovi, ſanis monitis & divino olim rebellis lumini. Hi ſunt planctus, hi leſtus & nenix, quas apud inferos edunt illi, qui in lubrico adoleſcentiæ ævo his maleficiis, ſimilibuſque vitiis dediti fuêre.

LECTIO III.

DE ALTERA PARTE PRÆCEPTI.

II. Pars Præcepti. NON FACIES TIBI SCVLPTILE NEC OMNEM SIMILITVDINEM &c.

1. *Docet hic idola prohiberi.*
2. *Non prohiberi ſacras imagines.*
3. *Oſtendit fructum imaginum.*

PROPOSITIO I.

Prohibetur hic verbis: (Non facies tibi ſculptile) idololatria gentium, idola fabricantium ut illa adorarent.

Prohibentur hic Idola.

Idololatriæ origo & progreſſus

PRima origo idololatriæ, fuit deſiderium præſentiæ mortuorum, quo parens filium mortuum proſequebatur ei ſtatuam erigens, in qua veluti præſentem retineret & cerneret. Huic accedebat tyrannis, per quam jubebat eum à domeſticis coli, ut non mortuus ſed in Deos relatus videretur. Hoc aſſerit Sapiens c. 14. dum dicit: *Initium fornicationis exquiſitio idolorum & adinventio illorum corruptio vitæ eſt. Neque enim erant ab initio, neque erunt in perpetuum: ſuperviacuitas enim hominum hæc advenit in orbem terrarum, & ideò brevis illorum finis eſt inventus. Acerbo enim luctu dolens Pater, citò ſibi rapti filii fecit imaginem, & illum qui tunc mortuus fuerat, nunc tanquàm Deum colere cœpit, & conſtituit inter ſervos ſuos ſacra & ſacrificia. Deindè interveniente tempore, convaleſcente conſuetudine, hic error tanquam lex cuſtodita eſt, & tyrannorum imperio colebantur figmenta, &c.*

Sap. 14.12

Primò ergo partim ex nimio affectu erga proles, ſtatuas erigere & colere cœperunt: partim Regum affectui ſervierunt, dum ſtatuas illorum, vel ab illis erectas, venerati ſunt.

Secundò, ipſæ ſtatuæ per ſe tanquam numine plenæ & animatæ coli cœperunt: & quia diabolus ſtatuis illis ſe inſinuabat, putabant Ethnici ſe Deos poſſe facere.

Tertiò, capti pulchritudine corporum cœleſtium & elementorum, his etiam cultum divinum exhibere cœperunt. Unde dicit Sapiens: *Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei: & de his, quæ videntur bona non potuerunt intelligere eum qui eſt, neque operibus attendentes agnoverunt quis eſſet artifex, ſed aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aërem, aut gyrum ſtellarum, aut vimanam aquam, aut ſolem & lunam rectores orbis terrarum Deos putaverunt: quorum ſi ſpecie delectati Deos putaverunt, ſciant quanto his dominator eorum ſpecioſior eſt.* Sap. 13.1.

Quartò, eo uſque invaluit hæc idololatria, ut ſi quid eſſet, quod aliquam utilitatem vel noxam afferret hominibus, pro Deo mox coleretur, ut commoda conferret aut incommoda averteret. Sic bovem, ovem, capram, canem, ſerpentem, crocodilum, murem Ægyptium, imò febrem coluerunt: Ex falſa quadam imaginatione, qua putabant his rebus virtutem aliquam præſidere à qua regerentur, quam precibus ac ſacrificiis placandam cenſebant. Denique omnibus ferè rebus & operibus, quæ ad uſum humanum pertinent, Deos vel Deas diverſis præficiebant. Vide Auguſtinum de Civit. l. 4. c. 8. l. 6. c. 9. & l. 7. c. 23. Aug. lib. de Civ.

Quia ergò Dominus Iſraeliticam gentem ducturus erat in terram promiſſionis, in qua habitabant gentes, quæ adorabant & colebant idola tanquam divinitate plena, aut in idolis colebant homines impios & mortuos, Jovem, Martem, Mercurium, aut ipſos dæmones reſponſa eis dantes, imò etiam ſtatuas engebant, Soli, Lunæ, Aſtris, aliiſque creaturis, de quibus diximus: Hinc tam ſollicitè præcepit eis: *Non facies tibi ſculptile, neque ſimilitudinem omnium, quæ in cœlo ſunt deorſum, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra. Non adorabis ea neq; coles.* Et ita non prohibet hic Deus artem aut pictoriam, aut ſculptoriam, quam doquidem ipſemet juſſit fundi ſerpentem æneum, & Cherubinos fabricari in templo, & leones, & palmas, & mala punica, & ad hoc donum quoddam infudit Beſeleel, ſed tantum prohibet idola ad cultum eis divinitatis impendendum. Unde & Septuaginta vertunt loco illius: *Non facies tibi ſculptile*, non facies tibi Idolum. Exod. 20. 4. Deut. 5. 8. Num. 21. 8. Exod. 25. & 37. LXX. Interp.

PROPOSITIO II.

Non prohibentur hic imagines Chriſti aut Sanctorum.

RAtio eſt, quia illæ idola non ſunt. Eſt enim *Idolum* idolum imago vana & inſtabilis vel rei, quæ *quid ſit* non

Digitized by Google

non est. Undè imagines falsorum Deorum vocantur idola, quia sunt similitudines numinum, quæ non sunt. Ideò dixit Apostolus: *Scimus quia nihil est idolum in mundo*, 1. Cor. 8. 4 ad Corinth. 8. q d. Dii qui repræsentantur in idolo, non sunt Dii, ideoque idolum nihil est. Imagines autem Sanctorum & Christi idola dici non possunt: quia sunt imagines rerum verarum, institutæ ad repræsentandum id quod illis vere inest. Sicut nec imago Regis idolum dici potest, quia repræsentat id quod est.

Dices, saltem Dei & Trinitatis imagines non debere fieri, quandoquidem Isaiæ, 40. dicitur: *Cui similem fecistis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?* Isa. 40. 18. Resp. nullam Dei imaginem fieri posse, quæ divinitatem ipsam exprimat: quasi divinitas figurari, aut corporeis oculis possit conspici, aut coloribus exprimi. Posse tamen fieri aliquas, quibus vel Dei proprietas aliqua insinuetur, vel figura aliqua exprimatur, in qua aliquando apparuit. Undè & ipsa Scriptura nobis sæpè Deum per Metaphoram sub corporea specie describit, eumque ita apparuisse dicit. Dan. 7. Pater sub specie senis; apud Evangelistas, Spiritus sanctus sub specie columbæ; in Apoc. Pater & filius in variis figuris apparent. Si itaque Deus judicat non indignum esse ita apparere, imem & describi a Scriptura; cur erit indignum, si eum Pictor repræsentet, non quidem ut credamus eum talem esse, sed ex his Metaphoris aliquas ejus proprietates intelligamus? Sic Scriptura vocat Christum Agnum, Leonem, &c. Evangelistas quatuor animalium figura designat; non quod velit eos tales credi, sed ut ita eorum proprietates figuratè describat. Solum ergò auctoritate citata reprehenduntur formales Dei, ut sic imagines, non Metaphoricæ. Docendi tamen sunt de his imaginibus rudiores, qui facilè concipiunt divinitatem habere corpus & humanam effigiem sicut figuratur, nec intelligunt satis significationem illam imaginum Dei & Trinitatis. Docendi quoque, cultum qui imagini tribuitur, referri ad prototypum repræsentatum, ut discant in illis Deum Sanctosque honorare, nullum verò honorem ligno, auro, metallo, aut alteri materiæ sciant se debere impendere.

Certum itaque est, ex perpetua Ecclesiæ consuetudine ab ipso Christo originem ducente, imagines Christi ac Sanctorum recipiendas esse ac venerandas, quicquid obgannant hæretici. Christus enim faciei suæ imaginem S. Veronicæ linteo impressam reliquit, quæ, ut habet antiqua traditio, hactenus Romæ servatur & ostenditur: Reliquit deindè corporis sui lineamenta in sindone, in qua involutus in sepulchro jacuit; quæ Taurini asservatur & monstratur, de qua alibi dixi. Item Abagaro Regi effigiem suam misisse, testantur Stephanus & Adrianus Pontifices, & Damascenus, & alii plures, de quibus Baronius tom. 1. an. Christi 34. Addit Evagrius l. 4. historiæ c. 27. ob præsentiam hujus imaginis civitatem Edessam ab incendio ignis fuisse liberatam; Addunt denique postea Constantinopolim translatam, & festum translationis anniversaria commemoratione celebrari solitum apud Græcos 16. Augusti.

Leff. de Sepult. Christi.

Baron. to. 1. an. 34.

In Synodo quoque VII. approbatur historia de imagine Crucifixi a Nicodemo composita, & Gamalieli tradita, in quam postea Judæi furorem suum effuderunt, donec transfixo similiter latere imaginis ex eo confectum sanguinis & aquæ rivi emanare cœperunt, de qua Athanasius l. de Passione imaginis Domini. Athanas.

Denique manifestum est, quomodo miraculis quotidianis Deus ultim imaginum sanctarum approbat, ut hic historias multas appendere non sit necesse. Vide fusè Daverolutium in floribus. Manifestum quoque est ex antiquis historiis, quomodò Iconoclastæ sive imaginum violatores à Deo puniti fuerint. Daver. c. 3. flor. exempl. tit. 63. & 65.

Non est tamen hic prætereundum illustre Joannis Damasceni exemplum. Cum Leo Isaurus ingentes motus excitaret ad sacras imagines prorsus abolendas, & ad id Synodum falsam celebrari jussisset: ejus furori Damascenus sese fortiter opposuit, tres libros pro imaginum defensione conscribens; Iconoclastæ exacerbati & dolentes fraudes suas tanti viri industria detegi, falsò illum apud Saracenum in Arabia Principem proditionis accusavunt, quod ad rumpenda Principum fœdera literas manu sua consignatas subdole confinxisset. His ille nimis credulus, damnat eum proditionis, & in pœnam jubet amputari dexteram. Sed hæc res ab illis procurata, felliciorem Mariâ duce exitum habuit, quam sperabant, quia Catholicis lætum victoriam impetravit. Damascenus ergò post vulnus acceptum tegredieus ante Virginis imaginem sese prosternit, calamitatem deplorat, & auxilium ejus implorat, his verbis: *Domina & sanctissima Mater, quæ Deum meum peperisti, amputata est dextera mea ob sanctas & divinas imagines. Tu quæ de causa Leo sæviat non ignoras, protinus succurre. Sanct dextera Altissimi, quæ de te incarnata est, hanc dexteram meam precibus tuis, ut tuas & ejus laudes scribere dignè possit, & orthodoxi cultus esse cooperatrix.* Hæc orans & lachrymans in somnum vertitur, videtque Virginis imaginem lætus & pius lachrymis se respicientem & dicentem: *Ecce jam facta est manus tua, cave posthac ne segnior sis, sed eam fac calamum scriba velociter scribentis, ut pollicitus es.* Ut autem evigilavit, & dexteram curatam vidit, exultare cœpit in Deo salutari suo & Matre ejus, quia fecit secum magnalia qui potens est. Hæc Canisius, Baronius, & alii ex Joanne Patriarcha Hierosolymitano. Baro to. 9. an. 718. P. Canis. lib. 5. de Deip. c. 19.

FRUCTUS IMAGINUM.

PROPOSITIO III.

Multiplex in Ecclesia est imaginum fructus.

PRimò enim serviunt ad institutionem ignarorum & legere nescientium. *Nam quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus: quia*

Digitized by Google

etiam in ipſa cernentes videant quod ſequi debeant, in ipſa legunt, qui litteras neſciunt, inquit Gregorius epiſt. 9. l. 9. Si enim idiota videt hiſtoriam Nativitatis, aut alicujus alterius myſterii Redemptionis: hæc pictura ei inſtar Doctoris eſt & libri, & ea viva repræſentatio eum aliquando plus docet & movet, quam verba docentis. Sic imago Chriſti inter brachia Virginis, ſtatim excitat fidem Incarnationis. Et dum in Cruce Chriſtum extenſum quis aſpicit, ibi legit precium ſuæ Redemptionis. Sicut dum Laurentium quis conſiderat ſuper craticm, aut Petrum cum clavibus, aut Paulum cum gladio, aut Catharinam cum rota, aut Stephanum inter lapides, aut Magdalenam apud Crucem, aut Virginem gladio transfixam, ſtatim intelligit, quanta paſſi ſint, ut gloriam adipiſcerentur, fideſque ejus excitatur: ideò S. Thereſia continuò ſecum geſtabat imaginem Samaritanæ apud puteum aquam à Chriſto vivam petentis; & ubi oculum in imaginem illam cœperat intendere, ſtatim intus commovebatur, & docebatur aquam vivam gratiæ magno deſiderio expetere, & cum Samaritana inclamare:
Joan. 4. 15 *Domine, da mihi hanc aquam, ut non ſitiam in æternum.* Ipſa quoque, cum quodam die (ut alibi dixi) ingrediens Oratorium intendiſſet in imaginem repræſentantem Chriſtum flagellatum, & totum plagis confectum (quæ quidem imago noviter ibi erat illata) ſtatim mirum experta eſt in ſe dolorem, ita ut cor ejus in duas partes divideretur, illumque dolorem magnâ lachrymarum copiâ teſtata eſt, eodem in loco proſtrata.

Secundò ergò ſerviunt imagines non ſolùm ad inſtruendum, ſed maximè ad excitandum; ut ſcilicet ſint inſtar fomitis, quo charitas ergà Deum vel Sanctos flammeſcat & foveatur. Dum enim præſentem in imagine habeo quem diligo, alitur & increſcit amor: nec tot amoris actus aut aliarum virtutum eliceret voluntas, ſi objectum ſui amoris in imagine præſens non haberet. Ideò Crucifixi imago in templi medio ab Eccleſia ſolet conſtitui, ut eum ſtatim ingredimur, fidei, ſpei, charitatis actum ergà Chriſtum Redemptorem eliciamus. Et hæc conſuetudo ab Apoſtolorum tempore originem trahit: quam judicare videtur Apoſtolus, ad
Gal. 3. 1. Galatas dicens: *Quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jeſus Chriſtus præſcriptus eſt, in vobis crucifixus?* (Sic enim legendum eſt ſecundum correctionem Romanam, non verò *proſcriptus*) Præſcriptus ergò Chriſtus, id eſt, præ oculis veſtris ſcriptus, ſive pingendo depictus in vobis, id eſt, ante vos crucifixus, q. d. Quomodò ita facilè à fide recedituis, ante quorum oculos Chriſtus depictus in Cruce pendet, & exhibetur vobis, & pro vobis crucifixus? Nempè per Apoſtoli Pauli prædicationem repræſentabatur eis Chriſtus Jeſus crucifixus, & ejus vita, paſſio, crux præſens exhibebatur eorum menti: ſimulque imago Chriſti crucifixi, eorum oculis repræſentata, fidem debebat excitare & alere.

Crucifixi igitur imago liber quidam eſt, clavis, ſpinis, flagellis, lancea quaſi calamis exaratus, & ſanguine quaſi atramento deſcriptus: in quo libro legere poſſumus peccata deteſtanda nobis eſſe, ac Chriſtum Redemptorem noſtrum adorandum & amandum; quia in hoc libro amor undique deſcriptus eſt, in plagis, vibicibus, livoribus. Ideò B. Maria Ogniaca non poterat Crucifixi imaginem intueri quin ubertim lachrymis conficeretur, imo & præ cordis defectu exſtatim pateretur. Similiter Franciſcus & alii.

B. Bonaventura, cum eum interrogaret S. Thomas Aquinas, undè tantam ſapientiam & tam ſublimes & ardentes ſermones eliceret? aperiens ciſtulam, non oſtendit illi alium librum, niſi imaginem Crucifixi lachrymis detritam.

S. Dominicus idem interrogatus, in quibus ſcilicet libris mira illa quæ populus prædicabat, diſceret? In libro, inquit, charitatis: Ibi lingua Prædicatoris erudiur & incenditur. Hic liber eſt Chriſtus crucifixus, ejuſque imago.

Ideò & Chriſtus, ut oſtenderet ſibi gratiſſimas eſſe apud Chriſtianos imagines myſteriorum Redemptionis noſtræ, etiam ipſemet aliquorum cordibus vivam voluit imprimere imaginem aliquorum myſteriorum. Patet in Franciſco ſtigmata gerente. In S. Clara de Monte Falco, cujus cordi inſculpta fuêre omnia Paſſionis inſtrumenta. In S. Margarita de Caſtello, in cujus corde inventa eſt gemma Nativitatis myſterium habens impreſſum; in quibus omnibus poſſumus dicere: *Digitus Dei eſt hic.*

Hoc etiam habet boni aſpectus imaginis, quod cum cogitationes noſtræ volatiles ſint & fugitivæ, per imaginis piæ intuitum revocentur. & in myſterio aliquo aut pia conſideratione figantur; & ita non ſolùm rudioribus proſunt, ſed etiam doctioribus proficuæ ſunt.

Tertiò, ad honorem Dei & Sanctorum deſerviunt. Nam & viris inclytis ſtatuas in publico erigi ſolitum fuit, ut ſic honor eis deferretetur, heroiciſque eorum actibus, & beneficiorum memoria recoleretur. Ob hanc cauſam mulier illa, quæ fluxu ſanguinis laborabat, imaginem æneam Chriſto erexit præ foribus ſuis in Cæſarea, ad cujus pedes, effigies mulieris ſupplicantis efformata erat: & hæc imago ad trecentos amplius annos uſque ad Juliani tempora, integra permanſit, teſte Euſebio. Qui etiam aſſerit, juxta illam imaginem, naſci ſolitam herbam, quæ quamprimùm fimbriam imaginis illius Chriſti manum mulieri porrigentis & ſanantis attingebat, ſimilem morbum curare poterat. Hoc ergò miraculo imaginem dictam voluit Deus honorari. Quod verò hæretici dicunt fulmine ictam, mendacium eſt; ſublata enim fuit à Juliano Apoſtata, qui ſuam ejus loco poſuit: quo facto ignis violentus de cœlo delapſus, ſtatuam illam diſſecuit & disjecit, ut refert Sozomenus lib. 5. Hiſt. c. 20.
Euſeb. l. 7. c. 14. Baron. tom. 1 c. 31. n. 37.

Sic

Digitized by Google

Nicetas Choniat. lib. 5. de ideis. Manuel. Conmen. Canisius l. 5. de deipara c. 24.

Sic in honorem B. Virginis imperator Manuel Comnenus, ut refert Nicetas in annal. l. 5. cùm de Hungaris seu Pannonis victoriam reportasset, regressus Constantinopolim triumphum celebrem instituit, plateæ purpureis aureisque vestibus adornabantur, captivi in triumphum ducebantur; plateæ & tecta omnia spectatoribus referta erant. Currus triumphalis auro argentoque splendidissimus præsedebat, equis nive candidioribus vectus. Sed noluit sedere Imperator, verum in illa erexit imaginem Divæ Virgini Matri Dei, cui totam victoriam adscribebat, & quam statua hæc inclyta, triumphoque celebri honorare volebat. Unde & currum hunc sequebantur Judices, Principes, Senatores, ac Magistratus omnes, denique ipse Imperator.

Gregor. l. 7. epist. c. 53. Baron. tom. 9. an. 726.

Imaginis itaque honor ad illum refertur, qui in imagine honoratur, Unde Gregorius Pontifex ejus nominis 2. Carolo Magno imagines mittens sic scribit: Scimus quia tu imaginem Salvatoris nostri ideò non petis, ut pro Deo aut quasi Deum colas, sed ob recordationem Filii Dei, ut in ejus amore recalescas, cujus tu imaginem videre deideras. Et nos quidem, non quasi ante divinitatem, ante illam prosternimur: sed illum adoramus quem per imaginem aut natum aut passum aut in throno sedentem recordamur. Et dum nobis illa pictura quasi Scriptura ad memoriam Filium Dei reducit, animum nostrum aut de Resurrectione lætificat, aut de Passione demulcet. Ideò direximus tibi imaginem Salvatoris, & Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, Beatorumque Petri & Pauli Apostolorum Principum, ut per ipsum à maligno sis defensus, per cujus sanctum lignum munitum te esse credis. Hæc ille.

Quartò, fructus imaginum est imitatio Sanctorum, quem enim in imagine honoramus, etiam præclara gesta imitamur, & ad imitationem accendimur. Olim parentum imagines in numismate aut medallia, ad collum solebant filii nobiles gerere suspensas, ad pectus usque & cor propensas imò & in modum cordis formatas: ut excitarentur tum ad eorum amorem & recordationem, tum & maximè ad imitationem. Quidni ergo Christiani imagines Sanctorum Patrum, qui eis exemplo virtutis præluxerunt, gestent, colant, venerentur publicè privatimque, ut sese ad imitationem virtutis eorum & ad gloriam pari passu allequendam existimulent?

S. Chrys.

Ad hunc finem S. Joannes Chrysost. semper præ oculis habebat imaginem Apostoli Pauli: ut eum in sacris literis specialem Doctorem, & in zelo animarum imitaretur, tanquam exemplar absolutissimum. In ejus effigiem quando perlegebat ipsius epistolas, oculorum aciem intendebat, in eaque defixus inhærebat: non secus ac si Paulus ipse vivus ejus oculis objiceretur, totam animi cogitationem ad illum dirigens, & contemplando cum illo colloquens. Unde & ab ipso multam cœlitus percepisse doctrinam, multumque spiritum ac zelum, certissimum est.

Cromerus l. 5. de rebus Polon.

Boleslaus quartus Rex Poloniæ solebat Patris sui imaginem in lamina aurea collo appensam gestare, & quoties rem magnam erat aggressurus, eam osculabatur, & dicebat: *Absit, Pater mi, ut rem tuo indignam nomine & virtute unquam agam.* Sicque ad patefias virtutes imitandas sese stimulabat. Idem practicent Filii Christi, dum ejus imaginem intuentur.

Quintò, utilitas imaginum etiam in hoc elucescit, quod serviant ad decorationem templorum, quæ ex illis tantum splendorem concipiunt, ut cœlestis Hierusalem speciem quandam repræsentent. Parietes ipsi imaginibus adornati, venerationem quandam loci sacri & memoriam præsentiæ Dei auxiliique Sanctorum in locis illis tacitè loquuntur, & cordibus fidelium imprimunt.

Et ita, si ingrediaris templa hæreticorum nostrorum, maxime Calvinianorum, ita distare invenies, sicut horreum aut stabulum ab aula Beatorum. Imago ergò quædam est cœlestis Paradisi in hos templorum ornatu, ut ad templum illud æternum mentes nostras elevet, & ad Domum Dei non manufactam: quam cum ingressi fuerimus, auferentur imagines; quia succedente tunc clarissima veritate, contemplabimur Deum & Sanctos facie ad faciem, non per speculum aut imaginem: quia quidem nunc egemus tanquam scala visibili, per quem ad invisibilia Dei animum transferamus.

Conc. Elibertinum can. 36.

Sed dices, Concilium Elibertinum canone 36. videtur reprobare templorum picturas. Dicit enim *Placuit in Ecclesia picturas esse non debere, neque quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.* Respondeo ibi tantum prohiberi, ne imagines pingantur in parietibus, quod pro eo tempore & loco potuit obligare: & justè statuit id cum adhuc frequens persecutio Christianorum ferveret: ideoque facilè poterat accidere, ut ab infidelibus irreverenter tractarentur; & quia corruptis parietibus frequenter imagines deturbantur. Addit Baron. an. 57. hunc canonem esse suppositititium & ex SS. PP. fusè docet antiquissimum in Ecclesia morem fuisse, ut parietes picturis ornarentur.

Baron. an. 57.

Impiè ergò Calvinistæ rabiem suam in imagines effundunt, nec impune quandoque ut multis exemplis docet Lindan. l. 2. de fug. idol. Impietas verò eorum patuit, dum efferveſcentes in sacras imagines Sanctorum, impiorum imagines intactas reliquerunt. Sic refert Florimundus in urbe S. Ægidii circa Aquitaniam cùm Jesu Christi imaginem & Apostolorum ejus deturpassent, & deturbassent è sublimi, solam Judæ Iscariotis effigiem intactam reliquisse. Sic Antverpiæ, cùm imaginem crucifixi & Angeli qui boni latronis animam excipiebat, confregissent, effigiem dæmonis, animam blasphemantis latronis excipientem integram reliquerunt. Et cum Londini S. Michaelis imaginem conscidissent; imaginem satanæ ejus pedibus sub-

Lindanus l. 2. de fuga idoli. Florimundus l. 7. de orig. hæreseon. c. 7. n. 7.

Digitized by Google

subſtrati ſine læſione dimiſerunt. Unde quidam Hiſpanus illuc ingrediens in templum S. Pauli, ubi res geſta erat, nullam aliam quam ſatanæ adverſens imaginem, evaginato in eam gladio, & tu hinc egredieris, inquit, cum impiis tuis ſatellitibus, qui ſacras imagines veriti non ſunt hoc in loco ſacro peſſundare. Idem refert Lindanus Epiſcopus Ruremundanus ſe feciſſe, cum viſitaret Eccleſiam ſuam ab hæreticis prophanatam, inventa ibi ſola imagine ſatanæ, quæ quondam depicta fuerat ad ſignificandum tentationem cujuſdam S. Virginis. Effigie ergò illius Virginis diſrupta, ſola ſatanæ effigies permanſerat incorrupta. Nempè noluerunt attingere impii illi ſatanæ miniſtri Patris ſui effigiem, aut Patroni cujus præſidio fulti debacchabantur in imaginem: ſed quaſi illum in illa venerari intactam eſſe voluerunt: Patronos autem Eccleſiæ Chriſti, Michaelem, Angelos, ac Sanctos, ut hoſtes perduelles, in imaginibus ſuis perſecuti ſunt & perſequuntur, optarentque ſi fieri poſſet, eos in propria perſona lædere & ſuccidere.

Idem Florimundus l. 6. c. 4.

Ideò non ſolùm imagines eorum, ſed & reliquias Sanctorum Martini, Irenæi, Hilarii, aliorumque flammis mandarunt, & cineres fluminibus ventiſque diſperſerunt; ut eorum memoriam penitus extingueret, qui voce doctrinæ, imò & ſanguinis ſui eorum errores condemnabant. Horrendum eſt, quod Henricus Octavus circa S. Thomam Martyrem geſſiſſe refertur. Hunc quadringentis antea annis pro fidei confeſſione ann. 1071. mortuum, & decreto Eccleſiæ in Sanctorum numerum relatum, miraculiſque innumeris clarum, coram tribunali ſuo & Judicibus à ſe deſignatis citari voluit: & cauſam ejus per advocatos ſubornatos agi, tandemque reum læſæ Majeſtatis condemnari, & de Sanctorum catalogo eradi, prohibendo, ne quis ultrà eum invocaret ſub pœna capitis. Ulterius, ejus oſſa, quæ inſtar pretioſiſſimi pignoris aſſervabantur in aurea capſa, erui jubet, & flammis dari, pulvereſque in ventum ſpargi, ſæviens in cineres factos rabie furibunda, cum in perſonam non poſſet, crudelior Nerone, Mahomete infidelior, Atheo pejor. Verùm exſurgent tandem, ô impiiſſime tyranne, pulveres hi, & judicabunt cauſam ſuam, dabuntque contra te vocem, fortiùs clamantem quàm ſanguis juſti Abel, contra Cain fratrem ſuum. *Gladii anceps in manibus eorum,* (quorum cubilia ſacra violaſti, in quibus corpora eorum quieſcebant, ipſis in gloria exultantibus) *ad faciendam vindictam, & ad alligandos Reges*, perſecutores ſuos, *in compedibus & manicis ferreis*: ut ligatis manibus & pedibus, in tenebras æternas projiciantur æternum cruciandi: *gloria hæc eſt omnibus Sanctis ejus*, facto judicium conſcriptum, & a Deo decretum.

Pſ. 149. 6.

lb. v. 9.

Cæterum, ut de imaginibus concludam, obſecro Paſtores animarum, Fratres ac Dominos meos; ut diligenter attendant Tridentini Concilii decretum, quo monemur turpes & procaces imagines, vel veluſtate detritas, aliaque ex cauſa deformatas è templis eliminare: quæ tanto abeſt ut devotionem excitent, quin potius riſum eas conſidentibus, & calumniandi occaſionem hæreticis & infidelibus præbeant. Certè multis in locis ruralibus, meis oculis multas conſpexi, quas miratus ſum a Paſtoribus vel Viſitatoribus tolerari; utpote vel exoculatas, vel naſo parteque faciei detruncatas, brachiis carentes vel aliis membris, vel à Pictoribus ignaviſſimis ita effigiatas, ut potius prophanationem quandam domo Dei, quàm decorem conferant: & illi qui non eſt aſſuetus eas videre, riſum potius quàm reverentiam moveant. Conſiderentur ergo diligenter verba Concilii ſeſſ. 25. & executioni mandentur, tollaturque omnis occaſio indecentiæ aut calumniæ è domo Dei.

Trid. con. ſeſſ. 25.

LECTIO IV.

DE RELIQUIIS SANCTORUM.

1. *Docet earum cultum hic non prohiberi.*
2. *Reſpondet ad aliquas objectiones.*

PROPOSITIO.

Non prohiberur etiam hic cultus Reliquiarum Sanctarum.

COrpora enim Sanctorum ac eorum oſſa, Eccleſia à Spiritu Sancto directa, tanquam ſacra pignora ſemper cum reverentia, tractavit, conſervari voluit, & cum veneratione coli: idque noviſſimè Concilium Tridentinum denuò approbavit, & hæreticorum id calumniantium impias voces ſuo decreto repreſſit. Neque verò mirum oſſa illa honorari à Fidelibus, quæ & ipſe Deus honorat, & Angeli ejus, & dæmones reverentur: ipſique Sancti cupiunt, & gaudent ſibi hunc honorem in oſſibus impendi. Singula declaro.

Trident. ſeſſ. 25.

DEUS HONORAT RELIQUIAS.

PRimo quidem Deus eas honorat, & vult honorari; quia *Pretioſa eſt in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus. Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, unum ex his non conteretur.* Sicut ergo pretioſa eſt mors pro Deo perpeſſa, ita pretioſus eſt ſanguis pro ipſo fuſus, pretioſa membra pro ipſo contuſa, pretioſa vulnera, pretioſæ cicatrices remanentes, pretioſa oſſa, pretioſi eorum pulveres ac cineres, pretioſum quidquid ad eos ſpectat, pretioſus denique locus in quo jacent. Hinc D. Ambroſ. *Honoremus beatos Martyres Principes fidei, interceſſores mundi, praecones regni, coharedes Dei.*

1. *Deus honorat SS. Reliquias.*

Pſ. 115. 15. Pſ. 33. 21.

Ambroſ. ſer. de S. Nazario.

Quod ſi dicas, quid honoras in carne reſoluta, de qua nulla jam Deo cura eſt? Reſpondet Ambroſius: *Nunquid veritas loquitur per Prophetam; pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus!* Et iterum: *Mihi autem valde honorificandi ſunt amici tui Deus.* Honoro ergò in carne Martyris exceptas

Pſ. 138. 17.

pro

Digitized by Google

pro Christi nomine cicatrices, honoro hominis memoriam perennitate virtutis, honoro per confessionem Domini sacratos cineres, honoro in cineribus semina æternitatis, honoro corpus quod mihi Dominum meum ostendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reverentur & dæmones? Afflixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulchro. Honoro ergò corpus quod Christum honoravit in gladio, quod cum Christo regnabit in Cælo. Hæc Ambrosius.

Cur corpora seu Reliquiæ SS. honore digna sint.

Corpora itaque Sanctorum planè honore digna sunt: tum quia fuerunt organa animarum sanctarum ad omne opus bonum: tum quia vira membra fuerunt Christi, tum quia templa fuerunt Spiritus sancti; tum quia instrumenta fuerunt ad miracula, per quæ multa beneficia ad homines sunt derivata. Manent ergò post mortem, tanquàm parentum pignora, tanquam triumphantiũ trophæa, tanquàm virtutis monumenta, tanquam pretiosæ confessionis testimonia, tanquam arrhæ per quas certò nobis eorum usurpamus testimonia, tanquam æternæ gloriæ semina à Christo suscitanda, & æternùm glorificanda: Nempè, hæc est charitas Ecclesiæ triumphantis ergà Sororem suam Militantem, accipit ipsa animas Sanctorum, illi relinquit corpora, amoris pignus: quæ diligenter custodiat & honoret, Deo repræsentans eorum & vulnera & sanguinem pro illo fusum, postquàm repræsentavit coram throno divinæ Majestatis corpus & sanguinem Agni, *in cujus virtute vicerunt, & laverunt stolas suas.* Quotidiè enim in sacrificio, primò repræsentantur vulnera & sanguis Jesu Christi, tanquam supremi Mediatoris, cujus sanguine emundantur sordes animæ nostræ ab operibus mortuis. Deindè repræsentatur memoria Sanctorum, sanguis & vulnera eorum: Non tanquam pretium, sed ut per illos etiam secundarios mediatores exaudiamur ad votum. Hinc in Canone dicimus: *Communicantes & memoriam venerantes in primis Gloriosæ V. Mariæ, sed & Sanctorum Apostolorum & Martyrum tuorum, &c.* Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus, quàm sibi vult repræsentari cum morte unigeniti filii sui: quia caput ipse est Martyrum, hi ejus membra: ipse principalis victima, hæ secundariæ: & ideò ille super altare est, qui pro omnibus passus est; illi sub altari antiquitus collocari solent, ut ibi tanquàm in cubilibus quiescant, & glorioſam resurrectionem exspectent, juxta illud Apocal. *Vidi super altare animas interfectorum propter verbum Dei.* Ubi per animas intelliguntur ibi Sancti, qui ibi esse dicuntur, ubi ipsorum sunt corpora, & ibi animæ eorum dicuntur clamare, pro vindicta contra impios: sed dicitur eis ut ad tempus adhuc requiescant, donec complectantur conservi eorum, & fratres qui interficiendi sunt sicut & illi.

Apocal. 6. 9.

Sed si particulariùs vis videre, quomodò Deus illorum corpora, & ossa honoret, volve historias Sanctorum, & videbis plurimorum corpora (Dei speciali providentia illa honorante) per multa annorum curricula integra permansisse, ut verum sit illud: *Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex istis non conteretur.* Quod quamvis maximè verum sit propter resurrectionem, in qua singula Sanctorum ossa ad perfectionem & immortalitatem redibunt; tamen id etiam verum est de multis in hac vita, quorum reliquiæ specialiter divinitus sunt custoditæ. Mirum enim est aliquotum Prophetarum, qui antè annorum tria millia migrarunt è vita, ad nos corpora perveniſſe: & tot Apostolorum, Martyrum, Sanctorum (quorum memoriam penitus conati sunt delere Imperatores & Reges impii gentesque infideles) tanto cum honore reliquias conservatas fuisse. Sic Arcadius Imperator Samuelis Prophetæ ossa à Judæa Constantinopolim transtulit: Michæas quoque & Abacuc Prophetæ in somnis apparuerunt Sebenno Episcopo Eleutheropoleos, & ubi corpora eorum jacerent prodiderunt, ut ex Sozomeno & Adone tradit Baron. to. 5. a. 406.

Dei cura in SS. reliquiis conservandis. Ps. 33. 21.

Baró. to. 5. an. 406.

Cœlestis quoque providentia eluxit & elucet in corpore S. Cæciliæ, quod post octingentos annos à Clemente VIII. integrum repertum est: In corpore S. Huberti, quod adhuc integrum cum capillis & barba, in ejus Monasterio cerni dicitur, quasi somno suavi detentum: In corpore S. Claudii Bizontini Episcopi, quod adhuc adventantibus incorruptum monstratur, ut habet Surius to. 3. 6. Junii. In corpore S. Francisci, quod sine fulcris stare, & instar orantis manus & oculos in cœlum tendere perhibetur. Et sic de multis aliis.

Surius 6. Junii.

Denique, si vis scire quantum Deus ossa honoret Sanctorum: attende quantis miraculis ubique terrarum illa celebria reddat; ita ut meritò dixerit concilium Nicenum & Tridentinum, esse fontes salutares per quos nobis multa beneficia derivantur: Et ut dixit D. Damascenus: *Unguentũ redolentis suavitatis scaturiunt, morbos fugant, infirmis medicantur, cæcis visum impartiunt, lepras emundant, tentationes & mœrores solvunt.*

Planè mirabile est & incredibile videretur, quod de multis reliquiis Sanctorum refertur, nisi testes omni exceptione majores firmarent, & Dei potentia honorque quo sanctos afficere vult, ex sacris litteris exploratus foret.

Audi quod in Neopolitana urbe cunctis est notissimum. Dum Vandali in Africa adversùs Catholicos sævirent. Gaudiosus Episcopus illinc profugiens, Neapolim Campaniæ urbem pervenit, ampullam sanguinis sancti Stephani secum detulit, eò fuerat asportata ab Orosio Hispano: quod etiam colligitur è literis Luciani Presbyteri Hierosolymitani. Asservatur adhuc illa in æde S. Gaudiosi, & quoties super altare ponitur, dum missa dicitur, sanguis ille concretus, nullo modo in pulverem redactus, post tanta temporis spatia, liquescit cun-

Thom. Boz. l. 15. de sig. Eccl. c. 10. tom. 2. Baron. in martyrol. 3. Augusti.

ctis aſpicientibus atque agitatur; mox conſidet peracta Miſſa, & concreſcit quaſi in lapidem quendam. Hujus rei nulla poteſt alia cauſa adferri, niſi quod isdum ſacra myſteria illius, quem tantoperè amavit, Chriſti, peraguntur; & memoria renovatur actionis illius, quâ vitam poſuit pro Chriſto, quodammodò reviviſcit; & ad illius præſentiam commovetur. Ubi ſunt igitur, qui negant audiri preces noſtras à ſanctis, quandò & ſanguis ipſe exanimis quodammodò videtur audire? Hæc notiſſima & vulgatiſſima cunctis Neapolitanis, & innumeris aliis qui propriis hæc oculis conſpexerunt. Neque nos ſumus adeò vecordes, qui hæc affirmare à nobis audeamus, cum facillimè mendacii apertiſſimi à tot hominibus coargui poſſemus. Sed illud plane admiratione dignum eſt, quod cùm olim annis ſingulis, terriâ Auguſti id fieri conſueverit, ipſo etiam anno, quo auctoritate Gregorii Papæ XIII. reſtitutum eſt Kalendarium Romanum, ad formam reductionis anni, non ut olim decem poſt dies, ſed etiam ipſa feſta die, ſanguis viſus eſt ebulliiſſe, ſicque annis ſequentibus. Idem accidit de ſanguine ſancti Joannis Baptiſtæ. Eſt ejus rei, inquit Baronius, fidiſſimus ac ſinceriſſimus teſtis inter alios R. D. P. Franciſcus Mariæ Tarſinus. Congregationis Oratorii Neapoli exiſtentis Præfectus: ut ex his aliiſque compluribus planè conſtet, divinis ſuffragiis, quæ in ſancta Catholica Eccleſia ab ipſo Romano Pontifice ſunt conſtituta probari atque firmari. Hæc Bozius.

Idem Bozius ibid.

Audi & de ſanguine ibidem ſancti Joannis Baptiſtæ. In æde ſancti Gregorii cuſtoditur ampulla, in qua eſt ſanguis ſancti Joannis Baptiſtæ, qui lapidis inſtar duriſſimi eſt concretus; ſed in die, quo feſtum Præcurſoris celebratur, poni hujuſmodi ampulla ſolet ſuper altare, & dum ſacra officia celebrantur, illa ipſa hora, quâ caput eſt amputatum ſancto Joanni Baptiſtæ, ſanguis ille colliqueſcit antea duriſſimus; agitatur, efferveſcit, cunctis qui eò confluunt inſpicientibus, & rem tantam demirantibus.

Idem ib. V. Brev. Rom. 29. Septemb.

Sec nec Januarii Martyris Beneventani Epiſcopi prætereunda eſt mentio, qui Neapoli pro Chriſti fide capite mulctatus eſt. Diverſis igitur templis condita, caput ſanguiſque ejus ampulla concluſus, quo die per urbem ſolemniter feruntur, ſanguis qui in pilam induruit; cùm in caput incidit, mirum dictu, ſed tamen verum, liqueſcit totum in ampulla: non aliter quamtum cum primum caſo capite ex Martyris corpore defluxit. Cum autem à capite disjungitur, in ſphæricam formam ut antè erat, durescit. Id etſi ſatis patet, nos ut certius rem intelligamus, eorum qui in præſentia fuerunt, intentiſque oculis diligentes ſe ſpectatores præbuerunt, teſtimonium habere volumus. Hæc iterum Bozius.

Cur Reliquias SS.

Meritò verò in VII. Synodo act. 3. & apud Damaſcenum libro 4. de fide c. 16. Reliquiæ vocantur fontes ſalutiferi ex quibus unguentum redolentis ſuavitatis ad nos profluit, nam de facto ſicut aqua in deſerto ex aſpera & ſolida rupe, & ex aſini maxilla ad ſedandam Sampſonis ſitim, Deo ita volente proſiliit: ita ex ſanctorum reliquiis frequenter contigit ſuave unguentum ſcaturire, ut teſtatur S. Gregorius Turonenſis de corpore S. Andreæ. Andreas Apoſtolus inquit, magnum miraculum in die ſolemnitatis ſuæ profert, hoc eſt manna in modum farinæ, vel oleum cum odore nectareo, quod tumulo ejus exundat: Per id enim quæ ſit fertilitas anni ſequentis, oſtenditur. Si exiguum profluxit, exiguum terra profert fructum: ſi verò fuerit copioſum, magnum arva proventum fructuum habere ſignificat. Nam ferunt in aliquibus annis in tantum è tumulo oleum exundare, ut uſque ad medium Baſilicæ profluat rivus ille. Hæc autem aguntur apud provinciam Achaiam, in civitate Patras, in qua B. Apoſtolus, ſive Martyr, pro Redemptoris nomine crucifixus, præſentem vitam gloriosâ morte finivit. Tamen cum oleum defluxerit, tantum odorem naribus præſtat, ut putes ibi multorum aromatum ſparſam eſſe congeriem. Et illæ unctiones factæ, ſeu potiones datæ magna plerumque languentibus beneficia præſtant. Hæc Gregorius Turon.

vocantur Fontes Salutiferi. Damaſc. l. 4. de fide c. 16. Gregor. Turon. lib. 1. de gloria Mart. c. 34

Similiter ex corpore S. Nicolai ſcatere liquorem, qui adverſus innumeros morbos proſit, teſtatur Emanuel Imperator Novella de feriis.

Bozius loc. cit.

Teſtatur etiam Bozius è corpore Januariæ Virginis, quod adhuc integrum eſt poſt 300. annos repoſitum in Monaſterio ſancti Spiritus Eugubii, ſudorem quendam ſanguineum emitti, quem Virgines abluunt: & mirificè valet adverſus omne morborum genus. Teſtatur idem ſe etiam in monte Falco vidiſſe cor S. Claræ Virginis cum inſtrumentis paſſionis, quæ digitus Dei miro artificio in illo exaravit: & ampullam ſanguine plenam, qui è corpore ejus effluxit. Is eſt concretus, & quoties aliquid calamitatis imminet Reip. Chriſtianæ, continuò incipit colliquefieri, ſubſilire, & effervescere: & quò major futurus eſt caſus, eò fortior atque diuturnior eſt agitatio.

Idem ib.

Refert quoque Nicephorus. Ex quo S. Euphemia in Martyrum ſtadio decurrit, & corpus ejus in monumento conditum eſt; ipſo paſſionis ejus die in conſpectu omnium, loci Epiſcopus ſpongiis quibuſdam è defuncta corpore ſanguinis liquorem hauriri, temperatum unguentis quibuſdam odoriferis, quem exiguis vitreis vaſculis exceptum turbæ advenienti donat. V. latius Baron. tom. 9. an. 451. V. quoque Bozium l. 25. c. 10. tom. 2. de ſignis Eccleſiæ, ex quo pleraque ex dictis deſumpta ſunt.

Nicephor. Calliſt. l. 15. c. 3. Baron. tom. 6. an. 451.

Angeli honorant Reliquias.

2. Angeli honorant SS. Reliquias.

SEcundò Angelos corpora & Reliquias Sanctorum honorare, nunc oſtendendum eſt. Ac impiis multa eorum corpora, ab illis ſepulturæ funere honorificè tradita non eſt ambiguum. Nam quod Scriptura dicit: *Mortuus eſt Moyſes ſervus Domini*

Deut. 34.

& sepelivit eum in valle terræ Moab, & non cognovit homo sepulchrum ejus usque in præsentem diem: id Angelorum ministerio factum fuisse tradunt veteres. Et indicat Judas in Epistola sua dum dicit, quod *Michael Archangelus cum dæmone disputans altercaretur de Moysi corpore, nec est ausus judicium inferre blasphemiæ; sed dixit: Imperet tibi Dominus.* In quem locum scribens Oecumenius sic ait; Dicitur Michael ministerium præbuisse in sepeliendo Moyse, id non ferebat diabolus, sed accusationem afferebat, Moysen indignum esse sepultura, eo quod occidisset Ægyptium eumque sepelisset in Sabulo & propterea non permittebat ut honorificam consequeretur sepulturam: cùm autem in hac controversia Michael haberet occasionem, ut diabolo malediceret ob ejus impudentiam, noluit, sed tantum in eum intulit. Increpet te Deus ô diabole.

Judas in Epist.

Aliam rationem afferunt alii altercationis cum Michaele, quod diabolus coleretur in illa valle, ideoque non tulisse per Ministerium Michaelis juxta se reponi corpus Moysis, timens, ne illo loco pelleretur, vel obmutescere cogeretur. Ita Serarius.

Serar. in ep. Judæ.

Sed tertia causa certior videtur tam ex antiquis quàm recentioribus Interpretibus, quod ideò cum Michaele altercatur diabolus, quia cum Moyses in sepulchro tam admirando, ut nullus hominum dignus esset illum respicere, sepeliretur ab Angelis, male hoc habebat diabolum, qui cupiebat corpus illud & sepulchrum patere, & cognosci Judæis, ut eis occasio idololatriæ foret. Quia verisimile erat, corpus illud à Judæis in idololatriam proclivibus, adorandum fore, tanquam numen quoddam divinum Ducis ac Legislatoris sui: maximè quia credibile est corpus Moysis licet mortuum, conservasse adhuc splendorem vultus & decorem quem antea habebat, sicut multis Sanctorum accidit. Neque tamen solida ratione nituntur hæretici, dum hoc contra Catholicos intorquent, à quibus volunt tolli reliquias, ne idololatriæ illis occasio detur. Nam non est tale periculum apud Christianos, quale fuit illo tempore apud Judæos, ad cultum idolorum tunc propensissimos. Sed nec semper tale periculum fuit apud illos, cum constet post reversionem à captivitate Babylonica, sepulchra prophetarum Deum miraculis illustrasse: & ossa Elisæi mortuum suscitasse, constat ex Scriptura, idololatriæ periculo omni semoto.

4. Reg. 13. 21.

De nostris Martyribus, aut Virginibus, quomodò eorum corpora Angelorum ministerio fuerint honorificata, ex sacris constat historiis. Nam Catharinæ corpus ab illis in montem Sina deportatum fuit, & sepulturæ traditum: & S. Agathæ sepulchro epitaphium inscripserunt, ut alibi dixi. Item corpori S. Clementis ædiculam in medio maris construxerunt. Corpus quoque S. Bartholomæi, ut refert Gregorius Turonensis, cum in persecutione Christianorum in Asia existens, gentes in mare dejecissent; Angelis sublevantibus, delatum est ad Insulam Liparis, revelatumque est Christianis, ut illud colligerent & sepelirent. Unde super ejus sepulchrum magnum ibidem templum erexerunt, in quo multas virtutes est operatus.

De sancti Quintini corpore Angelica revelatione detectum fuisse refert Sigebertus, & ex eo Bozius, qui sic ait: Quintini Martyris corpus defoderunt impii & occuluerunt alveo fluminis in quo jacuit annos 55. in tenebris. Accidit deinde ut imperantibus Constantini filii filiis. Eusebia quædam cæca Romæ, sæpius Deum precaretur, ut ipsi lumen oculorum restitueret. Tandem per visum ei apparuit Angelus, edicens ut Augustam Veramanduorum pergeret. Fore enim ut in Sonna Fluvio corpus Quintini inveniret, & inde acciperet sanitatem. Abit illa. Invento loco, precibus se dat, & mirabiliter cadaver ipsum se in altum extollens, enatat ad ripam: Caput similiter aliunde eodem se extulit.

Sigebertus & Bozius.

Sed & frequenter Angelica custodia Sanctorum corpora à ferarum laniatu, aliisque elementorum incommodis præservata fuere, ab igne, ab aqua, ab aeris corruptione; quorundam etiam corpora per belluas tutelam acceperunt à belluis. Vincentii corpus per Corvum, Stanislai per Aquilam; Eadmundi Regis Angliæ per Lupum, ut dixi, cum de Resurrectione corporum tractavi. Sic & Leones effoderunt terram, ut tumulo conderetur corpus Pauli Eremitæ: si ergò Angeli, si irrationabilia animalia, honorant Sanctorum corpora, cur prohiberemur illis honorem impendere.

Sed sicut honorant ea Angeli, ita ad illorum præsentiam terrentur dæmones & torquentur. Et ideò non mirum si infideles & hæretici nostri, Satanæ filii & tenebrarum, illorum honore torqueantur, & ad lucem miraculorum, quæ per illa Deus operatur, fremant & tabescant, invidiæ quodam livore de gloria eorum indolentes. Unde acriter contra Vigilantium Reliquiarum hostem sic scribit D. Hieronymus; *Responde mihi, quomodò in vilissimo pulvere & favilla nescio qua (ut loqueris) tanta sit signorum virtutumque præsentia? Sentio; sentio infelicissime mortalium quid sentias, quid doleas. Spiritus iste immundus qui hæc te cogit scribere, sæpe hoc vilissimo tortus est pulvere: imò & hodiè torquetur, & in te plagas dissimulat, in cæteris confitetur.*

S. Hier. contra Vigilantium.

Frequenter autem dæmonem è corporibus obsessis ad præsentiam Reliquiarum excussum fuisse, notum est ex Historiis Sanctorum. Testatur Augustinus adolescentem à dæmone arreptum ad præsentiam Reliquiarum S. Gervasii & Protasii liberatum fuisse. Vicum quendam malignorum spirituum insidiis infectum, cum alia multa remedia tentata fuissent, allatis S. Marci Evangelistæ Reliquiis à malignis illis spiritibus purgatum fuisse, testatur Metaphrastes apud Surium in vita SS. Cyri & Joannis 31. Januarii. Ad vincula Petri tempore Othonis Imperatoris comitem de ejus familia, à nefario

Aug. l. 22. de Civ. Dei c. 8.

Surius 31. Jan.

Digitized by Google

nefario ſpiritu liberatum fuiſſe refert Breviarium Rom. 1. Auguſti.

SANCTI APPROBANT HONOREM RELIQUIARUM.

Pſ.49.5. TErtiò Sanctos hunc honorem eorum pignoribus impenſum approbare; indubium eſt. *Exultant enim in gloria, lætantur in cubilibus ſuis*, hoc eſt, in locis ubi recumbunt eorum oſſa ob honorem qui ibi eis tribuitur; ex illo enim in eos gaudium & gloria accidentalis refluit. Unde optant oſſa ſua certis in locis quieſcere, in quibus majori honore & celebritate colantur, Refert Baptiſta Fulgoſius, Corpora trium Regum ab Abbatia Fuldenſi in Thuringia divinitus iterum Coloniam ad templum undecim millium Virginum reducta fuiſſe, unde translata fuerant. Refert quoque D. Gregorius de corporibus Apoſtolorum Petri & Pauli, eo tempore quo paſſi ſunt, ex Oriente fideles adveniſſe, qui eorum corpora quaſi civium ſuorum repeterent: quæ ducta uſque ad ſecundum urbis milliarium, in loco qui dicitur ad Catacumbas collocata ſunt. Sed dum ea levare omnis eorum multitudo conveniens niteretur: ita eos vis tonitrui atque fulguris nimio metu perculit & diſperſit, ut talia denuò nullatenus attentare præſumpſerint. Tunc autem exeuntes Romani eorum corpora / qui hoc ex Patris pietate meruerunt / levarunt, & in locis quibus nunc ſunt condita poſuerunt. Idem quoque Conſtantiæ Imperatrici petenti Caput S. Pauli, ut Baſilicam à ſeipſa ejus honorem erectam in palatio ſuo honoraret: reſpondet ſacrilegium eſſe, corpora tantorum Sanctorum tangere & inſpicere. Et narrat multos repentè obiiſſe, quod præſumpſiſſent ad tangendum vel inſpiciendum propiùs accedere. Polliceretur tamen ſe aliquid miſſurum de raſura catenarum S. Pauli, ſi limando aliquid poterit extrahere; eam enim eſſe earum conditionem, ut pro dignitate vel in dignitate petentium, aut ſine mora aliquid radatur, aut nullo modo quis poſſit etiamſi diu limando laboret.

Greg. l. 3. ep. 50.

Idem Greg. ib. Baron. tom. 8. an. 594.

Admirabile verò eſt quod Gerundæ in Arragonia, ubi vult coli S. Narciſſus, accidiſſe dicitur. Cum enim Philippus Galliæ Rex, bello in Petrum Regem Arragonum moto, urbem illam cepiſſet, ejus milites, qua erant inſolentia, vi templis illata, S. quoque Narciſſi Patroni & Tutoris illius urbis ſepulchrum diripuerunt. Sed inde egreſſa muſcarum maudita forma & magnitudine examina, & magno impetu multitudinem involantia, ſic terruerunt, & acutis ac venenatis morſibus vulneraruut, ut intra paucos dies hominum plus quadraginta, & equorum plus 24. millia peſtis abſumpſerit. Quin etiam Petrus ipſe Arragonum Rex in Epiſtola ad Sanchium Caſtellæ Regem data, ſcribit equos ad 40. millia periiſſe. Neque multò poſt Rex ipſe Galliæ mortuus eſt Perpiniani. Ex hoc triſti eventu abierunt in proverbium, *Muſca ſancti Nar-*

Baron. in Martyr. ad 18. Martii.

ciſci, ut annotat Baronius in Martyrologio 18. Martii, qui etiam Philippo jungit Carolum Siciliæ Regem.

Notabile quoque eſt, ipſoſmet Sanctos, ut oſtenderent quam gratus ſibi acceptabiliſque foret honor eorum reliquiis exhibitus, frequenter apparuiſſe, & deſignaſſe loca, in quibus eorum corpora ſine honore jacerent: ut inde translata locis honoratioribus conderentur, & populis concurrentibus colerentur. Sic apparuit S. Joannes Baptiſta certis Religioſis; eis in quo loco jaceret caput ſuum declarans. De quo ſic Urſpergenſis Abbas in Chronico, Caput D. Joan. Baptiſtæ altiſſimè ad ignominiam ejus, ab impiis Herodiadis miniſtris juxta Cerodis quondam Regis habitaculum fuerat defoſſum. Poſt multa verò annorum curricula, circa annum Domini 465. quo tempore Vandali ſub Genſerico omnia vaſtabant, idem Sanctus duobus Monachis orientalibus, qui Hieroſolymam orationis cauſa venerant, in ſomno apparens, quo loco eſſet, oſtendit. Quod deinceps Edeſſam Phœnicis, urbem perlatum, digno cultu eſt honoratum. Rurſus cum deliteſceret ſub Valentiniano & Marciano imperatoribus, Sanctus Marcello Monacho mirabili quodam modo indicavit quo loco eſſet. Cumque è Cicilia Conſtantinopolim transferretur, ubi ventum eſt ad Phantichium, qui locus eſt Chalcedonis, qui vehebant ſubſtitere, nec quicquam movebantur cædentibus eos aurigis, depoſitumque eſt in Pago Conſilai. Denique imperante Thodoſio juniore Conſtantinopolim eſt adductum, & quoniam Macedonianus Sacerdos illud habebat in cuſtodia, pollicitus eſt ſe hæreſi renunciaturum, ſi caput ab Imperatore aſportari poſſet, quod ita contigit, ut Sozomenus ſcribit l. 7. hiſt. cap. 21.

Urſpergenſis Abbas in Chron. Sozom. l. 7. c. 21.

Apparuit quoque S. Barnabas B. Anthemio Salminæ Epiſcopo, cum diſceptaret adverſus Antiochenos an Eccleſia ſua Apoſtolica foret: contendentibus Antiochenis Epiſcopis, illam Provinciam ſubjectam eſſe debere Antiochenæ ſedi Apoſtolicæ. cui tunc præſidebat Petrus Follonis Arrianus. Cùm ergo fluctuaret Anthemius, quid ageret, Conſtantinopolim vocatus, ut hac de re coram Patriarcha cauſam diceret, nocte aſtitit illi S. Barnabas divinam quandam ſpeciem præ ſe ferens, & luminis ſplendore coruſcans, veſteque in ſacro habitu decorus, dixitque ei: *Cur triſtis es, & vultus tuus ita concidit? nihil mali ab adverſario pateris.* Hæc cum dixiſſet, diſceſſit. Experrectus & pertemitus Epiſcopus in faciem ſe proſtravit, & multis lachrymis ita Deum deprecatus eſt: *Domine Jeſu Chriſte Fili Dei vivi adjuva Eccleſiam hanc: Si viſio hæc à te profecta eſt, quæſo & mihi iterum & tertiò oſtendatur, ut & mecum eſſe certò ſcire poſſim.* Quod factum eſt ſecundum ejus votum. In tertia autem apparitione: *Quæſo Domine mi*, inquit Epiſcopus, *die quis es tu qui hæc mecum loqueris?* At ille; *Ego ſum Barnabas diſcipulus Domini ſegregatus à Spiritu ſancto, ut cum Paulo munus Apoſtolicum inter gentes exercerem. Hujus*

Baron. tom. 6. an. 485.

jus rei signum hoc habeas, egredere extra urbem versus Orientem stadiis quinque, in eam Regionem quæ sanitatis locus appellatur, per me enim Deus in loco illo miracula efficit, & sub arbore siliqua effodias, Speluncam & arcam reperies, in qua corpus meum conditum est, & Evangelium propria manu scriptum, quod à S. Matthæo Evangelista excepi. Quia verò adversarii tui sursum & deorsum micantes omnia, & jura quædam objicientes tecum disceptant, Antiochiæ sedem Apostolicam esse contendentes, tu contra jus tuum opponas dicens: *Et mea sedes Apostolica est, nam & Apostolum habeo in Patria mea integro corpore constantem.* His dictis Barnabas discessit, & Episcopus cum Clero in locum exiens designatum, corpus reperit Apostoli, suavem gratiæ spiritualis odorem respirans: Ideoque ibi viros Religiosos constituit, qui vespertinis & matutinis Hymnis Deum collaudarent, Sanctumque colerent. Postea Constantinopolim procedens responso quod acceperat ab Apostolo Barnaba, de suis adversariis triumphavit.

Apparuit quoque S. Sebastianus Lucinæ, Gervasius Ambrosio, S. Stephanus Luciano Presbytero, eadem ob causam: ut scilicet eorum sacra pignora loco honorato collocarentur & colerentur, ut & Deus in Sanctis suis glorificaretur, & ipsi tanquam amici Dei specialiter honorificarentur miraculis ad
Esth. 6. 9. eorum tumulos gloriosè editis: Sic nempe *honorabitur quem Rex voluerit honorari.*

Itaque optimè convenit viris sanctis quod apud
Eccl. 46. 14. Sapientem habetur Eccl. 46. *Sit memoria eorum in benedictione, & ossa eorum pullulent de loco suo, & nomen eorum permaneat in æternum.* Quid est ossa eorum pullulare de loco suo, quando in loco a Deo electo, ex eorum tumulis & ossibus tot beneficia
Ossa SS. dicuntur pullulare de loco suo. pullulant, tot miracula redundant. Pullulabat sepulchrum Elizæi, dum ad ejus contactum mortuus
1. Beneficia corporalia. suscitatus est. Pullulabat sepulchrum S. Stephani dum ibi cæca mulier ad pignora sacra delecta, flores quos ferebat admovit, illosque postea oculis applicans, protinus visum recepit stupentibus omnibus qui aderant, quia præibat exultans, viam carpens, & viæ ducem ulterius non requirens. Pullulabat sepulchrum B. Agnetis Politianæ, in quo ejus incorruptum corpus ad huc colitur: ad quod venerandum cum B. Catharina Senensis accederet, pluvia cœlestis roris instar Mannæ, super utramque divinitus descendit. Cumque cives de ejus sacro corpore aromatibus condiendo, ut diutius servaretur, cogitarent, fluxit ex ipso corpore liquor instar balsami; ut omnes intelligerent, corpus divina gratia conditum, non egere alius aromatibus. Unde hujus liquoris tunc pullulantis adhuc reliquiæ
Bellarm. servantur cum corpore incorrupto, ut se vidisse attestatur Cardinalis Bellarminus. Pullulant & illa corpora Sanctorum, de quibus diximus similes liquores medicinam corporibus afferentes promanasse. Pullulavit ex ore Cranii S. Magdalenæ vitis, eoque indicio ipsa reliquias suas demonstravit Carolo Siciliæ Regi, apparens ei in in carcere, & eum liberans, ut videre potes apud Surium in vita ejus. Surius in
Pullulare solebant quotannis de sepulchro S. Eula- vita S.
liæ ramusculi arboris cujusdam ignotæ, floresque producere in Decembri in die Martyrii, qui Magdal.
quidem flores formam habebant columbarum, miroque fragrabant odore: visa namque fuerat ejus anima instar candidæ columbæ in cœlum à martyrio evolare. Pullulat quotannis Neapoli Ribad. 16.
sanguis S. Joannis Baptistæ, S. Stephani, S. Ja- Decemb.
nuarii ut supra dixi. Ex sanctarum quoque Virginum sepulchris, lilia, vel rosas frequenter germinasse legimus: unde de illis rectè canit Ecclesia: *Sancti tui Domine florebunt sicut lilium, & sicut color balsami erunt ante te.* An non igitur ob hæc omnia meritò de Sanctis dicimus: *Sit memoria eorum in benedictione, & ossa eorum pullulent de loco suo.*

Secundò; ossa Sanctorum rectè pullulare aut 2. *Spiri-*
germinare dicuntur de loco suo, quia ab illis non *tualia.*
solùm beneficia corporalia, sed & spiritualia in animas fidelium derivantur. Ideò enim reliquiæ Sanctorum nobis proponuntur, ut ab illis desideria nova virtutis in nobis oriantur tanquam flores novelli & decori ab eorum imitatione, quasi radice, originem trahentes. Dum ergo Sanctorum Martyrum reliquias piè ut decet, consideramus: Germinant in nobis charitatis & constantiæ virtutem, per quam innumera pro Christo tormenta sustinuerunt; accendimur enim eorum exemplis, ut viriliter & animo constanti labores pro Deo perferamus. Dum reliquiæ Confessorum & aliorum Sanctorum qui asperam vitam duxere, proponuntur; germinare debent in nobis desideria pœnitentiæ ac vitæ sanctæ & sobriæ, per quam peccati incentiva amputemus. Dum proponuntur nobis reliquiæ & ossa Virginum: pullulare debent in nobis desideria castitatis, ut libidinem omnem fugiamus. Dum proponuntur nobis reliquiæ aliquorum Sacerdotum, aliquorum artificum, aliquorum matrimonio conjunctorum, aut officio aliquo simili illi cui deservimus functorum: id totum fit ut in nobis exemplum germinent virtutum quas imitari possimus: ut nulla excusatione peccata nostra colorare debeamus, quia si quis dixerit: Infirmus sum, carne circumdatus sum, Matrimonio junctus sum, in medio sæculi ago, quomodo vitia vitare possum? Nonne & illi homines similes nobis carne & infirmitate circumdati fuere, ossibus & nervis compacti, in medio sæculi, in medio mundi, in vinculo conjugii, mundum, carnem, satanam devicerunt? *Sit ergo memoria eorum in benedictione, & ossa eorum pullulent in cordibus nostris benedictionem, ac virtutis eorum imitationem.*

Tertiò pullulabunt maximè ossa Sanctorum de 3. *In Resur-*
loco suo, in resurrectione justorum, cum immor- *rectione*
talia reddentur: & quæ prius tabida & emortua *justorum.*
fuerant reviviscent, sicut herba in hieme quæ mortua videbatur. Nam sicut ros cadens super herba,

Digitized by Google

bas, eas creſcere facit & exſurgere, ita ros quidam gratiæ ſuper illa oſſa mortua cadet, ut ad immortalitatem reſuſcitet. Et propterea de illis dicitur apud
Iſa. 26. 19. Iſaiam: *Expergiſcimini & laudate, qui habitatis in pulvere, quia ros lucis ros tuus.* Et iterum Iſaiæ 66.
Iſa. 66. 14. *Oſſa veſtra quaſi herba germinabunt, & cognoſcetur manus Domini ſervis ejus, & indignabitur inimicis ejus.* Ergo & ob hanc cauſam benedictio debetur, ac honor oſſibus Sanctorum, quia æternitatis, ut diximus, ſemine iunt animanda & glorificanda à Deo, in quibus ipſe in æternum habitabit & honorabitur.

RESPONSIO AD OBJECTIONES

Objectio 1. ex Luc. 11. SEd objiciunt nobis hæretici illud Lucæ c. 11. *Va vobis qui ædificatis monumenta Prophetarum, Patres enim veſtri occiderunt eos, profectò teſtificamini quod conſentitis operibus eorum.* Ubi videtur Chriſtus reprobare monumenta illa quæ ædificantur Martyribus, & cultum qui eis impenditur. Reſpondeo, hunc ſcripturæ locum nobis favere, quia hinc apparet etiam tempore Judæorum ſolitum fuiſſe, & pium opus exiſtimatum, monumentis honorare reliquias Martyrum: Unde
Matt. 25. Matth. 25. vocat eos hypocritas, quia cùm forent impii, hoc tamen externo facto pietatem oſtentabant. Neque Chriſtus reprehendit quod ædificabant monumenta, quia alias etiam debuiſſet reprehendere Jacob qui erexit titulum ſuper ſepulchrum Rachel: *Hic eſt titulus monumenti Rachel uſque in præſentem diem.*
Gen. 35. 20. Debuiſſet & reprehendere Moyſen oſſa Joſeph
Exod. 13. 19. magno cum honore conſervantem, ut in terra Chanam ſepulturæ ea honorificè traderet. Sed culpat eos, quia cùm exterius oſtentarent pietatem, & damnarent facta Patrum ſuorum; ipſi tamen eadem facerent, occidendo Apoſtolos, & Prophetas, ipſumque Chriſtum, ut paſſim interpretantur Sancti Patres.

Object. 2. de ſuperſtitione. Objiciunt 2. ſe damnare hunc cultum, utpote, continentem multam ſuperſtitionem circa pulveres, circa veſtes, circa multa alia quæ cultus & venerationis non ſunt capacia, nili ſuperſtitione quadam cæca. Reſpondeo nullam huic involvi ſuperſtitionem, nec indebitam venerationem. An fuit ſuperſtitioſa mulier fimbriam Chriſti tangens? Matth. 9. An ſuperſtitioſi qui ad umbram Petri ac-
Matth. 9. 20. currebant. Act. 5. An ſuperſtitioſi qui Pauli ſudaria
Act. 5. 15. & ſemicinctia ad ægros ferebant? Act. 19. An ſu-
Ib. 19. 12. perſtitioſus Antonius, tunicam Pauli ſervans, qua ſolum utebatur diebus feſtis Paſchæ aut Pentecoſtes? Si paterna veſtis & annulus, inquit Auguſtinus, ac ſi quid ejuſmodi tanto charius eſt poſteris, quanto erga parentes major exſtitit effectus, quanto magis non ſunt ſpernenda quæcumque ad Sanctos ſpectant, à quibus ſanctitatem quandam communicatam acceperunt? Tanquam inſtrumenta ergo ſanctitatis, aut tanquam ſacra pignora, in eorum memoriam aſſervantur.
Auguſt.

Nec refert quod illa non vivant, aut non ſentiant, & ſic honor eis nullus deberi videtur. Non vivebat arca Teſtamenti, non ſentiebant tabulæ intus latentes, non manna, non urna, non vivebat virga quæ olim fronduerat: & tamen his rebus magnus eſt olim datus honos: adeò ut nulli, præterquam Sacerdoti arcam tangere liceret, & David accinctus Ephod lineo & omnis domus Iſrael ducebant eam in jubilo & buccinæ clangore. An forte David ſuperſtitioſus vel idololatra? Licet ergo non vivant Sanctorum corpora, & eorum Reliquiæ: vivunt tamen ipſi, quibus honor impenditur in rebus ſibi conjunctiſſimis. Unde per Reliquias hic non ſolum intelligimus oſſa & corpora, ſed & veſtes, crines, vela, aut alia quæ eis fuere conjuncta immò etiam inſtrumenta ſupplicii, quæ tranſierunt in honorem triumphi, & ad victoris gloriam ſpectant quaſi quædam trophæa, inquit D. Leo. Unde illa veneramur, non ut fuerunt inſtrumenta iniquitatis impiorum, ſed ut fuerunt inſtrumenta victoriæ Sanctorum, & memorialia Paſſionis triumphalis eorum: qua etiam ratione Crucem, Lanceam, Clavos, Flagella Chriſti veneramur. Nam & olim gladius Goliath, quo David ei caput obtruncarat, in templo repoſitus fuit & ſacer habitus, tanquam victoriæ adeò celebris inſtrumentum & trophæum.
D. Leo ſer. de S. Laurentio mart.
1. Reg. 21. 9.

Nec minus Deus operari ſolitus eſt miracula per veſtes, quam per oſſa eorum, ut etiam quotidie experientia docet. Hinc Deiparæ zonam qua ſe aſtringebat, pretioſaſque faſcias quibus Chriſti corpuſculum colligarat, adeò venerata eſt Græcia, ut templum in utriuſque honorem magnificum erexerit: cujus conſecrationem S. Germanus Patriarcha Conſtantinopolit. oratione in laudes Virginis habita celebravit, & ibi plura miracula peracta ſunt. Supervacuum foret recitare miracula quæ quotidie fiunt in domo illa Lauretana, quia domus eſt quam Virgo inhabitavit & Verbum incarnatum in infantia ſua.

Object. 3. non eſſe eadem Corpora SS. Objiciunt 3. corpora Sanctorum non eſſe eadem quæ fuerunt antè, habent enim diverſam formam ſubſtantialem, ergo nulla eis debetur venetatio. Reſpondeo, licet mutarent quandoque formam ſubſtantialem, ut quando caro omnino ſiccatur, aut oſſa comburuntur, tamen moraliter manet eadem res donec in vermes, terram, herbam, aut ſimile quid mutentur, aut omnino putreſcant, quia tunc moraliter non cenſentur amplius pertinere ad Martyres, ſicut prius, quæ diſtinctio ex communi ſenſu magis, quàm ex metaphyſica ratione deſumenda eſt.

Object. 4. de falſis reliquiis. Objicitur 4. multas falſas reliquias pleriſque in locis venerationem accipere, multaſque ſuperſtitiones à populo rudi in reliquiarum veneratione adhiberi. Reſpondeo nos hic ſupponere veritatem reliquiarum juxta decretum Concilii Lateranenſis, quo cavetur, ut nemo reliquias de novo inventas publicè venerari præſumat, niſi prius auctо-
Conc. Latera.

Digitized by Google

auctoritate Rom. Pontificis approbatas; quæ approbatio ubi præcesserit, nullum erroris periculum est. Et piè credendum non permissurum Deum errorem aliquem in hoc publico cultu. Ubi tamen, si interdum aliquis error intercedere videatur, ille non tam in substantia rei adoratæ esse deprehendetur, quam in aliqua conditione: Ita ejusdem Sancti corpus diversis in locis esse dicitur, & solemniter honoratur, non quia integrum pluribus locis, sed quia plura loca ejusdem corporis partem habent. Imò interdum fieri potest, ut fuerint diversi Sancti ejusdem nominis, & ita successu temporis reliquiæ utriusque ejusdem putentur: fortè accidit in capite S. Joannis Baptistæ, quod pluribus in locis esse dicitur. Satis autem est, ut certum sit esse alicujus Sancti reliquias ad adorandum. Ad privatum verò cultum, sufficit privatum testimonium virorum fide dignorum, vel alia ratio aut conjectura ita probabilis, ut sufficiat ad prudens judicium ferendum.

Quantùm verò ad abusus & superstitiones aliquas in cultu Sanctorum aut reliquiarum, non possumus negare quandoque intervenire, v. g. dum fit vis in certo numero candelarum, aut in dispositione illarum, vel in aliis circumstantiis & observationibus anilibus vel popularibus. Sed Pastorum est & Episcoporum his obviare doctrinâ & voce; non propterea verò exterminandus est cultus Sanctorum. Sic abusus est in multis hoc tempore, dum reliquiis Sanctorum utuntur, non tam ad cultum & venerationem, quam ad vanitatem & ostentationem: dum monilia fabrefacta ex multis reliquiis ut plurimum incertis in collo gestant, vel in vestibus, ornatus pompæ gratia. Quod ita frequens est aliquibus in locis, ut pueri & puellæ, imò & mulierculæ libidinosâ vitâ impuræ hæc ostentent, *Circumornata ut similitudo templi.* Vereor ne aliqui Religiosi his abusibus occasionem censeantur dare, qui ut gratiam capiant apud nobiles vel divites, Reliquiaria operosè concinnata & elaborata, sed nescio ex quibus, vel quam certis Reliquiis, passim distribuunt, vanissimis etiam personis: Ita nimirum ex rebus sacris & monumentis pietatis, ansam accipit Sathan prophanæ vanitatis, cui Pastorum, sed maximè Episcoporum monitiones, etiam per decreta publica ad hunc effectum, sic ad hos abusus resecandos edita, obviare, operæ precium foret.

LECTIO V.

DE II. PRÆCEPTO.

NON ASSVMES NOMEN DOMINI Dei tui in vanum.

HÆC LECTIO DOCET QUANDOQUE licitum esse juramentum.

PROPOSITIO. UNICA.

Manifestum est ex Scriptura sacra juramentum quandoque esse licitum.

PRimò, quia juramentis usi sunt Patriarchæ. Abraham enim mittens Eliezer œconomum domus suæ, ut acciperet uxorem filio suo Isaac, dixit: *Pone manum tuam subter femur meum, ut adjurem* Gen. 24. 2
te per Dominum Deum cœli & terræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, sed ad terram & cognationem meam proficiscaris, & indè accipias uxorem filio meo. Posuitque servus manum sub femore Abraham, & juravit illi super sermone hoc. Ubi advertunt Interpretes, hunc fuisse morem solemnem Patriarchis juraudi attacto femore quasi re sacra, sicut solet juramentum fieri apponendo manum ad altare. Quia scilicet propter Messiam oriundum ex semine eorum, femur eorum, velut res sacra habebatur ob mysterium futuræ Incarnationis; & ideò per illam partem, quæ est humanæ generationis origo, adjurantes, quasi per sanctissimam Jesu carnem indè processuram adjurabant. Hunc & Jacob eâdem formâ adjurationis usus est cap. 47. Genes. Sensum hunc indicant SS. Patres, Gen. 47. 29.
inter quos D. Gregorius sic ait: *Manum sub femore* S. Gregor.
ponere jubet, quia per membrum illud descensura erat in Moral.
caro ejus, qui filius Abrahæ esset ex humanitate, & Dominus ejus ex divinitate, q.d. Tange filium meum & jura per Deum meum.

Secundò, etiam Prophetæ juramento quandòque utuntur. Undè apud eos has jurandi formulas reperies: *Vivit Dominus, vivit anima mea: Hoc faciat mihi Dominus, & hæc addat.* Nempè Deum, in cujus præsentia erant, qui vita est per essentiam, & a quo vitam participamus, testem invocabant ejus, quod sic facturos pronunciabant. Sic David 1. Reg. 3. & 3. Reg. 9.

Tertiò, Apostoli quoq; juramento usi inveniuntur; sic D. Paulus: *Ego testem invoco Deum in animâ* 2. Cor. 1. 23.
meam, quod vobis parcens non veni ultrà Corinthum. Ubi adverte, duplex distingui a Theologis juramentum: Unum vocant contestatorium sive simplex, quod scilicet fit per simplicem contestationem, in qua Deus solum ut testis vocatur; sic dicimus: *Testis* Phil. 1. 8.
est mihi Deus: Intro per Deum. Aliud vocant execratorium, in quo Deus etiam vocatur, ut Judex & & Vindex. Duplex ergò illud juramentum in verbis Apostoli reperitur; nam dum dicit: *Testem invoco Deum*, jurat contestando veritatem: dum verò addit, *in animam meam*, idem est, ac si diceret: Omnis maledictio animæ meæ superveniat, si falsum dico. Alibi quoque dicit Apostolus contestando divinam veritatem: *Testis est mihi Deus, quomodò vos omnes cupiam in visceribus Domini nostri Jesu Christi*, & simili modo frequenter utitur.

Quartò, etiam Angeli reperiuntur juravisse; sic Apoc. 16.
Apocal. 10. *Juravit Angelus per viventem in sæcula sæcu-*

Digitized by Google

ſæculorum, quia tempus non erit amplius. Solos ergò dæmones non invenio juraſſe, quia à cultu Dei abhorrent, in juramento autem debitè factò, honor Deo tribuitur, cum ipſe agnoſcatur ut veritas infallibilis: & ita juramentum proprié dictum, dæmoni non convenit, quia ei non convenit agnoſcere, & invocare primam veritatem.

Pſ. 94. 11. Quintò etiam ipſe Deus juramento utitur: *Quibus juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam.* Ubi illa vocula, *ſi*, idem ſignificare poteſt ac vox negativa, *non*. Vel, ut alii interpretantur, idem eſt, ac ſi

Iſa. 45. 23. dicat: *Non ſim Deus.* Alibi quoque dicit: *In memetipſo juravi, egreditur de ore meo juſtitia verbum, & non revertetur, quia mihi curvabitur omne genu.* Ubi adverte, quia Deus non habet ſuperiorem ſe, jurat per ſemetipſum, homines autem per Deum, quod quando debitis fit circumſtantiis non ſolum non illicitum eſt, ſed & Deo honorificum, ejus infallibile teſtimonium invocari. Habet verò juramentum hunc ſcopum (inquit Apoſtolus) quod

Heb. 6. 16 ſit finis controverſiæ hominum. Cum enim ſpiritus hominum depravatus, pronus ſit ad mendacium, & homines non poſſint perfectè corda cognoſcere reſque futura, neceſſarium fuit ad deciſionem controverſiarum, recurrere ad infallibilem veritatem, quæ nec poteſt decipi nec decipere, quaſi ad ultimum refugium.

Mat. 5. 34. Ex his collige, quandò Dominus dicit: *Ego autem dico vobis non jurare omninò*, Item: *Sit ſermo veſter, eſt, eſt, non, non*, ideò non prohiberi omni in caſu juramentum: ſed ſolum illud, quod ſine cauſa ſit aut neceſſitate, aut quod non eſt veſtitum debitis circumſtantiis, hoc eſt, quod non ſit in veritate, judicio & juſtitia. Reprehendit enim Phariſæos, qui licitum putabant jurare quacunque ex cauſa per creaturas. Itaque Chriſtus docet non jurandum omninò, id eſt, nullo juramento, nec per Deum, nec per creaturas, quantum ſcilicet in nobis eſt, ſivè, niſi neceſſitas compellat. Quia juramentum non eſt de illis, quæ per ſe bona ſunt & frequentanda, ſicut eſſet jejunium, oratio, & ſimilia; ſed eſt de illis, quæ bona ſunt poſita neceſſitate, ſicut antidota & medicamina. Sic prohibetur ſimpliciter: *Non occides.* Non tamen intelligitur occiſio ſuis veſtita debitis circumſtantiis, qualiter ſit a judice, aut ab eo, qui vim vi repellere cogitur. Vide latiùs Interpretes in illum locum, Janſenium, Maldonatum & alios. Voluit interim Chriſtus ſignificare juramentum per ſe periculoſum eſſe, ideòque conſuetudinem jurandi volens tollere, dicit: *Sit ſermo veſter eſt,*

Ibi. v. 37. *eſt, non, non, Quod autem his abundantiùs eſt, à malo eſt*, ignorantiæ ſcilicet alterius, vel diffidentiæ illius, qui non vult credere ſimplici verbo, vel *quod amplius* ſivè abundantius eſt hoc ſermone ſimplici, *eſt, eſt, non, non*, eſt à malo, id eſt à diabolo, extra ſcilicet, neceſſitatem: quia juramentum quando ſufficit ſimplex affirmatio vel negatio, non à Deo introductum eſt, ſed à diabolo, & ideò cavendum eſt, quia frequens jurandi conſuetudo etiam periculum perjurii & irreverentiæ involvit. Undè ob idem periculum rectè dicitur: *Nolite jurare omninò.* Rectè ergò D. Auguſtinus: *Non eſt peccatum verum jurare; ſed quia grande peccatum eſt falſum* Aug. ſer. 10. de 55. *jurare, longè eſt à peccato falſum juranda, qui omninò non jurat. Dominus ergò, qui prohibuit jurare, ſuper ripam te noluit ambulare, ne pes tuus in anguſto labatur, & cadas: Sed Dominus juravit inquies? Securus jurat, qui mentiri nejcit; ipſe quoque Dominus eſt.* Hæc Auguſtinus.

Concludo ex dictis, hæreſim eſſe negare quandoque licitum eſſe juramentum, quem errorem ſequuntur noſtri temporis Anabaptiſtæ, qui exactiſſimè ab omni ſpecie juramenti ſeſe elongant, ex errore ab hac ſententia Domini malè intellecta, deducto: *Nolite jurare omninò.* Quâ etiam ſententiâ, antiqui ſerpentis aſtutia uſa eſt, ad exercendam crudelitatem erga Epiſcopos & Sacerdotes in Wandalica perſecutione. Rem ſic narrat Victor Uticenſis.

Cùm illi fortiter perſiſterent in doctrina Catho- Vict. Uticenſ. l. 1 de perſecut. Wandal. Baro. to. 6. an. 484. lica contra Arianam perfidiam, Rex Wandalorum Hunericus quærens adversùs eos occaſionem, miſit miniſtros ſuos, qui eis dicerent: *Dolet Rex vos conſemptores eſſe, & nolle ejuſdem religionis eſſe cujus ipſe, nunc tamen de vobis bonum cogitat. Si juraveritis, quod Charta iſta continet, dimittet vos Eccleſiis veſtris.* Reſpondent omnes.: *Semper dicimus & diximus & dicturi ſumus, Epiſcopi ſumus, Chriſtiani ſumus, Apoſtolicam fidem unam & veram tenemus.* Interim regii miniſtri propalant tenorem Scripturæ regiæ. Sic autem calumnioſa ſeries continebat: *Iurate ſi poſt obitum Domini Regis filium ejus Hildericum deſideratis eſſe Regem, vel ſi nullus veſtrum ad regiones tranſmarinas epiſtolas dirigat.* Cogitavit tunc multorum pia ſimplicitas juramentum id præſtare, ne Dei populus in poſterum diceret, vitio Sacerdotum qui noluerunt jurare, non fuiſſe Eccleſias reſtituras. Alii aſtutiores Epiſcopi ſentientes dolum, nequaquam jurare voluerunt, dicentes prohibitum fuiſſe Evangelicâ authoritate Domino dicente. *Non jurabis in toto.* Quibus miniſtri Regis dixerunt: In parte ſecedant, qui jurare diſponunt. Qui cum ſecederent, Notariis ſcribentibus quid quis diceret, & ex qua civitate eſſet, ſimiliter factum eſt illis, qui non juraverunt. Statimque utraq; pars cuſtodiæ mancipatur. Poſtea verò fraus apparuit, jurantibus enim dictum eſt: Quare contra præceptum Evangelii juraſtis? juſſit Rex civitates & Eccleſias veſtras nunquam videatis, ſed relegati in colonias ite ad colendum agros, ita tamen ut non pſallatis, nec oretis, aut ad legendum codicem manibus geſtetis, non baptizetis, neque ordinetis aut reconciliare præſumatis. Similiter non jurantibus dictum eſt: Quia regnum Domini noſtri non optatis, ideò jurare noluiſtis: ob hanc ergò cauſam juſſi eſtis in Inſulam Goruſchanam relegari, ut ligna profutura navibus Domini incidatis. Sed nec his contenta beſtia illa ſanguinem

ſitiens

fiens innocentem, Episcopis necdum in exilia directis, destinavit tortores crudelissimos per universas Africæ terræ Provincias: ita ut nulla remaneret domus, ubi non esset ululatus & luctus, quia nulli ætati, nulli parcebatur sexui, nisi illis qui eorum succumberent voluntati: hos fustibus, illos suspendio, alios ignibus concremabant. Ita Victor Utic. l. 3. Wand. persec.

LECTIO VI.

DE CONDITIONIBUS JURAMENTI.

PROPOSITIO. I.

Prima conditio juramenti est, ut fiat cum veritate.

Juramenti conditiones.

TRiplicem conditionẽ requisitam ad juramentum colligunt Doctores ex illo Jeremiæ: *Jurabis, vivit Dominus in veritate, in judicio & in justitia.* Jer. 4. 2. Vocantque tres comites juramenti, veritatem, justitiam & judicium. Veritas adest, cum juras super re justa & licita: Judicium adest, cum debita reverentia & discretione id facias, & non super re levi.

Primo itaque requiritur veritas tanquam comes juramenti, hoc est, requiritur ne quid falsi juretur. Et cum deest veritas, tunc propriè perjurium nominatur. Tunc autẽ censetur deesse veritas, cum asseritur aliquid falsi, vel aliquid quod putatur falsum, licet verum sit. De tali juramento loquens Dominus apud Zachariam dicit: *Maledictio veniet ad domum jurantis in nomine meo mendaciter.* Zach. 5. 4. Deest quoque veritas, quando quis jurat tanquam certum; cum ipsi sit dubium, quia debet esse moraliter certum quando Deum in testem vocas, alioqui exponis te periculo faciendi eum testem falsi. Denique censetur deesse veritas, quando quis juramento promittit aliquid sine animo adimplendi, hoc enim est jurare in dolo: de qua re loquens Psaltes, insinuat illos non habere locum in Regno Dei, nec ascensuros in montem Domini, qui jurant in dolo proximo suo. Ps. 14. 4. Unde his omnibus modis jurans, grave peccatum mortale censetur incurrere, quia censetur perjurii reus. Perjurium autem meritò inter peccata gravissima multis de causis recensetur, quia est injuria contra Deum, contra proximum, contra seipsum.

Inprimis injuria est contra Deum, quia prophanatur ejus nomen sacrum contra prohibitionem ipsius illud usurpando, & ideo perjurus censetur sacrilegus rem adeo sacram prophanans, & pollutis labiis assumens. Deinde cum ejus nomen ad falsitatem stabiliendam assumitur, cujusdam falsitatis arguitur, & testis falsi asseritur. Perjurus ergo censetur falsarius. Sicut si quis sigillum alicujus sibi commissum ad confirmandum falsum applicet, merito falsarius judicatur. Sic, qui nomine Dei (quod tanquam sigillum nobis relictum est ad confirmationem veritatis) utitur ad confirmationem falsitatis, nomen Dei infamans, recte dicitur falsarius.

Secundo est injuria contra proximum, quia cum juramentum stabilitum sit, ut sit *omnis controversiæ finis*, ut dicit Apostolus: is qui falso jurat, societati hominum injuriam infert, quia nulla inter homines societas durare potest, nisi sibi invicem credant, saltem cum juramento res firmatur. Hinc est quod adeo graviter etiam legibus civilibus puniantur perjuri, quia Reipublicæ etiam damnum inferunt. Unde apud Ægyptios plectebantur pœna capitis, apud Indos manuum pedumque abscissione. In multis etiam locis puniuntur præcisione manus. Jure quoque Canonico sunt infames, si res sit notoria. Jure vero Ecclesiastico, olim in foro externo eis gravis pœnitentia imposita fuit, ut cap. Quicunque causa 6. quæst. 1. dicitur: *Quicunque sciens perjeraverit, quadragesima dies in pane & aqua, & septem annos pœniteat sequentes, & nunquam sit sine pœnitentia, & nunquam in testimonium recipiatur.* Heb. 6. 16. *Pœna in perjuros.*

Tertio perjurans injuriam sibi ipsi infert, quia obligat se judicio Dei: nihil enim aliud est dicere: *Per Deum ita est*, nisi Deus puniat me si non ita est. Item: *Ita me Deus adjuvet.* Vel, *Ita mihi sit Deus propitius*, non aliud significat quam Deus mihi nunquam sit propitius, sed ejus maledictio sit super me nisi ita sit. Unde quando juramentum fit solemne trium digitorum elevatione, sanctissimæ Trinitatis judicio videtur se homo obligare: vel significare tali cæremonia potest, quod animam, corpus, famam, oppignorat, si res non sit vera. Quapropter mereretur digitorum illorum abscissionem, dum reus invenitur: & gravius est perjurium solemne quam privatum, quod scilicet fit attactu rerum sacrarum, vel elevatione manuum, vel ad pectus sacerdotale, vel aliâ publicâ cæremoniâ, quia juramenti solemnis violatio generat majus scandalum, & quia juramentum illud cum majori deliberatione censetur pronunciatum. Hinc in Diœcesi nostra Leodienti, tale perjurium solemne, casus est Episcopo reservatus.

Quomodo vero falsum jurans, se divino obstringat judicio, & divinam super se quasi quodam pondere attrahat vindictam & maledictionem, non solum in altera sed & in hac vita, manifestè declarat visio Zachariæ Prophetæ cap. 5. ubi exhibetur ei per Angelum volumen volans, cujus longitudo erat viginti cubitorum, & latitudo decem cubitorum, & dixit Angelus ei: *Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ, quia omnis fur sicut ibi scriptum est, judicabitur, & omnis jurans ex hoc similiter judicabitur.* Zach. 5. 3. Erat ergo membrana oblonga, vel liber convolubilis, & ideo volumen dicitur, & ibi erant scripta furta & perjuria illius ævi, pœna quoque ac supplicia infligenda, idque cito, instar sen-

Digitized by Google

tentiæ & flagelli volantis. Volans itaque recte dicitur volumen illud, quia ſupplicium ſemper imminet capiti perjurorum, ſemperque in aere pendet, Dei tantum nutum exſpectans, ut ſibi homo perjurans ſemper timeat, & caveat flagellum acerrimi Judicis, quando vindicta Dei volat, & in peccatores involat celerimè, & improviſam ac inexſpectatam plagam illis irrogat.

Chryſ. LXX. Interpret.

Legit D. Chryſoſtomus in hoc loco, & paſſim Græci Patres: *Ecce falx volans*, loco illius quod nos habemus: *Volumen volans*. Sic enim vertunt LXX. Interpretes, & hæc Lectio ad noſtrum propoſitum emphaſim habet, falx enim ſymbolum eſt punitionis, ſtragis & excidii.

Apoc. 14. 14.

Unde S. Joannes in Apocalypſi vidit in manu Chriſti falcem acutam, quia ſcilicet demetit & exſcindit peccatores. Quapropter D. Chryſoſtomus Hom. 27. ad Populum, ubi increpat juratores & pejerantes, ſic dicit: *Falx volans velociſſimum ultionis incurſum ſignificat juramentum ſequentem: Multorum vero cubitorum longitudo & latitudo, vehementiam indicat & magnitudinem malorum. At ex cœlo volare, ſignificat è ſuperno tribunali judicium ferri: falcata vero forma inevitabilem deſignat ſupplicii ſortem. Sicut enim quocunque falx incurrerit, non ſolum ſecum arripit, verum & caput amputat: ita & pœna juramentis ingruens eſt difficillima, nec prius abſiſtit, quam quod ſuum eſt, perfecerit.*

Chryſ. hom. 27. ep pop. Antioch.

Vis videre falcem hanc volantem, & ſubita vindicta involantem in caput jurantis & pejerantis, ut illum ſuccidat, & ad æternam vindictam abripiat? Attende exemplum, quod noſtro ſæculo in vicino ſolo contigit, & publico indubitatoque teſtimonio toto Belgio manifeſtum fuit. Rem breviter refero. Anno 1599. Novembris 29. quidam Antonius de Hack redemptor vectigalium in jurisdictione Gerardi montenſi in Flandria, diverſatus eſt ibi in hoſpitio, cui inſigne eſt *Navis aurea*, ut cum ſibi aſſociatis computaret. Exorta eſt quæſtio de ſumma aliqua, quæ dicebatur ei perſoluta, ipſe vero cum juramento negavit, dicens ſe ab igne tum in cubiculo ardente velle abſumi, ſi ita ſit. Illi vero urgentes, cum ſcirent a viris probis ipſum talem ſummam recepiſſe, dixerunt ei juſjurandum, vocatis duobus Scabinis, quod quidem nulla habita ratione ſalutis præſtitit. Veſpere autem facto, cæteris diſcedentibus, remanet Antonius, ut ibidem decumberet, & ab hoſpite relictus eſt ſolus, jam pene faſce conſumpto, inſtante noctis hora 11. nocturnus vigil illic iter faciens advertit inſolitum lumen, pertranſit tamen exiſtimans eſſe peregrinos, qui religionis gratia ad S. Adriani corpus accederent. Paulò poſt iterum redit, & nihil amplius ſplendoris advertit. Illa ipſa hora, ſoror Antonii operabatur adhuc, & linum colo adnendum aptat (in pago Roullart diſtante quadrante milliaris) & ſubito flamma prorupit in crematbram, ſive inſtrumentum ex quo ſuſpenduntur ollæ, indeque in ſtupam. Ipſa attonita tentat aqua extinguere, & vix ſufficiebat. Eadem nocte Paſtor Antonii ex horribili cane cujuſdam circa cubiculi oſtium latratu & ejulatione totus perterritus fuit, ita ut ei crines erigerentur. Poſtera die, ſoror tota triſtis mittit maritum ad Antonium Gerardi montes, quo veniens, Antonium adhuc ut putabat decumbentem per horam exſpectat: Poſtea cœpit diu fores pulſare, ſed fruſtra. Jubet ergo ab hoſpite reſeari, & eum cum veſtibus exultum invenerunt, præter tibialia faſciaſque crurales, quæ omnia illæſa remanſerant cum inferiori tibiarum parte, quæ faſcis altringebatur. Cranium ipſum capitis ſimile videbatur cranio alterius hominis, ſed ſtatim attactum reſolutum eſt in cineres. Cujus rei fama cum ad aures Alberti & Iſabellæ Principum Belgii perveniſſet, miſerunt Gerardi montes, ut totam rem per ſpecialiter à ſe deſtinatos perſcrutarentur, ac publico teſtimonio res nota fieret, & ita ut narravimus, compererunt.

Exempl. *De primo divitum combuſto anno 1599 ex autogr. Gall. excuſo Atrebati 1601.*

Fides jurata etiam hoſti ſervanda

Tanta porro eſt juramenti religio, & adeo ſorte ejus vinculum, ut ſi inimicis fides jurata fuerit, imò & infideli aut hæretico, ſervanda ſit: quia non tam cui, quam per quem juratum ſit, conſiderandum eſt, inquit D. Hieronymus in caput 17. Ezechielis. Ubi refertur quomodo Sedechias oculis privatus fuerit, & juſto Dei judicio in Babylonem catenis colligatus ſit cum populo, propter juramentum violatum Nabuchodonozori Regi Babylonis: contemnens enim ſuum juramentum Sedechias, contemnebat verum Deum, per quem jurarat, & ei contumeliam inferebat. Et propterea ibi dicit D. Hieronymus, quicquid à Nabuchodonozore factum fuit, non tam viribus ejus adſcribendum eſſe, quam ſpeciali Dei auxilio faventi Nabuchodonozori ratione indignationis in Sedechiam, pacti & fidei juratæ infractorem. Habes quoque Joſue 9. quod cum Gabaonitis juraſſet Joſue, vitamque ſalvam promiſiſſet; licet illud juramentum per mendacium extortum fuiſſet, noluit tamen illud violare, & cum multi murmurarent, quod morte tales deceptores non plecterentur, nihil aliud eis reſponſum fuit: *Juravimus eis in nomine Domini Dei Iſrael.* Vide cap. 3. libr. Joſue. Sed & cum illud juramentum Gabaonitis factum violaſſet Saul, maledictio ſuper poſteritate ejus ſupervenit, nam ob illud juramentum violatum, tribus annis fames invaſit Judæam, nec plaga ceſſavit, donec ſeptem ejus filii divino oraculo traditi ſunt Gabaonitis, per illos cruci affigendi. Vult itaque Deus juramentum per ejus nomen factum conſtanter obſervari, acrique cum rigore infractores puniri.

D. Hier. in Ezech. 17.

Jer. 17. & 39.

Joſ. 9. 19.

2. Reg. 21.

Perjuri plerumque reperiuntur in miſera conditione.

Cæterum licet perjurium adeò grave peccatum ſit; in omni tamen fere conditione hominum perjuri reperiuntur, ſi attentè conſideres excæcatos hominum animos, ſuique immemores. Cum enim juxta varios ſtatus diverſaque in Republica officia, certa juramenta exigantur ab illis qui ad officia illa promoventur, videmus tamen, & dolemus,

valde

gitized by Google

valdè rarò integra illa ſervari. Sic principes jurant, Provinciarum in quibus inaugurantur, privilegia illæſa ſervare, imò & tueri, ipſi verò hujuſce juriſjurandi obliti, frequenter illa lædunt, violant, pervertunt, & quâdam tyrannide contra fidem datam Fideles ſuos premunt, opprimunt. Et è contrà juramenta fidelitatis miniſtri & officiarii Principum, quæ ſolemniter præſtiterunt, in multis violant. Quod ſi latiùs de his differere cupis, expende juramenta moreſque hominum hujus ſæculi, qui ambitione, honoribus, pecuniâ, donis excœcati ultrà jus multa audent, & ultrà jusjurandum prætergrediuntur, ſine fræno timoris Dei, in cujus præſentia juramento ſe obligarunt. Attendite, ô Principes, ô belli Duces & Capitanei, ô Magiſtratus & Judices, & qui rerum tenetis faſces, ingredimini ad cor, & ſemotis variis obnubilantibus conſcientiam vanis rationibus, appendite vos in ſtatera juſtitiæ, actioneſque veſtras in pondere ſanctuarii ponderate, prætextuſque varios examinate: & invenietis multa in vobis exorbitantia a juſtitiæ ratione, & juriſjurandi veſtri religione. Attendite quoque ſacramentum quod præſtitis, ô juſtitiæ adminiſtratores, ſatellites, milites, executores, ô Advocati, Notarii, Procuratores, conſiderate obligationem officio veſtro annexam: caliginem, quam pecunia, ambitio, munera, vobis offundunt, diſpellite, & invenietis me verum dicere, & juſtè conqueri, poſſeque dicere cum Propheta: *Non eſt ſcientia*, non eſt timor *Dei in terra, mendacium, furtum, perjurium inundaverunt.* Oſee. 4.1.

Olim Chriſtiani, Principes ad juramentum adigebant ſuos belli Duces, Gubernatores, Magiſtratus, & juramenti illius hæc eſt forma: *Iuroper Deum Omnipotentem & Filium ejus Ieſum Chriſtum & Spiritum Sanctum, & per Dei Genitricem Mariam ſemper Virginem, & quatuor Evangelia, quæ in manibus teneo, & per ſanctos Archangelos Michaelem & Gabrielem, puram conſcientiam, germanumq; ſervitium, me ſervaturum ſacratiſſimis noſtris Dominis & quod cum ſanctiſſima Dei Catholica & Apoſtolica Eccleſia communionem habeo, neque ulla unquàm re aut modo adverſabor, neque, quantum in me erit, alicui alii permittam. Quod ſi hæc non obſervavero, omnibus incommodis ero expoſitus, tam hic, quàm in futuro ſæculo, & in magno judicio magni Dei: habeboque partem cum Iuda, & lepram Giezi & tremorem Cain, ultrà hoc quod etiam pœnis lege Imperatoriâ comprehenſis ero obnoxius.* Solemne utique juramentum, quod utinam à Ducibus & Gubernatoribus Catholicis integrè ſervetur ac a Magiſtratibus, ut omnis infidelitas, atheiſmus, hæreſis, ab illis qui regnant, expungatur, quæ paſſim in multis regnat Provinciis, & ab iis qui capita ſunt, in inferiora membra derivatur. Novella conſtit. 8.

Reges quoque, quando coronantur, ſic jurant: *Profiteor & promitto coram Deo & Angelis ejus, legem, juſtitiam, & pacem Eccleſiæ Dei, populoque mihi ſubjecto, pro poſſe & noſſe facere atque ſervare, ſalvo condigno miſericordiæ Dei reſpectu, ſicuti in conſilio fidelium meorum melius potero invenire. Pontificibus quoque Eccleſiarum Dei condignum & canonicum honorem exhibere, atque ea, quæ ab Imperatoribus & Regibus Eccleſiis collata & reddita ſunt, inviolabiliter obſervare. Abbatibus, Comitibus, & Vaſallis meis congruum honorem ſecundùm fidelium morem præſtare. Ita me Deus adjuvet, & hæc ſancta Evangelia Dei.* Videant ergò ipſi, an hæc omnia ſervent, & intelligant manum Regis Regum & Domini Dominantium ſcribentem in aula regia Baltaſaris: *Appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens.* Minus utique haberi multi reperientur, quam promiſerunt & juramento ſe obſtrinxerunt, minus juſtitiæ, minus æquitatis, minus fidei. Dan. 5.24.

Sic & Prælati, dum ad dignitates aſſumuntur, ſolent juramentum præſtare de Eccleſiis ſuis conſervandis, de bonis non alienandis vel alienatis recuperandis, de libertate Eccleſiaſtica tuenda. Verum ipſi frequenter ob timorem vel favorem Magnatum, ſunt velut *Canes muti non valentes latrare*, ſinuntque ſe ad eorum conſilia, voluntates, cupiditates velut ad impetum aquæ abripi, in præjudicium Eccleſiarum, imò & ipſius fidei juramenti ſui immemores. Non ſic antiqui Patres & Epiſcopi, ſed illi viriliter ſeſe opponebant murum pro domo Iſraël etiam uſque ad ſanguinem. Inter antiquos OEniandus Epiſcopus, Anaſtaſio Imperatori multa contra Eccleſiam molienti, mira reſtitit conſtantia. Undè cum ad ſe vocatum, Imperator variis promiſſis ad ſuam attrahere conaretur factionem: ipſe Imperatoris purpuream chlamydem apprehendens, forti voce illi dicit: *Hæc veſtis nequaquam te poſt mortem ſequetur, ô Imperator, ſed ſola comitabitur te pietas, ac virtutum habitus. Miſſam fac Eccleſiam quam Chriſtus ſuo redemit Sanguine; ſatis tibi ſit dignitatis, quod Imperator ſis, Antiſtites Eccleſiæ vexare noli, ſed tu potiùs ad Orthodoxos tranſi, ne dum opiniones impiorum hominum Severi & Diſcori amplecteris, æterno igni addicaris.* Imperator ad hæc pudore ſuffuſus obmutuit. Vide latius Cedrenum apud Zonaram Tom. 3. Annal. in Anaſtaſio. Iſa. 56.10. Baron. to. 6. an. 516. Cedrenus Annal. ſub anno 25. Anaſtaſii Imp.

Propter juramentum quoque quod inauguratus Pontifex, pro libertate Eccleſiæ fecerat Thomas Cantuarienſis, conſtanter obſtitit legibus iniquis Regis, contra libertatem Eccleſiaſticam latis: & tandem impio ferro caput præcidendum obtulit. Quem ſecuti ſunt præcedenti ſæculo alter Thomas Cancellarius cognomine Morus, & Joannes Fiſcherus Roffenſis Epiſcopus, qui primus è Præſulibus ſacris, Henrico VIII. Caput Eccleſiæ Anglicanæ ſeſe ſtabilienti, & voce & ſanguine obſtitit.

Denique, ſi vis audire noſtro ſæculo virum in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutum, juramenti ſui memorem, audi Cæſarem Baronium: Hic cum

Baron. l. Monarch. Sicula.

argueretur, quod nimiùm acriter pro Sicula Monarchia propugnaret, ſic reſpondet: *Adversùs quoscunque tuendo jura Ecclesiæ & Ecclesiasticam libertatem vindicando, mihi pro minimo est, si stilo & verbis agam, paratus sum divino auxilio eandem defendere voce sanguinis mei subinnixus ad Deum clamantis. Ego spopondi, cùm ad Cardinalitiam dignitatem coptatus sum, juramento solemni, pro juribus Ecclesiæ conservandis, certaturum me ad obitum usque. Memoria retineo, quod neque aliâ conditione vocatus sum ad pileum, nisi ut hujusmodi purpureis insignibus jcirem sanguinem meum, pro Ecclesiastica libertate & juribus Ecclesiæ tuendis ad martyrium usq; esse oppignoratum.*

PROPOSITIO II.

Conditio ſecunda juramenti eſt, ut ſiat cum juſtitia.

PEccatum itaq; est, si juramento aliquid promittatur, quod sit injustum aut illicitum. Et si promittam juramento, me aliquid facturum quod sit peccatum, mortaliter pecco. Sic illi qui Actorum 23. juraverant se non gustaturos quicquam cibi, nisi Paulum è medio sustulissent, dupliciter peccabant, tum ob talem pessimam voluntatem, tum propter irreverentiam, quam divino numini faciebant, illius authoritate se firmantes in malo proposito, & ejus testimonium in re adeò prava invocando. Tale verò juramentum non obligat, sed si impleatur, novum peccatum mortale superadditur. Sic Herodes jurans puellæ saltatrici, & implens juramentum suum, novo se crimine obstrinxit. Non enim poterat se obligare ad rem adeò illicitam & injustam, ad tollendum caput viro innocuo. Undè tenebatur ad illud, quod in decretis habetur: *In malis promissis rescinde fidem, & in turpi voto musa decretum.* Sic dum Jephthe juravit vel vovit, quicquid è domo sua obvium sibi primò fieret, se illud in sacrificium oblaturum: juramentum illud vel votum non debebat itelligi, nisi de illa re, quæ licitè in sacrificium offerretur, nec ad aliud extendebatur. Quid si enim vel canis, vel aliud animal lege prohibitum occurrisset? An debebat Jephthe illud sacrificare? An juramentum ad id obligasset? Minimè quidem. Nec ergò filiam sibi occurrentem sacrificare debebat. Quapropter à multis arguitur, tanquam imprudenter votum vel juramentum exequens in filia. Alii tamen intelligunt, Jephte sacrificasse filiam, non occidendo illam morte corporali, sed morte quadam civili; sicut in Religione moritur mundo persona quæ vovet, & ita filia Jephthe in sacrificium oblata censetur (juxtà Lyranum & aliquot recentiores) quia ab hominum commercio secluſa fuit, & ejus virginitas Deo oblata.

Act. 23. 12

Mat. 14. 9. Mat. 6. 26

Jud. 11. 30

Lyra. &c.

Itaque, quotiescunque quis per juramentum promisit aliquid se facturum, quod peccatum est, vel etiam quod majoris boni est impeditivum, ad similia juramenta non tenetur, v. g. Si juraverit se non ingressurum Religionem, si juraverit se tali homini non datutum eleemosynam. Sed etsi aliquid juramento firmatum est, quod tunc melius judicabatur, postea tamen contrarium melius esse deprehenditur, non obligat juramentum. Sicut cum mater puero jurat se virgis eum cæsuram, & postea certo consilio & ratione melius judicat non cædere, non tenetur. Huc spectat, quod cum juraſſet David Nabal & domum ejus interficere, postea mutavit sententiam placatus sermone Abigail dicentis: *Non erit tibi in singultum, & in scrupulum cordi Domino meo, quod effuderis sanguinem innocuum, aut ipse te ultus fueris.* 1. Reg. 25. 31.

Hactenus dicta rectè confirmantur apud Sophronium Prati spir. c. 216. ubi sic dicit: Cum essem semel in civitate sancta, venit ad me vir quidam fidelis, & dixit mihi: Quædam indignatio oborta est inter me & fratrem meum, alloquere illum. Ego lubenter in me id suscipiens, allocutus sum illum de his, quæ ad concordiam spectabant. Visus est interim obtemperare mihi, sed postmodùm dixit: Reconciliari nequeo, quia juravi per crucem ultrà illi non reconciliari. Quo audito subridens dixi: Juramentum tuum talem habet vim, ac si dixisses: Per pretiosam crucem tuam Christe, non observabo mandata tua, sed inimici tui diaboli voluntatem faciam. Non solùm enim non debemus servare, quæ à nobis pessimè definita sunt, sed etiam pœnitentiam agere de his, quæ contra nostram salutem malè definimus. Nam si Herodes pœnitentiam egisset, nec juramentum servasset stultè emissum, nunquam illud scelus admisisset, ut Præcursorem decollaret. Quod & confirmatur ex Evangelio: quandò voluit Dominus lavare pedes Petro, cùm ille primò pertinaciter obstiteret, postea sententiam mutavit. Ita apud Sophronium.

Sophr. in Prat. spir. c. 216.

PROPOSITIO III.

Tertia conditio juramenti eſt, ut ſiat cum judicio.

NOn est satis, quod fiat cum veritate, sed etiam necessarium est, ut sit cum circumspectione, & adsit aliqua necessitas, vel justa utilitas, tam tremendum nomen invocandi in testimonium. Sanctum utique est nomen Dei; nam à Spiritu Sancto edocta Virgo Maria in suo Cantico voce sonora depromit: *Et sanctum nomen ejus.* Et ipse Christus nos quotidiè orare docuit: *Sanctificetur nomen tuum*, hoc est, ab omnibus sanctum habeatur, & ut tale prædicetur & colatur. Interim a pleriq; Christianis per juramenta prophanatur, pollutis labiis assumitur, imò velut lutum proculcari censetur; ita vix aliud audias, quam Dei nomen à prophano ore usurpari, inter pocula, inter aleas, inter contentiones & rixas. Clamant Seraphim, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus*, & id continuò, ut continuâ nominis Dei glorificatione cœlum & terra impleatur, & ad eandem acclamationem & venerationem nominis divini, homines excitentur.

Inte-

Digitized by

Interim plerique profani homines adjuvant potiùs voces dœmonum & damnatorum continuò Deum blaſphemantium: quia ipſi ſine cauſa pollutis juramentis ejus nomen uſurpant, & voce ſacrilegâ impetunt.

Mos ad ſingulas periodos juranali perniciosus.

Sed hoc tantùm abeſt ut reprobum judicetur, quinimò generoſum etiam à pleriſque exiſtimatur. Nobilium uſu ad ſingulas periodos jurandum eſt; nomen Dei aſſumendum eſt, jam auliciſmus eſt & ornatus eloquentiæ, idioma blaſphemium: non vitio tribuitur, ſed virtuti jurandi conſuetudo perniciosa. Virtus utique eſt & donum, non Spiritus ſancti, ſed Spiritus hujus ſæculi, & Principis hujus mundi immundi, qui gaudet ſic deturpari & conſputari nomen Dei. Gaudet in ore eorum qui generoſi ac nobiles haberi volunt, frequentius juramentum repetit linguæ profanæ nomen Dei inhonorantis, quam in ore piorum laudem, aut nominis ejus ſanctificationem. O cœca nobilitas, quo te prava deduxit conſuetudo! Cum virtute & moribus præire debeas vulgo ignobili, jam a te paſſim vitia, juramenta, blaſphemiæ, in famulos & inferiores quoſque derivantur. Cum verò illa reprehendantur, jam ſufficiens ratio exiſtimatur ad excuſandas execrationes in peccatis, ſi quis dixerit, Mos eſt militiæ, Mos aulæ, Mos in familia nobilium, Mos in ſequela Capitaneorum, ſic eloqui, ſic agere, ſic jurare, ſic blaſphemare, *C'eſt la mode*. Quod idem eſt, ac ſi dicerent, Mos eſt militiæ & aulæ, Deum inhonorare, pietatem proſcribere, vitio ſervire, ſalutem ſuam non curare, ad vitam æternam non aſpirare, æternitatis aleam jactare, periculo animam exponere, dum quodlibet licitè volunt agere ſine reprehenſione.

S. Chryſ. hom. 27. ad pop. Antioch.

Attendant ergò hæc, nominis Dei profani uſurpatores: quibus D. Chryſoſtomus rectè exprobrat, quod vix Dei meminerint niſi cum jurant: & nos quoque eis exprobramus adeò eſſe frequens in ore ipſorum juramentum, ut pene dixeris eſſe eorum Credo, eorum Ave, eorum Pater noſter; eorum aſpirationes pias, eorum jaculatorias orationes. Utique jaculatorias, ſed contra Deum. tot enim voces juratoriæ, tot ſunt jacula, tot ſagittæ, in cor Dei jaculatæ, tot lanceæ in Chriſti latus tranſmiſſæ. Aut ſi mavis, voces ſunt inferni, idioma tartari, ſpuma Cerberi, & lacus Stygii, & ut uno verbo dicam, ſatanica conſuetudo eſt. Attendant inquam illi *Falcem peractam* apud Prophetam, ſive *Volumen volans*, quod non continet niſi maledictionem in caput jurantium redundantem, ut diximus ſupra.

Zach. 1. 5.

Nec ſolum maledictio concernit illos, qui peituri ſunt,, ſed & eos qui ſine judicio, hoc eſt, ſine circumſpectione, diſcretione, reverentia, jurant leviſſima ex cauſa. *Cum tibi creditur*, inquit Auguſtinus, *juras, & cùm nemo exigit, juras, & horrentibus hominibus, juras.* Frequenter enim verum eſſe, experientiâ compertum eſt, quod Eccleſiaſticus dixit ad deteſtationem horum juramentorum, quæ tam levi ex cauſa fiunt: *Loquela multum jurans horripilationem capiti ſtatuet, & irreverentia ipſius obturatio aurium:* quia nimirum ferri à piis auribus non poteſt talis jurandi ſacrilega conſuetudo. Et licet verum jurent, vix eis creditur, cum ita faciles ſunt ad jurandum. Undè dixit Solon. *Ne mercatis probitatem jurejurando certiorem habere, cujus enim dictum non habet ſine jurejurando pondus, ejus quoq; jusjurandum vile eſt*: Adde quod frequenter & facili de cauſa jurans, exponit ſe periculo quandòque falſum jurandi; illaqueat ſe verbis oris ſui, & periculoſus eſt laqueus iſte: quia non infrequenter contingit temerè & ex conſuetudine jurantem juramentum ſuum tranſgredi, & ſic laqueus eſt quo ſe ſtrangulat. Ideò gravibus verbis hic monet Eccleſiaſticus. *Juranti non aſſuefiat os tuum, multi enim casus in illa. Nominatio verò Dei non ſit aſſidua in ore tuo* (jurandi ſcil.) *& nominibus ſanctorum non admiſceatis, quoniam non eris immunis ab eis*, hoc eſt, frequenter & temerè eorum nomina uſurpando, non eris immunis à peccato. Declarat verò id ſimilitudine: *Sicut enim ſervus interrogatus aſſiduè, à livore non minuetur, ſic omnis jurans & nominans, intuto à peccato non purgabitur.* Senſus eſt: Sicut ſervus interrogatus, id eſt, examinatus continuè, vel ut alii, interrogatus per tortutam & verbera non erit immunis a livore: ita & ſæpius jurans nominansque Deum, non erit immunis a peccato. Poſtea addit: *Vir multum jurans replebitur iniquitate, & non diſcedet à domo illius plaga.* Vide quam multis lenitatis a jurandi conſuetudine conatur homines deterrere: tum quia irreverentia nomini Dei infertur: tum quia periculum perjurii incurritur: tum quia pravam illam conſuetudinem frequenter etiam in hac vita vindicat & plectit Deus. Docebit id exemplum quod in vita S. Maxentii Abbatis refertur.

Eccl. 7. 15.

Solonis dictum

Eccl. 23. 9.

Ib. v. 11.

Eccl. 23. 12

Multi immundis vexati ſpiritibus, ad eum confluebant ſanitatis gratia: Quodam ergò die duo venerunt morbo Elephantico turpiter deformati (eſt quædam ſpecies lepræ) quibus vir ſanctus: Noſtis, inquit, ô fratres, qua de cauſa ira Dei in vos delæviat? Vos frequenter leviſſimis de cauſis ſacrum ejus nomen ſumitis, juratis ac pejeratis, ideòque juſto judicio hæc calamitas vos premit, ſed jam peccatum agnoſcite, & ad mentem redite, ut ſanitatem conſequamini. Hæc cum dixiſſet: omnes ad orationem hortatus eſt, & ipſe flexis genibus, lachrymis profuſis, tandem ſurgens, oleo ſancto a vertice ad pedes uſque eos inunxit, & ſanos demiſit.

Lippolo. 14. l. ob.

Quæres: An conſuetudo jurandi excuſet jurantem? Reſpondeo, ſi planè diſpliceat, ita ut omni diligentiâ quis conetur obſiſtere, & tamen illa citra conſenſum operetur; tunc qui ex conſuetudine jurat, per hoc excuſatur quod indeliberatè juret. Sed quandò non diſplicet conſuetudo, nec conamur reſcindere quantum in nobis eſt, non excuſat, ſed aggravat peccatum, quia & ipſa cenſetur voluntaria.

S. Aug.

Digitized by Google

Hinc Auguſt. *Major conſuetudo majorem intentionem flagrat. Si de manu aliquid faceret, facilius manui imperares ne faceret: ſi pedibus aliquò eundum eſſet, pigritiâ retardante te excitaret ut ſurgeres & ires: Lingua facilitatem habet motus, in udo poſita eſt, facile in lubrico labitur. Quantò illa facilius movetur, tantò tu adverſus illam fortior ſto. Domabis ſi vigilabis, vigilabis ſi timebis, timebis ſi te Chriſtianum eſſe cogitaveris.* Juravimus & nos, inquit idem, & habuimus iſtam conſuetudinem mortiferam: ſed ex quo Deo ſervire cæpimus, & quantum malum ſit vidimus, timuimus vehementer; & quia veternoſiſſimam conſuetudinem timore frænavimus, frænata reſtringitur, reſtricta langueſcit, langueſcens emoritur & malæ conſuetudini bona ſuccedit.

Auguſt. ſerm. 30. de verb. Apoſt.

Remedia pro juranda conſuetudine.

Sed quod remedium pro hac conſuetudine? Audi ex Nidero: Nobilis quidam ad ſingula penè verba jurabat. Conſcientia eum remordente, firmiter ſtatuit conſuetudini obſiſtere; linguæ tamen lubricæ vitio frequenter recidebat. Petit a Confeſſario pœnitentiam aptam ad eradicandum: Ille facilem injunxit, quæ vitium ex parte, ſed non radicitus amputavit. Ipſe id videns, fortiorem ſibi injungit: ut quoties in juramentum labereiur, tot diebus a carne abſtineret. Mandat autem famulis, ut vices notent, ne fortè non advertat. Et ita anno ferè dimidio carnes non guſtavit; ſed per divinam gratiam & hanc abſtinentiam vitium illud ſuperavit. Alius (inquit idem Niderus) impoſuit ſibi pœnitentiam, ut quoties juraret, toties guttam ſanguinis propriis manibus ſibi ſtylo ferreo eliceret; fecit & finatus eſt. Alius denique eadem die à vino abſtinebat, & ſic vitium compeſcuit. Tu ergò ſimiliter particularem tibi injunge pœnitentiam, quoties incidis, & fructum referes. Propone toties eleemoſynam dare, toties aliquas orationes recitare, vel aliquid aliud, quod tibi pœnâ aliquam infligat adimple; hoc erit antidotum, aut cataplaſma malo tuo.

Nider. l. 4. Formicar. cap. 3.

LECTIO VII.

DE VARIIS PECCATIS CONTRA hoc Præceptum.

Quinam peccant contra hoc præceptum.

1. Falſum juramen.

PRimò directè contra hoc præceptum peccant, qui aliquid falſi aſſerunt, perjurando ſcientes vel dubitantes falſum eſſe. Et licet res non eſſet gravis momenti, cenſetur tamen à Theologis peccatum mortale, quia ſemper cenſetur gravis injuria reſpectu Dei, quod adducatur teſtis falſi quacumque ex cauſa.

Sic frequenter peccant, & graviter monendi ſunt famuli, filii, uxores, qui ne deprehendantur officio defuiſſe, aut ne a Patrefamilias durioribus verbis objurgentur, mendaciter cum juramento negant ſe hoc vel illud dixiſſe, aut feciſſe, aut vidiſſe &c. non exiſtimantes ſe gravi obnoxios crimini, quia id faciunt ad conſervationem pacis domeſticæ, ad evitationem rixæ. Et quidem in his juramentis frequenter utuntur hâc formâ: *Eſt tam verum quàm Deus.* Quæ verba quandam in ſe continent blaſphemiam, quia cùm Deus ſit prima veritas, nihil poteſt ei in veritate comparari: & ſic in rigore loquendo, non poteſt magis dici aliquid tam verum quam Deus, tam bonum quam Deus, aut tam ſapiens quam Deus. Ideò hic modus loquendi perverſus eſt, & ab ore Fidelium exterminandus, nec etiam in re veriſſima uſurpandus.

Peccant quoque mercatores graviter, dum contra veritatem jurant rem ſibi tanti vel tanti ſtetiſſe, granum vel vinum non eſſe mixtum, equum non eſſe vitioſum, rem venalem non eſſe antiquam &c. Nec excuſatio illa ſufficiens eſt, quia dicunt ſe aliâ ratione juſtum pretium ab emptoribus non poſſe obtinere, tum quia id ſæpè falſum eſt, tum quia nullâ ratione contra veritatem eſt jurandum, tum quia hâc ratione emptorem decipiunt, ab eo pretium ſummum obtinentes, quod alioqui dare noluiſſet. Imò frequenter hoc modo extorquent pretium ultra juſtum; & hinc eſt quod rarò talibus juramentis etiam temporaliter proficiant: quia ut advertit Chryſoſt. ſup. Matthæum. *Talium ſubſtantia aut ipſis viventibus eſt peritura, aut à malis hæredibus diſſipanda, aut ad extraneos & inimicos hæreditas eſt ventura. Non enim poteſt ad bonum proficere, quod congregatum eſt de malo.* Hoc Dominus apud Zachariam indicat, dicens de volumine illo volante, in quo maledictio continebatur: *Educam illud, & veniet ad domum furis, & domum jurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio domus ejus, & conſumet eam, & ligna ejus, & lapides ejus*: quia ſcilicet maledictio Dei, domos ſallaciter jurantium invadit, & cùm ex alienis congregârunt, illas diſperdit. Peccant & iidem frequenter jurantes, ſe tali tempore ſolutionem certam facturos, cùm moraliter prævideant, ſe id non poſſe; imò nec animum habeant faciendi, ſed potius creditorem eludendi, & de termino in terminum protrahendi. Hæc interim juramenta graviter conſcientiam lædentia parvi fiunt, quia communia.

S. Chryſ. in Matt.

Zach. 5. 4.

Secundò peccant, qui ex conſuetudine prava, ſine ulla neceſſitate, juramentis execratoriis utuntur in communibus colloquiis, v. g. ſi eis ſtatim non creditur, aſſertioni ſuæ adjiciunt: *damnet me auferat, perimat me Deus me confundat, velim hoc ſit mihi venenum.* Hæc inter pocula, commeſſationes, ebrietates, frequentiſſima ſunt, & ab iis etiam uſurpantur, non diſcernendo perfectè, an verum ſit, quod aſſerunt, an non; & ſine conſcientia in luſu chartarum, alearum, & ſimilibus cupiditate lucri ad finiendas contentiones, ſine veritate dicuntur, ſed non ſine gravi Dei offenſa, & quandoque vindicta.

2. Temere juramentis execratoriis utuntur in communibus colloquiis.

Refert Franciſcus Bencius ann. 1586. fuiſſe Vercellis in Italia, quendam juvenem mirè deditum ludo, & excæcatum amore alex. Quodam verò die cum

Bencius in

veſperi

Digitized by Google

1586. Bonif. l. 4. hist. Virg. c. 9.

vesperi inter collusores orta est contentio : hic ut eam finiret, invadat (inquit) me malus dæmon, nisi ita sit. Statimque tremuit cubiculum ; & tetra umbra oberrans circa parietes apparuit ante oculos ludentium. Ille exanimis in terram cadit. Ubi verò ad se rediit, totus pavidus conscientia urgente, veniam a Deo & ejus Matre postulat. Voto se obstringit de itinere suscipiendo ad Varallum montem, & sacro ibi curando celebrari. Nihilominus oberrans effigies illa atra circa cubiculum, lucernam conatur extinguere, sed socii toti territi crucem ligneam opponentes, quocunque ferebatur illi obstitunt. Interim hora erat solum una in nocte aut altera & durat hæc pugna usque ad diluculum : erantque renovantes ipsi semper oleum, ne deficeret lumen, obsistentes semper per crucem huic terribili spectro : Statimque autem audito matutino signo Angelicæ Salutationis, diffugit hoc monstrum, quasi ad inimicum hunc sonum coactum in suas tenebras recedere, consternatos interim relinquens hos lusores. Unde illicò juvenis totus attonitus, nullam habens securitatem, ad Collegium Societatis advolat, ut confessione expiet peccata, & votum suum executioni mandet.

Sic nempe res deploranda est inter Christianos, quod aliqui ferè ad singula verba diabolum in ore habeant, alii pestem vel mortem, aut similes pessimas execrationes aut imprecationes. Alii verò ad omnem impatientiæ occasionem jurant per membra Christi, *per Caput*, *per Mortem*, *per Sanguinem*, vel per illa per quæ nostram est operatus redemptionem. Magna siquidem Deo fit irreverentia, dum sacra ejus Passio, Sanguis, Membra, Vulnera pretiosa, pro quibus inceſſanter vocem gratitudinis ei rependere deberemus, ita in vanum allumuntur, in mediis contentionibus & rixis, & frequenter quidem in re etiam illicita. Nam cholerici & impatientes illi homines, jurant per mortem, per sanguinem vel caput Dei, se talem vel talem vindictam de aliquo sumpturos, & similia illicita : & tunc absque dubio est peccatum mortale gravissimum, ab ore Christiano penitus relegandum.

3. *Blasphemia in Deum vel Sanctos. Blasphemia est contumelia Deo vel Sanctis illata.* Ps. 72. 9. Apoc. 13. 5.

Tertiò peccant, qui blasphemiam aliquam in Deum vel Sanctos effutiunt. Licet verò nomen blasphemiæ vernaculo sermone apud Gallos & Germanos, ac alias Nationes, confundatur cum juramento : Est tamen propriè blasphemia, cum aliquid Deo vel Sanctis attribuitur quod eis non convenit, aut eis denegatur quod eis competit. Sic inter blasphemos maximè numerandi sunt hæretici, qui lingua venenata *ponunt in Cœlum os suum*, multa dicentes contra Deum, facientes cum authorem peccati, contra Virginem, eam æquantes cæteris mulieribus, contra Angelos & Sanctos eis denegantes honorem. Unde significati sunt. Apoc. 13. per illam bestiam quam vidit Joannes, cui datum est os quod *aperuit in blasphemias, blasphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus, & qui habitant in Cœlo.* Quæ omnia vera sunt de nostris hæreticis, qui miris calumniis efficiunt Cœlites, & Tabernaculum Dei : per quod intelligere possumus vel Virginem, vel Ecclesiam sanctam, vel etiam sacrosanctam Eucharistiam. Est autem blasphemia gravissimum peccatum frequentissimè à Deo punitum. Vide de Nicanore 2. Machab. 15. cujus lingua in partes decisa, data fuit avibus Cœli, quia blasphemaret. Sic & Herodes ob blasphemiam à vermibus consumptus expiravit : sic & Antiochus insanus & invisibili plaga percussus 2. Machab. 9. Sennacherib quoque, Holofernes, & alii, ob blasphemiam à Deo sunt puniti, exemplum omnibus blasphemantibus dati.

2. Mach. 15. 33. 2. Mach. 9. 9. Act. 12. 23

Blasphemi in omni lege punisi sunt. Levit. 24. 14. Lyran. in eum loc.

In omni quoque lege graviter punitum est hoc vitium. Nam lege antiqua blasphemus educebatur extra castra ; & qui audiverant blasphemiam ; imponebant manum super caput ejus, & cunctus populus eum lapidabat. In qua quidem cæremonia, testes super caput blasphemi manus imponunt, significantes hoc caput esse impium, contra quod testimonium ferunt, ideòque mortis esse reum. Addit Lyranus eos dicere solitos : *Malitia tua te adduxit ad mortem, non nos* : quasi dicerent : *Tuo capiti mortem imputa, non nobis.* Cunctus etiam populus lapidabat, quia cum hoc vitium enormitate sua assistentes, & vicinos totumque populum videatur polluere, & vindictæ obnoxium reddere, hac lapidatione illud detestatur totus populus, & a se vindictam avertit.

In lege quoque Ecclesiastica, blasphemus septem Dominicis illatæ jubetur pro foribus Ecclesiæ, dum aguntur missarum solemnia, & ultimo quidem die sine pallio & calceamentis, ligatus corrigiam collo. Jubetur quoque septem feriis sextis dictarum Dominicarum jejunare in pane & aqua, nec intrare Ecclesiam, & in quolibet dictarum dierum, tres si possit, vel saltem unum pauperem reficere. Quod si nolit hanc pœnitentiam, interdicitur ei ingressus Ecclesiæ, & in morte privatur sepultura. Ita habetur Capitulo *Statuimus*. de maledicis.

C. Statuimus de maledicis. Antonin. 3. p. chron tit. 1. 2. 9. n. 9.

In lege quoque civili, B. Ludovicus Rex Franciæ edictum tulerat contra blasphemantes nomen Dei aut Virginis, decernens eis pœnam igniti cauterii in fronte. Cum verò nobilis quidam hoc crimen incurriſſet, multique apud Regem intercederent, ut ejus nobilitati parceretur, & alia pœna afficeretur : respondit Rex : *Ego paratus essem, & pro gratia reputarem, si tale signum fronti meæ imprimeretur : dummodò tale scelus è Regno meo extirparetur.* Ita Paulus Æmilius lib. 7. Hist. Franc.

Nicolaus Boerius decis. 301.

Refert quoque Nicolaus Boerius. Roberto Francorum Regi aliquando in Civitate Aurelianensi pro pace Regni oranti, Christum apparuisse, & respondisse pacem in Regno eum non habiturum, donec blasphemiam & crimina notoria eliminasset. Nec mirum leges omnes civiles, canonicas, & divinas, tam severè in blasphemos animadvertere, cum dicat August *Non minus peccant, qui blasphemant*

Digitized by Google

S. Aug. in illud Matt. 26. v. 63. *Blaſphemavit.*

mant Chriſtum regnantem in Cœlis, quàm qui crucifixerunt ambulantem in terris.

His interim non obſtantibus, adhuc videmus blaſphemias communes eſſe, inter aliquos qui ſe dicunt Chriſtianos, inter milites, inter vitioſos homines in ludis, in tabernaculis: talis vox blaſphema eſt, cum Galli dicunt: *Je renie Dieu*: *Maugre Dieu*: *Ar deſpit de Dieu.* Et ſimiles multæ voces execrabiles, quas unaquæque natio habet diverſis juxta mores perverſos, ſatanica conſuetudine potius quam Chriſtiana, variis in Provinciis invaleſcentes. Dico ſatanica conſuetudine, quia hoc vitium blaſphemiæ proprium eſt ſatanæ & damnatorum, de quibus dicitur in Apocalypſi: *Æſtuaverunt æſtu magno, & blaſphemaverunt nomen Dei habentis poteſtatem ſuper plagas.* In inferno enim damnati licet demeritis ſuis puniantur, continuo tamen blaſphemant eum qui plagas infert.

Apoc. 16. 9.

4. *Exigentes juramentum ab eo quē ſciunt falſo juraturum.*

Quartò peccant, qui exigunt, vel impellunt ad juramentum illum, quem ſciunt falſum juraturum. De hac re ſic loquitur D. Auguſtin. *Multum intereſt ſi neſciat ille qui exigit jurationem, illum falſum juramentum, an ſciat. Si enim neſcit ideòque dicit: Jura mihi: non audeo dicere non eſſe peccatum, humana tamen tentatio eſt. Si autem ſciat eum feciſſe, & novit feciſſe & cogit, homicida eſt. Ille enim ſuo perjurio ſe peremit, ſed iſte manum interficientis expreſſit.* Ita Auguſt. Eodem modo loquitur Serm. 11. de Sanctis, & allegatur cauſa 22. quæſt. 5. ubi ſic habet: *Ille qui hominem provocat ad jurationem & ſcit eum falſum juraturum, vincit homicidam: quia homicida corpus occiſurus eſt, ille animas & ejus quem jurare provocavit, & ſuam: Scis verum eſſe quod dicis, & falſum quod ille dicit, & jurare compellis. Ecce jurat, ecce pejerat, tu quid invenisti, imò & periſti, qui de ejus morte lætari voluiſti.* Affert quoque D. Auguſt. ib. hujuſce rei exemplum. Fuit, inquit, in hac Eccleſia homo quidam ſimplex & bene fidelis, à multis cognitus, nomine Turuſimenus; quidam negavit ei quod debebat. Commotus ipſe provocavit eum ad juſjurandum. Juravit ille, ille perdidit, ſed iſto perdente, ille penitus periit. Interim ipſa nocte exhibitus fuit apud judicem, & interrogatus. Quare provocaſti hominem ad juramentum, quem ſciebas falſum juraturum? Reſpondit ille, negavit mihi rem meam. Dictum eſt ei: *Et nonne melius erat ut perderes rem tuam, quàm animam hominis falſa juratione perimeres?* Proſtratus, juſſus eſt cædi, cæſus eſt graviter, ita ut in dorſo evigilantis veſtigia plagarum apparerent. Sed poſtea dictum eſt ei, parcitur tibi, de cætero cave. Fecit ille magnum peccatum (inquit Auguſtinus) & emendatus eſt, ſed multo gravius faciet, qui poſt iſtam meam admonitionem & ſermonem tale quid fecerit.

D. Aug. ep. 154. Idem ſer. 12. de SS. & citatur cauſa. 23. q. 5.

Sed excuſant ſe multi, & dicunt, ergo neminem licebit cogere ad ſolvendum, cùm non alia reſtat via, quàm per juramentum? Reſpondetur. Si advertis ipſum paratum ad jurandum falſum, quid te juvabit ejus juramentum, quandoquidem per illud leſe eximat à ſolutione? Tunc ergo urget ratio ſalutis proximi, ut ei juſjurandum non deferas: quia, quantum in te eſt, teneris tantam Dei injuriam, & proximi peccatum vitare & impedire. Dices iterum: Id libens facerem, ſed conjicient homines ex eo me injuſtæ cauſæ defenſorem, ſi nolim cauſam juramento decidere. Reſpondeo: non ita judicaturos prudentes homines, quin potius laudabunt in te timorem pium, quem habes ne Deus offendatur. Quod ſi depravati aliqui homines id judicent, conſcientiam tuam commitre Deo, nec hominum require judicium, ipſe tibi abundantem reddet cumulum meritorum, ob charitatem illam qua in fratre vis vitare peccatum, & potius rem tuam exponere periculo perdendi, quàm animam ejus damnationi.

Judex tamen quandoque ob officium ſuum, debet hoc ordini juſtitiæ ut deferat juramentum, cùm non ſupperit alia via qua plenè officio ſuo poſſit ſatisfacere. Unde, licet ſciat aliquem falſum juraturum, utitur jure ſuo, nec cenſetur conſentire. Sunt & alii caſus quibus licite defertur juramentum illi quem putas pejeraturum, quos videre potes apud Leſſium, & alios Theologos.

Leſſius l. cap. 41. dub. 12.

Quinto peccant contra hoc præceptum, qui vota Deo & Sanctis nuncupata non implent. Eſt enim votum promiſſio in honorem Dei facta firmiter obligans hominem: & ita nomen Dei in vanum aſſumit, qui non implet, & peccato mortali ſe obſtringit. Aliud eſt, ſi quis tantum propoſitum fecerit, quia propoſitum ad peccatum mortale non obſtringit, nec eſt obligatio abſoluta. Unde ſi mutatione voluntatis diſſolvatur, infidelitas eſt, non tamen gravis culpa. Differentia verò inter votum & propoſitum, quadantenus demonſtrari poteſt ſimilitudine glaciei & cryſtalli: Propoſitum eſt quaſi quædam glacies, quæ calore accedente facile in labilem aquam reſolvitur. Sic quotidie accedente tentationis calore, diffluunt bona noſtra propoſita. At votum eſt inſtar cryſtalli ſolliditatem retinentis etiam calore invaleſcente, quia obligatio voventis voluntatem debet firmare, ut non poſſit diffluere.

5. *Vota Dei & Sanctis nuncupata non implent. Votum quid?*

Quapropter arguendi ſunt hic multi qui variis ſe votis onerant, & ea vel non ſolvunt, vel per longa tempora differunt. Sic invenies multas mulierculas varias peregrinationes voventes, nec adimplentes. Cùm enim morbus aliquis illis incidit, vel pueris eorum, ſtatim conjiciunt eſſe morbum hujus & illius Sancti, ut vocant; & juxta varias conjecturas diverſis Sanctis vovent peregrinationes; ſed per plures annos illas differunt, nec conantur adimplere, ideòque diſſuadenda ſunt hæc vetularum vel mulierculorum tam facilè emiſſa vota, quæ ut plurimùm vix adimplere poſſunt, quia eis res angusta domi, vel adimplere negligunt, cùm jam morbus vel aliud infortunium, ratione cujus vovebant, pertranſiit & voto ſanitatis potiti ſunt.

Nempè

Nempe similes sunt his qui ad fontem pergentes, postquam urnam impleverint, nullam postea fontis rationem habent, sed ei terga vertunt. Sic ingrati homines postquam potiti sunt desiderio, divinæ largitatis fonti terga vertunt, dum promissionis sunt immemores: multa promittunt ferventi animo dum divino egent beneficio, postea nihil sequitur effectus. Unde iterum rectè tales comparantur à Salomone, nubi pluviam promittenti, sed postea evanescenti: *Nubes & pluvia non sequentes vir promissa non complens.* Displicet ergo Deo stulta & infidelis promissio. Unde Deut. 23. dicitur, *Quod semel egressum est de labiis tuis observabis, & facies sicut promisisti Domino Deo tuo.* Et apud Ecclesiasticum, *Melius est non vovere, quàm post votum promissa non reddere.* Est quoque alia hac de re notabilis sententia apud Sap. Prov. 20. *Ruina est homini devorare Sanctos, & post vota retractare*, q.d. Laqueus est vovere, & postea pœnitere. Verum alia Lectio habet, quæ verior apud Interpretes judicatur: *Ruina est homini devorare Sanctos, & post vota retractare.* Quod aliqui interpretantur, ut sit idem quod persequi Sanctos; & sic erit sensus, quod utrumque sit ruina homini, & persequi Sanctos, & vota eis facta retractare.

Prov. 25. 14.
Deut. 23. 23.
Eccl. 5. 4.
Prov. 20. 25.

Cæterum, circa vota in honorem Sanctorum facta monendi sunt vulgares homines & mulieres, de variis circumstantiis quæ superstitionem sapiunt, quas ipsi putant necessarias ad voti sui adimpletionem, vel ad sanitatem impetrandam. Sic existimo esse superstitionem, ut voveant ad publicam viam procedere, ibi ovum vertere, vel partem argenteam plicare, vel aliam oblationem ibi exponere, & credere aliter non esse ritè peractum votum. Similiter diminuere candelas quas accendunt de die in diem, durante Novenna, diminuere etiam orationes pro ratione dierum, primò novem, deinde octo &c. & multa similia, quæ vana & anilis observatio introduxit, quibus potius irritatur Deus, quàm colatur.

Quæres, an implendum sit votum statim ac nuncupatum est, aut quo tempore? Respondeo: quando aliquis vovit sine conditione vel temporis præfixione, tenetur illud statim exequi cum potest, nisi vovendo aliud in mente habuerit. Unde Deut. 23. dicitur. *Cùm votum voveris Domino, non tardabis reddere, quia requiret Dominus Deus tuus illud, & si moratus fueris, tibi reputabitur in peccatum.* Hoc etiam antiqui voluerunt significare, dum dixerunt non rectè satisfacere promissis & voto naufragii, qui non suspendit vestes, quas è naufragio tulit, templo Neptuni, antequam illas exsiccet. Voluerunt enim docere promptitudinem quam debemus habere, ut Deo vota solvamus, cujus favore è calamitate eruti sumus.

Deut. 23. 21.

Justè ergò conqueritur Lactantius (de quo & nos jam conquesti sumus) quòd homines si presserit gravis necessitas, Dei recordentur, postea autem obliviscantur. *Si belli tremor insremuerit* (inquit ipse) *si morborum pestifera vis incubuit, si alimenta frugibus longa siccitas denegavit, si tempestas, si grando ingruat, ad Deum confugitur, à Deo petitur auxilium. Si quis in mari vehse a vente jactatur, hunc invocat. Si ad extremam mendicandi necessitatem deductus, victum precibus expescit, Deum solum obtestatur, per ejus unicum & divinum nomen hominum sibi misericordiam quaris. Nunquam igitur Dei meminerunt, nisi dum in malis sunt. Postquam metus deservit, & pericula recesserunt, Deo quem antè in necessitate imploraverant, ne quidem gratias agunt.* Hæc ille. Lactant. lib. 2.

Exemplum audi ex Petro Damiani. In maris tempestate deprehensus quidam, futurum se Monachũ affectuosa sponsione devovit, sed naufragio erutus votum solvere hujus vitæ amore contemplit. Expleto anno, ipso die quo votum Domino suæ conversionis obtulerat, Kalend. Januarii dum hinc inde discurrens cum aliis juvenibus luderet, & choros duceret cum scurribilibus cantilenis, subitò lapis super eum de tecto cecidit, & obtrivit: sic infœlix ille qui mundum deserere noluit ultroneus, amisit invitus, & fallacem carnis dulcedinem perdidit, quia amando carnem, mentitus est veritati. Ex Petro Damian. Speculum Exempl. v. Votum nu.

LECTIO VIII.

DE TERTIO PRÆCEPTO.

MEMENTO VT DIEM SABBATI sanctifices.

1. *Decet Sabbati observationem esse ab initio mundi.*
2. *Renovatam fuisse tempore Moysis.*
3. *Sabbatum recte mutatum esse in Dominicam.*

PROPOSITIO I.

Sabbati observatio & sanctificatio, non solum est à tempore Moysis, sed est ab origine mundi.

DEclarari id potest ex Gen. c. 1. ubi dicitur: *Benedixit diei septimo & sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo.* Sensus est: diem illum septimum quo requievit, effecit sibi sacrum & festum, voluitq; specialiter coli ab Adamo & ejus posteris sacro otio & cultu Dei, & maximè recolendo beneficium creationis suæ, totiusque mundi illo die completæ. Hoc enim significatur illis verbis: *Quia in ipso cessaverat ab omni opere suo*, Divinum ergo Sabbatum tunc fuit, quando requievit ab operibus suis, nõ quasi otiosus postea fuerit, cum dicat: *Pater meus usq; modo operatur, & ego operor.* Sed quia nullas ex tunc novas species produxit. Continuò tamen operatur gubernans, conservãs, influens in suas creaturas, & nova individua producens, novas animas creans & corpotibus infundens. Illum itaq; diem quietis suæ, voluit ex tunc homines imitari & colere quiescendo ab operibus, & beneficium creationis rememorando. Gen. 2. Joan. 5. 17.

Digitized by Google

Præceptumque illud, ſi diem præciſè ſpectes, non fuit naturale, ſed poſitivum & particulare, Dico, ſi diem præciſè ſeptimum ſpectes, legem ſolam naturæ illum non præcipere; eſt tamen cujusdam legis naturæ, quod aliquis dies ſpeciali Dei cultui dicetur. Nam & ipſi pagani ſuis Diis aliquos dies ſpecialiter determinandos judicarunt, & ſic lex naturæ dictat, veri Dei cultui etiam aliquem eſſe conſecrandum. Sed quod ſeptimus dies ſpecialiter coli debeat, rationabiliter determinavit lex divina, ob cauſam prædictam.

Exod. 20. 8. Sed dices: Scriptura non meminit Sabbati obſervati, niſi poſtquam populus egreſſus ex Ægypto per Moyſen accepit præceptum: *Memento ut diem Sabbati ſanctifices &c.* Reſpondeo: Tempore idololatriæ, & in Ægyptiaca ſervitute, iſtud præceptum quod primitus fuerat datum, obliteratum planè fuiſſe, & oblivioni traditum: ſed tunc à Domino fuiſſe reſtitutum, & in memoriam revocatum, ac ſpecialiori præcepto ſanctum. Unde dicitur: *Memento ut diem Sabbati ſanctifices*, q.d. Diem illum quem à primæva ætate mihi ſanctificavi & coli volui, tua ingratitudine, ob incuriam, temporumque injuriam, video quadam oblivione ſepultum: nunc autem tibi in memoriam revoco, & ſpeciali lege ſancio, ut inviolabiliter obſerves, nec unquam oblivioni tradas, ſicut nec beneficium creationis quod eo die complevi. Addo ad dictorum confirmationem etiam ante hanc legem Decalogi, renovatam fuiſſe memoriam cultus & obſervationis Sabbati Exod. 16. dum pridie Sabbati jubentur duplicem mannæ menſuram colligere, & dicitur eis: *Requies Sabbati ſanctificata eſt Domino cras.* q.d. Cras eſt Sabbatum ſanctum & cultui Dei dicatum, ergò ab omni opere quieſcendum ac Deo vacandum eſt, ideoque volui vos die ſexto colligere manna in duplum. His verbis Sabbati primitus inſtituti refricatur eis memoria, & ejus obſervatio renovatur, cum tamen lex Moyſis necdum foret data: ergò non à Moyſe obſervatio Sabbati, ſed à Deo jam à mundi exordio ſumpſit originem.

Exod. 16. 25.

S. Aug. Lib. 4. de Gen. c. 12. *Cur dies Septimus à Deo ſanctificatus ſit. Symbola diei ſeptimæ.*

Addit D. Auguſtinus, diem illum ſeptimum à Deo ſanctificatum ob quietem Dei ab operibus ſuis fuiſſe figuram quietis Chriſti in ſepulchro die Sabbati, poſtquam opus redemptionis noſtræ die ſexto per Paſſionem & Mortem conſummaſſet.

Significari ſecundò poteſt ſymbolicè ſeptima ætas mundi, in qua debebat fieri redemptio, & compleri hominis recreatio, ut ei daretur quies à peccatis & operibus pravis. Septem enim ætates mundi à quibuſdam rectè ita recenſentur, ut prima ſit ab Adam uſque ad diluvium: Secunda à diluvio uſque ad Abraham: Tertia ab Abraham uſque ad Moyſen: Quarta a Moyſe uſque ad David. Quinta à Davide uſque ad captivitatem Babylonicam: Sexta ab illa captivitate uſque ad Chriſtum. Septima à Chriſto uſque ad finem mundi. Per ſex ergo ætates homo laborat velut in ergaſtulo ſub peccato, & ſub elementis & rebus egenis mundi ſerviens, nec poterat pervenire ad requiem, ſive ſecundùm carnem, ſive ſecundùm ſpiritum: in ſeptima ætate, quaſi in ſeptimo die, venit Chriſtus redemptionem afferens & quietem, Sabbatumque ſpirituale in quo a peccatis ceſſare debemus, & divinis beneficiis rememorandis vacare. Tertio, ſecundùm anagogicum ſenſum dicit D. Paulus per illud Sabbatum, in quo quievit Deus ab operibus, ſignificatum fuiſſe Sabbatum æternum, & quietem in Cœlis perennem: Ubi Filii Dei requieſcent a laboribus ſuis, quia *opera illorum ſequuntur illos*, ut voce cœleſti indicatum fuit D. Joanni in Apocalypſi 14. *Revera ibi eſt verum Sabbatum, ibi vera requies* (inquit D. Chryſoſtomus) *ubi fugit dolor, triſtitia, gemitus: ubi neque ſollicitudines, neque labores, neque agones. Non eſt illic, in ſudore vultus tui comedes panem tuum. Non eſt illic, in triſtitiis generabis filios, ſed omnia pax, gaudium, jucunditas: voluptas, bonitas, manſuetudo. Non eſt illic invidia, neque zelus, neque morbus, neque mors, non ibi tenebræ, neque nox, ſemper diei claritas, non eſt fatigari, non faſtidium accipere.* Hoc eſt illud Sabbatum quod vocat Iſaias: *Sabbatum Domini ſanctum & delicatum*, quia Sancti non ſolum ibi requieſcunt, ſed & æternum deliciantur & jubilant, celebrantes perennem lætitiæ ſolemnitatem in ſacrificio laudis, in voce exultationis, in ſono epulantis.

Apoc. 14. 13.

Chryſ. hom. in ep. ad Heb.

Iſa. 58. 13.

De hoc ergò Sabbato, tanquam typicè deſignato in primo illo inſtituto à mundi exordio, dicit Apoſtolus: *Itaque relinquitur ſabbatiſmus populo Dei. Qui enim ingreſſus eſt in requiem ejus* (ſcilicet Dei) *etiam ipſe requievit ab operibus ſuis!* id eſt à laboribus hujus vitæ) *ſicut à ſuis Deus.* Poſtea omnes Fideles convocans & invitans quaſi voce & tuba quadam cœleſti ad illud Sabbatum perenne, forti clamore inſonat. *Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem.* Quaſi dicat: Quandoquidem nobis promiſſa eſt illa requies, & ſpe quodammodo illam tenemus, & ad illam re apprehendendam rendimus, excutiamus omnem ignaviam, & ambulantes ad illam in hujus vitæ peregrinatione non ſiſtamus gradum, non laſſemur, non deſpondeamus animum ob labores & difficultates occurrentes; ſed forti & conſtanti animo pergamus, imò curramus feſtinantes: Quare feſtinandum? Quia via eſt longa, vita brevis, tempus incertum, vocatio Dei urget, & in mora eſt periculum. Vide D. Thomam in illum locum. *Curſu opus eſt* (inquit D. Chryſoſtomus) *& vehementi curſu: qui currit non ad prata adjacentia, non ad amicos, non ad ſpectatores, non ad palmam attendit, non conſiſtit, meta vicinus, non languet, ſed curſum intendit. Sic quo ſeniores & Cœlo viciniores ſumus, eo magis & concitatius currere debemus.*

Heb. 4. 9.

D. Tho. & Chryſoſt. hom. 7. ep. ad Heb.

PRO-

PROPOSITIO II.

In lege Moysis non solum renovatio Sabbati fuit, sed & strictior observatio à Deo precepta.

Exod. 31. 13. *Ejus violatio erat pœna mortis.*

DEclaratur primò, quia ejus violati pœna fuit mors; sic enim dicitur, Exod. 31. *Videte, ut sabbatum meum custodiatis, quia signum est inter me & vos in generationibus vestris, ut sciatis quia ego Dominus qui sanctifico vos. Qui polluerit illud, moriatur.* q.d. Quia Sabbatum signum est quod vos mihi sitis populus, & ego vobis sim Deus, ideoque in mei honorem & obedientiam colitis diem septimum, agnoscentes me omnium Creatorem: volo, ut sic vobis illo die publicus & solemnis cultus, & sub pœna mortis violatori infligenda volo illum sanctificetis, quia & per illum etiam vos mihi volo sanctificare. Exod. 31. 14. *Qui ergo fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi sui*, hoc est, vita ejus tolletur de medio, si res constet; quod si id non constet, non ideò immunis erit, sed Deo vindicante plectetur. Vide Jerem. c. 17. Jerem. 17. Num. 15. 32. Unde *cum essent filii Israel in solitudine, & invenissent hominem colligentem ligna in die sabbati, obtulerunt eum Moysi & Aaron & universæ multitudini. Quiretenuerunt eum in carcerem, nescientes quid super eo decernendum foret*: ignorabant enim, an pro tantillo opere morte aliquem plecti vellet Deus, & si id vellet, ignorabant quo genere mortis. Dixit ergo Dominus ad Moysen: *Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra Castra.* 15. 35.

2. *Plurima to die prohibebantur.*

Declaratur secundò: quia observatio Sabbati adeò stricta fuit, ut non liceret vel cibum coquere. Omnes enim cibos in die Sabbati coctos, contaminatos habebant, non minus quàm si idolis fuissent sacrificati. Ideò habebant diem præcedentem, vocatum *Parasceves*, hoc est, diem præparationis, in quo omnes cibos debebant præparare. Exod. 16. 22. Dominus quoque ut ostenderet eis quomodò vellet Sabbatum stricto rigore observari, non pluebat illis manna illo die, ne colligendo occuparentur: & cum aliis præcedentibus diebus non possent ultra mensuram unam colligere, quin putresceret, in die tamen Parasceves duplicem colligebant, & qui non collegerat, non comedebat in Sabbato. Ubi significatum dicit Origenes, quod qui in hac vita (quæ nobis destinata est quasi dies præparationis ad provisionem bonorum operum quasi dies sextus ad colligendum manna) nihil collegerit, in sabbato illo æternitatis, æterna fame pereat necesse est. In sabbato quoque non licebat ignem accendere. Philo. l. 2. & 3. de vita Moysis. Nam Exod. 15. 3. expressè dicitur: *Non succenderis ignem in omnibus habitaculis vestris per diem sabbati.* Censentque Rabbini nulla de causa id licuisse, etiam frigoris ad se calefaciendum. Addit Philo illo die non fuisse licitum ignem accendere, quia ignis est materia circa quam versantur plures artifices, v.g. Fabri diversorum metallorum, ideoque prohibebatur, ne occasio daretur aliquibus transgressionis. Multi tamen Doctores putant solum fuisse prohibitum succendere ignem ad coquendum, non ad calefaciendum. Denique in sabbato non licebat quicquam vendere vel emere, vel onus aliquod portare, de quo vide fusè l. 2. Esdræ c. ult. Nec licebat extra domum iter facere ultra mille (vel ut alii) bis mille passus. Unde Exod. 16. dicitur: *Maneat unusquisque apud semetipsum, nullus egrediatur de loco suo die septimo.* Exod. 16. 19.

Superstitiosi erant Judæi in suo sabbato observando.

Adverte tamen, quod vanis aliquibus observationibus, & non secundùm legem, colebant suum Sabbatum. Unde putabant non licere curare ægros: de quo Christus eos arguit & convincit, exemplo asini aut bovis cadentis in foveam. Quin & Machabæi initio existimabant sibi non licere pugnare in Sabbato etiam se defendendo, sed postea aliter strage suorum edocti sunt, v. 1. Mach. 2. Putabant quoque sabbata sua contaminari, per fœtorem corporum corruptorum, si suspensa manerent sabbato, Joan. 19. Etiam modò Judæi aliqui valdè superstitiosè Sabbatum suum colunt. Unde notum est illud de quodam Judæo in Anglia, qui in foveam sive cloacam sordidam sabbato cadens, nolensque extrahi, à Christiano Judice coactus est etiam dominico die in eadem manere. Cùm enim ille diceret:

Sabbata nostra colo, de stercore surgere nolo.

Responsum eidem à Judice referunt Annales Angliæ:

Sabbata sancta quidem Salomon celebrabis ibidem.

Hinc adhuc & aliqui Rabbini dicunt non licere ignem è lapide vel metallo excutere die Sabbati, nec lampadem accendere nisi ob infirmum, & multa similia vana.

Sabbatum etiam dicitur de Anno 7. sabbatum terræ.

Cæterùm, præter hoc sabbatum, & præter alia festa quibus etiam sabbati nomen communicatum fuit, erat & aliud *Sabbatum terræ*, de quo Levit. 25. *Sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam, colligesque fructus ejus, septimo autem anno sabbatum erit terræ, agrum non seres, & vineam non putabis.* Itaque ille annus septimus erat Sabbatum terræ, sive quies terræ (uti dies septima erat sabbatum, hoc est, quies hominum) quia debebat quiescere terra ab omni cultura, sicque quiescebatur agris & vineis. Hoc terræ sabbatum instituit (inquit D. Augustinus) ut ipsa vacatio terræ Aug. 85. in Levit. esset velut merces habitationis, & quasi pretium redemptionis ab illo cujus est, id est, ab ejus Creatore Deo; ut scilicet Hebræi pro terra sibi data illi hoc sabbatum quasi cultum & homagium quoddam rependerent: sicut feudatarii Domino feudi & homagium & jura aliqua persolvunt. Habebat ergò hoc sabbatum, sive annus septimus, qui vocabatur sabbaticus, aliquot privilegia. Primum erat, quod eo anno quicquid terra, vineæ, agri, sponte producebant, erat commune pauperibus, imò & animalibus. Et sic poterant viduæ, pupilli, pauperes, peregrini, colligere quicquid olerum, herbarum, aut

Anni sabbatici seu VII. quædam privilegia.

Levit. 25.

Digitized by Google

granorum ex deciduis præcedentis anni exoriebatur, quicquid vinea per se produxerat. Secundum erat, quod illo anno septimo fiebat remissio omnium debitorum, si is qui debebat, genere Judæus erat, non verò si peregrinus & gentilis, ut dicitur Deut. 15. Tertium erat, quod anno septimo omnes servi Hebræi assequebantur libertatem, si volebant. Quod si diligentes Dominum & domum ejus non desiderabant egredi, perforabatur eis auris applicata ad postem domus, & manebant servi in perpetuum, v. Exod. 21. Illo quoque anno septimo legebatur Deuteronomium coram toto populo, Deut. 31. 11.

Deut. 15. 1

Exod. 21. 6.

Sabbatum magnum est Annus 50. vel Jubilæus.

Denique apud Hebræos erat aliud magnum Sabbarum, quod celebratur post annos septies septem quolibet scilicet Anno 50. & vocabatur Jubilæum. De quo diximus, cùm de Indulgentiis diximus.

PROPOSITIO III.

Convenimus Sabbati dies in Dominicum ab Ecclesia est commutatus.

QUæcumque in antiquo testamento cæremonialia fuerunt, figuram gerebant eorum quæ in novo, & ideò veritate veniente, tamquam umbratica & typica cessarunt. Sic eorum Sacramenta, sacrificia, oblationes, typi erant Sacramentorum & sacrificii nostri. Sic circumcisioni, quæ erat signum fœderis, successit Baptismus vera Circumcisio spiritualis & signum fœderis inter nos & Deum. Immolationi & manducationi Agni successit immolatio & manducatio Corporis & Sanguinis Christi veri Agni. Sacerdotio Levitico & Aaronico, successit Sacerdotium novum secundum Ordinem Melchisedech, à Christo institutum. Et loco omnium Sacrificiorum veterum, sancitum est unicum Eucharistiæ Sacrificium. Sic ergò Sabbato Judaico & legali, successit Sabbatum Christianorum, hoc est, Dominicus dies.

Cæremonialia tamquam typi, ea in novo testamento cessarunt.

Quomodo hoc præceptum Christianos obliget.

Sed quæres: quomodo ergò mansit illud præceptum: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices?* Respondeo, illud præceptum partim fuisse cæremoniale, partim morale. Quod enim septimum diem colerent Hebræi, cæremoniale fuit; & rationabiliter eis determinatum: tum quia Deus eodem die requieverat ab opere creationis: tum ut memoriam celebrarent liberationis ab Ægyptiaca servitute, sicut dicitur Deut. 5. 15. *Memento quod servieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, idcirco præcepit tibi ut observares diem Sabbati.* Quatenus verò hoc præceptum diem & tempus aliquod Dei cultui publico & externo dandum præcipit, sic est morale & naturale. Rationabiliter verò Ecclesia, quæ est *domus Dei vivi, columna & fundamentum veritatis*, à Spiritu S. infallibiliter directa, diem Dominicum designavit, hoc est, diem illum quo Dominus resurrexit; qui ideò etiam Dominicus dictus est, sive ut dicit D. Chrysost *Dominicus dies dicitur, hoc est, dies regalis, in quo Imperator ascendit ab inferis, de quo intelligitur illud: Hæc dies quam fecit Dominus. Dies quoque panis dicitur, quia in ea novimus panem Resurrectionis cœlestis. Denique dies lucis in quo fugerunt mentis tenebræ, juxta illud Isaiæ: Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* Si ergo in memoriam creationis septimus dies fuit sacer, in memoriam recreationis & reformationis nostræ octavus nunc sacer est, nobilitatus & sanctificatus gloriosa illa resurrectione, & numerus octavus symbolum est æternitatis, ut alibi dixi. Itaque sicut vernum tempus succedit obscuræ & frigidæ hyemi, & sicut dies nocti, aut ætas virilis adolescentiæ; ita & Dominicus dies succedit Sabbato & octavus dies septimo, quia octava ætate erit Sabbatum illud Æternitatis.

1. Tim. 3. *Dominicus dies est Resurrectionis Christi.*

Chrysost hom. 5. in Resur.

Est verò diei Dominicæ tanta antiquitas, ut illius etiam meminerit D. Joannes in Apocal. dicens: *Fui in Dominica die.* Illius quoque meminit D. Ignatius Epist. ad Magnesianos, ubi eam *Reginam & Principem omnium dierum* appellat. Et ita colligimus, jam ab initio Ecclesiæ, ab ipsis Apostolis divino spiritu edoctis, hunc diem fuisse sanctificatum. Sed & multæ sunt prærogativæ illius diei, quæ movere potuerunt Ecclesiam ad ejus sanctificationem.

Est Dominica dies antiquissima observatio, Apoc. 1. 10. Ignat ep. ad Magnesian.

Primò, quia iste fuit primus dies creationis, in quo lux prima, lucis spiritualis symbolum, creata fuit, & mundus initium accepit, & Angeli, nobilissima creatura mundi. Gen 1.

Hujus diei prærogativa & mysteria.

Secundò. Eodem die stetit arca Noë super montes Armeniæ. Gen. 8.

Tertiò. Eodem die Hebræi siccis pedibus mare rubrum transierunt. Exod. 14. Ita Synodus Cæsariensis apud Bedam in Epistola de celebratione Paschæ.

Synod. Cæsar.

Quartò. Illo die primum manna pluit in deserto (ut docet August. & Orig.) Exod. 16.

Aug. & Orig. Synod. VI.

Quintò, initio diei Dominicæ creditur Christus fuisse natus, Luc. 2. ut habet sexta Synodus can. 8.

Sextò. Eodem die stella magis apparuit. Matth. 2.

D. Leo ep. 81.

Septimò. Eodem die baptizatus est in Jordane Christus. Matth. 4.

Aug ser. 154. de temp.

Octavò. Eodem die primum miraculum fecit, aquam vertens in vinum. Joan. 2.

Nonò. Eodem die satiavit quinque millia hominum. Matth. 14.

Decimò. Illa die honorificatus est cum palmis. Luc. 19. Matth. 21.

Undecimò. Illo die resurrexit. Matt. 28. Marc. 16. & apparuit Apostolis, dans eis potestatem peccata remittendi. Joan. 20.

Duodecimò. Eodem die misit Apostolos Evangelium prædicare per totum mundum. Matth. 28.

Decimotertiò. Eodem die misit Spiritum Sanctum. Act. 2.

Ultimò. Dominica die multi putant Christum venturum ad judicium. Aug. ser. 251. de tempore, & Hilarius Procemio in Psalmos.

Aug. ser. 251. tem. Hilarius.

Qua-

Digitized by Google

Quapropter rectè advertunt aliqui, illos qui violant noſtrum Sabbatum, peccare in Deum Patrem, cujus potentia die Dominico creavit mundum, peccare quoque in Filium, cujus Nativitate & Reſurrectione ſanctificatus eſt; peccare in Spiritum Sanctum, qui eodem die ad nos miſſus eſt. Et ita ingrati ſunt Patris potentiæ, Filii ſapientiæ, bonitati Spiritus Sancti; ingrati Creatori, Redemptori, Conſolatori. Colligitur quoque ex dictis, cum ille dies ſit Deo ſacer & ſanctificatus, rectè illo die ampliorem expectari à Deo influxum ſpiritualem, & benedictionem uberiorem animas noſtras irrigantem. Sicut enim preces noſtræ, cæteris paribus citius à Deo exaudiuntur, de loco ſacro oblatæ, ob loci ſanctificationem; ita & beneficia à Deo citius accipiuntur, diebus ab eo deſtinatis per ſpecialem ſanctificationem. Hinc etiam à Græcis dies Dominicus dies Solis appellatur, quia Sol juſtitiæ illo die ſpecialiter cenſetur influere, & animis noſtris ſpiritualem lucem infundere.

Porro hic etiam notandum eſt, licet Sabbati dies Judaicè ſit abolitus, Chriſtiana tamen obſervatione, & antiqua Eccleſiæ Catholicæ religione, Virgini Mariæ eſſe dicatum. Volens enim Eccleſia Virgini diem aliquem ſeptimanæ quaſi tributum quoddam pendere, hunc diem meritò elegit, quodammodo commutans feſtum actionis gratiarum propter beneficium creationis mundi, & requietionis Dei, in actionem gratiarum propter beneficium creationis Matris Dei. Hæc enim fuit quidam novus *Mundus abbreviatus*, excellentior & capacior mundo: quia quem cœli capere non poterant, ſuo gremio novo quodammodo concludit; & ita in illa requievit Deus, ut poſſit dicere: *Qui creavit me, requievit in Tabernaculo meo.* Unde Albertus Magnus loquens de Benedictione Sabbati, ſic ait: *Eſt iſta benedictio, operum conſummatio, in Beatiſſima autem Virgine fuit perfectiſſimè operum conſummatio, quia omnia creata in uno homine unimuntur cum Creatore, & primum ſit ultimum, & ultimum primum.* Eſt & altera ratio hujus diei Virgini conſecrati, quia in illo die ſpecialiter in Virgine lumen fidei permanſit, Apoſtolis aliiſque Fidelibus tunc vacillantibus. Unde & de illa tunc verum eſſe diximus: *Non extinguetur in nocte lucerna ejus.* Quapropter etiam illo die Fideles candelarum accenſarum lumine ei cultum exhibent. Et hujus diei cultum ſibi gratum multis beneficiis & miraculis Virgo quandoque oſtendit.

Alber. M.

Prov. 31. 18.

Refert Durandus Lib. 4. Rationalis cap. 1. olim in quadam Eccleſia Conſtantinopoli, fuiſſe imaginem B. Virginis, coram qua dependebat velum, totam velans imaginem, quod in ſexta feria poſt Veſperas nullo movente recedebat, ut pleniſſime poſſet conſpici imago; celebratis vero Veſperis in Sabbato, iterum illam cooperiebat. Idem refert Niderus & alii.

Durand. l. 4. Rat. c. 1.

Refert quoque Franciſcus Bencius in Annalibus Societatis Provinciæ Auſtriæ, quæ ſequuntur. Excurrit unus ex Sacerdotibus Societatis noſtræ ſub Epiphaniorum Feſtum, in Oppidum Toparchæ cujuſdam excellenti pietate, qui olim educatus inter convictores Viennæ: uxorem hic habebat ſterilem, nec ſatis firmam in fide, cum veſceretur cibis illicitis. Perſuadet mulieri noſter, ut ſi liberos velit, habeat hunc ſaltem honorem Virgini, ut à carnibus Sabbato abſtineat, divinam illi opem ſub tanto patrocinio affuturam. Fidei reſpondet eventus, uno partu gemines marem & fœminam enixa eſt, & agnoſcunt divinum beneficium uterq; conjux, aureæ caſulæ calicisque donum miro artificio Deiparæ, quæ colitur in noſtro templo, ex voto dedit. Hæc ille de hac muliere. Cui profuit diei abſtinentia ſeptimi, non quidem Judaico ritu, ſed Eccleſiaſtica propter Virginem pietate.

F. Benc. in Ann. Soc. J.

Alfonſus Salmeron unus ex illis Societatis Patriarchis, qui ſe ad Ignatium ejuſdem Societatis Fundamentum & Ducem Pariſiis aggregarunt, tanta erga Virginem charitate fuit, ut de ea ſingulis Quadrageſimæ Sabbatis etiamſi aliud feriæ illæ depoſcerent, concionaretur; populo, Optimatibuſque obſtupeſcentibus, & in Sanctiſſimæ Dei Matris amore & pietate creſcentibus.

Ribad. in ejus vita.

LECTIO IX.

DE VARIIS MODIS SANCTIFIcandi ſabbatum noſtrum, ſive Dominicum Diem.

Quibus modis oportet ſanctificare diem Sabbati.

PRimo, dies Dominica debet coli gratiarum actione & oratione. Ratio eſt quia eſt inſtituta, tanquam memoriale beneficiorum Dei. Cum enim homo totus pendeat à Deo, tàm ſecundum corpus quam ſecundum animam, nihil habens ex ſe, nec unicam quidem cogitationem bonam, nec panem quo veſcitur, nec veſtem qua tegitur, nec unicum vitæ momentum: plane eſt rationi conforme, ut aliquo certo tempore animo aſcendat in Deum, & corpore quantum poteſt, quieſcendo à terrenis occupationibus, ut ſe totum illi offerat, à quo ſingulis momentis pendet. Ob hanc ergo cauſam deſtinatus eſt dies Dominicus, cujus prima ſanctificatio eſt hæc gratiarum actio. Hinc dicitur: *Memento ut diem Sabbati ſanctifices*, q.d. Cum ille dies ſit omnium beneficiorum memoriale, cave ne per ingratitudinem illius obliviſcaris, cave te tunc ſic gerere, quaſi oblitus ſis quis ille dies ſit, quam ob cauſam inſtitutus, quibus beneficiis ornatus. *Optima beneficiorum cuſtos eſt, ipſa memoria illorum, & perpetua confeſſio gratiarum*, inquit Chryſoſtomus. Hanc ergo adhibe in iſto die, ad hunc effectum ſancito & ſacrato, ſicque te diſpone ad nova beneficia recipienda. Qui enim gratias agit, novo jam beneficio ſe præparat: Ingratitudo verò benefícam Dei manum à nobis ſubtrahit, quia (teſte Bernardo) *gratiarum ceſſat* dif-

Chryſ.

Bern. ſer. 52. in Cſt.

Digitized by Google

discursus, ubi recursus non fuerit. Nec modo nihil augetur ingrato, sed quod accipit, vertitur in præjudicium: infidelis in modico, non censetur dignus munere ampliori. Ingratitudo ventus est urens & exsiccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ. Hæc vero gratiarum actio maxime fit post orationem, cui potissimum illo die vacandum est, quia hic est finis præcepti: *Vacate & videte quoniam ego sum Deus.* Psal. 33. 9. *Gustate quia suavis est Dominus.* Per orationem enim unitur cor nostrum Deo, & requiescit ac deliciatur in Domino, quodammodo prægustans dulcedinem Sabbati illius æterni. Et hoc est verum Sabbatum nostrum celebrare, quia hoc nostrum Sabbatum debet esse inchoatio quædam æternæ solemnitatis, in qua resonabit gratiarum actio & vox laudis. Adimplere quidem deberemus illud Psalmi: *Per singulos dies benedicam te Domine*, quia sicut oculi Columbæ ad singula grana ad Cœlum attolluntur: ita oculi nostri ad singula beneficia per gratiarum actionem ad Deum deberent elevati. Nam de hoc Sponsam laudat Sponsus: *Oculi tui columbarum*: tamen hoc maximè debet verum esse sacro isto die ad id specialiter destinato.

Ps. 45. 11.

Ps. 144. 2.

Cant. 1. 14

Secundo debet Missæ Sacrificium audiri, & hoc est præcepti, quia cum nihil illo sit Deo gratius, nullo alio opere magis sanctificari potest dies ille, maxime quia in ipso Sacrificio seipsum potest quilibet Fidelis cum Christo offerre. In antiqua Lege die Sabbati offerebantur duo Agni ultra illos qui quotidie in jugi Sacrificio offerebantur. Quid hic designatum dicemus, nisi quod in Sabbato nostro, perfectius Sacrificio spirituali opera danda? Matutino utique tempore & vespertino orationi vacandum, ideo enim Ecclesia vespertinas laudes ultra matutinum sacrificium cantari decernit, quæ Christianis tunc negligendæ non sunt. Nec dicant pro mulierculis Vesperas cani, & ab illis frequentandas: hoc enim loquendi modo utuntur homines salutis incuriæ, ebrietatibus & comessationibus eodem tempore vacare malentes, aut turpi ocio, quam Deo. Quibus respondere eodem modo possumus, pro mulierculis cœlestem habitationem, ubi æternum Deus laudabitur, destinatam esse, non vero pro ebriosis, impuris, ociosis hominibus, salutisque suæ nullam curam habentibus, quales sunt qui hæc oblatrant.

Multi se excusant à Missæ Sacrificio, quia forte in agris aliisque remotis locis agunt, nec sine multo labore ad loca Deo sacra, in quibus celebratur sacrificium, accedere possunt. Sed considerent hi se tanto plus meriti & præmii apud Deum accumulare, quanto plus laboris in ejus obsequium potuerunt impendere. Velim eos meminisse Anachoretæ illius, de quo in libro doctrinæ Patrum. Hic cum in Eremo deserta & horrida ageret, solis Angelis Deoque notus, multa milliaria conficere debebat, ut vel aquam sibi compararet. Quodam ergo die cum ad aquam hauriendam veniret, tardio quodam affectus dixit: Quid necesse est, ut hunc laborem patiar? Veniam & habitabo circa aquam hanc. Cum vero hoc dixisset, conversus est, & vidit quendam sequentem se, & numerantem vestigia sua. Interrogavit ergo illum, dicens: Quis es tu: Et dixit: Angelus Domini sum, & missus sum numerare vestigia tua, & dare tibi mercedem. Quod cum audisset senex, forti animo factus est, & adhuc longius posuit cellam suam, ut tanto amplius meritum accresceret. Sciant ergo & hi, qui longo itinere ad Dei templum venire debent, si pura intentione gloriæ Dei iter suscipiant, numerari passus suos ab Angelo Domini, & mercede ampliori donandos; maxime cum veniant non ad aquam materialem hauriendam, ad providendum his quæ corpori sustentando necessaria sunt; sed ut hauriant aquam vitæ, aquam gratiæ salutaris de fontibus Salvatoris, ut animæ cœlicam alimoniam provideant. Hic sit eorum scopus, hæc intentio recta, nec merces copiosa deerit.

In vita PP. l. 5. libell. de par & fort. n. 31.

Tertio debet homo eo die, quantum in se est, onus peccatorum deponere vel per confessionem vel saltem per contritionem. Licet enim non sit expresse præcepti, quod quis eo die teneatur confiteri aut elicere actum dilectionis Dei (quod aliqui Theologi docuerunt) est tamen finis præcepti, ad quem debet attendere quilibet verus fidelis, ut perfectè diem illum sanctificet. Hinc dicit Gregorius: *Dominico die à terreno labore cessandum & precibus insistendum est, ut si quid negligentia per sex dies agitur, per diem Resurrectionis Dominicæ precibus expietur.* Pulchrè quoque D. Leo: Si rationabile & quodammodo religiosum videtur, per diem festum in vestitu nitidiore prodire, & habitu corporis hilaritatem mentis ostendere, si ipsam quoque orationis domum propentiore cura & ampliore cultu, quantum possimus, adornamus, nonne dignum est, ut anima Christiana, quæ verum vivumque Dei templum est, speciem suam prudenter exornet, & redemptionis suæ celebraturæ Sacramentum omni circumspectione præcaveat, ne ulla eam macula iniquitatis obsidicer, aut duplicis cordis ruga dedecoret? Nam quid prodest honestatis formam præferens cultus exterior, si interiora hominis aliquorum sordeant contaminatione vitiorum? Omnia igitur quæ animi puritatem & speculum mentis obnubilant, abstergenda sedulò, & quadam elimatione radenda sunt. Scrutetur quisque conscientiam suam, seque ante se statuat, proprii centura judicii.

Greg. l. 11 epist. ep. 3.

D. Leo M. ser. 3. de Quadra.

Si ergo Judæis dicit Dominus per Hieremiam: *Custodite animas vestras, & nolite portare pondera in die Sabbati*: quanto magis nos Christianis dicere possumus: Custodite animas vestras & nolite peccatorum pondus in Sabbato Domini portare: sed potius illud excutite, onus scilicet grave, de quo dicitur: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Onus quod animam demergit in profundum, usque

Jer. 17. 21

Ps. 37. 5.

ad

Digitized by Google

Matt.11. ad inferni centrum. Venite ergo illo die omnes qui laboratis & onerati estis, & excutite *onus Babylonis*, ut loquitur Isaias: Hoc est, onus confusionis, Isa.13.1. quod ipsam conscientiam gravat & confundit. Excutite, *onus Damasci*, hoc est sanguinis: excutite Isa.17.a. peccata sanguinum, quæ contraxistis per immunditiam carnis: vel peccata quæ contraxistis fugendo sanguinem pauperum per oppressionem. Excutite *onus Moab & Tyri*, hæc sunt onera Mercatorum, qui fraudibus & artificiis diu noctuque laborant, ut opes sibi comparent. Excutite denique Isa.15.& 23. omne *onus Ægypti*, omne opus tenebrarum, omne mortale peccatum, quod animam ad tenebras Ægyptiacas imò & æternas deducit. Hæc autem Isa.16.1. onera excutiuntur non solum per confessionem, sed & per cordis contritionem. Unde monitos velim à Pastoribus fideles, & diligenter illis hoc inculcatum, tantam esse vim contritionis cum proposito suo tempore confitendi, ut possit hominem in gratiam restituere, non solum in articulo necessitatis, sed etiam quotiescunque homo perfectam elicuerit contritionem, ut tradit communior sententia Theologorum, de qua latius agemus cum de Sacramento pœnitentiæ tractabimus. Interim hoc ignorantes fideles, vix unquam se per contritionem ad gratiam disponere curant, nisi cum ad sacram confessionem accedere parant: & multos menses in peccati statu transigunt, quibus exercita opera multa bona, infructuosa sunt, quæ per contritionem redderent fructuosa, sed ipsi ignorant. Moneantur itaque saltem diebus Dominicis (licet eis non ita confessionis opportunitas suppeteret) contritionis remedium non negligere: de peccatis mortiferis quibus obnoxii esse possunt dolorem perfectum eliciendo, propter bonitatem illam supremam amantissimi Patris offensam, firmissimumque propositum stabiliendo, de omni peccato mortali, & ejus occasione rescindenda & evitanda. Hoc modo perfectè impletur illud: Levit.16. *Memento ut diem Sabbati sanctifices.* Et huc tendit 31. quod monet Dominus Levit. 16. *Sabbatum requietionis est affligatis animas Vestras.* Qua afflictione? Contritione utique, & interiori compunctione Spiritum affligente, & animam pervadente salubri vulvere. Nempè hoc est sacrificium quod ei cum corporis & Sanguinis filii sui oblatione maximè placet eo die: Ps.50.19. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus.* Nec ipse despiciet tunc cor contritum & humiliatum, sed tedder ei lætitiam salutaris sui, & spiritum gratiæ innovabit, hominemque mundabit à peccato etiam mortali, vi hujus contritionis, per quam aspersio Sanguinis Jesu Christi ab omni macula emundans, applicatur.

In vitis PP.l.7. de Pœn.c.23 n.2. Habes hujusce rei exemplum in lib.7. Doctrinæ Patrum de Pœnitentia. Ubi sic legimus. Beatæ memoriæ Paulus simplex discipulus Abbatis Antonii habebat hanc gratiam sibi à Deo datam, ut sic unumquemque cujus animi & conscientiæ esset, agnosceret, sicut & nos facies nostras videmus invicem. Quodam ergò die sedebat juxta ostium Ecclesiæ intuens unumquemque intrantium, quo animo ingrederetur. Ingredientibus omnibus clara facie, & unuscujusque Angelo gaudente cum eis, Unum vidit nigrum & obscurum toto corpore, & dæmones ex utraque parte eum trahentes ad se, Angelum verò ejus à longè sequentem & tristem. Paulus lachrymans & frequenter pectus tundens: cœpit deplorare eum: Interrogabant verò qui videbant Paulum plorantem, quid sibi vellent illæ lachrymæ tam subitæ, & quidnam vidisset, & rogabant ut ingrederetur ad Missam cum eis. Ille verò negat se ingressurum, & sedebat foris tacens & plorans. Post paululum dimisso Ecclesiæ conventu iterum Paulus attendebat singulos exeuntes, ut quorum introitum cognoverat, sciret quales exirent. Et vidit illum virum exeuntem ab Ecclesia splendidum vultu & corpore, Dæmones autem de longè sequentes, Angelum juxta ipsum gaudentem valde. Paulus autem exsiliens cum gaudio clamabat benedicens DEUM. *O ineffabilis misericordia Dei & bonitas!* Et ascendens super altum gradum magna voce dicebat. *Venite & videte opera Domini*, quomodò vult omnes homines salvare. *Venite & videte* quia potens & peccata remittere. Ad hanc vocem omnes sollicitè accurrerunt cupientes audire quæ dicebat. Referebat autem quæ viderat. Interrogat ergò illum virum, unde ei tanta subito à Deo mutatio? Ille convictus a Paulo, coram omnibus apertè narravit dicens: Homo peccator sum, & multo tempore in fornicatione vixi usque nunc. Ingrediens autem Ecclesiam Dei audivi vocem Isaiæ Prophetæ, cum legeretur, vel potius DEI Isa.1.16. loquentis in eo: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, discite benefacere. & si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Ego in hoc sermone compunctus sum nimis, & ingemiscens intra conscientiam dixi: *Tu qui venisti in hunc mundum peccatores salvos facere, qui etiam hac qua lecta sunt promisisti per Prophetam, comple effectu & opere in me peccatore indigno. Ecce enim amodo promitto tibi & spondeo sermone, & corde confiteor, quia jam non agam ultra illud malum: sed abrenuncio omni iniquitati & servio tibi amodo in conscientia munda. In hac ergo hora suscipe pœnitentem interpellantem te, & renunciantem omni peccato.* In his promissionibus egressus sum de Ecclesia, statuens in anima mea nihil ultra mali agere coram oculis Domini. Quod cùm audissent, omnes benedixerunt Dominum. Hæc ibi.

4. Abstinendo à peccato. Quartò oportet sanctificare diem Dominicum, illo die quantum in nobis est à peccato abstinendo. Hinc aliqui Theologi docuerunt, illo die peccantem mortaliter, duplex peccatum incurrere: & quamvis hoc plerique negent, tamen omnes conformiter dicunt, circumstantia hac diei sibi peccatum aggravari. Hinc colligitur quam gravitèr

erent

Baron. l. Monarch. Sicula.

arguereturquod nimiùm acriter pro Sicula Monarchia propugnaret, sic respondet: *Adversùs quoscunque tuendo jura Ecclesiæ & Ecclesiasticam libertatem vindicando, mihi pro minimo est, si stilo & verbis agam, paratus sum divino auxilio eandem defendere voce sanguinis mei sublimiùs ad Deum clamantis. Ego spopondi, cùm ad Cardinalitiam dignitatem coptatus sum, juramento solemni, pro juribus Ecclesiæ conservandis, certaturum me ad obitum usque. Memoria retineo, quod neque aliâ conditione vocatus sum ad pileum, nisi ut hujusmodi purpureis insignibus jurem sanguinem meum, pro Ecclesiastica libertate & juribus Ecclesiæ tuendis ad martyrium usq; esse oppignoratum.*

PROPOSITIO II.

Conditio secunda juramenti est, ut fiat cum justitia.

PEccatum itaq; est, si juramento aliquid promittatur, quod sit injustum aut illicitum. Et si promittam juramento, me aliquid facturum quod sit peccatum, mortaliter peccо. Sic illi qui Actorum 23. Act.23.12 juraverant se non gustaturos quicquam cibi, nisi Paulum è medio sustulissent, dupliciter peccabant, tum ob talem pessimam voluntatem, tum propter irreverentiam, quam divino numini faciebant, illius authoritate se firmantes in malo proposito, & ejus testimonium in re adeò prava invocando. Tale verò juramentum non obligat, sed si impleatur, novum peccatum mortale superadditur. Mat.14.9. Mat.6.26 Sic Herodes jurans puellæ saltatrici, & impleus juramentum suum, novo se crimine obstrinxit. Non enim poterat se obligare ad rem adeò illicitam & injustam, ad tollendum caput viro innocuo. Undè tenebatur ad illud, quod in decretis habetur: Jud.11.30 *In malis promissis rescinde fidem, & in turpi voto muta decretum.* Sic dum Jephthe juravit vel vovit, quicquid è domo sua obvium sibi primò fieret, se illud in sacrificium oblaturum: juramentum illud vel votum non debebat itelligi, nisi de illa re, quæ licitè in sacrificium offerretur, nec ad aliud extendebatur. Quid si enim vel canis, vel aliud animal lege prohibitum occurrisset? An debebat Jephthe illud sacrificare? An juramentum ad id obligasset? Minimè quidem. Nec ergò filiam sibi occurrentem sacrificare debebat. Quapropter à multis arguitur, tanquam imprudenter votum vel juramentum exequens in filia. Alii tamen intelligunt, Jephte sacrificasse filiam, non occidendo illam morte corporali, sed morte quadam civili; sicut in Religione moritur mundo persona quæ vovet, & ita filia Jephthe in sacrificium oblata censetur (juxtà Lyranum & aliquot recentiores) quia ab hominum commercio secluſa fuit, & ejus virginitas Deo oblata. Lyra.&c.

Itaque, quotiescunque quis per juramentum promisit aliquid se facturum, quod peccatum est, vel etiam quod majoris boni est impeditivum, ad similia juramenta non tenetur, v. g. Si juravetit se non ingressurum Religionem, si juraverit se tali homini non daturum eleemosynam. Sed etsi aliquid juramento firmatum est, quod tunc melius judicabatur, postea tamen contrarium melius esse deprehenditur, non obligat jutamentum. Sicut cum mater puero jurat se virgis eum cæsuram, & postea certo consilio & ratione melius judicat non cædere, non tenetur Huc spectat, quod cum juratsset David Nabal & domum ejus interficere, postea mutavit sententiam placatus sermone Abigail dicentis: *Non erit tibi in singultum, & in scrupulum cordis Domino meo, quod effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te ultus fueris.* 1.Reg. 25. 31.

Hactenus dicta rectè confirmantur apud Sophronium Prati spir. c. 216. ubi sic dicit: Cum essem semel in civitate sancta, venit ad me vir quidam fidelis, & dixit mihi: Quædam indignatio obortа est inter me & fratrem meum, alloquere illum. Ego lubenter in me id suscipiens, allocutus sum illum de his, quæ ad concordiam spectabant. Visus est interim obtemperare mihi, sed postmodùm dixit: Reconciliari nequeo, quia juravi per crucem ultrà illi non reconciliari. Quo audito subridens dixi: Juramentum tuum talem habet vim, ac si dixisses: Per preciosam crucem tuam Christe, non observabo mandata tua, sed inimici tui diaboli voluntatem faciam. Non solum enim non debemus servare, quæ à nobis pessimè definita sunt, sed etiam pœnitentiam agere de his, quæ contra nostram salutem malè definimus. Nam si Herodes pœnitentiam egisset, nec juramentum servasset stultè emissum, nunquam illud scelus admisisset, ut Præcursorem decollaret. Quod & confirmatur ex Evangelio: quandò voluit Dominus lavare pedes Petro, cùm ille primò pertinaciter obstiteret, postea sententiam mutavit. Ita apud Sophronium. Sophr. in Prat. spir. c. 26.

PROPOSITIO III.

Tertia conditio juramenti est, ut fiat cum judicio.

NOn est satis, quod fiat cum veritate, sed etiam necessarium est, ut sit cum circumspectione, & adsit aliqua necessitas, vel justa utilitas, tam tremendum nomen invocandi in testimonium. Sanctum utique est nomen Dei; nam à Spiritu Sancto edocta Virgo Maria in suo Cantico voce sonora depromit: *Et sanctum nomen ejus.* Et ipse Christus nos quotidiè orare docuit: *Sanctificetur nomen tuum*, hoc est, ab omnibus sanctum habeatur, & ut tale prædicetur & colatur. Interim a plerisq; Christianis per juramenta prophanatur, pollutis labiis assumitur, imò velut lutum proculcari censetur; ita vix aliud audias, quam Dei nomen à prophano ore usurpari, inter pocula, inter aleas, inter contentiones & rixas. Clamant Seraphim, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus*, & id continuò, ut continuâ nominis Dei glorificatione cœlum & terra impleatur, & ad eandem acclamationem & venerationem nominis divini, homines excitentur.

Inte-

Digitized by Google

Interim plerique profani homines adjuvant potiùs voces dæmonum & damnatorum continuò Deum blaſphemantium: quia ipſi ſine cauſa pollutis juramentis ejus nomen uſurpant, & voce ſacrilegâ impetunt.

Mos ad ſingulas periodos jurandi perniciosus.

Sed hoc tantùm abeſt ut reprobum judicetur, quinimò generoſum etiam à pleriſque exiſtimatur. Nobilium uſu ad ſingulas periodos jurandum eſt; nomen Dei aſſumendum eſt, jam auliciſmus eſt & ornatus eloquentiæ, idioma blaſphemum: non vitio tribuitur, ſed virtuti jurandi conſuetudo perniciosa. Virtus utique eſt & donum, non Spiritus ſancti, ſed Spiritus hujus ſæculi, & Principis hujus mundi immundi, qui gaudet ſic deturpari & conſputari nomen Dei. Gaudet in ore eorum qui generoſi ac nobiles haberi volunt, frequentius juramentum reperiri linguæ profanæ nomen Dei inhonorantis, quam in ore piorum laudem, aut nominis ejus ſanctificationem. O cæca nobilitas, quo te prava deduxit conſuetudo! Cum virtute & moribus præire debeas vulgo ignobili, jam a te paſſim vitia, juramenta, blaſphemiæ, in famulos & inferiores quoſque derivantur. Cum verò iſta reprehenduntur, jam ſufficiens ratio exiſtimatur ad excuſandas excuſationes in peccatis, ſi quis dixerit, Mos eſt militiæ, Mos aulæ, Mos in familia nobilium, Mos in ſequela Capitaneorum, ſic eloqui, ſic agere, ſic jurare, ſic blaſphemare, *C'eſt la mode.* Quod idem eſt, ac ſi dicerent, Mos eſt militiæ & aulæ, Deum inhonorare, pietatem proſcribere, vitio ſervire, ſalutem ſuam non curare, ad vitam æternam non aſpirare, æternitatis aleam jactare, periculo animam exponere, dum quodlibet licitè volunt agere ſine reprehenſione.

S. Chryſ. hom. 27. ad pop. Antioch.

Attendant ergò hæc, nominis Dei profani uſurpatores: quibus D. Chryſoſtomus rectè exprobrat, quod vix Dei meminerint niſi cum jurant: & nos quoque eis exprobramus adeò eſſe frequens in ore ipſorum juramentum, ut penè dixeris eſſe eorum Credo, eorum Ave, eorum Pater noſter; eorum aſpirationes pias, eorum jaculatorias orationes. Utique jaculatorias, ſed contra Deum. tot enim voces juratoriæ, tot ſunt jacula, tot ſagittæ, in cor Dei jaculatæ, tot lanceæ in Chriſti latus tranſimiſſæ. Aut ſi mavis, voces ſunt inferni, idioma tartari, ſpuma Cerberi, & lacus Stygii, & ut uno verbo dicam, ſatanica conſuetudo eſt. Attendant inquam illi *Falcem peractam* apud Prophetam, ſive *Volumen volans*, quod non continet niſi maledictionem in caput jurantium redundantem, ut diximus ſupra.

Zach. 1. 5.

Nec ſolum maledictio concernit illos, qui perituri ſunt,, ſed & eos qui ſine judicio, hoc eſt, ſine circumſpectione, diſcretione, reverentia, jurant leviſſima ex cauſa. *Cum tibi creditur*, inquit Auguſtinus, *juras, & cùm nemo exigit, juras, & horrentibus hominibus, juras.* Frequenter enim verum eſſe, experientia compertum eſt, quod Eccleſiaſticus dixit ad detestationem horum juramentorum, quæ tam levi ex cauſa fiunt: *Loquela multum juransborripilationem capiti ſtatuet, & irreverentia ipſius obturatio aurium:* quia nimirum ferè a piis auribus non poteſt talis jurandi ſacrilega conſuetudo. Et licet verum jurent, vix eis creditur, cum ita faciles ſunt ad jurandum. Unde dixit Solon. *Ne mercaris probitatem jurejurando certiorem habere, cujus enim dictum non habet ſine jurejurando pondus, ejus quoq; jusjurandum vile eſt*: Adde quod frequenter & facili de cauſa jurans, exponit ſe periculo quandòque falſum jurandi; illaqueat ſe verbis oris ſui, & periculoſus eſt laqueus iſte: quia non infrequenter contingit temerè & ex conſuetudine jurantem juramentum ſuum tranſgredi, & ſic laqueus eſt quo ſe ſtrangulat. Ideò gravibus verbis hic monet Eccleſiaſticus. *Juratione non aſſuefiat os tuum, multi enim casus in illa. Nominatio verò Dei non ſit aſſidua in ore tuo* (jurandi ſcil.) *& nominibus ſanctorum non admiſcearis, quoniam non eris immunis ab eis*, hoc eſt, frequenter & temerè eorum nomina uſurpando, non eris immunis à peccato. Declarat verò id ſimilitudine: *Sicut enim ſervus interrogatus aſſiduè, à livore non munitur; ſic omnis jurans & nominans, in toto à peccato non purgabitur.* Senſus eſt: Sicut ſervus interrogatus, id eſt, examinatus continuè, velut alii, interrogatus per torturam & verbera non erit immunis a livore: ita & ſæpius jurans nominandque Deum, non erit immunis a peccato. Poſtea addit: *Vir multum jurans replebitur iniquitate, & non diſcedet à domo illius plaga.* Vide quam multis ſententiis a jurandi conſuetudine conatur homines deterrere: tum quia irreverentia nomini Dei infertur: tum quia periculum perjurii incumbitur: tum quia pravam illam conſuetudinem frequenter etiam in hac vita vindicat & plectit Deus. Docebit id exemplum quod in vita S. Maxentii Abbatis refertur.

Eccl. 7. 15.

Solonis dictum

Eccl. 23. 9.

Ib. v. 11.

Eccl. 23. 12

Multi immundis vexati ſpiritibus, ad eum confluebant ſanitatis gratia: Quodam ergò die duo venerunt morbo Elephantico turpiter deformati (eſt quædam ſpecies lepræ) quibus vir ſanctus: Noſtis, inquit, ô fratres, qua de cauſa ira Dei in vos delæviat? Vos frequenter leviſſimis de cauſis ſacrum ejus nomen ſumitis, juratis ac pejeratis, ideòque juſto judicio hæc calamitas vos premit, ſed jam peccatum agnoſcite, & ad mentem redite, ut ſanitatem conſequamini. Hæc cum dixiſſet: omnes ad orationem hortatus eſt, & ipſe flexis genibus, lachrymis profuſis, tandem ſurgens, oleo ſancto a vertice ad pedes uſque eos inunxit, & ſanos demiſit.

Lippolo. 14. l. ob.

Quæres: An conſuetudo jurandi excuſet jurantem? Reſpondeo, ſi planè diſpliceat, ita ut omni diligentia quis conetur obſiſtere, & tamen illa citra conſenſum operetur; tunc qui ex conſuetudine jurat, per hoc excuſatur quod indeliberatè juret. Sed quandò non diſplicet conſuetudo, nec conamur reſcindere quantum in nobis eſt, non excuſat, ſed aggravat peccatum, quia & ipſa cenſetur voluntaria.

S. Aug.

Digitized by Google

Hinc Auguſt. *Major conſuetudo majorem intentionem flagitat. Si de manu aliquid faceret, facilius manui imperares ne faceret: ſi pedibus aliquò eundum eſſet, pigritiâ retardante te excitares ut ſurgeres & ires: Lingua facilitatem habet motus, in udo poſita eſt, facilè in lubrico labitur. Quantò illa facilius movetur, tantò tu adverſus illam fixior eſto. Domabis ſi vigilabis, vigilabis ſi timebis, timebis ſi te Chriſtianum eſſe cogitaveris.* Juravimus & nos, inquit idem, & habuimus iſtam conſuetudinem mortiferam: ſed ex quo Deo ſervire cœpimus, & quantum malum ſit vidimus, timuimus vehementer; & quia veternoſiſſimam conſuetudinem timore frænavimus, frænata teſtringitur, reſtricta langueſcit, langueſcens emoritur & malæ conſuetudini bona ſuccedit.

Auguſt. ſerm. 30. de verb. Apoſt.

Remedia pro juranda conſuetudine.

Sed quod remedium pro hac conſuetudine? Audi ex Nidero: Nobilis quidam ad ſingula penè verba jurabat, Conſcientia eum remordente, firmiter ſtatuit conſuetudini obſiſtere; linguæ tamen lubricæ vitio frequenter recidebat. Petit a Confeſſario pœnitentiam aptam ad eradicandum: Ille facilem injunxit, quæ vitium ex parte, ſed non radicitus amputavit. Ipſe id videns, fortiorem ſibi injungit: ut quoties in juramentum laberetur, tot diebus a carne abſtineret. Mandat autem famulis, ut vices notent, ne fortè non advertat. Et ita anno ferè dimidio carnes non guſtavit; ſed per divinam gratiam & hanc abſtinentiam vitium illud ſuperavit. Alius (inquit idem Niderus) impoſuit ſibi pœnitentiam, ut quoties juraret, toties guttam ſanguinis propriis manibus ſibi ſtylo ferreo eliceret; fecit & ſanatus eſt. Alius denique eadem die à vino abſtinebat, & ſic vitium compeſcuit. Tu ergò ſimiliter particularem tibi injunge pœnitentiam, quoties incidis, & fructum referes. Propone toties eleëmoſynam dare, toties aliquas orationes recitare, vel aliquid aliud, quod tibi pœnâ aliquam infligat adimple; hoc erit antidotum, aut cataplaſma malo tuo.

Nider. l. 4. Formicarii cap. 3.

LECTIO VII.

DE VARIIS PECCATIS CONTRA hoc Præceptum.

Quinam peccent contra hoc præceptum. 1. Falſum jurantes.

PRimò directè contra hoc præceptum peccant, qui aliquid falſi aſſerunt, juræjurando ſcientes vel dubitantes falſum eſſe. Et licet res non eſſet gravis momenti, cenſetur tamen à Theologis peccatum mortale, quia ſemper cenſetur gravis injuria reſpectu Dei, quodadducatur teſtis falſi quacumque ex cauſa.

Sic frequenter peccant, & graviter monendi ſunt famuli, filii, uxores, qui ne deprehendantur officio defuiſſe, aut ne à Patrefamilias durioribus verbis objurgentur, mendaciter cum juramento negant ſe hoc vel illud dixiſſe, aut feciſſe, aut vidiſſe &c. non exiſtimantes ſe gravi obnoxios crimini, quia id faciunt ad conſervationem pacis domeſticæ, ad evitationem iræ. Et quidem in his juramentis frequenter utuntur hâc formâ: *Eſt tam verum quàm Deus.* Quæ verba quandam in ſe continent blaſphemiam, quia cùm Deus ſit prima veritas, nihil poteſt ei in veritate comparari: & ſic in rigore loquendo, non poteſt magis dici aliquid tam verum quàm Deus, tam bonum quam Deus, aut tam ſapiens quam Deus. Ideò hic modus loquendi perverſus eſt, & ab ore Fidelium exterminandus, nec etiam in re veriſſima uſurpandus.

Peccant quoque mercatores graviter, dum contra veritatem jurant rem ſibi tanti vel tanti ſtetiſſe, granum vel vinum non eſſe mixtum, equum non eſſe vitioſum, rem venalem non eſſe antiquam &c. Nec excuſatio illa ſufficiens eſt, quia dicunt ſe aliâ ratione juſtum pretium ab emptoribus non poſſe obtinere, tum quia id ſæpè falſum eſt, tum quia nullâ ratione contra veritatem eſt juraudum, tum quia hâc ratione emptorem decipiunt, ab eo pretium ſummum obtinentes, quod alioqui dare noluiſſet. Imò frequenter hoc modo extorquent pretium ultra juſtum; & hinc eſt quod ratò talibus juramentis etiam temporaliter proficiant: quia ut advertit Chryſoſt. ſup. Matthæum. *Talium ſubſtantia aut ipſis viventibus eſt peritura, aut à malis haredibus diſſipanda, aut ad extraneos & inimicos hæreditas eſt ventura. Non enim poteſt ad bonum proficere, quod congregatum eſt de malo.* Hoc Dominus apud Zachariam indicat, dicens de volumine illo volante, in quo maledictio continebatur: *Educam illud, & veniet ad domum furis, & domum jurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio domus ejus, & conſumet eam, & ligna ejus, & lapides ejus*: quia ſcilicet maledictio Dei, domos fallaciter jurantium invadit, & cùm ex alienis congregârunt, illas diſperdit. Peccant & iidem frequenter juantes, ſe tali tempore ſolutionem certam facturos, cum moraliter prævideant, ſe id non poſſe; imò nec animum habeant faciendi, ſed potius creditorem eludendi, & de termino in terminum protrahendi. Hæc interim juramenta graviter conſcientiam lædentia parvi fiunt, quia communia.

S. Chryſ. in Matt.

Zach. 5. 4.

2. Veniales juramentis execratoriis in communibus colloquiis.

Secundò peccant, qui ex conſuetudine prava, ſine ulla neceſſitate, juramentis execratoriis utuntur in communibus colloquiis, v. g. ſi ei ſtatim non creditur, aſſertioni ſuæ adjiciunt: *damnem me auferat, ſortis in Deus me confundat, velim hoc ſit mihi venenum.* Hæc inter pocula, commeſſationes, ebrietates, frequentiſſima ſunt, & ab iis etiam uſurpantur, non diſcernendo perfectè, an verum ſit, quod aſſerunt, an non; & ſine conſcientia in luſu chartarum, alearum, & ſimilibus cupiditate lucri ad finiendas contentiones, ſine veritate dicuntur, ſed non ſine gravi Dei offenſa, & quandoque vindicta.

Refert Franciſcus Bencius ann. 1586. fuiſſe Vercellis in Italia, quendam juvenem mirè deditum ludo, & excæcatum amore alex. Quodam verò die ciem. veſperi

Bencius in ann. Sole-

1586. Bonif. l. 4. hist. Virg. c. 9.

vesperi inter colluſores orta est contentio : hic ut eam finiret, invadat (inquit) me malus dæmon, niſi ita ſit. Statimque tremuit cubiculum ; & tetra umbra oberrans circa' parietes 'apparuit ante oculos ludentium. Ille exanimis in terram cadit. Ubi verò ad ſe rediit, totus pavidus conſcientia urgente, veniam à Deo & ejus Matre poſtulat. Voto ſe obſtringit de itinere ſuſcipiendo ad Varallum montem, & ſacro ibi curando celebrari. Nihilominus oberrans effigies illa atra circa cubiculum, lucernam conatur extinguere, ſed ſocii toti territi crucem ligneam opponentes, quocunque ferebatur illi obſiſtunt. Interim hora erat ſolum una in nocte aut altera & durat hæc pugna uſque ad diluculum : erantque renovantes ipſi ſemper oleum, ne deficeret lumen, obſiſtentes ſemper per crucem huic terribili ſpectro : Statimque autem audito matutino ſigno Angelicæ Salutationis, diffugit hoc monſtrum, quaſi ad inimicum hunc ſonum coactum in ſuas tenebras recedere, conſternatos interim relinquens hos luſores. Unde illicò juvenis totus attonitus, nullam habens ſecuritatem, ad Collegium Societatis advolat, ut confeſſione expiet peccata, & votum ſuum executioni mandet.

Sic nempe res deploranda eſt inter Chriſtianos, quod aliqui ferè ad ſingula verba diabolum in ore habeant, alii peſtem vel mortem, aut ſimiles peſſimas execrationes aut imprecationes. Alii verò ad omnem impatientiæ occaſionem jurant per membra Chriſti, *per Caput*, *per Mortem*, *per Sanguinem*, vel per illa per quæ noſtram eſt operatus redemptionem. Magna ſiquidem Deo fit irreverentia, dum ſacra ejus Paſſio, Sanguis, Membra, Vulnera pretioſa, pro quibus inceſſanter vocem gratitudinis ei rependere deberemus, ita in vanum aſſumuntur, in mediis contentionibus & rixis, & frequenter quidem in re etiam illicita. Nam cholerici & impatientes iſti homines, jurant per mortem, per ſanguinem vel caput Dei, ſe talem vel talem vindictam de aliquo ſumpturos, & ſimilia illicita : & tunc abſque dubio eſt peccatum mortale graviſſimum, ab ore Chriſtiano penitus relegandum.

3. Blaſphemi in Deum vel Sanctos.

Tertiò peccant, qui blaſphemiam aliquam in Deum vel Sanctos effutiunt. Licet verò nomen blaſphemiæ vernaculo ſermone apud Gallos & Germanos, ac alias Nationes, confundatur cum juramento : Eſt tamen proprié blaſphemia, cum aliquid Deo vel Sanctis attribuitur quod eis non convenit, aut eis denegatur quod eis competit. Sic inter blaſphemos maximè numerandi ſunt hæretici, qui lingua venenata *ponunt in Cœlum os ſuum*, multa dicentes contra Deum, facientes eum authorem peccati, contra Virginem, eam æquantes cæteris mulieribus, contra Angelos & Sanctos eis denegantes honorem. Unde ſignificati ſunt. Apoc. 15. per illam beſtiam quam vidit Joannes, cui datum eſt os quod *aperuit in blaſphemias, blaſphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus, & qui habitant in Cœlo.* Quæ omnia vera ſunt de noſtris hæreticis, qui miris calumniis efficiunt Cœlites, & Tabernaculum Dei : per quod intelligere poſſumus vel Virginem, vel Eccleſiam ſanctam, vel etiam ſacroſanctam Euchariſtiam. Eſt autem blaſphemia graviſſimum peccatum frequentiſſimè à Deo punitum. Vide de Nicanore 2. Machab. 15. cujus lingua in partes deſciſſa, data fuit avibus Cœli, quia blaſphemaret. Sic & Herodes ob blaſphemiam à vermibus conſumptus expiravit : ſic & Antiochus inſanus & inviſibili plaga percuſſus 2. Machab. 9. Sennacherib quoque, Holofernes, & alii, ob blaſphemiam à Deo ſunt puniti, exemplum omnibus blaſphemantibus dati.

2. Mach. 15. 33. 2. Mach. 9. 9. Act. 12. 23

Blaſphemi in omni lege puniti ſunt.

In omni quoque lege graviter punitum eſt hoc vitium. Nam lege antiqua blaſphemus educebatur extra caſtra ; & qui audiverant blaſphemiam ; imponebant manum ſuper caput ejus, & cunctus populus eum lapidabat. In qua quidem cæremonia, teſtes ſuper caput blaſphemi manus imponunt, ſignificantes hoc caput eſſe impium, contra quod teſtimonium ferunt, ideòque mortis eſſe reum. Addit Lyranus eos dicere ſolitos : *Malitia tua te adduxit ad mortem, non nos* : quaſi dicerent : *Tuo capiti mortem imputa, non nobis.* Cunctus etiam populus lapidabat, quia cum hoc vitium enormitate ſua aſſiſtentes, & vicinos totumque populum videatur polluere, & vindictæ obnoxium reddere, hac lapidatione illud deteſtatur totus populus, & à ſe vindictam avertit.

Levit. 24. 14.

Lyran. in eum loc.

In lege quoque Eccleſiaſtica, blaſphemus ſeptem Dominicis ſtare jubetur pro foribus Eccleſiæ, dum aguntur miſſarum ſolemnia, & ultimo quidem die ſine pallio & calceamentis, ligatus corrigiam collo. Jubetur quoque ſeptem feriis ſextis dictarum Dominicarum jejunare in pane & aqua, nec intrare Eccleſiam, & in quolibet dictarum dierum, tres ſi poſſit, vel ſaltem unum pauperem reficere. Quod ſi nolit hanc pœnitentiam, interdicitur ei ingreſſus Eccleſiæ, & in morte privatur ſepultura. Ita habetur Capitulo *Statuimus.* de maledicis.

C. Statuimus de maledicis. Antonin. 3. p. chron tit. 1. c. 9. n. 9.

In lege quoque civili, B. Ludovicus Rex Franciæ edictum tulerat contra blaſphemantes nomen Dei aut Virginis, decernens eis pœnam igniti cauterii in fronte. Cum verò nobilis quidam hoc crimen incurriſſet, multique apud Regem intercederent, ut ejus nobilitati parceretur, & alia pœna afficeretur : reſpondit Rex : *Ego paratus eſſem, & pro gratia reputarem, ſi tale ſignum fronti meæ imprimeretur ; dummodò tale ſcelus è Regno meo extirparetur.* Ita Paulus Æmilius lib. 7. Hiſt. Franc.

Refert quoque Nicolaus Boerius. Roberto Francorum Regi aliquando in Civitate Aurelianenſi pro pace Regni oranti, Chriſtum apparuiſſe, & reſpondiſſe pacem in Regno eum non habiturum, donec blaſphemiam & crimina notoria eliminaſſet. Nec mirum leges omnes civiles, canonicas, & divinas, tam ſeverè in blaſphemos animadvertere, cum dicat Auguſt. *Non minus peccant, qui blaſphemant*

Nicolaus Boerius deciſ. 301.

S. Aug. in illud Matt. 26. v. 63. *Blaſphemavit.*

mant Chriſtum regnantem in Cœlis, quàm qui crucifixerunt ambulantem in terris.

His interim non obſtantibus, adhuc videmus blaſphemias communes eſſe, inter aliquos qui ſe dicunt Chriſtianos, inter milites, inter vitioſos homines in ludis, in tabernaculis: talis vox blaſphema eſt, cum Galli dicunt: *Je renie Dieu*: *Maugre Dieu*: *Au deſpit de Dieu.* Et ſimiles multæ voces execrabiles, quas unaquæque natio habet diverſas juxta mores perverſos, ſatanica conſuetudine potius quam Chriſtiana, variis in Provinciis invaleſcentes. Dico ſatanica conſuetudine, quia hoc vitium blaſphemiæ proprium eſt ſatanæ & damnatorum, de quibus dicitur in Apocalypſi: *Æſtuaverunt æſtu magno, & blaſphemaverunt nomen Dei habentis poteſtatem ſuper plagas.* In inferno enim damnati licet demeritis ſuis puniantur, continuo tamen blaſphemant eum qui plagas infert.

Apoc. 16. 9.

4. *Exigentes juramentum ab eo quẽ ſciunt falſo juraturum.*

Quartò peccant, qui exigunt, vel impellunt ad juramentum illum, quem ſciunt falſum juraturum. De hac re ſic loquitur D. Auguſtin. *Multum intereſt ſi neſciat ille qui exigit jurationem, illum falſum juramentum, an ſciat. Si enim neſcit ideòque dicit: Jura mihi: non audeo dicere non eſſe peccatum, humana tamen tentatio eſt. Si autem ſciat eum feciſſe, & novit feciſſe & cogit, homicida eſt. Ille enim ſuo perjurio ſe peremit, ſed iſte manum interficientis expreſſit.* Ata Auguſt. Eodem modo loquitur Serm. 11. de Sanctis, & allegatur cauſa 22. quæſt. 5. ubi ſic habet: *Ille qui hominem provocat ad jurationem & ſcit eum falſum juraturum, vincit homicidam: quia homicida corpus occiturus eſt, ille animam & ejus quem jurare provocavit, & ſuam: Scis verum eſſe quod dicis, & falſum quod ille dicit, & jurare compellis. Ecce jurat, ecce pejerat, tu quid invenisti, imò & periſti, qui de ejus morte ſatiari voluiſti.* Affert quoque D. Auguſt. ib. hujuſce rei exemplum. Fuit, inquit, in hac Eccleſia homo quidam ſimplex & bene fidelis, à multis cognitus, nomine Tutuslimenus; quidam negavit ei quod debebat. Commotus ipſe provocavit eum ad juſjurandum. Juravit ille, iſte perdidit, ſed illo perdente, iſte penitus periit. Interim ipſa nocte exhibitus fuit apud judicem, & interrogatus. Quare provocaſti hominem ad juramentum, quem ſciebas falſum juraturum? Reſpondit ille. negavit mihi rem meam. Dictum eſt ei: *Et nonne melius erat ut perderes rem tuam, quàm animam hominis falſa juratione perimeres?* Proſtratus, juſſus eſt cædi, cæſus eſt graviter, ita ut in dorſo evigilantis veſtigia plagarum apparerent. Sed poſtea dictum eſt ei, parcitur tibi, de cætero cave. Fecit ille magnum peccatum (inquit Auguſtinus) & emendatus eſt, ſed multo gravius faciet, qui poſt iſtam meam admonitionem & ſermonem tale quid fecerit.

D. Aug. ep. 154. Idem ſer. 12. de SS. & citatur cauſa. 23. q. 5.

Sed excuſant ſe multi, & dicunt, ergo neminem licebit cogere ad ſolvendum, cùm non alia reſtat via, quàm per juramentum? Reſpondetur. Si advertis ipſum paratum ad jurandum falſum, quid te juvabit ejus juramentum, quandoquidem per illud ſeſe eximat à ſolutione? Tunc ergo urget ratio ſalutis proximi, ut ei juſjurandum non deferas: quia, quantum in te eſt, teneris tantam Dei injuriam, & proximi peccatum vitare & impedire. Dices iterum: Id libens facerem, ſed conjicient homines ex eo me injuſtæ cauſæ defenſorem, ſi nolim cauſam juramento decidere. Reſpondeo: non ita judicaturos prudentes homines, quin potius laudabunt in te timorem pium, quem habes ne Deus offendatur. Quod ſi depravati aliqui homines id judicent, conſcientiam tuam committe Deo, nec hominum requite judicium, ipſe tibi abundantem reddet cumulum meritorum, ob charitatem illam qua in fratre vis vitare peccatum, & potius rem tuam exponere periculo perdendi, quàm animam ejus damnationi.

Judex tamen quandoque ob officium ſuum, debet hoc ordini juſtitiæ ut deferat juramentum, cùm non ſupperit alia via qua plenè officio ſuo poſſit ſatisfacere. Unde, licet ſciat aliquem falſum juraturum, utitur jure ſuo, nec cenſetur conſentire. Sunt & alii caſus quibus licite defertur juramentum illi quem putas pejeraturum, quos videre potes apud Leſſium, & alios Theologos.

Leſſius l. cap. 41. dub. 10.

5. *Vota Deo & Sanctis nuncupata non implentes. Votum quid?*

Quinto peccant contra hoc præceptum, qui vota Deo & Sanctis nuncupata non implent. Eſt enim votum promiſſio in honorem Dei facta firmiter obligans hominem: & ita nomen Dei in vanum aſſumit, qui non implet, & peccato mortali ſe obſtringit. Aliud eſt, ſi quis tantum propoſitum fecerit, quia propoſitum ad peccatum mortale non obſtringit, nec eſt obligatio abſoluta. Unde ſi mutatione voluntatis diſſolvatur, inſtabilitas eſt, non tamen gravis culpa. Differentia verò inter votum & propoſitum, quadantenus demonſtrari poteſt ſimilitudine glaciei & cryſtalli: Propoſitum eſt quaſi quædam glacies, quæ calore accedente facile in labilem aquam reſolvitur. Sic quotidie accedente tentationis calore, diffluunt bona noſtra propoſita. At votum eſt inſtar cryſtalli ſoliditatem retinentis etiam calore invaleſcente, quia obligatio voventis voluntatem debet firmare, ut non poſſit diffluere.

Quapropter arguendi ſunt hic multi qui variis ſe votis onerant, & ea vel non ſolvunt, vel per longa tempora differunt. Sic invenies multas mulierculas varias peregrinationes voventes, nec adimplentes. Cum enim morbus aliquis illis incidit, vel pueris eorum, ſtatim conjiciunt eſſe morbum hujus & illius Sancti, ut vocant; & juxta varias conjecturas diverſis Sanctis vovent peregrinationes: ſed per plures annos illas differunt, nec conantur adimplere, ideòque diſſuadenda ſunt hæc vetularum vel mulierculorum tam facilè emiſſa vota, quæ ut plurimùm vix adimplere poſſunt, quia eis res anguſta domi, vel adimplere negligunt, cùm jam morbus vel aliud infortunium, ratione cujus vovebant, pertranſiit & voto ſanitatis potiti ſunt.

Nempè

by Google

Nempe similes sunt his qui ad fontem pergentes, postquam urnam impleverint, nullam postea fontis rationem habent, sed ei terga vertunt. Sic ingrati homines postquam potiti sunt desiderio, divinæ largitatis fonti terga vertunt, dum promissionis sunt immemores : multa promittunt ferventi animo dum divino egent beneficio, postea nihil sequitur effectus. Unde iterum rectè tales comparantur à Salomone, nubi pluviam promittenti, sed postea evanescenti : *Nubes & pluvia non sequentes vir promissa non complens.* Prov. 25. 14. Displicet ergo Deo stulta & infidelis promissio. Unde Deut. 23. dicitur, *Quod semel egressum est de labiis tuis observabis, & facies sicut promisisti Domino Deo tuo.* Deut. 23. 23. Et apud Ecclesiasticum, *Melius est non vovere, quàm post votum promissa non reddere.* Eccl. 5. 4. Est quoque alia hac de re notabilis sententia apud Sap. Prov. 20. *Ruina est homini devorare Sanctos, & post vota retractare*, q.d. Laqueus est vovere, & postea pœnitere. Verum alia Lectio habet, quæ verior apud Interpretes judicatur : *Ruina est hominini devorare Sanctos, & post vota retractare.* Prov. 20. 25. Quod aliqui interpretantur, ut sit idem quod persequi Sanctos; & sic erit sensus, quod utrumque sit ruina homini, & persequi Sanctos, & vota eis facta retractare.

Cæterum, circa vota in honorem Sanctorum facta monendi sunt vulgares homines & mulieres, de variis circumstantiis quæ superstitionem sapiunt, quas ipsi putant necessarias ad voti sui adimpletionem, vel ad sanitatem impetrandam. Sic existimo esse superstitionem, ut voveant ad publicam viam procedere, ibi ovum vertere, vel partem argenteam plicare, vel aliam oblationem ibi exponere, & credere aliter non esse ritè peractum votum. Similiter diminuere candelas quas accendunt de die in diem, durante Novenna, diminuere etiam orationes pro ratione dierum, primò novem, deinde octo &c. & multa similia, quæ vana & anilis observatio introduxit, quibus potius irritatur Deus, quàm colatur.

Quæres, an implendum sit votum statim ac nuncupatum est, aut quo tempore ? Respondeo : quando aliquis vovit sine conditione vel temporis præfixione, tenetur illud statim exequi cùm potest, nisi vovendo aliud in mente habuerit. Unde Deut. 23. dicitur. *Cùm votum voveris Domino, non tardabis reddere, quia requiret Dominus Deus tuus illud, & si moratus fueris, tibi reputabitur in peccatum.* Deut. 23. 21. Hoc etiam antiqui voluerunt significare, dum dixerunt non rectè satisfacere promissis & voto naufragii, qui non suspendit vestes, quas è naufragio tulit, templo Neptuni, antequam illas exsiccet. Voluerunt enim docere promptitudinem quam debemus habere, ut Deo vota solvamus, cujus favore è calamitate eruti sumus.

Justè ergò conqueritur Lactantius (de quo & nos jam conquesti sumus) quòd homines si presserit gravis necessitas, Dei recordentur, postea autem oblivisc antur. *Si belli tremor insremuerit* (inquit ipse) *si morborum pestifera vis incubuit, si alimenta frugibus longa siccitas denegavit, si tempestas, si grando ingruat, ad Deum confugitur, à Deo petitur auxilium. Si quis in mari vento sæviente jactatur, hunc invocat. Si ad extremam mendicandi necessitatem deductus, victum precibus exposcit, Deum solum obtestatur, per ejus unicum & divinum nomen hominum sibi misericordiam quærit. Nunquam igitur Dei meminerunt, nisi dum in malis sunt. Postquam metus defecit, & pericula recesserunt, Deo quem antè in necessitate imploraverant, ne quidem gratias agunt.* Hæc ille. Lactant. lib. 2.

Exemplum audi ex Petro Damiani. In maris tempestate deprehensus quidam, futurum se Monachũ affectuosa sponsione devovit, sed naufragio erutus votum solvere hujus vitæ amore contemsit. Expleto anno, ipso die quo votum Domino suæ conversionis obtulerat, Kalend. Januarii dum hinc inde discurrens cum aliis juvenibus luderet, & choros duceret cum scurribilibus cantilenis, subitò lapis super eum de tecto cecidit, & obtrivit : sic infœlix ille qui mundum deserere noluit ultroneus, amisit invitus, & fallacem carnis dulcedinem perdidit, quia amando carnem, mentitus est veritati. Ex Petro Damian. Speculum Exempl. v. Votum an.

LECTIO VIII.

DE TERTIO PRÆCEPTO.

MEMENTO VT DIEM SABBATI sanctifices.

1. *Decet Sabbati observationem esse ab initio mundi.*
2. *Renovatam fuisse tempore Moysis.*
3. *Sabbatum recte mutatum esse in Dominicam.*

PROPOSITIO I.

Sabbati observatio & sanctificatio, non solum est à tempore Moysis, sed est ab origine mundi.

DEclarari id potest ex Gen. c. 1. ubi dicitur : *Benedixit diei septimo & sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo.* Gen. 2. Sensus est : diem illum septimum quo requievit, effecit sibi sacrum & festum, voluitq; specialiter coli ab Adàmo & ejus posteris sacro otio & cultu Dei, & maximè recolendo beneficium creationis suæ, totiusque mundi illo die completæ. Hoc enim significatur illis verbis : *Quia in ipso cessaverat ab omni opere suo*, Divinum ergo Sabbatum tunc fuit, quando requievit ab operibus suis, nõ quasi otiosus postea fuerit, cum dicat : *Pater meus usq; modo operatur, & ego operor.* Joan. 5. 17. Sed quia nullas ex tunc novas species produxit. Continuò tamen operatur gubernans, conservãs, influens in suas creaturas, & nova individua producens, novas animas creans & corporibus infundens. Illum itaq; diem quietis suæ, voluit ex tunc homines imitari & colere quiescendo ab operibus, & beneficium creationis rememorando.

Digitized by Google

Præceptumque illud, ſi diem præciſè ſpectes, non fuit naturale, ſed poſitivum & particulare, Dico, ſi diem præciſè ſeptimum ſpectes, legem ſolam naturæ illum non præcipere; eſt tamen cujusdam legis naturæ, quod aliquis dies ſpeciali Dei cultui dicetur. Nam & ipſi pagani ſuis Diis aliquos dies ſpecialiter decernendos judicarunt, & ſic lex naturæ dictat, veri Dei cultui etiam aliquem eſſe conſecrandum. Sed quod ſeptimus dies ſpecialiter coli debeat, rationabiliter determinavit lex divina, ob cauſam prædictam.

Exod. 20. 8. Sed dices: Scriptura non meminit Sabbati obſervati, niſi poſtquam populus egreſſus ex Ægypto per Moyſen accepit præceptum: *Memento ut diem Sabbati ſanctifices &c.* Reſpondeo: Tempore idololatriæ, & in Ægyptiaca ſervitute, illud præceptum quod primitus fuerat datum, obliteratum planè fuiſſe, & oblivioni traditum: ſed tunc à Domino fuiſſe reſtitutum, & in memoriam revocatum, ac ſpecialiori præcepto ſanctum. Unde dicitur: *Memento ut diem Sabbati ſanctifices*, q.d. Diem illum quem à primæva ætate mihi ſanctificavi & coli volui, tua ingratitudine, ob incuriam, eorumque injuriam, video quadam oblivione ſepultum: nunc autem tibi in memoriam revoco, & ſpeciali lege ſancio, ut inviolabiliter obſerves, nec unquam oblivioni tradas, ſicut nec beneficium creationis quod eo die complevi. Addo ad dictorum confirmationem etiam ante hanc legem Decalogi, renovatum fuiſſe memoriam cultus & obſervationis Sabbati Exod. 16. dum prudie Sabbati jubentur duplicem mannæ menſuram colligere, & dicitur eis: *Requies Sabbati ſanctificata eſt Domino cras.* q.d. Cras eſt Sabbatum ſanctum & cultui Dei dicatum, ergò ab omni opere quieſcendum ac Deo vacandum eſt, ideoque volui vos die ſexto colligere manna in duplum. His verbis Sabbati primitus inſtituti refricatur eis memoria, & ejus obſervatio renovatur, cum tamen lex Moyſis necdum foret data: ergò non à Moyſe obſervatio Sabbati, ſed à Deo jam à mundi exordio ſumpſit originem.

Exod. 16. 25.

S. Aug. Lib. 4. de Gen. c. 12. *Cur dies Septimus à Deo ſanctificatus ſit. Symbola dies ſeptimus.*

Addit D. Auguſtinus, diem illum ſeptimum à Deo ſanctificatum ob quietem Dei ab operibus ſuis fuiſſe figuram quietis Chriſti in ſepulchro die Sabbati, poſtquam opus redemptionis noſtræ die ſexto per Paſſionem & Mortem conſummaſſet.

Significari ſecundò poteſt ſymbolicè ſeptima ætas mundi, in qua debebat fieri redemptio, & compleri hominis recreatio, ut ei daretur quies à peccatis & operibus pravis. Septem enim ætates mundi à quibuſdam rectè ita recenſentur, ut prima ſit ab Adam uſque ad diluvium: Secunda à diluvio uſque ad Abraham: Tertia ab Abraham uſque ad Moyſen: Quarta à Moyſe uſque ad David. Quinta à Davide uſque ad captivitatem Babylonicam: Sexta ab illa captivitate uſque ad Chriſtum. Septima à Chriſto uſque ad finem mundi. Per ſex ergo ætates homo laborat velut in ergaſtulo ob peccato, & ſub elementis & rebus egenis mundi ſerviens, nec poterat pervenire ad requiem, ſive ſecundùm carnem, ſive ſecundum ſpiritum: in ſeptima ætate, quaſi in ſeptimo die, venit Chriſtus redemptionem afferens & quietem. Sabbatumque ſpirituale in quo a peccatis ceſſare debemus, & divinis beneficiis rememorandis vacare. Tertio, ſecundùm anagogicum ſenſum dicit D. Paulus per illud Sabbatum, in quo quievit Deus ab operibus, ſignificatum fuiſſe Sabbatum æternum, & quietem in Cœlis perennem: Ubi Filii Dei requieſcent à laboribus ſuis, quia *opera illorum ſequuntur illos*, ut voce cœlesti indicatum fuit D. Joanni in Apocalypſi 14. *Revera ibi eſt verum Sabbatum, ibi vera requies* (inquit D. Chryſoſtomus) *ubi fugit dolor, triſtitia, gemitus: ubi neque ſollicitudines, neque labores, neque agones. Non eſt illic, in ſudore vultus tui comedes panem tuum. Non eſt illic, in triſtitiis generabis filios, ſed omnia pax, gaudium, jucunditas: voluptas, bonitas, manſuetudo. Non eſt illic invidia, neque zelus, neque morbus, neque mors, nec ibi tenebræ, neque nox, ſemper dies claritas, non eſt fatigari, non faſtidium accipere.* Hoc eſt illud Sabbatum quod vocat Iſaias: *Sabbatum Domini ſanctum & delicatum*, quia Sancti non ſolum ibi requieſcunt, ſed & æternum deliciantur & jubilant, celebrantes perennem lætitiæ ſolemnitatem in ſacrificio laudis, in voce exultationis, in ſono epulantis.

Apoc. 14. 13.

Chryſ. hom. in ep. ad Heb.

Iſa. 58. 13.

De hoc ergò Sabbato, tanquam typicè deſignato in primo illo inſtituto à mundi exordio, dicit Apoſtolus: *Itaque relinquitur ſabbatiſmus populo Dei. Qui enim ingreſſus eſt in requiem ejus* (ſcilicet Dei) *etiam ipſe requievit ab operibus ſuis* (id eſt à laboribus hujus vitæ) *ſicut à ſuis Deus.* Poſtea omnes Fideles convocans & invitans quaſi voce & tuba quadam cœleſti ad illud Sabbatum perenne, forti clamore inſonat. *Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem.* Quaſi dicat: Quandoquidem nobis promiſſa eſt illa requies, & ſpe quodammodo illam tenemus, & ad illam re apprehendendam tendimus, excutiamus omnem ignaviam, & ambulantes ad illam in hujus vitæ peregrinatione non ſiſtamus gradum, non laſſemur, non deſpondeamus animum ob labores & difficultates occurrentes; ſed forti & conſtanti animo pergamus, imò curramus feſtinantes: Quare feſtinandum? Quia via eſt longa, vita brevis, tempus incertum, vocatio Dei urget, & in mora eſt periculum. Vide D. Thomam in illum locum. *Curſu opus eſt* (inquit D. Chryſoſtomus) *& vehementi curſu: qui currit non ad prata adjacentia, non ad amicos, non ad ſpectatores, non ad palmam attendat, non conſiſtit, meta vicimus, non languet, ſed curſum intendit. Sic quo ſeniores & Cœlo viciniores ſumus, eo magis & concitatius currere debemus.*

Heb. 4. 9.

D. Tho. & Chryſoſt. hom. 7. ep. ad Heb.

PRO-

PROPOSITIO II.

In lege Moysis non solum renovatio Sabbati fuit, sed & strictior observatio à Deo precepta.

Exod. 31. 13. *1. Ejus violatio erat pœna mortis.*

DEclaratur primò, quia ejus violati pœna fuit mors; sic enim dicitur, Exod. 31. *Videte, ut sabbatum meum custodiatis, quia signum est inter me & vos in generationibus vestris, ut sciatis quia ego Dominus qui sanctifico vos. Qui polluerit illud, moriatur.* q.d. Quia Sabbatum signum est quod vos mihi sitis populus, & ego vobis sim Deus, ideoque in mei honorem & obedientiam colitis diem septimum, agnoscentes me omnium Creatorem: volo, ut sit vobis illo die publicus & solemnis cultus, & sub pœna mortis violatori infligenda volo illum sanctificetis, quia & per illum etiam vos mihi volo sanctificare.

Exod. 31. 14. *Qui ergo fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi sui*, hoc est, vita ejus tolletur de medio, si res constet; quod si id non constet, non ideò immunis erit, sed Deo vindicante plectetur. Vide Jerem. c. 17.

Jerem. 17. Num. 15. 32. v. 35. Unde *cum essent filii Israel in solitudine, & invenissent hominem colligentem ligna in die sabbati, obtulerunt eum Moysi & Aaron & universæ multitudini. Quirecluserunt eum in carcerem, nescientes quid super eo decernendum foret*: ignorabant enim, an pro tantillo opere morte aliquem plecti vellet Deus, & si id vellet, ignorabant quo genere mortis. Dixit ergo Dominus ad Moysen: *Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra Castra.*

v. 35.

2. *Plurima eo die prohibebantur.*

Declaratur secundò: quia observatio Sabbati adeò stricta fuit, ut non liceret vel cibum coquere. Omnes enim cibos in die Sabbati coctos, contaminatos habebant, non minus quàm si idolis fuissent sacrificati. Ideò habebant diem præcedentem, vocatum *Parasceves*, hoc est, diem præparationis, in quo omnes cibos debebant præparare.

Exod. 16. 22. Dominus quoque ut ostenderet eis quomodò vellet Sabbatum stricto rigore observari, non pluebat illis manna illo die, ne colligendo occuparentur: & cum alus præcedentibus diebus non possent ultra mensuram unam colligere, quin putresceret, in die tamen Parasceves duplicem colligebant, & qui non collegerat, non comedebat in Sabbato. Ubi significatum dicit Origenes, quod qui in hac vita (quæ nobis destinata est quasi dies præparationis ad provisionem bonorum operum quasi dies sextus ad colligendum manna) nihil collegerit, in sabbato illo æternitatis, æterna fame pereat necesse est. In sabbato quoque non licebat ignem accendere. Nam Exod. 35. 3. expressè dicitur: *Non succendetis ignem in omnibus habitaculis vestris per diem sabbati.* Consentque Rabbini nulla de causa id licuisse, etiam frigoris ad se calefaciendum. Addit Philo illo die non fuisse licitum ignem accendere, quia ignis est materia circa quam versantur plures artifices, v.g. Fabri diversorum metallorum, ideoque prohibebatur, ne occasio daretur aliquibus transgressionis. Multi tamen Doctores putant solum fuisse prohibitum succendere ignem ad coquendum, non ad calefaciendum. Denique in sabbato non licebat quicquam vendere vel emere, vel onus aliquod portare, de quo vide sutè l. 2. Esdræ c. ult. Nec licebat extra domum iter facere ultra mille (vel ut alii) bis mille passus. Unde Exod. 16. dicitur: *Manent unusquisque apud semetipsum, nullus egrediatur de loco suo die septimo.*

Philo. l. 2. & 3. de vita Moysis.

Exod. 16. 19.

Superstitiosi erant Judæi in suo sabbato observando.

Advertè tamen, quod vanis aliquibus observationibus, & non secundùm legem, colebant suum Sabbatum. Unde putabant non licere curare ægros: de quo Christus eos arguit & convincit, exemplo asini aut bovis cadentis in foveam. Quin & Machabæi initio existimabant sibi non licere pugnare in Sabbato etiam se defendendo, sed postea aliter strage suorum edocti sunt, v. 1. Mach. 2. Putabant quoque sabbata sua contaminari, per fœtorem corporum corruptorum, si suspensa manerent sabbato, Joan. 19. Etiam modò Judæi aliqui valdè superstitiosè Sabbatum suum colunt. Unde notum est illud de quodam Judæo in Anglia, qui in foveam sive cloacam sordidam sabbato cadens, nolensque extrahi, à Christiano Judice coactus est etiam dominico die in eadem manere. Cùm enim ille diceret:

Sabbata nostra colo, de stercore surgere nolo.

Responsum eidem à Judice referunt Annales Angliæ:

Sabbata sancta quidem Salomon celebrabis ibidem.

Hinc adhuc & aliqui Rabbini dicunt non licere ignem è lapide vel metallo excutere die Sabbati, nec lampadem accendere nisi ob infirmum, & multa similia vana.

Sabbatum etiam dicitur de Anno 7. sabbatum terræ.

Cæterum, præter hoc sabbatum, & præter alia festa quibus etiam sabbati nomen communicatum fuit, erat & aliud *Sabbatum terræ*, de quo Levit. 25. *Sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam, collegesque fructus ejus, septimo autem anno sabbatum erit terræ, agrum non seres, & vineam non putabis.* Itaque ille annus septimus erat Sabbatum terræ, sive quies terræ (uti dies septima erat sabbatum, hoc est, quies hominum) quia debebat quiescere terra ab omni cultura, sicque quies dabatur agris & vineis. Hoc terræ sabbatum instituit (inquit D. Augustinus) ut ipsa vacatio terræ esset velut merces habitationis, & quasi pretium redemptionis ab illo cujus est, id est, ab ejus Creatore Deo; ut scilicet Hebræi pro terra sibi data illi hoc sabbatum quasi cultum & homagium quoddam rependerent: sicut feudatarii Domino feudi & homagium & jura aliqua persolvunt. Habebat ergò hoc sabbatum, sive annus septimus, qui vocabatur sabbaticus, aliquot privilegia. Primum erat, quod eo anno quicquid terra, vineæ, agri, sponte producebant, erat commune pauperibus, imò & animalibus. Et sic poterant viduæ, pupilli, pauperes, peregrini, colligere quicquid olerum, herbarum, aut

Aug. 85. in Levit.

Anni sabbatici seu VII. quædam privilegia.

Levit. 25.

Digitized by Google

granorum ex deciduis præcedentis anni exoriebatur, quicquid vinea per se produxerat. Secundum erat, quod illo anno septimo fiebat remissio omnium debitorum, si is qui debebat, genere Judæus erat, non verò si peregrinus & gentilis, ut dicitur Deut. 15. Tertium erat, quod anno septimo omnes servi Hebræi assequebantur libertatem, si volebant. Quod si diligentes Dominum & domum ejus non desiderabant egredi, perforabatur eis auris applicata ad postem domus, & manebant servi in perpetuum, v. Exod. 21. Illo quoque anno septimo legebatur Deuteronomium coram toto populo, Deut. 31. 11.

Deut. 15. 1

Exod. 21. 6.

Sabbatum magnum est Annus 50. vel Jubilæus.

Denique apud Hebræos erat aliud magnum sabbatum, quod celebratur post annos septies septem quolibet scilicet Anno 50. & vocabatur Jubilæum. De quo diximus, cùm de Indulgentiis diximus.

PROPOSITIO III.

Convenienter Sabbati dies in Dominicum ab Ecclesia est commutatus.

QUæcumque in antiquo testamento cæremonialia fuerunt, figuram gerebant eorum quæ in novo, & ideò veritate veniente, tamquam umbratica & typica cessarunt. Sic eorum Sacramenta, sacrificia, oblationes, typi erant Sacramentorum & sacrificii nostri. Sic circumcisioni, quæ erat signum fœderis, successit Baptismus vera Circumcisio spiritualis & signum fœderis inter nos & Deum. Immolationi & manducationi Agni successit immolatio & manducatio Corporis & Sanguinis Christi veri Agni. Sacerdotio Levitico & Aaronico, successit Sacerdotium novum secundum Ordinem Melchisedech, à Christo institutum. Et loco omnium Sacrificiorum veterum, sancitum est unicum Eucharistiæ Sacrificium. Sic ergò Sabbato Judaico & legali, successit Sabbatum Christianorum, hoc est, Dominicus dies.

Cæremonialia tanquam typi, ea in novo testamento cessarunt.

Sed quæres: quomodo ergò manfit illud præceptum: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices?* Respondeo, illud præceptum partim fuisse cæremoniale, partim morale. Quod enim septimum diem colerent Hebræi, cæremoniale fuit; & rationabiliter eis determinarum: tum quia Deus eodem die requieverat ab opere creationis: tum ut memoriam celebrarent liberationis ab Ægyptiaca servitute, sicut dicitur Deut. 5. 15. *Memento quod servieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, idcirco præcepit tibi ut observares diem Sabbati.* Quatenus verò hoc præceptum diem & tempus aliquod Dei cultui publico & externo dandum præcipit, sic est morale & naturale. Rationabiliter verò Ecclesia, quæ est *domus Dei vivi, columna & fundamentum veritatis*, à Spiritu S. infallibiliter directa, diem Dominicum designavit, hoc est, diem illum quo Dominus resurrexit; qui ideò etiam Dominicus dictus est, sive ut dicit D. Chrysost. *Dominicus dies dicetur, hoc est, dies regalis, in quo Imperator ascendit ab inferis, de quo intelligitur illud: Hæc dies quam fecit Dominus. Dies quoque panis dicitur, quia in eo vivimus panem Resurrectionis cœlestis. Denique dies lucis in quo fugerunt mentis tenebræ, juxta illud Isaiæ: Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* Si ergo in memoriam creationis septimus dies fuit sacer, in memoriam recreationis & reformationis nostræ octavus nunc sacer est, nobilitatus & sanctificatus gloriosa illa resurrectione, & numerus octavus symbolum est æternitatis, ut alibi dixi. Itaque sicut vernum tempus succedit obscuræ & frigidæ hyemi, & sicut dies nocti, aut ætas virilis adolescentiæ; ita & Dominicus dies succedit Sabbato & octavus dies septimo, quia octava ætate erit Sabbatum illud Æternitatis.

1. Tim. 3. *Quomodo hoc præceptum Christianos obliget.*

Dominicus dies est Resurrectionis Christi.

Chrysost. hom. 5. in Resur.

Est verò dies Dominicæ tanta antiquitas, ut illius etiam meminerit D. Joannes in Apocal. dicens: *Fui in Dominica die.* Illius quoque meminit D. Ignatius Epist. ad Magnesianos, ubi eam *Reginam & Principem omnium dierum* appellat. Et ita colligimus, jam ab initio Ecclesiæ, ab ipsis Apostolis divino spiritu edoctis, hunc diem fuisse sanctificatum. Sed & multæ sunt prærogativæ illius diei, quæ movere potuerunt Ecclesiam ad ejus sanctificationem.

Est Dominica dies antiquissima observata, Apoc. 1. 10. Ignat. ep. ad Magnesian.

Primò, quia iste fuit primus dies creationis, in quo lux prima, lucis spiritualis symbolum, creata fuit, & mundus initium accepit, & Angeli, nobilissima creatura mundi. Gen 1.

Hujus diei prærogativa & mysteria.

Secundò. Eodem die stetit arca Noë super montes Armeniæ. Gen. 8.

Tertiò. Eodem die Hebræi siccis pedibus mare rubrum transierunt. Exod. 14. Ita Synodus Cæsariensis apud Bedam in Epistola de celebratione Paschæ.

Synod. Cæsar.

Quartò. Illo die primum manna pluit in deserto (ut docet August. & Orig.) Exod. 16.

Aug. & Orig. Synod. VI.

Quintò, initio diei Dominicæ creditur Christus fuisse natus, Luc. 2. ut habet sexta Synodus can. 8.

D. Leo ep. 81.

Sextò. Eodem die stella magis apparuit. Matth. 2.

Septimò. Eodem die baptizatus est in Jordane Christus. Matth. 4.

Aug. ser. 154. de temp.

Octavò. Eodem die primum miraculum fecit, aquam vertens in vinum. Joan. 2.

Nonò. Eodem die satiavit quinque millia hominum. Matth. 14.

Decimò. Illa die honorificatus est cum palmis. Luc. 19. Matth. 21.

Undecimò. Illo die resurrexit. Matt. 28. Marc. 16. & apparuit Apostolis, dans eis potestatem peccata remittendi. Joan. 20.

Duodecimò. Eodem die misit Apostolos Evangelium prædicare per totum mundum. Matth. 28.

Decimotertiò. Eodem die misit Spiritum Sanctum. Act. 2.

Ultimò. Dominica die multi putant Christum venturum ad judicium. Aug. ser. 251. de tempore, & Hilarius Procemio in Psalmos.

Aug. ser. 251. temp. Hilarius

Qua-

Quapropter rectè advertunt aliqui, illos qui violant noſtrum Sabbatum, peccare in Deum Patrem, cujus potentia die Dominico creavit mundum, peccare quoque in Filium, cujus Nativitate & Reſurrectione ſanctificatus eſt; peccare in Spiritum Sanctum, qui eodem die ad nos miſſus eſt. Et ita ingrati ſunt Patris potentiæ, Filii ſapientiæ, bonitati Spiritus Sancti; ingrati Creatori, Redemptori, Conſolatori. Colligitur quoque ex dictis, cum ille dies ſit Deo ſacer & ſanctificatus, rectè illo die ampliorem expectari à Deo influxum ſpiritualem, & benedictionem uberiorem animas noſtras irrigantem. Sicut enim preces noſtræ, cæteris paribus citius à Deo exaudiuntur, de loco ſacro oblatæ, ob loci ſanctificationem; ita & beneficia à Deo citius accipiuntur, diebus ab eo deſtinatis per ſpecialem ſanctificationem. Hinc etiam à Græcis dies Dominicus dies Solis appellatur, quia Sol juſtitiæ illo die ſpecialiter cenſetur influere, & animis noſtris ſpiritualem lucem infundere.

Porro hic etiam notandum eſt, licet Sabbati dies Judaicè ſit abolitus, Chriſtiana tamen obſervatione, & antiqua Eccleſiæ Catholicæ religione, Virgini Mariæ eſſe dicatum. Volens enim Eccleſia Virgini diem aliquem ſeptimanæ quaſi tributum quoddam pendere, hunc diem meritò elegit, quodammodo commutans feſtum actionis gratiarum propter beneficium creationis mundi, & requietionis Dei, in actionem gratiarum propter beneficium creationis Matris Dei. Hæc enim fuit quidam novus *Mundus abbreviatus*, excellentior & capaciot mundo: quia quem cœli capere non poterant, ſuo gremio novo quodammodo concludit; & ita in illa requievit Deus, ut poſſit dicere: *Qui creavit me, requievit in Tabernaculo meo.* Unde Alber. M. de Albertus Magnus loquens de Benedictione Sabbati, ſic ait: *Eſt iſta benedictio, operum conſummatio, in Beatiſſima autem Virgine fuit perfectiſſimè operum conſummatio, quia omnia creata in uno homine uniuntur cum Creatore, & primum ſit ultimum, & ultimum primum.* Eſt & altera ratio hujus diei Virgini conſecrati, quia in illo die ſpecialiter in Virgine lumen fidei permanſit, Apoſtolis aliiſque Fidelibus tunc vacillantibus. Unde & de illa tunc verum eſſe diximus: *Non extinguetur in nocte lucerna ejus.* Prov. 31. 18. Quapropter etiam illo die Fideles candelarum accenſarum lumine ei cultum exhibent. Et hujus diei cultum ſibi gratum multis beneficiis & miraculis Virgo quandoque oſtendit.

Refert Durandus Lib. 4. Rationalis cap. 1. olim in quadam Eccleſia Conſtantinopoli, fuiſſe imaginem B. Virginis, coram qua dependebat velum, totam velans imaginem, quod in ſexta feria poſt Veſperas nullo movente recedebat, ut pleniſſime poſſet conſpici imago; celebratis vero Veſperis in Sabbato, iterum illam cooperiebat. Idem refert Niderus & alii. Durand. l. 4. Rat. c. 1.

Refert quoque Franciſcus Bencius in Annalibus Societatis Provinciæ Auſtriæ, quæ ſequuntur. F. Benc. in Ann. Soc. J.

Excurrit unus ex Sacerdotibus Societatis noſtræ ſub Epiphaniorum Feſtum, in Oppidum Toparchæ cujuſdam excellenti pietate, qui olim educatus inter convictores Viennæ: uxorem hic habebat ſterilem, nec ſatis firmam in fide, cum veſceretur cibis illicitis. Perſuadet mulieri noſter, ut ſi liberos velit, habeat hunc ſaltem honorem Virgini, ut à carnibus Sabbato abſtineat, divinam illi opem ſub tanto patrocinio affuturam. Fidei reſpondet eventus, uno partu geminos marem & fœminam enixa eſt, & agnoſcunt divinum beneficium uterq; conjux, aureæ caſulæ calicique donum miro artificio Deiparæ, quæ colitur in noſtro templo, ex voto dedit. Hæc ille de hac muliere. Cui profuit diei abſtinentia ſeptimi, non quidem Judaico ritu, ſed Eccleſiaſtica propter Virginem pietate.

Alfonſus Salmeron unus ex illis Societatis Patriarchis, qui ſe ad Ignatium ejuſdem Societatis Fundamentum & Ducem Pariſiis aggregarunt, tanta erga Virginem charitate fuit, ut de ea ſingulis Quadrageſimæ Sabbatis etiamſi aliud feriæ illæ depoſcerent, concionaretur; populo, Optimatibuſque obſtupeſcentibus, & in Sanctiſſimæ Dei Matris amore & pietate creſcentibus. Ribad. in ejus vita.

LECTIO IX.

DE VARIIS MODIS SANCTIFIcandi ſabbatum noſtrum, ſive Dominicum Diem.

Quibus modis oporteat ſanctificare diem Sabbati.

PRimo, dies Dominica debet coli gratiarum actione & oratione. Ratio eſt quia eſt inſtituta, tanquam memoriale beneficiorum Dei. Cum enim homo totus pendeat à Deo, tàm ſecundum corpus quam ſecundum animam, nihil habens ex ſe, nec unicam quidem cogitationem bonam, nec panem quo veſcitur, nec veſtem qua tegitur, nec unicum vitæ momentum: plane eſt rationi conforme, ut aliquo certo tempore animo aſcendat in Deum, & corpore quantum poteſt, quieſcendo à terrenis occupationibus, ut ſe totum illi offerat, à quo ſingulis momentis pendet. Ob hanc ergo cauſam deſtinatus eſt dies Dominicus, cujus prima ſanctificatio eſt hæc gratiarum actio. Hinc dicitur: *Memento ut diem Sabbati ſanctifices*, q.d. Cum ille dies ſit omnium beneficiorum memoriale, cave ne per ingratitudinem illius obliviſcaris, cave te tunc ſic gerere, quaſi oblitus ſis quis ille dies ſit, quam ob cauſam inſtitutus, quibus beneficiis ornatus. *Optima beneficiorum cuſtos eſt, ipſa memoria illorum, & perpetua confeſſio gratiarum*, inquit Chryſoſtomus. Hanc ergo adhibe in iſto die, ad hunc effectum ſancito & ſacrato, ſicque te diſpone ad nova beneficia recipienda. Qui enim gratias agit, novo jam beneficio ſe præparat: Ingratitudo verò beneficam Dei manum à nobis ſubtrahit, quia (teſte Bernardo) *gratiarum ceſſat* Chryſ. Bern. ſer. diſc. 52. in Cæt.

Digitized by Google

diſcurſus , ubi recurſus non fuerit. Nec modo nihil augetur ingrato , ſed quod accepit , vertitur in præjudicium : infidelis in modico , non cenſetur dignus munere ampliori. Ingratitudo ventus eſt urens & exſiccans ſibi fontem pietatis , rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ. Hæc vero gratiarum actio maxime fit per orationem , cui potiſſimum illo die vacandum eſt , quia hic eſt finis præcepti : *Vacate & videte quoniam ergo ſum Deus.* Pſal. 33. 9. *Guſtate quia ſuavis eſt Dominus.* Per orationem enim unitur cor noſtrum Deo , & requieſcit ac deliciatur in Domino, quodammodo præguſtans dulcedinem Sabbati illius æterni. Et hoc eſt verum Sabbatum noſtrum celebrare , quia hoc noſtrum Sabbatum debet eſſe inchoatio quædam æternæ ſolemnitatis , in qua reſonabit gratiarum actio & vox laudis. Adimplere quidem deberemus illud Pſaltis : *Per ſingulos dies benedicam te Domine* , quia ſicut oculi Columbæ ad ſingula grana ad Cœlum attolluntur : ita oculi noſtri ad ſingula beneficia per gratiarum actionem ad Deum deberent elevati. Nam de hoc Sponſam laudat Sponſus : *Oculi tui columbarum* : tamen hoc maximè debet verum eſſe ſacro iſto die ad id ſpecialiter deſtinato.

Pſ. 45. 11.

Pſ. 144. 2.

Cant. 1. 14

Secundo debet Miſſæ Sacrificium audiri , & hoc eſt præcepti , quia cum nihil illo ſit Deo gratius, nullo alio opere magis ſanctificari poteſt dies ille, maximè quia in ipſo Sacrificio ſeipſum poteſt quilibet Fidelis cum Chriſto offerre In antiqua Lege die Sabbati offerebantur duo Agni ultra illos qui quotidie in jugi Sacrificio offerebantur. Quid hic deſignatum dicemus , niſi quod in Sabbato noſtro, perfectius Sacrificio ſpirituali opera danda ? Matutino utique tempore & veſpertino orationi vacandum , ideo enim Eccleſia veſpertinas laudes ultra matutinum ſacrificium cantari decernit , quæ Chriſtianis tunc negligendæ non ſunt. Nec dicant pro mulierculis Veſperas cani, & ab illis frequentandas: hoc enim loquendi modo utuntur homines ſalutis incuriì , ebrietatibus & comeſſationibus eodem tempore vacare malentes , aut turpi ocio , quam Deo. Quibus reſpondere eodem modo poſſumus, pro mulierculis cœleſtem habitationem, ubi æternum Deus laudabitur, deſtinatam eſſe, non vero pro ebrioſis, impuris, ociosis hominibus, ſalutisque ſuæ nullam curam habentibus, quales ſunt qui hæc oblatrant.

Multi ſe excuſant à Miſſæ Sacrificio, quia forte in agris aliiſque remotis locis agunt , nec ſine multo labore ad loca Deo ſacra , in quibus celebratur ſacrificium , accedere poſſunt. Sed conſiderent hi ſe tam copius meriti & præmii apud Deum accumulare , quanto plus laboris in ejus obſequium potuerunt impendere. Velim eos meminiſſe Anachoretæ illius , de quo in libro doctrinæ Patrum. Hic cum in Eremo deſerta & horrida ageret , ſolis Angelis Deoq ue notus , multa milliaria conficere debebat, ut vel aquam ſibi compararet. Quodam ergo die cum ad aquam hauriendam veniret , tædio quodam affectus dixit : Quid neceſſe eſt , ut hunc laborem patiar ? Veniam & habitabo circa aquam hanc. Cum vero hoc dixiſſet, converſus eſt, & vidit quendam ſequentem ſe , & numerantem veſtigia ſua. Interrogavit ergo illum , dicens : Quis es tu : Et dixit : Angelus Domini ſum , & miſſus ſum numerare veſtigia tua , & dare tibi mercedem. Quod cum audiſſet ſenex , forti animo factus eſt , & adhuc longius poſuit cellam ſuam , ut tanto amplius mentum accreſceret. Sciant ergo & hi, qui longo itinere ad Dei templum venire debent , ſi pura intentione gloriæ Dei iter ſuſcipiant , numerari paſſus ſuos ab Angelo Domini , & mercede ampliori donandos ; maxime cum veniant non ad aquam materialem hauriendam , ad providendum his quæ corpori ſuſtentando neceſſaria ſunt ; ſed ut hauriant aquam vitæ, aquam gratiæ ſalutaris de fontibus Salvatoris, ut animæ cœlicam alimoniam provideant. Hic ſit eorum ſcopus, hæc intentio recta, nec merces copioſa deerit.

In vita PP. l. 5. libell. de par & ſort. n. 31.

Tertio debet homo eo die, quantum in ſe eſt, onus peccatorum deponere vel per confeſſionem vel ſaltem per contritionem. Licet enim non ſit expreſſe præcepti, quod quis eo die teneatur confiteri aut elicere actum dilectionis Dei (quod aliqui Theologi docuerunt) eſt tamen finis præcepti , ad quem debet attendere quilibet verus fidelis , ut perfectè diem illum ſanctificet. Hinc dicit Gregorius: *Dominico die à terreno labore ceſſandum & precibus inſiſtendum eſt, ut ſi quid negligenter per ſex dies agitur, per diem Reſurrectionis Dominicæ precibus expietur.* Greg. l. 11 epiſt. ep. 3.

Pulchrè quoque D. Leo : Si rationabile & quodammodo religioſum videtur , per diem feſtum in veſtitu nitidiore prodire , & habitu corporis hilaritatem mentis oſtendere , ſi ipſam quoque orationis domum propenſiore tum cura & ampliore cultu , quantum poſſumus , adornamus, nonne dignum eſt , ut anima Chriſtiana , quæ verum vivumque Dei templum eſt , ſpeciem ſuam prudenter exornet , & redemptionis ſuæ celebratura Sacramentum omni circumſpectione præcaveat , ne ulla eam macula iniquitatis obfuſcet , aut duplicis cordis ruga dedecoret ? Nam quid prodeſt honeſtatis formam præferens cultus exterior, ſi intectora hominis aliquorum ſordeant contaminatione vitiorum ? Omnia igitur quæ animi puritatem & ſpeculum mentis obnubilant , abſtergenda ſedulò, & quadam elimatione radenda ſunt. Scrutetur quisque conſcientiam ſuam , ſeque ante ſe ſtatuat, propriì cenſura judicii. D. Leo M. ſer. 3. de Quadra.

Si ergo Judæis dicit Dominus per Hieremiam : *Cuſtodite animas veſtras , & nolite portare pondera in die Sabbati* : quanto magis nos Chriſtianis dicere poſſumus : Cuſtodite animas veſtras & nolite peccatorum pondus in Sabbato Domini portare : ſed potius illud excutite , onus ſcilicet grave , de quo dicitur : *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.* Onus quod animam demergit in profundum , uſque ad Jer. 17. 21 Pſ. 37. 5.

Matt.11. ad inferni centrum. Venite ergo illo die omnes qui laboratis & onerati estis, & excutite *onus Babylonis*, Isa.13.1. ut loquitur Isaias : Hoc est, onus confusionis, Isa.17.2. quod ipsam conscientiam gravat & confundit. Excutite, *onus Damasci*, hoc est sanguinis : excutite peccata sanguinum, quæ contraxistis per immunditiam carnis : vel peccata quæ contraxistis fugendo sanguinem pauperum per oppressionem. Excutite *onus Moab & Tyri*, hæc sunt onera Mercatorum, qui fraudibus & artificiis diu noctuque laborant, ut opes sibi comparent. Excutite denique omne *onus Ægypti*, omne opus tenebrarum, omne mortale peccatum, quod animam ad tenebras Ægyptiacas imò & æternas deducit. Hæc autem onera excutiuntur non solum per confessionem, sed & per cordis contritionem. Unde monitos velim à Pastoribus fideles, & diligenter illis hoc inculcatum, tantam esse vim contritionis cum proposito suo tempore confitendi, ut possit hominem in gratiam restituere, non solum in articulo necessitatis, sed etiam quotiescunque homo perfectam elicuerit contritionem, ut tradit communior sententia Theologorum, de qua latius agemus cum de Sacramento pœnitentiæ tractabimus. Interim hoc ignorantes fideles, vix unquam se per contritionem ad gratiam disponere curant, nisi cum ad sacram confessionem accedere parant : & multos menses in peccati statu transigunt, quibus exercita opera multa bona, infructuosa sunt, quæ per contritionem redderent fructuosa, sed ipsi ignorant. Moneantur itaque saltem diebus Dominicis (licet eis non ita confessionis opportunitas suppeteret) contritionis remedium non negligere : de peccatis mortiferis quibus obnoxii esse possunt dolorem perfectum eliciendo, propter bonitatem illam supremam amantissimi Patris offensam, firmissimumque propositum stabiliendo, de omni peccato mortali, & ejus occasione rescindenda & evitanda. Hoc modo perfectè impletur illud: Levit.16. *Memento ut diem Sabbati sanctifices.* Et huc tendit 31. quod monet Dominus Levit. 16. *Sabbatum requietionis est affligatis animas Vestras.* Quaafflictione ? Contritione utique, & interiori compunctione Spiritum affligente, & animam pervadente salubri vulvere. Nempè hoc est sacrificium quod ei cum corporis & Sanguinis filii sui oblatione maximè placet eo die: Ps.50.19. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus.* Nec ipse despiciet tunc cor contritum & humiliatum, sed reddet ei lætitiam salutaris sui, & spiritum gratiæ innovabit, hominemque mundabit à peccato etiam mortali, vi hujus contritionis, per quam aspersio Sanguinis Jesu Christi ab omni macula emundans, applicatur.

In vitis PP.l.7. de Pœn.c.23 n.2. Habes hujusce rei exemplum in lib.7. Doctrinæ Patrum de Pœnitentia. Ubi sic legimus. Beatæ memoriæ Paulus simplex discipulus Abbatis Antonii habebat hanc gratiam sibi à Deo datam, ut sic unumquemque cujus animi & conscientiæ esset, agnosceret, sicut & nos facies nostras videmus invicem. Quodam ergò die sedebat juxta ostium Ecclesiæ intuens unumquemque intrantium, quo animo ingrederetur. Ingredientibus omnibus clara facie, & unuscujusque Angelo gaudente cum eis, Unum vidit nigrum & obscurum toto corpore, & dæmones ex utraque parte eum trahentes ad se, Angelum verò ejus à longè sequentem & tristem. Paulus lachrymans & frequenter pectus tundens : cœpit deplorare eum : Interrogabant verò qui videbant Paulum plorantem, quid sibi vellent illæ lachrymæ tam subitæ, & quidnam vidisset, & rogabant ut ingrederetur ad Missam cum eis. Ille verò negat se ingressurum, & sedebat foris tacens & plorans. Post paululum dimisso Ecclesiæ conventu iterum Paulus attendebat singulos exeuntes, ut quorum introitum cognoverat, sciret quales exirent. Et vidit illum virum exeuntem ab Ecclesia splendidum vultu & corpore, Dæmones autem de longè sequentes, Angelum juxta ipsum gaudentem valde. Paulus autem exsiliens cum gaudio clamabat benedicens DEUM. *O ineffabilis misericordia Dei & bonitas !* Et ascendens super altum gradum magna voce dicebat. *Venite & videte opera Domini*, quomodò vult omnes homines salvare. *Venite & videte* quia potens & peccata remittere. Ad hanc vocem omnes sollicitè accurrerunt cupientes audire quæ dicebat. Referebat autem quæ viderat. Interrogat ergò illum virum, unde ei tanta subito à Deo mutatio ? Ille convictus a Paulo, coram omnibus apertè narravit dicens : Homo peccator sum, & multo tempore in fornicatione vixi usque nunc. Ingrediens autem Ecclesiam Dei audivi vocem Isaiæ Prophetæ, cum legeretur, vel potius DEI Isa.1.16. loquentis in eo : *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, discite benefacere. & si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Ego in hoc sermone compunctus sum nimis, & ingemiscens intra conscientiam dixi : *Tu qui venisti in hunc mundum peccatores salvos facere, qui etiam hæc quæ lecta sunt promisisti per Prophetam, comple effectu & opere in me peccatore indigno. Ecce enim amodo promitto tibi & spondeo sermone, & corde confiteor, quia jam non agam ultra illud malum : sed abrenuncio omni iniquitati & servio tibi amodo in conscientia munda. In hac ergo hora suscipe pœnitentem interpellantem te, & renunciantem omni peccato.* In his promissionibus egressus sum de Ecclesia, statuens in anima mea nihil ultra mali agere coram oculis Domini. Quod cùm audissent, omnes benedixerunt Dominum. Hæc ibi. Ps.45.9. 1. Timor. 2.4.

4. Abstinendo à peccatis. Quartò oportet sanctificare diem Dominicum, illo die quantum in nobis est à peccato abstinendo. Hinc aliqui Theologi docuerunt, illo die peccantem mortaliter, duplex peccatum incurrere : & quamvis hoc plerique negent, tamen omnes conformiter dicunt, circumstantia hac diei festi peccatum aggravari. Hinc colligitur quam graviter

erent

Digitized by Google

errent qui his diebus crapulæ, aſotiæ, impudicitiis aliiſque criminibus diem illum profanant, tantùm abeſt ut ſanctificent. Error utique perniciosus & cæcitas magna inter Chriſtianos eſt, quod videamus longe plura peccata his diebus committi quam aliis, ita ut dies feſti ſint potius dicati Veneri, Baccho, Adonidi, Satanæ, Inferno, quam ipſi Deo aut Sanctis ejus; potius conſecrati diſſolutionibus, aleis, chartis, rixis, contentionibus, ebrietatibus, quam pietati & ſanctitati Chriſtianæ. Cum tamen dicat Dominus: *Videte, ut Sabbatum meum cuſtodiatis, quia ſignum eſt inter me, & vos in generationibus veſtris, ut ſciatis quia ego Dominus qui ſanctifico vos.* Sabbatum utique Chriſtianorum ſignum eſt monens nos ſanctificationis tum acquirendæ, tum augendæ, ut *qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc, & qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc.* Tunc monemur audire illum qui dicit: *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum.* At potius tunc audimus vocem mundi, carnis, ſatanæ, ad vana, ad obſcæna, ad impia illectantis: ita ut auſim aſſerere non ſolum plura tunc peccata committi, quam die aliquo profano, ſed etiam plura quàm cæteris omnibus hebdomadæ diebus. Nam cum plerique homines durante hebdomada operibus laboriosis, aut negotiis liciti diſtineantur, non ita eis peccati occaſio ſuggeritur: diebus autem feſtis aut dominicis, genio vacant, & otio multorum ſcelerum matri, & conſortiis, occaſionibuſque variis ſeſe ingerunt. Unde diebus illis infernum maximè patere dices, & dæmones erumpere in perniciem animarum; ipſoſque feſtum agere, in varia peccata & ſcelera Chriſtianos & Eccleſiæ Dei filios ſuggeſtione ſua pelliciendo. Quapropter verum eſt illud Prophetæ: *Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt Sabbata ejus.* Et juſta eſt exprobratio Domini. *Solemnitates veſtras odivit anima mea, laboravi ſuſtinens.* Et iterum: *Diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolemnitatum veſtrarum.* In quibus Scripturis adverte quod dicat *Solemnitates veſtras*, non meas: quaſi exprobret; Vos ſolemnitates vobis & veſtris voluptatibus conſecratis, non mihi nec cultui meo: vos voluntates veſtras in eis perficitis non meam. Veſtræ ergo ſolemnitates ſunt, non meæ, imò eas odi tanquam ſtercus fœtidum, quia fœtore amarulento peccatorum veſtrorum illas conſpurcatis, quas ego thymiamatis odoriferi ſuaveolentia volui condecorari, & orationis ſuaviſſima fragrantia mihi offerri: & ſic diſplicent mihi, quia hoſtibus meis placent, qui peccatis veſtris delectantur.

Exod. 31. 31.

Apoſt. 22. 11.

Levit. 11. 44.

Thren. 1.7.

Iſa. 1.14.

Malach. 2.3.

Munus itaque eſt Paſtorum & concionatorum has Domini querelas inculcare, & contra ſceleratos perniciosoſque mores in populo Chriſtiano illis diebus invalescentes, acri voce inclamare: ne forte *requirat Dominus de manu eorum ſanguinem perennium.* Imitentur exempla antiquorum Patrum & Paſtorum. Cùm S. Stephanus Dienſis Epiſcopus multo zelo munus ſuum exercere cæpiſſet, concionando, exhortando, viſitando plebem ſuam. Invenit gentem illam execrabili conſuetudine cæcam, non honorare diem Dominicum, ſed contra Dei præceptum diabolo illum dedicare, quia eo die exercebantur nundinæ, tabernæ, choreæ, ludi, luxus, & pernicioſa ſpectacula. Quare ad populum concionatus, blandis verbis apertisque rationibus, peccati enormitatem & divinæ Majeſtatis contemptum eis oſtendit. Sed gens cæca ſermones ejus contemnebat. Dolens id ſervus Dei, huic rei planè inſiſtendum exiſtimavit, ut protervos illos mores corrigeret. Sic ergò Paſtorem non mercenarium eſſe conſiderans, opportunè, importunè, prædicationi cœpit incumbere; ſi forte reſipiſcerent à diaboli laqueis à quibus captivi detinebantur. Sed cum ſurdi adhuc manerent, ipſe Apoſtolatus ſui ſignum evidenter volens oſtendere; præcepit dæmonibus qui eos ad dicta facinora incitabant, & quorum voluntati parebant, ut palam ſe videndos exhiberent, ſine tamen illorum læſione. Parent dæmones, & horrenda ſpectra ſeſe illis exhibent: fœtores, flammaſque ſpirantia. Ad quorum adſpectum gens territa cœpit oculos aperire, vitam & mores corrigere. Talibus viris Apoſtolicis nunc foret opus, ut his qui Paſtorum & Concionatorum de his frequenter monentium, verba vel negligunt vel contemnunt, oculos aperirent ſimilibus ſignis & portentis.

Surius 7. Sept.

Quintò conveniens foret diem Dominicum ſanctificare, ſacræ Euchariſtiæ ſumptione, quia hoc modo optimè impletur finis præcepti: *Vacate & videte quoniam ego ſum Deus: Guſtate quia ſuavis eſt Dominus.* Ibi maximè quieſcit, & Sabbatum celebrat anima in Deo ſuo, Sabbatum quod vocat Propheta delicatum. Ibi delicias æternitatis cor noſtrum poteſt prælibare ſumma cum ſuavitate. Sed audi Iſaiam: *Si averteris à Sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die ſancto meo, & vocaveris Sabbatum delicatum & ſanctum Domini gloriſum, tunc delectaberis ſuper Dominum.* Senſus eſt. Si averteris pedem tuum a Sabbati tranſgreſſione, & ſi deſieris in illo die voluntatem tuam facere, non ſolum acquieſcendo ab opere, ſed etiam concupiſcentiam refrænando & affectus pravos paſſionesque ſuperando, vacandoque toto affectu Deo tuo, & vocando illud Sabbatum delicatum, in quo deliciæ Domini quærendæ ſunt: *Tunc delectaberis ſuper Dominum*, hoc eſt, ſuavi quadam voluptate ſpiritus perfunder te, & benedictione cœleſti complebit. Unde ſubdit. *Suſtollam te ſuper altitudines terræ, & cibabote hæreditate Jacob Patris tui:* Hoc eſt, faciam ut in Cœlo & in Deo mente fixus, omnia terrena contemnas, & converſatio ſit in Cœlis. Hoc autem efficiam cibans te hæreditate Jacob Patris tui, hoc eſt, ſacroſanctâ Euchariſtiâ, quæ eſt hæreditas relicta teſtamento domui Jacob Eccleſiæ ſanctæ: & benedictio promiſſa à Patre ipſi Jacob in figura, dum dicebat, *Det Deus tibi de rore Cœli benedictionem, & de terra pinguedine:*

5.5. Euchariſtia ſumptum.

Iſa. 58.13.

Gen. 27. 28.

quia

Digitized by Google

quia in Sacroſancta Euchariſtia latet ros Cœli divinitas, & pinguedo terræ, Chriſti humanitas, de terra virginea producta. Poſtea autem cibabo te deliciis æternis in Sabbato æternitatis, ubi frueris abundanter hæreditate Jacob Patris tui, dum frueris bonis illis cœleſtibus, & felicitate perpetua promiſſa Abrahæ, Iſaac, & Jacob. Itaque in dictis verbis Propheta indicat triplicem fructum illis qui rectè & ſpiritualiter coluerint & ſanctificarint Sabbatum. Primus eſt in illis verbis; *Delectaberis ſuper Domino.* Ubi promittitur quædam voluptas ſpiritualis. Secundus eſt in verbis: *Suſtollam te ſuper altitudines terræ.* Ubi promittitur elevatio mentis ſuper terrena. Tertius eſt in verbis: *Cibabo te hæreditate Iacob.* Ubi promittitur omnis benedictio ſpiritualis & æterna.

Optimum autem modum colendi ſabbatum noſtrum eſſe Euchariſtiæ ſumptionem, patet ex uſu primitivæ Eccleſiæ, in qua ſingulis Dominicis accedebant fideles: & nemo poterat intereſſe ſacrificio, qui etiam non communicaret: & fortè propter hoc vocatus eſt *Dies panis*, ut ſupra diximus ex Chryſoſt. Sed quia non ſemper ad hunc realiter & Sacramentaliter percipiendum diſpoſiti ſunt fideles, ſaltem ſpiritualem Communionem, & panis vivifici participationem, non debent negligere. Hæc fit juncta ferventi intentione cum Sacerdote: in ſacra corporis & ſanguinis Chriſti perceptione. Quam negligunt, & ideò fructus ejus expertes ſunt, qui ſine attentione ſacrificio interſunt, toti corde vagi, corpore præſentes, animo abſentes, qui etiam ad principales ſacrificii hujuſce tremendi partes vix animum reflectunt. Multo magis hujuſce communionis fructus expertes ſunt, qui ante eam è templo diſcedunt, qui error ſatis communis eſt inter fideles. Cum enim communio ſit ex primariis Miſſæ partibus, tenentur fideles illius tempore adeſſe, & ſpiritualiter communicare: aut præcepto non ſatisfaciunt, nec fructum participant. Hinc olim vetabantur ante benedictionem ſacerdotis diſcedere, alias arguendi & confundendi à Sacerdote. Quia cum Miſſa totam Chriſti redemptionem ſignificet, illa Sacerdotis benedictio, deſignat benedictionem quam Chriſtus dabat Diſcipulis, dum elevatis manibus in cœlum aſcendit. Et verba illa, *Ite miſſa eſt*, deſignant vocem Angelorum Apoſtolos dimittentium, & dicentium: *Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cœlum, &c.* Expectent ergò fideles ultimam benedictionem, & a Sacerdote tanquam Angelo Dei dimiſſionem.

6. Verbum divinum audiendo, & pias operibus vacando.

Ultimò oportet ſanctificare Sabbatum verbum Dei audiendo, & bonis operibus quibuslibet vacando. Quidenim juvat ceſſare à ſervilibus & profanis operibus, ſi ſanctis non vacamus? Totam hebdomadam impendimus occupationibus, quam poterat Deus exigere, quia nos totos & omnes dies illi debemus, cur ſaltem unum illi totum non impendimus? Errant ergo illi qui mane perfunctoriè Miſſæ ſacrificio audito, reliquum diei otio vel neſcio quibus occupationibus impendunt; quia ſi tempus perdere malum eſt, multo magis perdere diem Deo ſacrum. Neque otium finis eſt hujus mandati, ſed quies in Deo, quæ via eſt ad quietem æternam. Illa autem quies ſpiritualis & ſancta in ſanctis exercitiis eſt, & operibus pietatis: Hæ ſunt viæ Domini, quas vult nos calcare & inire, diebus ſibi ſanctificatis. Quapropter qui illa negligunt, timeant illam ſententiam: *Ipſi verò non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira, ſi introibunt in requiem meam.* Certè qui ceſſant ab operibus mechanicis, nec piis vacant operibus, licet adimpleant præceptum, quantum ad ſubſtantiam, tamen fructu carent & dicere poſſunt: *Servi inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus.* Verè inutiles, quia intermittunt lucrum temporale, nec acquirunt ſpirituale, nec ullam apud Deum gratiam promerentur, nihilo meliores effecti tempus perdunt, & diſpendium potius quàm lucrum reperiunt. Attendant ipſi non tantum illa nobis eſſe peragenda, ad quæ ſtrictè obligamur vi præcepti: Hoc enim nimis ſervile eſt, ſed & ea quæ novimus Deo grata, & intento præcipientis conformia. Liberè enim debemus ſervire juſtitiæ, qui ſpiritum adoptionis filiorum recepimus. Filius n. non ſolum facit quæ ſeverè Pater præcipit; ſed etiam quæ ſcit Patri eſſe grata, & voluntate Patris cognita, ſæpe præceptum antevertit. Imò faſtidioſus eſt ſervus, qui nihil niſi juſſus facit.

Pſ. 49. 11.

Inter opera verò pia diei Dominicæ primum numeramus verbum Dei audire: quia *qui ex Deo eſt, verba Dei audit.* Et multi qui concioni vel doctrinæ Chriſtianæ iſtis diebus non interſunt, graviter peccant, cùm ignorent neceſſaria aut convenientia ſaluti. Sed nec ullus verus fidelis debet illud facilè negligere, quia cibus eſt animæ, quem abundantius illo die oportet ſumere. Per ſeptem dies pro cibo corporali laboramus, cur unam horam ſpirituali cibo impendere detrectamus? Cur ſtatim tædio afficimur vix adhuc inchoata concione, & interim tædium non ſubrepit, totam diem noctemque luſibus conterendo? Nempè non afficimur rebus divinis: Habemus palatum infectum, non ſapit ſpiritualis cibus, ſignum utique animæ malè ſanæ ſi non eſt reprobæ. Errant verò qui concionem illis diebus negligunt quaſi ſatis eruditi, aut libris domeſticis, quibus poſſint eruditi, non carentes. Nec enim libri ita operantur, ſicuti viva vox. Non deerat doctrina, nec libri Davidi Regi, nec tamen ſatis erant ad ejus converſionem, donec viva vox Nathan interiora ejus penetravit. Nabuchodonozor quoque in arbore illa ſublimi, quæ ei divinitus exhibita fuit, ſtatum ſuum quaſi in libro contemplari poterat, ſed hoc eum non movit, donec vox Danielis ad pœnitentiam perduxit. Eunuchus, de quo in Actis, legebat Iſaiam Prophetam, ſed hoc ei nihil profuit, donec Philippus interpretatus eſt, de quo loqueretur. Ita & multi converſi ſunt viva voce, qui ſola lectione non fuiſſent. Habemus de quodam

Joan. 8. 47.

2. Reg. 12.

Daniel. 3.

Act. 8. 30.

Platus l. 3. de bono.

Digitized by Google

Status rel. c.38.

Doctore Monero qui ex professo fugiebat Reginaldum Ord. sancti Dominici virum potentem in sermone. Attamen quodam die comitum importunitate attractus est, ut eum audiret in festo D. Stephani: & statim sensit interiorem stimulum, & saluterem laqueum quo vinctus victusque est, illis verbis audiens eum differentem: *Ecce video cœlos apertos. Et in præsenti* (inquit Reginaldus) *aperti sunt cœli, qui vult, potest intrare. Videant miseri & negligentes, qui claudunt Deo cor suum & os & manus, ne & eis cœlorum regnum claudatur.* Hæc verba adeò cor ejus transverberarunt, ut Ordinem sancti Dominici statim postea ingressus fuerit.

Lectio piorum librorum.

Aug. l. 8. conf. c. 12. Rom. 13.

Idem ib. c. 6 Ribad. l. 1. c. 2. vitæ ejus.

Quibus verò concionem audire non licet, juvabit multum aliquam partem temporis piorum librorum lectioni impendere, quia & hæc multum efficax est ad profectum spiritualem animæ. Unde D. August. legens hæc verba Apostoli; *Non in cubilibus & impudicitiis, non in comessationibus & ebrietatibus, sed induimini Dominum Jesum Christum,* sensit totum cor suum ad Dominum conversum, & rixam interiorem omnino sedatam. Hi fuerunt carbones igniti, quos congessit Dominus in cor ejus, ut totum ipsum inflammarent. Refert & ipse duos aulicos conversos fuisse ad solitariam vitam sola lectione vitæ S. Antonii. Sic & Ignatius Loyola ex curiositate legens vitas Sanctorum, spiritum Dei persensit: & militiam deferens, militiæ spirituali se accinxit: Eodem modo beatus Joannes Columbanus conversionis suæ habuit exordium ex lectione vitæ S. Mariæ Ægyptiacæ. Denique mille animæ conversionem suam debent huic piorum librorum lectioni. Opportunum ergo exercitium est illud festis Dominicisq; diebus.

LECTIO X.

DE VARIIS HOMINUM GENERIBUS hoc præceptum transgredientibus.

Quinam hoc Præceptum transgrediuntur. Omnes pene status hom.

HIc non disputo, quænam præcisè necessaria sint sub pœna peccati mortalis ad observationem hujus præcepti, quæ à Casuistis accuratè tractantur. Videre poteris Navarrum & alios. Solùm hic intendo insinuare varios status, & variæ sortis homines, quos contingit frequenter impingere: & ideo à Pastoribus & verbi Dei Præconibus de hac re differendum est, ut arguantur & corrigantur. Quapropter à Nobilibus exordior, usque ad infimæ plebis homines.

Primò ergo peccant Nobiles, qui Missa neglecta, vel perfunctoriè & ex parte audita, totum diem venationi impendunt, & frequenter famulis occasio sunt neglectus Sacrificii Missæ. Hi peccatum mortale incurrunt, si pars notabilis Missæ ab eis negligitur; peccatum verò grave veniale contra finem præcepti, si maximam partem diei his impendant, licet Missam audierint. De his loquens D. Augustinus sic dicit: *Venias cui cunque possibile*

Aug. ser. 231. de temp.

est, ad vespertinam atque nocturnam celebrationem & oret ibi in conventu Ecclesiæ pro peccatis suis Deum: qui verò hoc non possit, saltem in domo sua oret, & non negligat Deo solvere votum ac reddere servitutis pensum. In die verò nullus se à sacra Missarum celebratione separet, neque otiosus quis domi remaneat, cæteris ad Ecclesiam pergentibus. Neque eum venatione se occupet, & diabolico mancipetur officio circumagendo campos & sylvas, clamorem & cachinnum ore exaltans, non gemitum nec orationis verba ex intimo pectore ad Deum proferens.

Thom. Cantipratanus l. 2. Apum. c. 45.

Narrat Thomas Cantipratanus, Nobilem quendam in Teutonia adeò deditum venationi fuisse, ut frequenter dominico die Sacrificium missæ negligeret. Uxor Deo devota sæpè eum corripiebat, sed quasi muliebrem monitionem aspernabatur. Accidit ut illa post varios partus imprægnata, pareret puerum abortivum, habentem caput venatici canis ponectis auribus. Confusa ergo matre cum multis Matronis nobilibus quæ aderant, consilium fuit omnium, ut terra citius partus obtutus tegeretur. Veniens verò a venatione maritus, quærit quis puer sit quem uxor peperit? Dissimulant illæ præ pudore. At ipse extracto gladio minatur, nisi partus ei ostendatur. Uxor timore compulsa, ejici jubet prolem de terra in triste spectaculum & ait: Ecce quam manifesto prodigio, insipientiam tuam punit Deus, eo quod nullum honorem dictus factus, nullam reverentiam Sacramento Corporis tribueris. Hæc attendens vir nobilis, redit ad cor, pœnitentiam egit, & se correxit.

Socrates l. 4. hist. c. 23.

Secundò peccant Domicellæ quæ totum ferè tempus matutinum ornatui corporis insumunt, & superbæ vanitati dedicant: Ac postea *pompatiè ingrediuntur domum Domini*, non tam ut attentioni vacent, quam ut videant & videantur. Hinc Pambo vir sanctus inter antiquos, cum Alexandriam venisset, & mulierem sic vanè ornatam conspexisset transeuntem, amarè lachrymatus est: Rogantibus autem causam lachrymarum. *Duo*, inquit, *me moverunt, primum mulieris hujus perditio, alterum quod tantum ego diligentiæ non impendo, ut Deo placeam, quàm illa ut mundo, & hominibus obscenis.* Simile quid videre potes de S. Nonno Episcopo in vita S. Pelagiæ in Sept. apud Surium.

Tertiò peccant Mercatores, qui dum divinis rebus vacare debent, potius suis vacant computibus in ordinem redigendis, libris debitorum inspiciendis & calculandis, transactionibusque & contractibus peragendis. Illis diebus visitant possessiones suas, & sicut ille qui ad cœnam vocatus in Evangelio, excusavit se dicens: *Villam emi, & necesse habeo videre illam*, ita & ipsi villas suas & rura visitantes, opiparam Sacrificii Missæ mensam, vel alia divina officia negligunt. Imò frequenter villicos vel alios operarios ad computandum illis diebus advocant, & postea poculis, otio, genio indulgent. Taceo emptiones, & venditiones frequentes quas domi exercent, murantur hi quandoquè infortu-

Digitized by Google

infortunia ſibi accidere, in rebus domeſticis, in mercibus, in negotiis, nec conſiderant hæc à Deo immitti in pœnam peccati, eo quod feſta non ſanctificent, quod cultum Dei negligant, & immerſi ſuis negotiis vix quiddam loci in corde ſuo Deo relinquant. Et tantum abeſt ut quærant primum regnum Dei, ſed tota ſpiritus anxietate quærunt quæ ſua ſunt, quin & aliena congregant, & diebus quantumlibet feſtis ad ſua negotia & lucra diſcurrunt.

Quartò peccant plebei homines, mechanici, & opifices, quia ipſi his diebus non vacant niſi commeſſationibus & ebrietatibus, ſua prodigentes neceſſaria ſuſtentationi uxoris & familiæ, & quod per totam ſeptimanam operando lucrati ſunt, aliquot horis frequenter deglutiunt. Sicque familiam neceſſitate coarctante coguntur quandoque ad illicita, ad furta, & injuſtitias. Hiſce diebus ſacris frequenter aleis & ludis fortunæ vacant, poſtea contentionibus, blaſphemiis & juramentis: & ſic de multis illorum verum eſt quod de Judæis, quod quærant Chriſtum in die feſtivitatis ut lapident eum. Quodammodò enim lapidant, imò iterum crucifigunt aleis, blaſphemiis, & peccatis quæ tunc committunt. Et licet Chriſtus adhuc clamet ſicut in die feſtivitatis: *Si quis ſitit veniat ad me*, & omnibus offerat aquam [illegible]tiæ, aquam doctrinæ ſacræ: ipſi è contra abeuntes retro derelinquunt fontem vitæ, ad putidas peccati & voluptatis carnalis ciſternas convertuntur, ad tabernas currunt & ludos pernicioſos, ubi & animam & famam & bona prodigunt.

Joan. 7. 37.

Joan. Benedicti.

Refert Joannes Benedicti, quendam poſtquam omnia ad induſium uſque perdidiſſet, propriam uxorem ludo expoſuiſſe, & eam proſtituere paratus erat, niſi aliorum conſilio illa ſeſe occultaſſet.

Idem l. 3. ſummæ c. 7. in Appendice.

Narrat & de alio quodam ebrioſo: Poſtquam diſſipaſſet ſubſtantiam ludo & poculis, cùm uxor conquereretur, & ei neceſſitatem familiæ exponeret non veritum fuiſſe coram colluſoribus eam graviſſimè percutere. Ipſa ergo deſperationi proxima domum repetens, cùm parvuli inclamarent pro pane, fame eos urgente: Ecce, inquit, cum pater veſter totum expenderit, quid ultra faciam? A duobus diebus nihil cibi ſumpſimus: an non præſtat ſemel mori, quam tanta fame urgeri & toties mortem quandam pati? Inter hæc verba cultrum arripit, utrumque jugulat. Redit maritus ebrius, illa ei dormienti caput obtruncat, tam audacter quàm Judith Holoferni. Et tu, inquit, infœlix peribis, qui totius es origo mali. Comprehenſa à judice facinus fatetur, mortemque patienter tolerat, exhortans interim maritos, ne ſic ebrietate omnia diſſipent, ſuo oſtendens exemplo, quomodò ebrietas morte infœlici quatuor interemerit. Similes tragœdiæ in hiſtoriis leguntur, & fere feſtis diebus contingunt. Quis enim homicidia, quæ diebus illis contigerunt, enumeret? Vix circa Urbes & Civitates populoſas, extra domum pedem efferre licet veſpertino tempore diebus feſtis, quin in ebrium aliquem ſtatim impingas, paratum ad rixam & ſanguinis effuſionem: *Cui væ, cujus patri væ, cui foveæ, cui rixæ? Nonne his qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis?*

Prov. 23. 29.

Quintò peccant Procuratores, Notarii, Advocati, cum ars aut ſcientia eorum ſit de pane lucrando, æquè illis ac aliis diebus litibus ſuis & ſcripturis vacando, & ſæpè ſanguini pauperum exſugendo. Vix unquam videbis eos Parochiali Miſſæ intereſſe, ſed ſummo mane aliquam perfunctoriè audiunt, vel ſatis ſerò: qua verò attentione hoc faciant, ſatis potes colligere, cùm jam totum ſpiritum ſcripturis ſuis & litibus exhauſerint & profuderint.

Sextò peccant juvenes ac puellæ choreis & inhoneſtis ludis illis diebus vacantes. Et licet nolim aſſerere choreas ſemper peccatum mortale involvere, tamen frequenter periculoſæ ſunt, & illis magna parte diei ſacri vacare, non eſt feſtum ut oportet ſanctificare: *Præſtaretque ſæpius* (teſte Auguſtino) *vel juvenes ſtivam aratri ducere, vel puellas lanam facere, & colum trahere, quàm in his ludis periculosè ſaltare.* Audi quid de Choreis dicant pii doctique viri.

Aug. l. de 10. cord.

Primò dicunt Choream eſſe *Circulum, cujus Satan eſt centrum* (Ergo in medio eſt) *& circumferentia Angeli ejus.*

Quid Chorea.

Secundò, eſſe quandam inferni proceſſionem, cui Choragus eſt dæmon, huncque chorum frequenter ducere ad choreas æternùm infœlices. Cujus ſignum eſt quia tendunt ad ſiniſtram: *Vias autem quæ à dextris ſunt novit Dominus, perverſæ verò ſunt quæ à ſiniſtris ſunt.*

Prov. 4. 27.

Tertiò, notant aliqui habere originem ab Iſraëlitis idololatris, de quibus habemus in Exod. *Et ſedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere* id eſt choreas circa vitulum ducere. Et præcipuos hujus factionis authores fuiſſe de tribu Dan, aliqui tradunt. Ideoque vernaculo noſtro idiomate choream adhuc vocari *danſe*, & chorizare, *danſer*, quod etiam habet lingua teutonica. Et verè illis convenit quod prophetizatum eſt de tribu Dan: *Fiat Dan coluber in via, & ceraſtes in ſemita.* Imitantur enim colubri & ſerpentis circuitus & anfractus. Et utinam non accidat frequenter illis, quod Job dicit: *Ducunt in bonis dies ſuos, tenent tympanum & citharam, & in punctò ad inferna deſcendunt:* Ad hæc alludens B. Ephrem, dicit: *Unde ſuas didicere choreas? Quis talia Chriſtianos docuit? Non Petrus, non Joannes, non alius divino numine afflatus, verùm iſte draco antiquus ſuis voluminibus docuit.*

Exod. 31. 6.

Gen. 49. 17.

Job. 21. 13.

Ephrem. in l. interrog. & reſp. 2. Albertus Crantzius l. 8. met. c. 39.

Ut verò videas periculum chorearum, attende exempla ſequentia. Sub Rodolpho I. cùm Trajectini juvenes & puellæ, viri & fœminæ choreas ducerent in ponte, & Venerabile Sacramentum deferretur, nec illi proſternerentur, intenti vanitatibus magis ſuis, quam divino honori, mox ponte decidenti penè perierunt.

Digitized by Google

Periculum autem harum chorearum in hoc potiſſimum conſiſtit, quod difficile ſit videndo non commoveri, tangendo non aduri, veſtitu non ſuperbire. Et cùm ex concuſſione etiam duorum fripidorum lapidum ignis excutiatur, valde difficile eſt quod ex tanta familiaritate viri & mulieris, ipſâ viſione faciei, tactu manuum, modulatione vocum, ignis concupiſcentiæ non excitetur. Hi enim ſunt laquei quibus captivos tenet animos ſatan. Hæc ſunt arma, quibus etiam fortiſſimos expugnat. His illecebris etiam caſtiſſimos animos irretit, & fuligine quadam impura aſpergit.

Fælisius cap. 24. præcep. 3.

Habes de ſorore S. Damiani, quod ob delectationem nimiam, quam habuit in cantilena quadam ex cubiculo in choreis audita, octodecim diebus punita ſit purgatoriis flammis ſicut ipſa poſtea cuidam viro ſancto revelavit.

Surius in vita S. Eligii l. 2. c. 20. 1. Decem.

Notabile verò maximè eſt quod in vita S. Eligii legimus. Cùm natalitius dies beati Petri ageretur, in quodam vico prope Noviomenſe Oppidum, conſtanter ipſe ibi prædicabat Verbum Dei, ludos & ſaltationes atque choreas prohibendo. Interim multi ejus verbis & monitis nihil deferentes, non deſiſtebant ab his nefandis ſaltationibus, & diabolicis ludis quibus erant aſſueti, ille nihil ſe proficere cernens, indignatione permotus, Dominum oravit, ut permitteret eos in pœnam à dæmonibus obſideri, ut vel ſic cognoſcerent quibus obſequerentur, cum eorum operibus delectarentur. Ita confeſtim actum eſt, nam homines quinquaginta arripiuntur à dæmonibus choreis & ludicris addicti, & perterriti omnes alii ad pedes hominis Dei ſe proſternunt, ne ſimilia paterentur, promittuntque ſe dictis ejus obedientes fore. Ad quos vir ſanctus: nec timueritis, inquit, ſed juſtum Dei judicium laudate, dignum eſt enim ut qui ejus juſſa contemnunt, ſentiant magiſtros illos quos colunt, ad tempus illis traditi. Multis autem rogantibus ut pro illis Dominum deprecaretur: Sinite, inquit, ipſos experiri, quibus hactenus morem geſſerint. Et ita illo anno uſque ad anniverſarium diem manſerunt obſeſſi à dæmonibus. In ipſa autem ſolemnitate annua aſpergens eos aqua benedicta, curavit, & jam inſtructos & graviter objurgatos, ſanos à ſe dimiſit.

Joann. Trit. in Chron. Hirſaug. Crantzius l. 4 Saxon. c. 3. Geneb. l. 4. Chron. An. 1011.

Mirabilius verò eſt, quod Imperatore Henrico Secundo, anno milleſimo duodecimo, in Saxonia in villa Collobeke, referunt accidiſſe graviſſimi Hiſtorici. Ibi Robertus Presbyter in Eccleſia S. Magni Martyris, in nocte Nativitatis primam Miſſam inchoarat. Quidam autem Otbertus cum aliis viris quindecim & fœminis tribus choream ducens in cæmiterio, ſæcularibuſque perſtrepens cantilenis, celebrantem non mediocriter diſtractum fecit. Quibus cùm Sacerdos mandaret per ædituum, ut tacentes ab hujuſmodi levitatibus in nocte tam ſancta deſiſterent, illique præcipienti non obtemperarent, commotus ille ſtans ad altare ſacroſanctum dixit: Faciat omnipotens Deus, ut per unum annum totum, ſic ſaltantes manere vos oporteat. Mirabile dictu. Imprecantis vocem ſecutus eſt illicò effectus. Ita per totius anni ſpatium ſaltabant ſine intermiſſione die ac nocte, non edebant, nec bibebant, abſque ſomno manebant, non pluvia ſuper eos cecidit, non frigus, non labor, nec laſſitudo affecit. Nulli, quantumlibet interroganti, quidquam loquebantur, veſtimenta, & calceamenta non ſunt trita: Et primo quidem uſque ad genua, deinde uſque ad femora, terræ ſub pedibus conculcatæ videbantur immerſi; Filius quoque ipſius Sacerdotis, cùm ſororem ſuam accepto brachio de medio ſaltantium vellet cum violentia educere, brachium ejus de corpore abſtulit. Illa autem quaſi nihil paſſa, nec doluit nec emiſit vocem, nec una quidem gutta ſanguinis diſtillavit, ſed choream continuavit cum reliquis inceptam. Anno tandem evoluto ſanctus Heribertus Archi-Epiſcopus Colonienſis ad cœmiterium venit, & ſaltantes à maledicto abſolvit, introductosque in Eccleſiam Domino reconciliavit: E quibus fœminæ mox obierunt: virorum quidam in brevi, qui etiam miraculis poſt mortem claruiſſe feruntur, quippè qui duram ſatis pœnitentiam egerint. Reliqui verò quibus diutius licuit vivere, tremore membrorum quid paſſi fuerint, oſtenderunt. Hæc ex variis hiſtoricis fide dignis.

Cæterùm, ut diebus istis ab his te ſubtrahas, & Deo potius quàm vanitatibus illis periculoſis tempus impendas, expende documenta quæ vir piiſſimus Franciſcus Sales tradit tibi rememoranda. Attende, inquit, primò quod dum homines vani huic ludo vacant, multæ animæ in inferno torquentur ob peccata in choreis commiſſa. Attende ſecundò, ad pias multas animas eadem hora coram Deo aſſiſtentes, ejuſque laudes canentes, & divina beneficia contemplantes. An non fœlicius tempus illud impendunt, quàm gyrovagi iſti juvenes & puellæ? Illos ergo imitare, Deo vaca & illis te comitem junge. Attende tertiò, quod dum his vacares, mille animæ maximis anguſtiis ex hac vita diſcedunt: & multa millia tam virorum quàm mulierum cum acerbiſsimis doloribus conflictentur in lecto anguſtiæ detenti Horum potius oporteret te compati, pro his Deum obtestare, ut illi participes fierent orationis & tuæ compaſsionis, tu verò pœnitentiæ eorum & Paſsionis. Quartò attendat Virgo choreas Cœli & Sanctorum, maximeque Virginum cum Agno immaculato, de quo dicitur: *Qui paſcis inter lilia: Septus choreis Virginum: Sponſus decorus gloria: Sponſisque reddens præmia.* His frequenter privantur, quæ ſæculi vanitatibus & choreis deditæ ſunt: quia ſæpe cum injuria Creatoris & Sponſi, vacant choro ſatanæ & pompis ſæculi, baptiſmi ſui & abrenuntiationis ibi factæ immemores.

TRACTA-

TRACTATUS IV.
DE PRÆCEPTIS SECVNDÆ TABULÆ.

LECTIO I.

DE QUARTO PRÆCEPTO.

HONORA PATREM ET MATREM, &c.

1. *Docet in quo consistat honor.*
2. *Hunc honorem perdurare etiam post mortem.*
3. *Explicat benedictionem obedientiæ promissam.*

PROPOSITIO I.

Ob hoc Præceptum tenentur filii Parentibus exhibere amorem, reverentiam, obedientiam, sustentationem.

HÆc omnia continentur in hoc verbo, *honora*, ut passim docent sacri Interpretes. Nec mirum, si hæc omnia Parentibus debeamus, cum etiam agnoverint Philosophi, Diis, Parentibus, Magistris nos æquivalens reddere non posse. Et Philo vocat Parentes Deos visibiles, quibus summè obligamur, eo quod ab eis habeamus tria, essentiam, educationem, instructionem: ut non mirum sit, si propterea rependere debemus amorem, obedientiam, sustentationem.

Philo.

1. *Amorem erga parentes internum & externum.*

Primò ergò debemus amorem: & hic naturaliter cordibus nostris insitus est erga Parentes, qui tanto nos amore sunt persecuti, ut indicibili labore ab infantia ad ætatem usque maturam perduxerint: à quibus etiam toti dependere debemus, cùm ab illis acceperimus totum quod sumus. Unde si amorem non rependimus, jam quadam ratione filii esse desinimus. Sic dicebat B Chrysologus: *Tolle radium à Sole, & non lucet: rivum à fonte, & desiccatur: ramum ab arbore & arescet: membrum à corpore & putrescet: Sic separa filium à devotione paterna, & jam non est filius.* Hunc amorem cum honore ut Parentibus rependamus, monet Ecclesiasticus c. 7. dicens: *Honora Patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliviscaris, memento quoniam nisi per illos natus non fuisses, & retribue illis quomodo & illa tibi.* Q. D. Rependе quanta sollicitudine, quanto amore, quanto labore te susceperint ac educarint, sibi plurima subtrahentes, ut providerent tibi: tu repende illis sollicitudinem, laborem, amorem. Specialiter autem meminit Matris, dum dicit: *Gemitus Matris ne obliviscaris:* quia licet labores, sollicitudo, ac amor Patris minores frequenter non sint: tamen dolor, labor, sollicitudo, amor matris manifestiores solent esse & sensibiliores, in gestatione uteri, in partu, in lactatione. Quanta post conceptum fœtum subit Mater fastidia, insomnia, vertigines, melancholias, præcordiorum angustias? Quam graves in partu dolores, qui frequenter etiam cum mortis periculo sunt conjuncti? Deinde proles edita quotidie cibanda est, mundanda, fascianda, cunis agitanda ut dormiat, eximenda ut sugat, disponenda ut exoneret, mulcenda ne ploret, ita ut nocte dieque amor maternus circa infantem occupetur nec aliud facere possit aut cogitare. Deinde proles grandior effecta majores affert curas & dolores, ut illi provideatur, ut instruatur, ut à malis consortiis avellatur, ut à flagitiosa vita abducatur, ab alea, poculis, libidine. Et hæc omnia amor maternus libens sustinet. Propterea monebat Tobias filium: *Honorem habebis Matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus,* (sub honore amorem complectitur) *Memor esse debes, qua & quanta pericula passa sit propter te.* Sicut autem Matri, ita & Patri amor hic debet rependi: quia licet mater tenerius amare videatur, tamen non minus solidus est amor Patris. Et cum sit ipse primarium principium naturalis originis, per se loquendo magis est diligendus, ut docet D. Thomas 2.2. quæst. 26. ita ut teneatur potius alere Patrē quàm Matrem, si utriq; succurrere non potest.

Ecclī. 7. 29.

Tob. 4. 3.

D. Tho. 2. q. 26.

Peccant ergo contra hoc præceptum, non solùm qui odio habent patrem vel matrem, sed & illi, qui eorum optant mortem, etiamsi non ex odio, sed ut adire possint hæreditatem: estque peccatum mortiferum ex voluntate deliberata id desiderare, quod utinam frequens non foret.

Nec socer à genero, non hospes ab hospice tutus.
Filius ante diem, patrios inquirit in annos.

Patet utique hoc in Absalone paternæ vitæ insidiante, ut ejus sceptro & diademate frui posset. Ambitio itaque filialem amorem in odium convertit & rebellionem: quam celeri & infausta morte plectere voluit Deus, ut omnibus filiis rebellibus

1. Reg. 15.

Digitized by Google

bus funestum exemplum proponeret, quos eos ab odio paterno revocaret, & ad amorem honoremque inflecteret.

Notabile est quod de ejus sepulchro referunt aliqui qui Palæstinæ loca peregrinantes invisérunt. Circa vallem Josaphat adhuc visitur inter alia ibi magnifica sepulchrum rebellis Absalonis, quod sibi erexerat putans ibi sepeliri cum inclytis terræ. Sed aliter accidit, nam ut refert Scriptura, sepultus fuit in sylva Ephraim sub acervo lapidum
2.Reg.18. 17. 2. Reg. 18. Quibus lapidibus obrutum fuit ejus corpus, etiam post mortem, in punitionem criminis. Adhuc hoc tempore Turcæ & Judæi, imò & Christiani orientales, deducentes pueros suos per vallem Josaphat, apud monumentum illud Absalonis paulisper hærent: & lapidibus imperentes illud, jubent quoque idipsum à filiis suis fieri, alta voce inclamántes: Ecce, ecce perfidus ille & patricida, qui in patrem insurrexit. Ita refert
Joan. Bouch. l.2.c.21. R. P. Joannes Boucher in fasciculo peregrinationis suæ l.1.c.21.

Neque verò sufficit amor internus erga parentes, sed & tenentur filii signo exteriori quandoque illum manifestare. Hinc peccant, qui licet corde odium non gerant, vix tamen signum aliquod amicitiæ parentibus exhibent, vix verbum bonum, sed aspere & quasi imperiose & agunt & loquuntur, torvéque inspiciunt. Licet ergo hi filii necessitatibus eorum subveniant, nihilominus sic aspeté se gerentes & eos contristantes, peccato mortali possunt conscientiam onerare, ut docet
Sylvest. v. Filius. *Sylvester* verbo *Filius*, maximè quando id frequenter contingit, & gravis tristitiæ occasionem donant: quia eis & solatium & signa amoris exhibere tenentur. Multò verò gravius peccant, qui contumeliosis verbis eos exasperant. Si enim *reus gehennæ dicitur, qui fratri suo dixerit fatue*, deridendo, molestando, confundendo: quanto magis reus erit, qui matrem exasperans, vetulam, edentulam, fatuam appellat, aliaque contumeliosa verba im-
Eccl 3.18. properat: *Maledictus à Deo, qui exasperat matrem*, maledicti à Deo, qui parentibus malè imprecantur.

2. Reverentiam interiorem & exteriorem.

Secundò debemus parentibus reverentiam, tum interiorem, tum exteriorem; & ita hæc reverentia non solùm consistit in capitis denudatione, sed etiam in humili animi submissione, non solum in deferendo eis primum locum in consessibus, sed etiam reverenter audiendo eos in colloquiis, supportando etiam defectus & infirmitatem eorum. Hinc monet Sapiens. Eccl.3.14 *Fili suscipe senectam patris tui, & si defecerit sensu veniam da, & ne spernas eum in virtute tua.* Item: Ibid.v.9. *in omni opere & sermone & patientia, honora patrem tuum, ut supperveniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in novissimo maneat* q. d. Parens tuus senex est, senectus multas secum vehit infirmitates & defectus; quandoque absorbet etiam prudentiam judicii in opere aut sermone: tu verò ne propterea despicias eum, sed semper reverere, supportans cum omni patientia morosam deficientemque senectutem, multis infirmitatibus obnoxiam. Illam pallio quodam reverentiæ excusa & rege, ut superveniat tibi benedictio à Deo, & benedictio illius maneat in novissimo, sive ut divinus favor usque ad finem vitæ tuæ duret, & senectæ quoque tuæ infirmitates supportent filii tui. Non enim oblivisceetur Deus hujusce reverentiæ & patientiæ tuæ.

Vide exemplum hujusce reverentiæ in Salomone Rege, qui matri venienti ad se allurgit, & in solio juxta se eam collocat. Vide & in Josephi qui patrem venientem ad se in Ægyptum adeò nonorificè excipit, & senectam ejus fovendam suscipit, nec eum despicit egenum, licet Vice-Rex Ægypti foret. 3.Reg.2. 19. Gen 46. 29.

Præclarum quoque hac in re est quod legitur. Cùm Decius Imperator Decium filium in suum locum vellet subrogare, renuit ille dicens: *Verror, ne si fiam Imperator, dedisceam esse filius: malo non esse Imperator, sed humilis filius, quàm Imperator & filius indevotus: Imperet Pater, meum erit parere imperanti.*

Non sic se gerunt multi filii hujus sæculi, qui ex ignobili genere ad sublimiorem fortunam evecti, statim oblivisciuntur originis suæ, parentesque despiciunt, & sibi dedecori ac contumeliæ futurum existimant, si filii eorum habeantur. Contingit multis quod cuidam filio Carbonarii contigisse narrat Godscalcus Concionator Ordinis D. Aug. Godscal. conc. ord. S.Aug. Hunc Pater adolescentem sustentarat, quem fortuna postea ad regnum evexit. Audiens id senex jam Parens, accurrit ut congratuletur. Ille ne videre quidem eum simulat. At Pater: Quid Fili, an me parentem tuum non agnoscis? Respondet ille: Quomodo te agnoscam, qui meipsum vix agnosco?

Non sic Agathocles, qui cum Parentem habuisset figulum, postea ad Regnum evectus non despexit originem suam, sed ut illius memor foret, vasa testacea inter argentea & aurea mensæ suæ volebat deservire. Diodor. Sic.l.19.

Non sic Willegisus Saxo, qui cum Patre infimæ sortis plaustrario natus foret, tamen ingenio præclaro & virtute excultus fuit: adeò ut Otthonis II. Imperatoris Archicapellanus fieret, & illo officio præclarè functus ad Moguntinam sedem evectus est Anno 976. ab Otthone III. Primus Elector constitutus. Advertens verò quam facilè genus humanum superbiret: ut suæ originis, parentelæ, conditionis meminillet, in conclavi suo rotam in pariete depingi fecit cum hac inscriptione: *Willegise memineris quid sis & quid fueris.* Hæc rota, postea ut insigne, Archi-Episcopatui Moguntino ab Henrico II. Imperatore confirmatâ fuit. Et hac ratione factum est, ut ille humilitatis exemplar, per 36. Annos optimè regeret Moguntinam Ecclesiam Deo & hominibus gratus. Ita referunt Joannes Zieglerus de vitis illustribus; Joannes Nauclerus. Naucler. chron. vol.2. generar.j. An.1010. Suffrid. presb. l.1. epitom.

Neque

Digitized by Google

Platus l.2. de bono ſtatus relig. c.28.

Neque vero prætermittendum hic eſt, quod Benedictus XI. Anno M.CCC.III. erga matrem geſſit. Cum enim ad ſummum Pontificatum ex Ordine S. Dominici evectus fuiſſet, & mater adhuc ſuperſtes, pauper omnino ac tenuis, gratulandi cauſa Romam advolaſſet, & ad Pontificis conſpectum, cum elegantiori cultu, quem amici largè ſuppeditaraut, introducta eſſet, ille per diſſimulationem quaſi eam non noſſet, quærivit quænam illa eſſet adeò nobis mulier? Cum reſponſum eſſet ejus eſſe matrem. Nequaquam, inquit, nam matrem meam ſcio admodum inopem eſſe, nec ad tales veſtes ſumptum habere. Quibus illa verbis icta, & rubore perfuſa abſceſſit: ſed cum paulò poſt cum propriis veſtibus reducta eſſet, ſurgens a ſede Benedictus, hanc vero dixit ſuam eſſe matrem, non illam priorem, interquæ verba eam amanter amplexatus eſt.

3. Obedientiam. Prov. 1.8

Tertio, debemus parentibus obedientiam. Hinc dicit Sapiens: *Audi fili mi diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ:* Hoc eſt, audi præcepta patris corde humili & aure obediente: Cum enim Deo tanquam primo Parenti obedientiam debeas, etiam patri illam deferre teneris, quia vicariam quandam gerit poteſtatem in terris illius, ex quo omnis paternitas in Cœlis; & ita læſio auctoritatis ejus in Deum proxime redundat: In patre ergo conſidera, cole & reverere Patrem cœleſtem & æternum, cujus imaginem & perſonam repræſentat, & ſic prompto animo obſequere. Neque vero debes eſſe contentus obedientia patris, matri quaſi infirmiori nolle obedire: quia non ſolum dicit Sapiens, ut audias præcepta patris, ſed etiam addit, ut non dimittas legem matris. Utrumque ergo audi; ſolent enim docere te utilia, & honeſta ſuadere. Et licet ipſi pravi ſint, filios tamen probos ordinarie cupiunt eſſe, & ideò eorum præcepta ad probitatem incitantia (etiamſi ipſi improbi ſint) non debes contemnere. Nec debes attædiari, licet ſenes ſint, & jam ſenſu etiam deficientes, aut ſatis moroſe in præcipiendo ſe gerentes, ſed patienti & prompto corde oportet te eos auſcultare. Optime autem legunt hic Septuaginta: *Ne evellas legem matris tuæ.* Quaſi dicat Sapiens: Monita ſalutis, quæ à pueritia animo inſevit mater, ne eradices. Qui præcepta tradit vel monita, cenſetur quaſi ſerere bonam doctrinam ſemenque: & matris munus eſt in filiorum animo quaſi tenello agro, monita ſalutis & inſtruAug. in l. 1 conf. c. 9. ctionis ſerere & plantare. Unde D. Auguſt. *Non enim jatis eloquor, quid erga me habebat animi: & quantum majori follicitudine me parturiebat ſpiritu, quam carne pepererat.* Mater mea præcepta vitæ, quæ in animo plantaverat verbo, rigabat lachrymis, alebat exemplis. Ergo, fili, legem quam forte mater plantavit verbo, frequenter repetens infixit, lachrymis rigavit, exemplis alit, ne eradices, ſed germinare permitte: videbis poſtea bonum germen, probitatem vitæ inde exſurgentem. Sed nec Prov. 1. 9. ſine præmio eris. Vis aliud noſſe? *Addetur,* inquit, *gratia capiti tuo, & torques collo tuo,* q. d. Hæc obedientia erit non tantum inſtar coronæ ſpecioſæ ſuper verticem tuum, ſed etiam per illam aſpirare dicebatis ad æternam & immarceſſibilem coronam: *Coronam gratiarum vertici tuo ſuſpiciet,* inquiunt Septuaginta: Hoc eſt, omnia dona Dei cœleſteſque gratiæ verticem tuum coronabunt, ſi obedientiam perfectam cordi habueris, quia ex illa aliæ dotes orientur, & Deus illis te ornabit in præmium quoddam obedientiæ. *Ornamenta juvenilis ætatis ſunt,* inquit Ambroſius, *& adoleſcentium honor, timorem Dei habere, parentibus deferre, honorem habere ſenioribus, caſtitatem tueri, diligere ſuavitatem & verecundiam, hæc eſt corona gratiarum.* Ambr. l. 8. offic. Hæc eſt pulchra & ſplendida gemma morum, verecundia in vultu, obedientia in adoleſcentis vita: *Bona utique ſpei bonaque indolis nuntia eſt, expugnatrix malorum, propugnatrix puritatis innata ſpecialis gloria conſcientiæ, famæ cuſtos, vitæ decus, virtutis ſedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, & inſigne totius honeſti,* inquit Bernardus. Bern. ſer. 8 in Can. Sicut in ſenibus ſobrietas & morum perfectio requiritur: ita ab adoleſcentibus obſequium, ſubjectio & obedientia rite debetur. *Et ſicut fructus non invenitur in arbore, in qua flos prius non apparuit,* inquit Cyprianus, *ſic in ſenectute honorem legitimum conſequi non poterit, qui in adoleſcentia diſciplinæ ſe non ſubjecit. Diſciplina autem non eſt abſque obedientia: Adoleſcens ergo ſine obedientia, adoleſcens eſt ſine diſciplina.* Cypr. de 12. abuſ.

Sed quæritur, in quibus teneatur filius obedire parentibus? Reſpondeo, in his quæ ad regimen domus ſpectant, vel quæ ad bonos mores, ad ſalutem animæ pertinent. Itaque peccare cenſetur mortaliter filius, ſi parentibus non obediat, in his quæ gubernationem rei familiaris concernunt, dum res gravis præcipitur, maxime quando quædam obſtinata voluntas hic incurrit. Vide Navarrum, Navarrus. item quando non obedit parenti, in his à quibus morum diſciplina multum pendet, v. g. dum præcipit, ut noctu non egrediatur filius domo ad nocturnas graſſationes, ut fugiat ſodalium aliquorum conſortium, quod ipſi noxium eſſe novit & periculoſum, ut domos certas ſuſpectas ob luxuriæ occaſionem, vel ludos prohibitos evitet, ut Concioni aliiſque officiis divinis interſit. In his & ſimilibus dum ſevere præcipient, ſi non obeditur, frequenter peccatum mortale intervenire poteſt. Denique hunc honorem debet filius & obedientiam parenti, ut conſulat eum, ſi matrimonium inire velit. Unde & patri injuriam irrogat, quando indignam natalibus & parentela uxorem ducit, nec poteſt ſine juſta & rationabili cauſa contra ejus conſenſum uxorem ducere.

In his tamen, ad quæ jus paternum ſeſe non extendit, & in quibus parentes ſuperiores filiis non ſunt, non tenetur obedire, v.g. ſi præcipit Religionem ingredi aut non ingredi. Licet enim in his poſſit filius audire conſilium parentum, non tenetur

Digitized by Google

netur tamen obedire, ſi Dei inſpirationi contrarietur. Nam tunc verum eſt: *Licet ſparſo crine, & ſciſſis veſtibus ubera, quibus te nutrierat mater oſtendat, licet in limine pater jaceat; per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, ſiccis oculis, ad vexillum Crucis evola: ſolum pietatis genus eſt in hac re eſſe crudelem.* Vide quæ fuſè & doctè hac de re tractat Platus l.3.c.34.

Hier. ep. ad Heliod.

Memorabile eſt, quod Hieronymus commemorat in epiſt. ad Lætam: *Prætexata nobiliſſima quondam fœmina, jubente viro Hymetio qui patruus Euſtochii virginis fuit, habitum ejus cultumque mutavit: & neglectum crinem mundano more pexuit, vincere cupiens, & virginis propoſitum & matris deſiderium. Et ecce tibi eadem nocte in ſomnis cernit venuſſe ad ſe Angelum terribili voce minitantem pœnas, & hac verba frangentem: Tunc auſa es viri imperium præferre Chriſto? Tu caput Virginis Dei, tuis ſacrilegis attrectare manibus? Ha jam nunc arefcent, ut ſentias exruciata quid feceris, & finito menſe quinto ad inferna duceris. Sin autem perſeveraveris in ſcelere, & marito ſimul orbaberis & filio. Omnia per ordinem expleta ſunt, & ſeram miſeræ pœnitentiam velox ſignavit interitus.*

Idem ep. ad Lætam.

Cum vero parentes contra bonos mores aliquid præcipiunt legique divinæ adverſum, tunc verum eſt illud Apoſtoli: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Et illud Evangelii: *Si quis non odit patrem & matrem, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Propterea etiam monuit Apoſtolus ad Epheſ. 6. *Filii obedite parentibus veſtris in Domino:* Hoc eſt, ſecundum Domini legem & præceptum, ſi conformia pietati & cultui Domini præcipiant: Si enim impia jubent, jam non in Domino præcipiunt, ſed contra Dominum, & ideò neque tunc illis obediendum. Ideo tot Martyres legimus adoleſcentes & adoleſcentulas paternis præceptis repugnaſſe ab illis eorumque patria poteſtate diſceſſiſſe, quia fidei Deo debitæ & Religioni Chriſtianæ adverſabantur.

Act. 5. 29. Luc. 14. 26. Eph. 6. 1.

Habes præclarum exemplum in Celſo adhuc puero. Hic cum vidiſſet Julianum Martyrem poſt dira tormenta vinculis ferreis oneratum, circuire civitatem ſub voce præconis inclamantis: *Hæc sneruntur Deorum rebelles & Principum contemptores:* Divino lumine illuſtratus, conſpexit caput ejus gemmis & auro coronatum cum multitudine Angelorum circumſtantium. Ideòque Collegium, in quo ſtudiis literarum vacabat, magiſtrumque ac diſcipulos relinquens, ad S. Julianum accurrit, ejus pedibus ſe proſternit, vulnera Martyris oſculatur, eumque obſecrat ut ſecundæ nativitatis ſibi parens eſſe velit. Erat hic puer filius Marciani Præſidis, qui Julianum tormentis ſubjecerat. Accurrit ille, venit & mater cum tota familia, crine ſoluto, nudatis uberibus, ut à Juliano eum avellat. Sed cum quis puerum à Juliani complexu avellere conabatur, illius ſtatim manus & brachia contrahebantur. Rem ergo magicis artibus tribuens Marcianus Præſes, obſecrat nihilominus Julianum, ut puerum dimittat, in quo proſapiæ ſuæ ſpem totam collocarat, & matris totiuſque familiæ planctum attendat, ſeque Imperatori ſuggeſturum promittit, ut poſſit illæſus dimitti Julianus. Reſpondet ille: Suffragio tuo apud Imperatorem non egeo, nec his exſolvi vinculis deſidero: Ecce adeſt qui à te natus, modo credendo mecum renatus, ipſe tibi & matri reſpondeat. Reſpondit ergo puer divinitus inſtructus: *De ſpinis roſa naſcuntur, nec roſa nata de ſpinis odorem ſuaviſſimum, nec frutex ſpinoſus qui roſas adorantes gennit, amittit aculeum. Vos ergo Parentes mei ſpina eſtis, veſtrum eſt pungere, pergite ut conſueviſtis: me autem roſa odorem credentibus exhalare permittite. Vobis obediant qui pevire parati ſunt, me imitentur qui de tenebris ad lucem venire contendunt. Ego pro Chriſto, vos parentes abnego, & per mortem temporalem, vitam æternam acquiro. Non poſſum in vos pius eſſe, & in me crudelis. Quid moraris? Quaſi incredulus & crudelis, non quaſi Abraham, paternus manibus apprehende gladium, & victimam offer filium. Vani ſunt vultus veſtri, falſa lachryma, ab hac confeſſione pietatis nemo me valebit diſjungere.* Mox ergo jubetur in tenebroſum carcerem vermibus ſcaturientem includi, quem ingreſſus, ſtatim tenebræ vertuntur in lucem, & ebulliens pœna diſparuit. Poſtea verò necem pro Chriſto ſubiit. Vide Surium Tom.1. 9. Januar.

Surius 9. Jan.

Quarto, parentibus debemus ſuſtentationem & obſequium in ſublevanda neceſſitate eorum corporali. Hæc ſuſtentatio intelligitur nomine honoris, dum dicitur: *Honora Patrem tuum.* Ut enim dicit D. Hieron. *Honor in Scripturis non tantum in ſalutationibus & officiis deferendis, quantum in eleëmoſynis ac munerum oblatione conſtetur.* Hinc dicitur: *Presbyteri qui bene præſunt, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina.* Ubi per duplicem honorem intelligit, & illum quem illis exhibemus, tum exteriorem, tum interiorem, & illum quo eis congrua, ad ſtatus ſui ſuſtentationem providemus. Sic & Apoſtolus: *Viduas honora, quæ vere viduæ ſunt,* eleëmoſynis ſcilicet & auxilio liberalitatis. Itaque attendens Dominus frequentem parentum penuriam, ob imbecillitatem vel ætatem deficientem, præcipit, ut parentes ſuos honorent filii, neceſſaria eis ſubminiſtrando. Quamvis enim & hoc eis deberi, naturæ quoddam jus doceat, non tamen ita clarè, ſicut quod parentes filiis ad id teneantur: & ideò mandato opus fuit, cui adjecta eſt promiſſio longævæ vitæ. Sicut ergo parentes ad nutriendum filios ex natura, ita filii alliciantur ſaltem ex præmio. Videmus quod truncus providet ramis, non rami trunco: corpus membris, non membra omnia corpori: Sol radio, non radius Soli, fons rivo, non rivos fonti: ſicque excuſare ſe poſſent filii erga parentes. Sed modò poſt præceptum & promiſsionem, quis erit excuſationi locus?

4. Suſtentationem.

Hieron. 1. Tim. 5. 17. Ibid. v. 3.

Vo-

Verùm qui mandato, aut promissione non trahuntur, animalium saltem innumerabilium exemplo moveantur, aut ingratitudinis condemnentur. Notum est de ciconia exemplum, referente D. Ambrosio l. 3. Hexam. c. 16. Solent enim ciconiæ piæ aves parentes senes plumis nudatos tegere, fovere alis, nutrire alimentis. Audi verba Ambrosii: Quam verò rationabilium excedat pietatem ciconiæ clementia, considerandum est, nam depositi patris artus, per longævum senectutis plumarum tegmine alarumque remigio nudatos, circumstans soboles pennis propriis fovet, & collatitio cibo pascit, imò & reparat naturæ dispendia: ut hinc atque indè sublevantes senem, fulcro alarum suarum, ad volandum exerceant, & in pristinos usus desuета revocent pii patris membra. Quis nostrum levare ægrum non fastidiat patrem? Quis fessum senem suis humeris imponat? Quis, ut pius sit, non hoc servuli, mandat obsequium? At verò avibus non est grave, quod pietati est plenum; non est onerosum, quod solvitur naturæ debito: Non recusant pascere patrem, quod plerique hominum recusarunt: Non erubescunt senis membra portare, est enim vectura pietatis. Hæc Ambrosius. Alia quoque animalia obsequium exhibent parentibus. Soli vultures, parentes fame perire sinunt.

Plin. l. 7. c. 36. Val. Max. l. 5. c. 4. n. 7.

Exemplum præclare hac de re pietatis in parentes refert Plinius l. 7. c. 36. Humilis, inquit, in plebe, & ideò ignobilis puerpera, supplicii causâ carcere inclusam matrem (cum impetraßet aditum à Janitore, semper excussâ ne quid inferret cibi) deprehensa est uberibus suis alens, quo miraculo matri donata salus filiæ pietate est, ambæque perpetuis alimentis: & locus ille Deæ pietati consecratus est, templo Pietati exstructo in illius carceris sede, ubi nunc Marcelli theatrum est.

Eccl. 7. 30.

Peccant itaque, qui in senectute parentes negligunt, non attendentes illud Eccl. 7. 30. *Retribue illis quomodò & illi tibi.* Nempè non poteris reddere eis æquivalens, etiamsi alimenta retribuas, nam illi de propria substantia filios & genuerunt, & nutrierunt, filii verò ex aliena. *Pasce, ô fili,* (inquit Ambrosius) *parentes, illi debes quod habes, cui debes quod est.* Hinc & Christus reprehendit Pharisæos, qui prætextu quodam religionis & oblationis quæ fiebat templo, neglectum sustentationis in filiis inducebant: Dicebant enim Deo gratius fore, si templo offertur, quam si parentibus daretur. Undè dicit eis:

Matt. 7. 11

Vos autem dicitis, si dixerit homo patri & matri Corbam (quod est donum) quodcunque ex me tibi profuerit: & ultrà non dimittitis eum, quicquam facere patri suo & matri, rescindentes verbum Dei, per traditionem vestram quam tradidistis.

PROPOSITIO II.

Pietas in parentes usque ad mortem, imò & post mortem debet perdurare.

Rectè nimirùm dixit Sapiens: *Omni tempore diligit, qui amicus est: & frater in angustiis comprobatur.* Itaque qui parentes verè diligit, debet & in prosperitate & in adversitate, & in vita & morte amorem exhibere: imò nec mors amorem illum filialem debet dissolvere. Prov. 7. 17.

Amicitiæ hieroglyph.

Antiqui Scriptores sivè pictores, ut amicitiæ effigiem nobis exhiberent, solebant depingere juvenem formosum, capite detecto, cum veste secta & hirta, scripturam in fronte gerentem. *Æstas & hyems.* Latere aperto usque ad cor, & digito demonstrabat in corde scriptum, *longè & propè*, & in fimbria vestis, *vita & mors.* Hanc effigiem novissimè adhuc Leodii vidi.

Ætas juvenilis, significabat amorem debere semper esse recentem, nunquàm veterascere. *Hirta vestis*, amicum debere esse paratum ad perferendum pro amico labores. *Caput detectum*, amicum propter pudorem nunquam negandum. *Æstas & hyems*, in adversis & prosperis esse diligendum. *Latus usque ad cor apertum*, ex corde sincero amandum. *Dum cor manu ostendit*, significat amorem qui in corde est, operibus manifestandum. *Longè & propè*, sivè præsens sit sivè absens, amorem non debere abesse. *Vita & mors*, diligendum etiam post mortem.

Si hæc debentur amico, quantò magis parentibus nostris? itaque in mortis periculo debent filii parentibus subvenire, non solùm quoad necessitates corporales, sed maximè quantum ad spirituales: auxiliando ad felicem mortem obeundam: advocando eos, qui consolationem & instructionem eis possint impendere, curando ut tempestivè, dum bono adhuc judicio pollent, sacramenta eis administrentur, testamentum condatur, ordinenturque cætera, quæ ad conscientiæ sublevamen conferunt. Quia sicut ipsi ab ineunte ætate sollicitam nostri curam gesserunt, ut in omni probitate educaremur, & per Christiana sacramenta nos Deo dedicarunt, fidem moresque probos tum per se, tum per alios nobis inculcarunt: ita & nos illis retribuere debemus. & omni sedulitate curare, tum per nos, tum per alios, ut ultimæ senectæ dies Deo dedicent, ut Christo feliciter moriantur, ut ab æterna morte eripiantur. Peccant ergò hic aliqui filii, qui cupiditate impulsi, impediunt ne testamentum ordinent, ne legata pia faciant, ne debita aliqua ante mortem solvant, quæ omnia ad exonerationem conscientiæ & opem animæ plurimùm conducerent. Quærunt solùm quæ sua sunt, de dispositione spirituali eorum sollicitari, imò impediunt, ne Religiosi viri aliquando ac-

Digitized by Google

do accedant, ſub eo prætextu, quod eis infirmis caput obtundant, aut ſcrupulos moveant, cum de ſecuritate conſcientiæ cum eis agant.

Poſt mortem verò hic amor oſtenditur, primò in ſepultura, de qua dicebat Tobias filio: *Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum ſepeli, & habebis honorem matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus: Cum autem & ipſa compleverit tempus vitæ ſuæ, ſepelias eam circa me.* In uno ſepulchro ſcilicet, hoc enim modo Patriarchæ cum conjugibus ſepulti ſunt, Abraham cum Sara, Iſaac cum Rebecca. Hæc conjunctio ſignificat conſtantem & perennem inter conjuges amorem, ut quos colligavit unum conjugium, conjungat & unum ſepulchrum, quia conjugalem charitatem nec ipſa mors dirimit.

Tob. 4. 3.

Gen. 25. 10. & 49. 31.

Refert D. Gregor. Turonenſis de duobus conjugibus Avernenſibus, qui caſtè in matrimonio vixerant: quod cùm uxor obiiſſet, maritus elevatis in cœlum manibus dixerit: *Gratias tibi rerum omnium artifex ago, quod ſicut eam mihi commendare dignatus es, ita tibi eam reddo ab omni voluptatis conjugio impollutam.* At illa ſubridens ait: *Sile, ſile vir Dei, quia non eſt neceſſe prodere noſtrum ſecretum.* Paulò poſt mortuus maritus, alioque loco ſepultus: & ecce mane inventi ſunt pariter ſepulti, qui uſque hodie ſic perdurant, idcircò incolæ nunc duos amantes vocitant, & ſummo venerantur honore. Ita ille.

Gregor. Turon. de gloſ. Confeſſ.

Juſta ergò ordinatio parentum de ſepultura & honore funeris, debet a filiis executioni mandari. Sic juſtè Jacob ad filium Joſeph ait: *Non ſepelias me in Ægypto, ſed in ſepulchro Majorum meorum.* Juſtè quoque Joſeph ordinat, & adjurat fratres ſuos, ut oſſa ſua ex Ægypto aſportent. Deſiderabant hi terram promiſſionis, & in illa volebant ſepeliri, quam Chriſti & Apoſtolorum pedibus ſanctificandam prævidebant, & in horum meritis confidebant.

Gen. 47. 29.

Secundò, amor in parentes poſt mortem oſtenditur, piis operibus eos juvando. Sic pius eſt aliquorum Catholicorum mos, in die funeris parentum ſacram communionem ſumere, illis fructum applicando. Pius quoque mos largam eleëmoſynam pro refrigerio animæ eorum diſtribuere. Dicit enim Eccleſiaſticus cap. 3. *Eleemoſyna patris non erit in oblivione: nam pro peccato matris reſtituetur tibi bonum.* Quod aliqui explicant, quaſi velit dicere: Eleëmoſynam pro anima patris datam, coram Deo eſſe acceptam, nec oblivioni tradendam, ſicut nec eleemoſynam pro peccato matris datam, ſed illam non ſolum eſſe profuturam, ſed & filio in bonum vertendam ac reſtituendam. Quapropter ſubdit: *In juſtitia adificabitur tibi & in die tribulationis commemorabitur tui, & ſicut in ſereno glacies ſolvuntur peccata tua.* Ubi tria promittit pro pietate defunctis parentibus exhibita. Meritum ſcilicet vitæ æternæ, dum dicit: *In juſtitia adificabitur tibi:* Mortem bonam & felicem dum dicit: *In die tribulationis*, ſivè mortis *commemorabitur tui.* Peccatorũ remiſſionem, dum addit: *Sicut in ſereno glacies ſolvuntur peccata tua.* Sed efficaciſſimum auxilium illis poſt mortem impendendum, eſt ſacrificium, quod propitiatorium eſt pro defunctis, ſicut & ſacrificium Crucis, ibi illis applicatur ſanguis JESU Chriſti *melius loquens quàm Abel.* Ideò moriens S. Monica a filio ſuo Auguſtino non aliud petiit, quàm ut ſui meminiſſet ad altare.

Eccl. 3. 16.

Ibid. v. 17.

Aug. l. 9. conf. c. 11.

Tertiò, amor in parentes mortuos exhiberur teſtamenti eorum adimpletione. Si enim obediens fuit filius voluntati paternæ, cum hæc ſit ultima ejus voluntas, planè ſollicitè oportet eam adimplere; ne fortè dilatione tardius animæ liberentur, ut aliquandò contigiſſe legimus. De qua re iterum alibi. Peccant ergò filii graviter, qui ex cupiditate, vel gravi negligentia, teſtamenta, & maximè legata pia in longum tempus differunt adimplere: *Bibunt vinum in phialis*, & ſubſtantiam devorant parentum defunctorum, ſed non compatiuntur ſuper contritione & afflictione eorum. Imò ſacrilegè detinent, quæ in pias cauſas eorum ordinatione debebant erogare: Ideoque juſto quandoque Dei judicio illis accidit infœlix mors, ſimulque contingit, quod poſteà hæredes eorum voluntatem ſimilem teſtamenti ipſorum, nihil ſolliciti ſint adimplere.

Amos 6. 6

Peccant & illi filii, qui altercationibus, & litibus omnia commiſcent; ſicque executionem voluntatis paternæ, in teſtamento deſignatæ, impediunt, cum eorum præjudicio. Undè & contra eos clamant parentum defunctorum animæ. Et frequenter contingit eos litigare matre adhuc ſuperſtite, nullâ habitâ ratione monitionis ejus, & obedientiæ ei debitæ. Hinc Julia Severi Imperatoris, cùm duos filios à contentione & imperii diviſione revocare non potuiſſet, tali ad eos fertur uſa oratione: *Terram quidem & mare, ô fili, jam invenîſtis, quo pacto dividatis? Matrem verò quomodò dividetis? Infœlix ego, quomodò inter utrumque diſtribuar? Me igitur primam occidite, dimidiamque uterque apud ſe partem ſepeliat.* Hâc illâ oratione fortiter, & animo pluſquam fœmineo uſa eſt, ut diſcordiarum fomitem ſopiret, quem accenſum inter filios videbat, ob rerum temporalium nimium amorem, matre lachrymis fruſtra illum ſopire tentante.

PROPOSITIO III.

Non carent filii in parentes pii benedictione, ſicuti nec impii maledictione.

PRimò ergò promittitur eis longa vita ſuper terram. Hæc promiſſio æqua eſt & congrua, quia juſtum eſt, ut filii qui parentibus grati ſunt deacceptâ vita illos honorando, longæ vitæ ab eis acceptæ

Digitized by Google

acceptæ conservationem obtineant. Hoc meretur honor & gratitudo, quod hac similitudine docet S. Thomas opusc. 4. *Filii obtinent vitam à parentibus, sicut milites obtinent feudum à Rege. Sicut ergò merentur hi ejus conservationem, quamdiu homagium Regi præstant, & fidales sunt; ita & filii merentur vitæ conservationem quamdiu parentes honorant. Econtrà sicut rebelles spoliantur feudo, ita & filii rebelles vitâ.*

Bern. to. 2 serm. 17. Dom. 1. Quadr. Hinc contingit, quo filii impii non dimidient dies suos, sed ante tempus exscindantur: Nostrâ ætate ait S. Bernardinus, in Hispaniæ inferioris oppido, cui nomen Sui, non ita procul à Valentia, adolescens fuit, qui per parentum inobedientiam eò devenerat, ut anno 18. propter latrocinia & publica facinora, in vincula conjectus & suspendio damnatus sit. Erat etiam tum prorsus imberbis: pendenti verò jam atque exanimi subitò prorumpit barba, spectante populo, comæ capitis planè canescunt, ut ætatem referret hominis nonagenarii: Miraculo rei accitus, cum populo & toto Clero, accurrit Episcopus: omnes in genua prostrati, exspectant, dum ostendat Deus, quid monstrum hoc sibi velit. Atque ecce tibi Episcopus editiorem capiens tumulum ad omnes ait, voluisse Deum ostendere quantum de vita eorum detrahat, qui de parentum obedientia detraxerunt: victurum etiam hunc juvenem fuisse ad ætatem, quæ jam apparebat in facie, nisi ipsos 70. annos parentum inobedientia detraxisset.

Eccl. 3. Secundò, hæc est promissio & merces, ut qui honorat Patrem, jucundetur in filiis, inquit Eccl. 3. hoc est, qui se pios exhibent parentibus, liberos etiam in se pios experiuntur. Ideò non mirentur parentes, si frequenter habeant filios inobedientes & immorigeros, sed rememorent annos juventutis suæ, in quibus & ipsi rebelles fuêre, & sciant justo Dei judicio id sibi evenire. Qualia tu contuleris in parentes, talia prorsus à tuis liberis exspecta, ut bene vel malè habearis, Ephraim & Manasses filii Joseph, humanissimè patrem tractârunt, quia scilicet summo honore ipse ergà parentem suum Jacob se gesserat. Noe, cum filius ejus Cham in eum peccaret, dixit, *Maledictus Chanaam.* Gen. 9. 25. Quare peccante filio maledicitur nepos? Id perindè est, ac si diceret: In filiis tuis Cham sis maledictus, quia in patrem te sic gessisti immorigerè eum deridendo. Talis ergò sit filius tuus Chanaan erga te rebellis & immorigerus, sit ipse supplicium tuum suâ te nequitiâ & rebellione infestans. Sic pater in filio, & filius in patre maledicitur, impietatis habentes commune consortium. Nec poterat fieri, ut bonum generaret filium, qui bono patri nequam filius & naturæ & eruditionis degener existeret.

Eccl. 3. 5. Tertiò, quæ apud Ecclesiasticum promittitur benedictio, & opes tum temporales, tum spirituales: *Sicut qui thesaurizat, ita qui honorificat matrem suam.* Item: *Qui honorat patrem suum, in die orationis suæ exaudietur.* Promittitur quoque ei stabilis familia & prosperitas, *quia benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio matris eradicat fundamenta*, quod frequentibus exemplis contigisse notum est.

Vide exemplum apud Augustinum lib. 22. de civit. c. 8. vel apud Daveroultium in Flor. de decem Fratribus natis è Cæsarea Cappadociæ, qui recenti maledicto matris ob injuriam ei factam, ita divinitus sunt puniti, ut horribiliter quaterentur omnes tremore membrorum; Et propterea toto vagabantur orbe. Aug. loc. cit. Daver. c. 5. in Flor. exemp. tit. 86. num. 8

Audi quid Valentiæ contigerit. Falsum crimen cuidam imponebatur juveni, idque gravissimum, ita ut patibulum novum ei erectum fuerit, sed cum à carcere abstractum ad suspendium duceretur, ubi se juvenis illic vidit, obstupefactus clamavit. Verè, justè morior, non pro falso crimine, quod mihi imponitur, sed quia in hoc ipso loco in matrem meam violentas manus intuli, & tunc illa tanto scelere & impietate indignata, hanc mihi maledictionem injecit: O utinam in hoc ipso loco suspensus aspiciaris. Hoc ergò illi contigit, ut verum esse videamus, quomodo maledictio matris vitam etiam filio eripere sit potens, ut etiam videamus quam verum sit quod Salomòn dixit: *Oculum qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii Aquilæ.* Prov. 30. 17. Sic ergò filii rebelles maledictioni obnoxii sunt, & funesti eorum successus adolescentibus debent esse speculum & frænum. Attendant & ipsi pœnam rebellibus, & protervis filiis in lege decretam: *Si genuerit homo filium contumacem & protervum, qui non audiat patris aut matris imperium, ducent ad seniores Civitatis, dicentque ad eos: Filius noster iste protervus est, monita nostra audire contemnit, commessationibus vacat, luxuriæ & conviviis, lapidibus eum obruet populus civitatis, & morietur, ut auferatur malum de medio vestri, & conversus Israel pertimescat.* Deut. 21. 18. Ecce magnum divinæ iræ judicium, nec enim contentus est ut unus Carnifex mortem inferat, sed vult universus populus in eum irruat, ad majorem sceleris detestationem.

Quartò, promittitur benedictio novissima, hoc est, in fine vitæ, dum dicitur Eccl. 3. *Honora patrem tuum, & supervenias tibi benedictio à Deo, & benedictio illius in novissimo maneat*, quasi diceret. Honora patrem, ut Dei favor usque ad finem vitæ tuæ te persequatur, imò benedictio perseveret, & conservetur usque ad illam horam, quæ tantum timorem incutit, horam scilicet mortis & examinis, quando summi beneficii loco erit à Deo benedici. In mediis tunc tenebris, lucerna tua accendetur, paternæ divinæque benedictionis lumine perseverante, & lucernam animæ

Digitized by Google

accendente : quia è contrario, ut dixit Sapiens
Prov. 20. Proverb. 20. *Qui rebellis fuerit & maledixerit patri vel matri, extinguatur lucerna ejus in medijs tenebris.* Non ergò parum exiſtimanda eſt patrum benedictio, quæ à Deo confirmatur. Nam olim qui benedicebatur à patre, benedictus erat. Et benedictio illa uſque ad noviſſimum diem effectum ſuum habet. Unde Divus Ambroſius lib. de benedict. Patriarch. cap. 1. *Hanc parentibus Deus donat gratiam* (efficacem benedictionem
Amb. l. de impertiendi) *ut filiorum pietas provocetur, præ-*
Benedict. *gativa ergò parentum, diſciplina eſt filiorum.* Hono-
Patriarch. ra itaque Patrem, ut benedicat te. Honoret quis
c. 1. patrem propter gratiam, ingratus propter timorem. Et ſi pauper eſt, & non habet opes, quas relinquat filiis, habet tamen ultimæ benedictionis hæreditatem, quâ ſanctificationis opes ſucceſſoribus ſuis largiatur.

De officio autem parentum ergà liberos, aut conjugum ergà ſe mutuò, particulariter agemus, cùm de matrimonio tractabimus.

LECTIO II.

DE HONORE DEBITO SACERDOTIbus, ſive patribus ſpiritualibus.

PROPOSITIO UNICA.

Comprehenditur etiam hoc præcepto honor, qui debetur Paſtoribus, Sacerdotibus, Eccleſiaſticis perſonis.

RAtio eſt, quia per *Patrem* hic non intelligitur tantum corporalis, ſed etiam ſpiritualis, cui honor & obedientia debetur æquè ac parenti carnis noſtræ. Si enim parentibus carnis noſtræ honor debetur & obſervantia, eò quod ab illis habeamus vitam alimentumque ſpirituale? Hi lacte ex uberibus Eccleſiæ diducto alunt, & Chriſto nos generant per Verbum Dei, per Sacramenta, per preces
Gal. 4. 19. & pietatis exempla juxta illud Apoſtoli, *Filioli quos parturio, donec formetur in vobis Chriſtus.*

Optima porrò praxis eſt Chriſtianorum, honorare Sacerdotes, petendo eorum benedictionem, quam quidem conſuetudinem ab antiquo uſu Eccleſiæ manantem parentes debent filios edocere. Eſt enim benedictio ab eis data efficax, ſi eâ fide & devotione quâ par eſt, expetatur & ſuſpiciatur. Hanc enim olim etiam Chriſtiani Principes magnâ religione expoſtulabant, & magna in æſtimatione habebant, utpotè quæ ab illis datur, qui locum Dei tenent, & illius nomine eam impertiuntur. Imò & ſancti Viri ſummi eam beneficii loco ducebant. Refert enim Divus Athanaſius in vita Antonii, totius B. Antonium, licet miraculis clarum, in terram ſolitum ſe proſternere, & benedictionem petere, quoties Sacerdoti eum contingebat occurrere, per eam utique gratiæ cœleſtis experiebatur incrementum. Si in veteri lege ſacerdotalis benedictio multiplicem fructum pariebat, quantò magis in nova, quæ gratiâ cœleſti eſt uberior? Præſcribitur autem antiquis ſacerdotibus hic benedictionis ritus. *Loquere Aaron & filiis ejus, ſic benedicetis filiis Iſrael : Benedicat tibi Dominus & cuſtodiat te : Oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tibi : Convertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem.* Ubi notat Rabanus in hac ſacerdotum benedictione tripliciter formata tertiò repetitum eſſe nomen *Dominus*, ut ſancta Trinitas, ex qua, per quam, & in qua ſunt omnia, ſignificatur. Hinc etiam apud Chriſtianos benedictio dari ſolet : *Benedicat te Omnipotens Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*, ſaut ſimilis expreſſa Trinitatis invocatio pronunciari ſolet. Promiſit autem Deus effectum hujus benedictionis ſacerdotalis, dum ibidem addit : *Invocabunt nomen meum ſuper filios Iſrael, & ego benedicam eis*, hoc eſt, fructum illius benedictionis experiri faciam.

Athanaſ. in vita S. Antonii.

Num. 6. 23.

Ibid. v. 27.

Neque verò contemnenda eſt benedictio Sacerdotis, etiam vitam turpem agentis; quia ab illo procedit, non ut particularis perſona eſt, ſed ut vices Dei agit; & ab illa quæ Dominicum corpus tractare ſolet, & uncta, ſpecialiterque ſanctificata eſt. Hoc attendens Divus Franciſcus, etiam ſacerdotum concubinariorum manus exoſculari optabat, & ab illis benedici. Cùm quodam die intraret Eccleſiam, cujus Parochus concubinatu infamis erat, dicitur hæreticus quidam Franciſci famâ permotus eum acceſſiſſe, & ut officium ſacerdotale contemptibile redderet, fidemque plebis ſubverteret, dixiſſe: An credendum eſt verbis, vel etiam reverentia aliqua ejus factis exhibenda, qui manibus pollutis carnem contractat meretricis? Conſiderans Vir Sanctus hæretici malitiam & dolum, accedit coram plebe ſacerdotem illum, & coram eo genua flectens ait : *Si tales ſint manus illius, quales iſte dicit, neſcio, ſed hoc tales ſorent, ſcio non poſſe inquinare virtutem divinorum ſacramentorum. Quia ergò per iſtas multa beneficia, & charismata populo Dei fluunt, eas exoſculor ob reverentiam eorum, quæ miniſtrant, & cujus auctoritate miniſtrant.* Oſculabatur ergò manus illius, confundens hæreticos præſentes, talique humilitate ſacerdotem ad vitæ emendationem inſtigavit. Ita Chron. Minor.

S. Franc. in Chron. Minorum

Legitur quoque in vitis PP. Laicum quendam, cum certò noſſet Sacerdotem in crimine adulterii deprehenſum, adiiſſe tamen fidenter eum; cum poſtero die ſacrificaret, ut ex manibus ejus ſacram Synaxim perciperet. Cumque eam percepiſſet, periit ut frontem leprâ infectam cruce ſignaret, quod ubi ſacerdos feciſſet, lepra tanquam piſcis

ſqua-

Digitized by Google

squama excidit,& restitutus est sanitati. Res profecto stupenda, & divini judicii plena. Fecit crimen non vacuus gratiâ,ne præberetur locus obtrectationi sacerdotum. Imo habuit gratiæ efficacitatem propter dignitatem sacerdotum, ut doceremur, cum ad sacerdotes imus, non ad homines, sed ad Deum nostre,qui per eos nobis tribuit dona, nosque sacrificat,& quod is,qui cum fide accedit, efficiatur voti compos,quodque neq; vitium sacerdotis alterius fidei noceat, neque rursus sola vita sacerdotis, nos ad credendum juvet. Sacerdos enim quatenus homo est,& infirmitate præditus, non potest juvare,uti neq; tu,cum ei sis par infirmitate: Homo enim homini prodesse non potest: At sacerdos sacerdotii dignitate præditus gratiam sibi conciliat: si quidem donum Dei est sacerdotium,per gratiam verò efficitur Deo propinquior: ita Turrianus l.2. de ordinat.Hier.c.26.ex l.2. Theolepti Episc.Philadelphiæ.

1. Tim. 5. 17. De his etiam dixit Apostolus. *Qui benè præsunt presbyteri,duplici honore digni habeantur,max me qui laborant in verbo & doctrina.* Duplicem vocat honorem inquit Ambrosius, reverentiam, & alimoniam, 3.Ambr. sive subsidium eis debitum: De his quoque dicit Eccles. *In tota anima tua time Dominum,& sacerdotes illius sanctifica.* Eccl.7.31. *In omni virtute tua dilige eum qui te fecit,& ministros ejus ne derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica sacerdotes.* Ubi adverte non sine emphasi idem tertiò repetere; & quoties dixit dominum diligendum,toties dicit ministros suos honorificandos: ut omnes intelligant,his primo post Deum honorem deberi, timorem & amorem, tanquam vicem Dei gerentibus, & ejus imaginem in terris nobis repræsentantibus.

Maximè autem eis honor & obedientia debetur, qui animarum curam suscipiunt, juxta illud monitum Apostoli: *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes.* Quibus verbis significat Apostolus obedientiæ obligationem, quæ debet fieri cum submissione spiritus,simulque cum reverentia exteriori. Hæc enim duo continentur his verbis: *Obedite & subjacete.* Neque verò hoc difficile esse debet subditis,si considerent periculum & laborem,quem ipsi subeunt: Pervigilant enim,rationem reddituri, sive pervigilare debent. Unde quantumvis honoris, reverentiæ & obedientiæ, eis deferant, nunquam onus & periculum quod suscipiunt adæquabunt,& nullo unquam officio satis compensabunt, inquit S.Chrys. D.Chrysost. quandoquidem animam ponant pro ovibus,exponantq; eam periculo æternæ mortis,dū pro illis spondent. Neq; periculū illud exiguum est, cum de qualibet anima pereunte exigantur rationes. Jerem.13. 17. Unde ad illos dirigitur vox illa Domini per Jeremiam. *Ubi est grex tuus,pecus inclytum? Quid dices cum visitaverit te? Nunquid non dolores apprehendent te quasi mulierem parturientem?* Hoc ergo considerent subditi, & promptè obediant, non sint discoli,& eis graves, onus eorum aggravantes sua inobedientia & malitia. Unde subdit Apost. *ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes,hoc enim expedit vobis.* Heb.13. 17. q.d. Quandoquidem periculum & onus eorum adeo grave est, alleviate eos, & adjuvate obediendo, ut facilius portent onus, & non gemendo, sed potius gaudendo. Est enim gaudium & solatium oneris, si videant subditos obedientes & proficientes, quia sic vident laborem suum esse inanem, & se periculo non esse obnoxios. Hinc D. Joan. dicit. *Majorem horum non habeo gratiam,quam ut audiam filios meos in veritate ambulare*; hoc est: Non 3. Joan. v.4. posset mihi plus solatii contingere, quam cum audio filios, quos in Christo genui,in via veritatis,virtutis,salutis,proficere.

Quapropter & Apostolus intelligens Philippensium profectum,scribit: *Fratres mei desideratissimi gaudium & corona mea,sic state in Domino?* Phil. 4. 1. Quomodo autem hoc gaudium juvet ad onus ferendum,explicat D. Anselmus exemplo Agricolæ, qui tum cum gaudio laborat,quando videt terram, aratro suo proscissam,messis ubertatem proferre: videt enim laborem suum frustraneum non esse, & ideo ad novum laborem cum gaudio animatur. Sic & ii, qui semen doctrinæ ferunt,& in verbo Dei laborant, exultant dum spem messis uberis conspiciunt ex profectu subditorum.

Econtra gemunt Prælati & Pastores sub onere regiminis,dum suos vident labores irritos esse; dum satagunt subditos promovere in virtute & disciplina, & subditi subterfugiunt, imo reluctantur: dum eis reluctantibus invigilant, rationesque & modos excogitant, quibus ad sanam mentem eos reducant, & his omnibus nihil proficiunt, imò quandoque dunores subditos fieri conspiciunt. Tunc enim onus eorum hac inobedientia ac rebellione mirè aggravatur,ut meritò gemitus & suspiria eis excutiat. Hoc enim est ultimum remedium, quo se apud Deum excusare, & securos reddere possunt,juxta id quod dicit Augustin. *Tota ratio, quæ nos securos faciat,erit: Tu scis Domine quia clamavi, scis quia non tacui,* Aug.ser. 49. de. ver. Domini. *scis quo animo dixi,scis quia flevi tibi cum dicerem, & non audirer.*

Sed primò *hoc non expedit vobis,* ô subditi, inquit Apost. ut gemant propter inobedientiam vestram: quia eorum tales gemitus & suspiria voces sunt usque ad thronum Dei pertingentes,& ultionem super vos advocantes, & quodam modo attrahentes. Secundo non expedit vobis,quia periculo vos æternæ salutis exponitis. Sicut enim gregi,ut à lupo salvus sit,ut ad bona pascua deducatur, expedit sequi pastorem & ejus vocem, ita & subdito, ut proficiat & salvetur, expedit prompte suo obedire Pastori. Tertio non expedit vobis, quia hæc inobedientia frequenter causa est,cur is qui vobis præest, non audeat præcipere quod utilius est, sed oporteat eum dissimulare gemendo ob rebellionem, & frænum laxando, ita ut liberam vestræ relicti in varia dis-

Digitized by Google

crimina & præcipitia, propriæ voluntatis ductum ſequentes, commatis. Quarto non expedit vobis, quia dum non auditis eorum vocem, jam eis datis occaſionem ut Dei verbum relinquant, quo indignos vos præſtatis; & verentur ipſi ne frequenti prædicatione majori damnationi vos obnoxios reddant. Quia terra imbre ſæpius rigata, & tamen non ferens niſi ſpinas & tribulos, maledictioni & igni eſt obnoxia, ut dicit Apoſt. inſtruens & monens Hebræos, *Obedite ergò & ſubjacete eis*, obedientiam humilem, ſubmiſſam & ſupplicem exhibete: quidquid vobis præcipiunt, lubentes & ex animo facite ſive orationes, ſupplicationes, feſtorum ſanctificationem, aliaque ſancta & ſalubria indicant, ſive prohibeant occaſiones & peccari pericula, choreas, popinas, ſympoſia, diſcurſus nocturnos, diſſolutiones, prava conſortia, pravaſque conſuetudines, in plebe plerumque Paſtorum negligentia invaleſcentes, in his omnibus obedite.

Heb. 13. 17.

Debetur & malis ſacerdotibus honor

Sed dicunt homines hujus ſæculi: indigni ſunt honore plerique ſacerdotes, qui ſtatum ſuum impura vita conſpurcant. Reſpondeo: Honor ſacerdotibus debetur, etiamſi turpis vitæ forent: tum quia exhibetur eis non tam propter ſe, quam propter eum, cujus imaginem gerunt, & cujus miniſtri ſunt: tum quia ſacramenta miniſtrando non minus proficiunt mali, quam boni, aliaquè myſteria Dei diſpenſando: quia virtus illorum non ab ipſis eſt; ſed à Deo per ipſos operãte. Unde & ſacrificio ſuo irã Dei placant, & manum Dei ultricem avertunt à populo, illumq; ſanctificãt, licet illi ſceleſti ſint, & immundi.

In vitis PP. l. 5. de temp. judicio. num. 11.

Habes exemplum in libro doctrinæ Patrum, ubi dicitur: ad quendam ſolitarium venit Presbyter cujuſdam Baſilicæ, ut conſecraret ei oblationem ad communicandum. Veniens autem quidam ad ſolitarium, accuſavit apud illum eundem Presbyterum. Qui cum ex conſuetudide iterum veniſſet ad eum, ut conſecraret oblationem, ſcandalizatus eſt ille ſolitarius, & non aperuit ei. Presbyter autem hoc viſo diſceſſit. Et ecce vox facta eſt ad ſolitarium, dicens: *Tulerunt ſibi homines judicium meum.* Et factus eſt velut in exceſſu mentis, & videbat quaſi puteum aureum, & ſitulam auream, & funem aureum, & aquam valde bonam. Videbat autem & leproſum quendam haurientem & refundentem in vas, & cupiebat bibere & non bibebat, eò quos leproſus erat ille, qui hauriebat. Et ecce vox iterum ad eum dicens: *Cur non bibis ex aqua hac? quam cauſam habet qui implet: implet enim ſolummodo & infundit in vas.* In ſe autem reverſus ſolitarius, & conſiderans myſterium viſionis, vocavit presbyterum, & fecit eum ſicut prius ſanctificare oblationem ſibi. Ita ibi: S. Chryſoſt. *Reverere ſacerdotem qui tibi ſingulis diebus divina miniſtrat, ſcripturas relegi facit, tui gratia domum exornat propter te vigilat propter te vota perſolvit. Reverere hæc: Ergo & conſidera.*

S. Chryſ. hom. 2. in 2. ad Tim.

Idem l. 3. de ſacerdotio, ait inſaniam eſſe manifeſtiſſimam ejuſmodi ſtatim contemnere, *ſine quo neque ſalutis, neque prom[illegible] horum compotes fieri poſſumus. Nam ſi non poteſt quis in regnum cælorum ingredi, niſi per aquam & ſpiritum renatus fuerit, & qui non manducat carnem Domini, & ejus ſanguinem bibit, æterna vita privatur: omnia autem hæc haud aliter, quam per ſacroſanctas illas manus perficiuntur; manus inquam ſacerdotum.*

Peccantes contra hanc reverentiam.

Ex his colligitur graviter omnino peccare diſſolutos illos, tum juvenes, tum viros, qui ſacerdotũ & Paſtorum non ſolum monita contemnunt, ſed etiam illis obloquuntur, eorum vitia evulgant, amplificant, mendacii etiam confirmant. Imo ſcurriles cantilenas de illis in tabernis & conficiunt & cantant: ita ut impleatur illud. *In me pſallebant qui bibebant vinum.* Hi imitantur impietatẽ maledicti filii Cham, qui ubi tabernaculum Patris ingreſſus, ejus advertit nuditatem, ridere cæpit, ludere, & eludere, ac aliis eam oſtentare. Verum pii alii filii Sem & Japeth tantum abeſt, ut videre eam voluerint, quin potius incedentes retrorſũ facie averſa operuerunt pudenda Patris ſui. Hos imitari debent pii fideles, ſi quandoq; in ſacerdotibus qui patres ſpirituales ſunt, nuditas aliqua ſive vitium & peccatum deprehendatur: benevolentiæ ſcilicet & excuſationis pallio eam debent tegere, non verò aliis oſtentare & illudere. Hoc optimè docuit Conſtantinus Magnus in Concilio Niceno, cum chartas accuſationum contra aliquos Epiſcopos ſibi oblatas ſtatim combuſſit, nec perlegit, adjiciens hæc verba: *Si Epiſcopi alicujus ſtuprum viderem, facinus iſtud imperatorio meo paludamento obtegerem, ne talis flagitii ſpectus eos, qui ipſum cernerent, ulla ex parte læderet.*

Defectus eorum detegentes. Gen. 9. 20.

De Conſtantino M. refert Theodoretus l. 1. hiſt.

Antiquitus præcipitur, *ſi ſacerdos, qui junctus eſt, peccaverit, offeret pro peccato ſuo vitulam immaculatam*, adducens *illum ad oſtium tabernaculi teſtimonii*, ponenſq; *manum ſuper caput, immolabit eum Domino, hauriet quoq; de ſanguine vituli, inferens illum in tabernaculum teſtimonii. Cumq; intinxerit digitum in ſanguine, aſperget eo ſepties coram Domino contra velã ſanctuarii. Ponetq; de eodem ſanguine ſuper cornua altaris thymiamatis, quod eſt in tabernaculo teſtimonii. omnem autem reliquum ſanguinem fundet in baſim altaris holocauſti. Et adipem vituli offeret pro peccato, duos renunculos & adipem pecoris adolebit ſuper altare holocauſti: pelle vero & omnes carnes cum capite, pedibus, & inteſtinis, & ſimò, & reliquo corpore, efferet extra caſtra in locum mundum, ubi cineres effundi ſolent: incendet q; ea ſuper ſtruem lignorum, quæ in loco effuſorũ cinerum cremabuntur.* Mirabiles profectò Ceremoniæ pro ſacerdotis ſive Pontificis peccato expiando: has ſigillatim explicat Ribera in ſenſu morali l. 4. de templo c. 7. ubi hanc ultimam Ceremoniam, qua jubebantur carnes vituli, qui erat hoſtia pro peccato ſacerdotis, cum pelle, inteſtinis, ſimo, in locũ mundũ efferri extra caſtra, & ibi concremari; dicit ſignificare, non licere peccata ſacerdotum in publicum jactare, neque in locum in mundum, id eſt, in detractatorum conventicula, & in profanas ac maledicas linguas: ſed curandum eſſe, ut taceantur, & omnes eorum reliquiæ charitatis igne conſumantur, ac perpe-

Lev. 4. 3. tit. ſacerdotes expiandi.

Ribera l. 4 de templo c. 7.

Digitized by Google

perpetuo silentio contegantur, quousque nihil remaneat quod trahi possit in exemplum.

Eis detrahentes.

Certè grave omnino peccatum est, linguâ venenata sagittas detractationis veneno infectas, in eos qui uncti sunt à Domino jaculari, & eorum famam dilacerare. David nunquam voluit manum mittere in Saulem, quem sciebat à Domino reprobatum, 1. Reg. 24. 7. *quia unctus Domini est*, inquit ipse, quantò magis (ait D. Gregorius) cavendum est, ne manum detractationis, & linguam vituperationis, in eos qui S. Greg. l. 3. l. ep. 31. l. 25. mor. cap. 22. uncti sunt & consecrati à Christo, sacrilegè mittamus, cum detrectatio talis ad Christum ipsum quem representant pertineant? Vide D. Greg. l. 31. & l. 25. Moral. c. 22. Idem quoque David corde tactus fuit à Domino, cum solum particulam de pallio Saulis abscidisset, quantò magis digni sunt ultione Dei, qui integrè vestem sacerdotum, statum ipsum sacerdotalem, dente virulento dilacerant? De illis qui à Domino uncti sunt, semper obmurmurant, in mensis & sympositis, eorum carnes ad comedendum afferunt, de eorum vitiis tractant. Quam frequens istud est, & quam parvi fit inter homines dissolutos, inter quos qui pejora in sacerdotes scommata protulerit, sapientior habetur & gratior? Interim non attendunt hi vindicem Dei manum, incuriam suorum sacerdotum ulciscentis, de quibus dixit. Qui vos spernit, me spernit: Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Luc. 10. 16. Zach. 2. 8.

Illos obloquentes & contemnentes. Exempl. nu. 12. 10. Deut. 24. 8.

Quod non solum verbo, sed & exemplo frequenter notum fecit. Vis exempla ex scripturis? 1. Cum Maria soror Moysis obmurmuraret contra Moysen, statim lepra percussa est. Quid ita? *Quia qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Voluit nimirum Deus eam esse in exemplum omnium rebellium, & contra Prælatos obmurmurantium. Qua de re illustris est locus Deut. 24. ubi Deus diserte comminatur lepram iis, qui sacerdotibus obedire nolunt, dum dicit: *Observa diligenter ne incurras plagam lepræ, sed facies quæcunque docuerint te sacerdotes, juxta id quod præcepi eis, & imple sollicite: mementote quæ fecerit Dominus Deus vester Mariæ.* Undè & sacerdotibus lepræ judicium & expiationem reservavit Deus, ut congerentur sacerdotibus se humiliare, contra quos superbè se erexerant, ut ita superbiæ suæ culpam hac humiliatione expiarent. Ita Maria erigens se contra Moysen, lepra percussa est, à qua non nisi Moysis ope & precibus est sanata. Optime verò per infectionem lepræ, vitium detractionis indicari docet D. Ephrem dicens: *Ex teterrima Mariæ lepra discimus, quam detestabile sit vitium obtrectationis. Corpus, quod lepra infectum cernebatur, speculum quoddam fuit animæ quæ non perspiciebatur, cujus inducebat maculam. Ex illâ carnis corruptione patefactum est, quomodo hominis detractoris animus corrumpatur.* B. Ephr. l. 1. de morb. linguæ c. 10.

Num. 16. 31. & c. 26. 10. 2. Chore, Dathan, & Abiron contemnentes & obmurmurantes contra sacerdotem Aaron, terra dehiscente cum suis familiis absorpti sunt. Quid ita? *Quia qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Zach. 2. v. 8. *Et qui vos spernit, me spernit.* Luc. 10. 16. Ratio quia in illis Deus contemnitur: Patet 1. Reg. Ubi dicit Samuel: Non te spreverunt, sed me. 2. Reg. 8. 7. 4. Reg. 2. 23.

3. Quadraginta duo pueri dum irridentEliseum Prophetam ministrum Dei, ab urso è nemore egrediente devorati sunt. An non iterum vides verum esse: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei: Qui vos spernit, me spernit?*

4. Cum ad Eliam in monte accederet Tribunus missus ab Ochozia Rege, & uteretur imperiosa voce: *Rex præcipit ut descendas*: ad vocem Eliæ ignis descendit de cœlo, consumpsit tribunum cum suis quinquaginta militibus. Cur ita? Quia qui spernit vos, me spernit: & qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. 4. Reg. 1. 9.

5. Cum Isaias Propheta annunciaret verbum Dei, contemnebant & irridebant eum viri Judæi: Verum audi quid eis minetur: Væ vobis illusores, flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem. Isa. 28. 18.

Attendant ergò hæc rebelles, detractores, murmuratores, maledici in sacerdotes, Pastores, Prælatos: timeant vindicem Dei manum, cujus honor læditur in suis ministris & vicem gerentibus. Attendant hæc maxime illi, qui nihil aliud optant, nisi ut cum aliquis sacerdos vel religiosus in vitium aliquod ceciderit, omnes ejusdem status tales esse credantur: & exinde totum statum accusant, & dilacerant, quasi in omni statu non sint aliqui mali, & tamen non propterea omnis status accusandus sit. Aut alioqui accusent ipsi, & detrahant statui matrimoniali, eò quod aliqui in illo pessimè conversentur. Cum aliqua maritata invenitur adultera accusent & abjiciant uxores suas, imò verò obmurmurent & accusent mares suas. Accusent & Ecclesiam totam, cum in ea multi non secundùm vocationem suam conversentur. Accusent & Collegium Christi, quod inter eos Judas unus reperiatur. Hæc respondebat D. Augustinus similibus hominibus scandalizantibus religionem suam, ob aliquem qui in ea ceciderat: *Quantumlibet vigilet disciplina domus meæ, homo sum & inter homines vivo, nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior sit, quam Arca Noe, ubi inter octo homines, reprobus unus inventus est: aut melior sit, quam domus Abrahæ, ubi dictum est: Ejice ancillam & filium ejus: aut melior sit quam domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est, Jacob dilexi, Esau autem odio habui: aut melior sit quam domus Jacob, ubi lectum patris filius incestavit, aut melior sit quam domus David, cujus filius cum sorore concubuit, cujus alter filius contra Patris tam sanctam mansuetudinem rebellavit: aut melior quam cohabitatio ipsius Domini Christi, in qua undecim boni perfidum & furem Judam toleraverunt: aut melior sit postremo quam cœlum, unde angeli ceciderunt.* Aug. ep. 137.

Viden-

Digitized by Google

Simile Aug. in Ps.106.

Videntur autem imisores sacerdotum, & qui de viciis eorum gaudent, similes illis qui in navicula fluctuante in medio maris constituti, rident & gaudent, si Nauclerus male naviculam dirigit, & vi scopulos impingat : & præ fatuitate non cogitant, quantum ex imperitia Nautæ sibi immineat periculi. Deberent ergò potius eos supportare, & oratione adjuvare. *Pastoris* inquit Aug. *misereri oportet, qui inter nos quanto in loco superiori, tanto in majori periculo versatur.* Et ut ait Chrysost. *Et si propriam benè dispensaverit vitam, alienum vero non cum diligentia curam habuerit, cum perniciosis in gehennam vadet.* Ideo dicebat Apostolus: *Rogamus vos fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & moneant vos,* ut habeatis illos abundantius in charitate : propter opus illorum habete pacem cum eis. 1. Thess. 5.

Aug. in regula Chrys. in 20. hom.

4. ad sustentationem. 1. Tim. 5

Honorandos esse sacerdotes vult Apostolus liberali sustentatione. 1. Tim. 5. nam transit à viduis sustentandis ad Pastores, eosque vult magis ab Ecclesiâ alendos esse quam viduas : *Eos qui laborant in verbo doctrina, duplici honore dignos,* id est, multo, & copioso. Unde idem Apostolus ad liberalitatem erga eos hortatur Thessalonicenses. *Rogamus autem vos fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos : ut habeatis illos abundantius in charitate, propter opus illorum,* id est, rogamus ut rationem, ac respectum habeatis eorum, qui laborant in prædicando Evangelio ac re christiana procuranda ac promovenda; ut eos abundantius ametis, & foveatis, quasi filii parentes vestros spirituales, seu in summo pretio habeatis illos per charitatem, ministrando illis libenter ad vitam necessaria, idque intendere Apostolum confirmatur verbis 1. Tim. 5. Non alligabis os bovi trituranti. & dignus est operarius mercede sua. q. d. Sustentationem enim illis ex justitia debetis, quam probavit multis rationibus. 1. Cor. 9. Ministris Ecclesiæ deberi, nempè exemplis Apostolorum. V. S. à simili militum, pastorum, agricolarum, v. 7. ex lege Moysis v. 9. & 13. exemplo sacerdotum & Levitarum veteris testamenti, qui ex victimis & oblationibus altaris, cui serviebant, vivebant v. 14. ex Dei & Christi ordinatione v. 11. ex ipsa rei natura, sive jure divino non tantum positivo, sed etiam naturali, quod dictat, sicut operario debetur merces, ita ministro verbi & Ecclesiæ debetur stipendiũ, non quasi pretium rei sacræ (hoc enim indignum esset & simoniacum) sed stipendium sustentationis, quo scilicet sustententur, ut suas functiones sacras pro populo obire possit : merces enim illis dari non potest, nec spiritualia ullo pretio temporali æstimari aut compensari possunt. Hinc S. Aug. *Accipiant Patres sustentationem necessitatis sua à populo : mercedem verò dispensationis à Domino : non enim est idoneus populus reddere mercedem illis qui sibi in charitate Evangelii serviunt.* Eaque de causa parvi æstimat illam sustentationem, dicens : *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* id est nihil magnum nobis præstatur, nec vobis onerosum videri debet, si nos spiritualia vobis subministrantes; vicissim alimenta ac cætera subsidia quibus corpus nutritur ac fovetur, recipiamus. Nam spiritualia sine comparatione meliora sunt carnalibus, quæ metuntur.

1. Thess. 5. 12.

1. Cor. 9. 9

1. Cor. 9.

Aug ser. de Pastor. lib. c. 2.

Hæc sustentatio debetur sacerdotibus ratione ministerii, in quo etiam dum eos tolerat Ecclesia, etiam male fungentibus officio non licet fidei populo subtrahere, vel obedientiam, vel sustentationem jure decretam, quales sunt decimæ. Sic Christus mandavit leproso. *Vade ostende te sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyses in testimonium illius.* Quod verò sit munus offerendum, scribitur Levit. 14. & Christus Matth. 21. *Super Cathedram, ait, Moysis sederunt scribæ & Pharisæi &c.* insinuans sacerdotibus, quamvis malis, sed laborantibus, etiam deberi mercedem : dixit : *dignus est enim operarius cibo suo.* Unde sub hoc prætextu decimas Clero adimentes, fundationes fraudantes, jura retinentes, aut solvere recusantes, mortaliter peccant : quia id directè Christi & Apostolorum dogmatibus præcipitur, & sapiens Eccl. 7. *Honora Deum ex tota anima, & honorifica sacerdotes.* Honor tria complectitur scilicet venerationem, obedientiam, sustentationem : eadem debentur parentibus, sed sacerdoti honor debitus est augustus, & divinus, quia ipse est Dei Vicarius, Mediator, & interpres apud homines. *Da illis partem, sicut mandatum est tibi, primitiarum & purgationis.* Malach. cap. 3. *Inferte,* ait, Dominus, *omnem decimam in horreum meum, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam.*

Matt. 8. 4.

Levit. 14. 4.

Matt. 10. 10.

Eccl. 7. 33.

Malach. 3. 10.

Cæterum ut ex dictis breviter complectar, ad quid obliget honor ille hic præceptus erga sacerdotes & Pastores, sive Patres spirituales : Dico primo, obligat ut eos corde ames, bonum exoptando, & pro eis orationem fundendo, ut gratia illis copiosa à Deo detur, ut possint munere fungi ad Dei gloriam & commune bonum. Sicut enim pro plebe tenetur Pastor orationem impendere; ita & plebs precibus suis Pastorum onus sublevare. Secundò, obligare ut eorum verbis & monitionibus honor defetatur, in his quæ ad peccata vitanda spectant, vel ad bonum spirituale consequendũ. Tertiò obligat, ut benè de iis subditi loquantur, & honorent eos tum corde interius, tum verbo & signo exterius, defectusque eorum quantum in se est, taceant, supportent, excusent. Quartò obligat, ad sustentationem debitam lubenter evolvendam ; hoc enim est quod voluit Apostolus, dum dixit. *Eos qui laborant in verbo doctrina, duplici esse honore dignos sicut scriptum est. Non alligabis os bovi trituranti.* Deut. 25. v. 4.

1. Tim. 5. 17.

LECTIO

Digitized by Google

LECTIO III.

DE HONORE DEBITO SENIORIBUS, & Dominis.

PROPOSITIO UNICA.

Comprehenditur etiam hoc præcepto honor, quem debent juniores senibus, & servi vel famuli Dominis.

1. Senibus Reverentia. Levit. 19. 32.

QUantùm ad primum expresè dicitur Levit. 19. *Honora personam senis, & coram cano capite consurge & time Dominum*, q.d, Si senes non times, time saltem Deum, & propter timorem Domini, senem honora: jubet enim eos Dominus honorari, tum quia sunt instar parentum, tum quia Deum, tanquam parentem omnium repræsentant, tum denique, quia in senibus præter excellentiam ætatis, cui honor debetur, est etiam excellentia experientiæ & prudentiæex ætate longiori. Hinc non solum honor eis debetur, sed & debent eorum audiri consilia. Quapropter dicit Ecclesiasticus: *Quàm speciosum canenti judicium, & Presbyteris cognoscere consilium*, q. d. Duo sunt speciosa & decora hominibus canis & senibus, bene judicare, & sanum suggerere consiliũ, quorum utrumque prudentiam & authoritatem requirit, quæ senibus propria sunt. Hinc senes olim regebant Rempublicam, & a senibus nomen accepit Senatus. Quàm perniciosum verò sit eorum alpernari consilium, satis suo exemplo docuit Roboam filius Salomonis: cui cum seniores suasissent, ut populi sibi benevolentiam conciliaret, sublevado aliquid de oneribus à Patre impositis, despexit eorum consilium, & ad juniores transiliit, qui juvenili insolentiâ ei suggesserunt, ut populo conquerenti responderet: *Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus: Minimus digitus meus grossior est dorso Patris mei.* Hoc verò responso exacerbatus populus, defecit ab eo, & decem partibus Regni orbatus est. Debetur itaque senibus honor, tum ob ætatem, tum ob prudentiam, tum ob virtutis magisterium, debetur & observantia animi que submissio. Hoc instinctus quidam naturæ docet, per quem omnes nationes senes honorandos & auscultandos docuerunt, ita Gentiles in Insula Cades fanum senecturi erexerunt, ubi illam quasi Deam colebant ut vitæ magistram, & quæ magnas res mortalibus revelaret, carnisque rebellionem mortificaret, ut refert Petrus Apianus

3. Reg. 12. 14. Ib. v. 10.

P. Apian. Peccantes contra hunc horum. Eccl. 37.

Peccant itaque contra hoc præceptum, qui eos irrisionibus vel verborum contumeliis impetunt: quod nimis frequens est inter juvenes dissolutos & insolentes, non attendentes illud Ecclesiastici: *Ne spernas hominem in senectute suâ etenim ex nobis senescunt.* Nempè, fortitudine sua elati, senum infirmitatem considerantes, & quosdam ætatis senilis defectus, tantùm abest, ut revereantur eos, quin potiùs aspernentur, & verbis irrisoris excipiant. Hos dehortatur Sapiens, & monet ut attendant, quod illi *ex nobis senescant*, & ita eandem expectent ætatem, aliquibus naturæ defectibus obnoxiam, si tamen illa digni sint. Si verò eam in aliis reveriti sint, faciet Deus ut eadem reverentia illis rependatur à majoribus, cùm senuerint: si verò neglexerint senes, pœnâ talionis eos puniet Deus, ut à junioribus, quasi deliri contemnantur in senectute. Peccant ergò graviter, qui ubi in mulierem aliquam annis curvatam & pauperem incurrerint, aut minimam molestiam ab illa acceperint, statim verbis, injuriis, ætatem ejus impetunt & infectantur, vocitantes illam, antiquam damnatam, veterem sortiariam, &c.

Senes juvenibus debent vita bona exemplum.

Porrò sicut reverentiam debent juvenes senioribus, ita & ipsi debent illis irreprehensibilis vitæ exemplum, quia ineos, tanquàm in speculum morum oculi conjiciuntur. Hinc Eleazarus cum contra legem juberetur carnem porcinam edere, elegit potius mortem acerbam obire, quam per hoc scandalum aliquod juventuti suscitare. Cùm enim aliqui ob viri amicitiam carnes ei obtulissent, quas licitè poterat comedere; ut saltem simularet se de carnibus illicitis comedisse, & hoc modo senilem ætatem suam à violenta morte eximeret: Ipse cogitans senectutis suæ eminentiam & canitiem, forti voce pronunciavit *Non est ætati nostræ dignum fingere, ut multi adolescentum arbitrantes Eleazarum 90. annorum, transisse ad vitam alienigenarum, ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ decipiantur, & per hoc maculam & execrationem senectuti meæ conquiram.* Vox plane digna eximiæ ætatis & dignitatis viro. Sciebat ipse, quod & alii senes scire deberent, quod ait Sapiens: *Corona dignitatis senectus, quæ in viis justitiæ reperietur.* Sensus est: Canities in senibus velut corona eminens & gloriosa est, & ornamentum conspicuum, si justitiæ vias observet: Etenim si injustitiæ tramitem sectetur, turpisque vitæ, odibilis est & Deo & hominibus. Undè Chrysostomus: *Canities tunc est venerabilis, quando ea gerit quæ canitiem decent: cùm verò juveniliter senex conversatur, plus juvenibus ridiculus erit. Non annorum canities est laudanda, sed morum.*

2. Mach. 8. 24.

Pro. 19. 31

Chrysost.

Quapropter Scriptura non eos solet vocare senes, qui solâ temporum quantitate, sed qui morum gravitate maturi sunt. *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata: cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* De aliquibus verò etiam conqueritur Scriptura dicens: *Puer centum annorum morietur.* Nihil turpiùs quàm senex vivere incipiens, *Turpis & ridicula res est elementarius senex*; inquit Seneca: *Numera annos tuos, & pudebit*

Sap. 4. 8.

Is. 65. 20.

Senec. ep. 33.

Digitized by Google

eadem velle quæ voluerit puer, hoc opus ſit, hoc cogitatio, imponere veteribus malis finem : Moriantur antete vitia.

Senes vitioſi deprehenduntur.

Attendant hæc ſenes, qui æquè vitioſi ſunt in ſenectute ac in juvenili ætate, æquè ebrioſi, blaſphemi, iracundi, avari magis & temporalibus affectu fixi, imò quandoque & luxurioſi. Et ideò tantum abeſt, ut venerabiles ſint, quin potius odibiles ſunt Deo hominibuſque. *Tres ſpecies odivit anima mea*, inquit Sapiens: *& aggravor valdè animæ illorum, pauperem ſuperbum, divitem mendacem, ſenem fatuum.* Qui ſunt illi ſenes fatui, niſi qui in ætate, in qua pietati omnem operam dare deberent, quandò præſentis ſæculi florida ætas tranſacta eos deſeruit, tamen in vitiis inveterati, imò & obſtinati manent? Quid ſtolidius (inquit S. Cyprianus. Cyprianus) ſi mens ad perfectionem feſtinare non contendit, quandò totius corporis habitu ſenectute confectus homo, ad interitum properat? Dum oculi caligant, aures graviter audiunt, capilli fluunt, facies in pallorem mutatur, dentes lapſi numero minuuntur, cutis areſcit, flatus non ſuaviter olet, pectus ſuffocatur, tuſſis cachinnat, genua trepidant, talos & pedes tumor inflat. Homo interior qui ſenelcit, his omnibus aggravatur, & hæc omnia ruituram jam domum noſtri corporis pronunciant.

Hugo lib. 2. de claustro animæ.

Simili modo ſenes vitioſos & ſalutis ſuæ negligentes reprehendit, & increpat Hugo de Clauſtro animæ lib. 2. his verbis: Inter abuſiones hujus ſæculi ſola major eſt ſenis obſtinatio, qui morti proximus, mortis non abhorret adventum, qui quaſi ad oſtium hujus mundi poſitus, foris ſpectat, nec tamen vitæ præſentis attendit egreſſum, nec futura conſiderat. Audit nuncios mortis, & credere non vult eis. Tres enim ſunt nuncii mortis, caſus, infirmitas, ſenectus; Caſus dubia, infirmitas gravia, ſenectus certa nunciat. Caſus nunciat mortem latentem, infirmitas apparentem, ſenectus præſentem. Ex multitudine mortis timor. Ex infirmitatis gravitate dolor: Ex certitudine ſenectutis, non obſtinatio, ſed afflictio & humilitas ſequi deberet.

Imitari ergò deberent ſenes eminentem illum ſenem Berzelai, de quo in libris Regum, qui cùm invitaretur à Rege Davide ad aulæ delicias, & ad menſam regiam: Reſpondit: *Octuagenarius ſum, numquid delectare poteſt ſervum tuum cibus aut potus, vel audire poſſum ultrà vocem cantorum aut cantatricum? Obſecro ut revertar ſervus tuus, & moriar in civitate mea, & ſepeliar juxtà ſepulchrum Patris mei.* q. d. Nunc mihi non eſt tempus cogitandi de aulæ ambitione, deliciis, voluptatibus, aut aulicorum tumultuanti turbæ intereſſe; ſed ætas, corporiſque ſenſum deficientis infirmitas monet oculum cogitationemque ſepulchro defigere, quietè Deo mihique vivere, florida tranſeuntis ſæculi tempora deſpicere, mortis nuncium expectare, funerique meo me præparare, & ut fœlix ſit tranſitus, providere. 2. Reg. 19. 35.

Imitari deberent Carolum V. Imperat. pium, qui ubi 56. annis, imperii gubernaculum mediis in fluctibus, bellorumque adverſantium undis magnanimiter tenuiſſet, tandem rerum humanarum pertæſus (quæ modò proſpero fluxu, modò adverſo refluxu, inſtar maris inconſtantis navigantes jactant, & gubernaculum tenentes variâ ſollicitudine affligunt) renunciat imperio. Sceptrum, diadema, & alia imperii inſignia fratri ſuo Ferdinando tranſmittit, & in poteſtate electorum Imperatoriam dignitatem reponit. Videbat enim ſe jam annis ingraveſcentem, corpuſque ſuum debile laboribus bellicis & ſenectute confectum ruinam minari, domum ſuam luteam paulatim diſſolvi; & ideò inquirebat non manufactam æternam in cœlis. Valedicit ergò terræ, & regnorum ingentibus augentibuſque negotiis, ut ſibi vacet, & cœlo propinquior ſit. Itaque indictis Bruxellæ comitiis Statuum, Principibus, primariiſque viris valedicens, Deo gratias agit, quod inter tot diſcrimina, & poſt tot labores terra pelagoque exantlatos, ad id uſque tempus ſe conſervârit. Deplorat ſortem eorum, qui imperiis deſtinantur, quos per tot amarulentas anguſtiæ aquas pertranſire neceſſe ſit, ut nec unum diem ſine anxia ſollicitudine ſe aſſerat peregiſſe. Deplorat denique tot millia cæſa, tantam ſanguinis copiam fuſam ob particularia diſſidia, quæ illi cum Galliæ Rege intervenerant, ad quæ ſe coactum conqueritur, ſæpiuſque pacis æquiſſimas conditiones obtuliſſe, etiam jure ſuo cedendo. Excuſat quoque ſi quando ſubſidiis publicis plebem onerârit, bellicam neceſſitatem id poſtulaſſe. Tandem Philippum filium ſuum Belgii Principem & Dynaſtam inaugurat. Poſtea è Belgio in Hiſpaniam navigio tranſit. Ubi, ſtatim ac terram attigit, illi corpus ſuum caducum obtulit, diciturque his uſus verbis, ſed Hiſpanico idiomate: *Salve ô mater communis, chara mihi & deſiderata, ſicut nudus exivi de ventre matris, ita nudus ad te revertor, quaſi ad ſecundam Matrem: & in compenſam multorum beneficiorum, affero tibi hoc corpus ægrum & debile non habens aliud quid offeram.* Exindè tranſiit in Monaſterium quoddam Ordinis S. Hieronymi in ſolitudine, ubi magnam partem dierum & noctium in oratione tranſegit & pœnitentia, utens cilicio & diſciplinari flagello. Quod quidem cilicium & flagellum, cum imagine Crucifixi teſtamento legavit filio ſuo Philippo II. commendans ei pietatem, juſtitiam, fidem Jeſu Chriſti crucifixi: & ita piè in Domino obdormiens, tranſivit, (ut piè creditur) ad æterni regni gloriam & coronam anno 1558. V. Florimund. de ortu hæreſeon, l. 5. cap. 5. Carol. V. ſe abdicat imperio. Florimund. l. 5. de ortu hæreſ. c. 5.

2. Debitis honor & obedientia à ſervis

Quod ſpectat ad ſecundum: honorem ſcilicet debiti, & obedientiam Dominis à ſervis vel famulis, etiam manifeſtum eſt ex ſcripturis, & id frequenter inculcat Apoſtolus: Ad Eph. 6. dicit: Eph. 6. 5.

Servi

Servi obedite Dominis carnalibus cum timore, in simplicitate cordis vestri sicut Christo, non ad oculum servientes quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes sicut Domino, & non hominibus, scientes quoniam unusquisque quod fecerit bonum, hoc recipiet à Domino. Idem repetit ad Colossenses 3. Idem inculcat D. Petrus 1. Epist. cap. 2. *Servi subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis sed etiam discolis.* Hoc autem initio Ecclesiæ frequenter repetendum fuit: quia servi jam ad Christianismi libertatem vocati putabant per eam se solvi à vinculo servitutis, ut dicit D. Hieronymus. Et ideò hic error ab eorum mente eliminandus fuit, & obedientia subjectioque Christiana eis commendanda, ut servientes Dominis, Christo se servire cogitarent: & ita sincerè, fideliter, & ex animo servirent, non invitè, non mussitando & contradicendo, aut serviendo in præsentia Domini (hoc est ad oculum) eo autem absente, aut dum non est inquisiturus, otiando & mandata negligendo. Hæc etiam spectant ad famulos mercenarios, quos oportet sincerè & fideliter servire, ac Dominos honore, tum verbis, tum corde, & quæ muneris sui sunt diligenter peragere.

Col. 3. 22. 1. Pet. 2. 18.

S. Hiero.

Servi emblema.

Qualis debeat esse servus, aptissimè antiquo emblemate designabatur. Pingebatur enim pileatus rubro pileo, eleganti quoque interula vestitus, aures habentes asininas, cervinos pedes, dexteram tenens erectam, & in palmam explicatam.

1. *Pileus*, significat libero & liberali eum debere esse ingenio. 2. *Interula*, designat eum assiduo operi & labori intentum esse. 3. *Auricula asinina* significant eum multa patienter, & dura debere audire. 4. *Cervini pedes* notant celeritatem in exequendis mandatis. 5. *Dextra erecta* index est fidelitatis in tractandis rebus & negotiis heri. Hæc est enim præcipua servi dos. Habes harum virtutum exemplum in pudico Joseph, qui tantæ erat fidelitatis apud Putiphar Dominum suum cui venditus fuit in Ægypto, ut nullius rei curam haberet Dominus, sed omnia commisisset Joseph: *Nec quicquam aliud noverat* (inquit Scriptura) *nisi panem quo vescebatur*, hoc est nullius rei sollicitudine angebatur, sed tantum accumbebat mensæ & fruebatur eis quæ Joseph curabat & procurabat. Ejus etiam fidelitas patuit erga uxorem Domini sui, quæ cùm eum sollicitaret ad nefarium opus, responsum accepit: *Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua, nec quicquam est quod non in meam sit potestatem, præterte, quia uxor es ejus: Quomodo ergo possum hoc malum facere.* Maluitque carceris & mortis se periculo exponere, quam fidelitatem infringere, tum Domino suo, tum etiam Deo suo debitam. Habes etiam exemplum in Jacob, qui apud Laban diligentissimè & fidelissimè est famulatus, licet ille sæpius mutarit mercedem ejus. Quapropter cùm eum discedentem insequeretur Laban, dicit ei: *Quid invenisti de cunctis substantiis domus tuæ* penes me? *Viginti annis fui tecum, oves tuæ & capræ steriles non fuerunt, arietes gregis non comedi, nec captum à bestia ostendi tibi: ego damnum omne reddebam, quidquid furto peribat à me exigebas, diu noctuque æstu urebar & gelu fugiebatque somnus ab oculis meis.* Itaque ipsummet Laban facit conscium & testem fidelitatis suæ, Et hoc est præcipuum donum quo debent ornari servi. Unde apud Plutarchum laudatur quædam ancilla, quæ cum ad serviendum se offerret, interrogata quid sciret, hoc solum respondit, *Fidelis esse.*

Gen. 31. 37.

Et fidelitas debetur.

Gen. 39. 6

Ibid. v. 8.

Debent tamen famuli ita Dominis fideles esse, ut in malis Domino suo non obsequantur, & eorum peccatis non participent. Debent quoque memores esse supremi Domini & Dei sui, ut ob famulatum hominum, obsequii quod Deo debent non obliviscantur, ne tandem contingat eos pœnitere infructuose, dum ab illo rationem servitutis sibi impensæ exigentur, quando sola Dei servitus illis poterit prodesse. Miles quidam (inquit Vincentius Belluacensis) multo tempore Marchioni inservierat fidelissimè, eratque ei charissimus. Is tandem incidit in gravem infirmitatem, quam ubi audisset Marchio, visitat eum, conducit medicos, multa ei promittit, urgetque ut exponat, si ejus aliqua in re egeat ope. Cum ergo multis apud eum verbis ageret, tædio affectus miles dicit ei: *Si pro tot laboribus, & obsequio fideli, aliquid gratum mihi rependere decrevisti, fac ut aut mortem imminentem evadam, aut saltem una hora ab his refrigerer doloribus, & si hanc contingat exire, una nocte de fœlici hospicio facias mihi provideri.* Cumque diceret Marchio, in solius Dei hæc esse potestate, se autem si quid in temporalibus desideraret, libenter impensurum. Respondit æger: *Ergo laborem meum & obsequium omne vanè consumpsi.* Et ad adstantes cum lachrymis conversus, ait: *Ecce nunc videbitis quomodo pretiosum meum tempus expenderim, huic Domino cum tantis animæ periculis obtemperando, qui neque ad horam liberare me potest à præsentibus periculis, & imminentibus pœnis, unde hoc me pungit & angit: ex corde pœnitet, & rogo ut periculum meum considerantes, illi Domino serviatis, qui vos in hac necessitate poterit sublevare, & ab angustiis præsentibus, & à futuris eruumis. Vtinam detur mihi pristinæ sanitati restitui! Ex animo spondeo, me soli illi obsequium impensurum, qui potens est & me & omnes his in angustiis protegere, & vita perenni coronare.* In hac ergo pœnitudine defunctus est, cæteris sua compunctione exemplum alte defixum relinquens.

Vincent. in Spec. Exempl.

Peccatum servi.

Peccant igitur contra hoc præceptum servi, non solùm cum inobedientes sunt, sed etiam cum in absentia Dominorum, de iis contemptim

Digitized by Google

loquuntur, imò irrident, detrahunt, per imitationem quandam & geſticulationem, per agnomina inconvenientia, illos contemnunt. Sic ſolent & ſubditi vel diſcipuli in abſentia Præceptorum aut Superiorum, multa geſticulatione vel nominclatione ridicula, eos aſpernari, non ſine gravi peccato. Quapropter præmuniens Dominos contra conturbationem quæ inde provenire poſſet ſic monet Sapiens: Eccl. 7. 22. *Cunctis ſermonibus ne accommodes cor tuum, ne fortè audias ſervum tuum maledicentem tibi:* hoc eſt; Noli curioſè perquirere, quæ & qualia de te loquantur ſervi, diſcipuli, ſubditi: imò ſi audire contingat, averte auditum, diſſimula, & multam effugies perturbationem, multam inquietudinem. Eſt enim vilis animi non poſſe ferre verbum volatile murmurantis ſubditi, quia à te dura præcepta & Eccl. 7. 23 convitia ſæpe debet perferre. Addit Sapiens: *Scit conſcientia tua quia & tu crebrò maledixiſti alii.* q. d. Nunquid tu aliquando diſcipulus & ſubditus fuiſti? Nunquid obmurmuraſti apud æquales, irriſiſti, dixiſti quæ non velles reſciri? Et nunc horum immemor non poteſ verbum ferre? Meminetis qua menſura menſus fueris, eadem remetietur tibi. Verum non tantum conſidera quid olim feceris, ſed etiam quomodo offendas in verbo, in quotidiano colloquio. Digna profectò monitio Sapientis, quæ frequenter obverſetur oculis noſtris, dum aliquid in contemptum noſtri dicitur: quia nimis delicati eſt animi adverſus alios licenter velle dicere, & nihil ab aliis velle ferre. Sed & optima monitio Poetæ Juvenalis dicentis: Juvenalis. *Vivendum eſt rectò ut linguas mancipiorum contemnas.*

Peccantes ancillæ. Peccant quoque ancillæ erga Dominas, quæ facilè & in abſentia & in præſentia illis obloquuntur & obmurmurant, non habito reſpectu ſubjectionis ſuæ & debitæ obſervantiæ. Et multo magis illæ, quæ in contemptum Domini & Dominæ, quidquid domi agitur, ſtatim evulgant. Sicut ſordes é domo dum vertunt, ita & vitia in publicum ejiciunt: Habent enim linguas lubricas & faciles, tum ad obloquutionem & obmurmurationem, tum ad convitium & improperium.

Tob. 3. 8. Habes exemplum in ancilla Saræ conjugis juſtioris Tobiæ. Hæc *tradita* prius *fuerat ſeptem viris, & dæmonium nomine Aſmodæus, occiderat eos mox ut ingreſſi ſuiſſent ad eam. Ergo cùm proculpa aliqua increparet puellã* ancillantem. Illa reſpondit ei dicens: *Amplius ex te non videamus filium aut filiam ſuper terram, interfectrix virorum tuorum: Nunquid occidere me vis, ſicut jam occidiſti ſeptem viros?* Ad hanc vocem *perrexit in ſuperius cubiculum Sara, & tribus diebus tribuſque noctibus non manducavit neque bibit, ſed in oratione perſiſtens cum lachrymis deprecabatur Deum, ut ab eſto improperio eam liberaret.* Vide cætera Tob. 8.

Habes & exemplum S. Monicæ apud Auguſtinum lib. 9. Confeſſ. c. 8. ubi refert quomodo ancilla litigans cum illa adhuc juniore, objecit ei crimen turpiſſimæ inſultationis, vocans meribibulam; ſed Deus vertit hoc convitium in bonum ejus, quia cum aliquando intemperantius vini aliquantulum deguſtaret, perverſa conſuetudine ætatis indiſcretæ & inconſiderantis, illa hoc ſtimulo percuſſa, perverſam illam conſuetudinem præſcidit, & à ſe totaliter ablegavit, *& ita durum illud & acutum ex altera anima convitium, occulta Dei providentia fuit medicinale ferrum, uno ictu putredinem omnem & periculum omne præſcindens.*

Dominorum erga Servos officium. Sicut verò ſervorum eſt, obedientiam, fidelitatem, honorem, Domino exhibere; ita & ad Dominos ſpectat, exemplo, prudentia, manſuetudine illis præeſſe, magiſque ſe amabilem exhibere, quam terribilem, propenſiorem ad beneficia conferenda, quam ad infligenda verbera. Sic etiam hortatur Apoſtolus: Eph. 6. 9. *Et vos Domini eadem facite illis, remittentes minas, ſcientes quia & illorum & veſter Dominus eſt in cœlis, & perſonarum acceptio non eſt apud eum.* q. d. Sicut tenentur illi vobis humilitatem exhibere, ſubjectionem, obſervantiam, ita & vos humanitatem & benignitatem. & ſic non debetis ſuperbire, minaces eſſe, & imperioſè agere, quia ſervorum fratres eſtis & communi Deo ac Domino ſervitis: Ille à vobis tyrannidis in ſervos ſeveram exiget rationem, & talem ſe vobis exhibebit, quales vos ſervis exhibuiſtis. Non enim reſpicit perſonam hominis, ſed ſive ſervus ſit ſive Dominus, pro operibus bonis præmiabit, pro malis infernali concludet ergaſtulo. Tangit ergo hoc feveros Dominos & Heros, qui famulos non tanquam fratres conſiderant, ſed tanquam irrationabiles pecudes tractant, qui & ab ipſis Gentilibus condemnantur. Dicit enim Seneca alloquens Lucilium. *Cum ſervis familiariter vivere decet prudentiam tuam, ſervi ſunt, imò homines: Servi ſunt, imò contubernales: Servi ſunt, imò humiles amici: Serva ſunt, imò conſervi, ſi cogitaveris tantumdem in utroſque licere fortuna. Itaque video iſtos, qui turpe exiſtimant cum ſervo cœnare: Superbiſſima conſuetudo, cœnantem Dominum ſtantium ſervorum turba circumcingi, & Majeſtatis ſuæ diminutionem exiſtimare, ad eandem menſam cum ſervo accedere. Debes cogitare quem ſervum emas, ex feminibus ortum, eodem cœlo frui, æquè ſpirare, æquè vivere, æquè mori. Num tu illum ingenuum videre potes, ille te ſervum. Hæc præcepti mei ſumma ſit, ut ſic cum infimo vivas ſicut Superiorem tecum vivere velis.* Seneca epiſt. 47.

Si hæc dicebat gentilis Philoſophus de ſervis & mancipiis, quid nos de famulis & mercenariis Chriſtianis? Nam illa ſervitus gentilitia fere apud Chriſtianos exolevit: Eccleſia enim quæ omnes vocat ad libertatem Chriſtianam; omneſque ſuos filios vult invicem eſſe fratres, hanc ſervitutem ſenſim ſuſtulit, ne unus frater, hoc eſt, Chriſtianus, alteri ſerviat quaſi mancipium, hoc enim eſt indecens. Sed amari & ſeveri nimium ſunt etiam Chriſtiani Domini, verbis & verberibus eos acerbe tractantes, qui ſolum famuli ſunt mercenarii, minantur, conviciantur, maledicunt, percutiunt

Digitized by Google

cutiunt ob rem nihili, ob vitrum fractum. His potius imitandum foret, quod fecit Cotys Rex Thraciæ Offerente quodam vasa fragilia, sed artificiosa, dedit illi munera, sed cum iracundum nosset, vasa omnia statim perfregit. Interrogatus rationem. Ne sæviam, inquit, in eos qui fracturi erant. Tales duros Dominos increpat Ecclesiasticus cap. 4. dicens:

Eccl. 4. 35. & c. 7. v. 22. *Noli esse sicut leo in domo tua evertens domesticos.* Et cap. 7. *Non ledes servum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam.* Hoc est, non affliges verbis durioribus eum qui non servit ad oculum, sed totum se impendit operi, nihil sibi parcens. Et iterum: *Servus tibi fidelis est, sit tibi quasi anima tua*: considera ejusdem tecum esse naturæ, ad eandem gratiam, ad ejusdem gloriæ consortium vocatum, & sic eum nec minis affli ge, nec contemne.

Cap. 33. v. 31.

Peccantes domini

Peccant verò, non solum qui duri sunt erga sibi subditos famulos, sed maxime illi qui malum exemplum præbent, jurando, furando, vindictam sumendo, detrahendo aliisque sceleribus. Quam frequenter domini servos sceleris sui faciunt adjutores? Quam multi ad vindictam, furta eos pertrahunt? Quam frequentes sunt qui ancillas ad turpia & inhonesta pelliciunt: Taceo multa flagitia, quibus ansam domesticis præbent patres aut matres familias. Qualis enim paterfamilias, tales & ministri ejus. Abraham quia probus erat, non solum ipse cum Domino ambulabat; sed & domesticis suis præcipiebat viam Domini custodire. Non possunt efficaciter id præcipere, qui pravo exemplo aliter censentur docere. Bonus utique paterfamilias est ille qui potest dicere: *Non habitabit in medio domus mea, qui facit superbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum: ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat.* Malus paterfamilias est, qui domesticorum curam non habet, cujus sint vel fidei vel vitæ: pejor qui suo ad malum provocat vel exemplo, vel præcepto. Talis fuit Absalon qui cum odium contra Ammon fratrem suum jam diu conceptum tandem patere vellet, & fratris paricidio se sariare, præcepit servis suis: *Observate cum temulentus fuerit Ammon, & dixero vobis percutite eum & interficite, nolite timere: Ego enim jum qui præcipio vobis.*

Gen. 18. 19.

Ps. 100. 7.

2. Reg. 13. 22.

Exempl.

Quod si cupis exempla præclara regendæ familiæ, habes S. Carolum Borromæum inter Ecclesiasticos, habes & Elzearum Comitem inter conjugatos. S. Borromæus sic scribit ad Barroreum Cardinalem: *Curabis familiam castam, nec patieris inter domesticos quemquam cujus non sint verba & mores pudici: habeasque domi qui in hanc rem invigilent, & crebro domesticos commoneant, roque de eorum vita. Modestia in verbis & cultu corporis cernatur. Insuper curabis ut juramenta à familia tua absint, scurriles joci, convitia, contumelia, & omnia verborum genera, quæ alios ladant. Vestitus esi decens esse poterit, curabis tamen ut absit ornatus quo milites & juvenes uti solent; hoc enim & gravita-*

Plat. l. de Card. dignis c. 23.

tem vedolet, & illis ipsis quandam majoris modestiæ necessitatem imponit. Ipsemet Borromæus consueverat sic se exhibere erga domesticos, ut amaret omnes, non ut servos, sed ut filios ac fratres. Et quanquam sibi ab ullo nollet serviri spe ullius beneficii Ecclesiastici, tamen omnium merita pro ratione personarum & meritorum cumulate remunerabatur. Insuper consueverat quotquot domi habebat, alloqui, etiam infimos ex stabulo aut coquina, ut resciret quomodo tractarentur, & an alicui fieret injuria. Et quamvis in seipsum severus admodum esset, in famulos tamen omnem moderationem adhibebat, nec ullis multum onerosus erat. Et cum aliquis ægrotaret, quam diligentissime jubebat curari, illi muneri certos homines peritos & charitate flagrantes præficiens, ipsemet etiam infirmos summa comitate & suavitate visitans. Hoc attendant illi, qui ubi aliquis famulorum vel ancillarum in morbum inciderit, statim à domo ablegant & deserunt; paucorum dierum morbus eis oneri est & tædio.

Nunc audi de Elzeario, qualis Paterfamilias fuerit, quam pie eam instituerit. 1. Constituit, ut omnes e domo quotidie Missam integram audirent. 2. Ut viverent caste & pure, qui secus facerent, eos domo sua expellebat. Nolebat enim ut quisquam pane suo vesceretur, quem sciret peccato mortifero implicatum, ne alios inficeret, & ne ejus peccatum fovere videretur. 3. Ut nobiles & milites, itemque virgines matronæ in hebdomade confitercutur, & semel in mense communicarent. 4. Ut Virgines & matronæ mane usque ad prandium precibus & piis exercitiis vacarent; à prandio manuariis operibus sese occuparent. Ut nemo auderet blasphamare Deum, B. Virginem aut aliquem Sanctorum, vel jurare temerè, vel inhonesta proferre. *Corrumpunt enim bonos mores colloquia prava.* Eum qui secus faceret, in pane & aqua jejunare cogebat. 6. Ut nemo luderet tesseris, aut alio lusu turpi & inhonesto. 7. Ut omnes pacem & concordiam colerent: si quis alium offendisset, mox cum offenso in gratiam rediret. 8. Ut quotidie, à prandio aut vespere, inter illos ipso præsente fieret collatio, & collocutio de rebus piis & salutis.

Elzearius de quo Surius in vita ejus c. 18. 27. Sept.

LECTIO IV.

DE HONORE DEBITO PRINCIPIBUS & Magistratibus.

PROPOSITIO UNICA.

Comprehendit etiam hoc Præceptum, obedientiam & honorem debitum Principibus & Magistratibus.

CUm enim eorum officium sit tranquillitatem publicam servare, corpora, uxores, libe-

Digitized by Google

ros, opes civium ab iniquis invaſoribus defendere, utiles leges condere, unicuique jus reddere, noxios ſupplicio, bene meritos gratia afficere; meritò eis debetur honor & obſervantia. Unde admonet Petrus:

2. Pet. 2. *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum ſive Regi quaſi præcellenti, ſive Ducibus tanquam à Deo miſſis, ad vindictam malefactorum, laudem vero*

Rom. 13. 1 *bonorum*: Eodem modo Paulus Apoſtolus: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: Non eſt enim poteſtas niſi à Deo. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.*

Si contingat Principes etiam agere tyrannicè, vel improbos eſſe, nihilominus propter principatum honorandi ſunt. Nam & David honorat Saulem licet reprobum, & olim Chriſtiani infidelibus Principibus, & Regibus obediebant in his quæ licita erant. B. Mauricius cum ſuis ſub Diocletiano & Maximiniano militare non renuit, & eis obedire, quando Deo vero contrarium non imperarunt. Ubi vero fidei aliquid adverſum imperatum eſt,

Aug. in Pſal. 124. uſque ad ſanguinem reſtiterunt. Quapropter dicit Auguſt. *Julianus extitit infidelis Imperator, apoſtata, idololatra, multos Chriſtiani ſervierunt infideli Imperatori, ubi veniebant ad cauſam Chriſti, non agnoſcebant niſi illum qui in Cœlis erat. Quando volebat ut idola colerent, & thura adolerent, præponebant illi Deum, agnoſcebant imperium cœli & terræ. Quando autem dicebat. Producite aciem pro defenſione Reipublicæ. Ite contra illam gentem: ſtatim obtemperabant: Dominum æternum à Domino temporali diſtinguebant.* Si non eſt certus de belli injuſtitia ſubditus conſtitutus etiam ſub Rege ſacrilego, poteſt illo jubente bellare: quia ordo naturalis mortalium paci accommodatus, hoc poſcit, ut ſit ſuſcipiendi belli authoritas atque conſilium penes Principem, exequendi autem juſta bellica miniſterium milites debent paci ſalutique communi. Et ita cum certum eſt non eſſe contra Dei præceptum, vel eſſe certum non eſt, poteſt ſubditus bellare, ita ut fortaſſe reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem oſtendat ordo ſerviendi.

Porro ordo & ſubjectio inferiorum ad Superiores, etiam ab ipſa natura docetur, tam in rebus inſenſibilibus, quam in animalibus. Ordinavit enim Deus in toto univerſo ignobiliora debere obedire nobilioribus. Sic Angelus præeſt homini, anima præeſt corpori, caput præeſt membris, cœleſtia præſunt terrenis. Sic luna præeſt humidis, ſtellæ præſunt rebus vegetabilibus, ſol toti terræ & ipſis ſtellis. Sic denique inter animalia vides ordinem. Dux eſt unus inter grues, in gregibus & armentis rector unus, inter gallinas Dux eſt gallus, inter oves præeſt aries Rex unus eſt in apibus. Quapropter ex animalibus ſumpſit exemplum Sapiens:

Prov. 30. 29. quod proponeret, Regibus, dum dicit: *Tria ſunt quæ bene gradiuntur, & quartum quod ſuaviter incedit: Leo fortiſſimus beſtiarum: Gallus ſuccinctus lumbos: Aries, nec eſt Rex qui reſiſtat ei.* Lectio vetior habet: *Aries & Rex, nec eſt qui reſiſtat ei.* Ita ut quartum ſit, Rex invictus & inſuperabilis. Hæc autem animalia Regi conjunguntur, ut ex illis indicetur, quænam Regibus competant.

Primo, in Leone deſignatur fortitudo, qua poſſit irrumpere iniquitates: imo magnanimitas, qua poſſit parcere ſibi ſubjectis veniam poſcentibus.

Secundo, in Gallo deſignatur regia vigilantia, quæ illi neceſſaria eſt inter tot regni curas, ad quam etiam ſuos continuò debet excitare, ſicut Gallus primo ſe alis ſuis excitat, & poſtea alios ſomnolentos voce.

Tertiò, in Ariete qui gregem præit, indicatur quomodo debeat ſuos bonis exemplis & legibus ad ea quæ recta ſunt, ducere, & ad eorum defenſionem hoſtibus ſe objicere. Quæ omnia etiam conveniunt cuilibet homini qui præeſt.

Poſſunt & hic quatuor virtutes Cardinales deſignari, per quas ſit, ut homo recte incedit. 1. In Leone fortitudo, quæ omnia hujus mundi proſpera & adverſa facile contemnit. 2. In accincto lumbos animali continentia, qua carnales reſtringimus affectiones: quia etiam Gallum à ſomno excitat ad vigilantiam, per quam libido pellitur. 3. In Ariete gregis Duce, deſignatur providentia, quæ cæterarum eſt virtutum ductrix, doctrixque, illis modum ponit & ordinem. 4. In Rege cui nemo poteſt reſiſtere, juſtitia virtutum Regina deſignatur.

Sicut autem monet Sapiens per hæc exempla Regem ſui officii, ita docet per præcedentia Reſpubl. quæ ſint ſui muneris, dum dicit: *Quatuor ſunt minima terræ: & ipſa ſunt ſapientiora ſapientibus:* Prov. 30. 24. *Formica populus infirmus, qui præparat in meſſe cibum ſibi: lepuſculus plebs invalida, qui collocat in petra cubile ſuum: Regem locuſta non habet, & egreditur univerſa per turmas ſuas: Stellionem tangis manibus, & moratur in adibus Regis.* Hæc enim omnia ad Reſpubl. pertinent, & ideo proponitur formicarum, cuniculorum, & locuſtarum agmen, inſtar populi cujuſdam vel gentis. Janſen. in hunc locum Proverb.

Primò, docentur Reſpublicæ exemplo formicæ procurare quæ neceſſaria ſunt ad vitam, & curare ut omnes in civitate ſint ſedu i & laborioſi.

Secundò, exemplo Lepuſculi ſive cuniculorum, docentur de commoda & ſecura habitatione ſibi providere.

Tertiò, exemplo locuſtæ, monentur dare operam ut in pace & concordia vivant. Locuſta enim gregatim de agro in agrum cum concordia egreditur; & cum Ducem habeat, tamen proficiſcendi tempus, incedendi ordinem, quieſcendi ſtationes obſervat, quaſi ſigno dato Ducem ſequeretur. Animal hoc ſi ſeparatim incedat, facile interficitur, cum gregatim volat, nullis viribus aut arte ſuperatur, ſed latiſſimos agros tegit. Docentur ergo Reſpublicæ concordiam pacemque alere, ut poſſint hoſtibus reſiſtere.

Quartò, docentur exemplo Stellionis (quale-

cunque

eumque ſit animal) Principum favorem per induſtriam & gratiam obtinere. Dicunt verò aliqui, eſſe ſerpentem Lacertæ ſimilem, circulis quibuſdam & velus lucentibus guttis depictum, de quo Plinius lib. 31. cap. 10. Alii putant verti debere *Aranæum*, nam ejus induſtria in texenda tela maximè quadrat, eique convenit manibus niti. Alii vertunt ex Hebræo *Simiam*, quæ in deliciis eſt apud Reges, ac manuum ſimilitudine & imitatione hominem refert. Hæc ex Janſenio in illum locum.

Plin. l. 31.

Subditi debent Principibus & Magiſtratibus tria. 1. Honorare & pro eis orare.

Cæterùm tria debentur Principibus à ſubditis, & continentur in hoc honore, qui dicitur eis deberi.

1. Tim. 2. 1

Primò, tenentur ſubditi eos corde honorare, & eisex animo fœlicia omnia apprecari, ſivè in ſpiritualibus, ſive in temporalibus, Deumque pro illorum ſalute & felici regimine ac negotiorum regiorum ſucceſſu exorare. Hoc ſpecialiter commendat Apoſtolus: *Obſecro primùm fieri obſecrationes, poſtulationes, pro Regibus & pro his, qui in ſublimitate ſunt &c.* De qua re fuſe diſſeruimus, cum de oratione egimus.

l. 2. tract. 2. de Orat.

Certè pio Principibus omninò orandum eſt, à quibus totius populi fœlicitas pendet, vel infœlicitas, fides vel perfidia, ut paſſim videmus variis in Provinciis. Sed & propter peccata populi, quandoque mali Principes à Deo regnare permittuntur, juxta illud Oſeæ: *Dabo tibi Regem in furore meo.* Et illud Job: *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Quem locum explicans D. Gregorius docet ſubditos non debere conqueri de Regum & Principum vitiis: ſed de ſuis propriis, quia ob ea Deus iniquos eis dat Principes: *Culpam*, inquit, *petitus proprii accuſet operis, quàm injuſtitiam gubernantis. Scriptum namque eſt: Dabo Reges in furore meo. Quid ergò illos nobis præeſſe deſpicimus, quorum ſuper nos regimina ex Domini furore ſuſcipimus.* Propter peccata etiam Principum populus ipſe aliquandò plectitur, ut patet in Davide peccante, & populo punito peſte. 2. Reg. ultimo. Ex quibus ſatis colliges, ſubditos maximè decere orare pro ſuis Principibus, quia ſecundùm merita plebium, diſponit Deus corda Regum.

Oſe. 13. 11
Job. 34. 30.
Greg. l. 15. mor. c. 14.

2. Benè de iis loqui.

Secundò tenentur ſubditi bene de eis loqui, eorum actiones in melius interpretari, verbis honorare; non verò detrahere aut maledicere, quia ſcriptum eſt: *Diis non detrahes, & Principem populi tui non maledices.* Et Apoſtolus dicit: *Deum timete, Regem honorificate.* Interiori ſcilicet & exteriori honore, corde, verbo, opere.

Act. 23. 5.
1. Pet. 2. 12.

3. Tributa ſolvere.

Tertiò, tenentur eis tributa & juſta vectigalia liberè & ſine fraude pendere, quia ſine talibus communibus ſubſidiis, Reſpublicam perfectè adminiſtrare nequeunt, aut contra hoſtes defendere. Undè Apoſtolus dicit: *Reddite omnia debita. Cui tributum, tributum: Cui vectigal, vectigal: Cui timorem, timorem: Cui honorem, honorem.* Imò quamdiu certus non eſt ſubditus, iniquam eſſe exactionem Principis, tenetur obedire: quia non licet alteri id ſubtrahere, de quo dubitatur an ei debeatur.

Rom. 13. 7

Ex his ergò patet, quinam in hac re peccent contra hoc præceptum. Primò enim peccant, qui Magiſtratibus & Principibus conſpirationes vel rebelliones ſuſcitant, ſuo vel exemplo, vel verbo, aut conſilio: *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Secundò, qui impediunt ſolvi, quæ juſtè eis debentur, vel defraudant. Dico, quæ juſtè debentur. Nam ubi manifeſtum eſt, injuſtis actionibus ſanguinem pauperum & plebis illos exſugere, poteſt ſe plebs, quantùm in ſe eſt, indemnem conſervare, de qua re infra latiùs. Tertiò peccant qui eorum actiones iritant, temerariè judicant, in pejus interpretantur, contumeliis illos inſectantur: Cum ſcriptum ſit per Sapientem: *In cogitatione tua Regi ne detrahas, & in ſecreto cubiculi tui ne maledixeris diviti: quia & aves cœli portabunt vocem tuam.* Vult ibi detertere Sapiens illos, qui adeò labricæ linguæ ſunt, ut etiam eam in Principes maledictis & detractionibus facilè exſerant. Utitur verò quâdam hyperbole, quâ uti ſolemus, dum dicere volumus nihil manere occultum, ſed parietes etiam aures ſuas habere, quia ſæpè contingit, ut, quæ in ſecretiſſimo diximus, tandem propalentur, & neſciat qua via is qui dixit, aut cui dictum eſt.

Peccantes contra hoc præceptum.
Rom. 13. 2
Eccl. 10.

Certè Principes frequenter potiùs digni ſunt compaſſione, quam detractione, aut perverſorum hominum temerario judicio, & actionum regiarum interpretatione perverſa. Nempè ipſi ſunt, *qui portant orbem*; ipſi ſunt *gigantes* illi, qui *gemunt ſub aquis*, mille ſpinas & pericula incurrunt, ut Regna & Rempublicam rectè gubernent. In aula ſua commorantes, ſub corona ſua auſera mille punctiuras acutiſſimarum ſpinarum reperiunt, ita ut rectè dixerit quidam. *O diadema ſpecioſum, ſi quis arumnas, quas ſub ſpecie tua latent agnoſceret, ne quidem te de terra jubilare vellet.* Sceptrum eis gravius eſt, quam miſero ruſtico ligo ſuus, aut artis inſtrumentum, quo debet laborando vitam ſuam ſuſtentare. *Virga vigilans* eſt ſceptrum, virga quæ non ſinit eos dormire, & ſomnum quietem capere? ſed mille ſollicitudinibus corda eorum excitat & lancinat, ut poſſit eſſe *Virga directionis*, juſtitiæ, æquitatis, fœlicitatis. Interim ſi quandoque aliqua non ita fœliciter ſuccedant, omnes in eos clamant, omnes *ponunt os ſuum in Cœlum*, in regiam dignitatem & perſonam judicii temerarii, & detractionis ſagittas jaculantes: & nemo eorum compatitur, nemo cogitat frequenter ſine eorum culpa in regimine contingere errores. Rectè quidam de Principibus dicit: *In navi licet viatoribus abſque cura agere, & ne aſpicere quidem mare, imò nec ſcire ubi terrarum ſint: ita ut his quaſi ſecuri, alii talis ludant, alii canant, alii convivantur, ſomno oppreſſi non priùs ſurgant, quàm ſint in portu. Nauclerus autem aſpicere debet in mare*

Job. 9. 13.
Idem 26. 5
Jer. 1. 11.
Pſ. 44. 7.
Dion. Nicæus Orat. 32.

Digitized by Google

mare ſuſpicere Cælum, proſpicere terram, imò nec quæ in profundo ſunt debet ignorare, ne in ſaxa incidat, nec obdormire ei licet. Si fortè brevem ſomnum ſuffuraetur, hunc tamen ſuſpenſum habet, & dubium, ut ſæpè exclamet vela contrahi, aut clavum ſiſti aut aliud rerum nauticarum, & dormiens magis curam gerit navis, quàm alii vigilantes. Hoc ergò intereſt inter privatos & Principes Rempublicam gubernantes, quorum ſapientia aliquandò caliginem patitur in turbatis Reipublicæ rebus. Undè non mirum, ſi in tempeſtatum turbine error aliquis quandoq; intercurrat, qui non ita potuit prævideri aut emendari, nec ab eis, nec ab eorum Conſiliariis aut Ducibus. Hoc frequenter contingit in bellico regimine, exercituum ductatione, & negotiorum graviſſimorum adminiſtratione. Interim malevoli homines, qui omnium volunt eſſe cenſores, errata illorum qui in ſublimitate ſunt notantes, imò frequenter calumniantes, clamant taliter vel taliter rem oportuiſſe geri, tale vel tale conſilium oportuiſſe dari, tali vel tali ſtratagemate neceſſe fuiſſe uti: & ſic temeraria cenſura notant, reprehendunt, detrahunt Principibus & Ducibus, cùm ipſis ſuis in negotiis plures inveniantur errores committere. Nam multi ſimiles illis ſunt, qui luſores aſpiciunt, & errores facilè notant, quos chartarum & alearum luſus involvit: & judicantes ſe peritiores in luſu ajunt, ego ſic luſiſſem &c. Dum verò ipſi ludere incipiunt, in plures errores incidunt. Optimè dixit Æneas Sylvius: *Agrum colere, gregem paſcere, navim regere, texere, ſuere, ædificare, multi ſe ignorare fatentur: Magiſtratum in urbibus agere, Regem gerere, gentibus ac nationibus imperare, quod eſt difficillimum, nemo ſibi à natura negatum dicit.*

Æneas Sylvius.

non ſibi tantùm nocent, ſed & pacem Reipublicæ conturbant: *Non enim ſine cauſa gladium portat*, inquit Apoſtolus, *vindex enim eſt ad vindictam malorum, & laudem bonorum.* Sic puniuntur morte latrones, homicidæ, fures, aliique pernicioſi malefactores, juxtà leges diverſarum Provinciarum. Imò Principes vel Judices, qui tales latrones, graſſatores, homicidas non puniunt cùm poſſint, nec è medio tollunt, grave peccatum committunt: quandoque etiam damnum ſubditis relarcire tenentur. Undè rectè quidam: *Savit in bonos, qui parcit malis.* Et in Deuter. dicit Dominus: *Auferes malum de medio tui, non miſereberis ejus, ſed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.* Quapropter dicit Propheta ad Regem Achab. *Hæc dicit Dominus, quia dimiſiſti virum dignum morte, de manu tua, erit anima tua pro anima illius, & populus tuus pro populo ejus.* Ideò etiam David Rex, moriturus anxius erat, quod Joab Principem militiæ homicidam toleraſſet, cùm duos Principes exercitus inique occidiſſet.

Deut. 19. 19.

3. Reg. 20. 42.

3. Reg. 2. 32.

De his Judicibus, qui reprobos ultione dignâ non coercent, dicitur apud Jeremiam: *Maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine.* Maledictus utique, quia particeps peccatorum, quæ reus perpetrat. Undè legimus de S. Ludovico Rege Galliæ, quod cùm quodam die homicida quidam ab eo veniam poſtulaſſet, annuit Rex: at poſtea cùm otius incidiſſet in illud Pſalmi 106. *Beati qui faciunt judicium & juſtitiam in omni tempore*, protinus revocavit, dicens: *Princeps qui crimen punire poteſt, & non punit, non minùs coràm Deo reus eſt, quàm ſi ipſe perpetraſſet.* Hoc lepidè Ludovico XI. indicaſſe fertur quidam ejus Morio. Cùm enim quiſpiam homicidii reus, veniam à Rege poſtularet: Rex facti enormitatem conſiderans, & quod jam tertiò impunè homicidii foret reus, ſeverè reſpondit ei: *Quid tu veniam poſtulare audes, qui jam tertium homicidium perpetraſti?* Id audiens Regis Morio: *Abſit*, inquit, *Domine: Primum tantùm eſt, quod hic perpetravit.* Quomodò ita, inquit Rex, cum jam tertiò veniam petat? Reſpondet ille: *Quia ſecundum & tertium, ô Rex, tuum eſt: Si enim primum non condonaſſes, reliqua non perpetraſſet.* Ita ille cum lepore, ſed etiam cum veritate.

Jer. 48. 10. de S. Lud. Rege.

Pſ. 105. 3.

De Lud. XI. Rege Galliæ.

Secundò, licita eſt occiſio in bello juſto non ſolùm cùm defenſivum eſt, ſed etiam cum aggreſſivum. Tunc enim militantes non ſunt homicidæ, cùm juſtè & ab authoritatem habente bellum indictum eſt, ſed ſunt miniſtri legis & ſalutis publicæ defenſores.

2. *Licet occidere in bello juſto.*

Undè cùm milites ad Joannem accederent, dicentes. *Quid faciemus?* non dicit eis, arma abjicite, militiam deſerite, neminem percutite aut vulnerate. Sed dicit eis: *Neminem concutiatis*, affligendo & opprimendo injuſtè, quia fieri ſolet, ut arma quæ Princeps dedit in defenſionem publicam, in civium damnum & perniciem convertantur: *Neq; cuiquam calu-*

LECTIO V.

DE QUINTO PRÆCEPTO.

NON OCCIDES.

1. *Docet ſolùm prohiberi juſtam occiſionem.*
2. *Homicidium eſſe graviſſimum inter peccata in proximum.*
3. *Homicidium eò gravius eſſe, quò perſona eſt conjunctior.*

PROPOSITIO I.

Prohibetur hoc præcepto homicidium, & omnis injuſta effuſio ſanguinis.

1. *Licet Magiſtratui occidere malefactores.* Rom. 13. 4.

DIco injuſta, quia quandoque ſanguinis effuſio licita eſt, immò præcepta.

Sic primò licitum eſt, & præceptum malefactores occidere, & eos, qui Reipublicæ pernicioſi; ſicut enim Medicus membrum præſcindit à corpore, per quod totum corpus certum mortis incurrit periculum: ita illi occidendi ſunt à Principe, qui

Digitized by Google

calumniam facietis : Sed contenti estote stipendiis vestris. Itaque Bellum non est condemnandum, sed hæc in bello condemnantur, inquit August. *Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus atque implacatus animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua similia intercurrunt.* Videri potest August. 22. contra Faust. 7. cap. 74. & 75. Epistol. 207. ad Bonif. *Non pax quæritur, ut bellum excitetur, sed bellum geritur, ut pax acquiratur. Esto ergò etiam bellando pacificus, ut eos, quos expugnas, ad pacis utilitatem bellando producas.* Interim quia varia crimina adducit bellum, non nisi necessitate suscipiendum est, de qua re egimus, cùm de oratione publica ad avertenda bella tractavimus. Ubi etiam disseruimus de variis criminalibus ex bellis ortum habentibus. l. 2. tract. 2. lect. 6.

Milites nostri ævi describuntur.

De quibus si latiùs cupis scire, audi Petrum Blesensem aptè milites nostri temporis describentem Epist. 94. *Olim se juramento milites obligabant, quod starent pro Republica statu, quod in acie non fugerent, sed & hodie tyrones enses suos recipiunt de altari, ut profiteantur se filios Ecclesiæ. Porrò in contrarium res versa est, nam ex quo hodie militari cingulo decorantur, statim insurgunt in Christos Domini, & dejerant in patrimonium Crucifixi : spoliant & depradantur subjectos Christi pauperes, & miserabiliter atque immisericorditer affligunt miseros : ut in doloribus alienis illicitos appetitus & extraordinarias impleant voluntates.* Addit secundò. *Qui contra inimicos crucis vires suas exserere debuerant, in potibus & ebrietatibus pugnant, vacant otio, marcent crapula, vitamque degenerem in immunditiis transigentes, nomen & officium militiæ dehonestant : Hi laudant in pace prædas, inter arma fugas, inter vina victorias, cùm sint in Prætoriis leones, in prælio lepores.* Addit tertiò : *Ordo mihi non sum : est ordinem non tenere, nam cujus os malorum verborum spurcitia polluitur, qui detestabilibus jurat, qui minus Deum timet, ministros Dei vilificat, qui Ecclesiam non veretur, iste hodie in cætu militum fortior & nominatior reputatur.* Hæc ille.

3. *Licita est occisio si aliter te tueri non possis contra invasorem.*

Tertiò licita est occisio, si non possis te tuaque defendere contra invasorem, aliter quam ejus morte. Ratio est, *quia vim vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ*, ut loquitur Alexander III. & communiter Doctores : Hoc est, cum illa moderatione, sine qua injuria depelli non potest. In defensione non potes uti majori vi, quam sit necesse ad injuriam arcendam ; alioqui non est defensio, sed ultio. Cùm verò non potes aliter te tueri, quam alterius nece, non es reus sanguinis. Confirmat lex divina Exod. 22. dicens: *Si effringens fur domum, sive suffodiens inventus fuerit, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis.* De fure verò diurno sic dicit. *Quod si orto Sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipse morietur*, quia scilicet non est tutela inculpata, cum claro die fur occiditur. Ratio disparitatis est: Quia nocturni furis incerta est vis & intentio, & nescitur an ad furandum tantum, an etiam ad occidendum veniat. Rursum, quia nocturnus fur agnosci non potest, ut Dominus rem suam judicio repetere possit. Denique quia fur nocturnus non potest tam securè apprehendi & repelli quam diurnus; possunt enim auxilia domestica & vicinorum de die haberi, non ita de nocte. Quod verò aliqui Sancti Patres, insinuant esse illicitum, occidere invasorem te defendendo, loquuntur ut plurimum de periculo excessus, odii, iræ, & debitæ moderationis : quia difficillimè & rarissimè homo ab alio invasus, mansuetudinem & patientiam necessariam servat, & rarò admodum adhibet omne aliud remedium, quod citra necem invasoris adhiberi posset. An verò licita sit alterius occisio ad tuendam castitatem, vel honorem tuum, vel res tuas, Vide Theologos 2. 2. q. 64. specialiter Malderum Lessium & Reginaldum.

Exo. 22. 2 *De fure nocturno, & diurno occidendo disparitas.*

PROPOSITIO II.

Homicidium est inter peccata quæ in proximum fiunt gravissimum.

HInc Scriptura dicit hoc peccatum clamare in Cœlum; sanguis Abel dicitur in Genesi habuisse vocem, & vindictam inclamasse contra Cain. *Vox sanguinis fratris tui, clamat ad me de terra*: Hoc est, reatus homicidii tui in conspectu meo comparet, celerem & atrocem vindictam exposcens : & ideò maledictus eris super terram, & maledicta terra propter te, quam pollusti sanguine fratris tui ; cum operatus fueris eam, non dabit fructus suos, & tu in illa terra infaustus eris & infœlix, vagus & profugus. Homicidas ergò ultio divina à tergo sequitur. 1. *Clamat vindictam* Gen. 4. 10

Huc referri potest naturale quoddam miraculum, quod experientia compertum dicitur : quod scilicet si occisor venerit ad cadaver occisi, vulnera sanguinem sudent, idque non tantum fieri animadversum est, cum recenter quis occisus est, sed etiam cum à multis diebus. Ita videtur Deus providentia particulari voluisse indicare, sanguinem effusum vindictam ab homicida petere, cum hoc indicio ostendendo, & quasi quodam muto judicio condemnando : hinc mira fuit apud Hebræos occulti homicidii expiatio, de qua habetur Deut. 21. *Quando inventum fuerit hominis occisi cadaver, & ignorabitur cædis reus, egredientur Judices tui, & metientur à loco cadaveris singularum per circuitum spatia civitatum : & seniores propinquioris civitatis, tollent vitulam quæ non traxit jugum nec terram scidit vomere, & ducent ad vallem asperam & saxosam, quæ nunquam arata est, nec sementem recepit, & cædent in ea cervices vitulæ. Et venient majores natu civitatis illius ad interfectum, & lavabunt manus suas super vitulam*, dicentes : *manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi vidarunt. Propitius esto populo tuo Israel quem redemisti Domine, & ne reputes sanguinem innocentem in medio populi tui.* 2. *Deus illud prodidit.*

Omnia hæc præcepta sunt ad absterrendum populum ab homicidio, per victimam illam expiatoriam

Digitized by Google

suo tamen tempore à Deo immittitur, nisi pœnitentia illam impediat. Quod & exemplo Saulis, sanguini Davidis innocui insidiantis, probari potest. Cum enim David penè oppressus ad altissimum judicem oculos convertisset, dixit: *Judicet Dominus inter me & te, & ulciscatur Dominus me & te.* Nec vana fuit hæc ad judicem supremum provocatio; quia paulò post a Philisthæis sagittâ transfixus, ne in manus eorum vivus incideret, proprio se ferro transverberavit. 1. Reg. 24. 13.

Jo. Bonifacius l. 1. de instit. Pueri Christ. c. 1. ex Jo. Dubravio

Quod si exempla nova cupis, lege Sanctorum gesta, & invenies sanguinem eorum injustè effusum, vindictam expostulasse. Unicum hic subjicio exemplum de Sancto Venceslao, Principe Bohemiæ, qui a fratre suo Boleslao interfectus fuit. Rem sic narrat Joannes Bonifacius, ex Joanne Dubravio, scriptore Historiæ Bohemiæ. Venceslaus Bohemiæ Princeps, quem Ludmilla religiosa mulier educavit, à puero sanctissimus evasit, atque optimus: at Boleslaus iisdem ortus parentibus, quod a Drahomira, impia, sceleratissimaque fœmina educatus sit, impius, immanis, crudelis & importunus extitit: eoque pervenit, quoad progredi sceleris hominis amentia potuit. Nam Drahomiræ suæ altricis vestigiis inhærens, quæ & Ludmillam, ac multos Christi Sacerdotes occiderat, Venceslaum fratrem quoque interemit, humanaque & divina jura violavit. Nutricis verò magistræque Drahomiræ nefariæ institutio impunita non fuit: Cum enim per eum locum, ubi Sacerdotum corpora insepulta jacebant, curru vecta transiret, subitò terra dehiscens, Drahomiram ex numero vivorum exturbavit, curruque & vectores reliquos depressit atque demersit, unico incolumi auriga, qui tintinnabuli signo admonitus, ad aram non longè positam, fremente Drahomira thedariique religionem & pietatem execrante, ex equo desiliens Christi sacrosanctum corpus veneraturus accurrerat, quod Sacerdos tem divinam celebrans offerebat. Nec non sacrilegi, & fratricidæ Boleslai dementia punita est, & vindicata divinitus; nam templi paries, quem Venceslai cruore frater insanus & præceps amentia respersierat, detergi abluique non potuit, ut nefariæ cædis testis esset æternus. Sic videlicet principis exitus, primisque extrema consentiant. Ita Bonifacius de institutione pueri Christiani l. 1. cap. 1.

II. Est gravissimum quia destruitur imago Dei. Gen. c. 9. 6

Secundò, gravitas quoque homicidii ex eo colligitur, quod in eo destruatur quodammodò imago Dei. Undè in Genesi dicitur: *Qui effuderit sanguinem, fundetur sanguis illius; ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Ubi indicat non tam homini, quam Deo injurium esse, qui homicidium committit: quia cum homo sit imago Dei viventis, injurius est Divinitati, qui ejus vivam imaginem demolitur: sicut læsæ Majestatis reus censetur & injurius Regi, qui Regis imaginem discindit. Deo ergò & proximo maximè injurium est homicidium; Deo, quia vilipenditur in sua imagine: undè homicidæ adeò infensus fuit Deus, ut etiam ad altare suum confugientem, voluerit ab eo avelli: Proximo verò, quia maximum ei nocumentum infertur; dum vita tollitur, quâ nihil pretiosius possidet. Hoc rectè intellexit Alexander Magnus, apud quem, cùm Mater Olympias instaret, pro nece cujusdam aulici, cui infensa erat: preces & obtestationes omnes maternas interponens, non potuit obtinere. Nam Alexander intelligens petitionem hanc ex odio proficisci, respondit ei: *Pete aliud mater, nam vita hominis nullo potest satis pretio æstimari vel compensari.*

III. Est gravissimè ob conscientiæ remorsum. 1. Reg. 25. 31.

Tertiò, gravitas homicidii ex eo colligi potest, quod speciali syndereseos & conscientiæ remorsu illud plectat Deus. Licet enim omnia peccata conscientiæ remorsum inducant, illud tamen specialissimè. Hinc cùm David veniret necem illaturus Nabal, dicit ei sapiens Abigail: *Non erit tibi hoc in singultum, & in scrupulum cordis Domino meo, quod effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te ultus fueris.* In symbolum hujusce tremoris conscientiæ, quem peccatum hoc inducit, voluit Dominus etiam exteriori tremore Cain post cædem fratris concuti. De illo enim dicitur Gen. 4. *Posuit Dominus in Cain signum.* Quod signum: communis sententia interpretatur, fuisse tremorem corporis & mentis ac vultus consternationem; ita ut exteriùs hæc omnia ipsum peccatum loquerentur, & ex illo timore dixit; *Omnis qui invenerit me, occidet me.* Timebat continuò & tremebat Cain, cùm nullus præter ipsum & parentes in mundo ageret: & hic erat pavor malæ conscientiæ, ob quam vagus & profugus dicitur ambulasse super terram, hoc est, pavidus totus & consternatus. Nempè jam ipsi occurrebat in mente Abel Frater, quasi persequens eum, imò ipsam terram, quasi contrà se clamantem sibi repræsentabat: *Si pater parcit, terra non parcit.* inquit D. Ambrosius. Nam vox sanguinis clamat de terra, & ipsa maledicta propter ipsum, negat fructus. Imò expellit eum tanquam profugum, ita ut postea latitans in sylvis a Lamech occisus sit, ut multi cum Hebræis opinantur. Denique, ut dicit Procopius, sibi repræsentabat Cælum ipsum infensum, & quasi se persequens, cœlestesque & inferiores virtutes. Nam ad fulgura, tonitrua & coruscationes horrificè tremebat: Videbaturque videre Angelos, igneis gladiis sibi mortem minitantes, dum cœlum aspiciebat. Si verò oculos in terram convertebat, videre sibi videbatur serpentes veneno, leones unguibus, cæteraque feras in se irruentes. Hac ergò conscientia, quadam furia infernali peccati ultrice, excarnificatus ambulabat. Eâdem conscientiâ torquebatur Lamech, qui putatur Cain occidisse, dum dicit: *Occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in livorem meum*, q d. quo vulnere virum confodi, eodem meipsum transverberavi: quia vulnus gravius per homicidii reatum in anima accepi, & livorem continuum animo meo induxi, ob adolescentem à me occi-

Gen. 4. 15.

Ambros.

Gen. 4. 23.

occisum. Unde si septuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech septuagies septies. Vide Interpretes in eum locum.

Infanticidæ crimen morte expiat. In vitis PP. l. 10. c. 166.

Itaque homicidii rei, continuò pavore concutiuntur ob conscientiam, umbras timent, spectra eis mortuorum, quasi persequentium occurrunt, nec unquam tuti sunt. Habes exemplum apud Sophronium, hac de re hominem, in Prato spirituali c. 166. Latro quidam occiso puerulo, pœnitentiâ ductus, Monasticam vestem assumpsit, & novem annis in maxima pœnitentia perseveravit. Verùm in somnis, & in Ecclesia, & in refectorio, & cum ad sacram Eucharistiam accederet, semper occurrebat illi ille puerulus dicens: Quare me occidisti? Nec una horâ quietum illum sinebat. Quapropter resumptis sæcularibus vestibus, cum Abbatis venia exiit, dicens se ire, ut pro puero crudeliter a se occiso, morte plectatur. Cùm ergò sic indutus pergeret Diospolim, comprehensus est, & sequenti die decollatus. Sic occulta & alta Dei providentia voluit eum pro peccato satisfacere.

Baron. to. 8. an. 659. nu. 1. & 2. *Constans Imp. fratrem occidit: divina verò ultio eum exagitat.*

Admirabile quoque est, quod ex Græcorum annalibus referri Baronius de Constante Imperatore. Hic fratrem suum Theodosium, consecratum Diaconum a Paulo Patriarcha, nece abstulit; à quo in sacris mysteriis Sanguinis Christi poculo potatus fuerat. Nec verò impunè: Exegit enim sanguis innocuus à Deo vindictam, ut omnibus diebus vitæ suæ, instar Cain conscientiæ stimulis agitatus, vagus & profugus ageret super terram, eò infœlicior, quod non, sicut ille, signum accepit à Domino, ne ab aliquo interficeretur. Etenim insequente eum culpa, tremens ubique locorum fuit. Infœliciissimus, quod remedium pœnitentiæ non arripuit, sed in fuga præsidium collocavit; putans mutatione locorum ab insequente se culpa non expiata, posse defendi. Sed audi quid acciderit. Ubi enim scelus perpetrasset, & extinctum penitùs Fratrem, ac oblivione sepultum putat, didicit suo damno miser, superesse posse eædem homini, quod vivat & clamet. Is ergò Theodosius crebrò per quietem visus est, habitu Diaconi poculum sanguine plenum porrigens, atque dicens: *Bibe frater*, ac si diceret: *Inebriare fraterno sanguine, quem fudisti: tale decet protinare poculum plenum sanguine avida crudelitatis. Explere cruore germani porrigentis, non ut olim in Ecclesia porrigebat in tuarum redemptionem culparum sanguinem Christi, sed in ultionem paratum: Sume de manu, non sanguine agni refertum poculum, quo percussor Angelus abigatur; sed qui ulterem excitet in te Deum. Accipe sanguinem victimæ, non quo sanctum est fœdus; sed quo tua est damnatio comparata. Porrigo calicem, non salutarem, sed ira Dei poculum plenum, quod bauriri est necesse: Meus accepit sanguis, qui tuum à Deo vindice suis vocibus exigit.* Audiebat hæc & metuebat Imperator, ultrice accusante pariter conscientiâ, & fugientem majoribus clamoribus insequente. Ejus vilionis acerbitate victus infœlix Imperator statuit Siciliam abire. Ita in urbe relinquens uxorem, & tres filios, navem conscendit. Cumque solvit, conversus retrò, urbem Imperii sedem conspicit. Sed ne in Sicilia quidem insomnium illud vexare Constantem desiit, Syracusas ergò sibi delegit, ubi vitam ageret ubi & statuit Imperium Romanum transferre, cum invisus esset ob Monothelitarum hæresim, aliasque pravas de religione sententias.

IV. Est gravissimum ob manifestationem Dei. Gen. 4. 7.

Quatò, gravitas homicidii ex eo colligi potest, quod peccatum hoc, licet occultum, Dei providentia soleat propalare. Hoc voluit significare Dominus Cano, dicens: *Si malè egeris, statim in foribus peccatum tuum aderit.* q. d. statim pro Judicis tribunali, qui in foribus & portis civitatum solebant judicare) peccatum tuum aderit: quia scilicet conscientia sceleris statim aderit tanquam Judex & vindex, cor intimus lancinans & plectens: & quia ipse suptemus Judex, non patietur occultum peccatum, inultum homicidium tuum, ô Cain! Peccavit enim Cain secretò; unde dixit fratri: *Egrediamur foras*, ut scilicet sine teste eum aggrederetur: sed statim peccatum ejus propalatum est, & præ tribunali stetit. Accommodè verò huic rei significandæ, ex Hebræo vertunt aliqui cum Cajetano & legunt: *Peccatum tuum statim pra foribus accubabit*, ut sit metaphora sumpta ex avibus, quæ ova occultant, dum in nido collocant: sed postea prodiens avicula vocè edit, quâ se prodit. Peccaverat David occultè, tum adulterio, tum homicidio Uriæ, scribens literas ad Joab per manus ipsius Uriæ, quibus secreto consilio & dolo mandabat, ut hostium gladis exponeretur & deseretur: sed non diu occultus fuit, tum adulterii, tum homicidii reatus, statim præ foribus fuit; & præ judicis tribunali. Unde in ejus punitionem postea miris angustiis premitur, & flens ac desolatus cogitur pedes fugere, urgente eum Absolonis ultrice manu, a quo ejus uxores etiam violatæ sunt, & fœdo adulterio incestuque compuratæ. Quapropter dicitur ei 2. Reg. 12. *Tu fecisti absconditè, ego autem faciam in conspectu omnis Israel, & in conspectu Solis hujus.* Sic uxor Putiphars, ubi castum adolescentem Joseph, pravæ suæ concupiscentiæ vidit nolle acquiescere, necem ei occulte intentat, per falsam accusationem stupri & violati thori; & pallium Joseph, velut irrefragabile testimonium profert: sed statim præ foribus & Judicis tribunali astitit peccatum ejus, dum casti Josephi innocentia omnibus innotescit, & fallacis mulieris fœda concupiscentia propalatur, ac in caput accusatricis retorquetur.

2. Reg. 11. 14.

2. Reg. 12. 12.

Gen. 39. 13.

Attende quoque factum Moysis, Exod. 2. qui cùm virum Ægyptium, percutientem aliquem de Hebræis occultè occidisset (quod D. Augustinus culpat, & tribuit zelo nimio & inculto, sine potestate & justitiæ ordine) statim propalatum id fuit, licet sollicite tabulo abscondisset; ita ut ei improperaverit alter Hebræus: *Numquid me vis occidere, sicut*

Aug. l. 22. contra Faust. c. 70. Exo. 2. 14.

Digitized by Google

ſicut heri occidiſti Ægyptium? Timuit Moyſes & ait: *Quomodò palam factum eſt verbum iſtud?* Coactuſque eſt fugere ad terram Madian, quærente ultionem Pharaone. Exod. 2. 14.

Denique etiam per irrationabilia animalia, imò quandoque per res inſenſibiles, homicidii reatum divina detegit providentia. Sic diximus mortui cadaveris fluorem ſanguinolentum, ſceleris authorem ſolere indicare præſentem. Quid adulteros ſenes falſo teſtimonio pudicæ Suſannæ necem intentantes accuſavit, niſi arbores inſenſibiles, dum unus aſſerit commiſſum ab ea adulterium ſub ficu, alter affirmat ſub pino? Nonne paries palam proclamat crimina Baltaſaris Regis Babylonis, ſententiamque condemnationis pronuntiat: *Mane, Thecbel, Phares?* Habent ergò parietes aures, habent & linguam ſuam, illo ordinante, qui nihil vult inultum relinquere, qui etiam per Evangelium ſuum dicit: *Nihil occultum quod non reveletur.* Dan. 13. 54. Dan. 5. 25.

Si exempla cupis, de irrationabilibus animalibus homicidia detegentibus, habes plerasque apud veteres Hiſtoricos. Duo ex Plutarcho ſubjicio: Pyrrhus Rex in itinere canem offendit, qui Domini jugulati corpus ſervabat: auditoque quod triduo ſine paſtu illic perduraſſet, neque abceſſiſſet, cadaver humari, & canem ſecum abduci, ejuſque curam haberi imperavit. Paucis poſt diebus, Rex luſtrabat copias ſuas, militeſque coram Rege tranſibant. Aderat canis quietus, qui ut Domini perculſores conſpexit prætereuntes, cum latratu & ira procurrit in illos, ſubindè circumagens ſe ad Pyrrhum. Itaque comprehenſi extemplò, & quæſtione examinatâ, cum indicia alundè acceſſiſſent cædem confeſſi, pœnas dederunt. Ita Plutarch. Plutar. lib. moral. de ſolertia animal. *Canis prodit heri ſui percuſſores.*

Idem refert. Cum in latrones Ibycus quidam Poëta incidiſſet, & ab illis occideretur, Grues fortuitò ſupervolares obteſtatus eſt ſceleris teſtes. Aliquanto poſt tempore, cum latrones illi in foro ſederent, rurſumque Grues ſupervolarent; ridebant illi & per jocum ſuſurrabant inter ſe in aurem: Ecce ibi ſunt Grues Ibyci ultores. Audientes aliqui aſſiſtentium hunc ſermonem, in ſuſpicionem inducti ſunt alicujus latentis ſceleris, quia jamprudem Ibycus quæſitus non reperiebatur. Rogati ergò quid ſibi vellent illi ſermones, hæſitanter & inconſtanter reſponderunt. Subjecti tormentis, facinus confeſſi ſunt. Atque ita velut Gruum judicio pœnas dederunt, ac potius ſuo ipſorum judicio perierunt. Ita idem. Idem lib. de Garrulitate. Grues Ibyci.

Addo frequenter ſpecialibus Deum miraculis uſum fuiſſe, ut homicidia detegeret, & ſceleſtos homicidas parata jam ultione plecteret, ut notum eſt ex hiſtoriis Eccleſiaſticis.

Refert D. Gregorius de Sabino Epiſcopo in Provincia Apuliæ, quod cum in longum ſenium vitam traheret, ejus Archidiaconus ambiens Epiſcopatum, eum veneno extinguere conatus ſit. Sicque cum auro corrupiſſet famulum, qui vinum ei ſolebat fundere, indurit ut mixtum veneno vinum ei præberet. Cùm ergò diſcumberet Epiſcopus refectionis hora, poculum ab Archidiacono acceptum famulus præbet. Cui Epiſcopus: *Bibe tu quod mihi bibendum prabes.* Tremefactus puer, deprehenſum ſe ſentiens, maluit moriturus bibere, quam pœnas pro tanti homicidii culpa tolerare: Cumque ſibi ad os calicem deduceret, vir Dei compeſcuit dicens: *Non bibas, da mihi, ego bibo, ſed vade dic ei, qui tibi dedit illud: Ego quidem venenum bibo, ſed tu Epiſcopus non eris.* Facto ſigno crucis bibit ſecurus. Eadem hora in loco alio Archidiaconus defunctus eſt, ac ſi per os Epiſcopi ad Archidiaconi viſcera venenum tranſiiſſet. D. Greg. Dial. l. 3. c. 5.

Admirabile quoque eſt, quod refertur apud Surium in vita S. Walburgæ, ubi dicitur. Accidit nuper res ſtupenda & propè incredibilis, niſi multorum teſtimoniis fulciretur. Anno ſuperiori, quo dira fames multos preſſit, duo inopes ejus vitandæ cauſa peregrè profecti ſunt, illis autem quidam ex longinqua regione comitem ſe adjunxit; interrogatus ab illis, quò iter intenderet? Reſpondit ad S. Walburgam religionis gratia ſe proficiſci. Dicunt & illi ſe illuc pergere. Cum verò in itinere paululum quieviſſent, illi hominem innoxium crudeliſſimè jugulant. Sed cùm anxii eſſent, quid de cadavere facerent, tandem alter in ſuos illud ſuſtulit humeros, in aliquem locum invium projecturus. Ecce autem dum conatur a ſuis deponere humeris, tam tenaciter ſibi adhæſit, ut nullâ vi potuerit avellere. Miré ergò cruciatur infœlix, videns ſe facinus ſuum celare non poſſe. Interim ſit ei amicus quidam obvius, qui viſo cadavere admirans ſciſcitatur, quid hoc eſſet? Ille rem aperit, & orat ut ſuæ calamitatis velit miſereri? Non cunctatur ipſe, diſtractoque enſe, brachia cadaveris hominem arctius complectentia nititur diſſecare. Sed novo miraculo dum cadaver attingit; etiam ipſe tenaciſſimè adjunctus eſt cadaveri, & homini illud ferenti; ita ut ſe ab illis avellere non poſſet. Ductus ergò pœnitentiâ, cum lachrymis Deo & S. Walburgæ vota nuncupat. Undè Abſolutus eſt ab illo horribili nexu. Non tamen deſeruit illum, ſed ad Rheni littus uſque comitatus eſt. Quò cum ventum eſſet, non ferens alter tum cadaveris pondus, tum intolerabile dedecus, in Rhenum ſe præcipitem dedit, ſed tam immanem homicidam Rhenus non ſuſtinens, illum cum cadavere in littus evomit. Terrefactus alter ad S. Walburgæ Monaſterium celeriter advenit, geſta narrat, paratus jure-jurando confirmare. Viderunt multi hunc tali onuſtum ſarcinâ cadaveris, qui tum fuere in vivis, ut ambigi non poſſit falſum & commentitium id eſſe. Ita apud Surium tom. 3. primo die Maii. Surius in vita B. Walburgæ 1. Maii

PROPOSITIO III.

Homicidii peccatum eò magis creſcit, quo perſona nobis eſt conjunctior, cui necem molimur. 1. *Eſt contra naturam parentum occiſio.*

HInc qui patri, aut matri, aut parentibus carnis lux, manus violentas injicit, gravilliné pec-

Digitized by Google

peccat : Estque casus reservatus in Diœcesi Leodiensi, & plerisque aliis. Nomine autem parentum, etiam avum & aviam, & alios ascendentes intelligimus, à quibus vitam hausimus, esseque nostrum mediatè & derivativè. Est certè res deploranda, quod post peccatum adeò depravata sit hominis natura, ut non solum homo hominis sanguinem sitiat, sed & frater fratris, filius Patris & Matris. Ita ut partus egrediens de utero, illum persequatur, sicut dicebat David de suo Absalone : *Filius qui egressus est de utero meo, quærit animam meam.* Nempe sic homo fit homini lupus, & filius fit parenti viperinus fœtus. Vipera enim dicitur in conceptu suffocare marem seminantem, & in partu corrodere viscera matris parturientis. Ideò vocavit Baptista Pharisæos, *Genimina viperarum*, quia ipsi Prophetas & Christum crudeliter persecuti sunt, qui eis instar parentum erant.

2. Reg. 16, 11.

Audiant, qui crudeli animo desæviunt in parentes, & illos persequuntur, præclaram monitionem, quam Andronicus senior, Andronico juniori, avus nepoti in ipsum jam furorem effundere paranti, transmittit. Cum enim Andronicus hic junior, Byzantium urbem proditione cœpisset, & palatium ingressurus foret, ut in avum suum animadverteret & sæviret, illi ei nuncium deferri curat : Quoniam Deus hodie, mi fili, sceptrum imperatorium mihi ademptum tibi donavit, unum hoc beneficium à te peto, pro multis, quæ ab ipso ortu tuo in te contuli, nativitatis & progressionis in vitam post Deum auctor. Dona mihi vitam meam. Parce paterno capiti, nec violento ferro sanguinem hauri, a quo tu vitæ fontem accepisti. Homo quidem cœlum & terram intuetur, humanas verò actiones cœlum & terra intuentur. Ne velis igitur nefandi facinoris (quale ab omni ævo nemo unquam ausus est,) inspectores habere cœlum & terram. Quod si fraternus sanguis olim ad Dominum contra Cain clamabat, quantò magis paternus sanguis ad Dominum clamabit, & terræ & soli & astris tantum facinus annunciabit, & apud omnes gentium Reges detestabitur? Reverere senium miserabile, quod mihi paulò post obitum, tibi verò longævum curarum requiem pollicetur. Reverere manus, quæ te sæpè in cunis adhuc vagientem sunt amplexæ. Reverere labia, quæ te sæpe summâ charitate deosculata sunt, & alteram animam appellarunt. Calami a fortuna projecti misserere, nec tu eum denuò conterere velis. Ne tu cum homo sis, præsenti fortuna efferaris, sed necessitatem inconstantiam & varietatem a me sumpto judicio, consideravo. Respice longæ vitæ finem, admirare ut una nox, quæ me multorum annorum Imperatorem accepit, alieno imperio subjectum relinquit. His verbis junior Andronicus delinitus fuit, & salutis avi diligenti curâ susceptâ, vix etiam à lachrymis temperans palatium ingreditur. Ubi eum humi jacentem invenit, coram imagine B. Mariæ, rogantem ne se periclitantem desereret, & sicariorum ensibus objiceret. Ipse ergò imagine etiam adoratâ, avum amplexus est, & blandis verbis recreavit. Ita Niceph. & Gregor.

Niceph. & Greg. l. 5. hist. Rom.

Attendant quoque sævi illi parentum persecutores, qui hujusmodi pietatis sermone vel exemplo nihil commoventur, durissimam vindictam, quam non solum futuro sæculo reservat, sed & præsenti ævo eis infligit Deus. Absalon rebellis, qui paterno cruore manus fœdare paratus fuit, indignus cœlo & terra judicatus est, & ideò funesta pendet in arbore, aureis suis cincinnis quasi laqueo suspensus, nefandi criminis pœnas luens. Hoc sit eis speculum, hoc exemplum.

2. Reg. 18. 9.

Nero ille crudelis, auctore Dione, matre trucidatâ, querebatur se specie maternâ exagitari, verberibus furiarum, tædisque ardentibus, nulloque loco tutum posse consistere.

Dio.

Popielus Polonorum Princeps, ob patricidii crimen, miserè cum uxore & liberis à muribus absumptus periit. Rem sic narrat Martinus Cromerus. Popielus junior susceptο principatu, concordi patruorum procerumque voluntate impubes inauguratur ; delectis aliquot de patruis, qui administrarent, donec per se publica munia obire posset. Cum pubertatem attigisset, (quæ proclivis est ad licentiam & voluptates ætas) suo jam arbitratu cœpit vivere, Patruorum monita aspernari, cum æqualibus consilia capere, convivia cum eis frequentare, perditos mores sequi, Rempublicam & judicia negligere. Ineunt Patrui cum Procetibus consilium, quomodò dissolura Principis vita frænaretur. Uxorem ei dant Teutonici Principis cujusdam filiam, videbaturque mulier mariti vitam ad meliorem frugem reductura, sed aliter accidit. Nam vitiis vitia adjunxit, & avarior factus, decreta, honores, Magistratus vendebat : & crudelitate ac fastu principatum sibi stabilire cœpit, metuique à suis volebat, cum amari non mereretur. Ad hæc omnia uxor impellebat, quæ gustata semel dominatus & lucri dulcedine, muliebri adhuc imperium omne ad se transtulerat : Et cum mollem viri animum amore sui penitus adstrictum teneret, perpetuum apud Polonos dominatum fore sibi persuadebat. Obstabat tamen auctoritas Patruorum quos metuebat, & liberius objurgantes oderat. Itaque eos confictis criminibus viro reddit suspectos & invisos. Persuadet illis vivis, non posse ipsi esse principatum firmum aut liberis suis : & ideò è medio tollendos asserit, se confecturam negotium, sine ulla populi offensione vel suspicione. Sic ergò necandi illos initur ratio. Princeps gravem simulat morbum, Patruos neci destinatos, acciri jubet mariti nomine uxor. Accedunt, & ægrum Principem circumstant, & consolantur. Ingemiscebat ille, & adesse vitæ suæ finem divinitus sibi indicatam simulat, uxorem & filios illorum tutelæ commendat. Complentur muliebri ejulatu palatia, parantur funebres exequiæ, ipso jubente Principe. Sole jam ad occasum tendente,

M. Cromerus l. 2. de gestis Polon.

prin-

Digitized by Google

princeps patronos dimiſſurus blande compellat, & in ſignum amotis circumferri medicatum poculum jubet, præjuſtare ſe ſimulat. Cùm omnes bibiſſent fingit ſe ſomno premi, velle quieſcere, diſcedunt illi, ſed conceptum præcordiis venenum vitalia membra occupat. Nec mora, de ſtatu mentis dimoti & furentes, maximo cum cruciatu cadunt & examinantur. Mulieri re per exploratores nunciata cadavera inſepulta projici mandat, divulgat eos infidiatos vitæ Principis, & ideo juſta Dei vindicta percuſſos repente periiſſe. Quanquam autem effuſa ruptis præcordiis viſcera, manifeſtum veneni indicium dabant, nemo tamen Principum horum deplorare interitum eſt auſus, metu tyranni. Sed non ſinit inulta diu divinum Numen ſcelera. Nam ex cadaveribus putrefactis enati mures inuſitatæ magnitudinis, impium parricidam cum ſcelerata uxore atque liberis fugientem, quoquoverſus per aquam flammamque perſequuntur, nec clauſtra proſunt, aut abigentium ſatellitum præſidia. Ad extremum diffugientibus omnibus, abſumptis prius filiis, deinde uxore, poſtremus ipſe miſerabiliter lenta morte conſumitur in arce Cruſvicia. Hæc Cromerus de rebus geſtis Polonorum lib. 2.

Olim quærebatur à quodam Legislatore, cur nullam pœnam ſtatuiſſet illi qui patrem vel mattem occidiſſet? Reſpondit ſe non putaſſe tantum impietatis ineſſe humanis pectoribus, ut audeat quis occidere eum per quem initium vitæ accepit. Attendant hoc Chriſtiani, inter quos aliqui adhuc eo impietatis non obſtante fidei lumine deveniunt, ut propter vel honores vel hæreditates paternas, illorum ſanguini inſidientur & vitæ. Unde rectè dicit Poeta.

Nec hoſpes ab hoſpite tutus,
Nec ſocer à genero, fratrum quoq; gratia rara.
Imminet exitio hic conjugis, illa mariti.
Filius ante diem patrios inquirit in annos.

2. Eſt contra rationē ſui ipſius occiſio.

Sicut vero eſt contra rationem naturalem parentum occiſio, ita etiam contra rationem naturalem proprii ſanguinis effuſio, ſive ſui ipſius occiſio aut mutilatio: quia homo habet inclinationem quandam ad ſui conſervationem. Et ideo propria manu ſeſe interimere, etiam hoc præcepto prohibitum cenſetur. Hoc multis locis docet Auguſtinus, & diſertè l. 1. de civit. cap. 26. ſic ait. *Hoc dicimus, hoc aſſerimus, hoc modis omnibus approbamus: neminem ſpontaneam mortem ſibi inferre debere, velut fugiendo moleſtias temporales, ne incidat in perpetuas: neminem propter aliena peccata: ne hoc ipſo incipiat habere graviſſimum proprium, quem non polluebat alienum: neminem propter ſua peccata præterita, propter qua magis hac vita opus eſt, ut poſſint pœnitendo ſanari: nemmem velut deſiderio melioris vitæ, quæ poſt mortem ſperatur, quia vera ſua mortis melior poſt mortem vita non ſuſcipit.* Reprehendit quoque S. Auguſtinus Donatiſtas, erroneè docentes licitam eſſe ſui interfectionem, & in patrocinium erroris ſui afferentes exemplum Raziæ, qui ne in manus Nicanoris deveniret, ſe ipſum gladio peremit: ſed cùm feſtinatione non certo ictu plagam dediſſet, per murum ſe præcipitavit in turbas: cum autem adhuc ſpiraret, petram præruptam conſcendit, & complexus inteſtina ſua utriſque manibus projecit ſuprà turbas. Ad hoc reſpondet D. Auguſtinus, ipſum fortiter potius id feciſſe quam prudenter. Aug. ep. 61.

Sic & Saul & ejus armiger, ne in manus hoſtium venirent, ſuis gladiis incumbunt, non minus miſerè quam impiè.

Sic & Achitophel & Judas, dum laqueo ſibi vitam præripiunt, flammis æternis ſe vovent, & præcipitant.

Sic denique Zambri tyrannidem in Iſrael affectans, cum videret expugnandam civitatem, ad quam confugerat, ſuccendit ſe cum domo regia, & mortuus eſt. Quapropter etiam reprobandus eſt Philoſophus ille Cleombrotus, qui, ut refert D. Auguſtinus, legens librum Platonis de immortalitate animæ, ſpe & deſiderio futuræ vitæ ſeipſum interfecit, & ſic animam & vitam, tam mortalem quam immortalem irrecuperabiliter perdidit. Reprobanda quoque Lucretia, quæ violata à Tarquinio, crudeli ferro ſibi mortem conſcivit. Aug. l. 1. c. 21. Idem ib. c. 22.

De Virginibus quæ ſibi necem intulerunt

Sed dices, multæ ſanctæ Virgines, ſibi mortis cauſa fuere, ne violarentur: dum quædam ſe in flumina, quædam in flammas præcipitant, aut aliis modis ſibi mortem inferunt, ob pudicitiæ cuſtodiam? Reſpondeo, aliquas poſſe excuſari per ignorantiam inculpatam, quæ exiſtimarunt id tali caſu ſibi licitum. Aliquæ etiam id feciſſe creduntur inſpiratione ſpeciali Dei, ut docet D. Auguſtinus loco allegato, qui etiam refert ad Spiritus inſtinctum mortem Samſonis, quam columnas concutiens, ſibi intuliſſe videtur. Ad hanc inſpirationem refert pium illud ſtratagema, quo uſa eſt virgo Euphraſia, de qua Nicephorus libro 7. hiſt. c. 13 Hæc Nicomediæ agebat tempore Diocletiani, eamque perſecutores a fidei avertere moliebantur: illa vero mori potius eligebat, quam à fide deficere. Putarunt illi, ſi libidini ſemel indulſiſſet, facilius vincendam, ideo in ſupanar detruditur. At illa impudico adoleſcente ingrediente, orabat Deum pro tutela caſtitatis, ſimulque optabat Martyrii gloria potiri. Excogitavit ergo piam fraudem. Cum Chriſtiani veneficiis & magiæ dediti haberentur, dicit hunc adoleſcenti: *Si mihi parcas, & intactam relinquas, docebo te pharmacum, quo peruncti us, in prælio nullo telo vel ferro lædi poteris, quod ſi dubites, in me ipſa experiri id poteris.* Ille promiſit, ſi ejus rei fidem faceret. Illa ergo ceram oleo mollitam manibus ſubigit, & collum ungit. *Nunc*, inquit, *enſe collum toto conatu feri, & effectum videbis.* Ille validiſſimè enſem intorquens, caput ei præſcindit, & ſic ipſa & Virgo & Martyr permanſit. Non enim erat ei aliud remedium ſervandæ caſtitatis, & ſic juſtè ado- Aug. l. 1. de civit. c. 26. De V. Euphraſia Nicephl. 7. hiſt. c. 13.

adolescentem decepit pia hac fraude, ad quam ipse eam coegit ejus insidians castitati, quam ut servaret, non maluit: & sic juvenis ejus necis auctor censeri debet & ipsa Martyr, non sui homicida. Sic & aliæ coluntur ut Martyres, quæ sibi videntur mortem attulisse, cum tamen Martyr ab alio debeat occidi: quia ob Christi fidem ad hoc fuere quodammodo compulsæ, & sic morali æstimatione censentur a persecutoribus occisæ.

An quis sibi possit mortem optare?

Quæres, an sicut non licet sibi mortem inferre, ita etiam eam non liceat sibi optare? Respondeo: non licere sibi eam optare ex impatientia, desperatione, aut alia passione inordinata. Unde certum est graviter peccare, qui ob corporis, fortunæ, aut animi incommoda, & ærumnas a Deo vel immissas vel permissis, diris se devovent, mortem sibi imprecantur, aut probris, quod inter homines hujus sæculi frequentissimum est. Hi ubi affliguntur, non respiciunt ad secretam illam divinæ providentiæ manum, quæ æternis hujus ævi bonis malisque nos cupit erudire, modò erigere, paulò post humiliare, modò ungere, modo pungere, ut nec in bonis hujus sæculi constituatur felicitas, nec in malis infœlicitas, quia utraque volubilia sunt, modo afflantur, modo diffiantur.

Respondeo 2. Sunt aliquæ causæ, ob quam etiam viri sancti licitè mortem optant; & corporis dissolutionem.

Prima, desiderium vitæ beatæ, quo impellente dicebat Apostolus: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Et S. Joannes jam senex concludit suam Apocalypsim eodem voto dicens: *Veni Domine Iesu.* Ignatius Martyr quomodo exæstuarit mortis desiderio, ut Christo frui posset, satis indicat in Epistola quam scripsit ad Romanos. Vide Breviarium Roman. 1. Febr. De his dixit B. Gregorius: *Thalami sponsi in Ecclesia, sunt illorum corda in quibus animæ per amorem sponsi invisibili conjunguntur, ut ejus desiderio mens ardeat, & nulla jam quæ in mundo sunt, concupiscat: præsentis vitæ longitudinem pœnam deputat, exire festinat, & in amoris amplexu ad Dei visionem quiescere. Mens itaque talis nullam sæculi consolationem recipit, sed ad illam quam diligit mente totis aspirat. fervet, anhelat, anxiatur vitæ ejus salus sui corporis, quia transfixa est vulnere amoris.*

Apoc. 22. 1.

Br. Rom. 1. Febr. Greg. ho. 14. in Ezech.

Secunda causa est, ut sint liberi à periculo peccandi venia iter. Ob hanc causam Apostolus inclamat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus.* Et quicunque viri sancti ponderantes peccati gravitatem, & illius contra divinam bonitatem (quam perfectissimo amore prosequi optarent) offensam considerantes, a qua hæc vita non potest esse immunis, deplorant hanc miseriam & suspirant ad mortem, tanquam ad peccati & malorum omnium terminum, & unicum remedium quo quis securus esse possit. Unde inclamat cum Psalte: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar,* &c.

Rom. 7. 24.

Ps. 119. 5.

Tertia causa est, ut sint liberi ab ærumnis corporis, quæ multa præbent impedimenta animæ, multa ei creant pericula, multo afficiunt tædio ad Deum respirantem. Sic Elias Jezabelem fugiens sub Junipero totus lassus, mortem tanquam finem tot ærumnarum peroptans, dicebat: *Tolle Domine animam meam à me, non enim melior sum quam patres mei.* 3. Reg. 19. 4. Job quoque in mediis suis afflictionibus dicebat: *Quis det, ipse me conterat, solvat manum suam, & succidat me.* Quo quidem loquendi genere utebatur, non ex impatientia, sed vehementissimum suum dolorem ostendens: veritus se prolixiori cruciatui imparem, optabat finire ærumnosam illam vitam, paratus mortem & necem ultimam de manu Domini suscipere, cujus tamen ordinationi voluntatem suam subiiciebat; sicut & alii sancti qui mortem ad finiendas corporis ærumnas exoptarunt, divinæ nihilominus voluntati semper suam subjiciebant. Sic ergo multi mortem potius, quam vitam amaram & periculis multis obnoxiam prælegerunt, & illam maximi beneficii loco ducebant.

Job. 6. 9.

D. Cyprianus cum lecta esset Proconsulis jussu tabella, in qua hæc erat exarata sententia: *Thascium Cyprianum gladio animadverti placet*, respondit: *Deo gratias*: & mox speculatori viginti quinque aureos quasi pro beneficio quod in eum erat collaturus, numerari jubet. Ita habetur in actis passionis ejus.

De D. Cypriano in vita ejus Surius.

Præclare quoque Cardinalis Polus, cum ad eum deferentur minæ, quas ei Henricus VIII. Angliæ Rex intentabat ejus necem respirans; respondit se necem illam beneficio loco ducere: *Sicut enim*, inquiebat, *cum quis vestem exuere optat, si quis ei auxilio sit, beneficium ei confert: ita mihi mortalem hanc corruptibilem vestem exuere tamdiu optanti, Rex auxilium præstabit, quod beneficii loco duco.* Ita Sanderus in Historia Schismatis Anglicani.

Sander. de schis. Angl.

LECTIO VI.

DE VARIIS PECCATIS CONTRA HOC PRÆCEPTUM.

Contra hoc Præceptum peccant.

PRimo peccant contra hoc Præceptum, quicunque abortum procurant, quacunque id via faciant, sive viri pharmaca mulieribus præbendo, sive mulieres fœtum in se extinguendo. Si fœtus fuerit animatus, perfectum homicidium committitur, & irregularitas incurritur: quia occiditur qui vere est homo animatus anima rationali, estque gravissimum peccatum, quia anima pueri simul irreparabili damno afficitur, nunquam Deum visura. Si autem fœtus anima rationali adhuc non sit animatus, grave nihilominus peccatum est, & species homicidii: quia tunc occiditur homo, non qui est, sed qui generabatur: ita ut ille actus, quantum in se est, tollat vitam hominis jam inchoatam. Hinc Tertullianus dicit: *Nobis homi-*

Tertull. in Apol. c. 9.

Digitized by Google

homicidio ſemper interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc ſanguis in hominem delibatur, diſſolvere non licet; homicidii feſtinatio eſt prôliberi naſci, nec refert natam quis eripiat animam, aut diſturbet naſcentem: Homo eſt, qui futurus; nam fructus in ſemine eſt. Sed quæres, quandò proles animetur anima rationali? Reſpondeo, tunc animari, quandò fœtus eſt formatus. Docet autem Hippocrates maris formationem abſolvi aliquandò die trigeſimo, aliquandò trigeſimo quinto, aliquandò quadrageſimo, aliquandò quadrageſimo quinto. Fœmina verò nunc 35. nunc 40. nunc 45. nunc 50. Vide de jure & juſt. l. 2. c. 9. dub. 10. Ubi docet; utrum ad conſervationem vitæ matris, liceat pharmacum præbere, quo proles putetur interitura. De qua re vide etiam Silveſtrum & Navarrum.

Hippoc. l. de fœtu.

Sil. V. Medicus Navarr. c. 23. 62.

Secundò, contra hoc quoque præceptum peccant, qui herbas vel alia ſterilitatis venena ſumunt, vel docent & ſuadent aliis ſumere, ne concipiant. Hoc grave eſt peccatum, quod puellis poſt uſum corporis ſui, fornicariis amatoribus datam, nimis eheu familiare eſt; quæ, ut poſſint & libidini indulgere, & nihilominùs honori ſuo externo conſulere, artibus variis utuntur, ut vel non concipiant, vel fœtum excutiant, de quo diligenter à Confeſſariis ſunt interrogandæ. Verum frequenter contingit in pœnam peccati, ut qualibet arte impenſa, non poſſint fornicario fœtui nocere: quia Deus vult utero tumeſcente peccatum earum propalare; & non ſolùm peccatum earum, ſed & parentum negligentiam in cuſtodia puellarum ſuarum hoc modo plectere, infamia ſcilicet cum eorum gravi triſtitia & dolore conjuncta, familiam totam ſubſequente. Quapropter præmonet Sapiens: *Fi-* Eccl. 7. 26. *ia tibi ſunt, ſervus corpus illarum, & non oſtendas hilarem faciem ad illas; Trade filiam, & grande opus feceris, & homini ſenſato da illam.* Quaſi dicat: Sexus ille lubricus eſt, & multis inſidiis expoſitus, non permittas vagari, aut multis conventiculis intereſſe. Attende Dinæ exemplum, quam Dei providentiâ permiſit fœdari, ut cunctis fidelium filiabus daret in exemplum. Trade verò filiam tuam nuptui, dum tempus eſt, opus grande feceris: quia ſic illi proſpicis a periculo impudicitiæ, & aliorum peccatorum ac malorum ſubſequentium, & te quoque à gravi cura exoneras.

Tertiò peccant matres quæ frequenter, licet non ex intentione directa, tamen ex gravi ſua negligentia & culpa, cauſa ſibi ſunt abortus; modò per intemperantiam, modò per gravem iram & exardeſcentiam, modò per onera, quæ imprudenter ſuis imponunt humeris; imò per tripudia & ſaltationes quandoque periculum fœtui ſuo creant, & contra hoc præceptum peccant.

Hic referunt antiquæ Hiſtoriæ, ſororem bellatoris illius inclyti Curii Romani, præ nimia lætitia ex triumpho fratris ſui, & Pirrhi captivi, illa nocte tanta intemperantia feſtivis tripudiis deditam fuiſſe, ut filium peperetit abortivum & emortuum: ita hoc triſti eventu triumphi hujus feſtiva gaudia perturbavit. Quapropter Philoſophus quidam Piſtus, mulieribus prægnantibus ad vitandum abortum, inter cætera hæc ſequentia documenta tradit.

1. Caveat mulier gravida à tripudiis.

2. Ne ingrediatur hortos, ubi multiplices ſunt fructus, ne eſu nimio proli pariat diſpendium.

3. Ne utatur zona, aut cingulo nimis ſtricto.

4. Caveat à ſubitanea relatione inopinatorum eventuum: ex auditu enim talium frequenter timore concuti contingit, & pati periculum. Soſio Nobilis Romana, noviter nuptui tradita, & ſex menſibus gravida, audiens ſubitò Paulum Æmilianum & Publium maritum in prælio occubuiſſe victos ab Hannibale, tali nuncio ita conſternata eſt, ut & ipſa ſubitò ceciderit cum prole emortua. Vide ſimilem hiſt. 1. Reg. 4. 1. Reg. 4. 19.

Moneantur ergò matres de diligenti fœtus cura, quia ubi earum intervenit negligentia, non poteſt eſſe ſine gravi culpa. Multò tamen gravior erit, ſi prolis internecio ex earum proveniat directo conatu. Sic graviſſimè peccabat Euſebia Mater S. Germani Epiſcopi Pariſienſis, de qua ſic habent Lectiones, quæ in noſtra recitantur Couvinenſi Eccleſia, cujus Patronus eſt.

B. Germanus Pariſiorum Pontifex, territorii Auguſtodunenſis indigena patre Eleutherio, matre quoque Euſebia, honeſtis parentibus procreatus eſt. Cujus genitrix, pro eo quod hunc poſt alterum brevi ſpatio concepiſſet, pudore mota muliebri cupiebat ante partum infantem extinguere. Et acceptâ potione ut abortivum projiceret, dum nocere non poſſet, incubabat in ventre, ut vel pondere præfocaret. Certabat mater cum parvulo, renitebatur infans ab utero. Erat ergò pugna inter mulierem & viſcera: lædebatur matrona, nec nocumentum accipiebat infantia: obluctabatur ſarcina, ne genitrix fieret parricida. Undè id actum eſt, ut ſervatus incolumis ipſe illæſus procederet, & matrem redderet innocentem. Erat ſanè hinc futura prænoſcere, ante factam per eum virtutem, quam naſci contigerit. Adjicitur ibidem: Cum puer adhuc foret, ſcholas frequentans cum quodam ſibi propinquo, cui nomen Stratidius, mater propinqui illius Stratidii, ut ejus hæreditatem acquireret, de adoleſcentis nece tractavit. Quæ temperatam potionem in una ampulla condidit, vinum quoque in altera: præcipiens puellæ, ut venientibus ambobus, illi porrigeret de vino, iſti de maleficio. Sed ignorans miniſtra, ampullam pariter mutat, vinumque Germano, venenum verò dat Stratidio. Sic dum inſonti præparatur interitus, auctor cadit in laqueum. Itaque duplici miraculo ſervatus eſt S. Germanus, & puer ſcilicet exiſtens, & adhuc in ventre matris embyro. Hæc ibi. Exempl.

Quartò, peccant mariti, ad gravem iram & perturbationem ſævitiâ ſuâ uxores gravidas impellentes, quod frequenter fit cum prolium periculo gravi. Immò tantò graviùs peccant, ſi eas cum fu-

eus præjudicio percutiant. Licet enim vir in uxorem jus habeat, ita ut justa de causa eam percutiens non peccet, si id fiat in ordine ad castigationem : tamen enormis percussio illi licita non est, maxime dum uxor uterum gestat.

Quintò peccant, qui per negligentiam infantes in eodem lecto dormientes, suffocant, estque hic gravitas culpæ, juxtà gravitatem negligentiæ : Nec facilè ea in re admittitur excusatio matrum, ob paupertatem se excusantium, quod eis locus commodus & lectus separatus non suppetat, in quo collocare possint infantes; aut ob frigus, apud se eos collocare cogantur, aut ob ploratum continuum inter brachia eos recipere, & uberibus noctu admovere compellantur. Hoc enim valdè periculosum est, pro adeò tenella ætate, matribus facilè obdormiscentibus cum discrimine vitæ prolium suarum. Undè mihi compertum est ex ipsarummet confessione, modò è lecto decidisse infantes, modo ipso stragulo suffocante, modo ipsis uberibus continuo lactis fluxu, in obdormiscentis os nimis abundè profluentibus, infantes enecatos fuisse, cum maximo matrum sese expergiscentium, & imprudentiam suam (sed serò nimium) deplorantium lamento. Sic aliquibus earum contigit, quod simiæ, quæ nimio complexu dicitur quandòque proles suffocare improvidè. Præstaret utique infantes, ac parentes, noctis aliquas incommoditates perpeti, quam tale periculum subire, quod sæpè cum irreparabili damno conjunctum est. Hinc in Diœcesi nostra Leodiensi, juxtà rituale, cum è puerperio ad templum redeunt mulieres, seriò debent moneri, ne tenellam prolem secum in eodem lecto collocent : alioqui si quid illis contingat, non solùm Deo rationem sunt reddituræ, sed à Judice puniendæ. Imò convenit Pastores quandòque publicè hæc inculcare apud plebem rusticam, quæ prætextu inopiæ, improvidè infantes sæpè periculo exponit. Habes hæc de re exemplum 3. Regum cap. 3. ubi comparuerunt coram tribunali Salomonis duæ meretrices, quarum una prolem suam nocte dormiens oppresserat, & illam inter brachia alterius dormientis deposuerat, vivam ipsius prolem auferens, quam cùm suam esse contenderet, Salomonis sapientissimo judicio condemnata fuit. Vide Textum.

Quâ verò pœnâ vel pœnitentiâ mulctandi sunt parentes, quorum incuriâ opprimuntur parvuli in lectulis, audi ex Stephano V. Pontifice, sic ad Humbertum Episcopum Moguntinum respondente : *Consuluisti de infantibus, qui in uno lecto dormientes cum parentibus, mortui reperiuntur; utrùm ferro candenti, aut aquâ fervente, aut alio examine parentes se purificare debeant, eos non oppressisse : Monendi sunt & protestandi parentes, ne tàm tenellos secum in lecto collocent, ne negligentiâ quâlibet proveniente suffocentur, undè ipsi homicidæ rei inveniantur. Nam ferri candentis, aut aquæ ferventis examinatione confessionem extorqueri, sacri non censent Canones : & quod sanctorum Patrum documento sanctum non est, superstitiosâ adinventione non est præsumendum. Spontaneâ enim confessione, vel testium probatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, committa sunt regiminis nostri judicare : occulta verò & incognita illi sunt relinquenda, qui solus novit corda filiorum hominum. His autem, qui probantur vel censentur talia reatus esse noxii, tuâ moderatione castigentur : quia si ille, qui conceptum in utero per abortum deleverit, homicida est : quantò magis qui unius saltem diei puerulum peremerit, homicidam se esse excusare nequibit?* Hæc ille.

Ex Gratiano 4. q. 5. c. consuluisti.

Sextò peccant, quicunque consilium dant aut auxilium, aut aliter concurrunt ad alicujus occisionem, vel percussionem. Sic homicidii rea fuit Jezabel per suos Judices vitam eripiens Naboth, eò quod vinea ejus potiri non posset. Sic David scribens ad Joab, ut Urias in loco periculoso prælii collocaretur, & neci objiceretur. Undè dicitur ei : *Interfecisti eum gladio filiorum Ammon.* Simili modo peccabat Saul, qui ideò ad conflictum mittebat Davidem, ut Philistæorum gladio interiret : *Non fit,* inquit, *manus mea super illum.*

3. Reg. 21. 13.

2. Reg. 11. 15. & c. 12. v. 9.

1. Reg. 18. 17.

Examinent se hic multi, qui frequenter susurratione & sualu venenato, rixarum & dissidiorum, homicidiorumque causa existunt; nec hoc in sanctuarii pondere ponderant, nec in sacro pœnitentiæ tribunali explicant.

Septimò peccant contra hoc præceptum, omnes qui odium aliquod corde gerunt, vel voluntatem nocendi proximo. Undè Christus, hoc mandatum perficiens, ait : *Dictum est antiquis : Non occides. Ego autem dico vobis, omnis qui iratus fuerit fratri suo, reus erit judicio : qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio : qui autem dixerit Fatue, reus erit gehennæ ignis.* Non intelligebant Judæi homicidium esse nisi interemptionem corporis humani : sed Christus explicat etiam iniquum motum & affectum ad nocendum fratri, in genere homicidii deputari, ut plenius in Augustino potetis legere, qui tres gradus ponit lib. 1. de sermone Domini in monte, cap. 9.

Matt. 5. 21

V. Brev. Rom. Dominica 5. post Pentecost. August.

Primus est ad lædendum proximum ira in animo concepta, quæ nihil aliud est, quam motus animi in vindictam pronus.

Secundus est confusa vox indignationis, quam Christus vocat *Racha.*

Tertius est manifesta contumelia, sicut est dicere, *Fatue,* aut quid simile, à qua solet procedi ad verbera, & per illa ad necem.

Hos tres gradus huc prohiberi indicat Christus, quia Deus non solum effectum prohibet, sed & affectum. Sed licut sunt gradus in peccatis, ita ponit gradus in reatu, dum dicit : *reum esse judicio, concilio, aut gehennæ ignis.* Hoc explicans S. Augustinus, dicit : In judicio adhuc locus est defensioni : Ad concilium pertinet sententiæ prolatio, quandò judices inter se conferunt, quo supplicio damnari oporteat, quem constat esse damnandum :

Digitized by Google

dum: In gehenna ignis, certa eſt damnatio & ſupplicium. Alii paulo aliter explicant. Vide paſſim Interpretes.

Ultimo, ad hoc præceptum referri poteſt homicidium ſpirituale, quod fit inducendo aliquem ad peccatum, verbo, exemplo, conſilio. Si enim occiſio corporis inter gravia crimina cenſetur; ita & interemptio animæ, quæ fit dum ei gratiæ vita tollitur, & in perniciem æternam impellitur: *Vnius animæ perditio*, inquit D. Chryſoſtomus, *tantam habet jacturam, ut nulla eam ratio poſſit digne æſtimare: quandoquidem unius animæ ſalus tanti eſt, ut ob hanc Filius Dei fieret homo, tantaque pateretur.* Qui ergo ex intentione malum fratri perſuadet, homicidium ſpirituale committit. Tales ſunt, qui per blandos ſermones ſeducunt corda innocentium, de quibus dicebat Sapiens: *Fili, ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis.* Tales quoque ſunt, qui per hæreſes, ſub pelle ovium lupi, mactant & perdunt, & millia animarum inferno demerguntur. Tales & illi qui puſillis ſcandalum exhibent, de quibus Salvator dicit, expedire potius ut mola aſinaria demergantur in profundum: quæ pœna indicat peccati gravitatem, ut notat D. Hieronymus. Denique & illi ſpirituale quoddam homicidium perpetrare cenſentur, qui bonum propoſitum in alterius animo ſuffocant & extinguunt. Similes hi ſunt Pharaoni infantes Hebræorum in ortu ſuffocanti, aut Herodi Chriſtum adhuc naſcentem extinguere molienti.

Chryſ. hom. 3. in Acta.

Prov. 2. 10

Matt. 18. 6

Exod. 22. Matt. 2. 13

LECTIO VII.

DE DUELLORUM ABUSU.

PROPOSITIO UNICA.

Prohibetur hic quoque monomachia ſive duellorum uſus.

Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 19.

DE illo Concilium Tridentinum ſic loquitur: *Deteſtabilis duellorum uſus: Fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex Chriſtiano orbe penitus exterminetur*, &c. Non obſtante interim graviſſima Conciliorum ſub cenſurarum pœnis prohibitione, adhuc apud nationes Chriſtianas, non ſine piorum dolore, duella cruentiſſima pro re vana, pro re nihili ſuſcipiuntur. Res utique deploranda, quam graviſſima incommoda quotidie conſequuntur, viris etiam magnis in mutuum ſanguinem atrociter irruentibus, magna cæcitate & dementia. Qualis utique dementia, pro puncto imaginario honoris, tot ſtrages & cædes fieri, tot homicidia & patricidia perpetrari, tantum cruoris fundi, tot fortitudinis & nobilitatis viros extingui, qui pro Deo, pro fide, pro patriæ ſalute, poterant dimicare, & fœliciter occumbere? Qualis cæcitas, tot familias deſolari & in ruinam prorſus tuere, dum parentes filiis orbantur, aut filii parentibus, & uxores maritis, dum etiam diſſidia irreconciliabilia inter magnas familias oriuntur? Qualis denique infœlicitas, pro tali imaginario puncto, tot animas perire, de quibus uſurpare licet illud Job: *Et in puncto ad inferna deſcendunt.* Quid eſt ergo illud *Punctum honoris?* Quid de illo dicemus? Quandoquidem tot pariat crimina horrida, nonne rectius *Punctum horroris* vocaveris, quam honoris? Quandoquidem tot viduas lachrymis conficit, tot familias orbatas dedecore afficit, an non rectius nominaveris *Punctum dedecoris & doloris.*

Job. 21. 18

Sed cur punctum dicitur, quod ſecum advehit tantam longitudinem, latitudinem, profunditatem malorum? Cur punctum dicitur, quod generat pœnarum nunquam finiendam æternitatem? O Punctum! O Æternitas! O punctum mundani honoris, quam multis origo es æternæ infœlicitatis? O atomus vanitatis, ô atomus inviſibilis, punctum indiviſibile! Verumtamen multa corpora viſibiliter, multas animas inviſibiliter cruentas & dividis, ac à Deo æternum ſeparas. Certè punctum hoc honoris, non eſt niſi quoddam idolum phantaſticum, quod homines mundi adorant, pro quo mortem obire, & millies Deum offendere parati ſunt. Utique idolo illo phantaſtico dementati, parati ſunt vero apud Deum honore privari, & æterno in pœnis dedecore affici. Quis fabricavit illud idolum, niſi faſcinata hominum opinio, vanum mundi ingenium, furor infernalis, fraus ſathanæ, ſibi hoc modo animas devincire cupientis? Attendant hæc, qui in tenebris ſunt, velatos habentes oculos, tanti illud punctum æſtimantes. Attendant, in quo verus honor conſiſtat; ille enim apud Deum obtinetur, dum actionibus tuis comitem jungis virtutis decorem: dum nihil illicitum & inhoneſtum peragis: dum Regi ſupremo obſequium fidele præſtas, in nullo eum offendens: dum illi vivere & mori paratus es, ac pro ejus honore, vel pro fide, vel pro Reipublicæ ſalute, juſtè ſanguinem fundere. Hoc vero punctum vani honoris, de quo loquimur, Deum graviter offendit & pungit, & velut novis ſpinarum puncturis, caput Filii Dei iterum atrocitet compungit. Expugnetur ergo hoc imaginarium punctum, hoc phantaſticum idolum, de cordibus Fidelium, qui veri Nobiles eſſe debent, & veri filii Dei, quos æterni & cœleſtis honoris convenit ambitione duci: quod ſi his non moveantur, certe eos non tam Chriſtianos dicemus, quam barbaros & paganos ſanguinem ſitientes, ethnicè viventes, non Chriſtiane, ut merito eos Galli *Gentilshommes*, hoc eſt, Gentiles homines vocitent. Audiant denique vocem ſuorum commilitonum, qui per duella animas & corpora prædam inferno devoverunt. Hi è tartareis flammis clamant: *Ambulavimus vias difficiles, laſſati ſumus in via iniquitatis*; Sed cæci pro puncto honoris, flamma-

Sap. 5. 7.

tum æternitatem nobis ignominiosè comparavimus, pro cæco furore æternum Dei furorem conciliavimus. Et quia mucrone peccavimus, mucro Domini perpetuo nos vulnere confodit, novo semper tormento nos conficiens : & conscientiæ vermis, tanquam continuus tortor, nunquam nos quiescere finit, semper corrodens, nunquam moriens. Hoc est ergo æternum væ, quod inclamant hi quondam cæci, nunc oculis apertis clarius conspicientes malorum cumulum, à vanitatis puncto imaginario originem trahentem, & in infinitum se extendentem. Quapropter obtestor juvenes omnes, *quorum pedes veloces sunt ad effundendum sanguinem*; ut propriam attendant salutem, & exemplo eorum sapiant, ac perditione eorum considerata resipiscant, nec se ferro ita facile prædam objiciant necique æternæ, ob rem nihili, ob rixas de vanitate, ob volatile verbum. Meminerint Dei & sanguinis Jesu Christi, & absterreantur ab effusione humani sanguinis, sui misereantur, parentum lachrymas abstergant, flocci faciant hoc opinionis stultæ & vanæ punctum, veri & cœlestis honoris, qui æternum permanet, sint zelatores.

Psal. 13. 3.

B. Felix de Cantalicia, cujus beatificatio novitet in Ordine Capucinorum cum solemnitate celebrata est, cum quodam die incidisset in duos erectis jam gladiis ad duellum paratos, cœpit inclamare forti voce & zelo : *Heu fratres mei sistite paululum, obsecro vos per salutem vestram, unicum mihi verbum ante conflictum date, dicat unusquisque : Deo gratias, Deo gratias* : Urget ergo eos, & compellit dicere, *Deo gratias* : & statim his verbis prolatis, mansuefactos animos ad concordiam reducit, proposita eis peccati gravitate, & charitatis Christianæ obligatione.

Dubrav. l. 4. hist. Boemicæ.

Cum Radislaus Princeps, per injuriam invasisset Boemiæ fines, coactus a suis tandem optimus Wenceslaus, Boemorum Rex, militem collegit. Cum jam dimicaturæ essent acies, exclamat Wenceslaus : Si aliter res componi nequit quam prælio, cur non potius sine insontium sanguine, ipsi inter nos singulari certamine decernamus? Nulla fit mora, loricam ergo parvulam super cilicinam vestem indutus, & parvo ense succinctus Wenceslaus, in arenam prodit. At Radislaus cataphractus, hastatusque cum ingenti machæra se infert. Wenceslaus signo crucis frontem pingens, subito Angelos vidit, atque hanc vocem velut ab homine promptam audit : Ne feri. Et repente Radislaus humi procumbens, veniam audaciæ poscit, seque potestati victoris permisit. Allevans prostratum Wenceslaus, monuit data venia, & dignitate ei restituta, ut contumaciam in obsequium debitum verteret, ne post gravius ab irato Numine plecteretur. Ita Dubravius l. 4. hist. Boem.

Porro hic adverte non solum censuris Ecclesiasticis involvi qui duellum ineunt, sed & omnes fautores, consiliarios, ex industria spectatores, & quocunque modo ad illud concurrentes, aut in suis dominiis & terris illud permittentes. Quæ ut specialius intelligere, & casus hac re occurrentes censuraque discernere possis, Constitutionem Clementis VIII. pœnas duellantibus à Concilio Tridentino inflictas repetentem, & extendentem, visum est hic subjicere. Quia Pastoribus omnibus in Diœcesi nostra Leodiensi præceptum fuit illam promulgare per Decretum Ferdinandi Principis & Episcopi Leodiensis anno 1618. Augusti die 20. Tenor ergo Bullæ sic habet.

CLEMENS EPISCOPUS SERVUS Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Illius vices, licet immeritò gerentes, qui ut animas suorum Fidelium à peccato & à diaboli laqueis liberaret, à cœlo descendens, humana carne assumpta, ne proprio quidem suo pretiosissimo sanguini pepercit, sed supremum in ara crucis immaculatam hostiam æterno Patri offerre voluit, in hoc præcipuæ curam summo studio incumbimus, ut easdem animas inæstimabili pretio redemptas, adversus satanæ fraudes, quantum in nobis est, illasas præservemus, præsertim vero totis viribus nobis à Domino traditis exterminemus exitiales quasdam atque enormes peccatas, quibus divina majestas gravius offenditur, quæque eodem fabricante humani generis hoste, inventæ atque introductæ sunt, & ex cruenta corporum morte, animarum etiam simul interitus, ac pernicies sequatur. Recte siquidem, & salubriter fel. rec. Pius Papa IV. prædecessor noster post alios complures suos, nostrosque prædecessores, qui detestandum divinæ naturalisque legis, ac sacris Canonibus damnatum duellorum abusum suis etiam Constitutionibus severe prohibuerant, gravesque pœnas contra quoscunque temporali ditioni S. R. E. mediate vel immediate subjectos ejus crimine quomodolibet reos, vel participes constituerant, cupiens non solum in terris prædictis, sed alias ubilibet animarum periculis obviare, Principes ac dominicellos permittentes in suis dominiis id patrari, ac etiam extraterras & loca ditionis Ecclesiæ subjecta, hujusmodi duella seu singularia certamina, aut diffidationes desuper facientes, ad id provocantes, provocantes, auxilium, consilium, vel favorem dantes, illisque adstantes & interessentes, nec non chartas desuper subscribentes, aut publicantes, seu de illis se intromittentes, singulos Imperatore ac Regibus inferiores, majoris excommunicationis (ac si Ecclesiastici fuerint) ultra eam etiam privationis omnium dignitatum, beneficiorum, & officiorum Ecclesiasticorum, inhabilitatisque ad illa, & alia in posterum obtinenda, pœnis subjacere, easque incurrere voluit, à quibus non nisi à Rom. Pontifice solvi possint. Sed & postmodum generalis Tridentina Synodus ad exterminandum penitus ex Christiano orbe hoc malum, statuit, ut Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocunque alio nomine

nomine Domini temperales, qui locum ad monomachiam in terris ſuis, inter Chriſtianos conceſſerint, eo ipſo ſint excommunicati, ac juriſdictione & Dominio Civitatis, caſtri, aut loci, in quo vel apud quem duellum fieri permiſerint, quod ab Eccleſia obtinent, privati intelligantur, & ſi feudalia ſint, directo Dominis ſtatim acquirantur. Qui verò pugnam commiſerint, & qui eorum Patrini vocantur, excommunicationis ac omnium bonorum proſcriptionis ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & ut homicida juxtà ſacros canones puniri debeant: Et ſi in ipſo conflictu deceſſerint, perpetuò careant Eccleſiaſticâ ſepulturâ. Illi etiam qui conſilium in cauſa duelli, tam in jure, quàm in facto dederint, aut aliâ quâcunque ratione ad id quemquam ſuaſerint, nec non ſpectatores, excommunicationis & perpetuæ maledictionis vinculo teneantur. Quas pœnas noviſſimè pia mem. Gregorius XIII. pariter prædeceſſor noſter extendit adverſus illos etiam omnes, qui non publicè, ſed privatim ex condicto ſtatuto tempore, & in loco convento monomachiam commiſiſſent, etiam patrinis faciſve non vocatis, & loci ſecuritate non habitâ, & provocatoriis literis minimè precedentibus, etiam contra locorum Dominos, ſi id (quantum in ſe fuerit) non prohibuiſſent, cæteroſque ſupradictos criminis ſocios, & ex compoſito ſpectatores, etiamſi pugnam ob aliquod impedimentum non commiſiſſent, ſi ad locum acceſſiſſent pugnaturi, & per eos non ſtetiſſet, quo minùs pugnarent. Verùm quia cum magna animi noſtri moleſtia intelleximus adhuc in quibuſdam, præſertim tranſalpinis ac remotis regionibus: & potiſſimùm ubi bella vigent, caſtrenſi quadam & militari licentiâ, ſeu verius audaciâ, perniciоſum hoc ſcelus inter fideles exerceri, quaſi fas ſit in ſolo hoſtili, ubi Chriſtiani nominis ſeu Catholica fides hoſtes tyrannidem exercent, ſivè hæreſes & ſchiſmata impune graſſantur, ſivè inter ſigna & caſtra militaria, in caput ſuorum fratrum impios convertere mucrones, quos multò ſalubrius contra Chriſti adverſarios ſtringi par eſſet. Nos nefaria diaboli arma ſalutari Eccleſiæ gladio, ad contemnendos in officio fideles, nobis præcipuè ipſius Domini auctoritate tradito retundere, atque à cervicibus gregis Dominici noſtræ curæ crediti, quantum (eodem Deo adjutore) eniti poſſumus, propulſare cupientes, prædictas omnes conſtitutiones, ac decretum Concilii Tridentini cum omnibus, & ſingulis in eis contentis cenſuris & pœnis, decretis, extenſionibus, quarum & quorum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, & ad verbum inſertis, auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium perpetuò approbamus, confirmamus ac innovamus. Ac inſuper auctoritate & tenore præmiſſis decernimus, & declaramus eaſdem conſtitutiones, ac decreta locum habere ubique gentium & terrarum, inter quaſcunque perſonas, etiam armatas, & in caſtris, ſeu propugnaculis militantes, etiam ubi noſtrorum, & S.R.E. aut Catholicæ fidei hoſtium furor impunè graſſatur, vel in dominio per eos occupatis & detentis: Idem quoque juris cenſendum eſſe, ſi publicè, & forſan juſto bello indicto, miles aliquis contra alterum in adverſariorum exercitu militantem, ſivè aliàs in hoſtium copiis, præſidiis, aut terris degentem, privatas ſimultates & inimicitias publica cauſa intermiſcendo, etiam Ducum permiſſu, ex condicto ad ſingulare certamen deſcendat, aut illum provocet: Nec non iiſdem pœnis, Decreto & Conſtitutionibus teneri eos, inter quos pactiones inita ſint de dirimendo certamine, cùm primùm alteruter vulneratus fuerit, ſeu ſanguinem effuderit, aut certus ictuum numerus utrimque illatus fuerit, vel ſi convenerint, ut non ſinguli cum ſingulis, ſed bini, terni, aut plures hinc inde pugnent: Et non ſolùm locorum Dominos, ſed etiam Magiſtratus, Præſides, locum tenentes, aut militum Duces, & Capitaneos in caſtris, vel extrà eà, in alieno vel hoſtili ſolo, vel cum militibus adverſariorum monomachiam in quocunque caſu per præſentem, vel alias Conſtitutiones hujuſmodi prohibito, permittentes, vel, quantùm in ipſis eſt, non prohibentes, aut poſt admiſſum crimen veniam & impunitatem concedentes. Præterea pari ratione prohibemus omnia & ſingula ejus generis ſcripta manifeſta, ſeu ſides vulgò appellata, quæ etiam ſine expreſſa provocatione ad certamen, tamen quaſi præparatoria quædam ad chartulas ſeu libellos provocatorios, & ad duellum, illorumque veluti radices, aut ſemina ut plurimùm luceſſendi aliquem ad pugnam, & ſuſcitandæ ſimultatis atque inimicitiæ materiam & occaſionem præbent. Dum ſcilicet in illis per modum epiſtolæ, libelli aut publicæ atteſtationis & intimationis, ſivè per authentica documenta, ſivè per unius plurium vè chyrographum, ſubſcriptiones, aut relationes ſub prætextu proprii vel alieni honoris & famæ, more militari, atque ut vulgò dicitur, cavalleresco, tuendi, aut ledendi, ſivè ad illata, propulſatave contumelia, aut injuria probationem, ſeu tollendam illius ſuſpicionem, rei alicujus geſtæ ad id pertinentis, vel verborum, aut reſponſionum ſeries, & ordo narratur: Velex ſimili abuſu, hac de cauſa aliquid tale, adeò firmiter aſſeritur, aut negatur, ut qui contradixerit, is ſivè nominatim ſivè in genere mendacii arguatur, aut mentiri dicatur; aut ad hunc effectum ex militari etiam conſuetudine quæritur, declaretur, aut reſpondetur, quâ mente, aut quo ſenſu quidpiam ejuſmodi, quod ad ſuperiùs expreſſa ſpectet geſtum dictumvè ſit: Vel denique offert ſe quiſpiam contra certum, vel incertam perſonam, vel temerarium contra quemcunque, ad probandum armis, & verificandum etiam ſine certamine, aliquid ita eſſe, vel fuiſſe; Nec non quaſcunque etiam ſine ſcripto factas, talium rerum ſupradictæ quoquo modo concernentium, & hujuſmodi cauſas, in locis publicis, vel privatis, ubi hominum multitudo convenire ſolet, denunciationes, narrationes, declarationes, & teſtificationes. Volentes eos omnes & ſingulos, qui ſuo vel alieno nomine, ad effectum de quo ſuperiùs dictum eſt, prædicta, vel his ſimilia, multoque magis ad certandum provocatoria ſcripta, libellos, epiſtolas, eorumve exempla dictaverint, compoſuerint, ſcripſerint,

rint, miſerint, detulerint, divulgarint, affixerint, exemplaverint, typis impreſſerint, ſubſcripſerint, intimaverint, vel etiã Verbo denuntiaverint ſive arreſtatis fuerint; quive alios ad ſingulare certamen publicè, vel occultè meundum, vel ad provocandum aliquem ad pugnam, ſive ad hujus generis ſcripta, qua manifeſta, quaque chartula provocatoria appellantur ſcribenda, dictanda, mittenda, deferenda, divulganda, auxilium, conſilium, operam, vel favorem præſtiterint, ſive id juraverint, aut mandaverint, quive in præmiſſis, vel eorum aliquo ſe quomodolibet immiſcuerint, etiam ſi neque pugna aliqua nec certamen, aut effectus, nec acceſſus, aut actus ad pugnam proximus, neque expreſſa, & aperta provocatio ſuſ, ccuta fuerit, neque ſcriptiones præditta qua manifeſta dicuntur, in publicum prodierint, aut cuiquam intimata exiterint, ſi per eos non ſteterit, quominus publicatio, aut denunciatio fieret: nihilominus cenſuris & pœnis omnibus in præſenti & aliis præditis Conſtitutionibus, & decreto contentis ſubjacere, eam ſi ſuperius enumeratis, quàm ſi aliis etiam majoribus Eccleſiaſticis, vel mundanis dignitatibus, gradibus, & præeminentiis excellant. Quin imò de novo etiam per præſentes ex parte Omnipotentis Dei Patris, & filii & Spiritus ſancti, excommunicamus, & anathematizamus, maledicimus, & execramur omnes & quoſcunque publicè, vel privatim, palam, vel occultè in quibuſcunque locis, modis, & formis, ac caſibus ſub præſenti noſtra vel aliis præditis conſtitutionibus, ac decreto comprehenſis ſingulare certamen (quod duellum vulgò dicitur) ex compoſito ineuntes, nec non id ſcelus ſuadentes, aut provocantes, opem, conſilium vel favorem præſtantes, equos, arma, commeatus, præbentes aut comitantes, vel circa chartulas, ſeu libellos, literas, nuncios, aut quacunque alia ſcripta hujuſmodi quomodolibet pecantes, hujuſque delicti ſocios, de induſtria ſpectatores, patronos, fautores, defenſores, quacunque tam ſuperius expreſſa, quàm alia Eccleſiaſtica, vel mundana, præfulgeant dignitate, ita ut ſingulares etiam perſonæ cujuſlibet communitatis, univerſitatis, aut collegii, aut Reip quæ hujuſmodi criminis participes quo-quomodò fuerint, nequaquã excuſentur, ſed ſupradictos omnes eorumque ſingules ipſo facto abſque ulla monitione, judicis decreto, aut miniſterio, perpetui anathematis, excommunicationis majoris, & maledictionis æternæ mucrone percuſſos & damnates harum ſerie declaramus, & ſim ipſo confictu obtinuerint, ſepulturæ Eccleſ. perpetuò privatos eſſe volumus: Ipſas vero Civitates, Terras, Oppida, vel Caſtra & loca, in quorum territoriis id factum, ſcientibus & tacitè vel expreſſè permittentibus, aut tolerantibus Dominis, aut Magiſtratibus, vel Senatu, aut Populo, admiſſum fuerit, Eccleſiaſtico ſuppoſitum interdicto, cujus interdicti relaxationem, aut excommunicationis abſolutionem, ab alio, quàm à nobis, aut pro tempore exiſtente Romano Pontifice, pœnitentia, & ſatisfactione congruè peracta niſi in mortis articulo conſtituti nequeant obtinere, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum quibuſvis perſonis tam Eccleſiaſticis cujuſcunque ordinis, aut militia, ſtatus, gradus, aut conditionis exiſtentibus, quam laicis, etiam Imperiali, Regali, vel alia mundana præeminentia inſignitis, per ſedem Apoſtolicam in genere, vel in ſpecie conceſſorum. Quæ omnia, quoad præmiſſa nolumus cuiquam in aliquo ſuffragari: Pœnis aliis tam ſpiritualibus, quàm temporalibus contra eos inflictis, nihilominus in ſuo robore per manſuris. Univerſos autem, & ſingulos chariſſimos in Chriſto filios noſtros Imperatorem, Reges, ac dilectos filios nobiles viros, Duces etiam armorum, & exercituum, Marchiones, cæteroſque Principes Chriſtianos, nec non, Domina, Potentatus, Communitates, & univerſitates Civitatum, Oppidorum, & Caſtrorum, illorumque Domicellos, & Dominos temporales, ac etiam militum & Copiarum tam equeſtrium, quàm pedeſtrium Ductores, tribunos, præfectos, Capitaneos in quibuſcunque, etiam nobis, & S. R. E. temporali jurisdictioni non ſubjectis locis conſtitutos, cujuſcumque gradus, præeminentia, & nobilitatis exiſtentes hortamur, rogamus, & obteſtamur per viſcera Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ejus divini nominis intuitu pro ſua erga eundem Deum, per quem regnant Reges, & à quo principatus acceperunt, pietate, atque erga eos & Sanctam hanc Sedem reverentia, & devotione non modò nihil tale in ſuis dominiis fieri permittant, nec ullo modo connivean, ſed hoc malum omni ſtudio, diligentia, & auctoritate exterminare totis viribus procurent, & contra quoſcumque delinquentes, & (ut præfertur) quomodolibet complices, & participes, etiam temporalibus pœnis gravioribus animadvertant, & per ſuos Officiales, & Curiæ miniſtros procedi curent: ſcituri ſe obſequium Deo pergratum, perque acceptum præſituros, ſi quo gladio ad tutelam bonorum, ad propulſandos perditorum conatus ſunt accincti, eundem ad vindictam hujus peccati, & ad jumendas de hujuſmodi criminis reis debitas pœnas exeruerint: contra verò memores, ſi in re tam gravi malè ſe geſſerint, ſe in diſtricto Dei judicio rationem in noviſſimo die reddituros. Volumus autem ut præſentium tranſſumpti, &c. Datum &c. Anno Domini 1592. 16. Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno primo.

LECTIO VIII.

DE SEXTO PRÆCEPTO.

NON MOECHABERIS.

1. Docet fornicationem eſſe peccatum mortale.
2. Fugiendum eſſe ob turpitudinem.
3. Ob infamiam & vermem.
4. Reſpondet ad aliquas objectiones.

PRO-

PROPOSITIO I.

Fornicatio est peccatum mortale, ob multa fugiendum & detestandum, maximè à Christianis.

1. Ob injuriam & ingratitudinem in Christum. 1. Cor. 6. 15.

PRimò quidem, ob injuriam & ingratitudinem quam erga Deum involvit. D. Paulus ad Corinth. cap. 6. ostendit in multis hanc injuriam fornicationis consistere. Ac imprimis dicit: *An nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergò membra Christi, faciam membra meretricis? Absit.* Hæc est prima ratio, quam deterret à fornicatione, quandoquidem simus membra corporis Christi mystici, oportet nos casto ei corpore servire, caputque nostrum puris & castis moribus imitari: Per fornicationem autem corpus nostrum Christo velut suffuramur, & in ejus injuriam meretrici tradimus contra ejus voluntatem.

2. Ob injuriam in Spir. S. Ib. v. 19.

Secundò dicit: *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus S. qui in vobis est*: Hæc est secunda ratio, per quam deterret a fornicatione, quia nimirum injuria fit per illam Spiritui S. qui habitat in nobis, & in casto corpore templum suum constituit, ac corpora nostra sanctificat. Hunc ergò fugamus à nobis per fornicationem, violando templum ejus: *Si quis violaverit templum Dei, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* 1. Cor. 3. 17. Augustinus (inquit Augustinus) quomodò minatur? *Non vis corrumpi domum tuam, quare corrumpis domum Dei?* Quisquis ergò expulisti hunc sanctum habitatorem è domo sua & templo suo, revoca illum per pœnitentiæ lamentum, illam ejus habitationem purifica per lachrymarum aspersionem, illam exoma per proposita sancta & casta cogitationes. Non enim *introibit spiritus ille in malevolam animam, nec habitabit in corpore subdito peccatis*, sivè immunditiis, ut ait Sapiens. Non quiescet casta illa columba in terra lutosa, nec in immundis cadaveribus, hoc est, in mentibus & membris impuris. Quod verò de templo Spiritus S. dicimus, idem dicendum de imagine Dei, violati, scilicet per libidinis fœditatem. Asserit id D. Augustinus his verbis: *Facis injuriam Deo, dum teipsum corrumpis. Et unde inquis? Vnde tibi facit injuriam, qui voluerit fortè lapidare tuam tabulam pictam, in qua imago tua est? Quum verò imaginem Dei, quod es tu, corrumpis per fornicationes & diffidentias libidinis, non attendis cujus imaginem violasti, cui contumeliam fecisti?*

Sap. 1. 4.

Augustin. Ib. v. 13.

3. Ob redemptionem. 1. Cor. 6. 20.

Tertiò dicit Apostolus: *Empti estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Hæc est tertia ratio, q. d. Oportet vos magnificere corpora vestra, & non brevi turpique voluptate ea dæmoni obstringere, & quasi gratis vendere, quæ tanto pretio Sanguinis JESU Christi empta sunt: *Glorificate ergò Deum*, magni corpus vestrum faciendo, & castum illud servando in obsequium Dei & Christi. Undè anteà dixerat: *Corpus autem non fornicationi, sed Domino, & Dominus corpori.* Hoc est, non est corpus destinatum ut vilipendatur, & illo quis abutatur per fornicationes, sed ut Dominus per ejus puritatem glorificetur, & per castitatem illi consecretur: & Dominus corpori casto & puro dabit præmium, & incorruptionem.

4. Ob Resurrectionem corporum. v. 14.

Quartò dicit: *Deus verò & Dominum suscitavit, & nos suscitabit, per virtutem suam.* Et in his verbis quarta ratio continetur, deterrens à fornicatione, q. d. Si corpora nostra in pulvere perpetuo permanerent, adhuc tamen inquinanda non forent, quia organum sunt salutis nostræ; sed quandoquidem reluscitanda sunt cum Christi corpore & glorificanda, castè conservari debent, ut mereantur in corruptione donari, & immortalitate in altera vita.

V. lib. 2. super art. XII. symboli.

Ideò in signum egregiæ castitatis, Deus à putrefactione quorundam Sanctorum corpora præservavit. Sic corpus B. Cæciliæ a Clemente VIII. repertum est post 900. & amplius annos. Sic & corpus B. Francisci adhuc integrum stare dicitur sine fulcris, solâ divinæ virtutis vi sustentatum. Corpus quoque S. Huberti integrum asseritur. Corpus S. Martini post mortem repertum fuit, habens faciem quasi Angeli. Vide dicta super art. 11. symboli. Sic S. Edita filia Regis Angliæ S. Dunstano apparens, ei significavit, ut è sepulchro corpus suum elevans, honoratiori loco collocaret, indicavitque illi membra, quibus indiscretè usa fuerat in pueritia putrefacta esse, oculos, pedes, manus, reliquis membris integris sine corruptione, & maximè pollice manus dextræ, ob signi Crucis formationem. Quod ita repertum est, ut alibi dixi.

Exhortatio ad Juvenes ne se libidini dedant.

Attendite hæc, ô juvenes obcœcati, qui corpora vestra immunditiis & fœdæ libidini velut prædam objicitis. Aperite oculos mentis vestræ ac considerationis seriæ, & vel serò saltem resipiscite. Si considerare volueritis creationem vestram, agnoscetis in vobis imaginem Dei ipsiusmet manu expressam. Cur illam carnali corruptione conspurcatis, in injuriam ipsius Creatoris? Si consideretis incarnationem Filii Dei, per corporis & carnis assumptionem in unione illa hypostatica jam caro nostra deificata est. Cur ergò divinæ consortes facti naturæ, vilissimâ fœditate carnem à Filio Dei tanti æstimatam corrumpitis, in injuriam ipsius Salvatoris? Si considerationem vestram vestatis ad ipsam redemptionem, jam monet vos Apostolus, quod empti estis pretio magno Sanguinis JESU Christi. Cur ergò Deum non glorificatis in corpore vestro, sed potius inhonoratis in injuriam redemptoris? Si ulterius Baptismi vestri memineritis, ac sacræ confirmationis, corpora vestra ibi facta sunt membra Christi, ibi in templum Spiritus sancti specialiter consecrata per unctionem Chrismatis sacri. Cur ergò illa polluitis in injuriam capitis vestri Christi, & Spiritus Sancti inhabitantis? Deindè si mentis & considerationis vestræ aciem, in sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum vultis intendere, ibi attendite, quam fre-

Digitized by Google

frequenter corpus ejus corpori veſtro ſociatum eſt, ibi ſanguis ejus (ut dicebat caſta Agnes) ornat genas noſtras, hoc Sacramentum puritatis & caſtitatis ſymbolum eſt, mentem & corpus ſanctificans, & auctiſſimo fœdere conjungens. Cur ergo poſt tale conſortium divinitatis, & poſt tale fœdus amoris, carnem veſtram dæmoni leoni turpiſſimo proſtituiſtis, in injuriam ſponſi veſtri? Denique ſi reſurrectionem quam ſperatis conſiderare voluetitis, nonne incorruptionis munere donari optatis? Cur ergo corruptionem carnalem & fœdam amatis, & non potius caſtitatis & mortificationis myrrha, corpus veſtrum ab illa corruptione præſervare ſatagitis, quæ non poteſt in vobis eſſe ſine injuria Glorificatoris, & impedimento veſtræ glorificationis? Fugite ergo ô juvenes, fugite fornicationem, tot titulis vocationi Chriſtianæ & beneficiis Dei adverſam. Non enim vocavit vos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem. *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra, ut abſtineatis à fornicatione: ut ſciat unuſquiſque vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore, non in paſſione deſiderii ſicut gentes quæ ignorant Deum.*

1. Theſ. 4. 3.

PROPOSITIO II.

Deteſtandum quoque fornicationis vitium, ob turpitudinem & ignominiam quam ſecum vehit.

QUantum ad turpitudinem, adeò fœdum eſt illud peccatum, ut ipſummet turpitudinis nomen ei approprietur; immò ſola ejus nominatio quandam turpitudinem aſpergit, & pudorem affert. Hinc eſt, quod de omnibus aliis vitiis liberè & laudabiliter diſputemus: de carnali autem iſto vitio verecundè, parcè, & quaſi invitos differere, concionari aut loqui nos oporteat; vereriique debemus ne caſtis auribus offendiculum demus, & hoc ob illam quæ huic peccato ineſt turpitudinem. Si ergo ſolus ſermo de ipſo quodammodò inficit, quanto magis ipſummet peccatum perpetratum hominem fœdat & dedecorat, ac confuſionem peccanti afferre debet? Ideò Apoſtolus ad Romanos ſcribit: *Quem fructum habuiſtis in illis in quibus nunc erubeſcitis?* Hinc etiam voluptas iſta turpis belluarum irrationabilium fœdirati ſolet comparari. Nam antiqui Sapientes, lutoſos porcos ac ſues homines voluptuarios ac lubricos nominarunt. Cùm quidam ſtolidus audiente Pythagora diceret, malle ſe cum mulieribus, quàm cum Philoſophis verſari: Rectè reſpondit Pythagoras, *Sues libentiùs in luto quàm in aqua verſantur.* Qui enim fœdis immundiſque libidinibus immergitur, ſordidæ ſuis voluptate detinetur, ut dixit Boetius: cui conſonat Scriptura dicens de muliere luxurioſa: *Circulus aureus in naribus ſuis mulier pulchra & fatua*, q. d. Sicut ſus abuteretur monili aliquo aureo ad ejus nares pendente, immergens illud luto: Sic mulier luxurioſa abutitur pulchritudine ſua, quæ eſt præcioſior auro & margaritis, dum illam transfert ad ſordes Veneris, & dedecore afficit. Alia ſimilitudine utitur Propheta: *Computruerunt* ut *jumenta in ſtercore ſuo.* Joel. 1. 17. Nempè, ſicut animalia diu in ſtercore jacentia deturpantur, defœdantur, computreſcunt, ita in hoc vitio homines diu hærentes, totaliter abominabiles fiunt. Quapropter hunc locum ſic exponit D. Greg. *Jumenta quippe in ſtercore ſuo computreſcere, eſt carnales in fœtore luxuriæ vitam finire.* Greg. l. 24 mor. c. 6.

Poteſt quoque hoc peccatum comparari cimici, beſtiæ fœtidæ. Sicut enim cimex vivus, magnam moleſtiam infligit corpori cui adhæret, mordet, pungit, nec quieſcere hominem ſinit; ſi verò confricetur, atteratur, ſive comprimatur, tunc tetrum odorem afflat & maculam in cute relinquit: Ita & hoc libidinis vitium, carnem non ſinit quieſcere, infeſtat hominem: donec turpitudinem homo operetur, quæ fœtorem & maculam in anima & corpore relinquit, utrumque inficiens & dedecorans.

Hæc conſiderans Apoſtolus dicit: *Qui fornicatur, in corpus ſuum peccat.* Primo quidem, quia illud fœdæ libidinis fluxu ignominioſè polluit & contaminat; nam cenſetur corpori ſuo, quod ſanctificatum & Sanguine Chriſti emptum eſt, injuriam irrogare, fœdo & meretricio uſui illud ſubjiciendo; & vas ſuum, quod deberet poſſidere in honore & ſanctificatione, tradendo paſſionibus deſiderii ignominioſè. *Fornicans in corpus ſuum peccat.* 1. Cor. 6. 18. 1. *Quia illud ſanctificatum contaminat.*

Secundò peccat in corpus ſuum, quia ſtimulos venereos in corpore defigit, qui etiam poſt peccatum, cùm vult pœnitere, aut ad meliorem in caſtitate vitam peragendam ſe convertere, illum infeſtant, & frequenter ad reiterandam libidinis vitam illum impellunt; & ita peccat in corpus ſuum faciens illud mancipium libidinis; cujus poteſtati, dum homo aliquoties ſponte ſe ſubjecit, continuò vult dominari, & totum corpus ſibi vendicare; turpibus ſtimulis & motibus illecebroſis infeſtans ex recordatione præteritæ voluptatis. 2. *Quia mortui libidinis corpori infigit.*

Hoc agnoſcit, & deplorat Auguſtinus de ſe in adoleſcentia adhuc conſtituto, in qua ætate cum libidini laxaſſat habenas, poſtea reprimere volens, jam vix poterat: ubi eram, inquit, & quam longè exulabam à deliciis domus tuæ anno illo ſextodecimo ætatis carnis meæ cum accepit in me luxuria ſceptrum & totas manus dedi veſaniæ libidinis licentioſæ. Exhalabantur nebulæ de limoſa concupiſcentia carnis & ſcatebra pubertatis & obnubilabant & obfuſcabant cor meum, ut non diſcerneretur ſerenitas dilectionis à caligine libidinis. Utrumque in confuſo æſtuabat, & rapiebat imbecilem ætatem per abrupta cupiditatum, & mergebat in gurgite flagitiorum. Invaluerat ſuper me ira tua & neſciebam. Obſurdueram ſtridore catenæ mortalitatis meæ, pœna ſuperbiæ animæ meæ, & ibam longius à te: & ſinebas, & effundebar, & diffluebam, & ebulliebam per fornicationes meas, & tacebas. O tardum gaudium meum. Tacebas tunc, & ego Aug. l. 2. conf. c. 2. num. 5. Idem ib. au. 1.

Rom. 6. 21. Laertius. Prov. 11.

Digitized by Google

& ego ibam porrò longè à te, in plurima sterilia semina dolorum, superba dejectione & inquieta lassitudine. Ita August. lib. 2. conf. c. 2. Cum verò voluit meliorem inire viam, audi ex ipsomet quid passus sit difficultatis: *Retinebant me, inquit, nuga nugarum, vanitates vanitatum, antiqua amica mea, & succutiebant vestem meam carneam, & submurmurabant: Dimittisne nos, & à momento isto non erimus tecum ultrà in æternum, & à momento isto non tibi licebit hoc & illud ultra in æternum? Et quæ suggerebant in eo quod dixi hoc & illud, quæ suggerebant Deus meus? Avertat ab anima servi tui misericordia tua: quas sordes suggerebant, quæ dedecora?* Ita ipse l. 8. c. 11. qui de eadem re conqueritur cap. 5. his verbis. Ego suspirabam ligatus, non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat. Quippe ex voluntate perversa facta est libido, & dum servitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi anulis quibusdam sibimet innexis, tenebat me obstrictum dura servitus. Voluntas autem nova, quæ mihi esse cœperat ut te colerem, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam. Ita duæ voluntates meæ, una vetus, alia nova, una carnalis, altera spiritualis confligebant inter se, atque discordando dissipabant animam meam. Sic intelligebam in meipso experimento id quod legeram, quomodo caro concupisceret adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. Ita iterum Augustinus describens luctam carnis per motus illicitos, quos in se desinit qui voluptati obtemperat, ut meritò propter illos dicat Apostolus: *Qui fornicatur, in corpus suum peccat*, quia nutrit in suo corpore fovetque concupiscentiam, in ipsiusmet corporis injuriam, ipsimet corpori infestam; quia quo magis expletur, eo magis tyrannisat & dominatur.

Idem Aug. l. 8. c. 11.

Gal. 5. 17.

1. Cor. 6. 18.

Simile. Similis est concupiscentia cani, quem dum toleras ad mensam tuam, & ei aliquid porrigis ut famem satiet & quiescat, eo magis asilit, & requiem tibi non permittit; & dum fugare cupis per unam portam, per alteram redit, & molestus est. Sic quanto magis voluptuariæ passioni indulges, tanto amplius vexat & sollicitat & importuna est: ne ergo eam foveas aut explere satagas, sed fame potius eneca, alioqui liber non eris.

Motus carnis in pœnam permittuntur à Deo. Hic ignominiosi motus carnis etiam in pœnam peccati a Deo permittuntur, & ordinantur illis qui ad meliorem vitam respirant. Ideò S. Maria Ægyptiaca totidem annos quot veneri servierat, scilicet 17. hos stimulos passa est, licet durissimam pœnitentiam ageret.

Pallad. in hist. Lausiaca. Sic de B. Moyse, de Latrone Eremita facto legimus, quia vita ejus parum continens fuerat, nulla jejunii severitate potuisse carnis lasciviam domare. Imò cum post sexennium, jejunio, vigilias nocturnas multasque preces & lachrymas adjunxisset, nihil tamen obtinuit: Tandem tamen post longos labores, benedictione Patris sui spiritualis aliquam meruit quietem fremente licet satana.

Tertiò, qui fornicatur, peccat in corpus suum, non solùm quia obnoxium illud reddit servituti libidinis, aut quia turpiter illud contaminat: sed quia illud debilitat, exhaurit, enervat, & sæpè morbis inficit & consumit. Ita ut postea evitatum & effœtum corpus, inutile fiat, & in statu matrimonii, & in statu continentiæ ad pœnitentiam agendam. Vis id similitudine declarari? Attende ad segetes & frumenta. Hæc aliquando aura & vento calido in æstate exuruntur & læduntur (quos ventos uredines vocamus, quia torrent frumenta, & ad farinam & sementem inutilia reddunt) ita ut si seminentur non germinent, si molæ tradantur in furfures abeant, de quibus Ozeæ 7. *Correpta vento seminaverunt.* Hi juvenes corrupti æstu libidinis, similes sunt huic frumento vitiato, quod nec ad seminandum, nec ad molendum utile est: hoc est nullum ad statum sunt idonei. Nam si matrimonio tradantur, sicut frumentum traditur telluri ut germen producat; vel non germinant, nam aliquando contingit ut filios non procreent ob corpus libidinibus effœtum & vitiatum; vel parvos & sibi similes filios generant. Si autem molæ, hoc est, statui continentiæ, religionis, aut Sacerdotis non in farinam, sed in furfures abeunt, & vitia in quibus adolescentiam contriverunt, ad senectam usque transmittunt.

Simile.

Ose. 7. 7.

Paranesis ad juvenes. Aperiat hic iterum mentis oculos lubrica & improvida juventus, quæ florem ætatis veneris idolo consecrat: ebulliens per turpitudines & fornicationes, totam se tradens dominanti libidini, sperans tamen in maturiori ætate omnes turpis hujusce servitutis compedes facilè dissolvere, pœnitentiam agere, & castè Deo servire. Verùm non attendit, corpus venere consuetudine vitiatum frequenter ad hæc omnia quæ sperat, inutile reddi. Non attendit difficultates, quæ tum obvenient in superandis illecebrosis carnis stimulis, jam inveteratum dominatum in carne habentibus, ita ut pluribus contingat: *Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ, & cum eo in pulvere dormient.* Et iterum illud: *Adolescens juxta viam suam etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Non attendunt quoque juvenes improvidi & lubrici, ad laqueos inextricabiles, quos fabricat eis satan vitiosa consuetudine. Agit enim dæmon cum multis, sicut pueri cum avibus filo ad pedem ligatis; permittit eos aliquamdiu liberè ambulare, sed cum vult le homo totaliter eripere, tunc se prius inextricabiliter ligatum reperit, & ad servitutem priorem reducitur.

Job. 20. 11

Prov. 22. 6.

Denique, non considerant, an auxilium gratiæ tunc sint habituri: nam fortis omnino & potentis gratiæ auxilium necessarium, ut eripiantur illi quibus spiritus fornicationis cominatus est. Hinc eleganter dixit B. Nilus: *Fieri nequit, ut homo suismet pennis ad castitatis aram revolet, nisi divina eum gratia à perturbationum carnalium fœce in*

B. Nilus lib. 8 de vitiis.

Digitized by Google

S. Hieron. in c. 2. Epheſ. *alium ſubduxerit.* Et D. Hieron. illud Epheſ. 2. *Spiritus qui nunc operatur in filiis diffidentiæ, in quibus & nos aliquando operati ſumus, in deſideriis carnis noſtræ,* exponit de ſpiritu fornicationis; qui operari dicitur in filiis diffidentiæ, hoc eſt, in eis qui de ſua ſalute deſperant, ab ipſo vitio capti & detenti, quaſi obſeſſi quodam dæmone. Propterea etiam Salomon de meretrice dicit; *Qui ingrediuntur ad eam, non revertentur, nec apprehendent ſemitas vitæ,* q.d. ſicut qui in mortem aut in ſepulchrum defertur, non regreditur, nec ſaluti poteſt reſtitui; ita qui peccatis carnalibus ſe involvunt, pedes referre nequeunt: quia difficillimam habent reſipiſcentiam, in qualibet etiam ætate: & hic morbus quaſi immedicabilis eſt, niſi Deo velut medicinam cœlitus immittente.

Novi ego virum octuagenarium, qui cum impuris amoribus deditus fuiſſet, etiam in conjugio, in ſenectute immundis adhuc moribus & cogitationibus frequenter erat obnoxius. Et cum generalem vitæ totius confeſſionem, cum firmo emendationis propoſito, in extrema ſua ſenecta inſtituiſſet, nihilominus ultimo morbo ſuo jacens totus impotens, & ſepulchro vicinus, corpore ſe ad putredinem reſolvente, adhuc immundis agitabatur cogitationibus, ita ut adoleſcentem ſibi miniſtrantem ad impudicos tactus invitaret. Sed ille impuritatis & ſaturitatis ſenilis miſertus ſe ſubtraxit, & cavit ne ſolus remotis arbitris ei adeſſet, ut omnem ei occaſionem impuræ cogitationis præſcinderet. Hunc tamen puto poſtea pœnituiſſe, & bona morte functum.

Novi & alterum ſenem conſimilis ferè ætatis, qui jam 3. anno integro illecebroſis moribus mire agitatur: & id quidem frequentiſſimè, ſive ſedens ſive ambulans, ſive comedens, ſive die, ſive nocte dum quieſcere cupit, imò & in templo orans: quibus tamen utiliter reſiſtit, ſanguinolentum gerens cum illis bellum, non ſine graviſſimo cordis martyrio. Diceres ſatanam genitalis membri quandam poſſeſſionem occupaſſe (his enim verbis mihi frequenter conqueſtus) quia cum piis exercitiis inſiſtere parat, nefandis moribus omnem vim exerere non ceſſat. Et diebus illis quibus ad ſacram Euchariſtiam accedit (quod frequenter meo facit conſilio) maximè eum infeſtat, aut quando Virgini Beatiſſimæ precum ſuarum penſum perſolvit. Quis diceret in tali ætate ſenio omnino confecta, tantam carne luctam ſuſtinendam eſſe, quæ nocte dieque hominem non ſinit quieſcere? Sed hæc, ut ſpero, lucta eſt illi ultima, ſignum appropinquantis coronæ: Interim hæc refero, ut conſiderent illi, & intueantur velut ſpecula, qui exiſtimant juvenili ætate præterlapſa, facilem ſibi ad virtutem & caſtitatem viam fore, carne tunc ſedata nec recalcitrante. Nec tamen ignorare deberent, ſenes apud Danielem exarſiſſe impudico Dan. 13. 56. Suſannæ amore, quorum uni dicitur: *Inveterate dierum malorum, ſpecies decepit te, & Concupiſcentia ſubvertit cor tuum.* Hoc & aliis ſenibus non infrequenter contingit, maximè cum juventutem in carnis vitiis contriverunt.

PROPOSITIO III.

Deteſtandum quoque fornicationis vitium eſt, ob infamiam & vermem conſcientiæ.

RECTÈ D. Bonaventura hoc vitium comparat gehennæ, in qua eſt, *ignis, fœtor, & vermis.* Sic in hoc peccato reperitur ignis & ardor concupiſcentiæ, fœtor corporis & ignominia, vermis remordentis conſcientiæ. D. Bonaven.

Rectè quoque de hoc vitio dixit quidam: O ignis infernalis luxuria, cujus materia gula, cujus flamma ſuperbia, cujus fumus infamia, cujus ſcintillæ prima colloquia, cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna. Ob hanc immunditiam & infamiam comparatur fœtenti ſulphuri. Unde de illo vitio interpretatur D. Gregorius illud Job 28. *Aſpergatur in tabernaculis ejus ſulphur.* Quid eſt aliud, inquit, ſulphur, quam fomentum ignis quod tamen ſic ignem nutrit, ut fœtorem graviſſimum exhalet? *Quid itaque in ſulphure, niſi peccatum carnis accipimus, quod dum perverſis cogitationibus, quaſi quibuſdam fœtoribus mentem replet, æternæ incendia præparat; & dum fœtoris ſui nebulam in mente dilatat, contra eam flammis ſubſequentibus, quaſi nutrimenta ſubminiſtrat. Ideò in tabernaculo impii ſulphur aſpergitur, quoties perverſa carnis delectatio in mente ejus dominatur.* Hinc dicit idem D. Gregorius ſuper Sodomam pluiſſe à Domino ſulphur cum igne, cum carnis ſcelera punire decreviſſet, ut ipſa qualitate ultionis, notaret maculam & ignominiam criminis: ſulphur quidem fœtorem, ignis ardorem ignominioſum deſignabat. S. Greg. li. c. 18. Job. Gen. 19. 24.

Propter hanc infamiam dicitur de muliere huic peccato obnoxia apud Eccleſiaſt. c. 9. *Omnis mulier fornicaria quaſi ſtercus in via conculcabitur.* Et Salomoni propter eandem cauſam exprobatur apud eundem cap. 47. *Inclinaſti femora tua mulieribus, poteſtatem habuiſti in corpore tuo, dediſti maculam in gloria tua,* q.d. In poteſtate tua erat carnales affectus coercere, & te à mulierum impuro amore liberum ſervare. Sed voluiſti implere voluptatem mentis & carnis, & ideò dediſti maculam ignominiæ honori & famæ tuæ. Et non ſolùm corpus polluiſti, ſed & vitam tuam fœtore quodam maculoſo aſperſiſti. Eccl. 9. 10. Idem c. 47. 21.

Ad eundem ſenſum de adultero dicitur Prov. 6. *Turpitudinem & ignominiam congregat ſibi, & opprobrium illius non delebitur.* Turpitudinem quidem congregat quoad ſe, peccans in corpus ſuum. Ignominiam, quoad proximum, lædens honorem ſuum. Opprobrium quoad Deum, conquirens confuſionem, non ſolum in præſenti, ſed & in futuro. Item congregat *turpitudinem* in vita, *ignominiam* in morte, *opprobrium* in ſua poſteritate, quod poſt mortem adhuc non delebitur. Imò adde, congregat ſibi *turpitudinem* fornicarius coram Angelis; Prov. 6. 33

Digitized by Google

■ vitiis
P.l.6.
b.3. n.18.
nton.4.
arte sum.
Theol.l.1.
.61.§.1.

lis, *ignominiam* coram Sanctis & coram hominibus, *opprobrium* etiam coram Dæmonibus. Infamia & fœtor hujus peccati, etiam Angelis abominabilis est qui castitate & puritate delectantur, & inter lilia pascuntur. Unde refertur in vitis Patrum, quod cum Angelus in corpore assumpto, cum quodam ex illis Patribus in via graderetur: invento cadavere putrido hominis, cœpit senex nares obstruere, non valens fœtorem sustinere: Cui dixit Angelus: *Quare nares tuas constringis?* Respondit ille: *Quis non obstringeret tali fœtore occurrente.* Processerunt ulterius & occurrit eis juvenis quidam decorus, ornatus sertis floridis; & cum adhuc longè esset, cœpit Angelus nares obturare, quasi fœtorem importabilem sentiens. Miratur Eremita, & inquirit causam. At Angelus dicit ei: *Juvenis ille luxuriosus plus fœtet in conspectu Dei & Angelorum quàm cadaver quod vidisti, in conspectu hominum.* Dæmonibus quoque quandoque abominabile esse hoc peccatum exemplis declarari potest.

R.Holcot.lect.
oz.in lib.
Sap.

Refert Doctor Robertus Holcot. de quodam Necromantico, qui cum vocasset dæmonem more solito post longam expectationem & carminum suorum iterationem, mirabatur ille dæmonem non venire. Tandem dæmon apparuit velut à longè stans & nares obstruens. Quærit incantator, cur sic tardasset, & cur ita remotus, nec appropinquans, ut solitus erat, staret à longè? Respondet dæmon, fœtor luxuriæ tuæ, non me permittit accedere: nempè cognoverat paulò ante meretricem, & ideò abominabatur dæmon ejus infamem societatem: Docent enim aliqui ex scholastici, aliquos spiritus ita nobilis esse naturæ, ut hujus vitii vilitatem abominentur & declinent.

Cantipr.
.2 Apum.
:30.p.3.
& 4.

Nam Cantipratanus ad hoc propositum hæc quæ sequuntur: Mihi per plures annos in Episcopatu Cameracensi Vices gerenti Episcopi confessionibus audiendis, quædam mulier cum maximo pudore & mœrore est confessa, se assuefactam contrectationibus & pollutionibus illicitis in lecto lasciviisse, dæmonemque inter se & parietem cum cachiuno clamantem audisse, phi, phi, phi, interjectionem significans indignantis. Qua voce confusa mulier, eadem hora concurrit ad me & beneficio absolutionis accepto pœnitentiam etiam ultra quam statui, amarissimè egit.

Sed & aliam, inquit ipse, per idem fere tempus novi, quæ multis lachrymis confessa est, ferè se consimili vitio polluentem, audisse vocem dæmonis & dixisse: Age misera, age quod agis, benè tibi solvetur brevi, quod nunc facis. Nec multo post, ubi mulier confessa est, & à peccato resiliit, ex timore maximo mortem incurrit: Et quod per pœnitentiam non explevit, in purgatorio diris pœnis exolvit. Hæc Cant l.1.c.30.p.3.& 4.

Patet ergo satis ex his, carnale flagitium ignominiam Angelis & dæmonibus afferre. Coram hominibus autem quam infame sit, non opus est explicare. Et licet in occulto patretur, Deus frequenter in lucem illud producit, quantumlibet homines circumspectionem adhibeant. Quid non fecit David, ut peccatum suum cum Bersabea absconderet? Revocat Uriam à prælio, inebriat eum per plures vices, ut remittat in domum & cum uxore dormiat; ut fœtus ex adulterio illius conceptus, mariti esse putetur, & peccatum sic absondatur. Postea mittit litteras ad Joab, ut interfectio Uriæ in prælio impetu hostium in eum irruentium ipsi non imputetur. Verum dicit ei Dominus: *Tu fecisti hanc rem absconditè, ego faciam in conspectu Solis hujus.* Nempe in pœnam & vindictam peccati voluit illud Deus omnibus populari, & ipsius uxores à Filio Absone ignominiosè & publicè violari. 2.Reg. 11.7 15.

Præter infamiam, oritur ex hoc fœtido vitio synderesis & vermis conscientiæ, qui amarissimo felle præterfluentem statim delectationem aspergit. Unde eleganter dixit Boëtius: *Habet hoc voluptas omnis, stimulis agit fruentem, ajunque instar volantem, ubi grata mella fudit, fugit, & nimis tenaci ferit scita corda morsu.* Licet ergò in aliis peccatis etiam habeat locum (maximè tamen in hoc peccato) quod statim præterita delectatione tristitia interior consequitur, magis amara quam fuerit delectatio præcedens: quæ transit velut umbra fugiens, sed venenum in fine fundit, & absynthium commiscet. Hinc dicit sapiens: *Favus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus, novissima autem illius amara quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps*, qui animam scilicet & corpus transfigit. Hinc & antiqui pingebant Venerem cum floribus odoriferis, sed inter quos myrrha erat intermixta; quia scilicet delectatio venerea, primò quidem suavis apparet, sed in fine pœnitudinis & tristis conscientiæ amaritudine, omnem absorbet delectationem, & suavitatem reddit odiosam. Boët.l.3. de consolat. Philos. metro.7. Prov.5.5.

Hoc agnoscunt, si fateri voluerint, qui luxuriis vacant; aut si vermem hunc conscientiæ non sentiant, signum est plane animi reprobati, & in malo obdurati: de quorum similibus dicebat Apostolus. *Tradidit Deus eos in reprobum sensum.* Rom.1. 28.

Hanc amaritudinem ipsemet agnovit Salomon inclamans, & alios exemplo suo docens: *Invenio amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor ejus, vincula sunt manus illius: qui placet Deo effugiet illam.* Experus loquitur, utique deceperunt eum, à via recta abduxerunt: & dixit non simpliciter esse amaram voluptatem muliebrem, sed morte amariorem. Et ita forte loquitur ad cor reversus, post longam voluptatem, intolerabilem sentiens in corde amaritudinem. Sicut enim illi, qui post ebrietatem profundam & somnum brutalem ad se redeunt, habent guttur ex vini fœcibus mira amaritudine infectum, ita ut ad aspectum etiam vini nauseent, nihil nisi aquam fontis exquirant, ut reliquiarum amaritudines abluant, vino autem indignantur & maledicunt. Sic post usum mulierum Salomoni contigit, melle illi dulciores Eccl.7. 27.

Digitized by Google

fuerunt, ita ut non ſufficerent illi concubinæ trecentæ: At modò fel ſentit, & execrantur illam voluptatem, dicitque morte amariorem; quia per illam etiam mors æterna conciliatur. Inclamat ergò non contra ſexum fœmineum, ſed contra inſipientiam eorum qui occaſione mulierum, à Deo ſeparantur, vocatque mulierem, *laqueum, ſagenam, vincula*, quia dæmon per illam venatur, piſcatur, captivat plurimorum animas.

2.Reg.13. 15. Agnovit & hanc amaritudinem Frater Salomonis Ammon, qui cum ita amaret Thamar ſororem Abſalon, ut præ amore ægrotaret; poſtquam per dolum & vim illa abuſus fuiſſet, & magna triſtitia ſtimulatus, maximo odio eam habuit, ita ut à ſe ejiceret, majuſque odium foret, quam amor prior.

Aug.l.2. conf.c.2. Agnovit & hanc amaritudinem Auguſtinus, qui libro 2. Confeſſionum ſic loquitur. *Efferbui miſer, ſequens impetum fluctus mei relicto te, & exceſſi omnia legitima tua, nec tamen evaſi flagella tua. Quis enim hoc mortalium poſſet? Nam tu ſemper aderas, miſericorditer ſæviens & amariſſimis aſpergens offenſionibus omnes illicitas jucunditates meas, ut ita quærerem*
Pſ.93.20. *ſine offenſione jucundari. Et ubi hoc poſſem, non invenirem quidquam præter te Domine. Præter te qui fingis laborem in præcepto, & percutis ut ſanes, & occidis nos, ne moriamur abs te.* Hæ ſunt ſpinæ, quibus Dominus ſepit viam erroneam luxurioſorum, ne ulterius progrediantur, ſed ad cor reverſi ad Deum
Oſe.2.6. etiam revertantur, de quibus apud Prophetam: *Sepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria, & ſemitas ſuas non inveniet & dicet: Vadam ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quàm nunc.* Tunc enim ad Deum revertitur anima, in-
Greg.l.34 mor.c.2. & hom.36 in Evang. quit D. Gregorius, *cùm multiplices amaritudines velut quaſdam ſpinas invenit, in illis delectationibus quas concupiſcit: nam dum his morderi cœpit, tunc plenius intelligit, quanto illi cum priori viro melius fuit.* Quis manus velit cruentare, ut fructum colligat amarum & verme corroſum, ſpinis cruentis circumſeptum? Hoc agunt libidinoſi, conſcientiam cruentant, & per ſpinas aſperas manum immittunt, ut
Rom.6. 21. fructum amarum fœtidum libidinis colligant: *Quem fructum habuiſtis*, inquit Apoſtolus, *in his in quibus nunc erubeſcitis?*

Audite ergo, ô ſtolidi amantes, imò potius amentes, & inclinate aurem veſtram prudentiæ,
Prov.5.2. quam vos docet Sapiens: *Fili ne attendas fallaciæ mulieris, quia favus diſtillans labia ejus, ſed noviſſima amara quaſi abſynthium. Longè fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus ejus, ne jagitta tranſfigat cor tuum, & gemas in noviſſimis, quando conſumpſeris carnes tuas, & corpus tuum, & dicas: Cur deteſtatus ſum diſciplinam, & increpationibus non acquievit cor meum?* Cor propter voluptatis fœdæ morulam, tantam tibi conquiris amaritudinem, & totius æternitatis jactas dicam? Væ cordi tuo væcordi, niſi ſagitta hæc, quæ cor tuum tranſfigit, te revocet ad cor, ut abſtinaatur mens tua à via inferi, à ſemitis amaris. Conſidero, inquit Sapiens, juvenem væcordem, qui tranſit per plateas juxta angulum, & prope viam domus (mulieris illecebroſæ) graditur in obſcuro, adveſperaſcente jam die, in noctis tenebris & caligine. Sed,
via inferi domus ejus, penetrantes interiora mortis. Prov.7. 27. Fuge ergo ignominiam, fuge vermem rodentem, fuge ſagittam vulnerantem, fuge amaritudinem, fuge mortem, fuge gehennam, fuge confuſionem & temporalem & æternam. Hæc omnia ſunt in domo meretricis, omnis tibi in fuga ſalus. *Fugite*
1.Cor.6. 18. *fornicationem*: fuge de medio Babylonis, & ſalva animam tuam. Poculum ibi aureum tibi propinatur, ſed intus plenum eſt abominatione, fœce amara, & veneno mortifero.

RESPONSIO AD ALIQUOT OBJECTIONES.

Occurritur objectionibus hominum libidinoſorum.

SEd dicunt lubrici homines, non poſſe ſe continere & ætatis ebullientis ardorem ſuſtinere, ideoque debere libidinem ſe corrumpendo explere, aut mulieris occaſione frui. Reſpondeo nemini Deus præcepit impoſſibile; & qui ſic loquuntur, duplici cum ignorantia videntur condemnare, quaſi neſciat Deus qualem fecerit hominem, & neſciat quid juſſerit, imponens mandatum quod impleri non poſſit. Et ita implicitè retorquent prophani homines iniquitatem ſuam in Deum, imponentes iniquitatem juſto, crudelitatem pio, quaſi eos non ad ſalutem fecerit, ſed ad pœnam deſtinarit. Manifeſtè autem redarguuntur per ſcripturam. *Sub te appetitus*
Gen.4.7. Eccl.13.17 *tuus & tu dominaberis illius. Appoſuit tibi ignem & aquam, ad quod volueris porrige manum, ante hominem vita & mors, bonum & malum.* Excuſamus ergo & tergiverſamur & vix eſt aliquis qui in eis quæ ad Deum ſpectant, velit experiri quid poſſit. Non experiuntur laſcivi hi homines quid poſſint, carnalibus tentationibus reſiſtendo, ſed ad primum lenocinantis voluptatis ſenſum, ſtatim captivum tradunt conſenſum: & ſic carnem non vincunt, ſed à carne vincuntur: Si eis gravis pecuniæ ſumma proponeretur ut continerent, tunc promptè & fortiter carni obſiſterent. Ubi verò apud Deum præmium ſervatum continentibus non ſatis conſideratur, dicunt ſe continere non poſſe. Adde, ſi mortem corporalem ſibi imminere ex incontinentia imaginarentur, frænum ſibi injicerent. Ubi verò æternus animæ interitus impendet, non ſatis ponderatur. Si in hominum præſentia continuò agerent, continere poſſent, at quia in Dei & Angelorum ſe eſſe non conſiderant, dicunt ſe continere non poſſe.

Verum è contra dicere deberent: Non poſſum fornicari, ſi negotium illud animæ exitioſum ut oportet conſiderem: *Nunquid poterit aliquis guſtare aliquid, quod guſtatum affert mortem*, Job.6.6 inquit Propheta Job. Si tibi cibus amarus aut venenatus proponeretur etiam famelico, ſtatim diceres, non poſſum id ullo modo comedere. Certè volu-

Digitized by Google

voluptas fornicationis, veneno acerbior est, & morte amarior, si rem æqua lance pensites; & ideo oportet te ab illa etiam illiciente temperare. Nam & inter ipsa animalia ratione carentia, si piscis suspicatur hamum, ab esca temperat sibi voluptuosa: & avis à grano, si retis dolum suspicatur, & pleraque animalia à laqueo cavent abscondito. Cur ergo homo à luxuriæ veneno non temperet, à voluptatis esca, sub qua rete laqueusque dæmonis latere certo scitur, quo in æternum anima strangulatur? Nemo ergo se excuset & dicat: Non possum continere. Quis enim eum cogit ad immunditiam? an dæmon, an caro, an mulier: Illicere possunt, cogere non possunt: debilis est hostis, qui non potest vincere nisi voluntatem.

Scimus quidem non posse hominem se continere sine auxilio Dei, sed illud paratum est, si homo fecerit quod in se est; illud nobis non deest, si illi nos non defuerimus. Poscat, oret, instet homo, & hujus gratiæ auxilium experietur: *Deus nunquam instat præcepto, quin præcurrat auxilio*, quia jubendo modo facere quod possis, petere quod non possis, adjuvat ut possis, inquit Triden.

Trid. sess. 6. c. 11.

Aug. l. 10. conf. c. 29.

Dicat ergo unusquisque cum Augustino: *Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. O amor qui semper ardes, & nunquam extingueris! Charitas Deus meus accende me. Continentiam jubes, da quod jubes, jube quod vis.* Hoc etiam docet Sapiens: *Et scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientia, scire cujus esset hoc donum: Adii Dominum, & deprecatus sum illum.* Nemo ergo dicat: Non possum continere, adeat Dominum, *fidelis est, & non patietur vos tentari, supra id quod potestis*, inquit Apostolus

Sap. 8. 21.

1. Cor. 10. 13.

Secundo dicunt juvenes projecti ad talia flagitia sine ulla confusione: Nulli injuriam facio, non sum obligatus conjugio, uxorem meam non lædo: Ad eam accedo; quæ ultro consentit, nulli vim infero, ad publicam cur non possum accedere? Aut, cur hæc publica loca permittuntur, si in illis illicite agitur? Sed jam satis responsum est, qualem injuriam inferat Deo & corpori suo, qui turpitudinem operatur. Immo diximus quomodo injurius sit sacro baptismati, sacræ Confirmationi, sacrosanctæ Eucharistiæ, quibus corpus hominis tanquam Christi membrum, & Spiritus sancti templum sanctificatur. Unde Augustinus: *Noli dicere tibi, quando forte aliquid luxurianter vis agere: Vxorem non habeo, facio quod volo. Iam nosti precium, jam nosti quod accedas, quid manduces, quid bibas, imo quem manduces, quem bibas, abstine ergo à fornicatione.* Addit ibidem Augustinus: *Noli mihi etiam dicere, ad prostitutam vado, præceptum illud non violo: Non mœchaberis, quia uxorem necdum habeo. Nec illud præceptum violo: Non concupisces uxorem proximi tui. In quod ergo præceptum incurro?* Nempe sub nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus prohibetur, sicut sub nomine furti, omnis contrectatio injusta rei alienæ. Nec licitum concubitum cum meretrice probat, quod lupanaria permittantur: Non enim ideo approbantur, sed ad graviora mala evitanda tolerantur. Ne forte luxuriosorum hominum effrænis lascivia, in adulteria, virginum stupra, incestus & sacrilegia, facile erumpat. Et sicut Reipubl. sordibus evehendis cloaca certo loco constituenda est, ne urbem immunditiæ accumulatæ inficiant: Ita corruptorum hominum immunditiis, certa loca in urbibus quandoque permittuntur, tanquam cloacæ, ne puras animas inficiant & contaminent. Ad duritiem ergo cordis eorum hæc permittuntur, nullius tamen sano judicio approbantur.

Aug. l. de 10. chordis c. 10.

Osee 1. 2.

Tertiò, in sui erroris patrocinium assumunt aliqui, quod Propheta Ozeas jubetur à Deo assumere sibi uxorem fornicariam, & facere filios fornicationum. Videtur ergo quandoque fornicationem Deus approbasse. Item ex fornicario concubitu quandoque proles sapientia & sanctitate enascuntur ornatæ: Non ergo universim est reprobandus. Respondeo, jussisse Dominum, ut Ozeas ob mysterium acciperet uxorem, quæ quandoque fuerat fornicaria, & voluisse ut ex illa filios produceret; qui licet essent legitimi, passim tamen *Filii fornicationum*, hoc est, filii meretricis & fornicatiæ vocarentur: & per illos designabantur filii Israël, quia Domino per idololatriam vere fornicabantur. Non ergo Dominus approbat fornicationem: sed indicat quoddam mysterium. Unde latius Interpretes. Ex fornicatione quoque Deo sic ordinante, & mala nostra in bonum convertente, possunt sanctæ proles oriri: Non tamen Deo propterea delictum approbante. Sic Augustino natus est Adeodatus in concubinatu, de quo gratias agit Deo, deplorans interim delictum suum. Unde de illo sic loquitur: Ubi tempus advenit, quo me nomen *tibi in Baptismo* dare oportuit, placuit & Alipio renasci in te mecum. Adjunximus etiam nobis puerum Adeodatum, ex me natum carnaliter de peccato meo. Tu bene feceras eum. Annorum erat ferme quindecim, & ingenio præveniebat multos graves & doctos viros. Munera tibi confiteor Domine Deus meus Creator omnium, & multum potens reformare nostra deformia. Nam ego in illo puero, præter delictum nihil habebam. Quod enim enutriebatur à nobis in disciplina tua, tu inspira-

Aug. l. 9. conf. c. 6

veras nobis, nullus alius. Munera tua tibi confiteor. Horrori mihi erat ejus ingenium, & quis præter te alius miraculorum opifex? Cito de terra abstuli sti vitam ejus, & securior sum, cum recordor, non timens quicquam pueritiæ, nec adolescentiæ, nec omnino homini illi. Ita Augustinus in Confess.

***

Digitized by Google

LECTIO IX.

DE ADULTERIO.

1. *Docet quam grave peccatum ſit.*
2. *Tractat de pœnis adulterorum.*

PROPOSITIO I.

Adulterium eſt acceſſus & contaminatio chori alterius, ideoque eſt crimen fornicatione enormius.

Adulterii enormitas declaratur.

EX multis autem ejus enormitas poteſt declarari. Primò, quia adulter, quantum in ſe eſt, facit injuriam Sacramento, & ejus effectui. Chriſtus enim inſtituens Sacramentum Matrimonii, dixit: Mat. 19. 5. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Qui vero adulteratur, ſeparat quantum in ſe eſt, quod Deus conjunxit, dividens carnem ſuam; & cum dictum ſit in primo Matrimonio: *Erunt duo in carne una*, ipſe dividit, & unum facit cum ſcorto, juxta illud 1. Cor. 6. 16. Apoſtoli. *Qui adhæret meretrici, unum efficitur corpus* cum illa. Significationi quoque Sacramenti injuriam facit, quia Sacramentum Matrimonii ſignum eſt indiviſibilis conjunctionis duarum naturarum in Chriſto, & inſeparabilis unionis Chriſti cum Eccleſia: ideoque adulter tollit à conjugio, quantum in ſe eſt, ſignificationem & ſanctitatem Sacramenti.

Secundò, adulter rem non ſuam furtivè & iniquè ſubtrahit: nec enim habet poteſtatem corporis ſui, ſed illam tranſtulit in conſortem, juxta Apoſtolum 1. Cor. 7. 1. Cor. 7. 4. *Mulier non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir; & vir poteſtatem corporis ſui non habet, ſed mulier.* Ideo dicit Clemens Papa: Clem. PP. *Quid in omnibus peccatis adulterio, gravius? ſecundum enim in pœnis tenet locum, & in prohibitionibus quidem homicidio aſſimilatur adulterium.* Cum enim vir & mulier ſint una caro, qui aufert uxori ſuæ ſe, idem eſt ac ſi ſeipſum ſibi auferret. Unde gravius videtur quam ſi hominem mutilaret, quia tantum partem corporis auferret, hic autem ſe totum uxori aufert. Exuperat autem omne furtum, quia fides mulieris quæ ibi tollitur à marito & contra, melior eſt omni terrena ſubſtantia, maxime cum illud quod ibi auferatur, ſit rationalis creatura, quæ eſt melior omni poſſeſſione terrena. Eſt autem æquale jus ex ea parte uxoris & mariti. Unde rectè D. Aug. reprehendit viros, qui volunt exigere ab uxore, quod nolunt eis reddere. Aug. de 10. chord. & refertur c. 31. q. 6. *Cum debeas*, inquit, *in virtute uxorem præcedere, ſub uno impetu libidinis cadis, & vis uxorem tuam victricem eſſe, & tu victus jaces & cum tu caput uxoris ſis, præcidit te ad Deum cujus caput es: Vis tuam domum capite deorſum pendere, caput enim muliebris vir eſt, ubi autem melius vivit mulier quam vir, capita deorſum pendet domus. Si caput eſt vir, melius debet vivere quam mulier, & præcedere in omnibus factis bonis uxorem ſuam.*

Simile itaque furto eſt adulterium, quia utrumque injuſtitiæ crimen eſt, utrumque ſecreto committitur, utrumque tenebras captat, utrumque dedecus habet & pœnas, ſed furto tamen longe gravius eſt. Unde & Nathan, ut Davidi monſtraret adulterium ſuum graviſſimo dignum eſſe ſupplicio, à furto ſuam parabolam exorſus eſt, ad ſignificandam adulterii ſui enormitatem. Cum autem dixiſſet David: *Vivit Dominus, quia filius mortis eſt, qui hoc fecit*, qui oviculam in ſinu pauperis, quam ſolam habebat, rapuit. Nathan ſua illum revicit ſententia, dicens: *Tu es ille vir*, & ex majori crimine, majori illum dignum ſupplicio convincit. Aliam adhuc rationem poſſumus afferre, cur adulterium furto gravius ſit, quam inſinuat Sapiens Proverb. 6. *Non grandis eſt culpa cum quis furatus fuerit, furatur enim ut ejurientem impleat animam, qui autem adulter eſt, propter cordis inopiam perdet animam ſuam.* Quem locum explicans Chryſoſtomus, dicit adulterium eſſe gravius furto, quia omnis adultero adempta eſt excuſatio. Cum enim habeat ubi concupiſcentiæ fluctus ſedet, & efferveſcentem naturam coerceat, quia per conjugium ei conceſſum eſt lapſum effugere: ſi nihilominus aliena adhuc perfodit matrimonia, non eſt quo ſe excuſet, nec apud homines, nec apud Deum; etiamſi millies allegarit naturæ voluptatem, vere propter cordis inopiam, adulter animæ ſuæ exitium parat. Ita fere Chryſoſtomus hom. 3. de verbis Iſaiæ.

2. Reg. 12. 4. v. 5. Chryſoſt. hom. 3. de ver. Euſ. Cæſ. lib. 1. vitæ Conſtan. c. 27. & 28

Tertiò enormitas adulterii patet, quia violatur juramentum ſanctum, quo ſibi mutuo conjuges in facie Eccleſiæ, & ut plurimum in præſentia Venerabilis Sacramenti, publice fidem dederunt. Et quidem jurant ſuper ſacro Baptiſmo, & fide, quam Deo profeſſi ſunt, invocando Deum & omnes Sanctos teſtes & vindices hujus juriſjurandi. Ex his ergo omnibus majorem firmitatem & inviolabilitatem deberet habere, quod publicè, quod in loco ſacro, quod ſuper rebus ſacratis fiat, quodque benedictione ſacerdotali confirmetur.

Ideo Chriſtianæ multæ mulieres hujus Sacramenti memores, maluerunt mortem ſubire, quam fidem viris ſuis datam violare. Mirabilis fuit conſtantia cujuſdam Chriſtianæ Matronæ, de qua mentionem facit Euſebius Cæſarienſis. Maxentius (inquit) tyrannus, cum urbem omnium regiam vi & armis occupaſſet, tantum impietate proceſſit ut nullum audax & nefarium facinus prætermittere videretur. Nam conjuges vi à viris abſtraxit, eaſque turpiſſime oppreſſas ad viros remiſit, idque petulanter & contumeliose admiſit, non in ignobiles aut obſcuros, ſed & in eos qui in Senatu Romæ primas tenuerunt. Et quamvis infinitas fere ingenuas mulieres per vim flagitioſe violaſſet; non poterat adhuc intemperantem animi libidinem explere. Poſtquam autem in Chriſtianas mulieres cæca cupiditate ferri cœpit, non potuit per ſuos providere, quo facile ſibi ad eas pateret aditus. Nam illæ citius vitam cum morte commutare volebant,

Digitized by Google

lebant, quam corpus ei violandum permittere. Ex quibus una verè Christiana, viro ordinis senatorii in matrimonio collocata, ubi illos qui in talibus flagitiis tyranno subservire consueverant adesse advertit, ut eam apprehensam abducerent: exiguum temporis spatium postulavit, ut corpus decenti apparatu exornaret. In cubiculum ergo ingressa, gladio transfigit pectus, statimque mortua concidit, cadavere perductoribus relicto. Quæ revera omnibus hominibus qui post futuri sunt, hoc facto perspicuè declaravit Christianorum continentiam rem talem esse, quæ nec libidine expugnari, nec flagitio perimi, labefactarique possit aut debeat.

Consideret ergo frequenter mulier hanc fidem, & respiciat annulum sibi datum in symbolum fidei conjugalis: ut juramenti memor potius mortem obeat, quam illud violet, dicatque occasione urgente cum casta Susanna: *Melius est mihi incidere manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Dan. 13. 23. Elegit potius Susanna accusationem & condemnationem, quam fidei matrimonialis violationem.

Meminerint quoque juvenes, quandoque *oculos habent plenos adulterii & incessabilis delicti,* 2. Pet. 2. 14. & intueantur exemplum casti Joseph, tanquam speculi sibi ob oculos à Scriptura propositi: qui considerans fidem quam mulier illa Domina sua debebat viro suo, non solùm non usus est occasione sibi frequenter oblata, sed illa ipsum etiam urgente dicit: *Quomodo ergo possum hoc facere?* Gen. 39. 9 ut hero scilicet meo infidus sim & injustus: *Et quomodo possum peccare in Deum meum,* quem ubique præsentem intueor, & vindicem timeo? Maluit ergo pallium relinquere: & carcere mulctari, vel etiam morte, quam alterius thorum violare. Amb. l. de Joseph. Unde Ambrosius illum concupiscentiæ dominantem, non servum, sed verè Dominum his verbis agnoscit. *Ille Dominus fuit, qui amantis faces non excepit, qui lenocinantis vincula non sensit, quem nulla mortis formido perterruit, qui maluit liber criminis mori, quàm criminosa potentia eligere consortium.*

Molanus in natalibus SS. Belgii 2. April. 1472. de Genovefa Palatina. Habent quoque mulieres præclarum fidelitatis conjugalis exemplum, in B. Genovefa Palatina. Hæc Ducis Brabantiæ filia, velut altera Susanna, suis temporibus emicuit pudicitia & patientia, nec non devotione erga Dei Genitricem. Hujus interventu à Sifrido Romani Imperii Palatino masculam prolem concepit, antequam is ad barbaras nationes cum magno belli apparatu abiret. Abiens conjugem cum omni dominio defendendam tradidit militi fortissimo Golono. Sed miles primum blanditiis, & fictis de morte mariti literis, deinde variis molestiis ejus pudicitiam exagitavit. Novissimè redeunti viro omnia prospera esse dixit, præter thorum adultero maculatum: quare eam cum prole submergendam suggessit. Quod mox maritus irâ percitus fieri decrevit. Sed famuli eam in nemore deseruerunt, & pro lingua ejus ad Colonem attulerunt linguam cujusdam canis. Interim velut altera Agar cum prole per solitudinem vagatur, & antra inhabitat, lympha & herbis se sustentans. Ab advocata autem sua Deipara Virgine multiplicem consolationem accepit, per cujus patrocinium etiam cerva quædam filiolo turgidas mammas exhibuit. Elapsis tandem annis sex & mensibus tribus, maritus inter venandum in die Epiphaniorum uxorem cum prole reperit, & ex cicatrice vulneris in Brabantia accepti, aliisque signis & verbis, eam cum rugitu agnovit. Noluit autem illa cum marito congredi, nisi priùs sponderet Ecclesiam eo loci ædificare Dei Genitrici quæ eam in tot adversitatibus conservaverat. Quod celerrimè factum est, & constructam Hidolphus Episcopus consecravit, appellavitque *Vrouwrucker-eke,* Obiit in Diœcesi Trevirensi dicta Genovesa. Vide Molanum 2. Aprilis.

Quartò patet enormitas adulterii ex gravissimis incommodis, quæ illud solent sequi. Conturbat enim pacem domesticam, imò & Reipublicæ tranquillitatem. Ex illo oriuntur zelotypiæ, invidiæ, odia, infamiæ, bonorum decoctio, veneficia, uxoricidia, homicidia. Unde adulterium David fecit eum reum multorum homicidiorum: dum curat Uriam hostibus objici & derelinqui, cum multis è cohorte 2. Reg. 11. Sed & hoc habet gravissimum incommodum adulterium, quod frequenter illegitimæ proles cum legitima succedant, fiatque injuria veris legitimisque hæredibus: ad quam injuriam compensandam tenetur tum adultera tum adulter. De qua re sint solliciti interrogare Confessarii ut eos ad damnum resarciendum moneant & inducant. Quomodo autem hac in re se gerere debeant. Vide Lessium, Malderum, & alios in Tract. de jure & justitia. Et hac de re plenius agere poterimus, cum de matrimonio disseremus.

4. *Ob gravissima incommoda & damna.* 2. Reg. 11. 15.

Lessius & Mald. de jure & justitia.

PROPOSITIO II.

Enormitas adulterii etiam colligitur ex pœnis quæ decretæ sunt pro adulteris.

PRIMO ex parte Dei certa pœna decreta est gehenna ignis, & exclusio à Regno. *Fornicatores enim & adulteros judicabit Deus,* inquit Apostolus q. d. licet illi judicium humanum possint effugere (quia ut plurimum in tenebris res agitur) tamen judicium Dei non effugient, nec oculos ejus, unde apud Ecclesiast. *Qui transgreditur lectum suum, contemnens in animam suam,* insipienter dicit, *quis me videt? tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, quem vereor? delictorum meorum non memorabitur altissimus.* Rectè enim respondetur illi ibidē: *Et nō cognovit, quoniā oculi Domini luciliores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominū, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes. Hic in plateis civitatis vindicabitur, & quasi pullus equinus fugabitur, & ubi non speravit, apprehendetur.* Utiq; divina eum manet vindicta, quam magis timere deberet quam oculos hominum, & sua conscientia ubique

1. *Gehenna ignis, pœna temporalis.* Heb. 13. 4

Eccl. 23. 25.

Ib. v. 28.

tanquam

Digitized by Google

tanquam tortor inſequens timidum eum efficit, nec patitur quieſcere & inter anguſtias eum apprehendit.

Amb. l. de Abrah. cap. 2.

Hinc D. Ambroſius eleganter dicit, & efficaciter monet : *Nemo alienum aſſectet thorum, nec latendi ſpe, aut faciendi impunitate, nec longiore maritis abſentia provocetur. Adeſt Præſul conjugii Deus, quem nihil latet, nullus evadet. Nemo irrideat vicem abſentis maritis, ſervat excubias Deus, immò ſine excubiis deprehendet reum antequam faciat. In animis ſingulorum crimen agnoſcit ; & ſi maritum fefelleris, eum non falles ; ſi maritum evaſeris & Iudicem fori, non evades Iudicem totius mundi. Ille gravius ulciſcetur injuriam inopis, contumeliam mariti imprudentis ; major eſt enim injuria authorem quàm cuſtodem thalami ſprevisſe, & non conſideraſſe.* Utique, quomodo Deus ſit ſpecialis conjugii vindex, ſatis patet in Sara uxore Abrahæ quam cum Abimelech Rex Geratæ, & Pharao Rex Ægypti, ob pulchritudinem in domum ſuam tranſtulilſent ut in uxorem ducerent (exiſtimantes tamen non eſſe conjugem Abrahæ, ſed ſororem) nihilominus Deus caſtitatis conjugalis protector, & adulterii vindex percuſſit domum illorum gravi plaga, ita ut omnes ibi mulieres vulvâ conclusâ non poſſent parere. Unde neceſſe erat gravidas acerbiſſimis doloribus excruciari. Ipſe quoque Abimelech, teſte Joſepho, gravi morbo percuſſus fuit, putantque eum aliqui ingenti cruciatu in verendis afflictum fuiſſe. Unde etiam Scriptura dicit : *Orante autem Abraham ſanavit Deus Abimelech.* Quapropter licet non tetigiſſet Saram, tamen quia invitam in domum ſuam traduxerat, mulctatus fuit à Deo, & ipſe in compenſam dedit eis munera. Unde Saræ dixit : *Ecce mille argenteo dedi fratri tuo* (hoc eſt Abrahæ quem vocas fratrem) *hoc erit tibi in velamen oculorum, ad omnes qui tecum ſunt, & quocunque perrexeris :* hoc eſt, hoc erit in defenſionem pudoris, & in velamentum oris tui, quod licet miſerim te tollere in ſponſam mihi, tamen intactam viro te reddiderim. Unde aliqui ſic explicant : *Ecce ego quaſi Paranymphus, & novus antiqui Matrimonii Auſpex, te viro uxorem in manum do, Cajo Cajam, quia dotem ſuperaddo Siclos mille, quibus velum tibi comparare poſſis, quo te obnubas, ut omnes intelligant, cùm tam honorificè à me ſis viro reddita, caſtè à me habitam eſſe.* Alii ſic explicant : Dedi tibi mille argenteos, ut emas tibi tuisque ancillis velamen vultus ad operiendam pulchritudinem, ne ſit aliis (ut mihi fuit) illecebra & incitamentum libidinis.

Deus ſpecialis vindex adulterii.

Ge. 12. 17.

Gen. 20. 17.

Ib. v. 16.

Ita Delrio in Gen.

Sic etiam frequenter Deus ultor adulterii, defenſor conjugii, latentes adulteros atroci pœna mulctans, eorum crimen in lucem producit. Refert hac de re exemplum memorandum Petrus Damianus Epiſt. ad Deſiderium cap. 14. Apud Parmenſe oppidum, inquit, cum liberalium artium ſtudiis inſudarem, hoc quod ſequitur contigit. Ad occidentem præditæ urbis extra muros, eſt Baſilica Sanctorum Gervaſii & Protaſii : Nocte eorum feſtum præcedente, vir quidam ſummo mane ſurrexit, ut oves ad paſcua remota deduceret. Vicinus quidam libidinis flamma impulſus, inſidiatus eſt ut ejus uxorem pollueret. Eadem ergo nocte hac occaſione reperta acceſſit, & ſimulans ſe virum febricitantem, lectum uxoris vir ſimulatus intravit : & ita violavit alienum thorum, ſtatimque abiit. Non longo temporis ſpatio elapſo, maritus redit, & lectum repetit ; cui uxor exprobrans ait : Optime poteris hodie Sanctorum Martyrum contiguam Eccleſiam ingredi, & cum cæteris Chriſtianis divinis intereſſe myſteriis. Cumque illeattonitus inquireret quid loqueretur, & per ordinem rem didiciſſet, conſternati mente cognoverunt ſe eſſe deluſos. Interea dum populus ad Eccleſiam confluereet ad nocturnas laudes, illi reſumpto ſpiritu, rubore depoſito etiam convenerunt ; & querelam coram omnibus depoſuerunt, & vindictam à Domino poſtulabant. Mulier enim lugubres emittens in cœlum voces dicebat : *Domine tu corda noſtrorum omnium, tu conſcientia mea teſtis es ; hac ſanctâ nocte alieno miſceri me viro penitus ignoravi, tu meam & Sanctorum tuorum ulciſcere injuriam, oſtende virtutem tuam, & mea perditionis prode authorem.* Multis lachrymis & votis mulier ſuum deplorabat caſum, & ecce ſubitò author ſceleris latens, dæmoniaco ſpiritu corripitur, & Eccleſiam ingreditur fremens & ſe diſcerpens modò in terram præcipitans, modò ad parietem caput allidens : & ita malignus ſpiritus eum collidere non ceſſavit, donec infœlicem ſpiritum coram populo exhalavit. Videntes autem qui aderant ; Deo authori juſtitiæ gloriam retulerunt, qui non eſt impunè paſſus abire peccantem, & innocentem conſolatus eſt mulierem. Hæc ex Petro Damiano, qui ſuo tempore dixit ſæva adhuc videri in quibus impegerat, ſanie & cruore tubentia.

Damian. ep. ad Deſiderium cap. 14.

Secundo Deus punit quandoque adulterium, non ſolum in parentes ſed & in proles effuſa maledictione, in vindictam paterni criminis. Hoc aſſerit Sapiens cap. 3. dicens : *Filii autem adulterorum, in conjummatione erunt, & ab iniquo thoro ſemen exterminabitur. Et ſiquidem longa vita erunt, in nihilum computabuntur, & ſine honore erit noviſſima ſenectus illorum.* Idem cap. 4. *Spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec ſtabile firmamentum collocabunt. Et ſi in ramis in tempore germinaverint, infirmiter poſita à vento commovebuntur, & à turbinate ventorum eradicabuntur. Confringentur enim rami inconſummati & fructus illorum inutiles & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti.* Quibus omnibus vult ſignificare, filios adulterinos infœlicitate affici, & immaturè ſive ante tempus frequenter perire, & maledictione quadam, imò & miſeria ac egeſtate confici in pœnam, confuſionem, & dedecus parentum, cum etiam nequitiæ eorum frequenter ſint imitatores. Hoc idem aſſerit Eccleſiaſtic. cap. 23. Maledictioni eſt obnoxia

Maledictio Dei in proles ex adulterio.

Sap. 3. 16.

Idem 4. 3.

Eccl. 23. 32.

mulier

mulier omnis relinquens virum suum, & statuens hæreditatem ex alieno matrimonio. Primò enim in lege Altissimi incredibilis fuit. Secundò virum suum reliquit. Tertiò in adulterio fornicata est, & ex alio viro, filios statuit sibi. Hæc in Ecclesiam adducetur, & in filios ejus respicietur. Non tradent filii ejus radices, & rami ejus non dabunt fructum ejus, derelinquent in maledictum memoriam & dedecus illius non delebitur. Significat ergo filios ejus, aut filios filiorum non prosperari; sed potius fore in opprobrium matris adulteræ, cui maledicent homines, miseriam filiorum adulterinorum videntes.

3 Pœna adultera per aquas Zelotypiæ. Num. 5. 21.

Tertiò decreta fuit gravissima pœna adulteræ à Deo, per aquas Zelotypiæ. De qua vide quæ habentur Numerorum c. 5. Inter cætera autem offerebantur ei aquæ amarissimæ, in quibus cum execratione maledicta erant congesta, & dicebant ei: *Si concubuisti cum altero viro, his maledictionibus subjacebis: Det te Dominus in maledictionem exemplumque cunctorum in populo suo, computrescere faciat femur tuum, & tumens uterus tuus disrumpatur.* Et respondebat mulier, amen, amen. Hoc ergo apud Judæos miraculo scelus adulterii explorabatur; & hic tumor uteri, & putrefactio femoris, non ab aliqua vi aquis insita, sed à Deo legem hanc sanciente proveniebat. Et hac lege ac pœna testabatur Deus, se fidei conjugalis præsidem esse ac vindicem, & innocentiæ testem ac custodem. Ne scilicet Zelotypia dissidium gigneret rixas & cædes. Item, testabatur hâc pœna Deus, occulta scelera se videre & prodere. Denique testabatur adulterium adeò grave esse scelus, ut tali horribili pœna dignum foret, qua uxores in officio continerentur.

Adultera uterus his aquis rupebatur.

Mulieres suspectæ de adulterio innocentiam probabant candenti ferro, qua proba modò illicita est. Antoninus p. 2. tit. 6. c. 3. §. 2. Baro. a. 998. ex God. Viterbiensi in chron. Crantzius l. 4. Sax. c. 26.

Sic olim apud aliquos Christianos, mulieres suspectæ de adulterio se purgabant tangendo ferrum candens: si ab eo non adurerentur, jam ab omni suspicione erant liberæ. Sed cùm hæc proba à Deo non sit instituta, & ad aliquam Dei tentationem potius spectare videatur, nunc à Canonibus est reprobata. Potuerunt tamen aliquæ mulieres, à Deo ad hoc impulsæ, hoc modo innocentiam suam probare. Vide vitam S. Cunegundis. Sic etiam fertur probasse innocentiam mariti sui quædam Comitissa tempore Othonis III. Imò eam probavit, per caput mariti sui ob suspicionem adulterii cum Imperatrice decollati. Rem sic referunt Historiographi. Imperator Otho uxorem habuit Mariam de Aragonia fœminam sterilem & impudicam. Illa juvenem muliebri habitu secum circumducebat, quo abutebatur dum cubiculariæ domicillæ officium gereret. Hoc cum pio Imperatori innotuisset, multis Principibus astantibus, vestibus juvenis spoliatur, atque pro fœmina masculus deprehensus, vivus exuritur. Cum autem Imperatrix amicorum intercessione veniam impetrasset, in Italia circa Mutinam Comitem quendam elegantissimæ formæ, sed virum optimum, in sui amorem pellicere conata est. Sed is restitit nefariæ huic petitioni, thorum Domini sui nolens maculare. Quapropter indignata Regina, accusabat eum apud Imperatorem (ut Josephum olim uxor Putipharis) quod voluisset ipsam violenter opprimere, & hanc occasionem falsis probavit testibus. Commotus Imperator ipsum jubet decollari, non obstante quacunque contradictione. Comes videns se capitis condemnatum, uxori suæ ad se vocatæ protestatur innocentiam: adjuratque eam ut caput post necem tollat, & diligenter servet: ut per illud in igne illæsum coram Rege, suo tempore, suam probet innocentiam. Quodam ergo die, cùm sederet Imperator omnibus justitiam administraturus, comparet & uxor Comitis, ejus implorans justitiam, exhibens caput mariti contra ipsummet Imperatorem inclamans, paratamque se exhibet in medio ignis illæsam cum viri capite persistere: Instat importunis precibus & mortem Imperatricis postulat. Permissu ergo Imperatoris, hæc proba ei conceditur. Et ita ignis nec illi, nec capiti viri quidquam læsionis induxit. Conterritus Imperator, causam Comitis diligenter perscrutatus est, eumque innocentem, Imperatricem verò ream mortis invenit. Unde & publicè eam igni addixit, & uxorem Comitis ditavit, territorium ejus quatuor validissimis castris amplians. Ita lib. 2. Chron. Imperatorum.

4. Ob pœnas civiles. Levit. 20. Cœlius Rodig. li. 10. c. 6.

Quartò quantum ad pœnas civiles, variæ hationes varias pœnas statuerunt, & apud multas in usu fuit capitalis sententia: Judæi lapidatione adulterium plectebant. Levit. 20.

1. Aurelianus hanc in adulterium pœnam excogitavit, ut duarum arborum inflexis capitibus, & ad pedes religatis moxque dimissis, intervulsus utrimque propenderet, ut refert Cœlius Rodig. lib. 10. cap. 6.

2. Saxones adhuc pagani adulteram se strangulare cogebant, & super bustum illius incensæ & crematæ adulterum suspendebant. Unde sic scribit S. Bonifacius Moguntinus Episcopus Ethibaldo Regi Angliæ. Audivimus quod in eleemosynis intentus, furta & rapinas prohibes, & pacem diligis, & defensor pauperum & viduarum sis, & inde Deo gratias agimus. Quod verò legitimum Matrimonium spernis, si pro castitate faceres, laudabile esset; sed quia in luxuria, & adulterio, & cum sanctimonialibus voluptaris, est vituperabile & damnabile. Quapropter fili carissime pœnitere, & memorare quam turpe sit dono Dei te aliis dominari, & ad ejus injuriam servire libidini. Quam adulterium sit ab honestate peregrinum, docet nos alienæ gentis institutio. Nam in antiqua Saxonia, ubi nulla est Christi cognitio: Si virgo in paterna domo, vel maritata sub conjuge fuerit adulterata, manu propria strangulatam cremant, & super foſſam sepultæ corruptorem suspendunt, aut cingulotenus vestibus abscissis castæ matronæ, eam flagellant, & cultellulis pungunt, & de villa in villam missæ occurrunt graviter flagellantes, donec eam interimant. Hæc ille.

S. Bonif. ep. ad Ethibaldum.

Diod. Siculus l. 1. c. 6.

3. Ægypti adulteros, virgis cædebant ad mille plagas, adulteras naſo truncabant ad perenne dedecus, ut teſtatur Diodorus.

Plutarchus.

4. Cumani adulteram in foro omnibus ridendam exponebant, deinde aſino per totam urbem circumvehebant, ut tota vita eſſet infamis, indeque Onobatis, quod aſinum equitaſſet, vocabatur, teſte Plutarcho in problematibus

Oſorius l. 2. de rebus Emmanuel. *Mala ex adulterio.*

5. Mahometus adulterum publicè caſtigari ad centum ictus ſanxit. Bralilienſes verò, adulteras vel occidunt, vel tanquam ſervas vendunt, teſte Oſorio.

Jer. 5. 8. Oſee 4. 2.

Vides ergo quantum deteſtabantur Gentiles adulterium: Quid igitur facere deberent Chriſtiani, in quibus illud peccatum poſt Sacramenti vinculum longè gravius? Utique res latis deploranda eſt, quod nunc vix in illos animadvertitur, cùm adeò perniciosum malum ſit, & Reipublicæ, & paci domeſticæ, & propter impunitatem adeò commune. Si adhuc ut olim lapidibus appetendi forent omnes adulteri, à quolibet de populo; certè multis in locis lapides vix ſufficerent, quia de multis locis verum eſt quod ſuo tempore dicebat Jeremias: *Vnuſquiſque ad uxorem proximi ſui hinniebat.* Et quod dicit Oſeas: *Maledictum mendacium, adulterium inundaverunt, & ſanguis ſanguinem tetigit.* O quot patebunt neſanda adulterii ſcelera, in die illo qui illuminabit abſcondita tenebrarum! nunc autem latent intra domeſticos parietes, etiam in domibus divitum, honoratorum, nobilium, & magnatum. Magna eſt enim cordis malitia, & multi ambulant, *habentes oculos plenos adulterii, & inceſſabilis delicti*, ut loquitur S. Petrus; qui ſi non ſemper corpore, frequentiſſimè ſaltem corde mœchabantur. Interim lachrymis dignū eſt, & prorſus deteſtabile hoc flagitium, plenum injuſtitiæ, plenum infamiæ, plenū abominationis neſandæ; omni lege prohibitum, naturali, divina, humana, in Decalogo, in Prophetis, in Evangelio, in ſanctionibus Imperatorum, in Canonibus Eccleſiæ, in legibus paganorum; opprobrioſum coram mundo, coram Deo, coram Angelis, coram ipſiſmet dæmonibus.

2. Pet. 2. 14.

LECTIO X.

DE INCESTU, STUPRO, ET SACRILEGIO.

PROPOSITIO I.

Inceſtus eſt carnalis commixtio inter conſanguineos & affines.

Levit. 18. 6.

HÆc ſpecies luxuriæ, gravior eſt fornicatione & adulterio: quia eſt contra naturalem reverentiam conſanguineis debitam, propter quam dicitur Levit. 18. *Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedat, ut revelet turpitudinem ejus.* Quanto verò gradus eſt proximior, tanto culpa eſt gravior: unde in confeſſione, gradum conſanguinitatis & affinitatis neceſſariò exprimendum eſſe docent communiter Doctores: Nam gravitas peccati longè præponderat, ſi quis ſorori commisceatur, quam ſi ſolum affini aut conſanguineæ: & iterum longè enormius eſt, ſi quis matri jungatur, quam ſorori. Quapropter dicit Scriptura: *Mater tua eſt, non revelabis turpitudinem ejus: Turpitudinem quoque ſororis matris tuæ non revelabis eo quod caro matris tuæ eſt* Levit. 18. 7.

Immò inter quædam animalia inceſtus in primo gradu, abominabilis eſt ipſo naturæ inſtinctu. Unde refert Ariſtoteles, Camelos conjunctionem cum matribus horrere, nec vi adigi poſſe ut congrediantur, & exemplo ſequente id probat. Cùm, inquit, quodam die Camelus venereis uti vellet, cuſtos Camelorum matrem operuit ne poſſet agnoſci: & ſic non æſtimans matrem eſſe, eam conſcendit & cognovit. Ubi autem detracto tegumento agnovit matrem eſſe, mox furibundà mordens cuſtodem, tanquam ſtuprandæ matris auctorem interfecit. Ibidem narrat equum quendam generoſum Regis Seytharum, cùm matri congredi nollet, ſimili artificio deceptum, poſtea re detecta fugiſſe, & ex alto ſe præcipitem dediſſe. Simile refert Guillelmus Pariſienſis de quodam equo, quipiam modo admiſſus in matrem, ſibi genitalia mordicus præcidit, natura ipſa teſtante, quam id ſit grave piaculum; quandoquidem & animantibus reverentiæ quidam inſunctus erga parentes. Ariſtoteles.

Itaque antiquitus pœna mortis conſtituitur in inceſtuoſos. Levit. cap. 20. Et propter inceſtum data olim fuit maledictio Ruben, à Patre dicente: *Effuſus es ſicut aqua, non creſcas, quia aſcendiſti cubile Patris tui, & maculaſti ſtratum ejus*, q. d. Libidine & inceſtu diffluxiſti, hinc te Deus puniet ſterilitate, ut non creſcas numero prolium & nepotum, nec etiam excellentia, opibus & gloria. Propterea tribus Ruben fuit una ex minimis, & de illa dixit Moyſes Deut. cap. 33. *Vivat Ruben, & non moriatur, & ſit parvus in numero*, q. d. Ob peccatum inceſtus quod in patrem admiſit, meritebatur exſcindi Ruben, & ejus poſteritas & tribus: ſed in gratiam Patris, avi & abavi, mitigavit hanc pœnam Deus, effecitque ut non mereretur, hoc eſt, non deficeret ejus poſteritas, ſed tamen parva eſſet numero. Utique congrua eſt & juſta libidinis inceſtuoſæ pœna, extinctio vel imminutio familiæ. Sed & propter illum inceſtum, privatus fuit Ruben jure primogenituræ, quæ multas ſecum habebat prærogativas, habebat enim imperium & dominatum in fratres primogenitus, eratque ſimul Sacerdos ante legem: benedicebatque fratres, & illi adorabant eum; habebat quoque duplicem partem hæreditatis paternæ. Hæc omnia perdidit Ruben propter brevem & inceſtam libidinem. Et primogenituræ dignitas, quantum ad Sacerdotium, translata fuit in tribum Levi, quantum ad regnum, in Judam & ejus tribum. Unde dicit Jacob filio ſuo Ruben: Levit. 20. Gen. 49. 4 Deut. 33. 6 *pœna Rubenis inceſtus.*

Digitized by Google

Gen.49.3 Ruben: *Tu primogenitus meus, tu fortitudo mea & principium doloris mei, prior in donis, major in imperio,* q. d. Tu es ille quem primo genui in robore ætatis, & ideo debebas esse prior in donis, major in imperio, jure primogenituræ debebatur tibi sacerdotium & regnum, sed non accipies, quia peccasti cum Baal, & fuisti mihi præcipua causa doloris & tristitiæ, ob tuum incestum. Vide ergo, quantum damnum attulerit morula voluptatis nefariæ. Habetur autem in libro testamenti 12. Patriarcharum, qui extat Tom. 3. Bibliothecæ Sanctorum Patrum, hac occasione Ruben cecidisse: Vidit lavantem se Balam, & nuditate conspecta exarsit in ejus concupiscentiam, eumque eam postea ebriam reperisset, occasionem nactus est compleudæ libidinis. Verum postea duram egisse ibidem dicitur pœnitentiam, & docuisse frequenter filios suos, ut fixos oculos in mulierem non intenderent, ne simili errore laberentur.

1.Cor.5.5. In novo testamento incestus gravitas patet ex Apostolo, qui incestuosum tradidit Satanæ, quia cum noverca commiscebatur.

Ad hoc peccatum referri debent omnes impudicitiæ, quæ per aspectus, tactus, vel alias libidines committuntur inter personas consanguineas vel affines. Hinc apud antiquos, teste Valerio Maximo, non erat fas filium simul cum Patre balneari, ne se

Gen.9.22 nudos invicem conspicerent. Et in Scriptura Cham reprehenditur, quod verenda Patris denudata conspexerit, nec contexit, sed irrisit: Et ideò maledictus fuit, & Chanaan filius ejus. Sem verò & Japhet, quia tanta reverentia & cautione Patris verenda operuerunt, fuerunt benedicti.

Quapropter seriò hic moneri debent parentes, ut diligenter caveant ne personæ consanguineæ in eorum domo cohabitantes, in eodem cubiculo aut lecto, etiam impubetes, dormire sinantur: quia licet impotentes sint ad carnalis commixtionis consummationem, tamen instinctu diaboli sæpe libidinosi actus inter eos exercentur, quos spiritus luxuriæ suggerendo, etiam inficit parvulos. Nec dubium est quin in ætate septem, octo, vel novem annorum peccati mortalis reatus incurri possit; cujus ob pudorem frequenter nulla fit in confessione mentio, & ideò vulneratam conscientiam plerique in multam ætatem protrahunt, cum æternæ salutis dispendio.

Michaël ab Insulis tract. de Rosario. Habes exemplum de puero ob hoc peccatum damnato in vita S. Dominici. Ibi legitur. B. Manam Benedictæ insigni meretrici Florentiæ, opera S. Dominici conversæ apparuisse, & sic eam monuisse: Pensa filia nunc firmiter & crede, quod multi sunt æternaliter damnati, qui multo minus peccarunt quam tu: imò quidam pro uno peccato mortali. Et ut occulta scias: Hodie subitò morietur quidam miles propter peccatum commissum cum suo socio. Item quatuor in hoc oppido: Unus civis qui parum filios suos correxit: Unus Curatus Ecclesiæ, quia fuit negligens circa onus, scilicet præcipuè in sibi subditorum audiendis peccatis, & ibi instruendis: Unus Religiosus, qui non habuit firmum propositum vivendi semper secundum statuta, & regulam sui Ordinis, ad quod propositum quilibet Religiosus tenetur, sub periculo peccati mortalis. Quantus Sacerdos qui nimis vagabunde & malè persolvit divinum officium. Et hi quatuor ex uno isto oppido damnabuntur hodie. Item hodie duæ ex sociabus tuis, à ribaldis in luxuria jugulabuntur, & æternaliter damnabuntur. Hodie etiam puer submergetur, & damnabitur in Hispania, qui annorum octo existens, cum sorore sua fornicatus est, qui etsi opus non non complevit, tamen inchoavit. Ita refert R. P. Michaël ab Insulis in Tractatu de Rosario.

PROPOSITIO II.

Stuprum est violenta Virginis defloratio, ideoque specialis luxuriæ species censetur.

DIco *violenta*, nam in hac violentia specialis illius malitia consistit, quod ultra luxuriam injustitiam etiam adducat. Unde si cognoscatur puella, ipsa consentiente, licet sit virgo, existimant multi non esse propriè stuprum, nec malitiam mortiferam addi, ultra malitiam fornicationis: immò nec necessario circumstantiam virginitatis tunc confitendam. Vide Lessium de Jure & Justitia l. 2. c. 10. & alios. Est tamen gravior fornicatio cum virgine, quàm cum corrupta, ob pleraque incommoda quæ solent sequi. Lessius l. 2. de jure & just. c. 10. *Damna ex stupro quæ sequantur.*

Primò quia illa impeditur a legitimo matrimonio consequendo, & exponitur periculo ulterius peccandi post virginitatis ruinam. Unde, qui primus illam defloral, occasionem & causam dat multorum subinde sequentium peccatorum.

Secundò: quia magna infamia & gravis mœror infligitur parentibus, sub quorum custodia est. Unde Ecclesiast. 4. dicitur: *Super filiam luxuriosam confirma custodiam, ne quando faciat tibi opprobrium vesire inimicis tuis.* Hanc infamiam pondcrantes filii Jacob, ob violentiam & stuprum illatum sorori suæ Dinæ per Sichem filium Hemor, totam urbem internecione deleverunt cum ipso Principe. Vide cap. 34. Genesis. Ideò etiam Absalon persecutus est Ammon, videns sororem suam Thamar ab eo ignominiosè violatam. In antiqua verò lege stuprator parentibus satisfacere cogebatur quinquaginta siclorum largitione, ut patet Deut. 22. & insuper tenebatur eam ducere. Vide Exod. cap. 22. Nunc quoq; tenetur eam sibi matrimonio copulare, vel damnum reparare dotando eam. Vide Lessium loco citato & alios.

Eccl.42. 11.

Gen.34. 26.

2.Reg.1.

Deut.22. 19.

Exod.22. 16.

Deo valde displicet virginum constupratio.

Quantum verò Deo displiceat hæc virginum cõstupratio, multis Deus miraculis frequenter ostendit; virgines suas protegens, & stuprare volentes gravissimis pœnis affligens, de quare vide quæ diximus cum de Angelis tractavimus. Unicum hic exemplum adpendo, quod habetur in vita S. Julianæ.

Digitized by Google

Surius in vita S. Julianæ Virg.

Cùm Aurelianus Imperator Julianam jussisset in Lupanari constitui, multi qui circumstabant, scelesti & nefarii homines, certatim contendebant, quis ad eam primus ingrederetur, erant enim veluti equi hinnientes, puellæ formâ compulsi. Mox verò Angelus Domini descendit de Cœlo & dixit: *Ne timeas Juliana, Dominus enim Jesus Christus, quem tu colis, misit me, ut te protegam, & sanctum nomen ejus, notum faciam omnibus timentibus eum.* Cum verò impudici illi à cœpto illo minimè desisterent, Angelus excussit è pedibus suis pulverem, & in eorum oculos injecit, ita ut eos excæcarit. Quapropter neque amplius cernebant ubi essent, aut quò irent, neque ad illam accedere poterant. Id cùm turbæ vidissent, quod admirabiliter factum fuerat: uno animo clamabant: *Magnus est Deus Pauli & Juliana, qui ubique eos servat, & protegit, qui illum timent.* Qui autem excæcati fuerant flexis genibus supplices ejus opem implorabant dicentes: *Juliana serva Dei Altissimi, peccavimus quidem contra te cum stultè atque insipienter nos gessimus, sed tu da quæsumus veniam ut Dei serva: & precare Christum tuum, ut nobis visum restituat.* Eorum misericordia, commota Juliana, paululum aquæ accepit, & cum oculos in cœlum extulisset, Deum invocavit, ita dicens: *Domine Jesu Christe auctor omnium salutis, exaudi me & nunc etiam ostende miracula & prodigia quæ facis præter nos filios hominum. Restitue his viris facultatem videndi, ut sanctum & gloriosum nomen tuum celebretur.* Hæc cum dixisset, aquam supra turbas illas infudit, & omnes qui excæcati fuerant, visum receperunt. Tum illi ad terram prostrati Deo gratias reddebant, pœnitentiam agentes. Cumque peccata sua confessi essent, Christiani facti sunt.

Raptus quid?

Stupro affine peccatum est Raptus. Est vero proprié Raptus, cum persona aliqua libidinis causa vi illata abducitur, sive sit masculus, sive fœmina, sive nupta, sive innupta, sive vis inferatur soli abductæ, sive illis quorum potestati subest, ut colligitur 36. q. 1. cap. de raptoribus. De pœnis raptus agemus, cum de Matrimonio differemus.

PROPOSITIO III.

Sacrilegium est concubitus vel actus venereus persona Deo sacra, vel persona non sacra circa personam sacram opus turpe.

Sacrilegium etiam dicitur si res sacra per actum venereum violetur, vel polluatur; ut cùm actus etiam conjugalis, exercetur in loco sacro sine necessitate.

Graviss. est peccatū.

Gravissimum ergo est peccatum, & specialem habens deformitatem, si is qui per Ordinem est Deo consecratus, in turpe opus consentiat. Vide quæ diximus de Castitate Sacerdotum. Tom. 1. Collatione sacra ad Pastores.

Similiter enorme est, si persona voto consecrata castitatis, illam fœditate voluntaria commaculet. Hinc a Sanctis Patribus gravissima pœnitentia imponitur virginibus Deo sacris, fidem illi datam violantibus per actum luxuriosum. Audi D. Ambrosium ad virginem lapsam cap. 8. Unde incipiam? Bona commemorem quæ perdidisti, an mala deflcam quæ invenisti? Eras virgo in Paradiso Dei, utique inter flores Ecclesiæ. Eras Sponsa Christi, eras templum Dei, eras habitaculum Spir. S. Et cum dico toties eras, necesse est ut toties ingemiscas, quia non es quod fuisti. Incedebas in Ecclesia tanquam columba illa de qua scriptum est: Pennæ columbæ deargentatæ: Splendebas ut aurum, quando cum sincera conscientia procedebas. Eras tanquam stella in manu Domini, nullum ventum, nullas belli nebulas timebas. Quæ est ista subita conversio, de Dei virgine facta es corruptio sathanæ, de habitaculo Spiritus tugurium diaboli. Quæ incedebas ut columba, nunc lates in tenebris ut Stellio. Quæ fulgebas ut aurum propter virginitatis honorem, nunc vilior facta es luto platearum, ut etiam hominum pedibus conculceris. Quæ fueras ut stella radians de manu Domini, veluti de alio ruens Cœlo, lumen tuum extinctum est, & conversa es in carbonem. Hæc Ambrosius. Videri etiam potest Chrysostomus epist. 5. ad Theodorum lapsum.

Amb. l. ad Virg. lapsam. c. 8.

Chrys. epist. 5. ad Theo. lapsum.

Neq; mirum, si apud Christianos Virginum Deo consecratarum lapsus tantæ enormitatis asseratur, cū etiam apud Romanos virgines vestales si castitatem violassent, gravissimis pœnis plecterentur. Talis enim virgo primò verberibus a Pontifice Maximo cædebatur, & simul ac cæsa fuisset, ad portam Collinam efferebatur tanquam mortua, cum luctu propinquorum, Pontificibus aliisq; Sacerdotibus, mœsto silentio sequentibus: juxta quam locus erat subterraneus, ad quam scalis descendebatur, in eum virgo vestalis sola demittebatur, ac ablatis scalis locus undiq; occludebatur, & ne fame videretur enecta, panis, lactis, & olei aliquantum, incensaque lucerna derelictam refovebant, atque eo die tristitia erat Romæ, & mœror non exiguus, præsertim quod magnum aliquod malum, supplicium vestalis virginis, Civitati & Imperio portendere existimarent.

Pœna vestalium si castitatem violassent. ex Dion. Halic. & Plutarcho

LECTIO XI.

DE PECCATO CONTRA Naturam.

PROPOSITIO I.

Hoc peccatum continet contaminationes varias, quæ committuntur extra concubitum naturalem personarum diversi sexus.

1. Mollities seu voluntaria pollutio.

VNum ex his peccatis vocatur peccatum *Mollitiei*, sive pollutionis voluntariæ, de quo dicit Apostolus: *Nolite errare, neque fornicatores, neque molles regnum Dei possidebunt.* Propter hoc peccatum Her & Onan percussi sunt à Domi-

1. Cor. 9. 10. Gen. 38. 12.

Digitized by Google

Domino, quia ſemen fundebant in terram, Geneſ. 38. quod quidem gravius erat, quia actu conjugii utentes, hanc rem deteſtabilem faciebant, ne naſcerentur filii. Quapropter hæc eſt notabilis vindicta, inſinuanda conjugibus, qui ſimili abuſu circa conjugium peccant, ne forte pro libus onerentur, vel aliam ob cauſam in actu conjugii ſeſe retrahentes.

urius in ita S. Chriſtin. 5. Julii.

Monenda quoque & graviter reprehendenda juventus, quæ huic vitio propriæ corruptionis mirè eſt addicta. De qua re lamentabatur S. Chriſtina, & incredibili ejulatu frequenter deplorabat mundum hoc peccato pollutionis plenum & obrutum, eaque de cauſa iram Dei, ac plagas univerſo prope orbi Chriſtiano imminere; quas ut averteret, ipſa mitis & horrendis pœnis ſeſe affligebat. V. Surium, to. 3. Nec mirum Deum ob illud peccatum pœnas infligere hoc Chriſtiano ſæculo; ubi lux Evangelii & gratiæ affulget ad cognoſcenda & eliminanda hæc peccata; quando quidem antiquo tempore legis, ſæculo adhuc rudi & inculto; ſimilia peccata puniverit, tum in Sodomitis, tum in Her & Onan ut dixi. Imò & ab ipſis Hebræis hoc peccatum adeò grave reputatum fuit, ut illum qui genituram effundit, homicidæ comparent, aut illi qui filios ſuos jugulat. Vocant enim mollem & ſe polluentem, effuſorem ſanguinum. Et certè poſſumus dicere, tales ſemen ſuum immolare idolo Moloch, ut loquitur ſcriptura; id eſt, dæmoni luxuriæ & immunditiæ Nam antiqui exiſtimant quod dæmon multas nequitias perpetret ex hoc ſemine effuſo; & quod à dæmone haſce nequitias edocti fuerint infames illi hoc in genere hæretici, vocati Gnoſtici, Baſilidiani, Nicolaitæ, Borboriani, qui in his corruptionibus mirè exundarunt, ut pudeat recitare. Licet verò cautè & parcè hæc de re ſit agendum, neque tamen omnino tacendum eſt, cum illa frequenter inter corruptos juvenes vigeant & parvi æſtimentur, cum tamen fœtorem in Cœlum uſque exhalent. Unde Auguſt. (vel quiſquis eſt author) rectè dicit de his peccatis contra naturam; Confundor ego Epiſcopus talia loqui & enarrare, ſed ſi tacuero mors mihi eſt, ſi prædicavero non effugiam linguas veſtras, audacter igitur damnabo & prædicabo; quia vos ea operari non erubeſcitis. Emendate vitam, & ego emendabo verba; quieſcite agere perverſè, & quieſcam mala veſtra mollitiei & ſodomiæ (quibus proh! dolor repletur mundus) improperare: Idem Auguſt. eodem loco exclamat conquerendo. O quàm abominabilia vitia! O quàm deteſtabilia crimina! O quàm mortifera damna! Has pollutiones Deus ſummo odio habet, has deteſtantur ſancti, oderunt beati, fugiunt illi qui regnum conſequuntur æternum, has diligunt illi qui cruciandi & maledicendi ſunt cum diabolo. O peſſimi peccatores coram Domino, rationis dictamen conſiderate; divinæ lucis claritatem honorate, Deum timete. Quid obſecro, ô miſeri peccatores, quid conſolationis in cordis penetralibus aſſecuti eſtis, non dico conſolationis, ſed remordentem animam, ſed confuſionem coram Deo & angelis ejus. Redite ergo ad cor, reſipiſcite à diaboli laqueis, ne clamor Sodomorum & Gomorrheorum aſcendat iterum ad cœlum. Clamare namque dicuntur hæc peccata, quando non ſolum cogitantur, ſed quando ad actum ſine ullo timore perducuntur, & conſuetudine intolerabili multiplicantur. Hæc Auguſtinus, vel quiſquis ſermonum illorum eſt auctor.

Gen. 19. de Sodomitis.

Auguſt. ſer. 47. ad fratres in Eremo.

Hæc corruptio & immunditia inveterata eſt unum ex ſignis reprobationis æternæ; nam de aliquibus reprobis Judas loquens dicit: *Et hi quidem carnem maculant*, hoc eſt, ſe corrumpunt & commaculant. Nec exiguo vitio tribui poteſt deteſtabili conſuetudine Chriſti membra polluere, corpus ſuum impudicè profanare, templum Dei & Spiritus ſancti contaminare, & abuti genitura humana quæ per providentiam divinam non eſt ordinata niſi operi humanæ generationis his, qui ſunt conjugati. Videant ergo juvenes lubrici, qui hujuſce vitii habitum quendam contrahunt peſſima conſuetudine obcœcati, quomodo ſibi catenam connectant, quam ubi voluerint diſſolvere, non poterunt; ſed inextricabiliter libidinis vitio obligati; catena etiam hac, quam ſibi fabricarunt, in abyſſi ignem irrevocabiliter pertrahuntur. Judas in ep.

Refert Thomas Cantiprato hoc exemplum. Quidam malo aſſuefactus uſu, contrectationibus libidinem provocabat, inveteratus in hoc vitio, cum Sacerdote ſuo accedens ad me, rogabat ut eum abſolverem: Recidivantem per annos plurimos abſolveram & pœnitentiam ei injunxeram ſalutarem. Quem cum ad Diœceſanum Epiſcopum mittere vellem, quaſi gravius affligendum, à Sacerdote rogatus ſum tali conditione abſolverem pœnitentem ut flexis genibus coram me oraret Dominum, ut ſi poſtmodum recidivaret in ſcelere, eum mox divina vindicta puniret. Conſenſi conditioni, & heu mihi miſero quod conſenſi. Mox ille flexit genua, & vindictam ſibi imprecatus eſt ſi reincidet. Abſolvi, eum receſſit gaudens. Sed feria tertia aut quarta poſt Paſcha inſtigante diabolo, paſſus eſt recidivam, moxque horrificè clamans: *Vindicta Dei ſuper me*, amariſſima morte mulctatus eſt, ut mihi poſtea Sacerdos retulit. Cantip. l. 2. Apum c. 30. p. 9.

Propter hoc etiam peccatum quod contra naturam eſt, aſſerit S. Methodius Martyr diluvium immiſſum fuiſſe, & ſatis indicat ſcriptura dicens: *Omnis caro corruperat viam ſuam.* Cumque aqua diluvii illud abluere non potuiſſet, hoc vitio corruptionis poſtea adhuc in maledictum germen èrumpente, tempore Loth & Abrahæ, adhibitus eſt ignis, qui ad radicem uſque illud conſumeret. Quo tamen non obſtante cum corruptæ naturæ ſemen quoddam peſſimum luxuriæ inſitum ſit, quod facilè pullula, & varias corruptiones fœdaſque libidines producit; vitium iſtud non ſolum in- Gen. 6. 12. Gen. 19. 28.

Digitized by Google

gentibus Deum ignorantibus, ſed etiam in populo Dei invaluit, commaculans nobilem hominis naturam. Filius verò Dei illam aſſumpſit, ut purificaret, & totam humanam naturam quæ erat *velut pannus menſtruata, & veſtimentum mixtum ſanguine*, in puriſſimo ſuo quaſi Agni immaculati cruore emundaret. Et nihilominus non verentur Chriſtiani, in baptiſmo carne & ſpiritu abluti virtute hujus ſanguinis Agni, carnem & naturam deficatam immunditiis deteſtabilibus deturpare: non attendentes illud peccatum longè gravius eſſe, poſtquam Filius Dei carnem naturamque noſtram aſſumpſit & ſanctificavit.

2. *Sodomia.* Rom. 1. 27. Licet verò generaliter quandoque nomine *Sodomiæ* omnia vitia contra naturam accipiantur; ſpecialiter tamen *Sodomia* ſignificat peccatum quo perſonæ ejuſdem ſexus commiſcentur, vel perſonæ diverſi ſexus extra vas naturale. Quod peccatum inſectatur D. Paulus ad Rom. 1. & illi addicti Gen. 19. erant habitatores Sodomæ & Gomorrhæ, & finitimarum civitatum; ita ut multati ſint pœnâ quæ in hodiernum adhuc diem perdurat, poſt quinque annorum millia.

Notabilis autem fuit illa vindicta, ut colligitur ex ſcriptura, & ex multis illius circumſtantiis declarari poteſt.

Vindicta Sodomitarum notabilis. Primò quidem, quia ſicut ipſi peccabant contra naturam, ita ignis cujus natura eſt ſurſum aſcendere, contra naturam ſuam deſcendit ad eos puniendos: & quia fœdiſſimum erat eorum flagitium, non ſolùm ignis ſed & ſulphur deſcendit, ut ipſa qualitate ultionis, notaret Dominus maculam criminis. Et notant paſſim Doctores, omnes in impietate eſſe mortuos & damnatos ſine pœnitentia (licet D. Hieronymus aliter videatur ſentire) quia verſabantur in flagranti crimine, quandoquidem etiam duos Angelos ad Loth divertentes, illa nocte voluerint conſtuprare. Unde etiam cœcitate percuſſi ſunt, ita ut non poſſent oſtium reperire. Ubi quoque deſignata fuit eorum cœcitas, propter quam oſtium pœnitentiæ non potuerunt reperire. Adde quod ſubita flamma eos corripuit & obſtupefecit, ut nec ſenſum, nec tempus haberent pœnitendi. Quapropter de illis dicit S. Judas in epiſtola ſua: *Sodoma & Gomorrha, & finitima Civitates exfornicatæ & abeuntes poſt carnem alteram, factæ ſunt exemplum, ignis æterni pœnam ſuſtinentes.* Aliud fuit in diluvio, quia illud ſenſim & lente increſcens, multis dedit ſpatium pœnitentiæ, de quibus videtur loqui D. Petrus, dum dicit Chriſtum deſcendiſſe ad inferos, & his qui in carcere illo erant prædicaſſe, *quinecredùli aliquando fuerant, quando exſpectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca.* Hi ergo prius quidem increduli, poſtea aquis videntes ſe obrui, converſi ſunt. Unde in limbo in via ſalutis erant, ut alibi dixi, cùm de Chriſti Reſurrectione & deſcenſu ad inferos tractavi.

D. Hieron. Judas in ep. v. 7. 1. Petr. 3. 20. Lib. 1. tr. 3. lect. 24.

Secundò, notabilis fuit vindicta, quandoquidem Deus animalia & plantas etiam quodammodò punierit, imò & parvulos unius diei, quaſi providens ipſis parvulis, ne diutius viventes exempla Patrum ſequerentur, & graviùs damnarentur; potuitque (Deus qui vita & mortis eſt Dominus) per eorum mortem adeò enorme parentum ſcelus plectere.

Tertiò, Regio illa quæ ante erat amœna quaſi Paradiſus, & fœcundiſſima, poſt conflagrationem tota affecta eſt ſterilis & fœtida; nam pars exterior ita fuit cremata & cinerulenta: ut arbores in ea naſcantur poma ferentes, quæ attacta, in favillam verluntur. De qua re Sapiens dicit c. 10. *In teſtimonium nequitiæ fumigabunda conſtat deſerta terra, & incerto tempore fructus halentes arbores?* hoc eſt: fructus immaturos & imperfectos, qui edendi quidem cupiditatem generant; ſed capita in cinerem ſolvuntur, fumumque exhalant, quaſi adhuc ardeant, ut loquitur Egeſippus. Eſt quoque Regio illa putidiſſimis aquis è terra erumpentibus tecta, quibus paſſim innatant moles bituminis, quas putei, quibus vallis hæc erat plena, ex imo evomuerunt. Hic quoque lacus piſces non fert, nec aliquid vivum, unde dicitur mare mortuum: Influit in hunc lacum Jordanis, & mox intermoritur piſces ubi lacum attingunt. Imò ſi animal aliquod vivum, equus, bos, homo, injiciatur, ſupernatat, nec mergitur, ut teſtatur Tertul. Joſephus & alii. Unde & Burchardus: *Mare mortuum ſemper eſt fumans & tenebroſum, ſicut oculis meis vidi, ita ut videatur eſſe os inferni: adeò tetrum vaporem fumat, ut vicina ad mediam dietam, ad quinque vel ſex leucas ſterilia reddat, ut ne germen quidem producant.* Sap. 10. 7.

Quarto, ultio etiam in hoc notabilis eſt, quod uxor Loth, ſolùm quia reſpexit Sodomam, ita punita fuit, ut verſa fuerit in ſtatuam ſalis, effigie ſcilicet muliebri de qua dicitur Tertul.

Mira de ſtatua uxoris Loth. Tertul. in carm. de Sodoma.

Ipſaque imago ſibi formam ſine corpore ſervans
Durat adhuc, nunquam pluviis, nec diruta ventis:
Quin etiam ſi quis mutilaverit advena formam,
Protinus ex ipſe ſuggeſtu vulnera complet.
Creſcitur & vivens alto jam corpore ſexus,
Munificos ſolito diſpungere ſanguine mentes.

Inſtar viventis quaſi menſtrua quædam effundere cernitur, & ſi quis mutilaverit ejus formam, mox hoc mutilum quaſi vulnus ſuum ſarcire & implere Burchardus teſtatur, qui vixit ab hinc trecentis annis, hanc ſtatuam ſuæ ætate adhuc exſtitiſſe, inter Engaddi & mare mortuum; imò adhuc modò exſtare docet Adrichomius & Targum Hieroſolymitanum, dicit duraturam uſque ad diem Reſurrectionis. De hac ſtatua eſt hoc ænigma apud Cornelium à Lapide in cap. 19. Gen. v. 26.

Cadaver nec habet ſuum ſepulchrum,
Sepulchrum nec habet ſuum cadaver,
Sepulchrum tamen, & cadaver intus.

Quia ſcilicet ipſa eſt ſibi cadaver & ſepulchrum.

Sod

Sed quæres, cur ita punita fuerit mulier ob ſolum reſpectum ad Sodomam? Reſpondeo primo, quia illam voluit Deus in exemplum ſtatuere, & perpetuum monumentum, quo poſteri docerentur per omnia Deo obedire, nec retroſpicere, ut bonis cœptis deſiſtant, ac repetant mundi & carnis oblectamenta. Hinc D. Proſper dicit: *Uxor Loth ſalis ſtatua effecta, ſuo exemplo factos condivit, in propoſito ſancto quo tenduntproficientes, noxia curioſitate non debere retroſpicere.* Quapropter dicit Chriſtus: *Memores eſtote uxoris Loth.* Reſpondeo ſecundo, voluiſſe ſignificare & oſtendere Deum, quantum ſibi diſpliceat vel ſola memoria hujus peccati Sodomitici.

Quinto aſſerit D. Hieronymus nocte Nativitatis Domini omnes Sodomitas igne aut fulmine fuiſſe perculſos; ad deſignandum amplius in humana natura non debere iſtud peccatum inveniri, quam Filius Dei dignabatur ſibi unire. Et aliqui Scriptores dicunt, unam ex cauſis, cur tam diu diſtulerit incarnari Filius Dei, fuiſſe hanc contaminationem. Hoc quoque notant Doctores ex Apoſtolo: Illud peccatum vix permitti à Deo, niſi in pœnam præcedentium peccatorum, cum jam homo excœcatur, Deum deſerens & lumen naturæ; ita ut quædam infidelitatis ſpecies, videatur hoc abominabile peccatum in corde hominis præcedere, cujus ipſum ſit pœna.

Alia adhuc ſpecies vitii contra naturam eſt commixtio quæ fit cum re diverſæ ſpeciei, eſtque horrendum peccatum, vindictam in cœlum inclamans. De hoc crimine putatur Joſeph ab aliquibus Interpretibus accuſaſſe fratres ſuos Gen. 37. ubi dicitur: *Accuſavitque fratres ſuos apud patrem de crimine peſſimo*, vel Sodomitico, ut vult Rupertus, vel beſtialitatis cum ovibus, ut vult B. Thomas, Hugo de S. Victore, Abulenſis, & alii.

Sed hæc ſatis de nefandis his criminibus. De tactibus, oſculis, aſpectibus, aliiſque ad hoc peccatum carnale diſponentibus latius cum de luxuriæ vitio tractabimus. Vide etiam quæ dicemus ſuper nonum præceptum & decimum.

LECTIO XII.

DE VII. PRÆCEPTO.

NON FURTUM FACIES.

1. *Docet furtum eſſe peccatum mortale in genere ſuo.*
2. *Inducere obligationem reſtitutionis.*
3. *Prohibere hic omnes ſpecies furti.*

PROPOSITIO I.

Furtum ex genere ſuo eſt peccatum mortale.

PATET id multis Scripturæ locis, tum veteris, tum novi Teſtamenti. Apoſtolus ad Corinth. 6. ait: *Neque fures, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt,* & Zacharias cap. 6. vidit volumen volans, in quo continebatur condemnatio & maledictio, quæ egrediebatur ſuper faciem omnis terræ; *quia omnis fur, ſicut ſcriptum eſt, judicabitur: & veniet ad domum furis maledictio, & commorabitur in medio domus ejus, & conſumet eum & ligna ejus, & lapides ejus.* Patet etiam ex vindicta qua Deus punivit furtum Achan, qui juſſus eſt lapidari, quia laminam auream furatus fuerat. 1. Cor. 6. 17.

Eſt vero hoc vitium etiam ex ſe periculoſum, cui juventus aſſuefacta vix extricare ſe poteſt. Propterea Sapiens monet adoleſcentem: *Fili ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis*, dicunt enim: *Eamus, inſidiemur domibus noſtris ſpolii, marſupium ſit unum noſtrum.* q. d. Si te ad mala perpetranda blandimentis illicere voluerint, immo & quædam commiſſa favoribus & laudibus proſequantur, tu tanquam prudens fuge eorum conſortium, quaſi lacte inveſcare te volunt mali iſti conſiliarii. Hoc Auguſt. deplorabat, qui ſociorum adductus pravo & exemplo & conſilio, hortum in vicinia ſua devaſtarat, fatetur enim ſe non pellectum ad furtum niſi ſocietate: *Quem fructum habui miſer in iis quæ nunc recolens erubeſco? jolus tunc non feciſſem, ſic recordor animum tunc meum. Ergo amavi ibi conſortium eorum cum quibus feci. O nimis iniqua amicitia ſeductio mentis inveſtigabilis, ex ludo & loco nocendi aviditas & alieni damni appetitus, nulla lucri mei, nulla ulciſcendi libidine ſed cum dicitur: Eamus, faciamus; & pudet non eſſe impudentem.* Prov. 1. 10. Aug. li. 2. Conf. c. 8.

Recte vero ibidem ſubdit Sapiens: *Prohibe pedem tuum à ſemitis eorum*; hoc eſt, ne pedem tuum in eorum viam aut ſemitam immittas, nam regredi difficillimum foret. Qui cœpit furari, eo ſe vitio ita implicat, ut expedire ſe non poſſit. Quod apte ſic expreſſit Antiochus Monachus hom. 41. *Damon improbandi furti artifex primum quidem à rebus & exiguis ſumit auſpicium ſuæ artis, ſed temporis progreſſu ad magna progreditur: Malitia iſtius deploratiſſima ars eſt; vete quoddam involutum eſt miris technis, & qui implicatur, ſi cunctetur & negligat ſe his tricis explicare, omni mox ex parte aſtringitur. Et ita invaleſcente conſuetudine, gangræna in morem ulcus fœdiſſimum proſerpere inveniturconſuetudo enim eſt altera natura.* Hæc ille. Cave ergo adoleſcens, hanc lubricam & impletam viam, ad quam ducit te improborum conſortium, blandiens tibi & lactans te blandis ſermonibus. Nam ſicut nutrices pravæ cum lacte malos ſuos mores tranſmittunt; ita iſti mali conſiliarii verbis ſuis & commercio pravo flagitia in animum tuum tranſfundere ſtragunt, dum lacte venenum propinant, quod tibi certam mortem eſt allaturum, niſi effugias. Quam multi juvenes id experti ſunt, qui pravis conſortiis fuere abrepti, nec finem flagitiis impoſuerunt, donec funis funeſtus vitam eis abripuit; aut certè donec ſpecialis Dei manus & gratia eos eripuit. Tom. 2. Biblioth. SS. Patrũ.

Habet

Surius in vita ejus.

Habes exemplum de S. Landelino nobili adolescente, qui S. Auberto Cameracensi Episcopo commendatus fuit à parentibus, ut literis & pietate eum imbueret; quia ipsum in sacro fonte susceperat. Hunc ergo voluit Episcopus Clericatus tonsura insignire, sed cognati ejus id intelligentes, omni persuasione eum ab amore rerum cœlestium revocare conati sunt. Dicebant enim: *Noli Frater decorem juventutis contemnere, mundo nuntium remittens, si feceris, nec tibi, nec parentibus ulli usui eris: præstat ut nobiscum fruaris mundi hujus oblectamentis, & monasterium deseras, nolumus ut ibi instar mortui cujusdam otiosus desideas: Veni nobiscum, sufficientia habemus omnia libita animo tuo opes & honores.* Similibus blanditiis persuaserunt ei ut à S. Auberto fugeret, unde illis se adjungens, deinceps rapinis & cædibus vacare cœpit. Nec intellexit improvidus adolescens monitum Sapientis: *Fili, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis.* Ea de causa pius Pater Aubertus multo mœrore quasi mortuum lugebat, & revera mortuus erat, qui diabolo jam serviebat. Orabat interim instanter Deum, ut medelam satanica vita mortuo redderet. Scripsit ad eum Aubertus, sed nihil profecit. Quid plura? Male sana mens quod improbè cœperat, prosequitur; nomenque suum mutans, Maurosum se appellat, ne eum proderet Landelini nomen. Tandem tamen divina potentia non deseruit preces S. Pontificis. Volebat is cum suis sociis divitis cujusdam domum diripere, sed nocte huic flagitio destinata, unus ex complicibus excessit è vita, ille vehementer afflictus dedit membra sopori, & vidit animam illius miseri in tartarum abduci. Et cum id sine ingenti tremore non aspiceret, ecce Angelus Domini voce terribili ad eum: *Cerne Landelme præmia laboris tui, vide animam socii ad æterna supplicia pertractam: considera an tibi melius sit in hanc protrudi gehennam, an potius nobiscum gaudiis perfrui sempiternis. Missa igitur hac opera Satanæ, amplectere Christi miliciam, depone cæcitatem, ut possis intueri claram Christi lucem; excute jugum diabolica servitutis, ut post brevem hanc vitam, possis æternum cum Christo regnare, audi & agnosce spiritualem tuum Patrem Aubertum, suscipe ab ore ejus monita cælestis doctrinæ.* His & aliis dictis Angelus abscessit. Landelinus totus territus, sociis relictis Cameracum festinat, ad B. Auberti pedes se advolvit, pœnitentiam rogat. Ille ut pius Pater gratulatur conversioni, suscipit pœnitentem, quem diu fleverat profugum, signum ei divinæ misericordiæ aperit, reddit filium errabundum matri Ecclesiæ. Itaque in sæculari habitu agebat pœnitentiam in jejuniis & austeritate. Tandem excoctus diuturna pœnitentia, rogat à B. Auberto tonderi, & militiæ cœlestis chlamyde indui, abjicit omnia à se negotia mundi, ut possit liberius cœlestia cogitare.

Sic habet Deus varia media à providentia sua destinata, quibus etiam desperatos peccatores gratiæ restituit, & de flagitiorum cœno eruit. Unde iterum hac in re mirabile est quod narrat Sophronius de quodam adolescente, ad meliorem mentem divino miraculo reducto. Adolescens ille furto assuetus, audiverat extra urbem sepultam esse virginem bene ornatam, ut solebat tunc fieri. Nocte abit, & fodit sepulchrum, & detractis vestibus cadaver nudum reponit. At cum discedere vellet, virgo mortua subito apprehendit ejus dexteram cum gravi hac increpatione: *Itane, ô nequam, me denudas, an Dei judicium & vindictam non times? An tu Christianus es, qui tanta audes? Quam reddes Christo pro tanta injuria rationem?* Ille tremens deprecatur vitam, & spondet emendationem. At illa: *Absit vero, manendum tibi hic, & in eodem sepulchro moriendum, postquam aliquot diebus fossore tortus fueris, & postea in æternum damnandus es.* At ille, lachrymis ubertim fluentibus, dimissionem orat, jurans se nunquam quid simile tentaturum, & vitam mutaturum. Cui ipsa: *Spondes, quod non tantum peccatum hoc, sed & omnia relicturus sis, & Religionem ingressurus, & domum eas.* Juravit ille se id è vestigio facturum, nec domum reversurum. At virgo jubet, ut iterum induatur vestibus ab ipso: Fecit, & reclinavit mortuam, ut ante. Et statim accessit ad Joannem Abbatem Theopoli in Ægypto, cui omnia narrans tonsus est, & in Religionem adoptatus. Ita Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus, Prati Spir. cap. 78. qui id audivit ab ipsomet Joanne Abbate.

Fœlix adolescens, qui ex furto melioris vitæ instruendæ occasionem nactus est; non omnibus id contingit, quin imo plerique speciali Dei providentia in ipso furto deteguntur, & in flagranti crimine, vel à Deo subito puniuntur, ut Achan, vel à justitia deprehensi pœnas luunt in perpetuum familiæ dedecus. Quapropter sedulo debent invigilare parentes, ne in tenera ætate filii furto assuescant, etiam rerum minimarum; ne postea sese extricare non possint, cum ad maturiorem ætatem venerint: & culpa ipsorum paternæ socordiæ merito adscribatur, quia nimia indulgentia filiis perditionis funem fabricarint. Meminerint illius juvenis, qui cum ad supplicium duceretur, patrem advocans, quasi secreti aliquid ei indicaturus, & osculo valedicturus, atroci dente ejus faciem momordit, ei improperans & adicribens omnia sua flagitia ac necem, ob neglectam in tenera ætate correctionem. Nempe, non tantum filiis timores intentandi sunt, cum jam fere ad viriles annos pertigerint: alias idem erit ac si medicus aliquis ægro initio ægritudinis nihil præscribat, per quod posset curari; cum vero jam morbus incurabilis est, multa præscribat remedia. Verum multi parentes non solum a furtis filios non absterrent, sed etiam eis exemplo & consilio præeunt, eosque in furtis suis fovent, & ad majora flagitia per hoc viam eis sternunt; ideoque filiorum eximum in caput eorum retorquetur.

Josue 7. 25.

Parentes filios etiam parvulos à furto absterreant.

Ne

Digitized by Google

Nemo verò inclinationem ad furtum, in fa-
rum, vel ſtellarum influxum malignum referat,
cum illa hominis libertati non officiant. Et licet
quædam nationes videantur complexione quadam
naturali ad furta inclinari; id potiùs fit vitioſa con-
ſuetudine, quam planetarum influxu. Et cum vo-
luerint obſiſtere voluntati ſuæ, id poſſunt rectitudi-
ne & conatu, cum auxilio gratiæ. Non illepidum
Laertius. eſt quod refert Laertius hac de re: Zenocritus, in-
quit, habebat ſervum valde addictum furtis, &
cum quodam die deprehenſus graviter cæderetur,
clamabat ille: *Parce, heu parce mihi, in fatis eſt, ut fu-
rer.* Cui rectè Zenocr. *Tibi in fatis etiam eſt ut cadaris.*
Excuſatio ergo nulla, ad planetas ſcelus referre. Sed
conſuetudo peſſima forti debet conatu cum auxilio
gratiæ expugnari, & aperta confeſſione Patri ſpiri-
tuali detegi, ut remedium dum tempus eſt, poſſit
adhiberi, & fræno timoris Dei invalescens pravitas
coerceri. Nam multi adoleſcentes exiguis allueti
furtis ad majora perducti ſunt; quia illa exigua
furta pudore quodam reticentes, in confeſſione
non aperiebant. Et ideò ſenſim ad graviora lapſi
ſunt, Deo in vindictam priorum id ordinante. Alii
verò, quia ſeria & ſincera confeſſione illa detegere
curarunt, tandem vitioſam conſuetudiuem facilè
devicerunt.

Caſſ.col.2 cap.11. In vit. PP. l.4.c.47. Habes hac de re exemplum Serapionis Abbatis. Cum adhuc eſſem puerulus, inquit, & cum Abba-
re Theone commanerem, hæc mihi finit inimici
impugnatione conſuetudo feralis ingeſta, ut poſt
refectionem cœnæ hora nona factam, panem quo-
tidie latenter abſconderem, ut ſero illo ignorante
comederem. Quod furtum, licet moliti deliderii
incontinentia ſine ceſſatione commiſeram, expleta
tamen concupiſcentia ad me revertens, gravius
cruciabar de furto, quam deeſu fueram jucunda-
tus. Cumque ab hac peſſimæ conſuetudinis tyran-
nide non poſſem me eruere, ſeni illam manifeſtare
confundebar. Contigit verò Dei nutu de hoc ca-
ptivitatis jugo volentis me eripere, ut quidam
Fratres cellam Senis viſitarent, & refectione ſum-
pta collatio ſpiritualis haberetur. Cœpit autem
Senex diſſerere de vitio gulæ, cogitationum oc-
cultarum natura, & vi atroci quam habebant quan-
do celabantur. Ego collationis hujus virtute com-
punctus, conſcientia redarguente perterritus, cre-
didi ſecreta mei pectoris Dominum Seni revelaſſe,
unde cœpi in ſingultus & lachrymas prorumpere,
& panem furtivum in medium producere, & pro-
ſtratus conſuetudinem aperire, veniamque implo-
Inſigne pœ- rare. Tunc Senex: *Confide*, inquit, *ô puer, abſolvit*
nitentiæ *te ab hac captivitate confeſſio tua, per illam adverſa-*
exemplum. *rium dejeciſti, quem antea tacuurnitate tua in te do-*
minari permiſeras. Ideò nequam ille ſpiritus ulterius
te non inquietabit, nec in te latibulum teterrimus ſer-
pens deinceps usurpabit: quia de tenebris cordis tui ſa-
lutari confeſſione ad lucem protractus eſt. Necdum Se-
nex verba cõpleverat, & ecce lampas accenſa de meo
ſinu procedens, ita cellam replevit odore ſulphureo,
ut vehementia fœtoris vix in ea nos reſidere permit-
teret, relumenſque Senex admonitionem: *Ecce*, in-
quit, *ſermonem meum tibi approbat viſibiliter; vitioſæ*
conſuetudinis tuæ incentorem vidiſti fugientem, confeſ-
ſione tua depulſum de corde tuo, nec amplius locum in te
habiturum. Itaque, juxta Senis dictum, nulla mihi
amplius ingeſta fuit furtivi deſiderii tentatio, ſed pe-
nitus extincta fuit vitioſa illa conſuetudo.

Inculcetur ergo adoleſcentulis hoc exemplum, ut
latenter irrepentem furtivam conſuetudinem non
abſcondant; ſed per confeſſionem apertam illi re-
medium finemque imponant, uam hæc conſuetudo
frequens in adoleſcentibus & adoleſcentulis famu-
lari incipientibus, qui per parva domeſtica furta
confeſſione ſincera non detecta, graviora tandem ſi-
bi congerunt incommoda & conſcientiæ onera, quæ
vix poſtea poſſunt excutere.

PROPOSITIO II.

*Furtum non ſolum inducit maculam peccati, ſed & ob-
ligationem reſtitutionis.*

TAlis eſt obligatio hæc, ut dicat Auguſtinus: *Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*, voluntate ſaltem & firmo propoſito, ſi reipſa ſtatim non poſſit. Aug.ep. 54.
Hanc obligationem rectè intelligens Tobias, cum uxor hœdum caprarum domum detuliſſet, & ipſe balantis vocem audiſſet, dicebat: *Videte; ne forte furtivus ſit, reddite eum dominis ſuis, quia non licet nobis aut ex furto edere aliquid, aut contingere.* Sic & Jacob reſtituebat Laban omne damnum, quod in grege proveniebat. Propterea etiam Zachæus acceptus fuit Chriſto, quia res male partas in quadruplum reſtituere proponit. Hinc non fuit laudabile in David, quod cum per calumniam & fraudem quidam ſervus Siba nomine (ut habetur 2. Reg.cap 16. & 19.) obtinuiſſet bona Miphiboſeth domini ſui, non curarit in integrum illi reſtitui, ſed dividi ordinarit. Tob.2.21 Gen.20. Luc.19.8

Hæc verò obligatio reſtitutionis, eſt cauſa perditionis, eſtque denſum lutum quod contra ſe aggravant, qui congregant non ſua, & ita in hoc luto figuntur eorum pedes, ut pauci ſe extricent: Unde Abacuc Propheta: *Va ei, qui multiplicat non ſua: Vſquequo aggravat contra ſe denſum lutum?* Quia ſcilicet peccati ſui oppreſsione ſe coangultat, congregans ſuper ſe pondus peccati, remotum conſcientiæ, confuſionemque ſuam, denique obligationem reſtitutionis. Hæc eſt velut denſum lutum cui infigitur, ex quo emergere non poteſt; ita ut ex eo quod reſtituere nolit, licet peccati pœniteat, flammis tamen æternis addicatur; quia nemo ſalvatur niſi reſtitutione, ſi ei ſit poſsibilis. Unde non dixit Dominus Zachæo: *Hodie huic domui ſalus* à Deo *facta eſt*, niſi poſtquam promiſit reſtituere. Abac.2.6. Luc.19. G.Peral. de uſura. Anton.in ſum.tit.1. c.6.§.3. p.2.

Refert Guilielmus Peraldus hoc exemplum: uſurarius quidam ad extrema præ gravi infirmitate deductus a Paſtore viſitatur, cui peccatum ſuum non

Digitized by Google

non negavit. A quo ablata omnia eſſe reſtituenda intellexit, alias ſalvari & abſolvi non poſſe. Cumque filii ad hoc etiam eum hortarentur, reſpondit miſer: *Ego non poſſum, quia ſi ſuperſtes forem, non eſſet quod ederem, mihi oſtiatim mendicandum eſſet. ſi verò è vivis excederem, ad Xenodochium vobis confugiendum foret, nihil enim ſupereſſet, omnia ſcencre ſunt comparata.* Cui illi: Ne ſis ſollicitus Pater de nobis, proſpice ſaluti tuæ, *Tacete*, inquit ipſe, *potius mihi ſtandum ad Dei miſericordiam, quam ad hominum mercedem; illi enim inhumani & immiſericordes ſunt, Deus autem clementiſſimus: ſicque ſententia tenax emigravit.* Quod attendens alter filiorum hortatus eſt ad reſtituendum, ne patris pœna involverentur. At ille? *Si pater meus iniquas fecit, ego illas non feci, volo portionem meam frui dum vivo; de futuro quid fiet, neſcio.* Firmus itaque manſit in ea mente, alius verò cuique ſuum reſtituit, & incerta pauperibus erogavit. Cùm verò prior ille in bonis duceret dies ſuos ex ſubſtantia paterna, in puncto ad inferna deſcendit moriens. Alter verò, qui reſtitutione facta religionis ſtatum aſſumpſerat, cum aliquando oraret, dehiſcente terra, vidit in ejus imo ignem maximas flammas evomentem, ibique inter alios patrem cum filio ſibi mutuo imprecantes. Pater filio dicebat: *Maledictus ſis, quia propter te, ut te ditarem, huc deveni.* Et filius: *Imò maledictus ſis quia propter te huc lapſus ſum; ſi enim non reliquiſſes mihi mala parta, ego ab aliis vitiis abſtinuiſſem.* Sic ſtabant in perpetua altercatione. Quod Religioſus ille attendens, Dominum laudavit de reſtitutione facta. Ita ille.

Certè multis contingit perditio, defectu contritionis, aut propoſiti firmi emendationis, multis quoque defectu confeſſionis; ſed nec pauciores defectu reſtitutionis. Unde Collector Speculi exemplorum refert exemplum ad hoc probandum non illepidum. Cùm quidam (inquit) dæmoniacus cuidam viro ſancto oblatus fuiſſet, præcepit vir ſanctus dæmoni, ut nomen ſuum diceret. Ac dæmon: *Nos ſumus tres, qui habitamus in hoc homine; ego vocor, Claudens cor, & officium meum eſt, cor peccatoris claudere, ut non poſſit habere contritionem. Si verò contritionem habuerit, tunc frater meus, qui hic moratur, vocatur, Claudens os, qui laborat ad hoc, ut homo non poſſit confiteri. Sed ſi confiteatur & converſetur, tunc tertius frater meus, qui hic moratur, vocatur, Claudens burſam, qui laborat ad hoc, ut non ſatis faciat reſtituendo ablata, & injuſte acquiſita. Et ille plures nobis omnibus acquirit, quia licet conterantur quandoque, & confiteantur, tamen raro, vel nunquam, omnia plenè reſtituunt, & ſic ſeipſos damnant, quia peccatum non dimittitur, niſi res ablata reſtituatur.* Ita ille. Non ſufficit verò pauperibus ea reſtituere, vel in pias cauſas erogare: ſed illis quorum ſunt, reſtituenda ſunt; ſi ſciantur, aut ſciri poſſint.

Spec. exempl. v. reſtitutio.

Hinc B. Laudomarus, Carnotenſis Abbas, cum Nobilis quidam Ermoaldus, graviter ægrotans, per famulum 4. ſolidos miſiſſet, rogans ut ſibi jam cum morte conflictanti vellet opitulari, & apud Deum ſanitatem impetrare. Oravit quidem, ſed pecunias cum numeraſſet, famulo reddidit dicens: *Hæc pecunia per iniquitatem conflata eſt, nec poteſt mutare ſententiam Dei, nec vitæ ſpatia producere, nec peccatorum veniam impetrare. Tu ergo celeriter annuntia Domino tuo, ut pro animæ ſuæ curâ ſollicitus, aliis injuſtè ablata reſtituat, noverit que ſe vitam amiſſurum temporalem.* Dictum, factum: famulus namque domum repetens, invenit eum agonizantem, ita ut mox expiraret. V. Surium 19. Jan.

Quapropter monet D. Baſilius monaſteriorum Patres, ne malorum eleemoſynas acceptent, ſed bonorum. Cum ſcriptum ſit: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Item: *Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperum, quaſi qui victimet filium in conſpectu patris.* Propterea etiam dictum eſt: *Honora Dominum de tua ſubſtantia*, non de aliena. Pſ. 140. 5. Eccl. 34. 24. Prov. 3. 9.

Accidit, inquit Thomas Cantiprat. in Vaucellenſi monaſterio noſtro tempore, ut congeſta cujuſdam defuncti fœneratoris de Attrebato pecunia, in eo Cœnobio ſervaretur. Igitur die quadam cum ille famoſiſſimæ ſanctitatis Monachus Walterus de Beaumont prope ſerinium in quo pecunia ſervabatur, oraret, drabolum deſuper ſedere vidit: Territus autem ſe ſigno Crucis munivit, & interrogat: Quid hic expectas iniquiſſime humani generis inimice? Bene, inquit, & juſte hic ſedeo, hoc quod meum eſt conſervando. Nec mora, Monachus Abbatem adiens, quid viderat, exponit: Abbas verò ſerinium Atrebatum ſtatim remiſit. Ita ille. Cantipr. l. 2. de univer. c. 26. v. 9.

Sic contigit quoque in Villarienſi Monaſterio. Summa librarum forte mille ſexcentarum, mortuo quodam uſurario Namurci, illuc delata eſt, & multæ poſſeſſiones emptæ. Sed poſtea vir quidam arctæ conſcientiæ Abbas eſt electus, qui ubi id factum comperit, venditis ovibus, pecudibus, aliiſque mobilibus, pecuniam Namurcum remiſit, ut redderetur ſingulis damnificatis. Nemine autem aſſumere volente reſtitutionis negotium, pecunia iterùm ad Monaſterium eſt delata. Pius Abbas reportantibus indignatus, juſſit eam iterato referri, & in foro coram civibus deponi, dicens: Pecuniam qui velit, accipiat; nolo noſtram eſſe, quam injuſte acquiſitam non dubito. Quod ubi viderunt cives, ædificati non modicum in hoc facto, communi conſilio, per manus fidelium virorum, pecuniam iis qui damnum erant paſſi, reddiderunt. Monaſterio autem Deus non multo poſt in decuplo plura reſtituit. Ita lib. 2. Apum. cap. 36. Idem ibid. parte 3.

E contra ſolet Deus propter bona male acquiſita, etiam juſtè acquiſitis ruinam afferre. Sic dicit Sapiens: *Divitiæ injuſtè partæ evomentur.* Et apud Job *Injuſta bona ab injuſto devorantur.*

Digitized by Google

Job. 20. 15 Job de divite injuſto dicitur: *Divitias, quas devoravit, evomet.* Ubi allusio eſt ad illum qui noxium cibum ſumpſit, & poſtea cogitur bonos cibos etiam cum cibo noxio evomere. Sic ergo, qui iniquè aliqua congerit, non ſolum illud quod injuſte habet, ſed etiam quod prius jure poſſidebat, plerumque amittit juſta Dei vindicta. Eadem ſimilitudine u-

Simil.

Naz. or. 9. tens Nazianzenus dicit orat. 9. ad Julianum: *Opes injuſtè parta cum aliorum lachrymis permiſcentur; & ideo oportebit illas evomere.* Videant ergo, & hoc attendant, qui aliena non reſtituunt, vel injuſte acquiſitis ditari poſſe ſe putant: illa enim commixta bonis hæreditariis & juſtis diſpendium afferunt, ipſaque conſumunt: quod frequenter accidere cernimus. Unde cuidam Nauclero diviti Naufragium paſſo, conquerenti apud S. Joannem Patriarcham

Sur. in vita S. Joan. Patriarch. Alexandrinum de hoc infortunio, per quod ad extremam erat inopiam redactus, reſpondit Patriarcha. *Crede, frater, niſi miſciuiſſes pecunias Eccleſiæ illas pecuniæ quæ tibi remanſerant, nullatenus naufragium pertuliſſes. De malis enim habuiſti eas, & perdita ſunt cum eis quæ fuerunt ex bonis.* Ita habetur in vita apud Surium.

Chryſ in ep. ad Epheſ. Propterea D. Chryſoſtomus monet parentes: *Si vis filias tradere divitias, poſſide juſtas, hæ enim manent, ſtantque firmæ & ſtabiles, quæ autem tales non ſunt, cito pereunt. Subſtantia injuſtè acquiſita ſtabilis eſſe non poteſt, neque ad bonum proficit quod de malo congregatur. Quemadmodum enim ſi triticum aut aliud tale dijcernis cribro, dum hoc illuc jactatur, omnia grana paulatim deorſum cadunt, & tandem in cribro nil remanet niſi ſtercus; ſic de ſubſtantia injuſta noviſſimè nil remanet niſi peccatum.* Alia ſimilitudine idem indicat Scriptura dicens: *Perdix fovit quæ non peperit, fecit divitias & non in judicio, in dimidio dierum ſuorum derelinquet eas.*

Jer. 17. 11.

Simile. Solet perdix aliena ova rapere, & fovet pullos qui eam non ſequuntur, ſed cum adoleverint, avolant ad primam matrem, cujus vocem naturæ inſtinctu cognoſcunt: Ita qui poſſident divitias præter jus, inſtar perdicis malis artibus ova cenſentur congregare, & ita brevi avolabunt, infortunio aliquo vel caſu ſubtracta. Quapropter, qui injuſte acquiſitis fruuntur, reſtitutionis obligationem debent conſiderare, non ſolum ad evitandam damnationem æternam, ſed etiam ad avertenda rei familiaris damna; ne tanquam ærugo depaſcantur, aut tanquam ignis conſumant juſte acquiſita, quod non infrequenter fieri jam diximus & exemplo quod ſequitur, amplius adhuc confirmari poteſt.

Cæſarius l. 3. c. 36. In Monaſterio S. Panthaleonis Coloniæ (inquit Cæſarius) Abbas quidam fuit, fratrem habens ejuſdem civitatis concivem, quem carnaliter diligens, ſæpe pecuniam Monaſterii ei occultè largiebatur, quam propriæ ſubſtantiæ admiſcens, & in ea negotians, quocunque portexit, ſemper cum damno rediit. Factaque eſt ei (licet non adverteret) Monaſterii pecunia, tanquam ignis, & ſubſtantia propria quaſi ſtipula. Et cum eſſet in mercationibus ſatis gnarus, atque circumſpectior cæteris ſuis ſodalibus, illorum proſperitatem ſuumque diſpendium mirari non ſufficiebat. Tandem ad paupertatem devenit. Cui Abbas: *Quid eſt, frater, quod agis: Quare ita omnia confundis ad confuſionem tuam & meam?* Reſpondit ille: *Valde parce vivo, diligentiſſimè meæ cuſtodio, & quid ſit quid circa me agitur, penitus ignoro.* In ſe reverſus venit ad Sacerdotem, ei omnia circa ſe geſta aperiens per confeſſionem. Cui dixit Sacerdos: *Vtere conſiliis meis, & bene tibi cedet. Pecunia fratris tui furtum eſt, & ipſa ſubſtantiam tuam devoravit. De cætero nil recipias ab eo, & de modico quod adhuc ſupereſt, negotiare, videbiſque manum Domini ſuper te bonam: quicquid autem lucratus fueris, medietatem fratri tuo reddes, de reliquo tu vives; & hoc tam diu facias, donec omnem pecuniam Monaſterii tibi datam illi reſtituas.* Mira clementia Dei. Obediens homo Confeſſoris ſui conſilio, in brevi adeo ditatus eſt, ut ipſe abundaret, & fratri recepta reſtitueret. Cui cum Abbas diceret: *Vnde tibi iſta divitia, frater?* Reſpondit: *Quamdiu ſubſtantiam fratris tui non recepi, ſemper pauper & miſer fui: & tu graviter peccaſti, non tua mihi largiendo, & ego aliena recipiendo. Ex quo enim de his pœnitui, & furtum abhorrui, benedicente Domino abundavi.*

PROPOSITIO III.

Cum in hoc Præcepto prohibetur furtum, omnes ejus ſpecies prohibere cenſentur.

PRimo quidem *Furtum ſimplex*, hoc eſt, occulta acceptio, vel detentio rei alienæ invito domino.

Secundò *Rapina*, quæ eſt furtum habens violentiam conjunctam, accipiendo rem præſente domino.

Tertiò *Sacrilegium*, quod eſt acceptio rei ſacræ de loco ſacro vel non ſacro, aut rei non ſacræ de loco ſacro, per quam fit injuria & violentia vel rei vel loco ſacro: & hoc ſpeciale eſt peccatum, ſpecialiterque illa circumſtantia confitenda eſt. Hoc peccatum ſpecialiter punit Deus, ut multis Scripturæ exemplis declarari poteſt. Nam Balthaſari Regi, quia vaſis ſacris cum Principibus & Concubinis abutebatur, manus apparuit ſcribens in pariete aulæ Regiæ horrendam illam ſententiam: *Mane, Techel, Phares*, & paulo poſt internecioni datur. Dan. 5. 25.

Rex Antiochus, ob ſpoliatum Hieroſolymitanum templum, variis primum doloribus cruciatur inclamans: *Reminiſcor malorum, quæ feci in Hieruſalem*, &c. Et poſtea miſerrima fœdiſſimaque morte procumbit. 1. Mach. 6.

Heliodorus à Seleuco Aſiæ Rege miſſus ut diriperet theſauros templi, ab Angelis fœdiſſimè flagellatur. 2. Mach. 5. Petr. Dã. ep. 5. ad Dominicum c. 8.

Inter Hiſtorias ſacras notabile eſt, quod ex Petro Damiani refert Baronius, de Comite quodam ob prædia Eccleſiaſtica occupata, apud inferos cum hæredibus condemnato. In Teutonicis par- Bar. to. 11. ad an. 1055

partibus, inquit, Comes quidam dives ac præpotens, bonæ opinionis & innocentis vitæ, prout humanum erat de ejus æstimatione judicium, ante decennium fere defunctus est. Post cujus obitum, quidam Religiosus vir per spiritum ad inferiora descendens, præfatum Comitem in supremo gradu cujusdam scalæ positum vidit. Ajebat namque, quia scala illa inter stridentes & crepitantes incendii flammas videbatur erecta, atque ad suscipiendos omnes, qui ex eadem Comitum genealogia descenderunt, constituta. Erat autem tetrum chaos, immane barathrum, infinitè patens, atque in profunda demersum, unde scala producta surgebat. Hoc igitur ordine succedentium sibi series texebatur, ut cum quis eorum novus accederet, primum interim scalæ gradum teneret; is autem, qui illic repertus erat, aliique omnes, ad proximum sibi gradum in ima descenderent. Cumque alii atque alii ex eodem genere homines, post carnis obitum, ad præfatam scalam per temporum intervallum, confluerent, alii protinus. ineffabilis judicis necessitate ad inferiora migrabant. Plane dum vir, qui hæc contemplabatur, causam hujus horrendæ damnationis inquireret, & præsertim cum ille Comes sui temporis puniretur, qui tam justè, tam decenter, tam honestè vixisset? Audivit, quia propter quandam Metensis Ecclesiæ possessionem quam B. Stephano proavus ejus abstulerat, cui videlicet iste jam decimus in hæreditate successisset, omnes isti non diverso supplicio deputati sunt. Et sicut eos ad peccandum non dispar avaritiæ culpa conjunxit, ita ad perferendas atrocis incendii pœnas commune supplicium copulavit.

Quartò prohibetur hic omnis injustitia, fraus & dolus quo proximo infertur damnum.

Quintò omnis emptio, venditioque iniqua, omnisque negotiatio illicita.

DE NEGOTIATIONE.

ADverte, licet negociatio ex se licita sit, multa tamen involvere pericula, ut propterea dixerit Sapiens: *Duæ species difficiles & periculosæ mihi apparuerunt: Difficile exuitur negotians à negligentia, & non justificabitur caupo à peccatis labiorum.* Eccl. 26. 28. Vult significare Sapiens, tales difficulter evitare peccata, ideoque opus esse illis magna cautela. Quod idem significasse Psalm. aliqui putant in illis verbis: *Quoniam non cognovi literaturam, introibo in potentias Domini, & memorabor justitiæ tuæ solius.* Ubi Psalterium Romanum legit: *Quoniam non cognovi negotiationem.* Et Hebræi legunt: *Quoniam non cognovi scripturam, & computus ac numeros:* q. d. quia non fui addictus libris illis computuum, hominem diversimode implicantibus, animumque ac conscientiam involventibus negociis, ideo mihi facilius erit divinæ contemplationi vacare, & saluti meæ operam dare. Invalescente ergo corruptione & malitia in humanis negociis, negociatio periculum involvit, & raro exerceretur sine peccato. Ps. 60. 15.

Primò quidem, quia obnoxia est multis fraudibus, dolis, mendaciis, imo & juramentis, & lucris injustis. Lucrum autem injustum non potest esse sine justo damno: *Lucrum in arca, damnum in conscientia*, teste Augustino. Et cum plurimi negocientur ut ditescant, vix fit, ut statim id fiat, sine aliquibus injustis lucris: & licet ipsi negociatores nolint id agnoscere, tamen effectus ipse frequenter id declarat; quia frequenter fit, ut qui subito per varias & implicatas negociationes, opes acquisierint, subito etiam Dei permissione illas disperdant. Unde dicebat Nahum: *Plures fecisti negociationes tuas quam stella sunt cœli, bruchus expansus est, & avolavit.* quasi dicat: Invenisti innumeras artes ad congregandam pecuniam, & omnia negociationum genera exercuisti ut ditescetes: sed istæ divitiæ omnes erunt quasi bruchus, qui terram operit multitudine maxima, cito tamen avolat, ut non videatur: aut sicut locustæ, quæ noctu sepibus insident & fruticibus, sed mane ad solis calorem avolant & fugiunt, inquit Hieronymus. Idem dicit Sapiens: *Ne erigas oculos ad opes quas non potes habere*, (quas juste scilicet & licitè habere vel retinere nefas est) *quia facient sibi pennas, & volabunt.* Sicut aves captæ, ab aucupe tanquam violento possessore statim avolant; ita opes ab injustis possessoribus.

Negociatio est obnoxia multis fraudibus, &c. Augustin. Nahum. 3. 16. Hieron. Prov. 23.5

Recte ergo negotiatores monet Sapiens: *Substantia festinata minuetur, quæ autem paulatim manu colligitur multiplicabitur*, quia nimirum opes subito acquisitæ, parum licitis mediis sunt paratæ, Unde statim dilabuntur, vel statim à prodigis filiis dilapidantur. Aër, qui summo mane præcociter elevat nebulam & nubes, statim à prandio pluviam mittit, quia nubes illæ mane præmaturæ elevatæ, vesperi excidunt in pluvias dissipatæ: ita opes, quas parentes coacervarunt nimis festine, filii statim dissipant. Et sicut effervescens olla lactis, ex fervore per cadi labra effluit, dum subito augetur & intumescit, detracto vero igne detumescit, & ad se redit: Ita opes quæ subito attolluntur, & præter modum excrescunt, paulo post velut defervescentes, imminutæ visuntur. Alia adhuc similitudine id declarat Ecclesiasticus, c. 40. dicens: *Substantia injustorum sicut fluvius siccabuntur, & sicut tonitruum magnum in pluvia personabunt*, q. d. Sicut torrens aliquis instar fluvii currens subito aliquando exarescit, & sicut tonitru magnum dans sonum simul cum pluvia evanescit: ita opes impiorum, si aliquando prospero cursu proflant, subito etiam sæpius fluere cessant; & cum instar tonitrui ad tempus admirationem quandam habeant suoque fulgore ac pompæ strepitu eniteant, diuturnæ tamen non sunt, sed mox evanescunt. Prov. 13. 11. Similia. Eccl. 40. 13.

Secundò, licet nullæ fraudes forent in negociatione, ex illa tamen impedimentum magnum salutis frequenter oritur; quod homines hujus sæculi

2. Magnè affert impedimen-

Digitized by Google

rerum salutis : Ob curas terrenas.

culi suis negotiationibus totos se immergant, neglectis eis quæ Dei sunt ; omnesque suas solicitudines ad id referant nocte dieque, dum surgunt, dum decumbunt, dum incedunt. Vide quæ de artificibus & negotiationibus tradit Ecclesiast. cap. 38. Hos

Eccl. 38. Prov. 23. 4. & 15. 16.

monet Sap. *Noli laborare ut diteris, sed prudentiæ tuæ pone modum : melius est parum cum timore Domini, quàm thesauri magni & insatiabiles.* Monet quoque Apostolus : *Rogamus fratres, operam detis ut quieti sitis, & negotium vestrum agatis* : Negotium scilicet

1. Thes. 4. 11.

salutis & animæ, præponatur semper negotii inquietis hujus sæculi, ut non sitis sicut ille in Evangelio ; Qui ad cœnam vocatus non venit, quia abierat ad negotiationem suam, & illi involutus neglexit cœnam beatitudinis opiparam. Illis ergo frequens periculum est, qui continuò cor suum in inquieta negociatione immergunt ; & Deo ne quidem horæ quadrantem in die tradunt. Illi qui continuo habent bilancem in una manu, & librum computuum in altera, sciant etiam quod frequenter salus ipsorum in bilance sit, hoc est, non satis certa, firma, aut secura.

3. Est occasio ambitionis & luxus.

Tertio hoc etiam habet negotiatio periculi, quod ordinetur ad alendam familiam non solum juxta statum, sed etiam in deliciis, voluptatibus, & luxu qui manifestè cernitur in cibis, vestitu, ornatu, aliisq; modis superfluis, & ita fit ut negotiatio sit occasio ambitionis, & aliorum peccatorum, Hinc videmus mercatores, si ditescant, statim velle haberi ut nobiles, volunt filios suos vocari Dominos, & modum vivendi in aula domi suæ volunt introducere, & ultra terminos suos ambulare, quibus rectè dicit Aba-

Abac. 2. 9.

cuc : *Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ, ut sit in excelso nidus ejus, & liberari se putet de manu mali. Cogitasti confusionem domui tuæ.* Certè multi congregant divitias, tali quali via, ut nidum suum in sublime ferant, familiam suam exaltent, & nomen suum in excelsum tollant. Putantque, si potentes fuerint opibus, tutos se fore ab omni calamitate, ac diu illam potentiam duraturam : sicut avis cum in excelso nidum construit, putat neminem sibi nocere posse, aut nidum dejicere. Sed rectè dicitur : *Cogitasti confusionem domui tuæ*, quia dum ita elevantur,

Abac. 2. 10.

omnia eis in perniciem temporalem & æternam convertuntur ; longeque melius foret, illos & filios eorum in statu suo tranquille agere cum bona conscientia, quam sese ita elevare cum confusione sua. De his iterum conqueri videtur Domi-

Isa. 65. 11.

nus apud Isaiam : *Væ qui ponitis fortunæ mensam, & libatis super eam.* Ubi Glosta dicit, Deam fortunæ temporalis esse incrementum honoris, divitiarum, & auctoritatis, & omnia quæ peraguntur ad illa augenda, esse quædam sacrificia quæ Deæ fortunæ immolabantur : & qui hoc faciunt per injustas vel illicitas vias, sunt quasi idololatræ mensam & altare huic Deæ erigentes. Et certum est, gentiles quosdam fortunam coluisse ut Deam, quasi ab illa venirent opes, honores, victoriæ, prosperitates. Unde illam invocabant tanquam Deam potentem suos beare. Rectè dicit Plinius : *Toto mundo, locis omnibus, omnibusque horis, omnium vocibus sola fortuna invocatur, una nominatur ; una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola laudatur, vel arguitur, volubilisq; existimatur, vaga, inconstans, incerta, indignorum fautrix ; huic omnia feruntur accepta, & ita sors ipsa pro Deo est, quia Deus probatur incertus.* Ita ille :

Plin. l. 2. cap. 7.

Fortuna effigies.

Hinc etiam, teste Lactantio solet fortuna effigiari, cum cornu copiæ, & gubernaculo, tanquam opes tribueret, & humanarum rerum regimen obtineret. Huic ergo Deæ quasi festivæ & lætæ, omnem prosperitatem adspiranti, instruebatur convivium, ut hilaritate eam colerent genio indulgentes, & ideò dicitur : *Qui penitis fortuna mensam.* His similes sunt aliqui adhuc Christiani, qui plus tribuunt fortunæ, quam Dei providentiæ omnia gubernanti, & fortunam nostram dirigenti : & plus tribuunt fortunæ, quam virtuti, aut prudentiæ. Si avarus quidam apud Nazianzenum tract. de fortuna dicit : *Gusta bona sortis* (sive fortunæ) *perier est mihi, bona mentis* (sive prudentiæ) *cado.*

Nazianz. de fortuna.

Fraudes Negotiationis.

Sed, ut de fraudibus negotiationis pauca attingamus, solent illæ multiplices esse. 1. circa pretium. 2. circa rei substantiam, aut qualitatem. 3. circa mensuram, numerum, & pondus. Quantum ad primum,

1. Quoad Petrum.

sciant negotiatores, non esse sibi licitum quolibet pretio vendere, sed solum legitimo quod vel à Magistratu determinatum est, vel pro loco ac tempore æstimatur. Quod quidem non consistit in indivisibili, ut ajunt ; sed aliud dicitur rigorosum, aliud moderatum, aliud infimum. Si ultra rigorosum accipit venditor, peccat contra hoc præceptum, & tenetur ad restitutionem. Si infra infimum emptor donet, peccat quoque, & superaddere tenetur usque ad legitimum, ut passim docent Theologi, & Summistæ. Hinc peccant illi qui videntes pauperem urgeri necessitate, & ideo sua vendere longè minus quàm res valeat, cogunt eum vendere.

Amos 8. 6

Hinc de similibus divitibus conqueritur Propheta, dicitque illos dicere : *Possideamus in argento egenos, & pauperes pro calce amentis.* Quasi dicant : Redigamus pauperes ad extremam inopiam, ut cogantur pretio minimo nobis se velut in mancipia vendere : & ita possideamus eos, ut quasi jumenta serviant, & quidem exigua mercede, quasi pro pari calceamentorum. Peccant & illi venditores, qui mutuò inter se conspirant in pretium justo majus, ut nemo illorum minoris vendat, & sic cogantur emptores pretio injusto emere ; quod vitium vocatur *Monopolii*. Sic & emptores peccant, si & ipsi conspirent in pretium justo minus, ut ad illud venditores cogant. De quo monopolio. V. Lessium.

De Monopolio Less. l. 2. de jure c. 2. dub. 21. Prov. 11. 26.

Peccant quoque illi, qui tempore egestatis & famis res usibus & victui hominum necessarias detinent, ut annonæ caritatem augeant. Hinc dicitur : Proverb. 11. *Qui abscondit frumenta, maledicetur in popu-*

Digitized by Google

populis. Pauperes enim eis maledicunt, & imprecationes illorum non ſunt contemnendæ; quia Eccleſiaſtici 4. dicitur : *Maledicentis tibi in amaritudine animæ, exaudietur deprecatio*, ita ut maledictionem populi ſequatur maledictio Dei. Eccl.4. 6.

Hinc dicit Baſil. homilia contra diteſcentes avaros. *Ad horrea tua aperiunda, noli annona caritatem expectare, nam qui auget pretium annona, publicæ execrationi obnoxius redditur. Noli ob utilitatem privatam, communem inediam affectare, famem ob aurum ne appetito, ne per occaſionem cumulandarum opum, iram Dei in te accerſas.* Baſil. homil.contra divites avaros.

Hinc etiam Deus aliquando eos qui grana reſervant incommodis aliis afficit, gurgulione & beſtiolis aliis bona eorum vaſtantibus.

Certè SS. Patres contra hoc graviter invehuntur, præſertim D. Ambroſius l.3.offic.c.6. *Cur ad fraudem convertis naturæ induſtriam & indulgentiam? Cur invides uſibus hominum publicos partus? Cur populis minuis abundantiam? Cur affectas rerum inopiam, ambis frumentorum indigentiam, alimentorum penuriam, partus uberes ſolus ingemiſcis? Flet publicam ſterilitatem, horrea frugum plena deploras: Exploras quando ſterilior ſit proventus. Votis tuis gaudes maledictum arriſiſſe, ut cuique nihil naſcatur. Tunc meſſem tuam venuſſe lætaris, tunc tibi de omnium miſeria congeris opes. Hanc tu induſtriam vocas. Hanc diligentiam nominas: quæ tamen calliditatis verſutia, & quæ fraudis aſtutia eſt. Latrocinium hoc, an fœnus appellem?* Debent Principes huicce rei advigilare, & in tales monopolas avaritiæ fame publicam famem affectantes animadvertere, aliiſque obviare. Amb. lib. 3.offic.c.6

Vide Molanum 4. Mat.

B. Carolus Comes Flandriæ cum Lambertus Stratenſis, frater Bertolfi Præpoſiti S. Donatiani, decimas in multos annos redemiſſet, plenaque horrea haberet, & ingruente annonæ caritate ea egenis communicare nollet : juſſit ejus horrea effringi, copiamque ingentem tritici egentibus diſtribui. Qua de cauſa a monopolis ei in templo oranti ſacrilege mors violenta illata eſt, ipſeque juſtitiæ ac annonæ publicæ tutor, pro muneris ſui fortiter obiti merito Martyrii palmam tulit. Celebris & ſancta hujus facti memoria adhuc Brugis perdurat, & locus in quo Comes occiſus eſt, adhuc oſtenditur.

Cantipr. l.1.Apum c.19.p.7.

Narrat quoque Cantipratanus anno 1238. defunctum fuiſſe Philippum Cancellarium Pariſienſem, & apparuiſſe Guilielmo Epiſcopo Pariſienſi, eique damnationem ſuam indicaſſe; & inter cæteras cauſas ſuæ damnationis hanc recenſuit, quod fructus annuos & opimos, ex beneficiis opimis provenientes, reſervaſſet in pauperum diſpendium, lib. 1.Apum cap.19.

2. *Quoad rei ſubſtantiam aut qualitatem.*

Quantum ad ſecundum, circa rei ſubſtantiam aut qualitatem peccantes in venditione, hoc præceptum tranſgrediuntur; v.g. ſi animal languidum ac infirmum pro ſano vendatur, res corrupta pro bona; ut in Pharmacis frequenter contingit; pecunia adulterina pro moneta legitima, res commixta pro pura. Ideo Amos 8. clamat contra vendentes quiſquilias frumenti illis qui neceſſitate cogebantur emere tale quale. *Quando tranſibit menſis, & venumdabimus merces, & Sabbatum, & aperiemus frumentum, ut minuamus menſuram, & augeamus ſiclum, & ſupponamus ſtateras doloſas, ut poſſideamus in argento egenos & pauperes pro calceamentis, & quiſquilias frumenti vendamus?* Ipſi ſc. divites fraudulenti vendebant purgamenta frumenti, paleam & pulveres tritico commiſcentes, aliaque adulterina grana. Peccant quoque, qui vendunt ſcientes vitium rei, damnoſum emptori: imò & ipſi emptores in hoc peccare poſſunt, multis artibus & mendaciis rem eſſe vitioſam confingentes, ut poſſint pretio minus juſto emere. Ideò dixit Sapiens: *Malum eſt, malum eſt, dicit omnis emptor, & cum receſſerit gloriatur.* Ergo monendi ſunt tabernarii caupones, & alii rerum liquidarum venditores, qui multa arte & commixtione injuſte diteſcunt, & poſtea nullam reſtitutionem faciunt. Unde illæ opes manent ſemper obnoxiæ reſtitutioni. Amos 8.5. Prov. 20. 14.

Cantipr. l.2.c.54.

Audiant tales, quid Matri B. Mariæ Ogniacæ ob mercimonia injuſta contigerit. Sic narrat Cantipratan. Maria Ogniaca valde compatiens animabus quæ ſunt in purgatorio, ſuper anima etiam matris ſollicitabatur in ſpiritu. Hanc ob eleemoſynas & honeſtæ vitæ modum ſperabat ſalvam; quia tamen judicia Dei abyſſus, rogabat Dominum cum multis lachrymis, ut certiorem redderetur de ejus ſtatu. Accidit quadam die, ut ad miſſam juxta altare ſederet, quaſi ad pedes Domini, videretque tenebroſum quendam ſpiritum. Ipſa mox ſignum crucis formans timore fugato interrogat, quis eſſet. *Sum*, inquit, *mater tua.* At quomodo tibi eſt, ô mater? Reſpondet, *Peſſimè : nil mea juvant preces æternis ignibus addictam.* Heu, inquit, & quæ cauſa damnationis? *Enutrita fui*, ait, *in his quæ per injuſta mercimonia acquiſita fuerunt, & conjux non reſtituit : Non curavi etiam, nec advertere volui quid contra Deum in meo hoſpitio, & à mihi ſubditis ageretur, & tortuoſas mundi vias ingreſſa, indignum miſera judicavi parentum meorum veſtigia declinare, & ſprevi arguentem te ſuper his & aliis, nec pœnituit, & ideò vitam cum infœlici morte commutans, æternum perii.* His dictis diſparet. Illa conſideratis omnibus per ordinem, etiam in matre ſua Dei juſtum judicium benedixit, nec flevit amplius illam, divinæ voluntati rationem intellectualem conformans.

3. *Quoad menſuram, numerum, pondus.*

Quantum ad tertium, circa menſuras, pondera, aut numerum ſi fraus fiat, abominabile eſt peccatum: *Statera doloſa abominatio eſt apud Deum, Non habebis diverſa pondera, nec erit in domo tua modius major & minor* q. d. Non habebis unum pondus aut menſuram ut vendas, alterum quo emas, unum pro vicinis, alterum pro extraneis. Qui in ſtatera peccant, in ſtatera, ubi animæ ponderantur, apponetur. De illis verum erit: *Appenſus es in ſtatera & inventus es minus habens*; bona eorum nullius erunt pon- Pro.11.1. Deut. 25. 14. Daniel. 5. 27.

Digitized by

ponderis, mala pondere ſuo ad inferos uſque eos demergent. Peculiariter autem dicitur Deus abominari ſtateram doloſam, quia in ea fraus committitur ſub ſpecie juſtitiæ & æquitatis, peccaturque in multitudinem, & præſertim in pauperes, qui minutim res neceſſarias comparant. Hinc apud Michæam c.6. legimus: *Vox Domini ad civitatem clamat, audite tribus, adhuc ignis in domo impii theſauri iniquitatis, & menſura minor iræ plena, nunquid juſtificabo ſtateram impiam & pondera dolоſa?* q.d. Audite, ô viri & tribus Iſraël, videte quæ flagella vobis immineant, menſuræ injuſtæ & theſauri iniquè comparati erunt vobis ignis conſumens vos; prodeunt ex igne cupiditatis veſtræ ad lucra anhelantis, ut per fas & nefas diteſcatis, & deſinent in ignem æternæ ultionis: Egone qui ſum juſtiſſimus juſtificabo ſtateram impiam: an impunitam eam relinquam, & diſſimulabo quaſi juſtam? abſit. Ego enim cœpi percutere te perditione ſuper peccatis tuis: *Tu ſeminabis & non metes, calcabis olivam & non ungeris oleo, & muſtum & non bibes*, quia hoſtes demetent tuam meſſem, & oleum ac muſtum tuum diripient. Vide ibi pœnas quas minatur Dominus injuſtis hominibus, ob pondera & menſuras, illiſque divitibus qui per fas & nefas diteſcunt: Et hi in morte anxietatem miram reperiunt, conſcientia eos ſtimulante.

Mich. 6. 9.

Mich. 6. 15

Audi quod cuidam mercatori injuſto contigiſſe refertur in lib. de viris illuſtribus ordinis Ciſtercienſis. Ille morti proximus vocavit Notarium, ut teſtamentum ſuum conderet. Parato autem ad ſcribendum, ſcribe inquit: *Corpus meum terræ detur, ex qua ſumptum eſt: Anima dæmonibus tradatur, quia ipſorum eſt.* Obſtupeſcunt præſentes ad hæc verba: læſum dicunt febre ejus judicium, & ægritudine cerebrum debilitatum talia pronunciare, ipſe verò tertio idem repetit, & ſe integro judicio pollere aſſerit, adjecitque: Vultis, ut plenius mentem meam vobis aperiam? *Anima mea dæmonibus detur, inſuper anima uxoris meæ, & anima filiorum meorum, anima quoque confeſſarii mei. Mea, quia uſurpavi multa injuſtè: uxoris, quia ad hoc me ſollicitavit, & ad id coactus fui, ut ejus vanitatibus obſecundarem: filiorum, quia ut eos ditarem injuſtitiæ fui obnoxius. Confeſſoris denique, quia me impœnitentem abſolvit.* Et in ſimilibus verbis expiravit, æternum infœlix.

Lib. de viris illuſt. ord. Ciſt.

LECTIO XIII.

DE VARIIS HOMINUM GENERIBUS contra hoc præceptum peccantibus.

Quinam hoc præceptum tranſgrediuntur.

OMnes penè ſtatus quâdam injuſtitiæ maculâ aſperſos videmus, & contra hoc præceptum per cupiditatem proximi peccare. Quod etiam conſiderans Propheta Jeremias dicebat: *Extendam manus meas ſuper habitantes terram, dicit Dominus: à minore quippè uſque ad majorem omnes ſtudent avaritiæ, & à Propheta uſque ad ſacerdotem cuncti faciunt dolum.* Breviter ergo attingemus, per diverſos hominum ſtatus diſcurrendo, quinam transgrediantur hoc præceptum, & quam commune ſit tanti vitium, licet à paucis, ut oportet conſideretur, & omnes ab illo, tanquam fœdam maculam inurente, ſeſe excuſare conentur.

Jerem. 6.

Primò, hujus præcepti tranſgreſſores ſunt Reges & Principes, qui variis exactionibus plebem injuſtè onerant & opprimunt. Ad quos clamat Michæas: *Audite Principes Iacob & Duces domus Iſrael qui violenter tollitis pelles eorum de ſuper eis, & carnem eorum de ſuper oſſibus eorum, &c.* De his iterum conqueritur Dominus per Prophetam Davidem, dicentem: *Devoraverunt plebem meam ſicut eſcam panis.* Unde rectè dicere ſolebat Ludovicus XII. Rex Franciæ: *Plebem & ruſticos eſſe paſcua tyrannorum & militum, tyrannas autem & milites eſſe paſcua diabolorum.* Neque ſolum ipſi Principes, ſed & maximè eorum Conſiliarii hac in re peccant, crudeli ſua ſubtilitate varios modos excogitantes, quos Principibus ſuggerant, ad excoriandam plebem & exſugendas facultates eorum variis impoſitionibus injuſtis.

1. Reges & Principes exactionibus injuſtis.

Pſal. 13. 4.

Lud. XII. apoph. thegma.

Hac de re habemus exemplum inter res geſtas Francorum. Quidam enim noxius adulator, ut Regis rem nummariam augeret, ſuaſit ut ex minimis etiam rebus quas ruſtici deferunt in urbem, unum aut alterum nummum exigeret. Cùm verò viderent Conſiliarii, in urbe ob populi frequentiam ingentem pecuniam colligi, multas ſimiles exactiones plebem gravantes, excogitarunt. Hoc videns qui primò conſilium dederat, pœnitentia ductus, conatus eſt diſſuadere, quod priùs injuſtè adinvenerat: ſed cum non idem auctoritatis haberet in diſſuadendo, quod habuerat in ſuadendo, in magnos animi angores incidit, neque de ſalute deſperavit. Et ut pœnitentiam hanc ſuam teſtaretur, ac alios ab illa deterreret, teſtamento cavit ut in illa cloaca in qua totius fori frumentarii ſordes confluunt, ſepeliretur; in quo etiam manet, uſque ad hunc diem exactionis ab eo ſuaſæ & perſuaſæ executio. Ita Cornelius à Lapide in caput 13. Ezechielis, qui dicit Pariſiis adhuc oſtendi os cloacæ in foro frumentario, in qua ſepeliri ſe juſſit ille ſerò tandem pœnitens.

Corn. à Lap. in c. 13. Ezech. v. 23.

Similiter peccant Principes, regnandi libidine bella conflantes, vel alia injuſta de cauſa & in ipſos redundant tot furta, rapinæ, direptiones, ſacrilegia, quæ militari inſolentia committuntur. Hinc dixit Propheta: *Principes tui infideles ſocii furûm.* Et D. Aug. l. 4. de Civ. c. 4. *Quid ſunt regna, remota juſtitia, niſi latrocinia? quia & ipſa latrocinia quid ſunt, niſi parva regna? Hoc malum tantum crevit, ut & loca teneat, ſedes conſtituat, civitates occupet, populos ſubjuget, & evidentius regni nomen aſſumit, quod ei etiâ in manifeſta*

Bella conflantes injuſta.

S. Aug. l. 4 civ. cap. 4. Iſaiæ 1.

Digitized by Google

facto confert, non dempta cupiditas, ſed addita impunitas. Ideò eleganter & veraciter Alexandro Magno quidam Pirata, cum ab eo interrogaretur, quid ſibi videretur, ut mare haberet infeſtum; reſpondit: *Quid tibi,* inquit, *ut orbem terrarum? Sed quia id ego exiguo navigio facio, latro vocor: quia tu magna claſſe, Imperator.* Hæc Auguſtinus.

Tributa & vectigalia moderata juſte exiguntur.

Non negamus tamen Principes poſſe juſtè à ſubditis exigere tributa & vectigalia moderata pro defenſione Reipublicæ, & ſtatus ſui manutentione. Sed dolemus importabilia quandoque onera, tallias, exactiones imponi; ita ut populus potius videatur languere, quam vivere, & ſæpiùs cogatur eſurire & neceſſaria pauperculæ familiæ divendere, etiam uſque ad veſtes, ad ſatisfaciendum illis exactionibus. Exod. 1.8. Sicque contingit, ut a miniſtris regiis non minus affligantur, quam filii Iſrael a magiſtris operum quos conſtituit Rex Pharao, qui operibus duris luti & lateris eos miſerè affligebant, & amaram eorum vitam planè efficiebant.

1. Reg. 8. Sed dices: Reges id juris habent in ſubditos, ut eorum etiam bona poſſint ſibi vendicare ſine injuſtitia. Cùm enim filii Iſrael peterent à Samuele Regem qui præliaretur bella ipſorum, conſuluit Samuel Dominum, & reſpondit ei Dominus. Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi: v. 12. Verumtamen conteſtare eos, & prædic eis jus Regis qui regnaturus eſt ſuper eos. *Facet ſibi Equites, conſtituet ſibi Tribunos & Centuriones. Agros veſtros & vineas & olivета optima tollet, & dabit ſervis ſuis. Sed & ſegetes veſtras & vinearum reditus addecimabit, ut det eunuchis & famulis ſuis. Servos etiam veſtros & ancillas & juvenes optimos & aſinos auferet, & ponet in opere ſuo. Greges quoque veſtros addecimabit, voſq; eritis ei ſervi. Et clamabitis in die illa à facie Regis veſtri quem elegiſtis vobis, & exaudiet vos Dominus.*

Reſpondetur Dominum non dediſſe auctoritatem omne illud gravamen inducendi in populum per Reges: ſed tantum prædixiſſe eos ſic acturos; ipſo ſic permittente quaſi in pœnam, quod eum abjeciſſent, ne regnaret ſuper eos. Unde his verbis voluit deterrere populum, ne peterent Regem, quia regimen, propter magnitudinem poteſtatis Regi conceſſam, facilè convertitur in tyrannidem. Deut. 17. Quod ergo dicitur. *Hoc erit jus Regis,* idem eſt ac ſi diceretur: *Hæc eſt conſuetudo Regum.* Alias enim de conſtitutione Regis Deut. 17. dicit Dominus: *Non multiplicabit ſibi equos, nec habebit argenti & auri immenſa pondera, ne elevetur cor ejus in ſuperbiam ſuper fratres ſuos.* Vide ibi Cornelium de munere Chriſtiani Regis fusè tractantem. Com. à Lap. in eum loc.

II. Magiſtratus & officiarii Principis, publica bona in ſuæ adminiſtrationis commodum convertunt.

Secundò hujus præcepti transgreſſores ſunt, qui Reipublicam adminiſtrant, illiusque opes & bona in propriam utilitatem convertunt: & ita diſpendio publico familiam ſuam augent: opes ſibi congerunt, purpura veſtiuntur & auro. Tales ſunt multi Principum Officiarii, per quorum manus contributiones Reipublicæ tranſire oportet, Principumque opes. Sed quia manus habent velut pice infectas, aliqua ſemper eis pars adhæret, nec ad Principes tranſit, aut publico bono applicatur: Ultra ſtipendium ſuum, injuſta ſubtilitate & ex bonis publicis ſibi vendicant, & hanc ſubtilitatem *turnum baculi vocant*, ſed qui eis in perniciem vertetur, ſicut & frequenter domui ac familiis eorum in ruinam. Quia verum eſt illud Sapientis: *Qui ædificat domum ſuam impendiis alienis, quaſi qui colligit lapides in hyeme.* Qui enim ædificat e lapidibus collectis tempore hyemis, non poteſt firmum murum reddere, ſed pluviis tempeſtateque irruentibus, murus ille concidet. Sic illi qui impenſis publicis & bonis alienis familiam ſuam in ſublime evehunt, illam ventus & ruinæ obnoxiam reddunt. Nam frequenter contingit illos injuſtitiæ alicujus ſuſpectos, per ipſos Principes ſpoliari, ad inopiam redigi, ut in multis experientia vidimus.

ſtrenuis & in proprium commodum.

Refertur de Flav. Veſpaſiano, ſolitum fuiſſe rapaciſſimum quemque ad officia promovere, ut mox ditatos condemnaret & ſpoliaret. Unde vulgo dictus eſt, *Officiarios ſuos habere pro ſpongiis, quod eos volut ſpongias & ficcos madefaceret, & tumentes exprimeret.* Ita Suetonius. Sutto in Veſpaſian

Hos quoque poſſumus comparare ſanguiſugæ, quæ inſatiabilis eſt, & continuò ſugit corruptum ſanguinem illius membri quod tangit; ſed interdum præ nimia repletione crepat & intermoritur, ſicque effunditur ſanguis omnis quem ſuxerat. Sic illi Principum Officiarii ſanguinem ſugunt pauperum inſatiabiliter, nec volunt evomere per reſtitutionem quamdiu vivunt; ſed tandem crepant per mortem, effundunt ſanguinem, tum ſuum, tum alienum; quia per Principes inquiritur in hæredes eorum, & exhauriuntur lite & condemnatione injuſtæ opes. Itaque non ſolum inter plebejos, ſed & maximè inter Magnates, fures reperti & raptores certiſſimum eſt. Unde Xenocrates videns quendam furem ad patibulum duci, ſubridit & acutè dixit, interrogatus cauſam riſus: *Quia magni fures parvum furem ad juſpendium ducunt.* Nempe parvi fures viluntur in patibulis, magni verò frequenter ambulant in Curiis, & volvuntur honorati in thedis. Xenocratis dictum de furib.

Quapropter ſubtiliter Anacharſis leges comparabat telis aranearum: *Nam ut illis infirmiora animalia retinere videmus, valentiora tranſmittere; ita hos humiles & pauperes conſtringi, divites & præpotentes non allegari.* Anacharſis.

III. Judices, Advocati, Procuratores.

Tertiò præcepti hujus tranſgreſſores ſunt Judices, Advocati, Procuratores, qui injuſta ſtipendia exigunt, & tanquam *ſanguiſuga, ſemper dicunt, affer, affer,* partiumque litigantium opes exſugunt, etiam pauperes injuſtis exactionibus conterendo, quaſi ſugentes mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo. Hi norunt ovem tondere, excoriare, ſtrangulare, ſine multo clamore, & pauperem in abſcõdito devorare. Taceo hic varias corruptiones, dolos, fraudes, quibus jus ab eis pervertitur, & injuſtitia reſtitutioni obno-

noxia committitur. De qua re iterum infrà sermo occurret.

V. Ecclesiastica multa sibi coradentes Beneficia, usibus profanis applicando.

Quarto præcepti hujus transgressores multi inter Ecclesiasticos reperiuntur, qui avaritiæ facibus accensi per fas & nefas multa sibi corradunt, per vias illicitas multa conquirunt beneficia, multos reditus & opes; quas postea prodigunt in usus profanos, in ambitionem & luxum, in equos & pellices, in processus & lites, in pompas & vanitates. Hi omnes fures potiùs appellari, quia frequenter non sunt ingressi per ostium, & quia patrimonium Crucifixi contra ejus voluntatem quasi furantur, dum in usus illicitos expendunt. Unde illis dicit Bernardus: *Conceditur tibi ut de altari vivas, non ut de altari luxurieris, ut de altari superbias, sive ut comparesinde tibi frena aurea, sellas depictas, calcaria deargentata. Denique, quicquid præter necessarium victum ac simplicem vestitum de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* Idem quoque Epist. 42. sic scribit: *Clamant nudi, clamant famelici, conqueruntur & dicunt. Dicite Pontifices, in fræno quid faciat aurum? nunquid aurum à fræno repellit frigus sive esuriem? nobis frigore & fame laborantibus, quid conferunt tot mutatoria, vel in pernicis extensa, vel in manticis plicata: Nostrum est quod effunditis: nobis crudeliter subtrahitur quod manifester expenditis. Et nos enim Dei plasmatio; & nos Sanguine Christi redempti sumus. Nos ergo fratres vestri: Videte, quale sit de fraterna portione pascere oculos vestros: vita nostra cedit vobis in superfluas copias. Nostris necessitatibus subtrahitur, quicquid accedit vanitatibus vestris. Duo enim mala de una radice prodeunt cupiditatis, dum & vos vanitando peritis, & nos spoliando perimitis. Jumenta gradiuntur onusta gemmis, & nostra non curatis crura nuda caligulis. Annuli, catenulæ, tintinnabula, & clavata quædam corrigia: multaque talia tam speciosa coloribus quàm pretiosa ponderibus mulorum dependent cervicibus: Fratrum autem lateribus nec semicinctia miseranter apponitis. Hinc accedit, quod hæc omnia nec negociationis studio, nec proprio manuum exercitio vobis elaborastis: sed nec jure hereditario possidetis, nisi forte & vos in corde vestro dixeritis: Hæreditate possideamus Sanctuarium Dei.* Hactenus Bernardus.

S. Ber. ep. 2 ad Fulc.

Idem ep. 42.

Ps. 82. 13.

Hæc attendant Ecclesiastici illi qui toti terrenis inhiant, & in pauperes nihilominus immisericordes sunt, & cum quotidie dicere debeant: *Dominus pars hæreditatis meæ*, ipsi sortem in terra quærunt. Et cum sibi sufficienter habeant, nihilominus plura semper appetunt & congruunt nepotibus & consanguineis ditandis; vel usibus aliis profanis applicanda: Quod quidem esse peccatum mortale tradunt communiter Doctores, & ex decretis colligitur; nam Urbanus Pontifex & Martyr qui S. Cæciliam plurèsque alios docuit, & animavit ad martyrium Anno 233. sanxit ne bona Ecclesiæ in Laicorum usus impendantur, idque sub gravi pœna, 17. q. 4. c. Attendendum. *Quia,* inquit, *hæc bona sunt oblationes Fidelium, pretia peccatorum, & patrimonium pauperum.* Hos ergo defraudat, & infidelis dispensator est, qui hoc patrimonium Christi & pauperum devorat luxu illicito, vel per illud amicos locupletat stulto illorum amore infatuatus. Propter quam causam multi serò gement, & oculos aperient, videbuntque quàm stolidè animam oppignoraverint pœnis æternis per illa bona, quibus peccata redimere debuerant egenis distribuendo. Tunc autem, *Frater non redimit,* Ps. 48. 8. *redimet homo? non dabit Deo placationem nec pretium animæ.* Non juvabunt nepotes, nec consanguinei quos ditasti, quin potiùs aggravabunt pœnam, quia eis fueris causa luxus aliorumque peccatorum.

Urb. PP. An. 233. 17. q. 4. c. Attendendum.

S. Laurentius Justinianus Patriarcha Venetus, rogatus à consanguineo quodam suo, non ita paupere, ut pecunia cum juvaret in filiæ dotem; non minus sapienter quàm piè respondit: *Considera quæso frater, si parum dedero, non est quo opus habes, si multum, defraudavero multos, ut uni satisfaciam: & præterea quidquid illud est, quod est, ad cibos potius pauperum, quàm in intortos crines aut margaritas ab Ecclesia traditum est.* Surius in vita ejus tom. 1.

Clemens IV. Ecclesiæ bona parentibus negat.

Clemens IV. Jureconsultus, cùm post matrimonium ad Petri Cathedram evectus fuisset, ad eum jam Pontificem duæ filiæ ex conjugio antea susceptæ accesserunt, fretæ illius opera sè matrimonia, non ex pristina fortuna, sed ex Pontificatus magnitudine, consecraturas. Verùm neque ipsarum, neque aliorum consanguineorum precibus unquam adduci potuit, ut ex Pontificiis bonis quicquam eis largiretur, sed semper respondit, Pontificibus Romanis filios non esse, neque eis licere quod suum non esset propinquis dare, & propterea contentas debere esse, si fortunas, quas ante Pontificatum haberet, omnes eis reliquisset. Cùm ergò illæ conditionem in matrimonio ex sententia sua non invenirent, tandem sacrarum virginum pudicitiam matrimonio præposuerunt. Ita Fulgosius l. 4. c. 3. Fulg. l. 4. c. 3.

V. In privatis familiis peccant.

Quintò, in privatis familiis multi hujus præcepti transgressores reperiuntur, sive confideres parentes erga filios injustè se gerentes, sive fratres inter se sororesque; sive famulos & ancillas erga Dominos. Ac inprimis peccant parentes, dum notabiliter unum præ altero ditant, in præjudicium alterius sine ejus consensu vel culpa, sive hoc fiat ipsis adhuc viventibus, sive per testamentum id ordinetur: nam præter injustitiam quæ hic committi potest, etiam litium & discordiarum materiam implexam eis exhibent. Hos parentes reprehendit Ambrosius. *Quis,* inquit, *inter naturæ fraterna consortia fratres impares fecit? Alius totius paterna sortis è scriptionibus detrahitur: Alius opulenta hæreditatis deplorat exhaustam atque inopem portionem. Nunquid natura divisit merita filiorum? Ex pari omnibus tribuit, quod ad nascendi atque vivendi possint habere substantiam. Quibus ergo com-*

1. Parentes dum unũ præ altero ditant.

Ambr. l. 5. Hexam.

Digitized by Google

2. Filii bona parentum prodigentes vel auferentes.

miniter dediſſis eſſe quod nati ſunt, non debetis his invidere, ut unus ſolus abundet, alii autem eſuriant. Filii verò peccant qui furtim ſubſtantiam parentum auferentes, illam prodigunt in ludos, ſympoſia, luxus; imò & quandoque in fornicationes & ſcorta. Et dum res notabilis eſt, gravis peccati reatum incurrere ſatis ſignificat Sapiens, dum dicit: *Qui ſuſtulerit aliquid a patre & matre, & dicit non eſſe peccatum, particeps eſt homicidæ.* Secundum Hebræam Lectionem vertunt aliqui: *Socius eſt bona ſua diſſipantis.* Et ſecundum LXX. *Socius eſt hominis perditi & impii.* Solent enim juvenes ad hoc parentum bona ſuffurari, ut diſſipatoribus ſe jungant & perditis ſodalibus: Sed & noſtra Lectio recte habet: *Particeps eſt homicidæ*, quia frequenter tales juvenes diſſipatores, perdita ſua vita parentes ad inopiam quandam redigunt, & ſanguinem eorum ſugunt, bonorumque diſſipatione mœrore quodam eos necare cenſentur; qui mœror frequenter eos non minus quam mors affligit.

Spec. Exempl. V. Deſperatio. Drexel. l. 2. de Nicea c. 12.

Vis audire hujuſce rei funeſtum exemplum? Audi quid acciderit in imperiali civitate Lubecenſi. Uxor cujuſdam Conſulis uno partu tres filios fudit, unus elephantiaco morbo perculſus eſt, alter ſubmerſus, tertius propria manu peremptus. Hic poſt multas ſcortationes in unam concubinam incidit, quæ ita cor ejus captivavit, ut omnia bona ſua diſſiparet. Sed nec peridtio rerum, nec timor Dei, nec amicorum correctio, eum potuerunt ad mentem reducere. Mater videns filium indignam natalibus incumbere pauperiem, pietate mota aliquoties ei ſummas pecuniæ tribuit, monens cum lachrymis, ut memor generis ſui & ſalutis reſipiſcat, ſed ſurdo canit. Videns ergo totum in meretricis uſus cedere, cor claudit & manum. At ipſe conſiderans matris animum erga ſe mutatum (egeſtate & meretrice malis Conſulibus) aliquoties nudato enſe in matrem ruit, ſub pedibus ſternit, minatur mortem, niſi ſuccurrat. Mater vidua ſub pugione tremens, cogitur erogare quod perit, nec audet aperire facinus, ne à Judice cum infamia familiæ plectatur. Non potuit tamen res omnino celari, reſciverunt amici, & eo vocato minati ſunt mortem & accuſationem apud Judicem, ſi ulterius tale quid audeat. Verùm hæc monitio eum non reduxit ad mentem, ſed potius ad inſaniam quandam deduxit & deſperationem. Reſolvit ergo in publico lupanari cum ſcorta habitare, ad majorem confuſionem conſanguineorum: ubi tandem omnibus conſumptis poſt gravillimas inopiæ miſerias febri correptus, in deſperationem ruit, & ſibimet necem inferre parat. Et ne quis impediret, deſtinat aliquo ſcortum ſuum, arreptoque cultro in hortum procedit, & totus furibundus in pectus figit, & in gyrum agitat, ut ſceleſtum animum tanto celerius in manum dæmonum tranſmittat. Redit infœlix mulier, & videns ſic corruiſſe, clamoribus viciniam complet: omnes confluunt, matri res nuntiatur. Nova angultia, mucro ille feralis cor ſodit etiam maternum, dum videt proprium filium ferro a ſe confoſſum in proprio ſanguine jacentem. Interim impetrant amici poſtera die, ſumma pecuniæ Judici oblata ut funus ſepeliri poſſit (nam ſecundum leges flammis dari debuerat) in profano cœmeterio quod à parte Septentrionali Cathedralis Eccleſiæ ſitum eſt. Sed ubi per unam noctem ſepultus ibi jacuiſſet, ita ſequenti die tumuli terra conciderat, ut nonnulli conjicerent, dæmones non ſolum animam, ſed & corpus abſtuliſſe. Hæc Collector ſpeculi exemplorum, verbo *Deſperatio*, qui aſſerit ſe optime notſe hominem, & omnem ejus parentelam, & vidiſſe ejus infœlix ſepulchrum.

Attendant hæc juvenes inobedientes, & paternorum bonorum diſſipatores, in luxu ſine conſcientia prodigi, qui exiſtimant à Patre vel Matre aliquid ſubtrahere non eſſe peccatum, quos eſſe particeps homicidæ recte aſſerit Sapiens, & hoc exemplum ſatis confirmat. Sed & in antiquo teſtamento filii contumaces & prodigi adducebantur a parentibus ad ſeniores civitatis, & portam judicii, dicebantque: *Filius noſter iſte protervus & contumax eſt, comeſſationibus vacat luxuriæ, atque convivüs:* & tunc *lapidibus eum* obruebat *populus civitatis.* Deut. 21. 20.

3. Filii-familias defraudantes fratres ſuos & ſorores.

Tranſgreſſores quoque ſunt hujuſce præcepti filii-familias, qui defraudant fratres ſuos aut ſorores, & ubi videat Parentes morti propinquos ad arcas currunt, quæ poſſunt ſubtrahunt, aurum, argentum, monilia, aut alia mobilia: ſed & poſtea teſtamenta & voluntates parentum non adimplent, ſitibus omnia miſcent, defraudant ſuos cohæredes, opprimunt juniores vel impotentiores fratres, aut ſorores. Nimis frequenter hæc accidunt, nec furti ſe reos exiſtimant, conſcientiæ & timoris Dei fræno abjecto quod deplorandum eſt.

4. Famuli & ancillæ in eſculentis & poculentis.

Quantum ad famulos & ancillas, notum eſt quomodo furtis domeſticis, tum in eſculentis, tum in poculentis; parum conſcientiæ ſibi formant, quæ tamen planè contra Dominorum voluntatem fiunt, maximè in re notabili. Notum etiam eſt, quod ſibi propinquis de rebus Dominorum multa largiantur, vel etiam in proprium uſum convertant, cum gravi conſcientiæ detrimento. Et cum Domini negotium gerere debeant, partem ſibi pretii mentiendo retinent, in præjudicium Domini ac fidelitatis illi debitæ. Quæ omnia Cathechiſtæ vel concionatori conveniens erit ſpecificare & amplicare, ut ab his deterreantur.

5. Homines Plebis.

1. Artifices & operarii.

Sextò, ſi conſideremus mores hominum in communi fœce plebis, omnia injuſtitiis furtiſque referta reperiemus. Artifices enim in ſuis operibus multa fraude utuntur, operariique mercenarii non fideliter exequuntur opus injunctum, ſed tantùm ad oculum ſerviunt. Si ad dietam operantur, languidè laborant; ſi verò cum illis conventum eſt de toto opere, celeriter quidem operantur, ſed imper-

Digitized by Google

imperfectè. Quod ſi heros ipſos conſideres, invenies eos frequentiſſimè, contra hoc præceptum peccare, motoſc debitum operariis perſolvendo, cum eorum gravi incommodo contra illud monitum Domini: *Non morabitur opus mercenarii uſque mane.* Imò verò etiam mercedem defraudant, de quibus Jacobus c. 5. *Ecce merces operariorum qui meſſuerunt regiones veſtras quæ fraudata eſt à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.*

.cvit.19. 3.

1. *Agricolæ.* Jac. 5. 4.

* Perpende quoque, quid inter ruſticos & agricolas fiat, invadunt mutuò agros, transferunt terminos, defraudant Dominos, defraudant decimas, per lites ſibi arrogant quod alterius eſt, quod jure non poſſunt proceſſibus ad ſe attrahunt, maxime ſi in pupillum aut viduam agere poſſunt.

2. *Litigantes.*

Certè litigiis ita dediti ſunt etiam plebei homines, ut mittentur ipſi Advocati & Procuratores ac Judices, tot actiones, tam facili negotio, tanta pertinacia ſuſceptas, quas cum ipſi dirimere quandoque cuperent, non valeant. Similes ſunt plerique horum litigantium & ſe invicem defraudantium porcis ſub quercu agentibus, quibus dum is qui eorum curam agit, glandes excutit ſufficienter, imò & abundanter ad paſcendum; nihilominus ipſi inter ſe muſſantur, dentibus ſe lacerant, ut à pabulo mutuò ſe removeant, nec oculos attollunt ad benefactorem, qui abundè omnibus excutiendo providet. Sic Deus de bonis temporalibus, tanquam benefactor univerſalis, ſufficienter & abundè omnibus providet: Sed homines tanquam porci ingrati, in ſeſe mutuò irruunt, diripiunt omnia quæ poſſunt, impediunt alios infirmiores lite vel violentia: & cùm oculos ad univerſalem Proviſorem Deum attollere deberent, mutuò ſe lacerant, & dente porcino conſcindunt.

Similes quoque eos dicere poſſumus, multis in eodem hoſpitio agentibus, ac in eodem lecto decumbentibus: quibus cum à Domino hoſpitii de ſtragulo & operimento abundè ſit proviſum ne frigore tabeſcant, nihilominus unus aut alter eorum ad ſe attrahit operimentum, & alios partim nudos frigoreque expoſitos relinquit: Deus enim ſufficienter nobis ſub eodem cœlo habitantibus, de terrenis operibus providit, quæ ſunt velut operimentum & amictus; ſed cupiditate iniqua per vim & fraudes, aliqui nudantur & ſpoliantur.

6. *Ipſi Pauperes.*

Poſtremo conſidera vel ipſos pauperes, & videbis eos ſub ſpecie paupertatis multa committere furta, & quæ aliorum ſunt vaſtare & diripere prætextu neceſſitatis. Et cum frequenter in eis culpabilis ſit, & velut voluntaria: *Declinant cor ſuum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis.* Non enim dignantur laborare, ſed otioſam volunt ducere vitam; & ſi quandoque aliquid pecuniæ collegerint, in comportatione, & tabernis diſſipant. Egent ergo culpa ſua, aliena diripiunt iniquè contemptis legibus publicis & ordine communi, vivere volunt ſuo capitatu, inordinatè, turbulenter bona etiam communitatis uſurpantes, ſylvis, agris, hortis damnum afferentes, omnes diſciplinam turbantes. Contra hos clamat Apoſtolus: *Denunciamus vobis fratres, in nomine Jeſu Chriſti, ut ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè. Ipſi enim ſcitis quemadmodum oporteat imitari nos, quoniam non inquieti fuimus inter vos, nec gratis panem manducavimus ab aliquo, ſed in labore & fatigatione nocte & die operantes, ne quem veſtrum gravaremus: Et hoc denunciamus vobis, quoniam ſi quis non vult operari, nec manducet.* 2. Theſſ. 3. 6.

PC140. 4.

Hi ergo non ſunt excuſandi, quia ſcriptum eſt: *In ſudore vultus tui vesceris pane tuo*: & de mulicre laudabili dicitur: *Quæſivit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum, de fructu manuum ſuarum plantavit vineam.* Hoc eſt, de labore & lucro manuum ſuarum, non de alieno, aut de furto. Gen. 3. 19. Prov. 31. 13.

Videns autem Salomon paupertatem multis occaſionem furti ſuggerere, ſicut & divitias oblivionem Dei & ſalutis, rogabat Dominum: *Duo rogavi te, ne deneges mihi antequam moriar: Vanitatem & verba mendacii longè fac à me, mendicitatem & divitias ne dederis mihi, tribue tantum victui neceſſaria: ne forte ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam, quis eſt Dominus? aut egeſtate compulſus furer, & perjurem nomen Dei mei.* q.d. Vanitatem quæ eſt annexa proſperæ fortunæ, & verba mendacii ac injuſtitiæ quæ ſæpè annectuntur adverſæ, remove à me: & idem repetit, dum dicit: *Mendicitatem & divitias.* Quod ſi quæras quomodo hoc petat Salomon filius Regis ditiſſimus? Reſpondet Janſenius, aliquos exiſtimare non eſſe verba Salomonis, ſed alicujus Sapientis dicti Agur, cui aſcribunt iſti caput 30. Proverbiorum. Reſpondetur 2. Salomonem non pro ſe petere, ſed docere modum poſtulandi, qui convenit majori parti hominum. Prov. 30. 7. Janſen. in eum loc.

Non etiam excuſandi ſunt à furto, illi qui exteriùs paupertatem mentiuntur, cùm & nummos repoſitos habeant, & ſufficientia illis non deſit. Interim communibus pauperum bonis participant, & illos defraudant, ac eleëmoſynas fraude obtinent. Tales multi reperiuntur in urbibus, qui domi lautè vivunt, & ut otioſam vitam degant, paupertatis ſpeciem præferunt & emendicant.

LECTIO XIV.

DE OCTAVO PRÆCEPTO.

NON FALSVM TESTIMONIVM DICES.

1. *Docet falſum teſtimonium eſſe peccatum deteſtandum.*
2. *Docet prohiberi hic quoque omne falſum judicium.*
3. *Prohiberi omnem falſitatem Advocatorum & Procuratorum.*

PROPOSITIO I.

Eſt hoc graviſſimum peccatum, Deoque abominabile.

PAtet tum ex Scripturis, tam ex ratione, tum ex pœnis ſive à jure, ſive à Deo falſis teſtibus illatis.

1. Ex Scripturis.

Primò quidem ex Scripturis, nam Prov. 6. dicitur: *Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus: Oculos ſublimes: Linguam mendacem: Manus effundentes innoxium ſanguinem: Cor machinans cogitationes peſſimas: Pedes veloces ad currendum in malum: Proferentem mendacia, teſtem fallacem: Et eum qui ſeminat inter fratres diſcordias.* Item Proverb. 21. *Teſtis mendax peribit*, & alibi ſæpius idem repetit Scriptura. Deuteron. autem c. 19. Pœna talionis falſo teſti decernitur: *Si invenerint*, inquit, *falſum teſtem dixiſſe contra fratrem mendacium, reddent ei ſicut fratri ſuo facere cogitavit, & auferes malum de medio tui, ut audientes ceteri timorem habeant, non miſereberis ejus, ſed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.* Propterea duo ſenes falſò Suſannam adulterii accuſantes, convicti mendacii, lapidibus obtuti ſunt. Hanc legem ſequutus Conſtantinus Magnus Imp. in uxorem ſuam Fauſtam animadvertit falſi teſtimonii convictam. Hæc Criſpi Privigni amore capta, eum ſæpius ad libidinem provocabat. Cùm verò ille renueret, detulit ipſa ad maritum, ipſum ſibi vim inferre voluiſſe. Conſtantinus fidem adhibens, Criſpum filium interfecit. Sed poſt aliquot annos comperta veritate, in uxorem capite animadvertit, ut refertur lib. 10. Hiſt. Rom.

Proverb. 6 16. Proverb. 21. 18. Deut. 19. 18. Pœna talionis falſo teſti decernitur. Dan. 13. 61. Eutrop. l. 10. rerum Rom. Nicephl. l. 7. c. 35.

2. Ratione probatur.

Secundò declaratur ex ratione. Quia falſus teſtis peccat in Deum, in Judicem, in Reum, in Rempublicam. In Deum quidem, quia perjurando eum contemnit, & falſi teſtis fraude vilefcit thronus Dei, tribunal ſcilicet veritatis, Dei thronum repræſentans. Nam Judex eſt organum, oraculum, & interpres Dei, juxta id quod dicitur 2. Paral. 19. *Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis judicium, ſed Domini.* In Judicem quoque peccat, quia eum mentiendo fallit; & cauſa eſt ut vel nocentem abſolvat, vel innocentem plectat, deceptus falſi teſtis nequitia. In Reum verò, quia falſo teſtimonio in innocentem tuit, illi eripiens vel famam, vel bona, vel vitam: vel ſi nocens eſt, peccat in Rempublicam, dum teſtatur innoxium eſſe; quia Reſpublica privatur fine judiciorum, qui eſt pax civium & punitio delinquentium. Et ſicut corpori cenſetur noxius qui impedit ne membrum putridum reſcindatur, cum ab illo ſit periculum reliquis corporis membris ſanis: Ita qui falſo teſtimonio impedit, ne is qui Reipub. noxius eſt præſcindatur, ei per impunitatem relinquit incentivum delinquendi. 2. Paral. 19. 6.

Hæc itaque attendant falſi teſtes, videant quàm multipliciter peccent, non ſolum dum contra veritatem teſtantur, ſed etiam dum veritatem ipſam ſupprimunt, obligati juramento ſuo eam aperire. Ut enim rectè dicit Iſidorus: *Vnum penè crimen habent, & qui falſitatem promit, & qui ſupprimit veritatem, quia & ille obeſſe vult, & iſte prodeſſe non vult: Beatus cujus teſtimonio innocens ab objecto ſcelere purgatur, & cujus proditione etiam iniquus perimitur.* Audiant quid Poëta Gentilis dicat, & confundantur falſi Chriſtiani. *Falſi teſtes multipliciter peccant* Iſidor. in ſent. Juvenal.

——— *Ambigua, ſi quando citabere teſtis,*
Incertaque rei; Phalaris licet imperet ut ſis
Falſus, & admoto dictet perjuria tauro;
Summum crede nefas, animam præferre pudori,
Et propter vitam, vivendi perdere cauſas.

Verum in hæc tempora incidimus, in quibus nihil communius eſt, quàm falſa teſtificatio, ſine ullo Numinis divini timore: Nihil vilius venditur quàm fides in judiciis; venales ibi linguæ ſunt & animæ, perjuria ſuſque deque habent, & dum eis de perjurio fit mentio, dicunt illud Poëtæ: *Non ego juravi, legi ignaris verba. Iuravit lingua, mentem injuratam gere.* Ovid.

Quadrupliciter autem teſtes corrumpi inveniet. Plurimi ex iis pecunia corrumpuntur & munere, ita ut rectè dixerit Iſidorus: *Non deerit multiplex conventus falſorum teſtium, ſi tantùm ſit præſentia nummorum.* *Teſtis corrumpuntur quadrupliciter.* 1. pecunia. Iſidor. in ſent. Virgil. Juvenal. Sat. 14

——— *Quid non mortalia pectora cogis*
Auri ſacra fames! Auro venalia jura,
Falſus erit teſtis, vendet perjuria, ſumma
Exigua Cereris tangens aramque pedemque.

Si cani offam medicatam ingeras, filet nec latrat: ſic his pecunia vox veritatis erepta eſt, argenteis funiculis lingua eis eſt colligata. 2. amore. 3. timore.

Alii corrumpuntur amore, v.g. ratione conſanguinitatis, aut affinitatis, vel ratione beneficii à reo aliquando ſuſcepti: his compedibus ligatam habent linguam. Alii corrumpuntur timore alicujus

Digitized by Google

eujus majoris poteſtatis, quam magis quàm Deum ipſum timent, & ideo veritatem loqui pertimeſcunt, de quibus Iſidorus dicit: *Qui metu poteſtatis veritatem occultat, ejuſdem veritatis iracundiam ſibi cœlitus provocat; quia plus pertimeſcit hominem, quam divinam trepidat indignationem.* Alii denique corrumpuntur odio ob antiquas ſcilicet inimicitias vel rixas, unde dixit Ambroſius: *Duobus aut tribus teſtibus ſtat omne verbum, ſed illis teſtibus, qui ante heſternum aut nudius tertius non fuerunt inimici, ne irati nocere cupiant, ne læſi ulciſci ſe velint: Inoffenſus igitur teſtium affectus quæritur.* Sic odio concepto contra Joſeph mulier, quod ejus impuris amoribus non acquieſceret, falſo teſtimonio eum enecare conata eſt. Senes contra Suſannam ob eandem cauſam falſum teſtimonium dederunt.

Sic in vita S. Narciſſi Epiſcopi Hieroſolymitani ſcribit Euſebius: Cum quidam perditi, ſeveram rationem, qua in vitiis eorum corrigendis uti conſueverat, ferre non poſſent; cœperunt contra illum conſpirare, & turpem quandam criminationis calumniam juramento confirmare. Primus juravit, niſi verum eſſet crimen, optare ſe ut Deus igne ipſum perderet: Secundus, ut morbo regio corriperetur: Tertius, ut oculis orbaretur. Licet vero nemo ex Fidelibus, ob teſtatam caſtimoniam & ſanctitatem, fidem etiam jurantibus haberet; ipſe tamen, præ gravitate falſæ hujus criminationis, partim præ amore ſolitudinis, ut ibi ſpiritui & ſapientiæ vacaret, diſceſſit; & in locis deſertis pluribus annis vitam tranſegit ignotus. Verum ultio divina non eſt paſſa impios multos. Primus enim illorum cum noctu ſcintilla ignis in ejus ædes incidiſſet, cum tota familia flammis extinctus eſt. Alter morbo quem ſibi precatus erat, ab extremis pedum digitis, uſque ad capitis verticem contabuit. Tertius videns hanc ultionem Dei, & illam in ſe reformidans, palam maleficium & fraudem confeſſus eſt: tam acerbis vero lamentis ſe afflixit, ut lachrymarum diuturna profuſione viſum ſibi extinxerit. Vide Euſebium loc. cit. Niceph. lib. 5. cap. 9.

Itaque debent Judices advigilare, ut poſſint diſcernere veros teſtes à falſis: & conditionem eorum qui teſtantur, debent explorare, ne amore aut timore, ne odio aut pecunia ſint corrupti: & maxime hæc attendenda ſunt, dum de vita hominis agitur, non enim facile accuſationi tunc credendum eſt, niſi poſt ſagacem inquiſitionem & examen: Quod ipſum ſignificare voluit Dominus, dum ad puniendam Sodomam deſcendit. Licet enim peccata Sodomorum irrefragabile teſtimonium clamore ſuo dare viderentur; tamen ut Judicibus regulam præſcriberet, ne in ferenda ſententia præcipites forent, dicit ipſe: *Deſcendam & videbo utrum clamorem* eum *opere compleverint.* Similе quid ædificant Babel. Hoc & antiqui ſignificarunt, dum depinxerunt Juſtitiam ſedentem in curru triumphali, quem quidem trahebant non equi aliqui, aut cervi celeres, ſed antiquæ duæ Matronæ imbelles ad trahendum: quarum una baculo incumbebat; altera gladio ſed præfracta cuſpide. Deſignabant ergo hoc ſchemate lentum Juſtitiæ progreſſum, & deliberationem cum examine conjunctam, quam debent Judices condemnationi præmittere. *Juſtitiæ emblema.*

Tertiò gravitas falſi teſtimonii patet ex pœnis, tum ab Eccleſia, tum à Deo illatis. Et quidem jure Eccleſiaſtico falſi teſtes perpetuo ſunt infames, ut patet Cauſa 3. q. 5 cap. Conſtituimus. In Synodo autem VIII. œcumenica Conſtantinopoli habita anno Domini 869. contra Leonem Conſulem & Theodorum Protoſpatarium, qui impulſu Photii & Michaelis Imp. contra Ignatium Patriarcham falſum dixerant teſtimonium, cum pœnitentiam peterent, hæc decreta fuit à Legatis Sedis Apoſtol. *Definimus & promulgamus, hos per ſeptem annos epitimium* (ita vocatur Eccleſiaſtica pœna & cenſuræ) *habere: eſſe illos duobus annis extra Eccleſiam, & aliis duobus intra Eccleſiam audire divinas Scripturas, uſque ad Catechumenos: non tamen ullo modo communicare, ſed abſtinere à carnibus & vino quatuor annis; præter dominicos dies & dominicas feſtivitates: & aliis tribus annis ſtare cum fidelibus, & mereri divinam communionem in ſolis dominicis ſolemnitatibus, cum eleemoſynis, orationibus atque jejuniis, ita ut tribus diebus hebdomadæ, ſecunda videlicet, quarta & ſexta feria abſtineant à carnibus & vino.*

Quod ad pœnas à Deo inflictas attinet, diverſæ illæ ſunt, juxta ejus ſapientiam & juſtam providentiam, cui nihil manet inultum. Unde in hiſtoriis paſſim reperies graviſſimas vindictas falſis teſtibus inflictas, in perpetuam eorum infamiam, & aliorum exemplum ac terrorem.

In vita S. Gregorii Agrigentini Epiſcopi apud Surium 23. Novemb. legimus, ipſum à Sabino & Creſcentio falſo accuſatum, coram Synodo Romana centum & quinquaginta Patrum, de ſtupro cum Eudocia puella, adductis centum & decem teſtibus, Pſalmum alta voce ingeminaſſe: *Inſurrexerunt in me teſtes iniqui, quæ ignorabam, objecerunt mihi: mala mihi pro bonis rependebant.* Statim igitur puella à dæmone correpta ad pedes ejus concidit; Gregorius ſatanam è puella egredi, & verum fateri juſſit, ac manu eam comprehenſam erexit. Illa falſa eſt ſe à Sabino & Creſcentio muneribus corruptam, Gregorium falſo accuſaſſe. Gregorius vero coram Synodo pro teſtibus & actoribus interceſſit, & pacem illis impetravit. Qua conceſſa, ſtatim tenebræ magnæ obortæ ſunt: & actorum alii utraque, alii altera gena nigri apparuerunt. Sabino vero & Creſcentio labia atro colore infecta ſunt, qui nunquam poſtea elui potuit. Surius 23. Nov. Metaph. in vita ejus c. 50. Pſ. 26. 12.

Sed & Deus, quia prima Veritas eſt, ita odio habet falſitatem, ut falſos teſtes ſæpius per teſtimo-

Iſidor. in ſent.

5. Odio.

Ambroſ.

Gen. 39. 13

Dan. 13. 43.

Euſeb. Cæſ. l. 6. c. 6 Baron. to. 2. an. 116.

Gen. 18. 21.

Gen. 11. 7.

nium jam mortuorum redarguere voluerit & convincere. Habes exemplum in vita Stanislai, qui cum argueretur injuſte poſſidere pagum quendam; quem Eccleſiæ nomine coëmerat; Petrum venditorem divina potentia ſuſcitavit. Vide Brev. Rom. 8. Maii.

V. Brev. Rom. 8. Maii.

Simile quid narrat Auguſt. lib. de cura pro mortuis cap. 11. Pro certo, inquit, cum Mediolani eſſemus, audivimus, quod cum debitum repeteretur à quodam, defuncti patris cautione prolata, quod filio neſciente à patre jam fuerat perſolutum: contriſtari homo graviſſime cœpit., atque mirari, quod ei pater moriens non dixerit quid deberet, cum feciſſet etiam teſtamentum. Tunc et anxio apparuit idem pater ejus in ſomnis; & ubi eſſet repoſitum inſtrumentum, quo illa cautio vacuata fuerat, indicavit. Quo invento atque monſtrato, non ſolum falſi debiti calumniam filius propulſavit, ſed etiam paternum recepit chirographum, quod pater non receperat, quando ab eo perſoluta erat pecunia. Hic itaque putatur anima hominis curam geſſiſſe pro filio, & ad eum veniſſe dormientem, ut docens quod ignorabat, à magna eum moleſtia liberaret.

Aug. l. de cura pro mort. c. 11.

Infantes quoque adhuc neſcios loqui frequenter elegit Deus, tanquam veritatis teſtes contra falſos accuſatores.

Refert Gregorius Turonenſis l. 2. hiſt. Franc. c. 1. S. Brixium Epiſcopum Turonenſem falſo accuſatum fornicationis, infantem ex ea recens natum coram populo adjuraſſe, ut diceret an ipſe eſſet pater ejus. Cui infans: Non es tu pater meus. Populo autem rogante, ut ex eo perquireret, quis ergo eſſet pater? Reſpondit Brixius: Non eſt hoc meum, quod ad me pertinuit, ſollicitus fui, vobis ſi aliquid ſuppetit, per vos quærite. Cumque populus magiæ hoc tribueret, ignem illæſa veſte geſtavit uſque ad ſepulchrum S. Martini, dicens: *Sicut veſtem videtis ab igne illeſam, ita & corpus meum à muliere eſt impollutum.*

Gregor. Turon. l. 2. hiſt. Franc. c. 1.

In vita S. Antonii de Padua ita narratur: Cum Patavii degeret vir Dei, Olyſſipone duo cives inexpiabili odio laborantes, mutuo ſibi necem machinabantur. Accidit autem, ut alter alterius filium hora veſpertina per ſummam crudelitatem jugularet, & intempeſtæ noctis ſilentio, in horto parentum viri Dei, facta fovea ſepeliret. Mane facto, cædis auctor, & cadaver diligenter quæſitum eſt, ac tandem in horto Martini inventum. Itaque pater Viri ſancti cum tota familia in vincula conjectus, & tanquam cædis reus habitus eſt. Ejus rei ut per ſpiritum Patavii certior factus eſt vir Dei, eadem nocte magno miraculo Olyſſiponem deductus eſt; & proxima luce ad Judicem ſe conferens, petiit, ut inſontes è vinculis dimiſſos domum abire pateretur. Illo omnibus modis recuſante petiit cadaver peremptipueri ad ſe adferri. Quo allato, juſſit defunctum edicere, an parentes ſui cædis forent rei? Puer defunctus corpore ſe erigens, reſpondit, illos nullo modo conſcios eſſe. Manſit toto illo die cum parentibus ſuis ſic ab omni ſuſpicione cædis liberatis, & mane Angelico miniſterio, Patavium reductus eſt.

Sur. in vita S. Ant. de Padua à Greg. IX. ann. 1232. canonizati.

DE JUDICIBUS.

PROPOSITIO II.

Prohibetur quoque hic perverſio judicii per ſententiam Judicis iniquam.

COntinet utique ſententia iniqua falſitatem cujuſdam teſtimonii per auctoritatem ſed inique prolati. Quæ iniquitas Deo & hominibus gravem infligit injuriam. Cum enim Judices ſint juſtitiæ adminiſtratores & cuſtodes, dum corrumpuntur & ſcienter inique judicant, cenſentur Juſtitiam curæ ſuæ commiſſam conſtuprare. Hoc indicavit Eccleſiaſticus cap. 20. dicens: *Concupiſcentia Spadonis devirginavit juvenculam, ſic qui per vim facit judicium iniquum.* Juſtitia ſcilicet eſt quaſi Virgo incorrupta (ſic enim eam omnes Poëtæ ac Philoſophi pinxerunt;) eam ergo violare, grande piaculum eſt. Hæc vero Virgo Judicibus eſt commiſſa, ut eam illibatam ſervent, ſicut olim Eunuchis committebantur Virgines ſervandæ, ne à quoquam corumperentur. Proinde vult dicere Eccleſiaſticus, quod ſicut illi Enuchi ſeu Spadones maxime impie faciunt, ſi imputa libidine per naturam eis vetita, vi Virgines ſibi commiſſas corrumpant, aut quoquo modo conſtuprent. Sic Judices violantes Juſtitiam, iniqua exercentes judicia, per violentiam injuſte innocentes opprimentes.

Eccl. 20. 3.

Propterea frequenter monet Scriptura Judices juſtitiæ hujus, tanquam ſponſæ Altiſſimi, diligenter conſervandæ in ſua integritate. Sapiens cap. 1. clamat: *Diligite juſtitiam, qui judicatis terram,* & c. 6. *Audite Reges terræ, & intelligite, diſcite judices finium terræ. Data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: quoniam cum eſſetis miniſtri regni illius, non recte judicaſtis, nec cuſtodiſtis legem juſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis.*

Sap. 1. & 6

Clamat quoque Propheta David: *Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat. Uſquequo judicatis iniquitatem, & facies peccatorum ſumitis, &c.* Qui totus Pſalmus ad Judices pertinet, quos Deos vocat, ob participationem authoritatis & poteſtatis divinæ. Vide Bellarm. & paſſim Interpretes in hunc Pſal. Idem quoque eoſdem gravibus verbis monet Pſal. 2. *Eruditimini qui judicatis terram, ſervite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite diſciplinam, ne quando irascatur Dominus.*

Pſ. 81. 1.

Bellarm. in hunc pſ. 2.

Clamat quoque Iſaias cap. 5. *Va qui dicitis malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras:*

Iſ. 5. 20.

Digitized by Google

bras: Va qui juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti auferetis ab eo. Propter hoc ſicut devorat ſtipulam lingua ignis, & calor flamma exurit: radix eorum quaſi favilla erit, & germen eorum ut pulvis aſcendet: Va qui condunt leges iniquas, & ſcribentes injuſtitiam ſcripſerunt, ut opprimerent pauperes in judicio, vim facerent cauſa humilium populi: ut eſſent vidua prada eorum & pupillos diriperent.

Exod. 18. 21. *Qualitates Judicum.* 1. *Viri ſapientes.*

Idcirco etiam Jethro cognatus Moyſis cum de judicibus eligendis ei daret conſilium, dixit. *Provide de omni plebe viros ſapientes & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam, & conſtitue qui judicent populum omni tempore.* Ubi deſignant qualitates judicum, & primò dicit, *viros ſapientes* (ut legunt Plantiniana) hoc eſt, qui ſcientia & prudentia polleant ad diſcernendum juſtum ab injuſto: ita ut non ſolùm ſcientia ſpeculativa, quæ ex ſtudio legum habetur, ſed etiam practica, quæ ex multa experientia acquiritur præſtantes ſint: ideò enim ſenatores populi voluit eligi Dominus in judices, Num. 11. *Quos tu noſti*, inquit, *quod ſenes populi ſint ac Magiſtri.* Ubi non tam ætate ſenes quàm prudentia & moribus debent intelligi; nam dum dicit: *Qui ſenes ſint populi*, idem eſt ac ſi diceret. Qui à populo graves & ſapientes habentur.

Num. 11. 16.

2. *Timentes Deum.*

Secundò dicit: *Timentes Deum*, ut ſcilicet magis timeant Deum quàm homines, nec Magnatum vultum timeant in judicio, aut perſonas accipiant; ſed illum timeant qui eſt Judex Judicum, & Rex Regum, Deus Deorum. Unde monet Sapiens: *Noli quærere fieri Judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates; ne forte extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua*, Eccl. 7. Parum ergo eſt, quod judices timeant Principes & judices ſuperiores, qui oculum fixum habent ſuper judicia eorum, nam licet ob id rectè agunt in publico, ſi tamen Deum non timeant, frequenter malè agent in occulto, cum ſperabunt iniquitatem ſuam non poſſe detegi. Sed ubi timor Dei in corde eorum invaluit, tales ſunt in ſecreto quales & in publico, qui oculum cuncta intuentem intuentur & ipſi, & ſtateram omnia appendentem conſiderant, manumque ſcribentem contra tribunalia Judicum: *Appenſus es in ſtatera & inventus es minus habens*, minus ſc. rectitudini, s minus virtutis, minus juſtitiæ, quàm à te ut Judice requirebatur. Rectè Fredericus tertius Imperator interrogatus quos è ſuis Officiariis haberet amicos? Reſpondit: *eos qui non magis me, quam Deum timent.* Et Vrajanus Imp. Magiſtratum & Judicem conſtituens, illique de more porrigens gladium, dixiſſe fertur: *Illo pro me, quamdiu æqua mandavero: ſin verò iniqua, contra me utere.*

Eccl 7. 4.

Daniel. 5. 27.

3. *In quibus ſit veritas.*

Tertiò dicit: *In quibus ſit veritas*, debent enim inimici eſſe omnis falſitatis & mendacii, debent reprobare omnem fictionem & ſimulationem. Debent eſſe ſolliciti ad requirendam latentem veritatem, ut ſecundum illam poſſint juſtè judicare. Nempe veritas & æquitas trahunt currum Juſtitiæ, & ut depinxit Hippocrates: Veritas eſt Nympha pulchra, ſimpliciter ornata, illuſtris ac ſpeudida, cujus oculorum orbes puro lumine nitent, & inſtar aſtrorum fulgent; hujus imaginem ad pectus ſuſpenſam olim geſtabant Judices. Illam enim ipſi aſpicere debent & ſuſpicere, tanquam Deum judicia & tribunalia regentem. Nam ut ait Eſdras l. 3. c. 4. *Veritatem invocat omnis terra, cælum etiam ipſam benedicit, & omnes creaturæ reverentur, & non eſt cum ea quicquam iniquum. Iniquus Rex, iniqua mulieres, iniqui omnes filii hominum, & iniqua omnia illorum opera, & non eſt in ipſis veritas, & in ſua iniquitate peribunt: & veritas manet & invalеſcit in æternum, & vivit, & obtinet in ſæcula ſæculorum. Nec eſt apud eam accipere perſonas, neque differentias; ſed quæ juſta ſunt facit omnibus, injuſtis ac malignis, & omnes benignantur in operibus ejus. Et non eſt in judicio ejus iniquum, ſed fortitudo, & regnum, & poteſtas & majeſtas omnium ævorum in ipſa ſtabilitur.* Benedictus ergo Deus veritatis, & qui illum imitantur in veritate judicando, & omnia ſua ad veritatis normam exigendo.

Veritatis emblem.

4. *Qui oderint Avaritiam.*

Quartò dicit: *Et qui oderint avaritiam*: Quia avaritia juſtitiæ & veritatis eſt inimica, eam ſupprimit & opprimit lucro inhians, & Judicem excæcat, aut pulvere ejus aſpergit oculos, ut lucro obtuſi non bene videant veritatem. Hinc adeò frequenter inculcat ſcriptura Judicibus ne munera accipiant, ne per illa quandam cæcitatem incurrant. Deut. 10. *Non accipies perſonam, nec munera*, Deut. 16. *quia munera obcæcant oculos ſapientum, & mutant verba juſtorum.* Quod idem dicitur Exod. 23. Munera enim inclinant affectum, deinde affectus inclinat & obnubilat rationem & judicium, denique ratio inclinat ſententiam in favorem ejus qui munera dedit & ſic victa eſt ſapientia lucro. Similis etiam eſt ſententia Eccl. 20. *Xenia & dona excæcant oculos Judicum & quaſi mutus in ore avertit correptiones eorum.* Quæ quidem poſtrema verba obſcuritatem habent, quia Græca legunt loco vocis (mutus) φιμὸν, quod idem ſignificat quod frænum aut obturationem, teſte Janſenio: Et ideo aliqui legunt. *Quaſi fræna in ore*, & pluraliter legunt: *avertunt*: Et tunc ſenſus eſt clarus, quod dona judices cæcos reddant, & quaſi injecto fræno mutos, ut non videant quod videndum eſt, nec proferant, quod dicendum eſt, & abſtineant à juſtis correptionibus delinquentium. Alii ſic intelligunt. Donum avertit eorum conceptiones, ut fiant quaſi muti. Lyra autem & Dionyſius, nomine (muti) hic putant ſignificari ſpeciem ranæ, quæ Græcis dicitur Calamita, & in os canis latrantis projecta adimit latrandi potentiam, uti docet Strabo. Sic & donum projectum in os eorum qui debent corrigere ſubditos, facit ut de iis verum ſit illud Iſaiæ 56. *Canes muti, non valentes latrare.* Videmus id quotidie in illis quorum eſt punire, ſive laicos ſive Eccleſiaſticos. Veniunt ad eos inſtar canis volentis devorare, ſed ſi pars autem in os injicitur, latra-

Deut. 16. 19. Exod. 23. 8. *Cavenda munera.* Eccl. 20. Janſenius in hunc loc. Lyranus & Dionyſius hic. Strabo, & ex eo Iſidorus li. 12 Orig. c. 6 Iſa. 56. 10.

Digitized by Google

lamarum perdunt, & omnem correctionis loquelam.

Licet verò non omnes qui munera accipiunt corrumpantur, tamen de libertate eorum aliquid demitur, & meritò præſumptio contra illos habetur. Quia ſicut matrona non præſumitur caſta, quæ cum rogatur, munera accipit; ita nec judex munus accipiens, à corruptione immunis eſſe putatur. Hoc attendens noſtro ſæculo Thomas Morus Judex æquiſſimus & ſapientiſſimus, (de cujus nece audiens Carolus V. dixiſſe fertur: *In Moro Henricus Rex totius Angliæ Caput præſcidit*) munerum planè omnium contemptor fuit. Quadam vice vidua, cui litem adjudicarat, obtulit ei poculum aureum. Ille accepit quidem, ſed vino replens ei præbibit, & reddidit, nec ultrà attingere voluit, teſte Stapletonio in vita ejus. Sed illud planè mirabile, quod cum à puero in Republica verſatus eſſet, ad annum ætatis 50. ſummis perfunctus muniis, annuum tamen cenſum toto tempore non auxerit, ultra 70. aureos.

De Thoma Moro Stapl. in ejus vita c. 3.

Egregium quoque eſt quod de Martino Cardinali legato in Dacia refert Bernardus. Is, inquit, legatione functus tam pauper remeavit, ut penè expenſis & equis deficientibus vix perveniret Florentiam. Ibi Epiſcopus loci donavit ei equum, quo Piſas uſque, ubi eramus tunc, pervectus eſt. Poſtridie credo ſecutus eſt Epiſcopus (erat enim ei cauſa cum adverſario, & agendi erat dies) cœpit requirere ſuffragia amicorum, cùmque per ſingulos ſollicitaretur, ad Martinum ventum eſt, in quo fiducia major erat, quod non poſſet immemor eſſe recentis adhuc beneficii. Tum Martinus: decepiſti me, inquit, neſciebam tibi imminere negotium. Tolle equum tuum ecce in ſtabulo eſt; & eadem hora reſignavit illi. *Quid dicis mi Eugeni: nonne alterius ſæculi res eſt, reduſſe legatum de terra auri ſine auro, tranſiſſe per terram argenti & argentum neſciſſe, donum inſuper quod poterat eſſe ſuſpectum illico reſeciſſe?* Hæc Bernard. lib. 4. ad Eugenium.

Munera quando amovenda Hier. Platus l. 1. de Card. c. 1. ex D. Bern. l. 4. de conſ.

Meritò verò B. Pet. Damiani l. 2. epiſt. 2. ſcribens ad Cardinales, dicit omnes Eccleſiæ clades venire ex avaritiæ vitio, præſertim in accipiendis muneribus. *Illis quippe acceptis*, inquit, *ſi contra datorem quid agere volumus, mox in ore noſtro verba molleſcunt? locutionis acumen obtunditur, lingua quadam roboris erubeſcentia prægravatur. Mens percepti muneris conſcientia debilitat judicialis ſententiæ vigorem, reprimit eloquentiæ libertatem. Nam etſi judicii rectitudo funditus non adimitur, judicandi tamen authoritas enervatur. Ergo juxta Prophetam Excutiamus manus à munere, & nocendi ſive juvandi ſervemus nobis ingenuam libertatem, ut non luigemus ſub ſervitute pecuniæ, ſed ſerviamus in libertate juſtitiæ.* Ita ille.

P. Damia. l. 2. ep. 2.

Sed quia aliqui dicunt, ego quidem nihil quæro, ſed ſi quid gratis offertur, non recuſo. Reſpondet ipſe: Ecce apud Prophetam Iſaiam, non notantur ii qui munera quærunt, ſed qui diligunt,

Iſa. 1. 23.

principes, inquit, *ſui infideles, ſocii furum, omnes diligunt munera.* Et meritò etiam ſocii furum dicuntur: Qui dum furtiva dona ſuſcipiunt, à comminiſtris & conſodalibus deprehendi velut in furti crimine timent.

Quod verò diximus de teſtibus eos quadrupliciter corrumpi, etiam verum eſt de judicibus; nam de his expreſſe dicit Iſidorus: *Quatuor modis pervertitur humanum judicium, odio, cupiditate, timore, amore*: Timore, dum metu poteſtatis alicujus veritatem loqui paveſcimus. Cupiditate, dum præmio muneris alicujus corrumpimur. Odio, dum contra quemlibet adverſa molimur. Amore, dum amico vel propinquis complacere contendimus. His enim quatuor cauſis ſæpè æquitas violatur, ſæpè innocentia læditur.

Judices quadrupliciter corrumpuntur.

Hinc conqueritur Innocentius l. 2. de vilit. condit. hum. *Vos non attenditis merita cauſarum, ſed perſonarum, non jura, ſed munera, non quod ratio dictat, ſed quod voluntas affectat, non quod licet, ſed quod libet: nunquam in vobis eſt ſimplex oculus, ut totum corpus lucidum ſit; ſed aliquid ſemper immiſtitiis fermenti, quo totam maſſam corrumpatis. Pauperum cauſam cum mora negligitis, divitum cum inſtantia promovetis; in illis rigorem oſtenditis, in iſtis ex manſuetudine diſpenſatis; iſtis reverenter aſſurgitis, illis deſpicabiliter communicatis.* Hiſce judicibus corruptis & juſtitiam Virginem ſibi commiſſam corrumpentibus advigilare debent Principes, & gladium ultricem in eos exercere, qui cum perſonam Dei in terris agant, injuſtitiis ſuis illam conſpurcant & vilem reddunt; & cum pauperum ac viduarum lachrymas deberent abſtergere: ipſi potius illas eliciunt eorum jus perverendo. *Sed lachryma vidua in maxillis ejus, & cùm videantur in terram deſinere, aſcendunt uſque ad coelos, & exclamatio earum ſuper deducentem eas*, ut dicit Sapiens.

Innoc l. de vilit. condit. hum.

Eccl. 35. 18

Memorabile hac de re eſt factum S. Annonis Epiſcopi Colonienſis ejus nominis ſecundi, quod refert Nauclerus volum. 2. gener. 36. an. 1073. Cum poſt ſeditionem quandam Colonienſem contra ipſum, ageret in arce ſeu monaſterio Sigembergenſi quod hodie eſt in Ducatu Bergenſi haud procul à Bonna, contigit judices alti judicii Colonienſis, pauperculæ cuidam mulieri iniquam ferre ſententiam. Mulier depoſitura querelam apud Archiepiſcopum de injuria ſibi à Scabinis illata, Sigembergam venit. Præſul illos mox ad ſe cum ſuis judiciariis libellis venire jubet. Rogat, cur ſic tam injuſtè viduam judicaſſent? Non habentibus quo ſe excuſarent, mandat omnium oculos effodi, uni interim cujus filium è fonte ſuſceperat ſic parcens, quod huic unus tantum oculus eruerctur, & eſſet qui alios ſex reduceret domum. Utque hujus rei memoria firmius hæreret, juſſit domorum, in quibus iſti judices excæcati habitabant, ſummis faſtigiis ſuperimponi lapideum abſque oculis caput, quo ſic ab iniquis judiciis etiam poſteri

Memorabile quid de alio Judice Colonie.

Naucl. vol. 2. gen. 36. ann. 1073.

Scabini excæcantur ob injuſtitiam.

Digitized by Google

deterrentur. Horum Capitum ſupererant Coloniæ adhuc, cùm hæc ſcribetem, reliquiæ, præſertim in aliquo rerum venalium foro. Hæc Nauclerus.

Plutarch. de Iſid. Osir Iud. sine manibus & oculis pingebantur. Pſ. 81. 2. Val. Max. l. 6. c. 3.

Meritò certè ille ipſos exoculavit, qui perſonas & munera potius quam jus aſpicere ſolebant; nam & Plutarchus refert apud Thebanos, in foribus judicialibus, judices ſine manibus, & præſidem ſine oculis depictum fuiſſe; ut ſignificaretur, illos non debere accipere munera, nec in peccatorum facies aſpicere, juxta monitum Prophetæ. *Vſquequo judicatis iniquitatem, & facies peccatorum ſumitis.*

Severius verò eſt, quod de Cambyſe Rege Perſarum refertur. Hic enim cum judicem quendam in injuſtitia deprehendiſſet, eum excoriari juſſit, & pellem ejus affigi ad ſedem judicialem; filium verò loco Patris judicem inſtituit, appenſis ad tribunal his verſibus:

Sit tibi lucerna pellis, ſedesque paterna,
A manibus rejeces munus, ab aure preces.

Judices iniquos Deus punit

Porro ſi homines judicia iniqua ſectantes, & æquitatem conculcantes, à punitione immunes evadunt: aut quia ſuperiorem judicem non habent, aut quia illi authoritatem in eos habentes non advigilant: non evadent tamen ipſi ſupremi judicis Dei cenſuram, qui nihil injuſtum relinquit multum, & quandoque etiam durante hac mortali vita in impios judices judicia horrenda exercet. Hinc cum aliqui injuſtè damnati ad tribunal Dei appellarunt, frequenter contigit judices ipſos tempore à reis condicto, ad dictum tribunal iſti.

Injuſtè damnati ad Dei tribunal appellarunt.

Referunt Jo. Mariana & Lipſius Fernandum Legionis & Caſtellæ Regem, duos nobiles ex Carvajalorum familia de proditione ſibi ſuſpectos, ſed inauditos, præcipiti judicio de altiſſima rupe deturbari juſſiſſe. At illi præcluſam ſibi defenſionem & præſentem mortem cernentes, Chriſto æquiſſimo judici cauſam ſuam commendarunt, & ad ejus tribunal intra trigeſimum diem Fernandum Regem citaverunt. Nec inanis fuit eorum provocatio, quoniam trigeſimo poſt die morte percuſſus, coram divino judice evocatus fuit.

Jo. Mariana l. 5. de rebus Hiſp. c. 11. An. 1312. Lipſius l. 2 exempl. c. 11.

Scribit idem Fulgoſus, Equitem Neapolitanum cum reliquis Templariis confratribus ſuis ad ſupplicium raptum, ad Clementem ſextum, & Philippum Pulchrum Franciæ Regem, quorum auctoritate necabatur, de feneſtra proſpectos, exclamaſſe. *Quando inter mortales nullus mihi jam ſupereſt ad quem appellem; ad juſtum judicem Chriſtum, qui nos redamat, appello, ut ante ejus tribunal ante annum & diem vos aſſtatis, ubi cauſam meam exponam.* Intra annum verò uterque rationem Deo redditurus mortuus eſt.

Fulgoſus l. 1. c. 6.

Auctor deinde eſt Joannes Pauli, Rudolphum Auſtriæ Ducem, Equitem auratum damnaſſe, ut ſacco incluſus mergeretur. Eques autem conſpecto prius Duce, exclamavit: *Dux Rudolphe, ad tremendum Dei tribunal intra annum te voco.* Ille irridens reſpondit: *Benè praſto, ego tum adero.* Exacto tempore incidens in febrim, appellationis recordatus ſervis dicit; *Tempus mortis mea inſtat, ad judicium eundum;* & ſtatim obiit.

Jo. Pauli.

Ex hiſtoriis denique Britanniæ Armoticæ recitat Æneas Sylvius, Franciſcum illius Ducem, fratrem ſuum Ægidium læſæ majeſtatis falſò accuſatum, in carcere necaſſe. Hic paulò ante mortem conſpecto Franciſcano adjuravit eum, ut ad fratrem Ducem enuntiaret, quatenus intra quadrageſimum diem ad Dei tribunal ſe ſiſteret. Franciſcanus ad Ducem in finibus Normanniæ, fratris mortem appellationemque denuntiat. Dux territus, illicò malè habuit, & creſcente indies morbo ad dictum diem expiravit. Æn. Syl.

DE ADVOCATIS ET Notariis.

PROPOSITIO III.

Prohibetur quoque hic omnis falſitas in judicio per quaſcumque perſonas.

Cum multæ perſonæ concurrant in judiciis forenſibus ad inſtruendum judicem, frequenter contingit falſa aliqua intercurrere. Concurrunt enim Advocati, Procuratores, Graphiarii, Notarii. Quorum aliqui falſa allegando peccant, alii falſa inſtrumenta ſupponendo, aliiſque injuſtitiis, dolis, fraudibus adverſam partem circumveniendo. Et hos maximè contingit auro, pecuniaque corrumpi, & venalem habere linguam, calamum, animam. De his dixit Sidonius: *Hi ſunt qui cauſas protrudunt adhibiti, impedunt praetermiſſi, faſtidiunt admoniti, obliviſcuntur locupletati. Hi ſunt qui emunt lites, vendunt interceſſiones, deputant arbitros, judicanda dictant, dictata convellunt, attrahunt litigatores, protrahunt audiendos, retrahunt tranſigentes.* Sidonius.

De his videri poteſt Caſſiodorus ſuper Pſalmum 73. ubi inter cætera dicit: *Hi ſunt quorum ſi nares affluverit cujuſquam rubiginoſa aura marſupii, confeſtim videbis illic oculos Argi, & manus Briarei, & ſphingum ungues; cum eo & perjuria Laomedontis, & Ulyſſis argutias, & Simonis fallacias, & fidem Polymneſtoris, & putatem Pygmalionis adhiberi. Ipſorum etiam ſilentium venale eſt, ac lingua eorum damnificata, niſi funibus argenteis ligetur.* Caſſiod. in Pſ. 75. Pſ. 103. 25

Rectè proceſſibus & litibus accommodaveris illud Pſal. *Hoc mare magnum & ſpatioſum manibus, illic reptilia quorum non eſt numerus.* Loquitur quidem ibi Proph. de Oceano multa habente brachia, quibus redditur mare ſpatioſum; nam

Hebræi vocant *manus maris*, idem quod nos brachium maris, aut gurgites spatiosos. Sed applicari recte potest Palatus & Curiis, ubi tribunalia processibus redundantia. Sunt enim hæc tribunalia litibus anfractuosa, quasi brachia & gurgites maris, in quibus se submergunt litigantes, & hi processus velut infinitum durant, ut de gurgite in gurgitem cadant litigantes; & quidquid ibi datur & expenditur, velut in diversis gurgitibus absconditur: *Ibi reptilia quorum non est numerus: omnia à te expectant, ut des illis escam in tempore*, ad te os apertum habent, ô miser litigans, sicut in mari varia animalia & monstra. Et sicut de hydra dicitur, quod cum multiplicia habeat capita, unum si abscinditur, nova repullulant: Ita verum est de his processuum sollicitatoribus, si uni satisfacias, & unius voracitas aliquantum sit mitigata, tunc alii acrius petunt: dum tu unum debitum extinxisse te existimas, nova resurgunt; da hodie, eras adhuc petunt, aliumque debiti titulum allegant. Vidisti nunc aliquando canem missa frustra carnis aut panis aperto ore captantem? Quidquid excipit, protinus integrum demittit, & properat ad spem futuri erectus & attentus: Idem illis evenit. Fuge ergo istud mare, in quo tot sanguisugæ & harpyiæ, in quo tot sirenes blandientes, & dulcibus verbis allicientes ut litem prosequaris, justissimam esse clamantes: Interim alliciunt te ut devorent & spolient, non enim terminant negotium cœptum, nisi marsupium sit evacuatum: & frequenter major expensarum est sumptus, quàm sententia fructus, imò falsis allegationibus persuadent te justam habere causam, donec allexerint in laqueum suum, & in gurgitem sinuosum, ubi facultates immergas. Hinc Origenes super illud Exodi 8. *Percutiam omnes terminos tuos ranis:* Dicit per ranas significari clamosas Advocatorum allegationes, quæ inani inflata modulatione, velut ranarum sonis & cantibus immundæ deceptionis, fabulas intulerunt.

Simile.

Orig. in c. 8. Exo.

D. quoque Bernard. ad Eugen. scribens de illis sic dicit: *Miror quomodo religiosæ aures tuæ audire sustineant hujusmodi disputationes Advocatorum, & pugnas verborum, quæ magis ad subversionem, quam ad inventionem proficiunt veritatis. Nihil enim ita absque labore manifestam facit veritatem, sicut brevis puraque narratio: præcinde ergo linguas vaniloquas, & labia dolosa claude. Hi sunt qui docuerunt linguas suas loqui mendacium, diserti adversus justitiam, eruditi pro falsitate, sapientes sunt ut faciant malum, eloquentes ne impugnent verum.* Hæc Bernardus.

Bern. l. 1. de consi. c. 10.

In Historia Æthiopiæ refertur, Regem Emanuelem ad Presbyterum Joannem, Æthiopiæ Regem, misisse magnum numerum Jurisconsultorum & legum Doctorum. Videns Rex viros istos cum librorum magno numero, inquirit quinam libri sint? Respondent ipsi, esse Leges Imperiales; Jus Canonicum & Civile, Infortiatum, Digesta, Codicem, Bartholum, Jasonem, &c. At vos, inquit, cujus professionis estis? Respondent: Nos quidem legum sumus Doctores, ut ex his libris Justitiam humano generi administremus. Tunc ait Rex: Scire vos velim me in Dominiis meis non aliam legem admittere, quam Jesu Christi, nec alios Doctores quam Augustinum, Hieronymum, & alios. Quid igitur mihi cum vestro Infortiato, Digestis, aut Codicibus? Hactenus feliciter Rempub. & Justitiam administravimus, non habentes pro Codice & Digesto aliud quam sensum communem, & maturo rationis judicio digestum sermonem, nec aliud Infortiatum quam consuetudines multis sæculis apud nos firmas, nec aliam Glossam quam praxim rationi conformem. Discedite ergo protinus de regno meo cum libris vestris, quibus potius justitiam & veritatem subvertitis quam docetis & vaniloquis sermonibus & scriptis illam adulteratis: sicque omnes ex regno suo exegit, tanquam ipsi potius nocivos, quam profícuos.

Jer. 4. 22.

Lepidum quoque est, quod de Rege Portugalliæ legitur. Post inventum novum orbem ei dicunt libellum supplicem fuisse porrectum, ut decem millia Advocatorum ad novum illum orbem transmitteret, Inquirit ille subridens, cur tantum numerum? Respondetur ei lepide: *quia numerus adhuc restans sufficiens foret ad devorandam Portugalliam, spemque esse illos linguis suis acutis plus profuturos, ad novum orbem subjugandum, quàm milites suis armis.*

Hæc quidem dixerimus, non quod necessarii non sint, rebus ut nunc sunt dispositis, Advocati, Judices, ac legum Periti: sed quia frequenter eos contingit, ut dixit Bernardus, disertos esse adversus justitiam & veritatem, & multis dolis ac fraudibus involvere causas & processus, incidentibus, allegationibus, appellationibus iniquis: ideoque peccare contra hoc præceptum, & frequenter teneri ad restitutionem, ob damnum alterutri parti injuste illatum. Hinc dicit Augustinus: *Si justitia sincerius consulatur, justè dicitur Advocato, redde quod accepisti, quando contra veritatem fecisti, iniquitati adstitisti, judicium fefellisti, causam justam oppressisti, de falsitate vicisti. Quis tandem Advocatus facile reperitur, qui dicat suscepto suo: Recipe quos mihi, cum malè adessem) dedisti, & redde adversario tuo quod me iniquè agente abstulisti? Nisi fortè restituendum est alienum, quod furtum clanculo efferitur, & restituendum non est, quod in ipso foro ubi peccata puniuntur decepto judice & circumventis legibus obtinetur.*

August. Epist. 56.

Status ergo Causidicorum ob multas fraudes, corruptiones, falsitates, injusta lucra, iniquas causas susceptas, non caret periculo. Audi exemplum quod refertur in Chronicis Minorum to. 2. Frater Joannes Parens, qui fuit primus Minister

In chron. Minorum to. 2. l. 1. c. 35. & l. 2. hist. Se-

gene-

Digitized by Google

aphicæ
ol. 176.
ag. 2.
uct. Pe.
Rudophio

generalis poſt Franciſcum, religionem ingreſſus eſt vivente eodem ſancto: Hic dum eſſet in ſæculo, doctor erat juris, & judex civitatis Caſtelloniæ, Provinciæ Romanæ, unde erat orundus. Cum ſemel veſperi proſpiciens è feneſtra domus ſuæ, laborem porcarii in adigendis ad porcile ſuibus attentius conſideraret, audivit ſocium porcarii dicentem: Si vis ut porci citius intrent, inclama: Porci, porci, intrate veſtrum ſtabulum, eodem modo quo Procuratores & Judices deſcendunt in infernum, quibus verbis à Subulco prolatis, ſues abſque ullo ſtrepitu confeſtim porcile ingrediuntur. Quod cum videret judex, magno juſtitiæ divinæ metu percitus, judicaturæ ſuæ munus deſeruit, & factus eſt Frater Ordinis Minorum cum filio, qui vitam admodum exemplarem in orationibus & lachrymis in religione egit; adeoque aſper in refræmanda carnis titillatione fuit, ut eo tempore quo miniſtri generalis munere fingebatur, univerſa Ordinis loca nudis pedibus circumierit. Atque ita factum eſt, ut ex verbo jocoſo & ſpectaculo jucundo, ſerias ſuæ converſionis cogitationes ſuſceperit.

LECTIO XV.

DE TEMERARIO JUDICIO.

1. *Docet quomodo hic prohibeatur.*
2. *Quando ſit peccatum mortale.*
3. *Agit de remediis temerarii judicii.*

PROPOSITIO I.

Prohiberi hic quoque cenſetur temerarium de altero judicium.

lug. ſer.
92. de
emp.

RAtio eſt, quia per tale, ſibi ipſi falſum teſtimonium homo reddit de proximo ſuo. De hoc vitio loquens Auguſtinus dicit: *Maxima pars generis humani indiſcreto judicio ad reprehendendum prompta & parata eſſe probatur, cùm tamen non ita ſe velit ab aliis judicari quomodo vult alios judicare.* Ita Auguſt. Nempe, jam ab initio mundi vitium hoc charitati contrarium hominum mentes invaſit, tanquam ſemen peſſimum in agro cordis humani, à ſatana ſatum, quod adhuc quotidie pullulat, & maledictum germen producit. Hinc ſtatim ab initio Cain male judicat de Abel, Eſau de Jacob, Fratres de Joſeph, Maria de Moyſe fratre ſuo, Heli de Anna, Saul de Davide, Phariſæi de Chriſto, & de Joanne.

Matth. 11. 18. Hinc ſanctiſſimi quique temeraria hominum judicia non evadunt: *Venit enim Ioannes, neque bibens, neque manducans, & dicunt: Dæmonium habet, venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Vorax eſt & potator vini.* Ita homines temerarii pro affectu ſuo judicant, & quod virtutis eſt, vitio deputant & quod vitii eſt, virtuti. Meritò hac de re queritur Sidonius Apollin lib. 7. ep. 7. his verbis: *Quis non erubeſcat, cùm videat ſordidari virtutum ſinceritatem criminatione vitiorum? Si eligimus humilem, vocatur abjectus. Si proferimus erectum, ſuperbus cenſetur, Si minus inſtitutum propter imperitiam creditur irridendus. Si aliquatenus doctum propter ſcientiam clamatur inflatus. Si ſeverum, tanquam crudelis horretur. Si indulgentem facilitate culpatur. Si ſimplicem, deſpicitur ut brutus. Si acrem, vitiatur ut callidus. Si diligentem, ſuperſtitioſus decernitur. Si remiſſum, negligens judicatur; Si ſolertem cupidus. Si quietum, pronunciatur ignavus. Si abſtemium produximus, avarus accipitur. Si eum qui prandendo paſcat, edacitatis impetitur. Si eum qui paſcendo jejunet, vanitatis arguitur. Libertatem pro improbitate condemnant, verecundiam pro ruſticitate faſtidiunt. Rigidos propter auſteritatem non habent charos; blandis apud eos communione vileſcunt,* Hæc ille. Sidonius Apoll. l. 7. ep. 7.

Simili modo conqueritur D. Chryſoſtomus: Si quis, inquit, ſtudet humilitati, dicunt hypocrita eſt: ſi recreationi, guloſus eſt: ſi patientiæ, timidus eſt; ſi juſtitiæ, impatiens eſt; ſi ſimplicitati, fatuus eſt; ſi prudentiæ, malitioſus eſt; ſi maturitati, phlegmaticus eſt; ſi jucunditati, diſſolutus eſt; ſi religioni, ſingularis eſt, ſi ſocietati, ſæcularis; ſi vigiliis & orationibus, indiſcretus eſt; ſi dormitioni, ſomnolentus eſt; ſi prædicationi & aliorum ſaluti, appetitor laudis eſt; ſi deſiſtat, negligens eſt, ſi habet gratiam hominum, adulator eſt; ſi adulari renuit, dicitur quod ſuperbus eſt. Hæc S. Chryſoſtomus. S. Chryſ.

Licet verò in veritate quandoque videantur fundata hominum judicia, tamen periculoſa ſunt, & ut plurimum alicui temeritati & falſitati obnoxia. Quem enim judicas malum, ſubitò bonus fit, quemque inter bonos enumerabas, ſubitò fit peſſimus. Quid ſit hodie quiſquam homo vix novit, & ſi novit quid hodie, quid eras nec ipſe quidem novit. Phariſæus malè judicabat de Publicano, qui tamen ob cordis contritionem Deo erat acceptior ipſo. Simon male judicabat de muliere peccatrice, quæ juſtior ipſo erat, cujus lachrymæ jam erant Deo acceptæ; ſic homo videt in facie, Deus autem in corde. Multi ſanctiores apud Deum, qui inferiores putantur, & contra. Et cum omnia ſubjecta ſint mutationi, non poſſunt eſſe ſtabilia hominum judicia. Lucifer cadit de Cœlo, Adam de Paradiſo, Judas de Apoſtolatu. David peccat inter Prophetas, Salomon inter Sapientes, Petrus inter Apoſtolos, omnia inconſtantiæ obnoxia ſunt: nulla ſecuritas hominum, nulla certitudo judiciorum, Judas damnatur, Latro ſalvatur, Magdalena juſtificatur, Nicolaus Diaconus reprobatur, Luc. 18. 12. Luc. 7. 39. Rom. 14. 4.

Digitized by Google

Phariſæus reiicitur, Publicanus exauditur. Quis eſt ergo qui judicet alienum ſervum ? Quis eſt qui contemnat proximum ? *Domino ſuo ſtat, aut cadit. Stabit autem, potens enim eſt Deus ſtatuere illum.*

Si quis in manu vel officina artificis ſtipitem aliquem inveniret, & contemneret quia informis eſſet, velletque igni tradere quaſi inutilem, certe judicium ejus erroneum foret. Quid ita ? quia artifex poteſt illud lignum ſic polire, ut ſpecioſam etiam ſtatuam ex illo poſſit efficere. Sic nemo ullum hominem contemnere debet, aut ſeverè judicare, quia licet ad tempus inutilis, vilis videatur, tamen in manibus ſupremi artificis eſt, qui etiam poteſt ex lapidibus filios Abrahæ ſuſcitare.

Non eſſe facile judicandum de aliis. Surius in vita ejus tom. 1.

De S. Joanne Eleemoſynario legimus, condemnationis judicium planè exhorruiſſe. Quidam juvenis impudicus virginem Deo ſacram ad libidinis ſuæ intemperantiam allexerat, & ſecum Alexandria cum totius civitatis ſcandalo abduxerat. Nemo non erat qui juvenem illum æternæ damnationis filium, & ſceleſtum & ſacrilegum appellaret. Quod cùm vir ſanctus audiviſſet, graviter reprehendit dicens. Nolite ô filii, nolite tanta facilitate de proximo judicium ferre : Duo namque gravia mala incurritis, unum quod præceptum illius transgredimini, qui nos ante tempus judicare prohibet : alterum quod ſumma temeritate aliorum judices vos conſtituiſtis : incertum enim eſt, an hùc uſque peccati vinculis alligati maneant, an verò Dei benignitate ſoluti, peccati jugum à cervicibus ſuis excuſſerint : An ignoratis, quod eo judicio, quo judicatis, judicabimini ?

Ex doctrina Dorothei c. 6. Biblioth. PP. to. 2. Senior fratrem judicans ab Angelo deprehenditur.

Audi quid de eadem re dixerit B. Dorotheus : *Nihil gravius, nihil difficilius, quàm proximum judicare vel contemnere, cur non magis non ipſos dijudicemus de malis propriis quæ optimè novimus, de quibus reddere cogemur rationem ? Quid ad nos de creatura & ſervo alieno ?* An non contremiſcimus totis viſceribus dum audimus quid ſeniori illi magno contigerit ? Qui cum audiſſet unum è fratribus in adulterium cecidiſſe, cum indignatione quadam, quod malefeciſſet, reſpondit. Ajunt verò, ſanctum Angelum peccatoris illius animam, cùm è vita demigraſſet, ad ſenem detuliſſe, atque dixiſſe : *En quem judicaſti vita ſanctus eſt, quò me igitur jubes ipſius animum deferre, ad ſuperojne, an ad inferos ?* Nec aliud voluit innuere Angelus, quam ſi dixiſſet : *Si tu juſtorum jam factus es Judex, dic mihi de miſerabili hac anima, quam ſententiam feras velìne miſereri an ſævire ?* Contritus ſenior ille ſanctiſſimus, reliquum vitæ tempus inter lachrymas & æruminas egit, veniam tanti peccati depoſcens. Ad pedes tandem Angeli reverentiis procidens, audivit impetraſſe ſe veniam à Deo, Deumque id feciſſe, ut oſtenderet, quam ei grave & moleſtum eſſet judicium temerarium, monuitque ne animo id unquam faceret. Non tamen potuit ex his verbis anima illa amariſſima conſolationem ullam admittere, ſed perpetuis pœnis tormentiſque ſeſe dum vixit, addixit. Hæc ille Dorotheus.

Cæterum, cum homines faciles ſint in judicium temerarium de actionibus noſtris, hinc eſt, quod plurimum judicia eorum ſint contemnenda, juxta Apoſtolum : *Mihi pro minimo eſt ut à vobis judicer, aut ab humano die.* Sed referat ſe unuſquiſque ad judicium conſcientiæ ſuæ diligenter exploratæ, & 1. Cor. 4. 3
ad judicium Dei quem innocentiæ patronum ſibi adſciſcat. Homines enim ut dicit Sapiens in Proverb. *In ſimilitudinem conjectoris & arioli æſtimant* Pro. 23. 7
quod ignorant. Itaque, ſi noveris hominum judicia contemnere, nihil illa tibi nocebunt ; ei autem qui temerè judicat, ipſa temeritas ut noceat neceſſe eſt. Sic Chriſtus, cum Apoſtoli illi referrent Phariſæos ejus ſermone ſcandalizatos dixit : *Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum.* Mat. 15. 14.

Sic B. Gregorius Nazianzenus cùm homines calumniarentur ipſum affectaſſe Cathedram Conſtantinopolitanam : *Quid mea*, inquit, *intereſt ? rei veritatem magis curo, imò ſolum curo. Hoc enim vel me condemnaveris, vel abſolveris ; ſed quia aliis videatur nihil ad nos, ſicut nec alienum ſommium. Sed non ita aliis videtur*, inquis. *Quid verò an ut quivertigine correpti ſunt, terra fixa & ſtabilis eſſe videtur ? Quocirca fac priùs fidem, ſanos eos eſſe qui de nobis ita ſentiunt, & tunc nos admone ut meliorem mentem induamus.* Ita ille. Greg. Nazian.

PROPOSITIO II.

Judicium temerarium peccatum mortale eſt, ſi de re gravi ex levibus indiciis judices.

RAtio eſt, quia per tale judicium, apud teipſum cenſeris diffamare & vilipendere proximum ſine cauſa ſufficienti ; non habens talem opinionem & æſtimationem probitatis ejus, qualem ex charitate habere teneris. Unde ſicut tu grave damnum infers proximo, apud alterum ejus famam aut bonam opinionem lædendo, ita & apud teipſum ; quia non minus optat proximus apud te æſtimari probus, quàm apud alterum. Debet autem eſſe firmitas quædam in judicio tali ; unde ſuſpicio, licet fraternæ etiam charitati contraria ſit, ordinariè tamen non eſt mortalis. Debet etiam eſſe conſenſus abſolutus in illud judicium ; nam multos contingit temerariis judiciis tentari & inquietari, non tamen perfectè conſentire ; & tunc verum etiam eſt illud Bernardi. *Non nocet ſenſus, ubi non* Bern.
eſt conſenſus. Solet ſatan, ſalutis noſtræ inimicus, dictum 1.
nuptis ingerere temeraria hæc judicia & ſuſpiciones, quia novit per illa charitatem vel perire vel tepeſcere : attamen diligenter exploranda eſt voluntatis conſenſio, quia in his frequenter dubium eſt, an illa acceſſerit, an verò ſit ſolum ſatanæ illectantis vexatio & inquietatio. 1. Quis infertur injuria proximo.

Eſt

. *Inſertur iniuria Deo.*

Eſt etiam ultra injuriam proximo factam ; injuria quædam contra Deum in temerario judicio : quia quodammodo uſurpamus ipſius jurisdictionem, & judicandi auctoritatem, ut antea diximus. Hinc dixit B. Joannes Climacus : *Judicare eſt impudens direptio dignitatis divinæ.* Et ſcriptura clamat: *Nolite ante tempus judicare, &c.* Item : *Nolite judicare, & non judicabimini ; nolite condemnare, & non condemnabimini.* Hinc qui alios judicarunt temerariè, aut condemnarunt, judicium & condemnationem ſive punitionem Dei frequenter ſubierunt. Soror Moyſis quæ temerè judicaverat de Moyſe propter uxorem Æthiopiſſam, percuſſa eſt lepra. Michol uxor David, quia levitati & non humilitati attribuit quod David ante arcam ſaltaret, perpetuam ſterilitatis contumeliam incurrit. Hanon Rex filiorum Ammon, cum Legatos Regis David temerario judicio tanquam exploratores habuiſſet, & propterea partem barbæ & veſtium uſque ad nates ſuccidiſſet, pro barbis taſis capitis diadema, pro ſuccifis veſtibus regnum amiſit. Amici Job qui eum de impatientia temere judicarunt, cum ipſe patientiæ ſpeculum foret, caſtigati fuiſſent à Deo, niſi Job pro ipſis oraſſet. Phariſæus à Deo reprobatur & condemnatur, quia injuſtè publicanum judicarat. Sic cum Melitenſes D. Paulum tanquam homicidam temerario judicio reputarent, quia ejus manu vipera adhæſerat, ſtatim Deus illius innocentiam defendendam ſuſcepit, & ipſorum temeritatem condemnavit : quia nec eum læſit vipera, ſed potius effectum eſt, ut exinde in illa inſula viperæ omnes & animalia venenata venenum deponerent. Imò ſi aliunde illuc inferantur, amittunt venenum, aut ſi terra inde adſportata alibi applicetur venenatis animalibus, intermoriuntur. Et hanc gratiam incolæ Melitenſes vocant *gratiam S. Pauli.*

. Clima. . Cor. 4. 5. Mat. 7. 1. Num. 12. 10. 1. Reg. 6. 23. 2. Reg. 10. 4. Job. 4. 5. Luc. 18. 11 Act. 28. 4.

Unde oriatur temerarium Judicium. 1. Ex odio & invidia.

Habet vero hoc vitium diverſas radices, & tanquam filia peſſima diverſas matres. Ac inprimis orti ſolet ex odio & invidia : Sic frequenter Phariſæi in judicia temeraria de Chriſto lapſi ſunt, excæcante eos invidia, dum eum vocant Samaritanum, judicant Potatorem, accuſant Dæmoniacum Sic & Judæi Apoſtolos Spiritu Sancto repletos judicant muſto plenos, invidiæ & odii livore tabeſcentes. Nempè, qui averſionem ab aliquo habet, facilè ſiniſtrè interpretatur omnes illius actiones, & erroneè de illis judicat : quia unuſquiſque faciliter credit, quod appetit : Sicut è contrario cum aliquis alteri afficitur, omnia ejus geſta in bonum interpretatur : quia charitas non cogitat malum, ſed pallium etiam invenit quo aliorum delicta operit. Itaque defectus eſt charitatis, dum aliorum actiones judicamus, & ſiniſtrè interpretamur, & ibi culpam eſſe contendimus, ubi culpa non eſt, aut ſi quæ culpa levis eſt, illam exaggeramus. Sic hæretici minimas Religioſorum aut Eccleſiaſticorum culpas ſcrutantes, exaggerant, perverſè judicant, imò & actiones eorum laudabiles, ſiniſtrè interpretantur, vitio tribuunt odio excæcati, ex illo in quælibet judicia temeraria prorumpentes.

. Matth. 11. 19. Act. 2. 13.

Sed dices : ipſimet conqueri juſtè videntur de nobis ? Nam eos judicamus hæreticos, judicamus peccato mortali obnoxios, clamamus eos in ſtatu damnationis vivere, dicimus, ſi in tali ſtatu moriantur, nunquam ſalvandos, nunquid hoc eſt judicare, nunquid hoc eſt condemnare ? & tamen ſcriptum eſt : *Nolite judicare, & non judicabimini, &c.*

De Judicio hæreticorum.

Reſp. nos eos non judicare ex nobis, ſed quid Deus & Scriptura de iis contineat declarare ; ſicque judicio de ipſis a Deo & Scriptura pronunciato nos conformare, & ſic contra hoc præceptum non incurrimus. Videant verò ipſi, qua temeritate, & pervicacia parentes ſuos à mille & quingentis annis pie in fide Catholica defunctos condemnent. Nequam utique progenies, parentes ſuos temerario judicio erronei gladio confodiens, & æternis flammis addicens.

2. Ex corde malitia infecto.

Altera judicii temerarii radix eſt cor malitia infectum, quod alios judicat ſibi ſimiles. De quo dixit Sapiens : *Sed & in via ſtultus ambulans, cum ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat.* Sic ſolemus dicere : Qui fur eſt, omnes alios fures putat. Qui ſuperbus eſt, proximi ſermones omnes ſuperbiæ accuſat. Qui incontinens eſt, alios incontinentiæ obnoxios dijudicat, & ita ſi adoleſcentem, ſi Religioſum, ſi Eccleſiaſticum, cum virgine aliqua colloqui conſpicit, de rebus impudicis tractare judicat, omnes ſibi ſimiles putat. Eccl. 10. 3.

3. Ex ſuperbia.

Tertia radix eſt ſuperbia, quia aliorum reprehenſione à peccato immunes videri volumus, aliiſque juſtiores. Hac de cauſa Phariſæi arguebant diſcipulos, quod Sabbato vellerent ſpicas, manibus non lotis manducarent, ut ſe illis præferent, & eorum auctoritatem elevarent. Hæc verò radix peſſima, quandoque etiam germinat pravi judicii infœlicis ſurculos in illis qui ſpirituales videri volunt : & de illis verum eſt illud quod Apoſtolus dixit (ſed vero & ſublimiori ſenſu *ſpiritualis judicat omnia.* Videntur in ſe ipſis Dei dona agnoſcere, & evaneſcunt in cogitationibus ſuis, aliiſque quos minimis defectibus obnoxios deprehenderint, minoris æſtimant, erroneè dijudicant, & ſe præferunt. Contra quod vitium D. Franciſcus fratres ſuos muniens dicit : *Moneo & exhortor fratres meos, ne deſpiciant, neque judicent homines, quos viderint mollibus indumentis & coloratis indutos ; cibis & potibus delicatis nutritos ; ſed magis unuſquiſque judicet & deſpiciat ſeipſum. Et ſi haberem tantam ſapientiam quantam Salomon, & invenirem pauperculos Sacerdotes in Parochiis in quibus morantur, nolo prædicare contra voluntatem ipſorum. Et ipſos, & omnes alios volo timere, amare, honorare ſicut meos Dominos. Et nolo in ipſis conſiderare* 3. Cor. 2. 15. Franc. in reg. & teſtam.

Digitized by Google

peccatum , quia filium Dei diſcerno in eis & Domini mei ſicut.

D. Bonav. in legenda S. Franciſci c. 8.

Hinc & ipſe pravi judicii aut ſuſpicionis culpam quodam die in fratre caſtigavit. Cum enim pauperculo obviam facto Franciſcus compateretur, ob nuditatem & indigentiam illius , cœpit cum fratre itineris ſui ſocio agere verbis valde teneris, magnæ compaſſionis indicibus , de hominis illius magna paupertate. At ille cœpit dicere. Pater, etſi ille rebus pauper eſt , forte deſiderio & concupiſentia dives eſſe cuperet , ſupra cæteros etiam divites. Hoc audito, Franciſcus graviter eum reprehendit ſuſpicionis ſeu judicii temerarii : & pro ſatisfactione rei præcepit , ut ad pauperem illum regrediens , tunica ſeſe exueret , & ſe proſternens ad pedes ejus nudum operiret , culpamque ſuam agnoſceret , murmurationis ac judicii de illo pravi. Quam quidem ſatisfactionem compunctus ille ſtatim adimplevit.

Bonav. in ſtimulo amoris, c. 20.

Suffocandum ergo eſt hoc ſemen peſſimum temeritatis ſuſpicionis aut judicii, quacumque ex radice originem trahat , quia maxime Deo diſplicet. Et, ut dicit D. Bonaventura in ſtimulo amoris c. 10. Occulta peſtis eſt ſed graviſſima , quæ Deum fugat, & fraternam lacerat charitatem ; & qui illo vitio carent Deo placent qui charitas eſt , & juxta charitatis menſuram omnia remunerat , operitque illam multitudinem peccatorum, defectuſque noſtros apud Deum excuſat.

Baron. to. 8. an. 599. nu. 14.

Patet id exemplo quod in vita Sancti Anaſtaſii Sinaitæ refertur : Ubi ita legimus. Vir unus ex illis qui monachali inſigniti ſunt ſchemate , cum negligentiſſime per ſummum otium vitam ſuam omnem exegiſſet , ea quæ eſſet ad mortem infirmitate cœpit infirmari. Cumque jam ultimum ſpiritum duceret, ſuam ipſius mortem nequaquam perhorreſcens , ſumma voluntate magnaque cum gratiarum actione exolutus vinculis excedebat. Ad quem aſſidentium Patrum unus : *Frater perſuaſum tibi habeto , & putaſſe nos & vidiſſe , ſumma negligentia animique remiſſione vixiſſe te ad hoc uſque tempus : Et unde hac tibi nunc tanta ſecuritas ? Id vero omnes neſcimus.* Cui reſpondet frater. *Eſt ita omnino Patres , vitam per ſummam negligentiam duxi, ſed Angeli Dei eadem hac ipſa hora peccatorum meorum ad me chyrographum attulerunt ; cumque ea quæ feciſſem, poſtquam ſæculo renunciaſſem , peccata legiſſent , nunquid agnoſcerem , rogaverunt. Quibus ego : maximè verò, inquam, agnoſco ; ſed ex quo renunciavi ſæculo , vitamque inſtitui monaſticam ; nec judicavi quemquam, nec ab uno mihi factam injuriam meminiſſe volui : Igitur Domini verba ad me quoque pertinere opto & oro , qui dixit. Nolite judicare & non judicabimini , & dimittite & dimittetur vobis : Quæ poſtquam Angelis dixi, chyrographum peccatorum meorum conſciderunt , & inde nunc ſumma cum lætitia & ſecuritate proficiſcor ad Dominum.* Hæc uni fratri ille narravit Patribus , Domino in pace ſpiritum reddidit , magnæque adſtantibus ædificationis utilitatiſque causa & auctor extitit. Hæc apud Baron. tom. 8. anno 599.

DE REMEDIIS TEMERARII Judicii.

REmedium hujus vitii 1. eſt ſeipſum inſpicere, & propriis vitiis inſpiciendis & judicandis occupari. Si enim peccatis es obnoxius , cur te relicto alterum judicas & condemnas : *Qui ſine peccato eſt,* inquit Chriſtus , *primus in eum lapidem mittat* : Judicet ille, inquit Ambroſius, de alterius errore, qui non habet quod condemnet in ſe. Judicet ille qui non agit eadem quæ ab alio putaverit agenda, ne cum de aliis judicet , in ſeipſum ſententiam ferat. Judicet ille qui ad pronunciandum nullo odio , nulla levitate ducitur. Qui gravatur, inquit Gregorius, pondere culparum ſuarum, non debet fieri judex alienarum. Et durum eſt, ut qui neſcit tenere moderamina vitæ ſuæ, judex fiat alienæ.

Joan. 8. 7. Ambr. ſup. Pſal. 110.

Senex quidam (ut refertur in Prato ſpirit.) interrogatus à fratre, quid cauſæ eſſet, cur aſſiduè judicaret fratres Monachos ? Reſpondit : *Quia nec dum teipſum noſti : nam qui ſeipſum novit , fratrum vitia non adſpicit.*

Sophron. in præſp. c. 134.

Abbas Moyſes in deſerto Scythi celebris , accerſitus ut ſententiam diceret in fratrem lapſum , advenit onuſtus ſacco arena pleno. Interrogatus quid ferret ? Reſpondit : *Peccata mea, & quia vix ea ferre valeo, multo minus aliena judicare poſſum.*

In vitis PP. l. 5. li. de jud. tem. nu. 4.

Quidam etiam percunctatus eſt Abbatem Paſtorem ; *Qua ratione quietem in hoc ſæculo obtinere poſſet?* Reſpondet : *Hanc obtinebo, ſi in omni cauſa dicas. Quid ſum ego, & ne judices quemquam.*

Ib. nu. 5.

Verum hoc homines vitioſa conſuetudine inſitum habent , ut reſpiciant ſemper quid in alieno ſolo fiat, agrum cordis ſui negligentes. *Pes farsi,* inquit Sapiens, *facibus in domum proximi.* Hoc eſt, abit mens & oculus ad conſiderandas aliena , propriis neglectis. Finxêre Poetæ de quadam muliere dicta *Lamia,* quod quoties volebat domo egredi, oculos accipiebat, & capiti inſerebat ; cum verò eſſet domi in arca illos recludebat : Sic cœca domi erat, foris videns. Huic mulieri non pauci ſimiles ſunt ; qui cum foras egrediuntur , ferunt ſecum centum oculos , ut aliorum vitia & negotia ſcrutentur, apud ſe vero cœci ſunt, nec ſua vident. Imò feſtucam in aliorum oculis , in nobis trabem non videmus. Iram , quæ eſt veluti feſtuca, in alio ſtatim condemnamus, odium verò inveteratum , quæ meritò trabs appellatur , in nobis non conſideramus. Vitia noſtra retro, aliena ante nos ponimus : Alios rigidè & tanquam ſeveri cenſores judicamus , noſtra agnoſcere nolumus , ſed excuſare. Nemo ſe ambitioſum vult agnoſcere , aut ſumptuoſum, ſed dicunt. Non poſſum in urbe aliter vivere. Nemo avarum ſe dicit : Oportet liberis pro-

Eccl. 22. 25. Plut. lib. de curio.

Digitized by Google

prospicere. Impudicus non sum, sed adolescentiæ levitas est, & quædam ætatis vanitas. Non delector ebrietate sed hospitibus oportet morem gerere. Sic nunquam est noster error, sed eorum quæ circa nos sunt. Sumus instar mulieris illius fatuæ apud Se-
Sen. ep. 51. nec. ep. 51. quæ se nolebat cæcam agnoscere, sed dicebat domum tenebrosam esse. Habemus folia & ficus quibus nostram tegimus turpitudinem, aliorum vitia exaggeramus, dijudicamus, condemnamus, quæ pallio charitatis obtegere debueramus.

Aug. l. 2. de ser. in mon. c. 30. II. Facta aliorum dubia & incerta, in bonam partem interpretari. Ita sanctus Augustinus in illa Matth. 7. *Nolite judicare*. Facta vero aliorum certo mala, licet judicare possimus & corrigere; est tamen charitatis Christianæ sequi consilium S Bernardi, ita scribentis: *Cave alienæ conversationis esse curiosus explorator, aut temerarius judex: etiamsi perperam quid actum deprehendas, nec sic judices proximum, magis excusa. Excusa intentionem, si opus non potes: puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quod si omnem dissimulationem rei certitudo recusat, unde nihilo minus ipse tibi, & dic: Vehemens nimis fuit tentatio. Quid de me feciſſet, si in mea fuisset potestate?* Ita ille Sermone 56 in Cantica. Imitandum est Christi exemplum, qui facinus illud atrox crucifigentium excusat, dicens: *Quia nesciunt quid faciunt*. Si quis inveniat in luto Christi imaginem deturbatam, non debet irridere, sed in quantum potest, detergere præ compassione. Sic cum proximus omnis noster imago sit Christi, si luto peccati conspurcata inveniatur, compassione magis eget quam acerba dijudicatione & condemnatione, aut irrisione. Hoc quoque debet considerari ab homine facile judicante, quod dicit Augustinus: *Non est peccatum quod facit homo, quod non possit facere alter homo, nisi juvetur ab eo, à quo factus est homo*. Et ideo homo potius sibi timeat, quam dijudicet.

Simile.

Aug. l. solil. c. 15. n. 5.

Præclare Anachoreta quidam, qui cum audisset Fratrem peccasse, suspirans dixit: : *Heu mihi, hodie ille, cras ego*. Cernisne inquit B. Dorotheus, animæ in eo promptitudinem? quam cito invenit, ne Fratrem suum judicaret. Quod enim dixit *cras ego*, sibi ipsi timorem dedit & cogitationem, ut caveret a simili lapsu, & sic proximi judicium effugit. Nec hoc satis fuit, sed etiam seipsum humiliavit, & subjecit: *Ipse pœnitentiam egit, ego autem nullam pœnitentiam ago, nec prævenio ut possim pœnitere*. Vides divinæ animæ lumen, quo non solum effugit proximi judicium, sed etiam se humiliavit. Hactenus Beatus Dorotheus cap. 6. Biblioth. SS. Patrum Tom. 2. *Adhunc senem* (inquit Bernardus) *mitto vos, quia efficacius persuadet exemplum, & animo aliquid imprimit, quam verbum*.

Doroth. c. 5. in Bib. pp.

III. Multis perperam cessit judicii temeritas. Quæ enim signa putamus certa, sæpe sunt falsissima. Quomodo cessit judicii temeritas Mariæ sorori Moysis? Heli Sacerdoti, qui Annam temulentam censuit. V. supra Propos. 3.

Neque vero facile audiendi sunt, qui ut excusent se a judicio temerario, dicunt se habere aperta signa, sæpe enim quæ aperta videntur, non sunt. Quis Josephum non suspicaretur adulterum à Domina sua accusatum fœmina nobili, dum illa pallium demonstrat tanquam apertum signum? Quis idem non suspicetur de Susanna, dum accusatur à duobus Senioribus populi & Judicibus? Quis denique de ipsa Virgine non suspicaretur, aut quomodo Joseph eam non judicaret adulteram, dum gravidam intuetur? sed tamen nec judicat ipse, nec accusat, sed suspendit judicium? Sic te oportet facere, & dicere: judicet qui judex est, ad me non spectat alios judicare. Quis non judicaret Vitalium Monachum (de quo in Vitis Patrum par. 1.) qui frequenter prostibula ingrediebatur, ob libidinem illuc divertere? Hoc judicavit quidam, qui illi de prostibulo egredienti colaphum impegit, & dixit: *Usquequo, pessime illusor Christi, non emendas te ab his nequitiis*. Videbatur habere aperta signa, & tamen temere judicavit, unde illico a dæmone obsessus fuit. Adibat enim Vitalius prostibula, ut meretrices à turpi corporis quæstu avocaret, pecuniaque pacisebatur vel unius noctis continentiam: quæ res plane patuit, cum percussorem suum à dæmone liberavit, ubi ille culpam agnovit. Unde in cellula viri sancti inventa est scriptura, dicens: *Viri Alexandrini, nolite ante tempus judicare, quoad usque veniat Dominus*.

In vit. PP. l. 1. c. 35.

Refert Gregorius, cum Rex Totila vidisset Cassium Episcopum, cui facies semper rubere consueverat, statim judicasse id fieri ex perpetua compotatione, & propterea eum despexit. Sed omnipotens Deus, quod sanctus vir esset qui despiciebatur ut ostenderet, immisit malignum spiritum in Regis spatarium (hic est qui Regis gladium præferre solet) cœpitque coram Rege & exercitu maligno crudeliter furere. Sed cum ad venerandum Cassium Episcopum adductus fuisset coram Rege, Crucis signo ab eo expulsus est. Et sic factum est, ut barbarus servum Dei ab illo jam die venerare-
Greg. l. 3. dial. c. 6. tur ex corde, quem despectum valde judicavit ex facie.

IV. Cæterum, ut concludam, diabolicum plane est, cum opus non possumus reprehendere, intentionem velle damnare & judicare. Sic enim satan, cum Job laudaretur tanquam timens Deum, & recedens à malo intentionem dijudicat, dicens id
Job 1. 11. Job facere non amore Dei, sed amore sui: Si enim abstuleris, inquit, ab eo bona, malediceret tibi. Vides quomodo eum ut hypocritam judicat? Eodem modo homines hujus sæculi, de viris pus & justis judicant, ideoque satanam imitantur.

Marulus l. 5. exépl. Melius longe F. Bernardus de Quintavalle Franciſci discipulus. Vidit F. Leo ab ejus oculis emicare radios miri splendoris, quasi à lucidissimis stellis.

Cum-

Cumque miraretur id, divinitus intellexit ideo eſſe ejus oculos ita radiantes, quod quicquid videret, ſemper in meliorem partem interpretaretur, & neminem aſpiceret, quem ſe meliorem non judicaret. Fertur enim, ſi quem vili veſte tectum intueretur, ſolitum dicere ſibimet: *Hic patientius paupertatem tolerat, quam tu, Bernarde.* Si pretioſis indutum inveniret, dicebat: *Hic forte ſub veſte delicata melior eſt quam tu ſub tunica rudi Bernarde.* Meritò ergo oculi ejus radiabant, quorum aciem nulla unquam judicii temerarii hebetarat lippitudo, & purum ſemper ſervarat ſanctæ humilitatis collyrium. Ita Marulus.

1. Cor. 4. 3. Rom. 5. V. Solus Deus ſcrutatur corda & renes, ſolus illuminat abſcondita tenebrarum. Qui ergo de corde alterius, id eſt, de intentione & fine, quo hoc vel illud facit, judicat, partes & judicium Dei uſurpat. Cum enim affectus iræ, triſtitiæ, &c. ſint interni & occulti, & eos judicat vitioſos, Dei partes ſibi uſurpat. Hoc ſenſu dixit Jacobus: *Qui judicat fratrem, judicat legem*: legis enim ſibi partes vendicat, juxta quam debet judicari: *Si autem judicat legem, non jam legis factor es, ſed judex*: at lex Dei nobis data eſt, ut eam faceremus, non ut quoſvis ſecundum eam judicaremus, dein poſtulat lex Dei & charitatis, ut bene ſentiamus de proximo, ejuſque bonam famam tueamur, quam judicii temeritate violamus; & lex naturæ eſt: *Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.*

Jac. 4. 11. Mat. 7. 12.

LECTIO XVI.

DE ALIIS PECCATIS CONTRA hoc Præceptum.

PRÆSERTIM

DE MENDACIO, SUSURRATIONE, Adulatione.

PRimo, omne mendacium, falſum quoddam eſt teſtimonium, & ideo hic reprobatur, ſive ſit jocoſum, ſive officioſum; maxime autem pernicioſum, quod in nocumentum alterius vergit; & ſi grave ſit nocumentum, tunc mendacium mortale eſt. Licet verò nulli nocivum eſſet futurum, ſemper tamen eſt illicitum & intrinſecè malum, ita ut nulla ex cauſa excuſetur. Falſaque eſt ſententia Platonis (quam aliqui antiqui ſecuti videntur) dicentis: *Mendacio, licet re mala, utendum tamen eſt quandoque, velut helleboro & medicamine, ergo & Principes urbium, & ſi quibus aliis hoc concedatur, oportet aliquando mentiri, vel contra hoſtes, vel pro patria & civibus.* Sed contraria eſt certa, & in Eccleſia definita, de qua videri poteſt Auguſtinus libr. contra mendacium, ubi reſpondet argumento, quod objicitur: non peccaſſe obſtetrices, quæ Pharaoni præcipienti, ut maſculi interficerentur, non obtemperarunt, ſed poſtea mentientes Pharaoni dixerunt: *Non ſunt Hebreæ ſicut Ægyptiæ mulieres; ipſæ enim obſtetricandi habent ſcientiam, & priùſquam veniamus ad eas, pariunt.* Unde Deus in compenſam dicitur eis ædificaſſe domus, hoc eſt, dediſſe eis prolem & progeniem numeroſam, honoratam, fœlicem, longævam: fuitque congrua hæc merces, ut prole bearentur, quæ prolem ſervarant innocuam. Sed nunquid Deus mendacium hic remuneravit? Reſpondet Auguſtinus: *Hoc præmium eis datum eſſe, non quia mentita ſunt, ſed quia in homines Dei miſericordes fuerunt: non eſt itaque in eis remunerata fallacia, ſed benevolentia, benignitas mentis, non iniquitas mentientis, & propter illud bonum Deus etiam huic malo ignovit.* Exo. 1. 19.

Sic licet viri ſancti aut mulieres in Scriptura inveniantur quædam mendacia protuliſſe, non propterea mendacium approbandum eſt, quaſi quodam caſu licitum: quia maculæ quædam veniales illis etiam quandoque adhæſerunt; quamvis & per ignorantiam quandoque potuerint excuſari, vel etiam ea quæ in ſpeciem mendacia videntur, ut ab eorum intentione procedebant, mendacia non erant. Quia quandoque licet obſcuris verbis uti, quæ in aliquo ſenſu veritatem habent, licet illum ſenſum aliqui audientes non perviderent. De qua re paſſim Caſiſtæ, & Theologi de mendacio agentes. Ideo non eſt mentitus Abraham, dicens Sa- Gen. 11. 13. & 20.
ram uxorem ſuam eſſe ſororem. Si aliqui excuſant Jacob dicentem ſe Eſau primogenitum eſſe, Gen. 19.
quia primogenitus erat jure ſibi acquiſito, etſi non perſonaliter erat Eſau, primogenitura Eſau cenſebatur, & jus ad benedictionem habebat. Vide paſſim Interpretes & Theologos. An verò quandoque reſtrictione mentali uti liceat, erudite declaratum invenies in brevi opuſculo, quod de hac re edidit R. Malderus Antverp. Epiſcopus: Quia longioris id foret diſputationis extra ſcopum meum, prætereo. Malderus de rect. mentis.

Manet interim certum, nec propter alterius vitam tutandam, nec propter Reipubl. totius ſalutem licitum eſſe mendacium. Ita aſſerit Gregorius, dicens: *Mendacii omne genus perfecti viri ſummopere fugiunt, ut nec vita alicujus per illorum fallaciam defendatur, ne ſua animæ nocere, dum prodeſſe nituntur carni aliena: quamquam hoc peccati genus facillime credamus relaxari. Nam ſi qualibet culpa ſequenti ſolet pia operatione purgari, quanto magis hoc facile abſtergitur, quod mater boni operis ipſa pietas admittit?* S. Greg. 8. Moral.
Manet quoque verum illud Joannis 8. *Diabolus eſt mendax, & pater ejus*, ſcilicet mendacii, quia primus author mendacii fuit; & a ſeipſo mendax, & omnes ad mendacium, quantum in ſe eſt, inducit: & quamvis ipſe nonnunquam vera ſoleat prædicere, hoc tamen facit, ut ad extremum valeat animam ex una aliqua falſitate illa-

Digitized by Google

illaqueare, ut dicit Gregorius libr. 4. Dialogorum. ipse ergo primus mendacio tentavit primos parentes de esu ligni vetiti dicens: *Nequaquam moriemini.* Ad quem Bernardus: *O nequam, ubi est tuum nequaquam?* Exinde mendacium, tanquam pessimum semen serpentis, venenata germina parturivit in omnem hominum status & conditiones, ita ut conqueratur Oseas capit. 4. *Non est veritas in terra, sed maledictum & mendacium inundaverunt.* Nempe astu satanæ factum est, ut mendacium è Paradiso pariter cum homine translatum, universim quodammodo terram instar inundantis aquæ cooperuerit. Inspice singulos hominum status, à Principibus, Magistratibus, Judicibus, usque ad ultimum plebis, à senionbus usque ad pueros teneriotis ætatis, invenies omnes infectos mendaciis, ita ut subjugata veritate in sublimioris etiam status hominibus, mendacium triumphet.

Gen. 3. 4. S. Bern.

Osee 4. 1.

De hoc conqueritur D. Gregorius, explicans illud Job: *Deridetur justi simplicitas.* Hujus mundi, inquit, sapientia est cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt, vera ostendere, quæ vera sunt, falsa demonstrare. Hæc nimirum prudentia usu à juventutibus scitur, hæc à pueris pretio discitur; hanc qui sciunt, cæteros despiciendo superbiunt; hanc qui nescium, subjecti & timidi in aliis mirantur, quia ab eis hæc eadem duplicitatis iniquitas nomine palliata, diligitur, dum mentis perversitas urbanitas vocatur. At contra sapientia justorum est, nil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire, vera ut sunt diligere, falsa devitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare quam facere, nullam injuriæ ultionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare. Sed hæc justorum simplicitas deridetur, quia ab hujus mundi sapientibus, puritatis virtus fatuitas creditur. Omne enim quod innocenter agitur, ab eis procul dubio stultum putatur, & quicquid in opere veritas approbat, carnali sapientiæ fatuum sonat. Quid namque stultius videtur mundo quam mentem verbis ostendere, nil callida machinatione simulare, nullas injuriis contumelias reddere? &c. Hæc Gregorius.

Greg. in c. 12. Job. l. 10. mor. c. 16.

Conqueritur frequenter Scriptura undique invaluisse mendacium, & prævaluisse in locis ubi veritas debeat præsidere. *A Propheta, usque ad Sacerdotem cuncti faciunt mendacium.* Quibus veritas ipsa commissa est instar speciosæ virginis, illi eam depravant & corrumpunt, sive verbo, sive facto. Ubique invenies sive in aulis Principum, sive in Palatiis Episcoporum, sive in tribunalibus Judicum, sive in opulentis domibus mercatorum, aquam, ut vocant, benedictam falsitate respersam, thus aulicum, mendacii pudore intus corruptum, lucrum fictionis malitia acquisitum. Et cum illi minime mendacii occasionem habeant, hinc in illis maxime est detestandum. Propterea dixit Sapiens: *Tres species odivit anima mea, pauperem superbum, senem fatuum, divitem mendacem,* q.d. Illis peccatis maxime offendor & illa execror, quibus homo ad ea patranda, & eis januam aperiendam, nullam habet occasionem. Sic pauper superbus mihi maxime odibilis est, sicut & dives mendax. Pauperem quidem mentiri quandoque excusabile est, quia inopia illum ad id impellit: & non mirum divitem superbire, cum videt se omnibus opibus circumfluum: Divitem vero mentiri, pauperemque superbire, sine occasione fit: & ideo magis detestandum est, sicut & senem, qui jam prope interitum est, & canitie conspersus caput prudentiæ admonetur, adhuc juvenilibus levitatibus & dissolutionibus addictum esse, plane mihi displicet: quod in adolescente, ob innatam levitatem & inconsiderationem ætatis illis tolerabile foret.

Jer. 8. 10.

Ecc. 25. 4

Maximè vero à pueris hoc vitium frequenti admonitione propulsandum est, ne in gravioti ætate adhæresat indelebiliter. Est enim illa ætas & ad mendacia & ad furta proclivis, nisi ad meliora monitis acrioribus quasi quibusdam calcaribus exstimuletur. Sic enim fatetur ipse de se Augustinus libr. 1. Confess. capit. 19. *Horum ego puer merum in limine, jacebam miser, fallebam innumerabilibus mendaciis, & pædagogum, & parentes, & magistros, amore ludendi, studio spectandi nugatoria, & imitandi ludicram inquietudinem. Furta enim faciebam de cellario parentum & de mensa, vel gula imperitante, vel ut haberem quod pueris darem, ludum simul mihi, quo pariter delectabantur, vendentibus. In quo etiam ludo fraudulentas victorias ipse vana excellentia cupiditate victus sæpe aucupabar,* Hæc ipse de se: sed conversus ab his, gratias agens Deo, dicit: *Eruisti linguam meam unde jam eruperas cor meum, & benedicam tibi gaudens.* Inculcanda ergo pueris hujusce vitii pravitas, & emendationis difficultas; nam ubi mendaciis est imbuta linguæ lubricitas, facile ad illa relabitur etiam in ætate maturiori. Eluenda ergo eis est & mens & lingua, ab hac vitiosa & damnosa impuritate. Inculcandum eis frequenter, quod dicit Ambrosius: Cavete, Fratres, mendacium, quia omnes qui loquuntur & amant mendacium, filii sunt diaboli, *non carnis successione, sed criminis.* Sicut enim Deus Pater genuit Filium veritatem, sic & diabolus lapsus genuit quasi filium mendacium teste Augustino.

Aug. l. 1. Confess. c. 19.

Ambr. l. 4. in Luc.

August. tract. 42. in Joan.

DE SUSURRATIONE.

SEcundo prohibetur hic Susurratio, quæ quoddam etiam testimonium falsum continet, quando quis per obloquutiones, vel relationes dicaces tollit amicitiam inter aliquos initam, vel inter consanguineos & affines. Esse verò peccatum grave, patet, quia illud asserit se maxime detestari Dominus Proverb. 6. Ubi interea, quæ maxime odit, numerat *proferentem mendacia, testem fallacem,* & cum

Prov. 6. 19

Digitized by Google

& cum qui inter fratres seminat discordias. Hoc debent attendere illi adulatores, & perversi homines, qui statim aliis referant quæ alibi audierunt, & de domo in domum transeuntes occultè jurgia seminant: & sæpè leviter dicta amplificant, & exaggerant pernicioſa ſua lingua. De his dixit Salomon: *Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum.* Quod interpretans D. Gregorius ait: *Aqua dimittitur cùm lingua fluxus non refrenatur: sed dimissor aquæ caput jurgiorum efficitur, quia per linguæ inconsiderantiam discordia origo propinatur.*

Pro.17.14
Greg.l.5. moth.c.12

Sæpius autem hi ſuſorrones ita ſua colorant, ut videantur bono fine, quæ dicunt, referre. *Mollitи sunt sermones eorum super oleum, & ipsi sunt jacula*, inquit Pſaltes. *Verba susurronis quasi simplicia* (inquit Sapiens) *& ipsa perveniunt ad intima ventris.* Sub ſpecie ſimplicitatis columbæ multa enarrat, quaſi compatiens; interim interficit more ſerpentino, venenataque cauda aculeum infigit. Et ut iterum dicit Eccleſiaſticus c. 22. *In labiis suis inculcat, & in corde suo insidiatur: In oculis lachrymatur, & quasi adjuvans suffodiet plantas tuas* (hoc eſt, ſupplantabit & deiiciet te) *caput suum movebit* (quaſi præ lætitia) *& plaudet manu, & multa susurrans, commutabit vultum suum.*

Pſ.54.22.
Prov.26. 22.
Eccleſ. 12. 15.

Nempe ſuſurrator novit commutare vultum, quia lætum in adverſis, triſtem in proſperis, lætum in occulto, triſtem in aperto ſe novit oſtendere, inſtabilis eſt ut permaneat, fallax ut blandiatur, ſagax ut inſidietur, procax ut noceat, concors aliis ut perſequatur, admiratur & inſultat cadenti, applaudit & obloquendo malignatur, nam falſa in aure locutione, nititur ſe amicitiæ illius, cui loquitur, inſinuare, & alium de quo ſuſurrat, in odium adducere. Meritò ergò falſitatis arguitur, & à Deo maledictus dicitur. *Susurro & bilinguis maledictus:* (inquit Eccleſiaſticus) *Multos enim turbabit pacem habentes.* Ubi ſuſurro etiam bilinguis meritò nominatur, quia modò verum, modò falſum loquitur. Iterum bilinguis, quia aliud in occulto, aliud in manifeſto pronuntiat: Denique bilinguis, quia ſecundum diverſas perſonas modò lingua ungit, modo pungit. Et maledictus dicitur, quia dignus maledictione proximi, maledictione Dei, & in præſenti & in futuro. Et ratio maledictionis adjicitur quia *multos turbavit pacem habentes.* De illo iterum verum eſt illud ejuſdem Eccleſiaſtici: *Lingua tertia commovit multos.* Lingua enim ſuſurronis lingua eſt tertia, quia ipſe eſt tertius, uni apud alterum detrahens; & cùm duplex ſit lingua verax & mendax, tertiam componit ſuſurro ex utraque, quia modò verum, modò falſum loquitur, in occulto falſum, in manifeſto verum: Et dicitur commovere multos, quia non parcit nec Principibus, nec Prælatis, nec Religioſis, nec Sæcularibus, nec cujuslibet conditionis aut ſtatus hominibus. Et graviter commovet multos, non ſolum adodium vel diſcordiam, ſed & quandoque ad homicidia & parricidia. Imo aliquos *dispergit de gente in gentem*, quia cogit eos, ob conceptæ inimicitiæ periculum, terram propriam quandoque relinquere.

Ecclſ.28. 15.
Ecclſ.28. 16.

Efficiuntur ergo hi ſuſurrones dæmoni ſimiles, qui primus diſcordias ſeminavit, & pacem turbavit. In cœlo inter Angelos & Deum, in paradiſo inter Deum & hominem, in mundo inter fratrem & fratrem, Cain & Abel, Eſau & Jacob; imo inter patrem & filium, inter David & Saulem, inter David & Abſalonem. Ipſi ergo membra ejus ſunt, & inſtrumenta illius qui primus diſcordiæ author eſt.

Unde rectè Gregorius 5. par. Paſtor admon. 24. *Admonendi sunt qui jurgia seminant, ut cujus sint sequaces, agnoscant.* Nam de Apoſtata Angelo ſcriptum eſt, cum bonæ meſſi inſerta eſſent zizania, *inimicus homo hoc fecit.* De cujus membro etiam dicitur per Salomonem: *Homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, & omni tempore jurgia seminat.* Ecce, quem ſeminantem jurgia dicere voluit, prius apoſtatam dicere voluit; quia niſi more ſuperbientis Angeli à conſpectu Conditoris prius intus averſione mentis foras projectus non fuiſſet, poſtmodum ad ſeminandum jurgia non veniret. Secundo addit Gregorius: *Audiant jurgiorum seminatores quod scriptum est: Beati pacifici quoniam filii Dei vocabuntur. Si filii Dei qui pacem faciunt, procul dubio filii satanæ qui confundunt.* Tertio, inquit, attendant, quam multipliciter peccent; in uno enim malo innumera peragunt, *quia seminando discordias, charitatem quæ omnium virtutum mater est, extinguunt, & causa sunt cur illi discordes nulla bona opera faciunt; quia boni operis fructus nulli sunt qui ex unitate charitatis non oriuntur. Sicut ergo nihil pretiosius Deo virtute dilectionis, ita nihil delectabilius diabolo exercitione charitatis.* Quarto diligenter attendant & ipſi, quod ſuſurratio & calumnia frequentiſſime in eorum caput recidat, quia mendax & ſuſurro nullus ad longum tempus poteſt latere, ſed tandem veritas in eorum confuſionem elucelcit. Id quod eleganter dicit Franciſcus Petrarcha: *Ut enim immortalis est veritas, sic ficta & mendacium non durant, simulata illico patescunt, & magno studio compta cæsaries venò turbatur exiguo: & operosè licet impressus fucus sudore diluitur, & argutum quoque mendacium vero cedit, coramque pressius intuente diaphanum est: apertum omne detegitur, abeunt umbræ, nativusque rebus color manet, & latere diutius magnus est labor. Nemo sub aquis diu vivit, erumpas oportet, & frontem quam celabat, aperias.*

S.Greg. Pro.6.12. Mat.5.9. F.Petrar.

Si optas exempla aliquorum quibus ſuſurratio in perniciem propriam verſa fuerit, lege hiſtoriam Danielis, ubi reperies, quomodo illi ſuſurrones

Dan.14.

qui

qui apud Regem ejus perniciem moliebantur, eadem, quam ipſi meditabantur, pœna affecti fuerunt, leonibus præda facti. Lege & de Aman, qui
Eſth. 6. 9. cum Mardochæo exitium pararet, & de populo Judæorum multa apud Regem peſſima ſuſurratione calumniaretur, totam cupiens ſuccidere gentem, in trabem contigit ipſummet agi, quam pararat. Lege etiam in vita S. Eliſabethæ, quomodo ſuſurratio peſſima famuli cujuſdam, alterum de adulterio accuſantis apud Luſitaniæ Regem, in caput ejus recideret, dum in fornacem miſſus fuit, altero ſacrum audiente.

Paret itaque ex dictis, viro prudenti cavendum eſſe à ſuſurronibus, illoſque è domo ejiciendos,
Prov. 26. 20. Eccl. 28. 28. quia, ut ait Sapiens: *Suſurrone ſubtracto*, ejecto, *jurgia conquieſcent.* Et alibi dicit: *Sepi aures tuas ſpinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito oſtia, & ſeras auribus.* Ubi alludere videtur ad morem agricolarum, qui agros & vineas, contra incurſum ferarum, muniunt ſepimento ex ſpinis. Cum ergo ſuſurrones ſint inſtar ferarum, amicitiæ bonum ſemen in agro cordis conculcantium, & fructus ſuaves pacis erodentium, contra illos obex debet poni auribus cordique noſtro ut nec eos audiamus, nec corde illis credamus. Hoc maxime attendere deberent Prælati & Superiores, apud quos frequenter ſunt ſuſurrones, ut ſibi ſubditorum gratiam evertant, quos monet D. Bernar-
Bern. l. 1. de conſid. dus, ad Eugenium ſcribens: *ſuggeſtiones & ſuſurratas delationes non ſuſcipias adverſus quenquam; & hanc velim tibi generalem conſtituas regulam, ut qui palam veretur dicere quod in aure locutus eſt, ſuſpectum habeas: quod ſi te judicante dicendum eſſe coram illo nolueris, delatorem judices, non accuſatorem.* In odium ergo traducendi ſunt tales potius quam audiendi, quia ligna aggerant lingua ſua, quibus peſſimus diſcordiæ ignis ſuccendatur. Subtrahe ergo ligna foco, ut ignis extinguatur.

DE ADULATIONE.

TErtio prohibetur hic Adulatio, quia per illam perhibetur alteri falſum quoddam teſtimonium, dum attribuitur ei quod non habet, vel ei datur quod laude indignum eſt, imo potius vituperio dignum. Hoc peccatum maxime in domibus Magnatum regnat; ubi non deſunt, qui ut gratiam capiant, & ad officia publica, aut Magiſtratus ſibi viam ſternant, loquuntur placentia, de
Alan. l. de complanctu nat. quibus diſertè dixit Alanus: *Hi ſunt qui magniloqua commendationis tuba, in divitum auribus cuſtariæ ſonant, qui ut emungant munera, caput divitis oleo unguunt, Prælatorum auribus pulvinaria laudum ſubjiciunt.*

Senec. ep. Hæc advertens Seneca ſcribebat ad amicum: *Monſtrabo tibi cujus inopia laborant ſumma faſtigia, & quid poſſidentibus omnia deſit; ſcilicet illa qui verum dicat: Una contentio ibi eſt qui blandiſſime fallat. Si in clientelam alicujus Potentis veneris, veritas aut amicitia prodenda eſt.*

Hoc etiam agnovit Ludovicus XII. Galliæ Rex, qui fertur ſolitus conqueri, quod cum in Palatio ſuo rerum omnium abundantia floreret, una tamen *Veritas* abeſſet; quæ fere ad Principes non ingreditur, vel ſi quandoque ingreditur, variis eſt coloribus depicta, & fucata miniſtrorum arte, ne veritatem aperiendo, gratiam perdant.

Apte his aulicis adulatoribus accommodatur illud: *Stellio manibus nititur, & moratur in domibus Regis.* Ubi alii ex Hebræo vertunt: *Simia ma-* Prov. 30.
nibus capit, & moratur in domibus Regis. Simia enim in deliciis eſt apud Reges, & manuum ſimilitudine ac imitatione, hominem refert, & de hac recte dicitur, quod manibus capit. Similes vero Simil.
ſunt adulatores in Palatiis, qui Principum ſeſe actionibus omnibus accommodant, ut gratiam captent, & manibus ſuis aduncis aliquid beneficii conſequi & apprehendere poſſint. Umbræ quoque ſimiles, quia ut umbra corpus, ita principatum ſequitur adulatio: ut umbra quicquid facis imitatur, ſi ſtas ſtat, ſi curris, currit: ſic adulator, quocunque te verteris, ſequitur; ſi taces, ſervat ſilentium; ſi loqueris, mutatur orationem: ſi gaudes aut doles, idem ſimulat. Sed, ſicut umbra creſcente, aut decreſcente, corpus nec augetur, nec minuitur, ſic nec laude, nec vituperio, Principis virtus incrementum aut decrementum accipit. Verum ipſi hac peſte corrumpuntur, adeo ut quod bonum eſt Reipublicæ, quod ſibi honeſtum, videre non valeant. Et ſoli illi provehuntur ad dignitates, qui pulvillos adulationis ſubicere noverunt: qui vero veritatem nudam ſine fuco illis aperire optant, aula & gratia excidunt.

Jonatas, quia apud Saulem innocentiam Davidis & veritatem tueri conatur, periculum vitæ incurrit.

Sedecias præcipit incarcerari Micheam Prophetam, eo quod fortiter coram illo pro veritate ſtaret.

Joannes, cum Herodi & Herodiadæ derecto omni fuco, caſtitatis foret defenſor & veritatis tutor, in odium abducitur, & caput ejus detruncatur.

Cambyſes Rex, Cyri Regis filius, cum nimium vino deditus foret, unus è familiaribus, ejus familiaritate fretus, monuit ut vino moderatius uteretur, turpeque eſſe Regum, in quem tanquam in ſpeculum omnium oculi conjiciuntur, ebrietate notari: Qua monitione accenſus, non modo non abſtinuit, verum amplius poculis indulgens, adduci juſſit monitoris hujus filium, in quem arcum tendens ejus cor ſagitta transfixit: *Vide*, inquit, *num Regis ebrii certa ſit manus & oculus.*

Meliori conſilio Ludovicus, cognomento Pius, Galliæ Rex, filium hæredem his exhortabatur verbis, jam ſepulchro vicinus: *Ita te gere, ô fili, ut Confeſſarii, neceſſariique & familiares tui, poſſint te*

admonere mali quod feceris, & docere quid faciendum sit. Monebat scilicet prudenter, ut veritatem amaret, & adulatores fugeret, Palatii pestes, vel ut Constantinus (teste Nicephoro) eos vocare solebat, *Palatii tineas & sericos.*

Grave profecto & pernicioſum est adulationis malum multiplici de causa.

Primo quidem, quia adulatorem bilinguem reddit & duplicem corde, ob mendacium quod adulationi solet immiscere. *Nam & frequenter externis applaudendo collaudant, quos interius derisione vituperant; foris vultu applaudens virgineo, intus scorpionis pungunt aculeo; & à voluntate vultum, ab animo verbum, à mente linguam, ab intellectu loquelam ample dissensionis intervallo diffibulant*, inquit Alanus.

Alan. l. de complanctu naturæ.

Secundo, quia frequenter ad peccandum inducit adulatio, vel hominem jam in peccatis agentem impedit, ne resurgat, & in vitiis alit; ita ut propinet venenum melle circumlitum, quod non potest nisi mortem generare. Propterea dixit Augustinus, explicans illud: *Laudatur peccator in desiderio animæ suæ: Adulantium lingua, hominem in peccatis ligant, delectat enim ea facere in quibus non solum non metuitur reprehensor, sed etiam laudatur operator.* Similiter loquitur Beda: *Ipsa peccati nutrix adulatio est, quæ sicut oleum flammis, in culpa ardentibus solet administrare fomentum.* Propterea etiam monebat Sapiens: *Fili, si te lactaverint peccatores non acquiescas eis*, q. d Si te blandis sermonibus, & quodam quasi adulationis lacte, ad peccatum ducere voluerint, vel in peccatis nutrire; cave lac venenatum & lethiferum, lethargicum soporem inducens, ne excitens ad vitam.

August. in Psal. 10.

Beda.

Graviſſime ergo hoc modo peccant, qui per adulationem Principibus persuadent, licere eis plenitudine potestatis vectigalia & tributa pro libitu imponere, ipsos Dominos esse rerum, agrorum, bonorum omnium regni sui: & ita varios modos suggerunt, quibus pauperum sudorem exsugant, bella suadent etiam injusta, quodque generosum sit numeroso exercitu vires ac potentiam ostentare, vindictam exposcere persuadent.

Tertio, quia adulatio impedit, ne quis rectum de se judicium habeat, dum male facta laudantur, vel nimis laudantur, quæ laude digna non sunt. Ideo Diogenes comparabat adulatores Corvis, qui oculos eruunt, dicebatque melius esse incedere in Coracas, quam Colacas, hoc est, in Corvos, quam in Adulatores; quia scilicet hi mortui corpus & oculos effodiunt, illi viventis oculos & animum adimunt. Adulator enim (teste Chrysostomo) quasi clavum figit in oculo illius, cum quo sermonem conserit; nec definit donec ratione is obtundat acumen, & modicum luminis quod adesse videbatur, extinguat. Cito nobis placemus, si qui nos viros bonos dicant, si prudentes, si sanctos, nec sumus modica laude contenti, quicquid in nos adulatio sine pudore congesserit, quasi debitum prehendimus naturali quodam ducimur malo. Et quanquam respondeamus nos indignos, & calidus rubor ora perfundat, ad laudem tamen suam anima intrinsecus lætatur. Hinc monent SS. Patres inter verba laudantium, vel vituperantium, ad mentem semper esse recurrendum; & si in ea non invenitur bonum, quod de nobis dicitur, magnam debet tristitiam generare; si rursum non invenitur malum, quod de nobis loquuntur, lætitiam potest parere. Gloria enim hæc est testimonium conscientiæ nostræ: *Ecce in cœlo testis meus, & conscius meus in excelsis*, inquit Job.

Job. 16. 20.

Alexandro Magno ita aulici sui mentem ademerant, ut cum filium illum Jovis esse dicerent, jam etiam ex parte suaderent. Verum cum ipse in cujusdam urbis obsidione sagitta percussus foret, & sanguinem fluentem videret, acutumque dolorem persentiscret, ad mentem rediit, & dixit: *Licet omnes jurent me Jovis filium, vulnus tamen hoc me hominem clamat.*

Qu. Curt. de rebus Alex. M.

Recte dixit quidam: *Sicut Actæon, ab alumnis suis canibus interiit, sic Parasiti eos à quibus aluntur perfundant.* Quam multi per adulationem viris magnis ac Prælatis pessima suggesserunt consilia, illisque interitus causam dederunt, & Reipubl. gravissima mala invexerunt? Similes isti sunt Sirenibus in auribus Nautarum blande cantillantibus, ut obdormiant, & illis dormientibus nave in submergant. Discedite, ô Sirenes, incantantes ab auribus eorum qui Reipubl. Christianæ aut Ecclesiæ navem regunt. Procul ab illis somnus, procul adulatorum molliti sermones ad præcipitia deducentes. Hi veritatis lumen sequi debent purum, non vero turbidam fumo facem adulantium sermonum & consiliorum; per quæ fit, ut à portu aberrent, & ad saxa allidantur, non sine gravi suo aliorumque damno. Certe hoc vitium plane detestabile est, & pernicioſum in illis, qui vitia tenentur corrigere in Ecclesia Dei. Unde Propheta illis: *Væ* inclamat, *qui consuunt pulvillos, & eos sub cubito aut sub capite omnis ætatis constituunt*, ut sine anxietate obdormiant. Quod explicans D. Gregorius, & alii Patres, dicunt, ad illos sermonem dirigi, qui, cum ad hoc in Ecclesia sint constituti, ut contra vitia clament, loquuntur placentia, & populi ac maxime Magnatum vitia excusant, colorant blandis sermonibus, & eos in illis obdormire & quiescere sinunt. Væ Episcopis, væ Prælatis, væ Pastoribus, qui parietem male constructum liniunt & dealbant, (ut idem Propheta loquitur) turpitudinem exterius colorant, quam detergere deberent: blandimento linguæ apud divites & nobiles sic se gerunt, ut vitia eorum potius fovere censeantur, quam corrigere, gratia eorum venti excidere, potius quam gratia Dei. Non ita se gesserunt sancti Prophetæ circa Reges & Principes, non adulatorio sermone eis obsecundarunt, sed liberè increparunt. Elias liberè increpat Achab Regem, Elizæus Joram, Nathan Davidem,

Ezech. 13.

Simile.

Digitized by Google

videm, Isaias Manassem, Daniel Nabuchodonozorem & Balthasarem, Jeremias Joachim & Sedeciam, Joannes Herodem, Christus Scribas & Pharisæos, Basilius Valentem, Chrysostomus Eudoxiam, Hilarius Constantium, Olimpiandus Anastasium Imperatorem, Ambrosius Theodosium, & Valentinianum.

S. Ambr. Quid responderit Ambrosius Theodosio post cædem Thessalonicæ factam, satis notum est: & quomodo eum ab Ecclesiæ ingressu prohibuerit, pœnitentiæque subjecerit. Quid verò responderit, Valentiniano jubenti ut Ecclesiam traderet Arianis, dignum est memoratu: *Quæ Dei*, inquit, *sunt imperatoriæ potestati non sunt obnoxia. Si patrimonium affectatis, invadite, si corpus, accurrite. Vultis in vincula ducere? vultis ad necem? ludus est. Non ego me vallabo stipulatione populorum, nec altaria tenebo, vitam deprecans: Sed pro altaribus victimam me præbebo.* Vide Epist. ad Marcellinam sororem.

De Aphraate, Theodoretus l. 4. hist. c. 24. Audi etiam quàm liberè Aphraates Monachus responderit Valenti Ariano Imperatori. Hic cùm zelo zelatus pro Domino Deo exercituum Antiochiam venisset, occurrit ei Valens, & dicit: *Quò te confers?* At ille: *Pro tuo Regno precaturus venio.* Cui Imperator: Sed tibi domi manendum, & in cella tua orandum, ut lex monastica poscit. *Præclarè*, inquit, *ais ô Imperator, id enim mihi faciendum, & hactenus feci dum oves Salvatoris pace fruerentur: Sed quia jam valde turbantur, & multum eis impendet periculi, necesse est omnes vias persequi, non modò ne à feris capiantur, sed etiam ut serventur incolumes. Dic mihi, si foderem in conclavi tanquam filia domus ut illam custodirem, & deinde cernerem flammam incidisse, & domum paternam conflagrare: Quid me facere oporteret? intus me manere & ades incensas negligere, an verò sursum deorsumque currere, & aquam afferre quâ flammam extinguerem. Hoc certè te responsurum constat. Atque hoc nos agimus, ô Imperator! nam cùm tu jam in Patris nostri ades flammam injeceris, nos circumcursitamus, quo eam maturè possimus extinguere.* Hæc Aphraates locutus confusionem & silentium Imperatori sui sermonis libertate & animi constantia indixit. Cubicularius autem ejus cum ei graviores minas intentasset, paulò post in calidissimum balneum, quod Imperatori parabat, de potestate mentis dejectus, se præcipitavit, & illicò extinctus est. Theod. lib. 4. hist. c. 4.

Quartò prohibetur hic omnis injuria verbis facta, puta contumelia, convicium, improperium, sed de his latius agemus, cùm de vitio iræ tractabimus.

Quintò prohibetur hic detractatio, quæ est famæ alterius in absentia denigratio: de qua frequenter occurrit occasio apud populum differendi, sequentem Lectionem subjicio.

***

LECTIO XVII.

DE DETRACTIONE.

1. *Docet pestilens esse malum.*
2. *Obligare ad restitutionem.*
3. *Audientes detractorem etiam peccare.*

PROPOSITIO I.

Peccatum detractionis grave est & pestilens malum.

PRimò: Grave esse exinde patet, quia lædit famam quæ maximi monenti bonum est: ita ut illam conservare aliqui malint, quàm ipsam vitam. Quapropter si graviter peccare judicatur, qui opes aut alia temporalia bona eripit, multò magis qui famam injuriosè tollit: *Melius est enim nomen bonum, quàm divitiæ multæ.* 1. *Ladit famam proximi.*

Secundò patet gravitas hujus peccati, ex scripturis manifestè illud detestantibus. Dicit enim Paulus ad Romanos 1. *Detractores Deo odibiles sunt.* Et Sapiens Proverb. 24. *Cum detractoribus non commiscearis, quoniam repentè consurget perditio eorum.* Et c. 30. Inter cæteras generationes pessimas quatuor enumerat, hoc est, quatuor genera hominum, quæ maximè detestanda sunt. Primò eorum qui in eos peccant summa ingratitudine, quibus maxima debebatur gratia: *Est generatio, quæ Patri & Matri maledicit.* Secundum est eorum qui falsò sibi vendicant sanctimoniam: *Est generatio quæ sibi munda videtur, nec est lota à sordibus.* Tertium eorum qui tanta sunt superbia, ut vultu & gestu eam præferant: *Generatio cujus excelsi sunt oculi, & palpebræ in altum erectæ.* Quartum est eorum qui crudeliter alios, quodammodò comedunt: *Generatio quæ pro dentibus gladios habet & commandit molaribus suis.* Ubi notantur detractores, qui acuerunt ut gladium linguas suas, conscindentes aliorum famam, eosque per falsas criminum impositiones opprimentes. Quatuor ergo vitia hæc, ingratitudo, falsa sanctimonia, superbia, invidia, detractio, totum mundum turbant. Deoque maximè displicent. 2. *Deus illud detestatur.* Rom. 1. 3. Prov. 24. 21. lb. v. 12.

Tertiò si gravitas hujus peccati ostenditur ex comminatione Dei adversus detractores, & punitione eorum: *Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, & adversum filium matris tuæ ponebas scandalum. Hæc fecisti & tacui, existimasti iniquè quod ero tui similis, arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Ponderanda singula comminationis hujus verba, detractores concernentia. Verùm non solum comminatur illis Deus, sed & frequenter punit eos etiam in præsenti vita. 3. *Punit Deus detractores.* Ps. 49. 20.

Digitized by Google

Sic punivit graviſſima lepra Mariam ſororem Moyſis, eo quod Moyſi detraxiſſet, graviter murmurans. De qua re agens S. Ephrem dicit: *Ex terruma Maria Prophetiſſa lepra decoratur, quàm grave & deteſtabile vitium ſit obtrectatio. Corpus quod lepra infectum carnebatur, velut ſpeculum quoddam fuit animæ, quæ non perſpiciebatur, cujus indicabat maculam. Ex illa carnis corruptione patefactum eſt, quomodò hominis detractoris corrumpatur animus.* Ephrem.

Exemplum aliud habemus apud Caſſianum de Paphnutio juvene ſanctiſſimo, cujus virtuti invidens quidam ex fratribus, ejuſmodi dolum commentus eſt. Iſidoro Monaſterii ſuperiori queſtus eſt, codicem ſibi ereptum, rogans ut in cellis ſingulis quæreatur. Tres ſeniores deſignat, qui quærant. Reperitur tandem in cella Paphnutii, ſub palmarum plectis (ibi enim invidus illum abdiderat) & palam proditur in Eccleſia ubi omnes convenerant. Paphnutius licet innocens non ſe purgat, ſed ſatisfactioni totum tradit, & ad limina Eccleſiæ per duas hebdomadas ſupplex ſe abjicit, noxam, deprecatus. Quibus elapſis, a ſævo dæmone invidus ille fratet arripitur, immaniterque diverſatur. Sed nec ab ullo ſeniorum ejici potuit, quia Chriſtus gloriam illam ſoli reſervarat Paphnutio, cui calumnia ſtructa erat. Et facilè eum exturbavit, ut illius tantùm orationibus cui inſidiatus fuerat, purgaretur; & cujus laudi aliquid invidus inimicus decerpere ſe poſſe crediderat, ejus nomen proclamans, & delicti ſui veniam & finem ſupplicii ſui præſentis acciperet. Vide latius Caſſianum Collat. 18. cap. 15. Caſſianus coll. 18. c. 15.

Memorabile quoque eſt, quod de Abbate Macario refertur. Hic interrogatus, qua de cauſa in Scithi habitaverit, reſpondit: Cùm etiam juvenis & ſederem in cella mea in Ægypto, urſerunt me ut fierem Clericus, ad miniſtrandum in quodam vico. Et cùm nollem acquieſcere, fugi in altum locum: veniebatque ad me vir quidam pius, qui opera quæ manibus feceram tollens, miniſtrabat mihi neceſſaria: Contigit verò, ut puella quædam in vico illo vitiaretur à quodam juvene, & cùm uterum geſtaret, interrogata de quo concepiſſet, infamavit me. Venientes ergo de vico illo, comprehenſum me abduxerunt, appendentes collo meo cacabos & ollas & anſas vaſorum, & circumducentes per vicum cædebant inclamantes: Hic Monachus corrupit filiam noſtram, tollite, tollite eum. Et penè uſque ad necem percuſſerunt me: donec venit quidam ſenex, qui è manibus eorum me eripuit. Dixerunt tamen parentes, non dimittemus eum niſi fidejuſſorem præbeat de alimentis providentiæ filiæ. Ille autem qui ſolitus erat mihi miniſtrare, ſequebatur cum verecundia, quem etiam multis contumeliis affecerunt, tanquam qui falſum teſtimonium præbuiſſet de me. Attamen dedit ſe & ipſe fidejuſſorem pro alimentis. Et revertſus in cellam, dedi ei quantas habui ſportellas, ut vendens daret mulieri cibum, & operabar non ſolùm die ſed etiam nocte. Cum autem veniſſet tempus ut pareret, plurimos dies infœlix permanſit in cruciatu, nec poterat parere. Tandem agnoſcens culpam, interrogata à parentibus dixit: Scio quare torqueor, quia Monacho illi crimen impoſui, cùm de juvene altero conceperim. Audiens autem id miniſter meus, gaudens venit ad me, & retulit mihi quod geſtum erat: addens habitatores vici iſtius velle ad me venire, ut pœnitentiam agant, & glorificent Deum de innocentia mea. Ego autem hoc audiens fugi, & huc veni habitaturus in Scithi. Ita ex lib. Doctr. Patrum. Num. 11. In vit. PP.

Quartò, peccati hujus gravitas oſtenditur, ex incommodis quæ illud ſequuntur, de quibus in Pſalmum 100. ſic inter cætera ait Chryſoſtomus: *Grave malum eſt detractio, turbulentius dæmone nec unquam pacatum hominem reddens. Ex ea odia pullulant, jurgia conflantur, diſſidia ortum trahunt, ſuſpiciones mala procreantur: ſine ulla cauſa hoſtem reddit, qui paulò antè amicus erat: univerſas domos ſubvertit, & pacatas urbes ad bellum excitat, pulchra pacis vincula diſſolvit: magna charitatis vodum infringit: Qui detractioni ſtudet, diabolo ſervit, utpote qui calumnia opera exequatur. Quare, detractor tanquam mendax & fur eſt propellendus.* Hinc diximus non ſolum eſſe grave, ſed & peſtilens malum, tum quia contagio ſuo multa mala generat, tum quia ſimul pluribus nocet. Lingua enim detractoris, quaſi gladius triceps & venenatus, lethaliter tres vulnerat uno ictu. Illum qui detrahit, quia peccato mortali animam ejus tranſverberat: illum quoque cui detrahitur, quia in vindictam & iram mortalem facilè exardeſcit, ubi famam ſuam læſam agnoſcit: illos denique qui audiunt, quia ſi audiendo delectantur, & ipſi peccant. 4. Quis pluribus nocet.

Hæc de re agens Bernardus, dicit linguam detractoris crudeliorem eſſe lanceâ, quæ Chriſti latus profodit: quia lancea, inquit, illa Chriſti jam emortui latus tranſfixit, lingua autem illa tranſfigit membrum vivum Salvatoris, & tranſfigit animam pro qua Chriſtus Sanguinem fudit, & propriam animam dedit, pluris eam faciens propria vita. Audi Bernardum ſuiſmet verbis loquentem: *Numquid non vipera eſt lingua iſta? Ferociſſima planè, nimirum qua tam lethaliter tres inficiat flatu uno. Numquid lancea eſt iſta lingua? Profectò & acutiſſima, qua tres penetrat ictu uno. Lingua, inquit, eorum gladius acutus. Gladius equidem anceps, imò triceps eſt lingua detractoris. Nec verò ejuſmodi linguam ipſo etiam mucrone quo dominicum latus tranſfixum eſt crudeliorum docere verearis. Fodit enim hæc quoque Chriſti corpus & membrum de membro, nec jam ex animo fodit, ſed facit ex animo fodiendo. Ipſis quoque nocentior eſt ſpinis, quas illi tam ſublimi capiti furor militaris impoſuit, ſeu etiam clavis ferreis, quos ſanctiſſimis manibus illis & pedibus conjun-* Lingua detractoris crudelior lancea Chriſti. S. Bernard. ſerm. de triplici cuſtodia, manus, linguæ, cordis.

Digitized by Google

consummatio Iudaicæ iniquitatis infixit. Nisi enim hujus quod nunc pungitur & transfoditur corporis sui vitam, illius vita corporis præstitisset, nunquam istud pro isto, mortis injuria, crucis ignominia tradidisset. Et dicimus: Levis res sermo, tenera, mollis, & exigua caro lingua hominis, quis Sapiens magni pendat: Levis quidem res sermo, quia leviter volat, sed graviter vulnerat, leviter transit, sed graviter urit, leviter penetrat animum, sed non leviter exit: profertur leviter; sed non leviter revocatur: facilè volat, atque adeò facilè violat charitatem. Tenerum membrum lingua, attamen vix teneri potest: substantia quidem infirmum atque exiguum, sed usu magnum & validum invenitur. Hæc Bernard.

Nocentior lingua serpentis. Recte quoque Sapiens dixit: *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit;* Hoc est non minus nocet, sed plus detractor
Ec. 10. 11. quam serpens occultè venenum infundens, quia pejus est infundere venenum menti, quam corpori. Et aptissimè lingua detractoris comparatur linguæ serpentis, quia teste Plinio, lingua
Plin. serpentis tenuissima est, trifulca, longissima, tetrique odoris. Similiter lingua detractoris trifulca est, quia tribus, ut diximus, nocet, tria vulnera unico ictu infigit. Tenuissima est, sed acutissima, ut cor lædat & transfodiat. Tetri quoque odoris est, quia non loquitur nisi de fœtore & sordibus, famam odoriferam alterius fœtore inficiens. Est etiam longissima, quia longè abientes attingit, vivos & mortuos offendit. Verum ergo
Is 139. 4. est de detractoribus: *Acuerunt linguas suas sicut serpentis.*

PROPOSITIO II.

Peccatum detractionis ultra culpam mortiferam obligat ad restitutionem.

RAtio est, quia damnum infert proximo, contra justitiam ejus lædens famam. Unde quanto majus bonum famæ læsum, tanto major est obligatio illam reparandi. Si enim ablata pecunia restituenda est, multo magis & fama. Ideò etiam locum habet hic illud Augustini: *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Videant ergo quot
Aug. ep. 54. ad Maced. laqueis sese involvant, qui lingua venenata facilè aliorum famam & honorem imperunt: vix enim contingit eos se ex his laqueis perfectè eripere, aut damnum honori illatum restituere. Quis est enim qui inveniatur alteri dicere: Ego feci tibi injuriam falsum de te loquens? & tamen multi ad hoc frequenter obligantur.

Ob hanc difficultatem restituendi famam, & damnum reparandi post venenatam læsionem, Lingua detractoris in scriptura jaculo & sagittæ
Jer. 9. 8. Simile de sagitta. comparatur. Hinc Jeremiæ 9. dicitur: *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est.* Ubi sagittæ potius quam alteri instrumento vulneranti linguam detractoris comparat, qui inter instrumenta vulnus infligentia nullum habet adeo difficile remedium ac sagittæ vulnus; nam ferrum sagittæ, profunde penetrat, & veneno infectum esse solet. Unde cum vulnus facit, non potest cutari nisi scindendo partem offensam, periculosasque incisiones & novas apertutas requirit. Sic qui famam lingua læsam cupit reparare, & vulnus sanare, sæpè novam incisionem & læsuram facit. Renovat & auget vulnus, nec potest ferrum latens extrahere; hoc est, impressionem nocivam, quam lingua sua venenata aliorum animis inflixit, non potest educere, & vulnus sanare; manetque ipsa causa efficax damni.

Deinde multis contingit nolle se humiliare coram læso: aut coram illis apud quos læsit, nolle revocare quæ mendaciter protulit. Tamen docent passim Theologi, quod si aliquem falso crimine ei imposito læseris, debere palam te mentitum esse pronuntiare, etiam cum juramento si illi fidem habere nolint. V. Lessiū & alios.

Refert B. Vincentius, quod cùm duo quendam tertium infamassent, qui ex diffamatoribus prior obiit, stetit per aliquod tempus in purgatorio. Cùm verò inde exivit, credidit se statim iturum in Paradisum: At dixit Deus; Non intrabis, quia prius debes facere restitutionem famæ. B. Vincentius Hispanus ordinis Fratrum Prædicatorum scit istud esse verum, quod anima redierit, quia ipsemet fuit diffamatus, & ab ipso mortuus veniam petiit. De multis autem modis faciendi restitutionem famæ læsæ, vide passim Theologos & Casistas, præsertim Lessium dubit. 20 c. 11. B. Vinc. Serm. 1. Domin. in Albis. *Modi faciendi restitutionem famæ.*

Dolendum interim est, his omnibus non obstantibus, hoc vitium detractionis ita generale esse, & cujuslibet status homines inficere, ut etiam eos qui pietatem profitentur attingat. Hinc dicit Paulinus ad Celantiam. *Pauci sunt qui huic vitio renuncient, & rarò invenies, qui sic vitam suam irreprehensibilem exhibere velit, ut non libenter reprehendas alienam. Tantaque hujus mali libido mentes hominum invasit, ut etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen tanquam in extremum laqueum diaboli cadant.* Paulinus ep. 14.

Certè hoc vitium comparare possumus caudæ draconis, de qua dicitur in Apocalypsi, quod per illam draco tertiam partem stellarum è cœlo detraxerit; quia illi qui tanquam stellæ videntur lucere, hoc vitio implicati obtenebrantur, & in perditionis abyssum ruunt. Magna utique pars hominum ob hoc vitium linguæ maledicæ, in æternam ruinam dilabitur, etiam inter Ecclesiasticos, etiam inter Religiosos. Sic verum est illud Proverb. 23. *Mors & vita in manibus linguæ.* *Hoc vitio multos in infernum præcipitat.*

Vis hujus rei aliquot exempla? Audi ex diversis auctoribus memorabilia. Refert Cantipratanus in detractore vindictam horribilem, his verbis: Novi ordine, non re, nomine non actibus Sacerdotem, qui in tantum vitio linguæ deditus erat, ut potius pessima mentiretur, quàm non socios Cantip. l. 2. Apum. c. 37.

vel

vel cohabitantes ſibi criminibus infamaret. Hic ante mortem raptus in furiam, tanta in ſe debacchatus eſt cæde, ut vel propriis dentibus linguam malilo quam laniaret, & palam cunctis oſtenderet, quod quia lingua ſua doloſè egerat, & venenum ſub labiis ejus, quaſi ſepulchrum patens guttur illius fœtorem teterrimum anhelaret; & per quæ peccaverat per eadem torqueretur.

Spec. exempl.

Non abſimile refert Collector Speculi de quodam in Anglia Religioſo. Hic detractionibus cùm deditus eſſet, in extremis exiſtens monitus eſt, ut confiteretur, & de ſalute animæ ſuæ ſollicitè cogitaret. Qui reſpondit ſe non poſſe. Multis autem verbis & perſuaſionibus urgetur, ut ad divinam miſericordiam recurreret. At ipſe linguam extrahens, & digito eam tangens: *Iſta*, inquit, *peſſima lingua me damnavit*. Quo dicto lingua ſic intumuit, ut eam amplius in os reponere non valuerit. Et ſic horribiliter expirans, omnibus detractoribus exemplum ſuæ damnationis propoſuit.

Joan. Ædeus in faſc. virt. & vit.

Refert & aliud Joannes Ædeus Ordinis S. Franciſci in faſciculo virtutum & vitiorum de quodam detractionibus aſſueto. Hic morte præventus eſt ſine confeſſione, neque enim metebatur ut ea lingua peccati venenum evomeret, qua tam frequenter aliorum innocentiam laceraret. Apparuit autem non longe poſt mortem cuidam, vitæ ſuæ præmia condigna oſtendens. Habebat autem linguam quaſi igneam ab ore uſque ad terram dependentem, quam crebris morſibus mordebat, corrodebat, exſpuebat. Cumque particulatim eam conſciderit, rurſus ad priorem quantitatem reformabatur, denuò corrodenda. Quæſivit is cui apparebat, quidnam hoc deſignaret? Reſpondit: *Quia dum vixi, per maledictum hoc membrum omnes jam perſecutus, ab hoc tormento in perpetuum non liberabor.* Et ſic iterum hic verum eſt: *Per quæ quis peccat, per hæc & punietur.*

Iſa. 66.

O utinam mihi ſit calculus ignitus Iſaiæ, quo detractorum linguas, igne infernali & ſerpentis antiqui veneno infectas tangere poſſem, & pruriginem ac immunditiam illarum emundare. Certè exiſtimarem me magnum numerum peccatorum, in quæ incidunt communius homines, maximamque æternæ damnationis occaſionem eliminaſſe. Sunt enim multa peccata, quæ etſi committuntur, non ita tamen in omnibus locis, nec in omni tempore, nec ab omnibus perſonis. Hoc verò detractionis vitium, vix ullum excipit locum, vix tempus, vix perſonam. In colloquiis privatis, in congreſſibus publicis, in convivis, in locis & perſonis ſacris frequentiſſimum eſt. Invicem ſe mordent homines, invicem comedunt, invicem famam dilacerant, invidiæ veneno tabefacti. Nec verò ſolum communes perſonas virulenta lingua lædunt, ſed & maximè eas quæ in ſublimitate eminent, Principes, Magiſtratus, Sacerdotes, Religioſos, Prælatos, cujuslibet Ordinis, lingua maledica impetere non ceſſant, & ſacro eorum ſtatui maculas inurere. In perſona eorum verè dixit Propheta: *In me pſallebant qui bibebant vinum.* Pſ. 68. 13. Nec ſolùm vivos attingunt, ſed mortuos ex ſepulchris educunt, ut dilanient; nullis parcunt. Ita ut quilibet irreprehenſibilis licet vitæ debeat timere multorum linguam maledicam, quæ ſæpe infligit vulnus irremediabile.

Generalissimi quæ diffuſum eſt hoc vitium.

Dicitur Elephas, licet corpore & viribus eminens, ſupra cætera animalia timere mures, adeò ut ſi illius ſolum odorem ſenſerit, timeat, & ſumus pabulum coram eo poſitum attigerit vel leviter, ſtatim ipſe faſtidit. Certè mures ſunt detractatores, de quibus illud Proverbium: *Murium peſſimus ille qui lingua rodit.* Unde viri quantumlibet potentia eminentes aut ſanctitate, timere debent hunc murem. Nunquid enim de Principibus, etiam à ſubditis, cantilenæ & libelli diffamatorii ſpargunturs & mira effinguntur? Nunquid ſolent ſervi & ancillæ detrahere dominis quibus antea inſerviverunt, cum culpa ſua dimiſſi ſunt? Nunquid ſubditi de Prælatis, diſcipuli de Magiſtris plurima falſa comminiſcuntur, ut peccata ſua excuſent, cùm juſtè ab illis reprehenſi fuerint? Certè meritò omnes hi illud Prophetæ uſurpare poſſent: *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam.* Pſ. 108. 4. q.d. Cùm me diligere deberent (quandoquidem commiſſam mihi erga eos curam rectè & fideliter geſſerim) ipſi falſis criminationibus mihi moleſti erant, occultisque maledictionibus me dehoneſtare nitebantur. Sed ego orabam Dominum, tum ut mihi patientiæ donum contra tales oblocutores impertiretur, tum ut illis etiam offenſam remitteret, & oculos aperiret.

Simile.

Cavere ergo unuſquiſque debet, ne obtrectationi occaſionem culpa ſua det: ſi tamen etiam injuſtè aliquis lingua malevola eum impetat, exemplo Chriſti toleranda eſt, qui patienter toleravit, dum ſeductor, vorax, vinique potator, impiè vocatur: Exemplo quoque Prophetæ pro ſuis obtrectatoribus orantis. Bene agere & malè audire, regium eſt, inquit D. Auguſtinus, & duplicis meriti: ex operis præſtantia, & linguæ maledicæ patientia. Quam quidem patientiam, etiam Gentiles fidei lumine non adjuti ſervarunt erga ſuos obtrectatores. Audi quid Titus Tacitus Metello ſibi obtrectanti dicitur reſpondiſſe, & imitare. *Facile* (inquit ipſe *eſt in me dicere, cùm non ſim reſponſurus: Tu maledicere didiciſti: Ego maledicta contemnere. Si tu lingua tua dominus es, ut quicquid libet effutias: Ego quoque aurium mearum, ut quicquid obvenerit, audiam ineffenſe.*

S. Aug. dictum.

Detractio quando non ſit tolerandа.

Obſervandum tamen eſt, cum detractio vergit in ſcandalum & periculum aliorum, non eſſe tolerandam: maximè cum officium publicum concernit, & lædit auctoritatem illi officio neceſſariam. Quapropter Div. Greg. hac de re ſic loquitur: *Linguas detrahentium ſicut non debemus noſtro ſtudio excitare, ne ipſi pereant: ita per ſuam malitiam excita-*

Digitized by Google

excitatas, debemus æquanimiter tolerare, ut nobis meritum crescat. Aliquando autem etiam compescere, ne dum de nobis mala disseminant, eorum qui nos ad bona audire poterant, corda innocentium corrumpant. Et ita Prælati, Pastores, Sacerdotes, Religiosi tenentur quandoque famam suam tueri, cum scilicet id necessarium judicatur, vel ad proximi ædificationem, vel ad vitandum scandalum, vel ad ritè obeundum officium quo obligantur; nec illius læsionem condonare possunt sine satisfactione. Propterea subdit Div. Gregorius: *Hi quorum vita in exemplum imitationis est posita, debent si possunt detrahentium sibi verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant qui audire potuerunt, & in pravis moribus remanentes, benè vivere contemnant.* Cum tamen corrigi nequeunt, æquanimiter tolerandi sunt, nec timendi, ne dum vituperatio metuitur, recti operis via deseratur. Ob latrantes canículos non est à via discedendum, nec ob aves nocturnas ululantes inquietari debent volucres aliæ; aut filii lucis, ob filios tenebrarum tumultuantes.

S. Gregor. Hom. 9. in Ezech.

DE AVDIENTE DETRACTOREM.

PROPOSITIO III.

Gravem etiam culpam incurrit voluntariè audiens detractorem.

HOc ut explicetur, adverte tripliciter se posse habere qui detractatorem audit, scilicet, vel ut inducens, vel ut complacens, vel ut tacens & non resistens.

1. Ut Indiscens detractorem ad detrahendum.

Primò, qui ita audit ut inducere vel excitare censeatur ad detrahendum, vel ad detractionis continuationem, non minus peccat quam detractor: imò gravius, quia est altera causa mali, & sic & sui & alterius peccati auctor censetur. Sic frequenter contingit, quod aliquis obscurè judicet se aliquid vidisse, vel audivisse, nolit tamen prodere; interim alii multis circumlocutionibus instant, ut propalet occultum alterius peccatum, eliciunt tandem, & inducunt in detractionis crimen. Et tunc maximè verum est illud Bernardi. *Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius, non facilè dixerim.* Tunc diabolus censetur quasi ludere & choreas ducere in lingua detrahentis, & in auribus audientis. Et uterque tenetur ad restitutionem, quia uterque dat causam damni.

Bern. l. 2. de consid.

2. Ut gaudens de alterius detractione.

Secundò, qui ita audit, ut tamen non inducat nec animet ad detrahendum, sed tamen lætatur alterius detractione, peccato se obstringit mortifero: quia ipse alieno malo oblectatur contra charitatem, immò & contra justitiam gaudens eo opere quo alter injustè damnum datur. Quia tamen non est causa damni, non censetur obligari ad restitutionem. Verùm interim est de illis illud Apostoli: *Qui talia agunt digni sunt morte, non solùm qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Posset tamen delectari aliquis sola eloquentia detractatoris, aut curiosa cognitione gestorum proximi, sive eo quod placeat ei, quod alter detrahat, aut quod damno delectetur, & tunc posset esse veniale. Est verò semper periculosum habere aures prurientes ad audiendum, sicut & linguam prurientem ad detrahendum, & utrumque ut diligenter caveat, monet Div. Hieron. Nepotianum suum. Unde & Ecclesiasticus cap. 28. discrètè monet: *Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis.* Nempè tenetur quis, ex charitatis obligatione, alterius peccatum & infamiam proximo impendentem, cum potest, impedire, & detractori resistere. Triplici ergo spina aures suas sepiat, & ipsam linguam detractoris pungat, ut citius obmutescat. Quænam illa triplex spina?

Rom. 1. 32

Ecc. 28. 22.

Quomodo resistendū detractori 1. Exteriori signo. Prov. 25. 23.

Prima est ostensio vultus tristis, aut significatio exterior, qua satis ostendat se non libenter audire: *Ventus Aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem,* inquit Sapiens Proverb. 25. Dissipat nimirum Aquilo pluvias, constringendo nubem, siccando, ligando, fugando, ne in pluviam resolvatur. Sic facies tristis, ligat, constringit, siccat linguam detrahentem. Si enim hilari vultu audis, das fomitem detrahendi: si verò tristi, discit non libenter dicere, quod didicerit non libenter audiri, quia nemo invito auditori libenter refert. Sicut sagitta (teste Div. Hieronymo ep. ad Rusticum) si mittatur in duram materiam, nonnunquam revertitur in mittentem & vulnerat vulnerantem; ita & detractor cum tristem viderit vultum audientis, illicò conticescit, pallet vultus, saliva siccatur. *Secundum ligna, sic ignis exardescit,* inquit Eccles. cap. 28. *Si sufflaveris super scintillam, quasi ignis exardebit: & si expueris super illam, extinguetur.* Si detrahentem hilari vultu audis, ligna admoves, quò detractionis ignis ardescat. Si statim inchoata detractione tristem vultum avertis, scintillam extinguis, quasi super exspueres ut suffoces. Respice ergo post tergum, exspue in terram, confrica caput, conquerere de cibis nimis salsis, aut de ministris non tibi ut oportet servientibus, lauda vinum aut condimenta mensæ, conquerere de canibus sub mensam transeuntibus, & fœtorem aliquem relinquentibus, diverte alio sermonem quolibet altero sermone etiam importuno. Sic dissipas linguam detrahentis, dum videt te sermoni suo non favere, non attendere. Non enim quicquam tibi debet importunum videri, si modò possis imponere frænum magis importuno detractori.

Hieron. ep. ad Ruff.

Thomas Morus (teste Stapletonio in ejus vita) Primarius Angliæ Cancellarius, in omni vita & actione sua vir erat maximæ ædificationis & sanctimoniæ. Cùm quis ipso præsente detractioni laxare linguam incipiebat, ipse mox arrepta aliunde occasione virulentum illum sermonem alio

Staplet. in vita ejus

Digitized by Google

divertebat, meliore subintroducto, aut saltem non malo. Exempli gratia, inquiebat: Dicat quisque quod volet, ego dico domum illam pulcherrimè extructam, eumque qui fecit excecellentem esse in sua arte magistrum atque architectum. Hoc modo suaviter ei malo remedium adhiberi potest.

2. Reprehensione.

Secunda spina quæ pungit & obmutescere facit linguam detractoris, est reprehensio. Ad hanc tenentur Superiores aut auctoritatem habentes, imò & æquales, dum ex illa sperant fructum. Exemplum ostendit ipse Christus, dum discipulis oò murmurantibus contra Magdalenam, respondit: Mat. 26. 10. *Quid molesti estis huic mulieri, opus horum operata est in me:* Sic & Propheta Job dicit: Job. 29. 17. *Contercbam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Ubi per iniquum intelligi potest detractor, de cujus dentibus dicit se eruisse prædam, dum ab illius lingua maledica vendicabat innoxios. Cassiod. *Dentes enim*, inquit Cassiodorus super Psal. 3. *à demendo dicti sunt, ideò lingua detrahentium dentes vocantur: Quia sicut illi ciborum partes demunt, ita & isti opiniones hominum corrodunt.*

3. Cordis stabilitione vel compassione. Luc. 7. 37.

Tertia spina est, cum reprehensio locum non habet, cordis stabilitio, ut non facilè credas malum quod dicitur: aut si vera referuntur, cordis compassio, quâ compatiaris proximo etiam peccanti, Die ergo proximo detrahenti, & incerta narranti: *Nolite judicare, & non judicabimini.* Die illi non facilè credendum esse rumoribus, qui frequenter etiamsi certi putentur, falso nituntur fundamento. Quis non putasset Susannam peccato obnoxiam, rumore à senioribus sparso? Aut Joseph facinus attentasse erga Dominam suam, cùm illa testis videretur omni exceptione major? Marina virgo (ut habetur in vitis Patrum) in habitu virili incognita Deo purè serviebat in Monasterio. Infamata verò fuit, quod imprægnasset juvenculam quandam, ita ut propterea usque ad mortem pœnitentiæ subjecta fuerit: Quis putasset eam innoxiam? Sed dum fratres eam in morte sepelire volunt, & fœminam inveniunt, tunc eam fuisse sine culpa agnoscunt, admirantes ejus sanctam patientiam & conversationem; sed & postea miracula plurima facta sunt ad ejus sepulchrum. Vide latius in 1. p. in vitis Patrum, & in Spec. Ex verbo, *Diffamare.* Quod si vera narrat detractor, excusandus tamen per compassionem est proximus, & dicendum quod Dominus dicebat accusatoribus adulteræ: *Qui sine peccato est, primus in eam lapidem mittat.* Nam gaudentes de alienis malis, justa Deus vindicta in similia aut graviora ruere permittit. Attendendum ergo, ut dixi suprà, illud Augustini. *Non est peccatum quod facit homo, quod non possit facere alter homo, nisi servetur ab eo à quo factus est homo.*

In vitis PP. l. 1. pag. 500, & 501.

3. Vt taceas ad alterius detractionem.

Ex dictis itaque sequitur (quod tertio loco definiendum erat) cum qui nec inducit, nec lætatur, tamen audit & tacet dum alius detrahit, quandoque graviter peccare. Quia, si est atrox injuria, & grave incommodum secuturum in alterius fama existimat, debet excussa verecundia contradicere, & innocuum defendere. Nam si quis tenetur alterius asinum sub onere jacentem sublevare (ut præcipitur Deut. 22.) quanto magis famam periclitantem debet adjuvare? Si tamen putas nullomodo profuturam tuam monitionem, vel metuas aliquod grave damnum, puta, contumelias, verbera, gravem rixam: vel si sis inferior & nullius auctoritatis, aut putes auditores non credere, aut alia efficaci ratione speres damnum hoc infamiæ ab alio propulsandum, non teneris monere aut contradicere, sed potes tacere: Ad hoc enim tantum obligaris, cum putas efficaciter damnum impedire te posse. Deut. 22. 4.

Origo & radix detractionis.

Cæterum, ut hanc de detractione materiam concludam, adverte variam esse radicem hujusce morbi, tam in auditoribus quam detractoribus. Primò enim aliqui ex fastu & superbia aliis detrahunt, aut gaudent detractione aliorum, ut se præ aliis quasi sine macula ostentent. Contra hanc radicem pessimam nos muniens II Paulinus epist. ad Celantiam dicit: *Nulli unquam omnino detrahas, & aliorum vituperatione non te laudabilem videri velis: Magis tuam vitam ornare disce, quàm alienam carpere. Memor esto Scripturæ dicentis? Noli diligere detrahere, ne eradiceris.* Ubi citat Scripturam quæ habetur Proverb. 20. juxta Lectionem 70. Interpretum. *1. Superbia.* Paul. apud Hieron. ep. 14.

Secunda radix est aversio, ira, odium proximi, quæ quidem passiones, ubi semel in animum admissæ fuerunt, detractionis venenum facilè parturiunt: quia tunc abest charitas, quæ solet pallio suo aliorum peccata tegere & excusare: Ideòque ubi illa abest, statim aliorum defectus exaggeramus, imò & bona in malum interpretamur. Nam ira & invidia, *bona in mala convertens insidiatur, & in electis* ponit *maculam*, teste Eccl. c. 11. Ille in quo charitas urget, instar Sem & Japhet retrorsum injecta chlamyde, fratris peccantis pudorem solet cooperire: qui illa caret, instar Cham pudorem alterius irridet & propalat, & ideò est maledictus. *2. Aversio proximi.* Eccl. 11. 33

Tertia radix est vanitas quædam ac levitas, periculosaque curiositas, quia quicquid audiunt homines statim, avent illud parturire in aliorum aures, nec quiescunt, donec extra se profuderint. Hoc advertens monebat Sap. *Audisti verbum adversus proximum tuum? Commoriatur in te, fidens quoniam non te disrumpet.* q. d. interprete Chrysostom. Extingue verbum malum quod audisti contra proximum, defodito in te, ne permittas exire, oblivione voluntaria contere; ne timeas quod te disrumpere possit aut nocere, sicut fœtus mortuus & non ejectus, nocet mulieri. Sed diserte subjungit: *A facie verbi parturit fatuus, sanquam genetus partus infantis.* q. d. Cum stultus sive imprudens audivit aliquod verbum de aliquo, instar mulieris prægnantis inquietus est, & quasi anxiatur, donec in auras aut aliorum aures fœtum hunc profudit, in quo insi- *3. Levitas & importunitas.* Eccl. 19. 10. Chrysost. hom. 3 ad pop. Ibid. v. 12.

Digitized by Google

Ib. v. 11.

inſipientiam ſuam oſtendit. Adhibet ibidem aliam pulchram ſimilitudinem ejuſdem rei, dum dicit: *Sagitta infixa femori canis* (vel ut alii legunt, *canis*, hoc eſt corporis) *ſic verbum in corde ſtulti.* Sicut enim canis cui ſagitta infixa eſt, currit, rotat ſe, inquietatur donec ferrum latens extrahatur: ita verbum auditum in corde inſipientis, videtur illum affligere, donec illud effuderit aut extraxerit. Attendat ergo quilibet, quænam radix in ipſo deliteſcat amaritudinem germinans detractionis, & ſollicitus ſit ſecurim ad radicem ponere; ut poſſit omne germen amarum ſuccidere, & ab æterna ſecuri infructuoſæ arboris ſecurus eſſe.

LECTIO XVIII.

DE NONO ET DECIMO Præcepto.

NON CONCVPISCES VXOREM PROXIMI TVI.

NON CONCVPISCES REM, NEQVE AGRVM, NEQVE BOVEM, &c.

1. *Docet cur ſpeciali præcepto vetetur concupiſcentia*
2. *Docet ſolùm vetari conſenſum in concupiſcentiam.*
3. *Prohiberi delectationem moroſam.*

PROPOSITIO I.

Conveniens fuit concupiſcentiam præcepto ſpeciali vetari.

1. Concupiſcentia cur vetatur ſpeciali præcepto? 1. quia in aliis præceptis vetatur actus externus, hic etiam internus.

RAtio eſt multiplex. Primò, quia plerique putabant præcepto 6. *Non Mœchaberis*, & 7. *Non furtum facies*, tantum prohiberi actum externum; internum verò non eſſe vetitum, cupiditatem ſcilicet adulterandi aut furandi, modò effectu non fuiſſet completa. Deus ergo ſpecialibus præceptis hanc concupiſcentiam vetat, & ſpecificat concupiſcentiam ſœminarũ & bonorum, ad quam maximè proclivis eſt: ſub illa interim prohiberi intelligitur omnis alius inordinatus voluntatis motus, etiam aliis præceptis contrarius, ut communis Doctorum tradit opinio.

2. quia Concupiſcentia eſt radix omnis mali. Chryſoſt. hom. 8. de pœnit.

Secundò, congruum fuit ſpecialiter concupiſcentiam vetari, tanquam radicem omnis mali, ad quam eruendam, aut quantum fieri poteſt reprimendam, hæc duo ultima præcepta ordinantur. Medici enim, inquit D. Chryſoſt. non ſolum morbos, ſed & cauſas tollere initant? quamvis ægrotantem oculum viderint, pravum rheuma deſuper à temporibus compeſcunt. *Sic* Deus his præceptis non ſolum morbum impudicitiæ aut injuſtitiæ voluit tollere, ſed etiam omne pravum rheuma, radicemque luxuriæ & avaritiæ velut in ipſis temporibus compeſcere: dum & turpes cogitationes ac delectationes, ſimulque rerum temporalium pravas cupiditas hic prohibet. Qua etiam de cauſa Chriſtus peritiſſimus medicus, ut radicitus malum tolleret, dixit Phariſæis: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt in corde ſuo.* Mat. 5. 28. Viſus enim movet concupiſcentiam, concupiſcentia niſi ſtatim frænetur, parit peccatum & genetat mortem. Audi quid hac de re dicat Bernardus alloquens Evam. *Serva, ô Eva, commiſſum, expecta promiſſum, cave prohibitum, ne perdas conceſſum. Quid tuam mortem tam intentè intueris? Quid illo tam crebrò vagantia lumina jacis? Quid ſpectare libet, quod manducare non licet? Oculos, inquis, tendo, non manum: non eſt interdictum ne videam, ſed ne comedam. Hoc etſi culpa non eſt, culpa tamen indicium eſt. Te enim intenta ad aliud, latenter interim in cor tuum ſerpens illabitur, blandè illabitur, blanditiis rationem, mendacis timorem compeſcit: Nequaquam, inquiens, morieris. Auget curam, dum incitat gulam, acuit curioſitatem dum ſuggerit cupiditatem? offert tandem prohibitum, & aufert conceſſum, porrigit pomum & ſurripit Paradiſum. Hauriit virus peritura, & perituros paritura.* Concupiſcentiam ergo ſi in ſua radice Eva peremiſſet, tanti mali cauſam non dediſſet, jamque ſerpentis ſemſim illabentis caput & venenum protriviſſet. Rectè propterea ſpeciali præcepto filiis Evæ dicitur: *Non concupiſces*; & ut non concupiſcas, omnem ſuggeſtionem, omnem cogitationem, concupiſcentiam excitare potentem, quantocyus comprime, ne venenum in animam ſerpat. Bern. de gradu 2. humil.

In eandem ſententiam exponebat Auguſt. illud Gen. 3. *Ipſa conteret caput tuum*, monens expungendam omnem de contractu illicito ineundo ſubdole irrepentem cogitationem. O Eccleſia (inquit Auguſtinus) caput ſerpentis obſerva: Quid eſt caput ſerpentis? Prima peccati ſuggeſtio. Venit tibi in mentem aliquid illicitum; noli ibi tenere mentem tuam, noli conſentire. Hoc quod venit in mentem, caput ſerpentis eſt, caput calca, & evades cæteros motus. Quid eſt caput calca? Ipſam ſuggeſtionem contemne. Sed lucrum ſuggeſſit: magnum ibi lucrum, magnum aurum, dives eris ſi hanc fraudem feceris. Sed pereat mundi lucrum, ne fiat animæ damnum, & dic: *Quid prodeſt homini ſi univerſum mundum lucretur, anima verò ſua detrimentum patiatur?* Hæc dicens obſervalti caput ſerpentis, & calcaſti. Ille autem diabolus calcaneum tuum: Quando labaris a via Dei. Tu obſervas primam ſuggeſtionem, ille obſervat lapſum tuum, ſi ceciderit poſſidebit. Hæc Auguſtinus. S. Aug. in c. 3 Gen. Aug. in Pſal.

Tertiò rectè ſpeciali præcepto vetamur rem alienam concupiſcere: quia licet id indirectè vetitum 3. Vt agnoſcatur.

nimia cupiditas eſſe noxia.

tum reperiatur per id quod dicitur : *Non furaberis*, multis tamen caſibus , qui nimium rebus temporalibus coacervandis invigilant , exiſtimarent ſe non peccare , niſi hoc præcepto , *Non concupiſces*, frænum eis imponeretur. Licet enim furtis ſe nolint obnoxios agnoſcere, nec voluntati furandi : cupiditatem tamen nimiam non poſſunt non agnoſcere, ſi ſe ſincerè velint intueri, & cor introſpicere : illamque concupiſcentiam varia ſalutis impedimenta ſecum vehere; debent fateri. Hinc Apoſtolus: *Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem , & in laqueum diaboli , & deſideria multa inutilia & nociva , quæ mergunt hominem in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas.* Et ita hoc præcepto ultimo non ſolum prohiberur , ne furandi deſiderium habeas , ſed etiam ne deſiderio nimio rerum proximi & cupiditate impulſus , illas inquirere cum ejus incommodo ſtudeas , ut ardenti tuæ cupiditati ſatisfacias. Nec enim Scriptura dum dicit : *Væ qui conjungitis domum ad domum , & agrum agro copulatis* , tantum eos reprehendit qui injuſtè acquirunt domos agroſve ; imò verò illos arguit , ſiti rerum temporalium nimia flagrantes , qui non ſine aliquo aliorum incommodo , plurima ſibi coacervant, v.g. domos, agros, hortos, vineas &c. Sed & frequenter licet titulo juſto videantur ſibi acquirere velle , ſubdola tamen cupiditas fraudulentos nonnunquam ſuggerit modos , per quos perperam voto deſiderioque potiantur. Exempli gratia : Vicinus tuus juxta hortum tuum habet ſuum , quem è re tua exiſtimas , ſi tuo illum poſſes conjungere. Sed vendere non vult. Quid igitur facies ? Furari non licet, & media quæ cogitas non ſuccedunt ; cupiditas tamen tua te quietum non ſinit. Forſitan audis ipſum ære alieno opprimi , adis & urges creditorem , ut debitum urgentiſſimè expoſcat , nullo amplius dato termino. Sic vicinus ille ſolvere coactus , cogitur illum hortum vel agrum tibi divendere , & quidem viliori pretio , quam ſi non urgeretur, Et tamen tu tuam conſcientiam liberam putas , cùm non parum ſimili tranſactione onerati poſſit , & ideò tibi clamatur , *Non concupiſces rem proximi tui , nec agrum, nec bovem &c.* Sic Achab cupiditate impulſus optabat frui vinea Naboth , at ille nolebat divendere hæreditatem Patrum ſuorum. Iraſcitur Achab , omnia media tentat , ſed cùm eum in ſuam ſententiam pertrahere non poſſet , tandem conſilio impiæ Jezabelis criminis per falſos teſtes inſimulat , & capitis reum pronunciat , ut vinea potiatur. Ecce quanta mala ex prava ejus concupiſcentia promanarunt ? Meritò ergo Dominus, *ſecurim ad radicem ponens*, præcipiendo determinat : *Non concupiſces rem proximi tui.* Nec infrequens eſt apud divites (maximè mercatores agentes cum agricolis , aut aliis qui pecunia aut mercibus egent) quod gaudeant ſe illos creditores multis debitis ad aliquas anguſtias poſſe redigere , ut poſſint concupitas aliquas hæreditates ad eos ſpectantes ſuis conjungere , compellendo vendere. Quod ſi quis eos injuſtitiæ velit arguere : reſpondent ſe non poſſe aliter ſua recuperare. Sed novit Deus doloſa corda , eorumque noxiam cupiditatem inultam non relinquit. Unde Propheta Michæas illis væ interminat. *Væ qui cogitatis inutile , & operamini malum in cubilibus veſtris in luce matutina faciunt illud : Et concupierunt agros, & violenter tulerunt*, q.d. Maledictio ſuper vos qui noctu cum quieſcendum foret , aut cum ad Deum manus levare deberetis , & in cubilibus veſtris compungi , fraudibus cogitandis illud tempus impenditis , ruminatis modos quibus concupiſcentiam veſtram expleatis. Agros ac bona proximi concupiſcitis, & vobis parum eſt, qua via illa acquiratis: fraudem quam prava concupiſcentia etiam noctu inquieta ſuggeſſit , matutino tempore ad effectum deducitis.

1. Tim. 6. 9.

Iſa. 5. 8.

9. Reg. 21. 15.

Mich. 2. 3.

PROPOSITIO II.

Non præcipitur, ut nullos concupiſcentiæ motus ſentiamus, ſed tantum ne illis conſentiamus.

RAtio eſt, quia non eſt in noſtra poteſtate carere omni concupiſcentiæ motu , aut cogitatione ad malum illiciente : ſed tamen in poteſtate noſtra eſt illi reſiſtere, nec conſentire : Multi concupiſcentiæ motus rationem & libertatem præveniunt, nec illi in nobis peccata ſunt : quia non ſunt voluntarii, nec illis ratio ſuperior conſentit. Itaque verum eſt de illis : *Non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum* ; hoc eſt : Non ego liberè & determinatè actu humano & voluntario operor illud, ſed concupiſcentia operatur in me. Hanc Apoſtolus vocat peccatum : quia ad peccatum illicit , & ex peccato orta eſt : eſt ergo & effectus , & cauſa peccati ; ſed nihil nocet , niſi quando *mente delector, conſentio, & ſervio illi.* Quapropter Scriptura alibi explicans illud : *Non concupiſces* , dicit : *Poſt concupiſcentias tuas non eas.* Imò & ipſe Apoſtolus ſatis id explicat dum dicit : *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore , ut obediatis concupiſcentiis ejus.* Nempe, peccatum, aut fomes peccati in nobis regnare non poteſt , niſi nobis volentibus , & ſponte illi nos ſubiicientibus. Et ideò non dicit : Non ſit aut non habitet in vobis fomes peccati : Sed *non regnet*, non dominetur vobis, ne ejus deſideriis obediatis , aut tyrannidi ejus ne manus detis ; ſed obluctemini ei forti & infracto animo, vires ejus, quantum in vobis eſt, conterendo & perimendo ; & illuc connitendo ubi perfectè extinguetur & intermorietur.

Rom. 7. 17.

Eccl. 18. 30.

Rom. 6. 11

Ex his collige primò. Cùm dicit D. Auguſtinus epiſt. 200. hoc præceptum : *Non concupiſces* , non impleri in hac vita , ſed in ea nos tantum tendere ad illum locum, ubi illud complebitur ; Colligе, inquam hoc intelligendum eſſe in perfecto ſenſu anagogico : quia ſcilicet non poteſt fieri, ut nulla omni-

Corollarium. 1. Non poſſe hic perfectè impleri.

Digitized by Google

omnino concupiſcentiæ deſideria ſint in nobis durante vita. Sed hoc hic liberaliter non præcipitur, erit enim id merces futura poſt luctam omnem, quando abſorpta erit mors in victoria,& peccatum præcipitabitur in æternum, cum fomite & concupiſcentia. Monemur tamen & hoc præcepto, ſenſim evellere & perimere dictam concupiſcentiam, & illuc omnino conari, ubi perfectius ab illa liberabimur,& hoc vult D. Auguſtinus. Nam & eodem modo loquitur de præcepto dilectionis Dei, dicens non impleri in hac vita, in illa ſcilicet perfectione conſummatæ dilectionis quæ erit in Cœlo : ſed illa non cadit proprie ſub præceptum, ut alibi diximus, quamvis moneamur ad illam conniti & contendere.

2. Cogitationibus reſiſtendo meremur.

Secundò, ex dictis colligitur, cogitationes pravas & illicitas,dum reſiſtimus, non ſolum non eſſe peccata,ſed etiam in meritum verti, & occaſionem augendæ virtutis,gratiæ,gloriæ. Quod multi non advertentes, mire illis conturbantur & anguntur, cum gaudere debeant oblata ſibi luctæ ac victoriæ materia. Et fruſtra anxiantur,ut illis omnino careant, cum id in illorum non ſit ſitum poteſtate. Quod pulchra ſimilitudine quadam ex SS. Patribus ſic expreſſit.

In vit. PP. l. 5. lib. 10. n. 55.

Quærebatur apud Abbatem Frater quidam, ſe pravis ſubinde cogitationibus plurium turbari. Eum Abbas ſecum eductum monet, ut ſinu aperto ventos capiat. Reſpondet Frater : Hoc ſibi neutiquam eſſe poſſibile. Ad quem Abbas : *Hoc ſi nequis, nec cogitationes coercere poteris, quo minus tibi incidant. Sed hoc tui eſt muneris, ut ardenti ſpiritu & magno eis reſiſtas.*

Bloſius in Monili c. 4. de S. Brigitta.

Has vero cogitationes (dum fortiter reluctamur) eſſe animæ purgationem & coronam, ipſemet Chriſtus quondam docuit S. Brigittam, ut refert Bloſius in monili cap. 4. Dominus Jeſus,inquit,ſemel & Brigittæ dixit: *Cur turbaris, & ſollicita es, filia?* Reſpondit illa : *Quia diverſis & inutilibus maliſque affligor cogitationibus,quas removere nequeo, & terror judicii tui me pungit.* Cui Dominus : *Hæc eſt vera juſtitia, ut ſicut prius delectabaris vanitatibus mundi contra voluntatem meam, ita modo tibi moleſta ſint vana perverſaque cogitationes contra voluntatem tuam: Veruntamen time judicium meum moderate & cum diſcretione, firmiter ſemper confidens in me Deo tuo. Certiſſimè enim ſcire debes,malas cogitationes quibus mens reluctatur & quas deteſtatur, eſſe purgationem animæ,atque coronam. Si tu illas prohibere non potes,ſed patienter,ac voluntate eis renitere, & quamvis ipſis non conſentias,time nihilominus ne inde ſuperbias & cadas. Nam quicunque ſtat, ſolius Dei virtute ſtat.*

Sur. de S. Cath. Sen.

Hoc ipſum aliquando edocta fuit divinitus B. Catharina Senenſis. Hæc cum quodam die conflictaretur cum turpiſſimis cogitationibus, anxia plane erat. Paululum autem ſedata tentatione, cùm ad divini luminis præſentiam interius conſolationem aliquam perſentiſceret, cœpit ſuaviter Sponſo ſuo conqueri,dicens. *Ubi eras, Domine Jeſu, ubi eras?* Cui ille : *In medio cordis tui eram.* *At quomodo,* inquit ipſa,*in medio cordis mei poteras eſſe ; quandoquidem ibi fœdiſſima cogitationes agerent, illudque inquinare viderentur, & puritati tuæ adverſari?* Inquirit Chriſtus, an illis cogitationibus conſenſum dederit; an in illis ſibi complacuerit? Reſpondet illa: Nihil ſe magis deteſtari, quam turpitudines illas & fœditates imaginationi objectas. Tunc Chriſtus: *Scias ergo,me in medio cordis tui fuiſſe, & gratiam tibi,ne conſentires,ſubminiſtraſſe ; ideoque ibi eram velut in medio fortaliti cujuſdam,quod protegebam, & niſi protexiſſem,perieras : & ita,ô filia,noli anxiari,ſed gratias age.* Hæc Chriſtus.

PROPOSITIO III.

Prohibetur hic non ſolum voluntas operis illiciti ſed & delectatio ex imaginationibus procedens.

HAbet hæc delectatio locum maxime in rebus carnalibus, ubi aliquando contingit voluntatem non conſentire in peccatum ; delectari tamen ejus imaginatione & cogitatione, vel explicite,vel interpretative & implicite, dum eam advertens non repellit. Hanc delectationem peccatum mortale involvere docent Theologi, ex Auguſt. lib. 12. de Civ. cap. 12. ubi dicit : *Nec ſane cum ſola cogitatione mens oblectatur illicitis,non quidem decernens eſſe facienda, tenens tamen & volvens libenter,quæ ſtatim ut attigerunt animum, reſpui debuerunt,negandum eſt eſſe peccatum ; ſed longe minus, quam ſi & opere ſtatuatur implendum ; ideoque talibus quoque cogitationibus venia petenda eſt, & pectus percutiendum eſt.*

Licet vero minus ſit, quam ſi quis voluntatem concepiſſet operis turpis exequendi, eſſe tamen mortiferum indicat D. Auguſtinus, dum ſubjungit, alludens ad id quod geſtum eſt inter Evam & Adam. *Neque enim ſicut in illis duobus primis hominibus perſonam ſuam quiſque portabat ; & ita ſola mulier cibum ediſſet illicitum,ſola utique mortis ſupplicio plecteretur: ita dici poteſt in uno homine,ſi delectationibus illicitis,à quibus continuo ſe haberet avertere, cogitatio ſola libenter paſcatur ; nec facienda decernat mala, ſed tamen ſuaviter in recordatione teneatur, quaſi mulierem ſine viro poſſe damnari. Abſit hoc credere. Hic quippe una perſona eſt,unus homo eſt,totuſque damnabitur,niſi hac qua ſine voluntate operandi, ſed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, ſolius cogitationis ſentiuntur eſſe peccata,per mediatoris gratiam remittantur.*

Audiant hæc, qui peccata iſta negligunt confiteri ; maxime mulieres aut adoleſcentulæ,quæ verecundia inutili & damnoſa hæc in confeſſione non aperiunt : aut exigua peccata cenſent,dum voluntas in opus non conſentit. Totus homo damnabitur, inquit Auguſtinus, niſi per mediatoris gra-

Digitized by Google

tiam remittantur, quæ quidem gratia confeſſionis & abſolutionis ſolius Sacramento applicatur, ubi ſanguis Agni illa eluit, nec aliud remedium datur. Inculcent hæc frequenter Paſtores rudioribus & adoleſcentulis, quia defectu confeſſionis de his delectationibus multæ confeſſiones inutiles reperiuntur. Nutriunt hos vermes pudoratæ adoleſcentulæ, ſed excreſcunt & corrodunt, imo latent tanquam parvuli ſerpentes conſcientiam earum involventes longo tempore, donec obſtetricante manu prudentis confeſſarii tandem educuntur in lucem, ut experientia ſæpius didici.

Quinimo moneri poſſunt & viduæ, & uxores, peccatum grave incurrere, dum voluntarie delectantur in memoria præteritæ copulæ: quæ licet fuerit licita, motus tamen ſenſualis concupiſcentiæ præſentis, & delectatio de motu præſenti occaſionato ex cogitatione præteriti, non cenſetur licita aut viduæ aut uxoratæ abſente marito, & frequenter in his periculum eſt pollutionis. Strictius tamen loquuntur Doctores aliqui de vidua, quam de conjugata, eo quod licitus ſit illi actus externus copulæ, non vero viduæ, & ſic non putant aliqui eam peccare mortaliter ſola delectatione imaginaria, ſi periculum pollutionis abſit; viduam vero mortaliter peccare, quia in ſtatu agit, in quo ei actus permiſſus non ſit. Habet quoque communior Theologorum ſententia, delectationem ſortiri diverſam ſpeciem peccati, juxta ſpeciem operis cogitationi aut imaginationi objecti. Unde non ſufficiet in confeſſione exprimere ſe cogitationes aut delectationes contra caſtitatem admiſiſſe, ſed ſpecificare debet ſi cogitaverit de perſona conjugata, aut virgine Deo ſacra, aut conſanguinea, & ſic de cæteris ſpeciebus luxuriæ.

Excutienda itaque eſt omnis imaginatio aut delectatio turpis, tanquam ſcintilla infernalis: ne in veſtem noſtram carneam incidens incendium ſuſciter, quo & mentem adurat, & gehennali in-
Prov. 6. 27 cendio obnoxiam reddat. *Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu, ut veſtimenta non ardeant?* Ille ignem in ſinu alligat & abſcondit, qui impudicam delectationem per cogitationem cordi aut menti adſtringit. Hæc vero corpus, quod inſtar veſtis animæ, incendio ſuo corri-
Simile. pit, dum ad opus turpitudinis per laſcivos motus agitat. Sicut ergo fieri non poteſt, ut qui ignem ſinu condit, veſtem non adurat; ita ſi quis per laſcivam delectationem ignem laſciviæ in corde concepit, corpus etiam totum exæſtuet neceſſe eſt. Itaque ſi menti incidit ignis ille, cave eum abſcondere, ſed ſtatim reſpue. Quomodo enim, ſi quis carbones ignis apprehenderit, ſi cito projecerit, nihil nocebunt; ſi vero diutius tenere voluerit, ſine vulnere abire non poterit. Ita ille qui ad concupiſcendum oculos dederit, & libidinis malum in corde ſuſcipiens, moras in cogitationibus ſuis habere permiſerit, ſine animi plaga exurere eas non poterit.

Audi conſilium B. Job: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. Quam enim partem haberet in me Deus deſuper, & hæreditatem omnipotens de excelſis? Nonne ipſe conſiderat vias meas, & cunctos greſſus meos dinumerat?* Vidit ergo B. Job peccatum ineſſe, non ſolum ſi corpus aliena libidine contaminetur, aut voluntas in opus libidinoſum conſentiat, ſed etiam ſi in ſola cogitatione delectatio voluntarie deliteſcat, abſque operis voluntate: quia per laſcivam cogitationem cor maculatur, & immunditia aſpergitur: ita ut expellatur habitator Deus & Spiritus Sanctus, nec habeat ibi partem, nam auctor munditiæ non niſi in mundo corde vult habitare. *Parum eſt*, inquit Chryſoſtomus, *ſi corpus intaminatum maneat corde corrupto: ſicut enim in plantis arejcente & corrupta radice reliqua omnia repudiamus, ſic in homine cum cor perierit, vana eſt reliqua corporis ſanitas, Auriga perit, fractus, dejectus eſt, diſſolute poſtmodum ne dicam periculoſè equi currunt.* Ita ille. Nempe caſtitas, animæ virtus eſt magis quam corporis, & ideo animus ab omni delectatione debet eſſe purus, ut ſit caſtus. Mens eſt quæ ſponſa Dei eſt, illa ab omni impuritate ſollicitè eſt cuſtodienda, ne Sponſo diſplicear, & ab illo deſeratur. Hoc attendens Baſilius dicit eleganter lib. de Virginitate: *Virginem nulla ex parte maculari convenit, non lingua, non aure, non oculo, non tactu, non illo denique ſenſu: Sed virgo eſſe debet virginis auditus, tactus, motus denique omnis. Ac corpus quidem velut delubrum quoddam eſt, ac Sponſi thalamus. Anima vero ſponſa eſt, qua Sponſo fruitura nitidiſſima ac puriſſima eſſe debet.* Ille enim Sponſus diligenter omnia rimatur & diſcutit, non ſolum quæ mortalibus patent obtutibus, ſed etiam quæ in intimis animi receſſibus latent. Unde hoc advertens Job, dicit ſe impuram omnem cogitationem & illius occaſionem velle eliminare, ne quicquam in interioti ſuo habitaculo diſplicens inveniat Deus. *Quam enim partem*, inquit, *haberet in me, nonne ipſe conſiderat vias meas*, &c.

Job 31. 1.

Chryſoſt. hom. 8. de Pœnit.

Baſil. l. de Virginit.

Quia vero hæc cogitatio & delectatio ex aſpectu prodire ſolet, ideo dicit ſe pepegiſſe fœdus cum oculis ſuis. Quapropter hos aſpectus diligentiſſime vitandos monent SS. Patres, eo quod viam delectationi ſternant. Audi Chryſoſtomum: Ne ſpectes temporaneam, quæ ex aſpectu provenit, voluptatem; nam illa infligto vulnere plerumque celeriter avolat, at vulnus non avolat, ſed plerumque manet & interficit. Sicut cerva confixa jaculo in vitali parte, etſi venatorum effugerit manus, nihil inde fert lucri: ſic & anima accepto concupiſcentiæ jaculo, è laſcivo cutioſoque aſpectu, etiamſi cum jaculo permittatur abire hinc opere, tamen ipſa ſe corrumpit ac perit.

Chryſoſt.

Nec ſolum aſpectus, ſed & omnis etiam leviſſimus tactus huic delectationi viam ſternit, & ideo

& ideò maximè fugiendus est : quia etiamsi solùm fiat transcursim , imò & per interpositam vestem, latenter excitat : sicut stuppa accedens ad solum odorem ignis, facilè eum concipit. Audi quid dicat Sapiens. *Qui ingreditur ad mulierem proximi, non erit mundus cùm tetigerit* : q.d. Etiamsi solùm ingrediatur ad eam alloquendam, etiamsi solùm per vestem tangat, facilè immunditiam contrahit. Procul ergo fugiat omne consortium mulieris, si mundus esse velit & illæsus. Prov. 6. 29.

Hoc iterum ignis similitudine expressit Basilius dicens : Sicut cùm ignem tangimus, ignis per vestigia impressam adustionem percipimus, & impossibile est ignem transferre manu , & illæsam ab incentiva operatione servare , sed statim bullæ turgescunt , & dolorosa per inflammationem ulcera mox rumpenda minantur. Ita impossibile est qui mulierem attrigerit, ejusmodi tactum innocuum perferre : sed simili ratione bullæ per tactum cordi surrepunt clam, & intumescunt, & agitationes perturbationesque pariunt ; ac peccati ulcera continuò rumpenda minantur , aut animum totum in intimis jam exulceratum graviter indicant. Et quia in membris omnibus ardet hic ignis, si qui corpus ab ustione liberum servare volunt, membrorum omnium contactus cautè servandus est : ne ardentem ignis operationem in membro per tactum , non in sola corporis parte quam tetigerit, sed in toto corpore & anima suscipiant. Hæc Basil. Basil. l. de Virgin. Simil.

Ideò ergo sancti viri tanta cura se ab omni etiam levissimo contactu, imò & aspectu mulierum, dimovere solliciti fuerunt. Arsenius ita exhorruit mulieris vel solam memoriam , ut cum quædam nobilis Matrona sanctitatis ejus fama commota, ad Eremum venisset , ut eum videret, & se ejus precibus commendaret, consiliumque salutis ab eo acciperet , graviter id tulerit. Cùm enim illa de improviso extra cellam eum invenisset , projecit se ad pedes ejus , itineris sui longinqui (à Roma nempè in Ægyptum usque) rationem exponens. At ipse veluti irata voce : *Quid*, inquit, *an mulierem nescis? an oportuit ut tot maria transires, & me videres ? an aliis vis viam pandere mulieribus, ut quietem meam turbent huc ventitantes* ? Illa tota territa , nec audens quidem oculos levare cum modestia ei dixit : *Ne indignè feras adventum meum, ô vir sancte, qua sincera mente & pio affectu huc veni , salutis enim consilium à te acceptura accessi, & ut rogarem te ut intercederes pro me, & semper in orationibus tuis mei memoriam haberes.* Respondit ille : *Hoc ipsum ego precabor Deum, ut tui nunquam meminerim , & totaliter è memoria mea delearis.* Nimirum ex sola mulieris recordatione timuit Arsenius laqueum , timuit titillationem aut delectationem , & ideò illam in radice sua succidit. In vitis PP. l. 5. libello 2. de Quiete n. 7.

Memorabile etiam est quod in vita Beat. Mariæ Ogniacæ refert Jacobus de Vitriaco : Cùm quidam illi familiaris , ex nimio spiritualis affectionis excessu, manum ejus aliquando stringeret, licet casto animo nihil turpe cogitaret , sensit tamen ex illa nimia vicinitate , primos motus insurgere. Cùmque illa prorsus hoc ignorat , audivit vocem ab excelso, scilicet : *Noli me tangere* : nec tamen illa intellexit quid significaret. Deus enim mitis, & nostris infirmitatibus compatiens , noluit illum coram sancta muliere verecundia confundere. Volebat tamen, tanquam Zelotes amicæ suæ castitatem custodire, & illam propter innumera pericula castigare. Unde cùm illa diceret ei : Audivi nunc quandam vocem, sed quid significaret , prorsus ignoro; *Noli me tangere.* Ille quid hoc esset intelligens, & sibi de cætero diligentius cavens, & Domino, qui ejus infirmitatem deregere noluit , gratias agens, recessit. Ita Vitriaco. Jac. de Vitriaco in ejus vita.

Narrat S. Gregorius, S. Ursinum Presbyterum ab uxore separatum, castè vixisse : cùmque moriturus, ultimum traheret spiritum, accessit uxor naribus ejus aurem admovens , ut sentiret si quod ei vitale spiramen adhuc inesset. Quod ille sentiens, cui tenuissimus inerat flatus , quanto valuit nisu vocem collegit, dicens: *Recede à me mulier, adhuc igniculus vivit, paleam tolle.* Verè Poëta. Greg. l. 4. dial. c. 11.

Regulus ne visu, Siren Acheloia cantu,
Et necat affricto Thessala saga levi :
Sic oculis, manibus, sic uret fœmina cantu ;
Sic trisidum fulmen, Vejovis esse queat.

Ex hactenus dictis conclude , nos circa turpem cogitationem posse tripliciter habere. Primò quidem in illa complacendo , aut cùm advertimus non rejiciendo ; & tunc est peccatum mortale. Secundò , non quidem complacendo , sed tamen negligenter circa illam nos gerendo , sine tamen plena deliberatione aut consensu in delectationem; & tunc est peccatum veniale , tanto gravius, quanto negligentia major est , per quam non satis citò aut vigilanter eam excutimus. Tertiò illi quantocius advertimus fortiter reluctando ; & tunc ne quidem veniale in nobis peccatum est, quin potius occasio meriti & virtutis. Et licet importunè recurrat, si tamen vigilanter ratio resistit & voluntas, crescente pugna, crescit victoria & corona. Non enim in nostra situm est potestate, ut vel à dæmone non objiciantur, vel à concupiscentia, quæ peccati fomes est , quandoque non excitentur. Quam quidem concupiscentiam, & orientes ex ea passiones, licet superior ratio possit debellare , & evincere, ne animam inficiant, non tamen penitus potest perimere & extinguere ; sed quamdiu hæc vita mortalis agitur, quasi in stadio est, in luctra & agone. *Cogitatio turpis esse potest triplex.*

Hoc præclarè declaravit Abbas Abraham in lib. Doct. Patrum. Cùm enim quidam de quodam sene diceret , quod 50. jam annis nec panem come- In vitis PP. l. 5.

l. de diſcretione nu. 15.

comederet, nec aquam biberet, aſſereretque ſe extinxiſſe fornicationem, avaritiam, vanam gloriam : audiens Abbas quod hæc dixiſſet, venit ad eum, & interrogavit an tali ſermone uſus fuiſſet? Reſpondit ei, etiam ſe talem protuliſſe ſermonem. At dicit ei Abbas Abraham : *Ecce intras in cellam tuam, & invenis ſupra mattam tuam mulierem, potes non cogitare quia mulier eſt* : Et dixit : *Non, ſed repugno cogitationi meæ, ut non tangam mulierem illam.* Dicit ei Abbas Abraham : *Ecce igitur non interfeciſti cogitationem, quia vivit paſſio, ſed ipſa alligata eſt.* Iterum ſi ambulas in via, & vides lapides & teſtas vaſorum, & inter ipſas jacet aurum, potes mente tua aurum quod videris, velut lapides reputare ? Et reſpondit ; *Non, ſed reſiſto cogitationi meæ, ne colligam illud.* Et dicit ei Abbas: *Ecce ergo vivit paſſio, ſed alligata eſt.* Et dicit iterum Abbas. Si audiens de duobus Fratribus, quod unus diligat te, & bona de te loquatur, alius autem oderit te, & detrahit tibi, & veniant ad te, utrosque æqualiter ſuſcipies ? Et dixit: *Non, ſed extorqueo animo meo, ut ſimiliter benefaciam ei qui me odit, ſicut illi qui me diligit.* Et dicit ei Abbas:

Vivunt ergo paſſiones, ſed tantummodo à ſanctis viris quodammodo religantur.

***

FINIS.

CAN-

Digitized by Google

CANDELABRI MYSTICI TRACTATUS I.

DE SEPTEM SACRAMENTIS IN GENERE.

PROOEMIUM.

CHristus Jesus, lux lucis & fons luminis, antequam humanitatis suæ Divinitati hypostaticæ conjunctæ, lucem & præsentiam visibilem subtraheret, Ecclesia novam extruxit suam, Patrisq; domum inclytam: quam voluit sacræ doctrinæ & cœlestis gratiæ perenni lumine adornari: Ut ergò *major foret gloria novissimæ domus quàm primæ*, excellenti modo, sublimi consilio, admirando mysterio, septem Lampades in ea constituit, lucis divinæ & cœlestis nunquam exortes. Hæc sunt septem Sacramenta, à quibus promicat *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: quæ illuminat omnem hominem egredientem ex hoc mundo. Hæc enim constituta sunt à Sapientia æterna, ut omni tempore proficua sint filiis lucis, contra Rectores tenebrarum harum: qui à facie luminis ab illis Sacramentis promicantis, diffugiunt, & tartareis antris confusi se demergunt. In sublimi igitur Candelabro positæ hæ Lampades, lucem quaquaversum diffundunt; *ut luceant omnibus qui in domo sunt*: imò ut luceant & iis qui extra domum sunt, extra Ecclesiã jacentes in tenebris & umbra mortis, ut sic in domum veniant, & Ecclesiæ aggregentur, dirigantq; pedes suos in viam pacis & lucis, de regione umbræ mortis. Interim quia lux odiosa est vespertilionibus, importunaq; furibus, qui tenebras amant, ut omia quæ in domo sunt, confundant, evertant, diripiant: Hinc hæretici cæcutientes & lucifugæ, fures & tenebriones, extinguere has Lampades conantur, flatu doctrinæ suæ serpentinæ. Vel certè eas nituntur reddere olei & luminis vacuas, dum gratiam sanctificantem, quæ cœlestis est, denegant per Sacramenta conferri, dum etiam Confirmationis, Ordinis, Extremæ Unctionis, Eucharistiæ, Sacramenta reddere voluntinania Nos igitur ut eis obviemus, & filios lucis in veritate doctrinæ à Christo traditæ, ab Apostolis derivatæ, ab Ecclesia continua sæculorum revolutione pronunciatæ confirmemus: de singulis Sacramentis eorumq; institutione, materia, forma, effectu, ritu, particulariter hoc libro differemus. Et sacræ doctrinæ floribus, de horto sacræ Scripturæ, & Areolis SS. Patrum, Exemplisq; Historiarum Sacrarum depromptis, has Ecclesiæ Lampades exonare conamur. Elucidabimus quoque abscondita Fidei nostræ mysteria sub rebus sensibilibus in his Sacramentorum symbolis objecta, in gratiam Concionatorum, Catechistarum, Pastorum, Sacerdotum. Et ita non nudam tractationem scholasticam de his instituemus, quæ steriliter solùm pascat intellectum, nuda notitia veritatis de his mysteriis: sed & moralem, quæ efficaciter influere possit in cor & voluntatem, ut faciat eam spiritus & unctionis ibi latentis participem: & medullæ frumenti, quæ latet sub cortice Sacramenti.

Joan. 1. 9. *7. Sacramenta. 7. Lampades Ecclesiæ, Matt. 5. 15.*

Distributio libri.

Digitized by Google

LECTIO I.

DE AUCTORE SACRAMENTORUM.

1. *Docet Chriſtum eſſe auctorem.*
2. *Aſſignat cauſam inſtitutionis eorum.*
3. *Docet eſſe ſeptem numero.*

PROPOSITIO I.

Chriſtus Dominus Sacramentorum noſtrorum auctor eſt.

AD pleniorem intellectum adverte, Sacramentum quandoque generaliter, quandoque ſpecialiter ſumi. Generaliter quidem, idem ſignificat quod Græcis *Myſterium*, ſive ſactum ſecretum. Sic accipitur 1. Tim. 3. *Magnum eſt pietatis Sacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria.* Ubi Apoſtolus Incarnationis myſterium, (ex qua alia myſteria originem habent) vocat Sacramentum magnum. Sic quàdam analogiâ extenditur nomen Sacramenti in Scripturis ad ſecreta Regum, Tob. 12. *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt, opera autem Dei revelare honorificum.* Nos autem ſpecialiter hic loquimur de Sacramento novæ legis, juxta acceptionem Eccleſiæ ac Theologorum. Sic definitur in Catechiſmo Concilii Tridentini. *Sacramentum eſt inviſibilis gratiæ viſibile ſignum, ad noſtram ſanctificationem inſtitutum.*

1. Tim. 3. 16.

Tob. 12. 7

Definitio Sacramenti.

Quæ deſcriptio ut perfectiùs intelligatur, oportet meminiſſe ex Auguſtino, nomine Signi intelligi id quod præter rem, quam ſenſibus ingerit, aliquid aliud in cogitationem venire facit. Triplicis autem generis ſigna diſtingui poſſunt, Alia ſunt naturalia, quæ ſcilicet ex natura ſua ſolent aliquid nobis indicare. Sic fumus ſignum eſt ignis, veſtigium terræ impreſſum, ſignum eſt tranſeuntis, imago ſignum eſt prototypi. Alia ſunt ex inſtituto vel conſenſu hominum, ut hedera appenſa, ſignum vini venalis; ſonus tubæ & tympani, ſignum prælii ineundi; campana ſonans, ſignum officii divini. Alia denique ſunt ex divina inſtitutione; ſic Circumciſio à Deo inſtituta, fuit ſignum populi electi; ſerpens æneus, ſignum Chriſti in Cruce elevati, & multa ſimilia reperies in Scriptura.

Triplex genus ſigni

Sacramenta itaque ſunt ſigna viſibilia gratiæ inviſibilis, non ex natura, nec ex hominum inſtituto, ſed ex ſola Dei Chriſtúq; inſtitutione. Ratio eſt, quia res naturalis non poteſt ex ſe habere ſignificationẽ rei ſupernaturalis, niſi ad id inſtituatur a rerum ſupernaturalium authore: & maximè quia Sacramenta non ſolum ſunt ſigna nuda, ſed ſunt efficacia gratiæ: nulla autem creatura, nec angelica, nec humana, gratiam poteſt conferre ex propria aut primaria authoritate: ſic nec ex viſibili ſigno, vim gratiam conferendi infallibiliter, alligare. Chriſtus verò, quatenus Deus id potuit ex propria & primaria poteſtate; quatenus verò homo, ex poteſtate excellentiæ, quam habuit ex unione ad verbum, per quam *Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata*, non ſolum ut Miniſter ſecundarius (qualiter ſacerdotes etiam eam habent) ſed ut principalis Miniſter, ex vi ſummi Sacerdotii, quod illi proprium eſt & ſingulare. Ratione ergò hujus ſupremi Sacerdotii, à Theologis attribuitur Chriſto homini, ſingularis poteſtas, quam vocant excellentiæ, cujus actus ipſi ſunt proprii. Per hanc, ſecundum humanam naturam, habuit authoritatem ſanctificandi homines ſine Sacramentis; & conſequenter inſtituendi Sacramenta, per quæ infallibiliter ſanctificaret, in quibus meritum, & virtus Paſſionis ejus operarentur.

Sacramenta ſigna viſibilia inviſibilis gratiæ

Matt. 9. 6.

Itaque cùm Chriſtus ſolus, Caput ſit Eccleſiæ ejuſque author, conſequenter ſolus debet dici author Sacramentorum, quæ ſunt velut baſes, & columnæ, quibus Eccleſia nova ſuperſtruitur, quibus forma Reipublicæ Chriſtianæ conſtat, & in unum corpus ſub uno capite compaginatur.

Hoc indicat Sapiens, Proveb. 9. *Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, miſcuit vinum & poſuit menſam: miſit ancillas ſuas*, (ſivè juxta ſeptuaginta ſeivos ſuos) *ut vocarent ad arcem & mœnia civitatis.* Sapientia utique incarnata, Eccleſiam domum ſuam à fundamentis excitavit; & ſeptem Sacramenta, quaſi ſeptem columnas illi ſubſtravit, in quibus ſolidâ initiaretur compagine, adverſus omnes infidelium & hæreticorum turbines inviolabilis manſura, tali manu, tali ſtructore, tali arte, talibus columnis ſuperſtructa, tali cæmento, nimirum Sanguinis ejus, coagmentata. Non ergò Angeli, non homines, non Prophetæ, non Apoſtoli, hujus domus fuiſſe ſtructores, columnarum artifices, Sacramentorum authores. Sed ipſi ſunt ſervi & ancillæ, miſſi a Sapientia, ut vocarent ad civitatis hujus mœnia, & promulgarent hæc divina Sacramenta, omnesque ad eorum participationem convocarent, per quæ ſola ſalus & gratia poſſet provenire.

Prov. 9. 2.

Itaque definit Trident. *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis, non fuiſſe omnia à Domino noſtro IESV Chriſto inſtituta, anathema ſit.* Per hæc verba, excluditur opinio exiſtimantium, Chriſtum aliqua Sacramenta reliquiſſe Eccleſiæ determinanda, aut ab Apoſtolis eſſe inſtituta. Apoſtoli promulgatores fuêre, ſed illa à Chriſto accepêre, tanquam inſtitutores. Quod expreſsè definit Tridentinum, de Extrema Unctione, (de qua dubium aliquod poterat eſſe) docens à Chriſto inſtitutum, ſed à S. Jacobo promulgatum. Nec enim Apoſtolis communicata eſt illa poteſtas excellentiæ, à qua pendet hæc inſtitutio, nec ſingularis illa auctoritas ſupremi & dependentis Sacerdotii. Hinc nec Apoſtoli, nec Pontifex, nec tota Eccleſia poteſt

14. ſeſſ. Can. 1.

Sacra-

Sacramenta mutare, nec in eis diſpenſare quantum ad eorum ſubſtantiam, ut definit idem Concil. ſ. 7.

Sed quæres quando Chriſtus hæc inſtituerit; quum de paucis Scriptura faciat mentionem? Reſpondeo, de ſingulis quando inſtituta fuerint, ſuo loco dicemus: Generaliter dici poteſt, partim imminente paſſione de his erudiviſſe Apoſtolos, partim poſt reſurrectionem. Indicatur Act. 1. ubi dicitur, per dies 40. apparens locutus fuiſſe de regno Dei, hoc eſt de Eccleſia ſua regenda, & adminiſtranda; illa enim regnum Dei vocatur in Scripturis, Chriſto in ea regnante per dona interiùs, & per ſuos Vicarios exterius. Docebat ergo Apoſtolos formam & materiam Sacramentorum, & modum ea adminiſtrandi.

Aug. in Joan.

Cæterum antiqui Patres paſſim docent, Sacramenta originem habere ex paſſione & latere Chriſti. Audi Auguſtinum: *Vigilanti verbo Evangeliſta uſus eſt, ut non diceret, latus ejus percuſſit, aut vulneravit, aut quid aliud, ſed, aperuit: ut illic quodammodo vitæ oſtium panderetur, unde Sacramenta Eccleſiæ manaverunt, ſine quibus ad vitam, quæ vera vita eſt, non intratur.* In hujus rei ſignum, dicunt fluxiſſe è latere Chriſti ſanguinem, aquam, ſymbola Baptiſmi & Euchariſtiæ præcipuorum Sacramentorum, ad quæ alia revocantur. Docent ergò è latere Chriſti in Cruce ſoporati, formatam fuiſſe Eccleſiam, ſecundum Evam, ſicut prima ex latere viri dormientis. Audi Tertullianum: *Si Adam de Chriſto figuram dabat, ſomnus Adæ mors erat Chriſti dormituri in mortem, ut de injuria proinde lateris ejus vera mater viventium figuraretur Eccleſia.* His omnibus nihil aliud ſignificare voluerunt, quam Sacramenta virtutem habere ex paſſione Chriſti; hoc eſt, Chriſtum ſuâ Paſſione meruiſſe & impetraſſe, ut Sacramenta haberent hanc vim, conferendi gratiam, ita ut per illa filii Eccleſiæ ſpiritualiter generarentur, creſcerent, & multiplicarentur: in cujus rei ſignum voluit aquam & ſanguinem è latere ſuo profluere, jam initians ritum quendam Religionis Chriſtianæ & ſignificans Eccleſiam Sponſam ſuam, vi Sanguinis ſui per aquam Baptiſmalem applicati generandam eſſe, & emundandam, ut tandem ſit ſine macula, ſine ruga, in æternitatis gloria.

Sacramenta virtutē ex paſſione Chriſti habent.

Quapropter rectè dixit D. Thomas ex doctrina SS. Patrum, Sacramentum habere rationem ſigni triplicis.

Sacramentorum ſignum triplex.

1. Eſt ſignum rememorativum Paſſionis præteritæ, quæ cauſa eſt juſtificationis noſtræ per Sacramentum acceptæ.

2. Eſt ſignum demonſtrativum præſentis gratiæ, quam de facto, quantum in ſe eſt, confert ſuſcipienti.

3. Eſt prognoſticum, ſive prænuntiativum futuræ gloriæ, ad quam ſanctificatio noſtra in Sacramento accepta, tanquam ad finem refertur. Hæc triplex ratio ſigni apertè demonſtratur in Sacramento Euchariſtiæ, dum de illo canitur: *O ſacrum Convivium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria Paſſionis ejus*: Ecce ſignum rememorativum rei præteritæ. *Mens impletur gratiâ.* Ecce ſignum demonſtrativum rei præſentis. *Et futuræ gloriæ nobis pignus datur*: Ecce prænuntiativum rei futuræ. Idem ſignificat Apoſtolus de Baptiſmo ad Rom. 6. *Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus.* Ecce iterum Baptiſmus ſignum rememorativum Paſſionis & Mortis. *Ut ex novitate vitæ ambulemus, ſicut & Chriſtus ſurrexit à mortuis*: Ecce ſignum demonſtrativum gratiæ cœleſtis. *Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus*: Ecce ſignum prognoſticum æternæ reſurrectionis. Rom. 6. 5.

PROPOSITIO II.

Sapientia diſponens omnia, ſuaviter multiplici de cauſa inſtituit Sacramenta.

PRimò: quia naturale eſt homini per ſenſibilia, & corporalia, ad ſpiritualia intelligenda deduci. Animus enim noſter immortalis, in hoc obſcuro & caduco corpore velut carcere quodam incluſus, ſenſuum miniſterio utitur, nec citra hoc adminiculum ad divina capeſſenda ſolet aſſurgere. Ideo viſum eſt Sapientiæ divinæ, mortalium imbecillitati ſe accommodare, & per externa ſymbola, ſive Sacramenta, ſpiritualia & divina dona indicare & conferre. Hæc eſt ratio D. Chryſoſtomi, *In Baptiſmate*, inquit *per rem ſenſibilem aquam, donum tibi confertur, intelligibile verò quod perficitur, generatio & renovatio eſt, ſi enim incorporeus eſſet, nuda & incorporea tibi dediſſet ipſe dona, ſed quoniam anima corpori inſerta eſt, in ſenſibilibus intelligibilia tibi præbet.* q. d. Angeli, quia toti ſpiritus ſunt, non egent ſenſibilibus & exterioribus illis ſymbolis, ſed voluit Deus ſe naturæ tuæ accommodare, ut ſublimia illa dona, per exteriora iſta ſymbola, melius intelligeres. Vis videre quomodo intellectus elevetur per Sacramentales actiones, ut inviſibilia gratiæ dona conſideret? Attende in ſingulis, ut quid adhibetur ablutio aut immerſio in Baptiſmo, niſi ut per hoc externum ſymbolum, elevetur intellectus ad conſiderandum inviſibilem animæ lotionem, ſpiritualemque mortem dum immergitur, ac reſurrectionem dum emergit? ut quid adhibetur Unctio in Confirmatione aut extremo Sacramento, niſi ut elevetur animus ad conſiderandam interiorem & inviſibilem Spiritus Sancti per gratiam Unctionem: Quid aliud ſignificat abſolutio Sacramentalis, quam diſſolvi vincula peccatorum, quibus anima vincta tenetur, rea æternarum pœnarum? Quid aliud Communio animo repræſentat, quam caritatis conjunctionem, pacem & unitatem cum Chriſto & membris? Quid confirmatio in fronte, qui locus eſt pudoris, quam nos

Mod de cauſis Chriſtus Sacramenta inſtituit. Chryſ. Hom. 6. ad Pop.

Digitized by Google

debere Crucem, quâ ibi ſignamur, & fidem uſque ad mortem confiteri? Ideo ergo diximus, Sacramenta eſſe ſigna ſenſibilia gratiæ inviſibilis. Et hæc eſt prima ratio inſtitutionis eorum, à viſibilibus ad inviſibilia nos transferre, naturæ noſtræ accommodatè.

Sacramenta quaſi ſigilla ſunt fœderis divini.

Secundò, inſtituit Deus Sacramenta, ut eſſent voluntatis divinæ erga nos benevolæ & beneficæ certa teſtimonia, ac fœderis ejus nobiſcum, promiſſionumque quædam ſigilla. Promiſit Deus nobis peccatorum veniam, cœleſtem gratiam, Spiritus ſancti communicationem, æternam ſalutem. Hanc promiſſionem, Sacramentis quaſi viſibilibus ſignis voluit nobis eſſe confirmatam & oppignoratam. Licet enim Dei promiſſio ſit infallibilis, ſolet tamen eam in rebus gravis momenti ſignis exterioribus confirmare, ut teſtantur Scripturæ.

1. Cùm inivit fœdus cum Noë, de non immittendo ulterius diluvio, per Iridem in cœlo fulgentem, tanquam per ſigillum, ſuam obſignat promiſſionem.

2. Paciſcens cum Abraham ſignum fœderis & promiſſionis dat circumciſionem.

3. Quando miſit Moyſen ad educendum Populum, cum ille de ſua dubitaret inſufficientia, dat ei miraculorum virgam, promiſſionis ſuæ adimplendæ teſtimonium certum.

4. Promittens Ezechiæ Regi ſanitatem, promiſſionem confirmat umbra in horologio Achaz retrocedente.

5. Gedeon Jud. 6. cum dubitaret futurum, ut ductu ſuo Iſrael vindicaretur in libertatem, duobus ſignis à Domino eſt confirmatus.

6. Cùm antiquis Patribus promiſiſſet redemptionem per Chriſti Paſſionem, dedit eis varia Sacramenta & ſymbola; quaſi ſigilla hanc redemptionem proteſtantia, eorumque fidem, ac ſpem excitantia.

Itaque, cùm jam nos hujus redemptionis exhibitæ gratiæque ac ſalutis particeps efficit, vult per hæc Sacramenta, tanquam infallibilia teſtimonia & ſigilla fidem noſtram, ſpemque excitari ac corroborari. Dicamus ergo legem novam jam exhibitam, eſſe librum Agni varias continentem promiſſiones, de remiſſione peccatorum, de gratiæ donis, de Spiritus ſancti communicatione & noſtra ſanctificatione, Sacramenta autem eſſe ſeptem ſigilla, quibus liber ille & promiſſiones ejus obſignantur.

Sacramenta ſymbola noſtræ religionis.

Tertiò, inſtituta ſunt Sacramenta, ut eſſent notæ quædam & ſymbola Religionis noſtræ & profeſſionis Chriſtianæ; quibus Eccleſiæ filii ſeſe mutuo agnoſcant, & ab infidelibus diſtinguantur; & ſic his quaſi nexibus & fœderibus Religionis Chriſtianæ, in unione, humilitate, & obedientia ſe fructuosè exerceant, & contineant. Hæc eſt ratio D. Auguſtini dicentis: *In nullum nomen Religionis, ſeu verum ſeu falſum, congregari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum vel Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur.* Adde quod cum homo corpore & animâ conſtet, debet Deo duplicem cultum, ſecundùm animam interiorem, ſecundùm corpus exteriorem, cum interiore conjunctum. Hunc autem cultum, per Sacramenta externa pietatis ſymbola optimè rependit, & ad id ſunt inſtituta.

Auguſt. c. 19. contra Fauſtum c. 11.

Salutis remedia.

Quartò inſtituta ſunt, ut eſſent medicinæ & obvia ſalutis remedia. Hæc enim ſunt Sacramenti medicamenta, ad animarum ſanitatem vel recuperandam vel tuendam ordinata, quæ ex vulneribus Domini vim habent ad vulnera ſananda; quia per illa fructus Paſſionis ejus nobis applicantur. Unde SS. Patres interpretantes parabolam illius, qui ſpoliatus, vulneratus, ſemimortuus, à Samaritano tranſeunte aſſumptus fuit, & in locum tutum deportatus, alligatis vulneribus; dicunt Chriſtum Samaritanum eſſe, qui per incarnationem tranſiens per hunc mundum, compaſſione motus ſuſcepit in ſe infirmitates, & vulnera miſeri Adæ, ſeu filiorum ejus, & ex ſanguine ſuo, ac gratiæ unctione, tanquam vino & oleo, medelam ei ſalutarem compoſuit, illumque commendat Stabulario, ut curam habeat, hoc eſt, Paſtoribus Eccleſiæ, in qua inveniuntur Sacramenta vaſa medicinalia, à Miniſtris applicanda. Eſt enim Eccleſia apotheca myſtica, in qua reperiuntur omnia remedia efficaciſſima, ad ſanandum omnia vulnera, ſive omnia peccata, originale, mortale, veniale. Propterea conqueritur Dominus per Prophetam: *Nunquid non eſt reſina in Galaad, aut medicus non eſt ibi? Quare ergo non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei.* Reſina eſt lachryma, vel gutta ſtillans ſponte ex inciſione arborum, puta, Pino, Cedro Terebyntho, mitigatque dolorem, adſtringit vulnera, obducit cicatricem: Galaad eſt pars Arabiæ, aromatum & medicorum feraciſſima. Allegoricè ergò vult dicere Propheta: Nunquid in Eccleſia Dei deſunt medicamenta, medici ſpirituales, qui poſſunt curare populi vulnera? cur ergo illa fluunt adhuc ſanguinolenta? Corpus Chriſti pro nobis crucifixum, nunquid eſt velut Terebynthus expandens ramos, ex qua fluit hæc reſina, & medicina ſacra. Cum ipſe adhuc in medio Eccleſiæ radicem habeat, & ramos extendat, nunquid deerit medicinalis fluor ad vulnera noſtra ſananda? Adſcribenda ergo culpa corpori & ſocordiæ ægrorum non accedentium.

Jere. 8. 22.

Certè magna eſt bonitas divina, meritò à Fidelibus admiranda, qui tam facilia & prompta dat remedia, ſalutis efficacia. Quid eſt pauculum aquæ, cum levi aſperſione? Quid pauca verba à quolibet homine pronunciata? Hæc tamen conjuncta adeò ſalutifera ſunt, ut in ictu oculi, in momento, innumerata poſſint abluere & ſanare peccata. Voluit ipſe crudelem pati ſanguinis effuſionem, in acerbo crucis altari: ſed ut hominis peccata abluantur, pauculâ aquâ ſuaviter aſpergitur homo, non ſanguine proprio, quia illa aqua ſufficientem habet efficaciam

Digitized by Google

ficaciam ex ſanguinis prioris aſperſione, quâ caput noſtrum aſperſum eſt acerbo cum dolore, ut membra ejus myſtica poſtea aſpergerentur, & ſanarentur à peccatis ſine tolerantia doloris, per ſolam repræſentationem in aqua, ſanguinolentæ præcedentis in ipſo aſperſionis.

Iterum quam pauca ſunt verba: *Ego te abſolvo*: & tamen gratiam perditam reſtituunt, vulnus obducunt, ſanitatem reducunt, ſpem gloriæ in anima pœnitente producunt.

Superbiæ remedia.

Quintò inſtituta ſunt Sacramenta, ad hominis ſuperbiam edomandam, dum homo, qui peccando corporalibus ſe ſubjecit, in pœnam humiliare ſe cogitur, & ſenſibilibus elementis ſubjicere, & ac per illa remedium requirere. Admirabilis hic utique elucet Dei ſapientia, dum ſenſibilia & vilia elementa eligit, ut opus noſtræ redemptionis, juſtificationis, glorificationis, operetur. Dixit D. Paulus: *Quia in Dei Sapientia non cognovit mundus Deum, placuit per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes.* Prædicando ſcilicet Crucis myſterium, *Judæis ſcandalum, gentibus ſtultitiam.* Similiter & nos dicimus, quia per opera Dei magnifica homo non cognovit Deum, eligit elementa egena, quibus ſalutem noſtram operetur, & quibus ſubdatur homo, ut ab eis ſalutem expoſcat; utque ſub illis homo ſuperbus ſe humiliet, & ſuperbiæ ſuæ pœnam agnoſcat. An non vides id quotidie in Sacramento Pœnitentiæ à Principes & Reges depoſito ſceptro & diademate, denudato capite, ad Sacerdotis pedes debent advolvi, ibi humiliati Sacramenta petere, agnoſcere ab illis judicium ſuum dependere, veritatiſque ſententiam. Notum eſt exemplum Theodoſii ad pedes Ambroſii ſeſe projicientis, & rogantis ne janua ſibi occludatur veniæ, & non tantum flexis genibus ſupplicantis, ſed & humi pronum ſe ſternentis cum Davidica illa voce: *Adhæſit pavimento anima mea, vivifica me, ſecundum verbum tuum.* Hiſtoriam retuli Tract. de Indulg. Lect. 2.

2. Cor. 1. 21.

Ps. 118. 25

Iterum dico: Nunquid infirma eligit Deus, ut confundat fortia, dum per guttulam aquæ, dum per modicum olei conſecrati, tantas dat homini vires, contra Poteſtates & Rectores tenebrarum. Vis aquæ eſt expellens Satanam, auferens ei prædam, lavans animam, ſtolâ juſtitiæ eam veſtiens, excutiens Spiritum malignum, tribuens adoptionis ſpiritum. Cæterum autem homo hâc aquæ guttulâ, hâc unctione exiguâ, infirmus eſt, nullas habet vires, dæmoni & inferno præda eſt. Hæc cum gratitudine recolamus, admiremur divinæ ſapientiæ opera, diſcamus ſuperbiam comprimere, exercitio humilitatis Sanctæ in Sacramentis inſinuatæ.

Objectio.

Sed dices, perfectioni legis gratiæ repugnare, ut ſerviamus Deo ſub elementis hujus mundi, ut dicit Apoſtolus, & ſub umbris & figuris; veritas enim per Chriſtum facta eſt, veniente ergo veritate, ceſſant hæ Sacramentorum figuræ. Reſpondeo, non repugnare perfectioni legis gratiæ inſtitutionem Sacramentorum, quia licet reſpectu ſtatus veteris, videatur quædam perfectio in lege nova, eſt tamen adhuc imperfectio, reſpectu ſtatus futuri, in quo ceſſabunt Sacramenta. Præſens ergo Eccleſiæ ſtatus, eſt medius inter ſtatum veteris legis, & ſtatum gloriæ; ideoque neceſſario eſt nobis memoria præteritorum beneficiorum Dei, Fidei profeſſio & cultus exterior, applicatio gratiæ, & veritatis per Chriſtum factæ, ac pignus quoddam æternitatis futuræ; quæ omnia in Sacramentorum inſtitutione habemus. Neque verò ob hæc dicimur ſervire ſub elementis mundi, eo ſenſu, quo hoc dicebatur Judæis, qui multitudine Cæremoniarum opprimebantur, & non juvabantur, quia illis gratiam non conferebant. Unde de eorum Sacramentis contemptibiliter loquitur Apoſtolus, & eos ſerville dicit ſub elementis mundi hujus. Noſtra verò & numero ſunt pauciora, & uſu faciliora, nec ita ſunt egena elementa, ut gratiam non conferant: quinimò copioſiſſimè eam in nobis pariunt, infirmitatemque noſtrâ adjuvant, & inopiam ſupplent. Unde de illis dicit Aug. *Hoc tempore poſtquàm Reſurrectione Jeſu Chriſti manifeſtiſſimâ judicium noſtræ libertatis illuxit, ne eorum quidem ſignorum, quæ jam intelligimus, operatione gravi oneratî ſumus, ſed quadam pauca pro multis eademque factu facillima, ſignificatione præſtantiſſima, intellectu auguſtiſſima, obſervatione caſtiſſima, uſuque ſaluberrima, ipſe Dominus & Apoſtolica tradidit Diſciplina.*

Aug. l. 3. de doct. Chriſt.

PROPOSITIO III.

Septem Sacramenta.

Sacramenta à Chriſto inſtituta, ſunt ſeptem numero; Baptiſmus, Confirmatio, Pœnitentia, Euchariſtia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium.

NUmerus ſeptenarius in Scripturis ſolet eſſe myſticus. Unde ab initio uſque ad finem mundi, ſeptem ætates enumerantur, per quas filii Adæ volvuntur ad æternitatis ſæculum interminabile.

Prima ætas eſt ab Adam uſque ad diluvium: Secunda à diluvio uſque ad Abraham: Tertia ab Abraham uſque ad Moyſen: Quarta à Moyſe uſque ad David: Quinta à Davide uſque ad captivitatem Babylonicam: Sexta ab illa captivitate uſque ad Chriſtum: Septima à Chriſto uſque ad finem mundi. Sic multi enumerant, licet Auguſtinus paulò aliter, ut alibi dixi.

Septem ætates hominis.

Septem quoque ætates hominis enumerantur. ab infantia uſque ad decrepitam: & per ſeptem dies continuò homo volvitur, donec pertingat ad octavum æternæ reſurrectionis & & beatitudinis; in quo non erit amplius revolutio temporum, annorum, dierum, ſed ſtabilis & permanens poſſeſſio ſabbathi & quietis æternæ. Ad hanc autem poſſeſſionem; deducitur per ſeptem Spiritus dona, & per ſeptem virtutes, tres Theologicas, & quatuor Cardinales ac per ſeptem hæc Sacramenta, etiam numero ſuo aliquid myſticum deſignantia.

Digitized by Google

Hinc diximus hæc esse septem sigilla, quibus liber Agni, ejusque propositiones de gratia, remissione, sanctificatione, obsignantur.

2. Esse septem columnas, quas excidit Sapientia, quibus domum suam superstruxit.

4. Reg. 5. 10. 3. Rectè dixeris esse præfigurata per septem lotiones quibus olim Naaman in Jordane à lepra mundatus: Per septem vices, quibus digitus in festo Nū. 19. 4. expiationis in sanguine intingebatur, aut quibus leJos. 6. 6. prosus sanguine passeris aspergebatur,

4. Dicamus esse septem tubas Jubilæi subvertentes muros Jericho: quia Apostolis hæc Sacramenta per orbem annunciantibus, Dæmonis & peccati muri conciderunt, jubilantibus populis ad fidem vocatis.

5. Dicamus esse septem cornua Agni, quibus hostes ejus eventilantur. Nam per hæc Sacramenta, fortitudo nobis datur à Christo Agno, ad Satanæ & inferni vires atterendas.

6. Dicamus esse 7. stellas in Ecclesia quasi cœlo mystico relucentes, ad peccati tenebras fugandas, & amoris divini lucem in cordibus fidelium diffundendum.

7. Dicamus esse 7. Lucernas, quas vidit Zacharias in Candelabro Tabernaculi effulgentes; oleo abundanter fluente nunquam deficientes, nunquam luminis exortes.

Interim nostri hæretici, hæc sigilla libri Agni conantur disrumpere, has columnas domus Dei demoliri: hæc Agni cornua conterere; has stellas obscurare; has lampadas extinguere; hos puteos Abrahæ Patris Fidelium obstruere & ruderibus obruere: quia modò unum tantum Sacramentum asserunt, modò duo aut tria amittunt, reliqua denegantes. Sic diruris his columnis Sapientis dum ædificare volunt, non nisi turrim Babel exstruere possunt, confusi linguis & inter se divisi. Calvinistæ ponunt tria, Baptismum, Cœnam, Ordinationem, Lutherus modò unum, modò tria. Audi ejus verba: *Principio mihi neganda sunt septem* Lutherus. I. de Capt Babyl. *Sacramenta, & tria tantum pro tempore ponenda, Baptisma, Pœnitentia, Panis. Quanquam si ex usu Scriptura loqui velim, nonnisi unum habeam Sacramentum.* Hæc ille, linguis in seipso divisus. Verum tota antiquitas in septenario consentit, ita ut consentius in doctrina sacramentali, rectè inter Ecclesiæ notas numeretur.

Licet verò hic numerus à Christi instituentis voluntate pendeat, cujus testis est Ecclesiæ traditio, nec possit certis demonstrationibus declarari, oportuisse in tali numero Sacramenta institui; non desunt tamen rationes probabiles declarantes congruum fuisse, ut Christus septem hæc Sacramenta instituerit.

Ac inprimis Concilium Florentinum numerum hunc congruum esse declarat, ex proportione inter vitam corporalem & spiritualem. Homini enim ad vivendum vitamque conservandam, necessarium est, ut in lucem edatur, crescat, alatur deinde si in morbum incidat; opus est, ut sanetur, & imbecillitas virium reficiatur. Denique ad commune bonum (quia Reipublicæ membrum est) oportet, ut legitimus Magistratus semper sit, cui subdatur; ac ut humanum genus conservet, legitima prolis procreatione opus est. De vita ergo spirituali proportionaliter loquendum est, ad quam corporalis tanquam ad finem refertur. Unde Sacramentorum quinque prima, ad spiritualem uniuscujusque hominis in seipso perfectionem, duo ultima ad Ecclesiæ totius regimen multiplicationemque ordinata sunt. Per Baptismum spiritualiter renascimur. Per confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide. Renati & roborati nutrimur divinâ Eucharistiæ alimoniâ. Quod si per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per Pœnitentiam spiritualiter sanamur. Spiritualiter etiam & corporaliter (si animæ expedit) per extremam Unctionem. Per Ordinem verò Ecclesia gubernatur, & multiplicatur spiritualiter. Per Matrimonium corporaliter augetur.

Varii fructus Sacramentorum.

Alii considerant Sacramenta, ut medicamenta septemplicis nostræ infirmitatis. Est enim triplex infirmitas culpæ, peccatum nempe originale, mortale, veniale. Est & quadruplex infirmitas pœnæ, malitia sive ad malum proclivitas, ignorantia, timor inordinatus, sive langnor ad confitendum fidem, ac carnis concupiscentia. Baptismus ordinatur directè contra peccatum originale, Pœnitentia contra mortale Extrema Unctio contra reliquias peccati, ac contra veniale. Ecce ergo medela omnis culpæ. Deinde. Eucharistia ordinatur contra propensionem ad malum: Confirmatio contra timorem humanum, ac fidei languorem: Ordo contra ignorantiam: Matrimonium contra carnis concupiscentiam.

Virtus & officium cujuslibet Sacramenti.

Aliqui denique considerant Sacramenta, ut ordinata ad virtutes in nobis producendas, tum eas quas Theologicas, tum eas quas Cardinales appellamus. Et cum illæ sint septem numero, septenarius congruit Sacramentis. Baptismus est Sacramentum Fidei, est janua & porta Ecclesiæ, in qua fidem profitemur. Confirmatio ordinatur ad virtutem spei specialiter in nobis producendam, quâ reddamur fortes & constantes contra assultus hostium. Eucharistia est mysterium perfectæ charitatis & amoris. Pœnitentia est Sacramentum Justitiæ, in quo satisfacimus Deo pro culpa & pœna. Extrema Unctio producit in nobis donum fortitudinis contra extremas tentationes, & præparat nos ad perseverantiam. Ordo requirit prudentiam in illo, qui ordinatur, in cujus manu deponitur clavis scientiæ. Matrimonium ordinatur ad temperantiam, dans auxilium & frenum incontinentiæ nostræ, fluctibus suis turbulentis extra littus maritalis thalami exundet.

Adverte tamen hæc omnia nō esse nisi collectiones quasdam probabiles & congruentes, nec ex illis certo statui hunc numerum: imò neque ex Scriptu-

ris

Digitized by Goog

tis poſſe abſolutè convinci, ſed ex traditione Eccleſiæ, *quæ eſt columna, & firmamentum veritatis.* Unde ſi illam rejiciant Hæretici, rejiciant etiam omnia Sacramenta, nunquàm enim poterunt oſtendere ex Scriptura Baptiſmum vocati Sacramentum, aut Cœnam ſuam, aut impoſitionem manuum, ſivè Ordinationem.

EXPLICATIO PSALMI XXII.

DECLARATVR HIC, QVOMODO SACRAMENTA omnia dicto Pſalmo prophetiçè inſinuentur.

DEus per omnipotentiam ſuam, ſapientiam, bonitatem, providentiam, omnem regit creaturam; & à ſupremo Angelo ad infimum uſque vermiculum, alimento naturæ cujuſque congruo paſcit & conſervat. Hæc verò potentia, ſapientia, bonitas, providentia, ergà hominem variis modis eluceſcit: Spiritus ergò divini impulſu Propheta in perſona omnis Fidelis gratias agit, & dicit: *Dominus regit me*, vel ſecundùm Græca: *Dominus me paſcit.* Optimè verò D. Hieronymus: *Dominus eſt Paſtor meus.* Loquitur utique de Chriſto, ut Paſtore, qui ad genus humanum, ovem errabundam venit, ovinâ ſe pelle contegens per Incarnationis myſterium, ut variis gratiæ auxiliis reducat, & tandem in humeris eam reportet, in montibus æternitatis, inter angelicos choros uberrimis gloriæ paſcuis reficiendam. Interim hic eam paſcit Sacramentis & gratiæ donis, doctrinæque ſacræ paſcuis. Rectè ergò inchoat.

Pſal. 22. 1. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit*, q. d. Dominus eſt Paſtor meus, ſpeciali curâ dirigit me, ſpeciali amore diligit me; & ideò venit ad me errantem, & in loco uberi, in Eccleſiæ agro, rore cœli irriguo, aquis gratiæ circumfluo, divina Sacramentorum alimonia fœcundo me ipſe collocavit. Quid ergò mihi poterit deeſſe, quid ultrà poſſum deſiderare, quandoquidem etiam poſt hæc omnia, promiſerit ad æternitatis paſcua me deducere, & in bonis deſiderium meum ſatiare? Hæc autem ſpiritualia alimenta & Sacramenta, quibus oves paſcuæ ſuæ aluntur, non obſcuris verbis deſignat ſequentibus verſibus.

1. Baptiſmus. v. 2. Primò, Baptiſmus illis verbis deſignatur: *Super aquam refectionis educavit me.* Quæ eſt iſta aqua refectionis, niſi aqua Baptiſmi, quæ animam reficit, reſtaurat, regenerat. Sic enim interpretantur SS. Patres. Audi Baſilium: *Regenerationis aqua ſignificatur, qua baptizatus ad gratiam admittitur, & peccati vetuſtatem exuit, & pro eo qui jenuerat, juvenis redditur.* Audi & Auguſtinum: *Super aquam refectionis educavit me, id eſt, ſuper aquam Baptiſmi, quo reficiuntur, qui integritatem virtutum amiſerunt.* Cui non diſſonat Caſſiodorus, dicens: *Aqua refectionis eſt Baptiſmi lavacrum, qua anima ſterilis ariditate peccati, ad bonos fructus ferendos divinis muneribus irrigatur.* Satis ergò intelligitur ex doctrina horum Patrum, quomodò aqua Baptiſmi, refectionis aqua ſit: quia regenerando ſpiritualiter hominem, animũ renovat, reficit, reſtaurat, ſanctificat, & enutrit per gratiam, quæ eſt animi cibus congruus.

2. Pœnit. v. 3. Secundò, Sacramentum Pœnitentiæ indicatur in illis verbis: *Animam meam convertit, & deduxit me ſuper ſemitas juſtitiæ.* Homo enim poſt Baptiſmum iterum poteſt aberrare; & innata ſibi libertate ac inſtabilitate, poteſt à via vitæ, à veris paſcuis gratiæ, à Creatoris amore converti ad amorem perverſum creaturæ. Poteſt deſerere fontem vitæ, aquas refectionis, & ad ciſternas diſſipatas converti, quæ non valent continere aquas, aut nonniſi putidas. Ideo inſtitutum eſt Pœnitentiæ Sacramentum, per quod iterum ad Deum fontem vivum revertatur, abluatur, reficiatur. Hinc animæ peccatrici dicit Propheta: *Quid tibi in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? Scio & vide, quia malum & amarum eſt, reliquiſſe te Dominum Deum tuum.* Jer. 2. Tres verò partes Pœnitentiæ, Contritio, Confeſſio, Satisfactio, ſunt ſemitæ juſtitiæ, per quas nos deducit ille bonus Paſtor, ut totaliter à peccato converſi adipiſcamur interiorem animæ juſtitiam. Cui conſonat illud Eccleſ. 17. *Pœnitentibus dedit viam juſtitiæ.* Eccl. 17. 20. Per illud quoque Pœnitentiæ Sacramentum, à via lata peccatorum, ad ſemitas deducimur, hoc eſt, ad obſervationem tum mandatorum, tum conſiliorum Dei: ut ſemper in juſtitia proficiamus, & operibus juſtis inſiſtamus, ſicque impleatur illud Apocalypſi: *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc, qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc.* Apoc. 22. 11. Rectè verò addit: *Deduxit me propter nomen ſuum*, quia Deus animas per pœnitentiam convertens, juſtificans, deducens, perducens; hæc omnia facit, non ob meritum noſtrum, ſed ut glorificet nomen ſuum, ut ab omnibus agnoſcatur vere Paſtor, verè Jeſus Salvator, vere miſericors & miſerator.

3. Confirmato. Tertiò, Sacramentum Confirmationis, licet quoad materiam poſſit deſignari illis verbis: *Impinguaſti in oleo caput meum*, tamen quoad effectum, optimè dicitur ſignificari in verſu ſequenti: *Etſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

Effectus enim Confirmationis eſt, ut homo Baptiſmi gratiâ acceptâ, Chriſti miles confingatur, ac fortificetur. Hoc eſt, abundè Spiritum Sanctum recipiat, Spiritum fortitudinis, quo intrepidè reſiſtat umbræ mortis, peccati periculis: Et maximè ut in fide ac gratia perſeveret, etiam imminentis mortis timore repudiato, ſciens quod regeneratus in ſpem gloriæ: & ut tanquam fortis athleta Spiritu Dei ſignatus, fortiter dimicet contra mundi, carnis, ſathanæ vites, contra omnia fidei & gratiæ baptiſmali adverſantia. Quapropter infracto animo perſecutione imminente poterit cum Apoſtolo dicere: *Quis nos ſeparabit à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu? Tribulatio, an anguſtia, an periculum, an perſecutio, an gladius?* Rom. 8. *Sed in* 35. *his.*

his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos. Convenit et tunc dicere cum Propheta hic : *Etſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* q. d. Etiamſi inſtent pericula, animum non deſpondeo, quia miles tuus ſum, ſignaculum militiæ meæ non deſero; ſed te Ducem ſemper intueor, qui auxilio, conſilio, præſidio continuo cor meum confirmat, & in mediis periculis ſignaculo militiæ ſuæ, & ſpiritu ſuo me animat; Dominus mecum eſt, tanquàm bellator fortis, à dextris eſt mihi, ne commovear, *Dominus virtutum nobiſcum, ſuſceptor noſter Deus Iacob.* Pſ. 45. 12. Pſ. 22. 4. Quod verò addit: *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt*, non alienum eſt à noſtro propoſito, quia in Confirmatione Cruce ſignamur. Undè S. Baſilius, poſtquàm dixiſſet, virgam hanc fortificare imbecillitatem Fidelis, & baculum ducere in viam rectam, addit: *Non admodum erraverit, ſi quis ſalutarem Crucem ita nominaverit, hujus enim ſignaculo & commemoratione ab hoſtibus liberati, ad rectam ſalutem ducimur* Alii ſic explicant: Virga tribulationis & baculus Crucis, mihi conſolationem pepererunt q. d. In mediis afflictionibus, intuebar te caput ac Ducem meum undique afflictum, & plagis conſpeſſum, & ego tanquam membrum gaudebam conformari capiti, tanquàm ovis Paſtori, tanquàm miles Duci, ſciens me per Baptiſmum non ideò Chriſtianum factum eſſe, ut à tribulationibus liberarer, ſed ut Paſſionibus tuis conformarer, & pati ac pugnare diſcerem. Hinc Auguſtinus ſcribit ad amicum: *Noli mirari, Frater, ſi poſtquàm Chriſtianus effectus es, te undiq; tribulationes vexant. Quoniam Chriſtus noſtra Religionis caput eſt, noſque ejus membra ſumus. Debemus ergò non ſolùm eum, ſed & ejus vitam cumulatiſſimè ſequi: vita enim Chriſti reſperſa fuit anguſtiis plurimis, ſummaq; paupertate circumdata, Unde conjectura eſt, cùm te Deus immenſis perſecutionibus corripit, te in electorum ſuorum numerum tranſcripſiſſe, nam ſine tribulationibus ad Deum pervenire non poſſumus. Omnes ad Paradiſum redeuntes, oportet tranſire per ignem & aquam, ſivè fuerit Petrus Apoſtolus, cui data ſunt claves regni cœlorum, ſive Paulus vas electionis, ſive Ioannes, cui revelata ſunt ſecreta cœleſtia. Neceſſe eſt, ut omnes dicant: Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei.*

4. *Euchariſtia.* Pſ. 22. 5. Quartò Euchariſtiæ Sacramentum deſignatur in illis verbis: *Parâſtis in conſpectu meo menſam adverſus eos, qui tribulant me.* Duplicem menſam præparavit nobis Paſtor ille noſter, unam doctrinæ ſacræ, alteram precioſiſſimam Corporis ac Sanguinis ſui, De utraque Thomas à Kempis ſic ait: *Menſa duæ ſunt hinc indè in Gazophilacio Eccleſiæ poſitæ. Una eſt ſacri Altaris, habens panem ſanctum, id eſt, Corpus Chriſti pretioſum. Altera eſt divinæ Legis, continens doctrinam ſanctam, erudiens fidem rectam, uſque ad interiora velaminis, ubi ſunt Sancta Sanctorum, perducens, Gratias tibi Domine Ieſu, lucis æternæ lux, pro doctrina ſacra menſa, quam nobis per ſervos tuos, Prophetas & Apoſtolos alioſque Doctores miniſtraſti. Gratias tibi Redemptor hominum, qui ad declarandam toti mundo charitatem, cœnam paraſti magnam, in qua non agnum typicum, ſed ſanctiſſimum Corpus & Sanguinem propoſuiſti, & lætificans Fideles convivio ſacro, & calice inebrians ſalutari, in quo ſunt omnes delicia Paradiſi & epulantur nobiſcum Angeli ſancti, ſed ſuavitate fœliciori.* l. 4. de imit. Chriſti.

De hac potiſſimum menſa hic loquitur Propheta. Undè Caſſiodorus ſic explicat: Paraſti, id eſt, Prædeſtinaſti altare ſanctum, quod cuncta videt Eccleſia, quod circumdat populus Chriſtianus: Et hæc menſa parata eſt adverſus eos, qui tribulant nos, ut ejus alimento refecti, confortemur contra hoſtes inviſibiles, peccatum, ſathanam, infernum. Illam dicit menſam Cyrillus Hieroſolym. paratam eſſe contra menſam dæmoniorum. Sic enim ait, explicans hæc verba: *Ante adventum tuum, menſam Dæmones paraverant, plenam doloris, pollutam, refertam omni diabolicâ potentiâ, ſed poſtquam tu adveniſti, ô Domine, parâſti in conſpectu noſtro menſam adverſus omnes, qui tribulant nos.* Cyrill. Catech. 4. Utique hæc menſa exadverſo eſt menſæ dæmoniorum, quia illa, quam Dæmones paraverant, efficit, ut homines cum Dæmone quandam habeant communionem. Hæc verò cum Chriſto & Deo habet participationem, nos Deiformes & Chriſtiformes efficiens. Hanc verò menſam paravit, ut jam non ſolum lacte alamur, ut parvuli, ſed ſolidiori cibo grandiores effecti, quo ſolidas accipiamus vires adverſus omnes, qui tribulant nos. Hæc eſt menſa bellantium, de qua verificari poteſt myſticè illud Prophetæ: *Pone menſam, contemplare in ſpecula: comedentes & bibentes ſurgite Principes, arripite clypeum.* Iſa. 21. 5. Hæc verò menſa durabit, donec vocemur ad cœnam nuptiarum agni, ad menſam æternitatis, ubi verum erit: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.*

5. Extrema Unctio. Quintò, Sacramentum extremæ Unctionis deſignatur illis verbis: *Impinguaſti in oleo caput meum.* Ter enim ſolet quilibet Chriſtianus inungi in capite: Primò in Baptiſmo in vertice inungitur chriſmate, à qua unctione dicitur Chriſtianus, 2. in fronte inungitur in Confirmatione, 3. in extrema Unctione caput inungitur, quia ibi maximè vigent ſenſus, per quos homo peccavit. Vis autem ſcire, cur illa Unctio fiat? ut poſſit dicere cum veritate, & ſpe Chriſtiana quod ſequitur: *Et miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Ideò enim forma extremæ Unctionis habet: *Per iſtâ Unctionẽ & piiſſimam miſericordiam ſuam indulgeat tibi Dominus*, &c. Illaque miſericordia maximè neceſſaria eſt illo ultimo die, in quo ſerpens inſidiatur calcaneo noſtro, hoc eſt, extremæ parti vitæ noſtræ. In illo ergò die certaminis, oportet nos fortes pugiles eſſe, ideò ungimur & juſtitiæ lorica induimur, fidei clypeo munimur, divinaque miſericordia protegi exoptamus; ut quandoquidem multò cum dolore, luctu, agone, domus noſtra terreſtris

&

Digitized by Google

& habitatio lutea debeat dissolvi, illa misericordia nos protegente, deducente, subsequente, possimus invenire non manufactam æternam in cœlis: & ut oleo hoc inuncti possimus victoriam reportare, & de Ecclesia militante ad triumphantem transferri, ubi non erit amplius neque luctus, neque lucta, neque dolor, neque clamor, sed plenissima lætitia per oleum designata. Fœlix ergo, qui tunc poterit dicere: *Impinguasti in oleo caput meum, & misericordia tua subsequetur me, ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum.* Ps 22. 5.

6. Ordo. Sexto, Sacramentum Ordinis etiam in illis verbis designari potest: *Impinguasti in oleo caput meum.* Sacerdotes enim inungi solent oleo ab Episcopo consecrato: in quo significatur unctio interior; *descendens à Christi capite usque ad barbam, genas & faciem ejus*, hoc est, usque ad Episcopos & Prælatos, qui sunt velut genæ & barba in Corpore Christi mystico, quia ejus designant pulchritudinem & virile robur. Sed & unguentum illud à capite Aaronis sive Christi, etiam descendit in oram scilicet superiorem vestis sacerdotalis, per quam inferiores Sacerdotes designantur. Sacerdotes inferiores unguntur in manibus, Episcopi tamen supremi Sacerdotes, unguntur chrismate non solum in manibus, sed etiam in capite, quia perfectius repræsentant Christum caput nostrum, auctoritatis suæ eminentia. Recte ergo Sacramentum Ordinis dixeris designari dictis verbis, *impinguasti in oleo caput meum*, nisi malueris sequentibus verbis indicari: *Calix meus inebrians quam præclarus est.* Solis enim ordinatis solet tradi ministerium calicis illius pretiosi, in quo Sanguis Domini continetur. Illis solis convenit dicere: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* Dicitur autem hic calix inebrians, quia terrenorum omnium facit oblivisci, & vitam præsentem contemni. Unde Laurentius, cui hujus calicis commissa erat dispensatio, illo saginatus & velut inebriatus, occurrens Sixto Pontifici eunti ad mortem & martyrium, ejus pedibus advolvitur, brachiis charitatis filialis arctè eum complectitur, & inclamat: *Noli me deserere, Pater sancte, quo progrederis sine filio, quo Sacerdos sancte sine ministro properas; hostiam te Deo immolaturus, & sacrificium odoriferum non sanguinis tui, sacrum libamen Deo oblaturus. Experire utrum ministrum idoneum elegeris, cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem.* Hoc item calice præclaro ebrius, inter crepitantes flammas exultabat, & tyranno insultabat dicens: *Assatum est jam, versa & manduca.* Potestque dicere illud ebriorum apud Sapientem: *Verberaverunt me & non dolui, percusserunt me, & non sensi. De isto calice* (inquit Chrysostomus) *bibit Ecclesia, inebriavit Martyres, ut non agnoscerent proximos carnis suæ, immo Christi amore.* Hæc est ebrietas sancta, quæ mentem sancta inflammans caritate, facit immemorem inferiorum, & fitibundam divinorum. O ergo quam præclarus est hic Calix tot producens electos milites, tot Virgines, tot Martyres, qui Ecclesiam suo sanguine & passione illustrem reddiderunt. Præclarus calix noster, qui est Pastoris nostri calix, quem dat ovibus pascuæ suæ: omnis illius efficacia, originem habet ab amaro illo calice Passionis & Mortis, quem pro nobis bibit, & ex illo amore, quo Sanguinem fundens, etiam animam pro ovibus dedit.

Sed dices, nulla fit mentio Sacramenti Matrimonii? Respondeo, illud à Prophera supponi; agit enim de beneficiis novæ legis per Christum Pastorem Ecclesiæ collatis, Matrimonium autem institutum fuit ante Christum: cum scilicet in Paradiso de costa viri soporati formata est ejus conjux, quod in spiritu cognoscens dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis: & caro de carne mea, ideo relinquet homo patrem & matrem & adhærebit uxori suæ.* Institutum tunc Matrimonium, Christus perfecit, & elevavit ad rationem Sacramenti, ut suo loco dicemus. Hoc ergo Sacramentum dicimus hic præsupponi, quia per illud legitimi filii generantur, qui possint regenerari in aqua, crescere in gratia, nutriri alimento vivifico hujus Pastoris. Per illud nascuntur oves in loco pascuè collocandæ, hoc est, procreantur personæ, quæ fiunt capaces salutis dum in Ecclesia collocantur, ut possint pasci esca sacræ doctrinæ, ac fidei Christianæ; & tandem deduci ad pascua æternæ vitæ. Sic nimirum per Matrimonii Sacramentum efficitur, ut nunquam desint oves, quas Pastor ille regat, quibus provideat, quas deducat. *Matrimonii quando institutum.*

LECTIO II.

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTORUM.

1. *Docet in quo Materia aut Forma consistat.*
2. *Docet à Christo determinata esse, non ab Ecclesia.*

PROPOSITIO I.

Sacramentum perficitur rebus ut materia, verbo ut forma.

DUæ ergo sunt partes Sacramenti, & per analogiam quandam ad compositum naturale vocari solent materia & forma. Res sensibilis, v. g. aqua, oleum, panis, aut actiones sensibiles, puta ablutio, unctio, contritio, censentur concurrere per modum materiæ; eo quod res talis vel actio exterior sit valde indifferens & imperfecta ad significandum. Verba autem Sacramentalia dicuntur concurrere per modum formæ, quia determinant significationem rei, quæ geritur, & sic constituunt ac complent Sacramentum. Declaratur exemplo. Aqua in Baptis-

mo indifferens eſt ad multa ſignificanda, tam enim poteſt refrigerationē, quam ablutionem ſignificare. Sed accedente forma Baptiſmi, jam apta claraque rei, quæ geritur, ſignificatio eluceſcit, ad emendationem ſcilicet ſpiritualem applicati. Hinc Aug. *Detrahe verbum, ecquid eſt aqua niſi aqua ? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Vnde iſta tanta virtus aqua, ut corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur: Non in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens.* Non enim hic provenit effectus, tam ab exteriori verborum ſono, quam ab interiori virtute ſignificata; quæ ſola fide petficitur, & ideo dicit Auguſtinus, efficaciam a verbo provenire, non quia dicitur, ſed quia creditur. Unde iterum idem: *Deus æternus eſt, nec tamen aqua, & omnis actio illa corporalis, qua agitur, cum baptizamus, & fit, & tranſit, æterna eſt. Rurſus illa ſyllaba celeriter ſonantes & tranſeuntes, niſi dicantur, non conſecratur. Hæc omnia fiunt & tranſeunt, ſonant & tranſeunt; virtus tamen qua per iſta operatur, jugiter manet & donum ſpirituale, quod per iſta inſinuatur, æternum eſt.* Licet vero verba determinent ſignificationem, & materiam applicent ad effectum, tamen ex parte etiam materiæ ſolet reperiri proportio quædam ad id ſignificandum, ad quod applicatur, ita ut dixerit Auguſtinus: *Si Sacramenta quædam ſimilitudinem eorum rerum, quarum Sacramenta ſunt, non haberent; omnino Sacramenta non eſſent.* Ubi ſatis ſignificat res naturales, quæ aſſumuntur, habere quandam ſimilitudinem & proportionem cum gratia, & effectibus Sacramenti, & ideo placuiſſe Deo eas elevare ad rationem Sacramenti, ſive ad gratiam illam tum ſignificandam tum efficiendam. Sic in aqua, ſimilitudo & analogia reperitur, ut ſignificet effectum gratiæ abluentis peccata noſtra in Baptiſmo: in pane & vino, ad ſignificandam gratiam reficientem animam in Euchariſtia: in oleo optima proportio, ad ſignificandam gratiam fortificantem in Confirmatione & extrema Unctione. Propterea eleganter dixit Tertullianus: *Caro abluitur, ut anima maculetur. Caro ungitur, ut anima conſecretur. Caro ſignatur, ut & anima muniatur. Caro manus impoſitione adumbratur, ut & anima ſpiritu illuminetur. Caro Corpore & Sanguine Chriſti veſcitur, ut & anima de Deo ſaginetur.*

Auguſt. Tract. 80. in Joan.

Idem contra Mani.

Idem ep. 23. ad Bonif.

Tertul. de carnis reſurrec. c. 8.

Admiraris, quod Deus rebus corporeis, verbiſque paucis tantam virtutem voluerit alligare: Audi rationem.

Primo, ipſe Deus verbum ſirum æternum in Incarnationis myſterio carni ſenſibili voluit eſſe unitum, & in ipſo omnis gratia, virtus, ſalus continetur. Inſtituens ergo Sacramenta ſalutis inſtrumenta, voluit illa ſibi conformari, cui virtutem efficacem communicavit gratiæ & ſalutis.

Secundo, cum homo conſter anima & corpore, conveniens fuit illi proportionari Sacramentorum medicinam, quæ per rem ſenſibilem corpus tangit, & per verbum ab anima creditur. Sicut ergo res viſibilis carnem tangit, ita verba mentem, & utra quæ junctim virtutem obtinent, adſpitandi nobis gratiam & Divinitatis participationem.

Tertio, per Verbum facta ſunt omnia: *Dixit: Fiat lux, & facta eſt lux.* Dum ergo ad meliorem ſtatum, ad Divinitatis conſortium reparantur, ut ſimus nova creatura; voluit iterum verbum myſticum adhiberi, illique virtutem communicare, ut ad ſtatum perfectum, per illud reformemur: *Renati eſtis, non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili, per verbum Dei,* inquit D. Petrus de Baptiſmo. Gen. 1. 3. 1. Pet. 1. 23.

Itaque verba Sacramenti myſtica, ſemen quoddam ſpirituale ſunt: habent etiam vim generalem gratiæ, quæ per illa nobis ingeneratur, vel augetur. Hoc ſemen divinum accipit Eccleſia ſponſa a Chriſto ſponſo ſuo: quia hæc verba illi a ſponſo commiſſa ſunt, ut per miniſtros illis utatur, & filios gratiæ adoptionis Chriſto concipiat, generet, multiplicet, & tandem æternitati illos pariat, regni & gloriæ filios ac hæredes.

Juxta diverſa autem Sacramenta, diverſam efficaciam ſortiuntur hæc verba. Diviſiones enim gratiarum diverſis traditæ ſunt Sacramentis multiformi ſapientia verbi incarnati, per verbum ſive formam ſacramentalem, tanquam per vocem ſuam, mirabiliter operante. Unde, de voce Domini agens Propheta in Pſal. 28. ſepties illam repetit: nec incongrue de voce Chriſti in ſeptem Sacramentis diverſos effectus operante, poteſt intelligi.

Primo dicit: *Vox Domini ſuper aquas,* quod recte intellexeris de Baptiſmo, in quo vox ſacramentalis in perſona Chriſti prolata, ſive forma ipſius Baptiſmi; vim regenerandi & ſanctificandi aquis confert. Pſal. 28. 3.

Secundo dicit: *Vox Domini in virtute.* Ubi Confirmationis Sacramentum, ejuſque forma deſignari poteſt, per quod virtus nobis præſtatur, ad intrepidam fidei confeſſionem. v. 4.

Tertio dicit: *Vox Domini in magnificentia:* Ibi inſinuatur Euchariſtia & ejus forma quia per verba conſecrationis, tota magnificentia Deitatis humanitati conjuncta, ſub panis ſpecie ſiſtitur, ut ibi adoretur: & ore parvulo quodammodo concluditur, magnus ille totius orbis Dominus; omniaque mirabilia & opera Dei magnifica, in hoc Sacramento tanquam compendio comprehenduntur; dum verbum abbreviatum in incarnatione, novo quodam modo abbreviant in myſtica conſecratione. Ibid.

Quarto dicit: *Vox Domini confringentis Cedros.* Quibus verbis deſignari poteſt Sacramentum Ordinis; in quo datur poteſtas ligandi & ſolvendi; quæ quidem poteſtas potentiſſimos quoslibet, qui tanquam Cedri elevati videntur, Sacerdotum pedibus ſubjicit, humiliat, incurvat, & eorum ſuperbiam confringit. Ita ut per illam demittatur omnis altitudo extollens ſe contra Deum, dum cor potentia tumidum, humili confeſſione contritur, & manuum impoſitione à peccatis expiatur v. 5.

per

per Ordinis poteſtatẽ, per quam etiam regnum cælorum ſuperbis anteà clauſum, humilibus aperitur.

v. 7. Quintò dicit: *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Quàm aptè hoc Matrimonio convenit, in quo per verba ſacramentalia & per ſacerdotalem benedictionem, gratia datur, ad ſanctè & religioſè utendum conjugio, & exundantem concupiſcentiæ flammam, aut extinguendam, aut interdicendam,

v. 8. ne violetur caſtitas conjugalis.

Sextò dicit: *Vox Domini concutientis deſertum.* Attende ibi Sacramentum Pœnitentiæ, per quam Deus timore ſancto concutit cor noſtrum, quod à gratia defertum erat, & evellit vepres, & dumeta radiceſque hujus deſerti: hoc eſt, inveteratas occaſiones peccatorum, & conſcientiæ ſpinas pungentes, ut ibi oriatur virot calami & junci, (ut loquitur Propheta) & flores ac lilia germinet; hoc eſt, diverſæ odoriferæ & vernantes virtutes, quarum odore & virote attractus ſponſus, ibi ſuaviter quieſcat.

v. 9. Septimò dicit: *Vox Domini præparantis Cervos.* Ibi Sacramentum extremæ Unctionis videtur adumbratum, cujus munus eſt juſtos præparare, ad alacriter currendum (excuſſo omni onere, & peccatorum reliquiis expiatis) ad montes æternitatis, & & ad belligerandum contra ſerpentes in hac via inſidiantes: quo quidem bello feliciter conſummato, pertingunt ad vitæ fontes aquarum.

PROPOSITIO II.

Materia & forma Sacramentorum à Chriſto ſunt determinata, nec Eccleſia licet immutare.

Trid. ſeſſ. 21. c. 2. HOc agnoſcit Tridentinum, dicens ſemper in Eccleſia poteſtatem fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalvâ illorum ſubſtantiâ, illa poſſet ſtatuere vel mutare, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, locorum, & temporum varietate magis expedire judicaret. Dum ergò dicit, *ſalvâ ſubſtantiâ*, manifeſtè oſtendit, Eccleſiam non habere poteſtatem, ad mutandam ſubſtantiam, hoc eſt, materiam & formam, eò quod à Chriſto hæc determinata ſint poteſtate excellentiæ, quam Eccleſiæ non communicavit. Et cùm in Sacramentorum forma ac materia, primarius & eſſentialis ritus colendi Deum conſiſtat, conveniebat ad majorem Eccleſiæ unitatem, & membrorum illius conſenſum, ut à Chriſto Capite Eccleſiæ determinarentur, ne ſchiſmata, quandoque circà ſubſtantiam Sacramentorum naſcerentur. Hinc fit, ut ſi aliud aſſumatur pro materia, quam id, quod Chriſtus inſtituit, nullum efficiatur Sacramentum, quia oporteat Chriſti inſtitutioni ſe conformare. Et quia quandoque res determinata eſt à Chriſto in ſpecie, oportet rem ejuſdem ſpeciei aſſumi, v. g. quia aqua in Baptiſmo, oleum in extrema Unctione determinatum eſt, nullum eſt Sacramentum, ſi alterius ſpeciei res aſſumatur. Quandoque tamen non eſt determinatio, niſi in rebus ejuſdem generis, & tunc ſufficit unitas generica, v. g. confeſſio dolorosa in Sacramento Pœnitentiæ, ſivè ſit dolorosa per attritionem, ſivè per contritionem, quæ ſpecie differunt; ſivè ſit de peccatis venialibus, ſivè de mortalibus, ſivè verbis, ſivè nutibus explicetur. Sic in Euchariſtia ſufficit panis & vinum, licet vinum unum ab altero ſpecie differre dicas.

Quantum ad formam, ſi ita immutetur, ut ſenſus principalis cenſeatur immutari, nihil efficitur: ſi idem ſenſus manet, etiamſi aliquid addatur vel detrahatur, peccatum quidem incurritur, validum tamen Sacramentum efficitur. Licet verò formæ non omnes in Scripturis expreſsè habeantur, ſufficit tamen Eccleſiæ traditione haberi, cujus etiam eſt interpretari ſenſum illarum. In initio Eccleſiæ non conveniebat verba ſacramentalia paſſim ab omnibus ſciri, ne infidelibus myſteria contemnenda, aut deridenda traderentur, aut margaritæ porcis conculculcandæ exponerentur. Undè dicit D. Dionyſius: *Conſecratoria invocationes non debent ſcripto exponi, nec earum arcanum in publicum efferri, ſed traditione conſervari.*

Sed dicunt Hæretici, genus ſuperſtitionis eſſe, in Sacramentis certis verbis velle adſtringi: ſic enim diabolus, & ejus miniſtri, certis formulis in incantationibus utuntur, & vim ſuam illis alligant, homineſque in errorem traducunt. Reſpondeo, non fuiſſe ſuperſtitioſum olim Deum, dum certam formulam benedictionis Sacerdotibus præſcripſit Num. 6. ubi dicitur: *Sic benedicetis filiis Iſrael, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te: Oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui. Convertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem.* Non erat etiam ſuperſtitioſus, dum illis, qui ſacris ritibus uti debebant, præſcripſit certam formam, juxtà illud Deuteronomii: *Accedes ad Sacerdotem, qui fuerit in diebus iſtis, & dices ad eum: Profiteor hodie coràm Domino Deo tuo, quod ingreſſus ſum in terram, pro qua juravit Patribus noſtris, ut daret eam nobis.* Neque Chriſtus ſuperſtitioſus fuit, qui certis verbis conſecravit, certis verbis baptizavit, & nos illis baptizari voluit; quamvis ipſis verbis non fuerit obligatus, ob poteſtatem excellentiæ; per quam poterat effectum Sacramentorum conferre ſine Sacramentis. Certè verba Chriſti ab ipſo nobis tradita, non poſſunt eſſe ſuperſtitioſa, cùm ſint ad ſanctificationem noſtram inſtituta. Sicut nec ſuperſtitioſum eſt, quod certis rebus, tanquam materiæ vicem gerentibus, voluerit nos obligari in Sacramentis.

Num. 6. 22. 3.

Deut. 26. 3.

Nec obſtat, quod Sathan & ejus miniſtri certis formulis utantur in ſuis maleficiis, quia diabolus tanquam Dei ſimia, divina opera ſolet æmulari, ut pervertat & fallat. Sic & ſacra myſteria, quoad poteſt, imitatur, in cultu quem ſuis præſcribit. Sicut enim Deus habuit olim propitiatorium, habuit oraculum, ex quo reſpondebat, habuit certa Sacramenta; ita & dæmon Eccleſiam malignantiũ conſtituens

Digitized by Google

ſtituens adinſtar Eccleſiæ Chriſti, habet ſua Sacrificia, ſua ſignacula, & Sacramenta, ſuos Martyres, Apoſtolos, Præcurſores, ſua denique oracula, ex quibus reſponſa dare ſolitus eſt. Quæ quidem oracula, frequenter à Dei ſervis virtute Chriſti impedita fuêre, omni virtute Satanæ eliſa.

Memorabile eſt, quod de B. Gregorio Thaumaturgo legimus. Hic cùm Epiſcopalem curam Neocæſareæ ſuſcipere urgeretur, divino impulſus ſpiritu ſolitudinem deſerens, palàm contra ſatanæ errores dimicare reſolvit. Veniens ergò Neocæſaream, nemora omnia, & montes, idolorum templis conſecratos reperit. Quadam autem vice itinerans, pluvia & nocte urgentibus, eſt coactus in quodam Apollinis templo hoſpitari, ubi præerat Sacrificulus quidam & idolorum Sacerdos, oraculum conſulere ſolitus, & reſponſa plebi confluenti referre. Totam ergò noctem inſomnem in oratione duxit, ſigno Crucis locum purificans. Cùm ſequenti die poſt diſceſſum ejus, Sacerdos acceſſiſſet, ut ſacris ſuis operaretur, audit ululatum dæmonum reſpondentium, ſe per hoſpitem Gregorium impedimentum accepiſſe, ne ultrà hoc in loco reſponſa darent: ille totus turbatus, videns nihil prodeſſe, ſua iterata Sacrificia & Sacramenta, omnemque ſpem lucri, quod indè captabat, excidiſſe; omni diligentiâ Gregorium inſequitur, & tandem aſſequitur, multiſque apud eum verbis conqueritur de injuria, tùm Diis ſuis, tùm ſibi ab eo facta. Hunc lenioribus verbis excipiens Beatus Gregorius, excuſat injuriam, & dicit ſe tali Domino ſervire, in cujus poteſtate ſit Sathanam undè voluerit depellere, & quo voluerit introducere. Hoc Admiratus Sacerdos, obſecrat, ut velit Sathanæ imperare ad prius oraculum regreſſum, ſicque certior fiat hujus poteſtatis. Itaque B. Gregorius è libello quem gerebat, fragmentum chartulæ dilacerâs, tria hæc verba illi inſcripſit: *Gregorius Sathanæ. Ingredere.* Hoc epiſtolium detulit ille, & altari impoſuit, ſacrificiiſque ſuis operans ut prius reſponſa accepit. Admiratione igitur percuſſus, cœpit ſecum maturius cogitare infirmitatem Deorum ſuorum, & poteſtatem veri Dei, cui ſerviebat Gregorius. Undè ad illum reverſus, in vera fide illuminatus eſt, & inſtructus, deſertis idolorum ſacrificiis & Sacramentis.

Surius 17. Nov. Ribald. & alii.

LECTIO III.

DE GRATIA, EFFECTU SACRAMENTORUM.

1. *Docet nos juſtificari per gratiæ donum.*
2. *Deum eſſe cauſam principalem juſtificationis.*
3. *Docet Sacramenta eſſe cauſam inſtrumentalem.*

PROPOSITIO I.

Cauſa formalis juſtificationis & remiſſionis peccatorum, eſt donum gratiæ ſanctificantis.

POrrò donum illud reddit animam Deo gratam, filiam Dei, ſponſam, templum, hæredem vitæ æternæ, habetque annexa dona fidei, ſpei, charitatis. Hæc ergò gratia hominem ſanctificat, deificat; ita ut planè ejus excellentia explicari non poſſit, nec comprehendi, niſi etiam divinæ naturæ infinita perfectio comprehendatur, quia definiunt eam Doctores, *Participationem quandam divinæ naturæ, ſecundum quod eſt pelagus infinitarum perfectionum.* Eſt ergò participatio ſecundùm infinitatem, non ſecundùm aliquam determinationem. *Effectus Sacramentorum.*

Ad ejus verò vim oſtendendam, utuntur pluribus exemplis.

Primò, exemplo ferri candentis. Etenim ferrum candens, licet maneat in natura ferri, tamen ita participat qualitates ignis, ut in naturam ignis verſum videatur, calore, fervore, colore, ſplendore, ignem referens. Sic anima per hoc gratiæ donum, deiformis eſt, divinæ conſors naturæ, divinarumque perfectionum, ſanctitatis, bonitatis, nobilitatis, puritatis.

Secundò, utuntur exemplo ſpeculi, ſivè radiorum ſolis in ſpeculo reverberantium. Sol in ſpeculo imaginem ſuam imprimit, radioſque cum repercuſſione & miro ſplendore. Ita Divinitatis Sol, in anima per gratiæ donum lucem radiantem, & ardorem imprimit.

Tertiò, utuntur exemplo aquæ ſalientis in vitam æternam, Joan. 4. Quomodò autem aquæ nomine gratia ſignificetur, alibi dixi. l. 1. Tract. 4. lect. 2.

Quartò, deſignatur per veſtem & ornatum Filiæ Regis, textum à Spiritu Sancto, per veſtem prodigi, per veſtem nuptialem, per monile Sponſæ, per annulum & *ſignaculum, quo cognoſcit Dominus, qui ſunt ejus.*

Licet verò gratiæ donum perfectè comprehendere non poſſumus, nec ejus excellentiam; de illa tamen aliquid cognoſcere poſſumus ex effectibus.

Primus effectus eſt, tantam pulchritudinem conferre animæ, ut gratia ornatam, non poſſit non amare Deus; quia non poteſt non amare ſuam pulchritudinem in hoc ſpeculo reſplendentem: *Ecce*, inquit, *tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es.* Pulchra per naturam, ad imaginem Dei in creatione; pulchrior per gratiam in reformatione, altioris ordinis imaginem recipiens. Cant. 1. 14

Secundus effectus eſt, impertiri fortitudinem animæ. Eſt enim velut armatura totum hominem fortificans, eſt lorica totum veſtiens: eſt ſcutum bonæ voluntatis, coronans & protegens. Gratiæ minimus gradus, inquit D. Thomas, ſufficit ad vincendum tentationes, dæmones, peccata, quia ſemper habet adjunctum auxilium Dei ſpeciale. Undè ſicut

Digitized by Google

ſicut in crinibus Sampſonis non ſolùm ejus pulchritudo conſiſtebat, ſed etiam fortitudo, ita in hoc gratiæ dono.

Tertius effectus eſt, reddere omnia opera meritoria, & proportionata vitæ æternæ, licet naturalia ſint, ut bibere, dormire, ambulare: omnia enim hæc ut à gratia procedunt, ſortiuntur dignitatem & proportionem ad gloriam, eſtque ipſa gratia ſicut vita animæ: Sicut enim corpus ab anima vitam habet, ita à gratia anima vitam ſpiritualem. Sine illa mortua eſt, cadaver eſt, nullas operationes vitales habet, nullas actiones meritorias vitæ æternæ.

Quartus effectus eſt, efficere hominem Dei Filium & hæredem. Hoc ſummum bonum eſt, quod cor humanum poteſt in hac vita deſiderare. Undè Chriſtus diſcipulis gaudentibus, quod dæmones eis ſubjicerentur, ait? *Gaudete, quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.* Hæc inſcriptio ſit per præſentem juſtitiam, quæ culpa hominis poteſt adhuc deleri: Nam eſt & alia ſcriptio per æternam prædeſtinationem, à qua non poteſt homo excidere. Imò gratia facit animam velut Cœlum aut Paradiſum, quia illam tota Trinitas inhabitat. Luc. 10. 20.

Ex his patet, gratiam eſſe fructum nobiliſſimum, quem Spiritus ſanctus diffundit in nobis, & primum in donis Dei, parens cæterorum. Unde quod de charitate diximus, de gratia quoque poſſumus dicere; quod ſicut inter elementa eminet ignis, inter cœlos empyreum, inter metalla aurum, inter planetas ſol, inter Angelos Seraphim, ita inter dona Dei gratia ſanctificans.

Quæris igitur, quid ſit gratia? Eſt ignis cœleſtis, qui animam inflammat, ut ſit rubus ardens incombuſtus.

Eſt aurum fulgidiſſimum, quo cœleſtes merces emimus, & ipſum Cœlum.

Quæris iterum, quid ſit gratia? Eſt ſol illuminans, fœcundans, vivificans antam cordis noſtri terram.

Quid gratia Spiritûs ſancti.

Quæris tertiò, quid ſit gratia? Eſt Seraphicum donum mentem accendens, hominesque Angelis reddens æquales, quandòque & ſuperiores. Quid non ergò agere & pati debemus, ut hoc donum cum ſuis effectibus acquiramus? quid non ut acquiſitum conſervemus? & tamen quam exili pretio hanc gemmam vendimus? quam facilè peccantes illam perdimus? quam parvi facimus hunc fructum pretioſum Crucis & Sanguinis Chriſti, qui ut gratiam nobis acquireret, totum Sanguinem fudit? Quam multi ſimiles Eſau, qui propter edulium propter rem nihili, ob parvum lucrum temporale, ob momentaneam voluptatem, vendunt hanc primogenituram, & jus ad regnum & cœlum? Hæc eſt una ex miſeriis hominum maxima, non attendere, quod cum à gratia ad peccatum proruunt, exuentes veſtem gratiæ pretioſæ, induunt maledictionem, inducunt ſuper ſe horribile ſimulacrum diaboli, & loco imaginis Dei, characterem beſtiæ & ſathanæ ſibi imprimunt. Ex templo Trinitatis & Spiritus S. ſacrario, domicilium ſerpentum & viperarum inferni conſtituunt; vaſa iræ, filii damnationis, cibus ignis, hæredes inferni efficiuntur.

Ideò dicebat S. Anſelmus; Reduc ô anima ærûmnoſa ad memoriam dilectum tuum, & perduc in cœlum rugitum & lamentum. Cogita perfida Dei, adultera Chriſti, quod feceris. Dereliquiſti in cœlo caſtum amatorem tuum, contempſiſti factorem tuum, repudiaſti ſponſum tuum, turbaſti Deum tuum, irreverenter tractaſti Angelum cuſtodem tuum. Eras templum Chriſti, ſponſa Chriſti, ſacrarium Spiritus ſancti. Quæ eſt iſta mutatio, quod facta es ſubitò corruptio ſathanæ, ſcortum diaboli? nihil te fœtidiùs in oculis Dei. *Abominabilem feciſti decorem tuum.* Si quis non credit ineſſe hanc deformitatem peccato: conſideret quantus ſit horror & turpitudo in damnato Angelo, hoc eſt, diabolo. Auſer peccatum, nobiliſſima eſt creatura. Quanta ſit pulchritudo juſtitiæ & gratiæ, edocta fuit divinitùs B. Catharina de Senis, quæ ſæpè veſtigia annunciantium verbum divinum oſculabatur, & cauſam interrogata dicebat, Dominum oſtendiſſe ſibi aliquandò animarum in gratia exiſtentium pulchritudinem; cujus amore ſic ſe captam dicebat, ut continere ſe non poſſet, quin terram oſcularetur, quam eorum pedes calcant, qui verbo Dei animas à peccatis ad pulchritudinem divinæ gratiæ reducunt. Nempè tanta eſt animæ pulchritudo, ut ſummus ille formarum Conditor & Amator, videns nullam animam decorem ſuum aſſequi poſſe; niſi Sanguinis ſui rubore tingeretur, non dubitarit Sanguinem fundere, ut illam pulchritudinem aſſequeretur. Ezech. 11. 25.

PROPOSITIO I.

Cauſa principalis effectiva ſanctificationis noſtræ, eſt Deus ſolus: Cauſa meritoria eſt Chriſtus ut homo.

PRimum patet, quia ſolus Deus principaliter poteſt peccatum remittere: *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, nonne tu, qui ſolus es?* Nemo præter eum poteſt in anima creare donum gratiæ ſanctificantis: quia ad hoc requiritur virtus infinita, ut docent Theologi. Eò quod gratia ſit participatio divinæ naturæ ſecundum ſuam infinitatem, & ita ſolius Dei eſt ad talem participationem, & divinæ naturæ conſortium elevare. Solius illius eſt lumen cœleſte animis infundere: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Ad illum ſolum, qui auctor eſt puritatis, ſpectat purificare corda noſtra à macula & fœtore caliginoſo peccati, ſicut ſolus poteſt corde illabi, & illud quaſi templum ſuum inhabitare, ita & ſolus poteſt ſanctificare. Iterùm ſicut ſolus poteſt imaginem cœleſtem & divinam nobis imprimere, ita ſolus poteſt illam deturpatam reformare. Denique Job. 14. 4. *Cauſa ſanctificans Deus.* Jac. 1. 17.

Digitized by Google

ad illum ſolum ſpectat condonare, & à reatu liberare, qui poteſt mittere in gehennam, qui habet claves vitæ & mortis.

Secundum etiam notum eſt, ex eo quod Chriſtus Mediator & Redemptor, gratiam, peccati remiſſionem, aliaque nobis dona promeruit: ideoque ut homo ſalutis auctor & vitæ nominatur, quia in genere cauſæ moralis & meritoriæ primatum habet. Imò ejus meritis non tantùm nobis datur gratia, ſed etiam omnis ad illam diſpoſitio, & omne auxilium ſupernaturale. Adde quod & electio noſtra ac prædeſtinatio, licet ab æterno fuerit, ex meritis tamen Chriſti facta ſit, ut docent Theologi ex Apoſt. ad Eph. 1. dicente Deum nos in Chriſto elegiſſe, & omni benedione cœleſti repleviſſe.

Cùm autem per Sanguinem & Paſſionem meruerit, ideò ſanguini attribuitur ſanctificatio noſtra, & peccatorum remiſſio. Fuit enim medium, quo reconciliati ſumus Patri. Quapropter in Scriptura diverſi tituli ob id ei tribuuntur.

Sanguinis Chriſti varii tituli.

Primò vocatur *Sanguis redemptionis*, qua fuit pretium, quo illa facta eſt.

Secundò, *Sanguis propiciationis*, quia facti ſumus propè in ſanguine ipſius, & Deus propoſuit illum Propiciatorem per ſanguinem.

Tertiò, *Sanguis ablutionis*, quia emundat nos ab omni peccato, & lavamus conſcientias noſtras in ſanguine ipſius, quaſi ſtolas in ſanguine Agni.

Quartò, *Sanguis aſperſionis & ſanctificationis*, quia aſpergimur per fidem ſanguine Agni in ſanctificationem.

Quintò, *Sanguis Teſtamenti*, quia per illum confirmatum eſt teſtamentum, quo hæredes inſtituimur futuræ fœlicitatis.

Ob has cauſas quoties in divinis officiis nominatur Sanguis Domini, Eccleſia ſolet ſe inclinare cum veneratione, teſtando omnia bona veniſſe per illum.

PROPOSITIO III.

Sacramenta ſunt cauſa inſtrumentales noſtra ſanctificationis & remiſſionis peccatorum.

HAnc propoſitionem ſic explicat D. Thomas: Sacramentum operatur, ad gratiam cauſandam per modum inſtrumenti.

Eſt autem duplex inſtrumentum, unum quidem ſeparatum ut baculus, aliud conjunctum, ut manus. Per inſtrumentum autem conjunctum movetur ſeparatum, ſicut baculus per manum. Principalis autem cauſa efficiens gratiæ eſt Deus; ad quem comparatur humanitas, ſicut inſtrumentum conjunctum: Sacramentum autem ſicut inſtrumentum ſeparatum. Et ideò oportet, quod virtus ſalutifera à Divinitate Chriſti per humanitatem in Sacramenta derivatur, Simili tudinibus rem explicemus.

Sacramenta ſunt ſeptem lucernæ.

Sacramenta ſunt ſeptem lucernæ oleo gratiæ referæ, quod oleum derivetur à lampade in ſuperiore parte candelabri eminente, hoc eſt, à Chriſti humanitate, cui gratia ſuperabundans & ſupereffluens communicata eſt. Sic deſcribit Zacharias: *Vidi & ecce Candelabrum aureum, & lampas ejus ſuper caput ipſius, & ſeptem lucernæ ſuper illud, & ſeptem infuſoria lucernis.* Itaque in ſummitate Cadelabri, erat lampas ardens, cæteris major, & circà illam ſeptem lucernæ minores; & ex illa ſuperiori lampade defluebat omne oleum, quo lux illa multiplex fovebatur. Sivè ergò per ſeptem lampades intelligas ſeptem Spiritus dona, & per ſeptem infuſoria ipſa Sacramenta, ut aliqui volunt, ſivè aliter interpreteris, ſemper hæc manet ſignificatio, à Chriſto in Eccleſiæ Candelabro ſuperiorem partem tenente, omnem vim illuminandi derivari, omnia dona, omnia Sacramenta. Zach. 4. 2.

Aliam ſimilitudinem deſigno, ex Gen 40. ubi ſeptem ſpicæ fœcundæ deſcribuntur, è culmo uno prodeuntes, quæ deſignabant in Ægypto fœcunditatem frumenti futuram. Sic à Chriſto, tanquàm culmo, ſeptem prodeunt Sacramenta, non vacua, ſed fœcunda, abundantiam gratiæ continentia, quâ tanquàm ſpirituali frumento, ejus filii reficiantur & alantur. Gen. 41. 22.

Ulteriùs, ſcimus Chriſtum Puteum eſſe aquarum viventium: Sacramenta ſeptem ſunt ſitulæ, quibus è puteo hoc aqua viva hauriatur, aqua Samaritanæ, aqua ſaliens in vitam æternam, ut nobis jam non poſſit dicere Samaritana: *Domine, puteus altus eſt, & non habes, in quo hauries.* Vel ſi mavis, Chriſtus fons eſt, Sacramenta ſunt rivuli, ſivè ſeptem fontes ſecundarii, ab illo fonte principali derivantes, ad quos patet omnibus acceſſus, ut abunde bibant, & ſitim extinguant, ut animas ſuas irrigent & fœcundent, ut corda aſpergant & purificent. *Chriſtus puteus aquarum vivarum.* Joan. 4. 11

De his fontibus gratiæ, agebat Prophera Iſaias, vaticinans & ad gratiarum actionem excitans novellam turbam ad Chriſtum converſam, primigeniam Chriſti Eccleſiam his beneficiis Sacramentorum & gratiæ donis adornatam: ſic enim dicit, cap. 12. *Et dices in illa die,* ô congregatio à Chriſto redempta & electa! *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi, converſus eſt furor tuus, & conſolatus es me.* q. d. Exultabo in te, & gratias agam, quod poſt longam iram tuam, converſus ſis ad clementiam, & ad gratiam mihi impertiendam paratus. *Ecce* enim *Deus Salvator meus, fortitudo mea, & laus mea, factus eſt mihi in ſalutem.* Dum ſcilicet in terris vivus, & cum hominibus converſatus, à jugo dæmonis & peccati me liberavit, & ideò gloria mea ipſe erit, & continuæ laudis ac gratiarum actionis objectum. *Sacramenta ſunt fontes gratiæ.* Iſa. 12. 1. Ibid. v. 2.

Subdit Prophera: *Hauritis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*; Hauritis abundantiſſimam gratiam cum ſpiritus jubilo, promanantem de Chriſti meritis, & fonte Sanguinis ejus, ac Sacramentorum rivulis: Hi ſunt fontes JESU, fontes Salvatoris, è quibus aquæ ſalutis cum gaudio ſpiritus eliciuntur, ab omnibus accedere volentibus. Erit enim Chriſtus fons patens, & omnes ad bibendum Ibid. v. 3.

Digitized by Google

Zach.13.1 bibendum & lavandum invitans: *Patens erit domus David, & habitantibus Hierusalem*, hoc est, filiis Ecclesiæ ad amorem & visionem æternæ pacis aspirantibus. Fons ille, qui antea videbatur clausus aut absconditus, jam liberum dabit accessum *in ablutionem peccatoris & menstruatæ*, in ablutionem animarum peccati maculoso sanguine cruentarum: quia per hos septem rivulos, quantumlibet gravia, quantumlibet inveterata peccata, poterit emundare, & puritatem nitoremque gratiæ restituere; solum opus est haurire, hoc est, per cordis humilitatem se incurvare, & per contritionem sibi aquam
Isa.12.4. ibi fluentem applicare. *Confitemini ergo Domino, & invocate nomen ejus, notas facite in populis adinventiones ejus.* q. d. Celebrate cum gratiarum actione Dei beneficia, & alios excitate, ut junctis vocibus
Ibid. v. 4. & animis vobiscum gratias agant. Publicate adinventiones, hoc est, sublimia ejus consilia & cogitationes in generis humani redemptione, & redemptionis illius per talia Sacramentorum symbola, certa applicatione. *Excelsum enim est nomen ejus* laude dignum, *quoniam magnifice fecit.* Res admirandas, & sublimes oculis nostris propoluit; dum in Sacramentorum institutione, dona gratiæ & salu-
Ibid. v. 6. tis, rebus sic obviis effici voluit. *Exulta ergo habitatio Sion*, jubila quantum potes, ô cœtus fidelium, Ecclesia sancta, *quia magnus in medio tui sanctus Israel*: Longè sublimius tecum est Deus tuus sanctus, quam fuerit cum Synagoga: *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus tuus adest tibi*, est enim in me-
Mat.1.23. dio tui carne vestitus: *Emmanuel est, nobiscum Deus.* Quotidie adhuc in medio tui est, operans & dans virtutem Sacramentis, suo & Corpore & sanguine te saginans & satians, donec æternis bonis benedicat re in loco æternitatis. Hæc est mens Prophetæ Isaiæ. Sacramenta nostra intuitu Prophetico contemplantis.

Sacramenta vasa sanguinis Christi.

Ex his patet, quomodo Sacramenta à Sanctis Patribus dicantur esse vasa Sanguinem Christi continentia; quia scilicet per applicationem meritorum Christi ac Sanguinis, ex Dei promissione virtutem habent, ad conferendam nobis gratiam: ita ut non sint arida & nuda gratiæ signa, sed virtute Christi fœcunda. Procul ergo Hæreticorum opinio erronea, quæ negat his signis gratiæ efficaciam aut virtutem annexam: Nempè Sacramenta apud eos nudæ & aridæ siliquæ sunt, nihil grani continent. Ideò meritò D. Gregorius Nyssenus comparat eos filio Prodigo, qui relinquens domum paternam opulentam, & adipe frumenti abundantem, & solidum panem contemnens, quo deliciari poterat, & famem exsaturare, in longinquam pergit Regionem, ubi post meretricium nihil nisi siliquas reperit, quæ fami & egestati nequeunt satisfacere. Audi ejus verba: *Fugitivus à fide in longinquam Regionem secessit, & ipse paterna bona in duas dimidias partes divisit, dum sublimia dogmata ad humiles & frivolas opiniones dejecit, & cum meretricibus hæresibus suas divitias dissipavit, meretrix enim est hæresis, quæ voluptatibus quasi præstigiis attraxit.* Hæc ille, oratione in suam ordinationem. Ubi adverte, hoc maximè verum esse hic. Deserens enim hæreticus Ecclesiam, deserit opulentam Dei domum, deserit Sacramentum illud, in quo mensa opipara ex Sanguine & corpore Christi præparata nobis est, quo tanquam frumenti spiritualis adipe saginamur & deliciamur, & invenit Cœnam quandam Calvinianam, inanem, aridam, nihil divini aut sacri continentem, sed solam figuram vacuam, quæ minus continet quam manna, quam panes propositionis veteris mensæ. Deserit quoque hæreticus sublimia alia dogmata de Sacramentis tradita; de gratia sanctificante ab illis collata, de virtute Christi illis insita, de characte signo spirituali animæ impresso per illa: & ad inanem doctrinam convertitur, in qua nihil solidum, omnia vana, nihil stabile, quod possit menti satisfacere. Ideo novis quotidie opinionibus studet sibi satisfacere, profanis quibusdam adinventionibus putat famem explere, sed omnia siliquæ sunt, & in furfures abeunt, mentemque inanem relinquunt. Sic meretricando cum hæresibus, dissipat omnia bona spiritualia, fidem & vitam perdit quasi sacrum annulum, cœleste Sacramentorum alimentum deserit, quasi mensam paternam: charitatis stolam & pallium divendit: calceos hyacinthinos spei expendit, egestateque conficitur.

Quod verò docent nostri hæretici, Sacramenta esse solum signa fidem excitantia (per quam solam nos volunt justificari) planè repudiandum est tanquam dogma perversissimum. Nam Scriptura manifestè de Baptismo docet, nos ibi mundari Eph.5.26. *lavacro aquæ in verbo vitæ.* Ubi efficaciam gratiæ emundantis animam non fidei tribuit, sed lavacro sive aquæ conjunctæ verbo. Et Baptismum vocat *Sacramentum regenerationis*, ad quod non sufficit, quod sit objectum excitans fidem, nam & imagines excitant fidem, conciones, bona opera aliorum, nec Sacramenti ratio ideò eis tribuitur. Adde, quod Baptismus parvulis non possit fidem excitare, quos tamen sanctificat & justificat. Denique, cum Sacramenta non minùs excitent fidem cujuscunque videntis & considerantis quam suscipientis, non minùs illos justificarent quam suscipientem.

Maneat itaque fixum & certum Ecclesiæ dogma, Scripturis & Sanctorum Patrum doctrinæ conforme, Sacramenta verè & per se, virtute à Deo sibi inditâ, justificare, sanctificare, corde purificare, animasque à peccatis emundare, infuso gratiæ interioris dono, per quod Spiritus S. animam inhabitat. Ad hoc significandum initio Ecclesiæ in Sacramentorum administratione (ut notat D. Chrysost. Hom. 11. in Matthæum:) Miraculosa

signa

Digitized by Google

signa apparebant, & visibiliter Spiritus sanctus in primos descendebat Christianos, ad significandum interiorem effectum Sacramentorum, quem operatur Deus virtute Spiritus sancti in cordibus nostris: ut etiam idem jam crederetur à Fidelibus, cum signa illa cessarent, quæ instituta erant ad firmandam novellam fidei plantam. Quæ ubi jam coaluit, desierunt illa signa, sicut irrigatio cessat, inquit D. Gregorius, cum jam planta radicem fixit quam adhibemus cum noviter arbusta plantamus.

Vis Confirmationis in S. Paulo.

Sic Act. 12. Paulus duodecim viris imponens manus per Sacramentum Confirmationis, dedit eis Spiritum sanctum, ita ut Prophetarent & linguis loquerentur novis. Adveniens quoque Ephesum, invenit quosdam discipulos, qui solum Joannis Baptisma receperant; à quibus cum quæsisset, an Spiritum sanctum accepissent: Responderunt, se nec si Spiritus sanctus sit, audivisse. Unde jussit eos in Christi nomine baptizari, & cum post baptismum illis manus imposuisset, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant. Cœlestium ergo donorum effusio, per impositionem manuum, hoc est, per Confirmationem, in eos descendit.

Vis Sacramentorum in Sanctis.

In vita quoque S. Pachomii legimus, nocte ipsâ quâ Baptismum receperat, cùm jam esset viginti annorum, in somnis vidisse velut cœlestem rorem super dextram manum suam defluentem, qui in mel convertebatur: Et audivit vocem sibi dicentẽ: *Pachomi, aperi oculos cordis tui, quia roseus hic fluor, & mellita pluvia, quam intueris, signum est gratiæ quæ per Baptismum cor tuum, tanquam rore cœlesti est perfusum.*

Surius 14. Maii. Exempl.

Surius 23. Jun.

Similiter B. Maria Oigniaca, dum susciperet quendam puerum in Baptismo, in pago Itrensi propè Nivellas, vidit visibiliter Spiritum sanctum in animam pueri descendentem, & Angelorum multitudine circumdatam: cum jam prius per exorcismos in Baptismo adhibitos, vidisset dæmonem visibiliter fugatum. Hoc quod tunc signo visibili voluit Deus ancillæ suæ manifestare, quotidie invisibiliter accidit, quoties quis dignè Sacramentum suscipit.

Idem. 11. Novem.

Sic dum B. Martinus Sacramentum ministraret, globus igneus & pellucidus caput ejus ambiebat; in signum gratiæ & lucis interioris, quàm in se habebat, quamque aliis per Sacramenta ministrabat.

Idem 1. Octob.

In ordinatione S. Remigii descendit subitò radius novi luminis super S. viri verticem; ac si ipse sol de cœlo motus super eum decidisset. Quia scilicet ipse illuminandarum lux parabatur animarum, lumine debuit declarari visibili. Placuit etiam omnipotentiæ divinæ huic miraculo aliquid addere: nam radio illustrante, sensit capiti suo unguenti sacri fusum liquorem, quo totum ejus delibutum est caput. Sic divinitus ordinatur & inungitur, Spirituque sancto visibiliter repletur, ad significandam gratiam interiorem, quam visibiliter confert Ordinis Sacramentum. Ita habetur in ejus vita apud Surium.

LECTIO IV.

DE SACRAMENTALI GRATIA.

HÆC LECTIO EXPLICAT

Quomodo singula Sacramenta propriam gratiam conferant.

PROPOSITIO UNICA.

Gratia Sacramentalis aliquid superaddit gratiæ habituali animam sanctificanti.

Gratia Sacrament.

SAcramenta quædam ordinata sunt, ad conferendam gratiam primam, quæ peccatum originale vel mortale tollit: quædam vero ad augmentum & confirmationem gratiæ in anima jam existentis. Sic Baptismus & Pœnitentia per se instituta sunt, ad gratiam primam conferendam, quæ remittat peccatum mortale; Baptismum quidem per modum regenerationis, quapropter tollit etiam originale, quo nascebamur filii iræ; Pœnitentia verò per modum resurrectionis & sanationis spiritualis. Unde sanat animam à vulnere lethali, vel etiã resuscitat à morte peccati. Confirmatio autem dat gratiam secundam, hoc est, robur & augmentum ipsius gratiæ: sicut & Eucharistia, quæ instituta est ad augendam & nutriendam charitatem. Similiter & alia Sacramenta, hominem supponunt esse in gratia illamque adaugent. Itaque duo sunt principales effectus Sacramentorum. Unus est remittere peccatum, vitam gratiæ communicando. Alter est illam vitam conservare, augere, & contra ea quæ huic vitæ adversantur, nos corroborare, ut possimus à vita gratiæ, ad vitam gloriæ tandem pertransire. Vide hujus rei quoddam symbolum in facto Elisæi Prophetæ designatum 4. Reg. 4. Multiplicavit Elisæus miraculo quodam oleum in vasculo pauperis viduæ, ita ut ex illo vase multa alia potuerit adimplere; Præcepit autem ei, ut hoc oleo ad duos effectus uteretur, ut scilicet ex illo solveret debita sua, & eximiret se ab omni creditore: de reliquo autem ipsa se filiumque suum aleret. *Vade*, inquit, *vende oleum & redde creditori, tu autem & filii tui vivite de reliquo.* Sic Christus oleum gratiæ sacramentalis in Ecclesia multiplicavit, ut ipsa & filii ejus debita sua exsolvant. Hoc est, pro peccatis suis & pœnis satisfaciant, quæ sunt debita gravissima, & de meritis & satisfactione Christi in Sacramentis contentis, exsolvuntur. Vult etiam ex eodem oleo, vitam animæ conservent, se alentes & corroborantes per interiorem fortitudinem, quam divinus ille liquor gratiæ communicat. Sed & simul hic attende, quod sicut oleum illud viduæ fluere non cessavit, quamdiu vasa habuit, quibus infunderetur. Sic oleum gratiæ

Ordinatio Sacramentorum.

4. Reg. 4. 7.

à Sacra-

Digitized by Google

à Sacramentis nunquàm ceſſabit fluere uſque in finem ſæculi, quamdiu reperiet vaſa capacia, hoc eſt, homines diſpoſitos ad gratiæ infuſionem, quia originem habet à fonte gratiæ inexhauſto.

Singula Sacramenta propriam conferunt gratiam.

Porrò ad pleniorem intellectum eorum, quæ diximus, advertendum eſt, ſingula Sacramenta propriam Sacramentalem gratiam, conferre juxtà diverſos fines, ad quos ordinantur. Fruſtrà enim eſſet tanta Sacramentorum varietas, niſi etiam foret diverſus gratiæ effectus per illa collatus. Hinc diſtinguenda eſt gratia habitualis, & gratia ſacramentalis; omnia enim conferunt gratiam habitualem, hoc eſt, donum illud gratiæ ſanctificantis animæ, inhærens per modum cujuſdam habitus; ſed gratia ſacramentalis eſt ſingulis peculiaris, & ſuper gratiam ſanctificantem addit auxilium quoddam ſpeciale ordinatum ad proprium finem cujuſque Sacramenti: & ita gratia ſanctificans cum tali auxilio ſpeciali ſibi correſpondente in quolibet Sacramento, dicitur ſacramentalis.

Gratia Baptiſmi.

Explicemus hoc breviter in ſingulis Sacramentis. Imprimis in Baptiſmo, gratia ſacramentalis eſt gratia illa ſimpliciter prima, quâ primò homo ſanctificatur; quæ datur per modum ſpiritualis regenerationis, quia dat primum eſſe divinum, ſimul cum ſpeciali auxilio ad conformandum ſe Chriſto, & mandata ejus obſervandum, aliaque Sacramenta digne ſuſcipiendum.

Confirmationis.

Secundò, gratia ſacramentalis in Confirmatione, eſt gratia illa ſanctificans, ſive augmentum gratiæ & donorum, cum ſpeciali auxilio ad conſtanter profitendam fidem in Baptiſmo ſuſceptam, imminente licet perſecutione, & mortis periculo.

Euchariſtia.

Tertiò, gratia ſacramentalis in Euchariſtia, eſt incrementum gratiæ habitualis, & donorum ex gratia, tanquam ex eſſentia ortum habentium, fidei ſcilicet, ſpei, & charitatis, cum ſpeciali auxilio ad nutriendam hanc charitatem, ad præſervandum à peccato, ad ingenerandam devotionem interiorem, alioſque ſpirituales effectus producendos, ad quos hoc Sacramentum ordinatur.

Pœnitentia.

Quartò, in Pœnitentia, gratia ſacramentalis eſt gratia non ſimpliciter prima, ſed prima poſt lapſum ac ſpiritualem mortem, ideòque non datur per modum regenerationis, ſed per modum reſurrectionis cujuſdam ſpiritualis, ut diximus, ſivè per modum curationis a vulnere lethali; cum ſpeciali auxilio ad efficacius deteſtandum peccata, & pro illis ſatisfaciendum.

Extrema Unctionis.

Quintò, in Extrema Unctione, gratia ſacramentalis eſt gratiæ augmentum, ad abſtergendum reliquias peccatorum, & ad vincendas tentationes, quæ in articulo mortis occurrunt, cum ſpeciali auxilio ad eundem effectum.

Ordinis.

Sextò in Sacramento Ordinis, gratia ſacramentalis eſt augmentum gratiæ, cum auxilio ſpeciali ad ſanctè ac religiosè exercendas ſacras actiones ad cultum Dei ſpectantes, ad quas quis per Ordinem deſtinatur.

Matrimonium.

Septimò in Matrimonio, gratia ſacramentalis eſt illa gratia, quæ datur conjugibus ad mutuum amorem, ad fidem conjugalem, ad piam prolis educationem, & ad hæc omnia dantur ſpecialia auxilia, ad hoc Sacramentum ritè diſpoſitis.

Ex his collige, licet gratia ſanctificans ſtatim infundatur, ſuſcepto Sacramento, ſi non ſit obex, hoc eſt, ſi non ſit aliquid divinæ gratiæ repugnans, & diſpoſitio in ſingulis Sacramentis requiſita inveniatur: tamen ſpeciale illud auxilium non ſemper ſtatim datur ſed tempore opportuno, juxta finem & inſtitutionem Sacramenti. Statim tamen accipit jus ad tale auxilium, quandò ei neceſſarium fuerit, accipiendum, habetque illud quodammodò ſibi paratum, ita ut infallibiliter illud conſequatur, ſi illo tempore obicem non poſuerit. Exempli gratia, qui confirmatur, non ſtatim accipit auxilium actuale ad profitendam conſtanter Fidem, quia non ſtatim illo opus habet, & tale auxilium non eſt quid permanens aut durabile; accipit autem illud auxilium conſequendum tempore, quo illo indiguerit. Et ita dicunt aliqui Theologi, in Confirmatione accipi tale auxilium, quaſi in actu primo, tempore autem quo fides confitenda eſt, illud tunc haberi, velut in actu ſecundo.

LECTIO V.

DE SACRAMENTIS ANTIQUIS.

1. *Docet, an in ſtatu innocentiæ forent Sacramenta.*
2. *In lege naturæ fuiſſe aliqua.*
3. *In lege Moyſis non defuiſſe.*

PROPOSITIO I.

Probabile eſt in ſtatu innocentiæ, ſi perduraſſet, futura fuiſſe aliqua Sacramenta.

RAtio eſt: quia in illo ſtatu fuiſſet Religio viſibilis. Dicit autem D. Auguſt. *in nullum nomen Religionis, ſivè verum, ſivè falſum coadunari homines poſſe, niſi aliquo Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur.* Undè etiam dicit idem Auguſtinus. Myſterium vitæ æternæ, ab exordio generis humani, per quædam ſigna & Sacramenta temporibus congrua, quibus oportuit per Angelos prædicatum eſſe. Confirmatur ex eo, quod Sacramenta contineant externam fidei profeſſionem, quæ quidem omni tempore, & in omni ſtatu, homini congrua fuit, eò quod animo & corpore conſtet. Etenim in ſtatu illo innocentiæ, homines Hierarchiam diſtinctam ab ea, quæ eſt ex Angelis compoſita, conſtituerent, quam quidem diſtingui per ſigna viſibilia & Sacramenta, omninò congruum fuiſſet. Hinc & aliqui admittunt futura tunc publica Sacrificia viſibilia, quid igi-

S. Aug. l. 19. co. 11. Fauſtu n. c. 11.

Lib. 7. de Civ. c. 32.

Digitized by Google

tur repugnat etiam conſtitui tunc Sacramenta? Maxime cum in illo ſtatu egniſſent gratiâ, & gratiæ augmento: cœleſtem autem gratiam per res ſenſibiles, eſt unum ex maximis operibus ſapientiæ, potentiæ, bonitatis divinæ, tali opere ſuprema inſimis mirabiliter conjungentis. Sic autem relucere attributa divina congruebat ſtatui illi perfectiſſimo.

D.Tho.3. p. q. 61. a. 2. Sed opponit D. Thom. non decuiſſe in illo ſtatu perfecto, ut homo ſubjiceretur rebus inferioribus, & ab illis gratiam emendicaret ſupernaturalem, aut cognitionem, cùm hoc in pœnam peccati ad humiliationem homini fuerit ordinatum. Reſpondeo: Etiam in illo ſtatu congruiſſe homini, ut per corporalia & ſenſibilia ſigna, deveniret in cognitionem ſupernaturalium & ſpiritualium, quia hæc eſt naturalis modus cognoſcendi hominis, & provenit ex eo, quòd homo eſſentialiter conſtet animâ & corpore: unde fit, ut nihil ſit in intellectu, quod non prius fuerit in ſenſu. Quapropter etiam de facto Adam per res ſenſibiles de multis ſpiritualibus inſtructus fuit: nam in illo ſtatu cognovit Chriſti Incarnationem, ex ſenſibili Matrimonio, quod divinâ auctoritate inter ipſum & Evam erat celebratum. Deindè, ſubjectio illa, quæ videretur ad res ſenſibiles, non tam ſubjectio tunc foret, quia non eſſet ordinata in pœnam, quam ordinatio quædam Dei, quæ tot bonis dictis decoraretur, & congruentiam acciperet. Itaque, Sacramenta, quæ tunc fuiſſent, paulò alterius rationis fuiſſent, quam noſtra, quia non ordinarentur præcipuè in remedium & medicinam, ſicut noſtra ordinata ſunt. Quidquid ſit, licet quis neget aliqua tunc Sacramenta futura fuiſſe gratiam conferentia, non debet tamen negare certas cæremonias, divinitus inſpiratas, quæ in toto genere humano ſervarentur ad unitatem & conſenſum in eadem Religione & externo Dei cultu, ob

D. Tho. 42. q. 85. art. 1. rationes ſuprà dictas. Ob quam cauſam multi admittunt futura fuiſſe ſacrificia, & favet D. Thomas, ubi dicit offerri ſacrificium, eſſe de lege naturæ. Quia verò ſtatus ille breviſſimus fuit, cujus etiam brevitatem Deus præſciebat, ideò docent paſſim Theologi, primis Parentibus non fuiſſe præſcripta aliqua Sacramenta propriè dicta. Nam loquendo de Sacramento ſub quadam ratione generali, quâ omne myſterium & ſignum rei factæ comprehenditur, fuerunt aliqua Sacramenta.

Sic enim matrimonium Adami & Evæ fuit Sacramentum, quia in illo ſignificata fuit Incarnatio Verbi divini, illaque ſignificatio fuit Adamo prophetice revelata: voluitque ſimul ſignificare Deus deſponſationem Verbi cum Eccleſia per incarnationem. Non tamen inſtituit propriè contractum Matrimonii in Sacramentum; quia nec illud ad aliquam hominis ſanctificationem ordinavit, nec ut Religionis cæremoniam eſſe voluit: ſed tantùm in officium naturæ inſtituit, elevandum ſuo tempore ad propriè dictam rationem Sacramenti per Chriſtum, adjuncta illi virtute gratiam conferendi.

Similiter generali ratione Sacramenti utens S. Auguſtinus, vocat lignum vitæ Sacramentum. Quia in illo myſterium aliquod deſignabatur. *De ligno, inquit, vita guſtabatur, ne mors ejus tandemque ſubreperet, tanquàm cætera eſſent alimenta, illud Sacramentum; ut ſic fuiſſe accipiatur in Paradiſo corporali, ſicut in ſpirituali Paradiſo Sapientia Dei, de qua ſcriptum eſt: lignum vitæ eſt omnibus amplectentibus eam.* Aug. l. 13. de civit. c. 20.

PROPOSITIO II.

Poſt peccatum, in lege naturæ fuerunt aliqua Sacramenta.

RAtio eſt, quia poſt peccatum nullus ſanctificari potuit, niſi per Chriſtum, *quem propoſuit Deus propitiationem per fidem, in Sanguine ipſius.* Oportebat ergò ante Chriſtum eſſe quædam ſigna viſibilia, quibus homines fidem ſuam de futuro Salvatore proteſtarentur, eum colerent, ejuſque deſiderium & ſanctificationis per illum accipiendæ, in ſe excitarent & foverent. Talia autem ſigna & cæremoniæ rectè Sacramenta dicuntur: nam ad rationem Sacramenti ſufficit, quod aliquam ſanctificationem etiam imperfectâ conferat, veram tamen animæ ſanctificationem deſignando & ſignificando, ut docent Theologi. Antiqua ergò Sacramenta, licet ex opere operato, ſanctitatem perfectam animæ non conferrent, illam tamen per Chriſtum conferendam ſignificabant, & legalem quandam juſtitiam conferebant. Rom. 3. 25

Sacramentum jam remedium peccati pro parvulis.

Addo, quod in lege naturæ ante inſtitutionem Circumciſionis, opus fuerit remedio inſtituto à Deo pro ſalute parvulorum. Hæc eſt ſententia Theologorum ex D. Auguſt. *Non eſt credendum, inquit, ante datam Circumciſionem, famulos Dei, quandoquidem in eis mera erat mediatoris fides, nullo Sacramento ſolutos fuiſſe parvulos ſuos, quamvis quid illud eſſet, Scriptura tacere voluerit.* Idem docet Innocentius III. ratione indicans, quia Deus neminem vult perire, & ſic non eſt verisimile, in univerſum parvulos defertos fuiſſe ſine ſufficienti medio ad ſalutem. Deindè, hoc idem colligitur ex iis, quæ peracta ſunt in veteri lege: nam licet tunc maſculis ſubventum fuerit per Circumciſionem, de nullo tamen remedio mentio ſit pro fœminis: & ita verisimile eſt, remedium illud, quod in lege naturæ erat ante Abraham, pro omnibus parvulis, permanſiſſe etiam tempore Circumciſionis pro fœminis ſivè puellulis natis. Aug. l. 1. cont. Julian. c. 9. Innocent. III. cap. majores de Bapt.

Et quodnam illud?

Sed quæres; *quodnam illud eſſet remedium?* Reſpondeo, licet id ſit incertum, aliqua tamen poſſunt etiam cum quadam certitudine aſſeri. *Primò*, remedium illud applicari debuiſſe parvulis per actionem parentum, vel illorum, qui curam gerunt parvuli; horum enim volûtate regitur parvulus, quamdiu propriam non habet: ut qui per alienam peccatum contraxit, per alienam quoque curari poſſit. *Secundò*, rectè aſſeritur, remedium illud fuiſſe

in

Digitized by Google

in aliqua poſſeſſione fidei & cultus religioſi, quo parvulus Deo dicabatur per illos, ſub quorum poteſtate erat. Ratio eſt, quia fundamentum omnis juſtitiæ & cultus divini eſt fides, unde actio, quâ parvulus ſanctificabatur rectè dicitur fuiſſe aliqua fidei profeſſio. *Tertio* etiam probabilius eſt, non ſolum internam oblationem fuiſſe, ſed etiam externam requiſitam fuiſſe; ut ſcilicet per aliquem externum actum fidei, remedium hoc applicaretur. Ratio eſt, quia cùm ad ſalutem non ſolum ſit neceſſaria fides, ſed etiam externa fidei profeſſio, parvuli quantum poterant, fidem illam profitebantur, per ſuos ſcilicet curatores externo cultu: & expediebat, ut remedium illud ſenſibiliter applicaretur, ad hoc, ut conſtaret applicatum eſſe, quod alioqui incertum manſiſſet. Et, cum iſta fidei profeſſio, ſerviret ad exteriorem quandam conjunctionem cũ Eccleſia viſibili; quæ tunc erat, oportebat, ut eſſet in aliqua ſenſibili cæremonia, juxta uniuſcujuſque populi ac Regionis conſuetudinem ac ritum. Non exiſtimo enim fuiſſe omninò determinatam cæremoniam ex divina inſtitutione, ſed ex populorum conſuetudine: Nam nihil, nec ex Patribus, nec ex Scriptura, conſtat de determinato ſigno. Non conveniebat iſta tunc particularis determinatio; quia non omnes Fideles conveniebant in eodem externo cultu ſeu modo colendi Deum, quòd eo tempore difficillimum fuiſſet. Hanc rationem tangit S. Thomas. Putamus ergo ſuffeciſſe quodlibet ſignum fidei proteſtativum ad ſanctificandos parvulos, licet illud in diverſis populis diverſum foret.

D. Tho. 3. p. q. 70. a. 4. ad 2.

Remedia pro adultis.

Quæres iterum, *an præter iſtud remedium pro parvulis, fuerit aliquod aliud Sacramentum in lege naturæ, ordinarium pro adultis?* Reſpondeo, ex ſingulari Dei beneficio & revelatione, potuiſſe eſſe aliquem uſum alicujus particularis Sacramenti in aliqua gente vel familia; per expreſſam, inquam, revelationem, aut ſingularem inſtinctum Dei, ad præfigurandum aliqua gratiæ myſteria in nova lege per Chriſtum conſummanda. Sic exiſtimant aliqui Theologi in oblatione Melchiſedech, non tantum fuiſſe Sacrificium, ſed etiam propriè dictum Sacramentum, præfigurans noſtram Euchariſtiam in pane & vino inſtitutam, & ut Sacrificium, & ut Sacramentum. Univerſaliter verò loquendo, non invenimus, vel in Scriptura, vel in Patribus, aliud propriè dictum Sacramentum pro omnibus inſtitutum. Et fortè non conveniebat ſtatui adhuc illi imperfecto, ſpecialis promiſſio gratiæ præter meritum operantis excepto remedio, quo extremæ parvulorum neceſſitati ſubveniebatur; quandoquidem adulti per propriam diſpoſitionem ſalvari poterant.

.:.:.:.:.:.:.:.
.:.:.:.:.:.
.:.:.:.

PROPOSITIO III.

In lege veteri Moyſis inſtituta fuerunt aliqua Sacramenta.

RAtio eadem eſt, quæ ſuprà; quia per illa conveniebat homines tunc fidem proteſtari de futuro Salvatore, & deſiderium ſanctificationis per ipſum accipiendæ in ſe excitare. Et hæc eſt ratio D. Thomæ. Multum ergo differentia fuerunt illa Sacramenta à noſtris, dicente Auguſtino: *Alia ſunt Sacramenta dantia ſalutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi Teſtamenti dant ſalutem, Sacramenta veteris Teſtamenti promiſerunt Salvatorem. Mutata ſunt Sacramenta, facta ſunt facibora pauciora, ſalubriora, fœliciora.* Ita ipſe in Pſalm. 73. Idem dicit: *Prima Sacramenta ideò ablata, quia impleta? & alia ſunt inſtituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.* Nimirum ad nihil perfectum adduxit lex, & ideò reprobatio fit illius, & Sacramentorum ejus, propter infirmitatem & imperfectionem: ejus quippe Sacramenta, tantum legalem quandam ſanctitatem conferebant, quamvis ſignificarent per Chriſtum gratiam perfectam conferendam.

D. Thomas 3. p. q. 61. art. 1. Aug. in Pſal. 73. Idem l. 19. contr. Fauſt. c. 13

Sed dices: *Nunquid per Circumciſionem vera gratia parvulo conferebatur?* Reſpondeo, gratiam quidem tunc collatam fuiſſe ob neceſſitatem parvulis non tamen tam vi ipſius Circumciſionis, quam ratione interioris fidei, & exterioris ejus profeſſionis in Circumciſione, quam faciebant parentes vel curatores offerentes parvulum. Circumciſio ergo erat conditio ſine qua non: ex opere tamen operato non conferebat gratiam, quia nondum erat pretium noſtræ redemptionis exhibitum. Ita dici poteſt collatam fuiſſe gratiam in Circumciſione, quatenus illa applicabat fidem vel offerentis, vel Synagogæ, vel Abrahæ; & ratione hujus fidei Deus parvulum juſtificabat. Ita loquitur Bellarminus de hac re latè differens, & Theologi in 3. p. q. 62. a. 6. Ad quos Lectorem remittimus, ne ultra noſtrum inſtitutum progrediamur.

Bellarm. lib. 2. de Sacram. c. 15.

Sed cum Circumciſio præcipuum fuerit illius legis Sacramentum, & frequenter de illa occurrat mentio, maximè in die Circumciſionis Chriſti, pauca de ejus cæremoniis nobis dicenda ſunt.

Quæritur ergo 1. *Cur ſignum Circumciſionis fuerit adhibitum in occulto, & pudendo corporis membro?* Si enim datum ſit ad diſtinguendum populum fidelem ab infideli, convenientius fore videtur, ut daretur in aperta & decenti corporis parte. Item, *cur in tenera ætate, datum eſt ſignum adeo afflictivum, quo facilè infans periculo mortis exponebatur?* Reſpondeo. Licet plenillimam hujus myſterii rationem aſſequi nequeamus, plures tamen rationes afferri poſſunt.

Circumciſio cur fiebat in membro generationis.

Prima, quia Circumciſio fuit ſignum fidei Abrahæ, qui credidit Chriſtum ex ſe naſciturum: & ita poſitum eſt in generationis parte, ut ſignifica-

D. Tho. 3. p. q. 70. a. 3.

Digitized by Google

retur Christus ex Abraham secundum carnem nasciturus. Hoc significatur Gen. 17. *Circumcidetis carnem præputii vestri, & erit signum inter me & vos.* Præcipuum autem fœdus inter Deum & Abraham fuit, quod Deus promisit illi Messiam ex suo semine, & ipse tunc credidit Deo, & reputatum est ei ad justitiam. Unde dicitur: *Signum accepit Circumcisionis signaculum fidei*, illius scilicet, quâ credidit Christum ex semine suo oriundum. Secunda ratio est, quia Circumcisio fuit in remedium peccati originalis, illud autem per actum generationis carnalis traducitur; & ideo in membro illo generationis signum ponitur. Tertia ratio, quia Circumcisio ordinatur ad diminutionem carnalis concupiscentiæ significandum, significabat enim concupiscentiam illam carnis in homine maxime vigentem, per Christum, ejusque gratiam minuendam fore, superandam & circumcidendam. Quarta ratio, quia in hoc membro Adam primum sensit inobedientiæ suæ effectum, & carnis rebellionem.

Gen. 17. 11.

Rom. 4. 11.

An Circumcisio fieri debebat cultro lapideo?

Quæritur 2. an *Circumcisio debebat fieri cultro lapideo?* Respondeo non id necessarium fuisse: nam cùm traditur Gen. 27. ritus & præceptum Circumcisionis, nulla fit mentio cultri lapidei, & testatur S. Justinus Judæos sua ætate, non lapideo, sed ferreo cultro usos, quod etiam modò in usu est apud eos. Neque obstat factum Sephoræ uxoris Moysis, quæ petreo cultro usa est, dum præcepit ei Dominus circumcidere filium; neque etiam quod Josuæ præceptum datur, ut petreo cultro utatur. Nam quod spectat Sephoram, non ob præceptum, nec fortè ob mysterium, sed ob festinationem & minas mortis, quas Angelus Domini ei intentabat, usa est instrumento, quod maxime habuit obvium. Quod verò spectat ad Josue, cum speciali præcepto illud etiam fuerit significatum, id satis indicat non fuisse in primo illo generali Circumcisionis præcepto comprehensum. Hoc ergo factum fuit tunc ob singulare mysterium, & significabatur primam Circumcisionem futuram carnalem, secundam spiritualem, dandam per Christum, qui est petra.

Exod. 4. 25.

Josue 5. 2.

Tempus Circumcisionis an absolutè octavo die?

Quæritur 3. de tempore Circumcisionis, *an absolutè necessarius fuerit octavus dies?* Respondet affirmative D. Thom. cum Hugone, dicens non potuisse etiam ob periculum prævenire, & probat ex Glossa, ad hæc verba: *Unigenitus* erat *coram matre mea.* Ubi indicat filium priorem Davidis ex Bersabee non numerari, quia incircumcisus mortuus fuerit ante octavum diem. Quod si puer ante illum diem periculo mortis erat obnoxius, poterat ei subveniri per illud remedium quod erat in lege naturæ ante circumcisionem, & adhuc pro puellis perdurabat. Putant vero aliqui Theologi, si ministet octavum diem prævenisset, validum fuisse Sacramentum, licet peccaret. Ratio vero octavæ diei determinatæ, erat teneritudo infantis, ne si ante circumcideretur, certo periculo exponeretur. Mystica verò ratio est, quia per octavum diem circumcisionis, significatur octavus dies resurrectionis, quæ fit octavo die, id est, octava mundi ætate: in qua circumcidetur omnis carnis naturæque corruptio, & vetustate deposita, natura perfectè renovabitur. Poterat tamen justa de causa circumcisio differri post octavum diem, sicuti dilata fuit in deserto per quadraginta annos, ob continuam peregrinationem; nec enim sine periculo multorum fieri poterat, quamvis aliqui hic velint fuisse aliquam dispensationem.

1. Cor. 10. 14.

D. Tho. v. suprà.

Prov. 4. 3.

Major. Palude.

Josue 5. 6.

Major.

Quæritur 4. *de loco circumcisionis*, Respondeo nihil specialiter institutum fuisse, unde Abraham seipsum & suos circumcidit domi, & Christus in Bethlehem circumcisus est: Nihil etiam constitutum est de Ministro. Unde modò viri, modò fœminæ circumcisionem peregisse dicuntur. In circumcisione autem nomen dabatur, uti nos damus in Baptismo, quia tunc ascribebantur in Ecclesiam Dei, & erat Sacramentum initiativum veræ Religionis & fidei. Quapropter etiam Abrahæ nomen tunc mutatum fuit, ut qui prius Abram, postea Abraham vocatus fuerit.

Locus Circumcisionis.

Gen. 17.

Ubi notant cum S. Hieronymo, Lipom. & alii ad Abram adde litteram, *he*, ut fiat Abraham, eandem addi quoque Sarai, ut fiat Sarah: quæ litera, *he*, præcipua est in nomine Tetragrammato Dei; bis enim in eo ponitur, quasi per hoc indicet Deus, Messiam qui Deus est, Deique Filius, sive Jesum Christum ex Abraham & Sarah nasciturum.

Ib. v. 15.

LECTIO VI.

DE CHARACTERE SACRAMENTALI.

1. *Allegat loca Scripturæ ad probationem Characteris.*
2. *Explicat officium Characteris.*
3. *Docet Characterem esse indelebilem.*

PROPOSITIO I.

Characterem imprimi per aliqua Sacramenta Scripturis est conforme.

PRimò deduci potest ex Apostolo: *In quo credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.* Ubi adverte, frequenter Fideles in Scripturis vocari *signatos* sive *sigillatos*, hoc-que nomen eis multiplici ratione posse competere. Primo quidem, ratione prædestinationis & electionis, quia per illam, tanquam oves (quas nemo rapiet de manu Pastoris æterni Christi) signatæ sunt signaculo electionis, quo ab hœdis, hoc est, reprobis distinguuntur. De hoc signaculo loquitur Apost. *Firmum Fundamentum Dei stat habens signaculum hoc: Cognovit Dominus qui sunt ejus.* Nempe, Dei præ-

Eph. 1. 13.

Cur Fideles vocantur signati sive sigillati.

2. Tim. 2. 19.

præſcientia, omnia tempora, & quæ quolibet tempore ſunt, aut fiunt, antevertens prævidendo, quaſi ſignat omnes, qui ſui perpetuo futuri ſunt, & fide & gratia conſtantes: eoſque in prædeſtinatorum libro conſcribit & conſignat, hoc eſt, in mente & memoria ſua æterna. Atque ſignans eos, gratiam eis prædeſtinationis præparat, quam aliqui vocant *ſignaculum*, hoc eſt gratiam quam prævidet fore efficacem, & finalis etiam perſeverantiæ effectum conſecuturam. Hac etiam ratione gratiam & vocationem electorum & prædeſtinatorum, vocat Auguſtinus *altam & ſecretam*, quia ſcilicet ſignata eſt ſecreto & arcano ſigillo divinæ præſcientiæ, & amoris æterni præordinantis eos ad vitam per gratiam & perſeverantiæ donum. Itaque oves quæ permanſuræ ſunt in æterno ovili, jam deſignatæ ſunt & ſigillo Paſtoris ſignatæ, etiam antequam ad Paſtorem per fidem aggregentur, dicente B. Auguſtino: *Secundùm iſtam Dei præſcientiam & prædeſtinationem, quam multæ oves foris ſunt, & quam multi lupi intus? Et quam multæ oves intus, & quam multi lupi foris?* Et ita manet verum: *Firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc, cognovit Dominus, qui ſunt ejus, quia novit Dominus*, inquit idem Auguſtinus, *qui permaneant ad coronam, qui permaneant ad flammam: novit in arca ſua triticum, novit paleam: novit ſegetem, novit zizania.* Et ob id Chriſtus vocat jam ſuos, eos qui adhuc non crediderant; ſed in illa prædeſtinatione jam erant ſui, jam erant ſignati, & certo credituri, ac in fide & gratia finaliter permanſuri. Ideo etiam de electis loquens Joannes, vocat eos *ſignatos ſigno Dei vivi.*

Auguſt.

Auguſt. in Pſal. 145.

Tract. 42. in Joan.

Joan. 17. 6. & 20.

Apoc. 7. 2.

2. *Ratione fidei.*

Secundo, Fideles vocantur *ſignati*, ratione ipſius fidei; eſt enim fides ſignaculum quoddam, quia eſt nota & veluti teſſera, qua Fideles ab Infidelibus diſtinguuntur. Et illa rectè etiam intelligitur per illud *ſignum Dei vivi*, quod Angelus aſcendens ab ortu ſolis, imprimebat non ſolum cordibus, ſed & frontibus ſervorum Dei, ad ſignificandum quod licet fides ſit in corde, tamen gerenda ſit & in fronte: quia ſcilicet nunquam debemus erubeſcere publicam fidei Chriſti Confeſſionem. Unde unus ex ſignatis in fronte erat Paulus, qui dicebat: *Non erubeſco Evangelium, virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti.* Et omnes Chriſtianos erudiens, clamabat: *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Itaque in illo loco Apocalyp. non agitur ſolum de fine mundi, ſed maxime de initio & propagatione Eccleſiæ Chriſti; ad quam per fidem aggregati ſunt aliqui ex Judæis, qui per 144. millia indicantur (numero certo pro incerto) ut paucitas deſignetur, plurimi autem ex gentibus, & ideo de illis ſubjungitur: *Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*, &c. Ille ergo Angelus aſcendens ab ortu ſolis, Chriſtus Dominus eſt, magni conſilii Angelus, cujus nomen eſt Oriens; & maxime cum ab inferis vivus reſurrexit, quaſi ab ortu aſcendere, hoc eſt, quaſi ſol novus exoriri viſus eſt, & tunc Evangelii prædicatio cœpit, & ipſe ſigillo fidei ſuos conſignavit, qui præordinati erant ad vitam æternam, tam ex Judæis, quam ex Gentibus. Et hoc eſt ſigillum, quod ei à Patre commiſſum eſt, ſigillum regni ſui, ei datum in ſua inauguratione, cum data eſt ei poteſtas in cœlo & in terra. Quod adumbratum videtur in Joſeph, cui Rex annulũ ſuum ſignatorium dedit, ut vice ſui univerſas Ægyti Provincias regeret. Quod autem dicitur clamaſſe quatuor Angelis tenentibus quatuor ventos, rectè intellexeris non Angelos bonos, ſed Principes univerſorbis, qui in quatuor angulos dividitur. Hi ab Angelis Rectoribus tenebrarum incitati, tenebant *quatuor ventos terræ*, id eſt, univerſos Evangelii Præcones impediebant, ne ſacræ doctrinæ flatum mortalibus inſpirarent. *Ne flarent ſuper terram*, ſive ſuper eos, qui in quavis orbis plaga morabantur; *neque ſuper mare*, ſive ſuper eos, qui in maris inſulis habitabant; *neque in ullam arborem*, hoc eſt, in illos Fideles, qui ſe in ſilvas & abdita loca perſecutionis metu abdiderunt. Hos ergo imperio ſuo coërcuit, quaſi clamans Chriſtus, & vim eorum compreſſit, ne Apoſtolicorum ventorum flatum coercerent, ſed liberum curſum Evangelicæ Prædicationi darent in ſuis Regnis & Provinciis; ut ſic Venti hi Cœleſtes univerſum orbem flatu ſuo ſalutari perflarent. Ita multi Interpretes.

Gen. 41. 42.

Apoc. 7. 1.

Carthuſ. Rupert. Viegas & alii.

3. *Ratione gratiæ & charitatis.*

Tertio, Fideles vocari poſſunt, *ſignati*, ob ſignaculum gratiæ & charitatis animam ſignantis & ſanctificantis. Hoc eſt ſignaculum Spiritus Sancti, quo obſignamur, quo character bonitatis & ſanctitatis ejus nobis imprimitur, ut illam in motibus exprimamus: unde, in Spiritum Sanctum injurii ſumus, dum per peccatum, illum gratiæ characterem expungimus. Nam peccatum eſt character ſpiritus maligni, quem perverſitate noſtra ſuperinducimus; eſt imago ſathanæ ſigillo ejus expreſſa, quæ totaliter corrumpit & commaculat in anima ſigillum Regis æterni, imaginem Dei & Chriſti, ſignaculum Spiritus ſancti. Hoc ſignaculo ſignantur Filii lucis & diſtinguuntur à filiis tenebrarum, ſignantur hæredes Regni, & diſtinguuntur à filiis perditionis; quia nemo ſine hac teſſera & nota Regnum ingredi poteſt. Ad id ſignificandum, cum Adam hanc divinam imaginem juſtitiæ & ſanctificationis, per peccatum expunxiſſet, è Paradiſo ejectus fuit, tanquam carens teſſera Filiorum Dei. Unde ei dicitur: *Adam ubi es? Ubi imago mea formoſiſſima? Ubi Paradiſi pretioſus ornatus? Ubi manuum mearum artificium? Ubi imago regni mei nuper depicta?* Ita D. Ambroſ.

Gen. 3. 9. Ambroſ. in eũ loc.

4. *Ob characterem in anima impreſſum in Baptiſmo & Confirm.*

Quartò, Fideles ſpecialiter dici poſſunt, *ſignati*, ob characterem in anima impreſſum, per Sacramentum tum Baptiſmi, tum Confirmationis. Eſt enim character ſignum indelebile animæ impreſſum, quod etiam gratia ſanctificante per peccatum depulſa, remanet; quia nec ab illa pendet in fieri, nec in conſervari: licet enim quis obicem ponat

Digitized by Google

gratiæ, dum actualiter peccato inhærens, Baptiſmum ſuſcipit vel Confirmationem, non tamen deſinit ſuſcipere characterem. De illo itaque rectiſſime intelligitur illud ex Apoſtolo allegatum:

Eph. 1.13. *In quo credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis Sancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ.* Loquitur enim de Baptiſmo, in quo accipimus Spiritum promiſſionis, hoc eſt, Spiritum olim per Prophetas promiſſum, & jam credentes lignamur à Spiritu Sancto, non ſolum per gratiam ſanctificationis, ſed etiam per ſignum indelebilis characteris: quo agnoſcimur tanquam veri Fideles de populo & Eccleſia Dei, habentes jus ad Sacramenta ab eo inſtituta, & ad gratiam (ſi quandoque deperdatur) per illa recuperandam, ſimulque ad hæreditatem cœleſtem, tanquam ſignati de populo acquiſitionis.

Eph. 4.30 Altera Scriptura, huic non abſimilis, eſt ad Epheſ. 4. ubi dicitur: *Non contriſtare Spiritum Sanctum Dei, in quo ſignati eſtis in die redemptionis.* Ubi iterum dicit Apoſtolus, nos per Spiritum Sanctum ſignari, & velut ſigillo obſignari, *in die redemptionis*, hoc eſt, (interprete Oecumenio) in die quo baptizati ſumus, quando jam redemptionis Chriſti participes effecti ſumus, & illo die à ſervitute peccati & ſatanæ redempti. Hæc autem obſignatio, licet dici poſſit per gratiam fieri, tamen etiam proprie ac optime dicitur fieri per characterem, cujus proprium munus eſt ſignare. Unde, ſicut oves in corpore ſignatæ, agnoſcuntur cujus ſint Domini, & Judæi per ſignaculum Circumciſionis agnoſcebantur, de quo populo forent: ita & nos per characterem (non exteriorem, ſed interiorem) conſignamur de grege Chriſti, & de populo illo, de quo dicit Petrus: *Vos genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis.* Et licet per peccatum a gratia excidamus, & poteſtatem Sathanæ in animam demus: ſemper tamen characteris ſigillum manet, & monet, nos tanquam rem furtivam ad alium Dominum ſpectare, cujus ſigillum adhuc gerimus; & tanquam ſervos transfugas injuſte imperium & obedientiam proprii heri ſubterfugere; aut tanquam milites perfidos, cum ſigno Ducis ad aliena caſtra tranſire. Nam ideo voluit Deus ſignum hoc, nulla etiam culpa expunctum, eſſe in teſtimonium obligationis, quam habet Chriſtianus in familiam Chriſti receptus, ſemper in ea manendi, aut ſi quandoque fugerit, redeundi. Voluit quoque, ut eſſet in teſtimonium voluntatis divinæ quam habet erga nos; per ſigillum illud characteris teſtificans, ſe quantum ex ſe eſt, velle nos ſemper & indelebiliter ſuos eſſe; ſibi ſignatos & conſecratos, habeatque jus inchoatum ad hæreditatem cœleſtem per hunc characterem, niſi perfidia noſtra in hoſtis poteſtatem nos dedamus, & hæreditate illa indignos nos reddamus, nolentes in gratiam ejus, qui nos ſignavit, redire, & ſignum ſubjectionis ac obedientiæ noſtræ humili ac contrito corde agnoſcere. De qua quidem rebellione ac perfidia velut contriſtatur Spiritus ille, qui nos ſignavit, quantum in ſe eſt, in gratiam nos revocans, ut memores militaris ſigni noſtri, ac fidelitatis, cum ſignati fuimus, promiſſæ, deſeramus caſtra diaboli, & redeamus ad caſtra Ducis noſtri Chriſti: & permaneamus ei milites fidi, donec regnum illud cœleſte cum ipſo allequamur, ad quod jam inchoative ſumus quaſi cives & regalis grex conſcripti. Propterea ergo monet Apoſtolus: *Nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei, in quo ſignati eſtis in die redemptionis.* Eph. 4.30.

Noluit B. Agnes contriſtare Spiritum Sanctum, in quo ſignata fuerat in Baptiſmo, per quem etiam tunc preciosa dona acceperat fidem, ſpem, charitatem, obedientiam, & Chriſti amatoris ſui characterem. Unde, cum ad nuptias cum filio Præfecti ineundas, & ad vitam Chriſtianam ejurandam urgeretur, hiſce omnibus donis cum baptiſmali gratia acceptis, fidem ſuam oppignoratam reſpondit, nec ſine perfidia poſſe violari. Audi quomodo ad ſingula hæc Baptiſmi dona alludens intrepide reſpondet. 1. *Annulo ſuo*, inquit, *ſubarrhavit me*: ecce fidei donum, quo anima tanquam arrha, cœleſti Sponſo, per Spiritum ſanctum velut pronubum, devincitur & obligatur. 2. *Et tanquam Sponſam decoravit me corona*: En donum Spei, quo tanquam corolla cingitur & exornatur anima, donec in æternitatis thalamo accipiat diadema ſpeciei. 3. *Induit me cyclade auro texta, & immenſis monilibus ornavit me*, En nuptialis veſtis charitatis, variis contexta donis, ut ſit hæc ſponſa in fimbriis aureis circumamicta varietatibus. 4. *Sanguis ejus ornavit genas meas.* Ecce nitor & pulchritudo gratiæ baptiſmalis, quæ ſine macula, ſine ruga animam efficit, virtute ſanguinis Agni immaculati. 5. *Poſuit ſignum in faciem meam, ut nullum præter eum amatorem admittam.* En Character, qui indicat obligationem, quam habemus gratiam hanc conſervandi, & fidem Chriſto in Baptiſmo datam: qui recte dicitur tanquam ſignum indelebile imprimi in facie animæ, hoc eſt, (juxta multos Theologos) in ipſa eſſentia animæ. 6. *Tradidit auribus meis inæſtimabiles margaritas*: Ecce donum obedientiæ, per quod dicere poteſt baptizatus: *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico.* 7. *Mel & lac ex ore ejus ſuſcepi.* Alludit ad antiquam cæremoniam, qua baptizatis aliquid mellis & lactis prælibandum tradebatur, ad ſignificandum quod ipſi quaſi modo geniti infantes deberent ſine dolo & lac mel doctrinæ ſuæ concupiſcere, & ex ore Chriſti cum ſuavitate ſuſcipere. Hujus cæremoniæ teſtes ſunt antiqui Patres. 8. *Jam corpus ejus corpori meo ſociatum eſt.* Hæc ſociatio fiebat per ſacram Communionem Corporis Chriſti, quæ Baptizato præbebatur. Itaque variis modis ſignati ſumus à Spiritu ſancto, ſed omnino propriè id fit per Characterem, ſignum

Exempl. Ambr. l. 1. de virg. & ep. 34. Sur. 21. Jan. Amb. l. 4. epiſt. 34.

Gabriel. Marſil. Suarez, Bellarm. Iſa. 50. 5.

1. Pet. 2. 9.

signum interius in anima Christiana inexpugabile, de quo etiam aliqui intelligunt illud Isaiæ: *Ponam*
Is.66.19. *in eis signum, & mittam ex eis, qui salvati fuerint, ad Gentes, in mare, in Africam, & Lydiam, in Italiam & Græciam, ad eos, qui non audierunt de me.* Loquitur enim de novis Christianis, qui signati charactere Christi in universum orbem, fidem detulerunt.

Tertius Scripturæ locus, qui de charactere loqui
2.Cor.1. videtur, est: *Qui confirmat nos, & qui unxit nos Deus*
21. *qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Hic specialiter agere Apostolus existimatur à plerisque Doctoribus, de charactere Confirmationis, distinguit enim hæc omnia. *Confirmavit nos, dedit pignus Spiritus, unxit, signavit*, quæ aptissimè distincta reperiuntur in Sacramento Confirmationis.

1. Ibi specialiter confirmamur, sivè roboramur ad fidem profitendam, quâlibet urgente persecutionis procellâ.

2. Ibi specialiter Spiritum sanctum accipimus, tanquam pignus & arrham futuræ gloriæ. Dona enim Spiritus, quæ ibi nobis abundè infunduntur (in cujus signum olim Spiritus sanctus etiam
Ambr.l.1. de Spirit.c. 6. visibiliter in Confirmatione descendebat) serviunt nobis, tanquàm arrha quædam, donec perfectius dona gloriæ promissa, à Spiritu sancto accipiamus.

3. Ibi specialiter ungimur, tanquàm athletæ fortes, ad viriliter luctandum contra adversarias potestates, & copiosè replemur Chrismate spirituali, designato per Chrisma materiale, ut jam simus perfecti & consummati Christiani.

4. Ibi specialiter signamur & sigillamur signo ac sigillo Crucis in fronte, & in anima Charactere: ut simus generosi milites, insigniti hoc Ducis nostri signo, usque ad sanguinem pro ejus gloria dimicare parati. Et ita verum est tunc illud. *Exteriori specie signamur in corpore, veritate tamen signamur in corde.*

PROPOSITIO II.

Triplex est Characteris officium in Christianis.

PRimò Christo configurare. Secundò ad divina Sacramenta suscipienda vel ministranda, sivè ad speciales aliquos actus deputare. Tertiò, ab aliis distinguere. Hæc tria reperiuntur in tribus Sacramentis.

1. Christo nos configurare. Primum quidem characteris officium in illis tribus Sacramentis reperitur, quia Baptismus nos Christo specialiter configurat, tanquam membra capiti: Confirmatio illi nos subjicit & configurat, tanquàm milites Duci, Ordo illi nos configurat, tanquàm inferiores ministros summo Sacerdoti. Hinc character sacramentalis rectè dicitur character
D. Tho. 3.p.q.63. art.3.ad 2. Christi (teste D. Thoma) quia illo nos Christus insignivit, sibi conformans, & sui supremi Sacerdotii participes efficiens.

Sed nunquid etiam Christi character dicitur, eò quod illo Christus insignitus fuerit? Respondeo, in Christo non fuisse characterem; cùm enim ratione Divinitatis suæ, excellentiori quodam modo in Caput Ecclesiæ, in supremum quoque Ducem, ac in summum Sacerdotem, à patre designatus fuerit, non indiguit charactere, qui imperfectionem quandam in subjecto cui inest, supponit; cùm sit participatio quædam Sacerdotii Christi, supponens illum, cui imprimitur esse membrum, aut militem, aut ministrum, respectu alterius superioris Capitis.

Secundum characteris Officium, etiam in dictis Sacramentis declaratur. Quia per Baptismum red- *2. Reddere idoneos ad reliqua Sacramenta.*
dimur idonei ad reliqua Sacramenta suscipienda. Per Confirmationem deputamur tanquam milites, ad intrepidè fidem confitendam. Per Ordinem deputamur, ad conficienda & conferenda Sacramenta. Hinc character a Theologis censetur esse in genere moralis cujusdam potentiæ passivæ vel activæ, nos aptos reddens ad aliquid, vel suscipiendum vel agendum: ita ut eo ipso, quo Deus nobis characterem Sacramentalem imprimit, quodammodò deputet nos, & se velut obliget, ut in functionibus sacramentalibus suâ omnipotentiâ concurrat. Ubi adverte, aliter Deum, aliter homines se gerere, dum ad aliquod munus nos deputant: hominum enim deputatio, quia solum externa est, non est ita efficax, undè ad arbitrium Reipublicæ vel Principis tolli solet. At verò Deus, efficacioni & excellentioni modo potestatem ad munia sacra exercenda, in Sacramentis vel percipiendis vel conficiendis solet tribuere, per internum aliquod donum animæ infusum & immobiliter inhærens, quod hominum arbitrio tolli nequeat. Sicut etiam, cùm vult offensam nobis remittere, non id solùm facit exterioni condonatione & reconciliatione, ut solent homines, sed interiùs in animam infundit, & imprimit qualitatem, per quam nos sibi obligatos efficit, & acceptat in amicitiam. Et cum vult nos in se credere, sperare, diligere, per interiora spiritualia dona animæ inhærentia id præstat; per habitum scilicet fidei, spei, & charitatis, quæ interiùs animum exornant, & ad id promptum reddunt. Itaque efficax & perfecta est divina deputatio in muniis Sacramentalibus, per signum spirituale characteris, quo & anima exornatur & consecrationem quandam indelebilem accipit ad ea, quæ sunt cultus divini: quæ nec Magistratuum, nec Principum, nec hominum quorumcunque subest arbitrio aut potestati; in quo antiqui & nostri falluntur hæretici. Hinc Tertullianus illos irridens & perstringens, dicit. *Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconstantes; nunc Neophytos collocant, nunc jaculo adstrictos (hoc est, conjugio) nunc Apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt: Nusquam facilius proficitur, quàm in castris rebellium, ubi ipsum esse, illic promereri est. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius:*
Tertul. l. de præscript.c.12

Digitized by Google

nium: hodie Diaconus, qui cras Lector: hodie Preſbyter, qui cras Lucus: nam & laicis Sacerdotalia munia inunguntur.

3 *Aliùs diſtinguere*

Tertium Characteris officium, in dictis Sacramentis declaratur. Quia Baptiſmus nos tanquam domeſticos Chriſti, diſtinguit ab illis, qui nullo modo ei conjuncti ſunt, hoc eſt, Fideles ab Infidelibus. Et id quidem præſtat non ſolùm exteriori, ſed & interiori notâ & charactere. Nam Nationes a Nationibus exteriori quodam ſymbolo & Veſte differre ſemper conſuetum fuit. Sic Græci agnoſcebantur per pallium, Romani per togam, Judæi per ſignaculum circumciſionis, Gentes per præputium. Et olim pueri diſtinguebantur per prætextam, Milites per ſagum, Victores per palmatam veſtem, Imperatores per purpureum paludamentum, Sacerdotes per Cydarim & Poderem. Verum Deus, qui interius in anima agit, non ſolùm vult Fideles ab Infidelibus exteriori ſigno diſtingui, ſed & interiori in anima expreſſo, charactere eos conſignat, & agnoſcit ipſos ſivè ut domeſticos, ſivè ut milites, ſivè ut miniſtros & Sacerdotes, per diverſos characteres. Et ita, ſicut per Baptiſmum ſibi ſignat ſpecialiter ſuos Fideles; ita per confirmationem ſuos milites ſpeciales, quo ſigno diſtinguuntur confirmati, ab illis, qui nuper baptizati, adhuc ſunt quaſi modò geniti infantes. Similiter & per Ordinem ſuos ſignat & deſignat miniſtros ſpeciali notâ, ut diſtinguantur à reliquis Fidelibus, tanquam deſtinati, ut ſteant coràm Domino in ſacris functionibus.

PROPOSITIO III.

Character per hæc Sacramenta impreſſus, indelebilis eſt, & ideò illa iterari non poſſunt.

Trid. ſeſſ. 7. can. 9.

Sic definit Concilium Tridentinum. *Si quis dixerit, in Baptiſmo, Confirmatione, Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale & indelebile, unde ea iterari non poſſunt anathema ſit.* Dicitur verò character indelebilis, quia de facto perpetuò in anima quamdiu illa durabit, in quocunque ejus ſtatu, manebit: Eſt enim character, participatio quædam Sacerdotii Chriſti: quod cum ſit perpetuum, etiam perpetuitatem quandam communicat charactri. Undè advertenda eſt differentia inter characterem, & alia Dei dona, fidem, ſpem, charitatem, gratiam ſanctificantem, & ſimilia. Licet enim gratiæ donum, quod etiam per Sacramenta infunditur ex ſe ſit perpetuum, quia à nulla cauſa creata poteſt deſtrui, nec phyſicè loquendo, habet contrarium a quo deſtruatur, (eſt enim qualitas ſpiritualis, incorruptibilis, in ſubjecto ſpirituali incorruptibili) tamen demeritorie per peccatum quodlibet mortale deperditur. Eſt enim in libero animæ arbitrio, hanc gratiam & charitatem deſerere per pravæ voluntatis actum, ſicut & fidem ac ſpem, per actus fidei ſpeique contrarios. At non eſt in poteſtate animæ, ullo etiam infidelitatis aut deſperationis peccato, hunc characterem deſerere, aut expungere. Sic nec in ejus poteſtate eſt, dum hæc ſuſcipit Sacramenta ex conſenſu ſuo & voluntate, dicti characteris impreſſionem impedire, quantumlibet pravâ ſuâ indiſpoſitione. Etiamſi hæreſis eſſet imbutus errore, non credens ipſum Sacramentum habere vim talem imprimendi characterem, imò credens characterem figmentum eſſe, tamen illum recipit, ſi in Sacramentum conſentit.

Itaque quantumlibet quis fidem ejuret, & Baptiſmum, imò omnia Sacramenta, & ipſum Deum, manet hoc ſignum indelebile in ipſo, adverſus ipſum teſtimonium ferens, & ſententiam pronuntians condemnationis, niſi reſipiſcat, & ad Chriſti caſtra revertatur. *An minùs fortè* (inquit B. Auguſtinus) *Sacramenta Chriſtiana poterunt, quàm corporalis nota, quâ miles inſignitur? Illa namq; militi ad militiam, quam deſeruiſſet revertenti, non nova imprimitur, ſed antiqua agnoſcitur & approbatur.* Idem ergò judicium ferendum eſt, de hoc Chriſti charactere, qui a Sanctis Patribus ſignum ac teſſera Ducis, militiæque noſtræ ſolet vocari, quoad fidelitatem ſervandam urgemur. Audi S. Baſilium: *Teſſeram Duces ſub ſe militantibus dant, ut amici facilius invicem ſe noſcentes exhortentur. & ſi cum hoſtibus commiſceantur, eò facilius diſcerni ac ſeparari poſſint. Quod ſi fortè commilitonum ſeparatio fiat, nemo te, quarum ſis partium, noſtrarum an adverſarii, noverit, niſi myſticus ſignis familiaritatem præ ſe feras: niſi ſignatum ſit ſuper te lumen vultus Domini, niſi characterem in te agnoſcat Angelus, quonam modo pro te pugnabis, aut ab inimicis vindicabis? Quomodo inquam dices, Dei ſum, ſigna non oſtendens. An ignoras quemadmodum ſignatas domos in Ægypto exterminator præterit, in non ſignatis verò primogenita peremit.* Theſaurus non obſignatus, furibus facile patebit.

Aug. l. 2. c. 13. contra epiſt. Parm.

Baſil. in exhortat. ad Baptiſ.

Julianus Imperator, poſt viginti annos a Baptiſmo factus Apoſtata, a Chriſtiani nominis & cultus abdicatione, imperium fuit auſpicatus: Chriſtianamque fidem tali eſt odio proſecutus, ut indicto publico victimarum ſacrificio, illarum ſanguine impuro lavari voluerit & baptizari, putans ſic deleturum ſe ſignaculum ſacrum characteris, quod ei in Baptiſmo impreſſum fuerat: ac ſignaculum unctionis ſacræ, ſignum crucis Chriſti, ſacraque omnia Chriſtiana, hiſce nefariis & diabolicis ſacris penitùs a ſe abolere. Imò & in ſanguine illo manus ſuas abluit, ut ab incruenti ſacrificii ſumptione in Euchariſtia (quam olim fideles manibus ſumebant) hac profanatione eas expurgaret. Sed fruſtrà fremit & inſanit contra Chriſtianum cultum. Signaculum illud Sacrum characteris, nullâ impunitate, nullâ diabolicâ inventione, nullâ inferni aut ſatanæ arte, poterit expungere: ſed manebit in illo etiam in æternum, vindictam inclamans contra ipſum, infidelitatem exprobrans, mirè contorquens, intolerabilem confuſionem ei ingerens. Per illud diſtinguetur ab Alexandro, a Pompejo, Julio, Au-

Exempl. hiſt. tripart. l. 9. Socrat. l. 3. c. 1. &c. Greg. Nazianz. orat. 1. in Julian.

Digitized by Google

Auguſto, aliiſque Cæſaribus, qui imperio potiti, nunquam baptiſmali unda fuerunt abluti: Et ideò minus torquentur quàm impius ille, cui *melius* fuiſſet *non cognoſcere viam juſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum converti ab eo quod ei traditum eſt ſancto mandato.*

2. Pet. 2. 21.

Sic etiam, Sagas & maleficas Satan ſuæ ſubjiciens ſervituti, ut ſortius ſibi obſtringat, jubet abjurare fidem, baptiſmum, & Chriſtum ipſum, ac ſpeciale ſibi fidelitatis præſtare juramentum, juramento Baptiſmi adverſum. Quo peracto, eas velut ſuis ſacris initians, ſimulat ſe ſignaculum & Characterem Baptiſmi frontiſque Chriſmationem expungere, ut in nullo jam ſe Chriſto obſtringi agnoſcant, cujus omnia ſigna abjurarunt: ſimulque novum ſe illis characterem imprimere, ſignum ſuæ ſervitutis inviolabile indicat. Sed certum eſt, dæmonem nihil per hæc omnia nocere ſacro huic ſigno indelebili characteris, quamvis id ſeductoriè, multis adhibitis nefandis cæremoniis, perſuadere conetur. Reverti ergo & illæ poſſunt ad caſtra & ſervitutem Chriſti, nec novo egent ſignaculo aut Baptiſmate.

Character etiam poſt mortem. D. Tho. 2 6. ad 1.

Ex dictis concludo 1. characterem non ſolum in hac vita, ſed & poſt mortem perdurare. Hæc eſt communior Theologorum ſententia, quam licet Concilia non definiant, cum tamen abſolutè aſſerant characterem eſſe indelebilem, & Catechiſmus Pii V. aſſerat perpetuò inhærere, rectè id intelligatur abſolutè & ſine limitatione: maximè, quia cum character ſit ſpiritualis qualitas, & à corpore non dependeat, non eſt ratio cur morte pereat.

Sed quæres, *ad quem uſum poſt mortem perdurabit?* Reſpondeo, in Beatis rectè manere, cùm ſit qualitas ſpiritualis animam quodammodo perficiens: & ſervire poteſt, ad hoc ut eos deſignet, quibus abundantius datum eſt frui hic divitiis Chriſti. Reſpondeo 2. in damnatis manere ad ignominiam & majorem confuſionem, ut notior ſit ingratitudo eorum, qui gratia hic accepta uti neglexerunt.

Et ideo non poſſunt iterari tria Sacramenta.

Concludo 2. ob hunc characterem non poſſe iterari Sacramenta dicta. Et ita aſſerunt plerique Theologi, quod baptizatus qui reſuſcitaretur, non deberet iterum baptizari, ſicut nec Sacerdos reſuſcitatus deberet iterum ordinari: utpote in quibus ſacer ille character, tum Baptiſmi, tum Ordinis, permanſerit. Itaque generaliter loquendo, quicunque voluntariè reiterant tria iſta Sacramenta, ſacro characteri Deoque ſunt injurii. Ideò olim veri Catholici maluerunt ſubire mortem, quàm in ſe pati Baptiſmi reiterationem.

Exempl. Victor. Uticenſis l. 3. Wandal. perſeq.

Præclarum eſt, quod hac de re refert Victor Utienſis. Hunericus Rex, inquit, cùm eſſet Arianus, juſſit omnes Catholicos rebaptizari ab Arianis, & ita Arianiſmum profiteri. Rebaptizatis curabat dari chirographum, quo ſignificabatur illos paruiſſe Regi. Hoc chirographum erat character beſtiæ, ſive Antichriſti, ſine quo nemo quid emere aut vendere, vel de loco in locum tranſire poterat. Steterunt tunc Orthodoxi (præſertim Clerici) fortes in fidei confeſſione: inter alios ſex Monachi, cum Liberato Abbate. Qui protracti Carthaginem, cum præſes offerret amplos honores, opes, Regis amicitiam, ipſi generoſi milites omnia hæc, velut contagia reſpuentes, uno ore clamabant: *Unus Deus, una fides, unum Baptiſma: Nec poterit, adjuvante Deo, in nobis iterari, quod ſemel in Evangelio præceptum eſt dari. Facite quod vultis, melius eſt ad modicum temporalia ferre ſupplicia, quàm æterna ſubire. Habete quæ promittitis, cum ipſis divitiis paulò poſt perituri, nobis nullus de Poſtibus frontium valebis evellere, quod in uno Baptiſmate, artifex Trinitatis dignatus eſt tituläre.* Juſſit ergò Hunericus, poſt tetrum carcerem, eos imponi navi aridis lignis plenæ, ut in medio mari cremarentur. Incedebant illi ad ſuppliciũ, quaſi ad epulas, unâ voce cantantes: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Votiva nobis hæc dies eſt, & omni feſtivitate ſolemnior: Ecce nunc tempus acceptabile, dies ſalutis, cum pro fide Dei noſtri perferimus ſupplicium, ne amiſtamus fidei indumentum.* Publica quoque voce populum ad conſtantiam excitabant. *Ne timeatis, ô populi Dei! minas & terrores præſentium tribulationum, ſed moriamur pro Chriſto qui mortuus eſt pro nobis.* Erat inter eos puer nomine Maximus, huic dicebant Ariani: *Infantule, quid feſtinas ad mortem? dimitte eos, inſanium, ſequere conſilium noſtrum, ut vita reperias remedium, Regnique Palatium glorioſus ingrediaris:* At puer: *Nemo me ſeparat à Patre meo Liberato Abbate, & Fratribus meis, cum ipſis ſum in timore Dei in Monaſterio enutritus; cum ipſis deſidero paſſionem ſuſcipere, cum quibus credo futuram gloriam invenire. Ne putetis poſſe ſeducere puerilitatem meam, nos ſeptem voluit Dominus congregare, ſeptem dignabitur uno Martyrio coronare, ſicut pueros ſeptem Machabæos. Si negaverò eum, ipſe me negabit.* Ducti ergo ſunt in altum mare, ſed ignis accenſus mox divino nutu extinctus eſt, idque ſecundo & tertio. Unde Tyrannus fremens, juſſit vectibus temorum cerebrum eis comminui, ſic fœlicem animam exhalarunt. Horum corpora mare eadem hora illæſa in terram expoſuit, quod eſt contra ejus naturam: nec auſum fuit (ut moris eſt) triduana dilatione, in profundo retinere, ne dominico præcepto minimè paruiſſet. Ad quod miraculi genus, Tyrannus ipſe expavit: ſed Clerus ea honorificè ſepelivit. Hæc ex Victore Uticenſi.

***

LECTIO VII.

DE MINISTRO ET SUSCIPIENTE.

1. *Decet ministerium ad Sacerdotes pertinere.*
2. *In ministro requiri debitam intentionem.*
3. *Consensum requiri in suscipiente adulto.*

PROPOSITIO I.

Ordinaria Potestas Sacramenti conficiendi vel administrandi, est penes Sacerdotes vel Episcopos.

DIco, *ordinaria*, nam in casu necessitatis, non solùm Ministri inferiores baptizare possunt, sed etiam laici, imò & mulieres: quia cum hoc Sacramentum sit necessitatis, noluit Deus ullum excludi à ministerio. Similiter potest Diaconus in defectu Sacerdotis, Eucharistiam ministrare. Et quandoque ex Sacerdotis commissione illi calicis dispensatio concessa fuit, ut patet ex Historia S. Laurentii dicentis ad Xystum Pontificem: *Experire, an idoneum Ministrum elegeris, cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem.* q. d. experire, an & ipse suum pro Christo Sanguinem possit fundere, & in martyrio tanquam sacrificio, quo tuum Deo sanguinem tanquam sacrum libamen profundis, consors esse. Ex ordinaria itaque auctoritate, quam jure divino habent, solis Sacerdotibus competit dicere: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* In hos sufflavit Christus & dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: quæ verba in eorum ordinatione repetuntur. Ipsi verò Spiritum sanctum aliis infundunt, & peccata remittunt, ac per gratiam animas illuminant. Sacramenta administrando, quæ sunt gratiæ ac luminis interni, remissionisque peccatorum causæ & signa efficacissima.

V. Breviar. S. August. lect. 9.

2. Cor. 4. 1. Joa. 20. 23

Sic & olim Deus habuit speciales ministros, qui tabernaculo deservirent, & sacris functionibus præessent, portarentque vasa Domini. Et hi typus erant novi testamenti Sacerdotum, quibus Sacramenta, tanquam vasa Sanguinem Christi continentia, quo populus aspergatur & emundetur, commissa sunt, ut eorum arbitrio & authoritate dispensentur. Unde his rectè possumus dicere, quod olim Moyses Levitis. *Audite filii Levi. Nunquid vobis parum est, quod separavit vos Deus Israel ab omni populo, & junxit sibi ut serviretis ei in cultu tabernaculi, & stetistis coram frequentia populi, & ministraretis ei?*

Nu. 16. 9.

Sicut verò sacris se functionibus ingerere, olim gravissimum piaculum fuit non habenti auctoritatem; ita multò magis in nova lege. Extendit Oza manum ad arcam Dei, quoniam calcitrabant bo-

1. Reg. c. 36.

ves: Sed iratus Dominus percussit eum super temeritate & mortuus est ibi juxta arcam Dei. Scilicet, solis Levitis licitum erat arcam Dei tangere. Gravissimè quoque percutitur Ozias Rex, qui ingressus templum adolere voluit incensum super altare thymiamatis: sed statim post ingressus Azarias Sacerdos, & cum eò Sacerdotes 80. restiterunt, & dixerunt: *Non est tui officii Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujusmodi ministerium. Egredere de sanctuario, ne contempseris; quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo.* Iratusque Ozias, & tenens in manu thuribulum, minabatur Sacerdotibus. Statimque orta est lepra in fronte ejus, coram Sacerdotibus; & festinatò expulerunt eum, fuitque leprosus usque ad diem mortis suæ, & habitavit in domo separata plenus lepra, ob quam ejectus fuerat è domo Domini 2. Paral. 26.

2. Paral. 26.

Advertant hæc nostri hæretici, qui sine missione legitima, sine ordinatione prævia, sacris se functionibus ingerunt, sacra ministeria pervertunt, laicis omnibus ac conjugatis, opificibus & vilibus personis, ea exercere permittunt cum confusione. Meminisse deberent illius ex Apostolo: *Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.* Omnes ministri & Sacerdotes Ecclesiæ Catholicæ à Christo vocati censentur, & ab illo saltem mediatè ordinati, ex ejusque ordinatione auctoritatem ad Sacramentorum ministerium sortiti. Quia Presbyteri ab Episcopis ordinem acceperunt, & hi ab aliis Episcopis & hi rursus ab aliis, & sursum versus ascendendo venies ad Apostolos, qui proximè à Christo ordinem & auctoritatem habuere: & sic longa ordinationum serie omnes à Christo potestatem participant. Ita oleum unctionis sacræ, à Christo tanquam Capite, in Apostolos tanquam genas, & ab illis in Episcopos tanquam barbam (quia virile robur Christi sunt) & exinde in oram superiorem vestis, hoc est, in inferiores ministros descendit. Accedant hæretici, & evolvant ordinem Episcoporum & Sacerdotum suorum, & ostendant ita per successionem ab initio decurrentem, ut possint occurrere ad aliquem ex Apostolis suæ ordinationis authorem, deinde ad ipsum Christum. At quia id non possunt, tanquam fures & latrones habendi sunt, qui per ostium ingressi non sunt, sed furtivè vel irrepunt aut violenter irrumpunt. Et cum non sit eis potestas pascendi, Sacramenta ministrandi, evangelizandi à Pastore & Episcopo animarum nostrarum Christo Domino communicata, assumunt sibi honorem ministerii, ad quod à Deo nequaquam vocati sunt.

Hebr. 5. 4.

Exempl. D. Greg. Turo. Surius 2. April. de S. Nicetio Episc. Lugdunensi.

Mirabile verò est, jam ex utero certis prodigiis, aliquos ad ministeria sacra quasi vocatos, & designatos à Deo fuisse. Sic refert D. Gregorius Turonensis de S. Nicetio: A primo, inquit, ortu suo, divinis quibusdam signis, in sortem Domini electus fuisse videtur Nicetius. Nam cum parto effu-

sus,

Digitized by Google

ſus, aliorum infantium inſtar prodiret in lucem, capillis nudus, in circuitu tamen capitis, tenuis pilorum ordo aptè diſtinctus apparuit haud ſecus, ac ſi clericali coronâ exarte ornatus fuiſſet, Undè Abbati cuidam ſancto diſciplinis ſanctis traditus eſt imbuendus, cui ſucceſſit omnium votis digniſſimus, & poſtea Epiſcopus eſt creatus.

Surius 8. Junii. Jac. de Vorag. & alii de Medardo, & Gildardo.

Illud etiam mirabile eſt divinæ providentiæ ſignum; quod de SS. Medardo Noviodunenſi, & Gildardo Rhotomagenſi Epiſcopis, ſacri tradunt hiſtorici: qui fratres uterini, unâ die, ex uno matris utero in lucem prodiére, unâ & eâdem die fuerunt Epiſcopi creati, & eâdem die ſunt defuncti, eâdemque die Sanctis adſcripti.

Una dies peperit, Mitras dedit altera, mortem
Altera & in ſanctos lectus uterque fuit.
Felices fratres quorum communis origo:
Vita, Corona, obitus, gloria feſta dies.

In Chron. Domin.

Simile quid refertur in Chronic. Fratrum Dominicanorum de F. Petro & Arnoldo Gallis uno partu editis: eâdem die ad ſtudia miſſos eſſe Lutetiam Pariſiorum: eadem die Religionis habitum ſuſcepiſſe, & vota emiſiſſe: eâdem die primum ſacrum celebraſſe, eâdem die & horâ mortuos eſſe.

Ribadeneira 8. Jan. de S. Juliano.

De S. Juliano Epiſcopo refert Ribadeneira, ſtatim atque materni uteri clauſtris egreſſus eſt, brachiolo ſuo in altum ſublato, præſentibus omnibus facto ſigno crucis (ut ſolent Epiſcopi) benedictionem impertiiſſe.

De Athanaſio.

Sed neque hic prætereundum, quod de Athanaſio refertur, qui ante tempus ſacris te myſteriis adhuc puer ingeſſiſſe videretur, niſi ſecretior quædam divina providentia agnita fuiſſet; quo puerum hunc ad altiora deſtinari deſignabat. Ruſinus ſic refert. Tempore, quo apud Alexandriam, S. Petri martyris diem Alexander Epiſcopus agebat, expletis ſolemniis, Clericos ſuos ad convivium expectabat, in loco mari vicino. Videt autem ſuper oram maris ludum puerorum, imitantium Epiſcopum, & quæ in Eccleſiis geri ſolent; cumque intentus ſpectaret, videt ab his geri ſecretiora quædam & myſtica. Illicò vocat Clericos, & hos pueros ad ſe perduci imperat. Percunctatur quis eis ludus, quid egiſſent & quomodò. Tandem rem geſtam ordine pandunt, & baptizatos quoſdam Catechumenos fatentur per Athanaſium, Epiſcopi perſonam gerentem. Tunc ille diligenter inquirit a baptizatis, quid interrogati fuerint, quid reſponderint, ſimulque a baptizante quid egerit. Ubi videt juxta Eccleſiæ ritum cuncta conſtare, cum Concilio Clericorum ſtatuiſſe traditur, illis baptiſmum non debere iterari, ſed adimplere ea quæ à Sacerdotibus mos eſt. Athanaſium verò & illos pueros, vocatis parentibus, ſub Dei obteſtatione tradidit ſuæ Eccleſiæ nutriendos. Et cùm Athanaſius parvo tempore ſufficienter fuiſſet inſtructus, traditus eſt à parentibus Sacerdoti Chriſti, tanquam alter Samuel in Templo nutriendus. Undè & ab eo pergente ad Partes in ſeneſtute bona, ad portandum poſt ſe Ephod ſacerdotale deligitur. Ita Ruſinus & alii hiſtorici.

Ruff. l. 10 hiſt. c. 14.

Hic ergò exiſtimo quodam ſpiritus inſtinctu ſpeciali, Epiſcopum Alexandrū agnoviſſe; divinâ quâdam providentiâ ad altiora in Athanaſio fundamentum jaciente, rem hanc ritè geſtam fuiſſe, undè noluit iterari baptiſmum. Nam alias ſaltem ſub conditione videbatur iterandus, nec aliter judicaretur, ſi quid ſimile nunc contingeret, niſi alia revelatio adeſſet.

D. Tho. 1. p. q. 64. a. 7.

Inquirit D. Thomas: *An Angeli poſſint Sacramenta miniſtrare?* Reſpondet Primò, miniſtrum oportere eſſe hominem, quia Sacramentorum miniſter, eſt miniſter Chriſti, ut homo eſt, cui ſic conformantur in natura homines, non Angeli. Undè & in ſcripturis, hominibus ſpeciatim Sacramentorum miniſterium committitur. Quapropter & Apoſtolus dicit: *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumitur, ut offerat dona & Sacrificia.* Cum autem miniſterium Sacramentorum etiam Pontificis & Sacerdotis munus concernat, hominibus a Chriſto commiſſum dici debet, non verò Angelis.

Reſpondet ſecundò. Si tamen conſtaret aliquod ſacramentale miniſterium per Angelos factum, ratum habendum eſſe: cò quod id fieret ex voluntate divina, qui ſicut virtutem non alligavit ſacramentis, quin poſſit ſine illis effectum eundem conferre; ita nec miniſtris, quin etiam poſſit Angelis virtutem eandem communicare.

Exempl. In vitis PP. l. 1. de S. Onuphrio.

Sic frequenter legimus, Angelos ſacram Euchariſtiam miniſtraſſe. S. Onuphrius confeſſor, ſervus Dei per annos 60. in eremo vaſtiſſima Ægypti manſit incognitus. Ex quibus, 30. annis uſus fuerat ſolis palmæ fructibus & herbarum radicibus pro cibo; aliis verò 30. pane cælico ſibi per Angelum miniſtrato, ubi multas Diaboli inſidias perpeſſus fuit, quas tamen Dei gratiâ ſuperavit. Dicitque Paphnutius Abbas, qui deſertum illud circuens illum reperit, ſingulis Dominicis diebus Angelum ſacram ei Euchariſtiam detuliſſe.

De S. Bonavent.

S. Bonaventura, cùm adhuc junior ſcrupulis angeretur, & præ humilitate diu abſtinuiſſet a ſumptione ſacratiſſimi Sacramenti, exiſtimans ſe indignum, Angelus Domini particulam confectatæ hoſtiæ ejus ori immiſit, quam de manu celebrantis acceperat. Sic reſpexit Deus humilitatem ſervi ſui, & hoc ſingulari beneficio indicavit, amovere ipſum debere omnem ſcrupulum, & frequentare hoc divinum Sacramentum, ut familiarius cum ſuo Creatore converſaretur.

Franc. Sacchin. in vita ejus de Koska.

B. Stanislaus Koska S. Jeſu, nobiliſſimus adoleſcens Polonus, devotionem ſerventem concepit ergà S. Barbaram, in cujus vita legerat, illi devotos ſine ſacra Euchariſtia ex hac vita non migrare. Confeſſus ergò eſt die ſacro S. Barbaræ, & communicavit, ſupplicans, ut illius interceſſione cum ex hac vita illi egrediendum eſſet, ſine viatico non diſcederet. Cum igitur deſperata eſſet à medicis valetudine, vidit duos Angelos Sacramentum

ſibi deferre, & ex manibus illorum illud ſuſcepit, S. Barbarâ aſſiſtente.

Niceph. l. 11. hiſt. c. 20. de S. Amphilochio.

Admirabilius eſt, quod de B. Amphilochio Iconii Epiſcopo refert. Hic cùm vitæ & doctrinæ gratia emineret, miſit Deus ad eum Angelos, qui myſticâ & arcanâ benedictione, ad Epiſcopalem eum dignitatem conſecrarent. Paulò verò poſt venêre Epiſcopi, ut eum eligerent & ordinarent. At ubi ex ipſo agnoverunt ab Angelis Dei conſecrationem accepiſſe, datâ de tam ſacra & divina gratia Deo gloriâ, ut Pontificem Dei & Evangelii præconem ac fidei defenſorem cum timore reverenter admiſére, & ſolitâ ſalutatione atque oſculo impertito, ea quæ Epiſcopalis functionis ſunt, adminiſtrare permiſerunt.

Cæſar l. 12. c. 57.

Refert quoque de Einolpho puero Cæſarius. Angelum animâ jam egrediente, ipſum ſacro oleo inunxiſſe, eò quod ei ſacramentum extremæ Unctionis datum non fuiſſet.

Sed hæc planè extraordinaria eſſe novimus, non eſt tamen infrequens divinæ providentiæ, ut mediantibus Angelis procuret ſuis electis Sacramentorum gratiam, ſed tamen per miniſterium eorum, qui ad id ſunt deputati. Sic rapuit Angelus Philippum, ut Eunuchum Candacis Reginæ baptizaret. Similiter Angelus Cornelium Centurionem mittit ad Petrum, ut ab eo baptizetur: Sic & Angelus poſt martyrium B. Lamberti Patroni noſtri, baculum ejus Paſtoralem & ſtolam, Romam ad Sergium Pontificem defert, ut ad limina Apoſtolorum B. Hubertus peregrinus, ſucceſſor ejus inauguraretur. Denique Honoratus Epiſcopus Vercellenſis, Angelicâ voce ter admonitus fuit, ut ad B. Ambroſium cum morte jam conflictantem accurreret, eique ſacrum viaticum præberet; quo ſumpto conformatis in crucis ſimilitudinem manibus, orans, animam Deo reddidit.

Act. 8. 27 & c. 10. 22

Surius 3. Nov.

V. Hortum paſt. tr. 1. ſect. 4 propoſ. 4.

Sed iterùm quæres, *an beata anima poſſint Sacramenta miniſtrare*? Videri enim poſſit reſpondendum eſſe affirmativè, quandoquidem adhuc in illis Sacramentalis character permaneat. Negativa tamen reſponſio, verior eſt: tùm quia non ſunt homines, tum quia Sacramentalis character non ſufficit ſine organo corporeo, quo vox aut alia vitalis actio ad Sacramentum neceſſaria, exerceatur. Si corpus reſumerent, tunc probabiliter dicimus poſſe. Hæc tamen intelligenda ſunt ſecundùm ordinariam inſtitutionem Sacramenti; nam loquendo de extraordinaria voluntate Dei, idem dicendum quod de Angelis, cum virtus divina operari poſſit gratiam, per quoſcunque voluerit miniſtros.

Ribad. in vita S. Thomæ Apoſt. 21. Decemb.

Hinc ſuprà retulimus ex Ribadeneira, & aliis an. 1110. venuſſe Joannem Patriarcham Indorum, & narraſſe Calixto Pontifici, Cardinalibus, aliiſq; Prælatis in Conſiſtorio publicè, qualiter S. Thomas Apoſtolus, omni anno communicet populum ibi manu ſuâ, dignis Euchariſtiæ Sacramentum porrigens, quam eam retrahit ab indignis.

Refert etiam Baronius, templum in memoriam S. Petri, Londini ædificatam à Seberto nepote Regis Ethelberti, per S. Auguſtinum converſi, ab ipſo B. Petro conſecratum fuiſſe, nocte ejus conſecrationem præcedente, ut viro cuidam pio indicatum fuit. Undè & Epiſcopus manè ingrediens, invenit pavimentum alphabeti utriuſq; inſcriptione ſignatum, & parietem oleo ſanctificationis bis ſenis in locis linitum, cum totidem cereis & crucibus.

Baron. tom. 8. an. 610.

PROPOSITIO II.

In miniſterio requiritur intentio, non tamen neceſſariò bonitas aut fides.

PRimò quantum ad intentionem, Definitum eſt in Tridentino, qualis requiratur, dum diſertis verbis pronunciat: *Si quis dixerit in miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia, anathema ſit.* Ratio eſt, quia Sacramentorum miniſtri, non ſunt quaſi nudi internuncii literas deferentes? ſed tanquàm diſpenſatores vicem Chriſti & Eccleſiæ gerentes; ex poteſtate ſibi commiſſa, & arbitrio ſuo concredita. Ideoque debent habere voluntatem & intentionem perficiendi & exequendi poteſtatem ſibi commiſſam, hoc eſt, ſacramentum adminiſtrandi, ſive faciendi, quod Chriſtus inſtituit, aut quod Eccleſia facit, vel ſub ſimili aliqua & æquivalenti ratione. Hinc ſacerdos, qui non niſi joco & ſimulatè omnia faceret, ſine intentione prædicta, non conſecraret, aut abſolveret, aut baptizaret. Sicut nec Sacerdos, qui in ebrietate judicio rationis totaliter abſorpto aliquem abſolveret, aut verba conſecrationis ſuprà panem proferret, cenſeretur validè abſolvere aut conſecrare. Voluntas enim humana & rationis in tali deficeret, quæ Sacramento neceſſaria eſt, eò quod poteſtas adminiſtrandi Sacramentum, data ſit homini ut homo eſt, ſivè ut ea utatur per humanam & rationabilem voluntatem, & non ſolùm per vim aliquam imaginativam, qualiter perfectè ebrio poſſet contingere, aut dormienti.

Trid. ſeſſ. 7. can. 11.

Intentio duplex.

Adverte verò intentionem diſtingui à Theologis in actualem & virtualem. Actualis in hoc conſiſtit, quod actu eliciatur voluntas faciendi Sacramentum, eo tempore, quo exterius fit. Virtualis eſt, quandò initio actionis, cùm miniſter ſe incipit applicare ad faciendum Sacramentum, præcedit aliqua actualis voluntas, à qua inchoatur actio, & in progreſſu perficitur; licet actu non perſeveret, ſed tantùm virtute. Hæc intentio ſufficit, ſecundùm communem ſententiam. Nam ſi ſemper requireretur actualis, omnia plena forent ſcrupulis, & obligaremur quaſi ad impoſſibile. Nam mens hominis adeò lubrica eſt, ut cogitationem diu in una re tenere non poſſit.

Hinc ſequitur, ſufficere, ſi miniſter propoſuit actu baptizare, abſolvere, conſecrare, & ex vi hujus propoſiti humano more ſe applicet ad agendum, licet

licet poſteà in ipſa actione diſtrahatur, nec cogitet quid faciat. Sic ſatis eſt, ut Sacerdos, dum ſe induit, habeat animum conferendi panes ſivè formulas ad id allatas, & ad hoc ante ſe poſitas: licet tempore conſecrationis, non recordetur niſi illius, quam habet præ manibus.

PROPOSITIO III.

Sicut in miniſtro, ſic & in ſuſcipiente; aliqua requiritur intentio & conſenſus, ſi ſit adultus.

Cap. majores de Bapt.

REquiritur ſcilicet in adultis voluntas aliqua, aut actualis, aut virtualis, aut ſaltem interpretativa recipiendi ſacramentum. Hæc eſt doctrina communis Theologorum, eſtque definitum ab Innocentio PP. quod is qui nunquam conſentit, ſed penitùs contradicit, nec rem, nec characterem ſuſcipit Sacramenti. Hoc enim ad ſuavem Dei ſpectat providentiam, ut nullus adultus per Sacramenta conſecretur, ſine prævio conſenſu, ſicut nullus illorum juſtificatur abſque prævio conſenſu.

Strictius tamen loquuntur Theologi de voluntate in miniſtrante, quàm in ſuſcipiente. Nam quantum ad Sacramentum extremæ Unctionis, ſufficere docent voluntatem, quâ unuſquiſque fidelis pœnitens ac diſpoſitus, vult frui omnibus remediis à Chriſto inſtitutis, & cupit ſibi applicari, ſi illis egueret. Similiter in Baptiſmo & Pœnitentia, licet requiratur voluntas, quæ fuerit quandoque expreſſa, tamen ſi homo poſt illam incidat in ægritudinẽ, ſomnum, amentiam, potent abſolvi aut baptizari. Quæ non ſufficerent in miniſtro: nam licet voluerit antea baptizare aut abſolvere; ſi tamen poſt ſupervenirent ebrietas, ſomnus, amentia, ebriusq; aut amens, aut dormiens baptizaret, non indicaretur validè baptizâſſe aut abſolviſſe. Ratio diſcriminis eſſe poteſt, quia miniſter eſt principium morale efficiens Sacramentum, undè intentio in eo requiritur, ut principium & forma exterioris actionis, quæ humanâ ac rationali voluntate fieri debet: at in ſuſcipiente, tantùm illa requiritur intentio, quæ ſit quædam diſpoſitio, ut ſit ſubjectum capax, ſivè non repugnans Sacramento, ad quod ſufficere cenſetur interpretativa illa voluntas, quæ cenſetur eſſe in amente & dormiente, qui priorem voluntatem non revocavit.

Seria tamen, & non ſimulata aut deluſoria voluntas, eſt neceſſaria: quia Deus non irridetur, aut ejus ſacra, quinimò illuſores non ſinit innocuos, aut impunitos: Talis illuſoria voluntas fuiſſe videtur in Radbodo Rege, ſivè Principe Friſonum, de quo ex multis Hiſtoricis Baronius anno Domini 719. & Sutius 27. Martii. Hic cum ad percipiendum Baptiſma imbueretur, percunctabatur à S. VVlfrano Epiſcopo, ubi eſſet major numerus Principum & nobilium gentis Friſonum: an in illa cœlesti Regione, quam per Baptiſmum promittebat, an in tartarea, quam dicebat Regione. Cui ille:

Exempl. Baron. ann. 719. de Radbodo Principe Friſonum.

Noli errare, Princeps inclyte, apud Deum certus eſt numerus electorum, Prædeceſſores tui ſine Baptiſmo decedentes, certam damnationis ſubiêre ſententiam. Hæc audiens ille incredulus, qui jam ad fontem proceſſerat, pedem retrahit, dicens ſe non poſſe carere conſortio Prædeceſſorum, & cum parvo pauperum numero, reſidere in illo cœleſti regno: quin potiùs non fuiſſe facilè novis dictis aſſenſum præbere; ſed ſe manſurum in iis, quæ tanto tempore cum omni Friſonum gente ſervârat. Sic infeliciter receſſit, B. Epiſcopo ei interminante damnationem æternam, cui multi Friſonum credentes baptizabantur. At poſteà tamen Dux Willebrordum Doctorem & Epiſcopum præfatæ gentis, accerſiri jubet, ut ejus conſilio & doctrinâ, ſi cum VVlfrano concordaret, fieret Chriſtianus. Verùm, quia in malevolam animam non introit ſapientia, & tentando ſanctos Antiſtites, hæc loquebatur; non meruit obtinere, quod ſtrictè quærebat. Cùm ejus Legatum ſuſcepiſſet Willebrordus; Reſpondit. *Quia Prædicationem S. Fratris noſtri VVlfram Ducveſter contempſit, quomodò meis obſecundabit dictis? Nam hac nocte vidi illum in viſu catenâ rebgatum igneâ, ita ut certum ſit, illum jam damnationem ſubiſſe æternam.* Cumque iter carperet, quod ad Ducis damnati palatium ducebat, nunciârat ei, ipſum ſine Sacramento Baptiſmi jam mortuum eſſe.

Aliter planè, & fœliciùs contigit Martyri Geneſi. Hic ſub Diocletiano Mimus erat, & mimicæ artis Magiſter. Cùm ergò vellet Diocletianus de myſteriis Chriſtianis ludum exhiberi, Geneſius in medio theatri quaſi æger decumbens, ſe baptizari depoſcit, Chriſtianumque ſe velle mori aſſerit. Evocatus ergò eſt Presbyter, & exorciſta, qui ei adſtantes, interrogant, quid vellet. At ille interiùs inſpiratus: *Gratiam*, inquit, *Chriſti conſequi cupio, per quam renatus, liberer, à ruina iniquitatis meæ.* Cum ergò Sacramentorum myſteria compleſſent, & veſtibus albis eſſet indutus, veluti per ludum à militibus raptus, & ad ſimilitudinem ſanctorum Martyrum de Chriſti nomine diſcutiendus, Imperatori fuiſſet exhibitus, ſtans in editiori loco, ita concionatus eſt. *Audi Imperator & omnis exercitus, Sapientes & populi hujus urbis: In tanta derisione Chriſtianos habui, ut ex eorum ſanctificatione ludum vobis vellem exhibere. At ubi me aqua undum tetigit, & interrogatus credere me reſpondi, vidi ſuper me manum cælitus venientem, & Angelos Dei radiantes juxtà me ſtetiſſe, qui omnia facinora à juventute commiſſa, rectâ rursus delibro, & dixerunt mihi. Aqua hæc delet omnia iſta, quæ te feciſſe cognoſcis, quæ mox in ipſa aqua laverunt, & me ipſumque librum, neve candidiorem poſteà oſtenderunt. Nunc ergò Imperator, & vos populi credite Chriſtum unum Deum, & per ipſum nos ad manſuetudinem poſſe pertingere.* Indignatus eſt vehementer Dioclerianus, undè Præfecto traditus fuſtibus crudeliſſimè cæſus eſt, Dein equuleo

Uſuard. Beda, Surius, Martyrologium Rom. 25. Aug. de S. Geneſio Comico ſeu Mimo.

ſuſpenſus, & ungulis laceratus ac lampadibus inflammatus: At is in fide perſiſtens, dicebat: *Non eſt Rex præter Chriſtum, pro quo ſi millies occidar, ipſum mihi de ore, ipſum de corde non poteritis auferre.* Sic Martyrii palmam capitis obtruncatione promeruit.

LECTIO VIII.

DE MALIS MINISTRIS.

1. *Docet malos miniſtros ritè conficere Sacramentum.*
2. *Novum peccatum incurrere indignè miniſtrando.*

PROPOSITIO I.

Malitia miniſtri non tollit virtutem Sacramenti.

PRimò quidem ex Scripturis id declarari poteſt, quæ ſatis indicant, miniſtros in Sacramentis agere in virtute Chriſti; & ideò ſi utantur eâ materiâ & formâ, quam Chriſtus inſtituit, non impedire ſuæ vitæ improbitate effectum ipſius gratiæ, quem Chriſtus per ipſos, tanquam inſtrumenta producit: Sic Apoſtolus dicit: *Quid eſt Apollo? Quid verò Paulus? Miniſtri ejus cui credidiſtis, & unicuique ſicut Dominus dedit: Ego Plantavi, Apollo rigavit, Deus incrementum dedit: ſed neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus,* q.d. Ego per Evangelii prædicationem fidei ſemina jeci in cordibus veſtris: Apollo deinde ſuperveniens, hanc fidei plantam medio Baptiſmate rigavit: Deus autem fecit, ut hæc planta radicem firmam agens germinaret, creſceret, ac fructum ferret. Sicut ergò plantæ nihil obeſt plantantis aut rigantis improbitas, & ſemini bono nihil nocet, quod ſordidis manibus ſeminetur, modò terra ſit diſpoſita, roſque cœli, ac ſolis deſuper radii accedant: Ita nihil nocet miniſtrandis culpa, illi, qui Chriſto per ejus miniſterium inſeritur: quia ſemen gratiæ, non ab illo, ſed a Chriſto per ejus miniſterium in corde ſeritur, à quo vim habet germinandi, creſcendi, fructificandi. *Baptiſmus Chriſti,* inquit Auguſtinus, *& per adulteros, & in adulteris ſanctus eſt, quamvis illi ſint impudici, & immundi: quia ipſa ejus ſanctitas pollui non poteſt, & Sacramento ſuo divina virtus aſſiſtit. An verò ſolis vel lucerna lux, cùm per cænoſa diffunditur, nihil undè ſordium contrahit, & Baptiſmus Chriſti poteſt cujuſquam ſceleribus inquinari?* Aliâ iterum ſimilitudine idem declarat Auguſtinus. Scio inquit, quia lapis ex aqua fructum conferre non poteſt, & per lapideos canales aqua tranſit ad areolas, & in canali lapideo nihil generatur, ſed hortus plurimum affert fructum. Spiritualis verò virtus Sacramenti, ut lux pura ab illuminandis recipitur, ſed cùm per immundos tranſit, non inquinatur.

1. Cor. 3. 4

Altera Scriptura idem confirmans; eſt illa: *Super quem videris ſpiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat.* Ubi iterum ſignificatur effectum baptiſmi, non tam a miniſtro pendere, quàm ab ipſo Chriſto, per columbam deſcendentem, à Patre auctorato, & velut inaugurato. Per quam columbam, didicit Joannes quandam in Chriſto proprietatem talem futuram, ut quamvis multi miniſtri baptizaturi eſſent, ſive juſti, ſive injuſti, non tribueretur ſanctitas Baptiſmi, niſi illi, ſuper quem deſcendit columba, de quo dictum eſt: *Hic eſt qui baptizat, Paulus baptizat, hic eſt qui baptizat.* Ita explicat B. Auguſt. Cui conforme eſt, quod dicit S. Ambroſius. *Non mundavit Damaſcenus, non mundavit Petrus, non mundavit Ambroſius, non mundavit Gregorius. Noſtra enim ſunt ſervitia, ſed tua, Domine, ſunt Sacramenta. Neque enim humana opis eſt divina conferre, ſed tuum, Domine, munus eſt & Patris.*

Joan. 1. 33.

Auguſt. tract. 6. in Joan. Ambr. prologo in lib. de Spir. S.

Ex his colligo, à meliori miniſtro per Sacramentum non conferri ampliorem gratiam, quam ab improbo, ſi æqualis ſit ſuſcipientis diſpoſitio: quia gratia ſacramentalis non a miniſtro pendet, ſed a Chriſto; qui ex certa & ſtatuta lege definitam gratiam confert per Sacramentum, quam ex ſola ſua voluntate aut prædeſtinatione, non auget (ut aliqui dixerunt) nec ex merito ſolo miniſtri, ſed ſolum ob perfectiorem diſpoſitionem ſuſcipientis, ſciens cui diſpoſitioni, qualis gratia correſpondeat. Hinc parvulos omnes æqualem Sacramenti gratiam recipere exiſtimo, cum nulla in ipſis ſit inæqualitas. Et hoc quidem intelligendum, ſecundum legem Dei ordinariam: nam ſine dubio per ſpeciale miraculum Deus ex voluntate ſua parvulo etiam ab ortu maximam gratiam, per Sacramentum Baptiſmi conferre poteſt, cum etiam ſine Sacramento poſſit.

Sacramenti valor aut gratia non pendet à bonitate vel malitia miniſtri.

Hinc in vita S. Juliani Epiſcopi leguntur; cùm aquis Baptiſmi tingeretur, ſuaviſſimam a multis ſuiſſe auditam Angelorum harmoniam decantantium: *Hodie natus eſt infans, qui parem ſibi non habet in gratia.* Teſtis eſt Ribad. in vita ejus 28. Jan.

Super verticem quoque S. Modeſti Patriarchæ ut refert Raderus in Viridario, cùm baptizaretur, viſa eſt columna ignea deſcendere atque conſiſtere. Ac in Nativitate B. Patris noſtri Caroli Borromæi, viſus eſt fulgor cœleſtis, radio ſolis ſimilis, duabus horis ante ortum ſolis, cubiculum, in quo naſcebatur, contegens. Quæ omnia prodigia, vel gratiam ſignificant ampliſſimam, jam ab ortu & Baptiſmo his pueris ſpeciali Dei favore infundi; vel certè à Deo electos eſſe ad ampliſſimam gratiam, ſuo tempore per media ordinata illis conferendam, ut cæteris præluceré queant: Dico per media ordinata, licet enim ex divina prædeſtinatione oriatur, quod unus majorem gratiam recipiat quàm alius: id tamen ſecundum ordinariam Dei legem, non fit, niſi per media congrua, & ad eum effectum accommoda, & in ſuavi Dei providentia poſtulat, ac pe-

Raderus in Virid.

by Google

ac perfectæ prædeſtinationis ratio. Unde ſicut non dicimus, ratione prædeſtinationis unum ſine Baptiſmo ſalvari, alium cum Baptiſmo; ita nec ordinarie verum eſt, ratione prædeſtinationis eundem Baptiſmum uni majorem gratiam conferre, quam alteri æqualiter diſpoſito.

Gr. Naz. orat. 40. de Bapt. Quod verò etiam miniſtri major vel minor bonitas, Sacramenti effectum non variet, diſerte aſſerunt SS. Patres Audi Gregorium Nazianzenum. *Ne dicas, baptizet me Epiſcopus, atque is quidem Metropolitanus; non enim locorum eſt gratia, ſed ſpiritus. Nec dicas, baptizet me ſaltem Presbyter qui cælebs ſit, qui pietatis aut continentiæ laude floreat: Tibi quivis ad purgationem ſatis idoneus eſt. Tu qui curationis indiges, in judices judicium ne arripe, ne eorum à quibus purgaris, dignitates excute, nec inter genitores delectum habe. Eſt quidem alius alio præſtantior, vel inferior, ſe autem quivis eſt ſuperior. Sint duo annuli, alter ferreus, aureus alter, ambo eandem Imperatoris imaginem inſculptam habeant, ac cera imprimant. Quid hoc ſignum ab illo differet, agnoſce ſi potes, utrum à duobus ſignis aureo annulo, utrum ferreo expreſſum ſit. Sic tibi, omnes qui baptizandi munere funguntur, idonei habeantur. Quamvis alius alium vita probitate antecellat, eadem tamen Baptiſmi vis eſt.* Hæc ille.

Auguſt. In eandem ſententiam audi D. Auguſtinum: *Novit Dominus, qui ſunt ejus, diverſarum gratiarum ſunt, non omnes paria merita habent, ſunt alii aliis ſanctiores. Cur igitur ſi unus à Sancto baptizatur, alius ab altero inferioris meriti, inferioris gradus, inferioris vitæ, unum tamen & par & æquale eſt, quod acceperunt, niſi quia, Hic eſt qui baptizat?* Eodem modo loquendum de aliis Sacramentis.

Idem. Unde de Euchariſtia loquens: Idem Auguſtinus, ſic ait: *Intra Catholicam Eccleſiam, in myſterio Corporis & ſanguinis Domini, nihil à bono majus, nihil à malo minus perficitur Sacerdote: quia non in merito conſecrantis, ſed in verbo perficitur Creatoris & virtute Spiritus Sancti. Et ſicut qui baptizat, Chriſtus eſt, ita ipſe eſt, qui per Spiritum Sanctum ſuam efficit carnem, & transfundit vinum in Sanguinem. Credendum enim eſt, quod in verbis Chriſti Sacramenta conficiuntur; cujus prius creantur imperio, ejus utique verbo recreantur ad melius.* Ita citatur ex Aug. 1. q. 1. c. Intra.

Non eſt tamen hic negandum, quod licet effectus Sacramenti non detur ob meritum miniſtri, ſed Chriſti, poſſe tamen miniſtrum, de congruo mereri & impetrare aliquid ultra effectum Sacramenti, per orationem quam ſpecialiter fundit pro ſuſpiciente: ita ut quandoque majorem ei de congruo impetret diſpoſitionem: Et propter hoc meritum de congruo, quod in gratia & ſanctitate impetrantis fundatur, poteſt quis sequirere Sacramenti miniſterium, vel miſſæ celebrationem, ab uno potiùs quam ab altero miniſtro; non dubitando tamen de virtute ejus, à quolibet procedat miniſtro.

Tertia Scriptura doctrinam datam confirmans eſt illa Matth. 23. *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia quæ dixerint vobis, ſervate, ſecundum opera eorum nolite facere.* Manet ergo in malis poteſtas jurisdictionis, conſequenter manet & poteſtas Ordinis, cum eadem ſit ratio; & ſic valida ſunt, quæ ab utraque poteſtate in illis procedunt. Hac Scriptura utitur D. Auguſtinus, ut eandem doctrinam conformet, Tract. 5. in Joan. ubi ſic dicit: *Quid tibi facit miniſter malus, ubi bonus eſt Dominus? Sint miniſtri juſti, ſi volunt: ſi autem noluerint juſti eſſe, qui ſuper cathedram Moyſi ſedent, ſecurum me facit Magiſter meus. Quomodo ſecurum me facit? Scribæ, inquit, & Phariſæi ſuper cathedram Moyſi ſedent, quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, nolite facere. Si fueris miniſter juſtus, computo illum cum Paulo; computo cum Petro. Si fueris ſuperbus, computo illum cum Zabulo, ſed non contaminatur donum, quod per illum fluit purum. Baptiſma quod dabatur à Paulo & à Petro, Chriſti eſt, & quod datum eſt à Juda, Chriſti eſt: dedit Judas, & non eſt baptizatum poſt Judam, dedit Joannes, & baptizatum eſt poſt Joannem. Non Judam Joanni, ſed Baptiſmum Chriſti etiam per manus Judæ datum, Baptiſmo Joannis etiam per manus Joannis dato, re ipſa præponimus.* Hæc ille.

Mat. 23. 2

Au. tract. 5. Joan.

Itaque in ſententia Scripturæ allegata, duo facit Chriſtus, quia & ipſos reprehendit Sacerdotes, quod aliter docendo, aliter vivendo, ſeipſos aureo quodam eloquio condemnent: & ſimul tamen monet populus, ne eorum authoritatem & miniſterium vilipendant, aut reſpuant. At prius reſpiciens D. Chryſoſtomus, explicans illum locum, ſic alloquitur Sacerdotes: *Multi Sacerdotes, & pauci Sacerdotes, multi nomine, pauci re, quia cathedra non facit Sacerdotem, ſed Sacerdos cathedram, non locus ſanctificat hominem, ſed homo locum. Qui bene ſederit ſuper cathedram, honorem accipit ab illa, qui malè, injuriam facit cathedræ. In judicio enim ſedet: ſi bene vixeris & docueris, omnium judex eris: ſi autem bene docueris & malè vixeris, tui ſolius. Nam bene vivendo & benè docendo populum inſtruis, quomodo debeat vivere. Benè autem docendo & male vivendo, inſtruis Deum, quomodo debeat te condemnare.* Hæc ille.

Chryſoſt. in hunc locum Matt.

At poſterius reſpiciens D. Gregorius, ſic quæritur: *Multi ſæcularium, cum plus Sacerdotis vitam, quam ſuam diſcutiunt, in contemptum divinorum Sacramentorum incurrunt. Magnatrabe habentes vulneratos oculos, eamque negligentes, feſtucam tenuem in aliorum oculis conſpiciunt, quam dum incaute feſtinant avellere, in cruris foveam dilabuntur: minus conſiderantes quod ejus Sacerdotum vita non læderet, ſi humiliter bonis Sacerdotum monitis aures accommodarent.* Sed dum *hypocritarum more, plus illorum famam, quam propriam vitam, vel vita negligentiam dijudicant, ſpernunt ſancta monita & ſpiritualia dona. Unde fit, ut non*

S. Greg.

Digitized by Google

ut non ſolum ab eis dicta reſpuant, ſed quod eſt deterius, divina etiam myſteria contemnant. Hæc Greg. & habentur 1.q.1.cap.Multi.

Patet igitur tum ex Scripturis, tum ex SS. Patribus, quomodo Sacramenti valor & gratia, non dependeat à bonitate vel malitia miniſtri. Imo & hic admiranda eſt & benedicenda divina bonitas, qui cum omnes miniſtros malos ab Eccleſia potuiſſet repellere, imò igne abſumere, tam impurè tractantes tam pura myſteria, & decernere ut nihil efficerent cũ conſcientia impura accedentes, id tamen noluit ob noſtram utilitatem, ſed voluit eſſe firmiſſimum id quod agerent, & ideò non minus cum adoramus inter manus impiiſſimi Sacerdotis, quam inter manus SS. Petri aut Pauli. Cur ita, ô Domine decreviſti, niſi propter nos, ne facile perturbaretur Eccleſiæ tuæ regimen, ob incertitudinem quam haberemus frequentiſſimè de vita & juſtitia miniſtrorum, & conſequenter de Sacramenti valore & effectu. Nullum nobis voluiſti offenſionis lapidem relinquere aut petram ſcandali, in quam impingeremus. Hæc verò petra eſſet ſcandali, lapisque offenſionis, in quem impingere quotidie poſſet fides noſtra, dubitando continuò de veritate Sacramenti, ſi mali miniſtri non rite conſecrarent aut baptizarent, cum eorum nobis ignota ſit probitas vel malitia. Voluiſti ergo nos credere quod Sacramentum noſtræ contineat pretium redemptionis, licet in impuris manibus Sacerdotis: quia non ab illo eſt, cujus cor & animus velut cloaca eſt impuritatis, ſed à tuis manibus putiſſimis in Cruce fixis adhuc quotidie per Sacramenta fluit, ab illo puritatis perfoſſo latere vim ſanctificandi habent, etiam per malos miniſtrata, te in bonum noſtrum ita volente, ita decernente. Tibi ergo ideò à nobis debetur laus & gratiarum actio.

Hac de re ſuppeditavimus exempla ſuper 4. Decalogi Præcepto, ubi declaravimus, quod honor debeatur etiam malis Sacerdotibus, & quod efficax ſit eorum miniſterium ac benedictio. V. ibi.

PROPOSITIO II.

Miniſtrans Sacramentum in ſtatu peccati mortalis, novo ſe peccato mortali obſtringit.

RAtio eſt, quia miniſter obligatur eſſe in ſtatu gratiæ, dum ex officio miniſtrat; quæ quidem obligatio oritur tum ex ſanctitate Sacramenti, tum ex conſecratione miniſtri. Accepit enim miniſter in conſecratione ſua gratiam ſanctificantem, ut ſe conformet principali agenti Chriſto, qui illo tanquam divino inſtrumento utitur ad primarias functiones ſui ſacerdotii, & ad gratiam aliis infundendam per ipſa ſigna efficacia ſanctitatis. Si itaque in
Iſa. 52. 11. veteri Lege clamabatur *Mundamini, qui fertis vaſa Domini*: quanto magis id Legis novæ Sacerdotibus inclamabatur, quibus ipſa Sacramenta, quaſi vaſa Chriſti ſanctiſſimum ſanguinem continentia committuntur, ut per illa plebem veræ ſanctitatis participem efficiant? Mundentur ergo cum hæc tractant, alioqui contra ipſos ille Sanguis teſtimonium dabit. Meminerint quoque illius, quod Exod. 19. dicitur: *Sacerdotes accedentes ad Dominum ſanctificentur, ne percutiat eos.* Meminerint Nadab & Abiu filiorum Aaron, qui offerentes coram Domino ſacrificium in igne alieno, igne cœleſti à Deo conſumpti ſunt, dixitque Moyſes ad Aaron: *Hoc eſt quod locutus eſt Dominus. Sanctificabor in illis, qui appropinquant mihi.* Illi vero cenſentur in igne alieno ad Dominum accedere, qui charitatis & gratiæ igne extincto, peccato mortali obnoxii, ignis tartarei ſcintillam, concupiſcentiæ aut odii flammam, in corde alunt, & ſic ad miniſterium ſacrum accedunt, illi ergo timeant Dominum percutientem, dum novo ſacrilegio illum irritant. Quamvis enim Sacramentorum miniſterio alios ſanctificent, ſeipſos tamen commaculant, & divino ſe judicio reos obſtringunt: aliis fructum, ſibi perniciem afferunt. Exod. 19. 12.

Similia. Eleganter Nicolaus Pontifex eos comparat faci accenſæ, quæ aliis lucem affert, ſibi verò detrimentum. Et D. Gregorius alia utens ſimilitudine, dicit: *Ingrediuntur electi Sacerdotum manibus expiati, cœleſtem Patriam, & Sacerdotes Chriſti per vitam reprobam, ad inferni ſupplicia deſcendunt. Cui rei ſimiles dixerim Sacerdotes malos, niſi aqua Baptiſmatis, qua peccata Baptizatorum diluens, illos ad regna cœleſtia mittis, & ipſa in cloacas deſcendis?* An non ergo dolenda ſors eorum, quod cum quotidie inter myſteria ſanctitatis & ſalutis verſentur, nihil tamen illis profectus inde redundet, ſed majorem ſibi damnationem acquirant? Quam verè adimpletur in ipſis illud Prophetæ in ſenſu myſtico: *Tu ſeminabis, & non metes: tu calcabis olivam, & non ungeris oleo; & muſtum, & non bibes vinum.* Seminant utique ſemen vitæ æternæ, ſemen gratiæ, per Sacramenta, in cordibus Fidelium: ſed quem fructum inde ſibi referunt, niſi novum peccatum? Adminiſtrant aliis fluorem olei, unctionem Spiritus & gratiæ interioris, de Chriſto tanquam oliva fructifera in medio Eccleſiæ plantata fluentis, ipſi vero non unguntur, nihil utilitatis ex hoc oleo in medelam fluente participant, niſi novum animæ vulnus, per ſacrilegam tractationem: Ipſi muſtum eliciunt Spiritus Sancti de viſceribus Domini noſtri JESU Chriſti, à quibus vim habent Sacramenta. Ipſe eſt una myſtica botrus Cypri in torculari Crucis expreſſus, ut Sacramentorum vaſa ſpirituali vino impleat. At cum ipſi quotidie hæc ſacratiſſima vaſa cœleſtis liquoris tractent & diſpenſent, tamen illo liquore facto non reficiuntur, illum non bibunt, ſed potius venenum ſugunt. Et ideò meritò eorum miſerandam ſortem deplorare poſſumus cum Propheta. S. Greg. hom. 17. in Evang. Mic. 6. 15.

Itaque functiones ſacræ, quatenus à Chriſto ſunt per eos operante, multam efficaciam gratiæ & benedictionis habent erga ſuſcipientes. Sed quatenus ab ipſis prodeunt per conſcientiam impuram

Digitized by Google

maculatæ, ſic ipſiſmet maledictionem ſpiritualem afferre eſt neceſſe, quia ſunt optationes ſacrilegæ. Ita de impio Sacerdote conſecrante aut abſolvente, dicere poſſes quod olim Iſaac: *Vox quidem vox Iacob eſt, ſed manus, manus ſunt Eſau.* Vox ejus, vox Chriſti eſt, benedicentis, conſecrantis, abſolventis; quaſi vox gratiſſima Jacob cum veſte ſacerdotali odoris ſuaviſſimi, à Patre efficacem benedictionem impetrantis. Sed manus, manus ſunt Eſau, hoc eſt, opera, quæ per manus deſignantur, opera ſunt hominis impii, maledictionem potiùs quam benedictionem attrahentis.

Gen. 27. 22.

Exempl. in vita S. Hugonis Surius 17. Novemb.

Ad horum omnium confirmationem facit, quod in vita S. Hugonis Lincolnienſis Epiſcopi legimus. In villa quadam Galliæ, Sacerdos erat vitæ diſſolutæ; quodam autem die celebrans, cum Sacramentum Dominicum elevatum ſuper Calicem dividere deberet, dubitare cœpit, an hoc eſſet verum Corpus Chriſti, maximè hæſitans ob reprobam vitam ſuam: An ſcilicet talis peccator qualem ſe agnoverat, conſecrare poſſet. Hunc autem divina bonitas ſacrilegii, quod celebrando committebat, admonere volens, ſimulq; ad pœnitentiam vocare, & fidem hujuſce myſterii, vacillantem in ejus corde firmare; protinus fecit; ut ſanguis ex hoſtia frangenda emanaret. Quam ipſe dimittens in calicem, ſubitò Sacramentum Sanguinis mutatum fuit in cruorem, quaſi de aliquo corpore profluxiſſet recentiſſimè. Undè & ipſe vitam in meliùs mutavit, magnalia hæc Dei publicans, & totâ vitâ pœnitentiam agens. Cum autem S. Hugo iter illac faceret, allocutus eſt dictum Sacerdotem, qui jam ſanctitate vitæ & auſteritate pœnitentiæ notus & fama celebris erat: qui S. Epiſcopo cum narraſſet prodigium, hortabatur, ut cruorem veritatis teſtem inſpicere dignaretur: Sed non acquievit, quinimò famulis idem ſuggerentibus, fertur reſpondiſſe: *Habeant inveteruli ſigna infidelitatis ſuæ, nobis qui credimus ſub ſpeciebus ſacramentalibus, verè Corpus & Sanguinem Chriſti contineri, ſigna quid proderunt?* Quoſdam etiam ire volentes ad videndum, duriùs objurgabat, quod non devotione, ſed curioſitate id facerent, ſiquidem ſcriptum noverat: *Beati qui non viderunt & crediderunt.*

Vide ſpec. exemp. v. Euchariſt. Thō. Kemp. in vita Henrici Brune c. 7.

Refert quoque Thomas à Kempis, in partibus Friſiæ quendam fuiſſe Sacerdotem, & exigitæ ſcientiæ & minus laudabilis vitæ. Hic cum accederet divina celebraturus, quædam matrona, quæ ejus noverat imperitiam & vitam, cœpit intra ſe cogitare ac murmurando dicere: *Quid tu imperite vis facere? Et tu homo indigne, quomodo poteris tantum Sacramentum conficere?* Celebrat interim Sacerdos iſte & conſecrat, hæc illa cogitante. At dum hoſtiam elevat conſecratam, videt figuram hominis Chriſti, tota ſtupens & perplexa. Miſſâ finitâ, adit Confeſſarium exponitque viſionem, pravamque quam conceperat de Sacerdote illo opinionem. Diligenter examinat rem geſtam Confeſſarius, & illi reſpondit: *Hoc Deus pro tua ſalute fieri permiſit, ne de caetero male de Sacerdotibus cogites, nec de vera conſecratione dubites, licet ſint indigna vita:* Illa ergò exindè in fide roborata eſt, Deoque de Sacerdotibus & miniſtris ſuis judicium commiſit.

Concludens igitur hanc Lectionem & Tractatum, omnes Sacramentorum adminiſtros, verbis Apoſtolicis adhortor in Domino: *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei. Hic jam quæritur inter diſpenſatores quis inveniatur.* Si nos ipſi nos ipſos primum exiſtimemus, ut JESU Chriſti miniſtros ſeriâ & efficaci mentis conſideratione: Si vitâ & moribus nos tales geramus, ſanctitatem in omnibus ſectantes; jam etiam populis facilè perſuaderi poterit, miniſterium noſtrum ſublime eſſe venerandum, admirandum: ac myſteria, quæ tractamus & diſpenſamus, Sacroſancta eſſe, puriſque mentibus ab unoquoque cum timore & reverentia ſuſcipienda. Si miniſtri Chriſti ſumus, jam illi aſſimilari debemus, non ſolum auctoritate & poteſtate, aut Sacro ipſius per Ordinationem accepto Charactere; ſed & gratiâ interiori, mentis puritate, animi perfectione & ſanctitate, ne miniſterium noſtrum deturpemus, aut myſteria diſpenſanda vilia populis reddamus. In medio Candelabrorum aureorum aut lampadum ardentium frequenter agimus, dum Sacramentorum miniſterio continuè vacandum eſt: Videamus ergò ut ſimiles Filio hominis eſſe poſſimus, qui apparuit Joanni Apoſtolo veſtitus Podere, oculis flammantibus inſtar ignis, Zonâ præcinctus aureâ, gladium in ore gerens, ſtellas in manu. Veſte cœleſtis gratiæ perſeveranter induamur: hoc eſt, Podere ad talos uſque pertingente, quæ ſanctificat Sacerdotes. Ignis cœleſtis in corde & oculis noſtris ardeat. Zelus amoris divini voluntatem & intentionem noſtram ſemper accendat & purificet; ne qua impuritas in divino miniſterio ſeſe interſerat. Zonæ noſtræ nunquàm obliviſcamur & faſciæ pectoralis; hoc eſt, caſtitatis, quæ renes noſtros præcingit, & dilectos Deo & hominibus efficit. Gladius nobis in ore commiſſus eſt, verbum ſcilicet Dei, ſive ſacramentale in formis conſiſtens Sacramentorum, ſivè concionatorium in populi inſtructione & cohortatione. Utroque utamur fideliter, acutiſſimum ex utraque parte eſt ad amputandum peccatum & iniquitatem reſecandam è cordibus fidelium: nam id præſtat verbum Sacramentale ex opere operato; verbum verò exhortatorium ex virtute, quam habet à Verbo æterno, quandò, ubi, & quomodò illi placitum eſt. Denique ſtellas ſeptem nos in manu gerere ſciamus, dum ſeptem Sacramentorum diſpenſatio nobis concredita eſt: quibus tanquam ſtellis myſticum Eccleſiæ cœlum decoratur: quibus etiam tanquàm ſactis ſideribus facibuſque cæleſtibus, datum eſt nobis animos illuminare & caliginem excutere. Cur ergò nos tenebris peccati obvoluti jacebimus, qui aliis lucem adminiſtrare debemus? Cur impuri erimus, fuliginoſi, atidi, frigidi, & fœtentes, qui inter aquam puriſ-

1. Cor. 4. 1

Apoc. 1. 13

puriſſimam, ignem fulgidum, lucem ardentem, unctionis odorantis pinguedinem, continuò agere debemus, dum Sacramentorum miniſterio ex officio incumbimus? Procul ergò ſordes & fœtor peccati: procul caligo & frigus iniquitatis, inter balnea myſtica, inter olei ſacrati vaſa, inter Lampades & Candelabra, inter ſtellas & ſidera luculenta degentibus. Aut alioqui majus ſuper nos trahentes judicium ſine excuſatione, ad cloacas fœtétes infernales, ad frigus & ſtridorem dentium, ad tenebras inextricabiles, ad ignem perpetuum; nos citò relegandos noverimus. Ubi tanquàm contemptores miniſterii Chriſti & violatores myſteriorũ ejus, atque infidos Domini diſpenſatores, tormenta & pœnæ cum verme non intermoriente, acerbiùs cæteris Chriſtianis, majorique confuſione torquebunt: qui deſtinati eramus, ut ad juſtitiam cæteros erudientes & perdu-
Dan. 12. 3. cẽtes, fulgeremus *quaſi Stella in perpetuas æternitates.*

RESOLUTIONES QUÆSTIONUM PASTORALIUM ET CASUUM CONSCIENTIÆ circà Sacramenta.

POſt ſingulos Tractatus, brevem Collectionem ſubjiciam principalium Dubiorum occurrentium, in gratiam Confeſſariorum & Paſtorum: ut practicè poſſint reſolvi, quæ conſcientiam concernunt in miniſterio Sacramentorum: nec citationibus Auctorum inhærebo, ſed Reſolutiones ratione aliqua poderanda firmabo.

CAPUT I.

DE MATERIA SACRAMENTORUM.

QUæro primò: *Quomodò peccatur circà materiam Sacramentorum?* Reſp. ſi materia ſubſtantialiter ſit diverſa ab ea, quam Chriſtus inſtituit, non ſolùm eſt peccatum mortale, ſed etiam nullũ Sacramentum. Exemplis declaro 1. Si quis aqua artificiali è floribus aut herbis expreſſa, baptizet. 2. Si quis aceto utatur in conſecratione. 3. Si ſicera aut alio liquore vinum imitante, qui ex uvis non ſit. 4. Si oleum quod non ſit ex olivis, ſed ex nucibus, amygdalis, aut ex aliis fructibus, adhibeatur in Confirmatione, aut extrema Unctione.

Quæro ſecundò: *Quid ſi materia ſubſtantialiter non ſit diverſa, ſed tamen multùm corrupta?* R. Licet validum tunc fiat Sacramentum, peccari tamen mortaliter. Declaro exemplis. 1. Si quis ſcienter pane mucido & vetuſtate corrupto, utatur ad conſecrandum. Si vino aceſcente notabiliter, aut aquâ aliave mixtione, notabili ex parte corrupto. 3. Sacerdos poteſt graviter peccare, qui infirmorum oleo benedicto, addit oleum non benedictum, non guttatim, ſed ſimul in majori quantitate, & poſtea utitur pro Sacramento Extremæ Unctionis.

Quæro tertiò: *An nunquam liceat uti materiâ probabili tantùm?* R. Nunquàm licet uti materiâ probabili & incertâ, omiſsâ certâ; niſi in neceſſitate, quandò certa haberi nequit. Ratio eſt, quia qui ſe exponit periculo nihil agendi ſine neceſſitate, cenſetur graviter peccare. Ubi verò moralis quædam neceſſitas occurrit, tunc non tam cenſetur periculo ſe exponere, quam illud pati & permittere, cùm aliter non poſſit, & melius hic & nunc in tali caſu Sacramentum probabile conficere, quam Sacramento carere. Declaro exemplis. 1. Si quis non habeat ad baptizandum puerum morientem, niſi aquam fœtidam & lutoſam, aut lixivium, aut aquam in qua aliquid carnis coctum fuerit, in tali neceſſitate poteſt tali materiâ baptizare. 2. Si in Dominica die, quando populus debet audire Miſſam, non poſſit haberi niſi aliquid vini aceſcentis (quod tamen ſubſtantialiter putetur vinum, non acetum) poteſt in illo tunc celebrari. Similiter ſi non habeatur, niſi panis aliquantum mucidus & corruptus, putetur tamen non mutaſſe ſubſtantiam panis, etſi aliqua levis formido de oppoſito rem non ita certam faciat, in caſu jam dicto poteſt conſecrari. 4. Si quis in articulo mortis nonniſi in genere ſigna doloris oſtenderit coràm aſtantibus, aut vocârit Sacerdotem: non peccat Sacerdos abſolvendo, licet hæc ſit materia abſolutionis ſatis incerta; quia tamen aliquibus cenſetur probabilis, illâ opinione tunc poteſt uti.

CAPUT II.

DE FORMA SACRAMENTORUM.

QUæro primò: *Quomodò peccetur circà formam Sacramenti?* R. Si mutatio ſit ſubſtantialis, nullum eſt Sacramentum: eſt autem talis quando mutatur, aut pervertitur ſenſus formæ ſacramentalis. R. 2. ſi ſit accidentalis mutatio, & maneat idem ſenſus, valet Sacramentum; eſt tamen ex genere ſuo peccatum mortale, niſi levitas materiæ excuſet.

Quæro Secundò: *Qualiter fiat iſta mutatio?* R. poſſe multipliciter fieri: 1. per mutationem idiomatis, mutando Latinum in vernaculum idioma, aut partim Latinè, partim vernaculè proferendo, 2. per tranſpoſitionem verborum, aut utendo verbis aliis ejuſdem idiomatis, ſed idem ſignificantibus, 3. per interpolationem verborum, cum ſpacium interponitur inter verba priora & poſteriora, 4. per additionem alicujus verbi aut ſubtractionem, 5. per corruptionem committendo barbariſmum, in quacunque lingua, aut certè corruptè pronunciando ob impedimentum linguæ. De quibus ſequentes caſus ſunt reſolvendi.

Pri-

Digitized by

Primus caſus. Quid ſit dicendum, ſi quis utatur idiomate valde corrupto aut barbaro. Exempli gratia. Carbonaria Leodienſis ſic puerum baptizavit: *I et bapteſe à no' do Per, & do Fy, & do Saint Eſper.* Altera mulier ſic invenitur baptizaſſe : *Eſan i' et baptiſe à no des Pere & des Fils & des Saint Eſprit.* Reſp. Valere baptiſmum illum, quia idem ſenſus utrobique relinquitur in forma : licet enim multa corruptio in pronunciatione intercurrat, à vulgari tamen idiomate non ita eſt aliena, ut ſenſum mutet; nec ex intentione pronuncianti s, nec ex ſignificatione verborum, alicujus populi uſu illis adnexa. Addo ordinarie expedire, ut obſtetrices l vernacula lingua baptizent, quam intelligunt; Latinam enim non intelligentes, facilius poſſunt etiam ſubſtantialiter violare. Porro, ſi corrupte tantum idioma Latinum pronuncietur, valere Sacramentum definit Zacharias Pontifex; afferens exemplum de quo multis poterat eſſe grave dubium. Baptizarat enim quidam hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filio & Spiritua Sancta.* Aſſerit vero Pontifex valuiſſe Baptiſmum, quia ille non intendebat errorem inducere, aut mutare ſenſum; ſed ſolum Latinæ locutionis ex ignorantia infringens linguam, volebat facere quod Chriſtiani faciunt, dum baptizant.

Secundus caſus. Quid dicendum de eo, qui ob linguæ impedimentum balbutiens, & lingua titubans, ſyllabas vel abſorbet, vel multiplicat? Sic aliqui balbi lingua præcipitante, pro Baptizo; dicerent *Babaptizo*, pro In nomine Patris, *In nomine Papatris.* Alii ſic abſorbent, ut medietatem verborum non pronuncient. Reſp. ſi exigua balbuties, parum eſſe. Si magna, certe tales ad Sacerdotium non deberent admitti, ob multa incongrua, tum in celebratione Miſſæ, tum in officiis & miniſteriis divinis. Novi ego aliquos Sacerdotes ita lingua impeditos, ut ſi pronunciando velint feſtinare, ſingula ſyncopent; ſi moroſe & modeſte velint ſyllabas edicere, non poſſint ſine multiplicatione. Et non infrequenter admiratus ſum, quomodo ſe in Canone gerant, & in forma conſecrationis; ſcio enim quod nonnulli corrupte enuncient: cui rei etiam Epiſcoporum cura advigilare deberet, ob indecentiam & incongruitatem notabilem. Exiſtimo tamen (ordinarie loquendo) eos valide conſecrare: quia hic & nunc idem exurgit ſenſus ex verbis ſacramentalibus (ab eis corrupte licet prolatis) eademque ſignificatio generatur in mente audientium : quod moraliter judicari poteſt, ab illis qui ſoliti ſunt eos audire, & cum eis converſari, ideoque facilius eos intelligere, & quid dicant percipere poſſunt. Similiter dicendum illis, qui ob linguæ impedimentum nequeunt pronunciare literam, *r*, & ſic conſecrantes videntur dicere: *Hoc eſt Corpus meum*, vel *Colpus meum*; quia ex tali pronunciatione hic & nunc ab illa perſona prodeunte, natus eſt in nobis idem ſenſus generari.

Tertius caſus. Quid dicendum, ſi quis integrum patverba formæ. Exempli gratia. Sacerdos baptizans dum dixit. *Ego te baptizo*, dicit pueris tumultuantibus, Recedite inde, & nolite ibi garrire; poſtea addit: *In nomine Patris*, &c. Aut forte dum baptizando dixit: *Ego te baptizo*, retrahente ſe puero dicit, Admovete propius fonti puerum; & poſtea addit: *In nomine Patris*, &c.

Reſp. Licet in his irreverentia intervenire poſſit, alienis verbis interpolando verba formæ, tamen valere Sacramentum : quia moraliter judicatur ex antecedentibus & ſubſequentibus verbis una fieri oratio. Si autem notabilis ſit mora, idem non judicatur, & ideo nullum foret Sacramentum. Exempli gratia, Si quis nunc dicat : *Ego te baptizo.* & poſt quadrantem horæ adjiciat : *In nomine Patris*, &c.

Quartus caſus. Quid dicendum, cum aliquod verbum formæ additur, vel aliquod detrahitur. Reſp. conformiter dictis: Si additio vel detractio mutet ſenſum, nihil effici: ſi maneat idem ſenſus, licet peccetur, validum tamen eſſe Sacramentum. Exempla prioris modi. Si quis dicat ſolum : *Ego te baptizo*, non addens, *In nomine Patris*, &c. Aut obſtetrix, quæ dixit: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, aquam projiciendo; ſed non addidit, *Ego te baptizo.* Utrobique nullum eſt Sacramentum, quia deſunt ſubſtantialia aliqua verba. Similiter ſi addendo formæ dicat Arianus aliquis. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii minoris, & Spiritus Sancti procedentis ab utroque* ; nihil efficit, quia verum formæ ſenſum corrumpit. Exempla poſterioris modi, ubi validum eſt Sacramentum non obſtante quod detrahatur vel adddatur aliquod verbum, hæc eſſe poſſunt. 1. Mulier quædam baptizans dixit: *Ego te baptizo in nomine Patris, & in nomine Filii & in nomine Spiritus Sancti.* Talis Baptiſmus validus fuit, quia non immutatur ſubſtantialis ſenſus formæ, nec ex intentione baptizantis, nec ex vi verborum. 2. Alia ſic baptizavit: *Baptizo te in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti, & benedicta Virginis Mariæ, ac omnium Sanctorum.* Talis Baptiſmus validus fuit, quia non cenſetur mulier Catholica (ex ignorantia aut devotione indiſcreta hoc adjiciens) voluiſſe mutare ſenſum formæ, aut errorem introducere profitendo æqualitatem B. Virginis cum perſonis divinis, ſed tantum voluiſſe invocare B. Virginem & Sanctos eo ſenſu, quo ſolet Eccleſia eos invocare, & jungere cum perſonis S. Trinitatis, ut orent pro baptizandis, aut eos in ſuam protectionem ſuſcipiant. 3. Si quis dicat: *Baptizo te in nomine Patris, Filii, Spiritus Sancti*, reliquendo vocem *Ego*, voculam *&*, vocem *Amen*, validum eſt Sacramentum : quia illæ voces non ſunt eſſentiales. Poſtremo addendum hic ordinarie non vitiari formam per verborum tranſpoſitionem, v. g. *In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti ego te baptizo.* Similiter, ſi verba ſynonyma ejuſdem vel diverſi idiomatis adhibeantur, cenſetur mutatio accidentalis. Exempli gratia. Si quis dixerit pro

Digitized by Google

baptizo,abluo : aut si quis partim Gallicè, partim Latinè dicat : *Ie te baptize, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.*

CAPUT III.

DE MINISTRO SACRAMENTORUM.

QUæro primo : *Quomodo peccet, qui in statu peccati mortalis ministrat Sacramentum?* Resp. dupliciter, 1. si ad ministerium sit ex officio consecratus,& ex officio etiam ministret, peccat mortaliter. 2. si non sit consecratus ad ministerium, aut certe non ministret ex officio,non censetur peccare mortaliter. Exemplis declaro. Mulier baptizans in peccato mortali non peccat mortaliter, quia ad id muneris non accepit consecrationem, aut gratiam,qua obligetur tale ministerium in statu gratiæ exhibere; sicut Sacerdos eam accepit in Ordinatione. Similiter Sacerdos privatim sine solemnitate baptizans,non peccat mortaliter, etsi in peccato existat, juxta communiorem doctrinam Theologorum. Quia sic baptizans non censetur se exhibere ut ministrum ex officio, sed potius subvenire necessitatem patienti, sicut faceret quilibet vir,aut mulier tunc baptizans. Ex his, casus sequentes resolvi possunt.

Primus casus. Quid dicendum de Sacerdote,qui assistit & benedicit Matrimonio in statu peccati mortalis ? Resp. Non peccare mortaliter,quia non est minister Sacramenti,sed solum benedictionem adhibet, tanquam cæremoniam accidentalem, non tanquam formam essentialem : quamvis ejus præsentia necessaria sit post Tridentinum,tanquam testis principalis & auctoritativi, nomine Ecclesiæ præsidentis tali contractui per Ecclesiam approbando.

Secundus casus. Quid de contrahentibus,cum ipsi dicantur ministri Sacramenti Matrimonii, an peccent mortaliter,si sint extra gratiam ? Resp. peccare quatenus suscipientes sunt, quia tenentur in gratiæ statu sacramentum suscipere. Non tamen peccant mortaliter, quatenus ministri sunt, quia non sunt ministri ad illud munus consecrati,nec specialem ad id gratiam acceperunt.

Tertius casus. Quid dicendum de Sacerdote, qui puero domi baptizato postea in templo solemniter adhibet cæremonias in peccato mortali existens? Resp.non peccare mortaliter, quia non est administratio Sacramenti, nec actio ex opere operato gratiam sanctificantem conferens. Idem respondent Theologi de Episcopo conferente primam tonsuram,conficiente Chrisma,benedicente Oleum, de Sacerdote etiam benedicente aquam.

Quartus casus. Quid dicendum de Diacono cantante Evangelium, & Sacerdoti ministrante? Resp. si in mortali peccato id facit, multos Theolog. eum condemnare peccati mortalis. In quam sententiam non parum inclinor,rationibus sequentibus impulsus. Prima,quod ad digne ministrandum, gratiam acceperit in Ordinatione,idque per solemnem manuum impositionem,per quam indicatur ejus ministerium esse grave,utpote, proxime accedens ad mysterium Eucharistiæ. Unde,cum offertur,calix,Diaconus contingens brachium Sacerdotis, tanquam proxime cooperans sacrificio & sacratissimo mysterio, solet dicere cum Sacerdote : *Offerimus tibi Domine calicem, &c.* prout præscribitur in Missali Rom. Secunda ratio ex Apost. desumitur, ubi de Diaconis agens,dicit : *Ministrent nullum crimen habentes.* Ubi licet Apost. insinuare velit,non esse ordinandos Diaconos,nisi qui irreprehensibiles inventi fuerint, & per examen probati : tamen etiam recte ad futurum refertur, ut insinuet eos teneri irreprehensibiles se gerere in vita & officio, nec criminis alicujus conscios ad ministerium Ordinis sui debere accedere. De quo iterum præcessit : *Habentes mysterium fidei in conscientia pura*, id est, tractantes Eucharistiæ mysterium, cui debent cooperari, pura mente & manibus, ut aliqui interpretantur. Nam Eucharistia antonomastice *fidei mysterium* solet vocari, & olim Diaconi illam etiam populo administrabant. Summatim ex his omnibus,quæ de Diaconis & eorum qualitatibus scribit S. Paulus, recte saltem colligitur & infertur,grave esse eorum ministerium,& magni pendendum; ut non mirum sit, si etiam dicatur illi annexa gravis obligatio, illud in gratiæ statu obeundi. Tertia ratio, quæ me non parum movet, est, quod in sacris historiis reperiam pluries contigisse,ut Spiritus Sanctus super tremendis mysteriis non descenderit,prout tunc solebat,idque ea solum ex causa, quod Diaconus assistens Sacerdoti sacrificanti cum conscientia impura assisteret. Cujus rei exemplum habes in Prato Spirituali cap.150. ex Sophronio. Item in vita S. Epiphanii apud Surium 12. Maii, ita ut ibi referatur quidam Diaconus lepra percussus, quod indigne ministraret, Hoc autem non videtur fore, nisi ministrando mortaliter peccaret. Item in vita S. Chrysostomi 27. Januarii apud Surium iterum lego impeditum Spiritus S. descensum visibilem,ob Diaconum in peccato assistentem : quod rursus non videtur fore, nisi mysterium tale foret grave peccatum. Has historias sacras plenius referam,cum de Sacramento Ordinis, & de Diaconatu agam, Tract. 7.

1. Tim. 3. 10.

1. Tim. 3. 9.

Exempl.

Quæro Secundo : *An Sacerdos peccet mortaliter non solum dum in peccato mortali consecrat; sed etiam dum communionem administrat, idque toties, quot sunt personæ communicantes?* Resp. ex communiori sententia Theologorum, eum peccare mortaliter ministrando communionem, quia est grave ministerium ad quod tenetur se per gratiam disponere : An vero toties, quot personis distribuit, non uniformiter loquuntur Theologi. Aliqui asserunt toties peccare, quia tot sunt actus ministrandi, sicut quot personas absolvit in peccato, toties peccat, quia toties Pœnitentiæ Sacramentum administrat. Ego rem moraliter considerandam opinor : unde, dum

by Google

multis dū ſimul concurrentibus adminiſtratur Euchariſtia, licet plures miniſtrandi actus phyſicè intercedant, moraliter tamen loquendo cenſetur unū miniſterium, in quod una etiam voluntate feruntur Sacerdos, per quam vult communionem dare plebi hic & nunc ſe præſentanti. Recte ergo dicitur eſſe unum peccatum, dum continuat, & quamdiu notabilis mora aut interruptio non intervenit. Nam ſi poſtquam populi pars communicavit, applicet ſe Sacerdos aliis actionibus aut functionibus, & poſteà iterum miniſtret aliis, cenſebitur pluries peccare ob interruptionem. Itaque quod plures perſonæ ſimul concurrant, videtur quodammodò materialiter conſiderandum. Sic quod centum Hoſtias ſimul in peccato mortali exiſtens Sacerdos conſecret, aut jam præconſecratas ſumat, non inducit plura peccata: ſimiliter licet ſumptio calicis & corporis diverſæ actiones ſint phyſicæ, tamen non conſtituunt diverſa peccata in Sacerdote indignè ſumente, quia ſunt una moralis ſumptio, & participatio ejuſdem ſacrificii. Sic dicas eſſe in caſu noſtro unam (moraliter loquendo) diſtributionem, ut plebs participet de ſacrificio & Sacramento; & ſic unum peccatum licet ob communionem aggravari non negem, ſicut & meritum augetur, dum multis ſimul piè adminiſtratur.

Neque verò ſimiliter judicandum puto de Sacramento pœnitentiæ, quia quot pœnitentes abſolvit in pec. mor. toties cenſetur peccare mort. Ratio diverſitatis afferri poteſt, quia quot perſonæ accedunt, toties variatur judicium, novumque conficitur Sacramentum, & toties forma ſacramentalis reperitur, animam ſanctificans. Quod ſi plures in neceſſitate, v. g. in naufragio, aut in domo contagioſa jacentes ſimul abſolveret, dicens. Ego vos abſolvo, jam ſolum unum peccatum cenſeretur committere.

Quæro Tertio. *An Sacerdos in pec. mor. transferens Euchariſtiam de altari in alium locum, pec. mort. aut fortè de ipſa extrahens, ut exponat in die ſolemni?* Reſp. non videri hoc adeò grave, ut pec. mort. involvat, quia non eſt actio ad animæ ſanctificationem ordinata. Sic nec peccat mortaliter Clericus, vel etiam Laicus, tangens in mortali Calicem, Corporalia &c. licet ab aliqua irreverentia non excuſetur.

CAPUT IV.

DE DISPOSITIONE MINISTRI.

Quæro Primò. *An teneatur præmittere Confeſſionem, ſi ſibi peccati mortalis ſit conſcius?* Reſp. non teneri, ſufficit enim quod contritione eliciat, per quam ſe ſufficienter ad gratiam diſponit. Unde Confeſſio eſt Conſilii, non ſtricti præcepti. De qua re in Rituali Rom. juſſu Pauli V. edito, ſic legitur: *Sacerdos ſi fuerit ſibi peccati mortalis conſcius, ad Sacramentorum adminiſtrationem non audeat accedere, niſi prius cor de pœniteat: ſed ſi habeat copiam confeſſarii, & temporis locique ratio ferat, convenit confiteri.* Nempe hoc conſulitur, quia difficilis eſt contritionis actus, & perfectus ille dolor ex toto corde & ex Dei amore proveniens. Eſt verò neceſſaria confeſſio, nec ſufficit contritio, ſi quis Sacerdos debet celebrare aut communicare, ex ſpeciali præcepto, de quo agemus, cum de Euchariſtia tractabitur.

Quæro Secundo. *An non ſufficiat attritio, ut quis dignè miniſtret?* Reſp. non ſufficere, quia tenetur quantum in ſe eſt, ita ſe diſponere, ut gratiæ ſtatum recuperet, quod non fit ſufficienter per attritionem. Unde, ſi ſolum putet ſe habere attritionem, tenetur præmittere confeſſionem, ut ex attrito fiat contritus, vel majori conatu ad contritionem perfectam ſe erigere. Quod ſi accedat cum attritione, putans ſe vere habere contritionem, jam excuſatur à nova culpa per ignorantiam. Ex his reſolve caſus ſeqq.

Primus caſus. Quid faciendum, *dum duo Paſtores vicini ad ſe mutuo accedunt ut confiteantur, & uterq; eſt in peccato mortali.* Reſp. neceſſariò illum qui prior audit & abſolvit, debere elicere contritionem; is autem qui confitetur, non tenetur niſi ad attritionem.

Secundus caſus. Quid faciendum, *dum ſubito Paſtor vocatur ad ægrum morientem & petentem confeſſionem: aut in plateis vulneratum, ad quem feſtinandum eſt, ne moriatur ſine confeſſione?* Reſp. ſi Paſtor ſic ſubitò vocatus, extra ſtatum gratiæ eſt, ob acceleration tamen non ſe reflectat ſuper peccato ſuo, excuſatur à novo peccato, abſolvendo talem moribundum ſine contritione. Quod ſi verò meminerit peccati ſui, non excuſatur ab elicienda contritione ob feſtinationem aut anguſtiam temporis; quia ſufficit breviſſimum tempus ad eliciendam contritionem, ideoque tenetur ad eam eliciendam omnem conatum exercere: ita ut non ſine peccato novo non poſſit miniſtrare, niſi ſe eam bona fide putet habere.

Tertius caſus. Quid dicendum *de Sacerdote, qui conſcius peccati mortalis incipit audire confeſſiones, ſed priuſquam abſolvat, conteritur. Similiter accepit Venerabile Sacramentum & defert ad ægrum, nec curat conteri niſi immediatè antequam ægro porrigat?* Reſp. 1. ſi talis ſperavit & intendit ſe diſponere per contritionem ante conſummatum actum ſui miniſterii, puta ante abſolutionem in qua conſummatur Sacramentum Pœnitentiæ, aut ante Euchariſtiæ in os communicantis porrectionem, in qua conſummatur & perficitur miniſterium Euchariſtiæ, non cenſetur peccaſſe moraliter: quia ſufficit eſſe in gratia ante illam conſummationem & perfectionem actus principalis miniſtrandi. Reſp. 2. quod ſi talis peccati ſui memor, negligens ſtatum gratiæ, non curabat adminiſtrare in peccato, ideoque accingebat ſe miniſterio ſine voluntate contritionis, etiam ſi mutet in progreſſu voluntatem, jam peccavit; ideoque tenetur non ſolum de aliis pecca-

Digitized by Google

tis, ſed & de hac ipſa voluntate indignè adminiſtrandi, aut de periculo idipſum faciendi cui ſe proximè expoſuit, conteri, ac ſuo etiam tempore idipſum confiteri.

Quæro Tertiò. *An liceat recipere Sacramenta ab eo qui indignè eſt miniſtraturus?* Reſp. 1. nunquam facilè exiſtimandum eſt quempiam indignè miniſtraturum, etiam ſi ſciatur eſſe in peccato, quia poteſt ſe per contritionem ad gratiam diſponere. Reſp. 2. licet ſim moraliter certus eum cum peccato miniſtraturum, ſi tamen ſit rationabilis cauſa petendi Sacramentum, nec facilè ab alio poſſim recipere, non pecco. Ratio eſt, quia bonum eſt quod petitur, & ille poteſt ſi velit licitè dare, & ego juſtam petendi cauſam habeo. Si verò mihi fuerit copia alterius, teneor ex charitate ejus impedire peccatum, nec inducere ad miniſtrandum: quia etiamſi jus habeam petendi, tunc tamen juſta etiam cauſa occurrit eo jure non utendi, & nihil me urget, ut ab eo petam, cùm ab alio poſſim: & maximè ſi non ſit paratus ad miniſtrandum, videor ei peccati occaſionem ſuggerere, à qua nullo meo incommodo poſſem abſtinere. Ex his deducitur reſolutio caſuum ſequentium.

Primus eſt. Quid faciendum, *ſi Parochus ſit concubinarius, aut in notorio peccato, & illius occaſione, hæreſi?* R. poteſt ſubditus petere ab eo Sacramenta, non ſolum in Paſchate aut ægritudine, quando urgetur præcepto communionis aut confeſſionis: ſed etiam dum judicat animæ ſuæ utile, Pœnitentiæ v.g. & Euchariſtiæ Sacramentum percipere; nec ei opportunitas eſt alterius Confeſſarii aut miniſtri. Et id verum eſt, non ſolum quando ad miniſtrandum ſe paratum exhibet, puta ſedens in confeſſionali, ut excipiat confeſſiones venientium, aut in altari diſponens ſe ad miniſtrandum accedere volentibus Euchariſtiam: ſed etiam quando ad id paratus non eſſet, nec libenter faceret, poſſum inducere & petere, ſi alius mihi non ſuppetit, & rationabilis cauſa me impellit ad Sacramenti perceptionem, v.g. quia eſt ſolemnitas aliqua principalis, in qua ſoleo ex pietate communicare: aut à longo tempore non ſum confeſſus, & opto confiteri ut conſulam puritati conſcientiæ, & ſaluti animæ meæ. In tali enim caſu, cum ſit bonum quod peto, & ille per contritionem benè poſſit dare; quamvis id ex malitia ſua non ſit facturus, non teneor ejus peccatum cum tali incommodo meo vitare.

Secundus caſus. Quid faciendum, *ſi Parochus ſit excommunicatus?* R. ſi non ſit denunciatus, aut manifeſtus Clerici percuſſor, poſſum ab eo petere & recipere Sacramenta, ſicut in priore caſu: hoc eſt, ſi rationabilis mihi adeſt cauſa, nec alium miniſtrum facilè habeam. Quod ſi ſit denunciatus vel notorius percuſſor Clerici, jam non poſſum, niſi in extrema neceſſitate, ob præceptum Eccleſiæ, quæ præcipit tales eſſe vitandos. In Extravag. Ad evitanda, prohibetque participationem in divinis cum talibus. In articulo verò neceſſitatis poſſum petere ab eo Baptiſmum & Pœnitentiam, & ut aliqui docent etiam Communionem. Atque ille licite etiam poteſt miniſtrare, concipiendo contritionem, ſi non poſſit facilè curare abſolutionem. Quod etiam dicendum de illo qui non eſt denuntiatus, à quo Sacramenta peterem ſecundum jam dicta extra neceſſitatem; poteſt enim dare concipiendo contritionem, ſi tunc non poſſit curare abſolutionem: quia ſi ille non poſſet dare, ego non poſſem petere; nec enim ab aliquo poſſum petere, quod ſine peccato non poteſt exercere.

Tertius caſus. Quid faciendum, *ſi ſit aliquis parochus qui ſine ſuperioris auctoritate ſe in beneficium intruſit. Vel ſi contingat Parochum ipſo jure, aut per ſententiam Judicis ob crimen ſuo titulo privari, & nihilominus ſeſe manuteneat vi in poſſeſſione beneficii?* R. à tali non licet petere Sacramenta, quia non poteſt licitè dare carens jurisdictione, imo aliqua non dat validè: non enim validè abſolvit aut matrimonio conjungit, ſi notoriè ſit intruſus, aut notorie privatus titulo per ſententiam: ſi autem communi exiſtimatione habetur legitimus parochus, licet ob occultum impedimentum canonicè non fuerit inſtitutus, aut occultè ſit privatus à jure vel per ſententiam, quæ paſſim ignoratur, aſſerunt Doctores, ſuppleri ab Eccleſia jurisdictionem.

CAPUT V.

DE INTENTIONE MINISTRI.

Quæro Primo. *Quæ intentio requiratur in miniſtro?* R. requiri intentionem faciendi quod facit Eccleſia, vel quod Chriſtus fecit, vel quod Chriſtiani faciunt. Unde, cum hæretici hanc habeant intentionem, ex ea parte Sacramentum baptiſmi ab illis datum non reputatur dubium. Dico ex ea parte, nam fortè aliunde dubium reddi poſſet: nam cum dicant non eſſe neceſſarium ſeſe alligare verbis aut formis in Sacramentorum miniſterio, poſſent verbum aliquod eſſentiale in forma mutare, & ſic nihil efficere. Ipſi putant ſolum requiri verbum concionatorium & non conſecratorium, ideoque circa formam etiam baptiſmi, error aliquis eſſentialis poſſet contingere. Addo juxta relationem quorundam qui apud Calviniſtas converſati ſunt, quandoque contingere quod Prædicans è ſua cathedra peracta concione pronunciet verba ad baptizandum; inferiori vero loco alius quiſpiam aſpergat aqua puerum: qui baptiſmus vel nullus, vel dubius foret. Hinc non mirum, ſi ob has & alias rationes aliqui Epiſcopi cùrent ſub conditione rebaptizari ab hæreticis baptizatos.

Quæro Secundo. *An requiratur intentio Actualis.* Reſp. ſufficere virtualem quam habet is, qui ex virtute actualis intentionis quæ præceſſit, procedit ad opus. In proceſſu ergo operis cenſetur manere virtute, quia non eſt revocata per aliquam contrariam intentionem. Sic qui ſe intentione actuali parat ad Sacrum, & hoſtias ad conſecrandum diſponit, licet poſtea diſtrahatur in conſecratione,

Digitized by Google

nec cogitet actualiter de hoſtiis ibidem præſentibus, nihilominùs cenſetur conſecrare, & habere intentionem virtualem: quia virtute permanet prior intentio, ex qua ſe applicavit ad ſacrificium & Sacramentum conficiendum. Conſulendum verò, ut quiſque, quantum in ſe eſt, actualem intentionem renovet circà conſecrationem, aut in aliis Sacramentis dum formam pronunciat, & materiam applicat, quia illa perfectior eſt. Reprobamus tamen hic modum agendi quorumdam ſcrupuloſorum, tunc repetentium: *Volo conſecrare: Intendo baptizare: volo hoc vel illud in hac actione agere.* Hoc enim non eſt neceſſarium corde vel ore dicere; ſed eſt verè actualis intentio, dum tu tibi actualiter es præſens, & animo attendis ad id quod peragis. Hæc vocatur actualis intentio in actu exercito, illa autem prior dicendo; *Volo, Intendo,* eſt actualis in actu ſignato: ſed non eſt neceſſaria, quandò prior illa adeſt; eſtque ſuperflua & impertinens, ſi ſit cum anxietate conjuncta, ut aliquibus contingit.

Quæro tertiò, *Quam intentionem debeat habere miniſter circa perſonam aut materiam?* Reſp. 1. quantum ad perſonam ſuſcipientem, debet intendere adminiſtrare Sacramentum huic perſonæ præſenti. Undè licet error materialiter contingeret circà illam perſonam, valet Sacramentum, v.g. putat eſſe filium Pauli, & eſt filius Petri; putat eſſe marem & eſt fœmina. In matrimonio tamen contrahentes qui ſunt miniſtri, rectè determinant ſuam intentionem ad determinatam perſonam: ita ut ſi eſſet alia, nullum eſſet matrimonium, quia eſt contractus oneroſus, in quo juſta de cauſa limitatur conſenſus pro hac perſona, & non pro alia. Reſpondeo, quantum ad materiam, in Euchariſtia debere illam determinari per intentionem miniſtri. Quare, ſi quis ante ſe haberet decem hoſtias, & non intendereret conſecrare, niſi quinque in confuſo, nihil faceret: quia cur potiùs hæ, quam illæ eſſent conſecratæ, ſi non determinârit intentionem ad has ſpecialiter præ illis? Non eſt tamen opus, cùm vult plures conſecrare, ut numerum determinet, ſed recta intentio erit, velle conſecrare, quas ibi ante ſe præſentes habet & præparatas. Undè hæc intentio conſulenda eſt Sacerdoti. Et cum ſupponamus illam communiter ab illis haberi, ex illa reſolvendi ſunt caſus ſequentes.

Primus caſus. Quid dicendum, *ſi Sacerdos putet ſe habere unam tantùm hoſtiam, & reverà inveniat ſe habere duas, quia una alteri cohærebat?* R. utramque eſſe conſecratam, quia ejus intentio eſt, quod præſens eſt, & ut conſecretur appoſitū conſecrato, quam intentionem non deſtruit privata deceptio. Dices, ille non voluit conſecrare, niſi hoſtiam quam videt, unde ſi latebat altera ſub illa, ejus intentio ad eam non pertigit. R. ſi ita præcisè habuiſſet intentionem, ut dicitur, concedo quod opponitur; ſed dicimus hoc ordinariè non fieri, nec debere fieri.

Secundus caſus. Apponit Clericus miniſtrans aliquot hoſtias in parte extrema corporalis, ut conſecrentur pro aliquot communicantibus, ſed non monet hujus rei Sacerdotem; aut ſi monuit, Sacerdos non intellexit quid vellet, unde nec advertit illas præſentes: quæritur, an cenſeantur conſecratæ poſt verba conſecrationis? R. eſſe, quia non habuit intentionem unquam actualem circà illas, quapropter nec virtualem nunc cenſetur habere: ſed quod præſens præ manibus habet, ſolùm cenſetur velle conſecrare; cùm de aliis ibidem exiſtentibus ne ſuſpicetur quidē nec tunc cùm conſecrat, nec anteà. Aliud foret, ſi poſtquam ipſe aliquot ibi conſecrandas appoſuit, alius quiſpiam, etiam ipſo non admonito, aliquot ſupetaddat; intentio enim fertur ad cumulum hoſtiarum ibi præſentium, non limitatè ad eas quas appoſuit.

Tertius caſus. Accidit cuidam Parocho in die Aſſumptionis B. Mariæ, in quo magnus populus ad communionem ſe parabat, quod poſt offertorium procedens ad concionem, dixerit matriculario, ut notabilem numerum hoſtiarum in altari collocaret ad conſecrandum pro communicantibus. Ille præparat, & in fine altaris collocat, ut Sacerdos rediens, eas videns, ſuper corporali poſſit illas diſponere. Sacerdos regreſſus non advertit, donec poſt conſecrationem & poſt Memento defunctorum, eas ibi relictas conſpicit. Quid ageret, anxius eſt. Plebis meminit quæ vult communicare, illas hoſtias non putat conſecratas, quod ſi communio non detur, ſcandalum timet. Ipſe igitur apponens occultè illas hoſtias corporali, iterum pronunciat formam conſecrationis. Quæritur hic primò, an illæ hoſtiæ non erant conſecratæ? Quæritur ſecundò, an poterat iterum formam pronunciare & conſecrare? Ad primum reſpondeo non cenſeri conſecratas, quia ejus intentio non cenſetur ſe porrigere ad eas in tali loco conſecrandas, cùm non cenſeatur voluiſſe peccare, peccaret autem conſecrando ſic ſuper nudam mappam appoſitas. Ad 2. Reſp. etiam poſſe excuſari à peccato iterùm conſecrando, tum quia ſic putavit remedium adhibendum ſcandalo; tum quia non exiſtimanti quidem conſecratas formido aliqua levis de oppoſito occurrens, anxium reddebat, quid de illis hoſtiis foret agendum, tum denique, quia in tali ſubito caſu inops conſilii; nec hærere valens ad pleniùs rem examinandam, egit quod prudentia hic & nunc ei ſuggerebat. Interim difficultas manet, quid ſimili caſu iterum occurrente peragendum foret; an relinquendæ ibi illæ hoſtiæ tanquàm non conſecratæ, & relinquendus populus ſine Communione: an verò bis pronunciandа forma, durante eâdem Miſſâ, cùm hoc ſit bis conſecrare, & per conſequens bis ſacrificare. Quæ de re mihi ſatis dubia, lubens petitiores Theologos reſolventes auditem.

CA-

CAPUT VI.
DE SUSCIPIENTE SACRAMENTUM.

QUæro primò: *Qua diſpoſitio requiratur in ſuſcipiente?* Reſpondeo in Baptiſmo & Pœnitentia ſufficit attritio. Ad Euchariſtiam requiritur Confeſſio cum contritione vel attritione; niſi ubi non eſt copia confeſſarii, & adeſt neceſſitas urgens communicandi; tunc enim ſufficit contritio. In omnibus aliis ſufficit contritio etiam ſine confeſſione, putà, in Confirmatione, Ordine, Matrimonio, Extrema Unctione; nec attritio ſufficeret, niſi putetur contritio.

Quæro ſecundò: *An ignorantia non poſſit ſimplices excuſare?* Reſp. poſſe, ſi non ſit craſſa & ſupina, ſed invincibilis. Exempli gratiâ, in Sacramento Confirmationis. Vidi ego noviſſimè in Germania, Fuldæ, dum Illuſtriſſimus Nuncius Carafa miniſtraret ibi Sacramentum Confirmationis, ſtatim accurriſſe multa millia virorum & mulierum è pagis, quorum multi abſque dubio vix inſtructi erant de diſpoſitione ad Sacramentum, quia nec ſolitum à multis retrò annis in iſtis partibus hæreſi infectis miniſtrari. Undè nec confeſſione ſe præparabant, nec, ut apparebat, contritione; donec id primo die advertentes, monuimus Illuſtriſſimum, ut ſequenti die per Concionatorem publicè eos curaret prænoneri, & inſtruì de diſpoſitione neceſſaria. Horum itaque multos puto à peccato excuſatos, licet fortè in ſtatu peccati mortalis eſſent: quia ignorabant excuſabiliter diſpotionem neceſſariam, de qua nunquàm fuerant inſtructi. Non tamen facilè excuſarim Paſtores, quod ſupinâ ſæpiùs negligentiâ plebem ſuam de his non inſtruxerint.

Quæro tertiò. *An ſuſcipiens Sacramenta in ſtatu peccati mortalis ſine diſpoſitione ſufficienti, poſſit repelli?* Reſp. ſi occulte petit, poſſunt ei denegari Sacramenta: ſi publicè non poſſunt, ob jus quod habet ad famam ſuam, niſi etiam publicum ſit peccatum, de qua re agemus, cùm de Euchariſtia.

CANDELABRI MYSTICI
TRACTATUS II.
DE SACRAMENTO BAPTISMI.

PROOEMIUM.

PRima Lampas ſeu Lucerna in ſublimi Candelabro à Jeſu Chriſto, omnis luminis fonte conſtituta & ſuccenſa, Baptiſmus dicitur. Qui de Filiis tenebrarum potens eſt ſuo fulgore nos lucis Filios efficere, & de filiis iræ, filios gratiæ. Ab illo enim primam fidei gratiæq; cœleſtis lucem deprompimus, per quam de Regione umbræ mortis, vocamur *in partem ſortis Sanctorum in lumine*, & adſcribimur libro vitæ. In hujus rei ſymbolum, recenter Baptizato cereus accenſus in manus traditur, eiq; dicitur, *Accipe Lampadem ardentem irreprehenſibilem, cuſtodi Baptiſmum tuum, ut cùm Dominus venerit ad nuptias, occurrere ei poſſis, unà cum omnibus Sanctis in aula cœleſti, habeasq; vitam æternam.* Ergò Sacramentum hoc rectè Lampas nominatur, quæ primā caliginem diſcutit ab oculis noſtris, & prævio ſuo lumine nos ſemper ducit, dirigitque pedes noſtros in viam æternitatis: ut tandem reddamur participes, nunquam intermorituri luminis, in viſione divinæ claritatis. Quia ibi eſt fons vitæ, ad quem ducit fons Baptiſmatis: Ibi *in lumine tuo videbimus lumen*, ad quod ducit luminoſus cereus baptiſmais. Hinc & à ſanctis Patribus, Baptiſmus non ſolùm *Lavacrum regenerationis*, ſed & *Sacramentum illuminationis* nuncupatur: à quo primi Chriſtiani vocati ſunt *illuminati*, juxtà illud Apoſtoli ad Hebræos. *Impoßibile eſt eos, qui ſemel illuminati ſunt, guſtaverunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti, & pre*

Col. 1. 12.

Pſ. 35. 10.

Heb. 6. 4.

Digitized by Google

& prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam. Quod de Baptiſmo accipiunt Sancti Patres, in quo homo accepit primi & increati luminis conſortium, omniumque divinarum illuſtrationum principium, ut loquitur S. Dionyſius. Quem Baptiſmum cum lumine ſuo & pœnitentia, quæ in adultis ſolet illum præcedere, negat Apoſtolus poſt lapſum poſſe iterari. Itaque de hujus primæ Lampadis cœleſtis materia, forma, oleo & lumine, ſive effectu & gratia, denique miniſtro & ſuſcipiente, ritu & ornatu myſtico cæremoniarum ejus, ſigillatim nobis hic diſſerendum. S. Dion. Eccl. Hierar. c. 3.

LECTIO I.

DE MATERIA BAPTISMI.

1. *Docet materiam eſſe aquam.*
2. *Congruè aquam eſſe deſignatam in materiam.*
3. *Agit de aqua benedicta, & ejus utilitate.*

PROPOSITIO I.

Materia Sacramenti hujus eſt aqua naturalis.

HÆc Propoſitio manifeſta eſt ex Scripturis, ſive conſideremus novi teſtamenti apertiſſimam hac de re doctrinam, ſive veteris figuras & oracula.

Joan. 3. Primò igitur, noviſſimum eſt illud Chriſti: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto non poteſt introire in regnum Dei.* Quo quidem loco, agit Salvator de generatione ſpirituali, quam opponit generationi carnali, & quia carnalis illa, qua naſcimur filii iræ, non poteſt reiterari, declarat aliam ſublimiorem, qua naſcimur filii gratiæ & hæredes regni ac gloriæ, quam omnibus neceſſariam dicit. Quia etiam generatio carnis ex duobus fit principiis, matre ſcilicet & patre, duo quoque generationis ſpiritualis principia expreſſit, aquam quæ Matris, & Spiritum S. qui Patris vices gerat. Hæc ergo ſpiritualis

Joan. 1. 12 generatio fit per aquam in Baptiſmo, ubi *dedit poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Hæc enim filiatio non obtinetur per viam generationis carnalis, naſcendo per voluntatem hominis, carne & ſanguine interveniente; ſed renaſcendo per virtutem & operationem Spiritus ſancti, qui eſt Deus qui per Baptiſmi aquam novum nobis eſſe ſpirituale & divinum tribuit, novamque nativitatem qui ex Deo eſt.

Sic quilibet Chriſtianus duas habet nativitates, unam naturalem, qua generatur ſecundum carnem in ventre matris: alteram ſupernaturalem, quâ regeneratur ſecundum ſpiritum per aquam in baptiſmo: ut ſicut per primam genitus fuit filius Adæ, ita per ſecundam certus ſit ſe genitum eſſe filium Dei.

1. Joa. 5. 8. *Tres* enim *ſunt qui teſtimonium dant in terra*, quod ſimus filii Dei, *Spiritus, Aqua, & Sanguis.* Spiritus nos regenerans in baptiſmo: Aqua ex qua regeneramur velut ex ſemine ſpirituali & incorruptibili: Sanguis Chriſti, qui nobis per aquam applicatur, quo levamur & renovamur. Et hæc eſt generatio cœleſtis, quæ cuſtodit nos; quam ſi voluerimus cuſtodire, permanebit in nobis quoadusque nos æterna & conſummata regeneratione, filios gloriæ & hæredes regni, & Æternitati pariat. Vides ergo cur Salvator dicat, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &* Joan. 3. 5. *Spiritu ſancto non poteſt introire in regnum Dei?* Vides quam apertè materiam baptiſmi deſigner, per quam regeneramur?

Sed & conſonat dicto Salvatoris, Apoſtolorum doctrina & obſervatio. Doctrina quidem, nam D. Paulus Baptiſmum vocat: *Lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S.* & aſſerit, quod Chriſtus ſic dilexit Eccleſiam ſponſam ſuam, ut eam mundare voluerit *lavacro aquæ in verbo vitæ.* Quid clarius? lavacrum aquæ nominans, deſignat baptiſmi materiam: Verbum vitæ jungens, deſignat ejus formam: Hæc conjunctio dicit vim habere ad emundandam Chriſti Sponſam, ut ſit ſine macula, ſine ruga, tandemque gloriæ decorem allequatur, & ſic baptiſmi deſignat effectum. Obſervatio verò Apoſtolorum ex Actis colligitur, quæ ſatis indicant Apoſtolos nunquam ſine aqua baptizaſſe. Actor. 8. Cùm Philippus Eunuchum catechizaſſet, ſimulque ad aquam quandam in via pervenilſent. *Ecce*, inquit Eunuchus, *aqua quis me prohibet baptizari.* Intellexerat utique baptiſmum in aqua ſibi neceſſarium, unde uterque ad aquam deſcendit, & baptizavit Philippus Eunuchum. Act. 10. ſimiliter dicit Petrus: *Nunquid aquam quis prohibere poteſt, ut non baptizentur hi qui Spiritum ſanctum acceperunt ſicut & nos.* Ecce aqua neceſſaria judicatur, etiam poſt Spiritum S. acceptum. Imò ubi aqua defuit optantibus baptiſmum quandoque ſpeciali miraculo eam educi voluit Deus, ut ejus neceſſitas deſignaretur.

Tit. 3. 5. Eph. 5. 26 Act. 8. 36. Act. 10. 47.

Præclarum hac de re extat exemplum, inter ea quæ à D. Petro & Paulo geſta ſunt. Cùm enim Proceſſus & Martinianus milites cuſtodientes S. Petrum in Carcere Mamertino, viderent ejus cœleſtem vitam & doctrinam, ad Chriſtum converſi ſunt. At cum aqua deeſſet, Petro ſigno Crucis in rupe impreſſo, fontem eduxit: qui adhuc hodie poſt annos plus mille quingentos fluit, nec exaruit. Videre eſt adhuc illum Romæ, & experientiâ conſtat, quantumvis quis hauriat, nunquam exhauriri,

Exempl. Baron. ad an. Do. 68

Digitized by Google

cùm nemo tamen ſit, qui quotannis ex urbe Rom. illuc ad hauriendum non concurrat: & licet nullus ex illo hauriat, in eodem tamen permanet ſtatu, non exupetat aut redundat, inquit Bozius. Milites ergo illi hâc aquâ baptizati, mox tantâ gratiâ, robore & jubilo ſunt donati, ut cum Paulinus Præfectus ſixo ora eorum, maxillas & dentes contundi juberet, illi oculis in cœlum fixis canerent: *Gloria in excelſis Deo.* Rurſum cùm equuleo, laminis candentibus, aliiſque diris tormentis cruciarentur, non aliud reſonabant, quam *Benedictum ſit nomen tuum, Domine in ſæcula.* Tandem ſecuri percuſſi, exultantes martyrium ſubierunt, tanquam qui hauſerant aquas de fontibus Salvatoris per baptiſmum, & jam properabant ad vitæ fontem æternum.

Bozius to. 1. de ſignis Eccleſiæ l. 1. c. 16.

Secundò declaratur ex figuris: jam enim ab initio ſæculi ut Deus deſignaret ſe aquæ Sacramento ſalutem hominum operari velle, multa in aquis præmiſit myſtica ſigna. Hinc D. Petrus diluvium figuram geſſiſſe baptiſmi aſſerit, quia ſicut per aquas diluvii mundus purgatus eſt, ſubmerſis impiis: ita per baptiſmum ſpiritualiter purgatur, demerſis in aqua peccatis. Et ſicut Noë ſalvatus eſt per aream & aquam, ita & nos per Crucem & Baptiſmum. Expende verba Apoſtoli Petri: *In diebus Noe cum fabricaretur arca in qua pauci, id eſt, octo anima ſalvæ facta ſunt per aquam, quod vos nunc ſimilis forma ſalvos facit baptiſma: non Carnis depoſitio ſordium, ſed Conſcientiæ bona interrogatio in Deum.* Sic Petrus: Quod Græci omnes ac Latini ita latiùs interpretantur: Sicut aqua ſuperné infuſa ex omni parte aream abluebat, eamque non obruebat, ſed ſublevabat, ut qui in ea erant, illæſi ab undis ſervarentur, impiis abſorptis: Eodem modo vos baptiſmi aquæ abluunt ſuperné infuſæ, evehuntque ad cœleſtia: ne obruamini ab undis vel iræ divinæ vel ſcelerum, quibus impii & peccata abſorbentur: ex quo fit, ut non carnis ſordes deponatis, ſed conſcientia veſtra bona efficiatur, ut Deo interroganti reſpondeatis devotione mentis, infuſione charitatis, parati ad omnia illius mandata obeunda. Aſſerit etiam Div. Paulus, tranſitum maris rubri ejuſdem aquæ ſignificationem habuiſſe. Quod explicans D. Gregorius, ſic ait: *Certè maris rubri tranſitus figura Sancti Baptiſmatis fuit, in quo hoſtes à tergo ſunt mortui, ſed alii, contra faciem, in Eremo ſunt inventi. Sic quippè omnes qui ſancto Baptiſmate tinguntur, eorum peccata præterita laxantur, quia eis velut Ægyptii hoſtes à tergo moriuntur. Sed in eremo alios hoſtes invenimus, quia dum in hac vita vivimus, priùs quàm ad promiſſionis patriam pertingamus, multa tentatione nos fatigant & ad terram viventium tendentibus iter intercludere feſtinant, qui ergo dicit peccata in baptiſmate funditus non dimitti, dicat & Ægyptios in mari rubro non non veraciter mortuos:*

1. Pet. 3. 20.

Bozius to. 1. de ſig Eccl. c. 15.

1. Cor. 10. 1.

Lib. 9. Ep. 39.

Alteram figuram agnoſcere poſſumus in aquis Jordanis, quibus ſepties lavari jubetur Naaman Syrus, & à lepra mundatur, ejuſque caro pura redditur, quaſi caro pueri. In Baptiſmi aquis virtute ſeptiformis Spiritus ſancti anima ab omni lepræ & peccati contagio emundatur, & puritati perfectæ reſtituitur.

4. Reg. 5. 10.

Denique in aquis miracula multa rei hujus prævia extitiſſe reperiet, qui ſcripturis Sacris intenderit. Sic aquæ marath, dulcis redditæ ſunt immiſſo ligno: quia baptiſmi unda ſuavis & efficax redditur, per virtutem ligni crucis & Paſſionis Chriſti. Sic & virtus probaticæ piſcinæ, aut natatoriæ Siloe ad quam cœcus natus à Chriſto miſſus fuit, virtutem noſtri baptiſmatis præſignavit ut docent SS. Patres.

Exod. 15. 25.

Tertiò declaratur ex oraculis Propheticis. Prævideratque ſpiritu Propherico Rex David has baptiſmi aquas (teſte S. Baſilio) dum filios Dei ſolemnibus verbis invitat & advocat, ut offerant Deo muneta, afferant gloriam & honorem intrantes cum victimis in atria ejus. Quid ita? Quia vox Dei admirabilis eſt, inquit, *ſuper aquas, in majeſtate, virtute magnificentia, confringens cedros, commovens deſertum, intercidens flammam ignis.* Quæ omnia virtuti baptiſmi conveniunt. Hæc gentes elatas inſtar cedrorum humiliavit, & fidei jugo colla ſubmittere fecit. Hæc populos qui erant inſtar deſerti vitiis & vepribus errorum obſiti, in quibus nullus adhuc erat ſulcus prædicationis, ad fidem commovit. Hæc flammas tartareas, quibus hæ gentes erant obnoxiæ, intercidit & ab eis avertit; flammaſque fuliginoſas pravæ cupiditatis, quibus in vita exæſtuantes ruebant, in aquis ſuis ſuffocavit. Hæc cervos præparat, expeditos reddens fideles, ad tranſilienda hujus ſæculi ſpineta ſive ſollicitudines, & celeriter & expeditè belligerandum, ſicut cervi ſolent, contra ſerpentis venenum. Hæc omnia facta ſunt voce Domini ſuper aquas baptiſmi reſonante, & illis virtutem tribuente, ac ipſo Domino Apoſtolos per univerſum orbem deſtinante, ut voce ſua virtutem hanc baptiſmalis aquæ omnibus gentibus nunciarent. Hæc ergo prævidens Propheta, meritò omnes ad laudem invocat, & prædicit fore, quod illa voce Dei & aquarum virtute undique permeante, tandem Dominus populo benedicens, perfecta eos pace frui faciet, ut in templo ejus omnes dicant gloriam, *Sedebit*, inquit, *Dominus Rex in æternum, & populo ſuo benedicet in pace.* Magnifica ergo eſt hæc de baptiſmi aquis prænunciatio.

S. Baſil. in Pſ. 28.

Pſal. 28.

Pſ. 28. 11.

Ezechiel ſimiliter has prævideratque, dum ait *Congregabo vos de univerſis terris, & effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis, & dabo vobis cor novum & ſpiritum novum.* Ecce aqua, ecce aquæ noſtræ baptiſmalis effectus, mundatio hominis, cordis & ſpiritus renovatio. Idem Propheta, vidit aquas de templo egredientes de latere dextro, & in his quoque allegoricè ſignificabantur aquæ baptiſmi, quæ à latere Chriſti vim habent, & ab altari crucis, & in totum orbem derivatæ ſunt, dum baptiſmi doctrina & gratia per Apoſtolorum prædicationem omnibus

Ezech. 36. 25.

Ecc. 47. 1.

Digitized by Google

bus innotuit. De quo etiam oraculum habemus Prophetæ Zachariæ: *In illa die exibunt aquæ vivæ de Ierusalem, & medium earum ad mare orientale, & medium ad mare novissimum.* q.d. Per totum orbem dispergetur doctrina, Baptismus, & gratia Christi. Zach.14. 8.

A Lapide in ep. 47. Ezech. Barrad. to. 2. l. 2. c. 6. Nominat quidem duo maria Orientale & Occidentale, sub illis alias duas mundi plagas intelligens, Austrum scilicet & Aquilonem. De his aquis Ezechielis vide latiùs Cornelium in illum locum, & Barradium tom. 2. l. 2. c. 6.

Isa. 55. 1. Isa. 12. 3. Deniq; Isaias Propheta hoc mysterium aquæ baptismatis præviderat, dum cap. 55. adeò liberaliter omnes sitientes convocat ad aquas: & dum cap. 12. prædicit: *Hauretis aquas de fontibus Salvatoris, & dicetis in illa die: Confitemini Domino, & invocate nomen ejus, notas facite in populis adinventiones ejus,* quod scilicet in vento adeò novo, per undam regenerationis, salutem hominum voluerit Dominus operari.

PROPOSITIO II.

Convenientissimè aqua designata est Baptismi materia.

PRimò quidem, quia cùm hoc Sacramentum institueretur omnibus necessarium ad vitam æternam, congruebat rem communissimam adhiberi, qualis est aqua, quæ nunquam non præsto est, & ab omnibus facilè haberi potest.

Secundò, quia Baptismi effectum aptissimè significat. Ut enim aqua sordes abluit, ita & proportionem habet ac analogiam, ad significandam munditiem interiorem, quam Baptismus operatur. Hinc & multæ Gentes crediderunt, vim inesse aquis ad expianda peccata & crimina, nec accedebant ad Sacra sua, nisi se aquis vivis abluissent. Hanc Græcis fuisse religionē, scribit Herodotus in Euterpe. Unde & Ægyptii in hieroglyphicis suis, per aquam & ignem, significabant puritatem, quia his duobus omnis lustratio contineretur. Hanc Gentibus fidem permisit Deus, ut crederent aquis inesse vim ad expianda peccata, ne possent eamdem fidem denegare Baptismo; sicque humanæ menti sterneret viam, ad credendam divinam baptismalis aquæ virtutem. Herodotus in Euterpe.

Tertiò, aptissima est aqua refrigerandis corporibus, flammæque extinguendæ: cum autem Baptismus etiam institutus sit, ut æstuantem cupiditatis ardorem restringat vitiorumque flammas, aptè ejus materia aqua est deligata.

Iren. li. 3. c. 39. Quartò, aliam adhuc analogiam & rationem affert D. Irenæus. *Sicut de arido tritico massa una fieri non potest, sine humore, neque unus panis: ita nec nos multi unum fieri in Christo Iesu poteramus, sine aqua quæ de Cœlo est. Et sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat: sic & nos lignum aridum, nunquàm fructificaremus vitam, sine superna voluntaria pluvia. Corpora enim nostra, per lavacrum illud, quod est ad incorruptionem, unitatem acceperunt, animæ autem per Spiritum. Vnde utraque necessaria, cum utraque proficiat in Vitam Dei, miserante Domino nostro Iesu Christo.* His verbis alludit D. Irenæus ad illud Apostoli: *Omnes nos in uno spiritu, in unum corpus baptizati sumus*: Et iterum: *Vnum corpus sumus, quia de uno pane participamus.* Ex his ergò omnibus notum fit, Deum meritò assumpsisse aquā, tanquam principium nostræ regenerationis, cùm etiam Philosophi dixerint, aquam cunctarum rerum esse principium: nam cùm corpora omnia constent quatuor elementis, seminis tamen cujuslibet (e quo illa conflantur) potissimam partem sibi vindicat aquæ elementum. 1. Cor. 12. 13. 1. Cor. 10. 17.

Quia verò dæmon præsensit aquæ elementum à Deo sic elevari ad effectus divinos & supernaturales, ad hominis salutem ordinatos: ideò aquis immiscuit miras superstitiones, ut illas etiam in baptismo suspectas redderet, & doceret fugiendas. Fuerunt enim olim aquæ immolatitiæ idolis consecratæ, quas ut idolothyta Christiani abhorruerunt. Unde cùm Valentinianus, Julianum, Fortunæ templum in Occidentali Gallia ingredientem præcederet, contigit, ut Sacerdos idoli frondibus quibusdam roscidis conspergeret: adeò ut gutta una in Valentiniani vestem inciderit. Quod factum ægrè ferens, ense eam partem vestis, in quam humor ille inciderat, præscidit, & percusso pugnis ministro, a se abjecit, ut refert Niceph. l. 1. cap. 1. Sic & Satan Colophonicas aquas dæmoniaco spiritu implebat, quem simul cum aquis Sacerdotes sui hauriebant, ut testatur Jamblicus. De quibus etiam mentionem facit Tertul. dicens: *Lymphaticos facit, Colophonis origo demoniaca.* Idemque testatur, Gentiles solitos lavacro initiari, sacris quibusdam Isidis & Myrrhæ: ipsos etiam Deos, villas, domos, templa, totasq; urbes, aspergine circumlatæ aquæ expiare, ludisque Apollinaris & Pelusiis aquis solitos tingi, in regenerationē & impunitatem scelerum & perjuriorum suorum. Denique scimus, per aquam solitum responsa dare, & nefanda docere dæmonem, & hæc ars diabolica *Hydromantia* vocatur. Hæc scilicet omnia Satan, perversus divinorum operum æmulator, impio usu inter suos usurpari voluit, invidens sanctificationem aquis impertitam a Domino, ad usus sacros & divinos in baptismo & aliis mysteriis. Sic pusillorum fidei hunc offensionis lapidem, & petram scandali, in quam impingerent, opponere voluit, ut etiam aquas a Deo sanctificatas horrerent. Niceph. l. 2. c. 1. Jamblic. l. de myst. Tertul. l. de anim. Tertul. de bapt:

PROPOSITIO III.

DE AQUA BENEDICTA.

Aqua benedicta.

IN hanc petram scandali nostri impingunt hæretici, aquæ benedictionem in Ecclesia impiè fugillantes, & vocantes satanicam incantationem. Quos tanquàm canes latrantes despicit Ecclesia, jubens, ut singulis Dominicis, factâ benedictione solemniter præmissâ, populus aquâ aspergatur: cujus etiam aquæ portio ad domos deportetur, variis usibus sacris profutura, piosque effectus habi-

Digitized by Google

habitura. De illa ſic ſcribit Alexander I. poſt Petrum Pontifex Quartus. *Aquam ſale conſperſam populis benedicimus, ut eâ aſperſi ſanctificentur & purificentur. Nam ſi cinis vitulæ aſperſus ſanguine, populum ſanctificabat & mundabat, multò magis aqua ſale aſperſa, divinisque precibus ſacrata populum ſanctificat & mundat. Etſi ſale aſperſo per Elizeum Prophetam ſterilitas aqua ſanata eſt, quantò magis divinis precibus ſacratus ſterilitatem auſert, & coinquinatos ſanctificat mundatque & cætera bona multiplicat, inſidias diaboli avertit, & à phantaſmatis verſutiis hominem avertit. Nam ſi tactu fimbriæ Salvatoris ſanatos infirmos non dubitamus, quantò magis virtute ſacrorum verborum ejus elementa ſacrantur, quibus ſanitatem corporis & animæ humanæ percipit fragilitas.* Hinc patet non eſſe novum aquæ illius uſum, nec virtutem ejus ex magica incantatione, ſed ex Eccleſiæ benedictione prodire. Ideò multipliciter prodeſt.

Heb.9.13.

Ejus utilitates.

1. Recordatio baptiſmi.

Prima utilitas eſt, quod per illam memores reddimur baptiſmi noſtri, in quo aquâ aſperſi, ab omni labe fuimus emundati, ad purè ſerviendum Deo viventi. Optat ergò Eccleſia, ut ſimus ſtudioſi hujus puritatis conſervandæ & augendæ per gratiæ incrementum; aut recuperandæ per pœnitentiam, ſi eam amiſerimus per peccatum. Hinc ad ingreſſum Eccleſiæ, vaſculum hujus aquæ apponi ſolet, ut ſciamus, per aquam nos in Eccleſiam Chriſti ingreſſos eſſe; & ideò cum puritate Domum Dei ingredi debere, ad offerendum nos Deo, & revocandum votum baptiſmale, quo renunciantes ſatanæ, Chriſto ſuimus conſecrati.

2. A venialibus expiatio.

Secunda utilitas eſt, quod per illam à peccatis venialibus expiamur. Habet enim ſpecialem hanc vim per meritum Eccleſiæ, quæ per ſpecialem ad id benedictionem, precemque ſuſam, ſua merita applicat ut id à Deo impetret. Et ideò dicit Alexander: *Si cinis vitulæ aſperſus populum ſanctificabat atque mundabat, multò magis aqua ſale aſperſa divinisque precibus ſacrata.* Et quidem à legali munditia populus antiquus mundabatur per aſperſionem cineris & ſanguinis, v. g. ab immunditia contracta ob contactum mortui; nos autem per noſtrâ aſperſionem ab immunditia ſpirituali, quam quotidiè contrahimus converſatione humanâ, habitantes in domo lutea, ambulantes in via pulverulenta, in qua impoſſibile eſt, non adhæreſcere pulverem aliquem & immunditiam pedibus noſtris, hoc eſt, affectibus; cùm Apoſtolorum pedibus etiam inhæſerit. Sed ſicut illi à Domino ablutione pedum myſtica emundati ſunt, ita & nos hâc ſacratâ aſperſione. Et: *qui lotus eſt* (à peccato originali & mortali per baptiſmum & pœnitentiam) *non indiget, niſi ut pedes lavet*, à venialibus per talem aſperſionem, ſivè per ſimilia remedia ab Eccleſia ordinata, animæ effectus purgando.

Joan.13. 10.

3. Inſidiarum depulſio.

Tertia utilitas eſt, quod per illam dæmonis inſidiæ, præſtigia, vexationes, depellantur. Hinc S. Hubertus, è quodam loco Satanæ tentationes & verſutias volens eliminare, ſic ait ad miniſtrum: *Nunc vade, aqua quæ ſacerdotali conſecratione ſale admixto benedicta, & ad effugandam inimici nequitiam impregnata eſt, liquorque olim itidem Apoſtolicâ auctoritate benedictus, huc defertur; quorum aſpergine atque liturâ, mox ita effugabuntur hinc inimici virulenta phantaſmata, ut amplius non audeat ſua inferre machinamenta.* Ita auctor vitæ apud Surium 3. Novembris. Ideò in pleriſque Cœnobiis, ſolet Sacerdos diebus dominicis ſingula clauſtra & habitacula perrorare, & hâc aquâ aſpergere, ad effugandas importuni hoſtis inſidias. Et optima conſuetudo eſt, veſperi cum quieſcendum eſt, illâ ſe munire, imò quoties aliquid aggrediendum eſt. Nam & Leo VI. de bellico apparatu ſcribens, inter alia ordinat, quod pridie ejus diei, quo prælium eſt ineundum, curare debeat Dux exercitus, per Sacerdotem univerſum exercitum expiari aquâ luſtrali. Ibidemque habetur, ut quotidie manè & veſperi, totus exercitus dicat Trishagium Hymnum. Multis porrò exemplis demonſtrari hic poſſet vis hujus aquæ contra dæmones eorumque inſidias, ſed mitto Lectorem, ne prolixior fiam, ad D'auroultium in Floribus Tom.2.c.4.tit.20.

mœnia depulſio.

Baron. an. 911.

D'auroultius in florib. exemp. ſeu Catech. hiſt.

Quarta utilitas eſt, corporũ ſanitas, morborumque depulſio, ſterilitatis aliorumque temporalium damnorum ſedatio, ut indicat Alexander Pontifex, & ipſa aquæ hujus benedictio ſuis verbis demonſtrat piuſque uſus. Vide vitas Sanctorum.

4. Morborum ac damnatorum depulſio.

S. Chryſoſtomus per aquam benedictam filium ægrum matri ſanum reddidit, monens propter parentum peccata, illi ægritudinem illam periculoſam contigiſſe.

Exempl.

S. Antelmus aſperſione aquæ benedictæ cæco viſum reſtituit, ut habet ejus vita.

S. Malachias Hiberniæ Epiſcopus filium Regis Scotiæ, & mulierem cancro laborantem, ſanavit, ut teſtatur S. Bernardus in ejus vita.

S. Bernardus mulieri periclitanti in partu, miſit aquam benedictam, quâ guſtatâ, confeſtim natus eſt puer, quem baptizans Epiſcopus Carnotenſis Gaufridus, Bernardi ei nomen impoſuit. Auctor vitæ l. 4. c. 4.

S. Eligius, cùm tollere vellet quaſdam ſuperſtitiones in vico quodam Noviomenſi, nec concionibus proficeret, ſed Auditores rebelles haberet, ſecutus exemplum Apoſtoli, tradidit illos Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus fieret, nec niſi poſt annum eos aſperſione aquæ benedictæ à ſpiritibus liberavit, de quo egi ſuprà præcepto 3.

Agros à locuſtis vel muribus vexatos, hâc aquâ fuiſſe ſæpè liberatos, invenies apud D'auroultium ſuprà.

Oblatrent ergò quantùm voluerint hæretici, ſcimus ex litteris Indicis & Japonicis, per hanc aquam mira peragi in novis illis ferventioribus Chriſtianis, morboſque illâ hauſtâ curari. Si velint incan-

Digitized by Google

incantatione ſatanæ hæc fieri, dicant ſatanam alterum ſatanam expellere, regnum quoque ejus diviſum, ut Dominus opponit Phariſæis. Dicant quoque aquam illam, quæ antiquitùs a Sacerdotibus benedicebatur ad manifeſtandam adulteram, incantatam fuiſſe, de qua num. 5. multaque ſimilia blaſphemo ore reprehendant.

LECTIO II.

DE FONTIBVS BAPTISMALIBVS.

Continet applicationem Sapientiæ Prophetica, vaticinantis de Baptiſmo.

ZACHAR. 13. v. 1.

In illa die erit fons patens domui David, & habitantibus Ieruſalem, in ablutionem peccatoris & menſtruatæ.

Fons dicitur Chriſtus.

PRophetam hiſce verbis ad nºvi Teſtamenti tempus reſpicere, & gratiam tunc effundendam deſignare, ac de Chriſti myſteriis vaticinari, haud dubium eſt. Sed Fontis nomine multa poſſunt deſignari. Inprimis aptiſſimè Deus incarnatus JESUS Chriſtus hoc nomine indicatur, ſivè divinitatem ſpectes, ſivè humanitatem. Nam ſecundùm divinitatem, Fons eſt Sapientiæ, à monte ſublimi, à Patris æterni mente originè habens, de quo Sapiens: *Fons Sapientiæ verbum Dei in excelſis.* Eccl. 1. 5. At ſecundùm humanitatem, Fons eſt a fœcunda terra viſcerum Mariæ conſurgens, ut ſterilem mundi terram irrigare poſſit, & præſignatus videtur per fontem illum Paradiſi, de quo Geneſ. 2. *Fons aſcendebat è terra, irrigans univerſam ſuperficiem terræ.* Gen. 2. 6. Ulterius ſi ſingula myſteria vitæ ejus percurras, aptè videbis, illi Fontis nomen convenire. 1. In Nativitate & pueritia quadrat ei illud Eſther 11. *Fons parvus crevit in fluvium magnum, & in aquas plurimas redundavit.* Eſt. 11. 10. Puer enim JESUS creſcebat ætate, ſapientiâ & gratiâ. *O ſi quis mihi det potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethlem,* 2. Reg. 23. 15. dicebat olim David. Reſpiciebat (inquit Sophronius) ad myſticum illum fontem gratiæ Chriſtum, qui debebat in Bethleem ortum habere. 2. In perfecta ætate, jam cum hominibus converſans, Fons eſt doctrinæ & gratiæ, arentia corda irrigans. *Si quis,* inquit, *ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Joan. 7. 37. 3. In Paſſione fons eſt pietatis, per quinque carnales emanans in ablutionem peccatoris; & tunc fons, qui antea abſconditus & clauſus videbatur, clavis & lanceâ apertus fuit, ut omnibus pateret, ſcaturiens aquam & ſanguinem, Sacramentorum ſymbola. 4. In Reſurrectione Fons eſt gloriæ & beatitudinis, aliis eam impertiens, fluminis impetu lætificans civitatem Dei, cœleſtis Paradiſi arbores continuò irrigans aquâ & rore perfectiſſimi gaudii & lætitiæ æternæ. Illi ergò convenit illud Iſaiæ 58. *Fons aquarum, cujus non deficient aquæ.* Iſa. 58. 11. 5. In Aſcenſione fons eſt tantùm aſcendens quantum deſcendit: *A ſummo cælo egreſſio ejus, & occurſus ejus uſque ad ſummum ejus*: & indè Spiritus Sancti donis inſtar rivulorum ab hoc fonte profluentibus, ager Eccleſiæ perfuſus fuit: & fœcundus effectus. 6. In Sacramentis omnibus, tanquàm fons aquæ vivæ agnoſcitur, fons derivans in nos copioſam benedictionem & gratiam quotidiè, quovis etiam ſæculo futuro. Ac præſertim in Euchariſtia, ubi ipſe agnoſcitur Fons amoris. Ob hæc ergò omnia, Chriſtus ipſe rectè dicitur his verbis Prophetæ deſignari: *In illa die erit fons patens*, fons utique doctrinæ, gratiæ, ſalutis, ex quo perpetuò ſalus fluit, quia nullis hominum peccatis arefcit. Pſal. 18. 7.

Sed aptiſſimè quoque D. Hieronymus, Rupertus, Hugo, & alii, per hæc verba putant Baptiſmi Sacramentum ex mente Prophetæ deſignari. An non hic eſt fons patens, & omnibus obvius? Nemo prohibetur haurire; omnes invitantur in eo ſe abluere. Patens eſt domui David & habitantibus Jeruſalem. Per domum David intellige Principes, per habitantes Jeruſalem, intellige communem plebem. Nemo enim rejicitur, quamlibet vilis conditionis & generis, nemo excuſatur, quamlibet ſublimis dignitatis, quin huc debeat accedere, & ſe incurvare ad hunc fontem, ſi vult haurire ſalutem. Patens quoque eſt domui David, hoc eſt, Eccleſiæ & filiis ejus generandis, & habitantibus Jeruſalem, hoc eſt, adipiſcentibus ad æternæ pacis viſionem. Deniq; patens eſt, *in ablutionem peccatoris & menſtruatæ.* Literaliter per peccatorem potes intelligere viros, per menſtruatam fœminas peccato ſordidatas, q. d. ad elevanda peccata tàm virorum, quàm mulierum. Nullus alius fons reperiri poteſt, qui omnia peccata abluat, niſi fons baptiſmalis. Hebræa Lectio habet: *Ad peccatum & menſtruam immunditiam*, abluendam ſcilicet & expiandam à peccatore & menſtruata. Alludere videtur ad aquas expiationis confectas ex cinere vitulæ rufæ, quibus immunditia ex menſtruo morticinio, aliaq; quavis pollutione (quæ erat peccatum legale veteris Teſtamenti) contracta abluebatur, Num. 19. Hoc enim Chaldæa Lectio ſic exprimit: *Dimittam peccata eorum, ſicut mundantur aquâ aſperſionis & cinere vaccæ, quæ oblata eſt pro peccato.* Immunditia utiq; legalis, præſertim menſtrui, typus erat peccati; nam peccatum eſt menſtruum animæ; quia eſt ejus virus, pollutioque fœda. Vult ergò ſignificare, hunc fontem animas facilè abluere, quantumlibet maculoſo peccati ſanguine cruentas: quia nulla eſt tam fœda macula, nec tam inveterata, quam non poſſit eluere. Rectè quoque aliqui cum Lyrano per peccatum, intelligunt actuale; per menſtruum, originale: hoc enim transfunditur generatione, cujus fæces & reliquiæ in puer-

V. Corn. à lapide in hunc Zach. locum.

Num. 19. 11.

Digitized by Google

pera sunt menstrua, & fluxus sanguinis, sive sordes, instar menstruorum. Et sic significabitur, hunc fontem tam actuali, quàm originali peccato delendo esse institutum.

Ex his satis notum fit, quanta in veneratione & honore habendi sint sacri illi fontes, qui tanto apparatu & solemnitate ab Ecclesia cum mystica prece consecrantur, per quos regeneramur in filios Dei, & Christiani efficimur, imò membra Christi. Si ergò eorum encomia nolle plenius desideras, illa proleequor, tum ex sacris Scripturis, tum ex doctrina SS. Patrum.

Quid sint isti Fontes? 1. Latus Christi crucifixi.

Primò si quæras, quid sint fontes illi, & undè originem suam habeant? Recte dixerò, ex latere Filii Dei. Ad ictum enim lanceæ exivit sanguis & aqua: Sanguis implet Calicem mensæ Domini: Aqua sacros Fontes Baptismi. Ex latere primi Adam dormientis, formata est sponsa ejus Eva, ex latere secundi Adam in Cruce soporati, formata est secunda Eva, Ecclesia mater viventium; quæ tanquam sponsa per sanguinem & aquam debebat immaculata reddi, desponsari, fœcundari. An non id fit in baptismali Fonte, ubi per aquam Sanguis Christi applicatur, animæque lavantur, & à Filio Dei desponsantur? Utique; non sine mysterio sanctæ illæ mulieres Veteris Testamenti, Rebecca, Rachel, Sephora, Ecclesiæ figuram gerentes, apud fontes & puteos reperiuntur, ibique divinâ sic ordinante providentiâ, ad matrimonium initiantur. Ibi enim initiatum est matrimonium Rebeccæ cum Isaac Gen. 24. Rachelis cum Jacob, Gen. 29. Moysis cum Sephora Exod. 2. Significabatur ergò (teste D. August.) Ecclesiæ matrimonium in aqua Baptismatis initiandum. Typus erat; at nos vidimus veritatem adimpletam.

Gen. 24. 67. Gen. 29. 18. Exod. 2. August. *2. Uterus spiritualis, Mater Ecclesia.*

Secundò, si quæris, quid sint fontes illi? Respondet D. Chrysostomus cum Leone, esse uterum Matris nostræ Ecclesiæ, in quo fit secunda nativitas nostra, per quam esse novum, esse spirituale & divinum participamus. Estque hic uterus instar uteri virginalis, quia, sicut in illo semel formatus est Christus, ita & per sacri Fontis uterum formantur quotidiè mystica membra Christi, dum per illum generantur Christiani. Undè & Ecclesia suos Catechumenos ad fidei doctrinam ac Christianam vitam invitans & sollicitè evocans, rectè cum Apostolo dicere potest: *Filioli, quos parturio, donec formetur in vobis Christus*, sive donec formetur in vobis, tanquam membris, spiritus Christi, spiritu gratiæ & salutis, ut Christus vivat in nobis, & vos in Christo. Est quoque hic uterus Ecclesiæ virgineus & immaculatus, sicut & Mariæ. Quia sicut illa peperit Christum caput nostrum, Virgo permanens; ita & per hunc immaculati Fontis uterum, omni tempore immaculata ejus membra parit, nec virginitatem amittit. Audi hac de re D. Leonem: *Omni hominum renascenti aqua Baptismatis, est instar uteri virginalis eodem spiritu replente Fontem, qui replevit & Virginem: ut peccatum quod ibi evacuavit sacra conceptio, hic mystica tollat ablutio.* Et iterùm: *Originem quam sumpsit in utero Virginis, posuit in fonte Baptismatis, dedit aqua quod dedit matri: virtus enim altissimi & obumbratio Spiritus sancti, qua fecit ut Maria pareret Salvatorem, eadem facit ut regeneret unda credentem.* Quid clarius aut elegantius hac de re dici possit? S. Chrysostomus verò de eodem fontis utero mystico, sic ait: *Quod est mater embryoni, hoc est fidelis aqua, siquidem in aqua fingitur & formatur. Nam primum dictum est: Producant aqua reptile animæ viventis. Ex quo autem Iordanis alveum ingressus est Christus, non amplius reptilia animarum viventium, sed animas rationales ac spirituales aqua producit.* His consonant, quæ antè diximus, explicando verba Christi, *Nisi quis renatus fuerit*, &c.

Gen. 24. 67. Gen. 29. 18. Exod. 2. August. *2. Uterus spiritualis, Mater Ecclesia.* Leo serm. 4. de Nativ. Idem serm. 5. Chrysost. hom. 5. in Joan.

Tertiò, si quæras quid sint fontes illi? Respondet Apostolus, esse sepulchrum veteris Adam. Ibi enim sepelitur & submergitur vetus homo cum actibus suis; ut indè novus homo resurgat & emergat, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate. Audi Apostolum: *An ignoratis, fratres, quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.*

3. Sepulchrum veteris Adam. Rom. 6. 4.

Ibi ergò destruitur, in hoc sepulchro deponitur corpus peccati, sive originalis labes, quam trahimus ex veteri Adam, cum actualibus aliis peccatis, quæ ex originali quasi quædam membra prodeunt, simulque quasi unum corpus constituunt; nam ut aliis verbis exprimitur apud D. Augustinum: *Ibi antiqui criminis omne pondus exponimus, & ignorantiæ nostræ facinora prisca delemus, ibi & veterem hominem cum ingentibus sceleribus exuimus.* Hinc movet Concilium Nicænum ante Canonem octavum: *Baptismatis nostrum non oculis corporis considerandum est, sed mentis oculis.* Aquam vides, considera virtutem Dei in aquis absconditam, descendit is, qui baptizatur, peccatis obnoxius, & servitutis corruptione detentus: ascendit autem a servitute & peccatis liber, filius Dei & hæres, cohæres Christi. Hoc idem monemus quemlibet Christianum, dum in ingressu Ecclesiæ Fontes videt, non solum aquam consideret, sed & locum ibi regenerationis & sepulchrum veteris hominis agnoscat, quicunque illuc descendit filius mortis, ascendit filius resurrectionis. Hoc invisibiliter peragitur, nec videre possunt id oculi corporis, sed fidelium pietas id optime novit, dum aperire vult oculos mentis. Unde & hac de re sic facer canit Poëta:

August. contra Julian. c. 3.

Culpa perit, sed vita redit, vetus interit Adam:
Sed novus æternis nascitur imperiis.

Gal. 4. 19.

Quartò, si ulteriùs quæras, quid fons baptismalis? Respondet Ecclesia, esse fontem illum Paradisi, quem

4. Fons Paradisi.

quem voluit Deus totum orbem irrigare. Sic enim canit Eccleſia in benedictione Fontis: *Benedico te creatura quæ, per Deum vivum, per Deum verum, per Deum Sanctum, qui te de Paradiſi fonte manare fecit, & in quatuor fluminibus totam terram rigare præcepit.* Fons ergo ille figuram gerebat Baptiſmi, qui lætificat Paradiſum Dei, hoc eſt Eccleſiam Chriſti; & ſuâ aquâ ejus plantas, animas fideles rigat, & fructiferas efficit. Hujus quoque fontis aquæ ſalutiferæ per univerſum terram diſperguntur, dum in quatuor orbis partibus in Oriente, Occidente, Meridie, Septemtrione, virtus Baptiſmi promulgatur. Continentur verò hoc Fonte aquæ illæ, propter quas Spiritus Domini initio ferebatur ſuper aquas. Ut quid enim ferebatur? Niſi ut ex tunc virtutem ſanctificationis aquarum natura conciperet, & ut ſignificaret quod tempore à ſe ordinato, aquam regenerandis hominibus præparatam, arcana ſui numinis admixtione fœcundaret; ut ſanctificatione conceptâ, ab immaculato divini Fontis utero, in novam renata creaturam, progenies cœleſtis emergere poſſet, ut canit Eccleſia. Et quidem tertiò repetens in Fontium benedictione illam vocem: *Deſcendat in hanc plenitudinem Fontis virtus Spiritus ſancti ut hanc aquam ſubſtantiam regenerandi fœcundet effectu*, ſatis ſignificat, totam virtutem hujus Fontis à Spiritu illo procedere, qui ſuper aquas naſcentis mundi initio ferebatur. Unde notatu dignum eſt, quod cum D. Hieronymo, Baſilio, & aliis advertunt ſacri Interpretes, Hebræa legere: *Spiritus Domini incubabat aquis*, more ſcilicet gallinæ aut columbæ nidificantis, & ova calore animantis inquit Divus Hieronymus. Nempè à Spiritu S. auram quandam calidam aſpirante, & aquis incubante ac fovente, illæ acceperunt vitalem quandam vim prolificam, ut piſces ac volatilia poſſent producere, hoc quidem pro initio naſcentis mundi: at tempore renaſcentis mundi, quia idem Dei Spiritus & aura incubat, ſuperfertur, fovet aquas Baptiſmi, accipiunt vim novos homines procreandi, cœleſtes viros quaſi aves cœli. Sacra itaque Columba his Fontibus Eccleſiæ ſupervolitans vim prolificam indit, ſacro eos & divino pectore illos calefacit, ſicut aves ova: ut enaſcantur parvuli illi, de quibus dicitur: *Sicut modo geniti infantes, ſint dolo, lac concupiſcite.* Et iterum. *Sinite parvulos ad me venire, & nolite eos prohibere, talium enim eſt Regnum Cœlorum.* Et ita ſi Pater æternus nos creat, ſi Filius nos redimit, Spiritus ſanctus nos regenerat, fœcundas aquas fontis noſtri, ad nos vivificandos. Hæc conſideret Chriſtianus, hæc ruminet, ſacros intuens Fontes.

Gen. 1.

1. Pet. 22.

Mat. 19. 13.

Probatica piſcina.

Quinto, ſi adhuc quæris, quid Fons Baptiſmalis; Reſpondeo eſſe probaticam illam piſcinam, in quam deſcendebat Angelus, & movebat aquam, & qui illam tangebat, ſanus fiebat à quacumque infirmitate. Omnia hæc in ſacro baptiſmi Fonte contingunt. 1. *Piſcina* illa *probatica*, dicitur, ſive ovilis, aut piſcina ovium (*Probaton* Græcè, *ovis* Latinè eſt) quia illic oves immolandæ congregabantur, & inteſtina lavabantur. Sic & nos ut ſimus hoſtiæ Deo, & exhibeamus corpora noſtra hoſtiam vivam Deo placentem, & omnia interiora benedicant nomen ſanctum ejus, ac in odorem ſuavitatis illi offerantur, oportet priùs in lavacro regenerationis, in Fonte Baptiſmatis ablui. Imò, ſi ante quaſi hœdi fœtidi fuimus, jam per illud lavacrum oves reddimur, candidi efficimur, & de grege Domini cenſemur. 2. *Quinque porticus* habebat: ibique indicantur quinque præcipua Domini vulnera, paſſionisque ejus virtus, per hæc baptiſmum ingredimur, & acceſſum habemus ad lavacrum hoc, quod vim habet ex ſanguine Agni. 3. *In his jacebat multitudo languentium, cæcorum, claudorum, aridorum.* Hæc quatuor genera infimorum univerſa denotant genera peccatorum, qui in baptiſmo ſanantur. Cæci enim ſunt, qui ignorantia fidei laborant. Claudi, qui in duas partes claudicant ſervire volentes Deo & mammonæ, aut qui ex naturæ infirmitate delinquunt: Aridi, qui affectu charitatis Dei & proximi carent: Languidi qui ab internis affectibus inordinatis, quaſi à pravis humoribus ſuperantur, imbelles, ad ea quæ Dei ſunt, fortes ut faciant malum. Hi omnes ſanantur, ſi accedant ad quinque porticus, hoc eſt, ad vulnera Salvatoris, & ad Piſcinam baptiſmalem. Aut ſi mavis cæci ſunt omnes ante lucem, quam recipiunt in Baptiſmo: Claudi ſunt, cum olim diaboli, nunc filii Dei eſſe nitantur, & inter hæc diabolicis ſuſpendantur inſidiis: Aridi quoque ſunt & languidi, quia natura eorum corrupta eſt per peccatum, & carent gratia Dei. 4. *Expectans in aqua motum*, quia qui baptiſmate ſunt initiandi, ſolent ad fores Templi expectare antequam abluantur, ſolent & voluntatem ſuam aliquoties proteſtari, reſpondentes *Credo*, *Volo*, *Abrenuntio*, antequam ſanctificentur. 5. Angelus Domini ſecundum tempus deſcendebat, & movebatur aqua. Hic eſt Chriſtus magni conſilii Angelus, qui tempore præordinato à Patre deſcendit, & aquam turbavit, eamque ſanguine ſuo tinxit, virtutem illi communicans. Emovit ergo aquam, cùm ei vim ſuæ benedictionis infudit. Nec enim, interprete Chryſoſtomo, Theophilacto & Euthymio, quod aquam ab Angelo moveri oportebat, aliud ſignificabat quam ſecretam aquam in baptiſmate, morbos eluere non poſſe, niſi virtus Chriſti acceſſerit. Iterùm deſcendit Angelus in Piſcinam tempore ordinato, dum Sacerdos qui Angelus in Scriptura nominatur, Chriſti perſonam gerens deſcendit fontes ſanctificans, ſacramque benedictionem eis imprimens: ut vim habeant omnem infirmitatem & languorem tam originalis, quàm actualis peccati abſtergendi. Denique deſcendit Angelus, hoc eſt, Sacerdos, quoties baptizat, movetque aquam elementarem cum verbo ſacramentali, & aqua poſt motionem illam à quacumque infirmitate ſanat, quæ immota non ſanaret.

Poſtre-

6. Mare æneum.

Poſtremò, ſi quæris quid illi Fontes? memineris vaſis illius ænei [quod mare vocabatur ob aquarum congregationem, quàm Hebræi mare vocant] quod præ foribus Templi antiqui conſtitutum fuit,

3. Reg. 7. 25.

& duodecim boves ſuſtinebant illud, *à quibus tres reſpiciebant ad Aquilonem, tres ad Occidentem, tres ad Meridiem, tres ad Orientem.* An non illud amplum vas, fontes noſtros ac baptiſmum deſignabat? Ad limen Templi poſiti ſunt, quia baptiſmus Eccleſiæ militantis oſtium & Sacramentorum eſt Janua. Boves duodecim Apoſtolos deſignant, qui tanquam boves in area Domini laboraverunt, nullis fracti laboribus: hi Baptiſmi Sacramentum Regionibus diverſis invexerunt, & velut humeris ſuis apportarunt. Et tres quidem boves reſpiciebant Orientem, tres Occidentem, &c. Quia Apoſtoli orbis totius curam ſuis humeris à Chriſto impoſitam habentes, ſortiti ſunt diverſas inter ſe orbis plagas. Unde & brevi in quatuor orbis partes, baptiſmi & Trinitatis myſterium translatum fuit. Hinc canit Eccleſia: *Qui gratia tua affluentus impetu lætificas civitatem Dei: Fontemque*

Pſ. 45. 5.

baptiſmatis toto orbe aperis gentibus innovandis. Ubi alludit ad illud Prophetæ: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei, ſanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus.* Quibus verbis largam gratiæ baptiſmalis effuſionem, atque exuberantiam, in ſancta Dei Eccleſia deſignat, qua irrigetur & ſanctificetur, gaudium & exultationem inde percipiens. Alludit quoque ad illud Iſaiæ 41. ubi prædicit Fontis baptiſmalis apertionem in perſona Domini dicens:

Iſa. 41. 18.

Aperiam in ſupinis collibus flumina, & in medio camporum Fontes. Ponam deſertum in ſtagna aquarum, & terram inviam in rivos aquarum. Ibi enim per ſupinos colles, & campos, Gentes intelliguntur, primum infructuoſæ & infœcundæ, divinæque ſocietatis præſidio deſtitutæ; ob quod ibidem & deſertum nominantur, & terra invia. Per flumina verò & fontes, lavacri baptiſmalis accipitur ſcaturigo, emanatio atque eruptio, quæ ubi divino inſtituto exundavit, Gentes à priſtinis ſordibus abluit, ſanctificavit, & innovavit.

Itaque, ô Chriſtiane, dum ſacri fontis benedictioni intereſſe te contingit, aut conſiderationi ibi latentis myſterii vacare cupis: horum omnium memineris. Memineris, inquam, hic contineri aquam, quæ de Latere Chriſti vim habet emundandi, eſſeque ſanguini junctam, quia virtutem Sanguinis Chriſti applicat baptizandis. Memineris, hunc eſſe uterum tuum ſpiritualem, ex quo renatus es, omniſque progenies cœleſtis, ex illo ſecundam nativitatem haurat, neceſſe eſt. Memineris quoque, hic eſſe ſepulchrum veteris Adam, hoc eſt, in quo omnis macula originalis ex Adamo contracta, omniſque actualis noxa ex illo oriens ſepeliatur, ut novus homo reſurgat. Recorderis etiam, hic eſſe fontem Paradiſi, cujus aquis irrigatus es, ne lignum fores aridum, æterni ignis alimentum. Denique recordare hanc eſſe probaticam piſcinam, in qua ovis Chriſti effectus es, & hoſtia Deo immolanda; his aquis primam ſanctificationem accipiens, ut te deinceps Deo offerres in odorem ſuavitatis. In hac etiam Angelo deſcendente, & aquam movente, hoc eſt, Sacerdote cum verbo vitæ Sacramentum hoc aquæ tibi adminiſtrante, purus & ſanus à contracta macula & morbo evaſiſti. An hæc parvi pendenda exiſtimas? Ingratus eſt, qui hæc non recogitat, & ſanctificationi ibi acceptæ, conſervandæ & augendæ, aut ſi eam amiſerit recuperandæ, ſolicitus non incumbit; & tanta myſteria humili & pio animo non recolit, per quæ tot percepit beneficia.

MIRACULA FONTIUM.

SAncta Mater noſtra Eccleſia, ut memoriam imprimat horum omnium, & gratitudinem ſinceram inferat cordibus Filiorum ſuorum cum reverentia conjunctam, tantâ celebritate his in anno Sacratiſſimo tempore Paſchatis, & Pentecoſtes, hos ſacros Fontes benedicit. Quo quidem tempore olim ſolebat ſolemniter adminiſtrari baptiſmus, nec aliis id fiebat temporibus, idque divinitus multis miraculis tunc fuit approbatum. Refert enim Paſchaſius Epiſcopus Lilybæi in epiſtola ad Leonem, quæ habetur inter epiſtolas D. Leonis, in Sicilia in quodam vico, qui Meltinas dicitur, Fontes Eccleſiæ ſingulis annis in vigilia Paſchæ miraculosè impletos fuiſſe, quamdiu aliqui baptizandi erant: ſtatim verò omnibus baptizatis eadem aqua deperibat, nec amplius apparebat. Idem refert quod Occidentalis Eccleſia tempore Zoſimi Papæ celebraret Paſcha 25. Martii, & Orientalis 22. Aprilis; ſed miraculo fontium divinitùs adimpletorum declaratum fuit, Orientalem Eccleſiam ſuo tempore Paſcha celebrare, & Occidentales, in errore fuiſſe, de quibus miracula ſimilia videre poteſ apud Baronium, tom. 5. anno 417. & apud Dauroultium in Floribus exemplorum tom. 2. capit. 4. tit. 1.

Miracula fontium baptiſmalium. Apud S. Leonem ep. 75.

Quod ſi quæras, cur illis diebus baptizaret Eccleſia? Reſponder D. Leo: *quia ille erat legitimus dies, in quo orta eſt & veritas muneris, & ſpecies actionis.* Nempe, baptiſmus figura eſt mortis & reſurrectionis Chriſti, dicente D. Leone. *In morte Crucifixi, & in reſurrectione ex mortuis*, potentia baptiſmatis novam condit creaturam ex veteri, Ideò ergo in Paſchate baptiſmus ſolebat adminiſtrari. Sed & id aptiſſimè fiebat in Pentecoſte, quia multa millia tunc baptizata ſunt a Petro, & omnis virtus baptiſmi eſt à dono Spiritus ſancti, qui tunc deſcendiſſe recolitur. Denique, quia tunc primum publicata fuit lex nova, cujus hoc eſt primum myſterium.

Admirabile eſt iterum quod hac de re refertur ex Gregorio Turonenſi: in Luſitania dicit fuiſſe ſacrum baptiſterium apud Oſem campum ad quod convenientibus die Jovis ſacro ante Paſcha, Epiſcopo & populis, vacuum reperiebatur. Tunc oſtia Epiſcopus muniri jubebat cum ſignaculis, adventumque

S. Greg. Turon. l. 1 de gloria Mart. c. 24. & 25.

Digitized by Google

tumque virtutis Dominicæ præſtolabantur; Die autem tertiâ (hoc eſt Sabbato) convenientibus ad baptizandum populis, adveniens Epiſcopus cum civibus ſuis, inſpectis ſignaculis, oſtia reſerabat clauſa. At mirum dictu, piſcinam quam reliquerant vacuâ, reperiunt plenam, ſed ita cumulo altiore refertam, ut ſolet ſuper ora modiorum, ſive menſuratum triticum aggregari, videaſque huc illuc latices fluctuare, nec partè in adverſum defluere. Tunc exorciſmo facto, & conſperſo deſuper Chriſmate, omnis populus pro devotione haurit, & vas plenũ domum portat, ægros, vineaſq; aſperſione ſalubri tutans. Et cùm multitudo amphorarũ hauriatur, id cumulũ non minuit, ſed baptizatis omnibus, aquæ diſpereunt: cùm verò Theodegiſilus Rex hujus religionis vidiſſet hoc miraculum, cogitavit intra ſe: Ingenium eſt Romanorum (ſic vocabat Chriſtianos) & dolus eorum, non verò Dei virtus. Veniens ergò oſtium ſigillo ſuo etiam munivit, & cuſtodes poſuit, ſi forte deprehenderet aliquem fraudis hujus conſcium. Et hoc primo & ſecundo fecit, tertio verò anno foſſas in circuitu baſilicæ & piſcinæ fieri fecit, ne fortè occultis locis aqua deduceretur, erantque viginti quinque pedum in profunditate, quindecim in latitudine, ſed nihil abditum reperire potuit. Anni verò ſequentis diem, quo hoc myſterium celebrabatur, morte præventus videre non meruit, eò quod arcanum virtutis divinæ inveſtigare præſumpſit. Hæc ex Gregorio Turonenſi, de gloria Martyrum, cap. 24. & 25.

Sophr. in prato Spir. c. 25.

In Lycia Provincia, in Pago Cedebratis, ſimile baptiſterium erat, quod à ſeipſo implebatur aquâ in die Paſchæ, & durabat uſque ad diem Pentecoſtes, tunc verò evaneſcebat. Ita habetur in Prato ſpirit. cap. 25. His omnibus ſignificare volut Deus, quanta veneratio his ſacris Fontibus debeatur.

Theoph. in Ann. Græcorũ Baron. to. 9. ad an. 719. §. 20.

Undè & antiquitùs habitum fuit tanquàm præſagium improbæ vitæ, ſi fortè puer, qui immergebatur, ſordibus infantilibus inter baptizandum Fontem macularet. Hoc refertur contigiſſe Conſtantino Copronymo, de quo ſic Theophanes. Anno tertio imperii ſui natus eſt Leoni Iſauro Filius Conſtantinus, qui magis illo impius, fuit dictus Antichriſti Præcurſor. Cùm à matre ad Baptiſmum delatus eſſet, & Germanus Epiſcopus baptizaret, contigit cum ſordibus emiſſis, ſacrum lavacrum fœdare, ita ut Germanus vir ſanctus prophetice diceret: *Conſtat Chriſtianis & Eccleſiæ, maximi mali per eum efficiendi hoc ſignum eſſe.* Quod contigit dum non ſolùm imperii, ſed & nequitiæ parentum ſucceſſor fuit. Dicitque Zonaras & alii, Conſtantinum, ob ſtercus tunc egeſtum in ſacrum lavacrum, cognomento dictum Copronymum.

Cuſpin. in ejus vita.

Simile quid refertur de Wenceslao Rege Bohemiæ, qui natus Carolo IV. 1361. Matrem ſuo partu interfecit, & baptiſma primo ingreſſu coinquinavit; ut proverbium indè fieret fore improbum, quod & reipſa, cùm adoleviſſet, comprobavit. Non ſolùm enim Sacramentum baptiſmatis, ſed totam Chriſtianam religionem coinquinari paſſus eſt, homo otioſus, ſomno venerique deditus. Sub ipſo enim ingreſſa hæreſis Huſſitarum in Bohemiam, quæ hodiè adhuc durat: illius verò ſocordia, & luxus huic rei dedit cauſam. Cùm enim à pueritia in Bohemorum & Romanorum Regem ſublimatus eſſet, ventri tantùm ſtuduit, majorem curam gulæ habens, quàm regni, luxuique deditus, neglexit his erroribus occurrere, tandem ei poſt annos circiter 20. Imperium, conſenſu Principum, anno 1400. abrogatum fuit.

Volat. l. 5. Georg. an. 679.

Idem narrat de Ethelredo Angliæ Rege Volateranus. Hic illo anno Regnum Angliæ adeptus, potiùs obſedit, quàm rexit annis 37. hujus vitæ curſus ſævus in principio, miſer in medio, turpis in exitu aſſeritur, Ita parricidio cui conniventiam adhibuerat immanis; ita fugâ & mollitie infamis, ita morte miſerabilis fuit. Ignaviam ejus prædixerat S. Dunſtanus Archidiaconus fœdo exemplo admonitus; nam cùm Pyſiolus in fonte Baptiſmi mergeretur, circumſtantibus Epiſcopis alvi profluvio Sacramenta interpolavit. Quâ re ille turbatus: *Per Deum*, inquit, *& matrem ejus, ignavus erit homo.* Hæc ille.

Bredenb. l. 6. coll. c. 53.

Narat etiam Bredenbachius, anno 1579. quod cùm oppidum Kerpenſe propè Coloniam nunc Statuum ut vocant, tunc Regiorum militum irruptione invaderetur, miles quidam Eccleſiæ baptiſterium fœdârit ſordibus. At non impunè; nam ſtatim oculorum lumine divinitùs privatus fuit; cumque vagis greſſibus huc illuc aberraret, in hoſtes incidens captus eſt; & ante valvas Eccleſiæ quam fœdârat ſuſpenſus: Pejor hic Copronymo, quia is infans polluit; at iſte juſtæ ætatis ſenio. Utrique tamen certam ſpeciem dedit, Conſtantinus futuræ, hic præſentis improbitatis Ita Bredenbach. l. 7. Collat. cap. 53.

LECTIO III.

DE FORMA BAPTISMI.

1. *Docet quibus verbis Baptiſmus conſtet.*
2. *Quando fuerit ea forma inſtituta.*
3. *Quomodo etiam laicos conveniat ſcire formam.*

PROPOSITIO I.

Forma Baptiſmi eſt: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.

HOc eſt verbum vitæ, quod accedens ad lavacrum aquæ juxta Apoſtolum, vim animam mundandi & putificandi ei confert. *Quæ eſt enim tanta vis aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, niſi facientis verbo?* inquit Divus Auguſtinus, *Accedat enim verbum ad Elementum, & fit Sacramentum.* Fphes. 5. 26. S. Aug. tract. 80. in Joan.

Digitized by Google

tum. Hæc eſt *vox Domini, reſonans ſuper aquas,* & vim ei mitam ad regenerandos populos ingenerans, ut ſicut initio verbo omnia creata ſunt, ita & verbo hoc Sacramentali, novam quandam creationem homo (qui eſt mundus abbreviatus, in quo omnia creata continentur) accipiat. Hæc eſt iterum vox, quæ producit lucem in hoc microcoſmo dividens illam à tenebris. Ille enim, *qui de tenebris dixit lumen ſplendeſcere,* per hanc vocem, *illuxit in*
2. Cor. 4. 6 *cordibus noſtris, ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei:* hoc eſt, lucem infundit & gratiam JESU Chriſti ad effugandam caliginem originalis peccati; & dividit lucem à tenebris per hanc vocem, hoc eſt, veros Fideles jam illuminatos, à populis qui jacent in cœca nocte ignorantiæ & infidelitatis habentes obſcuratum cor & intellectum, neſcientes videre vias vitæ, ſemitas juſtitiæ, portas fœlicitatis æternæ. Denique, hæc eſt vox Angeli turbantis aquam piſcinæ; quia ſicut Angelus ille deſcendens, faciebat ut ſanguis hoſtiarum, quæ ſolebat ibi lavari, è fundo in ſummum emataret, & ſic aquæ illæ cruore illo rubeæ efficerentur, & vim lavandi acciperent: Sic Sacerdos hoc verbo ſacro commovet aquam hujus piſcinæ, quam Chriſtus Sanguine ſuo ſanctificavit, & velut è fundo Sanguinem hunc Chriſti evocat; ut vitellus vim lavandi à peccato habeat, ſine quibus verbis aqua non prodeſſet, nec Sanguis Chriſti efficaciter applicaretur. Poſtremò,
Joan. 5. 4.
Pſ. 28. 7. hæc eſt *Vox Domini intercidentis flammam ignis:* quia ab aquis baptiſmalibus ſuffocatur obligatio illa, quam habet ad flammas æternas inhuelis nondum baptizatus, tanquam filius iræ & reus gehennæ; & per hanc ſacramentalem vocem, velut interciditur & amovetur ab illo pœna illa ignis, ut ſupra dixi.

In forma Baptiſmi requiritur diſtincta & expreſſa invocatio Trium Perſonarũ.

Eſt autem in forma Baptiſmi, ita neceſſaria expreſſa invocatio trium Perſonarum Sanctiſſimæ Trinitatis, ut aliter nullum ſit Sacramentum. Definitur id in Concilio Florentino, & per plura Pontificum decreta, quæ paſſim à Scholaſticis Doctoribus allegantur. Deduci id etiam poteſt ex Sacris Scripturis.

Primò, quia, cùm Dominus miſit Apoſtolos in univerſum orbem, dixit eis: *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Ubi ſignificatur voce expreſſâ nominandum eſſe, & invocandum Patrem, & Filium, ac Spiritum ſanctum, quia intendebat ibi Chriſtus docere ritum & formam Baptiſmi, ut docent Sancti Patres locum illum interpretantes. Undè Didymus Alexandrinus: *Non arbitror quemquam tam vecordem, ut perfectum Baptiſma putet, quod datur in nomine Patris & Filii, ſine aſſumptione Spiritus ſancti, aut rurſus: in nomine Patris & Spiritus ſancti, prætermiſſo Filii vocabulo, aut certè in nomine Filii, & Spiritus ſancti prætermiſſo vocabulo Patris. Licet enim quis poſſit exiſtere faxei, ut ita dicam, cordis, & penitùs mentis alieni, quia ita baptizare conetur, ut nimirum de præcepti nominibus prætermittat (videlicet contrarius Legislator Chriſto:) tamen ſine perfectione baptizabit, imò penitùs à peccatis liberare non poterit, quos ita à ſe baptizatos exiſtimaverit.* Idem affirmat D. Ambroſius c. 4. l. de his qui initiantur: *Catechumenus niſi baptizatus fuerit in nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti non poteſt accipere remiſſionem, nec ſpiritualis gratiæ munus haurire.* Condemnandi ergo hæretici noſtri, qui quidem admittunt hanc baptizandi formam, negant tamen eſſe abſolutè neceſſariam, ſed poſſe ſine illa Baptiſmum conſtare, putantque ſuperſtitioſum certis verbis inhærere. Sed de hac re egi ſupra. Ambr. l. de Sacr. c. 4.

Secundò declaratur ex Actis c. 19. Ubi cum aliquos interrogaſſet Paulus, an Spiritum ſanctum accepiſſent credentes? Reſpondetur illi: *neque ſi Spiritus ſanctus ſit, audrimus.* Subjungit Paulus *In quo ergo baptizati eſtis?* Quæ interrogatio ſupponit illos non potuiſſe baptizari, non audito nomine Spiritus ſancti, qui in forma expreſsè nominabatur. Undè illi reſponderunt, ſe in baptiſmate Joannis baptizatos eſſe, in illo autem non exprimebatur Spiritus ſanctus aut Trinitas; imò nulla fortè verborum certa forma conſtabat. Quamvis enim aliqui exiſtiment, hanc fuiſſe ejus formam: *Baptizo te in fide venturi,* eò quod Scriptura aſſerat Joannem baptizaſſe in eum, qui venturus eſſet poſt ipſum: hoc tamen non eſt neceſſarium, quia ſolum ſignificare vult Scriptura, Joannem baptizando docuiſſe, illos credere in Chriſtum venturum poſt ſe, & baptizaturum in Spiritu ſancto. Non verò his verbis cenſetur aſſerere, hanc vel ſimilem formam Baptiſmi Joannis neceſſariam fuiſſe, *Baptizo te in fide vel in nomine venturi.* Act. 19. 3.

Tertiò, declaratur ex Baptiſmo, quem Chriſtus ſuſcepit, noſtrum initians & inſtruens Baptiſmum. In illo enim: S. Trinitas ſpeciatim apparuit, ut doceremur Chriſti Baptiſmum in nomine trium Perſonarum debere conferari & confici. Apparuit Pater in voce, Filius in perſona, Spiritus in ſpecie columbæ. Itaque Eccleſia tum ex verbis, tum ex facto Chriſti, edocta eſt hanc debere eſſe formam: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ubi inprimis exprimitur actio miniſtri, in verbo, *Baptizo,* ſecundò perſona, quæ baptizatur, in voce, *Te,* tertiò cauſa principalis Baptiſmi, ipſa ſcilicet Trinitas Perſonarum, quartò unitas eſſentiæ divinæ, dum dicitur *in nomine,* non autem *in nominibus,* per hoc enim ſignificatur eadem virtus & poteſtas in tribus illis Perſonis. Objectio. Act. 1. 8.

Sed opponitur hic, quod Baptiſmus ab Apoſtolis datus, legatur in nomine Jeſu Chriſti. Reſpondet D. Ambroſius, in nomine, *Chriſtus,* totam Trinitatem deſignari, Chriſtus enim idem eſt quod *unctus,* & hic qui dicit Chriſtum, dicit filium qui unctus eſt, dicit Patrem à quo unctus eſt, dicit Spiritum S. quo unctus eſt. Eodem modo interpretatus eſt S. Baſilius, dicens: *Chriſti invocatio totius Trinitatis eſt profeſſio, quippe, quæ ſimul declarat* Reſp. 10. 19. Ambr. l. 1. de Spir. S. cap. 3. Baſil. de Spir. S. c. 12.

Digitized by Google

Cap. à quodam Judæo, de conſecrat. d. q. Iſa. 61. 1.

clavet Deum qui unxit, filium qui unctus eſt. Idem ſecuti ſunt aliqui Theologi antiquiores, cum quibus connumerandus eſt Nicolaus Pontifex : qui ob id exiſtimarunt valere Baptiſmum, qui conferretur in ſolo nomine Jeſu Chriſti. Attamen licet verum ſit, in nomine Chriſti implicita quadam ſignificatione, poſſe indicari tres perſonas Triadis, juxta illud, quod Chriſtus ex Iſaia de ſe dicit ſcriptum : *Spiritus Domini ſuper me eo quod unxerit me, &c.* Ubi tres perſonæ deſignantur, in voce, *Dominus*, Pater, in illa voce, *ſuper me*. Filius, in voce quoque *Spiritus*, tertia perſona manifeſtatur, Patet ergo Filium Spiritu S. unxit, & ideò Chriſtus dicitur. Hæc, inquam, vera ſunt; ſed cùm ſit illa ſignificatio valdè implicita, dicendum, illam non ſufficere, cùm expreſſa Trinitatis invocatio requiratur. Alioqui is qui in ſolo Spiritus S. nomine baptizaret, dici poſſet etiam validè baptizare, quia eodem atteſtante Ambroſio : *Si Spiritum S. dicis, & Patrem à quo procedit Spiritus, & Filium quia quoque Spiritus eſt, nuncupaſti.* Et tamen nemo dixerit Baptiſmum valere, ſi ſolum Spiritus nomen invocetur.

Reſpondent ſecundo alii, id factum fuiſſe ab Apoſtolis ex afflatu Spiritus S. & diſpenſatione divina, propter exaltationem nominis Jeſu Chriſti quod Judæis erat ſcandalum, Gentibus autem ſtultitia : ut paulatim illud amabile redderetur, & initio naſcentis Eccleſiæ illuſtrius foret, ejuſque divina & eximia poteſtas magis celebraretur. Hæc eſt antiquorum reſponſio, quam non improbat Catechiſmus Concilii Trid.

Reſpondetur tertiò, cùm in Actis dicitur, aliquos eſſe baptizatos in nomine Domini Jeſu, aut in nomine Chriſti, non intelligendum eſſe, quod ſub hac forma baptizarentur : *Ego te baptizo in nomine Jeſu Chriſti.* Sed tantum vult ſignificare D. Lucas qui acta ſcripſit, illos fuiſſe baptizatos baptiſmo Chriſti, ſive à Chriſto inſtituto, & non fuiſſe ſolum baptizatos baptiſmo Joannis, Hoc loquendi modo

Gal. 3. 27. etiam Paulus ad Galatas utitur dicens : *quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* In Chriſto vocat baptizatos, qui Chriſti baptiſmo, & in fide Chriſti baptizati ſunt, forma tamen communi à Chriſto inſtituta : *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.* Illi ergo, de quibus in Actis, baptizabantur etiam hac forma communi. Et fortè B. Ambroſius non vult dicere, quod aliquando fuerit baptizatum in nomine Chriſti, ſed ſed ſolum dare rationem, cur ille baptiſmus, qui in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis dabatur, dicatur datus in nomine Jeſu Chriſti : quia ſcilicet in nomine Chriſti virtualiter continetur tota Trinitas, ut explicatum eſt.

***

PROPOSITIO II.

Forma baptiſmi inſtituta eſt ante paſſionem Chriſti, & ante mandatum Apoſtolis datum ut irent per totum orbem.

RAtio eſt, quia ante Chriſti mortem diſcipuli Chriſti baptizaſſe, ergo & materia & forma baptiſmi tunc erat deſignata. Ipſos autem baptizaſſe aſſerit Joan. cap. 3. *Venit Jeſus & diſcipuli ejus in Judæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat.* Explicat autem cap. 4. quomodo Chriſtus dicatur baptizaſſe, quia ſcilicet diſcipuli ejus baptizabant, utique baptiſmo a Chriſto inſtituto, ut docet D. Auguſt. & alii Patres. Nec enim dici poteſt diſcipulos Chriſti baptizaſſe baptiſmo Joannis : quia erat æmulatio inter diſcipulos Joannis, quod plures accederent ad baptiſmum Chriſti datum per diſcipulos ejus, quam ad baptiſmum Joannis, dicebant enim : *Ecce is, cui tu teſtimonium perhibuiſti trans Iordanem, baptizat, & omnes veniunt ad eum* : unde & Joannes ſua reſponſione ſatis ſignificat, baptiſmum a Chriſto ſive diſcipulis ejus datum eſſe ſuo excellentiorem, dum ait : *Non poteſt homo accipere quidquam, niſi fuerit ei datum de cœlo*, dixi vobis : *Non ſum ego Chriſtus, ſed miſſus ſum ante illum* : *Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt.*

Joan. 3. 22.

Joan. 3. 26.

Ib. v. 7.

Confirmantur hæc ex illis, quæ aſſerit Evodius Epiſcop. Antiochenus apud Nicephorum, l. 2. c. 3. Aſſerit quod Chriſtus manibus ſuis Petrum tantum baptizarit : Petrus Andream & Filios Zebedæi, Jacobum & Joannem : Illi denique reliquos Apoſtolos, Septuaginta autem Diſcipulos, Petrus & Joannes baptizarunt. Eadem de Petro à Chriſto baptizato teſtatur Clemens, addens Petrum baptizaſſe Andream & Joannem, illos verò baptizaſſe reliquos. Pium tamen & probabile eſt, quod aſſerit Euthymius, Chriſtum ante Apoſtolos baptizaſſe Deiparam. Hæc autem omnia dico peracta fuiſſe ante Paſſionem Chriſti, quia non eſt veriſimile Chriſtum dediſſe Euchariſtiam non baptizatis, aut non baptizatos ordinaſſe Sacerdotes : ordinati autem ſunt Apoſtoli ante Paſſionem, Euchariſtiamque receperunt.

Niceph. l. 2. hiſt. c. 3.

Quapropter non aſſentior D. Chryſoſtomo dicenti Apoſtolos non fuiſſe baptizatos ante diem Pentecoſtes. Opponi poteſt quod Joan. 7. dicatur : *Nondum erat Spiritus datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus.* Ex quo loco poſſet quis colligere, vel Apoſtolos ante Chriſti Aſcenſionem aut reſurrectionem, necdum fuiſſe baptizatos ; vel ſaltem baptiſmum non tribuiſſe Spiritum ſanctum ante illam, prout videntur indicare aliqui ex antiquis Patribus, inter quos Rupertus, Theophylactus, Chryſoſtomus. Sed dicendum, ibi ſermonem eſſe de viſibili Spiritus S. effuſione, quæ in die Pentecoſtes facta eſt, quando de ventre, ſive de intimis Apoſtolorum ſenſibus, flumina quædam Spiritus S. fluere inceperunt ; Taliter ergo non fuit ſpiritus

Joan. 7. 39.

Digitized by Google

datus, niſi poſtquam Jeſus fuit glorificatus; quamvis datus fuerit ſufficienter ad remiſſionem peccati, & effectum baptiſmi.

Objectio. Sed dices: Nunquid baptiſmus omnem vim habet ex Paſſione Chriſti? Quomodo igitur ante Paſ-

Reſp. ſionem eſſet inſtitutus? Reſpondeo, Paſſionem Chriſti præviſam potuiſſe dare vim ſufficientem baptiſmo ad juſtificandum: nam etiam ex vi paſſionis præviſæ & ſanguinis Agni effundendi, juſtificati fuerunt quicumque in veteri Teſtamento juſti reperti ſunt. Et propterea dicitur: *Agnus occiſus*

Apoc. 13. 8. *ab origine mundi*, quia ejus mors & paſſio præviſa fuit: & efficaciam habuit ab origine mundi ad ſanctificandos Fideles. Hoc tamen adverte, quod Baptiſmus ante Chriſtum paſſum non aperiret Regnum Cœlorum, eo quod necdum plenè Chriſtus ſatisfeciſſet, nec debitum totius naturæ plenè perſolviſſet, quod in Paſſione peractum fuit. Divino itaque decreto ſancitum erat, ut Chriſtus peracta ſatisfactione, & perfecto redemptionis noſtræ pretio oblato, primus per proprium Sanguinem in Sancta introiret.

Collige ergo ex dictis, formam materiamque baptiſmi ex eo tempore deſignatam fuiſſe quo Chriſtus fuit baptizatus, ut communior Patrum ſententia docetnit: & Chriſtus tūc ſolemnitet inauguratus, baptiſmum, quo ſua membra reddimur, ac in filios adoptamur, inſtituit. Tunc itaq; aqua in materiam

Amb. l. 2. in Luc. c. ult. deſignata fuit, quia ut ait D. Ambroſius: *Baptizatus eſt Dominus, non mundari volens, ſed mundare aquas, ut ablata per carnem Chriſti, quæ peccatum non cognovit, bapeiſmatis vim haberent*, hoc eſt, ut aptæ eſſent & deſignatæ ad baptiſmum. Hoc ipſum eſt, quod aſſerunt alii Patres, dum dicunt, Chriſtum contactu ſuo aquas ſanctificaſſe, ſive virtutem regenerativam aquis contuliſſe: quæ virtus non eſt qualitas aliqua aquis impreſſa, ſed & deputatio & moralis quædam conſecratio, per quam aqua deputatur ut materia, ad uſum effectumque baptiſmi. Deſignata forma fuit, ut ſuprà dixi, in apparitione illa totius Trinitatis, in cujus invocatione forma conſiſtit. Denique, effectum baptiſmi ibidem deſignatum manifeſtum eſt. Nam adoptio in Dei Filiationem, deſignata eſt per vocem Patris atteſtantem Chriſtum, qui tunc baptizabatur, eſſe Filium ſuum, ſimulque nos per Baptiſmum in filios elevari, & reddi conformes imaginis filii ſui. Apertio quoque regni cœleſtis, qui eſt alter effectus baptiſmi, deſignatus eſt per cœlum tunc Chriſto baptizato apertum. Denique abundans Spiritus ſancti gratia, quæ per baptiſmum in animam deſcendit, ſignificata fuit per Columbam, quæ ibi apparuit. Eſt enim illa ſymbolum Spiritus ſancti, & candoris, ac puritatis interioris, quam ille operatur in nobis. Vide quæ diximus, Tom. 1. Tract. 4. lect. 2.

Baptiſmus in præcepto fuit. Cæterum, licet tunc baptiſmum inſtitutum dicamus, tamen non fuit in præcepto, antequam Chriſtus miſit Apoſtolos in univerſum orbem poſt ſuam reſurrectionem. Imò non obligavit ante ſufficientem Evangelii promulgationem, ut colligitur ex Concilio Tridentino dicente: *Poſt Evangelium promulgatum, neminem juſtificari ſine Baptiſmo.* Quod intelligendum eſt, de ſolemni promulgatione toti orbi facta: quæ quidem ſolemnis promulgatio requirebat aliquod tempus ſufficiens, ut poſſet notitia ad omnes pervenire tanti remedii ad ſalutem neceſſarii, Unde licèt prima promulgatio facta fuerit in die Penticoſtes, tum per adventum Spiritus ſancti, tum per tot ſigna & miracula tunc facta, tum per prædicationem D. Petri, illa tamen non fuit adhuc univerſalis, ſive ſufficiens pro univerſo orbe, quoad uſque per Apoſtolos tanquam Legatos, variis in Provinciis innotuit, & ideò nec ante fuit obligatoria. *poſt reſurrectionem Chriſti.* Trid. Conc.

PROPOSITIO III.

Formam Baptiſmi convenit ſcire non ſolum Sacerdotes, ſed & Laicos & mulieres.

RAtio eſt quoad Sacerdotes, quia ſunt ex officio miniſtri ad baptizandum deſignati. Cum enim per baptiſmum Eccleſiam ingrediamur, & jus acquiramus accedendi menſam dominicam; illorum eſt ad Eccleſiam & menſam illam non admittere, quibus Eccleſiæ gubernaculum eſt commiſſum, Corporiſque Dominici diſpenſatio & conſecratio.

Quantum ad laicos, tario eſt, quia & illis jus competit baptizandi, ubi neceſſitas occurrerit. Hæc enim fuit benigna diſpoſitio Chriſti inſtituentis hoc Sacramentum ad ſalutem neceſſarium, ut neminem ab hoc miniſterio excludi voluerit, nec laicum, nec mulierem; imò nec hæreticum aut infidelem; ſi modò utatur forma debita cum intentione faciendi quod Chriſtus inſtituit, aut Eccleſia facit, ut ex decretis Eccleſiæ conſtat. Dico ſi utantur forma debita; nam conſtat quandoque hæreticos formam pervertiſſe, & ſuo infeciſſe errore. Sic Ariani, cum nollent Filium Patri æqualem, non utebantur eiſdem verbis quibus Catholici, ſed quandoque immutata forma, Filium ſignificabant Patri minorem. Hinc Deuterius Arianorum Conſtantinopoli Epiſcopus an. Dom. 506. ut ex Nicephoro, & aliis, refert Baronius, cùm quendam cui nomen Barbas baptizaret, auſus eſt dicere: *Baptizatur Barbas in nomine Patris, per Filium, in Spiritu S.* Sed Deus ejus temeritatem manifeſtare volens, fecit ut ſtatim aqua evaneſceret è fonte baptiſmali, & ſe impio cultui creatura denegaret. Unde, qui baptizandus erat, fuga ſe ex manibus hujus imperiti baptizatoris eripiens, miraculum hoc in ejus confuſionem cunctis promulgavit. Noſtro ſæculo contigit aliud mirabile cuidam Calviniſtæ. Hic volebat prolem recenter natam, à Miniſtro Calviniano baptizari more eorum: obſtabat mulier, quæ Catholica exiſtens ritu Catholico prolem ſuam baptizari peroptabat. Igitur ille explorans occaſionem,

Baron. to. 6. ad an. 506.

Bredenbach. l. 7. collat. 8. c. 50.

Digitiz Goo

nem, clam prolem à latere matris dormientis ſurripuit, & ad prædicantem ſuum attulit baptizandam. Prædicans, ſeu Miniſter Calviniſta volens baptizare, deprehendit prolem mortuam, & expoſtulat cum Patre infantis, quod eum tali impoſtura illudere voluerit, affectens prolem emortuam. Ille inopinato caſu conſternatus, clam domum revertitur, & uxore adhuc dormiente, puerum loco priore reponit, & diſcedit. Paulò poſt uxorem evigilantem inviſens, inquirit quomodo valeat? quid agat infans? Illa ignara rei geſtæ, infantulum complexa Patri exhibet & optimè valere dicit. Pater ſtupefactus miraculo, abjurat hæreſim, & Catholicam fidem complectitur cum uxore.

Quantum ad mulieres, cum illis frequentius contingat baptizandi occaſio (eo quod periclitanti puero in partu ſoleant adeſſe) planè oportet eas de Baptiſmi forma & ritu inſtrui etiam publicè à Paſtoribus, ſive in Catechiſmo, ſive in Concione. Nam varios errores comperi per craſſam ignorantiam committi, etiam ab illis quæ obſtetricandi munere funguntur: quæ quidem ignorantia in ipſos Paſtores frequenter redundat. Multæ reperiuntur baptizaſſe ſola hac forma: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* non addendo, *Ego te baptizo.* Cùm quidam doctor Theologus præclare concionatus fuiſſet, acceſſit mulier quædam ad illum & oſculans ejus manum: *Benedicta*, inquit, *dies quo ego te baptizavi in nomine S. Trinitatis, & Virginis Mariæ, & omnium Angelorum.* Miratus ille, rem plenius explorat, curatque ſe iterum baptizari, ut refertur ex S. Vincentio a Valentia, conc. 2. in dom. 3. 4.

Cùm quadam vice diligenter examinarem obſtetricem, de Baptiſmo collato puero periclitanti, parte corporis extra uterum protensâ; ipſam quidem reperi rectè pronunciaſſe formam, ſed aliam mulierem aquam adhibuiſſe: exiſtimabantque optimè omnia eſſe peracta, cum tamen talis apud pleroſque Theol. dubius Baptiſmus haberetur.

Contigit & alia vice quandam mulierem partu præventam carere obſtetrice; attamen cùm vicinæ accurriſſent, & operam adhibuiſſent, partus editus fuit: at cùm periclitari videretur de vita, rudes illæ mulieres offerunt eum matri baptizandum? dicentes eam plus juris habere ad prolem propriam baptizandam, quam habeant extraneæ. Sic Mater eam baptizavit, cùm aliæ id poſſent, & ſcirent formam: ignara ſicut ille, de impedimento quod poterat contrahere cum marito, per cognationem ſpiritualem quæ oritur ex Baptiſmo.

Poſtremo quoque hoc Jubilæo extranea quædam mulier ad me venit confeſſionis gratia; quæ quandoque obſtetricis munere functa fuerat, & plures baptizarat, ſed ſemper tertiò repetita forma ſuper quemlibet baptizandum. Putarat enim ignara mulier, quod ſicut tertiò puer aqua aſpergitur, ita & ter formam repetendam eſſe. Altera quoque mihi declaravit, quod quinquies & amplius eundem puerum periclitantem baptizaſſet, ut tanto certior foret de baptiſmo. Hæc omnia rememorem, ut paſtoribus per pagos & rura habitantibus conſtet plurimos in rudibus illis mulierculis defectus comperiri: & ut ritum modumque baptizandi frequenter inculcent, ne forte pueri ſalutis quandoque diſpendium patiantur ob earum ignorantiam.

Quæres, *an baptizati ab obſtetricibus ſint iterum ſub conditione baptizandi, ſi poſt examen non inveniantur malè baptizaſſe?* Reſpondeo, cum in hoc diverſæ opiniones inter Theologos, maximè recentiores reperiantur, & diverſæ Diœceſis Manualia Parochialia diverſimodè ordinent: rectè quemlibet facturum, qui ſe loci & Diœceſis ſuæ ordinationi accommodarit: ego poſtquam diligenter examinavi obſtetricem & præſentes mulieres, ſi inveniro eam rectè formam ſcire, & pronuntiaſſe adhibita ſimul ab ipſa aqua, & hoc ipſum præſentes illæ mulieres dicunt ſe audere ſub juramento aſſerere, rectè ſcilicet ab ipſa pronunciatam formam, nec tumultuariè quicquam factum, non rebaptizo: quia & noſtrum Manuale Leodienſe ordinat non rebaptizandum. Quæſtio. Reſp.

Allegant alii, etiam inter obſtetrices quandoque repertas fuiſſe ſagas ſatanæ miniſtras, ſine debita intentione baptizantes, quin potiùs infantes dæmoni voventes. Reſpondeo id quidem eſſe poteſt, An tamen ſufficiens fundamentum ad rebaptizandum univerſim baptizatos à mulieribus? An non etiam & peſſimi miniſtri reperiuntur, de quorum intentione poteſt ſuſpicio oriri? Scio ego ubi contigerit Sacerdotem ob vindictam & odium in parentem baptizaſſe ejus puerum ſine intentione. An non & inter illos aliquando magiæ addicti reperti ſunt? Nec tamen ideò ordinarie baptiſmus repetendus, etiam a flagitioſiſſimo datus.

LECTIO IV.

DE SUSCIPIENTIBUS BAPTISMUM.

1. *Docet etiam parvulos eſſe Baptiſmi capaces.*
2. *Non poſſe infantes ſalvari niſi per Baptiſmum.*
3. *Baptiſmum ſanguinis ſupplere Baptiſmum aquæ.*

PROPOSITIO I.

Baptiſmi capaces eſſe parvulos, Scripturis conforme eſt, & Eccleſiæ traditioni.

PRimò, pro hac re facit illud Matthæi 19. *Sinite parvulos ad me venire, & nolite eos prohibere.* Matt. 19. 14.

Quibus videtur Salvator redarguere noſtri temporis Hæreticos, Anabaptiſtas, & ſimiles erroneos, qui parvulos nolunt baptiſmi capaces, & per conſequens

Digitized by Google

ſequens neq; capaces eſſe ſalutis, quia eam non poſſunt aſſequi ſine baptiſmo. Qui ſunt igitur, qui prohibent ad Chriſtum venire parvulos, niſi qui ſimiles comminiſcuntur errores? Multi ad Chriſtum veniunt, ſed non omnes ab eodem, neque ab æquè diſtante loco, & ideò non eadem via veniunt. Qui enim jam baptizati ſunt, & in fide permanent, ſi per peccata mortalia a Deo receſſerint, quanto plura aut majora commiſerint, tantò magis elongantur. Sed ſi ad Deum redire voluerint, unicam habent viam, videlicet pœnitentiam. Si verò etiam per infidelitatem ceciderint aut hæreſim, debet & fides jungi cum pœnitentia, per quam tanquam duplicem viam ad Deum veniant, parum enim eis prodeſſet pœnitentia ſine fide, aut fides ſine pœnitentia. Qui verò nullo peccato mortali ſunt obnoxii, ſed ſolum propter originale elongati ſunt à Deo, ſicut parvuli, unicam habent viam ipſum baptiſmum, per quem debent renaſci, & filii Dei fieri hæredes vitæ æternæ, & capaces regni. Prævidens ergò Salvator quoſdam futuris temporibus venturos, qui hos pueros renaſci prohiberent, & ſic participes eſſe regni, dicit: *Sinite pueros venire ad me, & nolite vetare eos, talium enim eſt regnum Dei.* Ubi licet hiſtoricè loquatur diſcipulis adhuc ignaris, impedientibus parvulos Chriſto offerri, ut ab ipſo benedicerentur: tamen generaliter redarguere cenſetur in hoc ipſo facto, omnes qui quacumque de cauſa negaturi forent parvulis jus ad regnum, jusque veniendi ad Chriſtum. Unde & de facto parvulos amplectitur, illis benedicit, illis manum imponit, ad illos regnum pertinere aſſerit.

Luc. 18. 16.

At advertendum eſt, quod non dicat parvulis, ſicut adultis: *venite ad me*, quia id propria voluntate & propriis pedibus facere non poterant, ſicut adulti qui proprio utuntur arbitrio & propria fide, ut ad Chriſtum veniant: Sed loquitur illis qui eorum curam gerunt, aut quorum adminiculo parvuli indigent, & præcipit: Sinite parvulos ad me venire, nolite eos prohibere, imò potius adjuvate & portate eos. Nam manifeſtè Lucas de infantibus loquitur, & indicat ad Chriſtum fuiſſe portatos & ita non tam ſuis, quàm alienis pedibus appropinquaſſe. Itaque vos, ô hæretici, nolite ita eſſe parvulis crudeles, quibus Chriſtus ita benignus eſt, nolite eis remedium ſalutis denegare, quibus jus ad regnum aſſeritur; nolite perverſa veſtra doctrina benedictionem, quam Chriſtus eis impertiri paratus eſt, denegare: nolite prohibere eos ad fontem Salvatoris accedere, pro quibus natus eſt parvulus, pro quibus & grandior eſt crucifixus. Jeſus Chriſtus, inquit D. Joannes, ad ſalutem animarum noſtrarum venit: *per aquam & ſanguinem, non in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine.* Aqua profuit ad lavacrum, ſanguis ſpectat ad pretium. Utrumque Chriſtus fudit pro parvulis, ut in baptiſmate regenerarentur ſanguine per aquam applicato, & ſpiritum acciperent adoptionis & æternæ benedictionis. Nolite ergo eos prohibere ab hoc tam ſalutifero & efficaci regenerationis & renovationis lavacro.

1. Joa. 5. 6.

Eccleſia parvulorum illorum mater, attendens hæc verba Chriſti, non ſolum non prohibet eos, ſed & *accommodat eis aliorum pedes ut veniant, aliorum cor ut credant, aliorum linguam ut fidem fateantur*, (ait Auguſt.) & ſic accedant ad gratiam baptiſmalem, ut ſi moriantur, ipſorum ſit regnum Cœlorum. Cùm enim parvuli nec fidem habeant, nec propriam voluntatem, qua velint baptizari; omnia hæc tamen habent in patrinis, qui pro eis reſpondent, Credo, Volo, Abrenuncio. Imò, ſi nullus adeſſet patrinus, ipſamet Eccleſia mater ſuam fidem & voluntatem eis communicat, quæ abunde ſufficit, dicente Auguſtino: *Mater Eccleſia cor maternum præſtat eis, ut ſacramyſteriis imbuantur, quia necdum poſſunt corde proprio credere ad juſtitiam aut ore proprio confiteri ad ſalutem.* Quod apta ſimilitudine declarat D. Thomas docens, quod aliter nutriantur pueri, dum adhuc ſunt in utero, aliter dum jam nati ſunt: quia nati alimentum trahunt de uberibus matris ore proprio; ſed necdum nati recipiunt illud de ore matris, Mater enim proprio ſuo ore alimentum recipit, parvulis verò participat de illius ſubſtantia alimenti. Sic parvuli in Eccleſia antequam regenerati ſint, ſunt adhuc velut in matris parituræ utero. Sufficit ergò eos ex ore matris recipere id quod videtur neceſſarium, ad baptiſmum recipiendum: ſive non habent neceſſariam intentionem aut voluntatem propriam, ſed ſufficit eis voluntas ipſius Chriſti & Eccleſiæ matris. Quid enim? nunquid ſine propria voluntate per voluntatem parentis ſui Adæ, & matris Evæ damnationi ſunt obnoxii? Cur non ergò per Chriſti voluntatem, & Eccleſiæ, quæ mater eſt omnium viventium, ab illa damnatione poſſint liberari? Gratis venundati eſtis, ô parvuli! ſine propria utique offenſa, ſine proprio demento: An non & gratis oportuit vos liberari: Gratis utique, quia ſine propria veſtra diſpoſitione, ſine proprio merito. Minimè tamen gratis, ſi pretium attendamus, quod obtulit frater veſter Chriſtus)

Aug. ſer. 10. de verb. Apoſt.

Aug. l. 1. de pecc. mor. c. 25.

Hinc patet reſponſio ad Anabaptiſtas noſtros & antiquos ſimiles hæreticos, qui ideò negant parvulis baptiſmum, quod non poſſint habere voluntatem & diſpoſitionem ad illum: & idcirco in ætate adulta volunt rebaptizari eos qui in ætate infantili fuerunt baptizati; hoc enim decernunt Anabaptiſtæ. Imò neminem volunt baptizare ante ætatem triginta annorum in qua Chriſtus fuit baptizatus.

Cùm tempore D. Bernardi ſimiles errores quidam ſuſcitaſſent, ſic eis reſpondet Bernardus, ſic inſectatur. *Videte detractores, videte canes, irrident nos, quia baptizamus infantes, quod oramus pro mortuis, quod Sanctorum ſuffragia poſtulamus. In omni genere hominum, & in utroque ſexu feſtinant proſcribere Chriſtum, in adultis & parvulis, in vivis, & mortuis. Hinc quidem infantibus ex impoſſibilitate natura, inde verò adultis, ex difficultate* D. Bern. ſerm. 66. in Cant.

Digitized by Google

continentia præſcribentes. Quid enim ſi infans pro ſe loqui non poteſt, pro quo vox ſanguinis fratris ſui, & talis fratris, clamat ad Deum de terra? Adſtat & clamat nihilominus Mater Eccleſia. Quid tamen infans, nonne & ipſe videtur tibi inhiare quodammodò Fontibus Salvatoris, vociferari ad Deum, ſuiq; vagitibus clamitare? Domine, vim patior, reſponde pro me? *Flagitat auxilium gratia, quia vim patitur ab origine. Clamat innocentia miſeri, clamat ignorantia parvuli, clamat addicti infirmitas. Clamant hæc omnia, ſanguis fratris, fides matris, deſtitutio miſeri, & miſeria deſtituti. Non ergò dicas, quia non habet fidem, cui mater impertit ſuam, involvens illa in Sacramento, donec idoneus ſiat proprio non tantum ſenſu, ſed aſſenſu evolutam puramq; percipere. Nunquid breve eſt pallium, ut non poſſit ambos cooperire? Magna eſt Eccleſiæ fides. Nunquid minor fide mulieris Chananææ, quum conſtat & filia ſufficere & ſibi?* Hæc eleganter Bernardus, non ſolum ſui temporis, ſed & noſtras hæreſes eliſidens, hæreticoſque perſtringens.

Secundò ad ejuſdem rei probationem facit, quod Scriptura aſſerit integras familias tempore Apoſtolorum baptizatas fuiſſe: omninò autem verſimile eſt, in integris familiis etiam parvulos fuiſſe, & hos generalis locutio comprehendit. Sic Act 16. baptizata eſt Lydia & domus ejus, cuſtos carceris & omnis domus ejus, & 1. ad Corinth. 1. baptizata a Paulo Stephanæ domus.

Act. 16. 15 & v 33. 1. Cor. 1. 16.

Tertiò, idem declaratur exemplo Circumciſionis, quæ manifeſtata fuit Baptiſmi figura, teſte Apoſtolo. Cum ergò parvuli in veteri lege Circumciſionis, & conſequenter ſalutis capaces fuerint, multò magis in nova lege baptiſmi & ſalutis. Nam & Lex gratiæ benignior eſt, & gratia ejus univerſalior: quapropter copioſa redemptio & ſufficientiſſima providentia, quâ Chriſtus unicuique providet juxta capacitatem ſuam, non ſinit nos dubitare, quia parvulis de remedio proviſerit.

Trid. ſeſſ. 5. & ſeſſ. 4 can. 13.

Quartò, notiſſima eſt Eccleſiæ hac de re praxis, notiſſima & ejus decreta, de ea re in Concilio Trid.

PROPOSITIO II.

Non poteſt parvulus aliter conſequi ſalutem, quàm per Baptiſmum aquæ, vel ſanguinis.

Quidam ex Antiquioribus Theologis ex quadam commiſeratione infantium, docuerunt quandoque eos ſalvari ex ſpeciali Dei miſericordia & gratia; puta, ſi, cum Baptiſmus adminiſtrari cœpit, defectus aliquis eſſentialis ſuperveniat in materia vel forma, aut intentione miniſtri. Immò aliqui addiderunt, quandò nullus eſt modus baptizandi, votum & deſiderium parentum ſufficere, aut oblationem pueri factam Deo ſigno aliquo exteriori, v. g. ſigno Crucis cum invocatione Trinitatis. Ita docuit Cardinalis Cajetanus in 3. p. q. 68. art. 3. cui favet Gerſon in quodam ſermone de Nativ. Virg. Concilio Conſt. & Gabriel in 4. d. 4. q. 3.

Verùm, communis Doctorum ſententia id reprobat, fundata in verbis Chriſti & Eccleſiæ praxi. Etenim Chriſtus generaliter pronunciat: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*: quod etiam de parvulis intelligit Apoſtolica Traditio, & Patrum authoritas. Undè velle ea verba reſtringere, ut tolùm intelligenda ſint, cùm Baptiſmus poſſibilis fuerit, temerarium foret. Audi hac de re Auguſtinum: *Noli dicere, noli docere, infantes, antequàm baptizantur morte præveniri, pervenire poſſe ad originalium indulgentiam peccatorum, ſi vis eſſe Catholicus.* Et iterum alibi: *Nullis ex noſtro arbitrio (præter Baptiſmum Chriſti) ſalus æterna promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura divina, humanis omnibus ingenia præferenda.* Vides D. Auguſtinum illam etiam reprobare opinionem, quæ ex quadam pietate parvulis vellet ſalutem tribuere, abſque reali Baptiſmo. Vides & idipſum exiſtimare à Scriptura facta alienum eſſe.

Joan. 33.

Aug. l. 30. de orig. animæ cap. 9.

Attende quoque ipſius Eccleſiæ praxim. Non ſepelit illa parvulum ullum ſine Baptiſmo mortuum, in loco ſacro, Nunquid ſepeliret, ſi exiſtimaret eorum corpora quandoque ad gloriam ſuſcitanda, aut animas, quæ illa informarunt, ſalutis capaces eſſe? Nullam quoque precem pro eis fundit, aut oblationem facit, aut gratiarum actionem, ſatis ſignificans, nullam ipſis ſpem ſalutis ſupereſſe. Nec dicas, durum videri parvulos illos abſque culpa condemnari, cùm nullâ eis diligentiâ potuerit ſubvenire. Non enim ſine culpa petire dicendi ſunt, quos originalis culpa premit, & ſicut filios iræ, & ad maſſam damnationis pertinere. Quæ quidem originalis culpa non tollitur, niſi Chriſto per Sacramentum incorporentur, & in ſecundo Adam vivificentur per lavacrum regenerationis. Nec poſſumus aliter Scripturam interpretari, aut divinam amplificare bonitatem, quàm Eccleſia à Spiritu Sancto directa, nos ſuâ docet auctoritate & notiſſimâ praxi. Peccâſti ergò ô Adam, extendens manum ad lignum ſcientiæ boni & mali; in te erant poſitæ omnes voluptates parvulorum à te generandorum: quorum eras conſtitutus & Parens & Caput: Peccârunt ergò & ipſi in te tanquam in capite, & ecce neſcientes bonum aut malum, pereunt & condemnantur, niſi voluntate novi Adam, novique Capitis Chriſti, per Sacramentum ab ipſo inſtitutum, ab hac condemnatione liberentur: Ecce miſericordia, quia judicium præceſſit: ſi gratis ſunt venditi per primum Adam? gratis in libertatem aſſeruntur per ſecundum, certo ſalutis remedio inſtituto, quod facillimum eſt, & maxime obvium. Quod ſi illis non applicetur hoc miſericordiæ remedium, ecce remanet illis jud. cium: *Miſericordiam ego & judicium cantabo tibi Domine.* Agnoſco, laudo, & benedico bonitatem tuam in parvulis, quos vix hujuſce lucis participes feciſti, ex utero ma-

Digitized by Google

matris ſuæ mortalis egredientes, & ſtatim lucis gratiæ per Baptiſmum conſortes redditos, etiam ad æternæ lucis & immortalitatis ſortem pacis pervenire, ex hac vita & luce mortali egredientes. Nempè ſic de utero, per uterum in uterum transfunduntur: de utero genetricis ſuæ per partum egreſſi, per Baptiſmum in uterum Eccleſiæ matris tranſeunt, & per illum in uterum Eccleſiæ triumphantis illius, *quæ ſurſum eſt Hieruſalem libera, mater noſtra.* Hæc eſt Mater, a qua maximè abeſt illud: *In dolore paries filios*, quia illos ſummo parit gaudio, immò gloriæ eos Æternitati parit. Nullus ibi *Benoni*, filius doloris & triſtitiæ, omnes ibi *Benjamin*, filii dexteræ & lætitiæ, à Patre & Matre meritò ſic vocati. Nullus ibi Cæſar, à cæſo ventre Matris, nullus poſthumus, poſt mortem Patris genitus; nulla colluctatio Eſau & Jacob, quis prius egrediatur, quia pax & concordia ſumma in hoc utero Æternitatis, aut in lætiſſimo ſinu Patris & Matris hujus. Agnoſco quoque, laudo & benedico juſtitiam & judicium tuum Domine, in aliis parvulis, quos hujus lucis uſura vix fruì dediſti, & quia Baptiſmatis lavacro (quod illuminationis Sacramentum eſt) lucis ſpiritualis participes fieri non potuerunt; eos morte ſuperveniente, ad locum tenebrarum, & Regionem umbræ mortis relegaſti. Hoc enim juſto providentiæ tuæ judicio decretum eſt, ut propter unius delictum (in quo omnes peccaverunt) ad omnes condemnatio pertranſeat, niſi Sacramenti illos gratia expiarit & expurgarit. Nam & omnes, ſi voluiſſes, etiam ſine ſalutis remedio, in illa damnationis maſſâ derelinquere potuiſſes. *Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum.*

Pſ. 118. 137. Confirmari poteſt aſſertio noſtra, ex eo, quod aliquando ſpeciali miraculo, ob matrum vota, & Virginis Mariæ interceſſionem, prolibus mortuis vitam reddiderit Deus, ut baptiſmi & conſequenter ſalutis capaces redderentur. Quid enim aliud id ſignificat, quàm ſine Baptiſmo, carituras haſce proles ſpe ſalvationis? Innumera hic exempla poſſent ſubjici, pauca ex certionibus appendo.

Exempl. Lipſius de Virg. Hallenſi c. 12. Juxta Camaracum eſt S. Hilarii vicus, cujus incola fuit Stephanus Motelius, cum uxore Firmina: hæc ei prolem non prolem peperit, anno 1428. mortua enim erat. In terra igitur prophana, de more ſepelitur. At matri duplex luctus, & à morte prolis, & à tali morte, quod non fuiſſet particeps Baptiſmi. Plangit igitur & ſe affligit, fiduciam tamen in Virgine ponens: eò quod ſolita foret annua peregrinatione ad Templum Hallenſe eam colere. Votum itaque facit, & de die in diem iterat, uſque ad decimum quintum diem, à prolis morte. Tunc fidentior cœpit affirmare eam vivere, certamque ſe de ea refectam viſo nocturno. Undè mulieres ſibi miniſtrantes importunè urget, ut cum marito adeant tumulum. Abeunt, & refodiunt tres circiter pedes defoſſum puerum, inveniuntque vividum & ludentem, nullâ notâ mortis in corpore, nec noxâ quidem, niſi quod maxillâ unâ, terræ impreſſione attrita leviter eſſet. Mirantur trepido gaudio, nec audent tollere, ſed ut obvient calumniæ, Paſtorem advocant. Venit, & attonitus ſigna vitæ videns, ſuadet quoniam in D. Virginis patrocinio puer eſſet, deferri ad proximum pagum Vertenguelium, ubi ea colebatur. Eunt obſtetrix & fœminæ: & quia dies inclinabat, & pagus ſecundo lapide aberat, provida mater ſacratæ candelæ cereæ partem donat, quæ in laterna præluceret. Mirum hic alterum. Cum lento paſſu iret, ut ſolet, hic ſexus, pars illa cerei, cujus modulus ſeſquipalmis erat, perſeveravit ardere à ſexta veſpertina ad lucem ſequentis dici, ſine ulla diminutione. Mirum tertium. Via anterior quam ineibant, tota illuſtris inſtar diei erat, ſtatim ab agmine, tenebræ & nox excipiebant. Jam in propinquo Vertenguelii erant, audiuntque Paſtorem non adeſſe, ſed in arce cum Præfecto, viro nobili convivari. Illuc ergò Pater cum una muliere ſibi comite procedit. At reperiunt arcem ſub tempus prandii clauſam: Pulſant, repulſant, nemo audit, vel admittit. Et ecce quartum miraculum. Nam ſponte aperitur portula minor, majori portæ (ut ſolet in arcibus) inſerta, ingrediuntur & ad alteram portam accedunt, iterum & illa ſponte aperitur, pergunt ad tertiam, ſit idem, ſic omnibus ignaris veniunt in cœnaculum. Præfectus arcis (cui nomen Verreinum) inclamat contra Janitorem, infidelitatis eum arguit, gladio evaginato omnes ferire aggreditur. At ille, allerit ſe omnes clauſiſſe januas in præſentia filiæ ipſius Præfecti. Ingreſſi etiam ſe excuſant, & rem totam pandunt, rogantes ut Paſtor velit ſacro Baptiſmate puerum dictum abluere. Surgit Paſtor, comitatur Præfectus, & vigiuti circiter perſonæ: jubet aperire omnes portas, ſed ſponte omnes etiam majores apertæ reperiuntur; Virgo Mater aperuerat. Veniunt in templum attoniti, ibi puer ſigna vitæ clara mittit, ſanguinem ſtillat è naribus, os aperit & claudit, gemit, lachrymatur, lachrymæ deterguntur. Baptiſmum itaque Paſtor miniſtrat coram 70. perſonis, vixitque puer quinque circiter horas, in ara B. Virginis reclinatus: ac mox inſtar nivis vitus eſt liqueſcere & tabeſcere ac emori, ſic terræ mandatur. Sed ſextum adde miraculum. Firmina mater abſens, eâdem horâ ſenſit ſibi mammas areſcere antea lactantes, quas nullâ arte, donec puer baptizatus eſt & mortuus, potuit exſiccare. Vide ergò in uno miraculo plura miracula.

Audi & alterum alibi miraculum. Anno 1582. Eliſabethæ, Joannis Ferin conjugis fœtus, quod mortuus ex alvo materna prodiiſſet, in remoto horti margine defoſſus fuerat: jamq; dies ſeptimus ſupra decimum agebatur, cum mater dolore mitigato, id unum nova ſpe conceptâ extorſit a marito, ut infantis corpuſculum effoderet, hâc lege ut ſi computruiſſet, relinqueretur, ſi reſtituiſſet integrum, allumeretur: forte ipſe haud dubia, utB. Virgo vitam ei reſtituat. Paret ille uxoris importunis precibus, incorruptum reperit, adfertque ad matrem.

Hæc

Digitized by Google

Hæc iter ad D. Virginem Cervienſem ingreditur, cui à Fonte nomen eſt, à Fonte inquam vitæ, *qui enim eam invenerit, inveniet vitam & hauriet ſalutem à Domino.* Vix ibi depoſitus infans jacuerat, cùm roſeo colore in genis tingi, calere, reſpirare, aliaque vitæ ſigna præbere. Baptizatur ergo ſumma cum omnium lætitia, perfititque vivido formoſus colore, donec Cervienſi ex ditione efferretur: tum enim ſenſim palleſcere, prorſus ut quo longius à vitæ fonte abire, hoc propius morti adeſſe videretur: tandem inter mortales eſſe deſiit cælitibus convicturus. Ita Robertus Haurport. c. 42. de mirac. B. Virg. Cervienſis.

Prov. 8. 35

PROPOSITIO III.

Baptiſmus Sanguinis ſive martyrium, ſupplet Baptiſmum aquæ etiam in parvulis.

HÆc eſt doctrina SS. Patrum, & Eccleſiæ, ex qua ſolent Theologi triplicem Baptiſmum diſtinguere, Baptiſmum ſcilicet fluminis ſive aquæ, & flaminis ſive Spir. S. & ſanguinis ſive martyrii. Baptiſmum flaminis vocant, quando adultus habet in ſe votum & deſiderium efficax Baptiſmi, cum peccatorum perfecta contritione & amore Dei ſuper omnia; per hæc juſtificatur, &, ſi non ſit ei poſſibilis aliter Baptiſmus ſalvatur. Talis enim perfecta cordis converſio conjuncta cum hoc deſiderio, a ſacro flamine eſt, hoc eſt à Spir. S. animam juſtificante & peccatorum remiſſionem tribuente: unde recte flaminis Baptiſmus dicitur, quo anima expurgatur: tanquam ſupplente Baptiſmum aquæ, in quo & peccata præterita ſubmerguntur. Hinc Concil. Tridentinum, cum docuiſſet poſt Evangelium promulgatum, neminem transferri à ſtatu peccati in ſtatum gratiæ, ſine lavacro regenerationis, addit, aut ſine ejus voto. Et ita exponendum docet illud: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.*

Trident. Concil. ſeſſ. 6. c. 4.

Per hunc Baptiſmum flaminis, juſtificatum docet D. Ambroſius Valentinianum juniorem de cujus obitu ſic loquitur: *Audio vos dolere, quod non acceperit Baptiſmatis Sacramentum; atque hoc etiam in votis habuit. An non ergo habuit gratiam quam deſideravit? Imo habuit, quia poposcit.* Mortuus fuit, inquit Baronius, Anno 392. Valentinianus ille junior filius Valentiniani Magni, erat autem adhuc catechumenus, qui paulo ante obitum profecturus cum exercitu adverſus Barbaros in Italiam irrumpentes, capidus ante eam expeditionem initiari ſacro Baptiſmo. Viennæ cum eſſet, in Gallia, S. Ambroſium Mediolano (ut ab illo quem Patris loco habebat, baptizaretur) accerſit; ſed ipſo adhuc in itinere conſtituto, proditorum appetitus inſidiis, occiſus eſt. Hunc ergo per votum Baptiſmi ſalvum exiſtimat Ambroſius. De quo Baron. tom. 4. Ann 391.

Ambroſ. orat. de ejus obit. Baron. ad An. 392.

Sed hajuſce Baptiſmi flaminis præclarum ſymbolum exhibitum fuit S. Philemoni martyri. Hic cum Chriſtum conſtanter confiteretur, & ei obiiceret tyrannus, quod nec Chriſtianus eſſet, nec Baptiſmum accepiſſet, cæpit exclamare: *O ignem ſpiritualem; qui accenſus eſt in meis præcordiis! Quantum tibi debeo, ô Præſes, quod ſacrum Baptiſmum in mei memoriam revocas.* In media autem turba ſtans ad præſentes clamabat: *Si quis inter vos præſt Chriſtianis, & contemnit tormenta propter Chriſtum, adſit, obſecro, & me divino impertiat Baptiſmate.* Videns autem omnes timore victos, irrumpens in lachrymas dixit: *Deus meus Chriſte, qui me benigne aſpiciens à profundo errore revocaſti, ne me deſpicias non baptizatum, ſed quovis modo, oſtende mihi Sacerdotem & aquam, à quo & in qua poſſim baptizari.* Cum hæc dixiſſet, nubes deſuper deſcendit, & poſtea aſcendit, omnibuſque videntibus fluento quodam cœleſti baptizatus eſt. Tunc ille: *Ecce, ô Chriſtiani cum nullus ad me auſus fuerit accedere, videre vobis licuit, quod ipſe Dominus me dono impertiit Baptiſmatis. Tu quoque, Præſes, inſpice, & relicta inſania, cognoſce cuinam Deo repugnes, coram quo ut Judice pœnas luiturus es.* Itaque nubes illa defluens, eumque abluens, ſymbolum fuit Baptiſmi flaminis, quo per Spiritum ſanctum interius anima expiatur, cum deeſt Baptiſmus fluminis: ſed & poſtea in ſanguine ſuo martyr invictus baptizatus eſt, pro Chriſto moriens.

Exempl. Sur. 14. Decem c. 32. de Philem. m.

Baptiſmus ergo ſanguinis non eſt niſi martyrium, quo effunditur ſanguis pro Chriſto, & habet eandem vim, ut Baptiſmus aquæ quando ille haberi non poteſt. Hoc aſſerit D. Auguſt. & probat, quia qui dixit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto*, etiam dixit: *Omnis qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre. Et qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.* Hinc, inquit, ſcriptum eſt: *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.* Quid enim pretioſius quam mors, per quam fit ut delicta omnia dimittantur, & merita cumulatius augeantur? *Si propietate & juſtitia pendatur mors, ſit gloria renaſcentis, & cum ſit mors peccati retributio, aliquando impetrat, ut nihil retribuatur peccato.* Idem docent alii Patres, inter quos Cyprianus Epiſt. 73. *Nunquid poteſt vis Baptiſmi eſſe major aut potior quam confeſſio? quam paſſio? ut quis coram hominibus Chriſtum confiteatur, & ſuo ſanguine baptizatur?* Quis non pati exoptet, inquit Tertullianus, ut totam Dei gratiam redimat? ut omnem veniam ab eo compenſatione ſui ſanguinis expediat? *Omnia enim huic operi delicta donantur; nec Martyribus delicta poſſunt imputari, quibus in tali lavacro vita ipſa deponitur.* Apertiſſime autem definit Clemens idipſum, & ait: *Qui martyrio habitus eſt dignus, is lætitiam in Domino percipiat, quod tantam coronam adeptus ſit, & quod propter confeſſionem ex hac vita exeat. Et, ſi Catechumenus ſit, recedat ad Deum latus: cruciatus enim, quo propter Deum afficitur, erit ei verior Baptiſmus: quia in quidem experientia ipſa mortuus, commoritur Chriſto, reliqui vero myſtica repræſentatione.*

Aug. l. 3. de civ. c. 7. Joan. 5. 5. Matt. 10.

Pſ. 115. 15.

Cyp. ep. 73.

Tertul. in Apolo. & Scorp.

Clem. PP. l. 5. conſtit. Apoc. c. 7.

Digitized by Google

Exempl. Hoc ipſum Eccleſia docet, colens ut Martyres, Catechumenos necdum baptizatos, pro Chriſto tamen mortuos. Sic colit S. Emerentianam, de qua ita loquitur Breviarium Romanum ex Ambroſio: ſermone 91. *S. Emerentiana virgo Romana collactanea B. Agnetis, adhuc Catechumena, fide & charitate flagrans, furentes in Chriſtianos idolorum cultores cum vehementius accuſaret, à concitata multitudine lapidibus obruta eſt. Quæ in cruciatibus orans ad ſepulchrum S. Agnetis proprio ſanguine quem pro Chriſto conſtanter effudit baptizata, animam Deo reddidit.*

Breviar. Roman. 23. Jan.

Surius 25. Novem. Legimus quoque de Philoſophis illis quinquaginta, qui ad convincendam S. Catharinam convenerant, converſos fuiſſe ad Chriſtum, facundia & ſpiritu illius. At Maximinus iratus juſſit in medio civitatis eos igne cremari. Illi verò cùm per Virginis diſputationem edocti eſſent in fide, & Baptiſmum expeterent; monuit illos Catharina nihil hæſitare, cùm in ſuo forent ſanguine baptizandi. Hi ergò benedictione Virginis accepta, ſignantes ſe Crucis ſignaculo, & unanimiter perſeverantes, in ignem miſſi; ita animas Domino reddiderunt, ut nec corpora illorum, nec capillus, nec veſtes, aliqualiter aduſta eſſent. Quo miraculo plurimi converſi ſunt, & corpora rapientes in eadem civitate ſepelierunt.

Antonin. in chron. Vincen. in Spec. l. 1. c. 98. P. Nat. l. 5. c. 137. Apud Alexandriam Armeniæ, tempore Adriani Imperatoris, exercitus decem millium militum ab Angelis de Chriſti fide inſtructus fuit, Imperatorum verò juſſu ſinguli primum flagellis cæſi, tum ſpinis coronati, tandem humi clavis crucifixi, in monte Ararath proprio ſanguine baptizati, triumphantes intrarunt in Cœlum.

Sur. in vita S. Georg. 23. April. In vita S. Gregorii, referunt apud Surium, quod cùm carcere detineretur, multi ægri ad pedes ejus, per Chriſti nomen & ſignum ſanarentur. Inter quos quidam Olicerius agricola, cùm id beneficii acceſſiſſet, per civitatem inclamabat: *Magnus eſt Chriſtianorum Deus.* Hunc comprehenſum juſſit imperator gladio obtruncari. Ipſe gaudens currebat ante milites quaſi ad epulas, & magna voce invocabat Dominum, ut martyrium ſibi Baptiſmatis loco eſſet; & ita viram finivit.

Neque tantùm vim habet hæc effuſio ſanguinis in adultis, qui Baptiſmi deſiderium poſſunt elicere, ſed & in parvulis. Ratio eſt, quia hoc privilegium eſt datum martyrio, non ratione deſiderii illius aut effectus Baptiſmi, quem elicit Martyr, ſed ratione cujuſdam conformationis cum Chriſto: quæ repetitur in illa mortis perpeſſione pro ipſo; ita, ut reipſa inveniantur commori Chriſto, qui pro ipſo occiduntur, quod in Baptiſmo ſolùm myſtica fit repræſentatione. Et ita parvuli, dum in odium Chriſti aut fidei occiduntur, realiter Agno ſive Chriſto configurantur. Accepit ergò Deus illam mortem, ſicut & aliorum Martyrum; & ſupplet Chriſti merito defectum propriæ voluntatis: quia conformantur particulariter per hanc mortem Chriſto Martyrum Duci & Capiti; ſicque ad ipſum tanquam membra ad caput pertinent: & voluntas illius qui eſt caput, ipſis veluti membris tribuitur, cum aliam habere nequeant. Ut ſicut voluntas & peccatum Adæ illis obfuit, quod naſcendo contrahunt; ita voluntas & meritum Chriſti illis proſit, & renaſcendo juſtitiam conſequantur. Ideò Eccleſia illos etiam colit ut Martyres, dicitque teſtimonium quod nondum poterant ſermone, perhibuiſſe paſſione.

Hinc tanquam Martyres coluntur parvuli, ab Herode in odium Chriſti occiſi: & primitiæ ac flores Martyrum vocantur, primitiæ Deo & Agno, in cujus perpetuo ſunt conſortio, quos veniens voluit ſibi tanquam Agniculus immolari balantibus matribus, inquit Auguſtinus, de quibus diſertè Prudentius in hymno: *Salvete flores Martyrum*: de quo in Breviario. Habentur autem Romæ in Templo S. Stephani, hi quoque verſus non inamœni. V. Brev. Feſto SS. Innocentum.

Sincera animula, candidi puſilli,
Vix nata, nato dant Deo corpuſcula,
Pugnantque mermes, & relicta parmula;
Vincunt cohortes, quas ferire neſciunt,
Jam pulchriores lilio & gemmulis,
Jam clariores igneis ſcintillulis,
Beata mulcent voculis feralia,
Ferox tyrannus, ferreique pectoris,
Qui parricidas intulit vobis manus,
Ferrumque ſacris pollutis cerviculis,
Heu ſic arvacula tollitur de nidulis,
Matriſque rapitur ſic papillis lumulus,
Recenſque nati, ſic leguntur floſculi.

Ideo etiam inter Martyres Trevirenſes colit Eccleſia infantes, qui in communi Urbis cæde fuere in odium fidei occiſi; quorum aliqui ſine dubio Baptiſmo necdum erant initiati: quia & hi præconium Chriſti, non loquendo, ſed moriendo, cenſentur confeſſi. Et nihil maculæ, nihil damnationis in eis manet, qui ſuo ſepulti triumpho, glorioſe in ſe mortem & ſepulturam expreſſerunt Chriſti. Sicque verum illud eſt Proſperi.

Et quicquid ſacrifert myſtica forma lavacri,
Id totum implevit, gloria martyrii.

LECTIO V.

DE EFFECTIBUS BAPTISMI.

1: *Docet remittere peccatum originale & actuale.*

2. *Remittere omnem pœnam peccati.*

3. *Non tollere concupiſcentiam, nec penalitates.*

PROPOSITIO I.

Baptiſmus remittit omne peccatum tam originale quàm actuale, gratiamque ac dona infundit.

PRimo quidem peccata omnia per Baptiſmum remitti Scriptura Patrumque doctrina apertiſſimè

Digitized by Google

ſimè aſſerit, & ideo in Symbolo confitemur, *Credo unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum.* Quam
Aug. Enchir. c. 46. remiſſionem ſpecificat D. Auguſt. Ench. 64. *Baptiſmatis munus, contra originale peccatum donatum eſt, ut quod generatione attractum eſt, regeneratione detrahatur: & tamen activa quoque peccata quacunque ore, corde, opere commiſſa inveneris, tollit. Et in hac magna indulgentia, unde incipit hominis renovatio, ſolvitur omnis reatus & ingeneratus & additus.*
1. Cor. 6. 9 Ideo & Apoſtolus, poſtquam monuiſſet ſuos Corin. c. 6. *Nolite errare, neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque ebriоſi, neque maledici, regnum Dei poſſidebunt:* tandem oſtendit, quid baptiſmi gratia in eis potuerit, dum addit:
v. 11. *Et hæc quidem aliquando fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri.* Nimirum Baptiſmus in illis non ſolum originale, ſed & omnia illa actualia, quæ enumerat peccata,
Aug. lib. 1. de pecca. merit. c. 15. diluerat, dicente iterum Auguſtino: *Generante carne, tantum contrahitur peccatum originale, regenerante autem Spiritu, non ſolum originalium, ſed & voluntariorum peccatorum fit remiſſio.* Et ne fortè dicas cum hæreticis; illa tantum ſuperficietenus dimitti, aut non imputari, aut radi, expreſſe dicit Apoſtolus: *Abluti eſtis, ſanctificati eſtis, juſtificati eſtis*, & non eſtis quod fuiſtis. Nam ſicut in Chriſto vera mors, ita in nobis vera peccatorum remiſſio; ſicut in illo vera reſurrectio, ita in nobis vera juſtificatio, ut dicit idem Auguſtinus, Enchir. 52. quia ſcilicet, *conſepulti ſumus cum*
Rom. 6. 4. *Chriſto per baptiſmum in mortem, ut quemodo Chriſtus ſurrexit à mortuis, ita nos in novitate vitæ ambulemus.* Neque ullum adeo grave peccatum eſſe poteſt, quod non moriatur cum Chriſto in Baptiſmo: quandoquidem & illud inæſtimabile flagitium, quo impii ipſi mortem inflixerunt, & divinitatis perfoſſo ſacrario ejus ſanguinem fuderunt, paulo poſt in multis per baptiſmum expiatum fuit, illo ipſo ſanguine quem fuderunt. Quia hic non eſt ſanguis Abel, qui inclamet vindictam; ſed ſanguis pietatis, qui omnibus illo aſpergi optantibus advocat, & impertit miſericordiam. Unde cum ex ore Petri intellexiſſent, ſe authorem vitæ interfeciſſe, & compuncti corde interrogarent: *Quid ergo faciemus?*
Act. 2. 38 Reſpondet D. Petrus: *Baptizatur unuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spir. S.* Olim Medici ad lepram omnem expurgandam judicarunt aptiſſimum remedium eſſe balneum ex tenero infantium ſanguine confectum, quod & Græci Medici Conſtantino Imp. leproſo conſuluerunt. Sed procul crudele & diabolicum illud lavacrum, quod non poteſt niſi immaniter lactentium ſanguine repete & vaporare. Baptiſmus noſter, ſalutiferum eſt balneum, in virtute ſanguinis filii Dei (quo myſtice & incruente repletum eſt) potens omnem veteris lepræ maculam & contagium expiare: ſive illius quæ parentali labe ad nos derivatur progeniem, ſive illius quam proprio arbitrio contrahimus per noxiam & flagitioſam converſationem.

Hoc cœlitus edoctus fuit Conſtantinus, qui cum impium balneum motus pietate & matrum planctibus averſaretur, à D. Petro & Paulo monitus fuit advocare Sylveſtrum Pontificem ob perſecutiones tunc latentem; ut ab eo ſalubrius lavacrum Baptiſmi perciperet, quo omnis tam animæ quam corporis lepra foret expianda. Unde & baptiſmatis aquam ingreſſus, immaculatus evaſit, relictis in aqua velut quibuſdam piſcium ſquamis, quaſi recenti carne indutus foret, ſimulque animo eſt renovatus, unde & B. Sylveſtro dixit, ſe cum adhuc in ſactis eſſet undis, manus cujuſdam velut è Cœlo miſſæ attactum ſenſiſſe, Niceph. l. 2. c. 13. Niceph. l. 7. c. 33.

Secundò baptiſmum non tantum peccata remittere, ſed & gratiam, virtutes & dona infundere etiam parvulis, certum eſt; & diſertè aſſerit D. Chryſoſtomus: *Ecce, inquit, libertatis ſervitute fruuntur qui tenebantur paulo ante captivi, & cives Eccleſiæ ſunt, qui fuerunt in peregrinationis errore; & in juſtitia ſorte verſantur, qui fuerunt in peccati confuſione. Non enim ſunt tantum liberi, ſed & ſancti, non tantum ſancti, ſed & juſti, nec ſolum juſti, ſed & filii, nec ſolum filii, ſed & hæredes; nec ſolum hæredes, ſed & fratres Chriſti; nec tantum fratres Chriſti, ſed & cohæredes, non ſolum cohæredes, ſed & membra, non membra tantum, ſed & templum, nec tantum templum, ſed & organa Spiritus. Vides quot ſunt Baptiſmatis largitates? ſed multis videtur cœleſtem gratiam tantum in peccatorum remiſſione conſiſtere, nos autem honores computavimus decem.* Chryſoſt. hom. ad Neophy.

Hac de cauſa etiam infantulos baptizamus, ut non ſint coinquinati peccato, ut eis addatur ſanctitas, juſtitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Chriſti, ut ejus membra ſint omnes, ut Spiritus habitatio fiant. Propter hæc etiam dona quæ confert Baptiſmus, gratiam, fidem, ſpem, charitatem, de anima baptizata recte à Chriſto Sponſo dici poteſt: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Cant. 4. 7. Quia per baptiſmum non ſolum omnis peccati labes externa eſt, ſed etiam mira pulchritudo animæ eſt ſuperinducta. Quod utrumque indicans Apoſtolus, dixit Sponſum per lavacrum aquæ ſponſam ſuam mundare, *ut exhiberet ſibi gloriоſam, non habentem maculam, neque rugam.* Eph. 5. 27. Extenſus fuit in Cruce Chriſtus & mira diſtentus violentia, ut ejus ſponſa foret ſine ruga; effudit ſanguinem, ut eſſet ſine macula, & velut purpureo gratiæ colore tota pulchra.

Declarato id voluit Sponſus Chriſtus in perſona S. Catharinæ Virginis & Mart. de qua legimus, B. Mariam Virginem ei apparuiſſe, antequam foret baptizata, habentem in ulnis ſuis Filium ſuum Jeſum. Et cum illi commendaret Catharinam, averſit ipſe faciem ſuam, dicens nimiam ei ineſſe deformitatem. Illa intelligens id dici ratione defectus Baptiſmi, feſtinavit illum ſuſcipere. Paulò autem Pet. de Natalib. l. 10. c. 105. Ribad. in ejus vita 15. Nov.

poſt apparuit Chriſtus, & annulo ſpeciali ſibi illam deſpondit, in præſentia ſanctiſſimæ Matris ſuæ multorumque Angelorum. Cumque illa ſomnium eſſe putaret, experrecta annulum repetit; quem tanquam pignus ſacri amoris omnibus vitæ ſuæ diebus ſanctiſſimè conſervavit. Ideo invenies hanc virginem aliquando pingi, adſtantem Virgine Mariæ, & puero JESU annulum digito ejus inſerenti, & eam

Thren. 4. 7. deſponſanti. Poterat ergo hæc dicere: *Sanguis ejus ornavit genas meas, & annulo ſuo ſubarrhavit me Dominus.* Vide quæ diximus ſupra, de S. Agnete. Item quæ diximus de S. Pachomio.

Similiter de noviter baptizatis rectè dicimus illud Threnorum: *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſaphyro pulchriores.* Hæc enim omnia vera ſunt ob puritatem, quam in baptiſmo acceperunt, propter quam nivi & lacti comparantur, ob charitatem ferventem, propter quam ebori rubicundo aſſimilati ſunt; ob ſpem cœleſtem, propter quam ſaphyro ſimiles ſunt. Et veri Nazaræi poſſint dici, hoc eſt floridi & Deo conſecrati a Chriſto Nazareno ſanctificati. Propter hanc gratiam baptiſmalem, & virtutes connexas, eos

Aug. ſer. 1. de oct. Paſchæ, qui eſt 157. de Temp. Rom. 13. 12. ſic alloquitur D. Auguſtinus: *Vos alloquor, novella germina ſanctitatis; regenerata ex aqua & Spiritu Sancto, germen pium, examen novellum, flos noſtri honoris, & fructus laboris, & gaudium & corona mea, omnes qui ſtatis in Domino, Apoſtolicis verbis vos alloquor: Nox præceſſit, dies appropinquavit: Abiicite opera tenebrarum, induimini arma lucis.* De ipſis quoque rectè dixerimus: *Iſti ſunt agni novelli, qui modo venerunt ad Fontes, & repleti ſunt charitate,* & induti ſunt agni immaculati vellere, digni ejus ſequela & converſatione.

PROPOSITIO II.

Baptiſmus etiam remittit omnem pœnam peccatis debitam.

Hinc ſequitur, animas cum baptiſmo ſtatim decedentes, nullam Purgatorii pœnam luere, ſed immediate ad gloriam tranſire; quod verum eſt & de infantibus & de adultis, ſi nullum impedimentum poſuerint. Efficaciſſimè enim applicari voluit Chriſtus Paſſionem ſuam in hoc lavacro, ut renovet perfectiſſime animam ab omni culpa & pœna, tanquam regeneratio novum gratiæ eſſe tribuens, nulla obligatione pœnæ vel culpæ maculatum ob priorem vitam, quæ perfectè Chriſto commori & conſepeliri in Baptiſmo cenſenda eſt. Hoc in aliis Sacramentis non reperitur; quæ culpam poſſunt eluere, frequenter tamen aliquid pœnæ reliquunt per opera pœnalia diluendæ; hinc in Sacramento Pœnitentiæ, ſolet pœnalis aliqua

Ambr. to. 3. in c. 11. ad Rom. v. 29. afflictio per modum ſatisfactionis imponi, non autem in Baptiſmo. Ideo dicit Ambroſius: *Verum eſt, quia gratia Dei in baptiſmate non quærit gemitum, aut planctum, aut opus aliquod, niſi ſolam ex corde profeſſionem, fidem. Donum enim Dei gratis dona peccata in Baptiſmo.* Ubi non debet intelligi negare opus eſſe in peccatore adulto, ſaltem attritione de peccatis tanquam diſpoſitione ad gratiam baptiſmalem; ſed illum vult nullam baptizato imponendam pœnitentiam, ſive pœnale opus, cum nulli reatui maneat obnoxius.

Aug. lib. 1. de peccat. meri. c. 20 Ac quidem de infantibus ſic loquitur Auguſtinus: *Si percepto Baptiſmate de hac vita migraverint, ſoluto reatu, quo originaliter erant obnoxii, perficientur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens, in æternam juſtificatos præſentia corporis illuminat.* Hoc & Eccleſia approbat ſua praxi, quæ Miſſam Angelorum pro pueris defunctis celebrat, ſatis ſignificans illorum conſortio aſcriptos. Confirmat id exemplum, quod ex Gregorio habemus.

Greg. l. 4. Dial. c. 16. In ea, inquit, mortalitate, quæ ante triennium hanc urbem vaſtavit, in Portuenſis Civitatis Monaſterio Mellitus Monachus, adhuc in juvenilibus annis conſtitutus, ſed mitæ ſimplicitatis & humilitatis vir, appropinquante vocationis die, eadem clade percutitur, ad extrema deductus eſt. Quod vir vitæ Venerabilis Felix ejuſdem Civitatis Epiſcopus audiens (cujus & hæc relatione cognovi) ad eum accedere ſtuduit, & ne mortem timeret, verbis confortare, & de divina miſericordia longiora vitæ ſpacia polliceri. Sed ad hæc reſpondit ille, curſus ſui tempora eſſe completa, apparuiſſe ſibi juvenem epiſtolas deferentem, & dicentem: Aperi & lege. In his apertis vidit omnes qui à dicto Epiſcopo in Paſchali Feſtivitate baptizati fuerant, ſcriptis aureis literis, & nomen quidem ſuum primum reperit, ac deinde omnium illo tempore baptizatorum. Quapropter certum tenuit, & ſe & illos de hac vita brevi migraturos. Mortuus igitur eſt eadem die, & poſt cum intra paucos dies, qui baptizati fuerant, omnes ſecuti ſunt, ideo nimirum viderat eos auro ſcriptos, quia eorum nomina apud ſe fixa, æterna claritas habebat.

Greg. Tur. l. 2. hiſt. Franc. Audi quid hac eadem de re ſenſerit Clotildis uxor Clodovæi Regis Gallorum. Hæc cum habuiſſet è Rege filium ſuum primogenitum, Baptiſmo illum conſecrare optavit, Rege licet adhuc infideli repugnante. Baptizatus autem puer, Ignomerus vocatus eſt, ſed in albis adhuc conſtitutus obiit, qua de cauſa commotus felle Rex, increpabat Reginam, dicens: *Si in nomine Deorum meorum puer fuiſſet dicatus, vixiſſet utique, nunc autem, quia in nomine Dei veſtri baptizatus eſt, vivere omnino non potuit.* Ad hæc Regina: *Deo omnipotenti gratias ago, qui me non uſque quaque judicavit indignam, ut de utero meo genitum regno ſuo dignaretur adſcire. Mihi autem dolore hujus cauſa animus non attingitur, quia ſcio in albis ab hoc mundo vocatos Dei obtutibus nutriendos.*

Beda l. 5. hiſt. c. 7. Habes & de Ceadvalla Rege Britonum apud Bedam, quomodo Romam venerit, hoc ſibi gloriæ ſingularis deſiderans adipiſci, ut ad limina San-

Digitized by Google

Sanctorum Petri & Pauli fonte baptiſmatis abluereturꝰ ſperans etiam quod mox baptizatus, carne ſolutus, ad æterna gaudia mundus tranſiret. Quod utrumque ut mente diſpoſuerat, Deo juvante factum eſt. Nam illuc perveniens baptizatus eſt Sabbatho Paſchæ, anno 689. & in albis adhuc poſitus, languore correptus, ſolutus, carne, ad Beatorum conſortium tranſivit. Ita Beda.

Requiritur in baptizando adulto diſpoſitio.

Requiritur verò in baptizando adulto diſpoſitio, ut dixi, ſaltem per attritionem; ut hunc effectum perfectum baptiſmi aſſequatur, ſi ante agebat in peccatis. Unde concors Theologorum aſſerit ſententia, ſi nulla talis diſpoſitio reperiatur, jam obicem poni gratiæ & effectui Sacramenti, etiam ſi quis verè conſentiat in baptiſmum & fidem illi adhibeat. Quod non ſatis intellexerunt noſtri Hæretici.

Florimundus Rem. l. 2. de ortu hæreſ. c. 1.

Digna eſt commemoratione quædam quæ tempore Lutheri contigit hiſtoria, hanc rem concernens. Quidam ejus aſſecla Franciſcus Conradus nobilis Germanus, cum Francofurto navigaret Moguntiam, mercator quidam Judæus ejus ſocietati eſt adjunctus: quem ſtatim ille aggreſſus eſt de doctrina & religione. Cumque Judæus ille obmurmurans ſatis inſulsè ei reſponderet, nobilis ille vir robuſtus, eum invadit, & in flumen præcipitat; brachio tamen ſuſpenſum in aquis eum tenens & inclamans: Agnoſce Chriſtum pro Deo & Salvatore, & baptiſmum pete, aut modò in profundum te demergo. Trepidus Judæus necem ſibi imminentem videns, implorat miſericordiam, dicit ſe agnoſcere Chriſtum pro Meſſia, petitque baptiſmum. Interrogat alter, an hoc ex veritate cordis petat? Affirmat ipſe. Accipiens ergo nobilis manu aquam, ejuſque capiti infundens, pronunciat formam: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Poſtmodum fingens ſe velle eum ex aqua elevare, magno impetu in profundum mergit & ſubmergit, quaſique re optimè peracta: Ecce, inquit, animam Deo miſi. Nam ſi tempus ei vitæ prolongaſſem, potuiſſet baptiſmi pœnitere, eamque Diabolus poſſidere. Hujuſce facti Lutherus ſuſcepit defenſionem, cùm ab omnibus crudelitatis argueretur. Ita refert Florimundus, libr. 2. de ortu hæreſeos, cap. 3.

Quæres, an hic Judæus cenſeri debeat verè baptizatus? Reſpondeo; ſi conſenſit baptiſmo (licet hic conſenſus per metum violentum & injuſtè incuſſum fuerit exortus) tamen validè baptizatus eſt: quia ut definitum eſt, ab Innocentio III. *Cap. majores*, eſt ſolùm ſecundùm quid involuntarius, abſolutè tamen voluntarius cenſetur. Nec refert, quod talis metus irritaret Matrimonium: cùm enim matrimonium fundetur in contractu; qui juris diſpoſitioni ſubeſt; per juris diſpoſitionem irritatur talis contractus, cui metus per vim & injuſtitiam incuſſus cauſam dederit. Baptiſmi autem Sacramentum non ita ſubeſt juris humani diſpoſitioni, ſed à Chriſto ſic inſtitutum cenſetur, ut ſufficiat voluntas illum ſuſcipiendi, à quocunque extorta ſit, etiam per injuriam: quia ſaltem ipſe Chriſtus nullam facit injuriam, qui etiam ſine conſenſu poſſet omnes ad baptiſmum cogere. Quod ſi verò ille Judæus fictè conſenſit, non fuit fere baptizatus, quia non voluit Chriſtus aliquem per baptiſmum ſibi obligari, ſine aliquo prævio conſenſu & intentione, quando illius capax cenſetur, ut ab Eccleſia declaratum eſt. Si verò conſentiens per metum, nullam præteritorum peccatorum diſplicentiam vel actualem vel virtualem concepit: non jam Deo victima, ſed inferno lignum aridum demerſum eſt, per manifeſtam baptizantis illius crudelitatem & impietatem. Quia licet characterem baptiſmi potuerit ſuſcipere, gratiam tamen baptiſmalem non cenſetur accepiſſe ſine ulla diſpoſitione, aut cum voluntate peccatis adhærente.

Innoc. de bapt. & ejus effect.

Effectus baptiſmi eſt Cœli apertio.

Cæterùm, ex dictis collige, quàm rectè dicatur effectus baptiſmi eſſe apertio regni cœleſtis: quia ſcilicet per ſe ordinatus eſt ad tollendum omne impedimentum, quod animam poteſt à regni ingreſſu remorari. Cùm enim ſola culpa & pœna ab illo nos remorentur, utrumque baptiſmus tollit. Et quidem Chriſtus impedimentum totius naturæ ſuſtulit, oblato ſanguinis ſui pretio, quo remota fuit romphæa illa flammea & verſatilis, quæ Paradiſi ingreſſum prohibebat; illa enim figura fuit impedimenti illius, quo cœleſtis Paradiſi ingreſſus intercludebatur. Sed manet perſonale impedimentum, niſi per baptiſmum applicetur nobis pretium illud & ſatisfactio Chriſti, & tunc à ſingulis perſonis baptizatis ſtatim removetur, & regni capaces redduntur. In ſignum hujus rei in Baptiſmo Chriſti Cœli aperti ſunt. Id enim ſignificare potuit 1. Baptiſmum ingreſſum nobis præbere ad Eccleſiam, quæ regni cœlorum nomine in Scripturis deſignatur. Eſt enim baptiſmus janua Eccleſiæ, ſine qua nemo poteſt eſſe particeps Sacramentorum, Sacrificiorum, Indulgentiarum, aut theſauri, quo Eccleſia fruitur ob communionem SS. Non poteſt quis communicare opibus regiæ illius domus, quam ædificavit ſapientia, niſi per hanc ingrediatur portam. Non poteſt à diluvio peccatorum liber eſſe, qui arcam Noë ingreſſus non fuerit, cujus unica erat porta, baptiſmatis noſtri figura, per quam ſi non ingredimur Dei arcam, infallibiliter peribimus; ideo enim & parvuli pereunt qui per hanc januam ingreſſi non fuerunt. 2. Etiam propriè loquendo regni cœleſtis deſignabatur apertio dicente Beda ſuper illum locum: *Virtus baptiſmatis ibi oſtenditur, de quo quiſque cum egreditur, regni cœleſtis ei janua aperitur.* Quod modo jam dicto intelligendum eſt, ſublato ſcilicet omni impedimento culpæ & pœnæ. 3. Significabatur Cœlum jam apertum, ad influendum copiam donorum & gratiarum in illos qui baptiſmo initiarentur; ut & ipſi per baptiſmum ſurſum ſemper aſpiciant, & reſpirent ad Patrem luminum, à quo *omne donum perfectum,*

Matth. 3. 16.

Luc. 3.

Beda in Lucæ c. 3. v. 21.

Jac. 1. 17.

à quo adoptio & filiatio in nos derivatur, à quo & columba mittitur, hoc eſt Spiritus alle, qui in nobis *& pro nobis poſtulat gemitibus inenarrabilibus.*

Rom. 8. 26.

PROPOSITIO III.

Baptiſmus non tollit hujus vitæ pœnalitates, nec concupiſcentiam aut ejus paſſiones.

Eccl. 40. 1 QUantum ad pœnalitates, poſt baptiſmum manere manifeſtum eſt: manet enim *grave jugum ſuper filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium.* Hoc jugum trahimus per varios dolores & miſerias, morbos & anguſtias; nec volunt Chriſtus illa tollere in hac prima reſurrectione aut regeneratione ſpirituali, donec ultima veniat reſurrectio & regeneratio, quando *corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem.* Tunc enim plane tota reſtituetur natura primis donis ſuis & opibus; tunc plenè reparabitur; nunc autem ſolum Deus tollit peccatum & pœnas æternas vel temporales in futuro debitas, quæ ſunt quaſi perſonales. Illæ autem pœnalitates ſunt totius naturæ, quas reliquit uſque ad ultimam renovationem totius naturæ, in illa ſtatus electorum renovatione. Hoc diſertè explicans D. Thomas ſic ait: *Peccatum originale hoc modo proceſſit, quod primò perſona infecit naturam, poſtea verò natura infecit perſonam. Chriſtus verò converſo ordine, prius reparat id quod perſona eſt, & poſtea ſimul in omnibus reparabit id quod natura eſt. Et ideo culpam originalis peccati, & etiam pœnam carentiæ viſionis divinæ quæ reſpiciunt perſonam, ſtatim per baptiſmum tollit ab homine: ſed pœnalitates præſentis vitæ, quia reſpiciunt naturam (ex cujus principiis cauſantur, prout eſt deſtituta originali juſtitia) non tollentur, niſi in ultima reparatione naturæ per reſurrectionem glorioſam.*

1. Cor. 15. 53.

D. Thom. 3. p. q. 69. a. 3.

Cur has pœnalitates voluerit Deus relinquere.

Multiplex verò ratio afferri poteſt, cur eas Deus voluerit relinquere. Primò ut ſerviret nobis tanquam occaſio & leges majoris glotiæ. Patet in ſanctis, maximè in Martyribus & Virginibus. Quomodo enim illi ad talem gradum glorinæ pertigiſſent, ſi non fuiſſent tormenta, mors, dolores, concupiſcentia? Si fuiſſent impaſſibiles aut immortales ut Angeli, aut tales quales in reſurrectione erimus, quomodo eluxiſſet eorum patientia, charitas, conſtantia? Si non fuiſſet concupiſcentia & tentationes, quænam eſſet Virginitatis Corona? Ideo in figura hujuſce rei dicitur Judicum 3. *Hæ ſunt gentes quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Iſraelem, & poſtea diſcerent filii eorum certare cum hoſtibus, & habere conſuetudinem præliandi.* Nempe paſſibilitates multæ & paſſiones, exercitus hoſtilis eſt, contra quem debemus pugnare ſi glorioſius volumus triumphare. Pharao quidem cum ſuo exercitu ſepultus eſt in mari rubro, ſed tamen filii Iſrael ſtatim alios hoſtes invenerunt in deſerto, quos expugnare oportuit, ſi ad promiſſionis terram voluerunt pervenire. Sic peccata omnia ante baptiſmum commiſſa, in illo quaſi in mari rubro ſepeliuntur: ſed non deſunt poſtea paſſiones, contra quas oportet dimicare. Certè, inquit D. Gregor. *Maris rubri tranſitus, figura ſancti baptiſmatis fuit, in quo hoſtes à tergo ſunt mortui, ſed alii contra faciem in eremo ſunt inventi. Sic quippe omnes qui in baptiſmate tinguntur, eorum peccata præterita omnia laxantur, quia eis velut Ægyptii hoſtes à tergo moriuntur: Sed in eremo alios hoſtes invenimus, quia dum in hac vita vivimus, priuſquam ad promiſſionis patriam pertingamus, multa tentationes nos fatigant, & ad terram viventium contendentibus iter intercludere feſtinant.*

Judic. 3. 1.

1. *Vt nobis eſſent corona gloriæ.*

Greg. l. 9. ep. 39.

Secundò, quum Chriſto per baptiſmum incorporemur ut membra, debemus illi conformari: ipſe autem à principio ſuæ conceptionis fuit plenus gratia, habuit tamen corpus paſſibile, unde & paſſus eſt tota vita. Poſt paſſionem autem & mortem corpus ejus ad vitam glorioſam reſuſcitatum eſt: Sic & Chriſtianus, dum regeneratur, gratiam conſequitur, at manet multis pœnalitatibus obnoxius, ut Chriſto poſſit confirmari, cum ipſo bellare, pati, & coronari. *Non enim decet ſub ſpinoſo capite membra eſſe mollia & delicata.* Sed tandem renovabitur ad impaſſibilem vitam, quia *qui ſuſcitavit Ieſum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem Spiritum in vobis*, inquit Apoſtolus. Unde & D. Thomas baptiſmo tribuit, quod illo pœnalitates in altera vita auferantur quia ſc. baptiſmus confert gratiam, quæ eſt ſemen gloriæ, per quam in reſurrectione omnis defectus à Beatis auferetur.

2. *Nos ut membra capiti Chriſto conformari debemus*

Rom. 8. 11.

Tertiò, ideò relictæ ſunt pœnalitates & paſſiones, ut ſemper feramus nobiſcum teſtimonium lapſus noſtri, & intelligamus quantum Deus ſuperbis reſiſtat, ut dicit Auguſt. ut etiam ſemper appareat gratia Salvatoris, dum videmus quantum ſuo pondere in malum proclivis ſit vitioſa natura, & quantam opem requirat: quæ ratio deducitur ex Auguſt.

3. *Vt feramus ſemper nobiſcum teſtimonium lapſus noſtri.*

Aug. l. 1. conf. c. 1.

Quantum ad concupiſcentiam, licet illa non tollatur per baptiſmum, non tamen ſequitur, in baptizatis aliquid manere peccati: quia verè & propriè in renatis peccatum non eſt, quamvis aliquando peccati nomen ſortiatur in Scriptura, *quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat*, ut interpretatur Concilium Tridentinum ex doctrina Sanctorum Patrum. Quod explicat Auguſt. exemplis quibuſdam; Sic, inquit, vocatur lingua, locutio quam facit lingua: & manus vocatur Scriptura, quam facit manus. Item frigus vocatur pigrum, quia ad pigritiam inclinat. Relinquitur ergo illa ad agonem, inquit Tridentinum, nec nocere poteſt, quando illi ad illicita opera non conſentitur, ſed dominante ratione reprimitur. Alioqui per conſenſum jam fit peccatum & tunc verum eſt illud Auguſt. *Concupiſcentia carnis peccatum eſt, quia illi ineſt inobedientia contra dominatum mentis: & pœna peccati, quia reddita eſt meritis inobedientiæ: & cauſa peccati eſt, defectione conſentientis, vel contagione naſcentis.*

Aug. l. 22. civ. c. 22.

Rom. 6. 7. & 8. Conc. Trid. ſeſſ.

Aug. l. 5. cont. Julian. c. 3.

Licet

Digitized by Google

Licet verò non tollatur concupiſcentia per baptiſmum, tamen rectè dicitur alligari, diminui, debilitari. Hoc ſenſu, quia Spiritus per gratiam baptiſmi plurimum adjuvatur ad illi reſiſtendum & pugnandum, & per gratiam illam fit, ut minorem habeat efficaciam inclinandi ad peccatum. Sic licet non diminuatur, quantum ad ſubſtantiam, diminuitur quantum ad efficaciam. De hac re ſic loquitur D. Bernardus: *Dixi vobis ſæpius nec mente excidere debet, quoniam in caſu primi hominis cecidimus omnes. Cecidimus autem ſuper acervum lapidum, & in luto: unde non ſolum inquinati; ſed etiam vulnerati, & graviter quaſſati ſumus. Lavari quidem citò poſſumus, ad ſanandum verò opus eſt curatione multa. Lavamur igitur in baptiſmo quia deletur chirographum damnationis noſtræ & gratia hac nobis confertur, ne jam nobis concupiſcentia noceat, ſi tamen à conſenſu abſtineamus: atque ita tanquam ſanies inveterati ulceris removetur, dum tollitur damnatio & reſponſum mortis quod prius inde manabat.* Itaque baptiſmalis gratia, quia in mente eſt, non tollit concupiſcentiam aut fomitem peccati, qui in carne eſt: ſed tamen roborat mentem contra perverſam carnis inclinationem, & miram efficit in homine mutationem.

S. Bern. ſerm. 1. de Cœna Dom.

S. Cypr. li 2. ep. 2.

. Habes hac de re exemplum D. Cypriani ſic de ſeipſo ſcribentis ad Donatum: *Cum in tenebris atque in nocte cæca jacerem, eumque in ſalo jactantis ſæculi mutabundus ac dubius veſtigiis oberrantibus fluctuarem, vitæ meæ neſcius, veritatis ac lucis alienus, difficile proviſus ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in ſalutem mihi divina indulgentia polliceretur: ut quis renaſci denuò poſſet, atque in novam vitam lavacro aquæ ſalutaris animatus, quod prius fuerat, exponeret, corporis licet manente compage, hominem animo ac mente mutaret. Cui poſſibilis, ajebat, eſt tanta converſio, ut repente ac perniciter exuatur, quod vel genuinum ſitu materiæ naturalis obduruit, vel uſurpatum diu ſenio vetuſtatis inolevit? alta hæc & profunda penitus radice ſederunt. Quando parſimoniam diſcit, qui epulantibus comis & largis dapibus aſſuevit. Hæc egomet ſæpè mecum. Sed poſtquam unda genitalis auxilio, ſuperioris ævi labe deterſa, in expiatum pectus deſuper ſe lumen infudit; poſtquam cœlitus Spiritu Sancto, in novum me hominem nativitas ſecunda reparavit: tunc facile viſum eſt, quod impoſſibile prius videbatur, &c.* Attende etiam quomodo D. Auguſtinus caſtitatem poſt baptiſmum facilem invenerit, quam ante adeo difficilem exiſtimabat ob concupiſcentiæ luctam.

Aug. l. 9. conf. c. 6.

Character eſt etiam effectus baptiſmi.

Inter effectus quoque baptiſmi enumeratur Character, qui efficit ut baptiſmus non poſſit iterari. Injuria enim fit Characteri, quaſi ille malitia perire poſſit aut extingui: ſed de illo effectu Characteris ſupra diſſerui agens de Sacramentis in genere. Hoc ſolum breviter addo ad intelligendum, quomodo baptiſmus iterari non poſſit: quod ſicut unica eſt generatio, ſic & unica à Chriſto inſtituta eſt regeneratio, oppoſita vitioſæ illi primæ generationi. Quod ergo Nicodemus de carnali illa nativitate loquens, dixit: *Nunquid poteſt homo iterato in matris ventrem introire & naſci?* applicandum eſt etiam huic ſpirituali regenerationi: *Jam natus ſum de Adam*, inquit Auguſtinus, *non poteſt me iterum generare Adam: jam natus ſum de Chriſto, non poteſt me iterum generare Chriſtus: quomodo uterus non poteſt reperi, ſic nec baptiſmus.* Idipſum ſignificare videtur Chriſtus, dum in ablutione pedum ad baptiſmum reſpiciens, dicit: *Qui lotus eſt non indiget niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus*: quaſi dicat. Qui totus ſemel in baptiſmo lotus eſt, abolita, qua totus erat infectus generationis vetuſtate, quæ meritò capitis, manuum, pedum, totiuſque corporis ſordibus comparatur; opus non habet, ut totus iterum ex vetuſta generatione ad novam in hoc ſæculo transferatur; ſed ſatis fuerit ſi peccata poſt regenerationem contracta, lachrymis pœnitentiæ & Chriſti ſanguine diluat.

Joan. 3. 4.

Auguſt. Tract. 11. in Joan.

Joan. 11. 10.

LECTIO VI.

DE SUSCEPTORIBUS in Baptiſmo.

1. *Docet ex ordinatione Eccleſiæ adhiberi Patrinos.*
   Item eos ſuſcipere baptizatum in curam ſuam.
2. *Ipſorum eſſe nomen imponere.*

PROPOSITIO I.

Ex ordinatione Eccleſiæ, Patrinus aliquis in baptiſmo ſolet adhiberi.

1. Vt baptizatorum curam ſuſcipiant.

HUjus munus eſt baptizandum Sacerdoti præſentare, & de ſacro fonte in ſuam curam ſuſcipere, &, ſi idoneus non ſit ob ætatis defectum, debet pro illo fidejuſſor eſſe. Cùm enim baptiſmus ſit ſpiritualis regeneratio, per quam reddimur quaſi modò geniti infantes, qui lac veræ ſapientiæ ſine dolo debemus concupiſcere, hinc eſt, quod alicujus fidei & prudentiæ committimur, à quo doctrinæ neceſſariæ inſtructionem, & ad veram fidem cohortationem poſſimus haurire. Quapropter D. Dionyſius hac de re agens, dicit olim hæc fuiſſe Sponſoris verba: *Spondeo me puerum inducturum, cùm ad ſacram intelligentiam venerit, ſedulis cohortationibus meis, ut abrenunciet contrariis omnino, profiteatur, peragatque divina quæ pollicetur.* Non eſt ergò nuda cæremonia, ſed eſt obligatio, quàm ſe ſuſcipere, & voce reſpondendo, & manu contingendo, ſignificat. Et illa maximè urget, ſi baptizatus egerit, fortè habens infideles parentes aut hæreticos, aut ita negligentes, ut prolem non inſtituant: quod ſi ſuffi-

D. Dion. Eccl. Hier.

ſufficienter aliunde inſtrui ſciat puerum ſuſceptum, ab hac obligatione exoneratur. Item, quando baptizatus jam ſufficienter in rebus fidei & morum inſtructus eſt, non ita urget hæc obligatio : quia non eſt perpetua, ſed maximè extendere ſe videtur ad ſtatum infantiæ ſpiritualis, in quo eget pædagogo. Cùm ergo poſt ſufficientem inſtructionem extra illum ſtatum eſſe videatur, tunc non adeo ſtricta eſſe cenſetur. Nec tamen omnino etiam poſtea negligenda, quia monet D. Auguſtinus.

S. Aug. Ser. 183. & 215. de temp.

Vos ante omnia, tam mulieres quàm viros, qui filios in baptiſmo ſuſcepiſtis, moneo, ut vos cognoſcatis fidejuſſores apud Deum *extitiſſe, pro illis quos viſi eſtis de ſacro fonte ſuſcipere : ideoque ſemper eos admonete, ut caſtitatem cuſtodiant, juſtitiam diligant, charitatem teneant. Ante omnia ſymbolum & orationem dominicam & vosipſi tenete, & illis quos ſuſcepiſtis ex ſacro fonte oſtendite.*

Dionyſ. Eccl. Hierar. c. ult.

Hac etiam de re D. Dionyſius ſic loquitur, ut Patrinum vocet *ſancte ſalvationis ſuſceptorem, ſub quo reliquum vitæ puer debeat degere tanquam ſub ſpirituali Patre.* Quapropter quoties ſua operâ, conſilio, monitis, Patrinus viderit egere illum, quem in ſuam clientelam & fidem receperit, non debet deeſſe.

Victor Uticenſ. l. 3. de perſecut. Vandal.

Hanc obligationem conſiderans Muritta Diaconus acceſſit Elpidophorum quem de fonte ſuſceperat, videns eum à fide diſceſſiſſe tempore Hunerici Regis Vandalorum, ipſumque crudeliter Confeſſores Chriſti perſequi : cum apud ſe igitur reſervaſſet albam veſtem, quâ fuerat indutus in baptiſmo Elpidophorus, illam coram omnibus expandens, & ventilans, verbis ſequentibus totam ad lacrymas commoviſſe dicitur civitatem. *Hæ ſunt linteamina, Elpidophore, miniſter erroris, quæ te accuſabunt, dum Majeſtas venerit judicantis : quæ cuſtodivit diligentia mea, ad teſtimonium tuæ perditionis, ad demergendum te in abyſſo putei ſulphurantis. Hæc te immaculatum cinxerat de fonte ſurgentem. Hæc te acriùs perſequetur, cùm flammantem gehennam cœperis poſſidere, quia induiſti maledictionem ſicut veſtimentum, ſcindens atque amittens veri baptiſmatis & fidei Sacramentum. Quid facies miſer, cùm ſervi Patris familias ad cœnam congregarint invitatos. Dicet tibi Rex : Quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem ? Non video veſtem quam tibi dedi, perdidiſti militia chlamydem quam aqua mundavi & purpura mei Sanguinis decoravi, Characterem non video Trinitatis, ligate ergo eum pedibus & manibus, qui ſe ſeparavit à fratribus Catholicis, & in tenebras projicite.* His & ſimilibus ignem conſcientiæ accendebat in corde Elpidophori, quo urebatur cum rubore, ante ignem æternum, quo ob ſcelera infœlix ille Apoſtata erat conſumendus.

Patrinorum cura quidam ſancti effecti.

Neque verò pauci ſunt, qui Patrinorum ſuorum diligenti cura & inſtructione ad ſanctitatem pertigerunt.

S. Autbertus, Landelinum Adoleſcentem nobilem de ſacris Fontibus ſuſceperat, ideoque illi traditus fuit à Parentibus, bonis moribus ac litteris imbuendus. At poſtea, cum conſanguineorum ſuorum pravo conſilio & conſortio ad flagitioſam vitam abreptus foret, rapinis ac cædibus deditus ; pius hic Patrinus multo mœrore afflictus, quaſi mortuum filium ſuum lugebat : & continenter Deum orabat, ut vitam mortuo reſtitueret, & medicinam afferret adoleſcenti huic, ſatanico vulnere fauciato. Tandemque paternis lachrymis & precibus apud Deum meruit ejus converſionem, ut latius alibi deſcripſi ex Surio 15. Junii.

V. dicta ſup. præcepto 7. Surius 8. Jan.

B. Gertrudis S. Gudilam è ſacro etiam fonte levarat, unde & illam Nivellæ Chriſtianis inſtitutis imbuit, orationi, vigiliis, & jejuniis incumbere docuit. Unde & in tenera ætate, exemplo Suſceptricis ſuæ, oratoria noctu etiam frequentabat : cujus devotioni inſidians diabolus, lucernam ejus, quam pediſſequa ferebat, cùm extingueret, ipſa orationis ſuæ virtute poterat extinctum lumen reſtaurare. Hujus corpus Bruxellæ colitur, & ejus vitam ſcribit Surius 8. Januarii.

Molanus 12. Nov. de SS. Belgii.

S. Auguſtinus Angliæ Apoſtolus, miſſus à Gregorio Papa, de ſacro Fonte ſuſceperat Salivinum in Scotia, & ita eum in pietate inſtruxit, ut poſtea miraculis clarus Epiſcopus & Martyr evaſerit, ab infidelibus occiſus, dum per Flandriæ & Brabantiæ loca innumeros ad Chriſti fidem converteret. Ejus corpus Gandenſis Eccleſia poſſidet, & magno colit honore. Ab ipſo etiam Beat. Levino Brixius puer de ſacro Fonte levatus fuerat, & ideo conſors martyrii ejus meruit eſſe, & in uno eodemque loculo cum Patrino ſuo ſepeliri. Illius reliquiæ adhuc integræ & illæſæ repertæ ſunt à Cornelio Janſenio Epiſcopo Gandenſi, corpora Sanctorum requieſcentium Gandavi viſitante poſt tumultus & ſeditiones hæreticorum in Belgio : & illis ſchedula affixa erat continens ſequentia : *Hic requieſcit Brixius puer Martyre Chriſti pretioſus, ſanctiſſimi Levini Epiſcopi & Martyris in Baptiſmate filius.* Vide Molanum de SS. Belgii Nov. 12.

Surius 20. Jan.

S. Sebaſtianus, ſexaginta quatuor perſonas quas converterat ad fidem, Polycarpo presbytero ad baptiſmum præſentavit, tanquam Patrinus horum novorum Chriſtianorum : & ut perfectè Patris ſpiritualis munere fungeretur, eos ad Martyrii coronam, & quælibet pro Chriſto tormenta perferenda animabat. Lege in ejus vita, quanto zelo & cura Marcum & Marcellianum Fratres in carcere detentos, vacillantes confirmarit ; & parentes eorum lacrymis & blandis ſermonibus eos à fidei confeſſione divertere conantes, ad veram & firmam fidem traduxerit ; novos ſemper Chriſto filios parturiens, donec æternitati eos pareret, ſemper ſollicitus de illis, continuò verbis & ſpiritu eos exſtimulans.

Similer S. Cæciliam rectè dixeris Matrinam ſive matrem ſpiritualem Sponſi ſui Valeriani, cujus animo fidei rudimenta inſtillavit, & ad Urbanum Pontificem in locis ſubterraneis ob perſecutionis

cionis atrocitatem agentem, deſtinavit, ut baptiſmo initiaretur. Cumque ipſa perſonaliter comparere non poſſet, ut novum hunc Tyronem baptiſmi Candidatum S. Antiſtiti præſentaret, & in fide firmaret: ejus loco adſtitit Angelus Domini, inſtar Juvenis candidiſſimi & fulgidiſſimi, qui ei libellum aureis litteris conſcriptum exhibuit, in quo continebatur: *Unus Deus, una fides, unum baptiſma.* Statimque reſpondit ſe credere, & baptizatus eſt. Neque verò curam ejus mox depoſuit Cæcilia: ſed quem Chriſto pepererat, ſacris monitis velut lacte alebat, & forti zelo etiam ad martyrium animabat. Cum enim totas noctes ſacris cum illo & Tiburtio fratre colloquiis inſumpſiſſet; dum aurora finem daret toto ſpiritu inſonabat: *Ejamus milites Chriſti abiicite opera tenebrarum, & induimini arma lucis.* Illi ergo infracto animo, pro Chriſto poſtea morti ſe obtulerunt, & Martyres lauteâ digni affecti ſunt.

Surius 9. Jan. c. 27. & cæt. Ribaden. eodem die Celſo Martiani Præſidiis filio.

Vis plura? Audi & de S. Juliano Martyre Celſi pueri Patrino. Is juſſu Martiani præſidis totus vulneribus plagiſque confectus; per urbem Antiochenam circumducebatur ſub voce Præconis inclamantis; *Hæc merentur Deorum rebelles & principum contemptores.* Contigit autem eum ſic afflictum, cateniſque ferreis vinctum, per tranſire ante Gymnaſium, in quo Celſus puer Martiani Præſidis filius, litterarum ſtudiis operam dabat. Egreſſus igitur cum Sodalibus Celſus ad id ſpectaculi, videt hunc Chriſtianorum Candidatorum quâdam multitudine circumdatum, cum quibus læto animo colloquebatur, ſimulque advertit auro gemmiſque rutilantem coronam, ejus capiti adpoſitam. Interiori ergo Spiritus divini inſtinctu admonitus, Gymnaſium, Libros, Sodales deſerit, & ad pedes Juliani accurrens, coram circumſtrepente & attonita turba ejus vulnera oroſculatur: & ait illi: *Te ſecunda nativitatis, quam mihi Chriſtus oſtendit, Patrem agnoſco, Martianum vero genitorem meum, veritatis inimicum deſpicio.* Nec verò poterat quiſpiam eum ab amplexu Martyris divellere, & cum quiſpiam id conaretur, ſtatim ſibi brachia manuſque areſcere ſentiebat. Uterque igitur in tetrum carcerem conjicitur, ad quem etiam vocato Antonio Presbytero, baptiſmum filiolo ſuo procurat Julianus ſimulque 20. militibus inſolita carceris illuſtratione converſis. Sed & poſtea cum Mater Celſi pueri eum in hoc carcere viſitarent, filii ſui ardentibus de Chriſto ſermonibus converſa eſt, credidit ac baptizata eſt ab eodem Presbytero, ipſo Celſo puero martis Patrino exiſtente, à quo & inſtructa eſt de fide, & ad baptiſmum oblata.

Cæterum, ſicut Patrini illos quos ſuſcipiunt, quia Sponſores ſunt, tenentur in fidei rudimentis inſtruere, ac ad virtutem vitamque Chriſtianam inſtigare: ita cum ad maturum judicium pervenerint baptizati fide juſſoribus ſuis tenentur, non ſolum honorem & reverentiam deferre, ſed & monitis eorum obedientes eſſe, dum vel fidei doctrinam eis tradunt, vel ad bonos mores eos inſtituere conantur. Attendite hoc, ô Adoleſcentes, qui facilè monitores veſtros deſpicitis, ad virtutis tramitem vos dirigere, aut reducere volentes: *Verbum* enim *ſapientis* (teſte Sapiente) *audivit luxurioſus, & diſplicebit illi & proiecit illud poſt dorſum ſuum.* Si illorum monita, qui vobis Patres Spirituales per baptiſmum exiſtunt facilè contemnitis, tanto majus judicium damnationemque incurritis, ac graviori peccato vos obſtringitis, quanto magis præ cæteris illis obligati eſtis & obſervantiam debetis. An non agnoſcitis obligationem, quam habetis erga illos? Ipſi pro vobis reſponderunt, ipſi pedes vobis accommodarunt ut ad baptiſmum pertingeretis, cor ut crederetis, linguam ut confiteremini, voluntatem ut renaſci poſſetis, dum pro vobis ſpondentes dixerunt. Credo, Abrenuncio, Volo. Quapropter gravis cenſetur eorum contemptus, gravis quoque injuria, quæ eis vel verbo vel facto irrogatur. Eccl. 21. 18.

Inter hiſtorias SS. Belgii legimus S. Oduinum à filio ſuo Spirituali quem è Fonte ſacro ſuſceperat, deteſtabili facinore fuiſſe interfectum ob juſtitiam, ideoque inter Martyres colitur. Sacerdos ipſe fuit, ſingulariter incumbens orationi, jejunio, eleemoſynis, agens circa partes noſtræ Hasbaniæ. Cum autem quodam die exorta eſſet quæſtio inter quendam agricultorem, & ſuum filium ſpiritualem ob metam inter confinia agrorum, communi conſenſu deſignatus fuit arbiter, ad rem decidendam ſecundum jus & æquitatem. Beatus autem vir ſententiam decidit contra ſuum filiolum. Unde is ità percitus foſſorium è manu Patrini ſuſcepit, & in verticem ejus violenter direxit, ſciditque ei caput medium. Deus autem in deteſtationem hujus criminis, & approbationem juſtitiæ & ſanctitatis, ubi ſanguis ille juſtus effuſus eſt, fontis venas mox aperuit, de cujus lotione multi reſtituti ſunt ſanitati. Corpus ejus Hugardiæ quieſcit, & venerationem habet. Molanus 25. Junii.

PROPOSITIO II.

Officium quoque Patrini eſt, nomen baptizando puero imponere.

SIcut olim in Circumciſione, ita modò in Baptiſmo a ſuſceptoribus nomen imponi ſolet alicujus Sancti: ut ſignificetur hæreditati cœleſti tanquam cives per baptiſmum nos adſcribi, ac in libro viventium: de quo nonniſi culpâ noſtrâ poſſumus eradi aut obliterari. *Deleantur de libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur,* inquit Propheta. At quinam illi? Qui ſcilicet peccatis ſuis flagitioſâ vitâ indignos ſe reddunt, & nomine Chriſtiano, & nomine Sanctorum, quo in baptiſmo fuerunt decorati, ac nomine æterno, quo per illum baptiſmum in libro vitæ jam inchoatæ erant conſcripti, ob acceptam juſtitiam æternâ gloriâ coronandam, ſi perſeverare voluiſſent. De hoc libro dicit Apoſt. ad Philip. *Adjuva illas quæ mecum laboraverunt in Evan-*

2. *Ut baptizando nomen imponant.*

Pſ. 68. 29.

Phil. 4. 3.

in Evangelio, cum Clemente & cæteris adjutoribus ſuis quorum nomina ſunt in libro vitæ. Qui ergò baptizatur, cenſetur conſcribi in libro vitæ; quatenus per præſentem juſtitiæ & gratiæ ſtatum de ſtatu peccati & mortis translatus, ad vitam æternam ordinatur, & per adoptionem in numerum filiorum Dei tranſcribitur. Et ideò nomen novum imponitur Catechumeno, ut vitam novam ſciat ſe inchoare, per quam tandem æternam aſſequatur, dignus
Col. 1. 12. factus *in partem ſortis Sanctorum in lumine.*

Itaque Patres aut Parentes ſolliciti ſint eis nomina dare non aliquorum Gentilium, aut nomina ignota vel etiam incerta, ſed nomina Sanctorum cum Chriſto regnantium, quos Eccleſia Dei ob præclara geſta celebri memoria recolat; aut nomina Angelorum per Scripturam nobis nota: ut ſcilicet horum patrocinio & interceſſione poſſint fulciri, eorumque veſtigiis inhærere, ſanctitatem ſectari, geſta imitari, & cum illis tandem regnare.

Non infrequenter verò contigit illos ad quos ſpectat nomen dare divinitus inſpiratos fuiſſe, ut certa nomina imponerent rei futuræ, præſagia, vel præteritæ rememorativa.

Surius 16. Nov. S. Edmundus præter communem naſcentium morem ita mundus è maternis viſceribus prodiit, ſingulari Dei beneficio, quod futuram ejus puritatem declaravit, ut mundiſſimus pannus cui involutus fuit, nullam maculam ab eo contraxiſſe videretur, ita ut obſtetrices planè rei novitatem admiratentur. Ideò Mater, in baptiſmo Edmundum à munditia, nuncupandum cenſuit.

Surius 16. Febr. S. Victor Confeſſor, hoc nomen obtinuit, quod adhuc in utero matris exiſtens, dæmonibus terroti fuerit, teſte Bernardo, ſer. de S. Victore: *Miror*, inquit, *& ſtupeo, infantem adhuc in utero, pavori fuiſſe pavendis dæmonis: quippe ab ipſis præcognitum & jam tunc ex nomine deſignatum. Nec vacuum nomen, ubi hoſtium fuga, & exterta confeſſio victoriam conceſſit infantulo.*

Sedulius in hiſt. Seraph. B. Hortulana S. Claræ Mater, fructiferam Hortò Eccleſiæ plantam editura, cum non parum de partus periculo ſollicita ante crucem in templo oraret, vocem ſibi audire viſa eſt: *Ne parvas mulier, ſalvus enim lumen quoddam parturies, quod ipſum mundum clarius illuſtrabit.* Quo edocta miraculo, natam infantulam voluit Claram appellari.

Surius 9. April. Cum Patrini S. Vincentii Ferrarienſ. Ord. Præd. diſceptarent de nomine imponendo, & in baptiſmo unuſquiſque ei ſuum nomen imponere veller. Sacerdos ut ſedaret diſcordiam, *Vincentius*, inquit, vocetur, illique ſtatim id approbarunt. Nec ſine divina providentia id à Sacerdote factum eſt, cum nemo ex familia, aut amicis aſtantibus ſic vocaretur; manifeſte autem ejus opera declararunt, quantum hoc nomen ei congrueret velut cœlitus datum.

Riccius in mſph. crucis. In Hiſpania Ferdinando Rege, S. Chriſtophorus puer trium annorum, in oppido cui nomen eſt Guardia propè Toletum, omnia Chriſti tormenta à Mantis ſigillatim perpeſſus eſt. Dum ad columnam ceditur crudeliter, nec vocem, nec ſignum ullum doloris dedit, niſi in ultimis quinque plagis, quod eo numero ſuæ illas Chriſti ſuperaſſent, exclamans. Effodienti ſibi latus dextrum in cruce ait: *Si cor quæris, alterum latus effodias.* Quo effoſſo & corde extracto ad veneficium contra Chriſtianos conficiendum, obiit Sanctus puer. Hunc, ut in numerum Sanctorum Innocentum adſcriptum, Innocentem è Guardia vocant vicini. Portò ſeries hiſtoriæ ſervatur in Actis ſacrorum Quæſitorum. De quo Verſus.

Dum Chriſti tormenta refers in corpore, & ipſum
Pectore; Chriſtophori nomen & omen habes.

Angelus cuſtos etiã baptizandorum. Patrinus.

Advertant hic Chriſtiani, quod Præter Patrinum quem habent in terris, duos tanquam Patrinos colere debeant in cœlis; ſcilicet Angelum, cujus fidei & tutelæ commiſſi ſunt, & Sanctum, cujus nomen & patrocinium aſſumpſerunt. Primò quidem Angelus rectè Patrinus dicitur, qui ab ortu noſtri cutam ſuſcipiens, ad baptiſmum adduxit, & contra inſidias dæmonis protexit; quo in noſtram perniciem conſpirante, antequam per baptiſmalem undam renati eſſemus, ſuffocari aut extingui poteramus. Deinde tanquam tutor, non ſolum corporalis, ſed & ſpiritualis vitæ noſtræ, variis auxiliis ut gratiam adeptam conſervemus, nobis adeſt, nec deſerit uſque ad ultimum ſpiritum. Quapropter ut ſciremus quomodo baptiſmo noſtro invisibiliter adſint bi Angeli, voluit ipſos Deus quandoque viſibiliter etiam Patrini officium exercere.

S. Antonin. 2. p. hiſt. tit. 10 c. 1. §. 2. Euſebius Vercellenſis temporibus Diocletiani & Maximiniani Catechumenus, cum parentubus Romam venit adhuc parvulus, & ab Euſebio Papa Baptiſmum & nomen accepit. Papa verò Euſebius, ab Angelo qualis & quantus eſſet futurus inſtructus eſt, & quo eum nomine vocaret. In ipſo ejus baptiſmo manus Angelicæ viſæ ſunt, quæ eum de ſacro Fonte levaverunt. Ipſe ergò Angelicam vitam duxit, virgo ſemper manſit, nullamque fœminam poſt baptiſmum, nec etiam matrem oſculando, tetigit, non deſpiciendo matrem, ſed culpam fugiendo.

V. Surium 4. Maii ex Metaphraſt. S. Pelagia Tarſenſis virgo & martyr, adhuc infidelis obviam facta Clinoni Epiſcopo, ejus alloquio converſa eſt. Cum verò inſtantet poſceret baptiſmum, fons aquæ vitæ eo in loco erupit ad orationem viri Sancti: & duo Angeli in figura duorum militum ſupra Fontem ſtantes, & manibus linteum fulgidiſſimum tenentes viſi ſunt, aquiſque fulgorem impertientes. Ille ergò gratias Deo agens, vocem elevavit & dixit: *Gratias tibi Rex univerſorum qui feciſti Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos flammam ignis? Tu me dignum effice, qui hanc virginem, quam ipſe mihi obtuliſti, tibi offeram hoſtiam viventem in odorem ſuavitatis. Fac & ipſam dignam numerari de grege electorum, & in die regni tui cum Virginibus lampade accenſa in thalamum introire.* Exultans igitur in ſpiritu, ob hæc

Digitized by Google

hæc à Deo facta, his cœleſtibus Patrinis & teſtibus, eam baptiſmate Domino conſecravit.

6. Franciſcus ab Angelo quoque de ſacro Fonte ſuſceptus traditur, ejuſque rei memoria adhuc habetur Aſſiſii, quam ſe vidiſſe in ſuo ad Capitulum Generale itinere mihi aſſeruit R. P. Petrus Marchant Provinciæ Flandriæ Miniſter. Nec id mirum, cùm & de eodem legamus, quod cùm Mater ipſum enixura per plures dies aſperrimis doloribus torqueretur, à quodam in ſpecie mendici apparente (quem fuiſſe Angelum meritò exiſtimaverit) admonitam Chron. l. 1. c. 1. fuiſſe, ut in vicinum ſtabulum ſe deferri curaret, ſtatimque partus difficultate liberandam, quod ubi factum fuit, illicò partus faciliter & fœliciter editus eſt. Sic Franciſcus humilis, Chriſtum humilem in ſtabulo naſcentem debuit imitari, cui & in cruce monenti debebat per ſtigmata ſimilis eſſe. Erectum Baron. tom. 7. ad an. 537. ex Sophron. in prato ſpirit. c. 207. eſt ad perpetuam rei memoriam, eo ipſo loco ſacellum, quod à Franciſco parvulo etiam modo nomen retinet, & miraculi ſeries parentibus appicta vilitur.

Præclarum quoque hac de re exemplum eſt apud Baronium. Puella quædam Alexandriæ in ſuo obambulans horto, vidit quendam laqueo ſe præfocare volentem. Accurrit, & inquirit cauſam. Aperit ille ſe a creditoribus premi, & egeſtate ac carceris metu urgeri ad finiendam vitam. Illa præ commiſeratione facultates omnes à parentibus ſibi relictas (erat enim pupilla) obtulit, ut eum à fœda morte & ære alieno liberaret. Poſteà videns ſe inopem, corpus libidini proſtituit, multiſque annis in peccato perſeveravit, donec morbo lethali perculſa, à Deo illuminata cœpit deteſtari peccatum, emendationem proponere, fidemq; Chriſtianam ac baptiſmum ardenti deſiderio expoſcere. At, quia ob fœdam converſationem exoſa erat, nemo eam à ſacro fonte ſuſcipere dignabatur. Interim dum id lachrymis conficitur apparet ei juvenis ſimilis illi, quem à nece liberârat, & inquiſita mœroris cauſâ, eam bono animo eſſe jubet, deſiderio ejus ſe ſatisfacturum aſſerit. Diſcedens ergò paululum, adducit duos illuſtres viros, formâ repræſentantes Civitatis duos Conſules, qui curam ejus ſuſcipiunt, & ad Baptiſma perducunt in Eccleſiam deducentes, Presbyterumque advocantes. Cùm pro illa ſpoſpondiſſent, baptizata eſt & albis induta, poſteà evanuerunt. Vicini conſpicientes eam in albis, interrogant à quo, & quibus Patrinis fuerit baptizata? Aſſerit illa ſe ad Eccleſiam deductam à duobus ſibi ignotis. Re ad Epiſcopum delatâ, vocatur Sacerdos qui baptizârat, qui ait ſe baptizâſſe, exoratum à duobus Civitatis Conſulibus. Interrogantur illi, at ſe nec mulierem noſſe aſſerunt, Dei ergò hoc opus fuiſſe agnoſcitur. Inquirit itaque ab ea Epiſcopus: dic filia, quid geſtiſti boni, quia Deus tecum eſt. Cui illa: Meretrix paupercula exiſtens, quid potui agere boni? Urget eam Epiſcopus, an nihil boni ſe unquàm geſſiſſe meminerit? Aperit ipſa quomodò viro illi necem ſibi molienti patrimonium dederit, & enata re ſtatim obdormit in Domino. Fuerunt ergò Angeli cuſtodes tum viri illius, tum hujus mulieris, qui Patrini extiterunt.

Secundò, Sanctus cujus nomen adſumitur, Patrinus quoque rectè dicitur, quandoquidem in regeneratione illa ſpirituali inter eos, qui in cœlo degunt, Patris loco eligitur, ut ſuâ interceſſione nobis adſit, tueatur, auxilietur, & veſtigiis vitæ ſanctæ quæ pertivit, faciat nos inſiſtere, donec regni conſortes reddamur. Undè certũ eſt multis ad ſanctitatem eorum merita & interceſſiones profuiſſe, quorum ſibi nomen in baptiſmo adoptârant. *Item Sanctus cujus nomen in baptiſmo adoptatur.*

S. Franciſcus de Paula, ad tantum ſanctitatis gradum pertigit, quia S. Franciſco fuerat oblatus, ejuſque nomen ſuſceperat, voto illi facto, à parentibus impetratus, hinc & ejus humilitatem, caſtitatem, auſteritatem, miré eſt imitatus. Surius 2. Apul.

S. Nicolaus Tolentinas impetratus fuit à parentibus, voto facto S. Nicolao Epiſcopo; ideoque ejus nomine fuit inſignitus & virtutibus adornatus. Nam & ab infantia multarum virtutum, ſpecialiterque abſtinentiæ ſpecimen dedit, illum, cujus nomen ſuſceperat imitatus. Anno enim necdum ſeptimo ætatis, plures cœpit hebdomadæ dies jejunare; quam conſuetudinem totâ vitâ retinuit, ſolâ aquâ & pane contentus. Surius 10. Sept.

Audi & de S. Stephano I. Rege Hungariæ, quomodò Stephani martyris meritis & patrocinio miré à Deo fuerit benedictus. Geiſa Rex Hungarorum tum factus Chriſtianus, ſecũ conſilia agitabat, quomodo poſſet omnes ſuæ ditionis ad Chriſtum perducere, rebelles domare, ſacrilegos ritus abolere. Sed ecce in quiete fulgidus ei Juvenis apparet, & blandâ voce ait: *Faceſſat hæc ſupervacanea cogitatio, nam quod meditaris ob manus humano ſanguine pollutas effectui mandare nequis. Naſcetur autem tibi filius, qui regis titulo decorandus id peraget.* Expergefactus Princeps, humi proſtratus principatum cum naſcituro filio Deo lachrymabundus commendat. Sed & uxori ejus S. Stephanus, habitu Levitico ornatus, apparuit, dicens: *Confide mulier in Domino, paries filium, cui primo hujus gentis regnum & corona debetur; Tu verò nomen meum illi impones. Ego namque Stephanus, qui primus pro Chriſto ſanguinem fudi, eum meo tutabor patrocinio, & in fide promovebo.* Hæc in ejus vita. Surius 20. Aug. Baron. to. 10. ad an. 989.

Concludendo adjicio, ex dictis ſatis colligi, ad Suſceptoris officium non eſſe admittendos hæreticos, tum quia non poſſunt ſua ſe exſolvere obligatione (quia in recta fide puerum inſtruere nequeunt, quam abnegant) tum quia Sanctorum venerationem rejiciunt. Undè ſuis nolunt imponi nomina Sanctorum etiam in Eccleſia celebrium, verbi gratiâ, Georgii, Franciſci, Claudii, Catharinæ, dicunt fuiſſe Idololatras, rejiciunt tanquam nomina Papiſtarum. Frequentiùs imponunt nomina Judæorum, quàm Chriſtianorum, Jonas, Moyſes, Tobias, Elias, &c. aliaque ignota & incerta: *Hæretici non admittendi in Patrinos*

Digitized by Google

quibus quidem nominibus in baptismo vix utitur Ecclesia, sicut nec illis Sanctis veteris testamenti decernit festa, ut significet prærogativam novæ legis suprà legem Moysis, quæ ad perfectũ non adduxit.

Certâ relatione didici, in Britannia inferiori in Diœcesi Leonensi, inter Landernacum & Montem Relaxum, vulgò Morlayck, anno 1622. in Februario contigisse quod sequitur. Cum puellulæ baptizandæ Patrinus hæreticus adhibitus foret, illeque nomen vellet dare, miraculosa loquela infans omnibus stupentibus inclamavit: *Maria est nomen meum.* Undè nec Patrinus ille admissus fuit, nec nomen quod optabat imponi, quandoquidem divinitus repudiari censerentur

LECTIO VII.

DE CÆREMONIIS BAPTISMI.

1. *Explicat cur sint institutæ cæremoniæ.*
2. *Particulariter de singulis agit.*

PROPOSITIO I.

Rectè in Ecclesia cæremoniæ sunt institutæ.

Cæremoniæ rectè sunt institutæ.

HÆretici nostri, qui sacra omnia linguâ suâ venenatâ prophanant, in ritus solemnes & cæremonias ab Ecclesia usitatas, miro hostili odio feruntur & impiâ nugacitate, aut nugaci impietate, eas irrident, & nituntur convellere. De his rectè conqueri possumus cum Joële: *Gens ascendit super terram* nostram, *dentes ejus ut dentes Leonis; Posuit vineam* nostram *in desertum, & ficum* nostram *decorticavit, nudans spoliavit eam.* Quænam illa Gens? Utique congregatio & colluvies hæreticorum, qui crudeli impietate Ecclesiam, vineam Christi depascuntur: & sicut solent locustæ & similia animalia damnosa, arborum cortices corrodere, quo fit, ut suis quasi tunicis nudatæ, virorem succumque deperdant & arescant: ita illi cæremonias & ritus solemnes Ecclesiæ, dente venenato corrodentes, eam tunica succum & virorem pietatis fovente spoliare conantur, ut & totus pietatis fructus arescat, fitque Ecclesia instar ficus & vineæ aridæ, desolatæ, emortuæ. Itaque sicut cortex licet exterior sit, tamen omninò juvat ad virtutem arboris fovendam: ita licet cæremoniæ quid extrinsecum videantur, omninò tamen conducunt ad interiorem pietatem in Ecclesia conservandam. Undè D. Thomas triplicem institutionis earum rationem profert.

Joel. 1. 6.

1. Ad fidelium devotionem.

Primò ad excitandam fidelium devotionem, ac reverentiam ergà Sacramenta. Si enim simpliciter fieret ablutio absque alio ritu, facilè quis æstimaret esse communem lotionem. Secundò ad fidelium in-

2. Ad instructionẽ.

structionem. Solent enim simplices erudiri per aliqua sensibilia signa, & eorum mens sic elevari ad sublimiora percipienda. Undè dum solemnes illos ritus intuentur vel erudiuntur, vel saltem sollicitantur ad quærendum, quid eis significetur.

Cùm Clodoveus Rex à B. Remigio baptizandus foret, via quâ à domo Regia ad baptisterium procedendum erat, velis ac cortinis depictis ex utraque parte adumbrabatur, plateæ ad baptisterium balsamo ac odoramentis conspersæ erant: tantam verò gratiam Deus subministrabat in populo, ut æstimarent se Paradisi odoribus refoveri. Sic præcedentibus sacro-sanctis Evangeliis & crucibus, cum hymnis, canticis, & litaniis, Sanctorum acclamatis nominibus, Sanctus Pontifex manum tenens Regis, pergit, subsequente Regina & populo. Dum autem simul pergerent, admiratus Rex, interrogabat Episcopum: *Patrone est hoc regnum Dei, quod mihi promittis?* At ille. *Non est hoc,* inquit, *regnum Dei, sed initium vitæ, per quam venitur ad illud.* Nempè solemnes illi ritus in Ecclesia Dei, sacræ processiones, hymni resonantes, ordo distinctus ministrorum, adumbratio quædam est gloriæ, quæ erit in Ecclesia triumphante, in diversis Angelorum ac beatorum hominum choris, laudes divinas resonantibus: monemurque per hæc, quæ in Ecclesia celebri officio geruntur, regnum illud quærere, & ad perennem illius solemnitatem adspirare. Quapropter etiam per illas extrinsecas cæremonias, Deus etiam quandoque non solum in animis fidelium pietatis sensum ad meliora instigantem imprimit: sed etiam in mentibus infidelium conversionem operatur, his eos alliciens ad fidem capessendam. Scimus enim in Indicis & Japonicis provinciis, hisce ritibus sacris interiùs plurimos infidelium quotidiè commoveri, ad fidei veritatem allici, & instrui ad cœlestia cogitanda. Surius 1. Octob.

3. Ad dæmonis vim cohibendã.

Tertiò per Sacramentales ritus, orationes, benedictiones, vis dæmonis cohibetur, ne quandoque impediat Sacramentalem effectum. Nam & aliquandò visus est dæmon visibiliter ad illarum vim fugari, prout vidit B. Maria Ogniaca in quodam puero, quem Itris prope Nivellas è sacro fonte suscipiebat, ut alibi dixi.

Compescant ergò linguam maledicam nostri Novatores, nec dente venenato arrodant vineæ aut ficus nostræ decorum corticem, fructum & virorem pietatis conservantem. Non discerpant fimbrias aureas vestis sponsæ Christi, per quas circumamicta est varietatibus, diversi enim ritus & cæremoniæ sacræ, sunt velut fimbriæ variegatæ, decorem ei afferentes. Nam licet principalis gloria & pulchritudo hujus sponsæ Regis filiæ sit ab intus, in donis interioribus consistens, tamen per hunc cæremoniarum decorem, interior ejus pulchritudo eluceſcit, & conservatur. Quod si his non commoventur, sed solemnes nostros Sacramentorum ritus proscindere pergunt, Christi exemplo & auctoritate, *obstruimus omne os loquentium iniqua.* An Christus superstitiosus? An non ipse cæremoniis usus, dum lutum imponit oculis cæci, digitum auribus surdi, salivam linguæ muti? An non ritu sacro utitur: dum lavat pedes

Christus usus est cæremoniis.

pedes diſcipulorum, dum in horto tertiò proſternitur, dum inſufflat in Apoſtolos, & ait: *Accipite Spiritum Sanctum*, dum amplexatur pueros, & illis benedicens imponit manus? Quid vero dum ſuſcitat Lazarum, quot cæremoniis utitur? Elevat oculos in cœlum, ingemiſcit, commovet ſeipſum in ſpiritu fremens, tandem voce magna inclamat: *Lazare veni foras*: Deinde funereis adhuc faſciis ligatum, tradidit Diſcipulis ſolvendum. Omnes hæ cæremoniæ ſunt, non ſine myſterio adhibitæ; à quibus Eccleſia ſuos ritus eſt edocta. Sed & Baptiſmum Chriſti attende. Quot ibi cæremoniæ: Cœli aperiuntur, vox auditur, columba advolat: Chriſtus ſe humiliat. Similiter in Euchariſtiæ inſtitutione, ritus multos extrinſecus adhibitos conſpicaris; lavantur pedes, grande cœnaculum eligitur, tapetibus adornatur, preces junguntur, gratiarum actiones admiſcentur, hymnus decantatur, ſermo amoris ſcintillis plenus adhibetur. Ut quid hæc omnia, niſi ut exteriori ritu tale Sacramentum, tale Teſtamentum, tale amoris pignus commendetur? Sic in Pentecoſte, dum confirmantur Apoſtoli, quanta ſolemnitas cœlitus adhibetur? Splendor ignis rutilat, linguæ flammeæ apparent, ventus & commotio loci admirationem omnium concitat, Spiritus vehemens deſcendit, loquela diverſa in Apoſtolis ſubſequitur, verbi prædicatio omnes in ſtuporem rapit. An non ſolemni hoc ritu viſibilibuſque ſymbolis effectum Spiritus Sancti voluit DEUS deſignari? Sic & Eccleſia ſuis cæremoniis effectum Sacramenti. Hæc ſi æqua lance conſideret pietas, oppilabit os ſuum iniquitas. Sed ad particulares Baptiſini cæremonias explanandas deſcendamus. Sunt autem in triplici differentia. Quædam Baptiſmum præcedunt, quædam comitantur, quædam ſubſequuntur: De ſingulis ſpecialiter diſſeremus.

Joan. 20. 22.

Joan. 11. 43.

Triplices cæremoniæ baptiſmales

DE CÆREMONIIS BAPTISMUM Præcedentibus.

1. Inſufflatio.

PRimo, Sacerdos inſufflat in faciem pueri, & ſignificatur Sathanam cum contemptu ab illo ejici, ut cum pudore locum relinquat: ſic cum aliquem nihili facimus, exſufflamus. Addo, alludi ad ſpiraculum vitæ in faciem primi hominis in creatione; & ſignificari quod per Baptiſmum novus homo creetur & regeneretur; ideoque ſpiraculum novæ vitæ ei aſflatur, & Spiritus Sanctus ei infunditur, quem inſufflando Chriſtus Apoſtolis communicavit.

Gen. 2. 7.

2. Crucis ſignum.

Auguſt.

Secundò, ſignatur Crux in fronte & pectore, quia hoc eſt ſignum novi Chriſtiani, ſignum ſalutis, quo dæmon pellitur. Unde de baptizandis dicit D. Auguſtinus: *Crucis ſigno in fronte hodie, tanquam in poſte ſignandus es.* Quibus verbis alludit ad poſtes agni cruore ſignatos, ut ab internecione ſervarentur immunes. Signamur etenim ſigno Paſſionis Chriſti, ſigno quod nobis explicat ſanguinem Agni immaculati, ut à mucione æternæ mortis præſervemur. Ponitur autem in fronte pudoris loco, ut illud libere confiteamur. Ponitur & in pectore, ut illud amemus, illoque cor muniatur, à quo procedit omnis in nobis iniquitas, tanquam ab infecta origine. Hujus ſigni pectori frontique ſuo in Baptiſmo impreſſi memores pueri aliqui, mortem crucemque pro Chriſto tolerare parati fuere, ut poſſent dicere: *Chriſto confixus ſum Cruci: vita Jeſu manifeſtatur in corporibus noſtris.* Cupiebant enim videre Jeſum, ac quia ſtatura puſilli erant, arborem Crucis conſcenderunt, ut certius inde eum viderent, & inde brachiola ſua ad eum extenderent, qui eos advocans, amplexari optat, benedicere, & fructum vitæ ex Crucis arbore decerptum, eis impertiri. Multa poſſem abſcribere exempla puerorum virili animo cruciſixionem perpeſſorum, unum ex Japonicis Literis ad Papam, 25. Jan. 1604. ſufficiet. Sæviente perſecutione, puer octo annorum Ludovicus in parentum cubiculo decumbebat, illis vigilantibus ex alte repente ſomno evigilans, inclamat: *Mater mea non ſinam, non patiar, Fiſcecium capiti meo imponi.* Sic vocant librum ſuperſtitionum Japonicarum & rituum in idolis colendis adhibendorum, quem venerationis cauſa capiti ſolent imponere: At Mater: *Quid ais, fili ſile, non curabimus imponi.* Tum puer monet ipſos parentes, ne & ipſi patiantur ſuiſinet capitibus librum imponi. Indormit iterum puer, ſed frequenti voce ſomnum intercidens, repetit cum audientium ſtupore: *Nunquam ſinam, ut liber deteſtabilis verticem meum tangat.* Paulò poſt puer cum matre comprehenditur. Illa puerum (quem ad martyrium inſtruxerat, ſciens hoc eſſe *teſtimonium Domini fidele quod ſapientiam præſtat parvulis,*) præmonet, ut JESU & MARIÆ nomen ab ejus corde non recedat, nec ab ore. Cum ergo ad ſupplicii locum ducerentur, non ceſſabant alternis dicere: *Jeſu, Maria, mi fili: Jeſus, Maria, mea mater.* Ad urbis celebriorem locum ventum eſt, ubi cruces præparatæ erant, eas ſummo cum gaudio ſalutarunt. Acta eſt in crucem mater, & filiolus ex oppoſito. In illam hic defigit oculos, nil mortem horrens: illa inclamat: *Jeſus, Maria:* hic reſponſat: *Jeſus, Maria.* Hæc eſt Echo cœleſtis reſonans. Tandem lancea uterque confixus, Jeſu, Mariæ nomina ingeminans, animam reddit Creatori.

Gal. 2. 19. 2. Cor. 4. 11.

Ex lit. Ludov. Carquiera Epiſ. Japon.

3. Sal.

Tertio, ſal benedictum adhibetur; adiicitur quoque oratio, qua Deum precamur, ut ad gratiam Baptiſini puerum perducat, faciatque guſtare divinæ ſal ſapientiæ. Nempè ſal myſticam habet in Scripturis ſignificationem, hinc Levit. 2. ordinat Dominus: *Quicquid obtuleris ſacrificii, ſale condies*, ſignificaturque in omnibus bonorum operum ſacrificiis, nos ſal divinæ ſapientiæ jungere debere, juxta Bedam, Cibis ſal guſtum & ſaporem inſper-

Levit. 2.

Digitized by Google

git, eſca ſine ſale inſipida eſt, & vomitum provocans. Recte ergo ori Catechumeni ab Eccleſia imponitur, ut ei guſtum Deus, & rerum cœleſtium doctrinæque fidei ſaporem impertiat. Quid enim juvat noſſe res fidei, niſi & cum ſapore guſtentur? Suavis eſt Dominus, & quicquid ab ore ejus prodit, omnia noſtræ redemptionis myſteria ſuavitatem inditam habent; ſed hæc ſuavitas non percipitur, niſi illa cum ſale myſtico jungantur, cum attentione ruminentur, cum devotione guſtentur. Dum otas, legis, meditaris, niſi hoc ſale palatum ſit diſpoſitum, omnia cenſentur tibi inſipida. Eſt igitur ſal ſymbolum ſaporis devoti cordis, quo in rebus divinis & cœleſtibus, ſive auditis, ſive lectis, delectatur. Sapor ille nobis commendatur, dum dicit Dominus: *Habete ſal in vobis.* Adde naturam ſalis à corruptione & putrefactione conſervare: quod indicat non ſatis eſſe, animam per Baptiſmum renovatam eſſe, & à putredine liberatam, ſed providendum etiam eſſe, ne poſtea peccatis novis corrumpatur. Et ita per ſalem admonemur, puritatis conſervandæ, incorruptionis, perſeverantiæ, mortificationis carnalium deſideriorum, quæ corrumpunt animam. Denique optime per ſalem deſignatur prudentia & diſcretio, quæ noſtras debet comitari actiones & ſermones, totamque noſtram converſationem: *Sit ſermo veſter ſale conditus,* inquit Apoſtolus, *ut ſciatis quomodo unicuique reſpondere debeatis.*

Marc. 9. 49.

Col. 4. 6.

4. *Orationes.*

Quartò, Sacerdos per varias orationes contra ſatanam dimicat, ut omni eum poteſtate expoliet, omnique jure quod per peccatum in animam pueri ſibi vendicare poſſet. Inter cætera exprobrat: *Ergo maledicte, recognoſces ſententiam tuam, da honorem Deo vero & vivo, da honorem Jeſu Chriſto. Recede ab hac imagine Dei increpatus ab eo, & da locum Spiritui Sancto Paraclito. Signum S. Crucis, quod fronti ejus damus, nunquam audens violare,* &c. Adjuratque ſatanam per eum qui venturus eſt judicare ſæculum, quia illum diem ſumme formidat, in quo Chriſtum agnoſcere cogetur coram toto cœlo & mundo; tuncque palam irrevocabiliter ad abyſſum remergetur, nunquam tartareo carcere egreſſurus.

5. *Saliva.*

Quintò, ſaliva ad aures apponitur, nareſque. Exemplum Chriſti circa ſurdum & mutum imitatur Eccleſia. Quid verò per ſalivam deſignatur, niſi ſapientia & virtus divina Filio attributa? Sicut ſaliva è capite, ita & ipſe procedit à Patre: & ſolus eſt, qui aperire poteſt aures pueri ad fidem & veram ſapientiam, & nares ad bonum odorem notitiæ Chriſti, fugiendo fœtorem noxium peccati. Ideo inclamantur puero verba a Chriſto circa ſurdum prolata: *Effeta, quod eſt adaperire.* Jam enim aures ejus aperiri convenit ad divinas promiſſiones Chriſti, ad quas jus habet per gratiam Baptiſmi. Aperiri quoque congruit ad divinas comminationes & commonitiones; & ad illas nunquam obſurdeſcere, ne graviori judicio involvatur. Jam de ovibus Chriſti eſt, ad Paſtoris vocem aures habeat apertas, & illam norit diſcernere à voce alienorum: mandata ejus auribus exterioribus interioribuſque percipiat.

Mat. 7. 34

DE CÆREMONIIS BAPTISMUM. Comitantibus.

PRimò petitur, an renunciet ſatanæ; iterum, an omnibus operibus ejus; tertio, an omnibus pompis ejus. Quæ ſunt illa opera ſatanæ, niſi opera tenebrarum, flagitia & peccata? Nec enim aliud operari novit ſatan niſi peccatum: quia ab initio diabolus peccat, & continuo peccat, & in æternum peccabit; quia non ceſſabit Deum creaturaſque, Angelos & Sanctos blaſphemiis impetere, denique in hominibus uſque ad finem ſæculi omnis peccati auctor cenſetur & incentor. At inter ejus opera, præſertim cenſenda ſunt opera carnis, ad quæ toto niſu impellit, licet ipſe ſpiritus ſit: *Manifeſta ſunt autem opera carnis,* inquit Apoſtolus, *fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes; qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* In hoc vero apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli: & ideo quos ſibi per Baptiſmum tanquam membra incorporat, his operibus vult renunciare, ut jam agnoſcantur filii Dei à filiis diaboli. Nec ſolum operibus, ſed & pompis ejus imperat nuncium remittere. Quænam hæc pompæ? Vanitas, faſtus, luxus, inanis gloria, ſuperſtitiones, vanæ obſervationes, divinationes, incantationes, & ſimilia: quibus dum humanus adhærat animus, ſacris ſatanæ operari cenſetur, pompiſque ejus adhærere.

1. *Abrenunciatio ſatanæ.*

Gal. 5. 19.

Solebat olim baptizandus hanc renunciationem faciens, vertere ſe primo ad Occidentem, deinde ad Orientem. Audi & D. Dionyſium: *Sacerdos Occidentem verſus baptizandum ſtatuens, illuc intendentem manuſque impingentem ad eandem regionem converſas, inſufflare ter ſatanam jubet, ac abrenunciationem profiteri. Et poſt trinam abrenunciationem ad Orientem illum traducit, aſſicientemque in cœlum atque intendentem manus, ſacrique omnibus divinitus traditis conſentire jubet.* Quod ſic interpretatur D. Hieronym: *In myſteriis, primo renunciamus ei qui in Occidente nobiſcum moritur cum peccatis: & ſic verſi ad Orientem, pactum inimus cum ſola juſtitia, & ei ſervituros nos promittimus.* Cui conſentit Cyrillus: *Aperitur tibi Paradiſus Dei, quem ad Orientem plantavit: ab occaſu converteris ad ortum, qua eſt regio lucis.* Hæc eſt Chriſtianorum Patria ſita ad Orientem, ad ipſum lucem & Solem, ut reſponderunt Tyranno Martyres illi, de quibus in vita S. Pamphilii, ut dixi, explicans illud Orationis Dominicæ: *Qui es in cœlis.*

Hieron. Eccl. 1.

Hieron. in Amos 6.

Cyril. Catech. mitig.

Tom. 1. Tract. 8.

Eſt ergo hæc quædam profeſſio, & votum commune

munè Chriſtianorum : & licet non ſit votum omnino propriè dictum (quia alioqui omne peccatum Chriſtiani eſſet ſacrilegium , & duplicem haberet malitiam, quod eſt contra communem ſenſum) eſt tamen declaratio ſolemnis , qua profitemur non quidem novam obligationem , ſed eam quæ jure divino ineſt nos acceptare ; & paratos eſſe ad omne obſequium Chriſti, & ad fugiendum omne conſortium diaboli, omne contagium peccati, tanquam in familiam filiorum Dei ſolemniter recepti. Quapropter non parvi æſtimanda eſt hæc ſolemnis abrenunciatio, quam etiam SS. Patres quandoque ſponſionem, promiſſionem vocant, & volunt tanquam ad virtutem calcar noſtræ ſæpe occurrere menti.

Ambr. l. 1. de Sacra. c. 2. D. Ambroſius ſic loquitur : *Aperite aures & bonum odorem vitæ æternæ inhalaturi vobis munere Sacramentorum carpite, quod vobis ſignificavimus, cum apertionis celebrantes myſterium diceremus. Effeta, quod eſt adaperire. Poſt hæc reſeratæ ſunt Sanctæ SS ingreſſus es ſanctuarium Dei. Repete quid interrogatus ſis, recognoſce quid reſponderis. Renunciaſti diabolo & operibus ejus, mundo & luxuriæ ejus ac voluptatibus. Memor eſto ſermonis tui, & nunquam tibi excidat tua ſponſio cautionis. Si chirographum hominis dederis, teneris obnoxius ut pecuniam ejus accipias : teneris obſtrictus , ut reluctantem te fœnerator aſtringat : Si recuſas, vadit ad judicem , atque illic tua cautione convinceris. Vbi promiſeris conſidera , vel quibus promiſeris. Levitam vidiſti, ſed mimiſter eſt Chriſti. Ergo chirographum tuum tenetur , non in terra ſed in cœlo.* Eodem modo loquitur B. Aug. Vide dicta to. 1. Iſt. 2. Vide Aug cit. in Breviar. vigilia Pentecoſtes.

Certè non inaniter nos monent SS. Patres hac de re, quia non parum efficaciæ habet hæc renunciatio bene ruminata ; ſed magnum ſtimum animo ad meliora ſubjicere valet. Audi quod hanc rem concernens in hiſtoriis FF. Dominicanorum legimus.

In Chro. Prædic. p. 4. c. 10. Contigit quendam juvenem Juri Canonico Pariſiis operam navantem, veſperis quodam feſto decantatis, in templo S. Petri moram facere, dum ibi vigiliæ defunctorum canerentur. Sacellanus vir bonus & ſimplex , dum lectiones recitarentur accedit eum, & inquirit an ſit ſibi Parochianus & ſubditus. Affirmat ipſe, ſe intra Parochiam illam domicilium figere. Bene eſt, inquit pius hic Sacerdos, quandoquidem meæ curæ ſubſis, cupio me exonerare, & verbulum ſalutis tibi inſinuare. Scis quid Deo promiſeris in baptiſmo ? Nonne abrenunciaſti ſatanæ & pompis ejus ? Hoc enim vice tui Patrinus reſpondit. Admirans Juvenis, cur mihi, inquit, id modò proponis. Aperit Sacerdos cauſam dicitque ſe ad id moveri, quia multi Juvenes ſtudiis altioribus incumbentes , ſcopum ſibi vanitatis proponunt, inanem gloram aucupantes , & cruciant ſe multum , ut ad honores ſibi gradum ſternant. An non, inquit, in illis pompa faſtuſque ſatanæ locum habere cenſetur ? Hanc igitur vanam curvamque abs te intentionem remove : quin potius inſpice tot exempla virorum ſcientia illuſtrium & eximiorum Magiſtrorum , qui hoc ſæculo deſerunt ſæculum , probè videntes quod quicquid ambiunt homines in ſæculo , ferè ad pompam ſpectet ſatanæ. Vix hæc brevi, ſed efficaci ſermone inſinuarat, & finita lectione mox Cantor inchoat : *Hei mihi Domine, quia peccavi nimis in vita mea : quid faciam miſer ? quo fugiam niſi ad te Deus meus.* Et ecce verbum ſacerdotis junctum , quaſi duplicis tubæ ſonus, cor ejus penetrans , lachrymas copioſas compunctionemque elicit. Sed & exinde quocunque pergeret , hæ duæ voces concurrebant , & ad cordis aures pulſabant ; nec ulla ſocietatis aut oblectationis varietate poterat animum ab illis divertere. Reſponſum autem perſentiſcebat interius, quaſi auram lenem divini ſuſurri ſibi dicentem: *Ingredere ordinem PP. Prædicatorum , ibi ad Deum tuum fugias, & pompam ſatanæ fugies.* Nec animo fuit quietus : donec paulò poſt ordinem illum eſt ingreſſus.

Secundò adhibetur unctio per oleum ſanctificatum in pectore & inter ſcapulas. Monet hæc unctio Chriſtianum , tanquam Chriſti Athletam luctamen hujus ſæculi luctaturum , inquit Ambroſius. Olim enim ſolebant luctantes inungi, meritò ergo in pectore & humeris inungitur, qui forti reſolutione & invicta fortitudine , contra carnem, mundum, ſatanam, debet obluctari, ad hunc effectum ſub crucis vexillo militiæ Chriſti adſcriptus. Oleumque illud, ſymbolum eſt gratiæ Chriſti, quæ inſtar olei interius penetrat & imbuit cor, ſanans vulnera interiora animæ tanquam medela , lenions paſſiones , ſomitemque roborans contra inſurgentes tentationes, viresque ſuppeditans ad heroica opera peragenda. Neque verò ſine myſterio etiam humeri inunguntur, indicatur enim dari nobis robur ad jugum Chriſti crucemque ejus ferendam : ut intelligat novus Tyro , Chriſtianam vitam non eſſe deliciis plenam , ſed laborioſam , & proinde non mirandum eſſe Chriſtiano, ſi in hac vita multa triſtia & adverſa patiatur, hæc eſt enim ejus vocatio, ideò ante & retrò ſignatur cruce, in capite quoque & aliis membris , quia tota vita ejus crucibus eſt circumſignata. Sed ne animum deſpondeat crucis nomen & omen horreus oleo fit hæc conſignatio : quia copia & pinguedine cœleſtis gratiæ crux hæc jugumque aſperſum , ponderis aſperitatem amittit, ſuavitatemque induit , juxta promiſſionem Domini per Prophetam : *In die illa auferetur onus ejus de humero tuo, & jugum ejus de collo tuo & computrefcet jugum à facie olei.* Non ergo turbetur Chriſtianus, dum audit vitam Chriſtianam crucem eſſe, jugum eſſe Crux eſt, ſed inuncta , jugum eſt, ſed à facie olei aſperitas fugit. Nec ſine cruce Chriſtum ſequi poſſemus, nec ſine unctione crucis aſperitatem ferre. Utrumque ergo inunxit Dominus, ut non fugiamus Crucis afflictionem , ſed introſpiciamus divinam unctionem , quæ noſtram adjuvat infirmitatem. 2. Vellin. Iſa. 10. 27.

Te-

Digitized by Google

Exempl. Hoc ipſum Eccleſia docet, colens ut Martyres, Catechumenos necdum baptizatos, pro Chriſto tamen mortuos. Sic colit S. Emerentianam, de qua ita loquitur Breviarium Romanum ex Ambroſio:

Breviar. Roman. 23. Jan. ſermone 91. *S. Emerentiana virgo Romana collectanea B. Agnetis, adhuc Catechumena, fide & charitate flagrans, furentes in Chriſtianos idolorum cultores cum vehementius accuſaret, à concitata multitudine lapidibus obruta eſt. Quæ in cruciatibus orans ad ſepulchrum S. Agnetis proprio ſanguine quem pro Chriſto conſtanter effudit baptizata, animam Deo reddidit.*

Surius 25. Novem. Legimus quoque de Philoſophis illis quinquaginta, qui ad convincendam S. Catharinam convenerant, converſos fuiſſe ad Chriſtum, facundia & ſpiritu illius. At Maximinus iratus juſſit in medio civitatis eos igne cremari. Illi verò cùm per Virginis diſputationem edocti eſſent in fide, & Baptiſmum expeterent; monuit illos Catharina nihil hæſitare, cùm in ſuo forent ſanguine baptizandi. Hi ergò benedictione Virginis accepta, ſignantes ſe Crucis ſignaculo, & unanimiter perſeverantes, in ignem miſſi; ita animas Domino reddiderunt, ut nec corpora illorum, nec capillus, nec veſtes, aliqualiter aduſta eſſent. Quo miraculo plurimi converſi ſunt, & corpora rapientes in eadem civitate ſepelierunt.

Antonin. in chron. Vincen. in Spec. l. 1. c. 98. P. Nat. l. 5. c. 137. Apud Alexandriam Armeniæ, tempore Adriani Imperatoris, exercitus decem millium militum ab Angelis de Chriſti fide inſtructus fuit, Imperatorum verò juſſu ſinguli primum flagellis cæſi, tum ſpinis coronati, tandem humi clavis crucifixi, in monte Ararath proprio ſanguine baptizati, triumphantes intrarunt in Cœlum.

Sur. in vita S. Georg. 23. April. In vita S. Gregorii, referunt apud Surium, quod cùm carcere detineretur, multi ægri ad pedes ejus, per Chriſti nomen & ſignum ſanarentur. Inter quos quidam Olicerius agricola, cùm id beneficii acceperet, per civitatem inclamabat: *Magnus eſt Chriſtianorum Deus.* Hunc comprehenſum juſſit imperator gladio obtruncari. Ipſe gaudens currebat ante milites quaſi ad epulas, & magna voce invocabat Dominum, ut martyrium ſibi Baptiſmatis loco eſſet; & ita vitam finivit.

Neque tantùm vim habet hæc effuſio ſanguinis in adultis, qui Baptiſmi deſiderium poſſunt elicere, ſed & in parvulis. Ratio eſt, quia hoc privilegium eſt datum martyrio, non ratione deſiderii illius aut effectus Baptiſmi, quem elicit Martyr, ſed ratione cujuſdam conformationis cum Chriſto: quæ reperitur in illa mortis perpeſſione pro ipſo; ita, ut reipſa inveniantur commori Chriſto, qui pro ipſo occiduntur, quod in Baptiſmo ſolùm myſtica ſit repræſentatione. Et ita parvuli, dum in odium Chriſti aut fidei occiduntur, realiter Agno ſive Chriſto configurantur. Acceptæ ergò Deus illam mortem, ſicut & aliorum Martyrum; & ſupplet Chriſti merito defectum propriæ voluntatis: quia conformantur particulariter per hanc mortem Chriſto Martyrum Duci & Capiti; ſicque ad ipſum tanquam membra ad caput pertinent: & voluntas illius qui eſt caput, ipſis veluti membris tribuitur, cum aliam habere nequeant. Ut ſicut voluntas & peccatum Adæ illis obfuit, quod naſcendo contrahunt; ita voluntas & meritum Chriſti illis proſit, & renaſcendo juſtitiam conſequantur. Ideò Eccleſia illos etiam colit ut Martyres, dicirque teſtimonium quod nondum poterant ſermone, perhibuiſſe paſſione.

Hinc tanquam Martyres coluntur parvuli, ab Herode in odium Chriſti occiſi: & primitiæ ac flores Martyrum vocantur, primitiæ Deo & Agno, in cujus perpetuo ſunt conſortio, quos veniens voluit ſibi tanquam Agniculus immolari balantibus matribus, inquit Auguſtinus, de quibus diſertè Prudentius in hymno: *Salvete flores Martyrum*: de quo in Breviario. Habentur autem Romæ in Templo S. Stephani, hi quoque verſus non inamœni. V. Brev. Feſto SS. Innocentum.

Sincera animula, candida puelluli,
Vix nata, nato dant Deo corpuſcula,
Pugnantque inermes, & relicta parmula,
Vincunt cohortes, quas ferire neſciunt,
Jam pulchriores lilio & gemmulis,
Jam clariores igneis ſcintillulis,
Beata mulcent voculis ſedilia,
Ferox tyrannus, ferreque pectoris,
Qui parricidas intulit vobis manus,
Ferrumque ſacris pollues cervicibus,
Heu ſic avacula tollitur de nidulis,
Matriſque rapitur ſic pullus hirundulus,
Recenſque nati, ſic leguntur floſculi.

Ideo etiam inter Martyres Trevirenſes colit Eccleſia infantes, qui in communi Urbis cæde fuere in odium fidei occiſi; quorum aliqui ſine dubio Baptiſmo necdum erant initiati: quia & hi præconium Chriſti, non loquendo, ſed moriendo, cenſentur confeſſi. Et nihil maculæ, nihil damnationis in eis manet, qui ſuo ſepulti triumpho, glorioſè in ſe mortem & ſepulturam expreſſerunt Chriſti. Sicque verum illud eſt Proſperi.

Et quicquid ſacri fert myſtica forma lavacri,
Id totum implevit, gloria martyrii.

LECTIO V.

DE EFFECTIBUS BAPTISMI.

1: *Docet remittere peccatum originale & actuale.*

2. *Remittere omnem pœnam peccati.*

3. *Non tollere concupiſcentiam, nec penalitates.*

PROPOSITIO I.

Baptiſmus remittit omne peccatum tam originale quàm actuale, gratiamque ac dona infundit.

PRimo quidem peccata omnia per Baptiſmum remitti Scriptura Patrumque doctrina apertiſſimè

Digitized by Google

ſimè aſſerit, & ideo in Symbolo confitemur, *Credo unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum.* Quam
Aug. Enchir. c. 46. remiſſionem ſpecificat D. Auguſt. Ench. 64. *Baptiſmatis munus, contra originale peccatum donatum eſt, ut quod generatione attractum eſt, regeneratione detraheretur: & tamen actiua quoque peccata quacunque ore, corde, opere commiſſa invenerit, tollit. Et in hac magna indulgentia, unde incipit hominis renouatio, ſolvitur omnis reatus & ingeneratus & additus.* Ideo & Apoſtolus, poſtquam
1. Cor. 6. 9 monuiſſet ſuos Corin. c. 6. *Nolite errare, neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque ebriоſi, neque maledici, regnum Dei poſſidebunt:* tandem oſtendit, quid baptiſmi gratia in eis potuerit, dum addit: *Et hæc quidem aliquando fuiſtis, ſed ablati eſtis, ſed ſanctificati eſtis, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri.* v. 11. Nimirum Baptiſmus in illis non ſolum originale, ſed & omnia illa actualia, quæ enumerat peccata,
Aug. lib. 1. de pecca. meri. c. 15. diluerat, dicente iterum Auguſtino: *Generante carne, tantum contrahitur peccatum originale, generante autem Spiritu, non ſolum originalium, ſed & voluntariorum peccatorum fit remiſſio.* Et ne fortè dicas cum hæreticis; illa tantum ſuperficietenus dimitti, aut non imputari, aut radi, expreſſe dicit Apoſtolus: *Ablati eſtis, ſanctificati eſtis, juſtificati eſtis,* & non eſtis quod fuiſtis. Nam ſicut in Chriſto vera mors, ita in nobis vera peccatorum remiſſio; ſicut in illo vera reſurrectio, ita in nobis vera juſtificatio, ut dicit idem Auguſtinus, Enchir. 52. quia ſcilicet, *conſepulti ſumus cum*
Rom. 6. 4. *Chriſto per baptiſmum in mortem, ut quemodo Chriſtus ſurrexit à mortuis, ita nos in novitate vitæ ambulemus.* Neque ullum adeo grave peccatum eſſe poteſt, quod non moriatur cum Chriſto in Baptiſmo: quandoquidem & illud inæſtimabile flagitium, quo impii ipſi mortem infixerunt, & divinitatis perfoſſo lateri ejus ſanguinem fuderunt, paulo poſt in multis per baptiſmum expiatum fuit, illo ipſo ſanguine quem fuderunt. Quia hic non eſt ſanguis Abel, qui inclamet vindictam; ſed ſanguis pietatis, qui omnibus illo aſpergi optantibus advocat, & impertit miſericordiam. Unde cum ex ore Petri intellexiſſent, ſe authorem vitæ interfeciſſe, & compuncti corde interrogarent: *Quid ergo faciemus?*
Act. 2. 38 Reſpondet D. Petrus: *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spir. S.* Olim Medici ad lepram omnem expurgandam judicarunt aptiſſimum remedium eſſe balneum ex tenero infantium ſanguine confectum, quod & Græci Medici Conſtantino Imp. leproſo conſuluerunt. Sed procul crudele & diabolicum illud lavacrum, quod non poteſt niſi immaniter lactentium ſanguine repere & vaporare. Baptiſmus noſter, ſalutiferum eſt balneum, in virtute ſanguinis filii Dei (quo myſtice & mereuente repletum eſt) potens omnem veteris lepræ maculam & contagium expiare: ſive illius quæ parentali labe ad nos derivata originem, ſive illius quam proprio arbitrio contrahimus per noxiam & flagitioſam converſationem.

Hoc cœlitus edoctus fuit Conſtantinus, qui cum impium balneum motus pietate & matrum planctibus averſaretur, à D. Petro & Paulo monitus fuit advocare Sylveſtrum Pontificem ob perſecutiones tunc latentem; ut ab eo ſalubrius lavacrum Baptiſmi perciperet, quo omnis tam animæ quam corporis lepra foret expianda. Unde & baptiſmatis aquam ingreſſus, immaculatus evaſit, relictis in aqua velut quibuſdam piſcium ſquamis, quaſi recenti carne indutus foret, ſimulque animo eſt renovatus, unde & B. Sylveſtro dixit, ſe cum adhuc in ſactis eſſet undis, manus cujuſdam velut è Cœlo miſſæ attactum ſenſiſſe, Niceph. l. 2. c. 13. Nicepb. li. 7. c. 33.

Secundò baptiſmum non tantum peccata remittere, ſed & gratiam, virtutes & dona infundere etiam parvulis, certum eſt; & diſertè aſſerit D. Chryſoſtomus: *Ecce,* inquit, *libertatis ſerenitate fruuntur qui tenebantur paulo ante captivi, & cives Eccleſiæ ſunt, qui fuerunt in peregrinationis errore; & in juſtitia ſorte verſantur, qui fuerunt in peccati confuſione. Non enim ſunt tantum liberi, ſed & ſancti, non tantum ſancti, ſed & juſti, nec ſolum juſti, ſed & filii, nec ſolum filii, ſed & hæredes; nec ſolum hæredes, ſed & fratres Chriſti; nec tantum fratres Chriſti, ſed & cohæredes, non ſolum cohæredes, ſed & membra, non membra tantum, ſed & templum, nec tantum templum, ſed & organa Spiritus. Vides quot ſunt Baptiſmatis largitates? ſed multis videtur cœleſtem gratiam tantum in peccatorum remiſſione conſiſtere, nos autem honores computavimus decem.* Hac de cauſa etiam infantulos baptizamus, ut non ſint coinquinati peccato, ut eis addatur ſanctitas, juſtitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Chriſti, ut ejus membra ſint omnes, ut Spiritus habitatio fiant. Propter hæc etiam dona quæ confert Baptiſmus, gratiam, fidem, ſpem, charitatem, de anima baptizata rectè à Chriſto Sponſo dici poteſt: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Cant. 4. 7. Quia per baptiſmum non ſolum omnis peccati labes externa eſt, ſed etiam mira pulchritudo animæ eſt ſuperinducta. Quod utrumque indicans Apoſtolus, dixit Sponſum per lavacrum aquæ ſponſam ſuam mundare, *ut exhiberet ſibi gloriоſam, non habentem maculam, neque rugam.* Eph. 5. 27. Extenſus fuit in Cruce Chriſtus & mira diſtentus violentia, ut ejus ſponſa foret ſine ruga; effudit ſanguinem, ut eſſet ſine macula, & velut purpureo gratiæ colore tota pulchra. Chryſoſt. hom. ad Neophy.

Declarare id voluit Sponſus Chriſtus in perſona S. Catharinæ Virginis & Mart. de qua legimus, B. Mariam Virginem ei apparuiſſe, antequam foret baptizata, habentem in ulnis ſuis Filium ſuum Jeſum. Et cum illi commendaret Catharinam, avertit ipſe faciem ſuam, dicens nimiam ei ineſſe deformitatem. Illa intelligens id dici ratione defectus Baptiſmi, feſtinavit illum ſuſcipere. Paulò autem Pet. de Natalib. l. 10. c. 105. Ribad. in ejus vita 15. Nov.

Digitized by Google

poſt apparuit et Chriſtus, & annulo ſpeciali ſibi illam deſpondit, in præſentia ſanctiſſimæ Matris ſuæ multorumque Angelorum. Cumque illa ſomnium eſſe putaret, experrecta annulum repetit; quem tanquam pignus ſacri amoris omnibus vitæ ſuæ diebus ſanctiſſimè conſervavit. Ideo invenies hanc virginem aliquando pingi, adſtantem Virgine Mariæ, & puero JESU annulum digito ejus inſerenti, & eam
Thren. 4. 7. deſponſanti. Poterat ergo hæc dicere: *Sanguis ejus ornavit genas meas, & annulo ſuo ſubarrhavit me Dominus.* Vide quæ diximus ſupra, de S. Agnete. Item quæ diximus de S. Pachomio.

Similiter de noviter baptizatis recte dicimus illud Threnorum: *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſaphyro pulchriores.* Hæc enim omnia vera ſunt ob puritatem, quam in baptiſmo acceperunt, propter quam nivi & lacti comparantur, ob charitatem ferventem, propter quam eburi rubicundo aſſimilati ſunt; ob ſpem cœleſtem, propter quam ſaphyro ſimiles ſunt. Et veri Nazaræi poſſint dici, hoc eſt floridi & Deo conſecrati a Chriſto Nazareno ſanctificati. Propter hanc gratiam baptiſmalem, & virtutes connexas, eos
Aug. ſer. 1. de oct. Paſchæ, qui eſt 157. de Temp. Rom. 13. 12. ſic alloquitur D. Auguſtinus: *Vos alloquor, novella germina ſanctitatis; regenerata ex aqua & Spiritu Sancto, germen pium, examen novellum, flos noſtri boneris, & fructus laboris, & gaudium & corona mea, omnes qui ſtatis in Domino, Apoſtolicis verbis vos alloquor: Nox præceſſit, dies appropinquavit: Abiicite opera tenebrarum, induimini arma lucis.* De ipſis quoque recte dixerimus: *Iſti ſunt agni novelli, qui modo venerunt ad Fontes, & repleti ſunt charitate,* & induti ſunt agni immaculati vellere, digni ejus ſequela & converſatione.

PROPOSITIO II.

Baptiſmus etiam remittit omnem pœnam peccatis debitam.

HInc ſequitur, animas cum baptiſmo ſtatim decedentes, nullam Purgatorii pœnam luere, ſed immediate ad gloriam tranſire; quod verum eſt & de infantibus & de adultis, ſi nullum impedimentum poſuerint. Efficaciſſimè enim applicati voluit Chriſtus Paſſionem ſuam in hoc lavacro, ut renovet perfectiſſime animam ab omni culpa & pœna, tanquam regeneratio novum gratiæ eſſe tribuens, nulla obligatione pœnæ vel culpæ maculatum ob priorem vitam, quæ perfecte Chriſto commori & conſepeliri in Baptiſmo cenſenda eſt. Hoc in aliis Sacramentis non reperitur; quæ culpam poſſunt eluere, frequenter tamen aliquid pœnæ reliquunt per opera pœnalia diluendæ; hinc in Sacramento Pœnitentiæ, ſolet pœnalis aliqua
Ambr. ho. 3. in c. 11. ad Rom. v. 29. afflictio per modum ſatisfactionis imponi, non autem in Baptiſmo. Ideo dicit Ambroſius: *Verum eſt, quia gratia Dei in baptiſmate non quæris gemitum, aut planctum, aut opus aliquod, niſi ſolam ex corde profeſſionem, fidem. Donum enim Dei gratis dona peccata in Baptiſmo.* Ubi non debet intelligi negare opus eſſe in peccatore adulto, ſaltem attritione de peccatis tanquam diſpoſitione ad gratiam baptiſmalem; ſed ſolum vult nullam baptizato imponendam pœnitentiam, ſive pœnale opus, cum nulli reatui maneat obnoxius.

Ac quidem de infantibus ſic loquitur Auguſti-
Aug. lib. 1. de peccat. meri. c. 20. nus: *Si percepto Baptiſmate de hac vita migraverint, ſoluto reatu, quo originaliter erant obnoxii, perficientur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens, in æternam juſtificatos præſentia corporis illuminat.* Hoc & Eccleſia ſua praxi, quæ Miſſam Angelorum pro pueris defunctis celebrat, ſatis ſignificans illorum conſortio aſcriptos. Confirmat id exemplum, quod ex Gregorio habemus.
Greg. l. 4. Dial. c. 26. In ea, inquit, mortalitate, quæ ante triennium hanc urbem vaſtavit, in Portuenſis Civitatis Monaſterio Mellitus Monachus, adhuc in juvenilibus annis conſtitutus, ſed mitæ ſimplicitatis & humilitatis vir, appropinquante vocationis die, eadem clade percuſſus, ad extrema deductus eſt. Quod vir vitæ Venerabilis Felix ejuſdem Civitatis Epiſcopus audiens (cujus & hæc relatione cognovi) ad eum accedere ſtuduit, & ne mortem timeret, verbis confortare, & de divina miſericordia longiora vitæ ſpacia polliceri. Sed ad hæc reſpondit ille, curſus ſui tempora eſſe completa, apparuiſſe ſibi juvenem epiſtolas deferentem, & dicentem: Aperi & lege. In his apertis vidit omnes qui à dicto Epiſcopo in Paſchali Feſtivitate baptizati fuerant, ſcriptis aureis literis, & nomen quidem ſuum primum reperit, ac deinde omnium illo tempore baptizatorum. Quapropter certum tenuit, & ſe & illos de hac vita brevi migraturos. Mortuus igitur eſt eadem die, & poſt cum intra paucos dies, qui baptizati fuerant, omnes ſecuti ſunt, ideo nimirum viderat eos auro ſcriptos, quia eorum nomina apud ſe fixa, æterna claritas habebat.

Audi quid hac eadem de re ſenſerit Clotildis u-
Gregor. Tur. l. 2. hiſt. Franc. xor Clodovæi Regis Gallorum. Hæc cum habuiſſet è Rege filium ſuum primogenitum, Baptiſmo illum conſecrare optavit, Rege licet adhuc infideli repugnante. Baptizatus autem puer, Ignomerus vocatus eſt, ſed in albis adhuc conſtitutus obiit, qua de cauſa commotus felle Rex, incipiebat Reginam, dicens: *Si in nomine Deorum meorum puer fuiſſet dicatus, viviſſet utique, nunc autem, quia in nomine Dei veſtri baptizatus eſt, vivere omnino non potuit.* Ad hæc Regina: *Deo omnipotenti gratias ago, qui me non uſque quoque judicavit indignam, ut de utero meo genitum regno ſuo dignaretur adſcire. Mihi autem dolore hujus cauſa animus non attingitur, quia ſcio in albis ab hoc mundo vocatos Dei obtutibus nutriendos.*

Habes & de Ceadvalla Rege Britonum apud Be-
Beda l. 5. hiſt. c. 7. dam, quomodo Romam venerit, hoc ſibi glotiæ ſingularis deſiderans adipiſci, ut ad limina San-

Digitized by Google

Sanctorum Petri & Pauli fonte baptiſmatis abluereturſperans etiam quod mox baptizatus, carne ſolutus,ad æterna gaudia mundus tranſiret. Quod utrumque ut mente diſpoſuerat, Deo juvante factum eſt. Nam illuc perveniens baptizatus eſt Sabbatho Paſchæ,anno 689.& in albis adhuc poſitus, languore correptus, ſolutus,carne, ad Beatorum conſortium tranſivit. Ita Beda.

Requiritur in baptizando adulto diſpoſitio.

Requiritur verò in baptizando adulto diſpoſitio, ut dixi, ſaltem per attritionem; ut hunc effectum perfectum baptiſmi aſſequatur, ſi ante agebat in peccatis. Unde concors Theologorum aſſerit ſententia,ſi nulla talis diſpoſitio reperiatur, jam obicem poni gratiæ & effectui Sacramenti, etiam ſi quis verè conſentiat in baptiſmum & fidem illi adhibeat. Quod non ſatis intellexerunt noſtri Hæretici.

Florimũdus Rem. l. 2. de ortu hæreſ. c. 2.

Digna eſt commemoratione quædam quæ tempore Lutheri contigit hiſtoria, hanc rem concernens. Quidam ejus aſſecla Franciſcus Conradus nobilis Germanus, cum Francofurto navigaret Moguntiam, mercator quidam Judæus ejus ſocietati eſt adjunctus: quem ſtatim ille aggreſſus eſt de doctrina & religione. Cumque Judæus ille obmurmurans ſatis inſulsè ei reſponderet, nobilis ille vir robuſtus,eum invadit, & in flumen præcipitat; brachio tamen ſuſpenſum in aquis eum tenens & inclamans: Agnoſce Chriſtum pro Deo & Salvatore,& baptiſmum pete, aut modò in profundum te dermergo. Trepidus Judæus necem ſibi imminentem videns, implorat miſericordiam, dicit ſe agnoſcere Chriſtum pro Meſſia, petitque baptiſmum. Interrogat alter, an hoc ex veritate cordis petat? Affirmat ipſe. Accipiens ergo nobilis manu aquam, ejuſque capiti infundens, pronunciat formam: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Poſtmodum fingens ſe velle eum ex aqua elevare, magno impetu in profundum mergit & ſubmergit, quaſique re optimè peracta: Ecce, inquit,animam Deo miſi. Nam ſi tempus ei vitæ prolongaſſem,potuiſſet baptiſmi pœnitere, eamque Diabolus poſſidere. Hujuſce facti Lutherus ſuſcepit defenſionem, cùm ab omnibus crudelitatis argueretur. Ita refert Florimundus, libr. 2. de ortu hæreſeos,cap. 3.

Quæres,an hic Judæus cenſeri debeat verè baptizatus? Reſpondeo; ſi conſenſit baptiſmo (licet hic conſenſus per metum violentum & injuſtè incuſſum fuerit exortus) tamen validè baptizatus eſt: quia ut definitum eſt,ab Innocentio III. *Cap. majores*, eſt ſolùm ſecundùm quid involuntarius, abſolutè tamen voluntarius cenſetur. Nec refert, quod talis metus irritaret Matrimonium: cùm enim matrimonium fundetur in contractu; qui juris diſpoſitioni ſubeſt; per juris diſpoſitionem irritatur talis contractus, cui metus per vim & injuſtitiam incuſſus cauſam dederit. Baptiſmi autem Sacramentum non ita ſubeſt juris humani diſpoſitioni, ſed à Chriſto ſic inſtitutum cenſetur, ut ſufficiat voluntas illum ſuſcipiendi, à quocunque extorta ſit,etiam per injuriam: quia ſaltem ipſe Chriſtus nullam facit injuriam, qui etiam ſine conſenſu poſſet omnes ad baptiſmum cogere. Quod ſi verò ille Judæus fictè conſenſit, non fuit ferè baptizatus,quia non voluit Chriſtus aliquem per baptiſmum ſibi obligari, ſine aliquo prævio concenſu & intentione, quando illius capax cenſetur, ut ab Eccleſia declaratum eſt. Si verò conſentiens per metum, nullam præteritorum peccatorum diſplicentiam vel actualem vel virtualem concepit: non jam Deo victima, ſed inferno lignum aridum demerſum eſt, per manifeſtam baptizantis illius crudelitatem & impietatem. Quia licet characterem baptiſmi potuerit ſuſcipere, gratiam tamen baptiſmalem non cenſetur accepiſſe ſine ulla diſpoſitione, aut cum voluntate peccatis adhærente.

Effectus baptiſmi eſt Cœli apertio.

Cæterùm,ex dictis collige, quàm rectè dicatur effectus baptiſmi eſſe apertio regni cœleſtis: quia ſcilicet per ſe ordinatus eſt ad tollendum omne impedimentum, quod animam poteſt à regni ingreſſu remorari. Cùm enim ſola culpa & pœna ab illo nos remorentur, utrumque baptiſmus tollit. Et quidem Chriſtus impedimentum totius naturæ ſuſtulit, oblato ſanguinis ſui pretio, quo remota fuit romphæa illa flammea & verſatilis, quæ Paradiſi ingreſſum prohibebat; illa enim figura fuit impedimenti illius, quo cœleſtis Paradiſi ingreſſus intercludebatur. Sed manet perſonale impedimentum,niſi per baptiſmum applicetur nobis pretium illud & ſatisfactio Chriſti, & tunc à ſingulis perſonis baptizatis ſtatim removetur, & regni capaces redduntur. In ſignum hujus rei in Baptiſmo Chriſti Cœli aperti ſunt. Id enim ſignificare poterat 1. Baptiſmum ingreſſum nobis præbere ad Eccleſiam,quæ regni cœlorum nomine in Scripturis deſignatur. Eſt enim baptiſmus janua Eccleſiæ,ſine qua nemo poteſt eſſe particeps Sacramentorum, Sacrificiorum, Indulgentiarum,aut theſauri, quo Eccleſia fruitur ob communionem SS. Non poteſt quis communicare opibus regiæ illius domus,quam ædificavit ſapientia, niſi per hanc ingrediatur portam. Non poteſt à diluvio peccatorum liber eſſe, qui arcam Noë ingreſſus non fuerit, cujus unica erat porta, baptiſmatis noſtri figura, per quam ſi non ingredimur Dei arcam, infallibiliter peribimus; ideo enim & parvuli pereunt qui per hanc januam ingreſſi non fuerunt. 2. Etiam propriè loquendo regni cœleſtis deſignabatur apertio dicente Beda ſuper illum locum: *Virtus baptiſmatis ibi oſtenditur,de quo quiſque cum egreditur, regni cæleſtis ei janua aperitur.* Quod modo jam dicto intelligendum eſt, ſublato ſcilicet omni impedimento culpæ & pœnæ. 3. Significabatur Cœlum jam apertum,ad influendum copiam donorum & gratiarum in illos qui baptiſmo initiarenturjut & ipſi per baptiſmum ſurſum ſemper aſpiciant, & reſpirent ad Patrem luminum,à quo *omne donum perfectum,*

Matth. 3. 16. Luc. 3.

Beda in Lucæ c. 3. v. 21.

Jac. 1. 17.

à quo adoptio & filiatio in nos derivatur, à quo & columba mittitur, hoc est Spiritus ille, qui in nobis
Rom. 8. 26. *& pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus.*

PROPOSITIO III.

Baptismus non tollit hujus vitæ pœnalitates, nec concupiscentiam aut ejus passiones.

Ecc. 40. 1 QUantum ad pœnalitates, post baptismum manere manifestum est: manet enim *grave jugum super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium.* Hoc jugum trahimus per varios dolores & miserias, morbos & angustias; nec voluit Christus illa tollere in hac prima resurrectione aut regeneratione spirituali, donec ultima veniat resurrectio & regeneratio, quando *corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem.* Tunc enim plane tota restituetur natura primis donis suis & opibus; tunc plenè reparabitur; nunc autem solum Deus tollit peccatum & pœnas æternas vel temporales in futuro debitas, quæ sunt quasi personales. Illæ autem pœnalitates sunt totius naturæ, quas reliquit usque ad ultimam renovationem totius naturæ, in illa status electorum renovatione. Hoc disertè explicans D. Thomas sic ait: *Peccatum originale hoc modo processit, quod primò persona infecit naturam, postea verò natura infecit personam. Christus verò converso ordine, prius reparat id quod persona est, & postea simul in omnibus reparabit id quod natura est. Et ideo culpam originalis peccati, & etiam pœnam carentiæ visionis divinæ quæ respiciunt personam, statim per baptismum tollit ab homine: sed pœnalitates præsentis vitæ, quia respiciunt naturam (ex cujus principiis causantur, prout est destituta originali justitia) non tollentur, nisi in ultima reparatione naturæ per resurrectionem gloriosam.*

1. Cor. 15. 53.

D. Thom. 3. p. q. 60. a. 3.

Cur has pœnalitates voluerit Deus relinquere.

Multiplex verò ratio afferri potest, cur eas Deus voluerit relinquere. Primò ut serviret nobis tanquam occasio & leges majoris gloriæ. Patet in sanctis, maximè in Martyribus & Virginibus. Quomodo enim illi ad talem gradum gloriæ pertigissent, si non fuissent tormenta, mors, dolores, concupiscentia? Si fuissent impassibiles aut immortales ut Angeli, aut tales quales in resurrectione erimus, quomodo eluxisset eorum patientia, charitas, constantia? Si non fuisset concupiscentia & tentationes, quænam esset Virginitatis Corona? Ideo in figura hujusce rei dicitur Judicum 3. *Hæ sunt gentes quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israelem, & postea discerent filii eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi.* Nempe passibilitates multæ & passiones, exercitus hostilis est, contra quem debemus pugnare si gloriosius volumus triumphare. Pharao quidem cum suo exercitu sepultus est in mari rubro, sed tamen filii Israel statim alios hostes invenerunt in deserto, quos expugnare oportuit, si ad promissionis terram voluerunt pervenire. Sic peccata omnia ante baptismum commissa, in illo quasi in mari rubro sepeliuntur: sed non desunt postea passiones, contra quas oportet dimicare. Certè, inquit D. Gregor. *Maris rubri transitus; figura sancti baptismatis fuit, in quo hostes à tergo sunt mortui, sed alii contra faciem in eremo sunt inventi. Sic quippe omnes qui in baptismate tinguntur, eorum peccata præterita omnia laxantur, quia eis velut Ægyptii hostes à tergo moriuntur: Sed in eremo alios hostes invenimus, quia dum in hac vita vivimus, priusquam ad promissionis patriam pertingamus, multa tentationes nos fatigant, & ad terram viventium cordentibus iter intercludere festinant.*

Greg. l. 9. ep. 39.

1. Ut nobis essent corona gloriæ

Judic. 3. 1.

Secundò, quum Christo per baptismum incorporemur ut membra, debemus illi conformari: ipse autem à principio suæ conceptionis fuit plenus gratia, habuit tamen corpus passibile, unde & passus est tota vita. Post passionem autem & mortem corpus ejus ad vitam gloriosam resuscitatum est: Sic & Christianus, dum regeneratur, gratiam consequitur, at manet multis pœnalitatibus obnoxius, ut Christo possit confirmari, cum ipso bellare, pati, & coronari. *Non enim decet sub spinoso capite membra esse mollia & delicata.* Sed tandem renovabitur ad impassibilem vitam, quia *qui suscitavit Jesum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum in vobis*, inquit Apostolus. Unde & D. Thomas baptismo tribuit, quod illo pœnalitates in altera vita auferantur quia sc. baptismus confert gratiam, quæ est semen gloriæ, per quam in resurrectione omnis defectus à Beatis auferetur.

2. Nos ut membra capiti Christo conformari debemus

Rom. 8. 2.

Tertiò, ideò relictæ sunt pœnalitates & passiones, ut semper feramus nobiscum testimonium lapsus nostri, & intelligamus quantum Deus superbis resistat, ut dicit August. ut etiam semper appareat gratia Salvatoris, dum videmus quantum suo pondere in malum proclivis sit vitiata natura, & quantam opem requirat: quæ ratio deducitur ex August.

3. Ut feramus semper nobiscum testimonium lapsus nostri.

Aug. l. 1. cont. c. 1.

Quantum ad concupiscentiam, licet illa non tollatur per baptismum, non tamen sequitur, in baptizatis aliquid manere peccati: quia verè & propriè in renatis peccatum non est, quamvis aliquando peccati nomen sortiatur in Scriptura, *quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat*, ut interpretatur Concilium Tridentinum ex doctrina Sanctorum Patrum. Quod explicat August. exemplis quibusdam; Sic, inquit, vocatur lingua, locutio quam facit lingua: & manus vocatur Scriptura, quam facit manus. Item frigus vocatur pigrum, quia ad pigritiam inclinat. Relinquitur ergo illa ad agonem, inquit Tridentinum, nec nocere potest, quando illi ad illicita opera non consentitur, sed dominante ratione reprimitur. Alioqui per consensum jam fit peccatum & tunc verum est illud August. *Concupiscentia carnis peccatum est, quia illi inest inobedientia contra dominatum mentis: & pœna peccati, quia reddita est meritis inobedientiæ: & causa peccati est, defectione consentientis, vel contagione nascentis.*

Aug. l. 22. civ. c. 22.

Rom. 6. 7. & 8. Conc. Trid. sess.

Aug. l. 5. cont. Julian. c. 3.

Licet

Digitized by Google

Licet verò non tollatur concupiſcentia per baptiſmum, tamen rectè dicitur alligari, diminui, debilitari. Hoc ſenſu, quia Spiritus per gratiam baptiſmi plurimum adjuvatur ad illi reſiſtendum & pugnandum, & per gratiam illam fit, ut minorem habeat efficaciam inclinandi ad peccatum. Sic licet non diminuatur, quantum ad ſubſtantiam, diminuitur quantum ad efficaciam. De hac re ſic loquitur D. Bernardus: *Dixi vobis ſæpius nec mente excidere debet, quoniam in caſu primi hominis cecidimus omnes. Cecidimus autem ſuper acervum lapidum, & in luto: unde non ſolum inquinati; ſed etiam vulnerati, & graviter quaſſati ſumus. Lavari quidem citò poſſumus, ad ſanandum verò opus eſt curatione multa. Lavamur igitur in baptiſmo quia deletur chirographum damnationis noſtræ & gratia hac nobis confertur, ne jam nobis concupiſcentia noceat, ſi tamen à conſenſu abſtineamus: atque ita tanquam ſanies inveterati ulceris removetur, dum tollitur damnatio & reſponſum mortis quod prius inde manabat.* Itaque baptiſmalis gratia, quia in mente eſt, non tollit concupiſcentiam aut fomitem peccati, qui in carne eſt: ſed tamen roborat mentem contra perverſam carnis inclinationem, & miram efficit in homine mutationem.

S. Bern. ſerm. 1. de Cœna Dom.

Habes hac de re exemplum D. Cypriani ſic de ſeipſo ſcribentis ad Donatum: *Cum in tenebris atque in nocte cæca jacerem, cumque in ſalo jactantis ſæculi mutabundus ac dubiis veſtigiis oberrantibus fluctuarem, vitæ meæ neſcius, veritatis ac lucis alienus, difficile prorſus ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in ſalutem mihi divina indulgentia polliceretur: ut quis renaſci denuo poſſet, atque in novam vitam lavacro aquæ ſalutaris animatus, quod prius fuerat, exponeret, corporis licet manente compage, hominem animo ac mente mutaret. Cui poſſibilis, ajebat, eſt tanta converſio, ut repente ac perniciter exuatur, quod vel genuinum ſitu materiæ naturalis obduruit, vel uſurpatum diu ſenio vetuſtatis imolevit? alta hæc & profunda penitus radice ſederunt. Quando parſimoniam diſcit, qui epularibus comis & largis dapibus aſſuevit. Hæc egomet ſæpè mecum. Sed poſtquam unda genitalis auxilio, ſuperioris ævi labe deterſa, in expiatum pectus deſuper ſe lumen infudit; poſtquam cœlitus Spiritu Sancto, in novum me hominem nativitas ſecunda reparavit: tunc facile viſum eſt, quod impoſſibile prius videbatur, &c.* Attende etiam quomodo D. Auguſtinus caſtitatem poſt baptiſmum facilem invenerit, quam ante adeo difficilem exiſtimabat ob concupiſcentiæ luctam.

S. Cypr. li 2. ep. 2.

Aug. l. 9. conf. c. 6.

Character eſt etiam effectus baptiſmi.

Inter effectus quoque baptiſmi enumeratur Character, qui efficit ut baptiſmus non poſſit iterari. Injuria enim fit Characteri, quali ille malitia perire poſſit aut extingui: ſed de illo effectu Characteris ſupra diſſerui agens de Sacramentis in genere. Hoc ſolum breviter addo ad intelligendum, quomodo baptiſmus iterari non poſſit: quod ſicut unica eſt generatio, ſic & unica à Chriſto inſtituta eſt regeneratio, oppoſita vitioſæ illi primæ generationi. Quod ergo Nicodemus de carnali illa nativitate loquens, dixit: *Nunquid poteſt homo iterato in matris ventrem introire & naſci?* applicandum eſt etiam huic ſpirituali regenerationi: *Jam natus ſum de Adam*, inquit Auguſtinus, *non poteſt me iterum generare Adam: jam natus ſum de Chriſto, non poteſt me iterum generare Chriſtus: quomodo uterus non poteſt reperi, ſic nec baptiſmus.* Idipſum ſignificare videtur Chriſtus, dum in ablutione pedum ad baptiſmum reſpiciens, dicit: *Qui lotus eſt non indiget niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus*: quaſi dicat. Qui totus ſemel in baptiſmo lotus eſt, abolita, qua totus erat infectus generationis vetuſtate, quæ meritò capitis, manuum, pedum, totiuſque corporis ſordibus comparatur; opus non habet, ut totus iterum ex vetuſta generatione ad novam in hoc ſæculo transferatur; ſed ſatis fuerit ſi peccata poſt regenerationem contracta, lachrymis pœnitentiæ & Chriſti ſanguine diluat.

Joan. 3. 4.

Auguſt. Tract. 11. in Joan.

Joan. 11. 10.

LECTIO VI.

DE SUSCEPTORIBUS in Baptiſmo.

1. *Docet ex ordinatione Eccleſiæ adhiberi Patrinos.*
   Item eos ſuſcipere baptizatum in curam ſuam.
2. *Ipſorum eſſe nomen imponere.*

PROPOSITIO I.

Ex ordinatione Eccleſiæ, Patrinus aliquis in baptiſmo ſolet adhiberi.

1. Ut baptizatorum curam ſuſcipiant.

HUjus munus eſt baptizandum Sacerdoti præſentare, & de ſacro fonte in ſuam curam ſuſcipere, &, ſi idoneus non ſit ob ætatis defectum, debet pro illo fidejuſſor eſſe. Cùm enim baptiſmus ſit ſpiritualis regeneratio, per quam reddimur quaſi modò geniti infantes, qui lac veræ ſapientiæ ſine dolo debemus concupiſcere, hinc eſt, quod alicujus fidei & prudentiæ committimur, à quo doctrinæ neceſſariæ inſtructionem, & ad veram fidem cohortationem poſſimus haurire. Quapropter D. Dionyſius hac de re agens, dicit olim hæc fuiſſe Sponſoris verba: *Spondeo me puerum inducturum, cùm ad ſacram intelligentiam venerit, ſedulis cohortationibus meis, ut abrenunciet contrariis omnino, profiteatur, peragatque divina quæ pollicetur.* Non eſt ergò nuda cæremonia, ſed eſt obligatio, quàm ſe ſuſcipere, & voce reſpondendo, & manu contingendo, ſignificat. Et illa maximè urget, ſi baptizatus egerit, fortè habens infideles parentes aut hæreticos, aut ita negligentes, ut prolem non inſtituant: quod ſi ſuffi-

D. Dion. Eccl. Hier.

Digitized by Google

sufficienter aliunde instrui sciat puerum susceptum, ab hac obligatione exoneratur. Item, quando baptizatus jam sufficienter in rebus fidei & morum instructus est, non ita urget hæc obligatio : quia non est perpetua, sed maximè extendere se videtur ad statum infantiæ spiritualis, in quo eget pædagogo. Cùm ergo post sufficientem instructionem extra illum statum esse videatur, tunc non adeo stricta esse censetur. Nec tamen omnino etiam postea negligenda, quia monet D. Augustinus.

S. Aug. Ser. 183. & 215. de temp.

Vos ante omnia, tam mulieres quàm viros, qui filios in baptismo suscepistis, moneo, ut vos cognoscatis fidejussores apud Deum extitisse, pro illis quos visi estis de sacro fonte suscipere : ideoque semper eos admonete, ut castitatem custodiant, justitiam diligant, charitatem teneant. Ante omnia symbolum & orationem dominicam & vosipsi tenete, & illis quos suscepistis ex sacro fonte ostendite.

Dionys. Eccl. Hierar. c. ult.

Hac etiam de re D. Dionysius sic loquitur, ut Patrinum vocet *sanctæ salvationis susceptorem, sub quo reliquum vitæ puer debeat degere tanquam sub spirituali Patre.* Quapropter quoties sua operâ, consilio, monitis, Patrinus viderit egere illum, quem in suam clientelam & fidem receperit, non debet deesse.

Victor Uticens. l. 3. de persecut. Vandal.

Hanc obligationem considerans Muritta Diaconus accessit Elpidophorum quem de fonte susceperat, videns eum à fide discessisse tempore Hunerici Regis Vandalorum, ipsumque crudeliter Confessores Christi persequi : cum apud se igitur reservasset albam vestem, quâ fuerat indutus in baptismo Elpidophorus, illam coram omnibus expandens, & ventilans, verbis sequentibus totam ad lacrymas commovisse dicitur civitatem. *Hæc sunt lineamina, Elpidophore, minister erroris, qua te accusabunt, dum Majestas venerit judicantis : quas custodivit diligentia mea, ad testimonium tuæ perditionis, ad demergendum te in abysso putei sulphurantis. Hac te immaculatum cinxerat de fonte surgentem. Hac te acriùs persequetur, cùm flammantem gehennam cœperis possidere, quia induisti maledictionem sicut vestimentum, scindens atque amittens veri baptismatis & fidei Sacramentum. Quid faciet miser, cùm servi Patris familias ad cœnam congregarint invitatos. Dicet tibi Rex : Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem ? Non video vestem quam tibi dedi, perdidisti militia chlamydem quam aqua mundavi & purpura mei Sanguinis decoravi, Characterem non video Trinitatis, ligate ergo eum pedibus & manibus, qui se separavit à fratribus Catholicis, & in tenebras projicite.* His & similibus ignem conscientiæ accendebat in corde Elpidophori, quo urebatur cum rubore, ante ignem æternum, quo ob scelera infœlix ille Apostata erat consumendus.

Patrinorum cura quidam sancti effecti.

Neque verò pauci sunt, qui Patrinorum suorum diligenti cura & instructione ad sanctitatem pertigerunt.

S. Autbertus, Landelinum Adolescentem nobilem de sacris Fontibus susceperat, ideoque illi traditus fuit à Parentibus, bonis moribus ac litteris imbuendus. At postea, cum consanguineorum suorum pravo consilio & consortio ad flagitiosam vitam abreptus foret, rapinis ac cædibus deditus ; pius hic Patrinus multo mœrore afflictus, quasi mortuum filium suum lugebat : & continenter Deum orabat, ut vitam mortuo restitueret, & medicinam afferret adolescenti huic, satanico vulnere sauciato. Tandemque paternis lachrymis & precibus apud Deum meruit ejus conversionem, ut latius alibi descripsi ex Surio 15. Junii. V. dicta sup. præcepto 7. Surius 8. Jan.

B. Gertrudis S. Gudilam è sacro etiam fonte levarat, unde & illam Nivellæ Christianis institutis imbuit, orationi, vigiliis, & jejuniis incumbere docuit. Unde & in tenera ætate, exemplo Susceptricis suæ, oratoria noctu etiam frequentabat : cujus devotioni insidians diabolus, lucernam ejus, quam pedissequa ferebat, cùm extingueret, ipsa orationis suæ virtute poterat extinctum lumen restaurare. Hujus corpus Bruxellæ colitur, & ejus vitam scribit Surius 8. Januarii.

S. Augustinus Angliæ Apostolus, missus à Gregorio Papa, de sacro Fonte susceperat Salivinum in Scotia, & ita eum in pietate instruxit, ut postea miraculis clarus Episcopus & Martyr evaserit, ab infidelibus occisus, dum per Flandriæ & Brabantiæ loca innumeros ad Christi fidem converteret. Ejus corpus Gandensis Ecclesia possidet, & magno colit honore. Ab ipso etiam Beat. Levino Brixius puer de sacro Fonte levatus fuerat, & ideo consors martyrii ejus meruit esse, & in uno eodemque loculo cum Patrino suo sepeliri. Illius reliquiæ adhuc integræ & illæsæ repertæ sunt à Cornelio Jansenio Episcopo Gandensi, corpora Sanctorum requiescentium Gandavi visitante post tumultus & seditiones hæreticorum in Belgio : & illis schedula affixa erat continens sequentia : *Hic requiescit Brixius puer Martyre Christi pretiosus, sanctissimi Levini Episcopi & Martyris in Baptismate filius.* Vide Molanum de SS. Belgii Nov. 12. Molanus 12. Nov. de SS. Belgii.

S. Sebastianus, sexaginta quatuor personas quas converterat ad fidem, Polycarpo presbytero ad baptismum præsentavit, tanquam Patrinus horum novorum Christianorum : & ut perfectè Patris spiritualis munere fungeretur, eos ad Martyrii coronam, & quælibet pro Christo tormenta perferenda animabat. Lege in ejus vita, quanto zelo & cura Marcum & Marcellianum Fratres in carcere detentos, vacillantes confirmarit ; & parentes eorum lacrymis & blandis sermonibus eos à fidei confessione divertere conantes, ad veram & firmam fidem traduxerit ; novos semper Christo filios parturiens, donec æternitati eos pareret, semper sollicitus de illis, continuò verbis & spiritu eos exstimulans. Surius 20. Jan.

Simiter S. Cæciliam rectè dixeris Matrinam sive matrem spiritualem Sponsi sui Valeriani, cujus animo fidei rudimenta instillavit, & ad Urbanum Pontificem in locis subterraneis ob persecutionis

Digitized by Google

cionis atrocitatem agentem, destinavit, ut baptismo initiaretur. Cumque ipsi personaliter comparere non posset, ut novum hunc Tyronem baptismi Candidatum S. Antistiti præsentaret, & in fide firmaret: ejus loco adstitit Angelus Domini, instar Juvenis candidissimi & fulgidissimi, qui ei libellum aureis litteris conscriptum exhibuit, in quo continebatur: *Unus Deus, una fides, unum baptisma.* Statimque respondit se credere, & baptizatus est. Neque verò curam ejus mox deposuit Cæcilia: sed quem Christo pepererat, sacris monitis velut lacte alebat, & forti zelo etiam ad martyrium animabat. Cum enim totas noctes sacris cum illo & Tiburtio fratre colloquiis insumpsisset; dum aurora finem daret toto spiritu insonabat: *Ejamus milites Christi abiicite opera tenebrarum, & induimur arma lucis.* Illi ergo infracto animo, pro Christo postea morti se obtulerunt, & Martyres laureâ digni affecti sunt.

Surius 9. Jan. c. 27. & cæt. Ribaden. eodem die Celso Martiani Præsidis filio.

Vis pluta? Audi & de S. Juliano Martyre Celsi pueri Pattino. Is jussu Martiani præsidis totus vulneribus plagisque confectus; per urbem Antiochenam circumducebatur sub voce Præconis inclamantis: *Hæc merentur Deorum rebelles & principum contemptores.* Contigit autem eum sic afflictum, cateníque ferreis vinctum, pertransire ante Gymnasium, in quo Celsus puer Martiani Præsidis filius, litterarum studiis operam dabat. Egressus igitur cum Sodalibus Celsus ad id spectaculi, videt hunc Christianorum Candidatorum quâdam multitudine circumdatum, cum quibus lætо animo colloquebatur, simulque advertit auro gemmisque rutilantem coronam, ejus capiti adpositam. Interiori ergo Spiritus divini instinctu admonitus, Gymnasium, Libros, Sodales deserit, & ad pedes Juliani accurrens, coram circumstrepente & attonita turba ejus vulnera exosculatur: & ait illi: *Te secunda nativitate, quam mihi Christus ostendit, Patrem agnosco, Martinianum vero genitorem meum, veritatis inimicum despicio.* Nec verò poterat quispiam eum ab amplexu Martyris divellere, & cum quispiam id conaretur, statim sibi brachia manusque arescere sentiebat. Uterque igitur in tetrum carcerem conjicitur, ad quem clam vocato Antonio Presbytero, baptismum filiolo suo procurat Julianus simulque 20. militibus insolita carceris illustratione conversis. Sed & postea cum Mater Celsi pueri eum in hoc carcere visitaret, filii sui ardentibus de Christo sermonibus conversa est, credidit ac baptizata est ab eodem Presbytero, ipso Celso puero matris Patrino existente, à quo & instructa est de fide, & ad baptismum oblata.

Cæterum, sicut Patrini illos quos suscipiunt, quia Spunsores fiunt, tenentur in fidei rudimentis instituere, ac ad virtutem vitamque Christianam instigare: ita cum ad maturum judicium pervenerint baptizati fide justoribus suis tenentur, non solum honorem & reverentiam deferre, sed & monitis eorum obedientes esse, dum vel fidei doctrinam eis tradunt, vel ad bonos mores eos instituere conantur. Attendite hoc, ô Adolescentes, qui facilè monitores vestros despicitis, ad virtutis tramitem vos dirigere, aut reducere volentes: *Verbum enim sapientis* (teste Sapiente) *audivit luxuriosus, & displicebit illi & projicet illud post dorsum suum.* Si illorum monita, qui vobis Patres Spirituales per baptismum existunt facilè contemnitis, tanto majus judicium damnationemque incurritis, ac gravioti peccato vos obstringitis, quanto magis præ cæteris illis obligati estis & observantiam debetis. An non agnoscitis obligationem, quam habetis erga illos? Ipsi pro vobis responderunt, ipsi pedes vobis accommodarunt ut ad baptismum pertingeretis, cor ut crederetis, linguam ut confiremini, voluntatem ut renasci posscetis, dum pro vobis spondentes dixerunt. Credo, Abrenuncio, Volo. Quapropter gravis censetur eorum contemptus, gravis quoque injuria, quæ eis vel verbo vel facto irrogatur. Eccl. 21. 18.

Inter historias SS. Belgii legimus S. Oduinum à filio suo Spirituali quem è Fonte sacro susceperat, detestabili facinore fuisse interfectum ob justitiam, ideoque inter Martyres colitur. Sacerdos ipse fuit, singulariter incumbens orationi, jejunio, eleemosynis, agens circa partes nostræ Hasbaniæ. Cum autem quodam die exorta esse quæstio inter quendam agricultorem, & suum filium spiritualem ob metam inter confinia agrorum, communi consensu designatus fuit arbiter, ad rem decidendam secundum jus & æquitatem. Beatus autem vir sententiam decidit contra suum filiolum. Unde is ità percitus fossorium è manu Patrini suscepit, & in verticem ejus violenter direxit, sciditque ei caput medium. Deus autem in detestationem hujus criminis, & approbationem justitiæ & sanctitatis, ubi sanguis ille justus effusus est, fontis venas mox aperuit, de cujus lotione multi restituti sunt sanitati. Corpus ejus Hugardiæ quiescit, & veneratione habet. Molanus 25. Junii.

PROPOSITIO II.

Officium quoque Patrini est, nomen baptizando puero imponere.

Sicut olim in Circumcisione, ita modò in Baptismo a susceptoribus nomen imponi solet alicujus Sancti: ut significetur hæreditati cœlesti tanquam cives per baptismum nos adscribi, ac in libro viventium: de quo nonnisi culpâ nostrâ possumus eradi aut oblitterari. *Delentur de libro viventium, & cum justis non scribantur,* inquit Propheta. At quinam illi? Qui scilicet peccatis suis flagitiosâ vitâ indignos se reddunt, & nomine Christiano, & nomine Sanctorum, quo in baptismo fuerunt decorati, ac nomine æterno, quo per illum baptismum in libro vitæ jam inchoatæ erant conscripti, ob acceptam justitiam æternâ gloriâ coronandam, si perseverare voluissent. De hoc libro dicit Apost. ad Philip. *Adjuva illas quæ mecum laboraverunt in Evan-* 2. *Ut baptizando nomen imponans.* Ps. 68. 29. Phil. 4. 3.

in Evangelio, cum Clemente & cæteris adjuteribus meis quorum nomina ſunt in libro vitæ. Qui ergò baptizatur, cenſetur conſcribi in libro vitæ; quatenus per præſentem juſtitiæ & gratiæ ſtatum de ſtatu peccati & mortis translatus, ad vitam æternam ordinatur, & per adoptionem in numerum filiorum Dei tranſcribitur. Et ideò nomen novum imponitur Catechumeno, ut vitam novam ſciat ſe inchoate, per quam tandem æternam aſſequatur, dignus
Col. 1. 12. factus *in partem ſortis Sanctorum in lumine.*

Itaque Patres aut Parentes ſolliciti ſint eis nomina dare non aliquorum Gentilium, aut nomina ignota vel etiam incerta, ſed nomina Sanctorum cum Chriſto regnantium, quos Eccleſia Dei ob præclara geſta celebri memoria recolat; aut nomina Angelorum per Scripturam nobis nota: ut ſcilicet horum patrocinio & interceſſione poſſint fulciri, eorumque veſtigiis inhærere, ſanctitatem ſectari, geſta imitari, & cum illis tandem regnare.

Non infrequenter verò contigit illos ad quos ſpectat nomen dare divinitus inſpiratos fuiſſe, ut certa nomina imponerent rei futuræ, præſagia, vel præteritæ rememorativa.

Surius 16. Nov. S. Edmundus præter communem naſcentium morem ita mundus è maternis viſceribus prodiit ſingulari Dei beneficio (quod futurum ejus puritatem declaravit) ut mundiſſimus pannus cui involutus fuit, nullam maculam ab eo contraxiſſe videretur, ita ut obſtetrices planè rei novitatem admirarentur. Ideò Mater, in baptiſmo Edmundum à munditia, nuncupandum cenſuit.

Surius 16. Febr. S. Victor Confeſſor, hoc nomen obtinuit, quod adhuc in utero matris exiſtens, dæmonibus terroti fuerit, teſte Bernardo, ſer. de S. Victore: *Miror*, inquit, *& ſtupeo, infantem adhuc in utero, pavori fuiſſe parvendis dæmonis: quippe ab ipſis præcognitum & jam tunc ex nomine deſignatum. Nec vacuum nomen, ubi hoſtium fuga, & exterta confeſſio victoriam conceſſit infantulo.*

Sedulius in hiſt. Seraph. B. Hortulana S. Claræ Mater, fructiferam Hortò Eccleſiæ plantam editura, cum non parum de partus periculo ſollicita ante crucem in templo oraret, vocem ſibi audire viſa eſt: *Ne pavens mulier, ſalva enim lumen quoddam parturies, quod ipſum mundum clarius illuſtrabit.* Quo edocta miraculo, natam infantulam voluit Claram appellari.

Surius 9. April. Cum Patrini S. Vincentii Ferrarienſ. Ord. Præd. diſceptarent de nomine imponendo, & in baptiſmo unuſquiſque ei ſuum nomen imponere vellet. Sacerdos ut ſedaret diſcordiam, *Vincentius*, inquit, vocetur, illique ſtatim id approbarunt. Nec ſine divina providentia id a Sacerdote factum eſt, cùm nemo ex familia, aut amicis aſtantibus ſic vocaretur; manifeſte autem ejus opera declararunt, quantum hoc nomen ei congrueret velut cœlitus datum.

Riccius in triūph. crucis. In Hiſpania Ferdinando Rege, S. Chriſtophorus puer trium annorum, in oppido cui nomen eſt Guardia propè Toletum, omnia Chriſti tormenta à Mantis ſigillatim perpeſſus eſt. Dum ad columnam ceditur crudeliter, nec vocem, nec ſignum ullum doloris dedit, niſi in ultimis quinque plagis, quod eo numero ſuæ illas Chriſti ſuperaſſent, exclamans. Effodienti ſibi latus dextrum in cruce ait: *Si cor quæris, alterum latus effodias.* Quo effoſſo & corde extracto ad veneficium contra Chriſtianos conficiendum, obiit Sanctus puer. Hunc, ut in numerum Sanctorum Innocentum adſcriptum, Innocentem è Guardia vocant vicini. Porrò ſeries hiſtoriæ ſervatur in Actis ſacrorum Quæſitorum. De quo Verſus.

Dum Chriſti tormenta refers in corpore, & ipſum
Pectore; Chriſtophori nomen & omen habes.

Angelus cuſtos etiā baptizandorum. Patrinus.

Advertant hic Chriſtiani, quod Præter Patrinum quem habent in terris, duos tanquam Patrinos colere debeant in cœlis; ſcilicet Angelum, cujus fidei & tutelæ commiſſi ſunt, & Sanctum, cujus nomen & patrocinium aſſumpſerunt. Primò quidem Angelus rectè Patrinus dicitur, qui ab ortu noſtri curam ſuſcipiens, ad baptiſmum adduxit, & contra inſidias dæmonis protexit; quo in noſtram perniciem conſpirante, antequam per baptiſmalem undam renati eſſemus, ſuffocari aut extingui poteramus. Deinde tanquam tutor, non ſolum corporalis, ſed & ſpiritualis vitæ noſtræ, variis auxiliis ut gratiam adeptam conſervemus, nobis adeſt, nec deſerit uſque ad ultimum ſpiritum. Quapropter ut ſciremus quomodo baptiſmo noſtro inviſibiliter adſint hi Angeli, voluit ipſos Deus quandoque viſibiliter etiam Patrini officium exercere.

S. Antonin. 2. p. hiſt. tit. 10 c. 1. §. 2. Euſebius Vercellenſis temporibus Diocletiani & Maximiniani Catechumenus, cum parentibus Romam venit adhuc parvulus, & ab Euſebio Papa Baptiſmum & nomen accepit. Papa verò Euſebius, ab Angelo qualis & quantus eſſet futurus inſtructus eſt, & quo eum nomine vocaret. In ipſo ejus baptiſmo manus Angelicæ viſæ ſunt, quæ eum de ſacro Fonte levaverunt. Ipſe ergò Angelicam vitam duxit, virgo ſemper manſit, nullamque fœminam poſt baptiſmum, nec etiam matrem oſculando, tetigit, non deſpiciendo matrem, ſed culpam fugiendo.

V. Surium 4. Maii ex Metaphraſt. S. Pelagia Tarſenſis virgo & martyr, adhuc infidelis obviam facta Chinoni Epiſcopo, ejus alloquio converſa eſt. Cum verò inſtanter poſceret baptiſmum, fons aquæ vitæ eo in loco erupit ad orationem viri Sancti: & duo Angeli in figura duorum militum ſupra Fontem ſtantes, & manibus linteum fulgidiſſimum tenentes viſi ſunt, aquiſque fulgorem impertientes. Ille ergò gratias Deo agens, vocem elevavit & dixit: *Gratias tibi Rex univerſorum qui feciſti Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos flammam ignis? Tu me dignum effice, qui hanc virginem, quam ipſe mihi obtuliſti, tibi offeram hoſtiam viventem in odorem ſuavitatis. Fac & ipſam dignam numerari de grege electorum, & in die regni tui cum Virginibus lampade accenſa in thalamum introire.* Exultans igitur in ſpiritu, ob

hæc

hæc à Deo facta, his cœleſtibus Patrinis & teſtibus, eam baptiſmate Domino conſecravit.

6. Franciſcus ab Angelo quoque de ſacro Fonte ſuſceptus traditur, ejuſque rei memoria adhuc habetur Aſſiſii, quam ſe vidiſſe in ſuo ad Capitulum Generale itinere mihi aſſeruit R. P. Petrus Matchant Provinciæ Flandriæ Miniſter. Nec id mirum, cùm & de eodem legamus, quod cùm Mater ipſum teniturа per plures dies aſperrimis doloribus torqueretur, à quodam in ſpecie mendici apparente (quem fuiſſe Angelum meritò exiſtimaveris) admonitam fuiſſe, ut in vicinum ſtabulum ſe deferri curaret, ſtatimque partus difficultate liberandam, quod ubi factum fuit, illicò partus faciliter & fœliciter editus eſt. Sic Franciſcus humilis, Chriſtum humilem in ſtabulo naſcentem debuit imitari, cui & in cruce morienti debebat per ſtigmata ſimilis eſſe. Erectum eſt ad perpetuam rei memoriam, eo ipſo loco ſacellum, quod à Franciſco parvulo etiam modo nomen retinet, & miraculi ſeries patentibus appicta viſitur.

Chron. l. 1. c. 1.

Baron. tom. 7. ad an. 537. ex Sophron. in prato ſpirit. c. 207. D'auroux. in Catech. hiſt. c. 1. tit. 1. §. 5.

Præclarum quoque hac de re exemplum eſt apud Baronium. Puella quædam Alexandriæ in ſuo obambulans horto, vidit quendam laqueo ſe præfocare volentem. Accurrit, & inquirit cauſam. Aperit ille ſe à creditoribus premi, & egeſtate ac carceris metu urgeri ad finiendam vitam. Illa præ commiſeratione facultates omnes à parentibus ſibi relictas (erat enim pupilla) obtulit, ut eum à fœda morte & ære alieno liberaret. Poſteà videns ſe inopem, corpus libidini proſtituit, multiſque annis in peccato perſevetavit, donec morbo lethali perculſa, à Deo illuminata cœpit deteſtari peccatum, emendationem proponere, fidemq; Chriſtianam ac baptiſmum ardenti deſiderio expoſcere. At, quia ob fœdam converſationem exoſa erat, nemo eam à ſacro fonte ſuſcipere dignabatur. Interim dum id lachrymis conficitur apparet ei juvenis ſimilis illi, quem à nece liberârat, & inquiſita mœroris cauſa, eam bono animo eſſe jubet, deſiderio ejus ſe ſatisfacturum aſſerit. Diſcedens ergò paululum, adducit duos illuſtres viros, formâ repræſentantes Civitatis duos Conſules, qui curam ejus ſuſcipiunt, & ad Baptiſma perducunt in Eccleſiam deducentes, Presbyterumque advocantes. Cùm pro illa ſpoſpondiſſent, baptizata eſt & albis induta, poſteà evanuerunt. Vicini conſpicientes eam in albis, interrogant à quo, & quibus Patrinis fuerit baptizata? Aſſerit illa ſe ad Eccleſiam deductam à duobus ſibi ignotis. Re ad Epiſcopum delatâ, vocatur Sacerdos qui baptizârat, qui ait ſe baptizâſſe, exoratum à duobus Civitatis Conſulibus. Interrogantur illi, at ſe nec mulierem noſſe aſſerunt, Dei ergò hoc opus fuiſſe agnoſcitur. Inquirit itaque ab ea Epiſcopus: die filia, quid geſtiſti boni, quia Deus tecum eſt. Cui illa: Meretrix paupercula exiſtens, quid potui agere boni? Urget eam Epiſcopus, an nihil boni ſe unquàm geſſiſſe meminerit? Aperit ipſa quomodò viro illi necem ſibi molienti patrimonium dederit, & enamorata reſtatim obdormit in Domino. Fuerunt ergò Angeli cuſtodes tum viri illius, tum hujus mulieris, qui Patrini extiterunt.

Secundò, Sanctus cujus nomen adſumitur, Patrinus quoque rectè dicitur, quandoquidem in regeneratione illa ſpirituali inter eos, qui in cœlo degunt, Patris loco eligitur, ut ſuâ interceſſione nobis adſit, tueatur, auxilietur, & veſtigiis vitæ ſanctæ quæ pertrivit, faciat nos inſiſtere, donec regni conſortes reddamur. Undè certũ eſt multis ad ſanctitatem eorum merita & interceſſiones profuiſſe, quorum ſibi nomen in baptiſmo adoptârant.

Item Sanctus cujus nomen in baptiſmo adoptatur.

S. Franciſcus de Paula, ad tantum ſanctitatis gradum pertigit, quia S. Franciſco fuerat oblatus, ejuſque nomen ſuſceperat, voto illi facto, à parentibus impetratus, hinc & ejus humilitatem, caſtitatem, auſteritatem, mirè eſt imitatus.

Surius 2. April.

S. Nicolaus Tolentinas impetratus fuit à parentibus, voto facto S. Nicolao Epiſcopo; ideoque ejus nomine fuit inſignitus & virtutibus adornatus. Nam & ab infantia multarum virtutum, ſpecialiterque abſtinentiæ ſpecimen dedit, illum, cujus nomen ſuſceperat imitatus. Anno enim necdum ſeptimo ætatis, plures cœpit hebdomadæ dies jejunare; quam conſuetudinem totâ vitâ retinuit, ſolâ aquâ & pane contentus.

Surius 10. Sept.

Audi & de S. Stephano I. Rege Hungariæ, quomodò Stephani martyris meritis & patrocinio mirè à Deo fuerit benedictus. Geiſa Rex Hungarorum tum factus Chriſtianus, ſecũ conſilia agitabat, quomodo poſſet omnes ſuæ ditionis ad Chriſtum perducere, rebelles domare, ſacrilegos ritus abolere. Sed ecce in quiete fulgidus ei Juvenis apparet, & blandâ voce ait: *Faceſſat hæc ſupervacanea cogitatio, nam quod meditaris ob manus humano ſanguine pollutas effectui mandare nequit. Naſcetur autem tibi filius, qui regis titulo decorandus id peraget.* Expergefactus Princeps, humi proſtratus principatum cum naſcituro filio Deo lachrymabundus commendat. Sed & uxori ejus S. Stephanus, habitu Levitico ornatus, apparuit, dicens: *Confide mulier in Domino, paries filium, cui primo hujus gentis regnum & corona debetur; Tu verò nomen meum illi impone. Ego namque Stephanus, qui primus pro Chriſto ſanguinem fudi, cunas meo tutabor patrocinio, & in fide promovebo.* Hæc in ejus vita.

Surius 20. Aug. Baron. to. 10. ad an. 989.

Concludendo adjicio, ex dictis ſatis colligi, ad Suſceptoris officium non eſſe admittendos hæreticos, tum quia non poſſunt ſua ſe exſolvere obligatione (quia in recta fide puerum inſtruere nequeunt, quam abnegant) tum quia Sanctorum venerationem rejiciunt. Undè ſuis nolunt imponi nomina Sanctorum etiam in Eccleſia celebrium, verbi gratiâ, Georgii, Franciſci, Claudii, Catharinæ, dicunt fuiſſe Idololatras, rejiciunt tanquam nomina Papiſtarum. Frequentiùs imponunt nomina Judæorum, quàm Chriſtianorum, Jonas, Moyſes, Tobias, Elias, &c. aliaque ignota & incerta:

Hæretici non admittendi in Patrinos

Digitized by Google

quibus quidem nominibus in baptiſmo vix utitur Eccleſia, ſicut nec illis Sanctis veteris teſtamenti decernit feſta, ut ſignificet prærogativam novæ legis ſuprà legem Moyſis, quæ ad perfectũ non adduxit.

Certâ relatione didici, in Britannia inferiori in Diœceſi Leonenſi, inter Landernacum & Montem Relaxum, vulgò Morlayck, anno 1622. in Februario contigiſſe quod ſequitur. Cum puellulæ baptizandæ Patrinus hæreticus adhibitus foret, illeque nomen vellet dare, miraculoſa loquela infans omnibus ſtupentibus inclamavit: *Maria eſt nomen meum.* Undè nec Patrinus ille admiſſus fuit, nec nomen quod optabat imponi, quandoquidem divinitus repudiati cenſerentur

LECTIO VII.

DE CÆREMONIIS BAPTISMI.

1. *Explicat cur ſint inſtitutæ cæremoniæ.*
2. *Particulariter de ſingulis agit.*

PROPOSITIO I.

Rectè in Eccleſia cæremoniæ ſunt inſtitutæ.

Cæremoniæ rectè ſunt inſtitutæ.

HÆretici noſtri, qui ſacra omnia linguâ ſuâ venenatâ prophanant, in ritus ſolemnes & cæremonias ab Eccleſia uſitatas, mirè hoſtili odio feruntur & impiâ nugacitate, aut nugaci impietate, eas irrident, & nituntur convellere. De his rectè conqueri poſſumus cum Joële: *Gens aſcendit ſuper terram* noſtram, *dentes ejus ut dentes Leonis; Poſuit vineam* noſtram *in deſertum, & ficum* noſtram *decorticavit, nudans ſpoliavit eam.* Quænam illa Gens? Utique congregatio & colluvies hæreticorum, qui crudeli impietate Eccleſiam, vineam Chriſti depaſcuntur: & ſicut ſolent locuſtæ & ſimilia animalia damnoſa, arborum cortices corrodere, quo fit, ut ſuis quaſi tunicis nudatæ, virorem ſuccumque deperdant & areſcant: ita illi cæremonias & ritus ſolemnes Eccleſiæ, dente venenato corrodentes, eam tunica ſuccum & virorem pietatis fovente ſpoliare conantur, ut & totus pietatis fructus areſcat, ſitque Eccleſia inſtar ficus & vineæ aridæ, deſolatæ, emortuæ. Itaque ſicut cortex licet exterior ſit, tamen omninò juvat ad virtutem arboris fovendam: ita licet cæremoniæ quid extrinſecum videantur, omninò tamen conducunt ad interiorem pietatem in Eccleſia conſervandam. Undè D. Thomas triplicem inſtitutionis earum rationem profert.

Joel. 1. 6.

1. Ad fidelium devotionem.

Primò ad excitandam fidelium devotionem, ac reverentiam erga Sacramenta. Si enim ſimpliciter fieret ablutio abſque alio ritu, facilè quis æſtimaret eſſe communem lotionem. Secundò ad fidelium inſtructionem. Solent enim ſimplices eruditi per aliqua ſenſibilia ſigna, & eorum mens ſic elevari ad ſublimiora percipienda. Undè dum ſolemnes illos ritus intuentur vel eruditur, vel ſaltem ſollicitantur ad quærendum, quid eis ſignificetur.

2. Ad inſtructionẽ.

Cùm Clodoveus Rex à B. Remigio baptizandus foret, via quâ à domo Regia ad baptiſterium procedendum erat, velis ac cortinis depictis ex utraque parte adumbrabatur, plateæ ad baptiſterium balſamo ac odoramentis conſperſæ erant: tantam verò gratiam Deus ſubminiſtrabat in populo, ut æſtimarent ſe Paradiſi odoribus refoveri. Sic præcedentibus ſacro-ſanctis Evangeliis & crucibus, cum hymnis, canticis, & litaniis, Sanctorum acclamatis nominibus, Sanctus Pontifex manum tenens Regis, pergit, ſubſequente Regina & populo. Dum autem ſimul pergerent, admiratus Rex, interrogabat Epiſcopum: *Patrone eſt hoc regnum Dei, quod mihi promittis?* At ille. *Non eſt hoc,* inquit, *regnum Dei, ſed initium vitæ, per quam venitur ad illud.* Nempè ſolemnes illi ritus in Eccleſia Dei, ſacræ proceſſiones, hymni reſonantes, ordo diſtinctus miniſtrorum, adumbratio quædam eſt gloriæ, quæ erit in Eccleſia triumphante, in diverſis Angelorum ac beatorum hominum choris, laudes divinas reſonantibus: monemurque per hæc, quæ in Eccleſia celebri officio geruntur, regnum illud quærere, & ad perennem illius ſolemnitatem adſpirare. Quapropter etiam per illas extrinſecas cæremonias, Deus etiam quandoque non ſolùm in animis fidelium pietatis ſenſum ad meliora inſtigantem imprimit: ſed etiam in mentibus infidelium converſionem operatur, his eos alliciens ad fidem capeſſendam. Scimus enim in Indicis & Japonicis provinciis, hiſce ritibus ſacris interiùs plurimos infidelium quotidiè commoveri, ad fidei veritatem allici, & inſtrui ad cœleſtia cogitanda.

Surius 1. Octob.

3. Ad dæmonis vim cohibendã.

Tertiò per Sacramentales ritus, orationes, benedictiones, vis dæmonis cohibetur, ne quandoque impediat Sacramentalem effectum. Nam & aliquandò viſus eſt dæmon viſibiliter ad illarum vim fugari, prout vidit B. Maria Ogniaca in quodam puero, quem Itris propè Nivellas è ſacro fonte ſuſcipiebat, ut alibi dixi.

Compeſcant ergò linguam maledicam noſtri Novatores, nec dente venenato arrodant vineæ aut ficus noſtræ decorum corticem, fructum & virorem pietatis conſervantem. Non diſcerpant fimbrias aureas veſtis ſponſæ Chriſti, per quas circumamicta eſt varietatibus, diverſi enim ritus & cæremoniæ ſacræ, ſunt velut fimbriæ variegatæ, decorem ei afferentes. Nam licet principalis gloria & pulchritudo hujus ſponſæ Regis filiæ ſit ab intus, in donis interioribus conſtitens, tamen per hunc cæremoniarum decorem, interior ejus pulchritudo eluceſcit, & conſervatur. Quod ſi his non commoventur, ſed ſolemnes noſtros Sacramentorum ritus proſcindere pergunt, Chriſti exemplo & auctoritate, *obſtruimus omne os loquentium iniqua.* An Chriſtus ſuperſtitioſus? An non ipſe cæremoniis uſus, dum lutum imponit oculis cœci, digitum auribus ſurdi, ſalivam linguæ muti? An non ritu ſacro utitur: dum lavat pedes

Chriſtus uſus eſt cæremoniis.

pedes diſcipulorum, dum in horto tertiò proſternitur, dum inſufflat in Apoſtolos, & ait: *Accipite Spiritum Sanctum*, dum amplexatur pueros, & illis benedicens imponit manus? Quid vero dum ſuſcitat Lazarum, quot cæremoniis utitur? Elevat oculos in cœlum, ingemiſcit, commovet ſeipſum in ſpiritu fremens, tandem voce magna inclamat: *Lazare veni foras*: Deinde funereis adhuc faſciis ligatum, tradidit Diſcipulis ſolvendum. Omnes hæ cæremoniæ ſunt, non ſine myſterio adhibitæ; à quibus Eccleſia ſuos ritus eſt edocta. Sed & Baptiſmum Chriſti attende. Quot ibi cæremoniæ: Cœli aperiuntur, vox auditur, columba advolat: Chriſtus ſe humiliat. Similiter in Euchariſtiæ inſtitutione, ritus multos extrinſecus adhibitos conſpicaris; lavantur pedes, grande cœnaculum eligitur, tapetibus adornatur, preces junguntur, gratiarum actiones admiſcentur, hymnus decantatur, ſermo amoris ſcintillis plenus adhibetur. Ut quid hæc omnia, niſi ut exteriori ritu tale Sacramentum, tale Teſtamentum, tale amoris pignus commendetur? Sic in Pentecoſte, dum confirmantur Apoſtoli, quanta ſolemnitas cœlitus adhibetur? Splendor ignis rutilat, linguæ flammeæ apparent, ventus & commotio loci admirationem omnium concitat, Spiritus vehemens deſcendit, loquela diverſa in Apoſtolis ſubſequitur, verbi prædicatio omnes in ſtuporem rapit. An non ſolemni hoc ritu viſibilibuſque ſymbolis effectum Spiritus Sancti voluit DEUS deſignari? Sic & Eccleſia ſuis cæremoniis effectum Sacramenti. Hæc ſi æqua lance conſideret pietas, oppilabit os ſuum iniquitas. Sed ad particulares Baptiſmi cæremonias explanandas deſcendamus. Sunt autem in triplici differentia. Quædam Baptiſmum præcedunt, quædam comitantur, quædam ſubſequuntur: De ſingulis ſpecialiter diſſeremus.

Joan. 20. 22.

Joan. 11. 43.

Triplices cæremoniæ baptiſmales

DE CÆREMONIIS BAPTISMUM Præcedentibus.

1. Inſufflatio.

PRimo, Sacerdos inſufflat in faciem pueri, & ſignificatur Sathanam cum contemptu ab illo ejici, ut cum pudore locum relinquat: ſic cum aliquem nihili facimus, exſufflamus. Addo, alludi ad ſpiraculum vitæ in faciem primi hominis in creatione; & ſignificari quod per Baptiſmum novus homo creetur & regeneretur; ideoque ſpiraculum novæ vitæ ei afflatur, & Spiritus Sanctus ei infunditur, quem inſufflando Chriſtus Apoſtolis communicavit.

Gen. 2. 7.

2. Crucis ſignum.

Secundò; ſignatur Crux in fronte & pectore, quia hoc eſt ſignum novi Chriſtiani, ſignum ſalutis, quo dæmon pellitur. Unde de baptizandis dicit D. Auguſtinus: *Crucis ſigno in fronte ſuſcipiendus, tanquam in poſte ſignandus es.* Quibus verbis alludit ad poſtes agni cruore ſignatos, ut ab interne-

Auguſt.

cione ſervarentur immunes. Signamur etenim ſigno Paſſionis Chriſti, ſigno quod nobis explicat ſanguinem Agni immaculati, ut à mucione æternæ mortis præſervemur. Ponitur autem in fronte pudoris loco, ut illud libere confiteamur. Ponitur & in pectore, ut illud amemus, illoque cor muniatur, à quo procedit omnis in nobis iniquitas, tanquam ab infecta origine. Hujus ſigni pectori frontique ſuo in Baptiſmo impreſſi memores pueri aliqui, mortem crucemque pro Chriſto tolerare parati fuere, ut poſſent dicere: *Chriſto confixus ſum Cruci: vita Jeſu manifeſtatur in corporibus noſtris.* Cupiebant enim videre Jeſum, ac quia ſtatura puſilli erant, arborem Crucis conſcenderunt, ut certius inde eum viderent, & inde brachiola ſua ad eum extenderent, qui eos advocans, amplexari optat, benedicere, & fructum vitæ ex Crucis arbore decerptum, eis impertiri. Multa poſſem abſcribere exempla puerorum virili animo crucifixionem perpeſſorum, unum ex Japonicis Literis ad Papam, 25. Jan. 1604. ſufficiet. Sæviente perſecutione, puer octo annorum Ludovicus in parentum cubiculo decumbebat, illis vigilantibus ex alte repente ſomno evigilans, inclamat: *Mater mea non ſinam, non patiar, Fochecium capiti meo imponi.* Sic vocant librum ſuperſtitionum Japonicarum & rituum in idolis colendis adhibendorum, quem venerationis cauſa capiti ſolent imponere: At Mater: *Quid ais, fili ſile, non curabimus imponi.* Tum puer monet ipſos parentes, ne & ipſi patiantur ſuiſmet capitibus librum imponi. Indormit iterum puer, ſed frequenti voce ſomnum intercidens, repetit cum audientium ſtupore: *Nunquam ſinam, ut liber deteſtabilis verticem meum tangat.* Paulò poſt puer cum matre comprehenditur. Illa puerum (quem ad martyrium inſtruxerat, ſciens hoc eſſe *teſtimonium Domini fidele quod ſapientiam præſtat parvulis,*) præmonet, ut JESU & MARIÆ nomen ab ejus corde non recedat, nec ab ore. Cum ergo ad ſupplicii locum ducerentur, non ceſſabant alternis dicere: *Jeſu, Maria, mi fili: Jeſus, Maria, mea mater.* Ad urbis celebriorem locum ventum eſt, ubi cruces præparatæ erant, eas ſummo cum gaudio ſalutarunt. Acta eſt in crucem mater, & filiolus ex oppoſito. In illam hic defigit oculos, nil mortem horrens: illa inclamat: *Jeſus, Maria:* hic reſponſat: *Jeſus, Maria.* Hæc eſt Echo cœleſtis reſonans. Tandem lancea uterque confixus, Jeſu, Mariæ nomina ingeminans, animam reddit Creatori.

Gal. 2. 19. 2. Cor. 4. 11.

Ex lit. Ludov. Carquiera Epiſ. Japon.

3. Sal.

Tertio, ſal benedictum adhibetur; adiicitur quoque oratio, qua Deum precamur, ut ad gratiam Baptiſmi pueros perducat, faciatque guſtare divinæ ſal ſapientiæ. Nempè ſal myſticam habet in Scripturis ſignificationem, hinc Levit. 2. ordinat Dominus: *Quicquid oblaveris ſacrificii, ſale condies,* ſignificaturque in omnibus bonorum operum ſacrificiis, nos ſal divinæ ſapientiæ jungere debere, juxta Bedam, Cibis ſal guſtum & ſaporem inſper-

Levit. 2.

Digitized by Google

ſtune Chriſtianorum : & licet non ſit votum omnino propriè dictum (quia alioqui omne peccatum Chriſtiani eſſet ſacrilegium , & duplicem haberet malitiam, quod eſt contra communem ſenſum) eſt tamen declaratio ſolemnis , qua profitemur non quidem novam obligationem , ſed eam quæ jure divino ineſt nos acceptare ; & paratos eſſe ad omne obſequium Chriſti, & ad fugiendum omne conſortium diaboli, omne contagium peccati, tanquam in familiam filiorum Dei ſolemniter recepti. Quapropter non parvi æſtimanda eſt hæc ſolemnis abrenunciatio, quam etiam SS. Patres quandoque ſponſionem, promiſſionem vocant, & volunt tanquam ad virtutem calcar noſtræ ſæpe occurrere menti.

Ambr. l. 1. de Sacra. c. 2. D. Ambroſius ſic loquitur : *Aperite aures & bonum odorem vitæ æternæ inhalaturum vobis munere Sacramentorum carpite, quod vobis ſignificavimus, cum apertionis celebrantes myſterium diceremus. Effeta, quod eſt adaperire. Poſt hæc reſerata ſunt Sancta SS ingreſſus es ſanctuarium Dei. Repete quid interrogatus ſis, recognoſce quid reſponderis. Renunciaſti diabolo & operibus ejus, mundo & luxuriæ ejus ac voluptatibus. Memor eſto ſermonis tui, & nunquam tibi excidat tua ſeries cautionis. Si chirographum hominis dederis, teneris obnoxius ut pecuniam ejus accipias : teneris obſtrictus , ut reluctantem te fœnerator aſtringat : Si recuſas, vadis ad judicem , atque illic tua cautione convinceris. Vbi promiſeris conſidera , vel quibus promiſeris. Levitam vidiſti, ſed miniſter eſt Chriſti. Ergo chirographum tuum tenetur , non in terra ſed in cœlo.* Eodem modo loquitur B. Aug. Vide dicta to. 1. lect. 2. Vide Aug cit. in Breviar. vigilia Pentecoſtes.

Certè non inaniter nos monent SS. Patres hac de re, quia non parum efficaciæ habet hæc renunciatio bene ruminata ; ſed magnum ſtimum animo ad meliora ſubjicere valet. Audi quod hanc rem concernens in hiſtoriis FF. Dominicanorum legimus.

In Chro. Prædic. p. 4. c. 10. Contigit quendam juvenem Juri Canonico Patiſiis operam navantem, veſperis quodam feſto decantatis, in templo S. Petri moram ſumere, dum ibi vigiliæ defunctorum canerentur. Sacellanus vir bonus & ſimplex , dum lectiones recitarentur accedit eum, & inquirit an ſit ſibi Parochianus & ſubditus. Affirmat ipſe, ſe intra Parochiam illam domicilium figere. Bene eſt, inquit pius hic Sacerdos, quandoquidem meæ curæ ſubſis, cupio me exonerare, & verbulum ſalutis tibi inſinuare. Scis quid Deo promiſeris in baptiſmo ? Nonne abrenunciaſti ſatanæ & pompis ejus ? Hoc enim vice tui Patrinus reſpondit. Admirans Juvenis, cur mihi, inquit, id modò proponis. Aperit Sacerdos cauſam dicitque ſe ad id moveri, quia multi Juvenes ſtudiis altioribus incumbentes , ſcopum ſibi vanitatis proponunt, inanem gloram aucupantes , & cruciant ſe multum , ut ad honores ſibi gradum ſternant. An non, inquit, in illis pompa faſtuſque ſatanæ locum habere cenſetur ? Hanc igitur vanam curvamque abs te intentionem remove : quin potius inſpice tot exempla virorum ſcientia illuſtrium & eximiorum Magiſtrorum, qui hoc ſæculo deſerunt ſæculum , probè videntes quod quicquid ambiunt homines in ſæculo , ferè ad pompam ſpectet ſatanæ. Vix hæc brevi, ſed efficaci ſermone inſinuarat, & finita lectione mox Cantor inchoat : *Heu mihi Domine, quia peccavi nimis in vita mea : quid faciam miſer ? quo fugiam niſi ad te Deus meus.* Et ecce verbum ſacerdotis junctum , quaſi duplicis tubæ ſonus, cor ejus penetrans , lachrymas copioſas compunctionemque elicit. Sed & exinde quocunque pergeret, hæ duæ voces concurrebant, & ad cordis aures pulſabant ; nec ulla ſocietatis aut oblectationis varietate poterat animum ab illis divertere. Reſponſum autem perſentiſcebat interius, quaſi auram lenem divini ſuſurri ſibi dicentem: *Ingredere ordinem PP. Prædicatorum , ibi ad Deum tuum fugias, & pompam ſatanæ fugias.* Nec animo fuit quietus : donec paulò poſt ordinem illum eſt ingreſſus.

Secundò adhibetur unctio per oleum ſanctificatum in pectore & inter ſcapulas. Monet hæc unctio Chriſtianum , tanquam Chriſti Athletam luctamen hujus ſæculi luctaturum , inquit Ambroſius. Olim enim ſolebant luctantes inungi, meritò ergo in pectore & humeris inungitur, qui forti reſolutione & invicta fortitudine , contra carnem, mundum, ſatanam, debet obluctari, ad hunc effectum ſub crucis vexillo militiæ Chriſti adſcriptus. Oleumque illud, ſymbolum eſt gratiæ Chriſti, quæ inſtar olei interius penetrat & imbuit cor, ſanans vulnera interiora animæ tanquam medela, leniens paſſiones , ſomitemque roborans contra inſurgentes tentationes, viteſque ſuppeditans ad heroica opera peragenda. Neque verò ſine myſterio etiam humeri inunguntur, indicatur enim dari nobis robur ad jugum Chriſti crucemque ejus ferendam : ut intelligat novus Tyro , Chriſtianam vitam non eſſe deliciis plenam , ſed laborioſam , & proinde non mirandum eſſe Chriſtiano, ſi in hac vita multa triſtia & adverſa patiatur, hæc eſt enim ejus vocatio, ideò ante & retrò ſignatur cruce, in capite quoque & aliis membris , quia tota vita ejus crucibus eſt circumſignata. Sed ne animum deſpondeat crucis nomen & omen horreos oleo ſit hæc conſignatio : quia copia & pinguedine cœleſtis gratiæ crux hæc jugumque aſperſum , ponderis aſperitatem amittit, ſuavitatemque induit , juxta promiſſionem Domini per Prophetam : *In die illa auferetur onus ejus de humero tuo, & jugum ejus de collo tuo & computreſcet jugum à facie olei.* Non ergo turbetur Chriſtianus, dum audit vitam Chriſtianam crucem eſſe, jugum eſſe Crux eſt, ſed inuncta, jugum eſt, ſed à facie olei aſperitas fugit. Nec ſine cruce Chriſtum ſequi poſſemus, nec ſine unctione crucis aſperitatem ferre. Utrumque ergo inunxit Dominus, ut non fugiamus Crucis afflictionem , ſed introſpiciamus divinam unctionem , quæ noſtram adjuvat infirmitatem. 2. Vaſſio. Iſa. 10. 27.

Ter-

ed by Google

3. *Fidei Professio.*

Tertiò interrogatur, an credat in Patrem, in Filium, in Spiritum S. quia est hoc Sacramentum fidei, in quo ejus solemnis fit professio ab adultis, aut à Patrinis vice infantium. Et adultorum quidem fides gratia Dei illustratur & perficitur : infantibus autem donum cœleste habitualis fidei infunditur. Neque verò solum generaliter inquiritur an credant Deum Trinum & unum, sed & sigillatim de singulis personis Trinitatis, cum articulis eas concernentibus : ut discamus non sufficere ad salutem quamlibet fidem generalem aut implicitam : v. g. credendo quod Ecclesia credit : sed etiam expressam fidem requiri, tum mysterii Trinitatis, tum Incarnationis, aliorumque.

4. *Interrogatio: vis baptizari ?* Joan. 9. 7.

Quartò interrogatur: Vis baptizari ? Ad imitationem Christi, qui cœcum illuminandum prius interrogatum luto cum sputo inungit, postea dicit : *Vade & lava in natatoria Silœ ; quod interpretatur, missus.* Fuit illa figura baptismi, sicut & cæcus figura baptizandi, ut passim interpretantur SS. Patres. Sic & Paralyticum sanaturus prius interrogat: *Vis sanus fieri ?* Significat verò Ecclesia hac interrogatione, se neminem invitum velle baptismo abluere. Unde filios infidelium non vult invitis patentibus baptizari, ut docent Theologi, Filios tamen fidelium etiam hæreticorum, ratione juris quod habet in patentes, invitis etiam illis potest baptizare : quia & ipsos parentes ratione characteris baptismalis sibi subditos, meritò cogit fidem in baptismo promissam servare, & rebelles etiam nece & flammis potest cogere. Vide latè Theolog in 3. p. quæst. 68. art. 10.

DE CÆREMONIIS BAPTISMUM subsequentibus.

1. *Chrismatis unctio.*

PRimò, ungitur chrismate, & significatur esse membrum Christi illi incorporatum per baptismum, & unctionis ejus ac pinguedinis gratiæ particeps effectum, ita ut à Christo dicatur Christianus, ob unctionem invisibilem Spiritus Sancti, per quam fit particeps regalis Sacerdotii Christi.

Surius 25. Aug. in vita ejus.

Quapropter hoc nomen magnifaciendum esse, alibi docuimus. Magnifaciebat illud Sanctus Ludovicus Rex Francorum, qui sacro baptismate renatus fuit in fundo Possiaco. Quapropter illo loco plurimum delectabatur, illumque frequentabat. Unde factum est, ut passim jactaret se plus accepisse eo loco dignitatis & beneficii, quàm alio quocumque, quod ejus familiaribus admirationem pariebat. Interrogantibus verò illis, an non plus honoris Rhemis ellet assecutus, in celebri inauguratione, & miraculosi olei unctione : subridens respondit : Ego verò Possiaci Christi diademate & oleo sacro redimitus, plus majestatis & honoris accepi, quàm alibi usquam, aut quocumque gradu homo evehi possit.

Molanus de natal.

Hoc etiam nomen à sacra unctione derivatum, aliquibus Sanctis tanquam proprium nomen in baptismo datum est. Habetur in Civitate Tenremunda in Flandria in Diœcesi Gandensi corpus B. *Christiane* virginis. Hæc regis Anglorum Migranimi filia fuit unica, quam omnipotens Deus aspiciens de cælo, illi Angelum sub specie pauperis transmisit, qui eam catechizaret, atque in Christi nomine ipsam baptizari præcepit, & baptizata à Christo voluit *Christiana* nominari. Cumque virginitatem profiteretur, Aurelium Ducem, Procum ad Christi fidem attraxit. Et in Ecclesia Diklivennæ, cum Sanctimonialium secum congregata catervula, sanctam vitam erexit. Hanc verò famulam suam mirabilibus signis clarificavit Christus, cujus nomen sibi assumpserat. 55. 27. Julii.

2. *Vestis candida.*

Secundò, datur puero albula, quæ significat. *Primo* puritatem animæ, qua ab omni sorde expiata, quasi candido vestimento est induta. *Secundò* significat libertatem Christianam, quam per hoc Sacramentum assecuti sumus, erepti de tenebris carceris & dæmonis servitute. Sic olim servi qui libertate donabantur, albis vestiebantur. *Tertiò* designatur lætitia interna & gaudium Spiritus. Sicut enim vestis nigra, est signum tristitiæ : ita & candida lætitiæ. *Quartò* significatur splendor animarum, quem habent dum veste Christi, imò ipso Jesu Christo vestiuntur, & novum hominem indicunt. Hoc verè fit in baptismo, ubi Christus suum nobis indusium gratiæ divinæ, sua vestimenta charitatis pretiosæ, sua arma per Spiritus Sancti dona, suum arcum & gladium, per signum crucis communicat : ut victores contra satanam triumphemus & exultemus. Sicut enim olim Jonathas ut affectum suum erga Davidem testaretur, omnes suas vestes, omnia arma, etiam usque ad baltheum illi impertitus est : ita Christus in signum affectus vestimenta omnia, & panopliam salutis, qua fuit adornatus, nobis impertitur sub vexillo suo militare aggredientibus. Et sicut David sic vestitus & armatus, quasi alter Jonathas apparebat : Sic & Christianus armis & veste Christi adornatus, debet esse alter Christus, Spiritu quoque ejus animatus. Nam si verum est, *qualis terrenus Adam, tales & terreni ejus filii.* Sic & verum debet esse, *qualis cœlestis Adam, talis & cœlestes ejus filii.* Igitur, *sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis.* Unde vestis illa non solum symbolum est puritatis, quàm accepimus ; sed & innocentiæ, quam post ablutas veteres maculas, studio sanctæ conversationis immaculatam servare debemus, ad præsentandum ante Tribunal Christi ; quia tam pura & nitida à Christo exigetur, quam pura & ab omni sorde vel pulvere aliena, in baptismo est data. Unde Veteres solebant totis octo diebus à Sabbato Paschæ usque ad alterum Sabbatum uti post baptismum candidis vestibus, ad inculcandam nobis vitæ puritatem quæ Christianos decet post tanta Dona à Christo accepta. Si quis vero in albis discedebat, jam beatus existimabatur, ut multis suprà exemplis declaravimus. Hinc inter 1. Cor. 15. 47.

Bel-

V. Molanum 14. Junii An. 654.

Belgicos Sanctos etiam celebratur Dentelinus puer, filius Sancti Vincentii Comitis Hannoniæ fundatoris Cœnobii Altimontenſis & Sonegienſis Collegii, ac Sanctæ Waldetrudis mariti, qui ſeptem annorum in albis mortuus eſt. De quo ſic legimus apud Canonicos Reilenſis Oppidi in Clivia, qui annuè eum colunt decima quarta Junii. *Poſtremò genuit Sanctus Vincentius Sanctum Dentelinum patronum noſtrum gloriſum, qui ut Chriſto renatus, infans migravit ad Dominum, ut de eo impleretur ſermo Dominicus: Sinite parvulos ad me venire; talium eſt enim Regnum Cœlorum. Et quod Propheta dicit: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. In hujus enim mundi procellarum fluctibus diu quaſſari, nequaquam eſt permiſſus, raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus, aut fictio deciperet animam illius, placita enim erat Deo. Quinto.* Veſtis etiam illa alba, ſymbolum eſt ſtolæ fulgidæ, quam habebimus in beata reſurrectione & ultima regeneratione: in cujus ſignum Angeli in albis apparent Chriſto reſurgente.

Hujus veſtis memoria Chriſtianis cordibus deberet eſſe impreſſa, ut dignè moneantur ambulare vocatione ſuâ ſancta. Unde cùm Dominica in Albis candidam veſtem deponerent Neophyti; ut ſemper illius meminiſſent, loco ejus dabatur eis Agnus candidus ex cereo paſchali à Pontifice benedictus, quem ex collo ſuſpenſum geſtarent, ſervandæ perpetuò puritatis monumentum. Hujuſce veſtis memoriâ Dionyſia Nobilis mulier Chriſtiana, puerum ſuum animabat ad martyrium. De illa ſic refert Victor Uticenſis. Dionyſia nobilis mulier Chriſtiana, cùm filium unicum teneræ adhuc ætatis dehcarum, timore pœnarum formidoloſum conſpiceret, verberans eum nutibus oculorum, & increpans authoritate materna, ita confortabat ut matre fortior redderetur. Cui inter crudelia verbera conſtituto, dicebat. *Memento fili mi, quia in virtute Trinitatis, in matre Catholica baptizati ſumus, non perdamus indumentum candidum noſtræ ſalutis, me cum venerit invitator, veſtem non inveniat nuptialem, & dicat Miniſtris: Mittite in tenebras exteriores. Illa pœna timenda eſt, quæ nunquam finitur: illa deſideranda vita, quæ ſemper habetur.* Talibus filium ſolidans verbis, velociter martyrem fecit.

Victor Uticenſ. li. 3. perſecut. Vandal.

3. Cereus accenſus.

Tertiò, Cereus ardens in manu traditur, & ſignificantur tres virtutes divinæ, quæ baptizato infunduntur. Fides in lumine, Charitas in calore, Spes in Cerei recta altitudine, quæ ex imò ſurſum aſcendit, ſicut & ſpes noſtra ad Cœlos uſque erigitur, & nos erigit. Traditur verò manu geſtandus, quia non ſufficit corde, Fidem, ſpem, & Charitatem retinere, niſi etiam operibus illam exhibeamus. Significare etiam hic Cereus poteſt ipſum Chriſtum, novo nos lumine per baptiſmum illuminantem. Nam & in conſecratione Fontis imponi ſolet aquis Cereus Paſchalis, qui Chriſtum ſignificat poſt paſſionem ſuam novo lumine & glorioſo corpore redivivum, quinque ſplendida vulnera, ceu quinque odoriferi thuris globulos geſtantem; quia per ejus mortem & reſurrectionem poteſtas peccata abluendi & animam illuminandi baptiſmo eſt conceſſa. Hinc illuminationis etiam Sacramentum baptiſmus ab antiquis Patribus nominatur. Et in ſignum luminis quod ibi recipitur, frequenter etiam viſibilis luminis apparitio baptizatos conſecravit. Sic refertur lumen apparuiſſe in Baptiſmo Sancti Cerealis, apud Surium Tomo tertio decima Junii. Quod ipſum teſtatur de Baptiſmo parentis ſui Gregorius Nazianzenus, oratione de Patris funere.

Sur. to. 3. 10. Junii. Gregor. Naz.

Porrò benè adnotanda ſunt verba, quæ Sacerdos pronunciat, dum hanc candelam ceream porrigit: & ſimul advertendum nos tertiò illam ſolere geſtare. Primò in baptiſmo: Secundò in die Purificationis Mariæ, quando Verbum incarnatum, quod erat lux de lumine, inter brachia Simeonis, eſſe lumen ad revelationem Gentium, eſt pronunciatum, tunc verò ſponſionem nomine noſtro à Patrinis factam ratificamus. Tertiò in agonia mortis, quia tunc proteſtamur vivere & mori in fide & lumine Jeſu Chriſti.

RECAPITULATIO

Et

EXHORTATIO.

EX his omnibus patet quàm myſtica ſit novi Chriſtiani Creatio, per Sacramentum fidei, dum exorcizatur, ſigno redemptionis conſignatur, ungitur, ſacratur, lavatur, veſtitur, nomen novum accipit, ambulat cum ardenti in manu Cereo. An hæc omnia ſine cauſa mater Eccleſia, myſteriis ſponſi ſui imbuta, uſurpare putanda eſt? Imò verò nihil horum myſtica caret ſignificatione: Et quicquid hic agitur, ſacram continet admonitionem cuilibet Chriſtiano frequenter rememorandam. Sæpius igitur, ô Chriſti miles, memineris horum omnium, candelæ accenſæ, albedinis, promiſſionis tuæ, renunciationis, ſigni fidei, Olei, Chryſmatis. Memineris demque & altaris, in quo quaſi victima Deo oblatus es, Sanguiniſque Chriſti quo abiutus es, characteris ſacri qui ſignum eſt filiorum Dei, ſeminis divini, quæ eſt gratia per quam regeneratus eſt. Et his omnibus conſideratis, ambula, ut filius lucis, ut dignus tandem fias ſortis Sanctorum in lumine. Utinam det tibi Deus gratiam, 1. ut poſſis fili mi, ſemper accenſum tenere Cereum tuum, hoc eſt, illuminatam conſcientiam, fide viva, ſpe erecta, ardente charitate. 2. Det tibi Deus gratiam, ut ſerves immaculatam albulam, candidam animulam, quam poſſis ante tribunal Judicis ſecurè repræſentare. 3. Det tibi chriſmatis ſacri ſigillum; & olei ſanctificati ſignaculum nunquam violare: *Oleum de capite tuo non deficiat*, ſed animum pinguedine devotionis ſemper imbuat. 4. Sollicitus

Eccl. 9. 8.

Digitized by Google

ſemper ſis ſemen illud divinitatis conſervare, ſemen gratiæ, per novam nativitatem animo tuo ſatum: *qui natus eſt de Deo non peccat, quia ſemen in ipſo manet.* 5. Det tibi Deus, nunquam aliquid indignum agere ſanguine quo lotus es; nec Agni cruorem in injuriam Redemptoris commaculare peccatorum pulvere. 6. Semper memor ſis characteris quo conſecratus es Miles Chriſti, ut non cedat tibi in graviorem confuſionem, & in pœnæ incrementum poſt condemnationem. 7. Sit ſemper mens tua victima Deo, & teipſum in interiori cordis tui altari offer in odoriferum holocauſtum. 8. Sit Spir. S. qui te regeneravit, ſemper te vivificans, illius afflatum & impulſum ſemper ſequere, & ut nunquam te deſerat, humiliter exora. Deniq; 9. ſit promiſſio tua & renunciatio inviolabilis, ſit ſtabilis profeſſio: quam ut poſſis illibatam conſervare, committe te ex integro Angelo ſancto, qui te ad baptiſmum deduxit, & fidum ſe comitem ac tutorem exhibet uſq; ad ultimam vitæ tuæ periodum. Illius ſemper ſequere conſilia, donec te reducat ad locum ſecurum regenerationis æternæ. Vis ſcire cur horum omnium meminiſſe te velim. Quia quoties peccatum mortale committis, candelam extinguis, albam ſordidas & cruore inficis, promiſſionem infringis, profeſſioni tuæ contradicis, ſignum Chriſmatis in capite violas, ſignum filiorum Dei commaculas, ſemen ſacrum gratiæ, quo regeneratus es, à te abiicis, ſanguinē quo ablutus es proculcas, unctionem adeò frequenter repetitā violas & ex victima Dei victimā te efficis Satanæ, & ignis æterni. Fuge ergo peccatū, quo ſolo ſacro tuo baptiſmo ejuſque myſteriis contrarius, ingratus, & infidus exiſtis.

RESOLUTIONES QUÆSTIONUM ET CASUUM Paſtoralium.

DE BAPTISMO.

CAPUT I.

DE MATERIA BAPTISMI.

Qu. 1. de aqua baptiſmi.

QUÆRO PRIMO. *Quæ aqua eſſentialiter requiratur ad Baptiſmum?* Reſp. ſufficere & requiri veram aquam & naturalem, quæ retineat ſubſtantiam elementi aquæ. Hinc deducitur reſolutio caſuum ſequentium.

Caſus aliquot.

I. Si quis baptizaret in lixivio, aut in aqua multùm permixta pulveri aut terræ, valet baptiſmus. Ratio eſt, quia cenſetur in his tantùm alteratio, non verò immutatio ſubſtantialis aquæ.

II. CASUS. Si quis baptizarit in aqua, in qua carnes coctæ fuerint, diſtinguendum eſt; nam poteſt eſſe talis decoctio, ut immutet eſſentiam aquæ, & faciat mixtum aliquod aliud ex pinguedine aut ſucco carnis: aliquando eſt levis decoctio, ita ut licet aquam bullientem pinguedine aſpergat & alteret, cenſeatur tamen eſſentia aquæ non immutata: & communis tunc opinio tenet valere baptiſmum.

III. CASUS. Si quis baptizarit in cereviſia, cenſetur nullum Sacramentum. Ratio eſt, quia ordinariè eſt alia ſpecies ab aqua ob digeſtionem aquæ & grani incorporationem. Dico ordinariè, nam tam parva videtur eſſe poſſe cereviſia, tam exigua coctio & mixtio grani, ut aquam extra ſpeciem ſuam non videatur trahere.

IV. CASUS. Si quis baptizarit in aqua roſacea, aut aqua ex floribus, nullum eſt Sacramentum: ſunt enim hæc quædam mixta, ab aqua elementari diverſa.

V. CASUS. Si quis baptizarit in aqua, quæ reſoluta fuit ex ſale: tunc ſatis communis opinio cenſet valere Sacramentum, nec talem aquam ab elementari eſſentialiter differre.

VI. CASUS. Si quis baptizarit in urina, lachrymis, ſudore, ſputo, nullum eſt Sacramentum.

Adverte generaliter, ſi quis in iſtis, quæ diximus probabiliter eſſe materiam, puta, lixivio, carnium jure, aqua ex ſale, & ſimilibus, baptizarit in neceſſitate: ſi poſtea alia aqua habeatur, opus eſſe iterum ſub conditione baptizare; quod ſi non poſſit haberi, & moriatur puer, poteſt ſepeliri in loco ſacro, ob probabilem Baptiſmum.

Q. 2. de ablutione.

QUÆRO SECUNDO. *Quæ ablutio, aut cujus partis contactus requiratur ad valorem baptiſmi?* Reſp. Requiri talem ablutionem, talemque in aliqua parte corporis aquæ attactum, ut homo poſſit dici ablutus. Ex hac generali reſponſione deducenda eſt reſolutio caſuum particularium.

I. CASUS. Puer ſolum emittit ex utero matris partem aliquam manus, an ſit baptizatus ſi illa pars aquâ attingatur? Reſpondent multi Theol. cùm in qualibet corporis parte ſit tota anima, per contactum cujuſvis etiam minimæ, illam ab originali poſſe purgari. Itaque in periculo quælibet pars baptizanda, dum non poſſunt principales partes attingi. Si poſtea perfectius enaſcatur, repetatur baptiſmus ſub conditione.

II. CASUS. Quædam obſtetrix retulit mihi, ſe cùm non poſſet extra uterum habere aliam partem quàm umbilicum, per quem infans ſugit alimentum à matre; & illi conjungitur, baptizaſſe infantem in umbilico; an ſit validus baptiſmus? Exiſtimo quod non, quia umbilicus non cenſetur pars hominis, ideòque præſcinditur. Sed quærebatur, an talis infans deberet privari Eccleſiaſtica ſepultura? Conſequenter reſpondendo, videtur quod ſic. Tamen contrarium opinionem poſſet quis cum aliqua fortè probabilitate tueri, dicendo umbilicum non minùs cenſeri aliquid infantis in tali ſtatu, quàm capilli cenſeantur aliquid hominis, licet ſint quædam excrementa, ſicut & umbilicus: & ita ſicut per capillos cenſetur homo ablutus (ut multi docent) ſimiliter videtur per

Digitized by Google

per umbilicum dici poſſe infantem ablui, tanquam per aliquid ſui, quia etiam per illum aqua ad corpus infantis cenſeri poſſet pertingere. Ob has & ſimiles rationes, quæ afferri poſſent in favorem pueri, & baptiſmi dati; non planè condemnarim, ſi talis ſepelatur in loco ſacro, quia ſaltem apparens aliquod jus ei poſſit adſcribi, ratione talis baptiſmi diſputabilis. Et quamvis longè infirmior ſit pars favens, cur tamen debeat privari jure loci ſacri, niſi manifeſtè & irrefragabiliter conſtet privandum, ſive illi tale jus non competere?

III. CASUS. Contingit infantem aliquam partem extra uterum protendere, ſed pelle ſecundinâ ſeu pellicula ſuæ genetationis involutam: ita ut non poſſit attingi per aquam, niſi illa pellicula infantile corpus involvens: an ſic validè poſſit dari baptiſmus; Reſp. Non poſſe, quia non cenſetur proprie tunc infans ablutus, cum illa pellicula ſit ei quid extrinſecum. Sic ſi aqua veſtes tantum alicujus attingeret, non cenſeretur baptizatus. Unde non eſt exiſtimandum S. Petrum, dum in diebus Penteceſtes plura millia baptizavit, ſimili modo baptizaſſe quo nos populum nunc aqua aſpergimus benedicta. Illa enim ſufficit veſtes attingere, quia ex opere operantis, ſive ex devotione ſuſcipientis vim habet, quocirca morali quadam ratione operatur, licet corpus non attingat. In baptiſmo autem requiritur realis quidam corporis attactus, quia ex opere operato vim habet, unde ſi tali aſperſione multitudinis uſus fuiſſet S. Petrus, quali nos, potuiſſet nullitas contingere Sacramenti, reſpectu aliquorum, quos vel aqua non attingeret, vel certè ſolas veſtes tingeret. Ergo dicendum eſt, quod ſingulos baptizarit ſingillatim, vel paucos ſimul: dicere enim quod Deus diſpenſaret circa illos quos aqua non attingeret, ſolido caret fundamento; maximè cum initio legis non congruetet in tali Sacramento legem initiante, diſpenſatio.

IV. CASUS. Contingit infantem cerni vel tangi ab obſtetrice, ſed intra uterum, nulla ſui parte protenſa extra uterum; foretne validus baptiſmus ſi aqua illum attingat? Reſp. negativè, quia nequit regenerari, qui necdum eſt generatus, ſaltem ſecundum aliquam ſui partem: in his tamen duobus ultimis caſibus, exiſtimarunt aliqui Theologi ſub conditione baptizandum: *Si tu es capax ego te baptizo, &c.* Quia de nullitate Baptiſmi in his caſibus non eſt ita definitum, ut contrariæ ſententiæ ſint erroneæ, quamvis parum probabilitatis cenſeantur habere.

CAPUT II.

DE FORMA BAPTISMI.

Q.1. de forma baptiſmi.

QUÆRO PRIMO. *An non ſit ſufficiens forma, ſi quis dicat. Ego te baptizo in nomine S. Trinitatis?* Reſpondeo non eſſe, quia neceſſaria eſt explicita Trinitatis invocatio ad Baptiſmum: ſicut & in adultis requiritur ad ſalutem explicita illius fides. Cùm ergo hic mutetur explicita invocatio in implicitam, eatenus etiam formæ ſignificatio cenſetur immutari, & ſic nullum reddi Sacramentum.

Similiter certum eſt nullum eſſe Sacramentum, ſi quis dicat: *Ego te baptizo in nomine Jeſu Chriſti*: licet diſputabile ſit, an Apoſtoli non baptizarint ſub hac forma ex diſpenſatione.

De variis modis quibus forma poteſt alterari vel corrumpi. Vide dicta ſuprà in reſolutione caſuum, de Sacramentis in genere.

Q.2. An forma poſſit adici conditio.

QUÆRO SECUNDO. *An forma poſſit adici aliqua conditio?* Reſp. duplicem eſſe conditionem, quæ poteſt uſu Eccleſiæ apponi in caſibus dubiis. Primò, cùm dubitatur, an vivit proles, aut an ſit capax Baptiſmi, rectè dicitur: *Si tu vivis, ego te baptizo &c. Si tu es capax, ego te baptizo &c.* in rigore autem ſufficit mente concipere conditionem. Secundò, dum dubitatur an fuerit baptizatus, ſolet addi, *Si non es baptizatus, ego te baptizo, &c.* Non eſt autem neceſſe dicere. *Si es baptizatus, ego non te baptizo*, licet id in aliquibus Paſtoralibus exprimatur. Imò ut jam dixi, etiam mente hanc conditionem ſufficit concipere.

Advertè verò, illum qui temerè, nulla adhibita diligentia, etiam ſub conditione te baptizat, peccatum mortale incurrere. Tamen talis non incurrit irregularitatem, Ratio eſt, quia non eſt rebaptizatio ſimpliciter, cùm non ſit actio procedens ex intentione dandi Baptiſmum homini baptizato. Irregularitas autem cum imponitur ob rebaptizationem, debet intelligi de rebaptizatione ſimpliciter, ſive de peccato in illa ſpecie conſummato; non eſt autem rebaptizatio ſimpliciter, nec peccatum in ea ſpecie conſummatum. Unde licet conditio moraliter tunc quaſi non adjecta habeatur, quantum ad hoc quod non excuſet à gravi peccato: magni tamen ponderis eſt, quantum ad hoc quod intentionem rebaptizandi, & formalem rebaptizationem impediat.

An rebaptizandi ſint ab obſtetrice baptizati, dixi ſuprà, & de illorum inſtructione.

De Baptiſmo Monſtri vide Parochiale Leod. f. 5. & paſſim Doctores.

Q.3. de duobus baptizantibus.

QUÆRO TERTIO. *An valeat Baptiſmus, uno pronunciante formam, altero adhibente materiam.* Exempli gratia. Contigit in Parochia mea, quod obſtetrix utraque manu impedita ad tenendum brachium infantis extra uterum protenſum, fromam pronunciarit, dum interim altera mulier aquam proiiciebat & puerum abluebat. R. non valere, quia quæ dicit, *Ego te abluo*, falſum dicit, ſi aquam non adhibeat: ergo ſimiliter ſi dicat, *Ego te baptizo*, quia idem eſt quod abluo. Saltem ſub conditione deberet repeti baptiſmus.

Q.4. de pueris expoſitis.

QUÆRO QUARTO. *An ſub conditione repeti debeat baptiſmus, ſuper pueris qui reperiuntur apud portas Eccleſiæ vel Hoſpitalis, ut paſſim ſit in urbi-*

ſcribus, ubi multi expoſititii infantes ſunt ex formicatione nati? R. primò, ſi nullum teſtimonium de baptiſmo eorum poſſit haberi, baptizandos eſſe ſaltem ſub conditione. R. 2. ſi ſcriptum habeant collo appenſum quo indicentur eſſe baptizati res magis videtur dubia, multi enim tunc putant ne quidem ſub conditione baptizandum. Attamen Synodus Cameracenſis (*ſi res aliter non poſſit conſtare*) ſtatuit ſub conditione poſſe baptizari. Ratio eſſe poteſt; quia tale teſtimonium non eſt ita certum, ut fidem indubiam faciat. Ergo cum in caſu dubii ſemper inclinandum ſit in favorem baptizandi, ne periculo exponatur ejus ſalus ob carentiam baptiſmi; & altera ex parte examine diligenti prætermiſſo, & conditione appoſita, non videatur periculum reiterationis baptiſmi, nulla videtur fieri tunc injuria Sacramento. Hic igitur locum videtur habere illud Leonis ep. 92. *Conferendum eſſe videtur quod collatum eſſe noſcitur, quia non temeritas intervenit præſumptionis, ubi eſt diligentia pietatis: nec intelligitur eſſe iteratum, quod ambigitur eſſe datum.* Favent & aliqua juris capitula, de conſec. d. 6. c. *Placuit* cum ſequentibus. Addo ego, quod licet illud ſcriptum aliquam faceret fidem, quod ſit baptizatus talis infans; cum tamen ignoretur a quo, & quomodò, ſive an debita forma, & à perſona quæ ſciret Baptiſmi ritum eſſentialem; imò contingat talibus caſibus quæri tenebras, & ab idiotis mulierculis, rem occultè & cum defectu quandoq; eſſentiali peragi, non mirum ſi dicatur hic aliquid ambiguitatis remanere, quæ ſufficiat ad reiterationem ſub conditione; cum non poſſint ſciri & examinari perſonæ quæ Baptiſmo adfuerint, vel illud adminiſtrarint, ut ſciatur an ritè collatus fuerit baptiſmus. Si enim quando obſterrix baptizavit, volumus ut ſtrictè & diligenter examinetur, ne error aliquis contigerit: quanto magis timeri poteſt, ne in ſimilibus caſibus muliercula magis ignorans baptizarit?

S. Leo ep. 92. 1

De conſecrat. d. 6. c. Placuit.

CAPUT III.

DE CÆREMONIIS BAPTISMI.

QUÆRO PRIMO. *An citra neceſſitatem liceat baptizare ſine cæremoniis, ut aſſecuretur puer, & poſtea tempore Parentibus aut Patrinis opportuno, adhibeantur cæremoniæ?* Reſp. hanc paſſim invaleſcere praxim; ita ut Paſtores in pagis, ubi aliquis eſt Domicellus, vel ubi auctoritatis alicujus vir id poſcit, ſtatim baptizent puerum à Nativitate; ſed cæremonias differant ad libitum Parentum expectantium Patrinos. Quo autem jure id faciant, non video. Tum, quia eſt Clementina expreſſa prohibens baptizare extra Eccleſiam, niſi in neceſſitate, aut Principis filium. Vide Clem. 1. de Bapt. Tum, quia invertere ordinem cæremoniarum, ut poſtponantur Baptiſmo cæremoniæ quæ debent præcedere ex inſtituto ipſius Eccleſiæ, cenſetur gravis materia. Unde Navarrus inter cætera peccata mortalia, quæ circa baptiſmum committuntur, iſtud recenſet, dicens: *Sextò peccat, qui cum non ſit Presbyter, baptizat abſque neceſſitate: imò & Presbyter, qui baptizat citra neceſſitatem, ſine exorciſmis & aliis ſolemnitatibus debitis, vel cum illis extra Eccleſiam, præter filios Principum.* Ita ille Man. c. 12. n 7. Adverte etiam, quod is qui advocatur Patrinus ad cæremonias ſolum, non ſit verè Patrinus, nec ſpiritualem affinitatem contrahat: quia talis affinitas oritur ex tenentia in Baptiſmo, ſive in adminiſtratione ipſius Sacramenti, non verò ex aſſiſtentia ad ſolas cæremonias.

Navarrus in Manuali c. 22. n. 7

Cæterum, cum aliquando contingat Paſtores urgeri importunitate in caſu poſito, imò & moleſtari pro infantibus quorumlibet nobilium privatim ſic baptizandis: operæ pretium foret, ut Epiſcopi publico decreto Paſtoribus ſuam mentem ea de re indicarent. Tum, ad importunitatem quæ eis ſolet invehi propulſandam. Tum etiam, ne ipſi Paſtores, aut alii id petentes ab eis exiſtiment, hoc communiter licitum ob conſuetudinis præſcriptum; quæ tamen errori potius videtur abſcribenda aut adulationi.

QUÆRO SECUNDO. *Quid ſi Parochus baptizet, præmiſſis exorciſmis & aliis cæremoniis baptiſmum præcedentibus: ſed eas quæ ſequuntur differat ad aliquot dies, donec Patrinus advocatus adveneriat?* Reſpondeo, hoc non tam facilè condemnandum putarim, quam prius, quia inverſio ordinis quia cæremoniæ baptiſmum præcedentes poſtponuntur & differuntur, gravior eſt quam dilatio aliquot cæremoniarum, quæ natura ſua & inſtitutione baptiſmum ſequuntur: & ideo occurrente cauſa judicari poſſe iſtud licitum. Hoc tamen facilè in praxim deduci etiam non probarim, quia Eccleſiæ conſuetudo non admittit diſcontinuationem cæremoniarum, niſi gravibus de cauſis.

Caſus. Si puer occurrat baptizandus in die Veneris Sancto, cum ſacrum Chriſma novum non recipiant plerique Paſtores à Metropoli diſtante, ante feſta Paſchalia, poſſunt interim baptizare adhibitis exorciſmis, & aliis cæremoniis baptiſmum præcedentibus, chriſmationem verò & ſubſequentes cæremonias poſſunt differre: quia præceptum eſt, non uti chriſmate anni præcedentis, niſi in neceſſitate. Similiter dic de oleo Catechumenorum.

CAPUT IV.

DE PATRINIS.

QUÆRO PRIMO. *Quinam excludantur ab hoc munere.* R. 1. excludi eum qui non eſt baptizatus, & ſi de facto ſuſcipiat, non contrahit affinitatem ſpiritualem. R. 2. excludi Abbatem vel Monachum c. Non licet de conſecr. diſt. 4. Si tamen de facto ſuſcipiant, contrahunt affinitatem. Miror verò, cum tam claro jure id eis prohibeatur, quod paſſim contrarium practicent Abbates.

Q. 1. *Qui à munere Patrinorum excludantur.* De hæreticis dict. ſup.

Digitized by Google

c. non licet de cõſecr. d. 4. S. Cypriani ſententia.

bates vel Monachi, niſi quod putent conſuetudine jus iſtud enervatum. Quod apud pios & eruditos Religioſos hæc conſuetudo non viget, ideoque potius corruptela dicenda eſt. Et cum Cypriano hic dicimus : *Conſuetudo ſine veritate, vetuſtas erroris eſt ; propter quod relicto errore, ſequamur veritatem.* R. 3. Rectè etiam quibuſdam in locis decerni, vel ſaltem monere Sacerdotes maximè Paſtores per ſtatuta Synodalia, ut Patrinorum officium non ſuſcipiant. Ita decernit quædam conſtitutio in Diœceſi Auxenſi, Tit. de Bapt. c. 5. ubi ſtatuitur, ut ſine Epiſcopi licentia id non fiat. Idem ordinat Synodus Mediolan. 2. Decret. 17. Idipſum continetur in Decretis editis pro Leod. Diœceſi, per Illuſt. Antom. Albergatum Nuncium Apoſtolicum f. 23. Ratio horum decretorum eſt : quia eadem cauſa quæ militat in Religioſis, ob quam arcentur ab hoc munere per Canones, etiam locum habet in Sacerdotibus maximè Paſtoribus, ut expendit Synodus Mediol. citata : & inſinuat Catalogus Romanus agens de Patrinis ; quum enim, inquit, Paſtores Politicæ Parochianum cuſtodiæ præpoſiti ſint, ſufficere illis debet hoc onus ; nec opus eſt quoque Patrinorum particulari oneri ſe immiſceant : nam & generaliter Patres ſunt omnium, & maximè eorum quos baptizant. Addo quod ex more communi Patrini videantur ſortiri etiam aliquas obligationes temporales, tum erga eos quos ſuſcipiunt, tum erga compatres & conmatres : ita ut inde frequentes importunitates parum eorum ſtatui congruæ. Paſtoribus advehantur. Denique id jure ſtatuitur, ut omnis ſuſpicio tollatur, & omnis occaſio converſationis cum mulieribus ; oriri enim ſoler, quædam familiaritas ex compaternitate, quæ nonnunquam in fumum caliginoſum libidinis poteſt exardeſcere, aut certè ſuſpicionem aliis movere. Hinc populari proverbio ſolent dicere : *De compere & de commere les noms, ſon toutes entrécide maiſons.* Quare cum Canon prohibet id Religioſis, ſic dicit : *Non licet Abbati, vel Monacho habere compatres vel commatres, nec oſculari fœminas.* Ubi inſinuat ex compaternitate oriri quandoque libertatis etiam carnalis occaſionem.

Sacerdos baptizans contrahit affinitatem ſpiritualem.

Adverte porrò Sacerdotem qui baptizat contrahere etiam affinitatem cum patre & matre, & cum baptizato. Quapropter notent hic Parochi, quod ſi inciderent in tactum libidinoſum, vel cogitationem voluntariam, aut delectationem moroſam, circa puellam à ſe baptizatam, vel circa fœminam cujus aliquam prolem baptizarint ; non ſufficere in Confeſſione explicare, quod attigerint vel conſenſerint in puellam aliquam, vel in mulierem conjugatam, aut viduam ; ſed etiam addendum eſt, talem eſſe à ſe baptizatam, vel aliquam prolem illius mulieris ſe baptizaſſe. Cùm enim ſit hic affinitas ſpiritualis, talis actus vel conſenſus ad inceſtum reducitur. Et hunc quidem caſum puto non infrequentem, ubi Paſtores lubrici degunt, quia facilè eſt cogitatione labi : hanc tamen circumſtantiam vix exiſtimo in Confeſſionem venire ex ignorantia. Sed non eſt excuſabilis Parocho, quia tenetur hæc ſcire.

Q. 2. *Patrinus cujus ætatis eſſe debeat.*

QUÆRO SECUNDO. *Quam ætatem debeant habere qui ſuſcipiunt?* Reſp. ſi puer ſit doli capax, & habeat ſufficiens judicium ad peccandum mortaliter, poteſt ſuſcipere & contrahit cognationem : ſufficit enim quod aliquo modo percipere poſſit, quid agat, & quænam hic obligatio imponatur. Quod ſi infra ætatem octo vel ſeptem annorum admittatur puer ad ſuſcipiendum, non contrahit cognationem. Sed ordinariè non debent admitti, niſi qui eam ætatem ſuperant, putà, circa duodecimum annum aut undecimum, cum ſolent pueri communicare ; quia tunc cenſentur capaces ad obligationem illam plenius intelligendam, ſi inſtruantur. Imò in aliquibus Diœceſibus requiritur pubertatem, hoc eſt, annos duodecim in puellis, quatuordecim in maſculis : & abſurdum dicunt eos fieri Patres ſpirituales, qui per ætatem non poſſunt eſſe carnales.

Neque tamen magno ſcrupulo ducendum puto, ſi quandoque contingat admitti etiam inferiores ſeptennio (ſic aliquando ſollicitantur Nobiles, ut permittant filios ſuos necdum ſeptennes nomen dare & levare de Fonte) nam tunc non admittuntur propriè ut Patrini, nec ut contrahant affinitatem, ſed potius honoris Parentibus debiti gratia aſſiſtunt : ſufficit autem juxta Concilium Trident. quod unus vel una ſuſcipiant. Sic ſatis erit quod unus adultus ſuſceptor ſit, licet adjungatur ex altera parte puellula necdum ætatis ſufficientis : aut contrà, quod Mulier aliqua Matrina adhibeatur, licet ex altera parte puer ſeptennio inferior aſſiſtat. Cavendum tamen ne hæc nimis facilè in praxim deducantur, conſuetum Eccleſiæ morem temerando.

Q. 3. *An Maritus & uxor Patrini eſſe poſſint.*

QUÆRO TERTIO. *An Maritus & uxor, eundem de ſacro fonte levare poſſint?* R hoc non eſſe prohibitum : & certum eſt inter ſuſceptorem & ſuſceptricem nullam oriri cognationem aut impedimentum matrimonii. Unde anile commentum eſt quarumdam vetularum, neceſſe eſſe dum juvenculus & juvencula eundem ſuſcipiunt, ut obſtetrix inter utrumque ſe interponat, alioqui inter ipſos oriri impedimentum ad matrimonium. Advigilent Paſtores, nec obſtetrices aliquæ antiquæ adhuc redoleant hanc ſuperſtitionem ; nam vidi alicubi practicari, ſed acri reprehenſione remedium attuli. Examinentur etiamnum circa puerperam pro faciliori partu ſuperſtitionem aliquam adhibeant, vel obſervationem vanam, eſt enim anile ingenium in hæc ſatis proclive, & valde tenax. Examinans quandam ea de re, dixit ſe invocare Chriſti & B. Virginis opem, & verſum illum pio affectu recitare : *Et Verbum caro factum eſt & habitavit in nobis* : ſeque didiciſſe hoc habere vim, ne partus mulieris aliquo maleficio impedia-

Digitized by Google

tur. Cùm autem nullam vanam circumſtantiam huic orationi ab ea annexam potuerim deprehendere, non putavi id reprobandum, quia abſque dubio pius affectus ad Incarnationem & Nativitatem Filii Dei, & ad Virginem Parientem, plurimùm prodeſſe poteſt, ſive contra maleficium, ſive ad facíliorem partum impetrandum. Sed quia cautus eſt Dæmon, & per mulieres piis etiam actibus circumſtantiam aliquam erroneam ſolet immiſcere, ſicque de pietate ſuperſtitionem efficere, ideo debent ſuſpecta etiam nobis eſſe quæ pia apparent, donec examine ſerio tanquam lydio lapide probentur, & aurum verum ab adulterino diſcernatur. Sic ſuperſtitioſè ſolent diem obſervare, quo poſt puerperium ad Templum redeunt: nam diebus Lunæ, Mercurii, Veneris, non ſolent accedere, neſcio qua obſervantia & vanitate, & de qua re aliquando in Catechiſmo agere non ſupervacaneum erit, quærendo, An dies Sanguine Jeſu Chriſti conſecratus & redemptionis noſtræ conſummatione obſignatus dies ſcilicet Veneris inidoneus cenſeri debeat, in quo matri puerum Deo offerat ſanctificandum & benedicendum, ac ſeipſam quoque? An non & univerſim omnes dies à Deo creati ſunt & benedicti, dum ea quæ in eis fecit, dixit valdè bona? ſicque diem aliquem ex ſe infauſtum recenſere, nunquid Creatori illius eſt injuriam facere? His interrogationibus & earum elucidatione, è multarum mulierum mente, eam ſuſpicionem eliminavi.

Examinet etiam Parochus obſtetrices, circa aliquas ſuperſtitiones ab eis adhiberi ſolitas tertio die à baptiſmo, dum puero albulam auferunt & abluunt (hoc vernaculè vocant, *des aubles*) utuntur enim aliquibus cæremoniis, quæ paganiſmum ſapiunt aut ſuperſtitionem: ovum ei in manus tradendo, panem, ſalem, partem pecuniæ & ſimilia; omnem ei proſperitatem & copiam rerum cum ſolemnitate quorumdam verborum apprecantes.

Q. 4. Patruus plurium. QUÆRO QUARTO. *An quis poſſet plures proles parentum eorundem ſuſcipere?* R. id nullo jure prohiberi. Similiter quicumque de parentela etiam in gradu aſcendente poteſt ſuſcipere excepto Patre & Matre. Sic avus vel avia, neptem vel nepotem poteſt ſuſcipere, licet in uſu non ſit. Adverte etiam cum maritus eſt Patrinus alicujus, non propterea uxorem contrahere cognationem; nec è contra cum uxor eſt ſuſceptrix, non ideo Vir ejus contrahit cognationem, aut propriè eſt Patrinus: quamvis populari uſu, baptizati, utroſque conjuges (licet alter tantum ſuſceperit) ſoleant Patrini aut Matrinæ nomine honorare.

Q. 5. An Procurator, an Patrinus contrahat cognationem ſpiritualem. QUÆRO QUINTO. Quando quis deſignatur ut nomine alterius puerum ſuſcipiat, quis contrahit affinitatem, an is qui vice ſui aliquè deſignat, an is qui loco alterius eſt ſuſceptor? R. quod procuratorio nomine tenens non contrahit, ſed mandans. Ita habet probabilior ſententia, & fertur eſſe de ea re declaratio aliqua Congregationis Card. Interpretum Concilii Trid.

Q. 6. An diu baptiſmus differendus ſit. QUÆRO SEXTO. *An diu differri poſſit baptiſmus infantium?* R. Parentes & Paſtores debere curare, ut parvuli maturè baptizentur, ob tenellam ætatem periculis multis obnoxiam. Quando tamen cenſenda ſit dilatio nimia, prudenti judicio eſt expendendum. Poſt aliquot dies ſi differant parentes, tunc ſunt monendi, ut diligentem curam ſuſcipiant tam die quàm nocte; debetque Paſtor ſe exonerare, ſi quid ei contingeret. Non tamen exiſtimarim peccatum mortale ſi diligentem omnino curam adhibeant & ad octo vel ſeptem dies differant. Hoc quidem dixerim ſecundum jus commune, quia præceptum Eccleſiaſticum hac de re in jure non reperitur, ut poſſit determinari, quæ dilatio mortale peccatum involvat. In diverſis autem Epiſcopatibus conſtitutiones poſſunt eſſe magis vel minus rigoroſæ, & hæ ſequendæ ſunt.

In Parochiali Leodienſi ſic habemus: *Viderint Paſtores ne Nobiles, ac cujuſcunque ſortis ſubditi, quovis excluſo pretextu vel colore prolium ſuarum baptiſmum ultra diei unius naturalis ſpacium differant, niſi obtenta ob cauſas ſufficientes ab ordinario licentia, de qua apud Paſtorem fidem debeant facere competentem.* Hoc autem intelligo pro Parochiis non longè diſtantibus à reſidentia ordinarii; nam in locis diſtantibus, Parochus prudenti ſuo judicio ob cauſam videtur poſſe indulgere unum aut alterum diem, ſuppoſito quod cura diligens habeatur circa puerum.

Q. 7. De nominibus baptizandorum. QUÆRO SEPTIMO. *An plura nomina reſtè imponantur in baptiſmo?* R. licet id prohibitum non reperiatur, magis tamen congruere ut unum imponatur; ut ſicut unicus Angelus inter beatos ſpiritus nobis deputatur à Deo ad cuſtodiam à nativitate & baptiſmo: ita inter beatas animas, una eligatur ad ſpecialem protectionem, directionem, cultum, imitationem, interceſſionem apud Deum. Et hæc certè multiplicitas nominum à vanitate aliqua inter Magnates ortum habuiſſe videtur, ut ſic à plebeis diſtinguerentur; nunc autem paſſim etiam plebei volunt imitari ſub titulis aliquibus devotionis erga Sanctos; quæ quidem devotio & zelus fortè non eſt ſecundum ſcientiam, ſaltem non eſt ſecundum communem Eccleſiæ morem antiquum. Moneant etiam Parochi Parentes, ne nomina in Baptiſmo poſita patiantur corrumpi, & alterari à domeſticis aut populanibus, ob quod frequenter contingit nomina Sanctorum fieri ridicula. Similiter Ethnica & prophana nomina non facilè admittat Parochus.

Q. 8. Quot Patroni admittendi. Trid. Conc. QUÆRO OCTAVO. *An poſſit Parochus admittere duos Patrinos, quando nullo adhiberetur Matrina, vel contrà duas Matrinas, quando nullus adhiberetur Patrinus.* Reſp. non poſſe, quia Concilium Trid. expreſsè dicit, ut tantum admittatur unus vel una, vel ad ſummum unus & una: ergo

ergo nec duo viri, nec duæ fœminæ admitti poſſunt, quia cum hic ſit jus poſitivum, ſpecialiter expreſſum, in rigore verbis Concilii ſtandum eſt. Sic etiam declaravit ſacra Congregatio Interpretum Concilii; addens Epiſcopum non poſſe concedere licentiam, ut duo viri loco viri & mulieris aliquem baptizatum ſuſcipiant.

Corrigendum ergo hic Parochiale Leodienſe f. 6 agens de Patrinis, ubi inſinuat duos ſuſceptores, ubi nulla ſuſceptrix, vel duas ſuſceptrices, ubi nullus ſuſceptor.

Sed *quid ſi plures de facto ſic admiſſi fuerint, contrahunt ne cognationem?* Reſpondet Congregatio: Si plures ſuſcipiant, omnes contrahere cognationem, ſi non conſtat quis primo tetigerit, & plures fuerint electi, & æque principaliter admiſſi & deſignati. Si enim unum tantum deſignet Parochus, & nihilominus plures tangant, illi non contrahunt, ſed is ſolus qui deſignatur à Parocho.

DE PATRINO CONfirmationis.

QUæro: *An debet eſſe alius à Patrino Baptiſmi?* R. affirm. tamen in neceſſitate idem eſſe poteſt. Debet verò eſſe confirmatus, alioqui non contrahit cognationem, & graviter peccaret. Item debet eſſe unus vel una. Et quidem in Belgicis Eccleſiis conſuetudo optima obtinet, ut in Confirmatione viri non teneant fœminas, nec fœminæ mares. Unde non approbavi, nec approbo, quod quidam Sacerdos, cui ex Regulis Patrinum eſſe non conveniebat, noviſſime in Confirmatione tenuerit puellam contra morem harum Eccleſiarum, licet dicat ſe à Nuncio Apoſtolico tunc confirmante licentiam petiiſſe. Quia nec hanc petere debuit, nec anſam aliis dare inſtringendi morem Eccleſiæ ſimilem licentiam inſuetam alias petendo, ob reſpectus quoſdam nimis humanos.

Caſus: Erravit magis mulier quædam tunc temporis, quæ viri ſui filiam ex fornicatione cum altera ante matrimonium natam ſuſcepit in Confirmatione: nam per hoc cum viro cognationem contrahit; quæ à petendo debito conjugali eam poſſet impedire, niſi quod ex ignorantia talis impedimenti excuſanda veniat: ignorantia enim juris vel facti in ſimilibus excuſat. Quapropter re longe poſtea detecta non putavi monendam, cum bona fide id fecerit, nihil ſuſpicans ibi erroneum vel illicitum, & in bona conſcientia perſeveret.

CANDELABRI MYSTICI TRACTATUS III. DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

PROOEMIVM.

SEcunda Lampas ſeu Lucerna myſtica noſtri Candelabri eſt Sacramentum Confirmationis; quo novus ardor, nova gratia accenditur in cordibus Fidelium: ut nunquam primam fidei lucem per Baptiſmum ſuccenſam patiantur in ſe extingui, vel deſidia & torpore, vel ſtatu tentationum incurſante, vel periculo mortis exterrente. Sed exerant ſemper novum fidei fulgorem, novum gratiæ vigorem, novam Chriſtianiſmi profeſſionem, etiam in medio umbræ mortis, hoc eſt, in quolibet periculo exiſtentes. Ad hoc nempe ſervit Confirmatio ſacramentalis, ut quos invenit tyrones, efficiat ſtrenuos & infractos milites, in hoſtili prælio inter vulnera etiam exultantes. Ita ut inſtar militum Gedeonis, pugnantium contra Medianitas hoſtes populi Dei, ſint hi Chriſti Ducis ſupremi milites, quibus dum confringitur vas fragile corporis, lux major fidei & gratiæ effulgeat, & confortet ad præliandum prælium Domini hoſtesque ſpirituales terrens, in fugam convertat. Itaque de hujus ſecundæ Lampadis Candelabri noſtri myſtici inſtitutione, materia, forma, miniſtro, ſubjecto, effectu, titu, breviter hic diſſeramus.

LECTIO

Digitized by Google

LECTIO I.

DE INSTITUTIONE CONfirmationis.

Explicatur hic, à quo, & quando, hoc Sacramentum fuerit inſtitutum.

PROPOSITIO UNICA.

Confirmatio eſt Sacramentum à Chriſto inſtitutum in ultima Cœna.

TRriahic aſſerimus, Primò, Confirmationem inter Sacramenta eſſe cenſendam ; & hoc eſt
Act. 8. 17. fidei definitum à Concilio Trident. ex doctrina tum Scripturæ , tum SS. Patrum. De illo Sacramento in Actis fit mentio , dum ab Apoſtolis
Act. 19. 6. miſſi dicuntur Petrus & Joannes in Samariam , ut ibi credentibus imponerent manus, & acciperent Spiritum Sanctum. Item,cum Paulus aliquos baptizaſſet , imponente ipſo manus , venit Spiritus Sanctus ſuper eos. Hæc enim impoſitio manuum non eſt aliud, quam Confirmatio, in qua Epiſcopus Apoſtolicæ auctoritatis ſucceſſor , dupliciter manus imponit ; tum orando,tum frontem ungendo & ſignando : ac Spiritus Sancti gratiam hac impoſitione impertitur,non quidem viſibiliter, ut olim frequenter accidit, ſed inviſibiliter. Illa enim viſibilia ſigna initio Eccleſiæ erant opportuna , ad commendationem rudis fidei, & Religionis Chriſtianæ primordia dilatanda ; his irrigabatur novella planta,donec firmam radicem ageret , ramoſque extenderet : tunc autem illa irrigatio per externa viſibilia miracula ceſſavit , dum ſatis firma radice fides initiata excrevit in proceram arborem ramis frondibuſque dilatatis , ſub quibus ſponte habitaturæ advolabant volucres cœli, animæ ad cœleſtem Sacramentorum gratiam vocatæ, & ad vitam æternam prædeſtinatæ,non egentes miraculis.

Joël. 2. 28. De hoc etiam Sacramento Joëlis Prophetia præceſſerat : *Effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem.* Nec enim id tantum dictum erat propter Spiritum Sanctum , quem in die Pentecoſtes Apoſtoli, & alii Fideles receperunt : Sed illud quoque concernit omnes cujuſvis ætatis Fideles, qui in hoc Sacramento Confirmationis , Spiritum Sanctum per manus impoſitionem participant ; ſive fiat viſibiliter ut olim , ſive inviſibiliter per latentem gra-
Act. 2. 38. tiam,ut modo. Sic enim interpretatur generaliter D. Petrus : *Vobis Spiritus repromiſſio, & filiis veſtris, & omnibus qui longe ſunt , quoſcunque advocaverit Dominus Deus noſter : Pœnitentiam ergo agite , & baptizetur unuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus Sancti.* An non his verbis docet D. Petrus, donum Spiritus Sancti per Joëlem promiſſum,ad omnes credentes ſpectare, & illud a pœnitentia & remiſſione peccatorum diſtinctum eſſe, ac Baptiſmum ſequi ? Nimirum Confirmatio hoc donum ad fidem vocatis impertitur,& olim cum præſens foret Epiſcopus , ſtatim poſt Baptiſma ſolebat conferri , ſicut & D.Paulus mox baptizatis Epheſiis manus impoſuit. Ideò verò Baptiſmo mox ſubjungebatur , ut eſſet veluti perfectio & conſummatio illius. Unde Div. Dionyſius vocat , *divina generationis ſacro ſanctam perfectionem.* De Eccl. Hier. c. 2.

Cum vero aberat Epiſcopus, oportuno tempore ſupplebatur. Quapropter Apoſtoli audientes Samariæ incolas credidiſſe, & Baptiſmum ſuſcepiſſe , ſtatim miſerunt Apoſtolos, ut donum Spiritus Sancti per manuum impoſitionem & Confirmationem illis impertirentur. De qua re agens B. Cyprianus, ſic dicit : *Baptizatos à Philippo Diacono baptizari ultra non oportebat ; ſed tantum quod deerat, à Petro & Ioanne factum eſt , ut oratione pro iis habita, & manu impoſita , invocaretur & infunderetur ſuper eos Spiritus Sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur, per Præpoſitos Eccleſiæ offeruntur , & per noſtram orationem & manus impoſitionem Spiritum Sanctum conſequantur , & ſignaculo Dominico conſummentur.* Epiſt. ad Julian.

Perverſe igitur noſtri hæretici,ut Confirmationis Sacramentum obnubilent, & ejus vim elidant, dicunt hanc impoſitionem manuum, non fuiſſe aliud quam cæremoniam ad poteſtatem miraculorum pertinentem , vel ſimilem gratiam gratis datam : Nec enim illæ gratiæ gratis datæ, puta donum linguarum,donum ſanitatis, & ſimilia, dicuntur in Scriptura ſimpliciter Spiritus S. ille enim *non habitat in corpore ſubdito peccatis*,inquit Sapiens: dona autem illa etiam cum peccato poſſunt conſiſtere. Neque adeò ſolliciti fuiſſent Apoſtoli,collegas ſuos ad Samariam deſtinare , pro ſolo hoc dono non neceſſario, & inter infima dona ab Apoſtolo Paulo recenſito. Et teſtatur Div.Lucas,per Phi-
Act. 8. 6. lippum Diaconum magnas virtutes & ſigna in Samaria facta, dæmones ejectos,claudos, & paralyticos ſanatos , ac magno gaudio perfuſam civitatem, habebat ergo gratiam miraculorum. Quid opus , Apoſtolos illuc excurrere ad edenda miracula ? Ut quid ergo ? Ad fidei ædificationem,per illam manuum impoſitionem , qua fides & gratia baptiſmalis confirmabatur, & Spiritus Sanctus dabatur ad robur. Quod quidem eo tempore non conveniebat differri, quo perſecutionis vis credentes impetebat, & rapiebat ad tormenta & confeſſionem, ad quam intrepide faciendam Confirmatio vires ſuggerebat.

Secundo aſſerimus , Chriſtum Dominum hoc Sacramentum inſtituiſſe. Et hoc quoque in Tridentino definitur , contra quoſdam Catholicos Theologos, qui antiquitus docuerunt, in Concilio Meldenſi ſpeciali Spiritus Sancti inſtinctu inſtitutum fuiſſe. Verum generaliter ſupra definimus, nullum niſi à Chriſto inſtitutum Sacramentum : quia ſolus Chriſti eſt dare infallibiliter gratiam, aut certo ſigno illam alligare. Inſtituit autem Trident. Conc.

Chri-

Digitized by Google

Chriſtus Dominus, non ut tempore vitæ ſuæ in uſu foret, ſed poſt paſſionem ſuam ; quia Spiritus Sancti plenitudo non erat danda, antequam ipſe glorificaretur.

Tertio aſſerimus, inſtitutum eſſe in ultimæ Cœnæ nocte : & hoc probabiliſſimum eſt, quia tunc multoties Spir. S. Eccleſiæ ſuæ promiſiſſe legimus, ille autem in hoc Sacramento exhibendus erat. Tunc quoque novum Teſtamentum condidit; inter illius autem Teſtamenti primaria legata, Sacramentum hoc recte cenſetur. Denique aſſerere id videtur Fabianus Pontifex, dicens : *In illa die, Dominus Ieſus poſtquam cœnavit cum Diſcipulis, & lavit eorum pedes, ſicut à SS. Apoſtolis cum ſuis Diſcipulis Predeceſſores noſtri acceperunt nobiſque reliquerunt, chriſma conficere docuit.* Ubi nomine chriſmatis, intelligit Pontifex vel totum ipſum Sacramentum, vel ſaltem materiam ejus : eadem autem ratio eſt materiæ & formæ. Quod ergo quidam inſtitutum docuere Matth. 19. ubi Dominus oblatis ſibi pueris manus impoſuit, ſine fundamento aſſeritur : tum quia illi pueri necdum erant baptizati, tum quia plenitudo Spir. S. (ut jam dixi) non erat danda ante Chriſti glorificationem : *Nondum erat Spiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus.* Non ergo negamus aliquam fuiſſe manuum impoſitionem, qua parvulis vel adultis benedicto aliqua dabatur, aut ægris ſanitas reddebatur: ſed illa non erat Sacramentum, nec Apoſtolis reſervabatur, nec per illam Spir. S. dabatur, ſicut per illam quam eandem fuiſſe cum Sacramento Confirmationis aſſerimus, de qua ſupra in Actis Apoſtolorum fit mentio.

Fabian. Papa epiſt. 2.

Joan. 7. 39.

LECTIO II.

DE MATERIA CONFIRMATIONIS.

PROPOSITIO UNICA.

Materia hujus Sacramenti eſt Chriſma, ſive oleum balſamo mixtum ab Epiſcopo benedictum.

NOn ſine myſterio Sapientia incarnata, quæ omnia ſuaviter diſponit, ad materiam hujus Sacramenti cuncta hæc requiſivit, in quibus aptiſſime vis & efficacia hujus Sacramenti deſignatur.

Primò quidem Oleum requiritur : quia ſicut oleum corpus nutrit & confirmat, ita hoc Sacramentum animum corroborat. Solebant enim antiqui oleo frequenter caput perfundere ad ſanitatem & robur, & ad intimos ſpiritus confirmandos. Ideoque monet Salomon : *Omni tempore veſtimenta tua ſint candida, & oleum de capite tuo non deficiat.* Literali quidem ſenſu non aliud vult ſignificare, quam congruum eſſe, ut corpus animumque quis conſervet ſanum, robuſtum, lætum ; eo quod olei unctio & veſtis candor, antiquis ſymbolum erat lætitiæ. Optime tamen altiori ſenſu id dirigimus ad baptizatos ac confirmatos, monentes, ut teſtamentum candidum lætitiæ ſpiritualis ſemper illibatum conſervent ; & robur ſacræ unctionis in Confirmatione acceptum, perire non ſinant, quin potius adaugeant. Eſt & alia olei proprietas, quod pingue ſit, quod alendo igni aptiſſimum. Sic hoc Sacramentum pinguedinem infundit devotionis, fidei lucem fovet, ignem accendit augetque charitatis. Deinde oleum ſolidis corporibus ſplendorem conferens, illa conſervat, ferrum, lignum, lapidem &c. à rubigine, tineis, carie, illa præſervat. Sic hoc Sacramentum ſoliditatem nobis impertitur ac ſplendorem ; & ne à deſidia & rubigine, carieque vitioſa, animus exedatur, vim præſervativam habet, valetque contra vitiorum virus, ſicut & oleum efficax eſt remedium contra venenum. Denique luctaturi olim oleo ungebantur, & victores in olympicis certaminibus olea coronabantur. Sic & Chriſto victori & triumphatori, cum ramis olivarum obviam procedunt pueri Hebræi. Similiter ergo & nos hic unguimur ad certamen ſpirituale contra dæmones & fidei hoſtes : ut tandem victores coronam adipiſcamur ex ramo olivæ, quem columba Noë attulit, cœleſtis & æternæ pacis ſymbolum. Si ergo antiqui, olivam conferunt Palladi, quam dixerunt Deum ſapientiæ è capite Jovis progenitam : nos verius Chriſto Domino, qui eſt Sapientia æterna è mente æterni Patris progenita illam ſacram dicimus. Quia ab ipſo cenſetur electa, dum oleo ab oliva defluente, in tot myſteriis uti nos voluit ; in Baptiſmo, in Confirmatione, in Ordine, in extrema-Unctione. Et id quidem ad effectus ſacros, quibus & nos redderemur *Socii radicis & pinguedinis, ex ſilveſtri oleaſtro exciſi, in bonam olivam inſerti.* Ut tandem etiam poſſemus cum Pſalte dicere : *Ego ſicut oliva fructifera in domo Dei, ſperavi in miſericordia Dei in æternum.* Certe cum toties ungantur myſtico oleo Chriſtiani, & ab ipſa unctione hoc nomen ſortiantur ; ideò è tot Sanctorum corporibus oleum quoddam mirificum profluxit, tanquam ſacræ hujus & adeo frequenter repetitæ unctionis ſymbolum, quo comprobaretur illos eſſe exterius interiuſque divinæ virtutis oleo delibutos.

Eccl. 9. 8.

Pſ. 51. 10.

Rom. 11. 17.

Sic è corpore S. Nicolai oleum ſacratum effluxit, ſanitatem multis reddens. Idem teſtatur S. Gregorius Turonenſis de corpore S. Andreæ l. 1. de gloria Martyrum c. 34. Idem de corpore S. Catharinæ ab Angelis in montem Sinai delato comprobatum fuit. Ac de pleriſque aliis reperies in Sanctorum hiſtoriis.

Secundo requiritur balſamum. Huic proprius eſt odor præſtantiſſimus : *Sicut balſamum aromatizans odorem dedi*, inquit Sapientia. Significatur igitur primo, nos hoc Sacramento bonum odorem conſequi, quo grati Deo efficimur cœleſtium

Eccl. 24. 20

Digitized by Google

donorum fragrantia : ita ut verificari poſſit de nobis illud Iſaac ad Jacob filium ſuum, repræſentantem perſonam electorum coram Deo ſuavem odorem afflantium : *Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Quam bene id Fidelibus in Confirmationis Sacramento convenit ! Quandoquidem Spiritus plenitudine repleantur, doniſque cœleſtibus, odorem ſuavem (inſtar agri balſamo aliiſque aromatibus odoriferis conſiti) exhalantibus imbuantur. Significatur ſecundo, odor quem ad proximum debent Chriſtiani diffundere, per ſanctam converſationem, & fidei cum ſpiritus exultatione conjunctam confeſſionem ; etiam impios aut infideles ad Chriſtum attrahendo, ut in illis verum ſit illud Apoſtoli : *Chriſti bonus odor ſumus omni loco.* Hoc eſt ergo unguentum odoriferum, cujus fragrantia (teſte Cypriano *Adoleſcentula & novella anima, accedentes ad fidem, illecta delectantur : & exinanitionis ejus ſuavitate delibuta diligunt, ſequunturque aromatum largitorem : & uſque ad Regis accubitum ſpiramine illo trahuntur ; & poſt odorem illum, ubique deſiderio ſancto perungente ſitibunda diſcurrunt.* Alludit D. Cyprianus ad illud Cantic. *Oleum effuſum nomen tuum, ideo adoleſcentula dilexerunt te nimis.* Nomen Chriſti in Chriſtianos effuſum eſt, dum per ſacrum Chriſma unctionis ejus facti ſunt participes nominisque. Ideo ſuavem fundentes odorem, plurimas animas ad Chriſti amorem attraxerunt. Quam multa infidelium millia, Martyres in mediis tormentis Chriſtum confitentes, Chriſtianumque nomen ſua fortitudine, zelo, invincibili pietate confirmantes, ad fidem pellexerunt ? Nempe tunc Unctio interior, qua divinitus imbuti erant, apparuit ; tunc balſami aromatizantis odor ſe diffudit, cum vaſa contrita ſunt : hoc eſt, dum eorum corpora variis fuere tormentis colliſa. Tunc odoratus eſt Dominus odorem ſuavitatis, & domus Chriſti, imo & totus mundus, ſpirantem illum percepit odorem, cum ipſi ſacro Chriſmate delibuti, tanquam odoriferum ſacrificium ignibus cremabantur. Significatur tertio per balſamum, quod ſicut illud rebus quibuſdam circumlitum illas à putredine conſervat ; ita Fidelium animos per hoc Sacramentum cœleſti gratia circumlitos, à putredine vitiorum facile poſſe defendi. Et ſicut balſamum fœtores depellit, ſpuriſque odoribus eſt adverſum ; ita vim ſacratæ illius quæ hic datur Unctionis, contra inferni putores, & dæmonis antes plurimum valere, eoſque fugare. Hinc refert Lactantius, dæmones per præſentiam hominis Chriſtiani ſacro Chriſmate uncti ſæpius fugatos fuiſſe, & impeditos ne in ſacrificiis quæ ſibi offerebantur, reſponſa darent. Ideo dicit à multis Imperatoribus Chriſtianos variis ſuppliciis cruciatos : quod cum forent uncti, ac frontem ſignatam gererent, in cauſa eſſent ne dæmones reſponſa darent. Audi verba Lactantii : *Cum*, inquit, *Dii ſuis immolatæ, ſi aſſiſtat aliquis ſignatam frontem gerens, ſacra nullo modo litant, nec reſponſa poteſt conſultus reddere Vates. Et hæc ſæpe cauſa fuit perſequendi malis Regibus. Cum enim quidam noſtrorum ſacrificantibus aſſiſterent, Deos illorum fugarunt, ne poſſent in viſceribus hoſtiarum futura depingere.* Hæc ille.

Gen. 27. 27.

2. Cor. 2. 15.

Cyprian. de Unct. Chriſm.

Cant 1. 2.

Lact. l. 4. de vera ſap. c. 27.

Exemplum hac de re notatu dignum refert Prudentius, quod Juliano Imperatori contigit. Is ad immolationem fœtidam dæmoniorum procedens : adoratis Diis, exſpectat Sacerdotes ſimulachrorum mactantes turbas pecudum. Cumque cruentis manibus ſenior illorum, animalium partes interiores, præcordia & exta tractans, aliquid divinum inveſtigare tentaret, nihil agnoſcere poterat, ſed turbata omnia cernebat. Turbatus & ipſe inclamat : *Heu neſcio quid agitur Diis contrarium, fugiunt enim ab his ſuis ſacris. Credo aliquem adeſſe de cultoribus Chriſti, quem Deum Crucifixum aſſerunt, quorum præſentiam Dii noſtri non ferunt. Require ergo, ſacratiſſime Auguſte, num quis adeſt baptizatus, & balſamo unctus, & abſcedat protinus.* Hæc dicens, quaſi ipſum cerneret Chriſtum de his ultorem, procidit ad terram exanimis, offenſa proclamans Numina. Tunc & ipſe Imperator depoſito diademate ait : *Quis hic Numinibus noſtris contrarius, Religionis Chriſtianæ factator, frontem chriſmate ſignatam gerens, crucemque adorans ? ne vereatur edicere.* Tunc unus de armigeris Auguſti in medium prodiens, arma ſolo proſternens, ait : *Ego ſum ; cujus Deus Chriſtus eſt Baptiſmo ablutus, cruce redemptus, ejus nomen invocabam, dum Sacerdotes veſtri dæmoniis hæc conſecrabant, ideo fugiunt Dii veſtri ejus nomine perterriti.* Obſtupe factus Imperator tremenſque, reliquit templum dæmoniorum : Et tantus adſtantes timor invaſit, ut nullus eum ad palatium ſequeretur, ſed erectis ad cœlum manibus & oculis, Dominum Chriſtum, uno ore & conſenſu laudarent ac benedicerent. Pruden. in Apoth. cont. Ju.

Tertio, requiritur ut oleum iſtud ab Epiſcopo ſit benedictum, hoc ſcilicet inſtituit Chriſtus, ut hac benedictione oleum quod vulgare alias cenſeretur, jam tanquam ſacrum & religioſum haberetur. Unde Cyrillus hac de re ſic loquitur : *Sicut Chriſtus, poſtquam baptizatus eſt, aſcendit de aquis, & factus eſt ſuper eum ſubſtantialis adventus Spiritus Sancti, ſimili ſuper ſimilem requieſcente, ſic etiam nobis, poſtquam ex aquis ſacri lavacri aſcendimus, datum eſt Chriſma, imago illius quo unctus eſt Chriſtus, qui eſt Spir. S. de quo apud Iſaiam dicit : Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus miſit me.* Oleo enim aut unguento corporali Chriſtus ab hominibus unctus non eſt : ſed Pater Salvatorem illum mundi totius conſtituens, unxit Sancto Spiritu : Cæterum vide, ne illud eſſe putes unguentum tantum : *Quemadmodum enim panis Euchariſtia, poſt Sancti Spiritus invocationem, non amplius eſt panis communis, ſed eſt corpus Chriſti : ſic & ſanctum hoc unguentum, non amplius eſt unguentum nudum, neque commune poſtquam jam conſecratum eſt ; ſed Chriſma Chriſti, quod adventu Spir. S. per ipſius divinitatem* Cyrilli Hieroſ. Catech. 3. 2. Iſa. 61. 1. Luc. 4. 18. Cyri. ſuy.

Digitized by Google

tem energiam habet, quo quidem ſymbolice frons perungitur, Sancto verò vivificoque Spiritu anima ſanctificatur. Hoc enim oleum ratione benedictionis Epiſcopalis à SS. Patribus ſacroſanctum, imo & ſacratiſſimum appellatur. Blaſphement ergo quantum voluerint hæretici, vocantes illud oleum incantatū: nos eis reſpondemus incantatum eſſe, ſed *voce veneficii incantantis ſapienter*, hoc eſt, voce Hierarchæ repræſentantis perſonam Chriſti; quod jàm erat in uſu tempore S. Dionyſii, ut ipſe teſtatur Eccleſiaſt. Hierarch. c. 4.

Dion. Eccleſ. Hierarch. c. 4.

Figura ſacrati hujus & benedicti unguenti, fuit illud quod olim præcepit Dominus ex oleo, myrrha, casia & cinamomo confici, quo tabernaculum, vaſa, & ſupellex univerſa divino cultui dicata, aſpergerentur & conſecrarentur: ita ut quicunque illud tangeret, ſanctus foret, ſanxitque ut illo delibuta eſſent Sancta Sanctorum. Nos dicati ſumus cultui divino, corporaque noſtra, tanquam vaſa ſanctitati deſervientia: ideoque voluit Chriſtus ſacro hoc Chriſmate à ſacrorum Principe conſecrato nos inungi, tanquam filios olei, ut poſſimus aſſiſtere in ſacrata domo, Dominatori univerſæ terræ.

Exod. 30. 23.

Hanc verò benedictionem cenſent Theologi adeo eſſe neceſſariam, ut licet benedictio à Sacerdote ſimplici (ſive non Epiſcopo) fieret in oleo & balſamo, materia tamen Sacramenti hujus ſufficiens non foret. Similiter exiſtimant plerique non fore validum Sacramentum, ſi ſine balſamo oleum conſecratum adhiberetur: utrumque enim exiſtimant de eſſentia hujus Sacramenti.

Sed dices: Ratum eſt balſamum, & paucis in locis oritur: ita ut olim uni Judææ illud conceſſum fuiſſe, Strabo, Plinius, Solinus teſtentur. Reſpondeo, & hoc ſpeciali divinæ Providentiæ adſcribi, quod inſtituto hoc Sacramento, non ſolum Judæa (ad quem dicit Joſephus Reginum Saba primam plantam attuliſſe, quam obtulit Salomoni) ſed & Ægyptus, Arabia, & Indiæ Occidentales abundanter balſamum ſubminiſtrent. Et notatu dignum eſt, quod Burchardus (qui ante annos trecentos diu moratus eſt in Oriente) refert: Nempe, vidiſſe hortū balſami in Ægypto, qui tamen nullum ex ſe fructum aut plantam balſami produceret, niſi irrigatus fonte vicino, in quo ſæpius Maria Jeſum lavit. Dicitque Saracenos, cum experirentur fruſtra irrigari aliis aquis, duxiſſe aliunde aquam in illum fontem, ut virtutem divinam inde hauriens, ſufficeret ad irrigationem. Quam rem dicit notiſſimam non ſolum Chriſtianis, ſed & nationibus in Chriſtum non credentibus.

Burchardus de terra S.

LECTIO III.

DE FORMA CONFIRMATIONIS.

PROPOSITIO UNICA.

Forma hujus Sacramenti eſt: Conſigno te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.

HAnc formam traditione conſervat Eccleſia. Et quidem expreſſè in Scriptura non habetur, nec apud antiquos Patres: qui noluerunt fidei noſtræ myſteria, maxime Sacramentorum formas, omnibus propalare; ut tanto majori reverentia haberentur, ſi ab his qui rebus ſacris præſunt, ſilentio regerentur. Attamen indicatur ſatis ab Apoſtolo dicente: *Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui unxit nos Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* Quem locum de hoc Sacramento alibi explicuimus. Singula autem hujus formæ verba ponderanda ſunt. 2. Cor. 1. 21.

Primo ergo dicitur: *Conſigno te ſigno Crucis*, quæ verba dum profert Antiſtes, frontem cruce ſignat: ut indicet confirmandum accipere Spir. S. & ſpirituale ab eo robur: ut nullo metu nullaque verecundia, quæ in fronte ſolet apparere, deterreri poſſit, quo minus Crucem Chriſti confiteatur, & Jeſum crucifixum adoret, ejuſque doctrinam tota libertate, etiam morte imminente profiteatur. Indicatur etiam hoc ſigno, quo Chriſtus contra ſatanam triumphavit, in numerum militum ejus jam adſcribi: ut ſub eodem vexillo triumphali Crucis militet, illius ſignaculo exterius interiuſque ſignatus. Unde huc alludens B. Ambroſius, ſic ait: *Repete quia accepiſti ſignaculum ſpirituale, ſpiritum ſapientiæ & intellectus, ſpiritum conſilii atque virtutis, ſpiritum cognitionis atque pietatis, ſpiritum ſanctiſ timoris, & ſerva quod accepiſti. Signavit te Deus Pater, confirmavit te Chriſtus Dominus, & dedit pignus Spiritus in cordibus tuis, ſicut Apoſtolica Lectione didiciſti.* Signaculum ergo crucis exterius eſt ab Epiſcopo miniſtrante, ſignaculum interius à Spir. S. in anima operante. Unde idem alibi dicit: *In Spiritu vivimus, & ipſe eſt pignus hæreditatis noſtræ, ſicut & Apoſtolus ſcribens ad Epheſios ait: In quo credentes ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto. Sancto igitur ſpiritu ſignati ſumus, non natura, ſed à Deo. Nam ſcriptum eſt: Qui unxit nos Deus, & qui ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris. Signati ergo Spiritu à Deo ſumus, ſicut enim Chriſto morimur ut renaſcamur, ita etiam ſpiritu ſignamur, ut ſplendorem atque imaginem ejus & gratiam tenere poſſimus, quod eſt utique ſpirituale ſignaculum. Nam etſi ſpecie ſigneamur in corpore, veritas tamen in corde ſignamur, ut Spir. S. exprimat in nobis imaginis cæleſtis effigiem.* Ambr. li. de his qui initiantur. c. 7. Idem l. 1. de Spir. S. c. 6.

Secundò dicitur: *Confirmo te Chriſmate ſalutis.* Quibus verbis, & materia, & effectus Sacramenti

deſignatur, à quo nomen accipit Confirmationis. Nec enim ideo ſolum confirmationis Sacramentum appellatur, quod in eo profeſſionem, fidei Chriſti, & abrenunciationis Sathanæ in Baptiſmo factam confirmemus; ſed maxime quia nova gratia ad illam fidem tenendam, & profeſſionem ejus publice, cum opus fuerit, faciendam corroboramur, & confirmamur. Ibi Spiritus ille principalis, ſive Spiritus fortitudinis nobis datur, quem petere docet Propheta, dicens: *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & Spiritu principali confirma me.* Et iterum: *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.* Eſt tamen & alia confirmatio in gratia, de qua Theologi, per quam aliqui Sancti ſpeciali Dei dono & favore, gratiam quam acceperunt, nunquam perdiderunt. Sic putamus Apoſtolos poſt Spiritus Sancti gratiam acceptam, nunquam peccatum mortale commiſiſſe, de quibus Auguſtinus illud interpretatur: *Liquefacta eſt terra, & qui habitant in ea: Ego confirmabo columnas ejus*, q. d. Totam terram inveni peccatricem, cupiditate inferiorum rerum defluentem, ſed columnas ejus Apoſtolos, confirmavi ſuperiorum rerum inamiſſibili charitate. *Terra motu ipſa columnæ mutaverunt, in paſſione Domini Apoſtoli deſperaverunt, ſed reſurrectione firmata ſunt. Ergo confirmavi columnas, quia oſtendi mortem non eſſe metuendam; reſurrexi & oſtendi timentibus, nec ipſum corpus perire in morientibus. Tenuerunt eos vulnera, firmaverunt cicatrices.* Hæc Auguſtinus. Confirmatio ergo Apoſtolorum in fide & in gratia, inchoative facta fuit in reſurrectione, completive in Spiritus Sancti miſſione. Neque vero illa datur ordinarie in hoc Sacramento (quia non efficit, ut non poſſimus gratiam perdere & peccare) ſed pendet à ſpecialibus auxiliis Dei, quibus munimur contra incentiva & pericula omnis peccati, providentia ejus cura particulari circumvallari: hoc omnibus non datur, ſed quibuſdam hunc ſpecialem favorem æterna Dei decrevit prædeſtinatio. Poſt hanc vitam autem, omnibus electis dabitur confirmatio in gratia talis, ut peccare nec venialiter poſſint: & quidem ab intrinſeco impeccabiles erunt ob viſionem & amorem beatificum; in hac vita autem ab extrinſeco quidam impeccabiles fuere, ob extrinſeca illa auxilia cœlitus illis data, quibus à peccato præſervati fuerunt. Confirmatio porro illa, quæ per hoc Sacramentum datur, non aliud eſt, quam gratia interior, cum auxilio ſpeciali ad ſuo tempore confitendam fidem. Quam quidem gratiam ſæpe contingit Chriſtianos à ſe abiicere, & auxilio illo ſe indignos reddere, quamvis ex vi illius de plutibus verum ſit illud: *Paratum cor ejus ſperare in Domino, confirmatum eſt cor ejus, non commovebitur, donec deſpiciat inimicos ſuos.* Quod in millibus Martyrum apparuit ex virtute hujus Sacramenti, ut ſtatim dicemus.

Pſ.50.14. Pſ.67.29. Pſ.74.4. Aug. in illum locum. Pſ.111.8.

Tertiò additur: *In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Quæ verba eſſentialia ſunt huic formæ, ſicut & in Baptiſmo: ut ſignificetur Trinus Deus & Unus Principalis cauſa operans in hoc Sacramento, ad profeſſionem myſterii Trinitatis ſuo tempore faciendam: operans quoque perfectionem Chriſtianam, ad quam hoc Sacramentum ordinatur, & induens nos virtute ex alto, ad viriliter pro Trinitatis fide dimicandum. Ideo cum ſuæ fidei fortem confeſſionem, intet crepitantium taxorum turbinem faceret D. Stephanus, adfuit ei ſpecialiter Trinitas S. ejus animum novo confirmans robore. Vidit enim gloriam Patris, cœlis apertis, per quam mire animatus fuit, quandoquidem ad illam adſpirabat tanquam ſcopum & præmium ſui certaminis. Vidit & JESUM ſtantem ad dexteram Dei, tanquam exemplar quod debebat imitari. Aſpiciebat ergo *in auctorem fidei & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem*, & ideo exultabat & ipſe, & animo non deficiebat. At non vidit ibi Spir. S. quia jam ille in corde ejus erat, tanquam ſuetum illud protegens & confirmans, ne læderetur, dum corpus undique ſaxis contritum emoritur. Quem ergo non vidit oculis corporis in cœlo, vidit oculis cordis tanquam protectorem in ſe ipſo: ideo dicitur Stephanus plenus fuiſſe Spir. S.

Act. 7. ſſ. Heb. 12.2 Nyſſen. orat. de S. Steph.

LECTIO IV.

DE EFFECTIBUS HUJUS Sacramenti.

1. *Docet differentiam gratiæ Baptiſmi & Confirmationis.*
2. *Agit de Charactere Confirmationis.*

IAm pleraque attigimus de effectu hujus Sacramenti. Pauca ſubiiciemus de ejus differentia ab effectu Baptiſmi, & de illo, quem imprimit, Charactere.

PROPOSITIO I.

Gratia Confirmationis longe differt à gratia Baptiſmi.

RATIO eſt. Quia effectus Baptiſmi eſt gratia, & character, qualis requiritur ad procreandum infantem ſpiritualem; dicente B. Petro: *Quaſi modo geniti infantes lac concupiſcite.* Effectus Confirmationis eſt gratia & character, qualis requiritur ad creandum militem Chriſtianum, ut pugnet adverſus hoſtes inviſibiles, dicente B. Paulo: *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus Principes & Poteſtates, rectores tenebrarum harum contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.*

1.Pet. 2.2. Eph. 6.12.

Sed audiamus Melchiadem Pontificem hac de re eleganter differentem: *Attendat charitas veſtra: ſicut exigit militaris ordo ut cum Imperator quemcunq; in militum receperit numerum, non ſolum ſignet receptum, ſed etiam armis competentibus inſtruat pugnaturum:*

Melch. epiſt. ad Epiſc. Hiſp.

Digitized by Google

turum: ita in baptizato, benedictio illa munitio eſt, dedi ſti militem, da ei adjumentum militia. Nunquid prodeſt, ſi quiſquam parentum magnam pupillo conferat facultatem, niſi providere ſtudeat & tutorem? Itaque Paracletus regeneratis in Chriſto, cuſtos & conſolator & tutor eſt. Ideo dicit ſermo divinus. Niſi Dominus cuſtodierit civitatem fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam.

Pſal. 126. *Ergo Spiritus ſanctus qui ſuper aquas Baptiſmi ſalutifero deſcendit illapſu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præſtat ad gratiam. Et quia in hoc mundo tota ætate victuris,*

P. Damiani ſer. 1. de dedicat. *inter inviſibiles hoſtes & pericula gradiendum eſt, in Baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt Baptiſmum regeneramur ad pugnam, in Baptiſmo abluimur, poſt Baptiſmum roboramur. Etſi continuò tranſituris ſufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen neceſſaria ſunt confirmationis auxilia. Regenerato per ſe ſalvat, mox in pace ſæculi recipiendo, Confirmatio autem armat, & inſtruit ad agones mundi hujus, & prælia reſervandos.*

Audi & P. Damiani. In Baptiſmate, Spiritus datur ad veniam, hic ad pugnam; ibi mundamur ab iniquitatibus, hic virtutibus præmunimur. Nonne in ſuperliminari fronte domus noſtræ terreſtris conſecrata manus ſacri Chriſmatis imprimit unctionem? Nec quilibet tanti myſterii legitur executor, ſed ſolus Epiſcopus, ſuper cujus caput fuſum eſt Unctionis oleum, & cujus ditioni ſacerdotalis ſubditur multitudo. Inde eſt quod decretales paginæ & ſanctorum Patrum inſtruta decernunt, non eſſe differendam poſt Baptiſmum Sacramenti hujus virtutem, ne nos inermes inveniat fraudulentus ille contortor, à quo nemo unquam nocendi inducias extorſit. Delibuti igitur utriuſque roris unguento, illo ſanati, confortati iſto, ſecurius deſcendamus ad ſingulare certamen. Nec nos deterreant arma Goliæ vel magnitudo, quia nobiſcum eſt magnus Dominus Deus noſter, & magna virtus ejus, apprehendens arma & ſcutum, ut exurgat nobis in adjutorium. Hæc ille.

Sed ut plenius intelligas effectum hujus Sacramenti in homine Chriſmate uncto, hoc eſt, in mi-

Act. 8. lite Chriſtiano; attende quas vires acceperint. Apoſtoli, in ſua Confirmatione in die Pentecoſtes. Licet enim ipſi hoc Sacramento non fuerint inuncti, tamen (ut loquitur D. Thomas & Theologi) effectum acceperunt Sacramenti ſine Sacramento, ab illo, qui Sacramentis non eſt alligatus, ſed eandem gratiam poteſt quo voluerit medio imperturi. Acceperunt ergo ſapientiam, eloquentiam, charitatem, fortitudinem, & miraculorum donum, quæ omnia ignæ illæ linguæ deſignabant cum ſonitu vehementi: ſiquidem lumen ignis ſapientiam, calor ejus charitatem, figura linguæ eloquentiam, ſonus vehemens fortitudinem & miraculorum donum. Et quidem ceſſavit donum illud, quod non tam ad perfectionem Chriſtianorum ſpectat, quàm ad infidelium converſionem, Dantur tamen in hoc Sacramento alia dona. Donum ſapientiæ ſpiritualis datur, ut per illud magnificiamus æterna bona, & contemnamus caduca, hæc eſt enim ſapientia Sanctorum. Donum quoque datur charitatis, cum dono fortitudinis; ut armis charitatis fortiter dimicemus, contra adverſarias poteſtates in hac militia Chriſtiana. His armis confirmati, & contra quælibet adverſa obfirmati Apoſtoli, orbem ſibi totum ſubjecerunt. Et qui antea vacillantes intra domeſticos parietes latebant, ad ſonitum folii territi; poſtea non ſolum in Judæa palam loquuntur, ſed ad Samariam progrediuntur, deinde ad Gentes, denique ad Romanum imperium. Ibi Jeſu Crucifixi fidem intrepidi, inter minas, gladios, ignes, equuleos, ſartagines, cruces, confitentur & prædicant. Sic idolorum cultum demoliuntur, terrenas ac tartareas poteſtates debellant, & rebellium corda ſub veritatis jugum mittunt.

Eodem ſpiritu, iiſdem armis, per Sacramentum Confirmationis inſtructi Martyres, pro eadem fide uſque ad ſanguinem decertarunt. Certè Martyrum ſucceſſionem perpetuam in Eccleſia, meritò attribuimus huic Sacramento: per quod robur accipimus ad fidem profitendam; per quod Chriſtiani perfecti reddimur, à Chriſto uncti & mililes conſignati. Utique B. Cyprianus Martyrum coronas Sacramento Chriſmatis attribuit dum ait: Cypr. ſer. de lapſis. *Frons cum ſigno Dei pura, diaboli coronam ferre non potuit, corona Domini ſe reſervavit.* Agit de illis qui in Natalitiis Principum infidelium, & feſtis aut ſacrificiis Deorum, noluerint floridas quaſdam coronas capiti imponere: ne illis forent tanquam infidelitatis ſymbola, & fidei tacita abnegatio. Quare ergo illi id noluerunt? Quia frontem ſacro Chriſmate inunctam, & fidei charactere ſignatam, polluere prophanâ coronâ indignum judicarunt: ſed potius elegerunt necem, ut coronæ Domini per martyrium poſſent eſſe participes. Hi ergo præclari Chriſti milites, invincibili ſua fortitudine & confeſſione, manifeſtam omnibus fecerunt vim ſacri in fronte ſignaculi, per Chriſmatis indelebilem Unctionem.

Similiter meritò aſſerimus multos in hæreſim cecidiſſe, & in apoſtaſiam à fide ob neglectum hoc Sacramentum, quo confirmari potuiſſent in ejus profeſſione. Non enim fruſtra à Sacrorum Pontifice invocatur hic Spiritus S. ſeptiformis gratia, quam dum negligunt aliqui Chriſtiani, meritò & ipſi à Deo negliguntur: ut facilè omni vento doctrinæ circumferantur, & in errorem inducantur: vel cum fides palam profitenda eſt, territi corde quidem illam retineant, ore verò palam confiteri non audeant. Quod tamen neceſſarium Rom. 10. 10. eſſe ad ſalutem plane aſſerit Apoſtolus, idque velle negare, error eſt, contra quem depugnat omnis ſanguis Martyrum, effuſus ab Abel juſto, uſque ad Chriſtum caput Martyrum. Et omnis ſanguis à ſanguine Stephani primi poſt Chriſtum Martyris,

Digitized by Google

uſque ad ſanguinem ultimi electorum, qui debet pro fidei confeſſione in fine mundi effundi, huic errori contradicit. Nec enim Martyres ita vitam profudiſſent, niſi neceſſarium ſciviſſent, non ſolum corde credere ad juſtitiam, ſed etiam ore confiteri ad ſa-
Luc. 9. 26. lutem. Nam qui erubuerit, & vel ſolis verbis negáverit; etiam negandus eſt à Patre coram Angelis Dei.

Non ergò parvi momenti eſt neglectus hujus Sactamenti, quando quidem ejus tanta ſit vis & efficacia. Hinc Euſebius Cæſarienſis tantum illius gratiæ defuit; ut dicat Novatum hæreſiarcham non meruiſſe Spiritum S. recipere, eo quod æger in lecto baptizatus, ſanus effectus neglexit cæremoniarum ſupplementum; & maxime quia neglexit conſignari ſive confirmari per Epiſcopum. Au-
Euſeb. Cæſar. li. 6. c. 43. di ejus verba. *Vbi exorciſtarum præſidio ſpiritu illo malo eſſet liberatus, poſt tam gravem morbum, ut jam fermè mori putaretur, in lecto aqua circumfuſus, baptiſmum accepit. Verum morbo tandem elapſus, neq; cætera quibus per baptiſterium ſecundum Eccleſiæ canonem imbui oportuerat, ac conſecutus, neque Domini ſigillo ab Epiſcopo obſignatus fuit. Quo quidem neutiquam potuit quomodo Spiritum S. adeptus eſt?* Hæc ille l. 6. c. 43.

PROPOSITIO II.

Hoc Sacramentum præter gratiam, etiam emprimit characterem indelebilem.

RAtione illius non iteratur hoc Sacramentum. Unde ſi quandoque apud veteres reperitur ſcriptum, manuum impoſitionem repeti poſſe; non eſt intelligendum id de impoſitione manuum quæ fit in confirmatione, ſed de reconciliativa quâ hæretici vel peccatores iterum in gratiam ab Eccleſia recipiebantur: quam quidem iterari & frequenter repeti poſſe, notum eſt ex D. Auguſtino: At verò
Aug. l. 3. cont. Donatiſt. c. 16 hoc Sacramentum non repetitur, eo quod ſit Sacramentum perfectæ & virilis ſecundum ſpiritum ætatis. Sicut enim ſemel tantùm in hac corporis vita, virilis conſtituimur ætatis: ita in vita ſpirituali, ſemel tantum Sacramento hoc confirmamur. Hac
Petrus Cluniac. l. 6. ep. 1. de re ſic loquitur Petrus Venerabilis Abbas Cluniacenſis: *Illa quæ ab Epiſcopis fit confirmationis unctio, non iteratur: quia ſemel Chriſtianus poſt baptiſmum, armis ſpiritus Dei per illam unctionem advocati contra ſatanæ mundique bella munitus, alio rurſum ſpiritu, vel aliis armis, illa ſimplici unctione muniri non poſſe monſtratur. Et poteſt quidem ſegnitie propria ab hoſte his armis depoſitis vinci; poteſt & eiſdem reſumptis, iterum hoſtem vincere, nec tamen ea de cauſa unica unctio iteranda eſt: quia quotieſcunque hoſtem ſuperat, non per alium & alium Spiritum, ſed per eundem Spiritum S. id fieri ſimplicitate ſua unctio ſacra deſignat.*

Sed de hoc charactere plura dixi, cum de Sacra-
Tract. 1. lect. 6. mentis in genere tractavi. Hoc ſolum adjicio, hunc Confirmationis characterem ſupponere baptiſmalem, unde nec validè conferretur non baptizato: eo quod Baptiſmus janua ſit cæterorum Sacramentorum. Et cum hoc Sacramentum perficiat Baptiſmum, ejuſque gratiam augeat, illum ſupponit, ejuſque characterem.

Opponet tamen fortè quiſpiam Cornelium Act. 19. Centurionem ante Baptiſmum Spiritum ſanctum 47. accepiſſe, ut Acta Apoſtolorum teſtantur. Reſpondeo accepiſſe Spiritum Sanctum, non tamen ſequitur accepiſſe characterem Confirmationis; unde manſit adhuc capax hujus Sacramenti. Quod ſi dixeris, eum ulterius confirmatum non fuiſſe; non abnuo quia per extraordinarium modum, in teſtimonium fidei Gentium, potuit Deus Sacramenti hujus gratiam ſine Sacramento conferre, imò & characterem. Vide Bedam. Vide Bedam in hùc Acto. locum.

LECTIO V.

DE MINISTRO, ET SUSCIPIENTE.

1. *Decet ſolos Epiſcopos eſſe Miniſtros.*
2. *Omnem baptizatum capacem eſſe Confirmationis.*

PROPOSITIO I.

MINISTER *ordinarius hujus Sacramenti eſt ſolus Epiſcopus.* Ita decernit Concilium Trid. 7. Concil. Trid. ſeſſ. 7. Florent. Act. 8. & 19. ſeſſ. & Florentinum in doctrina de Sacramentis, rationem ſubjiciens ab Apoſtolorum exemplo. Cum cæteras, inquit, unctiones ſimplex Sacerdos valeat exhibere, hanc nonniſi Epiſcopus debet conferre: quia de ſolis Apoſtolis legitur (quorum vicem tenent Epiſcopi) quod per manus impoſitionem Spiritum Sanctum dabant. Legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem, ex rationali & urgenti admodum cauſa, ſimplicem Sacerdotem Chriſmate per Epiſcopum confecto, hoc adminiſtraſſe Sacramentum. Ratio quoque congruentiæ, ob quam Chriſtus hoc Sacramentum reſervavit ſummis Sacerdotibus, eſt: quia cum hoc Sacramentum ſit Sacramentum perfectionis, illi recte reſervatur, qui inter miniſtros ſtatum obtinet perfectionis. Deinde, quia Epiſcopus in Eccleſia eſt velut Dux in exercitu, ad quem ſpectat milites recipere & conſignare.

Itaque, ſi ſimplex Sacerdos præſumat hoc Sacramentum conferre, nihil efficit defectu poteſtatis. Quod ſi quandoque legis in antiquis Conciliis, vel in veterum Patrum ſcriptis Presbyteros in abſentia Epiſcopi poſſe infantes baptizatos chriſmate ungere, id ſcias non eſſe accipiendum de hoc Sacramento, ſed de unctione in vertice: Hugo de Sacram. l. 7. c. 2. quæ quidem olim honoris gratia Epiſcopis erat ab Eccleſia reſervata (niſi fortè abſens foret Epiſcopus) ac modo ob multitudinem baptizandorum, Sacer-

Digitized by Google

Theol. in 3. p. D. Thom. q. 72. a. 8.

Sacerdotibus eſt conceſſa. Illa verò quæ fit in fronte per confirmationem, non ab Eccleſia, ſed ab ipſo Chriſto, illis ſolis cenſetur conceſſa, niſi ex ſpeciali commiſſione ipſius Pontificis. De qua re fusè Theologos videre potes in 3. p. D. Thomæ.

Hoc ſolum obiter ſubjecerim. Quandoquidem Epiſcopis hæc reſervata ſit poteſtas, non debere illis grave eſſe & moleſtum, ad hunc effectum Diœceſes ſuas frequenter viſitare: maximè in locis vicinis hæreticorum, cum plurimum valeat hoc Sacramentum contra ſeductionem illorum. Item in locis agreſtibus & incultis, in quibus ſæpius hujus Sacramenti defectu, inveniuntur fraude dæmonum multæ mulieres virique abrepti ad ſortilegia, veneficia, & cultum dæmonum, contra quorum dolos vis

Act. 8. 5. hujus Sacramenti eos poterat præmunire. Imitentur ergo Apoſtolorum Petri & Joannis diligentiam, qui ad confirmandos Neophytos Samaritanos tam alacriter mox excurrerunt.

PROPOSITIO II.

Omnis baptizatus capax eſt hujus Sacramenti.

APoſtoli omnibus baptizatis manus leguntur impoſuiſſe; & poſt Apoſtolorum tempora, ſtatim cum baptiſmo dabatur hoc Sacramentum, cujuſcunq; ætatis, ſexus, & ſtatus hominibus. Utique, cum effectus hujus Sacramenti ſit robur & perfectio gratiæ, illa convenit omnibus. Sit licet pueri necdum ſint de facto apti ad pugnam ſpiritualem, ad quam Sacramentum hoc ordinatur; ſunt tamen apti, ut armentur & conſignentur charactere militari, & gratiæ perfectionem ſuſcipiant, ut ſuo tempore poſſint dimicare, & auxilium opportunum reperire. Nam & infantes olim, cum bis tantum in anno baptizaretur, cum Baptiſmo Confirmationem accepiſſe teſtis eſt Auguſtinus. Imo non deſunt Theologi, qui

Auguſt. Tract 6. in Joan. judicant magis expedire, ut confirmentur infantes: eo quod certius effectum hujus Sacramenti percipiant, quo & Chriſto arctius conjunguntur, & ad majorem gloriam jus accipiunt. Ita inter cæteros

D. Tom. & Bonav. l. 4. ſent. diſt. 7. judicarunt D. Thomas & D. Bonaventura.

Catechiſ. Pii V. Alii cenſent differendum uſque ad annum ſeptimum, cui opinioni favet Catechiſmus Pii V. & præſens Eccleſiarum multarum conſuetudo. Nec deeſt ratio. 1. ob majorem Sacramenti reverentiam, dum per propriam diſpoſitionem recipitur. 2. ut ſic ſuſceptum majorem effectum conferat. 3. ut profeſſio in Baptiſmo per alios facta, in confirmatione per ipſum ſuſcipientem fiat. 4. ad vitandum periculum iterationis, dum meminit ipſe ſuſcipiens ſuæ confirmationis. Unde quidam etiam putant ob id alapam impingi.

Q. An præceptum exiret ſuſcipiendi hoc Sacramentum?

Diſputant verò Theologi, *an ſit præcepti abſoluti ſuſcipere hoc Sacramentum*? Et quidem communior ſententia cenſet non eſſe obligationem ſub peccato mortali, nec culpam incurrere mortiferam, cum, qui ſecluſo contemptu, etiam toto vitæ ſuæ tempore illud non ſuſceperit; eo quod expreſſum hac de re in Scriptura aut Eccleſiæ decretis præceptum non reperiatur. Altera tamen opinio etiam omninò probabili fundamento non caret.

Primò quidem, quia in Actis Apoſtolorum Petrus & Joannes a Samaritanis, Paulus autem ab Epheſiis exegit hujus Sacramenti ſuſceptionem. Ex quibus locis videtur D. Hieron. præceptum hujus Sacramenti deducere, dum Dialog. contra Luciferanos ſic dicit: *An neſcis etiam Eccleſiarum hunc eſſe morem ut baptizatis manus imponatur, & ita invocetur Spiritus ſanctus. Exigis ubi ſcriptum ſit? In actibus Apoſtolorum. Etiamſi Scriptura auctoritas non ſubeſſet, totius orbis in hanc partem conſenſus, inſtar præcepti obtineret. Nam & multa alia quæ per traditionem in Eccleſiis obſervantur, auctoritatem ſibi ſcripta legis uſurpant.* Videtur ergo D. Hieron. in traditione præceptum quoddam fundare. Favent & alii Patres, qui dicunt per hoc Sacramentum nos fieri plenè Chriſtianos, de quare ſic loquitur S. Cyrillus. *Sicut enim Salvator per Baptiſmum & Spiritus ſancti deſcenſum, aggreſſum adverſarium devicit: ſic & vos per ſacrum baptiſma, induti myſticum chriſma (quæ eſt Spiritus ſancti armatura) ſtate adverſus hoſtes, eoſque debellate dicentes: Omnia poſſum in eo qui me confortat Chriſtus, à cujus Chriſmate Chriſtiani appellamini, perducentes ad veritatem nomen Chriſtianum, quod à Baptiſmo capit nominari: ſiquidem ante hanc gratiam, non erant propriè digni eo nomine; ſed potius eò progredientes tendebant, ut Chriſtiani eſſetis.*

Act. 18. Act. 19. S. Hieron. contra Lucif.

Cyrillus Hieroſ. Catech. 1.

Clemens PP. ep. 4. ad Julium

Clemens Pontifex & Martyr videtur præceptum indicare, dum dicit: *Omnibus feſtinandum ſine mora Deo renaſci, & demum conſignari ab Epiſcopo, id eſt, ſeptiformem gratiam Spiritûs ſancti percipere, quia incertus eſt unuſcujuſque exitus vitæ. Quum autem regeneratus fuerit per aquam, poſtmodum ſeptiformi Spiritus gratia confirmatur: quia aliter perfectus eſſe Chriſtianus nequaquam poterit; nec ſedem habere inter perfectos, ſi non neceſſitate, ſed injuria aut voluntate remanſerit, nec habeat quod à B. Petro accepimus, & cæteri Sancti Apoſtoli præcipiente Domino docuerunt.*

Melchiades Papa.

Addi poteſt & Melchiadis auctoritas, dicentis Baptiſmum & Confirmationem eſſe ita conjuncta Sacramenta, *ut ab invicem niſi morte præveniente nullatenus poſſint ſegregari, & unum ſine altero ritè perfici non poſſe.* Additque, licet continuò tranſituris ſufficiant: regenerationis beneficia, victuris tamen neceſſaria ſunt Confirmationis auxilia.

Addi denique poteſt ſacroſancta Synodus Laodicena Canone 48. Oportet baptizatos poſt baptiſmum, ſacratiſſimum Chriſma percipere, & cœleſtis Regni participes fieri. Utitur hæc Synodus verbo præceptivo, ſicut & Patres citati verbo Neceſſitatis: ergo videtur alicujus præcepti neceſſitas indicare. Quod licet non eſſet ita Scripturis expreſſum; in ipſa tamen inſtitutione, à

ne, à Chriſto videtur incluſum : quia valdè credibile eſt, tantum Sacramentum Chriſtianam perfectionem conſummans, ſub conſilio non reliquiſſe.

Quidquid ſit de rigoroſo præcepto generaliter loquendo, certè in aliquibus caſibus ſub gravi peccato videtur obligare, v.g. quando inſtat occaſio publicè confitendi fidem in perſecutionibus. Tunc enim, ſi poſſit Sacramentum hoc ſuſcipi, non videtur ſine gravi culpa poſſe negligi. Quia omnino periculoſum eſt adire diſcrimen fidei & militiæ Chriſtianæ, ſine hujus Sacramenti præparatione, & armatura ſpirituali.

Suſcipiens hoc Sacramentum debet eſſe in ſtatu gratiæ.

Porro ſuſcipiens hoc Sacramentum debet eſſe in ſtatu gratiæ. Ratio eſt, quia ordinatur ad augmentum gratiæ, igitur illam ſupponit. Hinc ſi quis peccato mortali ſit obnoxius, neceſſaria eſt illi contritio vel ſaltem attritio cum Pœnitentiæ Sacramento, ſine qua alias gratia recuperari non poteſt. Si quis tamen ſolum attritus, omninò exiſtimaret ſe contritum, etiam in hoc Sacramento gratiam & remiſſionem reciperet, Sacramento ſupplente attritionis inefficaciam, taliſque fieret de attrito contritus vi Sacramenti. Confeſſio autem licet ſit conſilii, non eſt tamen præcepti, ſi quis ſe contritum exiſtimet. Sicut nec jejunium, quod olim ſolebat præmitti ex Eccleſiæ pio uſu, ad imitationem Apoſtolorum, qui per Spiritum Sanctum confirmati fuerunt jejuni. Monendi interim ſunt acceſſuri, ut conſcientiæ munditiam, quantum potuerint, procurent, dignum locum Spiritui ſancto præparantes, & ut magnum deſiderium concipiant augmenti gratiæ & plenitudinis Spiritus ſancti. Ille enim Spiritus ſanctus, qui in Baptiſmo ſuper ipſo deſcendit, ad habitationem Deo conſecrandam, nunc iterum venit, ut ſeptiformi gratia cum plenitudine ſanctitatis & virtutis eos confirmet, illuſtret & perficiat. Sedulò ergo oratione ſe præparent, ſedentes in ſilentio, donec virtute induantur ex alto, ut poſſint dicere: *Os meum aperui, & attraxi Spiritum.* Pſ. 118. 131.

LECTIO VI.

DE CÆREMONIIS CONFIRMATIONIS.

Explicat hac Lectio ſigillatim cæremonias.

Confirmationis cæremonia. 1. Manus impoſitio.

PRIMO, confirmato manus imponitur, & 1. ſignificatur nos Spiritu ſancto tanquam manu DEI protegi, & tanquam ſolido ſcuto adverſus hoſtium tela & inſultus defendi. 2. ſignificatur nos quaſi victimas DEO conſecrari & offerri; ſic enim olim manus imponebantur victimæ, dum illa Deo offerebantur. 3. ſignificatur nos ſpeciali modo a Deo attingi, ejuſque manu regi tanquam filios Spiritum adoptionis jam perfectius participantes. 4. ſignificatur venialia peccata nobis remitti; imo & mortalia quorum non occurriſſet memoria. Attactus enim manus ſignificat reconciliationem & unionem cum Deo.

Unde advertè multiplicem fuiſſe manuum olim impoſitionem. 1. erat quædam Reconciliativa, & fiebat in ſignum Eccleſiaſticæ unionis, per quam hæretici recipiebantur ad unitatem & Charitatem. De qua Concilium Arauſicanum. 2. erat quædam Curativa, de qua Marcus: *Super ægros manus imponent.* Talem fuiſſe putamus illam impoſitionem manuum Ananiæ ſuper Paulum, de qua Actorum 9. Nec enim erat ad dandum Spiritum ſanctum, quia Paulus necdum erat baptizatus: ſed erat ad gratiam ſanitatis, ut illi viſus redderetur. 3. erat quædam Deprecativa, de qua Act. 13. *Jejunantes & orantes imponenteſque eis manus dimiſerunt eos* ſcilicet Barnabam & Paulum, quitunc nec confirmabantur, nec ordinabantur, nec reconciliabantur; ſed ſolum deprecabantur pro illis fœlicem greſſum & rerum omnium progreſſum. 4. eſt & alia Ordinativa, de qua ad Timoth. *Nemini cito manus impoſueris.* Denique eſt hæc Confirmativa manus impoſitio; ſive illam intelligas, qua Epiſcopus orans manum imponit, & advocat Spiritus ſancti plenitudinem quæ cæremonialis eſt: ſive illam, qua frontem ſignat, quæ eſſentialis eſt. Ab utraque hoc Sacramentum ſortitur nomen impoſitionis manuum, & de utraque loquens Tertullianus dicit: *Caro ungitur, ut anima conſecretur: caro ſignatur, ut & anima muniatur: caro manuum impoſitione adumbratur, ut & anima ſpiritu illuminetur.*

Conc. Arauſic. I. can. 3. Marc. 16. 18. Act. 9. 17. Act. 13. 3. 1. Tim. 5. 22. Tertul. de reſur. carnis.

Secundò, poſt confirmationem alapa impingitur ab Epiſcopo, ut ſciat ſe militem jam eſſe creatum, non ad percutiendum, ſed ad patiendum, non ad injurias inferendas, ſed ad tolerandas; in hoc enim ejus conſiſtit pugna & victoria. Sic dimicandum eſt in militia Chriſtiana, non adverſus homines quos videmus, ſed adverſus dæmones, quos non videmus. Sic pugnavit & vicit Imperator noſter Chriſtus qui cruci affixus debellavit ærcas poteſtates. Sic pugnabant Apoſtoli recens confirmati qui flagellis graviter cæſi *ibant gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati.* Sic pugnabant & Martyres adverſus perſecutores, non feriendo ſed patiendo, & glorianter alteram maxillam præbendo percutienti. 2. *Alapa infligitur.* Act. 5. 41.

Tertiò in confirmatione ſolet adhiberi Patrinus, ut ſcilicet baptizatum tanquam adhuc ſpiritualiter imbecillem, quodammodo ſuſtentet, & Duci exercitus Dei armandum & militem conſignandum ſiſtat: armatum deinde tanquam tyronem in ſpirituali militia, ideoque conſilio & directione egentem, ſi neceſſe fuerit, inſtruat: Antiquus eſt hujus cæremoniæ uſus, ex qua oritur ſpiritualis cognatio, inter confirmatum illiuſque patrem 3. *Patrinus.*

Digitized by Google

trem & matrem, cum illo quem Patrinus tenet confirmandum. Unde & obligatur eum inſtruere quem præſentat, illique Pater ſpiritualis eſſe; obſervantia autem & honor ei debetur à confirmato.

Molanus in natal. Belgii 21.

Quapropter inter Belgicas hiſtorias tanquam facinus horrendum refertur in vita S. Gervaſii, quod à Proprio confirmationis Patrino interfectus fuerit ob pietatem eximiam, ideoque ut martyr colitur prope Gandavum in Truncinio. Hiſtoriam ſic refert Molanus. Geraldus Merendræ in Flandria claris & Chriſtianis parentibus ortus, ab infantia pietatis amantiſſimus fuit: monaſteria & Deo dicatas Eccleſias religioſè frequentavit, clericos & ſacerdotes magno ſtudio coluit, & in ſumma, hoc maximè illi curæ fuit, ut vitam ſuam, quàm optimè ad normam divinæ legis inſtitueret. Quum verò nondum eſſet Sacramento confirmationis inſignitus, nec ſe proinde abſolutum, & adverſus omnia æternæ ſalutis impedimenta ſatis ornatum Chriſti militem eſſe, piè prudenterque exiſtimaret, viro quodam comitatus qui ſuſcepturis circa ſe officio fungeretur, è ſolo natali Gandavum ad Blandinienſe monaſterium ſe contulit, ut ſacro Chriſmate ab Epiſcopo Noviomagenſi Heliſeo, qui tum eò fortè advenerat, liniretur. Cumque percepto Sacramento, repletus jam pinguedine gratiæ ſpiritualis, domum rediret, haud procul à Monaſterio quod Truncinium dicitur, ad quod orationis cauſa nonnihil deflexerat, à ſuo Patrino (qui tantam ejus pietatem incredibili exagitatus invidia ferre non poterat) repente confoſſus, ex equo proſterneebatur, & pro mortuo ab immani patricida relinquebatur. Accidit autem, ut priuſquam animam exhalaret, à Parentibus hæc omnia confeſtim à Deo miraculoſè edoctis, diligenter quæſitus, ſpiratus adhuc inveniretur. Quibus cùm breviter expoſuiſſet, à quo tantam injuriam accepiſſet, viatico adhuc Dominici corporis eorum ſollicitudine munitus fuit: & paulo poſt ad cœlos migravit, undecimo Kalendas Octobris, multiſque miraculis claruit.

21. Sept.

Porrò, licet juxta Eccleſiæ conſuetudinem, in Baptiſmo & Confirmatione diverſi ſint Patrini, neceſſitate tamen cogente eundem utrobique eſſe poſſe, jus decernit: ſimulque conſtituit, non poſſe quem ſuſcipere alium in confirmatione, niſi ſit confirmatus, ſicut & in Baptiſmo, niſi ſit baptizatus. Ex quo colligunt Doctores, ſi de facto confirmatus ſuſcipiat, nullam contrahere cognationem; graviter interim peccaret. Sed de Patrinis eorumque obligatione, plura diximus, cùm de Baptiſmo egimus.

RECAPITULATIO ET EXHORTATIO AD CONFIRMATOS.

EJA milites Chriſti, pugiles generoſi, à Duce excercitus Dei conſignati & auctorati: abiicite opera tenebrarum, & induimini arma lucis. Illa ſemper præſto vobis ſint, ad depugnandum contra regionem umbræ mortis. Rom. 13. 12.

Primò igitur ſemper memores eſtote *Galea*, quam in capite geſtare debetis, quæ eſt *Spes ſalutis*, vos munire potens, tam in adverſis quàm in proſperis. Huic juncta ſit *Lorica* charitatis, cum *Balteo* caſtitatis, qua renes lumboſque veſtros ſuccingi convenit, quaſi cingulo militari. Si ingruat belli tempeſtas, proponite vobis *ſcutum fidei*, quo omnia tela ignitaque jacula inimici elidatis. *Sint* & in pedibus calcei militares, ſive ocreæ calcaribus adornatæ; hoc eſt, ſit in vobis alacritas & promptitudo ad currendam viam mandatorum Dei. Nolite oblivi ſci ſacramenti militaris, quo fidelitatem veſtram obſtrinxiſtis in ſacro Baptiſmate; & renovaſtis in confirmatione, novam firmitatem illi adjicientes. Ephes. 6. 13.

Secundò oportet vos ſemper memores eſſe *Vexilli Regalis*, ſub quo militatis. Illius figura frontibus veſtris impreſſa eſt, ut ſciatis vos ſub Rege Crucifixo militare, & ejus humilitatem, contemptum, mortificationem, tolerantiam imitari debere. Hæc ſunt arma, quibus regiam adeptus eſt coronam: illa eadem arma teſtamento vobis conſignavit, ut regnum per hæc acquiratis, ac regiæ coronæ participes efficiamini. Nolite erubeſcere Jeſum & hunc crucifixum. Judæis licet ſcandalum, ſtultitiam Gentibus. Ideò in fronte crucem geritis, ut nunquam erubeſcatis, nulliſque tormentis ab ejus confeſſione dimoveamini. Et ut non ambuletis ſicut illi, de quibus flens dicit Apoſtolus. *Multi ambulant quos ſæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Chriſti, quorum Deus venter eſt, quorum finis interitus, & gloria in confuſione.* Gloriam ergo Crucis, Regisque Crucifixi, mente, ore, ſanguine, ſi opus ſit, promovete & prædicate. Phil. 3. 18.

Memineritis quadraginta Martyrum, qui urgebantur ab Agricolao Præfecto fidem abnegare, ut gratiam Imperatoris captare poſſent remuneraturi, ut ajebat, honoribus & muneribus obſequia generoſè ab eis in bello præſtita. At ipſi in vexillum Crucis animum erigentes, forti voce reſponderunt: *Si adeo generoſè militavimus ſub Aquilis & vexillis Imperatoris terræ, quia fortitudine nobis certandum putas, ſub ſignis militaribus Imperatoris cæli, cùm ipſemet ſuo ſanguine laureatus exercitum ſummum præcedat? Nunc igitur dum præliandi pro ejus*

gloria ſeſe offert occaſio ad ſanguinem uſque parati ſumus confligere, ut ſimus digni milites Crucis. Regiſque crucifixi, nec animis dividemur in obſequio Regis immortalis, qui nunquam diviſi fuimus pro gloria Regis mortalis. Alios verò ab eo præſtolamur honores, ampliorem longè gloriam & coronam, quam victoribus ſuis æternam repromittit: & jam vertici noſtro illam imminentem ſpectamus, & certamine conſummato ſtatim reddendam expectamus gaudentes.

Similiter cum S. Sebaſtianus Marcum & Marcellianum fratres adverſus Parentum lachrymas, amicorum inſidiantes illecebras, Tyranni furentis minas, verbis cœleſti quadam eloquentia depromptis roborafſet, totus incenſus Marcus jam Chriſti miles: *Ejà frater* inquit, *certemus generosè, pro Chriſto moriamur, pro illo qui pro nobis mortem oppetit: nec aliud nobis modò cordi ſit, quàm decertare quo primum mortem obeat, ut alteri viam præmonſtret.*

Tertiò memores eſtote unctionis per deificum unguentum vobis impreſſæ: quæ ſymbolum eſt ſpiritualis pinguedinis & devotionis, qua delibuti eſtis; ob quam dicere vos convenit: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum.* Quoties unctio odorifera in nobis repetita eſt, toties unctionis interioris conſervandæ admoniti eſtis. Quater vos inunctos memores eſſe debetis, ter in baptiſmate, & iterum in Confirmationis Sacramento. Primùm quidem uncti fuiſtis in pectore, deinde in humeris, ut cum ſuavitate & pinguedine devotionis internæ, crucem in corde gerere noveritis, eamque adamare, & lubenter poſt Chriſtum Ducem humeris veſtris portare. Ulteriùs uncti fuiſtis in vertice, ut regium & excelſum animum geratis, ad omnia hæc caduca ſive proſpera, ſive aſpera proculcandum: tanquam ad ſublimiora vocati, qua eſtis: *Genus electum, regale ſacerdotium, populus acquiſitionis, gens ſancta.* Denique uncti fuiſtis in fronte: quia quidem unctione perfectionem Chriſtianam adepti eſtis, perfecti Chriſtiani effecti. Attendite igitur; ô Chriſtiani, vos toties unctos & conſecratos eſſe, ut ſitis toti Deo deſtinati, & non prophanis actibus. Quod ſi ara & calix quia conſecrationis unctionem acceperunt, prophanis uſibus applicari nequeunt abſque ſacrilegio: an non & ſacrilegium admittitis, dum ſacratius vos inunctos criminoſis & Deo injunis actionibus commaculatis?

Ps 62.6.

1. Pet. 2. 9.

Quartò memores eſtote *Balſami odorifori*, in his unctionibus admixti. Per id utique ſignificatur odor ſanctæ vitæ, quam aliis afflare debetis, & odorifera converſatio, qua debetis eos ad DEUM ac divina allicere. Non ſit *Balſamum mixtum* vita Chriſtiana in vobis, non ſit ſpuriis peccati fœtoribus commixta & commaculata: ne ab illo reprobetur, qui omnem reprobat peccati corruptelam, inimicus mixtionis, amator puritatis. Eccl. 24. 21.

Quintò memores vos volo *Spiritus illius divini*, in Confirmatione accepti: quo tanquam Tyrones in hac ſacra militia, vos deduci convenit, regi, protegi. Ille eſt qui animos vireſque ſuggerit, ad fortiter dimicandum contra omnes ſatanæ vires mundi illecebras, carnis inſultus, omniaque ſpiritualia diſcrimina. Datus eſt vobis *ſpiritus ſapientiæ & intellectus, conſilii & fortitudinis, ſcientiæ & pietatis, ſpiritus quoque timoris Domini.* Septuplex illius gratia vobis data eſt, tanquam fortis interior armatura contra omnia in bello ſpirituali adverſantia. Attendite vobis, & nolite ſpiritum extinguere, nolite illius lumen & gratiam cinerulentâ & deſidioſâ vitâ conſopire: quin potius ut Apoſtoli verbis utar, *reſuſcitate gratiam*, novo deſiderio, fervore, devotione, oratione, aliiſque ſanctis exercitiis, quaſi ſacro ſtabello. Bene ponderate gratiam, vocationem, gloriam; ad quam electi eſtis, & his omnibus correſpondere ſatagite. Is. 11. 2.

Sextò memores eſtote *Alapæ*, quæ vobis inflicta eſt in ſignum patientiæ; quæ eſt virtus propria Militis Chriſtiani, ut injuriam paſſus de vindicta non cogitet, ſed in ſpiritu exultet, & lubenter condonet. Et hæc eſt gratia Sacramenti Confirmationis, efficere ut injuſtè cæſus gaudeat ſe propter juſtitiam pati. In Baptiſmo datur guſtus ſalis, ut jam divinæ ſuavitatis dulcedinem Chriſtianus novellus incipiat guſtare, & per illam animari. Sed in Confirmatione, cùm jam ſignificatur debere eſſe perfectus, impingitur ei alapa: ut non ſemper omnia in vita Chriſtiana ſuavia eſſe cogitet, ſed & ad aſpera forti animo ſe præparet. Hæc omnia corde ſerio rememorata, magnam vim habent & ſtimulum ad perfectiora capeſſenda.

CAN-

CANDELABRI MYSTICI

TRACTATUS IV.

DE SACRAMENTO EVCHARISTIÆ.

PROOEMIVM.

TERTIA Lampas, ſeu Lucerna myſtica noſtri Candelabri, eſt Euchariſtiæ Sacramentum: *de quo nobis grandis ſermo & ininterpretabilis ad dicendum*, quia multi facti ſunt *imbecilles ad audiendum*. Hoc enim myſterium, non inter elementa exordii ſermonum Dei cenſendum eſt, ut ad parvulos ſpectet; ſed eſt ſolidus cibus, qui ad perfectos pertinet, ut illum ruminent, terant ſacræ meditationis dentibus, maſticent, & benè digerant, ut illi incorporentur. Lux hujus Lampadis tanta eſt, ut infirmos oculos reverberet & fatiget. Dum enim in eam nimis voluit oculos figere, excæcata eſt humana præſumptio. Eſt quoque hæc Lucerna myſtica omnibus aliis ſupereminens dignitate & fulgore, quia illum qui eſt ipſa Lux per eſſentiam, & à quo omnis lux derivatur, verè realiter, ſubſtantialiter continet. Ipſe eſt qui in hac Lampade abſconditus, radios tamen fulgurientes lucis ſuæ, manifeſtè ejaculatur in corda filiorum hominum, ut ea & illuſtret & accendat. Videtur autem iſta Lampas in ſublimi poſita à parte Aquilonis, unde venti validi impetunt: quia inter cætera fidei Sacramenta, iſtud maximè flatum ſatanæ & frigidum ventum regionis tartareæ patitur; dum per hæreticos omnes vires exerit infernus & ſpiritus malignus ut lucernam hanc poſſit extinguere, & è ſublimitate ſua exturbare. Sed fruſtrà, nam inde magis accenditur ejus fulgor, eluceſcit virtus, augetur gloria, quo plures hæreſum contradictiones inſurgunt, ut eam exſufflent & opprimant.

III. Lampas myſtica eſt Euchariſtia. Hebr. 5. 12

Itaque diſſeremus in hoc Tractatu, de ejus inſtitutione, materia, forma, ſublimitate & honore, miniſtro & ſubjecto, effectu & gratia; ac in ejus lucem intuitum dirigemus, quatenus infirmus mentis noſtræ oculus poterit.

Quænam tractanda ſint de Euchariſtia.

LECTIO I.

DE EUCHARISTIÆ MYSTERIO Abſcondito.

PROPOSITIO.

Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Salvator. Iſaiæ 45.

Euchariſtia eſt myſterium abſconditum. Joan. 13. 1. Pſ. 103. 19 Luc. 22. 31

CHRISTUS Dominus hoc Sacramentum in ultima cœna inſtituit, ut manifeſtum eſt ex Evangeliſtis. *Sciens* enim *Jeſus, quia venit hora ejus* (utique *Sol cognovit occaſum ſuum*, Chriſtus mortem ſuam) Apoſtolos ſuos duodecim convocans, more & amore patris extremo eos alloquitur: & quos *expetierat ſatan ut cribraret quaſi triticum*, inſtruit ipſe, animat, ſolatur. Tandem extremi amoris extremum pandens indicium, ſeiplum panis & vini ſymbolis ſubvelatum, & abſconditum, tradit in edulium. Præcepit deinde, ut jugiter coleretur per myſterium, quod ſemel offerebatur in pretium, & hoc eſt myſterium abſconditum à ſæculis propter quod dicimus Jeſu Chriſto filio Dei: *Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Salvator.* Iſa. 45. 15

Attende pulchram figuram. Egrediebatur olim Sampſon, ut acciperet ſibi uxorem de filiabus Philiſtinorum, occurritque ei in via catulus leonis ſævus & rugiens. Inſiluit in eum Sampſon, & diſcerpſit quaſi hædum in fruſtrà. Poſt aliquot dies venit ad cadaver leonis, & invenit in ore ejus examen apum & favum mellis, quem cùm ſumpſiſſet, comedebat in via. Paulò poſt in convivio nuptiali, proponit Philiſthæis hoc ænigma: *De comedente exivit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo.* At illi non potuerunt conjicere, quis eſſet ille comedens, Jud. 14. 5. v. 14.

deus, quis cibus, quis fortis, quæ dulcedo, donec ab uxore ejus didicerunt, cui aperuerat cor ſuum. Proponitur nobis ſimile ænigma in hoc myſterio: *De comedente exivit cibus & de forti dulcedo.* Chriſtus Dominus ipſe eſt comedens, ipſe cibans, ipſe cibus, ipſe fortis, ipſe dulcedo. De ore ejus in ultima cœna comedentis, exivit cibus cœleſtis: in ore hujus leonis de tribu Juda morientis, inventa eſt divini hujus Sacramenti dulcedo; quaſi favus mellis, quem comedamus in via, de quo apud Cant. 5. 1. Sponſam: *Comedi favum cum melle meo.* Sacramentum igitur hoc, ænigma eſt ſacratiſſimum, Apo. 5. 4. problema eſt ſecretiſſimum, ac *liber ſignatus quem nemo aperit niſi leo de tribu Juda*, idem ipſe vetus Samſon. Nec ſolum hic unum eſt ænigma, ſed tot ænigmata, quot miracula ad Sacramenti hujus perfectionem concurrentia. Quis intelligit, quomodo una ſubſtantia in alteram transſubſtantietur, panis in corpus Chriſti? Quis comprehendit, quomodo totum corpus ſit ſub qualibet ſpeciei minima particula? Quis capere poteſt, quomodo accidentia ſint ſine ſubjecto? Quis intelligere valet, quomodo quantitas ſine extenſione? Ænigmata hæc ſunt, aliaque plurima, quæ nemo poteſt reſolvere, niſi ab ipſo Chriſto vero Sampſone fuerit edoctus, vel ab ejus uxore Eccleſia Catholica, cui ille apperuit cor ſuum. Propter hæc igitur omnia, nunquid verè dicimus de Chriſto in hoc Sacramento: *Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Salvator?* Explicemus id paulò latiùs, & paulò altiùs rem repetamus, ut hanc myſticam ſententiam Prophetæ, perfectiùs intelligamus.

Certè ſpecioſos ſacræ Scripturæ ſpatioſoſque hortos, ſi ſagaciori cogitatione circumluſtremus, inveniemus Sapientiam æternam, Deum noſtrum, ſub variis ejus foliis, ſacris corticibus, myſticis ſymbolis, abſconditum. Inveniemus inquam ſæpius ab origine rerum, antiquis Patriarchis & Prophetis Deum ſeſe exhibuiſſe; ſed in ænigmate, in caligine, in obſcura & umbratili aliqua prænotione, ut meritò dixerit Propheta: *Verò tu es Deus abſconditus.*

Ac inprimis, ſi Dei in ſe naturam ſpectemus abſconditus eſt, quia teſte Pſalmiſta: *Poſuit tenebras latibulum ſuum*: aut ſi malis cum Apoſtolo loqui, 1. Tim. 6. 16. quia *lucem habitat inacceſſibilem*, omni intellectui creato imperviam. Jam inde ergo ab æternitate latebat Deus noſter, in condenſo & umbroſo Joan. 1. 1. monte, in æterni Patris mente: *In principio erat Verbum*, hoc eſt in patre, inquit Auguſtinus. Aliquatenus verò viſibilem ſe exhibuit in rerum conRo. 1. 20. ditione, quando omnia per ipſum facta ſunt: *Invisibilia enim Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas.* Aug. li. 6. Conf. c. 6. Quapropter D. Auguſt. dicit: *Cœlum & terra & omnia quæ in eis ſunt, omnia mihi teſtimonium dant de te; omnia mihi clamant, ut amem te, & omnibus clamant, ita ut ſint inexcuſabiles.* Hinc & ipſi Philoſophi, ſolo luminis naturalis ductu, Deum agnoverunt, ab effectis arguentes uſque ad cauſam primam, motorem primum, agens univerſaliſſimum. Sed voluit Deus, ſpecialiorem electis teſtibus aliquibus ſui notitiam impartiri, etiam ut nobiſcum in carne noſtra converſaturi. Quamvis notitia illa ſemper fuerit ænigmatica & obſcura; in imaginaria aliqua viſione, in aſſumpta externa forma, in abſcondito aliquo ſchemate. Percurramus breviter ſingulos hominis ſtatus, & videamus Deum noſtrum abſconditum. *Deus abſconditus.*

Primò in ſtatu innocentiæ, licet breviſſimo durarit tempore, viſibilem ſe exhibuit primò Parenti. In illa enim ſoporante dicam extaſi, an extatico ſopore, cognovit Chriſtum, ut gloriæ ſuæ conſummatorem. Ita loquitur D. Thomas. Non dicit ut Redemptorem, quia alias præſcius fuiſſet caſus ſui, quod nemo admiſerit. Cognovit, teſte Auguſtino, mulieris tunc ex ſua coſta ædificationem, & in illo cum ea Matrimonio conjunctionem perſonæ divinæ cum natura humana, & inviolabile connubium cum Eccleſia, quæ de Chriſti latere erat formanda. Unde & propheticè ſubjunxit Adam: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ.* Reliquit Chriſtus Patrem ſuum cœleſtem, Patriam Jeruſalem, Matrem Synagogam, & adhæſit Eccleſiæ. Quod ibi ſignificatum inſinuat Apoſtolus ad Epheſ. 5. dum poſtquam recitaſſet dicta verba, ſubjungit: *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico, in Chriſto & Eccleſia.* Ecce ergo in illo ſtatu Deus noſter ſeſe exhibuit, ſed abſconditus eſt ſub iſtis myſticis ſignis, in viſione, in ænigmate. *1. In ſtatu innocentiæ.* Gen. 2. 21. D. Tho. p. q. 1. a. 3. ad 5. Gen. 2. 23. Eph. 5. 32.

Secundò, in lege naturæ apparuit Abrahæ, dum tres vidit, & unum adoravit. Ibi eſt exhibita ei Unitatis & Trinitatis imago: & vix ambigi poteſt, quin ſecundam perſonam cognoverit, tanquam ex ſemine ſuo carnem aſſumpturam. Unde quando miſit Eliezer Oeconomum domus ſuæ, ad quærendam filio uxorem, ait ei: Veni *pone manum ſubter femur meum, ut adjurem te.* Vult tangi femur ſuum cum juramento, quia illud jam tanquam ſacratius habebat, ex quo Chriſtus erat oriundus. Apparuit enim Jacob pergenti in Meſopotamiam ſub ſchemate ſcalæ terram Cœlumque tangentis, in qua Angeli aſcendebant & deſcendebant. Scala illa Chriſtum ſignificabat, qui per humanitatem infixus eſt in limo, per Divinitatem ad Cœlos uſque pertingit. Et de illo Joannis 1. dicitur. *Videbitis Angelos aſcendentes & deſcendentes ſupra filium hominis.* Vidit poſtea eum revertens ſub ſpecie viri: *luctantis cum eo uſque mane.* Tunc interprete D. Auguſt. & Iſidoro, prævidit Paſſionis Chriſti myſterium, prævidit ſcilicet quomodo progenies ſua contra Chriſtum luctatura foret, & prævalitura, ejus tamen libera voluntate, qui poſſuit animam a ſe, quam nemo poterat violenter tollere. Et quidem poſt illam luctam benedictionem reportavit, ſed & claudicationem: benedi- *2. In lege naturæ.* Gen. 18. 2. Gen. 14. 2. Gen. 28. 12. Joan. 1. 51. Aug. & Iſid.

Digitized by Google

benedictionem pro electis, claudicationem pro reprobis; quia ex ejus progenie ad utramque ſortem aliqui debebant pertinere. Ecce igitur iterum Deus noſter ſe exhibuit; ſed abſconditus eſt ſub aliena ſpecie, & apparet in tenebroſa nocte. Verum ergo iterum hic eſt: *Vere tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Salvator.*

3. In Lege Moſaica.

Tertiò in Lege antiqua exhibuit ſe Moyſi, in rubo, in caligine, in nube. Deſiderabat & ardenter efflagitabat videre faciem, at quid reſponſi accepit? *Ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec tranſeam, tollamque manum meam, poſteriora mea videbis, faciem autem videre non poteris.* q.d. Videbis me, ſed ex parte; ſicut qui hominem à tergo: videbis adhuc obſcurè, quia ego ſum DEUS abſconditus, nemini faciem meam adhuc clare manifeſtans. Sic vidit Iſaias Dominum, ſed Seraphim duabus alis velabant pedes ejus, duabus faciem ejus. Vidit etiam Ezechiel, ſed ſub figura quatuor animalium. In figura hominis agnovit Incarnationem; in facie vituli immolationem in paſſione faciendam; in ſpecie leonis Reſurrectionem; in aquilæ figura Aſcenſionem. Ecce igitur merito iterum dicimus: *Vere tu es Deus abſconditus Deus Iſrael Salvator.* Nam & Prophetæ teſtatur, quod hæc ſimilitudo, abſcondita fuerit in turbine, in nube, in igne.

Ex. 33. 23.

Eſa. 6. 2.

Ezech. 1. 5.

4. In Lege gratiæ.

Quartò tandem in Lege gratiæ, ut imbelles oculi noſtri fulgurientem divinitatis lucem ſuſtinere poſſent, eam carnis nubecula aſſumpta circumvelatam exhibuit; & ſic fulgorem alias intolerabilem, ægris oculis noſtris temperavit. Hæc eſt nubes, de qua Iſaias (Interprete D. Ambroſio & Bernardo) loquitur: *Ecce aſcendet Dominus ſuper nubem levem, & ingredietur Ægyptum.* Hoc factum eſt, cum ipſe carnis nubecula velatus, hunc mundum eſt ingreſſus, ac in Ægyptum etiam deportatus. Nempe ſicut nubes de terræ vaporibus per vim Solis extractis concreſcit; ita & caro Chriſti de terræ virgineo vapore virtute Solis noſtri efformata eſt, qua ſeipſum Sol noſter obumbraret. Quam merito igitur hic dicimus: *Vere tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Salvator.* Abſconditus utique Deus ſub carne, virtus ſub infirmitate, gloria ſub opprobriis, vita ſub morte. Ecce Jacob abſconditus ſub pellibus Eſau, ut à Patre nobis benedictionem reportaret. Ecce Deus noſter pro nobis ubique abſconditus, abſconditus in utero, abſconditus in ſtabulo & præſepio, latens & abſconditus in Ægypto, abſconditus in deſerto, abſconditus in patibulo; denique abſconditus in ſepulchro. Ubique ergo jure repetimus: *Vere tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Salvator.*

Iſa. 19. 1.

5. In Euchariſtia Sacramento.

Quintò, qui formam Dei, per Incarnationis myſterium abſconderat ſub forma ſervi, *Sui moras incolatus miro claudens ordine.* Utramque formam abſcondit ſub modica panis & vini viſibili ſpecie. Nam panem in vivificam ſuam carnem tranſelementans: *Dedit fragilibus corporis ferculum*, vinique liquorem in ſuum provehens ſanguinem; *Dedit & triſtibus ſanguinis poculum*; remanentibus ſolis ſymbolis ſe ſubvelans & abſcondens, ut potiori adhuc cæteris ratione poſſemus inclamare: *Vere tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Salvator.* Abſconditus utique non ſolum dum te tradis in Nativitate ſocium, in Cruce & Morte precium; ſed & maxime te donans in hoc ſacro myſterio mentium edulium: uſque in finem ſæculi abſconditus manens, donec revelata facie te regnans dones præmium. Hoc itaque eſt myſterium abſconditum, myſteriorum myſterium, Sacramentorum Sacramentum: in quo ſe Deus abſcondit nobis conjungit, & unit, uſque ad germaniſſimam ſocietatem, ut loquitur B. Cyprianus, non fide tantum & gratia, ſed & reipſa. Quapropter SS. Patres hoc Sacramentum vocarunt *Metalepſin*, hoc eſt, *Aſſumptionem*, quia per illud ineffabili unione Deitatem aſſumimus. B. Dionyſius vocavit *Perfectionem & conſummationem omnium Sacramentorum.* Iterum dico, abſconditum eſt hoc Sacramentum, in quo latet Deus & Salvator noſter abſconditus, taliter quod ſit ænigma ſacratiſſimum, ſupra omnem intelligentiam, ſupra omnem ſenſum, ſupra omnem experientiam, ſupra omnem rationem. Si conſulis de hoc ænigmate intellectum, hæret, ceſpitat, contradicit; niſi in Dei obſequium per fidem captivetur & firmetur. Si de illo conſulis carnis oculum, divinum repudiat oraculum: & quemlibet tandem conſulas ſenſum, latenti hic veritati negat aſſenſum. Ideo ſapientes hujus ſæculi, qui quod ſenſu non palpant aut probant, quantocyus reprobant; & quod ratione non comprehendunt, dementiæ adſcribunt: inſultant nobis, & *dicunt per ſingulos dies, ubi eſt Deus tuus?* Eſtne panis, eſtne vini particula Deus tuus? An illis divinos decernis honores? Forſitan aut Ceres, aut Bacchus, eſt Deus tuus. *Quis te fascinavit?* Nonne panem ego video & tango? Nonne vinum guſto, & odoratu percipio? Aut delirus tibi ſomnia fingis, aut doloſus impoſtor es. Die vero, nonne ſub dimenſione unius digiti corpus Chriſti, corpus quinque aut ſex pedum conſtitui poſſe putas, aut etiam forſitan in puncto? Stulte, fac conſequenter corpus non eſſe corpus, fac & dic ſpiritum eſſe. Ulterius. Eſtne totum hic corpus Dei tui, an tantum pars ejus? Si totum eſt, ubi caput, ubi collum, ubi pes, ubi brachia? Si ubique eodem loco omnia, ergo hic confuſum chaos, indigeſta moles. Babel aliqua ſine diſtinctione, ſine ordine. Denique quomodo in mille locis exiſtimas idem corpus poſſe exiſtere? Si enim in diſſitis locis eſt, ergo à ſe diſſitum eſt, ergo à ſeipſo diviſum, ergo nec idem.

Pſ. 41. 11.

Gal. 3. 1.

Similia deblaterant, effutiunt, replicant noſtri hæretici Scioli, murmurantes cum Capharnaitis: *Quomodo hic poteſt nobis dare carnem ſuam ad manducan-* Joan. 6. 53

Pſ.77.57. Pſ.63.7. Joan.6.61 *ducandum?* Et *converſi in arcum pravum*, abeunt retro; *Defecerunt ſermones antes ſermonis. Durus eſt*, inquiunt, *iste ſermo*, cum ipſi duri ſint, non ſermo. Sed ad iſta omnia ex infra dicendis patebit reſponſio.

Auguſt. *Videte* (inquit Auguſtinus in ſimili *quibus argumentis divina omnipotentia humana obnitetur infirmitas; impia ejus abbrevians manum.* Interim, *Firmum hoc fundamentum Dei ſtat*, adverſus omnes machinas, etiam ex inferorum portis advocatas; *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus.* Quibus verbis Chriſtus ipſe teſtimonium perhibet veritati. Interrogabant olim Judæi videntes manna: *Quid eſt hoc? Man hu?* Interrogabant illi præ admiratione, tu interrogas præ incredulitate, videns hoc Sacramentum, *Man hu? Quid eſt hoc?* Et Chriſtus reſpondet tibi in forma: hoc, eſt corpus meum; hoc, eſt ſanguis meus, ut legunt Græci. Quomodo apertius, aut magis categorice reſponderet? Crede igitur Sapientiæ & Veritati æternæ, quæ non poteſt falli aut fallere. Sed non video, ais, non tango: Fateor equidem. Sed quid manus explorare conatur, quod ſupra ipſam eſt? quod oculum interrogas, de eo ad quod non ſufficit:

2.Ti.2.19 Matt.26. Marc.14. Luc.22. 1.Cor.11. Exod.16.

Viſus, guſtus tactus hîcce fallitur,
Sed auditu ſolo tute creditur.

Iſa.50.5. Joan.6.69. Dic ergo cum Propheta: *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorſum non abii.* Dic cum Apoſtolis: *Domine, verba vitæ æternæ habes ad quem ibimus.* Adſciſce tibi fidei oculum, & divinum videbis oraculum, Deum hic tuum videbis: quia oculis fidei omnia penetrat quamlibet abſcondita, qui ultra parietem humanæ infirmitatis agnovit Deum abſconditum in Crucis patibulo, vitam in morte, ſummum ſpinitum in exſpiratione: & modo orbe hic clauſum monſtico, agnoſcit orbis Dominum, in myſtica conſecratione. Cernens ergo panem, guſtans vinum; nega panem, nega vinum: tangens Eſau, crede Jacob, cibus mentis eſt, non ventris. Odor, ſapor, color, ad myſterii manent ritum, ad guſtus ſuffragium, ad meriti augmentum. Non eſt itaque hic illud quod natura formavit, ſed eſt illud quod benedictio conſecravit; hæc fortior, etiam naturam poteſt tranſmutare. Sed fidem exemplis vis juvari? Attende: Virgam tenebat Moyſes: projecit eam in terram, & in ſerpentem verſa eſt. Uxor Loth egrediebatur è Sodoma, & retro aſpiciens converſa eſt in ſtatuam ſalis. Eadem potentiâ aquam in nuptiis Chriſtus convertit in vinum. Eadem iterum potentia, *Potens eſt Deus de lapidibus filios Abrahæ ſuſcitare.* Quid igitur dubitas? Cur non valebit operatorius ſermo Chriſti, naturam panis & vini in Corpus ſuum & ſanguinem tranſmutare? Secedat terrenarum caligo rationum, ab illuminato per fidem oculo; crede & inclama cum Propheta: *Vere tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Salvator.*

Exod.4.3. Gen.19.26. Matt.3.9.

Abſcondebat ſe olim primus Parens, poſt infœlicem illam noxam inſpiciens nuditatem ſuam, & vocem Dei ambulantis in Paradiſo percipiens. Terrebat eum Deus ſuus, cum quadam majeſtate veniens juſtitiæ gladium in ore ferens, decretum punitionis & exterminationis è Paradiſo in hominem trepidum fulminaturus. Meritò ergo fugit Adam pavidus, & abſcondit ſe. Dicam ego hodie? *Adam ubi es?* Quo trepidus fugis? Ecce adeſt iterum Dominus Deus tuus, ſed non ut olim ibi terribilis, non puniendum requirt, ſed ſanandum, non venit cum armis aut majeſtate abſconditus, venit cum benignitate: Omnis ejus potentia, carnis velata eſt infirmitate, & caro ipſa ſpecierum ſacramentalium, velamine: ut ſe in cibum poſſit tibi tradere, & in mortis antidotum ac immortalitatis electuarium. Gen.3.9.

Pſal.79.2. Interim, qui jam ſub umbra ſpecierum Sacramentalium nos paſcit, ibi latens abſconditus, tandem *ſedens ſuper Cherubim*, limpidiſſime *manifeſtabitur coram Ephraim, Benjamin & Manaſſe*, coram tribus ſcilicet ordinibus electorum. At quando iſtud? Quando jam inclinabuntur Sacramentorum umbræ; & aſpirabit dies ille æternitatis, qui neſcit veſperam, & mundies illa, quæ neſcit occaſum. Tunc ſilebit cœlum & terra, omne ſonnium, omne ſignum, ipſa etiam anima ſibi: & tunc loquetur ipſe nobis, non per linguam carnis, neque per vocem Angeli, neque per ſonitum nubis, neque per ænigma ſimilitudinis; ſed per ſeipſum, quem in his amavimus. Tunc videbimus Deum noſtrum non amplius abſconditum, ſub Sacramenti cortice, ſub fidei velamine, ſub aſſumptitia aliqua imagine: ſed oculus nullo jam obtuſus nævo, nulla ſordens rubigine, in ſereniſſimo divini vultus glorioſitur ſplendore; ubi patebunt ei viſcera miſericordiæ, cogitationes pacis, divitiæ ſalutis, arcana divinæ benignitatis. Ad hoc conſiderandum monet nos dilectus Dei diſcipulus Joannes: 1.Joan.3.2 *Chariſſimi, nunc filii Dei ſumus, & nondum apparuit, quid erimus. Scimus* autem *quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* q.d. Erigite animum, eſtote ſpe gaudentes, contemplamini non quæ apparent nunc, ſed quæ aliquando apparebunt. Nunc quidem filii Dei ſumus, per gratiam jus habemus ad hæreditatem, ejus menſa fruimur: ſed nondum omnia poſſidemus, aliqua adhuc ſunt abſcondita. Habemus intra nos Spiritum Sanctum, habemus Chriſtum, ſed abſconditum, necdum enim intuemur illum. Percipimus aliquos ejus fructus, ſed omnes ſunt velut ſtillæ roris, & guttæ aquæ reſpectu maris. Aliquid guſtamus, ſed nondum perfecte fruimur. Plurima ſunt nobis conceſſa gratiarum genera & cœleſtia dona, quæ nobis Deo indicant præſentiam, oſtendunt majeſtatem, ſed per fidem, nube & caligine circum fuſam. Credimus nos eſſe filios Dei; ſed nondum apparuit mundo, quid erimus, nec quæ filiis Dei præparata ſunt bona.

Non-

Nondum apparuit nobis infinita Dei ſapientia, immenſa pulchritudo, ſumma poteſtas. Adhuc latet hæreditas promiſſa, fœlicitas æterna, fructus laborum, præmium bonorum operum. Scimus autem per fidem majori certitudine quàm ſi oculis corporis videremus, aut ſcientia evidenti, quod cùm apparuerit ſimiles ei erimus; excellentiori ſimilitudine quam modò, eo quod videbimus eum ſicuti eſt. Similitudo planè admirabilis, quia videbimus eum ſicuti eſt, erimus beati ſicut ipſe: videbimus eum ſicut ſe videt: amabimus ſicut ſe amat: gaudebimus ſicut ipſe gaudet: carebimus omni malo, ſicut ipſe caret: affluemus omni bono, ſicut ipſe affluit. Similitudo noſtra, nunc eſt velut imago cum ſolis lineamentis, necdum perfectis coloribus efformata, multis maculata defectibus, paſſionibus turbata, anguſtiata ſcrupulis, agitata tentationibus, ſollicitudinibus, infirmitatibus, preſſuris; inſuper multis ignominiis, ignotantiis, dubiis & anxietatibus referta: At cùm apparuerit, erimus ei ſimiles divina quadam ſimilitudine, ſine ulla macula, ruga, imperfectione deturpante. Similes erimus in ſanctitate ſine peccato; in ſapientia ſine errore; in bonitate ſine malitia; in pulchritudine ſine fœditate, in potentia ſine imbecillitate, in divitiis ſine indigentia; & in plenitudine totius boni ſine mixtione minimi mali.

Itaque dum Deum noſtrum, Salvatorem Iſraëlis, Dominumque gloriæ, ſub Sacramentalibus ſpeciebus abſconditum conſideramus, & fide credimus, ac in abſcondito, in mentis ſolitudine, clauſo cordis oſtio fructus ejus divinos deguſtamus, reſpirare nos tunc convenit ad ejus lympidam faciem in æternitatis ſplendore contuendam, & fructus immortalitatis pleniſſima fruitione & ſapore percipiendos. Ad hoc enim iſtud Sacramentum inſtitutum eſt, ut peregrinationis habeamus ſolatium, ſed & calcar excitans noſtrum deſiderium: quod quieſcere non poterit, donec de ſpe pertingat ad ſpeciem, de fide ad faciem, de cortice ad medullam, de notitia humanitatis ad manifeſtationem abſconditæ divinitatis.

LECTIO II.

DE CAUSA INSTITUTIONIS hujus Sacramenti.

Explicatur hic cauſa inſtitutionis varia.

1. *Vt foret memoriale perfectionum admirabilium Dei.*
2. *Myſteriorum veteris Teſtamenti.*
3. *Myſteriorum omnium novi Teſtamenti.*

Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe. Pſalm. 110.

PROPOSITIO I.

Hoc Sacramentum continet memoriale quoddam primariarum perfectionum Dei.

1. Vt memoriale eſſet perfectionii Dei.

RAtio eſt, quia illæ in hoc admirabili opere divino, mirum in modum elucent.

1. Omnipotentiæ. Exod. 8. 19. Pſ. 76. 11. Pſ. 28. 4.

Primò quidem elucet *omnipotentia*, ſi unquam in aliquo opere, dum Deus omnipotenti ſua virtute Verbum ſuum & Filium æternum, ſub hoc ſiſtit Sacramento; idque toties quoties Sacerdos verba à Chriſto inſtituta reiterarit. Verè *hic digitus Dei eſt*, & mutatio quà panis fit Corpus Chriſti, non poteſt eſſe niſi *mutatio dextera excelſi*. Verè, hic *vox Domini in virtute*, *vox Domini in magnificentia*. Quapropter ſi Moyſes olim, tanta verborum emphati populum antiquum alloquitur moriturus, & ad potentiæ ac divinorum operum conſiderationem advocat: quanto majori hic ratione populum Chriſtianum ad idem debemus exſtimulare? dicere meritò poterat CHRISTUS, teſtamentum condens, Sacramentum hoc inſtituens: *Audite cœli quæ loquor, audiat terra verba oris mei: Concreſcat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum: Date magnificentiam Deo, Dei perfecta ſunt opera, & omnes viæ ejus judicia.* Utique perfectum eſt hoc opus omnipotentiæ & magnificentiæ Dei, in quo cætera admirabilia ejuſdem potentiæ opera, tanquam in memoriali recolliguntur: in quo cœli & terra concurrunt, audientes verbum Domini, dum è cælo divinitas, è terra prognata humanitas, mox miro modo ſe hic ſiſtunt, id etiam cœli & terra obſtupeſcunt, obſtupentibus nimirum hominibus & Angelis, ac tota natura, ob mirabilia quæ iſtud myſterium conſequuntur, de quibus ſpecialius infra. Itaque, quoties Sacerdos conſecrat, quoties populus communicat, quoties Sacrificio mens devota aſſiſtit; toties renovat memoriam & fidem omnipotentiæ divinæ, & illi ſubſternit judicium humanum, rationem, ſenſum, contra hæc omnia dicens: *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Deut. 32. 2

2. Sapientia. Prov. 9. 1.

Secundò, *memoriale eſt Sapientia divina*, illi enim ſpecialiter hoc myſterium tribuitur: *Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, miſcuit vinum, & poſuit menſam.* Sapientiam alicujus ſolemus admirari, tum in adinventione ſubtili alicujus rei aut operis, tum in debita ordinatione. Sapientem architectum dicimus, qui præclaram ſibi domus ideam format, & ejus omnes partes aptiſſimè diſtinguit & coordinat. Sapiens Dux belli eſt, qui excogitato prudenter ſtratagemate, aciem etiam ſuam ordinatè novit diſponere. Sapiens eſt Orator, non ſolùm qui ſubtilia adinvenit ad differendum, ſed & apta methodo dicit. Idem judicium eſt de ſapientia quorumlibet in ſua profeſſione aut arte. Admiranda planè divina ſapientia in hoc myſterio, tum ob adinventionem, tum ob aptam diſpoſitionem. Unde ad hoc myſte-

Digitized by Google

myſterium videtur reſpicere Propheta inclamans:
Iſa.12.4. *Notas facite in populis adinventiones ejus: Cantate Domino, quoniam magnificè fecit, annunciate hoc in univerſa terra: exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui ſanctus Iſrael.* Quæ ſunt illæ adinventiones per quas adeò magnificè fecit, quas decantari vult, & omnibus annunciari Propheta? illæ utique per quas *in medio noſtri habitat Sanctus Iſrael*, Vide admirabilem adinventionem. Chriſtus Sanctus Sanctorum, ad Patrem debebat redire; optabat nihilominus uſque in ſæculi finem nobiſcum eſſe. Quid igitur facto opus eſt? In conſilium adhibetur æterna Sapientia, & invenit modum ſupra omnem modum, quo utrumque fiat: ut & mundum deſeret, & ad Patrem redeat ſeſſurus ad ejus dexteram ſecundùm præſentiam viſibilem; & tamen nobiſcum maneat, in medio noſtri ſit uſque in ſæculi finem, modo quidem incomprehenſibili, tamen ſecundum veritatem. Exulta ſirgo & lauda ô Sion, ô Eccleſia Sancta! & ubique hanc celebra Sapientiæ adinventionem, per quam ſic magnus eſt in medio tui Salvator, Sanctificator, & Deus tuus. *Da magnificentiam Deo, quia omnes viæ ejus judicia.*

Admirantur antiqui Myrmecidis adinventionem & artificioſam manum, quia potuit currum omnibus ſuis partibus inſtructum fabricare, quatuor rotis volubilem; ita tamen ut hæc omnia muſcæ ala poſſet contegere. Simili artificio efformavit Navem ſuis funibus, velo, anchora, malo, puppi, gubernaculo adornatam, quam apis ala contegebat. Id quidem opificis ſui miram deſignat induſtriam, dum hæc omnia in adeò exiguo opere diſtincta & ordinata poſſunt conſpici: At quanto magis ſapientiam admirabimur ſupremi illius Artifices, qui humanitatem ſuam cum omnibus membris, divinitatem quoque immenſam, & ipſam cœli gloriam omnem, ſub adeo exiguo ſpecierum ſacramentalium velo potuit concludere? Verè *attingit* hic *Sapientia à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.*
Sap.8.1.

4. *Bonitatis & charitatis divina.*

Tertiò *memorabile eſt Bonitatis & Charitatis divina.* Etenim ad bonitatem ſpectat ſe diffundere, & aliis ſe communicare. Non potuit autem altius ſe divina bonitas communicare, quam noſtræ naturæ perſonam ſuam uniendo; ut nos divinitatis ſuæ faceret participes, quod fecit per incarnationem. Ut autem non ſolum illa natura quam in individuo aſſumpſit, tanti boni particeps foret: omnibus qui ei uniri volunt & incorporari, ſeipſum communicat per modum cibi ac potus, ut admirabili eos modo deificet & ſibi conjungat, concorporeos & conſanguineos reddens uſque ad germaniſſimam ſocietatem, ubi loquuntur SS. Patres. An magis bonitatem aut charitatem Deus poterat exprimere, quam propria nos paſcendo ſubſtantia, & ſua nos reficiendo deitate? Hoc eſt ergo Sacramentum amoris & divinæ unionis in cujus
Joan.13.1. inſtitutione meritò dicitur: *Cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos.* Quod intellige non ſolum quia uſque ad finem vitæ ſuos dilexit; ſed quia licet omni tempore dilexerit, tamen in fine amorem hunc admirabiliter & incomparabiliter declaravit. Imò tanta amoris ejus efficacia fuit, ut ad ultimam lineam & extremum terminum progredi viſus ſit amor, dum Sacramentum hoc inſtituit; ita ut hic figere potuerit illud: *Non plus ultra.* Hæc eſt corona, quam operi & doctrinæ ſuæ imponere voluit ſacri Deus amoris, dum finem daret legi timoris. Hoc eſt ultimum Vale & Memoriale ardentiſſimæ charitatis, pignus & ſymbolum paternæ dilectionis.

Petebat olim Heliſæus ab Helia in cœlum rapiendo paternæ dilectionis ſymbolum, *Pallii ac ſpiritus ejus duplicis* communicationem. Et impetravit, tanquam memoriale mirabilium Parentis ſui Heliæ, quo etiam mira operatus eſt Preciofius longè legatum habent Apoſtoli, habet Eccleſia, & ejus filii a Patre ſuo Chriſto; Pallium utique divinitatis, ejus Corpus ſcilicet deificum & vivificum: Spiritum quoque duplicem, humanum ſcilicet & divinum, creatum & increatum, animam & divinitatem, quæ mira in nobis operantur & renovant memoriam omnium Chriſti mirabilium.
4. Reg. 2.

4. *Inſtitia divina.*

Quartò, *Memoriale eſt divina Inſtitia.* Etenim & ipſa hic elucet, quia juſtè ordinavit Deus, ut eadem via vita homini reſtitueretur, qua venenum mortis ei propinatum fuerat: per cibum homo perierat, per cibum vitam recipit. Extenderat homo per inobedientiam manum ad eſcam prohibitam; & inde virus omne & radix omnium malorum, rebellio ſcilicet partis inferioris contra ſuperiorem, carnis contra ſpiritum, animæ contra Deum, inde omnis ad malum propenſio, ad bonum torpor. Viciſti ergo, ô ſatan per cibum, ſed juſtè ad tuam confuſionem cibus alter inſtituitur, quo vincaris, & omne damnum quod intuliſti raperetur. Sic nempè cibi illius veniti acerbitate obſtupuerunt dentes filiorum, dum de illo ſumpſerunt Patres noſtri. At Chriſtus cibo cibum, mortis edulio, vitæ oppoſuit alimoniam:

Multiformis proditoris ars ut artem falleret,
Et medelam ferret inde, hoſtis unde læſerat.

Hic eſt ergo cibus, qui in Eden nos reſtituet, vultus deterſo ſudore. Nam ſi de primo dicitur, *in quacumque die comederis, morte morieris.* Ita & de hoc poſteriore: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Admirare Adam; voſque filii Evæ, divinam hic non ſolum benignitatem, ſed & juſtitiam, ſic infœlicis noxæ diſpendium almo germine refundentis. Accedite, & qui cum præſumptione ad noxialem cibum manum extendiſtis, cum confidentia ad vitæ alimoniam porrigite. Etſi fraudulenter & mendaciter vobis promiſit ſerpens: *Quocunque die comederitis, eritis ſicut Dii*: Ego vobis certo & ſecurè ex parte veritatis altero: *Quotieſcunque dignè hunc cibum comederitis, eritis ſicut Dii.* Ejus etenim effectus eſt, nos Deitate reddere
Gen.2.17. Joan.6.59

Digitized by Google

conſortes; & falſam promiſſionem ſatanæ juſtiſſima divinæ ſapientiæ ordinatione, ad ejus confuſionem in veritate vobis exhibere. Hac ergo ſpe certa accedite & *date magnificentiam Deo*; quia *Dei perfecta ſunt opera, & omnes viæ ejus judicia.*

Deut. 32.

PROPOSITIO II.

II. Memoriale myſteriorum vet. Teſtamenti.

Euchariſtia Sacramentum memoriale quoque eſt multorum Dei mirabilium ab initio ſæculi.

RAtio eſt, quia compendio quodam continet multa quæ præceſſerunt mirabilia, tanquam illorum impletivum: & altiori modo illa iterum in hoc myſterio intuemur, eorumque memoria nobis renovatur.

1. Ligni vitæ. Gen. 2. 9.

Primò quidem, dum hoc Sacramentum contemplaris, memineris eorum quæ in ſtatu innocentiæ admirationem pariunt. Lignum illud vitæ, quâ admirabile fuit; arbor utique arborum continens in ſe virtutem aliarum: inſuper immortalitatem quandam homini conferre potens, vim contra defectum tribuens, quicquid per naturalem calorem deperditum erat reſtituens. An non hujus memoriam nobis renovat Euchariſtiæ Sacramentum? Lignum eſt vitæ in medio Eccleſiæ, ſicut illud in medio Paradiſi, continens virtutem longè eminentiorem, ad vitam gratiæ in nobis conſervandam & immortalitatem acquirendam; robur tribuens contra defectum, & contra concupiſcentiæ calorem continuò nos depaſcentem. Fons etiam ille de terra ſurgens, Paradiſi quaquaverſum irrigans & fœcundans, ſine quo plantæ ejus elanguidæ forent, admiratione dignus eſt. Illius porrò memoriam nobis reficrat Chriſtus in hoc Sacramento, tanquam fons vivus, originem ducens de terra virginea, & aquas vitæ profundens, ſcilicet ubertima gratiæ fluenta, ad irrigandas plantas Horti ſui Myſtici fideles animas; ut ſint *ſicut novella olivarum in circuitu menſæ Domini.*

Pſ. 127. 3.

2. Sacrificiorum legis naturæ.

Secundo poſt lapſum in lege Naturæ, memineris ſacrificii pueri juſti Abel, ſacrificii Noë, de quo odoratus eſt Dominus odorem ſuavitatis: ſacrificii Patriarchæ noſtri Abrahæ, panis ſubcinericii quem fecit Sara tribus Angelis; oblationis panis & vini per Mechiſedech cum benedictione data Abrahæ: & ſcias omnia hæc figuram noſtri hujus geſtiſſe ſacrificii Euchariſtici, & in illo impleta eſſe.

3. Rubi incombuſti tempore Moyſis. Exod. 3. 5.

Tertiò, tempore Moyſis, memineris rubi illius ardentis & incombuſti, ad quem cùm appropinquare vult Moyſes, dicitur ei: *Ne appropries huc, ſolve calceamenta de pedibus tuis.* Ibi ergo divina latebat majeſtas cum homine colloquens. Illius admirabilis rubi nobis aptè memoriam renovat hoc myſterium, *in* quo divinitatis ignis continetur in tubo humanitatis latens, Sacramentali ſpecie quaſi foliis circumvelatus; nec rubus ab hoc igne comburitur, nec folia circumambientia conſumuntur. Interim indè alloquitur nos Deus noſter, & inſtruit ac excitat de egreſſu ex Ægypto. Et nemo poteſt dicere: *Accedam & videbo viſionem hanc magnam*, niſi prius ſolverit calceamenta de pedibus: quia nemo debet accedere ad hujus myſterii contemplationem, niſi deponat paſſiones & affectiones, ſimulque rationes humanas & terrenas, ſciens nihil hic eſſe eorum quæ ſenſu aut mente comprehenduntur. Qui aliter accedit cum periculo accedit, nihil niſi ſpinas reperit, quibus pungitur & lædituf (nodoſas ſcilicet & ſpinoſas difficultates quibus fides lædi poteſt) & ignem quo aduritur. Audi B. Ephrem. *Quid ſcrutaris inſcrutabilia? Si iſta curiosè rimaris, non jam fidelis vocaberis, ſed curioſus. Eſto fidelis atque innocens, participa immaculato corpori Domini tui fide pleniſſima, certus quod Agnum ipſum integrum comedis. Ignis immortalis ſunt myſteria Chriſti, noli temerè ea perſcrutari, ne in ipſorum perſcrutatione comburaris.*

B. Ephr. l. de nat. Dei non ſcrut. c. 5.

Ut verò credant hæretici rubro huic myſtico ſine læſione divinitatis ignem continenti, voluit Deus quandoque hoc Sacramentum in igne etiam materiali illæſum permanere. Exhibeo tibi hac de re recentem hiſtoriam, per plurimos teſtes irrefragabiliter comprobatam. Accidit in comitatu Burgundiæ in Eccleſia Abbatiali Dominæ noſtræ de Faverney ann. 1608. 25. Maii, quod ſequitur. Celebris eſt ad eam Eccleſiam concurſus in feſtis Pentecoſtes, ob Indulgentiam plenariam à ſede Apoſt. conceſſam. Ob devotionem igitur plebis numeroſæ, erectum fuit (juxta morem) altare quoddam ligneum ad cancellos chori, cum debitis ſolemnitati ornamentis, tabernaculo, cortinis; ut ibidem exponeretur Venerabile Sacramentum loco eminenti. Contigit autem dicta ornamenta igne corripi, ita ut mappæ, cortinæ, tabernaculum, & altaris menſa omnia ſuſtentans, in cinerem redacta conciderent. Inter has verò flammas, Sacramentum cum Ciborio argenteo, in quo expoſitum erat populis adorandum, illæſum manſit in aere ſuſpenſum, in eadem qua prius altitudine, nulli rei ſubnixum, ſola virtute divina, & à caſu, & ab ignis læſione, illud protegente. Sic manſit triginta trium horarum ſpatio, populis ad id miraculi undique confluentibus cum ſtupore. Die autem Martis, qui eſt tertius dies feſtus Pentecoſtes, acceſſit Paſtor quidam vicinus cum toto populo ſuo proceſſione celebri ad locum illum indicta, & ibidem in ſupremo Altari Miſſam celebravit. In ea porrò ſacrificii hoſta, Cereus qui coram miraculoſo hoc Sacramento accenſus fuerat, tertiò extinctus eſt nullo vel vento flante, aut alia extinctionis cauſa apparente. Et in inſtanti elevationis Hoſtiæ conſecratæ, quam dictus Sacerdos in ſuo offerebat Sacrificio, altera Hoſtia quæ miraculo ſuſpenſa hærebat, cum ſuo Ciborio loco emota eſt. Cùmque Sacerdos repoſuiſſet in Corporali Hoſtiam ſuam poſt elevationem ſolitam fieri ſtatim à conſecratione; ſtatim & altera ſuavi motu cum ſuo vaſe, nemine manum

Exempl. de veneral. Sacramento.

num adhibente) ſuper altero Corporali deſcendit: quod quidem Corporale, infra locum ubi ſuſpenſum Sacramentum in aere hærebat, diſpoſitum apte fuerat, ut ſi divina dignatione ſeſe dimitteret, cum reverentia reciperetur. Hæc autem viſibiliter peracta ſunt, advertente multitudine, ſuper qua re examinati ſunt ſupra quinquaginta teſtes irrefragabiles. Hæc ex literis Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Ferdinandi de Longuy Archiepiſcopi Byſuntini, qui veritate diligenti informatione examinata, & cum Theologis & Canoniſtis fideique Inquiſitoribus conſulta, miraculum illud promulgari, & typis publicis mandari decrevit. An non hic aliquid ſimile Rubo ardenti incombuſto? Undique voluit Deus, Sacramentum hoc inter flammas undique exæſtuantes illæſum conſervari, ad probationem ibi contentæ veritatis, & confuſionem erroris. Venite ergo increduli & errantes, & videte viſionem hanc magnam, non jam ſcrutando ſed adorando; de pedibus veſtris calceamenta ſolventes, hoc eſt, affectus & opiniones veſtras erroneas divinæ auctoritati ſubjicientes.

4. Arca fœderis & teſtamenti Exod. 25. &c. Pſ. 98. 5. Joſue. 4. 10.

Quartò memineris arcæ fœderis ac teſtamenti apud Hebræos, quæ ex incorruptibili materia erat, & in ipſa propitiatorium, in quo Dominus ſedere dicitur inter Cherubim. Unde & adorabatur ab Hebræis: *Adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt.* Per illam quoque factum eſt, ut populus ficco pede Jordanem pertranſiret ad adeundam promiſſionis terram, & muri Jericho concideret. Hæc omnia reperiuntur in hoc Sacramento renovante memoriam mirabilium Dei. Etenim & Corpus Chriſti, hic arca fœderis eſt & teſtamenti, arca incorruptibilis, ex illa omnia nobis bona proveniunt. Hanc Cherubim adorantes reſpiciunt, & nos quoque adoramus, utpote divinitatis arcam, ex qua propitiatur nobis Deus: per quam fit ut ad tertam æternitatis deducamur, diabolica poteſtate (quæ nobis impedimento eſt) coram illa concidente inſtar muri Jericho, aut idoli Dagon. Denique

Joſue. 6. 5.

ſicut Hebræi non poterant indigne arcam tangere aut aſpicere, ſine mortis periculo, ita nec indignè poteſt quis ad hoc Sacramentum accedere, ſine novo crimine, & mortis æternæ diſcrimine. An non igitur & hic renovantur antiqua Dei mirabilia?

5. Manna.

Quintò memineris mannæ, quæ multa ſecum vehebat mirabilia. Erat enim Panis Angelorum, illorum miniſterio confectus & è cœlo miſſus, & quidem nocte inviſibiliter deſcendebat. Simul cum manna deſcendebat ros, & ſapiebat ille panis id, quod quiſque cupiebat: cumque colligeretur, omnes de eo æqualiter participabant, ſive plus ſive minus collegiſſent. Quotidie hæc omnia mirabilia in Euchariſtico Sacramento intuemur. Panis eſt cœleſtis, Angelorum, hoc eſt, Sacerdotum miniſterio confectus: inviſibiliter de cœlo deſcendit, & non videtur niſi per noctem, hoc eſt, per fidei obſcuritatem. Deſcendit cum illo & ros gratiæ animas irrorans & fœcundans. Ceſſavit manna cùm filii Iſrael terrā ſunt promiſſionis ingreſſi, quia cibus peregrinationis erat. Ceſſabit & hoc Sacramentum, cum cœleſtem patriam ingreſſi fuerimus, quia non eſt nobis niſi pro tempore peregrinationis in deſerto hujus vitæ communicatum. Quomodo autem ſapiat omnis ſaporis ſuavitatem, quomodo non plus habeat qui plus collegit, quàm qui minus, infra dicam. Nec enim hic ſingula perſequimens eſt, ſed ſolùm mirabilia antiqua breviter inſinuate, quorum nobis memoriam renovat hoc Sacramentum.

6. Agni Paſchalis &c.

Poſtremò itaque memineris Agni Paſchalis; Columnæ ignis & nubis populum deducentis, in qua Deus Moyſi loquebatur, & populus in ea adorabat Dominum. Panis qui volvebatur contra caſtra Madian; Menſæ & Panum propoſitionis; Panis ſubcinericii Eliæ, quouſque in montem Dei pertigit. Hæc omnia admirabilia hic continentur.

PROPOSITIO III.

Euchariſtia non ſolùm eſt memoriale mirabilium antiqui teſtamenti, ſed & Myſteriorum novi Teſtamenti.

1. Incarnationis.

PRimò quidem *memoriale eſt Incarnationis*; quæ eſt primum fidei noſtræ myſterium, cæterorum fundamentum. In hoc autem Sacramento illius renovatur memoria, quia quoties illud intuemur, toties agnoſcimus Verbum Caro factum, quod habitavit in nobis, & modo adhuc habitat ſub velo ſpecierum Sacramentalium: *Quoniam hic eſt Deus* Pſ. 47. 15. *Deus noſter in æternum & in ſæculum ſæculi, ipſe regit nos in ſæcula.* Et ſicut ſemel prolatis illis a Virgine verbis: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Luc. 1. 3. Æternum illud verbum carni junctum fuit, & Chriſtus in utero virgineo productus eſt: ita quotidie poſt verba Sacerdotis conſecrantis Chriſtus in altari reproducitur, & Verbum, Anima, Caro, ibidem unita ſiſtuntur, ſicque toties Incarnationis myſterium quodammodo renovatur. Ita hic meritò dicamus illud Eccleſiaſtici: *Innova Domine ſigna, immuta mirabilia, glorifica manum tuam, & brachium dextrum tuum, ut cognoſcant Gentes, quia non eſt Deus præter te, & enarrent magnalia tua, & videant potentiam tuam. Verè enim non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis.* Eccl. 36. 6.

2. Nativitatis.

Secundò, *eſt Memoriale myſterii Nativitatis.* Facta eſt illa *in Bethleem*, quod interpretatur, *Domus Panis*: ibi natus eſt ille qui de ſe dixit, *Ego ſum panis vivus qui de cœlo deſcendi.* Joan. 6. 51. Ibi reclinatus eſt in præſepio, adoratus ab Angelis & animalibus: ibi primum apparuit aliena ſpecie occultatus, Emmanuel noſter Deus. Horum omnium memoria quotidie renovatur in Eccleſia, per myſticam conſecrationem. Quid eſt Eccleſia niſi Bethleem, hoc eſt, domus panis de cœlo deſcendentis? Quid altare,

Digitized by Google

altare, niſi ſacrum præſepium, in quo Deus homo reclinatur? Quid corporalia altaris repræſentant, niſi ſacra lintea & faſciolas, quibus Deus infans fuit obvolutus? An non & ibi adoratur ab Angelis, à paſtoribus, à populis, tanquam animalibus & jumentis; Pro eis Verbum incarnatum fieri dignatur pabulum, ut jam animalem vitam relinquentes, tranſeant in conſortium Angelorum, quandoquidem eodem paſcantur alimento. Advigilent igitur fideles, ut jam non ſint amplius quaſi jumenta, quæ computruerunt in ſtercore ſuo: & dum venit ad eos Verbum incarnatum, non amplius ei præparent ſtabulum immundum, ſed dignum locum. Etenim in prima ſua Nativitate in ſtabulum venit, quia tanquam animalia bruta in ſordibus agebamus: ibi nos debebat quærere, ubi eramus; ut de putrido ſtatu ad Angelicam transferret puritatem. Modò igitur dum adhuc venit, non amplius ſordes, lutum, aut ſtabulum quærit, ſed locum cæleſtem cupit in te, hoc eſt, puram & mundam conſcientiam: quia & cor & animum tuum vult quaſi cœlum quoddam inhabitare, & lumine ſuo illuſtrare, cœleſtemque quandam Nativitatem novo modo in te celebrare.

Annal. Ciſter. de B. Ida Virg.

Apparuit frequenter Chriſtus in Euchariſtia inſtar pueri recens nati, ut oſtenderet hoc myſterium Nativitatis ſuæ memoriale continere. De B. Ida Virgine Moniali, ſic referunt Annales Ciſtercienſes. Cùm ſacra Nativitatis nocte, Matutinis decantatis, Sacerdos primum Sacrum faceret, & populo hoſtiam ſpectandam exhiberet, illa puerulum forma ſpecioſiſſimum intuetur. At ſubvereri cœpit, ne quid in poſterum de fidei merito ob eam viſionem deperderet: ſed recreata benigniſſimi Dei (cui explorata Virginis fides erat) alloquio interiori, ibidem cum incredibili voluptate permanſit, donec laudibus abſolutis, ad os manuſque abluendas ſeſe conferret. Indè rursùs ad templum profecta, dum ſecundo ſacro attendit, pueri conſpectu ſecundo recreatur. Ex hoc ipſo loco ſub tertium ſacrum, grandiori formâ puerum ad ſe venientem vidit, ſic eam compellantem. *En ego me tibi, dilectiſſima, panis involucro tectum detego, non quod de fide tua ambigam, ſed ut amorem hoc ſigno tibi teſtatum faciam.* Cui illa ſuſpirans: *O ſi multo divinitatis tuæ conſpectu ſatiari daretur!* At puer. *Fruſtrà id optas mortalibus non conceſſum, ſufficiat quod modò offertur, tandem fiet, ut ſublato enigmate voto fruaris.* Verita pia Virgo, ne à conſodalibus notaretur, ſi communionem adeò celebri die intermitteret; puerum obteſtatur, ut ſibi pretioſi corporis ſumendi faciat poteſtatem. Evaneſcit ergò puer, Sacramentum percipit Virgo, tanto pietatis ſenſu, ut 40. dies ſequentes incredibili voluptate perfuſa, tranſigeret.

3. Oblatio-nis Chriſti in templo.

Tertiò, *Memoriale eſt Præſentationis & Oblationis Chriſti in templo à Maria facta*, quandò ſacrum pignus ſuum inter brachia depoſuit S. Simeonis & Annæ, qui cum jubilo confitebantur Domino. Nimirùm cuilibet Sacerdoti, venienti in ſpiritu in templum, cuilibet etiam animæ piæ, datur iterùm hic ſacrum illud pignus Corporis Chriſti: ut poſſit cum lachrymis, votis, oſculis, amplecti illud, & adorare, ac in voce exultationis & confeſſionis ſonum illum epulantis efferre: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum in pace: Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, &c.* Ad hujus rei confirmationem, tempore Sacrificii Miſſæ, apparuit quandoque B. Virgo quibuſdam piis perſonis, filium ſuum offerens & in ulnas deponens: ita ut exindè mirâ cœleſti conſolatione (inſtar Simeonis vel Annæ) perfunderentur. Duo hic exempla ſubjicio utriuſque ſexus. Luc. 2. 29.

Refert Pelbartus Ord. Minorum gravis Theologus, Sacerdotem quendam B. Virgini devotiſſimum, multis dubiis & ſcrupulis de hoc Sacramento fuiſſe agitatum. Commendabat interim frequentiſſimè hoc negotium Deiparæ Virgini Matri ſuæ, obſecrans ejus his in fluctibus opem. Cum autem in honorem dictæ Matris Sabatho celebraret Miſſam, diſparuit Hoſtia, dum recitaret *Pater noſter*. Reſpicit ipſe circumquaque ſtupens, & ecce cernit Matrē gloriæ, coram ſe filium in ulnis tenentem & dicentem: *Ecce quem ſacra puerpera portavit, ecce quem conſecraſti, quem manibus tractaſti, quem elevaſti. En igitur iterùm trado tibi filium meum, accipe & conſumma Miſſa Sacrificium.* Accipit Sacerdos puerum, Corporali reclinat; & cùm ad fractionem Hoſtiæ pertigiſſet, non amplius in forma pueri, ſed in forma panis apparuit, ſicque ille mirum in modum conſolatus eſt, & in fide roboratus. Pelbart. in Pomæ. D. Virg. L. 12.

In vita quoque B. Angelæ, de Fulginio ſic legimus: In purificatione B. Virg. cum eſſem (inquit illa) manè in Eccleſia Fratrum Minorum de Fulginio, facta eſt mihi locutio dicens: *Hæc eſt hora, qua virgo venit cum Filio in templum.* Et hæc audivit anima mea, magno cum amore, & vidi Dominam intrantem, & cum vererer accedere ad eam, extendit ad me Filium ſuum, magnam animæ meæ dans ſecuritatem & dicens: *ô dilectrix Filii mei, illum accipe inter brachia tua.* Sic ſubitò remanſit puer in brachiis meis totus nudus: & cùm direxiſſet in me oculos, quos prius videbatur habere clauſos, mirum ſenſi amorem, Exiit enim de ejus oculis tantus ſplendor & ignis amoris ac lætitiæ, ut ſit mihi incredibile. Et tunc ſubitò apparuit immenſa quædam majeſtas ineffabilis, dixitque mihi: *Qui non viderit me parvum, non videbit me magnum.* Iterumque dixit: *Ego venio ad te, & obtuli me tibi, ut tu te offeras mihi.* Hæc omnia vidit & audivit anima mea elevata, & tunc modo mirabili & indicibili obtulit ſeipſam; nihil ſibi, nec de ſe, nec de ſuis reſervando. Et intellexit Deum hanc obligationem gratiſſimam & acceptiſſimam habuiſſe. In vita B. Angelæ de Fulginio c. 45.

Quartò, *Memoriale eſt Transfigurationis Chriſti.* Mirabilis utique hæc Transfiguratio, qua albicanti panis ſpecie Chriſti corpus glorioſum cir- 4. Transfiguratio-nis Chriſti.

cumveſtitur; & facies ſole ſplendidior, triticeâ umbrâ contectâ, figuram aliam induit, Angelorum & hominum oculis admirandam. Perhibent hic quoque Moyſes & Elias teſtimonium, quia lex & Prophetæ de hoc myſterio vaticinantur, & loquuntur de amoris exceſſu, qui hic manifeſtatur. In monte ſublimi, in Eccleſia Catholica, quæ eſt mons in vertice montium, hæc transfiguratio quotidiè perficitur: ſed qui voluerit nimis fixè in eam aciem mentis intendere, nimis curiosè ſcrutari, acie hebeſcat neceſſe eſt, & retrò cadat. Quia nec Petro, nec Joanni, nec Apoſtolorum Coryphæis, datum eſt eam, quæ hic fit transfiguratione perfectè inſpicere, plenè intelligere. Solus oculus fide illuminatus, eam poteſt intueri. Is verò, qui cum fide acceſſerit, & rerum divinarum ſapori aptum palatum contulerit, poterit dicere cum Petro: *Bonum eſt nos hic eſſe*, poterit rapi ad videndum hunc exceſſum amoris. Denique quiſquis interiorem aurem erexerit, audierit hic Patris æterni vocem inſonantem: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite.*

Matth. 16 Marc. 9,

5. *Paſſionis Domini.* Luc. 22. 19. 1. Cor. 11. 24.

Quintò, *Memoriale eſt Paſſionis Domini. O Memoriale mortis Domini, panis vitam præſtans homini*, canit Eccleſia ex D. Thoma Aquinate. Ideò etiam Chriſtus inſtituens hoc Sacramentum ait: *Hoc facite in meam commemorationem.* In commemorationem utique redemptionis per ipſum factæ, & per paſſionem conſummatæ, quotidiè ſacrificium offertur, & Sacramentum hoc conficitur à Sacerdotibus, ſumiturque à fidelibus. Quid aliud altare repræſentat, in quo hæc hoſtia incruentè ſacrificatur & offertur, niſi Crucem in qua eadem hoſtia pro mundi reconciliatione cruentè in pretium fuit oblata? Quicquid veſtium circà ſacerdotem eſt, paſſionis Chriſti aliquod myſterium deſignat, ſimiliter quicquid in Miſſâ peragitur: Cur ſeparatim corpus à ſanguine conſecratur, niſi ut mors Domini repræſentetur, per quam corpus à ſanguine ſeparatum fuit? Si quis Apoſtolorum mortis triduo conſecraſſet, jam etiam de facto corpus mortuum, ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſeparatim ſub ſpecie vini conſtituiſſet. At nunc, quia Chriſtus reſurgens ex mortuis, ampliùs non moritur, ſemper juncta ſunt ſub utraque ſpecie corpus & ſanguis: quamvis ad mortis & paſſionis memoriam, corpus ſub ſpecie panis ſeparatim conſecretur, & ſanguis ſeorſim in calice velut myſticè effundatur, qui ſemel verè & cruentè pro nobis effuſus fuit. Iterùm ergò Patri hic repræſentamus filii ſui cruorem, & accedimus ad *aſperſionem ſanguinis melius loquentem quàm Abel:* Sanguis illius (quod exterum a Deo eſt) poſcebat vindictam, iſte, quod illi proprium eſt, efflagitat miſericordiam. Denuò repræſentamus tunicam Joſeph ſanguine tinctam & dicimus: *Protector noſter aſpice Deus, & reſpice in faciem ſanguinolentam Chriſti tui.* Reſpice hoc corpus, vide an tunica Filii tui hæc ſit, quem fera peſſima devoravit. Utique illius tunica eſt, non jam hœdi alicujus alieno, ſed ipſius proprio perfuſa cruore: effunde ergò ſuper eam cor tuum, pietatis ſinum, viſcera miſericordiæ; ejuſque particeps effice eos, qui eam tibi repræſentant.

Heb. 12. 24.

Denique, *Memoriale eſt Reſurrectionis, Aſcenſionis, adventus Judicii, ac omnium myſteriorum fidei noſtræ.* Sic enim orat Eccleſia: *Suſcipe, Sancte Pater, hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam paſſionis, Reſurrectionis, Aſcenſionis* JESU CHRISTI *Domini noſtri &c.* Cur putas Chriſtus hic ſub diverſis quandoque ſe figuris manifeſtavit, niſi ad indicandum diverſa hic myſteria rememorari, in quibus filii Dei incarnati corporiſque aſſumpti diverſa forma fuit? Audi ex Thoma Cantiprato hujus rei memorabilem hiſtoriam: Duaci in Eccleſia S. Amati Epiſcopi, cùm Sacerdos in Paſcha communicato populo, corpus Chriſti ſuper nudam terram ſtupefactus inveniſſet, & flexis genibus elevare tentaſſet: mox per ſe in aera ſublevatum, panniculo quo conſecratos digitos ſacerdos detergere ſolet, inhæſit. Clamans ergò Presbyter Canonicos vocat, accurrunt illi, ſpectant in panno corpus vivificum, in ſpecie venuſtiſſimi pueri. Et mox convocato populo ad ſpectaculum præſentatur, & indifferenter nulli tanta cœlitus viſio denegatur. Hæc audiens fama vulgante, veni in oppidū quod prædixi. Acceſſi ad Decanum Eccleſiæ, cui optimè notus eram: petii videre miraculum. Præcipiente ipſo aperta eſt theca, cucurrit populus, moxque ubi pixis revolvitur, clamant omnes: Ecce jam video, ecce conſpicio Salvatorem. Stabam ergò attonitus, nihil videns niſi ſpeciem panis albiſſimi, nihilque mihi quidem conſcius, cur ſacrum corpus cum cæteris non viderem. Nec diu mecum iſta volvebam, cum ecce video faciem in menſura ætatis plenitudinis Chriſti, ſpineam habentem coronam, & duas guttas ſanguinis de fronte deſcendentes per faciē. Mox genibus flexis cum lachrymis adoravi. Surgens nec coronam in capite nec ſanguinem vidi, ſed faciem hominis ſuper omnem effigiem honorabilem & majeſtuoſam. Eam autem diverſi diverſimodè ſub uniuſtemporis ſpatio videre ſolebant. Alii in cruce extenſum, alii quaſi ad judicium venientem, plerique ſub pueri forma. Hæc ex Cantiprato.

6. *Reſurrectionis, Aſcenſionis, aliorumque myſteriorum fidei noſtræ.*

Cantiprat. l. 1. Apum c. 40. anno Dom. 1467.

Certâ etiam relatione didici, in Herkenrode nobili Abbatia Dominarum Ordin. Ciſtercienſis in Leodienſi Ditione, Sacramentum miraculoſum aſſervari, in quo modò Chriſtus conſpicitur ſub forma reſurgentis, modò ſub forma aſcendentis; ſic a diverſis, ſub diverſa figura frequenter fuit viſus.

LECTIO

ed by Google

LECTIO III.

DE PRÆSENTIA REALI CHRISTI IN HOC SACRAMENTO.

PROPOSITIO UNICA.

Ecce poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum, cui contradicetur, Luc. 2.

PRophetia his verbis continetur de Chriſto, qui à Patre cœleſti bis manifeſtè aſſertus fuit eſſe Filius Dei, cum magnificentia; in Baptiſmo ſcilicet, & in Transfiguratione ubi ei acclamatum eſt: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite.* Et cum tot miraculis idipſum teſtatus ſit, nihilominus non defuturi erant plurimi, cùm Judæi, tum Ethnici denique & hæretici, qui in eum crediturі non erant ut Deum; aut certè falſo dogmate ejus Incarnationem ac Divinitatem erant impugnaturi. His omnibus Chriſtus futurus erat in ruinam, & in ſignum contradictionis. Sic Ebion & Cerinthus ſpiritu contradictionis imbuti, negârunt CHRISTUM DEUM eſſe: contra quos Aquila cœleſtis Joannes, in Divinitatis radios fulgurientes mentis oculos intendens, ſuum Evangelium è cœlo afferens, exorſus eſt ſublimi illo principio: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Alii dixerunt quidem eſſe Filium Dei, ſed aſſerunt Patrem eſſe minorem: Sic Arius cum ſuis. Alii verò dixerunt, non eſſe verum hominem, nec verum corpus aſſumpſiſſe, ſed tantùm phantaſma: Sic Manichæi & eorum ſectatores. Alii denique duas in eo voluerunt perſonas: Sic cum ſuis aſſerunt Neſtorius. Hi ergò omnes impegerunt in fundamentum, Jeſum Chriſtum, & corruerunt, & qui erat Petra fidei, factus eſt eis Petra offenſionis & ſcandali: & apparuit verum eſſe quod Simeon prophetârat: *Poſitus eſt hic in ruinam multorum, & in ſignum cui contradicetur.*

Matt. 3. 17 Matt. 12. 18.

Joan. 1.

Luc. 2. 34.

Chriſtus in Sacramento Euchariſtiæ eſt quibuſdam poſitus in ruinam. 1. Judæis.

Hæc quoque Prophetia optimè convenit Chriſto in hoc Sacramento: qui cùm illud inſtituerit, ut ſuæ immortalitatis ac æternæ reſurrectionis nos conſortes redderet; nihilominùs cedit in ruinam multis, & in ſignum contradictionis, in ſcopum ad quem virulenta linguæ ſuæ jacula dirigant.

Primò quidem Judæis in ruinam & ſignum contradictionis, eſt. Quia cùm de hoc Sacramento eis loqueretur Chriſtus dicens; *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, illi murmurantes & contradicentes abierunt retrò: dicentes: *Durus eſt hic ſermo.* At verò fidelibus diſcipulis, ex tunc in reſurrectionem vitæ factum eſt; qui interrogati. *Numquid vultis abire?* Reſponderunt: *Domine, verba æterna vitæ habes, ad quem ibimus?*

Secundò Ethnicis & Gentilibus. Nam & hi objecerunt Chriſtianis, quod Deum ſuum comederent: & ob hanc cauſam aliqui eorum alieni a fide facti ſunt, tanquam id magnæ ſtultitiæ imò & impietati adſcribentes, quod eum quem adoramus, manducemus. Sic illi neſcierunt illud Apoſtoli: *Quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus.* Referunt quidam, Averroem Philoſophum à fide noſtra ob eam cauſam fuiſſe alienatum, dicebat enim: *Placet mihi lex Chriſtianorum; ſed quia Deum, quem adorant, devorant, moriatur anima mea morte Philoſophorum.* Quaſi dicat, ob hanc ſtultitiam, legem illam repudio, ac Philoſophorum legem præfero. Necdum legerat aut intellexerat illud Prophetæ: *Manducaverunt & adoraverunt omnes pingues terræ.* Ubi interprete Auguſtino, reſpicit Prophetæ tempus legis gratiæ, in quo illi potentes, divites, & ſapientes terræ manducabunt panem dignum adoratione.

2. Gentilibus.

1. Co. 1. 25

Averroes Philoſ.

Pſ. 21. 30. Aug. in hunc locum.

Tertiò malis Chriſtianis. Hi enim vitâ ſuâ peſſimâ contradicunt: & ſic multis illorum fit in ruinam, quod in reſurrectionem fuit inſtitutum. Licet enim credant, quaſi tamen non credentes ſe gerunt, cùm immunda conſcientia accedentes, hoc Sacramentum non honorant, ſed injuriâ afficiunt. Ita & Ethnici, cùm advertunt adeò irreverentem tractationem hujus Sacramenti inter Chriſtianos, vix credere poſſunt verè ibi Deum contineri.

3. Malis Chriſtianis,

Refert Hiſtoria Japonica, quemdam nobilem ex India, audiſſe Xaverium Indiæ Apoſtolum concionantem, tres in orbe Religiones diverſas invaluiſſe, Judaicam, Mahumetanam, & Chriſtianam, Chriſtianamque ſecuram eſſe ad ſalutem: Hoc audito, impulſum quâdam curioſitate, optaſſe videre exercitia illa um religionum, in locis ubi illæ celebriores erant. Quapropter in Palæſtinam profectus, ubi adhuc Reliquiæ Judæorum ſynagogas ſuas convocant, conſideravit eorum cæremonias, ſabbata, Sacerdotes, leges, ſacrificia. Exindè in Turciam pergens, ibidem conſideravit leges Mahometi, ritus, templa, precandi modum, ſacerdotia. Tandem ad Europam progreſſus, contemplatur cæremonias Chriſtianorum, Sacramenta Sacerdotes; modum quoque vivendi, flagitia, & vitia in Chriſtianis regnantia. His omnibus viſis, cùm in Indias regreſſus, a ſuis interrogaretur, quid ſibi videretur de tot diverſis in orbe religionibus: quænam ſibi arriſiſſet? Reſpondet. Cenſeo Judæorum religionem inimicam quamdam ſuperſtitionem continere. Turcarum verò congregationem, cenſeo velut porcorum eſſe colluviem. Denique cenſeo Chriſtianorum religionem, eſſe audacem ſtultitiam; quia cùm ſe incarnati Dei corpus comedere dicant, in omnes tamen voluptates ac vitia liberè proruunt. Sic nimirum improba Chriſtianorum vita, fidei maculam aſpergit, & infideles ab illa avocat, & vere ſtulta eſt audacia, Chriſtianum ſe dicere, & vitam improbam ducere, Chriſti deificum

Ex Japonica hiſt.

Digitized by Google

corpus credere & frequenter ſumere, attamen flagitioſa vitâ illi contradicere & injuriam inferre.

4. Hæretici. Quartò, hoc Sacramentum hæreticis poſitum eſt in ſignum cui contradicitur: negantes enim illi veritatem corporis Chriſti, figuram tantum comminiſcuntur; & Eccleſiam idololatriæ, ſuperſtitionis, magiæ, accuſant. Inter primos, qui publicæ veritati hujus Sacramenti contradixerunt, Berengar. an. 1050 Baron. ceſſe. recenſetur Berengarius Andegavenſis Archidiaconus, qui Eccleſiam turbavit circa annum milleſimum quinquageſimum: ſed condemnatus fuit à quinque Conciliis, Romano & Vercellenſi ſub Leone IX. Turonenſi ſub Victore II. ubi comparuit & convictus fuit: nihilominus paulò poſt rurſus populos ſeducere præſumplit. Iterum ergò condemnatus eſt a Romano Concilio ſub Nicolao ſecundo, ubi etiam comparuit, & abjuravit Hæreſim. Sed vel ficta fuit abjuratio, vel valde inconſtans, nam iterum relapſus eſt. Quintum ergò Concilium ſub Gregorio VII. iterum Romæ convocatum fuit. & receptus eſt ad pœnitentiam, cum hac fidei profeſſione.

Ego Berengarius, corde credo & ore confiteor panem & vinum, quæ ponuntur in altari, per Myſterium ſacræ orationis & per verba noſtri Redemptoris, ſubſtantialiter converti in veram ac propriam carnem & ſanguinem Ieſu Chriſti, & poſt conſecrationem eſſe verum Chriſti corpus, quod natum eſt de Virgine, & pependit in cruce, & quod ſedet ad dexteram Patris, & verum ſanguinem, qui de latere ejus effuſus eſt; non tantùm per ſignum & virtutem Sacramenti, ſed etiam in proprietate naturæ & veritate ſubſtantiæ. Sicut in hoc brevi continetur, & ego levi & intelligitis: ſic credo; ultrà hanc fidem ulteriùs docebo. Sic me Deus adjuvet & hæc ſacra Evangelia. In hac confeſſione ſivè abjuratione (quæ fuit ejus ſecunda: nam prima paulò aliter habetur de conſecratione diſt. 2.) novem annis perſeveravit, motiens Catholicus anno milleſimo octuageſimo, ut multi tradunt, licet Baronius id certò aſſeverare non audeat. Mortem tamen timebat, & graviorem damnationem, ob perditionem tot animarum, quas ſeduxerat, nec poterat revocare ad veritatem, quæ jam pœnis æternis obnoxiæ cremabantur. Dies autem obitus ejus fuit dies Epiphaniæ, ſivè apparitionis Domini, undè moriens dicebat: *Hodie apparebit mihi Dominus Ieſus Chriſtus, propter pœnitentiam (ut ſpero) ad gloriam, vel propter alios (ut timeo) ad pœnam.* Illud verò non eſt prætereundum, quod S. Fulbertus Epiſc. Carnotenſis illius errores doctrinamque peſſimam præviderit, adoleſcente adhuc Berengario. Cùm enim morti vicinus decumberet, multis ad eum convenientibus, adfuit & Berengarius. At eum ejici curat, proteſtans ſe vidiſſe immanem Dæmonem illius humeris incumbentem, qui blando anhelitu multos allicere videbatur. Jam in ſpiritu Deus ei revelabat hujus viri afflatu per pravam doctrinam multos ſeducendos. Ita refert Guilielmus Bibloth. l. 3. de geſt. Anglor.

Hanc verò hiſtoriam fuſiùs referre volui, ut videant hæretici, quem Anteſignanum ſint ſecuti; ut ſi ſequantur errantem, tandem & ſequantur pœnitentem. Non ignorant ipſi ejus pœnitentiam & publicam abjurationem; ſed veneno invidiæ excæcati in Eccleſiam Chriſti conſpirant: & putantes eam diruere, præcipuam ejus columnam nituntur concutere. At quia nequeunt convellere, in ſignum ponunt cui contradicant, & maledictæ linguæ telo contorqueant. Maximè Calvinus & Zuinglius, qui ſunt quaſi perverſi illi ſenes inveterati dierum malorum, de quibus apud Danielem, dum ob hoc Sacramentum idololatriæ & adulterii accuſant Eccleſiam verè caſtam Suſannam. Canes rabidi & fœtidi inclamant contra lucentem lunam: Noctuæ cæcutientes ægrè ferunt radiantem hunc veritatis ſolem. Paucis verò ratiunculis putant hanc convellere veritatem corporis Chriſti, illamque abnegant, quia non comprehendunt: quia Deus non poſſit plura facere, quam ipſi comprehendere. Imò cùm multa coram nobis poſita etiam naturalia, non ſatis comprehendat ratio humana; quid mirum, ſi perfectè non poſſit attingere ſublimia hæc myſteria. Dan. 13.

Audiant ipſi quid Eſdræ contigerit. Cum ſublimioribus Dei myſteriis ſcrutandis nimis inhæreret, apparuit ei Angelus, tres proponens quæſtiones & dixit: *Excedens exceſſit cor tuum in ſæculo hoc, & comprehendere cogitas viam altiſſimi. Ideò miſſus ſum tres ſimilitudines proponere coràm te, de quibus ſi mihi renunciaveris unam, docebo te quæ deſideras. Vade, pondera mihi ignis pondus, aut menſura mihi flatum venti, aut revoca mihi diem, quæ præterii.* Et reſpondit, & dixit: *Quis naturam poterit facere, ut me interroges de his?* Et dixit Angelus: *Si eſſem interrogans te, Quanta habitationes ſunt in corde maris, aut quanta vena in principio abyſſi, aut quanta vena ſunt ſuper firmamentum, aut qui ſunt exitus Paradiſi;* diceres mihi fortaſſis. *In abyſſum non deſcendi, neque infernum adhuc, neque in cœlum unquàm aſcendi.* Nunc autem non interrogavi te, niſi de igne & vento, & die per quem tranſiſti, & à quibus ſeparari non potes: & non reſpondiſti mihi de eis; Et dixit iterum Angelus: *Tu quæ tua ſunt, tecum condoleſcentia, non potes cognoſcere: Et quomodo poterit vas tuum capere Altiſſimi viam?* Hæc eadem proponimus nos illis, qui hoc myſterium ſcrutari volunt, & comprehendere ſui intellectus anguſtiis; ut tandem præſumptionem ſuam agnoſcant & reſipiſcant. Approbamus interim pium Chriſtianorum zelum, qui in hoc myſterio ſuum exercent & intellectum & affectum. Hi non ſicut illi ruminatores infidi, quæ ſunt fidei, volunt comprehendere, de quibus verum eſt illud Oſee, *Super vinum & triticum ruminabant, receſſerunt à me:* Sed ſicut animalia munda, per ſacram meditationem ruminant, & conſiderant hoc magnum pietatis Sacramentum. Hi ponderant pignus ſignis, divini pondus amoris, 4. Eſd. 4. v. 2. Oſe. 7. 14.

Digitized by Google

amoris, in ſui intellectus & affectus bilance ; amoris, inquam, quem hic effudit Filius Dei : ſciunt vero ſe nunquam ſatis illum amorem poſſe intelligere. Hi etiam menſurant flatum venti, hoc eſt, divinæ miſericordiæ & bonitatis afflantem Spiritum conſiderant, qui ſe per hoc Sacramentum ab Oriente uſque in Occidentem, à Meridiè uſque in Septentrionem extendit, & animis Fidelium inſerit. Sciunt vero ſe intellectus aut affectus menſura, non poſſe adæquare aut comprehendere, quæ ſit hic latitudo aut longitudo, profundum aut altitudo, divinæ hic afflantis & perflantis nos miſericordiæ. Denique, hi revocant diem qui præterit, dum diem ſacratiſſimæ Paſſionis Domini, quæ hic repræſentatur, in memoriam revocant; & ſimul dies quos illi Paſſioni, & huic memoriali amoris ingrati, in peccatis aut tepore contriverunt, per cordis amaram contritionem & novum animi fervorem recogitant.

Abſit ergo à cordibus Fidelium, ut putent hoc myſterium ratione naturali poſſe perfectè intelligi quandoquidem per Antonomaſiam rectè vocetur, *Myſterium Fidei*, in quo intellectus & ſenſus ſe debent captivare in obſequium Chriſti. Subtiliter quidam depinxerunt Fidem inſtar ſpecioſæ Virginis; quæ coronam geſtabat in capite, & labia ejus aurea inaure clauſa erant ; pedibuſque illius ſubſtrati jacebant quinque milites velut enecati & emortui: manu autem gerebat catenam auream, qua Principem quendam circumligatum & captivum circumducebat.

Fidei pictura per elegans.

Omnia hæc indicabant ea, quæ in hoc geruntur myſterio. Primo quidem Fides Virgo pingitur, ut ejus indicetur & puritas & integritas : debet enim pura eſſe, nullius erroris macula infecta, debet eſſe & integra, quia omnes debet articulos ab Eccleſia & Chriſto propoſito credere ; ut ne unus quidem deſit, vel minima in ulla vacillatio adſit. Secundo coronam gerit in capite, tum ut ejus denotetur excellentia, qua fidem humanam omnino ſuperemi-net : tùm ut indicetur eſſe Regina Deo appropinquans, & nos ad illam trahens, nos illi primo vinculo uniens, ut cœleſtis coronæ faciat conſortes. Tertio inauris ejus obſerans labia, ſignificat fidem ex auditu procedere, linguam verò ejus myſteria non poſſe perfectè explicare, ſed potius ſacro quodam ſilentio debere adorare. Quarto in manu funis aureus, quo Regem captivum ducit ; ſignificat intellectum, qui in homine dominatur, & inter potentias ejus excellit, captivum eſſe ſub fide in obſequium Chriſti : ut credat quæ ſunt fidei, ſine multa ratiocinatione, ſubjiciatque ſe licet ratio naturalis contradicat. Quinto pedibus ejus milites ſubſtrati velut ſuffocati, ſunt ſenſus humani, qui in fidei myſteriis inermes ſunt, & viribus privati : maximè in hoc myſterio Euchariſtico, quia ibi oculus non videt, tactus non attingit, nec guſtus aut adoratus percipit, quod velatum continetur.

Interim, ut intelligas quomodo hæretici duro & rebelli corde huic myſterio contradicant, tot commoti teſtimoniis : audi breviter irrefragabilia teſtimonia, quæ proponit eis Eccleſia *Columna & firmamentum veritatis*, quibus manifeſtè arguit eos eſſe rebelles lumini. 2. Tim. 3. 15.

ARGUMENTA ECCLESIÆ CATHOLICÆ, VERITATEM HANC STABILIENTIA.

PRimò, proponit Eccleſia promiſſionem Chriſti de hoc Sacramento, quæ habetur apud S. Joannem ca. 6. *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita : Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, &c. Caro meà verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Quid omnibus his clarius? Quibus verbis potuiſſet mentem ſuam plenius aperire? Nec ſine myſterio addit bis, *vere cibus, vere potus*, ut jam eos condemnet, qui negant vere in cibum, vere in potum dari nobis carnem illam & ſanguinem : ſed ſolùm figurativè dari, aut ſymbolicè & ſignificativè, non realiter, non in veritate. Quid habent hic reſpondere, niſi : *Quomodo poteſt hic carnem ſuam dare ad manducandum?* Sed hæc eſt vox infidelis, eorum qui primi huic Sacramento incredduli fuere, tunc, cum à Chriſto promitteretur; quam licet non eodem ſenſu, eadem tamen incredulitate, noſtri imitantur hæretici. Et adverte D. Joannem non amplius agere de hoc Sacramento, toto ſuo Evangelio : ſupponit quippe ejus eſſe debere ſatis notam veritatem, ex illis Chriſti diſertis verbis, quæ ipſe ſpecialiter Evangelii ſui capite ſexto propoſuerat ; unde nec ejus repetit inſtitutionem, dum agit de Cœna, quod advertit D. Auguſtinus lib. 3. de conſenſu Evangeliſt. cap. 1.

Realis Chriſti in Euchariſtia præſentiæ confirmatur. Joa. 6. 52.

Secundo, proponit eis Eccleſia claram hujus promiſſionis exhibitionem, & Sacramenti inſtitutionem, in qua diſertis verbis exprimit Salvator : *Hoc eſt corpus meum.* Et ſignata eſt hæc inſtitutio Chriſti, per quatuor ejus irrefragabiles Secretarios & Notarios, Matthæum, Lucam, Marcum, & Apoſtolum Paulum : qui omnes licet ſeipſerint diverſis locis & temporibus, eundem tamen ſenſum expreſerunt, & nemo eorum dixit: *Hoc ſignificat corpus meum*, vel, *Hoc eſt figura corporis mei.* Ergo credendum eſt voci veritatis, & authentico Evangeliſtarum, & Apoſtoli inſtrumento, juxta proprietatem verborum. *Quis auctor eſt muneris, teſtis eſt veritatis*, inquit Euſebius Emiſſenus. Et bene ponderandum eſt, quod Chriſtus ultimum ſuum teſtamentum condiderit, & legatum amoris in illo teſtamento, Sponſæ ſuæ ac filiis conſignarit. Cùm igitur in teſtamentis proprietas ſit ſectanda verborum : cur non interpretabimur proprie omnino ab illo dici : *Hoc eſt corpus meum?*

Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.

Euſeb. Emiſſ.

&c.

Digitized by Google

& nullo modo ſignificari, *Hoc eſt figura Corporis mei?* Si quis teſtamento alteri legaſſet domum aut pallium, an is deberet eſſe contentus figura repræſentante illam domum aut pallium? Utique, ſi ſolum intelligitur, hoc eſt corpus meum, id eſt, hoc ſignificat aut figura eſt corporis mei; jam de Agno quem comederat, potuiſſet dicere: Hoc eſt corpus meum Quia Agnus paſchalis apertiſſima fuit figura Chriſti immolandi in Cruce.

Cùm itaque figuræ ad antiquum ſpectarent Teſtamentum, & Panes quoque propoſitionis ac Manna figura forent noſtri Sacramenti; nobis in Lege Evangelica debetur veritas, nobis datum eſt legatum precioſum amoris, non panis figurans, ſed Deificum Corpus olim per manna & propoſitionis panem figuratum. Si hæretici eſſent boni filii, crederent Patri ſuo teſtamentum condenti: crederent Matri ſuæ Eccleſiæ, hæc de amore Parentis & teſtamento ejus filiis atteſtanti: crederent myſteriorum ejus Secretariis ab eo electis, à Spiritu Sancto deſignatis, veritatem apertis verbis atteſtantibus, nec tropos quærerent, figuras ac metaphoras, doni hujus pretium & valorem elevantes, imò evacuantes.

1. Cor. 10. Tertio proponit iterum Apoſtoli Pauli auctoritatem, dicentis: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Chriſti eſt? Et panis*

1. Cor. 11. *quem frangimus, nonne communicatio Corporis Domini eſt?* Et iterum: *Qui manducat & bibit indigne, reus erit Corporis & Sanguinis Domini: Judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Quibus omnibus verbis ſatis aſſerit Apoſtolus veritatem Corporis & Sanguinis: alioquin ſi eſt ſolùm figura, indigne ſumens non verè communicaret Corpori & ſanguini, nec verè reus eſſet Sanguinis & Corporis Domini, neque opus eſſet, ut dijudicaret ibi eſſe Corpus Domini. Reus ergo Corporis Domini dicitur, quia indigna ſumptione, quantum in ſe eſt, injuriam facit præſentiæ Corporis Chriſti.

Quarto proponit eis plurimas Conciliorum generalium definitiones, in quibus tota Eccleſia repræſentatur. Ubi in pondere Sanctuarii res fidei ponderantur, ad quæ convocantur & concurrunt ex omnibus nationibus eximii pietate Viri ſcientiaque præſtantiſſimi, ab Oriente, Occidente, Meridie, Septentrione: quorum auctoritati obniti ſtultiſſimum eſt & impium, maximè ob Spiritus Sancti auctoritatem Conciliis generalibus infallibiliter aſſiſtentem. An forte per mille quingentos annos Spiritus Sancti Eccleſiam in errore deſeruit? An Sponſa Chriſti à Sponſo tanto tempore deſerta eſt, & permiſſa fruſtulum panis pro Deo ſive Dei incarnati corpore adorare, & idololatriæ [ut inclamant] vacare? Itane vera fide ac religione concidente, contra Eccleſiam Chriſti portæ inferi prævaluerunt tali erroneo dogmate invaleſcente? Blaſphemiæ vox iſta eſt, & dementiæ deſcribenda. Si erravit, ô Chriſte, Eccleſia Sponſa tua, tu eam decepiſti. Credidit enim quod dixiſti, quod diſertis verbis docuiſti. Te adoraverunt in hoc Sacramento, Regna, nationes populi univerſi, quia te hic præſentem uſque ad conſummationem ſæculi, ex tuo promiſſo, ex tua aſſertione, crediderunt verè nobiſcum Deum, verè Emanuelem. Crediderunt voci magnæ de throno dicenti: *Ecce tabernaculum Dei.* Apo. 21. 3. [hoc eſt Corpus Chriſti, in quo Deitas tabernaculum ſuum fixit] *cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipſi populus erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus.*

Quinto proponit eis tot atteſtationes SS. Patrum, ab ipſis Apoſtolis per ſingula ſæcula, conſtanter hanc veritatem docentium & voce & ſcriptis. Authoritates eorum ſigillatim à primo ſæculo poſt Chriſtum uſque ad hæc tempora videre potes apud Bellarminum, & alios hac de re ſpecialiter tractantes. Quorum recitatione prolixa ſuperſedeo, quia luce clarior eſt eorum doctrina, quam ſolæ noctuæ erroneæ, caliginem amantes, repudiant. Neque verò aliqui ex illis SS. Patribus, ſolum aſſerunt hic veritatem Corporis Chriſti; ſed etiam falſam interpretationem hæreticorum noſtrorum manifeſte excludunt. Sic D Damaſcenus dicit: *Non eſt figura Corporis aut Sanguinis, ſed eſt ipſummet Corpus.* Vide inter cæteras auctoritates SS. Patrum homilias, quæ leguntur infra Octavam Corporis Chriſti in Rom. Brev. ex D. Hilatio, Cyrillo, Ambroſio, Cypriano, Chryſoſtomo, Auguſtino; quæ ita evidenter hac de re loquuntur, ut mirum ſit, adhuc reperiri animas adeò inſtabiles & inſenſatas, quæ malint credere duobus aut tribus miniſtris ſatanæ ſpiritu contradictionis agitatis, quam tot teſtibus omni exceptione majoribus, in cœlo modo regnantibus. v. Bellar. & Cocium per ſingula ſæcula. Damaſc.

Sed dicet hæreticus, SS. Patres utuntur hic nomine figuræ; nam dicit Auguſtinus: *Non dubitavit Dominus dicere, hoc eſt corpus meum, cum ſignum daret corporis ſui.* Ita ille contra Adamantium c. 12. Reſpondeo. Cùm utuntur Patres nomine ſigni aut figuræ, in hoc Sacramento, non excludunt veritatem; neque unquam dicunt ſolam eſſe figuram, aut ſolum ſignum. Quia ergo hoc Sacramentum ita continet Chriſtum inviſibiliter ſub ſpecie viſibili, ut ſimul ſit ſignum ejus, & repræſentet ipſum vel pro nobis Crucifixum, vel ut in cœlo exiſtit glorioſum; ideò ſub hac ratione ei nomen ſigni aut figuræ poteſt competere. Itaque corpus Chriſti abſque dubio ibi eſt, quia tamen ibidem eſt ſub quodam Sacramento, ſacrum ſignum debet eſſe; ſignum in quam non vacuum, ſed plenum eodem corpore, ſeipſum ſub propria ſpecie repræſentante. Sic nomen figuræ poteſt ei competere, ſine veritatis excluſione. Nam & Filius Dei ab Apoſtolo vocatur *Figura ſubſtantiæ* Patris, non quia veritate ejuſdem ſubſtantiæ careat, ſed quia per eam Patrem repræſentet. Unde D. Anſelmus ita de hac re loquitur: *Chriſti benedictione panis fit corpus ejus, non ſignificative tantum, ſed etiam ſubſtantive;* Auguſt. Heb. 1. 3. Anſel. de div. offic.

nec

nec enim ab hoc Sacramento figuram omninò excludimus, nec eam ſolam admittimus: veritas eſt, quia Corpus Chriſti eſt: figura eſt, quia immolatur, quod incorruptibile habetur.

Sextò proponit eis innumera miracula, quibus tanquàm ſacris ſigillis, hæc veritas eſt confirmata, ita ut meritò hic quilibet noſtrûm dicere poſſit cum
Aug. in Sentent. D. Auguſtino: *Multa ſunt, quæ in gremio Eccleſiæ Catholicæ juſtiſſimè me tenent. Tenet conſenſus populorum atque gentium. Tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata.* Pleraque ex his miraculis referunt Garetius l. de Euch. D'avetoultius in floribus. Speculum exemp. v. Euchariſtia.

D'aver. in Garec. hiſt. c. 5. tit. 1. &c. Hic ſolùm rememoro aliquos, quibus notum fiat ipſos dæmones coactos fuiſſe agnoſcere præſentiam Chriſti in hoc Sacramento, cujus vi è corporibus obſeſſis ſunt expulſi: ita ut hac in parte agnoſcamus hæreticos quoſdam dæmonibus pejores eſſe, quia nullâ miraculorum virtute, ad confeſſionem
Exempl. veritatis adduci poſſunt. Ac primò exemplum habemus in vita S. Bernardi, qui virtute hujus Sacramenti publicè in Eccleſia Mediolani è Matrona nobili fathanam ejecit. Rem ſic refert Gulielmus Abbas: Adducta ad Eccleſiam S. Ambroſii Matrona, converſus ad populum numeroſiſſimũ, orare jubet attentius; & Clericis ac Monachis ſecũ juxta altare conſiſtentibus, Mulierem ibidem jubet conſtitui ac teneri. Illa verò reluctans, & vi diabolicâ, non naturali virtute recalcitrans, non ſine aliorum injuria ipſum Abbatem pede percuſſit. Quem diaboli auſum ipſe manſuetè contempſit, & in ejus expulſionem non indignatione iræ, ſed humili ſupplicatione Deum invocat adjutorem, & ad immolationem hoſtiæ ſalutaris accedit. Quoties tamen eandem hoſtiam ſignat, toties ad mulierem converſus, eodem ſigno crucis edito, ſpiritum nequam fortis athleta impugnat. Nam & ille malignus, quoties adverſus eum crucis ſignum intenditur, percuſſum ſe indicans acriùs ſævit & recalcitrans contra ſtimulum, quidnam toletet, prodit invitus. Expletâ autem oratione Dominicâ; efficacius hoſtem aggreditur. Patenæ ſiquidem calicis Domini corpus imponens, & mulieris capiti ſuperponens, ſic loquebatur: *Adeſt iniquè ſpiritus, judex tuus, adeſt ſumma poteſtas, jam reſiſte, ſi potes; adeſt ille qui pro ſalute noſtra paſſurus, nunc, inquit, Princeps hujus mundi ejicietur foras. Hic illud corpus, quod de corpore Virginis ſumptum eſt, quod in ſtipite crucis extenſum eſt, quod in tumulo jacuit, quod de morte ſurrexit, quod videntibus Diſcipulis aſcendit in cœlum. In hujus ergò majeſtatis terribili poteſtate, tibi ſpiritui maligno, præcipio, ut ab hac Ancilla ejus egrediens contingere eam deinceps non præſumas.* Cumque eam invitus deſerens, & ultra manere non valens atrociùs afflictaret, tam magnam iram, quam modicum tempus habens; rediens Pater ad altare, fractionem hoſtiæ ſalutaris tutè complevit, diffundendamq; in populo pacem miniſtro dedit: & confeſtim pax & ſalus integra mulieri eſt reddita. Satanque quantæ ſint efficaciæ vivifica myſteria, non tam confeſſione, quàm fugâ coactus eſt oſtende-

Florimũd. li. 2. c. 12. de or. hær. Similè exemplum anno 1565. contigit Laudini: Ubi ab Urbis Epiſcopo a dæmone eſt liberata quædam, cui nomen Nicolaa, per exhibitionem ſacræ Euchariſtiæ cum adjuratione ſacra, ſimili huic à Bernardo pronunciatæ. Et cùm præſentiam Chriſti non poſſet ferre dæmon, admirandis planè modis obſeſſæ corpus torquebat, atque interrogatur, cur ita timeret, & ſeſe agitaret ad præſentiam hujus panis? publicè reſpondit, ſe pane illo torqueri propter vocem, *hoc eſt*: Alludebat autem ad formam conſecrationis hujus Sacramenti, quæ efficit, ut ex pane verum Corpus efficiatur Chriſti Domini & Judicis tam hominum, quam dæmonum. Sæpius ergò hac confeſſione repetitâ tandem cum fragore egrediens, fœtidiſſimiſque veſtigiis relictis, liberam reliquit hanc obſeſſam. Adfuerunt hominum decem millia, Notarii publici acta ſcriptis conſignarunt, quia & hoc præſertim agebatur contra Calviniſtas, ut divino teſtimonio probaretur veritas Corporis Chriſti in hoc Sacramento. Undè & multi in fide confirmati ſunt, & aliqui hæreſim abjurârunt huic ſpectaculo præſentes. Latius refert hiſtoriam hanc Florimundus Remundus, qui & ipſe præſens fuit, hocque miraculo ne in hæreſim laberetur præſervatum ſe fuiſſe fatetur.

Cantip. an. 1231. li. 1. Apum c. 23. Del. diſq. Mag. l. 6. c. 2. ſect. 3. Tertium ejuſdem argumenti exemplum ſubjicio, ex Thoma Cantiprato. Anno 1231. hæreticus quidam conabatur omni arte, Fratrem quendam Ordinis Prædicatorum in hæreſim allicere. Cum fruſtra id ſæpiùs tentâſſet, tandem ait: *Cùm pertinax mihi credere nolis, ſi fidem mihi adhibere volueris, oſtendam tibi Chriſtum, ac Matrem ejus cum Sanctis.* Præſtigias ſuſpicatus Frater ille, ait ſe creditũrum, ſi oſtendat. Gaudens hæreticus, diem ſtatuit. Die condicto, defert ſecum Religioſus Euchariſtiam pyxidi incluſam. Venêre ambo in ſpecum montis altiſſimi, exindè in amplum Palatium luce mirâ circumfulgens. Ubi aſpiciebatur Rex ſolio inſidens, ſidereo lumine micans, Reginaque illi aſſiſtens, & multi inclyti Viri in gyrum. Hæreticus ingreſſus, genua flectit & adorat, Religioſus ex parte attonitus, nullum tamen adorationis ſignum exhibuit. *Quidni*, inquit hæreticus, *Chriſtum, Matremque & Superos veneraris? Accede, & fidei noſtræ aroma intellige.* Accedit Religioſus, & pyxidem aperiens ad Reginam dicit: *Si Mater Dei es, ecce Filius tuus, ipſum agnoſce & adora, & te ego agnoſcam & venerabor.* Statimque totum illud ſpectaculum evanuit cum fulgore: illi autem tenebris circumfuſi, vix è ſpelunca, ad montis faſtigium evaſere. Quibus ſpectris agnitis, hæreticus ad fidem Catholicam eſt converſus. Nempè cùm plurima in teſtimonium veritatis edita fuerint miracula, nunquam potuêre hæretici ullum in ſuæ fidei teſtimonium producere miraculum, nec id permittet Deus, ne falſitatem approbare videatur. Attendant hæc, & ſepo-

ſito velamine, quod ſuper oculos cordis geſtant, ad veritatis lucem reſpirent, nec ſint ipſis dæmonibus, veritatem hanc agnoſcentibus excæcatiores.

Surius 13. Junii in vita S. Antonii Paduan. Bozius tom. 2. lib. 14. c 3. num. 3.

Addo hic, quod & ipſa [illegible] alia irrationalia, quandoq; veritatem hic latentẽ, intro quodam modo agnóviſſe, ex certis legamus teſtimoniis; quæ & ipſos rebelles hæreticorum animos meritò debeant confundere. Notum eſt, quoд Toloſæ accidit miraculum editum à B. Antonio de Padua, quo Hæreſiarcha Bovillus ad ſanam mentem eſt reductus. Nam cùm diſputaſſet hic publicè cum ſancto viro, contendens in Euchariſtia non eſſe verum Chriſti corpus, & jam convictus eſſet; palàm cunctis audientibus, dixit ſe tum demum creditурum in Euchariſtia haberi verum Chriſti Corpus, ſi hujuſmodi miraculum contingat: Triduanâ, inquit, ego inediâ jumentum famelicum reddam, poſt triduum producam illud in populi conſpectum, parataſq; eſcas proponam. Tu ſtabis ex adverſo cum tuo illo, ut dicis, corpore Domini, ſi jumentum poſthabito pabulo ſuo, properaverit ad adorandum Deum tuum, Eccleſiæ tuæ fidem complectar. Accepit conditionem Vir Sanctus, dies tanto certamini dicta, quâ adveniente, omnes undique in plateam conveniunt. Adducitur ab Hæretico famelicus mulus. Sanctus interim miſſam celebrat in proximo ſacello, quâ peractâ egreditur ad populum, maximâ reverentiâ geſtans Euchariſtiam. Proponitur ante mulum congrua pabuli copia ex una parte, ex altera autem profertur Euchariſtia. Tum Sanctus ad animal converſus, cunctis audientibus & exitum rei præſtolantibus: *In virtute*, inquit, *& nomine Creatoris tui, quem in manibus, licet indignus, teneo; tibi præcipio, ut confeſtim huc humiliter accedas, & eam quam par eſt, illi præſtes reverentiam, ut hinc perſpicuè intelligas perverſitas hæreticorum, omnem creaturam ſuo ſubdi Creatori, quem dignitas ſacerdotalis in altari contrectat*: His dictis dimittitur ſuæ libertati bellua, frena illi laxantur, ac protinus neglecto pabulo ante oculos poſito, uſque ad poplites demiſſo capite, & coram diviniſſimo Chriſti corpore genua curvans, mirabiliter concidit, ibi Catholicorum lætitia incredibilis, hæreticorum confuſio maxima: Hæreſiarcha Catholicæ ſe Eccleſiæ reddidit, hæreſim peſſimam deteſtatus. Refert quoque B. Bonaventura ſuiſſe oviculam S. Franciſco, quæ ſoleret ingredi Eccleſiam, cumque in ſacratiſſima miſſa de more attollebatur Euchariſtia, a præſentibus adoranda, caput inclinans, genua flectebat, aliaque ſigna exhibendi cultus præſtabat, ut cuncti id conſpicati obſtupeſcerent; & ad omnem reverentiam maximè inflammarentur.

Cantip. l. 2. Apum c. 4 p. 1. Bozius l. 14. de ſig. Eccl. c. 2. tom. 2.

Denique ſcribit Thomas Cantiprato accidiſſe, ut quidam fures argenteum vaſculum, in quo condita erat Euchariſtia, furto ſumperent, & fugientes ſacratiſſimum Corpus ſub alveare quoddam projicerent: poſt aliquot dies, dominus alvearis, videt apes certis horis, dimiſſis operis ad cibos convehendos, totas eſſe in quodam melliſluo concentu edendo. Cumque fortè de media nocte ſurrexiſſet, conſpicatur ſuprà alveare illuſtriſſimam lucem, ſuaviſſimèq; præter omnem modum modulantes apes. Rei novitate inſinuata & prorſus admiranda perculſus, Dei monitu intimo agitatus, rem defert ad Epiſcopum. Is plurimis ſecum aſſumptis eo ſe conferens, aperto alveari, videt vaſculum elegantiſſimè effectum è candidiſſima cera, propè alvearis faſtigium. In eo repoſita erat Euchariſtia, circà illud choros apum circumſonantes, & excubias agentes. Acceptum igitur Epiſcopus Sacramentum, maximo cum honore in templum reportavit, quo multi accedentes ab innumeris ſunt morbis liberati.

LECTIO IV.

DE MIRABILIBUS CONTENTIS IN hoc Sacramento.

PROPOSITIO UNICA.

Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe.
Pſal. 110. 4.

IN hoc enim Euchariſtico myſteriorum myſterio, in quo Dei potentia ſapientiæ admirabili conjuncta elucet, nec ſatis ab intellectu humano concipi ac laudari poteſt, meritò utimur verbis Pſal. *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus?* Eluxit mirè divina potentia ſæculi initio, dum ſummis ima conjungens, conſœderavit ſpiritum vitæ cum limo terræ, in hominis formatione. Eluxit & illa in progreſſu ſæculi, per tot prodigia in terra, aquis, aëre, per virgam Moyſis parata. Pſ 105. 2.

At magis admirabilis eſt in ætate noviſſima mundi, dum prodigium à ſæculis inauditum exhibetur, virginitas juncta cum maternitate, maternitas fœdus habens cum virginitate; in illa quæ parit ſine corruptione, gravida eſt ſine gravamine, & puerpera ſine dolore: ſed maximè dum *Verbum, Anima, Caro*, Trinitas, mirabilis conjunguntur, & & fiunt unum *non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ*. Hanc trinitatem in ſubſtantia, unitatem, in perſona, exhibuit nobis Trinitas in perſona, unitas in ſubſtantia. Iterum verò innovantur ſigna, augentur mirabilia, creſcunt Dei miracula, dum *Verbum caro factum*, in hoc ſe ſiſtit Sacramento mentium edulium. Pauca verò hic ex innumeris mirabilibus attingemus. S. Athan. in ſymb.

Mirabilia in Euchariſtiæ Sacramento.

Primum Mirabile, quod hic credit fides, eſt, totam ſubſtantiam panis & vini per conſecrationem converti in ſubſtantiam Corporis & Sanguinis Chriſti: ita ut propterea hæc converſio vocetur *Tranſſubſtantiatio*, & ab aliquibus SS. Patrib. *Tranſelementatio*. Non eſt ergò hæc converſio ſimilis converſionibus naturalibus: quia in his fit ſolùm, ut diverſæ formæ ſibi in eodem ſubjecto ſuccedant: ut autem tota ſubſtantia convertatur in totã ſubſtantiã non poteſt fieri, niſi virtute ipſius Dei, ad hoc nullius

Digitized by Google

lius agentis naturalis virtus poteſt attingere. Quapropter hæc converſio eſt omnino ſupernaturalis, & ideo ineffabilis & incomprehenſibilis, licet ex aliis mutationibus à Deo factis, declarent SS. Patres eam paſſibilem eſſe. Quantis utimur exemplis, inquit D. Ambr. ut probemus non hoc eſſe quod natura formavit, ſed quod benedictio conſecravit: majoremque eſſe vim benedictionis, quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipſa mutatur. Virgam tenebat Moyſes, projecit eam, & facta eſt ſerpens. Rurſus apprehendit caudam ſerpentis, & in virgæ naturam revertitur. Currebant Ægypti flumina puro aquarum meatu, ſubito de fontium venis ſanguis cœpit erumpere. Rurſus ad Prophetæ preces cruor ceſſavit, aquarum natura remeavit. Circumcluſus erat undique populus Hebræorum, hinc Ægyptiis valatus, inde mari clauſus: Virgam levavit Moyſes, ſeparavit ſe aqua in murorum ſpeciem, & inter undas via pedeſtris apparuit. Jordanis retrorſũ converſus, contra naturam in ſui fontis convertitur exordiũ. Nonne hic claret naturam vel maritimorũ fluctuum, vel fluvialis fluxus eſſe mutatam? Sitiebat populus, tetigit Moyſes petram: Nunquid non præter naturam operata eſt gratia ut aquam vomeret petra, quam non habebat natura? Marath fluvius amariſſimus erat, nec bibere poterat populus. Miſit Moyſes lignum in aquam, & amaritudinem ſuam aquarum natura depoſuit, quam infuſa ſubito gratia temperavit. Sciamus ergo majoris eſſe virtutis gratiam, quam naturam. Et tantum valuit ſermo Eliæ, ut ignem de cœlo deponeret; non valebit Chriſti ſermo, ut ſpecies elementorum mutet? Si de cunctis mundi operibus *ipſe dixit, & facta ſunt*, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non poteſt ea quæ ſunt, in id mutare quod non erant? An minus eſt novas rebus dare, quam mutare naturas? Prætet naturæ ordinem Virgo generavit, & hoc quod conficimus corpus, ex Virgine eſt. Quid quæris naturæ ordinem in Chriſti Corpore, cum præter naturam ſit ipſe Dominus Jeſus natus ex Virgine? Sic ergo Ambroſius, ſic & alii Patres, ex cæteris mirabilibus Dei, admirabilem hanc converſionem confirmant: quia multa miracula antiquitus præceſſerunt, ut ad miraculorum miraculum viam ſternerent, ejuſque fidem adſtruerent; fidem ſcil. Incarnationis, ex qua innumera debebant oriri miracula & myſteria quorum omnium compendium continet hoc Sacramentum.

Amb. l. 4. de Sacrã. c. 4. & 5. & l. de iis quæ myſteriis initiantur c. 9. v. teſtimonia apud Bellar. l. 4. de Euchar.

Secundum mirabile, quod hic aſſerit fides, & ex priori ſequitur, eſt, accidentia quæ ibi remanent eſſe ſine ſubjecto, v. g. albedo, rotunditas, ſapor. Abſit enim, ut dicamus ineſſe pani, quandoquidem tota panis ſubſtantia, etiam materia, in Chriſti Corpus ſit converſa. Et ita licet viſus, guſtus, odoratus, tactus, judicent ibi eſſe panem; decipiuntur, niſi à fide corrigantur. Olim Iſaac, dum Jacob ad eum acceſſit, in omnibus ſenſibus deceptus fuit: in viſu, quia caligabant oculi; in odoratu & guſtu, quia putavit ſe comedere de venatione: in tactu, ob pelles hædi, quibus Jacob erat circumvelatus: ſola vox ei non impoſuit, nec decepit. *Vox quidem, vox Jacob eſt.* Ita in hoc myſterio ſenſus omnes decipiuntur, ſolus auditus eos corrigit, credens verbo Chriſti, & redigens in obſequium fidei. Neque etiam accidentia illa dici poſſunt inhærere Corpori Chriſti, neque enim illud (ut ibi apparet) album eſt, aut rotundum, aut inſtar panis ſapidum, cum ſit glorioſum. Veſtitur tamen & circumvelatur hiſce accidentibus, licet ei non inſint; voluitque Deus illa permanere ad ſignificationem myſterii, & exercitium meritumque noſtræ fidei. Vis ergo ſcire, quid ſint hæc accidentia? Quid ibi ſpecies ſacramentales agant? Gen 27. 22.

Primo quidem recte dixerim, velum eſſe ſpecies illas, & quidem ſacratum intra quod latent Sancta Sanctorum, humanitas ſcilicet divinitati conjuncta. Secundo dico eſſe nebulam operientem glotiam Domini, ſive *nubem illam levem*, intra quam latens, *commoratur in Ægypto noſtra* quamdiu per fidem ambulamus, donec ad vultus ſpeciem pertingamus. Tertio umbra ſunt, contegens fulgurientes Solis noſtri radios, quos alias in propria ſpecie infirmi oculi noſtri ſuſtinere, aut intueri non poſſent. Interim temperatos lucis ſuæ radios, per hanc umbram jacit in corda noſtra: dum devotionis ac gratiæ lumen, per hoc Sacramentum in nobis accendit, *donec adſpiret dies, & inclinentur umbræ.* Tunc enim paſcet nos in meridie fœlicitatis æternæ, *& in lumine videbimus lumen*, in lumine æternitatis, lumen Divinitatis. Quarto accidentia ſive ſpecies illæ ſacramentales, conficiunt parietem, retro quem Sponſus noſter latet; ita ut hic vere dicere poſſimus cum Sponſa: *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrũ, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.* Nam recte SS. Patres per *Parietem noſtrum*, intelligunt carnem, quam ex nobis aſſumpſit; appropinquavit enim parieti, dum adhæſit carni: & ſicut paries occultat eum, quia poſt parietem eſt; ſic caro occultabat divinitatem. Tamen paries ille habebat feneſtras, & cancellos, quibus aliquo modo poterat à nobis videri: actus ſcilicet multos Divinitatis, & opera miraculoſa, quæ manifeſtabant eum, qui poſt parietem latebat, eſſe Deum verum, ut notat Div. Gregorius. *Opera*, inquit, *divina fecit; & humana pertulit, ſicque quaſi per feneſtras & cancellos ad homines proſpexit, ut Deus appareret ex miraculis, & lateret ex paſſionibus, & homo cerneretur ex paſſionibus, ſed tamen eſſe ultra hominem, ex miraculis agnoſceretur.* Sicut vero Verbum divinum ſtetit occultum poſt parietem carnis aſſumptæ; ſic humanitas ſimul cum divinitate, latet poſt parietem ſacramentalium ſpecierum, accidentibus panis occultatus. Iſa. 19. 1. Cant. 2. 17. Pſ. 35. 10. Cant. 2. 9. v. Gre. Cant. & hom. 15. in Ezech.

Dicat ergo Eccleſia, dicat anima fidelis: *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum.* Quis ipſe? Ipſe Filius Dei, ipſe Deus & homo, ipſe dilectus, Sponſus ipſe animarum, Paſtor & Salvator, interſtitio accidentium nobis occultatur, & Sacramento noſtro obtegitur: Stat tamen, ſeipſo cibo vitæ paratus nos paſcere,

præcinctus & paratus, ut auxilium nobis adverſus hoſtes ferat, adverſus eos qui tribulant nos. Ibi nos reſpicit per feneſtras, proſpicit per cancellos, per modos ſubtiles & inenarrabiles. Videt is nos clarè, licet ſe videndum non præbeat, niſi per fidei noſtræ cancellos & obſcurè. At reſpiciens nos, jacit ſacri amoris affectus in cor noſtrum, & invitat nos, invitat omnem animam fidelem : *Surge, propera amica*
Cant. 2. 10. & 14. *mea, columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ. Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis.* Invitat ad vulnerum ſuorum factam conſiderationem, in hoc memoriali Paſſionis; & ad exprimendam vocem contritionis & amoris.

Tertium mirabile, quod hic credit fides, eſt Corpus Chriſti ſub his ſpeciebus eſſe æque magnum ac in Cruce, ſive in Cœlo. Quod mirum plane eſt, ſub adeo exigua panis formula, Corpus quinque aut ſex pedum contineri. Sed id fit ſupernaturali virtute & modo, per quem licet quantitas Corporis Chriſti ſit eadem ac in Cruce, non habet tamen extenſionem ad locum : & ita partes ejus non impediunt ſe in eodem loco. Non eſt tamen hic confuſio partium Corporis Chriſti; quia habent diſtinctionem & ordinem corpori humano congruentem. Et quamvis actu extenſæ non ſint, aut locum non occupent; ita tamen inter ſe diſpoſitæ ſunt, ut niſi ſupernaturaliter impedirentur, etiam actualem in loco extenſionem habituræ forent. Itaque diſtinguunt Theologi extenſionem actualem & aptitudinalem, ſive intrinſecam; hæc poſterior eſt eſſentialis quantitati corporis, per quam fit, ut aptum ſit occupare ſpacium extenſum : illa autem prior actualis, non eſt de eſſentia quantitatis. Et ita quia Corpus Chriſti in Sacramento habet ſuam quantitatem, habet & illam aptitudinalem ſive intrinſecam extenſionem, per quam fit, ut ſit ordo partium in toto; non habet autem (ob myſterium) actualem extenſionem : & ideo non eſt ordo partium in loco, ſive non occupat actu tantum ſpatium, quantum naturaliter requirit, aut quantum in Cruce, aut Cœna de facto habuit. Quia eſt ibi modo omnino ſupernaturali, & non ſicut locatum in loco, nec ſub dimenſionibus propriis, ſed ſub dimenſionibus quæ prius fuerunt panis & vini.

An non hoc eſt *Verbum abbreviatum, quod fecit Dominus ſuper terram* ? Divinitatem ſuam immenſam quodammodo abbreviaſſe cenſetur Deus, ſub carnis tegumento collocans. Nunc autem & divinitatem & humanitatem ſub panis ſpecie abbreviant, orbe claudit modico, totius Orbis Dominum. An non & hoc myſterium inſinuaſſe exiſtimandus eſt Iſaias, dicens : *Dabit vobis Dominus panem arctum & aquam brevem, & non faciet ultra*
Iſ. 30. 20. *à te avolare doctorem tuum.* Quis eſt panis ille arctus, niſi hoc Sacramentum, in quo corpus integri hominis & Dei, ſub panis fruſtulo continetur, & quodammodo arctatur ? Quæ aqua brevior, ſive quis potus magis abbreviatus, quamvis in quo ſub vini guttula, totus Chriſti deificus Sanguis abbre viatur & comprehenditur ? Denique nunquid ob hoc Sacramentum maxime verum eſt ; *Non faciet ultra à te avolare doctorem tuum* ? In illo enim, Doctor ac Magiſter æternæ ſalutis continetur in ſæculum ſæculi. Et licet avolarit in cœlum ſecundum formam viſibilem ; manet tamen ibi nobiſcum inviſibiliter, erudiens nos, & paſcens pane vitæ, potans aqua viva, aqua ſaliente in vitam æternam. Sitiens eſt ibi ipſe noſtram ſalutem, noſtrum amorem, petens à nobis bibere, de illo vino condito ; & muſto malo granatorum, quod ei propinat Sponſa, hoc eſt, de ſuavibus deſideriis, piiſque affectibus, quos animæ afferunt ad hoc ſacrum epulum. Dicere ergo mihi hic licet, quod olim Dominus Samaritanæ : *O mulier*, ô anima fidelis, *ſi ſcires donum Dei,* Joan. 4.
ſub his Sacramentalibus contentum & abſconditum : ſi ſcires quis ſit ille, qui hic latens dicit tibi: *Da mihi bibere.* Tantum abeſt, ut repudiares hoc donum, hunc panem arctum, hanc aquam brevem; ſed humili & ferventi animo accederes, *& peteres ab eo aquam vivam* : nam hic eſt fons, in quo bibitur illa gratis.

Si quiſpiam optat juvari, ad rudem aliquam intelligentiam modi hujus admirabilis & ſupernaturalis, quo corpus adeo magnum in tam exiguo ſpacio conſtituitur, audiat ex D. Thoma ſimilitudinem Simile
quandam naturalem. *Tam longa eſt*, inquit, *longitudo* ex D.
turris, ac ipſa turris ; eſt tam lata latitudo turris, ac Th. in
ipſa turris : attamen ſpecies & figura turris, tota com- opuſc. de
prehenditur & recipitur in oculo ; quia ſi non eſſet illa Euchar.
ſpecies longitudinis in oculo noſtro, non poſſet homo per aſpectum de illa longitudine judicare. Idem dic de Sole, luna, ſtellis, quorum omnium magnitudo in oculo parvo capitur. Si ergo hoc eſt mirabile & certum, non eſt incredibile Corpus Chriſti poſſe contineri ſub hoſtia adeo parva, licet perfecte id intelligere nequeamus. Hæc D. Thomas.

Quantum mirabile eſt, Corpus Chriſti ita eſſe totum ſub hoſtia conſecrata, ut ſit etiam totum ſub qualibet parte. Ratio eſt, quia eſt ibi per modum ſubſtantiæ ; unde ſicut ſub qualibet parte panis, eſt ſubſtantia panis, & ſub qualibet gutta vini, eſt ſubſtantia vini : ita ſub qualibet parte ſpeciei ſacramentalis, eſt Corpus Chriſti, quod pani ſucceſſit : & ſub qualibet gutta ſive ſpecie vini, eſt Sanguis Chriſti. Declarari etiam id ſolet exemplo Similia.
animæ, quæ tota eſt in toto corpore, & tota in ſingulis ejus partibus & ita tota in ſolo digito, ſicut in toto corpore. Declarari id etiam poteſt exemplo ſpeculi, in quo reſultat imago noſtra tota ; & ſi in plures partes illud diviſeris, in ſingulis partibus reſultat imago tota. Non incongruum etiam eſt exemplum verbi prolati, quod integrum procedit ab ore proferentis ; & licet ſparſum in aerem videatur dividi, dum multi audiunt, tamen ſinguli non diviſum, ſed integrum audiunt. Licet vero in his ſimilibus multa quis reperire poſſit diſſimilia ; tamen rudem aliquam intelligentiam hujuſce rei (quam admiramur, nec ſatis intelligimus) his qui pervica-

Digitized by Google

pervicaces non fuerint, præbere poſſunt : interim nonniſi fide aſſequi hæc poſſumus, per quam credimus, ſub qualibet minima ſenſibili particula nos tantum accipere, quantum quis acciperet maximam ſumens hoſtiam.

Rupertus. Figura quædam hujus rei præceſſit in Manna, de qua cum colligeret alius plus, alius minus : non tamen qui plus colligerat, plus inveniebat : nec qui minus paraverat, reperit minus. Quod ad hoc myſterium ſic refert Rupertus. Hoc, inquit, quo virtute cibi & ſpiritualis potus, id eſt, Corporis & Sanguinis Chriſti ſciendum, & firmiter tenendum eſt: *Quod non pro quantitate portionis, quam quiſque ore percepit ſecundum viſibilem ſpeciem panis & vini, alius plus, alius minus conſequitur de gratia vivificantis Spiritus, Sicut enim Adam cujus nos iniquitatem portamus, non pro quantitate morſus ſui (ſive pomi quod momordit) ſententiam, & damnationem juſtam accepit; tantumque illi valuit unum pomum momordiſſe, quantum ſi quicquid pomorum in arbore illa fuit, devoraſſet : ſic è contrario unuſquiſque noſtrum non pro quantitate portiuncula vivificæ panis, quæ illi frangitur quam ore ſumit, aut dentibus terit, gratiam & vitam accipit.*

Exempl. Bredenbach. l. 1. Collat. ſacr. c. 55. an. 1384. Ad hujus rei confirmationem facit divina illa ultio, quæ anno 1384. contigit Oſvvaldo Mulſero in comitatu Tirolis. Hic nobili ortus proſapiâ, tempore paſchali voluit majori Hoſtiâ uti, quam cæteri laici. Sacerdos tanquam Domino temporali loci illius non auſus fuit id denegare. Verum dum ei in os inſerit ſacram Hoſtiam, ecce miraculosè ante altare terra ſe aperit quaſi ipſum abſorpturа, & in illam uſque ad genua cecidit. Ille vero manibus latus altaris apprehendit, ſed altare inſtar ceræ molleſcens, manibus ceſſit. Oſvvaldus præſentem Dei vindictam præſentiens mox pœnitentia ducitur, veniam à Deo precatur. Cumque hoſtiam deglutire non poſſet, Deo id non permittente, Sacerdos eam in ſacrarium reponit : Quæ etiamnum illic ſanguineo colore divinitus tincta, & ex linguæ ſaliva nonnihil contracta, conſpicitur. Ubi etiam jam inde ad noſtra uſque tempora plurimn fiunt miracula, Hanc rem his verbis teſtatur, Auctor Sacratum Collationum. *Ego Tilmannus Bredembachius ex Urbe in Germaniam reverſurus, ad locum iſtum deverti, altare ipſum & in eo manus Oſvvaldi, veſtigia vidi & contrectavi, ac juxta illud terræ hiatum quo abſorberi caperat, modo ferreis cancellis obtectum : denique ipſam hoſtiam & caſtrum, in quo vixit, conſpexi.* Porrò Oſvvaldus iſte, ſic divinitus correptus in moleſtam incidit ægritudinem, pœnitentiamque agens & confeſſus aliquanto ſupervixit tempore, demum mortuus in Domino. Extat hujus miraculi tabula ænea in Pago Seveld in Comitatu Tirolis.

Quintum mirabile ſequitur ex præcedenti, fractionem ſcilicet aut diviſionem hoſtiæ nullo modo attingere corpus Chriſti, ſed ſolas ſpecies, ſive quantitatem ſub qua antea erat panis. Unde ſi quandoque dicatur à Sanctis Patribus corpus Chriſti frangi vel atteri dentibus (ſic Berengarii confeſſio loquitur) id ſolum verum eſt denominatione extrinſeca, quia ſpecies Sacramentales franguntur vel atteruntur, ſub quibus præſens eſt realiter: ipſum autem propriè non frangitur; quia nulla in ipſo fit partium diſcontinuatio. Sic in Miſſæ ſacrificio ob rationes myſticas in tres partes dividitur hoſtia. Primò ad deſignandam triplicem illam diviſionem corporis Chriſti in cruce, in manibus, ſcilicet, pedibus, & latere. Secundò ob tres ſtatus Chriſti, qui aliquando fuit mortalis, aliquando mortuus, aliquando immortalis. Tertiò propter tres naturas ſive ſubſtantias in una perſona, divinitatem, animam, corpus : Vel etiam ob fidem Trinitatis in una eſſentia. Quartò ob tres ſtatus animarum participantium de fructu hujus Sacramenti; quia viventes gratiam, qui in purgatorio ſunt refrigerium, qui in cœlo lætitiam ſpecialem participant de Miſſæ ſacrificio. Eſt ergo hæc fractio facta & myſtica, à Sacerdote magna reverentia facienda. De conſecr. d. 2. *Cur in Miſſa dividatur Hoſtia in tres partes?* D. Tho.

Sed & licet ab impiis quælibet indigna confractio, conculcatio, aut injurioſa tractatio circa hoc Sacramentum ſiat, non tamen attingit corpus Chriſti, ſed ſolas ſpecies: illud enim incorruptibile eſt, & impaſſibile, nulliuſque læſionis ſuſceptivum. Quocirca non plus illud læditur, quàm radii ſolares læderentur ab inſano homine, qui pedibus eos tentaret proterere, aut gladio in partes conſcindere, aut luto commaculare. Quia tamen Deus ultor eſt injuriæ Sacramento ſuo factæ, aliquando prodigioſus ſanguis ex hoſtiis conſecratis parricidali impiorum manu impetitis, effluxit, ad deteſtationem ſceleris, & probationem veritatis.

E plurimis exemplis unum ætatis noſtræ ſubnecto. Judæus quidam Leo nomine, Pragæ in Bohemia ad fidem converſus, familiaris erat cuidam Franciſcano, qui infirmorum curam gerebat, ſalutare viaticum eis adminiſtrans. Hic diligenter obſervans ubi hoſtiæ conſecratæ reponerentur, adhuc Judaizans tres hoſtias clam ſurripuit, chartæ involvit, & Presburgum in Hungariam profectus, ad Judæum in hoſpitium divertit. Aliquot dies ibi moratus, ſæpè cum hoſpite de Chriſto & Sacramento diſputavit. Interrogavit hoſpes Leonem, an aliquando hoc Sacramentum percepiſſet? Reſpondit Leo ſe percepiſſe; & illuc tandem ſermo devenit, ut Leo tres conſecratas hoſtias è ſinu deprompſerit, & Judæo ſpectandas dederit. Is orat ſibi donari duas, conſentit Leo : & has quidem acceptas in arculam reponit Judæus, & accuratè cuſtodit, donec Leo proficiſceretur. Illo abſente convocat ſuæ ſectæ Judæos, & illis exhibet hoſtias. Collato autem conſilio, dicunt experiendum, an in Chriſtianorum Sacramentis ſit dolus? Ponit ergo in menſa Hoſtiis, unus accepto cultro dicit: ſi verè Chriſtianorum Deus ſis, hic virtutem tuam exere. Sic cultrum in hoſtiam adegit, ita-

Digitized by Google

timque copioſus ſanguis effluxit. Territis miraculo Judæis, mox vindex Deus adfuit, & fulmine domum concuſſit: ita ut ignis exardeſcens, hoſpitem cum uxore, duabus filiabus multisque Judæis conſumpſerit. Tres tantum incolumes evaſerunt, menſa & hoſtiæ in medio incendio intactæ manſerunt. Gubernator urbis videns incendium, mittit famulos ut cauſam inquirant: venientes illi didicerunt Judæos aliquos in iſtis ædibus fuiſſe congregatos: quid verò egerint non conſtare, multis igne abſumptis tres evaſiſſe. Quæruntur ergo illi, & inventi in vincula conjiciuntur. Tandem per torturam coacti, rem geſtam ordine narrant. Gubernator ut tantum ſcelus debitis pœnis expiaret, exquiſitiſſimis tormentis excarnificari tertioque die adactis per corpora ſemi-viva palis, in via regia collocari præcipit anno 1591.

Sic Judæi Bruxellæ anno 1399. ſexdecim circiter hoſtias in die Paraſceves transfixere, è quibus guttæ ſanguinis apparuerunt; prout adhuc hodie cernere licet ibidem, quia tres adhuc ſervantur. Et hi quidem ignis ſupplicio puniti fuere, ſed Sacramentum ipſum, plurimis miraculis claruit. Vide hiſtoriam latius apud D'averoultium in floribus Exemp. aut in Speculo exemplorum redacto per P. Joan. Majoris.

D'averoultius. c. 5. tit. 3. exempl. 7.

Sextum mirabile eſt, quod ab initio primitivæ Eccleſiæ uſque in finem ſæculi, fideles ſumunt quotidiè corpus Chriſti (ita ut innumera hominum millia illud ſumpſerint integrum) nec tamen in aliquo fuerit diminutum, aut imminuendum, nec enim augeri poteſt, licet totus panis in orbe exiſtens a Sacerdotibus conſecraretur: nec imminui, licet omnes mundi homines illud ſumerent, unicum ſcilicet ſemper integrum perſeverat. Id adumbrare voluit Chriſtus, miraculo illorum panum quos benedixit & tot hominum millia ſatiavit, & nihilominus Deo illos multiplicante, nihil imminutum fuit: ſed ſuperabundavit. Ita à mille ſexcentis annis corpus unicum Chriſti ſufficit toti quæ in Eccleſia eſt multitudini; multiplicatur ſine multiplicatione; comeditur ſine conſumptione; à centum millibus perſonarum ſimul ſumitur, & unicum eſt integrumque manet & in æternum manebit. Nam qui dixit viduæ in Sarepta per os Eliæ: *Farina hydria non deficiet, nec lecythus olei minuetur, usque ad diem in qua Dominus daturus eſt pluviam ſuper faciem terræ.* Idem potuit dicere & efficere, ut panis ille vivificus, qui ex pugillo frumenti conficitur, non deficiat uſque ad finem ſæculi, ſemperque oleum gratiæ & pinguedo ſpiritualis, ab hoc pane oleato, pane Chriſti, in animas defluat.

Matth. 15. Joan. 6. 11. 26.

3. Reg. 17. 14.

Septimum mirabile præcedenti affine eſt, corpus Chriſti ſimul in diverſis locis eſſe, iisque innumeris: quia eſt in quibuſcumque altaribus poſt conſecrationem præſentia Sacramentali, in Cœlo præſentia naturali. Hoc inter cætera maximè intellectu eſt difficile, ideoque tanquam impoſſibile ab hæreticis oppugnatur & repudiatur. Sed certum eſt non repugnare corpori, ut per omnipotentiam divinam ſit in diverſis locis, non ſolum modo Sacramentali, ſed etiam præſentia naturali in propria ſpecie. Declaratur id in ipſo Chriſto, qui quando apparuit Apoſtolo Paulo, fuit ſimul in Cœlo & in terra, ſive aere terræ vicino: fuiſſe in Cœlo admittunt hæretici, fuiſſe autem ſimul in terra vel aere ex Scriptura colligitur: tanta enim lux illius qui apparuit, Paulum circumfulſit, ut exeæcarit; quod non eſt factum niſi à luce Dominici Corporis propinqua. Unde & Paulus Chriſto tanquam homini præſenti loquitur: *Quis es Domine?* Confirmatur ex alia apparitione qua conſtat Chriſtum apparuiſſe Paulo in terra & non in Cœlo. *Sequenti nocte aſſiſtens ei Dominus ait: Conſtans eſto. Sicut enim teſtificatus es de me in Hieruſalem: ſic te oportet & Romæ teſtificari.* Et ipſe Paulus de ſe: *Nonne Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum vidi?* Et, *Noviſſime autem omnium tanquam abortivo viſus eſt & mihi.* Aliud quoque exemplum habemus de Chriſto Domino, qui quondam apparuit Petro in via, dum ille egrederetur, fugiens perſecutionem. Cumque eum agnoviſſet Petrus, & interrogaſſet: *Domine quo vadis?* Reſpondit Chriſtus, *Vado iterum Romam crucifigi.* Quibus verbis intellexit Petrus martyrium ſuum vicinum, id eoque animo confirmatus, in urbem regreſſus eſt, & paulò poſt in ſimilitudinem Chriſti in crucem eſt actus, ſicque iterum Chriſtus quodammodo in eo eſt crucifixus. Teſtis eſt D. Ambroſius, & Romæ ejuſce rei memoria publicis tabulis eſt conſignata in loco ubi Chriſtus apparuit.

Act. 9. v. 4. & 17. Act. 22. v. 9. Act. 25. 11. 1. Cor. 9. 1. 1. Cor. 15. v. 8. S. Ambr. epiſt. 31. Nauclerus to. 1. gen. 5.

Si itaque potuit Chriſtus in Cœlo & in terra Corpus ſuum præſens exhibere, potuit & idipſum ſub ſpeciebus ſacramentalibus ubi voluerit præſentare. Quod ſi interroget hæreticus; *Quomodo fiet iſtud?* cum ratio naturalis non ſatis id poſſit demonſtrare, ſufficiat dicere, id fieri *virtute Altiſſimi ſuperveniente & operante.* Qua eadem virtute, cætera mirabilia facta ſunt quæ non intelligimus, quomodò Virgo generarit, quomodo corpus è monumento egreſſum ſit, quomodo corpus idem è cineribus reſurgere poſſit. In his omnibus dicit fides: *Teſtimonia tua Domine, credibilia facta ſunt nimis* Dicat & ſimplex Fidelis: *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Major eſt Deus corde noſtro, inquit Auguſtinus, omnia quæcumque voluit, fecit, in Cœlo, in terra, in abyſſis. *Qui te magna credere juſſit, Omnipatens eſt. Sit ergo pro lance rationis, omnipotentia Creatoris.*

Pſ. 92. 5. S. Aug.

Octavum mirabile eſt, non ſolum Corpus Chriſti contineri ſub ſpecie panis, aut Sanguinem ſub ſpecie vini: ſed & ſub utraque ſpecie contineri quicquid in Chriſto eſt, Corpus cum omnibus membris, perfectiſſimè diſtinctis & integris, quatuor dotibus gloriæ veſtitis, cum eadem majeſtate & gloria, quam in Cœlo habet. Etenim hic immor-

Digitized by Google

mortale eſt, impaſſibile, Sole clarius, cum agilitate & ſubtilitate, quam in ſtatu gloriæ poſſidet. Conſideret hic igitur anima Chriſtiana ſacratiſſimũ ejus caput, olim ſpinis compunctum, benigniſſimoſque pedes & manus, cum ſignis vulnerum & clavorum, quorum fulgor Solis radiantem ſuperat fulgorem; Sed hic abſconditus eſt ſub nube & umbra Sacramenti. Conſideret divinos ejus oculos cor noſtrum rapientes, imò & ipſum cor conſideret, amore ardens, cujus flamma exundat per latus illud lanceâ perforatum: hæc enim omnia ſuo velo ſpecierum fides introſpicit.

Secundò continetur ibidem Sanguis in venis precioſis Corporis Chriſti. Licet enim ſeparatim Sanguis conſecretur à corpore, & corpus a ſanguine, ad repræſentationem mortis & paſſionis, ſivè Chriſti in cruce immolati (in qua immolatione ſanguis à corpore diviſus fuit) tamen à parte rei, indiviſibiliter juncta ſunt Chriſti Corpus & Sanguis, etiam in utraque ſpecie conſecrata: quia *Chriſtus reſurgens à mortuis non moritur*, jam Sanguis ejus à Corpore non ſeparatur, niſi repræſentatione. Rom. 6. 9.

Tertiò, ſequitur ibidem animum contineri, quæ vitam tribuat & ſanguini & corpori, nec enim per modum rei inanimatæ hic exiſtit, ſed panis vivus eſt Corpus Chriſti, anima vivificante ipſum, cum tota gloria quam in æternum poſſidebit. Nos quoque hic, tanquam inſtrumentum vitæ ſanctificat anima Chriſti. Quapropter poſſunt hic dicere Angeli, dicere & nos poſſumus ratione fidei: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Licet enim oculus corporalis animæ, Chriſti hic exiſtentis gloriam non poſſit percipere, ſicut nec gloriam corporis, oculus tamen mentis fidei illuminatus, illã attingit. Qui etiam agnoſcit omnia animæ Chriſti merita & ſatisfactiones ibidem contineri, quorum participes facit omnes cum debita diſpoſitione accedentes. Joan. 1. 14

Quartò hic Divinitas continetur: cum nulla ratione ſeparata unquàm fuerit à corpore vel ſanguine, ne quidem in triduo mortis. In quo quidem triduo, ſi quis conſecraſſet utramque ſpeciem, poſuiſſet corpus emortuum ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſeparatim ſub ſpecie vini; eò quod illa tunc ſeparata erant; fuiſſet nihilominus divinitas juncta corpori, juncta quoque ſeparato ſanguini, quia à neutro unquam abfuit. Hoc verò adverte, rectè à Theologis hic dici, quædam in Sacramento eſſe *ex vi verborum*, quædam *per concomitantiam*. Vi verborum dicitur eſſe illud, cujus præſentia ad veritatem verborum eſt neceſſaria, ſivè quod præcisè per verba ſignificatur. Per concomitantiam eſt, quod in Sacramento eſt, non tanquam ſimpliciter neceſſarium ad verborum veritatem, ſed quia habet realem unionem cum eo, quod ſimpliciter neceſſarium eſt: Sic ſub ſpecie panis ex vi verborum eſt Corpus Domini non ſanguis, & ſub ſpecie vini ſanguis, non corpus; utrumque tamen per concomitantiam (propter realem unionem) anima continetur ac divinitas, & quæ habent cum humanitate Chriſti ac ejus divinitate neceſſariam aliquam connexionem. Itaque de hoc pane vivifico verum eſt illud Prophetæ: *Commixtum migma comedent, ſicut in area ventilatum eſt*; hoc eſt, frumenti varii miſcellam ſivè farraginem comedent, inquit D. Hieron. Per quam aliqui rectè intelligunt hoc Sacramentum, quia ſacra Euchariſtia commixtionem hunc continet admirabilem, ex Deitate, Anima, Corpore, Sanguine Chriſti, cum ſpeciebus panis & vini. Deinde, quia ſpecies ex variis granis fiunt & commiſcentur, ſignificantque commixtionem noſtri cum carne Chriſti, cum Deo & tota Trinitate, cum Angelis & hominibus per charitatem. ſub cortice igitur hujus Sacramenti, continetur adeps multiplicis frumenti, variuſque cibus latet, quo anima veſci poſſit cum ſapore. Cato enim cum ſanguine, divinitas cum humanitate, anima Chriſti cum meritis omnibus ſuis, cum tota ſua gloria & beatitudine, verè cibus hic ſunt benè maſticandus, diligenti conſideratione ruminandus, ut paſcant, & delicias animæ præbeant. Hoc nempè eſt commixtũ illud migma, ſive frumentum ad quod reſpiciens Propheta vaticinans de variis novi teſtamenti donis. Illudque Paſſionis ventilabro agitatum fuit, ac Crucis molæ impoſitum, ut mortalitatis palea ab eo ſeparata, panis vivificus nobis fieret, & immortalitatis alimonia. Deo nos conjungens & commiſcens, Divinitatis nos conſortes efficiens. Isa. 30. 24. S. Hieron. in loc.

Hæc igitur pauca ex innumeris, quæ hic continentur mirabilibus, ſufficiat attigiſſe. Beati interim, qui luce fidei illuminati, fatentur adeſſe inveſtigabiles divitias Chriſti, in hoc Sacramento à ſæculis abſcondito; per quod *innoteſcit Principatibus & poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei, ſecundùm præfinitionem ſæculorum, quam fecit in Chriſto Jeſu Domino noſtro*, ut loquitur Div. Paulus. Non infructuoſum erit, cum eodem Apoſtolo contemplari in hoc pietatis Sacramento, *quæ ſit longitudo & latitudo, ſublimitas & profundum* divini in nos amoris, *ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Attende breviter has quatuor dimenſiones, ſupereminentes non ſolum ſcientiam humanam, ſed & Angelicam. Eph. 3. 10. Eph 3. 18.

Nota, quædam eſſe in hoc Sacramento Vi Verborum, quædam per concomitantiam.

DE QUATUOR DIMENSIONIBUS MYSTICIS SACRAMENTI.

1. Sacramenti ſublimitas.

PRimò quidem, ſublimitas altiſſima & incomprehenſibilis ſic cernitur in eo, quod illum, qui eſt ſplendor gloriæ Patris, Altiſſimi Filium ſecundum Divinitatem, excelſior Cœlis factus ſecundum humanitatem, ſederiſque ad dexteram Patris, adducit huc amor (in cœlis nihilominus manentem)

nentem) & specierum sacramentalium orbiculo circumcludit: ut hic adoretur ab Angelis sicut & in cœlis; ibi & in cœlesti solio & radiante throno, hic sub sacramentali umbraculo. O sublimitas! ô verè supereminens altitudo in hoc inclusa mysterio! Quantumlibet homo mentem erexerit aut accesserit *ad cor altum*, ut id comprehendat, *exaltabitur Deus*. Dicere hic possumus cum Propheta: *Domine, quis credidit auditui nostro, aut brachium Domini, cui revelatum est?* Multæ mentes incredulæ, nolunt assentiri illi, quod à te audivimus disertis verbis pronunciante: *Hoc est Corus meum, hic est Sanguis meus*, & quia hanc verborum tuorum amorisque tui altitudinem non attingunt, hallucinantur & discredunt. Non est illis revelatum brachium tuum; hoc est, potentia illa altissima eis non est agnita, quâ multa potes super captum non tantum ipsorum, sed & omnium hominum & Angelorum. His ergò dicimus cum Apostolo: *Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendit in cœlum? id est Christum deducere: Aut quis descendit in abyssum? hoc est, Christum à mortuis revocare.* Sensus est (interprete Chrysostomo, Theodoreto, & D. Thoma.) Noli circa Incarnationis mysterium, aut Resurrectionis, incredulus esse, aut scrutator nimis curiosus, dicendo: Quis ascendit in cœlum, ad deducendum Christum ad nos? Aut quis descendit in abyssum, ut indè Christum revocaret à mortuis: Sic in hoc mysterio, quod utrumque, sive Incarnationis, sivè Resurrectionis complectitur, noli esse incredulus, dicendo in corde tuo. Impossibile esse deducere eum de cœlo, sivè esse hic & in cœlo: impossibile quoque esse, Christum iterùm carne vestiri, in hoc Sacramento iterùm immolari, in hoc sacrificio iterùm verè nobis adesse, durante hoc sæculo. *Prope* enim *est verbum ejus in ore tuo.* Hoc est Corpus meum: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Sic ergò & in corde tuo per assensum fidelem, quia veritas non potest esse contraria veritati. Hoc est verbum fidei, quod prædicamus: imprimatur illud verbum à verbo æterno procedens, cordi tuo, ori tuo; ut verè credas, & verè loquaris: nec tropis aut figuris, umbrisque inhæreas, ut obnitaris veritati. *Qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum verè. Quid paleis ad triticum,* dicit Dominus apud Prophetam: quod & hic locum habet: noli contentus esse paleâ, cum tritico possis frui: noli contentus esse umbrâ, cùm possis frui veritate: alioqui rectè te cani Æsopi comparabo, qui veram carnem relinquens, umbram sectatus est, & inanis ac latrans discessit. Sic tu, dum veram Christi carnem abnuis, & figuram illius apprehendere niteris, nihil tenes, vacuus discedis & sine fructu. Deindè contra veritatem latrans, ingratus illius amori, qui adeò alto consilio usus est, ut non potuerit sublimiùs amorem declarare, quam dum te propriâ voluit substantiâ sic pascere. Admirare ergò potiùs consilii altitudinem, obstupesce mysterii sublimitatem.

Pſ.63.7. Isa.53.1. Rom. 10. 16. Rom. 10. 6. Hier. 23. 28. Rom. 10. 8. Matt.28. 20.

Secundò, profunditas hic admiranda est, quæ in eo consideratur, quod is, qui in forma Dei est Patri æqualis, non solum exinanivit se, ut caro fieret, & formam servi acciperet; sed etiam ut adeò humili tegumento specierum Sacramentalium se subvelaret. Et qui semel per carnis assumptionem infixus est in limo profundi: quotidiè adhuc absconditus venire voluit ut cibus, in profundum stomachi nostri, ac divinitatem, quam semel assumptæ impertierat carni, jam certo quodam modo in hujus Sacramenti sumptione, cuilibet impertiri homini, accedere volenti. Verè Domine, *Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ, Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.* Sed & hoc ipsum dignationem tuam commendat, quod non solum ad puras animas digneris sic venire; imò etiam usque ad cœnosas & fœtentes abominabilesque conscientias, dignaris te demittere, verè ibi infixus in limo profundi. Quomodo pollet charitas tua profundius demitti? Ascendit usque ad cœlos celsitudo tua; descendit usque ad abyssos profunda humiliatio tua: & per hoc Sacramentum admirabili planè modo, abyssus tuæ misericordiæ, abyssо subvenit nostræ miseriæ. *2. Sacramenti profunditas.* Pſ.91.6.

Dicitur quidam Philosophus cujusdam profundæ abyssi, non intelligens fluxum & refluxum, dixisse: *ô Abysse, cùm te capere non valeam, tu me cape*; sicque se illi immersisse. Melius & fœlicius Christianus, hujus mysterii profundum non satis intelligens, idem dixerit, & huic se amoris abyssо totum immerserit humiliando se, & exaltando divinam bonitatem super se. Ama, ô Christiane, amorem illius, qui amore amoris tui, non solum descendit in uterum Virginis, sed & in pectus tuum & cujuslibet hominis; ut sic amorem suum, amori tuo copularet, humiliando se, sublimando te, conjungendo lumen æternitatis suæ, limo mortalitatis tuæ. *Quid cogitabo melius & salubrius* (inquit Thomas a Kempis) in accessu ad te Dominum meum, *nisi me ipsum totaliter humiliando coràm te, & tuam infinitam bonitatem exaltando super me? Laudo te Deus meus, & exalto in æternum. Despicio me & subjicio tibi, in profundum vilitatem meam. Ecce tu Sanctus Sanctorum, ego fordes peccatorum, inclinas te ad me, qui non sum dignus respicere ad te.* Chrysip. Philosophus. Kempis l. 4. de imit. c. 2. §. 2.

Tertiò, Latitudo in hoc Sacramento in eo consideranda est. quod ab oriente usque in occidentem, à meridie, usque ad septemtrionem se extendat. *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco offertur ac sacrificatur nomini meo oblatio munda.* Hæc est oblatio hujus vivifici panis, offertur enim ut sacrificium, sumitur ut Sacramentum. Sit quidem in qualibet plaga mundi, quantumlibet insaniant hostes Christi: nulla enim est adeò infecta pars Orbis hæresi, quin aliqui adhuc tanquàm reliquiæ aut semen reserventur, qui sint de populo Dei, ejusque deificum panem participent. Velint nolint persecutores *3. Sacramenti latitudo.* Malach. 1.11.

Digitized by Google

curatores hæretici, adhuc in Anglia, Hollandia, Dania, Suevia, Aſia, Africa, hoc Sacramentum ab aliquibus conficitur & ſumitur: & modò per illud, uſque ad Indiam, Japoniam, Sinas, nomen Dei honoratur. Vidiſti ergo hujus myſterii altitudinem & profunditatem, vide latitudinem. Nemo ab illo cujuſvis Nationis, Regni, Gentis, excluditur, omnibus exhibitum eſt regium hoc convivium; omnes invitantur ut per Baptiſmi januam ingrediantur in Eccleſiam Chriſti, & de illo participent vivifico myſterio. Non eſt hic diſtinctio Judæi aut Græci, Scythæ aut Barbari, Indi aut Ægyptii. Nec eſt diſtinctio Principis aut plebei, ſervi aut liberi, divitis aut inopis, maſculi aut fœminæ. Imò vocantur *pauperes & debiles, cæci & claudi, & per vias, nemora, ac ſepes diſperſi*, ut ad cœnam hanc myſticam veniant quæ adeo ampla eſt, ut omnibus ſufficiat, licet una ſit: Olim unica erat arbor vitæ in Paradiſo terreſtri, quæ tamen ſuffeciſſet in cibum pro filiis Dei, donec ad Dei & Angelorum conſortium translati finiſſent. Unicum eſt in Eccleſia (Paradiſo Dei) Corpus Chriſti, datum in Sacramentum & alimentum, attamen ſufficiens eſt pro omnibus qui veri ſunt Filii Dei, miram habet latitudinem & amplitudinem, quandoquidem omnes de illo participent orbis partes.

Luc. 14. 21.

4. *Sacramenti Longitudo.*

Quartò, Longitudo hujus myſterii in ejus duratione conſideranda eſt. Sic extendit ſe illius longitudo à tempore Chriſti, à mille jam ſexcentis annis, uſque in finem ſæculi, nec unquam deficiet. Sicut Eccleſia Chriſti uſque ad conſummationem mundi ſemper manebit viſibilis, ita & ſacrificium hoc & Sacramentum. Nam & tempore ipſius Antichriſti (qui ſupra omnes illud perſequetur & annihilare omni arte conabitur, ut ſolus adoretur Deus) non deerunt eximii Martyres variis in locis latentes; in quibus locis etiam erit uſus hujus Sacramenti & ſacrificii. Ideo in conſecratione calicis dicitur. *Hic eſt calix ſanguinis mei novi & æterni teſtamenti*: Æternum enim in Scriptura quandoque ſignificat totum tempus, uſque in finem ſæculi durans. Eadem

Pſ. 109. 4

ratione Chriſtus dicitur *Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*: quia uſque in finem ſæculi, per Sacerdotes Vicarios ſuos offert ſacrificium ſuum ſecundum ritum Melchiſedech, qui panem & vinum obtulit. Sic nobis præſentem ſe promiſit Chriſtus, uſque ad conſummationem ſæculi, ut quamdiu durat mundus, ſit *Emmanuel*, *Nobiſcum Deus*: & quamdiu dies durant, quamdiu *hodie cognominatur*, ſit ipſe Panis noſter quotidianus: & quandiu refugio egemus, poſſumus ad ſacrum illud Divinitatis Tabernaculum (Corpus Chriſti intelligo) confugere, de quo dixi non incongruè illud intelligi: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus.*

Iſa. 7. 14. Matt. 1. 23 Heb. 3. 13. Apo. 21. 3

Vides ergo ſacras myſterii hujus dimenſiones? Sublimitas ejus cœlum attingit, & divinitatem ipſam. Profunditas Deum uſque ad imum pectoris noſtri deſcendere facit, ut illi miro modo incorporemur, & Divinitatis conſortes reddamur. Latitudo ejus totum orbem circumambit, ut omnes nationes de ejus communione participare poſſint. Longitudo omnia pervadit futura poſt Chriſtum ſæcula, donec æternitati reddamur finitis ſæculis: & non jam velatum ſpecie ſacramentali eum qui hi continetur, contemplemur, ſed revelata facie divinam ejus ſpeciem clariſſimè intueamur. Interim confiteamur *Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum* tam admirabili modo nobiſcum eſt *miſericordia ejus*. Reddamus ei amorem profundum, ſublimem, latum, longumque. Profundum quidem ex toto corde: ſublimem ex tota mente: latum ex tota anima: longum ex omnibus viribus, totaque fortitudine, uſque in finem vitæ ac ſæculi noſtri perſeverantem.

LECTIO V.

DE MATERIA ET FORMA EUCHARISTIÆ.

1. *Docet materiam eſſe panem & vinum.*
2. *Vino aliquid aquæ admiſcendum eſſe.*
3. *Explicat formam hujus Sacramenti.*

PROPOSITIO I.

Materia hujus Sacramenti eſt panis & vinum.

SAtis id colligitur ex inſtitutione Chriſti qui hæc adhibuit, ſuum nobis corpus ac ſanguinem tradens. Et hæc ſemper fuit Eccleſiæ doctrina illa aſſumentis ad conſecrationem. Unde Gentiles, (ut teſtatur D. Auguſtinus) Chriſtianis impoſuerunt, quod colerent Ceterem & Bacchum. Dæmon quoque in invidiam hujus myſterii, in ſuperſtitionibus quibuſdam Gentilium (quæ Myrrhæ myſteria appellabantur) panem & vinum immiſcuit cum quibuſdam incantationibus, ut refert Tertul.

Matt. 26. Luc. 22. 19. Auguſt. Tertul. l. de præſcript. hære. c. 4.

Convenientiſſimè autem hæc in materiam deſignata ſunt ob ſignificationem.

Primò quidem, quia per illa ſignificatur, quod ſicut homines pane & vino nutriuntur & reficiuntur corporaliter, ita corpore & ſanguine Chriſti ſpiritualiter alantur Fideles.

Cur Panis & Vinum in materiâ aſſumpta ſunt?

Secundò, ſicut panis ex multis granis conficitur, & vinum ex multis racemis: ita multi Fideles, quaſi diverſa grana in hoc Sacramento unitatem accipiunt cum Chriſto, & in Chriſto conjuncti, effecti unum corpus ejus myſticum, dicente Apoſtolo: *Multi unum corpus ſumus, qui de uno pane & calice participamus.*

1. Cor. 10. 17.

Tertiò, cum panis & vinum ſint primitiæ creaturarum [ſub quibus omnia bona Scriptura comprehendit] apte ex illis noſtrum conficitur Sacramentum, & ſacrificium, quod offertur Deo ut ſupremo Domino omnium creaturarum: potiuſque

Digitized by Google

terræ fructus, quàm carnes animalium ad elegit Dominus ; quia cùm in ſtatu innocentiæ fructibus tantum terræ veſceretur homo; congruum fuit, ut ad illius ſtatus dignitatem, per corpus & ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus fructus terræ ſumendum, reduceretur. Denique, cum Chriſtus carnem ſuam vellet dare ſub aliena ſpecie edendam, (quia horruiſſent homines carnem edere & ſanguinem bibere in propria ſpecie) nihil congruentius eligi videbatur, quam panis & vini ſpecies, quæ ſunt ad communem uſum deſtinatæ; ſatis obviæ aptæque, ut cum omni tractarentur decentia, quibus convivii etiam ſubſtantia ſolet deſignari.

Joan.6. 11. Act.2. 1.Cor.10. & 11. • Matth. 26.29.

Cæterùm adverte, licet ex dictis notum ſit, panem ac vinum eligi tanquam materiam tranſeuntem ; ex qua ita fiat corpus ac ſanguis Chriſti ; ut nihil poſt conſecrationem maneat ſubſtantiæ panis aut vini ; nihilominus Scripturæ more, Euchariſtia quandoque *Panis aut genimen vitis* • nuncupatur: quia ſcilicet ex pane & vino conſecratur ; ſicut in Exodo ſerpens vocatur virga cap. 7. quia virga in eum verſa fuit. Item quia prioris panis aut vini accidentia, formamque retinet. Sic Adam Gen.3. vocatur terra, quia ex ea factus, illius conditiones in ſe habet. Denique, quia excellentiori modo panis eſt Corpus Chriſti, Panis ſcilicet de cœlo deſcendens, panis vivus, panis ſacro-ſanctus, panis

Marc. 14. 25. Zach.9. 17. Gen.49. 11.

Deificus: *Frumentum* quidem, ſed *electorum*, *vinum* utique, ſed *germinans virgines* ; quibus omnibus, vini aut panis natura per conſecrationem commutata ſatis indicatur. Sic Jacob propheticè inſinuans hoc myſterium, modo vini, modo ſanguinis nomine utitur: *Lavabit in vino ſtolam ſuam & in ſanguine uvæ pallium ſuum*. Ibi Jacob ſpiritu Prophetiæ intuebatur Chriſtum, inſtar racemi & botri myſtici ad crucis torcular portatum ; in quo divinum illud vinum exprimi debebat, quo *& ſtolam ſuam*, hoc eſt, corpus proprium divinitatis veſtimentum, cruentare debebat : *Et Pallium*, hoc eſt Eccleſiam perfundere, & quotidie lavare in hoc myſtico lavacro, in quo ejus ſanguis continetur & ad abluendas noſtras maculas quotidie applicatur. Unde ſi verba ponderes, non ſine myſterio videbis *uvæ ſanguinem* hic nominari ad deſignandum hoc Sacramentum, in quo ſanguis ſub ſpecie vini ex uva prius expreſſi, ſed per conſecrationem in ſanguinem commutati, continetur.

Materia hujus Sacramenti debet eſſe panis triticeus & vinum de vite.

Quærunt hic Theologi : *An omnis panis poſſit eſſe materia, omneque vinum* ? Reſpondet Concilium Florentinum : *Materiam hujus Sacramenti eſſe panem triticeum, & vinum de vite.* Hinc communis Theologorum ſententia colligit panem ex leguminibus, avena, oriza, hordeo, non poſſe eſſe materiam hujus Sacramenti, &, ſi in his conſecretur, nihil effici : quia ſcilicet non eſt hic panis hominibus accommodatus, nec panis ſimpliciter, licet quidam ob neceſſitatem eo utantur. Cum autem frumentum, aut triticum ſub ſe diverſa genera complectatur ; ille panis validè conſecratur; qui ex aliquo genere tritici conficitur, licet fortè aliter nominetur. Sic non ambigerem validè conſecrari in pane ex ſpelta noſtra confecto : quod granum frequens eſt in Territorio Leodienſi, & optimum granum eſt, ex quo panis delicatus efficitur, paniſque ſimpliciter, candidus & uſualis ; & tritici ſpeciem eſſe vix dubito, quamvis à frumento vulgaritèr dicto folliculis diſtinguatur & paleis. Unde Auctores contrariæ opinionis, exiſtimo non ſatis noſſe noſtram ſpeltam, quam vocant zeam ; ſed aliud granum degenerans, hordeo ſimile, videntur intelligere. Non tamen dico de illo eſſe conficiendas formulas ad conſecrandum ; quia ſaltem Eccleſia præcipit materia certiſſima uti ; illo ſcilicet grano quod ab omnibus frumentum ſive triticum nominatur. Non eſt etiam eadem ratio de grano quod aliqui ſpeltam Martii vocant, quia ſimiles habet ſpicas & ariſtas cum ſpelta noſtra, ſed prius ſeritur in Martio & colligitur in Auguſto. Illud granum communiter hic vocant *del amoy*, ſed eſt longè degenerans à ſpelta, & panis ex eo confectus, licet candore imitetur ex ſpelta confectum, imò ſuperet : eſt tamen rudior & aſperior pelato, nec panis uſualis eſt, ſed magis ad hordeaceum accedit. Unde exiſtimarem ex illo non confici ; quamvis quædam honorabilis Matrona mihi quondam Namurci aſſeruerit, ſe certò ſcire plurimas hoſtias ſive formulas venales ex eo confici, idque ob candorem illius grani ; cui errori Epiſcopi & Paſtorum cura deberet advigilare. Ego vix credebam, niſi cum illa ſe id frequenter vidiſſe certo teſtimonio aſſereret.

Conveniret quoque à Sacerdotibus ſive Religioſis, aut à Virginibus mulieribuſve devotis has confici, ut omni errori obvietur, & cum majore nitore & reverentia tractarentur. Paſſim enim venales ſatis incuriè tractantur & ſordidè, ac pyxidibus, in quibus ſpecies aliæ aromaticæ, ut piper, zinziber &c. conditæ prius fuerant, conſervantur, odoremque extraneum retinent, ut frequenter adverti, eſtque id indecens in materia tanti tamque puri ſacrificii,

Audi pietatem & reverentiam B. Venceslai Regis Bohemiæ, erga ſacrificium & materiam ſacrificio deſtinatam. Hic tanta devotione & zelo erga illa ferebatur, ut ipſemet perſonaliter ſeminaret, meteret, triturat granum quod hoſtiis conficiendis, ſive pani ſacramentali deſervire debebat: ſed & perſonaliter Sacerdotibus ſacrificantibus miniſtrabat, eoſque largis eleemoſynis ſuſtentabat. Hæc omnia Fratris odium peperetunt, ita ut ejus fidem ac devotionem inſectaretur. Quapropter ab eo in odium fidei in ipſa Eccleſia peremptus fuit, à Chriſto ſummo Sacerdote, ob pietatem in ſacerdotium, Martyrii laurea donatus. Vide Ribad. 28. Septemb.

Notab. hiſtor. de S. Venceſlao. V. Ribadeneiram 28. Sept.

Maximè vero advigilandum eſt, ne panis conſecrandus ſit corruptus vetuſtate, aut alia mixtione, cum

Digitized by Google

ne, cum injuria tremendi hujus mysterii. Nam & Deus quandoque panem commaculatum miraculosè ab altari rejecit, ut ostenderet, quàm sibi displiceat, cùm Sacerdotes & Ministri hujus rei sunt incurii.

Cæsarius lib. 9. dial. c. 65.

Refert Cæsarius historiam huic proposito accommodam. Circà hoc biennium, inquit, circà Coloniam, vixit is anno 1202. in villa quæ Belle vocatur, accidit quod dico. Die quâdam, cùm Sacerdos Missam celebraret, & Evangelio dicto Hostiam patenæ superpositam in Corporali collocasset, illa mox resiluit. Putans id Sacerdos casu accidisse, denuò superposuit; at longè remotius resiluit, ipso intuente. Cumque tertiò id tentasset, quasi turbine impulsa projecta est de altari. Quo viso valdè territus est, & præcipit Scholari, ut illâ hostiâ reservatâ, aliam poneret ejus loco. Dictâ Missâ tollens secum hostiam dictam, Coloniam properavit, hostiam ostendit, & quid de ea actum sit, recitavit. Cunctis caulam mirantibus, quidam Sacerdotum hostiam elevans contra lucem, maculam contemplatus est: Et cùm eam fregisset, apparuit in ea cimex decoctus. Sic glorificantes Deum, non dubitârunt, qui præsentes erant, ab Angelis rejectam, qui non passi sunt, ut panis ita fœtido vermiculo corruptus per ministerium Sacerdotis transiret in Corpus Domini. Ita Cæsarius.

Vinum debet esse ne vire.

Quod ad vinum attinet, frequentius gravis intervenit negligentia, eò quod si acescente, vel aceto potiùs conficiatur. Certè cùm multâ experientiâ adverterim aliquorum Sacerdotum incuriam, æstus tempore multis diebus pauculum vini reservantium, & vini quidem deficientis, quod ex natura sua statim ad acetum, vel alium corruptum liquorem transit; vix potuit mihi persuadere, quin multoties nullitas consecrationis & sacrificii intercurrat. Mirum planè, quod cùm ipsi nostræ mensæ simile vinum apponere, aut amico propinare nullatenùs vellemus; mensæ Dominicæ proponere non veremur, non solùm cum peccati periculo, sed etiam cum periculo nullitatis sacrificii. Quamlibet tenue aut deficiens sit vinum, & corruptioni proximum, ad celebrandum non judicatur inutile, ad convivandum ut planè inutile repudiatur: sic parvi facimus, quæ Dei sunt, nos & nostra curamus. An non & in Cœnobiis & Religiosorum conventibus. quandoque reperies vinum præstans propinari Fratribus ac hospitibus, vitiosum autem aut fecibus jam vicinum, adhiberi Missis celebrandis? Audiamus Dominum per os Malachiæ: *Ad vos ô Sacerdotes, qui despicitis nomen meum. Et dixistis in quo despeximus? in eo quod dicitis,* non ore, sed facto, *mensa Domini despecta est. Si offeratis claudum & languidum, nonne malum est? offer illud Duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.* Videamus ne similis exprobratio nobis hic potiùs fiat; tùm ratione materiæ, quæ quandoque ex parte corrupta offertur; tùm ratione immunditiæ, quæ frequenter repeitur in mensa Domini, in altaribus, mappis, corporalibus; quasi mensa hæc contemptibilis foret & despecta. Hoc certè non parum obscurat splendorem nostræ Religionis & fidei de divinis illis mysteriis, imminuitque devotionem offerentis. Quid altari sanctius, quod tot consecrationibus, ac benedictionibus ad divina destinatum est? Quanta ergò illius cura foret habenda, si hujusce sanctificationis vivam fidem haberemus? An non cuilibet altari, Angelus est destinatus post consecrationem? An non sub illis residunt Sanctorum Martyrum Reliquiæ pretiosæ, exspectantes gloriam resurrectionis: An non super illud caput martyrum Christus summus Pontifex residet, quasi in throno? Utique hæc omnia acuere deberent devotionem nostram, & curam, ut solliciti simus munditiæ & decoris omnium eorum, quæ ad hanc mensam Dominicam spectant; ne videatur contemptibilis & despecta, offendens Angelorum ac Sanctorum, Christique Jesu præsentiam.

Malach. 1. 6.

PROPOSITIO II.

Vino aliquid aquæ ex præcepto Ecclesiæ debet adhiberi, in calicis consecratione.

Conc. Florent. in decreto Eugenii §. 3.

HOc etiam Christum Dominum fecisse indicat Florentinum, & ad eam rem accommodari solet illud Prov. 9. *Sapientia ædificavit sibi domum, miscuit vinum, & posuit mensam.* Fecit autem id Christus, non solùm ut temperato potu uteretur ad sobrietatem (ut aliqui dixerunt) sed & maximè ad mysticam significationem; & ob id Ecclesia eum imitatur, & idem fieri præcipit. Nec enim id Christum simpliciter præcepisse censent doctiores Thelogi: quia etiam Concilium Trid. dicit id ab Ecclesia præceptum. Quod si aliquando antiqui Patres dicant id esse mandatum Domini, hoc intelligendum est, non quia id stricte mandârit, sed quia id ab ejus exemplo manârit.

Trid. sess. 22. c. 7.

Mystica hujus mixtionis significatio.

Sed *quænam igitur Mystica hic significatio continetur:*

Resp. Primò recolitur hac mixtione, Passionis Christi memoria, & aquæ Christi è latere effluentis cum sanguine. Dico illius memoriam recoli: non enim existimandum est (ut aliqui dixerunt) hanc immediatè converti in istam, quæ è latere Christi fluxit. Illam enim opinionem reprobat Innocentius III. de celeb. Missarum cap. Cum Marthæ Nequeitta aqua è latere Christi fluens naturalis erat, sed supernaturaliter & miraculosè fluxit: nec erat simpliciter necessaria in corpore Christi, quia aqua elementaris, non est de ratione corporis humani. Undè nec illa nunc manet in corpore Christi glorioso, nec nunc in consecratione efficitur ex vi verborum, sed solum sanguis, ut patet ex forma, *Hic est calix sanguinis mei.* Interim rectè ejus memoria recolitur, quia mysteriorum nostræ fidei symbolum erat, maximè Baptismi. Undè de Christo dicit Joan. *Hic est, qui venit per aquam*

Digitized by Google

& ſanguinem, non in aqua ſolum, ſed & in aqua & ſanguine.

Secundò aqua mixta vino, ſignificat unionẽ populi fidelis, cum capite Chriſto, quia per aquas in ſcriptura ſolent ſignificari populi. Apoc. 17. *Aquæ multæ, populi multi.* Idem ſignificat Meretrix ſedens ſuper aquas, hoc eſt, dominans ſuper populos. Ideò etiam exiguæ aquæ quantitas adhibetur, quia major eſt majeſtas Domini, quàm fragilitas populi: & illa quantitas exigua in vinum convertitur, ad ſignificandum illud Auguſtini: *Non tu me converteris in te, ſed tu in me converteris.* Ad hanc ſignificationem alludens D. Cyprianus dicit: *Sic autem in ſanctificando calice Domini, offerri ſola aqua non poteſt, quomodò nec vinum ſolum poteſt; nam ſi vinum ſolum quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis; ſi aqua ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto.* Ubi indicare vult, non licere ob hanc ſignificationem alterutrum ſolum offerri, maxime ob præceptum: quamvis certum ſit, ſi ſolum vinum conſecretur, validum eſſe ſacrificium, attamen peccatum incurreret ſacrificans.

Apoc. 17. 15.

S. Cyp. l. 2 ep. 3

Tertiò per aquam & vinum, duplex Chriſti natura ſignificatur. Quapropter Armeni, teſte Nicephoro, ſolum vinum offerebant, ut ſignificarent in Chriſto unam tantùm naturam. Eadem ſignificatio indicatur in oratione, quæ in hac mixtione adhibetur: *Deus qui humanæ ſubſtantiæ dignitatem mirabiliter condidiſti, & mirabilius reformaſti, da nobis per hujus aquæ & vini myſterium, ejus divinitatis eſſe conſortes, qui noſtræ humanitatis fieri dignatus eſt particeps Dominus noſter Jeſus Chriſtus.* Denique dici poſſet cum D. Ambroſio, per aquam ſignificari gratiam, quæ eſt aqua ſaliens in vitam æternam.

Niceph. lib. 8. hiſt. c. 35.

Ambr. lib. de Sacr.

Aqua mixta vino, primò convertitur in vinum & poſt conſecrationem in ſanguinem.

Damaſc. l. 4. c. 14. Ambr. lib. 4. d Sac. cap. 4. Cypr. ep. 3. ut ſup.

Quod ſi quæras quid fiat de illa aqua? Reſpondeo ordinariè converti in vinum, & tunc converti in ſanguinem vi conſecrationis. Et hæc eſt Eccleſiaſticorum Scriptorum ſententia & judicium, inquit Catechiſmus Pii V. ex decreto Concilii Tridentini editus ad Parochos. Certè hæc videtur Eccleſiæ intentio, modicam omninò aquam miſcentis, ut facilius tranſeat in vinum, & conſequenter in ſanguinem. Idem volunt Sancti Patres, dum dicunt ex vino & aqua confici ſanguinem Domini. Sic loquitur S. Damaſc. *Qui fecit omnia, poteſt ex aqua & vino ſanguinem ſuum conficere.* Idem S. Ambroſ. *Vinum & aqua in calicem mittitur, ſed fit ſanguis conſecratione verbi cæleſtis.* Similiter dicit S. Cyprian. *Calicem Domini non eſſe ſolum vinum, aut ſolam aquam, ſed utrumque mixtum.* Nec enim aliud intelligunt hi ſancti Patres, quam calicem Domini confici ex vino, cui aqua admixta eſt: & ita aquam in ſanguinem tranſire, non immediatè, ſed mediatè, cum ſcilicet prius in vinum tranſierit, poſt illam mixtionem. Hæc iterum eſt opinio, quam Innocentius III. approbat cap. cum Matthæ de celeb. Miſſarum, ubi cum tres referat opiniones, illam probabiliorem judicat, quæ aſſerit aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari; juxtà opinionem, quam ſecundo loco poſuerat, quæ dicebat, aquam cum vino tranſubſtantiari in ſanguinem, cùm in vinum tranſierit; ut patebit diligenter Capitulum legenti.

Minus probabilem igitur cenſemus illam opinionem, quæ dicit aquam, etiamſi in vinum non tranſmutetur, poſt mixtionem, immediatè nihilominus in ſanguinem tranſubſtantiari. Etenim Innocentius Pontifex hac de re ex profeſſo agens, illius opinionis non facit mentionem, ſicut nec Doctores Scholaſtici antiquiores; ſed noſtræ ſuffragantur aſſertioni. Undè cum hic agatur de materia ſacramenti, longè tutius eſt cum communi Theologorum ſententia loqui, quàm Recentiorum paucorum opinioni adhærere: quæ ex aliquot paululum obſcurionibus Patrum verbis (juxtà ſententiam tamen noſtram, commodam etiam interpretationem habentibus) & paucis rationibus phyſicis, receptam à Theologis doctrinam impugnat, ut novam ſtabiliat. Videndum quoque, ne per hæc hæreticis occaſio detur calumniandi, & dicendi Eccleſiam, non ſibi conſtare in Sacramenti Euchariſtici materia deſignanda, ſed Catholicos Doctores recentiores antiquis repugnare, dum aquam volunt eſſe materiam ſanguinis, quod antiquorum negat communis conſenſus. Nec ſatis eſt, quod dicant, vinum eſſe materiam eſſentialem, aquam autem materiam eſſe, ſed liberam & non neceſſariam: quia nec talem loquendi modum antiquitas agnoviſſe videtur; ſed ſolum agnovit aquam, miſceri vino per modum cæremoniæ, non verò per modum materiæ, quæ per ſe converti poſſit. Undè & Scriptura, cùm de materia agit, ſolius vini meminit: & Concilium Trident. definit panem in corpus & vinum in ſanguinem tranſire, manentibus tantum ſpeciebus panis & vini, nec ulla fit mentio aquæ aut ſpecierum ejus. Convenit igitur & hic monitum illud Sapientis attendere: *Ne tranſgrediaris terminos, quos poſuerunt Patres tui.*

Trident. ſeſſ. 22. can. 2.

Prov. 22. 28.

Addo poſtremò, ſi aqua etiam dicitur materia, vix reddi poteſt ratio, cur pura non poſſit verti in ſanguinem: aut certè ſi in parva quantitate accidentibus vini alterata, quare non & in majore quantitate, ſi illa etiam accidentia vini receperit? Imò ſequitur, quandoque ſanguinem manere ſub ſolis ſpeciebus aquæ; verbi gratia, ſi contingat ſpecies vini aceſcere & corrumpi, & non ſpecies aquæ conſecratæ ſeparentur à ſpeciebus vini. Cur enim propter ſolam illam ſeparationem deſineret ibi ſanguis Chriſti, & rediret ſubſtantia aquæ? Hæc certè omnia videntur involvere aliqua aut inconvenientia, aut minùs ſolidè dicta. Sed hæc fuſius proſequi, non eſt inſtituti hujus, ad Scholaſticos Doctores ſpectat.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO III.

Forma hujus Sacramenti eſt : Hoc eſt Corpus meum, Hic eſt Sanguis meus.

HIſce ſolis verbis panis in corpus, vinum in ſanguinem Chriſti transſubſtantiari poteſt: quamvis & alia ex præcepto ſuperaddi debeant. Hæc eſt
Pſ.28.4. ergò *vox Domini in virtute*, qua in ultima Cœna ſuũ Corpus & Sanguinem de pane ac vino effecit. Et quoties eam repetit Sacerdos ſuper debita materia, idem efficit: quia & de illa verum eſt illud: *Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis, date gloriam Deo ſuper I-*
Pſ.67.34. *ſrael*. Si admiratur Scriptura virtutem vocis Joſue inclamantis: *Sol ne movearis contra Gabaon*, ad quem
Joſ.10.12. Sol ſtetit, *Deo obediente voci hominis*, inquit Scriptura: quantò magis admiratione digna hæc vox, quâ Chriſtus Sol juſtitiæ hic ſiſtitur ſub panis ſpecie, Deo obediente voci hominis, non ſemel aut brevi aliquo tempore, ſed toties quoties voluerit, idque in finem ſæculi; Quapropter non incongruè homini ſacerdotali dignitate adornato, dicere hic poſſemus illud Job: *Nunquid habes brachium ſicut Deus, & ſimili voce tonas?*
Job.40.4 Utique digitus Dei hic eſt, & mutatio dexteræ excelſi, vox que hæc illius eſt vox, qui excelſior cœlis, portat omnia verbo virtutis ſuæ, res omnes verbo creare potens, conſervare, & in quodlibet voluerit, commutare. Ideò Sacerdos non loquitur, dum conſecrat in propria perſona, ſicut in aliis Sacramentis: *Ego te baptizo, abſolvo, confirmo*, &c. ſed in perſona Chriſti, cujus perſonam repræſentat, dicens non ſolùm recitativè & materialiter, ſed & ſignificativè ac formaliter: *Hoc eſt Corpus meum*: quod verè dicit, ſicut Angelus verè dicebat
Exod.3.6. in Legislatione: *Ego ſum Deus*, quia divinam perſonam repræſentabat.

Soli autem Sacerdotes hanc formam efficaciter pronunciant: quia ordini ſacerdotali poteſtas conſecrandi annexa eſt a Chriſto, dicente Apoſtolis, repræſentantibus etiam omnes ſuos in ſacerdotio ſucceſ-
Luc.22. 19. 1 Cor. 11. ſores: *Hoc facite in meam commemorationem*. Hinc & Sacerdos illa verba formæ, ſicut & Canonis, ſolet voce ſubmiſsâ & velut in ſilentio pronunciare, ad abſconditi myſterii ſignificationem & majorem plebis venerationem. Ferunt enim, cùm olim altâ voce proferretur Canon, omnes ferè per aſſiduum uſum illum memoria tenuiſſe, atque in vicis & compitis publicè decantare ſolitos. Undè cum quidam
Hiſt. nobilis Clict. l. 3. eluc. Eccl. Paſtores ovium, auſu temerario, pane ſuper lapidem poſito, in agro verba conſecrationis protuliſſent, mox igne cœlitus emiſſo ſunt abſorpti: ut per hanc punitionis ſeveritatem cæteris eſſent exemplo, ne divinis abuterentur myſteriis, & hanc inter cæteras fuiſſe rationem, exiſtimant quidam, cur Eccleſia Canonem, & maximè verba conſecrationis, ordinet ſecretò pronunciari. Ita Clictoveus

Quia verò hæc verba Chriſti, quibus conſecramus, fundamentum ſunt realis præſentiæ Corporis Chriſti in Euchariſtia, (cùm is, qui auctor eſt muneris, per hæc verba teſtis ſit irrefragabiliter veritatis) ideò hæretici varias confingunt illorum verborum depravationes: ita ut anno 1577. editus fuerit libellus, continens ſupra ducentas illorum verborum falſas interpretationes. Quarum tamen maxima pars tendit ad hoc, ut figuratè ſermo iſte accipiatur, & verbum *eſt*, idem ſit quod *ſignificat*, aut *corpus* idem quod *figura corporis*. Sed de his ſupra egimus, nec immoror longiori explicationi verborum formæ, quia non eſt neceſſarium a Paſtoribus communi populo myſteria in hac ſacramentali forma abſcondita proponi. Videri poteſt Bellarm. contra hæreticos, & paſſim Interpretes D. Thomæ in 3.p.q.8.art. 2.& 3. Vide etiam Interpretes Scripturæ in Mat.c. 26.& 1 ad Cor.c.11. Bellarm.l. 4.de Euc. c. 14.

Circa formam Sanguinis, adverte Matthæum & Marcum referre, Chriſtum dixiſſe: *Hic eſt Sanguis meus novi Teſtamenti.* Lucas autem & D. Paulus legunt: *Hic calix novum teſtamentum eſt in meo Sanguine*. Sed eſt idem ſenſus, & unum explicat aliud, ac per poſteriorem loquendi modum (quem ſequitur Eccleſia) ſignificatur ſanguis hic ut potabilis, prout ſcilicet eſt ſub altera ſpecie hujus Sacramenti. Hoc enim ſignificat noſtra forma: *Hic eſt enim calix Sanguinis mei*. Illa autem particula *hic*, non eſt adverbium, ſed pronomen, idem ſignificans quod vocula *hoc*, dum dicitur: *Hoc eſt corpus meum*, id eſt, hoc contentum ſub his ſpeciebus panis, eſt corpus meum: hoc contentum in calice, ſub his ſpeciebus vini, eſt ſanguis meus. Undè & Græca, teſte Janſenio, legunt: *Hoc eſt Sanguis meus*, apud Matthæum & Marcum, utrumque interim in idem redit. *Forma ſanguinis.*

Quod autem additur, *Novi Teſtamenti*, ſignificatur novum Teſtamentum longè antiquo præcedere, quod vitulorum & hircorum ſanguine dedicatum fuit, & temporalia promittebat: ſed novum precioſo Chriſti, quaſi Agni immaculati Sanguine ſancitum eſt & confirmatum, in quo nova promiſſio facta eſt æternæ hæreditatis. Undè dicitur eſſe ſanguis non ſolum novi ſed & æterni Teſtamenti: tum quia æterna dona hoc Teſtamentum promittit: tum quia in finem ſæculi durat, abſque alia ſucceſſione, quod tempus in Scriptura æternum dici ſolet. Additur deindè ad altitudinem hujuſce Sacramenti & ſacrificii explicandam, *Myſterium fidei*, quia recenſetur inter myſteria fidei maximè recondita, in quo aliud creditur, aliud cernitur, ut ſupra explicatum eſt.

Poſtremò adjicitur. *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Ubi aliqui notant, Græca in præſenti Matth. 26. legere, *qui pro multis effunditur*. Undè id intelligi poſſet de effuſione non reali & cruenta, ſed ſacramentali, ſivè de illa, quæ fit Sacramento incruente: ut idem ſit, effunditur, ac libatur, ſeu Deo offertur & ſacrificatur. Intelligi tamen etiam rectè poteſt de reali effuſione in Cruce facta: quia enim illa jam inſta-

Digitized by Google

bat, quaſi de præſentibus loquitur Chriſtus. Quod autem ſuperadditur: *Pro vobis & pro multis*, efficacia Paſſionis explicatur; ideòque non dicitur, *pro omnibus*, ſed *pro vobis*, ſcilicet Apoſtolis præſentibus (quanquam non pro omnibus illis, quia non pro Juda) & pro multis aliis electis. Si tamen etiam indicari volueris ſufficientiam ipſius Paſſionis, nihil vetat, quia vox illa, *multus*, ſubindè accipitur pro omnibus.

Concludendo hic advertere velim novellos Theologos, cùm de materia & forma Euchariſtiæ hactenus egimus, nos intelligere de materia & forma tranſeunte, ſivè in fieri. Cum autem hoc Sacramentum, inter cæteraSacramenta ſpecialiter habeat, quod permanens ſit poſt conſecrationem, & non pendeat ab uſu: ideò illi ut permanenti, alia forma aliáque materia eſt aſſignanda. Sic ergò conſideratum, habet Corpus Chriſti & ſpecies viſibiles pro materiâ & forma; & alterutrum horum, diversâ conſideratione ſubit materiæ vel formæ rationem. Nam corpus Chriſti, quatenus eſt quid nobilius, & quia eſt virtus ſpecierum in ordine ad ſanctificationem, dici poteſt habere rationem formæ: eò quod virtus a forma promanet in compoſitis naturalibus. Quia tamen in compoſito ex ſubjecto & accidente, item in compoſitis artificialibus, quod nobilius eſt, materiæ rationem habet; ideò etiam rectè dixeris in hoc Sacramento Corpus Chriſti habere rationem materiæ: quia hoc compoſitum ſimilitudinem habet cum compoſitis dictis. Adde, quod Sacramentum conſiſtat in ratione ſigni, maximè autem hic rationem ſigni ſpecies habent viſibiles, ſignificantes Chriſtum, quem continent, ut animarum cibum eſſe.

LECTIO VI.

DE ADORATIONE EUCHARISTIÆ.

1. *Docet Euchariſtiam cultu latriæ adorandam.*
2. *Rectè peculiari feſto eam coli.*

PROPOSITIO I.

Adorandum eſt hoc Sacramentum cultu latriæ, ſivè cultu illo ſupremo, qui vero Deo debetur.

Trid. ſeſſ. 13. c. 5.

HOc diſertis verbis definit Tridentinum ſeſſ. 13. c. 5. Fides enim præſentiæ Filii Dei in carne ſub hoc Sacramento, & neceſſitas adorandi, conconnexa ſunt. Quod latius explicans Tridentinum, ſic dicit: *Neque enim minus eſt adorandum, quod fuerit à Chriſto inſtitutum, ut ſumatur. Nam illum eundem Deum præſentem in eo adeſſe credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. Quem Magi procidentes adoraverunt, quem denique in Galilæa ab Apoſtolis adoratum, Scriptura teſtatur.*

De hujus Sacramenti adoratione videtur loqui propheta, Pſal. 21. ubi cùm dixiſſet: *Edent pauperes & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum, & vivent corda eorum in ſæculum ſæculi*: poſteà ſubdit: *Adorabunt in conſpectu ejus univerſæ familiæ gentium.* Et iterùm: *Manducaverunt & adoraverunt omnes pingues*, ſivè divites *terræ*. Priorem locum interpretans Euthymius, ſic ait: *Pauperes ſunt omnes veri Chriſtiani, qui comedunt Salvatoris Corpus & Sanguinem bibent, & ſaturabuntur, ſancto nimirùm ſpiritu repleti, hymnis & laudibus in menſa illa Deum extollent: & ita propheticam continet, non ſolùm de Evangelica doctrina ſpirituali cibo, quo anima alitur & augeſcit, ſed etiam de myſtico menſæ illius Sacramento, propter quod dicitur: Vivent corda eorum in ſæculum ſæculi: quia ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, cuſtodiens ſcilicet pariter mandata. Per cor autem, totum hominem intelligit, eò quod illa pars in quovis animante vita ſit magis particeps. Licet moriantur, inquit, reſurgent tamen in vitam æternam.* Ita ille Cui concordat Euſebius in Pſalmos, in catena Doctorum Græcorum. Poſteriorem verò verſum de eodem Sacramento interpretatur D. Auguſtinus: *Manducaverunt corpus humilitatis Domini ſui etiam divites terræ, ſed non ſicut pauperes ſaturati ſunt, uſque ad imitationem humilitatis, ſed tamen adoraverunt. Pauperes edent & ſaturabuntur, qui ejus pacem dilectionemque ſervantes, imitantur etiam humilitatem.* Intelligit ergò D. Auguſtinus per *pauperes*, illos qui humiles ſunt; per *divites terræ & pingues*, magnos illos & ſuperbos, qui licet accedant ad hoc Sacramentum memoriale humilitatis Chriſti, & adorent illud; parvum tamen fructum referunt, ſi faſtum animi non deponunt, ſi humiles & pauperes aſpernentur, ſi fugant eorum ſanguinem, ſi indignè accedant.

Pſ. 21. 27. Ib. v. 28. Ib. v. 30 Euthym. in hunc Pſ. locum. Euſ. in Pſ. Aug. in illum locum.

Hos alloquens Div. Chryſoſtomus, ſic ait: *In Bethleem accurre cum Magis, ac domum ſpiritualis panis ingredere, adoraturus Dei Filium, & non quaſi concilcaturus adveneas, honorem cum gaudio & tremore offeras. Cave ne Herodi efficiaris ſimilis, & dicas: Ut & ego veniens adorem eum. Cumque veneris, interimere coneris. Hujus ſimiles ſunt, qui abutuntur communione myſterii, re enim ſunt Sanguinis & Corporis Domini. Timeamus igitur, ne quando ſpeciem ſupplicum & adorantium geramus; opere verò exiſtamus inimici.*

Chryſoſt. hom. 8. In Matth.

Hoc etiam loco argui poſſent divites & nobiles, qui vix dignantur pauculum omninò itineris pedibus ſuis conficere, ut ad Dominum adorandum in ſacrificio veniant; ſed equis, mulis, rhedis, advecti pompaticè, ac quaſi theatraliter ingrediuntur domum Domini magis cum inſolentia, quam cum reverentia. Vix flexo uno genu, nutibus oculorum undique circumeunt; per famulos multo faſtu turbam ſubmovent, ne ſibi appropinquet; & cum nullam afferant, aliorum etiam devo-

Digitized by Goog

devotionem turbant. Quod maximè de vanis aliquibus mulieribus verum eſt, quæ inſtar Pavonum ſyrmata ſua & veſtium fimbrias oſtentant: & potius venire videntur, ut ſpectent & ſpectentur, quam ut adorent. Hujuſmodi cum viros, tum mulieres reprehendens D. Chryſoſt. loco citato ſic ait: S. Chryſ. loc. cit. *Quis veſtrum, qui innumeris eſtis Chriſti beneficiis obligati, tam longinqua propter eum arripuit expeditionis laborem, quàm ſapientes illi Magi? Sed quid ego ſpatio loquor itineris, cùm plurima fœminarum tanta jam animi mollitudine reſolvantur, ut niſi advecta mulis quamlibet exiguo ſpatio à domibus ſuis venire nequeant, ad videndum Dominum in præſepio ſpirituali. Sed ex his quoque quæ ambulandi laborem ferunt; alii ſæcularium negotiorum tumultus, alii theatrales turbas, Sanctorum cœtibus anteponunt.*

Qui tamen verè nobiles ſunt, agnoſcunt in hoc Sacramento illum qui in fœmore ſcriptum gerit, *Rex Regum & Dominus Dominantium*; illumque magna animi demiſſione & reverentia, cum exteriori tum interiori adorant. Purpuram ſuam, potentatus, ſceptra, diademata ſua ſubmittunt, ac ſeipſos vovent cum humilitate illi, à quo omnis poteſtas ac dominatus.

Exempl. Albertus Vidmanſtadius Cancell. Auſtriæ. *Matthæus Galenus Cantell. Duacenſ. Catechet. l. 15. ex Chronico Sueviæ.*

Audi præclarum hujuſce humilitatis ac pietatis teſtimonium in Rudolpho Comite Habsburgico qui ob eam meruit, ut imperialis dignitas in domum Auſtriacam derivaretur. Cum is antequam Imperator deſignatus foret, una cum Regulo Kyburgenſi conſanguineo ſuo, ad ſanctam quandam mulierem in ſacra Helvetiæ ſolitudinis cella abditam, religionis cauſa proficiſceretur: occurrit Sacerdoti ſacrum Chriſti Corpus ad ægrum deferenti. Cumque Sacerdos pedibus iter ingrederetur cum ædituo cereum & campanulum ferente; deſcendit is equo, & Sacerdotem urget conſcendere. Ejus pietate commotus conſanguineus, ſuum & ipſe ædituo exhibet. Ad ægrum ergo, Sacerdotem tanquam à pedibus fræniſque miniſter deduxit, & ad propriam Eccleſiam poſtea reduxit, ubi adorato Deo; multa fauſta ei apprecatus eſt Sacerdos, ejuſque poſteritati. Deinde ad mulierem illam ſanctitate celebrem contendit. Hanc ubi ſalutarunt, ipſa veluti numine plena ad Rudolphum converſa ſic ait: *Pro officio & cultu, Deo ejuſque Sacerdoti ab te nuper tributo, gratiam tibi poſteriſque tuis cumulatiſſimè referet omnipotens Deus: & ne te vana ſpe induci à me ſuſpiceris, novenarium temporis numerum, quo tibi hujus meæ prædictionis efficax ſignum oſtendetur, diligenter obſerva.* Rudolphus igitur novenis & diebus & menſibus elapſis, ſpe ſua videbatur excidere, donec poſt novum inde annum Romanorum Imperator declaratus fuit: & imperialis dignitas in Auſtriacam domum profecta, exinde certis pietatis rationibus conſervata hactenus fuit. Ita ex Chronico Sueviæ multi Hiſtorici.

Porro & illud hic deplorandum eſt cum Thomâ à Kempis, quod cùm Deus multos voluerit fieri Sacerdotes, & in pluribus locis Chriſtum offerri & adorari; ut tanto major appareat gratia & dilectio Dei in hominem, quantò latiùs hoc Sacramentum diffuſum eſt per orbem: hoc interim potius neglectum ut minorem reverentiam pariat Chriſtianis. Quia tanta eſt humani cordis cæcitas; ut ex quotidiano uſu ad inadvertentiam defluant, & tantum donum non attendant, nec ut oportet adorent; ſed ttepidè & negligenter, curſim & perfunctoriè circa ejus cultum ſe gerant. Si enim hoc ſanctiſſimum Sacramentum in uno tantum celebraretur loco, & ab uno tantum conſecraretur Sacerdote in orbe, quanto deſiderio ex omnibus mundi partibus illuc confluerent populi, quanta reverentia huic myſterio aſſiſtere & adorare optarent? An non vides ad Lauretanam Ædem (ad quam cubiculum Virginis in quo Chriſtus conceptus fuit, Angelorum ope translatum eſt) quanta devotione ex omni natione confluant cujuslibet conditionis & gradus ac dignitatis homines, ut vel ſolum pavimentum oſculentur? Currunt etiam multi ad diverſa loca, ad viſitandas Sanctorum Reliquias, & mirantur auditis geſtis eorum, ampla templorum ædificia inſpiciunt, oſculantur ſericis & auro involuta ſacra oſſa ipſorum. Et ecce præſens eſt in altari Deus noſter Sanctus Sanctorum, Creator omnium & Dominus Angelorum. Sæpe in talibus videndis curioſitas & novitas inviſorum urget, & modicus reportatur fructus, ubi tam levis eſt ſine vera contritione diſcurſus. Hic autem in Sacramento præſens eſt Deus Homo, Chriſtus Jeſus; ubi à quolibet poteſt adorari, ubi & copioſus eſt æternæ ſalutis fructus digne accedenti. Nec habitad id levitas aut curioſitas, aut curioſitas, aut ſenſualitas; ſed firma fides, devota ſpes, ſincera charitas.

Kempis' lib. 4. de imit. c. 1.

Sed quid mirum, ſi magna ſubmiſſione ab hominibus hoc Sacramentum adorandum dicimus, quod tanta reverentia Angelici Spiritus etiam viſibiliter adorare ſæpius viſi ſunt. De Sancto Chryſ. ſic teſtatur Nilus Abbas Epiſtol. ad Anaſtaſium Epiſcopum. *Joannes Sacerdos admirandus Eccleſiæ Conſtantinopolis, imò totius Orbis ſplendor, omni fere tempore videbat domum Dei refertam Angelorum Cœtu, maximè cùm Divinum Sacrificium offerebatur. Quo tempore ſtupore & lætitia plenus, rem præcipuis amicis ſpiritualibus privatim enarravit. Cùm cœpiſſet,* inquit, *oblationem facere Sacerdos, plurima ſtatim ex Beatis illis Virtutibus è Cœlo deſcendentes, ſtolis induta ſplendiſſimis, nudas pedibus, intentis oculis, prona, altari magno cum ſilentio & reverentia [quoad venerandum illud myſterium expletum fuerit] circumſteterunt. Deinde huc illuc ſingula per totum domum diffuſa, Epiſcopis & Presbyteris & Diaconis diſtributionem Corporis & pretioſi Sanguinis miniſtrantibus adhæſerunt, ſatagentes & ſedulò adjuvantes.* Baron. tom. 5. an. 407.

Idem de Angelis hic aſſiſtentibus frequenter teſtatur ipſemet Chryſoſt. libr. de ſacerdotio, & alibi:

procul

Digitized by Google

procul igitur impiorum hæreticorum vox, huic ſacrato myſterio adorationem denegantium, imò illud quandoque vocibus blaſphemis inſectantium, quos non ſemper inultos divinum ſinit judicium. Quod cum multis exemplis facilè eſſet comprobare, unicum irrefragabili teſtimonio firmatum, modo ſufficiat ex Thoma Waldenſi eximio Doctore Theologo lib. contra Wicleph. ubi ſic ait: Hiſtoriam refero, quam ego præſens vidi oculis carnis meæ, in Cathedrali Eccleſia S. Pauli Londini, ubi Venerandus Cantuarienſis Antiſtes, fœlicis recordationis, Thomas Atundelius, filius & frater Comitum, pro loco judicii aſſiſtentibus ſibi Norvicenſis Eccleſiæ tunc Præſule Alexandro & aliis) reſidens in Epiſcopali ſede, verba quædam & interrogationes proponebat de fide Euchariſtiæ ad quemdam Sartorem de partibus Wigorniæ, deprehenſum in hæreſi. Cumque flecti omnino non poſſet, nec aliud quam benedictum panem, ſacratiſſimam hoſtiam volebat appellare, vel credere: tandem juſſus facere reverentiam hoſtiæ; reſpondit blaſphemus: Verè, inquit, digniot eſt aranea reverentia. At illico de alto culmine tecti deſcendens ingens & horrida viſa aranea, ad os blaſphemi directo filo pervenit. Et dum Sartor loqueretur, ut intraret, per polluta labia aranea ſollicitè laborabat. Adſtitit illuſtris Princeps Thomas Oxonienſis Dux, tunc Regni Cancellarius, vidit prodigium. At prædictus Archiepiſcopus ſtatim ſurgens cum aliis, exponit omni illic collecto populo, quid ultrix manus Domini faceret in blaſphemum. Nec mora, qui preciosiſſimæ carni Agni præelegit araneam, peccatricem carnem ſuam flammis devorandam amiſit; ut eſſet favilla pejor aranea. Ecce doctrinam fœdam, & amaram errantium, qui Sacramentum optimum ſic in figuram attenuant, ut idolum faciant

Thomas Waldenſ. l. contra Io. Wicleph.

Punitio blaſphemi.

Q. de miraculoſa Chriſti in hoc Sacramento apparitione quid ſentendum? D. Th. 3. p.q.76. art.8.

Quærunt hic Theologi, *an quando miraculosè apparet puer in hoc Sacramento, vel caro, vel ſanguis, debeatur etiam illi adoratio?* Hæc autem quæſtio pendet ab illa, an tunc ſit verè Corpus Chriſti vel Sanguis. Pro reſolutione, advertè ex D. Thoma, has apparitiones duplici modo fieri poſſe. Unus enim modus eſt, quo id fit ſine immutatione ſpecierum ſacramentalium, per ſolum immutationem ſenſibilium ſpecierum in medio vel organo ſenſus factam. Alter modus eſt, per veram etiam immutationem ipſarum ſpecierum ſacramentalium. Has autem apparitiones & immutationes permittit Deus frequenter fieri, vel ad confuſionem infidelium negantium veritatem hujus Sacramenti, vel ad terrorem indignè communicantium, vel ad conſolationem piorum. Et quandoque in parte ſolum ſpecierum facta eſt immutatio, altera parte immutata manente.

Baron. ex P. Damian.

Habes exemplum apud Baronium, ex epiſtola B. Petri Damiani ad Deſiderium Caſſinenſem Abbatem. ubi dicit: Recordatus ſum litterarum, quas ut interrogans miſiſti, ſed ego ſynodo impeditus, adhuc non reſpondi. In illis continebatur, quod Zelotypa quædam mulier, habens virum de adulterio ſuſpectum, qualiter eum ſibi vindicare poſſet proprio thoro contentum, à vicina petiit muliere conſilium, Quæ nimirum perverſa, & ultricibus flammis evidenter obnoxia, hoc eam ſacrilegium venenata ſerpentis antiqui ſuadela perdocuit, ut Corpus Dominicum quaſi communicatura perciperet; quod cautè reſervans, viro ſuo poſtmodum non ſine quibuſdam maleficiis propinaret. Quod videlicet à Sacerdote perceptum, uſque dum occaſio præberetur, pallio reſervatum, non ſine magno dedit ſtupore miraculum. Hæc enim particula Domini Corporis, inventa eſt uſque ad medietatem in carnem converſa, altera verò medietas panis ſpeciem non mutavit: Itaque, ſi ritè reminiſcor, hoc propoſuiſti: deinde, quid portenderet, inquiſiſti. Super qua quæſtione quia non neceſſe eſt diutius immorari, brevi compendio quid mihi videatur, expediam. *Idcirco Deus omnipotens ſanctum illud Myſterium in carnis ſpeciem vertit, ut perfidiam reprobæ mulieris argueret, dum viſibilem Dominici Corporis oſtenderet veritatem, quatenus quæ purum panem, ut videbatur, antè credebat, vera carnis ſpeciem cerneret, ſicque ſacrilegam capti ſceleris audacia condemnaret. Quod autem medietas ſic remanſit, ad evidentioris judicii teſtimonium profecit, ut dum in eadem ſubſtantia, hinc carnis, illinc panis adeſſe conſideras ſpeciem, in utroque vera carnis veriique panis intelligas veritatem: quia & panis eſt, qui de cœlo deſcendit; & caro quæ de virginalis uteri materia produt:* Hæc ille.

Ad quæſtionem igitur propoſitam, dico 1. quando verè apparet puer, licet ad breve tempus, non eſt improbabile Chriſtum eſſe, exhibentem ſe corporaliter in tali forma. Et colligitur ex eo, quod Chriſtus frequenter in tali figura permiſerit ſe amplecti & oſculari, ob ſingularem illorum quibus apparebat pietatem. Cum tamen talis apparitio frequenter acciderit, ſine mutatione ſpecierum ſacramentalium, tantum per mutationem ſpecierum viſibilium in medio vel organo ſenſus; tunc Corpus Domini manſiſſe ſub ſpeciebus credendum eſt, nec apparuiſſe Chriſtum in propria ſpecie: & hujus rei indicium poteſt eſſe, quando tantum ab aliquibus ſic conſpicitur, ab aliis verò non.

Dico 2. quando hoſtia ſacra vertitur in figuram carnis, aut vinum conſecratum in formam ſanguinis, ſervata aliquouſque quantitate ſpecierum, & ſervatis accidentibus, panis & vini magis propriis, ut ſunt odor & ſapor; ita ut cum talibus ſubſtantia panis & vini conſervari poſſet, ſi adeſſet: tunc ſub ſpeciebus panis & vini remanet verè Corpus Chriſti, & quod apparet non eſt vera caro, neque verus ſanguis; ſed colore tantum & figura carnem aut ſanguinem refert, ut docet D. Thomas 3. p. q. 76. art. 8. qui dicit tales plures reperiri apparitiones. Talis ergo Hoſtia tamdiu cultu latriæ adorandæ

Digitized by Google

manda eſt, quamdiu ſpecies manent in integritate.

Dico 3. Quotieſcunque fit tanta mutatio in qualitatibus ſpecierum ſacramentalium, ut ſub illis non poſſit conſervari ſubſtantia panis & vini, non manet ſub iis Chriſtus, ſivè maneat eadem quantitas, ſivè non: ita Thomas quæſt 77 art. 4. Probatur, quia ejuſmodi alteratio, eſt ſufficiens diſpoſitio ad alterius ſubſtantiæ generationem, ergò reverà generatur alia ſubſtantia, quoniam ex ſpeciebus ſacramentalibus ita fit alterius generatio, ſicut ſolet ex vero pane. Ergò non manet ſubſtantia Corporis Chriſti. Et ſimilis eſt ratio, quando apparet in hoc Sacramento caro vel ſanguis cum tanta ſpecierum immutatione, ut judicentur omninò corruptæ. Nec enim veriſimile eſt, ibi eſſe veram Chriſti carnem, aut ſanguinem naturalem in propria forma. Undè non eſt illi exhibenda veneratio, quam Chriſto exhibemus, ſed quam ſigno & veſtigio corporis Chriſti. Probatur, quia externa ejuſmodi forma carnis & ſanguinis, aliquandò multis annis permanet, & paulatim nigreſcit, & corrumpitur. Caro autem & Sanguis Chriſti planè incorruptibilis eſt, & indeficiens. Quin imò nec dicendum videtur, quod ibi ſit propriè dicta caro vel ſanguis, ſed tantùm aliquid quod colore & figura carnem repræſentat. Neque enim probabile eſt eſſe carnem humanam, & quod ſit alterius animalis, indecens eſſet.

Poſtremò, probabile eſt, quandò Sanguis emanat ex ſacra Hoſtia, non eſſe Chriſti ſanguinem in propria ſpecie; ſed liquorem quemdam miraculoſum, formatum ad oſtendendum eum, qui ſub ſpeciebus latet, eſſe verum hominem. Colligitur ex eo, quod talis ſanguis paulatim corrumpatur, & inconveniens eſſet dicere, verum ſanguinem Chriſti extrà venas Corporis Chriſti tangi & contrectari, mutare & tabeſcere.

Dices, ergò hæ omnes apparitiones erunt deceptoriæ, eritque idololatriæ periculum, quandò adorabitur ut caro aut ſanguis Chriſti, quod tale non eſt.

Reſpondeo non eſſe deceptionem, quia licet in objecto non ſit, quod ſenſui apparet; illa tamen immutatio, quæ in ſenſu fit, ad veritatem aliquam ſignificandam ordinatur. Neque idololatriæ periculum eſt, quia adoratio quæ fit, non ſiſtit in eo, quod ſenſibiliter apparet; ſed per illud tranſit ad verum Chriſti Corpus, aut in Sacramento latens, aut in propria ſpecie exiſtens. Illam verò cautelam ab Eccleſia adhiberi videmus, ut Sacramento miraculosè in carnem, aut aliquid ſimile mutato, alia conſecrata adjungatur & adoretur Hoſtia.

PROPOSITIO II.

DE FESTO CORPORIS CHRISTI.

Piè ab Eccleſia celebri & peculiari feſto hoc Sacramentum colitur.

DEfinit id expreſsè Tridentinum, & hanc addit rationem: *Æquiſſimum eſt enim, ſacros aliquos ſtatutos eſſe dies, cùm Chriſtiani omnes ſingulari ac rarâ ſignificatione, gratos ac memores teſtentur animos ergà communem Dominum ac Redemptorem, pro tam ineffabili & divino beneficio, quo mortis ejus victoria & triumphus repræſentatur. Atque ſic quidem oportuit, victricem veritatem de mendacio & hæreſi triumphum agere: ut ejus adverſarii in conſpectu tanti ſplendoris, & in tanta univerſa Eccleſia lætitia poſiti, vel debilitati & fracti tabeſcant, vel pudore affecti & confuſi aliquando reſipiſcant.* Trid. ſeſſ. 13. c. 5. V. D. Th. ſer. 6. infra octavam Corporis Chriſti in Brevia.

Quia verò hoc feſtum ab Eccleſia noſtra Leodienſi originem habet, & id tamen aliquibus, maximè exteris nationibus, ignotum adhuc videmus; ideò hiſtoriæ veritatem ex antiquis certis ſcriptis deductam, paulò fuſius hic repetendum & inſerendum duximus.

Origo hujus Feſti recenſetur, an. 1230.

Circa annum 1230. Floruit Leodii, in loco Cornelii Montis, Virgo Juliana, quæ ad virtutis ac ſcientiæ divinæ culmen pertigit, frequenter per mentis exceſſum rapta, prophetico etiam ſpiritu plena, adeò ut quandoque cogitationes cordium prederet. Luctabatur cum diabolo, loquebatur cum Apoſtolis, fulgebat miraculis, orationi tota erat dedita. Inter orandum autem crebrò ejus aſpectui objiciebatur mirabile ſignum: videbat enim lunam quaſi in ſuo ſplendore, ſed cum aliqua ſui orbicularis corporis fractione. Mirabatur neſciens quid ſignificaret, & enitebatur ſuis aliorumque precibus ſignum illud à ſe amovere. Tandem divino didicit reſponſo, myſterium aliquod in hoc latere, & ſignificari in luna Eccleſiam, in ejus fractione defectum unius ſolemnitatis, quam Deus volebat ad augmentum fidei inſtitui. Accepit verò cœlitus frequenter præceptum, ut hanc ſolemnitatem inchoaret, & mundo celebrandam nunciaret. Sed humilis Virgo continuò orabat, & dicebat Domino: *Excita Domine teipſum, excita & viros eruditos, & me minimam in pace dimitte.* Verùm divinitùs pro reſponſo aliquandò accepit: *Confiteor tibi, Pater, quia abſcondiſti hæc à Sapientibus, & revelaſti ea parvulis.* Iterùm aliâ vice audivit cœlitùs vocem dicentem: *Immiſit in os meum canticum novum, carmen Deo noſtro: Non abſcondi miſericordiam & veritatem tuam à concilio multo.* Jam ferè per viginti annos indignam tanto negocio ſe reputans, inſtabat gemitibus apud Deum, ut alteri negocium committeret. Sed eo magis humilitatis amator ad idipſam dignioré judicavit, abſoluto reſponſo ei indicans, ſe velle per eam inchoari, ac deinceps per perſonas humiles promoveri. Tandem igitur Virgo acquieſcens, rem totam

Digitized by Google

præcinctus & paratus, ut auxilium nobis adverſus hoſtes ferat, adverſus eos qui tribulant nos. Ibi nos reſpicit per feneſtras, proſpicit per cancellos, per modos ſubtiles & inenarrabiles. Videt is nos clarè, licet ſe videndum non præbeat, niſi per fidei noſtræ cancellos & obſcurè. At reſpiciens nos, jacit ſacri amoris affectus in cor noſtrum, & invitat nos, invitat omnem animam fidelem : *Surge, propera amica mea, columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ. Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis.* Invitat ad vulnerum ſuorum ſacram conſiderationem, in hoc memoriali Paſſionis; & ad exprimendam vocem contritionis & amoris.

Cant. 2. 10. & 14.

Tertium mirabile, quod hic credit fides, eſt Corpus Chriſti ſub his ſpeciebus eſſe æque magnum ac in Cruce, ſive in Cœlo. Quod mirum plane eſt, ſub adeo exigua panis formula, Corpus quinque aut ſex pedum contineri. Sed id fit ſupernaturali virtute & modo, per quem licet quantitas Corporis Chriſti ſit eadem ac in Cruce, non habet tamen extenſionem ad locum : & ita partes ejus non impediunt ſe in eodem loco. Non eſt tamen hic confuſio partium Corporis Chriſti; quia habent diſtinctionem & ordinem corpori humano congruentem. Et quamvis actu extenſæ non ſint, aut locum non occupent; ita tamen inter ſe diſpoſitæ ſunt, ut niſi ſupernaturaliter impedirentur, etiam actualem in loco extenſionem habituræ forent. Itaque diſtinguunt Theologi extenſionem actualem & aptitudinalem, ſive intrinſecam; hæc poſterior eſt eſſentialis quantitati corporis, per quam fit, ut aptum ſit occupare ſpacium extenſum : illa autem prior actualis, non eſt de eſſentia quantitatis. Et ita quia Corpus Chriſti in Sacramento habet ſuam quantitatem, habet & illam aptitudinalem ſive intrinſecam extenſionem, per quam fit, ut ſit ordo partium in toto; non habet autem (ob myſterium) actualem extenſionem : & ideo non eſt ordo partium in loco, ſive non occupat actu tantum ſpatium, quantum naturaliter requirit, aut quantum in Cruce, aut Cœna de facto habuit. Quia eſt ibi modo omnino ſupernaturali, & non ſicut locatum in loco, nec ſub dimenſionibus propriis, ſed ſub dimenſionibus quæ prius fuerunt panis & vini.

An non hoc eſt *Verbum abbreviatum, quod fecit Dominus ſuper terram* ? Divinitatem ſuam immenſam quodammodo abbreviaſſe cenſetur Deus, ſub carnis tegumento collocans. Nunc autem & divinitatem & humanitatem ſub panis ſpecie abbreviant, orbe claudit modico, totus Orbis Dominum. An non & hoc myſterium inſinuaſſe exiſtimandus eſt Iſaias, dicens : *Dabit vobis Dominus panem arctum & aquam brevem, & non faciet ultra à te avolare doctorem tuum.* Quis eſt panis ille arctus, niſi hoc Sacramentum, in quo corpus integri hominis & Dei, ſub panis fruſtulo continetur, & quodammodo arctatur ? Quæ aqua brevior, ſive quis potus magis abbreviatus, quamvis in quo ſub vini guttula, totus Chriſti deificus Sanguis abbreviatur & comprehenditur ? Denique nunquid ob hoc Sacramentum maxime verum eſt ; *Non faciet ultra à te avolare doctorem tuum* ? In illo enim, Doctor ac Magiſter æternæ ſalutis continetur in ſæculum ſæculi. Et licet avolarit in cœlum ſecundùm formam viſibilem; manet tamen ibi nobiſcum inviſibiliter, erudiens nos, & paſcens pane vitæ, potans aqua viva, aqua ſaliente in vitam æternam. Sitiens eſt ibi ipſe noſtram ſalutem, noſtrum amorem, petens à nobis bibere, de illo vino condito ; & multo malo granatorum, quod ei propinat Sponſa, hoc eſt, de ſuavibus deſideriis, piiſque affectibus, quos animæ afferunt ad hoc ſacrum epulum. Dicere ergo mihi hic licet, quod olim Dominus Samaritanæ : *O mulier*, ô anima fidelis, *ſi ſcires donum Dei*, ſub his Sacramentalibus contentum & abſconditum : ſi ſcires quis ſit ille, qui hic latens dicit tibi: *Da mihi bibere.* Tantum abeſt, ut repudiares hoc donum, hunc panem arctum, hanc aquam brevem; ſed humili & ferventi animo accederes, & *peteres ab eo aquam vivam* : nam hic eſt fons, in quo bibitur illa gratis.

Iſ. 30. 20.

Joan. 4. 10.

Si quiſpiam optat juvari, ad rudem aliquam intelligentiam modi hujus admirabilis & ſupernaturalis, quo corpus adeo magnum in tam exiguo ſpacio conſtituitur, audiat ex D. Thoma ſimilitudinem quandam naturalem. *Tam longa eſt*, inquit, *longitudo turris, ac ipſa turris; eſt tam lata latitudo turris, ac ipſa turris : attamen ſpecies & figura turris, totaliter comprehenditur & recipitur in oculo; quia ſi non eſſet illa ſpecies longitudinis in oculo noſtro, non poſſet homo per aſpectum de illa longitudine judicare. Idem dic de Sole, luna, ſtellis, quorum omnium magnitudo in oculo parvo capitur. Si ergo hoc eſt mirabile & certum, non eſt incredibile Corpus Chriſti poſſe contineri ſub hoſtia adeo parva, licet perfectè id intelligere nequeamus.* Hæc D. Thomas.

Simile ex D. Th. in opuſc. de Euchar.

Quartum mirabile eſt, Corpus Chriſti ita eſſe totum ſub hoſtia conſecrata, ut ſit etiam totum ſub qualibet parte. Ratio eſt, quia eſt ibi per modum ſubſtantiæ; unde ſicut ſub qualibet parte panis, eſt ſubſtantia panis, & ſub qualibet gutta vini, eſt ſubſtantia vini : ita ſub qualibet parte ſpeciei ſacramentalis, eſt Corpus Chriſti, quod pani ſucceſſit : & ſub qualibet gutta ſive ſpecie vini, eſt Sanguis Chriſti. Declarari etiam id ſolet exemplo animæ, quæ tota eſt in toto corpore, & tota in ſingulis ejus partibus & ita tota in ſolo digito, ſicut in toto corpore. Declarari id etiam poteſt exemplo ſpeculi, in quo reſultat imago noſtra tota; & ſi in plures partes illud diviſeris, in ſingulis partibus reſultat imago tota. Non incongruum etiam eſt exemplum verbi prolati, quod integrum procedit ab ore proferentis; & licet ſparſum in aerem videatur dividi, dum multi audiunt, tamen ſinguli non diviſum, ſed integrum audiunt. Licet vero in his ſimilibus multa quis reperire poſſit diſſimilia; tamen rudem aliquam intelligentiam hujuſce rei (quam admiramur, nec ſatis intelligimus) his qui pervica-

Similia.

Digitized by Google

pervicaces non fuerint, præbere poſſunt : interim nonniſi fide aſſequi hæc poſſumus, per quam credimus, ſub qualibet minima ſenſibili particula nos tantum accipere, quantum quis acciperet maximam ſumens hoſtiam.

Rupertus. Figura quædam hujus rei præceſſit in Manna, de qua cum colligeret alius plus, alius minus : non tamen qui plus colligerat, plus inveniebat : nec qui minus paraverat, reperit minus. Quod ad hoc myſterium ſic refert Rupertus. Hoc, inquit, quo virtute cibi & ſpiritualis potus, id eſt, Corporis & Sanguinis Chriſti ſciendum, & firmiter tenendum eſt: *Quod non pro quantitate portionis, quam quiſque ore percepit ſecundum viſibilem ſpeciem panis & vini, alius plus, alius minus conſequitur de gratia vivificantis Spiritus, Sicut enim Adam cujus nos iniquitatem portamus, non pro quantitate morſus ſui (ſive pomi quod momordit) ſententiam, & damnationem juſtam accepit; tantumque illi valuit unum pomum momordiſſe, quantum ſi quicquid pomorum in arbore illa fuit, devoraſſet : ſic è contrario unuſquiſque noſtrum non pro quantitate portiuncula vivifici panis, quæ illi frangitur quam ore ſumit, aut dentibus terit, gratiam & vitam accipit.*

Exempl. Bredenbach. l. 1. Collat. fact. c. 55. an. 1384. Ad hujus rei confirmationem facit divina illa ultio, quæ anno 1384. contigit Oſwvaldo Mulſero in comitatu Tirolis. Hic nobili ortus proſapiâ, tempore paſchali voluit majori Hoſtiâ uti, quam cæteri laici. Sacerdos tanquam Domino temporali loci illius non auſus fuit id denegare. Verum dum ei in os inſerit ſacram Hoſtiam, ecce miraculosè ante altare terra ſe aperit quaſi ipſum abſorpturа, & in illam uſque ad genua cecidit. Ille vero manibus latus altaris apprehendit, ſed altare inſtar ceræ molleſcens, manibus ceſſit. Oſwvaldus præſentem Dei vindictam præſentiens mox pœnitentia ducitur, veniam à Deo precatur. Cumque hoſtiam deglutire non poſſet, Deo id non permittente, Sacerdos eam in ſacrarium reponit : Quæ etiamnum illic ſanguineo colore divinitus tincta, & ex linguæ ſaliva nonnihil contracta, conſpicitur. Ubi etiam jam inde ad noſtra uſque tempora plurimi fiunt miraculа, Hanc rem his verbis teſtatur, Auctor Sacrarum Collationum. *Ego Tilmanus Bredembachius ex Urbe in Germaniam reverſurus, ad locum iſtum diverti, altare ipſum & in eo manus Oſwvaldi, veſtigia vidi & contrectavi, ac juxta illud terræ hiatum quo abſorberi cæperat, modo ſerreis cancellis obtectum : denique ipſam hoſtiam & cæſtrum, in quo vixit, conſpexi.* Porrò Oſwvaldus iſte, ſic divinitus correptus in moleſtam incidit ægritudinem, pœnitentiamque agens & confeſſus aliquanto ſupervixit tempore, demum mortuus in Domino. Extat hujus miraculi tabula ænea in Pago Seveld in Comitatu Tirolis.

Quintum mirabile ſequitur ex præcedenti, fractionem ſcilicet aut diviſionem hoſtiæ nullo modo attingere corpus Chriſti, ſed ſolas ſpecies, ſive quantitatem ſub qua antea erat panis. Unde ſi quandoque dicatur à Sanctis Patribus corpus Chriſti frangi vel atteri dentibus (ſic Berengarii confeſſio loquitur) id ſolum verum eſt denominatione extrinſeca, quia ſpecies Sacramentales franguntur vel atteruntur, ſub quibus præſens eſt realiter: ipſum autem propriè non frangitur; quia nulla in ipſo fit partium diſcontinuatio. Sic in Miſſæ ſacrificio ob rationes myſticas in tres partes dividitur hoſtia. Primò ad deſignandam triplicem illam diviſionem corporis Chriſti in cruce, in manibus, ſcilicet, pedibus, & latere. Secundò ob tres ſtatus Chriſti, qui aliquando fuit mortalis, aliquando mortuus, aliquando immortalis. Tertiò propter tres naturas ſive ſubſtantias in una perſona, divinitatem, animam, corpus : Vel etiam ob fidem Trinitatis in una eſſentia. Quartò ob tres ſtatus animarum participantium de fructu hujus Sacramenti; quia viventes gratiam, qui in purgatorio ſunt refrigerium, qui in cœlo lætitiam ſpecialem participant de Miſſæ ſacrificio. Eſt ergo hæc fractio ſacra & myſtica, à Sacerdote magnâ reverentia facienda. De conſecr. d. 2. *Cur in Miſſa dividatur Hoſtia in tres partes?* D. Tho.

Sed & licet ab impiis quælibet indigna confractio, conculcatio, aut injurioſa tractatio circa hoc Sacramentum ſpheret, non tamen attingit corpus Chriſti, ſed ſolas ſpecies: illud enim incorruptibile eſt, & impaſſibile, nullique læſionis ſuſceptivum. Quocirca non plus illud lædituг, quàm radii ſolares læderentur ab inſano homine, qui pedibus eos tentaret proterere, aut gladio in partes conſcindere, aut luto commaculare. Quia tamen Deus ultor eſt injuriæ Sacramento ſuo factæ, aliquando prodigioſus ſanguis ex hoſtiis conſecratis parricidali impiorum manu impetitis, efflуxit, ad deteſtationem ſceleris, & probationem veritatis.

E plurimis exemplis unum ætatis noſtræ ſubnecto. Judæus quidam Leo nomine, Pragæ in Bohemia ad fidem converſus, familiaris erat cuidam Franciſcano, qui infirmorum curam gerebat, ſalutare viaticum eis adminiſtrans. Hic diligenter obſervans ubi hoſtiæ conſecratæ reponerentur, adhuc Judaizans tres hoſtias clam ſurripuit, chartæ involvit, & Presburgum in Hungariam profectus, ad Judæum in hoſpitium divertit. Aliquot dies ibi moratus, ſæpè cum hoſpite de Chriſto & Sacramento diſputavit. Interrogavit hoſpes Leonem, an aliquando hoc Sacramentum percepiſſet? Reſpondit Leo ſe percepiſſe; & illuc tandem ſermo devenit, ut Leo tres conſecratas hoſtias è ſinu deprompſerit, & Judæo ſpectandas dederit. Is orat ſibi donari duas, conſentit Leo : & has quidem acceptas in arculam reponit Judæus, & accuratè cuſtodit, donec Leo proficiſceretur. Illo abſente convocat ſuæ ſectæ Judæos, & illis exhibet hoſtias. Collato autem conſilio, dicunt experiendum, an in Chriſtianorum Sacramentis ſit dolus? Ponit ergo in menſa Hoſtiis, unus accepto cultro dicit: ſi verè Chriſtianorum Deus iſ, hic vindictam tuam exere, Sic cultrum in hoſtiam adegit, ita-

Digitized by Google

timque copioſus ſanguis effluxit. Territis miraculo Judæis, mox vindex Deus adfuit, & fulmine domum concuſſit: ita ut ignis exardeſcens, hoſpitem cum uxore, duabus filiabus multisque Judæis conſumpſerit. Tres tantum incolumes evaſerunt, menſa & hoſtiæ in medio incendio intactæ manſerunt. Gubernator urbis videns incendium, mittit famulos ut cauſam inquirant: venientes illi didicerunt Judæos aliquos in iſtis ædibus fuiſſe congregatos: quid verò egerint non conſtare, multis igne abſumptis tres evaſiſſe. Quæruntur ergo illi, & inventi in vincula conjiciuntur. Tandem per torturam coacti, rem geſtam ordine narrant. Gubernator ut tantum ſcelus debitis pœnis expiaret, exquiſitiſſimis tormentis excarnificari tertioque die adactis per corpora ſemi-viva palis, in via regia collocari præcipit anno 1591.

Sic Judæi Bruxellæ anno 1399. ſexdecim circiter hoſtias in die Pataſceves transfixere, è quibus guttæ ſanguinis apparuerunt; prout adhuc hodie cernere licet ibidem, quia tres adhuc ſervantur. Et hi quidem ignis ſupplicio puniti fuere, ſed Sacramentum ipſum, plurimis miraculis claruit. Vide hiſtoriam latiùs apud D' averoultium in floribus Exemp. aut in Speculo exemplorum redacto per P. Joan. Majotis.

D' averoultius. c. 5. tit. 3. exempl. 7.

Sextum mirabile eſt, quod ab initio primitivæ Eccleſiæ uſque in finem ſæculi, fideles ſumunt quotidiè corpus Chriſti (ita ut innumera hominum millia illud ſumpſerint integrum) nec tamen in aliquo fuerit diminutum, aut imminuendum, nec enim augeri poteſt, licet totus panis in orbe exiſtens à Sacerdotibus conſecraretur: nec imminui, licet omnes mundi homines illud ſumerent, unicum ſcilicet ſemper integrum perſeverat. Id adumbrare voluit Chriſtus, miraculo illorum panum quos benedixit & tot hominum millia ſatiavit, & nihilominus Deo illos multiplicante, nihil imminutum fuit: ſed ſuperabundavit. Ita à mille ſexcentis annis corpus unicum Chriſti ſufficit toti quæ in Eccleſia eſt multitudini; multiplicatur ſine multiplicatione; comeditur ſine conſumptione; à centum millibus perſonarum ſimul ſumitur, & unicum eſt integrumque manet & in æternum manebit. Nam qui dixit viduæ in Sarepta per os Eliæ: *Farina hydria non deficiet, nec lecythus olei minuetur, uſque ad diem in qua Dominus daturus eſt pluviam ſuper faciem terræ.* Idem potuit dicere & efficere, ut panis ille vivificus, qui ex pugillo frumenti conficitur, non deficiat uſque ad finem ſæculi, ſemperque oleum gratiæ & pinguedo ſpiritualis, ab hoc pane oleato, pane Chriſti, in animas defluat.

Matth. 15. Joan. 6. 11. 26.

3. Reg. 17. 14.

Septimum mirabile præcedenti affine eſt, corpus Chriſti ſimul in diverſis locis eſſe, inſque innumeris: quia eſt in quibuſcumque altaribus poſt conſecrationem præſentia Sacramentali, in Cœlo præſentia naturali. Hoc inter cætera maximè intellectu eſt difficile, ideoque tanquam impoſſibile ab hæreticis oppugnatur & repudiatur. Sed certum eſt non repugnare corpori, ut per omnipotentiam divinam ſit in diverſis locis, non ſolum modo Sacramentali, ſed etiam præſentia naturali in propria ſpecie. Declaratur id in ipſo Chriſto, qui quando apparuit Apoſtolo Paulo, fuit ſimul in Cœlo & in terra, ſive aere terræ vicino: fuiſſe in Cœlo admittunt hæretici, fuiſſe autem ſimul in terra vel aere ex Scriptura colligitur: tanta enim lux illius qui apparuit, Paulum circumfulſit, ut excæcarit; quod non eſt factum niſi à luce Dominici Corporis propinqua. Unde & Paulus Chriſto tanquam homini præſenti loquitur: *Quis es Domine?* Confirmatur ex alia apparitione qua conſtat Chriſtum apparuiſſe Paulo in terra & non in Cœlo. *Sequenti nocte aſſiſtens ei Dominus ait: Conſtans eſto. Sicut enim teſtificatus es de me in Hieruſalem: ſic te oportet & Romæ teſtificari.* Et ipſe Paulus de ſe: *Nonne Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum vidi?* Et, *Noviſſime autem omnium tanquam abortivo viſus eſt & mihi.* Aliud quoque exemplum habemus de Chriſto Domino, qui quondam apparuit Petro in via, dum ille egrederetur, fugiens perſecutionem. Cumque eum agnoviſſet Petrus, & interrogaſſet: *Domine quo vadis?* Reſpondit Chriſtus, *Vado iterum Romam crucifigi.* Quibus verbis intellexit Petrus martyrium ſuum vicinum, ideoque animo confirmatus, in urbem regreſſus eſt, & paulò poſt in ſimilitudinem Chriſti in crucem eſt actus, ſicque iterum Chriſtus quodammodo in eo eſt crucifixus. Teſtis eſt D. Ambroſius, & Romæ ejuſce rei memoria publicis tabulis eſt conſignata in loco ubi Chriſtus apparuit.

Act. 9. v. 4. & 17. Act. 22. v. 9. Act. 25. 11 1. Cor. 9. 1. 1. Cor. 15. v. 8.

S. Ambr. epiſt. 32. Nauclerus to. 2. gen. 3.

Si itaque potuit Chriſtus in Cœlo & in terra Corpus ſuum præſens exhibere, potuit & idipſum ſub ſpeciebus ſacramentalibus ubi voluerit præſentare. Quod ſi interroget hæreticus; *Quomodo fiet iſtud?* cum ratio naturalis non ſatis id poſſit demonſtrare, ſufficiat dicere, id fieri *virtute Altiſſimi ſuperveniente & operante.* Qua eadem virtute, cætera mirabilia facta ſunt quæ non intelligimus, quomodò Virgo generarit, quomodo corpus è monumento egreſſum ſit, quomodo corpus idem è cineribus reſurgere poſſit. In his omnibus dicit fides: *Teſtimonia tua Domine, credibilia facta ſunt nimis.* Dicat & ſimplex Fidelis: *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Major eſt Deus corde noſtro, inquit Auguſtinus, omnia quæcumque voluit, fecit, in Cœlo, in terra, in abyſſis. *Qui te magna credere juſſit, Omnipotens eſt. Sit, ergo pro lance rationis, omnipotentia Creatoris.*

Pſ. 92. 5.

S. Aug.

Octavum mirabile eſt, non ſolum Corpus Chriſti contineri ſub ſpecie panis, aut Sanguinem ſub ſpecie vini: ſed & ſub utraque ſpecie contineri quicquid in Chriſto eſt, Corpus cum omnibus membris, perfectiſſimè diſtinctis & integris, quatuor dotibus gloriæ veſtitis, cum eadem majeſtate & gloria, quam in Cœlo habet. Etenim hic immo-

Digitized by Google

mortale eſt, impaſſibile, Sole clarius, cum agilitate & ſubtilitate, quam in ſtatu gloriæ poſſidet. Conſideret hic igitur anima Chriſtiana ſacratiſſimũ ejus caput, olim ſpinis compunctum, benigniſſimoſque pedes & manus, cum ſiguis vulnerum & clavorum, quorum fulgor Solis radiantem ſuperat fulgorem; Sed hic abſconditus eſt ſub nube & umbra Sacramenti. Conſideret divinos ejus oculos cor noſtrum rapientes, imò & ipſum cor conſideret, amore ardens, cujus flamma exundat per latus illud lanceâ perforatum: hæc enim omnia ſuo velo ſpecierum fides introſpicit.

Secundò continetur ibidem Sanguis in venis precioſis Corporis Chriſti. Licet enim ſeparatim Sanguis conſecretur à corpore, & corpus à ſanguine, ad repræſentationem mortis & paſſionis, ſivè Chriſti in cruce immolati (in qua immolatione ſanguis à corpore diviſus fuit) tamen à parte rei, indiviſibiliter juncta ſunt Chriſti Corpus & Sanguis, etiam in
Rom. 6. 9. utraque ſpecie conſecrata: quia *Chriſtus reſurgens à mortuis non moritur*, jam Sanguis ejus à Corpore non ſeparatur, niſi repræſentatione.

Tertiò, ſequitur ibidem animum contineri, quæ vitam tribuat & ſanguini & corpori, nec enim per modum rei inanimatæ hic exiſtit, ſed panis vivus eſt Corpus Chriſti, anima vivificante ipſum, cum tota gloria quam in æternum poſſidebit. Nos quoque hic, tanquam inſtrumentum vitæ ſanctificat anima Chriſti. Quapropter poſſunt hic dicere Angeli, dicere & nos poſſumus ratione fidei: *Vidimus*
Joan. 1. 14 *gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre, plenum gratia & veritatis.* Licet enim oculus corporalis animæ, Chriſti hic exiſtentis gloriam non poſſit percipere, ſicut nec gloriam corporis, oculus tamen mentis fidei illuminatus, illã attingit. Qui etiam agnoſcit omnia animæ Chriſti merita & ſatisfactiones ibidem contineri, quorum participes facit omnes cum debita diſpoſitione accedentes.

Quartò hic Divinitas continetur: cum nulla ratione ſeparata unquàm fuerit à corpore vel ſanguine, ne quidem in triduo mortis. In quo quidem triduo, ſi quis conſecraſſet utramque ſpeciem, poſuiſſet corpus emortuum ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſeparatim ſub ſpecie vini; eò quod illa tunc ſeparata erant; fuiſſet nihilominus divinitas juncta corpori, juncta quoque ſeparato ſanguini, quia à neutro unquam abfuit. Hoc verò adverte, rectè à Theologis hic dici, quædam in Sacramento eſſe *ex vi verborum*, quædam *per concomitantiam*. Vi verborum dicitur eſſe illud, cujus præſentia ad veritatem verborum eſt neceſſaria, ſivè quod præcisè per verba ſignificatur. Per concomitantiam eſt, quod in Sacramento eſt, non tanquàm ſimpliciter neceſſarium ad verborum veritatem, ſed quia habet realem unionem cum eo, quod ſimpliciter neceſſarium eſt: Sic ſub ſpecie panis ex vi verborum eſt Corpus Domini non ſanguis, & ſub ſpecie vini ſanguis, non corpus; utrumque tamen per concomitantiam [propter realem unionem] anima continetur ac divinitas, & quæ habent cum humanitate Chriſti ac ejus divinitate neceſſariam aliquam connexionem. Itaque de hoc pane vivifico verum eſt illud Prophetæ: *Commixtum migma comedent,* Iſ. 30. 24. *ſicut in area ventilatum eſt*; hoc eſt, frumenti varii miſcellam ſivè fatraginem comedent, inquit D. Hie- S. Hieron. ron. Per quam aliqui rectè intelligunt hoc Sacra- in loc. mentum, quia ſacra Euchariſtia commixtionem hunc continet admirabilem, ex Deitate, Anima, Corpore, Iliæ. Sanguine Chriſti, cum ſpeciebus panis & vini. Deinde, quia ſpecies ex variis granis fiunt & commiſcentur, ſignificantque commixtionem noſtri cum carne Chriſti, cum Deo & tota Trinitate, cum Angelis & hominibus per charitatem. ſub cortice igitur hujus Sacramenti, continetur adeps multiplicis frumenti, variuſque cibus latet, quo anima veſci poſſit cum ſapore. Caro enim cum ſanguine, divinitas cum humanitate, anima Chriſti cum meritis omnibus ſuis, cum tota ſua gloria & beatitudine, verè cibus hic ſunt benè maſticandus, diligenti conſideratione ruminandus, ut paſcant, & delicias animæ præbeant. Hoc nempe eſt commixtũ illud migma, ſive frumentum ad quod reſpiciens Propheta vaticinans de variis novi teſtamenti donis. Illudque Paſſionis ventilabro agitatum fuit, ac Crucis molæ impoſitum, ut mortalitatis palea ab eo ſeparata, panis vivificus nobis fieret, & immortalitatis alimonia. Deo nos conjungens & commiſcens, Divinitatis nos conſortes efficiens.

Hæc igitur pauca ex innumeris, quæ hic continentur mirabilibus, ſufficiat attigiſſe. Beati interim, qui luce fidei illuminati, fatentur adeſſe inveſtigabiles divitias Chriſti, in hoc Sacramento à ſæculis abſcondito; per quod *innoteſcit Principatibus & poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei, ſecundùm præfinitionem ſæculorum, quam fecit in Chriſto Ieſu Domino noſtro,* ut loquitur Div. Paulus. Non infructuoſum erit, cum eodem Apoſtolo contemplari in hoc pietatis Sacramento, *quæ ſit longitudo & latitudo, ſublimitas & profundum* divini in nos amoris, *ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Attende breviter has quatuor dimenſiones, ſupereminentes non ſolum ſcientiam humanam, ſed & Angelicam.

Eph. 3. 10.

Eph 3. 18.

Nota, quædam eſſe in hoc Sacramento Vi Verborum, quædam per concomitantiam.

DE QUATUOR DIMENSIONIBUS MYSTICIS SACRAMENTI.

PRimò quidem, ſublimitas altiſſima & incomprehenſibilis ſic cernitur in eo, quod illum, qui eſt ſplendor gloriæ Patris, Altiſſimi Filius ſecundum Divinitatem, excelſior Cœlis factus ſecundum humanitatem, ſedensque ad dexteram Patris, adducit huc amor (in cœlis nihilominus manentem)

1. Sacramenti ſublimitas.

Digitized by Google

nentem) & ſpecierum ſacramentalium orbiculo circumcludit: ut hic adoretur ab Angelis ſicut & in cœlis; ibi & in cœleſti ſolio & radiante throno, hic ſub ſacramentali umbraculo. O ſublimitas! ô verè ſupereminens altitudo in hoc incluſa myſterio! Quantumlibet homo mentem erexerit aut acceſſerit *ad cor altum*, ut id comprehendat, *exaltabitur Deus*. Dicere hic poſſumus cum Propheta: *Domine, quis credidit auditui noſtro, aut brachium Domini, cui revelatum eſt?* Multæ mentes incredulæ, nolunt aſſentiri illi, quod à te audivimus diſertis verbis pronunciante: *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, & quia hanc verborum tuorum amoriſque tui altitudinem non attingunt, hallucinantur & diſcredunt. Non eſt illis revelatum brachium tuum; hoc eſt, potentia illa altiſſima eis non eſt agnita, quâ multa potes ſuper captum non tantum ipſorum, ſed & omnium hominum & Angelorum. His ergò dicimus cum Apoſtolo: *Ne dixeris in corde tuo: Quis aſcendit in cœlum? id eſt Chriſtum deducere: Aut quis deſcendit in abyſſum? hoc eſt, Chriſtum à mortuis revocare.* Sentus eſt (interprete Chryſoſtomo, Theodoreto, & D. Thoma.) Noli circa Incarnationis myſterium, aut Reſurrectionis, incredulus eſſe, aut ſcrutator nimis curioſus, dicendo: Quis aſcendit in cœlum, ad deducendum Chriſtum ad nos? Aut quis deſcendit in abyſſum, ut indè Chriſtum revocaret à mortuis: Sic in hoc myſterio, quod utrumque, ſive Incarnationis, ſivè Reſurrectionis complectitur, noli eſſe incredulus, dicendo in corde tuo. Impoſſibile eſſe deducere eum de cœlo, ſivè eſſe hic & in cœlo: impoſſibile quoque eſſe, Chriſtum iterùm carne veſtiri, in hoc Sacramento iterùm immolari, in hoc ſacrificio iterùm verè nobis adeſſe, durante hoc ſæculo. *Prope* enim *eſt verbum ejus in ore tuo.* Hoc eſt Corpus meum: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* Sic ergò & in corde tuo per aſſenſum fidelem, quia veritas non poteſt eſſe contraria veritati. Hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus: imprimatur illud verbum à verbo æterno procedens, cordi tuo, ori tuo; ut verè credas, & verè loquaris: nec tropis aut figuris, umbriſque inhæreas, ut obnitaris veritati. *Qui habet ſermonem meum, loquatur ſermonem meum verè. Quid paleis ad triticum,* dicit Dominus apud Propheram: quod & hic locum habet: noli contentus eſſe paleâ, cum tritico poſſis frui: noli contentus eſſe umbrâ, cùm poſſis frui veritate: alioqui rectè te cani Æſopi comparabo, qui veram carnem relinquens, umbram ſectatus eſt, & inanis ac latrans diſceſſit. Sic tu, dum veram Chriſti carnem abnuis, & figuram illius apprehendere niteris, nihil tenes, vacuus diſcedis & ſine fructu. Deindè contra veritatem latrans, ingratus illius amori, qui adeò alto conſilio uſus eſt, ut non potuerit ſublimiùs amorem declarare, quam dum te propriâ voluit ſubſtantiâ ſic paſcere. Admirare ergò potiùs conſilii altitudinem, obſtupeſce myſterii ſublimitatem.

Pſ. 63. 7.

Iſa. 53. 1. Rom. 10. 16.

Rom. 10. 6.

Rom. 10. 8. Matt. 28. 20.

Hier. 23. 28.

Secundò, profunditas hic admiranda eſt, quæ in eo conſideratur, quod is, qui in forma Dei eſt Patri æqualis, non ſolum exinanivit ſe, ut caro fieret, & formam ſervi acciperet; ſed etiam ut adeò humili tegumento ſpecierum Sacramentalium ſe ſubvelaret. Et qui ſemel per carnis aſſumptionem infixus eſt in limo profundi: quotidiè adhuc abſconditus venire voluit ut cibus, in profundum ſtomachi noſtri, ac divinitatem, quam ſemel aſſumptæ impertierat carni, jam certo quodam modo in hujus Sacramenti ſumptione, cuilibet impertiri homini, accedere volenti. Verè Domine, *Nimis profunda facta ſunt cogitationes tua, Vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc.* Sed & hoc ipſum dignationem tuam commendat, quod non ſolum ad puras animas digneris ſic venire; imò etiam uſque ad cœnoſas & fœtentes abominabilesque conſcientias, dignaris te demittere, verè ibi infixus in limo profundi. Quomodo poſſet charitas tua profundius demitti? Aſcendit uſque ad cœlos celſitudo tua; deſcendit uſque ad abyſſos profunda humiliatio tua: & per hoc Sacramentum admirabili planè modo, abyſſus tuæ miſericordiæ, abyſſo ſubvenit noſtræ miſeriæ.

2. *Sacramenti profunditas.*

Pſ. 91. 6.

Dicitur quidam Philoſophus cujuſdam profundæ abyſſi, non intelligens fluxum & refluxum, dixiſſe: *ô Abyſſe, cùm te capere non valeam, tu me cape*; ſicque ſe illi immerſiſſe. Melius & fœlicius Chriſtianus, hujus myſterii profundum non ſatis intelligens, idem dixerit, & huic ſe amoris abyſſo totum immerſerit humiliando ſe, & exaltando divinam bonitatem ſuper ſe. Ama, ô Chriſtiane, amorem illius, qui amore amoris tui, non ſolum deſcendit in uterum Virginis, ſed & in pectus tuum & cujuslibet hominis; ut ſic amorem ſuum, amori tuo copularet, humiliando ſe, ſublimando te, conjungendo lumen æternitatis ſuæ, limo mortalitatis tuæ. *Quid cogitabo melius & ſalubrius* (inquit Thomas a Kempis) in acceſſu ad te Dominum meum, *niſi me ipſum totaliter humiliando coràm te, & tuam infinitam bonitatem exaltando ſuper me? Laudo te Deus meus, & exalto in æternum. Deſpicio me & ſubjicio tibi, in profundum vilitatis meæ. Ecce tu Sanctus Sanctorum, ego ſordes peccatorum, inclinas te ad me, qui non ſum dignus reſpicere ad te.*

Chryſip. Philoſophus.

Kempis l. 4. de imit. c. 2. §. 2.

Tertiò, Latitudo in hoc Sacramento in eo conſideranda eſt. quod ab oriente uſque in occidentem, à meridie, uſque ad ſeptemtrionem ſe extendat. *Ab ortu ſolis uſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco offertur ac ſacrificatur nomini meo oblatio munda.* Hæc eſt oblatio hujus vivifici panis, offertur enim ut ſacrificium, ſumitur ut Sacramentum. Et quidem in qualibet plaga mundi, quantumlibet inſaniant hoſtes Chriſti: nulla enim eſt adeò infecta pars Orbis hæreſi, quin aliqui adhuc tanquam reliquiæ aut ſemen reſerventur, qui ſint de populo Dei, ejuſque deificum panem participent. Velint nolint perſe-

3. *Sacramenti Latitudo.*

Malach. 1. 11.

curores

Digitized by Google

curatores hæretici, adhuc in Anglia, Hollandia, Dania, Suevia, Aſia, Africa, hoc Sacramentum ab aliquibus conficitur & ſumitur: & modò per illud, uſque ad Indiam, Japoniam, Sinas, nomen Dei honoratur. Viditti ergo hujus myſterii altitudinem & profunditatem, vide latitudinem. Nemo ab illo cujuſvis Nationis, Regni, Gentis, excluditur, omnibus exhibitum eſt regium hoc convivium: omnes invitantur ut per Baptiſmi januam ingrediantur in Eccleſiam Chriſti, & de illo participent vivifico myſterio. Non eſt hic diſtinctio Judæi aut Græci, Scythæ aut Barbari, Indi aut Ægyptii. Nec eſt diſtinctio Principis aut plebei, ſervi aut liberi, divitis aut inopis, maſculi aut fœminæ. Imò vocantur *pauperes & debiles, cæci & claudi, & per vias, ſemitas, ac ſepes diſperſi*, ut ad cœnam hanc myſticam veniant quæ adeo ampla eſt, ut omnibus ſufficiat, licet una ſit: Olim unica erat arbor vitæ in Paradiſo terreſtri, quæ tamen ſuffeciſſet in cibum pro filiis Dei, donec ad Dei & Angelorum conſortium tranſlati fuiſſent. Unicum eſt in Eccleſia (Paradiſo Dei) Corpus Chriſti, datum in Sacramentum & alimentum, attamen ſufficiens eſt pro omnibus qui veri ſunt Filii Dei, miram habet latitudinem & amplitudinem, quandoquidem omnes de illo participent orbis partes.

Luc. 14. 21.

4. Sacramenti Longitudo.

Quartò, Longitudo hujus myſterii in ejus duratione conſideranda eſt. Sic extendit ſe illius longitudo à tempore Chriſti, à mille jam ſexcentis annis, uſque in finem ſæculi, nec unquam deficiet. Sicut Eccleſia Chriſti uſque ad conſummationem mundi ſemper manebit viſibilis, ita & ſacrificium hoc & Sacramentum. Nam & tempore ipſius Antichriſti (qui ſupra omnes illud perſequetur & annihilare omni arte conabitur, ut ſolus adoretur Deus) non deerunt eximii Martyres variis in locis latentes; in quibus locis etiam erit uſus hujus Sacramenti & ſacrificii. Ideo in conſecratione calicis dicitur. *Hic eſt calix ſanguinis mei novi & æterni teſtamenti*: Æternum enim in Scriptura quandoque ſignificat totum tempus, uſque in finem ſæculi durans. Eadem

Pſ. 109. 4

ratione Chriſtus dicitur *Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*: quia uſque in finem ſæculi, per Sacerdotes Vicarios ſuos offert ſacrificium ſuum ſecundum ritum Melchiſedech, qui panem & vinum obtulit. Sic nobis præſentem ſe promiſit Chriſtus, uſque ad conſummationem ſæculi, ut quamdiu durat mundus, ſit *Emmanuel*, *Nobiſcum Deus*: & quamdiu dies durant, quamdiu *hodie cognominatur*, ſit ipſe Panis noſter quotidianus: & quandiu refugio egemus, poſſumus ad ſacrum illud Divinitatis Tabernaculum (Corpus Chriſti intelligo) confugere, de quo dixi non incongruè illud intelligi: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus.*

Iſa. 7. 14. Matt. 1. 23 Heb. 3. 13.

Apo. 21. 3.

Vides ergo ſacras myſterii hujus dimenſiones? Sublimitas ejus cœlum attingit, & divinitatem ipſam. Profunditas Deum uſque ad imum pectoris noſtri deſcendere facit, ut illi muro modo incorporemur, & Divinitatis conſortes reddamur. Latitudo ejus totum orbem circumambit, ut omnes nationes de ejus communione participare poſſint. Longitudo omnia pervadit futura poſt Chriſtum ſæcula, donec æternitati reddamur finitis ſæculis: & non jam velatum ſpecie ſacramentali eum qui hi continetur, contemplemur, ſed revelata facie divinam ejus ſpeciem clariſſimè intueamur. Interim confiteamur *Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum* tam admirabili modo nobiſcum eſt *miſericordia ejus*. Reddamus ei amorem profundum, ſublimem, latum, longumque. Profundum quidem ex toto corde: ſublimem ex tota mente: latum ex tota anima: longum ex omnibus viribus, totaque fortitudine, uſque in finem vitæ ac ſæculi noſtri perſeverantem.

LECTIO V.

DE MATERIA ET FORMA EUCHARISTIÆ.

1. *Docet materiam eſſe panem & vinum.*
2. *Vino aliquid aquæ admiſcendum eſſe.*
3. *Explicat formam hujus Sacramenti.*

PROPOSITIO I.

Materia hujus Sacramenti eſt panis & vinum.

SAtis id colligitur ex inſtitutione Chriſti qui hæc adhibuit, ſuum nobis corpus ac ſanguinem tradens. Et hæc ſemper fuit Eccleſiæ doctrina illa aſſumentis ad conſecrationem. Unde Gentiles, (ut teſtatur D. Auguſtinus) Chriſtianis impoſuerunt, quod colerent Cererem & Bacchum. Dæmon quoque in invidiam hujus myſterii, in ſuperſtitionibus quibuſdam Gentilium (quæ Myrrhæ myſteria appellabantur) panem & vinum immiſcuit cum quibuſdam incantationibus, ut refert Tertul.

Matt. 26. Luc. 22. 19.

Auguſt.

Tertul. l. de præſcript. hære. c. 4.

Cur Panis & Vinum in materiâ aſſumpta ſunt?

Convenientiſſimè autem hæc in materiam deſignata ſunt ob ſignificationem.

Primò quidem, quia per illa ſignificatur, quod ſicut homines pane & vino nutriuntur & reficiuntur corporaliter, ita corpore & ſanguine Chriſti ſpiritualiter alantur Fideles.

Secundò, ſicut panis ex multis granis conficitur, & vinum ex multis racemis: ita multi Fideles, quaſi diverſa grana in hoc Sacramento unitatem accipiunt cum Chriſto, & in Chriſto conjuncti, effecti unum corpus ejus myſticum, dicente Apoſtolo: *Multi unum corpus ſumus, qui de uno pane & calice participamus.*

1. Cor. 10. 17.

Tertiò, cum panis & vinum ſint primitiæ creaturarum [ſub quibus omnia bona Scriptura comprehendit] apte ex illis noſtrum conficitur Sacramentum, & ſacrificium, quod offertur Deo ut ſupremo Domino omnium creaturarum: potiuſque

Digitized by Google

terræ fructus, quàm carnes animalium ad elegit Dominus ; quia cùm in statu innocentiæ fructibus tantum terræ vesceretur homo; congruum fuit, ut ad illius status dignitatem, per corpus & sanguinem Christi sub speciebus fructus terræ sumendum, reduceretur. Denique, cum Christus carnem suam vellet dare sub aliena specie edendam, (quia horruissent homines carnem edere & sanguinem bibere in propria specie) nihil congruentius eligi videbatur, quam panis & vini species, quæ sunt ad communem usum destinatæ; satis obviæ aptæque, ut cum omni tractarentur decentia, quibus convivii etiam substantia solet designari.

Joan. 6. 11. Act. 2. 1. Cor. 10. & 11. • Matth. 26. 29.

Cæterùm adverte, licet ex dictis notum sit, panem ac vinum eligi tanquam materiam transeuntem ; ex qua ita fiat corpus ac sanguis Christi ; ut nihil post consecrationem maneat substantiæ panis aut vini ; nihilominus Scripturæ more, Eucharistia quandoque *Panis aut genimen vitis* • nuncupatur: quia scilicet ex pane & vino conficeratur ; sicut in Exodo serpens vocatur virga cap. 7. quia virga in eum versa fuit. Item quia prioris panis aut vini accidentia, formamque retinet. Sic Adam Gen. 3. vocatur terra, quia ex ea factus, illius conditiones in se habet. Denique, quia excellentiori modo panis est Corpus Christi, Panis scilicet de cœlo descendens, panis vivus, panis facto-sanctus, panis

Marc. 14. 25. Zach. 9. 17. Gen. 49. 11.

Deificus: *Frumentum* quidem, sed *electorum*, *vinum* utique, sed *germinans virgines* ; quibus omnibus, vini aut panis natura per consecrationem commutata satis indicatur. Sic Jacob propheticè insinuans hoc mysterium, modo vini, modo sanguinis nomine utitur: *Lavabit in vino stolam suam & in sanguine uvæ pallium suum*. Ibi Jacob spiritu Prophetiæ intuebatur Christum, instar racemi & botri mystici ad crucis torcular portatum ; in quo divinum illud vinum exprimi debebat, quo *& stolam suam*, hoc est, corpus proprium divinitatis vestimentum, cruentare debebat : *Et Pallium*, hoc est Ecclesiam perfundere, & quotidie lavare in hoc mystico lavacro, in quo ejus sanguis continetur & ad abluendas nostras maculas quotidie applicatur. Unde si verba ponderes, non sine mysterio videbis *uva sanguinem* hic nominari ad designandum hoc Sacramentum, in quo sanguis sub specie vini ex uva prius expressi, sed per consecrationem in sanguinem commutati, continetur.

Materia hujus Sacramenti debet esse panis triticeus & vinum de vite.

Quæruntur hic Theologi : *An omnis panis possit esse materia, omneque vinum* ? Respondet Concilium Florentinum : *Materiam hujus Sacramenti esse panem triticeum, & vinum de vite.* Hinc communis Theologorum sententia colligit panem ex leguminibus, avena, oriza, hordeo, non posse esse materiam hujus Sacramenti, &, si in his conficeretur, nihil effici : quia scilicet non est hic panis hominibus accommodatus, nec panis simpliciter, licet quidam ob necessitatem eo utantur. Cum autem frumentum, aut triticum sub se diversa genera complectatur ; ille panis validè conficitur, qui ex aliquo genere tritici conficitur, licet fortè aliter nominetur. Sic non ambigerem validè confecrari in pane ex spelta nostra confecto : quod granum frequens est in Territorio Leodiensi, & optimum granum est, ex quo panis delicatus efficitur, panisque simpliciter, candidus & usualis ; & tritici speciem esse vix dubito, quamvis à frumento vulgariter dicto folliculis distinguatur & paleis. Unde Auctores' contrariæ opinionis, existimo non satis nosse nostram speltam, quam vocant zeam ; sed aliud granum degenerans, hordeo simile, videntur intelligere. Non tamen dico de illo esse conficiendas formulas ad consecrandum ; quia saltem Ecclesia præcipit materia certissima uti ; illo scilicet grano quod ab omnibus frumentum sive triticum nominatur. Non est etiam eadem ratio de grano quod aliqui speltam Martii vocant, quia similes habet spicas & aristas cum spelta nostra, sed prius seritur in Martio & colligitur in Augusto. Illud granum communiter hic vocant *del amoy*, sed est longè degenerans à spelta, & panis ex eo confectus, licet candore imitetur ex spelta confectum, imò superet : est tamen rudior & asperior pelato, nec panis usualis est, sed magis ad hordeaceum accedit. Unde existimarem ex illo non confici ; quamvis quædam honorabilis Matrona mihi quondam Namurci asseruerit, se certò scire plurimas hostias sive formulas venales ex eo confici, idque ob candorem illius grani ; cui errori Episcopi & Pastorum cura deberet advigilare. Ego vix credebam, nisi cum illa se id frequenter vidisse certo testimonio assereret.

Conveniret quoque à Sacerdotibus sive Religiosis, aut à Virginibus mulieribusve devotis has confici, ut omni errori obvietur, & cum majore nitore & reverentia tractarentur. Passim enim venales satis incuriè tractantur & sordidè, ac pyxidibus, in quibus species aliæ aromaticæ, ut piper, zinziber &c. conditæ prius fuerant, conservantur, odoremque extraneum retinent, ut frequenter adverti, estque id indecens in materia tanti tamque puri sacrificii.

Audi pietatem & reverentiam B. Venceslai Regis Bohemiæ, erga sacrificium & materiam sacrificio destinatam. Hic tanta devotione & zelo erga illa ferebatur, ut ipsemet personaliter seminaret, meteret, triturat granum quod hostiis conficiendis, sive pani sacramentali deservire debebat : sed & personaliter Sacerdotibus sacrificantibus ministrabat, eosque largis eleemosynis sustentabat. Hæc omnia Fratris odium peperterunt, ita ut ejus fidem ac devotionem insectaretur. Quapropter ab eo in odium fidei in ipsa Ecclesia peremptus fuit, à Christo summo Sacerdote, ob pietatem in sacerdotium, Martyrii laurea donatus. Vide Ribad. 28. Septemb.

Notab. histor. de S. Venceslao. V. Ribadeneiram 28. Sept.

Maximè vero advigilandum est, ne panis confecrandus sit corruptus vetustate, aut alia mixtione, cum

ne, cum injuria tremendi hujus myſterii. Nam & Deus quandoque panem commaculatum miraculosè ab altari rejecit, ut oſtenderet, quàm ſibi diſpliceat, cùm Sacerdotes & Miniſtri hujus rei ſunt incurii.

Cæſarius lib. 9. dial. c. 65.

Refert Cœſarius hiſtoriam huic propoſito accommodam. Circà hoc biennium, inquit, circà Coloniam, vixit is anno 1202. in villa quæ Belle vocatur, accidit quod dico. Die quâdam, cùm Sacerdos Miſſam celebraret, & Evangelio dicto Hoſtiam patenæ ſuperpoſitam in Corporali collocaſſet, illa mox reſiluit. Putans id Sacerdos caſu accidiſſe, denuò ſuperpoſuit; at longè remotius reſiluit, ipſo intuente. Cumque tertiò id tentaſſet, quaſi turbine impulſa projecta eſt de altari. Quo viſo valdè territus eſt, & præcipit Scholari, ut illâ hoſtiâ reſervatâ, aliam poneret ejus loco. Dictâ Miſſâ tollens ſecum hoſtiam dictam, Coloniam properavit, hoſtiam oſtendit, & quid de ea actum ſit, recitavit. Cunctis cauſam mirantibus, quidam Sacerdotum hoſtiam elevans contra lucem, maculam contemplatus eſt: Et cùm eam fregiſſet, apparuit in ea cimex decoctus. Sic glorificantes Deum, non dubitârunt, qui præſentes erant, ab Angelis rejectam, qui non paſſi ſunt, ut panis ita fœtido vermiculo corruptus per miniſterium Sacerdotis tranſiret in Corpus Domini. Ita Cæſarius.

Vinum debet eſſe ne vite.

Quod ad vinum attinet, frequentiùs gravis intervenit negligentia, eò quod ſi aceſcente, vel aceto potiùs conficiatur. Certè cùm multâ experientiâ adverterim aliquorum Sacerdotum incuriam, æſtus tempore multis diebus pauculum vini reſervantium, & vini quidem deficientis, quod ex natura ſua ſtatim ad acetum, vel alium corruptum liquorem tranſit; vix potlium mihi perſuadere, quin multoties nullitas conſecrationis & ſacrificii intercurrat. Mirum planè, quod cùm ipſi noſtræ menſæ ſimile vinum apponere, aut amico propinare nullatenus vellemus; menſæ Dominicæ proponere non veremur, non ſolùm cum peccati periculo, ſed etiam cum periculo nullitatis ſacrificii. Quamlibet tenue aut deficiens ſit vinum, & corruptioni proximum, ad celebrandum non judicatur inutile, ad convivandum ut planè inutile repudiatur: ſic parvi facimus, quæ Dei ſunt, nos & noſtra curamus. An non & in Cœnobiis & Religioſorum conventibus. quandoque reperies vinum præſtans propinari Fratribus ac hoſpitibus, vitioſum autem aut feecibus jam vicinum, adhiberi Miſſis celebrandis? Audiamus Dominum per os Malachiæ: *Ad vos ô Sacerdotes, qui deſpicitis nomen meum. Et dixiſtis in quo deſpeximus? in eo quod dicitis,* non ore, ſed facto, *menſa Domini deſpecta eſt. Si offeratis claudum & languidum, nonne malum eſt? offer illud Duci tuo, ſi placuerit ei, aut ſi ſuſceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.* Videamus ne ſimilis exprobratio nobis hic potiùs fiat; tùm ratione materiæ, quæ quandoque ex parte corrupta offertur; tùm ratione immunditiæ, quæ frequenter reperitur in menſa Domini, in altaribus, mappis, corporalibus; quaſi menſa hæc contemptibilis foret & deſpecta. Hoc certè non parum obſcurat ſplendorem noſtræ Religionis & fidei de divinis illis myſteriis, imminuitque devotionem offerentis. Quid altari ſanctius, quod tot conſecrationibus, ac benedictionibus ad divina deſtinatum eſt? Quanta ergò illius cura foret habenda, ſi hujuſce ſanctificationis vivam fidem haberemus? An non cuilibet altari, Angelus eſt deſtinatus poſt conſecrationem? An non ſub illis reſident Sanctorum Martyrum Reliquiæ pretioſæ, exſpectantes gloriam reſurrectionis: An non ſuper illud caput martyrum Chriſtus ſummus Pontifex reſidet, quaſi in throno? Utique hæc omnia acuere deberent devotionem noſtram, & curam, ut ſolliciti ſimus munditiæ & decoris omnium eorum, quæ ad hanc menſam Dominicam ſpectant; ne videatur contemptibilis & deſpecta, offendens Angelorum ac Sanctorum, Chriſtique Jeſu præſentiam.

PROPOSITIO II.

Vino aliquid aquæ ex præcepto Eccleſiæ debet adhiberi, in calicis conſecratione.

Conc. Florent. in decreto Eugenii §. 3.

HOc etiam Chriſtum Dominum feciſſe indicat Florentinum, & ad eam rem accommodari ſolet illud Prov. 9. *Sapientia ædificavit ſibi domum, miſcuit vinum, & poſuit menſam.* Fecit autem id Chriſtus, non ſolùm ut tempetato potu uteretur ad ſobrietatem (ut aliqui dixerunt) ſed & maximè ad myſticam ſignificationem; & ob id Eccleſia eum imitatur, & idem fieri præcipit. Nec enim id Chriſtum ſimpliciter præcepiſſe cenſent doctiores Theologi: quia etiam Concilium Trid. dicit id ab Eccleſia præceptum. Quod ſi aliquando antiqui Patres dicant id eſſe mandatum Domini, hoc intelligendum eſt, non quia id ſtrictè mandârit, ſed quia id ab ejus exemplo manârit.

Trid. ſeſſ. 22. c. 7.

Myſtica hujus mixtionis ſignificatio.

Sed *quanam igitur Myſtica hic ſignificatio continetur:*

Reſp. Primò recolitur hac mixtione, Paſſionis Chriſti memoria, & aquæ Chriſti è latere effluentis cum ſanguine. Dico illius memoriam recoli: non enim exiſtimandum eſt (ut aliqui dixerunt) hanc immediatè converti in iſtam, quæ è latere Chriſti fluxit. Illam enim opinionem reprobat Innocentius III. de celeb. Miſſarum cap. Cum Matthæ Neque iſta aqua è latere Chriſti fluens naturalis erat, ſed ſupernaturaliter & miraculosè fluxit: nec erat ſimpliciter neceſſaria in corpore Chriſti, quia aqua elementaris, non eſt de ratione corporis humani. Undè nec illa nunc manet in corpore Chriſti glorioſo, nec nunc in conſecratione efficitur ex vi verborum, ſed ſolum ſanguis, ut patet ex forma, *Hic eſt calix ſanguinis mei.* Interim rectè ejus memoria recolitur, quia myſteriorum noſtræ fidei ſymbolum erat, maximè Baptiſmi. Undè de Chriſto dicit Joan. *Hic eſt, qui venit per aquam*

Malach. 1. 6.

Digitized by Google

& ſanguinem, non in aqua ſolum, ſed & in aqua & ſanguine.

Secundò aqua mixta vino, ſignificat unionẽ populi fidelis, cum capite Chriſto, quia per aquas in ſcriptura ſolent ſignificari populi. Apoc. 17. *Aqua multa, populi multi.* Idem ſignificat Meretrix ſedens ſuper aquas, hoc eſt, dominans ſuper populos. Idcò etiam exiguæ aquæ quantitas adhibetur, quia major eſt majeſtas Domini, quàm fragilitas populi: & illa quantitas exigua in vinum convertitur, ad ſignificandum illud Auguſtini: *Non tu me converteris in te, ſed tu in me converteris.* Ad hanc ſignificationem alludens D. Cyprianus dicit: *Sic autem in ſanctificando calice Domini, offerri ſola aqua non poteſt, quemadò nec vinum ſolum poteſt; nam ſi vinum ſolum quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis; ſi aqua ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto.* Ubi indicare vult, non licere ob hanc ſignificationem alterutrum ſolum offerri, maxime ob præceptum: quamvis certum ſit, ſi ſolum vinum conſecretur, validum eſſe ſacrificium, attamen peccatum incurreret ſacrificans.

Apoc. 17. 15.

S. Cyp. l. 2 ep. 3

Tertiò per aquam & vinum, duplex Chriſti natura ſignificatur. Quapropter Armeni, teſte Nicephoro, ſolum vinum offerebant, ut ſignificarent in Chriſto unam tantùm naturam. Eadem ſignificatio indicatur in oratione, quæ in hac mixtione adhibetur: *Deus qui humanæ ſubſtantiæ dignitatem mirabiliter condidiſti, & mirabilius reformaſti, da nobis per hujus aquæ & vini myſterium, ejus divinitatis eſſe conſortes, qui noſtræ humanitatis fieri dignatus eſt particeps Dominus noſter Jeſus Chriſtus.* Denique dici poſſet cum D. Ambroſio, per aquam ſignificari gratiam, quæ eſt aqua ſaliens in vitam æternam.

Niceph. lib. 8. hiſt. c. 35.

Ambr. lib. de Sacr.

Quod ſi quæras quid fiat de illa aqua? Reſpondeo ordinariè converti in vinum, & tunc converti in ſanguinem vi conſecrationis. Et hæc eſt Eccleſiaſticorum Scriptorum ſententia & judicium, inquit Catechiſmus Pii V. ex decreto Concilii Tridentini editus ad Parochos. Certè hæc videtur Eccleſiæ intentio, modicam omninò aquam miſcentis, ut facilius tranſeat in vinum, & conſequenter in ſanguinem. Idem volunt Sancti Patres, dum dicunt ex vino & aqua confici ſanguinem Domini. Sic loquitur S. Damaſc. *Qui fecit omnia, poteſt ex aqua & vino ſanguinem ſuum conficere.* Idem S. Ambroſ. *Vinum & aqua in calicem mittitur, ſed fit ſanguis conſecratione verbi cæleſtis.* Similiter dicit S. Cyprian. *Calicem Domini non eſſe ſolum vinum, aut ſolam aquam, ſed utrumque mixtum.* Nec enim aliud intelligunt hi ſancti Patres, quam calicem Domini confici ex vino, cui aqua admixta eſt: & ita aquam in ſanguinem tranſire, non immediatè, ſed mediatè, cum ſcilicèt prius in vinum tranſierit, poſt illam mixtionem. Hæc iterum eſt opinio, quam Innocentius III. approbat cap. cum Matthæi de celeb. Miſſarum, ubi cum tres referat opiniones, illam probabiliorem judicat, quæ aſſerit aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari; juxtà opinionem, quam ſecundo loco poſuerat, quæ dicebat, aquam cum vino tranſubſtantiari in ſanguinem, cùm in vinum tranſierit; ut patebit diligenter Capitulum legenti.

Aqua mixta vino, primò, convertitur in vinum & poſt conſecrationem in ſanguinem.

Damaſc. l. 4. c. 14. Ambr. lib. 4. d Sac. cap. 4. Cypr. ep. 3. ut ſup.

Minus probabilem igitur cenſemus illam opinionem, quæ dicit aquam, etiamſi in vinum non tranſmutetur, poſt mixtionem, immediatè nihilominus in ſanguinem tranſubſtantiari. Etenim Innocentius Pontifex hac de re ex profeſſo agens, illius opinionis non facit mentionem, ſicut nec Doctores Scholaſtici antiquiores; ſed noſtræ ſuffragantur aſſertioni. Undè cùm hic agatur de materia ſacramenti, longè tutius eſt cum communi Theologorum ſententia loqui, quàm Recentiorum paucorum opinioni adhærere: quæ ex aliquot paululum obſcurionibus Patrum verbis (juxtà ſententiam tamen noſtram, commodam etiam interpretationem habentibus) & paucis rationibus phyſicis, receptam à Theologis doctrinam impugnat, ut novam ſtabiliat. Videndum quoque, ne per hæc hæreticis occaſio detur calumniandi, & dicendi Eccleſiam, non ſibi conſtare in Sacramenti Euchariſtici materia deſignanda, ſed Catholicos Doctores recentiores antiquis repugnare, dum aquam volunt eſſe materiam ſanguinis, quod antiquorum negat communis conſenſus. Nec ſatis eſt, quod dicant, vinum eſſe materiam eſſentialem, aquam autem materiam eſſe, ſed liberam & non neceſſariam: quia nec talem loquendi modum antiquitas agnoviſſe videtur; ſed ſolum agnovit aquam, miſceri vino per modum cæremoniæ, non verò per modum materiæ, quæ per ſe converti poſſit. Undè & Scriptura, cùm de materia agit, ſolius vini meminit: & Concilium Trident. definit panem in corpus & vinum in ſanguinem tranſire, manentibus tantum ſpeciebus panis & vini, nec ulla fit mentio aquæ aut ſpecierum ejus. Convenit igitur & hic monitum illud Sapientis attendere: *Ne tranſgrediaris terminos, quos poſuerunt Patres tui.*

Trident. ſeſſ. 23. can. 2.

Prov. 22. 28.

Addo poſtremò, ſi aqua etiam dicitur materia, vix reddi poteſt ratio, cur pura non poſſit verti in ſanguinem: aut certè ſi in parva quantitate accidentibus vini alterata, quare non & in majore quantitate, ſi illa etiam accidentia vini receperit? Imò ſequitur, quandoque ſanguinem manere ſub ſolis ſpeciebus aquæ; verbi gratia, ſi contingat ſpecies vini aceſcere & corrumpi, & non ſpecies aquæ conſecratæ ſeparentur à ſpeciebus vini. Cur enim propter ſolam illam ſeparationem deſineret ibi ſanguis Chriſti, & rediret ſubſtantia aquæ? Hæc certè omnia videntur involvere aliqua aut inconvenientia, aut minùs ſolidè dicta. Sed hæc fuſius proſequi, non eſt inſtituti hujus, ad Scholaſticos Doctores ſpectat.

PRO-

PROPOSITIO III.

Forma hujus Sacramenti eſt: Hoc eſt Corpus meum, Hic eſt Sanguis meus.

HIſce ſolis verbis panis in corpus, vinum in ſanguinem Chriſti transſubſtantiari poteſt: quamvis & alia ex præcepto ſuperaddi debeant. Hæc eſt
Pſ.28.4. ergò *vox Domini in virtute*, qua in ultima Cœna ſuũ Corpus & Sanguinem de pane ac vino effecit. Et quoties eam repetit Sacerdos ſuper debita materia, idem efficit: quia & de illa verum eſt illud: *Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis, date gloriam Deo ſuper I-*
Pſ.67.34. *ſrael.* Si admiratur Scriptura virtutem vocis Joſuæ in-
Joſ.10.12. clamantis: *Sol ne movearis contra Gabaon*, ad quem Sol ſtetit, *Deo obediente voci hominis*, inquit Scriptura: quantò magis admiratione digna hæc vox, quâ Chriſtus Sol juſtitiæ hic ſiſtitur ſub panis ſpecie, Deo obediente voci hominis, non ſemel aut brevi aliquo tempore, ſed toties quoties voluerit, idque in finem ſæculi; Quapropter non incongruè homini ſacerdotali dignitate adornato, dicere hic poſſemus illud Job: *Nunquid habes brachium ſicut Deus, aut*
Job.40.4 *ſimili voce tonas?* Utique digitus Dei hic eſt, & mutatio dexteræ excelſi, voxque hæc illius eſt vox, qui excelſior cœlis, portat omnia verbo virtutis ſuæ, res omnes verbo creare potens, conſervare, & in quodlibet voluerit, commutare. Ideò Sacerdos non loquitur, dum conficerat in propria perſona, ſicut in aliis Sacramentis: *Ego te baptizo, abſolvo, confirmo*, &c. ſed in perſona Chriſti, cujus perſonam repræſentat, dicens non ſolùm recitativè & materialiter, ſed & ſignificativè ac formaliter: *Hoc eſt Corpus meum*: quod verè dicit, ſicut Angelus verè dicebat
Exod.3.6. in Legislatione: *Ego ſum Deus*, quia divinam perſonam repræſentabat.

Soli autem Sacerdotes hanc formam efficaciter pronunciant: quia ordini ſacerdotali poteſtas conficerandi annexa eſt a Chriſto, dicente Apoſtolis, repræſentantibus etiam omnes ſuos in ſacerdotio ſucceſ-
Euc.22, 19. ſores: *Hoc facite in meam commemorationem.* Hinc
2 Cor. 11. & Sacerdos illa verba formæ, ſicut & Canonis, ſolet voce ſubmiſsâ & velut in ſilentio pronunciare, ad abſconditi myſterii ſignificationem & majorem plebis venerationem. Ferunt enim, cùm olim altâ voce proferretur Canon, omnes ferè per aſſiduum uſum illum memoria tenuiſſe, atque in vicis & compitis publicè decantare ſolitos. Undè cum quidam
Hiſt. nobilis Clict. l. 3. eluc. Eccl. Paſtores ovium, auſu temerario, pane ſuper lapidem poſito, in agro verba conſecrationis protuliſſent, mox igne cœlitus emiſſo ſunt abſorpti: ut per hanc punitionis ſeveritatem cæteris eſſent exemplo, ne divinis abuterentur myſteriis, & hanc inter cæteras fuiſſe rationem, exiſtimant quidam, cur Eccleſia Canonem, & maximè verba conſecrationis, ordinet ſecretò pronunciari. Ita Clictoveus

Quia verò hæc verba Chriſti, quibus conſecramus, fundamentum ſunt realis præſentiæ Corporis Chriſti in Euchariſtia, (cùm is, qui auctor eſt muneris, per hæc verba teſtis ſit irrefragabiliter veritatis) ideò hæretici varias confingunt illorum verborum depravationes: ita ut anno 1577. editus fuerit libellus, continens ſupra ducentas illorum verborum falſas interpretationes. Quarum tamen maxima pars tendit ad hoc, ut figuratè ſermo iſte accipiatur, & verbum *eſt*, idem ſit quod *ſignificat*, aut *corpus* idem quod *figura corporis*. Sed de his ſupra egimus, nec immoror longiori explicationi verborum formæ, quia non eſt neceſſarium a Paſtoribus communi populo myſteria in hac ſacramentali forma abſcondita proponi. Videri poteſt Bellarm. contra hæreticos, & paſſim Interpretes D. Thomæ in 3.p.q.8.art. 2.& 3. Vide etiam Interpretes Scripturæ in Mat.c. 26.& 1 ad Cor.c.11. Bellarm.l. 4.de Euc. c. 14.

Forma ſanguinis.

Circa formam Sanguinis, adverte Matthæum & Marcum referre, Chriſtum dixiſſe: *Hic eſt Sanguis meus novi Teſtamenti.* Lucas autem & D. Paulus legunt: *Hic calix novum teſtamentum eſt in meo Sanguine.* Sed eſt idem ſenſus, & unum explicat aliud, ac per poſteriorem loquendi modum (quem ſequitur Eccleſia) ſignificatur ſanguis hic ut potabilis, prout ſcilicet eſt ſub altera ſpecie hujus Sacramenti. Hoc enim ſignificat noſtra forma: *Hic eſt enim calix Sanguinis mei.* Illa autem particula *hic*, non eſt adverbium, ſed pronomen, idem ſignificans quod vocula *hoc*, dum dicitur: *Hoc eſt corpus meum*, id eſt, hoc contentum ſub his ſpeciebus panis, eſt corpus meum: hoc contentum in calice, ſub his ſpeciebus vini, eſt ſanguis meus. Undè & Græca, teſte Janſenio, legunt: *Hoc eſt Sanguis meus*, apud Matthæum & Marcum, utrumque interim in idem redit.

Quod autem additur, *Novi Teſtamenti*, ſignificatur novum Teſtamentum longè antiquo præcedere, quod vitulorum & hircorum ſanguine dedicatum fuit, & temporalia promittebat: ſed novum precioſo Chriſti, quaſi Agni immaculati Sanguine ſancitum eſt & confirmatum, in quo nova promiſſio facta eſt æternæ hæreditatis. Undè dicitur eſſe ſanguis non ſolum novi ſed & æterni Teſtamenti: tum quia æterna dona hoc Teſtamentum promittit: tum quia in finem ſæculi durat, abſque alia ſucceſſione, quod tempus in Scriptura æternum dici ſolet. Additur deindè ad altitudinem hujus Sacramenti & ſacrificii explicandam, *Myſterium fidei*, quia recenſetur inter myſteria fidei maximè recondita, in quo aliud creditur, aliud cernitur, ut ſupra explicatum eſt.

Poſtremò adjicitur. *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Ubi aliqui notant, Græca in præſenti Matth. 26. legere, *qui pro multis effunditur.* Undè id intelligi poſſet de effuſione non reali & cruenta, ſed ſacramentali, ſivè de illa, quæ fit Sacramento incruente: ut idem ſit, effunditur, ac libatur, ſeu Deo offertur & ſacrificatur. Intelligi tamen etiam rectè poteſt de reali effuſione in Cruce facta: quia enim illa jam inſta-

Digitized by Google

bat, quaſi de præſentibus loquitur Chriſtus. Quod autem ſuperadditur: *Pro vobis & pro multis*, efficacia Paſſionis explicatur; ideòque non dicitur, *pro omnibus*, ſed *pro vobis*, ſcilicet Apoſtolis præſentibus (quanquam non pro omnibus illis, quia non pro Juda) & pro multis aliis electis. Si tamen etiam indicari volueris ſufficientiam ipſius Paſſionis, nihil vetat, quia vox illa, *multis*, ſubindè accipitur pro omnibus.

Concludendo hic advertere velim novellos Theologos, cùm de materia & forma Euchariſtiæ hactenus egimus, nos intelligere de materia & forma tranſeunte, ſivè in fieri. Cum autem hoc Sacramentum, inter cætera Sacramenta ſpecialiter habeat, quod permanens ſit poſt conſecrationem, & non pendeat ab uſu: ideò illi ut permanenti, alia forma alinque materia eſt aſſignanda. Sic ergò conſideratum, habet Corpus Chriſti & ſpecies viſibiles pro materiâ & forma; & alterutrum horum, diversâ conſideratione ſubit materiæ vel formæ rationem. Nam corpus Chriſti, quatenus eſt quid nobilius, & quia eſt virtus ſpecierum in ordine ad ſanctificationem, dici poteſt habere rationem formæ: eò quod virtus a forma promanet in compoſitis naturalibus. Quia tamen in compoſito ex ſubjecto & accidente, item in compoſitis artificialibus, quod nobilius eſt, materiæ rationem habet; ideò etiam rectè dixeris in hoc Sacramento Corpus Chriſti habere rationem materiæ: quia hoc compoſitum ſimilitudinem habet cum compoſitis dictis. Adde, quod Sacramentum conſiſtat in ratione ſigni, maximè autem hic rationem ſigni ſpecies habent viſibiles, ſignificantes Chriſtum, quem continent, ut animarum cibum eſſe.

LECTIO VI.

DE ADORATIONE EUCHARISTIÆ.

1. *Docet Euchariſtiam cultu latriæ adorandam.*
2. *Rectè peculiari feſto eam colit.*

PROPOSITIO I.

Adorandum eſt hoc Sacramentum cultu latriæ, ſivè cultu illo ſupremo, qui vero Deo debetur.

Trid. ſeſſ. 13. c. 5.

HOc diſertis verbis definit Tridentinum ſeſſ. 13. c. 5. Fides enim præſentiæ Filii Dei in carne ſub hoc Sacramento, & neceſſitas adorandi, concomitata ſunt. Quod latius explicans Tridentinum, ſic dicit: *Neque enim minus eſt adorandum, quod fuerit à Chriſto inſtitutum, ut ſumatur. Nam illum eundem Deum præſentem in eo adeſſe credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. Quem Magi procidentes adoraverunt, quem denique in Galilæa ab Apoſtolis adoratum, Scriptura teſtatur.*

De hujus Sacramenti adoratione videtur loqui propheta, Pſal. 21. ubi cùm dixiſſet: *Edent pauperes & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum, & vivent corda eorum in ſæculum ſæculi*: poſtea ſubdit: *Adorabunt in conſpectu ejus univerſæ familiæ gentium.* Et iterum: *Manducaverunt & adoraverunt omnes pingues*, ſivè divites *terræ*. Priorem locum interpretans Euthymius, ſic ait: *Pauperes ſunt omnes veri Chriſtiani, qui comedunt Salvatoris Corpus & Sanguinem bibent, & ſaturabuntur, ſancto nimirùm ſpiritu repleti, hymnis & laudibus in menſa illa Deum extollent: & ita prophetiam continet, non ſolùm de Evangelica doctrina ſpirituali cibo, quo anima alitur & augeſcit, ſed etiam de myſtico menſæ illius Sacramento, propter quod dicitur: Vivent corda eorum in ſæculum ſæculi: quia ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, cuſtodiens ſcilicet pariter mandata. Per cor autem, totum hominem intelligis, eò quod illa pars in quovis animante vita ſit magis particeps. Licet moriantur, inquit, reſurgent tamen in vitam æternam.* Ita ille Cui concordat Euſebius in Pſalmos, in catena Doctorum Græcorum. Poſteriorem verò verſum de eodem Sacramento interpretatur D. Auguſtinus: *Manducaverunt corpus humilitatis Domini ſui etiam divites terræ, ſed non ſicut pauperes ſaturati ſunt, uſque ad imitationem humilitatis, ſed tamen adoraverunt. Pauperes edent & ſaturabuntur, qui ejus pacem dilectionemque ſervantes, imitantur etiam humilitatem.* Intelligit ergò D. Auguſtinus per *pauperes*, illos qui humiles ſunt; per *divites terræ & pingues*, magnos illos & ſuperbos, qui licet accedant ad hoc Sacramentum memoriale humilitatis Chriſti, & adorent illud; parvum tamen fructum referunt, ſi faſtum animi non deponunt, ſi humiles & pauperes aſpernentur, ſi fugant eorum ſanguinem, ſi indignè accedant.

Pſ. 21. 27. Ib. v. 28. Ib. v. 30 Euthym. in hunc Pſ. locum. Euſ. in Pſ. Aug. in illum locum.

Hos alloquens Div. Chryſoſtomus, ſic ait: *In Bethleem accurre cum Magis, ac domum ſpiritualis panis ingredere, adoraturus Dei Filium, & non quaſi conculcaturus advenias, honorem cum gaudio & tremore offeras. Cave ne Herodi efficiaris ſimilis, & dicas: Ut & ego veniens adorem eum. Cumque veneris, interimere conaris. Hujus ſimiles ſunt, qui abutuntur communione myſterii, rei enim ſunt Sanguinis & Corporis Domini. Timeamus igitur, ne quando ſpeciem ſupplicum & adorantium geramus; opere verò exiſtamus inimici.*

Chryſoſt. hom. 8. in Matth.

Hoc etiam loco argui poſſent divites & nobiles, qui vix dignantur pauculum omninò itineris pedibus ſuis conficere, ut ad Dominum adorandum in ſacrificio veniant, ſed equis, mulis, thedis, advecti pompaticè, ac quaſi theatraliter ingrediuntur domum Domini magis cum inſolentia, quam cum reverentia. Vix flexo uno genu, nutibus oculorum undique circumeunt; per famulos multo faſtu turbam ſubmovent, ne ſibi appropinquet; & cum nullam afferant, aliorum etiam devo-

Digitized by Google

devotionem turbant. Quod maximè de vanis aliquibus mulieribus verum eſt, quæ inſtar Pavonum ſyrmata ſua & veſtium fimbrias oſtentant: & potius venire videntur, ut ſpectent & ſpectentur, quam ut adorent. Hujuſmodi cum viros, tum mulieres reprehendens D. Chryſoſt. loco citato ſic ait: *Quis veſtrum, qui innumeris eſtis Chriſti beneficiis obligati, tam longinqua propter eum arripuit expeditionis laborem, quàm jaquintes illi Magi? Sed quid ego ſpatio loquor itineris, cùm plurima fœminarum tanta jam animi mollitudine reſolvantur, ut niſi advecta multis quamlibet exiguo ſpatio à domibus ſuis venire nequeant, ad videndum Dominum in præſepio ſpirituali. Sed ex his quoque quæ ambulandi laborem ferunt; alii ſæcularium negotiorum tumultus, alii theatrales turbas, Sanctorum cœtibus anteponant.*

S. Chryſ. loc. cit.

Qui tamen verè nobiles ſunt, agnoſcunt in hoc Sacramento illum qui in fœmore ſcriptum gerit, *Rex Regum & Dominus Dominantium*; illumque magna animi demiſſione & reverentia, cum exteriori tum interiori adorant. Purpuram ſuam, potentatus, ſceptra, diademata ſua ſubmittunt, ac ſeipſos vovent cum humilitate illi, à quo omnis poteſtas ac dominatus.

Audi præclarum hujuſce humilitatis ac pietatis teſtimonium in Rudolpho Comite Habsburgico qui ob eam meruit, ut imperialis dignitas in domum Auſtriacam derivaretur. Cum is antequam Imperator deſignatus foret, una cum Regulo Kyburgenſi conſanguineo ſuo, ad ſanctam quandam mulierem in ſacra Helvetiæ ſolitudinis cella abditam, religionis cauſa proficiſceretur: occurrit Sacerdori ſacrum Chriſti Corpus ad ægrum deferenti. Cumque Sacerdos pedibus iter ingrederetur cum ædituo cereum & campanulum ferentes deſcendit is equo, & Sacerdotem urget conſcendere. Ejus pietate commotus conſanguineus, ſuum & ipſe ædituo exhibet. Ad ægrum ergo, Sacerdotem tanquam à pedibus frænique miniſter deduxit, & ad propriam Eccleſiam poſtea reduxit, ubi adorato Deo; multa fauſta ei apprecatus eſt Sacerdos, ejuſque poſteritati. Deinde ad mulierem illam ſanctitate celebrem contendit. Hanc ubi ſalutarunt, ipſa veluti numine plena ad Rudolphum converſa ſic ait: *Pro officio & cultu, Deo ejuſque Sacerdoti ab te nuper tributo, gratiam tibi poſteriſque tuis cumulatiſſimè referet omnipotens Deus: & ne te vana ſpe induci à me juſpiceris, novenarium temporis numerum, quo tibi hujus meæ prædictionis efficax ſignum oſtendetur, diligenter obſerva.* Rudolphus igitur novenis & diebus & menſibus clapſis, ſpe ſua videbatur excidere, donec poſt novum inde annum Romanorum Imperator declaratus fuit: & imperialis dignitas in Auſtriacam domum profecta, exinde certis pietatis rationibus conſervata hactenus fuit. Ita ex Chronico Sueviæ multi Hiſtorici.

Exempl. Albertus Vidmanſtadius Cancell. Auſtriæ. *Matthæus Galenus Cancell. Duacenſ. Catechef. 1. 15. ex Chronico Sueviæ.*

Porro & illud hic deplorandum eſt cum Thomâ à Kempis, quod cùm Deus multos voluerit fieri Sacerdotes, & in pluribus locis Chriſtum offerri & adorari; ut tanto major appareat gratia & dilectio Dei in hominem, quantò latiùs hoc Sacramentum diffuſum eſt per orbem: hoc interim potius neglectum ut minorem reverentiam pariat Chriſtianis. Quia tanta eſt humani cordis cæcitas; ut ex quotidiano uſu ad inadvertentiam deflvant, & tantum donum non attendant, nec ut oportet adorent; ſed trepidè & negligenter, curſim & perfunctoriè circa ejus cultum ſe gerant. Si enim hoc ſanctiſſimum Sacramentum in uno tantum celebraretur loco, & ab uno tantum conficeretur Sacerdote in orbe, quanto deſiderio ex omnibus mundi partibus illuc confluerent populi, quanta reverentia huic myſterio aſſiſtere & adorare optarent? An non vides ad Lauretanam Ædem (ad quam cubiculum Virginis in quo Chriſtus conceptus fuit, Angelorum ope translatum eſt) quanta devotione ex omni natione confluant cujuslibet conditionis & gradus ac dignitatis homines, ut vel ſolum pavimentum oſculentur? Currunt etiam multi ad diverſa loca, ad viſitandas Sanctorum Reliquias, & mirantur auditis geſtis eorum, ampla templorum ædificia inſpiciunt, oſculantur feretris & auro involuta ſacra oſſa ipſorum. Et ecce præſens eſt in altari Deus noſter Sanctus Sanctorum, Creator omnium & Dominus Angelorum. Sæpe in talibus videndis curioſitas & novitas inviſorum urget, & modicus reportatur fructus, ubi tam levis eſt ſine vera contritione diſcurſus. Hic autem in Sacramento præſens eſt Deus Homo, Chriſtus Jeſus; ubi à quolibet poteſt adorari, ubi & copioſus eſt æternæ ſalutis fructus digne accedenti. Nec trahit ad id levitas aut curioſitas, aut curioſitas, aut ſenſualitas; ſed firma fides, devota ſpes, ſincera charitas.

Kempis' lib. 4. de imit. c. 1.

Sed quid mirum, ſi magna ſubmiſſione ab hominibus hoc Sacramentum adorandum dicimus, quod tanta reverentia Angelici Spiritus etiam viſibiliter adorare ſæpius viſi ſunt. De Sancto Chryſ. ſic teſtatur Nilus Abbas Epiſtol. ad Anaſtaſium Epiſcopum. *Joannes Sacerdos admirandus Eccleſiæ Conſtantinopolis, imò totius Orbis ſplendor, omni ferè tempore videbat domum Dei refertam Angelorum Cœtu, maximè cùm Divinum Sacrificium offerebatur. Quo tempore ſtupore & lætitia plenus, rem præcipuis amicis ſpiritualibus privatim enarravit. Cùm cæpiſſet, inquit, oblationem facere Sacerdos, plurima ſtatim ex Beatis illis Virtutibus è Cœlo deſcendentes, ſtolis induta ſplendiſſimis, nudis pedibus, intentis oculis, prona, altari magno cum ſilentio & reverentia [quod venerandum illud myſterium expletum fuerit] circumſteterunt. Deinde huc illuc ſingula per totum domum diffuſa, Epiſcopis & Presbyteris & Diaconis diſtributionem Corporis & pretioſi Sanguinis miniſtrantibus adhæſerunt, ſatagentes & ſedulò adjuvantes.*

Baron. tom. 5. an. 407.

Idem de Angelis hic aſſiſtentibus frequenter teſtatur ipſemet Chryſoſt. libr. de ſacerdotio, & alibi:

procul

manda eſt, quamdiu ſpecies manent in integritate.

Dico 3. Quotieſcunque fit tanta mutatio in qualitatibus ſpecierum ſacramentalium, ut ſub illis non poſſit conſervari ſubſtantia panis & vini, non manet ſub iis Christus, ſivè maneat eadem quantitas, ſivè non: ita Thomas quæſt 77 art. 4. Probatur, quia ejuſmodi alteratio, eſt ſufficiens diſpoſitio ad alterius ſubſtantiæ generationem, ergò reverà generatur alia ſubſtantia, quoniam ex ſpeciebus ſacramentalibus ita fit alterius generatio, ſicut ſolet ex vero pane. Ergò non manet ſubſtantia Corporis Chriſti. Et ſimilis eſt ratio, quando apparet in hoc Sacramento caro vel ſanguis cum tanta ſpecierum immutatione, ut judicentur omninò corruptæ. Nec enim verisimile eſt, ibi eſſe veram Chriſti carnem, aut ſanguinem naturalem in propria forma. Undè non eſt illi exhibenda veneratio, quam Chriſto exhibemus, ſed quam ſigno & veſtigio corporis Chriſti. Probatur, quia externa ejuſmodi forma carnis & ſanguinis, aliquandò multis annis permanet, & paulatim nigreſcit, & corrumpitur. Caro autem & Sanguis Chriſti planè incorruptibilis eſt, & indefi-ciens. Quin imò nec dicendum videtur, quod ibi ſit propriè dicta caro vel ſanguis, ſed tantùm aliquid quod colore & figura carnem repræſentat. Neque enim probabile eſt eſſe carnem humanam, & quod ſit alterius animalis, indecens eſſet.

Poſtremò, probabile eſt, quandò Sanguis emanat ex ſacra Hoſtia, non eſſe Chriſti ſanguinem in propria ſpecie; ſed liquorem quemdam miraculoſum, formatum ad oſtendendum eum, qui ſub ſpeciebus latet, eſſe verum hominem. Colligitur ex eo, quod talis ſanguis paulatim corrumpatur, & inconveniens eſſet dicere, verum ſanguinem Chriſti extrà venas Corporis Chriſti tangi & contrectari, mutare & tabeſcere.

Dices, ergò hæ omnes apparitiones erunt deceptoriæ, eritque idololatriæ periculum, quandò adorabitur ut caro aut ſanguis Chriſti, quod tale non eſt.

Reſpondeo non eſſe deceptionem, quia licet in objecto non fiat, quod ſenſui apparet; illa tamen immutatio, quæ in ſenſu fit, ad veritatem aliquam ſignificandam ordinatur. Neque idololatriæ periculum eſt, quia adoratio quæ fit, non ſiſtit in eo, quod ſenſibiliter apparet; ſed per illud tranſit ad verum Chriſti Corpus, aut in Sacramento latens, aut in propria ſpecie exiſtens. Illam verò cautelam ab Eccleſia adhiberi videmus, ut Sacramento miraculosè in carnem, aut aliquid ſimile mutato, alia conſecrata adjungatur & adoretur Hoſtia.

PROPOSITIO II.

DE FESTO CORPORIS CHRISTI.

Fit ab Eccleſia celebri & peculiari feſto hoc Sacramentum colitur.

DEfinit id expreſsè Tridentinum, & hanc addit rationem: *Æquiſſimum eſt enim, ſacros aliquos ſtatutos eſſe dies, cùm Chriſtiani omnes ſingulari ac rarâ ſignificatione, gratos ac memores teſtentur animos ergà communem Dominum ac Redemptorem, pro tam ineffabili & divino beneficio, quo mortis ejus victoria & triumphus repræſentatur. Atque ſic quidem oportuit, victricem veritatem de mendacio & hæreſi triumphum agere: ut ejus adverſarii in conſpectu tanti ſplendoris, & in tanta univerſa Eccleſia lætitia poſiti, vel debilitati & fracti tabeſcant, vel pudore affecti & confuſi aliquando reſipiſcant.* Trid. ſeſſ. 13. c. 5. V. D. Th. ſer. 6. infra octavam Corporis Chriſti in Brevior.

Quia verò hoc feſtum ab Eccleſia noſtra Leodienſi originem habet, & id tamen aliquibus, maximè exteris nationibus, ignotum adhuc videmus; ideò hiſtoriæ veritatem ex antiquis certis ſcriptis deductam, paulò fuſius hic repetendum & inſerendum duximus.

Circà annum 1230. Floruit Leodii, in loco Cornelii Montis, Virgo Juliana, quæ ad virtutis ac ſcientiæ divinæ culmen pertigit, frequenter per mentis exceſſum rapta, prophetico etiam ſpiritu plena, adeò ut quandoque cogitationes cordium prædiceret. Luctabatur cum diabolo, loquebatur cum Apoſtolis, fulgebat miraculis, orationi tota erat dedita. Inter orandum autem crebrò ejus aſpectui objiciebatur mirabile ſignum: videbat enim lunam quaſi in ſuo ſplendore, ſed cum aliqua ſui orbicularis corporis fractione. Mirabatur neſciens quid ſignificaret, & enitebatur ſuis aliorumque precibus ſignum illud à ſe amovere. Tandem divino didicit reſponſo, myſterium aliquod in hoc latere, & ſignificari in luna Eccleſiam, in ejus fractione defectum unius ſolemnitatis, quam Deus volebat ad augmentum fidei inſtitui. Accepit verò cœlitùs frequenter præceptum, ut hanc ſolemnitatem inchoaret, & mundo celebrandam nunciaret. Sed humilis Virgo continuò orabat, & dicebat Domino: *Excita Domine teipſum, excita & viros eruditos, & me minimam in pace dimitte.* Verùm divinitùs pro reſponſo aliquandò accepit: *Confiteor tibi, Pater, quia abſcondiſti hæc à Sapientibus, & revelaſti ea parvulis.* Iterùm aliâ vice audivit cœlitùs vocem dicentem: *Immiſit in os meum canticum novum, carmen Deo noſtro: Non abſcondi miſericordiam & veritatem tuam à concilio multo.* Jam ferè per viginti annos indignam tanto negocio ſe reputans, inſtabat gemitibus apud Deum, ut alteri negocium committeret. Sed eo magis humilitatis amator ad idipſam dignioré judicavit, abſoluto reſponſo ei indicans, ſe velle per eam inchoari, ac deinceps per perſonas humiles promoveri. Tandem igitur Virgo acquieſcens, rem to- *Origo hujus Feſti recenſetur, an. 1230.*

Digitized by Google

tam indicavit Joanni de Lauſenna S. Martini Leodii Canonico vitæ ſanctæ, rogans ut tacito nomine, cum his ageret hac de re, qui clavem ſcientiæ in Eccleſia Dei tenent. Expoſita fuere omnia Jacobo de Trecis, Archidiacono Leodienſi, qui poſteà factus eſt Epiſcopus Verdunenſis, deindè Patriarcha Hieroſolymitanus, demùm Pontifex Romanus, dictus Urbanus IV. Hic rem contulit cum duobus magnis luminaribus Leodii tunc præfulgentibus, cum Hugone Provinciali Ord. Prædicatorum, poſteà Cardinali, & Guiardo ſeu Guidone Epiſcopo Cameracenſi, & cum aliis viris celeberrimis, qui negocium promoverunt, & ad Dei gloriam ceſſurum unanimiter cenſuerunt. Poſtmodùm idem fuit revelatum Iſabellæ Beghinæ Hoyenſi (quam ſanctitate celebrem Juliana in ſororem Montis Cornelii curarat & Evæ recluſæ ad S. Martinum Leodii. Dicta enim Iſabella Evam recluſam adiens, & intrans Eccleſiam Sancti Martini, ubi ſe ante Crucifixum proſtravit, in ſpiritu rapta, edocta eſt cœlitùs, quomodò hæc feſtivitas, quæ hactenùs fuerat in ſecreto S. Trinitatis, jam palàm declarari deberet his, in quos fines ſæculorum devenerant. Videbat in mentis excellu omnium cœleſtium ordinum exercitus Domino ſupplicantes, ut tandem ad confirmandam Eccleſiæ militantis fidem, periclitanti mundo feſtivitatem hanc patefaceret. Audiens Juliana, Deum etiam hanc divinæ revelationis teſtem elegiſſe, exultavit in ſpiritu, & tandem per Joannem domus ſuæ Fratrem officium componi fecit, quod incipit: *Animarum cibus*, & à dictis Theologis probatum fuit, illudque Leodii, Tungris, & alibi in uſu fuit, donec ab Urbano Officium Sancti Thomæ publicatum eſt. Et licet Scriptor modicæ literaturæ fuerit, obediens tamen aperiebat os ſuum, & Dominus implebat illud, quotieſque ille ſe ad ſcribendum impendebat, Juliana orationi ad id vacabat. Hâc occaſione primum Feſtum Leodii eſt celebratum, potiſſimum à Collegio Sancti Martini, monitione Evæ Sanctimonialis, quæ Angelicam ibi ducebat vitam. Et illud approbârunt ante Urbani Pontificatum, Robertus Epiſcopus Leodienſis & Hugo Cardinalis, qui cum eſſet miſſus Legatus ad Germaniæ partes, Leodium etiam veniens apud Sanctum Martinum, hoc de feſto ſermonem habuit, inſtans apud majoris Eccleſiæ Canonicos, ut etiam in eorum Eccleſia promulgaretur, & ſervaretur. Qui ad tempus illud celebrarunt, ob Cardinalis auctoritatem; At cùm in Urbem ſe recepiſſet, ceſſarunt, ſed non impunè; quia plerique miſerabiliter hacè vita abſorpti ſunt: ita ut eorum interitus Laicis verteretur in proverbium. Robertus quoque Epiſcopus, in generali ſynodo ſtatuerat ſolemnitatem per omnes Diœceſis Eccleſias, ſed morte præventus, executionem non vidit.

Inſtitutio generalis hujus feſti ab Vrbano IV. an. 1264.

Urbanus interim ex Patriarcha Jeroſolymitano, in Pontificem extrà Cardinalium Collegium aſſumptus, Feſtum quod anteà Leodii celebrârat, univerſale fecit anno 1264. Memorem enim fuiſſe revelationum (de quibus Leodii) conſtat ex conſtitutione ſua, ubi dicit: *Intelleximus olim, dum in minore eſſemus Officio conſtituti, quod fuerat quibuſdam Catholicis divinitùs revelatum, feſtum hujuſmodi generaliter in Eccleſia celebrandum.* Undè & anno 4. ſeu ultimo Pontificatus ſui, mortua Juliana, miſit ad Evam recluſam diploma cum novo S. Thomæ officio. Tenor ſequitur:

Vrbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectæ in Chriſto filiæ Evæ recluſæ S. Martini Leodienſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Scimus, O filia, quod magno deſiderio deſideravit anima tua, ut ſolemne feſtum ſacratiſſimi Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti inſtitueretur in Eccleſia Dei, à Chriſti Fidelibus perpetuis temporibus celebrandum. Et ideò tibi ſignificamus ad gaudium, quod nos ad corroborationem Catholicæ fidei dignè duximus, ſtatuimus, ut de tam mirabili Sacramento (præter quotidianam commemorationem, quam de ipſa Eccleſia facit) ſpecialior & ſolemnior memoria celebretur, certum ad hoc deſignantes diem, videlicet feriam quintam proximam poſt octavas feſti Penteceſtes proximè ſequentis. Vt in ipſa feria quinta, devota fidelium turma, propter hoc ad Eccleſias affectuosè concurrant, ſitque dies illa univerſis Chriſticolis nova feſtivitate jucunda, & ampla jucunditate feſtiva prout in literis noſtris Apoſtolicis, quas per univerſum orbem ſuper hoc direximus, plenius continetur. Et ſcias, quod nos hujuſmodi feſtum cum omnibus Fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, nec non cum omnibus Archiepiſcopis & Epiſcopis, cæterisq; Eccleſiarum Prælatis, tunc apud Apoſtolicam ſedem commorantibus (ad hoc, ut videntibus & audientibus, de tanti feſti celebritate ſalubre præberetur exemplum) duximus celebrandum. Magnificet igitur anima tua Dominum, & exultet ſpiritus tuus in Deo ſalutari tuo: quia viderunt oculi tui ſalutare tuum, quod paravimus ante faciem omnium populorum. Lætare inſuper, quia omnipotens Deus tribuit deſiderium cordis tui, & voluntate labiorum tuorum non fraudavit te cœleſtis gratiæ plenitudo. Et quia quaternum, in quo totum habetur ipſius feſti officium, tibi ſub Bulla noſtra per præſentium latorem deſtinamus; Volumus & Apoſtolico ſcripto tibi mandamus, quatenus quaternum ipſum cum devotione recipias, & ejus copiam perſonis illam petentibus liberaliter & libenter exhibeas. Et inſtes libenter devotis ſupplicationibus, apud illum qui memoriale tam ſalutiferum de ſeipſo reliquit in terris, ut nobis tribuat ex alto gratiâ, commiſſam noſtro regimini Eccleſiam ſuam regendi utiliter ad laudem & gloriam nominis ſui, & ſalubriter gubernandi. Datum apud urbem veterem ſexto Idus Sept. Pontificatus noſtri anno 4. Chriſti 1264.

Ex his manifeſtum eſt, Urbanum, feſtum dictum univerſale fecille ob revelationes illas in Eccleſia Leodienſi præcedentes: quas non ſatis prudenter

denter rejicit tanquam Apocryphas, Onuphrius Panuinus ad Platinam de vita Urbani IV. cum ex Bulla Urbani & Julianæ vita ſint certiſſimæ. Nec potuit hunc honorem niſi ignoranter denegare Eccleſiæ noſtræ Leodienſi, quam conſtat ſemper inter cæteras ſolemnem venerationem huic Sacroſancto myſterio tribuiſſe; & contra hæreticos etiam ſcripris ejus & veritatem & honorem defendiſſe. ALGERUS enim celeberrimus ad Sanctum LAMBERTUM Canonicus, Leodii conſcripſit de Sacramento Altaris Libros tres, contra inſurgentem Berengarii hæreſim doctiſſimos & efficaciſſimos. Nam de Lanfranco, Guitmundo, Algero contra Berengarium ſcribentibus, ſic teſtatur Petrus Cluniacenſis: *De veritate Corporis & Sanguinis Chriſti, primus, benè, plenè perſcribit; ſecundus, melius, plenius; tertius, optimè, plenissimè, perfectissimè, diſſerunt*: Algerus nimirum, qui poſtmodum deſerens Canonicatum Leodienſem, ſimulque ſæculum, Cluniaci monaſticam vitam in provecta ætate eſt amplexus. Teſtis etiam eſt Cardinal. Baronius anno 1435. quod Durandus 20. Epiſcopus Leodienſis cum Adelmanno Scholaſtico Leodienſi primus calamo manum admoverit, ut hæreſim Berengarii in ortu ac infantia ſua ſuffocaret.

Clauniac. l. 1. contra Henricianos ep. 2.

Adverte tamen, me non negare, etiam Pontificem novo miraculo inductum fuiſſe, ut feſtum iſtud quod in Leodienſi Eccleſia aliquando approbarat, jam univerſale faceret, & toto orbi promulgaret. Etenim tum ex Bulla Urbani, tum ex relatu Platinæ & Onuphrii diſcimus miraculum quod ſubjicimus, eum memorem fuiſſe eorum quæ in Leodienſi ſolo & audierat & viderat. Contigit enim Vulſiniis in diœceſi & ditione Urbevetana, in Eccleſia S. Chriſtianæ, Sacerdotem quempiam poſt conſecrationem de veritate corporis & ſanguinis dubitare. Statimque verò ex ſanctiſſima quam manibus tenebat hoſtia, vivus ſanguis manare cœpit, & ſacrum corporale intingere. Quo miraculo attonitus Pontifex, corporale ad ſe ab Epiſcopo loci cum proceſſione in urbem veterem, [ubi tunc agebat cum ſua curia, quia Sancta Sedes à Manfredo Siciliæ Rege Rom. Eccleſiæ hoſte divexabatur] transferri voluit: & illud ſolemnitate inſtituta in Eccleſia Urbevetana repoſuit. Exinde exſtimulatus fuit, ad feſtum Sacramenti diplomate ad univerſas Eccleſias deſtinato, ſanciendum.

Platina in vita Urban. IV.

RATIONES MORALES FESTI SACRAMENTI.

Rationes morales celebrationis hujus Feſti.

His de origine & inſtitutione Feſtivitatis Sacramenti præſuppoſitis, nunc rationes morales à nobis explicandæ ſunt, tantæ ſolemnitatis, tantæque lætitiæ, quæ publicè à Chriſticolis exhibetur in die ejus memoriæ conſecrato. Has paucis verbis indicat Tridentinum ſupra, & à Paſtoribus ac Concionatoribus populo fuſius proponi, ad pietatem tum excitandam, tum alendam, maxime erit tunc proficuum.

I. ut Chriſtum hoc ſolemnitate honoremus & adoremus.

Primò igitur dicamus feſtum hoc cum pompa exteriori, cum Proceſſionibus publicis, cum armis, cereis, floribus, aris, auleis, ramis celebrari; ut cultu illo exteriori, interiorem teſtante, Chriſtum in hoc Sacramento vere præſentem adoremus tanquam Dominum ac Regem noſtrum; tanquam noſtrum EMANUELEM, Nobiſcum manentem, & in hoc ſacro Tabernaculo cum hominibus Deum, in finem uſque ſæculi commorantem: ut & nos ſimus Populus ejus, Populus peculiaris quem elegit in peculium & hæreditatem ſibi. Tunc ergo adimplere optamus adhortationem illam Prophetæ: *Deus Dominus illuxit nobis, conſtituite diem ſolemnem in condenſis uſque ad cornu altaris*, & dicite; *Deus meus es tu, & confitebor tibi, Deus meus es tu, & exaltabo te.* Condenſos enim flores ſpargimus in die iſto ſolemni; condenſos ramos per fora, plateas, templa conſtituimus; condenſos tapetes, aliaque ornatui ſervientia appendimus, Aras per publicas vias erigimus, in quibus exaltamus Dei noſtri Tabernaculum ſacrum; & illi confitentes inclamamus cum jubilo & lætitiæ ſono: *Deus meus es tu, confitebor tibi, Deus meus es tu, exaltabo te*: Et iterum telonamus. Verè non *eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis.* An non tibi videtur quodammodò renovari ingreſſus ille triumphalis Chriſti Domini in Jeruſalem, in quo populus Hebræorum cum pueris canora voce telonat: *O ſemma in excelſis!* Quod enim aliqui in ſymbolum animi gratulantis palmas afferunt, alii olivas offerunt; aliqui ramos de arboribus cædunt, alii viridantia gramina ferunt, plerique etiam veſtes & pallia inſtar periſtromatum ſternunt; & omnium una eſt vox adorantium & acclamantium Triumphatori Chriſto: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Simili planè modo in die ſolemnitatis ſuæ, Chriſtus in hoc Sacramento Rex noſter licet velatus & abſconditus, vult nihilominus agnoſci, & regia pompa deduci, ab omni gradu & ſtatu, promicantibus cereis, lumen fidei ex parte noſtra, candorem lucis æternæ ex parte ſua deſignantibus. Junguntur thuribula flammigera & odorantia, quæ igniti amoris noſtri & ſuaveolentis devotionis ſymbolum gerunt: comitantur cymbala, nec deſunt vernantes frondes floreſque, ac plurima alia, communis lætitiæ, non obſcura indicia. Vox interim omnium conſonat reſonatque: *Ecce panis Angelorum factus cibus Viatorum*: *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui.* Omnes ſeſe mutuò adhortari & invitare videntur verbis Prophetæ: *Venite exultemus Domino, jubilemus Deo ſalutari noſtro.* Unus idemque ſpiritus animat eo die veros Chriſtianos, & excitat, *ut ſacris ſolemniis juncta ſint gaudia, & ex præcordiis ſoment præconia.* Interim ſi quis tumore Pharaonico plenus, cæca invidia ſtimulatus hæc reprobet, & ægro animo ſuſtineat etiam puerorum Chriſto acclamantium & adorantium

1. Reg. 8. 8.
Pſ. 117. 27
Ib. v. 28.
Deut. 4. 7
Matt. 21. 8.
Luc. 19. 38
Mat. 21. 9
Pſ. 94. 2.

Luc. 19. 40. tantium voces : Respondemus ei, quod Christus Pharisæis : *Sibi tacuerint, lapides clamabunt.* Nam & B. Joannes in Apocalypsi testatur se audivisse omnem creaturam quæ in cœlo est, & super terram, Apoc. 5. 13 & sub terra, & quæ sunt in mari dicentem: *Sedenti in throno & Agno, benedictio, & honor, & gloria in sæcula sæculorum.* Hæc vox etiam irrationabilium & insensibilium creaturarum, muto quodam eloquio condemnat vel ingratitudinem vel impietatem eorum, qui pro facultate sua non exhibent honorem & exteriorem & interiorem, gloriamque ac benedictionem in die solemnitatis hujus sanctæ, Agno qui occisus est; cujus caro & sanguis sub speciebus sacramentalibus latens, in Thronis humana arte & pietate fabrefactis publicè exaltatur, & exhiberur omnibus adorandа.

2. Ut recondemur triumphum amoris, & Jesu Christi victoriam de morte. Bern. ser. in Cantica.

Secundò dicamus hac festivitate & supplicationibus tum adeo solemni exhibitis, amoris triumphum & passionis mortisque Christi victoriam rememorari. De triumpho amoris sic loquitur Bernard. *O amoris vim! Itane summus omnium, vilissimus factus est omnium? Quis hoc fecit? Amor dignitatis nescius dignatione dives, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo amor. Quid tamen tam non violentum? amor est. Quæ est ista vis quæso tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam?* Fortis fuit amor qui Deum è cœlo in uterum traxit Virginis, de utero in præsepe, de præsepio in hoc mundo multis annis vinctum circumduxit, & tandem per varias afflictiones, spinas, clavos, flagella, in crucem duxit: ibi illum alligavit, vulneravit, perforavit, transfixit, & triumphum consummavit. Verum tamen is de quo amor triumphum agebat acerbæ & ignominiosæ morti eum addicens, Triumphator erat; quia passione & morte sua, de Satana, de morte, de Tartaro triumphum tunc agebat ipsum lignum in quo exaltatur Thronus est: spinæ caput cingentes, Regium Diadema conficiunt: sanguis quo aspersus est, purpureum est & imperiale Paludamentum.

Hujus ergo victricis mortis & triumphantis passionis solemnem repræsentamus memoriam, celebri illo ritu ab Ecclesia in festo Sacramenti instituto. Etenim gratum est Patri æterno, per processiones solemnes circumduci, & honorificè per publica loca deportari. Thronum, in quo filius ejus residet: ut compensentur stationes illæ ignominiosæ, quas perpessus est, dum per plateas Jerusalèm ab horto trahitur cum facibus & lanternis, de domo in domum, de tribunali ad tribunal, donec oneratus cruce in ignominiosum lignum sublimatur inter facinorosos, & ab omnibus blasphematur. An non tibi videtur quodammodo ignominia hæc compensari, dum tota nova Jerusalem, Ecclesia Militans, eundem Christum comitatur summo cum honore, præcedente sacro lumine Regiæ magnificentiæ symbolo, de templo in templum, de altari in altare? An non blasphemiæ voces condemnantur & nompensantur, dum cum tanta lætitia, adorat, genuflectit, voces laudis & jubilationis ante sacras depromit aras, coram Domino & Christo ejus? Inter hæc igitur diei illius solemnia, istud pia mente considerate, ô veri Filii Christi, veri cives Jerusalem novæ! Jubilate Deo animis, *servite Domino in lætitia: introite in conspectu ejus, in exultatione* in die facto triumphi ejus: *Scitote quoniam Dominus, ipse est Deus* qui tunc adoratur, *nos autem populus ejus & oves pascuæ ejus.* Hic habemus nos oves Pastorem nostrum præsentem, eumque adoramus; amictu licet extraneo velatum agnoscimus, proprio ejus sanguine pascimur, eumque sequimur, vocem dignoscentes. Obganniant quantum voluerint malevoli hæretici, ululent ipsi Pseudo pastores, tingantur lupi gregi insidiantes, & à verò Pastore avertere alios molientes, nos cum Hieremia dicamus: *Ego non sum turbatus, te Pastorem sequens.* Psal. 90. 2. Jer. 17. 16.

3. Est quædam imitatio solemnitatis. Apoc. 5. 11. v. 8. & 9.

Tertiò dicamus esse quoddam initium & imitationem, solemnitatis Agni in cœlo peragendæ & consummandæ: ubi Thronum ejus circumcingunt Angeli perennem solemnitatem peragentes, & est numerus eorum millia millium dicentium voce magna: *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem & divinitatem & sapientiam & fortitudinem & honorem & gloriam & benedictionem.* Ibi etiam 24. seniores prociduntante thronum, mittunt coronas suas ad pedes Agni, & inclamant: *Redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu & lingua & populo & natione, & fecisti nos Deo nostro Regnum & Sacerdotes, & regnabimus super terram.* Ibi Agnus stat in medio cantantium; *tanquam occisus*, hoc est; occisionis & mortis suæ signa palam gerens, & concinentibus citharis offeruntur ei *phiale aureæ plenæ odoramentorum quæ sunt orationes Sanctorum.* Ibi quilibet suo modo eum glorificat: per plateas cœlestis illius Jerusalem auro stratas, non resonat nisi, *Alleluja, alleluja, vox lætitiæ & vox laudis*, & sequuntur Agnum quocunque jerit. Hæc omnia describuntur à Joanne, qui huic solemnitati cœlesti interfuit, in libr. Apoc. variis locis. An non tibi videtur Ecclesia Militans, Matrem suam Triumphantem: quantum in se est imitari, & initiare illam solemnitatem in festo Sacramenti, quod est festum proprium ipsius Agni? Sequitur eum quocunque jerit, circumcingit Thronum ejus, cantat canticum novum, offert incensum suavitatis & fragrantis odoris, decernit ut: Principes & Reges, Pontifices & Sacerdotes, substernant ad pedes Agni sceptra, Coronas, Diademata, Insulas, Tiaras; omnesque uno animo, una voce: inclament prostrati: *Redemisti nos in sanguine tuo ex omni tribu & lingua & natione, & fecisti nos Deo regnum & Sacerdotes, & regnabimus super terram.* Suspirent ergo in die isto, ad consummatam illam solemnitatem filii Ecclesiæ, tanquam cives conscripti civitatis cœlestis, tanquam vocati ad cœnam illam postremam, sed nunquam finiendam, nuptiarum Agni: Præparent se, & diluta omni macula,

Apoc. 19. 8. cula, cooperiùnt ſe byſſio ſplendenti, & candido. *Byſſinum juſtificationes ſunt Sanctorum.* Sciant, quod illuc *non intrabit aliquid coinquinatum*, Apoc. 21. 22. *aut abominationem faciens & mendacium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni.*

4. Eſt quidam triumphus veritatis de falſitate & hæreſi.

Quartò dicamus hoc feſtum tanto cum externo ſplendore inſtitui, ut ſic victrix Veritas de mendacio & hæreſi triumphum agat: dum omnes unanimi conſenſu Sacramento Sacramentorum cultum pro virili exhibere conantur. Itaque illius adverſarii in conſpectu tanti ſplendoris, & in tanta univerſæ Eccleſiæ lætitia, vel debilitati & fracti tabeſcant; vel confuſi aliquando reſipiſcant, ut inſinuat Tridentinum.

Joſue 5. 6. Attende, quid juxta præceptum Domini Joſue 5. fecerint Iſraëlitæ. Juſſi ſunt Arcam circumferre ſeptem diebus, & circuire muros civitatis Jericho. Dum autem ſeptimo die circa arcam Sacerdotes tubis inſonant, populuſque junctis vocibus perſonabat, conciduut muri Jerichuntini, à facie arcæ fœderis, à facie clamoris popularis & jubili ſacerdotalis, ſicque victoriam de hoſtibus nemine obſiſtente reportant. Simili quodam modo dicere poſſumus, dum coram arca fœderis, coram ſacrato ſecretoque tabernaculo, in quo manna divinitatis continetur, jubilum edunt Sacerdotes, populuſque vocem laudis in cœlum uſque tollit, in die iſto dicato arcæ fœderis Domini [hoc eſt Corpori Chriſti divinitatis Sacrario] terrentur hoſtes, ſatanæ & inferni vires concidunt. Et hæreſis, quæ eſt civitas inſtar Hiericho per obſtinationem clauſa, tandem a facie hujuſce cœleſtis lætitiæ ac ſplendentis veritatis corruat, eſt neceſſe. Attende iterum, 2. Reg. 6. 14. quid contigerit infœlici Michol filiæ Saulis. Rex David ſaltabat cum jubilo coram arca teſtamenti, & deducebat eam cum tota domo Iſrael, cum clangore buccinæ, cum choris & organis. Michol proſpiciebat per feneſtram, & contuens Regem ſaltantem coram Domino, *deſpexit eum in corde ſuo.* Ib. vi 16. imò egreſſa poſtea in occurſum ejus, improperabat ei: *Quàm glorioſus fuit hodie Rex Iſrael, diſcooperiens ſe ante ancillas ſervorum ſuorum quaſi ſcurra.* Ib. vi 20. Quid reſpondet David? *Vivit Dominus, quia ludam ante Dominum, qui elegit me potiùs quam patrem tuum, & quàm omnem domum ejus: ludam & vilior fiam, & ero humilis in oculis meis.* Ob iſtud verò improperium, Michol percuſſa eſt ſterilitate, nec ei natæ ſunt proles.

An vides figuram? Coram arca teſtamenti in die hoc ſacro toto animo jubilamus cum Davide, & quibus poſſumus exterioribus ſymbolis geſtientem animum prodere contendimus: Interim Hæreſis, inſtar Michol, ſuperbiæ tumore inflata, per cancellos proſpicit, & deſpicit Catholicum morem, humiliationem, adorationem: invidet Sacramento huic impenſum honorem, & amarulentis verbis blaſphemat & inſultat nobis. Quid reſpondet verus Catholicus? Ante Dominum qui elegit me, humiliabo me, adorabo, incurvabo, & ero humilis in oculis meis, licet Rex Princepsvè fuerim; ſciens me nullo ſatis honore, nullo quamlibet magnifico ſplendore, debitum Domino meo, Regi ſummo obſequium poſſe adæquare. Interim tu ô Michol! ô Hæreſis improperans! inflata ſuperbiæ ſpiritu, tandem diſrumperis præ tumore; & infœcunditate ac ſterilitate percutiet te Dominus, ut tibi filii ultrà non naſcantur: & confuſa ad tantum ſplendorem tabeſces, & in antra præ confuſione te recipies, ad latebras è quibus orta es, te mergeris, incognita & deſpecta.

5. Eſt Recollectio Euchariſtica omnium ſacrificiorũ & Communionum totius anni & Miraculorũ.

Poſtremò dicamus hoc feſtum inſtitutum eſſe, ut ſit ſolemne memoriale & celebris Recollectio Euchariſtica omnium ſacrificiorum quæ quotannis offeruntur, omnium Communionum quæ a fidelibus fiunt: Ut ſit etiam ſimul memoriale feſtivum omnium Miraculorum quæ a primordiis Eccleſiæ facta fuere, & poſterioribus ſæculis fient in confirmationem veritatis admirabilis hujus Sacramenti.

Explico priorem partem ex Bulla ipſius Urbani. Licet, inquit, Eccleſia frequenter Sanctorum commemorationem faciat, tum in miſſa, tum in Litaniis & orationibus, aliiſque occaſionibus: attamen mortem eorum particularibus feſtis celebrat, vocatque Natalem eorum, quod æternitati eos mortis dies peperterit. Nec his contenta unum diem memorialem & feſtivum omnium Sanctorum in generali aſſignat: ut negligentiæ in obſervatione particulari feſtorum commiſſæ ſuppleantur, & animi univerſali quodam gaudio acriùs excitentur. Similiter licet Virgini Matri plurima feſta dicata ſint, & Sabbatum in honorem ejus colatur: nihilominus præclarè multis in locis feſtivo gaudio celebratur Recollectio Feſtivitatum Mariæ Virginis, ob dictam cauſam.

Idem ergo dignum fuit obſervari, & communi Eccleſiæ lætitiâ induci in obſequium vivifici hujus Sacramenti; in quo is continetur qui Sanctorum eſt & gloria & corona. Licet enim mortis & amoris Jeſu Chriſti, ac inſtitutionis hujus pretioſi myſterii quotidiè commemoratio, & gratiarum actio fiat in Miſſæ quotidiano ſacrificio, & Fidelium ſacra communione: docuit tamen ut ſolemnitate ſpeciali inſtituta, animi Fidelium excitarentur ad ſpecialem pietatem, & gratiarum actionem pro his omnibus collectim: ſimulque ad ſupplendam negligentiam, quæ ob humanam fragilitatem & occupationem toto anni decurſu frequenter occurrit. Suppletur autem renovato fervore in feſto iſto die, ejuſque octava ad id deſtinata, & gratiis ac indulgentiis Pontificiis adornata.

Explico poſteriorem partem, in qua aſſeritur hoc feſtum eſſe memoriale omnium miraculorum, pro veritate hujus myſterii divinâ potentiâ editorum. Etenim nullum eſt Regnum, Natio, Provincia, in qua Deus aliquod miraculum non ediderit ad veritatem adeò admirabilis Sacramenti ſtabiliendam: ut tanto magis pateat cæcitas & obſti-

obſtinatio noſtrorum hæreticorum, noſtra quoque ingratitudo, ſi ea oblivione ſepeliamus. Et licet pleraque in particulari ignota manſerint, in ſingulis tamen Provinciis viſere licet aliqua eorum veſtigia; ſpecialibus vel Templis, vel Capellis, vel Sodalitiis, vel Feſtis, in eorum memoriam inſtitutis. Sed è plurimis paucis de ſolemnioribus attingamus Provinciis.

MIRACULA EUCHARISTICA.

Breden. lib. coll. fact. c. 8.

IN Germania, in civitate Colonienſi luſtrans Sacra loca, diligenter contemplatus ſum Eccleſiam intitulatam CORPUS CHRISTI, & miraculum depictum, quod ejus conſtructioni occaſionem dedit. Quidam enim cùm communicaſſet non cum debita fide, coactus eſt Corpus Dominicum in eum locum effundere; & quidem in ſpeciem infantuli ſtatim verſum eſt, nec potuit res latere. Concurſu ergo populorum locum eum frequentante, plurima miracula ſecuta ſunt de ſubmerſis, reſuſcitatis, de rupris hominibus, de infantibus & matribus in partu periclitantibus, de terra foveæ (in qua Sacramentum verſum fuerat in formam infantis febricitantibus appoſita cum effectu ſanitatis. Quæ omnia peregrinos multos advocarunt, ita ut ſucceſſu temporis Templum erectum fuerit, in cujus choro fovea hæc continetur. Contigit iſtud anno 1331.

Origo, exſtructionis Templi Corporis Chriſti Coloniæ.

In eadem civitate aſſervatur apud PP. Auguſtinianos inter Sacras Reliquias, pars Venerabilis Sacramenti in carnem converſi, quam de propinquo conſpexi.

Matt. Cromer. de rebus Polon.

In Polonia quoque ædificavit Uladislaus Rex templum titulo CORPORIS CHRISTI, apud Poſnaviam ſimili occaſione. Cum enim infœlix & impia quædam mulier, divinum Corpus ſub ſpecie panis recepiſſet, ut Judæis ad ludibrium venderet; mutata ſententia, illud in pratis ſuburbanis illius oppidi abjecit; ſed poſtea miraculis quibuſdam inſignibus proditum fuit, & repertum; eoque in loco templum erectum fuit ann. 1402. In eodem regno apud Cracoviam in pago ſuburbano Caſimirus anno 315. auguſtum templum erexit etiam titulo CORPORIS CHRISTI, hac occaſione, Quidam ſcelerati furati erant Ciborium in quo exhiberi ſolet Corpus Chriſti, putantes aureum: at poſtea reperientes æneum inauratum ibidem in paludem dejecerunt: Sed mox locus ignibus & faculis aliquot dies & noctes illuſtratus fuit. Epiſcopus non intelligens cauſam, poſt triduanum jejunium illuc acceſſit cum ſupplicatione ſolemni; repertamque Euchariſtiam cum ſumma veneratione illuc unde ſublata erat retulit. Sequenti autem anno à Calimiro templum ibidem eſt erectum.

Idem l. 12. an. 1343.

Ludov. Granat. 2 p. catech. c. 17

In Hiſpania in Oppido Dorcora miraculoſi Sacramenti extant veſtigia, in Corporalibus ibi aſſervatis ſanguine ſacro tinctis. Cum autem Mauri Mahumetani in Regnum Valentiæ irruerent maximis copiis, Duces Catholici rem ad extremum redactam exiguum ſuorum numerum conſiderantes (mille enim forſan numero Chriſtiani erant) ad Deum confugiunt, & Euchariſtiæ ſumendæ conſilium cœperunt, Sacerdos igitur celebrans, ſex hoſtias conſecrat, ab illis ſumendas. Sed protinus ad arma conclamatur, nec tempus ſumendi ſuperfuit. Illis in aciem procedentibus, Sacerdos conſilii inops particulas corporalibus involutas, ſub lapide occultavit. Victis inimicis, producit ipſe illas particulas, ut belli Duces in gratiarum actionem communicet: at reperit guttis ſanguineis reſperſas, & ſaeris Corporalibus affixas. Sic dum res divulgata admiratione cunctos replet, iterum rumor adeſt inimicos copiis refectis adventare. Noſtri confirmatis miraculo animis adverſos eos procedunt, rogantque ut linea illa ſacra ex edito loco oſtententur a Sacerdote inſtar vexilli contra aciem hoſtilem. Quo facto in fugam converſi ſunt hoſtes. Interim noſtri redeuntes, quærunt quonam loco reponendæ particulæ cum linteolis ſacris: & ſortibus eductis, in Dorcoram oppidum Regni Valentiæ (ex quo erat is Sacerdos) tertiò ſors cecidit; ut tamen certius Dei voluntatem agnoſcerent, pixidi incluſæ particulæ conſenſu omnium ſupra mitem mulam magna cum reverentia collocatæ ſunt, ut quo illa libertati relicta pergeret, & ubi conſiſteret, ibi locus eſſet tanto miraculo. Illa Dorcoram verſus iter ſuſcipit, eam ſubſequentibus Sacerdotibus cum cereis, deinde belli Ducibus cum cohortibus, nec quievit, donec hoſpitale oppidi ingreſſa, ſubſtitit in medio ac genibus flexis eſt morata; ac ne quid poſtea dorſo exciperet minus nobile, protinus expiravit. Corporalia illa, adhuc hodie viſuntur cum particulis incorruptis & ſanguine reſperſis: Reges & Principes illuc veniunt adoraturi Dominum. Extat libellus ea de re editus Carolo V. Imperatori dicatus, qui illuc venit cum conjuge Auguſta, ut hoc Dei mirabile prodigium oculis ſuis conſpiceret. Accidit autem id anno 1239. & exiſtimatur eſſe unum ex eis miraculis, quæ Urbanum Pontificem ad quem hac de re ſtatim legatio miſſa fuit, tandem moverunt ad Sacramenti feſtum inſtituendum; quod viginti annis poſt fuit inſtitutum. Eſt & in Hiſpania memoria miraculoſi Sacramenti, in Avila, in Segobia, in Fromelta.

ex Lud. Marineo lib. 5. de rebus Hiſp. an. 1239.

In Italia extat & colitur in Eccleſia Urbe vetana illud prodigioſo ſanguine tinctum in Wulſiniis ſive Wolſena, de quo paulò ſuprà dixi eo maximè miraculo commotum Urbanum. Eſt & Romæ celebris memoria hujus Sacramenti ob miracula in S. Joanne Lateranenſi, & in Eccleſia S. Pudentianæ.

Ex Platina in vita Urbani IV. an. 1261.

In Piceno Auſidæ anno 1273. contigit mulierem quandam reſervaſſe Euchariſtiam ore ſumptam, ut uteretur ad amorem mariti ſibi per veneficia conciliandum. Malis ergo edocta artibus, ſuper carbones in quadam tegula Euchariſtiam injecit: ſed

Th. Bozius de ſig. Eccl. l. 14. c. 7. n. 9. an. 1273.

ſed illa ſtatim in carnem converſa, copioſum fudit ſanguinem, quo carbones extinxit. Attonita, tegulam cum carne & ſanguine linteo involvens, ſtabuli propinqui ſtercori infodit. Latuit res annos ſeptem, tandem illa aperit rem Sacerdoti, qui eo ſe conferens, reperit intactam carnem, ſanguinem recentem, linteum illæſum. Miraculum divulgatum innumeros ad ſpectandum advocavit, & hodie adhuc poſt annos trecentos illuc concurritur, & viſitur caro, viſitur ſanguis vitreis ampullis incluſus, nec quicquàm ex eis corruptum, aut tabefactum, poſt tot ſæcula. Teſtis eſt Boſius, l. 14. de ſignis Eccleſiæ. c. 14.

Hiſtor. an. 1453.

Apud Pedemontanos Turrini in Eccleſia S. Sylveſtri ædificatum eſt nobile Sacellum ſanctiſſimi Sacramenti, & devota Confraternitas in memoriam ſequentis miraculi. Quidam furto ſuſtulerat Iſvillæ ciborium argenteum cum ſacra Hoſtia, & ſarcinæ impoſitam mulo ſuo ſuperimpoſuerat: ubi Turrinum devenit, per portam templo S. Sylveſtri proximam, mulus ſeſe in terram pronus dejecit, & ſarcina ſine ullius cooperatione ſeipſam miraculoſè reſeravit. Ciborium autem in aera ſe ſublevavit, magno ſplendeſcens lumine, quaſi radios ſolares emittens. Hoc quidam advertens, adit Epiſcopum Ludovicum Romagnan. Venit Epiſcopus ad locum cum aliquibus de Clero præeunte Crucis vexillo. Ibi cum in genua procidiſſet, Repoſitorium in terram decidit, ſolâ hoſtiâ in aere ſuſpensâ ſplendeſcente. Epiſcopus calicem deferri curat. Hoſtiæ ſubimponit, ſtatimque ipſa in calicem deſcendit, & ad Eccleſiam cum ſolemni devotione populi concurrentis, delata eſt. Hæc ibi notiſſima ſunt, ſcriptis publicis conſignata, & miraculum in dicto ſacello depictum. Contigit autem anno 1453.

In Burgundia recens eſt adhuc memoria Sacramenti inter flammas illæſi, & in aere ſuſpenſi anno 1608. De quo ſuprà.

In Comitatu Tirolis miraculum, quod Oſvaldo Mulſero contigit ſuprà reruli, cujus adhuc memoria extat ſolemnis.

Bap. Fulgo. l. 1. memor. c. 6. an. 1290.

In Gallia, in Urbe Pariſienſi quoddam templum eſt, quod vocatur, SALVATORIS BULLIENTIS, ratione miraculi, quod contigit anno 1290. Quidam Judæus pactus eſt cum inope muliercula, ſe ei veſtem (quam oppignoratam habebat) gratis redditurum, ſi modò ei traderet Hoſtiam, quam in Paſchate erat ſumptura. Tradidit illa infœlix urgente paupertate. Judæus verò, cum accenſo igne Hoſtiam in ſartagine vellet aſſare, vidit non mutare formam nec colorem: ut ergò odium ſatiaret gladio eam transfigit, ſed ſtatim ſanguis emanavit. Res detecta fuit ſupervenientibus Chriſtianis, & punito Judæo ejus domus in templum converſa eſt, quæ etiam nunc Salvatoris Bullientis nomine compellatur, ubi Hoſtia gladiuſque oſtenduntur. Teſtis eſt Baptiſta Fulgoſ. lib. 1. factorum memorab. c. 6.

In Hollandia, ut refert Molanus, Amſtelodami celebris memoria Vener. Sacramenti cum multis miraculis. Vide quæ recitat Molanus Martii 16. ex officio Cleri Amſtelodamenſis.

In Brabantia Bruxellis quotannis agitur feſtum miraculoſi Sacramenti, ob Hoſtias ſacras ſanguinem manantes, dum eas Judæi confoderunt, quarum tres ibi aſſervantur.

Item Lovanii apud PP. Auguſtinianos pars carnis oſtenditur, in quam per miraculum, Sacramentum fuit commutatum.

Item in Monaſterio propè Nivellas dicto SYLVA DOMINI ISACC, viſuntur Corporalia, ſanguine è Sacramento miraculosè profluente conſperſa, quæ ego aliquandò conſpexi.

In Hannonia, Malbodii extat Sacellum in honorem Sanguinis miraculoſi erectum, & ibidem Sodalitas erecta in honorem Sanguinis Domini, Indulgentiis adornata.

In Leodienſi Territorio, in Herkenrode, Nobili Monaſterio, Dominarum Ordinis S. Bernardi, aſſervatur Sacramentum multis effulgens miraculis.

Hæc pauca ex innumeris delibare placuit, quorum plenior hiſtoria libellis vel tabulis expreſſa eſt, quo remittimus Lectorem ſtudioſum. Hic ſolum inſinuare voluimus, omnia hæc miracula, & innumera alia, Feſto Corporis Domini rememorari.

LECTIO VII.

DE SUMPTIONE ET PRÆCEPTO Euchariſtiæ.

1. *Docet Chriſtum ſumpſiſſe Corpus ſuum & Sanguinem.*
2. *Dediſſe præceptum illud ſumendi Fidelibus.*

PROPOSITIO I.

Chriſtus primum ſuum ſumpſit Corpus & Sanguinem Sub ſpeciebus panis & vini.

HÆc eſt communior aſſertio SS. Patrum, Auguſtini, Chryſoſtomi, Tertulliani, Euſebii, Emiſſeni, & aliorum. Unde inter cætera in inſtitutione hujus Sacramenti mirabilia ponunt, non ſolùm quod idem ſe ſuis manibus ferret; ſed etiam quod idem comedens foret, & id quod comedebatur. Sic dicit B. Hieronymus ad Hedibiam. q. 2. *Dominus Jeſus ipſe convivа, & convivium, ipſe comedens & qui comeditur.* Deducitur verò hæc aſſertio, tum ex ratione, tùm ex Scripturis. Hieron. epiſt. ad Hedibiam q. 2.

Prima ratio eſt: Quia ſacrificantem oportet de ſuo ſacrificio participare, ut cap. 6. Levitici deducitur, ubi dicitur: *Sacerdos qui offert Hoſtiam, comedet eam in loco ſancto.* Si igitur Chriſtus, poſtquam Agnum typicum Legis veteris obtulit, de illo participavit & manducavit; multò magis debuit manducare Agnum myſticum Legis novæ, ut Levit. 6.

Legem

legem veterem adimpleret, & novam suo exemplo inchoaret. Hæc ratio confirmari potest ex Scriptura. Dicit enim Christus: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequàm patiar.* Luc 22.15 An non hoc magis verum est de nostro Paschali Sacramento (quod tunc summo amore & desiderio instituebat, tanquàm postremum suæ dilectionis complementũ, & mysteriorum coronidem) quam de legali Paschate, jam ad finem tendente, jam reprobando. Certè Tertul. & Eusebius Emiss. de hoc novi Testamenti mysterio, quod Apostolis tradebat, hoc intellexerunt. Tertul. & Euseb. Emiss.

Secunda ratio est: Quia cùm Dominus cæteros invitaret, ad participandum de suo convivio mystico, decebat ut & ipse prius gustaret & sumeret: nam & quæ aliis observanda instituit, ipse prius observavit. Sic & ipse prius baptizari voluit, quam alios Baptismum imposuerit. Et certè de facto poculum in manus sumpsisse, ut biberet jam consecratum, ex eo aliqui deducunt, quod dixerit: *Non bibam amodò de hoc genimine vitis, donec illud bibam novum, in regno Patris mei.* Matt. 26. Luc. 22. Quod a Matthæo & Luca post consecrationem refertur. Confirmat quoque id Chrysostomus, quia alioqui Discipuli a sumptione carnis & sanguinis potuissent abhorrere, & perturbari: nisi prævio exemplo Magistri fuissent confirmati, videntes quàm tranquillo animo, quantâ reverentiâ, amore, alacritate sumeret ipse, & ad participationem tanti mysterii convivas suos invitaret. Chrysost. hom. 28. in Mat.

Itaque postquam comedit & bibit, adimpleta fuêre suavissima illa Sponsi invitantis verba: *Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.* Cant. 5. 1. Septuaginta legunt: *Comedi panem cum melle meo,* ut significent panem hunc de Cœlo præsturum, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem, sub specie panis, animabus ingenerantem. Favus autem est cera virginea, distincta cellulis melle repletis. Quid est ergò favus cum melle, nisi caro Christi cum ejus divinitate? favus est Corpus Virgineum Christi, quem efformavit apis purissima, concubitus nescia, Virgo Maria, floribusque sanguinis sui purissimi illum distinxit, compegit, genuit, ut illius suavitate cuncti reficerentur credentes usque in finem sæculi. Habet cellulas distinctas favus iste melle refertas: quia *viscera Domini nostri Jesu Christi misericordia effluunt, nec desunt foramina, per quæ effluant.* Bern. Ser. 61. in Cant. Cellulæ sunt melleæ, vulnera ejus plena pietate, dulcedine, charitate, per has cellulas gustare licet, quam sit suavis Dominus Deus noster, idque maximè vult nos experiri in hoc Sacramento, tuomet invitans exemplo & experimento. Licet enim Christus hoc Sacramentum sumens, nullum gratiæ augmentum acceperit, eò quod gratia ejus summa ab initio augeri non potuerit: attamen, juxtà doctrinam S. Thomæ, habuit quandam spiritualem delectationem in nova hujus mysterii institutione & manducatione: ita ut non solum materialiter, sed etiam sacramentaliter & spiritualiter censeatur manducasse; ideòque meritò dicit: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum.* Luc. 22. 15 Meritò quoque in Cantico amoris delectationem & suavitatem illam exprimit, nomine mellis & favi, dum ait: *Comedi favum cum melle meo.* Cant. 5. 1.

D. Thom. 3. p. q. 81. art. 1.

Quod verò subjungit: *Et bibi vinum cum lacte meo,* duplicem sacri illius convivii portionem describit: vinum vocat sanguinem suum, sub specie vini exhibitum, dicitque conjunctum esse cum lacte; ut significet esse nutrimentum, non solum aptum robustis & perfectionibus, sed etiam infirmis & imperfectioribus. Lac enim non est aliud, quàm sanguis cum perfectiori concoctione, qui purus & candidus est, sumiturque per modum cibi & potus etiam à debilioribus. Sic hoc Sacramentum & cibus & potus est: quod & imperfectis datur, ut ab illo lac gratiæ, sapientiæ, suavitatis spiritus, omneque bonum spirituale sugant, tanquàm ab ubere Christi spirituali. Immò sanguis & caro Filii Dei non est nisi lac virgineum, quod ipse suxit & ex quo incrementum accepit. Dicamus ergò cum D. Petro & exhortemur Fideles: *Sicut modo geniti infantes deponentes omnem malitiam, simulationes & invidias & omnes detractiones, sine dolo, rationabile lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem.* 1. Pet. 2. 2. Ubi adverte. Vulgaram correctam legere non *Rationales,* sed *Rationabile,* scilicet lac. Vocatur autem rectè *Lac rationabile,* hoc lac sapientiæ & gratiæ, quod à Christi Sacramento, quasi sacro quodam ubere procedit: quo crescimus in salutem, reddimurque secundum rationem viventes & sapientes, & irrationabilium morum in nobis fit correctio. Audi Chrysostomum sub infantium, uberum, ac lactis similitudine, cunctos Fideles ad hoc Sacramentum invitantem: *Non audatis* inquit, *quanta promptitudine parvuli papillas capiunt, & quanto impetu labia uberibus infigunt? Accedamus & nos cum tanta alacritate ad hanc mensam, & ad ubera poculi spiritualis: quin immò cum longè majori trahamus, tanquàm infantes lactentes spiritum gratiam, & nunc sit nobis dolor hac esca privari.* Chrysost. hom. 83. in Mat.

Quid sit Lac?

PROPOSITIO II.

Christus non solum consilium, sed & præceptum dedit hoc sacramentum sumendi tam Apostolis quàm futuris Fidelibus.

INdicatur præceptum in prioribus verbis dictis, *Comedite amici,* q. d. Si amici vultis permanere; oportet favum hunc cum melle, carnem cum divinitate, juxtà institutum meum in Sacramento comedere: Hæc est voluntas mea in finem usque sæculi duratura, quam, qui implere neglexerit vel contempserit, amicitiam dissolvat necesse est, hanc ut facer iste cibus, amoris pignus, foveat & confirmet ex institutione ordinavi. Consonant his, quæ Christus diserte dixit in ultima Cœna Apostolis

Matt. 26. Lue. 22. 1. Cor. 11. ſtolis Eccleſiam totam repræſentantibus : *Accipite & comedite, & in mei commemorationem hoc facite:* Quibus verbis non ſolùm Sacerdotes novi Teſtamenti conſtituti ſunt, nec ſolùm illis ac eorum in ſacerdotio ſucceſſoribus præceptum eſt, ut offerrent ; ſed etiam ſingulis Fidelibus in eorum perſona præceptum fuit, ut ſumerent. Undè, verba iſta explicans Tridentinum, dicit: *Salvator diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc inſtituit, & in illius ſumptione colere nos ſui memoriam præcipit ſuamque annuntiare mortem, donec ipſe veniat ad judicandum. Sumere autem voluit Sacramentum hoc tanquam ſpiritualem cibum animarum, quo alantur & confortentur viventes vita illius qui dixit: Qui manducat me, vivet propter me: & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis & à mortalibus præſervemur. Pignus etiam voluit eſſe futuræ felicitatis, adeòque ſymbolum unius illius corporis, cujus ipſe caput exiſtit, cuique nos tanquam membra arctiſſima fidei, ſpei & charitatis conjunctione aſtrictos eſſe voluit.* Vides itaque in his Concilii verbis plures connexas rationes, ob quas Chriſtus, poſtquam ſumpſit, etiam præceptum tulit. Quæ etiam indicant, a propoſito omninò ad id ab eo Cantico amoris verba : *Comedi favum cum melle meo, comedite & vos amici*, q. d. Nullum reputo amicum, qui amicitiæ ſymbolo participârit, qui memoriali dilectionis meæ non communicârit. Gratia mea & amicitia excidat neceſſe eſt, qui non manducârit : nec mihi tanquam capiti membrum cohærere putet, qui cibo hoc vitali mecum nutriri noluerit. Hoc idem eſt quod alibi apertiùs dixerat: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Ex quibus omnibus colligunt SS. Doctores, eſſe præcepti divini, quandòque communicare, licet Eccleſia nihil determinaſſet.

Trid. ſſ. 13 c. 2.

Joa. 6. 54.

Quia tamen Chriſtus ſpeciale tempus Fidelibus ad id non inſtituit, Eccleſiæ ſponſæ ſuæ decernendum id reliquit. Undè juxtà diverſum ſtatum Eccleſiæ, diverſa circà hoc ſtatuta emanârunt. Nam in primitiva Eccleſia, dum adhuc in Fidelium cordibus recens Chriſti ſanguis effuſus ebulliret, dum *multitudinis credentium cor* adhuc *unum erat & anima una*, quotidiè communicabant : & regio hoc cibo animis confirmatis, libere ſe martyrio effundendoque ſanguini ſuo, cum Chriſto offerebant. Quapropter ut habetur de conſecratione, diſt. 1. Anacletus Papa decrevit, ut ſaltem omnes ſacrificio aſſiſtentes communicarent. *Peracta*, inquit, *conſecratione, omnes communicent, qui noluerint Eccleſiaſticis carere liminibus ; ſic enim & Apoſtoli ſtatuerunt & S. Romana tenet Eccleſia.* Deindè paulatim fervore iſto imminuto, Fabianus Papa indulſit, ut ſaltem ter in anno omnes communicarent, ſcilicet in Paſcha, Pentecoſte, & Natali Domini, de conſecr. diſt. 2. Denique ob iniquitatis abundantiam & duritiem frigusque Fidelium, ſtatuit Innocentius III. cap. Omnis utriuſque ſexus, in Concilio Lateranenſi, ut ſaltem ſemel in anno omnes communicent, qui ad annos diſcretionis pervenerint : *Alioqui & viventes ab Eccleſiæ ingreſſu arceantur, & morientes Eccleſiaſticâ careant ſepulturâ.*

Act. 4. 3.

De conſec diſt. 1. Anacl. Pap.

Fab. Pap. de conſ. d. 2.

Innoc. III. c. Omnis u. Cõc. L.

Certè cum dolore poſſumus dicere, id Eccleſiæ contigiſſe ob diverſos ſtatus, quod ſtatuæ Nabuchodonoſoris, cujus caput erat ex auro, brachia ex argento, venter ex ære, pedes ex ferro & luto. Quod eſt caput ex auro ? Aurea naſcentis Eccleſiæ exordia, ferventiſſimâ fide & charitate omninò rutilantia, ut teſtantur primi Martyres. Paulatim aurum in argentum defecit, quia licet ſubſequentia ſæcula viros genuerint ſapientiâ prælucentes ; non erat tamen prior ille fulgor aurens & puritas rutilans in Fidelibus. Deindè ætas ſubſequens in tantùm diſtare viſa eſt à primis ſæculis, in quantum æs ab auro diſtat vel argento. Denique, eò Fidelium dura corda proceſsêre, ut ventum fuerit ad ferrea & lutea ſæcula, in quibus planè frigidi & duri, lutei & carnales, inventi fuêre Chriſtiani : ita ut communio, quæ primitùs fuerat quotidiana, poſteà hebdomadalis in Dominica qualibet in uſu ; deindè trimeſtris, aut ſaltem in anno ter repetita : tandem vix foret annua. Propterea igitur coactus eſt Innocentius Pontifex, in generali Concilio, ſub rigore & interminatione cenſurarum, ad annuam ſaltem communionem urgere & cogere ſingulos Fideles. Præcepto rigoroſo & pœnarum metu, quaſi duplici calcare, oportuit exſtimulari rebellia & quaſi emortua Chriſtianorum corda : ut oculos aperirent, & reſpicerent ad cibum vitæ, ob cujus neglectum ad mortem properabant. Daniel 3.

Non dicant ergò Fideles, cùm ad frequentiùs communicandum eos hortamur : Sufficit nobis annua Communio abundè, etenim ſi non ſufficeret, Eccleſia frequentiorem præciperet. Hæc obmurmurant nobis quidam immundi filii mundi lethargo periculoſo in peccatis obdormiſcentes, nolentes ſibi aurem vellicari ab illis, qui ſalutis ſuæ curam gerunt, qui amant ſomnum & tenebras. Quid verò reſpondebimus eis, niſi quod in ſimili Chriſtus Dominus Judæis ? Ad duritiem cordis veſtri indulſit vobis filiis rebellibus Eccleſia Mater veſtra, ut non niſi ſemel in anno cogeremini ad ſacram hanc menſam. Interim non deſinit vobis frequentiſſimè proponere fructum, quem ibi poſſitis capere : non deſinit adhortationibus, conſiliis, precibus, ad frequentandam eam vos urgere. Sed tanquam filii degeneres & exaſperantes, ab ejus monitis aurem mentemque avertitis. Non eſtis inſcii voluntatis ejus ac piæ intentionis : Quod conſiderans hoc Sacramentum eſſe Sacramentum amoris, pignus divinæ dilectionis, nolit per rigorem & coactionem (cum tamen poſſet frequentiùs) ad illud ſuos urgere ; mavult invitare amore, illicere ſuavitate, funiculis Adam, vinculis charitatis attrahere. Verùm cùm non ſitis de numero filiorum, ſed mancipiorum & ſervorum ;

Digitized by Google

non trahit vos ad hanc mensam affectus filialis, donec cogat metus servilis, metus censurarum & pœnarum : non alliciunt vos monita piæ matris, sed solùm urgent verba fulminantia, cum baculo incumbente humeris vestris.

Sed dicunt alii, se lubenter & frequenter ad hanc Domini mensam accessuros ; at domesticis negotiis omninò se præpediri, & necessarium esse providere cum sollicitudine uxori, filiis, famulis, quæ omnia prævium præparationem non permittunt. Attendant hi, quod cum invitati ad cœnam Patrisfamilias excusarent se, unus propter villam, alter propter juga boum ; tertius propter uxorem, nullorum excusatio idonea sit reperta, sed cum indignatione invitantis rejecta. Advertant etiam frequentem dæmonis laqueum & dolum, quo involvuntur, ut negligant accessum ad Dominicam Mensam. Gerit enim se erga eos, sicut olim Pharao ergà Israelitas ; qui dum vellent ire ad sacrificandum Domino, onerabat eos amplius luto, paleis & operibus : ut nullam nisi de servitute hac onerosa cogitationem susciperent, & omnem alteram de Domini sacrificio deponerent : *Vacant*, ajebat ipse, *& ideò vociferantur, dicentes : Eamus, sacrificemus Deo nostro : Opprimantur operibus, & expleant ea.* Sic Sathan, dum videt festiva tempora accedere, in quibus sacræ Communioni animus foret præparandus : multiplicat negotia, sollicitudines, anxias cogitationes de luto & paleis, de temporalibus rebus : sicque animum premit, piamque cogitationem suffocat & perimit. Excute igitur lutum, excute paleas, excute Pharaonis servitutem, & audi vocem Domini Dei tui ad sacrificandum invitantis. Depone curam de bobus, de jugo, & aratro, de villa, de uxore & familia ? Disrumpe omnia vincula, omnes mundi & Sathanæ laqueos obumbratos, ut saltem solemnioribus anni festivitatibus Dominicæ tuæ mensæ particeps ; ne socordia tua vetemosa, tandem etiam ab æternæ cœnæ consortio excludaris.

Exod. 5. 8.

Cant. 5. 1. Audiant igitur omnes Christiani, vocem Sponsi invitantis ad hoc convivium : *Comedite amici, bibite & inebriamini charissimi.* Sciant, quod sicut priora illa verba : *Comedite amici*, præceptum indicant, ut jam diximus ; ita posteriora : *Bibite & inebriamini*, consilium insinuant frequenter accedendi. Et tantò quidem frequentius & ferventius, quantò chariores Christo Sponso esse optamus. Vult enim, ut qui ei charissimi & delectissimi esse volunt, sæpius comedant & bibant, usque ad sanctam ebrietatem & satietatem, novam famem ingenerantem. Hanc ebrietatem explicans D. Cyprianus, dicit : *Calix inebrians Domini peroptimus est. sic bibentes inebriat, ut sobrios faciat, ut mentes ad spiritualem sapientiam redigat ; ut à sapore isto sæculari, ad intellectum Dei, unusquisque resipiscat. Et sicut vino communi mens solvitur, anima relaxatur, & tristitia omnis exponitur : ita epoto sanguine Domini, exponatur memoria veteris hominis, & fiat oblivio conversationis pristinæ sæcularis, & pectus triste, quod prius peccatis augentibus premebatur, divina indulgentia lætitia resolvatur.* Hæc ille. Ad hanc nempè ebrietatem & satietatem invitat Sponsus, iliusque voluntati maximè conformes sunt, qui frequentissimè cum præparatione accedunt. Nec unquam in hoc convivio epulantur, quin & ipse cum illis jucundetur, & cum sono epulantis possit dicere : *Comedi favum cum melle meo : Bibi vinum cum lacte meo.* Ipse enim nobiscum comedit & bibit, quia per nos & in nobis tanquàm membris comedit & bibit ; imò nobiscum, quia delectatur cibo, quem intellectus consideratione, voluntas affectione sancta, hic affert. Ideò in Apoc. de illo qui ei pulsanti ostium cordis aperuerit, dicit : *Ego cœnabo cum ipso, & ipse mecum.*

Cypriam.

Cant. 5. 1.

Apo. 3. 20

LECTIO VIII.

EXHORTATIO ADOLESCENTUM ET ADOLESCENTULARUM AD frequentem sumptionem Eucharistiæ.

PROPOSITIO UNICA.

Quid bonùm ejus, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines ?
Zachar. 9. v. 17.

ADeste animis, ô Juvenes ! adeste, ô Virgines ! adeste ô Ecclesiæ alumni dilecti, filii obedientes ! aures monitis piæ Matris arrigite. Estote *sicut novella olivarum in circuitu mensæ Domini*, & attendite, quæ in illa apponuntur vobis. Cibus vester est, ô Juvenes ! quandoquidem Frumentum sit Electorum & Juvenum, sivè Panis Electæ juventutis. Potus vester est, ô piæ Virgines ! Vinum utique est boni odoris ad Virgines, ut legunt LXX. puritatem virgineam conservans & ingenerans. Itaque ipsius Prophetæ verba melliflua, cordis aure percipite ; ad mysticam hanc mensam, & ad illius considerationem, frequentemque usum, cum affectu vos invitant : *Quid bonum*, inquit, *ejus, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum & vinum germinans Virgines !* Singula mecum expendite.

Ps. 127. 3.

Primò, dum dicit : *Quid bonum & quid pulchrum ejus*, scilicèt Dei vel Ecclesiæ ; agnoscit plurima esse in Ecclesia præclara dona, à Deo & Christo Jesu derivata, quibus mirè ornatus quasi sponsa dilecta. Vidit tot spiritus charismata, tot gratiarum munera, tot mysteria, tot Sacramenta, in quibus illius decor consistit. At in hanc divinissimam Eucharistiam, mentis oculos figens, illam inter cætera mysteria & dona ita eminere agnovit, ut illius comparatione quodammodò obscurentur. Ideò antonomasticè & per excellentiam illud vocat, *Bonum Dei, Pulchrum Dei.* Quid ita ? Quia

Zach. 9. 17

Digitized by Google

agnoſcit eſſe myſterium myſteriorum, objectum fidei populorum, anchoram ſpei, ſtimulum charitatis, pignus amoris, originem boni omnis, fontem ſalutis, complementum ac perfectionem divini omnis operis. An non ideo meritò, *Bonum Dei, & pulchrum Dei*, nominatur? Quid melius aut pulchrius bonum potuit Deus dare, quid precioſius ſponſæ ſuæ conferre, ſive è Cœlo, ſive è terra? An precioſius aliquid in cœlis Divinitate? Hæc nobis hic communicatur. An pater precioſius quidpiam habet perſona unigeniti Filii ſui? Hanc nobis hic in admirabile donum impertitur, efficiens eam noſtram uſque ad germaniſſimam ſocietatem. Et ſi ita eſt, quod in Incarnatione electæ humanitati Chriſti eam conjunxit, in hoc Sacramento ita cuilibet individuo conjungit, ut quicunque rite illud receperit, deiformis efficiatur ſpeciali quadam unione. Sicut vero in Cœlis nihil precioſius divina natura vel perperſona; ita in terris nihil precioſius aſſumpto à Filio Dei corpore & ſanguine. Hoc vero corpus & ſanguis, ita nobis datur, ita nobis conjungitur: ut noſter cibus ſiat & potus. Quid magis noſtrum dici poteſt, quam cibus quo ſuſtentamur & nutrimur? Et quidem verum eſt, quod cibus iſte non incorporatur nobis, ut cibus materialis; ſed potius nos ſibi incorporat; ſic tanto ſpecialius illi unimur, in quem tranſmutamur. Verum ergo manet, omne bonum Dei in cœlis, omne bonum pulchrumque quod in terris habet, nobis in hoc myſterio communicari: nec potuiſſe altius bonitatem, amorem, potentiam, ſapientiam communicare, quam tali unione: nec donum ſublimius nobis efferre; & in finem uſque ſæculi ſponſæ ſuæ conſignare, filiis ejus in uſum teſtamento legare. Adde hoc myſticum donum, omne bonum, ac omne pulchrum Dei nominari poſſe, non ſolum quod in ſe contineat omnem cœli terræque pulchritudinem & bonitatem; ſed etiam quia nihil ita nos bonos reddat, pulchroſque ſive decoros coram Deo, ac illa frequentatio. Omnis enim gratia, puritas, ſanctitas, perfectio, quæ in omnibus Eccleſiæ membris reperitur, Apoſtolis, Martyribus, Confeſſoribus, Virginibus, Viduis, Conjugatis, ab hoc Sacramento promanat, quod ſequentibus verbis Propheta Zachatias inſinuat. Examinemus id particularius.

Euchariſtia dicitur Frumentum Electorum.

Secundo itaque adverte, non ſine myſterio vocari hoc Sacramentum à Propheta, *Frumentum Electorum*. Frumentum quidem, ob panis ſpeciem, qui ex frumento confici ſolet, & quia Chriſtus ipſe ſeſe frumentum nominavit, dicens: *Niſi granum* Jo.12.24. *frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Si originem hujus frumenti exquiris, audi paucis. De cœlo venit, & ſatum fuit à Patre æterno, in terra virginea, rore Spiritus Sancti fœcundata, ortum fuit in Bethleem in domo panis: crevit velut in aſpera ſpica annis 30. vitæ auſteræ: & ſicut frumentum in campis creſcens, gelu, grandinem, tempeſtates ſuſtinet, ita & hoc frumentum cœleſte, in frigida terra noſtra erortum. Tandem ſectum eſt falce paſſionis, trituratum in mola crucis, coagulatum aqua precioſa, lachrymis doloris; coctum in fornace charitatis ardenti igne amoris: nunc diſtribuitur ad veſcendum in ſpecie candidiſſimi panis, omnibus accedere volentibus, eſtque ſuaviſſimus palatis non infectis.

Sed cùr dicitur, *Frumentum electorum*? Multiplex ratio afferri poteſt. Prima quidem, quia electi in cœlis, in Eccleſia triumphante eodem reficiuntur frumento, quo nos in Eccleſia militante, ſed diverſimode apparato. Cibus eorum eſt Verbum æternum & Divinitas, idem nobis alimentum apponitur, idem frumentum, ſed velatum ſub Sacramenti cortice. Beati nudo ſaginantur grano, diſrupto Sacramenti cortice, & fidei velamine, ideo majori pleniorique feruntur jucunditate. Merito ergo panis noſter, ex frumento electorum confici dicitur, quod jam incipit paſcere & reficere, donec plenius & perfectius paſcat in æternitate, cum in numerum electorum translati fuerimus, quando & illud adimplerum fuerit: *Beatus qui manducabit panem in re-* Luc.14. *gno Dei.* 15.

Secunda ratio, cur Euchariſtia *Frumentum electorum* dicatur, eſt, quia frumentum eſt & panis Chriſtianorum, qui phraſi Scripturæ, *Sancti & electi Dei* nominantur. De quibus S. Petrus: *Vos genus* 1.Pet.2.9. *electum, gens ſancta, populus acquiſitionis.* Ad quos Col. 3.12. etiam ſcribens D. Paulus, dicit: *Induite vos ſicut electi Dei, ſancti & electi, viſcera miſericordiæ, humilitatem, benignitatem, modeſtiam, patientiam.* Chriſtianis ergo, qui à maſſa damnationis electi ſunt per Baptiſmum, & ſeparati ab infidelibus pereuntibus, panis hic, & frumentum cœlicum, in cibum ordinatum eſt, ideoque Electorum frumentum recte nominatur; alienigena de illo non participat, non Judæus, non infidelis. Adde, etiam æternæ electionis eſſe ſignum, pium ac frequentem ejus uſum. Qui enim illius fame, guſtu, ſuavitate afficitur, probabile habet in ſe prædeſtinationis ſuæ teſtimonium. Unde & ſuos electos, etiam cœlo & gloria ſtatim donandos, non ſolet Deus ſine illius ſumptione dimittere: quinimo ſpecialiter ſolet eis providere ut hoc electionis ſuæ ſecum ferant teſtimonium, & ſacrum ſignaculum, quo a reprobis diſcernantur, ut manducato pane vitæ inter æternæ vitæ Candidatos certius adſcribantur.

Sic B. Ambroſio in extremis agente, cum Honoratus Epiſcopus Vercellenſis, in ſuperioribus domus ad quieſcendum ſe compoſuiſſet, tertio vocem vocantis ſe audivit, dicentiſque ſibi: *Surge; feſtina, quia modo reſurrexiſti eſt; Qui deſcendens obtulit viro ſancto Domini corpus, quo acceſſo, ubi glutivit, emiſit ſpiritum. Bonum ſecum ferens viaticum & teſtimonium, ut in virtute hujus eſcæ, anima Angelorum nunc conſortio (quorum vitam vixit in terris) & Sanctorum ſocietate lætetur.* Ita S. Paulinus in vita ejus. Paulinus in vita S. Ambr.

Surius 10. Sept.

Propterea etiam de S. Nicolao Tolentino legimus, quod ad extremum uſque ſpiritum hoc ſacro alimento reficiebatur; ut certiorem redderet electionem ſuam, jam appropinquante vitæ termino. Quocirca in extremo agone illud iterum petiit: *Ut non deficiam in via*, inquiebat, *ad cæleſtem Patriam jam profecturus, & ſi improbus hoſtis meus Belial mihi occurrerit, poſſim fidenter dicere: Dominus mihi adjutor, & ego deſpiciam inimicos meos.* Adſtantibus ergo Fratribus, & una cum illo orantibus, profuſis ubertim lachrymis Corpus Domini ſumens, toto ſpiritu pronunciavit: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Sic electionis ſuæ teſtimonium ſecum voluit deferre, qui jam cœleſti Angelorum harmonia, integris ſex antea menſibus, ad illorum conſortium fuerat invitatus. Surius in ejus vita.

Surius 27. Jan.

S. Joanni Chryſoſtomo, cum jam ad Deum migraturus eſſet in exilium miſſus, noctu oranti apparuere Petrus & Joannes Apoſtoli, ejus vitæ Duces, eique adverſus dæmones victoriam, & ex hac vita commigrationem ad æternam vitam nunciarunt. Deinde, cum cœleſti hac eſca paverunt, in electionis ſuæ teſtimonium. Hæc ipſe narravit his qui ſecum verſabantur, & exinde nihil amplius cibi ſumpſit. Vide Surium in ejus vita.

Sicut vero fames & frequentatio piæ hujus Sacramenti cum ſapore conjuncta, electionis indicium poteſt eſſe; ita faſtidire illud, nihilque ei affici nullum in eo ſaporem reperire, ſignum eſſe poteſt non ſolum palati corruptis peccati humoribus infecti, ſed etiam animi cujuſdam reprobi. Sic deſperatæ ſanitatis indicium judicamus, cum æger cibum medelamque ſuavem, corpori & ægritudini opportunam, penitus faſtidit, reſpuit, exhorret. Hoc tamen adverte, quandoque Deum panis & frumenti hujus ſuavitatem etiam frequenter ad illum accedentibus abſcondere, non ob culpam, ſed ad probationem, ad humilitatis exercitium & fidei meritum. Etenim fides in hoc exercetur & humilitas, quod agnoſcamus ſaporem illum à Deo eſſe, non ab homine, nec à propriis meritis: & ideo in humilitate conſiſtimus, indignitatem timemus, ſublimitatem ſuavitatis illius admiramur; ad quam palati noſtri virtus nonniſi gratia ſpeciali poteſt pertingere. Interim licet ſaporem illum cœlicum & abſconditum non experiamur, effectum tamen gratiæ Sacramentum operatur in nobis; & illa leniter nobiſcum cooperatur, licet vix advertamus: imitamur enim naturam, quæ paulatim effectus ſuos producit, vix nobis advertentibus, ſic plantas creſcere non videmus, creviſſe poſtea deprehendimus. Et quamvis nullum augmentum in nobis gratiæ quandoque deprehendere poſſumus; ſcire nihilominus debemus, ejus effectum eſſe, non ſolum quod quis proficiat, ſed etiam quod non deficiat; non ſolum quod procedat, ſed etiam quod non recedat, aut in pejus ruat. Quare cum in multa gravia peccata infirmitas noſtra poſſet prorvere, gratiæ hujus Sacramenti debemus, quod præſervatos nos agnoſcamus.

Tertia ratio, ob quam *Frumentum electorum* Euchariſtia nominatur, eſt, quia in Eccleſia generat electos validoſque bellatores Martyres, Confeſſores, Apoſtolicos viros, perfectos omnino Chriſtianos. Hi ſunt milites Dei electi, quorum eſt hic panis, hoc frumentum, quo reficiuntur, ut fortiter dimicent & prælientur prælia Domini, etiam uſque ad ſanguinem. Ideo antiqui Martyres tempore perſecutionis Euchariſtiam domum deferebant, ut inſtante periculo, illa ſe præmunirent contra omnem metum. Et hic utique eſt panis & frumentum proviſionis, in bello quod continuo gerimus contra ſatanam, mundum, carnem, peccatum, infernum, miram fortitudinem ſuggerit ad fortia & ardua aggredienda & patienda, ad impetus hoſtis retundendos, ad firmandum animum vacillantem, ad bona propoſita conſolidanda, ut mereamur inter electos & validos Dei milites connumerari, etiam in preſſuris conſtantes.

Quarta ratio, ob quam *Frumentum electorum*, ſive *Frumentum Juvenum & Adoleſcentum* nominatur à 70. Interpretibus, *eſt frumentum juvenibus, & vinum boni odoris ad virgines*: noſtro maximè congruit propoſito. Nempè, ſi ſpiritualiter id explicare voluerimus, renovat juventutem animæ, & ejus vigorem florentem facit in floreque conſervat; nova gratia, novo fervore, novo ſpiritu, comedentem afficiens & reficiens. Exuit in nobis veterem hominem, veterem Adam, & induit novum Chriſtum; veteris peccati & concupiſcentiæ corruptionem, quantum in ſe eſt, expungit, & in novos nos homines tranſmutat, vegetos reddit animos & expeditos ad omne bonum feneſcentem torporem excutiendo. Itaque quiſquis diſpoſitus accedit, poteſt cum Pſalte canere: *Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam.* Nam verum eſt, hunc de altari ſumptum panem, prava conſuetudine etiam inveteratam & incurvam animam ad cœleſtia erigere, & novo pietatis vigore florentem efficere.

Sed & proprie omnino, *Frumentum Juvenum ſeu Adoleſcentem* dicitur, qua decorum eſt, expediens, immo neceſſarium, eos frequenter frumento hoc paſci, ſi juventutem incorruptam, ſi adoleſcentiam à vitiis puram conſervare velint, & florem ætatis illibatum Deo conſecrare. Etenim cum adoleſcentia & juventus ex ſe cæca ſit; non ita maturo pollens judicio ut ætas provectior, naturæ quoque impetu prona & labilis in vitia, lubrico greſſu proruens in luxurias & concupiſcentias, ambitione elata, vanitati dedita, ſuperbiæ obnoxia, libertatis amans, obedientiæ parentum jugum facile excutiens; fervore ætatis in vindictam contentioneſque proclivis, variiſque peccatorum occaſionibus & periculis cincta: Contra hæc omnia, non habet certius ſecuriuſque præſidium, quam Sacramenti Euchariſtici frequentem uſum Hic datur eis fortitudo ad reſiſtendum vitiis, eorumque occaſionibus: datur eis lumen ad exter-

Defectus Adoleſcentiæ.

gen-

gendas tenebras, excitatemque fugandam: datur eis medela præſervans contra contagium converſionis humanæ. Hic diſcunt modeſtiam, ad obſiſtendum contra cæcos impetus naturæ, diſcuntque timorem Domini, quo utantur tanquam fræno ad eos cohibendos & temperandos. Hic poſſunt fugere ſpiritum humilitatis, ſpiritum obedientiæ, ſpiritum manſuetudinis, ſpiritum caſtitatis, à Chriſto Agno humili, obediente, manſueto, caſtiſſimo, ut reſiſtant forti animo & excutiant ſpiritum ſuperbiæ, rebellionis, contentionis, immunditiæ. Quod ſi quandoque impegerint, inveniunt hic vigorem quo reſurgant, lucem qua cautius ambulent, fortitudinem qua ſe tueantur contra relapſum, abundantem gratiam qua revireſcant, creſcant, reflореſcant Exempl.lib.1.horti Paſto. tract.3. lect. 10. remed.4.

De S. Caſimiro Caſimiri regis Poloniæ filio. V. Brevia. 4. Martii.

Accedite igitur, ô adoleſcentes, veſter eſt iſte panis, in cibum vobis & in præſidium ſalutis deſtinatus. Nolite floridam ætatem idolo Veneris, Bacchi, Adonidis, conſecrare, ſed Agno candido Chriſto. Ille ſit vobis Dux, ſit omnis virtutis exemplar, ſit corpus ejus ſanguiſque nutrimentum, candorem animis veſtris ingenerans, florem gratiæ conſervans, vigorem contra vitiorum incentiva imperiens. Cur negligitis, cur in plures menſes adeò eximiam, adeò neceſſariam alimoniam, magno veſtro periculo differtis? Ad eam jus vobis competit, gratis exhibetur; imò ad illam frequentiùs ſumendam (tanquam boni omnis in vobis originem & extinctionem mali) Prophetarum, Evangeliſtarum, Apoſtolorum, Paſtorum, & ipſius Domini voces invitant: inſinuantque non eſſe aptius medium, quo quis poſſit conſervari in gratia, creſcere in virum perfectum, Chriſto conformari, & tandem illi occurrere, quando carne etiam reflореſcente, omnes etimus in menſura ætatis plenitudinis Chriſti, ut loquitur Apoſtolus.

Tertiò, vocat Propheta hoc Sacramentum, *Vinum germinans Virgines*, ſive ut 70. legunt, *Vinum boni odoris ad Virgines*, aut ut Syrus interpres: *Vinum quod delectat Virgines & exhilarat.* Quis neſcit vinum potius eſſe ſeminarium libidinis, & (ut antiqui vocarunt) Lac Veneris, Fontemque Cupidinis? Quale eſt ergo vinum iſtud, quod Virginibus congruit. Virgines ſuo odore exhilarat, virgineum decorem exornat, imò virgines virginitatemque parit? Utique non de terreſtri vite, vinum iſtud exprimitur, ſed de cæleſti & myſtica, quæ Chriſtus eſt, qui de ſeipſo dicit: *Ego ſum vitis vera.* De quo etiam ſponſa dicit: *Botrus Cypri dilectus meus mihi.* Nempe de ſacro, & myſtico illo botro, ad Crucis torcular portato, eliquatum eſt vinum hoc, quod Virginibus propinatur, quod Virgines facit, quod ad Virginitatis florem tuendam conſtantem animum ſuggerit, mentis & ventris recalcitrantem ſopiens pruritum, & impuri amoris flammas reſtringens.

Joan.15.1. Cant.1. 13.

Audi propoſitionem & reſolutionem ſapientem Adoleſcentum Cubiculariorum Darii Regis, apud Eſdram. Interrogant ipſi inter ſe. Quid rerum omnium fortiſſimum? Reſpondet unus: *Forte eſt vinum.* Alius ſcripſit: *Fortior eſt Rex.* Tertius ait: *Fortiores ſunt mulieres, ſuper omnia autem vincit Veritas.* At rectè dixero ego; Fortiſſimum eſt vinum illud, quod fortiores reddit delicatas mulieres, tenellas Virgines, Regibus omnibus & Tyrannis, ad pugnandum pro fortiſſima Veritate, ad ſuperandum omnia tormenta pro caſtitatis gloria & amore. Hoc ſcilicet eſt vinum, de quo noſter Propheta, quo nihil dulcius, nihil fortius, *à forti dulcedo*, è dulci fortitudo: nihil illo ferventius, quod tanquam muſtum recens, in cordibus piis, in vaſis electionis ebullit: nihil efficacius tum ad cor exhilarandum, tum ad vires reficiendas, tum ad ſpiritus excitandos, ad fortia quælibet & facienda & patienda. Hoc vinum boni odoris eſt ad Virgines, quandoquidem ad veſtigia Chriſti ſequenda, per ſpinas, cruces, aſperitates, eas attrahit & confirmat. Hoc vinum illas exhilarat, & cantare facit in tormentis, minis modis, minis odis, quaſi in ſequela Agni, in ſanguinis ſui effuſione, novum canticum decantant guſtato hoc vino. Conſidera Agnetem, Luciam, Priſcam, Agatham, virtute hujus vini ad mortem quaſi ad delicias, cum ſono epulantis procedentes, & quæ dicimus, etiam in millibus Virginum veriſſima eſſe reperies.

Lib.3. Eſdræ.c.3.

Sicut igitur Adoleſcentes invitavi, ad ſuum panem & frumentum frequenter comedendum & ruminandum, ita & vos ô puellæ ô Virgines! invito ad bibendum, & labiis cordis ruminandum veſtrum vinum. Utique veſtrum eſt, vobis propinatur à ſponſo. Ab illo ad relinquendum vinum mundi, carnis lenocinia, ſæculi illecebras repudiandas, voce interiori invitamini; & ad guſtandas has delicias, puriſſimi Agni carnem pretioſam, ejuſque ſanguinem inſtar vini rubicundum & odoriferum. Cibus & potus ille, caſtitatis vobis Spiritum inſtillabit, & animis veſtris ingenerabit virginitatis & puritatis amorem. Vultis ſcire unde hanc vim habeat? In memoriam revocate, & bene conſiderate, carnem hanc eſſe virgineam Chriſti carnem, de Virgine conceptam, de Virgine natam, de Virgineo lacte nutritam: ſimiliter ſanguinem omnino virgineum, de pura Virgine deſumptum, de ejus puro lacte in infantia auctum. Habet ergo vim generandi ſibi ſimile, ſuam qualitatem communicandi, puritatem virgineam corporibus & animis ingenerandi. An non audiſtis quod hi, qui ſanguinem humanum potarunt, ſanguinarii facti ſunt & crudeles, quadam ſibi à ſanguine epotato inſita qualitate? Sic credite, quod manſueti & caſti fiant, qui aluntur puro hoc ſanguine, & carne virginea Agni ſuaviſſimi, & caſtiſſimi. Ego igitur ad hoc epulum vos invito, vos invitat Propheta, vos invitat Sponſus. Et quia gaudetis forte à ſexu eodem invitari, ecce is qui *miſcuit vinum, & menſam ſuam propoſuit*, ut omnes invitaret: *Miſit ancillas ſuas ad arcem & manus civitatis*, invitant

Prov.9.1.

Digitized by Google

illæ parvulos; invitant parvulas; invitant ad hoc insipientes, ut fiant sapientes; adhuc imbelles, ut fiant fortes; adhuc tepentes & torpentes, ut excitentur, & fiant ferventes. Ideò per omnes plateas vocem illam sapientiæ (cujus ancillæ sunt, faciunt
¶.3. resonare: *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis. Relinquite infantiam, & vivite, & ambulate per vias prudentiæ.* Accedite igitur, ô Virgines, ad hanc mensam frequentius, ut mereamini connumerari inter prudentes; & ut induatis spiritum fortitudinis, contra illecebras levioris ætatis, contra lenocinia mundi & carnis. Habetis tot in Ecclesia celebres Virgines quæ suo vos vestigio insistere hortantur, & exemplo docent quantas hæc Domini mensa pariat vires, quantum puritatis amorem ingenerare possit suis alumnis.

B. Catharina Senensis, per hanc Eucharisticæ mensæ frequentationem, Angelica Virgo effecta est, Virginum omnium exemplar, & sæculorum portentum.

B. Catharina Genuensis deficere videbatur & emori, si vel unum diem sine illo cibo potuque corporis & sanguinis Christi transigere debebat.

S. Mechtildis viva illius fame afficiebatur, & edocta fuit a Domino, optimam ad Eucharistiam dispositionem esse, dum quis non sentit ardens illius desiderium, concipere tamen desiderium hujus desiderii, & optare ac petere à Deo ut inspiret hujus cibi desiderium & appetitum.

B. Maria Ogniaca in Belgio admirabilem acquisivit sanctitatis gradum, Eucharistiæ frequenti usu; illius virtute cœlestem vitam agebat in terris; imò sine alio cibo, vitam corporalem per Eucharistiam solam multis diebus sustentabat.

S. Maria Ægyptiaca, divinitus illustrata apud templum S. Crucis in Jerusalem, spirituali hoc cibo sumpto, abiit in solitudinem, illo duce, illius luce deducta: & virtute illius, quadraginta septem annis viriliter restitit contra carnem & dæmonem.

Quid plura; Tot Virginum millia in Cœnobiis, quæ prius delicatissime in sæculo enutriebantur, quomodo putas tanto fervore, tantaque lætitia, inter frigora & nuditates, inter saccum & cinerem, inter jejunia, cilicia, asperitates, vitam degerent; nisi cibo hoc cœlesti, & vino spirituali vires suggerente, puritatis amorem instillante, animi ardorem renovante, & continuo alente. Vide exemplum tom. 2. Tract. 1. Lect. 4.

LECTIO IX.

DE DISPOSITIONE AD EUCHARISTIAM.

1. *Docet, Communicantem debere esse in statu gratiæ.*
2. *Si communicans sit in peccato notorio debere repelli.*

PROPOSITIO I.

Communicantem oportet esse ab omni peccato mortali liberum.

Cant. 5. 1 SPonsus postquam comedit mel & favum suum, dicit: *Comedite amici.* Solos scilic. amicos hoc convivio dignos esse indicat; status autem amicitiæ, status est gratiæ. Injuriam ergo facit Sponso Christo, qui ad ejus mensam audet accedere, hostilem gerens animum, peccato nimirum mortali, qui inimicitiæ status est, obnoxium. Etenim hæc participatio sacri epuli, significat unionem illam intimam, quam cum Christo habemus per amorem: cui unioni ponit obicem, & directè repugnat aversio peccati. Ideoque tanti Sacramenti & significationem & effectum irritum reddit cum irreverentia & sacrilegio gravi, qui peccatum alit, & cibum hunc sumit. Nemo ergo temerè accedat, sed audiat Sponsum solos amicos invitantem: audiat & Apostolum Sponsi Præconem seriam probationem prætequirentem, & omnibus inclamantem.

1. Cor. 11. 28. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit.*

Quænam est hæc probatio, nisi vitæ & conscientiæ diligens examinatio? *Probet ergo seipsum.* Cogitationes, verba, opera, scrutetur consideratione seria: Cor, linguam, manus examinet.

Probatio requiritur ante sumptionem Eucharistiæ.

1. *Probatio & examinatio cordis.*

Primò, scrutetur & examinet cor suum, sciens quod omnes angulos fundumque cordis penetrat is qui illum invitat. Videat accensa mentis lucerna, an non in angulo conscientiæ lateat araneus aliquis venenosus, tela aliqua subtili sese obtegens, ut non agnoscatur, hoc est, peccatum aliquod internum absconditum, aliquo prætextu velatum (ut non existimetur esse grave) interim occultè animam veneno aspergens & inficiens, Sacramentique effectum planè impediens. An non effectus aliquis, aut cogitatio turpis delitescat: an cor rancor non inficiat: an non invidia corrodat, & venenum occultè spargat: an non voluntas injusta in negotiis, in litibus & processibus. Hæc enim omnia quandoque negliguntur, prætextu aliquo velantur, non producunt in forum pœnitentiæ, non magni penduntur: cum nihilominus virus secum vehant, & quasi parvuli serpentes conscientiam involvant; nisi agnita, per pœnitentiæ antidotum perimantur, & per confessionem evomantur. Iterum, probet & examinet homo

Digitized by Google

mo cor ſuum antequàm de hoc pane edat: hoc eſt, ſcrutetur quâ intentione feratur, quo affectu impellatur, quâ cordis munditiâ & præparatione. An non fortè intentione hominibus placendi, an non conſuetudine arida, an non coactione præcepti, vel ne ab hominibus nota aliqua ei inuratur, aut in ſuſpicionem veniat. Sunt enim multi duplici corde, nec intentionem ſuam dijudicant, nec attentionem debitam procurant. Denique probet homo cor ſuum, conſiderando quam contritionem & compunctionem cordis afferat, quàm firmum propoſitum emendationis; quàm ſolidam reſolutionem, non ſolùm vitandi peccatum, ſed & omnes ejus occaſiones radicitus evellendi, & omnia ejus infœlicia germina reſecandi. Probet cor ſuum, illius pravas inclinationes & agnoſcendo & extirpando, ut nihil diſpliceat puritatis auctori, qui in corde per Euchariſtiam domicilium elegit: ornetur illud puritate, humilitate, caſtitate, amore, ut illi fiat dignum habitaculum, qui Deus eſt cordis. Sed licet cum diligentia ſe probet homo, ſe ipſum nihilominùs perfectè adhuc non cognoſcit, & ad fundum ſui cordis vix pertingit, dicente Propheta: *Pravum*
Jer. 17. 9. *eſt cor omnium, & inſcrutabile: quis cognoſcet illud?* Ideò ad Dominum recurrat, poſtquam quod in ſe eſt, fecerit, illique conſcientiam totam commit-
Pſ. 138. 23. tens, dicat: *Proba me Deus, & ſcito cor meum: interroga me, & cognoſce ſemitas meas, & vide, ſi via iniquitatis in me eſt: & deduc me in via æterna.* Sic agnoſcat ſuam inſufficientiam & impræparationem; ſummo deſiderio optans eam ſuppleri, ab eo
2. *Lingua.* qui ſcrutatur corda, & probat renes, qui cor mun-
Jacob. 3. 5. dum creat, & ſpiritum rectum innovat.
& 6. Secundò, probet & examinet linguam. *Eſt quidem illa modicum membrum*, ſed non modica invehit mala, facilè inflammatur à gehenna, à ſuggeſtione Satanæ, infernali igne: & facilè *inflammat rotam nativitatis noſtræ*, curſum inſtabilem mortalis hujus vitæ, & commaculat totum corpus, hoc eſt, totam congeriem bonorum operum noſtrorum. Diligenter examinanda eſt & ſollicitè purganda: quia primum membrum eſt quod Chriſtum recipit, quod tremendo nimis ſanguine rubeſcit. Quâ non igitur debet puritate nitere? Quomodo plena veneno mortifero, tam pretioſum audeat attingere cibum? Quomodò inflammatâ infernali igne, cœleſtem hunc liquorem poterit guſtare? Si fuerit repleta maledictionis amaritudine, quænam cum fonte benedictionis poJac. 3. 11. terit illi conventio eſſe? *Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam*, inquit Jacobus Apoſtolus? Expungatur ergò prius ejus venenum, lanceola validæ contritionis: extinguatur ignis ejus infernalis, aquâ efficaci pœnitentiæ: extergatur omnis in ea maledictionis amaritudo & falſedo, piâ & integrâ confeſſione. Tunc cibum hunc cœlicum ſumat, tunc de calice benedictionis bibat; tunc de vitali Domini coſta, divinum liquorem fugat. Sed quia illa (teſte D. Jacobo) *inquietum malum eſt, univerſitas iniquitatis*, ſivè v. 8.
origo ſcelerum omnis generis: ideò non perfunctoriè & leviter examinanda eſt, ſed ſagaci prædeſtinatione: labitur lubrico veſtigio, de malo in malum, de vanis verbis ad ſcurrilia, de ſcurrilibus ad turpia, de turpibus ad blaſphema; ſic inſtabilis eſt in udo poſita. Quis poterit niſi diligenter requirat, ejus veſtigia reperire? De irriſione ad contentionem, de contentione ad probra & convitia, de convitiis ad maledicta, de maledictis ad diras execrationes procedit; ſic ſemper in pejus ruit. Prætereo mendacia, detractiones, juramenta, falſa teſtimonia, commeſſationes, ebrietates, & ex illis ſolita oriri vitia, in qua lingua labilis eſt: hæc omnia conſideret, & probet ſeipſum vir linguoſus, antequàm de pane veritatis, pane benedictionis edat, diſcatque cuſtodire & refrænare linguam ſuam tanti beneficii participem.

3. *Manus* Tertiò, *probet ſeipſum homo*, & examinet manus ſuas, hoc eſt, opera ſua, an pura, an impura, pia vel impia. Videat an manus non ſint ſordidatæ per injuſtitiam aliquam, per illicitum lucrum, furtum, rapinam. Videat impudicus & carnalis homo, an non maculam contraxerit per tactus, oſcula, aut corporis uſum inordinatum: & expurget aqua lachrymarum omnem maculam, quam corpori animoque aſperſit pravo illius uſu. Diſcat in poſterum purum ſervare non ſolùm animum, ſed & corpus, quod corpori Filii Dei, Filiique puriſſimæ Virginis debet uniri. Reſolvat fortiter illud nunquam tradere infami Veneri, aut impudicitiæ & contaminationi; quandoquidem domicilium debet fieri puritatis auctori, caſtitatis amatori. Denique *probet ſe homo*, & examinet non ſolùm opera, ſed & defectus: examinet qualitatem, profeſſionem, vocationem, obligationem ſuam, & videat, an illi ſatisfaciat. Inquirat à ſe diligenter, quod olim Navis Rectores à Jona fugiente, & præcepto Do- Jonæ 1. 8.
mini inobediente: *Ex quo populo es tu? Quod opus tuum? Qua terra tua? Aut quo vadis?* De popopulo Dei electo es tu: Terra tua ad quam pergis, cœleſtis eſt Patria: Chriſtianus es profeſſione, &c: ſi Sacerdos, fortè Religioſus. Vide quod opus tuum, an correſpondeant obligationi tuæ opera tua, vita tua, quænam vitia tuam deforment vocationem.

Hæc omnia conſiderare debent, qui hanc menſam dignè volunt frequentare. Et his omnibus jam dictis conſonant, quæ à Pſalte propoponuntur: Pſ. 23. 3.
Quis aſcendet in montem Domini? aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? Quis in templum Domini audebit aſcendere, ut aſtet in loco illo ſancto, ut miniſtret, vel ſacris participet myſteriis: Reſpondet ipſe ſibi: *Innocens manibus & mundo* verſ. 4.
corde, qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo. Hoc eſt, qui purus eſt in cogitatione, purus & opere, nec animam vitamque, quàm à Deo accepit aliter impendit quàm debet, juxtà ſcopum, ad quem creatus eſt,

Digitized by Google

rus eſt, nec proximum linguâ mendaci, dolis, fraudibus, juramentis circumvenit. *Hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo ſalutari ſuo.* Talis nempè, myſteriis ſalutis vel miniſtrans vel participans, non poterit exors eſſe benedictionis, gratiæque ſalutaris ab illis promanantis, & à JESU fonte ſalutis. Econtra verò, qui immundus eſt corde, immundus opere, negligens animam, linguâ fallens proximum: loco benedictionis maledictionem ſuper ſe attrahit, ingerens ſe ſacræ menſæ, ſacris myſteriis. Hoc eſt quod Apoſtolus ſubjungit.

1 Cor. 11. 29. *Judicium ſibi manducat & bibit.* Condemnationem ſibi conquirit, tanquam reus corporis & ſanguinis Domini violati & indignè tractati: habetque ſe, tanquam non dijudicans myſterium, non diſcernens à communi & profano cibo, cœleſtem illum panem, potumque corporis & ſanguinis Domini. Quapropter tantùm abeſt, ut illi proficiat, ut potius novo ſe ſacrilegio talis inficiat; ſicque animam judicii divini reatu, ac mortis æternæ jaculo conficiat. Vides quomodò ab eodem cibo ſanitas & ægritudo proveniat, juxta diſpoſitionem vel indiſpoſitionem ſumentis? ab eodem pharmaco vita & mors, ob præparationem prævium vel illius neglectum in languente. Non eſt verò defectus cibi vel medicinæ, quæ pretioſa eſt? ſed ob impedimentum, quod accipiens affert, fit venenum. Ex eodem flore fugit Araneus, fugit & apis; araneus in venenum convertit, apis in mel & ſavum. Non accuſet araneus florem, qui & ſpecioſus eſt & pretioſus: ſed culpam referat in vitiolam naturam ſuam, quæ in virus amarulentum transfert, quod odoriferum eſt & ſuave. Innoxius erat fructus quo Adam vetiti voluit, colore, odore, ſapore, delectabilis: ſed quia ad illum amulit mentem inobedientia contaminatam, lethalis ei morſus factus eſt; judicium ſibi manducavit, mortis ſibi ſententiam & condemnationis decretum acceleravit. Eodem modo hic judicium ſibi manducat, accedens commaculato animo; fitque ei lethalis portio, vitæ edulium.

Mors eſt malis, Vita bonis. Vide paris ſumptionis, quàm ſit diſpar exitus.

Num. 5. 20. Conſidera & in antiqua lege aquas zelotypiæ. Quæcunque adulterii rea eas aulà erat ſumere, judicium ſibi ſumebat & bibebat: ſtatim enim diſrumpebatur uterus ejus, fœmur putreſcebat, &c. At illa quæ juſta & caſta foret, immunisque a crimine, libere ſumebat: tantum abeſt ut nocerent, quin illi prodeſſent ad innocentiam & probandam & augendam, omnemque criminis ſuſpicionem expiandam. Similiter zelotes eſt Dominus Deus noſter, non vult animam, quam ſibi deſponſavit, fidem violare, quam violat quoties ab eo recedit per peccatum mortale. Quod ſi ſpiritualis adulterii rea fuerit, nec reconciliata per pœnitentiam: caveat ad hunc ſacrum cibum potumque accedere, alioqui judicio divino ſe illicò obſtringit, ſcelus ſcelere, maledictionem cumulans maledictione. Sic ergò vides, quomodò verum ſit: *Qui manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Quomodò verum illud vaticinium Simeonis de Chriſto: *Ecce hic poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum.* Deſtinatus eſt ex ſe quidem in reſurrectionem & ſalutem, vitio autem noſtro in ruinam vertitur & perniciem. Luc. 2. 34.

Exempla indigna Communionis.

Exemplis idipſum intellige, quorum aliqua non deſunt omni ſæculo, Primò: Tempore Chriſti primus, qui indignè acceſſit, fuit impius Judas, in quem poſt buccellam intravit Satanas: & non obſtante Chriſti monitione, lachrymis, humili ſubmiſſione, pedum oſculo & lotione, duplici ſacrilego oſculo, pacis ſymbolo, prodidit filium hominis. Primò quidem oſculo interiori, in corporis ejus communione, charitatis & unionis ſymbolo, deindè oſculo exteriori, Judæis tradens crucifigendum. Sed vide pœnam. Deſperans laqueo præfocavit, & ſuſpenſus crepuit medius: Indigna erat anima exire per os, quod pretioſum corpus ſuſceperat, ideò crepuit: indignus erat vitâ, ideò laqueo erepta: indignus erat cœlo & terrâ, ideò inter utrumque ſuſpenſus manet. Conſiderent hæc ejus imitatores, ſacrilegè accedentes, timeant illud minax vaticinium: *Fiat menſa eorum in laqueum, & in retributiones, & in ſcandalum.* Quia quibuſdam contigit: *Adhuc eſca eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos.* Pſ. 68. 23. Pſ. 77. 30.

Secundò, tempore Apoſtolorum, fatetur Div. Paulus, quod multi ob indignam communionem, morbis percuſſi fuêre, imò & morte: Ideò inquit, *Inter vos multi infirmi & dormiunt multi; quod ſi nosmetipſos judicaremus, non utique judicaremur:* hoc eſt, a Domino non puniremur. 1. Cor. 11. 30.

S. Cyp. ſerm. de lapſis. Tertiò, tempore S. Cypriani cum quidam, qui de idolothytis guſtârant, accederent ad communionem, ſubitâ ultione puniti ſunt: *Quadam* (inquit) *ſacrificantibus nobis latenter obrepſit, non cibum, ſed gladium ſumens, & velut quadam venena lethalia inter fauces & pectus, ſanguinem admittens: angi & anima exæſtuante, poſtmodum concludi cœpit, & preſſuram non jam perſecutionis, ſed delicti paſſa, palpitans concidit: qua fefellerat hominem, Deum ſenſit ultorem. Alia ab immundo ſpiritu correpta cecidit, laniavit dentibus linguam. Ipſa ſui carnifex exiitit, nec diu ſupereſſe potuit, doloribus ventris & viſcerum cruciata.* Hæc ille Serm. de lapſis.

S. Chryſ. hom. 5. in Tim. Quartò, tempore D. Chryſoſtomi aliqui vexabantur a Dæmone ob indignam communionem: ita ut de eis dici poſſet, quod de Juda, poſt buccellam intravit in eos Satanas. Teſtatur id ipſe hom. 5. in ep. 1. ad Timoth.

D. Greg. de tempore. Quintò, tempore D. Gregorii, cùm Romani ſtatim à Paſchali communione, indignè eâ ſe gererent; in commeſſationibus, ebrietatibus, luxuriis, ludis & ſpectaculis turpibus: tanta eos peſtis invaſit, ut nihil niſi mortis imago, funuſque occurreret;

Digitized

curreret; adeo ut in una ſupplicatione publica, octuaginta perſonæ ſubitò concíderent. Fatetur ſimiliter B. Anſelmus, ſuo tempore multos variis morbis ſolitos corripi poſt Paſcha, ob indignam communionem.

Cæſar. Baron. tom. 10. annal. an. Domini 868. ex Regin. & Sigebert.

Sexto, tempore Adriani II. Pontificis Anno 868. cùm Lotharius Gallorum Rex Romam profectus honorificè ab illo fuiſſet exceptus; interrogatus eſt, an Waldradam adulteram & pellicem ſuam juxta præceptum Nicolai Pontificis & juramentum præſtitum, à ſe rejeciſſet. Affirmante id ipſo proceribuſque qui cum eo advenerant, ait Pontifex: *Si verbis tuis veritas ſuffragatur, reſtat ſih, ut ad confeſſionem S. Petri accedas: ibi hoſtiam ſalutarem, pro tua incolumitate immolabimus, ex qua nobiſcum oportet (te participare; ut per hanc membris Chriſti, unde abſciſſus eſſe videbaris, mereatis incorporari.* Finitis ergo Miſſæ ſolemnibus, accepto in manibus corpore Domini, iterum ſic eum alloquitur. *Si in maximum te agnoſcis ab adulterii ſcelere; & fixa mente hoc ſtatuum habes, Waldrada pellici tua à te repudiata nunquam nefario concubitu miſceri, accede fiduciaſter, & Sacramentum ſalutis æternæ ad remiſſionem peccatorum tuorum ſuſcipe. Sin autem conſcientia te accuſat & lethali vulnere ſauciatum proclamat: aut ſi iterum mente diſponis in macchia volutabrum redire, accedere non præſumas, ne tibi cedat in judicium, quod ad remedium fidelibus divina prævidentia præparavit.* At is in mente exæcatus, cùm ſciret ſe pernicioſo mendacio Pontificem circumveniſſe, communionem de manu ejus ſumpſit. Deinde converſus Pontifex ad ſequaces & fautores Regis, unicuique communionem obtulit in hæc verba: *Si Regi tuo Lothario, in objecto adulterii crimine favorem non præſtitiſti nec conſenſum, & Waldradæ aliiſque à ſede Apoſtolica excommunicatis non communicaſti, corpus & ſanguis Domini proſit tibi in vitam æternam.* Qui ergo eorum communionem auſu temerario ſumere præſumpſit, divino judicio ab hac luce ſubtractus eſt ante anni ſequentis principium. Lotharius verò Româ egreſſus, morbo corripitur, & Placentiam veniens diem clauſit extremum. Et tanta ſtrages in ejus populo facta eſt, ut non a peſte periiſſe, ſed hoſtili gladio corruiſſe virtus & nobilitas totius regni videretur.

S. Hildegardis An. 1180.

Sanct. Hildegardis Anno 1180. prophetavit Germaniam aliaſque provincias à fide defecturas; juſto Dei judicio veritatem fidei ab eis ſubtrahente, ob indignam & impuram tractationem ſanctiſſimi corporis Domini. Per hoc cenſebantur indigni fide, quam moribus & vita impugnabant. Certè ob eandem cauſam, exiſtimamus nunc varia regna à Deo ſubtracto lumine fidei percuſſa cæcitate.

Naucler. Trithem. Fulgoſ. l. 9. exempl. cap. 12.

Notum etiam illud eſt, de Udone Epiſcopo Magdeburgenſi, quod cum in impudicitia ſacrilega verſaretur, & nihilominus ſacris myſteriis communicaret, in judicium adductus fuerit in propria Eccleſia, coram Chriſto & Virgine, coram Mauritio Patrono & Sanctis quorum reliquiis Eccleſia illa erat illuſtris. Antequam verò capitis ſententia plecteretur, communionis hoſtiam revomere coactus eſt in calicem, qui altari fuerat appoſitus. Teſtis eſt Fulgoſius, Naucler, Trithemius & plerique hiſtorici. Simile quid ſtatim referemus noſtro ſæculo contigiſſe ex literis Patrum Societatis.

Delrio diſq. magic. l. 2. q. 26. ſect. 5.

In Hiſpania ulteriori in Fromeſta Epiſcopatus Potentiæ, quidam quia æs alienum quo gravabatur diſſolvere contemnebat, excommunicatione ad id ſuit adactus, urgente creditore. Solutione exhibitâ putavit negotium peractum, & excommunicationis abſolutionem neglexit. Paulò poſt morbo urgente, petiit ſibi Sacramentum miniſtrati. Adfuit ſtatim Sacerdos miniſtraturus plebe comitante. At dum è ſacra patena (quam ſecum tulerat) dominicum corpus ægro porrigere parat, ita adhæſit illud patenæ, ut nullâ viâ potuerit amovere. Quâ re commotus jubet plebem ſecedere, interrogatque ægrum, an quidpiam conſcientiam gravet, quod forte cauſam afferat huic eventui inſolito, & obſtaculum det ſacræ communioni. Reſpondet ipſe, omnia peccata confeſſione ſe expiaſſe. Poſt multas tandem interrogationes, venit ei in mentem ſuperior negligentia de non petita abſolutione ab excommunicatione. Cùm igitur de illa pœniteret, à Sacerdote adminiſtrata eſt ei alia hoſtia, & illa prior ad perpetuam miraculi memoriam in eadem patena aſſervata eſt, & adhuc hodie concurrentibus populis oſtenditur ſine ulla corruptione, non abſque miraculo. Teſtis eſt Granatenſis in ſymbolum fidei. Lud. Granat. lib. 1. in ſymbolo fidei c. 27. §. 8. ex hiſt. Pontif. Illeſcæ c. 16

PROPOSITIO II.

Peccatoribus manifeſtis hoc Sacramentum debet à miniſtris denegari.

TAles ſunt publici uſurarii, concubinarii, fures, meretrices, magicis artibus addicti, rerum alienarum manifeſti detentores, aut in aliis delictis publicè perſeverantes, in odiis, & diſſenſionibus ſcandaloſis, & ſimilibus. De talibus loquens D. Chryſoſt. monebat verbis gravibus hujus Sacramenti miniſtros. *Non parva vobis imminet ultio, ſi quemquam ullius culpæ conſcium, hujus menſæ participem eſſe concedatis, ſanguis ejus de manibus veſtris requiretur. Sive quis Dux militiæ ſit, ſive Præfectus, ſive Princeps diademate coronatus, indignè autem accedat, prohibe, majorem illo poteſtatem habes.* Hæc Chryſoſtomus. Chryſ. hom. 83. in Matth.

Audi & Cypr. ep. 10. *Pro dilectione tua conſulendum me exiſtimaſti, quid mihi videatur de hiſtrionibus & magotto, qui apud vos conſtitutus adhuc in artis ſuæ dedecore perſeverat: an talibus ſacra Communio cum cæteris Chriſtianis debeat dari? Puto nec Majeſtati divinæ nec evangelicæ diſciplinæ congruere, ut pudor & honor Eccleſiæ tam turpi & infami contagione fœdetur.* Hæc Cypr. S. Cypr. ep. 10.

Digitized by Google

Itaque, Sacerdotes eo ipſo quo conſtituti ſunt diſpenſatores hujus myſterii, tenentur eſſe prudentes & fideles, & ſic indignis quantum in ſe eſt, negare debent: ne eorum peccato cooperentur, & ne indigna tractatio in eos redundet, tanquam canibus ſanctum miniſtrantes, quod prohibet Dominus. Matth. 7.

Matth. 7.

D. Tho. 3 p. q. 83. art. 6.

Dixi autem Peccatoribus manifeſtis denegandum, quia occultis peccatoribus, ſi publicè petant, non eſt denegandum. Quia cum quilibet Chriſtianus ex hoc ipſo quod eſt baptizatus, ſit admiſſus ad dominicam menſam (inquit D. Thomas) non poteſt ei jus ſuum tolli, niſi ex cauſa manifeſta: & cum illi jus habeant ad famam ſuam, quam nullo peccato manifeſto fœdarunt, non poſſunt repelli cum infamia. Etenim & ſic Chriſtus videtur inſtituiſſe Sacramenti hujus prudentem diſpenſationem; ut noluerit illud alicui denegari cum damno ſuæ famæ, ne multiplex in Eccleſia confuſio & turbatio exoriretur. Ideo & Judæ ſacrilego animo accedenti non denegavit corpus ſuum, licet ſceleris conſcius foret: quia illud quod necdum in publicam notitiam venerat, noluit eum repudiando à ſua menſa propalare: exemplum præbens & documentum, quomodo Eccleſia ſe gerere deberet in Sacramenti futura diſpenſatione.

In vita S. Bern. lib. 3. c. 11.

Sic etiam praxi ſuâ nos docuere antiqui Patres. De Bernardo legimus: Agebatur præcipua quædam ſolemnitas, & Frater aliquis, quem ſecreta culpa ab altaris communione ſuſpenderat, notari timens, & ruborem non ſuſtinens, ad manum ejus cum cæteris nimium præſumptuoſus acceſſit. Intuitus autem eum, quoniam cauſa latens erat, repellere noluit: ſed intimo corde orabat Deum, ut de tanta præſumptione melius ordinaret. Itaque ille ſumens Euchariſtiam, non poterat ad intenora traiicere: & diu multumque conatus, cùm non prævaleret, anxius & tremens clauſam ore tenebat. Expletâ horâ orationis ſextâ, Patrem ſanctum traxit in partem, cujus pedibus advolutus cum lachrymis ei rem aperuit, & Euchariſtiam oſtendit. Poſt acrem autem increpationem, pœnitentem abſolvit; ſicque facilè Sacramentum deglutiit. Ita c. 11. l. 1. vitæ ejus.

Porrò multo minus deneganda eſt Euchariſtia ſuſpectis de crimine: quia ob ſuſpicionem quantumlibet probabilem, non privatur quis jure petendi, maximè publicè. Hinc non debet Paſtor tempore Paſchatis, eam denegare perſonis infamatis vel denunciatis de maleficii crimine, aut magia, aut aliis: licet forſitan perſonæ illæ, ex indiciis ſufficientibus fuiſſent comprehenſæ & carceribus mancipatæ, vel etiam torturæ ſubjectæ; ſi modò non fuerint vel confeſſæ vel convictæ. Ut enim ob delictum reiiciantur publicè, debet eſſe notorium, vel per confeſſionem, vel per ſententiam, vel per talem rei evidentiam, ut nulla poſſit tergiverſatione celari. Adde, quod contingat quandoque talos perſonas ſuſpectas, etiam violenter de aliquo crimine, illud jam per pœnitentiam & confeſſionem alteri Sacerdoti factam diluiſſe; quod ſæpè non tenentur aperire. Quapropter hic verum eſt illud Stephani Pontificis cap. Conſuluiſti: Spontanea confeſſone publica delicta, commiſſa ſunt regimini noſtro judicare: occulta verò & incognita illi ſunt relinquenda, qui ſolus novit corda filiorum hominum. Talibus ergo, crimen, de quo ſuſpicio gravis eſt, fateri nolentibus, dicat Sacerdos: *Judicet Dominus inter me, &c.* At pro munere ſuo, miniſter quod petitur, tanquam Diſpenſator publicus, qui non ex opinione privata, ſed ſecundum publicam ſcientiam debet in hoc miniſterio ſeſe regere: omnibus fructus Sacramenti exoptans, compatiens autem, ſi quis forte ſibi in judicium & condemnationem accipiat, cùm nequeat via legitima huic malo mederi.

Stephan. Papa ex Conſuluiſti.

Audi documentum ad hoc ſpectans ex lib. de providentia in Vitis Patrum. Epiſcopus quidam vir ſanctus (ut ibi refert quidam ex Patribus) rogabat Dominum, ut ſtatum ſubditorum ſuorum dignaretur ſibi aperire: maximè quia duas ſibi ſubditas perſonas audiverat in adulterio impuro vivere. Poſt conſecrationem igitur dedit Dominus ei per faciem uniuſcujuſque, intelligere animæ ſtatum. Quorundam enim faciem videbat nigram inſtar carbonum; aliorum oculos igneos & ſanguineos; quoſdam verè facie claros, & amictu candidos. Ulterius cum corpus Domini ſuſcepiſſent, in quorundam vultibus lumen, in aliorum flamma videbatur. Oravit autem Epiſcopus de ſingulis à Deo edoceri: & intellexit ab Angelo, facie denigratos hos eſſe, qui libidini aliiſque peccatis forent obnoxii: at igneos ſanguineoſque oculos gerentes, homines malignos, vindicativos, injuſtos, deſignari; quibus ipſa communio ignis foret exurgens ad perditionem. Amictos vero candida ſtola, eos eſſe qui in caſtitate & juſtitia accederent, quibus communio divinum lumen eſt. Acceſſit & perſona diffamata, ſed ſplendenti facie. Cumque miraretur, exiſtimans injuſtè diffamatam fuiſſe; ſignificavit ei Angelus: vera quidem eſſe quæ rumor ſparſerat, ſed verâ pœnitentiâ illius crimen ei eſſe condonatum, & conſcientiam dealbatam, ideoque lumine illuſtrari. Addidit Angelus. *Hæc tibi oſtenſa ſunt, & orationis tuæ effectum obtinuiſti: ut qui in peccatis remanent per ſalubres monitiones & obſecrationes à te adjuventur ad ſalutem. Quantum ergo Chriſtum diligis, ſalutis eorum curam gere, & oſtende eis quibus peccatis ſubjaceant, ne deſperent: ſic eris ſa converſationibus à Deo ſalus; tibi autem plurima merces, imitando Dominum qui in terris converſatus eſt propter ſalutem hominum.* Hæc ibi.

In vitis PP. lib. 6. libello 1. §. 16.

Ut interim plenè officio ſuo ſatisfaciat animarum curam gerens: occultè occultos peccatores, vel publicè generaliter omnes, horretur, moneat, retractet; ne quiſquam judicium ſibi manducet. Audiat

Auguſt. ſentent.

diat Auguſt. dicentem : *Tota vatio quæ nos ſecuros fecit (* ſi aliqui noſtræ curæ concrediti perierunt *) erit : Tu ſcis Domine, quia clamavi, ſcis, quia non tacui, ſcis, quo animo dixi, ſcis, quia flevi tibi, cùm dicerem & non audirer.* Ad hanc monitionem & increpationem ſacram, frequenter & fortiter communicantibus faciendam, calcar & documentum ſuo ſubiicit exemplo S. Euthymius Abbas, de quo Surius. Referebat ipſe Fratribus ſibi familiaribus, quod ſæpè videret terribilem Angelorum viſionem ſecum miniſtrantem : quodque in Dominici Corporis ſumptione aliquos accedentes videret illuminari, alios obſcurari, & morte affici, indignos eâ luce & ſplendore. Quare non ceſſabat teſtificari Fratribus, & illud Apoſtoli inculcare : *Probet ſeipſum homo, & cum tremore ſumat de pane illo, & de calice, ne judicium ſibi ſumat.* Addebat, quod ideò ſtatim Sacerdos poſt oblationem, omnes præmoneat acclamans *Surſum corda*: Et quod ob eundem finem ante communionem iterum repetat illam vocem, *Sancta Sanctis*: Quaſi dicat: *Cùm ego homo ſim, ſicut & vos, ignorans quid quiſque in conſcientia gerat ; propterea apertè teſtificor hæc ſancta non profanis & pollutis, ſed ſanctificatis & mundis exhiberi. Unde ſi quis caperis fuit ab odio & injuria recordatione, ab invidia, aut ira, à maledicto, turpi ſermone, aut improba cupiditate, ne prius accedat, quam per pœnitentiam à ſcelere fuerit expiatus.*

Surius 20 Jan. de S. Euthymio Abbate.

Quoniam igitur Paſtoribus frequenter convenit diſſerere de his qui Sacramento iſto tremêdo indigni ſunt, iterum paulò latiùs hac de re aget ſequens Lectio explicans verba illa: *Ecce panis Angelorum, factus cibus Viatorum, &c.*

LECTIO X.

PROPOSITIO UNICA.

Ecce Panis Angelorum, factus cibus Viatorum, Verè Panis Filiorum, non mittendus canibus.

Ex Miſſæ Sequentia in feſto Corporis Chriſti.

Dei providentia omnes creaturas convenienta paſcit cibo.

AEterna iſta Dei Providentia, quæ omnium curam ſine cura gerit, cœlum volvens & revolvens, Solem ducens & reducens, terræ fruges promens & recondens, arbores & frutices viciſſitudine quadam induens & exuens, exundantes marinos vortices ſuo regens & temperans arbitrio. Illa eadem Providentia omnes ſuas creaturas diverſo ſed naturæ cujuslibet conveniente paſcit alimento ; ab Angelo ſuprema & nobiliſſima creatura, ad vilem uſque vermiculum. Sic piſcis paſcitur aqua, vermis terra, ſerpens veneno, porcus ſtercore & luto, cameleon aëre, ſtruthio ferro, leo carnibus, bos & ovis herba, equus avena & hordeo, homo frumento : & quia animalia omnia corruptibilia ſunt, ideò corruptibili aluntur cibo, tanquam naturæ ſuæ congruo. Cùm itaque Angelos Deus crearit immortales, incorruptibiles, inviſibiles ; præbet eis cibum incorruptibilem, immortalem, inviſibilem. Hoc atteſtatur Raphael Angelus inſtruens Tobiam : *Videbar vobiſcum manducare & bibere, ſed ego cibo inviſibili & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, utor.* Sed quis ille eſt cibus ? Viſio eſt charitatis divinæ, amor bonitatis, fruitio divinitatis, hic eſt panis delicioſus Angelorum, quo æternum reficiuntur, inviſibiliter aluntur, ſine corruptionis defectu vivificantur. Tob. 12. 19.

Hominem crearat Deus in loco voluptatis, ad eandem menſam cibumque Angelicum opportuno tempore tranſvehendum. Interim cibum mentis ei ſuppeditarat, ſublimem rerum divinarum ac cœleſtium contemplationem ; cibum corporis dederat lignum vitæ, contra ſenium & corruptionem. Sed *cum in honore eſſet, non intellexit ; comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis :* dum per peccatum ſe cibo illo reddens indignum, coactus eſt olera frugeſque comedere, & condemnatus in ſudore veſci pane. Cogitur enim arare, occare, fodere, ſerere, graviſſimo cum tædio & labore : ut terræ ſic ſubactæ frugem jumentis communem poſſit metere : ac deinde, non ſine novo tædio excutere, triturare, ventilare, molere, pinſere, coquere, ut panem corruptibilem neceſſitati ſuæ præparet. A qua quidem neceſſitate immunis erat, ſi in primævæ conditionis fœlici ſtatu perſtitiſſet ; cui etiam cibus mentis rerum cœleſtium contemplatio, ſine ea quam modò patitur tædioſa difficultate, erat apparatus. Interim compatiens Deus ſuper miſera hominis ſorte tempore peregrinationis ſuæ, venit ipſe in carne, & cum homine converſatus, ut ei ſolatium & alimentum nobili ejus naturâ dignum tribueret, corpus ſuum deificum & ſanguinem vivificum ipſamque divinitatem, in cibum dedit ſub panis ſpecie. Hoc nimirum eſt, quod ſagaci & grata mentis conſideratione, admirandum nobis proponitur ab Eccleſia, celebri cæremonia panem illum exhibente & reſonante : *Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum : verè panis filiorum, non mittendus canibus.* Non carent pondere & myſterio verba iſta, à D. Thoma Aquinate, Spiritu ſancto dictante concepta, & exinde ab Eccleſia tanto cum jubilo filiis ſuis repræſentata. Expende ſingula. Pſ. 48. 21.

Vox Ecce quid ſignificet.

Primò illa vox, *Ecce*, frequens eſt in ſcripturis, dum myſterium aliquod grande indicatur. Demonſtrare volens Propheta Iſaias, inauditum prodigium virginei conceptus & partus, inclamat : *Audite domus David : Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur Emmanuel.* Malachias Propheta adventum illius ac Joannem à Deo deſignatum præcurſorem, volens verbis Domini præſignificare, eodem modo intonat: *Ecce mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam, & ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum Dominator quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti quem vos vultis :* In novo teſtamento Matthæus exprimere volens celebrem illam Chriſti nati à Regibus adorationem ; inchoat : *Ecce Magi veniunt ab Oriente.* Iſa. 7. 14. Mal. 3. 1. Mat. 2. 1.

Digitized by Google

Joan.1. 29. S. Joan. Baptiſta Chriſtum populis denuncians, eodem modo ait : *Ecce Agnus Dei.* S. Joan. Evang. in
Apo. 21.3 Apocal. dicit ſe audiſſe vocem de throno : *Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus.* Vox ergo iſta, *Ecce*, attentionem ſpecialem poſtulat ad dicta myſteria. Quapropter & Eccleſia ſingularem poſtulans attentionem, conſiderationem, admirationem, venetationem, Chriſtianis omnibus inclamat : *Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum.* Quaſi diceret : Audite cœli, audi & terra ; audite Angeli, audite & homines, & obſtupeſcite myſteriorum myſterium, mirabile omnium mirabilium. Audite hæc
Pſ.48.2. & ſimul mentis *auribus percipite, qui habitatis orbem : Quique terrigena & filii hominum, ſimul in unum dives & pauper* ; Audite, inquam, in orbe inauditum prodigium, in totius orbis ſalutem inſtitutum. Audite & vos nationes incredulæ & infide-
Deut.4.7 les, Judæi, Hæretici, Athei, & credite. *Verè non eſt alia natio, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis*, dum eodem pane, eadem divinitate, qua ſublimes ſuos ſpiritus ſibi aſſiſtentes paſcit in æternitate, nos miſeros viatores & exules paſcit in peregrinationis tempore, ſub triticea ſpecie. Audite hanc veritatem omnes Gentes, reſonantem in templis noſtris ; & diſrupto fuſditatis obice, penetret aurem interiorem clauſi & duri cordis quæ tantam vim habet, ut ab extremis Europæ finibus, ad Indos, Chinas & Japones, ad extremas novi orbis oras, efficaciter pervolarit. Ubi multorum animis infinuata lux veritatis, eos ad credendum firmiter induxit, Chriſtianos verè Deum quem adorant manducare, verè panem Angelorum in cibum viatorum converſum eſſe, quod tumidi ſæculi ſapientes, nimia hujus veritatis luce quaſi excæcati, nolunt agnoſcere. Quos hortamur, ut tumorem deponant, ſæculique nimiam ſapientiam mirabilibus divinis comprehendendis indoneam, imò & noxiam. Captivent illam & intellectum omnem ſuum in obſequium Chriſti, & intelligent quàm verum ſit, quod & aliis verbis repetit Eccleſia: *Panis Angelicus fit panis hominum : Dat panis cœlicus figuris terminum : O res mirabilis manducat Dominum, pauper ſervus & humilis.*

Secundò, attende quàm aptè dicatur : *Panis Angelorum fieri cibus Viatorum.* Quid enim ſumus miſeri in hoc exilium depulſi, niſi peregrini & viatores ad patriam contendentes, ad domum paternam reſpirantes ? *Obſecro vos*, inquit B. Petrus, *tanquam
2.Pet.2. 11. advenas & peregrinos abſtinere vos à carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam.* Viator tranſiens non attendit ad luſus & tripudia, non ad compotationes, aut commeſſationes, non ad rixas & contentiones aut negotia loci in quo tranſit : his non immoratus, ſed peragit iter deſtinatum ; corpore in alieno ſolo eſt, ſed non ibi gradum figit aut animum, quia cor ad proprios lares habet, de illis loquitur, de illis cogitat. Sic nos monet Apoſtolus non inhærere carnis ſæculique deſideriis, non retineri illius illecebris, cupiditatibus, negotiis, vanitatibus, quia omnia hæc iter noſtrum impediunt & remorantur, ſed vult nos figere cor cœlo, unde origo noſtræ eſt animæ, ubi patria & hæreditas noſtra ; ad quam cito reviſendam, opus eſt continuo greſſu & ſuſpirio properante, abruptis ſeſe ingerentibus in via impedimentis & remoris. Sed cum viatores ſimus, & longa, difficilis, ac confragoſa ſit via noſtra, noſque infirmi, opus eſt cibo confortante, & vires reparante, ac refrigerante. Ideò verbis Prophetæ uti nos convenit: *Advena ego ſum & peregrinus ſi-* Pſ.38.13.
cut & Patres mei, remitte mihi ut refrigerer priuſquam abeam. Hanc viæ difficultatem, longitudinem ; neceſsitatem, conſiderans Deus (qui itineris noſtri ab initio curam gerit) pretioſum admodum cibum providit ; quo frequenter confortemur contra imbecillitatem ; refugeremur contra æſtum ; animemur contra omne periculum ; ſuſtentemur contra laſsitudinem. Hic eſt *Panis Angelorum, factus cibus viatorum* : Panis cor hominis confirmans & exhilarans, ad viæ terminum, ad Angelorum conſortium nos perducens. Ad quem ſumendum excitant nos Angeli, ut illo roboratos, certus ad ſuam introducant in monte Dei perpetuam manſionem. Vide hujus rei aptiſsimam figuram.

Viator erat Elias, ambulabat per deſerti aſperum tramitem, fugiens impiæ Jezabelis perſecutionem. Tandem oppido fatigatus, projecit ſe ſub Juniperum, petiitque animæ ſuæ ut moreretur. *Non enim melior ſum* (inquit) *quàm Patres mei, tolle Domine animam meam.* Laſsitudine premitur, æſtu torretur, fame ſitique urgetur, infirmitate deficit, tædio vitæ afficitur. Quid mirum ſi poſt longi arduique itineris laborem, in ſolitudine jacens, ſolatio carens, potus cibique refrigerium nullum reperiens, perſecutorem ſemper a tergo habens : viæ vitæque pertæſus, languet, mdormit, nec progreditur : Verum non deſerit eum Angelus, auſem ei mentemque vellicans, excitat, viaticum ſuggerit, panem præbet, potumque refrigerantem & confortantem : *Surge, comede, grandis tibi reſtat via.* v.7.
Paret ipſe Angeli imperio, comedit ſubcinericium panem, & in virtute cibi illius, ambulat uſque ad montem Dei. An non hic perfectus typus, perfecti & peregrinantis Chriſtiani ? Perſequitur eum Jezabel, mundus & caro in ejus perniciem continuò conſpirant : fugit ipſe tanquam advena & peregrinus deſideria carnalia, quæ militant adverſus animam, ſed contingit eum quandoque laſsitudine deficere, infirmitate elangueſcere, æſtu nimio concupiſcentiæ affligi, præ ariditate mentis jacere, & ſic longi aſperique itineris eum tædere. Quid igitur ſolatii in ſolitudine, & ariditate mentis ? Quid remedii animo imbecillitate præfracto, aut puſillanimitate diſſoluto ? Excitat eum Angelus, monet adſpicere & cor convertere ad viaticum peregrinantium, ad panem Angelorum, quo vires reparantur ad progrediendum, quo languor depellitur ad ſurgendum, quo æſtus ardorque

Typus perfecti & peregrinantis Chriſtiani.
3.Reg.19. 4.

animi-

nitius fugatur ad refrigerandum. Et ita qui prius animum deſpondere videbatur, roboratur; qui prius jacebat, erigitur: ſumptoque hoc cibo ambulat uſque ad montem Dei. Dicat ergo quilibet Chriſtianus: *Remitte mihi Domine, ut refrigerer priuſquam abeam.* Impertire mihi ſæpe hunc favorem ut refociller hoc cibo, ne deficiam jejunus in via adeo aſpera: hanc quoque mihi gratiam concede, ut in fine vitæ prius quam abeam ex hoc ſæculo, refrigeret, & muniat hoc viatico: quia ſic fecuti progredi & ad montem æternitatis tuæ pertingere potero & Angelorum pane munitus, Angelorum ſociari conſortio. Pſ. 38. 14.

Viatores quoque erant Iſraelitæ, pergendum eis per quadraginta annos, priuſquam ad promiſſionis terram poſſint pertingere: multa eos manet fames, ſitiſque multa, impedimenta plurima, hoſtes conglomerati, debent ſe eis opponere. Quomodo igitur ad terminum deſtinatum pertingent? Quis tantam in deſerto multitudinem alet? Quandoquidem ſemper progrediendum eſt, nec ſerendi, nec metendi eis tempus dabitur: nec regredi poterunt in Ægyptum, nec progredi ſine annona & proviſione, depaſcente eos fame. An igitur deſperandum eſt? Minime equidem. Viatores ſuos non deſtituit Deus, qui iter eis præſcripſit. Mittit igitur panem de cœlo, Angelorum manibus confectum & præparatum: virtute illius iter peragunt, ſerendi, metendi, coquendi, neceſſitatem evadunt: illo roborati contra hoſtes pugnant, & per illum ſanta ſanitate potiuntur, ut in Tribubus eorum, non eſſet infirmus. An non & hic vides Euchariſtici panis noſtri figuram? Quo quidem ad terram æternæ promiſſionis itinerantes, oportet refici contra corruptibilitatis defectum, roborari contra hoſtilem incurſum, præmuniri contra vaniæ infirmitatis acceſſum. Et vide, quod ſicut ille panis Iliaſticarum, panis Angelorum dicitur, quia ab illis confectus & præparatus: ita panis noſter myſticus, Sacerdotum miniſterio conficitur, qui Angeli in Scriptura nominantur. Rectè igitur de illo decantamus: *Eſce panis Angelorum, factus cibus viatorum.* Ex. 16. 35.

Tertiò adiicitur: *Verè panis filiorum.* Nos filii Dei ſumus per adoptionem. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & ſimus,* inquit Apoſtolus. Proprie autem filii ſumus per ſtatum gratiæ: eſt enim gratia ſemen ſpirituale, per quod ex Deo & in Deo renaſcimur, *& Spiritum adoptionis filiorum Dei* recipimus, *in quo clamamus Abba, Pater.* Hoc eſt, Pater, vere Pater. Qui itaque eſt in ſtatu gratiæ, jus habet ad hanc paternam menſam, ad hunc panem filiorum, & ad æternam hæreditatem Patris, cujus hic panis pignus eſt. Et quanto ſecutiorem ſibi cupit facere Patris amorem, ut & de hæreditate habeat ſecuritatem, tanto frequentius debet accedere ad hunc filiorum panem & familiarem cum Patre in hac menſa communicationem. Qui autem ſtatu gratiæ excidit per mortale peccatum, ſicut excidit jure quod habet ad hæreditatem, ita & jure quod habet ad hanc menſam & cœleſtem filiorum panem. Rebellis enim Patri, jam facit ſibi ſacrilegum ejus uſum, contra Patris voluntatem, tantum uſurpans donum. Quicunque ergo, vule accedere, oportet filialem gerat affectum, filialemque ornatum, tanto convivio, tanto conviva dignum. Quis eſt iſte filialis ornatus ſymbolum noſtræ dignitatis? Nobilis fideiannulus, Hyacinthinus ſpei calceus, ſtola decora charitatis. 1. Joan. 3. 1. Rom. 8. 15.

Audi Patrem Filii Prodigi, in filio revertente & reconcilitate hæc requirentem, antequam menſæ ſuæ accumbat: *Cito proferte ſtolam primam, date annulum in manibus, calceamenta in pedibus.* Quid illa ſtola, niſi charitas operiens multitudinem peccatorum, filioſque Dei tanquam nobilitatis ſymbolum exornans? Quid annulus in manibus, niſi fides in operibus, ſignum unionis quam cum Patre æternum conſervare optamus? Quid calceamenta in pedibus, niſi ſpes quæ munit animæ pedes, hoc eſt, affectus, & juvat nos ad ambulandum ad cœleſtia? Exue ergo ſordidas veſtes, Porcarii exuvias, peccati luculentum indumentum, lava impuras manus, & annulo eas obſigna, lava pedes, hoc eſt, affectus pulvetulentos, indue veſtem puritatis & candoris: & ſic filiali decore ornatus, filiali amore impulſus, fiducialiter accede ad epulum Patris, in quo proponitur is qui eſt Panis Angelorum vere panis filiorum: Luc. 15. 22.

Quartò dicitur: *Non mittendas canibus.* Hoc ipſe Dominus aſſeruit in Evangelio, dicens: *Nolite ſanctum dare canibus.* Et iterum: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Et Angelus in Apocalypſi, cum dixiſſet: *Beati qui lavant ſtolas ſuas, ut ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitatem,* addit ſtatim: *Foris canes & venefici & impudici, & homicidæ, & idolis ſervientes, & omnis qui facit mendacium.* Qui ſunt igitur illi canes indigni civitate illa cœleſti, & ligno vitæ, indigni etiam hoc filiorum pane, hiſque ſanctis myſteriis? Certe intelligi poſſunt omnis generis peccatores hic ſub nomine canum. Matt. 7. 6. & 15. 26. Apoc. 22.

Primo quidem infideles & hæretici, ſive increduli, canes ſunt, quibus ſanctum debet negari: qui enim fide plena non accedunt, injuriam inferunt tanto fidei myſterio, & de illius veritate vel errando, vel dubitando cenſentur illud conculcare, nolentes humili judicii ſui ſubmiſſione adorare. Et rectè quidem canes dicuntur, cum ipſi oblatrent; nec acquieſcant veritati. Quam multitales ſunt in populoſis urbibus, homines athei, politici, incredululi, qui ne è gradu honorum decidant, aut infamia notentur, aut pœnis mulctentur, in Paſchate ad Sacramenta fictè & ſine fide accedunt? Coram ſimulant ſe adorare, ſed converſi retroſum, non deſinunt oblatrare cum hominibus ſuæ farinæ. De ſimilibus dicere poſſumus cum Apoſtolo: *Videte canes, videte malos operarios, videte* Phil. 3. 2. *Canes dicuntur. 1. Infideles & hæretici.*

Digitized by Google

cæciſimem, hoc eſt, obſervate & cavete improbos hos & impudentes homines, quaſi canes myſteriis ſeſe ingerentes, & nihil credentes : quaſi filios Eccleſiæ ſe gerentes, & illam conſcindentes, illi allatrantes. Dicunt ſe Chriſtianos eſſe & Catholicos, ſed non ſunt : Pſeudo Catholici ſunt, Pſeudo Chriſtiani, Chriſtianiſmum atheiſmo, Catholiciſmum Calviniſmo, Lutheraniſmoque commaculant : modico incredulitatis fermento, totam fidei ſuæ maſſam
1. Cor. 5. 8 corrumpunt. Et ideo non poſſunt hic epulari *in azymis ſinceritatis & veritatis*, non poſſunt panem filiorum participare, niſi cum ſua damnatione, & ſalutis diſpendio.

Contra hos diſſimulatos Chriſtianos, olim mos fuit apud Orientales & Hiſpaniæ Provincias, ſingulos ante ſacram Communionem ſymbolum veræ fidei recitare. Hinc in Concilio III. Toletano, decernit Rex Reccaredus fieri in regno ſuo, idemque decerni à Patribus Synodo præſentibus poſtulat, juxta morem antiquum. Sic ibi loquitur, ut re-
Baron. to. 7 An. 589 fert Baronius, tom. 7. Anno 589. *Hoc adhuc neceſſariò pro firmitate Fidei Catholicæ, noſtra Deo ſupplex inſtituere decrevit auctoritas ; ut propter roborandam gentis noſtræ novellam converſionem, omnes Hiſpaniarum & Galliæ Eccleſiæ hanc regulam ſervent, ut omni ſacrificii tempore ante communicationem Corporis & Sanguinis Chriſti juxta Orientalium partium morem, unanimiter clara voce ſacratiſſimum fidei recenſeant ſymbolum : ut primum populi quam credulitatem teneant, fateantur ; & ſic corda fide purificata ad Chriſti Corpus & Sanguinem percipiendum exhibeant.*

Sed neque hic prætereundum eſt, cum canes vocamus hæreticos, eos in irreverentia hujus Sacramenti canibus impudentiores quandoque fuiſſe ; eorumque impudentiam ſacrilegam à canibus etiam vindicatam fuiſſe. Refert enim Optatus Milevitanus, l. 2. de ſchiſmate Donatiſtarum, inter nefanda
Op. Mil. l. 2. de ſchiſmate Donatiſtarum. eorum flagitia, duos Epiſcopos, Urbanum Formenſem, & Fœlicem Idicenſem Donatiſtas, juſſiſſe Euchariſtiam canibus proici. At ſtatim affuit divinum judicium. Nam iidem canes accenſi rabie, dominos ſuos tanquam ſancti Corporis reos, dente vindice mox dilaniaverunt.

2 *Luxurioſi.* Secundo, per canes intelligi poſſunt *Luxurioſi*. Eſt enim canis animal immundum, impudens, luxurioſum, ſeu ad libidinem pronum. His ergo comparantur, qui in immunditiis carnis hærent, in luxuriis verſantur ſine fronte, cogitationibus impuris oblectantur, turpiloquiis paſcuntur, vi-
Deut. 23. leſque ac fœdi fiunt coram Deo & hominibus. Hinc in antiqua lege dicitur : *Non offeres mercedem proſtibuli, nec pretium canis in domo Domini. Pulchrè,*
S. Hiero. inquit D. Hieronymus, *canis & meretrix copulantur, quia utrumque pronum eſt ad libidinem.* In utroque vilitas, turpitudo, fœtor, impudentia reperi-
Lev. 11. 26. tur odioſa. In Lege repudiabatur canis, tanquam animal immundum, quod nec ruminat, nec findit ungulam. In Lege nova reprobatur à Deo luxurioſus, & à ſacris arcetur myſteriis, tanquam immundus & indignus, quia nec ruminat conſideratione ſeria myſterio debitam ſanctitatem : nec dividit pedem, affectum malum a bono non diſcernit ; ſed indiviſim ambulat, affectui cuilibet indiſcriminatim indulget, ut libidini ſerviat. Quicumque igitur huic appropinquare debet Sacramento, munditiæ ſtudeat, ruminet admirabile hic conſilium Dei ſuper ſalute noſtra, admirabilem ejus bonitatem, amorem, puritatem : cui maxime puritati injurius eſt, qui luxuria conſpurcato animo & corpore accedit. Ex diametro enim pugnat, ad immaculatam, caſtiſſimam, virgineam Chriſti carnem, corpus animamque infectum carnali immunditia conjungere : tetrumque odorem de limoſa carnis concupiſcentia exhalantem, ad ejus menſam impudenter afferre, ad quam Angelica puritas requireretur. Et tamen, cheu ! non pauci fœtenti carnis vitio commaculati, imprudenter & impudenter inſtar canum, huic ſe menſæ ingerunt. Mirum enim eſt, quomodo hic libidinis fœdus & contagioſus morbus, omnem ſtatum & conditionem hominum inficiat, & in civitatibus, oppidis, pagis, membra Chriſti & Eccleſiæ conſpurcet & depaſcat. An non multi inter Chriſtianos 1. Cor. 6.
Adoleſcentes turpi contactu ſeſe contaminant ? An 15.
non multi juvenes membra ſua, Chriſti membra, faciunt membra meretrici ? An non multi etiam inter Eccleſiaſticos & Sacerdotes, ſunt occulti concubinarii ? An non multi maritati, vel maritatæ, fidem conjugi juratam violant ? An non multæ quæ putantur caſtæ & virgines, turpibus tactibus vacant ? Fœdiora prætereo, inceſtus, ſacrilegia, ſodomias, belluarum attactus. Quæ quidem omnia vix aperiuntur in confeſſione ob pudorem, niſi forte poſtquam pluribus annis inveterata, ita conſcientiam torqueant, ut non poſſint amodo celari. Et tunc adhuc exſpectatur occaſio alicujus indulti per plenariam indulgentiam vel Jubilæum, ut in aures ignoti alicujus Confeſſarii effundantur. Novit Dominus, quam multæ ignotæ perſonæ, occaſione Jubilæi, opitulante divina gratia, obſtetricante manu è nefandis & horridis criminibus educantur, in quibus plurimis omnino annis computruerant ſine Confeſſione, ſacro interim corpori Domini communicantes. O munde immunde ! Quam multos immundos, quam multos canes nutris, qui ſine fronte Panem Filiorum comedunt, vel potius hunc panem Angelorum conculcant. A veritate diſſentire me haud exiſtimo, aſſevero ex Chriſtianis ſaltem tertiam partem præcepto annuo ſatisfacientem, indigne accedere : quandoquidem tot peccata in omni ſtatu regnent, & tanta nihilominus ſocordia, tanta cernatur impræparatio, & indiſpoſitio, & ad confeſſionem, & ad compunctionem, & ad emendationem. Audiant ergo hi vocem Sacerdotis aut Diaconi olim inclamantis ante communionem, *Sancta Sanctis.* Audiant vocem Apoſtoli intonantis : *Probet ſeipſum homo.* 1. Cor. 11.

Au-

Matt.15. 26. Audiant vocem Domini increpantis: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum & mittere canibus.* Audiant vocem Eccleſiæ Matris idem eis repetentis: *Ecce panis filiorum, non mittendus canibus.* Audiant vocem Angeli indignos exterminantis: *Beati qui lavant ſtolas ſuas, ut ſit poteſtas eorum in ligno vitæ: foris canes & impudici.* Audiant denique exempla Dei vindicantis injuriam ab irreverenter accedentibus ad ſe, illatam. Oza indigne tangens arcam percuſſus à Domino ſubitò interiit. Bethſamitarum quoque ſex millia, quod indignè eam viditlent percuſſa ſunt.

Apo.22. 15.

2.Reg.6. 7.

2.Reg.6. 19.

Juvenis quidam lubricam juventutis vitam ſecutus, carnis vitiis erat obnoxius; ita ut infamaretur de violato alterius thoro. Paulò poſt periculoſo correptus morbo, advocat Sacerdotem pro confeſſione & viatico. Exhortatur Sacerdos ut totam aperiat conſcientiam, maxime de peccato illo, de quo rumore conſtanti infamabatur. Explicat is cætera, ſed illius ſe neutiquam reum aſſerit. Urgetur à ſacerdote, ne celet in ſalutis diſpendium quod ſuſpicio certis nixa indiciis, certum penè faceret. Tandem ille ait: Utinam ſic ſecurè poſſim Domini corpus hodiè recipere ad ſalutem, ſicut ſecurus ſum ab eo crimine. Tali proteſtationi credens Sacerdos, exhibet ei ſacram Communionem. Is verò quemlibet conatum adhiberet; etiam recedente Sacerdote, nunquam eam potuit deglutire, coactuſque ipſa glutiendi impotentia, juxta lectum exſpuendo projecit. Statim verò vindictam divinam præſentiens, totus tremefactus, revocat Sacerdotem, ſpiritu compunctionis in lachrymas totus ſolvitur, agnoſcitur ſacrilegium, & mendacium in Spiritum S. pœnitentia & lachrymis ſe diluere paratum offert: ſicque abſolutionem ac novum viaticum recipit, & ſine difficultate traiicit; & ita ſpeciali Dei miſericordia vindictam præveniente, non multò poſt ſupervivens in pace ſpiritum reddidit. Petrus Cluniacenſis certam hanc hiſtoriam eſſe aſſerit à Sacerdote ipſo aliiſque plurimis relatam.

P.Cluniacenſis l.1. mirac.c.3.

Vide etiam Hiſtoriam quam ſupra de Lothario Regetetuli, lect.9. propoſit.1. exempl. 6.

3. *Avari & injuſti.*

Tertiò, per canes intelligi poſſunt *avari & injuſti, qui aliena rapiunt vel detinent.* Canis enim eſt animal quod ex præda & rapina vivit; modò venatur in ſylvis prædam, modò domos ingreditur, & quicquid occurrit, rapit, mox in gregem anſerum, gallinarum, avium involat, ſemperque famem patitur, circa macellum, aut circa cadavera lubens verſatur. Rectè igitur per canes avari intelliguntur, qui fame velut canina tenentur, quo plus comedunt, eo plus comedere optantes, de quibus uſurpare poſſumus illud Pſalmi: *Famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem, ſi verò non fuerint ſaturati, murmurabunt.* Sicut canis ad odorem cibi aut prædæ diſcurrit, circuit, inquietus eſt, donec potiatur: ita homo avarus ad odorem lucri, non conſiderando an juſtum ſit an injuſtum. Et ſicut canis circa domos piſtorum, aut circa pueros in manu panem gerentes frequens eſt: ita & ille circa ſimplices habentes aliquid ſubſtantiæ verſatur, ut decipiat vel attrahat, & ſicut canes libenter cadaveribus paſcuntur; ita quidam mortuorum amicorum ſubſtantiam injuſtè involant, & eorum obligationibus, debitis, legatis, teſtamentis non ſatisfaciunt. De quibus mortui conqueri poſſunt: *Quare perſequimini me ſicut Deus, & carnibus meis ſaturamini.* Denique ſicut canes vivunt ex rapto, ita quidam ex injuſtè acquiſito, & inſtar canum lambentium ſanguinem, ipſi pauperum ſanguinem ſugere quoque videntur, aut eos excoriare & penitus devorare. Sic enim Micheas quibuſdam improperat: *Violenter tollitis pelles pauperum deſuper eis, & carnem eorum deſuper oſſibus eorum.*

Pſ.58.7.

Job.19. 22.

Mich.3.2.

An non multi ergo in Eccleſia Dei canibus ſimiles? An non multi injuſti, raptores, detentores, teſtamentorum defraudatores, decimarum fures, pauperum oppreſſores, debita vel negantes, vel non ſolventes? An non hi ad Sacramenta accedunt? Et tamen quotuſquiſque vel confitetur iſta, vel reſtituit. Attendant hæc qui in mercaturis verſantur, qui in lucris importuni, in negociis immerſi, conſcientiæ obliviſcuntur, qui in officiis conſtituti ex illis debent quæſtum facere. Attendant Domini, ſervi, nobiles, ignobiles, advocati, procuratores, Ballivi, Principes, milites, Duces, quibus occaſio ſuppetit rapiendi, opprimendi, aut devorandi pauperem in abſcondito. Audiant, inquam, hi vocem hanc ad eos dirigi: *Foris canes, hic eſt panis filiorum, non mittendus canibus*, qui paſcuntur cadaveribus & rapinis.

4.1. & vindicativi.

Quartò intelligi poſſunt homines *invidi, detractatores, vindicativi & odio alios habentes.* Solent canes ſeſe mutuò mordere & allatrare: Sic plerique in proximos inſurgunt, mordent verbis, dentem infigunt contumeliis, adlatrant etiam in abſentes detractationibus; & cum perſonam non poſſunt, ejus famam lædunt & honorem. Ad hos dirigitur illud Apoſtoli: *Si mordetis & comeditis invicem, videte ne conſumamini ab invicem.* Vitio enim contentionis, pernicioſa jurgia inter homines feruntur & nutriuntur, quibus conſumitur ſocietas, fama, vita. Eſt etiam canis natura ſua animal invidum, ferox, vindicativum, iracundum, ad nihil aliud utitur voce, quam ad latrandum, eſtque facilis ad latratum, ringitur & injuriæ memor eſt. An pauci ſimiles inter Chriſtianos? An non multi ſeſe rodunt, dilacerant, devorant, odioque ac invidiæ veneno ſeſe paſcunt interius, aut potius depaſcuntur? Hi tamen non infrequenter diſſimulantes has læthiferas paſſiones Euchariſtico myſterio participant, ſumma cum illius injuria: quandoquidem ſymbolum unionis, charitatis & pacis eſt, cui directè repugnat invidiæ odioque venenum. Procul, ô procul eſte profani, foris canes & venefici, ſive virus ſpirantes: non eſt hic panis niſi filiorum, fraterno amore & unione convivantium, non cedit vobis in ſalutem ſed in certiorem perniciem.

Gal.5.15.

niciem. Accipe hac de re exemplum ſcriptum à P. Gabriele de Vega Collegii Soc. Jeſu, Matriti quondam Rectore, & à Patribus ejuſdem Societatis tum concionibus publicis, tum ſcriptis allertum.

N. Terribile Exemplum.

Cordubæ in Hiſpania, nobilis quidam diu hoſtilem animum foverat in alterum itidem nobilem cum ſcandalo publico. Incidit is in læthalem morbum, advocavitque unum è Soc. ad confeſſionem excipiendam. Hic denegat ei abſolutionem, niſi reconcilietur & ſatisfaciat ſcandalo. Ipſo tandem conſentiente, advocatur is cum quo inimicitias gerebat; ſicque coram teſtibus multis, uterque offenſam remittit & reconciliatur. Abſolutio igitur ei impenditur, ſacrumque Domini corpus, & paucis poſt diebus obiens honorificè ſepelitur. Nocte ſepulturam inſequente, nox ferè media incumbebat, cum ecce duo juvenes ſplendidi fores Collegii pulſant, faces gerentes manu, petuntque inſtantiſſimè alloqui dictum Confeſſarium de negotio (ut ajebant) graviſſimo, Dei gloriam maximè concernente. Alloquuntur eum & facibus præviis in templum deducunt, in quo tumulus nobilis jam dicti. Appropinquantes tradunt ei clavem, hortantes ut nihil paveſcat, ſed ſecurè aperiat. Exinde deducunt eum ad altare primarium, jubentque reſerare ſacrum tabernaculum, clavem iterum tradentes; ſimulque monent ut ſacram pyxidem in manus accipiat, ad nobilis tumulum deferendam. Cum illuc veniſſet, dicunt ei: Ecce qui hic ſepultus jacet, licet exteriùs coram te & aliis præſentibus viſus ſit parcere & reconciliari; corde tamen odium læthiferum foviſſe ad extremum uſque ſpiritum, certò tibi perſuadeas: quapropter damnationi addictus cruciatur. At cadaver adhuc ſacram hoſtiam integram geſtat, hanc te oportet in pyxidem reponere. Pede igitur ſepulchrum pulſantes, ſtatim caput erigit emortuum corpus, & aperto ore hoſtiam reddit. Cum iterum pede tumulum pulſaſſent, quodam impetu ad ima ruit, nec amplius comparet: ita ut exiſtimatum fuerit illuc delatum ubi anima agebat, cum antea ſatan ob ſacram hoſtiam, in illud non haberet poteſtatem. Operiunt igitur terrâ tumulum, & refertur pyxis in locum, reducuntque Confeſſarium ad Collegium. Cumque janitor fores aperuiſſet, reſpicit ſedulò dictus Pater quam viam inirent; at ſubitò ex oculis ejus evanuerunt. Quapropter vix ambigere potuit quin Angeli fuiſſent, miniſtri Dei & judicii ejus ſuper ſacrilego peccatore.

5. Guloſi.

Quintò, canes vocantur *guloſi & ventri dediti*, eſt enim canis ventri ſerviens, ſe ingurgitans in tantum, ut removere cogatur. Quod ergo præclarius ſymbolum noſtrorum ebrioſorum & guloſorum? qui adeò ingluviei vacant, ut invitis ingeſta viſceribus per os cogantur reddere, & cibum omnem potumque vomitu inſtar canum remetiri: vomunt ut iterum bibant, bibunt ut iterum vomant. Cibum Deus potumque ſubminiſtrat, tanquam alimentum corporibus neceſſarium: ſed inſtar irrationabilium animalium utuntur, ut illis ipſammet obruant rationem, ex eo capite canibus pejores. Quod ſi eos reprehendimus, jam in nos latrant, jam ringuntur, & ſine ratione in ſuos monitores converſi, ad rixam parati ſunt. Ex ingluvie quoque, juramenta, blaſphemiæ, obſcæna verba, maledicta ſæpè procedunt, hi ſunt latratus canum, velut in cælum ſolemque adlatrantium. Annon invenies hujus ſortis homines multos inter Chriſtianos, qui ferè de die in diem ſeſe ingurgitant & inebriant? aut ſaltem qui Deo ſacros dies Dominicos vel feſtos ſine ebrietate vix tranſigunt? Accedunt & hi fortè bis in anno ad tremendum Sacramentum: ſed qua emendatione, quo propoſito, qua diſpoſitione? Urgentur præcepto vel aliorum exemplo, non puro ſalutis & emendationis deſiderio: cor potius habent in patina & culina, quam in Eccleſia; magis parati ad offam, pocula & tabernam, quam ad ſacram menſam, & deditam illi diſpoſitionem. An non & inter Sacerdotes, ebrioſos reperies, qui cum pridiè ſe ingurgitarint, ſequenti die adhuc crapulam tractantes, divina irreverenter invadunt myſteria? Quid his omnibus dicemus niſi illud toties repetitum, & illis repetendum & inculcandum: *Sancta Sanctis.* Procul fermentarii, animis & corporibus opus eſt deſæcatis: *Foris canes*, & ventri tanquam idolo ſervientes; cibus mentis eſt, non ventris, quem ingluvies & crapulæ veſtræ ructus conſpurcat. Apo. 22. 15.

Electos à ſe milites volens olim Dominus indicare Gedeoni, jubet ad aquas deduci, ut ibi probentur vel reprobentur. Ibi ergo rejecti ſunt, qui aquis incubabant: qui verò pro neceſsitate ſitis cauſa, manu aliquid haurientes biberunt, probati & electi fuerunt. Dominus indicare videtur, eos ad cæleſtis militiæ pugnam & coronam aptos eſſe, qui rebus hujus mundi inſtar aquæ præterfluentis utuntur in tranſitu ad neceſsitatem ſublevandam. Qui verò iis toti incumbunt & ſeſe immergunt, utunturque ad voluptatem immoderatam, eſſe idoneos & reprobandos. Sic & illi ab hoc epulo ſacro, quod electis tantum militibus apparatum eſt, reiiciuntur. Jud. 7. 4.

Poſtremò dicamus per canes deſignari omnes qui ſine vera pœnitentia accedentes, ſtatim in fœtidum ſuum ſtatum revertuntur, peccata reiterant & reſumunt. Hi canibus porciſque comparantur, tum quia redeunt ad ſtatum ſuum, ad conſcientiæ impuræ lutum & ſterquilinium; tum quia quæ per confeſsionem peccata evomuerunt, iterum comedunt, & inſtar canum reſumunt. De his D. Petrus ait: *Contingit illis illud veri Proverbii: Canis reverſus ad ſuum vomitum & ſus lota in volutabro luti.* Sicut autem canis reſumens quod evomit, immundior & abominabilior eſt quam antè, & ſus dum in luto lavatur, ſordidior redditur: ita qui peccatum confitetur, nec deſerit, graviori peccato & pœnæ ſe ſubiicit. *Quam vilis factus es iterans vias tuas*, inquit Dominus per Hie- 6. Recta. 2. Pet. 2. 22. Hie. 2. 36

remiam,

2. Pet. 2. 20. temiam, ad animam in peccata recidivam? *Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini noſtri Ieſu Chriſti* (& in communicatione corporis & ſanguinis ejus) *his rurſum implicati ſuperantur, & ſunt jervi corruptionis: facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus,* teſte Apoſtolo Petro. Comparantur iterum hi ſerpenti, qui teſte Epiphanio ad fontem accedens ut bibat, venenum prius evomit; ſed poſtquam bibit, illud reſumit. Sic ad Euchariſtiæ fontem acceſſuri, per confeſſionem peccati virus evomunt, ſed infructuoſè, quia ſtatim poſt reſumunt. Plangendum verò eſt ſimiles multos reperiri in Eccleſia Dei, qui falſâ imagine pœnitentiæ deluduntur, ſine firmitate propoſiti ad confeſſionem & Euchariſtiam accedentes: Hæ voluntate diſſolvendi vincula & laqueos occaſionum religantium eos, & in nova peccata ſubitò præcipitantium. Sic iterum fiunt ſerpentes redeuntes ad venenum, ſues ad volutabrum, canes ad vomitum. Audiant ergo vocem Angeli Præconis inclamantis ad ſimiles indigne ad Domini convivium accedentes: *Foris canes & venefici & impudici & idolis ſervientes, & qui faciunt mendacium:* qui mendacem & delutoriam converſionem ſuis oſtentant, ſpeciemque pœnitentiæ, virtutem ejus abnegantes, alentes occaſionem peccati, procul reiici debent a ligno vitæ.

Apoc. 22. 15.

LECTIO XI.

DE IMPEDIMENTO PECCATI Venialis.

1. *Docet, veniale non impedire acceſſum ad Euchariſtiam.*
2. *Impedire aliquem effectum Euchariſtiæ.*
3. *Agit de devotione poſt Euchariſtiam ſumptam.*

PROPOSITIO I.

Peccatum veniale non impedit ſumptionem hujus Sacramenti.

RAtio eſt, quia ipſum etiam eſt inſtitutum ad venialia & quotidiana peccata delenda: & alioqui humanæ fragilitati non bene proviſum foret, ſi veniale peccatum impedimentum afferret. Cum enim homo de hora in horam, venialibus culpis ſe facilè aſpergat, nunquam ſecurè accederet. Verum tamen eſt dignitatem hujus Sacramenti de puritate, quantum fieri poteſt, illi præparanda nos monere. Unde Dominus Diſcipulorum pedes lavit, ſignificans ſpirituales affectus, qui animæ pedes ſunt, prævie abluendos. Et Sacerdos ſacrificans, digitorum extremitates monetur abluere, in ſymbolum omnimodæ puritatis ad extremitatem uſq; digitorum (hoc eſt omnium operũ, pertingentis; ut tantoto dignius poſſit accedere. Optimum quidem id conſilium, ad efficacius & plenius Sacramenti hujus effectus participandos. Non eſt tamen rigidum præceptum, ſi de venialibus agatur: quia, ut diximus, non eſt ſolum inſtitutum ut panis Angelorum, hoc eſt, eorum qui puritate quadam Angelica fulgent; ſed etiam ut medela infirmorum, ad tollendas infirmitates quotidianas, ſive ad culpas veniales abſtergendas: & ad roborandum nos contra graviores infirmitates, hoc eſt, contra culpas mortales? Quapropter ſunt animæ aliquæ nimis anxiæ, in requirenda cum ſcrupulis conſcientia, ut omni pulviſculo veniali per confeſſionem poſſint ſe expurgare, & ſic longiſſimis confeſſionibus frequentique pro eadem confeſſione recurſu & repetitione Confeſſarios admodum ſunt oneroſæ: Quod ſi non audiantur à Confeſſariis juxta devotionem illam anxiam & noxiam, jam putant ſe à communione debere abſtinere. Ubi exemplum retuli de quodam Religioſo ſanato ab his anxietatibus, precibus B. Mariæ Ogniacenſis. Audiant quid hac de re fuerit revelatum S. Gertrudi Virgini, ut refert Bloſius. Intellexit illa a Domino, illos non irreverenter, nec indignè ſumere Euchariſtiam, qui eam piè ſumunt ex deſiderio honoris, laudis, & gloriæ Dei: quæ in hoc præcipue elucelcit, quod ſumma illa Majeſtas tam indignis hominibus ſe communicare non dedignatur. Qua propter ſignificavit ei Dominus, non ſolum pios Sacerdotes, Religioſos, Moniales, quæ ſine fictione Deum propriamque quærunt ſalutem, debere accedere, quoties ſecundùm ſtatuta ordinis vel conſuetudine pia ſolet fieri. Sed etiam quotquot viros, vel fœminas ſæculares viventes in aliquo ſtatu, qui a Deo & Eccleſia non diſcordet. *Sive in matrimonio, ſive extra matrimonium ſint, ſive emant, ſive vendant, ſeu quavis alia ratione ſibi victum parent, ſi bona voluntate praditi, ex Dei gratia à gravibus culpis ſeſe contineant, & ſecundum præcepta Dei & Eccleſiæ vitam dirigere volunt, eũ confidentia in ſolemnitatibus (vel frequentius ſecundùm Confeſſarii conſilium) debent Euchariſtiam ſumere. Quia licet in leviores culpas ſæpius cadant, & rebus externis multipliciter occupentur; pro viribus tamen juſtitiam ſectari optant, ob idque Deo placent.* Ita Dominus ad eam. Sed & cum ipſa quodam die oraret pro quodam Moniali Congregationis ſuæ, quæ zelo juſtitiæ alias ſorores pias verbis reddebat puſillanimes, & deterrebat a frequentiori Communione, reſpondit Dominus. *Quum deliciæ meæ ſint eſſe cum filiis hominum, & ego ex charitate in mei memoriam Sacramentum iſtud ſumendum Fidelibus reliquerim: & per illud cum illis in finem uſque ſæculi remanere velim; quicunque alios à mortali immunes, verbis vel ſuaſionibus ab ejus perceptione retrahit, is quodammodo interrumpit delicias, quas cum illis habere poſſem: Eſtque ſimilis ſeveriori eundam Pædagogo, qui repellit à ſuo Regis ignobiles & Pauperes ejus coætaneos, quorum conſortio delectatur, judicans magis congruere adoleſcentulo, ut regali fruatur honore, quam ut cum illis ludat in plateis.* Hæc illi Chriſtus.

V. dicta l. 2 tract. 3. lect. 8. Bloſ. c. 6. in Monili ſpirit.

Joan. 13.

Exempl. Sur. 27. Sept. in ejus vita.

S. Elzearius Comes inter præcepta quibus familiam suam instituebat, volebat ut omnes nobiles sui & milites, omnesque puellæ & matronæ in familia degentes, qualibet hebdomade semel confiterentur, & singulis mensibus devotè communicarent. Qui negligerent, domo pellebantur, & nolebat ut quisquam pane suo vesceretur, quem sciret peccato mortifero implicatum ne alios inficeret, & ne illius peccatum ipse fovere videretur. Omnibus autem Dominicis quadragesimæ & Adventus ultra solemnitates piissimè communicabat.

Ex his igitur patet, veniales culpas quibus hæc vita carere non potest, non arcere nos ab hac mensa. Ex quibus etiam colligi potest, quid de nocturna pollutione censendum sit.

De Pollutione.

1. Ex culpa mortali.

Primò si illa mortalis sit ob consensum; vel ob causam illi voluntariè datam, tunc impedit, sicut & alia mortalia. Quod si quis confiteatur cum contritione, & adsit rationabilis causa, illi non prohibetur Communio, licet peccarit præcedenti nocte. Rationabilis causa censetur, cùm quis secundum consuetudinem loci sine nota nequit abstinere, aut ex statuto tenetur, vel ex præcepto, vel ex officio, vel ex vera pietate ad id trahitur: maximè nullo exinde remanente affectu, aut reflexione ad carnalia, mentisque distractione.

2. *Ex culpa veniali.*

Secundò, si pollutio sit venialis non impedit, nisi fortè ex congruitate quadam, ob fœditatem corporalem & distractionem animum, ut solet sequi. Si tamen causæ jam dictæ adsint, potest quis non solùm licitè, sed & meritoriè accedere, suadente vel officio vel devotione. Sic rectè monentur conjuges abstinere nocte Communionem præcedente, dicente D. Hieron. *Si panes propositionis ab his qui uxores tetigerant, comedi non poterant: quanto magis panis qui de cœlo descendit, non potest ab his qui conjugalibus paulò antè basare complexibus, violari atque contingi? Non quod nuptias condemnemus, sed quod eo tempore quo Agni carnes manducaturi sumus, vacare à carnalibus operibus debeamus.* Hoc tamen secundum consilium & congruitatem debet accipi. Nam dicit S. Gregorius epist. ad August. Episcopum Anglorum: Si quis sua conjuge, non cupidine voluptatis captus, sed tantum procreandorum liberorum gratia utitur (adde vel ad reddendum debitum conjugi) ille profectò de sumendo Dominici Corporis mysterio, suo est judicio relinquendus: quia prohiberi à nobis non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere. Adjicio, quod si etiam voluptas venialis intervenerit, potest accedere meritorie, si rationibus supra dictis impelli se sentiat: dum se non sentit magis hebetem, aut ad carnalia per cogitationes reflexum, devotioque trahit, pietas suadet vel officium poscit. Nec refert, quod panes propositionis à talibus attingi vetitum fuerit, sicut significat Abimelech Sacerdos dum venit ad eum David. Hic interrogatus, *An vasa puerorum* (sive famulorum qui in ejus erant comitatu) *sancta forent*, respondit; *Si de mulieribus agitur, continuimus ab heri & nudius tertius.* Tunc eis Sacerdos panes Sanctos tradidit. Non etiam refert quod Oza tangens arcam percussus fuerit; quod aliqui Hebræi putant factum, ex eo quod nocte præcedente uxorem cognoverit, & sic immundus tetigerit. Hæc, inquam, omnia dictis non obstant; quia in veteri lege erant multæ irregularitates ex sola immunditia carnis, quæ prohibebant sub gravi pœna ad Sacra accessum, sicut de muliere menstruata vel fluxum patente patet. Hæc autem in nova lege cessant, nisi quatenus animum quædam inficiunt, vel mores concernunt, sicut de pollutione jam dixi.

S. Hier. Refertur 32. q. 4.

S. Greg. epist. ad August.

1. Reg. 21. 5.

Tertiò, si pollutio procuretur nequitia dæmonum, ad impediendum hominem à Communione (sicut non infrequenter contingit in diebus sacris, per nocturnas phantasmatum illusiones, nullis præcedentibus de similibus in vigilia cogitationibus) tunc non est abstinendum, sed cum humilitate & fiducia accedendum. Præclare hac de re Theonas Abbas apud Cassianum. *Omni industria quantum in nobis est studere debemus, ut immaculatam castimoniæ puritatem illo maximè tempore teneamus, quo venerandis assistere optamus altaribus: & vigilantissima circumspectione præcavendum est, ne carnis integritas præcedente tempore custodita, ea nocte qua nos præparamus ad Communionem salutaris convivii fraudetur effectu. Verùm si hostis ille nequissimus, ut nobis cœlestis remedii subtrahat medicinam, custodiam sopita mentis illuserit: ut nulla reprehensibili intervenerit pravitate, nullo consentiatur ei illusionis assensu, possumus & debemus ad gratiam salutaris cibi confidenter accedere. Sin verò nostro vitio hæc fuerit egesta concretio, convenientes conscientiam nostram, illud Apostoli formidemus: Qui manducaverit indignè reus erit, &c.*

3. Ex illusione diaboli.

Cassian. collat. 22.

Refertur ibidem de quodam Cœnobita, quod quoties volebat communicare, patiebatur pollutionem præcedenti nocte. Cumque angeretur, & Patribus rem aperuisset, consultum ei fuit, ut tanto frequentius communicaret; sicque cessavit illusio.

Surius 19. Maij in ejus vita.

S. Petrus Cœlestinus multis etiam scrupulis angebatur, dum post nocturnam fluxionem communicandum ei foret. Sed quodam die Christus ei apparens usus est hac similitudine. *Si equus vel asinus suas egerit sordes, Dominus non debet opus suum relinquere. Ita nec si brutale & irrationabile corpus præcessata consuetudine suam passum immunditiam, ob id rector animus non debet ab aspectu cœlestium, contemplatione divinorum, exercitio spiritualium rerum tempore.* Surius tom. 3.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO II.

Peccatum veniale poteſt impedire aliquem effectum hujus Sacramenti.

D. Tho. 3 p. q. 79. a. 4. & 8. & in 4. diſt. 12. q. 1. a. 1 q. 1.

EXplicat id D. Thomas hoc modo: Peccata venialia, alia quidem ſunt actu præterita, habitu tantum manentia, & hæc per ſe nullum effectum hujus Sacramenti impediunt. Contingit enim poſt multa venialia devotè accedere ad hoc Sacramentum: & plenarie hujus Sacramenti conſequi effectum. Alia ſunt actu exercita in ipſa ſumptione Sacramenti, pura quando quis cum torpore ſe habet in perceptione, & cum mentis diſtractione culpabili, aut alia impræparatione veniali, quæ actu concomitatur ſumptionem hujus myſterii. Et de his venialibus duplex eſt ſententia, quidam enim piè & probabiliter exiſtimant, ad id ut Euchariſtia proprium ſuum effectum conferat, augmentum ſcilicet gratiæ & charitatis; neceſſariam eſſe poſitivam diſpoſitionem actualis devotionis, quæ ſimul adſit in ipſa Sacramenti perceptione. Ratio eſt, quia hoc poſtulare videtur dignitas & majeſtas hujus Sacramenti. Unde & Chriſtus, ut hanc attentionem & devotionem actualem commendaret, non ſolum elevatos in cœlum oculos ad Patrem cum gratiarum actione habuit; ſed etiam ſumentibus præcepit in ſui memoriam ſumere ubi actualem quandam ad ſe reflexionem requirere videtur, ad fructuoſè ſumendum. Quapropter & Sancti Patres dum de hoc Sacramento loquuntur, non ſolum requirunt ſtatum gratiæ, ſed etiam magnam devotionem volunt ad illud afferri, magnamque reverentiam. Videnturque ſignificare illa deficiente ob culpam aliquam, otioſè & infructuoſè ſumi, licet culpa non foret mortalis. Sic & cibus qui ſine appetitu ſumitur, ſed potius cum aliquo faſtidio, frequenter non proficit corpori: ſed potius gravat, licet in ſumente non foret impedimentum gravis morbi. Huc ſpectare videtur, quod Dominus B. Mechtildi (ut dixi ſupra) ſignificarit, optimam diſpoſitionem ad hujus cibi fructum percipiendum eſſe deſiderium illius: quod ſi quis non ſentiat in ſe vivam famem, ardenſque deſiderium, debere ſaltem concipere deſiderium hujus deſiderii, hujuſque famis; & rogare Deum, ut cibi hujus cœleſtis appetitum ſeu orexin animo inſpiret: Sic efficaciter initiata cenſetur diſpoſitio, cum illius in nobis repetitur fervens exoptatio.

Confirmantur hæc omnia ex eo, quod nullum augmentum gratiæ, nullum profectum, mutationem nullam vitæ videamus in multis, etiam frequenter Euchariſtiam ſumentibus: ſolentque facti Doctores id referre non in culpam mortalem, ſed in negligentiam diſpoſitionis actualis. Eo quod licet tales à peccatis mortalibus ſint liberi, ex arida tamen magis conſuetudine, torpido quodam ſpiritu accedunt, non ex veræ devotionis fervore. Et ita cùm cibi hujus debitum non excitent appetitum, nec illum labiis animæ ruminent, nec Sacræ meditationis viribus maſticent, nihil illis proficit. Hinc D. Chryſoſtomus: *Nemo accedat cum nauſea, nemo vemiſſus, omnes accenſi, omnes ferventes & excitati. Nam ſi Iudæi ſtantes & calceamenta in pedibus habentes, & baculos in manibus geſtantes, Agnum cum feſtinatione comedebant, te magis oportet eſſe ſolertem & vigilantem.* Ad dictorum igitur confirmationem facit ipſa figura agni, cujus legitimæ comeſtioni tanta attentio, tantaque præparatio requirebatur, ſymbolum actualis devotionis Sacramento huic conjungendæ, ſi legitimè de illo volumus participare. Vide penitius. S. Chryſ. Ritus comedendi Agnum Paſchalem.

Primò, comedere illum debebant cum azymis. Nos oportet Euchariſtiam ſumere cum puritate & ſinceritate conſcientiæ, per confeſſionem expurgando omne vetus peccati fermentum animam inficiens.

Secundò, debebant adhibere lactucas agreſtes & amaras. Nos amaritudinem contritionis & recordationem amaræ Paſſionis.

Tertiò, non comedebant crudum, nec coctum aqua. Nos Sacramentum non debemus crudè ſumere, ſed cum attenta conſideratione Divinitatis hic contentæ: nec accedere debemus cum aqua terrenæ ſapientiæ, ſed cum ardente fidei & charitatis igne.

Quartò, comedebant ſtantes & feſtinanter. Nos cum magno deſiderio & ſpirituali aviditate debemus accedere, nec uti dilatione.

Quintò, comedebant renes accincti. Nos debemus caſtitatis lumbos ſuccingere, omnemque importunam cogitationem, quicquid poteſt devotionem mentis retardare, deponere.

Sextò, habebant calceamenta in pedibus. Nos affectus, tanquam animæ pedes, bene calceatos, bene munitos, benè expeditos debemus adferre; & accedere non ex frigida quadam conſuetudine, ſed ut progrediamur in virtutem de virtute.

Septimò, comedebant cum baculis in manibus tanquam accincti itineri. Nos debemus tanquam viatores ad patriam anhelantes, Euchariſtiam noſtram ſumere tanquam cibum confortantem, qui ad vitæ terminum nos poteſt provehere.

His ergo omnibus abſque dubio deſignatur actualis devotio ad hoc Sacramentum afferenda: ita ut probabile ſit, ſi illa deſit aliqua noſtra culpa, licet in gratiæ ſtatu ſimus, nullum fructum nos ex Sacramento percipere.

Quia tamen auſterior videtur hæc ſententia conſiderata humana fragilitate, quæ in venialem culpam facilè labilis eſt, etiam in ſacris actionibus peragendis: ideò cum D. Thoma alii ſentiunt negligentiam, diſtractiones, culpas veniales, ſacram Communionem actu concomitantes, impedire quidem effectum illum actualem hujus Sacramenti, qui dicitur actualis refectio ſpiritua- D. Tho. hic ſupra cit.

Digitized by Google

lis dulcedinis ſed non effectum habitualem, ſive augmentum habitualis gratiæ & charitatis. Cum autem hæc pendeant ex inſtitutione Chriſti, putant eum in Sacramenti hujus inſtitutione, non ſolum reſpexiſſe ad ejus majeſtatem & dignitatem (cui omnis præparatio hominis poſſibilis debita eſt) ſed etiam ad ſumentis fragilitatem. Ideoque propter Sacramenti dignitatem, voluiſſe, ut cum gratia accedamus: propter hominis autem fragilitatem, requiſiviſſe quidem actualem devotionem, ut tanto fructuoſior ſit ejus ſumptio, non autem ſimpliciter & neceſſariò ut fructuoſa ſit: quia hoc fuiſſet in aliquas angustias humanam fragilitatem conjicere. Quod autem in aliquibus frequenter communicantibus non percipiatur hoc gratiæ augmentum, ex eo eſt, quod habitus infuſi & eorum incrementum, experientia non poſſint cognoſci: quia per ſe non mortificant paſſionem, nec excludunt vitiorum habitus, nec peccata venialia. Et ideo fieri poteſt, ut qui Sacramenti frequentia multum in gratia creſcit, in ratione tamen vivendi, & exercendi virtutes non admodum mutetur. Et hoc juvat aliquando proponere puſillanimis, & nimis timidis, qui nimis facilè ſe in peccato mortali agere ſuſpicantur, & torquentur quaſi indignè accedentes, quia non advertunt notabilem in ſe mutationem.

DE DEVOTIONE POST communionem.

Poſt Communionem quid agendum?

QUæri hic poteſt, quando quis acceſſit cum debita diſpoſitione, ſi poſt ſumptionem augeatur ejus devotio, an etiam augmentum novum gratiæ, vi Sacramenti recipiat? Reſpondeo probabile omnino eſſe, quamdiu realis præſentia Chriſti manet in ſumente (manet autem quamdiu ſpecies non ſunt digeſtæ) ſi homo majorem diſpoſitionem in ſe excitet, majori etiam donari gratia vi ipſius Sacramenti. Ratio eſt, quia gratia Sacramento promiſſa eſt propter Chriſtum manducatum: *Qui manducat me, vivet propter me.* Ipſe verò quamdiu nobiſcum manet, non eſt otioſus, ſed vim ſanctificandi habet: & ideò ſi homo ſe melius & melliùs diſponat, gratiæ hujus ſanctificantis influxum & copiam majorem a Chriſto præſente recipit. Confirmat idipſum ſimilitudo cibi materialis, qui non tantum operatur cum ſumitur, ſed quamdiu in ſtomacho durat, confortat & nutrit: ergo & hoc Sacramentum quod per modum cibi, eſt inſtitutum, idipſum præſtat, quamdiu in homine perdurat, & quidem æqualiter, juxta proportionem creſcentis diſpoſitionis. Hæc eſt ſententia Cardinalis Cajetani, & Ruardi Tapperi, quos ſequuntur multi Theologi. Joan. 6. 58.

Ex qua ſententia collige, quam fructuoſum ſit, ſumpta Euchariſtia non ſtatim dilabi corde ad res externas, vel terrenas, vel vanas: cum maximè tunc cum Chriſto mens ſit colligenda & unienda quamdiu præſens eſt. Ex qua unione & excitatione mentis, multum ignis Charitatis poteſt creſcere, non ſolum ex opere operantis, ſed etiam virtute efficaci Chriſti, menti melius ſenſim diſpoſitæ, novum gratiæ & Charitatis gradum influentis. Tunc ergo non ſunt negligendæ adſpirationes ſacræ, orationes jaculatoriæ è cordis fundo prodeuntes, amplexus intimi animi ſponſum complectentis: gratiarum actio cordialis, admiratio cum ſtupore tantæ bonitatis & divinitatis, ſe tam admirabili amabilique modo communicantis: oblatio pura totius mentis in manus Dei, totiuſque vitæ ac voluntatis reſignatio perfecta: omnium creaturarum viſibilium & inviſibilium, quæ in cœlo ſunt & in terra & ſub terram, ad laudem Dei invocatio. Hoc eſt vinum conditum, & muſtum malogranatorum ſuaviſſimum, odoris fragrantiſſimi (quod Sponſa dicit ſe propinaturum fratri ſuo & dilecto, introducto in ſecretum conclave) affectuum ſcilicet piorum multiplex expreſſio, quæ Chriſto gratiſſima eſt inſtar vini aromatici, dum in mentis noſtræ cubiculum introducitur ad convivandum: dum ipſo ſe in cibum cum tota ſua divinitate exhibente, anima etiam hunc optatum ei cibum potumque ex parte ſua ſuppeditat, & ſic impletur illud. *Ego canabo cum eo, & ipſe mecum.* Cant. 8.

Meritò ergo reprehenduntur, qui ſtatim à Communione ad alia diffluunt. Multis pruriunt pedes, ut ſtatim diſcedant prætextu colloquiorum, lectionis, deambulationis, eſtque phrenefis intoleranda, inquit Balthaſar Alvarez, Vir Sanctitate nominatus inter Societatis Patres. Orationes enim & Lectiones, quid aliud ſunt, quam quidam clamores, quibus Deum ad nos vocamus in domum noſtram: quæ ergo ſtultitia, ut dum ille ingreditur, nos illico domo exeamus? Quid quæris præter Deum tuum, ille plus docebit te quam omnes libri, plus conſolabitur quam omnes amici, plus juvabit quam omnes SS. Certè infirmus ſanitatis ſuæ curam non habet, qui veniente medico quem advocavit, vix eo conſulto egreditur. Nec ille negotium graviſſimum ſuæ ſalutis curare videtur, qui de eo non tractat opportuno tempore cum judice. Quod autem opportunius tempus, quam quando ædes noſtras dignatur viſere, & favorem ſuum optat impendere ſupplicanti? Quiſquis igitur, Domino intentionis ſui domicilii limen ſubeunte, non exultat, non congratulatur, non colloquitur cum ſuavitate, in quo poterit ipſe exultare? Qui dum eum hoſpitem habet, properat è domo egredi, facilè oſtendit ſe alibi cor obſtrictum habere. Et cui cum illo manere tædium eſt, neſcit ſe Deum totumque bonum ſuum habere, eſtque id magnæ ægritudinis ſignum in mente, & palati animæ tunc infecti indicium eſt in homine. Audiant ergo tales conſilium Sapientis. *Non defraudaris à die bono, & particula boni doni non tepraetereat.* Quinam melior dies, ô Chriſtiane, quam Eccl. 14.

Digitized by Google

quàm ille quo Dominus Deus tuus venit ad te, venit in te, plenus bonitate, pietate, amore? Sic Galli accedere ad communionem, vocant, *faire ſon bon jour.* Quodnam melius donum, ſive in cœlo ſive in terra, Euchariſtiâ, qua Deitatis conſortes reddimur? Si ergo dies communionis optimus dies eſt, ſi Euchariſtiæ particula optimum donum? cur ob teporem & ſomnolentiam, ob neglectum & ingratitudinem, illius diei, illius doni copioſo fructu te defraudas? Cur percepta Communione, *donum illud perfectum, & datum optimum quod deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum*, perfectius non conſideras, non ruminas, cur illam horam adeò optabilem, qua apud te eſt Deus tuus fons omnium bonorum, manem præterire ſinis rebus aliis intendens? Excute torporem, revoca te ad te, fræno reduc mentem evagantem, expunge omnem ingratitudinem. Advoca omnes animi vires, & colluctare cum Deo quo inſtar Jacob orationis brachiis, & dic cum Patriarcha Jacob: *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi.*

Jac. 1. 17

Gen. 32. 26.

LECTIO XII.

DE SUMPTIONE UNIUS SPECIEI.

1. *Docet quandoque fuiſſe conceſſum uſum Calicis laicis.*
2. *Iuſtis de cauſis ſubtraxiſſe illum Eccleſiam.*

PROPOSITIO I.

Fuit aliquando uſus calicis, in Eccleſia Dei laicis conceſſus.

Uſus Calicis fuit aliquando à Laicis conceſſus. S. Ambr. l. 1. offic. c. 41.

NOtiſsimum id ex Primitivæ Eccleſiæ actis. Etenim ex geſtis S. Laurentii Martyris, conſtat eum populo ſacrum calicem diſtribuiſſe. Proinde dicit Xyſto Pontifici: *Experire utrùm idoneum miniſtrum elegeris, cui Dominici Sanguinis diſpenſationem commiſiſti.* Hoc ſanguine, quem & ipſe biberat, inter candentes prunas animatus, tormentibus inſultat, mortem ridet. Et hæc eſt una ex cauſis, cur initio Eccleſiæ martyrii Candidatis, Calix pretioſus & inebrians præberetur, ut ſanguinem ſub ſpecie ſanguinis uvæ bibentes, & ſanguinem diſcerent fundere

Amb. l. 4. epiſt. 34. V. Brev. 21. Jan.

Sic S Agnes corpori & ſanguini communicarat, ſub utraque abſque dubio ſpecie. Unde & ad id alludens, & carnis ſuæ infidelem amatorem illudens, dicebat: *Eſt mihi alius Sponſus & amator, cujus corpori jam corpus meum ſociatum eſt, & ſanguis ejus ornavit genas meas.*

Idem colligitur ex hiſtoria illa præclara Theodoſii Diaconi, a Fratre ſuo Conſtante Imperatore nece ſublati: qui ab eo quandoque Sanguinis Chriſti myſtico poculo fuerat in ſacris myſteriis potatus. Propterea & ille in pœnam ſceleris, habitu Diaconi noctu frequenter occurrebat, poculum ſanguine plenum porrigens, & dicens: *Bibe frater, inebriare fraterno ſanguine, quem fudiſti. tale decet nunc tibi porrigi poculum, non ſanguine agni refertum, ut olim in Eccleſia in redemptionem culparum tuarum, ſed fraterno ſanguine plenum, qui ultorem voce ſua excitet in te Deum.* Hiſtoriæ hujus latius memini ſuper 5. Præcepto Decalogi. Vide ibi.

Lib. 3. tit. 4. lect. 5. propoſ. 2. ex Baron.

Denique idipſum confirmatur ex Gelaſio Pontifice, qui condemnat quoſdam Manichæos, quod communicantes ſub ſpecie panis, nolebant ſub ſpecie vini: vel quia erroneè putarent vinum eſſe malum, à malo Deo factum: vel quia negabant Chriſtum verè pro nobis mortuum, aut verum ſanguinem fudiſſe. Unde ſic dicit Gelaſius Pontifex de conſecr. d. 2. *Comperimus quoſdam ſumptâ tantummodo Corporis ſacri portione, à calice ſacrati cruoris abſtinere: qui procul dubio, quoniam neſcio quâ ſuperſtitione docentur adſtringi, aut Sacramenta integra percipiant, aut ab integris arceantur.* Agit ergo contra aliquos ſuperſtitioſos, ſive erroneos hæreticos, qui ſuæ inhærentes ſuperſtitioni, non communicabant ſub utraque ſpecie ut cæteri.

2. Non fuit præceptus.

Cæterum, licet calicis uſus, in primitiva Eccleſia, & per multa ſæcula fuerit laicis indultus, non tamen fuit præceptum, ut numquam unica ſpecie uterentur. Quinimò etiam tunc Fideles communicaſſe quandoque ſub ſola ſpecie panis, certa demonſtrant indicia:

Baron. to. 1. Anno Chriſti 57 §. 153.

Primò, quia cum olim Fideles ob perſecutiones inundantes, & gladium quotidie cervicibus eorum incumbentem, non poſſent ita in unum convenire ad ſacras ſynaxes: permiſſum eis fuit, ut Euchariſtiam domum deferrent, & cum reverentia aſſervarent, ac quotidiè ſumerent; ut vires animosque ab hoc ſacro fortitudinis viatico, contra quotidiana pericula depromerent. Vide Baron. tom. 1.

Florimund. Rem 6. de ortu hæreſ. c. 19. Suarez in 3 p. D. Thom.

Sic refert Florimundus Remundus de ortu hæreſeos l. 6. c. 19. & Franciſcus Suarez in 3. partem D. Thomæ præcedenti ſæculo Reginam Scotiæ Mariam ab infami Elizabetha (quæ fuit altera Jezabel ſanguinem Sanctorum ſitiens) arctæ cuſtodiæ manciparam, obtinuiſſe à Pio V. Pontifice, ut poſſet ſecretò ſacram Euchariſtiam in carcere aſſervare, & propriis manibus, ſi ſacerdotibus negaretur acceſſus, communicare. Quod fecit paulò ante mortem. Et virtute hujus cibi cœleſtis læta, intrepido gradu ad martyrii locum proceſſit, capitis detruncatione & regio ſuo ſanguine, fidei Catholicæ veritatem affirmans.

Baro. ex S. Baſil.

Secundò, cùm olim Monachi in deſerto Ægypti & Thebaidis, ſoli & a mundo & à ſacerdotibus remoti agerent; ſecum ad cellas Euchariſtiam deferre ſoliti erant, illamque opportuno tempore ſumere, ut ex S. Baſilio demonſtrat Baronius ſupra. Quinimò ſolitum quandoque fuit longum iter conficientibus, ſive etiam in mari navigantibus, ſecum deferre ſacrum hoc viaticum pro imminentibus periculis: ſic ſecum detulit

Digitized by Google

Ambr. orat. de obitu Satyri. Surius 3. Decem. Baron. tom. 8. An. 635.

Satyrus Frater Ambrosii in navigio. Sic S Bitinius, Episcopus Dorcestriensis, de quo apud Surium 3. Decembris, ab Honorio Papa in Angliam missus, cum pervenisset ad littus Freti Britannici, navem ascensurus divina celebrabat mysteria, ut suis viaticum pararet. Urgente navigationis articulo, ad navim festinans introducitur. Dum autem alta sulcarent pelagi, reminiscitur se rem omninò charam urgentibus Nautis in littore reliquisse, Pallam scilicet quam Honorius Papa ei dederat, super quam Christi Corpus consecrabat, & illud involutum ad collum suspensum ferebat Fide igitur armatus in mare descendit, & solidum figens vestigium super labile elementum, recepit in littore corporale relictum, & ad navem rediit, quæ immobilis eum expectarat. Unde & nautæ obstupescentes, illo prædicante fidem suscepere.

S. Chrys. ep. ad Innoc. Papam Niceph.

Tertiò, Buchanistiam sub specie panis olim servatam, eo eo colligimus, quod sub specie vini pro infirmis diu servari non posset sine corruptione, nec administrari sine effusionis periculo. Quamvis verò sic ordinariè servatam existimemus, non videtur tamen negandum, quin aliquando ad breve tempus etiam sub specie vini asservata fuerit. Nam in epistola S. Chrysostomi ad Innocentium Papam, apud Nicephorum, c. 19. legimus, quod cum exul Paschalem solemnitatem celebraret cum multis Episcopis, Presbyteris, & aliis Ecclesiasticis, ipso Sabbati magni die in Ecclesiam irrupisse cohortem militarem ab Arcadio missam, & Clerum cum ipso inde per vim ejectum fuisse: baptisteriumq; cui nomen erat, CONSTANTINUM, apud quod tunc solemnia peragebant, militibus circumvallatum, sanguinis effusione fuisse cruentatum, sacrosque latices cruore infectos. Nec in hoc quidem ærumnam constitisse; sed milites ingressos ad locum ubi sanctum repositum est; cum omnia perlustrassent, Sanctissimum Christi Sanguinem invenientes, in tumultu per militum vestimenta effudisse. Ex quo collige, quandoq; asservatum etiam sanguinem sub specie vini, magis tamen ordinariè sub sola specie panis. Immò existimamus cum Baronio, quod licet Fideles olim tempore Sacrificii in Ecclesia communicantes, sumerent sub utraq; specie: cùm tamen vel privatim illam sumerent in domibus, vel extra tempus Sacrificii in Ecclesia, vix solitos aliter quam sub una specie sumere.

Baron. tom. 1. ad Ann. 57. §. 154. &c.

PROPOSITIO II.

Ecclesia justis de causis usum Calicis subtraxit Laicis sine ullo eorum damno.

Joa. Hus errorem primus adstruit esse præceptum de utraque specie

Hic est lapis offensionis, in quem primi impegerunt Hussitæ Bohemi, sectatores opinionis cujusdam Joannis Hus Sacerdotis & Magistri in Universitate Pragensi tunc florentissima, in qua frequenter ultra viginti millia studiosorum recensiri potuerunt. Hic ob errores condemnatus fuit, & flammis datus in Concilio Constantiensi, & cineres in Rhenum dispersi, ne eos discipuli colligerent, aut ejus memoriale ullum residuum foret: sed doctrina ejus cum cineribus non fuit sepulta, hactenus enim sectatores habet. Tunc autem maximè errorem hunc ab inferis resuscitarunt Taboritæ hæretici; sic dicti à Civitate ædificata in Bohemia in monte, cui nomen Tabor indidere, allusione facta ad montem in quo Christus transfiguratus est. In hoc monte initio hujus hæresis, plusquam trecentæ mensæ erectæ fuerunt, & triginta hominum millia concurrerunt, ut sub utraque specie ibi communicarent, innumeris illuc vasis illatis, ut plebs insana vino consecrato & calice uteretur. Hunc deinde montem aquis circumdatum, triplicibus muris cinxit Zischa Tyrannus eorum Dux: qui totam turbans Bohemiam, frequentissimè contra Sigismundum Imperatorem acie instructa triumphavit: & utroque licet oculo tandem careret, fœliciter exercitum ductare visus est. His victoriis insolenter inflatus, cum divinitus peste perculsus foret, moriens nihilominus præcipiebat suis, ut detracta cadaveri suo pelle, tympanum bellicum ex ea confici curarent, certo asserens ad illius vel solum sonum, hostiles acies fugandas & exterrendas. Quid plura? Ad assertionem hujus erroris, in vexillis Calix depictus præferebatur: Sacerdotes in medio militum armatorum Calicem deferentes, decantabant: PANGE LINGUA. In portis & super liminaribus domuum Calix depingebatur, in frontispicio Urbis Tabor, visebatur effigies Zischæ cum Angelo cum præcedente & Calicem deferente. Denique in cathedris scholarum, in pulpitis templorum, in officinis typographorum, detonabat lingua disertorum, calamus scribentium, typi imprimentium, contra Ecclesiam tanquam injustitiam: quæ Calicem fidelibus subtraxisset, & Sacramentum mutilum contra fas distribueret. Hæc fuere initia hujus hæresis, cujus reliquiæ ad Lutheranos & Calvinistas tanquam impietatis Joannis Hus hæredes, translatæ sunt. Sed examinemus nunc veritatem, & ex pendamus rationes, ob quas justè Ecclesia Laicis subtraxit usum Calicis.

Jo. Cochlæus l. 1. hist. Hussitarum.

Causa cur calicis usus fit denegatus Laicis.

Prima & Principalis est, ut consuleret reverentiæ hujus Sacramenti. Initio enim Ecclesiæ cum pauci essent fideles, facile erat eis Sacramentum hoc sub vini specie administrare cum debita reverentia & cautela. Succedentibus autem sæculis, crescente multitudine fidelium, decrescente verò devotione, multa incommoda animadvertit Ecclesia, incuria tum accedentium, tum ministrorum: ita ut populorum turba concurrente, frequens fieret periculum effusionis sacrosancti sanguinis. Et ita statutum est, ut sub sola specie panis populus communicaret ad vitandum morale illud periculum. Solus autem Sacerdos utramque sumeret; tum, quia Sacrificium in utriusque speciei consecratione consistit, convenitque sacrificantem de suo consummato sacrificio

1. Ob reverentiam.

par-

ed by

Participare; tum, quia ipſe repræſentat totum populum, & nomine illius de utraque ſacrificii parte participat. Sic populus etiam cenſetur ſumere utramque ſpeciem, per Sacerdotem, qui eſt os totius populi.

2. Ob communicantium copiam vel naufeam.

Acceſſit & ſecunda ratio, quod quia multis communicantibus magna vini copia deberet conſecrari, frequenter neceſſarium foret, quod ſuperfuerat, reſervari; id veto non fiebat ſine incommodo & corruptionis periculo. Adde, quod aliqui a vino nativam quandam averſionem habent, & his ſub utraque ſpecie noxia erat Communio. Cum etiam extra tempus ſacrificii communicandum foret, aut infirmis Communio danda, non erat ſolitum ſpeciem vini porrigere; & ita ut fieret uniformitas, univerſim decretum fuit, ut laicis ſub ſola ſpecie panis exhiberetur. Jamque à quingentis & amplius annis, hæc uniformitas Eccleſiæ uſu continuo recepta eſt, nec violari poteſt ſine peccato gravi. Non negamus tamen Eccleſiam ſive Pontificem poſſe diſpenſare (ſicut diſpenſaſſe aſſeritur Clemens V. cum Rege Galliæ) ut utriuſque ſpeciei particeps quis fiat: ſed exiſtimamus nunc non expedire talem diſpenſationem, quæ hæreticis anſam poſſet præbere calumniæ, & Fidelibus murmuris aut ſcandali. Unum tamen caſum admittimus, quo laicus ſpeciem vini poteſt ſumere: ſi nimirum periculum foret, ne in manus infidelium ſanguis jam conſecratus deveniret, aut ne cum irreverentia effunderetur. Non etiam hic prætereundum eſt, Eccleſiam conſideraſſe in multis Provinciis ſummam vini penuriam, cujus copia neceſſaria erat cum graviſſimis impenſis, ut omnes ſub ea ſpecie communicarent. In regnis noviſſime repertis penuria dicitur eſſe, ut in Calicut & Goa vas vini quandoque mille ſcutis vendatur.

Et uniformitatem in Eccleſia.

Et vini penuriam multis in locis.

3. Ad hæreſin convellendam Corpus exangue eſſe ſub ſpecie panis.

Alex Alenſis 4. p. q. 11. m. 2. a. 4.

Tertiam rationem ſubjungit Alexander de Ales S. Bonaventuræ olim Præceptor. Sic ait: *Eccleſia jam à multis ſæculis Sacramentum ſub ſpecie panis tantum diſpenſare conjuevit, ne ſimpliciores crederent Chriſtum non contineri integrè ſub altera ſpecie, quod aliquando contigit. Quibuſdam enim petentibus & inſtantibus ut ſub utraque ſpecie Sacramentum ſumerent, Sacerdote quodam pro Sacrum faciente, cum ad fractionem venijſet, concavum patena totum viſum eſt repleri ſanguine. Ad quod obſtupuit ipſe & circumſtantes. Cum vero iterum conjungeret partes hoſtiæ, totus ſanguis iterum viſus eſt intrare, & reuniri Hoſtiæ, ſicque petitioni & tentationi eorum penitus fuit ſatisfactum.* Ita Ales 4. p. q. 11. membro 2. a. 4. Convellenda igitur erat hæreſis eorum, qui dixerunt Corpus Chriſti exangue ſub panis ſpecie, ſanguinem autem ſub ſpecie vini contineri, quod efficaciter fecit Eccleſia, approbando communionem ſub una ſpecie.

Non minor fructus ex una, quam ex utraq.

Neque vero ob alteram ſpeciem denegatam, aliquis gratiæ fructus laicis deceſſit. Etenim undenam oritur fructus Communionis, niſi à Chriſto ejuſque Paſſione? Cum ergo ipſe ſit ſub utraque ſpecie integer, cur minus haberet virtutis & efficaciæ, ſive ſub una, ſive ſub utraque ſumatur? Et quidem in una ſpecie, etiam mors ejus & paſſio ſignatur & memoratur, ut inſtrumentum noſtræ ſanctificationis. Licet enim in ſpecie vini expreſſior ſignificatio paſſionis repetiatur; illa tamen expreſſa ſignificatio, magis ſpectat ad rationem ſacrificii, quam ad rationem Sacramenti. Et inde ſolum conſequitur, utramque ſpeciem eſſe aliquid perfectius in ratione ſigni, quam ſpeciem panis ſolam: non tamen in ratione virtutis, ſive in ratione cauſæ gratiam ſanctificantem conferentis. Maxime cum illa gratia primariò oriatur & procedat a divinitate, quæ ſub altera ſpecie æquè conjuncta reperitur, ac ſub utraque. Sic ergo æquè divinitatis conſors efficitur & vitæ, qui manducat ſub ſpecie panis ſola, quam qui ſub ſpecie vini, dicente Chriſto: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum: Qui manducat me, vivet propter me.* Sed neq; etiam præceptum illud divinum communicandi ſub utraque ſpecie reperitur. Etenim quod Chriſtus dicit: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, perinde eſt ac ſi diceret: Si neque manducaveritis carnem filii, neque biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Solus ergo ille caret vita, qui neque bibit, neque manducat: qui vero vel bibit vel manducat, vitam jam in ſe percipit, & implet hoc præceptum. Nam & Scriptura quandoque uni ſpeciei effectum hunc aſſignat, quandoque alteri; modò manducationi panis, modò bibitioni calicis. Sic Paulus: *Multi unum corpus ſumus, qui de uno pane participamus.* Alio verò loco dicit: *Omnes in uno ſpiritu* (vel, ut Græca habent, in unum ſpiritum) *potati ſumus*: Hoc eſt, omnes potu ſacro unius Spiritus effecti ſumus. Idem autem eſt fieri unum corpus, & fieri unus Spiritus: quia ſi unum corpus, unus debet eſſe Spiritus: & ſi unus Spiritus, unum etiam eſt corpus: utrumque autem præſtat, ſive panis, ſive calix noſter.

Joan. 6. 59. v. 58.

v. 54.

1. Cor. 10. v.

1. Cor. 12.

Objectiones hæreticorum.

Matt. 26. 1. Cor. 11. Luc. 22.

Urgent Hæretici tum inſtitutionem Domini ſub utraque ſpecie, tum præceptum quod contineri videtur his ejus verbis: *Bibite ex eo omnes.* Item: *Hoc facite in meam commemorationem.* Reſpondeo: Chriſtum Dominum utramque ſpeciem quidem inſtituiſſe, & utramque diſcipulis ſumendam diſtribuiſſe: at inde non ſequitur præceptum univerſale pro Fidelibus omnibus, ad utramque ſumendam. Etenim congruum erat Apoſtolis, qui ordinabantur Sacerdotes, utramque ſpeciem dari, in ſymbolum poteſtatis eis datæ ad utramque & conſecrandam & ſumendam. Exemplum autem Sacramenti ſub una ſpecie quandoque exhibendi, ipſemet etiam Diſcipulis tradidit *dum cognoverunt eum in fractione panis* poſt reſurrectionem. Ubi juxta interpretationem SS. Patrum, vel eis corpus ſuum vere tradidit ſub ſpecie panis, vel ſaltem Communionem ſub ſpecie unica adumbravit.

Luc. 24.

Neſ

Nec illa verba : *Bibite ex eo omnes*, præceptum continent. At potius verba ſunt invitantis, ut fieri ſolet inter convivantes. Et licet præceptum continent, ad Apoſtolos ſpectaret. Unde ab eis impletum fuit illud, ſive monitum invitantis, ſive præceptum imperantis, dicente Evangeliſta : *Et biberunt ex eo omnes.* Nec etiam alia illa verba : *Hoc facite in meam commemorationem*, continere præceptum ſumendi utramque ſpeciem : ſatis indicat ipſe Apoſtolus, qui non ſine ratione de Calice agens, dixit : *Hoc facite, quotieſcunque biberis, in meam commemorationem.* Cum tamen de Corpore agens, dixiſſet ſine additamento : *Hoc facite in meam commemorationem.* Per illam ergo additionem (*quotieſcunque biberis*) videtur indicare, non ſemper conjunctam fore Calicis bibitionem cum manducatione : nec tam præcipi Fidelibus ut bibant, quam ut ſint memores Paſſionis Domini, ſi contingat eos bibere ; ſciantque ad myſterium potum hunc ordinari. Accedit huic interpretationi, quod Apoſtolus unam ſpeciem ab altera poſſe disjungi, ſatis ſignificet, dum

1. Cor. 11. dicit ſub particula disjunctiva : *Quicunque manducaverit vel biberit calicem indigne, reus erit Corporis & Sanguinis Domini.*

Ex his igitur concludo, nihil Eccleſiam divino juri adverſari, dum nunc vult ſub una ſpecie Sacramentum diſtribui, licet aliquando ſub utraque datum fuerit : *Quia ſemper fuit illa in Eccleſia poteſtas,*

Trident. Conc. ſſ. 21. c. 2. *in Sacramentorum diſpenſatione, ut ſalva eorum ſubſtantia, ea mutaret quæ ſuſcipientium utilitati aut Sacramentorum veneration congruerent, pro locorum & temporum varietate.* Ex qua etiam ratione factum eſt, ut pueris ante uſum rationis deneget Sacramentum, ob majorem ſcilicet reverentiam, cum necdum dijudicent Corpus Domini, quamvis olim ob probabiles aliquas cauſas data fuerit eis, & ſub ſpecie panis, & ſub ſpecie vini.

Cyp. ſer. de lapſis. De ſpecie vini deduci poteſt ex Cypriano, referente puellulam quandam per nutricem ad idola delatam, cum panem mero mixtum de idolorum immolatione guſtaſſet ; ac poſtea ei de Calice ſacro, à Diacono rei inſciæ, potus ſacroſancti Sanguinis præberetur, nunquam potuiſſe deglutire ; ſed fuiſſe coactam vomere, quia ſanctificatus Domini potus, polluta per idolothyti eſum noluit attingere viſcera.

Evag. l. 4. hiſt. Eccl. c. 35. De ſpecie panis notiſſimum eſt. Admirabile porro, quod legimus de ea re apud Evagrium : Vetus, inquit, conſuetudo fuit Conſtantinopoli, ut quando particulæ Corporis Domini ſupereſſent, pueri ſcholas frequentantes acciſerentur eas manducaturi. Contigit autem filium cujuſdam Hebræi artis Vitriarii, cum aliis pueris advenisse ; cauſam ergo moræ parentibus ejus ſciſcitantibus, reſpondit ſe cum aliis pueris ad ſacrum panem accesiſſe. Incenſus quodam furore pater, filium in fornacem, qua vitrum formabat, puerum conjicit. Mater inſcia rei, requirebat puerum per Urbem cum lamentis. Poſt triduum, ad oſtium officinæ viri conſiſtens & lamentans, nomine puerum compellabat. At puer matris vocem agnoſcens, è clibano reſponſum dat. Illa effractis foribus irrumpens videt illum in mediis flammis illæſum. Interrogat quo pacto illæſus manſerit ? Mulier quædam, ajebat ipſe, amictu purpureo, crebro ad me venit, porrexit aquam, qua flammam me ambientem extingueret, & cibum providit. Quæ te ad Juſtinianum delata, puerum cū matre Baptiſmo tingi decernit ; patrem autem, quia recuſavit Chriſtianis adſcribi, cruci ſuffigendum curavit.

LECTIO XIII.

DE EUCHARISTIA UT EST Sacrificium.

1. *Docet ex antiquis Scripturis probari noſtrum Sacrificium.*
2. *Etiam probari ex Scripturis novi Teſtamenti.*

PROPOSITIO I.

Sacrificium Miſſæ in Scripturis antiquis prophetice fuit prænunciatum.

Sacrificio hoc nihil habet divinus Eccleſia.

Eccleſia nihil habet ita illuſtre & divinum, ac Miſſæ Sacrificium, in quo Agnus qui integer pelevenit, ejuſq; caro & ſanguis divinitati junctus, incruente immolatur & offertur. Illud enim donum precioſiſſimum, quod a Deo & Cœlo acceptum, ſibique in finem ſæculi relictum Eccleſia profitetur, quotidie Deo repræſentat & libat renovans memoriam effuſi in Paſſione ſanguinis, cruento illo Crucis ſacrificio, quo redemptionis precium fuit Patri oblatum. Agnoſcitq; Chriſtianorum fides, hac renovatione, & incruenta Miſſæ oblatione in qua eadem hoſtia victima eſt quæ erat in cruce applicati nobis illam redemptionē Crucis : ut poſſit efficaciter nunc prodeſſe ſingulis, quæ univerſaliter & ſufficientiſſimè omnibus tunc fuit præparata & acquiſita. Sed hæretici noſtri ſicut invident nobis precioſum legatum & teſtamentum Redemptoris, loco divini Corporis, ſolam figuram & imaginem illius nobis ſubſtituere conantes ; ita etiā invident ſolemne & inclytum illud Miſſæ ſacrificium ; ejuſq; ſplendorem toto orbe tutilantem ægris ſuis non ferentes oculis, conantur flatu ſerpentino omnimodè illum extinguere. Unde maledicas ſuas linguas, in nihil ita acuerunt, ac in pretioſum iſtud ſacrificium, blaſphemiis, ſcommatibus, convitiis illud abolere conati. Sed & omnem furorem virei q; effuderunt in baſilicas, aras, calices, veſtes ſacras, & omnia ad ſacrificii ſolemnem ritum ſpectantia : illa prophanantes, fœdantes, diripientes, demolientes, in locis ad quæ cæca eorum tyrannis potuit pertingere.

Hæretici furor in eo abolendo.

Noviſſimè dum contra Ludovicum XIII. Galliæ Regem in Caſtro S. Joannis Angli (quod modo juſto Regis decreto æquatum ſolo eſt) rebelles,

manu

manus cordaque erigerent : reperta ſunt tormenta bellica, noviter ære fuſa, cum hac inſcriptione Gallica : *Les Chaſſe Meſſe.* Quaſi latinè diceres : *Tormenta ad Miſſam explodendam fuſa & fabrefacta.*

Hæc verò Synagoga malignantium, accuſat ob Miſſæ ſacrificium Eccleſiam Chriſti ſponſam caſtiſſimam, idololatriæ, ſuperſtitionis, adulterii, magiæ. In quo ſimilem omninò ſe oſtendit mulieri perditæ : quæ ubi illi contingit contendere cum pudica Matrona, ſtatim ubi videt ſe ratione convinci, criminibus quibus ipſamet obnoxia eſt, eam onerat, vocat meretricem, ſagam, adulteram ; ne forte prævepiatur, & priùs oneretur hiſce criminibus, quibus verè ſcatet. Nempè, ſcimus hæreſim
Apoc. 17. 3 eſſe meretricem illam in Apocalypſi, plenam nominibus blaſphemiæ, ebriam ſanguine Sanctorum, poculum exhibentem plenum immunditiâ, veneno, abominatione, infatuantem Principes & populos. An ergò mirum, ſi didicit adverſus poculum & calicem ſacrum, in ſacrificio Domini ab ejus caſta ſponſa oblatum, blaſphemias, voces, & accuſationes fallaces, jugiter inſuſurrare auribus illorum, quos infatuare cupit, ut venenum calicis ſui eorum ori inſtillet ? Quid iterùm mirum, cùm Scri-
Dan. 8. 11. & c. 12. 11. ptura prophetica nobis teſtetur, Antichriſtum, quantum in ſe erit, ſublaturum juge iſtud ſacrificium, ſi Antichriſti metatores (ſic hæreticos vocat
Cyprian. D. Cyprianus) idipſum, quantum in ſe eſt, conentur ? Sed inſanâ mente, voce, manu, quantum voluerint, in miſſam debacchentur : eam neutiquam à veris Fidelibus gloriari poterunt dimiſſam. Quin potius agnoſcere coguntur, in Provinciis peſtilenti ſuâ doctrinâ infectiſſimis, Miſſam etiamnum celebrari, & ab aliquibus Fidelibus frequentari ; quos reliquit Dominus tanquam ſemen fidei in medio nationis perverſæ, inter ſpuria vitulamina, palmites electos. Si Angliam, Scotiam, Hollandiam, aliasque infectas orbis partes ſcrutentur ; non deſunt ibi, qui etiam cum gravi periculo, privatis in locis Miſſam audiant : ſicut nec tempore Antichriſti deerunt, licet occulti ſint futuri. Et ita ſemper Veritatis aſſertio, per os Prophetæ pro-
Mal. 1. 11. nunciata, immota manet : *A ſolis ortu uſque ad occaſum offertur & ſacrificatur nomini meo oblatio munda*, & quidem *in omni loco*, ſivè in omni orbis parte, in Aſia, in Africa, in Europa, in America, apud Japones, Indos, Sinas. Hæc eſt oblatio ſacrificii Miſſæ, per quam magnum eſt nomen Domini inter gentes, repudiato ſacrificio, & templo Judæorum.

Sed neglectis blaſphemis adverſariorum vocibus, & criminibus quæ objectant (quæ poſſemus facilè in eorum capita retorquere) ex Scripturis & Patribus, ac ratione Miſſæ ſacrificium demon-
Iſa. 8. 20. ſtremus ; & à maledica lingua provocemus : *Ad legem magis & teſtimonium*, juxta monitum Domini apud Iſaiam.

Mal. 1. 11. Primò igitur, ſi antiquum Teſtamentum conſulamus, teſtimonium certum deducitur ex loco ci-

tato Malachiæ. Definit enim Tridentinum, oblationem illam mundam, quam Propheta dicit offeri & ſacrificari, non eſſe aliam quam noſtrum ſacrificium : & ita interpretati ſunt SS. Patres ab initio Eccleſiæ, inter quos S. Clemens, S. Martialis, S. Cyprianus, Irenæus, Juſtinus, & alii vicini temporibus Apoſtolorum, quos videre poteris apud Bellarm. l. 1. de Miſſa c. 10. Quia ergò Prophetæ futura quaſi præſentia per lumen ſibi infuſum intuentur, ideò dicit in præſenti : *Sacrificatur & offertur in omni loco*, q. d. Intueor illud puriſſimum & ſanctiſſimum ſacrificium, per Apoſtolos & eorum in ſacerdotio ſucceſſores brevi offerendum ubivis gentium ; ideòque libellum repudii Matri veſtræ Synagogæ dandum, ſimulque templum veſtrum ac victimas rejiciendas prædico : & id mihi adeò exploratum eſt, ut jam Dei repudiantis decretum vobis annunciem, & dicentis : *Non eſt mihi voluntas in vobis, &c.* Dicitur verò per excellentiam oblatio noſtra, *oblatio munda*. 1. quia Corpus eſt Chriſti puriſſimum & ſanctiſſimum, utpote virgineum & à Spiritu Sancto puritatis auctore effotmatum, ipſique fonti puritatis, divinitati ſcilicet unitum. 2. quia nulla offerentis malitiâ & impuritate poteſt inquinari, ut ait Tridentinum. 3. quia mundandi vim habet & efficaciam, longè aliam quam legalia ſacrificia, quæ à quibuſdam legis & carnis immunditiis expiabant. Hæc autem noſtra oblatio, internam animi impuritatem abſtergit, potens perfectum facere accedentem : *Si enim ſanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis : quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo* (& quotidiè per manus Sacerdotum offert) *emundabit conſcientiam noſtram, ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo vivenri ?* 4. quia ſacrificia antiqua multam in templo immunditiam exteriorem cruoris effuſione ingerebat, carniumque pinguedine, ut in macellis noſtris eſt conſpicere. Hoc autem ſacrificium noſtrum in rebus puriſſimis eſt inſtitutum, in panis & vini ſymbolis. Et licet hic fiat oblatio etiam carnis & ſanguinis cum immolatione ; illa tamen puriſſima erit, incruenta, myſtica ; nihil afferens oculis ingratum aut indecorum, ritum externum, cum puritate & decore conjunctum, exhibens.

Trid. ſ. 22. c. 1.

V. Bellar. l. 1. de Miſſa c. 10.

Dicitur oblatio munda & cur ?

Trid. ſupra cit.

Hæc itaque indubitatè eſt oblatio illa, quæ hæbraicè ibidem MINCHA, vocatur ; quod idem eſt, ac ſacrificium farreum ſivè ſcrificium farinæ & panis : quia nimirum ex farina & pane, hoſtia noſtra conficitur, & in Corpus & Sanguinem Chriſti transſubſtantiatur. Fuitque hujus noſtri ſacrificii expreſſa figura, ſacrificium illud farinæ & panis, de quo Levitic. 2. cui libatio vini jun-
Exod. 29. gebatur juxtà legem, Exod. 29. eratque ſymbolum alterius ſpeciei. Inſuper, offerebatur oleum, thus & ſal ; oleum ſymbolum miſericordiæ Chriſti nobis in ſacrificio hoc quotidiè exhibitæ ; thus

Heb. 9. 13.

Digitized by Google

signum odoris suavissimi, quo se Christus offert; tal symbolum incorruptionis & æternitatis, per Eucharistiam nobis promissæ. Et hæc verò oblatio nostra mundissima, non solùm in omni loco offertur, sed & in omni tempore, omnibus horis; quod facilè intelliges, si consideres cursum Solis, qui aliis oritur, dum nobis occumbit; & quibusdam in meridie est, dum in aurora illucescit aliis. Ita ut cum aurora usque ad Meridiem Missæ in Christianis provinciis celebrentur, ob diversum situm illarum jam contingit ferè singulis horis offerri; & propter hoc etiam rectè vocatur *Iuge sacrificium.*

Alterum testimonium ex veteri Testamento, Ps.109.4. est illud, quod de Christo à Psalte prædicitur: *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*; Gen.14. 18. hoc est, secundum ritum Melchisedech: Constat autem ex Genesi ritum eius & sacrificium in oblatione panis & vini constitisse: ergò dicendum est, Christum simile aliquod sacrificium obtulisse. Quod quidem in cœna fecit, in oblatione & sacrificio corporis sui sub speciebus panis & vini. Nam sacrificium crucis cruentum, non fuit secundum ordinem Melchisedech, sed potius secundum ordinem Aaron, qui oves agnosque immolabat cruentâ sanguinis effusione. Idem verò quod ipse fecit, præcepit Apostolis suis faciendum dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc.22.19 1.Cor.11. Quibus verbis eos constituit Sacerdotes ejusdem ritus sacrificandi; eorumque in sacerdotio successores noluit ab hoc ritu recedere, usque in finem sæculi. Ps.109.4. Et ideò ipse dicitur, *Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*, quia per suos Vicarios tanquam principalis Sacerdos & Offerens, offert illam eandem Hostiam in Missâ, quàm in Cœna, sub symbolis panis & vini, in similitudinem sacrificii à Melchisedech oblati, quod fuerat typus Sacrificii ab eo in Eucharistico Mysterio offerendi.

Neque miteris Apostolum ad Hebr. c. 7. agen- Heb.7. 2. tem de similitudine Sacerdotii Melchisedech cum Sacerdotio Christi, illam solùm explicare in persona: quod sicut ille dicitur Melchisedech, id est, REX JUSTITIÆ, item REX SALEM, id est, pacis; ita & Christus. Et sicut ille introducitur sine patre, sine matre, sine genealogia: ita Christus sine Patre in terris est, sine Matre in cœlis: Apostolus enim de Eucharistiæ mysterio agere noluit, quia multi Hebræi rudes & infirmi, tanti arcani necdum erant capaces. Undè expressè dicit c. 5. ideò se non omnia explicasse de Melchisedech: *De quo*, inquit, *nobis grandis sermo; & interpretabilis* Heb.5.v.6 & 10. *ad dicendum, quia imbecilles facti estis ad audiendum.* Sufficiebatque Apostolo demonstrare Hebræis Christi Sacerdotium esse diversum, & successisse abolevisseque sacerdotium Aaronicum. Hoc sic probat: David post quadringentos annos ab instituto sacerdotio Aaronico, promittit alium Sacerdotem scilicet Christum, qui sit futurus perpetuus Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, qui præcessit legem & sacerdotium Aaronis: ergò significat Aaronicum sacerdotium, utpote temporale & infirmum, abolendum esse per posterius sacer- Heb.7. & dotium Christi, quod debet esse æternum & prio- 11. ri eminentius. Tunc verò Apostolus, ut probet *Melchisedech fuit typus Christi.* sacerdotii hujus Christi excellentiam & æternitatem, describit aliqua, in quibus Melchisedech Christi typus fuit.

1. In nominis & dignitatis significatione, quia Melchisedech idem est, quod Rex justitiæ, id est, justissimus, & ipse dicitur Rex Salem, id est, pacis. Quis est autem Rex justitiæ, nisi Christus? qui ut Deus, per essentiam Rex est justitiæ; ut homo, à Patre constitutus est, ut regnum sibi acquireret satisfaciendo ex justitia pro genere humano. Et simul Judex constitutus est universorum, ut tanquàm Rex & Vindex justissimus, sapientissimus, potentissimus, in solio & tribunali sedeat, justis decernens præmia, reprobis supplicia. Quis iterùm Rex pacis, nisi is, qui *per sanguinem suum pacificavit, sivè* Col.1.20. *quæ in cœlis, sivè quæ in terris, Mediator Dei &* 1.Tim.2.5 *hominum homo Christus Iesus?* qui in Salem civitate pacis, sivè in Jerusalem cœlesti regnaturus est in æternum, ubi pax perfectissima in carne, in mente, in toto homine efflorebit.

2. In generatione, ætate, duratione. Scriptura enim nullam facit ullibi mentionem generationis ejus, nec patris, nec matris, nec filiorum, nec uxoris, nec exordii vitæ ejus aut mortis, nec ætatis, nec durationis: sed quasi è cœlo lapsum eum introducit Regem & Sacerdotem, sacrificantem & offerentem panem & vinum: & quasi in cœlum receptum, & immortalem agnosceret, nihil de fine ejus describit. Licet verò credamus eum hominem mortalem fuisse, ex patre & matre natum, vita functum; attamen ideò hæc taceri à Scriptura insinuat Apostolus, ut sit typus Christi perfectior & æternitatis ejus. Christus enim verè sine patre in terris, sine matre in cœlis est, omni planè initio & fine temporis ejus persona caret, Virgo est sine uxore, sine filiis.

3. In Sacerdotio. Sicut enim Melchisedech non solùm fuit Rex, sed & Sacerdos & Pontifex, ita Christus. Nec legitur oleo unctus sicut Aaron, & primus sui generis Sacerdos introducitur, idemque ultimus, nec enim ei legitur aliquis successisse. Quibus omnibus significatur novum & æternum Christi sacerdotium, cui alius non succedit: sed suum offert sacrificium, tanquam principalis Sacerdos, per manus ministrorum suorum usque in sæculi finem.

4. In benedictione & decimatione Abrahæ. Quia sicut Melchisedech Pontifex major fuit, quàm Abraham, qui etiam erat Sacerdos; ideò enim benedixit Abrahamo quasi major, & Abraham ei tanquam majori decimas dedit: ita Christus major est quam Aaron, qui jam in Abrahæ lumbis latens, virtualiter benedicebatur à Melchisedech typo Christi.

Et

Digitized by Google

Et ideo probat Apoſtolus ſacerdotium Chriſti præfiguratum in Melchiſedech, fuiſſe præſtantius ſacerdotio Aaronico & Levitico.

Ultimo, typus fuit ratione ritus externi & hoſtiæ oblatæ in pane & vino, ſicut & Chriſtus in illo Euchariſticum ſacrificium inſtituit. Hoc eſt, quod ad noſtrum maxime propoſitum ſpectat, ſignificarique per Pſalmiſtæ verba iſta: *Tu es Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech*, jam oſtendimus, & conſenſus eſt Patrum SS. omni ſæculo, quos videre poteſ apud Bellarm.

V. Bellar.

His duobus certiſſimis teſtimoniis addi poteſt tertium ex Daniele deſumptum, qui dicit tempore Antichriſti in Eccleſia ceſſaturum *juge ſacrificium* (palam ſcilicet & publicè) ergo ſupponit, in Eccleſia ad ea uſque tempora vigere aliquod publicum & juge ſacrificium; illud vero non poteſt aliud eſſe, quam Miſſæ ſacrificium, quod juge dicitur, quia perpetuum, & uſque ad noviſſima tempora duraturum. Adduci etiam poteſt ad confirmationem dictorum illud Pſalmis de tempore Miſſæ prophetantis: *Erit firmamentum in terra, in ſummis montium*, quod multi ex Hebræo vertunt. *Erit pugillus frumenti, vel erit placentula frumenti, in capitibus Sacerdotum.* Et deſignatur elevatio hujus hoſtiæ, quæ per Sacerdotes fit in hoc ſacrificio: cujus fructus omnino ſublimis eſt ſupra libanum, hoc eſt, ſupra omnem celſitudinem; & ejus etiam virtute factum eſt ut Chriſtiani cives Eccleſiæ (quæ eſt urbs Chriſti) extollerentur, florerent, multiplicarentur ab initio, quaſi fœnum quod in virorem floremque creſcit, & porrigit ſe in altum latumque, cœlo terram irrorante: a fructu frumenti & vini hujus cœlici, multiplicati ſunt Fideles numero & gratia, & bonis operibus Deique benedictionibus omnigenis.

Dan. 12. 11.

Pſ. 71. 16.

Teſtimonia ex novo Teſtamento ac SS. Patrib. ſequenti Propoſitione inſinuabuntur.

PROPOSITIO II.

Inſtitutio Sacrificii Miſſæ, ex Scripturis novi Teſtamenti eſt manifeſta.

S. Leo Papa ep. 82. Ambroſ. l. 1. ep. 13. Auguſt. Con. Car.

Miſſæ quidem nomen expreſſum in ſacris Literis non reperitur: Eſt tamen antiquum, & ab initio Eccleſiæ uſurpatum. Nam & D. Leo & Ambroſius, & Auguſtinus & Concilium Carthaginenſe 2. can. 3. & alii Patres ejus meminerunt. Soli ultimi ſæculi noſtri Hæretici, illud odio habentes, conati ſunt ex libris SS. Patrum, qui ad eorum manus pervenerunt, expungere; exiſtimantes ſimul ſacrificii noſtri veritatem obliterare cum nomine. Quidam autem exiſtimant derivari à MISSACH, quæ eſt vox Hebraica, idem ſignificans quod OBLATIO, & hoc valde probabile eſt. Alii à Latina voce deducunt à verbo, MITTO, nimirum, quia in hoc ſacrificio oblatio noſtra mittitur ad Deum, & poſt eam populus dimittitur, unde illud: ITE MISSA EST. Sed quicquid ſit de nomine, rem & ſubſtantiam in Scripturis contineri certum eſt, & a Chriſto, & ab Apoſtolis manaſſe.

Primo Chriſtum in Cœna idem quod nos ſacrificium obtuliſſe, definit Tridentinum. Nam quod in Miſſa noſtra eſſentiale eſt, tunc inſtituit, & exemplo ſuo Apoſtolus docuit; nempe, conſecrationem, oblationem, ſumptionem corporis ſui. Eadem ergo hoſtia in Cœna quæ in Miſſa, eadem conſecratio, eadem immolatio, eadem perceptio ſive participatio ejuſdem victimæ. Attamen quoad accidentia, diverſitas quædam reperitur. In ſacrificio enim Miſſæ offertur Chriſtus immortalis & glorioſus, in Cœna mortalis & paſſibilis: quia talis erat Chriſtus tunc quando ſe offerebat; jam verò in Miſſa ſe talem offert, qualis in Cœlo eſt impaſſibilis & glorioſus. Sic & Apoſtolis ſumendum tunc dedit corpus ſuum paſſibile, quamvis modo impoſſibili, & viſibile, ſed modo inviſibili. Tale enim dedit, quale erat in propria ſpecie, paſſibile ſcilicet, ſed propter modum exiſtendi quem ibi habebat, fiebat ut nec ab extrinſeco, nec ab intrinſeco pati poſſet, non magis quam in ſe impaſſibile fuiſſet. Item, hæc diverſitas reperitur in ſacrificio noſtro & ſacrificio Chriſti in Cœna, quod noſtrum, mortem Chriſti præteritam deſigner, in Cœna autem, mortem ipſius repræſentabat futuram. Deinde, ſacrificium Cœnæ; reſpectu illius quod offerimus, eſt quaſi quoddam exemplar, cujus repræſentatio eſt in Miſſa: Nam non ſolum repræſentamus ſacrificium Crucis, ſed etiam ſacrificium incruentum Cœnæ, quoties ſacrificamus. Denique, in Cœna Chriſtus ſe Patri obtulit immediate, nullo miniſtro mediante: in noſtro ſacrificio offert ſe in finem uſque ſæculi, mediante Sacerdote. Sed id naturam oblationis non variat (ſicut nec aliæ diverſitates allatæ) non magis quam varietur eleemoſyna, ſi herus per ſe dat, vel per ſuum famulum. Per hoc Sacerdos eſt (Dei & hominum mediator homo Chriſtus Jeſus) ipſe offerens, ipſe & oblatio. Cujus rei Sacramentum quotidianum eſſe voluit Eccleſiæ ſacrificium: quæ cum ipſius capitis corpus ſit, ſe ipſam per ipſum diſcit offerre. Huic ſummo veroque ſacrificio cuncta ſacrificia falſa ceſſerunt.

Trident. ſſ. 22. c. 1.

Vide D. Tho. 3. p. q. 81. art. 3.

Auguſt. l. 10, Civ. c. 20.

Addo, quod Chriſtus in Cœna non ſolum ſubſtantiam noſtri ſacrificii inſtituerit; ſed etiam ritus & cæremonias Miſſæ adumbrarit, poſtea ab Eccleſia inſtituendas pro diverſis temporibus diverſas. In his enim cæremoniis Chriſti imitatio eſt. Nam ipſe ante conſecrationem ſermonem de rebus divinis fecit, elevans in cœlum oculos oravit, gratias egit; benedixit, fregit, dedit, & poſt iterum gratias agens, hymnum dixit. Sic & Eccleſia pro varietate gentium, locorum, temporum, ante & poſt conſecrationem varios ritus ſanxit, orationes, benedictiones, ex Prophetis & Evangeliis lectiones, poſtulationes, gratiarum actiones.

Digitized by Google

S. Proclus Patriarch. Alex. l. de tradi. div. Liturgiæ.

Secundo, Apostolos cum solemni ritu Missam celebrasse asserit expresè S. Proclus Patriarcha Alexandrinus in lib. de traditione divinæ Liturgiæ: *Apostoli, priusquam dispergerentur, convenientes ad totæ die orandum convertebantur, & cum multam consolationem in mystico Dominici corporis sacrificio, positam invenissent, fusissime & longa oratione Missam decantabant. Hæc enim divina sacra, una cum docendi sermone conjuncta, cæteris rebus anteponenda existimabant: ita ut in memoria semper haberent verbum Domini dicentis: Hoc est corpus meum: Hoc facite in meam commemorationem. Quare contrito spiritu multas preces decantabant: quin etiam eos qui ex Judæis & Gentibus recenter illustrati erant, ad religionem Dei & pietatem erudiebant. Docebantque veteri doctrina relicta, sacris illis & pietate plebis, Missa mysteriis sensus suos & mentem imbuere.* Hæc ex multis pauca lib. dicto.

Sed & idipsum manifestè colligitur ex Actis c. 13. ubi cum retulisset Lucas Antiochiæ fuisse Doctores & Prophetas, inter quos Barnabas, Simon, Lucius & Manathen, addit: *Et ministrantibus illis Domino, & jejunantibus dixit Spiritus Sanctus: Segregate mihi Paulum & Barnabam.* Act. 13. 2. Ubi in Greco habetur: *Litantibus illis Domino*, sive Liturgiam celebrantibus; Græcis autem λειτουργέω liturgeo, idem est, quod sacrifico, & Liturgia idem est, quod Missa. Vide Jo. Lorinum & Corn. à Lapide ibi.

Colligitur etiam ex Apostolo dicente ad Heb. 13. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* Heb. 13. 10. Græcè, *habemus sacrificatorium.* Ut quid altare, nisi ad sacrificandum? Item 1. Cor. 10. Apostolus: *Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.* Quænam mensa dæmoniorum, nisi illa in quibus dæmonibus sacrificabatur? Quænam igitur mensa Domini, nisi in qua Domino sacrificatur? Hinc Optatus Milevitanus, agens adversus Hæreticos impios, qui altaria eraserant, sic dicit: Opt. Milev. l. 2. contra Parm. *Quid est tam sacrilegum, quam Dei altaria, in quibus aliquando & vos obtulistis, radere, frangere, removere? In quibus vota populi & membra Christi portata sunt, quo Deus omnipotens invocatus est, quo postulatus descendit Spiritus Sanctus, unde à multis pignus salutis æternæ, tutela fidei & spes resurrectionis accepta est. Quid est altare, nisi sedes Corporis & Sanguinis Christi? Quid vos offenderat Christus, cujus illic per certa momenta corpus & sanguis habitabat? Hoc tamen immane facinus, geminatum est, dum fregistis etiam calices Sanguinis Dominici portitores.* Hæc ille adversus impios sui temporis: quæ & nos contra hæreticos nostros repetimus, uti sacrificii, ita & altarium sacrilegos demolitores. Sic & Calvinus Ecclesiæ Gebbennensis supremum altare jussit demoliri, & lapidem sacro Chrismate delibutum, extra portam in locum prophanum efferri prope Pontem Arvensem: ut malefactoribus ad suspendium vel infamem mortem damnatis serviret tanquam sacrarium, in quo populis ostentarentur. Sic nimirum Angeli altarium cum reverentia assistunt, dæmones coram illis trepidant, Fideles reverentur, & honorem eis tribuunt; sola hæresis ea indigne tractat. Denique ad quid in nova lege sacerdotium, ad quid Paulus & Barnabas per singulas civitates constituebant Sacerdotes & Presbyteros, nisi ad sacrificandum; Sic ad Titum scribit Apostolus: *Reliqui te Cretæ, ut constituas per civitates Presbyteros.* Act. 14. 22. Tit. 15.

Tertio, ad particulares Apostolos descendendo testatur S. Ignatius, SS. Petrum, Paulum. Jacobum, Missam celebrasse; & S. Stephanum Jacobo, Timotheum Paulo, Anacletum & Clementem Petro, tanquam Diaconos in sacrificio ministrasse. Sic enim habet in epistola ad Trallianos: *Quid Diaconi nisi imitatores Angelicarum virtutum? ministrantes ministerium purum & immaculatum, ut S. Stephanus B. Jacobo, & Timotheus ac Linus Paulo, & Anacletus ac Clemens Petro.* Ignat ep. ad Trall. Hinc & Liturgia sive Missa S. Jacobi extat omnium scilicet vetustissima quam Jerosolymis (ubi primus fuit Episcopus) ex sententia omnium Apostolorum merito institutam colligimus, ut ea uterentur, cum adhuc Jerosolymis non discessissent. Unde & ea usus est ante necem Stephani, illo ministrante, ut ait Ignatius qui cum Apostolis conversatus non potuit id ignorare. Hanc vero dictam Liturgiam esse Jacobi, agnoscit Synodus 6. can. 32. Synod. 6. can. 32. Est etiam antiquissima Liturgia sive Missa, quam vocant Æthiopum, eorum lingua descripta: quam eis tradidit S. Philippus, qui baptizavit Eunuchum Candacis Reginæ Æthiopum, qui & postea cultum Christi in Æthiopia disseminavit, ut testantur Irenæus, Hieronymus, Cyrillus Hierosolymitanus. Extat & tertia Liturgia seu Missa Syraco sermone conscripta, qua Oriens utebatur tempore D. Basilii, quæ & ab Apostolis manasse creditur: & quarta Græco sermone, cui aliquos ritus addidit D. Chrysostomus. Denique & quinta Latinæ linguæ, quam Petrus tradidit, ut SS. Patres testantur. Act. 8. 27.

Quarto, S. Andream Missam celebrasse, ex ejus actis constat, scriptis à Diaconis Achaiæ. Unde cum urgeretur ab Ægeæ Achaiæ Proconsule, ait: *Ego omnipotenti Deo quotidie agnum immaculatum sacrifico, cujus carne postquam omnes populus credentium manducaverit, Agnus qui sacrificatus est, integer perseverat & vivus.*

Quinto, S. Matthæus divina mysteria in altari celebrans, jussu Regis Æthiopum Hirtaci occisus fuit: eo quod Iphigeniam filiam Regis defuncti ad consensum matrimonii inducere non posset: quæ S. Matthæi opera virginitatem voverat, ab eo à mortuis suscitata.

Sexto, adhuc Romæ extat altare ligneum, in quo S. Petrus & reliqui Pontifices usque ad Sylvestri tempora Sacrum conficiebant, estque in Basilica Lateranensi erectum. Nec mireris ligneum esse, quia licet postea à Sylvestro decretum fuerit, ut nonnisi ex lapide altaria ædificarentur,

Digitized by Google

tamen cum à Sancto Petro uſque ad Sylveſtrum, ob perſecutiones Pontifices certo loco conſiſtere non poſſent; quocunque eos neceſſitas compulisset, ſive in cryptas, ſive in cæmeteria, ſive in ædes piorum, ſuper illo altari ligneo ad modum arcæ concavo ſacra faciebant. Unde & Sylveſter in honorem Principis Apoſtolorum, qui in eo ſacrificium confecit, & reliquorum Pontificum qui eo uſi ſunt, ſanxit ut nemo præter Romanum Pontificem in eo Miſſam deinceps celebraret: Quia verò tunc pax reddita fuit Eccleſiæ, etiam Sylveſter ſtatuit, ex tunc Eccleſias ſolemni ritu conſecrari, & in eis erigi altare Chriſmate delibutum, ut Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui eſt altare, hoſtia & ſacerdos noſter, figuram exprimeret. Ex his ergo omnibus manifeſtè patet, quam aperte mentiantur hæretici, dum aſſerunt non à Chriſto & Apoſtolis; ſed à tempore Gregorii, Miſſam ortum ſuum habuiſſe, & exinde ſolum celebrari ſolitam.

Objectiones. Heb. 10. v. 10. v. 14.

Opponunt verò hæretici Apoſtolum ad Hebræos dicentem: *Chriſtum non offerre ſæpius ſemetipſum, ſed ſemel obtuliſſe ad deſtructionem peccati*: Item quod *una oblatione conſummaverit in æternum ſanctificatos: ubi autem peccatorum remiſſio, jam non amplius oblatio pro peccato.* Unde & addunt, nos per hoc ſacrificium derogare ſacrificio crucis, quaſi illud non fuiſſet ſufficiens, & per noſtros ſacerdotes, ſacerdotio Chriſti, quem Pater inſtituit ſacerdotem æternum: & ideò non eget ſucceſſoribus ſicut ſacerdotes antiqui, ut etiam inſinuat Apoſtolus.

Reſpond.

Reſpondeo. Quando Apoſtolus dicit Chriſtum non offerre ſæpius ſemetipſum, & una oblatione omnia conſummaſſe, loquitur de cruenta oblatione, unde ſubdit: *Alioqui oportuiſſet eum ſæpius mori*: Hoc ergo ſacrificium cruentum ſive oblationem in cruce factam, dicit fuiſſe ſufficientem ad acquirendam redemptionem, & pretium ſolvendum; nec opus eſſe alia oblatione ad id, aut eam iterari: nec nos etiam ad hunc effectum aliud ſacrificium requirimus. Quia tamen oportuit redemptionis pretium jam acquiſitum applicari ſingulis ad idipſum & Sacramenta & ſacrificium noſtrum eſt ordinatum. Idque ſine injuria ſacrificii crucis, cui adſcribimus redemptionem & ſalutem noſtram, tanquam cauſæ univerſali infinitæ virtutis, à qua omnis virtus derivatur, & in Sacramenta, & in ſacrificium noſtrum, quod habet à ſe tanquam cauſa particularis, applicans virtutem ſacrificii crucis. Unde nec propriè aliud eſſe ſacrificium dicitur: quia eadem eſt victima, eadem res oblata, quamvis modus offerendi diverſus ſit: & omnis virtus illius à ſacrificio crucis promanat, & in illo fundatur, illudque repræſentat: Rectè ergo dixit Primaſius. *Quotidie peccamus, & quotidie indigemus mundari; & quia non poteſt jam mori, dedit nobis hoc Sacramentum Corporis & Sanguinis ſui: ut ſicut Paſſio illius redemptio & abſolutio fuit mundi, ita etiam eſt oblatio, redemptio, & mundatio ſit omnibus in vera fide offerentibus.* Similiter tantum abeſt, ut ſacerdotio Chriſti ſacerdotium noſtrum deroget, quin potius illud ſtabiliat: ex eo enim dicitur Sacerdos in æternum, quod in ſæculi finem ſacrificet per manus & miniſterium Sacerdotum. Ipſe ſolus principalis eſt Sacerdos, cui dum dicimus ſuccedere aut Pontifices aut Epiſcopos aut Presbyteros; ſed ſunt ejus Vicarii & adminiſtri, virtute illius operantes, ipſeque manet in æternum, nec opus eſt ei quemquam ſuccedere, ſicut Eleazar ſucceſſit Aaroni defuncto.

Primaſius in c. 10. ad Heb.

Ex his collige, Euchariſtiam eſſe ſimul *& teſtamentum, & ſacramentum, & ſacrificium*, quia omnia illa ſola differunt ratione, nec repugnant. Eſt ergo *teſtamentum*, quatenus nobis in ea à Chriſto moriente legatum eſt pignus amoris, corpus & ſanguis ejus. Eſt *Sacramentum*, quatenus ordinatur in hoc myſterio, tanquam cibus ad gratiam ſanctificationis conferendam. Eſt *ſacrificium*, quatenus reſpicit Deum, cui offertur ad recognitionem & cultum.

Euchariſtia eſt & teſtamentum & ſacramentum & ſacrificium.

LECTIO XIV.

DE RATIONE INSTITUTI SACRIFICII.

1. *Docet maximum Dei cultum exhiberi per hoc Sacrificium.*
2. *Docet beatius tam hominibus, quàm Angelis eſſe honorificum.*

PROPOSITIO. I.

Euchariſtia Sacroſancto Sacrificio, maximus Deo honor tribuitur.

Definitio ſacrificii.

EST enim Sacrificium, *oblatio rei ſenſibilis à legitimo Miniſtro, ſoli Deo facta per realem mutationem ad teſtandum ſupremum dominium, & noſtram ſubjectionem.*

Quotuplex ſit ſacrificium.

Davidi verò ſolet ſacrificium juxta 4. cauſarum genera. 1. Ratione originis ſeu cauſæ efficientis dividitur in ſacrificium legis naturæ, Moſaicæ, Evangelicæ. 2. Ratione materiæ, in victimam ſeu hoſtiam cum aliquod animal offertur; in immolationem, cum res in anima ſolida, & in libamen, cum res liquida. 3. Ratione formæ & finis dividitur in holocauſtum, Hoſtiam pacificam, & ſacrificium ſeu Hoſtiam pro peccato de quibus lect. 15. 4. Ratione finis tantum, dividitur in λατρευτικὸν ſeu honorarium, quod ſolum fiebat ad Deum colendum, & vocari ſolet Holocauſtum: εὐχαριστικὸν, quod præter Dei cultum, fiebat in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis Imperatorium, quod fiebat prò beneficiis accipiendis, & hoc 2. & 3. vocari ſolet Hoſtia pacifica, Propitiatorium, quod fiebat ad placandum Deum pro commiſſis peccatis: & vocatur Hoſtia prò peccato.

Omnia genera ſacrificiorum veteris legis continet ſacrificium Miſſæ.

Sacrificium Miſſæ ad omnia hæc revocari poteſt. Id eſt Latreuticum ſeu honorarium.

ed by Google

Pſt Latreu ticum,

Prima ratio inſtitutorum ſacrificiorum fuit, Deo debitus cultus exterior, & veneratio qua proteſtaretur homo ſervitutem ſuam, dominiique divini ſupra ſe, & ſuper res omnes creatas excellentiam. Unde in omni lege conveniens fuit ſacrificium aliquod inſtitui ad hunc effectum : in eaque eſſe aliquod ſacerdotium, cui annexa foret auctoritas publica ſacrificia Deo offerendi, in recognitionem dicti dominii, & in proteſtationem hujuſce cultus externi. Quapropter ſtatim ab initio mundi videmus ſacrificium oblatum ab Abel, & à Cain. Abſque dubio edocti fuere ab Adamo cultum hunc, & ipſum ſacrificia ante omnes Deo omnium bonorum ſuorum auctori obtuliſſe, certum videtur, licet ſcriptura non exprimat. Advertit vero Sanctus Hieronymus ex traditione Hebræorum, in lege naturæ primogenitos jus habuiſſe ſacerdotii & ſacrificii, uſque ad Aaron: quamvis & quidam ex ſpeciali inſtinctu, impulſi fuerint ad ſacrificandum, ut Abel, Abraham, Jacob, & ſimiles, qui eo ipſo a Deo cenſentur conſtituti Sacerdotes. In lege autem Moyſis, Levitæ, loco omnium primogenitorum, electi ſunt ad ſacerdotium. Numer. 3. Et his data eſt poteſtas offerendi ſacrificia. Quæ eſt ergo ratio, cur Reſpublica Chriſtiana careat ſacerdotio & ſacrificio, quo publico ritu & nomine Deum colat, obſequium & homagium ſervitutis ſuæ exhibeat, auctoremque vitæ & mortis, bonorumque omnium Dominum agnoſcat : cum nulla bene inſtituta Reſpublica, nulla unquam Religio, illo caruiſſe reperiatur? Audi Petrum Cluniacenſem, contra Petrobruſianos Miſſæ ſacrificium negantes, hoc argumento utentem, quo & noſtri hæretici conſtringuntur. Cur ſacrificare Deo cœli terrigenas prohibetis, cum hoc ſit cultus divini & ſubditi Deo animi præcipuum indicium, ab ipſo conſtitutum? cur ſervos Domino, homines Deo, conditori condita, redemptoti redempta famulari, & illi ſoli debitum venerationis genus reddi non vultis? Cur ſacrificia Chriſtiana vobis Chriſtianis (ſi tamen eſtis) diſpliceant, cùm ſacrificiorum ſigno ſemper Deus ſuos ab alienis diſcreverit, cum humanam ſervitutem ab humanis obſequiis, & honorem Creatori debitum ab honore qui homini debetur, hoc maximè ſigno diſtinxerit? Mirum ſi Chriſtiani à ſacrificiis uni Deo offerendis arcentur, cum Patriarchæ, Prophetæ, Judæi, Gentiles, Fideles, ab ipſo Deo ipſi Deo ſacrificare cogantur? Mirum ſacrificium divinum, præcipuum Deitatis cultum, de mundo nunc auferri, cum nunquam mundus in retroactis generationibus abſque ſacrificiorum factis fuerit : Nam nec in profundis ignorantiæ & nequitiæ ſuæ tenebris, ita Deo periit, ut non haberet aliquos qui per juſtitiam eum colerent, & per ſacrificia colere demonſtrarent. At nunc ſi doctrinam veſtram novam mundus exaudiat, faciet quod nunquam fecerat : & more captivati illius populi, ſedebit abſque lege, abſque Rege, abſque Sacerdotio, abſque Ephod & Terephin : eumque Deo ſacrificare ceſſaverit, & ipſe Dei eſſe ceſſabit. Erit his temporibus gratiæ quod nunquam fuit nec tempore iræ, ut Chriſtianis Deo ſacrificare ceſſantibus, cultus qui ſemper in mundo fuerat, omninò de mundo pereat : & qui Deum ritu ſuo colens, Deo ſubditus eſſe probatur, cultum ejus abjiciens, abſque aliquo Deo proſus eſſe videatur. Reſpondet ergo vobis, ô hoſtes Dei, Eccleſia Dei, ſe neque abſque ſacrificio eſſe, nec illo ſuo ſacrificio aliquid aliud quam corpus ſui Redemptoris offerre. Offert quidem illa Domino ſacrificium ſpiritus contribulati, offert ſacrificium juſtitiæ, offert ſacrificium laudis (ſed hæc impropriè dicta ſacrificia ſunt) offert ergò longè acceptabilius ſacrificium, cum ſcilicet *qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo* ut emendaret *conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo viventi.* Offert Agnum Dei qui tollit peccata mundi, qui immolatus non moritur, nec divitiis minuitur, nec cometſus conſumitur. Offert illum pro ſe illa, qui ſe obtulit pro ipſa, & quod ille fecit ſemel moriendo, hoc illa facit ſemper offerendo. Hactenus ille, & eleganter & efficaciter.

1. *In lege naturæ.*

2. *In lege Moſaica.* Num. 3.

P. Cluniacenſ. Li. epiſt. 2

Hiero. in q. Hebr.

Heb. 9. 14

His igitur conformiter aſſerimus, gratiſſimum Deo eſſe noſtrum ſacrificium multis rationibus. Primò, quia nullatenus gratiorem victimam poſſet cœlum terraque ſuppeditare, & in cultum ſupremæ majeſtatis offerre. Si enim Judæi & Gentiles Deo offerebant oves, boves, agnos, columbas, capras, fruges & primitias, proteſtantes eum eſſe principium, cauſam, finem, omnium quæ creata ſunt, ab illoque ſe ea accipere: Chriſtiani offerunt ipſum filium Dei, primogenitum omnis creaturæ in quo ſibi complacuiſſe teſtatur Pater : & quanto ille excellentior eſt omni creatura, tanto magis glorificatur Deus hac victima.

1. *In lege novæ*

1. *Fit in cultum ſupremæ Majeſtatis.*

Secundò, quia per hoc ſacrificium unum, uni vero Deo oblatum, excluſi ſunt innumeri falſi Dii cum ſuis ſacrificiis & idolis ac idolothytis, quibus gentes creatæ detinebantur. Diverſæ enim nationes diverſos ſibi Deos cæco errore adoptarant & ſpeciali cultu colebant. Nam Cretenſes & Lybiæ populi Jovem, Carthaginenſes Junonem, Thraces Herculem, Thebani & Arabes Bacchum; in Delphis Apollinem, in Cypro Venerem, in Athenis Minervam : Itali Martem, Galli Mercurium, Scythæ Solem, Siculi Vulcanum, Ægyptii Oſirim & Iſidem, Lacedæmones Neptunum: in Epheſo Dianam, in Epidauro Æſculapium, alii Cererem & Æolum colebant & ſibi elegerant. Eos verò in ſpecialibus idolis adorabant, nam & Scriptura meminit de Moloch idolo Ammonitarum, de Dagon idolo Philiſtinorum, de Atlynorum idolo Baalim, & aliis. His etiam ſpecialia ſacra faciebant, & ſpecialibus victimis ac ſacrificiis colebant. Etenim Saturno homines immolabant, Marti & Soli equos, Vulcano ignem, Proſerpinæ ovem nigram

2. *Hoc ſacrificio excluduntur falſi in. Enumeratione falſorum Deorum ſingularum nationum.*

Digitized by Google

nigram, Veneri teſtitudinem, Dianæ cervam, Cereri ſpicas, Fauno capream, Neptuno taurum, Iſidi anſerem, Jovi bidentes crateresque vino & ſanguine plenos, Junoni agnellam candidam, Baccho vinum & hircum, Æſculapio gallum, Cupidini ſagittas, Oſiri bovem, Muſis Picam, Priapo aſinum. Pleraque ſimilia reperies, ſi eos revolvas, qui de Gentilium ſacris tractârunt. Hæc ergò omnia nefanda ſacra apud Gentes diſparuerunt, Evangelii luce coruſcante, dum per unicum Euchariſtiæ ſacrificium, unitas, dignitas, majeſtas Dei agnoſcitur & colitur, explosis inanium Deorum & nominibus & numinibus.

3. Nullum unquam Deo gratũ fuit ſacrificium niſi ratione hujus.

Tertiò, nullum unquam ſacrificium Deo gratum fuit, niſi ratione hujus; quod omnia primitùs à Deo inſpirata, præfigurârunt. Aut enim animalia in Dei honorem immolabantur; aut fruges terræ ſacrificabantur, triticum, panis, ſimilia; aut offerebantur & effundebantur liquores aliqui, ut ſanguis oleum, vinum, aqua, & libamenta dicebantur. Hæc verò omnia Chriſtum hic oblatum deſignabant: undè dicitur Agnus occiſus ab origine mundi, quia ſcilicet in victimis ab initio oblatis, ejus mors & paſſio repræſentabatur; deſignabaturq; in diverſitate illa ſacrificiorum, Agni ſacrificium ſivè cruentum in Cruce, ſivè incruentum in Miſſa, ſub ſpecie panis; myſticaque ſanguinis ejus effuſio ſub ſpecie vini. Unde D. Leo ſerm. 8. de paſſ. dicit: *Nunc carnalium ſacrificiorum varietate ceſſante, omnes differentias hoſtiarum una corporis & ſanguinis Domini implet oblatio: ut ſicut unum eſt pro omni victima ſacrificium, ita unum de omni gente ſit regnum.*

4. Hoc ſacrificio celebratur Dei bonitas.

Quartò, quia per hoc ſacrificium celebratur Dei bonitas, quâ filium, quem dedit in pretium & redemptionem, nunc in victimam donat: per quam pretium illud acquiſitum & redemptio nobis applicatur, quoties voluerimus. Celebratur & Sapientia Dei talem modum ſe nobis communicandi, & pro nobis ſe offerendi adinvenientis. Exaltatur quoque potentia Dei, in hoc auguſtiſſimo myſterio & ſacrificio adeò mirabilia operantis. Denique & juſtitia ejus maximè honoratur, dum illa placatur & conciliatur, condigna hac pro peccatis oblatione.

5. Innovatur quotidiè opus noſtræ Redemptionis Luc. 22. 19.

Quintò, quia gratiſſimum eſt Deo quotidiè commemorari & innovari opus noſtræ redemptionis, quod fit in hoc ſacrificio ad hunc finem inſtituto. Undè illud inſtituens Chriſtus dicit, *Hoc facite in meam commemorationem.* Noverat Salvator quid fecerat, quid facturus erat propter hominem, noverat ſingulare opus quod geſſerat induendo hominem, noverat ſtupendum quod geſturus erat moriendo propter hominem. Sciebat ſe hoc opere ſalvaturum hominem, abſque hujus operis dilectione nullum ſalvari poſſe hominem. Sciebat quod humanitatis & mortis ſuæ opus, ſicut ſuper omnia opera ſua ſummè eſt celebratum, ſic mortalibus pro quibus fiebat, ſummè eſſet commendandum: utpotè cujus caro pro illis torquebatur, cujus anima pro ipſis triſtabatur, cujus mors illorum vitæ miniſtrabatur. Hoc certè ſolemniter commendandum erat, ut Chriſtus diligeretur, dilectus haberetur, habitus nunquam perderetur. Sed hæc ejus dilectio ab hominibus ſervari non poterat memoriâ permanente: nec fugax memoria diu retinere valebat, niſi ſigno congruo apparente. Ne igitur a corde fugeret, quod maximè cordi ineſſe oportebat, ſigno rei congruente veluti fune inſolubili colligata eſt cordi memoria: quo fortiter vinciente, ſemper redemptus redemptionis pretium cogitaret; indeque Redemptori gratias agens, fide quæ per dilectionem operatur, nequaquam ſe ingratum tantæ gratiæ demonſtraret. Abſque dubio igitur honoratur Deus, hujus ſacrificii oblatione frequenter repetita: quo mire humanus animus excitatur ad omnium CHRISTI myſteriorum & liberationis noſtræ memoriam recolendam. Quocirca quoties illud offertur, dicit Eccleſia per os ſacerdotis. *Undè & memores nos Domine ſervi tui, ſed & plebs tua ſancta ejuſdem Chriſti filii tui Domini noſtri, tam beatæ Paſſionis, nec non & ab inferis reſurrectionis: offerimus præclaræ Majeſtati tuæ, de tuis donis ac datis Hoſtiam puram, Hoſtiam ſanctam, Hoſtiam immaculatam: Panem ſanctum vitæ æternæ, & Calicem ſalutis perpetuæ.*

Vide ſimile in Agni typici oblatione. Iſraelitæ enim annuum Agni ſacrificium repetebant, in memoriam primi illius Agni oblati, cujus ſanguine poſtes ſuos aſperſerant; Et primogeniti ipſorum ſic liberati fuerant à morte, quia percutiebantur ab Angelo circumeunte primogeniti Ægyptiorum: in memoriam quoque exitus & liberationis ſuæ ex Ægyptiaca ſervitute, quod fuerat præcipuum beneficium veteri populo præſtitum. Etenim ne illius obreperet oblivio, juſſus eſt annuo ſacrificio (quod eſſet ſimile primævo & antiquo illi in Ægypti exitu oblato) eam renovare: eratque illud ſacrificium Deo acceptiſſimum, quia ſolemni ritu recoleret tot mirabilia in liberatione illa populi, potentiæ ſuæ prodigia.

Figuræ ejus in Agno Paſchali. Exo. 12. 7.

Simili modo non annuum, ſed quotidianum & juge ſacrificium Chriſtianus populus offert, in memoriam primæ oblationis veri Agni, tam incruentæ in cœna factæ, quam cruentæ in cruce: cujus ſanguine à morte liberi evaſimus, & è ſervitute Satanæ educti ſumus. Et quia præcipuum illud beneficium, eſt novi teſtamenti populo præſtitum, ideò de die in diem ſpeciali ritu recolendum fuit, ut ſic Deus quotidiè exaltaretur. In hoc verò differentia eſt ab Iſraelitis, quod illi ſingulis annis alterum annum ad exemplar primi immolabant: quia ille jam conſumptus non poterat iterum immolari, aut integer repræſentari. Quia verò Agnus noſter immolatus, vivus manet, comeſtus non conſumitur, diviſus integer reſtat; ideò illum ipſummet Agnum, illam eandem victimam,

Digitized by Google

mam, quæ in cœna, quæ in cruce oblata eſt, offerimus: non aliam nunc, aliam tunc, non cras alium Agnum, alium hodie; ſed ſemper illum ipſum. Non aliud Sacerdotes offerunt in Hiſpania, aliud in India, nec aliud in Gallia, aliud in Japonia: ſed ille ipſe Agnus qui tollit peccata mundi, ſuperponitur altari Chriſtianorum. Quapropter ſacrificium Chriſtiani orbis non multiplex eſt, ſed ſimplex; non plura ſed unum. Sicut enim in toto orbe unus tantum eſt populus Chriſtianus qui offert, & unus Deus cui offertur, & una fides per quam offert, & unus principalis offerens ipſe Chriſtus: ita & id quod offertur unum eſt, corpus unum Chriſti non plura, idem ſanguis non diverſus. Ceſſit pluralitas Judaicarum victimarum unitati victimæ Chriſtianæ: & quia nec Agnus, nec bos, nec vitulus, nec aries, nec capra, nec hircus, nec quælibet alia hoſtia Judaica, poterat perfectum facere ſervientem multiplicitate ſuâ: proviſa eſt à Deo hoſtia, quæ offerentes mundaret, ſanctificaret, perfectos faceret, unitate ſuâ.

Procul ergò delubra Gentilium, fana idolorum, templum Judæorum: procul caro animalium, ſanguis taurorum, adeps arietum. Omnia illa reprobata ſunt, adveniente ſacrificio Chriſtianorum, in quo corporis & ſanguinis vivifici puriſſimâ oblatione, divina ita colitur Majeſtas, ut priora omnia repudiet & dicat: *Non eſt mihi voluntas in vobis:* Mal. 1. 11. *A ſolis ortu uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum,* quia *offertur nomini meo oblatio munda.* Fruſtrà, ô Judæi, inclamatur a vobis: Hier. 7. 4. *Templum Domini, Templum Domini.* Non ego amplius Judææ limitibus, nec Templi veſtri anguſtiis coarctari volo: toto orbe templa, aras, baſilicas, ædificari mihi præcipio, & oblatione illâ quam elegi, in illis adorari & coli. In templi veſtri ruina, legis quoque veſtræ & ſacrificiorum ſepulturam, & inreparabilem ruinam agnoſcite.

Niceph. l. 10. hiſt. Eccl. c. 32. & 33. Socrates lib. 1. c. 10

Punitio divina Judæorum renovantium ritũ ac templũ ſuum.

Memorabile porrò eſt hic quod refert Nicephorus lib. 10. quomodò conati ſunt frequenter Judæi ad ſtructuram templi ſui & ſacrificiorum reſtaurationem, ſed divinis prodigiis ſunt prohibiti. Patuit id tempore Juliani Apoſtatæ, qui in odium Religionis Chriſtianæ, poteſtatem eis fecit Templum ritumque Judaicum renovandi. Cum ergò effoſſis reliquiis ſtructuræ veteris, jacerent primum fundamentum, terræ motus ingens ortus, & lapides exuſſit, & operis ſtructores. Sic adimpletum fuit illud: *Non remanebit lapis ſuper lapidem.* Ædificia quoque templo vicina, impetu collapſa, multis ſepulchri loco fuere: alii ſemineces, crura vel brachia, vel alia membra mutilata retulere è ruina: Cùm verò imperialis conſtitutio urgeret, terræmotu ceſſante, aliis iterum opus aggredi tentantibus, ignis è fundamentis exſiliens, & alius item de cœlo veniens, plures quàm antea conſumpſit: & mallei, ſcalpra, ſecures, aſciæ, & quæcunque ad ſtructuram ſpectantia, in cinerem fuêre redacta. Sic divinam manum huic operi adverſari, & Chriſtum Deum eſſe, fateri coacti ſunt; & tamen cæci in errore Judaico permanſerunt. Acceſſit & aliud miraculum. Nam proximâ nocte, ſuâ ſponte veſtes eorum, crucis ſignis, inſtar radiorum conformatis ſunt configatæ: ita ut omnes veſtitum tanquam ſtellis variegatum, & lanificâ arte atque ſolertiâ diſtinctum haberent. Illucéſcente autem die, eas detergere conati, nihil egerunt: ſed nec id eos obcæcatos & induratos ad fidem perduxit. Vide Nicephorum loco cit.

Obſtinatio Judæorum.

Hic quoque rememorandum eſt, quomodò non ad Hæreticos miniſtros ſatanæ, ſed ad Catholicos, templa, aras, ſacrificia ſpectare, eorumque Sacris Deum adeſſe, ſpecialiterque coli, quibuſdam etiam prodigiis, divina prodidit providentia. Refert D. Gregorius, Eccleſiam quandam Arianorum, ſuo tempore (cùm clauſa per biennium manſiſſet) ritu Catholico, introductis S. Stephani & Agathæ reliquiis dedicatam à ſe fuiſſe. Tria verò narrat tunc accidiſſe miracula. Primò enim cùm Miſſarum ſolemnia celebrarentur, præ loci anguſtia turba, quæ plurima ad Dei laudes advenerat, ſe comprimente, porcus immundus intra ſtantium pedes diſcurrere ſentiebatur; nec videbatur, omnibus admiratione rei commotis. Qui tandem extra ianuas ſe proripuit. Quod idcircò, inquit, divina pietas oſtendit, ut cunctis patefaceret, quod de loco illo immundus habitator, porcus ipſe inviſibilis, exiret. Sed adhuc duabus ſequentibus noctibus, in rectis Eccleſiæ magnus fragor audiebatur, quaſi quis errando diſcurreret, donec tandem graviſſimus ſonitus cum terrore auditus eſt, quaſi à fundamentis Eccleſia illa tota concideret; illo ſonitu ſatis ſignificans, quod a loco, quem diu renuerat, jam coactus exibat. D. Greg. lib. 3. dialog. c. 30.

Secundò, poſt paucos dies in magna ſerenitate aeris, ſuper altare nubes cœlitus deſcendit, & ſuo velamine operuit: omnemque Eccleſiam tanto terrore, ſed & ſuavitatis odore replevit, ut patentibus januis, nullus præſumeret intrare. Nam & Sacerdos, & qui ad Miſſarum ſolemnia venerant & rem viderant, ingredi minimè poterant, & ſuavitatem odoris mirifici trahebant.

Tertiò, cum die alio in ea lampades ſine lumine dependerent, divinitus ſunt accenſæ. Iterum altero die poſt ſolemnia Miſſarum, cùm is, qui curam habet, eas extinxiſſet, paulò poſt intrans accenſas reperit; timensque ſe forte negligenter extinxiſſe, jam ſollicitus iterum extinxit, Eccleſiam firmiter claudens. At poſt trium horarum ſpatium, iterum accenſas reperit: hoc ergò miraculoſo lumine, ſignificare voluit Deus omnibus, quod locus ille a tenebris ad lucem veniſſet. Hæc S. Greg.

Audi & miraculum tempore Baſilii. Cùm Imp. Valens Fautor Arianorum, Eccleſiam quandam Chriſtianorum Arianis tradidiſſet, graviter increpavit eum S. Baſilius. Tandem cum multis de vera fide diſceptatum fuiſſet; ſubitaria jurgiis, eo res deducta Amphilis vita S. Baſil. Petrus de Natal. c. 29.

Digitized by Google

deducta eſt,ut fidei periculum facerent. Clauſerunt ergo Eccleſiæ fores, & utrimque ſigillo munierunt: ut ad quorum precem per ſe patefierent, illis poſſeſſio fieret. Ariani tribus diebus incaſſum orant, continuis ſupplicationibus. Baſilius verò poſtquam precatus eſt, levi bacillo Eccleſiæ Portas tetigit, dicens: *Attollite portas Principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Et ſtatim,ac ſi vocem percepiſſent jubentis,patuerunt. Sic divino numine,Chriſtianis templum adjudicatum eſt, cui in vera fide ſacrificia illic erant offerenda. Plerique etiam Arianorum relicta hæreſi, Fidelibus ſe junxere: quod ſolis illis cæli aditum patere dicerent, ad quorum precem ſic Eccleſiæ aditum viderant aperiri. Sic Amphilochius in vita Baſilii & Petrus de Natalibus loco cit.

PROPOSITIO. II.

Sacrificium proficit etiam beatis tam hominibus quam Angelis ad honorem & gaudium.

1. *Beatis.* PRimò quidem quoad Sanctos notum eſt in eorum honorem & memoriam frequenter ab Eccleſia ſacrificia offerri. Ubi adverte. Non offerri ipſis Sanctis propriè loquendo ſacrificium; ſed Deo: eſt enim actus ſupremi cultus latriæ & adorationis,qui ſoli Deo debetur, quo ejus ſupremum dominium profitemur, noſtramque ſervitutem. S. Aug. li. 20.cont. Fault.c.21 Quapropter Auguſtinus ſic ait: *Quis Antiſtitum, in locis ſanctorum corporum aſſiſtens altari, aliquando dixit; Offerimus tibi Petre aut Paule, aut Cyprianet Sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit, apud memorias eorum quos coronavit: ut ex ipſorum locorum admoniione, major affectus excurgat ad accendam charitatem, & in illos quos imitari poſſumus, & in illum quo adjuvante poſſumus.* Audiendus etiam eſt hac de re S. Martialis ſic loquens: Altaria dæmonum, dum in pulverem redigerentur, aram ignoti Dei ad conſecrationem reſervari juſſimus,qua dedicata in nomine Domini Dei Iſrael, & ipſius teſtis Stephani,qui pro eo à Judæis paſſus eſt, non hominis cultus,ſed Dei in ea frequentatio. Stephanus enim non Deus, ſed amicus Dei fuit, qui pro teſtimonio ejus animam ſuam poſuit, cujus ſanguine ipſa menſa eſt decorata; quia ſuo ſanguine Jeſus Chriſtus comprobatus eſt eſſe Deus. Hæc S. Martialis. S Martialis ep ad Burdegalenſes c. 3.

Interim, ex his ſacrificiis, honorem in illos redundare, ſat docet Eccleſia in ſua precatione dicens: *Suſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem in memoriam paſſionis, reſurrectionis, aſcenſionis Jeſu Chriſti Domini noſtri: & in honorem B. Virginis, & omnium Sanctorum, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad ſalutem, & illi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris.* Primò itaque repræſentamus Sanctiſſimæ Trinitati cui ſacrificamus, ſanguinem, vulnera, Paſſionem Chriſti qui eſt hoſtia noſtra,cujus cruore emundantur ſordes animæ noſtræ, contractæ ab operibus mortuis. Inde repræſentatur memoria Sanctorum, & maximè Martyrum,ſanguis & vulnera eorum; non tanquam ſint victima noſtra,& ſanguis eorum pretium noſtrum: ſed quia ſunt ſecundarii Mediatores, qui nos etiam juvare poſſunt,ut exaudiamur ad votum. Et quia pretioſa eſt in conſpectu Domini mors Sanctorom ejus, vult cum morte unigeniti Filii ſui, qui eſt caput & primaria hoſtia, etiam paſſiones Martyrum repræſentari qui ſunt membra ejus & quaſi ſecundariæ victimæ, ad imitationem & honorem capitis, morti cruentæ addictæ. Sed ut oſtendatur differentia, Scriptura in Apocalypſi indicat Chriſtum eſſe ſuper altare, qui pro omnibus paſſus; Martyres ſub altari, quia ipſius redempti paſſione, & dum mortem ipſi tolerarunt, & vicerunt; tolerarunt in virtute Chriſti, vicerunt in ſanguine Agni. Apo. 6. 9.

Quam gratum verò eis ſit, mortem eorum commemorari cum morte unigeniti Filii Dei in Miſſæ ſolemniis, declarant etiam hodie nonnulla miracula. Neapoli aſſervatur ſanguinis S. Stephani planè concretus & inſtar lapidis durus: at quoties ſuper altare ponitur,dum Miſſa celebratur,liqueſcit, agitatur, ebullit cunctis diſpicientibus. Quid cauſæ adferemus, niſi quod is dum ſacra myſteria Chriſti, quem tantopere dilexit, peraguntur, & memoria renovatur actionis illius, quia vitam poſuit pro Chriſto, quodammodò reviviſcit, & ad illius præſentiam commovetur? Aſſervatur & ibidem in templo ſancti Gregorii ſanguis ſancti Joannis Baptiſtæ concretus: at in die quo feſtum ejus celebratur, poni ſolet ampulla ſuper altare: & dum ſacra officia celebrantur ea hora qua caput illius amputatum fuit, ſanguis ille agitatur, ebullit,efferveſcit, ut alibi latius dixi ex Bozio & aliis Hiſtoricis. *In Miſſa Deo grata memoria mortis Sanctorum cũ morte Vnigeniti Filii.* Exempla Tho. Bozius l. 15. de ſignis Eccl. c. 1. 10. Baron. in Martyrol. 3. Aug

Itaque,licet Sanctis non proſit ad gloriæ eſſentialis augmentum oblatio ſacrificii, prodeſſe tamen poteſt ad accidentale quoddam gaudium, cum gaudent de Dei honore & profectu noſtro: & ad gloriæ augmentum quoddam accidentarium & extrinſecum: Eſt enim honorificum Deo hoc offerri in eorum memoriam, & eos tanquam Patronos noſtros invocari. Eadem ratione eis graviſſimum ac honorificum eſt,templa, oratoria, aras, Deo in eorum memoriam erigi & conſecrari, ut ibi ſacrificia dignè poſſint offerri: Quam acceptum Deo fuit, quanq; Apoſtolo Petro honorificum,Imper. Conſtantinum octavo poſt Baptiſmum die, depoſito diademate humi jacere,vimque lachrymarum profundere,& mox ſumpto ligone terram eruere? Deinde duodecim terræ cophinis in honorem duodecim Apoſtolorum ablatis,deſignare locum Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & eam ab imo ad ſummum uſque magnifico opere erigere? Etenim ad hanc poſtea ritu myſtico per ſanctum Sylveſtrum conſecratam, ex omnibus terræ partibus Populi, Principes, Sacerdotes, Epiſcopi, Reges, Imperatores,

Digitized by Google

tores, vota & ſacrificio Deo oblaturi, & fidei petram Eccleſiæque fundamentum veneraturi confluxerunt ſumma Religione & Pietate: & Dei Sanctorumque cultus exinde maximum cepit incrementum.

Eccleſia à S. Petro conſecrata. Beda li. 2. hiſt. Angl. c. 3. Baron. tom. 8. an. 610. ex Beda

Memorabile porrò eſt, quod anno 610. S. Petrus Templum in ſui memoriam Londini ædificatum, à Seberto (Beda Seberethum vocat) nepote Regis Ethelberti a S. Auguſtino converſi, ipſemet dignatus ſit ritu Pontificali conſecrare; ut oſtenderet, quàm gratum ſit Deo templa erigi, & Sanctorum memoriæ dedicari. Rem ſic Beda refert, Ealredusque in vita S. Eduardi Regis. Nocte Eccleſiæ illius dedicationem præcedente, Piſcatori cuidam Thanenſis Fluvii, qui idem Monaſterium præterfluit, in ulteriori ripa habitu peregrino B. Petrus apparens, promiſſa mercede tranſponi ſe ab eodem & petiit & promeruit. Egreſſus autem de navicula, Eccleſiam cernente Piſcatore ingreditur: & ecce ſubitò lux cœleſtis emicuit illuſtrans omnia, miro ſplendore noctem vertens in diem. Adfuit cum Apoſtolo multitudo civium ſupernorum ingredientium, & melodia cœleſtis inſonuit. Mane facto, Epiſcopo procedenti ad dedicandam Eccleſiam, Piſcator occurrit, & quæ facta fuerant, exponit. Stupet Antiſtes & ingreſſus, pavimentum inſpicit duplici Alphabeto ſcriptum: parietem in locis duodecim oleo conſecrationis linitum: & tandem cereos cum crucibus, & videt recenti aſperſione cuncta adhuc madere. Miraculo ergo credens, Deum cum populo benedixit, nec repetere conſecrationem præſumpſit.

Eccleſia à Chriſto dedicata. Rob. Gaguinus l. 3. annal. Franc. Fulgoſus lib. 1. c. 6. Vincent. l. 23. c. 36.

Quid, quod ipſemet Chriſtus templa dignatus eſt viſibiliter conſecrare, ut apta fierent ſacrificio. Audi hiſtoriam memorabilem & certam ea de re. Tempore Dagoberti Regis Francorum, Epiſcopis apud S. Dionyſium dedicandæ Eccleſiæ gratia à Dagoberto convocatis, dum 6. Kal. Martii id peragere ſtatuiſſent: pridie, homo lepra totus deformis, ab ædituis impetrat in æde pernoctare. Ubi dū vigil in oratione perſeverat, videt perſpicuè Chriſtum comitantibus Petro & Paulo, nec non Dionyſio, Ruſtico & Eleutherio, per feneſtram in Baſilicam adventare: qui candida veſte amictus, ſacrum dedicationis munus cum cæremoniis abſolvit. Inde ad leproſum progreſſus; Tu, inquit, dicito Pontificibus, cùm cras ad hanc ædem ſe conferent, eam à me conſecratam eſſe. Ut autem fidem faceret, contacta hominis facie, lepram fædiſſimam auferens, eam proximo lapidi glutinavit. Qui lapis adhuc viſitur ſumma cum admiratione, inter reliquias illius aſſervatus. Unde miraculo attoniti Præſules, a dedicationis munere abſtinuere: cum etiam parietes divinis infigniti manibus, rei geſtæ teſtimonium perhiberent.

2. *Angelis.*

Luc. 15. 7.

Secundò, quantum ad Angelos, illis proficere ad gaudium piè oblatum ſacrificium, non eſt dubium. Cùm enim teſtetur Scriptura, illis gaudium eſſe ſpeciale in converſione peccatorum: quis dubitabit ex hoc redemptionis noſtræ ſacrificio, quo remiſſio & juſtificatio peccatoribus impetratur & divina bonitas celebratur, illos ſpecialem lætitiam carpere: Aſſiſtere verò eos ſacrificio, tanquam cæleſtes Milites à latere ſuperni Regis hic præſentis, jam ſupra diximus ex S. Chryſoſtomo cùm egimus de adoratione Euchariſtiæ. Et nota eſt auctoritas D. Gregorii dicentis. *Quis fidelium habere dubium poteſt, in ipſa immolationis hora, ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri, & in illo Jeſu Chriſti myſterio Angelorum choros adeſſe, ſummis ima ſociari, terrena cæleſtibus jungi, unum quid ex viſibilibus & inviſibilibus fieri?*

S. Chryſ. lib. 6. de Sacerdotio. Greg. 4. Dialog.

Immò verò Angelorum operâ ſacratam victimam Deo deferri, docemur ex ſacrificio Manue Patris Sampſonis; cui ſacrificanti adfuit Angelus Domini, & ignis divino miraculo è Petra ſuſcitatus: *Cumque* enim *aſcenderet flamma altaris in cœlum, Angelus Domini pariter in flamma aſcendit*, inquit Scriptura. Ubi myſterio quodam deſignatum eſt, dum cum flamma Charitatis ſacrificium Deo offerimus, hanc ſimul flammam cum victima, Angelico miniſterio ad Divinitatis Thronum provehi. Quapropter etiam in Miſſa dicit Sacerdos: *Iube hæc Domino perferri per manus S. Angeli tui, in ſublime altare tuum, in conſpectu divinæ Majeſtatis tuæ, ut quotquot ex hac altaris participatione ſacroſanctum Filii tui corpus & ſanguinem ſumpſerimus, omni benedictione cœleſti & gratia repleamur.* In quibus verbis Angelos quandoque viſibiliter aſſuiſſe exemplis declaravi, cum de Angelis tractavi. Ubi etiam oſtendi, altare quodlibet Angelum ſibi habere ſpecialiter deſtinatum à conſecratione. Ad horum etiam confirmationem afferri poteſt, quod in Apocalyp. legimus. *Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum: & data ſunt ei incenſa multa, ut daret de orationibus Sanctorum ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei. Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angelicorum Deo.*

Jud. 13. 20.

Lib. 1. tract. 2. lect. 5. propoſ. 3.

Apoc. 8. 3.

Quinimò adeò gratum eſt Angelis Miſſæ ſacrificium, ut honori ducant, etiam Sacerdotibus miniſtrare. Nam S. Oſvaldo refert Surius Angelum Domini viſibiliter miniſtraſſe, in Miſſa reſpondiſſe ad ſingula, vicem famulantis ſupplendo. Item de S. Gregorio Magno refert Joannes Diaconus; quod cum in Eccleſia Sanctæ Mariæ Majoris in die Paſchæ celebraret, dixiſſetque: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, Angelus alta voce reſponderet: *Et cum ſpiritu tuo.* Ideò Papæ illa die ibidem celebranti & dicenti, *Pax Domini, &c.* nihil reſponderetur. Sic legimus de F. Joanne de Parma, Generali Ord. S. Franciſci, quod cum amore ſolitudinis Generalatu ſe abdicaſſet, & in ſolitudine dicta Græcio, totus Deo vacaret, Religioſum quendam pium adjunctum fuiſſe, qui certa hora accedebat, ut ſacrificio ejus miniſtraret. Cum autem ille quodam die diuturniori orationi antelucanæ vacaſſet, contigit cum ſopore oppreſſi, ea ipſa hora, qua

Surius 16. Octo. circa an. 1170. Joan. Diac. in vita S. Gregor. Ex tom. 2. Chron. Fran. Minor. l. 1. c. 57.

Miſſæ

Miſſæ Sacra adeunda erant, ad miniſterium interim Vir ſanctus ſacris ſe accingit, ſpe miniſtri proximè venturi. Horâ elapſâ non comparet miniſter, adeſt Angelus vultu & veſte referens Religioſum. Sacrificio peracto excitatur, videturque vocem ſe accenſentis Patris audire; accedit & interrogat: Placetne Pater mi Sacrum facere? tum vir Dei cognovit Angelum non Religioſum prius miniſtraſſe. Ita refert Franciſcus Gonzaga.

Col. 2. 18. Dices, Apoſtolus ad Coloſſenſes dicit: *Nemo vos ſeducat in humilitate & Religione Angelorum.* Ergò nec in honorem eorum aræ erigendæ. Reſpondeo, Apoſtolum vetare cultum ſuperſtitioſum, quo Cherinthiani, Caini, Simoniani, & ſimiles hæretici, adorabant Angelos ut inferiores Deos, Fabricatores & Gubernatores mundi, dicebantque eſſe Chriſto majores. Undè cùm diciſſet Apoſtolus: *Nemo vos ſeducat in Religione Angelorum*, ſubjungit: *Non tenens Caput*, ſignificans illos hæreticos Chriſto capitis dignitatem tollere, ideòque Apoſtolus toties extollit Chriſtum ſupra Angelos.

LECTIO XV.

DE EMINENTIA SACRIFICII MISSÆ.

1. *Docet noſtrum ſacrificium eſſe verum Holocauſtum.*
2. *Eſſe Euchariſticum & in illo contineri Hoſtiam Pacificam.*
3. *Eſſe ſacrificium impetratorium.*
4. *Eſſe quoque propitiatorium.*

Tres ſacrificii ſpecies.

TRes olim ſacrificiorum ſpecies à Deo præſcriptas legimus, Levit. 1. ſcilicet 1. Holocauſtum. 2. Hoſtiam pacificam. 3. Hoſtiam pro peccato. De 1. agit Moyſes Levit. 1. cap. de 2. cap. 3. de 3. cap. 4. 5. & 6. Quæ omnia in ſe continent ſacrificium Chriſti, quod hiſce figurabatur.

Primum, totum comburebatur in honorem Dei ad ejus perfectum dominium teſtandum, undè & Holocauſtum dicitur, hoc eſt, totum combuſtum.

Secundum, pro benficiis acceptis in gratiarum actionem, puta pro pace & ſalute; aut pro novis beneficiis impetrandis.

His noſtrum ſucceſſit ſacrificium.

Tertium, offerebatur ad expiationem peccatorum, puta, ignorantiæ furti, perjurii, calumniæ.

His tribus ſucceſſit noſtrum Euchariſticum ſacrificium, eminenter continens perfectionem & fructum omnem iſtorum, perfectiusque attingens ſcopum ad quem offerebantur; prout ſequentes Propoſitiones declarabunt.

PROPOSITIO I.

Sacrificium Miſſæ etiam eſt holocauſtum, quo ſummo Dei Majeſtas colitur & honoratur. V. ſuprà probatum lect. 14. propoſ. 1.

Sacrificii Miſſæ. 1. Eſt Holocauſtum ad Deum colendum. 2. Sacrificium Crucis fuit perfectiſſimum holocauſtum.

RAtio eſt, quia cum Sacrificium Crucis perfectiſſimum Holocauſtum fuerit, quo Chriſtus ſe totum Patri immolaverit: ita & noſtrum, quod illius eſt quædam repetitio & renovatio. In Holocauſto tota victima cremabatur, ad ſignificandum ſummum Dei dominium in res omnes, & omnia referenda eſſe ad eum ejuſque gloriam: Simul offerens proteſtabatur ſe totum eſſe Dei, cùm Hoſtia ſeipſum in Deum transferens & conſecrans; & ad id ſignificandum, capiti hoſtiæ manus imponebat. Chriſtus igitur in ara Crucis, ut perfectum holocauſtum offerret, non aliam quæſivit victimam, ſed ut ait Apoſtolus: *Tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam in odorem ſuavitatis.* Offert verò ſe totum, extenſis manibus, nudo corpore, oculis demiſſis, capite curvo, in agnitionem ſuprem æ Majeſtatis, & noſtræ ſervituris, ſubjectionis, nihilitatis. Ignis quo immolatur & crematur, non eſt materialis ſed myſticus: Ignis nimirum ardentiſſimæ charitatis, è corde aperto, quaſi è fornace amoris prodiens, ut victimam hanc corripiat, conſumat, & in Deum transferat. At ſicut in holocauſto, ſanguis victimæ fundebatur per altaris circuitum: ita & ipſe offerens ſeipſum, fudit ſanguinem in circuitu altaris, hoc eſt crucis: ut ſciremus, omnes orbis nationes hujus ſanguinis & ſacrificii fore participes. Nam ſuperior pars crucis ſanguine aſperſa, ſignificat Orientem: inferior Occidentem: lateralis pars à dextris & ſiniſtris, Auſtrum & Meridiem. Eph. 5.

Adverte verò, quod jam ab inſtanti Conceptionis agnoverit Chriſtus, ſe à Patre Sacerdotem unctum eſſe oleo ſpecialis gratiæ & lætitiæ præ conſortibus ſuis, ut repudiatis antiquis victimis novum ſacrificium offerret pro univerſo mundo: ideòque ex tunc ſacrificio interiori ſeipſum obtulit: voluntate perfectâ corpus & ſanguinem conſecrans Patri in oblationem: Sic deſcribit Apoſtolus ad Hebræos 10. ex Pſal. 39. ubi ſecundum LXX. legit, Chriſtum, dum mundum ingrederetur, dixiſſe ad Patrem: *Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi. Holocautomata non tibi placuerunt, tunc dixi: Ecce venio, ut faciam voluntatem tuam, in qua voluntate ſanctificati ſumus, per oblationem corporis Jeſu Chriſti ſemel.* Indicat Apoſtolus, per iſtam voluntatem, jam ab initio Chriſtum meruiſſe noſtram ſanctificationem; vocatque oblationem & ſacrificium corporis Chriſti adjiciens eam ſolum ſemel factam, quia ex ea hora quâ incarnatus eſt uſque ad mortem crucis, tota ejus vita unica fuit oblatio ad ſacrificium: quia ex tunc quidquid patiebatur, pars erat illius ſacrificii & holocauſti in cruce conſummandi. De quo Pſal 39. 7. Heb. 10. 5.

Digitized by Google

rectè illa verba in extremo spiritu ab eo pronuntiata intelliguntur : *Consummatum est :* sacrificium scilicet, quod à primo vitæ meæ initianti, cœpi Patri offerre. Unde rectè aliqui notant verba Christi
Marc.10. 38. apud Marcum ad filios Zebedæi directa. *Potestis bibere Calicem quem ego bibo : aut baptismo baptizari, quo ego baptizor.* His indicare se continuò bibere Calicem Passionis, & baptizari lavacro amaro dolorum interiorum, continuoque hæc offerre in sacrificium Patri. Quæ verba complentur apud
Matt. 20. 22. Matth. *Potestis bibere Calicem quem bibiturus sum ?* Hoc est. Quem ego desidero magno desiderio perfectè bibere & exhaurire, ut adimpleam voluntatem Patris : Baptismo habeo baptizari & quomodò coarctor donec perficiatur in me : Quasi dicat. Quantò desiderio urgeor & premor, ad Baptismum illum, ad Calicem Passionis amarum, ad sacrificium Crucis consummandum : quem quidem Calicem, Baptismum, Sacrificium, jam animi præparatione continuò offero, & in laborum tolerantia inchoo, nec quiescam donec ex integro perfectum exhibuero..

Ex his igitur patet sacrificium Christi holocaustum fuisse amoris, ardentissima flamma in Dei gloriam totum translatum. Et hoc etiam convincit figura antiqua Isaaci. Hunc enim non simpliciter offerre Pater jubetur, sed expressè dicitur, *in Holocaustum offeres*, totum cremando, nullam illius partem reservando, quæ mihi perfectè non offeratur. Quia scilicet illius figuram debebat gerere, qui in eodem monte, perfectissimo holocausto se oblaturus erat futuro tempore. Et subtiliter advertit S. Thomas, non legi in Scriptura, quod Isaac aliud obtulerit sacrificium, sicut alii Patriarchæ & justi : dicitque per hoc indicari, quod in illa voluntate perfectè generosa & forti, per quam à Patre monitus de Dei voluntate, paratum se offert, & dum ligari nil renuit, aram conscendit, jugulo cervicem dedit, immolationem certò exspectavit, sicut Agnus cum silentio super altare recumbens) obtulerit Isaac sublime sui sacrificium & oblationem. Et quia non solum excellens erat hæc Isaac oblatio, sed simul eam, quam Christus excellentissimam erat consummaturus, repræsentabat, non fuit opus mentionem fieri alterius sacrificii ab Isaac oblati.

2. Sacrificium Missæ etiam est perfectissimum Holocaustum.

His verò satis probatis de Christi holocausto in Cruce, consequitur etiam in Eucharistiam holocaustum esse, quod maximè offertur ad Dei gloriam & laudem : quia non minor est in Christo incruentè immolato amoris flamma, non minus charitas ignita ad sacrificium hoc suiipsius totum in Patris gloriam transferendum, quam fuerit in Cruce. Monemur verò, nos ipsos cum hoc sacrificio totos Deo consecrare, & instar holocausti offerre, totum corpus, animam, spiritum, vitam, ut nihil in nobis remaneat, quin in Deum cupiamus transferre, in obsequium & sacrificium laudis perpetuæ. Non est enim oblatio dignior, quàm seipsum purè & integrè cum oblatione corporis Christi in Missæ sacrificio offerre, quanto intimius potest fieri, cum omnibus viribus & affectibus, & nihil efficaciùs pro peccatis diluendis.

Quærit Prophera Michæas : *Quid dignum offeram Domino ? Curvabo genu Deo excelso : Nunquid offeram illi holocaustomata & vitulos anniculos ? Nunquid placari potest in millibus arietum ? Nunquid dabo primogenitum & fructum ventris mei pro peccato meo ?* Quasi dicat. Quid offeram ut ejus gratiam promerear, nunquid victimas & holocaulta ? Sufficit ne illi curvare genu unum, ut faciunt aliqui nobiles & aulici ? Nunquid Deus poscit à me piaculum & victimam filii, uti ab Abrahamo : aut potius, sicut Saturnus & Moloch & alii Dei gentium, poscit victimas humanas, filios & filias immolandas ? Minimè quidem sufficit ei, dona, oblationes & victimas offerre, aut genu curvare, nisi comitetur oblatio sui cum fide & humilitate, cum magna reverentia Majestatis summæ, cum contritionis & amoris igne & flammà ardente, Unde Augustl. *Quærebas quid offerres pro te ? Offer te. Quid enim Dominus quærit à te, nisi te ? Quia in omni creatura terrena nihil melius fecit te. Quærit te à te, quia perduderat te.* Audi sapientem Senecam. Socrati Magistro suo discipuli multa dederant ; Æschines pauper nihil habebat quod daret, donavit seipsum dicens : *Alii multum tibi dederunt, plus sibi reliquerunt, ego verò nihil mihi reservo* : Cui Socrates. *Quidni tu mihi magnum munus dederis, nisi fortè parvi te æstimas ?* Mich. 6. 6. S. Augustl. ser. 136. de temp. Sen. ep. 1. ad Gen. de benef. c. 8.

Simili modo parùm æstimat Deus, si dederis tua, plurimùm si te, intimè, cordialiter, amorosè offeras ; maximè in unione & conjunctione hujus sacrificii, Deo summè acceptabilis. Idcò etiam orat Sacerdos : *In spiritu humilitatis, & in animo contrito suscipiamur à te Domine, & sic fiat Sacrificium nostrum, ut placeat tibi hodie, Domine Deus.* Itaque, ut sit perfecta tui oblatio, & instar Holocausti accepta, offer totum intellectum cum omnibus cogitationibus, offer tuam voluntatem cum omnibus desideriis, offer totum cor cum omnibus affectibus, offer totum corpus cum omnibus membris, offer totam vitam cum omnibus momentis. Omnia & quæ circà te, & quæ in te sunt, ordina in obsequium & gloriam illius, qui omnium est principium & finis. Sic Christo conformis eris, sivè in cruce, sivè in hoc mysterio sese totum Patri offerenti, in laudem & gloriam nominis ejus. Quod ipsum plebem assistentem Sacrificio facere, indicat Sacerdos, dum utramq; manum immediatè ante consecrationem offerendæ victimæ imponit, hoc est Pani & Calici consecrando : quâ cæremoniâ indicat, quod plebs offerens seipsam immolet in hac Hostia, seque Deo consecret. Undè dicit : *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus ut placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æter-*

ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari.

PROPOSITIO II.

Sacrificium Miſſæ offertur in gratiarum actionem, pro divinis beneficiis acceptis.

PRopterea dici poteſt Hoſtia Pacifica, & eandem ob cauſam vocatur Euchariſticum; Euchariſtia enim non aliud eſt, quàm gratiarum actio, aut bona gratia. Explicemus utrumque.

Primò, Miſſa eſt ſacrificium Euchariſticum, & in eo continetur Hoſtia Pacifica.

Gen. 14. 18. Melchiſedech in gratiarum actionem pro victoria, quam Abraham tulerat de Regibus, reducto Loth fratre ſuo, obtulit panem & vinum tanquàm ſacrificium pacificum, hoſtiam incruentam (Hoſtibus à domitis, Hoſtia nomen habet, inquit Poeta.) Et veriſimile eſt partem panis cremando ſacrificaſſe, nam fruges torreri ſolebant: partem etiam vini libando ſivè effundendo in gratiarum actionem, reliquam militibus diſtribuendo. Sic mos habebat in ſacrificio pacifico. Similiter Chriſtus Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech ad Patrem recelſurus, accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas, illum elevatis oculis obtulit, Patri gratias agens, tanquam hoſtiam pacificam, illum tranſelementans in ſuum corpus & ſanguinem, incruentè illum offerens, myſticè illud fundens. Et poſtquàm ſacrificaſſet, participavit de illis Apoſtoliſque ſuis diſtribuit, tanquàm Ducibus & inclytis militibus ſuis, quos brevi deſtinaturus erat per univerſum orbem, dimicaturos pro ſua gloria, contra ſathanam, idola, peccata, contra poteſtates hujus ſæculi. Præcepit autem ſimiliter eis, ut in memoriam & gratiarum actionem victoriæ, quam tunc reportabat de morte & inferno virtute ſanguinis ſui in paſſione ſtatim fundendi, eandem victimam pacificam offerrent uſque in finem ſæculi. Quapropter hæc eſt una ratio, cur quotidiè offeratur, dicente Sacerdote: *Suſcipe ſancte Pater in memoriam Paſſionis, Reſurrectionis, Aſcenſionis Jeſu Chriſti Domini noſtri.* Et iterum: *Unde & memores Domine nos ſervi tui tam beatæ Paſſionis, Reſurrectionis, Aſcenſionis offerimus præclara Majeſtati tuæ de tuis donis ac datis Hoſtiam ſanctam, puram immaculatam, panem ſanctum vitæ æternæ, & calicem ſalutis perpetuæ.*

Primò igitur Chriſtianus, ad ſacrificium accedens, & in gratiarum actionem offerens illud, memor eſſe debet generalium beneficiorum & myſteriorum redemptionis noſtræ, Incarnationis & vitæ Filii Dei, Mortis & Paſſionis, Reſurrectionis & Aſcenſionis.

Secundò tot Sacramentorum nobis in ſubſidium ſalutis relictorum, è quibus tanquam fontibus, fluenta gratiæ in nos derivantur. Nec enim exiguum beneficium eſt, quod inter Chriſtianos nati & educati, fructu Baptiſmi, Confirmationis, Pœnitentiæ, Communionis, ac ipſiuſmet Sacrificii gaudemus: & lacte Eccleſiæ Dei, alimento verbi, ſanguine Chriſti nutrimur; cùm tot animarum millia horum defectu in infidelitate æternùm pereant.

Tertiò in particulari memor ſit beneficiorum ſpiritualium, quæ quotidiè ſpecialiter in eum influit divina bonitas, inſpirando, illuminando, dirigendo per gratiam prævenientem, concomitantem, ſubſequentem ſibi auxiliando. Videat a quot peccatis divina ſit erutus clementia, in quibus quandoque jacebat concatenatus, dicatq; cum Propheta *Dirupiſti Domine vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.* Pſ. 115. 17. Conſideret quoque à quot peccatis præſervetur divinæ manus beneficio, in quæ vel infirmitate, vel tentatione, vel malitia, incideret. Miramur enim, quod ille in furtum, iſte in adulterium, alter in hæreſim vel homicidium ceciderit, nec advertimus illud Auguſtini: *Non eſt peccatum quod facit homo, quod non poſſit facere alter homo, niſi juvetur ab eo, à quo factus eſt homo.* Auguſt. in ſolil. c. 15. §. 57. Multi nobis fortiores, ſapientiores, devotiores, ceciderè graviſſimè, & æternùm colliſi ſunt. Undè ergò ſtat, quicunque ſtat, niſi quia ſpeciali auxilio potens eſt Deus eum ſtatuere? Nemo ergò ſit ingratus, ne ſuâ ingratitudine tanquam urente vento, fluenta gratiæ roremq; divinæ pietatis exſiccet. Ad hoc verò eſt inſtitutum hoc ſacrificium, ut per illud gratias referens, divinum agnoſcat beneficium, & dicat; *Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine. Ut audiam vocem laudis, & enarrem univerſa mirabilia tua.* Pſ. 25. 6.

Quartò etiam memor ſit temporalium beneficiorum, ſciatque dona Dei eſſe, & continuò ab ejus benefica manu dependere: à qua non ſolùm provenit familiæ proſperitas, opes, honores, ſanitas, ſed & ipſa vita ſingulis momentis eſt pendula, & periculo obnoxia. Ventus eſt, qui ab ipſo afflatur, moxq; diffiatur. Quot videmus quotidiè diſcrimina, quot acerbos caſus. Unus fluctibus abſorbetur, alius igne, alter latrocinio perit. Unus cadit ex equo, alius muro concidente jacet oppreſſus, alter in rixa interfectus. Hæc verò frequenter permittit Deus, dum in peccati mortiferi homo jacet pernicioſo ſtatu. Cum ergò id tibi necdum contigerit, divinæ gratiæ id adſcribe, non merito tuo; & omnia hactenus dicta, in rationis bilance expendens, dic cum Pſalte: *Quid retribuam Domino* meo, *pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Pſ. 115. 12. Hic eſt calix, qui offertur & elevatur in ſacrificio Miſſæ, junge tu votum animumq; ut particeps ſis, & poſſis cum Sacerdote dicere: *Offerimus tibi Domine calicem ſalutaris, tuam deprecantes clementiam, ut in conſpectu divinæ Majeſtatis tuæ, pro noſtra & totius mundi ſalute, cum odore ſuavitatis aſcendat.* Nempè ſicut quandò Noe cum familia erutus à diluvio inundante, in gratiarum actionem obtulit ſacrificium, *odoratus eſt Dominus odorem ſuavitatis*: ſic multò magis acceptabile eſt hoc ſacrificium noſtrum & odoriferum Domino, cùm offertur in gratiarum actionem, pro eo quod Gen. 8. 21.

Digitized by Google

liberare dignetur ab æterna damnatione. Et sicut in symbolum fœderis, in cœlo posuit Dominus arcum illum variis coloribus adornatum, usque in finem sæculi apparaturum: ita & in cœlo mystico, in Ecclesia Dei, Christus Jesus pro nobis crucifixus variis vulnerum & cicatricum coloribus exornatus, instar arcus fuit in cruce porrectis & curvatis brachiis extensus: ipsumque Patri repræsentamus in memoriam & signum fœderis in finem usque sæculi, dicentes: *Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui.* Ps. 83. 10.

PROPOSITIO III.

Est quoque Sacrificium impetratorium.

SEcundò, habet vim impetrandi, & quidem infinitam, ob infinitum valorem rei oblatæ, ob infinitam dignitatem principalis offerentis; in hoc utroque fundatur vis & efficacia ad impetrandum: Adeò ut nulla sit gratia, nullum sit donum, quod sacrificii hujus oblatione non possit impetrari: nec ullus sit numerus personarum quantumlibet in immensum crescens, quin illis valeat ad impetrandum, ab ipsis vel pro ipsis oblatum. Est etenim Christus principalis offerens infinitè Deo gratus, ejus quoque merita, quæ huic Patri repræsentantur, infinita: ejus passio, cicatrices, vulnera, sanguis, infinitum valorem habent. Et sic cùm per hæc omnia in sacrificio oblata obsecramus, non est limitata vis impetrandi, quin potius verum hic est illud Cypriani: *Quantum fidei capacis afferimus, tantum gratiæ mundantis haurimus.* Iterùm se in Missæ sacrificio offert is, *qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Nunc autem *semper vivens* est, *ad interpellandum pro nobis, & salvare potest accedentes per semetipsum ad Deum*, accedens ipse ad illum denuò offerendo incruente seipsum. Nec minorem habet vim modò, quàm tunc, cùm ex illo tempore meruerit apud Patrem, ut quoties per corporis & sanguinis sui oblationem accederet populus ab eo electus, non repudiaretur, cum nec repelli posset tantum munus.

Cyprian.

Heb. 5. 7.

Confidenter igitur accede, ô Christiane, pro qualibet indigentia & necessitate: dilata os tuum, explica desiderium, expande cordis affectum, ut hic tantò capacior fias cœlestium donorũ. Vide in particulari, & attende egestatem tuam, ut melius scias, quæ petere debeas, & valeas impetrare. Et quidem quoties accedis ad sacrificium, te examina. An fortè superbia & vanæ gloriæ motibus agitaris? Pete hic donum humilitatis, ab eo; qui amore tui, sic se humiliat, majestatem suam velans modicâ specie panis & vini, & miro quodam modo se exinaniens. Concupiscentia & sollicitudo nimia rerum caducarum te angit? Pete gratiam, cor tuum his extricandi; & cœlestia exigendi, quærendo primùm regnum Dei, & illa quæ sunt salutis. Impatientia te conturbat contra domesticos, invidia & iracundia concitat contra proximos? Ecce sacrificium hoc Charitatis est vinculum, symbolum pacis, ibi te offer Christo omnis benignitatis & patientiæ prototypo, & roga ut & ipse regnet in corde tuo, tribuens gaudium, & pacem in Spiritu sancto. Denique expone Redemptori tuo, quàm frigidus sis, aut tepidus, quàm languens & aridus, ut excutere dignetur torporem Charitatis ardore; & sanare languorem ariditatemque tuam pietatis spiritum impertiendo. Si aspectus ænei serpentis, sanitatem tribuebat vulneratis aut languidis, ob percussionem serpentis: Si umbra Petri curabat ægros, quis poterit ambigere, quin Christi deificum corpus, dum in Missæ sacrificio quotidiè devotè conspicitur, plurimùm conferat ad animi ægritudinem depellendam, & salutem conferendam.

Antidotũ contra passiones & affectus.

Sed & maximè petenda hic est vitæ nostræ directio, necessaria in tantis tenebris, & tam lubrica via; auxilium gratiæ contra tentationes & peccata implorandum est, ut dirigantur pedes nostri in viam æternitatis & pacis. Nam de hoc sacrificio absque dubio verum est illud: *Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.* Denique etiam peti possunt temporalia dona, quatenus saluti congruunt, recta gubernatio, prosperitas, salus familiæ, parentum amicorum, &c. Ps. 49. 23.

Advete verò cum Theologis, licet fructus satisfactionis, quem potest applicare Sacerdos pro aliis celebrans, finitus sit; & à Christo ita determinatus, ut si pro pluribus celebret & illis applicet, minor sit in singulis: fructus tamen impetrationis est infinitus, non limitatus aut determinatus. Quia fundatur in valore infinito & oblationis & Christi offerentis: ita ut licet pro pluribus in sacrificio specialiter ores ad aliquid impetrandum, non minus prosit, quàm si pro uno aut paucis. Hìn inferunt aliqui, Sacerdotem teneri totum illum primum fructum remissionis, pœnæ & satisfactionis, applicari illi, qui sufficiens stipendium contribuit, aut pro se sacrificium offerri curavit, nec posse illum pluribus applicare sine diminutione, undè fit ut plura stipendia non possit accipere sine injustitia. Attamen non vetatur in suo *Memento* pro pluribus orare, & specialiter eos Deo commendare; non quidem applicando priorem illum fructum, sed fructum impetrationis, qui sine injuria aliis etiam applicatur; cùm propterea non minor sit in illo, qui curat sacrificium pro se offerri: quandòquidem infinitam vim & valorem habeat, & personis quantumlibet multiplicatis, Dei dona conciliare potens sit.

Quomodò Sacerdos possit pluribus applicare sacrificium Missæ.

Similiter fructus, qui respondet audientibus Missam, quatenus concurrendo per præsentiam, intentionem, & attentionem, offerentes sunt, est infinitus extensivè, ita ut si infinitæ personæ unam eandemque Missam possent audire, non minùs participarent, quàm si solum tres audirent.

Est

Digitized by Google

Eſt enim hic longe alius fructus à primo, & non tam pendet ab intentione ſacerdotis, quàm ex intentione & inſtitutione prima Chriſti volentis & decernentis, ut cuilibet piè ſacrificio aſſiſtenti, & intentionem ſuam cum ſacrificante conjungenti, fructus ſpecialis ſatisfactionis & remiſſionis pœnæ reſpondeat. Unde longè plus fructus refert, qui procurans à ſacerdote pro ſe ſacrificium offerri, ſimul intereſt, quam qui ſtipendio dato ſua præſentia non concurrit. Ratio eſt, quia licet talis gaudeat fructu, quem ſacerdos applicat ex intentione particulari, tamen non gaudet illo fructu, qui ſibi debetur ut offerens eſt: qui enim ſacrificio aſſiſtit, offerre ſpeciali titulo dicitur, & fructum ſpecialem obtinet. Unde ſacerdos ſic orat: *Memento, Domine, omnium circumſtantium, quorum tibi fides cognita eſt, & nota devotio pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis, pro ſe ſuiſque omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuæ, tibique reddunt vota ſua æterno Deo vivo & vero.*

Procurans miſſam plus meretur ſi præſens eſt quam abſens.

Probatur 1. ex veteribus Sacrificiis impetratoriis, quæ fuerunt figuræ ſacrificii Miſſæ. David obtulit pacifica pro peſte avertenda, & impetravit, Onias obtulit hoſtiam ſalutarem pro vita Heliodori, quam & impetravit. Hebræi immolarunt hoſtias pro vita Darii & ejus filiorum. 2. ex 1. Tim. 2. v. 1. *Obſecro fieri orationes, poſtulationes, & gratiarum actiones, pro omnibus hominibus*, &c. Hunc locum exponunt Patres* de publicis orationibus quæ fiunt in Miſſa, aſſerentes Apoſtolorum, ut ſacrificium jam offeratur pro temporali pace & tranquillitate Eccleſiæ. Tertull. ad Scapulam, Sacrificamus pro ſalute Imperatoris Auguſt. lib. civ. *Veſtes ex presbyteris obtulit ibi* (in domo infeſtata à dæmonibus) *Sacrificium corporis Chriſti, orans quantum potuit, ut ceſſaret illa vexatio: & Deo protinus miſerante ceſſavit.* V. Greg. hom. 37. in Evang. Bedam l. 4. hiſt. Angl. c. 2.

1. Reg. 24. 25. 2. Mach. 3. 32. 2. Eſdræ 6. 10. * S. Aug. ep. 59. Chryſ. Ambr. l. 6. de Sacram. c. ult. Exempl. Aug. l. 22. civ. c. 8.

PROPOSITIO IV.

Sacrificium Miſſæ eſt propitiatorium, ſeu victima pro peccato.

Trid. ſeſſ. 22. & can. 2. Aug. q. 37 in Levit.

HOc docet Trid. Conc. Et paſſim antiqui Patres, qui Liturgias ſcripſerunt. Jacobus Apoſt. in Liturgia ait: *Offerimus tibi incruentum Sacrificium pro peccatis noſtris & ignorantiis populi.* Baſil. in ſua Liturgia & S. Chryſoſt. in ſua. Aug. ait *Sacrificiis* (antiquis) quæ pro peccatis offerebantur, unum hoc ſacrificium ſignificabatur, in quo verè fit remiſſio peccatorum.

Heb. 12. 24.

Ratio eſt, quia in illo offertur caro & ſanguis Agni immaculati, qui tollit peccata mundi; ut ſit pretium quo redemptio nobis applicetur, ad expiationem delictorum. Unde quoties ad hoc ſacrificium devota mente accedimus, locum habet illud Apoſtoli: *Acceſſiſtis ad aſperſionem ſanguinis melius loquentem quam Abel*: quia ſcilicet ſanguis Abel inclamans vindictam, ipſum peccatum Cain aggravabat: ſanguis verò innocentis noſtri Abelis Chriſti, fratrum ſuorum expiat peccatum & invocat miſericordiam; idque toties quoties ejus oblatio renovatur. Ideo dixit B. Gregor. *Hac namque ſingulariter victima ab interitus animam ſalvat, quæ illam nobis mortem Unigeniti per myſterium reparat. Qui licet reſurgens ex mortuis jam non moritur, tamen in ſemetipſo immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc myſterio ſacra oblationis immolatur. Ejus quippe corpus ibi ſumitur, ejus caro in populi ſalutem paritur, ejus ſanguis jam non in manus infidelium, ſed in ora fidelium funditur. Hinc ergo penſemus, quale ſit pro nobis hoc ſacrificium, quod pro abſolutione noſtra ſemper paſſionem Unigeniti Filii imitatur.*

S. Greg. l. 4. dialog. c. 58.

Nempè, Miſſa non aliud eſt quam Paſſionis Dominicæ non ſolùm repræſentatio, & myſtica & incruenta renovatio. Quapropter ſicut ſemel patiens, totius mundi peccata in ſe aſſumpſit, ſuo expianda cruore: ita in ipſum tanquam in eandem victimam in altari immolatam, peccata noſtra transferimus, ut expiare dignetur. Quod ut ſignificet Sacerdos, initio ſacrificii ad altaris gradus deſcendit, & ibi corpore eernuus, curvis in terram oculis in humilitatis ſpiritu, æterno ſe Patri præſentat, quaſi totius populi peccatis onuſtus; ut viſcera paternæ miſericordiæ commoveat.

Repræſentat porrò Chriſtum, aut in horto, aut in Crucis bajulatione incurvum, ob peccatorum pondus ejus humeris impoſitum, ſudore & ſanguine perfuſum, Patri ſupplicantem. Orat ergo ibi in perſonâ Chriſti Sacerdos pro delictis ſuis & omnium circumſtantium; imò pro peccatis totius mundi, pro quibus pretium ſufficiens ſemel oblatum in redemptionem, iterum renovatur & offertur, ut jam profit efficaciter in expiationem. Olim in veſte poderis, veſte ſummi Sacerdotis, deſcriptus tegitur totus orbis terrarum; & in pectore ac humeris ejus inſcripta nomina duodecim tribuum in lapidibus pretioſis, ut ſcilicet meminiſſet, ſe pro toto orbe Dei miſericordiam implorare, at maximè pro populo Dei cujus ei cura ſpecialis incumbebat. Multo magis meminiſſe debet Sacerdos novæ legis perſonam Chriſti gerens, ſe in veſte ſacerdotali Crucis figura ſignata, portare totum orbem terrarum (quem & Chriſtus cruce oneratus portabat; pro quo ſe immolabat) ideoque pro delictis totius mundi ſibi orandum eſſe, ſed maximè pro illis qui commiſſi ſunt ſuæ curæ, quorum nomina inſcripta debet gerere in mente. Nec exiſtimet quiſpiam, hanc generalem pro totius orbis peccatis orationem parum efficacem eſſe. Nam tot vaſa iræ apta ad interitum, homines in mundo tot peccatis immerſos, ad omnia ſcelera licentiosè projectos, non ſuſtineret tanta patientia Deus, niſi reſpicerent hoc ſacrificium quotidie oblatum: & ſi illud

Digitized by Google

lud non offerretur adeò frequentèr à piis, quos ſibi Deus tanquam ſemen electum reliquit, multæ orbis partes perirent, & modo dicere poſſunt illud Iſaiæ: *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus.* Stat ergo virtute hujus ſacrificii mundus; virtute cujus etiam multis ſpiritus contritionis impetratur; ut à maledictione ultrice eorum capite incumbente fœliciter emergant. Quapropter nihil adeò tempore Antichriſti deplorabitur à piis Chriſtianis, quam quod catere cogantur hoc præſidio pietatis, hac victima ſalutis, ideoque tunc mundus obruetur flagitiis. Audi hæc de re Hippolytum Martyrem orat. de conſummat. mundi. *Lugebunt Eccleſia luctum magnum, quia nec oblatio, nec ſuffitus fiat, nec cultus Deo gratus. Sed Eccleſiarum ædes ſacræ tuguria inſtar erunt, pretioſumque corpus & ſanguis Chriſti non extabit in diebus illis, liturgia extinguetur, Pſalmorum decantatio ceſſabit, Scripturarum recitatio non audietur: ſed erunt apud homines tenebræ, & lamentationes, væ ſuper væ.*

Eſt expiatio 1. Venialium

Sed in particulari quæritur, quæ peccata hic expientur? Reſpondeo: Primò, manifeſtum eſſe, ad venialium expiationem omninò proficere hoc ſacrificium, ex ſua inſtitutione. Cum enim Deus non ignoraret figmentum noſtrum, creaturæ ſuæ fragilem ſtatum, & ex primævo vulnere in malum pronitatem (quantumlibet enim ſibi circumſpiciat, contingit ſepties ſive frequenter cadere, & in lutulento itinere mundi ſe commaculare) providit ei hoc opportunum remedium ſacrificii quotidiani, pro culpis quotidianis, in quas incidit vel ex fragilitate, vel ex inconſideratione, vel ex negligentia aut ignorantia. Quapropter ſic orat Sacerdos: *Suſcipe, Sancte Pater, hanc immaculatam Hoſtiam, quam ego indignus famulus offero tibi Deo meo vivo & vero, pro innumerabilibus peccatis, offenſis, & negligentiis meis, & pro omnibus circumſtantibus: ſed & pro omnibus fidelibus Chriſtianis vivis atque defunctis, ut mihi & illis proficiat ad ſalutem in vitam æternam.*

2. Mortalium maxime occultorum. Pſ.18.13.

Secundò, valet pro mortalibus, maximè pro occultis, & illis quorum poſt diligentem inquiſitionem memoria non occurrit, pro quibus Prophetas nos Deum rogare docet, dicens: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſervo tuo.* Hoc ergo ſacrificio placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit, inquit Tridentinum. Non itaque intelligendum eſt, immediatè per ſe delere peccata; ſed mediate, quatenus ſcilicet impetrat veram illorum contritionem, & inſpirationes ad perfectè pœnitendum, ſpecialiter de peccatis agnitis, generaliter de oblitis vel ignotis. Quandoque verò hic ſpiritus Pœnitentiæ datur tempore ſacrificii, quod pro aliquo peccatore offertur: quandoque alio tempore opportuno, prout Deus providet, intuitu tamen ſacrificii. Sic multi poſt longa crimina converuntur ſpeciali auxilio Dei; & neſciunt virtute ſacrificii Miſſæ id fieri. Quandoque non convertuntur, qui auxiliis a Deo datis non cooperantur, ſed potius abutuntur.

Trid. ſeſſ. 22. cap. 2.

Tertiò, remittit etiam ex inſtitutione ſua pœnas peccatis jam ante remiſſis debitas, pro quibus ſatisfaciendum foret; vel in hoc mundo, vel in Purgatorio. Certa ergo quantitas pœnæ peccatis debitæ condonatur; tum ſacerdoti, tum illis quibus applicat ſacrificium, tum omnibus piè præſentibus ſacrificio, licet nihil de illis ſacerdos cogitet: quia hi de fructu participant, tanquam offerentes cum ſacerdote, & illi intentionem ſuam conjungentes, à quo nec per ſacerdotem excludi poſſunt.

3. Pœnarum peccatis jam remiſſis debitarum

Quæ dixi probantur tribus argumentis. 1. Sumitur ex veteribus ſacrificiis propitiatoriis, quæ fuerunt figuræ noſtri ſacrificii: ergo ſicut illa offerebantur pro peccatis, ita & noſtrum offerri poteſt: aliqui figuratum non reſponderet ſuæ figuræ. Sacrificium autem Crucis habuit vim ſuam ab initio mundi & habebit ad finem ejus: ergo ſi impediret ſacrificium noſtrum quo minus eſſet propitiatorium, impediviſſet etiam vetera; quæ habebant vim ad expiandas maculas legales, & placandi Deum quoad pœnas temporales. Sacrificium Crucis fuit perfectè propitiatorium, quia exhibuit ſufficientiſſimum pretium ad placandum Deum & redimenda omnia peccata. Sacrificium verò Miſſæ dicitur etiam propitiatorium, quia applicat illud pretium quod in ſacrificio Crucis oblatum eſt. Job. c. 1. & c. ult. Levit. 4. 5. 6.

2. Argumentum ſumitur ex verbis inſtitutionis Matth. 27. v. 27. *Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effunditur in remiſſionem peccatorum.* Et Luc. 22. v. 20 juxta græcum textum. *Hoc eſt poculum novum Teſtamentum in meo ſanguine, quod pro vobis fundetur.* Ex his verbis colligo Euchariſtiam inſtitutam eſſe ad peccati remiſſionem, qua eſt ſacrificium; non quâ eſt Sacramentum, nam ſic, non prodeſt niſi ſumenti: ſumens autem debet ſeipſum probare prius quam accedat; quod ſi accederet cum conſcientia peccati mortalis, *judicium ſibi manducaret & biberet.* 3. argumentum ſumitur ex illo Heb. 5. v. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* Ubi docetur præcipuum munus Sacerdotis eſſe offerre ſacrificium pro peccatis: at in lege nova eſt perfectiſſimum Sacerdotium. Ergo debet illi reſpondere propitiatorium pro peccatis. Heb. 10. *ubi non eſt horum* (peccatorum) remiſſio, jam non eſt oblatio pro peccato: at contra nondum facta eſt perfecta remiſſio, ſed quotidie fit & fiet ad mundi finem: ergo & hoſtia pro peccato. S. Chryſoſt. *Sacerdos*, inquit, *pro univerſo orbe terrarum legatus intercedit, deprecatorque eſt apud Deum, ut hominum omnium non viventium modo, ſed etiam defunctorum peccata propitius fiat.* 1. Cor. 11. 29. S. Chryſ. l. 6. de ſacerdotio.

Sci-

S. Aug. l. 20. civ. Dei. c. 25. Idem c. 25 Idem ſer. 4 de Innoc.

S. Auguſtinus ſcribit ſacrificium pro peccato offerri in Eccleſia uſque ad diem judicii, ſed non ulterius, quia poſt eum diem non erunt, quibus peccata remitti poſſint. Et lib. 1. contra Creſcon. vocat ſacrificium Euchariſtiæ unicum ſacrificium pro noſtra ſalute. Et ſerm. 11. de Sanctis, qui eſt IV. de Innoc. de altari loquens. *Ibi*, inquit, *pro peccatoribus Chriſti ſanguis effunditur.*

RECOLLECTIO
ET EXHORTATIO
AD SACRIFICIUM MISSÆ.

EX dictis ſatis eluceſcit, quantâ cum attentione & devotione Miſſæ Sacrificium, non ſolùm à Sacerdote, ſed à populo aſſiſtente, offerendum ſit, utpotè quo nihil Deo honorificentiùs, nihil digniùs, aut ſanctiùs, nihil pro peccatis efficaciùs, nihil hominibus utiliùs, nihil opulentius, nihil gratius JESU Chriſto, Mariæ Virgini, Angelis, aut Beatis mentibus, ab Eccleſia militante poſſit præſentari. Vis ſingula recolligendo compendiosè elucidemus.

Quid ſit Miſſa.

Primò: Quid eſt MISSA, niſi legatio quotidiana Sanctiſſimæ Trinitati facta, cum munere incomparabili conjuncta, in teſtimonium ſervitutis noſtræ ac dependentiæ, in agnitionem quoque univerſalis dominii ejus, ſupremi Numinis infinitæ Majeſtatis? Offertur enim Primo Auctori vitæ & mortis, vita & mors JESU CHRISTI Primogeniti omnis creaturæ, tanquàm tributum quotidianum, ab Eccleſia militante, cooperante & aſſiſtente cœtu totius Eccleſiæ triumphantis: ut honor ſupremus Trino & Uno impendatur Numini ab omni creatura, ejuſque celebretur Potentia, Sapientia, Bonitas, ac infinitæ perfectiones elucentes in hoc myſterio. Quid igitur poteſt elle honorificentiùs, quam quod Cœlum & Terra, omniſque Creatura in CHRISTO JESU recapitulata, & compendio collecta, ſimulque in ipſo Deus, ipſe Deum ſummo colat honoris obſequio?

1. Eſt Legatio quotidiana SS. Trinitati cum munere incomparabili in teſtimoniũ noſtræ ſervitutis.

2. Eſt holocauſtum ardentiſſimæ charitatis Chriſti.

Secundò: Quid eſt MISSA, niſi perfectum holocauſtum ardentiſſimæ charitatis, in quo ipſe Deus facti amoris, CHRISTUS JESUS ſeipſum ut victimam transfert & conſumit ad honorem Patris? Renovat enim hic totum charitatis ignem flagrantiſſimum, quo ejus cor unquam vel in cœna amoris externi extrema ſcena, vel in cruce igniti amoris exæſtuaut fornace, vel in tota ſimul vita exarſit. Ac ſimul in hoc ſacrificio invitat nos omnes, ut totum cordis amorem jungamus; & nos ipſos offeramus cum ipſo ignita & odorante dilectione, ut conſummetur Holocauſtum acceptabile Patri, non ſolùm corporis ſui veri, ſed & myſtici: optans omnia ſua membra myſtica, hoc eſt, omnes Fideles, eodem quo ipſe ſacratiſſimo igne exardeſcere, & hoſtiam perfectam fieri in odorem ſuavitatis. Quid igitur aut Deo aut hominibus, hoc Miſſæ ſacrificio poteſt eſſe receptabilius.

3. Eſt menſa ſeu altare, & cibus divinus.

Tertiò. Quid eſt MISSA, niſi menſa pretioſiſſima & digniſſima, in qua ſacrificatur, & ut cibus proponitur Divinitas Humanitati conjuncta, cibus Divorum, beatarum mentium edulium in æternitate, & refectio animarum ſanctarum in peregrinationis tempore? Vinum quoque germinans Virgines propinatur, ac velut libamen ſacrum myſtice effunditur ſanguis ille pretioſus Uriæ, de qua Jacob vaticinatur: *Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine Uvæ pallium ſuum.* Quid ergò Miſſæ Sacrificio & convivio digniùs aut ſanctiùs? An in cœlo divinitate, an in terra humanitate Chriſti quippiã pretioſiùs poteſt reperiri, ut Patri æterno offeratur, aut hominibus in cibum & ſanctificationem ordinetur? Gen. 49. 11.

4. Eſt viva repræſentatio myſteriorum, & oblatio vulnerum Chriſti. Heb. 5. 7.

Quartò: Quid eſt MISSA, niſi viva & perfectiſſima repræſentatio, imò renovatio incarnationis Filii Dei, Nativitatis ejus, vitæ ſanctiſſimæ, Paſſionis & mortis ſacratiſſimæ, ac totius Redemptionis à Jeſu Chriſto peractæ? Iterùm hic oblatio eſt vulnerum, iterùm vox ſanguinis ad Patrem pro miſericordia inclamantis, iterùm ſupplicatio & oratio illius de quo dicit Apoſtolus; quod *cum lachrymis & clamore valido* ſupplicans Patri *in diebus carnis ſuæ, exauditus eſt pro ſua reverentia.* Quid igitur hoc Miſſæ ſacrificio pro peccatis poteſt eſſe efficacius? Audi S. Martialem unum ex ſeptuaginta duobus diſcipulis. *Quod Judæi per invidiam & odium immolaverunt, putantes ſe Chriſti nomen à terra abolere, hoc ipſum nos cauſa noſtræ ſalutis in ara ſanctificata perficimus: ſcientes hoc ſolo remedio nobis vitam præſtandam & mortem effugandam, hoc enim Dominus juſſit nos agere in ſui commemorationem,* S. Martialis ep. ad Burdegalenſes c. 3.

5. Eſt meritorum Chriſti efficax applicatio.

Quintò: Quid eſt MISSA, niſi meritorum Chriſti efficax applicatio, ac theſauri ejus apertio, ex quo opes cœleſtes depromamus & nobis accumulemus, ac debita omnia Deo abundè perſolvamus. Quid ergò Miſſæ ſacrificio opulentiùs aut hominibus utilius? Si Pater nobis iterùm donat Filium, numquid omnia nobis cum illo, aut propter illum donabit: Si impetramus quod petimus in nomine ejus; quantò magis quicquid ipſemet hic præſens, ut Mediator & Interceſſor, ut Sacerdos & Hoſtia, à Patre pro nobis poſcit? Ergò gratia, vita, ſalus, pax publica, & quælibet cœleſtia dona hic poſſumus impetrare: imò quodam quaſi pretio è theſauro meritorum Chriſti deprompto, cenſemur nobis comparare, offerentes Patri per ſacrificium juſtum valorem ad impetrandum.

6. Eſt oblatio Chriſti facta Deo Patri. Mat. 1. v. 6 1. Pet. 1. 17.

Sextò: Quid eſt MISSA, niſi oblatio JESU Chriſti Filii Virginis, quem Patri offerimus cum Maria Virgine: ut agnoſcat & rememoret ſe eundem voluiſſe habere cum illa filium, qui ſe pro fratribus in finem uſque ſæculi offeret & ſacrificaret, carnem ſcilicet & ſanguinem illum virgineum Divinitati junctum litando? Quem agnoſcens Pater diceret: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, & per quem omnes mihi placent quicun-

Digitized by Google

quicumque placent? Quid ergò Virgini Matri hoc ſacrificio poteſt eſſe gratius? Quid nobis filiis ejus, fratribus Chriſti acceptius?

7. Eſt erectio ſcalæ myſticæ ac cœleſtis.

Ge.28.12.

Septimò: Quid eſt MISSA, niſi erectio Scalæ Myſticæ cœlum & terram attingentis? Eſt enim Chriſtus ratione humanitatis terram, ratione divinitatis cœlum attingens. Ipſe ergò per Scalam illam (quam vidit Jacob in viſione) deſignatus fuit, quia per ipſum cœlum conſcendimus. Quotidiè verò hæc Scala nobis præſto eſt ſacrificio mediante, ut ad cœleſtia aſcendamus: & Angeli ſunt hic aſcendentes & deſcendentes, ut vota noſtra ad Deum ferant & dona referant. Igitur hic quotidiè veritatem habet illud: *Videbitis Angelos aſcendentes & deſcendentes ſuprà filium hominis.*

Joan.1.1.

Quid ergò hoc Miſſæ ſacrificio poteſt Angelis eſſe gratius?

8. Eſt renovatio ſanguinis Chriſti & Martyrii.

Pſ.115.15.

Octavò: Quid eſt MISSA, niſi renovatio Sanguinis a Chriſto, qui Dux & Caput eſt Martyrum, profuſi: ac ſimul commemoratio mortis omnium, qui illum ſecuti ſunt, maximè per Sanguinis pro ipſo effuſionem? Hi fuêre velut victimæ ei ſanctificatæ, undè *Pretioſa eſt in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.* Quapropter cum & in hoc ſacrificio, cum morte Unigeniti Filii Dei mors ipſorum celebri ritu commemoretur; quid gratius illis contingere poſſit quotidianâ hâc oblatione.

9. Eſt elevatio Agni ſtantis quaſi occiſi.

Apoc.5.12

Nonò: Quid eſt MISSA, niſi elevatio *Agni ſtantis quaſi occiſi* coram cujus Throno acclamabatur: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt.* Ad illius etiam pedes omnes Beati meritò ſuas mittunt coronas, agnoſcentes ab illo ſibi fuiſſe comparatas. Undè & ipſi illud hic inclamant quotidiè: *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt accipere divinitatem & gloriam & honorem.* Item: *Benedictio & claritas & gratiarum actio, virtus & fortitudo Deo noſtro in ſæcula ſæculorum.* Quid ergò omnibus Beatorum Ordinibus poteſt eſſe gratius hoc Miſſæ ſacrificio, in quo Eccleſia Triumphans cum ſorore ſua Militante voces miſcet exultationis & confeſſionis?

Ap.7.12.

O igitur Chriſti Fideles, hoc obſequium ſervitutis veſtræ, hoc pretioſum tributum ita divinæ Majeſtati gratum quotidiè perſolvite, hoc amoris holocauſtum ex intimo cordis cum JESU Sacerdote magno offerte, huic menſæ & convivio ſacrato, in quo humanitas divinitatis unctione perfuſa & condita cibus proponitur, aſſiſtite & de illo participate, myſteria incarnationis, vitæ, Paſſionis, Domini noſtri renovate; de theſauro meritorum ejus exuberanter hic depromite, opes donaque cœleſtia comparate: Virgini Matri veſtræ filium ſuum offerte, ut illum pro vobis & per vos Æterno offerat Patri munus acceptabile: Per hoc ſacrificium cœleſtis inſtar Scalæ inſtitutum, ad cœleſtia mente conſcendite cum Sanctis Angelis, Martyribus ac omnibus electis, gratiarum actiones, voceſque laudis lubenter & frequenter his miſcete.

Heb.12. 18.

Quoties ad Miſſæ ſacrificium accediſtis, meminiſſe vos velim illius Apoſtolici monitu. *Acceſſiſtis non ad montem tractabilem & accenſibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam.* In his nempè ſymbolis olim Deus ultionum apparebat, & populum terrebat, ut patuit Exod. 19. & 20. dum legem timoris Moyſi & populo tradere voluit tremebundo. *Sed acceſſiſtis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis Jeruſalem cœleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitivorum qui conſcripti ſunt in Cœlis & Judicem omnium Deum, & Spiritus juſtorum perfectorum, & teſtamenti novi Mediatorem Jeſum; & ſanguinis aſperſionem melius loquentem quàm Abel.* Hæc cogitate, hæc ruminate in cordibus veſtris, ô Fideles Chriſtiani, dum Chriſti myſteriis venerandis aſſiſtitis. An non enim ibi *Sion mons & civitas Dei viventis*, ubi JESUS Chriſtus Filius Dei vivi, apparere dignatur, & ſeipſum immolare Æterno ſuo Patri incruentè, ſicut olim in monte Sion ſemel fecit cruentè? Si nomen, *Sion, i. Speculam*, ſignificare dignoſcitur, & Mons ſublimitatem; certè hic contemplari & ſpeculari oportet omnium myſteriorum myſterium altiſſimum. Quod qui nobis tradidere Apoſtoli, *non doctas fabulas ſunt ſecuti, ſed notam* nobis fecere *Domini noſtri* JESU Chriſti *virtutem & præſentiam* hic occultam *ſpeculatores facti illius magnitudinis*, in qua accipiens a Patre honorem & gloriam, vox magnifica ad eum delapſa eſt: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite.* Quem poſtea juxta hoc Patris præceptum in monte Sion in cœna ultima attentis mentis corporiſque auribus audientes, diſertis verbis pronunciantem audiverunt: *Hoc eſt corpus meum, hoc eſt ſanguis meus.* Sed ipſi ibidem præceptum idem peragendi uſque in finem ſæculi acceperunt, tam pro ſe, quàm pro ſuis in Sacerdotio ſucceſſoribus. Igitur quoties idipſum peragitur. Montis Sion & myſticæ actionis in ipſo primum exercitæ memoria viva renovatur. At tunc verum eſt de filiis Eccleſiæ ad hoc myſterium piè contemplandum accedentibus: *Acceſſiſtis ad Sion montem & civitatem Dei viventis.*

Ib.v.22.

2.Pet.1.16

2.Pet.1.17

Marc.14. 22. & ſeq.

Heb.12. 22.

Secundò, an non ibi *Jeruſalem cœleſtis, & multorum millium Angelorum frequentia?* Quid eſt Jeruſalem, niſi viſio pacis? Defecit & ceſſit Jeruſalem terrena, ſucceſſit Jeruſalem cœleſtis, quæ eſt vel Eccleſia Militans, per fidem & ſpem adſpuans ad viſionem æternæ pacis, vel Eccleſia Triumphans in illa jam pace ſecurè regnans & exultans. Quotiès igitur ad Miſſæ Sacrificium accedit fidelis, ſe de civibus Jeruſalem ſanctæ eſſe proteſtatur, membrumque Eccleſiæ Catholicæ, in qua, & à qua ſola hoc ſacrificium Deo viventi offertur, in quo præſens fidei oculis videtur, & adoratur Deus Pacis JESUS CHRISTUS, qui per ſanguinem ſuum pacificavit, ſivè quæ in cœlis, ſivè quæ in terris, cujus quidem pacis ut particeps ſit plebs fidelis, frequentia & ferventia vota ibi emittuntur à Sacerdote & miniſtris. Proteſtatur quoque qui ſacrificio intereſt, ſe per fidem & ſpem accedere ad Eccleſiam Trium-

Triumphantem, ac in medio civium illius ſe jam eſſe, qui Regem hic ſuum adorant. Unde pronunciat illud. In medio *Angelorum pſallam tibi, & adorabo ad templum ſanctum tuum.* Frequentiam enim Spirituum cœleſtium tunc adeſſe jam ſæpius dictum eſt, & demonſtratum. Pſ.137.1.

Tertiò, an non *Eccleſiam primitivorum qui conſcripti ſunt in cœlis*, accedere cenſetur quilibet Chriſtianus in Miſſa per unionem & communicationem ſanctam, quam percipit ibi cum meritis Primogenitorum filiorum Dei, hoc eſt, Apoſtolorum & primorum Fidelium ac Martyrum? Hi nempè jam vita functi, in Cœlis conſcripti cives regnant, quia cum Chriſto victimas ſeſe obtulerunt, & pro illo vitam & ſanguinem profuderunt. De his agit Sacerdos dum nomine totius plebis in Canone dicit: *Communicantes & memoriam venerantes imprimis gloriosæ ſemper Virginis Mariæ, ſed & Beatorum Apoſtolorum & Martyrum tuorum Petri & Pauli, Andreæ, Iacobi, &c.* Quaſi dicat: Nos quidem qui ad illam patriam adhuc in via peregrinantes ambulamus, communionem cum Sanctis qui jam pervenerunt, per eundem fidei ſpiritum & vinculum charitatis quo eis nectimur, obtinemus. Ideo horum nos memoriam venetamur, tibi gratias agentes pro eorum victoria, quos ſpiritus tui munere cùm imbelles eſſent, roboraſti, ut fortiter dimicarent, quorum meritis conſociari, & precibus adjuvari poſtulamus. An non hoc eſt fide & voto ad *Eccleſiam primitivorum, qui conſcripti ſunt in cœlis*, accedere? Quid aliud etiam eſt accedere *ad ſpiritus juſtorum perfectorum*, quam aggregari ſanctis & beatiſſimis Angelis, Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, Martyribus, & juſtis omnibus, qui perfecti in hac vita per gratiam, jam conſummatam perfectionem acceperunt per gloriam & beatam viſionem? Cum quibus nobis ſocietas ineſt, quia ejuſdem Eccleſiæ Dei, ejuſdem corporis myſtici membra ſumus, idem corpus Chriſtum agnoſcimus. Et quia illa jam membra perfecta conſummatione & fœlicitate ſecura capiti adglutinantur, ideò in Miſſa poſtulamus, ut infirmioribus membris compati velint illaque adjuvare, ut & perfici poſſint, & glutino inviſibili ſpiritus gratiæ ita in præſenti cum capite ſuo connecti, ut in futuro gloriæ perennantis fœdere copulentur Spiritibus & mentibus beatis, juſtiſque perfectis connumerati.

Heb.12. 23. Quarto denique: quid eſt accedere ad *judicem omnium Deum & Mediatorem teſtamenti novi Jeſum ad aſperſionem ſanguinis melius loquentem quam Abel*: Niſi adorare illum ſub ſymbolis Sacramenti latentem, qui manifeſtè veniet conſtitutus à Patre Judex vivorum & mortuorum, iniquis ſupplicia, juſtis præmia decreturus æterna? Quem quidem modò nunc Mediatorem accedimus, & agnoſcimus, ut præveniamus Judicem, amplectimur miſericordiam, quam vox ſanguinis novi teſtamenti implorat quia pater eum conſtituit propitiatorem in ſanguine ſuo, vindictam à nobis deprecamur, & clamorem effugere optamus, quem in fine cœlum & terra, crux & ſanguis ejus dabit contra rebelles & inſenſatos peccatores. Tunc enim reſumet Judex iſtã, & ſanguis ejus vocem inſtar Abelis in cœlum inclamantem; cum modo ſit ſanguis redemptionis, ſanctificationis, ablutionis, propitiationis, aſperſionis ſanctæ & expiationis perfectæ. Ideò myſtice in ſacrificio quotidie funditur, & ut ſactatiſſimum novi teſtamenti libamen Deo offertur ad propitiationem. Myſticè illo fideles aſſiſtentes adſperguntur, ad peccatorum expiationem & ſanctificationem. Quod *ſi ſanguis taurorum & hircorum & cinis vitulæ adſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis: quanto magis ſanguis Chriſti qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo vivente?* Ita quoque hoc ſanguine filii conſperſos non poteſt non oculis miſericordiæ pietatis ſuæ Pater intpicere, cui cum Miſſæ Hoſtia inclamamus: *Protector noſter adſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti tui.* Nec filius nos hic poteſt deſpicere, ſciens ſe Mediatorem novi teſtamenti per ſuum ſanguinem, ſine quo non fit peccatorum remiſſio, cui etiam ſupplices hic genua cordis & corporis flectimus dicentes: Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Salvator: *Te ergo quæſumus, tuis famulis ſubveni quos pretioſo ſanguine redemiſti.* Heb.9.2. Pſ.38.10.

Confirmans hæc omnia quæ dicta ſunt S. Chryſoſtomus, & invitans ad attentionem ſublimem aſtantes Miſſæ Sacrificio ſic ait: Dum conſpicis Dominum immolatum, Sacerdotem ſacrificio incumbentem, & turbam circumfuſam pretioſo illo ſanguine intingi ac rubefieri, etiamne te inter mortales verſari atque in terra conſiſtere cenſes? An non potius in cœlum transferris, & carnis contagionem omnem abjiciens, mente pura circumſpicis quæ in Cœlo ſunt. O miraculum, ô Dei benignitatem, qui cum Patre ſurſum ſedet, in illo ipſo temporis articulo hominum manibus pertractatur, ac ſeipſum tradit volentibus excipere!

RESOLUTIONIS CASUUM ET QUÆSTIONUM PASTORALIUM.

CIRCA EUCHARISTIÆ SACRAMENTUM.

CAPUT I.

DE MATERIA ET FORMA EUCHARISTIÆ.

QUæro Primo. *Quomodo Materia debeat eſſe præſens?* Reſp. Debere eſſe præſentem ſenſibiliter: Hoc enim ſignificat illa vox.

Digitized by Google

hoc, vel, *hic*, in verbis formæ, designans rem sensibus præsentem. Hinc resolvuntur casus sequentes.

I. *An necesse sit, ut materia in manibus habeatur, aut saltem à ministro tangi possit: item, an necesse sit, ut sonus perveniat ad materiam*: Resp. negativè. Ratio est, quia potest censeri materia præsens sufficienter, licet in manibus non sit, aut paulò amplius distet, quàm ut manibus tangi possit: & potest tam submissè Sacerdos consecrare, ut sonus ad materiam super altari positam non pertingat. Sufficit ergo quod digito demonstrari possit, & aliis sentibus pateat, puta oculis, sicque moraliter præsens sit, nec nimis distans.

II. *An necesse sit, ut videatur materia, oculisq; præsens sit?* Resp. negativè. Nam etiamsi formulæ sint in pyxide clausæ, aut velo coopertæ, valida est consecratio; si pyxis super altare sit posita, aut juxta illud loco apto sensibiliter præsens. Dico, si pyxis sit in altari, vel juxta illud præsens: nam si paries intercederet, aut esset clausa intra tabernaculum, non censetur sufficienter præsens materia.

Q. 2. *An qualibet quantitas materiæ validè consecretur.*

Quæro Secundo: *An qualibet parva vel magna quantitas materiæ valide consecretur?* Resp. Quemlibet cumulum materiæ posse consecrari, qui potest esse præsens secundum omnes sui partes moraliter.

Casus accidit in triremibus non multis ab annis, ubi quidam Apostata Dominicanus, cum inferrentur multi sacci panis ad provisionem, ille omnes præsentes advocans, dixit: *Ego volo hos omnes Panes consecrare*, sicque elata voce protulit consecrationis verba. Cùm igitur inde magna orta foret confusio, tandem resolutum fuit, ut panis ille pueris daretur, & reliquum igne absumeretur. Cum autem alias iterum id attentasset, mortem præeligens servituti, suspendio enecatus est. Ita mihi retulit P. Sylvester Petra sancta Soc. Sacerdos Illustrissimo Nuncio Apostolico P. Aloysio Carafa à confessionibus, eo tempore accidisse, quo confessionibus excipiendis in triremibus erat & ipse designatus.

Resp. secundò, minimam quantitatem posse consecrari, si modò sit sensibilis. Unde minima particula, in qua conservatur panis substantia, apta est materia consecrationis, sicut & minima vini gutta.

Hinc patet Responsio ad quæstionem, qua quæritur, *an vini guttula in calice separata à toto, vel minima particula dissilientes in corporali, à formulis consecrandis separata debeant censeri consecrata?* Resp. hoc pendere ab intentione consecrantis. Videtur autem recta esse intentio, velle consecrare solum quod est per modum continui intra calicem. Unde verisimile est guttas separatas à toto vino, non esse consecratas: similiter nec minimas particulas dissilientes à formulis ante consecrationem; quia recta intentio Sacerdotis non videtur ad minimas illas particulas separatas, & vix sensibiles ferri, nisi aliter determinarit.

Q. 3. *De forma Eucharistiæ.*

Quæro Tertio de forma: *An possit à pluribus simul pronunciari, & ita simul consecrari?* Resp. posse, ut patet ex usu Ecclesiæ Romanæ, in qua novi Sacerdotes simul cum Episcopo verba consecrationis super eandem materiam proferunt. Ubi tamen adverte, quod omnes simul verba consecrationis finire debent si simul consecrare velint, alioqui qui prius absolvit, solus consecrabit. Quia ergo periculum est, ne multi verba formæ inaniter proferant, imo nec ipse Episcopus principalis consecrans nihil efficiat; si alius prius absolvat; quæritur *quomodo hæc consuetudo intelligenda sit, aut qualis intentio debeat esse in novis Sacerdotibus?* Respondent aliqui, solum Episcopum proferre verba formaliter, & cum intentione consecrandi, alios vero materialiter in signum potestatis sibi concessæ, & in memoriam cœnæ, in qua Christus cum Apostolis cœnavit, & illis eandem potestatem concessit. Attamen cum in Pontificali Episcopus moneatur alta & paulatim dicere, ut possint simul alii pronunciare; qui etiam moneatur diligentiam adhibere, ut simul absolvant: per hæc indicatur eos proferre verba formaliter, ad consecrandum. Respondendum igitur, practicè rectè consuli, ut Sacerdotes tunc intendant proferre verba tali modo & intentione, quam Ecclesia voluit illos hic habere? ita ut habeant conditionatam, vel potius disjunctam intentionem, scilicet aut consecrandi cum Episcopo si possint; sin minus, materialiter tantum verba proferendi, ita ut nullo modo velint ante Episcopum consecrare.

Quomodo novi sacerdotes se in ordinatione, in consecratione habere debeant.

De materia & forma, plura suprà in hoc Tract. & in resol. casuum de Sacramentis in genere.

CAPUT II.

DE SUSCIPIENTIBUS EUCHARISTIAM.

Q. 1. *Quæ sit necessaria dispositio ad dignè suscipiendam Eucharistiam. Trident. sess. 13. cap. 7.*

QUæro Primo: *Quæ dispositio requiratur, ad dignè suscipiendum?* Resp. 1. qui conscius est sibi peccati mortalis vel dubius, & practicè non deponit dubium, tenetur præmittere confessionem, quantumvis sibi contritus videatur. Ita Tridentinum. Resp. 2. duabus circumstantiis concurrentibus sufficit contritio, cum scilicet urget necessitas communicandi, & deest copia Confessarii. Hinc resolvuntur casus sequentes.

I. Quando Sacerdos ex officio tenetur celebrare, nec habet alium Sacerdotem nisi longè distantem, quem non potest accedere, potest contritus celebrare. Quænam autem distantia requiratur, ut censeatur non adesse copia Confessarii, moraliter venit prudenti judicio æstimandum. Nam unius vel duarum leucarum distantiam puto frequenter sufficere, si quis præcedenti nocte in peccatum mortale ceciderit, & matutino tempore

pore oporteat celebrare. Adde, quod hic multæ circumſtantiæ veniant conſiderandæ, inclementia aeris, infirmitas nonnulla, vel ſenium Sacerdotis, periculum itineris, ſcandalum & murmuratio populi, ſi ultra conſuetum tempus Miſſa differatur, Confeſſiones excipiendæ matutino tempore, ſi ſit dies ſolemnis, & ſimilia. Ex quibus omnibus debet formari, juxta conſcientiam timoratam, prudens judicium.

II. Quando etiamſi non teneamur celebrare vel communicare, id tamen ſine ſcandalo, aut infamiæ nota omittere nequimus. Sed hic videndum, an probabilem aliquam rationem adferendo, hanc infamiam vitare poſſimus; tunc enim ceſſabit neceſſitas communicandi.

III. Neceſſitas abſolvendi inchoatam Miſſam ſi non facilè, nec ſine incommodo poſſit ad altare vocati Confeſſarius.

IV. Si quis altari admotus, ut communicet, recordetur peccati mortalis, & non poſſit retrocedere ſine ſcandalo, vel nota.

V. Quando pœnitens unicum p. m. habet, quod ſi confiteatur Confeſſario qui præſens eſt, gravem ſibi ab illo injuriam metuit, puta ſollicitationem ad malum, odium vel inimicitiam, revelationem peccati, & ſimilia. Tunc enim non cenſetur habere copiam Confeſſarii. Si autem habet mortalia alia ex quibus non metuit, tenetur illa confiteri illo tacito.

VI. Quando pœnitens non habet aliud mortale, niſi reſervatum ſuperiori, quem adire non poteſt. Tunc neceſſitate urgente poteſt ſine confeſſione prævia communicare contritus.

Q. 2. An ſi quis hiſce caſibus communicarit, ſtatim teneatur confiteri? Trident. ſeſſ. 13. cap. 7.

Quæro Secundo: *An qui in dictis caſibus ſine Confeſſione communicarunt, teneantur ſtatim poſt confiteri?* Reſpondeo, ſi ſint laici communicantes, non tenentur, ſi vero ſint Sacerdotes celebrantes, tenentur. Ratio eſt, quia Conc. Trid. hoc præceptum imponit Sacerdotibus celebrantibus, non verò Laicis communicantibus: in expoſitione autem legis onus imponentis, ſtandum eſt illius verbis. Verba autem Trid. ſunt. *Quod ſi neceſſitate urgente, Sacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur.* Ubi nulla fit mentio Laicorum, cenſeturque eſſe ſolum præceptum Eccleſiaſticum pro Sacerdotibus conſecrantibus, & ut publicos miniſtros ſeſe exhibentibus in confectione hujus Sacramenti. Unde caſus ſequentes reſolvuntur:

I. Si Sacerdos communicet more Laicorum, urgente neceſſitate, non tenetur hoc præcepto.

II. Si quis præmittendo Confeſſionem, ex oblivione peccatum aliquod non fuerit confeſſus, non tenetur ſtatim confiteri, niſi iterum debeat celebrare.

III. Si quis non præmiſerit Confeſſionem; quia non putavit ſe eſſe in peccato, quod prius advertit poſt celebrationem, etiam non tenetur ſtatim confiteri, niſi iterum urgeatur celebrare, & habeat copiam Confeſſarii.

IV. Qui ex malitia omiſit confiteri, & celebravit, etiam non tenetur ſtatim poſt confiteri. Ratio diverſitatis eſt, quia indigne celebrans peccavit quidem, ſed nullo ſpeciali præcepto ad confeſſionem ſtatim obligatur. Sufficit enim quod ſuo tempore eam facit, ſicut & quivis alius peccator, quia cum ſolum præciperetur confeſſio ut diſpoſitio ratione Euchariſtiæ, jam tranſiit illa obligatio: At verò qui dignè celebrat, & non confitetur, urgente neceſſitate, & ex eo non peccat, ſed tantum remanet obſtrictus id poſtea facere, quod antè non potuit. Quare transfertur tunc in ipſo obligatio. In illo verò qui indigne celebrat, videtur manere eadem ratio, quæ de aliis peccatis, ut illud ſicut & alia non teneatur niſi ſuo tempore confiteri. Hæc eſt probabilis aliquorum ſententia, cujus contrarium non videtur convinci ex verbis Tridentini.

Q. 3. Quodnam jejunium requiratur ad Communionem.

Quæro Tertio: *Quomodo requiratur ut communicans ſit jejunus.* Reſp. debet eſſe jejunus jejunio naturali, hoc eſt, ſine omni cibo & potu à media nocte uſque ad Communionem; ut ne quidem per modum medicinæ quicquam ſumpſerit. Per modum tamen ſalivæ, ſi quid deglutiatur, non impedit. Hinc reſolvuntur caſus ſequentes.

I. *Si abluendo os incautè parum aqua deglutiatur, non impedit*: quia id per modum ſalivæ factum cenſetur, non per modum cibi aut potus.

II. *Qui deguſtat aliquid jurulenti ſive liquidi, ſolum ut percipiat ſaporem & expuit, non impeditur*, etiamſi quid relinqui cenſeatur in palato, quod per modum ſalivæ deglutiatur.

III. *Qui caſu trajicit aliquid reliquiarum in dentibus ex cibo cœnæ præcedentis relictarum, non cenſetur etiam jejunium frangere*, ob dictam rationem. Aliud foret, ſi quis ſaccarum in ore poſuerit paulatim liquefaciendum, & ante mediam noctem necdum totum trajecerit, eſt enim ſucceſſiva quædam manducatio, & cibi ſumptio. Unde ſi quis indormiret cum ſaccaro in ore, de quo dubitet, an ante mediam noctem totum deglutierit, teneat ſe non jejunum.

IV. *An Sacerdos qui deglutit ſanguinem, aut aliam humorem à capite in os defluentem, cenſeatur jejunus?* Reſp. cenſeri, quia non eſt per modum cibi aut potus: nec eſt aliquid trajectum per os in ſtomachum ab extrinſeco, quod videtur ad manducationem, aut potum requiri.

V. *An oporteat dormiviſſe poſt cibum, vel digeſſiſſe?* Ratio dubitandi eſt quia in jure cap. *Si confiteri*, de accuſat, punitur Sacerdos, qui noctem inſomnem duxerat. R. id non eſſe neceſſarium: Sacerdos autem qui punitur ibi, fuerat tota nocte in taberna, & inde proceſſerat ad celebrandum, propter ſcandalum ergo, nec non irreverentiam & præſumptionem cibi & potus ſumpti poſt mediam noctem, jure punitus eſt.

Quapropter in Synodo Namurcenſi huic re-

Digitized by Google

conforme decretum extat : *Si quis Sacerdotum cum pridiè temulentus notabile ſcandalum dederit, ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium celebrare præſumpſerit, ad integrum menſem ab ejuſdem ſacrificii celebratione ſuſpendatur.* Ita tit. 4. c. 11.

Q. 4. An Euchariſtia ſumi poſſit à non jejuno?

Quæro Quarto. *Quo caſu poſſit ſumi à non jejuno Euchariſtia?* R. vel fieri poſſe ob neceſſitatem ſuſcipientis, vel ob integritatem ſacrificii, vel ob Sacramenti ipſius vitandam irreverentiam. Hinc reſolvuntur caſus ſequentes.

I. *Si quis periculosè infirmus & ſit periculum, ſi ſequens dies exſpectetur, poteſt non jejunus communicare.* Unde advertant Paſtores, in morbo periculoſo non eſſe ſcrupulosè differendam communionem propter jejunium. Adde, quod non ſolum ſemel, ſed & pluries communicari poſſit infirmus non jejunus, ſi periculum perſeverat, & pluries id requiſierit: maximè, ſi interſtitium notabile ſit, puta unius hebdomadæ aut circa.

II. *Si in Hæreticorum manus aliàs incidere poſſet Sacramentum, aut aliâ irreverentiâ tractari, tunc etiam à non jejuno poteſt ſumi, imò & bis in die recipi.* Hoc enim licitum foret ad impediendam irreverentiam Sacramenti.

III. *Si pro vino conſecraverit quic aquam, & ſumpſerit, tunc demùm poteſt conſecrare vinum, & ſumere.* Ratio eſt, quia integritas ſacrificii eſt de jure divino, jejunium de jure Eccleſiaſtico. Unde & Sacerdos non jejunus, ſi aliter celebrans deficeret poſt conſecrationem, debet perficere ſacrificium.

IV. Si neceſſe ſit ſumere reliquias poſt ablutionem, eſt enim totum illud per modum unius actionis moralis; & complementum ſumptionis præcedentis. Unde non hic ſcrupulosè agendum eſt, ſed intra tempus quo adhuc moraliter perſiſtit miniſterium Miſſæ, licet contingat multo tempore morari, ad miniſtrandam Euchariſtiam, ſumi poſſunt reliquiæ ad illud ſacrificium pertinentes.

V. *Ob viaticum dandum exiſtenti in periculo mortis, Sacerdos non jejunus poſſet celebrare, ſecundum aliquos Theologos.* Ratio eſſe poteſt, quia Communio tunc eſt de jure divino, jejunum de Eccleſiaſtico. Sed probabilior ſententia id non concedit. Ratio eſt, quia major habenda eſt tunc ratio reverentiæ Sacramenti, quam neceſſitatis aliqualis proximi: qui etiam excuſatur à Præcepto, cum non adeſt, qui ritè poſſit miniſtrare. Et hoc videtur approbare Eccleſiæ conſuetudo optima legum interpres. Nec refert quod Communio ſit de jure tunc divino, jejunium de Eccleſiaſtico: nam etiam celebrare cum veſtibus ſacris, eſt juris Eccleſiaſtici, & tamen non admitterent Theologi licere tunc celebrare ſine ſacris veſtibus. Poteſt ergo præceptum Eccleſiæ quandoque eſſe univerſalius quam divinum, quod ex ipſiuſmet Eccleſiæ interpretatione colligi quandoque poteſt.

CAPUT III.

DE PRÆCEPTO COMMUNIONIS.

Q. 1. An ſit præceptum communicandi in articulo mortis?

QUæſtio Primo. *An ſit præceptum communicandi in articulo mortis?* R. affirmativè, adultos tale præceptum ſub peccato mortali obligare, ſi capaces ſint; quamvis diſputent Doctores, an tale præceptum ſit de jure divino, vel humano. Quidam enim putant non eſſe de jure divino præceptum niſi ſemel in vita communicare, quod impleri poteſt extra articulum mortis. Alii non ſolum ſemel in vita, ſed & quoties periculum probabile mortis occurrit, aſſerunt communionem eſſe præcepti divini, & hæc eſt communior ſententia. Hinc reſolvuntur caſus ſequentes.

I. Non debere tunc negari amentibus, qui aliquando uſum rationis habuerint, cum id poteſt fieri ſine irreverentiæ periculo, puta ſine periculo vomitus, vel exſpuitionis. Ratio eſt, quia cum aliquando hi devotionem habuerint, ea virtute perdurare cenſetur: & ſi non conſtet fuiſſe in peccato mortali, cum in amentiam inciderint, præſumendi ſunt boni & diſpoſiti; maximè ſi antequam in phrenetim aut amentiam inciderint, ſigna animi pii dederint. Perpetuò autem amentibus non ſolet etiam tunc miniſtrari, quia nulla unquam in eis fuit ad illud Sacramentum devotio.

II. Damnatis ad mortem etiam danda eſt communio. Unde conſuetudo Hiſpanorum negantium reis interficiendis Euchariſtiam, ſublata eſt motu proprio Pii V. cui lex regia acceſſit. Dicitur tamen adhuc in partibus conſuetudo vigere, ut maleficis & ſagis Communio non detur, licet pœniteant. Quæ etiam conſuetudo non videtur benè fundata: cum omnis verè pœnitens jus habeat ad Euchariſtiam, maximè in articulo mortis.

III. Energumenis ſi abſque irreverentiæ periculo poſſunt communicare, non eſt Euchariſtia neganda. Eſt communis.

IV. Eſt difficilior, cujus reſolutionem apud nullum reperio. *An ſurdus à nativitate ſurdus & mutus ſit communicandus, ſaltem in articulo mortis?* Ratio dubitandi eſt, quia tales non videntur poſſe habere actualem devotionem, cum nunquam fuerint inſtructi de hoc myſterio, ideoque finem actualem illius non videantur habere. *Quomodo enim credent niſi audierint? Quomodo audient ſine Prædicante?* Ex altera parte, ut illis adminiſtretur, ratio militat, quia tales ſunt baptizati, ideoque fidem habitualem habent per Baptiſmum infuſam: & cum alios vident cum magna reverentia & devotione ad Sacramentum hoc accedentes & adorantes; concipiunt ibi eſſe aliquod myſterium, & devotionem aliquam erga illud exterioribus demonſtrant ſignis, immò & adorationem in hujus Sacramenti elevatione exhibent. Experientia id dedici, in quadam ſurda & muta juriſdictione mea ſubdi- Rom. 10. 14.

Digitized by Google

ſubdita, quæ in Miſſæ Sacrificio elevatione manuum, pectoris tunſione, aliiſque ſignis, dum Sacramentum exhibetur, adorationem exhibet, & devotionem quam ſolent Fideles? & cum uſu rationis perfecto polleat, abſque dubio confuſè myſterium ibi aliquod latere percipit. Immò ſignis aliquibus quandoque licentiam petiit, cum aliis ad hoc Sacramentum accedendi; quæ tamen ei indulta non fuit à Parochis ante me. ideòq; nec hactenus id reſolvi, cùm difficile ſit judicare de diſpoſitione, ſufficienti reverentiâ Sacramenti, nec ipſa Eccleſiaſtico præcepto Communionis comprehendatur. Dubium tamen mihi eſt: An ſi exiſteret in periculo mortis, ob divinum præceptum communicandi ſemel in vita, non foret fides ejus, quantum poteſt fieri, ſignis excitanda, ut ſic ei miniſtretur tunc ut viaticum Euchariſtiæ. Etenim cùm Deus in neceſſariis non deſit, videtur ſpeciali illuſtratione interiori, & ſpecialis gratiæ auxilio, adjuvare tales ad actum fidei exercendum. Alioqui cùm Theologorum ſententia definiat, neminem ex adultis ſine fide explicita myſterii Trinitatis & incarnationis ſalvari poſſe, ſequeretur tales ſurdos & mutos excludi a ſalute, cùm non poſſint de illis myſteriis ſufficienter inſtrui, & per conſequens nec explicitam fidem elicere: niſi dicamus Deum ſpeciali gratiâ & lumine ad id concurrere, & intellectum, voluntatemque elevare, ut tales pio affectu fidei ſufficienter attentiantur; maximè illis articulis, qui dicuntur eſſe neceſſarii non ſolùm neceſſitate præcepti, ſed etiam neceſſitate medii ad ſalutem. Hinc etiam aliqui Theologi dixêre, quo ſi quis inter infideles faceret quod in ſe eſt, nec haberet quempiam pro inſtructione ad fidem, Deum non ei defuturum, ſed extraordinario potiùs modo cum illuſtraturum, ſivè per homines, ſivè etiam per Angelos. Itaque ſurdus & mutus à nativitate, videtur ſaltem in periculo mortis, poſſe Communione muniri, ſi aliquam judicetur reverentiam concipere; nec idem de illo eſt ac de pueris, cùm diſcretionis lux in eo fulgeat, juvarique poſſit lumen naturale, & perfici lumine & gratiâ ſupernaturali ad diſpoſitionem ſufficientem ſpeciali benignitate Dei.

Q. 2. An qui communicavit, mox morte ſupervenente, teneatur iterùm communicare.

Quæro ſecundò: *An, qui aliâ occaſione communicavit, ſi poſtea incidat articulum mortis, teneatur iterum?* Reſp. negativè. Si non interponatur notabile ſpacium dierum, quod quidem prudentis arbitrio relinquendum eſt; unde multi aſſerunt ſufficere, ſi quis ante octiduum communicant, licet ignoraret ſibi imminere periculum mortis. Sic enim ſufficienter cenſetur impleviſſe præceptũ de communicando paulò antè mortem: quia unuſquiſque cenſetur habere intentionem ſaltem implicitam adimplendi omnem obligationem quam poteſt & debet, licet eam fortè ignoret, niſi contrarium explicet. Sic ſatisfacit præcepto Eccleſiæ, qui diem feſtum ignorans, Miſſam audit.

Quæro tertiò: *De præcepto Communionis in Paſchate, ſub qua pœna obliget, & quâ ætate obligare incipiat?* Quoad primum, adverto quosdam ſimpliciores Parochos exiſtimare, ſub pœna excommunicationis obligare, ſed errant. Nam Canon: *Omnis utriuſque ſexus*, hanc ſolum pœnam adjicit, ut qui tranſgreditur, *vivens ab Eccleſiæ ingreſſu arceatur & mortuus Eccleſiaſticâ careat ſepulturâ*: quæ pœna ab excommunicatione differt, ut doctis notum eſt. Tempus verò Paſchale continet quindecim dies, à Dominica Palmarum, uſque ad Dominicam in Albis; & ubi eſt conſuetudo iſtud tempus extendendi, id ſervare ſufficit, ſicut Mediolani & alibi, ab initio Quadrageſimæ dicitur inchoari. Iſtud etiam tempus à Parocho certis de cauſis poteſt extendi, vel anticipari.

Q. 3. De communione in Paſchate. Can. Omnis utriuſque ſexus.

Quantum ad ſecundum, quo ætatis anno obligatio oriatur, non poteſt indiviſibiliter deſignari: ſed in eo ſequendum eſt parentum & Confeſſariorum judicium. Dici tamen poteſt, moraliter loquendo, nec ante decennium facilè incipere, nec ultra annum decimumquartum differri. Non ſtatim verò ac pueri attingunt ætatem, in qua licitè poſſunt communicare, ad id obligantur, ut notant DD. ſed poſt aliquod tempus, v. g. poſt unum vel alterum annum. Ratio eſt, quia congruit ut Eccleſia non obliget, hic quamprimum poteſt tam pro majori reverentia Sacramenti, quàm pro ſecuritate communicaturi; & hoc ipſum uſus Eccleſiæ approbat.

Q. 4. An indigne communione præceptum hoc impleatur?

Quæro quartò: *An per indignam communionem hoc præceptum impleatur.* Reſpond. affirmativè. Sicut & præceptum Baptiſmi aut Confirmationis impleretur etiam indignè ſuſcipiendo. Ratio eſt, quia dum præcipitur actus aliquis, ſubſtantia ipſius actus ordinariè ſolet præcipi, non autem modus: & ita cum præcipimur ſuſcipere Baptiſmum, aut Confirmationem, aut Euchariſtiam, licet intentio & finis præcipientis ſit ut digne ſuſc. ſcipiatur, tamen cum finis non cadat ſub præceptum, & dignè ſumere ſit ſolum modus quidam, etiam ſub præceptum cadere non cenſetur. Dico ordinariè, nam modus poteſt eſſe eſſentialis ipſi actui, & tunc cenſetur cadere ſub præceptum. Sic cum præcipitur oratio, cenſetur præcipi attentio, quia eſt modus eſſentialis orationi: & cum præcipitur Confeſſio, cenſetur præcipi ejus formalis integritas, quia eſt de eſſentia Confeſſionis: at diſpoſitio digna non eſt eſſentialis, vel Baptiſmo, vel Communioni, vel Confirmationi.

Q. 5. An in Paſchate negligens communionem non teneatur niſi jeq. Paſchate.

Quæro quintò: *An, qui in Paſchate tranſgreſſus eſt hoc præceptum, maneat liber uſque ad Paſcha ſequens?* Reſp. 1. Multorum eſſe probabilem affirmativam ſententiam, quia etiam in aliis præceptis hoc reperitur. Nam qui non audivit Miſſam in Dominica, non tenetur uſque ad alteram Dominicam. Item qui non jejunavit in Quadrageſima, non tenetur uſque ad alteram Quadrageſimam

sim m. Resp. 2. Contrarium probabilius videri & in praxi securius esse. Ratio est, quia lex de Communione Paschali, duas partes principales includit, una, ut Communio non differatur ultrà annum, altera, ut fiat saltem tempore Paschatis, & utraque est principaliter intenta. Idipsum exemplis similibus declaro: Si quis teneatur ad aliquid solvendum in Paschate; non ideò liberatur ab obligatione, si Pascha transierit. Item, si Confessarius præceperit jejunare Feriâ sextâ, non ideò liberatur pœnitens à jejunio, si eo die non impleverit: quia Confessarii intentio principalis est, ut semel jejunet, dies autem Veneris ob congruentiam adjicitur. Sic ergò principalis Ecclesiæ intentio est, ut Communio annua fiat, dies autem Paschæ ob congruentiam designatus est, quo tempore si non impleatur, manet obligatio implendi posteà.

Q. 6. An Parochus debet communicare subditum quoties petierit.

Quæro sextò: *An Parochus teneatur ministrare Eucharistiam, quoties subditus petierit?* Respond. teneri, quoties rationabiliter petit: Quod enim dixerunt aliqui non teneri, nisi quando ex præcepto tenetur communicare, parum probabile est; quia Parochus non solùm alitur à subditis, ut ministret necessaria, sed etia multum utilia saluti. In hac re ergò videndum est, an juxtà statum suum, & Sacramenti reverentiam, non nimium frequenter aut importunè petant. Atque etiam ex parte Parochi excusatio rationabilis, & impedimentum potest occurrere quandoque, ita ut non peccet; maximè si coadjutores habet Sacellanos vel Religiosos, ad quos facilis est recursus. Caveat tamen in confessionibus audiendis, aut communione danda morosus esse: quia hæc sunt pascua, ad quæ oves tenetur manu ducere; tantùm abest, ut ab eorum frequentatione, morositate suâ eas doceat abstrahere.

Q. 7. De Eucharistia ministranda tempore pestis. Rodrid. p. 1. c. 77. Tabiena. Cajetan. Sylvest. Fumus & alii.

Quæro septimò: *An Parochus tempore pestis teneatur infectis Eucharistiam ministrare cum periculo vitæ?* Resp. duplicem hic esse opinionem. Quidam enim ab hac obligatione Parochum tunc liberant, inter quos Rodriquez, Tabiena & alii. Cui opinioni favere videntur omnes illi, qui docent, eum qui communicavit in Paschate, si sine contemptu non communicet in periculo mortis, non peccare mortaliter. Inter quos est Cajet. Sylvest. Fumus & alii, V. Communio. Atque omnes illi, qui docent, nonnisi de præcepto Ecclesiastico tunc communicandum esse, huic opinioni facilè subscriberent: quia præcepta Ecclesiastica cum periculo vitæ non solent obligare, maximè cum Eucharistia non sit de salutis necessitate. Sed contrarium probabilius & tutiùs censet communior opinio. De qua re plura dicam in Tractatu de extrema Unctione.

Q. 8. An celebrans dare possit Communicaturo partem suæ hostiæ.

Quæro octavò: *An Parochus celebrans partem suæ hostiæ possit dare communicaturo:* Resp. hoc ordinariè fieri non debere. Ex rationabili tamen causâ, si non sit alia hostia, & urgeatur quis communicare, potest dari. Ita Sylvest. & alii.

CAPUT IV.

DE CELEBRATIONE MISSÆ

Q. 1. An quis celebrare possit censurâ occultâ implicatus.

Quæro primò: *An Sacerdos censurâ aliquâ occultâ implicatus, puta excommunicatione, possit celebrare?* Resp. si timet infamiam vel scandalum ex omissione Sacri, potest: modò doleat de peccato, & proponat primâ opportunitate petere absolutionem. Ratio est, quia non videtur Ecclesia cum tam gravi onere obligare ad censuræ observationem: nec tunc ergò fiet irregularis.

Q. 2. De Matutino non recitato ante celebrationem.

Quæro secundò: *An sit mortale peccatum celebrare ante matutinum recitatum?* Resp. negativè, quia nec tale præceptum rigorosum obligans ad mortale, reperitur, nec est ordo per se Divini Officii cum Sacrificio, sicut est inter partes ipsas Officii Divini. Et licet talis ordo foret, tamen illius interruptio non est mortalis. Nam etiam ordinem Horarum invertere, non censetur peccatum mortale. Est tamen quædam congruentia, ut præmittatur Matutinum Sacrificio, quia unum Officium est quasi nocturnum, alterum diurnum. Quod ut facilius fiat, etiam promittit Pontifex & Ecclesiæ apud pios etiam usitata consuetudo, ut pridie vesperi officium possit recitari. Quod si quæras, quâ horâ? Resp. nihil me de hac re determinatum reperire. Existimo tamen, absoluto officio illius diei, licere etiam tempestivè, hoc est, circa quartam pomeridianam. Quia Ecclesia in ultimis diebus Hebdomadæ Sanctæ, circa eam horam officium matutinum sequentis diei solet inchoare.

Quâ horâ vespertinâ liceat recitare matutinum.

Q. 3. Quoties quis teneatur in anno celebrare vi ordinis.

Quæro tertiò: *Quoties teneatur quis ex vi sacerdotalis Ordinis in anno celebrare?* Resp. hoc esse incertum, undè dissentiunt DD. Quidam enim dicunt ne quidem teneri Sacerdotem in vita sua sub mortali sacrificare, cum de ea re non inveniatur præceptum de jure divino aut positivo. Alii, & probabilius, dicunt præceptum contineri in illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Undè Trid. Sess. 22. can. 1. dicit: *Christum illis verbis Sacerdotibus præcepisse ut offerrent, uti semper Ecclesia Catholica intellexit & docuit.* Idem can. 2. & Sess 23. cap. 14. de reformat. præcepit Episcopis: *Curent ut Sacerdotes saltem Dominicis & Festis solemnibus, si animarum curam habuerint animarum, tam frequenter ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.* Incertum tamen manet, quoties sub mortali teneantur, quia licet Tridentinum moneat Episcopos, & præcipiat, ut huic rei advigilent, non specificat præceptum rigorosum de obligatione sub mortali. Quamvis mens Ecclesiæ satis colligatur esse, ut sæpius celebrent. Unde cap. DOLENTES de celebr. Missarū, pro delicto numeratur, quod Sacerdotes quidam vix quater in anno celebrarent.

Luc. 22. 1. Cor. 11. Trid. ll. 22. c. 1. Idem can. 2. & ll. 3. c. 14. de ref.

Cap. Dolentes de cel. Miss.

Q. 4. An sæpius in die liceat celebrare?

Quartò quartò: *An sæpiùs in die liceat celebrare?* Respond. multos hic casus referri à Casuistis, sed duos tantùm scias in usu esse: scilicet in die

Google

die Nativitatis Domini, & quando quis plures Eccleſias habet. Addi forte poſſet caſus cujuſdam neceſſitatis, quando in aliqua Eccleſia æger eſſet Parochus, nec alius Sacerdos poſſet haberi, ut in die ſolemni populus Miſſam audiret. In quibuſdam locis Hiſpaniæ, etiam datur privilegium Sacerdotibus plures Miſſas celebrandi in die Animarum. Atque antiquitus, dum tantus erat populi concurſus, ut templum omnes non caperet pluries celebrari ab eodem poterat. Ob iſtam cauſam dicit Strabo de reb Eccleſ c.21. S Leonē in uno die ſepties Miſſam celebraſſe. Lego etiam in vita S. Alberti apud Molanum 2. Maij, quotidie ſolitum duas celebrare Miſſas, unam pro vivis, aliam pro defunctis.

Strabo de re. Ec c 21 Molanus 2. Maij in vita S. Alberti,

QUÆRO QUINTO: *An ſint aliqui dies, in quibus non liceat celebrare?* Reſpon permiſſum eſſe omni die celebrare, excepta feria ſexta Hebdomadæ Sanctæ, quo etiam die conſuetudo non eſt Communionem dandi, niſi ægris in periculo mortis. Quartum ad diem Jovis ſanctum, licet quibuſdam in Eccleſiis non ſoleat niſi una Miſſa celebrari, in memoriam Chriſti, qui ea die primam Miſſam celebravit, & manu propria Apoſtolis Euchariſtiam præbuit: non invenitur rigoroſum præceptum, quo ſinguli Sacerdotes prohibeantur celebrare. Unde & a multis ſolitum eſt tunc celebrari. Quantum ad Sabbatum ſanctum, etiam conſuetudo obtinet, ut non niſi una Miſſa ſolemnis tunc temporis celebretur. Quapropter & ea die non habetur INTROITUS, qui ſolet legi in Miſſis privatis. Atque etiam id prohibetur, cap. SABBATO, de conſec. diſt. 3. Advertetamen iſtud præceptum ex eo originem duxiſſe, quod antiquitus Sabbato ſancto non recitabatur Officiū Matutinum, nec legebatur Miſſa de Reſurrectione ante mediam noctem, quæ erat principium Dominicæ Reſurrectionis. Patet ex Collecta: *Deus qui ſacratiſſimam noctem*, &c. Unde totam illam diem Eccleſia tranſigebat in mœſtitia, Chriſti in ſepulchro memoriam repræſentans, & Reſurrectionem ejus exſpectans. Poſtea cœpit Eccleſia Miſſam illam Reſurrectionis, media nocte legi ſolitam, celebrate die Sabbati tempore matutino, qui mos nunc toto orbe invaluit. Hinc aliqui exiſtimant præceptum illud antiquum abrogatum eſſe, quod Miſſam in die celebrare prohibebat: ita ut privatam Miſſam tunc legere non exiſtiment prohibitum. Quapropter hac in re conſule conſuetudinem loci in quo degis; in praxi tamen tutius, & magis ad mentem Eccleſiæ videtur abſtinere.

Q. 1. An neceſſaria ſint veſtes ſacræ, & quænam?

Cap. Sabbato de conſ. d 3.

Q. 6. De hora celebrandi.

QUÆRO SEXTO: *Qua hora licitum ſit celebrare?* Reſpon Rubricas Miſſalis determinare ab aurora uſque ad meridiem. Solet autem aurora inchoari una hora & media circiter ante Solis ortum. Invenimus, quibuſdam in locis ſolitum eſſe etiam ante auroram celebrari, tum ut famuli, ſi ii familias, operam eam audiant: tum ut iter facientes, ea non ceſſent; de quo in multis Belgii locis ſcrupulus non ſit. Et eum talis conſuetudo ab Epiſcopis ſciatur & toleretur, non viderur peccatum involvere. Imò Navarrus, cap. 25 Manual Angelus, Roſella, & quidam alii, putant jure communi id non prohiberi. Vide latius Navarr. cap. 25. qui putat privilegio Miſſæ ante auroram, vel poſt meridiem celebrandæ, contineri jus commune, & tantum prodeſſe ad ſedandos animos ſcrupuloſorum. Tu in praxi conſule conſuetudinem timoratorum, in Epiſcopatu in quo degis. Nam hoc ſtrictius obſervatur in quibuſdam locis quam in aliis. Tridentinum ſeſſ. 22. ordinat ut Sacerdotes ultra horas illis ſtatutas non celebrent, & hoc de ſtatutis intelligi poteſt cujuslibet Epiſcopatus, aut conſuetudine vim ſtatuti habente.

Nav. c. 25 Manual. Angelus, Roſel. &c

Quantum ad noctem Nativitatis, licet celebrare etiam tres Miſſas Sacerdoti privato ante ortum Solis, ex privilegio Teleſphori Papæ. Atque generaliter, ex communi DD. ſufficit, quod finis Miſſæ in initium autoræ incidat, aut quod Miſſæ initium circa meridiem inchoëtur. Sed & olim in jejuniis Quatuor Temporum, ut patet de conſecr. diſt. 1. etiam poſt nonam celebrari poterat. ea hora qua Chriſtus illud obtulit; quæ etiam tunc erat hora refectionis in diebus jejunii, ut teſtatur D. Thomas.

CAPUT V.

DE REQUISITIS AD CELEBRANDUM, ET DE STIPENDIO celebrantis.

QUÆRO PRIMO: *An neceſſaria ſint veſtes ſacræ, & quæ?* Reſp. neceſſarias eſſe: nimirum. Amictum, Albam, Cingulum, Manipulum, Stolam, Planetam: ita ut nullo caſu liceat celebrare ſine veſtitu illo ſacro. Si tamen in caſu neceſſitatis una ex minoribus deeſſet, puta Cingulum, vel Manipulus vel Stola; multi exiſtimant non fore mortale ſine ea celebrare; multo minus ſi quis per inadvertentiam aliquam earum omittat.

Q. 1. An neceſſaria ſint veſtes ſacræ, & quænam?

QUÆRO SECUNDO: *An omnes hæ veſtes debeant eſſe benedictæ?* Reſpondent DD. communiter, omnes debere eſſe benedictas, alioqui mortaliter peccari. Excipiunt aliqui Cingulum, cujus benedictionem non eſſe neceſſariam, probabilis ſententia aſſerit. Et teſtatur Scotus ac Richardus in 4 d. 17 in aliquibus Regionibus morem non eſſe ut benedicatur. Paſſim videmus licet quandoque ſit benedictum, ſi tamen frangatur, ſolere utramq; partem connecti ſine alia benedictione; quod licitum eſſe docet Emanuel Sa, Soto, & alii. Adde cum aliquibus, licitum eſſe uti Stola pro Cingulo, atq; Manipulo loco Stolæ, ſi inſufficientis longitudinis ſit. Durat vero benedictionem, quamdiu iſtæ veſtes manent integræ, ac formā ſuā retinēt. Unde ſi avellatur plane Manica ab Alba, benedictionem amittit. & licet denuo aſſuatur, iterū benedicenda eſt; ſecus ſi paulatim reficiatur. Quantum

Q. 1. An debeant eſſe benedictæ?

Digitized by Google

tum ad Stolam & Planetam, si sint duplices, alium intus, alium foris colorem habentes, & separentur; utramque partem benedictionem retinere asserit Suarez: cum utraque illarum tota Planeta sit & Stola, & una benedictione benedicantur, tanquam essent duæ Planetæ ac Stolæ.

Q. 3. Quæ præterea requirantur ad celebrandum?

QUÆRO TERTIO: *Quænam præter vestes sint necessaria ad celebrationem?* Respon. requiri præter Altare fixum vel portatile, Mappas, Corporale, Pallam, Calicem, Patenam, Candelam, Missale, Panem & Vinum, de quibus sequentia sunt notanda.

I. Duas Mappas requiri, aut unam duplicem. Quidam etiam docent unam sufficere; quod ob necessitatem secluso contemptu admitti potest; ordinarie autem nonnisi super duplici Mappa seu Tobalea celebrandum est. Neque verò Mappas benedici necessarium est. Ultra id, requiritur Corporale Lineum benedictum, cujus potest esse extremitas serica. Et durat benedictio quamdiu manet integrum, per ruptionem autem notabilem perit. Deinde Palla requiritur, qua Calix cooperitur, & ex parte inferiori convenit esse lineam, exteriori autem parte potest esse serica vel aurea. Olim unum erat tantum Corporale oblongum, quo etiam tegebatur Calix: & tunc non erat necessaria alia Palla, quod etiam nunc apud Carthusianos observatur. Cum autem Pallæ non contingant Hostiam consecratam, non videtur necessaria benedictio, quæ in Corporali omnino sub peccato mortali requiritur.

Immundities vestium quale sit peccatum.

II. Requiritur munditia ornamentorum & vestium maxime Corporalis. Quod si quæras quale peccatum sit, si immundities reperiatur? Respondent DD. si sint enormiter immunda, aut si fiat cum scandalo vel contemptu, erit mortale: si non sint enormiter immunda, nec scandalum sit, aut contemptus, veniale.

III. Requiritur, ut Calix sit consecratus & Patena; debentque esse aurea, vel argentea, vel stannea. Si deauratio amittatur, non ideo perit consecratio, quia totus Calix & tota ejus materia per modum unius consecratur. Quod si deauretur postea Calix vel Patena ex ea parte, qua Corpus & Sanguinem contingit, iterum consecranda sunt: quia id in quo fit proxime contactus Corporis & Sanguinis, jam non erat consecratum. Perditur porro consecratio, si notabiliter franganur, ita ut formam & quantitatem amittant, quæ ad eorum convenientem usum est necessaria. Quæres, *An pyxis, in qua servatur Eucharistia, debeat esse benedicta?* Respondent multi DD. id jure non inveniri præceptū: ordinarie tamen solet benedici, & hoc rutius; quia ordinatur ad tangendum immediatum Corpus Domini. Unde adverte in nuda Pyxide, maxime si sit argentea, rectius collocari particulas consecratas, quam in parte Corporalis in Pyxide posita: quia cum particulæ renovantur, difficilius est id perfecte agere; & non sit sine periculo purgatio Corporalis interpositi, solent enim particulæ facile dissilire. Quod etiam advertit Possevinus, & apud PP. Societatis video in usu esse: quamvis aliqua Pastoralia insinuent substernendam intus Corporalis partem. Cæterum, contactum Calicis, Patenæ, Pyxidis, Corporalis, sine contemptu à Laicis factum, non existimo nisi veniale.

An Pyxis debeat esse benedicta.

IV. Lumen sub peccato mortali requiritur; in ripore tamen sufficit una candela, quamvis duæ ordinarie ex decentia adhibendæ sint. Sufficit etiam in necessitate Lumen Sebaceum. Quærere vero hic potest quis: An sit etiam præceptum, ut ante Eucharistiam in templis semper lumen ardeat? Respondent aliqui, licet expressum in jure non reperiatur, consuetudinem tamen universalem Ecclesiæ habere vim præcepti. Ita Victorellius, Emanuel Sa, & quidam alii. Sed hanc consuetudinem non esse ita universalem, patet ex multis Ecclesiis Parochialibus, maxime Ruralibus: ubi propter paupertatem hactenus non fuit solitum, lumen continuum accendi. Et licet Episcopi eam consuetudinem introducere conentur variis decretis, videmus vix observari à subditis ob paupertatem. Disceptant enim illi de expensis, quorum sit eas sustinere, an Ecclesiæ, an decimas percipientium, an communis populi; sicque decretorum executio vel differtur, vel non fit. Extat porro præceptum de lumine, quando defertur Sacramentum foras, cap. SANE, de celebr. Missarum. Ex causa tamen illud etiam omitti posset, ut cum ad ægrum longe distantem defertur, nec commode cum lumine fieri potest.

Victorel. Sa, &c.

V. Requiritur Missale, in quo saltem sit integer Canon: cum enim memoria labilis sit, non licet in actione adeo sacra & publica, periculo se exponere. Adiici solet & Crux ex Rubricis Missalis, sed hanc non puto requiri de præcepto rigoroso, saltem sub mortali.

VI. Quantum ad materiam, vinum non debet esse corruptum, sic nec panis; & hic debet esse azymus, nec notabiliter fractus, & magnitudinis decentis: si haberi major hostia non possit, an ex minoribus liceat adhibere? Respondeo, in Missa privata & secreta id fieri posse, cum non inveniatur præceptum in contrarium: gratiusque videri Deo sic celebrare, quam non celebrare, licet non sit festus dies, maxime si non sit periculum de scandalo; tunc enim id etiam urgente causa publice fieri nihil vetaret.

An minor hostia sufficiat?

CASUS: Quidam Parochus, nullam habens majorem hostiam, veritus populi scandalum aliquod aut murmur, dum minorem hostiam consecrasset, in elevatione Sacramenti ostentavit alteram quandam majorem hostiam, quæ asservabatur in Pyxide, ut exponeretur in die solemni populo. Quæritur, an ille prudenter hoc fecerit? Respon. cum in Missa debeat exhiberi populo adoranda hostia in illo Sacrificio consecrata & oblata, talem

Digitized by Google

talem cautelam non eſſe approbandam: melius tamen meo judicio uiſſet, ſi & majori iſti hoſtiæ alteram partem conſecratam per illud ſacrificium ſimul adjunxiſſet, quod facile fieri poterat, exhibendo utramque adorandam. Sic enim ſatisfaceret cæremoniæ huic ſacræ, quâ hoſtia ſacrificii hujus populo ad adorandum exhibenda præcipitur.

Q. 4. De vitiis inter celebrandum.

QUÆRO QUARTO: *An aliquas cæremonias omittere inter celebrandum, vel addere, ſemper ſit peccatum mortale?* Reſp. 1. in his etiam excuſare poſſe rationabilem cauſam, vel levitatem materiæ. Exempli gratia, omittere CREDO, vel GLORIA, vel Commemorationem aliquam, facile excuſatur à mortali: quia non ſunt partes ſimpliciter neceſſariæ ad Miſſam, nec quid notabile, ad integritatem Miſſæ ſpectans, conſtituunt. Nec, ſi paulo poſt quis recordetur, debet repetere, quia moraliter non contingit id fieri ſine aliqua interturbatione, & incommoditate. Similiter dic non eſſe niſi veniale, & quandoque nullum peccatum, cæremonias aliquas, quæ inter principales non adnumerantur, ſine contemptu prætermittere, verbi gratia, omittere crucem aliquam, manuum elevationem, pectoris tunſionem, &c. illa vero, quæ notabilia cenſentur inter partes integrantes Miſſæ, vel cæremonias principales omittere, poteſt eſſe mortale, niſi inadvertentia vel oblivio naturalis excuſet. Exempli gratia, voluntarie vel gravi negligentia omittere Epiſtolam vel Evangelium, aut oblationem panis ſeu vini: Item, mixtionem aquæ cum vino, fractionem hoſtiæ, & mixtionem cum ſanguine & ſimilia. Quia hæ partes & cæremoniæ gravioris momenti cenſentur, eo quod contineant ſpecialem ſignificationem, & ſoleant ad integritatem ſacrificii requiri. Similiter dic non licere addere novas precationes ex devotione; unde & hic indiſcretio, & peccatum incurrit contra prohibitionem Pii V in Miſſali, præſertim ſi publice dicantur, Si ut privata perſona, ſecrete aliquid recitet quis, licet non videatur directe contra hoc præceptum; indiſcretio tamen eſt, ſacrum miniſterium privatis precibus interrumpere. Aliud eſt, ſi quiſpiam jaculatoria oratione mentali animum in Deum elevet. Adverte etiam hic quoſdam dixiſſe, unum verbum Canonis per negligentiam culpabilem omittere, eſſe mortale: Sed id nimis durum, quia & levitas materiæ hic videtur excuſare. Quis enim unius Sancti nomen in Canone omiſſum, ſtatim aſſeret materiam eſſe peccati mortalis? Dicamus ergo & hic negligentiam venialem cenſendam eſſe in uno aut altero verbo omiſſo, nec animas illaqueemus

Non licet privatis precibus ſacrificium interrumpere.

In Canone unum aut alterum verbum omiſſum non eſt mortale.

Q. 5. De Miſſa legenda ex obligatione ratione ſtipendii.

QUÆRO QUINTO: *An Sacerdos ob ſtipendium, aut inſtitutionem Capellaniæ, obligatus dicere Miſſam determinatam, puta, Miſſam mortuorum, aut B. Mariæ, poſſet aliam Miſſam legendo?* Reſp. ſi id fiat ad ſervandum ordinem Miſſalis, aut quia feſtum ſit, non peccari. Si vero nulla legitima cauſa ſubſit, obligationi debet ſatisfacere. Ubi tamen prudenter advertendum eſt, vitandum eſſe, quantum poteſt fieri, murmur populi in ſimilibus: ſed nec ſine legitima cauſa ordo Miſſalis facile debet interrumpi. Quod ſi etiam fundatio habeat in certo altari celebrandum, non ſatis fit, ſine juſto impedimento & debita cauſa, alibi celebrando, quia defraudatur mens fundatoris, qui hunc locum ſpecialiter voluit coli.

Non poteſt celebrare in alio altari contra mentem fundatoris.

QUÆRO SEXTO: *An Sacerdos pauper poſſit accipere pro una Miſſa duplex ſtipendium?* Reſpon. non poſſe, ſive id fiat ab una & eadem perſona, ſive à pluribus; quia dum ei datum eſt ſtipendium, à Superiore vel approbata conſuetudine declaratum juſtum, aliud ſtipendium iterum accipiendo, bona tumit alterius in vito Domino, quod non licet niſi in extrema vel gravi neceſſitate, non vero in ordinaria paupertate. Sicut ergo operarius ob paupertatem non poteſt plus accipere juſta mercede; ita nec Sacerdos juſto ſtipendio. Quod ſi ſtipendia non ſint integra, poteſt vel à diverſis, vel ab eodem tantum accipere, quantum ſufficit ad juſtum ſtipendium: alioqui enim fit ei aliqua injuria, & poteſt ſe indemnem ſervare. Hinc infero, quod ſi Sacerdos ſemel juſto ſtipendio contentus fuerit, non poterit illud ad majus reducere minuendo Miſſarum numerum: ſecus de injuſto ſtipendio, ſi involuntarie omnino illo contentus fuerit; fit enim ei injuria, cum ob paupertatem cogitur inæquale ſtipendium acceptare, unde poteſt non obſtante pacto, convenienti modo ſe indemnem ſervare.

Q. 6. De ſtipendio pro Miſſa dicenda.

Caſus.

QUÆRO SEPTIMO: *An Sacerdos, qui hodiè à nemine ſtipendium accepit, Miſſam quam celebrat, applicare poſſit illi, qui primus dabit illi ſtipendium?* Reſpondent quidam Theologi (inter quos Navarra, Aragonius, Henriquez, Rodriguez) poſſe: quia Deus, apud quem nulla eſt diſtinctio inter præteritum & futurum, ſed omnia habet pro præſentibus, applicat fructum ſecundum intentionem Sacerdotis. Negant vero alii hac ratione, quia ſacrificium Miſſæ conſiſtit in actione tranſeunte, cujus fructus, ſi à Sacerdote alicui particulari perſonæ non applicetur, in Eccleſiæ theſaurum reponitur, in quo ulterius nihil juris habet Sacerdos ſed ſolus Pontifex. Quicquid ſit de hoc, hic modus non eſt approbandus, quia communis etiam mens Fidelium eſt, ſtipendium date non pro Miſſa jam dicta, ſed pro dicenda: nec facile videntur perſoluturi, ſi hunc modum ſcirent, unde ſaltem hic modus non eſt tutus.

Q. 7. De ſtipendio pro Miſſa dicta.

Ratio Dubii.

QUÆRO OCTAVO: *An is, cui datur certa ſumma pro Miſſis, poſſit alios minori pretio conducere?* Reſp. ſi det juſtum ſtipendium, non videri hic injuſtitiam committi: quia nihil deperdit ille cui Miſſa integrè applicatur, & ſacrificanti etiam non fit injuria ſi iſtud ſtipendium illi perſolvatur: ideoque cum ipſe hanc ſummam accipiens, illius dominium ſit aſſecutus, poteſt implere illam

Q. 8. De ſtipendio majori.

obligationem annexam per se vel per alium. Hic tamen modus, cum frequenter contineat speciem alicujus turpis lucri, haud est consulendus.

Q. 9. De omissione Missarum, ad quas tenentur stipendio.

QUARO NONO: *Quale peccatum committat, qui diu differt per magnam negligentiam Missas dicere, ad quas obligatur stipendio?* Respon. aliquos judicare hoc esse peccatum mortale, ob grave damnum, quod potest consequi is, pro quo celebrandum est. Forte enim anima aliqua è Purgatorio liberata fuisset. Item is, pro quo celebrandum erat, notabile bonum spirituale vel corporale consecutus fuisset: Itaque à gravi saltem veniali, vel periculo mortalis, supine negligentem non excusarim. Sed dices, defraudatio unius Regalis, qui solet dari pro una Missa, non est materia peccati mortalis: ergo aliquem defraudare Missa, non videtur peccatum mortale: Respondeo ex ea parte præcisè ita videri: attamen cum fructus Missæ inæstimabiles sint, & ad hos applicandos ex pacto teneatur Sacerdos, defraudatio videtur in re notabili.

Q. 10. De muliere ministrante. cap de cohab. Cler. & mul. Soto, & Suarez.

QUARO DECIMO: *An mulier possit ministrare?* Resp. ex communi non posse, ob Capitulum de cohabit. Clericorum & mulierum. Ratio est, quia per se indecens est, & nonnullum periculum continet contra puritatem & munditiam tanti Sacramenti. Addit Soto, & probat Suarez, in necessitate potius celebrandum sine ministro quàm fœmina ministrante: quia hoc sit expressius jure prohibitum, & videtur indecentius. Quibusdam tamen in locis jam consuetudine receptum est, ut apud Moniales puellulæ decem aut duodecim annorum ad id instructæ, ministrare permittantur ibi celebrantibus; quod quidam sine scrupulo etiam timorati ob consuetudinem usurpant in Provinciis Belgicis, Episcopis id etiam scientibus, nec severius prohibentibus. Unde non ausim condemnare id gravioris peccati, ubi consuetudo præscripsit, nec periculum putatur. Hac de re tamen Hispani, aut Itali Doctores severius videntur loqui, quia in illis Nationibus majus periculum, aut inordinatio judicatur in similibus.

CAPUT VI.

DE CAUSIS A MISSA AUDIENDA EXCUSANTIBUS.

Q. 1. De causis excusantibus ab audi tione Missæ

QUARO PRIMO: *Quænam causa à Missa audienda excusent?* Respon. ex communi Doctorum interpretatione accedente etiam consuetudine hanc interpretationem confirmante, non esse necessariam causam admodum gravem, ut quis excuseretur. Hinc communiter tradunt Theologi, jacturam alicujus boni mediocris existimationis excusare; vel etiam cum audiri nequit Missa sine gravi difficultate & labore. Ratio esse potest, quia cum hoc præceptum sit humanum, videtur latum cum tali moderatione dicta, ut labor aut difficultas prudenti judicio existimata rationabilis, aut jactura mediocris censeantur excusare. Unde plurimum hic facit bona fides existimantis se habere justam causam, per illam enim fit, ut à mortali peccato excusentur aliqui in casibus aliquo dubitationi aut disputationi obnoxiis. Ex hac generali resolutione deducuntur casus hi particulares à Theologis expressi.

Quæ infirmitas excusat à Missa?

I. CASUS: Si aliquis infirmus sine alicujus momenti incommodo nequeat surgere, aut domo exire: vel si periculum sit reincidentiæ, aut retardationis convalescentiæ, excusatur.

II. Si quis ministret gravi infirmitate laboranti, & una tantum Missa celebretur, cui non possit interesse, nisi relicto infirmo non aliqua illius incommoditate. Nec enim opus est, ut ministerium plane sit necessarium, ita ut non possit deseri: sed sufficit, quod prudenter hic & nunc bona fide putet non relinquendum infirmum, aut timeat ei aliquod incommodum, ob quod putet se excusari. Similiter dic de aliis operibus misericordiæ tam corporalis, tum spiritualis.

Variæ causæ excusantes à Missa.

III. Si quis timet jacturam honoris: ut si vir honoratus aut mulier nequit sine decenti veste in publicum prodire, puta, sine pallio, quod modo ei deest: aut si nobilis sine comitatu deberet progredi foras cum dedecore. Hic porro habenda est ratio consuetudinis loci, & qualitatis personarum; ne hæc licentia nimis extendatur. Simul etiam videndum, an mane secreto tales Missam nequeant audire.

Hinc non facile excusarim rusticas quasdam personas, notæ inferioris quæ dicunt se mansisse domi tempore Sacri, quod non haberent nisi calceos laceros, aut inferiores caligas dissutas, vel collaria denigrata, & partim dilacera: maxime si in illis locis agant, ubi prima Missa mane celebratur, ad quam non est dedecus venire sine veste decenter apta, cum excusentur ex eo quod adhuc matutino tempore soleant vacare ministeriis sordidis, circa porcos, equos, vaccas, aut culinaria officia, & similia.

IV. Si fœmina, quæ honesta habetur, uterum gestet, & ne lapsum prodat, oporteat eam domi manere: nec possit occulte Missam audire. Quantum ad conjugatam gravidam, ordinariè non excusatur à Missa, sicut nec ea quæ menstrua patitur: potest tamen in his quandoque excusatio esse cum ægritudo aliqua, aut debilitas simul jungitur.

V. Si maritus uxori præcipiat non exire domo, forte ob zelotypiam, vel aliam ob causam etiam injustam, & illa graves rixas timet. Similiter excusatur & fœmina, quæ se domi continet, ne sit occasio peccandi alicui à quo scit se perdite amari; quamvis ad id non teneatur, est enim occasio accepta, non data.

VI. Si timeat quis furtum, domum suam relinquens solam, aut iter facturus, comites itineris deserens ad Missam audiendam, timeat prædones, vel timeat aberrare, quia solus iter ignorat; vel à societate

tate cui ſe debet jungere, expenſas itineris expectet, ſitque ei grave incommodum talis jacturæ. Similes ob causas excuſantur Paſtores pecorum, milites cuſtodientes caſtrum, vectores mercium, curſores, & ſimiles, qui ſine incommodo gravi Miſſam non poſſunt audire, vel tempus quo celebrabitur, expectare.

VII. Si oporteat multum itineris cum gravi labore conficere. Ut ſi quis pedes debeat ire ad duas horas tempore turbido & pluvioſo, vel etiam ad unam tempore ventis & tempeſtatibus pleno; aut ſi torrentibus, vel aquis multum incommoderur, ut Eccleſiam adeat. Hæ cauſæ ſunt frequentes degentibus in agris aut ſylvis. loco diſſito ab Eccleſia: perſonarum autem, loci, temporis, hic habenda eſt prudens conſideratio, ad judicium de excuſatione ferendum.

VII. Si tempore contagionis timeatur infectio, plebe paſſim concurrente ad Eccleſiam, ad quam non deſinunt venire & illi, de quibus aliquod periculum timetur. Similiter ſi tranſeundum ſit per illium locum aut plateam, ubi aër peſtilens judicatur.

IX. Excuſantur Nutrices & Matres, quæ non poſſunt relinquere parvulos quos lactant: ad Eccleſiam autem eos afferendo, videmus ordinariè quod non ſolùm ſuam, ſed & aliorum debitam attentionem impediant, dum vel ejulantes placant, vel ridentibus arrident, vel aliis modis circa eos occupantur; unde ſi aliter Miſſam audire nequeunt, frequenter præſtat non audire.

De famulis impeditis à Domino ne audiant miſſam.

Sed quid de famulis, aut filiisfamilias, qui impediuntur à Dominis aut parentibus tempore Miſſæ? Reſp. ſi miniſterium ſit neceſſarium juxta communem vivendi modum, nec Dominus peccat præcipiendo, nec famulus parendo. Si poſſit differri in alium diem, aut aliam horam, peccat Dominus famulum & filium impediendo; ipſi tamen non peccant parendo, ſi rixam aut detrimentum timeant à Domino: quia non videtur Eccleſia cum tali incommodo eos velle obligare. Si tamen id frequenter accideret, ſuadendum eſt, ut alibi famulatum quærant.

Quid iterum de illis qui operas ſuas locant, ad apparandum nuptiale aut aliud convivium in die feſto & ita impediuntur illo die, ut non poſſint vacare Sacro audiendo? Reſp. idem poſſe hic cenſeri, quod in priori caſu, cùm miniſterium iſtud ſine incommodo differri non poteſt, nec præveniri, Miſſam audiendo. Unde ob hos & ſimiles caſus

Cajet. V. eſtum in ium.

advertenda eſt generalis regula ex Cajetan. *Sine rationabili cauſa omittere Miſſam in feſto, reputatur peccatum mortale. Et hic eſto prudens, admittendo, pro rationabili cauſa omne motivum rationi humanæ conſentaneum, etiamſi non fuerit urgens: quoniam deficiente & ſubſiſtente ratione, quæ illius conditionis perſonas libenter ad Miſſam eunres inducere videtur ad emiſſionem Miſſæ, in tali caſu non incurritur peccatum mortale, quamvis ſi minùs ſufficiens eſt ratio, peccetur venialiter. Et univerſaliter ſic eſt quando quis bona fide putat ſe excuſare, & ideo omittit Miſſam.* Hæc ille.

Hinc etiam reſolvo, non eſſe ſtatim condemnandas peccati mortalis puellas aut adoleſcentes, qui eo die quo banna matrimonii eorum proclamantur, aut interſunt Miſſæ, ſi aliam Miſſam audire nequeant, ut in Ruralibus Eccleſiis contingit non infrequenter. Tum quod populus tunc ſi præſentes ſint, circumſpicere ſoleat cum riſu, & verecundiam aliquam eis afferre: tum quod conſuetudo tunc abſentandi ſe videatur eos excuſare, adjuncta bona fide.

QUÆRO SECUNDO. *Quâ ætate obligat præceptum Miſſæ?* Reſpondent communiter Doctores obligare poſt ſeptennium, quia tunc incipit diſcretio. Sed licet verum ſit, quod ex tunc, ac etiam antea, pueri aſſuefaciendi ſint, ad audiendam Miſſam; illos tamen ſtatim ac uſus diſcretionis incipit, dicere obligatos ſub pec. mort. videtur mihi rigidum. Tum quia Eccleſia pia Mater non videtur velle obligare tam rigidè, ſtatim ac poteſt? tum quod practicè videamus majorem partem puerorum etiam decimum annum attingentium, in Eccleſia ſtare tempore Miſſæ, huc illuc circumſpiciendo, ſine attentione requiſita; aut etiam ſociis corridere, colloqui, nugari, nec vim præcepti talis apprehendere. Quis vero eos ſtatim peccati mortalis velit condemnare? Non quod velim dicere eos non eſſe capaces peccati mortalis ob ætatem, nam ſi hoc ſit, non eſt difficultas. Sed quod licet in rigore loquendo ſufficientem ætatem & diſcretionem haberent ad aliquod peccatum mortale committendum, non videatur tamen Eccleſia tanta ſub obligatione, ſeu vinculo tam arcto eos velle ſtatim obſtringere, donec perfectiorem rationis, uſum aſſequantur, quo divina myſteria pleniùs apprehendant, & obligationem ac attentionem, qua illis intereſſe oportet, pleniùs intelligant. Quod ferè ordinariè circa tempus idoneum, quo idoneitatem incipiunt habere, ad Euchariſtiæ Sacramentum putarim contingere; quod ipſum Confeſſarii & Parochorum prudenti judicio venit expendendum. Alias anteà ſolùm venialiter exiſtimarim peccare, ob apprehenſionem imperfectam tum myſteriorum, tum præcepti, ex imperfecto adhuc rationis uſu provenientem: per quam fit ut facilè negligant attentionem requiſitam, & magis præſentes ibi ſint corpore, quàm mente.

8. Quâ ætate obligat Miſſæ præceptum

QUARTO TERTIO. *Quanam attentio requiratur ad Miſſam?* Reſp. debere eſſe attentionem religioſam ex objecto, ſive attendendo ad ea quæ facit Sacerdos tanquam ad res ſacras in genere: ſive attendendo ad ea quæ illis ſignificantur; ſive attendendo ad Deum, illum orando & honorando, ac intentionem cum Sacerdote orante conjungendo.

Q. 3. De attentione in auditione Miſſæ.

Hinc reſolvo, licere tunc officium perſolvere debi-

debitum ex obligatione aut pœnitentia, quia non impedit attentionem ad Missam. Voluntariè verò animum rebus non sacris sed alienis applicare notabili parte Missæ, aut confabulari, peccato non caret mortali.

Q. 4. de omissione partis notabilis Missæ. Quænam sit notabilis pars?

QUÆRO QUARTO: *Quænam pars Missæ notabilis censeatur, ita ut illius omissio mortalis censeatur?* Resp. si quis ab initio Evangelii audiat usque ad finem, non peccare mortaliter: Imò secundum aliquos etiamsi Evangelium non audiat, si tamen usqi ad finem persistat, etiam S. Joannis Evangelium audiendo. Exire ante Communionem, & reliquam partem voluntariè omittere, materiam peccati mortalis multi putant, quia communio sit inter partes principales. Similiter dic, si quis voluntarie, & sine necessitate exeat ante consecrationem, & utraque facta redeat, censeri omissam partem notabilem, quia essentialis est sacrificio.

Q. 5. De confitentibus tempore Missæ.

QUÆRO QUINTO. *Quid dicendum de illis, qui confitentur tempore Missæ?* Respondeo id improbandum ordinariè, si confessio sit diuturna, sive partem notabilem occupans Missæ; Unde si alia Missa audiri potest, audienda est. Frequenter tamen contingit in Parochiis ruralibus, ut non facilè adsit occasio confitendi, nisi arripiatur tempore Sacri; puta, adveniente aliquo ex Ordine Mendicantium, ut concionetur, qui etiam recessurus est statim. Ac tunc non improbo arripi hanc occasionem, etiam tempore Sacri, cùm commodè aliter fieri nequit. Ratio est, quia finis Missæ est sanctificatio nostra: quem finem cum certiùs assequamur per Confessionem, si nequit seperatim Missa audiri, & Confessio fieri, ob majus bonum expurgandi se à peccato mortali, quod confitens prætendit, excusatur ab attentione speciali ad Missam. Quamvis & in disputationem venire possit, an vacare confessioni excludat attentionem necessariam, quandoquidem sufficiat moraliter præsentem esse, rei alicui sacræ vacando, ac intentionem suam cum Sacerdote conjungendo.

CAPUT VII.

DE MISSA PAROCHIALI AUDIENDA.

Missa Parochialis.

MIssam in Parochia propria audiendam, decernunt antiqua jura. Unde Sixtus IV. de Treuga & pace, ubi concordiam init inter Mendicantes & Parochos, præcipit, ne Mendicantes prædicent, populum non teneri audire Missam in propriis Parochiis diebus festis, cùm jure sit cautum illis diebus Parochianos teneri audire Missam in Parochiali Ecclesia, nisi forte ob honestam causam ab Ecclesia ipsa se absentarent. Ita ille in Extravagantibus communibus, indicans ex vi juris communis obligationem quamdam fuisse; quam etiam sententiam secuti sunt multi Canonistæ, interim, cùm usus & consuetudo Fidelium jam aliud insinuet, non censentur peccato obnoxii, qui alibi audierint. Rectè tamen Concilium Trident. sess. 22. monendum censet populum à Concionatoribus & Parochis, ut frequenter ad suas Parochias, saltem Festis majoribus, & Dominicis accedant. Missa enim Pastoralis, quæ in Parochiis solemniter celebratur, non exiguos fructus, & prærogativas habet.

Quod & quando teneantur Parochiani hunc jus

Parochis audire Missam? Concil. Trid. sess. 22.

PRIMO enim ab illo celebratur: qui ex justitia tenetur sacrificii sui fructum populo sibi subdito applicare: ita ut populus jus habeat speciale in illud sive in fructus ex illo provenientes. Hinc & olim Sacrum illud Pastorale, DOMINICUM vocabatur, ut testatur Baronius: & ad illud non solùm convenit populus, sed & specialiter Angeli Custodes Parochiæ: nam non solum singulis personis Angelos Custodes deputatos, sed & toti Parochiæ unum vel plures, & ipsi Pastori ultra Angelum Particularem à nativitate etiam aliquem destinatum esse ut Pastori, omninò probabile est. Hinc Petrus Faber inter primos Patres Societ. Jesu Ignatii Socius, solebat dicere cùm per Germaniam, & Genevenses partes hæresi infectas pertransisset, se plurimum auxilii sensisse, sive ad declinandas hæreticorum insidias, sive ad convertendas animas, ex eo quod solitus erat speciali devotione Angelos Tutelares Parochiarum, per quas transibat, salutare: Hi ergo specialiter etiam coluntur in communi conventu populi ad Sacrum Dominicum & eorum auxilium imploratur, patet in oratione, quæ post aspersionem aquæ benedictæ decantatur.

1. *Ratio cur Parochiani teneantur audire Missam in sua Parochia.* Baron.

SECUNDO, tunc fit omnium orationum & piorum operum tacita quædam inter omnes communicatio, in concursu precum & unione cordium: ita ut gratia Dei, illiusque beneficia, & peccatorum remissio citiùs & efficaciùs impetretur, ob communicationem, conjunctionem specialem totius fraternitatis, & Ecclesiæ ibi congregatæ in spiritu Christi & gemitu columbæ. Unde hic locum habet quod dicit Chrysostomus, Orationem multum proficere, quæ cum fratribus fit. *Est enim*, inquit *ibi concordia, conspiratio, copula amoris & charitatis, Sacerdotum clamores: qui præsunt ut populi orationes, quæ per se sunt infirmiores, validiores illas complexa, simul in cœlum evibrantur.*

2. *Ratio.* S. Chrys.

TERTIO, in illo conventu Missæ Parochialis, censentur oves cum Pastore in ovile suum convenire, ubi vocem Pastoris audiant, & sequantur. Idcò tunc verbum Dei ex officio ab illis prædicatur: Dei & Ecclesiæ mandata annunciantur, monetur populus festorum, vigiliarum, jejuniorum, & aliorum in hebdomada occurrentium. Unde Tridentinum sess. 24. cap. 4. iterum sic habet: *Moneat Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commodè id fieri potest ad audiendum verbum Dei.*

3. *Ratio.* Trid. sess. 24. c. 4.

QUÆ-

Digitized by Google

4. Ratio. QUARTO, ibi cenſentur Filii cum Patre ad cubiculum genetricis ſuæ, ſive ad ſinum matris convenire, ut ejus præceptis autem præbeant obedientem juxta illud Eccleſiaſtici: *Audi fili mi disciplinam Patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.* Eccleſia enim Parochialis Matris titulo & honore gaudet, quæ per lavacrum regenerationis in Chriſto filios gignit: & Paſtores propriè Patres nominari debent, quia Parochianos ut viſcera ſua diligere tenetur, quos in Chriſto generare, verbi & Sacramenti miniſterio paſcere ex juſtitia obligantur; ac in viam ſalutis dirigere quaſi à Patre æterno, & Jeſu Chriſto commiſſos ſibi filios.

5. Ratio. QUINTO, in Miſſa Parochiali aquâ benedictâ populus ſolemniter aſpergitur, ut adverſus malignos ſpiritus præmuniatur. Item pro avertendis à Parochia malis, & Dei flagellis, atque etiam pro bonis non ſolum ſpiritualibus, ſed & temporalibus impetrandis, pro frugibus terræ & aliis, ſupplicationes inſtituuntur. Unde Paſtoris eſt, ex officio ſpecialiter Mediatorem & Intercellorem agere apud Chriſtum & Deum Patrem pro grege, & pro illius ſalute ſpirituali, temporali & æterna, Deum placatum ac propitium reddere.

6. Ratio. SEXTO, in Miſſa Parochiali infirmi Parochiæ, præſertim agonizantes, ac alii diverſis in neceſſitatibus, ſive periculis conſtituti, communis populi precibus commendantur. Item pro defunctorum Parochianorum animabus (præcipuè quæ recenter è vita migraverint) precationes fiunt. Denique pro indigentibus & neceſſitatibus Eccleſiæ collectæ inſtituuntur ad quos Parochiani tenentur. Ob hæc igitur & plura alia, ad Parochiam ſuam debet populus frequens convenire, & ad id etiam ſeriò ac crebrò monendus eſt.

Sed quæritur: *An Epiſcopus poſſit cogere, ut diebus Dominicis, aut ſolemnioribus Feſtis populus ad propriam Parochiam conveniat:* Reſpondent communiter Fratres Ordinum Mendicantium, ut privilegiorum ſuorum fimbrias magnificent, & dilatent phylacteria ſua, Epiſcopum id non poſſe. Rationem aſſerunt, quia Epiſcopus non poſſit reſtringere jus commune, quod habetur ex univerſali conſuetudine. Ita Fillincius, & alii. Item quia Concilium Trid. ſolùm dicit, ut Epiſcopus moneat populum diebus Dominicis aut Feſtis ſolemnioribus ad propriam Parochiam convenire.

Sed in contrarium eſt praxis quorundam Epiſcoporum, tum in antiquo jure, tum in jure etiam novo Concilii Trid. fundata, nec non in ratione. Tridentinum enim ſeſſ. 22. in decreto de obſervandis in celebratione Miſſæ, cum multa inſinuaſſet, ac hoc etiam quod jam dictum eſt, ſcilicet monendum eſſe populum, ut frequenter ad Parochias conveniat, immediatè ſubjungit: *Hæc igitur omnia quæ ſummatim enumerata ſunt, omnibus locorum Ordinariis ita proponantur, ut non ſolum ea ipſa; ſed quæcunque alia huc pertinere viſa fuerint, ipſi pro data ſibi à ſacroſancta Synodo poteſtate, ac etiam ut delegati Sedis Apoſtolicæ, prohibeant, mandent, corrigant, ſtatuant: atque ea inviolatè ſervanda cenſuris Eccleſiaſticis, aliiſque pœnis, quas illorum arbitrio conſtituentur, Fidelem populum compellant; non obſtantibus privilegiis ac conſuetudinibus quibuſcumque.* Ergo ubi populus ad hanc monitionem de frequentanda Parochia negligens cerneretur, opportunis remediis poteſt Epiſcopus providere, etiam ſub pœnis præcipiendo. Adde quod idem Concilium ſeſſ. 24. declarat, *teneri unumquemque Parochia ſuæ intereſſe ad audiendum verbum Dei*: imò Dominicis & Feſtivis diebus præcipit pueros in Parochiis erudiri, in rudimentis fidei, & obedientia erga Deum & parentes. Cùm autem verbum Dei, aut etiam inſtructio rudium tempore Parochialis Miſſæ pleriſque in locis ruralibus fiat; ad eam Parochiani compelli poſſunt ab Epiſcopis.

Trid. ſeſſ. 22. in decreto de obſerv. in celebr. Miſſæ.

Trid. ſeſſ. 24.

Hinc in Diœceſi noſtra Leodienſi tale extat decretum. *Parochianos omnes monemus, & eis mandamus, ut in ſuis Parochialibus Eccleſiis diligentes ſint, ad verbum Dei, aliaque divina audienda: alioquin ſi eos ad tres continuas ſeptimanas diebus Dominicis & Feſtivis abeſſe abſque legitima cauſa, vel ſui Paſtoris licentia contigerit; volumus contra eos ad pœnas Canonicas & Statutarias antiquas hujus Diœceſis, aliaſque arbitrarias procedi.* Ita habetur in Synodo, tit. 10. c. 4.

Simile Decretum habetur in Synodo Namurcenſi, tit. 4. c. 14. Quis verò hæc audeat condemnare, & Patres Synodi, inter quos multi docti Theologi?

Quæri etiam poteſt. *Cur in quibuſdam Provinciis, panis benedictus, & in partes conciſus cunctis præſentibus diebus Dominicis datur?* Sic in Gallicanis Eccleſiis communiter practicatur. Reſpondeo panem illum eſſe cujuſdam pacis & unionis Chriſtianæ ſymbolum. At cùm olim ſingulis Dominicis Fideles communicarent (juxta illud Actorum: *Erant perſeverantes in oratione, & communicatione fractionis panis*, panis ſcilicet cœleſtis, qui Corpus Chriſti eſt) ſucceſſit illa panis benedicti, ſed non conſecrati ſive tranſubſtantiati participatio. Hinc S. Pius Pontifex & Martyr, qui vixit anno centeſimo quadrageſimo ſeptimo in Decretis ſuis ſic ait: *Ut de oblationibus quæ offeruntur à populo, vel de panibus quos deferunt Fideles ad Eccleſiam, presbyter partes conciſas habeat, ut poſt Miſſarum ſolemnia qui communicare non fuerint parati, eulogias omni die Dominico exinde accipiant.*

Q. De Pane benedicto.

S. Pius Papa Anno 1047.

CAPUT VIII.

EXEMPLA DE MISSA AUDIENDA.

COncludo hunc Tractatum, allatis quibuſdam exemplis Fructum Miſſæ auditæ declarantibus; Fructum quoque quem referunt qui illi piè miniſtrant. Quæ quidem exempla deſervire poterunt Catechiſmis.

Fructus audita & miniſtrata Miſſa.

Ab

Quam noxie ſit rem divinam ſæpius deſerere frequentare.
Æneas Sylvius de Europa c.11. Job.7.15. S. Aug. l.b. 2. de civ.c.8.

Ab Æneæ Sylvio, qui poſtmodum Papa factus Pius II. dictus eſt, ad hanc rem exemplum de Nobili quodam Illyrico refertur. Hic enim cum aſſiduâ & validâ admodum tentatione ad ſuſpendium agitaretur; adeò ut cum Job dicere poſſet; *Elegit ſuſpendium anima mea*, poſt varios conflictus, & mille attentatos modos, tandem pium quendam Religioſum pro efficaci remedio conſulit. Qui ubi narrantem ſuam miſeriam audivit, ſtatim fraudem & artem diaboli agnovit; ac memor quod quidam diſcipulus S. Auguſtini ad inſtantiam cujuſdam nomine Heſperii Miſſam celebrans, dæmones è domo quam inſederant, fugaſſet, nobili illi conſuluit, ut ſingulis diebus Miſſam audiret. Placuit ei conſilium, & electo aliquo Sacellano, promptè idem executus eſt, ergo à moleſta illa tentatione liberatum ſe ſenſit. Contigit autem poſtea Sacellanum in viniam evocari; & hac occaſione Miſſam Domini ſui negligere: qui licet eam audire optaret, non potuit tamen alibi tam facilè invenire, ideoque ad locum illum vicinum contendit. Sed tardè incedenti, paſſionibus & cogitationibus æqualiter onerato, ruſticus quidam occurrit, qui cùm eum cogitabundum ac timidum advertiſſet, rogavit quo tenderet? Eo autem reſpondente, ſe Miſſam quærere, ſubjunxit alter: Fruſtrà itaque progrederis, jam enim dicta eſt. Quod reſponſum adeo melancholiam nobilis iſtius concitavit, ut proſtrato vultu ſe ad pedes ruſtici abjecerit; qui attonitus ac ridens ei dixit: *Tu mihi ſagum tuum da, & ego omne meum meritum, quod audiendo Sacrum adeptus ſum, tranſferam.* Placuit Nobili conditio; & permutatione factâ, plenus gaudio & devotione ad Eccleſiam abiit. Ruſticus novo lucro lætus, ſimul cum ſago tentationem illam diabolicam induit, quæ Nobilem illum exagitare ſolebat: adeoque in eo vehemens & efficax fuit, ut eodem mane cum laqueo vitam ſuam finire coëgerit. Quem reverſus ab Eccleſia Nobilis in via ſuſpenſum reperit, & divinæ voluntate ſuſpendii cauſam intellexit. Ideoq; conſilium illud Religioſum approbans, in ſolita ſua devotione progreſſum fecit, ac obtentam jam animæ ſerenitatem, & pacem eodem modo conſervare conatus eſt.

Aulicus adoleſcens abigne liberatur audiendo Sacrum.
Ex.a.p. Chronic. Franciſc. l.8. c.28. §.1. Granat.2.p. Catech. c.27.§.10

Ad hanc devotionem Miſſam audiendi etiam referri poteſt, quod in vita S. Eliſabeth Reginæ Luſitaniæ ſcribitur. Habebat hæc Regina puerum omnibus virtutibus ornatum, & præſertim fidelitate, per quem eleemoſynas faciebat, alium quoque puero talia ad Regem detulit, quod ipſe Rex eum interficere decreverit. Quapropter juſſit cuidam calcis artifici, ut cùm tali die & hora ad eum miſiſſet quemdam puerum, eum in calcariæ fornacis medium proiiceret. Puerum igitur Rex die & horâ dictâ illuc miſit. At cum ſolitus eſſet in Eccleſiam ingredi, cùm campanæ ſonitum audiebat, quâ ſignificabatur, Hoſtiæ ad populum oſtenſio, & ibi permanere uſque ad finem; tantum ſpatium in nonnullis Eccleſiis conſumpſit, ita Deo diſponente, ut hora data præteriret. Tunc Rex rei exitum cùm ſcire vehementer deſideraret, alterum puerum calumniatorem ad calcis artificem miſit ut ſciſcitaretur, num perfeciſſent, quod a Rege ſibi impoſitum fuerat. Ille autem hunc puerum eſſe exiſtimans, de quo Rex locutus erat, eum in fornacem projecit. Hoc modo ſummus ille Judex innocentis cauſam tutatus eſt, & reum debito ſupplicio affecit, in eum illud malum convertens, quod ipſe alteri moliebatur. Hoc caſu Rex veritatem agnovit, & pœna hujus tam inopinati exitus alterius pueri innocentiam, & alterius improbitatem cognovit. Ac multum eum poſtea Rex dilexit, tum ob virtutem, tum ob devotionem ad Miſſam.

Mart. Polonus in Prompt. exempl. c.18.

Sacrum quotidie audiendum.
Thom. Staplet. in vita ejus.

Audi & aliud pietatis in Miſſa audienda exemplum. Thomas Morus, Martyr, Regni Angl. Cancellarius, quod ad Dei cultum attinet, religioſam penè vitam ducebat: ſingulis diebus ante alia negotia quæcunque (ſtudiis interdum valde matutinis exceptis) Sacrum audiebat. Quod quidem quotidianum pensum ita defixum habebat, ſtructeque obſervabat, ut a Rege ipſo forte acceſſitus, quum Sacro audiendo intenderet, ad Regem iterum & tertiò vocatus venire noluerit, donec totum abſolutum fuiſſet: vocantibus & urgentibus eum, ut relicto Sacro Regem accederet, reſpondens: ſe meliori Domino obſequium præſtare & perficere prius oportere. Quod memorabile factum planè ſimile eſt ei, quod Carolo Magno Imperatori exhibuit S. Ludgerus Epiſcopus Primus Monaſterienſis. De quo alibi dixi.

Thomas Mori ſtudium Cancellarii eum poſſet Miſſæ in parœcia aſſiſti.

De eodem Thoma Moro refertur, quod licet jam foret Cancellarius, nihil ominus detrectabat Miſſæ cantandæ inſtar inferioris Clerici cum ſuperpellico in Parochia aſſiſtere, & cum aliis in choro cantare, imò & in Proceſſione quandoque Crucem, ut ſolent inferiores miniſtri, anteferre. Ac cum hoc quidam reprehenderent tanquam nimis humile. Reſpondebat ipſe: magno ſe honori ducere, quod ſupremo Regi obſequium hac in re ac miniſterium poſſet exhibere, magis quam Regi terreno in officiis & muneribus publicis ſe impendere. Nempè ſuo exemplo condemnabat quorundam adhuc vigentem arrogantiam, qui putant indecorum ſibi, aſſiſtere Pſallentium Choro, aut etiam celebranti Sacerdoti miniſtrare, quo nihil honorabilius; cùm id ſit officium exercere Angelorum pſallentium Deo & ſacrificio aſſiſtentium.

Miſſa integra audienda.

Audienda eſt autem Miſſa integrè, quod ſequenti exemplo declaratur.

Hieron. Mengus Spec. 2.

Refertur Hieronymus Mengus, duos ſimul ſocios ad venationem profectos, quorum unus ea die Miſſam audierat. Cumque jam eſſent in aperto campo, ſubitò ecce horrenda commovetur tempeſtas,

:xempl. '. Miſſa. um. 16.). An- on. 2. p. Chron. it. 9. c. 10. .2.

peſtas, fulgurum vis, & incurſus pluviarum. Verùm nihil æque terruit eos, ac tremenda quædam vox in aëre audita, quæ dum ſonat: OCCIDE, OCCIDE, ille qui Miſſam non audiverat, fulmine ictus repente concidit. Quo ſpectaculo concuſſus alter modò huc, modò illuc diſcurſans, denuo vocem audit. OCCIDE, OCCIDE ISTUM, eumque miſer iſte nihil præter fulminis ictum expectaret, aliam audivit vocem dicentem: NON POSSUM, quia hodie audivit; *Verbum caro factum eſt.*

Pinel. l. de Miſſa.

Refert quoque Pinellus ex Diſcipulo, & aliis, de duobus Sartoribus, quorum uni quia quotidie Miſſam audiebat, omnia cedebant ex animi ſententia, abundeque ſuperebant quæcunque ad uxorem ac liberos alendos erant neceſſaria. Alteri verò, etſi nullos haberet liberos, nullique labori parceret, adeo ut ne feſtis quidem diebus cum uxore ſua vacaret a laboribus, nihilominus tamen continua in paupertate ac miſeriis erat vivendum. Quæſivit hic ab altero, unde tanta illi proſperitas? qui reſpondens illi: Cras inquit, mecum veni, & oſtendam tibi. Venientem ſequenti die ſecum duxit ad Miſſam; qua finita redire juſſit ad labores. Poſtera die idem facit. Et cum tertia quoque die idem repetere cogitaret, reſpondens illi pauper, viam (inquit) amice, quæ ducit ad templum, & Miſſam non ignoto; hoc ex te quæro, unde tanta tibi proſperitas? Tum alter, ex Miſſa, inquit, ut opinor, ſecundum illud Chriſti: *Primùm quærite Regnum Dei, & reliqua omnia adjicientur vobis.* Pauper hoc dictum Chriſti accuratius conſiderans, apud animum ſuum conſtituit, deinceps ſingulis diebus Miſſam audire, ex quo tempore omnia illi proſperè ſucceſſerunt. Maximè verò Deo placet, dum Miſſæ non ſolum quis præſens eſt, ſed & miniſtrat.

De miniſtrantibus Miſſæ.

urius in ita D. Thomæ iquin. Martii.

De D. Thoma Aquinate legimus, quod ſpeciali erga Euchariſtiæ Sacramentum devotione afficeretur; ſoleretque quotidie Miſſæ offerre ſacrificium: nec contentus, etiam alterius fratris Miſſam auſcultabat, cui etiam ut plurimum inſerviebat. In ipſa verò Sacramenti elevatione legere ſolitus traditur illud ex Cantico Aug. & Ambroſ. *Tu Rex gloriæ Chriſte: Tu Patris ſempiternus es Filius*, & cætera uſque ad finem. Surius in vita ejus.

x lib. 4. rit. gra- æ S. Mechtil. of. Pam- hil. in hron. remit. Aug. & homas rgent.

S. Mechthildis Virgo vidit animam cujuſdam converſi in magna claritate, eo quod ſpeciali devotione & diligenti ſtudio ubicunque poterat, ad altare ſerviebat.

In Chronicis quoque Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, narratur de Joanne Reatino inſignis virtutis juvene, qui Sacerdotibus omnibus indifferenter ad Miſſam ſumma cum diligentia libentiſſimè miniſtrabat. Per aliquot autem ante obitum dies ad eum veniens Philomela, quotidiè ante feneſtram ſuaviter canebat: & interrogatus quid ſibi ea vellet, reſpondebat jocoſè, ſponſam eſſe ſuam invitantem ſe ad Paradiſum. Hic die quadam ad Miſſam miniſtrans vidit ſuper altare lucem divinam; & eadem die cœpit decumbere, & magna cum devotione ſpiritum reddidit Creatori. Hæc meruit pium ejus obſequium in Miſſæ ſacrificio.

Vide & aliud exemplum in Tract. de Matrimonio, ubi agemus de inſtructione puerorum, quod à pueritia a parentibus ſint aſſuefaciendi ad audiendam Miſſam, & illi inſerviendum.

DE CONTEMPTORIBUS MISSÆ Punitis.

Dei vindicta in contemptores Miſſæ.

Sicut Deus remuneratur pios Miſſæ veneratores, ita in contemptores ultionem exercere ſolet. In Gauda civitate Hollandiæ contigit Catholicum quendam Civem graviter decumbere, ridebant eum quidam Calviniſticæ ſectæ, dicentes cum ludibrio, facilius eum defungi poſſe, ſi Miſſam prius audiviſſet. Sic quidam ex illis veſtes ſacras in medium profert, & illis induitur. Paratur menſa, adeſt ſubornatus Diaconus & Subdiaconus, canitur introitus, & quædam alia juxta cæremonias Eccleſiæ. Ubi perventum eſt ad AGNUS DEI, ecce feſtinus accurrit famulus ſacrificantis, dicens uxorem ejus coarctari doloribus partus. Ille protinus exutus habitu, feſtinus domum ſeſe propipuit. Inter eundum nunciatur ei uxorem duos gemellos enixam. Sed mox hoc nuncium convertitur in luctum, quia uterque extinctus eſt. Uxoris deinde cubiculum ingreſſus, eam cum morte conflictari, & jam mori videt. Poſtridie & ipſe peſte corripitur, cum omnibus qui miniſterio, vel cantu, præſentiaque ſua huic Sacrificio adſtiterant. Catholicus verò ex infirmitate convaluit. Contigit id Anno 1574. Bredenb. l. 1. coll. fac. c. 60. An. 1574.

Non abſimile contigit prope civitatem Harderwikum: Catholicus quidam in die cinerum agebat ibi in diverſorio inter hæreticos; qui cum jentaculum ſumerent, & Catholicum ad id invitarent, renuit ipſe ob jejunium. Illi hominem contumeliis afficiunt, dicentes ſi Sacrum audiviſſet, jam faciliorem fore ad jentandum. Mox quidam ex illis proſiliens: Ego, inquit ejus votis ſatisfaciam: arripienſque orbem è menſa, elevavit in deſpectum Sacrificii. Sed mox elevata brachia obriguere, ut ad ſe reducere non poſſet; & paulò poſt ibi expiravit. Bredenb. l. 7. coll. c. 63.

De pueris Apamienſibus qui rari verba conſecrationis protulerunt. Joannes Moſch.

In Africa pueri paſcentes pecora dixere ad invicem ludentes: Venite celebremus Miſſam, ut fit in Eccleſia. Ordinarunt ergo unum qui ageret Presbyterum, alios qui agerent miniſtros; & in ſaxo quodam altaris inſtar erecto, panem apponentes, juxta Eccleſiæ morem pronunciabant verba conſecrationis, quæ aliquando aſſiſtentes Miſſæ audierant. At ignis cælitus delapſus conſumpſit omnia, ita ut nil nec ſaxi, nec eorum quæ appoſita erant, relinqueretur. Illi verò corruentes ſemi-

Digitized by Google

prati spir. c. 196. mortui, nec loqui, nec surgere valebant. Cùm domum hora solita non redirent, advenere parentes, & humi jacentes invenerunt, nec agniti sunt ab illis, nec vocem elicere potuerunt. Referunt ergo eos domum semi vivos cum stupore, dieſque tota & nox præteriit; & licet crebrò eos interrogarent, causam discere nequiverunt. Sequenti tamen die ad se reversi, retulere quæ contigerant, deductis parentibus ad locum ubi ignis vestigia remanserant. Illi ergo rem stupentes admonent Episcopum civitatis. Qui perculsus magnitudine & novitate miraculi, cum omni Clero festinus accurrit: videnſque pueros, & rursus ab eis quæ evenerant audiens, cœlestisque ignis vestigia intuens, pueros quidem omnes continuò in monasterium immisit, locum verò Monasterium fecit latissimum, supra locum autem ignis, Ecclesiam constituxit, & sanctum erexit altare.

CANDELABRI MYSTICI

TRACTATUS V.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

PROOEMIVM.

IV. Lampas mystica est Sacramentum Pœnitentiæ.

QUARTA Lampas seu Lucerna Mystica nostri Candelabri, est Sacramentum Pœnitentiæ: quæ allucet his quiin tenebris peccati mortalis, post Baptismum lapsi versantur; ut prævio ejus lumine, ad vitam & lucem gratiæ, per triplicem viam, Contritionis, Confessionis, Satisfactionis, revertantur. Hæc iterum est Lucerna adjuvans viluminis sui, & monens, ut omnes & singulos domus nostræ interioris seu conscientiæ nostræ angulos lustremus & perscrutemur: ut possimus omnes sordes egerere, & gemmam gratiæ perditam iterum recuperare, quam culpâ & socordiâ nostrâ amiseramus. Hæc dei igueest Lampas illa Evangelica, quæ semper oleo affluit Divinæ Misericordiæ: quam Prudentes Virgines, sive Animæ Fideles, semper debent tenere accensam & paratam, sine qua veniente sponso, non introibunt ad nuptias. Sed clausâ januâ, frustrà clamabunt: *Domine, Domine aperi nobis.* Quia manebunt foris, qui noluerint pœnitere, & tempore à Deo destinato, uti oleo Misericordiæ & luce divinæ gratiæ: frustraque gement in fine, hanc lucem cupientes accendere, hanc Lampadem adornare. Ad hujus quoque Lampadis lumen debent Prudentes Virgines, Fideles Animæ, omnem faciei maculam diligenter inspicere & abstergere, ne quid sponso displiceat, & pulchritudinem ab eo acceptam inficiens, eum ab amplexu retardet. Debent & intueri, an omnis ornatus virtutum polymitus adsit, quiin filiabus Regis requiritur ab intus.

Matt. 25. 21. Luc. 13. 25.

Tractandus de hoc Sacramento.

Itaque differemus in hoc Tractatu de hujus Lampadis institutione, materia, forma, effectu, & ministro, deque diversis quibus constat partibus, Contritione, Confessione, Satisfactione specialiter agemus.

Digitized by Google

LECTIO I.

DE INSTITUTIONE SACRAMENTI Pœnitentiæ.

1. *Docet à Christo esse institutum.*
2. *Esse necessarium lapsis post Baptismum.*
3. *Etiam merita lapsis restituere.*

Sacramentum Pœnitentiæ est à Christo institutum.

Pœnitentia sumitur duplicitur.

PROPOSITIO I.

Sacramentum Pœnitentiæ à Christo Domino in nova lege est institutum.

ADvertere Pœnitentiam apud Theologos aliquando sumi, ut est virtus, aliquando ut est Sacramentum. Priori modo sic eam definit Magister in 4. dist. 14. *Pœnitentia est virtus, seu donum Dei, quo commissa mala cum emendationis proposito plangimus & odimus, plangendaque ulteriùs committere nolumus.* Hujus virtutis actus, in omni lege necessarius fuit omnibus in mortale peccatum lapsis, ad gratiam recuperandam: nemò enim unquam justificatus fuit sine Pœnitentia & displicentia peccati, & sine conversione animi. Unde omni tempore verum fuit illud: *Nisi pœnitentiam habueritis omnes simul peribitis. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vita vivet.* Per hanc igitur pœnitentiam, illum qui primus formatus est Pater orbis terrarum, eduxit Deus à delicto suo: & quia ab hac recessit Cain post iram homicidii, deperiit. Hanc prædicavit Noë fabricans arcam, Præco justitiæ & pœnitentiæ à Deo constitutus, & qui eam neglexerunt, aquis demersi, æternùm perierunt, sicut & descendente igne in Pentapolim, impœnitentes æterno incendio sunt absorpti. Quia verò hanc pœnitentiam amplexi sunt Ninivitæ, gratiam & misericordiam invenerunt, licet Minax Dei ira eis incumberet. Sic Manasses post longam impietatem, David post adulterium, Petrus post triplicem negationem, Magdalena post libidinosæ vitæ infamiam, Latro post ætatem in homicidiis & flagitiis detritam, per illam spiritum gratiæ attraxerunt, Deum placaverunt, & regni gloriam adepti sunt. Hi enim omnes peccati sui maculas eluerunt, non per Pœnitentiæ Sacramentum, quia necdum tunc à Christo erat institutum; Sed per Pœnitentiam quæ virtus est: quæ in illis eluxit per detestationem vitæ præteritæ, & conversionem interiorem animi cum spe veniæ à Deo consequendæ. Hæc ergo Pœnitentia omni tempore reduxit ovem errantem ad sinum Pastoris, drachmam gratiæ perditam quærenti restituit, prodigum filium laribus paternis reddit, vulneratum à latronibus Pii Samaritani medica manum sanum effecit, & sine illa nullus unquam misericordiam fuit assecutus.

Luc. 13. 3. Ezech. 18. 21.

Exempla eorum qui pœnitentiam egerunt. Ninivitæ. Manassis. Davidis. Petri. Magdal. Latronis.

Posteriori modo loquendum nobis est de Pœnitentia, scilicet, ut est Sacramentum, quo relapsis post Baptismum remittuntur peccata, per absolutionem confessis & Pœnitentibus impensam. Sic non fuit in lege antiqua, sed à Christo Sacramentorum auctore primævam suam institutionem sortitur: Estque illi gratia specialis annexa, quæ ministerio Sacerdotum Pœnitentibus infunditur, habetque vim & originem à Christi Passione & Sanguine. Quia Sacerdotes suo ministerio non aliud agunt, quàm è fonte vitæ & salutis aquam desumere, *in ablutionem peccatoris & menstruatæ*: hoc est à Christo Jesu, qui est fons gratiæ patens tempore legis novæ, semper fluens, nullis hominum peccatis arescens, gratiam depromunt sanctificantem, quâ animæ quantumlibet sordidæ & cruentatæ, puritati redduntur: ita ut aspersione sanguinis Jesu Christi fœdus peccatorum sanguis elui censeatur, ministris eam aspersionem peragentibus, & applicantibus his qui humiliati & confitentes accedunt. 7. Vtest Sacramentum. Zach. 13. 1

Sed quæritur 1. *Cur Christus Pœnitentiam in numerum Sacramentorum referri voluit?* Respondetur, ut nobis de remissione peccatorum, quam Deus pollicitus erat impiis agentibus pœnitentiam, minùs dubitare liceret; quandoquidem per Sacerdotis absolutionem peccata nobis remissa jam asserit: & cum Sacramentorum virtuti fidem habere debeamus, pacatiores redduntur conscientiæ nostræ. Etenim non aliter accipienda est vox Sacerdotis peccata legitimè condonantis, quam Christi Domini qui Paralytico ait: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Non habuerunt ergo antiqui hanc certitudinem de remissione peccatorum, quam nos habemus virtute Sacramenti & absolutionis: maximè cùm modò nobis sufficiat attritio supernaturalis; in ipsis autem requisita fuerit contritio perfecta, quam elicere difficilius est, & de qua magis dubii esse possumus. Virtute ergo Sacramenti à se instituti, voluit Deus supplere imperfectionem nostri doloris, nostræque dispositionis. Unde benedicendus à nobis est Deus, quod per hujus Sacramenti institutionem, facultatem nobis faciat, toties quoties volumus, rationem reddendi conscientiæ nostræ & peccatorum, cum illo qui illius vices gerit, illorumque remissionem ab illo accipere nos vult, certos reddens verbo suo, & velut signans sigillo suo, quod remissum ac solutum sit in cœlis, quod ille legitimè condonarit in terris. Quomodo potuit melius nostræ sollicitudini & anxietati de remissione peccatorum subvenire, quàm Sacramentum hoc instituendo? quandoquidem per illud promittit nobis vim & efficaciam sanguinis sui ad nos quasi quodam canali derivati, ut peccata post Baptismum admissa eluantur: vultque ut illius ablutionis ac cum Deo reconciliationis testimonium accipiamus virtute verborum suorum; quæ is profert, qui ejus loco sedet, cui commissum est de

Q. 1. Cur Christus Pœnitentiam voluerit esse Sacramentum.

Matt. 9. 2. Luc. 9. 18.

Digitized by Google

Fontibus Salvatoris haurire sanguinem hunc, & aquam vivam delendis criminibus efficacem. De hoc meritò gratias agimus, quod nobis patens sit fons gratiæ & remissionis, in hoc Sacramento reconciliationis, qui antiquis ignotus fuit, nec patuit.

Q. 2. Quãdo hoc Sacramentum Christus instituerit. Joan. 20. 22.

Quæritur 2. *Quando Christus Sacramentum hoc instituerit?* Resp. instituisse post resurrectionem, cum dixit Apostolis: *Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Hæc non solùm diuguntur ad Apostolos, sed ad omnes eorum in sacerdotio successores. Illis etenim verbis constituit Sacerdotes Judices; cum potestate tali, ut sine eorum sententia, nemo post Baptismum lapsus possit reconciliari. Et cum nequeant Sacerdotes rectè judicare de peccatis, an remitti debeant, an retineri: consequenter instituit Dominus, ut peccata illis subiiciantur, & tanquam Judicibus causa cognoscenda exhibeatur, ut possint sententiam ferre, vel absolvendo, vel condemnando, prout deprehenderint dispositionem in reo. Quapropter dicta verba (quæ Christus à mortuis excitatus, & in Apostolos insufflans protulit) hujus Sacramenti institutionem continere decernit Conc. Trid. sess. 14. Et quæ præcedunt verba ibidem satis hoc indicant: *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos*, cum eadem scilicet potestate & auctoritate. Hanc vobis communico insufflatione, tanquam externo symbolo gratiæ. Spir. S. cujus virtute potestas hæc in vobis permanebit. Itaque ibi Dominus adimplet, quod promisit Matt. 16. & 18. de dandis clavibus Regni cœlorum: ubi metaphorico sermone significat peculiarem potestatem suis ministris dandam, ad removenda impedimenta à Regno Cœlorum excludentia: illa autem sunt peccata peccatorumque pœnæ, quæ removentur in hoc Sacramento ministri virtute suppositâ Pœnitentis dispositione.

Trid. sess. 14. c. 1. & Can. 1. Joan. 20. 21.

Matt. 16. & 18.

PROPOSITIO II.

Hoc Sacramentum necessarium est lapsis post Baptismum.

2. Est necessarium lapsis post Baptismũ. Trid. sess. 14. c. 1.

HOc sic declarat Trid. *Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut justitiam in Baptismo ipsius beneficio & gratia susceptam constanter exercerent, non fuisset opus aliud ab ipso Baptismo Sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus dives in misericordia cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitæ remedia contulit, qui sese postea in peccati servitutem & dæmonis potestatem tradidissent: Sacramentum scil. Pœnitentiæ, quo lapsis post Baptismum beneficium mortis Christi applicatur.* Et c. 2. addit: *Est autem lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.* Hinc dicit à Sanctis Patribus vocari secundam post naufragium tabulam. * Est enim Baptismus prima tabula, quâ è naufragio peccati evadimus, in gratiam Dei & portum salutis translati. Quod si iterum navis nostra diffringitur, & ab innocentia baptismali excidimus naufragio æterno obnoxii, nullum nobis remedium restat ad portum salutis & gratiam Dei iterum emergendi, nisi hâc tabulâ arreptâ, quâ è peccati abysso profunda sublevamur. Huic ergo insistendum est, in illa spes nostra sola residet, & propterea salutis remedium necessarium dicitur, supposito scilicet peccato; sicut necessarium est medicamen, supposito vulnere.

Et c. 2. * S. Hier. in c. 3. Isa.

Ambr. ad Virg. lapsam. D. Tho. q. 84. a. 5. Trid. sess. 14. can. 2.

Observandum tamen hoc Sacramentum reipsâ susceptum non esse simpliciter necessarium, sed sufficere ejus votum, quando realiter non potest suscipi. Illud verò votum in peccatorum contritione continetur; quia contritio includit propositum servandi omnia præcepta, & ita etiam confitendi ac satisfaciendi voluntatem importat. Si ergo defectu Confessarii, aut alia ex causa Confessio nequit fieri, aut absolutio recipi, contritio justificat, & remittit peccata. Sed etiam tunc dicitur hoc Sacramentum operari illam remissionem peccatorum; quia talis remissio non fit nisi in ordine ad hoc Sacramentum, sive in voto illius.

Observandum rursus, Baptismum esse tabulam aut navem, quæ solum semel arripi potest: Hanc autem Pœnitentiæ tabulam, nos è naufragio eripere, quoties per peccatum mortale periclitamur: ita ut quamlibet gravibus criminibus homo demersus jaceat, auxilio pœnitentiæ ad vitam possit emergere. De qua re vide quæ dixi super articulo Symbolo 10. *Credo remissionem peccatum.*

Est itaque multa differentia inter Baptismum & Pœnitentiam de qua Trid. sess. 14. c. 2.

Differentia Baptismi & Pœnitentiæ.

Diversa est gratia Baptismi & Sacramenti Pœnitentiæ, in Baptismo enim est gratia regenerans, per quam efficimur membra Christi; in Pœnitentia est gratia sanans, quâ Christi membra saucia redintegrantur & sanantur: In utroque fit mundatio animæ per aquam gratiæ, quæ hauritur è fonte vitæ; sed diversa ratione: nam Baptismus mundat animam primario à peccato originis; Pœnitentiæ Sacramentum à maculis & infirmitatibus post Baptismum contractis. In Fonte Baptismatis Christiani efficiuntur Nazaræi, sive consecrati Deo, *Candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphyro pulchriores:* sed per peccatum postea iterum denigrantur instar carbonum, exterminato candore nivis, hoc est innocentia Baptismali: & dulcedine ac puritate lactis, hoc est, suavitate bonæ conscientiæ ac Sancti Spiritus: offuscato etiam splendore rubicundi eboris, hoc est, fervore charitatis, & pulchritudine sapphyri; hoc est, gratiæ & vitæ cœlestis. Ideò necessaria est aqua alterius fontis, quo iterum candor ille & puritas, fervor & pulchritudo cœlestis instauretur in Nazaræis: tanquam carbones extincti & fuliginosi; aut tanquam titiones inferni, igni æterno deputentur, ne à Deo agnoscantur.

Thren. 4. 7.

Ergo

Digitized by Google

Ergo utrumque Sacramentum ad lavandum & mundandum, ad illuminandum & accedendum ordinatur, sed diversa ratione & efficacia.

Figura utriusque. Duplex vas in templo veteri.

Utriusque figuram designari existimant nonnulli in duplici vase templi antiqui. Erat enim vas quoddam, quod MARE ÆNEUM dicebatur ob magnitudinem, sive quia Hebræi consueverunt MARE vocare quamlibet magnam aquæ congregationem; sustentabantque illud vas duodecim boves ænei. De illo agitur 3. Reg. 7. & 2. Paralip. 4. typumque gessisse baptismi alibi dixi, & late tractat Eucherius lib. 3. in lib. Reg. c. 21. & Viegas in Apocalyp. c. 4.

1. Mare æneum. 3. Reg. 7. 25. 2. Paral. 4. 4. Eucher. Viegas.

Erat & aliud vas de quo Dominus ad Moysen, Exod. 30. *Facies & labrum æneum cum basi sua ad lavandum, ponesque illud inter tabernaculum testimonii & altare: Et missa aqua, lavabunt in ea Aaron & filii ejus manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii, & quando accessuri ad altare, ut offerant thymiama Domino.* Hoc autem vas æneum cum basi sua Exod. 38. dicitur factum de speculis mulierum. Itaque in hoc lavacro & labro, rectè designatur Sacramentum Pœnitentiæ; in quo Sacerdotes debent lavari, ne fortè immundi accedant ad altare. Sed & omnes Fideles ibi ablui decet, si offerre volunt Deo hostiam placentem, tanquam & ipsi pertinentes ad eos, de quibus dicitur: *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Cum enim ambulantes in hoc pulverulento itinere, maculas frequentes contrahant in pedibus ac manibus; necesse est nos lavari; manuumque ac pedum, hoc est, operum & affectuum immundorum sordes hic detergere; alioqui non possunt hostiam Deo gratam offerre; nec debitè sacrificium laudis immolare. Quod autem vas illud & lavacrum ex speculis mulierum confectum dicitur, sic exponit D. Gregor. *Specula mulierum sunt præcepta Dei, in quibus sese sancta anima semper aspiciunt; & si qua in eis sunt foeditatis macula, deprehendunt, cogitationum vias corrigunt, & quasi ex reddita imagine, suos vultus componunt.*

Exod. 30. 18. Exod. 38. 8.

S. Greg. hom. 17. in Evang.

Figura Pœnitentiæ piscina Probatica. Joan 5. 3.

Figuram Pœnitentiæ possumus iterum agnoscere in Piscina illa Probatica (de qua in Evangelio) quæ quinque porticus habebat, in quibus *jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, & aridorum, expectantium aquæ motum*, qui fiebat per Angelum descendentem. Pœnitentia utique Piscina est, in qua sanantur omnis generis infirmitates. Sanantur enim languidi, hoc est, qui per negligentiam & desidiam peccant, sanantur & cæci, hoc est, qui per ignorantiam deliquunt, sanantur & claudi, hoc est, qui per infirmitatem humanam non habent firmum gressum in via gratiæ, sed claudicant in duas partes, a gratia ad peccatum declinantes; sanantur & aridi, qui humore carent cœlesti, & per malitiam peccantes arefacti sunt, & destituti humore bonæ voluntatis bonæque operationis; sanantur & hi qui triginta octo annos in infirmitate habent, hoc est, in peccatis inveterati. Hi verò ut sanentur, debent expectare aquæ motum, hoc fit per dispositionem præcedentem & voluntatem præservantem, quâ protestantur se desiderare sanitatem. Et tunc Angelus movet aquam sanantem, dum virtutem passionis Christi per verba sacramentalia eis applicat Sacerdos, per quam perfectam possunt consequi sanitatem.

PROPOSITIO III.

Pœnitentia non solum lapsis remittit peccatum, sed etiam restituit merita priora, & gratiam deperditam.

HOc ut plenius intelligatur, adverte à Theologis distingui tria genera bonorum operum, *mortua, viva & mortificata*. Mortua sunt, quæ fiunt in peccato mortali, quæ cum ab initio careant vita, nunquam fiunt meritoria vitæ æternæ sive gloriæ. *Si enim charitatem non habeam, nihil mihi prodest*, licet *distribuero omnes facultates in cibos pauperum*, hoc est: si in statu gratiæ & charitatis non inveniar, quantumlibet exerceam opera sublimia, nullum ex hoc est mihi meritum æternæ gloriæ apud Deum. Non enim respicit Deus opera nostra aut munera, nisi persona ei sit accepta: *Respexit Dominus ad Abel & munera ejus, ad Cain autem non respexit.* Quid ita? quia Cain in statu peccati despici meruit cum munere & oblatione sua: Abel autem in statu gratiæ existens, primò interim sui ipsius obtulit sacrificium odoriferum, ideoque gratum fuit munus externum de primitiis gregis oblatum. Sic ergo prius Deus respexit ad personam in Abel, deinde ad oblata: Cain autem iniquum non respexit, sed cum sua oblatione despexit.

1. Cor. 13. 3.

Gen. 4. 5.

Viva opera sunt, quæ fiunt in gratia, ideoque ab initio vitam habent ab illa, tanquam à principio & fonte vitæ: & consequenter præmium illis debetur, si homo in statu gratiæ perseverarit. Est enim gratia, *Fons aquæ vivæ*, per bona opera *salientis in vitam æternam.*

Job. 4. 14.

Opera mortificata sunt, quæ fuerunt facta in gratia, sed accedente peccato mortali impediuntur à præmio. Hæc autem reviviscere possunt, si homo in gratiæ statum restituatur, & in illo moriatur.

Asserit itaque Propositio nostra, *per Pœnitentiam redire gratiam ac virtutes deperditas; fierique per eam ut revirviscant opera per peccatum mortificata, sintque iterum vita æterna meritoria.* Favet huic assertioni Scriptura.

Favet *primò* illud Joëlis. Ubi DEUS postquam dixisset: *Convertimini ad me in toto corde*, subjungit: *Reddam vobis annos quos comedit locusta, bruchus, rubigo, & eruca.* Hunc locum interpretatur D. Hieron. de virtutibus & meritis per peccata perditis, & per vim Pœnitentiæ restituendis. Etenim per Pœnitentiam redduntur nobis anni, quos pietati insumpsimus (qui aliàs sine fructu perirent,

Joël. 12. & v. 25.

Digitized by Google

depascente eos morte peccati) quando mors illa virtute Pœnitentiæ exterminatur: & ita fit ut non amplius illis noceat. Itaque Pœnitentiæ efficacia occultam inflatam exterminat, quando superbiam infusa gratia humilitatis compescit: bruchum interimit, quando gulam adversantem sobrietati eliminat: rubiginem enecat, quando iram patientiæ & paci cordis inimicam supprimit: erucam mortificat, quando luxuriam animi bona cuncta erodentem, eradit. Sicque restituta radice charitatis ac gratiæ vivificantis, regerminant & reviviscunt fructus priores: imò uberiores repullulant in agro cordis nostri, per gemitum puræ confessionis, per imbrem sanctæ compunctionis, per suspiria sanctæ devotionis, per desideria suavissimi amoris, per austrum afflantem spiritus pietatis, qui facit fluere stillicidia rorantia aridam cordis nostri humum.
Ps.147.18 *Emittit* enim Deus *verbum suum*, & liquefacit eos durum, & fluunt aquæ. *Emittit verbum* interius per inspirationem, *verbum* exterius per Sacerdotis absolutionem, sicque aquæ compunctionis, ac devotionis, animum quamlibet aridum, compunctione & devotione irrigant, & in bonis operibus fructuosum reddunt.

Possumus idipsum alia similitudine declarare. Noverat Pater cœlestis, se gratiæ thesaurum in vasis fragilibus deposuisse, terreis utique vasis quæ facile impingunt. Fuisset autem gravis afflictio justis, & desolatio illis qui conantur longa fatigatione & labore thesauros gratiæ & meritorum accumulare, si unico peccato mortali, (quo concutitur vas fragile quod portamus, & in quo frequenter periclitamur) omnes hi thesauri depererent, absque ulla spe recuperationis. Et sic inanes essent tot labores, tot opera, tot pœnitentiæ & merita, homoque obligaretur iterum quasi de novo laborare, ac si nihil unquam fecisset. Ordinavit igitur Deus liberali sua misericordia, ut si vasa fragilia, per Pœnitentiam iterum solidarentur; gratiæ copia priùs collecta, & meritorum thesauri restituerentur: ne totius præteriti temporis fieret jactura adeò damnosa.

Favet *secundò*, & confirmat quæ dicit Apostolus ad Hebræos sic loquens: *Confidimus de vobis dilectissimi meliora & viciniora salutis, tametsi ita loquimur: non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis Sanctis ex ministratis.* Ex quo loco sacri Interpretes colligunt, opera mortificata per peccatum reviviscere per pœnitentiam, & redire quantum ad meritum. Apostolus enim postquam ibi peccatores terruisset, proposita difficultate & acerbitate pœnitentiæ; statim etiam in spem erigit eos consideratione bonorum operum, quæ & ante lapsum, & postquam resurrexissent, operati sunt. Quia scilicet neutrorum mercedem, si constanter in fide & charitate perseverent, sint amissuri: sicque eorum non obliviscetur DEUS, quia iterum per pœnitentiam proderunt ad effectum vitæ æternæ. Ita interpretatur D. Thomas, Anselmus, Chrysostomus.

Heb.6.9.

Chrys. Anselm. D.Tho. & Suarez in opusc. de Rediru operum mortificatorum.

Favet *tertiò*, quod idem Apostolus ad Galatas dicit: *Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa.* Quasi dicat, sine fructu persecutionem propter Christum passi estis, si in peccatis perseveratis, & à Christo ad legem Moysis redire vultis: non tamen sine causa, nec sine fructu, si à peccato in quod lapsi estis, resurgatis. Sic enim futurum est, ut passiones illæ præteritæ, magnum in vobis gloriæ fructum pariant: Horror ergo vos ut resipiscatis, & in fide, & gratia Christi persistatis. Ita interpretatur Hieronymus, S. Thomas, & alii. Gal.3.4. Hieron. in eum loc. & D. Thomas

Favet *quartò*, paradigma filii prodigi. Ubi enim vidit eum Pater redeuntem ait: *Citò proferte stolam primam, date annulum in manibus, calceamenta in pedes ejus, occidite vitulum saginatum.* Quid his omnibus aliud significatur, quam quæcumque filius per discessum è domo paterna damnosa libertate perdiderat, & vita luxuriosa abligurierat, illi per pœnitentiam restitui, ipsumque in benevolentiam seu amicitiam perfectè redintegrari? Exuitur igitur peccator fœda veste peccati, obtegitur ejus nuditas & confusio, redditur stola prima gratiæ ac charitatis cum annulo fidei & ornatu bonorum operum præcedentium: redditur & calceus spei, & totum jus quod habebat antea ad possessionem adeundam paternæ hæreditatis, quod jus in calceamentis olim designabatur. Fit ergo in integrum homo restituitur vi Pœnitentiæ, quoad gratiam, virtutes, merita. Luc.15. 22.

Sic ex dictis colligunt & tradunt Theologi aliqui antiqui & recentiores, semper jus reddi ad totum essentiale præmium, quod ante lapsum debebatur. Imò per Pœnitentiam semper hominem resurgere ad majorem gratiam quàm ante: eò quod tota gratia priùs amissa restituatur simulque accedat aliquis novus gradus gratiæ, contritioni correspondens, seu dispositioni Pœnitentis. Et juxta hanc doctrinam (quæ probabilis est) homo in gratiæ statu decedens, semper salvatur cum maxima gratia, quam toto tempore vitæ habuit. Neque hoc à ratione alienum videtur: quia cum prædestinati sint electi ad certum gratiæ & gloriæ gradum, verisimile est cum gradum illum gratiæ attigerint, eos rapi ne malitia mutet intellectum eorum. Vide Suarez opusc. de revivisceatia meritorum & gratiæ. D.Tho.3. p.q.89. artic.3. Bonav.in 4.dist.14. a.1.q.3. Alexis 4. p.q.12.m. 4.a.6. Suarez

Attamen, huic bonitati divinæ, qua merita gratiamque redintegrat Pœnitenti, non nimium inniti debent peccatores, liberius sub hac fiducia peccantes: non enim qui facilè labitur, facilè etiam resurgit: quia homo, *spiritus vadens est, & non rediens*, declivi gressu rapitur in peccatum, ex se autem regredi nequit: *Facilis descensus averni, sed revocare gradum, superasque evadere ad auras hoc opus, hic labor est.* Justo Dei judicio fit, ut nec conPs.77.

ver-

Digitized by Google

versionis tempus, nec remissionis beneficium reperiant, qui nimiam Dei facilitatem, & Pœnitentiæ obvium remedium, incentivum faciunt delinquendi.

Exempl. Ex Epi. P. Dam. tom. 3. Bibliot. Patrum.

Refert Petrus Damiani Card. in Perusino Monasterio S. Salvatoris, cui ipse præfuit, fuisse Monachum sæcularibus contentionibus vehementer intentum. Hic, inquit, dum in immutandis Abbatibus, & Fratribus perturbandis, æstuans non quiesceret, eò pervenit, ut diaboli patrocinium quæreret ad superandos æmulos, ejusque potestati se traderet: hoc tamen pacto, quod tertio die ante mortem, dæmon sibi nunciaret. Promisit Dæmon, credit infælix, & sub hac securitate in peccatis manet. Tandem in ægritudinem lapso adest dæmon, & sicut spoponderat, diem obitus indicat. Ille advocatis Fratribus, per ordinem narrat quæ cum spiritu nequam pepigerat. At, dum instarent illi, ut pœnitentiam ageret, & confiteretur, repentè obdormivit, & sive pulsarent, sive clamarent, excitari non poterat. Si verò tacerent, vel de aliare, quam de pœnitentia loquerentur, expergefactus colloquebatur. Si verò iterum de confessione mentio fieret, protinus insensibili sopore corripiebatur, sicque tandem horrendæ morti traditus est. Postea, per plures noctes nigra canum turba non cessavit sepulturæ ejus assistere & quasi depositum custodire, ita ut videntes horrore concuterentur. Hæc ille.

Hen. Cuykius in speculo Concub.

Prope Trajectum ad ripam, ante annos 90. Parochus fuit non eruditus, sed gulæ & concubinatui addictus, hic cum aliquando moneretur, ut resipisceret, respondere solebat se de salute securum esse, nec habere opus nisi quinque verbis: *Deus propitius esto mihi peccatori*; sed vanam fuisse spem exitus probavit. Cum enim quadam die è popina temulentus domum repeteret, hircum in itinere obvium habuit, vel certè dæmonem hirci imaginem præferentem. Quem cum verbis & attactu mulceret, irritatus hircus irruit in eum, & inguinarias partes cornibus petens, letalem ictum inflixit, quo vulnere in terram concidit, amisso mentis usu. Ad spectaculum multi accurrunt, inter cæteros muta quædam fœmina, quæ nunquam locuta fuerat, non sine grandi miraculo primam vocem edens. Pastorem in mortis angustiis his compellat verbis: *Eloquere nunc quinque illa verba, quibus salutem tuam securam dicebas.* Ille verò statim è vivis est sublatus. Ita Cuykius Epis. Ruremund. in speculo concubinariorum.

Lapsus facilis, reparatio difficilis.

Attendant quoque, qui nimis facilè in peccatum se pertrahi sinunt, sub spe quod per confessionem in integrum restituentur, quod gravissima sibi soleant advehere incommoda per peccatum, quæ non statim semper tolluntur per pœnitentiam. Inprimis non semper tollitur totus reatus pœnæ temporalis, per quem futuris pœnis obnoxii reddunter. Deinde manent & reliquiæ peccati, hoc est, gravæ quædam inclinationes & dispositiones, ingenerantes in anima & carne graves difficultates ad operationem virtutis; ita ut facile iterum implicentur, & in peccatum revolvantur. Denique, non semper reperiunt hi, nisi magno omninò affectu resurgant, prioris devotionis fervorem, & divinæ familiaritatis gratuitum donum, aliaque auxilia specialia & favores cœlestes, quos solet his Deus adspirare, qui observant se ab omni iniquitate, & gratiam semel adeptam, tanquam pretiosissimum Dei munus, magna sollicitudine custodiunt: Hoc videtur velle Apostolus, dum dicit: *Impossibile est, eos qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum cœleste ac bonum Dei verbum virtutesque venturi sæculi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad Pœnitentiam.* Quasi dicat: plane difficile est ac opus magnæ Dei gratiæ, ut quis postquam specialiter à Deo illuminatus est, & Spir. S. Charismata speciali favore est expertus, lætitiam, pacem, suavitatem puræ conscientiæ: postquam etiam gustavit saporem quemdam divinum, inhians dulcedini verbi interius exteriusque loquentis, denique postquam per fidei cognitionem, amorem, spem, desiderium, prægustavit & cognovit, quanta futuri sæculi sit felicitas, in illa visione & fruitione Dei, omniumque bonorum affluentia, si post tot dona, lumina, delicias, prolabatur in enormia aliqua peccata, difficile inquam est, ut iterum renoveturad pœnitentiam, & ad tantam Dei familiaritatem post tantam ingratitudinem. Heb. 6. 4.

Pœnitenti restituitur gratia sanctificans, non autem semper accidentalia dona.

Itaque licet gratiam sanctificantem quoad substantiam, statim restituat Deus pœnitenti: attamen hæc accidentalia dona & favores cœlestes non semper statim integrè reddit, ut constat per experientiam. Sed vult ingratitudinem peccatis sic plectere, & requirit, ut cum multo fervore & gemitu, hæc dona expectentur. Hinc David adeo enixe hæc postulat (remisso licet peccato, & gratia restituta) quando inclamat: *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.* Hoc idem indicat Tridentinum, dum ait: *Non sine magnis nostris fletibus & laboribus, divina exigente justitia, ad pristinam novitatem & integritatem vitæ per Pœnitentiæ Sacramentum nos redire.* Ideò & Petrus licet sibi peccatum remissum sciret, amarissimè flet, ut totam ingratitudinis culpam radicitùs extirpet: & divino illo speciali favore quem Dominus ei primitus ostenderat, indignum se non præstet. Sic Maria Ægyptiaca peccatis licet carnis jam expiatis in gratiam restituta, pacem tamen perfectam interius non experitur, nisi postquam 17. annis magnis fletibus & angoribus cum carne & stimulis ejus est conflictata. Ps. 50. 14. Trid. sess. 14. c. 2.

Exempl. Sophron. in Prato spir. c. 36.

Itaque si conversionis difficultatem, & incertitudinem gratiæ recuperandæ, aliaque plurima gravissima damna, quæ ex peccato oriuntur, consideraret is qui ad peccandum illectatur, statim pedem referret, & se è laqueo implexo eriperet. Pulchrum hac in re fuit consilium rusticæ cujusdam puellæ, datum Religioso, de quo in Prato spirituali cap. 36. ubi sic habetur. Cum Monachus.

Digitized by Google

nachus quidam divertiſſet ad ruſticum quempiam Fidelem, habentem filiam unicam, maneretque in domo dies aliquot: immiſit ei dæmon ſordidas cogitationes, quærebatque opportunitatem opprimendi eam; procuravit verò ei dæmon opportunitatem illam, abſente patre puellæ. Unde ad puellam ſolam acceſſit, ut vi opprimeret. Illa ut vidit hominem perturbatum, ad nefarium actum properare, dixit ei: *Noli turbari, neque fœdum quid contra me moliaris; Pater meus nec hodie, nec cras veniet, audi primum quid dicam, ego tunc prompte quidquid volueris faciam.* Cœpit autem illum ita alloqui *Quantum temporis egiſti in Monaſterio?* Reſpondet ille, decem & ſeptem annos. Dicit ei iterum. *Habes experimentum mulieris?* Ait ille. Non. *Ergo tu*, inquit, *vis propter horam amittere tot annorum labores? Quoties fudiſti lachrymas, ut carne Chriſto immaculata ſervires? Et nunc totum laborem illum breviſſima voluptatis gratia tibi vis perire? Attamen ſi ut vis audiveris, & pecces mecum, habeſne quo aſſumas & nutrias me?* Dicit ei, non. Tunc illa: *In veritate non mentior, ſi humiliaveris me, multorum cauſa eris.* Quærit ille quare: At illa Primò, inquit, *quia perdis animam tuam.* Secundò, *quia & anima mea abs te requiretur: nam tibi proteſtor, quod ſtatim laqueo vitam mihi extorquebo, eriſque homicidii reus; igitur antequam tot malorum cauſa ſias, revertere in pace ad Monaſterium, & ora pro me.* Rediens igitur ille in ſemetipſum, ſtatim etiam regreditur ad Monaſterium, proſtratuſque Abbati veniam orabat, ut ultra extra monaſterium non mitteretur. Et cum in contritione cordis egiſſet tres menſes, migravit ad Dominum.

LECTIO II.

DE GRATIA EXCITANTE AD Pœnitentiam.

1. *Docèt non poſſe hominem pœnitere ſine gratia.*
2. *Nulli ad id gratiam ſufficientem denegari.*
3. *Gratiam non minuere arbitrii libertatem.*

PROPOSITIO I.

Nemo poteſt ad Deum converti & pœnitere, ſine ſpeciali Dei auxilio & gratia excitante.

Trident. ſeſſ. 6. c. 5.

HOc definit Tridentinum ſeſſ. 6. c. 5. *Declarat præterea ipſius juſtificationis exordium in adultis, à Dei per Ieſum Chriſtum præveniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt ab ejus vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur, ut qui per peccata à Deo averſi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam, ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem eidem gratiæ liberè aſſentiendo & cooperando diſponantur.*

Quam doctrinam ut plenius intelligas, adverte gratiam illam, quæ dicitur ſpeciale auxilium a Deo homini datum ad converſionem, dividi a Theologis in gratiam prævenientem ſive excitantem, & in gratiam adjuvantem ſive ſubſequentem. Qui loquendi modus deſumitur ex Pſalmo 58. ubi dicitur: *Miſericordia ejus præveniet me*, & ex Pſalm. 22. ubi dicitur: *Miſericordia tua ſubſequetur me.* Gratia excitans dicitur illa, qua Deus hominem in peccato dormientem tangit inſpiratione & illuminatione interiori, vocando, pulſando, immittendo timorem, remorſum, &c. Apoc. 3. *Ego ſto ad oſtium & pulſo, emulare & age pœnitentiam*, inquit Dominus. Et iterum alibi hæc eſt vox divina: *Surge qui dormis & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Hæc igitur gratia excitans, interius loquitur cordi peccatoris, quaſi ei diceret. Vide quot peccata commiſiſti, eaque graviſſima, & jam tot hebdomadis in illis hæres cum periculo ſalutis, imò tot menſibus, fortè vindex Dei manus jam incumbit tibi: conſidera ergo ſtatum in quo es, ſurge, quære modo Dominum per contritionem & confeſſionem; alioquin væ tibi, & æternum væ, niſi citò reſurgas, & ſalutis tuæ curam agas.

Diviſio gratiæ 1. in Prævenientem & Adjuvantem.

Pſ. 58. 11. Pſ. 22. 6.

Apoc. 3. 20. Eph. 5. 14.

Gratia adjuvans dicitur, divina cooperatio & directio qua juvamur, ut faciamus quod ipſe prævenions inſpiravit, juxta illud: *Deus operatur in vobis velle & perficere, pro bona voluntate.* Unde Trident. *Deus jubendo monet facere quod poſſis, & petere quod non poſſis & adjuvat ut poſſis.*

Philip. 2. 13. Trident. ſeſſ. 6. c. 11.

Iterum dividitur gratia in ſufficientem & efficacem. Sufficiens dicitur, qua Deus ſic vocat & excitat, ut homo ſi velit converti, poſſit bonum facere; ſed tamen re ipſa non velit nec cooperetur, non quia ipſi deeſt gratia, ſed quia ipſe deeſt gratiæ. De hac videtur loqui Apoſtolus ad Hebræos cap. 12. *Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei.* Non dicit ne cui deſit gratia Dei, ſupponit enim gratiam ſufficientem dari, ſed illam poſſe hominem repellere, aut non cooperari, & ſic eam reddere ineffica-cem.

2. In ſufficientem & Efficacem.

Heb. 12. v. 15.

Efficax autem gratia dicitur, qua ſic vocat, movet & afficit, ut reipſa vocatus converatur, aut bonum faciat. De hac Joan. 6. *Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me.* Eſt itaque quædam vox Dei in corde loquens, quæ efficaciter & infallibiliter perſuadet. Et illa efficacia provenit non ab humana voluntate, quaſi illa ſua cooperatione gratiam ſolum ſufficientem reddat efficacem, ut aliqui dixere: ſed provenit à voluntate divina (teſte Auguſtino) quæ vocatione alta atque ſecreta ſic hominis agit ſenſum ut accommodet aſſenſum. Novit enim interius ſic afficere & movere hominem ex infinita ſua & potentia & ſapientia, ut infallibiliter conſentiat; novit ſic docere, ut non tantum ſuadeat, ſed & perſuadeat.

Joan. 6. 45.

S. Auguſt. epiſt. 10.

Hac igitur doctrina ſuppoſita, ut ad Propoſitionem noſtram explicandam redeamus, ex Scripturis ſatis

Digitized by Google

ſatis conſtat, auxilium gratiæ nobis eſſe neceſſarium
2. Cor. 3. ad pœnitentiam. Si enim teſte Apoſtolo *Non ſumus ſufficientes* & idonei *cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis* (de illis ſcilicet quæ noſtram concernunt ſalutem) *ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt*: quanto magis eximus inſufficientes noſtram initiare converſionem, à nobis quaſi ex nobis? *Scio Domine*, inquit
Hier. 10. 23. Hieremias, *quia non eſt hominis via ejus, nec viri eſt, ut dirigat greſſus ſuos.* Utique præparatur voluntas noſtra à te Domine, à timore tuo, quem noſtris inſpiras cordibus, concipimus & parturimus ſpiritum ſalutis; voce tua intonas, nos tanquam cervas ad partum difficiles commoves, & velut obſtetricaris, ut pœnitentiæ fœtum animo jam conceptum producamus in lucem, & ad effectum tandem deducamus; ut propterea dixerit Regius Propheta:
Pſ. 28. 8. *Vox Domini concutientis deſertum. Vox Domini præparantis cervos*, ſive ut alia Lectio dicit: *Vox Domini obſtetricantis cervas.*

Joan. 6. 44. Hoc etiam indicat illa Scriptura: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater traxerit eum.* Si enim nemo poteſt venire per fidem ad Deum, niſi Patris inſpiratione & auxilio attractus: nemo etiam poteſt ad eum poſt peccatum redire, niſi ejus prævia inſpiratione & ope. Ideò rectè peccator comparatur ovi

Peccator ſimilis ovi erranti. erranti: illa enim ubi aberrarit, non ſolet redire, ſed ulterius ſemper progreditur per valles & montes, per dumeta & ſaltus: niſi à Paſtore requiratur, & ſibilum ejus audiat, vel humeris reportetur, facilè lupo vel feræ alicui præda fit. Sic homo recedens à Deo verò Paſtore, amiſſa jam gratia ulterius ſolet aberrare, per devia itinera pergens de peccato in peccatum, nec per ſe poteſt redire, ſed facilè præda fiet ſatanæ niſi requiratur à ſuo Paſtore, niſi ejus perſentiat vocem & ſibilum, hoc eſt, prævenientem inſpirationem, ejuſque humeris reportetur. Ideò dicebat
Pſ. 118. 176. Propheta: *Erravi ſicut ovis quæ periit, quære ſervum tuum Domine*; nec enim reverti poſſum niſi quæſieris.

Bern. ſer. 1 pag. 431. de altit. & altit cordis tria homi-num de-nera di-ſtinguit. Quapropter rectè cum Bernardo diſtinxeris tria hominum genera. 1. Sunt aliqui qui nec quærunt Deum, nec quæruntur à Deo. 2. Sunt qui à Deo quæruntur, & ipſi quærunt Deum. 3. Sunt qui quæruntur à Deo, nec quærunt Deum. Primi generis ſunt pueri aliqui qui ſine Baptiſmo pereunt, & juſto Dei judicio relinquuntur in maſſa damnationis: & ita nec hi per fidem quærunt Deum, nec quæruntur à Deo. Secundi ſunt illi quos Deus vocat, & vocanti reſpondent. Tertii ſunt illi qui vocantur, ſed Dei vocationem ac inſpirationem vel negligunt vel contemnunt. Sed cur quartum genus non aſſignatur eorum qui quærant Deum, & non quærantur à Deo? Quia ſine ejus gratia præveniente & quærente nos, non poſſumus illum quærere, nec ad eum venire. Et hæc eſt una inter hominum miſerias non ultima, quod per ſe à Deo poſſit recedere: ex ſe autem ad eum non poſſit redire, avolat à Deo, ſed ſuis ſolis alis ad Deum non poteſt revolare.

Similis planè ea in re eſt homo, avibus illis quas Apodes vocant, nos vernaculè Archers vocamus. Volant in altum, & ex alto demittunt ſe in terram: at quia pedum infirmitate laborant, & quaſi ſine pedibus ſunt, (unde Apodes vocantur) cum in terra ſunt, volutantur diu, nec volatum reſumere poſſunt; nec alas ſuas ſufficienter excitare, ad pondus corporis ſui ſublevandum: donec afflans ventus eis cooperatur, & illius favore in altum ſe tollunt & revolant. Sic homo infirmis pedibus eſt & alis, unde ſi ſublimem gratiæ auram deſerat, & ad peccati lutum deſcendat; volutatur in illo, nec iterum revolare poteſt, niſi Spiritus S. flamine præveniente & cooperante. Simile.

Huc etiam referri poteſt illud Ozee. *Perditio tua ex te Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum.* Eſt enim id generaliter loquendo multipliciter verum. Omne enim malum noſtrum ex nobis eſt, omne bonum noſtrum ex Deo eſt: omnis culpa ex nobis, omnis gratia ex Deo: averſio à Deo ex nobis eſt, converſio ad Deum ex illius auxilio eſt: Mors à nobis, vita ab illo: Reprobatio à nobis, ſalus ab illo. Quod deſeramur in cauſa ſumus, quod vocemur gratiæ ejus adſcribendum eſt. Denique omnis miſeria noſtra a nobis originem trahit, ſi autem eruimur, non nobis ſed gratuito ejus auxilio referendum eſt, ei gratiæ agendæ ſunt. Perditio igitur ex te, ô homo! illam tibi imputa; auxilium autem quod tibi iterum impertior, non meritis tuis, ſed bonitati meæ adſcribe. Ozee. 13. 9.

Modi infiniti quibus Deus homines vocat ad pœnitentiam.

Cæterùm infinitos modos habet divina ſapientia nobis occultos, quibus vocat ad pœnitentiam, & inſpirat peccatoribus converſionem. 1. Quandoque enim immittit conſcientiæ terrorem, & hoc eſt, *Pulſare ad oſtium*. 2. Quandoque mentem à tumultu rerum terrenarum abſtractam interius adhortatur, & hoc eſt, *ducere animam in ſolitudinem & loqui ad cor ejus* 3. Quandoque beneficiis allicit ſuaviter, & hoc eſt, *in funiculis Adam trahere, in vinculis charitatis*. 4. Quandoque aliorum exemplis nos invitat & inflammat, & hoc eſt, *carbones ardentes congerere ſuper caput noſtrum* 5. Quandoque judiciis & flammis æternis propoſitis ad lachrymas uſque peccatorem commovet, & hoc eſt, *voce tonitrui deſertum commovere & fulgura in pluviam convertere*. 6. Quandoque morbos & flagella immittit, ut deſiſtamus à peccatis, & hoc eſt, *viam noſtram ſpinis ſepire ut revertamur*. 7. Quandoque tanta nos coarctat interius exteriuſque neceſſitate, ut non tam ſit vocare, quàm *compellere intrare*. 8. Denique per Paſtorum, Concionatorum, Confeſſariorum voces, & monitiones hortatur, ut vitæ præteritæ meminerimus, & noctem tenebroſam peccati relinquamus, ac ad auroram gratiæ reſpiremus, & hoc eſt, per *Gallum cantantem excitare*, ut cum Petro memores ſimus ſtatus noſtri ac ingratitudinis in Deum com-

Apo. 3. 10. Oſee. 2. 14. Oſee. 11. 4 Rom. 12. 20. Pſ. 134. 7. Oſee. 2. 6. Luc. 14. 23.

Digitized by Google

commiſſæ. Hi ferè ordinarii modi ſunt vocationis divinæ, ſed innumeri reſtant nobis incogniti, quia inveſtigabiles ſunt viæ ejus, quibus lucem, & amorem infundit cordibus peccatorum. Hinc ipſe Deus ſic loquitur ad Job: *Indica mihi ſi noſti omnia, per quam viam ſpargitur lux, aut dividitur æſtus ſuper terram?* Quod moraliter cum B. Gregorio de luce ſpirituali rectè intelligere poſſumus, & de æſtu amoris divini: qui innumeris ſed occultis viis ad nos derivatur, & modò huic, modò illi communicatur & dividitur: nec debemus inquirere cauſas, cur hic potius quam illi, ſive cur iſte potius vocetur, quam ille.

Job. 38. 24. S. Grep. in lib. moral. ſuper hunc loc.

Adeò admirabilis eſt Dei providentia hac in re, ut tunc frequenter vocet & convertat hominem, cùm minùs de ea re cogitat: ſimò cùm maximum impedimentum gratiæ divinæ videtur ponere, ut haudquaquam homini, ſed efficaciæ Dei operantis debeat attribui. Vis hujus rei exempla.

Exempla Pœnitentium.

S. Paul. Act. 9. 1.

In Scriptura habes Paulum, quem lux vorque divina circumcingit, in medio fervore & furore perſecutionis; dum *ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini* pergit Damaſcum. Hac verò luce & voce ſubitò concutitur, animo & corpore proſternitur, in alterum virum convertitur: & de lupo fit Agnus, de perſecutore Apoſtolus, de gravi peccatore Præco juſtitiæ. *Hac mutatio dextera excelſi, Digitus Dei eſt hic.*

S. Matthæi Matt. 9. 9.

Vide & Matthæum, ſedet is in telonio, velut in cathedra peſtilentiæ & loco iniquitatis, nihil quàm de ſuis contractibus, uſuris, dolisque profeſſioni ſuæ annexis cogitat: nulla eum aut de Pœnitentia, aut de meliori vita ſubit cogitatio. Tranſit Chriſtus, lucis ſuæ radium in cor tenebroſum & ſpinoſum jacit, & vocans dicit; *Sequere me.* Conſeſtim ille attrahitur, velut à magnete ferrum: deſerit locum iniquitatis, diſrumpit chirographa uſurana, debita ſolvit, pignota reſtituit, ſæculi ſe negotiatione expedit; & ad eum toto effectu convertitur, qui non venit vocare juſtos ſed peccatores.

Samaritana. Jo. 4. 14.

Attende & Samaritanam. Illa nihil minus cogitans, quam de converſione & ſalute, adulterinis amplexibus dedita, accedit ut aquam hauriat. At is qui eſt fons vitæ, ſtillam ei gratiæ infundit; alloquitur eam de aqua ſaliente in vitam æternam: & ſic inhærentem luto fœtido adulterii, ducit ad puteum aquæ vivæ; ita ut meritò poſſit dicere: *Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit: Deduxit me ſuper ſemitas juſtitiæ propter nomen ſuum.* Pſ. 22. 2.

Maria Ægyptiaca in vitis PP. l. 1. anct. Sophr. Jeroſ. Epiſc.

Ex ſactis quoque Hiſtoricis exempla plurima poſſemus depromere. Maria Ægyptiaca pergit Jeruſalem, & navigantibus ſe adjungit, ut libidini promiſcuè poſſit indulgere, & aliis peccandi anſam præbere. Non ſtipendium ipſa petit uſuræ libidinoſæ corporis, ſed & dona exhibet, ut libidinem expleat. Tandem appellit Jeroſolymam, ob curioſitatis gratia in Templum Sanctæ Crucis ingredi parat: at repellitur divinitus, tanquam indigna vel Crucis aſpectu. Veneris ſatanæ que mancipium. Sed hanc repulſam ordinat divina providentia, ad initiandam ejus converſionem toti orbi, omnibuſque ſæculis admirabilem. Sic ergo repulſa, præveniente eam ſpiritu Dei, ingreditur ad cor, conſiderat abominandam vitæ præteritæ ſeriem repulſæ dare cauſam. Ad mediatricem deſperantium MARIAM refugium habet, cujus intuebatur præ foribus Templi imaginem; illi ſe vovet ſi ingredi poſſit, ſi Crucem illam pretioſam, pignus ſalutis noſtræ conſpicere detur. Ingreditur, & voto peracto egreſſa, Dei vocem ſequitur, in ſolitudinem pergit. Pœnitentiæ inauditæ ſe exemplar orbi datura. Unde nam lux tanta? an ab ejus meritis vel diſpoſitione prævia, an ea de re itineri ſe accingens vel ſuſpicari poterat: *Indica mihi ſi noſti omnia, in qua via lux habitet, aut tenebrarum quis ſit locus, ut ducas unumquemque ad terminos ſuos, & intelligas ſemitas domus ejus.* Utique ſolius Dei eſt hoc intelligere; vitæ ejus nobis abſconditæ: quando vult, & quomodo vult, inſpirat, illuminat, deducit, ad terminum quem deſtinavit, ad æternitatis ſuæ domum perducit.

Thaidis Surius 8. Octob. & in vitis PP. l. 1.

Quis etiam non admiretur vitam Dei in converſione Thaidis meretricis? Pelliciebat ipſa animas lubricas in ſui fœdum amorem, oculos habens plenos adulterii, & inceſſabilis delicti. Confertim accedebant ad eam amatores impudici, totam exhauriebat ſubſtantiam, ut eâ potirentur, imò & quandoque limen ejus ſanguine conſpergebant; confligentes inter ſe, quis prius frueretur tanta venuſtate, in carnis amplexu. Interim adit eam Paſnutius Abbas, ſpiritu divino impulſus mutat veſtem, quaſi explere cupiens libidinem, eam alloquitur. Ducitur ab ea de cubiculo in cubiculum, dicit locum non eſſe ſecurum, ſe timere aliquem. Tandem ait illa à nemine ſe poſſe conſpici, niſi à Deo vel ſatana. Arripit ipſe hanc occaſionem, ut locum paret Spiritui S. in illo ſatanæ domicilio. Arguit eam efficaci ſermone, quod in præſentia Dei Judicis adeò fœda audeat patrare. Cum verbis penetrat Dei inſpiratio; convertitur toto ipſa corde ad Deum, relicto impuritatis amore; omnia meretricio quæſtu acquiſita in loco publico ignitradit. Et tandem in cellam pœnitentiæ cauſa ſecederet, ibi ſemactat Deo victimam contritionis gladio tranſverberatam, & lachrymarum aqua conſperſam. Ecce quomodo, *Spiritus ubi vult ſpirat, & neſcit unde veniat, aut quo vadat*; quò voluerit, vel irepit, vel irrumpit, nullo obſtaculo, aut obice impeditus.

Pelagiæ Surius 8. Octob.

Quid de S. Pelagia dicemus? Hæc ejusdem planè ſortis, Antiochiam perambulabat gemmis reſplendens, juvenum comitante corona, fortuitò eam conſpicit Nonnus Epiſc. vir ſanctus: ſuam ipſe deflet ſortem cum ubertate lachrymarum coram aliis Epiſcopis, quod non tantam diligentiam adhibeat, ut Deo placeat in ornatu animæ, quantâ illa in ornatu corporis, ut mundo placeat & obſcænis hominibus; deflet & mulieris perditionē. Non multo poſt tempore, ipſo prædicante ingreditur Pelagia ædem ſacram (qua intentione novit Deus, ſed ita in ſermone illius

con-

compungitur, ut statim literis ad eum missis hæc scripserit *Sancto Episcopo discipulo Christi, Pelagius discipulus diaboli. Si verè discipulus Christi comprobaris, qui ut audiris propeccatoribus de cœlo descendit, me peccatricem sed pœnitentem suscipere digneris.* Timet ille laqueum & dolum, ideòque rescribit: *Rogo ut humilitatem meam non tentes, homo peccator sum. Si verè salvari desideras, solum me videre non poteris, sed inter alios me videbis.* Venit illa coram omnibus, & pedes ejus apprehendens, lachrymis rigat & inclamat: *Ego sum illa Pelagia, pelagus iniquitatis, exundans fluctibus peccatorum, perditionis abyssus, laqueus animarum: sed ebeus omnia nunc perhorresco, pœnitentem suscipe.* Admittitur, baptizatur, instruitur in timore Dei, & noctu aufugiens, in montem pergit Oliveti, sub habitu virili, cellæ se includit, & amarissimam pœnitentiam agit. Undè illi mens illa? An à seipsa? Nonne ab illo, qui *attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Utique, *perditio tua ex te*, ô Pelagia! *tantummodò in me auxilium tuum*, in me ait Dominus: quod & cuilibet vult, inculcatum pœnitenti, ut nemo glorietur in se, & nemo tamen desperet de se, illius innitens auxilio, *cujus manus nunquàm est abbreviata ut salvare possit*, qui innumeros novit modos, quibus potest cuilibet salutem procurare.

Possemus & hic plura adscribere exempla eorum, qui nihil minus cogitantes sensere divinâ intus vocem, & auxilium ad pœnitentiam voeans, dum vel in pii libri lectionem inciderunt fortuitò, vel in concione aliquam opportunam, vel aliorum exemplo commoti sunt, vel afflictione aliquâ compulsi; sed brevitati consulentes supersedemus. V. Exempl. in Horto Past. lib. 1. tract. 1. Item Lect. 6. & 7. de custodia Angelorum, & tr. 1. Lect. 4. de Fide propos. 4.

PROPOSITIO II.

Nemini quamlibet gravi peccatori denegat Deus auxilium ad pœnitendum, sed omnes invitans, illis manum prabet ad surgendum.

EXplicemus id, & rem paulò altius ex Scripturis deducamus. Ac inprimis adverte, quod Deus nullam faceret injuriam peccatori, si illi auxilium ad pœnitendum non daret. Ratio est, quia non debetur nisi pœna peccato, undè sicut potest statim condignè punire peccatorē, ita & in pœnam, posset omne auxilium subtrahere, & eum deserere, tradens in reprobum sensum. Undè aliqui Theologi existimant, Deum sic agere cum aliquibus gravibus peccatoribus, ut propter peccata eis auxilium deneget, vel aliquo vel toto tempore vitæ: Alii probabilius & conformius divinæ Providentiæ & pietati asserunt, Deum cuilibet peccatori dare sufficiens auxiliū, vel omni vel saltem opportuno tempore & loco, ut possit converti. Deducitur hæc assertio ex Scripturis antiquæ & novæ legis, in quibus Deus gravissimos, & quantumlibet obduratos peccatores ad Pœnitentiam vocat, & significat eos posse converti, & auxilium non deesse: quia si non haberent auxilium gratiæ, fictè potiùs viderentur vocari, cum sine illo non possint venire & converti. Imò cum habeant præceptum pœnitendi, consequenter videtur eis gratia non negari; alioqui præceptum foret de impossibili, quia sine illa gratia impossibilis est pœnitentia. Undè cum B. Leone hic dicimus: *Deus nunquàm instat præcepto, quin præcurrat auxilio.* Deindè cum homo quamdiu vivit, semper sit in statu viatoris, progredi potest, & ad terminum accedere, hoc enim de ratione viæ est: atqui non potest progredi sine auxilio gratiæ, ergò illud ei denegatur. Quod si aliquos defectu auxilii, dixeris non posse converti, jam tales peccatores vix distingues à damnatis, & quodammodò erit inferorum regnum in terra constituere: cùm tamen dicat Sapiens c. 1. *Sanabiles fecit Deus nationes orbis terrarum, & non est illis inferorum regnum in terra.* Sed quoniam ex Scripturis rem deduci diximus, videamus quomodò Deus in illis invitet etiam obduratos & exæcatos. S. Leo. Sap. 1. 14.

Primò, Nonne obduratis loquitur Apostolus dum dicit: *An ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiem tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ.* Thesauri offeruntur misericordiæ, & divitiæ bonitatis Dei, hoc est, exuberans & copiosa benignitas divina gratiam præparat, ad eamq; participandam invitat, & quantum in se est, adducit. At homo contemnit, & thesauros iræ sibi accumulat, peccata peccatis adjiciendo. Ergò ex parte Dei non est defectus. An non & similiter alloquitur D. Petrus quoslibet peccatores, dum ait: *Patienter agit Deus, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* 1. *Deus obstinatis loquitur.* Rom. 2. 4. 2. Pet. 3. 9.

Secundò, audiamus vocem ipsius Dei in veteri testamento. Cùm gravissima crimina improperasset Israeli, apud Hieremiam tamen ait: *Revertere aversatrix Israel, & non avertam faciem meam.* Certè loquitur ad domum exasperantem & exæcatam, & opem & gratiam offerens ad conversionem. Sic & apud Ezechielem inclamat: *Convertimini à viis vestris pessimis, quare moriemini domus Israel?* Quæ quidem verba pondus habent, affectum & emphasim, ac multipliciter expendi & amplificari possunt, ut dirigantur ad omnes omnis temporis peccatores. Idem enim est, ac si diceret omnibus, & frequenter repeteret. 2. *Vox Dei adhortantis ad pœnitentiam.* Jer. 3. 12. Ezech. 33. 11.

1. Cùm ego Creator vester, non ad mortem & perditionem, sed ad vitam & salutem creando vos destinarim. *Quare moriemini domus Israel?* Ezech. 18. 31.

2. Cùm ego Redemptor vester, jam morti obnoxios, ad vitam, vitæ meæ precio revocarim, *Quare moriemini domus Israel?*

3. Cum ego Protector vester à mortis periculis refugium vobis præbeam & illius laqueos vos fugere continuò horter & doceam, cur sponte in illos ruitis, *& quare moriemini domus Israel.*

4. Cùm ego Judex, in vestrum favorem inclinem, & licet toties lacessitus, veniam & misericordiam offeram: *Quare moriemini domus Israel?*

Digitized by Google

5. Cùm ego vita per eſſentiam, ad illius vos participationem toties & tanto cum affectu invitem, quare faciem avertiris à me. *Quare moriemini domus Iſrael?*

6. Cùm ego pactum vobiſcum fecerim, & gloriam vobis promiſerim, ſi ex parte veſtra non defueritis; quare nunc illud diſſolvitis, facientes *fœdus cum morte, pactum cum inferno:* Eheu! *Quare moriemini domus Iſrael?*

7. Cum toties per Prophetas, Paſtores, Concionatores, & ſanctas inſpirationes, quaſi nuncios a me miſſos inclamem: *Revertimini*: quia *nolo mortem impii, ſed ut convertatur & vivat. Si impius egerit Pœnitentiam, vita vivet.* Cur ergo ſurdi eſtis? *Quare moriemini domus Iſrael?*

Ezech. 33. 11.

Luc. 10. 33

8. Cùm ergò Medicus & pius Samaritanus, vulneribus veſtris exhibeam oleum & vinum, quoties volueritis, oleum miſericordiæ lenientis & gratiam contritionis pungentis: Cur recuſatis medelam? *Quare moriemini domus Iſrael?*

9. Cùm ego inſtar Pellicani, vos morti genitos proprio Sanguine vivificare & alere gaudeam: *Quare moriemini domus Iſrael?*

10. Conteſtor cœlum & terram, quod mundus ſum à ſanguine veſtro, & quod veſtram in me nullo modo poſſitis mortem retorquere: quia ego ſpiritum novum, & cor novum, vitæ & gratiæ novæ capax, volo vobis infundere, ſi & ipſi velitis: & pœnitentes cupio abſolvere, & ab ipſis faucibus mortis eripere, ſi manum meam ad id vobis porrectam amplecti non renuitis: Sed vos ultrò mortem eligitis, ignem nunquam intermorituram in caput veſtrum ſuccenditis, & infœlicitatis æternæ ſortem adoptatis. Sic perire volentibus, fruſtra inclamat vox mea, vulnera, mors, ſanguis, *Quare moriemini domus Iſrael?*

Eccl. 15. 11

Nemo ergò dicat, *Per Deum abeſt, illo me implavit: non enim ſunt ei neceſſarii homines impii*: id eſt, *ne dicas per Deum ſtat*, quod a me abſit ſapientia, id eſt, virtus & ſanctitas: careo illa, quia illam Deus mihi non conceſſit: per ipſum ergò ſit, quod ſim inſipiens, id eſt, vitioſus & impius: hoc, inquam, ne dixeris, cauſam ſubdit. *Qua enim odit, ne faceris. Non dicas ille* (Deus) *me implavit.* Hæc eſt atrox blaſphemia, quæ Deum facit auctorem erroris & peccati, ut facit Calvinus & Melanchthon dicentes, tam eſſe opus Dei proditionem Judæ, quam vocationem Pauli: quod proindè anathemate damnat Conc. Trid. *Non enim neceſſarii ſunt ei homines impii*, Deo non eſt opus ruina hominis ad aliquem ſuum uſum, tum, quia ipſe nulla re egeat, quia omnia habet & poteſt; tum, quia ipſe, cum ſit optimus, non vult niſi bonum, ad quod opus non eſt malo vel peccato. *Quid debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci?*

Trid. ſeſſ. 6. can. 6.

Iſaiæ 5. 4.

3. *Vox Chriſti invitantis peccatores.*

Tertiò audiamus vocem ipſius Chriſti, in novo teſtamento invitantis proprio ore quoslibet peccatores: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Expende ſingula. 1. In verbo *Venite*, non ſolùm ſignificatur liberi arbitrii poteſtas, ſed & gratiæ auxilium, & vocantis benignitas, ſine qua nemo poteſt venire. 2. in voce, *Omnes*, latitudo & univerſalitas benignitatis declaratur, ut nemo recedat, nemo deſpondeat, neminem retardet multitudo aut gravitas peccatorum: etiamſi quis ſecum veheret omnia peccata totius mundi, ſi ad Chriſtum veniat, non deſpicitur, ſed ſuſcipitur, & ut veniat invitatur, & auxilium ei porrigitur. 3. In eo quod peccatores, *laborantes & oneratos* vocat, indicat naturam peccati, quod ex ſe laborem, fatigationem, anguſtias graves, afferre natum eſt peccanti: eſtque onus graviſſimum animam in cœlum tendentem, quia de cœlo habet originem, ad inferni uſque profundum demergens. Laſſantur ergò impii *in via iniquitatis, laborant ut iniquè agant*, conſcientiæ anguſtiis miré intus torquentur, conſcinduntur, & velut arantur. At ſicut Agricola in terram vomere proſciſſam, ſemen ſolet jacere; ſic Deus in corda variis conſcientiæ anguſtiis detrita, quaſi aratri quodam ferro verſa & reverſa cum gravi eorum labore, gratia ſemina tandem jacit, & cœleſti pluvia irrotans, ea germinare facit fructum pœnitentiæ. Sic & permittit Deus, diu aliquos prægravari ſuorum onere peccatorum, donec tandem toti fatigantur & gemunt ſub onere cujus prius gravitatem non agnoſcebant, quia eos affectus & cupiditates inſenſibiles reddiderant, oculos ergò eis aperit ut onus Babylonis, onus confuſionis, quo demerguntur in tartarum, plenius agnoſcant, & ad eum convertantur, qui poteſt illud tollere, & cordibus eorum anguſtiatis quietem reddere. 4. Igitur ſubjicit, *Et ego reficiam vos.* Utique ipſe ſolus poteſt ab his anguſtiis liberare, ab hoc onere demergente animam ſublevare, non mundus, non caro, non ſatan, non aliqua creatura. Quin potiùs ſi benè attendamus, Mundus clamat, deficio, Caro clamat, inficio, Satan clamat, interficio: At ſolus Chriſtus dicere poteſt reficio, & in æternum reficiam vos. Utique facti ſumus Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.

Matth. 11. 28.

Sap. 5. 7.

Simile.

S. Aug. l. 1. conf. c. 1.

Quartò, audiamus vocem Sapientiæ æternæ, apud Salomonem exprobrantis omnibus impiis, quod vocati venire noluerint, & auxilium gratiæ oblatum acceptare; ita quod nulla ſit eis excuſatio, *Vocavi, inquit, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret, deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis: ego quoque in interitu veſtro ridebo & ſubſannabo.* Ubi attende, quod non ſolum dicat ſe vocaſſe, ſed etiam manum extendiſſe. Manum autem extendere in Scriptura varia ſignificat. 1. opem ferre: *Emitte manum tuam de alto, & eripe me.* Et ita ſenſus eſt. Non ſolum vocavi, ſed manum & auxilium porrexi, ut à peccatis & fœcibus veſtris vos erigerem, ſed non fuit, qui aſpiceret, aut manum porrigeret. 2. Manum extendere, eſt beneficia conferre: *Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem.* Sic ſenſus eſt; Non ſolum vocavi, ſed & benè-

4. *Vox æterna ſapientiæ ex-probrantis impios.*

Prov. 1. 24.

Pſ. 143. 7.

Prov. 31. 20.

beneficiis multis affeci, ut ſuaviter attraherem : & aperui manum offerens remiſſionem, gratiam, vitam, ſalutem. At nemo veſtrum dignatus eſt etiam in me beneficiū reſpicere, ſed dona mea & me contempſiſtis. 3. Manum extendere, etiam minari & Pſ.73.3. percutere ſignificat: *Leva manus tuas in ſuperbias eorum.* Sic ſenſus eſt : Quia vocantem negligebatis, minas addidi : ſicut Pater fugientem à ſe filium, & non obtemperantem, primò blandâ voce, deindè & minis revocare conatur. Sed nec vocem blandam, nec minacem & increpantem, ut à malo deterreret, curaſtis : *Conſilium & increpationes deſpexiſtis.* 4. Extendere manum, eſt pactum & fœdus ineuntis. Et tunc ſenſus eſt. Licet me priùs offenditſtis, ego tamen primò pacem obtuli, ad vos miſi & vocavi ; nolentes venire acceſſi, & manum obtuli ad pacem & fœdus renovandum, & vos noluiſtis manum manui jungere, ſic aſpernati eſtis me. 5. Manus extendere, eſt orare. Hic ſenſus eſt. Quid ultrà potuiſſem vobiſcum agere, non ſolùm manum ad pacem obtuli: ſed etiam ſupplex cum precibus idipſum rogavi, dolens de obſtirmata veſtra & impœnitente voluntate, dolens & de interitu vobis appropinquante. Sed quàndoquidem hæc omnia non ſolum neglexiſtis, ſed & deſperaſtis, cum tempus foret: an non mihi juſta occaſio nunc ridendi & ſubſannandi in interitu veſtro, vosq; & preces veſtras feras deſpiciendi. Utique comedite fructus viæ veſtræ, amaros & acerbos, quia hos ſerere & metere voluiſtis. Quid in his omnibus ſignificatur aliud, quàm gratiæ auxilium ſufficiens peccatoribus non deeſſe ? Alioqui exprobationi non foret locus.

De Pharaone objectio. Exod.7.13 Amos 1. 3.

Sed dices, Nunquid Deus in Scripturis quoſdam peccatores dicitur obdurare & excæcare ? Sic Exod. 7. dicitur induraſſe cor Pharaonis. Ergò ſaltem talibus non tribuit auxilium ſufficiens ad pœnitendum. Iterùm. Nunquid Deus dicit c.1. & 2. Amos : *Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non convertam eum.* Ergò certa eſt menſura ſcelerum, quâ impletâ, Deus negat auxilium peccatori ad conversionem. Reſp. ad primum, quandò dicitur Deus in Scriptura peccatores excæcare vel obdurare, debet id intelligi permiſſivè : ipſe enim peccator propriè ſe excæcat & obdurat, undè & Scriptura teſtatur : *Ingravavit Pharao cor ſuum* : Fit verò id Deo in pœnam peccati permittente. Nec tamen tunc deſerit ſine omni auxilio gratiæ, ſed non tribuit copioſam illam & efficacem, quam aliquibus concedit, ut poſſint facillimè omnia vincula diſſolvere. Et hoc eſt, quod docet Auguſt. ep. 105 ad Sixtum : *Non obdurat Deus impertiendo malitiam, ſed non impertiendo miſericordiam* ; illam ſcilicet ſublimem, quâ efficaciter convertit. Poteſt ergò talis converti, & habet aliquod auxilium quod poteſt uti ; ſed quia habet plurima impedimenta, & morali quâdam certitudine non eſt facturus quod in ſe eſt, egbat abundantiori & altiori gratiâ, quam ei Deus juſtè denegat. Et ideò cùm quodammodò dicitur deſerere, in pœnam peccatorum præcedentium, quia & ipſe Deum deſerit, & contemnit ejus gratiam.

De his pronunciabat Sapiens : *Impius cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit, ſed ſequitur eum ignominia & opprobrium.* Quid contemnit ? Contemnit utique conſcientiam, & omnem illius remorſum, quieſcitque in delictis, ſicut gravia in centro quâdam tranquillitate quieſcunt. Contemnit deindè omnem correctionem, omnem pœnitentiæ viam, omnem medicinæ ſacræ rationem : & ſic ad obitum uſque in profundo illo peccati barathro demerſus jacet. Contemnit etiam judicia & ſupplicia Dei, ejus legem, ejus præcepta, ipſumque Deum. Contemnit denique omnem ruborem & verecundiam, nihili facit peccatum, nec ejus graveolentiam: undè audet in media luce, quod alii in tenebris non auderent ; & ſicut ſus in profundo luti, fœtorem illius non percipit. Sicut *infirmus donec mediocriter habet, & ſperat poſſe curari, ſervat ſe à nocivis cibis, ſi autem intelligat ſe inſanabilem, jam non ſibi parcit : ſic homo donec mediocriter peccat & ſperat ſalutem, quantum poteſt, obſervat ſe à malo, ſi autem graviter peccando cœperit deſperare, jam nihil dubitat facere, quaſi qui jam peccatis ſuis vicit judicium Dei,* inquit Chryſoſtomus. Profundum ergò peccati, obduratio eſt & pertinacia, excæcatio & præſumptio, denique peccandi conſuetudo & deſperatio. Habet enim peccatum dimenſiones ſuas. Quid enim eſt *altitudo* ejus, niſi jactantia & elatio, dum *quis gloriatur in malitia, & potens eſt in iniquitate ?* Quid *latitudo* ejus, niſi inanis præſumptio. Quidquid timor adſtringit, illa dilatat & exporrigit. Quid eſt ejus *longitudo*, niſi aſſiduitas & perſeverantia in delictis, in longum crimina perducens ? Quid denique *profunditas*, niſi deſperatio quædam ſalutis, animum quaſi in imum barathrum deturbans, & emergendi ſpem adimens. Itaque qui gloriatur in peccatis, altitudinem obtinet : qui de miſericordia præſumit, in latitudine eſt, qui perſeverat, ad longitudinem ſpectat : qui obduratus deſperat, in profundo eſt, pœnitentiam, inſpirationesque Dei contemnit. Et ideò meritò & ipſe contemnitur ? *Nemo verò poteſt corrigere quem Deus deſpexerit.* Suſpiciat tamen, & de profundis, ſivè de imo profundi & pelagi exclamet ; adhuc reſpicietur ab illo, qui poteſt non ſolùm infixos in luto ſed & morti, & inferno proximos liberare, ſi voluerit :

S. Chryſ. hom. 40. in Matth.

Peccatum habet ſuas dimenſiones.

Prov.18.3.

Eccl.7.14

Ad alteram Scripturam ſuprà propoſitam. *Super tribus ſceleribus Damaſci non convertam* : Reſpondeo ſenſum eſſe, quod Deus non parcat, ſed puniat, poſt certa ſcelera, & certam menſuram, prout latè explicui tractans articulum ſymboli. *Remiſſionem peccatorum.* Vide ibi.

Amos 1. 9.

Digitized by Google

PROPOSITIO III.

Gratia quamlibet efficaciter convertens, aut impellens ad bonum, non minuit arbitrii libertatem.

CUm de gratia aut libero arbitrio loquimur, videndum eſt, ne declinemus ad dextram, aut ad ſiniſtram: ne nimium elevando gratiam, liberum tollamus arbitrium; aut nimium tribuendo libero arbitrio, gratiam ſupprimamus. Hæretici noſtri declinant ad dextram, Deum ſolum omnia in nobis operari aſſerentes, cum præjudicio libertatis noſtræ. Pelagiani olim declinabant ad ſiniſtram, noſtræ voluntatis viribus converſionem, aliaque ſupernaturalia bona poſſe fieri aſſerentes. Nos verò viam regiam ingrediamur, & primariam quidem operationem Deo ejuſque gratiæ tribuamus; ſed cooperationem & quidem liberam, voluntati aſcribamus. Cùm dicimus: *Converte nos Domine, & convertemur.* Dei gratiam neceſſariam confitemur. Cùm verò dicit Deus: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, libertatis noſtræ admonemur. Cùm dicit Apoſtolus: *Abundantius illis omnibus laboravi*, ecce liberum arbitrium, cùm addit: *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum*; non illud excludit, ſed Deo ejuſque gratiæ primariam operationem tribuit: ita tamen ut ſit & operis miniſter per effectum, & operantis ſocius per conſenſum.

Thren. 5. 21.
Zach. 1. 3.
1. Cor. 15. 10.

Proſp. de vocat. gentium c. 26.

Hæc de re eleganter ſic ait D. Proſp. *Gratia quidem Dei in omni juſtificatione principaliter præeminet, ſuadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inſpirando conſilium, cordi ipſum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo: ſed etiam voluntas hominis ſubjungitur et atque conjungitur, quæ ad hoc prædicta eſt excitata præſidiis, ut divino in ſe cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod ſuperno ſemine concepit ad ſtudium; de ſuis habens mentalibitate, ſi deficit, de gratia ope, ſi proficit. Qua opitulatio per innumeros modos, ſive occultos, ſive manifeſtos, omnibus adhibetur, & quod à multis refutatur, ipſorum eſt nequitia, & quod à multis ſuſcipitur, & gratia eſt divina & voluntatis humanæ.*

Hæc eadem aptè ſignificantur in illa ſententia:

Apo. 1. 19.
Cant. 5. 2.

Æmulare & age pœnitentiam: Ego ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit januam, intrabo ad illum. Ibi videtur alludere ad ſimilem locum in Cant. *Vox dilecti mei pulſantis: Aperi mihi ſoror mea*, Quam utramque ſententiam invitandis peccatoribus aptam, libet hic expendere.

Explicatus locus. Apo. 3. 19. *Exhortatio adpœnitentiam.*

Primò dicit: *Æmulare & age pœnitentiam*, q. d. Æmulare amorem illum quo te viſito, & ad tuas fores venio; ita ut ſicut lubenter venio, ita & tu lubenter ſuſcipias. Item, æmulare meliora, & accendere zelo contra prætenta peccata: ſi aperuiſti januam cordis diabolo & hoſti, qui tuum ſitiebat interitum & damnationem: Cur non aperis Creatori tuo, redemptori, protectori, qui tuam ſitit ſalutem? Aperuiſti tyranno & adultero, cur non legitimo Domino & Sponſo? Aperuiſti lupo, qui intravit ut perderet, jam proprio Paſtori aperi, qui intrare cupit, ut tueatur & paſcat. Mille titulis teneris aperire, ô anima! quia ſoror per incarnationem, quia amica reconciliata per Sanguinem & paſſionem; quia columba per Spiritus S. dona tibi data, per illius miſſionem; quia immaculata per Baptiſmum, & per aliorum Sacramentorum participationem. Et quidem hæc omnia, quæ donata ſunt in baptiſmate, ſi perdidiſti per peccatum, volo tibi iterum conferre per pœnitentiam. Æmulare ergò amorem meum, & accede ut deleas peccatum, & omne quod tibi intulit damnum: ut aperiendo mihi, fias iterum ſoror per gratiam, divinæ conſors facta naturæ, amica quoque fias per novam charitatem, columba per Spiritus S. infuſionem, & contriti cordis gemitum, immaculata per ſanguinis mei balneum in pœnitentiæ Sacramento præparatum. Hæc omnia ſi volueris, poteris recuperare.

Secundò dicit: *Ego ſto ad oſtium & pulſo.* Ubi ſuccelente ſignificat excitantem ejus gratiam, noſtram præcedere voluntatem, & extimulare torpentem: atque initium juſtificationis & pœnitentiæ non à nobis eſſe, ſed à Deo: quia pulſatio divina ſemper præcedit noſtram apertionem, noſtrumque conſenſum ad aperiendum. Hinc rectè dixit ſanctus Auguſtinus. *Multa facit Deus bona in homine, quæ non facit homo, nulla verò facit homo, quæ Deus non facit, ut faciat homo.* Pulſatio autem ad fores dupliciter fit, nimirum illas percutiendo & ſtrepitum edendo, ut excitentur, qui intùs ſunt: vel etiam voce articulatâ evocando illos, inclamando, *Surge, aperi, &c.* Hoc utrumque fit a Deo, qui fortiter quandoque percutit fores noſtras & interius & externius: ſcilicet flagella immittendo, per Prædicatores terrendo, corpus morbo affligendo, jungitque interius afflatum, & impulſum fortem ad cor penetrantem, judicii divini, mortis, æterni ſupplicii terrorem, quia illa externa parum prodeſſent, niſi & cum illis interius Deus operaretur. Et ita vox inarticulata Dei pulſantis, ſunt flagella quibus terret, vel beneficia quibus allicit, priori modo, quaſi traheret cum magno ſtrepitu, & fragore annulum ferreum, qui foribus præfigi ſolet: poſteriori modo, quaſi campanulam ſuaviter ſonantem traheret ad fores, cujus ſonus blandè excitet ſoporatum. Vox verò articulata Dei pulſantis, eſt inſpiratio mentis, & illuſtratio cordis, infonans interius: *Surge, propera, aperi*, hoc eſt, verbum Dei internum. Et illud verbum poteſt eſſe quandoque per modum imperii potentis, & tunc deſignat gratiam efficacem: aliquandò per modum ſuaſionis, & tunc deſignat gratiam ſufficientem. Priorem ſemper ſequitur conſenſus & apertio: Poſteriorem vocem homo poteſt negligere,

v. 20.

Pulſus gratia qualis?

S. Aug. in ſent. n. 3. *Pulſus duplex ad fores cordis.*

gere, quamvis rationes ſufficientes Deus afferat, cur oporteat aperire.

Cant. 5. 2. Sic in Canticis affert rationem ad ſuadendum ſponſæ, ut aperiat: *Quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Quod in bonum interpretatur Ambroſius, quaſi dicat: Totus ego ſum plenus rore gratiæ & miſericordiæ, quem in te effundere cupio. *Sicut vos cœli nocturnas amovent ſiccitates, ita vos Domini Ieſu, nocturnis & ſæcularibus tenebris æterna vita ſtillavit humorem,* inquit Ambr. Vel ſi in malum interpretemur, vult indicare per multas noctis horas ſe ſtetiſſe ad fores pulſando, ita ut caput totum guttis nocturnis ſit madidum; cùm tamen ad primum pulſum oportuerit aperire. Ergo amorem ſuum commendat, q.d. Vides meam in te benignitatem, vides & perſeverantiam: tota nocte pulſo, non propter meum commodum, ſed propter tuum. Cur igitur tandem non aperis? Denique & per id inſinuare poteſt Chriſtus, quod guttæ omnium peccatorum ſuper caput ejus ceciderunt, & hæ nocturnæ guttæ cùm eum grávent, quod debeat ei aperiri cor noſtrum, ut poſſit in eo aliquantum quieſcere, & caput reclinare: quodque valde ingrata ſit anima eum repellens, & peccata peccatis adjiciendo caput ejus magis gravans.

S. Ambr. in eum loc.

Tertiò dicit: *Si quis audierit vocem meam, & aperuerit*: Diſertis verbis indicat, poſſe liberum arbitrium excitatum à Deo vocationi non reſpondere, poſſe & reſpondere pulſanti, & aperire. *Peſſulum oſtii mei aperui dilecto,* ait ſponſa. Peſſulum eſt omne obſtaculum, quod voluntatis aſſenſum remoratur. Quia igitur non omnes aperiunt, & impedimenta removent, ideò dicit, *Si quis audiverit & aperuerit.* Equidem poſſet ipſe effringere fores, poſſet & januis clauſis intrare: ſed nemini vult violentiam facere, nemini invito adeſſe. Vult ut qui propria voluntate cordis fores clauſit, libera aperiat voluntate: ideò invitat pulſando, non cogit effringendo & irrumpendo. Pulchrè Sanctus Job ait: *Vocabis me, & ego reſpondebo tibi, operi manuum tuarum porriges dexteram. Vocabis*, en præveniens gratia: *Reſpondebo*, en aſſenſus voluntatis: *Porriges dexteram*, en gratia cooperans & adjuvans ad perficiendum bonam voluntatem. Ita Sanctus Auguſtinus l. de gratia & lib. arb. *Ipſe* Deus ait, *ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Deus ergo operatur in nobis cogitare, velle, perficere, ſed primum ſine nobis, ſecundum nobiſcum, tertium per nos facit: ſiquidem immittendo bonam cogitationem nos prævenit, immutando etiam malam voluntatem ſibi per conſenſum jungit, miniſtrando conſenſui facultatem, foris per apertum opus noſtrum, internus opifex innoteſcit. Sanè ipſi nos prævenire nequaquam poſſumus, à Deo ergo ſalutis exordium nec per nos utique nec nobiſcum: verum conſenſus & opus, etſi non ex nobis, non jam tamen ſine nobis. Cavendum igitur ne cum hæc inviſibiliter intus nos ac nobiſcum actitari ſentimus: aut noſtræ voluntati attribuamus, quæ infirma eſt: aut Dei neceſſitati, quæ nulla eſt: ſed ſoli gratiæ, qua plenus eſt. Ipſa liberum excitat arbitrium, cum ſeminat excitatum; ſanat cùm immutat affectum, roborat ut perducat ad actum, ſervat ne ſentiat defectum. Ita tamen quod à ſola gratia cœptum eſt, pariter ab utroque perficitur, ut mixtum non ſigillatim, ſimul non viciſſim, per ſingulos profectus operentur; non partim gratia, partim liberum arbitrium, ſed totum ſingula opere individuo peragunt; totum quidem hoc, & totum illa, ſed ut totum in illo, ſic totum ex illa. Hæc eſt doctrina Theologorum, ex B. Bernardo; *Conatus noſtri, alt, & caſſi ſunt, ſi non adjuventur; & nulli, ſi non excitentur.*

Job. 14. 13

Gratia præveniens & cooperans.

S. Aug. c. 17.

Quartò dicit: *Intrabo & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Intrat per gratiam juſtificantem, quaſi domum amici, & cœnat cum eo, quia conſcientiæ jucunditatem affert tanquam cœleſtem cibum & pias cogitationes ac affectus, quibus ipſe delectatur tanquam cibo, quo libenter veſcitur. Ita ut nomine convivii, ſignificet familiarem & jucundam Dei per internas viſitationes converſationem: quia meus juſti juge convivium, Zacharus ſuſcepit eum gaudens in domum ſuam ad menſam, ſponſa offert ſponſo (ſi ingrediatur domum & cubiculum genitricis ſuæ) *Poculum condium de muſto malo granatorum ſuorum.* Cœnabit & ipſe mecum, inquit, tum in futuræ æternitatis deliciis, ſi in gratia perſeveraverit; tum etiam nunc, ob multam ſuavitatem ab hoc hoſpite, in interiori domo. Si hoſpitium Eliæ & Elizæi tot beneficia recepit; Si domus Obededom tantam benedictionem ob Arcam hoſpitantem; quantam recipit animus, Deum ſuum hoſpitio excipiens? *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus,* inquit Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

Ex doctrina Theologorum & S. Bern. lib. de libero arbit.

Cant. 8. 2.

Jo. 14. 23.

Concludo, & breviter repeto. Datur quandoque homini adeò efficax gratia, ut à nullo duro corde reſpuatur, ſine tamen violentia libertati facta, quia poteſt negare aſſenſum: ſed gratia illa ita ſuaviter cor emollit, ut non reſpuatur. Præparatur enim voluntas à Domino, illuminatione, cõgrua vocatione, delectationis infuſione, accommoda perſuaſione, ſine ulla vi. Et cum Deus ſit prima cauſa libera, ſic ſe attemperat ſecundis cauſis liberis, ut non ſolum operetur in eis motum, ſed operetur & modum: hoc eſt, operatur in voluntate non ſolum velle, ſed & liberè velle. Attingit enim fortiter, ſed & ſuaviter, *fortiter pro ſe, ſuaviter pro me,* inquit Auguſtinus; ſive potenter agit ex parte & efficaciter; ſed delectabiliter ex parte noſtra, ut nullum fiat præjudicium libertati.

Quomodo Deus conferat gratiam efficacem.

Sed dices: Scriptura dicit nos trahi ad Chriſtum: *Nemo venit ad me niſi Pater meus traxerit eum.* Dicit quoque: *Qui ſpiritu Dei aguntur hi ſunt Filii Dei,* ergo agimur, non agimus. Ad primum reſpondeo, tractum illum divinum nullo modo eſſe violentum, quia fit *in funiculis Adam, in vinculis*

Joa. 6. 44. Rom. 8. 14.

Digitized by Google

culis charitatis : hoc eſt, ſit per funiculos proportionatos cordi humano, cum quadam delectatione interiori, non cum violentia. Audi Auguſtinum.

Auguſt. Tract. 26. in Joan. *Ramum viridem tendis ovi & trahis illam, nuces puero, & trahuntur: & quod currit trahitur, amando trahitur, cordis vinculo trahitur.* nam & verum eſt,

Cant. 1. 3. *Trahit ſua quemque voluptas.* Unde & ſponſa : *Trahe me poſt te, & curram,* non tanquam mancipium invitum, non tanquam currus inanimatus ; ſed curram, quaſi attracta, *in odorem unguentorum tuorum.* An unguenta vim inferunt ? nonne ſuavitate attrahunt? Sic & gratia Chriſti.

S. Auguſt. ſerm. 13. de verb. Apoſt. Pſ. 26. 9. Ad ſecundum : Si Filii Dei aguntur, ergo non agunt. Reſpondet & Auguſtinus : *Imò & agis & ageris, & tunc bene agis, ſi à bono agaris. Spiritus enim Dei qui te agit, agentibus adjutor eſt, ipſum nomen adjutoris ſignificat quod & tu ipſe aliquid agis. Agnoſce quid poſcas, quando dicis : Adjutor meus es tu, ne derelinquas me. Adjutorem utique invocat Deum. Nemo adjuvatur, ſi ab illo nihil agatur. Quotquot enim, inquit, ſpiritu Dei aguntur, hi Filii ſunt Dei, non littera ſed ſpiritu, non lege præcipiente, minante, promittente, ſed ſpiritu exhortante, illuminante, adjuvante. Scimus quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, inquit idem Apoſtolus. Si non eſſes operator, ille non eſſet cooperator.* Hæc Auguſt. ſerm. 13. de verb. Apoſt.

LECTIO III.

DE PARTIBUS POENITENTIÆ.

1. *Docet eſſe tres partes materiales.*
2. *Explicat quid ſit Contritio in genere.*

PROPOSITIO I.

Tres ſunt Pœnitentiæ partes, Contritio, Confeſſio, & Satisfactio.

S. Chryſ. ſerm. de pœnit. Trid. ſeſſ. 14. c. 3. SCilicet, *ut quibus modis Deum offendimus (offendimus autem corde, ore ac opere) iisdem reconciliemur Deo; corde quidem per Contritionem, ore per Confeſſionem, ac opere per ſatisfactionem.* De his Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 3. *Sunt autem quaſi materia hujus Sacramenti, ipſius pœnitentis actus, Contritio, Confeſſio, & Satisfactio : qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenam & perfectam remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur, hâc ratione partes Pœnitentiæ dicuntur.* Ubi cum vocat hos actus, *quaſi materiam* non negat veræ materiæ rationem obtinere: ſed ſolum vult inſinuare, non eſſe hic talem materiam, quæ extrinſecus adhibeatur, ſicut in aliis Sacramentis, ut aqua in Baptiſmo, oleum in Confirmatione, panis in Euchariſtia. Dicuntur porro actus pœnitentis *Materia propinqua*, peccata verò *Materia remota* : quatenus circa illa deſtruenda, verſatur Pœnitentiæ Sacramentum. Sic & de licta, judicii materia recte dicuntur, & morbus, materia medicinæ, non materia ex qua, ſed circa quam. Sed de his Pœnitentiæ partibus, non tam ſcholaſticè ; quam moraliter diſſetere mens eſt, ut Paſtoribus materiam frequenter de ea re tractandi ſuggeramus, maximè tempore Quadrageſimæ.

Tres hæ partes cum parantur 1. muneribus Magorum. Thom. Kempis. c. 52. Dicamus ergò *Primò*, contritionem, confeſſionem, ſatisfactionem, eſſe tria munera pretioſa, quæ Deo offerre debet anima ab oriente lucis gratiæ veniens, deferenſque cum Magis, aurum, thus, & myrrham. Contritio cordis eſt aurum pretioſum quod non poteſt non placere Deo, quod non poteſt non placare Deum. *In vera enim Contritione & cordis humiliatione, naſcitur ſpes certa veniæ, reconciliatur perturbata conſcientia, reparatur conſcientia perdita, protegitur homo à futura ira, & occurrunt ſibi in oſculo ſancto Deus & pœnitens anima,* inquit Kempis. Verè ergo pretioſum donum, Deo acceptabile ſuper aurum & topazion, quod nec poteſt ab illo deſpici, cum quo nemo poteſt repulſam pati ; Confeſſio quoq; pretioſum munus eſt inſtar thuris, imò longè ſuavius odorans in conſpectu Dei, quàm incenſum thymiamatis : quia putorem peccati ſtatim fugat humilis confeſſionis odor, eſtque acceptiſſima Deo & Angelis ejus ſuaveolentia. Satisfactio ſuum etiam pretium habet, inſtar myrrhæ probatiſſimæ. Hanc diſtillant manus pœnitentis, & per illam ſe præſervant pœnitentes animæ, à nova peccati corruptione, conſcientiæque vermem illius exſtinguunt amaritudine.

2. Tribus legatis Pacis conciliatoribus. Dicamus, *ſecundo*, has tres Pœnitentiæ partes, tres eſſe legatos pacis, quos poſt offenſam ad Deum mittimus, nec unquam vacui, & ſine effectu revertuntur. Semper enim reconciliationem cum Deo obtinent, nec regrediuntur ex ejus aula regia, niſi reſpexerit altiſſimus, & quod voluerint, impetrarint. Hos legatos miſerunt Ninivitæ, & licet Dei vox per Jonam intonaret. *Adhuc 40. dies, & Ninive ſubvertetur* : Pacem tamen obtinuerunt & ſententiæ fulminantis reſciſſionem, veſtientes ſe ſaccis, clamantes in fortitudine, agnoſcentes peccata ſua, & convertentes ſe à via ſua mala. Hos legatos miſit Eſdras pro ſe & populo. De illo enim dicitur l. 1. c. 9. quod peccatum populi attendens, ſcidit pallium ſuum & tunicam, & capillos capitis ſui evellens, ſederit tota die mœrens uſque ad veſpertinum ſacrificium : Tunc curvans genua, & expandens manus ad Dominum, dixit: *Deus meus, confundor & erubeſco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates noſtræ multiplicatæ ſunt ſuper caput noſtrum, & delicta noſtra creverunt uſque ad Cælum:* &c. Hos legatos in omni afflictione vult à nobis ad ſe Deus dirigi, *ut illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.*

Jonæ 3. 4.

1. Eſd. 9. 3.

v. 6.

3. Via trium dierum in deſerto. Dicamus *tertiò*, has tres Pœnitentiæ partes conſtituere trium dierum viam, per quam debet ambulare verus pœnitens : ut cum filiis Iſrael egrediens de Ægypto peccati poſſit aſcendere ad montem Dei, & ſine impedimento illi ſacrificare, relictis

relictis tenebris, luto & paleis. Undè de hac triplici via pœnitentiæ, in figura rectè poteſt intelligi illud
Exod. 5.3. Exod. 5. *Deus Hebræorum vocavit nos, ut eamus viam trium dierum in ſolitudinem, & ſacrificemus Domino Deo noſtro.* Vocat enim nos Deus captivos, ſub peccato poteſtati dœmonis mancipatos, & lucem ſuam præviam præbet, ut è tenebris egrediamur, & de die jam ambulemus: idque per tres dies, ut via primæ diei ſit contritio, via ſecundæ diei ſit confeſſio, via tertiæ diei ſit ſatisfactio. Quæ quidem via licet ſpinoſa & difficilis, quaſi in deſerto; Dei tamen ductu & ope facilis redditur, qui omnia impedimenta poteſt ſtatim diſſolvere. Hâc autem viâ peractâ, perfectè Deo poſſumus ſacrificare.

4. *Tribus portis cæleſtis Jeruſalem.* Apoc. 22. 15.

Dicamus *quarto*, tres Pœnitentiæ portas, eſſe tres portas, per quas ingredi poteſt anima in civitatem Jeruſalem: hoc eſt, in congregationem juſtorum, ubi pax & lætitia conſcientiæ, juſtitia & gaudium in Spiritu ſancto: extrà quam ſunt *canes & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſervientes, & omnis qui amat & facit mendacium.* Sicut ergò ad illam civitatem Jeruſalem, quam vidit Joannes, undiq; venitur; & ideò ab oriente portæ tres ſunt, ab occidente portæ tres, ab auſtro & meridie portæ tres, ab aquilone portæ tres: ita & de civitate juſtorum dicimus, ad illam undique acceſſum eſſe, & neminem excludi, ſi voluerit. Per portas tamen debere intrare in Civitatem, & hæ tres ſunt, contritio, confeſſio, ſatisfactio: apertæ omnibus his, qui voluerint venire, ſivè veniant ab Oriente, ſivè ab Occidente, ſivè a Meridie, ſivè à Septemtrione: Vis ſcire, quinam veniant ab Oriente? Adoleſcentes ſunt, in quibus jam oritur lux diſcretionis, ad cognoſcendum ſolem juſtitiæ, ad diſcernendum bonum à malo, ideoq; hi relictis tenebris Babyloniis, ſi adſpirare volent ad Civitatem ſanctam, debent redire per tres portas contritionis, confeſſionis, ſatisfactionis. Vis ſcire, quinam veniant à Meridie? hi ſunt, qui in flore & calore ætatis ſunt, ideòque ebulliunt in illis vitia: & hi vocantur à Deo, ſed non niſi per has tres portas poſſunt venire. Vis ſcire, qui veniant ab Aquilone? hi ſunt, qui ſenio proximi in frigidiori agunt ætate, frigidi quoque & ſicci Spiritu, devotione, pietate. Et hi etiam vocantur, ut pravos habitus deſerant, & omnia impedimenta diſſolvant, revertanturque a frigida peccati regione, per tres portas, quæ ſunt ab Aquilone. Denique, ut ſcias, qui veniant ab occidente, conſidera decrepitos illos ſenes, proximos occidenti ſuo, imò occidenti æterno, cùm jam planè in vitiis conſenuerunt. An tamen his clauſum dicemus eſſe civitatem, aut intercluſam viam? Minimè. Nam & his gratia ſubminiſtratur, tanquàm baculus, cui in via incumbant, ut per tres portas ingrediantur. Debent tamen, quia portæ arctæ ſunt, in illis deponere veterem hominem cum actibus & concupiſcentiis ſuis; debent gibbum deponere & omne onus peccati, debent deponere pellem cum ſerpente, & juventutem animæ renovare. Itaque licet juventam & ſenectam peccatis fœdârint, & infirmitate animi prægraventur, accedant tamen baculo ſpei innixi, accedant genibus trementibus, non tam ob defectum virium & ætatis, quàm ob timorem judiciorum Dei. Et ſicut colloo humiliati incurvantur ob ſenium: ſic magis, & corde ob peccatum, dicantque cum Manaſſe: *Non ſum dignus aſpicere altitudinem cœli pra multitudine iniquitatum mearum, incurvatus ſum multo vinculo ferreo: ſed tu Deus, Deus es pœnitentium, & in me oſtendes omnem bonitatem tuam, quia indignum ſalvabis me.* Accedant igitur ad Sacramentum pœnitentiæ, petagant integram confeſſionem ætatis præteritæ, ſaltem jam vitæ lumine deficiente: ne citò tenebris æternis involvantur, quandò nulla amplius erit ſpes luminis aut vitæ: Si benè inſpiciant umbram Occidentis ſui, adhuc pertingere poterunt ad vetam lucem Orientis æterni.

Nunquam pœnitentia ſera, ſi vera. Exempl. Cæſar. l. 2. mir. c. 18.

Itaque nunquam eſt pœnitentia ſera, ſi vera: quem aliquandò etiam in fine vitæ, aut cùm jam quis ſepulchro proximus eſt, inſpirat Deus. Audi quid ad hanc rem ſcribat Cæſarius l. 2. mirac. 18. Ante triennium defunctus eſt Philippus Comes Namurcenſis, vir potens & nobilis filius Balduini Comitis Flandriæ. Antequàm moreretur, tantam ei Dominus contulit in infirmitate contritionem, quanta non fuerit viſa noſtro tempore in aliquo. Quatuor Abbatibus noſtri ordinis ſolebat ſæpè confiteri, & cum tanto lachrymarum imbre, ut omnes ad lachrymas provocaret. Nec iſta ei ſufficiebant, quin laqueum collo ſuo injiceret, rogaretque Confeſſarios ſuos, ut ſe traherent in plateam, dicens: *Sicut canis vixi, dignum eſt, ut moriar ſicut canis.* Filias fratris ſui Balduini Comitis, qui factus fuerat Rex Græciæ, tradiderat Regi Franciæ, cujus filiam duxerat uxorem. Quidam dicebant quod eas vendidiſſet, de quo facto plurimùm dolebat. Deportari autem ſe juſſit in pauperrimam Domum ſuæ Civitatis, in qua pauper ſpiritu migravit ad Dominum. Volens autem prius Dominus tantam ejus remunerare contritionem, miraculis eum glorificare dignatus eſt, tanquàm dilectum Confeſſorem. Sepultus eſt in Eccleſia ſancti Albani Martyris, in qua collegerat Collegium Canonicorum de ſuis reditibus. Tantis uſque hodie ſignis coruſcat, ut de remotis regionibus, infirmi ad ejus umbram confluant; ipſamq; terram circa ſepulchrum effodientes, ſecum pro ſanitate & benedictione reportent. Hæc Cæſarius. Quibus oſtenditur, nunquàm ſeram eſſe pœnitentiam, eamque eſſe neceſſariam ad ingrediendam Civitatem Sanctam: per quam quidem portam humilem, incurvare ſe debent *Reges terræ & omnes populi, Principes & omnes Judices terræ, ſenes cum Junioribus.*

PROPOSITIO II.

Contritio eſt animi dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero. Ita Trid. ſeſſ. 14. c. 4.

Attritio diſtinguitur à Contritione.

DEfinitur hic generaliter ſumpta contritio, ut etiam attritionem complectitur. Diſtinguunt verò Theologi attritionem à contritione, quod contritio propriè dicta, ſit deteſtatio peccati, ut eſt offenſa Dei ſuper omnia dilecti, adeòque peccati ut mali ſummi, cum propoſito emendationis; ita ut contritio debeat procedere ex amore Dei ſuper omnia, & deteſtari debeat peccatum ſuper omne deteſtabile. Attritio verò hanc non involvit perfectionem, ſed eſt deteſtatio efficax peccati, ex motivo quolibet ſupernaturali. Undè duas attritionis ſpecies inter cæteras inſinuat Tridentinum: unam quæ ex metu gehennæ, alteram, quæ eſt ob fœditatem peccati, ad quas cæteræ ferè referri poſſunt, quæ ex aliquo motivo ſupernaturali ſunt. Et hæc attritio, ſecundùm communiorem Doctorum opinionem, ſi efficax ſit, hoc eſt, ſi propoſitum non peccandi efficax contineat, ſufficit ad Sacramentum Pœnitentiæ. Undè dicit Tridentinum, quod quamvis attritio, per ſe ad juſtificationem perducere nequeat peccatorem; tamen cum ad Dei gratiam, in Sacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit. Et alioqui, ſi perfecta contritio requireretur; incertior foret gratia in Sacramento pœnitentiæ accipienda.

Contritio excitari poteſt ex variis motivis & damnis peccati.

Nihilominùs quantum in ſe eſt, debet conari pœnitens, ut perfectum in ſe dolorem concitet, qui ex variis motivis ſeriò conſideratis oriri poteſt. Nam innumera ſunt damna peccati, quæ meritò mentem deberent compungere, & configere doloris aculeo.

1. Quod peccato perdideris. Gratiam Dei.

Primò, an non materia juſta doloris, quod peccator pretioſum illud gratiæ donum, ſine qua nemo poteſt placere Deo, cujus pretium eſt ſanguis Filii Dei, per peccatum prodegit, charitatiſque donum perdidit, ſine quo nec poteſt amare Deum, nec amari à Deo? An hæc exigua cenſenda eſt miſeria? *Quid mihi es? Miſerere ut loquar*, inquit Auguſtinus, *Quid tibi ſum ipſe, ut amarite jubeas à me, & niſi faciam, iraſcaris mihi, & minearis mihi ingentes miſerias, niſi amem te? Parvane eſt ipſa miſeria non amare te?* Aug. l. 1. Conf. c. 5. Certè hæc eſt maxima reproborum miſeria in pœnis inferni, non poſſe amplius amare Deum, & deſperatè amari à Deo. Cum gratia verò & charitate, dona Sancti Spiritus deperduntur, quæ ſunt animæ ornamentum pretioſiſſimum, & velut ſeptem monilia à ſponſo data, ut eam dignam reddant ſuo Angelorumque amore.

2. Perdideris jus ad regnum æternum.

Secundò: an non materia juſta doloris, quod per peccatum perditur jus ad regnum & hæreditatem æternam, quod ex divina adoptione & Filiatione habet homo per ſpiritum illum clamantem in cordibus noſtris, Abba Pater? Undè Bernard. *Cogito Patrem, cogito Dominum ad omnia rectè plangere poſſe ſingula: ipſe quidem Patrem ſe exhibuit mihi; ſed non ego me illi viciſſim Filium. Quâ nam fronte attollo jam oculos ad vultum Patris tam boni, tàm mali Filius?* S. Bern. ſerm. 5. Cant. *Pudet indigna geſſiſſe generi meo, pudet tanto Patri viciſſe degenerem. Exitum aquarum deducite oculi mei, operiat confuſio faciem meam, deficiat in dolore anima mea, & anni mei in gemitibus.*

3. Meritum bonorum operum.

Tertio, cùm hoc jure Filiationis perditur & meritum bonorum operum, quod habent Filii Dei in ejus amicitia & gratia exiſtentes; perditur pax & tranquillitas conſcientiæ: ſuccedítque perturbata, anguſtiata, afflictaque conſcientia, cum verme ſuo miré animum corrodente: Et quidem jam infernus in anima inchoat, quia ſe homo reum & hæredem æternæ damnationis effecit, macipiumque diaboli, cùm antea foret hæres Cœli.

4. Deum ipſum perdidiſti.

Quartò, doloris & compunctionis maximè debet eſſe occaſio, quod homo per peccatum, Deum ipſum perdat. Hæc eſt enim radix & origo omnium malorum in peccatore, non habere amplius Deum ſpecialiter ut Patrem, ut tutorem, Paſtorem, ſponſum, amatorem, ſed eum ſolum jam reperire ut ſeverum Judicem. Plangat ergò ſuper ſe anima infœlix, ob hoc præſertim, quod Deum ſuum reliquerit omnium bonorum fontem: quia plangunt eam Cœli, plangunt Angeli, plangunt omnes Sancti, plangunt Prophetarum & Chriſti lachrymæ, plangunt vulnera Redemptoris, & ſi capaces fletus forent, plangerent inſenſibiles creaturæ. Hinc illa vox Prophetæ: *Obſtupeſcite Cœli, & porta ejus deſolamini vehementer, duo mala fecit populus meus: Dereliquerunt me Fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* Jer. 2. 13. Utique quia homines, licet judicii rationiſque capaces, ita ſe gerunt quaſi inſenſibiles ſint ad tam gravia damna per peccatum ſibi illata; ideò invocat creaturas irrationabiles & inanimatas, tanquàm teſtes mutos perfidiæ peccatoris, & vindices Creatoris. Quaſi dicat: Cùm tanta ſit hominum impietas & inſenſibilitas, ut ad meam monitionem ſurdi ſint, nec me velint audire; vos ô Cœli, audite juſtam meam de illis querelam; & ſicut teſtes eſtis benignitatis meæ in peccatores; ſic & teſtes eſtote rebellionis & ingratitudinis eorum, ut & ſimul eſſe poſſitis teſtes & vindices in futuro, quandò *pugnabit totus orbis terrarum contra inſenſatos.* Quid ergò vobis dicere poteto, niſi dignum eſſe ſtupore, lachrymis, & deſolatione: quod populus meus quem creavi, redemi, ſanctificavi, & elegi in peculium, innumeriſque affeci beneficiis, dereliquit me poſt tot favores; ſpernit & injuriis afficit, ac divinitate quodammodò ſpoliat pro re nihili: dum Venerem, ventrem, lucrum exiguum, bonorem vanum mihi præfert; & propter illa me deſerit. An non intolerabilis injuria & ingratitudo, quod me fontem aquæ vivæ, omniumque bonorum originem ſic repudiat & derelinquit gratis; ut ſe convertat ad bona

bona caduca & inania tanquam ad ciſternas mortuas,putidas,& perforatas, quæ nec aquam vivam valent continere,qua ſitis animæ extinguatur ; ſed & quid continent, amarulentum & falſum lutum eſt, fæceſque turbidæ, quæ ſitim & alterationem intolerabilem generant cum fœtore. Quid enim eſt luxuria ? Quid cupiditas inſatiabilis avaritiæ? Quid impatientia, ira, & gula ? Quid ambitio inquieta,niſi aqua lutulenta & putida, ſecum vehens odorem & ſaporem peſſimum, remorſum ſcilicet conſcientiæ cum peccati turpitudie conjunctum, qui mirè torquet interius hominem. Et tamen propter hæc relinquitur Deus, ejuſque gratia ; deſeritur Spiritus ſanctus cum ſuis chariſmatibus, qui eſt *Fons aquæ vivæ, fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Hæc ponderare deberes,ô peccator, hæc ruminare in cordis æqua bilancè : ſicque de turbidis in via Ægypti aquis,aut lutulentis ciſternis, ad fontentem aquæ vivæ iterum reſpirare. Deberes os tuum aperire per orationem, & Spiritum contritionis attrahere,*Spiritum illum qui poſtulat pro nobis,* ſive poſtulare nos facit, *gemitibus inenarrabilibus.* Ille generat aquas lachrymarum, ſed ſuaves & efficaces & vivas: quia per aſperſorium Pœnitentiæ vitam novam generant,ſuavitatem reddunt perturbatæ conſcientiæ, febrim & alterationem extinguunt cupiditatis vitioſæ,luxuriæ,avaritiæ,ſuperbiæ : reddunt perdita bona, novaque dona ſuperaddunt,vimque Domino faciunt, & miſericordiam attrahunt. Unde dicit Ambroſ. *Vim facimus Domino, non compellendo ſed flendo, non provocando injuriis ſed lachrymis exorando, non elevando nos per ſuperbiam, ſed per humilitatem dejiciendo. O Beata violentia, qua non indignatione percutitur à Deo, ſed miſericordia condonatur: Beata violentia, qua elicit benitatem à vim patiente, & utilitatem tribuit inferenti.* Sic Magdalena, ſic Petrus, ſic Chananæa, ſic Auguſtinus,vim intulerunt Chriſto, per lachrymas à viva fide prodeuntes, ſalutemque rapuerunt, & gratiam poſt peccata.

Joa. 4. 14.

S. Ambr. ſerm. 15.

S. Hiero. ep. ad Suſannam.

D. Hieron. epiſt. ad Suſannam, e graphicè depingit peccantis erga Deum ingratitudinem, illique pœnitentiæ hanc formam præſcribit,quàm meritò conſiderare decent in gravia peccata prolapſi. Quis conſolabitur *te Virgo Filia Sion,magna enim facta eſt velut mare contritio ? Effunde cor tuum ſicut aquam coram facie Domini, leva ad eum manus tuas,* pro remedio peccatorum tuorum. Accipe igitur lamentum, & primò quidem nullo die quinquageſimus pſalmus prætermittatur, qui in negotio tali cantatur, quem uſque ad verſiculum illum: *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies;* gemitu,lachrymiſque percurre. Inſuper hanc lamentationem, non ſine compunctione cordis, in conſpectu Dei Judicis funde : *Quis dabit capiti meo aquam,& oculis meis fontem lachrymarum,ut deſleam vulnera animæ meæ ? Heu me qui facta ſum, ſicut Sodoma, & combuſta ſicut Gomorrha ! Quis miſerebitur cineri meo ?* Durius offendi quam Sodoma, quia legem neſciens illa deliquerat ; ego acceptâ gratiâ peccavi. *Si homo peccet in hominem, erit qui interveniat,ego peccavi in Dominum, quem propitiatorem inveniam?* O quam acerbus fructus luxuriæ, amarior felle, crudelior gladio ! *Quomodo factus ſum in deſolationem ; ſubitò defeci,perii propter iniquitatem meam, velut ſomnium ſurgentium. Iniò in Civitate Domini vilificata eſt imago mea, deletum eſt de libro nomen meum.* Væ diei illi, in quo me infœlicem genuit uterus, & lux iſta crudelis accepit. Oportuerat me potius fuiſſe non natam, quam ſic in gentibus fabula fierem. Propter me confuſio, & improperium factum eſt famulis Domini, & eum dignè colentibus. *Lugete me montes & flumina, quia fletus filia ego ſum* Meum peccatum, & mea iniquitas non ſunt ſimilia offenſis hominum, quia horribilis eſt hæc impietas, carne polluere virginem,& caſtitatem profeſſam, Mentita ſum in Dominum Altiſſimum, verumtamen clamabo ad Dominum. *Domine,ne in furore tuo arguas me,neque in ira tua corripias me, Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi.*

Jere. 9.

Pſ. 6. 1.

Debent itaque Confeſſarii, & verbi Dei Præcones, quantum in ſe eſt, hortari Fideles ad perfectum dolorem, qui procedat non tam ex timore ſervili, quam ex timore caſto & filiali, puroque amore Dei. Ideoque frequenter Contritionis modum ac vim explicare debent. Et ut in ordine ad praxim hæc plenius poſſint exponere, ſingulas perfectæ Contritionis partes in ſequentibus percurremus.

LECTIO IV.

DE CONDITIONIBUS PERFECTÆ CONTRITIONIS.

Contritio eſt perfecta deteſtatio peccati, ut eſt offenſa Dei ſummi boni, & Patris ſuper omnia amabilis,cum ſpe venie,& propoſito firmo peccatum vitandi.

Ad veram Contritionem requiritur dolor ex ſincero cordis affectu.

PRimò, ad Contritionem requiritur dolor ſive deteſtatio peccati, ex ſincero cordis affectu, cum amaritudine & ſpiritus tribulatione, ut loquitur Scriptura. Defectu hujus, multi non percipiunt fructum Sacramenti : quia plerique etiam ex illis qui peccatis ſunt gravibus obnoxii, ex arida quadam conſuetudine accedunt, nihil peccati ſui gravitatem & malitiam ponderantes : putantque ſufficere ſi genua flectentes ante Sacerdotem, leviter pectus percutiant, dicentes, *Mea culpa.* Sicco planè & arido ſunt corde, ita ut quod exterius pronunciant, de cordis profundo non videatur exurgere : quia vix ad cor deſcenderunt, ut illud commoverent, aut compunctionis ſpiritum

Digitized by Google

attraherent. Certum interim eſt ex Scripturis, rem hanc fortiùs & efficacius apprehendendam eſſe, non leviter, non perfunctoriè peragendam, quia illæ amaritudinem requirunt in pœnitente ex peccati ſeria recogitatione. Hinc illud Ezechiæ. *Recogitabo tibi annos meos in amaritudine animæ meæ: Sicut pullus hirundinis, ſic clamabo, meditabor ut columba.* Quibus verbis docet diſpoſitionem requiſitam ad eliciendam contritionem: quod ſcilicet homo debeat ad cor ingredi, & ad interiorem domum, ſecluſo tumultu ſæculi inſtar paſſeris ſolitarii habitantis in tecto: quodque ibi debeat meditari & gemere inſtar columbæ, exceſſus ſuos recogitando. Columba non habet alium cantum quam gemitum, cùm aliæ aves dulciter canant: ideoque rectè ponitur tanquam animæ pœnitentis ſymbolum. Et dicuntur reſidere columbæ juxta fluenta in ſolitudine: ſic & anima pœnitens, in ſolitudinem interiorem ſe recipiens, ibi gemit & fluenta lachrymarum adamat, libenterque juxta illa reſidet.

Isa. 38. 15. & 14.

Jer. 31. 21. Sic & Jeremias monet animam pœnitentem: *Statue tibi ſpeculam, pone tibi amaritudines: dirige cor tuum in viam rectam in qua ambulaſti. Revertere virgo Iſrael, revertere ad Civitates tuas iſtas.* Quaſi dicat, aſcende in ſuperiorem mentis tuæ partem, tanquam in ſublimem quandam ſpeculam, advoca rationem, tanquam oculum vigilantem & clarè videntem: & deſpiciens omnia terrena & illecebroſa ſæculi oblectamenta, ſpeculare omnes quæ te circumſtant amaritudines, ex peccato ortum habentes. Conſidera quid ſit peccatum, *vide* quam *amarum* ſit *reliquiſſe te Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem* & amorem ejus *apud te.* Conſidera mala præſentia & æterna ex illo prodeuntia: memor eſto mortis à tergo incumbentis: memor eſto gehennæ ante oculos tuos poſitæ: intus inſpice vermem conſcientiæ rodentem: ſupra reſpice tibi cœli januam occluſam: circum aſpice tot afflictiones, à quibus libet eſſes ſi peccato careres. Tot ergo amaritudines dolorem amarum cordi tuo infigant, & lamentum eliciant, moneantque dirigere cor tuum in viam rectam in qua ambulaſti; in viam ſcilicet gratiæ & amoris Dei, ut hic poſſis reverti ad Eccleſiam Sanctorum, & ad choros juſtorum in Cœlis. Hoc eſt quod vult dicere: *Revertere ad Civitates tuas.* His ergo omnibus indicatur dolor interior, ſive deteſtatio & diſplicentia peccati, quæ ex motivis illis, de quibus ſuprà, elici poteſt.

Jer. 2. 19.

2. Requiritur dolor ob Deum offenſum ceu ſummum bonum.

Secundò ut ſit perfectus dolor Contritionis, non ſufficit quilibet dolor, etiam ex ſincero cordis affectu procedens: ſed debet eſſe propter Deum offenſum, tanquam ſummum bonum, ſive propter bonitatem illam infinitam & infinitè in ſe amabilem, quam per peccatum offendimus. Multi licet dolere videantur de peccatis, non tamen recipiunt fructum: quia dolor ille potius eſt ob motiva aliqua humana, quam ob Dei offenſam. Sic ebrius de ebrietate præterita dolet, ob dolorem acrem capitis quem ſibi conciliavit, vel ob pecuniam perditè expenſam, qua nunc eget, Dei autem offenſam non conſiderat. Sic fur deprehenſus, maximè dolet ob pœnas jam ſibi præparatas, divini judicii vix memor. Sic puella intumeſcente jam utero, vel propalato peccato, amarè lachrymatur, & dolet ob infamiam quam ſibi conciliavit, & ob mœrorem inflictum Parentibus. Quam multæ mulieres ad Confeſſionem accedunt, lachrymis ſe conficientes, dum enarrant rixas, contentiones, injurias inter ſe & maritos, vel inter ſe & proximos aut conſanguineos? Interim hæ lachrymæ frequenter ex motivis quibuſdam humanis prodeunt, offenſam Dei vix reſpiciunt, & ideò non ſunt ſignum veræ pœnitentiæ, ſicut nec omnis dolor, qui exterius videtur à corde emanare.

Hoc manifeſtè declarari poteſt exemplo Scripturæ, in Saule & Davide. Rex erat David, Rex & Saul: uterque electus à Domino, uterque Rex Iſrael, uterque deliquit. Saul parcendo Amalec Regi, & gregibus ovium, quæ interficere debebat, juxta mandatum Domini. David gravius, ut apparet, adulterio, homicidio, & ſcandalo; utereque poſt peccatum hanc vocem protulit: *Peccavi Domino.* Saul dum corriperetur à Samuele; David dum corriperetur à Gad Propheta. Sed nunquid uterque invenit remiſſionem, nunquid utriuſque pœnitentiæ idem fructus? Nequaquam. Nam ſtatim audit David per os Propheræ: *Tranſtulit Dominus peccatum tuum.* At cum Samuel oraret pro Saule, dicit ei Dominus. *Uſquequo luges Saul; cùm ego projecerim eum?* Cur putas venam conſequitur pœnitentia Davidis, non pœnitentia Saulis? An perſonarum acceptor eſt Deus? An non utriuſque eadem vox fuit? Utique ex ſincero corde & vera pœnitentia proceſſit illa vox, & agnitio peccati in Davide. An verò Saul lugebat potius honoris amiſſionem, quam Dei offenſam. Unde dicit Samueli: *Peccavi, ſed nunc honora me coram ſenioribus.*

1. Reg. 11. 24. 1. Reg. 15. 9. Saul. 1. Reg. 15. 24. David. 2. Reg. 12. 13. 1. Reg. 16. 1. 1. Reg. 15. 30.

Sic Antiochus Rex in infirmitate pœnitet, luget amarè, promittit ſatisfactionem & reſtitutionem eorum quæ in templo rapuerat, & tamen dicitur ibi: *Orabat ſceleſtus Dominum, à quo miſericordiam non erat conſecuturus.* Quia ſcilicet pœnitentia ejus non erat ex toto corde, nec ex cordis ſinceritate ob Dei offenſam; erat potius extorta, dolorque quem cauſabat, ob ſanitatis erat amiſſionem, & vitæ periculum. Sic & de damnatis dicit Sapiens, quod ſint *pœnitentiam agentes, & pra angustia ſpiritus gementes* ſed hanc pœnitentiam extorquet pœna non Dei offenſa, ideoque inutilis eſt.

2. Mach. 9. 13. Sap. 5. 3.

Denique & de Eſau dicitur, quod propter eſcam vendidit primitiva ſua, poſtea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus eſt; *nec invenit pœnitentia locum, quamvis cum lachrymis inquiſiſſet eam.* Pœnitentia enim lachrymoſa Eſau non erat ob peccatum commiſſum, & Deum offenſum; gra-

Heb. 12. 17.

Digitized by Google

gratiamque ejus deperditam : ſed propter benedictionem paternam, & primogenituram amiſſam.

Sic multi ob temporalia damna, amarè flent corde contribulato & anguſtiato: damna verò graviſſima animæ per peccatum illata, arido corde ſiccíſque oculis prætereunt. *Plangis corpus à quo receſſit anima, non plangis animam à qua receſſit Deus.* S.Chryſ. Cum tamen lachrymæ, teſte S.Chryſoſtomo ad hoc ſolum homini datæ ſunt, & ad hoc tantùm ſunt utiles, ut damna ſpiritualia defleamus. Nam per lachrymas nihil recuperamus damni quod incurrimus, v.g. nec vitam parentis, nec amiſſionem honoris, nec diſpendium pecuniæ, nec aliam rem deperditam : ſed cum peccata deflemus, & vitam gratiæ recuperamus, & delicti maculam eluimus, & gloriam iterum apud Deum reperimus, & cuncta damna per peccatum inflicta copioſè nobis reſunduntur.

O igitur fœlices lachrymæ Pœnitentium, quarum una gutta ex vera cordis compunctione expreſſa, peccatum obliterat, inferni flammas extinguit, animam abluit, gratiam reſtituit, Angelos lætificat, Cœlum penetrat, Judici manus ligat. Audi Laur. Juſtinianum. Laur. Juſt. l. de lign. vitæ c. 9. *O lachryma humilis, tua eſt potentia, tuum Regnum, Tribunal Iudicis non vereris, accuſatoribus ſilentium imponis, non eſt qui te ad Deum accedere vetet, ſi ſola intres, vacua non redibis. Vincis invincibilem, ligas omnipotentem, inclinas Filium Virginis, aperis Cœlum, fugas diabolum.* Pſ. 73. 13. Nempè lachrymæ Pœnitentis dæmones torquent, & de illis verum eſt illud Pſalmi : *Contribulaſti capita Draconum in aquis*, quia ſeptem capita Draconis terrarei, per quæ univerſa vitia deſignantur, in his aquis conteruntur & ſubmerguntur. Hinc dicit Petrus Cæſarienſis : Petr. Cæſarienſis. *Acrius diabolus contriti cordis lachryma torquetur, quàm flamma gehennalis incendia.* Quia ſcilicet cum ſummo odio feratur in hominem, ejus aviditſimè reſpirans perditionem; cum jam illum tenet in vinculis prædam, una contriti cordis lachryma illum eripit, & vincula omnia diſrumpit.

Pſ. 55. 9. Sed ſicut nihil ita diſpliceat diabolo ac lachrymæ Pœnitentis : ita nihil illis acceptius eſt Deo. Quapropter dicebat David : *Deus vitam meam annunciavi tibi, poſuiſti lachrymas meas in conſpectu tuo.* Omnia quidem ſunt in conſpectu Dei, ſep id ſpecialiter de lachrymis aſſeruit, quod maximè eas reſpiciat, nec unquam deſpiciat. Fundebat Ezechias lachrymas in lecto ægritudinis, & ut occultæ forent, vertebat ſe ad parietem ; ſed Deus illas poſuit in conſpectu ſuo, quapropter mittit ad eum Iſaiam: Iſa. 38. 5. *Vade ad Ezechiæ, vidi lachrymas tuas, & audivi orationem tuam, ecce ego adjiciam ſuper dies tuos quindecim annos, & de manu Regis Aſſyriorum eruam te, & Civitatem iſtam, & protegam eam.* Luc. 7. 38. v. 44. Fundebat Magdalena lachrymas retro Dominum, ſed eas ipſe poſuit in conſpectu ſuo, & in conſpectu Phariſæi, dum ei dicit: *Aquam pedibus meis non dediſti; hæc autem ubi intravit, non ceſſavit lachrymis rigare pedes meos.* Fundebat Petrus lachrymas in abſcondito, nam foras egrediens, non comparuit cum Apoſtolis; ſed in antrum quoddam ſeceſſit, ut lachrymis occultis poſſet indulgere : at poſuit eas Chriſtus in conſpectu ſuo, ac in conſpectu Apoſtolorum ſuorum, dum illi primum reſurrectionis gaudium ſpecialiter vult nunciari, dum & ipſemet ei apparet, ut certum eum de peccati remiſſione reddat, & quam gratæ ei fuerint lachrymæ Pœnitentis, oſtendat.

Quod ſi ulteriùs vis noſſe, quàm acceptabile ſit Deo ſacrificium lachrymarum., & quomodo eas ponat in conſpectu ſuo : Audi quod de hac re habetur in l. de viris illuſtribus Ord. Ciſtercienſis. Frater quidam dum pro peccatis contriſtatus tota die ingrederetur, fletibus finem imponere recuſabat, quia ſine contritione cordis, confeſſionem ad veniam inſufficientem ſciebat. Cumque *volumen timoris Dei, in quo ſunt ſcripta lamentationes, & væ*, ſalubri amaritudine ventrem conſcientiæ diu amaricaſſet ; divina gratia membrana charitatis Dei, *in qua ſcriptum eſt Carmen*, facta eſt in devotione cordis ejus tanquam mel dulcis. Nam in ſua amaritudine ſolatus eſt eum Deus, & nocte quadam vidit Dominum Jeſum, quaſi ſacris veſtibus indutum offerentem ſacrificium. Vertens autem ſe ad populum, tollebat calicem de altari, & cunctis qui aderant, videndum offerebat. Porrò in illo nihil aliud erat, quàm lachrymæ quibus Magdalena pedes ejus in domo Simonis rigaverat. Cumque Frater dictus ad pedes DOMINI poſitus hæc videret, percunctatus eſt. *Obſecro, Domine, cur oſtendis calicem illum cum lachrymis?* Reſpondet Dominus. *Vt ſciant omnes quantum placeat cordis contritio, ad exemplum Pœnitentium tamdiu ſervavi lachrymas hujus peccatricis, ad pedes meos Pœnitentis.* Hæc ibi. *Lachryma Deo acceptabile Sacrificium.* Exempl. Lib. de viris illuſt Ord. Ciſterc. Ezech. 5.

Ex his patet, quanta cum fiducia poſſit dicere quilibet Pœnitens : *Deus vitam meam annunciavi tibi, poſuiſti lachrymas meas in conſpectu tuo.* Audi quod ipſe de ſe refert D. Auguſtinus, *Vt*, inquit *à fundo arcano alta conſideratio contraxit, & congeſſit totam miſeriam meam in conſpectum cordis mei, aborta eſt procella ingens, ferens ingentem imbrem lachrymarum. Et ut totum effunderem cum vocibus, ſurrexi ab Alypio : ſolitudo mihi ad negotium flendi aptior ſuggerebatur. Et ſeceſſi remotius quàm ut poſſet eſſe mihi oneroſa ejus præſentia. Et ego ſub quadam fici arbore ſtravi me, neſcio quomodo, & dimiſi habenas lachrymis : & prorumperunt flumina oculorum meorum acceptabile Sacrificium tuum. Et non quidem his verbis ; ſed in hac ſententia multa dixi tibi, ut tu Domine uſquequo? Vſquequo Domine iraſceris in finem ? Ne memor fueris iniquitatum noſtrarum antiquarum. Sentiebam enim me ab eis teneri, & jactabam voces miſerabiles. Quamdiu, quamdiu, cras & cras? Quare non modo ? Quare non hac hora finis turpitudinis mea ? Dicebam hæc,* S. Aug. l. 8. Conf. c. 12.

Digitized by Google

& flebam amariſſima contritione cordis mei. Has autem lachrymas Deum in conſpectu ſuo poſuiſſe, ex eo manifeſtum eſt, quod vox divinitus ei miſſa eſt inſonans: *Tolle, lege, tolle, lege, Auguſtine.* Monebat autem ut Codicem Apoſtoli Pauli, quem penes ſe habebat, aperiret; quem ubi aperuit, incidit in eum locum: *Non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, ſed induimini Dominum Jeſum Chriſtum.* Statimque lux ſecuritatis infuſa eſt cordi ejus, & omnes tenebræ diffugerunt.

Sic poterat dicere Auguſt. *Deus vitam meam annunciavi tibi, poſuiſti lachrymas meas in conſpectu tuo.* Nec verò diſſonè alia Lectio, quam ſequitur Pagninus, vertit: *Poſuiſti lachrymas meas in libro tuo*: Ad quem effectum Deus lachrymas noſtras ponit in libro ſuo, niſi ad obliteranda peccata? Audi Chryſoſt. *Peccata tua in libro ſcripta ſunt, ſpongia autem inſtar ſunt lachrymæ: lachrymas mitte, & obliterantur, lachrymas mitte, & purus liber in venitur. Magna lachrymarum eſt vis. Vis dicam? Maximum virtutis munus eſt Martyrium quia Martyres ſanguinem fundunt, peccatores lachrymas fundunt. Et ut quanta ſit lachrymarum vis intelligas, Meretrix illa ſanguinem ne fudit? Lachrymarum fontes effudit, & ſic peccata diluit.* Quomodò iterum noſtræ lachrymæ peccata noſtra obliterent, etiam exemplis declarari poteſt.

Chryſoſt. ho. 2. in Pſal. 50.

Cæſar. l. 2. hiſt. c. 2.

Audi ex Cæſareo l. 2. c. 2. A Viris, inquit, Religioſis, & Abbatibus, quæ ſequuntur, Pariſiis contigiſſe intellexi, Juvenis quidam nefanda commiſerat, quæ præ erubeſcentia hactenus confiteri erubeſcebat. Tandem urgente conſcientia, & divini judicii timore, accellit Cœnobium Sancti Victoris, & advocavit Priorem Confeſſionis gratia. Ille ad id paratus venit, ſeditque loco deputato, exhortans juvenem ad perfectam Confeſſionem. Mira res! Tandem eadem hora Deus cordi ejus infudit contritionem, ut quoties Confeſſionem inciperet, toties ſingultibus intercepta vox deficeret. In oculis lachrymæ, ſuſpiria in pectore, ſingultus erant in gutture. Hæc videns Prior dicit: Vade, ſcribe peccata tua in ſchedula, & defer ad me. Abiit, ſcripſit, die altera rediit, iterum tentavit confiteri, ſed cum ut prius deficeret, ſchedulam porrigere eſt coactus. Legit Prior & obſtupuit, dixitque juveni, non ſufficio ſolus tibi dare conſilium ſuperbis, ſi per te licet, conſulam cum Abbate meo. Lubenter ei hanc licentiam facit juvenis. Venit ergo Prior ad Abbatem, rem ei per ordinem exponit, & ſchedulam legendam porrigit: Reſpiciens Abbas, nihil in ea ſcriptum reperit, dicitque Prioti cur ſchedulam talem in qua nihil ſcriptum ſit, porrigat? Hæc ut Prior audit, miratur, reſpicit & ipſe, nihilque videt. Tum ad Abbatem: Sciat Reverentia Tua, juvenem ſcripſiſſe in hac ſchedula peccata ſua, & me legiſſe, & donaſſe legenda; ſed ut video miſeretur Deus illius lachrymas, & contritionem attendens, culpam jam ſufficienter punitam juſtè delevit. Siquidem ipſius ſcripti obliteratio, lachrymarum ejus effectus eſt, & delicti abolitio. Advocant igitur Pœnitentem, exhibent ſchedulam, peccata divinitus ei deleta ſignificant: & nullam ei injungentes ſatisfactionem, monent quatenus Deo de perceptis beneficiis gratias agat: & de cætero cautius vivat. Statimque in tantum cor ejus ex magnitudine gaudii eſt dilatatum, in quantum priùs ex triſtitiæ magnitudine fuerat angultiatum. Hæc Cæſarius.

3. Peccati deteſtatio requiritur cum ſpe veniæ.

Tertiò, deteſtatio debet eſſe cum ſpe veniæ. Defectu illius Cain & Judas pereunt, pœnitentiæ licet ſpeciem præferentes. Spes porrò Pœnitentium fundata eſt in miſericordia Dei, & in meritis Jeſu Chriſti. Hæc longè efficaciora in bonum, quam omnia ſcelera noſtra in malum: ideò nemo debet animum deſpondere, niſi velit infinitæ bonitati Dei, & efficaciæ Sanguinis Chriſti injuriam inferre. Si peccator vires ſolum ſuas attendat, converſionem ſuam meritò velut impoſſibilem judicat. At ſi in divinam bonitatem, gratiam, & potentiam, oculos figat, facile eam inveniet. *Mirabilis ſunc elationes maris,* mirabilis tumor cordis humani adverſus Deum ebullientis & rebellantis; *ſed mirabilis in altis Dominus,* qui vel nutu poteſt vortices maximos compeſcere, cor tumidum ſuperbia, exundans luxuria, tumultuoſum pervicaci rebellione, ſtatim tranquillum, & ſibi obtemperans reddere. Nonne ipſe eſt, qui poteſt de lapidibus Filios Abrahæ ſuſcitare? De ſpinis ficus & uvas colligere? Petram in ſtagna aquarum convertere? Et ſicut in naturalibus mirabiles facit converſiones, ſic & in ſupernaturalibus. Elizæus virtute divina aquas amaras in dulces convertit, immillo ſale, cùm tamen ſic amatores videretur illas reddere. Chriſtus luto cæci oculos curat, cum ſic magis videretur excæcare. Olim etiam ſerpentem in virgam convertit, & gloriæ ſuæ inſtrumentum fecit. Sic igitur & homines ob amaritudinem peccati intolerabiles, excæcatos, ſerpentinos & venenatos convertit, illuminat, tranſmutat, & gloriæ ſuæ inſtrumenta efficit, ut nemo de ſe deſperet. Manifeſta hæc ſunt in Paulo, Matthæo, Magdalena, Latrone.

Pſ. 92. 4.

Quapropter dicit de ſe Paulus: *Chriſtus Jeſus venit peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum, qui blaſphemus fui, perſecutor & contumelioſus, ſed ſuperabundavit gratia, & miſericordiam ſum conſecutus, ut in me primò oſtenderet Jeſus Chriſtus omnem patientiam, ad informationem eorum qui credituri ſunt.* Quaſi dicat. Miſertus eſt mihi Deus; ut in me quaſi in primo & maximo peccatore, daret exemplar perfectum ſuæ clementiæ in quo cernerent homines, ipſum omnes peccatores velle ſalvos fieri, & facile eis peccata condonare. Itaque meo exemplo informavit, & excitavit omnes futuris ſæculis, ut per pœnitentiam audeant ab illo ſperare veniam. Hoc ſimilitudine expli-

1. Tim. 1. 15.

Digitized by Google

explicat Theodoretus. Sicut medicus cùm in una domo multi ſimul ægri ſunt, & omnes de ſalute deſperant, ſi unum peſſimè affectum acceperit, & datis ei medicamentis ad perfectiſſimam ſanitatem deduxerit, facit, ut alii omnes bono ſint animo, ac fiduciam concipiant: Ita Dominus Chriſtus animarum medicus, cùm factus eſſet homo pro ſalute peccatorum, me qui eram iniquiſſimus & omnium ſceleratiſſimus, non ſolum à prioribus liberavit maculis; ſed maximis etiam donis obruit: omnibus hominibus per me oſtendens ſuam patientiam & clementiam, ut nemo eorum, qui maxima ſcelera perpetraverint, ad me reſpicieus de ſalute deſperet.

Similè ex S. Theodoreto in hunc loc.

His conſonat illud Auguſtini: *Si Saul ſanatus eſt, ego quare deſpero? Si à tanto medico tam deſperatus æger ſanatus eſt, ego vulneribus meis illas manus non optabo, ad illas manus non feſtinabo? Vt hoc docerent homines, ideò factus eſt Saulus ex perſecutore Apoſtolus: quia cùm venit medicus volens ſibi famam comparare, infirmum quærit aliquem deſperatum, & ipſum ſanat, & ſi pauperrimum invenerat, non ibi quærit mercedem, ſed commendat artem. Ita & Chriſtus potentia ſpecialis medicinam ſpiritualem oſtendit in Saulo, ut omnes deinceps noſſent, eum ſanare poſſe omnes infirmitates confugientium ad ipſum.*

S. Aug. ſer. 9. verb. Apoſt.

Itaque nihil juvat peccatum deteſtari, niſi ſpes veniæ ſit conjuncta. Hæc enim eſt, quæ maximè re lucit peccatorem ad Deum, & prodigum ad paternam domum. In ſe enim reverſus dicebat: *Surgam, ibo ad Patrem meum.* Hoc ſpes ei ſuggerebat. Sed quâ ſpe ibis, cùm ejus patrimonium adeò infœliciter, & cum ejus injuria prodegeris? Ibo eâ ſpe, qua pater eſt: ego perdidi quod erat filii, ille quod patris eſt, non amiſit: *Apud Patrem non opus eſt intercedat extraneus, intus eſt, qui exoret affectus, urgentur patris viſcera, iterum per veniam me genitura. Ibo ad patrem meum, ſed viſo filio cooperiet mox veſtimur: diſſimulat officium judicis; qui vult potius implere munus genitoris: & citò vertit in veniam, quos vidit cupit filium, non perdit.* Hæc Chryſologus. Interim à multis hanc ſpem auferens dæmon impedit veram pœnitentiam, maximè in fine vitæ. Exemplum refert Beda l. 5. c. 15. hiſtor. Anglorum: Novi, inquit ipſe, fratrem, quem utinam non noſſem, in Monaſterio nobili ſed ignobiliter viventem. Admonebatur ſæpius ad meliorem vitam converti; ſerviebat autem multum ebrietati, & cæteris vitæ laxæ illecebris. Percuſſus languore, & ad extrema perductus, vocavit fratres, & multum mœrens ac damnato ſimilis, cœpit narrare, quia videret inferos apertos, & ſatanam immerſum in profundum tartari: Caipham quoque cum cæteris, qui occiderunt Dominum, juxta eum flammis ultricibus traditum; in quorum vicinia, inquit, eheu miſero mihi, locum aſpicio æternæ perditionis eſſe præparatum. Audientes hæc fratres, cœperunt diligenter hortari, ut vel tunc adhuc poſitus in corpore, pœnitentiam ageret. Reſpondebat ille deſperans: *Non eſt mihi modò tempus vitam mutandi, cùm ipſe viderim judicium meum jam eſſe completum.* Talia dicens ſine viatico abiit, & corpus ejus in ultimis eſt Monaſterii locis humatum. Quod autem hic miſerabilis Monachus dicit: non fuiſſe tunc ſibi tempus vitam mutandi; non ex veritate, ſed ex diaboli perſuaſione dicit, Spiritus enim Sanctus apertiſſimè clamat per Ezechielem Prophetam, Deum ſemper eſſe paratum amplecti eos, qui convertuntur à peccato ad pœnitentiam. Quod & docet D. Leo his verbis: *Miſericordiæ Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur venire moras converſio, dicente Spiritu Dei per Prophetam:* Noſter Interp. legit Iſa 30. *Si revertamini, & quieſcatis, ſalvi eritis.* Cùm converſus ingemueris, tunc ſalvus eris. Iſa. 30. v. 15. juxta LXX. Undè videtur deſumpta illa ſententia vulgò jactata: *In quacunque horâ ingemuerit peccator, ſalvus erit.*

Luc. 15. 18

S. Chryſoſtom.

Quidam differunt pœnitentiam ad finem vitæ Exempl. Bedæ lib. 5. hiſt. Angl. c. 15

S. Leo ep. 91.

Aliud exemplum accipe ex Bellarmino. Ego, inquit ipſe, inviſens aliquandò ægrotum morti propinquum, cùm inciperem loqui de præparatione ad exitum de præſenti vita. Reſpondit conſtanti animo, & ſine ullo metu, ac dixit: *Ego Domine cupivi alloqui te, non pro me, ſed pro conjuge mea, & filiis meis: Ego enim propero ad inferos, neque eſt quod aliquid pro me agas:* Hæc verò protulit animo tranquillo, ac ſi de itinere ad villam, vel oppidum aliquod loqueretur. Ita nimirum diabolus animam ejus ſibi ſubjecerat, & ſpem omnem abſtulerat. Et quidem profeſſionem exercebat valdè periculoſam, & intentus lucro per fas, & nefas, oblitus videbatur non ſolum Dei, ſed etiam animæ ſuæ. Summa eſt, cùm multis verbis illum ad meliorem mentem revocare tentaſſem, nihil efficere potui. Cupiet forte aliquis noſſe quam artem exerceret? Dicam, ut ejus intentus alus ſimilibus proſit, ut reſpiſcant. Procurator cauſarum erat, ex illorum numero, qui non multum laborant, utrum cauſam juſtam vel injuſtam defendendam ſuſcipiant: atque interim utrique parti injuriam faciunt, parumque curant, modò marſupium impleant. Hæc Bellarminus l. 2. de arte bene moriendi c. 11.

Bellarm. l. de arte bene moriendi c. 11

Exemp. cujuſdam moribundi Procuratoris.

Quartò, debet eſſe deteſtatio cum firmo propoſito emendationis, & ita neceſſe eſt firmiter reſolvere, non ſolum peccatum vitæ, ſed & occaſiones illus, v. g. non ſolum fornicationem, ſed & conſortium omninò periculoſum ad illam inducens, familiaritatemque nimiam, cum perſona diverſi ſexus. Hoc enim ſciat Pœnitens ſilicibus nos eſſe ſimiles, in quibus non videtur ignis contineri; ſed ſi chalybem adhibeas, exiliunt ſcintillæ, quæ ignem talem poſſunt accendere; quo etiam tota domus pereat. Sic in nobis latent quidam defectus & ſcintillæ, quæ datâ occaſione, ſeſe exſerunt, & peccati ignem in nobis accendunt. Vitanda ergò occaſio omnis eſt illi, qui verè contritus,

4. Deteſtatio cum firmo propoſito emendationis.

Digitized by Google

tur & firmiter emendationem proponit. Sic qui in juramenta incidit aut rixas, illorum originem agnoſcat, & fugiat neceſſe eſt, v. g. luſum aleæ & charratum, in quo ordinariè ſolet occaſionem reperire. Similiter, qui proponit ebrietatem vitare, loca & pravorum conſortia, quibus hoc periculum moraliter adjunctum novit, debet fugere. Facilè impingit, qui viam iniquitatis à ſe non amovet: eſt autem occaſio via iniquitatis, quia ad illam quaſi ad terminum perducit. Vide quæ dixi lib. 2. Tract. 3. lect. 10. in 5. Remedio.

Languor noxias emendationi.

Verum, quia languidè nos habemus in fuga peccati, ac periculorum ejus; fit ut frequenter non ſit vera reſolutio, firmaque emendationis voluntas; ſed potiùs quædam velleitas inefficax, quæ ſtatim elidítur, & in ventum abit ſine effectu. Certè multi totam vitam traducunt, in quibuſdam propoſitis inefficacibus, & deſideriis imaginariis, ideòque iiſdem vitiis implicatos, falſâ pœnitentiæ imagine deluſos, mors tandem premit & peremit. Quibus aſſimilabimus homines generationis hujus? Similes ſunt oſtio, quod in cardine volvitur & revolvitur, ſed nunquam egreditur. Per deſideria & propoſita volvuntur ſemper hi, in eodem autem ſtatu perſiſtunt, & è vita maculoſâ nunquàm exeunt. Similes iterum mulieri parturienti, ſed nunquàm parienti, juxta illud Iſaiæ: *Filii venerunt uſque ad partum & virtus non eſt pariendi.* Parturiunt hi bonas reſolutiones, ac nunquàm pariunt, vel effectui mandant. Sed *væ prægnantibus in diebus illis*, inquit Dominus, *væ animabus*, inquit Hieronymus, *quæ ſua geminina non perduxerunt in virum perfectum.* Væ illis, qui bona deſideria in corde concepta, in lucem non emittunt, ſed in ventre ſuffocant. Graviùs enim punientur, quia bonas inſpirationes non exequuntur. Abſolon mauſit ſuſpenſus propriis crinibus, licet inſtar auri fulgentibus. Sic hi morte quandoque præoccupantur, ſuſpenſi & affixi ſuis bonis deſideriis & propoſitis, ac per illa torquebuntur, quod effectui hæc mandare oportuerit, & neglexerint.

De propoſitis inefficacibus.

Similia.

Iſa. 37. 3.

S. Hier. Matt. 24.

Hinc colligunt Sancti Patres, illos qui gravia peccata emendare non curant, ſed iidem planè qui ante, poſt confeſſionem repetuntur, gratiam Sacramenti non percepiſſe. Sicut ſi quis infirmus potionem cibens, nil meliùs habet, ſed eadem manet febris, ſitis, debilitas; conjicimus non fuiſſe ſalutarem, quia nihil immutârit in corpore. Sacramentalis confeſſio, potio quædam eſt, peccatorum humores expellens: ſi ergò eadem ſitis terrenarum rerum, æſtus libidinis, ambitionis, & aliorum vitiorum ardor idem manet; quomodò judicabimus ſalutarem fuiſſe, & gratiam contuliſſe? cum (ut ait D. Thomas) homo minimâ gratiâ omnia poſſit vitare peccata, reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & mereri vitam æternam: quia ab ea charitas manat, cujus eſt diligere Deum & odiſſe peccatum ſuper omnia. Unde 1. Joan. 3. dicitur: *Qui natus eſt ex Deo, non peccat; ſed generatio Dei* & ſemen divinum *conſervat illum.* Et maximè, cum Sacramentalis gratia ſpecialem vim habeat contra peccatum, ſi eam receperunt, quomodò ſubitò in priora ſcelera ruunt? Unde Bernardus: *Irriſor eſt & non verè pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet. Vera ſiquidem Pœnitentia eſt, ſic plangere commiſſa, ut non committantur plangenda.* Et Auguſtinus: *Inanis eſt pœnitentia, quam ſequens coinquinat culpa. & nihil proſunt lamenta, ſi iterantur peccata; nihil valet à malis veniam poſcere, & mala de novo iterare.* Iſidorus quoque c. 34. explicans illud: Lavamini, mundi eſtote, &c. *Lavatur inquit, & mundus eſt, qui præterita plangit & futura non admittit, lavatur & non eſt mundus, qui plangit quod geſſit, nec deſerit.*

D. Tho. 3. p. q. 62. a. 6. ad 3.

1. Joan. 3. 27.

S. Bern. in Med. c. 4. §. 3.

S. Aug. in Soliloq. c. 2. c. inanis diſt. 3. de pœnit.

S. Iſid. c. 34. in illud Iſaiæ. Lavamini

Simulter loquuntur & alii Patres. Qui tamen univerſim non ſunt intelligendi, quaſi velint eſſe certum argumentum invalidæ Pœnitentiæ, ſi propoſitum emendationis effectum non ſortiatur: ſed quod aliquandò timendum nobis ſit, ne inefficax ſit propoſitum & deteſtatio peccati, cùm id contingit. Alioqui etiam ſcimus, aliquos verè deteſtari peccatum, cum propoſito firmo vitæ novæ, adeòque gratiam novam recipere in Sacramento, & tamen non multò poſt reincidere, partim prava conſuetudine urgente, partim diabolo impellente. Undè non eſt neceſſe; ut Pœnitens credat, ſe non amplius mortaliter peccaturum, licet id firmiter debeat ſtatuere. Aliud eſt enim proponere, ſe non peccaturum, innitendo auxilio divino, & gratiæ quam firmiter ſperat: Aliud judicare, & ſibi perſuadere ſe perſeveraturum: quia illud priùs eſt voluntatis, pendens ex præſenti propoſito: hoc poſterius eſt intellectus, pendens ex futuro eventu nobis incognito.

Rationes cur homo de gratia acceptam gratiam.

1. Voluntatis inſtabilitas.

2. Ob contrarietates

Verum, multæ ſunt rationes, cur contingat hominem, poſt veram deteſtationem, poſt firmam & abſolutam reſolutionem, deſerere gratiam acceptam, & iterum converti ad peccatum. *Primò*, quidem id fit ob liberi arbitrii inſtabilitatem, & voluntatis mutabilitatem, quæ mutatâ opportunitate, & reſurgente aliquâ paſſione, non ita confidetur motiva illa, quæ priùs ad deteſtationem peccati eam urgebant. *Secundò*, quia gratia, cùm ſit quoddam donum ſupernaturale & divinum, in homine qui in terris verſatur, videtur eſſe quaſi in alieno ſubjecto, & extra locum naturalem; ubi multiplex ei contrarietas, a carnis concupiſcentia, à mundi illecebris, a fallacia dæmonis. Cui contrarietati perpetuò repugnare & ſuperare arduum eſt, & paucorum. Unde & eos, qui magno ardore incipiunt Deo ſervire, videmus paulatim tepeſcere & deficere à primo gratiæ vigore: quia ut conſervetur fervor ille ſpiritus, multis in rebus vim ſibi afferre eſt neceſſe, violentum autem non ita ſolet eſſe perpetuò. *Tertiò*, humanæ naturæ conditio in terris eſt, teſte D. Thoma, ut ex primævo vulnere peccati magna ei fragilitas indita ſit: & licet per gratiam ſanetur quantum ad mentem, manet tamen in ea corruptio quantum ad carnem, per quam ſervit legi peccati.

Simile.

3. Conditio humanæ vitæ. D. Tho. 2. q. 109. art. 9.

Ma-

Digitized by Google

Manet etiam obſcuritas ignorantiæ in intellectu, & inclinatio prava in voluntate; ita ut homo ſeipſum non cognoſcat, nec de ſe ſuaque ſtabilitate in gratia, poſſit quicquam promittere. *Quarè* vita gratiæ & ſpiritus, eſt quaſi navigatio adverſo flumine, eſt quaſi colluctatio continua cum hoſte: neceſſaria ergo eſt contentio valida, & obſervatio diligens & continua. Hoc autem maximè difficile eſt, & ideò facilè contingit hominem quandoque retrocedere & relabi, quandoque vulnere etiam ſanato novum vulnus accipere, & cicatricem recrudeſcere. Hæc omnia faciunt, ut Confeſſarii etiam relabentes non debeant nimio rigore tractare, & in quamdam deſperationem adigere nimia ſeveritate, ſed debent eo fiderare illud Apoſt. *Fratres, ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum, ne & tu tenteris.* Etenim minis acerba increpatione facile eſt conturbare confitentem, & vulnus exaſperare. Ac deinde fragilitatis humanæ memorem eſſe oportet, *conſidera*, inquit Apoſtol. *teipſum, ne & tu tenteris.* Conſiderare debet Sacerdos, ne fortè & ipſi contingat, quod cõtigit ſeni cuidam in Ægypto, refert Joannes Caſſianus: Hic Monachum adoleſcentem cum in Confeſſione audiſſet libidinis incentivis urgeri, immoderata reprehenſione propè ad deſperationem compulit, indignum Monachi nomine conteſtans, cujus pectus impudicis cogitationibus patere potuerit. Sed mox ipſe juſto Dei judicio, eadem tentatione tam vehementer inquietari cœpit, ut & hic ſenex, ſicut & ille juvenis, jam ad ſæculum redire in animo verſaret. Cæterùm ſapientia ac ſanctitate præditus Apollo Abbas, juvenem vultu demiſſum cernens, cum triſtitiæ cauſam didiciſſet, blanditer conſolatus eſt, docens non eſſe malum fœda cogitatione impugnari, ſed vinci: nam ſe quoque idem ſæpè paſſum, Deo tamen adjuvante nunquam ſuccubuiſſe. Deinde ſenem jam relicto tugurio vagum profugumque ad ſe advocans, ut rediret admonuit; & jam ſuam expertus imbecillitatem, alienæ miſereri diſceret, non iraſci. Poſt hæc pro illo precatus, tentationem oratione abegit. Improvidus igitur iſte Confeſſionis auditor, nonne & ſe, & confitentem perdidiſſet, & cœcus cœcum ducens, ambo in foveam corruiſſent, niſi Apollo Domini miſerantis nutu, manum ſuam utrique ſuppoſuiſſet.

4. Colluctatio cum hoſte.

Gal. 6. 1.

Caſſian. de Abbate Apoll.

Itaque in ſpiritu lenitatis inſtruendus eſt Pœnitens, erigendus, redintegrandus, reſtituendus. Hæc omnia indicat verbum, INSTRUITE, apud Apoſtolum: ubi Lectio Græca habet, *inſtaurate, redintegrate, reſtituite.* Sicuti enim ut reſtaurentur membra hominis lapſu laxata, molliter tractanda ſunt; ita & membra Chriſti ut reſtituantur, & gratiæ vitam iterum participent, leni tractatione, ut plurimum opus eſt. Et licet frequentiùs relapſus quis fuerit, non debet repudiari. Si enim Dominus dixerit fratri parcendum, licet ſeptuagies ſepties offenderit, quanto magis vult ſuos Vicarios parcere nomine ſuo, etiam ſeptuagies ſeptiesrelapſis, quandoquidem toties poſſit humana fragilitas, etiam poſt veram pœnitentiam peccare? Hoc tamen advertant Pœnitentes & Confeſſarii, nullam eſſe contritionem eorum, qui proxima occaſione peccati involvuntur, & nolunt eam deſerere. Unde & tales non poſſunt dimittere cum abſolutione, niſi peccatis eorum velint participare.

Correctio ſit lenis, & ex charitate manans.

Audi quid hac occaſione fecerit B. Raymundus de Pœna forti, qui fuit tertius Generalis Ordinis Prædicatorum, lumen religionis, vivus & mortuus gratiis miraculorum florens, nam vivus quatuorà morte reſuſcitaſſe legitur, & 36. poſt obitum, inquit Senenſis. Hic cum foret Jacobo Regi Aragoniæ Confeſſarius, ſæpè monuit ut concubinam, qua utebatur, relinqueret: & Rex id pollicebatur quidem, ſed ſemper procraſtinabat. Transfretavit Rex ex Barcinona ad Majoricenſem Inſulam, optavitque virum ſanctum ſecum habere; ſpondens ſe cùm illuc perveniſſet, concubinam relicturum, ſed promiſſis non ſtetit. Quod videns vir ſanctus, Regem deſerere decernit, & Barcinonam repetere, timens ejus peccato involvi. Reſcivit id Rex, & ſub pœna capitis edicto ſanxit, ne quis eum transveheret. At ipſe divino ſpiritu impulſus, cappam ſuper mare extendens, præmiſſo Crucis ſigno, ingreditur, & baculo quem gerebat, ſcapulare in altum elevat loco veli: ſicque ex Inſula illa ſolvit, & ſpiritu Dei flante, 160. milliaria abſolviſſe dicitur ſex horis: & Barcinonam appuliſſe veſtibus ſiccis, populo ad tantum miraculum confluente, & veſtigia ejus exoſculante. Sic Deus adjuvit virum ſanctum, ne peccato alieno communicaret, Regem fornicationum vinculis occaſionis novi ſemper peccati implexum, vel abſolvendo, vel tolerando.

Sixtus Senenſis de B. Raymundo.

Cum Ameras Tharſi Dux Saracenorum cum exercitu contra Romanos profectus eſſet, ac in Herculis vicum milites prædatum miſiſſet, quidam Presbyter Themel nomine, Sacrificium incruentum peragens, ut agnovit Saracenorum irruptionem, relicto ſacrificandi munere, ita ut erat indutus, manibus geſtans Eccleſiæ myſterium, ſic invaſores propulſavit & multos vulneravit, nõ paucos interfecit, reliquis in fugam verſis. Cum verò Epiſcopus idcirco ei ſacris interdiceret, interdicti relaxationem petiit: poſtquam non impetravit, ad Agarenos ſe contulit, & Chriſtianam fidem ejuravit, atque cum ipſis egreſſus, non Cappadociam ſolum, & finitimaſ loca vexavit, ſed etiam uſque ad Aſiam quæ Minor dicitur, pervenit: & quanta detrimenta intulerit, nec ſcribere quidem fas nobis eſt, inquit Curopalates. Quanto præſtitiſſet Epiſcopum lenire cum eo egiſſe, ac petenti & pœnitenti interdictum relaxaſſe?

Baron. ad An. Chriſti 957. ex Curopalate.

Correctio nimis ſevera, noxia eſt.

LECTIO V.

DE TEMPORE ELICIENDÆ CONTRITIONIS.

PROPOSITIO UNICA.

Contritio non eſt differenda, ſed ſtatim à peccato elici debet.

1. *Quia ſtatus inimicitiæ Dei omni tempore abhorrendus.*

HUjus rei variæ poſſunt adferri rationes: Primò, quia ſtatus inimicitiæ Dei omni tempore homini abhorrendus eſt, tanquam intrinſecè malus, & plurima ſecum vehens mala: adeò ut mirum ſit, quod homo vel uno die in eo velit permanere: Et certè ſi oculos haberet & aperiret, ſtatum illum ſagaciùs penetrans, ſtatim vincula diſrumperet, quę ſibi injecit, eruereturque ſe à laqueo ferali, in quem impegit. Hinc ſolebat D. Thomas dicere, (ut teſtatur ſcriptor vitæ ejus) *ſe neſcire, quomodo poſſit fieri, ut homo in ſtatu peccati mortalis exiſtens, poſſit vel exiguo tempore gaudium aliquod concipere.* Deberet utique cum Pſalmiſta dicere: *Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, donec inveniam locum Domino, & tabernaculum Deo Iacob*: Ubinam? In intetiori domo mentis meæ, in intimo cubiculo cordis mei, quem habitatorem ſanctum fugavi ingrato fœtore peccati mei. Hunc autem ſanctum habitatorem revocat cordis perfecta contritio, cum propoſito Confeſſionis faciendæ. Hæc enim, ſi perfecta ſit, juſtificare etiam ante Confeſſionem, tradunt Theologi; modò adſit Confeſſionis propoſitum, juxta illud: *Dixi confitebor adverſum me injuſtitiam meam, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Ipſa enim contritio perfecta, eſt ultima ad gratiam diſpoſitio, & involvit dilectionem Dei ſuper omnia, cum qua peccatum non conſiſtit. Hujus rei figura præceſſit in decem leproſis, quos Dominus ad Sacerdotes miſit, *& dum irent, mundati ſunt*, inquit Scriptura. Sic multi antequam ad Sacerdotes accedant, juſtificantur & mundantur vi contritionis & reſolutionis firmæ, qua proponunt confiteri ea: quæ jam tota cordis converſione ſunt deteſtati.

Pſ.131.4.

Pſ.31.5.

Luc.17. 14.

2. *Ob periculum novi peccati.*

Secundò contritio ſtatim elicienda eſt, ob periculum novi peccati adiiciendi. *Peccatum namque quod pœnitentia non diluit, ipſo ſuo pondere mox ad aliud trahit.* Id verò partim ex juſtitia divina provenit, quia qui auſus eſt Deum offendere, & in peccato hærere, merito à Deo deſeritur, & in aliud ruere permittitur, dicente D. Gregorio: *peccatum ſi citius pœnitendo non tergitur, juſto judicio omnipotens Deus obligatam peccatis mentem ortam in alteram culpam permittit cadere: ut qui flendo & corrigendo voluit mundare quod fecit, peccatum peccato incipiat cumulare.* Sic peccatum quod per pœnitentiam citius non deletur, & peccatum eſt, & cauſa peccati, & pœna peccati. Partim etiam id contingit ex majori fragilitate, quam contrahit voluntas, dum ſemel gratiam amiſit. Eſt enim Theologorum ſententia, non poſſe nos ſine illa gratiæ ſanctificante, d u omnia peccata mortalia vitare. Denique id etiam provenit ex eo, quod ſicut virtutes inter ſe connexionem quandam habent, ita & peccata, ut hinc dicere poſſimus: *Abyſſus abyſſum invocat*, dum peccator de peccato in peccatum ruit, quia ſtatim à lapſo ſurgere non curavit. Et quia Deo manum ſuam porrigenti ipſe ſuam non extendit, contingit, ut & in profundum peccatorum proruat, tandemque contemnens contemnatur. Sic ferè negligentes lapſum ſuum, unico peccato non inveniuntur obnoxii. Sed ſicut rupes ex alto præceps ruens, multos ſecum lapides & ſortes trahit deorſum; ſic in ruina peccantis & negligentis, contingit plurima connecti crimina. Exemplum habes in Davide, qui poſtquam adulterium commiſit & neglexit, multa cumulavit peccata, homicidium, malum exemplum, populi ſcandalum, injuſtitiam, dum vult Uriæ falſum ſupponere hæredem. Attende & in Petro. Neglexit i. ſe primam negationem, ſtatim incidit in ſecundam cum gravi juramento, ſuccedit paulò poſt & tertia cum anathemate execrando; ſic peccatum in pejus ſemper ruit & procedit, & quonam deveniſſet, niſi Dominus ad eum converſus reſpexiſſet, ut petram in ſtagna aquarum converteret? de quo B. Ambroſ. *Bona lachryma quæ culpæ lavant, ſed & quos Ieſus reſpicit, plorant delictum: Negavit primò Petrus, & non flevit, quia adhuc non reſpexerat Dominus; negavit ſecundò, & non flevit, quia adhuc non reſpexerat Dominus; negavit tertio, & flevit amariſſimè, quia reſpexit Dominus. Si ergo ita ſunt oculi tui neceſſarii Deo, reſpice in me, & miſerere mei.* Sic voluit Chriſtus in Petro præſumptionem nimiam punire, & oſtendere, quid ſit homo ſine gratia Dei. Illum enim paululum deſeruit Dominus, ut in illo poſſit totum genus humanum agnoſcere, nihil hominem ſine gratia Dei poſſe, & cum illam peccator deſerit, in varia peccata facilè corruere. Paulò poſt verò Petrus reſpiciente Domino, in lachrymas contritionis validiſſimæ erupit, nec diem, aut alterum horam, ſeu noctem exſpectavit, ut peccatoribus exemplum daret, ſtatim à peccato ſurgendum, per contritionis ſubſidium. Dicere enim poterat Petrus genas rigans è fonte contriti cordis: ô maledicta lingua, quæ ſoluta es, ut negares vitæ auctorem! ô deteſtabile os, quod ſic potuit aperiri, ut ſuum negaret Redemptorem! Sed tu Domine, meritò *avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus*, miſerere mei, *quia peccavi in cœlum, & coram te.* Plorabo die ac nocte ingratitudinem peccati mei, nec tacebit pupilla oculi mei amore tui. Sic quicunque ſecurus es Petrum errantem & peccantem, ſequere lachrymantem, & citò pœnitentem. At multis peccantibus, non deeſt nec gallus cantans, nec oculus

Peccatum peccata trahit.

1. Reg.11. 9.

De Davide, exemplum.

Deſ. Petri

S. Amb. lib.10.in Luc. c.22

Pſ.89.8. Luc.15. 18.

Digitized by Google

culus Domini reſpiciens : hoc eſt, non deeſt vox Concionatoris increpans, voxque gratiæ inſpirantis excitans. Et tamen hi in nocte peccati hærent, & de nocte in noctem pergentes, peccata peccatis cumulant, impingunt & corruunt, donec præcipitio æterno involvantur. Hos monet Jeremias : *Date gloriam Deo, antequam contenebreſcat, & antequam offendant pedes veſtri ad montes caliginoſos, expectabitis lucem, & veniet umbra mortis.* Quid ſunt montes caliginoſi ? Inimicitiæ inveteratæ, quas non poterunt deponere, aliena, quæ non poterunt reſtituere : libidines, quas difficulter poterunt deſerere : quia cùm à Deo ad contritionem ſtatim à peccato vocarentur, aures voluerunt obturare.

Hier. 13. 16.

Certè unicuique ſtatim à peccato videtur inſinuare illud Deus. Eccl. 30. *Miſerere animæ tuæ placens Deo.* In quem locum dicit Auguſt. *Monet & rogat Deus, ut à peccatis mortiferis non revocemus. Audiamus illum dum rogat, ne poſtea non audias ille cùm judicat. Quid reſpondes Deo ad hæc, ô homo ? Deus te rogat, ut tui miſereatis, & non vis : cauſam tuam apud te agit, & à te non poteſt impetrare : quomodo te audiet in die judicii ſupplicantem ?* Idem quoque Auguſtinus ſimilitudine declarans non eſſe differendam pœnitentiam, ſic dicit : *Celeriùs vulneribus ſolent medicamenta ſubvenire celerius*, quoties ergo peccaverimus, non expectemus mortifera ſecuritate vulnera ipſa putreſcere, nec vulnera vulneribus augeamus, ſed continuò ad medicum currentes, ſalutem recipere feſtinemus. Si hoc in corpore facimus, quanto magis in animæ vulneribus.

Eccl. 30. Aug. ſer. 122. de temp.

3. *Ob divinam punitionem.* Eccl. 5. 8.

Tertiò contritio non eſt differenda : quia peccatoris cervici divinus ſemper incumbit mucro. Hinc monet Sapiens. *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Multi in mediis peccatis abſorpti ſunt, ſicut Core Dathan, & Abiron : quia opportuno tempore pœnitentiam non egerunt, ſemper in futurum differentes. Quibus congruit illud Sophoniæ : *Vox cantantis in feneſtra, corvus in ſuperliminari*, quod moraliter aliqui interpretantur de illis, qui in peccatis hærent procraſtinantes : quia corvus avis nigra eſt, libertate abuſa cùm ex arca à Noe dimiſſa eſt, & hujus vox eſt, CRAS CRAS, nunquam, HODIE : deſignatque homines peccatis denigratos, libertate abutentes, qui poliri nolunt ſe pœnitentiam acturos, ſed ſemper cras & cras uſurpant, nunquam hodie. Quibus dicimus cum Auguſtino : *Viguequè verba lenta & ſomnolenta, modò, ecce modò, ſine paululum : ſi modò & modò, non habens modum, & ſine paululum in longum vadit.* * *Quare non modò ? quare non hac hora, finis turpitudinis veſtræ ?* Quare non hodie initium converſionis & contritionis ? Sic hi cum voce corvina cadaveribus inhærent, & nolentes gemere cum columba, Domino arcum intendente, percutiuntur ejus manu vindice : ejiciunturque è feneſtra, & ſuperliminari hujus vitæ, & fiunt eſca ignis, & mortis æternæ.

Sopho 2. 14.

Gen. 8. 6.

S. Aug. l. 1. Conf. c. 5. * Idem. l. c. 12.

Prudenter S. Auguſt. *Homines, ait, periclitantur & ſperando, & deſperando. Sperando dum dicunt, Bonus eſt Deus, faciam, quod mihi placet, qualibet deſperando*, dum ob gravia peccata quæ fecerunt, *dicunt, Jam damnandi ſumus, quare non quod volumus, faciamus ? Metuendum eſt, ne te occidat ſpes, & cùm multum ſperas, de miſericordia incidas in judicium : metuendum eſt rurſus, ne te occidat deſperatio*, &c. Hinc utrique ſuccurrere volens Dominus, *illis qui ſpe periclitantur* dicit Eccl. 5. *Non tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem : ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te. Illis qui deſperatione periclitantur quid dicis ? In quacunque die impius converſus fuerit*, omnes iniquitates ejus obliviſcar. *Propter illos ergo, qui deſperatione periclitantur, propoſuit indulgentia parcum, propter illos qui ſpe periclitantur & dilationibus illuduntur, ſcrit diem mortis incertum : quando veniat ultimus dies, neſcis, ingratus es, ſi eum expectas : quia hodiernum habes in quo corrigaris.* Hinc idem Auguſt. *Verum quidem dicis, quod Deus pœnitentiæ tuæ indulgentiam promiſit : ſed huic dilationi tuæ diem craſtinum non promiſit.*

S. Aug. tom. 9. tract. 33. in Joann.

Eccl. 5. 8.

Ezech. 33. 12.

Matt. 24. 43.

Aug. in Pſ. 114.

Audi exemplum quod refert S. Antoninus Archiepiſc. Florentinus. Quidam Adoleſcens nobilis, & hujus ſæculi rebus affluens, cum vanitatibus & laſcivis admodum deditus eſſet, quotidiè manè ad Deum orationem præmittebat, ut cum ſine prævia monitione emori non fineret. Cùm ſemel hanc orationem fudiſſet, apparuit Angelus dicens, eum exauditum, nempè ſine prænuncio haud moriturum. Unde ſecurior factus, magis magiſque voluptati indulſit. Sed non diu poſt, quodam die manè ſurgens dolorem capitis ſenſit, atque ideò domi ſe continet. Socii adveniunt cum ad delicias avocaturi, non acquieſcit. Corripit eum febris, & lecto affigit, tunc monetur à conſanguineis, ut de more confiteatur. Reſpondit ipſe, *infirmitatem non eſſe ad mortem, & proinde non eſſe neceſſe confiteri, ſed brevi ſe liberatum iri.* Invaleſcit morbus, moneturque iterum ab amicis de confeſſione. Reſp. *Omninò ſe in mente eſſe, ſed ut melius inſtituat, velle expectare donec alleviatur.* Recrudeſcit morbus, & cùm à ſuis importunè rogaretur. R. *Ita ſe gravatum, ut vix ſciret quid diceret* Demum appropinquante morte, Angelus ei apparuit, dicens : *Tempus eſt, ut egrediatur anima tua de corpore, finis tuus venit.* Conqueritur iſte, dicens : *Dominum decepit me, quia promiſit, quod non morerer ſine præmonitione.* Imò inquit Angelus, ſæpe fuiſti monitus : *nam cùm acceſſit infirmitas ea fuit pronuncia mortis. Cùm à conſanguineis tibi diceretur, ut confiteris, fuit alia monitio ; & iterum alia, cùm à Sacerdote eadem dictum fuit : noluiſti verò audire, ideò non datur tibi plus temporis : oportet ut moriaris.* Sic ſine confeſſione mortuus eſt.

S. Antonin. 2. p. ſummæ tit. 9.

Digitized by Google

4. Obperditionem meritorum.

Quartò, ſtatim elicienda eſt contritio, nedium differentes perdamus meritum bonorum operum, & participationem meritorum Chriſti. Opera enim quæ in peccato facimus, mortua ſunt, nec gloriam merentur apud Deum. Et ſic multi dum magnam anni partem in peccato traducunt, multa bona opera inutiliter peragunt, jejunia, orationes, eleemoſynas, ſacrificia. Unde gravi ſocordia eſt, bonorum quæ ſpiritualium non exiguum damnum, tunc ſolùm ſe ad contritionem diſponere, dum fortè præcepto confeſſionis quis urgetur. Nemo verè Chriſtianus veſperi ſomno deberet indulgere, dum ſe peccato mortali agnoſcit obnoxium, ſine contritione, aut ad eam conatu. Nemo ſaltem dies dominicos prætereat, quin eam eliceret, dum finis inſtitutionis illorum ſit ſanctificatio noſtra: quæ per contritionis vim a peccatore poteſt obtineri, ut alibi dixi. Demique, nemo Chriſtianus contritionis eliciendæ modum deberet ignorare: quandoquidem frequenter contingat, opportunitate confeſſionis deficiente, per hanc ſolam viam ad gratiam cum Deo, & ad ſalutem poſſe perveniri. Qui non didicit eam tempore vitæ, difficulter eam novetit, urgente neceſſitate. Quam multi neſciunt quid attritio, quid contritio, quid cordis compunctio, aut dolor ex amore Dei; & ideò periculosè vivunt, periculoſiùs moriuntur.

Bellarm. l 2. de arte bene mor, c. 6.

Teſtis eſt hujus rei Bellarminus, lib 2. c. 6. de arte bene moriendi, ubi hoc exemplum refert. Cùm inviſerem inquit, amicum virum divitem & nobilem, qui ex peccato quodam gravi perpetrato in morbum lethalem inciderat, atque ei dicerem: nihil ei ſalutarius in eo temporis articulo eſſe poſſe, quam veram peccatorum ſuorum pœnitentiam & contritionem, quia Deus cor contritum & humiliatum nunquam deſpicit. Reſpondit ille: *Et quid eſt contritio? Non capio quid à me requiras.* Subjeci ego: *Hoc requiro, ut ex vero corde diſpliceat tibi, quod in Deum peccaveris; & omninò ſtatuas ſi diutius vixeris, nunquam amplius Deum offendere; idque totum procedat ex vero amore Dei, qui tibi innumerabilia beneficia præſtitit, cui tu ingratiſſimus pro beneficiis injurias reddidiſti.* Reſpondit ille: *Non intelligo, non ſum capax rerum iſtarum.* Ita obiit, ſigna damnationis ſuæ ſatis aperta nobis relinquens. Hæc ille. Sic verum eſſe patet illud

S. Auguſtini dictum ſer. 10 de Sanctis. Jer. 17.

Auguſtini. *Hæc animadverſione percutiuntur peccatores, ut moriens obliviſcatur ſui, qui vivens oblitus eſt Dei.* Et iterum de quibuſdam verum eſſe patet, quod de Juda dicitur: *Peccatum Juda ſcriptum eſt ſtilo ferreo, in unguæ adamantino, exaratum ſuper latitudinem cordis.* Jeremiæ 17. In quorundam enim corde, peccatum non ſolùm leviter ſcriptum remanet, quaſi calamo exaratum, ſed ſtilo ferreo inciſum, non in aliqua parte cordis, ſed ſuper totam latitudinem illius; ita ut non ſit locus contritioni nec effectui bono, aut inſpirationi. Et ſic fit, ut nec memoria judicii, nec cruciatus inferni, nec gloria Cœli, nec hominum monitio, cor tale adamantinum mollire poſſit, aut ſic ſcriptum peccatum delere.

Non eſt negandum tamen, contritionem quolibet articulo neceſſitatis, & quolibet momento elicitam, hominem Deo reconciliare, dicente Cypriano: *Inſiſte adhuc mundo manenti, pœnitentia nulla ſera eſt ſi vera.* Idem ſer. de Cœna Domini *Pœnitentiam clementiſſimi Dei benignitas non aſperabitur*, nec verum eſt quod verum, nec irremiſſibile quod voluntarium, & quæcunque neceſſitas rogat ad pœnitudinem, *nec quantitas criminis, nec brevitas temporis, nec hora extremitas, nec vita enormitas, ſi vera contritio, ſi pura fuerit voluntatum materia, excluſit à venia.* Per hanc exiſtimamus aliquos diluvii aquis jam obrutos, miſericordiam invenille. De quibus loquitur Petrus. Habetur quoque in vita S. Lutgardis. Beatam Virginem impetraſſe contritionem Innocentio III. in hora mortis, & per contritionem obtinuiſſe gratiam, alioqui damnationi obnoxio. Parum autem eſt, quibus verbis exprimatur contritio, quia non in verbis conſiſtit, ſed in tota cordis converſione. Hinc David his duobus verbis illam exprimit: PECCAVI DOMINO; ſtatimque ſubjungit Prophera: TRANSTULIT DOMINUS TUUM PECCATUM. Publicanus dicit: *Deus propitius eſto mihi peccatori.* His verbis ſufficienter ſuam exprimit contritionem. Unde dicitur juſtificatus è templo receſſiſſe. Manaſſeas: *Peccavi ſuper numerum arenæ maris, & non ſum dignus reſpicere altitudinem Cœli: ſed in te Deus Pœnitentium, & oſtendes in me bonitatem, indignum ſalvans.* Prodigus repræſentans peccatorem contritionis quamdam exprimit formulam, dum dicit: *Pater, peccavi in cœlum & coram te, jam non ſum dignus vocari Filius tuus.* Latro non aliter ſuam exteriſſe contritionem legitur, quam dicendo: *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum.* Petrus & Magdalena non verbis, ſed lachrymis exprellerunt. Itaque monendi ſunt ſimplices, non ſtatim ſufficere ad contritionem, quod orationem aliquam legant, quam vocant ACTUM CONTRITIONIS. Poſſunt equidem juvari & excitari per ſimiles orationes: at contritio eſt cordis cum Deo locutio, quæ non eget multa verborum pronunciatione; & poteſt non adeſſe, licet orationis pronunciatæ verba eam videantur exprimere. Unde recte à Kempis: *Opto magis ſentire compunctionem quàm ſcire ejus definitionem.* Et ſæpius longè melius, & certiùs eam exprimunt ſingultus & ſuſpiria, quàm verba. Audiebam ego quondam militis cujuſdam ſeptennalem confeſſionem, variis criminibus refertam: cumque ejus ſtatum pervidiſſem, ſollicitus eram de contritione; quia ſatis ſiccè, more militari, ſua eloqui videbatur. Interrogabam ſemel & iterum, & urgebam, an verè & ex animo contritionem haberet adeò enormium peccatorum? Reſpondebat mihi quod ſic, ſed ſat languidè. Subjeci ego me ambigere de ipſius vero dolore

Contritio quotis tempore hominem Deo reconciliat. Cypr. li. ad Demetrianum pag. 167.

1. Pet. 3. 2. V. dicta l. 1. tract. 3. l. c. 23. & V. ibid. tract. 4. lect. 2. in fine.

2. Reg. 12. 13.

Luc. 18. 13

Luc. 15. 21.

Luc. 23. 41.

Thom. Kemp. li. 1 de imit. c. 15.

Exempl.

dolore, quod tam languidè & ſiccè, peccata illa gravia confitendo, leſe gereret, & quaſi ſine ſpiritu & ſenſu. At ipſe. Crede mihi, inquit, ego de illis plurimùm doleo: ſtatimque in his verbis percutiens pectus, cũ profundo ſuſpirio ex oculis unam vel alteram lachrymam excuſſit. Reſpondi ego: Sat. nunc mihi eſt, non ultrà te urgeo, aut verbis prolixioribus moroſus eſſe volo: cordis tui loquela mihi nunc ſatis eſt manifeſta. Utique pluris feci a tali viro unum ſingultum aut lachrymã, quàm multas lachrymas alicujus mulierculæ, extenet rudine quadam naturali facile fluentes etiam ſine profunda contritione, vel quam verboſas proteſtationes aliquorum de dolore, quæ ſæpiùs plus exteriùs præferunt, quàm ſi interius S. Auguſt. in Enchiridio. *In actione pœnitentiæ*, inquit, *non tam conſideranda eſt menſura temporis, quam doloris.* Idem. *Pœnitentiam certam non facit, niſi odium peccati & amor Dei: quando ſic pœnitet, ut tibi amarum ſapiat in animo, quod antè dulce fuit in vita.*

S. Aug. in Enchir. c. 65. Idem. ſer. 7. de temp.

LECTIO VI.

DE CONFESSIONE.

1. *Docet Confeſſionem eſſe de jure divino.*
2. *Multa commoda afferre Eccleſiæ.*
3. *Multis caſibus ejus præceptum obligare.*

PROPOSITIO I.

Confeſſio ſecreta peccatorum, eſt de jure divino, à Chriſto Domino inſtituta.

Trid. ſeſſ. 14. c. 5. & can. 6. Catechiſmus Rom. p. 2 c. 5. de pœn. num. 33. Joan. 20. 22.

HÆc Confeſſio, quam dicimus ſecundam partem Pœnitentiæ, eſt accuſatio integra peccatorum facta Sacerdoti, in ordine ad abſolutionem virtute clavium obtinendam. Hanc Chriſtus inſtituit, Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, quorũ retinueritis, retenta ſunt.* Nam, ut ſuprà dixi, conſtituit ibi Apoſtolos, & eorum in ſacerdotio ſucceſſores, Judices, ad diſcernendum eos quibus peccata remittenda forent, ab his quibus retinenda. Quod fruſtrà factũ foret, niſi teneantur peccatores tanquam rei, hiſce Judicibus ſeſe ſubiicere, & cauſam conſcientiæ ſuæ cognoſcendam exhibere: ergo ex Chriſti inſtitutione & præcepto neceſſe eſt Sacerdotes prius audire confeſſionem, quam ferant ſententiam abſolutionis.

Act. 19. 18

Quapropter, ſi quæras, quando inceperit hæc confeſſio ſacramentalis? Reſpondemus, jam à primordiis Eccleſiæ, Apoſtolorum tempore. Scribit enim S. Lucas, quod S. Paulo apud Epheſum ſegregatis diſcipulis docente, & miraculis doctrinam confirmante, *multi credentium* venerint *confitentes & annunciantes actus ſuos.* Ubi & de combuſtis eorum libris fit mentio, qui curioſa ſectati fuerant. Sic & D. Jacobus dicit: *Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem, ut ſalvemini.* Quo quidem loco, monet eos qui infirmantur, non tantum ut ad ſe advocent Presbyteros Eccleſiæ, ut orent ſuper eos, & oleo inungant, ſed etiam ut iis confiteantur. Nam quod dicit: CONFITEMINI ALTERUTRUM, ad illius confeſſionis diſtinctionem dicitur, quæ fit ſoli Deo. Quaſi dicat. Non tantùm homo Deo, ſed inter vos alter alteri, homines hominibus, oportet confiteri, & orare pro invicem; non infirmi pro Presbyteris, ſed Presbyteri pro infirmis, ut ſalvemini. Sic 1. Petri 4. dicitur: *Hoſpitales invicem, unuſquiſque ut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes.* Jac. 5. 16. 1. Pet. 4. 9

Itaque non ſufficit interior illa confeſſio, ſive acculatio peccatorum ſuorum coram Deo, de qua dixit David: *Dixi confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino*: ſed etiam neceſſaria eſt exterior coram ſacerdote. Audi Aug. hom. 49. & 50. c. 3. item 41. & 50. c. 4 & 5. *Agite pœnitentiam, qualis agitur in Eccleſia, ut oret pro vobis Eccleſia. Nemo ſibi dicat, occultè ago apud Deum pœnitentiam: novit Deus qui mihi ignoſcit, quia in corde ago.* Ergo ſine cauſa dictum eſt. *Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in cœlis? Ergo ſine cauſa ſunt claves datæ Eccleſiæ Dei? fruſtramur Evangelium Dei, fruſtramur verba Chriſti? Promittimus vobis, quod ille negat? Nonne vos decipimus?* Iterum l. 2. de viſit. infir. c. 4. Sunt, inquit, qui ſufficere ſibi ad ſalutem autumnant, ſi Deo quem nullius latet conſcientia, confiteantur crimina. *Erubeſcunt ſive dedignantur ſe offendere ſacerdotibus, quos tamen inter lepram & lepram diſcernere, conſtituit Dominus. Sed nolo, ut ipſa decipiaris ſuggeſtione, quatenus confundaris confiteri coram Domini vicario, vel tabeſcens pra rubore, vel cervicoſus pra indignatione. Nam ipſius ſimiliter ſubeundum eſt judicium quem Dominus ſibi non dedignatur Vicarium.* Ecce verbis his apertis Auguſtinus confundit ſententiam impiam noſtrorum hæreticorum.

Omnibus ſæculis in uſu fuiſſe Confeſſio.

Sed & omnibus ſæculis jam ab initio Eccleſiæ in uſu fuiſſe Sacramentalem confeſſionem, ex Sanctis Patribus qui diverſis vixére ſæculis, & in ſuis ſcriptis confeſſionis hujus faciunt mentionem, manifeſtum eſt. Et de primo quidem ſæculo poſt Chriſtum, patet ex S. Dionyſio diſcipulo Pauli, qui Demophilum Monachum objurgat: quod ſacerdotem ad fontem gratiæ & miſericordiæ redeuntem nimis acerbè à ſe rejecerit non abſolutum. Poſtquam enim & Chriſti benignitatem erga peccatores, qui etiam in humeros impoſitam ovem fert, objeciſſet, ſic ait: *Tu autem eum, etiam qui ſe ad ſacerdotem ſubmiſiſſet, & abjeciſſet ad ejus genua, impium (ut ais) neſcio quo pacto contra diſciplinæ ordinem adflans calce abjeciſti ac repuliſti. Cùm ille quidem verecunde (quod oportuit) fateretur ſe ad peccatorum remedia quærenda veniſſe: neque exhorruiſti inſuper & Sacerdotem optimum lacerare convitiis, miſerabilem eum dicens, qui pœnitentem atque impium juſtificaſſet.* Vide ep. 8. ad Demophilum.

Digitized by Google

Clem.ep. 1. & 2.

Eodem ſæculo virit S. Clement, & docet ep. 1. & 2. tunc in uſu fuiſſe confeſſionem, & à Petro ſe inſtructum, quod Chriſtiani etiam malas cogitationes tenerentur confiteri. Verba ejus ſunt: *Inſtruebat B. Petrus, actus ſuos vitæ omni hora cuſtodire, & omni loco Deum reſpicere, ſimulque ſcire cogitationes malas cordi ſuo advenientes mox ad Chriſtum allidere, & Sacerdotibus Domini manifeſtare.* Itaque, inquit idem S. Clemens, *quæ ſi fortè alicujus cordi, vel livor, vel infidelitas, vel aliud malum latenter irrepſerit, non erubeſcat, qui animæ ſuæ curam gerit, confiteri hæc huic qui præeſt: ut ab ipſo per verbum Dei & conſilium ſalubre curetur, quo poſſit integrâ fide, & operibus bonis pœnas æterni ignis effugere, & ad perpetuæ vitæ præmia pervenire.*

Tert. l. de pœnit.

Altero poſt ſæculo vixit Tertullianus, & confeſſionem in uſu tunc fuiſſe, apertè tradit in libro quem ſcripſit de Pœnitentia: ita ut nihil clarius dici poſſit contra noſtros Hæreticos. Eodem ferè tempore fuit Origenes, qui de Confeſſione loquitur, hom. 2. in Pſ. 37. & de peractâ abſolvendi peccata, ſic dicit: *Chriſtus poterat curare omnem languorem, diſcipuli verò ejus, Petrus & Paulus, & omnes qui poſt Apoſtolos in Eccleſia poſiti ſunt, etiam medici ſunt, quibus curandorum vulnerum diſciplina commiſſa eſt. Hos voluit Deus in Eccleſia eſſe medicos animarum, quia non vult mortem peccatorum, ſed pœnitentiam & orationem illorum exoptare.* Et hom. 2. in Levit. *Eſt per pœnitentiam remiſſio peccatorum, cùm lavat in lachrymis ſtratum ſuum, & fiunt ei lachryma ſua panes die ac nocte, & cùm non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum, & quærere medicinam.* Hæc ille.

Origen. hom. 2. in Pſal. 37.

Et in Lev. hom. 2.

Poſtea vixere Cyprianus & Baſilius, qui de hac re etiam manifeſtiſſimè loquuntur. Cypr. tract. de lapſis ſic ait: *Confiteamur ſinguli, quæſo vos Fratres, delictum ſuum, dum adhuc qui delinquit in ſæculo eſt, dum admitti ejus confeſſio poteſt, dum ſatisfactio cujuſque & remiſſio facta per Sacerdotes, apud Dominum grata eſt.*

Cyprian. tract. de lapſis.

Denique 4. ſæculo vixere Ambroſius & Auguſtinus, qui nihil aliud inculcant in ſcriptis ſuis, quàm Confeſſionem Sacerdoti faciendam.

Ambr. & Auguſt. Vide Bellar. to. 3. de Pœnit. l. 4. c. 6. & ſeqq. ubi citat teſtimon. Patrum.

Ex quibus omnibus patet hoc Sacramentum confeſſionis, non eſſe humanum inventum, aut ab hominibus inſtitutum, ut inclamant Hæretici. Nam nec illi unquam potuerunt aut poterunt oſtendere, quis homo, ubi & quando illud invenerit, inſtituerit, præceperit. Unde & hoc tantæ humilitatis præceptum originem trahere potuit, niſi à Deo? Quis hoc onus mundo imponere potuit, niſi Jeſus Chriſtus? Quis Imperatores, Reges, Principes, Pontifices, ad id cogere potuit, niſi Rex Regum & ſummus Sacerdotum? An verò rem adeò gravem, de aperiendis intimis animi cogitationibus, Eccleſiæ Præſules unquam præcepturi erant, niſi auctoritate divinâ fulti? Cùm igitur nec in aliquo concilio, nec in aliqua conſtitutione Apoſtolica, origo talis præcepti reperiatur, planè juris & inſtitutionis divinæ eſſe cognoſcitur.

PROPOSITIO II.

Multa utilitas in fideles & Eccleſiam à Confeſſione redundat. Vid. Catechiſmum Rom. p. 2. de Pœnit. Sacramento num. 32.

PRimò quidem, quia per illam redditur facilior peccatorum remiſſio, quàm antiquitus: quia olim neceſſaria erat contritio, quæ difficulter omninò haberi poteſt, utpotè perfectus omninò dolor ob bonitatem Dei offenſam: ad quem non ita ſtatim facilè pertingit, poſt primævum vulnus originalis peccati, animus infirmus & repens, tepenſque. In ò ille dolor contritionis, etiam perfectum Dei amorem, qui ex toto corde procedat, involvit, quem facilè ubi homo non poteſt promittere. Nunc autem poſt Confeſſionem & abſolutionem inſtitutam, ſufficit attritio ſive dolor imperfectus, ex motivo quolibet ſupernaturali procedens, cum voluntate de cætero non peccandi. Nam per Confeſſionem & abſolutionem merita Chriſti applicantur, & ſuppletur imperfectus ille dolor, ſicque homo de attrito contritus, ut initio latiùs explicavi. Si ergo onus aliquod novum videtur per confeſſionem Chriſtus impoſuiſſe fidelibus, compenſat illud faciliori remiſſione: dum non requirit tantam ac olim in pœnitente diſpoſitionem, & abundantiorem, quam olim gratiam modò tribuit in Sacramento: ut meritò à SS. viris Patribus noſtris celebratum ſit, Eccleſiæ clavibus aditum in cœlum aperiri. Adde quod & olim tenebantur Sacerdotib. diverſi generis peccata aperiri; quæ per certa ſacrificia erant expianda. Vide num. 5. Levit. 5. 6. 7. ita ut ibi aliqua figura Confeſſionis novæ legis præceſſerit. Cujus etiam integritas in eo manifeſtè figurata fuit, quod leproſi debebant Sacerdoti omnia membra exhibere nuda, debebant radi crines, cutiſq; examinari, an aliquid uſpiam lepræ lateret. Quin imò debebant examinare etiam lepram ædiũ & veſtium: eorumque munus erat diſcernere inter lepram & lepram. Quibus omnibus ſignificatur, quod eis debebant detegi omnia peccata mortalia, omnes circumſtantiæ, omnes occaſiones peccati in domo aut converſatione. Unde & S. Hieron. colligit, Sacerdotum eſſe cognoſcere peccatorum varietates, Chryſoſt verò Sacerdotes novæ legis eſſe excellentiores illis veteris legis, eo quod lepram peccati non tantum oſtendant, ſed verè etiam curent, *Noſtris*, ait, *Sacerdotibus non corporis lepram, verùm animæ ſordes non dico purgatas probare, ſed purgare perfectus conceſſum eſt.* De Confeſſione Deo & homini facta loquitur S. Joan. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Unde hic dicitur Deus fidelis & juſtus, dum noſtra peccata remittit, niſi

1. *Confeſſione facilius fit remiſſio peccatorum & ſalutis conſequendæ ratio.*

Aug. l. 2. de adult. con. c. 9.

Chryſ. l. 3 de Sacer. conc. Flor. Num. 5. Lev. 5. 6. 7. Capp. Lev. 13. 14.

S. Hiero. in c. 16. Matthæi.

S. Chryſ. l. 3. de Sacerd.

S. Joan. 19.

niſi quia promiſſioni à ſe factæ ſatisfecit? ut promiſſio clariſſima extat facta Sacerdotibus, apud eundem quibus dictum eſt: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*: non autem extat ſimilis de confitentibus ea ſoli Deo.

Joan. 20. 22.

2. *Superbia comprimitur & acquiritur notitia ſui, ad mores emendandos inſtrumentum.* S. Greg. l. 22. mor. c. 10.

Secundò ex eo utilitas confeſſionis elucet, quod ſuperbia compr matur humana; quodque per illam homo meliùs ad ſui notitiam perducatur. Dum enim particulariter in ſe reverti debet, & ingredi cor ſuum & fodere uſque ad cordis imum, ut perfectam poſſit Confeſſario notitiam dare ſtatus animæ: cogitur agnoſcere miſeriam, fragilitatem, ignorantiam, cæcitatem, proclivitatem in malum, & dare contra ſe teſtimonium, humanæque elationis ſuperbiam hic confringere: *Hæc juſtus vera humilitatis teſtimonia, & iniquitatem ſuam quamque cognoſcere, & cognitam voce confeſſionis aperire.* Unde in inſtitutione confeſſionis, ex una quidem parte bonitas Dei elucet, ſed etiam ex altera parte juſtitia ejus refulget. Quia cum in omni peccato ſuperbia inveniatur, illam hic humilitate expiare neceſſe eſt, flexis coram Sacerdote genibus confitendo, monita, reprehenſionem, ſatisfactionem, ab eo percipiendo. Et hoc quidem ſit ſine acceptione perſonarum. Quia licet Princeps accedat diademate coronatus, licet Rex ſceptro ornatus, licet Imperator orbis aureum gerens globum, licet Epiſcopus ſacrâ tiarâ & infulis redimitus, licet Pontifex duplicem gerens cello faſtigio coronam, hæc omnia debet ſubſternere Sacerdotis pedibus, reum ſe & inferiorem agnoſcens, pœnitentiamque delictorum poſtulans. Ita ut hæc ſubmiſſio verecunda, magnam debeat operari humilitatem, ut tanto efficacior ſit, ad liberandum hominem cujuslibet gradus & dignitatis, ab illa confuſione quam alias deberet ſubire in conſpectu æterni Judicis, & totius orbis. *Melius eſt*, inquit S. Auguſt. *coram uno aliquantulum ruboris tolerare, quam in die judicii coram tot millibus hominum gravi repulſa denotatum tabeſcere.*

3. Aug. l. 2. de viſit. infir. c. 4.

3. *Ob fructus in Remp. redundantes ex Confeſſione; humanæ vitæ ſocietatem publicamque honeſtatem conſervat.* Catechiſ. Pii V. Pontif. p. 2. de Pœnit. Sacr. n. 32.

Tertiò non ſolùm utilis fuit Confeſſionis inſtitutio, ob fructum ſpiritualem ex illo redundantem, ſcilicet remiſſionem peccati, reconciliationem Dei, infuſionem gratiæ & virtutum, commutationem pœnæ æternæ in temporalem, & quandoque totius pœnæ remiſſionem: ſed etiam ob fructus, qui ex illa in Rempublicam, illiuſque probam inſtitutionem, & adminiſtrationem refunduntur. Certè rectè dixit Catechiſmus Pii V. Quidquid hoc tempore ſanctitatis, pietatis, & religionis, in Eccleſia ſummo Dei beneficio conſervatum eſt, id magnæ ex parte confeſſioni tribuendum eſſe. Ut nulli mirandum ſit, humani generis hoſtem, cùm fidem Catholicam funditus evertere cogitat, per miniſtros impietatis ſuæ & ſatellites, hanc veluti Chriſtianæ virtutis arcem totis viribus oppugnare. Quis verò non videat, niſi cœcus & cœcitatem amans, copioſus fructus in Rempublicam Chriſtianam per confeſſionem exoriri? Nunquid non per illam multiplicia mala impediuntur; in perniciem publicam erumpentia & alias incurabilia? Reſtituuntur enim injuſta, deponuntur odia, conciliantur animi, impediuntur cædes, propulſantur rebelliones, dirimuntur proditiones, obedientia Regibus redditur, & Magiſtratibus tam Eccleſiaſticis quàm politicis eliminatâ è cordibus contumaciâ. Pacta diabolica & maleficia diſſolvuntur, adulteria & ſacrilegia propulſantur, denique nulla non ſcelera & flagitia quantumlibet abdita, hoc Tribunal Sacramentale ſuffocare conatur. Nihil non boni ex illo oritur, quandoquidem ibi optima exhibeantur conſilia, præclara monita, efficacia contra peccatum remedia. Ibi etiam calcar ſubditur pœnitenti, ad pietatis opera erga Deum, charitatis erga proximum, amoris & obedientiæ erga parentes & conſanguineos, obedientiæ erga ſuperiores, eleemoſynæ & miſericordiæ erga pauperes, juſtitiæ & officii debiti erga inferiores. Ibi afflictum & contribulatum cor ſolarium reperit, perturbata mens & conſcientia gaudium, anguſtiata anima fiduciam & quietem in Spiritu S. Quid ergo ſpiritu vertiginis agitati Novatores, factum hoc Tribunal blaſphemis vocibus conſpurcant, maledicâ linguâ conſcindunt, calumniis conficiunt? Niſi ut perniciosiſſimæ & proſligatiſſimæ libertati fræna laxent, & tanquam equus & mulus ſine chamo & habenis in præcipitia ruant, in libidines inceſtas, ſodomias, ſacrilegia, adulteria, rebelliones? Confeſſionem eliminare volunt, ut ſuo arbitratu vivant, omniaque tam privata quàm publica, tam ſacra quam profana, in confuſionem redigant: & Babyloniam aliquam conſtituant, in qua regnet impietas, & impunitas, tranſgreſſionis nutrix, radix ſcelerum, incuriæ ſoboles, impœnitentiæ mater, noverca pietatis.

Eſſ. ſus Corſeſſio-nis.

Præmium Confeſſionis.

Damnum abrogata Confeſſionis.

Certè abrogatæ confeſſionis damnum, Lutheranos quandoque vidiſſe, teſtis eſt Dominicus Sotus, Caroli V. à ſacris Confeſſionibus, lib. 4 ſent. diſt. 18. q. 1. art. 1. ubi ait: Verecundia inquit, confitendi vehementiſſimè homines à perverſis moribus arcet, id quod me teſte Germani ipſi, dum publicè inter eos agebam, fatebantur. Quâ de re inclyta Norimberga civitate, miſſa eſt ad Cæſarem legatio, per quam cives id petebant, ut Cæſar imperatorio jure confeſſionem auricularem induceret. Ajebant enim ſenſu & more intelleXiſſe. Rempublicam ſuam poſtquam confeſſio ceſſaverat, vitiis contra juſtitiam, & alias virtutes ſcaturire, quæ illis antea fuerant incognita. Ritum autem ea legatio movit. Nam cùm fateri omninò tenerentur per abſolutionem Sacerdotis culpas remitti, & divino juſſu teneri homines ad confeſſionem, quomodo plebs induci poſſet Cæſarea lege occulta ſua ſcelera ſecretò confiteri? Hæc ille.

Dom. Sotus lib. 4. ſent. diſt. 18. q. 1. a. 1.

Pro-

Propositio III.

Confessionis Præceptum multis casibus obligat ita ut de novo peccet illam omittens.

1. *In periculo probabili mortis.*

Primò in periculo probabili mortis, v. g. dum timetur naufragium, exorta tempestate, vel instat prælium periculosum. Sic cum fœmina, quæ difficiles partus habere solet, partui proxima est, tenetur confiteri. Qui autem præscit, se in tali articulo necessitatis non habiturum copiam Confessarii, tenetur prævenire, quia exponit alioqui se periculo moriendi sine Confessione.

2. *Ante susceptionem aut administrationem Eucharistiæ.*

Secundò, quando suscipiendum est Sacramentum Eucharistiæ, obligatio est Confessionis, ut patet ex Tridentin. Item si Sacramentum aliud suscipiendum est, vel administrandum, debet præmitti confessio vel saltem contritio; quia debent administrari vel suscipi Sacramenta in statu gratiæ, in quem statum non restituitur peccator, nisi per confessionem aut contritionem.

3. *Omnes semel saltem in anno.*

Tertiò tenentur omnes qui discretionis usum attingerint, saltem semel in anno confiteri, ex præcepto Ecclesiæ.

Cæterùm licet Ecclesia frequentiorem confessionem non præcipiat; adhortatur tamen continuo filios suos ad illam frequentandam, ob fructus qui ex illa oriuntur, & ob pericula quæ ex illius neglectu potest homo incurrere. Unde quæ suprà dixi de Contritione statim à peccato eliciendâ, etiam locum habent hic: ut propter easdem rationes urgeatur peccator ad confessionem non differendam. Sed in hac re plerique sunt cæci, aut supinè negligentes; ut etiam præceptum annuum confessionis tanquam grave repudient aut negligant: & peccata peccatis addentes, sibi onus importabile accumulent, quo in tartarum devolventur: & multa bona negligant, quibus gloriam sibi immensam poterant comparare. Hinc ad Arsenium in eremo quondam venit vox dicens. *Veni, ostendam tibi opera hominum.* Et surgens abiit, & duxit eum ad quendam locum, & ostendit ei Æthiopem incidentem ligna, & facientem sarcinam magnam, tentabatque portare eam, & non poterat. Et pro eo ut auferret ex sarcina illa, ibat iterum & incidebat ligna, & addebat ad sarcinam; hoc autem faciebat diutiùs. Et procedens paululùm, ostendit hominem rursus stantem super lacum, & haurientem aquam ex eo, & infundentem in cisternam pertusam, quæ cisterna ipsam aquam iterum refundebat in lacum. Et dicit ei iterum: *Veni, ostendam tibi aliud.* Et ecce vidit templum, & duos viros sedentes in equis, & portantes lignum transversum, unum contra unum. Volebant autem per januam introire in templum, & non poterant propter lignum illud quod transversum portabant; & non inclinantes se unus post alium, ut fieret illud lignum directum, remanserunt foris. Et cum interrogasset quid hoc esset? ille respondet ei. *Hi sunt qui portant velut in justitiâ superbiæ jugum, & non humiliati sunt, ut corrigerent se, & ambularent humiliter in viis Christi, propter quod & remanserunt foris à regno Dei. Ille autem qui ligna incidit, homo est in peccatis multis, & pro eo ut pœnitentiam agat, & subtrahat se à peccatis suis, addit alias iniquitates supra iniquitates suas. Qui autem aquam implet, homo est, qui bona quidem facit, sed quia habet etiam in eo permixta mala, per hoc perdit etiam omnia bona opera sua.* Quapropter convenit omnem hominem sobrium esse in considerandis operibus suis, ne in vanum videatur sustinere labores. Ita in lib. Doct. Patrum, lib de providentia, num. 1.

Arsenii visio, in vitis pp. l. de provid. n. 1.

Quod si fructus frequentis confessionis cupiat quis cognoscere, ita manifesti sunt, ut cæcutire recte dicatur, qui eos non videt.

1. Acquiritur major puritas cordis & conscientiæ. Sicut qui frequentiùs manus lavat & linteа facit ut ei sordes non ita adhæreant; & qui sæpè verrit domum, impedit ne luto obducatur: ita judicandum est de anima per confessionem. 1. *Puritas cordis.*

2. Augetur gratia & gloria, dum sanguis & merita Christi per Sacramentum pœnitentiæ frequenter applicantur animæ; simulque diminuitur pœna peccatis debita. 2. *Augmentum gratiæ & gloriæ.*

3. Virtus augetur ad resistendum hosti salutis, ejusque tentationibus & peccati periculis quæ nos circumstant. 3. *Augmentum virtutis.*

4. Acquiritur major securitas salutis, & conscientiæ pax serena. Qui diu differt caput pectere, facilè alit vermes; sic qui Confessionem procrastinat, vermem conscientiæ nutrit inquietum, qui in futuro acrius punget. E contra illam frequentans, experitur non esse oblectamentum, supra cordis gaudium. Unde Auctor sermon. ad fratres in eremo ser. 10. sic ait: *O felix conscientia puritas, quæ vermem interiorem excludit, quæ à carcere odoris liberat rationem, quæ ab omni immunditia purgat mentem. O mens sancta! ò paradisus deliciarum variis bonorum operum virgultis consita, variisque virtutum floribus purpurata, & suaviter cœlesti gratia irrigata. Hæc est fratres mei, paradisus in qua plantatur lignum vitæ & cœlestis sapientia, hæc est thalamus Dei, palatium Christi, habitaculum Spiritus S.* 4. *Securitas salutis & pax conscientiæ.* Aug. ser. 10. ad fratres in Eremo.

Christus audiente S. Brigitta ait, Ei qui Spiritum & gratiam meam adipisci & retinere voluerit, utile erit crebrò peccata & negligentias coram Sacerdote confiteri, ut expurgetur. Et cùm ipse videret animam mariti sui in purgatorio, dixit: *O felix anima, quid tibi præcipuè profuit ad salutem?* Ille respondit: *Confessio mea quam sextis feriis facere solita sum, cum firmo emendationis proposito.* Sed & ipsa Brigitta ab infantia id pro more habuit, & Bi geruse jus Pater, sæpissimè his utens verbis: *Ita me sexta feria comparare volo erga Deum, ut quicquid caperu diebus ille mihi præstiterit, ferre æquo animo possim.* Fecit similiter & ejus filius post Confessionem secretò acerrimis flagellis cædens Blosius in Monil. c. 5. Surius 13. Julii.

by Google

tendens ſe, ut Chriſtum flagellatum in ſuo glorificaret corpore, & crucifigeret carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis ſuis.

Qui pietati addicti ſunt, ſingulis ſaltem menſibus confitentur; ſciunt enim infirmitatem & mutabilitatem homini innatam, & quod facile inſtar Lunæ deficiat de die in diem, à priori lumine & fervore: ita ut lucem gratiæ ex toto poſſit perdere. Ne ergo id contingat & penitus extinguantur, ſicut luæam imitantur in defectu, ita velint imitari in plenitudine, ſingulis menſibus lucem renovando & gratiam, per Confeſſionem. Sic ipſi Neomeniam celebrant Domino cum interiori ſolemnitate, juxta illud monitum *Exultate Deo adjutori noſtro, jubilate Deo Iacob. Buccinate in Neomenia tuba in inſigni die ſolemnitatis veſtræ &c.* Pſ. 80. 2.

Generalis confeſſionis utilitates.

Commendant etiam vitæ ſpiritualis Magiſtri, ultra Confeſſiones particulares, generalem aliquam totius vitæ: Hæc etenim multum fructum in animà parere poteſt.

1. Noſtri notitia. 1. Generat in nobis perfectam noſtri notitiam, dum totius vitæ ſpiritualem miſeriam ob oculos noſtros ponimus.

2. Confuſio ſalutaris. 2. Salutarem ingenerat confuſionem, facitque ut Dei miſericordiam admiremur magis & exaltemus, qui nos ad pœnitentiam adeò patienter exſpectavit.

3. Pax animi. 3. Infundit conſcientiæ majorem pacem & ſecuritatem, ſupplendo quæ fortè defuerant in aliis confeſſionibus particularibus.

4. Propoſita dat melius vivendi. 4. Excitat in nobis propoſita bona aliter ordinandi vitam noſtram, & gratiam Dei implorandi ferventius. Illamque vocem elicit à nobis: *Hei mihi Domine, quia peccavi nimis in vita mea, quid faciam miſer, quò fugiam niſi ad te Deus meus.*

5. Major notitia Confeſſarii de nobis Iſa. 38. 15. 5. Dat etiam in Confeſſario notitiam perfectiorem interioris ſtatus; ut monita ſalubria, noſtriſque infirmitatibus opportuna poſſit providere remedia. Juvat ergo plurimum imitari pium Regem dicentem: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Hoc autem optimè fit per confeſſiones illas generales.

LECTIO VII.

DE CONDITIONIBUS PRÆCIPUIS CONFESSIONIS.

I. CONDITIO.

Prima Conditio Confeſſionis eſt ut ſit præmeditata, hoc eſt ut illi diligens examen præmittatur.

DEfectu examinis, vel quia perfunctoriè fit, multæ confeſſiones inveniuntur invalidæ. Aliqui ſuper actus ſuos nunquam mentem reflectunt, & ideò ad confeſſionem accedentes liberè pronunciant ſe nihil feciſſe, aut nihil ſcire, in quo culpabiles poſſint eſſe, in quos rectè intorquemus illud: Tu *dicis dives ſum & nullius egeo, & neſcis quia tu miſer es, & miſerabilis & pauper, nudus & cæcus: Collyrio inunge oculos tuos, ut videas.* Apoc. 3. 17.

Collyrium medicamentum eſt, curandis oculorum morbis, præcipuè lippitudini conducens. Per illud igitur rectè deſignamus examen illud ſacrum, quo diſcutitur humor turbidus ab oculo mentis, pulviſque mundanus qui viſum ſpiritualem impedit: quo interiora inſpicere debemus, ad purgandum ea quæ in limoſo cordis fundo latent. Quia ergo aliqui hoc acre & ſerium examen non adhibent, quod ad fragilitatis propriæ notitiam tendit: Ideò manent in caligine & in mentis lippitudine, nec indigentiam ſuam, nuditatem, confuſionem, aut turpitudinem agnoſcunt. His ergo dicimus: *Collyrio inunge oculos tuos, ut videas.* Et hoc iterum habet Collyrium, quod noxium evacuans humorem, lachrymas educit, ita & examen iſtud, compunctionem elicit, & peſſimum peccati humotem evacuat, ut animam purificet, & cœleſtis gratiæ capacem reddat.

Defectu quoque examinis aliqui accedunt, agnoſcentes & confitentes quidem in genere ſe multis peccatis obnoxios: at in particulari vix quicquam explicant; ſed rogant Confeſſarium quatenus peccata edicat, quæ commiſiſſe potuerunt. An non ſimiles ſunt hi Regi Babylonis? Hic multa prodigioſa in ſomnio ſuo viderat, advocatis autem Chaldæis Sapientibus ſuis, dicebat: *Indicate mihi ſomnium quod vidi, & interpretationem ejus.* Dan. 2. Sed ſicut rectè illi reſpondent: *Rex ſomnium dicat ſervis ſuis, & interpretationem ejus indicabimus.* Sic reſpondent his Confeſſarii ut ſigillatim percurrant peccata ſua, ac deinde munus ſacerdotale eſſe, ſuper his judicium ferre & quæ defuerint, ſupplere. Ergo ad illos ſpectat Iſaiæ 43. juxta 70. *Dic tu prior iniquitates tuas, ut juſtificeris.* Noli exſpectare ut interrogeris aut urgearis, ſed tu ipſe accuſator ſis, ſingulaque per diligens ſcrutinium diſpone: & ſic propone, ut omnium remiſſionem accipias, & perfectam juſtificationem aſſequaris. v. 7.

Sed quæritur *quantum temporis & diligentiæ ad hoc examen requiratur?* Reſpondetur, plus temporis illi opus eſſe, qui a longo tempore confeſſione peccata expiaris; quàm illi qui à paucis diebus vel hebdomadis: plus etiam illi qui variis negotiis & occaſionibus eſt implexus, quam alteri qui ſibi vivit, à periculis ſemotus. Hic ergo regula certa non eſt, ſed ex circumſtantia temporis, perſonæ, artis quam quis profitetur, res moraliter judicanda eſt. Hoc generaliter aſſerimus, eam hic diligentiam impendendamquæ in negotio gravis omnino momenti. Nam ſi verum fateri velimus, nullum majoris eſt ponderis: & ſi pro morte corporis vitanda, tanta adhiberetur diligentia; cur minor ſit pro recuperanda æterna vita? Audi S. Auguſtinum: *Cum gaudio debet facere* S. Aug. apoph.

Quantum temporis requiratur ad Examen?

Digitized by Google

immortalis futurus, qua faceret pro differenda morte moriturus. Attende etiam quantum diligentiæ impendas in temporalibus, ut damnum vites : debita activa vel paſſiva frequenter in mentem revocas, omnem curam adhibes ut memoria non erret. Nempè diſpendium inde tibi. Sed nunquid hic de damno agitur animæ, ſi memoriam non conſulas, ut peccata recenſeas? Quantum iterum diligentiæ, ſi gemmam perdideris ; Reducis menti omnes vias per quas tranſiſti, omnia loca in quibus hæſiſti, omnes perſonas quas adjiſti, evertis & evertis domum, ſic ubi forte deliteſcat. Quare non idem facere decernis, ut divinæ gratiæ pretioſam gemmam iterum requiras? Require loca, perſonas, vias, in quibus eam perdidiſti. Dic cum Propheta : *Cogitavi vias meas, & converti pedes meos in teſtimonia tua.* Adhibe lucernam cum muliere Evangelica, ſingulos angulos perquire, everte domum, univerſa cordis tui latibula pervade, & ad fundum uſque ſordes evacuas; tandem reperies. Et ſi verè pœnitens es, age quod Ezechias Rex agebat : *Recogitabo*, inquit, *tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Non ſolum dicit, COGITABO, quia non leviter nec perfunctoriè, hac in re vult ſe gerere; ſed dicit, RECOGITABO, hoc eſt, iterum atque iterum recenſebo, & in ſtatera mentis meæ appendam annos, menſes, hebdomadas, dies ſive peccata in his commiſſa, antequam appendantur à Deo in bilance juſtitiæ, ad ea vindicanda.

Pſal. 118. 59.

Iſa. 38. 15.

Cæterum non mirum, ſi aliqui eo quod multos menſes, imò & annum quandoque integrum tranſigant, ſine reflexione ad conſcientiæ negotium, multam hic difficultatem reperiant, multum ſudent & angantur. Hæc facilè poſſent evadere, ſi vel per hebdomadam ſemel, opera ſua cum Deo recenſerent. Sed excuſantes ſe, afferunt excuſationes in peccatis, dum hujus vitæ variis neceſſariiſque negotiis ſe præpeditos allegant. An forſitan majore negotium pondere premuntur quam David Rex, negotiorum totius regni mole prægravatus, & tamen in ſingulis noctibus negotio animæ incumbebat : *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum; &, Meditabar nocte cum corde meo, & exercitabar & ſcopebam ſpiritum meum.* Quaſi dicat : Per ſcopas ſtricti examinis & contritionis everrebam ex animæ meæ cubiculo noctis quieto tempore, quicquid immunditiæ & de die contraxeram. *Loquebar cum corde*, rationem petens eorum quibus aſſenſum præbuerat. *Exercitabar*, excutiens pulverem cordis, quaſi vento flante ventilans paleam peccati, ut ſecernerem & ſepararem à frumento bonæ operationis. Et SCOPEBAM SPIRITUM, uſque ad angulos cordis perlingens, & ſcrutans ne quid lateret aranex venenatæ cor inficiens. Dic mihi, ô homo, ſi pluribus menſibus veſtis maneat pulveri expoſita, nec veſtiaria illam attingat ſcopa, nonne maculas innumeras vix eluibiles imbibit ? Si cubiculum aliquanto tempore lutoſis pedibus ingredientium & egredientium protritum relinquitur, nec everritur, nonne ſordes ita adhæreſcunt & multiplicantur, ut nec primæ, nec ſecundæ ſcopæ ſufficiant ad perfectè emundandum: Quid mirum igitur, ſi integro ferè anno manet conſcientia ſine examine, ſine renovatione, ſine purgatione, ſi opus ſit exercitio, & ſcrutinio diuturniore, ad ſordes omnes congerendas & egerendas?

Pſal. 6. 7. Pſal. 76. 7

Interim, quia ſola diligentia humana non ſufficit, petenda eſt gratia & lumen à Domino, ad benè hoc examen peragendum. Expeditque ut homo humili corde exponat Deo miſeriam ſuam : quæ oritur, tum ex defectu memoriæ, tum ex intellectus excitate, tum ex voluntatis repore. Hic eſt funiculus triplex, quo in peccatis implicatur homo ab hoſte antiquo. Qui peccatorum noſtrorum citò obliviſcimur, licet gravia ſint, quædam etiam negligimus & quaſi levia æſtimamus, ac de illis quæ manifeſta ſunt, tepidè dolemus : Sic invocanda eſt Spiritus gratia, ut inſpiret contra oblivionem, ut illuminet contra ignorantiam, ut accedat contra reporem : exiguus radius per feneſtras ingrediens, multas ſordes detegit quæ latebant, ad atomos uſque & pulviſculos : Sic radius gratiæ affulgens, multas imperfectiones & peccata nobis reddit conſpicua, quæ amor proprius & paſſiones noſtræ abſcondebant.

Ad examen benè agendum petenda eſt gratia.

Hæc porrò quæ ob negligentiam non requiruntur à nobis, requirentur ab adverſario in examine illo futuro, & angent nos. Hæc eſt *iniquitas calcanei, quæ circumdabit*, & timorem incutiet in die mala; peccata ſcilicet illa, quæ ad calcaneum, ſive ad pedes noſtros projicimus voluntariæ obli ioni ea tradentes, vel quaſi levia nihili facientes. His quoque juſtos quandoque tunc anguſtiatos fuiſſe legimus. Refert Climacus gradu 7. Stephanum quemdam, qui multis annis in monte Sinai, in lachrymis & jejuniis vixerat, ante ultimum mortis diem in extaſi quadam factum fuiſſe; ita ut apertos oculos huc illuc verſaret perterritus, cum magna adſtantium admiratione, quia vitæ præteritæ ratio exigebatur. Quandoque ergo dicebat : *Revera ita eſt, ſed pœnitentiâ & lachrymis crimen dilui.* Aliquando verò : *Non eſt ita, mentiuntur.* Deinde rurſum : *Verum dicitis, ſed flevi, ſed jejunavi, ſed miſericordiam.* In quibuſdam tamen ajebat : *Ita eſt, nec me accuſatus & quid reſpondeam non habeo, in Deo eſt miſericordia.* Et erat horrendum videre rationis exactæ ſeveritatem : & quod is nihil dicere ſciret, qui per quadraginta annos Monachus, lacrymarum donum habebat. Atque ita obiit, ambiguum relinquens quæ fuerit ſecuta ſententia.

Pſ. 48.

Climacus gradu 7.

Simile quid refert Surius de S. Elzeario. Ad extremum, inquit, in agone poſitus vultum prætulit valde horribilem, ex quo colligere liceret eum in magno verſari labore, ob quædam illi objecta. Atque ſub ejuſmodi conflictu exclamavit : *Magna eſt Damonum vis, ſed eum pœnitus ſuperavimus virtus & merita ſacroſanctæ Incarnationis & Paſſionis* JESU

Surius in vita B. Elzearii 27. Septemb.

ed by Google

JESU Chriſti. Poſt paululum rurſus exclamans ait: *Planè vici.* Poſt aliquantulum, cum ingenti clamore dixit: *Totum me divino judicio committo.* His dictis reparatus eſt vultus ejus & quodam rubore atque ſplendore perfuſus reddidit ſpiritum.

Hæc nobis calcar adjicere debent, ad examen hoc conſcientiæ ſollicitè omninò perficiendum: & horam illam nimis terribilem, maturâ diligentiâ præveniendum. Et in hoc quidem examine, ponderandæ ſunt inclinationes pravæ, familiaritates periculoſæ, negotia, obligatio artis & profeſſionis noſtræ: ut non ſolùm commiſſionis peccata, ſed & omiſſionis, recolere poſſimus, & expiare. Ad multa ex officio vel charitate tenemur, quæ non magni facimus, nec accuratè examinamus: Audi exemplum ex Bellarmino l. 2. de arte moriendi. Ægrotabat, inquit, ad mortem, Epiſcopus valdè pius & doctus. Acceſſit ad eum Sacerdos utrique noſtrum amicus, à quo accepi quod narro. Quæſivit ab Epiſcopo, an ejus conſcientia ſatis foret pacata. Reſpondit, per gratiam Dei nihil grave ſibi occurrere, quod in Deum ſe commiſiſſe ab ultima confeſſione meminiſſet. Addidit Sacerdos amicus, an conſcientia omiſſionum non eum reprehenderet, cùm Apoſtolus tàm ſollicitè Epiſcopum Timotheum admonuerit dicens: *Teſtificor coram Deo & Jeſu Chriſto, qui judicaturus eſt vivos & mortuos, prædica verbum, inſta opportunè, importunè argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina.* His auditis ingemuit bonus Epiſcopus, & ait, verè omiſſiones meæ non parum me exterrent. His dictis, cœperunt oculi ejus profundere flumina lachrymarum. Si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet? Conſiderent hæc paſtores animarum, quibus gravis incumbit cura circà functiones varias, ideòque omiſſionis peccato ſæpè obnoxii, de quo gemebundos eſſe convenit.

Bellar. l. 2. de arte benè moriendi.

4. Tim. 4. 1.

Porrò poſt aliquam diligentiam examinis, non negamus in rudibus defectum ſuppleri, ſi parati ſint confeſſarii interrogatione juvari ad conſcientiam plenius explicandam, ideoque peritos Confeſſarios conſulant. At plerumque cùm ſolum generaliter & confusè ſe examinârint, nolunt per confeſſarios ulcus tangi, circumſtantias numerumque explorari, imò ex profeſſo peritos fugiunt, ne id fiat. An non advertiſti, quomodò ſe gerat Faber ferrarius, dum equum ſaucium vult ſanare? Manu leviter tangendo & ſibilando, videtur adulari, & circuitu quodam circà vulnus plaudere, ita ut equus exultet. At ſi vulnus acrius ſcalpello tangit, equus recalcitrat, pedibuſque impetit. Sic aliqui gaudent, dum Confeſſarius permittit eos generatim ſua edicere, circuire, ſolumque ex parte conſcientiam aperire. At ſi exploret vulnus, ſi interroget circumſtantias graviores, modum, ſtatumque, moroſus dicitur, ægrè id fertur, talem medicum ultrà accedere renuunt: Nec intelligunt illud: *Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis.* Attamen Confeſſarius debet eſſe ſimilis Medico venam aperienti: is quidem partim mulcendo & adſtringendo, officio ſuo vult fungi: at maximè neceſſarium ei eſt, lancetâ ſuâ penetrando, ſanguinem elicere. Is verò cui vena aperitur, non debet ægrè ferre, aut brachium retrahere; debet enim copioſè ſanguis pravus profluere. Imò licet ſecundò & tertiò ſciſſio repetatur, eo quod fortè ob timorem ſanguis non potuerit fluere, debet patienter id ferre. Sic pœnitens non importunum judicet Confeſſarium, ſi ſecundò vel tertiò interroget, cùm id aliquandò neceſſarium ſit: eò quod humano timore vel ignorantiâ pœnitentis, non ſtatim ei aperiatur vena cordis, ut profluat omnis peccatorum infectus ſanguis.

Prov. 27. 6.

SECUNDA CONDITIO.

Secunda Conditio confeſſionis eſt, ut ſit humilis, & cum erubeſcentia conjuncta.

SACERDOTEM ergò conſideret Pœnitens, non ut nudum hominem, ſed Dei loco Judicem, ante diem judicii judicantem, cujus ſententia in Cœlo rata eſt. Nec ipſe conſiderat pœnitentiam, ut nudum virum aut mulierem: ſed ut animam Chriſti ſanguine emptam, quæ ſe iterùm vinculis & poteſtati ſatanæ tradiderit, ideoque ream. Sed quia implorat ſupremi Judicis miſericordiam, filius auctoritate cupit eam eripere de his vinculis, & gehennæ flammis, ideòque pretium redemptionis iterum ei applicat, ut in gratiam priſtinam reſtituat. Ergò, ô anima pœnitens, hic te proſterne in ſpiritu humilitatis, quaſi ad pedes Jeſu Crucifixi: quia illius Sanguine per Sacerdotis miniſterium aſpergenda es & abluenda: Memineris quoque te ream coram Judice ſtare. Eſt namque in confeſſione interior exteriorque reverentia exhibenda, juxtà illud Eccl. 4. *Presbytero humilia animam tuam, & Magnati, ſivè Prælato, humilia caput tuum.* Exterior humiliatio interioris ſit indicium, ut conjunctim cernantur humilitas cordis, oris, corporis. Cordis quidem ut ſe reputet vilem & abominabilem, gratia & miſericordia DEI indignum: oris, ut cum omni humilitate verborum ſe accuſet: corporis, ut id quod proteſtatur corde & ore, etiam exteriùs indicet corporis compoſitione, oculos in terram inclinans, manus jungens, genua flectens, & ſi arguatur benignè accipiens. Hujus ſymbolum humilitatis olim erat aſperſio cineris, quam Eccleſia inſtituit initio Quadrageſimæ, ſignum pœnitentiæ ſacro illo tempore peragendæ, & confeſſionis initiandæ. Et hanc quidem profundam humilitatem maximè ſolebant Pœnitentes olim exhibere, cùm jam ſententiam à Sacerdote debebant audire, & ſatisfactionem pœnitentialem accipere. Audi de hac re Alcuinum Caroli Magni Præceptorem libro de divinis Officiis. *Poſt peractam*, inquit, *confeſſionem, Pœnitens totum ſe in terram proſternat,*

Eccl. 4. 7.

Alcuinus lib. de div. officiis.

deri melior, uſſdè exiſtis deterior? Mirabile jactantiæ genus, ut non poſſis putari ſanctus, ſi non appareas ſceleratus. At talis confeſſio ſpeciem habens humilitatis non virtutem, non ſolùm veniam non meretur ſed & provocat iram. Nunquid profuit Saul, quod ſe ad increpationem Samuelis peccaſſe confeſſus eſt? Culpabilis procul dubiò fuit illa confeſſio, quæ culpam non diluit. Quomodò enim humilem contemneret confeſſionem humilitatis Magiſter, cui humilibus dare gratiam ingenitum eſt? Omninò non poterat non placari, ſi quæ in ore ſonuit, in corde radicaſſet humilitas. Hæc Bernardus.

TERTIA CONDITIO.

Tertia Conditio Confeſſionis eſt, ut ſit pura & ſincera.

1. Ut propria non aliorum peccata explicentur.

PRimò quidem pura, ita ut propria tantùm peccata explicentur, non aliena. In hoc multorum eſt error, qui non conſulunt famæ proximi exprimentes perſonam cum qua peccarunt, vel quæ fuit occaſio peccati. Hoc pœnitenti non eſt licitum, niſi aliter ſuum non poſſit explicare peccatum: & adhuc tunc conſtlunt Doctores, ut accedat Confeſſarium, cui perſona ſit ignota, ut ſic poſſit parcere ejus famæ. Quod ſi id facilè fieri nequeat, poteſt aperire peccatum, quia utitur jure ſuo: nec hoc eſt propriè diffamare, ſed conſcientiæ ſuæ conſulere; cenſeturque conſors peccati ceſſiſſe jure ſuo, cum tale peccatum admiſit, quod non poteſt explicari, niſi ejus perſona detegatur.

2. Ut pura id eſt ab hiſtoriis & inutilibus circumſtantiis.

Secundò debet eſſe pura, ita ut alienæ hiſtoriæ aut circumſtantiæ inutiles non immiſceantur. Undè breviter explicanda eſt ſpecies peccati, verbi gratiâ, furtum, odium, adulterium cum numero, nec eſt neceſſe hiſtoriam facti commemorare. Quam cautelam, ſi obſervarent pœnitentes, breviter multa peccata confiteri poſſent, reducendo ſingula ad ſpeciem ſuam, verbi gratia, decies commiſi adulterium, vigeſies maledixi, ſexies juravi falſum, &c.

Modus manifeſtandi peccata.

Obſervandum autem hic, peccatum aliquod turpe & inhoneſtum, poſſe committi vel cogitatione, vel locutione vel tactu, vel opere conſummato. Si fuerit commiſſum opere, ſufficit exprimere nomen operis, verbi gratia, perpetravi adulterium, inceſtum, fornicationem, toties, non addendo majorem particularitatem, quæ intelligitur ex ipſa operationis ſpecie. Si tactu, ſatis eſt dicere toties inhoneſtè talem perſonam attigi: nec opus eſt addere in tali loco, aut quomodò, niſi poſt tactum eſſet aliquid ſubſecutum; quod ſpeciem peccati mutaret. Si locutione, dic toties inhoneſta locutus ſum, ad provocandum me ad malum aut alium, ad oblectandum aut recreandum memetipſum in illis: nec requiritur ut exprimas, locutus ſum hoc aut illud. Si cogitatione peccaveris, ſufficit dicere, toties turpia cogitavi, & in iis conſenſi aut delectatus ſum: nec requiritur, ut adjiciatur, cogitavi tale vel tale quid: id quod nonnulli faciunt cum maximo ſuo pudore, ſine Sacramenti neceſſitate.

Hæc omnia ſunt adeò manifeſta, quod ſuperfluum foret de iis mentionem fieri; ſed inveniuntur quidam adeò rudes & cœci, ut etiam in meridie lucerna illis opus ſit. Scrupuloſi porrò alium modum ſua peccata & cogitationes declarandi quærere non debent: ſufficit enim eo modo eas manifeſtaſſe, quem Doctores Eccleſiæ ſufficere docuerunt.

3. Ut aperiantur peccata ſicut admiſſa ſunt.

Tertio debet eſſe pura & ſincera, quia debent aperiri peccata, certa ut certa, dubia ut dubia. Undè, ſi pœnitens dubitet ſe conſenſiſſe, verbi gratiâ cogitationi inhoneſtæ, aut vindictæ, idipſum declaret, nec aſſeratcertò id, in quo vacillat. Et qui dubitat aliquid eſſe mortale, id debet neceſſariò aperire etiamſi tale non eſſet: alioqui ſe periculo confeſſionem dimidiandi exponeret; niſi fortè ratione probabili, aut reſponſo alicujus eruditi dubium deponat. Vitandum porrò omne mendacium, tam affirmativum, quam negativum; alioqui injuria fit Sacramento à Chriſto inſtituto, ut in eo veritas conſcientiæ cordiſque pareſcat ſincerita illi, qui Judex eſt loco Dei. Hinc ſacrilegio ſe involvit, non ſolùm qui negat peccatum mortale quod fecit, ſed & qui ſe accuſat de peccato mortali, quod non fecit. Et licet ſit opinio probabilis, quod negans aut aſſerens peccatum veniale contra mentem in confeſſione, tantùm peccet venialiter: tamen certum eſt, quod gravius ſit, quàm extrà confeſſionem, ob Sacramenti irreverentiam. Hoc verò etiam ſciendum eſt, peccatum mortale, præſertim delectationis, aut pravi deſiderii poſſe committi momento temporis. Errant igitur qui ideò putant, ſe non peccaſſe mortaliter, quia in delectatione, aut deſiderio non hæſerunt, ſed paulò poſt, quam venit, à ſe repulerunt: equidem recte faciunt repellendo, & gravius peccarent, ſi perſeverarent, ſed peccârunt mortaliter liberè ſe delectando & conſentiendo. Contrà verò, non eſt peccatum, quamdiu renititur voluntas, licet per plures horas turpis cogitatio ſeſe animo objiceret. Et hoc etiam ſciant rudes, delectationes de peccato mortali, eſſe mortales, etiamſi quis nolit opere complere, verbi gratiâ de opere veneteo, aut de vindicta, &c. Hæc vitioſi parùm curant, & vix confitentur.

4. Ut non excuſet peccata.

Quartò debet eſſe pura & ſincera, ita ut homo peccata ſua accuſando non excuſet. Ingenitum eſt filiis Adæ, gravitatem ſuorum criminum prætextu aliquo velare. Hinc frequenter, confitendo longiores immiſcent diſcurſus, tendentes ad aliquam excuſationem. Sæpè vir in mulierem, mulier in virum culpam rejicit; ancilla in Dominam, quam moroſam dicit; Domina in ancillam, quam accuſat rebellem. Sic puella lapſa, dicit ſe nimis importunè ſollicitatam, aut ſe credere aliquo maleficio

leficio vel philtro à turpi amatore faſcinatam, ita ut neſciat, quomodò in id flagitii prorumpat. Et cur hæc omnia niſi ad elevandam culpam, & excuſandas excuſationes in peccatis? Alii in furto pauperiem, aliqui in jejunio neglecto amicam ſocietatem, alii complectionem debilem præterunt: & hi quidem frequenter fortes ſunt ad fornicationes & diſſolutiones, ad miſcendas totis noctibus ebrietates, ad jejunandum à manè uſque ad veſperam, ſi venationē ſectentur, aut alteri cuipiam negocio ſit incumbendum, ad jejunia autem præcepta imbecilles ſe volunt. Miratus ſum ego, & non ſine ſtomacho, audiens in Confeſſione, juvenes 30. ferè annorum, qui ob laborem diurnum, nullum ſe jejunium peregiſſe, fatebantur; interim vix diem unum præteribant, quin proprium pollurent corpus, libidinem in ſe procurando. Et ajebam ego; Qui poteſt fieri, ut fractos vos laboribus quotidianis, aſſeratis, nec unius diei jejunium ferre poſſe, ob nimiam defatigationem; & adhuc quotidiè penè libidinoſa prorſatione corpus enervatum magis defatigetis? In talibus ſi excuſatio à jejunio poſt labores toleranda videtur, intolerabilis eſt adeò frequens libido, & nec tam fragilitati adſcribenda, quam obſtirmatæ conſuetudini malitioſæ: & tamen neſcias, quam eis pœnitentiam debeas injungere, quia jejunia mortificationi carnis apta, non adimplebunt.

Certè vetus hic Adam vivit in nobis, & antiqua illius perizomata quadam hæreditate poſſidemus, quibus nuditatem & turpitudinem obvelamus. Nemo vult ſe agnoſcere ambitioſum & prodigum, avarum, injuſtum, libidinoſum: ſed ambitionem, ſuperbiam, prodigalitatem in veſtibus, conviviis, moribus, dicimus eſſe decentiam ſtatus noſtri: invidiam verò & vindictam generoſitatem animi vocamus: oppreſſionem aliorum & injuſtitiam, vocant turnum baculi, & emolumentum officii: avaritiam providentiâ, quâ tenentur ergà liberos & familiam excuſant: libidinem & ebrietatem, fragilitatis & ſocietatis humanæ pallio contegunt, nec multum ponderant. Sed procul à Confeſſione folia, procul prætextus & petizomata. Periculoſa ſunt illa, ut propterea deprecetur Propheta Dominum:

Pſ.140. 4. *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis.* Sicut non profuerunt Adamo & Evæ, hæ malitiæ & nuditatis velamina, ita nec nobis. Utique vocabat Deus ad confeſſionem primu parentem, dicens: *Adam ubi es?* Ad quem ſtatum peccato tuo te demerſiſti? qualis mutatio? quæ confuſio? an adhuc ignoras damna, quæ tibi tranſgreſſione tuâ aggregaſti? Cur igitur non requiris remedium? Cur fugis me & te? Vide, agnoſce, confundere, ſed accede ad me, ut miſericordiam inventas opportunam, quam tibi lubens offero. *Ad hoc Adam & Eva requiſiti fuerant*, inquit Gregorius, *ut peccatum, quod tranſgrediendo commiſerant, confitendo delerent.* At maluit ſe excuſare Adam, quam excuſare; *undè, quia ſe confiteri culpabilem renuit, mortifera damnationis ſententiam ad poſteros miſit:* Putat verò D. Gregorius *(in Pſal. 2. pœnit. & l. 22. moral. c. 9. explicans illud: Si abſcondi ut homo peccatum meum)* quod ſi liberè Adam culpam faſſus fuiſſet, reſtituendum in priſtinum ſtatum. Idem ſentit Auguſtinus ſer. 1. de Annunciatione & Bernardus l. de præcepto & diſpenſat. Verùm, quidquid ſit de hoc, certum videtur, tam Adamum, quàm Evam excuſatione peccatum aggravaſſe: Adamum, quidem, dum dicit: *Mulier quam dediſti ſociam, dedit mihi & comedi:* Malè in mulierem culpam rejicit; cum enim ipſe caput foret & immediatè præceptum accepiſſet, non debebat conſentire, ſed mulierem reprehendere, hanc verò prius fovit in peccato. Neque ſatis reverenter Deo hic loqui videtur. Nunquid enim magis divinæ voci obtemperare te oportuit, ô Adam, quam voci mulieris, ad malum pellicientis? An forte etiam indirectè in Deum vis culpam retorquere? quaſi ei diceres: Si talem mihi ſociam non dediſſes, eò miſeriæ nequaquam prolapſus fuiſſem. Mulier verò etiam peccat, culpam ſuam ut oportet, non agnoſcendo puré & ſinceré; ſed in ſerpentem illam rejiciendo. Hanc imitantur plerique, in ſatanam, carnem, mundum, ſcelera ſua retorquentes, ſed frivolè: quia infirmus eſt hoſtis, qui non vincit, niſi volentem, quique nullas habet vires, niſi à noſtra voluntate. Inculpet ergò homo ſeipſum, propriamq; arguat voluntatem, omnis mali originem; cui nemo poteſt vim inferre, cui nec ſatan, nec caro, nec infernus *(ſi voluerimus)* potuerit nocere.

S. Greg. l. 22. moral. c. 9. in c. 31. Job.

Eſt igitur electæ animæ ſymbolum, ſincerè peccatum agnoſcere, & contra ſe teſtimonium ſententiamque dicere: Sic docet nos Propheta: *Dixi confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino*, &c. Modus ergò veniam impetrandi, eſt libera confeſſio; ad compaſſionem movet Medicum, qui humiliter vulnus oſtendit. Quandò homo detegit, Dominus tegit; cùm homo velat, Deus revelat; cum reus agnoſcit, Deus ignoſcit. Quicunque igitur ad hoc tribunal accedis, eſto reus, teſtis, accuſator, tibi pro te & contra te creditur: noli tergiverſari, noli excuſare, aperi ſincerè totum ſtatum cauſæ tuæ coram infallibili Judice, ut facilius valeas veniam impetrare.

in pſal. 2. pœnit. Job. 31. Auguſt. Bernard.

Gen. 3. 12.

QUARTA CONDITIO.

Quarta Conditio confeſſionis eſt, ut ſit integra quantum ad ſpeciem, numerum, & circumſtantias peccati.

1. Quoad ſpecium & numerū.

INprimis, quantum ad ſpeciem & numerum, ſcire debet unuſquiſque de peccatis mortalibus, quænam, & quo numero commiſerit, & ad hoc tendit examinis diligentia. Poſt illam, ſi numeros diſtinctè non recorderis, dic aliquatenùs, prout memineris, plus vel minus. Quod ſi non recorderis, & ſit peccatum durans *(quale eſt inimicitia, vel odium, vel peccatum carnis)* dic quanto tempore

Digitized by Google

pore illi fueris obnoxius, indè aliquo modo numerus peccatorum poteſt conjici, vel ſtatus tuus agnoſci. Si ſit peccatum, quod continuam actionem non habet, ſed multoties committitur (ut ſunt, pejerare, detrahere, maledicere, vel quid ſimile) nec recorderis numerum, quoties tale quid perpetrâſti, dic ſaltem illud tibi familiare eſſe: aut quoties offerrebatur occaſio, in illud te incidiſſe, aut aliquoties illi reſtitiſſe. Sufficit enim, ut Medicus hoc modo intelligat diſpoſitionem infirmi, ut ſciat illi mederi.

Quoad circumſtantias aggravantes vel mutantes peccati ſpeciem.

Deinde non ſufficit confiteri ſpecies & numerum peccatorum, ſed & neceſſe eſt, etiam circumſtantias illorum confiteri, cum tales ſint, ut repugnent alicui mandatorum Dei vel Eccleſiæ; aut cum notabiliter peccatum aggravant, etiamſi ſpeciem non mutent. Etenim licet operatio peccati ſit una, poteſt tamen accedere talis qualitatis turpitudo, quæ neceſſariò in confeſſione ſit exprimenda. Exempli gratiâ, ſi quis furetur arma ad occidendum aliquem, cujus uxorem concupiſcit; hic liquet furtum unam eſſe operationem, & proindè peccatum unum, ſed opus illud duas ſecum adfert alias turpitudines, nimirum velle occidere, & adulterium committere, quæ pugnant cum duobus iſtis mandatis: *Non occides, & non concupiſces uxorem proximi tui.* Hujuſmodi circumſtantiæ, quæ ſic aggravant peccatum, neceſſariò debent in confeſſione exprimi. Aliæ verò circumſtantiæ, quæ non ſunt ejus naturæ & qualitatis, ut ſunt, murmurare in templo, facere delictum aliquod in die jejunii, vel feſto, poſſunt ſine periculo taceri, quamvis illas etiam confiteri conſilii ſit, quemadmodum & peccata venialia recenſere. Quia verò aliquantulum difficile eſt, poſſe inter has & illas circumſtantias differentiam invenire, nos eas hic commemorabimus, ad quas exprimendas homo communiter obligatur.

Primò, in peccatis carnalibus neceſſe eſt pronunciari perſonam cum qua peccâſti: nam ut variæ ſunt perſonarum qualitates, ita quoque ipſa peccata diverſa ſunt. Peccare namque cum ſoluta, ſimplex eſt fornicatio, cum conjugata adulterium; cum honeſta virgine ſtuprum; cum ſanguine conjuncta inceſtus: cum religioſa vel Deo conſecrata ſacrilegium, vel ſpirituale adulterium, in his omnibus, ſi vel opere quoque vel verbo alium ſcandalizaveris, & hoc confiteri debes. Quin etiam conſiderandum eſt, ſi cum peccaverit quis, illud fecerit in tali loco, atque in præſentia talium perſonarum, ut malo exemplo quod dedit, ad ſimile hos qui aderant, peccatum provocaverit: ut ſi quis alicujus auctoritatis extra neceſſitatem carnes in die jejunii comedat, aut aliud peccatum faciat in præſentia illarum perſonarum, quæ ex eo poſſent occaſionem ſumere idem imitandi. Hoc in caſu, neceſſe eſt, ut confiteatur malum exemplum, & ſcandalum quod alteri dedit.

Neceſſe quoque ſubindè eſt, dicere circumſtantias loci facti, & præcipuè tribus in caſibus, nimirum furto, ſanguinis effuſione, & ſeminis humani ejectione, quandò unum vel alterum eſt cum peccato, horum enim unumquodque, propter locum mutat ſpeciem peccati, & ſacrilegium efficit, quod eſt peccatum graviſſimum. Similiter ſi quis votum emiſerit, aut juramentum ſe aliquid facturum, aut non facturum, & idem facere, vel non facere Dei mandato præceptum eſſet (ut non jurare, non occidere, non fornicari, &c.) ſi ipſe poſtea contrarium faceret, teneretur ad exprimendam circumſtantiam illius voti vel juramenti. Etenim illa circumſtantia facit, ut quod erat peccatum ratione unius, etiam peccatum ſiat ratione alterius.

Cæterùm hoc in Eccleſia dolendum eſt, adeò *Deus graviter irritas* frequenter irritas confeſſiones, Deumque gra- *irritatur* viſſimè irritari, ob integritatis defectum. Eſt verò *ob* id ſacrilegium grande ſimile illi, quod commi- *frequenter* ſiſſe dicitur Ananias & Saphira in actis Apoſtolo- *irritas con-* rum, quibus improperavit S. Petrus, mentiri illos *feſſiones.* Spiritui Sancto non homini; quia partem pretii Act. 5. 4. de agro vendito celabant interrogati, undè & ſubitâ morte ſunt percuſſi. Sciant ergò, qui peccatum negant, aut celant, non mentiri ſe homini, ſed DEO, cujus vicem gerit ſacerdos in hoc tribunali: non minorem à Spiritu S. habens poteſtatem ergà pœnitentem ad interrogandum & judicandum, quàm Petrus erga Ananiam & Saphiram, & ideò qui illi mentitur, non minori pœnâ meretur involvi. Similes quoque rectè dixerimus tales reprobo Cain, qui interrogatus à Deo, qui tunc inſtar confeſſarii ſe gerebat, celavit peccatum, ideoque dicitur ei: *Maledictus eris, & profugus ſuper terram*: Gen. 4. 11. Quare maledictus? Quia in fratrem peccâſti. Quare cum maledictione vagabundus, & ſemper trepidus? Quia confeſſione peccatum expiare noluiſti: Similem ergò maledictionem incurrunt, qui peccata in confeſſione negant: quocumque ſe vertant, conſcientiam, tanquam vindicem Deam cum tremore circumferunt.

Hæc eſt maledictio, quam fugere nequeunt, hæc eſt infernalis furia, quæ ſemper trepidantes lancinat, donec ad tenebras perducat, & vermem nunquam intermoriturum. Qui enim peccato gravi obnoxius manet, ſi tonitru, ſi fulgur audit, ſi ſolus in tenebris agit, trepidus eſt, & inquietus: iramque Dei quaſi ſibi imminentem conſpicatur: *Sonitus terroris ſemper in auribus impii, & cùm pax ſit, ille inſidias ſuſpicatur.* Audi Sapientem de impiis Ægyptiis: *Vnâ eatenâ tenebrarum omnes erant colligati, ſivè ſpiritus ſibilans inter ſpiſſos arborum ramos, aut vis aqua decurrentis nimium, aut ſonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium curſus invifus, aut mugientium valida beſtiarum vox, aut reſonans de altiſſimis montibus Echo, deficientes faciebant illos pra timore. Illa ſuperpoſita erat gravis nox, imago tenebrarum, quæ ſuperventura illis erat, ipſi ergò ſibi erant graviores tenebris.* Job. 15. 21 Sap. 17. 17

Quod

Digitized by Google

Quod de illis impiis teſtatur Sapiens toto illo capite, verum eſſe experiuntur plerique in conſcientia caliginoſa: quibus nulla lux aut quies affulgere poteſt, niſi confeſſionis ſacramentalis remedio.

Crombecius l. 2. de ſtudio perfect. c. 2.

Habes exemplum recens apud Crumbecium. Quidam vir potens peccatum commiſerat, à cujus confeſſione ita horrebat, ut potius mortem & damnationem eligeret, quam confeſſionem. Interim conſcientia counuò eum angebat. Quodam die cum Antuerpiæ Concionatorem audiſſet pronunciantem, non eſſe obligationem confitendi peccata oblita, omnia tentavit, ut illud oblivioni traderet At primùm, omni indulſit voluptati, ut peccatum illud ſuffocaret aliorum multitudine: At ſemper inter cætera primum menti recurrebat. Deinde varias provincias peragrans, putavit novitate rerum præteritorum memoriam ſepelire; ſed non poterat fugere ſeipſum, nec ſui reatus cruciatum. Tandem ſeſe applicat ſtudio Mathematicæ & perſpectivæ; putans vi attentationis requiſitæ, malo ſuo remedium adferre; ſed id etiam fruſtra. Quid ageret: Speret pœnitentia ſine confeſſione illud poſſe abolere; cilicium, jejunium, diſciplinam, eleemoſynam adhibet: ſed vulnus potius augetur. Deſperabundus ergo mortem ſibi conſcire parat ſuſpendio: & ut id in domo propria peragat, thedam ſuam conſcendit, ut proprios repetat lares. Occurrit ei quidam notus Societatis Jeſu Sacerdos, qui poſt ſalutationem rogatur ab eo, ut currum conſcendat. Quo conſenſo, de variis agit, ita ut de confeſſione tandem incideret ſermo, & caſu tetigit ulcus. Nobilis ille exiſtimans hæc propter ſe dici turbido vultu interrogat. Cur talis ei modò ſermo? Reſpondet moris eſſe Religioſis de rebus ſalutis cum quibuslibet agere, quod ſi ope ſua egeat, paratum offert. Quid mihi, inquit, opem offers, cui nulla mens eſt confitendi? quod ſi ſine confeſſione auxilio poſſes eſſe, lubens acceptarem. Conjicit ſacerdos aliquid in viro latere, cui obſtetricantem manum ad educandum oporteat adhibere. Loquitur ergo ad cor ejus, & diverſa proponit media, quibus juvari poſſit, abſque confeſſione: ita ut tandem aperuerit ille, ſe jam ſibi ſuſpendium decreviſſe, eo quod ultrà cruciatum conſcientiæ nequeat tolerare, quod ſi ſine confeſſione poſſit juvari, paratum ſe offert quidlibet pati. Promittit Pater iſte operam non inanem, ſi modò velit aliquot diebus obtemperare in his, quæ præſcribet. Itaque cum domum appuliſſent, jubet eum cum amicis animum relaxare, & poſt cænam lætam, ſomno quieto ea nocte indulgere. Sequenti die mane, præſcribit certa meditationis puncta, quibus magna in eo fiducia erga Deum excitetur. Altero die dat ei examen conſcientiæ, monens ut notet peccata à ſe commiſſa: non in ordine ad confeſſionem, ſed ut ſingulorum contritionem poſſit elicere. His peractis, ducit eum ad deambulationem ſolitariam in nemore, & interrogat an ſingula recte examinarit. Etut melius, inquit, memineris, proponam & ego tibi aliquot puncta. Proponens igitur graviſſima peccata, incidit tandem in illud quod virum hunc angebat. Audiens verò ipſe ſuum nominati peccatum, ecce, ecce, inquit, maledictum ſcelus, quo angor. Diſſimulat Sacerdos: Longè, inquit, graviora libellus meus continet ab illo, & à mille gravioribus abſolvere te poſſum, & quidem illud jam confeſſus es, cætera in memoriam ante reducta potes dicere. Sic ille proſtratus, libere conſcientiam aperit, & abſolutionem recipit: tanto verò cum gaudio, ut frequenter Patri huic poſtea repetierit: O Confeſſio quantam ſerenitatem & lætitiam menti affers! O Pater mi, à quot me angoribus Confeſſio liberavit!

LECTIO VIII.

DE IMPEDIMENTIS INTEGRÆ CONFESSIONIS.

DE PRIMO IMPEDIMENTO Quod eſt pudor.

Impedimenta Confeſſionis 4. S. Bern. ſerm. 3. de S. Andrea Apoſt. circa finē 1. Pudor Eccl. 4. 25

QUatuor impedimenta recenſet Bernardus integræ Confeſſionis: Hæc ſunt, pudor, timor, ſpes, deſperatio, quæ paulò latius hic explicabimus.

Primum impedimentum eſt pudor, quo pœnitentes aliqui deterrentur, ne gravia peccata confiteantur. Hos monet Sapiens: *Ne confundaris pro anima tua dicere verum, eſt enim confuſio adducens peccatum & eſt confuſio adducens gloriam* Confuſio impediens peccati confeſſionem, novum peccatum involvit: confuſio ex peccatorum confeſſione orta inducit gratiam & gloriam, quia eruit hominem ab æterna confuſione, peccata præterita tegit, à futuris protegit. Quod igitur non erubuiſti coram Deo & Chriſto judice, coram Angelo Tutelari & Satana accuſatore, quodque tandem coram toto orbe debet notum fieri, ne vereatis aperire coram illo qui ante diem judicii loco Chriſti debet judicare, non ad vindictam, ſed ad gratiam tibi conciliandam. Et bene pondera quid potius eligendum ſit, an exiguam modò confuſionem ſuſtinere, an incidere in opprobrium ſempiternum. *Revelabo pudenda in facie tua, & oſtendam gentibus ignominiam tuam*, ait Dominus. Id quidem in illo die quo univerſa patebunt, de quo etiam verum eſt illud Job 20. *Revelabunt Cœli iniquitatem ejus, & terra conſurget adverſus eum, apertum erit germen domus illius, detrahetur in die furoris Dei.*

Nahu. 3. 5.

Job. 20. 27.

Audi ſimilitudinem apud Oſeam. *Colligata eſt iniquitas Ephraim, abſconditum peccatum ejus, dolores parturientis venient ei.* Alludit ad puellam, quæ ex fornicatione concepit, & abſcondit peccatum ſuum, donec tandem doloribus partus illud prodere cogitur, maxima cum confuſione. Sic aliqui iniquitatem ſuam abſcondunt, donec tandem in fine vitæ, variis anguntur doloribus, inſtar partu-

Oſee 13. 12. Simile.

Digitized by Google

parturientis, intus inclamant, & confuſionis æternæ jam initium patiuntur: & quia fortè juſto Dei judicio, non habent obſtetricantem alicujus Confeſſarii manum, in hoc partu moriuntur, æternæ mortis & confuſionis filii.

Simil. de Hericio, ſpinis horrido.

Hos iterum rectè repræſentarunt antiqui, per Hericem vel Hericium ſeu Ethinum in partu crepantem. Animal hoc partus tempore veniente, quia prolium egredientium ex utero aculeis acriter pungitur, differt partum; fœtu autem creſcente, dum vi ille egreditur, viſcera matris acrius dilaniantur, & ſæpius in partu crepat. Ita hi nunquam confeſſiones integras faciunt, augentur in dies peccatorum aculei: & tandem dum divinas inſpirationes ſpernunt, mortis infælici genere, præ gravitate & multitudine peccatorum intereunt. Sic de illis verificamus illud Domini, apud Iſaiam minantis Babyloni: *Ponam eam in poſſeſſionem Ericii.* Quaſi diceret: Babylonicas illas & confuſibiles animas, pœnitentiam, & ſpiritum ſalutis parere differentes, ſimili pœna mulctabo, qua Eritjum in partu infœliciter increpantem.

Iſa. 14. 23.

Vis videre in partu crepantes? Attende Chryſoſtomum in fine vitæ exclamantem: *Inducias vel uſque manè, inducias vel uſque manè,* in qua voce infœliciter expiravit. Attende & Antiochum doloribus mortis oppreſſum: *Juſtum eſt mortalem non paria ſentire de Deo: Heu in quos fluctus deveni triſtitiæ, qui eram jucundus in mea poteſtate!* Tandem non peperit ſpiritum ſalutis, qui videbatur parturire: nec veram pœnitentiam habuit, unde nec gratiam eſt conſecutus. Fœnerator quidam monebatur continuò à Sacerdote, ut pœnitentiam ageret. At ipſe ſemper reſpondebat, ſatis adhuc ſibi eſſe temporis. Percuſſus infirmitate, adhuc ſibi ſatis ſupereſſe temporis ajebat, de die in diem procraſtinans. At ſubitò ad extremum vitæ vi infirmitatis devenit, adeſt Sacerdos, inſtat pro pœnitentia. At ille inclamabat: *O pœnitentia ubi es? O pœnitentia ubi es? De cætero pœnitere non valeo, hoc judicante juſto judice, quia dum facere pœnitentiam potui, non volui.* Et hoc dicens, infœliciter expiravit. Ecce Ericius in partu crepans. Ita refert Jo. Algtini Ord. S. Benedicti Epiſcopus & Cardinalis

D. Greg. hom. 12. in Evang. & l. 4. dial. c. 38. 2. Macha. 9. 12. Joan. Algrini de miſerabili morte cujusdam Uſurarii. Luc. Pinellus l. 1. de altera vita c. 6.

Attende denique omnes impios, ſerò pœnitentes, in partu crepantes, de quibus dicitur: *Pœnitentiam agentes, & pra angustia ſpiritus gementes: Ergo erravimus à via veritatis, & juſtitia lumen non luxit nobis. Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid profuit nobis ſuperbia, aut divitiarum jactantia? Tranſierunt ſicut umbra, &c.* Hæ voces pœnitentiæ videntur, ſed ſeræ & extortæ ac inutilis, magis verò torquentis, inſtar illius quæ cum angore ſemper parturit, nunquam parit.

Sap. 5. 3.

v. 7.

v. 8.

Hanc porrò confuſionem à peccato retardantem, à dæmonis fallacia provenire, indubium eſt. Ipſe omnia invertit, quæ à Deo rectè inſtituta ſunt, quia teſte Chryſoſtom. *Pudorem & verecundiam Deus dedit peccato, confeſſioni fiduciam; invertit rem diabolus, & peccato fiduciam præbet, confeſſioni pudorem.* Etenim quando tentat nos, peccatum pingit ut delectabile, proponit facilitatem veniæ, at quando adeſt tempus confitendi, aperit ejus turpitudinem, excitat pudorem, multam proponit difficultatem, ut peccator obmuteſcat. Quapropter quidam ex antiquis Patribus, ut refert Caſſianus, quodam die vidit ſatanam, confeſſionalia obambulantem & circumeuntem. Interrogatus verò quid ibi faceret? Reſpondit: *Reddo pœnitentibus, quod antea eis abſtuli.* Iterum interrogatus, quid illud eſſet, dixit: *Abſtuli eis verecundiam, dum peccarent, ut liberiùs peccatum peccato cumularent: reddo nunc eis, ut à confeſſione ad verecundiam deterreantur.*

Chryſ. homil. 3. de pœnit.

In vitis PP. V. Caſſian. collat. 2. c. 11. *Pudorem peccandi tollit dæmon peccato commiſſo reddit.*

Ut tamen peccator ſibi non diſpliceat, ſolet dæmon permittere, ut multa peccata aperiat: unicum ſolum, aut alterum grave, procurat in corde reſervari, perſuadens illud confiteri Deo, & cordis contritione eluere? Sufficit illi quod prædam teneat vel uno laqueo. Parum curant aucupes, inquit Dorotheus, ſi Aquila caput, alas, pedes habet liberos; ſi modo ungue fortiter teneatur; tunc enim tenentis ſubeſt arbitrio. Ita dæmon uno vinculo animam peccatoris irretiens, ſubjicit ſuæ ſervituti & æternæ perditioni. Quicumque ergo ſalutis amans es, diſſumpe omnes compedes confeſſionis integritate. Sciaſque nullam hic eſſe confuſionem, ſed libertatem gratiæ, & gloriam Filiorum Dei, dum agnoſcunt culpam omnem, ſeque magnopere egere Dei miſericordia & venia. Hinc Auguſt. *Tibi quidem Domine, cujus oculis nuda eſt abyſſus humanæ conſcientiæ, quid occultum eſſet in me, etiam ſi nollem confiteri tibi? te mihi abſconderem, non me tibi. Nunc autem quod gemitus meus teſtis eſt, diſplicere me mihi, tu refulges, & places, & amaris, & deſideraris, & erubeſcam de me, & abjiciam me, atque eligam te, & nec tibi, nec mihi placeam, niſi de te. Tibi ergo Domine, manifeſtus ſum, quicumque ſim:* * *Ecce enim veritatem dilexiſti, quoniam qui facit eam, venit ad lucem: volo eam facere in corde meo coram te in confeſſione: in ſtilo autem meo, coram multis teſtibus.*

Dæmon ſinit multa peccata detegi, unum filari. S. Dorotheus.

S. Aug. lib. 10. confeſſ. c. 2.

* c. 1. ibi.

Conſideret igitur, qui nimio pudore deterretur, etiam viros ſanctos non veritos publicè ſcelera ſua propalare: Magdalena nihil erubuit coram Phariſæis, licet ludibrium ſe fore non ambigeret. Paulus ſe primum peccatorem profiteretur, & quaſi abortivum, indignumque gratia Dei. Sanctus Auguſtinus tredecim libros confeſſionum edidit, ubi flagitia floridæ ætatis ſuæ omnia palam facit: & tantùm abeſt, ut illi hoc vertatur in confuſionem, quinimò in gloriam & honorem. Quapropter harum confeſſionum triplicem inſinuat ipſe rationem. lib. 10. quæ etiam habere locum poteſt in noſtra confeſſione, & ad illam faciendam, peccatores impellere debet. *Prima ratio* eſt, ex parte Dei: quia ipſe veritatem noſtræ confeſſionis diligit,

Luc. 7. 37. 1. Tim. 1. 15. 1. Cor. 15. 8. S. Aug. lib. 3. Confeſſ. *Rationes Confeſſionum S. Auguſt.*

quandoquidem & in ea ejus miſericordiam nobis neceſſariam agnoſcamus: idcoque eum confeſſione glorificamus, & propitium nobis reddimus. Hanc rationem tangit Auguſtinus loco jam citato ex lib. 10. c. 1. & 2. *Secunda ratio eſt* ex parte proximi; quia fructus ad eum derivatur, ex confeſſione noſtri peccati. Hanc tangit cap. 3. cùm ait: *Confeſſiones præteritorum malorum meorum, quæ remiſiſti & texiſti, ut beares me, in te mutans animam meam, fide & Sacramento tuo, cùm leguntur & audiuntur, excitans cor, ne dormiat in deſperatione, & dicat, non poſſum: ſed evigilet in amore miſericordiæ tuæ, & dulcedine gratiæ tuæ: qua potens eſt omnis infirmus, qui ſibi per ipſam fit conſcius infirmitatis ſuæ. Et delectat bonos, audire præterita mala eorum, qui jam carent eis, nec ideò delectat quia mala ſunt, ſed quia fuerunt, & non ſunt. Tertia ratio* eſt ex parte confitentis, quia adjuvari poteſt orationibus illorum, quibus confitetur mala ſua, non ſolum ſacramentaliter, ſed & charitativè extra Sacramentum. Hanc rationem tangit c. 4. *Juvat audire aliquos confitentem me, quid ipſe intus ſim; quia congratulari mihi poterunt, cùm audierint, quantum ad te accedam munere tuo Domine: & orare pro me, cùm audierint, quantum retardet pondere meo.* Proſequitur Auguſtinus: *Indicabo me talibus.* Non enim parvus eſt fructus, ut à multis tibi gratiæ agantur de nobis; & à multis rogeris pro nobis. Amet in me fraternus animus, quod amandum docet: & doleat in me, quod doces. Animus ille hoc faciat fraternus, non extraneus, non *filiorum alienorum, quorum os locutum eſt vanitatem*; ſed fraternus ille, qui cùm approbat me, gaudet de me; cùm autem improbat me, contriſtatur pro me; quia ſive approbet me ſive improbet, diligit me. Indicabo me talibus, ut reſpirent in bonis meis, ſuſpirent in malis meis. Bona mea ſunt dona tua, mala mea ſunt judicia tua: reſpirent in illis, ſuſpirent in his, & hymnus, & fletus aſcendant in conſpectum tuum de fraternis cordibus, thuribulis tuis. Tu autem Domine, his delectatus quaſi odore ſuavitatis, *miſerere mei ſecundum magnam miſericordiam tuam*, propter nomen tuum, & nequaquam deſerens cæpta tua, conſumma imperfecta mea. Hæc Auguſtinus.

Pſ. 143. 8.

Pſ. 50. 3.

Ecce igitur multiplex fructus ſinceræ confeſſionis: & ideò tantum abeſt, ut illam vitare debeamus ob confuſionem; ut potius amare debeamus, tùm ob gloriam quam Deo tribuit; tum quia per illam vitamus æternam confuſionem, tum quia coram Chriſto & Sanctis acquirimus per eam honorem. Hoc etenim ſciendum eſt, peccata omnium etiam electorum in judicio fore manifeſta: ſed hoc eis ſummè erit honorificum, quod confeſſione, pœnitentia, lachymis, illa diluerint. Sicut ſi veſtis diſcoloris, manus artificis erudita filum aureum gemmaſque roverit reſarciendo ſubtiliter intexere, veſtis illa ob ſciſſuras priores deformitatem non patitur, imò acquirit pulchritudinem ampliorem: Sic conſcientiæ indumentum, peccatis quandoque diſcoloratum, pœnitentia novit ſubtiliter reſarcire, & confeſſionis gemma adornare; ita ut prior deformitas in decorem vertatur & honorem. Quapropter peccatori ſed pœnitenti rectè dicemus: *Confeſſionem & decorem induiſti, amictus lumine, ſicut veſtimento*: quia ſcilicet lumen gratiæ, caliginoſam peccati veſtem obducit, & illuſtrat. Pſ. 103. 1.

De pluribus damnationi addictis ob dimidiatam confeſſionem præ verecundia, non hic adſcribo exempla, plurima paſſim reperies. Vide Flores *aut Speculum exemplorum.

* *D'Annalt. in Catech. inſt. c. 5. tit. 38.*

DE II. IMPEDIMENTO CONFESSIONIS.

Secundum impedimentum eſt timor.

2. *Timor, 1. de gravi pœnitentia injungenda.*

QUidam timent, ne ſi confiteantur, gravis eis pœnitentia injungatur, timent peccata injuſtitiæ aperire, ne reſtitutio præcipiatur; aut peccatum odii aut vindictæ, ne reconciliatio jubeatur. Hic rectè inſinuamus illud Job. *Qui timet pruinam, irruet ſuper eum nix.* Qui minus incommodum vult vitare, in majus facilè poterit incidere. Si conſiderarent hi, quam gravis ſit, quam infructuoſa alterius ſæculi pœna, quàm brevis ſit, quamque fructuoſa hujus vitæ pœnitentia, hanc amplecterentur, ne in illam inciderent. Prophetæ Jeremiæ à ſpiritu Dei excitato, viſio quædam oſtenſa eſt, à propoſito noſtro non aliena; Juſſus eſt enim oculum convertere quaſi ad meridianam plagam, & dicitur ei: *Quid vides Jeremia?* Reſpondet: *Virgam vigilantem ego video.* Ad alteram partem converſus iterum reſpicit, & vox rurſus ad eum: *Quid vides Jeremia?* Reſpondet: *Ollam ſuccenſam ego video.* Hunc locum moraliter interpretans S. Chryſoſt. dicit, per virgam vigilantem pœnas hujus vitæ, per ollam ſuccenſam, pœnas futuras deſignari? Peccatorem autem velut in medio conſiſtentem, amplecti debere virgam pœnitentiæ in hoc ſæculo, à meridie, ſive à ſinu divinæ miſericordiæ proventem, aut aliàs ollæ ſuccenſæ, quæ conſpicitur ab Aquilone, fore obnoxium; hoc eſt, ultioni divinæ alterius ſæculi, quæ nullo modo præſenti pœnæ eſt comparanda. Job. 6. Jer. 1. 11. S. Chryſ. explicans eum loc.

Hoc agnoſcunt animæ in inferno, purgatorio, quæ omnibus hujus ſæculi tormentis, cuperent poſſe unicam pœnitentiæ horam emere, & ad tempus pœnitendi redire: multumque eis doloris affert inter flammas, hujus temporis recordatio. Væ enim & millies væ, inclamant ſibi animæ reprobæ, quod tantilla pœnitentia, quæ in hoc ſæculo agitur, æterna tormenta potuerint redimere, & neglexerint. Unde de quadam muliere in Apoc. dicitur. Dedit *illi* Deus *tempus, ut pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere.* In quem locum dicit Ambroſius. *Hæc mulier (Iezabel) cum eſſet in peccatis, & deberet fieri gaudium, veſtes purpureas ſumſit,* Apoc. 2. S. Ambr. in hunc loc.

Digitized by Google

batur, auro & pretioſis lapidibus ſe ornabat, nunc aſperi fletus luget eruumnam. Quid putas mulier illa nunc ageret, ſi aliquid ei adhuc temporis ad pœnitentiam Deus daret? Utique non veſtem purpuream, ſed ſaccum & cilicium indueret: non fuco & cerußa faciem oblineret, ſed cinere conſpergeret, lachrymis rigaret: non calamiſtro capillos contorqueret, ſed illos cum Magdalena ad pedes Domini tergendos impenderet: non in publicum cum plauſu conſpicienda procederet, gemmatis aut roſtratis calceis ſuperbiens, ſed in ſilentio vitam ſuam deploraret, pedumque nuditate luctum ſuum procedere optaret: non oculos circumſpectantes & ſtibio pictos, impuri amoris illices, per Civitatem circumferret, ſed aquâ lachrymarum inundante, excæcare optaret: nec jam Cupidini aut Adonidi, ſivè voluptati, vel unum momentum temporis permitteret, ſed Chriſto confixa cruci à participatione dolorum illius, nec momento recedere vellet. Sed heu ſerum nimis illius votum eſt. *Quia dedit illi Deus tempus, ut pœnitentiam ageret, & non voluit.* Nunc volens, nec punctum obtinet, ſed momentaneam & celeri fugâ elapſam voluptatem, æterno cruciatu perſolvit, & ideò væ, & æternum væ ſibi inclamat. Quod & omnibus damnatis commune eſt, de quibus Sapientiæ 5. dicitur, quod *pœnitentiam ſint agentes, & intrà ſeprà angußia ſpiritus gementes.* Et Iſa. 65. quod *præ dolore cordis* ſint clamantes, *& præ contritione ſpiritus* ululantes. Ergo ibi pœnitentia, ibi gemitus, ibi vermis conſcientiæ, ibi compunctio cordis, ibi contritio ſpiritus: Sed infructuoſa hæc omnia, tanquam tempore non ſuo, quæ ſtabilem poterant operari ſalutem, ſi vel illorum minima pars vitæ hujus tempore adfuiſſet, quandò Deus eos ad planctum & peccatorum confeſſionem vocabat. Audi exemplum hanc rem concernens in ſpeculo exemplorum. V. Confeſſio.

Sap. 5. 3.

Iſa. 65. 14.

Speculum Exemplorum, Verbo Confeſſio

Nobilis quidam cùm peſſimam duceret vitam, ab uxore pia monebatur frequenter, & inſtigabatur ad Confeſſionem. Ille renuebat confiteri, dicebatque: *Timeo ne mihi gravis pœnitentia imponatur.* At illa. *Quomodò inferni pœnas poteris juſtinere, ſi exiguam hujus vitæ perhorreſcis pœnitentiam?* Cui ipſe. *Putaſne quod infernus ſit, aut diabolus, aut pœna aliqua, aut alia vita poſt hanc vitam? Sacerdotes iſta finxerunt, ut timeantur.* Illa videns nihil ſe proficere, nihil ultrà cum hac de re alloqui voluit. Quâdam autem nocte, ſubitò mortuus eſt. Conterrita uxor orabat Deum, ut viri ſtatum revelaret. Et ecce manè c[illegible] invenit denigratum inſtar titionis, & ſchedulam in qua ſcriptum erat: *Iam certus ſum infernum eſſe, & timor pœnitentiæ illuc me deportavit.* Hæc ibi.

2. *De reſtitutione injungenda.*

Quod verò aliqui Confeſſionem timent, ne reſtituto eis injungatur, improvidè id & in perniciem animæ faciunt. Etenim ad eam reſtitutionem cùm teneantur, nec ſine ea ſalvari poſſint, fruſtrà procraſtinant, & conſilium ac præceptum Confeſſarii malè fugiunt. Audiant hi illud Abacuc 2. *Væ ei qui multiplicat non ſua, uſquequò aggravat contra ſe denſum lutum?* Hoc denſum lutum, alibi dixi eſſe non ſolùm pondus peccati, ſed & obligationem reſtituendi: quæ multos inſtar luti paluſtris detinet, & illi plerique ita infiguntur, ut ad ſalutem non poſſint emergere. Verùm ſi attentiùs conſiderarent illud Salvatoris: *Quid prodeſt homini ſi univerſum mundum lucretur, anima verò ſuæ detrimentum patiatur?* eruerent ſe è limo iſto profundo & pernicioſo per Confeſſionem integram, & expiarent peccata injuſtitiæ, aliena reſtituendo. Sic enim à maledictione illa ſe liberarent, quæ continebatur in volumine illo volante, ut vidit Zacharias, & egrediente, & involveret & conſumeret omnem domum furis, & aliena uſurpantis. Quàm multi autem pereant defectu reſtitutionis, vide exemplis declaratum ſuper præcepto ſeptimo Propoſitionis ſecundæ, ubi etiam dixi periiſſe Matrem Sanctæ Mariæ Ogniacæ.

Hab. 2. 6.

Matt. 16. 26.

Zach. 5. 4.

Neque verò Confeſſarius ſine reſtitutione impoſita poteſt abſolvere, niſi ſalutis periculo ſe voluerit involvere, & peccato alterius participare. Audi quid de hac re retulerit Joan. Lotinus gravis Theologus Societatis.

Horrendi Exempl. Joan. Lotini, De quodam Confeſſario libertino.

Quidam in Italia Nobilis, quia uſuris erat addictus, non poterat impetrare abſolutionem; nec à Paſtore ſuo, nec Sacerdotibus Societatis, nec ab aliis Religioſis, quia uſuras nolebat deſerere. Tandem invenit libertinum aliquem Religioſum, qui alios Confeſſarios intimulans ſcrupuli, frequenter ei abſolutionem impendit: ita ut hoc modo favorem ejus ſibi concilians, frequentiſſimè ejus menſam frequentaret. Nocte quâdam poſt lautam cœnam, dum Religioſus in monaſterium ſe recepiſſet, ſubitò moritur Nobilis ille. Tempore autem quo agonizabat, en dæmones duo inſtar famulorum domus veſtiti, pulſant ad januam monaſterii, evocantque Confeſſarium deducendum ad domum ægri. Dum per forum tranſeunt, videt Religioſus Nobilem illum, cum toga nocturna ambulantem ad lumen Lunæ. Putans ſe irriſum, iraſcitur his ductoribus. At Nobilis accedens dicit ei: *Scio me non ſolum ægrum, ſed & mortuum & damnationi æternæ addictum, ob uſuras, & Sacramentorum profanum uſum. Tu verò infœlix Sacerdos, & improbe Religioſe, cùm me increpare debuiſſes, in peccatis aluiſti: ideò juſtum eſt, ut de pœna participes.* His dictis, hi duo dæmones rapiunt unus Religioſum, alter Nobilem, æternis flammis addicendos: Socius Confeſſarii ſolus ibi relictus eſt, totus attonitus & ſemimortuus: qui tamen paulò poſt animum reſumens, & monaſterium repetens, hæc quæ adeò infœliciter contigerant, Superiori enarravit. Hanc Hiſtoriam coram Alberto Auſtriæ Archiduce in Concione recitavit quidam Societatis Sacerdos, quam audierat ex ore Joannis Lotini Theologi, aſſerentis ſe optimè & perſonam & locum nolle.

Quod ſpectat ad alios, qui confiteri timent, quia
2. De odiis & vindicta deponenda, aut injuria ponenda.
odia alunt, & animum vindictæ: aut injuriam alteri intulerunt, timentque ne reparatio honoris, aut reconciliatio eis injungatur; certè & ipſi ſicut priores damnationi manent obnoxii. An non mirè condemnat hominum arrogantiam & duritiem, quod ortis diſſidiis nemo alterum prior velit accedere, nemo niſi coactus reconciliari, & pacem quærere: cùm tamen Deus ipſe graviter læſus, primus pacem offerat, & ad reconciliationem invitet? Sed & cum non acceptamus, maximè dolet Deus, cùm tamen vindictam ſuam poſſet ſtatim exercere. Undè Iſaiæ
Iſa. 27. 4. 27. loquens ad populum ſuum ſub nomine vineæ: *Indignatio*, inquit, *non eſt mihi: quidnam ſuper eam, ſuccendam eam pariter? An potiùs tenebit fortitudinem meam, faciet pacem mihi, pacem faciet mihi?* Cur ergò dicunt homines diffidentes, cùm eos hortamur ad reconciliationem mutuam. *Qui eget ſocio, accedat eum, ego ipſum nec curo, nec ego eo*: An Deus noſtri eget, qui tam ſollicitè nos requirit ad pacem ineundam? An non fratres ſumus, & ideò mutuâ ope egemus? An non membra ejuſdem corporis myſtici, quæ unionem debent habere, & ſibi mutuò opem ferre: ſicut in corpore naturali pes ambulat, manus laborat, oculus videt pro aliis membris, nec poteſt inter illa eſſe, niſi pernicioſiſſimum diſſidium: ſic & nos membra corporis Chriſti, mutuo nobis auxilio debemus eſſe, nec niſi damnabiliter poſſumus diſſidium inter nos fovere. Ergò qui alterum offendit, non vereatur ſe humiliare, nec confeſſionem fugiat, propterea quod hæc humiliatio ei ſit imponenda. Hoc enim obligatio & æquitas poſtulat, quia & cùm nos offenſi ſumus, id ab altero nobis fieri poſtulamus. Nimis ergò ſuperbi eſt animi & injuſti, nolle hic divino & naturali præcepto acquieſcere, ideoque ſalutem ſuam æterno periculo exponere. Majoris verò cæcitatis & injuſtitiæ eſt, ſupplicanti Fratri nolle condonare aut reconciliari; eſtque id ſibi viam
Eccl. 28. 3. obſtruere ad Dei miſericordiam dicente Sapiente: *Homo homini reſervat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecatur? Quis exorabat pro delictis illius?* Sed de hac re latiùs. Exemplum ad hanc rem attuli agens de indigna Euchariſtiæ ſumptione.

DE III. IMPEDIMENTO CONFESSIONIS.

Tertium impedimentum eſt Spes rei terrenæ, & Reſpectus humanus.

QUidam enim, quia ſperant, & ambiunt quædam in hoc mundo, nec putant ſe adepturos, ſi hominibus quales ſint, innoteſcant, ideò etiam in confeſſione planè ſe non aperiunt, licet ad Pœnitentiæ Sacramentum, ut prè viventes habeantur, quandoque accedant. Et hæc eſt hypocriſis reprobanda, per quam alii intus ſunt, alii foris ſe oſtentant: homines duplices corde & oculis, qui cœlum videntur reſpicere, & quærere gratiam Dei, ad terrena autem vertuntur, & illorum amore ducuntur. Hi reprobati cenſentur in antiqua lege, dum Cygnus reprobatur, qui licet candidus ſit exteriùs in plumis, carnem tamen habet interiùs nigram; ſic homines hi ſimulati, ſpeciem pietatis præferunt, intus conſcientiæ nigredinem gerunt, nec deſerunt. Atque ita de ipſis verum eſt illud Eccleſiaſt. c. 19. *Eſt qui nequiter humiliat ſe, & interiora plena ſunt dolo.* Eccl. 19. 23.
Et illud: *Va peccatori terram ingredienti duabus viis.* Eccl. 2. 14
Duabus quippè viis terram peccator ingreditur, quandò & Dei eſt, quod opere exhibet; & mundi, quod per cogitationem quærit, inquit Gregorius 1. Moral. Non deſunt ergò inter Chriſtianos, qui ob ſolos reſpectus humanos, conſcientiam non aperiunt: & confeſſione in injuriam Dei abutuntur, vel quia cupiunt in opinione bona haberi à Confeſſariis & Paſtoribus ſuis, vel quia per illos commendari, & aliqua obtinere nituntur. Sic videmus, & experientia comperimus, aliquos pauperes vel tenuioris fortunæ, ad Confeſſionis Sacramentum accedere, eo ſolùm fine, ut eis ſubveniatur, ut publicis eleemoſynis à Parochis commendentur. Et hi vitiis quandoque gravibus impliciti, turpitudinem non detegunt, ne forte de iis ſubtrahantur eleemoſynæ, aut ad id quod ambiunt, non pertingant: ſic Confeſſionem vertunt in lucri occaſionem, ſed in animæ ſuæ perniciem.
S. Greg. l. 1. moral. c. 11.

Dicunt verò hi ſecum: Quid cogitabit Confeſſarius de me, quam opinionem habiturus eſt? contemnet me, intuebitur me propter peccatū meum, erit mihi ſemper confuſio, quoties eum videro. His verò reſpondemus, dœmonis hanc eſſe nebulam, quâ mentem eorum erroneam obvolvit, & in peccatis detinet. Etenim ipſi Confeſſarium debent conſiderare ut locum Dei gerentem, non ſolùm ut hominem; ideoque ſecreto ſigilli divini ita obſtrictum, ut nullo caſu etiam evidentis periculi mortis, poſſit de his quæ audivit mentionem facere. Neque etiam poteſt confeſſione uti in gravamen & præjudicium ipſius pœnitentis, vel negando ei debitum ſubſidium, vel impediendo ex vi illius promotionem ad officium; vel ita gubernando, aut ſe gerendo ergà ipſum, ut vel in genere poſſit aliquis ſuſpicari aliquod peccatum. De qua re expreſsè a Clemente VIII. Regularibus eſt præceptum hoc modo; *Tam ſuperiores pro tempore exiſtentes, quam Confeſſarii, qui poſteà ad Superioritatis gradum fuerint promoti, cæveant diligentiſſimè, ne eâ notitiâ, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.*
Clemens VIII.

Quantum verò ad eam, quam timent coràm Confeſſario confuſionem, aut averſionem & contemptum, iterùm dicemus: *Illic trepidaverunt timore, ubi timor non eſt.* Quæ enim confuſio hominis fragilis, cui tanto ſigillo os obſignatur, fragilitatem ſuam aperire, qui & ſimilibus interiti poteſt & gravioribus? qui & fragilitatis humanæ eſt conſcius, ſcitque hominem in carne agentem, Angelum
Pſ. 52. 6.

gelum non eſſe, imò & viros ſanctos graviter quandoque deliquiſſe? An ergò huic humanæ fragilitatis peccata verendum eſt fiduciali ter aperire? quandoquidem & ipſe non ignoret, ſe in ſpiritu lenitatis debere pœnitentem recipere & inſtruere, ne & ipſe tentetur, ut monet eum Apoſtolus. Adde, quod ſi propter corporis ſanitatem, non verentur homines in partibus quantumlibet verendis medelam admittere: cur tumeant conſcientiæ abſconditæ etiam turpia medico ſpirituali aperire? Tantùm verò abeſt, ut is contemnat confitentem, quin potius moveatur ad compaſſionem: ſicut & medicus compatitur, dum ei vulnus profundum oſtenditur. Vis ergò ſcire quid conſideret Confeſſarius, dum gravia audit peccata? Certè illud Auguſtini ei opportunè poteſt occurrere: *Seo Domine, quod nullum peccatum eſt, quod unquam fecerit homo, quod non poſſit facere alter homo, ſi creator deſit, à quo factus eſt homo.* Novit ipſe neminem contemnendum, cui gratia Dei poteſt ſubvenire, & de lutoſo ſtatu peccati, ad ſublimem Sanctitatis gradum citò provehere. Novit etiam illud pro ſe: *Qui exiſtimat ſe ſtare, videat ne cadat.* Quia multi è ſublimi gratiæ gradu in imum peccati ſterquilinium conuerunt, eò quod de ſe præſumerent, alioſque aſpernarentur peccatores. Quapropter Sancti Patres cauſam afferentes, cur Dominus Petrum graviter labi permiſerit; hanc inter cæteras reddunt ut diſceret ipſe Paſtor, & in ipſo omnes futuri Paſtores, lapſis commiſereri, nec auſterè nimium ergà nos ſe gerere. Hinc eos qui verè animo Paſtorali in confeſſionibus excipiendis ſe geſſerunt, legimus tantâ quandoque compaſſione id feciſſe, ut à lachrymis temperare nequiverint, quibus etiam pœnitentes ad lachrymandum commovebant. S. Ambroſius, quoties illi aliquis ad percipiendam pœnitentiam lapſus ſuos confeſſus eſſet, ita flebat, ut & illum flere compelleret; videbatur etiam ſibi cum jacente jacere. Cauſas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli niſi Domino ſoli apud quem intercedebat, loquebatur, bonum relinquens exemplum Sacerdotibus, ut interceſſores ſint apud Deum, non accuſatores apud homines. Nam & ſecundum Apoſtolum, circa talem *hominem confirmanda charitas eſt, quia ipſe ſui accuſator eſt: nec exſpectat accuſatorem, ſed prævenit; ut confitendo, ſuum allevet ipſe delictum, nec habeat quod adverſarius crimineturi. Ita Paulinus in vita Ambroſii. Similia legimus de S. Carolo Borromæo, de S. Hugone Epiſcopo Gratianopolitano de S. Euſtachio Abbate Luxovienſi, quibus Deus donum lachrymarum infudit, ut ſuis ipſi lachrymis pœnitentes ad vitæ commutationem commoverent.

Gal. 6. 1.

S. Aug. lib. Soliloq. c. 15.

1. Cor. 10. 12.

Petrus permittitur cadere, ut diſcat lapſis commiſereri.

Exempla eorum, qui ſuorum Confeſſariorum peccata deflebant.

Referunt quoque Annales FF. Minorum de Franciſco Brixienſi Religioſo in Conventu S. Bartholomæi propè Fulginium, tantam ejus extitiſſe charitatem, ut ſi alicujus minùs pœnitentis confeſſionem exciperet, lachrymis obrueretur; ut ipſum ad perfectam compunctionem adigeret. Cumque à quodam familiari Fratre ſemel importunius interrogaretur: Cur ita aliorum peccata & impœnitentiam curaret, lachrymiſque ſe conficeret? Reſpondit: *Eſſe cujuſque Fidelis, in Deum peccata commiſſa deflere, & cuique à Domino (maximè verò Minorita, qui peccata populi comedit) de proximo ſuo mandatum eſſe.* Ita Franciſcus Gonzaga parte 2.

Gonzaga parte 2. Speculi. Exempl. V. deſperatio.

Nec hic ſilentio prætereunda eſt charitas cujuſdam Sacerdotis ſancti, erga quendam deſperabundum pœnitentem, de quo in ſpeculo exemplorum fit mentio. Peccatis carnalibus; inceſtui, ſodomiæ, miré addictus erat hic pœnitens: ita ut diceret: *Major eſt iniquitas mea, quàm Dei miſericordia.* Vocatus Sacerdos ille pius ad eum jam infirmitate læthali à Deo percuſſum, urgebat ad peccatorum confeſſionem, aſſerens omnium remiſſionem ſibi certò à Deo dandam, ſi modò confiteatur cum dolore. Renuebat ille, præ deſperatione & horrore vitæ præteritæ. At Sacerdoti charitas hanc ſuggeſſit ſanctam aſtutiam, ſivè piam cautelam. Ecce, inquit, fac quod dicam tibi: *Ego ſpoliabo me omnibus bonis, & meritis totius vitæ meæ, & illa in te transferre volo: tu verò ſpolia te omnibus peccatis tuis, & in me transferas, ego pro illis Deo reſpondebo, & pœnitentiam agam, ſicque mihi deſperare.* Conſentit ipſe in hoc adeò lucroſum cambium inductus charitate & pietate viri. Cùm ergò commutationem hanc iniiſſent, quantum in ſe erat utrumque peccatori dixit ille: *Ecce nunc temeris mihi aperire quæ mala feceris, ut ſciam de quibus tenear pœnitentiam agere.* Tunc ille liberè ordinem vitæ ſuæ cum omnibus flagitiis, quantum in ſe fuit, aperuit. Cui Sacerdos: *Nunquid & de his tu mecum dolet, & ſi abſolvere ab illis te poſſim, idipſum optas?* Reſpondet ille, ſe id optare. Erigens ergò ipſum in ſpem, abſolutionem ei impendit ſacramentalem, cum qua non ita multò poſt mortuus eſt. Poſt menſem autem apparuit huic Confeſſario, & dixit ei ſe in via ſalutis eſſe. Inquirit ille, quid de meritis ſuis, quibus ſpoliaverat ſe? Reſpondet: *Deus tibi ea reſervat duplicata, ob eximiam charitatem, quâ meam deſperationem evicisti.* Spec. Exempl. Verbo Deſperatio.

Itaque ut concludamus, tantùm abeſt, ut ſe debeant exiſtimare à Confeſſariis contemni, peccata ſua aperientes; quin potiùs magis diligantur ab illis, qui ubi vident cor apertum, & ſalutis ſuæ cupidum, non ſolùm commiſerationem concipiunt, ſed & zelum, & coadjuvandi fervidam voluntatem. Ergò, ô pœnitentes, cooperari vos oportet, ut educatur obſtetricante Confeſſarii manu coluber, ſi quis latitat tortuoſus & involutus in caverna conſcientiæ, animam inficiens: hoc eſt, ut educatur omne peccatum, quantumlibet inveteratum & occultum, & ita interimatur, ut nunquam illuc regredi detur. Evomendum eſt omne venenum,

num & theriaca perfectæ confessionis præmuniendа est anima, ut nullum virus peccati ultrà ei possit prævalere.

DE IV. IMPEDIMENTO Confessionis.

Quartum impedimentum est quædam desperatio melioris vitæ.

4. Desperatio vitæ melioris.

NEgligunt enim multi Confessionem quorumdam peccatorum, quia verentur, ne ab illis abstinere non possint. Sed qui huic tentationi (quam dæmon solet immittere) succumbunt, injuriam faciunt gratiæ Dei. Etenim scire deberent conversionem à peccatis, non à nobis provenire, sed ab efficacia gratiæ Dei nos prævenientis & conservantis. Undè illud dicimus: *Converte me, & convertar.* Et iterùm: *Postquàm convertisti me Domine, egi pœnitentiam, & postquàm ostendisti mihi, percussi femur meum, confusus sum & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.* Hæc autem gratia significata fuit in Gallo Petri, conjuncto cum intuitu Christi; in radio & luce ex equoruentis Pauli, in vocatione efficaci Matthæi; in invitatione Zacchæi, in attractu Magdalenæ cum lachrymis accurrentis. Quæ omnia gratiæ operantis conversionem, sunt effectus: nec abbreviata est manus Domini, quin majores conversiones quotidiè operetur. Ita ut multi post multam in peccatis ætatem detritam, possint tandem dicere: *Nunc cœpi, hæc mutatio dextera excelsi*: Itaque juxtà Bernardum, contrà diffidentiam illam vincendi peccatum, tria sunt proponenda remedia. *Primum est vigor ipse propositi, qui assumitur ex confessione peccati. Secundum est gratia Dei, quam meretur ex humilitate animi. Tertium est auxilium quod habetur ex illius cui fit confessio, compassione & oratione.*

Ps. 76. 11.

S. Bern. contra desperationem 3. remedia ponit. serm. 3. supr. cit.

Sed de hac desperationis tentatione, jam frequenter dixi, & in hoc Tractatu, & lib. 2. Lectione 8. Hoc solum iterùm repeto & inculco, quod his, qui ex fragilitate sæpè cadunt, non sit negligendum confessionis remedium: si modò cum firmitate propositi, & voluntate occasiones fugiendi, sit conjunctum. Et licet propositi vigore statim flaccescente & fatiscente, iterùm deficiant sub consuetudinis pravæ pondere, nihilominus illis resurgendum est, & propositum renovandum. Sicque nunquam animum debent despondere, scientes quia hæc vita mortalis & corruptibilis, non est nisi casus & resurrectio: non est nisi infirmitas, & sanitatis redintegratio; non est nisi sordium contractio & dealbatio: ac ob innatam menti instabilitatem, non est nisi frequens vicissitudo, modò de bono ad malum regressus? modò de malo in bonum progressus. Non negligit resurgere, qui se labilem novit, & pedibus instabilem licet iterum timeat cadere. Non desinit fugere de carcere, qui timet adhuc capi. Non repudiat remedium æger, qui ob innatam corpori corruptionem, catarri aut ægritudinis veretur recursum. Non recusat lavare lintea sua, qui novo usu veretur sordidanda. Sic nec negligat Confessionis remedium, qui ob fragilitatem veretur iterùm peccati lapsum, si modò quantum in se mutet animum.

Exo. 4. 4.

Certè non infrequenter contingit aliquibus circà pœnitentiam & Confessionem, quod olim Moysi circà virgam suam. Hanc cum videret in terra, non audebat attingere, sed horrebat & fugiebat quasi serpentem: at ubi eam in manus accepit, facta est virga, quâ inimicis Ægyptiis restitit, quâ viam ad promissionis terram fecit, quâ aquæ copiam è petra excussit. Sic aliqui primò fugiunt confessionem & horrent, quasi serpentem: sed ubi illam in manus forti animo acceperint, fit eis virga & baculus cui incumbant, quo sustententur in gratia, quo vincant hostes Satanam, Carnem, Mundum, quo viam parent in cœlestem Patriam, quo denique ex petra viva charismatum spiritualium abundantiam faciant scaturire. Et multi, qui consuetudinis pravæ difficultatem verentur, paulatim cum Dei gratia cooperantes, illam toti sibi experiuntur.

S. Bern. consilium cuidam lubrico datum.

Dicitur olim S. Bernardus Nobili cuidam juveni carnis vitiis nimiè dedito suasisse, ut tandem pœnitentiam ageret, vitam mutaret, pacem cum Deo iniret, vitiisque in ejus injuriam exundantibus finem tandem faceret. Ille libenter audiebat, sed consuetudinis carnalis pondere prægravatus, dicebat se id non posse agere. Urget vir sanctus, & monet, ut experiatur vires suas, gratiâque Dei cui si cooperari velit, jam aliquid poterit, & ita dicit ei, ut saltem inducias det Deo, & aliquanto tempore ab ejus offensa abstineat. Inquirit ille, quo pacto id peragere possit, aut quas inducias poscat à se? Rogo, inquit, te, ut tribus diebus a peccato abstineas ob amorem Sanctissimæ Trinitatis. Fecit id ipse libenter, & fortiter restitit tentationi, omnibusque illecebris. Postea iterùm rogat, ut tres alios dies abstineat, in honorem Virginis. Peragit idipsum quoque fœliciter. Tertiò obsecrat, ut ob honorem Apostolorum tres adhuc dies non deneget. Quod & fecit magna cum facilitate, ita ut læto animo expertus, quid posset homo sibi advigilans cum gratia Dei, dixerit Bernardo: *Jam non tantùm inducias cum Deo inire volo, sed & pacem perpetuam, quia consuetudinis perversæ durum vinculum & imperium, paulatim in me diminui, & dissolvi sentio, & cum Dei auxilio jam penitùs disrumpere volo.* Sic in via Pœnitentiæ & caltitatis, fœlicem fecit progressum, qui prius viribus suis diffidebat, nec gratiæ vires experiri voluerat. Certè cum quis ad Deum toto corde vult converti, statim auxilium reperit, ad tollenda omnia impedimenta. Vide id in figura. Cum populus Israel Deum vocantem secutus, ad terram Promissionis vult pergere, Deo adjuvante omnes perrupit difficultates. Si mare tantillum negat, dividit illud

illud Deus. Si Ægyptii perſequuntur, ab illo abſorbentur. Si panis deficit, manna ſubſtituitur. Si aqua deeſt, petra eam largitur. Si Chananæi obſtant & Jeſubæi, Deus pro populo pugnat. Deſignantur hic multa impedimenta ſpiritualia, quæ ad Deum proficiſci volentibus ſeſe opponunt, ac viam pœnitentiæ horridam reddunt. Sed ille deducit auxilio, qui nos prævenit inſpirationis conſilio: & deducit ſuaviter, qui prævenit fortiter. Ergo illi fidendum, nec unquam animum oportet deſpondere.

LECTIO IX.

DE SATISFACTIONE.

1. *Docet Satisfactionem dici Pœnitentiam impoſitam à Confeſſario.*
2. *Docet eam relictam Confeſſarii arbitrio.*
3. *Cum multa Prudentia docet eſſe injungendam.*

PROPOSITIO. I.

Tertia pars Pœnitentiæ eſt Satisfactio, quam Sacerdos poteſtate clavium injungit Pœnitenti.

UT autem intelligas, cur poſt Contritionem, Confeſſionem, Abſolutionem, adhuc Satisfactio ordinetur, idque inſtituto Chriſti; Adverte quod Deus cùm remittit culpam, non ſemper omnem pœnam remittat, ideoque Satisfactio imponitur ad remiſſionem pœnæ adhuc debitæ. Nam per abſolutionem pœna æterna in temporalem commutatur, ſolvendam vel in hoc ſæculo, vel expiandam in Purgatorio. Negant Hæretici poſt reconciliationem cum Deo, manere adhuc pœnam aliquam perſolvendam ratione peccati, ſed erroneè, cum id manifeſtum ſit ex pluribus Scripturæ exemplis. An non Adæ Deus peccatum dimiſit, & nihilominus eum pœnitentiam agere voluit in ſudore vultus ſui, aliiſque miſeriis in pœnam peccatis ordinatis? An non remiſit populo, peccatum murmuris & idololatriæ, orante pro illo Moyſe, & tamen dixit ſe tanti flagitii pœnas repetiturum, ac propter illud multis plagis eum affecit? An non in vindictam peccati murmuris jam dimiſſi, omnes præter Joſue & Caleb excludit à terra Promiſſionis? An non David remiſit peccatum adulterii, & tamen pœnam vindicem à tergo ei reliquit: dum & pueri morte, & Abſalonis rebellione, aliiſque calamitatibus eum plectit, tanquam pœnis peccati adhuc ſui pediſſequis? Unde poſt remiſſionem peccati adhuc miſericordiam implorat, orans ut ultrà illius non recordetur, vindicando & puniendo. Quid enim ſignificant illæ voces? *Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Quaſi dicat: Tolle omnem reatum non ſolum culpæ ſed & pœnæ, omnem obligationem, qua alicui adhuc vindictæ poſſem obnoxius eſſe, omnes peccati reliquias, quæ quodammodò adhuc videntur, me inquinare; & ſic perfectè me expurga, perfectè me tibi reconcilia.

Pſ. 50. 11. 1. 4.

Variæ autem ſunt cauſæ, cur nolit Deus ſtatim omnem pœnam condonare, ſed pro illa aliquam compenſationem à nobis exigat. *Cauſa, cur nolit Deus omnem pœnam condonare.*

Prima eſt, quia divinæ juſtitiæ ratio exigit, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptiſmum per ignorantiam deliquerunt in ſtatu illo perfecto, in quo & fidei lumine & gratiæ viribus caremus: aliter verò, qui ſemel à peccatis & ſervitute dæmonis liberati, acceptoque per Baptiſmum Spiritus S. dono, ſcienter templum Dei violare, & ſpiritum ejus contriſtare non formidarunt. Itaque congruum eſt, ut per ſatisfactionem impoſitam peccantium ingratitudo expietur, & juſtitiæ divinæ aliquid compenſetur. Hinc Tertullianus lib. de Pœnitentia, c. 9. agens de Confeſſione, Proſtratione, ac Satisfactione pœnitentiali, ſic dicit: *Exomologeſis, eſt proſternendi & humilificandi hominis diſciplina, converſationem injungens miſericordiæ illicem, de ipſo quoque habitu & victu mandat ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus ejicere, illa per quæ peccavit, triſti tractatione mutare, paſtum & potum purum non ventris ſed animæ cauſa jejuniis preces alere, ingemiſcere & lachrymari dies noctesq; ad Dominum.* Ut quid verò hæc omnia pœnitentibus injungantur, niſi ut divinæ juſtitiæ ſatisfiat, & temporalis afflictio æterna ſupplicia expungat? In quantum non pepercerit homo ſibi, in tantum ei Deus parcet, & dum homo in ſe ſævit, indignationem & juſtitiam Dei prævenies, nihil illi agendum relinquit. *1. Juſtitia divina, qua aliter hic in Baptiſmo nos in gratiam recipere vult.* Tertull. lib. de pœnit. c. 9.

Secunda cauſa eſt, quia ſi ita nobis abſque ſatisfactione peccata dimitterentur, facilè fieret, ut illa leviora exiſtimantes, injurii Spiritui gratiæ laberemur, & liberiùs peccaremus, theſaurizantes nobis iram in die iræ. Procul dubio enim à peccato revocant, & quaſi freno quodam coercent ſatisfactoriæ hæ pœnæ, cautioreſque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt. Impunitas enim proniores multos redderet ad peccandum: quia, ut dixit Bernardus, *eſt incuria ſoboles, inſolentia mater, radix impudentiæ tranſgreſſionum nutrix.* Hinc ſcribens ad Corinth. dicit: *Gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam, contriſtati enim eſtis ſecundum Deum, quantam in vobis operatur ſollicitudinem; ſed defenſionem, ſed timorem, ſed deſiderium, ſed æmulationem, ſed vindictam?* Gradatim explicat hic effectus & fructus pœnitentiæ. Quaſi diceret: Triſtitia hæc de Deo offenſo, non tantum vobis induxit ſollicitudinem reconciliationis cum Deo: ſed & defenſionem veritatis, indignationem contra peccatum, timorem ſanctum cavendi deinceps, & deſiderium ac zelum vindicandi & ca- *2. Ne levia ducantur peccata.* 2. Cor. 7. 9.

immortalis futurus, qua faceret pro differenda morte moriturus. Attende etiam quantum diligentiæ impendas in temporalibus, ut damnum vites : debita activa vel paſſiva frequenter in mentem revocas, omnem curam adhibes ut memoria non erret. Nempe diſpendium inde tibi. Sed nunquid hic de damno agitur animæ, ſi memoriam non conſulas, ut peccata recenſeas? Quantum iterum diligentiæ, ſi gemmam perdideris ; Reducis menti omnes vias per quas tranſiſti, omnia loca in quibus hæſiſti, omnes perſonas quas adjiſti, everris & everris domum, ſic ubi fortè delitescat. Quare non idem facere decernis, ut divinæ gratiæ pretioſam gemmam iterum requiras? Require loca, perſonas, vias, in quibus eam perdidiſti. Dic cum Propheta : *Cogitavi vias meas, & convertí pedes meos in teſtimonia tua.* Adhibe lucernam cum muliere Evangelica, ſingulos angulos perquire, everte domum, univerſa cordis tui latibula pervade, & ad fundum uſque ſordes evacuas; tandem reperies. Et ſi verè pœnitens es, age quod Ezechias Rex agebat : *Recogitabo*, inquit, *tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Non ſolum dicit, COGITABO, quia non leviter nec perfunctoriè, hac in re vult ſe gerere; ſed dicit, RECOGITABO, hoc eſt, iterum atque iterum recenſebo, & in ſtatera mentis meæ appendam annos, menſes, hebdomadas, dies ſive peccata in his commiſſa, antequam appendantur a Deo in bilance juſtitiæ, ad ea vindicanda.

Pſal. 118. 59.

Iſa. 38. 15.

Cæterum non mirum, ſi aliqui eo quod multos menſes, imò & annum quandoque integrum tranſigant, ſine reflexione ad conſcientiæ negotium, multam hic difficultatem reperiant, multum ſudent & angantur. Hæc facilè poſſent evadere, ſi vel per hebdomadam ſemel, opera ſua cum Deo recenſerent. Sed excuſantes ſe, afferunt excuſationes in peccatis, dum hujus vitæ variis neceſſariiſque negotiis ſe præpeditos allegant. An forſitan majore negotium pondere premuntur quam David Rex, negotiorum totius regni mole prægravatus, & tamen in ſingulis noctibus negotio animæ incumbebat : *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum; &, Meditabar nocte cum corde meo, & exercitabar & ſcopebam ſpiritum meum.* Quaſi dicat : Per ſcopas ſtricti examinis & contritionis evertebam ex animæ meæ cubiculo noctis quieto tempore, quicquid immunditiæ & de die contraxeram. *Loquebar cum corde*, rationem petens eorum quibus atſenſum præbuerat. *Exercitabar*, excutiens pulverem cordis, quaſi vento ſtante ventilans paleam peccati, ut ſecernerem & ſeparatem à frumento bonæ operationis. Et SCOPEBAM SPIRITUM, uſque ad angulos cordis pertingens, & ſcrutans ne quid lateret araneæ venenatæ cor inficiens. Dic mihi, ô homo, ſi pluribus menſibus veſtis maneat pulveri expoſita, nec veſtiaria illam attingat ſcopa, nonne maculas innumeras vix eluibiles imbibit ? Si cubiculum aliquanto tempore lutoſis pedibus ingredientium & egredientium protritum relinquitur, nec everritur, nonne ſordes ita adhærescunt & multiplicantur, ut nec primæ, nec ſecundæ ſcopæ ſufficiant ad perfectè emundandum: Quid mirum igitur, ſi integro ferè anno manet conſcientia ſine examine, ſine renovatione, ſine purgatione, ſi opus ſit exercitio, & ſcrutinio diuturniore, ad ſordes omnes congerondas & egerendas?

Pſal. 6. 7. Pſal. 76. 7

Interim, quia ſola diligentia humana non ſufficit, petenda eſt gratia & lumen à Domino, ad benè hoc examen peragendum. Expeditque ut homo humili corde exponat Deo miſeriam ſuam : quæ oritur, tum ex defectu memoriæ, tum ex intellectus cæcitate, tum ex voluntatis tepore. Hic eſt funiculus triplex, quo in peccatis implicatur homo ab hoſte antiquo. Qui peccatorum noſtrorum citò obliviſcimur, licet gravia ſint, quædam etiam negligimus & quaſi levia æſtimamus, ac de illis quæ manifeſta ſunt, tepidè dolemus : Sic invocanda eſt Spiritus gratia, ut inſpiret contra oblivionem, ut illuminet contra ignorantiam, ut accedat contra teporem : exiguus radius per feneſtras ingrediens, multas ſordes detegit quæ latebant, ad atomos uſque & pulviſculos: Sic radius gratiæ affulgens, multas imperfectiones & peccata nobis reddit conſpicua, quæ amor proprius & paſſiones noſtræ abſcondebant.

Ad examen bene agendum petenda eſt gratia.

Pſ. 48.

Hæc portò quæ ob negligentiam non requiruntur à nobis, requirentur ab adverſario in examine illo futuro, & angent nos. Hæc eſt *iniquitas calcanei, qua circumdabit*, & timorem incutiet in die mala: peccata ſcilicet illa, quæ ad calcaneum, ſive ad pedes noſtros projicimus voluntariæ obli ioni ea tradentes, vel quaſi levia nihili facientes. His quoque juſtos quandoque tunc anguſtiatos fuiſſe legimus. Refert Climacus gradu 7. Stephanum quemdam, qui multis annis in monte Sinai, in lachrymis & jejuniis vixerat, ante ultimum mortis diem in extaſi quadam factum fuiſſe; ita ut apertos oculos huc illuc verſaret perterritus, cum magna adſtantium admiratione, quia vitæ præteritæ ratio exigebatur. Quandoque ergo dicebat : *Revera ita eſt, ſed pœnitentiâ & lachrymis crimen dilui.* Aliquando verò: *Non eſt ita, mentimini.* Deinde rurſum : *Verum dicitis, ſed flevi, ſed jejunavi, ſed miniſtravi.* In quibuſdam tamen ajebat : *Ita eſt, ut verè me accuſatis & quid reſpondeam non habeo, in Deo eſt miſereri.* Et erat horrendum videre rationis exactæ ſeveritatem : & quod is nihil dicere ſciret, qui per quadraginta annos Monachus, lacrymarum donum habebat. Atque ita obiit, ambiguum relinquens quæ fuerit ſecuta ſententia.

Climacus gradu 7.

Simile quid refert Surius de S. Elzeario. Ad extremum, inquit, in agone poſitus vultum prætulit valde horribilem, ex quo colligere liceret eum in magno verſari labore, ob quædam illi objecta. Atque ſub ejuſmodi conflictu exclamavit : *Magna eſt Dæmonum vis, ſed eum pœnitus enervarunt virtus & merita ſacroſanctæ Incarnationis & Paſſionis* JESU

Surius in vita B. Elzeari 27. Septemb.

Digitized by Google

JESU Chriſti. Poſt paululum rurſus exclamans ait: *Planè vici.* Poſt aliquantulum, cum ingenti clamore dixit: *Totum me divino judicio committo.* His dictis reparatus eſt vultus ejus & quodam rubore atque ſplendore perfuſus reddidit ſpiritum.

Hæc nobis calcar adjicere debent, ad examen hoc conſcientiæ ſollicitè omninò perficiendum: & horam illam nimis terribilem, maturâ diligentiâ præveniendum. Et in hoc quidem examine, ponderandæ ſunt inclinationes pravæ, familiaritates periculoſæ, negotia, obligatio artis & profeſſionis noſtræ: ut non ſolùm commiſſionis peccata, ſed & omiſſionis, recolere poſſimus, & expiare. Ad multa ex officio vel charitate tenemur, quæ non magni facimus, nec accuratè examinamus: Audi exemplum ex Bellarmino l. 2. de arte moriendi. Ægrotabat, inquit, ad mortem, Epiſcopus valdè pius & doctus. Acceſſit ad eum Sacerdos utrique noſtrum amicus, à quo accepi quod narro. Quæſivit ab Epiſcopo, an ejus conſcientia ſatis foret pacata. Reſpondit, per gratiam Dei nihil grave ſibi occurrere, quod in Deum ſe commiſiſſe ab ultima confeſſione meminiſſet. Addidit Sacerdos amicus, an conſcientia omiſſionum non eum reprehenderet, cùm Apoſtolus tàm ſollicitè Epiſcopum Timotheum admonuerit dicens: *Teſtificor coram Deo & Jeſu Chriſto, qui judicaturus eſt vivos & mortuos, prædica verbum, inſta opportunè, importunè argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina.* His auditis ingemuit bonus Epiſcopus, & ait, verè omiſſiones meæ non parum me exterrent. His dictis, cœperunt oculi ejus profundere flumina lachrymarum. Si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet? Conſiderent hæc paſtores animarum, quibus gravis incumbit cura circà functiones varias, ideòque omiſſionis peccato ſæpè obnoxii, de quo gemebundos eſſe convenit.

Bellar. l. 2. de arte benè moriendi.

4. Tim. 4. 2.

Porrò poſt aliquam diligentiam examinis, non negamus in rudibus defectum ſuppleri, ſi parati ſint confeſſarii interrogatione juvari ad conſcientiam plenius explicandam, ideoque peritos Confeſſarios conſulant. At plerumque cùm ſolum generaliter & confuſè ſe examinârint, nolunt per confeſſarios ulcus tangi, circumſtantias numerumque explorari, imò ex profeſſo peritos fugiunt, ne id fiat. An non advertiſti, quomodò ſe gerat Faber ferrarius, dum equum ſaucium vult ſanare? Manu leviter tangendo & ſibilando, videtur adulari, & circuitu quodam circà vulnus plaudere, ita ut equus exultet. At ſi vulnus acrius ſcalpello tangit, equus recalcitrat, pedibuſque impetit. Sic aliqui gaudent, dum Confeſſarius permittit eos generatim ſua edicere, circuire, ſolumque ex parte conſcientiam aperire. At ſi exploret vulnus, ſi interroget circumſtantias graviores, modum, ſtatumque, moroſus dicitur, ægrè id fertur, talem medicum ultra accedere renuunt: Nec intelliguntur illud: *Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis.* Attamen Confeſſarius debet eſſe ſimilis Medico venam aperienti: is quidem partim mulcendo & adſtringendo, officio ſuo vult fungi: at maximè neceſſarium ei eſt, lanceolâ ſuâ penetrando, ſanguinem elicere. Is verò cui vena aperitur, non debet ægrè ferre, aut brachium retrahere; debet enim copioſè ſanguis pravus profluere. Imò licet ſecundò & tertiò ſciſſio repetatur, eo quod fortè ob timorem ſanguis non potuerit fluere, debet patienter id ferre. Sic pœnitens non importunum judicet Confeſſarium, ſi ſecundò vel tertiò interroget, cùm id aliquandò neceſſarium ſit: eò quod humano timore vel ignorantiâ pœnitentis, non ſtatim ei aperiatur vena cordis, ut profluat omnis peccatorum infectus ſanguis.

Prov. 27. 6.

SECUNDA CONDITIO.

Secunda Conditio confeſſionis eſt, ut ſit humilis, & cum erubeſcentia conjuncta.

SACERDOTEM ergò conſideret Pœnitens, non ut nudum hominem, ſed Dei loco Judicem, ante diem judicii judicantem, cujus ſententia in Cœlo rata eſt. Nec ipſe conſideret pœnitentiam, ut nudum virum aut mulierem: ſed ut animam Chriſti ſanguine emptam, quæ ſe iterùm vinculis & poteſtati ſatanæ tradiderit, ideoque ream. Sed quia implorat ſupremi Judicis miſericordiam, filius auctoritate cupit eam eripere de his vinculis, & gehennæ flammis, ideòque pretium redemptionis iterum ei applicat, ut in gratiam priſtinam reſtituat. Ergò, ô anima pœnitens, hic te proſterne in ſpiritu humilitatis, quaſi ad pedes Jeſu Crucifixi: quia illius Sanguine per Sacerdotis miniſterium aſpergenda es & abluenda: Memineris quoque te ream coram Judice ſtare. Eſt namque in confeſſione interior exteriorque reverentia exhibenda, juxtà illud Eccl. 4. *Presbytero humilia animam tuam, & Magnati,* ſivè Prælato, *humilia caput tuum.* Exterior humiliatio interioris ſit indicium, ut conjunctim cernantur humilitas cordis, oris, corporis. Cordis quidem ut ſe reputet vilem & abominabilem, gratia & miſericordia DEI indignum: oris, ut cum omni humilitate verborum ſe accuſet: corporis, ut id quod proteſtatur corde & ore, etiam exteriùs indicet corporis compoſitione, oculos in terram inclinans, manus jungens, genua flectens, & ſi arguatur benignè accipiens. Hujus ſymbolum humilitatis olim erat aſperſio cineris, quam Eccleſia inſtituit initio Quadrageſimæ, ſignum pœnitentiæ ſacro illo tempore peragendæ, & confeſſionis initiandæ. Et hanc quidem profundam humilitatem maximè ſolebant Pœnitentes olim exhibere, cùm jam ſententiam à Sacerdote debebant audire, & ſatisfactionem pœnitentialem accipere. Audi de hac re Alcuinum Caroli Magni Præceptorem libro de divinis Officiis. *Poſt peractam*, inquit, *confeſſionem, Pœnitens totum ſe in terram proſternat,*

Eccl. 4. 7.

Alcuinus lib. de div. officiis.

deri meliot, undè exiſtis deterior? Mirabile jactantiæ genus, ut non poſſis putari ſanctus, ſi non appareas ſceleratus. At talis confeſſio ſpeciem habens humiliatis non virtutem, non ſolùm veniam non meretur ſed & provocat iram. Nunquid profuit Saul, quod ſe ad increpationem Samuelis peccaſſe confeſſus eſt? Culpabilis procul dubiò fuit illa confeſſio, quæ culpam non diluit. Quomodò enim humilem contemneret confeſſionem humilitatis Magiſter, cui humilibus dare gratiam ingenitum eſt? Omninò non poterat non placari, ſi quæ in ore ſonuit, in corde radicaſſet humilitas. Hæc Bernardus.

TERTIA CONDITIO.

Tertia Conditio Confeſſionis eſt, ut ſit pura & ſincera.

1. Ut propria non alienorum peccata explicentur.

PRimò quidem pura, ita ut propria tantùm peccata explicentur, non aliena. In hoc multorum eſt error, qui non conſulunt famæ proximi exprimentes perſonam cum qua peccarunt, vel quæ fuit occaſio peccati. Hoc pœnitenti non eſt licitum, niſi aliter ſuum non poſſit explicare peccatum: & adhuc tunc conſulunt Doctores, ut accedat Confeſſarium, cui perſona ſit ignota, ut ſic poſſit parcere ejus famæ. Quod ſi id facilè fieri nequeat, poteſt aperire peccatum, quia utitur jure ſuo: nec hoc eſt propriè diffamare, ſed conſcientiæ ſuæ conſulere; cenſeturque conſors peccati ceſſiſſe jure ſuo, cum tale peccatum admiſit, quod non poteſt explicari, niſi ejus perſona detegatur.

2. Ut pura id eſt ab hiſtoriis & inutilibus circumſtantiis.

Secundò debet eſſe pura, ita ut alienæ hiſtoriæ aut circumſtantiæ inutiles non immiſceantur. Undè breviter explicanda eſt ſpecies peccati, verbi gratiâ, furtum, odium, adulterium cum numero, nec eſt neceſſe hiſtoriam facti commemorare. Quam cautelam, ſi obſervarent pœnitentes, breviter multa peccata confiteri poſſent, reducendo ſingula ad ſpeciem ſuam, verbi gratia, decies commiſi adulterium, vigeſies maledixi, ſexies juravi falſum, &c.

Modus manifeſtandi peccata.

Obſervandum autem hic, peccatum aliquod turpe & inhoneſtum, poſſe committi vel cogitatione, vel locutione vel tactu, vel opere conſummato. Si fuerit commiſſum opere, ſufficit exprimere nomen operis, verbi gratia, perpetravi adulterium, inceſtum, fornicationem, toties, non addendo majorem particularitatem, quæ intelligitur ex ipſa operationis ſpecie. Si tactu, ſatis eſt dicere toties inhoneſtè talem perſonam attigi: nec opus eſt addere in tali loco, aut quomodò, niſi poſt tactum eſſet aliquid ſubſecutum; quod ſpeciem peccati mutaret. Si locutione, dic toties inhoneſta locutus ſum, ad provocandum me ad malum aut alium, ad oblectandum aut recreandum memetipſum in illis: nec requiritur ut exprimas, locutus ſum hoc aut illud. Si cogitatione peccaveris, ſufficit dicere, toties turpia cogitavi, & in iis conſenſi aut delectatus ſum: nec requiritur, ut adjiciatur, cogitavi tale vel tale quid: id quod nonnulli faciunt cum maximo ſuo pudore, ſine Sacramenti neceſſitate.

Hæc omnia ſunt adeò manifeſta, quod ſuperfluum foret de iis mentionem fieri; ſed inveniuntur quidam adeò rudes & cœci, ut etiam in meridie lucerna illis opus ſit. Scrupuloſi porrò alium modum ſua peccata & cogitationes declarandi quærere non debent: ſufficit enim eo modo eas manifeſtaſſe, quem Doctores Eccleſiæ ſufficere docuerunt.

3. Ut aperiantur peccata ſicut admiſſa ſunt.

Tertio debet eſſe pura & ſincera, quia debent aperiri peccata, certa ut certa, dubia ut dubia. Undè, ſi pœnitens dubitet ſe conſenſiſſe, verbi gratiâ cogitationi inhoneſtæ, aut vindictæ, idipſum declaret, nec aſſerat certò id, in quo vacillat. Et qui dubitat aliquid eſſe mortale, id debet neceſſariò aperire etiamſi tale non eſſet: alioqui ſe periculo confeſſionem dimidiandi exponeret; niſi forte ratione probabili, aut reſponſo alicujus eruditi dubium deponat. Vitandum porrò omne mendacium, tam affirmativum, quam negativum; alioqui injuria fit Sacramento à Chriſto inſtituto, ut in eo veritas conſcientiæ cordiſque pateſcat ſinceritas illi, qui Judex eſt loco Dei. Hinc ſacrilegio ſe involvit, non ſolùm qui negat peccatum mortale quod fecit, ſed & qui ſe accuſat de peccato mortali, quod non fecit. Et licet ſit opinio probabilis, quod negans aut aſſerens peccatum veniale contra mentem in confeſſione, tantùm peccet venialiter: tamen certum eſt, quod gravius ſit, quàm extrà confeſſionem, ob Sacramenti irreverentiam. Hoc verò etiam ſciendum eſt, peccatum mortale, præſertim delectationis, aut pravi deſiderii poſſe committi momento temporis. Errant igitur qui ideò putant, ſe non peccaſſe mortaliter, quia in delectatione, aut deſiderio non hæſerunt, ſed paulò poſt, quam venit, à ſe repulerunt: equidem rectè faciunt repellendo, & gravius peccarent, ſi perſeverarent, ſed peccârunt mortaliter liberè ſe delectando & conſentiendo. Contrà verò, non eſt peccatum, quamdiu renititur voluntas, licet per plures horas turpis cogitatio ſeſe animo objiceret. Et hoc etiam ſciant rudes, delectationes de peccato mortali, eſſe mortales, etiamſi quis nolit opere complere, verbi gratiâ de opere venereo, aut de vindictâ, &c. Hæc vitioſi parùm curant, & vix confitentur.

4. Ut non excuſet peccata.

Quartò debet eſſe pura & ſincera, ita ut homo peccata ſua accuſando non excuſet. Ingenitum eſt filiis Adæ, gravitatem ſuorum criminum prætextu aliquo velare. Hinc frequenter, confitendo longiores immiſcent diſcurſus, tendentes ad aliquam excuſationem. Sæpè vir in mulierem, mulier in virum culpam rejicit; ancilla in Dominam, quam moroſam dicit; Domina in ancillam, quam accuſat rebellem. Sic puella lapſa, dicit ſe nimis importunè ſollicitatam, aut ſe credere aliquo ma-

Digitized by Google

leficio vel philtro à turpi amatore faſcinatam, ita ut neſciat, quomodò in id flagitii prorumpent. Et cur hæc omnia niſi ad elevandam culpam, & excuſandas excuſationes in peccatis? Alii in furto pauperiem, aliqui in jejunio neglecto amicam ſocietatem, alii complectionem debilem præterunt: & hi quidem ſi quenter fortes ſunt ad fornicationes & diſſolutiones, ad miſcendas totis noctibus ebrietates, ad jejunandum à manè uſque ad veſperam, ſi venationē ſectentur, aut alteri cuipiam negocio ſit incumbendum, ad jejunia autem præcepta imbecilles ſe volunt. Miratus ſum ego, & non ſine ſtomacho, audiens in Confeſſione, juvenes 30. ferè annorum, qui ob laborem diurnum, nullum ſe jejunium peregiſſe, fatebantur; interim vix diem unum præteribant, quin proprium polluerent corpus, libidinem in ſe procurando. Et ajebam ego; Qui poteſt fieri, ut fractos vos laboribus quotidianis, aſſeratis, nec unius diei jejunium ferre poſſe, ob nimiam defatigationem; & adhuc quotidiè penè libidinoſa prorſitatione corpus enervatum magis defatigetis? In talibus ſi excuſatio à jejunio poſt labores toleranda videtur, intolerabilis eſt adeò frequens libido, & nec tam fragilitati adſcribenda, quam obſtirmatæ conſuetudini malitiolæ: & tamen neſcias, quam eis pœnitentiam debeas injungere, quia jejunia mortificationi carnis apta, non adimplebunt.

Certè vetus hic Adam vivit in nobis, & antiqua illius perizomata quadam hæreditate poſſidemus, quibus nuditatem & turpitudinem obvelamus. Nemo vult ſe agnoſcere ambitioſum & prodigum, avarum, injuſtum, libidinoſum: ſed ambitionem, ſuperbiam, prodigalitatem in veſtibus, conviviis, moribus, dicimus eſſe decentiam ſtatus noſtri: invidiam verò & vindictam generoſitatem animi vocamus: oppreſſionem aliorum & injuſtitiam, vocant turnum baculi, & emolumentum officii: avaritiam providentiâ, quâ tenentur erga liberos & familiam excuſant: libidinem & ebrietatem, fragilitatis & ſocietatis humanæ pallio contegunt, nec multum ponderant. Sed procul à Confeſſione folia, procul prætextus & perizomata. Periculoſa ſunt illa, ut propterea deprecetur Propheta Dominum:

Pſ.140. 4. *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis.* Sicut non profuerunt Adamo & Evæ, hæ malitiæ & nuditatis velamina, ita nec nobis. Utique vocabat Deus ad confeſſionem primu parentem, dicens: *Adam ubi es?* Ad quem ſtatum peccato tuo te demerſiſti? qualis mutatio? quæ confuſio? an adhuc ignoras damna, quæ tibi tranſgreſſione tuâ aggregaſti? Cur igitur non requiris remedium? Cur fugis me & te? Vide, agnoſce, confundere, ſed accede ad me, ut miſericordiam invenias opportunam, quam tibi lubens offero. *Ad hoc Adam & Eva requiſiti fuerant*, inquit Gregorius, *ut peccatum, quod tranſgrediendo commiſerunt, confitendo delerent.* At maluit ſe excuſare Adam, quam excuſare; *unde, quia ſe confiteri culpabilem renuit, mortifera damnationis ſententiam ad poſteros miſit:* Putat verò D. Gregorius *(in Pſal. 2. pœnit. & l. 22. moral. c. 9. explicans illud: Si abſcondi ut homo peccatum meum)* quod ſi liberè Adam culpam fatſus fuiſſet, reſtituendum in priſtinum ſtatum. Idem ſentit Auguſtinus ſer. 1. de Annunciatione & Bernardus l. de præcepto & diſpenſat. Verùm, quidquid ſit de hoc, certum videtur, tam Adamum, quàm Evam excuſatione peccatum aggravaſſe: Adamum, quidem, dum dicit: *Mulier quam dediſti ſociam, dedit mihi & comedi:* Malè in mulierem culpam rejicit; cum enim ipſe caput foret & immediatè præceptum accepiſſet, non debebat conſentire, ſed mulierem reprehendere, hanc verò prius fovit in peccato. Neque ſatis reverenter Deo hic loqui videtur. Nunquid enim magis divinæ voci obtemperare te oportuit, ô Adam, quam voci mulieris, ad malum pellicientis? An forte etiam indirectè in Deum vis culpam retorquere? quaſi ei diceres: Si talem mihi ſociam non dediſſes, eò miſeriæ nequaquam prolapſus fuiſſem. Mulier verò etiam peccat, culpam ſuam ut oportet, non agnoſcendo puré & ſinceré; ſed in ſerpentem illam rejiciendo. Hanc imitantur plerique, in ſatanam, carnem, mundum, ſcelera ſua retorquentes, ſed frivolè: quia infirmus eſt hoſtis, qui non vincit, niſi volentem, quique nullas habet vires, niſi à noſtra voluntate. Inculpet ergò homo ſeipſum, propriamq; arguat voluntatem, omnis mali originem; cui nemo poteſt vim inferre, cui nec ſatan, nec caro, nec infernus (ſi voluerimus) potuerit nocere.

Eſt igitur electæ animæ ſymbolum, ſinceré peccatum agnoſcere, & contra ſe teſtimonium ſententiamque dicere: Sic docet nos Propheta: *Dixi confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, &c.* Modus ergò veniam impetrandi, eſt libera confeſſio; ad compaſſionem movet Medicum, qui humiliter vulnus oſtendit. Quandò homo delegit, Dominus tegit; cum homo velat, Deus revelat; cum reus agnoſcit, Deus ignoſcit. Quicunque igitur ad hoc tribunal accedis, eſto reus, teſtis, acculator, ubi pro te & contra te creditur: noli tergiverſari, noli excuſare, aperi ſinceré totum ſtatum caulæ tuæ coram infallibili Judice, ut facilius valeas veniam impetrare.

S. Greg. l. 22. moral. c. 9. in c. 31. Job.

in pſl. 2. pœnit. Job. 31. Auguſt. Bernard.

Gen. 3. 12.

QUARTA CONDITIO.

Quarta Conditio confeſſionis eſt, ut ſit integra quantum ad ſpeciem, numerum, & circumſtantias peccati.

1. *Quoad ſpeciem & numerū.*

INprimis, quantum ad ſpeciem & numerum, ſcire debet unuſquiſque de peccatis mortalibus, quænam, & quo numero commiſerit, & ad hoc tendit examinis diligentia. Poſt illam, ſi numeros diſtinctè non recorderis, dic aliquatenus, prout meminiſti, plus vel minus. Quod ſi non recorderis, & ſit peccatum durans (quale eſt inimicitia, vel odium, vel peccatum carnis) dic quanto tempore

Digitized by Google

pore illi fueris obnoxius, indè aliquo modo numerus peccatorum poteſt conjici, vel ſtatus tuus agnoſci. Si ſit peccatum, quod continuam actionem non habet, ſed multoties committitur (ut ſunt, pejerare, detrahere, maledicere, vel quid ſimile) nec recorderis numerum, quoties tale quid perpetrâſti, dic ſaltem illud tibi familiare eſſe: aut quoties offerebatur occaſio, in illud te incidiſſe, aut aliquoties illi reſtitiſſe. Sufficit enim, ut Medicus hoc modo intelligat diſpoſitionem infirmi, ut ſciat illi mederi.

Quoad circumſtantias aggravantes vel mutantes peccati ſpeciem.

Deinde non ſufficit confiteri ſpecies & numerum peccatorum, ſed & neceſſe eſt, etiam circumſtantias illorum confiteri, cum tales ſint, ut repugnent alicui mandatorum Dei vel Eccleſiæ; aut cum notabiliter peccatum aggravant, etiamſi ſpeciem non mutent. Etenim licet operatio peccati ſit una, poteſt tamen accedere talis qualitatis turpitudo, quæ neceſſariò in confeſſione ſit exprimenda. Exempli gratiâ, ſi quis furetur arma ad occidendum aliquem, cujus uxorem concupiſcit; hic liquet furtum unam eſſe operationem, & proindè peccatum unum, ſed opus illud duas ſecum adfert alias turpitudines, nimirum velle occidere, & adulterium committere, quæ pugnant cum duobus iſtis mandatis: *Non occides, & non concupiſces uxorem proximi tui.* Hujuſmodi circumſtantiæ, quæ ſic aggravant peccatum, neceſſariò debent in confeſſione exprimi. Aliæ verò circumſtantiæ, quæ non ſunt ejus naturæ & qualitatis, ut ſunt, murmurare in templo, facere delictum aliquod in die jejunii, vel feſto, poſſunt ſine periculo taceri, quamvis illas etiam confiteri conſilii ſit, quemadmodum & peccata venialia recenſere. Quia verò aliquantulum difficile eſt, poſſe inter has & illas circumſtantias differentiam invenire, nos eas huc commemorabimus, ad quas exprimendas homo communiter obligatur.

Primò, in peccatis carnalibus neceſſe eſt pronunciari perſonam cum qua peccâſti: nam ut variæ ſunt perſonarum qualitates, ita quoque ipſa peccata diverſa ſunt. Peccare namque cum ſoluta, ſimplex eſt fornicatio, cum conjugata adulterium; cum honeſta virgine ſtuprum; cum ſanguine conjuncta inceſtus: cum religioſa vel Deo conſecrata ſacrilegium, vel ſpirituale adulterium, in his omnibus, ſi vel opere quoque vel verbo alium ſcandalizaveris, & hoc confiteri debes. Quin etiam conſiderandum eſt, ſi cum peccaverit quis, illud fecerit in tali loco, atque in præſentia talium perſonarum, ut malo exemplo quod dedit, ad ſimile hos qui aderant, peccatum provocaverit: ut ſi quis alicujus auctoritatis extra neceſſitatem carnes in die jejunii comedat, aut aliud peccatum faciat in præſentia illarum perſonarum, quæ ex eo poſſent occaſionem ſumere idem imitandi. Hoc in caſu, neceſſe eſt, ut confiteatur malum exemplum, & ſcandalum quod alteri dedit.

Neceſſe quoque ſubindè eſt, dicere circumſtantias loci ſacri, & præcipuè tribus in caſibus, nimirum furto, ſanguinis effuſione, & ſeminis humani ejectione, quandò unum vel alterum eſt cum peccato, horum enim unumquodque, propter locum mutat ſpeciem peccati, & ſacrilegium efficit, quod eſt peccatum graviſſimum. Similiter ſi quis votum emiſerit, aut juramentum ſe aliquid facturum, aut non facturum, & idem facere, vel non facere Dei mandato præceptum eſſet (ut non jurare, non occidere, non fornicari, &c.) ſi ipſe poſtea contrarium faceret, teneretur ad exprimendam circumſtantiam illius voti vel juramenti. Etenim iſta circumſtantia facit, ut quod erat peccatum ratione unius, etiam peccatum fiat ratione alterius.

Cæterùm hoc in Eccleſia dolendum eſt, adeò *Deus graviter irriſſimè irritari*, ob integritatis defectum. Eſt verò *frequenter* ſiſſe dicitur Ananias & Saphira in actis Apoſtolo- *irritas con-* rum, quibus improperavit S. Petrus, mentiri illos *feſſiones.* Spiritui Sancto non homini; quia partem pretii Act. 5. 4. de agro vendito celabant interrogati, unde & ſubitâ morte ſunt percuſſi. Sciant ergò, qui peccatum negant, aut celant, non mentiri ſe homini, ſed DEO, cujus vicem gerit ſacerdos in hoc tribunali: non minorem à Spiritu S. habens poteſtatem ergà pœnitentem ad interrogandum & judicandum, quàm Petrus erga Ananiam & Saphiram, & ideò qui illi mentitur, non minori pœnâ meretur involvi. Simules quoque rectè dixerimus tales reprobo Cain, qui interrogatus à Deo, qui tunc inſtar confeſſarii ſe gerebat, celavit peccatum, ideoque dicitur ei: *Maledictus eris, & profugus ſuper terram*: Gen. 4. 11. Quare maledictus? Quia in fratrem peccâſti. Quare cum maledictione vagabundus, & ſemper trepidus? Quia confeſſione peccatum expiare noluiſti: Similem ergò maledictionem incurrunt, qui peccata in confeſſione negant: quocumque ſe vertant, conſcientiam, tanquam vindicem Deam cum tremore circumferunt.

Hæc eſt maledictio, quam fugere nequeunt, hæc eſt infernalis furia, quæ ſemper trepidantes lancinat, donec ad tenebras perducat, & vermem nunquam intermoriturum. Qui enim peccato gravi obnoxius manet, ſi tonitru, ſi fulgur audit, ſi ſolus in tenebris agit, trepidus eſt, & inquietus: iramque Dei quaſi ſibi imminentem conſpicatur: *Sonitus terroris ſemper in auribus impii, & cùm pax ſit, ille inſidias ſuſpicatur.* Audi Sapientem de impiis Ægyptiis: *Vnâ catenâ tenebrarum omnes erant colligati, ſivè ſpiritus ſibilans inter ſpiſſos arborum ramos, aut vis aquæ decurrentis nimium, aut ſonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium curſus invijus, aut mugientium valida beſtiarum vox, aut reſonans de altiſſimis montibus Echo, deficientes faciebant illos pra timore. Illa ſuperpoſita erat gravis nox, imago tenebrarum, quæ ſuperventura illis erat, ipſi ergò ſibi erant graviores tenebris.* Job. 15. 21 Sap. 17. 17

Quod

Digitized by Google

Quod de illis impiis teſtatur Sapiens toto illo capite, verum eſſe experiuntur plerique in conſcientia caliginoſa: quibus nulla lux aut quies affulgere poteſt, niſi confeſſionis ſacramentalis remedio.

Crombecius l. 2. de ſtudio perfect. c. 2.

Habes exemplum recens apud Crumbecium. Quidam vir potens peccatum commiſerat, à cujus confeſſione ita horrebat, ut potius mortem & damnationem eligeret, quam confeſſionem. Interim conſcientia conuinuò eum angebat. Quodam die cum Antuerpiæ Concionatorem audiſſet pronunciantem, non eſſe obligationem confitendi peccata oblita, omnia tentavit, ut illud oblivioni traderet. At primùm, omni indulſit voluptati, ut peccatum illud ſuffocaret aliorum multitudine: At ſemper inter cætera primum menti recurrebat. Deinde varias provincias peragrans, putavit novitate rerum præteritorum memoriam ſepelire; ſed non poterat fugere ſeipſum, nec ſui reatus cruciatum. Tandem ſeſe applicat ſtudio Mathematicæ & perſpectivæ; putans vi attentationis requiſitæ, malo ſuo remedium adferre; ſed id etiam fruſtra. Quid ageret: Sperat pœnitentia ſine confeſſione illud poſſe abolere; cilicium, jejunium, diſciplinam, eleemoſynam adhibet: ſed vulnus potius augetur. Deſperabundus ergo mortem ſibi conſcire parat ſuſpendio: & ut id in domo propria petagat, rhedam ſuam conſcendit, ut proprios repetat lares. Occurrit ei quidam notus Societatis Jeſu Sacerdos, qui poſt ſalutationem rogatur ab eo, ut currum conſcendat. Quo conſenſo, de variis agit, ita ut de confeſſione tandem incideret ſermo, & caſu tetigit ulcus. Nobilis ille exiſtimans hæc propter ſe dici turbido vultu interrogat. Cur talis ei modò ſermo? Reſpondet moris eſſe Religioſis de rebus ſalutis cum quibuslibet agere, quod ſi ope ſua egeat, paratum offert. Quid mihi, inquit, opem offers, cui nulla mens eſt confitendi? quod ſi ſine confeſſione auxilio poſſes eſſe, lubens acceptarem. Conjicit ſacerdos aliquid in viro latere, cui obſtetricantem manum ad educandum oporteat adhibere. Loquitur ergo ad cor ejus, & diverſa proponit media, quibus juvari poſſit, abſque confeſſione: ita ut tandem aperuerit ille, ſe jam ſibi ſuſpendium decreviſſe, eo quod ultrà cruciatum conſcientiæ nequeat tolerare, quod ſi ſine confeſſione poſſit juvari, paratum ſe offert quidlibet pati. Promittit Pater iſte operam non inanem, ſi modò velit aliquot diebus obtemperare in his, quæ præſcribet. Itaque cum domum appuliſſent, jubet eum cum amicis animum relaxare, & poſt cænam lætam, ſomno quieto ea nocte indulgere. Sequenti die mane, præſcribit certa meditationis puncta, quibus magna in eo fiducia erga Deum excitetur. Altero die dat ei examen conſcientiæ, monens ut notet peccata à ſe commiſſa: non in ordine ad confeſſionem, ſed ut ſingulorum contritionem poſſit elicere. His peractis, ducit eum ad deambulationem ſolitariam in nemore, & interrogat an ſingula recte examinarit. Erat melius, inquit, meminiſſe, proponam & ego tibi aliquot puncta. Proponens igitur graviſſima peccata, incidit tandem in illud quod virum hunc angebat. Audiens verò ipſe ſuum nominari peccatum, ecce, ecce, inquit, maledictum ſcelus, quo angor. Diſſimulat Sacerdos: Longè, inquit, graviora libellus meus continet ab illo, & à mille gravioribus abſolvere te poſſum, & quidem illud jam confeſſus es, cætera in memoriam ante reducta potes dicere. Sic ille proſtratus, liberè conſcientiam aperit, & abſolutionem recipit: tanto verò cum gaudio, ut frequentet Patri huic poſtea repetierit: O Confeſſio quantam ſerenitatem & lætitiam menti affers! O Pater mi, à quot me angoribus Confeſſio liberavit!

LECTIO VIII.

DE IMPEDIMENTIS INTEGRÆ CONFESSIONIS.

DE PRIMO IMPEDIMENTO Quod eſt pudor.

Impedimenta Confeſſionis 4. S. Bern. ſerm. 3. de S. Andrea circa finè Apoſt. 1. Pudor Eccl. 4. 25

QUatuor impedimenta recenſet Bernardus integræ Confeſſionis: Hæc ſunt, pudor, timor, ſpes, deſperatio, quæ paulò latius hic explicabimus.

Primum impedimentum eſt pudor, quo pœnitentes aliqui deterrentur, ne gravia peccata confiteantur. Hos monet Sapiens: *Ne confundaris pro anima tua dicere verum, eſt enim confuſio adducens peccatum & eſt confuſio adducens gloriam* Confuſio impediens peccati confeſſionem, novum peccatum involvit: confuſio ex peccatorum confeſſione orta inducit gratiam & gloriam, quia eruit hominem ab æterna confuſione, peccata præterita tegit, à futuris protegit. Quod igitur non erubuiſti coram Deo & Chriſto judice, coram Angelo Tutelari & Satana accuſatore, quodque tandem coram toto orbe debet notum fieri, ne vereatis aperire coram illo qui ante diem judicii loco Chriſti debet judicare, non ad vindictam, ſed ad gratiam tibi conciliandam. Et bene pondera quid potius eligendum ſit, an exiguam modò confuſionem ſuſtinere, an incidere in opprobrium ſempiternum. *Revelabo pudenda in facie tua, & oſtendam gentibus ignominiam tuam*, ait Dominus. Id quidem in illo die quo univerſa patebunt, de quo etiam verum eſt illud Job 20. *Revelabunt Cœli iniquitatem ejus, & terra conſurget adverſus eum, apertum erit germen domus illius, detrahetur in die furoris Dei.*

Nahu. 3. 5. Job. 20. 17.

Audi ſimilitudinem apud Oſeam. *Colligata eſt iniquitas Ephraim, abſconditum peccatum ejus, dolores parturientis venient ei.* Alludit ad puellam, quæ ex fornicatione concepit, & abſcondit peccatum ſuum, donec tandem doloribus partus illud prodere cogitur, maxima cum confuſione. Sic aliqui iniquitatem ſuam abſcondunt, donec tandem in fine vitæ, variis anguntur doloribus, inſtar partu-

Oſee 13. 12. Simile.

Digitized by Google

parturientis, intus inclamant, & confuſionis æternæ jam initium patiuntur: & quia fortè juſto Dei judicio, non habent obſtetricantem alicujus Confeſſarii manum, in hoc partu moriuntur, æternæ mortis & confuſionis filii.

Simil. de Hericio, ſpinis horrido.

Hos iterum rectè repræſentarunt antiqui, per Hericem vel Hericium ſeu Ethinum in partu crepantem. Animal hoc partus tempore veniente, quia prolium egredientium ex utero aculeis acriter pungitur, differt partum; fœtu autem creſcente, dum vi ille egreditur, viſcera matris acrius dilaniantur, & ſæpius in partu crepat. Ita hi nunquam confeſſiones integras faciunt, augentur in dies peccatorum aculei: & tandem dum divinas inſpirationes ſpernunt, mortis infælici genere, præ gravitate & multitudine peccatorum intereunt. Sic de illis verificamus illud Domini, apud Iſaiam minantis Babyloni: *Ponam eam in poſſeſſionem Ericii.* Quaſi diceret: Babylonicas illas & confuſibiles animas, pœnitentiam, & ſpiritum ſalutis parere differentes, ſimili pœna mulctabo, qua Ericium in partu infœliciter increpantem.

Iſa. 14. 23.

D. Greg. hom. 11. in Evang. & l. 4. dial. c. 38. 2. Macha. 9. 12. Joan. Algrini de miſerabili morte cujusdam Uſurarii. Luc. Pinellus l. 1. de altera vita c. 6.

Vis videre in partu crepantes? Attende Chryſaurium in fine vitæ exclamantem: *Inducias vel uſque manè, inducias vel uſque manè,* in qua voce infæliciter expiravit. Attende & Antiochum doloribus mortis oppreſſum: *Juſtum eſt mortalem non paria ſentire de Deo: Heu in quos fluctus deveni triſtitiæ, qui eram jucundus in mea poteſtate!* Tandem non peperit ſpiritum ſalutis, qui videbatur parturire: nec veram pœnitentiam habuit, unde nec gratiam eſt conſecutus. Fœnerator quidam monebatur continuò à Sacerdote, ut pœnitentiam ageret. At ipſe ſemper reſpondebat, ſatis adhuc ſibi eſſe temporis. Percuſſus infirmitate, adhuc ſibi ſatis ſupereſſe temporis ajebat, de die in diem procraſtinans. At ſubitò ad extremum vitæ vi infirmitatis devenit, adeſt Sacerdos, inſtat pro pœnitentia. At ille inclamabat: *O pœnitentia ubi es? O pœnitentia ubi es? De cætero pœnitere non valeo, hoc judicante juſto judice, quia dum facere pœnitentiam potui, non volui.* Et hoc dicens, infœliciter expiravit. Ecce Ericius in partu crepans. Ita refert Jo. Algini Ord. S. Benedicti Epiſcopus & Cardinalis

Attende denique omnes impios, ſerò pœnitentes, in partu crepantes, de quibus dicitur: *Pœnitentiam agentes, & præ angustia ſpiritus gemantes: Ergo erravimus à via veritatis, & juſtitiæ lumen non luxit nobis. Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid profuit nobis ſuperbia, aut divitiarum jactantia? Tranſierunt ſicut umbra, &c.* Hæ voces pœnitentiæ videntur, ſed ſeræ & extortæ ac inutiles, magis verò torquentis, inſtar illius quæ cum angore ſemper parturit, nunquam parit.

Sap. 5. 3.

v. 7.

v. 8.

Hanc porrò confuſionem à peccato retardantem, à dæmonis fallacia provenire, indubium eſt. Ipſe omnia invertit, quæ à Deo rectè inſtituta ſunt, quia teſte Chryſoſtom. *Pudorem & verecundiam Deus dedit peccato, confeſſioni fiduciam; invertit rem diabolus, & peccato fiduciam præbet, confeſſioni pudorem.* Etenim quando tentat nos, peccatum pingit ut delectabile, proponit facilitatem veniæ, at quando adeſt tempus confitendi, aperit ejus turpitudinem, excitat pudorem, multam proponit difficultatem, ut peccator obmuteſcat. Quapropter quidam ex antiquis Patribus, ut refert Caſſianus, quodam die vidit ſatanam, confeſſionalia obambulantem & circumeuntem. Interrogatus verò quid ibi faceret? Reſpondit: *Reddo pœnitentibus, quod antè eis abſtuli.* Iterum interrogatus, quid illud eſſet, dixit: *Abſtuli eis verecundiam, dum peccarent, ut liberiùs peccatum peccato cumularent: reddo nunc eis, ut à confeſſione ad verecundiam deterreantur.*

Chryſ. homil. 3. de pœnit.

In vitis PP. V. Caſſian. collat. 2. c. 11. *Pudorem peccandi tollit dæmon peccato commiſſo reddit. Dæmon ſinit multa peccata dengi, unum fleri.* S. Dorotheus.

Ut tamen peccator ſibi non diſpliceat, ſolet dæmon permittere, ut multa peccata aperiat: unicum ſolum, aut alterum grave, procurat in corde reſervari, perſuadens illud confiteri Deo, & cordis contritione eluere? Sufficit illi quod prædam teneat vel uno laqueo. Parum curant aucupes, inquit Dorotheus, ſi Aquila caput, alas, pedes habet liberos: ſi modo ungue fortiter teneatur; tunc enim tenentis ſubeſt arbitrio. Ita dæmon uno vinculo animam peccatoris ſtrictam, ſubjicit ſuæ ſervituti & æternæ perditioni. Quicumque ergo ſalutis amans es, diſrumpe omnes compedes confeſſionis integritate. Sciaſque nullam hic eſſe confuſionem, ſed libertatem gratiæ, & gloriam Filiorum Dei, dum agnoſcunt culpam omnem, ſeque magnopere egere Dei miſericordia & venia. Hinc Auguſt. *Tibi quidam Domine, cujus oculis nuda eſt abyſſus humana conſcientia, quid occultum eſſet in me, etiam ſi nollem confiteri tibi? te mihi abſconderem, non me tibi. Nunc autem quod gemitus meus teſtis eſt, diſplicere me mihi, tu refulges, & places, & amaris, & deſideraris, & erubeſcam de me, & abjiciam me, atque eligam te, & nec tibi, nec mihi placeam, niſi de te. Tibi ergo Domine, manifeſtus ſum, quicumque ſim: *Ecce enim veritatem dilexiſti, quoniam qui facit eam, venit ad lucem: volo eam facere in corde meo coram te in confeſſione: in ſtilo autem meo, coram multis teſtibus.*

S. Aug. lib. 10. confeſſ. c. 2.

* c. 1. ibi.

Conſideret igitur, qui nimio pudore deterretur, etiam viros ſanctos non veritos publicè ſcelera ſua propalare: Magdalena nihil erubuit coram Phariſæis; licet ludibrium ſe fore non ambigeret. Paulus ſe primum peccatorem profitetur, & quaſi abortivum, indignumque gratia Dei. Sanctus Auguſtinus tredecim libros confeſſionum edidit, ubi flagitia floridæ ætatis ſuæ omnia palam facit: & tantùm abeſt, ut illi hoc vertatur in confuſionem, quinimò in gloriam & honorem. Quapropter harum confeſſionum triplicem inſinuat ipſe rationem. lib. 10. quæ etiam habere locum poteſt in noſtra confeſſione, & ad illam faciendam, peccatores impellere debet. *Prima ratio* eſt, ex parte Dei: quia ipſe veritatem noſtræ confeſſionis diligit,

Luc. 7. 37. 1. Tim. 1. 15. 1. Cor. 15. 8. S. Aug. lib. 3. Confeſſ. *Rationes Confeſſionum S. Auguſt.*

quandoquidem & in ea ejus miſericordiam nobis neceſſariam agnoſcamus: ideoque eum confeſſione glorificamus, & propitium nobis reddimus. Hanc rationem tangit Auguſtinus loco jam citato ex lib. 10. c. 1. & 2. *Secunda ratio eſt* ex parte proximi; quia fructus ad eum derivatur, ex confeſſione noſtri peccati. Hanc tangit cap. 3. cùm ait: *Confeſſiones præteritorum malorum meorum, quæ remiſiſti & texiſti, ut beares me, in te mutans animam meam, fide & Sacramento tuo, cùm leguntur & audiuntur, excitant cor, ne dormiat in deſperatione, & dicat, non poſſum: ſed evigilet in amore miſericordiæ tuæ, & dulcedine gratiæ tuæ: qua potens eſt omnis infirmus, qui ſibi per ipſam fit conſcius infirmitatis ſuæ. Et delectat bonos, audire præterita mala eorum, qui jam carent eis, nec ideò delectat quia mala ſunt, ſed quia fuerunt, & non ſunt. Tertia ratio* eſt ex parte confitentis, quia adjuvari poteſt orationibus illorum, quibus confitetur mala ſua, non ſolùm ſacramentaliter, ſed & charitativè extra Sacramentum. Hanc rationem tangit c. 4. *Juvat audire aliquos confitentem me, quid ipſe intus ſim; quia congratulari mihi poterunt, cùm audierint, quantum ad te accedam munere tuo Domine: & orare pro me, cùm audierint, quantum retardet pondere meo.* Proſequitur Auguſtinus: *Indicabo me talibus.* Non enim parvus eſt fructus, ut à multis tibi gratiæ agantur de nobis; & à multis rogeris pro nobis. Amet in me fraternus animus, quod amandum doces: & doleat in me, quod doces. Animus
Pſ. 143. 8. ille hoc faciat fraternus, non extraneus, non *filiorum alienorum, quorum os locutum eſt vanitatem*; ſed fraternus ille, qui cùm approbat me, gaudet de me; cùm autem improbat me, contriſtatur pro me; quia ſive approbet me ſive improbet, diligit me. Indicabo me talibus, ut reſpirent in bonis meis, ſuſpirent in malis meis. Bona mea ſunt dona tua, mala mea ſunt judicia tua: reſpirent in illis, ſuſpirent in his, & hymnus, & fletus aſcendant in conſpectum tuum de fraternis cordibus, thuribulis tuis.
Pſ. 50. 3. Tu autem Domine, his delectatus quaſi odore ſuavitatis, *miſerere mei ſecundùm magnam miſericordiam tuam*, propter nomen tuum, & nequaquam deſerens cæpta tua, conſumma imperfecta mea. Hæc Auguſtinus.

Ecce igitur multiplex fructus ſinceræ confeſſionis: & idcò tantùm abeſt, ut illam vitare debeamus ob confuſionem; ut potius amare debeamus, tùm ob gloriam quam Deo tribuit; tum quia per illam vitamus æternam confuſionem, tum quia coram Chriſto & Sanctis acquirimus per eam honorem. Hoc etenim ſciendum eſt, peccata omnium etiam electorum in judicio fore manifeſta: ſed hoc eis ſummè erit honorificum, quod confeſſione, pœnitentia, lachymis, illa diluerint. Sicut ſi veſti diſciſſæ, manus artificis erudita filum aureum gemmaſque noverit reſarciendo ſubtiliter intexere, veſtis illa ob ſciſſuras priores deformitatem non patitur, imò acquirit pulchritudinem amplioremm: Sic conſcientiæ indumentum, peccatis quandoque diſciſſum, pœnitentia novit ſubtiliter reſarcire, & confeſſionis gemma adornare; ita ut prior deformitas in decorem vertatur & honorem. Quapropter peccatori Pſ. 103. 1.
ſed pœnitenti rectè dicemus: *Confeſſionem & decorem induiſti, amictus lumine, ſicut veſtimento*: quia ſcilicet lumen gratiæ, caliginoſam peccati veſtem obducit, & illuſtrat.

De pluribus damnationi addictis ob dimidiatam confeſſionem præ verecundia, non hic adſcribo exempla, plurima paſſim reperies. Vide Flores *aut Speculum exemplorum. * D'autun. in Catech. lib. 6. 5. fol. 38.

DE II. IMPEDIMENTO CONFESSIONIS.

Secundum impedimentum eſt timor.

1. Timor, 1. de gravi pœnarum injungendâ.
QUidam timent, ne ſi confiteantur, gravis eis pœnitentia injungatur, timent peccata injuſtitiæ aperire, ne reſtitutio præcipiatur; aut peccatum odii aut vindictæ, ne reconciliatio jubeatur. Hic rectè inſinuamus illud Job. *Qui tunet pruinam, irruet ſuper eum nix.* Qui minus incommodum vult vitare, in majus facilè poterit incidere. Si conſiderarent hi, quam gravis ſit, quam infructuoſa alterius ſæculi pœna, quàm brevis ſit, quamque fructuoſa hujus vitæ pœnitentia, hanc amplecterentur, ne in illam inciderent. Prophetæ Jeremiæ à ſpiritu Dei excitato, viſio quædam oſtenſa eſt, à propoſito noſtro non aliena; Juſtus eſt enim oculum convertere quaſi ad meridianam plagam, & dicitur ei: *Quid vides Jeremia?* Reſpondet: *Virgam vigilantem ego video.* Ad alteram partem converſus iterum reſpicit, & vox turſus ad eum: *Quid vides Jeremia?* Reſpondet: *Ollam ſuccenſam ego video.* Hunc locum moraliter interpretans S. Chryſoſt. dicit, per virgam vigilantem pœnas hujus vitæ, per ollam ſuccenſam, pœnas futuras deſignari? Peccatorem autem velut in medio conſiſtentem, amplecti debere virgam pœnitentiæ in hoc ſæculo, à meridie, ſive à ſinu divinæ miſericordiæ proventem, aut alias ollæ ſuccenſæ, quæ conſpicitur ab Aquilone, fore obnoxium; hoc eſt, ultioni divinæ alterius ſæculi, quæ nullo modo præſenti pœnæ eſt comparanda. Jer. 1. 11. S. Chryſ. explicans eum loc.

Hoc agnoſcunt animæ in inferno, purgatorio, quæ omnibus hujus ſæculi tormentis, cuperent poſſe unicam pœnitentiæ horam emere, & ad tempus pœnitendi redire: multumque eis dolorem affert inter flammas, hujus temporis recordatio. Væ enim & millies væ, inclamant ſibi animæ reprobæ, quod tantilla pœnitentia, quæ in hoc ſæculo agitur, æterna tormenta potuerint redimere, & neglexerint. Unde de quadam muliere in Apoc. dicitur. Dedit *illi* Deus *tempus, ut pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere.* In quem locum dicit Ambroſius. *Hæc mulier (Iezabel) cùm eſſet in peccatis, & deleret ſicco gaudebat, veſteq; purpureâ operiebatur,* Apoc. 11. S. Ambr. in hunc loc.

Digitized by Google

batur, auro & pretioſis lapidibus ſe ornabat, nunc æterni fletus luget aruminam. Quid putas mulier illa nunc ageret, ſi aliquid ei adhuc temporis ad pœnitentiam Deus daret? Utique non veſtem purpuream, ſed ſaccum & cilicium indueret: non fuco & ceruſſa faciem oblinitet, ſed cinere conſpergeret, lachrymis rigaret: non calamiſtro capillos contorqueret, ſed illos cum Magdalena ad pedes Domini tergendos impenderet: non in publicum cum plauſu conſpicienda procederet, gemmatis aut roſtratis calceis ſuperbiens, ſed in ſilentio vitam ſuam deploraret, pedumque nuditate luctum ſuum procedere optaret: non oculos circumſpectantes & ſtibio pictos, impuri amoris illices, per Civitatem circumferret, ſed aquâ lachrymarum inundante, excæcare optaret: nec jam Cupidini aut Adonidi, ſivè voluptati, vel unum momentum temporis permitteret, ſed Chriſto confixa cruci à participatione dolorum illius, nec momento recedere vellet. Sed heu ſerum nimis illius votum eſt. *Quia dedit illi Deus tempus, ut pœnitentiam ageret, & non voluit.* Nunc volens, nec punctum obtinet, ſed momentaneam & celeri fugâ elapſam voluptatem, æterno cruciatu perſolvit, & ideò væ, & æternum væ ſibi inclamat. Quod & omnibus damnatis commune eſt, de quibus Sapientiæ 5. dicitur, quod *pœnitentiam ſint agentes, & intrà ſe pra angustia ſpiritus gementes.* Et Iſa. 65. quod *pra dolore cordis* ſint clamantes, *& pra contritione ſpiritus* ululantes. Ergo ibi pœnitentia, ibi gemitus, ibi vermis conſcientiæ, ibi compunctio cordis, ibi contritio ſpiritus: Sed infructuoſa hæc omnia, tanquam tempore non ſuo, quæ ſtabilem poterant operari ſalutem, ſi vel illorum minima pars vitæ hujus tempore adfuiſſet, quandò Deus eos ad planctum & peccatorum confeſſionem vocabat. Audi exemplum hanc rem concernens in ſpeculo exemplorum. V. Confeſſio.

Sap. 5. 3.

Iſa. 65. 14.

Speculum Exemplorum, Verbo Confeſſio

Nobilis quidam cùm peſſimam duceret vitam, ab uxore pia monebatur frequenter, & inſtigabatur ad Confeſſionem. Ille renuebat confiteri, dicebatque: *Timeo ne mihi gravis pœnitentia imponatur.* At illa. *Quomodò infirmi pœnas poteris ſuſtinere, ſi exiguam hujus vitæ perhorreſcis pœnitentiam?* Cui ipſe. *Putaſne quod infernus ſit, aut diabolus, aut pœna aliqua, aut alia vita poſt hanc vitam? Sacerdotes iſta finxerunt, ut timeantur.* Illa videns nihil ſe proficere, nihil ultra eum hac de re alloqui voluit. Quàdam autem nocte, ſubitò mortuus eſt. Contenta uxor orabat Deum, ut viri ſtatum revelaret. Et ecce manè c[illegible] invenit denigratum inſtar titionis, & ſchedulam in qua ſcriptum erat: *Iam certus ſum infernum eſſe, & timor pœnitentia illuc me deportavit.* Hæc ibi.

2. *De reſtitutione injungenda.*

Quod verò aliqui Confeſſionem timent, ne reſtitutio eis injungatur, improvidè id & in perniciem animæ faciunt. Etenim ad eam reſtitutionem cùm teneantur, nec ſine ea ſalvari poſſint, ſtruſtrà procraſtinant, & conſilium ac præceptum Confeſſarii malè fugiunt. Audiant hi illud Abacuc 2. *Væ ei qui multiplicat non ſua, uſquequò aggravat contra ſe denſum lutum?* Hoc denſum lutum, alibi dixi eſſe non ſolum pondus peccati, ſed & obligationem reſtituendi: quo multos inſtar luti paluſtris detinet, & illi pleriique ita infiguntur, ut ad ſalutem non poſſint emergere. Verùm ſi attentiùs conſiderarent illud Salvatoris: *Quid prodeſt homini ſi univerſum mundum lucretur, anima verò ſuæ detrimentum patiatur?* eruerent ſe è limo iſto profundo & pernicioſo per Confeſſionem integram, & expiarent peccata injuſtitiæ, aliena reſtituendo. Sic enim à maledictione illa ſe liberarent, quæ continebatur in volumine illo volante, ut vidit Zacharias, & egrediente, & involveret & conſumeret omnem domum furis, & aliena uſurpantis. Quàm multi autem pereant defectu reſtitutionis, vide exemplis declaratum ſuper præcepto ſeptimo Propoſitionis ſecundæ, ubi etiam dixi periiſſe Matrem Sanctæ Mariæ Ogniacæ.

Hab. 2. 6.

Matt. 16. 26.

Zach. 5. 4.

Neque verò Confeſſarius ſine reſtitutione impoſita poteſt abſolvere, niſi ſalutis periculo ſe voluerit involvere, & peccato alterius participare. Audi quid de hac re retulerit Joan. Lotinus gravis Theologus Societatis.

Horrendi Exempl. Joan. Lotinus, De quodam Confeſſario libertino.

Quidam in Italia Nobilis, quia uſuris erat addictus, non poterat impetrare abſolutionem; nec à Paſtore ſuo, nec Sacerdotibus Societatis, nec ab aliis Religioſis, quia uſuras nolebat deferre. Tandem invenit libertinum aliquem Religioſum, qui alios Confeſſarios inſimulans ſcrupuli, frequenter ei abſolutionem impendit: ita ut hoc modo ſavorem ejus ſibi concilians, frequentiſſimè ejus menſam frequentaret. Nocte quàdam poſt lautam cœnam, dum Religioſus in monaſterium ſe recepiſſet, ſubitò moritur Nobilis ille. Tempore autem quo agonizabat, en dæmones duo inſtar famulorum domus veſtiti, pulſant ad januam monaſterii, evocantque Confeſſarium deducendum ad domum ægri. Dum per forum tranſeunt, videt Religioſus Nobilem illum, cum toga nocturna ambulantem ad lumen Lunæ. Putans ſe irriſum, iraſcitur his ductoribus. At Nobilis accedens dicit ei: *Scio me non ſolum ægrum, ſed & mortuum & damnatum æterna addictum, ob uſuras, & Sacramentorum profanum uſum. Tu verò infælix Sacerdos, & improbe Religioſe, cùm me increpare debuiſſes, in peccatis aluiſti: ea ideò juſtum eſt, ut de pœnis participes.* His dictis, hi duo dæmones rapiunt unus Religioſum, alter Nobilem, æternis flammis addicendos: Socius Confeſſarii ſolus ibi relictus eſt, totus attonitus & ſemimortuus: qui tamen paulò poſt animum reſumens, & monaſterium repetens, hæc quæ adeò infœliciter contigerant, Superiori enarravit. Hanc Hiſtoriam coram Alberto Auſtriæ Archiduce in Concione recitavit quidam Societatis Sacerdos, quam audierat ex ore Joannis Lotini Theologi, aſſerentis ſe optimè & perſonam & locum noſſe.

Quod ſpectat ad alios, qui confiteri timent, quia
3. De odiis & vindicta deponenda, aut injuria reponenda.
odia alunt, & animum vindictæ: aut injuriam alteri intulerunt, timentque ne reparatio honoris, aut reconciliatio eis injungatur; certè & ipſi ſicut priores damnationi manent obnoxii. An non mirè condemnat hominum arrogantiam & duritiem, quod ortis diſſidiis nemo alterum prior velit accedere, nemo niſi coactus reconciliari, & pacem quærere: cùm tamen Deus ipſe graviter læſus, primus pacem offerat, & ad reconciliationem invitet? Sed & cum non acceptamus, maximè dolet Deus, cùm tamen vindictam ſuam poſſet ſtatim exercere. Undè Iſaiæ
Iſa. 27. 4.
27. loquens ad populum ſuum ſub nomine vineæ: *Indignatio*, inquit, *non eſt mihi: gradiar ſuper eam, ſuccendam eam pariter? An potiùs tenebit fortitudinem meam, faciet pacem mihi, pacem faciet mihi?* Cur ergò dicunt homines diffidentes, cùm eos hortamur ad reconciliationem mutuam. *Qui eget ſocio, accedat eum, ego ipſum nec curo, nec ego*: An Deus noſtri eget, qui tam ſollicitè nos requirit ad pacem ineundam? An non fratres ſumus, & ideò mutuâ ope egemus? An non membra ejuſdem corporis myſtici, quæ unionem debent habere, & ſibi mutuò opem ferre: ſicut in corpore naturali pes ambulat, manus laborat, oculus videt pro aliis membris, nec poteſt inter illa eſſe, niſi pernicioſiſſimum diſſidium: ſic & nos membra corporis Chriſti, mutuo nobis auxilio debemus eſſe, nec niſi damnabiliter poſſumus diſſidium inter nos fovere. Ergò qui alterum offendit, non vereatur ſe humiliare, nec confeſſionem fugiat, propterea quod hæc humiliatio ei ſit imponenda. Hoc enim obligatio & æquitas poſtulat, quia & cùm nos offenſi ſumus, id ab altero nobis fieri poſtulamus. Nimis ergò ſuperbi eſt animi & injuſti, nolle hic divino & naturali præcepto acquieſcere, ideoq; ſalutem ſuam æterno periculo exponere. Majoris verò cæcitatis & injuſtitiæ eſt, ſupplicanti Fratri nolle condonare aut reconciliari; eſtque id ſibi viam
Eccl. 28. 3.
obſtruere ad Dei miſericordiam dicente Sapiente: *Homo homini reſervat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecatur? Quis exorabat pro delictis illius?* Sed de hac re latiùs. Exemplum ad hanc rem attuli agens de indigna Euchariſtiæ ſumptione.

DE III. IMPEDIMENTO CONFESSIONIS.

Tertium impedimentum eſt Spes rei terrenæ, & Reſpectus humanus.

QUidam enim, quia ſperant, & ambiunt quædam in hoc mundo, nec putant ſe adepturos, ſi hominibus quales ſint, innoteſcant, ideò etiam in confeſſione planè ſe non aperiunt, licet ad Pœnitentiæ Sacramentum, ut pié viventes habeantur, quandoque accedant. Et hæc eſt hypocriſis reprobanda, per quam alii intus ſunt, alii foris ſe oſtentant: homines duplices corde & oculis, qui cœlum videntur reſpicere, & quærere gratiam Dei, ad terrena autem vertuntur, & illorum amore ducuntur. Hi reprobati cenſentur in antiqua lege, dum Cygnus reprobatur, qui licet candidus ſit exterius in plumis, carnem tamen habet interius nigram; ſic homines hi ſimulati, ſpeciem pietatis præferunt, intus conſcientiæ nigredinem gerunt, nec deſerunt. Atque ita de ipſis verum eſt illud Eccleſiaſt. c. 19. *Eſt qui nequiter humiliat ſe, & interiora plena ſunt dolo.* Eccl. 19. 23.
Et illud: *Væ peccatori terram ingredienti duabus viis.* Eccl. 2. 14
Duabus quippè viis terram peccator ingreditur, quandò & Dei eſt, quod opere exhibet; & mundi, quod per cogitationem quærit, inquit Gregorius I. Moral. Non deſunt ergò inter Chriſtianos, qui ob ſolos reſpectus humanos, conſcientiam non aperiunt: & confeſſione in injuriam Dei abuntur, vel quia cupiunt in opinione bona haberi à Confeſſariis & Paſtoribus ſuis, vel quia per illos commendari, & aliqua obtinere nituntur. Sic videmus, & experientia comperimus, aliquos pauperes vel tenuioris fortunæ, ad Confeſſionis Sacramentum accedere, eo ſolùm fine, ut eis ſubveniatur, ut publicis eleemoſynis à Parochis commendentur. Et hi vitiis quandoque gravibus impliciti, turpitudinem non detegunt, ne forte de iis ſubtrahantur eleemoſynæ, aut ad id quod ambiunt, non pertingant: ſic Confeſſionem vertunt in lucri occaſionem, ſed in animæ ſuæ perniciem. §. Greg. l. 1. moral. c. 11.

Dicunt verò hi ſecum: Quid cogitabit Confeſſarius de me, quam opinionem habiturus eſt? contemnet me, intuebitur me propter peccatū meum, erit mihi ſemper confuſio, quoties eum videro. His verò reſpondemus, dœmonis hanc eſſe nebulam, quâ mentem eorum erroneam obvolvit, & in peccatis detinet. Etenim ipſi Confeſſarium debent conſiderare ut locum Dei gerentem, non ſolùm ut hominem; ideoque ſecreto ſigilli divini ita obſtrictum, ut nullo caſu etiam evidentis periculi mortis, poſſit de his quæ audivit mentionem facere. Neque etiam poteſt confeſſione uti in gravamen & præjudicium ipſius pœnitentis, vel negando ei debitum ſubſidium, vel impediendo ex vi illius promotionem ad officium; vel ita gubernando, aut ſe gerendo erga ipſum, ut vel in genere poſſit aliquis ſuſpicari aliquod peccatum. De qua re expreſsè à Clemente VIII. Regularibus eſt præceptum hoc modo; *Tam ſuperiores pro tempore exiſtentes, quam Confeſſarii, qui poſtea ad Superiorum atus gradum fuerint promoti, cavente diligentiſſimè, ne ex notitiâ, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.* Clemens VIII.

Quantum verò ad eam, quam timent coràm Confeſſario confuſionem, aut averſionem & contemptum, iterùm dicemus: *Illic trepidaverunt timore, ubi timor non eſt.* Quæ enim confuſio homini fragili, cui tanto ſigillo os obſignatur, fragilitatem ſuam aperire, qui & ſimilibus irretiri poteſt & gravioribus? qui & fragilitatis humanæ eſt conſcius, ſcitque hominem in carne agentem, Angelum Pſ. 52. 6.

gelum non eſſe, imò & viros ſanctos graviter quandoque deliquiſſe? An ergò huic humanæ fragilitatis peccata verendum eſt fiducialiter aperire? quandoquidem & ipſe non ignoret, ſe in ſpiritu lenitatis debere pœnitentem recipere & inſtruere, ne & ipſe tentetur, ut monet eum Apoſtolus. Adde, quod ſi propter corporis ſanitatem, non verentur homines in partibus quantumlibet verendis medelam admittere: cur timeant conſcientiæ abſconditæ etiam turpia medico ſpirituali aperire? Tantum verò abeſt, ut is contemnat confitentem, quin potiùs moveatur ad compaſſionem: ſicut & medicus compatitur, dum ei vulnus profundum oſtenditur. Vis ergò ſcire quid conſideret Confeſſarius, dum gravia audit peccata? Certè illud Auguſtini ei opportunè poteſt occurrere: *Scio Domine, quod nullum peccatum eſt, quod unquam fecerit homo, quod non poſſit facere alter homo, ſi creator deſit, à quo factus eſt homo.* Novit ipſe neminem contemnendum, cui gratia Dei poteſt ſubvenire, & de lutoſo ſtatu peccati, ad ſublimen Sanctitatis gradum citò provehere. Novit etiam illud pro ſe: *Qui exiſtimat ſe ſtare, videat ne cadat.* Quia multi è ſublimi gratiæ gradu in imum peccati ſterquilinium conuerunt, eò quod de ſe præſumerent, alioſque aſpernarentur peccatores. Quapropter Sancti Patres cauſam afferentes, cur Dominus Petrum graviter labi permiſerit; hanc inter cæteras reddunt ut diſceret ipſe Paſtor, & in ipſo omnes futuri Paſtores, lapſis commiſereri, nec auſterè nimiùm ergà nos ſe gerere. Hinc eos qui veré animo Paſtorali in confeſſionibus excipiendis ſe geſſerunt, legimus tantâ quandoque compaſſione id feciſſe, ut à lachrymis temperare nequiverint, quibus etiam pœnitentes ad lachrymandum commovebant. S. Ambroſius, quoties illi aliquis ad percipiendam pœnitentiam lapſus ſuos confeſſus eſſet, ita flebat, ut & illum flere compelleret; videbatur etiam ſibi cum jacente jacere. Cauſas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli niſi Domino ſoli apud quem intercedebat, loquebatur, bonum relinquens exemplum Sacerdotibus, ut interceſſores ſint apud Deum, non accuſatores apud homines. Nam & ſecundum Apoſtolum, circa talem *hominem confirmanda charitas eſt, quia ipſe ſui accuſator eſt: nec exſpectat accuſatorem, ſed prævenit; ut confitendo, ſuum allevet ipſe delictum, nec habeat quod adverſarius crimineturi. Ita Paulinus in vita Ambroſii. Similia legimus de S. Carolo Borromæo, de S. Hugone Epiſcopo Gratianopolitano de S. Euſtachio Abbate Luxovienſi, quibus Deus donum lachrymarum infudit, ut ſuis ipſi lachrymis pœnitentes ad vitæ commutationem commoverent.

Gal. 6. 1.

S. Aug. lib. Soliloq. c. 15.

1. Cor. 10. 12.

Petrum permittitur cadere, ut diſcat lapſis commiſereri.

Exempla eorum, qui ſuorum Confitentium peccata deflebant.

Referunt quoque Annales FF. Minorum de Franciſco Brixienſi Religioſo in Conventu S. Bartholomæi propè Fulginium, tantam ejus extitiſſe charitatem, ut ſi alicujus minus pœnitentis confeſſionem exciperet, lachrymis obrueretur; ut ipſum ad perfectam compunctionem adigeret. Cumque à quodam familiari Fratre ſemel importunius interrogaretur: Cur ita aliorum peccata & impœnitentiam curaret, lachrymiſque ſe conficeret? Reſpondit: *Eſſe cujuſque Fidelis, in Deum peccata commiſſa deflere, & cuique à Domino (maximè verò Minorita, qui peccata populi comedit) de proximo ſuo mandatum eſſe.* Ita Franciſcus Gonzaga parte 2. Gonzaga parte 2. Specul. Exempl. V. deſperatio.

Nec hic ſilentio prætereunda eſt charitas cujuſdam Sacerdotis ſancti, erga quendam deſperabundum pœnitentem, de quo in ſpeculo exemplorum fit mentio. Peccatis carnalibus; inceſtui, ſodomiæ, miré addictus erat hic pœnitens: ita ut diceret: *Major eſt iniquitas mea, quàm Dei miſericordia.* Vocatus Sacerdos ille pius ad eum jam infirmitate læthali à Deo percuſſum, urgebat ad peccatorum confeſſionem, aſſerens omnium remiſſionem ſibi certò à Deo dandam, ſi modò confiteatur cum dolore. Renuebat ille, præ deſperatione & horrore vitæ præteritæ. At Sacerdoti charitas hanc ſuggeſſit ſanctam aſtutiam, ſivè piam cautelam. Ecce, inquit, fac quod dicam tibi: *Ego ſpoliabo me omnibus bonis, & meritis totius vitæ meæ, & illa in te tranſferre volo: tu verò ſpolia te omnibus peccatis tuis, & in me tranſferas, ego pro illis Deo reſpondebo, & pœnitentiam agam, ſicque noli deſperare.* Conſentit ipſe in hoc adeò lucroſum cambium inductus charitate & pietate viri. Cum ergò commutationem hanc initiſſent, quantum in ſe erat utrumque peccatori dixit ille: *Ecce nunc tenetis mihi aperire qua mala feceris, ut ſciam de quibus teneat pœnitentiam agere.* Tunc ille liberè ordinem vitæ ſuæ cum omnibus flagitiis, quantùm in ſe fuit, aperuit. Cui Sacerdos: *Nunquid & de his tu mecum dolet, & ſi abſolvere ab illis te poſſim, idipſum optas?* Reſpondet ille, ſe id optare. Erigens ergò ipſum in ſpem, abſolutionem ei impendit ſacramentalem, cum qua non ita multò poſt mortuus eſt. Poſt menſem autem apparuit huic Confeſſario, & dixit ei ſe in via ſalutis eſſe. Inquirit ille, quid de meritis ſuis, quibus ſpoliaverat ſe? Reſpondet: *Deus tibi ea reſervat duplicata, ob eximiam charitatem, quâ meam deſperationem evicisti.* Spec. Exempl. Verbo Deſperatio.

Itaque ut concludamus, tantùm abeſt, ut ſe debeant exiſtimare à Confeſſariis contemni, peccata ſua aperientes; quin potiùs magis diliguntur ab illis, qui ubi vident cor apertum, & ſalutis ſuæ cupidum, non ſolùm commiſerationem concipiunt, ſed & zelum, & coadjuvandi fervidam voluntatem. Ergò, ô pœnitentes, cooperari vos oportet, ut educatur obſtetricante Confeſſarii manu coluber, ſi quis latitat tortuoſus & involutus in caverna conſcientiæ, animam inficiens: hoc eſt, ut educatur omne peccatum, quantumlibet inveteratum & occultum, & ita interimatur, ut nunquam illuc regredi detur. Evomendum eſt omne venenum,

illud Deus. Si Ægyptii perſequuntur, ab illo abſorbentur. Si panis deficit, manna ſubſtituitur. Si aqua deeſt, petra eam largitur. Si Chananæi obſtant & Jeſubæi, Deus pro populo pugnat. Deſignantur hic multa impedimenta ſpiritualia, quæ ad Deum proficiſci volentibus ſeſe opponunt, ac viam pœnitentiæ horridam reddunt. Sed ille deducit auxilio, qui nos prævenit inſpirationis conſilio: & deducit ſuaviter, qui prævenit fortiter. Ergo illi fidendum, nec unquam animum oportet deſpondere.

LECTIO IX.

DE SATISFACTIONE.

1. *Docet Satisfactionem dici Pœnitentiam impoſitam à Confeſſario.*
2. *Docet eam relictam Confeſſarii arbitrio.*
3. *Cum multa Prudentia docet eſſe injungendam.*

PROPOSITIO. I.

Tertia pars Pœnitentiæ eſt Satisfactio, quam Sacerdos poteſtate clavium injungit Pœnitenti.

UT autem intelligas, cur poſt Contritionem, Confeſſionem, Abſolutionem, adhuc Satisfactio ordinetur, idque inſtituto Chriſti; Adverte quod Deus cùm remittit culpam, non ſemper omnem pœnam remittat, ideoque Satisfactio imponitur ad remiſſionem pœnæ adhuc debitæ. Nam per abſolutionem pœna æterna in temporalem commutatur, ſolvendam vel in hoc ſæculo, vel expiandam in Purgatorio. Negant Hæretici poſt reconciliationem cum Deo, manere adhuc pœnam aliquam perſolvendam ratione peccati, ſed erroneè, cum id manifeſtum ſit ex pluribus Scripturæ exemplis. An non Adæ Deus peccatum dimiſit, & nihilominus eum pœnitentiam agere voluit in ſudore vultus ſui, aliiſque miſeriis in pœnam peccatis ordinatis? An non remiſit populo, peccatum murmuris & idololatriæ, orante pro illo Moyſe, & tamen dixit ſe tanti flagitii pœnas repetiturum, ac propter illud multis plagis eum affecit? An non in vindictam peccati murmuris jam dimiſſi, omnes præter Joſue & Caleb excludit a terra Promiſſionis? An non David remiſit peccatum adulterii, & tamen pœnam vindicem à tergo ei reliquit: dum & pueri morte, & Abſalonis rebellione, aliiſque calamitatibus eum plectit, tanquam pœnis peccati adhuc ſui pediſſequis? Unde poſt remiſſionem peccati adhuc miſericordiam implorat, orans ut ultrà illius non recorderur, vindicando & puniendo. Quid enim ſignificant illæ voces? *Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Quaſi dicat: Tolle omnem reatum non ſolum culpæ ſed & pœnæ, omnem obligationem, qua alicui adhuc vindictæ poſſem obnoxius eſſe, omnes peccati reliquias, quæ quodammodò adhuc videntur, me inquinare; & ſic perfectè me expurga, perfectè me tibi reconcilia. Pſ 50. 11. v. 4.

Variæ autem ſunt cauſæ, cur nolit Deus ſtatim omnem pœnam condonare, ſed pro illa aliquam compenſationem à nobis exigat. *Cauſa, cur nolit Deus omnem pœnam condonare.*

Prima eſt, quia divinæ juſtitiæ ratio exigit, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptiſmum per ignorantiam deliquerunt in ſtatu illo perfecto, in quo & fidei lumine & gratiæ viribus carentaliter verò, qui ſemel à peccatis & ſervitute dæmonis liberati, acceptoque per Baptiſmum Spiritus S. dono, ſcienter templum Dei violare, & ſpiritum ejus contriſtare non formidarunt. Itaque congruum eſt, ut per ſatisfactionem impoſitam peccantium ingratitudo expietur, & juſtitiæ divinæ aliquid compenſetur. Hinc Tertullianus lib. de Pœnitentia, c. 9. agens de Confeſſione, Proſtratione, ac Satisfactione pœnitentiali, ſic dicit: *Exomologeſis, eſt proſternendi & humilificandi hominis diſciplina, converſationem injungens miſericordiæ illicem, de ipſo quoque habitu & victu mandas ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus ejicere, illa per quæ peccavit, triſti tractatione mutare, paſtum & potum purum non ventris ſed animæ cauſa jejunia preces alere, ingemiſcere & lachrymari dies noctesq; ad Dominum.* Ut quid verò hæc omnia pœnitentibus injunguntur, niſi ut divinæ juſtitiæ ſatisfiat, & temporalis afflictio æterna ſupplicia expungat? In quantum non pepercerit homo ſibi, in tantum ei Deus parcet, & dum homo in ſe ſævit, indignationem & juſtitiam Dei prævenient, nihil illi agendum relinquit. 1. *Juſtitia divina, qua aliter hic in Baptiſmo nos in gratiam recipere vult.* Tertull. lib. de pœnit. c. 9.

Secunda cauſa eſt, quia ſi ita nobis abſque ſatisfactione peccata dimitterentur, facilè fieret, ut illa leviora exiſtumantes, injurii Spiritui gratiæ laberemur, & liberiùs peccaremus, theſaurizantes nobis iram in die iræ. Procul dubio enim à peccato revocant, & quaſi freno quodam coercent ſatisfactoriæ hæ pœnæ, cautioreſque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt. Impunitas enim proniores multos redderet ad peccandum: quia, ut dixit Bernardus, *eſt incuria ſoboles, inſolentia mater, radix impudentia tranſgreſſionum nutrix.* Hinc ſcribens ad Corinth. dicit: *Gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam, contriſtati enim eſtis ſecundum Deum, quantam in vobis operatur ſollicitudinem; ſed defenſionem, ſed timorem, ſed deſiderium, ſed æmulationem, ſed vindictam?* Gradatim explicat hic effectus & fructus pœnitentiæ. Quaſi diceret: Triſtitia hæc de Deo offenſo, non tantum vobis induxit ſollicitudinem reconciliationis cum Deo: ſed & defenſionem veritatis, indignationem contra peccatum, timorem ſanctum cavendi deinceps, & deſiderium ac zelum vindicandi & ca- 1. *Ne levia ducantur peccata.* 2. Cor. 7. 9.

caſtigandi illud in vobis, corpora animaſque affligendo.

3. *Vt ſatisfactio medeatur peccatorum reliquiis & vitioſis habitibus.* S. Chryſ. hom. 10. in c. 3. Matth.

Tertia cauſa eſt, quia hæ ſatisfactoriæ pœnæ medentur peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus malè vivendo comparatos, contrarijs virtutum actibus tollunt. Nam eleemoſynæ ſatisfactione avaritia vincitur, jejunio carnis luxuria coarctatur, oratione ſuperbia domatur: ita ut hæc pœnitenti non ſolùm in vindictam peccatorum, ſed & in medelam rectè ordinentur. Audi Chryſoſtomum: Pœnitentiam, inquit, agamus non ſolùm ut à malis prioribus deſiſtamus, verum etiam, ut bonorum operum fructibus impleamur; *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Quo autem modo fructificare poterimus? Si utique peccatis adverſa faciamus. Aliena rapuiſti? Incipe donare jam & propria. Longo es tempore fornicatus? à legitimo quoque uſu ſuſpendere conjugii, ac perpetuam continentiam ſæpius paucorum dierum caſtitate meditare. Injuriam vel opere cuipiam vel ſermone feciſti? Refer benedictionis verba convitiis, & percutientes te nunc officiis, nunc etiam beneficiis placare contende. Neque enim vulnerato ſufficit ad ſalutem, tantummodò ſpicula de corpore evellere, ſed etiam remedia vulneribus adhibere. Deliciis ante & temulentiâ diffluebas? Jejunio & aquæ potu utrumque compenſa, cura ut detrimentum quod ex ante actis accepiſti, abigas. Vidiſti impudicis alienum decorem oculis? Fœminam jam omninò ne videas, majore tactus cautione, quo tutior poſt vulnera. Hæc Chryſoſt.

4. *Vt Satisfactione Chriſto conformemur.* 2. Cor. 4. 10.

Quarta cauſa eſt, quia per has ſatisfactiones pœnales, Chriſto capiti noſtro conformamur, dum cum ipſo patimur: & ad ejus imitationem accendimur, ut videlicet *Mortificationem Jeſu Chriſti, in corpore noſtro ſemper circumferamus. Non enim decet,* inquit Bernardus, *ſub ſpinoſo capite membra eſſe mollia & delicata*: imò per ſatisfactiones quas jam patimur, artham quamdam habemus æternæ hæreditatis: *Si autem filii & hæredes, ſi tamen compatimur, ut & glorificemur.*

Objectio 1. hæreticorum. Ezech. 18. 21.

Sed objiciunt Hæretici: Dominus dicit per Ezechielem: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, vita vivet, & non morietur, omniumque iniquitatum, quas operatus eſt, non recordabor.* Si non recordatur, ergo nullam pœnam ob ipſa requirit, alioqui recordaretur. Reſpondeo, ideò dici Deum peccatorum non recordari, qua peccata illa non amplius redeunt, ut imputentur nobis ad damnationem, nec DEUS nos ratione illorum ut inimicos reſpuit. Unde etiam dicitur faciem ab eis avertere, quamvis nos ut amicos puniat, donec perfectè purgemur. Hoc enim non repugnat amicitiæ, & eſt conſortium juſtitiæ: quia licet ſit amicus, eſt tamen etiam ſimul ſupremus Judex, ideoque etſi gratis nos ad amicitiam recipit, nihilominus ut Judex poteſt, ac ſuo modo debet, etiam poſt amicitiam malefacta punire; temporaliter tamen, quia pœna æterna eſt propria inimicis. Hinc etiam juſti & pij dicunt cum Michæa: *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei.* Quia licet peccatori pœnitenti condonet iram, id eſt culpam; non tamen illicò omnem iram, id eſt, pœnam. Duplexque ira poteſt diſtingui in Deo; Prima eſt odium, quo peccatorem punit quaſi hoſtem, eique vult perniciem, deſtinans gehennæ, hæc tollitur per pœnitentiam, qua peccatori reconciliatur. Secunda ira eſt, qua pœnitentem licet reconciliatum non vult relinquere impunitum; ſed vult vel ipſe vindicare, vel caſtigare, vel ipſum ex ſe ſatisfacere. Similiter duplex offenſa eſt in Deo, prior eſt inimicitia & hoſtilitas, hæc tollitur per pœnitentiam; poſterior eſt voluntas caſtigandi & puniendi pœna temporali, & hæc manet in Deo, donec peccator eam luat, vel Deus condonet. Sic David condonavit offenſam priorem Abſaloni, dum eum licet fratricidam in gratiam recepit: non tamen poſteriorem, quia dixit: *Faciem meam non videat*, in pœnam ſcilicet peccati. Mich. 7. 9. 2. Reg. 14. 24.

Sed & adverte in Scriptura citata dici: *Non recordabor iniquitatem ejus: ſi fecerit judicium & juſtitiam.* Judicium verò & juſtitiam facimus, cum delicta noſtra contra nos ipſos vindicamus. Quare apud Michæam dicitur: *Quid dignum offeram Domino, curvabo genu Deo excelſo? Nunquid placari poteſt Dominus in millibus arietum? Nunquid dabo Primogenitum pro ſcelere meo, fructum ventris mei propeccato animæ meæ?* Quaſi dicat: Ad gratiam promerendam pro peccato, ſufficitne curvare illi genu aut offerre victimas? An fortè ſicut olim ab Abrahamo victimam Filii poſcit Deus, aut ſicut Saturnus & Moloch Dei gentium pueros ſibi immolandos optat? Reſpondet Propheta, minimè hæc poſſe peccata expiare, ſine contritione & ſatisfactione. Unde ſubdit: *Indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te. Vtique facere judicium, & diligere miſericordiam, & ſollicitum ambulare cum Deo tuo.* Quaſi diceret. Quid Deus requirit à te, ô peccator, niſi ut tu prævenias ejus judicium, & te judices antequam te judicet & condemnet; Non quærit oves & boves, ſed cor contritum & humiliatum: judica ergo & condemna peccata in te ipſo, pœnam ab eis meritam inflige, ſic fiet ut reconcilies tibi Deum. Adde & huic judicio miſericordiam erga pauperes, & ſollicitè ambula cum Deo & humilitate animi ſuppler & pœnitens, ut gratiam recuperes, & recuperatam conſerves. Mich. 6. 8.

Objectio 2. Objiciunt iterum: Chriſtus perfectè pro nobis ſatisfecit: Ergo nulla ulterius exigenda eſt ſatisfactio. Immò iniuriam illi facimus, dum ex nobis ſatisfacere volumus, nec ipſius ſatisfactione contenti eſſe. Reſpondeo Chriſti ſatisfactionem infinitam eſſe, illam tamen nobis certo modo applicari, nec excludere ſatisfactionem noſtram: quia per hanc noſtram Chriſti meritum & ſa-

& ſatisfactio nobis applicatur. Neque verò ex nobis nos ſatisfacere gloriemur, quia ſatisfactio quam exſolvimus, non ita noſtra eſt, ut non ſit per Chriſtum Jeſum: nam qui ex nobis (tanquam ex nobis) nihil poſſumus, illo cooperante omnia poſſumus. Ita non habet homo unde glorietur, ſed omnis gloriatio noſtra eſt in Chriſto, in quo vivimus, meremur, ſatisfacimus. Nam ſi facimus fructus dignos pœnitentiæ, ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, per illum acceptantur a Patre.

PROPOSITIO II.

Satisfactio imponenda, Confeſſarii arbitrio relinquitur.

Olim graves ſatisfactiones imponebantur.

OLim graves & certæ ſatisfactiones imponebantur, juxta Canones pœnitentiales: & hoc ut non ſolùm conſuleretur pœnitenti, ſed etiam ædificationi Eccleſiæ, ad reparandum peccati ſcandalum. Sic Tertullianus Chriſtianorum in primitiva Eccleſia deſcribens pœnitentiam, dicit, extrà Eccleſiam ſolitos ſtare in lugubri veſte, ſacco & cilicio indutos, & cinere caput conſperſos. Et primo quidem die Quadrageſimæ, tundebantur viris pœnitentibus crines, & exindè nulli convivio poterant intereſſe, non balnea adire, nec equis incedere, nec ſpectaculis præſentiam exhibere, honeſtiſque recreationibus debebant ſibi interdicere, & quod gravius eſt, quamdiu in numero pœnitentium erant, Sacramenta eis non adminiſtrabantur, niſi in Paſchate aut morte, imò & tunc catebant extremâ unctione. Hæc verò ſatisfactio, juxta gravitatem aut multitudinem peccatorum brevior aut longior erat. Notum eſt propter quædam peccata, trium, quinque, ſeptem, decem annorum pœnitentiam injunctam fuiſſe, quo tempore affligebantur cilicio, jejuniis, oratione prolixâ. Audiendus eſt hac de re Climacus. Cum perveniſſem, inquit, ad pœnitentium Monaſterium, vidi revera quæ Deo vim inferre poſſent. Quoſdam nocti bus totis ſub dio ſtare pervigiles, pedeſque immobiles tenere, contra ſomnum vim naturæ inferre, ſeipſos increpare & contumeliis afficere, nullamque requiem indulgere. Alios miſerabiliter in cœlum intuentes, & illinc adjutorium cum gemitu & ſuſpiriis & vocibus invocantes. Alios in oratione reorum more vinctis poſt terga manibus, humiliadas facies ſuas inclinantes, indignos ſe qui Cœlum aſpicerent, vociferantes; nihil petentes, ſed tacitam mutamque Deo mentem offerentes, confuſione plenam. Nonnullos in pavimento ſtrato cilicio & cinere ſedentes, & faciem genibus operientes, & frontem in terram collidentes, alios pectora jugiter tundentes, animamque ſuam ac vitam ſuſpirio ingenti revocantes, alios lachrymantes, alios quod id non poſſent, lamentantes. Vidi nonnullos veluti æneos ex mœrore effectos, & inſenſibiles ad omnia. Alios fixis obtutibus in terram caput aſſiduè admovere, & leonum rugitum edere. Vidiſſe in quibuſdam linguas inſtar canum ex ore procedentes. Ex his alii ſub ardentiſſimo Solis æſtu ſeipſos cruciabant: quidam modicum aquæ guſtantes, ne omninò ſiti arefcerent, ita quieſcebant, aliqui cùm panis exiguum quid accepiſſent, reliquum tanquam illo indigni rejiciebant. Vide ibi plura & ſtupenda.

Pœnitentia olim impoſita ſolita.

Exempla ex Climaco de pœnit. gradu 5.

Atque olim pœnitentiam ſeveram agebant, non ſolùm plebei, ſed & Reges, ſed & Epiſcopi. De Regibus ſi agamus, nota eſt pœnitentia Theodoſii, de qua dixi lib 2. Tractatu 5. de Indulgentiis. Lect. 2. propoſit. 2. de Ottone III. Imp. Sic legimus in vita S. Romualdi. Otto Creſcentium Nobilem & Primarium Virum, quod Pontifici infeſtus vim & arma intuliſſet, occidi juſſit; cui tamen vitam & ſalutem ſpoponderat. Quod ſuum ſcelus, cum ad pedes S. Romualdi Abbatis ea tempeſtate ſanctitatis opinione celeberrimi, proſtratus in ſacra confeſſione detexiſſet, ſatisfactionis & pœnæ nomine, juſſus eſt nudis pedibus in Garganum proficiſci Montem, in Apuliæ Provincia Regnoque Neapolitano ſitum, ubi Michaëlis Archangeli memoria, propter maxima in eo loco ab ipſo accepta beneficia, pie frequentatur & colitur. Paruit mandatis Imperator, & per quadraginta dies ſolemni jejunio deſtinatos, horrido atque aſpero ſacco indutus, duro in ſtrato cubavit, aliiſque pœnitentiæ operibus corpus afflixit: ut ejus temporis Scriptor graviſſimus Petrus Damianus Cardinalis in vita S. Romualdi refert.

P. Damiani in vita S. Romualdi. Surius to. 3. 19. Jun.

Nec ſilentio obvolvenda illuſtris pœnitentia Henrici II. Angliæ Regis, ob cædem S. Thomæ Cantuarienſis Epiſcopi, à ſuis in Eccleſia patratam, cui aliquam occaſionem dediſſe videbatur. Venit enim nudis pedibus ad Eccleſiam, in qua occiſus fuerat Thomas, & ad limen ſeſe proſternens, factâ oratione introductus eſt. Ac primò locum ubi ſanguis fuſus fuerat, lachrymis ſuis aſperſit: & confeſſione factâ ad pedes Epiſcopi, acceſſit ſepulchrum Viri Sancti, veniam cum fletu depoſcens, omnesque adſtantes ad compaſſionem commovens. Ibidem humeros detegens, de manu Epiſcopi quinque ictus diſciplinæ ſuſcipit; poſtea Religioſis octoginta in ordinem diſpoſitis adgeniculans, ab unoquoque tres ictus ſuſcepit. Ita præſentibus duobus Legatis Apoſtolicis ſolemniter abſolutus fuit, nudis pedibus jejunus pavimento adhærens, cum lachrymarum imbre & devotione. Sic exemplum Regibus Eccleſiæ filiis exhibuit, ut non detrectent humilitatem & pœnitentiam, quando eos Eccleſia Mater ob delicta caſtigat. Exindè verò de cœlo favores multos expertus eſt, Deo pœnitentiam acceptante. Sed & vox ei cœleſtis inſinuârat, pacem aut quietem in regno nunquàm ſe adepturum, niſi ſe humiliaret, & a viro Sancto miſericordiam poſtularet, Vide Ribadeneiram in vita S. Thomæ Cantuarienſis.

Pœnitentia Henrici II. Angli Regis ob cædem S. Thomæ Cantuarienſis.

Ribadeneira in vita Sanct. Thomæ Cantuar.

Digitized by Google

Quantum ad Sacerdotum & Epiſcoporum pœnitentiam, Exemplum nobis præbet Marcellinus Pontifex: qui cùm in perſecutione Diocletiani perterritus, idolo thus adhibuiſſet, tantopere pœnituit, ut ad concilium 108. Epiſcoporum cilicio indutus venerit, cum lachrymis delictum ſuum confitens, & pœnitentiæ ſeſe ſubjiciens. Quem tamen damnare auſus eſt nemo, ſed unâ voce dixerunt: *Tu te tuo ore, non noſtro judicio judica, nam prima ſedes à nemine judicatur.* Ille verò ut ſcelus expiaret, Diocletianum iterum adit, graviſſimèque increpat, unde & ab eo Martyrio affectus eſt.

Pœnitentia Marcellini Papæ ob thus Idolo adhibitū.

De Potamio Epiſcopo.

Memorabile verò eſt, quod in Concilio Toletano 10. legimus de Potamio Epiſcopo Baccarenſi, qui ſemel tactu fœmineo ſorduerat, ſic enim loquitur Concilium, præferens ipſum nullo cogente in ergaſtulo ſe quodam incluſiſſe, atque novem menſium pœnitentiam egiſſe: ac deinde propriis literis hoc peccatum ſuum & pœnitentiam ſuſceptam indicaſſe Concilio. Patres verò Concilii, perpetuam pœnitentiam injunxerunt, ut nimirum toto vitæ ſuæ tempore in abjectis officiis deſerviret: & nihilominus affirmârunt, humanius & benignius cum illo actum eſſe, quam antiquorum canonum ſeveritas patetetur.

Hic erat rigor, hic fervor quondam Chriſtianorum, à quo cheu! quàm procul diſceſſimus! Si enim aliquot dies jejunii imponantur, ob multa flagitia & ſcelera, videbis pleroſque ſe excuſare, mitiora obſecrare, vel etiam apertè renuere. Hoc tamen certum videtur & conforme Concilio Tridentino, teneri pœnitentem rationabilem pœnitentiam & acceptare & adimplere. Etenim claves Sacerdotibus datæ ſunt, non ſolùm ad ſolvendum, ſed etiam ad ligandum. Explicat autem Trident. Tunc Sacerdotem ligare, quandò pro peccatis pœnitentiam injungit. Quod ſi poteſtatem habet ſic ligandi, conſequenter habet pœnitens obligationem obtemperandi; alioqui valdè ineffica eſſet poteſtas iſta. Et cùm hoc Sacramentum adminiſtretur per modum Judicii; ſi in foro exteriori Judex poteſt obligare reum ad pœnam ratione criminis: cur non potent Sacerdos in hoc foro Judex conſtitutus, obſtringere reum ad ſatisfactionem pro peccato.

Juxtà Trid. rationalis Pœnitentia eſt injungenda. Trid. ſeſſ. 14. 8.

Cæterum hanc ſatisfactionem arbitrio Sacerdotis relictam dicimus: quia ut olim non tenetur ſequi veteres Canones, ſed ſpectatâ conditione pœnitentis, ac ſpiritualis neceſſitatis ejus, quæ in hoc Sacramento maximè intenditur, poteſt pœnitentiam accomodatam injungere. Ubi attendant Confeſſarii verba Trident. *Debent Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungere: ne, ſi forte peccatis connivent, & cum pœnitentibus indulgentius agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem pro oculis, ut ſatisfactio, quam imponant, non ſit tantum ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem. Nam Claves Sacerdotibus non ad ſolvendum dumtaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres credunt & docent.* Quæ verba Concilii ut elucidentur, ſequentem adjicio propoſitionem.

PROPOSITIO III.

Debet Confeſſarius uti multâ prudentiâ in ſatisfactione imponenda.

PRimò quidem, Confeſſarius non negligat imponere pro injuriis & furtis, aliiſve injuſtitiæ actionibus, ſatisfactionem & reſtitutionem parti læſæ: alioqui, ſi in hac re ſuo deſit muneri, grave poteſt peccatum incurrere. Neque verò hic diſſimulare debet, (cum res eſt notabilis) ut Eccleſiæ vel pauperibus injuſtè accepta reſtituantur, ſi certus eſt Dominus rei. Nam non eſt Confeſſarii de alienis diſponere, niſi ex voluntate moraliter certa poſſeſſoris. Et in hac re cum facilitate ſe gerendo, aiunt quandoque peccatores in injuſtitiis, quos debuerant deterrere ſeverâ pœnitentiâ cum reſtitutione conjuncta. Lepida narratio huic rei ſerviens à quibuſdam refertur: Quidam qui furto porcum abſtulerat, id Sacerdoti ſuo libere fatus eſt. Interrogatus, quid de eo feciſſet, dixit ſe in familiæ uſum expendiſſe. Ut autem excuſaret ſe à reſtitutione, nominabat perſonam, quæ damnum paſſa fuerat, villicum ſatis opulentum, ſe autem ajebat tenuioris fortunæ eſſe, & ita damnum non adeò grave tali perſonæ, neceſſitate quâdam communi præterebat. Addebat tamen ſe paratum aliquid Eccleſiæ perſolvere. Sacerdos conſiderans ex parte una opulentiam alterius, ex altera aliquam hujus indigentiam, ei injungit, ut duos regales donet Altari Sancti Antonii, cui pro ſymbolo ſolet porcus appingi. Ille non tam ſimplex quàm ſubdolus, dicit ſe ad id paratum. Dum autem Sacerdos jam abſolutionem pronunciaturus foret; verbo & ſigno innuit ei hic confitens, ſe lubenter quatuor regales daturum. Quærit cur de quatuor agat, cùm ipſi ſolum regales duos injunxerit? Reſpondet ille, quia adhuc unus porcus in eadem domo eſſet, quem intenderet furripere; & quandoquidem pretio duorum regalium dato Eccleſiæ, liber foret à furto primi, libenter ſe pêdere adhuc duos anticipatâ ſolutione, ut abſolvatur etiam anticipatè à furto ſecundi. Hæc narratio ſivè vera ſit, ſivè non, fundamento tamen non caret: quia ſcimus quandoque contingere, dum faciles ſe præbent Sacerdotes in ſimilibus reſtitutionibus, quod etiam pœnitentes faciles ad furta reperiantur; & ad id fortè declarandum, eſt efficta narratio iſta.

1. *Debet Confeſſarius imponere ſatisfactionem parti læſæ.*

Lepida narratio de quodam qui furatus eſt porcum.

Sed quæritur hic, an Confeſſarii non teneantur ad reſtitutionem, quandò munera ſuo deſunt; & ideò

by Google

ideò non fit reſtitutio, quia ad id pœnitentem non cogunt, aut monent? Reſpondeo quoſdam id aſſerere, quia ſcilicet ex officio tenentur impedire damnum alterius, ſi ergò ex gravi culpa negligant, videntur cauſa damni. Sed alii negant non minùs probabiliter, & ratio eſt, quia licet teneantur pœnitentem monere & inſtruere, non tamen ad id tenentur ex obligatione erga tertium, ſed ex obligatione erga pœnitentem, quâ tenentur ejus ſalutem ſpiritualem procurare: & ſic peccant negligenter miniſterium ſuum exercendo, ſed non eſt peccatum contra juſtitiam reſpectu tertii. Quod ſi ex gravi culpa vel ignorantia Sacerdos conſuluiſſet non reſtituere; tenentur poſtea pœnitentem monere de obligatione, antequam propter moram ſuam reddatur impotens; alioqui jam ad damnum ipſemet tenetur.

2. *Præcipere, ut relinquat occaſiones proximas.*

Secundò Confeſſarius debet præcipere pœnitenti, ut omnia illa relinquat, cum quibus, & in quibus, neque in gratia Dei vivere, neque peccatum & peccati pericula poteſt vitare. Talia ſunt meretricis conſortium, ludus periculoſus, negotiatio injuſta, prava ſocietas, & ſimiles occaſiones; in quibus ſi conniveat Confeſſarius, peccati conſortio colligatur. Vide ſupra quæ dixi de B. Raymundo Lect. de Contritione. Et rigidè ſe hac in re gerere oportet, maximè in peccatis carnalibus, in quibus vis occaſionis magna conſpicitur. Audi hac de re exemplum non ita antiquum. In Como Italiæ urbe, quidam civis alens concubinam morbo ad extrema deductus, advocavit Sacerdotem Societatis Jeſu pro confeſſione excipienda. Ac primum ille de ſtatu ejus informatus, exhortatur ut concubinam ejiciat, in hac extremitate vitæ. Ille renuit, dicens obſequium ejus etiam modò ſibi eſſe neceſſarium, nec eo poſſe carere. Urgetur & precibus & lachrymis ab eodem Patre, ut jam meminerit animæ æternum peritura, niſi eam deſeret. Jungunt & communes ad Deum preces ad hunc effectum Collegii Patres. Tandem inſpiratione divinâ tactus, jubet eam egredi, & cum magno dolore, ſigniſque contritionis evidentibus confitetur eademque die moritur. Sequenti mane cùm Sacerdos ille e cubiculo ad Sacriſtiam pergeret pro illo celebraturus, ſentit ſe repelli, auditque vocem diſtinctè dicentem. QUO VADIS? Proſequitur iter, & ad ingreſſum Sacriſtiæ, vi majore quam priùs, retrogredi cogitur ad duos tresve paſſus. Attamen veſtit ſe, & adit altare; & Ecce Miniſtro recitante Confiteor, monſtrum viſibile & horribile ſuper altare, ad cornu Epiſtolæ ſe oſtentat, dicitque: NOLI PRO ME ORARE. Reſpondet Sacerdos, quidni orem? an non is es tu qui heri cùm tot lachrymis es confeſſus? an peccatorum remiſſionem non accepiſti? Dicit: *Sum ille, integrè confeſſus, & abſolutus ſui à peccatis: ſed te egrediente, illa maledicta qua me tot annis captivarat, in meam domum regreſſa eſt: & cùm mihi appropinquaret miniſtrans, verum cogitationum peſſimarum conſenſum dedi, ſicque mortuus æternis ſum flammis addictus.* Ita ex Valladiero & Barnaba Kearnæo ac aliis d' Ouitremannus in Pædagogo Chriſtiano par. 1. c. 4.

Exempli terribile de quodam concubinario moribundo.

Vallad. conc. ſer. 5. hebd. paſſio. B. Kearnæus c6c. Dom. inf. octav. Nativ. Ezech. 13. 18.

Qui diſſimulant cum pœnitentibus in occaſionibus peccati, audiant illud Prophetæ: *Væ qui conſuitis pulvillos ſub omni cubito manus, & ſub capite omnis ætatis, dicentes Pax, & non eſt Pax.* Illi enim in molli ſtrato peccati jacentes, dum non reprehenduntur, & non coguntur ad deferendas occaſiones, ſed dimittuntur cum abſolutione; tanto ſecuriùs jam obdormiunt, quaſi pulvillos ſub capite gerentes: ſed dum pacem putant & ſecuritatem lethalem eſſe ſomnum ſuum tandem deprehendunt: & in eos qui acri voce excitare debebant, maledicta congerunt. Maledictionem enim in Confeſſarios nimis molles, tandem in fine & in tormentis multi fulminabunt. Vide exemplum quod attuli ſuper Præceptum 7. Decal.

Lib. 5. tract. 4. lect. 12. prop. 2.

Quid prodeſt confitenti, ſi Sacerdos dicat: *Ego te abſolvo.* Deus vero dicit; *Ego te condemno.* Cum ipſe ſedeat tanquam vices Dei agens in hoc tribunali, debet ſe conformare (quoad fieri poteſt) Supremo Judici. Non ergo leviter judicium iſtud peragat, maturè culpa examinata, non eam ſolum obtegat, aut oblinat, aut ſuperficialiter deleat: ſed quantum in ſe eſt, radicitus] eradere curet, omnem illius occaſionem tanquam mali iterum facilè pullulantis radicem, evelli præcipiat.

3. *Deterrere ad peccati deteſtationem & animare ad ſpem melioris vitæ.*

Iſa. 50. 4. Iſa. 42. 4.

Tertiò advertere debet Confeſſarius, ne nimium terreat pœnitentem; ſed propoſitâ peccatorum fœditate, etiam Salvatoris benignitate, illum in ſpem erigat, ut ſimul & deteſtationem extorqueat, & ad ſpem melioris vitæ ac perſeverantiam animet. Utinam poſſit dicere illud Prophetæ: *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut ſciam ſuſtentare eum qui laſſus eſt.* Infirmum pœnitentem non nimium conturbet, ſed quantum in ſe eſt, juvet, imitetur Chriſtum, de quo dicitur: *Non erit triſtis, neque turbulentus, vox ejus non audietur foris: Calamum conquaſſatum non conteret, linum fumigans non extinguet*, manifeſta fuit ejus manſuetudo, in docendo, corripiendo, peccatoreſque recipiendo & adjuvando. Hujus vice ſedet Confeſſarius, illius conformari debet exemplo. Quod ſi etiam in pœnitentia acceptanda vacillantem advertat, quantum in ſe eſt, condeſcendat. Multa enim in conſiderationem venire poſſunt circa perſonas confitentes, propter quæ fieri poteſt, ut pro gravibus etiam delictis levior pœnitentia debeat imponi. Sæpè enim timor probabilis eſt, quod pœnitentiæ diuturnæ aut difficiles non ſint adimplendæ, ſed potiùs illaqueandus illis pœnitens fragilis. Unde ſententia eſt Gulielmi Pariſienſis quam ſæpè laudat Gerſon: *Satis eſt pœnitentes cum exigua & levi pœnitentia quam acceptabunt & adimplebunt, mittere in Purgatorium: quàm cum magna & gravi non adimplenda, mittere in infernum.*

Guil. Pariſienſis ſententia notanda.

Digitized by Google

Platus L3. de bono ſtatus relig.c.38. Iſa.14.11.

ejus deditus, ad bonam mentem reduci non poterat,& omnem de pietate ſermonem faſtidiebat. Vir quidam Religioſus hoc ſolum rogat,ut illud conſideret: *Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Hoc verò ita ei efficaciter inhæſit, ut citius quam jejunium, aut diuturnum cilicium, animum ad vitæ & morum converſionem addere poterit. Unde & paulò poſt conſideratione ſeria illius ſententiæ impulſus, Ordinem S. Dominici eſt ingreſſus. Platus lib.3.c.38.

Surius in vita ejus 14. April.

In vita S. Lyduinæ ſit mentio de quodam flagitioſiſſimo, qui renuebat confeſſionem Sacerdoti facere, quamvis ſcelera ſua Lyduinæ non vereretur aperire. Cui illa dixit, ſe paratam eſſe tanquam propria illa deflere & ſatisfacere,hoc tamen unum ab eo rogans, ut ſatisfactionis pro tot flagitiis particeps, velit in lecto ſuo benè ſtrato una nocte ſupinus decumbere, & neque in dextram, neque in ſiniſtram, ullo modo ſe vertere. Illi ſubridens ob oneris levitatem, dicit ſe paratum ad talem pœnitentiam. Adimplere ergo parans nocte ſequenti, cum paululum decubuiſſet in molli lecto, cœpit affici tædio: & corpus ſenſit compungi quaſi quibuſdam aculeis, adeò ut nunquam ſe tam male cubaſſe diceret; licet interim ſano eſſet corpore, ſola vertendi ſe in hanc vel illam partem privatus libertate. Cum ſic ergo magno affectus tædio jaceret, corporiſque ſui incolumitatem, lecti mollitiem, temporis brevitatem, ſcelerum immanitatem, æternas flammas, aliaque multa cogitaret; & tam exigua moleſtia victum ſe cerneret. Ait apud ſe: *O me peccatorum omnium miſerrimum! Hic incolumis, molliter jaceo, & tamen ex ſola cauſa, quod brevi ſpatio non licet mihi corpus vertere, ſomnus fugit ab oculis meis, quid ergo erit in futuro?* Itaque ex eo tempore mutatus eſt, jam promptus ad agendam pœnitentiam, ad confitendum, & ad dura perferenda. Ita Surius.

Vide & aliud exemplum ad hanc rem Lib. 2. Tract.3.Lect.10. Remedio 3. contta Tentationem ex Baldeſano.

Hæc verò retulerim, ut advertant Confeſſarii ſæpè majorem efficaciam habere pro pœnitentia, aliquot jaculatorias orationes ex affectu frequentes repetitas, quàm longa Roſaria, aut multiplices Pſalmos, qui leviter ſolent percurri, nec intelligi a pœnitentibus. Similiter conſiderationes aliquas ſerias fœlicius nonnunquam ſuccedere injunctas in pœnitentiam, quam difficiliores & aſperiores ſanctificationes.

LECTIO X.

DE FORMA SACRAMENTI POENITENTIÆ.

Explicat verba formæ, illiusq; effectus, ex Pſal.28.

PROPOSITIO UNICA.

Forma Sacramenti Pœnitentiæ eſt: Ego abſolvo te à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.

SIngula hæc verba ponderemus. Primò illud verbum, ABSOLVO, indicat peccata eſſe ſpiritualia vincula, tum ratione reatus culpæ, tum ratione obligationis pœnæ. Frequenter in Scriptura deliguntur peccata, nomine funium vel vinculorum, Prov. 5. *Funibus peccatorum ſuorum conſtringitur impius.* Item cap.7. ubi agitur de juvene ſeducto a muliere adultera, dicitur: *Irretivit eum multis ſermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum: ſtatimque ſequitur eam, quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciviens, ignorans quod ad vincula ſtultus trahatur, donec tranſfigat ſagitta jecur ejus, velut ſi avis feſtinet ad laqueum, & neſcit quod de periculo anima illius agitur.* Sapiens in iſtis verbis, peccatum vocat funes, vincula, laqueum; quia ſcilicet, homo peccatis colligatur & pertrahitur æternæ vindictæ obnoxius, & dæmonis mancipium fit, ad ejus obſequium huc illuc his funibus circumducendum; imò ſub illo jugum ducit, illi arat, illi laborat, illi ſervit. Hinc apud Jeremiam: *Vigilavit jugum iniquitatum mearum: in manus ejus convoluta ſunt, & impoſita collo meo.* Et iterum apud Iſaiam: *Diſſolve colligationes impietatis, ſolve vincula colli tui captiva filia Sion.* His vinculis collum circumvolvitur, ut de peccato in peccatum homo pertrahatur; tandemque in ergaſtulum & gehennam æternam perducatur. Manus quoque & pedes ligantur, quia bona opera & affectus impediuntur, ut non poſſit homo ad Deum ambulare, illique obſequi. Hæc ergo omnia vincula, in Sacramento hoc diſſolvuntur, & ideò pronunciat Sacerdos EGO TE ABSOLVO. Quaſi diceret: Ego eximo te à ſervitute aſpera ſatanæ, & omnibus quibus te præpedivit compedibus, laqueis, vinculis: jugum quo te oppreſſit diſrumpo, & in libertatem Filiorum Dei te aſſero, idque illius auctoritate, *qui educit vinctos in fortitudine ſimiliter eos qui exaſperant, qui habitant in ſepulchris.* In virtute quoque ſanguinis illius, de quo dicitur apud Prophetam. *Tu autem in ſanguine teſtamenti emiſiſti vinctos de lacu, in quo non erat aqua.*

Conc. Florent. Trid. ſeſſ. 14.c.3. 1. *Abſolvo Peccata ſunt vincula ſpiritualia.* Prov.5.22 Prov.7.23 Thren. 1. 14. Iſa.58.6. Idē. 52.2. Pſ 67.7. Zach.9.11 Figuræ. Jud.17. v. 7.

Peccatorem rectè Sampſoni comparaveris, qui ſeptem funibus nerviceis, a Philiſtæis hoſtibus vinctus fuit: quam quidem poteſtatem habuere in eum, ratione familiaritatis cum infideli Dalila. Sed

Digitized by Google

virtus Spiritus ei ſuperveniens diſrupit omnia vincula: *quomodo ſi quis rumpat filum de ſtupa.* Simili modo virtus abſolutionis quæ a Spiritu Sancto eſt, licet peccator ſeptem funibus, hoc eſt, ſeptem vitiis capitalibus obſtrictus fuerit, facillimè diſrumpit omnia illa vincula, tanquam odor ignis filum de ſtupa.

Joan. 11. 44.

Iterum peccatoris figuram habes in Lazaro mortuo, quem Dominus ad vitam revocavit, virtute vocis ſuæ: ſed adhuc inſtitis & funereis vinculis colligatum, tradidit Apoſtolis diſſolvendum. Ubi ſignificatur Deum inſpirationis ſuæ forti voce, & efficacia gratiæ ſuæ, vivificare peccatorem: hominibus tamen tanquam miniſtris ſuis uti, & per illos vincula pœnæ & culpæ diſſolvere, ut poſſit liberè ambulare, & in via ſalutis progredi & proficere.

Itaque verbum illud, ABSOLVO, deducitur ex aliis verbis Domini, quibus Apoſtolis hæc poteſtas eſt promiſſa, & in illorum perſona omnibus ſacerdotio ſucceſſoribus: *Quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlo.* Et hæc quidem vox, ABSOLVO, vox eſt Judicis ſententiam ferentis, & loco Dei ſedentis. Unde illius ſenſus non eſt: Ego te abſolutum declaro, ut aliqui voluere. Decernit enim Tridentinum, non hic eſſe nudum miniſterium declarandi remiſſa eſſe peccata. Imò verè eſt actus judicialis habens efficaciam ad peccata ſolvenda, remittenda, delenda: quia verè Miniſter concurrit ad peccati remiſſionem & gratiæ infuſionem, verbis ac miniſterio quo fungitur.

Matt. 16. 19.

Trid. loc. cit.

2. *Abſolvo te, deſignatur perſona præſens.* Cle. VIII.

Secundò dicitur: ABSOLVO TE, qua voce deſignatur ſubjectum, ſive perſonam quæ recipit abſolutionem, tanquam reum debere huic judicio adſtare perſonaliter, ut abſolutionis effectum poſſit percipere. Unde definitum eſt à Clemente VIII. *Non licere, neque per literas, neque per interpretum Confeſſarios abſentis peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere: Contrariamque doctrinam eſſe falſam, temerariam, ſcandaloſam.* Quia nimirum cum Sacramentum hoc, inſtitutum ſit per modum ſacramentalis judicii, in quo pœnitens habet vicem accuſatoris, teſtis & Rei, perfectam requirit cauſæ cognitionem, & ſtatus ipſius pœnitentis; quæ in abſentia non ita haberi poteſt. Nam & diligenter debet expendere diſpoſitionem ipſius, quæ facilè mutari poſſet, poſt literas aut interpretem miſſum ad abſentem.

3. *A peccatis tuis deſignatur materia confeſſionis ſc. peccata mortalia & venialia.*

Tertiò dicitur. A PECCATIS TUIS, ubi deſignatur materia ſuper quam cadit abſolutio. Sicut enim ligna materia ſunt ignis, per quem conſumuntur; ita & peccata materia abſolutionis per quam obliterantur. Et cum dicitur, A PECCATIS, ſine limitatione, ſignificatur nullum eſſe adeò enorme, quin poſſit hac abſolutione deleri. Significatur quoque, non ſolum peccata mortalia, ſed & venialia, materiam eſſe hujus Sacramenti: hac tamen differentia, quod mortalia ſint materia neceſſaria, venialia ſint materia voluntaria. Poſſunt etenim variis aliis modis deleri, mortalia autem non niſi per abſolutionem, vel illius votum. Neque tamen negligenda ſunt venialia, & illorum (ſaltem graviorum) confeſſio; quia certior eſt per Sacramentum illorum remiſſio. Et licet gratiam Dei non excludant, nec charitatem; diminuunt tamen illius fervorem, & offuſcant animam, multumq; illam retardant, ac paulatim neglecta ad mortale trahunt, dicente Spiritu Sancto per Eccleſ 19. *Qui ſpernit modica, paulatim decidet.* Cui adſtipulatur S. Hilarius dicens: *Difficile eſt, ut cadere in gravia non permittatur, qui minus gravia non vereatur.* Ac ſicut ædificium parva ſtillicidia neglecta paulatim diſſolvunt, & demoliuntur etiam uſque ad fundamentum: ſic venialia peccata neglecta, paulatim ruinam animæ moliuntur, & gratiam diſperdunt. Quapropter dicebat etiam Chryſoſt. diligenter ad eorum expulſionem advigilandum. *Mirabile quiddam & inauditum dicere audio. Solet mihi nonnunquam non tanto ſtudio magna videri eſſe peccata vitanda, quanto parva & vilia. Illa enim ut averſemur, ipſa peccati natura efficit: hæc autem quia parva ſunt, deſides ſumus, & dum contemnuntur, non poteſt ad expulſionem eorum animus inſurgere. Unde citò ex parvis maxima fiunt, negligentia noſtra.*

Eccl. 19 v. Hilar. Simile. S. Chryſ. hom. 87. in Matth.

Quapropter animæ piæ ſolent magna etiam cum contritione hæc confiteri & deflere. Teſtatur Jacobus de vitriaco in vita S. Mariæ Ogniacæ, eam ſolitam confiteri veniales culpas cum tantis lachrymis, ac ſi mortales fuiſſent. In vita S. Pachomii legimus de quodam Monacho Zachæo, toto anno jejunaſſe ob levem aliquam culpam. Unde rectè Iſidorus: *Quid peccatores de magnis ſceleribus agere debent, quando etiam perfecti, levia quæque delicta quaſi gravißima lugent?* Hoc ſaltem documenti ab illis deſumere debemus, non eſſe negligendas culpas veniales, quæ regni ingreſſum prohibent: ſed recurrendum ad claves Eccleſiæ, quæ omnia poſſunt obſtacula removere; ut libet ſit in cœleſtem Jeruſalem acceſſus, cùm jam nihil coinquinatum nobiſcum efferremus. Quod ſi ea hic non diluerimus delicta, quæ levia dicimus, amaras & acerbas pœnas pro illis in futuro luemus.

Exempl. Jacob. de Vitriaco in vita S. Mariæ Ogniacæ S. Iſidor.

Eſt verò etiam error quorundam, maximè Sacerdotum, venialia quotidiè confiteri, ſed ſine ſenſu doloris, & quandoque ſine firmo ſatis propoſito emendationis. Poteſtque fieri injuria gravis Sacramento, abſolutione ſuper nullam materiam cadente, quia non ſatis eſt ad materiam confeſſio venialium, ſed debet etiam jungi illorum, vel contritio, vel attritio.

Quartò adjicitur, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ut ſignificetur cauſa principalis remiſſionis peccatorum, Trinitas, ſive Deus, juxta illud Iſa. 43. *Ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me.* Et iterum: *Quis poteſt facere mundum, de immun-*

4. *In nomine Patris, &c. ſignificatur cauſa.*

mundo conceptum ſomine, &c. Illa tamen verba, in hac forma non ſunt eſſentialia, ſicut in Baptiſmo aut Confirmatione. Nam ſpecialis eſt ratio in illis invocationibus Trinitatis: quia ibi in Baptiſmo fit profeſſio peculiaris fidei, cujus propugnator conſtituitur is qui confirmatur.

primaria remiſſionis peccatorū Deus.

Iſa. 43. 25. Job. 14. 4.

Quintò, ſolent aliquæ preces adjici per modum deprecationis, ſuntque illæ introductæ ab Eccleſia, nec neceſſariæ: quamvis valdè opportunè illæ adjiciantur ad precandum nomine Eccleſiæ gratiæ effectum pro pœnitente.

5. Adhibentur quædā preces.

Manuum impoſitio.

Hac de cauſâ, ſolet Sacerdos abſolvens manum imponere, exemplo Chriſti & Prophetarum. Quâ cæremoniâ. *Primò*, poteſt ſignificari à ſervitute peccati eos liberari & manumitti. Sic Prīci Romani ſervis ſuis ſe abdicantes, cum eos ſuæ libertati reſtituerent, tenentes caput ſervi, dicebant: *Hunc hominem liberum eſſe volo*, & mittebant eum manu ſuâ. Imò Romani Prætores, ſervorum quos manu mittebant capita, virgula quadam dictâ *vindicta vel vindicia*, tangebant. Undè in Topicis: *Si neque ſenſu, neque vindictâ, neque teſtamento liber factus eſt, non eſt liber.* Et Perſius Satyra 5. *Vindicta poſtquàm meus à Prætore receſſi. Cur mihi non liceat, juſſit quodcumque voluntas.* Hinc pœnitentiarii Romæ virgas geſtant, eaſque capiti pœnitentium imponunt; ut ſignificent ſe eos à ſervitute peccati in libertatem filiorum Dei aſſerere; hac de cauſa putant nonnulli virgas Apoſtolis eſſe datas, Marc. cap. 6. Pari modo, Aſſuerus Rex virgam auream extendit, ſuper collum Eſther. cap. 15. in ſymbolum impetratæ à ſe gratiæ. Ita Salmeron in prologomen. diſp. 29. *Secundò* ſignificat hæc impoſitio manus, pœnitentes quaſi victimas Deo conſecrari & offerri. Sic olim Sacerdotes manus imponebant victimæ Exod. 29. Hoc ritu ſignificantes, ſe victimam è ſua manu & poteſtate in Dei jus transcribere. Imò dicit Waldenſis; ex veteri lege hanc conſuetudinem traxiſſe ſuam originem: Ubi Sacerdos dum peccata populi confiteretur, manus capiti hirci emiſſarii, qui pœnitentem figurabat, imponebat: *Tertiò*, ſignificat illapſum Spiritus S. quem Sacerdos apprecatur pœnitenti, ut eum quaſi manu regat & protegat. *Quartò*, moraliter etiam ſignificatur, quod Sacerdos manus debeat habere ſanctas & puras, ideò enim conſecratur, ut ſancta tractare poſſit, & ut dum manus imponit pœnitentibus, poſſit liberâ conſcientiâ dicere: *Manus hæ, nec muneribus corruptæ, nec innocenti ſanguine pollutæ ſunt, noxarū injuriam, vim, nemini intulerunt: à Venere, ſanguine, & avaritia puræ ſunt, nulli reſtiterūt miniſterium præbuerunt, ideoque & alios mundare poſſunt.*

1. *Significat pœnitentes à ſervitute peccati liberari.*

Cicero in Top. Perſius ſatyr. 5 Marc. 6. 8. Eſth. 15. 15 Salm. in prolog. diſp. 29.

2. *Pœnitentes quaſi victimas Deo conſecrari ac offerri.*

Exod. 29. 10. Thom. Wald. to. 2. de Sac. c. 147.

3. *Illapſum Spiritus S.*

4. *Sacerdotem debere habere manus puras.*

Ex dictis patet varios eſſe effectus formæ ſacramentalis, quæ pronunciatur à Sacerdote in perſona Domini. Unde quæ de voce Domini Pſalmo 28. legimus, rectè voci abſolutionis accommodamus.

Pſ. 28. 3.

v. 3. Primò dicit Pſaltes: *Vox Domini ſuper aquas, Domini ſuper aquas multas.* Quid aquæ multæ, niſi populi multi? de quibus verum eſt illud mulieris Thecuitis: *Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur in terram.* Populi ergò multi accedunt ad atrium ſanctum Domini, ut adorent cum humilitate, & afferant ei gloriam & honorem in peccatorum ſuorum confeſſione; miſeriam ſuam agnoſcentes, Dei ſuper ſe miſericordiam exaltantes. Et tunc vox hæc majeſtatis divinæ, quâ peccata eis remittuntur, per os Sacerdotis reſonat, plurima eis afferens bona. Peccatores enim, qui ſunt inſtar aquæ labiles, ad perditionem currentes, ad abyſſum diffluentes, vox iſta abſolutionis convertit retrorſum, inſtar Jordani, ut non jam ad abyſſum diffluant, ſed ad Deum revertantur, ad originem ſuam, & vitæ fontem refluentes.

2. Reg. 14. 14.

Secundò dicit Pſaltes: *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia.* Magna eſt virtus abſolutionis, magna efficacia, poſſe in momento diſrumpere omnia peccati vincula, omnem ſatanæ poteſtatem, & in libertatem filiorum Dei hominem aſſerere: poſſe aperire cœlum, infernumque claudere, poſſe hominem mortuum reſuſcitare & vivificare. Magna virtus & magnificentia hujus vocis, ad quam ſtatim adeſt Deus majeſtatis, Pater & Filius & Spiritus S. ut animam inhabitet, & donis ſuis magnificis exornet; ibique templum ſuum conſtituat; in quo magnifice ſedeat, regnumque internum ordinet; juſtitiam, pacem, ſecuritatem, gaudiumque infundens, donec ad regnum æternum perducat.

v. 4.

Tertiò dicit: *Vox Domini confringentis cedros.* Hoc etiam rectè competit huic Sacramento, in quo viri quantumlibet excelſi, & inſtar cedrorum libani elevati, gaudent ſacerdotum pedibus ſubjici, incurvari, humiliari, ut audiant hanc vocem, & beneficium abſolutionis impetrent. Confringunt hic ſuperbiam ſuam, Magnates, Principes, Reges; humili confeſſione cor tumidum deponunt & ſacerdotis abſolutione, quaſi voce Domini a peccantis expiantur: regnumque cœlorum quod ſuperbis antea erat clauſum, jam humilibus aperitur.

v. 5.

Quartò dicit: *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Cuinam voci hoc melius convenit, quam verbo huic ſacramentali, EGO TE ABSOLVO? Ignem enim æternum jam peccatrici animæ accenſum, removet & interciditi, flammamque ejus extinguit: dum peccata quæ materia ſunt illius ignis flammantis, virtute ſuâ annihilat. Iterum intercidit flammam ignis vox iſta, dum libidinis & concupiſcentiæ flammam, quæ priùs confitentium animos ululabat, infuſâ copioſæ gratiæ aquâ ſopire valet. Unde nullum eſt potentius remedium contra libidinis vitium, quam hujus ſacramenti frequentatio.

v. 7.

Quintò dicit: *Vox Domini concutientis deſertum.* Corda peccatorum inſtar deſerti ſpinoſa ſunt, & vepribus conſita. Unde poſſunt dicere illud:

v. 8.

Con-

Converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.

Pſ.31.4. Tot aculei & remorſus conſcientiæ quibus ſcatent, tot ſunt pungentes ſpinæ. Vox ergò Domini abſolvens a peccatis, timore & amore ſancto replet hoc deſertum, ſpinas evellit, conſcientiam compungentes & ſauciantes: monetq; etiam uſque ad radices convellere omnia peccata, omnes illorum occaſiones extirpare; ut jam ſemen bonum gratiæ poſſit ibi radicem figere & fructificare; rosq; cœleſtis tertiam cordis renovatam compluere & fœcundare.

Jer.4.3. Quapropter pœnitentibus apud Jeremiam dicitur: *novate vobis novale, & nolite ſerere ſuper ſpinas.* Vox abſolutionis ſpinoſam & deſertam conſcientiam concutit, commovet, renovat: ut quæ priùs cubile erat buſonum, ſerpentum, draconum, jam fiat locus amœnus, in quo oriatur vitor calami & junci, quaſi hortus Domini irriguus germinans lilium, violam, roſam, ſuaveolentiamque aromatum, in diverſis arcolis virtutum, gratiarum & chariſmatum ſpiritualium. Ex punctis enim conſcientiæ remordentis veribus, jam fit anima quaſi paradiſus Domini, in qua regnat juſtitia & pax, amor, caſtitas, humilitas, ſobrietas, & gaudium in Spiritu ſancto. Hæc omnia oriuntur à voce Domini peccatum expellente, & gratiam infundente abſolutionis virtute.

v. 9. Sextò dicit: *Vox Domini præparantis cervos.* Qui Sacramentum pœnitentiæ pié frequentant, meritò

Pſ.17.34. poſſunt dicere cum Propheta: *perfecit pedes meos tanquàm cervorum, ſuper excelſa ſtatuens me.* Datur enim in illo virtus, ad alacriter currendam æternitatis ſemitam, & ad attingendum perfectionis verticem. Rectè ergò, hic dicimus audiri vocem Domini præparantis cervos, quia datur hic gratia per Sacerdotis vocem, ad ambulandum de virtute in virtutem, ad aſcendendum uſque ad Dei montem, per aſperum licet callem. Datur nobis velocitas cervi ad fugiendum tetra, & mundi hujus devia, adſpirando ad ſublimiora: & quod cervis innatum eſt, datur fortitudo ad belligerandum contra ſerpentina venena. Quod ſi cum aliis legas: *Vox Domini præparantis ſive obſtetricantis cervas*, etiam & hoc facit vox Chriſti in hoc Sacramento. Quia ſicut Cervæ ad pariendum difficiles, voce tonitrui reſonante commotæ adjuvantur, ut pariant: Ita & animæ, quæ difficultatem ſentiunt, & tarditatem ad pariendum ſpiritum ſalutis & perfectionis, plurimum hic adjuvantur voce & gratia Domini teporem excutiente.

Abſolutionis effectus.

Itaque cum tanta ſit efficacia vocis Domini in hoc ſacramento, accedite, ô Filii Dei! *afferte Do-*

Pſal.28.2. *mino gloriam & honorem* per peccatorum veſtrorum confeſſionem: *Afferte gloriam nomini ejus, ado-*

Pſ.105.1. *rate Dominum in atrio ſanctio ejus*, agnoſcentes *quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus.* Accedite frequenter ad hoc ſacramentum pœnitentiæ, ut audiatis vocem ejus tantæ virtutis & efficatiæ. O fœlix vox abſolutionis, quæ defluentes ad abyſſum perditionis, ad Deum facit refluere, & infundit amorem ſalutis! O fortis vox, quæ cedros confringit, ſuperbos humiliat, flammam æterni ignis intercidit & extinguit, concupiſcentiæ ardorem ſopit, ſpinoſa corda concutit, & pungentes ſpinas è conſcientia expungit! O ſuavis vox, quæ gaudium & alacritatem menti infundit, ad currendum animos addit; torporem eliminat, ſpiritum gratiæ parit; ad gloriam perducit! Denique, ô beata ſententia, quæ vincula ſolvit, peccatum remittit, Paradiſum reſerat, contritum ſanat, triſtem exhilarat, de morte revocat, vitam reſtaurat, honorem Filiorum Dei renovat, perditos reſtituit, ſaucios curat, vires reformat, imbelles roborat, ſævam fugat, humiles exaltat, gratiæ copiam infundit, & æternæ benedictioni nos præparat.

LECTIO XI.

DE MUNERE POENITENTIS Percepta Abſolutione.

PRimò toto corde gratias agat Deo, quod vocare dignatus ſit ad pœnitentiam: Eſt enim id divinum donum, non noſtris viribus, ſed ejus gratiæ adſcribendum, à qua præveniente & cooperante noſtra procedit converſio & juſtificatio. Neque enim omnes efficaciter vocantur, aut vocanti cooperantur: ſufficientem quidem gratiam nulli denegat Deus; at illam quæ efficax dicitur / quæ non ſolum ſuadet, ſed & perſuadet; non ſolùm allicit, ſed & trahit, quæ ſic ſecretâ virtute hominis agit ſenſum, ut accommodet aſſenſum, non tenetur omnibus dare. Quandò ergò illam donat, homo non debet eſſe ingratus, eò quod ingratitudo ſit ventus ureus & exiccans rorem divinæ Miſericordiæ, fluenta gratiæ, pietatis fontem. Quid igitur faciet peccator juſtificatus in hoc Sacramento? Agnoſcat humili corde ſibi impoſſibile eſſe eum quærere, niſi præveniat, ſurgere niſi excitet, ambulare ad illum niſi comitetur, invenire niſi ſe oſtendat: & ita cum jam ſurrexerit, quæſiverit, invenerit Deum, gratias agat, prævenienti, excitanti, comitanti, ducenti, perducenti, rogetque ut & tandem introducere dignetur ad gloriam, largiendo perſeverantiam; adverſtat, quod multi peccatores iisdem peccatis implicati, hinc gratiam nacti non fuerint, & exaltet ſuper ſe Dei miſericordiam, & ſapientiam ita erga ſe benignam. Ad alitudinem enim ſapientiæ divinæ, & ad judicia ejus inveſtigabilia debet referri, quod ex multis peccatoribus hunc educat in gravioribus exiſtentem, illum deſerat cum minoribus peccatis pereuntem. Tempore quo Deus erexit Magdalenam, convertit Samaritanam, Mariam Ægyptiacam vocavit ad pœnitentiam, non deerant multæ mulieres, quæ minùs peccârant; his tamen gratiam illam converſionis Deus non eſt largitus. Ideò & in figura dicitur: *Multi leproſi erant in Iſrael ſub Eliæo*, Luc. 4.27 *nemo* tamen *mundatus eſt, niſi Naaman Syrus. Multa vidua*

1. Gratias agat Deo, quod vocare dignatus ſit ad pœnitentiam.

Difficilis gratia efficacis. Ingratitudo quid ſit.

Vidua trans in diebus Elia in Iſrael, quando clauſum eſt cœlum tribus annis & menſibus ſex: & ad nullam illarum miſſus eſt Elias, niſi in ſarepta Sidonia, ad mulierem viduam. Ergò cùm multi evocentur è peccatis ſublimi Dei miſericordiâ, dum alii deſeruntur, unuſquiſq; cum timore & gaudio debet gratias agere, pro pœnitentiæ & remiſſionis dono.

Michael ab Inſulis tract. de Roſario.

Propterea apparuiſſe legitur B. Virgo Benedictæ Meretrici inſigni Florentiæ, noviter jam per ſanctum Dominicum converſæ, monebatque eam. Penſa Filia & crede, quod multi ſunt æternùm damnati, qui multò minùs quàm tu, offenderunt, imò quidam pro uno peccato mortali. Et ut occulta ſcias, hodie morietur miles ſubitò, propter peccatum commiſſum cum ſcorto. Item quatuor in hac urbe: Unus civis, quia filios ſuos neglexit corrigere: Unus Curatus, quia negligeas fuit circà onus præſertim in ſubditorum ſibi audiendis peccatis, & ibi inſtruendis: Unus Religioſus, quia non habuit firmum propoſitum vivendi, ſecundum regulam & ſtatuta Ordinis ſui: Unus quoque ſacerdos, quia vagabundè nimis & male perſolvit officium ſuum. Hi quatuor damnabuntur hodiè. Item, duæ ex ſociabus tuis à ribaldis in luxuria jugulabuntur, & damnabuntur. Hodiè etiam ſubmergetur puer in Hiſpania, & damnabitur, qui octo annorum cum ſorore fornicatus eſt, & licet opus non complevent, tamen inchoavit. Ita refertur in Tract. de Roſar. R. P. Michaelis ab Inſulis Ord. Prædicat.

Pſ. 96. 8. Exultent igitur *Filiæ Iuda propter Iudicia tua, Domine.* Animæ confitentes admittentur judicia Dei ſuper alios peccatores, & timeant judicium quoq; ſuper ſe tantæ bonitatis, & exultent cum gratiarum actione, quod erutæ ſint à tremendis illis judiciis, & pœnis jam paratis dum peccarent.

2. *Quod tam facili remedio dignetur peccata abluere.* Joan. 4. 10. Auguſt. tract. 72. Secundò debet gratias agere Deo, quod tam facili remedio dignetur peccata abluere, & ſordidam animam abominabilemque, ſtatim à pœnitentia in gratiam reſtituere, donisque tam pretioſis exornare. Neque enim parvi momenti eſt juſtificatio, & gratiæ ſanctificantis collatio. Undè cuilibet pœnitenti poſſumus dicere, quod Dominus Samaritanæ: *O mulier, ſi ſcires donum Dei.* Conſiderandum eſt hic, quod D. Auguſt. dicit. *Vtrùm ſit majus juſtos creare, quàm impios juſtificare, non audeo præcipere ſententiam, intelligat qui poteſt, judicet qui poteſt. Certè ſi æqualis eſt utrumque potentiæ, hoc majoris eſt miſericordiæ.* Excitet ergò ſe, qui in ſacramento pœnitentiæ juſtificatus eſt, & dicat cum Propheta: *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus.* Pſ. 102. v. 3. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas.* v. 4. *Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.* Hæc omnia peraguntur in hoc Sacramento.

Vnde quis habere poſſit moralem certitudinem Sed quæres, *undè ſcire poterit quis, ſe in gratia ſtatum eſſe reſtitutum?* Reſpondeo, non opus eſſe hic certitudine illa hæretica, & fide ſpeciali, quâ dicunt ſe firmiter credere, ſibi per Chriſtum remiſſa eſſe peccata, & hanc fidem juſtificare. Eſt enim illa potiùs præſumptio quædam, quæ à Deo reprobatur. Similis fides reprobata eſt in Phariſæo, qui ſe confidebat & credebat juſtum: Publicanus autem tali carens fiduciâ, & cum pavore miſericordiam implorans, *juſtificatus eſt.* Non debemus itaque de remiſſione peccatorum habere certitudinem fidei, cui non poſſit ſubeſſe falſum, ſed ſufficit probabilis quædam & moralis certitudo, cujus interim poſſumus habere teſtimonium. *ſe eſſe in gratia.* Luc. 18. 14

1. Dum prudenter homo exiſtimat ſe feciſſe quod in ſe eſt, diſponendo ſe ad remiſſionem.

2. Dum à confeſſione perſentiſcit internum gaudium, & quaſi à gravi onere alleviationem, nec angitur ultra conſcientiæ tortura. Certè non paucis contingit initiali quodam inchoare quemdam in anima Paradiſum, per primitias Spiritus inhabitantis: & jam effectu agnoſcere, quod pœnitentiæ quidem radix ſit amara, ſed fructus ſuavis. Et quam, tanquam colubrum horrebant, illi jam quaſi virgæ conſolationis ſuaviter innituntur.

3. Quandò odium peccati grande, zelumque acenſum ad illud radicitus extirpandum intùs homo agnoſcit; magnum eſt gratiæ inhabitantis teſtimonium. De hac re latius egi, cùm articulum de remiſſione peccatorum explicui.

Raymundus de B. Catharina Senenſi. Audi ad hanc rem exemplum in vita S. Catharinæ Senenſis. Beatus Raymundus, ejus Confeſſarius, qui & hoc ipſum ſcripſit, petiit quondam ab illa, ut precibus ſuis a Domino impetraret Bullam Plenariæ Indulgentiæ, (ſic enim loqui illi placuit) per quam jam certus foret, ſibi omnia peccata dimiſſa. Illa promiſit ſe Bullam talem à Domino poſtulaturam. Sequenti die præmiſſâ oratione ad Deum pro Bulla impetranda, Raymundum adivit, & dum loqueretur de ingratitudine hominum erga Deum, tactus Raymundus Spiritu Sancto, intueri ſibi viſus eſt peccatorum ſuorum multitudinem & magnitudinem; tam perſpicuè, ut continuò ex amariſſima contritione, tantam vim lachrymarum effuderit, & in ſingultus & rugitus tales proruperit; ut periculum fuerit, ne pectus & cor ejus diſrumperetur: Tum Virgo. *Hæc*, inquit, *eſt Bulla Indulgentiæ, quam tibi Dominus miſit: eſto igitur gratus gratiæ* DEI. Sic illa receſſit, & ille mirum in modum lætus cum Propheta Regio dicere potuit: *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata.* Pſ. 50. 10.

3. *Statim implet pœnitentiam.* Tertiò ſtatim debet pœnitentiam adimplere, oblatâ opportunitate. Hæc eſt enim mens Confeſſarii, imò & Dei ſatisfactionem per Confeſſarium imponentis, ut ſtatim ad effectum deducatur. Scireque debet eam pœnitentiam, quam impoſuit Sacerdos, efficaciorem eſſe apud Deum, illâ, quam ipſe proprio arbitrio ſibi imponit: quia elevatur ex inſtitutione Chriſti, ad ſpecialiter de ejus meritis & ſatisfactione participandum, &

Digitized by Google

gratior est Deo ratione obedientiæ, quâ se quis subjicit illius judicio, qui locum tenet Christi. Operatur ergò hic particulariter virtus clavium, quod non fit, quandò quis arbitrio suo peragit pœnitentiam. His porrò qui negligenter illam peragunt, nec promptо animo sequuntur ad præceptum Sacerdotis, dicimus idem quod olim servi hero suo 4 Reg. 13 Naman : *Si rem grandem tibi dixisset Propheta, facere debuisses, quantò magis quia nunc dixit, Lavare & mundaberis?* Si pro lepra animæ, ô peccator, multa pati jubereris, uri, secari, maria transfretare, deberes ea facere; Nam & pro corporis salute hæc peragere non renuis. Quantò magis præceptum facile, quod tibi imponitur à Sacerdote, debes adimplere pro animæ incolumitate? Presbytero ergò humilia non tantùm caput, sed & animam tuam, & prompta mente susci pe quidquid dicit, quantocius exequendum.

4. Propositum firmū concipiat emendationis.

Quartò debet frequenter & firmiter renovare propositum, nunquam de cætero morraliter peccandi. Hæc renovati, plurimùm proficit, quia sicut clavus, ut profundiùs figatur, frequenter percutitur: ita propositum nostrum ut firmiùs hæreat, hâc renovatâ percussione plurimùm juvatur. Debet verò pœnitens, se à recidivo quantum in se est, præservare, ne ingratitudinem suam augeat, & vindictam Dei super se advehat. Attendere debet illud: *Ecce sanus factus es jam noli peccare, ne deterius tibi contingat.* Sed quàm multi similes sunt populo Israel, cui cùm lex proposita foret: *Omnia*, inquit, *quæ Dominus locutus est, faciemus, & erimus obedientes*: At post paucos dies, Idolum conflant & adorant. Sic multi, in confessione firmum propositum profitentur de cætero non peccandi; at mox à pedibus Sacerdotis egressi, in eadem labuntur, novum idolum erigunt & adorant: sicque iram Dei in caput suum accersunt. *Melius erat eis non non cognoscere viam justitiæ, quàm post cognitionem retrorsum converti, ab eo quod illis traditum est sancto mandato.* Fiunt enim novissima pejora prioribus. Nam eum qui frequenter relabitur, graviora sibi accumulare incommoda, ex multiplici capite demonstrari potest, ex parte satanæ, ex parte peccatoris, ex parte Dei.

Joan. 5. 14

Exod. 24. 7.

2. Pet. 2. 21.

Recidivi gravia sibi accumulant incommoda.

1. Ex parte satanæ, quia eum quem anteà captivum tenuerat, jam acriùs infestat, multiplicando tentationem, & peccandi occasionem. Vigilantius etiam custodit, sicut, si quis ex carcere evaserit, & iterùm fiat captivus, jam diligentius custoditur, & duplici catenâ vincitur.

2. Ex parte peccatoris relabentis pejus semper succedit: quia frangitur ejus virtus ad benè operandum, multiplici relapsu; generatur major cæcitas in intellectu, fortior in malum propensio in voluntate, & peccatum altiùs suas agit radices.

3. Ex parte Dei, novissima hominis illius fiunt pejora prioribus: quia isidem peccatis multiplicatis, justo Dei judicio deseritur homo, in pœnam ingratitudinis. Sic & solet Medicus fallidire suum aliquoties jam sanatum, sua tamen negligentiâ elapsum: *Curavimus Babylonem & non est sanata, derelinquamus eam.* Attendat ergò, qui frequenter confitens, statim in idem relabitur divinæ ingratus gratiæ, juxtà illud Apostoli: *Terra venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam, accipit benedictionem à Deo: proferens autem spinas ac tribulos reproba est, & maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem.* Jer. 51. 9 Heb. 6. 7.

Pœnitens quædam eligat peccata corrigenda.

Potrò post confessionem, debet eligere pœnitens aliquot peccata; ad quæ magis propensus est: ut specialiter contra ea depugnet, detestando frequenter illorum malitiam, perfectum odium illorum concipiendo, omni diligentiâ armando se contrà illorum importunitatem, sæpiùs mentem ac voluntatem excitando, ut ab illis sibi possit cavere per continuum conatum & reflexionem. Sunt enim aliqua in nobis vitia radicalia & capitalia, quæ cæterorum sunt origo, ita ut ab illis quasi rami germinent: his ergò eradicandis specialiter advigilandum est; quia hic & alia supprimuntur. In hæc continuò oculos defixos habere convenit, quasi in hostem capitalem, contra quem duellum quotidianum indici debet, & necesse est ad illum expugnandum, gladium mortificationis frequenter acuere.

5. Convenit, ut sibi Pœnitens quasdam satisfactiones imponat.

Quintò etiam conveniens est, ut pœnitens sibi satisfactiones aliquas imponat, statui suo congruas, ultrà eam, quam à Sacerdote accepit, verbi gratiâ jejunium, orationem, eleemosynam. Nec enim facilè audit præcipere Sacerdos gravia, quia timet fragilitati pœnitentis laqueum injicere. Optat interim illum considerare exiguum esse quod præcepit, ut promptâ voluntate suppleat, & vindicet se de se, pœnali satisfactione. Juvat etiam ad eam supplendam, frequenter offerre Patri æterno in spiritu humilitatis, & in animo contrito, omnes dolores & pœnas, quas CHRISTUS sustinuit in crucis supplicio, & passionis longo tormento. Omnes item B. Virginis, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Sanctorumque omnium passiones & pœnitentias, pro peccatis etiam filiorum ex charitate susceptas, quæ manent in acceptatione divina nobis applicandi. Deindè etiam offerri possunt omnes gemitus Columbæ, hoc est Ecclesiæ gemitus in piis animabus, orantibus pro peccatoribus; qui gemitus sunt inenarrabiles, à spiritu charitatis in illis postulante pro nobis procedentes. Cum illis jungendæ & omnes pœnitentiæ, omnia opera pœnalia & satisfactoria, jejunia, orationes, disciplinæ, vigiliæ, cilicia, mortificationes, quæ fiunt per universum orbem in sacris Religionibus: quia horum omnium ratione COMMUNIONIS SANCTORUM sumus participes; ita ut in peccatorum nostrorum satisfactionem oblata, apud Deum nobis prosint.

Denique omnes hujus mundi pœnalitates, adversi-

Digitized by Google

verſitates, flagella, per patientiam, ex ſpiritu pœnitentiæ debemus acceptare, & Deo offerre, illique prompto animo dicere: *Hic ure, hic ſeca, ut in æternum parcas.* Certum enim eſt hoc Deo placere & ab illo ad hunc effectum hæc ordinata eſſe. Unde de multis legimus, Deum in hoc mundo mirabilibus adverſis ab illis pœnas exigiſſe, ut à pœnis futuris forent liberi.

S. Auguſtini vox.

Unum hic exemplum admirabile ſubjicio, iiſdem verbis quibus illud expreſſit Drexelius ex Niceta Choniate, libello de Æternitate. Anno poſt Virginis partum 1185. Andronicus Orientis Imp. tertio imperii ſui anno victus ab Iſaacio, ferreis catenis duabus collo & pedibus injectis, ad eum perductus eſt, factaque omnibus eſt licentia in eum quilibet audendi. Itaque impinguntur ei colaphi, barba vellitur & capilli, dentes excutiuntur, etiam à mulierculis cæditur, omniumque ludibriis exponitur. Paucis poſt diebus, dextra ei præciditur, & oculus unus ſuffoditur, ſicque uno oculo & manu deformis, capite raſo & glabro infamis, curta tunicella amictus, ſcabioſo Camelo imponitur, per forum, triumphi forma, deducitur. Hic plebs petulantiſſima, nulla habita ratione, quòd Imperator fuiſſet ab omnibus laudatus & celebratus, cui jurejurando fidem obſtrinxiſſent, impetum in eum fecit, & furor omnibus arma miniſtravit. Clavas alii in caput impegerunt, ſordibus alii nares opplerunt, alii ſpongias hominum pecudumque excrementis plenas, in faciem expreſſerunt, verubus alii latera pupugerunt. Illi lapidibus, hi luto periverunt, iſti rabidum canem, fungum alii & bardum proclamarunt. Impudens mulierecula ollam bullientis aquæ de culina raptã, in caput ejus effudit: nemo erat qui ei non malefaceret. Poſtea Camelo detractus, inter duas columnas pedibus ſuſpenſus eſt. Sed nec ſuſpenſo furibunda turba pepercit; unus enſem per pendentis alvum ad inteſtina adegit, alii duo averſum corpus transfixerunt. Sic miſerè vitam abrupit. Verum tamen ſe geſſit planè Chriſtianum, lamentari, aut fortunam accuſare auditus non eſt, cum Deo cœpit rationes ponere, & peccatorum veniam orare, illud ſolùm ingeminans: *Domine miſerere, Domine miſerere.* Miſer Andronice, quod tanta ferre cogaris; felix quod patienter feras, & agnoſcas peccata ſic eſſe expianda. Quantam tibi Deus gratiam fecit, qui hæc te pati voluit paucis diebus, ne perires omnibus diebus; brevi tempore miſer fuiſti, ne eſſes æternùm. Fuit verò Andronicus (teſte Niceta) Fidei Catholicæ tenaciſſimus, & devotiſſimus Sancto Paulo, cujus Epiſtolas præ manibus ſemper habere apertas conſuevit. Neque verò Apoſtolus iſtud obſequii gratis ſibi deferri paſſus eſt, curam geſſit cultoris ſui Andronici; cui cùm exitium immineret, imago Apoſtoli auro exornata, & in æde ſacra collocata, ubertim illachrymaſſe viſa eſt. Quod portentum ſtatim Andronicus non aliter atque venturæ cladis nuncium accepit.

Jer. Drexelius l. de æternitate conſid. 5. §. 3. Ex Niceta Choniat.

Andronicus captus turpiſſimè ab omnibus tractatur & illuditur.

Vide etiam quæ dixi de Mauritio Imperatore punito in hac vita, Dei admirabili judicio, ne ſatisfaceret in futuro Lib. 1. Tract. 2. Lect. 1. ubi egi de juſtitia Dei. Neque verò Deus graves peccatores tantùm, pœnis hujus vitæ affligit, ut ſatisfaciant, ſed & Sanctos. Unde ſic dicit Caſſianus. *Viros Sanctiſſimos magnis infirmitatibus traditos novimus, pro leviſſimis delictis; cùm in illis ne tenuiſſimum quidem nævum in die judicii inveniri patiatur divina Clementia, omnem cordis eorum ſcoriam excoquens in præſenti; ut eos tanquam aurum ignitum, nulla indigentes pœnali purgatione, tranſmittat ad illam æternitatem.* Vide vitam S. Lidwinæ, quæ 30. annos mirè afflicta à Deo morbo humanitus vix tolerabili, tranſegit.

Caſſian. collat. 7. c. 25.

RESOLUTIONES QUÆSTIONUM ALIQUOT PASTORALIUM.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

CAPUT I.

DE APPROBATIONE CONFESSARIORUM.

Q. 1. De Confeſſario unius diœceſis.

QUæro Primo. *An habens beneficium Parochiale in una Diœceſi, poſſit in alia Diœceſi audire confeſſiones, ex conſenſu Parochorum illius Diœceſis?* Reſp. *Ex vi juris communis poſſe*, quia habens beneficium parochiale (actualiter ſcilicet, & quod jam non dimiſerit) reputatur idoneus ſimpliciter, etiam pro quocunque loco: ita ut ubique ſit proximè capax jurisdictionis, ideoque eam poſſunt Parochi etiam alterius Diœceſis delegare extraneo Parocho, tanquam idoneo approbato. Quare dum dicit Trid. ſeſſ. 23. cap. 15. eum qui habet beneficium parochiale, idoneum eſſe ad audiendas confeſſiones, non reſtringit ad unam Diœceſim; quinimò æquiparat eum illi, qui ab Epiſcopis eſt approbatus, ſive à cujuslibet Diœceſis Epiſcopo. Et hanc fuiſſe ſententiam Theologorum omnium, ac Juriſperitorum Salmanticenſium, atteſtatur Suarez; & eſt ſatis communis opinio.

Trid. ſeſſ. 23. c. 15.

Hinc ſequitur, Parochos in confinio duorum Epiſcopatuum agentes, ſeſe mutuo poſſe advocare in auxilium confeſſionem audiendarum ſuorum ſubditorum, communicatá ſibi mutuò jurisdictione.

Dixi *id poſſe ex vi juris communis*, nam poſſet Epiſcopus hanc delegationem impedire, & ſtatutum facere, ut nemo in ſuo Epiſcopatu poſſint confeſſiones audire, niſi à ſe approbatus; & præcipere,

Digitized by Google

ut nullus Parochus poſſit juriſdictionem ſuam concedere, niſi taliter approbato. Id verò tunc obſervandum foret, atque hanc eſſe praxim aliquorum Epiſcoporum aſſeritur, cui omnino ſtandum eſt, maximè ubi per decretum publicum conſtat.

Q. 2. De Confeſſario ſimpliciter approbato.

Quæro Secundo. *An approbatus ab uno Epiſcopo ſimpliciter & abſolutè (hoc eſt, non reſtrictè ad hunc vel illum locum) cenſeatur approbatus pro tota Eccleſia: ita ut poſſit audire confeſſiones ubique terrarum, ſi modò ei licentia detur à Parochis.* Reſp. 1. probabilem eſſe affirmativam partem, quam cum Suarez tenent multi Theologi. Iterum tamen hic advertendum, an Diœceſani ſtatutum aliquod non ſit, prohibens licentiam dari niſi approbatis à ſe, ut jam dixi. Reſp. 2. negativam partem ſecutiorem eſſe, ac multis etiam Theologis placere. Illam docent Emmanuel Sa, Roderiquez, Miranda, Vaſques & alii. Et videtur fundamentum habere in Conc. Trid. dicente, Sacerdotem ut confeſſiones audiat, debere approbari ab Epiſcopis. Ubi dum dicit, AB EPISCOPIS, & non AB EPISCOPO, videtur ſingulorum Epiſcoporum approbationem requirere pro quolibet Epiſcopatu. Unde & Pontifices communiter dum Religioſis concedunt poteſtatem audiendi confeſſiones, adjiciunt conditionem, ſi nimirum ſint approbati ab Ordinario loci; atque hoc non intelligitur de quolibet Epiſc. confuſè, ſed de Epiſc. loci ubi audiunt confeſſiones. Ergo ſimiliter dicendum, debere approbari Sacerdotem ab Epiſcopo Diœceſis, in qua audire vult Confeſſiones. Neque eadem eſt ratio de habente Parochiale beneficium. Ratio enim diverſitatis eſſe poteſt, quia approbatio annexa Curæ Paſtorali, eſt antiqui juris, & eſt derivata in Parochos ab Eccleſia univerſali: modus autem approbationis ſimplicium Sacerdotum eſt à jure novo Concilio Tridentini, qui eam committit Epiſcopis.

Trid. loc. cit.

Fertur eſſe aliqua ſuper his declaratio. De conſule.

Refertur quoque ad hanc rem, Congregationem Cardinalium conſultam per Archiepiſcopum Valentinum: an approbatus per alium, quàm per Epiſcopum Valentinum cenſeatur approbatus in Diœceſi Valentini, reſpondiſſe negativè. Cujus rei mentionem facit Rodriquez in applicatione Bullæ cruciatæ. Sed, ut verum fateor, multæ reſolutiones Congregationis referuntur hinc inde ab Auctoribus diverſæ opinionis hac in materia, quæ parum authenticæ videntur, aut non ita firmæ fidei. Quod ſi ſuper jam dictis noviſſimam aliquam reſolutionem datam conſtet, illi ſtandum, nulla certa hactenus mihi innotuit.

Q. 3. de Sacellanis & Coadjutoribus Parochorum.

Quæro Tertio. *Quid de Sacellanis ſive Coadjutoribus Paſtorum, qui tantùm approbantur pro hoc vel illo loco ab Epiſcopo determinato?* Occaſione ipſorum motæ fuerunt quæſtiones ſubſequentes in Diœceſi noſtra Leodienſi anno 1624. & præſentatæ Clariſſimo & admodùm Reverendo Domino Joanni à Chokier Vicario Generali: Reſponſioneſque ſubjectæ ab eo ſignatæ ſunt, me præſente.

QUÆSTIONES QUOTIDIANÆ, Paſtores & Sacellanos Concernentes.

Quæritur 1. *Vtrùm Sacellanus alicujus Paſtoris poſſit audire confeſſiones Parochianorum alterius Paſtoris in aliena Parochia.* Reſp. Non poteſt, ſi non ſit approbatus pro illa.

Quæritur 2. *Vtrùm Sacellanus poſſit audire confeſſiones alienorum adventantium ad Parochiam, in qua deſervit?* Reſp. Poteſt, ſi cum licentia Paſtorum ſuorum ſaltem interpretativa accedant; quam tamen facilè non præſupponant, niſi ex ferè certis indiciis.

Quæritur 3. *Vtrum Sacellanus tranſiens ad miniſterium alterius Parochi, debeat denuò approbari pro iſta nova Parochia?* Reſp. Debet approbari de novo pro illa, ſi nunquam pro illa fuerit approbatus.

Quæritur 4. *Vtrùm Sacellanus qui aliquando deſervivit alicui Parochiæ, propter vel mortem, vel abſentiam Paſtoris, omnia Paſtoris munia exercens poſteà tranſiens ad alium Pagum, ut officium Sacellani tantummodò agat, debeat pro illo approbari, quandoquidem majus officium exercuerit?* R. Debet pro illo Pago approbari.

Quæritur 5. *Vtrùm Paſtor habens erectam Confraternitatem in ſua Parochia, poſſit audire confeſſiones alienorum adventantium ad ſe, Indulgentiarum lucrandarum gratia, titulo Rectoris Confraternitatis? Et an poſſit ſimiliter tunc ejus Sacellanus?* R. poteſt id Paſtor, non titulo Rectoris Confraternitatis, ſed virtute licentiæ ſaltem interpretativæ datæ à propriis paſtoribus. Poteſt & Sacellanus approbatus.

Quæritur 6. *Vtrùm alii Paſtores non poſſint in illo loco Confraternitatis confeſſiones alienorum audire? Similiter & eorum Sacellani?* Reſp. Poſſunt cum licentia illius qui habet ibi juriſdictionem. Sacellani autem ipſorum non poſſunt niſi ſint approbati pro illo etiam loco, aut niſi ſuos ibi audiant.

Quæritur 7. *Vtrùm etiam Paſtor in propria Parochia, poſſit audire confeſſiones alienorum etiam alterius Diœceſis adventantium ad ſe. Similiter an & ejus Sacellanus?* Reſp. Poſſe, ſi ex fraude non accedant, ſed occaſione vel indulgentiæ, vel peregrinationis, vel rationabili alia cauſa ibi exiſtentes, confiteri. Si autem ſuſpicio ſit venire ad fugiendam auctoritatem proprtiorum Paſtorum, non poſſunt audire.

Signatum erat: *Io. à Chokier. Canonicus & Vicarius Leodienſis.*

Ex quibus adverte Primò, gravem eſſe errorem quorundam Sacellanorum, qui pro certa Parochia approbati, immiſcent ſe audiendis confeſſionibus quorumcumque, etiam extra Parochiam pro qua ſunt approbati.

Ad-

Digitized by Google

Adverte Secundò, multo magis tales errare, ſi in aliena Diœceſi audiant, errare quoque Paſtores, qui eos advocant ad ſibi auxiliandum. Quod vidimus practicari erroneè in Parochia de Fagnolle ſubdita Namurcenſibus, ubi ſolitus erat advocari pro auxilio Paſtoris ad confeſſiones excipiendas Sacellanus aliquis in Matania (qui eſt locus Diœceſis Leodienſis) approbatus, ac pro illo ſolum pago admiſſus.

Adverte Tertiò, erraſſe quoque graviſſimè Paſtores aliquos, qui titulo Confraternitatis Roſarii, in Parochia ſua erectæ, putarunt ſibi licentiam per hoc factam abſolvendi à quibuslibet caſibus reſervatis, eo quod in aliquibus Bullis Pontificum ea de re fiat mentio. Sed non adverterunt eam auctoritatem concedi Confeſſariis Ordinis Fratrum Prædicatorum, non verò quibuslibet Confeſſariis. Nec Fratres Prædicatores hanc authoritatem aliis poſſunt communicare etiam pro illis qui confraternitati adſcribuntur abſolvendis.

Adverte Quartò. Errare etiam eos, qui relictâ curâ Paſtorali, putant ſibi licere virtute prioris Paſtoratus, ſive approbationis per illum, audire confeſſiones in tota Diœceſi; non obſtante quod aliam curam Paſtoralem non ſuſcipiant. Concilium enim Tridentinum expreſsè dicit, quod illi cenſeantur approbati, *qui Parochiale beneficium habent*; quod intelligitur de actualiter habentibus; unde illis dimiſſis ceſſat non ſolùm jurisdictio, ſed & approbatio, niſi ab Epiſcopo iterum petatur. In quo advertì olim errorem contingere in Oppido Thudinenſi: ubi annuatim ferè ad adminiſtrationem Curæ (quæ Capitulo incumbit) admittebantur novi Sacerdotes, & ad hujus effectum procurabat Capitulum eos ab Epiſcopo approbari: illi autem non obſtante quod poſt annum unum vel alterum illam adminiſtrationem dimitterent, ingerebant ſe audiendis confeſſionibus quorumcunque in Diœceſi, ſine nova admiſſione ſive approbatione, virtute prioris approbationis, quâ ad curam adminiſtrandam dicebant ſe approbatos fuiſſe.

Adverte Quintò. Quantum ad ſeptimum attinet, Reſponſio iſta conformis eſt reſolutioni generali, quam dant communiter Theologi de iter agentibus, aut peregrinantibus. Dicunt enim quod licet olim peterent facultatem à proprio Parocho, ut aliis in itinere poſſent confiteri; nunc tamen ex conſuetudine, ſive tacita licentia Paſtorum, aut Epiſcoporum, poſſe confiteri Parocho loci ad quem perveniunt, vel Sacerdotibus ibi delegatis. Referturque Eugenius IV. declaraſſe id etiam habere locum in annua confeſſione & communione. Dicunt tamen eſſe neceſſariam bonam fidem, & veram cauſam: nam ſi quis tantum ageret iter, ut fugiat auctoritatem proprii Paſtoris, non foret abſolvendus. Videri poteſt Suarez aliique ab eo citati. Et certè moraliter loquendo, neceſſarium videtur hanc concedere licentiam vel expreſſam vel tacitam, ut hi quos à Parochis certis de cauſis abeſſe, contingit ad tempus, Confeſſariis quos pro opportunitate reperierint, poſſint confiteri, cum quia timentes Deum ſtatim ubi peccato mortali verentur ſe obnoxios, Confeſſarii occaſione oblatâ ſolent uti: tum quia pii feſta B. V. & alia principalia haud ſolent prætermittere ſine confeſſione, cùm tunc contingat abeſſe à proprio Parocho, grave eis foret ſine Sacramentis remanere. Unde non puto motoſius hic agendum à Paſtoribus, ſive propriis, quaſi debeant improbare ſimilem tacitam licentiam, ſive extraneis, dum bonâ fide requiruntur ad excipiendas talium confeſſiones, quia ad Parochos non eſt facilis recurſus. Contingit alicubi, quendam ad ſua negotia iter agentem, divertere in itinere ad Parochiam aliquam Miſſæ audiendæ gratiâ, ac ibidem obſecrare Parochum, ut exciperet confeſſionem ſuam, ut tutiùs iter ſuum perficeret, peccato aliquo cujus conſcius ſibi erat expurgato. Parochus hac in re ſcrupuloſior renuit, tanquam non habens facultatem abſolvendi non ſubditum ſibi. Eodem die contingit eum in nemore quodam propinquo à prædonibus ſpoliari, & interimi. Re ad Parochum delatâ, non potuit non graviter contriſtari, & ſeipſum coarguere, quod huic animæ opem non attulerit, rejectis ſcrupulis excipiendo ejus confeſſionem; cùm etiam divinâ inſpiratione ad id petendum tunc impulſus videretur. Similes multæ cauſæ faciunt, ut prudenter tacitam illam licentiam in favorem pœnitentium datam interpretemur. Immò quidam à jure datam dicunt, cujus conſuetudo teſtis exiſtat; & id fundari poteſt in declaratione Eugenii 4. de qua Cajet. verbo Abſolutio.

Quæritur verò iterum hic: *An iter agens per Diœceſim alterius Epiſcopi; ibi confitens poſſit abſolvi à caſu Epiſcopo ſuo reſervato, ſi ibi non eſt reſervatus?* Reſponſio affirmativa probabilis eſt, & eam multi Theologi ſequuntur. Ratio eſt, quia eo ipſo quo iter agit per aliam Diœceſim, & ibi confiteri poteſt, abſolvi etiam poteſt more incolarum iſtius loci, quandoquidem Confeſſarii illius Diœceſis non teneantur ſcire caſus reſervatos in altera. Si ergo ibi caſus non eſt reſervatus, abſolvi poteſt à quolibet Confeſſario. Si etiam ibi eſt reſervatus, poteſt abſolvi ab illis, qui ibi habent poteſtatem ſuper reſervatis. Conſuli poteſt Navar. c. 27. n. 261. Suarez diſp. 30. ſect. 1. Filliucius Tract. 7. c. 10.

CAPUT II.

DE OFFICIO CONFESSARII.

Q. 1. Quid faciet Confeſſarius qui videt Pœnitentem in proximo occaſione peccati.

QUæro Primo. *Quid faciendum Confeſſario, qui videt pœnitentem eſſe in occaſione peccati.* Reſp. ſi ſit occaſio proxima peccandi mortaliter, tenetur Confeſſarius exigere à pœnitente propoſitum firmum eam tollendi. Ut autem proxima judicetur, duo debent concurrere. Primò ut ſit voluntaria, ſi enim vitari non poſſit moraliter loquendo

quendo, & ab alio potius censeatur illata quam assumpta, non reddit indignum absolutione. Secundò debet esse talis ex suo genere, ut statim vel quasi statim illâ datâ homo in mortale cadat: sive ut nata sit frequentissimè homines similis conditionis ad talia peccata inducere; vel experientia doceat talem effectum habere in hoc pœnitente. Hic verò ad judicandum multa prudentia debet uti Confessarius. Nam uni occasio proxima est, quæ eadem in alio talis non judicatur. Exempli gratia. Frequentatio popinæ uni est proxima occasio ebrietatis, & aliorum peccatorum mortalium, quæ alteri talis non censetur, licet aliquando etiam inde peccare eum contigerit. Item frequentatio cum hæreticis uni est occasio hæresis, aut dubietatis in fide, alteri firmiori non est. Item conversatio cum puellis alicui adolescenti est causa luxuriæ, vel in actu, vel in cogitatione: similis occasio non censetur proxima alteri, qui aliquando, at rarò, propter hoc peccat. Item lectio librorum de amore tractantium uni potest esse præcipitium, alteri nonnisi veniale censeri. Cum ergo occasio censetur proxima alicui, talis non potest absolvi, nisi proponat tollere, si autem non sit proxima, potest absolvi.

Sed quid si pœnitens dicat, *se non posse sine scandalo vel infamia, vel gravi incommodo tollere*? Hujusmodi casus sunt quotidiani, & multum timoratos Confessarios torquent. Exemplum sit. Famulus & ancilla in eadem domo conversantes, sibi mutuò carnalium cogitationum & tactuum occasio sunt; & allegant se eam domum non posse deserere sine gravi incommodo, quia alibi ministerium non sint reperturi. Item filius familias malè conversatur cum ancilla, aut consanguinea cohabitante, vel etiam sorore; & dicit se non posse deserere paternam domum, nec idipsum fieri posse ab altera. Item adolescens in matrimonium optat aliquam puellam, nec potest eam alloqui sine motibus carnis, in quibus solet delectari, & hic est in frequenti statu peccandi; sed hanc familiaritatem ob matrimonium prætensum negat se posse deserere.

Respondeo, in his & similibus casibus, videndum esse, an sit aliquod remedium, quod susceptum à pœnitente, credatur posse ipsum cum Dei gratia præservare à lapsu. Atque ita pœnitens si admittat tale remedium, cum proposito non consentiendi ulteriùs peccato, potest absolvi: 1. Moneatur, resoluto animo personæ cum qua malè versatur, repræsentare periculum in quo sunt: & quod ob illud sibi denegetur absolutio; ideoque obtestetur eam debet in Domino, ut meliorem jam ineant rationem vitandi peccati & periculi. 2. Eliciat propositum efficax non conversandi in tenebris cum illa, aut in loco remotiori & solitario efficacius ad peccatum inducente. 3. Paratus sit non solum loca, sed & occasiones quas judicat maximè proximas sibi, sive ordinariè initium peccato dantes, evitare; puta aspectus nimis fixos illius personæ, aut manuum facieique attactus, blanditias & illecebras omnes. 4. Ordinetur ei brevis aliqua jaculatoria, qua quotidiè propositum renovet non cadendi, idque matutino tempore vel etiam ter in die, mane, meridie, vesperi. Item, Salutatio ad Christum, B. Virginem, Angelum custodem, & ad hunc effectum precatiuncula, per Ave Maria, vel genuflexio cum reflexione mentis. Item quoties cogitatio prava inciderit, cruce signet pectus, cor elevando Deum, & similia. Si hæc observare se omnino paratum offerat, atque alia quæ Confessarius ex Spiritus instinctu suggerere poterit (inter quæ esse poterit frequens confessio & communio, frequens Missæ auditio) poterit talis absolvi.

Sed quid *si adhuc reincidat, & absolutionem iterum iterumque reincidens petat*? Respondeo non ideò negandum, si propositum firmius, quam antè repetat: præsertim si aliquantum se contineat & diminuat numerum peccatorum, ita ut aliqua inchoatio, aut spes emendationis possit adverti. Quod si nulla est tandem apparentia aut spes emendationis, sed potius ruina in pejus, dicendum ei, & rememorandum illud CHRISTI: *Si oculus tuus, aut pes, aut manus scandalizat te, projice eum.* Mat. 5. 29. Hoc est, licet aliquis tibi tam commodus aut necessarius videtur, quàm est oculus, aut pes, aut manus, & tamen propter illum tibi ruina est salutis: melius tamen est, ut ejus emolumentis careas, quàm ob illum pertraharis in gehennam: ideoque separa te ab illo, quamvis conjunctissimus tibi sit & utilissimus. Sicut enim præstat ut cum uno oculo, pede, manu, ingrediaris regnum cœlorum, quam cum duobus mittaris in gehennam, ita & hic. Hic est discursus Jesu Christi, de quò suprà iterum dixi, sæpe repetendus, & pœnitentibus in periculo agentibus fortiter inculcandus; ut solvant vincula *colli sui, & colligationes impietatis, ac fasciculos deprimentes*, Isa. 58. 6. sive occasiones illas pertrahentes in gehennam. Imploret verò Confessarius auxilium spiritus pro illis, ac pro se, ut juxta prudentiam spiritus illis possit consulere, & opem ferre.

Quæro Secundo. *Quid faciendum Confessario, qui videt pœnitentem versari per ignorantiam in statu de se malo?* Exempli gratia. Potlidet quis fundum alienum, putans suum. Item habet contractum usurarium, bona fide putans non esse talem. Item, conjunctus est matrimonio, cum ea cum qua impedimentum dirimens intercedebat, sed id ignorat. Respondeo, si ignorantia est crassa vel supina, tenetur eum monere & instruere. Si est invincibilis, non tenetur nisi speret fructum, & sine scandalo ac gravi incommodo locum putet monitioni cum efficacia. Quod si timet non profuturam, sed potiùs graves perturbationes, debet tacere. Ratio est, quia tunc solùm permittit in pœnitente statum materialis peccati, cum ille excusetur ob ignorantiam invincibilem.

Q. 2. Si pœnitens ignoranter versetur in malo statu.

Sed

Sed quid, si circà illa interrogetur à pœnitente, vel ob aliquam dubitationem, vel ob aliam causam? Respondeo, quod tunc debeat respondere secundùm veritatem, quantum satis est pro interrogatione: quia justè interrogatus, tenetur ex officio respondere, nec potest pœnitentem in errore confirmare suo silentio.

Q. 3. An Confessarius possit audire Confitentem cum qua peccavit?

Quæro tertiò: *An Confessarius possit excipere confessionem mulieris, cum qua peccavit?* Respondeo non esse jus positivum, nec divinum, aut naturale, quo id vetetur: quia potest esse emendatus Sacerdos, & ritè conferre Sacramentum, & ex altera parte, potest adesse vera contritio. Ita Suarez & Filliucius, Tract. 7. de Confess. c. 9. Constitutione tamen particulari alicujus Diœcesis id potest prohiberi, ex eo quod quandoque per hoc tollatur erubescentia, quæ est pars pœnitentiæ, & quod non ita decens judicetur. Sic in statutis antiquis Leodiensis Diœcesis c. 4. ordinabatur sub pœna excommunicationis, ut Sacerdotes non audirent eas fœminas, cum quibus peccassent, de peccatis quæ pertraslent cum eis; quod maximè videtur fuisse ordinatum ob concubinarios, qui suas concubinas audiebant. Additur tamen in illis statutis, ut presbyteri consocios & fautores peccati sui, vel mediatores non audiant, sed mittant eos ad honestos Confessores, nisi necessitas hoc & in casu præcedenti exegerit. Sed cum hæc non repetantur in postrema Synodo, non puto obligare, nisi quatenùs juri divino sunt conformia.

Petes, *quid si Sacerdos peccârit cum filia confessionis, vel actu, vel voluntate, teneturne eam circumstantiam exprimere?* Respondeo, non teneri, quia id non mutat speciem peccati, nec est incestus, quamvis non negem indè aggravari peccatum. Tenetur verò exprimere, an illa mulier, de qua cogitavit & consensit, fuerit ab eo baptizata, vel an illius aliquam prolem baptizârit; quia tunc ob cognationem spiritualem est species quædam incestus, hocque advertere debent Parochi, quibus id posset contingere.

Q. 4. Confessarius malè pœnitentem absolvens, quid faciat?

Quæro quartò: *Quid faciet Sacerdos, si malè pœnitentem absolverit, & defectus sit circà substantiam?* Respondeo debere monere pœnitentem admissi defectus, quandò sine gravi nocumento ipsius Confessarii, & sine scandalo fieri potest. Exempli gratiâ, si absolvit eum, quem non poterat defectu jurisdictionis. Item si absolvit à reservatis, cùm non haberet potestatem. Item si absolvit eum, qui non proponebat abstinere à peccato mortali, nec habebat quidem attritionem. Item si error in forma contigerit, aut dormiens non intellexerit pœnitentem. Quod si grave incommodum aut scandalum ex monitione oriundum prævidet, dolere debet de peccato commisso, & relinquere pœnitentem in bonâ fide, quia per sequentes confessiones potent justificari.

Sed quid *si Sacerdos in causa finit, quod pœnitens alienum non restituat?* Respondeo. Si non imposuit ei restitutionis onus, cùm pœnitens ad id teneretur, peccavit contra Religionem, suum ministerium negligenter & indebitè exercendo. Non tenetur tamen ad restitutionem ipsemet, quia non peccavit contrà justitiam respectu damnum patientis. Si verò positivè consuluit, aut induxit ad non restituendum, tunc tenetur monere pœnitentem de malè consilio dato, si verò non fecerit, aut jam pœnitens ob illius moram factus sit impotens, tenetur de damno.

Q. 5. De Pœnitente insufficienter disposito ob neglectum examen.

Quæro quintò: *Quid faciet Confessarius ergà pœnitentem, qui nullum fecerit examen, vel insufficiens?* Resp. si Confessarius existimet, se posse defectum supplere interrogando, & is paratus sit examinari, potest audiri & absolvi: nam magnam supplet diligentiæ partem (maximè in idiotis) voluntas quâ desiderant interrogari & respondere. Et ita ordinariè practicandum circà rudes; nam experientia comperimus inutiliter remitti, quia vel non redeunt, vel æquè imparati redeunt. Quod si pœnitens aliquantum peritus sit, & à longo tempore non confessus, involutusque variis generibus peccatorum, suaviter quoad fieri potest, ei persuadeatur, ut prævie per aliquid temporis se disponat.

Quæro sextò: *An Confessarius, si videat pœnitentem omittere vel oblivisci alicujus peccati, teneatur illum de eo interrogare?* Respondeo ordinariè teneri, quia cum agat partes Judicis, munus ejus est curare integritatem sacramentalis hujus judicii. Dico ordinariè, nam quandoque contingit, quod pœnitentes non existiment esse peccata mortalia, quæ talia judicat Confessarius, & ex bona fide vel ignorantia, non putent se teneri ad ea confitenda, nec fructus speretur interrogando & monendo, tunc potest non interrogare, ut suprà dixi.

Q. 6. De illo, qui peccatum vel omittit vel oblitus est.

Sed quid, *si interroget Confessarius, & neget pœnitens se fecisse, cùm tamen sciat Confessarius tale peccatum ab eo commissum.* Respondeo, si sciat via aliqua extra confessionem, potest ea uti ad eum convincendum: Quod si nihilominus neget, regulariter tenetur ei credere, aut existimare illum esse confessum, aut alia ex causa posse excusari ad non aperiendum peccatum. Nam ordinariè in hoc foro standum est pœnitenti, tam pro se, quàm contrà se. Quod si via confessionis alterius complicis novit, non potest eum convincere: prudenter tamen potest interrogare, ita ut non advertat pœnitens ex alterius confessione venire. Et tamen si neget, non potest absolutionem negare, quia non magis tenetur uni, quàm alteri credere. Frequenter contingit in Confessione, quod uxor asserat aliquid, & illud maritus neget; sic & in aliis pœnitentibus complicibus peccati, unus suo modo, alter planè diverso factum enarrat. Quid faceret Confessarius? Licet pro una parte magis, quàm pro altera veritatem stare moraliter colligat, tamen non potest aliud dicere, quàm

JUDI-

Digitized by Google

JUDICET DOMINUS INTER ME ET TE. Poſſet tamen fieri, ut propriis oculis peccatum viderit, vel peccantem blaſphemis & injuriosis verbis audierit, ſciatque certò perſonam non eſſe de eo confeſſam, ſed perniciosè mentiri, nec ullo modo poſſe excuſari. Tunc non debet abſolvere, cùm certus ſit de indiſpoſitione.

Q. 7. De ignorante neceſſaria ſcitu ad ſalutem.

Quæro ſeptimò, *Quid agendum Confeſſario cum illo, qui ignorat neceſſaria ſcitu ad ſalutem, puta myſterium Trinitatis & Incarnationis & alios fidei articulos?* Reſp. antequam abſolvat, debet eum docere ſaltem ea myſteria, quæ eſſe neceſſaria neceſſitate medii docent Theologi: nempè Deum unum eſſe, tres Perſonas, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum. Atque Filium pro nobis carnem ſumpſiſſe, & per mortem ſuam nos redemiſſe, non Patrem, non Spiritum Sanctum. Denique in Sacramento Euchariſtiæ, nobis dari corpus & Sanguinem Filii Dei conjunctum Divinitati. Mirum profectò eſt, quanta paſſim in pagis ignorantia circa hæc, ita ut nihil diſtinctè, vel explicitè norint iſtorum, eò quod à Confeſſariis non interrogentur de his. Nam regulares Confeſſari, dum eos accedunt ruſtici, præſupponunt hæc edoceri à Paſtoribus: Paſtores cum aliquoties hæc in Catechiſmis dixerint, ſupponunt ſuos illa non ignorare. Sed falſa eſt ſuppoſitio, quia frequentiſſimè, quæ publicè in genere dicuntur, contingit non apprehendi à multis rudioribus in particulari. Undè neceſſarium eſt tales ſigillatim interrogari, imò & repeti, ac eis moroſe inculcari. Obſecratos igitur in Domino velim Confeſſarios ac Paſtores rudium, ut hic diligentem operam navent, cum ſuavitate & patientia, & per experientiam reperient ſe non infructuosè laborare. Variis in locis confeſſiones ruſticorum excepi, & eos interrogans de Trinitate, pro reſponſo accepi; Tres eſſe Deos, unam perſonam; vel unum eſſe Deum, ſed tria corpora. Item dum interrogarem, quæ perſona carnem aſſumpſerit; Reſpondebant ſatis ordinariè eſſe Patrem. An Pater eſſet homo? an etiam Spiritus Sanctus eſſet homo: Reſpondebant affirmativè. Et maximè errorem univerſalem pleriſque in locis deprehendi quod putarent vinum, quod aliquandò communicantibus datur, eſſe Chriſti Sanguinem. Hæc verò difficulter edoceri poſſunt, maximè ſenes, niſi à Confeſſariis interrogentur, & erudiantur. Quod breviter poteſt fieri, de his quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medii. Nam ſi ignorent fortè decem Præcepta, aut Symbolum, ſufficit quod firmiter proponant illa ſucceſſu temporis ſe conaturos ediſcere. Subſtantia autem præcipuorum Articulorum, debet eis hic & nunc ante abſolutionem proponi, ut fidem explicitam illorum concipiant: nempè JESUM CHRISTUM eſſe Filium Dei, & verum hominem, natum ex Virgine, pro redemptione noſtra mortuum, poſtea reſurrexiſſe, deindè aſcendiſſe in cœlum, denique venturum judicem.

Sed petes. *An non ſint repetenda confeſſiones priores, ab illis ignorantibus myſteria Trinitatis & Incarnationis, quandoquidem ſcitu neceſſaria ſint ad ſalutem, & non potuerint juſtificari ſine fide explicita illorum myſteriorum,* ut docent multi Theologi. Reſp. ſecundùm mentem illorum Theologorum, hoc videtur ſequi: quia tamen non improbabilis eſt altera ſententia, dicens ſufficere implicitam fidem; ideò non ſunt ad hoc condemnandi, cùm credideriut Deum eſſe noſtræ ſalutis auctorem, ac nos redemiſſe; quæ fides implicitè continet myſteria credenda noſtræ ſalutis. Adde quod non ſit improbabilis aliquorum opinio, quod confeſſio quandoque poſſit eſſe valida, ſed informis, hoc eſt, gratiâ juſtificante non informatâ. Sic priores confeſſiones talium bonâ fide factæ, poſſent in hac opinione dici validæ, ſi forte fuerunt informes defectu fidei explicitæ de myſteriis neceſſariis.

Q. 8. De pueris ſi Confeſſarius dubitet an habeant uſum rationis ſufficientem.

Quæro octavò. *Quid agat Confeſſarius circà pueros, de quibus dubium eſt, an habeant ſufficientem uſum rationis.* Reſp. opus eſſe Confeſſario prudentiâ; nam multi pueri etiam poſt ſeptem, octo, & amplius annos, licet peccata aliqua adferant ad confeſſionem, fortè ex aliqua inſtructione parentum eos ad confeſſionem mittentium, tamen Sacramentum Pœnitentiæ non apprehendunt: unde aliqua dicentes per modum confeſſionis, nugantur circà rotarium ſuum, vel galerum, vel digitos, vel ſocios circumſpiciunt; nec ita ſeriò ſe gerunt, ut videantur intelligere Sacramenti rationem. Quapropter puto, hos non eſſe ſacramentaliter abſolvendos; ſed cum inſtructione & monitione aliquâ (de obedientia parentum, de fugiendo mendacio, & verbis inhoneſtis, de non garriendo in templo, de non ſe mutuò percutiendo, & ſimilibus) dimittendos eſſe cum aliqua benedictione. Licet enim peccata aliqua confitentes, videantur dare materiam abſolutionis: non eſt tamen ſufficiens materia, niſi accedat ſaltem attritio ſupernaturalis; de qua vix eſt apparentia in dictis pueris, etiam poſt monitionem ſeriò rem non apprehendentibus. Si tamen probabilitatem aliquam habeat Confeſſarius alicujus diſpoſitionis, abſolvat ſub conditione ſaltem mente concepta: *Si tu es capax, ego te abſolvo, &c.*

Quando teneantur pueri annuo præcepto Confeſſionis?

Sed petes, *quando teneantur pueri annuo præcepto confeſſionis?* Reſp. Dominicum Soto exiſtimare non obligari ante 12. vel 14. annum, cùm etiam incipiunt capaces eſſe Communionis. Communior opinio tenet eos obligari, cum incipiunt peccare mortaliter, quod communiùs fieri putant poſt ſeptem vel octo annos. Ego quidem exiſtimo laudabile tunc eos advocare, & monere parentes, ut mittant, quia ex tunc aſſueſaciendi ſunt huic Sacramento. Adverto tamen paucos, maximè inter ruſticos, eâ ætate eſſe capaces hujus Sacramenti. Undè judicium de eorum obligatione, quâ ætate incipiat, pendet à prudentia Confeſſarii. Et hoc etiam hic advertendum, licet obligari poſſint ad confeſ-

Digitized by Google

confeſſionem aliquam poſt dictam ætatem; tamen ante pubertatem non videri Eccleſiam velle eos obligare ad pœnas non confitentibus impoſitas, ut et am advertit Navarrus, Suarez, Sa, & alii. Addo quod ſi quis dum puer eſſet, putavit aliquod peccatum tantùm eſſe veniale, & ideò omiſit confiteri, non teneturne reperere confeſſiones, ſed tantùm illud peccatum exprimere. Imò fortè ne quidem illud tenetur exprimere, quia ex imperfecto uſu rationis non fuit niſi veniale, licet ex natura ſua foret mortale. Quod adverte ob aliquas puellas vel matronas, quæ torquentur ob impudicos aliquos tactus in ætate quinque aut ſex annorum & piæ verecundiæ non audent confiteri, nam ob imperfectum judicium, plerumque hæc non fuere niſi venialia, & ideò non neceſſariò confeſſioni ſubiicienda, niſi quis per erroneam conſcientiam aliter judicet.

Caput III.

De integritate confeſſionis.

Q.1. *De circumſtantiis ſolum notabiliter aggravantibus.* Trid ſeſſ. 14. c. 5.

Quæro Primo, *An pœnitens teneatur aperire circumſtantias notabiliter aggravantes, ſed peccati ſpeciem non mutantes?* R duplicem hic eſſe opinionem, & utramque probabilem, illa quæ negat fundatur in eo, quod Concilium Trid. ſolùm ſignificet tanquam neceſſariò confitendas eas quæ mutant ſpeciem: & cum confeſſionis onus ex natura ſua ſatis grave ſit, pluribus dubiis res pateret, cùm frequenter ambigi poſſit, quænam circumſtantiæ notabiliter aggravent. Sunt tamen aliqui caſus, in quibus conſentiunt Theologi peſſim confitendam circumſtantiam, licet ſolùm aggravans dicatur, & ſpeciem non mutans, qui ea de re in aliquibus poteſt eſſe dubium.

I. Est: Si quis furatus ſit furtum magnæ quantitatis: puta centum aureos, non ſufficit dicere, furatus ſum ad quantitatem ſufficientem ad peccatum mortale, ſed exprimenda eſt quantitas.

II. Si comedi carnes die jejunii, non ſufficit dicere, fregi jejunium.

III. Est in inceſtu, licet gradus ſpecie non differatur, putant tamen multi gradum confitendum, præſertim ſi primus eſt, puta cum matre, aut ſorore.

IV. In detractatione, ubi oportet dicere, an infamaverit, falſum dicendo & mentiendo, an occultum verum revelando.

V. Si percuſſerit perſonam aliquam, dicere debet an conſanguinitate foret proximè conjuncta, puta Pater, Frater, Conſanguineus, Avunculus, &c. Similiter dic de odio.

VI. Si reſervatio ſit annexa ob enormitatem, aperienda eſt enormitas.

VII. Generalis eſt, quando quis nimis exceſſit modum ordinarium peccandi. Nam interrogante Confeſſario teneretur aperire veritatem, ergo etiamſi non interroget, tenetur: nam interrogatio non addit novam obligationem, ſed ſupponit.

Q.2. *An numero peccatorum exprimendo.* Trid. ſeſſ. 14. c. 5.

Quæro Secundo. *An numerus debeat exprimi in Confeſſione?* Reſpondeo affirmativè, Tridentino dicente, *oportere omnia & ſingula peccata confiteri.* Si numerus peccatorum aperiri non poteſt, aperienda eſt conſuetudo, quanta & quàm diuturna fuerit: tunc quantum fieri poteſt, ſtatus pœnitentis intelligatur, dum tempus & frequentia aliquo modo indicatur, ut toties in hebdomada, vel menſe, vel anno. Qui autem non poteſt hæc etiam ſpecificare, dicat ſe valdè ſæpè hæc feciſſe; aut quaſi quotidiè, aut frequenter in ſeptimana: hoc etiam ſufficiet ad aliquo modo ſtatum aperiendum, prout poteſt. Nam velle rudes ad ſpecialiorem numeri ſpecificationem urgere, potius eſt velle eos divinare, quàm veriſimilia confiteri. Et experientia nobis conſtat, quòd cùm urgemus eos veriſimilem numerum dicere in ſpecie, ſi aliquem exprimant numerum, nonniſi conjecturam parum veriſimilem facere: tum quia in diverſis peccatis ferè eundem numerum exprimunt, licet unum piæ altero longè illis frequentius fuerit: tum quia poſtea ſpecialius interrogati, quoties in die, hebdomada, vel menſe, invenitur ex ipſorummet declaratione, non fuiſſe priùs vel tertiam partem numeri expreſſam. Videturque ſolùm importunitatem Confeſſarii urgentis voluiſſe fugere, conjecturalis alicujus numeri expreſſione. Unde aliquando dicunt ſe commiſiſſe id centies & centies, id eſt ſæpiſſimè. Ex his reſolutio patet caſuum ſequentium.

I. Est, ſi accedat concubinarius, ſufficienter ſtatum ſuum declarat & numerum, dicendo ſe uno vel duobus annis concubina tanquam uxore uſum fuiſſe, continuè cum ea cohabitatione, & carnali conſuetudine.

II. Similiter, ſi meretrix, dicat ſe tot annis expoſitam fuiſſe, & omni occaſione oblata peccaſſe fornicando, & inducendo. Si tamen ſpecialiter exprimere poſſit actus ſpecie differentes à ſimplici fornicatione, ut puta, quia cum conjugatis, aut cum conſanguineis, aut Sacerdotibus, aut Religioſis carnale commercium habuerit, tenetur id exprimere. Alioqui ſi non poſſit, dicat ſe cujuslibet qualitatis viris expoſitam fuiſſe.

III. Qui in odio proximo hæſit per annum ſufficit id exprimere: quia in tali mora temporis ſtatus declaratur, & confuſè in ea explicatur numerus humano modo & poſſibili, dicendo ſe quaſi continuò, aut toties quoties perſona illa menti occurrebat, quod frequentiſſimè factum fuiſſe agnoſcit, odium renovaſſe, vel malum voluiſſe, illique malè dixiſſe, aut mortem optaſſe.

IV. Si miles acceſſerit, dicat per ſex, aut ſeptem annos, juramentis, blaſphemiis, concuſſionibus deditum fuiſſe, ſic & alia vitia militiæ ordinaria exprimere poterit. Putantque aliqui ſufficienter exprimi ſtatum, tali modo. Si tamen concuſſiones

ſiones & violentiæ ſunt quandoque enormes, vellem ſpecificari. Quicquid ſit, rectè notant aliqui. Confeſſarius majorem debere eſſe curam de excitanda contritione, & firmo propoſito non peccandi amplius, quàm de numero peccatorum nimis anxiè inquirendo, dum aliqueo modo ſtatus pœnitentis agnoſci poteſt.

V. Si uſurarius accedat, & dicat ſe decem annis uſuras cum omnibus accedentibus exercuiſſe, ſatis aperit ſtatum.

VI. Numularius qui multis annis vacavit cudendis quibuſcunque adulterinis monetis aureis, argenteis, & circumcidendis monetis probis, ſatisfacit dicendo ſe talem ſtatum tot annis exercuiſſe. Confeſſarius tamen advertat, quæ reſtituturio ſit facienda, vel Principi, vel Principis numulario, vel aliis damnum paſſis, vel piis cauſis, id etiam noret in prioribus caſibus.

Q. 3. De illo qui nunquam expreſſit numerum peccatorum in aliis Confeſſionibus

QUARO TERTIO. *Quid agendum ſit Confeſſario cum pœnitente, qui interrogatus de numero, dicit ſe non eſſe ſolitum in præcedentibus confeſſionibus illum exprimere, nec de hoc interrogari? An talis debeat repetere confeſſiones præcedentes.* Reſpondeo, ſi ignoraverit hoc eſſe neceſſarium exprimere ad integritatem & validitatem confeſſionis, non eſſe compellendum ad repetitionem: ſicut nec quando omiſerit quod peccatum mortale, quod non putabat niſi veniale. Tenetur tamen tunc quantum poteſt, ſupplere defectum, veriſimilem numerum explicando. Adverte verò quando pœnitens de numero omiſſo in prioribus confeſſionibus tacet, ignorans obligationem illum exprimendi, Confeſſarium non teneri eum de hac re interrogare, ſed poſſe in bona fide eum relinquere, maximè ſi potius perturbationem timet, quam fructum ſperet. Imò ruſtici, qui bona fide putant ſe benè confeſſos, non ſunt multùm inquietandi, interrogando de aliquo præteritæ confeſſionis, niſi aliquid eſſentiale defuiſſe, manifeſtum ſit. Nam etiamſi quandoque confeſſiones fecerint materialiter non integras, propter bonam tamen fidem cenſentur formaliter integræ, & ſic ſufficientes.

Q. 4. De oblivioſo, ignorante, imparate culpabili, qui omiſit peccatum. An talis invalidè ſit confeſſus? Triplex eſt ignorantia vel negligentia culpabilis.

QUARO QUARTO. *An qui exoblivione, ignorantia, impraparatione culpabili, omiſit aliquod peccatum, teneatur repetere confeſſionem tanquam invalidam?* Reſp. quoſdam Theologos diſtinguere ignorantiam ſive negligentiam culpabilem, ut una ſit exigua ſive venialis; certum eſt illam non irritare confeſſionem. Altera eſt adeò gravis, ut vel homo directè eam velit, vel moraliter reputetur nullam voluiſſe diligentiam adhibere, & hæc dicitur affectata vel ſupina, redditque confeſſionem nullam; quia æquiparatur voluntariæ ſcientiæ aliquid omittendi. Tertiò eſt quædam ignorantia media, quæ quidem eſt culpabilis graviter & mortaliter, ſed tamen non eſt per ſe intenta. Atque de hac eſt quorundam ſententia non improbabilis, quod illa confeſſionem informem quidem faciat, ſed non invalidam, aut repetendam. Pro qua citatur apud Filiucium Sotus, Canus, Victoria, Gerſon, Adrianus, Henriquez. Et probari poteſt ratione: tum quia talis confeſſio eſt ex intentione dicendi ſinteg ra; nihil enim omiſit ſciens, & habet voluntatem dicendi omnia, quæ commiſit: adhibet etiam aliquam diligentiam, etſi non omnem quam deberet: ergo eſt formaliter integra: quia tamen eſt culpabilis mortaliter, ut ſuppoſuimus, non erit ſufficiens ad gratiam, & ideò informis: tum quia alioqui innumeræ confeſſiones repetendæ eſſent. Conſtat enim experientia, apud eos qui annuas ſæcularium confeſſiones excipiunt, ſatò non omitti multa peccata, & non adhiberi omnem eam diligentiam, quæ opus eſſet, & ſæpè eſſe negligentiam culpabilem moraliter; ſed quia non agnoſcitur ejuſmodi negligentia, tales confeſſiones reputantur validæ, & ſatis eſt ſe excuſare de negligentia. Quare ſi contraria ſententia practicanda eſſet, redderetur onus Confeſſionis valde grave. Ita Filiucius aſſerens hanc ſententiam eſſe probabilem, quamvis altera ſecurior ſit. Quod notatum volui, propter anxietates, quæ quandoque ob ſimilia contingunt Confeſſariis, circa pœnitentes rudes & negligentes, quos difficile foret ad repetendas confeſſiones inducere, quia genii durioris. Circa quos poteſt uti Confeſſarius ſententia favorabili Doctorum, quæ probabilis habetur. Filiucius &c.

Q. 5. De illo qui ex pudore omiſit peccatum.

QUARO QUINTO. *An qui pra verecundia aliquid omiſit, ſciens quidem ſe malè agere, ſed non ſciens confeſſionem non valere, teneatur omnia repetere, vel ſola relicta?* Reſp. ſi talis ignorantia ſit inculpabilis (qualis fortè poteſt eſſe in aliquibus ruſticis) probabiliter dici poſſe cum aliquibus, talem non teneri ad repetitionem confeſſionum, ſed ſolùm ad ſupplectionem omiſſorum, ſuppoſito quod talis, ſi vere ſciviſſet invalidam reddi confeſſionem ſuam, voluiſſet integram facere. Vide Poſſevinum Ordinariè autem cum talis ignorantia non videatur inculpabilis, repeti debet confeſſio. Poſſev. l. de pœnit. c. 7. num. 28.

Hoc ſaltem hic notari debet, quod qui volenter reliquit peccatum mortale, & ideò tenetur confeſſionem repetere; ſi poſtea hujus rei oblitus confitetur bona fide peccata, quæ fecit, validas eſſe illas confeſsiones, nec ad earum repetitionem teneri; ſed ſufficere illam priorem repetere & ſupplere. Ita Emmanuel Sa, cum multis aliis. Adde cum confeſsio apud eundem Confeſſarium iteratur, non eſſe opus repetere peccata ſpecialiter jam ei dicta; ſed id ſolum quod confeſsioni defuit, ſi modò Confeſſarius notitiam aliquam adhuc habeat ſtatus ex præcedente confeſsione, etiam in confuſo. Sic communiter tradunt Theologi.

Q. 6. An voluntariè poſſit

QUARO SEXTO. *An quandoque voluntariè poſſit aliquod peccatum omitti in confeſsione?* Reſp. poſſe, ſi juſtè & probabiliter metuatur, ob alion-

amiti peccatum in Confeſſione?

alicujus peccati confeſſionem, revelatio illius, vel odium & inimicitia, vel pudicitiæ ſollicitatio, vel aliud temporale damnum. Confeſſio enim tunc cenſetur formaliter integra, quamvis materialiter aliquid ei deſit, ob juſtam cauſam tacitum in opportunitate alterius Confeſſarii ſupplendum.

Q. 7. An poſſit Confeſſio dimidiari.

QUÆRO SEPTIMO. *An poſſis dimidiari confeſſio, ob magnam concurſum præmentium ſe pro confeſſione?* Reſpondeo non poſſe: nec Confeſſario eſt liberum confitentes ita urgere ad expediendum, ut non ſinat eos detegere integrè ſuam conſcientiam, vel ut omittat juvare interrogationibus neceſſariis. Ratio eſt, quia integritas confeſſionis eſt de præcepto Chriſti, ut exprimit Tridentinum, à quo præcepto concurſus pœnitentium non excuſat, niſi ſit conjunctus cum gravi neceſſitate; qualis contingit in conflictu belli, aut in naufragio, aut ſimili periculo. In concurſu tamen multorum, ſit Confeſſarius ſolum ſollicitus de mortalibus, aut gravioribus venialibus, reliqua curet dici verbo generali.

Q. 8. De agente unum tantum peccatum expreſſum. Rituale Rom. Pauli V.

QUÆRO OCTAVO. *An æger debeat abſolvi, qui unum tantùm peccatum exprimit, vel tantùm ſigna dat attritionis, vel vocavit Sacerdotem pro confeſſione poſtea nequit vel ſigno confiteri?* Reſp. debere abſolvi, ita enim habet Rituale Romanum juſſu Pauli V. editum in Titulo. *De ordine miniſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ.* Verba ſunt iſta: *Si inter confitendum vel etiam antequam incipias confiteri, vox & loquela ægrum deficiat, nutibus & ſigno, quando ſibi fieri poterit, peccata pœnitentia conetur cognoſcere, quibus utrumque, vel in genere; vel in ſpecie cognitis, vel etiam ſi confitendi deſiderium, ſive per ſe, ſive per alios oſtenderit, abſolvendus eſt.* Hæc ibi. Ex quibus patet reſolutio ad quæſtionem propoſitam; quod ſi adhuc alicui dubio locus ſit apud Confeſſarium, non obſtantibus his ſatis claris verbis Ritualis Romani, ſaltem abſolvat ſub conditione: *Si tu es capax, ego te abſolvo &c.*

CAPUT IV.

DE COMPLICE ET DE SIGILLO CONFESSIONIS.

Q. 1. De complice ſeu ſocio criminis.

QUÆRO PRIMO. *An liceat in confeſſione detegere complicem, ſive ſocium criminis?* Reſpondeo ordinariè non licere, & id facere ſine juſta cauſa, ex ſuo genere eſſe peccatum mortale, ut communiter cenſent Theologi. Ratio eſt, quia licet maneat hoc ſub ſigillo, tamen poteſt generare opinionem ſiniſtram in Sacerdote; unde ſe detegi etiam coram diſcreto Sacerdote, grave ſibi exiſtimat peccati ſocius, & eſt rationabiliter invitus, cum id nulla urgente cauſa fit, aliterque confeſſio facilè fieri poteſt. Dixi, *ex genere ſuo eſſe mortale*, nam ob levitatem materiæ vel ob inadvertentiam, vel ob confitentis ſimplicitatem, exigua ſæpè eſt culpa. Sic in mulierculis contingit, quæ putantes ſe benè confiteri, maritorum, famulorum, filiorum, vel aliorum domeſticorum defectus enarrant jurgia, lites, convitia. Dixi etiam, *ſine juſta cauſa*, quia cùm cauſa eſt legitima, & ſit ſine intentione infamandi, ob aliquod bonum, poteſt eſſe licitum, nec cenſetur eſſe detractio formalis, nec alter rationabiliter invitus. Unde generaliter non video, cur non liceat aperire in confeſſione, quod extrà liceret. Atqui frequenter licet peccantes vel ad peccatum inducentes Parocho deferre, in ordine ad monitionem & correctionem, vel ut de ſimilibus interrogentur in confeſſione ad emendationem: ergo etiam licet in ipſa confeſſione. Tunc enim majori obligatione ſecreti tenetur Confeſſarius, & ſi de his agat cum illa perſona, eam vel interrogando, vel monendo, debet, ita ſe gerere, ut non colligat ex confeſſione alterius procedere.

Q. 2. De illo qui ſuum peccatum non poteſt explicare, niſi perſonam aliam detegat. Navar.

QUÆRO SECUNDO. *An ſi non poſſit aliter pœnitens explicare peccatum, quàm dando notitiam perſonæ confeſſario, poſſit dimidiare confeſſionem.* Exempli gratia. *Comm. ſit quis inceſtum cum ſorore, nec poteſt id aperire Parocho, quia novit ſororem.* Item, cognovit præpoſitam uxorem; itaque alia peccata confitebitur, ſed iſtud reſervare cupit, donec ignotum confeſſarium habeat. Commiſit Sodomiam cum fratre, & ſimilia. Reſpondeo primò probabile eſſe poſſe tunc reticere, ut pareat famæ proximi immò teneri cenſent aliqui Theologi & Canoniſtæ, inter quos Navarrus. Reſpondeo ſecundò, non teneri, niſi aliud grave damnum perſonæ illi timeat: puta quod impediretur à Confeſſario ad officium vel beneficium aliquod conſequendum, aut à matrimonio quod ſperat, aut cum perſona ſit affinis Confeſſario, malè ab eo tractabitur, & ſimilia. Ratio verò cur ordinariè non teneatur eſt, quia cùm aliter peccatum exprimi nequit, niſi cum perſonæ complicis notitia, cenſetur ille juri ſuo ceſſiſſe illud committendo, quapropter ſibi imputet. Deinde integritas confeſſionis videtur præponderare erubeſcentiæ alicui, quam inde poteſt complex habere, quod ejus peccatum ſciatur à Confeſſario ſibi noto, qua notitia non poteſt uti Confeſſarius in ejus damnum.

Nota verò, cùm perſona non eſt ſocia criminis, ſed tantum objectum, non licere ejus occultum peccatum detegere. Undè filius vel frater, qui voluit occidere Matrem vel ſororem, ob adulterium, vel ei optavit mortem ob crimen aliquod, non poteſt id aperire; ſed ſolùm dicat id ſe feciſſe ob aliquid quod ſibi in ea graviter diſplicebat. Similiter maritus qui percuſſit graviter uxorem ob ſuſpicionem violentam, quam habebat de ejus mala converſatione, at aliquo crimine, puta, quia invenit eam ebriam, non debet illud aperire: ſufficit ſi dicat ſe gravem aliquam cauſam habuiſſe, & tamen modum exceſſiſſe vulnerando, aut lædendo. Et ſic de ſimilibus.

Q.3. De sigillo Confessionis.

QUARTO TERTIO. *Quantum ad sigillum confessionis, an alium praeter confessarium teneatur ad sigillum.* Resp. teneri omnes qui ex confessione peccati notitiam habent. Sic tenetur qui prope Confessarium existens audit alterius confessionem, eadem obligatione qua Confessarius. Item is cui Sacerdos sacrilegus revelasset, teneretur etiam sigillo. Unde hanc generalem regulam dant Theologi. *Omnis notitia habita ex confessione sive mediatè sive immediatè, transit ad quemcunque sub eodem onere, & manet sub sigillo.*

Q.4. De legente alterius peccata.

QUARTO QUARTO. *An violet sigillum, qui legit alterius peccata in schedula, quam scripsit pro confessione, & de illis loquitur?* Resp. non violare, quia tale scriptum non est confessio sacramentalis, gravissimè tamen peccat talis contra naturale secretum.

Sed dices, *quid si quis per chartam, in qua legit, confiteatur, & alter praesens chartamque respiciens legat aliqua peccata?* Respondeo tunc teneri sigillo: quia tunc scriptura est proximum instrumentum, quo utitur pœnitens, ad confessionem suam faciendam: unde idem videtur ac si quis peccata audiret, dum per interpretem Sacerdoti exponitur: nam etiam ille ut instrumentum se habet.

Q.5. De violatione sigilli.

QUARTO QUINTO. *Quomodo violetur sigillum?* R. violari posse, vel directè, vel indirectè. Directè quidem quando explicatur peccatum alicujus in particulari etiam veniale, vel circumstantiæ aliquæ aperiuntur, quæ concernunt peccatum, & ad illud declarandum à pœnitente sunt propositæ. Imò omne id cujus explicatio onerosam aut odiosam confessionem reddere potest, censetur ad sigillum spectare. Indirectè verò violatur sigillum, quando aliquid aperitur, ex quo potest colligi, vel suspicio esse, aliquem peccasse, vel venialiter in specie, vel mortaliter in genere.

Hinc deducuntur resolutiones.

Qui peccent contra sigillum?

1. Peccat contra sigillum qui dicit aliquem esse illegitimum, & non novit nisi ex confessione, quia ei aperuit pœnitens ad explicandum suum peccatum.

2. Peccat contra sigillum, qui dicit se pœnitentem talem noluisse absolvere. Quia inde solet colligi peccato mortali fuisse obnoxium, nisi aliud impedimentum afferat Sacerdos, quod non concernat peccatum, puta quia agnovit in progressu confessionis non esse sibi subditum.

3. Violat sigillum qui dicit: *Iste habebat casum reservatum.* Vel ex notitia confessionis, dicens: *Iste est mala vitæ, perversæ conscientiæ.*

4. Qui negat alicui Eucharistiam, vel non vult assistere matrimonio, ex scientia solùm habita in confessione.

5. Si Sacerdos postquam in aliqua Parochia excepit confessiones, dicat plerosque pœnitentes se ibi invenisse adulteros. Hoc enim & suspicionem sæpè dat aliquarum personarum in particulari, & communitati etiam aliquam infamiam aspergit, unde reddit confessionem onerosam.

Quæ advertere consultum esse, coram sæcularibus nunquam de auditis in Confessione sermones miscere, etiam in genere: quia statim putant Confessarios semper memoria retinere sua peccata, & propter hæc se respici, & despici. Nec etiam approbo, quod aliqui in Concione statim prædicent de auditis in confessione peccatis, maximè dum nimis specialiter fit; nam pœnitentes tacitè sibi peccata sua obiici putant, potestque inde onerosa vel odiosa confessio reddi. Sed & de auditis in Confessione non potest cum pœnitente loqui Confessarius, nisi de ejus licentia. Nec notitia ibi accepta uti in ejus gravamen, de qua re latius Theologi passim in hac materia.

6. Indirectè censetur violari sigillum, si ex multis qui eidem confitentur, unus præ aliis laudetur dicendo: *Quantum ad hunc, solo venialia confitetur;* comparationem enim faciendo cum aliis, datur intelligi quod alii graviora confiteantur. Dixi, si comparatio fiat cum aliis; nam si alicujus absolutè incidat mentio, cum laudare nihil verat.

7. Omnis violatio sigilli, etiam de solo peccato veniali, censetur mortalis. Ex defectu tamen deliberationis, potest esse veniale, ut docet Dominicus Soto & alii.

8. Non est violatio sigilli dicere: *Iste suis scrupulis quotidiè est mihi importunus.* Ratio est, quia tali modo loquendi, significatur potius quod pœnitens non habeat peccata.

CAPUT V.

DE PECCATIS RESERVATIS.

Q.1. De casibus seu peccatis reservatis Pontifici. Tales sunt Excommunicationes in Bulla Cœnæ, & 4. præcipuæ.

QUARTO PRIMO. *An sint aliqui casus reservati Pontifici?* Resp. nullos esse, nisi quibus adjuncta est excommunicatio, vel censura reservata. Tales sunt excommunicationes, quæ in Bulla Cœnæ exprimuntur. Extra illam autem Bullam multæ ab Auctoribus enumerantur, sed tantum tres aut quatuor usui Confessariis his in partibus esse solent. Prima de percussoribus Cleticorum Cap. *Si quis suadente.* Secunda de Simoniacis realibus vel confidentialibus. Extrav. *Cum detestabile.* Pius V. *Intolerabilis.* Tertia de committentibus duellum, vel ad illud favorem dantibus. Clemens VII. *Illius vices.* Quarta de ingredientibus Monasteria Monialium, vel Monachorum. Greg. XII. constitutione, UBI GRATIA 36. de qua in praxi consulenda sunt instituta particularia cujusque Religionis; & quænam clausura ibi ferveat.

Q.2. Quænam excusent à casibus reservatis.

QUARTO SECUNDO. *Quænam possint excusare ab his excommunicationibus reservatis*: Resp. 1. non incurri, nisi ob peccatum mortale adjuncta contumacia, id est inobedientia contra Ecclesiam. Resp. 2. excusare ab illis ignorantiam probabilem: scilicet,

Digitized by Google

ſcilicet, quod talis actio cui adjuncta eſt cenſura, eſſet peccatum grave, vel quod foret prohibita ab Eccleſia ſub tali cenſura. Hinc infero, cum paſſim, multæ Decretales excommunicationes continentes ignotæ ſint, pleroſque eas non incurrere, licet peccata, quibus excommunicatio annectitur, committant, quia nec eas tenentur ſcire, cùm Juriſperiti aut Theologi eſſe non obligentur, nec alibi de excommunicationibus illis audierint.

Quoniam verò excommunicatio duellantes concernens ignota eſſe nequit maximè in noſtra Diœceſi Leodienſi, ubi ſinguli Paſtores juſſi ſunt Clem. 8. Bullam publicare in Eccleſia, eamque explicare: & quia nihilominus frequentes difficultates ob eam occurrunt, pauca hic pro Confeſſariis ſubjiciemus. Bullam verò Clementis VIII. invenient in Tract. noſtro ſuper Præcepto 5. Decal.

Bulla Clementis VIII. de Duello. V. lib. 3. tract. 4. ſect. 7.

Q. 3. *Quinam cenſuras reſervatas incurrant*

Quæritur TERTIO *Quinam perſonæ illam excommunicationem reſervatam incurrant?* Reſp. *Primo*, ultra ipſos duellantes, etiam incurrere in eam locorum Dominos, Magiſtratus, & alios Officiarios, permittentes, vel non prohibentes illud quoad in ipſis eſt; vel poſt admiſſum concedentes veniam, & impunitatem. *Secundo*, dictantes & manifeſta componentes, ſive ſuo, ſive nomine alieno, ſcribentes, mittentes, deferentes, divulgantes, affigentes, exemplantes, imprimentes typis, ſubſcribentes, intimantes, vel etiam verbo denunciantes, ſeu atteſtantes. *Tertio*, conſilium, operam, vel favorem præſtantes ad hæc ſcribenda, dictanda, deferenda, divulganda, vel quoquo modo ſeſe immiſcentes? etiamſi pugna, nec acceſſus ad eam nec provocatio expreſſa ſecuta fuerit, nec manifeſta prodierint in publicum, ſi per eos non ſteterit, quominus publicatio vel denunciatio fieret. *Quarto*, conſilium & favorem ad duellum, equos, arma, commeatus præbentes, aut comitantes, aut ex induſtria ſpectatores.

Q. 4. *Quid ſit propriè Duellum?*

Quæro QUARTO. *Quid ſit propriè duellum?* Reſpondetur eſſe pugnam duorum ex conditò; ſive ſingulare certamen ab utraq; parte ex cõventione ſpontanea ſuſceptum. Hinc non vocatur duelli, pugna illa quæ concitatur ex ſubita ira, vel ſaltem non ex mutua conventione, interpoſito aliquo tempore, inter contentionem & pugnam; ſed vocatur rixa. Neque etiam comprehenditur ſub duello pugna illa, quæ fieret ob neceſſariam ſui defenſionem. Debet quoque fieri pugna inſtrumentis periculum occaſionis vel mutilationis involventibus: quapropter concertatio, quæ fit inter juvenes pugnis, vel inter mulieres capillorum evulſione, non ſolet vocari duellum. Licet verò propriiſſimè duellum ſive Græcè Monomachia) ſit pugna unius cum altero, ſive ſingulare certamen, ſi tamen ſint plures, puta, duo vel tres hinc inde, etiam duellum cenſetur, & excommunicatio incurritur expreſſa in Bulla Clementis VIII. Ex his reſolvuntur caſus ſequentes.

I. CASUS. Si quis occurrenti ſibi, & provocanti ad pugnam, eductoque gladio mortem minitanti alter acceptet & pugnet ſtatim, & ſine interpoſito tempore, non incurrit excommunicationem: tum quia non cenſetur duellum, ſive certamen ex conducto, cum mora non interceſſerit inter pugnam & conventionem, tum quia cum alter ſit in actu aggreſſionis, cenſetur potius defenſio, quam duellum. Idem dicendum, ſi quis cogatur per alterum metu mortis certo imminentis, ad ſuſcipiendum cum aliquo alio duellum: quia tunc etiam illa pugna cenſeretur quædam defenſio neceſſaria propriæ vitæ.

II. CASUS. Si duo exorta in domo rixa, ex conventione in viam, vel forum vicinum exeant, è veſtigio proſequentes inchoatam rixam, & quaſi continuata actione expreſſi illam perficientes, cenſebitur rixa & quæſtio potius exorta, quam duellum ſive certamen ex conducto; & cenſebitur, magis ex impetu quodam perdurante ſuſcepta, quam hinc inde perfectè deliberata: quod videtur requiri, ut in hac materia odiola & pœnali dicatur ex conducto, ſive ex conventione ſpontanea.

Hinc communi uſu non videntur vocare duellum, niſi pugnam, quæ fit (ut gallicè dicimus) *à froid jang.* ſive quæ initur deliberatè frigido jam & temperato ſanguine, ſive cholerâ.

III. CASUS, eſt priori non abſimilis, ſi duo invicem contendant, quorum alter, quia non habet enſem, in domum proprium properat, & dicit, *expecta me donec arma, ut ea habuero*, ſicque redeat & pugnet, dubium eſſe poteſt; an non ſit duellum, quandoquidem videatur eſſe conventio, dicente ipſo *expecta me*, vel altero dicente: *vade & fer gladium tuum, nolo te aggredi proditorie & inermatum.* Videtur quoque tempus intervenire inter primam contentionem & pugnam jam conventam, per receſſum alterius, & redirum. Ita quidam ſentiunt, ſed hoc mihi ſatis durum videtur, ſic enim omnes ferè rixæ & pugnæ ruſticorum noſtrorum (quæ frequentes ſunt inter juvenes diſſolutos) duella cenſebuntur excommunicationi obnoxia. Solent enim hi modo inter choreas, modò inter pocula, modò interluſus chartarum, à verbis injurioſis incipere, vel pugnis ſeſe mutuò percutere, ſive poculis & vitris; ac deinde quia impediuntur, provocant ſe mutuò, ut uterque ferat gladium, ex illoc; primo impetu prorumpunt ad pugnam, ad gladios currunt, & ſtatim redeunt. Licet igitur quædam hic conventio, & provocatio videatur intervenire, ac etiam tempus aliquod inter conventionem & pugnam intercedere moraliter tamen ſe conſideretur, videtur prioris rixæ proſecutio, & continuata quædam actio præcedentis quæſtionis exortæ, cujus impetus perſeverat. Sicque videtur poſſe excuſari à ratione duelli illius rigoroſi, in quod fulminatur graviſſima illa excommunicationis pœna. Favere poſſet Gregorius XIII. in Bulla ſua, quam extendit Clemens VIII. Licet enim ipſe pœnas extendat

adversus omnes, non solùm qui publicè & solemniter duella ineunt, provocatoriis literis præcedentibus, patrinis sive sociis & spectatoribus vocatis, sed etiam adversus eos, qui privatim duella ineunt, tamen addit: *Si ex condicto, statuto tempore & in loco convento, monomachiam commiserint* Hic autem non videtur statui tempus aut particulariter locus, sed cùm ferveat adhuc inchoatæ rixæ furor, nonnisi instrumenta quæruntur ad persequendam rixam, & ideò in ipso eodem tempore, ubi sibi occurrunt, etiam locum ferè solent arripere quemlibet hic & nunc opportunum.

IV. Casus. Aliud judicandum est, si inter tales conventum sit, quod intra tot horas comparere debeant, tali loco &c. Sicque convenientes pugnarint, aut locum accesserint, licet nullæ aliæ solemnitates, aut ceremoniæ adhibitæ sint. Non enim est solum prohibitum sub excommunicatione solemne duellum & publicum: sed & privatum, sine patrinis, sine sociis, sine literis provocatoriis; ut jam dixi ex Greg XIII.

V. Casus. Si quis casu in loco ubi duellum committitur, præsens sit illudque spectet, non censetur excommunicatus: quia requirit Bulla, ut sit spectator ex industria, sive illuc procedens & comitans ad spectandum, Gregorius XIII. dicit, *ex composito spectatores* excommunicare, sive ex condicto comitantes adspectandum.

VI. Casus. Novissimè rogatus est à Nobili ad duellum abeunte juvenis quidam, quatenus ferret literas ad amicum; sed in illis simul charta provocatoria inferebatur, mitte ida ulteriùs ad alterum, qui provocabatur. Juvenis non ignorans de illa chartula quærit excusationem, dicens se vereri excommunicationem. Nobilis hunc timorem excutit, addens nihil ea de re timendum; quandoquidé ipse provocato non sit insinuaturus, sed solùm delaturus literas ad amicum. Viderit autem ille amicus, aut alius qui insinuaturus est, an id debeat timere, hoc autem ipsum litteras amicas deferentem ad concernere. Sic nihil sibi dubiæ cõscientiæ ulteriùs formans literas defert: Imo in ea urbe, ad quam profectus erat, occasionem Confessarii nactus, apud Patrem Societatis de peccatis suis ordinariis confitetur, hujus rei autem nullam mentionem facit, quia nullam sibi ea de re conscientiæ reprehensionem habet. Posteà audiens multos involvi excommunicationibus ob negotium duellantium, consulit me. Quæritur ergo, *an talis excommunicatus sit, & à quo possit absolvi?* Respondeo 1. ex v. Bullæ Clementis talem excommunicari, quia ibi excommunicantur non solum literas deferentes provocatorias, sed & quomodolibet sese immiscentes, aut operam & favorem ad illas deferendas exhibentes. Respondeo 2. potuisse tamen excusari ob ignorantiam, quia licet excommunicatio duellantium non possit ignorari, post publicationem jam factam; particularitates tamen hæ, de literas aliquas deferentibus, maximè si non deferantur ad eum, qui provocatur, possint ignorari, & iste bona fide, aliquod solùm lucri captans pro nuda delatione literarum, non putavit hoc esse, sese de duello intermiscere: cujus bonam fidem probat, quod nec in Confessione hoc putarit explicandum, nec conscientiæ de eo remorsum tunc habuerit. Respondeo; licet ille dicatur non satis excusatus ob ignorantiam, aut ob bonam fidem, quia non debebat credere Nobili dicenti sibi non timendum ab excommunicatione: tamen potuit Confessarius secundus eum absolvere, puta Pastor suus, licet non haberet auctoritatem à reservatis Papæ. Quia jam per priorem Confessarium, qui habebat auctoritatem, censetur sublata reservatio & excommunicatio; quia absolvit ab excommunicatione, quantum potuit, & hic indigebat, antequam absolveret à peccatis.

CAPUT VI.

DE CASIBUS EPISCOPO RESERVATIS.

PArticulariter tractabo hic de Casibus Episcopo nostro reservatis, quia ferè complectuntur eos qui in Diœcesibus aliis reservari solent. De his copiosè & eruditè librum edidit R. D. Joannes Chapeauville Leodii quondam Generalis Vicarius. Ego brevitati consulens, quæ magis necessaria ad eorum intellectum videntur, paucis edisseram; & aliqua addam ab illis quæ tradit dissentiendo, non carpens ejus doctrinam: sed quia doctrinæ & opinioni nunc receptæ Theologorum videntur magis consona.

I. Casus, qui Episcopo reservatus numeratur, *est hæresis*, sed solet reservari Pontifici in Bulla Cœnæ in prima excommunicatione. Ideoque sine speciali Pontificis indulto, non licet absolvere ab hæresi: sicut nec eos qui hæreticorum libros legunt. Hæc porrò specialis licentia impetrata est Pastoribus Diœcesis Leodiensis, per Generalem illius Vicarium, & data pro quatuor annis de Anno 1626. in Octobri numerandis; ut quisque suos possit absolvere etiam hæreticos, si modo non relapsos aut in quæstionibus involutos.

1. Hæresim, nunc Papæ reservatur, usi & legentes libros hæreticorum: non autem audientes legi vel eorum concionem.

Quantum ad legentes libros hæreticos, aut eos retinentes, illi etiam excommunicati sunt per Bullam Cœnæ: non tamen audientes legi, aut audientes concionem eorum, quod aliqui non advertunt. Strictè enim verba Bullæ intelligenda sunt. Vide Navarr. Filiucium, & alios hanc excommunicationem & personas in ea comprehensas, latiùs explicantes. Continentur enim in ea non solùm legentes libros hæreticos, sed & hæreticorum receptatores, fautores, defensores, atque etiam libros hæreticos penes se retinentes. Quod intelligendum est de iis, qui eos etiam retinent, nec legere volunt, nec aliis accommodare ad legendum; imò etiamsi ipsi illiterati sint. Tenentur enim ad eos comburendos, vel deferendos inquisitoribus, vel tradendos iis qui habent facultatem eos legendi, vel retinen-

Nav. & Filiucius.

retinendi. Ratio eſt, quia ſecundùm proprietatem verborum, illos retinent, nec lex diſtinguit de intelligentibus aut non intelligentibus. Et confirmatur, quia etſi ex eorum lectione ipſi infici non poſſunt, quia non intelligunt; attamen alii poſſunt, & per accidens eſt, ſi non incidernt in eorum manus. Ita Filiucius.

2. *Apoſtaſia, nunc Papæ reſervatur.*

II. Casus reſervatus, dicitur *Apoſtaſia*. Eſt autem illa triplex, à fide, à religione, ab ordine. Prima reſervatur Pontifici, ſicut & hæreſis, à qua diſtinguitur, quod ſit defectio ex toto à fide ipſum etiam Chriſtum, Auctorem fidei, & omnium credendorum, denegando. Secunda, cum quis deſerit religionem approbatam; ut in ſæculo vivat, & ſuæ libertati indulgeat, reſervatur pontifici vel ſuperioribus Religionum. Tertia ab ordine dicitur, cum Clericus in ſacris, vel beneficiatus in minoribus conſtitutus, deſerit habitum clericalem cum animo vivendi laicaliter. Vide Summiſtas, verbo *Apoſtaſia*.

3. *Homicidium voluntarium.*

III. Casus, *eſt homicidium voluntarium*. Ut quis incurrat hunc caſum, debet peccaſſe mortaliter: Unde furioſus, mente captus, ebrius, licet occidant, non incurrunt. Similiter, qui occidit, ut vitam ſuam, aut proximi tueatur, aut honorem ſuum, aut res etiam temporales ſervato moderamine inculpatæ tutelæ. Imò licet aliquantum illud excedat, ſi exceſſus non ſit mortalis. De hac relatè Theologi 22. q. 64. Incurrit autem maritus, qui uxorem in adulterio deprehenſam occidit, quia in foro poli homicida eſt, licet non ita cenſeatur in foro fori.

Theologi in 22. D. Tho. q. 64.

Quæritur verò: *An qui mandat, & qui conſulit homicidium, etiam caſum reſervatum incurrat, maximè ſi mandatum, aut conſilium non revocarit?* Imò generaliter, *an in ſequentibus caſibus reſervatis mandantes & conſulentes, comprehendantur?* Affirmat Chapeauville, rationem addens, quia ſtatutum quo maleficium punitur, ligat etiam mandantes, ut probat Bartholus in cap. *Mulieres*. Sed hoc generatim verum eſſe negant multi Theologi, videri poteſt Sanchez de matrimonio diſp. 49. Unde cum hæc materia ſit pœnalis & odioſa, non debet extendi ad illos, niſi ex verbis reſervantis, aut aliundè conſtet. Quod etiam obſervant communiter Interpretes, in caſibus Bullæ Cœnæ. Confirmatur, quia ſtatuta pœnalia condentes, cùm tales volunt comprehendi, ſolent adjicere. *Qui conſilium, auxilium, favorem impenderit*, &c. Item, *qui per ſe, vel per alium id fecerit*, &c. Dices: Licet in capitulo: *Si quis ſuadente*, ſolum excommunicetur percutiens Clericum, tamen conſulens aut mandans etiam cenſetur comprehendi. Rid aliquos negare, inter quos Emmanuel Sa. Id tamen concedit à pleriſque, ſed non tam ex vi illius capituli, quam quia alia jura ſive canones eam extenſionem ei adjungunt. Colligitur enim id ex capitulo *Mulieres* de ſent. excommunic. & ex capitulo Cum Quis eodem tit. in 6. ubi etiam ampliatur ad eum, qui ratam habet percuſſionem nomine ſuo factam. Non ergo inde generaliter oportet argumentari; quod notandum eſt ob hunc caſum, & ſequentes.

Chapeauville.

Sanchez de Matrimonio diſp. 49.

Capit. Si quis ſuadente.

Emman. Sa.

Capit. Mulieres de ſent. Excommunicat. & cap. Cum quis.

IV. Casus *eſt, injectio manuum in parentes*. Ubi nota, nomine *Manus* etiam pedes, brachia, & alias corporis partes intelligi, non enim exprimitur manus, ut excludantur reliqua membra, ſed quia eſt inſtrumentum aptius ad percutiendum. Nota ſecundò Nomine *injectionis* non tantùm intelligitur percuſſio, quæ fiat manu aut pede immediatè, vel per baculum, lapidem, aliudve inſtrumentum: ſed etiam, quæcunque realis injuria gravis, in corpus redundans; puta, detentio injuriosa per veſtem, aſperſio aquæ, pulveris, ſputi &c. ut explicant DD. interpretantes Capitulum: *ſi quis ſuadente diabolo*, ubi agitur de violenta injectione manuum in clericos. Nota tertiò. Nomine *parentum* intelligi Patrem & Matrem, Avum & Aviam, & ſuperiores aſcendentes l. appellatione parentum. ff. de verborum ſignificationibus. Quæritur verò *an nomine Patris & Matris, Avi & Aviæ, hic non ſolùm mei, ſed & uxoris mea intelligantur*. Ita ſentit Joannes Chapeauville. Imò nomine Patris vitricum, & nomine Matris novercam comprehendit, quia hi eorum locum tenent, & officio funguntur. Sed hoc in dubium revocari poteſt, quia caſus reſervati ſtrictè ſunt interpretandi, atque ita in dubio non præſumitur reſervatio: licet ergo percuſſio horum gravis ſit & in confeſſione explicanda, ſicut etiam fratris aut ſororis percuſſio, avunculi aut materteræ ſpecificanda venit: non cenſetur tamen adjuncta reſervatio, quamvis quandoque lato vocabulo parentum accipiantur. Probabile etiam eſt, cum qui mandat aut conſulit patrem ſuum percuti, non incurrere, ob rationem dictam paulò ſuprà de homicidio, quod eſt iterum contra Chapeauvillum. Non incurrit etiam ille, qui verbis injuriosis, maledictis, minis, metu incuſſo, parentem affligit, quia reſervatio intelligitur de injuria reali in corpus redundante. Non etiam is qui iniicit manus in patrem ſævientem, & ſibi mortem intentantem, ſi adhibeat moderamen inculpatæ tutelæ; hoc eſt, Si nihil agat, niſi quod neceſſarium eſt ad evadendum.

Doctores in Cap. ſi quis.

4. *Injectio manuum in parentes.*

5. *Machinatio mortis conjugis.*

V. Casus *machinatio in mortem conjugis*. Ubi per machinationem, non intelligitur ſola voluntas moliès & volvens aliqua in alterius necem, ſed debet in externum opus prodire, ita ut machinati hic propriè ſit per dolum & aſtutiam, aut artè, ſive ingeniù malitioſum aliquid facere, quo mors conjugis ſequatur. Hinc ſequitur, illum qui uxorem verberat graviter, aut etiam vulnerat, non propriè hunc caſum incurrere: quia non cenſetur machinari, qui imperè & ut loquuntur Juriſperiti de plano cum cõjuge agit. Si quis tamen cultrum, aut pugionem ſub cervicali abſcondat, quo illã dormientem jugulet, etiamſi poſtea non faciat, cenſetur machinari ejus mortem. Item ſimiles ducat eam ſecum ad caſtra, vel loca hoſtium periculoſa, eo animo ut occidatur. Item ſi quis uxorẽ valetudinariam continuò variis divexet modis, ut mortem ejus acceleret,

Eſt

Eſt verò hic idem de uxore & marito judicium. Cæterùm advertendum eſt, ſi maritus aut uxor machinetur in mortem uxoris, ut cum alia perſona contrahat, quæ etiam huic machinationi cooperetur ad eandem finem, tunc oriri impedimentum dirimens reſpectu talis matrimonii, quod ſi maritus ſolus vel uxor, inſcia perſona cum qua cupiunt jungi, id faciunt, jam naſcitur impedimentum impediens contrahendum, ſed non dirimens contractum, capit. *Admonere* 33.q.2.

Cap. Admonere 33.q.2.

6. *Veneficium.*

VI. Eſt veneficium. Sumitur veneficium aliquando generaliter, ut ſignificet idem quod maleficium, eſtque ſuperſtitionis ſpecies, qua quis alteri nocet; unde ſagas, veneficas vocamus: aliquando ſpecialius, pro crimine quo quis veneno alium necat, aut ejus valetudinem offendit. Hoc poſteriori modo hic accipitur, quia diſtinguitur cõtra maleficium & ligaturam. Hunc ergo caſum incurrunt, qui herbis venenatis, aut pharmacis, alterius necem, aut valetudinis læſionem procurant. Videtur autem de facto ſequi debere læſio, ut peccatum ſit reſervatum, quia reſervatio ſolet intelligi de actu perfectè conſummato.

7. *Maleficium.*

VII. Casus *eſt maleficium.* Eſt autem maleficium hic ſuperſtitio qua quis alteri nocet, quod commune eſt ſagis & magis, ac juvenibus etiam quibuſdam, qui pacto quodam diabolico, Matrimonii actum impediunt in noviter conjugatis, de qua re vide quæ dixi ſuper primo præcepto. Hunc ergo caſum incurrunt non ſolum ſagæ, quæ ſub lecto aut ſub limine domorum aut ſtabulorum, aliqua abſcondunt ad nocendum, vel dum grandines, fulgura, tonitrua procurant, ut ſegetes lædant, ſed etiam illi juvenes qui philtrum vel poculum amatorium propinant, ut amorem inordinatum alicujus perſonæ attrahant. Atque etiam puellæ, quæ quandoque cibum vel potum menſtruis ſuis commixtum juvenibus exhibent, ad hunc effectum, vel hunc vel ſaltem præcedentem caſum incurrunt, ſi de facto læſio ſequatur. Si iterum quæras hic, an qui hæc efficaciter conſuluunt, incurrant? Reſp. ut ſuprà in aliis caſibus, probabile eſſe quod non. Quæ autem obſervanda ſint circa maleficiorum abſolutionem, vide apud Joan. Chapeauvillum, utiliter pro his qui ſagas, quæ ad mortem ducuntur, debent audire in Confeſſione. hæc docentem.

V. Dicta in 1. Præcepto decalogi.

8. *Incantatio.*

VIII. Casus *eſt incantatio.* Dicitur autem incantatio, cum quis verbis aliquibus aliquid ſupra naturam agit. Fitq; duobus modis: *Primò* verbis profanis expreſſam vel tacitam dæmonis invocationem continentibus: *Secundò* verbis ſacris, quibus ſuperſtitioſa miſcentur, hoc autem multipliciter poteſt deprehendi. 1. ſi adhibeantur dictiones nihil ſignificantes, aut certè nihil ad propoſitum, aut nomina ignota præſertim Angelorum. 2. ſi miſceantur falſa, ut quod Chriſtus ſpaſmum habuerit, vel febres, vel alia apocrypha & incerta. 3. ſi addantur certæ figuræ, circuli, characteres, præter ſignum Crucis. Item circumſtantiæ nihil ad rem v.g. debere eſſe ſcripta manu ſiniſtra, vel in tali charta, aut tali die & hora. 4. ſi ex verbis ſacris expectetur aliquis effectus vanus. Nam Deus non operatur ad vana, ſed potius Dæmon, gaudens ſe rebus ſacris honorari. 5. ſi verbis clare recitandis addantur alia, ad autem hominis ægri vel bruti ſuggerenda. Excuſari autem quis poſſet, tum à reſervatione; tum à mortali, ſi neſciens eſſe dæmonis invocationem, putabat ſe dare operam rei licitæ. Quod locum habet frequenter in idiotis, quamdiu non ſunt moniti. Non incurrit etiam, qui adhibet medicamenta naturalia, puta, herbas virtutem habentes ad ſanitatem pecoris vel hominis, licet aliquas orationes certo numero recitet, cum aliqua ſuperſtitione ſive vana obſervantia, puta diminuendo numerum de die in diem. Non quidem vi præciſe harum orationum operari volunt tales, ſed vi naturali herbarum, ſeu medicamentorum: orationes verò adjungunt tanquam rem Deo commendantes, ſed cum vana obſervantia. Tunc autem non cenſetur propriè incantatio, quamvis ſit ſuperſtitio; ſed non omnis ſuperſtitio eſt reſervata. Obſervandum verò cum abſolvitur aliquis his incantationibus deditus, an non habeat libros magicos incantationes continentes, quia illis retentis abſolvi non debet. Obſervandum etiam an has incantationes vel maleficia non docuerit alios; quia debet hoc ſpecificare, & ſi poſſit eos à ſimilibus avertere, tenetur, imò malefici ſint aut magi, ſuperioribus acculare. Obſervandum denique, an in pactis his cum dæmone, non habuerit errorem in mente; puta credendo quod dæmon divinitatem habeat, quod Sacramenta nullius ſint efficaciæ, quod dæmonem oporteat adorare, quod res ſacræ vel verba vim habeant ad maleficia perficienda. Nam his poſſet hæreſis reſervata Pontifici immiſceri, maximè ſi ſit pertinacia adjuncta. Neque tamen ſtatim omnes magi aut ſagæ, quæ pactum habent cum dæmone, aut abutuntur Sacramentis, aut dæmonem adorant, hæreſim incurrere judicantur: quia id frequenter fit; ex paſſione, & ut dæmoni placeant, vel alia ex cauſa, non autem ex errore intellectus in fide.

9. *Procuratio abortus.*

IX. Casus, *eſt procuratio abortus.* Eſt autem procurare abortum, ſtudioſè hoc agere, ſive per ſe, ſive per alium, ut fœtus ex utero præmaturè elicitur; quod fit variis modis, potionibus, medicamentis, venenis, percuſſionibus, ſaltationibus, magnis itinetibus, oneribus, vel laboribus gravibus mulieri prægnanti impoſitis, & aliis modis nobis incognitis. Incuritur verò hic caſus, ſive fœtus ſit formatus, ſive informis, ſive animatus, ſive inanimatus. Si tamen animatus fuerit fœtus, homicidium eſt, & incurritur irregularitas. Incurritur quoque ab omnibus illis, qui huic rei cooperantur, mandando cõſulendo, inducendo, potionem conficiendo, confectam proponendo &c. ita ut plures perſonæ huic rei ſeſe immiſcentes non ſolùm peccent mortaliter, ſed & involvantur caſu hoc reſervato. Sic ſi con-

contingat, quod mater procuret hoc per ancillam, ancilla per medicum & pharmacopolam, omnes incurrunt. Debent autem de facto ſequi abortus, quia reſervatur actus exterior cum effectu. Incurrit etiam hunc caſum mulier, quæ expreſſa eſt ex oneris alicujus impoſitione ſe ſolitam abortum pati: & vir qui ex gravi percuſſione uxoris prægnantis prævidere poteſt id ſecuturum, quia cenſentur hi cauſa abortus; ponentes enim actionem ex qua ſequi ſolet, licet non directè, tamen indirectè illum abortum voluiſſe cenſeatur. Adverte etiam olim per Sixtum. V. hunc caſum eum excommunicatione annexa Summo Pontifici fuiſſe reſervatum, adjunctis graviſſimis pœnis; ſed per ſucceſſorem ejus Gregorium XIV. in Bulla, *Sedes Apoſtolica*, dicitur quod quilibet Confeſſor ab ea poſſit abſolvere, modò ſit deputatus ſpecialiter per loci Ordinarium. Unde hanc excommunicationem Papa Epiſcopo reſervat.

Olim Papa hic erat caſus reſervatus: nunc Epiſcopo.

10. Oppreſſio prolis. Duplex ignorantia. Invincibilis.

Vincibilis.

X. Caſus, *eſt oppreſſio prolis.* Additur in quibuſdam Diœceſibus, *etiam ignoranter facta.* Sic enim habet Synodus Namurcenſis. Pro qua re nota, ignorantiam dividi in eam quæ invincibilis eſt, & eam quæ vincibilis dicitur. *Invincibilis* dicitur, quando quis adhibet diligentiam omnem, quam prudentes ſpectata conditione perſonarum, locorum, & aliis circumſtantiis, adhibere ſolent, & hæc facit involuntarium. Alia dicitur *Vincibilis*, quando quis non adhibet diligentiam quam poteſt, & deberet: & hæc licet aliquando minuat rationem peccati, quando non eſt affectata, non tamen tollit totaliter rationem voluntarii. Cenſetur enim indirectè volita, quatenus homo negligit adhibere diligentiam, quam poteſt & debet, & per conſequens effectus etiam eſt indirectè volitus. Nota 1. in actionibus quæ ex natura ſua non ſunt periculoſæ, ſufficere adhibere diligentiam, quæ regulariter ab omnibus adhiberi ſolet, v.g. qui modo conſueto pulſat campanam, non cenſetur reus negligentiæ, ſi illa cadente mors alicujus ſequatur. In actionibus autem quæ ex ſua natura periculum afferunt, non cenſetur quis adhibere ſufficientem diligentiam, niſi pro ratione periculi, perſonarum, locorum, multam & variam adferat circumſpectionem. Sic in caſu noſtro, in eodem lecto ſecum collocare tenerum infantem, opus eſt natura ſua periculum oppreſſionis continens: quia cum dormientes non ſimus Domini actionum noſtrarum, facile fieri poteſt exagitatione brachiorum, pedum, & corporis volutatione, ut infans ſuffocetur, cùm ſibi cavere non poſſit. Item facilè ex lecto decidere poteſt, ſi anguſtus ſit & altus. Hinc in tali caſu, multam diligentiam adhibere opus eſt, & circumſpectionem, ut ſufficientem quis dicatur adhibuiſſe. Debet enim prævidere, num ſoleat agitari, num cubile ſit anguſtum, & alia quæ cauſam ſuffocationis poſſunt præbere. Unde ſecum collocare infantem, niſi omnes iſtæ circumſtantiæ adſint, videtur mortale contra cutam, quam tenentur jure divino & naturali de prolibus Parentes habere. Ex his ergo ſatis intelligitur, rectè in aliquibus Diœceſibus reſervari oppreſſionem etiam ignoranter factam: quia facilè contingit ignorantiam illam eſſe valdè culpabilem, ob multam circumſpectionem adhibendam. Aliàs, ſi conſtat illam oppreſſionem eſſe tantum venialem ob ignorantiam, etiam ſequitur non eſſe reſervatam.

Idem dicendum de Expoſitione prolis.

Porrò hunc caſum videntur incurrere, qui proles ex fornicatione natas in ſylvis, agris, aut locis publicis exponunt: ſi contingat eas à feris, porcis, canibus, aut frigore enecari: quia poterant, & debebant hoc periculum prævidere. Aliud foret, ſi in Hoſpitali puerorum eas deponant, aut tuto loco. Imò Cajet. & Armilla V. ADULTERIUM & Navar. cap. 17. exiſtimant eos in hoc non peccare, quia talia hoſpitalia ad hoc ſunt inſtituta. Tenentur tamen parentes, ſi divites ſint, ſaltem ſecretò expenſas ſolvere, & curare prolem ſuo tempore inſtrui. Quod ſi quæras, *an tales expoſiti infantes habendi ſint pro illegitimis*? Reſp. probabile eſſe quod non, quodque tales poſſint ſe gerere pro legitimis etiam ad ſuſcipiendos ordines ſine diſpenſatione: quia in dubio nemo jure ſuo privandus venit. Fieri autem poteſt, ut puer exponatur propter paupertatem parentum, qui à legitimis ſit conjugibus. Et hæc eſt ſententia multorum, quos refert & ſequitur Suarez, agens de irregularitate illegitimorum.

Cajet. Armilla. Nav.

An expoſiti infantes ſint habendi illegitimi?

Suarez de irregularitate illegit.

Quod autem Joannes Chapeauville inſinuat hunc caſum incurrere nutrices, pueros ſibi commiſſos culpa vel negligentia mortali opprimentes, non eſt certum, & negari poteſt, quamvis alterum caſum quo reſervatur homicidium, poſſint incurrere. Ratio eſt, quia oppreſſio prolis propriè videtur dici quæ à parente fit, hoc eſt, propriæ prolis enecatio ſeu ſuffocatio. Unde in aliquibus Diœceſibus (ut in Namurcenſi) explicationis gratia adjicitur hæc particula: *Oppreſſio prolis à Parentibus facta.*

XI. Caſus, *eſt ſtuprum ſeu violenta Virginis defloratio.* Unde adverte hic ſtuprum non largè ſumi, ſed ſtrictè, ut ſpeciem conſtituit luxuriæ à reliquis diſtinctam. Eſt autem ſic propriè ſtuprum, quando fit violatio virginis, ipſa omnino invita, ita ut dicat ſupra fornicationem, injuriam in puellam, qua per vim integritas corporis ei adimitur. Differt à raptu, quod raptus vim includat, qua puella abripitur à domo ſua vel paterna, & locum poteſt habere in corrupta: ſtuprum autem tantum in integra, poteſtque fieri ſine violatione. Ex his patet non incurrere hunc caſum, ſi virgo conſentit, licet multis blanditiis precibuſque importunè ſollicitata, atque etiam promiſſis allecta. Quod eſt contra id quod tradit Chapeauville, explicans hunc caſum. Ratio eſt, quia non dicitur propriè & ſtrictè deflorata violenta, quando ſolùm preces, aut illecebræ, aut promiſſa interveniunt, quia tunc non eſt ſtrictè loquendo vis, ſive violentia vera.

11. Stuprum ſeu violenta Virginis deflorato.

Aliud foret, si conjunctæ fuerint minæ, aut metus reverentialis: quia fortè urgebat is minaciter, cui ipsa subdita est tanquam Domino, aut Superiori, qui potest graviter nocere; tunc enim moraliter vis censetur. Vide de hac re Lessium de jure & just. l. 2. cap. 10. dub. 1. & 2. ubi etiam docet cum Soto & aliis; cogitationes seu delectationes morosas in virgine, & in adolescente circa virginem, etsi sint peccata mortifera, non habere tamen specialem malitiam mortiferam supra alias delectationes morosas, nisi conjunctæ sint cum voluntate inferendæ violentiæ. Unde juvenes in confessione non tenentur dicere, cogitavi de virgine, dum delectarer in me carnaliter: & sic nec Confessarius tenetur id interrogare. Multominus tenetur puella delectationem passa, aperire quod non sit virgo: quia sic tenetur peccatum præcedens iterum aperire, quod tamen jam clavibus subjecit, hoc verò nimis onerosum foret.

Lessius l. 2. de jure & just. c. 10. dub. 1. & 2.

Q. Ad quid teneatur defloratus?

Incurrere videtur hunc casum ille, qui sponsam de futuro ante matrimonium ad copulam induxit, timore illi incusso per minas, quod nisi consentiret, aliam de facto duceret: quia tunc in jure censetur violentia, ob metum incussum & minas.

Quæres, *ad quid teneatur defloratus*? Resp: si virgo libere consensit, ad nihil tenetur, quia volenti non fit injuria, nec tunc est propriè stuprum. Si vi, fraude, aut falsa promissione sit inducta, tenetur primò ad conjugium, si promisit. Secundò ad reparationem damni ex stupro, quantum æstimabitur arbitrio boni viri. Tertiò ad dotem, si judex ad id eum condemnarit. Vide latius Lessium loco citato.

Lessius loc. cit.

12. Raptus

XII. Casus *est raptus*. Dicitur autem raptus, ablatio qua fœmina violenter, contra suam voluntatem aut illorum sub quorum potestate erat, (v. g. parentum, curatoris, Sponsi.) de uno loco trahitur ad alium, sive ad copulam tantum carnalem, sive etiam ad ducendum in uxorem. Hinc sequitur primò, si puella sive vi, pretio, aut blanditiis inducta, sequitur sollicitantem nescientibus parentibus, non esse propriè raptum. Si tamen vis adhibeatur, licet ipsa non sit invita, sed tantum parentes quibus subest, tunc est verè raptus, & incurritur hic casus. Sequitur secundò, si vim Virgini intulit, sed à loco non abduxit, non est raptus, sed stuprum, ut suprà dixi. Quod est iterum contra tradita a Chapeauville; sed communior sententia & verior distinctio ita tradit. Sequitur tertiò non incurrere illum, qui Virginem quam sibi per verba de futuro desponsavit, per vim abduxit à domo paterna, & rem cum ea habuit, si aliter non poterat eam habere, quia licet peccarit defborando, hoc tamen in jure non vocatur raptus, eo quod ex desponsatione aliquid juris ei competebat, ut notat D. Thomas & Theologi; sed de hac re plura in Tract. de Matrimonio. Hoc solùm advertè, quod per Tridentinum raptor incurrat excommunicationem, sed nulli est reservata.

D. Tho. & Theologi in tract. de Matrimonio Trid.

XIII. Casus *est*. *matrimonium contractum post votum castitatis, aut in gradu prohibito scienter, vel priore uxore adhuc vivente.* Tres autem casus hic reservari censentur, sive tria peccata illicitè contrahentium matrimonium. Primo quidem, si quis contrahat post votum castitatis, idque intelligendum, sive simplex sit, sive solemne, est enim utrobique grave peccatum. Quod si quis post votum simplex castitatis contrahat, valet quidem matrimonium, talis tamen non potest petere debitum, nisi Episcopus dispenset. Deinde mortua uxore, non potest aliam ducere sine dispensatione: quia votum non fuit sublatum per matrimonium, sed solum ejus executio ex aliqua parte impedita, quia tenebatur debitum reddere. Adde quod qui contrahit cum illa persona, quam scit emisisse votum castitatis, etiam peccet mortaliter, quia participat peccato; non tamen privatur jure debitum exigendi.

13. Matrimonium contractum. 1. Post votum Castitatis.

Potrò non incurrit hunc casum, qui contraxit post votum non nubendi, aut post votum ingrediendi Religionem, vel Ordines Sacros suscipiendi. In his enim omnibus licet peccatum intervenial mortale, non est tamen effractio voti castitatis: quia qui vovet Religionem ingredi, aut Ordinem Sacrum, non statim obligat se ad castitatem, aut alia onera talis status. Quod si quis emiserit votum castitatis ante annos pubertatis, & dubitet, an sufficientem habuerit usum rationis quando vovit; in tali casu judicandum esse pro parte voventis multi tenent cum Soto, atque ita talis contrahens non incurreret hunc casum, sequendo opinionem probabilem.

2. In Gradu prohibito sciens.

Secundo hic reservatur, si quis contrahat matrimonium in gradu prohibito scienter: Estque annexa excommunicatio, si contrahatur in gradibus prohibitis consanguinitatis vel affinitatis. Clem. 1. de consang. sed non est reservata. Quinam autem sint gradus prohibiti, explicatur in Tractatu de Matrimonio.

Clem. 1. de Consang.

3. Priore uxore adhuc vivente

Tertio reservatur hic, si quis priore uxore vivente, contrahat, scienter nimirum: quia contrahere ignoranter; etiamsi ignorantia non sit omnino invincibilis, excusat saltem ad hunc effectum, ut quis non subjaceat reservationi. Debet verò conjux, ut tuta conscientia possit contrahere, sibi persuadere mortem conjugis, non ex levibus conjecturis, sed ex certis moraliter argumentis. Qualia esse solent in hac materia. Primum, si afferatur certum nuncium mortis. Secundum, si fama est publica & communis. Tertium, si subsint vehementia omnino indicia, quæ faciant omnino probabilem fidem. Nec erit semper expectandum post septem annos, ut videtur insinuare cap. in præsentia de sponsalibus. Hoc enim postea mitigatum est per Innocentium III. c. finali ubi dicit, *Tamdiu alterutter conjugum expectetur, donec de ejus obitu verisimiliter præsumatur.* Itaque sufficiunt indicia verisimilem fidem faciencia, & in hac re stari potest

Innoc. III. c. finali.

pru-

prudentum arbitrio, Paſtoris, Confeſſarii, & ſimilium.

Idem dicendum de viro aliam uxorem ducente. Nav. c. 22 nu. 74. Soto in 4. ſent. diſt. 37.

Quæres, *cùm hic expreſſa mentio fiat de viro aliam uxorem ducente, an reſervetur peccatum, ſi uxor aliud virum ducat?* Et videri poteſt quod non, quia odia & pœnæ reſtringi debent, nec extendi ultrà ſuum caſum. Probabilius tamen eſt, quod ſic, quia teſte Navarro cap. 22. num. 74. & Soto in 4. d. 37. in correlativis, in quibus eſt eadem ratio, & idem jus ſuadet, exceptionem patitur illa regula juris. Eadem autem imò major ratio ſuadet, idem hic dicendum de uxore, quod de marito; quia longè turpius eſt unam mulierem habere duos viros, quàm unum virum duas mulieres.

14. Inceſtus cum conſanguineis, aut virgine ſacra.

XIV CASUS eſt, *inceſtus cum conſanguineis, aut virgine ſacra, ſeu monali profeſſa.* Inceſtus eſt carnalis commixtio cum conſanguinea vel affine, uſque ad quartum gradum. Ad propriè dictum autem inceſtum requirunt Doctores, ut ſit perfecta & naturalis, hoc eſt, in vaſe debito facta commixtio. Undè per tactus impudicos, aut per effuſionem ſeminis extra vas, aut per nefandam ſeminationem contra naturam, non propriè dicitur inceſtus, ideòque nec hic eſſet reſervatus. Deindè nota, non reſervari hic omnem inceſtum, ſed ſolum illum, qui cum conſanguineis impletur, & id intelligè ad quartum gradum inclusivè. In Diœceſi Namurcenſi reſervatur tantùm cum conſanguineo in primo aut ſecundo gradu, ſed adjicitur reſervatio inceſtus cum affine in primo etiam & ſecundo gradu. Hæc autem oriri etiam poteſt ex fornicaria copula. Undè qui cognoſcit ſororem, aut cognatam germanam illius, quam anteà carnaliter cognoverat, incurrit caſum illic reſervatum. In hac autem Diœceſi cùm expreſsè fiat mentio de conſanguineis, ſtrictè intelligendum eſt; ita ut copula cum affinibus non cenſeatur reſervata. Advertè tamen licet inceſtus cum conſanguinea ſit gravior, quàm inceſtus alicujus cum affine ſua, ſive uxoris ſuæ conſanguinea; tamen hic poſterior inceſtus peculiarem habet effectum à jure. *Primò*, quod impediat petitionem debiti. *Secundò*, quod non poſſit ducere aliam ſine diſpenſatione, quia eſt impedimentum non quidem dirimens, ſed tamen impediens contrahendum Matrimonium, ut habetur cap. de eo qui cognovit conſanguineam uxoris. Verum cùm hæc pœna paſſim ignoretur ab occultis iſtis inceſtuoſis; & cùm ad pœnitentiæ forum ſacramentale accedunt, frequenter non ſit ſpes fructus ſi moneantur de non petendo debito, expedit plerumque eos in bona fide reliquere, cum per ignorantiam poſſint excuſari.

Cum Moniali ſi intra ſepta eſt caſus Papæ reſervatus.

Reſervatur hic etiam inceſtus cum Sanctimonialibus, quod intellige cum Sanctimoniali in ordine aliquo approbato profeſſa, quod peccatum dicitur inceſtus reductivè. Nota verò, quod ſi admittatur hic inceſtus intra ſepta Monaſterii, incurri excommunicationem Papæ reſervatam, per Gregorium XIII. anno 1575. Idibus Julii.

XV CASUS. *Concubitus contra naturam, ju-* Gregor. *xta Sodomia, & ejus generis graviora crimina.* Pro XIII. explicatione certum eſt, primò non incurrere illum, qui procurat pollutionem, etiam opera alterius adhibita per tactus, vel alio modo. Licet enim gravius peccet participando in alterius peccato, non eſt tamen propriè concubitus contra naturam. Certum eſt ſecundò, incurri hunc caſum, ſi duo ejuſdem ſexus commiſcentur, maſculus cum maſculo, aut fœmina cum fœmina. Sed quæritur, an ſi mulier à viro præpoſterè cognoſcatur, puta, uxor à marito extrà vas debitum, incurratur hic caſus? Reſpondet Chapeauville, non incurri, quia licet ſit, inquit concubitus contra naturam, non eſt tamen propriè loquendo Sodomia, aut peccatum illa gravius. Requirit enim ipſe ad Sodomiam, ut non ſit diverſitas ſexus, ut ſcilicet vir cum viro, vel mulier cum muliere camaliter commiſceatur. Hæc reſponſio probabilis eſt, & fundata in D. Thoma: atque certum eſt majorem deformitatem contineri tatione circumſtantiæ ejuſdem ſexus, quàm quandò ſit carnalis commixtio contra naturam cum diverſo ſexu. Paſſim tamen Doctores hunc concubitum contra naturam præpoſterè, & extra vas cum diverſo ſexu, vocant etiam Sodomiam, ut videre eſt apud Cajet. in Summula v. SODOMIA, Sa v. LUXURIA, Leſſium lib. 4. cap. 3. dub. 1. Covar. de Sponſa, p. 2. cap. 7. Undè exiſtimarent hi, ſic peccando incurri hunc caſum. Certum eſt tertiò hunc caſum per peccatum beſtialitatis, ad quod reducitur concubitus cum dæmone in aſſumpto corpore, ſivè ſit ſuccubus, ſivè incubus; ſivè corpus humanum aſſumat ſivè belluinum: & hic præter deformitatem luxuriæ, involvitur ſcelus ſocietatis cum dæmone. Certum eſt quartò, non incurri hunc caſum, ſi non ſit tanta perverſio in modo concubitus, ut impediatur conceptus. Licet enim aliqui modi monſtruoſi reperiantur, etiam inter conjuges; tamen ſi ſemen in matrice effundatur, non dicitur concubitus contra, ſed præter naturam. Imò inter conjuges non cenſentur peccata mortalia. De pœnis Clerici Sodomitæ vide Navar. c. 27. num. 249. & Chapeauville hic.

Cajet. Sa. Leſſ. l. 4. de jure c. 3 d. 10. 13. Covar.

Nav. c. 27 nu 249.

16. Falſitas circa monetam.

XVI CASUS, *eſt falſitas circa monetam.* Intelligitur verò falſitas hic immutatio veritatis cum dolo & detrimento alicujus, & ita, ut quis falſarius monetæ dicatur, requiritur ut immutet ejus ſubſtantiam, vel pondus, vel formam, idque doloſè, & in damnum vergat alicujus. V. de Sylveſt. v. FALSARIUS. Eſt ergò hoc peccatum injuriоſum vergens in injuriam Principis, proximi, ac Reipublicæ, ideoque meritò reſervatur. Peccant, & incurrunt hunc caſum, qui ob lucrum unum metallum ſubſtituunt pro alio, aut juſtum metallo pondus ſubtrahunt, aut monetam ſine juſſu Principis cudunt, & charactere Principis ſignant, licet illa in pondere & ſubſtantia juſta ſit. Character enim talis eſt falſus, ſignificans authoritate Principis monetam cuſam, quod falſum eſt: Illi tamen, qui monetas

eruberatis ponderis circumcidunt, ſi juſtum pondus relinquant, non incurrunt, quia non cenſentur materiam, aut pondus, aut formam falſificare. Peccant tamen, quia uſurpant ſibi privatâ auctoritate, quod ad Principem, aut monetarium ejus ſpectat, ideoque illi ad reſtitutionem poſſent obligari, ſi res eſſet notabilis. Principes verò, qui reprobant monetam juſtam, ut vili pretio emant, & indè aliam fabricent, licèt hunc caſum propriè non incurrant, tamen quandoque à fraude non excuſantur. Vide de hac re Chapeauville hic.

Non incurrunt etiam hunc caſum, qui recipientes falſam monetam pro vera, illam poſtea ſcientes obtrudunt aliis. Cùm enim nihil mutent de veritate materiæ, aut formæ, aut ponderis, non dicuntur falſarii, quamvis peccent mortaliter, ſi ſumma ſit notabilis. Nec excuſantur, quod talem acceperint; quia illorum error alteri nocere non debet.

17 Falſitas circà literas Prælati alicujus.

XVII. CASUS, *eſt falſitas circà literas alicujus Prælati inferioris Papæ.* Dicitur verò crimen falſitatis circa eas committere, qui doloſè veritatem illarum immutat: quod poteſt fieri vel addendo, vel demendo, vel novas effingendo, vel ſigillum adulterando. Prælatus autem hic dicitur, Epiſcopus, Archidiaconus, Decanus Cathedralis Eccleſiæ, & ſimiles, qui habent jurisdictionem coercendi per pœnas & cenſuras. Incurrunt ergò hunc caſum, qui literas Epiſcopi, aut Archidiaconi, commendatitias aut dimiſſoriales, aut proviſionales beneficii, vel ſimiles alicui ex dictis vitiant cum dolo, aut ſigillum effingunt, ſi illis literis utantur. Si enim non utantur, ſed caveant, ne cuiquam damnum, aut intereſſe per illas inferatur, non cenſetur falſitas ſtrictè accepta committi, quæ ſolet deſcribi à Canoniſtis, *immutatio veritatis cum dolo & injuria termi.* Non incurrunt verò hunc caſum, qui obtinent literas falſas narrando, aut alieno nomine quod falsò ſibi imponunt, licet eas impetrent ab Epiſcopo, vel aliis Prælatis, quia etſi hi mendaces ſint, & falſi, non tamen dicuntur *falſarii literarum Epiſcopi vel Prælati.* Item ſi quis utatur literis falſis, ſi eas ipſe non falsârit, non incurrit. Item qui punctum inordinatè appoſitum radit, aut dictionem malè ſcriptam compit, aut punctum omiſſum pro clantate majori adjicit, non cenſetur falſare. Si tamen immutetur ſenſus verborum, quod fieri poteſt etiam ſolius puncti adjectione vel detractione, incurritur falſitas. Addit Chapeauville, illum qui mutat in literis, quæ priùs erant in ſua ſupplicatione expreſſa, ſi per errorem notarii, vel ſcriptoris fuerint variata, non incurrere falſitatem. Exemplum ponit. Porrexit aliquis ſupplicationem Epiſcopo, quâ petebat ſibi dari licentiam excipiendi confeſſiones, & ſimul abſolvendi à reſervatis in foro conſcientiæ: utrumque concedit Epiſcopus; non exprimitur autem in literis ejus, niſi facultas excipiendi confeſſiones; non incurrit hunc caſum, ſi adſcribat, *& abſolvendi à reſervatis*, prout continebatur in ſua ſupplicatione ſignata. Hoc verum videtur in foro conſcientiæ, nam in foro exteriori eſſet præſumptio contra. Cæterum ideò reſervatur falſitas circa literas Prælatorum inferiorum; quia circa literas Papæ, eſt excommunicatio in Bulla Cœnæ. Quod verò iterum hic comprehendi vult conſulentes & mandantes Jo. Chapeauville, non aſſentior; quia hoc non exprimit caſus. Undè cùm in Bulla Cœnæ etiam illi non exprimantur, docent Theologi eos etiam non comprehendi, qui conſulunt, aut mandant falſitatem fieri circà literas Papæ, ſtrictè enim ſunt intelligenda ſtatuta pœnalia. Non nego tamen eos incurrere excommunicationem, ſed nemini reſervatam, propter cap. *Ad falſariorum*, de crimine falſi, ubi expreſsè dicitur: *Qui per ſe, vel per alium, verum falſificatis exercent.*

Circà literas Papæ eſt caſus in Bulla Cœnæ.

18. Periurium ſolemne.

XVIII. CASUS, *eſt perjurium ſolemne.* Perjurium dicitur juramentum carens veritate, quandò Deus invocatur, ut teſtis falſitatis. Eſt verò ſolemne, quod fit ſuper re ſacra, ut tactis Evangeliis, aut cruce, aut tangendo pectus Sacerdotale. Item quod fit coram Notario, aut teſtibus digitorum elevatione. Hinc incurrit hunc caſum, qui in judicio in teſtem vocatus, ſolemni juramento affirmat eſſe verum, quod ſcit, aut dubitat eſſe falſum. Item qui a Judice ſervato juris ordine interrogatus medio ſolemni juramento, non fatetur verum, vel non accuſat quos tenetur, & ſimilia. Hinc patet, valdè frequenter hunc caſum incurri, propter tribunalia noſtra, in quibus frequentiſſimè juramentum ſolemne defertur, & à parum timoratis litigantibus violatur. Sic ordinariè juramentum calumniæ defertur, quod juxtà gloſſam in cap. 2. de Juram. calumniæ, hæc quinque continet. *Primò*, putaret, ſe bonam cauſam tueri. *Secundò*, ſe interrogatum à Judice, veritatem non celaturum. *Tertiò*, Scienter falſas probationes ſe non adhibiturum. *Quartò*, ſe litem fraudulenter non protogaturum. *Quintò*, ſe nihil promiſiſſe, vel deinceps promiſſurum alicui cauſa litis, niſi quod jura permittunt. Hæc gloſſa. Si hæc ſunt omnia ſemper juranda, dum defertur calumniæ juramentum, quotuſquiſque eſt litigantium, qui omnia iſta præſtet? paſſim levant digitos coram Notariis, ſolemne juramentum calumniæ exigentibus ante litem, & neſciunt an verum jurent, an falſum; nec ſatis intelligunt ſuum juramentum. Videndum tamen juxta praxim tribunalium, an omnia dicta requirant, an ſolum eorum aliqua, in eo juramento quod liti præſequirunt, aut in lite exigunt.

Gloſſa in c. 1. de juram. calumniæ.

Quæro hic, *an omne perjurium ſolemne reſervatur, an etiam promiſſorium?* Reſpondet Chapeauville, omne perjurium reſervari. Hic tamen gravis difficultas moveri poteſt, quia ſic adulterium etiam eſſet reſervatum; quod eſt contra communem praxim, & ſenſum Paſtorum hujus Diœceſis. Adulter tamen violat juramentum promiſſorium,

Digitized by Google

ſium, quo ſolemniter promiſit fidelitatem conjugi, idque cum juramento ſuper baptiſmo ſuo, & ſuper jure quod prætendit ad regnum Dei & cæt. prout habet forma ſolemnis in parochiali noſtro præſcripta. Atque propriè etiam perjurus dicitur, qui fidem juramento firmatam violat. Hæc difficultas quomodò ſolvatur, non video, niſi dicendo non reſervari omne perjurium, ſed ſolum juramentum illud, cui deeſt veritas præſens, ſine quo quis ſciens & volens falſum confirmat: atque conjux dum jurat, teſtem adhibet Deum, quod animum habeat integrè ſervandi fidelitatem; ideòque ſciens & volens non confirmat falſum, nec illi deeſt veritas præſens. Deeſt tamen veritas futura, ſi poſtea fidem violat, ad quam ſervandam ſe obligavit. Inter perjuria autem primum locum obtinet illud, quo quis ſciens & volens falſum confirmat: Deindè illud, quo quis fidem juramento firmatam frangit. Ideoque poſſet primum reſervari tanquam gravius, & non ſecundum. De qua re tamen non determino, ſed lubens audirem de hac difficultate, quam de adulterio moveo, RR. DD. Examinato res Synodales, quorum hæc eſt clarius explicare & interpretari.

19. Blaſphemia publica & enormis in Deum & Sanctos. Panorm. *Quæ ſit enormis blaſphemia.*

XIX CASUS, *eſt blaſphemia publica & enormis in Deum & Sanctos.* Publica dicitur blaſphemia, quæ fit coram tota vel majori parte vicinæ, vel congregationis alicujus, ſive Collegii, in quo ſaltem decem reperiantur, inquit Panormitanus, & alii ex eo. Enormis verò blaſphemia quæ fit dicenda, non ita præcisè definiri poteſt, ſed arbitrio prudentis viri debet judicari, conſiderato objecto blaſphemiæ modoque blaſphemandi, quia quandoque fit cum effectu deteſtandi vel irridendi Deum vel Sanctos; aliquandò autem ex paſſione aliqua ſubitanea, vel conſuetudine prava. Conſideran etiam debet qualitas perſonæ, loci, temporis, occaſionis, & reliquæ circumſtantiæ. Hunc caſum incurreret, qui coram multis beatam Virginem, Meretricem vocaret, aut Apoſtolos vel Prophetas, impoſtores, mendaces, magos vocaret. Dicunt & aliqui talem blaſphemiam hic fore reſervatam, etiamſi ſolum quis coràm duobus hoc protulerit, ſi illi pluribus manifeſtarint, ita ut fit fama publica. Sed de hoc videtur mihi poſſe dubium eſſe, quia cum reſervatur publica blaſphemia, videtur intelligi, quæ ex modo, aut loco & tempore, quo fit, multitudini alicui, ſive majori parti alicujus vicinæ manifeſta exiſtit. Strictè enim accipi debet in pœnalibus vox hæc PUBLICA vel PUBLICUM, pro eo, quod ex ſe eſt manifeſtum, & publicè fit. Nam blaſphemia intra domeſticos parietes coràm duobus facta, ac poſtea per eorum relationem ventilata, non tam publica dicitur, quàm publicata, cum fuerit ex ſe privatim commiſſa.

20. Inſignis contumelia illata Euchariſtiæ aut reliquiis Sanctorum. Inſignis contumelia quæ?

XX CASUS, *eſt inſignis contumelia Euchariſtiæ illata, aut Sanctorum Reliquiis.* Contumelia dicitur, cum verbis aut ſignis æquipollentibus læditur & violatur coram perſona aliqua honor aut reverentia illi debita. Inſignis autem contumelia dicetur, quæ atrociter notabilis eſt, exterioribus etiam ſignis oſtentata. Ad quod judicandum, multum attendendenda eſt intentio contumeliam proferentis, aut inferentis, qualitas perſonæ, loci, temporis occaſionis, & cæteræ circumſtantiæ. Unde fit, ut Catholicus bene affectus Euchariſtiæ & reliquiis, ratò cenſeri debeat incurrere hunc caſum, Hæreticus autem frequentiſſimè. Hinc Confeſſarius hæretici pœnitentis, non debet eſſe contentus generali confeſſione, quod in hæreſi aut errore tot annis aut mentibus perſeveraſſe ſe fateatur; ſed etiam interroget, an in Chriſtum aut Virginem, aut Sanctos non fuerit gravibus contumeliis injurioſus. Item, an in Sacramenta, aut imagines, aut reliquias graves & reales, aut verbales injurias non profuderit, tractando indigne, uridendo impiè, confringendo &c. Item de calumniis in Pontificem, in Epiſcopos, & Sacerdotes &c. Hæc enim ſunt eorum peccata.

Hunc tamen etiam caſum incurrere poſſunt Catholici, non ex intellectus errore, ſed ex impia paſſione. Sic milites quandoque noſtri nec ſacris templis parcunt, nec ſacris vaſis, quibus Euchariſtia, aut reliquiæ continentur, ſed ea aſportant, indignè reliquias & Euchariſtiam tractantes.

21. Abuſus Euchariſtiæ, aut Reliquiarum, aut Scripturæ S. ad exercitium magicum. Cap. quicunq; Sacerdotum 26. q. 6.

XXI CASUS, *eſt abuſus Euchariſtiæ aut reliquiarum, vel etiam S. Scripturæ ad exercitium artium magicarum.* Hic caſus latis eſt apertus, nec apud magos aut lagos infrequens, quibus perſuader dæmon perniciocſiſſimè, has res ſacras valere ad hæc nefanda. Undè quoſdam inducit ad comminuendam & pulveriſandam Euchariſtiam cum nefandis aliquibus verbis, ut ſerviat ad philtra & pocula amatoria. Imò olim Sacerdotes quidam ſumptâ veſte lugubri, Miſſas mortuorum celebrabant pro viventibus, ut illi pro quibus ſacrificium offerebant, citius morerentur, ut inſinuatur cap. quicumque Sacerdotum 26. q. 6. Similes hunc caſum incurrerent, ſed & degradationi obnoxii forent.

22. Omnes caſus occulti ſedi Apoſtolicæ reſervati. Trid. ſeſſ. 24. de refor. c. 6.

XXII CASUS, *comprehendit omnes caſus occultos, Sedi Apoſtolicæ reſervatos, cum conjunctis ex illis provenientibus.* Fundatur hic caſus in verbis Concilii Trid. quæ ſic habent: *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus (excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum) diſpenſare, & in quibuſcumque caſibus occultis, etiam Apoſtolicæ Sedi reſervatis, delinquentes quoſcunque ſubditos, in diœceſi ſua, per ſeipſos, aut vicarium ad id ſpecialiter deputandum, in foro conſcientiæ gratis abſolvere. Idem & in hæreſis crimine, in eodem foro conſcientiæ, eis tantum, & non eorum vicariis ſit permiſſum.*

Incurrunt ergò hunc caſum illi, qui incidunt in peccata Sedi Apoſtolicæ reſervata, ſi ſint occulta; ut ferè ſunt Simoniæ, Eccleſiarum effractiones, & earundem ſpoliationes, falſificationes litterarum Apoſtolicarum, & ſimilia; quia talia ju-

Digitized by Google

risdictioni Episcoporum, & deputatorum ad hoc specialiter per ipsos, permittuntur per Conc. Tridentinum supra.

Trid. v. supra

APPENDIX.

DE USURPANTIBUS BONA ECCLESIASTICA.

Inter Casus reservatos etiàm referri possunt usurpantes bona Ecclesiastica.

INter casus reservatos etiam annumerari potest is, quem habet Synodus nostra Leodiensis tit. 4. c. 10 his verbis: *Pastores singulis diebus Dominicis excommunicatos denuntient eos, qui usurpant jurisdictionem Ecclesiasticam, aut convertunt in proprios usus, decimas, bona, census, aut jura Ecclesiarum, beneficiorum, aut officiorum Ecclesiasticorum, piorumvè locorum, & qui impediunt ne ab iis, ad quos pertinent, percipiantur, nec non eos qui impediunt visitationem Ecclesiarum, piorumque locorum, & citationes, mandata, aut sententias judicum Ecclesiasticorum executioni mandari: prout omnes & singulos prædictos excommunicamus, & excommunicatos declaramus.* Quæ omnia conformia sunt illis, quæ habet Trid. Ex quibus capitulis, hæc verba desumpta sunt. Vide Textum ibi. Conformia etiam sunt hæc illis, quæ habet Bulla Cœnæ in excommunicatione 17. quæ fertur contra usurpantes jurisdictionem, aut fructus ad personas Ecclesiasticas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes, veleos quavis occasione vel causa sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia, sequestrantes. Idem Decretum pro bonis Ecclesiasticis habet Namurcensis Synodus tit. 11. cap. 12.

Trid. sess. 25. c. 12. & sess. 22. cap. 11.

An excommunicati qui furantur decimas vel alia bona Ecclesiastica?

Quæstio verò quotidiana est inter Pastores, *an vi hujus decreti excommunicationem incurrant, qui furantur Decimas, aut alia bona Ecclesiastica dum furripiunt?* Respondeo negativè, quia talis Censura videtur lata contra eos, qui proventus Ecclesiasticos quasi ad se pertinerent, usurpant, & non tanquam bona aliena rapiunt. Insinuat hoc vox, *usurpare*, tunc enim dicitur aliquis usurpare proventus, quandò veluti potestate dominandi, & quasi proprio jure utens illos occupat. Ita interpretantur Cajet. Navar. Suarez, & plerique recentiores Theologi Bullam Cœnæ explicantes. Atque etiam de illis agere Tridentinum sess. 22. c. 11. ex ejus verbis bene ponderatis invenietur. Cum ergò hæc verba Decreti Sinodalis ex illo capite sint desumpta, non aliud videatur intendere, quam quod in Tridentino est expressum. Undè nisi aliundè constet tales fures incurrere excommunicationem, ex vi hujus Decreti non liquet. Antiquitus audio solitos fuisse aliquos Pastores, falsos decimatores & decimatrices diebus dominicis excommunicare, sed ex vi cujus Decreti mihi non constat. Sicut id, quod habetur in Parochiali fol. 206. de Eucharistiæ Sacramento, non video quo fundamento pronuncietur, aut pronunciari curetur. Ibi enim in exhortatione Paschatis sic habet: *S'il y a icy aucuns qui soyent interdits ou excommuniez, tels que sont tous heretiques, symoniaques, Larrons, larronesses, usuriers, forciers, concubinaires, concubines, fornicateurs, adulteres publiques & notoires; ie leurs enioinct de se retirer d'icy.* Ubi videtur insinuari omnes fures, fornicatores, concubinarios, adulteros, esse excommunicatos, de quorum tamen singulis non constat. Aut certè satis improprié hoc positum fuerit, si solum velit his verbis insinuari, talibus peccatoribus interdictam esse Eucharistiam, sivè excommunicati sint, sivè non, nisi satisfecerint per pœnitentiam, aut etiam scandalum reparârint, marimè si sint notorii; & ita ante id habentur quasi excommunicati, & quasi interdicti, hoc est, a Divinis arcendi.

Quæstio secunda esse potest: *An hæredes usurpantium bona, reditus, proventus, aut decimas Ecclesiarum, cùm sciant, vel scire debeant, se detinere res prædictas usurpatas contra Ecclesiasticas personas, comprehendantur excommunicatione supra dicta?* Resp. affirmativè. Ratio est, quia ex eo, quod semel fuerunt usurpatæ, transeunt cum eodem vitio ad quoscumque alios; parum autem refert esse primos vel secundos usurpatores. Confirmatur ex Cap. indigni 12. q 2. in quo æquiparantur usurpatores rerum Ecclesiasticarum, & detentores illarum ab aliis usurpatarum, & ex Clem. I. de Decim. in qua excommunicantur non solum usurpatores decimarum, sed etiam qui detinent easdem usurpatas ab aliis, ut docent Doctores ibid.

Cap. Indigni 12. q 2 Clem. I. de decimis.

INCENDIARIUS.

2. Crimen Incendiarii.

IN multis Diœcesibus reservatur crimen istud. Undè in Namurcensi & aliis, sic exprimitur: *Incendium voluntate deliberatâ procuratum.* Aliqui putant jure communi Episcopis esse reservatum; sed cùm in nostra Diœcesi illius non fiat mentio, non puto reservari. Tamen reperio in parochiali nostro inter Casus Papales, *crimen incendiarii gestiquam est denunciatus:* quod habetur ex Capitul. *Tria nos.* de sent. excommunicat. Ubi decernitur, quod incendiarius postquam fuerit per Episcopum excommunicatus, aut denunciatus, à solo Papa absolvitur; de jure tamen excommunicatus non est, & licet soleant Episcopi illum casum reservare, non tamen tenentur. Qui verò effringit & simul spoliat locum pium, incurrit excommunicationem, & cum fuerit denunciatus, non absolvitur nisi à Papa, Capitul. *Conquestus*, de sent. excomm. Cæterum, ubi hic casus incendii reservatur, non intelligitur de eo, qui incendit auctoritate Potentis indicere bellum. Nec qui ex negligentia etiam crassa, licet teneatur ad interesse. Atque qui mandat, consulit, auxiliatur ad incendendam domum, segetem, sylvam alterius, incurrit, quandò sic exprimitur, *Incendium voluntate deliberatâ procuratum.*

Incendium crimen publicum Papæ reservatum. Cap. Tria nos de sent. excommunicat. C. Conquestus de sent. excom.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO POSTREMA.

Q. ult. Quid agendum confeſſario cui habet pœnitentem quem à caſu reſervato non poſſit abſolvere.

Quid agendum, cum Confeſſarius habet pœnitentem cum caſu reſervato, à quo non poteſt abſolvere? R. remittendum eum ad habentem auctoritatem, niſi forte occurrat neceſſitas implendi præcepti & communicandi, ut poteſt fieri in Paſchate, ſi etiam ſimul contingat non poſſe prætermitti communionem ſine ſcandalo aut infamia pœnitentis. Tunc enim poſſe abſolvi, tenet communior opinio, ſi ſuperior adire non poſſit: manet tamen obligatus ad ſe præſentandum ſuperiori, ſive alteri poteſtatem habenti, ut directè abſolvatur; nam indirectè tantum à reſervatis fuit abſolutus. Idem dicendum de excommunicatione reſervata. In caſu enim neceſſitatis, in quo vitari debet ſcandalum vel infamia, cum hoc ſit juris cujuſdam naturalis, præponderat præceptis ex humano jure ſive conſtitutione Eccleſiaſtica vim habentibus: & cenſetur rationabilis cauſa, ut abſolvi poſſit ab omnibus, à non reſervatis quidem directè, à reſervatis indirectè. Ita paſſim Theologi.

Quæres. *An etiam abſolutus in articulo mortis à reſervatis, teneatur iterum petere abſolutionem ab habente poteſtatem, quando periculum illud evaſit?* R. quantum ad caſum reſervatum non tenetur, quia directè & ſimpliciter tunc ab illo poteſt abſolvi. Quantum ad excommunicationem, non debet abſolvi niſi ſub conditione; ut pareat mandato ſuperioris; maximè ſi excommunicatio ſit ab homine: imò & tunc debet injuriam paſſo ſatisfacere, aut de ſatisfaciendo cautionem præſtare, ſi ad alicujus inſtantiam, cui injuriam fecit, excommunicatus fuit. Vide Parochiale Leodienſe. Pag. 89.

DD. Theologi communiter.

CANDELABRI MYSTICI TRACTATUS VI.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ VNCTIONIS.

PROOEMIUM.

V. Lampas Myſtica ex Extrema Unctio.

QUinta Lampas ſive Lucerna Myſtica noſtri Candelabri, eſt Sacramentum Extremæ Unctionis. Quæ quidem Lampas luminoſa eſt, per oleum à Sacrorum Hierarcha conſecratum; & potens eſt, præbere nobis lucem in extremo diſcrimine, in exitu caliginoſo hujus vitæ. Tunc enim opem lucidam præbet contra multiplices tenebras, à timore mortis, judicii, inferni exortas, quæ multipliciter animum tunc involvunt: Protegit etiam ſuo fulgore à caligine proveniente tunc à Satanæ Principis tenebrarum doloſa immiſſione. Affulget opportunè eo tempore hæc lucerna ardens, ut non opprimatur animus angore aut deſperatione; ſed noverit reſpirare in miſerationum Domini nunquam intermoritura luce: quæ nunquam deſerit hominem, niſi deſeratur ab ipſo, ſed parata eſt omni tempore nos ſuſcipere, & pedes noſtros è tenebris in viam æternitatis dirigere. Eſt igitur myſtica hæc lampas noſtra, ſicut lampas illa Iſraelis, quæ exeuntibus de tenebroſa Ægypto in nocte Dux fuit; nec deſeruit donec in terram promiſſionis introduxit.

Exo. 13. & 14. 22. 24.

Itaque de illius inſtitutione, materia, forma, miniſtro, ſuſcipiente, effectu, & ritu in hoc Tractatu diſſerendum nobis eſt.

Tractanda de hoc Sacramento.

LECTIO

Digitized by Google

LECTIO I.

DE INSTITUTIONE EXTREMÆ UNCTIONIS.

1. *Explicat cur Extrema Unctio vocetur.*
2. *Docet, quando à Chriſto ſit inſtituta.*

PROPOSITIO. I.

Definitio Extremæ-Unctionis. ***Extrema Unctio eſt Sacramentum per unctionem olei ab Epiſcopo benedicti & orationem Sacerdotis, ut ægris applicetur ad ſalutem animæ vel etiam corporis, à Chriſto inſtitutum.***

1. *Dicitur hoc Sacramentum Extrema Unctio. Chriſtianus in tribus Sacramentis ungitur.*

RECTÈ huic Sacramento nomen Extremæ-Unctionis competit, tum quia ſolet dari his qui in extremis, ſive in periculo mortis aguot : tum quia inter varias unctiones, quibus ungitur Chriſtianus, ex inſtituto Chriſti vel Eccleſiæ, hæc poſtrema eſt. Chriſtianus qui à Chriſto dicitur unctus (non ſolùm quia regiæ dignitatis ejus conſors eſſe debet, ſed etiam quia luctator ſit contra diabolum) in tribus Sacramentis Unctionem recipit, in Baptiſmo per Chriſma in vertice, & per Oleum Sacrum in ſcapulis & pectore, in Confirmatione in fronte, in hoc Sacramento in quinque ſenſuum organis. Nempè in Baptiſmo initiatur ad luctam contra hoſtes ſalutis: in Confirmatione ampliori fortitudine roboratur, ut publicè non vereatur contra fidei hoſtes decertare in hoc Sacramento, ad ultimam & graviſſimam luctam præparatur, impendente jam coronâ.

Figura hujus Unctionis. 1. Reg. 16. 13. 2. Reg. 2. 7.

Hujus triplicis Unctionis, quidam figuram præceſſiſſe dicunt in perſona David, quem etiam tertiò unctum legimus. 1. in domo Patris ſui, Samuele ad eum miſſo ante mortem Saul. Et per illam deſignari poteſt Unctio Baptiſmi, per quam initiamur ad regnum. 2. Unctus eſt in Hebrone, ut regnaret ſuper domum Juda, & poſt illam unctionem variis fuit probatus & agitatus adverſis, variiſque cum hoſtibus, bellis colluctatus. Per hanc unctionem, ſignificari poteſt illa quæ datur in Confirmatione, ad bellandum toto vitæ noſtræ tempore, quod non eſt niſi militia ſuper terram, unde & per illam ſpecialiter tunc datur virtus Spiritus Sancti. 3. Unctus fuit, 2. Reg. 5. 3 ut regnaret ſuper totum Iſrael, & paulò poſt cœpit regnare in pace, ſubſtratis inimicis. Et hæc deſignare poteſt Unctionem extremam, quâ devictis hoſtibus, pertingimus ad regnum æternæ pacis. Quod ergo Deus de David dicit : *Invenì David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum, manus enim mea auxiliabitur ei, nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei*, hoc etiam de ſingulis Chriſtianis veritatem poteſt habere. Hi enim ſunt Pſ. 88. 21. ſervi Dei, ſpecialiter ad ejus obſequium deſtinati, hi ſunt ſacratiſſimo oleo ab eo uncti multoties, ut fortiter bellent & luctentur contra hoſtes. Et propter hanc Unctionem ſpecialiter eis adeſt manus Domini protegens, & brachium ejus confortans : ut fatuus filius ille iniquitatis, cujus ſuperbia & iniquitas mater eſt, qui etiam noonniſi iniquitatem reſpirat, & odium irreconciliabile in hominem Chriſtianum gerit, non poſſit ei nocere, aut prævalere. nec eum à jure & poſſeſſione regni æterni deturbare. Et hujus Unctionis vis maximè eluceſcit in extremo prælio, quod fortiſſimum eſt & acerrimum : in quo virtute poſtremæ Unctionis ſit ſuperior omnibus hoſtibus: ita ut poſſit dicere cum Apoſtolo : *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi, in reliquo mihi repoſita eſt corona juſtitiæ.* Imò cum Davide poteſt dicere, inſtante illo prælio : *Dominus qui eripuit me de ore leonis, & unxit me unctione miſericordiæ ſuæ, ipſe me eripiet de manibus inimicorum meorum.* 2. Tim. 4. 7.

Iterum, Unctionis ſacræ, quâ unguntur Chriſtiani, in Bethel typus olim videtur præceſſiſſe. Etenim Jacob in Bethel lapides ungit oleo, ut domum ædificet Deo : quod & ad ejus imitationem Eccleſia facit, dum ſacram domum Dei erigit. Sic nimirum Chriſtus, ad quem tanquam lapides vivi accedimus, ut coædificemur, non vult lapides ullos ingredi ſtructuram templi æterni, antequam ſæpius jam oleo ſacro ſint peruncti. Ergo cum te elegerit, ô Chriſtiane, ut lapidem vivum, vult priùs, ut *tranſionibus & preſſuris expolitus ſis*, & ſacra Unctione perfuſus, antequam inter illos lapides recenſearis, qui *per manus artificis diſponuntur permanſuri ſacris ædificiis.* Ideò te tali ſtructuræ aptans & dignum efficiens, ungit in principio vitæ, & in fine, ut per primam unctionem ingrediaris, fiaſque de ædificio Eccleſiæ militantis, quæ eſt domus Dei hic ab illo conſtructa: & per poſtremam egrediaris, fiaſque de ædificio Eccleſiæ triumphantis, quæ eſt domus æternum permanſura. Gen. 28. 18.

Cur dicatur Extremum Sacramentum. Uſu etiam Fidelium hæc unctio ſolet vocari, EXTREMUM SACRAMENTUM, quia ſcilicet ultis Eccleſiæ modò habet, quod extremo loco poſit omnia Sacramenta detur. Hoc verò non ſemper fuit in uſu : nam veteres primò ungebant ægros ſacra Unctione, deinde reficiebant ſacro Chriſti Corpore. Unde in vita S. Gulielmi Archiepiſcopi Bituricenſis apud Surium tom. 1. ſic legimus: *Unctionis Sacramentum humiliter ac devote ſuſcepit, eo percepto Sanctam Euchariſtiam ſibi porrigi inſtantiſſime poſtulavit, ut tanto itineris Duce munitus poſſet ſecurius hoſtium cuneos penetrare.* Vixit autem ipſe tempore Innocentii II. In vita quoque S. Malachiæ a S. Bernardo ſcripta habetur, quod Euchariſtiæ Viaticum poſt Extremam-Unctionem acceperit. Præter hæc duo teſtimonia, quæ demonſtrant ordinem inter extremam-Unctionem & Euchariſtiam, poſſunt adferri alia duo, quæ docent viaticum fuiſſe poſtremum, quamvis non fiat mentio Unctionis extremæ. In vita S. Ambroſii, quam ſcripſit Paulinus, habetur viati- Sur. to. 1. in vita S. Guilielmi Archiep. Bituricenſ. 10. Jan. S. Bern. in vita S. Malach. Paulin. in vita S. Ambroſ:

Digitized by Google

viaticum datum fuiſſe S. Ambr. morte jam imminente; ità ut ſumpto viatico ſtatim ſpiritum emiſerit. Idem omninò ſcribit Simon Metaphraſtes de S. Joanne Chryſoſtomo, in vita ipſius. Itaque perſpicuum eſt, apud veteres ultimum ſacramentum fuiſſe viaticum Corporis Domini.

Metaph. S. Chryſ.

Nos hoc tempore primùm ægrotos munimus ſacro viatico, deindè poſt aliquot dies morbo creſcente inunguimus oleo ſancto. Uterque ritus habet ſuas rationes. Veteres conſiderabant, olei ſancti Venerabile ſacramentum inſtitutum fuiſſe, tum ad bonam valetudinem recuperandam, tum ad peccata, ſivè peccatorum reliquias expellendas. Veteres igitur ſperantes in hac ſacra Unctione ſanitatem corporalem ægroti, non differebant hoc ſacramentum ad illud tempus, in quo deſperata eſt ſalus medicorum judicio; ſed cum morbus incipiebat a Medicis periculoſus judicari, continuò ad ſacram Unctionem confugiebant. Id quod etiam poteſt intelligi ex eo, quod S. Bernardus ſcribit in vita S. Malachiæ Epiſcopi, eundem ſanctum virum ægrotantem, ex cubiculo quod erat in parte ſuperiore domus, deſcendiſſe pedibus ſuis ad Eccleſiam, ut unctionem extremam primùm, deindè viaticum acciperet; & his ſacramentis ſuſceptis, rediſſe etiam pedibus ſuis, nullo adjumento ad cubiculum & lectum ſuum. Noſtro tempore ægroti, cùm audiunt mentionem fieri extremæ-unctionis, arbitrantur jam actum eſſe de vita ſua, eaque de cauſa cognati vel amici, ne ægrotos terreant, differunt ſacramentum quamdiu poſſunt.

Cur veteres ante ſacrum viaticum ægros inungebant?

2. *Ratio*

Eſt etiam alia ratio, quæ veteres movebat, ut primo loco inungerent ægrotos, deindè viaticum eis præberent: quia videlicet in ſacramento Unctionis remittuntur peccata, ut ex Apoſtolo Jacobo conſtat; & ideò vocatur à nonnullis veterum extrema-unctio, POENITENTIA INFIRMORUM. Peccatorum autem remiſſio & pœnitentia, rectiſſimè præponitur tanquàm præparatio ſive diſpoſitio ad altiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ, quod puritatem maximam requirit.

Denique Sacramenta omnia concludiuntur, & quaſi conſignantur Sacramento Corporis Domini. Sic enim qui baptizantur adulti, ut Hebræi, vel Turcæ, poſt Baptiſmum continuò confirmantur, & admittuntur ad Sacrificium Miſſæ, & ſacram Euchariſtiam percipiunt. Sic etiam, qui pœnitentiam agebant pœnitentiâ peractâ ad Euchariſtiam, ſaltem more veteri, ſemper accedebant. Illi etiam qui Ordines minores, vel majores accipiunt ſuſceptis Ordinibus, ad ſacram Communionem accedunt. Denique qui Matrimonio junguntur, ſacramentum conjugii ſacramento Euchariſtiæ muniunt & confirmant. Noſtro tempore invertitur ordo, non ſine cauſa rationabili. Sæpè enim accidit, ut Extrema-Unctio, ne terreantur ægroti, differatur in longum tempus; & periculumeſt, ne interim ægrotus vel uſum rationis amittat, vel alia de cauſa reddatur inhabilis ad ſacroſanctam Euchariſtiam ritè percipiendam. Ideò igitur viaticum noſtro tempore præmittitur. Melius enim eſt, ut inverſo ordine Sacramenta illa miniſtrentur ægrotis, quam ut altero eoque ſaluberrimo careant. Unctio enim extrema conferri poteſt ægroto etiam in agone poſito, & non intelligenti vel ſentienti quid circà ſe agatur. Has rationes affert Bellarm. lib. de arte bene moriendi.

Quare extrema unctio nunc ultimò detur?

Bellarm. l. de arte benè moriendi.

PROPOSITIO II.

Hoc Sacramentum à Chriſto eſt inſtitutum, & à B. Iacobo promulgatum.

SIc docet Tridentinum ſeſſ. 14. ità ut antiquorum quorundam opinio, qui docuêre illud ab Apoſtolis, aut ab Eccleſia inſtitutum, ſine errore nunc defendi nequeat. Et cùm Sacramenta ad fundamenta primaria legis novæ pertineant, ſintque gratiæ ſanctificantis ſigna efficacia, nonniſi ab auctore gratiæ, & legis novæ inſtitutore Chriſto primitus ordinata, certum & definitum eſſe debet.

Trid. ſeſſ. 14. c. 1.

De tempore, quo Chriſtus hoc ſacramentum inſtituit.

Sed quæritur, *quandò Chriſtus illud inſtituerit?* Quidam putant inſtitutum fuiſſe Marci 6. ubi legimus Chriſtum duodecim ad ſe vocaſſe, eoſdemque binos miſiſſe, certâ quâdam legationis formâ præſcriptâ, & poteſtate, quâ uterentur. Et ſtatim ſequitur: *Exeuntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent, & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægrotos, & ſanabant.* Non eſt dubium, quin illa unctio olei fuerit ex inſtitutione, & mandato Chriſti: & quod per hanc miſſionem Diſcipulos Chriſtus non ut medicos & chirurgos deſtinârit; ſed ut Apoſtolos, qui ungerent ægros ſacramentali quâdam & myſticâ unctione. Undè veteres hunc locum intelligunt de ſacramento unctionis infirmorum, a Chriſto ibi inſtituto, & per Apoſtolos Eccleſiæ tradito, & de eadem unctione, dicunt hic agi apud Marcum, de qua apud Jadobum c. 5. ſic enim ait Hieron. *Quandò ungunt oleo ægros, infirmitatem fidei virtute corroborant. Corroborans autem interceſſione & oratione fidei, quam Dei clementia exaudiet, & ſic exorabilem præſtabit, cujus Sacramentum eſt oleum conſecratum.* Idem aſſerit Beda, Theophylactus & alii. Nec eſt improbabile ob auctoritatem Patrum, non tamen certum. Undè Tridentinum de hac re agens, non aliud dicit, quam ſacramentum illud Marci 6. inſinuatum eſſe: relinquens ut apparet Diſputationi Doctorum, an expreſsè ibi agatur de eo, an verò ſolum adumbratio quædam & ſignum prævium ibi proponatur. Nam difficultatem facit, quod tunc adhuc Apoſtoli non fuerint Sacerdotes, ad quos ſpectat miniſterium hujus ſacramenti; & quod non ſolum inuncti fuerint illi, qui jam erant baptizati, quia Marcus dicit ægros multos unctos & ſanatos fuiſſe, pauci autem tunc adhuc baptiſmo erant initiati.

Hier. in c. 6. Marci

Beda Theophylact. & alii.

Quapropter aliorum eſt ſententia, inſtitutum non fuiſſe hoc ſacramentum ante noctem Cœnæ. Cur enim ante Euchariſtiam aut Pœnitentiam inſtitueret illud, quod poſtremum ſacramentorum in uſu Fidelium eſt, & minùs quam alia neceſſarium? In nocte autem Cœnæ, veriſimile eſt inter alia myſteria Chriſtum Apoſtolos docuiſſe ritum obſervandum in hoc ſacramento. Quia tamen tunc adhuc non fecit Apoſtolos Sacerdotes, niſi quoad poteſtatem remittendi peccata, ſivè (ut loquuntur Theologi) quia tunc tantum dedit eis poteſtatem ſuper Corpus Chriſti verum, non verò in Corpus Chriſti myſticum, ſed eam acceperunt poſt reſurrectionem, Joan. 20. Ideò rectè dixeris cum quibusdam Theologis, poteſtatem miniſtrandi hoc ſacramentum, Apoſtolos accepiſſe ibidem Joan. 20. Quia ſicut hoc ſacramentum eſt, quaſi annexum ſacramento Pœnitentiæ: ita poteſtas illud miniſtrandi ſupponit poteſtatem peccata remittendi. vel breviter dici poteſt, inſtitutum eſſe hoc ſacramentum intra illos quadraginta dies poſt reſurrectionem, quo tempore converſatus cum Apoſtolis loquebatur de Regno Dei, hoc eſt, non ſolum de Regno æterno, ſed & de Eccleſia, quæ Regnum Dei in Scriptura dicitur. Ordinando ſcilicet ea, quæ poſtmodum obſervaturi erant Apoſtoli, maximè circà ſacramenta & Eccleſiæ ordinem Hierarchicum: quia plenè & perfectè Eccleſiam tunc fundabat, antequam ex hoc mundo diſcederet.

Probabilior eſt ſententia inſtitutum fuiſſe vel Joan. 20. 22. *vel* Act. 13.

Ab Apoſt. Jac. promulgatũ. Jac. 5. 14.

Quantum ad promulgationem, manifeſta eſt apud Jacobum diſertis verbis dicentem: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, unguentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, &, ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Quibus verbis, inquit Trid. ut ex Apoſtolica traditione per manus accepta Eccleſia didicit, docet materiam, formam, proprium miniſtrum, & effectum hujus ſalutaris ſacramenti à Chriſto inſtituti. Cujus inſtitutionis rationem adfert Concilium, quod clementiſſimus Redemptor noſter, qui nobis quovis tempore de ſalutaribus remediis & ſubſidiis, in ingreſſu Eccleſiæ, & progreſſu vitæ noſtræ proviſerat (per diverſa ſacramenta, quibus gratiam adipiſcimur vel illam conſervamus) noluerit deeſſe divinam ſuam providentiam in egreſſu ab hac vita. Quare providere nobis voluit de hoc extremo remedio & ſubſidio, quo maximè tunc egemus: quia & hoſtis fortiſſimè impugnat, ut à fiducia divinæ miſericordiæ dejiciat, & homo morbi magnitudine prægravatus, ad reſiſtendum non eſt ita idoneus. Benedictus ergò Deus, & millies à nobis benedicendus, qui ſic nos adjuvat, & protegit in omnibus viis noſtris. Dedit enim Baptiſmum, quo ingredimur in viam vitæ, & naſcimur Filii Dei ad vitam novam. Dedit corpus & ſanguinem, quo hanc vitam alimur, quo tanquam viatico in hac via nos confortamur. Dedit & confirmationem, tanquàm ſcutum & protectricem contra hoſtes in hac via obſiſtentes, per quam & Spiritum S. ſuum dat vitæ ducem. Et quia contingit quandoque nos vulnus accipere, dedit & pœnitentiam, tanquam vulnerum omnium etiam lethalium medelam. Sed quia parum erat in via hac progredi, niſi pertingeremus ad terminum; ideò hoc ſacramentum inſtituit, quod vocatur ſacramentum exeuntium: quia ſuperbi ſpiritus hoſtes noſtri, in extremitate viæ abſconderunt laqueum, quem nobis aperit, & diffringit ſacramenti hujus ſubſidium.

Trid. ſeſſ. 14. c. 1.

Sed miniſtri ſatanæ ſpiritu ejus inducti, ſicut invident nobis alia remedia; ita & hoc ſacramento nos & Eccleſiam ſpoliare conantur. Et ut ſubvertant fundamentum illius, quod in teſtimonio Jacobi Apoſtoli, tanquam publici ex parte Chriſti Præconis & Promulgatoris ponimus, inclamant non agi apud illum de unctione aliqua ſacramentali, quæ gratiam conferat; ſed de alia quadam olim adhibita ſolita ad curationem corporum per donum miraculorum, & ita cum nunc donum illud ceſſarit, etiam hanc unctionem ceſſare debere ac ſuperſtitioſam eſſe. Sic interpretantur illi, ut ſimplices decipiant, erroneamque ſuam doctrinam obumbrent, ſacramenta quæ ſunt columnæ Eccleſiæ, demolientem. At è contra dicimus, non ſolum ex traditione Eccleſiæ, ſed & ex circumſtantiis ſcripturæ citatæ, ſatis apertè contrarium colligi, & probamus. *Primò*, quidem, cum donum illud, & ejus effectus non fuerint ſine ſigno aliquo miraculoſo, & ſigna non tàm fidelium ſint, quàm infidelium, cur univerſim vellet Apoſtolus, ut fideles infirmi miracula quærerent? *Secundò*, ſi de miraculoſa corporis curatione ageret, jam non tantùm infirmis id conſuleret, ſed etiam cœcis, ſurdis, claudis, aliiſque qui egebant curatione, quæ per donum miraculorum fieri poterat. *Tertiò* cur diceret, inducat Presbyteros, cùm nec illi ſoli, nec illi omnes donum iſtud habuerint? melius ergò diceret, inducat eos, qui donum curationum habent. *Quartò*, cur præſcriberet certam materiam, cùm ab illa non pendeat curationis donum? *Quintò*, per donum miraculorum non remittebantur peccata, hic autem eorum remiſſio promittitur. *Sextò*, Apoſtoli promiſſio abſoluta eſt & perpetua, ergò in Eccleſia debet ejus effectus permanere, quamdiu ægri ſunt. Et tam ea quæ præcedunt, quam quæ ſequuntur apud Jacobum, ad Eccleſiam etiam futuram pertinent, cur ergò hæc promiſſio reſtringeretur ad eos ſolos, qui tunc erant; Sed quoniam Apoſtolus Jacobus, ſingula quæ ad hujus Sacramenti conſtitutionem concurrunt, particulariter exprimit, illius verba ordine, quo expreſſit, explanemus: quia & ex illis ſufficiens ſcientia, quoad ea, quæ hoc ſacramentum concernunt, elici poteſt.

Probatur varijs traditionibus hoc Sacramentum.

LECTIO

ed by Google

LECTIO II.

EXPLICAT VERBA S. JACOBI APOSTOLI.

Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum
Jac. 5. 14. *Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.*

DE PERSONA CAPACI EXTREMÆ UNCTIONIS.

Explicantur verba Apoſtoli.

1. *Perſonæ capaces hujus Sacramenti.* Trid. & Flor.

PRimo igitur inſinuat perſonas hujus Sacramenti S. Jacobus dum dicit: *Infirmatur quis in vobis.* Ubi ſatis indicat inſtitutum eſſe ſolùm pro Fidelibus infirmis, & quidem, ut indicat verbum Græcum, infirmitate gravi: quod etiam expreſſit Tridentinum & Florentinum, dicens non debere dari hoc ſacramentum, niſi infirmo, de cujus morte timetur, unde & ſacramentum exeuntium dicitur. Sanis ergo nullo modo debet dari, & ſi illis detur, nullum eſt ſacramentum, ut docent communiter Theologi. Non eſt tamen expectandus ultimus articulus, quando jam penè infirmus animum agit: ſed ubi advertitur periculum, maturè conferendum eſt hoc ſacramentum, dum æger adhuc integris ſenſibus eſt. Ad uberiorem enim ſacramenti gratiam ſuſcipiendam plurimùm valet ſi in ægro mens adhuc & ratio integra vigeat, ut fidem ac religioſam animi voluntatem adferre poſſit, ad hujus ſacramenti ſuſceptionem. Nec neceſſe eſt, ut infirmus lecto decumbat, nam qui videt ſe peſte infectum, vel venenum bibiſſe, vel viperæ morſu læſum, poſſet vel in Eccleſia, vel in alio loco opportuno, ſibi curare ſacramentum hoc adminiſtrari. Unde D. Bernard. refert de S. Malachia, quod ex cubiculo ſuperiore ad Eccleſiam deſcenderit, ut ſolemniter coram Fratribus oleo ſacro ungeretur: & quod propriis poſteà pedibus ad cubiculum & lectum regreſſus fuerit.

Surius 15. Octob. in vita S. Hedvvig. tomo. 5.

Admirabile verò eſt, nec imitandum quod apud Surium legitur in vita S. Hedvvigis in Polonia Duciſſæ 15. Octobr. Hæc priuſquam in morbum incideret, qui ei vitæ finem attulit, accito ad ſe F. Matthæo Confeſſario ſuo Ord. Ciſtercienſis, extremum petiit ſacramentum. Id ubi Moniales compererunt, conſternatæ ſunt, inde colligentes appropinquare tempus mortis ejus: cùm ſcirent illam non temerè id petere, quæ ſpiritu prophetico polleret. Dolebant ergo ſe tali ſpoliandas matre, quæ ſic filias in Chriſto foveret & diligeret. Accedit ad eam Soror Adelheidis ei familiaris, & ait: O DOMINA, *cur Unctionem petenda, noſtros affligis animos, cùm ſis incolumis, nec ulla in te mortis ſigna viſantur, & ea ſolùm ſoleat adminiſtrari agris, de quorum periculo metus eſt?* Cui illa: Scio ita eſſe, & Eccleſiæ morem benè explicas, eſt tamen quod hic te advertere oporteat. *Cùm enim hoc Sacramento homo moriturus quaſi armis ſpiritualibus contra ſpirituales nequitias muniatur, ſumma devotione accipiendum eſt. Ego autem etſi incolumis adhuc ſum, tamen mox aliter erit, vereorque ne creſcente morbi dolore, tam ſalutare auxilium tanto devotionis fervore non poſſim percipere, quanto par eſt animam ad Deum properantem.* Ita ſatisfactum eſt ejus deſiderio, nec diu poſt in morbum incidit, nec denuò ungi voluit. Id tamen admirandum potiùs quàm imitandum, cui ſpiritus Dei per revelationem tribuit efficaciam, & in quo piè creditur, ſancta devotio diſpenſavit. Hæc ibi.

Quando & quibus miniſtran-dum ſit hoc Sacramentum.

Nemini igitur, ut expreſſe docet Catechiſmus ad Parochos, ſacramentum hoc dare licet, qui morbo gravi affectus non ſit, licet vitæ periculum adeat: vel quia periculoſam navigationem paret: vel quia prælium initurus ſit, à quo certa mors pendeat: vel etiam ſi capitis damnatus, ad ſupplicium raperetur. Omnes etiam qui rationis uſu carent, ut pueri vel perpetuò amentes, non ſunt ſacramenti capaces. Inſtitutum eſt enim propter luctam, & graviſſimas tentationes in morte occurrentes, & ad reliquias peccatorum actualium extergendas: quæ omnia non habent locum in parvulis, aut perpetuò amentibus.

Adverte tamen cum communi Theologorum ſententia, non eſſe neceſſarium ut actualiter uſum habeat rationis qui inungitur: ſed ſufficere quod cum aliquando habuerit, quodque capax fuerit peccati actualis, devotionis, tentationis, & reſiſtentiæ ac fiduciæ in Deum. Unde non requiritur hic expreſſa voluntas recipiendi ſacramenti, ſed ſufficit virtualis ſeu interpretativa, qua unuſquiſque fidelis pœnitens ac benè diſpoſitus, optat frui ſacramentis omnibus, & remediis à Chriſto inſtitutis. Itaque inungi ſolet quilibet Fidelis, niſi conſtet eum rationis uſum in malo ſtatu amiſiſſe; ideoque ad effectum ſacramenti indiſpoſitum eſſe, quia per nulla ſigna contritionis ſignificationem dederit, vel coram Sacerdote, vel coram aliis.

Ordinariè verò munus eſſe infirmi, ex devotione hoc ſacramentum petere, & ad id tempeſtivè dum rationis uſus adhuc viget Sacerdotes advocare, apertè declarant verba Jacobi dicentis: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros:* ergo infirmi eſt, curam habere ut advocentur, & ſe ad id piè diſponere. Quod quidam differunt cum ſuo gravi plerumque detrimento, ſtulta opinione perſuaſi, ſe poſt Sacramentum iſtud ſtatim debere mori.

Audi quod refert Nicolaus de Nyſe Ord. Minorum Theologus in Gemma Prædicantium. Quidam vir magni meriti in extremis laborans, cùm deſtru-

Nicol. de Nyſe tr. 2. p. 2.

interrogatus fuiſſet, num ſancto oleo perungi & tonſi vellet:

Digitized by Google

vellet: Reſpondit: *Nolite obſecro, de hoc mihi monitionem facere, quia omnes qui inunguntur, ſtatim moriuntur.* Atque his dictis, ſpiritum reddidit. Cùm autem linteaminibus involvendus eſſet, ſpiritum reſumpſit, & oculos aperiens, dixit: *Quia Extremæ Unctionis Sacramentum ſalutare abhorruiſti, centum annis in Purgatorio juſto Dei judicio torquebor. Si autem unctus fuiſſem, de agritudine convaluiſſem, Sacra enim Unctio, non eſt mortis acceleratio, ſed dilatio.* Ita exſpiravit in dictis.

Sacra unctio non eſt mortis acceleratio ſed dilatio.

Nider. l. 4. Formicarii c. 11.

Audi & Niderum l. 4. Formicarii c. 11. Ubi ait: Fuit noſtro tempore Rex Romanorum Rupertus, verè clemens, qui poſt multa ſancta opera, in lethali quadam infirmitate propè à dæmone victus fuit. Nam ſumptâ Euchariſtiâ, differebat ſemper Extremam Unctionem, ſuperſtitioſo illo inſtinctu, quo aliqui ſibi perſuadent, poſt illam omnino oportere emigrare. Hortabantur ergo continuò viri docti & pii, ne differret tam ſalubre animæ & corporis antidotum. Obtinuerunt tandem: At ille cùm inungeretur, audiens orationes Eccleſiæ, quæ tunc recitantur pro ſanitate tam corporis, quam animæ, mentem erigens & vocem, dixit: *Reverà, ſi ſcivi ſſem tantum valere hoc Sacramentum, pro utriuſque hominis ſanitate, ut nunc percipio & audio, jam dudum illud devotiſſimè poſtulaſſem.* Convaluit igitur, & multis annis imperium ſanctè gubernavit, & in operibus bonis vitâ functus eſt. Hæc ille.

LECTIO III.

DE MINISTRO EXTREMÆ UNCTIONIS.

2. Miniſter hujus Sacramenti eſt Sacerdos.

SEcundò, cum dicit S. Jacobus, *Inducat Presbyteros Eccleſia*, exprimit miniſterium hujus Sacramenti, qui eſt Sacerdos. Hoc enim ſignificat vox *Presbyter*, quæ licet aliquando ſeniorem ætate ſignificet, hic tamen ſumitur ſecundum uſum novi teſtamenti & Eccleſiæ, ut non tam ætate quàm dignitate ſeniorem deſigner. Sic appropriatur ſolis Sacerdotibus, qui Presbyteri dicuntur, quia prudentia & gravitate cæteris venerabiliores habentur. His ergo ſolis Sacramentum hoc commiſſum eſt, quod pœnitentiæ conſummativum dicitur: & ita definit Tridentinum. Si ergo aliter aliquando quam à Sacerdotibus unctio talis peracta fuit, id ad extraordinariam Dei diſpoſitionem referendum eſt. Hujus rei accipe aliquot exempla.

Trid. loc. cit.

Platus de bono Status rel. c. 21. ex Theodorico de Apoldia vitæ S.

Reginaldus unus ex B. Dominici diſcipulis, cum moneretur, ut ſe extrema Unctione, ut motis eſt, ad luctam cum dæmone præpararet: *Ego*, inquit, *hanc luctam minimè reformido; quin potius latus expecto: jam enim dudum mater miſericordia me inunxit, in qua plurimùm confido, & ad quam cupide proficiſcor.* Quod autem ſe priùs ab eo inunctum dicebat, id ita habuerat: Cum autem annos multos graviſſimè ægrotaret, vigilanti de nocte apparuit Regina Cœli, cum aliis duabus Virginibus; ipſaque ad eam accedens, jacentis oculos, aures, os, manus unguento quod attulerat, propriis ſuis manibus linivit; denique *& pedes in præparationem Evangelii pacis*, ut ipſamet quaſi ex formula orans, adjunxit.

Domin. l. 2. c. 2.

S. Lyduvina in ultima agens ægritudine, cùm ſola eſſet, & ſummo mane ipſo Paſchatis die contemplationi vacaret: Vidit ad ſe venientem Chriſtum cum matre & duodecim Apoſtolis, multiſque Sanctis & Angelis. Sedit Chriſtus ad lectuli dexteram, Maria ad ſiniſtram, alii in orbem. Vidit & menſam ornatam vaſe ſacri olei, & Cruce elegantiſſima, cereoque totum cubiculum mirè illuſtrante. Erat tunc corpus Virginis innumeris angoribus, à vertice uſque ad pedes afflictum: & ecce ſentit ab ipſo Salvatore ſacerdotalib. induto veſtibus, loca corporis ſui perungi, quæ morituris ſolent; ſed nulla Salvatorem audit verba proferentem. Inde Chriſtus ponit in manu ejus Cereum, eumque tenet cum Matre ſua, cruce illic inviſibiliter permanente, donec exhalaret ſpiritum. Cùm autem inuncta eſſet, rogavit Dominum, ut extremum vitæ ejus finem tot doloribus & afflictionibus cumularet, ut à corpore exiens anima, ſine Purgatorio mox ad illum poſſit evolare. Reſpondit Dominus: *Ita fiet filia, ut petis, poſt biduum cantabis Alleluja, cum Virginibus in Regno Patris.* His dictis, diſparuit. Manſit autem apud eam Angelus ejus cum quo valde familiariter loquebatur.

Surius 7 Aprilis p. 3. c. 13.

Hæc aliquando viſibiliter exhibere voluit Chriſtus, ad conſolationem & inſtructionem electorum, ut ſciant quæ inviſibiliter gerantur, dum Sacramentum viſibile à Sacerdotibus adminiſtratur. Tunc enim aſſiſtit Chriſtus, & Angeli ejus, adjuvant & ægrum Sancti ejus. Sacerdos enim Chriſti perſonam gerit: & Chriſtus ipſe eſt, qui intrinſecus inungit, corroborat, illuminat, Sacerdote externum miniſterium adhibente: Chriſtus eſt Samaritanus ille Evangelicus, qui homini vulnerato approprians, miſericordiâ movetur: & totus intendit illius curationi, ſacramentorum ſuorum alligamenta adhibens: quem alligatum & in Eccleſiæ ſtabulum ſive hoſpitium ducit, commendat ſtabulario, ſive illi qui curam gerit hoſpitii. Hi autem ſunt Paſtores qui Eccleſiæ curam gerunt, quibus præcipitur à Chriſto, ut vice ſui ægri curam habeant, ſed utantur pharmaticis ab ipſo vero Samaritano, id eſt, Chriſto hominum cuſtode, præſcriptis; præſertim vino & oleo ſuo myſtico, quibus *ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.* Pſ. 146. 3.

Ex quibus etiam collige, Paſtores teneri ex officio ſub pœna gravis peccati, ſubditis ſuis hoc Sacramentum miniſtrare: quia ordinaria ſalutis remedia, etiam alioqui ex rigoroſo præcepto non neceſſaria, tempore oportuno tenentur illis pœnitentibus exhibere. Qualia ſunt Sacramenta, omnibus

Digitized by Google

bus relicta à Chriſto, & ordinario Eccleſiæ uſu frequentata. Hæc obligatio illis impoſita eſt à JESU ſupremo Paſtore & Medico, ſive cum in perſona
Joa. 21. 15 Petri illis dicitur, *Paſce oves meas, paſce agnos meos*; ſive cùm in perſona ſtabularii ad illos dirigitur illud
Luc. 10. 35. Samaritani: *Curam illius habe, & quicquid ſupererogaveris, reddam tibi.*

Hi verò mihi ſupererogare videntur, qui etiam vitam ſuam exponunt, ut Sacramentum hoc olei ſacri morbo contagioſo periclitantibus adminiſtrent: His certè manifeſtum eſt duos denarios à Chriſto Samaritano commiſſos eſſe; denarium ſcilic. amoris Dei, denarium dilectionis proximi, quibus freti negotium curæ ſibi commiſſæ ſic perfectè obeunt, ut ſi etiam vitam ſuam oppignorare neceſſe ſit pro ægri ſalute illam parati ſint ſupererogare: ſcientes quod is, qui curam commiſit, potens eſt tantæ dilectionis opus præmio longè eminentiori compenſare.

De S. Carolo Borromæo. an. 1576.

Horum ſe inclytum Ducem & exemplar prævium exhibuit S. P. CAROLUS BORROMÆUS; qui in vehementiſſima contagione quæ Mediolanenſem Urbem depopulabatur anno 1576. auxilia cùm temporalia, tum ſpiritualia ſupererogavit. Temporalia quidem, argentea vaſa, tapetes, veſtes, proprium lectum, omnemque ſuppellectilem contribuendo ad egenorum inopiam in ægritudine ſublevandam, nec exinde lecti ſolatio uſus, ſuper paleas aut afferes decumbens. Spiritualia verò, infirmos cujuſcunque ordinis die nocteque viſitando, non pauperum valetudinaria, nec humiles caſas dedignando, propriis manibus baptizando, confirmando, ſacro oleo inungendo peſte infectos, & Euchariſticum ſacramentum miniſtrando. Sed quoniam tanti viri fecimus mentionem, dignum eſt hic audire quo zelo & flamma exæſtuante charitatis, adhortatus ſit Superiores Religionum cum ſuis Religioſis convocatos, ut in illo contagio ad ſacramentorum miniſterium, & ægrorum morientium ſolatium, operam ſuam contribuerent. Ipſius igitur ad illos orationem compendio inſinuare viſum eſt, quæ concernit omnes Sacerdotes, Paſtores, Religioſos: ut etiam cum vitæ periculo ad ſacramenta cùm Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, tùm etiam Extremæ Unctionis, miniſtranda accendantur. Sic ait ipſe.

Oratio S. Caroli Borro. ad religio-

Non exiſtimo neceſſarium eſſe de lamentabili hujus civitatis ſtatu, multis apud vos verbis diſſerere, cujus ſors infœlix & deploranda nimis, omnium oculis eſt expoſita. Fratres noſtri, concives, amici, parentes, eheu! ferali contagio preſſi, acerrimis doloribus excruciati, mortis horrore perculſi vitæ non ſolùm corporeæ, ſed & æternæ auxiliis deſtituti, opem noſtram, ſacramentorum medelam, conſolationis ſpiritualis panem, vocibus, ſigniſque lamentabilibus implorant, ne ſalutis ſuæ incerti, è vita hac emigrare cogantur. Quid igitur, Patres Reverendi? An nos ſiccis oculis, & cancellatis manibus eos intuebimur, duri & immobiles, immiſericordes & pietatis Chriſtianæ exortes? An hærebimus ſine lachrymis, ſine corde, ſine compaſſione, opem denegantes aut laborem detrectantes? Proſſus nunc convenit, ut qui ſe Religioſos nominant, operibus comprobent: nunc tempus eſt, ut qui ſe veræ perfectionis ſectatores profitentur, in heroicis pietatis & miſericordiæ operibus eam eluceſcere faciant; quorum tanta ſeges exhibetur, fratribus opem poſcentibus, undique periculo & neceſſitate eos coarctante. O quàm frequenter in fervore orationis reſolvitis Deo animas veſtras vitamque immolare, & vos ex integro ejus obſequio mancipare! Nunc, nunc pateſcat, quam ſolida, quàm efficax illa fuerit reſolutio, oblata hac occaſione, haudquaquam reſpiciendo retrò, aut manum retrahendo ab opere adeò pio & ſancto, adeò neceſſario, & divinæ majeſtati accepto. Præcurrunt & vos animant multi Paſtorum, curam omnem impendentes, & nobiſcum nulli labori, nulli diligentiæ parcentes. Sed nec noſtra, nec eorum cura, in tanta vaſtitate ſufficit; in tanto numero afflictorum, qui in agris per tugurra ſparſi, ope neceſſaria languent deſtituti. Ad vos igitur recurro, qui in ſtatu perfectionis poſiti, humana cuncta deſpicere profitemini, ut debitum reddatis obſequium divinæ Majeſtati. Ad vos, inquam, qui gloriæ ducere debetis, pro amore Dei vitam poſſe exponere, cum de animarum agitur ſalute; ad imitationem nimirum Filii Dei & SS. quorum veſtigiis preſſo pede omnes Religioſos convenit inſiſtere. Nec dicat quiſquam, rem adhuc necdum illuc progreſſam, ut aliter quam per vos non poſſit provideri; vel ſtrictam obligationem necdum vobis poſſe hac in re imponi. Utique charitas non patitur hic diſputationi, aut talibus dubiis diſcutiendis locum dari: liberalis eſt, vult hic impendi quicquid opis in nobis eſt, nec extremæ neceſſitatis, aut obligationis terminos expectari. Vult nobis ſatis eſſe ipſam legem Chriſtianæ dilectionis; exemplumque Filii Dei ac SS. ejus, qui ſimiles occaſiones haud neglexerunt: ſed urgente dilectione, nec attenta obligatione ſtricta juſtitiæ, totos ſe impenderunt. Eorum ergo exempla, ſint carbones ardentes congeſti ſuper caput noſtrum: & quod reipſa præſtitit JESUS Chriſtus, voluntariè ſe Patri offerens pro animarum ſalute, ſit nobis ſermo vivus & efficax, penetrans uſque ad intima cordis, ut etiam nos ipſos offeramus, dum opem implorant, qui preſſi ſunt & oppreſſi. Neque periculum mortis objiciendum eſt, quod multi huic miniſterio hactenus dediti evaſêre, cui etiam quantum poterit humana induſtria conabimur providere. Sed quam glorioſum erit, & æterna dignum memoria, ſi mors eo in opere obtingat? Non tam mors dicenda eſt, quam vita, mors pro gloria Dei & ſalute proximi obeunda, cùm ſecurum ad vitam præbeat greſſum, ad æternitatem ingreſſum, ideoque à Martyribus tot votis fuit adoptata. Teſtanda igitur modò eſt gratitudo erga communem Redemptorem qui ſe

obtulit pro nobis, & ſdicendũ cum Apoſtolo. *Mihi vivere Chriſtus, & mori lucrum.* Cambium eſt amoris reciproci quod paciſcimur cum Jeſu Chriſto Filio Dei, ſi vitam pro ipſo ac membris ſuis exponamus, ſicut ipſe pro nobis. Et cùm ipſe quotidiè in Miſſæ ſacrificio nobis Sacerdotibus ſe totum donet; cur non prompti erimus etiam ſemel in hoſtiam viventem nos ipſos totos, vitam etiam ipſam, ſi opus ſit, immolare? Cur nos exterreat, quam velimus nolimus ſemel neceſſum eſt obire? Sed nec inſiſequenter in communi contagio contingit, ut qui eam omnimodè fugere nituntur, citiùs ab ea prehendantur, juſto Judice ita decernente, charitatiſque neglectum ac amorem nimium perituræ hujus vitæ ſic plectente. Cùm ergo à flagello communi nemo niſi ipſo tutante liber eſſe poſſit, ejus præveniamus vindicem manum, illi nos offerentes pro ejus amore, vitam ponere prompti, Chriſtianæ charitati ex officio incumbentes. Sic in expiationem delictorum noſtrorum id cedet; imò ſic ei manus poterimus colligare, & flagellum extorquere. O Patres mei dilectiſſimi, vel ipſum ſæcularium & laicorum exemplum vos permovere, & animos deberet ſuggerere. Quid enim? Nonne hi pro exigua mercede periculo vitam ſuam exponunt, dum peſtiferis adſunt, medentur, contrectant, opitulantur? An verò pro æterno præmio detrectabimus & negligemus, quod ille pro levi & temporali mercede ſubire parati ſunt? Sed nec deſunt multi ex ipſis, qui puro Dei amore ſine remunerationis exſpectatione, ſe nobis obtulere ad omne illud obſequium charitatis. Itane verò, Sacerdotes Deo conſecrati, vitam perfectam profeſſi, ad zelum gloriæ Dei, & ſalutis proximi vocati, ab hominibus ſæculi ſe ſinent ſuperari? An amor Dei plus virium hominibus de plebe ſuggeret, quam illis qui divino ſunt obſequio ex vocatione ſua deſtinati? An verò non agitur hic de lucro inæſtimabili animarum, ac de gloriæ cœleſtis præmio, huic operi certò certius conſtituto? Hæc cogitate, hæc recogitate Patres mei, ne fitis animo deficientes ob mortis timorem, cujus incertum eſt periculum, certum præmium. Nolite permittere puſillanimes effecti, ut ſuigant in judicio homines ſæculi, ſuo fervore teporem veſtrum, & ingratitudinem erga Chriſtum Dominum, ac membra ejus egena, condemnantes. Nec verò quempiam remoretur, quod ſorte licet tiama ſuis Superioribus non obtineat: mihi etenim a Sanctiſſimo Domino noſtro ampliſſima facultas eſt, omnes qui ſe ad id operis ſancti obtuleriot, ab omni Prælatorum obedientia ea in re eximendi. Itaque quo poſſum cordis affectu, quibus poſſum votis & precibus a vobis eſflagito, ut animo infracto adeo eximium & heroicum opus ampleſtamini, opus dignum vocatione veſtra, dignum Deo, qui omnes labores ſupra condignum eſt remuneraturus, pro momento æternitatem redditurus. Sed & ego id mihi beneficii præſtitum eſtimabo, & quoad in me erit non immemor, omni occaſione ſeſe offerente reddam gratiam: & in Domino congaudebo, dum vos intuitus fuero in ſalutem animarum fidei meæ concreditarum toto zelo incumbere. Lapidem onetis qui ſupra modum premit, & affligit cor meum, ſublevabis vicaria veſtra opera & pietate: nec enim parum mihi anguſtiæ infligit, cùm intueor animas quas in corde & viſceribus meis gero, in tanta verſari ſpiritualis ſubſidii inopia, defectu Miniſtrorum Eccleſiæ. Spes itaque mihi non exigua affulget, aliquos veſtrum hic præſentium in auxilium operas & animas ſuas mihi oblaturos, ut aliis viam ſternant, & ad idem eos prævio ſuo exemplo ſuſcitent, duplex præmium habituri. Nec quiſquam vereatur ſe deſerendum in periculo, ego enim ipſe curam veſtri geram, ego adero, ſi vos ægritudo corripuerit, ego proprio ore ſolabor, propriis manibus ſacramenta miniſtrabo; nulli parcam labori, nulli periculo, ut me veſtrum Paſtorem, Protectorem, Patrem exhibeam.

Adeò cordatus ſermo & ſcintillis amoris plenus animos multorum accendit. Etenim illa ipſa hora viginti octo ſeſe obtulere, & ex illis nonniſi duo peſte interierunt, quorum uni Extremam Unctionem cum Euchariſtia propriis manibus adminiſtravit, adjiciens animæ commendationes, & uſque ad mortem ei aſſiſtens ferventiſſima charitate.

DE EXTREMA UNCTIONE, ET ALIIS SACRAMENTIS TEMPORE PESTIS MINIſtrandis.

De Ext. Vnct. & aliis Sacramentis tempore peſtis miniſtrandis.

SEd quæritur, *an in rigore Theologico loquendo, teneantur Paſtores peſte infectis Extremam Vnctionem adminiſtrare.* Reſp. 1. multas Synodos Diœceſanas in Belgio videri ita ordinare. Cameracenſis t. 5. c. 10. Iprenſis t. 8. c. 1. Audomarenſis t. 19. c. 1. Leodienſis t. 4. c. 8. Attamen in Praxi id permultas involvit difficultates.

Q. an Paſtores ad hoc teneantur?

Primò, quia in Parochiis ruralibus ſæpè unicus eſt Sacerdos, qui ſi domos infectas ad id ingrediatur, jam & ipſe vitabitur ab iis qui ſani ſunt; nec Sacramenta de ejus manu ſuſcipere volent, nec converſationem cum ipſo permittent, ne periculum afferat contagionis. Etenim ob illam etiam cauſam, S. Carolus Religioſos in ſubſidium Sacramentorum miniſtrandorum tempore peſtis advocare coactus fuit, quod plerique fugerent proprios Sacerdotes, qui contagioſis adfuiſſent; prout teſtatus fuit Superioribus Religionum, & habetur c. 6. l. 4. vitæ ejus.

1. De Ext. Vnct. R. 1. Non obligant ad dandam Ext. Vnction.

Secundò, ſi contingat Paſtorem contagio infici, & emori, multa confuſio in grege ſolet ſubſequi, multa inordinatio circa divinorum miniſterium. Nec enim facilè ſtatim repetiri poteſt qui ſubrogetur: ita ut experientia docuerit, per plures hebdomadas

Digitized by Google

domadas quandoque gregi non fuiſſe proviſum de miniſtro. Adde aliquos expreſsè docere, quod ſi Parochus toti populo ſit perneceſſarius, adeò ut ejus mors magna ſit populi deſolatio & jactura, ſufficere ut neceſſaria ſacramenta miniſtret. Ita Sylvius q. 23. a. 3. ſupplem.

Tertiò, Epiſcopi hoc in Synodo ordinantes, (cùm ſint Paſtores Paſtorum) deberent ſollicitam curam gerere, ut & ipſis Paſtoribus ruralibus ſubveniatur, ſi periculum incurrant, vel ipſis deficientibus per mortem, ut ſtatim ſubſtituatur idoneus miniſter. At ipſorum aliqui, vel ob diſtantiam, vel ob negleƈtum, non eam quam à Paſtoribus ipſi requirunt, illis tunc in periculo exiſtentibus, vel plebi deſertæ curam impendunt. Sic forſan conqueri hic quis poſſet de aliquibus, quod *onera importabilia alligent*, quæ ipſi *digito nolunt movere*. Mat. 23. 4

Quartò Extrema Unƈtio non eſt de neceſſariis ad ſalutem, nec eſt de præcepto: ergò in contagioſis morbis, in quibus eſt periculum, non videtur tam gravis obligatio miniſtris imponenda.

Quintò, non obſtante ordinatione illa Synodorum, Praxis videtur obtinere, urgente peſtilentiâ non adminiſtrandi hoc ſacramentum, niſi forte in Urbibus, ubi Religioſi ad id ſe exponunt, aut alii Sacerdotes charitate magis impulſi, quàm rigore præcepti. Poſſemus teſtimonium reddere de variis locis, ubi ab Epiſcopis non fuêre puniti, aut reprehenſi Parochi, qui tempore peſtis miniſtrare Extremam Unƈtionem neglexerant. De Italia teſtatur Poſſevinus in pleriſque locis non eſſe moris, ut adminiſtretur à Paſtoribus. De Hiſpania & nonnullis aliis Provinciis, idem mihi teſtatus eſt N. D. Leander de S. Martino S. Theol. Doƈtor in Academia Duacena, qui multas frequentavit Provincias.

R. 2. Ordinarii non debere fieri

Reſpondeo itaque ſecundò generaliter loquendo, Synodales conſtitutiones rectè aſſerere id ordinarii debere fieri: ut facile Paſtores hic ſe non excuſent, trepidantes ubi timor non eſt, aut ubi charitas foras debet timorem pellere. Supponunt ergò ordinarii non eſſe ita morale periculum, ſed illud poſſe vitari, tùm per medicamenta præſervantia, tùm providendo, ut ægri reſtituantur in loco, ad quem ſecutior ſit acceſſus, tùm utendo aliquâ oblongiore virgula ad ungendum, aliiſque præcautionibus. Cum autem his omnibus præſuppoſitis, vel medicorum, vel prudentum judicio adhuc morale periculum permanet, multorum Theologorum ſententia eſt, non obligari Parochos, magnæ verò perfeƈtionis eſſe, ſi periturum vitam contemnentes, ad id ſe reſolvant ex charitatis fervore. Huic ſententiæ ſubſcribit Suarez, hanc Cathedræ Primatiæ Profeſſor eximius, Joannes Clarius in Academia Lovanienſi publicis ſcriptis docuit. Et Emmanuel Sa. in Aphoriſmis cum multis dicit, V. *Parochus: Tenetur tempore peſtis miniſtrare ſalutis neceſſaria Sacramenta*, judicans ea, quæ non ſunt neceſſaria, non teneri. Idem multo fortiori ratione docerent illi, qui dicunt, non teneri Parochum miniſtrare ſacramenta, extrà tempus præcepti ad illa obligantis ſuſcipientibus, inter quos recenſentur Richard. 4. diſt. 18. Joan. Med. qu. 37. de Confeſſ. Sylveſter V. CONFESSOR, 1. qu. 18. Invenio quoque S. Carolum miſiſſe ad Pontificem, ut reſolutionem haberet, an Paſtores Mediolani poſſet cogere ad ſacramenta omnia miniſtranda, urgente graviſſimâ peſtilentiâ: ſed cùm omnium aliorum, quæ ſimul poſcebat, reſponſum accepetit, illud dilatum fuit, nec reſolutionem accepit. Forte ne conſcientius aliquorum grave nimium onus, aut laqueus injiceretur, res Doƈtorum opinioni eſt relicta. Invenio quoque eundem cum Parochos coram ſe congregatos, ſanƈtis ad id monitis extimularet, operis hujus perfeƈtionem, & ſublimem remunerationem proponendo, addidiſſe ſe conſultationem cum viris doƈtis & piis iniiſſe, (quia Romana determinatio non advenerat) per quam reſolutum erat, eos ad minus obligari ad ſacramentum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ miniſtrandum: ergò nec de Extrema Unƈtione illi auſi ſunt obligationem affirmare. Vide lib. 4. vitæ ejus c. 3. Attamen plerique hujus viri ſanƈti non ſolum ſermone, ſed & exemplo prævio ſuccenſi, ad omnia promptos ſeſe obtulere. Et abſque dubio, ſi Epiſcopi talibus occaſionibus ſe Carolos exhiberent zelo & opere, reperirent & Paſtores non parcentes etiam ſuæ vitæ.

2. Euchariſtiam tenetur Paſtor adminiſtrare etiam cum periculo vitæ.

Quantùm ad Euchariſtiam, communior opinio eſt Theologorum, obligari ad eam miniſtrandam Parochos, etiam cum periculo. Exiſtimant enim jure divino obligari unumquemque ad eam ſumendam in mortis periculo: ex quo conſequitur, ægro tunc petenti miniſtrandam eſſe. Nec excuſationi facile locus admittitur, niſi forte paucis ante diebus (v. g. ante octiduum) æger communicârit in communi periculo ſe diſponens ad Dei beneplacitum. Undè ad Euchariſtiam frequenter ſuſcipiendam hortandi ſunt tunc Fideles, ut ſuum ac Miniſtrorum periculum præveniant. Ac bona praxis eſt, ſtatim ac in aliquam domum contagium ſerpſerit, non ſolùm infeƈtam perſonam, ſed & omnes illius habitationis ac viciniæ Communione ſacrâ præmunire; quod ſi poſt aliquot dies morbo corripiantur, ſicut non tenentur denuò communicare, ſic nec miniſter adminiſtrare. Sic docent Palude, Soto, & quidam alii Theologi, licet quis ignorans periculi mortis octo vel decem dies antè communicarit, non teneri illo poſteà ſuperveniente, iterùm communicare, ſed ſatisfeciſſe præcepto divino. Sic enim revera paulò antè mortem dicetur communicâſſe, quod vis præcepti requirit; & finis ejus eſt, ad tranſitum ex hac vita præparatio. Undè licet quis ignoràrit periculum, nec reflexionem expreſsè fecerit ad præceptum: cenſetur tamen quilibet habere intentionem virtualem, ſeu implicitam adimplendi omnem

Suarez, Joann. Clarius, Sa.

Palude. Soto.

omnem obligationem, quam potest & debet. Sic ignorans esse festum, si audierit Missam, censetur satisfeciſſe præcepto. Liberiùs hac in materia & favorabiliùs pro ministris loqui videntur, qui asserunt eum, qui in pascha communicârit, si in articulo mortis non communicet ex negligentia sine contemptu, non peccare mortaliter. Cujus opinionis SYLVEST. *Eucharistia* 3. nu. 3. Cajetanus V. *Communio* Sà. V. *Eucharistia*, & quidam alii.

Sylvest. Cajet. Emm. Sà.

Modi ministrandi Eucharistiam agris peste infectis.

Austeriores porrò hac in materia videntur illi Theologi, qui volunt infundi à Ministro ori illius, qui contagio infectus est Eucharistiam, propriis manibus ministri, nec alium admittunt modum ministrandi: quod tamen omninò periculosum est, ob halitum ægri contagiosum. Alii varios alios modos ministrandi permittunt & practicant, quos tamen ab Episcopis examinari optarim, ne quidam illorum non satis reverentem sacramenti tractationem involvant. Quidam curant benedici particulas corporalium, in quibus sacrum Corpus Domini deponant loco aliquo secuto, ad quem ægro sit accessus, ut ipsemet sumere possit, aut personam assistentem sibi in ægritudine ad id adjuvari, quæ pars corporalis igni postea traditur: Alii capsulis vel parvulis vitris utuntur, è quibus æger illud ore desumit Alii aliis utuntur modis. Ego licet consultiùs & securiùs non dubitem, si propriis manibus ministrari possit, non video tamen, cur in præsentissimo periculo, aliqui alii modi reprobari debeant, adjunctâ tali reverentiâ, quæ hic & nunc adhiberi potest sine periculo in tali rerum statu. Ratio est, quia ritus sic administrandi, ut suscipientis ori infundatur Eucharistia, est solùm de præcepto Ecclesiæ, quod præceptum non videtur obligare cum tanto periculo vitæ, Nec refert de jure divino & naturali esse, ut reverenter administretur Eucharistia: non enim alii modi irreverentiam continent. Patet primò, quia olim notum est, propriis manibus suscipientis sumptam fuisse, gerebant enim Fideles linteolum manu, quod Dominicale vocabatur, & in illo deponebatur Eucharistia a Sacerdote. Secundò, notum est sævientibus olim Tyrannis, Fideles domum Eucharistiam detulisse, vel quotidiè, vel pro opportunitate sumendam. Tertiò, etiam nostro sæculo concessit Pontifex Mariæ Reginæ Scotiæ, ut in carcere asservaret sibi Eucharistiam sumendam à se, eò quod accessus non pateret Sacerdoti, ut alibi dixit. Non ergò per se est irreverentia, quod laïcus ex aliquo loco securè & honestè apparato, vel ipsemet per se, vel ope alterius sacramentum sumat in tali necessitate, advigilante ipso Sacerdote, ut reverenter, & cum pietate fiat. Quamvis extrà necessitatem hoc nolit fieri Ecclesia, ad majorem ipsius sacramenti dignissimi reverentiam, & diguissimam tractationem.

3. Pœnitentia sacramentum tenetur Pastor ministrare etiam cum vitæ periculo.

Quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ, tenetur tunc Pastor ministrare etiam cum periculo vitæ. Nec exceptioni locus est, nisi ubi morali certitudine constat de bono statu ægri, v. g. quod paulò antè ægritudinem confessus sit, & quod timoratæ & sollicitæ sit conscientiæ, nec nisi veniali culpæ obnoxius: Ex altera verò parte evidens sit contagii periculum, nec facilè futurum, ut si Parochus inficiatur, de alio possit provideri. Tunc enim commune bonum multum ponderat. Hæc tamen non temerè præsumenda sunt, ut subditus desetatur. Hoc porrò adjicimus, in evidenti periculo posse fieri confessionem materialiter non integram à pœnitente, & à Sacerdote, parte peccatorum auditâ, absolutionem impendi, excitando pœnitentem ad omnium, quantùm in se est, contritionem, vel attritionem, Est enim talis confessio formaliter integra: & à Theologis solet recensèri causâ sufficiens faciendi confessionem non integram materialiter, periculum vel spiritualis, vel corporalis salutis alicui impendens. Ita Suarez, & alii.

Quæritur postremò *quantum ad extremam-Vnctionem, an in periculo contagii, sufficiat unica unctio in aliqua corporis parte?* Respondeo, hanc opinionem probabilem omninò esse, tum ob auctoritatem Doctorum, tum ob multiplicem rationem, ideoque à multis hoc tempore Praxi usurpari.

Suarez & alii.

In periculo contagionis sufficit unica unctio in aliqua corporis parte.

Primò quidem auctoritatem illi dat Pastorale Gebennense R. Franc. de Sales Episcopi, doctrinâ & sanctitate spectatissimi. In illo sic lego in tit. de Extrema Unctione. *In morbis contagiosis, ut periculum vitetur, sufficit inungi organum sensus magis ad Vnctionem expositum, dicendo: Per istam Vnctionem, & piissimam suam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quicquid deliquisti per visum, auditum, gustum, odoratum & tactum.* Idem habet Pastorale Mechlinense an. 1589. quamvis id omissum sit in editione 1607. apud Moretum, suasu ut apparet quorumdam Lovanienſium Doctorum, contrariam opinionem sectantium. Idem habet etiam Pastorale Ruræmundanum impressum circa annum 1569. Item Pastorale Bartholomæi ab aula, per Theologos aliquos Lovanienses probatum an. 1573. idem docet. Et hujus opinionis sectatores fuêre Joannes Hellelius celebris Lovanii Doctor, & Joannes Molanus Tract. 4. Theol. practicæ. Accedit auctoritas Octavii Tricarienſis Episcopi, per Germaniam & Belgium Nuncii Apostolici in Directorio Ecclesiasticæ disciplinæ, ubi sic ait; *Et si ordinariè sint inungenda singula singulorum sensuum loca, nec nisi gravissima necessitas cogat aliter faciendum; constabit tamen Sacramentum, & ad evitandum contagium effecerit, si inungatur sensus organum magis expositum, dicendo: Per istam Vnctionem, & piissimam suam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quicquid deliquisti per visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum.* Idem sequuntur aliqui Recentiores, inter quos Franc. Sylvius in suppl. D. Thomæ. Consulunt verò, ut Unctio fiat in capite, quia ibi maximè viget sensus.

Exemplum Pastorali Franc. Sales, &c.

Sylvius in suppl. D. Tho.

Secun-

Trid. Conc.

Secundò confirmatur ratione deſumpta ex Tridentino dicente, Eccleſiam Romanam non aliud obſervare in adminiſtranda Unctione, quantum ad ea, quæ ad hujus Sacramenti ſubſtantiam ſufficiunt, quam quòd B. Jacobus præſcripſit. At ille nudè Unctionem præſcribit, non verò Unctionem quinque ſenſuum, ergo illam obſervat Eccleſia ut eſſentiam, non illas, alioqui obſervaret aliquid quoad ſubſtantiam, quod Apoſtolus non præſcripſit. Addi deinde poteſt, quod ex more Eccleſiæ, ungantur non ipſa ſenſuum organa, ſed partes vicinæ, ut poteſt in oculis, & auribus, & organo guſtus: ut etiam magis conſtat in iis, qui aliquo ſenſuum organo ſunt orbati, ergo cenſet Eccleſia, non eſſe de eſſentia, ut ſenſuum loca ungantur; ſed ſufficere ad eſſentiam, partem aliquam corporis inungi, cum ubique ſenſus vigeant, quamvis organa, ſi poſſit fieri, ad expreſſiorem ſignificationem debeant ungi. Denique Florentinum, & alia Concilia enumerant ſeptem Unctiones, nec diſtinguunt, & ita ex illis nequit colligi, quod quinque magis ſint de eſſentia quam ſeptem, & per conſequens non repugnant aſſertioni, quæ unicam dicit perficere eſſentialiter Sacramentum.

LECTIO IV.

DE MATERIA EXTREMÆ UNCTIONIS.

3. *Materia hujus ſacramenti.*

TErtio, dum dicit, *ut orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini*, indicat materiam. Eſt enim materia hujus Sacramenti, oleum ab Epiſcopo benedictum: quæ quidem Unctio olei aptiſſimè ſignificat gratiam Spiritus S. qua invisibiliter anima ægrotantis inungitur. Unde Theophylactus: Theoph.

Eſt, inquit, *oleum & ad labores utile & lucis fomentum, & hilaritatis effectivum, ſignificatque miſericordiam Dei & gratiam Spiritus, per quam à labore liberamur, & lucem & gaudium hilaritatemque accipimus.* Debet autem eſſe benedictum oleum ab Epiſcopo, ut per hanc ſacram benedictionem, velut elevetur, atque aptetur ad munus ſacrum & ſupernaturale. Et quidem ab Epiſcopo debet fieri, quia in ipſo eſt plenitudo quædam poteſtatis circa ſacramentorum adminiſtrationem, & ab illo ad inferiores Sacerdotes poteſtas deſcendere debet. Hanc verò benedictionem inſinuat Jacobus, dum dicit: *Ungentes oleo in nomine Domini*, id eſt, oleo conſecrato in nomine Domini, interprete Beda. Quapropter illam benedictionem ad eſſentiam pertinere materiæ, communis tenet Theologorum opinio: ita ut nullum ſit ſacramentum, ſi inungatur æger oleo ab Epiſcopo non benedicto. Quod ſi ita ſit, miror tum à Paſtoribus, tum ab aliquibus Epiſcopis, non majorem in diſtributione hujus ſacri olei curam adhiberi, & non majorem quantitatem dari. Etenim

Oleum debet eſſe ab Epiſcopo benedictum.

Beda in hunc Apoſtoli locum.

duo vel tria cochlearia exigua pro quadraginta Paſtoribus Decanis aſſignari alicubi ſolent, quæ exigua quantitas videtur. Monentur illi quidem aliquid addere olei non benedicti, guttatim infundendo, quia ſic totum per mixtionem participat benedictionem, juxta Capitulum. *Quod in dubiis*, de conſecrat. Eccl.' vel altaris. Id tamen ſatis incuriè fieri ſcimus, & dolenter oculis noſtris conſpeximus: ita ut quandoque ſit major quantitas ſuperaddita quàm præexiſtens. Et licet non in majori quantitate ſuperaddatur unica vice, tamen propter exiguam olei benedicti quantitatem, & magnum numerum participantium, tam frequenter debet repeti ſuper infuſio, tum à Decanis ut diſtribuant, tum à Paſtoribus poſt diſtributionem (pro toto enim anno ſufficientem debent copiam habere) ut videatur mihi propter incuriam multorum, materia quandoque reddi dubia. Quocirca humiliter in Domino obſecratos velim Epiſcopos Reverendiſſimos Dominos ac Patres meos, ut in majori quantitate oleum conſecrent, ac diſtribuant Paſtoribus. Quia ſic longè certiùs conſulent incommodis, quæ ex multiplici ſuper infuſione oriri poſſùt. Etenim in magno Paſtorum numero, ferè non deſunt qui præcipitanter, nec cum debito modo, mixtionem iſtam frequentem peragunt: & materia dubia utentes, valde ſæpè ſpatio unius anni adminiſtrandum hoc ſacramentum etiam dubio exponunt, ſicque effectu expectato ægros fraudare poſſunt.

Capit. Quod in dubiis de conſec. Eccl. vel alt.

Cæterum oleum iſtud benedictum, ſimplex eſt, neque balſamum illi admiſceri ſolet. Unde à ſacro Chriſmate diſtinguitur: quamvis ſi quis Chriſmate uteretur, validum efficeret ſacramentum. Et licet modò id non liceret ob Eccleſiæ præſentis uſum, quibus diſtinxit materias earumque benedictiones: tamen olim etiam in Chriſmate adminiſtratum fuiſſe, indicare videntur verba Innocentii I. *Non eſt dubium*, inquit, *verba Jacobi de Fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui ſancto oleo Chriſmatis perungi poſſunt, quo ab Epiſcopo confecto, non ſolum Sacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licet, in ſua aut ſuorum neceſſitate inungendo.* Quæ verba repetuntur in Concilio Wormacienſi can. 72. & in Concilio Aquiſgranenſi: Ubi quod dicit licere omnibus Chriſtianis uti inungendo, intellige paſſive; nam ungere activè, ſolis licet Presbyteris. Et quod dicit infra: *Pœnitentibus oleum iſtud non infundi*, intelligit de his qui in publica agebant pœnitentia, quibus ſacramentum hoc non ſolebat adminiſtrari. Neque verò hoc oleo utitur Eccleſia, niſi pro ægris ſacramentaliter inungendis: quamvis inſinuet Beda, olim energumenos unctos fuiſſe contra dæmonium. Nam in cap. 6. Marci tractans illa verba: *Dæmonia multi ejiciebant* Apoſtoli, *& unguebant oleo multos ægros, & ſanabant*, ſic ait: Patet ab ipſis Apoſtolis hunc ſanctum Eccleſiæ morem eſſe traditum, ut energumeni, vel alii quilibet ægroti, ungantur oleo Pontificiali benedictione conſecrato. Et in caput 8. Lucæ hoc exemplum refert.

Oleum olivarum ſimplex eſſe debet, non mixtum balſamo.

Innoc. I. ep. 1. ad Eug. c. 8.

Conc. Wotm. & Aquiſgr.

Marci 6. 13.

Quidam vicinus mihi Presbyter retulit, ſe quandam ſancti monialem à dæmonio curare cœpiſſe: ſed quamdiu res latebat, nihil apud eam proficere potuiſſe. Confeſſo autem quo moleſtabatur phantaſmate, mox & ipſum orationibus, cæteriſque quæ oportebat purificationum generibus, effugaſſe; & ejuſdem fœminæ corpus ab ulceribus, quæ dæmonis tactu contraxerat, medicinali ſtudio, adjuncto ſale benedicto curaſſe. Sed dum unum de ulceribus, quod altiùs lateri infixum reperierat, nullatenus poſſet quin continuò panderetur, obducere; ab eadem ipſa quam ſanare volebat conſilium quo ſanaretur, accepiſſe. Si, inquit, oleum pro infirmis conſecratum, eidem medicamento adſperſeris, ſicque me perunxeris, ſtatim ſanitati reſtituar. Nam vidi quondam per ſpiritum, in quadam longiùs poſita civitate, quam nunquam corporalibus oculis vidi, puellam quandam pari calamitate laborantem, taliter à Sacerdote curatam. Fecit ut illa ſuggeſſerat, ſtatimque ulcus remedium quod ante reſpuerat, accipere conſenſit.

Sex diſtinctiones hujus Sacramenti & in Confirmatione.

Ex dictis patet diſtinctio Unctionis quæ in Confirmatione, ab illa quæ in hoc fit Sacramento. Sex allegat diſtinctiones Parochiale Leodienſe.

1. In effectu ſeu efficacia: quia Confirmatio præparat ad meliùs pugnandum, Extrema Unctio ad expeditiùs è certamine emigrandum. 2. In tempore: quia Confirmatio datur in ſanitate, Extrema Unctio in extrema infirmitate. 3. In loco: nam illa in fronte, hæc in aliis corporis partibus. 4. In adminiſtratione: quia Confirmatio datur à ſolis Epiſcopis, Extrema Unctio ab aliis Sacerdotibus inferioribus. 5. In materia: quia Confirmationis materia eſt Chriſma, hoc eſt, oleum cum balſamo commixtum; Extremæ Unctionis, oleum ſolum. 6. In forma, quæ utrobique diverſa eſt, ut patet.

LECTIO V.

DE FORMA EXTREMÆ UNCTIONIS.

4. Forma Ext. Unctionis.

Quarto, D. Jacobus inſinuat formam, dum dicitur ut Presbyteri *ungentes orent ſuper eum*, & iterum: *Oratio fidei ſalvabit infirmum.* Quæ eſt oratio hæc tantæ virtutis, niſi forma ſacramentalis? quæ per modum deprecationis eſt inſtituta, dum dicit Sacerdos: *Per iſtam Unctionem & piiſſimam ſuam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid deliqueriſti per viſum*, &c. Ratio verò, cur hic deprecatoria forma adhibeatur, eſt, quia Sacramentum hoc datur quaſi complementum ſacramenti pœnitentiæ, & pœnitentia infirmorum vocatur, qui jam viribus deſtituti opera pœnitentiæ non poſſunt facere; ideoque ex foro Eccleſiæ egredientes, in ſolius Dei manibus conſtituuntur, rectèque orationibus Sacerdotum juvantur, & Deo commendantur. Sicque per modum deprecationis ſacramentum iſtud adminiſtratur, ut etiam ſimul ſignificetur, dari hic remiſſionem peccatorum non ex juſtitia, ſed ex miſericordia. Hoc tamen adverte, deprecatoriam iſtam formam non habere vim ex devotione orantium, ſicut aliæ orationes: ſed ex opere operato, ſive ex infallibili Chriſti promiſſione. Unde quod dicit S. Jacobus: *Oratio fidei ſalvabit infirmum*, intellige cum D. Bonaventura, orationem fidei, non tam ipſius inungentis, quam totius Eccleſiæ, in cujus fide adminiſtrantur Sacramenta: imò omnis forma ſacramentalis à Beato Auguſtino *Fidei verbum* vocatur, eo quòd fide ſola percipiatur.

Forma eſſe debet deprecatoria.

S. Bonav. diſt. 23. a. 1. q. 4.

S. Aug. li. 8. contra Donat. c. 25.

Quia verò unctiones in diverſis ſenſibus ſolent fieri, qui ſunt portæ per quas peccatum in animam ingreditur: Hinc etiam diverſæ formæ partiales reperiuntur in hoc ſacramento, de quibus latè Parochialia.

Effectus hujus Sacramenti eſt ex opere operato.

Sed licet effectum qui promittitur ægris in hoc ſacramento, aut pro quo poſtulat deprecatoria forma, devotioni miniſtrorum, aut aſſtantium primariò non adſcribamus, ſed virtuti & efficaciæ Sacramenti, quam habet ex inſtitutione Chriſti: tamen negari non poteſt, plurimum hic valere, & auxilium periclitantibus ægris ferre, ferventem orationem ſive miniſtrorum Dei, ſive aliorum aſſtantium, præſertim ſi ſint amici Dei. Hoc pluribus exemplis demonſtrari poteſt. Narrat S. Gregorius lib. 4. dialog. c. 37. quod ſequitur, & dicit in Monaſterio ſuo contigiſſe. Quidam, inquit, Theodorus nomine, adoleſcens, in Monaſterium meum Fratrem ſuum neceſſitate magis quàm voluntate ſecutus eſt. Cui minùm grave erat, ſi quis pro ſalute ſua aliquid loqueretur, bona enim non ſolùm facere; ſed etiam audire non poterat. Nunquam ſe ad ſanctæ converſationis habitum venire, jurando, iraſcendo, deridendo teſtabatur. In hac autem peſtilentia, quæ nuper hujus urbis populum magna ex parte conſumpſit, percuſſus in inguine, eſt perductus ad mortem. Cumque extremum ſpiritum ageret, convenerunt Fratres, ut egreſſum illius orando protegerent. Jam corpus ejus ab extremis parte fuerat præmortuum, in ſolo tantum pectore vitalis adhuc calor anhelabat. Cuncti autem Fratres tantò cœperunt pro eo enixius orare, quantò eum jam videbant ſub celeritate diſcedere. Tunc repentè cœpit eiſdem Fratribus aſſiſtentibus clamare, atque cum magnis vocibus orationes eorum interrumpere, dicens: *Recedite, recedite. Ecce draconi ad devorandum datus ſum, qui propter veſtram præſentiam devorare me non poteſt. Caput meum jam ſuo ore abſorbuit: date locum, ut me non amplius crucient, ſed faciat quod facturus eſt. Si ei ad devorandum datus ſum, quare propter vos mora patior?* Tunc Fratres cœperunt ei dicere: Quid eſt quod loqueris, Frater? ſignum tibi ſanctæ Crucis imprime. Reſpondit ille dicens: *Volo me ſignare, ſed non poſſum, quia ſqua mis hujus draconis premor.* Cumq; hoc Fratres audirent, pro-

S. Greg. l. 4. dialog. c. 37.

Digitized by Google

proſtrati in terram, cum lachrymis cœperunt pro ereptione illius vehementiùs orare. Et ecce ſubitò cœpit æger clamare, dicens: *Gratias Deo, ecce draco ille, qui me ad devorandum acceperat, fugit, orationibus veſtris expulſus, pro peccatis meis modò intercedite, quia converſi paratus ſum, & ſaculares vitam fundibus relinquere.* Homo ergò qui jam, ſicut dictum eſt, ab extrema corporis parte fuerat præmortuus, reſervatus ad vitam, toto corde ad Deum converſus eſt; & poſtquam mutatus mente diu eſt flagellis adſtrictus, tum ejus anima carne ſoluta eſt. Hæc S. Gregorius.

LECTIO VI.

DE EFFECTIBUS EXTREMÆ UNCTIONIS.

EXPLICAT TRES EFFECTUS EX Apoſtolo.

2. Effectus hujus Sacramenti eſt multiplex.

1. Auxilii & confortatio animæ ægroti contra mortis difficultates.

QUintò exprimitur à S. Jacobo effectus hujus Sacramenti, dum dicit: *Oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Multiplex igitur effectus eſt Sacramenti hujus. Ac *primus* ad quem ordinatur, eſt, ad adjuvandum & confortandum animam ægroti, contra difficultates in mortis articulo occurrentes. Et hoc inſinuat D. Jacobus dicens: *Alleviabit eum Dominus*, ubi Græca legunt, excitabit ſeu confortabit. Multæ potrò difficultates tunc occurrent. *Primò*, quia homo naturaliter nihil ita ac mortem timet, angitur tunc mirum in modum. *Secundò*, Sap. 4. 20. auget hunc timorem vitæ præteritæ memoria & conſcientia accuſans: ita ut verum ſit illud: *Veniens in cogitationem peccatorum ſuorum timidi, & traducent illos ex adverſo iniquitates ipſorum. Tertiò*, angit maximè cogitatio de appropinquante jam judicio ac tribunali Dei, ad quod citatur anima. *Quartò*, pœnarum æternarum conſideratio tum fortior animum pervadit & tremefacit. *Quintò* dæmon, qui omni quidem tempore nos perdere conatur, tunc maximè infeſtat, *ſciens quod modicum tempus habet.* V. lib. 2. lect. ult. Et lib. 1. de cuſtodia Angel. Speculum Exempl. De qua re vide, quæ dixi lib. 2. lect. ult. ubi explicatur, quodò Beata Virgo contra hæc in hora mortis aſſiſtat. Item quæ dixi de cuſtodia Angelorum lib. 1. Certè hæc omnia ita animam terrent, ut etiam viri ſancti hic hæſitârint. Patet de S. Hilarione, de Elzeario, de quodam Stephano Anachoreta, de quibus alibi dixi. Quidam Religioſus deductus ad extremum vitæ horribiliter clamavit: *Maledicta hora, in qua Religioſus factus fui. Et ſibrit.* Non multò poſt facie ſerenâ dixit: *Imò benedicta hora, in qua intravi in Ordinem, & benedicta Mater Chriſti quam ſemper dilexi.* Et iterùm tacuit. Fratres, qui in circuitu erant, audientes, cum lachrymis orabant pro eo. Poſt duas horas dixit fratri adſtanti. Voca fratres noſtros, quoniam Dominus exaudivit orationes eorum. Ingreſſis autem dixit. *Vos exprimo verbo meo quod audiſtis, turbati fuiſtis, ſed hæc eſt cauſa clamoris mei. Apparuerunt mihi duo dæmones terribiles, parati ad recipiendam animam meam, & pre timore extra me raptus, maledixi diei meæ. Et dico vobis, ſi hic factus fuiſſet ignis ex are, mixtus cum ſulphure, qui duraret ab hac hora uſque ad finem mundi, & daretur mihi optio, utrum per illum ignem vellem tranſire, aut iterùm dæmones in ſimili forma videre, eligerem potiùs per ignem tranſire.* Poſtmodum autem venit illa Regina cœli, Mater miſericordiæ, & fugavit dæmones; & ea viſa concepi ſpem, & præ gaudio riſi, & benedixi eam, quod liberaverat me de tam horribili viſione.

Documentum pro infirmis in tentatione.

Contra hos omnes angores, arma & vires ſuppeditat hoc ſacramentum. Alleviatur enim & erigitur ægri animus divinæ bonitatis ſpe, & confirmatur adverſus omnia terriculamenta & trepidationes ſivè a morte, ſivè à judicio DEI, ſivè à pœnis inferni, ſivè à dæmonis inſidiis, provenientes. Ita ut vivâ fide excitatâ, poſſit tunc æger adverſus impetum tentationis conſtanti animo dicere: *Chriſti membrum ſum, Chriſti athleta ſum, ejus ſacro oleo inunctus ſum. Quare tu Princeps mundi hujus, tu immunde ſpiritus diſcede, ille te foris ejecit, ut in me non habeas quicquam, nihilque mihi & tibi ſit commune. Chriſto inſitus ſum, & inhærere illi volo in finem uſque, tanquàm membrum. Qua autem conventio Chriſti cum Belial? Conſecratus ſum tanquàm ejus templum: Quis autem conſenſus Templo Dei cum ſathana? Licet cum multis jam appareas in anima mea excidium conjuratibus, non te timeo, quia plures ſunt mecum, quàm tecum. Tota enim Eccleſia Sanctorum pro me curam agit, orat, meque in ſuam tutelam recipit, adverſus quam non prævalebis. Habeo interim à Deo certiſſima fiducia mea ſigna ac teſtimonia, nempè Sacramenta Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, Unctionis extremæ, quibus Deus me nequaquàm fallet: ſed promiſſioni ſuæ aſſiſtens, perficiet omnia, quæ in eorundem exhibitione mihi pollicitus eſt.* His & ſimilibus cogitationibus, quas excitat viva fides, plurimum ſolatii, & virium additur, eſtque in his titubantis animæ fulcimentum.

Monent interim rectè Sancti Patres, ut frequenter hæc recogitemus, dum tempus eſt, & ſic ad illum exitum nos diſponamus, ne impræparati inveniamur.

S. Cyrill. Alex. de exitu animæ.

Audi Cyrillum Alexandr. *Metuo mortem, quoniam acerba & amara mihi eſt, metuo gehennam, quoniam æterna eſt, exhorreo tartarum, ut cui nimium inſit calòris. Paveo tenebras, quoniam nihil admittunt lucis. Formido peſtiferum vermem, quoniam perennis eſt. Metuo Angelos judicio præficiendos, quoniam immiſericordes ſunt. Terreor mente concipiens illius diri rigidum judicium, horrendum tribunal, Judicem ſeverum. Metuo flumen ignis*

ante tribunal illud fluens, vehementiſſimaq; flamma torrens. Metuo ſtridorem dentium, & fletum inconſolabilem. Quis terror, quis tremor, quod certamen, quæ vis animam ibeu manet à corpore ſecedentem? Illa eſt hora dolorosa, periculoſa, luctuoſa, inconſolabilis, donec ei pateat exitus. Hæc ille, inter pluta ibi videnda ad hanc rem.

Euſeb. Emiſſen. hom. 1. ad Monach.

Audi etiam Euſebium Emiſſenum hom. 1. ad Monachos. Paratos nos inveniat extrema neceſſitas, quæ ſæpè prævenit imparatos. Certam nobis imponat ſollicitudinem incerta conditio, quotidianus ſit illius periculi metus, cujus neſcitur incurſus. Quam tardè miſera anima malorum pœnitebit? Cùm die ultimo ſeparari ſe à corpore viderit, cùm ſibi in fine claudenti oculos nigreſcere & horreſcere æterna nox cœperit: cùm jacere ante ſe vacuum ſalutis & lucis infœlicem commilitonem ſuum vident, incentorem pariter & deceptorem, cum quo de arena mundi hujus per flagitium ſuum victa diſceſſit. Cum cœperit jam ab eo divulſa, immanes & inanes dare planctus & dicere: *Vbi ſunt cupiditates tuæ, quibus huc uſque impatienter arſiſti, & arſura jugiter congregaſti? Ecce tranſierunt ut umbra, abierunt oblectamenta, & ſola in perpetuum opprobria, & crimina remanſerunt. Va mihi, ô anima, ad tam perditum vas, velim nolim reditura ſum propter fugitivas voluptates nunquàm effugiendis ardoribus cum eo concremanda.* Hæc Emiſſenus.

S. Greg. Papa homil. 39. in Evang.

Audi denique D. Gregorium, ut in ore trium teſtium ſtet omne verbum. Cogitandum valdè, quantum terribilis hora reſolutionis noſtræ, quanta omnium malorum memoria, quæ oblivio tranſactæ fœlicitatis, quæ formido judicis. Tunc maligni ſpiritus animâ egrediente, ſua opera requirunt. Tunc mala, quæ ſuaſerunt, replicant, ut ſociam ad tormenta trahant. Sed cur de perverſa anima dicimus, cùm ad electos etiam veniant, & ſuum in illis aliquid requirant? Unus in hominibus extitit, qui ante paſſionem liberâ voce dixit: *Venit Princeps mundi hujus & in me non habet quicquam* Joan. 14. 30. Quia hunc mortalem hominem vidit, ſuum in illo aliquid reperire credidit. Undè quotidiè cum fletu cogitandum nobis eſt, quam rabidus tunc ſua in nobis requiret, qui etiam ad Deum carne morientem venit, & in illo aliquid quæſivit, in quo ſuum invenire nihil potuit. Quid nos miſeri dicturi ſumus, qui innumera mala committimus, niſi ſolum quod nobis certum eſt refugium & ſolida ſpes, quia unum cum illo facti ſumus, in quo Princeps hujus mundi, nihil invenire ſuum potuit? Nihil tamen prodeſt, quod Redemptori per fidem jungimur, ſi moribus disjungamur: *Non* enim *omnis, qui dicit, Domine, Domine, intrabit in Regnum Cœlorum.* Ita Matth. 7. 21. Greg. hom. 39. in Evang. qui etiam videri poteſt 24. mor. c. 17. & 18.

2. *Remiſſio peccatorum venialium,* *Secundus effectus*, eſt remiſſio peccatorum, dicente Jacobo: *Si in peccatis ſit, remittentur ei.* Sed quia remiſſio originalis peccati, propriè ad Baptiſmum ſpectat, remiſſio actualis ad ſacramentum pœnitentiæ: ideò peccata, quæ hic remittuntur, ſunt venialia, & ea, quæ à Theologis vocantur reliquiæ peccatorum. Reliquiæ autem peccatorum etiam dici poſſunt mortalia, quæ poſt ſuſceptum pœnitentiæ ſacramentum, non ſunt confeſſione ſpecialiter manifeſtata, vel quia pœnitens neſciebat eſſe mortalia, vel quia oblivioni erant tradita. Has igitur peccatorum reliquias Unctio ſacra delet. Undè generaliter dicitur: *Si in peccatis ſit, remittentur ei.* Reliquiæ etiam peccatorum ſunt, debilitas & languor animi ex peccatis prioribus relictus, quem expellendi vim habet hoc ſacramentum. Denique reliquiæ peccatorum ſunt pœnæ peccatis debitæ, quæ hic vel penitus tolluntur, vel multùm minuuntur. Sic quantum eſt ex parte hujus ſacramenti, infirmus ita præparatur, ut tanquam miles curſu certaminis peracto, nihil relinquatur in exitu, quod à corona percipienda remoretur, aut a gloria aut amplexu Sponſi animam ſponſam retardet. Veſtitur armis & fortitudine, veſtitur gratiâ & decore, ita ut de ea poſſimus illud uſurpare: *Fortitudo & decor indumentum ejus, & ridebit in die noviſſimo*, ab Eccleſia militante ad triumphantem tranſiens, a regno gratiæ ad regnum gloriæ, à gemitu mortis ad gaudium nuptiarum. Prov. 31. 25.

& reliquiarum.

Propter hos effectus, neutiquam negligendum eſt hoc ſacramentum, licet rigoroſè præceptum de illo non inveniatur. Et propter omnes illius fructus, adeò dolebat ſanctus Malachias, ſe diſtuliſſe per aliquot horas miniſtrare Sacramentum hoc cuidam mulieri, quæ interim è vita exceſſerat. Hiſtoriam ſic refert Bernardus in vita ejus. Habitabat vir nobilis in vicinia Benchorenſis Monaſterii. Cujus uxor, cùm infirmaretur uſque ad mortem, rogatus Malachias, ut deſcenderet, priuſquàm moreretur, infirmam uncturus oleo, deſcendit & intravit ad eam. Quo viſo exultat illa, ſpe animata ſalutis. Et cùm pararet ungere eam, viſum eſt omnibus differendum potius uſque ad manè. Erat enim veſpera. Acquievit Malachias, & datâ benedictione ſuper ægram, exivit cum his, qui ſecum erant. At verò poſt modicum ſubitò clamor factus eſt, planctus & ſtrepitus multus per totam domum, ſiquidem inſonuit, quod mortua eſſet. Accurrit Malachias tumultu audito: & ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus. Et accedens ad lectum, ut certò comperit expiraſſe, conſternatus eſt animo, ſibi imputans, quod fraudatâ gratiâ Sacramenti obierit. Et elevatis in cœlum manibus, Obſecro Domine, inquit, inſipienter egi, ego peccavi, qui diſtuli, non iſta, quæ voluit. Hæc dicens conteſtatus eſt in audientia omnium, nullam ſe recepturum conſolationem, nullam daturum requiem ſpiritui ſuo, niſi quam tulerat, liceret reſtituere gratiam. Et ſtans ſuper eam, totâ nocte laborabat in gemitu ſuo: & pro oleo ſancto, largo imbre lachrymarum profundens mortuam, vicem illi

Lugu Malachias quendam feminam ſine Extr. Vnct. obiiſſe. B. Bern. in vita S. Malachiæ Surius 5. Nov. c. 31.

Unctio-

Digitized by Google

Unctionis, quam poterat, exhibebat. Ipſe quidem ſic. Ad ſuos autem: Vigilate, inquit, & orate. Itaque in Pſalmis illi, ille in lachrymis, noctem duxerunt pervigilem. Et manè facto, exaudivit Dominus Sanctum ſuum, quia Spiritus Domini erat poſtulans pro eo, qui poſtulat pro ſanctis gemitibus inenarrabilibus. Quid plura? Aperit oculos, quæ fuerat mortua, & ut ſolent, qui de gravi ſomno evigilant, fricans ſibi manibus frontem & tempora, ſuper lectum ſe erigit, & agnito Malachia, inclinans devotè ſalutat eum. Et verſo luctu in gaudium, ſtupor apprehendit omnes, & qui viderunt, & qui audierunt. Sed & Malachias gratias agens, benedixit Dominum. Et unxit eam nihilominùs, ſciens in hoc Sacramento remitti peccata, & quod oratio fidei ſalvet infirmum. Poſt hæc abiit ille, & illa convaluit, & vivens incolumis tempore aliquanto, ut gloria Domini manifeſtaretur in ea, peractâ pœnitentiâ, quam ſibi Malachias injunxerat, in bona Confeſſione iterùm obdormivit, & migravit ad Dominum.

Maria Oegniaca in perceptione Extremæ Vncł. mirè eſt recreata.

Dum præſente Mariâ Oegniacenſi Unctionis extremæ Sacramentum ægroti perciperent; ille Chriſtum cum Sanctorum multitudine adeſſe ſentiebat, ægrotumque illum miſericorditer corroborantem, dæmones expellentem, animam purgantem, ſeque dum membra ejus ungerentur, quaſi in lumine per totum corpus ejus diffundentem. Sed & cum ipſamet Beatâ Virgine præmonente, Extremam Unctionem acciperet, Apoſtoli omnes adfuere, & B. Petrus claves oſtendens, pollicebatur ſe illi cœli januam patefacturum. Porrò Chriſtus ſignum Crucis, vexillum victoriæ ſuæ, ad ejus pedes fixit. Cumque in diverſis locis ungeretur, in ipſa ſacramenti ejus perceptione, Sancti Spiritus operationem cum ingenti ſingulorum locorum illuſtratione perſenſit. Quam operationem ut melius perſentiant infirmi, diximus eos inungendos, dum ſenſibus integris ſunt, ut ipſi poſſint reſpondere, & intelligere, quæ circà ſe aguntur.

Jac. de Vitriaco l. 2. vitæ ejus c. 12. Surius 23. Jun.

Surius in vita ejus 33. 27. Sept.

S. Elzearius Comes Arianus in vitæ agone conſtitutus, graviſſimos eosque perpetuos dolores patientiſſimè ſpe futurorum tolerabat. Spiritus ejus jugiter conjunctus fuit cum Deo, volebatque nihilominùs etiam bona audire, jubebatq; Chriſti Paſſionem ſibi legi. Nec lingua etiam à divinis ceſſabat laudibus, crebrò repetens illum verſum: *Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris ejus, universum ſtratum ejus verſaſti in infirmitate ejus.* Sumpto autem Dominico Sacramento, cum ſacro oleo ungeretur, & verſum illum dicerent: *Per ſanctam Crucem & Paſſionem tuam, libera eum Domine:* ipſe eundem tertiò repetivit & addidit: *Hæc eſt ſpes mea, in hac volo mori.*

Aletha Bern. ater.

S. Aletha mater S. Bernardi, dum eadem verba à Sacerdotibus Litanias recitantibus proferrentur, levans manum, ſignavit ſe ſigno Crucis, ac verba illa pronuncians ex imo cordis expiravit.

Effectus.

Tertius effectus eſt ſanitas corporalis, ubi illa ſaluti animæ expedierit, ut Florentinum Concilium explicat & Tridentinum. Inſinuatur quoque à D. Jacobo, dum dicit: *Oratio fidei ſalvabit infirmum.* Quod de ſalvatione non ſolum animæ, ſed & corporis accipi poteſt. Et quidem hic effectus non eſt infallibilis ſimpliciter, quia non eſt ſemper homini conveniens in ordine ad bonum animæ; quandò autem expedit ad ſpirituale animæ bonum, tunc ſemper eam inducere, aſſerit communis ſententia Theologorum. Et conformiùs eſt dictis Conciliorum, quia cùm dicant ſanitatem corporis eſſe effectum Sacramenti ſub conditione, jam poſitâ illâ conditione infallibilis cenſetur, eò quod conditionata promiſſio tranſeat in abſolutam. Debet autem non eſſe impedimentum ex parte recipientis.

eſt ſanitas corporalis ſi animæ ſaluti conducat. Florent. & Trid.

Sed quæres, *cur ergò rarò convaleſcant modò ægri unctione ſuſceptâ?* Reſpondeo duplicem rationem afferri poſſe. Una eſt, quia noſtro tempore ſeriùs quam oporteret, hoc Sacramentum exhibetur ægrotis. Neque enim per hoc Sacramentum expectanda ſunt miracula, quale miraculum eſſet, ſi is, qui agit animam continuè convaleſceret. Undè ſi conferretur ægrotis, qui periculosè incipiunt ægrotare, ſæpè videremus effectum ſanitatis; quæ nonquidem in momento, ſed tempore ſuo ſuccedet. Ita Bellarminus l. 2. de arte benè moriendi c. 8. Alteram rationem affert Catechiſmus Pii V. ſic dicens: Quod ſi ægri hoc tempore eam ſanitatem minùs conſequantur, id quidem non Sacramenti vitio, ſed ob eam potiùs cauſam evenire credendum eſt, quod eorum magna pars qui ſacro oleo perunguntur, vel à quibus adminiſtratur, fides infirmior eſt. Teſtatur enim Evangeliſta, Dominum apud ſuos multas virtutes non feciſſe, propter incredulitatem illorum.

Bellar. lib. de arte benè mor. Catech. Pii V.

Interim quantum ad ſanitatem & animæ & corporis, multis prodeſſe exemplis ſuprà citatis poteſt declarari. Quibus & hoc recens adjicio, ex Annalibus Societatis Anno 1599. Quidam circà Lugdunum magno febris æſtu conflictatus, inter confitendum urgente morbo, de poteſtate mentis exierat. Jam de ſua ſalute actum eſſe, ſempiternis ſe ſupplitiis apud inferos damnatum clamitabat, nullius orationem auribus admittebat: Sacerdos, qui aures ei dabat, ubi furorem ejus animo obſtrepere animadvertit, ad divina præſidia, ubi deeſſent humana, confugiendum exiſtimavit. Itaque domeſticos monet; ut ſacrum oleum, quod æger priuſquam inſaniret, poſtulaverat, celeriter adferendum curarent. Mira dictu viſuque res, ſimul ac ſacro ritè inunctus eſt oleo, mentis ſanitatem, paulò poſt etiam corporis valetudinem recuperavit. Ita in Extremæ Unctionis ſacramento, extremum ſalutis auxilium invenit.

Ex litt. ann. Soc. Jan. 1599 in Collegio Lugd.

Digitized by Google

RESOLUTIONES CASUUM PASTORALIUM.

DE MORIBUNDIS ET Mortuis.

CAPUT I.

DE EXTREMAM VNCTIONEM *suscipientibus, & ministrantibus.*

Q.1. De Extr. Unction. danda pueris.

Quæro Primò. *An pueris habentibus usum rationis, danda sit Extrema Unctio?* Resp. Non solere dari, nisi postquam ad Sacramentum Communionis admissi sunt. Non video tamen, cur eis non possit administrari, cum jam capaces peccati mortalis judicantur, & cum per sensus, qui inungi solent, certum est deliquisse. Neque enim est ordo necessarius, inter Eucharistiam & Extremam Unctionem; tum quia olim dabatur alicubi ante Eucharistiam, seu viaticum, tum quia major requiritur reverentia ad Eucharistiam, quam ad Extremam Unctionem: & ideò posset hujus capax esse puer, qui necdum foret capax Eucharistiæ. Potest tamen Pastor hac in re consuetudini suæ Diœcesis se accommodare.

Q. 2. De mulieribus in partu periclitantibus.

Quæro secundò. *An mulieribus in partu periclitantibus, danda sit Extrema Unctio?* Resp. id vetari in Synodo Mediolanensi 4. p. 2. In his tamen Provinciis solet dari. Nec apparet ratio sufficiens, cur privarentur hoc fructu. Quantum ad phreneticos, furiosos, aut amentes, eis etiam administranda est; nisi perpetuò fuerint tales, aut nisi in excommunicatione vel notorio peccato in amentiam inciderint, sine signis pœnitentiæ.

Qu. 3. De præsentia Parochi post sacramenta ministrata æger.

Quæro tertiò. *An Pastor teneatur post Unctionem & alia Sacramenta, adesse infirmo moribundo?* Resp. stricta obligatione non teneri, nisi forte ad talem statum redactus sit, ut illius præsentia moraliter judicetur necessaria: puta, quia variis agitatur tentationibus, quibus præsentia Pastoris opem debet ferre. Tenetur enim Pastor salutem ovium suarum curare, quamdiu illis superest halitus; & quandò hic & nunc judicatur esse periculum, tantò strictius obligatur, quandoquidem damnum foret irreparabile.

Qu. 4. De testamento condendo an monendus æger à Parocho.

Quæro quartò. *An teneatur Pastor monere ægrum de testamento condendo?* Resp. hoc ordinariè debere fieri, atque etiam præcipi in Pastorali Leodiensi, ut post Eucharistiam administretur a Pastore fiat. Putat verò Navarrus cum quibusdam, esse obligationem sub mortali; sed existimo id solum verum esse, quando Pastor prævidet, vel prævidere debet damna gravia secutura post mortem, si æger non testetur. Exhortandus verò est infirmus ad testandum, dum est in gratia; & si testamentum condidit, dum non erat in gratia, hortandus ad illud Deo offerendum, dum in gratia jam existit.

Qu. 5. An Parochus testamentum moribundi possit sine Notarius conficere.

Quæro quintò. *Si infirmus velit testari, an Parochus teneatur ejus testamentum, tanquàm Notarius conficere & scribere?* Resp. si nullus sit alius, qui id possit, teneri. Undè Parochi omnes in nostra Diœcesi Leodiensi, censentur ad hoc in judicio competentes Notarii, adjunctis duobus testibus, sicut & in causis matrimonialibus. Verùm tamen velim Curatos sese quantùm possunt, ab hoc onere eximere, & illis committere, qui juris & praxis sint periti. Etenim a Jurisconsultis peritissimis audivi, maximam partem processuum & litium quas tractant, originem habere ex imperitia vel Notariorum, vel Parochorum, qui testamenta, aut matrimonialia scripta condentes, non expresserunt clarè, vel satis peritè mentem testantis, aut contrahentis: ideòque sine sufficienti capacitate Scripturis similibus conficiendis se immiscendo, gravium damnorum causæ existunt.

Qu. 6. De absolutionis forma in articulo mortis.

Quæro sextò. *An quandò quis absolvitur in periculo mortis, debeat aliâ formâ, quàm ordinariè, absolvi?* Resp. sufficere ordinariam: *Ego te absolvo à vinculo excommunicationis, in quantùm possum & indiges, deindè ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis, &c.* Rectè tamen additur, *à vinculo excommunicationis & omnibus censuris*, ut etiam docet Parochiale Leod. f. 141. agens de Extrema Unctione. Ubi tamen cave errorem quorundam, qui ministrantes Unctionem, jubent recitari CONFITEOR per ægrum, vel assistentes, deindè formam jam dictam pronunciant, qui eam in Parochiali ibi reperiunt: nec advertunt esse formam sacramentalem, quæ non est danda, nisi cum æger peccatum aliquod confitetur. Error autem ille gravis est, nec tamen infrequens.

CAPUT II.

DE MODO ADJUVANDI MORIBUNDUM.

Modus adjuvandi moribundum.

Quæro *Quis optimus modus moribundum adjuvandi?* Respondeo 1. hortandus est, ut Symbolum Apostolorum, plena fide recitet vernaculo sermone, vel si non potest ore, mente id faciat cum Sacerdote, & annuat se intelligere, & protestari se in ea fide velle mori, & perseverare. Juvat enim plurimùm, ut sicut in egressu vitæ per Baptismum, Symbolum per se, vel per susceptorem quisque recitat; ita & in egressu ex hac vita idem repetat. Sic sanctus Petrus Martyr in ultimo spiritu, digito suo proprio cruore aspersio, scribebat in terra, *Credo in Deum Patrem omnipotentem.*

1. Monendus de fide & Symbolo.

2. Hortandus est, ut spem vivam & firmam concipiat vitæ æternæ, non tam suis innixus meritis, quam

2. De spe & charitate.

Digitized by Google

vitæ æter. concipienda.

quàm meritis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Quod ſi diffidentia, torpore, puſillanimitate, anxius aut turbidus appareat, bonum eſt illi inſinuare illud ex Pſalmis. *In te Domine ſperavi, non confundar in æternum.* Item illud : *Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, ſalutare vultus mei, & Deus meus.* Ubi hæc & ſimilia frequenter ore & corde repetat, adjuvandus eſt.

3. De erebris actibus Contritionis & amoris Dei ſuper omnia.

3. Excitandus eſt in illo actus frequens contritionis, & amoris Dei ſuper omnia deteſtando omnia peccata vitæ præteritæ, propter Deum ſummum bonum, ſummo amore amandum.

4. De actibus reſignationis & oblationis ſui.

4. Excitandus eſt in eo actus perfectæ reſignationis, & oblationis ſui, ſecundum animam & corpus, ſtatumque præſentis morbi, cum omnibus doloribus & incommoditatibus. Quatenus concipiat fervens deſiderium ac votum, per quod optet omnes voluntates Dei, omnia conſilia & deſideria erga ſe animæ Jeſu Chriſti, perfectiſſimè adimpleri per ſe, uſque ad ultimum momentum.

5. Ut ſua deſideria, & dolores uniat cum Jeſu Chriſti.

5. Monendus eſt, ut omnia ſua deſideria, ſuſpiria, languores & dolores uniat cum doloribus & languoribus Jeſu Chriſti in Cruce patientis, & ad mortem uſque ex obedientia Patris ſe humiliantis; ut ex unione illa, accepta etiam fiant Patri æterno.

6. Devotio ad Agoniã Chriſto in horto & in cruce.

6. Moneatur concipere ſpecialem devotionem & attentionem, tum ad agoniam Chriſti in horto Patrem orantis; tum ad tres illas horas quibus languens in ſummis cruciatibus pependit in cruce; valido cordis clamore, cum lachrymis & ſuſpiriis, orans pro omnibus afflictis, ipſe derelictus & afflictiſſimus Vir dolorum, noviſſimus virorum.

7. Devotio ſpecialis ad cor Jeſu apertum Lancea.

7. Proponendà eſt ei ſpecialis devotio ad cor Jeſu amoroſum lancea apertum, in quo fons omnis conſolationis & gratiæ reperitur, & omne bonum : atque per illam portam pietatis patet ingreſſus ad miſericordiam, ad vitam & gloriam. Jungat ergò ſæpius cor ſuum, & uniat illud cordi amoroſo Domini noſtri JESU Chriſti, à quo omne bonum & meritum. Unde ſi aliquando diffidentia aliqua obrepat à ſathana immiſſa, confidenter dicat cum D. Bernardo : *Ego quicquid mihi deeſt, aſſurgo ex vulneribus Domini noſtri Jeſu Chriſti, quia miſericordia affluunt, nec deſunt foramina, per quæ effluant.*

8. Orationes crebræ & jaculatoriæ ſuggerendæ.

8. Moneatur rogare Deum : *Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me, neque projicias me. Deus ne elongeris à me, Deus meus in auxilium meum reſpice.* Ad hoc autem juvabit ei proponere, ut ſpecialiter deprecetur Dominum, quatenus in extremis, cùm amplius loqui non dabitur aut intelligere, velit ipſe acceptare omnia ſuſpiria ad extremum halitum uſque; quæ quidem ex nunc illi offerat, optans ut toties quoties reſpirabit, tot ſint deſignationes & oblationes cordis ſui palpitantis, ad cor Jeſu, & ad voluntatem ejus perfectè ſemper adimplendam, reſpirantis.

Denique, edocendus eſt jaculatorias aliquot orationes breves, ſive ex Pſalmis, ſive ex Litaniis, aut precibus Eccleſiæ, quibus frequenter & ferventer affectum cordis poſſit renovare. Et his etiam utatur Sacerdos coram ægro, breviter inſinuando potius, quam prolixo diſcurſu aut exhortatione, quæ quandoque non ſolum inutilis eſt; ſed moleſta illi qui capite & auditu debilis eſt.

Hæ autem breves oratiunculæ, modò ad Patrem, modò ad Chriſtum, modò ad Spiritum ſanctum, dirigi poſſunt; modò ad Virginem, aut Angelum cuſtodem, vel Sanctum, cujus patticulari protectioni ſe æger commiſerit. Apud illos qui rudes ſunt & illiterati, ſufficiet eas depromere ex oratione Dominica, Symbolo, aut Salutatione Angelica. Unaquæque enim petitio orationis Dominicæ cum affectu elevata & ruminata, efficaciter poteſt animum ægri afficere & reficere. Quid enim melius poteſt æger in ore habere, quam illud : *Pater ſanctificetur nomen tuum.* Aut illud : *Pater fiat voluntas tua.* Aut illud : *Adveniat regnum tuum.* Aut denique illud : *Et ne inducas in tentationem, ſed libera nos à malo.* Quid ad Virginem efficacius dirigi poteſt, quàm illud : *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis.* Aut illud : *Maria Mater gratiæ, Mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege & hora mortis ſuſcipe.*

Hæc modò ſufficiant de hac re breviter inſinuata, de quibus forſan fuſius potero alibi ex profeſſo diſſerere, Tractatu de hac re ſpeciali.

CAPUT III.

DE SEPULTURA MORTUORUM.

Q. 1. De die ſepultura mortuorum. An etiam in Paraſceve.

QUæro Primo. *An omni die poſſit ſepeliri mortuus?* Reſp. affirmativè, etiamſi dies ſit Paſchæ. Apud aliquos viſum eſt in dubium revocari, *an in die Paraſceves ſepeliendus ſit mortuus?* Reſp. etiam tùc poſſe ſepeliri, ſed tamen nunc non ſunt pulſandæ campanæ. Quantum autem temporis intereſſe debeat inter mortem & ſepulturam, ex locorum diverſa conſuetudine pendet reſolutio. Nobis ordinantur in Leodienſi Diœceſi viginti quatuor horæ. Quod intellige, niſi cauſa ſubſit, ut facile fit in nimio æſtu, dum corpora corruptioni ſunt obnoxia, aut tempore morborum, &c.

Q. 2. De Miſſa pro defunctis celebranda.

Quæro Secundo. *An Miſſa de Requiem poſſit celebrari omni die?* Reſp. poſſe, excepto die Paraſceves, in quo non poteſt celebrari ulla Miſſa. Excipiunt & aliqui diem Sabbati ſancti, atque etiam Paſchæ. Excipi etiam poſſent ſolemnitates aliæ celebriores in Eccleſia, in quibus non eſt congruum ſaltem officium publicum & ſolemne exequiarum celebrare. Immò in noſtra Diœceſi juſtè ordinatum eſt, ut exequiæ & publi-

Digitized by Google

publica mortuorum officia diebus Dominicis, aliiſve feſtis non peragantur, ſed in diem non impeditam rejiciantur. Ita Synod. Leodienſis tit. 10. c. 8. Privatim autem celebrare de defuncto diebus dictis licet, & ex cauſa laudabile eſſe poteſt.

In vita Joſephi Anchietæ

Sic lego in vita Joſephi Anchietæ, Sacerdotis è Societate in Braſilia miraculis clari: Ipſo die feſto S. Joannis Evangeliſtæ, qui tertius eſt à Natali Chriſti celebratam Miſſam Requiem certo homini applicavit. Id verò abſurdum multis viſum eſt. Quapropter & Superior quaſi reprehendens coram aliis, quæſivit ab eo, cur in tantæ ſolemnitatis die, ita ab Eccleſiæ ritu exerraret? Reſpondit illa nocte in Lauretano Collegio Sacerdotem Societatis objiſſe, ſuum quondam Conimbricæ condiſcipulum, ſeque pro anima illius ſacrificium obtuliſſe. Rogatus eſt iterum, an aliquid noſſet de animæ illius ſtatu? Reſpondit, cœlum ingreſſam, cùm ad eum ſacrificii locum veniſſet, *Omnis honor & gloria* Hæc ibi.

Q. 3. De muliere in partu mortua.

Quæro Tertio. *An ſi mulier in partu moriatur, debeant legi orationes, quæ ſolent recitari ad introducendam puerperam in Eccleſiam, idque ſuper corpore jam mortuo, antequam ad Eccleſiam deferatur pro ſepultura?* R. licet antiquitus ab aliquibus Sacerdotibus hoc videatur practicatum, ut etiam teſtantur ſeniores aliquæ matronæ, non video cur fieri debeat, tum quia tales orationes ſunt pro viva & non pro defuncta, tum quia hoc in rituali non reperitur, tum denique quia ſapere videtur aliquam ſuperſtitionem anilem, quia exiſtimant puerperas ante id haberi quaſi Paganas & Ethnicas; per illas autem orationes reddi quaſi naviter Chriſtianas. Sic enim loquuntur vernaculi de puerperis: *Elle giſt Payenne* Edocendæ igitur ſunt, hanc introductionem in Eccleſiam non ad aliud fieri, niſi ut redeant poſt ſufficientem naturæ ex partus debilitate reſtaurationem, reddituræ Deo gratias, & ſe prolemque illi oblaturæ implorata Sacerdotis per preces Eccleſiæ benedictione. Ex quo etiam conſequitur, quando periclitantibus poſt partum domi eis Sacramenta miniſtrantur, non eſſe neceſſe has orationes prævie recitare, quaſi per illas ab aliqua irregularitate, ſive impedimento Sacramentorum liberentur; quod ſapit Judaiſmum.

Q. 4. Quinam priventur ſacra ſepultura?

Quæro Quarto. *Quinam priventur ſacra ſepultura?* Reſp. *Primo*, qui non eſt baptizatus. Unde puer moriens ante baptiſmum, non debet ſepeliri in loco ſacro, niſi forte mortuus ſit in utero, nec extractus; tunc enim cenſetur pars matris; ſi autem extrahatur & ſeparetur fœtus à matre, in loco profano eſt tumulandus. Si verò eſt baptizatus, licet ſit baptiſmus dubius, ſepultura ſacra ei non denegatur, ſive ſit dubius ex parte materiæ, per quam baptizatus fuit, ſive ex eo quod dubitabatur vivere. Judicandum enim eſt in favorem infantis, quamdiu durat dubium.

Secundo, excommunicatus nominatim denuntiatus, vel notorius percuſſor Clerici. Dico nominatim excommunicatus, &c. quia hos ſolos tenemur vitare dum vivunt, ſic etiam dum mortui ſunt. Nam cui communicavimus vivo, poſſumus & communicare mortuo.

Dices: *Ergo paſſim hæretici poterunt ſepeliri in loco ſacro ſi nominatim non denunciantur excommunicati?* R. negando conſequentiam. Nam licet ex eo capite quod excommunicati cenſeantur, ſed non vitandi ante denunciationem, poſſit excuſatio eſſe: tamen ſi manifeſti ſint, & diſceſſerint in hæreſi ſine ſignis pœnitentiæ, privandi veniunt ſepulturâ: quia in ſtatu notorio peccati mortalis moriuntur, quales omnes non ſunt ſepeliendi in loco ſacro, ut ſtatim dicemus.

Hæretici non ſepeliendi in loco ſacro.

Adverte verò in locis quæ occuparunt hæretici, ſive in Eccleſiis & Cœmeteriis, in quibus corpora ſua ſepelierunt, cùm prius Catholicorum corporibus ſepeliendis illa loca deſervirent, non eſſe neceſſe exhumari iſta corpora, tum quia non poſſunt oſſa eorum diſtingui ab oſſibus Catholicorum; tum quia ut plurimum hæretici illi non fuerunt nominatim excommunicati. Sufficit ergo, dum iterum redeunt in uſum Catholicorum, aſperſione aquæ ſolemniter ab Epiſcopo benedictæ reconciliari. Qui caſus mihi propoſitus fuit noviſſimè in Oppido Gelhauſen in Germania, ab illuſtriſſimo D. Caraſa Legato & Nuncio Apoſtolico, eo quod per eum urbem dum tranſiremus, Religioſi Franciſcani templum ſuum recuperant, auxilio militum Hiſpanorum, ibidem Præſidiatorum, rogabantque auctoritate Illuſtriſſimi locum iterum reddi ſacris uſibus; difficultas vero movebatur propter corpora Lutheranorum ibi ſepulta, an prius exhumanda forent. Et ob rationes dictas, reſpondi quod non eſſet neceſſe, cum nec etiam tunc temporis, licet diſcerni potuiſſent aliqua ſepulchra hæreticorum, conveniens fuiſſet ea diſjici, ne novi tumultus ſuſcitarentur in Civitate plane hæreticorum, & occaſio eis daretur inclamandi pacta Cæſarea effringi.

An corpora Hæreticorum ſepulta in Eccleſia vel cœmeterio Catholicorum exhumanda?

Caſus ſimilis.

Quod ſi vero contingat in loco ſacro temerariè ſepeliri aliquem nominatim excommunicatum, ſepelientes excommunicationem incurrunt, ut habetur in Clementia 1. de ſepult. Nec divina officia ibi celebrari debent, nec fideles ſepeliri, donec extrahatur corpus, & reconcilietur locus. Si verò ſigna pœnitentiæ edidit excommunicatus talis, poterit abſolvi poſt mortem ab illo, ad quem ſpectabat auctoritas abſolvendi. Vide Navar. c. 26. & Tolet.

Clemẽ. 1. de ſepult.

Navar. c. 26. & Tolet. l. 1. c. 16.

Tertiò, privantur ſepultura duellantes, ſi in conflictu deceſſerint. Item occidentes ſe ex deſperatione vel ira, ſi nullum contritionis ſignum oſtenderint. Qui autem ſeipſum occidit cùm mentis compos non eſſet, non privatur. Imò cadaver hominis fidelis, ſi inveniatur in puteo, in loco ſacro eſt humandum. Conjicitur enim probabiliter, vel caſu illuc decidiſſe; vel vio-

vel violenter ab aliquo dejectum. Ita Rodriquez p.1.c.56.

Quarto privantur blaſphemi, niſi ſigna contritionis dent. Si autem in morbo quis blaſphemet, & poſſit conjici quod ex phreneſi, prout contingit quandoque febricitantibus, etiamſi moriatur ſic, non propterea privatur loco ſacro. Prudenter autem judicandum eſt, ex qua cauſa, & ex qua diſpoſitione blaſphemet. Sunt & alia peccata quæ ſpecialiter enumerantur à Summiſtis, ob quæ denegatur ſacra ſepultura. Vide latè Sylveſtrum, & alios v. *Sepultura*. Inter illa enumerant, Raptores bonorum alienorum: Item uſurpatores decimarum, ſi in fine vitæ non reſtituant, aut non dent cautionem de reſtituendo.

Poſtremò, privandi ſunt ſepulturâ, non ſolùm qui non ſunt confeſſi, aut qui non communicarunt in Paſchate: ſed & omnes qui moriuntur in peccato mortali notorio ſeu manifeſto, ſine ſignis pœnitentiæ; meretrices, concubinarii, uſuratii, & qui in flagranti delicto occiduntur. Sufficit autem unus teſtis fide dignus, qui atteſtetur dediſſe ſigna contritionis, ut poſſint ſepeliri.

QUÆRO QUINTO. *An debeant permitti aperiri corpora defunctorum?* Reſpondeo ex juſta cauſa id poſſe fieri ex conſenſu propinquorum, maximè cum graſſantur morbi aliqui ignoti, ideòque aperiunt Medici, ut illis provideant. *Q.5. De apertione corporum defunctorum.*

CANDELABRI MYSTICI
TRACTATUS VII.
DE SACRAMENTO ORDINIS.

PROOEMIVM.

SEXTA Lampas, ſeu Lucerna myſtica noſtri Candelabri, eſt Sacramentum Ordinis, Lampas fulgidiſſima, ex qua poteſtas ſacrata, luxque gratiæ ſpecialis depromitur, à Miniſtris Dei ad eam accedentibus: per quam poſſint munia ſacra rectè obire, & cum fulgore interiori coram Domino in miniſteriis ſuis dignè ſtare. Ex illa etiam ignis ardens zeli gloriæ Dei, ac ſalutis proximi deſumitur; quo poſſint ipſi non ſolum lucere, ſed & ardere, ac alios accendere igne illo cœlico, *quem Dominus venit mittere in terram, & vehementer optat accendi.* Tolle ab Eccleſia imminentem illam Lampadem Ordinis ſacri, & Sacerdotii à Chriſto inſtituti, quid niſi confuſio & caligo? Quid niſi Babylon quædam, aut Ægyptus tenebroſa? Talis reperitur confuſio apud Novatores hæreticos, talis & caligo: dum pro libito ſuo ex Sacerdotibus faciunt Laicos, ex Laicis Sacerdotes, ſine oleo, ſine unctione, ſine ordine, ſine luce gratiæ. Unde in eorum miniſteriis nihil ſublime, nihil decorum, nihil fulgidum. Sed repit in terra omne miniſterium eorum, nec de cœlo trahit originem aut lucem: vile eſt, populare eſt, quod & ſutoribus è plebe, & ſartoribus, & victoribus, aliiſque infimæ fœcis committitur. Aperiant ergo & elevent oculos, qui ab eis faſcinati ſunt, & videant ſplendorem Ordinum ſacrorum, in Eccleſia vera effulgentem inſtar Lampadis in Candelabro ſublimi poſitæ, ut lucem fundat *omnibus qui in domo ſunt.* Hæc verò Lampas ſeptuplex eſt, ſeptem Ordinibus quaſi ſeptem partialibus Lucernis unam totalem conflantibus diſtincta. Ideò de ſingulis in particulari brevitèr in hoc Tractatu agemus, materiam, formam, effectum explicantes. *VI. Lampas myſtica eſt Sacramentum Ordinis.* Luc.12. 49. Matt.5 15 *Tractanda hic.*

Digitized by Google

LECTIO I.

DE DIVERSITATE ORDINUM.

1. *Decet rectè in Ecclesia diversos Ordines institutos.*
2. *Ordinationem esse verè & propriè Sacramentum.*

PROPOSITIO I.

Rationes, cur Ordines in Ecclesia sint instituti.

Convenienter in Ecclesia, distinctio est ministrorum & graduum sacrorum, stabilita à Christo.

Ratio 1. laudabilis est Ordo in naturalibus, quam se magis in supernaturalibus?

RATIO prima convenientiæ deducitur ex iis quæ in naturalibus cernimus. Nam inter res naturales ordo quidam conspicuus est, quo inferiora per superiora gubernantur, ut unumquodque finem suum assequatur: pari ergo ratione congruus est aliquis ordo in Ecclesiæ institutione, ut regularus sit ejus processus ad esse gratiæ, & ad finem supernaturalem assequendum. Per hunc autem varium ordinem fit, ut alii aliis superiores sint officio & potestate, in eosque influant dispensando Sacramenta gratiæ. Itaque sicut sapientia Dei, & gloria elucet in pulchritudine totius universi, ex diversis perfectionibus creaturarum ordinata: ita eadem sapientia & gloria multò magis manifestatur in Ecclesia per graduum, functionum, & ordinum distinctionem speciosam. * Magnus utique Dominus & laudabilis nimis in Civitate Dei nostri in monte sancto ejus. Magnus in Ecclesia sua instar civitatis sanctæ ordinatissima, quæ non solùm civium numero affluit, sed & officiorum ac graduum speciosa distinctione effulget. *Deus in domibus ejus cognoscetur, cum suscipiet eam.* Legit Augustinus: *Deus in gradibus ejus cognoscetur*, hoc est, in tanta graduum & functionum diversitate laus ejus coruscabit. *Regina Saba videns sapientiam Salomonis & domum quam ædificaverat, & cibos mensæ ejus, & habitacula servorum: & ordines ministrantium, vestesque eorum & pincernas & holocausta quæ offerebat in domo Domini, non habebat ultrà spiritum:* Meritò etiam in admirationem rapietur, qui penitus contemplari voluerit Christi sapientiam in institutione Ecclesiæ rutilantem, in diversis ordinibus & ministris, in sacrificiis & sacrificantibus, in tot sacris functionibus ordinatissimis, in tot mysteriis & Mystagogis à se institutis. Habet enim Ecclesiæ facies quiddam majestatis, habet ejus series, & ordo hierarchicus divini quidpiam numinis, si oculis mentis perlustretur sagacius: ita ut meritò dicamus: *Deus in domibus ejus, sive in gradibus ejus cognoscetur*, & laudetur oculo mentis purgato, templorum, ministrorum, cæremoniarum, sociorumque majestas mysteriis plena, introspiciatur. Quamvis & hoc fateri debeamus, veteris Ecclesiæ faciem externam in functionibus ordinum singulorum, in splendore suo ac majestate illustrius promicasse. Etenim olim Episcopus cum suis Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Acolytis, Exorcistis, Lectoribus, Ostiariis procedebat, & singuli suis officiis intenti incumbebant. Tunc Laici ad Dominicum (sic Cathedralis Ecclesia vocabatur, quasi templum Domini in quo propter Dominum convenitur: sic Germani etiam nunc Episcopalia templa *Thumb* vocant) catervatim confluebant, lectionum, concionum, & sacri audiendi, participandique corporis & sanguinis Dominici gratia. Tunc Episcopus personaliter dispensabat verbum Dei, & populus religiosa attentione illud non ut verbum hominis, sed ut verbum Christi excipiebat: & ad singula mysteria quæ peragebantur intentus, religiosissimè venerabatur. Tunc Catechumeni, Energumeni, Pœnitentes & cæteri de plebe sancta, in suas quique classes distributi, clericorum sibi Perfectorum monitis parebant. Clerici quoque singuli singula sua gerebant officia pulcherrimo ordine: ita ut pius ille conventus, & functionum sacrarum splendor, etiam profanos in admirationem sui raperet: sicut Paulus testatur, idiotam aut incredulum ingressum in Ecclesiam Sanctorum, procidere in faciem suam, & adorare Deum, profitendo quòd verè Deus sit in medio eorum.

Cathedralis Ecclesia unde Thumb dicatur.

De Valente Imp. legimus, Epiphaniæ festo die cum splendida sua pompa in Ecclesiam venisse, & munus suum ad sacram mensam attulisse. At cùm ibi fixè considerasset quam mirè omnia ordine gererentur, ad stuporem delapsus est, & totus mutatus in solum concidebat, nisi quidam ex primoribus jam ruentem retinuisset. Ubi verò sermonem quoque cùm viro contulit, magis etiam sapientiam sacrisque obeundis & concionibus atque conventibus peragendis dexteritatem, nec non ordinem rerum omnium pulcherrimum, est admiratus. Ita Nicephorus. Nicephor. li. 11. c. 16.

Succedente tempore aliquid de hoc splendore imminutum est quando Ecclesiæ Cathedrales (ut testatur Concilium Colonense in Enchiridio) Primò in Monachorum, deinde in Canonicorum collegia commutatæ sunt, & minores Parochiæ propè Dominicum exædificatæ, & in singulis singuli Parochi minores constituti sunt. Tunc enim cæperunt Parochi in suis quique Parochiis Ecclesiastica officia, (quæ olim in Dominico, distincti Clericorum ordines gerebant) indiscriminatim obire ac peragere: factumque est, ut vix umbra veteris Ecclesiæ in nostris Cathedralibus Ecclesiis (quæ nunc magis deambulationibus ac profanis colloquiis, perinde ac fora publica à plebe fœdantur, ac nulla penè pietate inviseuntur) remanserit. Adde quod nemo ferè nunc suo officio ad veterem morem fungatur, nomina tantùm retinemus, munus

Conc. Colon. in Enchir. Vide sodalitium quod antiquum splendorem in Ecclesia Cathedrali restaurare conatum est & efficium defunctorum

Digitized by Google

nus nemo exequitur, ſed in pueros ſeu conductitios paſſim relegatur. Lectorum enim officium etiam pueris committitur, ſicut & Acolyti munus, adoleſcentulis quos chorales vocamus, demandatur. Exorciſtarum officium penè obſolevit, Oſtiariorumque munus.

2. Eſt ſimilitudo Eccleſiaſticæ Hierarchiæ cum cœleſti. S. Dionyſ. c. 6. de cœleſti Hierarchia. D. Tho. 1. p. q. 108. a. 1, & 2.

Secunda ratio convenientiæ diverſorum graduum & ordinum, eſt ſimilitudo quædam Eccleſiaſticæ Hierarchiæ cum cœleſti. Etenim cœleſtis Hierachia à Deo ita inſtituta eſt, ut variis diſtinctæ gradibus, alii aliis ſuperiores ſint, alii in alios influant, alii alios illuminent: quod ſimilimodo in Eccleſia ſtabiliri ab eodem utriuſque auctore decuit. Quapropter ſicut in Eccleſia Triumphante, Angeli ſunt ordine ac poteſtate differentes, qui injuncta ſibi munia decenti diſpoſitione obeunt, ac fideliter exequuntur: ſic Militans etiam Eccleſia, quæ domus Dei, & velut caſtrorum acies quædam ordinata eſt, miniſtros habet ſibi peculiares, à reliquis Chriſtianis ſejunctos, & pulchro ordine inter ſe diſpoſitos, ad publica & communia Eccleſiæ miniſteria in terris peragenda: nimirum ut pro Chriſtiano populo, in his quæ ad Deum ſalutemque animarum ſpectant, ſuas illi operas, præſtent. Et ſicut inter Angelos ſunt ſupremi, medii, infimi, ita in Eccleſiæ miniſtris. Ac primò ſunt ſupremi, ſcilicet Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchiæ, uſque ad ſupremum Pontificem. Epiſcopi dicuntur qui Principes ſunt Sacerdotum. Archiepiſcopi, qui pluribus Epiſcopis præſunt, qui etiam Metropolitani vocantur, tanquam illarum urbium Antiſtites, quæ matres habentur illius Provinciæ. Patriarchæ, id eſt, primi ſupremique Patres. Olim in Eccleſia univerſa præter ſummum Romanum Pontificem quatuor tantum Patriarchæ numerabantur, neque omnes tamen dignitate pares; Nam Conſtantinopolitanus, etſi ad eum poſt omnes alios hic honos delatus eſt, tamen ob imperii majeſtatem altiorem locum obtinuit. Proximus eſt Alexandrinus, cujus Eccleſiam Marcus Evangeliſta juſſu Principis Apoſtolorum fundavit. Tertius Antiochenus, ubi Petrus ſedem primò locavit. Extremum gradum habet Hieroſolymitanus, quam Eccleſiam Jacobus Frater Domini rexit. Secundo ſunt medii, ſcilicet Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, qui ad ſacratis miniſterium ſpecialiter ſunt ordinati: & ad ſacratum rerum contactum jus habent, ac per continentiam perpetuam Deo ſunt dicati; & propterea hi tres Ordines ſacri ſpecialiter dicuntur. Tertiò infimi ſunt, alii inferioribus ordinibus conſtituti, & ad inferiora miniſteria deputati: quibus nec continentiæ votum impoſitum eſt, quales ſunt Acolyti, Lectores, Exorciſtæ, Oſtiarii. De his verò omnibus dicit S. Greg. l. 4. ep. 31. *Ad hoc divina diſpenſationis proviſio gradus diverſos & ordines conſtituit diſtinctos, ut dum reverentiam minores potioribus, & potiores minoribus dilectionem impenderent; una concordia fieret ex diverſitate connexio, & veluti officiorum gereretur adminiſtratio ſingulorum.*

Ideò etiam dicit Bernardus, Eccleſiam in Apocalypſi deſcribi deſcendentem de cœlo, eo quod Ordines Eccleſiæ exemplar habeant in Cœlo. *Nè videam*, inquit, *reputes formam hanc, quia in terra eſt; Deum habet auctorem, & de Cœlo ducit originem.* Ita ad Eugenium lib. 3. loquitur Bernardus. D. Bern. l. 3. de conſid. Eugen.

Propositio II.

Fidei eſt, Ordinem ſive ſacram ordinationem eſſe Sacramentum verè ac propriè dictum à Chriſto inſtitutum.

Eccleſiæ hoſtes in hoc potiſſimum incumbunt, ut Ordinem ex Eccleſia tollant, ex Sacerdotibus laicos facientes, & ſacerdotalia munera laicis injungentes. Sic illi domum Dei benè ordinatam & ſpecioſam, in Babylonem quamdam plenam confuſionis & deformitatis tranſmutare conantur. Quia ſublata legitima miniſtrorum poteſtate gratiam conjunctam habente, vileſcere facere tum ſacramenta, tum alia omnia quæ in Eccleſia miniſtrorum opere peraguntur. Contra hos Concilium Trid. ſeſſ. 23. can. 3. & cap. 3. diſertè agit, & decernit ex doctrina Eccleſiæ & Scripturæ auctoritate, ordinationem ſacram verè eſſe Sacramentum. Declaratur, quia in ordinatione per viſibile ſignaculum gratia & poteſtas ſpiritualis traditur ordinato, ad munus ad quod in Eccleſia gerendum deſtinatur. Hinc Apoſtolus monet Timotheum: *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* Ubi ſignificat gratiam ei collatam fuiſſe in ordinatione facta, quæ munere ſuo fungi poſſit: quam excitare debeat quaſi quodam flabello, ut reardeſcat, quia gratia ſenſim langueſcit, & quodam cinere conſopiti videtur niſi ſuſcitetur. Quod fit per orationem ſtudiumque ſacrum ac conatum, quo homo ſe excitat, zelumque in ſe accendit, ut gratiæ & charitati infuſæ cooperetur, ne elangueſcat. Huc etiam pertinet illud: *Noli negligere gratiam quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per Prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterii.* Ubi per Prophetiam, intelligunt aliqui orationem ſacram, ſive verba myſtica formam ordinationis continentia: ita ut Apoſtolus hic deſignet formam Sacramenti Ordinis. Nec hoc abſonum videtur, quia Apoſtolus 1. ad Corinth. 14. & alibi, Prophetiam vocat quamlibet orationem & ſermonem ſacrum, præcipuè arcanum & myſticum, quales olim erant formæ ſacramentorum. Quamvis alii per Prophetiam hic intelligant revelationem, qua juſſit Deus ordinari Timotheum Epiſcopum juxta illud cap. 1. *Hoc præceptum commendo tibi Fili Timothee, ſecundum præcedentes in te Prophetias, ut milites bonam militiam.* Cùm verò Apoſtolus addit: *cum impoſitione manuum Presbyterii*, materiam indicat Sacramenti, & ſignum viſibile gratiæ. Solebant enim Presbyteri cum Epiſcopo manus ordinandis imponere; & ita Presbyterium idem his eſt, quod cœtus Presbyterorum, vel juxta Anſelmum:

1. Tim. 4. 6.

1. Cor. 14. 3.

1. Tim. 1. 18.

D. Ansel. in hunc loc. Per impositionem manuum Presbyterii, idem est ac si dicat, per ordinationem, quia consecratus est Presbyter & Episcopus. Impositio ergo illa manus, efficax est gratiæ signum: & sub illa intelliguntur reliqua quæ ad materiam in ordinatione sacra spectant. Denique per gratiam signum visibile in sacra ordinatione dari, etiam satis probatur ex facto Christi, qui exteriùs insufflans in Apo-
Joan. 20. 22. stolos dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* Ubi per insufflationis signaculum illud visibile, designavit potestatem in sacra ordinatione, & Spiritus Sancti gratiam simul conferri, potestatis illius muneri ritè peragendo necessariam. Quapropter exinde in Ecclesia Presbyteris ordinandis dicitur: *Accipite Spiritum Sanctum*, Christo scilicet per suum meritum & virtutem, idem quod olim per se, per ministros jam suos operante. Imò Scriptura ordinationem non tam Apostolis aut Episcopis, quam ipsi Spiritui S. tribuit; qui principalis agens est per
Act. 20. 28. Sacramentum. Hinc Act. 20. legimus: *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisi-*
Act. 13. 2. *vit Sanguine suo.* Et Act 13. *Dixit Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes, & imponentes illis manus, dimiserunt illos.*

Ex quibus omnibus collige contra hæreticos nostros, non ad magistratum politicum spectare ordinationem ministrorum Ecclesiæ, sed ad Apostolorum successores, per Spiritum S. eis communicatum à Christo: cujus personam gerunt, cujus virtute ac meritis eundem Spiritum S. tribuunt: per sacramentum ordinationis. Unde non habendi sunt tanquam Ecclesiæ ministri, verùm fugiendi ut fures, latrones, canes, lupi, & vulpes, qui per hoc ostium non ingrediuntur: sed vel propria temeritate, vel propter Magistratus civilis aut turbæ popularis favorem, Ecclesiastica munia sibi assumunt, & absque legitima vocatione & ordinatione in sacra illa officia involant. Væ enim illis quos non Aaronis à Deo vocati exemplum, sed novandarum rerum studium, ac animi tumor adinstar
2. Paral. 26. 18. Oziæ Regis, ad sacerdotales functiones arripiendas præcipitas. De quibus verum est illud. *Non mittebam eos & ipsi currebant, non loquebar ad eos & ipsi*
Jer. 23. 21 *prophetabant.*

Objectio 1. Hæretici dicunt se invisibiliter à Deo missos.

Sed dicunt Hæretici se à Domino missos invisibiliter: quia convincuntur ab his qui in Ecclesia potestatem habent nec ordinatos esse, nec legitimè missos. Verùm id inaniter dici patet, quia quilibet hoc asseverare potest, & sub eo prætextu erroneæ doctrinæ pestifera semina spargere, omnemque sacrarum functionum ordinem perturbare. Quod & ipsi faciunt, non in ædificationem, sed in destructionem, contra Apostoli Pauli doctrinam, qui dicit Deum in Ecclesia visibiliter or-
Eph. 4. 11 v. 14. dinasse diversos ministrorum gradus, *Apostolos, Doctores, Pastores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi: ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Ideò in Ecclesia videmus perpetuam & nulla hactenus ætate interruptam Episcoporum ac legitimorum in eis ordinum successionem, quos Deus ad regni sui gubernationem collocavit, & ad doctrinæ veræ traditionem. Quam successionem, tum ordinationis tum doctrinæ, neutiquam possunt hæretici ostendere: & ideò furtivè, injustè, perniciosè, sacris se ingerunt ministeriis, sine missione. Quod si extraordinariam & invisibilem velint missionem suam, debent per operationem miraculi, vel per Scripturæ evidens testimonium illam adstruere.

Unde, cum Dominus vellet mittere Moysen Exo. 4. 17
in Ægyptum ad filios Israel, ut crederent ei, dedit ei signum, quando dedit ei potestatem vertendi virgam in colubrum, & iterum colubrum in virgam, aliaque prodigiosa signa patrandi. Joannes quoque Baptista missionis suæ speciale testimonium protulit de Scripturæ dicens: *Ego vox* Joan. 1. 23
clamantis in deserto, dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta. Sed & ejus Nativitas. Prædicatio, vita, cibus, vestis, prodigiosa fuêre, & satis miraculosa ad missionem, ejus confirmandam. De his quoque qui à Domino missi leguntur, testatur Evangelista, quod *ubique prædicaverunt Domino* Marc. ult. 20.
sermonem confirmante sequentibus signis. Cum ergo hactenus Calvinistæ aut Lutherani, qui se ad Ecclesiam reformandam missos volunt, nullum suæ missionis signum ediderint, nec ordinationis legitimæ successionem prodere possint: tanquam injusti invasores facti ministerii, & ad ulterini deformatores sponsæ Christi, propulsandi sunt & cavendi. Cùm nec vita sua moribusque, spiritu Christi duci se ostendant, sed à spiritu immundo regi, libertati & carni frena laxantes, quam Evangelii auctoritate impiè velant. Hinc Lutherus interrogatus cur à raptu Virginum & Monialium defloratione incesta, & conjugio etiam Sacerdotum, Evangelium suum auspicaretur? Respondisse fertur improbè & scurriliter, quia Evangelium incipit: *Liber generationis Jesu Christi Filii* Matth.
David, Filii Abraham, Abraham genuit Isaac, &c. Hoc verò libenter eis concedimus, hactenus ad reformationem Ecclesiæ ipsos aliquid contulisse: quia cùm fuerint aliquando in Ecclesia ipsi tanquam paleæ inter triticum; lolia inter lilia, spinæ inter flores; postea cum egressi sunt, à multis paleis, loliis, spinis, Ecclesia exempta fuit. Et cum fuerint tanquam putridi humores deformitatem corpori mystico Ecclesiæ parientes; quando ejecti sunt vel egressi, jam sanior & formosior Ecclesia facta est. Denique dederunt occasionem Ecclesiæ tollendi abusus aliquos pravosque mores corrigendi, & pietatis, ac doctrinæ studio diligentius incumbendi. Hinc lucidior facta

Sermo Lutheri rejecta.

facta eſt doctrina fidei, & pietas Catholicis magis commendata ac ſtabilita in Concilio Trid. per tot canones, decreta, reformationes. Hinc tot eruditiſſimi libri doctrinam fidei elucidantes prodiere, & ordines diverſi ſurrexere adverſus hæreſes pro veritate pugnantes, vita, calamo, oratione. Trident. Conc.

Objectio 2. Sed iterum obiiciunt, omnes Chriſtianos Sacerdotes eſſe, ideoque ſacris functionibus aptos, nec opus eſſe alio Ordinationis Sacramento. Unde Petrus omnes Chriſtianos alloquens ait cap. 2. 1. Pet. 2. 9 Apoc. 1. 5. *Vos genus electum, regale Sacerdotium, Gens ſancta.* Et Apocalyp. 1. dicitur: *Dilexit nos, & lavit à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, & fecit nos regnum & Sacerdotes Deo & Patri.* Reſpondetur hanc objectionem planè inanem eſſe, & ignorantiæ adſcribendam. Nam Scriptura ſolet diſtinguere duplex Sacerdotium & Regnum, aliud quidem ſpirituale & internum generaliter dictum, aliud ſpeciale & externum propriè dictum. Primum competit omnibus Chriſtianis, alterum non. Regnum enim & ſacerdotium ſpirituale & internum, omnibus piis eſt commune, quia Chriſti ſummi Regis ac Sacerdotis membra ſunt per Baptiſmum: & omnes quædam ſpiritualia ſacrificia offerre poſſunt, orationes, laudes, gratiarum actiones, carnis mortificationem. Quia ſicut Chriſtus ſe obtulit hoſtiam Patri in odorem ſuavitatis: ita Chriſtiani debent exhibere corda ac corpora ſua, hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem. Et ſicut Chriſtus eſt Rex ille qui devicit carnem, mundum, & diabolum: ita Chriſtiani per Chriſtum in ſe regnantem, tentationes, illecebras, inſidias carnis, ſatanæ, ſæculi, evincere debent, & animo excelſo & regio paſſionibus praviſque affectibus dominari. Sed præter hoc, ſicut eſt aliud regnum externum, ita & ſacerdotium propriè dictum: quod non omnibus convenit, ſed legitima ordinatione quidam ad illud evehuntur: & ſpeciali auctoritate deputantur ad conſecrandum, offerendum, diſpenſandum Sacramenta, Verbumque Dei, & ad alias ſacras functiones obeundas. An non & hæc etiam manifeſta ſunt in veteri lege? Ad univerſum populum dixerat Dominus: *Si vocem meam audieritis, eritis mihi in peculium de cunctis populis, & in regnum ſacerdotale.* An ergo omnes Judæi fuere Sacerdotes? An non de vero & propriè dicto ſacerdotio præcipit Moyſi: *Aaron & filios ejus unges, & ſanctificabis eos, ut ſacerdotio fungantur mihi?* Nec cuiquam alteri licebat ſumere hunc ſibi honorem: Unde Dathan, Core, & Abiron, propria auctoritate ſe ingerentes ſacerdotio, vivi abſorpti ſunt. Item Oza ſubita morte à Domino percuſſus eſt, vel ob id quod manum arcæ Dei, ne caderet, ſubmiſiſſet, ſui officii fines excedens. Itidem Ozias cum functionem ſacerdotalem uſurpans, increpatuſque ab Azaria, & Sacerdotibus Domini non deſiſteret, lepra in fronte perfuſus eſt. Exod. 19. 5. Exod. 29. 44. Num. 16. 32. 2. Reg. 6. 7. 2 Paralip. 26. 19.

Cæterum hic non definio, an ſinguli inferiores ordines Sacramenti ratiorem obtineant, an verò ſolum ſacramentalia ſint, quod inter Theologos adhuc controverſum eſt. Sufficit verò propoſito noſtro, quod ordinatio ſacerdotalis, imo & ordinatio Diaconorum, de quibus expreſſe fit in ſcriptura mentio, propriè dicti ſacramenti rationem habere dicatur. Unde Sacerdos & Diaconus per orationem & impoſitionem manuum ordinantur; per quam ſignificatur plenitudo Spiritus Sancti, & gratiæ quæ datur ordinatis vi Sacramenti, ejuſque regimen, directio, & protectio, quam apprecantur qui manus imponit, rogans ſcilicet, ut Spiritus Sanctus ordinandum quaſi manu ſua regat & dirigat. Hinc D. Dionyſius Eccl. Hierarchiæ c. 5. *Manuum impoſitione,* inquit, *indicatur protectio Principis ac Perfectoris Dei, qua interna illi ipſi, quibus manus imponitur, tanquam filii gubernantur, qua virtutem ac vobis ipſis largitur, & adverſarias poteſtates repellit.* Et iterum ait idem Dionyſius: Manus impoſitio docet eos qui ſacris ordinibus mancipantur, ſacras omnes actiones quaſi ſub Deo efficere: utpote quem habeant operationum ſuarum in omnibus Ducem atque Rectorem. Sic num. 27. Joſue repletur Spiritu ſapientiæ, quia Moyſes poſuit ſuper eum manus ſuas, quaſi conſecrans eum Ducem populi. Et Chriſtus aſcendens in cœlum *elevatis manibus benedixit diſcipulis*, ſignificans eis ſe plurima dona largiri de ſua plenitudine. Adde hanc impoſitionem manuum ſignificare, ordinandos quaſi victimas Deo conſecrari & offerri. Sic victimæ olim imponebantur manus Exod. 29. cum Deo offerretur. Sciant ergo Sacerdotes, ſe hac cæremonia Deo ſacratos eſſe, ut ei ſe totos dedicent, jam non ſibi viventes ſed Deo: ſciantque ſe ſaluti ſuæ ac aliorum procurandæ, vitam totam debere impendere. *Ordinatio Sacerdotalis & Diaconorum propriè habent rationem Sacramenti.* Num. 27. 18. & v 23 Act. 1. 4. Lucæ 24. 50. Exod. 29. 19.

In ordinatione quoque Sacerdotio unctio adhibetur, ad ſignificandam unctionem interiorem, vi ſacramenti à Chriſti & Spiritus S. efficacia procedentem. Et hæc cæremonia unctionis à veteri lege trahit originem, in qua Sacerdos myſtico unguento perungebatur. Ad quam unctionem alludens Propheta dicit: *Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron, quod deſcendit in oram veſtimenti ejus.* Ubi deſignatur myſticè unctio ſpiritualis, à Chriſto Capite & Pontifice noſtro defluens in Apoſtolos & Prælatos Eccleſiæ, qui ſunt velut genæ Chriſti: & per illos in oram ſuperiorem veſtis, hoc eſt, in Eccleſiæ inferiores miniſtros. Unctione ergo interiori imbuuntur Sacerdotes, quam in plebem debent diffundere, & id ſignificat oleum quod ſupernatat, imbuit, & ſe diffundit. Unguuntur autem digiti ſacerdotales, quia illis debet tangere pretioſum Corpus Chriſti: quod ut digniùs faciat, digiti hi conſecrantur, ut & manus ſemper habere puras ab impiis operibus moneatur. Debet enim *innocens manibus ac mundo corde aſcendere in montem Domini, & ſtare in loco ſancto ejus, ad purè ei ſacrificandum.* *Quid ſignificet unctio in ſacerdote.* Pſ. 32. 2. Pſ. 32. 4.

In vita M. Ogniacenſis Jac. de Vitriaco.

Audi quid de his digitis unctis & conſecratis referatur in vita S. Mariæ Ogniacenſis. Tempore Innocentii III. Conradus quidam primus Abbas Villarienſis, poſtea Ciſtercienſis, deinde Cardinalis & Legatus Apoſtolicus in Germania, vir erat pietati maximè & contemplationi deditus: attamen negotiis etiam publicis ſumma cum dexteritate vacabat. Ejus verò pietatem hoc miraculo approbavit Deus ſibi gratam; quod digiti ſacri quibus utebatur ad conſecrationem Corporis Chriſti, de nocte ita erant lucidi, ut his frequenter uteretur in tenebris loco candelæ, ad ſtudia & alia quæ ei ex munere incumbebant peragenda.

Miraculum de Sacerdote Religioſo An. 1619.

Illud etiam memoria dignum eſt, quod inter miracula B. V. Mariæ de Fide, quæ prope Dionantum colitur noſtro tempore Anno 1619. contigit Religioſo Monaſterii S. Giſleni Ord. S. Benedicti. Hic multo tempore impeditus uſu brachiorum, manuum, digitorum, non poterat Miſſæ ſacrificium offerre. Voto facto venit ad S. Mariam de Fide, hoc unum toto corde obſecrans, ut ejus meritis, membra morbo percluſa catenus ſaltem ei libera reſtituerentur, ut illis ad ſacrificii ſalutaris effectum poſſet uti, ne fraudaretur tanto ſalutis beneficio. Res mira. Ubi ad Monaſterium rediit, illi ſoli digiti quatuor, quibus utimur ad ſacrificium, liberi ei redditi ſunt à paralyſi & contractione, reliquis ut antea contractis contra palmam manus, & ad omnem motum ineptis. Et exinde potuit brachium utrumque ſufficienter ad oblationem ſacrificii elevare, quod antea nullatenus potuiſſet. Res nota eſt, & certiſſima per ipſius Abbatis ſigillum publicum atteſtata.

Audi & aliud. Referebat Abbas Daniel de Schonavia, dum Pariſiis ſtuderet accidiſſe horrendum ſpectaculum in Eccleſia S. Mariæ. Cùm enim quidam non Sacerdos præſumpſiſſet celebrare, ignis ſacer ejus manum cæpit corripere & devorare. Cumque ei quidam ſecreto dixiſſet: *Nunquam manus iſta ſacro fuere Chriſmate uncta*, videns ſe ſpiritu prophetico deprehenſum, culpam faſſus eſt.

Cæſarius lib. 9. mirac. c. 61.

Diaconus quidam Steinveldenſis Ord. Præmonſt. apoſtatans circa 4. tempora, fingens ſe Ordinem ſacerdotii ſuſcepiſſe, Coloniæ in Baſilica S. Michaelis primam Miſſam celebravit. At quoties ſe vertebat ad populum, Crucifixi imaginem contra ſe ſtantem, lachrymantem conſpexit, quo permotus, poſtea culpam faſſus eſt, & pœnitentia ductus Sedem Apoſtolicam petiit, & in eadem via vitam finiit. Teſtis eſt Cæſarius lib. 9. mirac. cap. 61.

LECTIO II.

DE NUMERO ORDINUM.

PROPOSITIO UNICA.

Septem Ordines propriè dictos in Eccleſia ab initio fuiſſe, tenendum eſt.

HIs autem nominibus ſolent recenſeri, Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, Acolythatus: Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus. Hi tres per excellentiam dicuntur SACRI, quia immediatè verſantur circa rem ſacram, & MAIORES quia impediunt matrimonium contrahendum, & dirimunt contractum: & habent votum caſtitatis ſolemne annexum, & proximè accedunt ad conficiendum ſacramentum Euchariſtiæ per aliquod miniſterium. Horum Ordinum frequens fit mentio apud Sanctos Patres, quorum teſtimonia videre poteſ apud Caniſium & Bellarminum. Prima tonſura non debet hic inter ordines numerari, quia eſt ſolum diſpoſitio ad illos. Epiſcopatus etiã non numeratur ſpecialiter, quia eſt gradus Sacerdotii, & ſub ſacerdotio cõprehenditur. Licet verò ſeptem ſint ordines, tamen unum efficiunt Sacramentum: quia omnes referuntur ad unum finem, & omnes in Sacerdotio conſummantur.

Caniſius opere Catechiſt. Bellarm. tom. 3. li. 1. c. 3. de Sacram. Ordinis.

Ratio Numeri ſeptenarii Ordinum.

Quod ſi ſeptenarii hujus numeri rationem expoſcas, ea deſumi poteſt ex functionibus quæ ad Euchariſtiam referuntur, ob quas hi Ordines ſunt inſtituti. Quatuor enim ſunt quæ directè ad ipſum ſacramentum pertinent: Euchariſtiæ conſecratio, ob quam eſt ordo Presbyterii. Euchariſtiæ adminiſtratio ac diſpenſatio, ob quam eſt ordo Diaconatus: materiæ in vaſis ſacris præparatio, ob quam eſt Subdiaconatus: Ejuſdem materiæ ad altare præſentatio, quæ eſt Acolythi. Tres aliæ deinde functiones ſunt, quæ pertinent ad diſpoſitionem ſuſcipientium immundorum. Eſt enim immundorum, ut eos diſtribuit Dionyſius, Ordo triplex. Primus Infidelium credere nolentium, qui proinde totaliter à viſione divinorum, & à cœtu Fidelium arcendi ſunt: id quod pertinet ad Oſtiarios, quibus claves cum cymbalo traduntur, ut ſciant munus ſuum eſſe, populum Fidelem ad divina convocare, fores aperire ac claudere, alios admittere, alios reiicere. Secundus Ordo immundorum, eſt eorum qui fidem ſuſcipere annuunt, ſed nec dum ſunt ſatis inſtructi, ut Catechumeni: ad quos proinde in rudimentis Fidei inſtruendos ordinantur Lectores. Tertius immundorum Ordo, eſt eorum qui quamvis fidem ſuſceperint, ſunt tamen Energumeni, id eſt, à dæmonibus obſeſſi, ad quos emundandos ordinantur Exorciſtæ, quibus traditur liber in quo ſcripti ſunt exorciſmi, ſub hac forma: *Accipe & habete poteſtatem imponendi manum ſuper energumenos.* Olim ſiquidem, quia frequentiſſimè

ſſimè dæmones pellebantur de corporibus humanis, concurrebant plurimi Energumeni ad Eccleſiam, ita ut eſſent quaſi greges Energumenorum, ob quam cauſam iſte ordo inſtitutus fuit.

Sed de ſingulis Ordinibus pauca nobis dicenda ſunt, ut pateſcat, quodnam ſit eorum qui illis initiantur officium. Ac primum de clericali ſigno aliquid dicamus.

LECTIO III.

DE PRIMA TONSURA.

Clericatus ſeu Tonſura non eſt Ordo, ſed fundamentum ordinationis.

CLERICATUS & Tonſura diſpoſitio ſunt ad Ordines, & à populo communi ſeparant hominem, ut ſit de nobili illa parte Reipublicæ Chriſtianæ, quam Deus vocat ſuam ſortem & hæreditatem, & cui etiam Deus debet ſors eſſe & hæreditas. In hujus rei figuram, olim cum populus ingreſſus fuit terram promiſſionis, quælibet tribus partem accepit, excepta ſacerdotali, cui dicit Dominus: *Ego pars & hæreditas tua.* Et licet generaliter loquendo, populus Chriſtianus dicatur quandoque hæreditas Dei, juxta illud: *Beata gens cujus eſt Dominus Deus ejus populus quem elegit in hæreditatem ſibi.* Et iterum: *Benedictus populus meus Ægypti. Et opus manuum mearum Aſſyrio, hæreditas autem mea Iſrael.* Tamen ſpeciali modo Eccleſiaſtici ſors Domini dicuntur, quaſi domeſtici ſpecialiter conſecrati ad obſequium Dei ſacraſque functiones. Unde & eis quotidiè hic verſus recitandus proponitur: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, &c.* Quapropter ſi magna fuit promiſſio Dei ad Abraham: *Ego merces tua magna nimis*: Quid de ea dicemus, quæ illis fit, qui in Clerum Domini recipiuntur? Et certè quanta ſit eorum obligatio, ut vocationi ſanctæ reſpondeant, cæremoniæ quæ in Tonſuræ initiatione fiunt, ſatis declarant.

Pſal. 15. 5.

Gen. 15. 1.

Tonſura Clericorum quid denotet.

Primò, raſura crinium, quid aliud ſignificat, quàm reſecationem ſuperfluorum, & terrenorum contemptum ad vacandum Deo, qui vocavit eos in partem ſortis Sanctorum, ad militandum Regi cœleſti (abjectis ſæcularibus negotiis) ſub vexillo crucis, & corona ejus ſpinea? unde in illius memoriam jam coronam geſtant in capite, & ſigno Crucis frequenter ſignati fuere, tanquam ſuæ ſigno militiæ. Adde quod illa corona indicet conſortium regiæ dignitatis cum Chriſto, cui jam ſpecialiter participat & monentur Regio & excelſo animo infima hæc deſpicere, & ad æternum Regnum adſpirare. Unde & corona iſta ratione circuli qui perfectam figuram continet, perfectionis ſymbolum eſt: quo profitentur ſe perfectionis vitæ ſectatores eſſe, idque in perpetuum, quia circulus principium non habet aut finem.

Neque verò hæc ſpecies coronæ aliquid recens eſt, nam ab Apoſtolis originem ducit. Teſtatur enim Beda lib. 5. Hiſt. Anglorum, Sanctum Petrum hanc geſtaſſe, & ejus imitatione apud Eccleſiaſticos & Religioſos perennaſſe. Meminit etiam illius D. Dionyſius cap. 6. Eccl. Hierarch. Et Hieronymus ad Auguſtinum ſcribit: *Fratres tuos Alipium & Evodium, ut meo nomine ſalutes, deprecer coronam tuam.* Auguſtinus quoque epiſt. 147. ait ad Proculianum Epiſcopum: *Per coronam noſtram nos adjuvant veſtri: Per coronam veſtram vos adjuvant noſtri.* Tanto ergo in honore habebatur corona olim, ut per illam deprecarentur & adjurarent, & ſic non poſſet eis quod petebant, denegari. Cum ergo illa ſit ſignum ſortis & gradus, ac electionis noſtræ: cur ita à multis negligitur etiam Sacerdotibus? Sed acri reprehenſione ſunt digni maximè illi, qui ut liberiores ſint in converſatione mundana, & minimè agnoſcantur ut Dei miniſtri, hoc negligunt ſortis ſuæ ſymbolum, verecundantur de illo, utpotè cui vita non ſit conformis, ne quidem ad altare eam deferunt, quia non tam facilè eam exuere poſſent ac caſulam & albam, dum ad mundi ineptias Sacerdotibus indignas revertuntur. Videant bi ne graviter eis iraſcatur Dominus, & Angelus ejus, qui graviter iratus fuit Moyſi, quia ſignum circumciſionis in filio neglexerat, quod erat ſignum ſeparationis populi ſui ab aliis infidelibus.

Beda li. c. hiſt. Anglorum c. 22. S. Dionyſ. c. 6. Eccl. Hierar. Hieron. ep. 26. ad Auguſt. Aug. ep. 147.

Secundò dum crines radit Epiſcopus, etiam ſuperpellicæum in ſiniſtra, & candelam in dextra tribuit Clerico tonſurando: Symbolum utique puritatis & luminis, quorum ſectator eſſe debet qui initiatur. Unde ſic orat Epiſcopus. *Oremus chariſſimi Dominum pro his famulis, qui ad depoſitionem comæ capitum ſuorum pro ejus amore feſtinant: ut donet eis Spiritum Sanctum, qui habitum Religionis in eis perpetuum conſervet, & à mundi impedimento ac ſæculari deſiderio corda eorum defendat, ut ſicut immutantur in vultibus: ita dextra manus virtutis eis tribuat incrementa, & ab omni cæcitate ſpirituali & humana oculos eorum aperiat, & lumen æternæ gratiæ concedat.*

Tertiò ante benedictionem à Choro legitur: *Hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo, quia hæc eſt generatio quærentium Dominum.* Deinde ſuperpelliceo veſtitur dicente Epiſcopo: *Induat te Dominus novum hominem qui ſecundum Deum creatus eſt in ſanctitate & juſtitia.* Denique & aliæ myſticæ orationes recitantur Spiritus Sancti gratiam illi imploranteſ. Ut quid tot myſticæ preces, tot ceremoniæ ſacræ, niſi ut ſignificetur dignitas ſtatus ad quem initiantur, dignitaſque coronæ & gradus quem ſortiuntur? Ponderent ergo hæc qui ad illum aſpirant, aut qui jam conſecrati ſunt, advertantque ne obicem ponant gratiæ, aut effectui harum precationum. Et qui hactenus non conſideraverunt iſta attentiùs, jam tandem ſtudeant perfectiùs vocationi ſanctæ reſpondere, & ſe emundare ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo viventi in puritate: & ſegre-

Pſal. 23.

Digitized by Google

ſegregare ſe à ſæculi contagioſa converſatione, reſecareque crines ſuperfluos, hoc eſt, cogitationes & affectus nimis terrenos, inanes, luxuriantes. Cumque de ipſis dicatur: *Hæc eſt generatio quærentiũ Dominum, quærentium faciem Dei Iacob*, videant ut veritati id ſit conforme: & Eccleſiaſtico ſtatui ſeſe adſcribentes, id faciant pure quærendo Deum, hoc eſt ejus honorem, ſuamq; ac proximi ſalutem. Non quærant primò quæ ſua ſunt, opes, honores, commoditates. Non ſint ſimiles habitatoribus Sichem, de quibus Scriptura dicit: quod circumciſionem admiſerunt ſicut & Iſraelitæ, ut de eorum bonis participarent. *Si circumcidamus*, inquiunt, *maſculos noſtros, vitam gentis imitantes ſubſtantia eorum, & pecora, & quæ poſſident, noſtra erunt.* Sic cogitant plerique: ſi circumciderimus nos, ſi ſtatum Eccleſiaſticum ſuſceperimus, ad beneficia pertingere poterimus, & honorificè ſtatum noſtrum fovere. Sic caſtrant ſe non propter Regnum Cœlorum, ſed propter commodum terrenum. Hæc non eſt generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob, ſed quærentium ſe ſuaque.

Pſ. 23. 6.

Gen. 34. v. 22.

LECTIO IV.

DE MINORIBUS ORDINIBUS.

VT ab infimis ad ſummum gradum diſſerendo aſcendamus, primò agemus de Oſtiario, ſecundò de Lectore, tertiò de Exorciſta, quartò de Acolyto.

1. *De Oſtiario.* I. Oſtiarius ordinatur per traditionem clavium, quia ejus munus olim erat cuſtodiam templi habere, indignos à liminibus ſanctæ Eccleſiæ reiicere, ac dignos ad Sacrorum conſpectum admittere: idque diſcernendo inter fideles, hæreticos, excommunicatos, catechumenos, energumenos, ac pœnitentes varii generis, quibus ingredi interdictum erat. Magnam autem in antiqua Eccleſia hujus ordinis dignitatem fuiſſe, ex eo colligitur, inquit Catechiſmus Romanus, quod his temporibus, in Eccleſia ſervari animadvertimus, nam Theſaurarii officium (qui erat idem ſacrarii cuſtos, quod ad Oſtiarios pertinebat,) inter Eccleſiæ honeſtiores functiones etiam nunc habetur. Oſtiarium ergo ordinans Epiſcopus dicit: *Sic age, quaſi redditurus rationem pro iis rebus Deo, quæ his clavibus recluduntur.* Ad ſanctum etiam Miſſæ ſacrificium aſſiſtebat, curans ne quis propiùs accederet, & Sacerdotem impediret. Ipſe Chriſtus olim Oſtiarii officium portendiſſe & adimpleviſſe viſus eſt, dum zelo pio ejecit ementes & vendentes, ne impedirent domum orationis & ſacrificii. Imò advertit Marcus, quod nec onera permitteret per templum deferri, ut domus orationis ſine murmure foret.

Matt. 21. 12.

Joan. 2. 15.

Marci 11. 16.

2. *De Lectore.* II. Lectoris munus eſt, in Eccleſia libros veteris & novi teſtamenti clara voce & diſtinctè recitare, præſertim eos qui inter horas matutinas legi ſolent. Hoc etiam ad imitationem Chriſti faciunt, qui intrans templum inveniens librum Iſaiæ aperuit & legit, inciditque in illam Prophetiam: *Spiritus Domini ſuper me, ad annunciandum manſuetis, miſit me, ut medear contritis corde.* Gratia ergo illis communicatur ad legendum cum attentione & devotione, & ad eam in iis qui audiunt excitandam. Hanc gratiam in ſe ſuſcitare deberent, dum officia divina publicè & privatim Eccleſiaſtici perſolvunt, ut ſcilicet cum ſpiritu legant, & devotionem in ſe & aliis ſuſcitent. Unde Lectores ordinans monet Epiſcopus: *Quod ore legitis, videte ut corde credatis, & opere impleatis, quatenus auditores verbo, pariter & exemplo docere poſſitis. Idcòque dum legitis, in alto loco Eccleſiæ ſtetis, ut ab omnibus videamini & audiamini, figuranteſ poſitione corporali vos in alto virtutum gradu debere converſari, quatenus cunctis à quibus audimini & videmini, cœleſtis vitæ formam præbeatis.* Lectoris etiam munus erat, prima rudimenta fidei Fidelibus tradere. Quapropter eum ordinans Epiſcopus per traditionem libri dicit: *Accipe & eſto Lector verbi Dei habiturus, ſi fideliter & utiliter impleveris officium, partem cum eis qui verbum Domini benè miniſtraverunt habebis in initio.*

Iſa. 61. 1.

3. *De Exorciſta.* III. Exorciſtarum munus erat invocare nomen Domini, ſuper eos qui ab immundis ſpiritibus obſidentur. Unde ordinantur per traditionem libri Exorciſmorum, dicitque Epiſcopus: *Accipe & commenda memoriæ & habe poteſtatem imponendi manus ſuper Energumenos, ſive baptizatos, ſive catechumenos.* Quapropter ſicut Deus curavit dæmoniacum, ſurdum, & mutum cum ſaliva, dicens: *Ephetha, quod eſt adaperire*, ita eandem poteſtatem dat exorciſtis, ut dæmonem ejiciant ab obſeſſis, & eis aurem aperiant ad hauriendam veritatem, & linguam ad confitendum nomini Domini.

Marc. 7. 34.

Sed vide conſilium Chriſti. Cum videatur res ardua & ſublimis, dæmoni imperare, illum ſubjugare, & è poſſeſſione ſua depellere: noluit tamen hanc poteſtatem ſuperioribus ſolum miniſtris communicare; ſed officium iſtud inferioribus ordinibus annexuit, ut confunderet ſuperbiam diaboli, qui parere debet & ſubiici miniſtro etiam cuilibet inferiori: ſicut eliſa eſt ſuperbia Goliath, funda & lapide per parvulum David. Noluit etiam miniſtros ſuos nimium in hac auctoritate gloriari, ſed potiùs in ſanctitate interiori conſcientiæ; ideòque inferioribus miniſtris id commiſit, ne ſuperioribus id reſervans, occaſionem gloriandi eis præberet. Nam & diſcipulis de hoc gloriantibus dicit: *Nolite gaudere, quia ſpiritus ſubiiciuntur vobis*, ſed in hoc *gaudete, quod nomina veſtra ſcripta ſint in cœlis.* Quaſi dicat: Parum eſt dominari diabolo, niſi & humilitatem habeatis, ut ſuperbia non dominetur vobis: & niſi juſtitia vera regnet in vobis: ob quam cœlo inſcribi mereamini. Itaque antiquitus per Exorciſtas etiam pueros, voce humana & pote-

1. Reg. 17. 49.

Luc. 10. 20.

Digitized by Google

B. Cypr. l. 4. ep. 77. Lindanus l. 4. Panopliæ, c. 78.

poteſtate divina flagellabatur, urebatur, & torquebatur diabolus, inquit Cyprianus lib. 4. ep. 77. Et teſtatur Lindanus Panopliæ lib. 4. c. 78. in Hollandia per unum Exorciſtam, tres mulieres poſſeſſas fuiſſe liberatas : Nunc tamen Epiſcopi certis de cauſis, hanc poteſtatem reſervant deſignatis à ſe Presbyteris. Quamvis & in Eccleſia Leodienſi, veſtigium adhuc hujuſce poteſtatis pueris, & inferioribus miniſtris communicatæ, oſtendatur quotannis. Nam in die Sabbathi Sancti, pueri ad Fontes deferuntur ſolemniter baptizandi, & exorciſmi præeuntes Baptiſmum, committuntur adoleſcentulis Choralibus in minoribus Ordinibus conſtitutis, ut oſtendatur eorum poteſtas in qualitate Exorciſtarum.

Cæterum Exorciſtas ordinans Epiſcopus, eos rectè his verbis monet, ab iis quibus exorciſmi commiſſi ſunt, diligenter conſiderandis. *Studete ut ſicut à corporibus dæmones expellitis, ita à mentibus & corporibus veſtris omnem immunditiam & nequitiam abluciatis. Nec illi ſuccumbatis, quam ab aliis veſtro miniſterio expellitis. Diſcite per officium veſtrum vitiis imperare, nec in moribus veſtris aliquid ſui juris inimicus valeat vendicare. Tunc enim in aliis veſtè imperabitis dæmoniis, cùm priùs in vobis eorum multimodam nequitiam ſuperaveritis.*

Hæretici non poſſunt dæmonem expellere. Fred. Staphilus An. 1545. *Lutherus vult expellere dæmonem.*

Hoc etiam hic rememorandum non abs re puto, nunquam hæreticos noſtros, vel unum dæmoniacum potuiſſe ſuis exorciſmis liberare. Lepidum eſt, quod de Luthero refert Fredericus Staphilus his verbis : Poſſum redigere in memoriam An. 1545. dæmoniacam quamdam puellam è Miſniæ ditione adductam Witembergam ad Lutherum, ea ſpe, quod Lutherus, ceu tertius Elias eam liberaturus foret. Quamvis autem initio ad tantum opus non parum difficilem ſe oſtenderet, tandem tamen juſſit puellam duci in Eccleſiæ Witembergenſis ſacrarium : illicque coram multis eruditis (inter quos juvenis Magiſter aderam) dæmonem cæpit exorciſare, more tamen ſuo, non eo, qui apud Catholicos uſitatus eſt. Cum autem diu dæmonem conjuraſſet, noluit ille cedere ; ſed eas in auguſtias, ſit venia verbo, Lutheri caligas redegit, ut is ſtatim è ſacratio ſe protipere vellet. At dæmon ita fores obſtrinxerat, ut nec foris, nec intus aperiri poſſent. Quæ res Lutherum ita in angustias adduxit, ut ad feneſtram properaret, ſperans exilire. At obſtabant cancelli ferrei. Sic compulſus eſt incluſus hærere, donec per cancellos ab ædituo oblata eſſet ſecuris, & mihi ceu juveni tradita, ut fores effringerem, quod feci. Interea verò viſu admirandum erat, ut Lutherus angoribus correptus ſurſum deorſum curſitaret, atque inſtar ovis parturientis, huc illucque ſeſe inverteret. Hæc ille.

Ex litteris Societatis teſta in Polonia Anno 1627.

Sed antiquius iſtud videri poteſt, recentius addamus exemplum, quo conſtat apud hæreticos hanc expellendi dæmonium non eſſe poteſtatem, ideoque nec veram Eccleſiam, eſſe autem utrumque apud Catholicos. Teſtatur id quod accidit An. 1627. in Polonia quaſi publico theatro, irrefragabili teſtimonio comprobatum. In Oſtrogh civitate, quædam nobilis Domicella parentibus orta Calvinianis, poſſidebatur à dæmone. Hæretici variè explorarunt, an verè dæmoniaca foret, quod tandem fateri publicè coacti ſunt. Cùm ſat ſimplex foret, vixque legere noſſet, jam pleraque idiomata noverat. Si latinè interrogaretur, latine reſpondebat, ſi germanicè, aut alio idiomate, eodem poterat reſpondere ; & pleraque ſupra vires naturales peragebat. Conſulebant inter ſe hæretici quid remedii, & ſuggeſtum eſt, ut ad Patres Societatis duceretur ; ſi forte auxilio eſſe poſſent, tanquam hac in re periti. Accedit Rectorem Collegii famoſus quidam hæreticus, propinquus hujus juvenculæ poſſeſſæ, rogatque ut afflictæ velit ſuccurrere. Reſponſum accipit, benè ſperandum eſſe de Dei miſericordia, ſi modò omnem incredulitatem deponant ; ſed mirum eſſe quod requirant auxilium à Catholicis, quandoquidem eorum cæremonias ſubſannent, & exorciſmos ſuperſtitioni ducant ? Reſpondet ipſe : ſi huic obſeſſæ ſanitatem reſtituatis, credite nos aliud judicium de veſtra Religione facturos. Subjungit Rector : *Advocate vos primum Prædicantes veſtros, ut in virtute ſui Evangelii dæmonium pellant, quod ſi res non ſuccedat, experietur Sacerdos Catholicus.* Excuſat ſe ille, dicitque miniſtros modò abſentes eſſe, nec hujus rei praxim habere : urgetque ut dignetur ſecum venire, & viſitare dæmoniacam, & probare, num talis certò ſit. Advenit igitur Rector cum altero Sacerdote, & ubi intravit, ſtatim dæmon ululans, ejus præſentiam deteſtatur. Facto verò ſigno crucis cum aſperſione aquæ benedictæ, occultè humeris obſeſſæ quaſdam S. Ignatii reliquias admovet : illa tremens cum ululatu exclamat : *Ignatii calvi ab oſſea, opprimor & torqueor.* Tunc hæretici rogati à ſacerdote noſtro, ſuum Evangelium pectori ejus opponunt. Ridet verò malignus ſpiritus, cum gaudio librum hæreticum amplectens. Iterum occultè huic libro imaginem S. Ignatii inſerit, & præſentat dæmoniacæ, urgetque dæmonem ut edicat quid ibi contineatur. Ille cum ululatu abiicit à ſe librum, fateturque ab imagine Ignatii libro inſerta, ſe torqueri. Quid dicerent hæretici ? Pars plena ſtupore, tacet ; pars inſuſurat : *Iſti Papiſta pactum cum dæmonio habent.* Reſpondet Sacerdos. *Quandoquidem adhuc incredduli eſtis, ecce pactum vobiſcum facio. Si Fides Catholica falſa eſt, Deum precor, ut per horam ab hoc dæmonio poſſideat & torqueat ; ſi veſtra falſa, quiſque veſtrûm per idem ſpatium ab eo torqueatur.* Cum verò obmutescerent, nec conditionem acceptarent, digreſſus eſt ab eis, & in jicto per tres dies jejunio, ac oratione, piiſque aliis operibus, dat ſpem bonam liberationis, ſi incredulitas non obſiſtat. Tandem decernitur dies Purificationis Mariæ, ut in templo Societatis publicis exorciſmis adjuretur. Quo die finita Miſſa adducitur ante altare B. Virginis, & S. Ignatii : Ubi Sacerdoti Societatis

præcipit Rector, ut exorcismos peragat. Per duas jam horas mirè torquebatur, & varia farebatur dæmon cum ululatu, necdum tamen egrediebatur. Monet itaque populum Exorcista, quod si quis conscius sibi foret peccati mortalis, detestaretur illud cum contritione, & confessionis proposito; ne fortè per peccatum alicujus occultum, fathanæ egressus impediretur. Ad quam vocem cœpit populus ingemiscere, adorare, pectus tundere cum contritionis voce. Perseverante populo in orationis fervore, & Exorcista constanter conjurationes replicante, dæmoniaca in terram quasi mortua cadit. Paulò post exurgit, & se meritis Beatæ Virginis ac Ignatii liberatam inclamavit. Quare ante tabernaculum Sanctissimi Sacramenti deducta Fidei Catholicæ professionem fecit, in cujus fine cum voce virginali Canticum illius diei: *Nunc dimittis servum tuum Domine,* grato animo decantabat. Magnus autem applausus populi secutus est inclamantis: *Magnus Dominus & laudabilis nimis, Magna Mater, Magnus S. Ignatius, Magna & unica Fides Catholica.* Hunc plausum excepit exhortatio ad populum super illud in Missa decantatum: *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui, &c.* Deinde Hymnus: *Te Deum laudamus,* cum sono campanarum exhilaravit civitatem, ita ut multi hæretici conversi fuerint.

Cum fumo applausu Catholicorum liberatur obsessa.

4. De Acolythis.

IV. Acolythi munus est, Diaconum & Subdiaconum in ministerio altaris assectari, unde nomen Acolythus, id est, assectator. Item munus ejus est, ampullas vini & aquæ præsentare, & ferre cereos ante Sacerdotem, quando Evangelium legitur, in signum lætitiæ, quo excitantur fideles ad contemplandam Evangelii lucem, ad erigendamque mentem ad Christum, qui *est lux vera illuminans omnem hominem.* Hi ergo ordinantur per traditionem cerei, & per traditionem urceoli vacui, dicente Episcopo: *Accipe urceolos ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi in nomine Domini.* Item *Accipe ceroferarium cum cereo, & scias te ad accendenda luminaria Ecclesiæ mancipari, in nomine Domini.* Pulchra autem est admonitio, quam tunc eis dat Episcopus: *Studete susceptum officium dignè implere, non enim Deo placere poteritis, si lucem manibus offerendo, operibus tenebrarum inserviatis, & per hoc aliis exempla perfidiæ præbeatis.* Sed sicut veritas dicit, *luceat lux vestra coram hominibus,* &c. Et sicut Apostolus ait: In medio nationis pravæ lucere, ut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, fructus autem lucis est in omni bonitate & veritate, ut & vos & alios Ecclesiamque Dei illuminetis. *Tunc verò in Dei sacrificio dignè vinum suggeretis & aquam, si vos ipsi Deo sacrificium per castam vitam & opera bona oblati fueritis, quod vobis Dominus per misericordiam suam concedat.*

Joan. 1. 9.

LECTIO V.

DE SUBDIACONO ET DIACONO.

5. Subdiaconi officium.

SUBDIACONI officium (qui & Hypodiaconus apud veteres nominatur) est Diacono proximè ad altare subservire, ut patet ex nomine. Ac primò ei olim incumbebat sacra lintea, sacra vasa, panem & vinum, ad sacrificii usum præparare: & consecrandas hostias (quæ nunc oblata vocamus) super altare ponere quot sufficiunt populo, quia olim populus frequentissimè communicabat. Nunc etiam Episcopo & Sacerdoti aquam præbet, cum manus in sacrificio abluunt. Epistolam quoque quæ olim à solo Diacono recitabatur, Subdiaconus legit, & tanquam testis ad Sacrum assistit. Unde ordinatur Subdiaconus per traditionem libri Epistolarum, & calicis vacui cum patena vacua, estque ei continentiæ perpetuæ lex imposita, quod olim non fuit. Nam à tempore Sylvestri hoc præceptum inchoasse quidam autumant.

6. Diaconi munus.

Diaconi officium satis indicat exhortatio Episcopi ad futuros Diaconos, quæ sic habet: Provehendi Filii dilectissimi ad Leviticum Ordinem, cogitate ad quantum gradum Ecclesiæ ascenditis. Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare & prædicare. Sanè in veteri lege, ex duodecim una tribus Levi electa est, quæ speciali devotione tabernaculo Dei, ejusque sacrificiis ritu perpetuo deserviret. Tantaque dignitas ipsi concessa est, quod nullus nisi ex ejus stirpe ad divinum illum cultum, atque officium ministraturus assurgeret; adeò ut grandi quodam privilegio, hæreditas & tribus Domini esse censerentur, & dici. Horum hodiè filii dilectissimi, & nomen, & officium tenetis, quia in ministerium tabernaculi testimonii, id est, Ecclesiæ Dei eligimini, quæ semper in procinctu posita, incessabili pugna contra inimicos dimicat. Unde ait Apostolus: *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus,* quoniam Ecclesiam Dei veluti tabernaculum portare & munire debetis ornatu sancto, prædicatu divino; Levi quippe interpretatur, *Additus sive assumptus,* & vos filii dilectissimi, qui ab hæreditate paterna nomen accipitis; *estote assumpti à carnalibus desideriis, à terrenis concupiscentiis quæ militant adversus animam, estote mundi, puri, casti, sicut decet ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei,* ut dignè addamini ad numerum Ecclesiastici gradus; ut hæreditas & tribus amabilis Domini esse mereamini: & quia comministri & cooperatores estis Corporis & Sanguinis Domini, estote ab omni illecebra carnis alieni, sicut ait Scriptura: *Mundamini qui fertis vasa Domini.* Cogitate B. Stephanum merito castitatis

In lib. Levit.

Eph. 6. 12.

ab

ab Apoſtolis ad officium illud electum. Curate, ut quibus Evangelium ore annunciatis, vivis operibus exponatis, ut de vobis dicatur; *Speciosi pedes Evangelizantium pacem, evangelizantium bona*: habete pedes veſtros calceatos Sanctorum exemplis, in præparationem Evangelii pacis. Quod vobis Dominus concedat per gratiam ſuam. Rom.10. 15.

Ut verò hæc plenius intelligantur, advertendum Diaconos vocari Levitas, quia ſuffecti Leviticis Synagogæ, quorum officium explicatur in Levitico, & in Numeris. Præcepit Dominus ſiquidem Moyſi Num.14. ut poſt ordinationem Aaron, & Filiorum ejus, tota tribus Levi ad divini cultus miniſteria prorſus ordinaretur, & conſecraretur Domino, ſerviretque pro Iſrael coram Aarone, & filiis ejus in tabernaculo. Voluitque ut geſtaret arcam, & tabernaculum & omnia vaſa ejus, & ſic in circuitu tabernaculi excubaret, ac in tranſportando tabernaculo, ipſi deponerent, rurſumque componerent illud. Jubebantur autem à 25. annis & ſupra, ſervire in tabernaculo. Quæ ſingula Diaconis aptè convenire, ſi perfectè officium eorum conſideraveris, invenies. Nomen enim Diaconus, quod eſt Græcum, idem eſt quod Miniſter: & ſic ſpecialiter vocatur, quia debent Aaroni & filiis ejus miniſtrare, hoc eſt, Epiſcopo & Presbyteris. Et quia olim pauperum magna agebatur cura, Diaconi fuerunt conſtituti bonorum communium, quæ adferebantur ad pedes Apoſtolorum, diſpenſatores, ut unicuique juxta neceſſitatem providerent, ut patet Act. cap.6. & de S. Laurentio notum eſt Item in Eccleſiis in quibus ſub utraque ſpecie Communio dabatur, Diaconi calicem porrigebant Sanguinis Domini. Unde S. Laurentius Xyſto dicit: *Experire utrum Miniſtrum idoneum elegeris, cui commiſiſti Dominici Sanguinis diſpenſationem. Tu ſine Miniſtro nunquam Sacrificium offerre conſueviſti. An verò huic conſortium tui ſanguinis negas, cui Sanguinem Chriſti, & conſummandorum conſortium Sacramentorum commiſiſti? Vide ne periclitetur judicium tuum, dum fortitudo laudatur, abjectio diſcipuli detrimentum eſt Magiſtri. Quid quod ipſi illuſtres & præſtantes viri, diſcipulorum certaminibus, magis quam ſuis vincant? Denique Abraham filium obtulit, Petrus Stephanum præmiſit, & tu Pater in Filio oſtende virtutem tuam, offer quem erudiſti, ut ſecurus judicii tui (quod degenerem non elegeris) comitatu nobili pervenias ad coronam.* Ita Ambroſius refert locutum Levitam Laurentium. Num.14. 2. Act.6.3. S.Ambr. ſerm.S. Laurent. V.Brev. 6.Aug. lect.9.de S.Xyſto.

Officium etiam Diaconi erat prædicare, & Evangelium explicare: non tamen ex cathedra, ut intelligatur hoc propriè ad Sacerdotem & Epiſcopum ſpectare; in abſentia autem Epiſcopi & Sacerdotis ad Diaconum, ſicut & baptizare. Interim non parum æſtimandum munus Diaconi conſtat Act. c. 6. ex electione primorum Diaconorum. Convocata enim multitudine diſcipulorum dixere Apoſtoli in celebri conſeſſu. *Conſiderate Fratres, viros ex vobis boni teſtimonii, plenos Spiritu Sancto & ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus.* In quibus verbis, conditiones requiſitæ ad bonam electionem quorumlibet miniſtrorum Eccleſiæ, deſignantur. Act.6.3.

Primò enim licet Apoſtoli magna à Deo ſapientia & lumine præditi, potuiſſent dignos aliquos per ſe deſignare & nominare; nihilominus etiam conſiderantes ſe homines eſſe & decipi poſſe, quodque divina providentia, humana diligentia & exquiſitione uti nos velit, exquirere voluerunt conſilium aliorum fidelium, ut plurimorum teſtimonio & conſenſu res ageretur. Sic etiam poſteris dederunt exemplum, nominationem, aut electionem miniſtrorum Dei, prævio multorum examine, & ſuffragio peragendi.

Secundò, ne res præcipitanter, tumultuarieque fieret, Fideles gravibus his verbis commonefaciunt: *Conſiderate Fratres, viros ex vobis boni teſtimonii.* Conſiderate, id eſt, bene perpendite, hoc negotium in pondere Sanctuarii ponderate: quia talis electio aut nominatio à vobis non debet fieri præcipitanter aut perfunctoriè, ex affectu aut paſſione, fortuitò aut inconſideratè: non cæco greſſu ad eam procedendum eſt, aut claudo pede, ſed rectè, oculatè, prudenter, & magna conſideratione perſonarum, ac idoneitatis ad tale officium.

Tertiò compellat eos nomine Fratrum, ut admoneat talem electionem aut nominationem debere fieri cum charitate fraterna, ſine tumultu, ſine diſcordia; & quantum poteſt fieri, ſine ſchiſmate & diviſione obſtinata. Ubi enim diſcordia eſt, turbatur mentis quies & ſerenitas, charitaſque rationis. At ubi pax, amor, & unio cordium regnat, fœlicior ad electionem fit progreſſus. Tunc enim magis publicum bonum conſideratur, quam proprium: & univerſalis Eccleſiæ commodum ponderatur, quam privatum: Utique plurimum importat hæc fraternitas, unioque inter eos qui vocem habent in electione.

Quartò conditiones eorum qui elegendi ſunt, indicantur, dum dicitur: *Viros boni teſtimonii.* Viros enim vult eligendos, hoc eſt, qui & ætate viri ſint & prudentia, animiq; fortitudine & virtute, quia vir à virtute appellationem ſortitur. Debent etiam eſſe boni teſtimonii, hoc eſt, tales quorum vitæ & probitati à multis poſt ſerium examen, teſtimonium optimum præbeatur: ut tanto plus auctoritatis habeant, quanto magis in bona opinione apud homines ſunt, & bonum famæ odorem ſparſerunt. Debet verò advigilari, an teſtimonium, quod de illis datur, favori non innitatur, aut invidiæ, quæ ſunt peſtes electionis bonæ. Et ſicut olim electus eſt Aaron, eo quod virga ejus germinaſſet flores, frondes fructus: ita illi eligi debent, quorum vita floridam famam boni odoris; fructuique bonorum operum noſcitur produxiſſe. Deinde vult eligi eos qui pleni ſunt Spiritu ſancto, hoc eſt, abundantes

Digitized by Google

gratia Spiritus S. ad miniſterium, ad quod eligun-
tur ſufficientiſſima, zelo amoris divini ſuccenſi, ze-
loque ſalutis ſuæ ac proximi, obſequio Dei ejuſque
Eccleſiæ ex integro deſtinati. Imò plenitudo Spiri-
tus ſancti in Scriptura, gradum excellentem pieta-
tis & ſanctitatis ſolet deſignare. Denique requirit, ut
ſint pleni ſapientia, hoc eſt; prudentia & diſcretio-
ne, ſcientiaque divina & humana, quantum neceſ-
ſarium eſt ad officii impletionem. Quia ergo hæc
omnia nemo facilè debet præſumere ſe habere: id-
eò neque debet quiſpiam facilè ſublimia Eccleſiæ
munia ambire. Quapropter etiam nemo legitur
inter Fideles ad officium Diaconi tunc aſpiraſſe:
quia nemo præſumpſit ſe dotibus his præditum eſſe.
Quid ergo dicemus de ſuperioribus Eccleſiæ digni-
tatibus?

Porrò, cùm proximè ſacrificio Corporis & San-
guinis Chriſti Diaconus debeat miniſtrare, gratiæ
ſtatum continuò in ſe debet alere; ne ſi in peccato
1. Tim. 3. mort. miniſtret, novo ſe obſtringat ſcelere. Quod
8. &c. & monet Apoſtolus ad Timoth. 3. *Diaconos oportet*
eſſe pudicos, non bilingues non vino multo deditos, ha-
bentes myſterium fidei conſcientia pura, & ſic mini-
ſtrent nullum crimen habentes. Et ad hoc datur eis
gratia in ordinatione ſua, ut dignè ſacrificio tanto
miniſtrent. Et quantum importet in illis hic gratiæ
ſtatus; ex eo colligitur, quod ſæpè antiquitus Spiri-
tus Sancti viſibilis deſcenſus, ob Diaconos impro-
bos in ſacrificio fuerit impeditus.

Surius 27. Jan. ex Meta. Sic de S. Joanne Chryſoſtomo legimus, quod
cùm inter divina myſteria panem conſecratum ex-
tolleret, totus à Deo afflatus, quibuſdam ſignis vi-
debat Dei Spiritum ad dona propoſita deſcendere.
Cùm autem unus ex miniſtris in quamdam mulie-
rem oculos lubricos conjeciſſet, magno Joanni de-
Sophro- pulſa fuit viſio Spiritus S. Ille autem non ignoravit,
nius in prato Spir. ſed miniſtrum continuò è ſua ſtatione movit & tunc
c. 150. viſione priſtina non eſt fruſtratus. Ita Surius 27. Jan.
ex Metaph.

Narrat Sophronius in Prato Spirituali c. 150. de
Epiſcopo Rumellæ celebrante Miſſam coram Aga-
pito Papa. Hic Epiſcopus, qui Spiritus S. deſcen-
ſum, hoc eſt, ut ego reor, vim divinam tranſmutan-
tem oblata in Corpus & Sanguinem Chriſti ſignis
viſibilibus cognoſcere ſolebat; tunc minimè vide-
bat: proinde conſecrationem haud terminabat. Sci-
ſcitatur Agapitus ex Epiſcopo moræ cauſam. Re-
ſpondet ille: Diaconum, qui flabellum tenebat, eſſe
removendum ab altari, Removetur. Eo remoto,
ſolita ſigna apparuerunt. Papa vidente: & alia mi-
Meta- racula ſecuta ſunt, quæ Epiſcopi ſanctitatem decla-
phraſtes in rarunt, & Diaconi peccatis atque improbitate fuiſſe
vita ejus retardata docuerunt.
c. 38. apud
Surium 12 Audi & aliud: Epiphanius Conſtantiæ Cypri E-
Maij. piſcopus, nunquam ſacra myſteria perficiebat,
donec vidiſſet viſionem, quæ ſtatim ei revelabatur,
poſt prolata quædam verba. Cum vero aliquando
tertiò protuliſſet verba illa, nulla ſeſe obtulit vi-
ſio. Cum autem lugens oraſſet, ut ejus rei cauſa
indicaretur, primus obſervat in fronte Diaconi, qui
à ſiniſtra ventilabrum tenebat miniſtratorium, le-
pram apparere. Quod nulli manifeſtum erat. E-
piſcopus itaque accepto de manu Diaconi ventila-
bro, dixit: Vade fili domum; ne modò ſumas divi-
na myſteria. Ipſe autem ſtatim egreſſus ivit do-
mum; dat Epiphanius alteri Diacono ventilabrum:
cumque verba conſueta protuliſſet, mox apparuit
viſio. Acerſito autem Diacono dimiſſo, ſciſcita-
tur ex eo lepræ cauſam. Qui reſpondit, ea nocte
propria fuiſſe uſum uxore. Tunc monuit Clerum
Epiphanius, ut qui uxores haberent, eſſent tan-
quam non habentes. Ex eo tempore non ordina-
bat amplius eos, qui habebant uxorem, ſed viros
ſanctos, qui vitam vivebant monaſticam, & vi-
duos viros probatos. Licebat tum videre Ec-
cleſiam tanquam pulchram ſponſam ornatam Sa-
cerdotio.

LECTIO VI.

DE SACERDOTIO.

SACERDOTUM Ordo exordium ſumpſit à fi- 7. Sacerdo-
liis Aaron, qui in veteri teſtamento Sacerdo- tium Ord.
tes dicti ſunt, ille ſummus Sacerdos, hi autem Ex. 29. 4.
inferiores. Unde dicit Dominus ad Moyſen Exod.
29. *Aaron & filios ejus explicabis ad oſtium Taberna-*
culi teſtimonii, cumque laveris Patrem cum filiis
ſuis aqua, indues Aaron veſtimentis ſuis, id eſt, linea
tunica, & ſuperhumerali, & rationali, quod conſtrin-
ges balteo, & pones tiaram, & oleum Unctionis fundes
ſuper caput ejus, atque hoc ritu conſecrabitur: Filios
quoque ejus applicabis, & indues tunicis lineis, & cin-
ges balteo, & impones eis mitras, erunque Sacerdotes
mihi Religione perpetua, &c. Hoc ergo fuit inter
Aaronem & filios ejus diſcrimen, quod ille ſuper
tunicam accipiebat poderem, ſuper humerale & ra-
tionale, & laminam ſanctam ſuper tiaram, & ole-
um Unctionis ſuper caput: filii autem ſuper tunicas
lineas cincti tantum erant, & mitram in capite gere-
bant cum unctione manuum.

Itaque duplex ſacerdotium noſtrum inſinua- 2. Cor. 5.
tur, ſummum ſacerdotium, qui Epiſcopalis ordo 20.
dicitur, & inferius ſacerdotium, qui Presbyteratus Eph. 6. 19
dicitur. Utrumque etiam Chriſtus ſpecialiter de- Matth. 9.
ſignavit, quando & Apoſtolos ordinavit ſummos 37.
Sacerdotes, quos miſit, ut legatione fungeren- Luc. 10. 1.
tur pro ſe, Evangelium ubique prædicando. Vi-
dentes autem Apoſtoli *meſſem eſſe multam, & ope-*
rarios paucos, rogarunt Dominum meſſis, ut mitte-
ret operarios in meſſem ſuam, & deinde electi ſunt
72. diſcipuli tanquam adjutores, quorum locum
tenent nunc Presbyteri, ſicut & Epiſcopi Apo-
ſtolorum. Ad cujus rei confirmationem adfert D.
Auguſtinus illud Pſalmi: *Pro Patribus tui nati* Pſ. 44. 17.

ſunt

Digitized by G

ſunt tibi filii &c. conſtituas eos Principes ſuper omnem terram. Quid eſt, inquit, *pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii? Patres miſſi ſunt Apoſtoli, genuerunt te. Apoſtoli ipſi prædicaverunt, ipſi Patres ſunt, ſed quia corporaliter nobiſcum ſemper eſſe non potuerunt, pro Apoſtolis filii nati ſunt tibi, conſtituti ſunt Epiſcopi. Hodie enim Epiſcopi qui ſunt, per totum mundum, unde nati ſunt? Ipſa Eccleſia Patres illos appellat, ipſa illos genuit, & ipſa illos conſtituit in ſedibus Patrum. Non ergo te putes dejectam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos per quos nata es; de prole tua tibi crevit paternitas. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii.*

S. Aug. in eum loc.

Diſtinguuntur ergo Epiſcopi à Presbyteris, licet primis Eccleſiæ temporibus (ut Apoſtolica Scriptura teſtis eſt) utrique Presbyteri, utrique vocarentur Epiſcopi: Presbyteri ob ſapientiæ maturitatem, Epiſcopi ſive ſuperintendentes, ob Curæ Paſtoralis vigilantiam. Unde illud Act. 20. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei,* etiam ad Preſbyteros dirigitur. Et quæ Paulus de qualitate Epiſcoporum ad Timotheum ſcribit, de Presbyteris etiam vult intelligi. Et quod S. Petrus cap. 5. ait: *Seniores qui in vobis ſunt, obſecro, conſenior*, (id eſt Presbyter Presbyteros) *pascite qui in vobis eſt gregem*, etiam ad Epiſcopos dirigitur, Recte verò Epiſcopos à Presbyteris diſtinguit S. Epiphanius Hæreſ. 75. dicens: *Epiſcoporum ordo patrum generator eſt: patres enim generat Eccleſia: Presbyterorum verò potens generare patres, per lavacri generationem generant filios Eccleſiæ, non tamen Patres aut Doctores.*

Act. 20. v. 28.

2. Tim. 3. v. 2.

1. Pet. 5. 1.

S. Epiph. hæreſi 75.

Damaſcus Papa ep. 4. de Chorepiſcopis (quos aliqui putant fuiſſe inſtar Decanorum noſtrorum Ruralium inter cæteros Presbyteros auctoritatem habentes) cùm diciſſet Chorepiſcopos ſeptuaginta diſcipulorum vice fungi, ad diſtinctionem inter eos, & Epiſcopos ſubjungit, *quod non liceat eis Sacerdotes conſecrare, nec Diaconos aut ſubdiaconos, nec Virgines, nec altaria erigere, nec ungere, aut ſacrare, nec Eccleſias dedicare, nec Chriſma conficere, nec Chriſmate baptizatorum frontes ſignare.* Et multa alia, quæ Epiſcoporum erant propria, ibidem recenſet.

Damaſ. ep. 4.

Munus Sacerdotum.

Cæterum, ut Sacerdotes quid muneris ſui ſit, plenius intelligant, dignum eſt eos benè ponderare, quæ Epiſcopus ordinans in exhortatione ad ipſos ſolet pronunciare. Verba ejus ſunt. Conſecrandi filii dilectiſſimi in Presbyteratus officium, illud dignè ſuſcipere, ac ſuſceptum laudabiliter exequi ſtudeatis, Sacerdotem etenim oportet offerre, benedicere, præeſſe, prædicare & baptizare: cum magno quippe timore ad tantum gradum aſcendendum eſt, ac providendum, ut cœleſtis ſapientia, probi mores, & juſtitiæ obſervatio, ad id electos commendent. Unde Dominus præcipiens Moyſi, ut ſeptuaginta viros de univerſo Iſrael in adjutorium ſuum eligeret, quibus Spiritus S. dona divideret, ſuggeſſit: *Quos tu noſti, quod ſenes populi ſunt.* Vos in ſeptuaginta viris & ſenibus ſignati eſtis, ſi ſeptemplicem ſpiritum & decalogum legis cuſtodientes, probi & maturi in ſcientia ſimul & ætate fueritis. Sub eodem quoque myſterio & eadem figura, in novo teſtamento Dominus 72. elegit ac binos ante ſe in prædicationem miſit: ut doceret verbo ſimul & facto, Miniſtros Eccleſiæ ſuæ fide & opere debere eſſe perfectos: ſeu geminæ dilectionis; Dei ſcilicet & proximi virtute fundatos. Tales itaque eſſe ſtudeatis, ut in adjutorium Moyſis, & duodecim Apoſtolorum, & Epiſcoporum, qui per Moyſen & Apoſtolos figurantur, dignè per gratiam Dei eligi valeatis. Hâc certè mirâ varietate Eccleſia circumdatur; ornatur & regitur: Cùm alii in ea Pontifices, alii minoris ordinis Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi, diverſorum ordinum viri conſecrantur; & ex multis, & alterna dignitatis membris, unum Corpus Chriſti efficitur. Itaque, Filii dilectiſſimi, quos ad noſtrum adjutorium, fratrum noſtrorum arbitrium conſecrandos elegit, ſervate in moribus veſtris caſtæ & ſanctæ vitæ integritatem, agnoſcite quod agitis, imitamini quod tractatis. Mortis Dominicæ myſterium celebrantes, mortificate membra veſtra à vitiis & concupiſcentiis omnibus procuretis. Sîc doctrina veſtra ſpiritualis medicina populo Dei, ſit odor vitæ, delectamentum Eccleſiæ Chriſti: ut prædicatione atque exemplo ædificetis domum, id eſt familiam Dei; quatenus nec nos de veſtra profectione, nec vos de tanti officii ſuſceptione, damnari à Domino, ſed remunerari potius mereamini. Quod ipſe nobis concedat per gratiam ſuam, Amen.

Num. 11. 16.

Sacerdotium olim in lege naturæ adnexum fuit Primogenituræ in illuſtribus familiis; & ratione Sacerdotii, multâ præeminentia fuêre Primogeniti adornati. Quam præeminentiam in ſex potiſſimum conſiſtere; dixere aliqui. Primò, gaudebat veſtimento aliquo ſpeciali, quod Sacerdotale erat, pro miniſterio deputatum. Secundò, ad eum ſpectabat ex officio, ſacrificiorum oblatio. Tertiò, ſpecialis à Patre in fine vitæ debebatur ei benedictio. Unde & tunc veſte ſacerdotali eam ſolitam ſuſcipi, exiſtimant aliqui. Propterea enim Rebecca induit Jacob veſtibus Eſau optimis, hoc eſt, Sacerdotalibus, ut affirmat S. Iſidorus & Eucherius in Geneſim lib. 2. c. 48. Eratque hæc veſtis pretioſa in loco odorifero aſſervari ſolita: Quapropter ejus allectus odore, benedictionem impertiit magno cum affectu & ſuavitate. Quartò, illius etiam erat in publicis & ſolemnibus actibus benedictionem impertiri. Hinc Melchiſedech benedixit Abrahæ, quem multi exiſtimant fuiſſe Sem primogenitum Noë. Quintò, in menſa majorem habebat cæteris portionem, primo loco ſedens; & in diviſione hæreditatis duplicem partem. Deuter. 21. Sextò habebat dominium ſuper omnes fratres: illi incurvabant ſe & ſubmittebant, illum adorabant, illis benedicebat. Gen. 27.

Primogeniti fuere Sacerdotes in lege natura: & horum præeminentia ſex.

Iſidor. & Eucher. in Gen.

Ge. 14. 19.

Heb. 7. 3.

Deut. 21.

Gen. 27.

Digitized by Google

Hæc omnia Sacerdotibus novi teſtamenti rectè poſſunt applicari, qui primogeniti cenſentur inter Fratres Chriſtianos, participantes de poteſtate JESU CHRISTI, qui à Patre conſtitutus eſt *Primogenitus in multis Fratribus*, & ſacerdos ſupremus. Duplex autem eſt poteſtas hujus Sacerdotii principalis, ex qua omnis alia poteſtas derivatur; & longè ſupereminet omnem præcellentiam Sacerdotii & Primogenituræ legis naturæ. Una eſt ſuper Corpus Chriſti verum, per quam panem & vinum in carnem & ſanguinem JESU Filii Dei ſermone ſuo convertere & tranſelementare poteſt, quoties voluerit. Et hanc Chriſtus dedit in cœna dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Altera eſt ſuper Corpus Chriſti myſticum, hoc eſt ſuper Fideles, peccata eis remittendo, & judicio ſuo eos ſubjiciendo. Et hanc dedit CHRISTUS poſt reſurrectionem, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.*

Ro. 8. 29.
Luc. 22. 19.
1. Cor. 11. 24.
Joan. 20. 22.

Mira porro Chriſti Salvatoris & Judicis noſtri, in hac utraque poteſtate homini conceſſa, benignitas elucet. In prima quidem, quod voci hominis obedire paratus ſit, ut quoties ille vocem iſtam virtutis; HOC EST CORPUS MEUM, pronunciarit, ſiſtat ſe cum corpore immortali, cum gloria & divinitate ſua, ſub ſpeciebus panis & vini. In altera verò, quod cum Pater omne judicium dederit Filio, omnemque judicandi auctoritatem: ipſe eam ſibi noluerit reſervare, ſed pluribus communem facere, oſtendens indicibilem liberalitatem, dum omnibus eam Sacerdotibus communicat. Sicut ipſe de Patre dixit: *Pater non judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio:* ita & nos dicere poſſumus: *Filius non judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Sacerdotibus.* Nempe poteſtatem quam dedit Filio Pater, pro finali judicio reſervat Filius: at pro decurſu hujus vitæ, omnem voluit Sacerdotibus communicare, ut qui quid judicant in terra, ratum ſit ab eo in Cœlo. Quænam eſt tua, ô JESU, benignitas, & quam prodiga? In te Pater tranſtulit omne judicium, quia filius es, quia polles ſapientia infallibili, & juſtitia in quam error, paſſio, exceſſus aut defectus, nequit cadere. Et tu itane faves hominibus, ut eam poteſtatem judicandi tibi ut Filio debitam, & ſapientiæ tuæ congruam, in homines fragiles, ignorantes, erroneos, & peccatores volueris plenè transferre? Quid facient tales Judices? Reos nimia facilitate abſolvent, quia & ipſi fragiles, & peccatis iiſdem obnoxii, ſimilem ſententiam facilem & favorabilem optant. An hæc pura eſt voluntas Patris, judicium tibi ſeverum committentis? Sed quid faceret Filius Dei, factus homo? Novit ipſe figmentum hominum, novit quam lubrico veſtigio labantur in peccatum, novit denique quam timidi eſſent, & quàm facile animum deſponderent poſt peccatum timentes Majeſtatem Judicis. Voluit ergo juſtitiam & judicium ſibi commiſſum miſericordiâ temperare; & homini qui jam fugerat ab ipſo ad ſolam vocem territus in Paradiſo, Judicem hominem alium conſtituit, ad quem non vereretur accedere, & ſupplex culpam fateri: à quo etiam vice ipſius Judicis ſupremi, poſt quælibet facinora agnita, abſolutus dimitteretur. Et hoc Patri haud diſplicuit, qui etiam miſeretur timentibus ſe, *& miſit Filium in mundum, non tam ut judicet mundum quàm ut ſalvetur mundus per ipſum.* Atque hæc in ſpiritu conſiderans Propheta inclamat: *Deus judicium tuum Regi da, & juſtitiam tuam Filio Regis. Suſcipiant montes pacem populo, & colles juſtitiam. Judicabit pauperes populi, & ſalvos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem.* Quaſi dicat. O Deus Pater, mitte quem miſſurus es, Filium ſcilicet tuum, Regem noſtrum, cui omne judicium committas, ut judicet mundum, judicatus à mundo. Ipſius eſt judicium, ipſius juſtitia, tanquam Regis noſtri & Filii Regis æterni. Attamen per illum illiuſque commiſſionem, ô Pater, etiam ſuſcipiant illi qui ſunt eminentes in populo quaſi montes & colles, pacem nomine ejus nuntiandam, & miſericordiam cum juſtitia temperandam; ut humiles corde & pauperes ſpiritu ſalventur, ab accuſatore & calumniatore diabolo liberati. Humilietur ipſe, dum humiliantur ipſi, confundatur ipſe, dum confunduntur & conteruntur ipſi, in Sacro Tribunali, in quo judicantur per eos qui vicem Filii tui gerunt, & pacem abſolutionemque ab ipſis referunt. Qui ſunt ergo Montes & Colles, per quos pax & juſtitia ad nos derivatur, niſi Prælati & Sacerdotes, per quos in Tribunali vice Regis & Filii Regis ſive Judicis ſupremi ſedentes peccatorum remiſſio datur, & pax conſcientiæ redit, ſatanæque nos calumniantis vincula & poteſtas in nos eliditur? Exultabat David in ſpiritu hæc prævidens. Laudemus & nos Deum & Chriſtum ejus, qui talem poteſtatem dedit hominibus in Sacerdotio. Sed de utraque poteſtate, tam ſuper Corpus Chriſti verum, quam myſticum, jam dictum eſt, cum de Euchariſtiæ & Pœnitentiæ Sacramento diſſeruimus.

Joa. 6. 22.
Joa. 3. 17.
Pſ. 71. 2. v. 3. & 4.

LECTIO VII.

DE ALIIS IN ECCLESIA Ordinibus.

ORDO, more Eccleſiæ dupliciter ſumitur, proprié & communiter. Proprié Ordo dicitur, qui certo ſacro ac ſolemni ritu ab Epiſcopo confertur, & ad certum miniſterium Sacrificio divino exhibendum refertur. Hoc modo ſeptem ſolùm ſunt Ordines proprié dicti, ſub Sacerdotio Epiſcopatum comprehendendo, de quibus jam egimus. Communiter autem & extensè, Ordo ſumitur pro ſerie deputatorum ad quodlibet obſequium divinum, etiamſi ad ſacrificium minimè referatur. Hoc modo, apud SS. Patres plures Ordi-

Ordo dupliciter ſumitur.
1. Proprè ut 7. Ordines.
2. Communiter pro officiis Eccleſiaſticis.

Digitized by Google

Ordines ultra ſupradictos commemorantur. Nam ſic Virgines dicuntur habere Ordinem ſuum in Eccleſia. Item Pſalmiſtæ, & Cantores. Item illi, qui dicti ſunt *Laborantes*, id eſt, qui in ſepeliendis mortuis operam impendebant. Item Viduæ aliquibus miniſteriis deputatæ, quæ aliquando vocantur Diaconiſſæ, non quod Ordinem aliquem propriè loquendo haberent, (cum mulier incapax ſit Ordinis) ſed quia auxilium aliquod & miniſterium exhibebant, præparando mulieres baptizandas ad Baptiſmum, eas inſtruendo, eas nudando, dum Baptiſmus dabatur, vel dum Unctio fiebat. Et cùm Epiſcopus in Confirmatione ungebat, ſolebant illæ in mulierbus Unctionem abſtergere. Deinde præerant illis foribus templi, per quas fœminæ ingrediebantur, ſicut enim habebant locum diſtinctum à viris fœminæ in templo, ita & fores. Unde vocat eas S. Ignatius ad Antiochenos: *Veſtibulorum cuſtodes.* Denique tempore perſecutionum, cum ob pericula, vel ob ſuſpiciones infidelium non poſſet mitti Diaconus ad mulieres, mittebatur Diaconiſſa ut Epiſcopi vel Parochi mandata perferret, ſolaretur in ærumnis, ac in fide toboraret. Præterea cùm mulieres morierentur, lavabant, & componebant corpora. Hæ Diaconiſſæ igitur erant meræ laicæ, nec conſecrabantur: & diu fuêre in Eccleſia Græca, ſed in Latina paulatim abolitæ ſunt ut patet ex Conc. Arelianenſi 1. can. 17. Vide de his Epiph. Ser. 79. & Baron. An. Chriſti 34. Ubi etiam Presbyterarum meminit & Epiſcoparum, quod nomen aliquando retinebant illæ, quorum viri ad Sacerdotium aut Epiſcopatum aſſumpti fuerant è conjugio, qui poſtea continentiam ſervabant, ſicut & illæ.

Quæ olim dicebantur Diaconiſſæ.

S. Ignat. ep. ad Antioch.

Quæ Presbyteræ olim & Epiſcopæ?

Conc. Aurel. 2. can. 17. Epiph. hæreſ. 79. Baron. ad Ann. 34. & 44. Dionyſ. Eccl. hierarch. c. 6.

Invenies quoque apud S. Dion. Eccleſiaſt. Hierarch. c. 6. Monachos habere ordinem ſuum, vocem ſcilicet Ordinis non ſtrictè, ſed generali quadam ratione ſumendo. Qui modus loquendi in Eccleſia manſit, ut Religioſos Ordines, paſſim nominemus: ad quos eſt acceſſus non per conſecrationem aliquam imprimentem characterem, ſed per profeſſionem, & votorum emiſſionem, per quam quis Deo dicatur, & ad ejus obſequium deſtinatur. Et hi quidem Religioſi cujuslibet Ordinis approbati, conſtituunt cum Sacerdotibus & Clero ſeriem illam, ob quam Eccleſia in Cant. vocatur: *Terribilis ut caſtrorum acies ordinata*, hoc eſt, ſpectabilis & admiratione digna civibus Eccleſiæ, terrorem quoque incutiens ſua ordinata ſerie hoſtibus. Atque utinam ſive Clerici & Sacerdotes, ſive Monachi & Religioſi, Ordinis quiſque ſui decorem ſartum tectum, cuſtodirent: abſque dubio de illis verificaretur illud. Jud. 5. *Stella manentes in Ordine ſuo pugnaverunt adverſus Siſaram.* Quia autem plurimum non ſolùm pulchritudinis, ſed & fortitudinis afferunt Sponſæ Chriſti hi Ordines & Religiones, ideò ferventer orandus eſt Deus, & omni ſtudio Prælatis incumbendum, ut ad primævi inſtituti ſui ſpiritum, fervorem, perfectionem revocentur.

Cant. 6. 3.

Jud. 5. 20.

Et certè non exigua exultationis ſeges Eccleſiæ oritur, dum hoc ſæculo cernit, multis in Religionibus ſpiritum illum vocationis ſanctæ reviviſcere. Sic plurimis in locis Ordo Seraphici Franciſci, ſive per Capucinos, ſive per Recollectos, qui ſe ſtrictioris Obſervantiæ indigitant, plurimum decoris acquiſivit, & multum maculoſæ lituræ abſterſit. Similiter Ordo Carmelitarum, per eos qui S. Tereſiæ ſpiritum reformantem ſunt ſectati. Ordo Præmonſtratenſis, per ſollicitam prælatorum curam & piam vigilantiam. Ordo S. Benedicti, tum per Benedictinos Reformatos, primi inſtituti auſteram abſtinentiam reducentes, tum etiam per eos qui licet Pontifcum in ea re indulto ſe conforment, tamen quæ ad perfectionem ſubſtantialem regulæ & inſtituti ſpectant, cùm rigore & vigore obſervant. Inter quos in Belgio nominatiſſimi ſunt Lætienſes Religioſi, qui Ludovici Bloſii Abbatis tum doctrina, tum pietate excellentiſſimi, reformationem ſecuti, hactenus eam inviolabilem conſervarunt.

In Helvetia memorabiles quoque ſunt, hoc nomine, Monachi S. GALLI, in medio nationis pravæ, velut luminaria collucentes, qui undique hæreſi & hæreticis cincti velut lilia inter ſpinas, non deſinunt pietatis florem, & odorem emittere. Ex hoc Monaſterio noviſſimè advocati ſunt ſeptem Religioſi profeſſi, & decem Tyrones, ut fundamenta Reformationis jacerent in antiquiſſimo & nobiliſſimo Germaniæ Fuldenſi Cœnobio, bellorum injuria, & Religioſorum incuria, quantum ad muros & mores non parum afflicto & deſolato, cujus reformationis primordia invitatu R. Abbatis, & ſpeciali commiſſione S. D. N. Urbani VIII. Nuncius Apoſt. P. Aloyſius Caraffa, in ſua viſitatione ſtabilivit. Coram quo convocatis Cœnobii Antiſtite & 7. Nobilibus Præpoſitis, cum reliquo Religioſorum cœtu in Baſilica Salvatoris, concionis mihi munus impoſitum fuit, & quia concio illa eos, qui Ordinem religioſum profitentur, concernit, hoc loco adſcribendam duxi, ut hunc de ordinibus Eccleſ. Tractatum concluderet, & religionis cultores ad ſatisfaciendum vocationi ſuæ extimularet.

OBSECRO VOS VT DIGNE AMbuletis Vocatione quâ vocati eſtis. Ad Eph. 4.

IN hoc Nobili & Religioſo conſeſſu, de illis mihi potiſſimum diſſerendum video, quæ ſpectant ad inclytæ Domus veſtræ Fuldenſis antiquam gloriam: ut ipſa, quæ infœlicium temporum declivi greſſu ad occaſum vergere videtur, novo poſſit Oriente renaſci, & ſicut de Phœnice intermoriente dicitur, etiam è ſuis cineribus ſuſcitari. Proponam igitur ad hunc ſcopum, non ſubtilia ſed utilia; non diſerta & erudita, ſed fortia & efficacia: non quæ aures mulceant aut ungant, ſed quæ mentes excitent & pungant, munerisque

tisque ſui commonefaciant. Et quidem non mea erunt quæ proferam, ſed Spiritus S. eloquia : quia ex Scripturis ſacris ea depromam, ut ſint efficaciora : Optarimque hodie , ut Dominus exacuat & dirigat linguam meam, quaſi *calamum Scribæ velociter ſcribentis* , ut in tabulis cordis veſtri dignum
Iſa.49.2. aliquid valeat exarare. Optatim, ut ponat *os meum quaſi gladium acutum* , *& ſagittam electam*, cordis intima penetrantem : SAGITTAM SALUTIS, quæ vulnerando ſanet, quæ ulcus pungat, virus ex-
Heb.4.12 pungat: Gladium vivum & efficacem, *ad diviſionem animæ pertingentem*, ut omne amaritudinis germen amputet, & demetat omnem altitudinem extollentem ſe contra Deum. Exordior igitur, & Apoſtoli verbis vos alloquor, at prius rogo , ut aurem mentemque erigatis.

Eph.4.1. *Obſecro vos ego vinctus in Domino* , *ut dignè ambuletis vocatione qua vocati eſtis* , *cum omni humilitate & manſuetudine, cum patientia ſupportantes invicem in charitate* , *ſolliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Unum corpus, & unus ſpiritus* , *ſicut*
Pſ.119.4. *vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ.*

Præclara ſunt hæc Apoſtoli monita, ſeria conſideratione expendenda , *Fidelis Sermo & omni acceptione dignus.* Hi ſunt igniti eloqui prunæ ardentes , quas congerit ſuper caput veſtrum. Hæ *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatoriis* , quibus cor durum transfigatur, aut frigidum ſuccendatur. Expendite mecum ſingula.

Obſecro vos ego vinctus in Domino. Sub hoc verborum brevi cortice, latet copia medullæ. Idem enim eſt, ac ſi dicat. Obteſtor & obſecro vos, per ipſum Dominum ſalutis veſtræ Auctorem : Per
Act.28. 20. vincula , quæ pro CHRISTO JESU ejuſque Fide alligatus patior : *Per Catenam, quæ ob Spem Iſrael ſum circumdatus*; Per Sacratos quoque compedes Charitatis, quibus Domino æternum devincior, voſque illi identidem devincere totis viſceribus peropto. Obſecro ut ambuletis, non quomodolibet, non per quamlibet viam , non quovis etro-
Pro.14.12 neo greſſu ; *Eſt* enim *via quæ videtur homini juſta*, ſed *noviſſima ejus ducunt ad mortem.* Sed ut ambuletis juxta vocationis veſtræ tramitem directum ; & quidem dignè ac circumſpectè , conſiderantes, ubi ponatis pedem, ubi figatis veſtigium. Quid ita ? Quia latet anguis in herba , latet tortuoſus *Coluber in via. Ceraſtes in ſemita mordens ungulas equi, ut cadat aſcenſor ejus retrò.* Obſecro iterum, ut
Gen. 49. 17. ambuletis non ſecundum carnem , ſed ſecundum
Rom.8.13 ſpiritum: *ſi enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini* ; *ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Obſecro denique ut ambuletis cum omni humilitate , ſolliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Si qui inter vos ſunt nobiles, non deſpiciant ignobiles : ſi qui eminentes , non deſpiciant inferiores. Quia membra eſtis ejuſdem
Eph. 4.4. corporis : *Unum corpus, unus ſpiritus, in una ſpe vocationis veſtræ.* In eadem Profeſſione, ſub eadem Regula , eodem Duce , ſub eodem vexillo militantes , ad idem Bravium ſupernæ vocationis deſtinati. Hæc igitur eſt mens Apoſtoli , in iſto verbo abbreviato compendio quodam inſinuata , quæ plenius modò à me eſt explananda, ut facilius eam aſſequi uberiuſque valeatis.

Ac in primis , hortans Apoſtolus unumquemque dignè ſua vocatione ambulare , inſinuat in Eccleſia Dei diverſas reperiri vocationes , ſtatus, ordines, gradus : & horum unicuique , certâ ſerie ſpecialem obligationem agnatam eſſe. At ſicut eſt diverſitas vocationum, ſic & gratiarum. Et
Eph.4.11. ſicut *Multiformis ſapientia Dei* elucet in inſtitutorum variorum coordinatione : ita & in gratiæ multiplicis ſubminiſtratione ; ut quiſque poſſit ſuæ ſatisfacere vocationi , & congenitæ obligationi. Verùm , quia aliqui arbitrii ſui nativa libertate abutentes , huic gratiæ non cooperantur , à Deo deſeruntur. Et cum poſſunt in ſtatu ſublimi vocationis ſanctæ , ut ſidera præfulgida micare, ſinunt ſe a cauda draconis (quæ tertiam partem ſtellarum ſpiris ſuis involvere olim viſa eſt , & è cœlo detrahere) in vitiorum præcipitia petrahi, & in abyſſum , æternamque perniciem devolvi. Contempletur ergo unuſquiſque an non deſit ipſe gratiæ Dei, quia nemini deeſt ipſa gratia Dei. Nemo nimium præſumat , quia nullus eſt adeo ſacer ſtatus, in quo non aliqui pereant culpâ ſuâ. Quia dum vocat Oriens , ipſi converſi retrorſum attendunt ad Occidentem. Dum Auſter irrorantis gratiæ calorem adſpirat , frigidam Aquilonis plagam reſpiciunt, & adamant teporem. Reſpuunt vocem Cœli, aurem erigunt ad vocem ſæculi. Hujus rei teſtimonium ex ſacris litteris poſſumus depromere. Oſtendens enim Dominus quomodo in omni ſtatu aliqui Deum deſerentes deſerantur ab illo, ſic loquitur : *Erunt duo in agro, unus aſſumetur, & unus relinquetur. Erunt duæ molentes in mola, una aſſumetur, altera relinquetur. Erunt duo in*
Matth. 24.40. Luc.17. 34. *lecto, unus aſſumetur, alter relinquetur.* Interpretes ſacri, inter quos S. Auguſtinus , tres hic ſtatus ſymbolicè deſignari docent ; Sacerdotes in clero ; Sæculares in conjugio, Religioſos in clauſtro. Etenim quinam per duos in agro laborantes deſignantur niſi Eccleſiæ Miniſtri & Rectores, quibus Domini ager commiſſus eſt ? Eorum quidam ſtrenuè laborant, arando, occando, ſerendo, metendo : Ideò tanquam *ſervi fideles intrant in gaudium Domini*, & ab illo aſſumuntur. Alii deſidioſam, immò & facinoroſam vitam ducunt , agrumque ſibi concreditum , ac propriæ conſcientiæ vineam negligunt : idcirco tanquam infidelitatis rei , ergaſtulo concluduntur, & pœnis mancipantur æternis. Qui verò *Molentes in mola* , aptiùs indigitantur, quàm illi qui in conjugio agunt ? Hi enim per diverſas curas & ſollicitudines , molam trahunt in circuitu , inſtabiles velut in verſatili rota, velut in cæci Sampſonis mola. Quia tamen horum aliqui , etiam inter ſollicitudines Chriſtianæ ſatisfaciunt vocationi, aſſumuntur à Deo , alii qui
Aug. in Pſal. 99.
cœle-

Digitized by Google

cœleſtia nihili pendunt, nullamque æternæ ſalutis curam gerunt, relinquuntur ab illo, tandemque in tormentis Æternitatis molam, nunquam finiendo circuitu, cum lamento circumducere cogun-tur. Denique, quàm aptè per duos in lecto, Religioſus ſtatus inſinuatur? Cùm enim locus quietis ſit, in quo anima à ſtrepitu ſæculi ſemota, ſibi ac Deo vacare poteſt, & in contemplationis molli culcitra ſuaviter vigili ſomno indormire, rectè ei lecti nomen adaptatur. Attamen, quia vocationem hanc ſanctam, quidam poſt emiſſa vota faſtidiunt, & Babylonis quam reliquerant, iterum vitiis & turbidis negotiis implicantur: non mirum ſi à Deo relinquantur. Non mirum, ſi ſæculatem potius, quàm Religioſam vitam ducentes, reprobentur: & è ſtatu, qui debebat eis eſſe quietis, in ſtratum æterni doloris, irrequieto ſemper motu volvendi, devolvantur.

Verùm enim vero quis non lugeat multorum cæcitatem, qui ſtatus in quo à Deo poſiti ſunt immemores, ſic ſe gerunt, quaſi res exigui foret momenti, quando agitur de diſpendio gratiæ, de animæ incolumitate, de æternitatis diſcrimine. Quis ſanæ mentis eum judicet, qui ſalutem tam charo pretio à Filio Dei emptam, fortunæ & ſorti volubili exponere nihil veretur, aut Æternitatis incertam aleam jactare parat? Ideò ita ſeriò, ita paternis viſceribus, nos Apoſtolus præmonet, obtecat, obteſtatur, ut ſolliciti ſimus noſtra quiſque vocatione ambulare: ne ignorantes noſmetipſos, aberamus *poſt veſtigia gregum, poſt veſtigia hædorum*, animali conſervatione quæ non ſapit quæ Dei ſunt: ne aberremus per latum iter mundi, per abrupta cupiditatum, per anfractus vitiorum, de quibus non invenientes poſtea exitum, æternum tandem ſortiamur exitium.

Cant.1.7.

Quamvis verò hoc Apoſtoli monitum, omnes cujuslibet vocationis concernat, potiſſimum tamen eos extimulare debet, qui profeſſionis ſunt Religioſæ. Horum eſt renes ſuccingere, calceamenta in pedibus habere, ſemper ad iter paratos eſſe: imo nunquam gradum ſiſtere, nunquam retrocedere, ſed citato greſſu ſemper progredi, ſemper dignè ambulare, ſemper aſcenſiones in corde diſponere, de perfectione in perfectionem, de virtute in virtutem procedere, *donec videatur Deus Deorum in Sion.* Sed quotuſquiſque eſt, cui cordi ſit, vocatione ſuâ dignè ambulare? Quam multos tædet itineris & laboris? Quàm multi retrò aſpiciunt, abeuntque per diverticula diſtorta ſæculi, in diverſas adverſiſque virtutis vias? Diſertè dixit Hugo Card. quod & noſtro congruit propoſito. *Aliqui ambulant cum Domino*: hi ſunt Prælati & Rectores. Aliqui *ambulant ante Dominum*, hi ſunt pii Concionatores viam Domino præparantes. Aliqui *ambulant poſt Dominum*, animæ humiles & pœnitentes. Aliqui *ambulant coram Domino*, omnia opera ad eum referentes. Sed ex altera parte, alii *ambulant à Domino*, propriam voluntatem ſectantes. Alii *contra Dominum*, hi ſunt obſtinati & rebelles. Meritò ergo cum Apoſtolo, iterum iterumque monemus, ut conſideret unuſquiſque quomodò ambulet, ut ſaltem cum Domino ambulet, vel poſt Dominum, aut coram illo. Nulli verò contingat, ambulare ab illo, vel contra illum. Nemini de illorum numero cenſeri, qui omne jugum excutientes tanquam *Pullos Onagri ſe liberos natos putant: & hi extrahentes ventum* mundanæ voluptatis ineſcantis & illectantis, abeunt poſt deſideria cordis ſui, nec quiſquam eos poteſt avertere. Multò minus contingat de illis eſſe, qui *adverſus Deum pingui cervice armantur, & cursum erecto colle.*

Lugo in 5. Gen.

Job.11.12.

Job.15.26

Interim dum vocationis veſtræ vos admoneo, illam duplicem eſſe expendatis, peroptatim. Una eſt Chriſtianis omnibus communis, per quam omnes profeſſi ſumus ſatanæ operibus & pompis nuncium remittere. Et utinam vel hanc ut decet conſideraremus, memores veſtis candidæ in Baptiſmo ritu ſolemni traditæ, in ſymbolum candoris & puritatis, quâ induti ſumus, relictis peccati exitialibus involucris: quamque illibatam, ſartam rectam ad extremum uſque ſpiritum conſervare ſpopondimus. Memores quoque Cerei ardentis in manus noſtras delati in ſignaculum myſticum illuminatæ conſcientiæ, ad Tribunal Domini N. JESU CHRISTI deferendæ. Altera vocatio veſtra eſt Religioſa, primam perficiens: per quam priorem renunciationem voto ſolemni confirmaſtis, coram Domino & Chriſto ejus. Per hanc ſpecialiter de tenebris vos eduxit in lucem, ut filii lucis ſitis, voſque tulit *in partem ſortis Sanctorum in lumine.* Vocati igitur eſtis non ad vias ſæculi ſectandas, non ad libertatem animas captivantem in lege peccati, illaſque perimentem: ſed ad obedientiam & diſciplinam, ſuavi & oleato jugo eas prementem. Vocati eſtis non ad prodigendum patrimonium Crucifixi, ſed ad ſerviendum in ſpiritu Deo viventi. Vocatio veſtra eſt, in caſtris JESU CHRISTI Imperatoris ſummi, ſub vexillo Ducis BENEDICTI, contra ſatanam, & inferni aciem, *contra Principatus & Poteſtates, Rectores tenebrarum harum*, fortiter dimicare. Nos omnes Chriſti milites ſumus, at vos ſub talis Ducis Labaro in prima eſtis acie conſtituti: ideoque oportet cæteros fortitudinis exemplo antecedere, & animare. Eia igitur, ô milites Chriſti, induite arma lucis, Galeam ſpem ſalutis, Loricam juſtitiæ, Baltheum caſtitatis, Scutum orationis, & quicquid aliud ad ſalutis Panopliam ſpectat. Animant vos inclyti Duces, BENEDICTUS, BONIFACIUS, STURMIUS, qui in hoc loco, præclarè & fœliciter depugnarunt cum antiquo ſerpente. Ipſi exemplo præierunt, nunc vobis facem & lampada tradunt. Vobis adhuc navigantibus, ipſi modò in portu, manum lucemque tendunt, ne in ſyrtes, vada, vitiorumque ſaxa impingatis: & neglectâ veræ diſciplinæ via, in naufragium procura-

Col.1.

Digitized by Google

curratis. Certè monent ipſi, ut profeſſionem, regulam, votum ponderetis : & id quidem non leviter, non perfunctoriè, ſed in veritatis bilance, in
Prov.16.2 Sanctuarii pondere. Etenim unumquemque appendet in ſtatera, quæ nec falli poteſt, nec fallere, *Spirituum ponderator Dominus.* Væ, væ tunc, ſi quis inveniatur minus habens ! Minus utique ponderis & valoris, minus religionis & obſervantiæ, quam profeſſio depoſcat : ſic enim fiet, ut inſtar nummi reprobi repudietur, ignique vel piaculari, vel vindici tradatur. Attendenda eſt manus illa calamuſque ſcribens in Pariete Regio juxta Candelabrum, pauca illa verba, ſed ſtupore plena, MANE, THE-
Dan.5.25. CEL, PHARES. Licet enim Regium caput impetant, ad Regem directa: Decretum tamen continent improbos omnes concernens, decretum quod eis terrorem incutere, errorem deberet excutere. Hæc enim eos manet Capitalis ſententia : *Numeravit Deus annos tuos, menſes, dies, horas, momenta. Appenſus es in ſtatera, quam manus tenet divina, & inventus es minus habens ponderis & valoris quam à te exigebat. Diviſum ideo eſt regnum tuum, anima à corpore, quod regit diſparata, ut ſint nitricibus eſca flammis.* Durus eſt hic ſermo, aſperum plane verbum. Qui optat ſecurus eſſe ab illo, prius ſe in ſtatera veritatis & incorrupti judicii appendat, & obligationem ſtatus ſui ſollicitè attendat. Nec utatur ſtatera fallace mundi quæ nimium decipit ponderantem. Quæ eſt enim bilanx ponduſque, quo mundus ſua ponderat ? Amor proprius, amor cœcus, erga ſe, erga ſuos, erga ſua. Fallax utique pondus, reproba trutina, dicente Propheta : *Chanaan in manu ejus ſtatera doloſa.* Mundus Chanaan eſt, hoc eſt, Negotiator, falſo decipiens pondere, dum gravia apparere facit, quæ ſunt caduca & inania : levia vult æſtimari, quæ ſunt æterna. Plerique utuntur hac doloſa ſæculi bilance, appendentes obligationem vocationis ſuæ : Afferunt enim prætextus multos, excuſationes, conſuetudines, aut potius corruptelas. Folia ſunt omnia iſta, nil ponderis habent in bilance divina : Ficus folia, Adæ perizomata ſunt, quibus velatur libertas, nuditas, turpitudo. Excute hæc inania involucra, quiſquis rectè vis vocationis tuæ obligationem examinare : Statue faciem tuam ante faciem tuam, Te ante Te, ſine adblandimento mentis ſerenitatem obnubente, rectum judicium obnubilante, Nihil proderunt vela omnia libertatis atque licentiæ, illo revelante qui novit quicquid latet in homine, & quicquid requirit ab homine, pro diverſa vocatione & profeſſione.

Parcite mihi, ſi ut commiſſo muneri faciam ſatis, liberius loquendum eſt. Non vult apparere veritas fucata, ſed nativo ſuo colore candida. Appendite in lance veritatis ſtatum veſtrum & Eccleſiæ veſtræ ut ad meliora vos impellat. Videte an FULDA, quæ olim fulgida fuit, jam non ſit fuliginoſa. Ubi pietatis antiquus vigor : Ubi diſciplinæ ſanctæ rigor ? Ubi trecenti aut quadringenti Religioſi qui hic cœleſtem duxiſſe vitam ſcribuntur ? Ubi ſtricta clauſura cum ſilentio, & familiaritas cum Deo ! Ubi ſibilus auræ tenuis ſuſurri divini loquentis ad cor ? Ubi ſtudium ſapientiæ & ſcientiæ ſalutaris ? Ubi mutua meliorum chariſmatum æmulatio, & ad perfectionem fervens contentio ? Nonne ita evanuere omnia, ut ſolum præteritorum remanſerit honorabilis memoria, & pauca admodum veſtigia ? Deſcribens grandem ruinam Propheta Iſaias dicit : *Comminuetur ſicut lagena figuli, conteretur contritione pervalida, & non invenietur de fragmentis ejus teſta, in qua portetur ignieulus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea.* Ad eundem modum dicere quis poſſit, tantam eſſe antiquæ FULDÆ ſpiritualem ruinam, ut difficile ſit repetire fragmen teſtæ, in quo vel reſervetur igniculus de magno illo divini amoris incendio, quo olim ſuccenſa cernebatur : vel quo hauriatur aliquid aquæ de puteo gratiæ, ubertim illam antiquitus inundante. Certè cum ego FULDAM cum FULDA confero, novam cum veteri, cujus fama apud omnes pererebuit ; illam à ſeipſa, toto ut ajunt cœlo, diſtare reperio. Et ſi dixero, ut olim de ipſa : *Hæc eſt illa Noemi.* Videtur mihi reſpondere cum gemitu, *Ne vocetis me Noemi, id eſt pulchram, ſed vocate me Mara, id eſt amaram.* Hujus verò reſponſi cauſam ipſius ex ore audi : *Plena fui, & vacuam me fecit Dominus, cur ergo vocatis me Noemi, quam Dominus humiliavit & afflixit.* Planè cum pleniusejus ſtatum circumſpicio, attentiuſque conſidero, videor mihi iterum audire vocem planctu plenam, per eadem verba quibus olim Sapiens Job afflictus, ſortem ſuam, haud ut antea fœlicem, deplorabat. *Quis mihi tribuat, ut ſim juxta menſes priſtinos, ſecundum dies quibus Deus cuſtodiebat me.* Qui ſunt illi dies ita fortunati pro quibus ſuſpirat ? ipſemet edifferat. *Quando lucebat lucerna ejus ſuper caput meum, & ad lumen ejus ambulabam in tenebris : ſicut fui in diebus adoleſcentiæ meæ, quando ſecretò Deus erat in tabernaculo meo. Quando erat Omnipotens mecum, & in circuitu meo pueri mei. Quando lavabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi rivos olei.* Utique CHRISTUS JESUS, Myſtica Petra, FULDENSI CONGREGATIONI, cum foret illa in primigenio ſuo flore, in primæva ætate fundebat abundans oleum gratiæ, copioſam fundebat unctionem chariſmatum ſpiritualium, qua ejus alumni perfundebantur, & lavabant ac ungebant ſpirituales affectuum pedes. In diebus adoleſcentiæ ſuæ, luce quoque divinâ omnimodis cinctam perfuſamque fuiſſe teſtantur tot viri ſapientia & ſanctitate illuſtres, qui ex ipſa prodierunt. Speciali verò favore circumcincta, *gaudens gaudebat in Domino qui loquebatur ad cor ejus*, in ſecreto tabernaculo : & afflabat ei ſuavem ſpiritus ſui auram in ſecreto ſilentio ſonoram. Multi quoque ejus filii in circuitu agebant, in circumvicinis Cœnobiis ſeu præpoſituris Domino ſervientes, &

Iſa.30.14.

Ruth.1.20.

v.21.

Job 29.

Mani-

Digitized by Google

Matri obedientes. Quid enim vicini illi Montes & Aſceteria. Mons B. Mariæ, Mons B. Petri, Mons B. Andreæ, Mons B. Michaelis, Mons B. Joannis? Quid inquam, niſi habitacula ſervorum Dei, caſtra pœnitentiæ, domicilia filiorum matrem circumdantium & circumſpicientium, velut lineæ quæ à centro ductæ reſpiciunt centrum? Meritò igitur ipſa dicit. *Omnipotens erat mecum, & filii mei in circuitu meo?* Meritò & nos ob ſacras illas in Collibus habitationes de illa dicimus: *montes in circuitu ejus & Dominus in circuitu populi ſui.*

Iſa.35.2. Ad priſtinos igitur fœlices illos dies, floridaque tempora adſpirat, quibus *germinans germinabat quaſi lilium: cum gloria Libani, cum decore Carmeli & Saron*, quæ prius ſolitudo deſerta & invia fuerat. Neque deſperandum eſt, poterit adhuc ſimiles videre dies, ſi voluerint filii quos genuit, audire vocem matris plangentis. Mœrore enim confecta eſt, quòd ſterilis ſit, fœcunda olim mater filiorum timentium Dominum. Deſolata eſt, quòd videat decorem ſuum temporum decurſu ſic immutatum & emarcidum, Equidem dum ejus ſtatum per varias ſæculorum revolutiones, ad hanc uſque ætatem, ſecundum annales veſtros perluſtro; haud abſimilis mihi videtur ſtatuæ Nabuchodonozoris, cujus caput erat aureum, brachia argentea, pectus æreum, tibiæ ferreæ, pedum pars ex ferro, pars ex luto. Per caput deſigno primordia, ſive prima ſæcula Religionis hic inſtitutæ, quæ omnino fuere aurea charitatis fervore, rutilo pietatis colore. Succeſſere ſæcula aliquot argentea, hoc eſt, ob doctrinam & ſapientiam perillorum hic virorum, inſtar argenti ſplendida. Deinde refrigeſcente charitate, neglectoque ſapientiæ ſtudio, ærea ſæcula ſubrogata fuere, in tantum ſcilicet à primo fulgore degenerantia, in quantum æs degenerat ab argento vel auro. Denique ferrea & lutea ſæcula videre & pati eſt coacta. An non ferreum ſæculum, in quo filii & ſubditi, Abbatem & Principem de reformanda diſciplina cogitantem, conjunctis cum hæretica nobilitate viribus, propria ſede exegerunt? Imò per annos quinque ſupra viginti, exulem agere coegerunt; donec tandem Cæſareâ poteſtate iterum inauctoratus eſt, & poſtliminio reſtitutus, ut ex Annalibus veſtris patuit eſt. An non luteum ſæculum, in quo multi hic Religione & Sacerdotio initiati, caſtitati libellum repudii dantes, *infixi ſunt in limo profundi*, in concupiſcentiæ luto immerſi, Gal.3.3. *& qui ſpiritu cœperant, carne ſunt conſummati?* Thre.4.2. Eheu, qui debebant eſſe Filii SION inclyti, *amicti* v.5. *auro primo, reputati ſunt in vaſa teſtea, & amplexati ſunt ſtercora.* Quid igitur mirum, ſi FULDA luctum paret, lugubremque veſtem, inſtar Matris amantis lugentis: inſtar *Rachel plorantis filios ſuos &* Hier.31. *& noluerit conſolari, quia non ſunt?* Deplorate 15. mihi cum ea liceat ruinoſum ejus ſtatum, & ver- Thr.4.1. bis Jeremiæ dicere: *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus? Diſperſi ſunt lapides Sanctuarii in capite omnium plateurum?* Quomodo pietas illa antiqua, inſtar auri rutilans, ardor & zelus perfectionis religioſæ, inſtar ignis flammeſcens, obſcuritatem contraxit & fuliginem? Quomodo color optimus innocentiæ & pietatis, color hyacinthinus converſationis cœleſtis, vitor diſciplinæ & humilitatis ita emarcuit? Quomodò illa, quæ decore ſuo cæleſtis Regis, ſpirituumque ſupernorum, ad ſe intuitum illiciebat, fuſca nunc eſt & decolorata; Illi qui debebant eſſe lapides Sanctuarii, lapides à Deo electi & dilecti, quomodo in plateis Babyloniæ inveniuntur diſperſi in lato itinere mundi, corde & corpore vagi, jacentes in vitiis ſæculi? Et quid mirum, ſi fortè à tranſeuntibus proterintur, ſi Religioſi ſtatus dignitas non agnoſcitur: quando vita vocationi non reſpondet? quando in via lata & luteſa Religionem profeſſi paſſim reperiuntur, & quaſi ſal infatuatum procurantur?

Verumtamen non ita inſolitum videri debet, ſi aurum & argentum, præ ſitu & ſenio rubiginem quandoque contrahat & obſcuritatem: ſi color ſpecioſus antiquitate detritus, quandoque depereat: ſi ædificium bene ſtructum, vetuſtate collabaſcat. Sic nec adeò mirum, ſi Religio olim florens & rutilans, ſenſim deficiat à priſtino flore & ſplendore. Sed aurum obſcurum & rubiginoſum iterum igni traditur, ut clareſcat, Imago decolorata, iterum depingitur ut ſpecies ejus appareat. Domus collabaſcens fulcitur & renovatur, ne funditus concidat. Ita hæc ſacra Religio, novo eget fervore, novo Spiritus Sancti igne, ſcoriam omnem & rubiginem excoquente: novo colore, vetuſtæ maceriæ maculoſas lituras obliterante: nova reſtauratione, ut ad primævum decorem poſſit innovata redire.

Ad hunc finem tendit Illuſt. ac Reverend. Legati Apoſtolica viſitatio, qui totis viſceribus charitatis, ad veſtram anhelat gloriam, ad veſtram ſalutem, ad Religioſæ nobilitatis veſtræ decorem. Optat in domo ac Religione veſtra adimpleri illud Domini apud Iſaiam: *O pauperecula tempeſtate* Iſa.54.5. *convulſa, ad punctum in modico reliqui te, & in miſerationibus magnis ego congregabo te. Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, & fundaboin Sapphyris, ponam Jaſpidem propugnacula tua, & omnes terminos tuos lapides deſiderabiles.* An non id aptè ECCLESIÆ FULDENSI congruit? Videte id particularius: Fuit illa dives non ſolùm opibus terrenis, ſed & donis ac charismatibus cœleſtibus ædificata tanquam Sacræ Religionis Baſilica, & Arx principalis, cæteris norma. Habuit fundamenta ſpecioſa & pretioſa, viros omni ſanctitate conſpicuos, vitos cœleſtes quaſi Sapphyros & Jaſpides, qui lucem viroremque ſapientiæ & pietatis quaquaverſum diffuderunt, Religionis eximii Propugnatores. Filii ejus erant quaſi lapides pretioſi, a Domino electi & ſculpti: quia digitus Dei in tabulis cordis eorum, legem ſanctam

Digitized by Google

inſculpſerat. Verùm, temporum variâ tempeſtate, FULDA & concuſſa eſt & convulſa. Terrenæ opes ex parte dilapſæ ſunt, & in alienas manus ſenſim furtimque tranſierunt, ut probe noſtis. Et utinam quæ remanſerunt, in alios uſus non convertantur, quàm in eos, quos poſcit Patrimonium BENEDICTI ET BONIFACII, Hæreditas Crucifixi, menſque Fundatorum qui eas ſunt impertiti. Opes etiam cœleſtes, maxima ex parte temporum injuria cernuntur periiſſe. O igitur, *Paupercula tempeſtate convulſa*! Lutherana tempeſtas, ab Aquilone, unde repanditur omne malum, otiginem trahens, plurimam tibi vaſtitatem attulit, & aliorum temporum clades, religioni ſanctitatique tuæ damnum graviſſimum influxit, cujus veſtigia remanent uſque modò deploranda. Sed nunc ſi volueris, inquit Dominus, & niſi *Domus exaſperans fueris, iterum diſponam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Sapphyris ponamque Iaſpidem propugnacula tua.* Hoc eſt, per ordinatam diſciplinam, per cœleſtem converſationem, per recentis pietatis virorem, ſi aurem manumque cooperans admovere volueris, iterum te potero innovare, & in priſtinum ſplendorem revocare, nec non ſanctis propugnaculis adornare. At quomodo iſtud fieri poterit? Attendite quid idem Propheta dicat: *Vocabuntur in ea fortes juſtitiæ, plantatio Domini ad glorificandum & ædificabunt deſerta à ſæculo, ruinas antiquas & diſſipatas erigent, fundamenta generationis & generationis.* Iſa. 61. 3. Videtur ſuo penicillo delineare Propheta, ſuiſque his verbis diſertè deſcribere, quæ modò geruntur in Eccleſia FULDENSI reſtituenda & renovanda. Vocavit etenim Reverendiſſimus Abbas ad eam viros fortes veræ juſtitiæ ſectatores. Acerſivit ex longinquis Helvetiæ oris, ex Nobili S.GALLI Monaſterio, religioſæ diſciplinæ conſtantes æmulatores & propugnatores. Advocavit ſimul Tyrones, ut ſint *novella plantationes in juventute ſua*, ad renovandam nobilis hujus Cœnobii ſenectam. Advocavit ad glorificandum Deum, ut ſint *Filii Sion qui exultant in Rege ſuo, & laudant nomen ejus in choro.* Ipſi zelo & exemplo, erigent antiquas regularis diſciplinæ ruinas, monaſticæ Religionis deſerta reædificabunt, erigent electos muros, probos mores, jacientque *fundamenta generationis & generationis* Filiorum Dei, Filiorum BENEDICTI. Ad id eos exhortor, ut infracto animo pergant, primordiis jam benè jactis: una manu ædificent inſtar filiorum Iſrael, altera pugnent contra hoſtes inviſibiles, qui ſemper novi ſpiritualis ædificii ruinas moliuntur. Pergant conſtanter Hieruſalem novam, civitatem pacis & viſionis, hic in terris conſtituere: donec tandem ipſi, *Tunſionibus, preſſuris expoliti lapides, ſuis coaptentur locis, per manus Artificis, diſponantur permanſuri ſacris ædificiis.*

Quis interim, niſi mentis ſit exaſperatæ & exaſperantis, non debeat deſiderare labefactati ædificii ruinas erigi? Quis poteſt juſtè conqueri capiti aut membris ſanciatis cataplaſma medelamque adhiberi? Quis invideat, Vineam Domini reparari, muro diſciplinæ circumvallari, ne tota ab incurſantibus animalibus devaſtetur, aut diligentius excoli, ne deſerta ſylveſcat? In hoc incumbit R. Abbas, ut coliabeſcenti Religioni manum ſupponat, aut collapſam è ruderibus ſuſcitet & ſtabiliat. Hoc ei curæ & cordi eſt, ut Capiti & membris infirmis opportuna medela provideat. Hoc agit, ut vineam ſibi commiſſam diligenti opera excolat, ne cogatur cum planctu tandem dicere: *Filii Matris meæ pugnaverunt contra me, poſuerunt me cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodivi.* Cant. 1. 5. Qui ſunt filii Matris ſuæ, niſi vos ejuſdem Eccleſiæ hujus nobilis nobiles Filii? Nonne vos elegiſtis eum, & poſuiſtis cuſtodem Vineæ hujus Sanctæ? Cum ergo velletis repugnare, aut impedire ne Vineæ ſibi concreditæ provideat, & ſedulam illius curam gerat? Cur velletis obſiſtere, ne ſepem clauſuræ ſacræ circumdet Vineæ, ne turrim diſciplinæ exædificet, ne diffluentis luxuriantiſque libertatis infœlicia germina reſecet & ſuccidat? Cùm ad id obligetur, ne divino obnoxius ſiat judicio, cur velletis ut omnem culpam in vos retorqueat, & divinum obteſtari cogatur judicium & dicere: *Domine ſi vineam meam non cuſtodivi, Filius matris meæ culpam adſcribe; ipſi pugnaverunt contra me, quia vineis cuſtodem poſuerunt me; ipſi culturam & cuſtodiam vineæ meæ impediverunt, duræ ſuæ cervicis & rebellionis.* Hebr. 13. 17. Vete, non expedit vobis, ut qui *pervigilare quaſi rationem reddituri pro animabus veſtris* gementes *id faciant.* Multi ſortè prætextus, privilegia, conſuetudines, imo corruptelæ, produci poſſunt à vobis, ad obſiſtendum reformationi ſanctæ. Sed omnia hæc, *Vulpes* ſunt *parvulæ, quæ demoliuntur vineas.* Cant. 2. 15. Capite nobis vulpes illas, enecate, ſuffocate; ut hæc vinea Domini iterum poſſit germinare, floreſcere, odorem dare. Multa conſilia quæ contexitis, ſunt velut Vulpes Samſonis, caudis colligatæ ad incendendam meſſem hanc, vel ſpem meſſis. Vultis ut omnia verbo complectar & apertè eloquar. Non poteſtis ſine crimine, ſine conſcientiæ diſcrimine, pio conatui R. Præſulis obſiſtere, quinimò tenemini ad ſanctum adeò opus opitulatricem manum porrigere. Caput ipſe eſt, vos membra; an decet membra à capite diſſidere? annon ab illo potius influxum recipere; illi cooperari, illi ſe conformare? Hoc eſt, quod ex Apoſtolo dixi: *unum corpus, unus ſpiritus; ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ.* Jud. 15. 4. Itaque zelum domus Dei, zelum Eccleſiæ ac Religionis veſtræ, cum eo induite, nec divino vos judicio reos obſtringite.

Hoc expoſcit à nobis S.D.N. URBANUS toris viſceribus paternæ dilectionis; qui & expreſſe Illuſt. Legatum ſuum ad id deſtinat, ut Pontificiam perſonam, auctoritatem, dilectionem vobis repræſentet: & is, ut videtis, in hoc negotium totum ſe impendit. Quinimò FERDINANDUS Auguſtiſſimus Imperator, ad veſtram antiquam adſpi-

Digitized b

adſpirans gloriam, idipſum ſuis literis impenſè commendat. Durum certè foret vobis, *contra ſtimulum calcitrare, contra ictum fluvii connitì, reſiſtere contra faciem potentis*, tam Dei quam hominis. Sed & ſupervacaneus conatus eſt, conſilium quod ex Deo eſt velle diſſolvere. Conquerentem audio de quibuſdam Sapientem Job, & dicentem: *Ipſi ſunt rebelles lumini neſciérunt vias ejus, nec reverſi ſunt per ſemitas ejus. Si ſubitò apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis, & ſic in tenebris quaſi in luce ambulant.* Quidam enim, cum apud eos agitur de moribus corrigendis, de vita melius inſtituenda, de reformatione ſuſcipienda, rebelles ſunt huic lumini. Quaſi umbram mortis reputant, cum ſit aurora quæ eis exoritur ad diſſipandam caliginem. Nolunt reverti per ſemitas lucis, neſciunt & repudiant vias ejus: & ſic in tenebris quaſi in luce ambulant, impingunt, & neſciunt ubi corruant, & tandem æterno præcipitio colliduntur. An vos de eorum numero cenſeri velleris? Imò verò aperite oculos ad auroram & lucem, quæ jam affulget, & proponitur vobis, ut filii lucis ſitis.

Job.24.13 v.17.

Hoc ipſum à vobis implorant tot viri jam beati, qui in loco vos præceſſerunt, quorum oſſa tanquam ſacra Parentum pignora adhuc conſervatis. Hi extimulant vos ad ſua ſectanda veſtigia, & ad id imaginem vobis vitæ ſuæ reliquerunt tanquam ſacram hæreditatem, & ſpeculum quod frequenter mentis veſtræ oculis deberet obverſari. Audite mihi videor B. BONIFACIUM, ſacrum familiæ veſtræ Parentem, auribus veſtris inſonantem illud Sapientis: *Nunc ergo filii audite me, Beati qui cuſtodiunt vias meas. Nunc audite diſciplinam, & eſtote ſapientes, & nolite abjicere eam.* Quaſi paterno affectu ſic moneat. Noſtis qua via ad metam pervenerim, quibus gradibus ad gloriam conſcenderim, quam doctrinam & diſciplinam vobis tradiderim. Si eam repudiatis vel abjicitis, non eſt quod meum imploretis auxilium, uſurpetis patrocinium, devoretis patrimonium. Etenim potius daturus ſum contra vos acerbum teſtimonium. Clamabit coram divino tribunali ſanguis meus pro fide Chriſti, & Religionis conſervatione perfuſus. Dabunt vocem oſſa mea ſacra, quæ tanquam pignora Patris aſſervatis: quæ modo deberent vobis eſſe non ſolùm monumenta meæ pietatis, ſed & ſtimuli virtutis. Quod ſi negligitis, jam non ego Pater, nec vos filii; qui Patris vocem non auditis.

Prov.8.32

Sed vereor onoroſus vobis eſſe verborum meorum acrimonia, ac odium incurrere, varitatis pronuntiatione. Nam & quandoque ægri inſurgunt in eum qui ulcus tangit, etiam ad ſanandum. Extimo tamen vos legiſſe apud Sapientem: *Meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oſcula odientis.* Concludo igitur, & hoc unum breviter repeto. Quicquidà vobis Illuſtriſſimus Legatus in hac viſitatione poſtulat; idipſum exigit regula, profeſſio, votum, quod coram Domino & Chriſto ejus in atrio Domini conſcribentibus Cœlitibus obtuliſtis. Videte ne illud vobis vertatur in laqueum, ruinam, & ſcandalum. Idem requirit mens Fundatorum & Benefactorum, qui vobis adeò amplum legarunt patrimonium. Interim ſi ea quæ ordinavit & ordinaturus eſt Illuſtriſſimus Legatus, negligere aut reſpuere deceritis; ut ſuam ipſe exoneret conſcientiam, cogetur forti voce & animo cum Apoſtolo Chriſti Legato dicere: *Conteſtor vos hodierna die, quia mundus ſum à ſanguine omnium: non enim ſubterfugi, quo minus annunciarem omne conſilium Dei vobis. Attendite, ſcio quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos, & ex vobis ipſis exurgent viri loquentes perverſa, ut adducant diſcipulos poſt ſe:* hoc eſt, qui illectent pravis conſiliis aliquos de gremio veſtro, ad evertendum quod ad Dei gloriam eſt ordinatum. Sed meliora ominor, & adprecor. Unde ſicut exorſus ſum verbis B. Apoſtoli Pauli, ſic B. Petri Apoſtolorum Principis ſacro monito coronidem impono; & obſecro: *Succincti lumbos mentis veſtræ, perfectè ſperate in eam, quæ vobis offertur, gratiam, quaſi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ veſtræ deſideriis: ſed ſecundum eum qui vocavit vos ſanctum, & ipſi in omni converſatione ſancti ſitis.* Idem igitur quod B. Apoſtolus Petrus, ego hodie à vobis per veſtram ſalutem efflagito: Per JESU CHRISTI Corpus & Sanguinem, in cujus conſpectu ſto, coram ejus Sacra Hierotheca & Tabernaculo: Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos oriens ex alto: Per pignora ſanctorum Patrum veſtrorum, hoc in loco quieſcentium. Per omne quod in cœlo, aut in terra pretioſum eſt & ſanctum. *Odite eam quæ carnalis eſt maculatam tunicam, & nolite conformari huic ſæculo, ſed renovamini ſpiritu mentis veſtræ. Ut probetis quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta.* Tranſit enim ſæculum, & præterit figura hujus mundi: tranſeunt fluctus ejus, manet fluctus, ſi his fueritis involuti. Et hæc quidem ſperans à vobis, *commendo vos Deo & verbo gratiæ ipſius, qui potens eſt ædificare & dare hæreditatem in ſanctificatis omnibus.* Quam vobis impetret D. Pater veſter BENEDICTUS, & donet ille qui eſt in ſæcula benedictus.

Prov.27.6.

1.Pet.1.13.

Act.20.16

RESOLUTIONES QUÆSTIONUM PASTORALIUM.

DE ORDINANDIS VEL Ordinatis.

CAPUT I.

DE IMPEDIMENTIS ORDINUM.

Q.1. De incurrentibus ſuſpenſionem ab ordine.

QUÆRO PRIMO. *Quinam incurrant ſuſpenſionem ab Ordine?* Reſp. 1. Qui abſque examine & Epiſcopi conſenſu, furtim in-

Digitized by Google

geſſiſſet ſe multitudini examinatorum ; & ſimul cum eis Ordinem ſuſcepiſſet. 2. Qui ſine titulo beneficii aut patrimonii ſufficientis promotus eſſet. 3. Similiter ſuſpenſum exiſtimant Navarrus, Suarez, & alii, eum qui promovetur cum titulo patrimonii aut beneficii ſufficientis, ſed obligavit ſe ad renunciandum ei ſtatim ac ordinatus fuerit. Nam tali ratione ordinari, perinde eſt ac ordinari ſine titulo, & eſt potius mentitus titulus, quàm verus, quandoquidem ex pacto aut juramento ei ſic renunciandum. Secus erit, ſi renunciatio fiat poſt ordinationem nullo pacto præcedente. Vide Navarr. cap. 27. num. 158. Si verò aliundè non habet unde ſe ſuſtentet, talem renunciationem facere prohibetur ſine Epiſcopi licentia per Tridentinum ſeſſ. 21. cap. 2. de reformatione. 4. Qui promovetur ante legitimam ætatem ſcienter. Nam qui bona fide exiſtimat ſe habere ætatem legitimam ſicut excuſatur à culpa, ita & à ſuſpenſione. Neque verò ceſſat ſuſpenſio, quando ordinatus ſcienter, ante ætatem legitimam poſtea ætatem attingit, ſed debet prius requirere abſolutionem à ſuſpenſione. 5. Qui ordinatur ab alieno Epiſcopo ſine conſenſu proprii; hic tamen iterum bona fides ordinati excuſaret, quia requiritur præſumptio.

Nav. & Suarez.

Nav. c. 27 num. 158.

Trid. ſeſſ. 21. c. 2. de reform.

Q. 2. De ſuſpenſis in ordine ſuſcepto miniſtrantib.

QUÆRO SECUNDO. *Quid ſi tales miniſtrent in ordine ſuſcepto?* Reſp. tunc incurrere irregularitatem ; maximè ſi exercent ſolemniter actum ordinis ſacri. Atque cùm ſuſpenſio poſſit tolli ab Epiſcopo (niſi in canone expriimatur Papæ reſervari) tamen irregularitas tantum tollitur à Pontifice, niſi ex delicto occulto proveniat. Notant verò Theologi, eum qui ex delicto occulto irregularis fuerit, non teneri ſe prodere abſtinendo ab officio, ſi evidens fuerit periculum infamiæ : imo ſi non poſſit prius habere diſpenſationem, prævia contritione poteſt officium exercere, quamdiu tale periculum durarit.

Q. 3. Quinam ob irregularitatem arceantur à ſuſceptione Ordinum.

QUÆRO TERTIO. *Quinam ob irregularitatem arceantur à ſuſceptione Ordinum?* Reſpondetur. 1. Omnis infamis tam juris quàm facti infamia, contrahit irregularitatem, ſuſceptionem Ordinum impedientem. Dupliciter autem incurritur. 1. per ſententiam definitivam, qua quis à Judice de crimine condemnatur. 2. per aliqua crimina, quibus ex juris diſpoſitione irregularitas eſt annexa, ut ſunt, Simonia, duellum, crimen læſæ majeſtatis, hæreſis : atque etiam eam incurrunt hæreticorum fautores, hæreticorum & fautorum filii. Cap. *Statuimus* 2. de hæret. in 6. Si pater eſt hæreticus, filius & nepos ſunt irregulares : Si mater, filius tantum. Quod intellige, ſi moriantur ut tales. Ita Pontifex. Sed advertè quod filius debeat naſci patre jam hæretico, & debet fuiſſe probatus talis.

C. Statuimus. 2. de hæret. 6.

Defectus facientes inhabilem ad ordines

Reſpondetur ſecundò. Eſſe aliquas irregularitates, quæ ſunt impedimenta ad Ordines, quæ tamen non proveniunt ex crimine, quales eſt ex defectu corporis. Omnis enim defectio membri reddens hominem inhabilem ad celebrandum, vel ſaltem efficiens, ut ſine notabili deformitate ac ſcandalo celebrare nequeat : inducit irregularitatem, & hoc in dubio judicio Epiſcopi relinquitur. Sic irregularis judicatur, qui caret viſu oculi ſiniſtri ; ita ut cogatur deformiter ad librum ſe vertere. Gibbus non inducit irregularitatem, niſi ſit notabilis nimis deformitas ; nec claudicatio, ſi non ſit tanta, ut ſcipionem vel pedum ligneum in altari requirat. Qui morbum caducum patiuntur, nunquam poſſunt ordinari, & poſt ordinationem non poſſunt celebrare, quamdiu periculum fuerit : idem dic de obſeſſis & arreptitiis. Irregularitatem etiam & impedimentum ad Ordines incurrunt bigami & illegitimi. Bigami dicuntur, qui bis matrimonio fuere juncti, vel qui contraxerunt cum vidua aut corrupta, vel etiam quando quis cognoſcit uxorem poſt adulterium, ſive ſciat, ſive non. Illegitimus autem dicitur, qui ex copula fornicaria ſeu illegitima natus. Per matrimonium tamen ſubſequens, filii fornicarii fiunt legitimi ſi ſint filii naturales, hoc eſt, ſi geniti ſint ex parentibus, inter quos tempore conceptionis vel nativitatis talium filiorum, nullum erat impedimentum, quod redderet matrimonium nullum inter illos. Spurii enim, hoc eſt, orti ex parentibus qui tempore conceptionis & nativitatis impedimentum dirimens habebant, manent illegitimi. In hac irregularitate ſolus Papa diſpenſat ad Ordinem Sacrum, & beneficium curatum. Ad minores Ordines, & beneficium ſimplex diſpenſat Epiſcopus.

Q. 4. De irregularitate ex homicidio.

QUÆRO QUARTO. *Quid de irregularitate proveniente ex homicidio, quando incurratur, ita ut impediat ordinationem?* Reſp. 1. Ex homicidio voluntario, hoc eſt, directè & per ſe intento, incurritur irregularitas ; quæ extenditur ad mutilationem, dum membrum aliquod abſcinditur. Atque etiam incurrunt mandantes, aut conſulentes talem mutilationem. Reſp. 2. Non incurrit, qui non valens aliter evadere, mutilat invaſorem. Si tamen poſſit fugere, incurrit, niſi ſit fuga periculoſa, vel ignominioſa ; quia tunc cenſetur moraliter mors inevitabilis, & non eſt culpa. Idem ſentiunt multi, ſi occidas ad rerum tuarum neceſſariam defenſionem. Item, ſi ad licitam proximi defenſionem, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Quantum ad eos qui militant, nemo ex bello juſto ad vitæ defenſionem neceſſario irregularis eſt, licet in eo occidat. Militantes verò in bello juſto aggreſſivo, fiunt irregulares ſi propriis manibus mutilarint, alias non, ut ex communi docet Molina. Clerici tamen in aggreſſivo bello etiam juſto militare non poſſunt, maxime ſi ſint Clerici in ſacris. Capitul. cauſ. 23. quæſtione octava. Poſſunt tamen ex pia cauſa & ſuperioris licentia illi intereſſe, & ſine periculo alios exhortari ad ſtrenuè pugnandum. Reſpond. Quantum ad homicidium caſuale (quale dicitur, quod præter intentionem, & abſque neceſſaria defenſione contingit)

Molina. Clerici in ſacris non poſſunt militare in bello aggreſſivo etiam juſto. C. 23. q. 8.

Digitized by Google

ungit) ſi quis det operam rei etiam licitæ, ſi non adhibet debitam circumſpectionem ne noceat, & ſequatur ex opere homicidium; fit irregularis, quia cenſetur tunc homicidium in cauſa voluntarium. Si debitam diligentiam quis adhibuerit, non incurrit, etiamſi det operam rei illicitæ, niſi in caſibus a jure expreſſis. Ratio eſt, quia tunc cenſetur involuntarium, & per diligentiam abſtergitur periculum, ratione cujus actus talis poſſet tendere ad homicidium. Adverte verò, cum multi concurrunt ad actum periculoſum, ſi quis occiditur, omnes cenſeri irregulares. Sic ſi multi ex conſulto eundem hominem ſunt aggreſſi, licet ex unico vulnere moriatur, omnes de homicidio & irregularitate tenentur, quia cenſentur una moralis cauſa homicidii. Item cùm multi jaciunt lapides, & neſcitur quis occiderit, omnes cenſendi ſunt irregulares.

Q. 5. De illis irregularibus qui concurrunt ad cauſam ſanguinis cap. 2. de homicid.

QUÆRO QUINTO. *Quid de illis qui in judicio concurrunt ad cauſam ſanguinis, Accuſator, Teſtis, Notarius, Judex, &c.* Reſpond. 1. Si ex accuſatione alicujus ſequatur mors. Accuſator fit irregularis. Si tamen Clericus proteſtetur ſe non intendere judicium ſanguinis, non fit irregularis c. 2. de homicid. Et hoc verum eſt ſecundum multos, licet haberet animum proteſtationi contrarium, quia jus Pontificium non videtur requirere, niſi externam proteſtationem, diſponens de actibus externis. Accuſans de crimine quod mortem non meretur, ſi Judex morte puniat, non fit irregularis. R. 2. Idem dicendum de teſte, quod jam dixi de accuſatore. Hoc tamen adverte, quod Teſtis Clericus nullo jure excipitur, etiam facta proteſtatione, ſicut Accuſator. Reſpond 3. Judicem & cæteros inferiores miniſtros in cauſa ſanguinis, puta tabelliones; procuratores, ſollicitatores, fieri irregulares. Poteſt tamen Epiſcopus, Abbas, vel alius juriſdictionem habens, ſine irregularitatis metu cauſæ criminalis alteri actionem injungere: quia voluntas committentis juriſdictionem, non fertur ad homicidium, ſed ad juſtam gubernationem. Adverte verò juxta Capitul. *Sententiam ſanguinis*, non poſſe Clericos in loco ſupplicii aſſiſtere. Quod reſtringit communis ſententia ad Clericos in ſacris, & beneficiatos. Atque Suarez, & alii id etiam ſolùm putant in illis veniale. Hæc ſatis ad noſtrum propoſitum de his irregularitatibus, de quibus videri poſſunt Sayrus, Suarez, Filliucius, & alii ex profeſſo tractantes.

Ca. ſent. ſang.

Suarez.

Sayrus, Suar. &c.

CAPUT II.

DE LECTIONE HORARUM Ratione Ordinis.

Q. 1. In ſacris conſtituti an teneantur ad lectionem horarum?

QUÆRO PRIMO. *An teneantur in Sacris conſtituti, ſub peccato mortali legere horas Canonicas?* Reſpond. teneri & quidem mortiferè peccare etiam ſemel omitteudo. Eſt communis ſententia, contra Angelum & Richardum, qui dixere non eſſe peccatum mortale, niſi quis conſuetudinem omittendi habeat, vel ex contemptu faciat. Imò plerique docent eſſe mortale vel unam horam negligere, puta tertiam, vel ſextam, vel completorium. Non aſſentior tamen Navarro docenti omiſſionem tertiæ partis v.g. unius Pſalmi cum hymno, in ſexta, vel tertia, aut nona, eſſe peccatum mortale; nec enim adeò materia gravis videtur, ut ſub peccato mortali prohibeatur. Quinimò videri etiam poſſit alicui probabile, unius horæ brevioris puta tertiæ, aut ſextæ, omiſſionem ex negligentia, non eſſe mortalem: quia cùm opinio communior aſſerat eſſe unicum peccatum omittere omnes horas, & unicum præceptum quo præcipitur totum divinum officium recitari, dici poſſet reſpectu hujus totius unius horæ omiſſionem non eſſe notabilem partem. Sic ſi præcipitur alicui ex pœnitentia, vel aliter, unam horam & mediam impendere orationi, vel ſimul, vel diviſim, ſi medium quadrantem horæ omittat, non cenſeretur peccare mortaliter: Item, ſi cui præciperetur aliquo die recitare quadraginta Pſalmos, & tres aut quatuor breves illo die contingat eum negligere, an cenſetur notabilis adeò materia, ut peccati mortalis reatum incurreret? Hæc afferri poſſunt pro hac ſententia: nam in officio divino ferè quadraginta Pſalmi intercurrunt, cum lectionibus, capitulis, antiphonis, orationibus, dum autem omittitur tertia, vel ſexta, tres Pſalmi omittuntur cum paucis adjectis; ita ut in omnibus recitandis, non impendatur niſi horæ ſemiquadrans. Debet autem eſſe valdè grave quod mortale eſſe cenſetur, nam leve punire morte æterna, alienum eſt à divina bonitate, cùm in foro civili tale punire morte temporali cenſeretur tyrannicum, ut rectè advertit Reginaldus Praxis ſuæ p. 1. quæſt 6. Sic Laici in ordine S. Franciſci pro ſexta aut tertia dicere tenentur ſeptem PATER NOSTER. Cur pro omiſſione negligenti SEPTEM PATER. condemnaremus eos peccati mort. cùm videatur non eſſe ſatis gravis materia? An qui voviſſet ſepties in die dicere SEPTEM PATER, peccaret mortaliter omittendo ſeptem? Cum ad 70. Pater obligentur dictim, ſeptem vix eſt notabilis pars. Confirmatur. Quia qui mutat officium, puta de Dominica, & ut brevius ſit, dicit de Feſto Duplici ad libitum, non cenſetur peccare mort. & tamen longè plura omittit, quàm qui tertiam ſolam. Dices; Ille implet præceptum quoad ſubſtantiam, ſeptem horas perſolvens, alter autem unam ex ſeptem omittens, aliquid omittit quod ſpectat ad ſubſtantiam. Reſpon. id quidem verum eſſe, ſed tamen illa ſubſtantia omiſſa non videtur ſatis notabilis pro peccato mortali. Nec ſequitur. Una hora omittitur, ergo peccatum mort. committitur. Nam qui Sabbato S. omitteret Veſperas quæ conſtant Pſalmo. LAUDATE cum MAGNIFICAT & Oratione, videtur quid leve omittere, eſt tamen una hora. Item qui obligaretur

nem horarum. Angel. v. hora & Richard. Navarri. opinio rejicitur.

Reginal. p. 1. q. 6.

Qui mutat officium ob brevitatem non peccat mortaliter.

Digitized by Google

tur ad Officium B. Virgin. omittens unam horam parvam, videtur non peccare mortaliter.

Q. 2. De juſtis cauſis excuſantibus à lectione horarum.

QUÆRO SECUNDO. *Quanam ſit juſta cauſa excuſans à lectione horarum.* Reſp. *Primò* excuſat morbus v.g. ſi abſque notabili dolore capitis, vel oculorum, aut ſimili moleſtia recitare nequeas. *Secundò*, ſi periculum gravis mali incurreres, ſicut poteſt fieri inter hæreticos. *Tertiò*, ſi concio vel alia functio publica omitti deberet, vel convenienti modo fieri nequiret, niſi horæ omittantur. Quod ſi quis vel ob debilitatem, vel aliam ob cauſam, ſaltem majorem partem dicere nequit, ad nihil tenetur, ſi majorem partem poteſt, tenetur illam recitare, ut docet Navarr. & alii. Rectè tamen advertit Binsfeldius, hic non oportere angi nimiis ſcrupulis, quia non requiritur, ut homo in mortalibus extremam potentiæ exerat: dicitur enim poſſe, quod commodè & ſine probabili corporis periculo poſſumus, quod medicus aut æger prudenter judicabit. Adde ſi ob infirmitatem non potes recitare niſi ope ſocii, nec conſueveris, eo uti; non teneris, ſecus ſi conſueveris, inquit Leſſius. *Quarto*, non excuſatur quis, eo quod in ſtudiis verſetur, aut quod iter faciat, ut communis habet opinio. Qui ergo iter faciunt, & ſecum Breviarium non deferunt, non excuſantur à peccato, quia in culpa ſunt ſibi impedimentum ponentes voluntariè. Qui autem caret Breviario ſine culpa, nec pro tali tempore poteſt habere, excuſatur.

Navarr. Binsfeld.

Leſius de jure & juſt.

Itinerantes & voluntariè linquentes Breviarid peccant mortaliter.

Q. 3. De Pſalmo Miſerere.

QUÆRO TERTIO. *Vtrum conſuetudo recitandi Pſalmum* MISERERE *?* Reſp. etiamſi ſit conſuetudo recitandi, non videtur tamen obligare per modum præcepti, ſed per modum conſilii, & ex decoro. Ita Leſſius.

Leſius.

Q. 4. De ſyncopa & abſorbitione ſyllabarum.

QUÆRO QUARTO. *Quale peccatum ſit ſyncopare dictiones, vel abſorbere ſyllabas.* Reſp. 1. eſt ſyncopa, cum intercurrit verborum quædam omiſſio, ut ſit dum priora verba junguntur ultimis, abſorptis mediis; vel dum ita celeriter expediuntur horæ, ut articulatæ voces non percipiantur; vel dum inchoantur Verſus, antequam alii, qui ſimul legunt, finiant. In his ergo cum eſt gravis exceſſus, peccatum mortale incurri poteſt, & obligatio repetendi. Unde in Capitulo *Dolentes*, quod deſumptum eſt ex Concilio generali Lateranenſi ſub Innocentio III. dicitur: *Diſtricte præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum Officium ſtudioſè celebrent pariter & devotè.* Ubi illud, *ſtudioſè*, opponitur illi quod eſt curſim & ſyncopando recitare, ut explicat Gloſſa. Vultque Concilium tollere abuſus, qui erant in quibuſdam Eccleſiis, maximè Collegiatis, ubi ob celeritatem non perſolvebantur, ut decet, officia divina. Eſtque præceptum grave, quandoquidem ſtrictè & in virtute ſanctæ obedientiæ præcipitur: neque ſolum concernit in Choro cantantes, ſed etiam legentes, quamvis facilius in officio publico peccati gravis reatus incurratur, quam in privato. Adverte tamen, ſi quis involuntariè quædam abſorbeat, v. g. ex linguæ præcipitantia, balbutie, vel inolita conſuetudine, quæ corrigi nequeat, non cenſebitur peccatum, Reſp. 2. abſorbere ſyllabas, non eſſe ordinariè niſi veniale, quia manet integra precum ſubſtantia, ita ut intelligi etiam poſſit: & quando id fit involuntariè, nullum cenſetur peccatum.

Ca. Dolentes ex Conc. ge. Latetan. ſub Innocent. III.

Q. 5. De horarum interruptione.

QUÆRO QUINTO. *Quale peccatum ſit horarum interruptio?* Reſp. in privato officio, ſi fiat abſque cauſa, ſolum eſt veniale: manet enim ſubſtantia precum, licet in medio curſu fiat aliqua intermiſſio. Unde etiamſi duret per unam aut duas horas, non eſt obligatio repetendi, quod ante recitatum eſt: quia ſinguli Pſalmi, imò & verticuli ſuam habent ſignificationem. Ita Leſſius cum multis aliis.

Leſius.

Q. 6. De eadem.

QUÆRO SEXTO. *Vtrùm ſi quis interrumpat officium animo repetendi jam lecta, ſatisfaciat ſi poſtea non repetat, ſed ſolum ſequentia adjungat?* Reſp. non teneri repetere; ſufficit enim quod mutet propoſitum. Sic qui die feſto audivit Sacrum animo non ſatisfaciendi præcepto, ſed audiendi aliud, poteſt mutare animum, & non audire. Ratio eſt, quia ſimpliciter præcipitur audire Sacrum attente & devotè; non autem præcipitur ut animo implendi præceptum audiat. Poteſt enim nihil cogitare de præcepto, aut de Feſto, & tamen audire Sacrum, & adimplere præceptum. Satisfactum ergo tunc eſt intentioni Eccleſiæ, quoad rem præceptam. Ne tamen quis cenſeatur præceptum contemnere in animo, explicitè vel implicitè, debet cenſeri velle obedire, vel per hoc opus, vel per aliud. Unde ſi expreſsè intendat non ſatisfacere per hoc opus, debet animum habere ſatisfaciendi per aliud: alioquin peccat contra præceptum, non quidem omiſſione operis externi, ſed interno contemptu; quia non vult obedire præcepto, quamvis re ipſa obediat, faciendo opus. Illum autem animum debet habere, quamdiu manet in priore propoſito, quo vult eile ſatisfactum præcepto, opere præcedenti. Itaque ſi mutet hoc propoſitum, non eſt neceſſe ut permaneas in voluntate operis iterandi; nec tenetur iterare: quia non amplius cenſebitur præceptum contemnere. Idem dicendum de precum repetitione. Hæc Leſius l. 2. c. 37. dub. 10.

Leſſius.

Leſſ. lib. 2. cap. 37. dub. 10.

Q. 7. De mutatione officii.

QUÆRO SEPTIMO. *Quale peccatum ſit mutatio officii?* Reſp. etiamſi fiat voluntariè, non eſſe mortale v.g. ſi loco officii de feria, dicas de venerabili Sacramento, aut aliud officium. Ratio eſt, quia ſubſtantia præcepti ſervatur, Eccleſia enim primariò præcipit ſeptem horas, quod autem fiat de hoc vel de illo feſto officium, pertinet ad modum & circumſtantiam ſecundariam, quæ non cenſetur tanti momenti. Ita communior ſententia.

Q. 8. De mutatione ordinis in horis.

QUÆRO OCTAVO. *Quale peccatum ſit mutatio Ordinis inter horas? ut ſi Prima recitetur ante Matutinum, vel ſexta ante Tertiam?* Reſp. non eſſe peccatum mortiferum, quia Ordo horarum non eſt ſub præcepto niſi ſecundariò, nec cenſetur tanti momenti. Unde facilè datur juſta cauſa mutandi. Sic juſtam cauſam exiſtimo in Parocho, qui in diebus

Google

bus ſolemnibus manè debet cantare Matutinum cum Laudibus in Choro, & propter confeſſiones audiendas & Miſſam celebrandam, non eſt rediturus ante meridiem: juſtam, inquam, cauſam habet, ſi recitet primam & alias horas minores ante matutinum, quod aliquando practicavi. Nam & communiter tradunt poſſe aliquem in Choro perſolvere horas quæ canuntur, etiamſi contingat illum necdum perſolviſſe aliquam ex horis præcedentibus. Imò cùm quis accedit ad Chorum, & jam pars inchoata eſt, poteſt proſequi cum aliis & poſtea ſupplere partem omiſſam. Addit Toletus, ſi à viro gravi inviteris ad recitandas v. g. Veſperas, & necdum recitaveris Nonam, eſſe juſtam cauſam.

Poteſt quis perſolvere horas cum Choro licet aliquam ex præcedentibus non dixerit. Tolet.

QUÆRO NONO. *De tempore lectionis horarum.* Reſp. ad vitandum peccatum mortale ſufficere, ut recitentur ante medium noctis ſequentis: eſt verò veniale, ſi abſque cauſâ tempus nimis præveniatur, vel nimis differatur. Ex conſuetudine autem licitum eſt recitare matutinum & Laudes pridiè, etiam ante ſolis occaſum, ſive ante cœnam, ſive poſt cœnam, poſt tempus ſcilicet Veſperarum & Completorii, puta circa quartam aut circiter. Laudes adjungi poſſunt vel ſe jungi, & in alterum diem differri. Parvæ horæ non poſſunt dici pridie, ſed ſolum poſt mediam noctem, poſſunt tamen omnes uſque ad Veſperas excluſivè, ob aliquam honeſtam cauſam recitari manè, teſte Navarro; imò ſi cauſa juſta adſit, etiam Veſperæ adjungi poſſunt, teſte Cajetan. quod apertè habetur cap. 1. de celebrat. Miſſarum, ut ſi inſtaret profectio, vel alia longa occupatio, vel amicorum interpellatio; imò major quies & devotio poſſet legitima cauſa cenſeri, ut notat Cajetanus.

Q. 9. De tempore lectionis horarum.

Navar. Cajet. & alii de celeb. Miſſa.

QUÆRO DECIMO. *Vtrum peccet mortaliter, qui ſponte diſtrahitur, modò integrè omnia pronunciet?* Reſp. hic eſſe duplicem ſententiam, unam quæ affirmat, & eſt probabilior; alteram quæ negat, & abſolutè etiam probabilis cenſetur, habetque multos recentiores Theologos faventes. In hac ſententia, ſufficit quod quis integrè perſolvat officium, & exterius non faciat ea quæ incomparabilia ſunt cum interna attentione, ut puta fabulari, pingere, ſcribere, jocari. Qui horas perſolvit dum ſe induit, vel exuit, vel faciem laxat, poteſt ne quidem venialiter peccare; quia hæc non neceſſariò impediunt animi attentionem. Unde & præſcribuntur aliquæ orationes dum in Miſſa quis induit ſe, vel lavat.

Q. 10. De diſtractione in recitatione horarum.

QUÆRO UNDECIMO. *Quid dicendum de eo qui nihil animadvertens bonam partem Eccleſiaſtici officii perſolvit animo variis cogitationibus diſtracto, an ſcilicet repetere debeat?* Reſp. nihil repetere debere: nimirum quia mentis diſtractio minimè fuit voluntaria. Sed quid de eo judicandum, qui recitat, & poſtea penitus obliviſcitur id quod ante recitarat? Hinc enim exiſtunt multorum inanes ſcrupuli, qui cùm integrum Pſalmum recitaverint, non recordantur amplius ejus quod recitaverit, & ideò repetunt, ac deinde obliviſcuntur quod repetiverint. Hiſce ſcrupuloſis hominibus mederi oportet, ſuadendo eis, ut nihil repetant, alioquin ſi ſemel eis concedatur, ut dicta replicent, innumeris ſcrupulis aditus patebit: nam tertiò & quartò, ac ſæpius iterata à capite recitabunt. Ita Azorius, l. 10. cap. 3.

Q. 11. De diſtracto.

Azor. l. 10. c. 3.

De obligatione beneficiatorum ad legendas horas, & in defectu de obligatione reſtituendi fructus. Vide eundem c. 14. & Binsfeld. p. 4. c. 12. Leſſ. l. 2. c. 34. dub. 32.

Binsfeld. p. 4. c. 12. Leſſ. l. 2. cap. 34. dub. 32.

CANDELABRI MYSTICI TRACTATUS VIII. DE SACRAMENTO MATRIMONII.

PROOEMIVM.

SEPTIMA Lampas ſive Lucerna myſtica e minentis noſtri Candelabri, eſt Sacramentum Matrimonii. Jacebat in terra tempore legis veteris; erat enim Matrimonium tantum contractus quidam civilis & terrenus: ſed Chriſtus Jeſus veniens, illud evexit in ſublimitate, & in Eccleſiæ Candelabro poſuit, ex contractu civili efficiens Sacramentũ, addita ſpeciali ſignificatione conjunctionis ſuæ cũ Eccleſia Sponſa ſua. Sic ergo huic Lampadi addidit lucem, addidit & oleum, cujus participes eſſe

VII. Lampas Myſtica eſt Sacramentum Matrimonii.

eſſe poſſunt omnes qui carnis infirmitati condeſcendentes, conjugio junguntur. Hi enim oleum gratiæ ex hoc depromunt Sacramento, quo ungatur jugum conjugii, & mollius ſuaviuſque fiat à facie hujus olei facti. Deſumunt quoque ab illo lucem, ac ignem amoris ſancti, quo ſe in Domino, & propter Dominum diligant; quo etiam
Tractanda ſopire poſſint caliginoſum fumum, qui ex ſulphureo igne concupiſcentia oritur ad libidinem. Itaque in hoc Tractatu amplè differemus de inſtitutione Matrimonii, de ejus materia & forma, de Miniſtro & cæremoniis, de ejus multiplicibus bonis: ad inſtructionem eorum qui hunc ſtatum eligunt, ut rectè viam in eo inſtituere poſſint.

LECTIO I.

DE MATRIMONIO UT SACRAMENTO.

1. *Docet Matrimonium à Deo inſtitutum.*
2. *Eſſe ſacramentum gratiam conferens.*
3. *Perfici conſenſu partium.*

PROPOSITIO I.

Matrimonium inſtitutum eſt à Deo in Paradiſo.

HÆc inſtitutio colligitur ex Geneſi, ubi refert Moyſes, quomodo Deus conſideratis omnibus jam divina ſua potentia creatis & ſapientia ordinatiſſimè diſpoſitis, in hominem tamquam opus ſuum primarium oculos jecerit, dixeritque: *Non*
Gen. 2. 18. *eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* Immiſſo igitur extatico ſopore in Adam, unaque de coſtis ejus ſublatâ, produxit ex ea mulierem, quam adduxit ad virum, matrimonii vinculo indiſſolubili colligandam. Hæc autem omnia in illo ſopore extatico propheticè conſiderans Adam, nec ignorans quæ circa ſe geſta erant; agnovit Deum & mulieris & matrimonii auctorem. Unde pronunciat. *Hoc nunc os ex oſſibus meis, &*
Ib. v. 23. *caro de carne mea, hæc vocabitur Virago, quoniam de viro ſumpta eſt. Quamobrem relinquet homo Patrem & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ & erunt duo in carne una.* His verbis, Adam divinitus edoctus, promulgat matrimonii legem, & ſocietatem indiſſolubilem divino decreto firmatam. Nec tam ipſe loquitur quam Deus, ejus ore ſanciens & ordinans, quod futuris temporibus in finem uſque ſæculi, in conjugio firmum & inconcuſſum debebat permanere. Etenim uſque ad conſummationem ſæculorum verificabitur illud in conjugatis: *dimittet homo patrem & matrem & adhærebit uxori ſuæ.*
Matt. 19. v. 5. & 6. Unde Chriſtus Matth. 19. verba illa non Adæ, qui inſtrumentum erat, ſed ipſi Deo quaſi per os Adæ loquenti, adſcribit & addit: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Non ergo homo aliquis, non Adam, non Moyſes non Angelus, non Propheta, primus conjugii auctor eſt; ſed Deus ipſe, creans mulierem, de coſta eam ædificans, adducens ad virum, proponens ei adjutorium ſimile, ſanciens legem indiſſolubilis ſocietatis. Per quam magno myſterio ordinavit, ut conjuges relicto illo qui genuit, qui principium eſt vitæ, qui etiam tantis laboribus & curis aluit, & in ætatem maturam perduxit: relicta etiam illa quæ tot ærumnis concepit, tanto dolore peperit, tanto amore de propria lactis ſubſtantia educavit, adhæreſcant ſibi mutuò (cum vix prius ſe viderint) tanto glutino & tali fœdere, quod mors ſola diſſolvat, quod in qualibet etiam infœlicitate perduret, ad extremum uſq; ſpiritum. Neq; parentes offenduntur, licet filius qui eſt caro & ſanguis eorum, eos quoad habitationem & vitæ conſortium deſerat, & præferat extraneam; quia norunt quod Deus conjunxit, hominem non debere ſeparare, neque ægrè ferre, quod divinæ ordinationi eſt conforme.

Porrò, multæ ſunt circumſtantiæ notatu dignæ in Matrimonio Adæ & Evæ. Etenim nobiles admodum fuere hæ primæ nuptiæ; illuſtre hoc conjugium, cæterorum origo & primævum exemplar, ſive conſideres perſonam ſponſi & ſponſæ, ſive magnificentiam loci, ſive excellentiam paranymphi, ſive teſtium præſentium nobilitatem, ſive myſterii ſignificationem. *Circumſtantiæ notabiles in matrimonio Adæ & Evæ.*

Primò, agnoſce qualitates Sponſi. Ipſe eſt conſtitutus Dominus, & Rex totius univerſi, gloria & honore coronatus, & Angelorum conſors, imò vice-Deus orbis conditi, cui famulantur cætera, obediunt creata Sapientia præcellit ſapientes omnes, qui ſunt, fuerunt, aut erunt. Potentia anteit Monarchas, divitiis & nobilitatis gloria, inclytos terræ, omnium ipſe parens. *1. Qualitates Sponſi.*

Secundò, agnoſce qualitates Sponſæ correſpondentes. Nomen glorioſum in fronte gerit, titulumque honoris, dum EVA appellatur, hoc eſt, MATER VIVENTIUM: adornata eſt veſte ſplendida, non exteriori, erat enim nuda, ſed nuditas tunc non erat fœda.) Verùm interiori veſte innocentiæ. Corona nuptialis, eſt juſtitia originalis, cæteraque dona eam comitantia, inſtar torquis aureæ radiantibus gemmis intertextæ, Sponſam hanc ſpecioſam reddens, magis quàm byſſus, purpura, aut aurum. Omnis gloria hujus filiæ primæ Regis æternæ, ab intus eſt, quamvis nec deſit ei ſpecies vultus exterioris, ſtatura nobilis, loquela diſerta, oris corporiſque gratia, cui nulla Reginarum aut Matronarum poſſit adæquari, quia Dei opus erat, *Dei autem perfecta ſunt opera.* Virgo ergo ſimilis eſt in natura, ſtatura, ſapientia, juſtitia, gratia, doubuſque ſupernaturalibus. *2. Qualitates Sponſæ.*

Tertiò,

Digitized by Google

3. Loci Magnificentia.

Tertiò, agnoſce loci magnificentiam. In loco voluptatis, in paradiſo Dei manu plantato, creata eſt mulier, in quem vir à creatione translatus fuerat: ibi matrimonium initum eſt, cujus finis erat per prolium multiplicationem, cœleſtem replere Paradiſum, hominibus ad Angelorum conſortium provehendis. Erat verò ibidem conſummandum ſine illecebroſis & fœdis concupiſcentiæ motibus, generatione caſta: erat & fructus matrimonii in Eva & poſteris ſine ærumnis concipiendus, ſine dolore patiendus, ſpeciali Dei favore & providentia; niſi ſerpentis invidia irrepente, & inobedientiam ingenerante, ex eo loco deturbati fuiſſent, Deo Angeloque vindice. Hæ itaque nuptiæ, in paradiſo celebratæ fuerunt primæ & ultimæ: dum enim à Juſtitia exciderunt ſimul & à loco voluptatis floribus ſuaviſſimis adornato, devoluti ſunt in ſpinas & tribulos, quibus nunc cingitur connubium, conceptus, partus.

4. Excellentia Paranymphi.

Quartò, attendenda eſt illius auctoritas, qui ſe gerit ut Paranymphum & matrimonii hujus conciliatorem. Ipſe Deus eſt, de quo teſtatur Scriptura, quod mulierem de coſta ædificatam, adduxit ad Adam. Nimirum ſublatam coſtam de latere, in alium locum tranſtulit, & ibi miro artificio mulierem efformavit, ſicut fecerat de luto Adamum, eamque ſpiritus & flatus ſui participem effecit, tatione, gratia, & ſapientia adimplens, ac veriſimiliter ibidem cum ea eſt collocutus. Deinde ad Adamum expergefactum eam adduxit, ut ſponſam ornatam monilibus, divino angelicoque conſpectui ſpecioſam, paratam viro ſuo, ut ſocietate indiſſolubili eos connecteret. Quam primo aſpectu agnoſcens Sponſus & vir futurus, tanti Paranymphi conſilio & benevolentiæ lætus aſſentitur, & ait: *Hoc nunc os de oſſibus meis, & caro de carne mea.* Quaſi dicat: Hæc Eva facta eſt ex uno oſſium meorum, cui caro adhæſit, ut ſit mihi Sponſa chariſſima & conjunctiſſima: illam ergo lubens amplector, & individuo fœdere mihi adjungo, nihil in terris charius habiturus, cùm & mihi ſimillima ſit, particeps rationis & colloquii. Adam ergo dormiebat, dum quærit ei Deus ſponſum, non dormit dum eam ſponſare debet, ſed ſagaciter inſpicit eam, luſtrat, approbat, eximias ejus dotes agnoſcit.

5. Teſtium nobilitas.

Quintò, attende non ſolùm præſentiam Dei huic fœderi præſidentis, & benedicentis illud, fœcunditatemque impertientis, dum dicit: *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram*: ſed & agnoſce Angelorum ſpirituumque ſupernorum præſentiam qui tanquam cœlici teſtes nuptiarum ſolemnitati adfuere. Ex quibus nuptiis gaudium in eos refuſum eſt: eo quod per matrimonium procreandi erant, qui reſtaurare debebant ſedes vacuas regni ſuperni, & ruinam cœleſtis Jeruſalem, quam fecerat ſuperbia depopulatrix; dum Angelorum partem è cœlo detrahens in abyſſum devolverat æternis vinculis reſervandam.

Sextò, attende excellentiam connubialis hujus fœderis, ex myſtica & ſublimi illius ſignificatione; Etenim ſignificabat futuram admirabilem Chriſti cum Eccleſia conjunctionem per incarnationem & amorem. Hic amor tantus fuit, ut è cœlis deſcendens videretur deſerere patrē ſuum cœleſtem, & matrem ſuam ſynagogam, ad conjungendum ſe novæ Sponſæ Eccleſiæ: quæ ſicut altera Eva è latere Sponſi in cruce ſoporati educta eſt, dum fluxere è vitali coſta ſanguis & aqua, myſteriorum Eccleſiæ novæ ſymbola. Correſpondens verò fuit amor Sponſæ novæ Eccleſiæ; quia deſeruit patrem quem habuerat in gentiliſmo, ſcilicet, diabolum, & matrem ſcilicet congregationem infidelium, ut adhæreret Chriſto Sponſo. Hæc verò Adamum cognoviſſe in ſuo ſopore, tradunt SS. PP. ideoq; primum vatem fuiſſe: licet enim occluſos habuerit ſenſus corporis, mente tamen vigilabat, in tempora longè poſt futura proſpiciens. Et certè quia admirabilis erat illa Chriſti conjunctio præordinata ante ſæcula, voluit ab antio, illius quædam ſigna prævia, oracula, vaticinia, præmitti. Nam non ſolum nuptiæ Adæ, ſed & Patriarcharum cum electis à Deo mulieribus, illam præſignarunt: & Prophetæ de ea vaticinati ſunt manifeſtè, inter quos Oſee diſertis verbis dicit: *Sponſabo te mihi in ſempiternum in juſtitia & judicio, in miſericordia & miſerationibus, & ſponſabo te mihi in fide.* Salomon quoque harum nuptiarum Epithalamium, ſive nuptiale carmen accinit intonans nomine Eccleſiæ. *Oſculetur me, oſculo oris ſui.* Sic & alii Prophetæ miſſi ſunt quaſi ſervi, qui vocarent invitatos ad nuptias. Tandem venit Baptiſta, electus hujus conjugii Paranymphus, qui & digito Sponſum deſignavit & tempus nuptiarum advenille indicavit. *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt: Amicus autem ſponſi, qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi.*

6. Myſterii ſignificatio. Eph. 5. v. 31. & 32.

SS. PP.

Oſee 2. 19

Cant. 1. 1.

Joan. 3. 29

PROPOSITIO II.

Chriſtus in nova lege Matrimonium approbavit, & ad Sacramenti dignitatem evexit.

NUlla eſt hæreſis adeò ſtolida, nullus error adeò inſulſus, qui in alicujus ſtolido cerebro, amente mente, locum non invenerit, ſectatoreſque ac propugnatores poſtea habuerit. Idcirco Matrimonium cernimus, de quo prodigioſa figmenta prodiere. Aliqui nuptias illicitas aſſeruerunt, eſſeque inventum Satanæ. Inter hos Princeps aſſeritur Tatianus Juſtini Martyris diſcipulus, qui poſt ejus mortem ambiens nomen Doctoris, factus eſt Magiſter erroris, & illius ſectatores Encratitæ dicti ſunt, id eſt, Continentes. De quibus Irenæus lib. 1. cap. 30. dicit: *A Saturnino & Marcione exorti, abſtinentiam à nuptiis annunciaverunt, fruſtrantes antiquam plaſmationem Dei, & obliquè accuſantes eum qui maſculum & fœminam ad generationem hominum fecit.* Hi quoque ſeipſos ſtultè condemnant, cùm ex nuptiis ſint, ſi enim illæ dam-

De Encratitis Irenæus l. 1. c. 30.

Digitized by Google

nandæ, & ipſi. Hos prævideratApoſtolus dicens:

1. Tim. 4. 1. *Spiritus manifeſtè dicit, quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in Hypocriſi loquentium mendacium, & prohibentium nubere.* In eodem errore fuere Manichæi & alii dicti Archantici, ſic nominati à Principibus Angelis, quibus mundi creationem adſcribebant. De quibus Epiphanius:

De Manichæis Epiphanius hæreſi 40. & Archãticis. *Qui matrimonium contrahunt, eos opus Satanæ explere dicunt, addunt que dimidiam hominis partem eſſe Dei, dimidiam diaboli: nam ab umbilico & ſupra dicunt eſſe formationem Dei, ab umbilico & infra, eſſe male partis formationem. Quapropter dicunt omnia ſecundum voluptatem & æſtri ſtimulum ac concupiſcentiam, ab umbilico & infra fieri.* Alii docuerunt, ſi Adam non peccaſſet, non fore nuptias: quare Adam in Paradiſo imitari volentes fugiebant nuptias; dictique ſunt *Adamiani*, eo quod nuditatem Adæ in Paradiſo æmulantes, nudi obambulabant. Mares cum fœminis, nudi orabant, & ideò ſuam Eccleſiam ſive congregationem vocabant Paradiſum. Horum reliquiæ aliquæ viſæ ſunt Antverpiæ initio tumultuum Belgicorum, ex Amſtelrodamo ſive Hollandiâ prodeuntes. Verum Adæ matrimonium ante peccatum fuiſſe, ſatis conſtat ex dictis. Aliqui denique ex Anabaptiſtis uxores voluerunt eſſe communes, unde in ſuis conventiculis promiſcuam commixtionem induxerant. Poſtremo Lutherani & Calviniſtæ, licet matrimonium eſſe à Deo conſentiant, negant tamen eſſe Eccleſiæ Sacramentum.

Adamiani quinam dicti.

Trident. ſeſſ. 24. can. 1. Sed contra hos omnes errores definitè pronuntiat Eccleſia. *Si quis dixerit matrimonium non eſſe verè & propriè unum ex ſeptem legis Evangelicæ Sacramentis, à Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inventum; neque gratiam conferre, anathema ſit.* Ita Trid.

Q. *Quo tempore Chriſtus inſtituerit hoc Sacramentum.* Sed quæres, *quo tempore Chriſtus illud ad dignitatem Sacramenti elevarit?* Reſp. Scripturam id non exprimere, probabiliter tamen quoſdam dicere, id factum Joannis 1. quando nuptias ſua præſentia approbavit & primitiis ſignorum ſuorum publicoque illo miraculo decoravit, aquam in vinum convertens, ut ſignificaret aquam carnalis concupiſcentiæ (quæ in matrimoniis invaluerat) per gratiam, quam matrimonio ſuperaddebat, vertendam eſſe in vinum perfectioris & purioris amoris: Jam approbarat virginitatem de Virgine naſcens; approbarat viduitatem inter viduæ brachia in templo præſentatus, approbat ſua præſentia ac miraculo matrimonium, quod prius honorarat, Matrem eligens non tantum Virginem, ſed & Maritatam.

Simile. Vis plenius hæc intelligere? Accipe ſimilitudinem. Matrimonium vitis erat quondam manu Dei in agro ſuo plantata, ſed inculta facta eſt & luxurians in palmitibus, ideoque non producebat fructus maturos, ſed tantum labruſcas, fructus aqueos, immaturas & præcoces uvas. Hanc interim non exſcindit Chriſtus cœleſtis agricola in hortum ſuum veniens, ſed excolit & expurgat, novo rore gratiæ irrigat, novo Spiritus S. calore fœcundat, ut jam fœlix reddatur, & fructum perfectiorem germinare poſſit in Eccleſia tanquam novello Domini agro. Fœlix utique exinde vitis hæc, de cujus ſuculis procedunt beata germina, tot ſcilic. Martyres inclyti, tot Confeſſores floridi, tot illibatæ Virgines, tot Angelorum cohæredes. Sed ſi quis velit cernere agricolam cœleſtem, vitis hujus luxuriantis Palmites reſecantem, attendat quid egerit dixeritque Chriſtus Matth. 19. Ibi enim reducit matrimonium ad ſtatum primævum, reſcindens polygamiam, reſecans libellum repudii, quæ tanquam germina ſpuria & ſylveſtria excreverant, & matrimonium dedecorabant; nec enim erat plantatio Patris cœleſtis. Quapropter dicit ibi: *Ab initio non fuit ſic, ſed maſculum & fœminam fecit eos.* Quaſi dicat: Unum & unam conjunxit, procul ergo uxorum pluralitas: Sic verò conjunxit, ut inſeparabiliter ſibi adhæreant, procul ergo libellus repudii: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Hinc fit, ut aliqui Theologi cenſeant illo loco Chriſtum ad rationem Sacramenti matrimonium elevaſſe, cujus rei peragendæ præludium quoddam vel præſignificationem dederit, in nuptiis aquam in vinum convertens. Matth 19. v. 5.

Chriſtus hoc Sacramento addidit tria.

Itaque Chriſtus elevans matrimonium, quod erat primitivus officium naturæ, ad rationem Sacramenti, addidit ei tria. Primò addit firmitatem majorem, quam habebant matrimonia veteris legis, quia patiebantur ſolutionem per libellum repudii, & diviſionem per pluralitatem uxorum; majorem quoque firmitatem quàm infidelium matrimonia, quæ poſſunt diſſolvi ſi convertatur ad fidem unus conjugum, & alter nolit cohabitare ſine injuria Creatoris, ut patet ex Apoſtolo.

1. *Firmitatem indiſſolubilitatis corporum & animarum conjunctionis.* 1. Cor. 7.

Secundò. Chriſtus Matrimonio addidit perfectiorem ſignificationem. Nam ſi Matrimonium Adæ ſignificabat Chriſti & Eccleſiæ conjunctionem futuram per incarnationem & per charitatem, multo perfectius & melius ſignificat matrimonium novæ legis, illam conjunctionem & conſummatam, non ſolum in incarnatione, ſed & in cruce, tanquam amoris thalamo. Unde de matrimonio novæ legis maximè intelligitur illud Apoſtoli: *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia:* Quaſi dicat. Matrimonium jam in Eccleſia magnum eſt Sacramentum; quia ſignificat perfectiſſimè unionem Chriſti & Eccleſiæ jam factam: amorque conjugum purus & perfectus, repræſentat amorem Chriſti & Eccleſiæ. Ideoque vos, ô conjuges, excitate & fovete amorem mutuum & ſincerum, exemplo Chriſti & Eccleſiæ, ut non ſit inanis repræſentatio in veſtro conjugio. Vir ut caput diligat uxorem tanquam corpus ſuum, ſicut Chriſtus Corpus ſuum myſticum, Eccleſiam. Uxor diligat virum, ſicut Eccleſia Chriſtum. Hæc eſt ſummatim intentio Apoſtoli in cap. 5. ad Epheſios.

2. *Significationem amoris Chriſti & Eccleſiæ.* Eph. 5. 32.

3. Ad-

3. Specialem gratiã Trid. ſeſſ. 24. c. 1.

3. Adjunxit conjugio gratiam ſpecialem. Hoc his verbis aſſerit Trident. *Gratiam verò quæ naturalem illum amorem perficeret, & indiſſolubilem unitatem confirmaret, conjugeſque ſanctificaret, ipſe Chriſtus Sacramentorum inſtitutor & perfector ſua nobis paſſione promeruit.* Hæc igitur eſt gratia Sacramentalis, quæ in Sacramento Matrimonii rectè diſpoſitis applicatur, virtute paſſionis Chriſti. Nam ſicut in Baptiſmo datur gratia regenerans, per quam Chriſto ſpecialiter gignimur: in Confirmatione gratia roborans, ad profitendam Chriſti Fidem: in Euchariſtia gratia nutriens & reſtaurans, quod innatus concupiſcentiæ calor deperdit; in Pœnitentia gratia reſuſcitans à morte peccati, vel vulnera ſanans: in Extrema Unctione gratia conſolidans contra languores animæ, & vires inimici: in Ordine gratia ſpecialiter ſanctificans ad dignè obeunda miniſteria ſacra: Ita in Matrimonio datur gratia amorem naturalem perficiens, adjuvans ad Matrimonii onera ſubeunda, concupiſcentiam refrænans; nam ibi operatur *Vox Domini intercidentis flammam ignis*, ſive libidinis ardorem conſopientis.

Ut verò particulariùs & clariùs hæc intelligantur, advertendum eſt, Chriſtum qui advenit, ut infirma confirmaret, diſrupta conſolidaret, depravata converteret, imperfectaque perficeret, conſideraſſe naturæ depravatæ infirmitatem, & ſimul graviſſima Matrimonii onera, quibus ſine auxilio gratiæ, imbecillis natura impar videbatur. Vis videre hæc onera? In primis conjunx cum faſtidio concipit, cum diuturnis moleſtiis fœtum portat, cum dolore aſperrimo parit, cum continuis curis, laboribus, incommodis lactare debet, alere, inſtituere prolem in fide, religione, boniſque moribus. Vidit porrò Chriſtus, qui noſtræ ſalutis auctor eſt, amator, adjutor, cœleſti auxilio ad hæc omnia opus eſſe; quo juventur illi, qui cooperantur ædificio cœleſtis Jeruſalem, & ruinæ Angelorum reparandæ. Cùm ergo conjugati per generationem & inſtitutionem ſanctam filiorum, variis laboribus ad id cooperentur, filios ſuos quaſi lapides ad illam ſtructuram coaptantes, pro vidit eis auxilium gratiæ, per Matrimonii Sacramentum. Et cum prius tantum foret naturalis contractus, & in officium naturæ, voluit nunc eſſe ſignum cauſamque efficacem gratiæ & ſanctificationis conjugibus conferendæ, ut ſic oſtenderet, novum teſtamentum melioribus promiſſionibus ſancitum, quam vetus. Quia vetus onerare poterat, ſublevare non noverat; novum autem tanquam tempus gratiæ, oneri ſi quod relinquit, pares dat vires ad ferendum. Vis ergo ſcire quid ſit illa gratia? Non eſt aliud quàm oleum ſuave & efficax, quod jugum ponderoſum conjugii emollit & alleviat, ita ut

1. In remedium onerum Matrimonii.

Iſa. 10. 27. hic dicere poſſis illud Prophetæ: *Computreſcit jugum à facie olei*, hoc eſt, alleviabitur unctione ſpirituali gratiæ, animum corroborante. Iterum, gratia illa mel quoddam eſt, multas ærumnas & tribulationes conjugii pediſſequas aut comites inſeparabiles fellis inſtar amarulentas, dulcorans. Si memineris ollæ colocynthidas & agreſtes herbas continentis, quam famuli Prophetæ Eliſæi igni appoſuerant, videbis figuram matrimonii. Illa tanta amaritudine inſperſa erat, ut diceretur Prophetæ: *Mors in olla Vir Dei.* At ipſe pugillum farinæ immiſcens, ſuſtulit amaritudine aſperſa; mortis olla videretur, niſi Chriſtus Prophetarum ſummus, immixta farinula gratiæ, ejus amaritudinem dulcoraſſet, per quam fit, ut multis non videatur inſipida. 4. Reg. 4. 40.

Ulterius gratiam adjungi matrimonio congruum fuit, quia in remedium concupiſcentiæ conjugibus debet ſervire, ut à fornicatione aliiſque corruptelis eſſe poſſint liberi. At concupiſcentia ex actu conjugali potius accenditur, quàm extinguitur; prout patet in Davide * & Salomone 3. Reg. 11. v. 3. qui licet plurimas haberent uxores, in illis tamen non tam extincta eſt libido, quàm accenſa; ita ut hujus ſapientiam, illius aduſſerit ſanctitatem. Carnis quoque voluptas facilè à licitis ad illicita diffluit etiam in matrimonio circa propriam conjugem,: nam multi ex conjugali lecto, non tantum ad ſcorta accedunt, ſed & turpitudinibus in ipſo conjugio dediti ſunt. Quapropter imperfectum foret remedium in matrimonio pro concupiſcentia, niſi accedat & gratia, hanc ſanans & refrænans. Adde, quod multæ in lubrica hac via occaſiones ſeſe offerunt, in hominum carnalium converſatione; quæ non infrequenter caſtitatem conjugalem infeſtant, illique inſidias aſtruunt. Præterea ſæpe accidit, ut ob morbum vel abſentiam conjugis, alter diuturno tempore abſtinere cogatur, quod voluptati carnis aſſuetis, difficilius eſſe ſolet. Opus ergo fuit conjugibus ſacramentali gratia, ad omnes illecebras forti animo ſuperandas, ut juxta Apoſtolum *unuſquiſque vas ſuum ſciat poſſidere in ſanctificatione & honore, non in paſſione deſiderii ſicut gentes quæ Deum ignorant.* Quocirca in benedictione ſacerdotali hanc gratiam adprecamur mulieri, quia ſexus magis lubricus eſt, ſic orantes. *Reſpice propitius Domine ſuper hanc famulam, quæ maritali juncta conſortio, tua ſe expetit protectione muniri: ſit in ea jugum dilectionis & pacis, & quæ fidelis & caſta in Chriſto nupſit, imitatrix ſanctarum permaneat fœminarum, ſit amabilis ut Rachel viro ſuo, ſapiens ut Rebecca, longæva & fidelis ut Sara. Nihil in ea ex actibus ſuis ille auctor prævaricationis uſurpet, nexa fidei mandatis permaneat uni thoro juncta, contactus illicitos fugiat, muniat infirmitatem ſuam robore diſciplinæ, ſit verecundia gravis, pudore venerabilis, doctrinis cœleſtibus inſtituta.*

2. In remedium concupiſcentiæ.

* 2 Reg. 15. v. 16.

1. Theſſ. 4. 4.

Denique Matrimonio gratiam adjungi oportuit, quandoquidem vinculum inſolubile ſecum vehat, quod in qualibet vitæ conditione permanet, quamlibet adverſa ſuccedant, vel duri præfractique mores conjugis accedant. Cùm ergo hæc

3. Ad vinculum inſolubile & mutuum amorem.

Digitized by Google

vita alternantibus malis infauſta ſit & infeſta, ut tolerabiliores forent ; benedictionis gratiam infundi voluit Deus conjugibus : & ut pacificè ſe ſupportent adjuventque non ſolum amorem naturalem, ſed & ſupernaturalem in charitate fundatum, adjunxit. Sic enim firmior fit amicitia, & ſocietas quamlibet moroſa tolerabilior, dum natura & gratia junctim trahunt hoc jugum, rotaſque ſtridentes bigæ matrimonialis: ut conjugatos tandem pertrahant & perducant ad ſenectam & fœlicem vitæ finem, licet oporteat per ignem & aquam, per anfractuoſas orbitas aut ſemitas paupertatis, diuturnæ ægritudinis, alteriuſve calamitatis, pertranſire. Hoc ſignificat illa Eccleſiæ benedictio : *Reſpice quæſumus Domine, ſuper hanc nuptiarum ſolemnitatem, & ſicut mittere dignatus es Angelum tuum ad Tobiam, ita mittere digneris gratiam tuam cœleſtem ſuper conjuges iſtos, ut in tua pace vivant, ſeneſcant, & multiplicentur in longitudinem dierum.*

1. Tim. 2. 15. D. Paulus ibi enumerat. 4. bona Matrimonii.

Ex his concludo, quam verè dixerit Apoſtolus: *Salvabitur mulier per filiorum generationem* (hoc eſt in ſtatu conjugii & generationis) *ſi permanſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate.* Quibus verbis indicat ad hæc omnia jam accepiſſe gratiam in Sacramento, ideoque in illis debere permanere. Enumerat enim quatuor bona, fidem, dilectionem, ſanctificationem, ſobrietatem; quæ opponuntur quatuor malis, quæ ſine gratia Dei in matrimonio vitari non poſſunt. Primum malum eſt, non ſervare conjugii fidem. Secundum, odium & rixæ, quæ ſubinde oriuntur inter conjuges. Tertium, immunditia & turpitudo ex rebellione membrorum. Quartum eſt intemperantia. Quibus malis medetur gratia in Sacramento accepta ut ex jam dictis conſtat.

PROPOSITIO III.

Matrimonium facit conſenſus partium, licet copula non accedat, nec ejus voluntas.

Sacramentum hoc conſiſtit e contractu.

ADdverte, hoc Sacramentum conſiſtere in contractu, ideoque, illius materiam, formam, miniſtrum, deſignari, ſicut in contractibus. Cum ergo miniſtri contractus ſint contrahentes, miniſtri hujus Sacramenti ſunt conjuges. Verba vel ſigna conſenſum exprimentia, ſunt materia & forma. Materia quidem, quatenus traditionem mutuam corporum ſignificant : forma, quatenus acceptationem includunt. Et licet poſt Trid. oporteat conſentum exprimi coram Parocho & teſtibus, Parochus tamen non eſt miniſter Sacramenti, ſed præſidet matrimonio nomine Eccleſiæ, tanquam primarius & auctoritativus teſtis. Unde nec verba ejus, *Ego vos conjungo*, ſunt forma, ſed tantum eſt Cæremonia Sacramento poſterior, per quam nomine Dei & Eccleſiæ, ſignificat ſe confirmare quod eſt peractum, tanquam miniſter Cæremoniarum ab Eccleſia adjectarum. Unde licet nulla verba pronunciet, Sacramentum perfici poteſt.

Trid. ſeſſ. 24. c. 1. de reform. Matrim.

Copula verò conjugalis eſt uſus matrimonii, ideoque quid poſterius, illud præſupponens: Quapropter licet copula non ſubſequatur, validum eſt ratumque Sacramentum; quia matrimonium non in corporum contactu, aut ſenſu, ſed in mutuo contractu & conſenſu conſiſtit ; *non defloratio virginitatis facit conjugium, ſed pactio conjugalis.* Uterque ergo pacifcens de præſenti, accipit jus in corpus alterius: ſed uterque poteſt renunciare uſui, & mutuo conſenſu in caſtitate vivere, illamque vovere. Nec infrequens fuit id in Eccleſia nova, Deo Spiritum gratiæ & caſtitatis conjugibus ſuggerente, antequam virginitas diſpendium pateretur. Et hanc aliqui thoro, non tamen cohabitatione, ſeparati integram conſervarunt, quaſi in igne illæſi, verè Eunuchi Evangelici, ob regnum cœlorum ſe caſtrantes.

Ambr. in inſtarut. Virg. c. 6.

De hac re interpretantur quidam Prophetiam Iſaiæ, ad Eccleſiam novam ſub nomine Sion dicentis c. 62. *Non vocaberis ultra derelicta aut deſolata, ſed vocaberis voluntas mea in ea : Habitabit enim juvenis cum virgine, & habitabunt filii tui in te.* Quomodo habitabit juvenis cum virgine : Habitabit Sponſus incorruptus Joſeph cum Maria, Valerianus cum Cæcilia, Elzearius cum Delphina. Henricus cum Chunegunde, Julianus cum Baſilißa, Pulcheria Auguſta cum Marciano Imp.

Iſa. 62. 5.

Cæcilia in feſtivitate nuptiali cantantibus organis, in corde ſuo decantabat : *Fiat Domine cor & corpus meum immaculatum.* Sicque meruit Valerianum Sponſum, & ad fidem & ad caſtitatem traducere.

V. Surium 22. Novembr.

Elzearius & Delphina Dei conſilio conjuncti fuere, & caſti ad conjugium accedentes, virginitatis florem Jeſu Nazareno conſecrare voluerunt. Unde ſacram ædem adeuntes, ſumpto Chriſti Corpore, oratione facta, flexis genibus, junctis manibus, erectis in cœlum animis, uterque hoc votum fecit: *Domine Jeſu, à quo donum omne, ego peccator fragilis ſine ſpirituali dono non poſſum caſtè vivere, ſed in ope tua ſingulari confidens, voveo & promitto tibi, & Sanctiſſimæ Matri, omnibusque Sanctis, toto tempore vitæ me caſtè victurum, & virginitatem ſervaturum, quam hucuſque tua benignitate in me conſtitiſti : & ut promiſſionem hanc exequar, paratus ſum quaslibet pœnas, imò mortem pati.*

Canifius l. 2. Marial. cap. 11. Surius 27. Sept.

Julianus urgebatur a parentibus ut uxorem duceret, tum ut familiam conſervaret, tum ut adoleſcentiæ lapſus evaderet. At Deo ſe, virginitatemque dum commendat, monetur ab Angelo acquieſcere parentum voluntati, nacturum autem ſe conjugem, quæ Virgo perſeveret. Peragitur ergo feſtivitas nuptialis, in thalamum cum ſponſa introducitur : At ſtatim roſarum liliorumque odor locum perfundit, hyemis licet tempore. Miratur ſpon-

Marial. l. 4. cap. 7. Surius 9. Jan.

Digitized by Google

ſponſa, inquiritque unde tanta fragrantia? Reſpondet, ille odorem munditiæ virginalis, hortaturque ut florem hunc Deo acceptiſſimum, velit ſecum ſervare illibatum. Illa cœleſti hac ſuavitate capta, conſentit. Cum ergo caſtitatem vovilſent, ſubitò lux cubiculum perfundit. Hinc Chriſtus cum Sanctorum choro, hinc Maria cum Virginibus. Ortus deinde cantus ex parte Sanctorum, *Viciſti Iuliane, viciſti*: ex choro quoque Virginum: *Beata es Baſiliſſa, ſalutaribus monitis conſentiens.* Datuſque eſt liber Juliano, in quo aureis litteris ſcriptum: *Iuliane, qui pro amore meo mundum contempſit, deputetur in numero eorum, qui cum mulieribus non ſunt inquinati. Baſiliſſa in numero Virginum, quarum Maria tenet Principatum.* Reſponderuntque Chori: *Amen, amen.* Tunc duo Angeli duas coronas afferentes, eis dextras inunxerunt, & in propoſito confirmarunt. Reliquum ergo noctis in laude tranſigentes, cœperunt ſpiritu, non carne fructificare. Nec dinumerari poſſunt animæ, quæ per Julianum præmittebantur ad Dominum, nec agmina Virginum, quæ per Baſiliſſam præmittebantur in cœlum. Sic, *multi filii deſerta magis, quam ejus qua habet virum*, ut vaticinatus eſt Iſaias.

Iſa. 54. 1.

Hi verò omnes ſecuti ſunt Mariam & Joſeph, qui primi vexillum virginitatis in conjugio erexerunt; nam inter illos matrimonium interceſſiſſe non eſt ambigendum. Licet enim Sancti Patres de illis loquentes, quandoque refugiant nomen mariti vel conjugis, ſolum volunt non fuiſſe matrimonium conſummatum, nec copulam conjugalem. Neque verò votum Virginitatis, quod primiceria Virginum Maria prima feciſſe creditur, ejus impedivit matrimonium: quia ſicut ex divino inſtinctu voverat; ita ex divina revelatione contrahebat. In omnibus enim a Spiritu S. regebatur, multo certius in re ad totius vitæ ſtatum ſpectante. Unde non habebat propoſitum conſummandi matrimonium, quia ſciebat Joſephum in perpetuam virginitatem conſenſurum. De hac re hic Hugo Victorinus. *De incorrupta virginitate Matris Domini, hoc fides piè & pietas fideliter confitetur, quod ejus perfectionem nullo modo imminuit conjugalis conſenſus, ſicut caſtitatem illius non violavit conceptus, nec integritatem abſtulit partus. Ipſa namque eadem Virgo perpetua & cum diſponſaretur viro, non deſervit aut mutavit propoſitum continentiæ, & cum fœcundaretur non à viro, conceſit ſine libidine, & cum filium ederet, peperit ſine dolore.*

Hugo de S. Victore.

LECTIO II.

DE MATRIMONII PERFECTIONE.

1. *Docet continentiam præferendam matrimonio.*
2. *Multos ſalvari per matrimonium.*
3. *Plerosque ingerere ſe matrimonio non vocato.*

PROPOSITIO I.

Status continentiæ perfectior eſt, & ſecurior Matrimoniali.

PRimò, de perfectione notum eſt ex Apoſtolo. *Qui matrimonio jungit Virginem ſuam, bene facit; qui non jungit, melius facit.* Quaſi diceret: Argentum non eſt reprobandum, aurum tamen eſt præferendum. Notandum eſt S. Ambr. de triplici ſtatu Eccleſiæ. Eſt, inquit, Eccleſiæ ager diverſis fœcundus copiis. Hic cernas germina Virginitatis flore vernantia, illic tanquam in cam pis ſilvæ Viduitatem gravitate pollentem, alibi tanquam uberi fruge conjugii illam Eccleſiæ ſegetem, replentem mundi horrea, ac veluti maritatæ vineæ, fœtibus torcularia Jeſu Domini redundantia, in quibus fidelis conjugii fructus exuberat. Idem Ambroſ. Ita igitur Virginitatem prædicamus, ut Viduas non rejiciamus: ita viduas honoramus, ut ſuus honos conjugio reſervetur. Ex Evangelio quoque diſcimus, agrum Eccleſiæ triplicitèr coli, triplici meſſe adornari, fructu 30. 60 100. S. Hieronymus exponens parabolam Chriſti de fructu ſeminis, Centeſimum inquit fructum virginibus, ſexageſimum viduis & continentibus, triceſimum caſto matrimonio deputamus.

1. Cor. 7. 38. S. Ambr. l. 3. de Virginib. Ambr. l. de Viduis Mat. 13. 8. Marc. 4. 20. Hieron. in c. 13. Matth.

Prima pars agit colitur per conjugatos piè converſantes, & fructum affert triceſimum.

Secunda per vidualem continentiam, & duplicem profert fructum.

Tertia per caſtitatem virginalem, & centuplum infert in Domini horreum. Matrimonium Suſannæ fidelitate & pietate excultum, non fuit ſine fructu: Caſtitas vidualis Judith aut Annæ in templo, longè ampliorem produxit: Virginitas Mariæ ſupereminet ſine comparatione. Etenim ſtatus caſtitatis, mutatio eſt vitæ cœleſtis, quia in cœlo non nubunt, neque nubentur: & ſicut Angelica vita Deo purè intendit, ita caſtitas corpus mentemque Deo dicat: Audi D. Cyprianum: *Domini vox eſt dicentis, filii hujus ſæculi generant & generantur, qui autem habuerint dignationem ſæculi illius & reſurrectionis à mortuis, non nubunt, neq; matrimonium faciunt, neq; enim incipient mori, æquales enim ſunt Angelis Dei, cum ſint filii reſurrectionis. Quod futuri ſumus, jam vos eſſe cœpiſtis, vos reſurrectionis gloriam in ipſo ſæculo tenetis, per ſæculum ſine ſæculi contagione tranſitis.* S. Bern. *Quid caſtitate decorius? quæ mundum de immundo conceptum ſemine, de hoſte domeſticum, Angelis denique de homine facit.* Differunt quidem inter ſe homo pudicus & Angelus, ſed fœlicitate, non virtute. Sola eſt caſtitas quæ in hoc mortalitatis & loco & tempore ſtatum quendam immortalis gloriæ repræſentat. Idem Cyprianus vocat Virgines, illuſtriorem portionem gregis Domini, decus & ornamentum gratiæ ſpiritualis, florem Eccleſiaſtici germinis. Quare flos dicitur Eccleſiaſtici germinis? Id S. Martinus apta comparatione declaravit teſte

Cypr. de habitu Virg. S. Bern. ep. 42. Idem Cyprian. Simile S. Martini ex Sulpitio dial. 2. c. 12.

Digitized by Google

teſte Sulpitio. Contigit eum per pratum tranſire, cujus partem depaverant boves, ſecundam porci ſuffoderant, tertia illæſa erat floribus vernans. Hoc ille ad ſublimiora allumens dicebat : *Prima pars ſpeciem conjugii gerit, quæ pecore depaſta, licet gratiam herbarum non penitus amiſit, nullam tamen florum retinet dignitatem. Secunda quam porci immunda pecora ſuffoderunt, fornicationis fœdam exhibet imaginem. Tertia quæ nullam ſenſit injuriam, gloriam virginitatis oſtendit, unde herbis fœcunda eſt floribuſque decora.* Sed non mihi hic immorandum, ut eminentiam virginitatis ſupra conjugium oſtendam, cùm illa ex Scriptura & doctrina Sanctorum nimis evidens ſit : cùm etiam tot exempla Virginum, quæ ſæculum mortemque calcarunt, ut virginitatis lauream conſervarent, nimis hanc rem probent. Videndum autem præclarum ad hanc rem exemplum S. Victoriæ, de quo egi Lib.1.

V.lib.1. tract.2. lect.6.

Secundò, de ſecuritate, etiam claret ex 7. ad Corinth. ubi aſſerit Apoſtolus, multa eſſe impedimenta in matrimonio, multa ſalutis adjumenta in cælibatu : *Qui ſine uxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt Domini, quomodo placeat Deo : qui cum uxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & divijus eſt. Et mulier innupta cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu : nupta cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro.* Summa moniti Apoſtolici hæc eſt. Cum breve hoc tempus vitæ noſtræ datum nobis ſit ad placendum Deo, æternorumque bonorum conſecutionem, ad id conſulo cælibatum, quia conjugati per onera conjugii variè diſtrahuntur, in cælibatu licet Deo ex integro ſe impendere. In conjugio oportet partiri animum in uxorem, proles, familiam, in cogitationes de negotiis, de lucro, de opibus, de ſtatu filiorum, de collocandis in matrimonio filiabus, de emendis fundis, de domibus exſtruendis, de perpetuanda familia: hæc omnia animum cœlo avocant, terræ immergunt, & ſic quandoque abſorbent, ut multi per diem vix de Deo ſemel cogitent. Contra, cælibatus colligit animum in Deum & divina, dat otium & guſtum ad cœleſtia, iter præparat ad æterna, dat facultatem ſine impedimento ſerviendi Patri ſpirituum, obſecrandi illum, ejuſque gratiam jejuniis & aliis operibus bonis promerendi. Hæc eſt prima ratio Apoſtoli.

1.Cor. 7. 32. 33. 34.

De cælibatu, Apoſtoli.

1. Ratio eſt Collectio mentis in Deum.

Altera ratio eſt, quia cælibatus eximit à tribulationibus carnis, quibus ſcatet vita conjugalis. Etenim multa viro moleſtia incumbit. 1. ſi in uxorem imprudentem inciderit, ſuperbam, dicacem, impatientem, morioſam & rixoſam, aut quæ non ſit bona mater familias : in talem autem non incidere, difficile eſt. 2. multa afflictio, ſi liberi protervi ſint, capitoſi, prodigi, ſi ad mala conſortia abrepti, ſi poculis aleiſque dediti, ſi ſtupidi, aut defectuoſi animo vel corpore. Annon hæc parentibus etiam bonis contingunt? Cain, Cham, Iſmahel, Eſau, Abſalon, nonne parentibus crux fuerunt ? 3. uxori eſt tribulatio, non ſolum viri dominatus, cholera, ebrietas, prodigalitas, zelotypia, ſed & paupertas, rerum damna, mors prolium, filiarum incontinentia, vel certè nimia libertas, conſortiaque periculoſa. 4. licet omnia dicta removeas, tribulatio tamen carnis eſt, onus uteri, faſtidia, vertigines, dolores partus, anxia cura prolis, dum mundanda, faſcianda, veſtienda, cunis agitanda ut dormiat, eximenda ut ſugat, mulcenda ne ploret. Ob hæc enim omnia matres noctu diuque circa infantes occupantur, ut vix aliud cogitare poſſint. An non hic multa orationis ſalutiſque impedimenta ? Rectè dixit D. Gregorius. *Bonum eſt conjugium, ſed mala ſunt quæ circa illud ex hujus mundi cura ſuccreſcunt, dum ergo tenetur quod non nocet, ex rebus juxta poſitis committitur plerumque quod nocet. Sæpè iter rectum & mundum pergimus, & tamen ortis juxta viam vepribus, per veſtimenta retinemur. In via quidem munda non offendimur, ſed à latere naſcitur quo pungamur.*

2. Ratio exemptio à moleſtiis carnis. Moleſtia in Matrimonio.

S. Greg. lib. 12. moral.

Hæc conſiderans Ammon Sanctiſſimus, qui tempore S. Antonii vixit, cum adoleſcens eſſet, à nuptiis abhorruit. Attamen propinquorum importunitati tandem motem gerens, uxorem duxit. At prima nuptiarum nocte, in conclave ſecretum cum ſponſa ingreſſus, producens librum epiſtolarum S. Pauli cœpit prælegere conjugi cap. 7. ad Corinth. & illi exponere, quæ ibi de nuptiarum incommodis tradit Apoſtolus ; onera conceptus, partus, educationis diſerto ſermone recenſere, impedimenta ſalutis exaggerare ; ac deinde de virginitatis commodis, & quam pura ſit & læta cælebs vita, differere. Quo ſermone ita ſponſa commota eſt, ut ultrò caſtitatem amplecteretur, ſine matrimonii conſummatione. Itaque in ſolitudinem ſe conferentes, plures annos illibatè ſimul egerunt, tandem utriuſque conſenſu ſeparati, in Monaſticæ vitæ genere reliquum ætatis contriverunt, ut etiam refert Tripart. hiſt. l. 1. c 11. Palladius cap. 8. Sozomenus, & alii. Vide etiam ad hanc rem illuſtrem hiſtoriam S. Domitillæ apud Surium vel Ribadein deram 12. Maii. Hæc cum ſe ad nuptias præpararet, à ſuis Eunuchis Nereo & Achilleo, propoſitis vitæ conjugalis incommodis, caſtitatiſque perfectione, ita ad eam colendam exſtimulata fuit, ut pro illa tuenda etiam martyrium ſubierit.

Niceph. li 11 hiſt. Eccl. c. 14. Theodorus l. 4. c. 16.

De S. Domitilla & ſociis, Surius 12. Maii & Ribad.

Porrò S. Bernardus ut oſtendat in cælibatu ſecuriorem ſalutem, dicit in Eccleſia eſſe ordines tres deſignatos per Noë, Danielem, & Job, Prælatos vult deſignari in Noë, continentes in Daniele, conjugatos in Job : omneſque dicit tranſire hoc ſæculum quaſi mare ſpatioſum, ſed primos per navem, ſecundos per pontem, tertios per vadum, ideoque minus ſecurè. Sed audienda ſunt ejus verba. *Hoc mare magnum & ſpatioſum, non aliud eſt quam præſens ſæculum fluctibus amarum, quod tribus generibus hominum ſua modo eſt pervium, ut tranſeant liberati. Tres enim ſunt, Noe, Daniel, Iob, Primus navi, ſecundus ponte, tertius vado tranſit, & tres*

S. Bern. ſerm. de tribus Ordinib.

Digitized by Google

& tres ordines Eccleſiæ ſignant. Noe arcam exaxit ne periret diluvio, Hæc eſt enim Eccleſiæ formam agnoſco. Daniel vir deſideriorum abſtinentia & caſtimonia dedutus ipſe eſt pœnitentium & continentium ordo, ſoli Deo vacans. Iob ſubſtantiam mundi bene diſpenſans in conjugio, fidelem deſignat populum terrena licite poſſidentem. Conjugatorum ergo ordo eſt, qui mare magnum vado pertranſit, laberioſum & periculoſum & longum habens iter, nulla via capiens compendia. Quod periculoſum ſit patet, cum tam multos in eo perire videmus, tam paucos ſicut neceſſe eſt, pertranſire. Valde eſt difficile, præſertim modo cum malitia invaluit inter undas hujus mundi, voraginem vitiorum & criminalium peccatorum ſevas declinare. Hæc Bernardus ſermone de tribus ordinibus.

PROPOSITIO II.

Licet perfectior ſit cœlibatus, multi tamen per Matrimonium vocantur ad ſalutem.

1.Cor.7.7. HOc indicat Apoſtolus, dum dicit: *Volo omnes ſicut meipſum eſſe, ſed unuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius ſic alius vero ſic* Quaſi dicat. Cuperem omnes continentiam amplecti, ſicut & ego; & vitæ genus perfectum ſequi, in quo liberi à ſollicitudine & carnis tribulatione, in aula mentis, divinæ poſſint vacare ſapientiæ, inhiare dulcedini verbi, guſtare donum Dei, virtuteſque venturi ſæculi, ac ſoli Deo placere, corpore puro & corde. Sed quia Deus nolens caſtitatem concludere ſub præcepto, diverſa inſtituit vitæ genera, matrimonium, cœlibatum, religionem, viduitatem, ſic neminem adſtringo. Aliquos enim vocat ad hunc ſtatum, alios ad illum, & unicuique dat donum cœleſtis auxilij & gratiæ, ut ſi cooperari velit, in ſtatu ſuo ſalutem poſſit invenire. Unuſquiſque igitur attendat quo vocetur à Deo, & cum ſtatum ex divino inſtinctu elegerit, advocet Dei donum, invocet auxilium, illique ſtrenue cooperetur; nec enim Deus ei deerit, ſi Deo non deſit ipſe. Et quia aliqui tantæ ſunt infirmitatis ut ſe non contineant, ardore libidinis invaleſcente, urantur, lædanturque ſuccumbentes fornicationi, vel libidinoſæ corruptioni: ideo his etiam conſulo, ut matrimonium ineant, infirmitatis remedium. *Melius enim eſt nubere quam uri,* quam carnis deſiderijs continuo agi & angi, vinciri & vinci, cum ſalutis diſpendio. Hæc eſt in ſumma mens Apoſtoli eo loco. 1.Cor.7.9

Ex quo colligimus primo quoſdam vocari ad matrimonium, tamquam ad remedium & tabulam arripiendam, ne fluctibus carnis in perniciem abripiantur: vel ut in conjugio ſuppediretur eis veluti aquæ frigidæ remedium, quo cupiditatis ignis in illicitas libidines exæſtuans licito modo temperatur. Secundo quoſdam etiam vocari ad matrimonium, ut perfectionem in eo aſſequantur, per patientiam inter tot onera & tribulationes, per ſanctam prolis educationem, per alia virtutis opera, ſtatui huic congrua, ſicque cæteris exemplo præfloreant. Ita in conjugio perfectus fuit Noe, Abraham, Iſaac, Jacob, Job. Nec tamen deſuerunt eis variæ tribulationes & ſollicitudines, à filius ab uxoribus, à ſervis & ancillis, à propinquis, à domeſticis negotijs. Nam Noe à filio patitur irriſionem, illique infligit maledictionem: ob diluvium quoque multam paſſus eſt anxietatem, dum arcam diuturno fabricat labore & ſolicitudine, dum propinqui & amici fluctibus involvuntur, dum arca tanto tempore triſtibus undis concutitur, dum egrediens terram cadaveribus conſperſam cernit. Abraham vero & Sara ob ancillam Agar non parum torquentur, dum illam dominam pati non vult, nec ſub ejus manu humiliari, ſed ſterilem contemnit, fugit in ſolitudinem cum puero, in utero ſibi ex Abraham progenito. Deinde quantam putas anxietatem Abraham pati debuit, dum timet vitæ ſuæ, dum timet & uxori ob pulchritudinem? quibus cogitationibus æſtuabat ei animus anxius, dum Abimelec dilectam ſibi unicè uxorem in ſuam tollit Reginam? An non Iſaac & Rebecca multa paſſi ſunt ab Eſau? dum adhuc utero concluditur, luctatur cum fratre Jacob, non ſine graviſſima materni uteri concuſſione, ita ut illa cogatur inclamare: *Si ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere?* Prius affligitur, quia ſterilis, nunc multo magis, ob geminam prolem ſeſe collidentem. Deinde illi & Iſaaco multa tribulatio, dum Eſau continua contra fratrem æmulatione conſurgit, & ob benedictionem ſurreptam molitur ei necem: *venient dies luctus Patris mei, inquit & occidam Iacob fratrem meum.* Ideo coactus eſt Jacob paternam domum deſerere, & ad Laban Avunculum profugere. Sed quid de conjugio Jacob dicam, quanta & ipſe perpeſſus ob invidiam & contentionem inter Liam & Rachelem uxores, quanta à prolibus anxietas, dum Dina filia rapitur & violatur, dum filij propria auctoritate raptum ulciſcentes, integram Civitatem internecioni divovent? Quanta ei afflictio, dum Ruben cubile paternum inceſtu pollut cum Bala uxore? Hac de re morti vicinus adhuc conqueritur, & privat eum primogenitura, aitque: *Ruben principium doloris mei, effuſus es ſicut aqua, ne creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius.* Taceo contentiones varias inter domeſticos Patriacharum, ob greges, ob curam rei familiaris: quæ omnia magnam molestiam Patribus familias ingenerabant. His interim non obſtantibus, aſſecuti ſunt perfectionem, tranſeuntes per varias curas & moleſtias, ſed his animum non immergentes, nec illum á Deo avocantes. Gen.25.22. Ge.27.41. a.cap.29. Gen. Gen.49.3.

Verum, ne exiſtimes antiquo tantum tempore conjugio perfectionem adhæſiſſe, conſidera tempore gratiæ Chriſti plura exempla nos poſſe recenſere, illorum qui in conjugio ſanctitate floruerunt, clariuſque nunc pateſcere illud: *Mulier ſalvabitur per generationem, ſi permanſerit in fide* 1.Tim.2. 15.

Digitized by Google

De S Felice tace S. Greg. hó. 3. in Evãg. & Aug. ſer. 110. de diverſis.

& dilectione. Quis ambigat ſanctam Felicitatem ad matrimonium vocatam, ut per filiorum generationem & piam inſtitutionem, coronam gloriæ aſſequeretur? Poterat illa dicere de filiis naturalibus, quod Apoſtolus de ſpiritualibus: *Gaudium & corona mea, ſic ſtate in Domino chariſſimi.* Septem filios ſic poſt ſe timuit vivos relinquere, ſicut carnales parentes ſolent metuere, ne mortuos præmittant. In perſecutionis enim labore deprehenſa, filiorum corda in amore ſupernæ patriæ roborabat; & parturiebat ſpiritu, quos carne pepererat. Optabat vero ipſa poſterior mori, non enim amittebat filios, ſed præmittebat; nec intuebatur quam vitam haberent, ſed quam inchoarent: Delinebant vivere ubi quandoque fuerant morituri, & incipiebant vivere ſine fine victuri. Videnſque certantes, in omnibus ipſa certabat, & in omnibus vincentibus, ipſa vincebat.

V. Breviarium 28. Julij.

An non S. Symphoroſa ad connubium à Deo vocata eſt, ut per 7. filios cœleſtis Jeruſalem ruinas inſtauraret? Hos Deo conſecrans per martyrium, Duxeis fiut & verbo hoſtans, & exemplo præiens, prima victima Deo.

De S. Monica Aug. li. Cõfeſſ.

Quis non videat & S. Monicam per matrimonii tribulationes ad perfectionem à Deo vocatam? Hæc cum mundo Auguſtinum peperiſſet, quantis anguſtiis egit, ut & Deo iterum parturiret? quanam patientia & humilitate ſe geſſit, ut maritum inbidelem converteret?

Guil. Abbas l. 1. vitæ S. Bern. c. 3.

Quid de Aletha matre Bernardi, an non per ſanctam generationem & inſtitutionem filiorum, ſalutem eſt aſſecuta? Hæc ſeptem proles genuit, non tam viro ſuo quam Deo, unam filiam quæ Sanctimonialis facta eſt, ſex filios, qui Religioſi. Quos Bernardus frater, aut potius ſpiritu & verbo vitæ pater, ad religionis cluſtrum Clarevallem deduxit, excepto minimo adhuc puero. At cum huic in plateis ludenti occurriſſet in diſceſſu Guido primogenitus eum compellans; dixit: *Eja Frater Nivarde, ad te ſolum reſpicit terra poſſeſſionis noſtra.* Quid vero ille? Puer quidem, at non puerilter reſpondit: *Vobis ergo cœlum, mihi terra? Non ex æquo diviſio hæc facta eſt.* Quo dicto abeuntibus illis tunc quidem domi cum patre remanſit: ſed modico poſt tempore, fratres ſecutus, nec à patre, nec ab amicis potuit retineri.

Molanus 1. Julii.

Poteſt his adnumerari S. Regina S. Adelberti conjux, neptis Pipini Regis, fundatrix Dononi juxta Valencenas, ubi ejus corpus quieſcit. Hæc decem habuit filias, quæ omnes per cælibem vitam Deo ſe conſecrarunt.

Sic ſanctæ mulieres plurimæ ad matrimonium à Deo fuerunt deſtinatæ, non tam ad orbis hujus, quam ad cœli propagationem, ſancto germine. Et modo ſpeciali lætitia in cœlo exultant, dum filios ſuos vident in circuitu menſæ Domini, in feſtivo æternitatis epulo: dum & illis quaſi corona ſpecialis gloriæ, circumcinguntur in Sponſi cœleſtis thalamo. Hæc ergo exempla virtutis (quæ plurima in ſanctorum geſtis reperies) proponuntur conjugibus imitanda. Nempe ſicut Jacob, ut diverſi coloris agnos in grege haberet, virgas variegatas populeas in canalibus proponebat; ut dum in his canalibus biberent, illos colores varios imaginationi ſuæ imprimerent; & dum in fervore concipiunt, juxta imaginationi repræſentatas virgas, fœtus ederent: ita Deus in ſcripturis & ſactis hiſtoriis, omnis generis exempla proponit, virginibus, viduis, conjugatis, ut quiſque juxta ſtatum ſuum ſimiles virtutum fœtus edat, prius illa exempla menti cordique imprimens. Ge. 30. 37.

Propositio III

Multi ingerunt ſe in matrimonialem ſtatum non vocati à Deo.

DEUS licet auctor matrimonii, non tamen quemlibet indifferenter ad illud vocat, ſed providentia particulari illis inſpirat, quibus novit congruum eſſe ad ſalutem. Homines autem carnales & mundani id non attendentes, cæco greſſu ſine deliberatione matura, ſine conſultatione cum Deo, quo paſſio eos turbulenta tulerit, matrimonia nectunt, ſicque æternitatis aleam jactant: O vere momentum, à quo pendet æternitas, quando de ſtatus electione decernitur! Quapropter ut agnoſci poſſit voluntas Dei, dum ſtatus eligendus eſt, aliqua media præſcribunt viri Sancti

Media, ut agnoſci poſſit Dei voluntas in ſtatu eligendo.

Primò, ut ſerio cogitet homo finem ad quem creatus eſt; ut ſcilicet æternum Deo fruatur: ad hunc omnis ætatis ſuæ curſum debet ordinare, huc omnis ejus intentio collimare.

1. *Conſideratio finis hominis.*

Secundò, ſe coram Deo ſiſtat purgata conſcientia, & remota paſſione vel affectu inordinato ad terrena, intret in cor ſuum, coneturque cum indifferentia perfectæ voluntatem offerre Deo, ut inſpiret quod voluerit: nec inclinanda eſt voluntas ad hunc potius ſtatum quam illum, ſed animus debet eſſe paratus ad firmiter amplectendum quod voluntatis eſt divinæ, licet propriæ contrarium. Lutum figulo reſignetur, ut quam placuerit formam imprimat. Audiendus eſt Dominus quid loquatur, etenim loquitur quæ ad pacem ſpectant & ſalutem, ſuper eos qui convertuntur ad cor, illique reſpondendum eſt: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.*

2. *Indifferentia & reſignatio cordis Deo.*

Pſ. 56. 8.

Tertiò ne fortè mundus oculos terreno inſpergat pulvere, bonum eſt tunc in horam mortis illos conjicere, & conſiderare quid tunc velles elegiſſe, quem ſtatum quamque viam iniiſſe, de qua putes te melius reddere poſſe rationem.

3. *Quid elegiſſe velles in hora mortis.*

Quartò conſideret talenta, inclinationes, complexionem, vires, rationes pro uno ſtatu vel alio, & hæc omnia ſecundum Deum appendat. His verò omnibus bene perpenſis, ſi quamdam averſionem ſibi videtur ſentire ab aliquo ſtatu, non cenſetur ad illum vocari; ſi ad alterum ſe moveri ſentiat, cum pace interiori, cum fiducia magna in Deum, cum gaudio conſcientiæ, hunc poteſt eligere.

4. *Videat talenta ſibi à Deo data.*

Digitized by Google

eligere, semper in illo sibi præscribens ut finem majorem Dei gloriam, salutemque suam. Neque refert quod ille non sit perfectior, non enim status perfectior omnibus convenit. Non omnes qui voluerunt sequi Christum, statim ab eo in suam sequelam sunt adoptati, sed aliquos illorum in suam domum remisit, huic sequelæ perfectæ nó idoneos. Non paucis convenit dicere cum Loth: *Non possum in monte salvari, est hæc civitas parva, salvabor in ea.* Hoc interpretans moraliter S. Gregorius dicit: *Ardentem Sodomam fugere est illicitæ carnis incendia declinare, altitudo vero montium est mundicia continentium: qui ergo ad montana scandere non possunt, civitatem parvam eligunt, in qua ab ignibus defendantur. Conjugium civitas parva est, non incolarum numero, sed comparata cum altitudine continentiæ & castitatis, quia conjugalis vita non quidem in virtutibus mira, sed tamen à supplicijs est secura, nec à mundo longe divisa est, nec tamen à gaudio salutis aliena.* Vide Greg 3. parte Pastor. admonitione 28.

Ge.19 19. Greg. 3. p Pastoralis admon. 28.

In electione status Matrimonialis à multis error committitur.

Ex his patet in electione status matrimonialis à multis errorem committi. Primo enim aliqui eligunt statum & officium, quia parentes volunt imitari, qui illo fruiti sunt, imo ab illis illuc fere provehuntur inscii & inviti. Non considerant statum qui parenti congruebat, filio non semper convenire, nec qui uni fratri, etiam alteri congruere; cum non sit eadem complexio, talentum, inclinatio, in parente & filio, in fratre & fratre etiam gemello. quod in Esau & Jacob nimis claruit.

Secundo aliqui primario respiciunt terrena, opes, honores, sic occasionem oblatam opulenti matrimonii arripiunt, ut hæc assequantur.

Tertio aliqui committunt se aleæ, & dicunt: Si possunt salvari in isto statu, satis est, ad perfectionem non obstringor. Nec cogitant nullum esse viatorem, qui breviorem & securiorem viam non eligat. licet forte per aliam possit domum pertingere, sed sero, lassus, lutosus, periculis obnoxius.

Quarto alii consulunt cum Deo, cum jam prævenerunt ejus inspirationem & consilium, prævio affectu & pene firmata resolutione, non tam optantes se conformare divinæ voluntati, quam ut Deus se conformet illorum inclinationi & resolutioni. Attamen in matrimonio eligendo, voluntas divina prius exquirenda est, quam nostra. Neque solum ab illo exquirendum est, an ineundum sit, sed etiam cum qua persona: quia contingit personam eligi quæ impedimenta salutis sit allatura, si alteram elegisses, securior tibi salus fuisset. Porro Angelus in his invocandus, qui dirigit hominem in omnibus viis suis. Hunc Abraham voluit comitem esse Eliezer famulo suo, dum eum misit ad quærendum uxorem Isaac filio. Hic providit Tobiæ in sua peregrinatione. Vide dicta de custodia Angelorum.

Gen.24.7.

Tob.5.21.

***

LECTIO III.

DE MATRIMONIIS INFAUSTIS.

1. *Docet multiplicem originem infausti Matrimonii.*
2. *Agit de remediis Matrimonii infausti.*

PROPOSITIO I.

Infausta Matrimonia varium habent originem, ex multiplici defectu hominum.

Matrimonia infausta oriuntur ex 4. causis.

QUadruplicem hic latius describemus causam infaustorum Matrimoniorum, ut clarius dicta eluceſcant, de quibus etiam apud plebem differere convenit Pastorem, ut in tanto negotio maturius cæca juventus procedat.

1. *Defectus Examinis Personæ, cum qua ineundi,*

Primam ergo causam infœlicis Matrimonii asserimus defectum prudentis examinis personæ, cum qua ineundum est. Hæc in multis evidens est, qui præcipiti gressu Matrimonio se involvunt, sola consideratione arridentis commoditatis terrenæ, quam à persona cui junguntur, expectant; aut ob spem promotionis ad aliquod officium, honoratum ve gradum, non examinatis personæ moribus, genio, ingenio, quod postea reperitur morosum & difficile, superbum & iracundum, stultum leveque. Audi Hieronymum: *Plerisque nulla est uxoris electio, sed qualis obvenerit habenda: Si iracunda, si fatua, si ambitiosa, si fœtida, quodcumque vitii est, post nuptias discimus. Equus, Asinus, Bos, mancipia, vestis, urceolus, probantur prius & sic emuntur; sola uxor non ostenditur, ne ante displiceat quam ematur.* Examinanda ergo est, sed non tam oculis quam mente; quia ut monet D. Petrus non attendenda est *extrinsecus capillatura, sed absconditus cordis homo*, quia pulchritudo morum magis quam exterior ponderanda. Satis pulchram invenit, qui bonam invenit, quia præcipua species uxoris in moribus est dicente Ecclesiast. 26 *Gratia super gratiam, mulier sancta & pudorata.* Quasi dicat. Quæ pudicitiæ probos mores copulare deprehenditur, multiplici specie & pulchritudine ornata censetur. Frequenter id repetit Sapiens: *Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum.* Utique qui invenit castam, sobriam, domus curam habentem, non vulgare bonum censetur reperire. Dicimus autem invenire, quod diligenter quæsivimus, & sic Sapiens judicat prudentem curam adhibendam in quærenda conjuge: & si occurrat bona, pro magno Dei beneficio id habendum. Quod de muliere dixi, idem de viro. Sed quia non sufficit ad quærendum sola prudentia humana quæ frequenter fallitur, jungenda est oratio, & cum Deo consulatio.

S. Hieron. cont. Jovin. c.28.

1.Pet.3.3.

Eccl.26. 19.

Prov.18. 22.

Secunda igitur causa infausti matrimonii, est defectus debitæ orationis & consultationis cum Deo. Etenim, *domus & divitiæ à parentibus, à*

2. *Defectus orationis.*

Digitized by Google

consultatione cum Deo.

Pro. 19. 14

LXX. Interp.

Domine autem uxor prudens, inquit Sapient. Hoc est, duo à majoribus filii hæreditario jure accipiunt, nobilitatem & opus: at uxorem prudentem licet parentes filiis magno studio perquirant, sæpe falluntur, quia talem non tam parentes dant quam Deus sua providentia & benevolentia, ideo rogandus est, ut dignetur providere. Legunt LXX. *Aptatur uxor viro à Domino.* Non quælibet cuilibet viro apta uxor, sed illa tantum quæ similes mores habet, morum enim similitudo jacit fundamenta conjugalis amoris. At similem simili copulare, solius Dei est, qui cum omnium mores temperet, eorum concordiam aut discordiam solus perfecte novit. Sicut vero aptanda est uxor viro, sic etiam vir uxori aptari debet, tum in morum similitudine, tum etiam in conditionis quadam æqualitate.

3. Inæqualitas viri & uxoris.

Ovid.

Gen. 2. 18.

Tertia ergo infausti Matrimonii causa est inæqualitas viri & uxoris, unde frequenter à Deo punitur eorum temeritas, qui cum sint humiles aut inopes, cum nobilibus aut divitibus inire matrimonia contendunt, nec considerant illud Poetæ:

Quam male inæquales veniunt ad aratra juvenci,
Tum premitur magno conjuge, nupta minor.

Nec iterum considerant, quod cum Adæ Deus uxorem dare voluit, similem effinxit & dixit: *Faciamus ei adjutorium simile sibi*: simile non solum in natura, sed & in conditione & morum conformitate illi quæsivit, ut aptum foret adjutorium, docens & hoc observandum illis qui connubium ambiunt; nam disparitas conditionis frequentes invehit dissensiones. Ferrum non cum argento & auro, sed cum alio ferro cohærer, & se commiscet, fœdere quodam in eandem massam conveniens: Sic de viro & de uxore dicendum, non bene vilis cum nobili, nec dives cum paupere cohæret; sed sicut, quando ferrum auro vel argento commiscetur, invicem dissiliunt, ita inæqualium cõjugia dissidiis sunt plena. Alia similitudine disparitatẽ in matrimonio improbat Euripides apud Stobæum serm. 73. *Nauclerus gubernaculum eligit, pro magnitudine navis.* Qui ergo cum ignobiles sint, cum sublimibus connubia ambiunt, perinde faciunt, ac si magnę navi exiguum gubernaculum apponant, vel è contra; quandoquidem vir pro gubernaculo sit, uxor vero navim imitetur. At sicut cum navis parva, gubernaculum vero magnum est, navis non regitur, sed immergitur; sic cum vir nobilis est, uxor tenuis non tam ab eo regitur, quam opprimitur. Item cum navis est magna & gubernaculum parvum, navis impelli & converti non potest; sic cum uxor illustris, aut opulenta est, vir tenuis, non potest uxorem regere, & ad nutum vertere. Hæc omnia considerans D. Chrysost. dehortatur gravi oratione pauperem, ne divitem ducat, & ait: *Est superbia mulierum genus elatum, & perturbationibus expositum; & cum superbia occasiones habent, non possunt in officio contineri. Sed sicut ubi silva congesta ignem, flamma fertur in altum: sic elata ordinem perverterunt, & summa facium infima, dominatum in virum occupant. Taceo vitia & contumelias, nihil illis intolerabilius.* Sed quia forte persuadet tibi vir, se sua severitate hunc saltum excussurum & subjugaturum, audiat Sapientem: Sicut *ferrum ferro exacuitur & homo exacuit faciem* socii. Maritus & uxor sociantur: sed sicut ferrei duo gladii, si invicem sint adtricti, alter alterius acumen acuit, ita si vir & uxor duri sint, se mutuo acuunt ad iram, nec alter vult alteri cedere, ideoque difficile est uxorem superbam & rigidam. viri severitate domari. Addit S Chrysostimus etiamsi ita contingat, non parum adhuc detrimenti est: *Quod enim vi & timore in potestate viri mulier esse cogitur, id viro gravius est ac molestius, quam si ipsa imperandi haberet potestatem: quia omnem amorem mutuum, & voluptatem excit ex animo ipsa vis; sublata autem amicitia & metu ac necessitate illius locum occupante, quid tali conjugio ad dignitatem reliqui esse potest?*

Prov. 27. 17.

S. Chrys.

4. Reg 14 9.

Deniquè hæc disparitas conjugii improbatur faceta fabula 4. Reg 14. ubi dicitur, quod cum Carduus Iobani misisset nuncium ad Cedrum, ut daret filiam suum in uxorem filio suo, factum esse in pœnam hujus superbiæ & æqualitatis prætensæ, ut ab animantibus illac transeuntibus acriter conculcaretur Carduus. Hoc etiam spectat Æsopi fictio dicentis, Carbonarium rogasse Fullonem, ut in eadem domo secum habitaret, ac filiam suam filio suo traderet, sed prudenter respondisse illum: *Timeo ne quæ ego dealbo, tu sul gine repleas.* Sic indicavit quantum detrimenti & morum & conditionis dissimilitudo periat.

Fabula Æsopi.

4. Mala vita præterita.

Quarta causa infælicis matrimonii, est mala vita præterita, quæ punitur electione in conjugio infausta. Hoc enim contingit justa Dei providentia, sicut ob vitam bonam peractam meretur quis à Deo dirigi in hac electione. Ideo dicit Eccles. cap. vigesimo sexto. *Pars bona, mulier bona, dabitur viro pro actis suis.* Habes hujus rei exemplum in prato spirit. c. 101. ubi narrat quidam quomodo fælix sibi conjugium contigisset, ob spem in Deo collocatam, & eleemosynas in pauperes. *Ego* inquit, *filius fui viri clarissimi & eleemosynis maximè dediti. Die quadam vocavit me Pater, & ostendit mihi omnes pecunias, dicens: Fili quid tibi gratius est, ut dimittam tibi pecunias istas, an Christum Curatorem tuum?* Ego cum placerent mihi, quæ faciebat, respondi, *me Christum malle. Ista enim omnia præterient, & hodie sunt, & cras non erunt; Christus manet in æternum.* Quod ille cum audisset, omnia jam libere & larga manu pauperibus erogabat, ita ut moriens pauca admodum mihi relinqueret. Ego jam pauper effectus, humilis procedebam, spem meam habens in Christum, cui ille me reliquerat. Erat autem alius quidam dives valde & primarius; habens uxorem fidelem Christo, & timentem Dominum: habebat autem & filiam

Eccl. 26. Sophron in prato spirit. c. 101.

S. Chrys. l. de virg. c. 83.

filiam unicam. Dixit ergo illa viro ſuo: *Hanc ſolam habemus filiam, tantaque bona nobis largitus eſt Deus, cujus ergo rei indiget? Si quæſierimus illi virum de alicui primario & diviti, qui non ſit bonis moribus, affligit eam, quæramus illi virum timentem Deum, & humilem qui illam diligat.* Qui dixit illi: *Recte dixiſti. Perge ergo in Eccleſiam, & oranti inſiſte, qui primus ingreſſus fuerit, à Domino illi miſſus eſt ſponſus.* Fecit igitur ut juſſerat vircumque oraſſet & federet, ingreſſus ſum ego primus. Mittens illa ſervum, accerſivit me & interogavit, unde eſſem? ego autem dixi, *ex civitate hac ſum filius talu.* Dixit autem mihi, *illuane Eleemoſynaris?* Tunc ait, *habes uxorem?* Dixi *non.* Et narravi quæ mihi Pater dixerat. Illa vero glorificans Deum ait: *Ecce bonus curator tuus miſit tibi uxorem & pecuniam, ut utaris utriſque cum timore Dei.* Deditque mihi filiam ſuam, & ego oro ut Patris mei viam uſque in finem tenecam. Hæc ibi.

Quomodo vero poſſunt felix conjugium ſperare juvenes perditi, diſſolutionibus, impudicitiis, ebrietatibus dediti, ſalutis incurii? Cur non potius timent, ne Deus eos plectat infauſta electione ob demeritum vitæ improbæ? Quare volunt invenire uxorem caſtam, ſobriam, piam cum non ſint caſti, nec ſobrii, nec pii? Si aptatur à Domino uxor viro, in pœnam potius exſpectent incontinentem, levem, maledicam, rixoſam, quales ipſi ſunt. Aut certe diſcant hæc emendare in tempore opportuno, quando agitur de ſtatu totius vitæ, de ſalute, de æternitate, quæ pendet ab hac electione. Recte illos monet Auguſtinus: *Si duſtori eſtis uxores, ſervate vos uxoribus veſtris, quales vultis eas invenire, tales & ipſa inveniant vos. Quis eſt qui non caſtam velit ducere? Intactam quæris, intactus eſto, puram, purus eſto. Non enim illa poteſt, & tamen potes.* Idem alibi docet, quomodo vir tanquam caput debet præcedere virtute, & exemplo uxorem inito jam matrimonio: & ſi ab ea caſtitatem pietatemque requirit, oportere ut illam prius in ſe exprimat. *Cum tu caput*, inquit, *uxoris ſis, præcedat te ad Deum, & ſic vis domum tuam, capite deorſum pendere: Caput enim mulieris, vir eſt, ubi autem melius vivit mulier quam vir, capita deorſum pendet domus.*

Aug ſer. de verbis Dom.

S. Aug. de 10. chordis

DE REMEDIIS INFAUSTI MATRIMONII.

Remedia infauſti Matrimonii. Non de ſponſas odeo animum.

QUæritur *quid remedii, ſi quis imprudenter matrimonio ſe ingeſſit, vel non vocatus, vel certe in delectu perſonæ erraverit, odioſam, perverſi moris & humoris conjugem ſortitus?*

Reſpondeo non ideo debere nimium cruciari, aut animum deſpondere, quia Deus in quolibet ſtatu à ſe inſtituto, non deſerit hominem, ſed dat gratiam ſufficientem, ſtatui congruam, ut in eo recte vivere poſſit ſi velit. Hoc ſpectat ad ordinatam Dei providentiam, ut cum noluerit ſtatum certum præſcribere ſingulis, ſed electionem hominis arbitrio relinquerit, cum non deſerat, ubi is elegerit, quinimo gratiam ſi ſtatui neceſſariam tribuat. An Deus decrit in neceſſariis? an non vult omnes homines in quovis ſtatu ſalvos fieri? Suppeditat ergo media & gratiam ad ſuperandam omnia impedimenta. Id vero maxime oportuit fieri in ſtatu cui perpetuitas & inſolubilitas eſt annexa. Dicit Sapiens: *Creavit ut eſſent omnia, mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum, ſanabiles fecit nationes orbis terrarum, & non eſt in illis medicamentum exterminii, nec inferorum regnum in terra.* Quaſi dicat: Neminem vult perire, dat omnibus gratiam ut ſanentur: medicamento exterminante, hoc eſt, pharmaco pernicioſo peccati, neminem optat interimere, aut ad inferos deſcendere. Certe videretur quoddam inferorum regnum in terra Deus reliquiſſe, ſi poſtquam homo infæliciter matrimonium elegit, non haberet gratiam ſufficientem, ut in illo recte vivere poſſit, ideoque animum deſpondere neceſſe foret. Itaque cum male elegit voluptate aut commodo terreno impellente, varia ſe poteſt ſolari conſideratione. Sap. 1. 13.

Varia ſe ſolatur conſideratione.

Primo, conſideret tribulationes & implexas difficultates, quibus ſe comperit involutum, à Deo vel immitti vel permitti in pœnam tranſactæ imprudentiæ. Hæc eſt penſio quam ob intentionem voluptariam vel terrenam, à conjugali vita exigit Deus. Hoc eſt fel, quod melli noſtro, vel aqua quam vino admiſcet, juſta ſua providentia, quia ſortes hominum regit, & ſuo temperat arbitrio.

Secundo, approbet hanc juſtam providentiam præteritam carcitatem ſic caſtigantem, offeratque ſe illi ſupplex, gratiam petens, ut patienter in ſatisfactionem peccatorum tolerare poſſit omnia incommoda.

Tertio, petat auxilium efficax, quo inter tot ſpinas illæſus, quaſi divina gratia calceatus, pertranſeat. Potens eſt enim Deus de tribulis uvas, de ſpinis flores, de infœlici lolio frugem producere, & mala noſtra in bonum convertere. Potens eſt gratiam nobis impertiri, ut poſſimus *mel de petra oleumque de ſaxo duriſſimo ſugere*: quod fit dum de matrimonialibus anguſtiis cor lancinantibus, patientiam & humilitatem aliqui diſcunt. Ad illum ergo cum fiducia recurrendum eſt, qui immiſſo ligno dulcoravit aquas amaras pro Hebræis, & aquas fœtentes ſale ſalubres reddidit per Elizæum, aquamque in vinum in nuptiis tranſtulit per ſeipſum.

Quarto, conſideret ſe quidem conjugis vitia moreſque pravos poſſe odio habere, at perſonam quatenus ſibi vinculo Chriſti conjuncta eſt amare debere, omnique modo ſatagere, ut poſſit eam Chriſto lucrifacere. Sic monet Chryſoſto. Si maritum diligis, quia bonus eſt, benignus, facilis, quam ſperas mercedem? At ſi iracundus eſt, difficilis, turbulentus, & diligis, coronam in cœlo tibi comparas, quia non niſi propter Deum diligis. Sic Chriſtus onera & peccata Eccleſiæ ſponſæ ſuæ, pari- Chryſ. homil. 26. in 1. Cor.

enter tulit & ſanguine ſuo expiavit. Reſtè Varro: *Vitium conjugis aut tollendum eſt, aut ferendum. Qui tollit; commodiorem conjugem præſtat. Qui fert ipſum efficit meliorem.* Lepide Socrates, qui cum rixoſam uxorem Xantippem nactus foret, ita ut illo ſtudente menſam everteret, & jurgia concitaret, cum interrogaretur quomodo illam perferret? Reſpondit: *Quo ovis veſci vult, glociantium gallinarum ſtrepitu offendi non debet.* Et ſapienter adjecit: *Equidem ſic domi patientiam diſco, ut foris molius exercere queam.* Sic cogitet Chriſtianus ſe habere domeſticum patientiæ exercitium, ut & alia ferre poſſit & ſuperare: ſe habere domi Crucem, quam foris quidam quærunt, hæc autem crux patientiam docere debet.

Varro in Méppæa, Socrates de quo Laertius in vita ejus.

Quinto, conſideret etiam in conjugiis ſanctorum ſpinas varias, mores diſſimiles & pravos alterius conjugis, aliaq; infauſta contigiſſe: & tantum abeſt, ut hæc in ſalutis diſpendium eis ceſſerint, quin potius ad ſegetem majoris perfectionis profecerint.

Job cum omni afflictione vallatus ingemiſceret, filiis orbatus, & rebus omnibus, corpore totus ulceribus conſpertus, ſola ei uxor relicta eſt, quæ cũ ſolatio eſſe deberet, deſpiciebat eum, & ad blaſphemandum Deum incitabat. Ad hoc veriſimiliter intacta à Satana illi relicta, ut ad peccatum impelleret. At ſpiritus illius, patientia, fiducia in Deum, magis enituit, dum eam ſanctis verbis corripuit.

Job. 2. 9.

S. Monica virum rigidum, moribuſque ſævum Patricium nacta fuit, qui & infidelis fuit. Conquerebantur apud eam aliæ Chriſtianæ mulieres, quod virorum contentionibus, injuriiſq; afflictarentur, mirari autem ſe quomodo pacifice cum viro & infideli & feroce cohabitaret. Quibus illa reſpondit: Mea ſorores, vos forte maritos ad rixas impellitis, moroſitate, & contumacia, ego marito ſæviente taceo, & diſſimulo, & animum precibus ad Deum ſundendis occupo, ſicque iracundiam ejus frango, & ut ſtabili fruamur concordia efficio: quin animum ejus ſic inflexi, ut mecum Chriſtum colere cœperit, ita & vos agite erga maritos.

De S. Monica refert S. Aug. l. 9: Confeſſ. c. 9.

S. Eliſabeth filia Petri Regis Aragoniæ & Conſtantiæ Reginæ, data fuit in connubium Dionyſio Regi Portugalliæ, carnis vitiis mire dedito. Interim ipſa tanta prudentia & ſanctitate converſata eſt cũ illo, ut omnes in admirationem raperet, qui diſſolutiſſimam vitam mariti agnoſcebant. Hos ſolum eam angebat, quod adeo gravibus offenſis, toties Deus offenderetur: unde continuas fundebat preces, ut lucem pœnitentiamque Deus illi infunderet, qua è profunda & cæca abyſſo tandem emergeret. Ulterius præcipiebat, ut illegitimi omnes filij illius ſibi adducerentur, quos nutricibus tradebat, & cõmendabat, de omnibus providebat, nutriceſque muneribus donabat. Hæc tanta patientia, prudentia, charitate, ſic tandem mariti animum evicit, ut fidem conjugalem poſtea conſervarit.

Dè S. Eliſabeth. Regina Portugalliæ V. appendicem ad Brevi. 4 Julij.

LECTIO IV.

DE DISPOSITIONE AD MATRIMONIUM.

1. *Docet oportere accedentẽ eſſe in gratiæ ſtatu.*
2. *Oportere rectam eſſe ejus intentionem.*
3. *Operibus pietatis ſeſe debere diſponere.*

PROPOSITIO I.

Accedens ad Matrimonium, debet eſſe in ſtatu gratiæ.

RAtio eſt, quia Matrimonium eſt Sacramentum, ad augmentum ſanctificationis pro conjugibus inſtitutum: indigne igitur cenſetur accedere, qui in ſtatu peccati mort. exiſtit, effectuique illius, & benedictioni obicem ponens, novo ſe peccato obſtringit. Præmittenda igitur eſt vel confeſſio, vel contritio, ne injuria fiat ſanctitati Sacramenti, conſpurcata conſcientia illud ſuſcipiendo. Sed & ex eo capite peccatum aggravatur, quod conjuges non ſolum ſinc ſuſcipientes, verum etiam Miniſtri Sacramenti: ideoq; duplici ratione gratiæ ſtatum non debent negligere, tum ut dignè ſuſcipiant, tum ut digne miniſtrent. Dixi *Aggravari peccatum*, nam Doctores Scholaſtici centent non eſſe novum mortale peccatum, ratione miniſterii: quia ad illud non ſunt ſpecialiter conjuges conſecrati, ideoque ſpecialem obligationem miniſtrandi in gratia non habent, qualem Sacerdotes & miniſtri aliorum Sacramentorum in ordinatione ſuſcipiunt. Nemo tamen negat, ex parte indignæ ſuſceptionis illos mortale peccatum incurrere, ſicut in aliis Sacramentis.

Hinc collige originem tot malorum & ſcelerum in conjugiis: quia nimirum conjuges Sacramenti ſanctitatem gratiamq; vel negligunt, vel ignorant, ideoq; ad eam nullatenus ſe præparant. Quot irruunt paſſim poſt impudicitias & fœditates, inter ſponſos & ſponſas non infrequentes, quas pudor verat confeſſione expiare? Quot, poſt fraudulentas promiſſiones, & pernicioſa mendacia in contractu matrimoniali ingeſta, ut voto quacunque via potirentur? Quot, poſt juramenta illicita, poſt ebrietates & commeſſationes etiã mortiferas, vel alia peccata? Pauci attendunt ſanctitatem Sacramenti, nec alia diſpoſitione ad contractum nundinarum, ad convivia profanaſque ſolemnitates prorumpunt. Si monitiſunt de confeſſione & communione, illam pluribus diebus ante præmittunt, & quidem perfunctorie, ut reliquos dies non conſcientiæ & Deo ſed negotiis & curis uxoris immergant, interim adrepentia gravia peccata negligunt. An mirum ſi aliqui infælicia nanciſcantur conjugia, dum peccata peccatis adiiciunt, laqueum laqueo commutant, conſcientiam & felicitatem conjugalem præfocant

V. dictal. 3. in 1. Præcepto decal.

focant? An mirum si quandoque maleficia & ligamenta in illis satanica potestate locum reperiant, cum in gratiæ statu non existant? De his maleficiis, vide quæ dixi super 1 præcepto Decal.

D. S. Cæcilia.

Noverat B Cæcilia sanctitatem Sacramenti, quæ cum à parentibus Valeriano desponderetur, tribus ante nuptias diebus, jejunabat, sub byssina veste cilicium gerebat, orationi continuo vacabat, negotium illud Domino supplex commendans. Hæc erat ejus præparatio. Ac dum alii lætitiæ profanæ vacabant, ipsa musicos sonos, organorumque dulcisonam melodiam ad Deum referebat, & in corde suo suavius melos Domino promebat, psallens spiritu, psallens & mente: *Fiat cor & corpus meum immaculatum, ut non confundar.* Sic meruit à Deo gratiam impetrare spontum convertendi, & integritatem cum nuptiis conservandi.

Propositio II.

Accedens ad matrimonium, debet habere rectam intentionem finis, ad quem illud institutum est.

1. *Mutuum auxilium.*

TRiplex autem finis potest intendi. Primò mutuum auxilium. Habet enim homo inclinationem naturalem ad vivendum socialiter, ut ex mutuo auxilio, & ope, facilius vitæ hujus incommoda possit tolerare, & labentis sæculi tumultuantes undas transvadare. Nam & ad hunc finem matrimonium institutum est, ut homini sit solatium, tum

Gen. 2. 18. solicitudinis tum sollicitudinis: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium.* Qua in re adjutorium? Ad prolis propagationem, ad familiæ gubernationem, ad curarum, laborum, dolorum, levamen, cæteraque vitæ necessitates. Ad id mire juvat insolubilis associatio, quam nulla superveniens infelicitas, non morbus, non exilium, non paupertas, sed sola mors dissolvit. Sic etiam intellexere gentiles apud quos laudatur Theogena uxor Agathoclis Regis Siciliæ, quæ ab ægro marito nullo modo se divelli passa est, dicebat enim: *Nubendo non solum prospera fortuna, sed & adversa societatem inivi, quare nec in vita spiritum meum periculo empturam fum, ut viri spiritum extremos excipiam.* Sed & sexus diversitas admodum utilis est ad mutuum solatium & opem, ob propria munia à natura sibi indita. Nam ex habitudine naturali ad aliud apta est mulier, ad aliud vir. Mulier domum regit; familiam alit, proles benigne educat, digiti ejus apprehendunt fusum, ancillis partitur officia, multaque alia peragit viris incongrua. Vir verò negotia gravia peragit, ad negotiationes procedit, providet familiæ, eamque tuetur contra incursantes. Hunc ergo finem societatis & auxilii licite & meritoriè potest quis intendere, ordinando omnia ad finem supernaturalem, ad quem maxime opem sibi debent ferre in idem jugum juncti, ut se perducant ad eandem metam supernam. Hunc licitum est matrimo-

Sabell. l. 8. Enn. 4.

nium, licet spes prolis non fuerit, ut patet in sterilibus, & matrimonio senum.

2. *Prolis procreatio.*

Secundò, & principaliter matrimonium iniri potest ad procreationem prolis, inest enim homini naturale desiderium propagandæ speciei. Ut verò sit meritoria hæc intentio, debet intendi prolis generatio, ut instruatur in fide, pietate, timore Dei, sicque benedictionem divinam possit participare, non tantum temporalem, sed & æternam; ut per filiorum multiplicationem, Filii Dei multiplicentur, & electorum numerus adimpleatur. Hæc est enim prima ratio instituti matrimonii, & teste Augustino, Aug. l. 1. de nupt. fis c. 4. hoc est potissimum matrimonii bonum, ut parentes filios suos ex membris primi hominis, transferant in membra Christi. Non ergo primaria intentio debet esse, ut hæredem domui relinquant (quo carens Abraham dolebat, dicens: *Vernaculus meus erit hæres meus*) sed ut æternorum bonorum hæredes sibi acquirant, proles à Deo dilectas & electas, ideo Patriarchis promisit Deus proles multiplicandas, ut stellas cœli, indicans parum esse quod filios producturi sint terræ, sæculoque labenti; nisi & illi in cœlum elevandi sint, ut fulgeant sicut stellæ in perpetuas æternitates, lucis cœlestis & æternæ consortes. Hæc etiam intentio edocetur Tobias ab Angelo: *Accipies Virginem cum timore Domini, amore filiorũ magis quàm libidine ductus, ut in semine Abrahæ, benedictionem in filiis consequaris.* Unde postea orabat Tobias: *Domine Deus Patrorum nostrorum, benedicant te cœli & terra, & omnes creaturæ tuæ: Tu fecisti Adam de limo terræ, dedistique illi adjutorium Evam. Et nunc Domine tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum.* Tob. 6. 22. Idem 8. 7.

3. *In remedium concupiscentiæ.*

Tertiò iniri potest matrimonium in remedium concupiscentiæ. Cum enim homo privatus originali justitia, multos fluctus patiatur à carne, quibus aliqui valde difficulter possunt resistere, in remedium morbi hujus, matrimonium est ordinatum. Unde Apost. dicit infirmis: *Propter fornicationem, unusquisq; habeat uxorem suam.* Et 1 ad Timotheũ 5. *Volo juniores nubere, filios procreare matres familias esse, nullam occasionem adversario dare maledicti gratia.* Nempe Apostolus offert illis nuptias, in remedium incontinentiæ, quia aliquæ illarum jam incontinentia sua scandalum suscitarant. Quod indicat subjiciens *Iam quædam conversæ sunt retro Satanam*, ita ut non tam stantibus coronam, quam jacentibus manum porrigat auxiliarem Apostolus. 1. Cor. 7. 2. 1. Tim. 5. 14. Ib. v. 13.

Hæc igitur sunt principales rationes, quas debent intendere qui volunt matrimonium inire, & pie in illo vivere, omnesque sunt ex Christi institutione. Nam & de postrema dicit D. Greg. *Qui tentationum procellas cum difficultate toleravit, conjugii portum petant, sine culpa enim ad conjugium veniunt, si meliora non voverunt.* Possunt & accedere aliæ rationes; sed secundario, non principaliter, verbi gratia, honorabilitas conjugii, nobi- S. Greg. lib. 12. moral.

Digitized by Google

nobilitas prudentia, gratia, modeſtia, indoles bona, morum paritas, pulchritudo: propter quas rationes inducitur quis ſecundario ad matrimonium cum aliqua perſona ineundum ſine peccato. Hæc enim non ſunt repugnantia fini matrimonii, ut patet in Jacob, qui Liæ prætulit Rachaelem, ob pulchritudinem.

PROPOSITIO III.

Qui matrimonium init, debet inſiſtere bonis operibus, pietatiſque exercitijs, ut gratiam Dei adducat, quæ matrimonii & auſpex & præſes eſt.

OLim gentiles in ſuis nuptijs, laudibus & hymnis advocabant Hymenæum, ut conjugio benediceret: exiſtimabant enim eum eſſe Deum nuptiarum Præſidem: Depingebant vero tanquam juvenem ſpecioſum. *Corona ex floribus odoriferis redimitum:* & gerebat in una manu *facem ardentem*, in ſiniſtra *velum ſericum pallidi coloris* ab Antiquis *flammeum* vocatum, quia Flaminum uxores illo caput ornabant. Pedes etiam habebat calceatos *calceis pallidi coloris*, quod genus calceorum proprium erat feminarum. Cur coronam ex floribus gerit, niſi in ſignum læti & feſtivi animi; Sed cum talis corona facile marceſcat, per illam ſignificabant conjugij corporisque voluptatem non diu perdurare. Dicunt & *Myrrha ſolita admixta fuiſſe*, quia voluptati conjugali amaritudo ſeſe ſolet inſpergere: quam vis & per Myrrham incorruptionem corporibus impertientem, perpetuum matrimonij vinculum, quod incorruptum debet permanere, potuerit deſignari. Dicit vero Plutarchus agens de præceptis connubialibus in Boetia moris fuiſſe aſparagis ſponſam coronari, ut ſignificaretur ei, citius quam aſparagi coquuntur, triſtitiam quam ex paternæ domus diſceſſu conceperat, abolendam; eſt enim aſparagus facillimæ concoctionis. Cur vero facem accenſam gerit? Quia olim nocte ſponſa in ſponſi domum traducebatur ob verecundiam adhuc recentem. Imo in tenebris viri thalamum adibant: unde deceptus in tenebris fuit Jacob, putans Rachelem, cum Lia foret; dicit vero Plutarchus præfixum fuiſſe numerum facularum, nec potuiſſe plures eſſe quam quinque, varias illius numeri aſſerens rationes. Significabat porro fax ardens in manu Hymenæi, in nocte adverſitatis affectum conjugalem nunquam extinguendum & fidelitatem continuo ardere debere. Cur etiam in ſiniſtra velum gerit, niſi ut ſubjectionem perpetuam, quam ſponſa ſponſo ſe habituram profitetur, denoret? Denique, cur pallidi calcei, niſi ad ſignificandam clauſuram à ſponſa ſervandam? Calceis enim pallidis per calles vagari indecorum. Hunc itaque Deum ſuum variis laudibus, & hymnis ſibi optabant propitium, unde & Hymni nomen derivatum eſt: Hymnus enim quaſi Hymeneus cantus.

Pictura Hymenæi Catull. in Epithal.

Plutarchus de præcept. connub.

Sed procul figmenta Gentilium, procul fictitii factitijque Dei, excluſi ſunt veniente veritate, & velut veſpertiliones tenebris immerſi, veniente luce. Nuptiarum ergo Deus & verus Hymenæus Chriſtus eſt, qui primum divinitatis ſignum à nuptijs auſpicatur, aquam in vinum convertens, in ſymbolum benedictionis Chriſtianorum nuptiis impertiendæ, per quam aqua carnalis concupiſcentiæ in amorem ſupernaturalem verteretur, quo conjuges ſe amarent, ut ipſe Eccleſiam ſponſam ſuam, ut ſupra dictum eſt. Advocandus ergo eſt ille, qui ſinum ſpirituale connubium, & amorem, quem ſponſæ defert, voluit eſſe exemplar, ſpeculum, prototypum omnium Matrimoniorum, ut cætera illius ſignificationem contineant, & imitationem præ ſe ferant. Ipſe in finem uſque ſæculi facrat connubia Præſes & Auſpex. Ubi adeſt, omnia felica; ubi abeſt, omnia infauſta. Ubi adeſt, dæmonium nullam habet poteſtatem; ubi abeſt Aſmodæus accipit poſſeſſionem, ut luxuriantem ex ſeſe naturam in ſæda & indecora conjugia propellat. Ubi adeſt, thorus eſt immaculatus, & per omnia honorabile connubium; ubi abeſt, zelotypia, æmulatio, diſcordia, aliaque vitia vel irrepunt, vel irrumpunt. Ubi adeſt, vinum non deeſt, gratia & amor quo onera matrimonij leviter ferantur; ubi abeſt, fæces ſolum manent, & amaritudo mixta cum aqua carnalis concupiſcentiæ diſſluente. Denique ubi adeſt, inter matrimonij ſpinas etiam flores producit, flores bonorum deſideriorum, ſanctorum operum ac meritorum, ex quibus æternæ gloriæ coronas licet contexere; ubi abeſt, non niſi coronas infælices pungentium ſpinarum, aut gementum curarum, ingentium malorum, eſt reperire. Vis uno verbo complectar? ubi adeſt, nuptiæ habent ſpeciem & initium Paradiſi; ubi abeſt, inferni. Veniat ergo Jeſus oratione, & prævijs operibus & ſanctis adductus, ut conjugio fœlicitatem & fœcunditatem impertiatur. Procul Venus & Cupido, procul & Juno, quam Pronubam dixere Gentiles, fa-liciſque connubij conciliatricem: loco illius adſit Maria Virgo, & Sponſa, Virginum & Sponſarum primicerii & Tutelaris Diva. Non niſi per illam impetratur nuptijs vinum pro aqua, non niſi ejus interceſſione conjugibus adeſt amor ſanctus & gratia. Advocentur & diſcipuli, quos Dominus ſecum adduxit. Hi enim ſunt optimi teſtes, hi ſunt amici cœleſtis Sponſi, qui gaudio gaudent propter vocem ejus, favoremque ipſius nobis conciliant. Advocetur & Angelus tanquam Paranymphus, qui Eliezer famulum Abrahæ eſt comitatus, ut Iſaaco deſponſaretur Rebecca: & Tobiam deducit ut relegato dæmonio in deſertum, ab illo acciperetur uxor Sara incorrupta. Hos omnes invocat Eccl. cujus eſt oratio illa. *Domine Jeſu Chriſte Fili Dei, & B. Virginis Maria, qui in Paradiſo Matrimonium inſtituiſti in officium, & pro nobis homo factus etiã in Sacramentum; tua præſentia, ac miraculorum primitijs dignaretur illuſtrare, Tu per merita & preces Virginis*

Chriſtus verus Hymenæus & nuptiarum præſes & auſpex.

Sacrificiale Romanum.

Digitized by Google

Virginis Mariæ & omnium Sanctorum, hos quos sacro matrimonii conjunxisti, benedicere digneris, & liberare ab omni ligamento, scelere, & maleficio Sathanæ, & dare eis fœcunditatem, & gratiam, qua libere possint uti matrimonio ad generandum, concipiendum, gestandum, pariendum, & fovendum prolem gratam Deo & hominibus, in nomine Patris & filij & Spiritus Sancti.

LECTIO V.

DE CÆREMONIIS MATRIMONII.

1. *Agit de previis Matrimonii interrogationibus*
2. *Agit de cæremoniis adhibitis in Sacramẽto isto*
3. *De Benedictione Matrimoniali.*
4. *De convivijs nuptialibus.*

PROPOSITIO I.

De previis matrimonij interrogationibus.

1. *De voto castitatis.*

PRIMO interrogantur, *an Castitatis votum non emiserint;* Licet enim votum simplex non irritet matrimonium, facit tamen illicitum; ita ut post votum contrahens peccati mort. reatum incurrat, nec debitum possit exigere à conjuge, sine Episcopi dispensatione. Meritò verò hæc interrogatio præmittitur, quia experientia docet, adolescentes quod impietatis & ætatis indiscreto fervore, ad castitatis vota prosilire; & postea cum sit illis mobilis cum ætate animus, conjugij occasione arridente, sæculique illecebra illectante, vota negligere, fidem Deo fallere. Frustrà vero excusationes quærunt tunc, ob ætatem immaturam, ob indiscretionem & imprudentiam, quod nexum tanti vinculi non ponderarint, nec difficultates secuturas præviderint; quia sacri Doctores non plus exigunt ætatis & maturitatis ad obligandum se Deo per votum, quam Dæmoni per mort. peccatum, vel Deo per actum meritorium. Ut de elegantèr Ambrosius: *Non miveris in adolescentulis castitatis professionem, cum legis imparvulis passionem. Nam & scriptum est de his: Adolescentula dilexerunt te nimis.* De nubentibus igitur post votum, andi Apostol. *Habent damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt,* quia scilicet per votum, fecerunt cum Christo pactum, fidem illi dantes, nunc contra illam cum marito pacisci volunt, Christique fœdus dissolvere. Addit Apostolus, *tam conversæ sunt retrò satanam,* quia relicto illo cui se per continentiam desponderant, sequuntur Dæmonem libidinis incentorem ad incestas nuptias invitantem. Et quidem aliquæ ut sibi ad illas viam sternant prius luxuriantur cum sponsis quos ambiunt, & hoc vocat Apostolus, *Luxuriari in Christo,* hoc est, in iniuriam Christi. Consonat Apostolo Augustinus disertè pronuncians: *In illis quæ voverunt castitatem, non solum capessere nuptias, sed & nubere velle, damnabile est.*

Aug. de adult. conjug. c. 24.

Licet verò juvencularum vota in sæculo non reprobemus, si seriò se probent. (Non ætas reticitur florentior, ubi morum est senecta, Theclam non senectus, sed virtus probavit, inquit Ambrosius) Multarum tamen inconstantia etiam post plures castitatis annos comperta, indicat frequentius suadendum, ut aut virum, aut murum eligant, ut se claustris recludant aut nubant, quia ob sexus infirmitatem multis periculosum est inter consortia & illecebras mundi vovere Castitatem. Hinc illud consilium Apostoli ad adolescentiores viduas, quibus ob habitum conjugij difficilior est continentia: *Volo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia* Quasi dicat: Consulo illis ob periculum otiandi, vagandi, impunè vivendi, ut juvenilis inconstantia conjugij jugo adstringatur, sic curis domesticis occupentur, ne cuipiam detur occasio scandali & maledicti contra eos qui ad castitatis votum sic inconstantes velint adducere.

S Ambr.

1. Tim. 5. 14.

Ex his omnibus consulitur Confessarijs, ut juvenculas quæ domi debent degere inter suos, non facile permittant edere vota perpetuæ castitatis, ne postea sint in laqueum: nihil tamen vetat, ut de mense in mensem, aut de anno in annum, concedant ad probationem.

2. *De fide alteri data.*

Secundo interrogantur, *an alteri fidem non dederint?* Quia qui sciens volensque alteri spopondit, obligatus est vinculo oris sui, teneturque implere promissum, nec sine perfidia mortali potest recedere nisi in casibus à jure permissis, de quibus vide Navarrum c. 22. Imò si quis fidem Matrimonij alicui dederit, non tamen juramento firmarit si postea alteri fidem juret, tenetur priori: quia juramentum posterius cadit in materiam indebitam, & illicitum est, nec ligat. Interim parvi pendunt cæci juvenes fidem etiam juratam, sufficit promissione ad turpia puellas illectare & defiorare, postea deserunt & despiciunt, cum illarum dedecore, lachrymisque parentum: sicut Ammon cùm violasset Thamar, despexit, *& exosam eam habuit.* Hoc vero Deus permittit in pœnam levitatis puellaris, ut discant serpenti per os eorum sibilanti non credere, ne instar Evæ decipiantur fallaci promissione? & ut discant se matrimonio integras conservare. Sic exemplum alijs eas exhibet Deus, quomodò & Dinam violatam ob nimiam levitatem & curiositatem, quia voluit excurrere, ut videret filios & filias regionis alienæ. Sed & ex parte puellarum falsa hæc fides non deest, quæ illaqueant juvenes ad suam sequelam, alliciuntque ad graves expensas fallaci promissione; postea si opulentior occurrerit conditio, eam captant, non obstante fide & juramento, sed non sine animæ periculo.

Navar. cap. 22. V. Parochiale Leod.

2. Reg. 13. 15.

Digitized by Google

Delrio lib 3 disq. mag. q. 7. sect. 2.

Audi exemplum memorabile. In Saxonia virgo opulenta formoso juveni at tenuioris fortunæ matrimonium promisit, dirisque se devoverat, dicens: *Si alteri nupsero, damon me in illis nuptiis abripiat.* Post intervallum, animum mutans alteri nubit, non obstante quod prior eam promissi & imprecationis admoneret. Ipso nuptiali die omnibus convivis ad hilaritatem se excitantibus, ipsa tristior ut solitò urgente conscientia. Tandem duo dæmones sub specie equitum adveniunt, & in ædes nuptiales mensamque adducuntur, deinde ad choreas. Uni ex illis honoris causa quasi extraneo, sponsa ducenda jungitur; cum ea aliquoties tripudiat, deinde sublime effert, in conspectu parentum & amicorum, cum eorum ejulatu. Altero die amici mœsti sponsam quærunt, ut fortè delapsam sepelant: & ecce iidem occurrunt, vestes & aurum referentes dicentesque: Non in has res, sed in sponsam nobis à Deo potestas est concessa. Ita Delrio.

3. De Parentum consensu.

Tertiò interrogantur, *an adsit parentum consensus?* Ratio est, quia parentum est, prolibus providere & consulere in hoc gravi negotio. Nam & ratio naturalis docet, debere parentes de statu prolis satagere, illisque obtemperandum esse, & consilio illorum utendum hac in re. Scriptura veteris & novæ legis, hanc curam delegat parentibus. 2. Cor. 7. 38. Apostolus: *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, &c.* Eccl. 7. 26. Ecclesiasticus verò: *Filia tibi sunt, serva corpus illarum, & non ostendas faciem hilarem ad illas. Trade filiam, & grande opus feceris. Homini sensato da illam.* Gen. 24. 4. Hinc Abraham ubi nubilem Isaac attigit ætatem, mittit fidelem domus suæ Oeconomum Eliezer, ut illi despondeat uxorem. Et laudatur Isaac tanquam filius obediens, quod totam hanc curam Patri defert: nihil disputat quod è longinquo adducatur, cum non deesset quam posset eligere, è multis quas suis oculis lustrarat. Non etiam contendit ipse proficisci, ut eligat, sed patris directioni, & illius qui mittebatur fidelitati, se committit. Ideò ut obedientiæ exemplar illum proponit S. Ambrosius, laudans illud puellæ apud Euripidem responsum: *Sponsalium quidem meorum Pater curam subiit, hoc enim mei est mentis.* Amb. lib. de Abraham.

Sic Catullus in Epithalamio, alloquens puellam ut assentiatur voluntati parentum, dicit lepidè:

Virginitas non tota tua est, ex parte parentum est.
Tertia pars Matri data, pars data tertia Patri.
Tertia sola tua est, noli pugnare duobus.
Qui genero sua jura, simul cum dote dederunt.

Itaque invitis parentibus contrahere, ordinariè est grave peccatum, ob irreverentiam & injuriam patriæ potestatis. Graviter Esau offendit & contristavit parentes, duas sine eorum assensu ducens uxores. Et infœliciter cedere solet filiis hac in re in pœnam peccati. Aliud est cum quis religionem ingreditur: quia tunc non tam cum parentibus (qui solent obicem injicere) quam cum Deo consulendum. Si vocat oriens, nòn attendas ad occidentem; si vocat magni consilii Angelus, noli aliena consilia præstolari: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*, tu viam vitæ ingredere. Sufficit verò parentum consensus interpretativus. Sic Tobias absens duxit uxorem, & Jacob peregrinus apud Laban. Si verò non adsit consensus, ratum tamen est matrimonium; ut definit Trid. sess. 24. c. 1. quia illorum consensus etiam jure naturæ sufficit, quorum est onera matrimonii ferre: hoc autem non parentum est, sed conjugum; & licet peccent contra obedientiam, dum de matrimonio decernunt, de re tamen sua non de aliena disponunt. Matth. 22. Trid. sess. 24. c. 1.

Gravissimè verò monendi sunt parentes, ne metu gravi, minis, verberibus, in electione status cum prohibus agant. Nec ad nuptias cogant, qua statum eligunt castitatis, nili Dei iram vindicem in se velint accersere, neque ad castitatem importunè urgeant, quæ nubere volunt. Exinde enim in Religione & claustris tot infausta, tot scandala & apostasiæ, quia plures irrepunt non à Deo vocati; sed à parentibus intrusi, ut spem hæreditatis amplioris aliis prolibus parent, aut cæco alio affectu. Denique si connubia eligant, non ad placita sibi prolibus autem ingrata impellant: quia magna opus est libertate, cum de vinculo insolubili agitur, & ad tot onera ferenda opus spontaneo amore; nec tam uxor, quam hostis dicenda est, quæ invita nuptui datur. Eheu! quot malorum origo est parentum importuna potestas, & malesuada voluntas colligans filias cum exosis maritis!

Mihi contigit in variis locis hac de re casus lachrymis dignos audire. Quædam fuêre sunt, se per plures annos à maritis ita fuisse aversas, ut nec se attingi paterentur ad matrimonium consummandum: exponebant interim ees certo turpitudinis periculo. Quædam cum parentum voluntati non possent refragari, resolvebant secum: Si opus sit huic viro mihi exoso jungi, cogitatione alio perfruar. Sicque in congressu maritali ad alium affectum, cogitationemque convertebant. Cum quandam urgerem, an non interrogata fuisset à Ministro assistente, num in illum virum consentiret? An non saltem nunc afferuerit, se consentire? Respondit se verbo quidem asseruisse, mentem tamen, quantum in se erat, alio divertendo. Nec defuit, quæ tandem veneno maritum infecisse fassa est. Denique quam multæ hanc ob causam, adulterio matrimonia polluerunt? Sic discite, ô infausti parentes, non abuti patria potestate, liberos moroscè premendo, opprimendo, perimendo vosque ipsos, dum tot periculis salutem eorum exponitis quæ quidem in caput vestrum retorquentur.

* *
*

PRO-

Digitized by Google

Propositio II.

De Caremoniis adhibitis in Sacramento Matrimonij

1. *Stola dextra contrahentium colligantur.*

Ritus in hoc Sacramento 1. dextræ contrahentium junctæ sacra stola colligantur, in symbolum fidelitatis, & vinculi indolubilis, quo vi Sacramenti in Christo copulantur. Est Matrimonium indolubile ob unionem significatam Christi cum Ecclesia, per amorem & unionem hypostaticam in humanitate assumpta. Stola autem symbolum humanitatis Christi est, quam tanquam vestem & stolam sibi adstrinxit, & nos per illam, sic verò adstrinxit, ut nunquam dimiserit. Hanc significationem Matrimonio Christiano inferens, vult conjugum corpora animosque ita uniri, ut quamdiu spirant, non dividantur, dicens in illius institutione: *Quod Deus conjunxit, homo non separet* Hæc omnia stolæ colligatio mystice repræsentat Unde sic colligati, mutuum consensum exprimunt, & juramento solemni in præsentia Dei & Angelorum asserunt, per fidem quam Deo debent, per Baptismum quo in Christo regenerati sunt, per partem quam cum electis expectant, se mutuam fidelitatem tam cordis quam corporis, tota vita inviolabilem ad servaturos quocumque in statu: simulque auxilium, bonorum communicationem, protectionem, sibi compromittunt: quæ olim per Pallium quod vir supra conjugem extendebat, designabatur, ut colligitur Ruth 3. Utinam hujus juris jurandi sæpius conjuges meminerint. Utinam non se perjurij reos coram Deo sistant, & in caput suum damnationem accersant; dum opere vel corde mœchantur, vel desponsatas deserunt, repudiant, in desperationem & perditionem adigunt. Per hanc fidem data fit, ut *mulier potestatem corporis sui non habeat, sed vir; & vir potestatem corporis sui non habeat, sed mulier*, ut dixit Apostolus.

Matt. 19. 4.

V. formam in Parochiali.

Ruth. 3. 9.

1. Cor. 7. 4.

Hujus juramenti & potestatis sibi mutuò datæ per illud memores fuere vir ille & mulier, de quo in Prato Spirit. Mercator quidam naufragium passus omnium rerum suarum divina providentia incolumis evaserat. Ubi domum appulit, à creditoribus carceri traditur, omniaque ad uxoris usque vestes divenduntur. Hæc omni ope destituta mærebat, quod nec viro panem suppeditare posset. Cum quadam die in carcere mariti sortem deflereret, accessit dives quidam incarceratis eleemosynam largiturus, & mulieris specie captus est. Dicitque custodi, ut adducatur ad se. Venit illa eleemosynam sperans, narratque mariti infœlicem sortem. At ille. Vis hac nocte mihi jungi, eximam te angustiis, & creditoribus satisfaciam? Cui Mulier casta & fidelis: Domine intellexi Apostolum dicere: *Mulier corporis sui potestatem non habet, sed vir*, remitte me ad maritum, quod jusserit, paragam. Regressa narrat marito rem. At ille non se hac occasione abripi passus est. Aut ergo lachrymans dilectæ conjugi: Vade ô Soror, dic ei nos spem figere in Jesum, qui suos non deserit, mortemque potius obire nos paratos, quam eum offendere. Renunciat illa mariti responsum, rubore perfundens virum castitati suæ insidiantem. Nec verò Christus defuit spei illorum. Nam per id temporis latro etiam carcere detentus viri mulierisque colloquium audiens, compunctus in se dixit: Ecce hi pudicitiam Deumque pluris faciunt, quam pecuniam vitamque; At ego quid faciam, qui de Deo nunquam cogitavi, tot homicidiorum auctor? Vocat ergo eos, & dixit: Ego scio me ad mortem damnatum, audiensque pudicum vestrum consilium, compunctus sum: pergite ad talem locum, & fodite, pecuniam reperietis, ut debitum persolvatis, & orate ut ego inveniam misericordiam. Post paucos ergo dies latro neci datus est, & mulier pergens ad locum pecuniam repetit; & paulatim satisfaciebat creditoribus, ut existimarent pecuniam ab eo mutuò accipi. Hæc ibi.

2. *Annulus in quartum digitum sponsæ inseritur.*

2. Non solum dextræ conjunctæ colligantur, sed etiam in Sponsæ digitum annulus inseritur, ut hoc pignore sacro dilectione mutua sic corda jungantur & obligentur, ut nullus amori extraneo accessus detur, nullusque odio locus. Etenim & hujus rei symbolum est, quod quarto digito sinistræ manus annulus hic imponitur; quia & annularis digitus fidei, digitus cordis, nuncupatur. Tradant enim ab illo nervum quemdam tenuissimum, venamque sanguinis ad cor pertingere. Aulus Gellius, Macrobius, Plinius, Isidorus, & alij. Neque verò ro mos annulum exhibendi in nuptijs recens est, cum & apud Hebræos usitatus fuerit, Græcos, ac Romanos, apud quos cives utebantur aureo, libertini argenteo, servi ferreo, teste Isidoro. Neque solum in usu erat Signatorius aut Honorarius annulus, sed & maximè Sponsalis ac Pronubus. Apud Hebræos annuli usus colligitur ex multis scripturis. Nam Thamar dixit Judæ: *Patiar quod vis, si dederis mihi arrhabonem. Ait Judas, quid pro Arrhabone vis dari? Respondit annulum suum* Iterum cum de fabrica tabernaculi agitur, ad quam monilia, aurum, argentum, byssus afferebantur, inter cætera etiam annulos oblatos, testatur Scriptura Exod. 35 & Isaiæ. 2. minatur Dominus se ablaturos a filiabus populi sui monilia, mitras, discriminalia, Annulos. Inter Christianos verò jam ab initio usitatos annulos, testatur Clemens Alexandrinus, docetque quo signo Christianorum annuli forent sculpendi: *Sint nobis signacula, Columba, Piscis, vel Navis, qua celeri cursu à vento fertur, vel Lyra Musica, quam usus est Polycrates, vel Anchora, quam insculpebat Seleucus: & si sit piscans aliquis, meminerit Apostoli, & puerorum qui ex aqua extrahuntur. Neque idolorum imprimenda sunt facies, quibus vel solum attendere, prohibitum est; sed nec ensis, vel arcus, iis qui pacem prosequuntur, nec loculi, iis qui sunt inordinati & temperantes* Sed apud Christianos, teste Baronio, usus olim fuit, ut in annulo sponsali, sculperetur signum mu-

A. Gellius Macrobius, &c. Isidorus,

Ge. 38. 18

Exod 35. 22.

Isa. 3. 20.

Clemens Alexand.

Baron. ad an. 57.

Digitized by Google

tui fœderis & concordiæ, hoc est, *Dextra simul junctis*, quia post rectionem dexteræ, apud omnes ferè nationes fides sponderi solita est; & conjunctione manuum (ex qua efficitur numerus denarius) perfecta animarum contensio aptè exprimitur. Plura ea de re vide apud Baron. ad Christi annum 57.

S. Ursula Pronubum annulus Coloniæ adservatur.

Sed & annuli Pronubi usus satis ex eo probatur, quod adhuc aliqui sacri in Ecclesia habeantur. Nam Coloniæ reservatur annulus S. Ursulæ aureus opere simplici, quo eam sibi Conanus Gallo-Britanniæ Præfectus, nondum è paternis abductam latibus desponsarat, sed illa virginitatem amans, fugiensque sponsum, ex majori Britanniæ fœlici naufragio Coloniam appulit, cum Virginum cohortibus, ubi Christo fidem datam, conjugiumque per castitatem cum illo initum, sanguine suo sanxit.

B. Joach.

Annulus quoque quo S. Joachim Annam Mariæ Parentem sibi conjunxit, servatur Romæ apud Sanctimoniales S. Annæ; estque argenteus & rudis cum crystallina gemmula, maculis circumingentibus nigris, in medio pellucida, ex qua imago, veluti è speculo resilit, quo hebetes & caligantes oculos, quibus admoveri solet in Festo S. Annæ, plurimum juvari tradunt.

S. Josephi.

Servatur & Perusij in Italia, in templo S. Laurentij summa veneratione, & populorum concursu, annulus quo B. Joseph Mariam desponsavit, estque miraculis clarus, à Clusinis ad Perusinos divina providentia delatus. Historiam describit elegantèr Joannes Baptista Laurus Perusinus. Hunc annulum sæpius se spectasse mihi asseruit Clariss. I. U. D. Joannes Baptista de Ninis Illustrissimi D. P. Aloysij Carafæ Nuntij Apost. ad Germaniam, Auditor Generalis; sed non posse dignosci ex qua materia sit; non enim ex argento aut auro, sed ex lapilli alicujus genere est. Solent vero Matronæ conflatos ex ebore annulos, Perusium mittere, attactu illius consecrandos, in partu profuturos, de quo sic Baptista Laurus: *Ego quoque Romæ ab hinc quadriennio, Principum aliquot fœminarum rogatu, annulos ex ebore conflatos Perusium transmisi, curavique attactu nostri quasi divinam ex eo haustus indolem, consecrarive eo quod asserverent, partui propinquæ mulieres difficili nixu se exercentes, si hos annulos digito gestassent sublevari.* Annulus quoque iste sacratissimus Deiparæ, reconciliandis conjugum dissidentibus animis, mirè prodest; cujus rei gratia plures voto adstricti, se Perusium conferunt, & fructu domesticæ pacis fruuntur eliminata discordia. Denique multi à dæmonibus vexati & obsessi ad aram sacram, ubi hic annulus servatur, confugientes, liberati sunt.

Joann. Bapt. Laurus.

Nec hoc silendum, quod cum nobilis & regij sanguinis fœmina nomine Waldrada præcipiti pietate, dum ei gemma spectanda exhiberetur, manu eam accepisset, & digito annulari inseruisset, illum protinus digitum exarsisse in pœnam temeritatis. Quæ res in populi concursu contigit, dum adhuc Clusij existerent; nec mirum tibi videatur tantam in veneratione illum habere, quando quidem annulus ille pronubus, humanæ felicitati auspicium dederit: quo Mariahortus concluses, fons signatus, Porta Cœli, soli æterno Principi pervia fuit obsignata, & tradita Josepho virginitatis socio & consorti. De hoc annulo sic quondam lusisse fertur Urbanus Octavus, qui modo in sede Petri agit, dum adhuc S. R. E. Cardinalis foret: *Urbi.*

Imbriferis arcus fulgens in nubibus, Orbem,
Effera diluvij damna, timere vetat.
Sic Deus omnipotens voluit Deus annule, majus,
Est tibi quem supplex Virgo Perusina colit.
Is gemino constans arcu fœlicior index,
Nam peragit Virgo nupta salutis opus.
Virgines terræ conjungens fœdere Cœlum:
Hæc duce, non pelagi, non fugit unda necet.

Cæterum, cum Sponsus Sponsæ annulum tradat in digito cordis (ex quo nervulus in cor derivari anatomia Medicorum observavit) frequenter illum attendat Sponsa: oculumque mentis non debet, ab illo dimovere; sicut nec oculis corporis expositum, facilè oblivioni tradit. Meminerit ergo amoris cordatissimi, ad quem se obstrinxit, & illius aspectu resuscitet gratiam in conjugio datam, nec obliviscatur benedictionis illi annulo datæ, à Sacerdote Christum repræsentante, quæ sic habet: *Benedic Domine, hunc annulum, quem in tuo nomine benedicimus, ut quicumque eum portaverit, in tua pace consistat, & in tua voluntate permaneat, & in tuo amore vivat, crescat, & senescat & multiplicetur in longitudinem dierum.*

Propositio III.

De Benedictione Sacerdotali.

III. Benedictio Sacerdotalis.

Positis interrogationes, stolæ collegationem, annuli traditionem, mutui consensus expressionem, conjugibus benedictionem impertitur Sacerdos, in qua benedictione legi solet Psalm. 127. *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus, &c.* Qui quidem Psalmus, quoniam bona matrimonij insinuat, paulò latius à nobis explicandus est. *Ps. 127.*

Primo incipit: *Beati omnes qui timent Dominum*, quia initium omnis boni timor DOMINI est: *A timore tuo Domine, concepimus, & parturivimus spiritum salutis*, inquit Propheta. Timor autem ille sanctus in hoc elucescit, si sollicitè quis illi placere, illius se voluntati studeat conformare; & nihil ita vereatur, quàm in ejus offensam incurrere. Hoc nempe est jam esse in viis ejus ambulare, ejus mandata, consilia, inspirationes sequi, nec declinare à via regia justitiæ. Qui ergo timet Dominum, in viis ejus ambulat, & ideo beatus est initiali quadam beatitudine, nunc expectatione certa, postea possessione secura.

Secun-

Digitized by Google

Secundò addit: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es & bene tibi erit.* Ubi indicat hominem non ad otium creatum, sed ad laborem, sicut avis ad volatum inquit Job. Nam prima sen-
Gen.3.19. tentia ad id eum condemnat: *In sudore vultus tui vescêris pane tuo.* At huic labori Deus benedicit, abundantiam tribuens timentibus se, vel certè sufficientiam pro se, & liberis alendis. Non ergo debent hoc adscribere Patresfamilias soli suæ indu-
Ps.126.1. striæ, aut labori, sed maximè divinæ providentiæ & benedictioni. Etenim quidquid laboris & industriæ adhibeatur: *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.* Quid est ædificare domum? prolem, familiamque fœlicem conquirere. Nec enim domus hic tam pro loco mansionis, quam pro familia accipienda est. Sic
Exo.1.21. Exod.1. Deus dicitur ædificasse domos obstetricibus, eo quod peperciissent masculis Hebræorum; David quoque promittit ædificare domum, hoc
1.Paral.7. est, proiapiam amplam, & fœlicem. Frustra ergo quis adlaborat, ut prolem fecundam habeat, opesque illi provideat, nisi Dominus collaborarit. *Vanum est vobis ante lucem surgere, surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.* Vanum est Deo non juvante, surgere ad laborem, quo victum conquiratis; & licet valdè manè, post quam paululum sederitis, sive quieveritis, ad laborem redeatis, non vobis succedet, nisi Domino opitulante Vos ergo, *qui manducatis panem doloris*, qui cibum ærumnosum vescimini, edentes in tristitia panem magnis laboribus partum, confidite magis in Domino, ut labori manuum vestrarum benedicat. Hanc benedictionem promisit populo suo: *Si*
Deut.28.1. *mandata mea custodieris, venient super te benedictiones istæ, benedictus eris in civitate & benedictus in agro, benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructusque jumentorum tuorum.* Vide cætera Deut. 28. Quod si quandoque timentes Dominum has benedictiones non assequantur, sed non obstante quod labori insudent egestate torqueantur, compensat id Deus amplioribus donis spiritualibus & æternis. Unde si vix panem post laborem ad manducandum habent, certiùs præparat eis Deus panem, qui non deficit in regno Dei, eumque colligunt ibi de opere manuum suarum, de fructu meritorum, quæ hic seminarunt. Quapropter omnibus justis convenit illud in sensu spirituali:
Isa.3.10. *Labores manuum tuarum quia manducabis* & magis quod sequitur.

Beatus es, & benè tibi erit Beatus es in spe in præsenti, & benè tibi erit in re in futuro, in ampla illa operum tuorum remuneratione. Quo eodem sensu per Isaiam dicit Dominus: *Dicite justo quoniam benè fructum adinventionum suarum comedet: Væ impio in malum, retributio manuum ejus fiet ei.* Consolatoria admodum monitio ista est, ex ore Domini procedens & paucis multa complectens. An non rectè dicitur justo quod bene, rectèque impio væ nunciatur? Nihil enim justo nisi benè, nihil impio, nisi væ: quia justo omnia etiam mala cooperantur in bonum, impio bona quæ habet vertuntur in malum, cedunteque ei in damnationem. Si enim opes habet, si honore fulget, si fœlicitate fruitur his peccata accumulat, & væ sibi multiplicat: nec illi benè esse unquam dici potest, quia hæc à miseria pœnæ & culpæ non valent eum liberare. Sic nec ægro benè esse dicimus, licet opibus affluat, licet famulorum turba circumstet, licet honores omnes, diademata, sceptra, insulæ, deferantur pessima autem ægritudo est ægritudo peccati, quæ non sinit hominem benè esse, cùm & conscientia semper inquieta pavorem, & affectus pravi turbidam mentem ei ingenerent. Justo autem sine limitatione vult Dominus nunciari. *Quoniam bene* indicans omne genus boni humano cordi optabile ei dari, initialiter quidem in hac vita per spem & promissionem, consummativè in altera, per promissionis exhibitionem. Dicite ergo justo *quoniam benè*, quia benedicta hora, in qua natus est, benedicta vita benedicta mors, & quicquid illam sequitur dicite *quod benè* ei succedet, sive in laboribus, sive in quiete, sive in honoribus sive in ignominia, sive in copia, sive inopia. *Quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Annunciate ei omne bonum, sive ex parte animæ, sive ex parte corporis, sive ex parte Dei, sive ex parte hominum, sive ex parte hujus vitæ, sive ex parte futuræ. Licet enim per adversa ejus probetur patientia, tamen damna in lucrum, labores in meritum, certamina cedunt ei in coronam & præmium. Dicite ei *quoniam benè*, quia nomen ejus scriptum est in libro vitæ, illique præparatum est summum omnium bonorum, à mundi constitutione. Unde licet omnia elementa conspirent, licet totus infernus obluctetur, nihil trepidare debet: *Si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ.* Rom.8.2. E enim tuente sæculo dicitur justis: *Levate capita vestra quoniam appropinquat redemptio vestra.* Et cuilibet illorum dici potest: *Beatus es & bene tibi erit.*

Est & hoc advertendum, quod dum in benedictione conjugatorum dicitur: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es*, indicari his verbis eos debere hanc vitam transigere, non de laboribus alienis, sed de suis, non de hæreditate pauperis, aut pupilli, non de pane viduæ, aut impotentis resistere; sed de propria industria & cura. Felix qui quietè manducare potest panem suum sub ficu, & vite sua, hæc est Dei benedictio, dum nihil injustè possidet, non per fraudes, non per dolos & circumventiones, non per lites & exactiones. Significatur etiam hanc esse à Deo benedictionem, si non molestetur, aut inquietetur diffidiis, litibus, processibus exemptus ab illa maledictione: *Diripiant alieni labores illius, non sit illi adjutor,* Ps.108.11. *nec si quis misereatur pupillis ejus* Denique significatur, quod non debeat esse inquietus nimia sollicitudine, avaritia, cupiditate, ob quam vix

Digitized by Google

cibum neceſſariamque relaxationem audeat ſibi & familiæ indulgere, vel amicis frugaliter communicare. Etenim & hoc reprehenſibile eſt, dicente Eccleſiaſte: Eccl. 2. 22. *Quid proderit homini de universo labore & afflictione ſpiritus, qua ſub ſole cruciatus eſt? Cunctis diebus doloribus & ærumnis pleni ſunt, nec per noctem mente requieſcit, & hoc nonne vanitas eſt? Nonne melius eſt comedere & bibere, & oſtendere animæ ſuæ bona de laboribus ſuis? Et hoc de manu Dei eſt.* Itaque extrema hæc vitanda ſunt, vel nimia ſollicitudine, avaritiaque laborare, & terrenis bonis inhiare; vel otio etiam nimio marceſcere, nec commoda ad vitam hanc tranſigendam quærere: Eccl. 4. 5. *Stultus enim* inquit, *complicat manus ſuas, & comedit carnes ſuas, dicens: Melior eſt pugillus cum requie, quàm plena utraque manus cum labore & animi afflictione.*

Tertiò dicit: *Uxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.* Hoc eſt, ſicut vitis propagines ſuas diffundit per omnia latera domus, fructum ſuum proferens; ita & uxor tua filiis elegantibus & ſuavibus domum tuam replebit. Hæc enim benedictio Dei eſt, in matrimonio proles fœlices producere, & quaſi uvas multas ad maturitatem perducere. Ut ſicut vinum reficit, colore, odore, ſapore delectans; ita & filii bonæ converſationis odore & guſtu, parentum ætatem & ſenectam ſolentur. Rectè autem dicitur *uxor in lateribus domus* fructificare; illius enim eſt quietè domum incolere, prolium curam habere, non divagari, non otiari, ſed adjutorium eſſe viro in domeſtica gubernatione: & dum is externis negotiis ſe impendit, ut domui procuret neceſſaria, illius eſt fideliter omnia diſpenſare, non prodigè & inutiliter adminiſtrare: Prov. 31. 11. v. 27. *Confidit enim in ea cor viri ſui, reddet ei bonum, & non malum omnibus diebus vitæ ſuæ: Conſideravit ſemitas* (ſive ſtatum) *domus ſuæ & panem otioſa non comedit.* Unde *ſurrexerunt filii ejus, & beatiſſimam prædicaverunt, vir ejus & laudavit eam.* Quomodo autem Deus ſicut viti tribuit uvarum abundantiam, ita & timentibus ſe fœcunditatem filiorum ac nepotum, patet ex filiis Iſrael. Hi cum tantum 70 ingreſſi fuerint Ægyptum, poſt 215. annos quibus in Ægypto vixerunt, ita numero auctí ſunt, ut præter parvulos & uxores, ſexies centena millia peditum in egreſſu numerata ſint Exod. 12. Unde de illis dicitur Exodi cap. 1. Exod. 12. 37. & c. 14. *Erant igitur omnes, qui egreſſi ſunt è ſemore Iacob 70. Joſeph autem in Ægypto erat, quo mortuo & universis fratribus ejus, omnique cognatione illa filii Iſrael creverunt, & quaſi germinantes multiplicati ſunt, ac roborati nimis implevérunt terram*, terram ſcilicet Geſſen ſibi attributam. Sic manifeſtè adimpleta fuit multiplicatio ſeminis Abrahæ Gen. 13 & 15. promiſſa. Et quidem hæc fœcunditas potuit eſſe naturalis, quia naturaliter fieri potuit, ut omnes mulieres Hebrææ eſſent fœcundæ & ſingulis annis parerent: item ut maturè inciperent parere, & ſerò deſinerent, & ut Gen. 13. 2. & 15 5.

Hebræi tradunt, binas aliquando & ternas proles ſimul pareréntur, nam hoc in Ægypto non ita fuiſſe inſolitum, teſtis Ariſtoteles eſt lib. 7. animalium cap 4. Tamen hæc propagatio etiam providentiæ ſpeciali Dei, & benedictioni adſcribenda eſt, quandoquidem Hebræi ita creverint, non obſtante quod ſummis & continuis laboribus & afflictionibus tam animi quam corporis, opprimerentur; licet enim hæc oppreſſio fœcunditati contraria eſſet, tamen quanto magis opprimebantur, tanto magis creſcebant. Unde dicit Auguſtin. *Creverunt Hebræi, divinitus fœcundata eorum multiplicatione.* Ariſt. l. 7. animal. c. 4. Aug. l. 18. civ. c. 7.

Mirabilis certè fœcunditas in genus humanum provenit, ex prima illa benedictione Domini, *Creſcite & multiplicamini, &c.* Unde ex tribus Noe filiis 250 annis in tantum propagati ſunt homines, ut Diodorus Siculus docet Ninum (qui regnare cœpit ſub annum 250. à diluvio) eduxiſſe contra Bactrianos, peditum decies ſepties centena millia & equitum ducenta millia. Gen. 1. v. 28. & c. 9. v. 1. Diodor. lib. 3. c. 4.

Sed parum eſt filios producere, niſi benè moratos, ideò dicitur conjugii benedicti fructus, fore inſtar uvarum ſuavium: Mali enim filii ſunt uva acerba dentibus Patrum ſuorum, quibus obtupeſcunt & torquentur. De bonis autem filiis attende quod ſequitur.

Quartò ſubdit: *Filii tui ſicut novella olivarum in circuitu menſæ tuæ.* Hoc donum Dei eſt, circa ſe videre proles quaſi novas plantulas olivarum, ductiles, delectabiles, virentes, & bonæ ſpei; illaſque alere, irrigare, & ſi quid curvum ſit, erigere, manuducere, ut frondes, flores, fructuſque ſuaves parere tandem poſſint, olivas & oleum, hoc eſt, probos, pacificos, frugiferoſque mores, quibus parentes Deuſque oblectetur. Cum autem dicit filios hos *in circuitu menſæ* conſpici, indicat maritum qui benedictione matrimoniali frui vult, non debere frequentare ſympoſia, popinas, tabernas, ibique ſua prodigere: ſed potius panem ſuum cum pueris & uxore dividere, illas in circuitu menſæ alere, cum eis quandoque animum relaxare. Sic Job dicit: *Omnipotens erat mecum, & pueri mei in circuitu meo.*

Hæc quoque allegoricè Chriſto competunt, cujus uxor Eccleſia fœcunda eſt *quaſi vitis, quæ extendit palmites ſuos uſque ad mare: & uſque ad flumen propagines ſuas.* Filii ejus ſunt quaſi novellæ olivarum in circuitu menſæ, quam Sponſus ſuus inſtruxit, virtute cujus irrigantur, fœcundantur; ut abundans oleum bonorum operum, gratiæque pinguedinem per odoriferam converſationem poſſint producere.

Quintò denique cum repetens benedictiones jam dictas dixiſſet: *Ecce ſic benedicetur homo qui timet Dominum*, adjicit & hanc finalem: *Benedicat te Dominus ex Sion, ut videas bona Jeruſalem omnibus diebus vitæ tuæ. Et videas filios filiorum tuorum pacem ſuper Iſrael.* Quæ quidem benedictio, vel

vel terrena & temporalis, vel cœlestis spiritualis, & æterna intelligi potest. Temporalis quidem & terrena erit, hoc sensu: Ex cœlesti Sion Deus sic te benedicat, ut non solùm privatam familiæ fœlicitatem experiaris, sed & publicam civitatis tuæ ac Patriæ, ut ejus statum videas tempore vitæ tuæ florentem & pacificum, sine turbine bellorum, sine vastitate & procella afflictionum publicarum bonis omnibus circumfluum: ita ut quisque sub vite & ficu sua illis quæ Deus de cœlo dedit cum pace gratias agens fruatur, & comedat cum quiete. Spiritualis autem & æterna hoc sensu erit Benedictionem & hanc postremam post omnes temporales dictas impertiatur tibi Dominus, qui ex Sion, sive ex specula æternitatis omnia contemplatur ab æterno, usque in æternum providentiam & misericordiam extendens: ut scilicet perducat te ad bona illa cœlestis & supernæ Jerusalem, quæ piis & timentibus se sunt reservata, quibus fruaris omnibus diebus vitæ tuæ. Quæ cum futura sit post hoc sæculum immortalis, opto ut æternum illis bonis perfruaris, & illa in Sion bona contempleris quæ hic oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt.

Et postquam ad bonam senectutem perduxerit te in hoc sæculo, ita ut filios & nepotes tuos fœlici jucunditate conspexeris: tandem ad pacem illam æternam Israelis sive populi electi videntis Deum pertingere tibi donet, ad pacem inquam illam imperturbabilem, quam nomen JERUSALEM importat quod interpretatur, VISIO PACIS, nomen quoque, ISRAEL, quod idem est ac VIDENS DEUM.

Has itaque benedictiones juvat explicare conjugatis, ut non solum opibus & fœlicitati terrenæ & externæ inhient, sed & maximè fœlicitati ac paci internæ, ac bonis æternis: ad quorum participationem filios s. debere generare agnoscant.

PROPOSITIO IV.

De convivijs nuptialibus.

Convivia nuptialia Gè. 29. 22. Tob. 9. 3. Athen. l. 5.

IAm olim convivia in nuptiis celebrari solita, constat ex Gen. 29. Ubi Laban, cùm traderet in uxorem Rachelem filiam, *vocatis ad eum cunctis viris ad convivium, fecit nuptias.* A puis autem hæc convivia exercebantur cum timore Dei, ut dicitur Tob. 9. Sed & Athenæus convivii nuptialis dans causam, dicit: *Moribus & legibus factum est, ut in nuptiis epulum fiat, tum nuptiales Deos ut venerentur, tum ut pro testimonio id sit convivii, quod nuptis placeant suæ nuptiæ.* Verum hæc convivia, passim in luxum & abusus indignos Christianis excrevêrunt. Tunc quidlibet licitum videtur. Quis enumeret gravissima mala, quæ quotidiè convivia nuptialia ultra omnes limites Christianæ modestiæ exundantia, pariunt? Bacchus illis præsidet & proserpina, furiæque infernales cum taedis suis ardentibus; non Christus aut Maria, Geniique boni; hinc non solùm ebrietates, sed & rixæ, homicidia, sanguinis effusio, dissolutioneſque gravissimæ passim ex illis arcti cernuntur. Vide Chryſ. S. Chryſ. in Gen. c. 29.

Sed has dissolutiones quandoque ultio divina à tergo consequitur. Paucis id exemplis comprobemus. Agebantur Qualenses in Lubeca nuptiæ, aderatque frequens uti iusque sexus multitudo choreas ducens. Ecce ignis ignota origine locum invadit, & 180. utriusque sexus, perempti sunt, soli Sponsi nudi è lecto evasere. Unde & proverbio locus datus NUPTIÆ QUALENSES. Nempè sponsi ritè susceptο Sacramento, in gratiæ statu existebant, unde eis divinus favor affulsit: at illi in peccatis hærentes, divinamque irritantes clementiam dissolutionibus suis, ultioni fuere obnoxii. Testis est Albertus Crantzius & Majolus colloq. 4. art. 144. Crantzius & Majolus.

Alexander III. Scotorum Rex. cùm tertio sibi uxorem desponderet jam senex, Druydam Comitis filiam, & noctu festum celebraretur, vidit eum aulica familia, mortuum in fine choreæ carnibus exutum saltantem. Quod tùm Rex cæteriqueadverterent, attoniti primum substitere, deinde omen aversari, non solum tunc, sed in posterum nuptiales jocos dimiserunt. Nec inaniter hoc visum est, nam eodem anno Rex equo insidens, excussus & occisus est. Inde etiam clades & seditiones ortæ, quæ florentissimum alioqui regnum everterunt. Contigêre hæc anno 1250. Ita Hector Boëtius in Scotiæ Annalibus. Hector Boetius in annal. Scotiæ an. 1250.

Audi & aliud infaustum. Celebrabantur in aula Regis Galliæ Caroli VI. Nobilis cujusdam nuptiæ, Rex recreandi animi gratia (erat enim mente paulisper læsus) cum quinque alijs, nocturno ludo in cœnaculum prodit, vultum Leonini oris imaginem personato, reliquum verò corpus delibutum pice, & multo lino depexo ac in villos confecto, ita contexit, ut hispidi portenti speciem gereret. Sic fit chorea & spectaculum, ad quod tota Regia concurrit. At Ludovicus Aurelianensis, frater Regis volens clarius rem inspicere facem propius admovit: ex qua scintilla in Regem incidens, in omnes effusa flamma, repentinum concitavit incendium. Rex fuit servatus, uxoris Biturgis veste caudata fluxaque; quâ involutus est, antequam flâmma jam lambens, ad vivum corpus pertigisset: quatuor miserè ululati perierunt; quintus in propinquam promicellam ruens, aquâ & vino se perluens, salutem invenit. Belfor est in hist. Paul. Æmilius, & alii.

Altera adjungi potest solemnitas matrimonii traductio sponsæ in domum sponsi, quæ repræsentari solet in Ecclesia Christiana quibusdam in locis, dum ad oblationem sacram inter officia divina procedunt sponsus & sponsa, & utriusque parentes. Deducitur autem sponsa à duobus juvenibus sibi proximis consanguineis; deinde reducitur & suscipitur à duobus consanguineis vel propinquis sponsi, quadam valedictione suis parentibus facta, per osculum datum signifi- *Et traductio sponsæ in domum sponsi.*

Digitized by Google

ſignificatâ. Et his cæremoniis ſignificatur tranſire in poteſtatem viri, ut ei adhæreſcat, relicto etiam ſi neceſſe fuerit patre & matre: ſimulque traduci in ejus familiam, nomen illius, titulosque honoris, ac prærogativas familiæ illi communicatas participando.

Neque nova eſt traductio ſolemnis ſponſi in domum ſponſæ, nam & quid ſimile indicatur Gen. 24. dum de Iſaac dicitur, quod Rebeccam ſibi deſponſatam & adductam per ELIEZAR, *introduxit in tabernaculum Saræ matris ſuæ*; ubi notant aliqui ſponſam olim ductam fuiſſe in tabernaculum vel cubiculum Socrus ſuæ, ut ſignificaretur, quod novella ſponſa eſſet futura materfamilias, ex qua liberorum, ſucceſſionis, & familiæ filium produceretur, & propagaretur, quodque ipſa in pari honore & gradu futura eſſet apud domeſticos, quàm fuerat Sponſi mater. Et advertunt interpretes, ſeorſim à viris habitaſſe uxores apud Hebræos: Unde dicitur in tabernaculum matris, non verò patris introducta ſponſa. Sic & Rebecca cùm apud parentem ſuum exiſtens, inaures aureas accepiſſet ab Eliezer, dicitur cucurriſſe in domum matris ſuæ, ut nunciaret quæ audierat. Ex quo colligitur, alia habitacula virorum, alia mulierum fuiſſe; ſeorſim enim in gynæceo mater cum puellis degebant.

Gen. 24. 67.

LECTIO VI.

DE MATRIMONIO SPIRITUALI.

1. *Docet quale ſit matrimonium anima cum Chriſto.*
2. *Illud matrimonium perfici per votum caſtitatis.*

PROPOSITIO I.

In Eccleſia & anima fideli reperitur conjugium ſpirituale cum Chriſto.

COlligitur id ex Apoſtolo dicente ad Corinthios: *Deſpondi vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* Quæ verba veritatem deſponſationis indicant cum Chriſto ſponſo, ſive loquamur de Eccleſia in genere, ſive de anima in particulari. Ut autem has nuptias intelligas, explico ſingula nuptiis carnis correſpondentia.

2. Cor. 11. 2.

Fit 1. per fidem, &c. Aug. Tract. 13. in Ioan.

Primò ergo adverte, hanc deſponſationem fieri per fidem, ſpem & charitatem, dicente Auguſtino: *Virginitas mentis eſt integra fides, ſolida ſpes, ſincera charitas.*

2. Paranymphi ſunt, qui hos matrim. conciliant.

Secundò Paranymphi harum nuptiarum, illi ſunt, qui animarum ſaluti inſudant. Agnoſcit ſe Paulus Paranymphum, dum dicit: *Deſpondi vos*, quaſi dicat: Ego Paranymphus ſum harum nuptiarum ſpiritualium, non ſponſus; non ambio mihi ſponſam, ſed Chriſto & Deo, illius gloriæ incumbo, illi cupio vos exhibere & jungere, puro & caſto matrimonio. Ipſe enim ſponſus eſt, ego tantùm ſponſi amicus, ſponſæ cuſtos & ductor, ideoque illi animas veſtras mihi commiſſas adorno, introducendas tandem ad futurum thalamum, tanquam ſponſas virgines, hoc eſt, integras in fide, ſpe, charitate, ideoque nuptiis æternis aptas.

3. Differentia hujus & mundani matrimonij.

Tertiò, adverte differentiam: In nuptiis enim mundi ſponſæ poſt nuptias non manent virgines, ac Chriſti ſponſæ, quaſi prius virgines non fuerint, poſt nuptias cum Chriſto virgines fiunt, hoc eſt, fiunt in fide puriſſimæ, in ſpe & charitate integræ, in moribus incorruptæ, ob hæc enim Eccleſia & anima dicitur virgo. Et hoc vult Apoſtolus, dum Corinthios etiam conjugatis dicit: *Deſpondi vos virginem caſtam exhibere Chriſto* Audi Bernardum: *Propter Æthyopiſſam Filius Dei à longinquo venit, ut ſibi illam deſponſaret. Moyſes quidem Æthyopiſſam duxit, ſed non potuit ejus mutare colorem, Chriſtus verò quam adamavit ignobilem adhuc & fœdam, glorioſam ſibi exhibuit Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam. Unde tibi ô humana anima, tam inæſtimabilis gloria ut illius ſponſa mereatis eſſe, in quem deſiderant Angeli proſpicere?*

1. Cor. 11. 2. Bern. ſer. in Dom. 1. poſt. Epiph.

4. Contrahitur fit per fidem, &c.

Quartò, cum deſponſatio hæc fiat per fidem, ſpem, & charitatem, & velut per hunc contractum: *Eris mihi in populum, & ego ero tibi in Deum* (ſicut & in nuptiis dicitur: Accipio te in meum, accipio te in meam) meritò vocatur anima meretrix & adultera, quando conſentit infidelitati & peccatis, quando admittit ſuggeſtiones dæmonis, illiuſque obſequitur voluntati. Audi Origenem *Si ſuſceperis ô homo, in cubili animæ tuæ adulterum diabolum, ſi ſpiritus ira, invidia, ſuperbia impudicitia, ingreſſus fuerit, & reſperieris eum, deteſtatusque fueris in his quæ fugg rit, meretricatus es cum eo* Conſequenter dicendum, eſſe lenones Satanæ, qui ad peccatum alios pertrahunt pravis conſiliis & ſuggeſtionibus: quique ad hæreſim pelliciunt pravitate doctrinæ. Hi enim ſponſum ſurripiunt Chriſto; & ſatanæ conſuprandam tradunt.

Orig.

5. Dona ſponſalia ſunt vincula & dona Spir. S.

Quintò, in hoc matrimonio annulus datur, ornamentaque ſponſalia, de quibus Ezechiel. 16. *Poſtivi te à diſcoloribus, & calceavi te hyacintho, & cinxi te byſſo, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum Et dedi inaurem ſuper os tuum & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo.* Quo omni ornatu, virtutes variæ, donaque Spiritus S. deſignari poſſunt quibus anima à CHRISTO decòratur, ut fiat Sponſa. Additur verò: *Similam & mel & oleum comediſti, & decora facta es vehementer nimis, & proſperiſti in regnum* Etenim deſponſatio iſta, etiam facit communia utriuſque conjugis bona, ideò Sponſi Chriſti bona communicantur Eccleſiæ & animæ fideli. Nam quia ſponſus eſt Rex, ſponſam animam facit Reginam, licet ſerva ſit vilis & pauper, ſit ſocia menſæ, ſocia regni, ſocia thalami, & bonorum omnium, an non audis! *Aſtitit Regina à dextris tuis in ve-*

Exech. 16. 10.

Pſ. 44. 10.

Digitized by Google

in veſtitu deaurato. Quæ nunc pannoſo veſtitu ac ſervili habitu, vilis putatur, in regno Cœlorum Regina, & nobilis Regi adſtans reperitur, inquit Baldus.

S. Baſil. 6. *Convivium eſt gaudium mentis.*

Sextò, etiam in his nuptiis convivium reperitur, quod prandium vocatur, & à cœna ita diſtinguit Bernard. animam alloquens. *Iam deſponſata es illo, jam nuptiarum prandium celebratur, nam cœna quidem in ſero paratur: ſed ibi vinum non deficiet, inebriabimur enim ibi ab ubertate domus Dei, & torrente voluptatis ejus potabimur. Paratum eſt profectò illi nuptiis flumen vini lætificantis cor, ſiquidem fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* Hoc ille. Eſt ergo prandium in gaudio interiori animæ, quæ ſe tanto ſponſo ſponſatam agnoſcit: Cœna erit in gloria, in gaudii illius conſummatione. Quo verò magis creſcit amor charitatis, eo magis creſcit & gaudium, & eo magis perficitur deſponſatio hæc & connubium. Tunc enim & major fit unio cum Deo, & nuptialibus bonis, ac gaudiis divinis fruitur anima. Quod eſt enim aliud amor charitatis, niſi conſpiratio & conformitas humanæ voluntatis cum divina, ex qua oritur communicatio & familiaritas & unitas cum Deo? Oritur & gaudium internum, animæque quies in centro. Audi Bernardum ſermone 38. in cantica. Talis conformitas maritat animam verbo, cùm cui videlicet ſimilis eſt per naturam, ſimilem nihilominus ipſa ſe exhibet per voluntatem, diligens ſicut dilecta eſt. Ergo ſi perfectè diligit, nupſit. Quid conformitate hâc jucundius? Quid optabilius charitate, quâ fit ut humano magiſterio non contenta, per temet, ô anima, fiducialiter accedens ad verbum, verbo inhærens, verbum familiariter percunctaris, conſulteſque de omni re. Verè ſpiritualis ſanctique connubii contractus eſt iſte. Parum dixi contractus, complexus eſt, ubi idem velle & nolle, unum facit ſpiritum de duobus, quæ enim inter ſponſos alia connexio præter amari & amare? Quæ ergo amat, & aliud novit nihil, ſponſa eſt. Hæc Bernardus.

S. Bern. ſer. 38.

7. *Proles ſunt Spiritus ſalutis &c.* Orig. in 25. num.

Septimò, ex illa deſponſatione pulchræ concipiuntur proles, Has deſcribens Origenes, dicit. *Dum anima adhæret ſponſo, & audit verbum ejus, & ipſum complectitur ſine dubio ab ipſo ſemen ſuſcipit, ſicut ille dixit: De timore tuo Domine in utero concepi, & peperi ventum ſpiritum ſalutis. Inde naſcetur generoſa progenies, inde pudicitia oritur, inde juſtitia, inde patientia, inde manſuetudo & charitas, & omnium virtutum proles veneranda.* Sic è contrario ſi ſponſum anima deſeruerit, & ſatanæ ſe adjunxerit per fornicationem ſpiritualem, ſemen peſſimum ſuſcipit, ex quo omne vitiorum genus concipitur & oritur.

PROPOSITIO II.

Hæc deſponſatio ſpiritualis perficitur & fit per votum & ſtatum caſtitatis.

DE hac ſic loquitur D Auguſt. Tract 9. in Joan. *Quæ virginitatem Deo vovent, licet ampliorem honoris gradum in Eccleſia teneant, tamen ſine nuptiis non ſunt; nam & ipſa pertinent ad nuptias cum tota Eccleſia, in quibus Sponſus eſt Chriſtus.* Explicemus ergò particularius deſpóſationis illius circumſtantias & cæremonias, illarumque ſignificationes & comparationem ineamus cum nuptiis terrenis, nuptiarum harum ſpiritualium. S. Auguſt. tract. 9. in Joan. *Circumſtantia & ritus hujus deſponſationis.*

1. Igitur ſicut ſponſa contrahens dicit: *Accipio te in meum*, & exinde totum amorem, & ſeipſam tradit marito; ita & qui caſtitatem vovet, Chriſto totum amorem, & ſeipſum conſecrat, illique obligationem habet vivendi ſecundum ejus voluntatem, ſicut ſponſa obligationem habet erga maritum.

2. Sicut ſponſa in ſuam protectionem ſponſum accipit, eique familiaritatem & communicationem exhibet; ita & Deus protectionem aſſumit ſibi voventium, illiſque communicationem ac familiaritatem non denegat: ſi voto & vocationi reſpondeant, illis ſapientiæ ſuæ dona impertitur. Surius in vita B. Greg. Nazianz. 9. Maii.

Hoc aliquando in viſione oſtenſum fuit B Gregorio Nazianzeno. Cùm ipſe juvenis caſtiſſimus Athenis ſtudiis vacaret, vidit per ſoporem, ſedenti ſibi & legenti duas decoras fœminas ad dextram & ſiniſtram conſediſſe. At ipſe caſtitatis inſtinctu, inſpiciens eas oculo torviore, quænam eſſent, quid vellent, percunctatur. Familiariter verò ipſum complectentes ajunt: *Nemoleſte accipitas juvenis, nata tibi & familiares ſumus: altera ex nobis ſapientia, altera caſtitas dicitur, & miſſa ſumus à Domino tecum habitare, quia jucundum nobis in corde habitaculum præparaſti.*

Simile habes de B. Laurentio Juſtiniano. Hic cùm annum ageret undevigeſimum, qui ætatis flexus lubricus eſſe ſolet, apparuiſſe ei dicitur Dominus Jeſus ſpecie Virginis, cujus ſplendor Solis ſplendorem facilè ſuperaret, vultuque placidiſſimo hæc ei dixiſſe: *Cur Adoleſcens cor tuum effundis, & pacem ſectando, teipſum per multa ſpargis? Quod quæris, penes eſt. Ergo ſi me ſponſam accipere decreveris, pacem hanc certiſſimè poſſidebis.* Ille tanta pulchritudine, tamquam magnifico promiſſo delectatus, quæſivit quod ei nomen, quod genus eſſet? Turn illa: *Ego ſum Dei Sapientia, quæ ad homines reformandos, humanam formam indui.* Cùm ergo adoleſcens reſpondiſſet ſe eam libentiſſimè accipere, dato oſculo læta abſceſſit: Ipſe verò non multò poſt, in Monaſterium ad oblatas ſe contulit nuptias. De S. Laurent. Juſtin.

3. Cæremoniæ exteriores quas Eccleſia adhibet, dum Virgines caſtitatis votum emittunt, hanc deſponſationem rectè indicant. Velum enim eis ſolet *Ritus in virginibus ſo-*

enter tulit & ſanguine ſuo expiavit. Reſtè Varro: *Vitium conjugis aut tollendum eſt, aut ferendum. Qui tollit: commodiorem conjugem præſtat. Qui fert ſe ipſum efficit meliorem.* Lepide Socrates, qui cum rixolam uxorem Xantippem nactus foret, ita ut illo ſtudente menſam everteret, & jurgia concitaret, cum interrogaretur quomodo illam perferret? Reſpondit: *Quo vis vefes vult, glocitantium gallinarum ſtrepitus offendi non debet.* Et ſapienter adjecit: *Equidem ſic domi patientiam diſco, ut foris molimi exercere queam.* Sic cogitet Chriſtianus ſe habere domeſticum patientiæ exercitium, ut & alia ferre poſſit & ſuperare: ſe habere domi Crucem, quam foris quidam quærunt, hæc autem crux patientiam docere debet.

Varro in Meppæa. Socrates de quo Laertius in vita ejus.

Quinto, conſideret etiam in conjugiis ſanctorum ſpinas varias, mores diſſimiles & pravos alterius conjugis, aliaq; infauſta contigiſſe: & tantum abeſt, ut hæc in ſalutis diſpendium eis ceſſerint, quin potius ad ſegetem majoris perfectionis profecerint.

Job cum omni afflictione vallatus ingemiſceret, filiis orbatus, & rebus omnibus, corpore totus ulceribus conſperſus, ſola ei uxor relicta eſt, quæ cũ ſolatio eſſe deberet, deſpiciebat eum, & ad blaſphemandum Deum incitabat. Ad hoc veriſimiliter intacta à Satana illi relicta, ut ad peccatum impelleret. At ſpiritus illius, patientia, fiducia in Deum, magis enituit, dum eam ſanctis verbis corripuit.

Job. 2. 9.

S. Monica virum rigidum, moribuſque ſævum Patricium nacta fuit, qui & infidelis fuit. Conquerebantur apud eam aliæ Chriſtianæ mulieres, quod virorum contentionibus, injuriiſq; afflictarentur, mirari autem ſe quomodo pacifice cum viro & infideli & feroce cohabitaret. Quibus illa reſpondit: Meæ ſorores, vos forte maritos ad rixas impellitis, moroſitate, & contumacia, ego marito ſæviente taceo & diſſimulo, & animum precibus ad Deum ſuadendis occupo, ſicque iracundiam ejus frango, & ut ſtabili fruamur concordia efficio: quin animum ejus ſic inflexi, ut mecum Chriſtum colere cœperit, ita & vos agite erga maritos.

De S. Monica refert S. Aug. l. 9. Confeſſ. c. 9.

S. Eliſabeth filia Petri Regis Aragoniæ & Conſtantiæ Reginæ, data fuit in connubium Dionyſio Regi Portugalliæ, carnis vitiis mire dedito. Interim ipſa tanta prudentia & ſanctitate converſata eſt cũ illo, ut omnes in admirationem raperet, qui diſſolutiſſimam vitam mariti agnoſcebant. Hos ſolum eam angebat, quod adeo gravibus offenſis, toties Deus offenderetur: unde continuas fundebat preces, ut lucem pœnitentiamque Deus illi infunderet, qua è profunda & cæca abyſſo tandem emergeret. Ulterius præcipiebat, ut illegitimi omnes filij illius ſibi adducerentur, quos nutricibus tradebat, & cõmendabat, de omnibus providebat, nutriceſque muneribus donabat. Hæc tanta patientia, prudentia, charitate, ſic tandem mariti animum evicit, ut fidem conjugalem poſtea conſervarit.

De S. Eliſabeth Regina Portugalliæ V. appendicem ad Brevi. 4 Julij.

LECTIO IV.

DE DISPOSITIONE AD MATRIMONIUM.

1. *Docet oportere accedentẽ eſſe in gratia ſtatu.*
2. *Oportere rectam eſſe ejus intentionem.*
3. *Operibus pietatis ſeſe debere diſponere.*

PROPOSITIO I.

Accedens ad Matrimonium, debet eſſe in ſtatu gratiæ.

RAtio eſt, quia Matrimonium eſt Sacramentum, ad augmentum ſanctificationis pro conjugibus inſtitutum: indigne igitur conſetur accedere, qui in ſtatu peccati mort. exiſtit, effectuique illius, & benedictioni obicem ponens, novo ſe peccato obſtringit. Præmittenda igitur eſt vel confeſſio, vel contritio, ne injuria fiat ſanctitati Sacramenti, conſpurcata conſcientia illud ſuſcipiendo. Sed & ex eo capite peccatum aggravatur, quod conjuges non ſolum ſint ſuſcipientes, verum etiam Miniſtri Sacramenti: ideoq; duplici ratione gratiæ ſtatum non debent negligere, tum ut dignè ſuſcipiant, tum ut digne miniſtrent. Dixi *Aggravari peccatum*, nam Doctores Scholaſtici cenſent non eſſe novum mortale peccatum, ratione miniſterii: quia ad illud non ſunt ſpecialiter conjuges conſecrati, ideoque ſpecialem obligationem miniſtrandi in gratia non habent, qualem Sacerdotes & miniſtri aliorum Sacramentorum in ordinatione ſuſcipiunt. Nemo tamen negat, ex parte indignæ ſuſceptionis illos mortale peccatum incurrere, ſicut in aliis Sacramentis.

Hinc collige originem tot malorum & ſcelerum in conjugiis: quia nimirum conjuges Sacramenti ſanctitatem gratiamq; vel negligunt, vel ignorant, ideoq; ad eam nullatenus ſe præparant. Quot irruunt paſſim poſt impudicitias & fœditates, inter ſponſos & ſponſas non infrequentes, quas pudor vetat confeſſione expiare? Quot, poſt fraudulentas promiſſiones, & perniciosa mendacia in contractu matrimoniali ingeſta, ut voto quacunque via potirentur? Quot, poſt juramenta illicita, poſt ebrietates & commeſſationes etiã mortiferas, vel alia peccata? Pauci attendunt ſanctitatem Sacramenti, nec alia diſpoſitione ad contractum nundinarum, ad convivia profanaſque ſolemnitates prorueret. Si monitiſunt de confeſſione & communione, illam pluribus diebus ante præmittunt, & quidem perfunctorie, ut reliquos dies non conſcientiæ & Deo ſed negotiis & curis uxoris immergant, interim adrepentia gravia peccata negligunt. An mirum ſi aliqui infœlicia nanciſcantur conjugia, dum peccata peccatis adiciunt, laqueum laqueo commutant, conſcientiam & felicitatem conjugalem præfocant

V. dicta l. 9. in 1. Præcepto decal.

focant? An mirum si quandoque maleficia & ligamenta in illis satanica potestate locum reperiant, cum in gratiæ statu non existant? De his maleficiis, vide quæ dixi super 1 præcepto Decal.

D. S. Cæcilia.

Noverat B Cæcilia sanctitatem Sacramenti, quæ cum à parentibus Valeriano desponderetur, tribus ante nuptias diebus, jejunabat, sub byssina veste cilicium gerebat, orationi continuo vacabat, negotium illud Domino supplex commendans. Hæc erat ejus præparatio. Ac dum alii lætitiæ profanæ vacabant, ipla musicos sonos, organorumque dulcisonam melodiam ad Deum referebat, & in corde suo suavius melos Domino promebat, psallens spiritu, psallens & mente: *Fiat cor & corpus meum immaculatum, ut non confundar.* Sic meruit à Deo gratiam impetrare sponsum convertendi, & integritatem cum nuptiis conservandi.

Propositio II.

Accedens ad matrimonium, debet habere rectam intentionem finis, ad quem illud institutum est.

1. *Mutuum auxilium.*

TRiplex autem finis potest intendi. Primò mutuum auxilium. Habet enim homo inclinationem naturalem ad vivendum socialiter, ut ex mutuo auxilio, & ope, facilius vitæ hujus incommoda possit tolerare, & labentis sæculi tumultuantes undas transvadare. Nam & ad hunc finem matrimonium institutum est, ut homini sit solatium, tum

Gen. 2. 18. solitudinis tum sollicitudinis: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium.* Qua in re adjutorium? Ad prolis propagationem, ad familiæ gubernationem, ad curarum, laborum, dolorum, levamen, cæteraque vitæ necessitates. Ad id mire juvat insolubilis associatio, quam nulla supervenies infelicitas, non morbus, non exilium, non paupertas, sed sola mors dissolvit. Sic etiam intellexere gentiles apud quos laudatur Theogena uxor A-

Sabell. l. 8. Enn. 4. gathoclis Regis Siciliæ, quæ ab ægro marito nullo modo se divelli passa est, dicebat enim: *Nubendo non solum prospera fortuna, sed & adversa societatem inivi, quare nec in vita spiritus mei periculo eripiura sum, ut viri spiritum extremos excipiam.* Sed & sexus diversitas admodum utilis est ad mutuum solatium & opem, ob propria munia à natura sibi indita. Nam ex habitudine naturali ad aliud apta est mulier, ad aliud vir. Mulier domum regit; familiam alit, proles benigne educat, digiti ejus apprehendunt fusum, ancillis partitur officia, multaque alia peragit viris incongrua. Vir verò negotia gravia peragit, ad negotiationes procedit, providet familiæ, eamque tuetur contra incursantes. Hunc ergo finem societatis & auxilii licite & meritoriè potest quis intendere, ordinando omnia ad finem supernaturalem, ad quem maxime opem sibi debent ferre in idem jugum juncti, ut se perducant ad eandem metam supernam. Hunc licitum est matrimonium, licet spes prolis non fuerit, ut patet in sterilibus, & matrimonio senum.

2. *Prolis procreatio.*

Secundò, & principaliter matrimonium iniri potest ad procreationem prolis, inest enim homini naturale desiderium propagandæ speciei. Ut verò sit meritoria hæc intentio, debet intendi prolis generatio, ut instruatur in fide, pietate, timore Dei, sicque benedictionem divinam possit participare, non tantum temporalem, sed & æternam; ut per filiorum multiplicationem, Filii Dei multiplicentur, & electorum numerus adimpleatur. Hæc est enim

Aug. l. 1. de nuptiis c. 4. prima ratio institituti matrimonii, & teste Augustino, hoc est potissimum matrimonii bonum, ut parentes filios suos ex membris primi hominis, transferant in membra Christi. Non ergo primaria intentio debet esse, ut hæredem domui relinquant (quo cas-

Gen. 15. 3. rens Abraham dolebat, dicens: *Vernaculus meus erit hæres meus*) sed ut æternorum bonorum hæredes sibi acquirant, proles à Deo dilectas & electas, ideo Patriarchis promisit Deus proles multiplicandas, ut stellas cœli, indicans parum esse quod filios producturi sint terræ, sæculoque labenti; nisi & illi in cœlum elevandi sint, ut fulgeant sicut stellæ in perpetuas æternitates, lucis cœlestis & æternæ consortes. Hæc etiam intentio edocetur Tobias ab An-

Tob. 6. 22. gelo: *Accipies Virginem cum timore Domini, amore filiorũ magis quã libidine ductus, ut in semine Abrahæ, benedictionem in filiis consequaris.* Unde postea ora-

Idem 8. 7. bat Tobias: *Domine Deus Patrum nostrorum, benedicant te cœli & terra, & omnes creaturæ tuæ: Tu fecisti Adam de limo terræ, dedisti que illi adjutorium Evam. Et nunc Domine tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam conjugem, sed solã posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum.*

3. *In remedium concupiscentiæ.*

Tertiò iniri potest matrimonium in remedium concupiscentiæ. Cum enim homo privatus originali justitia, multos fluctus patiatur à carne, quibus aliqui valde difficulter possunt resistere, in remedium morbi hujus, matrimonium est ordinatum. Unde Apost. dicit infirmis: *Propter fornicationem, unusquisq; habeat uxorem suam.* Et 1 ad Timotheũ 5.

1. Cor. 7. 2. 1. Tim. 5. 14. *Volo juniores nubere, filios procreare matres familias esse, nullam occasionem adversario dare maledicti gratia.* Nempe Apostolus offert illis nuptias, in remedium incontinentiæ, quia aliquæ illarum jam incontinentia sua scandalum susciterant. Quod indi-

1b. v. 13. cat subjiciens: *Iam quædam conversæ sunt retro satanam*, ita ut non tam stantibus coronam, quam jacentibus manum porrigat auxiliarem Apostolus.

Hæc igitur sunt principales rationes, quas debent intendere qui volunt matrimonium inire, & pie in illo vivere, omnesque sunt ex Christi institutione. Nam & de postrema dicit D. Greg.

S. Greg. lib. 11. moral. *Qui tentationum procellas cum difficultate tolerant, conjugij portum petant, sine culpa enim ad conjugium veniunt, si meliora non voverunt.* Possunt & accedere aliæ rationes; sed secundario, non principaliter, verbi gratia, honorabilitas conjugij, nobi-

nobilitas prudentia, gratia, modestia, indoles bona, morum paritas, pulchritudo: propter quas rationes inducitur quis secundario ad matrimonium cum aliqua persona incundum sine peccato. Hæc enim non sunt repugnantia fini matrimonii, ut patet in Jacob, qui Liæ prætulit Rachaelem, ob pulchritudinem.

PROPOSITIO III.

Qui matrimonium init, debet insistere bonis operibus, pietatisque exercitijs, ut gratiam Dei adducat, qui matrimonii & auspex & præses est.

OLim gentiles in suis nuptijs, laudibus & hymnis advocabant Hymenæum, ut conjugio benediceret: existimabant enim eum esse Deum nuptiarum Præsidem: Depingebant vero tanquam juvenem speciosum. *Corona ex floribus odoriferis redimitum:* & gerebat in una manu *facem ardentem*, in sinistra *velum sericum pallidi coloris* ab Antiquis *flammeum* vocatum, quia Flaminum uxores illo caput ornabant. Pedes etiam habebat calceatos *calceis pallidi coloris*, quod genus calceorum proprium erat feminarum. Cur coronam ex floribus gerit, nisi in signum læti & festivi animi; Sed cum talis corona facile marcescat, per illam significabant conjugij corporisque voluptatem non diu perdurare. Dicunt & *Myrrha folia admixta fuisse*, quia voluptati conjugali amaritudo sese solet inspergere: quam vis & per Myrrham incorruptionem corporibus impertientem, perpetuum matrimonij vinculum, quod incorruptum debet permanere, potuerit designari. Dicit vero Plutarchus agens de præceptis connubialibus in Boetia moris fuisse asparagis sponsam coronari, ut significaretur ei, citius quam asparagi coquuntur, tristitiam quam ex paternæ domus discessu conceperat, abolendam; est enim asparagus facillimæ concoctionis. Cur vero facem accensam gerit? Quia olim noctu sponsa in sponsi domum traducebatur ob verecundiam adhuc recentem. Imo in tenebris viri thalamum adibant: unde deceptus in tenebris fuit Jacob, putans Rachelem, cum Lia foret; dicit vero Plutarchus præfixum fuisse numerum facularum, nec potuisse plures esse quam quinque, varias illius numeri asserens rationes. Significabat porro fax ardens in manu Hymenæi, in nocte adversitatis affectum conjugalem nunquam extinguendum & fidelitatem continuo ardere debere. Cur etiam in sinistra velum gerit, nisi ut subjectionem perpetuam, quam sponsa sponso se habituram profitetur, denotet? Denique, cur pallidi calcei, nisi ad significandam clausuram à sponsa servandam? Calceis enim pallidis per calles vagari indecorum. Hunc itaque Deum suum variis laudibus, & hymnis sibi optabant propitium, unde & Hymni nomen derivatum est: Hymnus enim quasi Hymeneus cantus.

Pictura Hymenæi Catull. in Epithal.

Plutarchus de præcept. connub.

Sed procul figmenta Gentilium, procul fictitii fictitijque Dei, exclusi sunt veniente veritate, & velut vespertiliones tenebris immersi, veniente luce. Nuptiarum ergo Deus & verus Hymenæus Christus est, qui primum divinitatis signum à nuptijs auspicatur, aquam in vinum convertens, in symbolum benedictionis Christianorum nuptiis impertiendæ, per quam aqua carnalis concupiscentiæ in amorem supernaturalem verteretur, quo conjuges se amarent, ut ipse Ecclesiam sponsam suam, ut supra dictum est. Advocandus ergo est ille, qui suum spirituale connubium, & amorem, quem sponsæ defert, voluit esse exemplar, speculum, prototypum omnium Matrimoniorum, ut cætera illius significationem contineant, & imitationem præ se ferant. Ipse in finem usque sæculi sacrat connubia Præses & Auspex. Ubi adest, omnia felica; ubi abest, omnia infausta, Ubi adest, dæmonium nullam habet potestatem; ubi abest Asmodæus accipit possessionem, ut luxuriantem exigere naturam in fœda & indecora conjugia propellat. Ubi adest, thorus est immaculatus, & per omnia honorabile connubium; ubi abest, zelotypia, æmulatio, discordia, aliaque vitia vel irrepunt, vel irrumpunt. Ubi adest, vinum non deest, gratia & amor quo onera matrimonij leviter ferantur; ubi abest, fæces solum manent, & amaritudo mixta cum aqua carnalis concupiscentiæ diffluente. Denique ubi adest, inter matrimonij spinas etiam flores producit, flores bonorum desideriorum, sanctorum operum ac meritorum, ex quibus æternæ gloriæ coronas licet contexere; ubi abest, non nisi coronas infelices pungentium spinarum, aut gementum curarum, ingentium malorum, est reperire. Vis uno verbo complectar? ubi adest, nuptiæ habent speciem & initium Paradisi; ubi abest, inferni Veniat ergo Jesus oratione, & prævijs operibus & sanctis adductus, ut conjugio fœlicitatem & fœcunditatem impertiatur. Procul Venus & Cupido, procul & Juno, quam Pronubam dixere Gentiles, falsique connubij conciliatricem: loco illius adsit Maria Virgo, & Sponsa, Virginum & Sponsarum primiceria & Tutelaris Diva. Non nisi per illam impetratur nuptijs vinum pro aqua, non nisi ejus intercessione conjugibus adest amor sanctus & gratia. Advocentur & discipuli, quos Dominus secum adduxit. Hi enim sunt optimi testes, hi sunt amici cœlestis Sponsi, qui gaudio gaudent propter vocem ejus, favoremque ipsius nobis conciliant. Advocetur & Angelus tanquam Paranymphus, qui Eliezer famulum Abrahæ est comitatus, ut Isaaco desponsaretur Rebecca: & Tobiam deducit ut relegato dæmonio in desertum, ab illo acciperetur uxor Sara incorrupta. Hos omnes invocat Eccl. cujus est oratio illa. *Domine Jesu Christe Fili Dei, & B. Virginis Mariæ, qui in Paradiso Matrimonium instituisti in officium, & pro nobis homo factus etiã in Sacramentum; tua præsentia, ac miraculorum primitijs dignanter illustrans, Tu per merita & preces Virginis*

Christus verus Hymenæus & nuptiarum præses & auspex.

Sacerdotale Romanum.

Virginis Mariæ & omnium Sanctorum, hos quos fœdere matrimonii conjunxisti, benedicere dignaris, & liberare ab omni ligamento, fascinamento, & maleficio Sathanæ, & dare eis fœcunditatem, & gratiam, qua libere possint uti matrimonio ad generandum, concipiendum, gestandum, pariendum, & fovendum prolem gratam Deo & hominibus, in nomine Patris & filij & Spiritus Sancti.

LECTIO V.

DE CÆREMONIIS MATRIMONII.

1. *Agit de pravis Matrimonii interrogationibus*
2. *Agit de cæremonijs adhibitis in Sacramẽto isto*
3. *De Benedictione Matrimoniali,*
4. *De convivijs nuptialibus,*

PROPOSITIO I.

De pravis matrimonij interrogationibus.

1. *De voto castitatis,*

PRIMO interrogantur, *an Castitatis votum non emiserint;* Licet enim votum simplex non irritet matrimonium, facit tamen illicitum; ita ut post votum contrahens peccati mort. reatum incurrat, nec debitum possit exigere à conjuge, sine Episcopi dispensatione. Meritò verò hæc interrogatio præmittitur, quia experientia docet, adolescentes quod impietatis & ætatis indiscreto fervore, ad castitatis vota prosilire; & postea cum sit illis mobilis cum ætate animus, conjugij occasione arridente, sæculique illecebra illectante, vota negligere, fidem Deo fallere. Frustrà vero excusationes quærunt tunc, ob ætatem immaturam, ob indiscretionem & imprudentiam, quod nexum tanti vinculi non ponderarint, nec difficultates secuturas præviderint; quia sacri Doctores non plus exigunt ætatis & maturitatis ad obligandum se Deo per votum, quam Dæmoni per mort. peccatum, vel Deo per actum meritorium. Ut de elegantes Ambrosius: *Non miretis in adolescentulis castitatis professionem, cum legis in parvulis passionem. Nam & scriptum est de his: Adolescentula dilexerunt te nimis.* De nubentibus igitur post votum, audi Apostol. *Habent damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt,* quia scilicet per votum, fecerunt cum Christo pactum, fidem illi dantes, nunc contra illam cum marito pacisci volunt, Christique fœdus dissolvere. Addit Apostolus, *iam conversæ sunt retrò Sathanam,* quia relicto illo cui se per continentiam desponderant, sequuntur Dæmonem libidinis incentorem ad incestus nuptias invitantem. Et quidem aliquæ ut sibi ad illas viam sternant prius luxuriantur cum sponsis quos ambiunt, & hoc vocat Apostolus, *Luxuriari in Christo,* hoc est, in injuriam Christi. Consonat Apostolo Augustinus disertè pronuncians: *In illis quæ voverunt castitatem, non solum capessere nuptias, sed & nubere velle, damnabile est.*

3. Ambr.

1. Tim. 5. 12.

Aug. de adult. conjug. c. 14.

Licet verò juvencularum vota in sæculo non reprobemus, si seriò se probent. (Non ætas rejicitur florentior, ubi morum est senecta, Theclam non senectus, sed virtus probavit, inquit Ambrosius) Multarum tamen inconstantia etiam post plures castitatis annos comperta, indicat frequentius suadendum, ut aut virum, aut murum eligant, ut se claustris recludant aut nubant, quia ob sexus infirmitatem multis periculosum est inter consortia & illecebras mundi vovere Castitatem. Hinc illud consilium Apostoli ad adolescentiores viduas, quibus ob habitum conjugij difficilior est continentia: *Volo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia* Quasi dicat: Consulo illis ob periculum otiandi, vagandi, impunè vivendi, ut juvenilis inconstantia conjugij jugo adstringatur, sic curis domesticis occupentur, ne cuipiam detur occasio scandali & maledicti contra eos qui ad castitatis votum sic inconstantes velint adducere.

S Ambr.

1. Tim. 5. 14.

Ex his omnibus consulitur Confessarijs, ut juvenculas quæ domi debent degere inter suos, non facile permittant edere vota perpetuæ castitatis, ne postea sint in laqueum: nihil tamen vetat, ut de mense in mensem, aut de anno in annum, concedant ad probationem.

2. *De fide alteri data.*

Secundo interrogantur, *an alteri fidem non dederint?* Quia qui sciens volensque alteri spopondit, obligatus est vinculo oris sui, teneturque implere promissum, nec sine perfidia mortali potest recedere nisi in casibus à jure permissis, de quibus vide Navarrum c. 22. Imò si quis fidem Matrimonij alicui dederit, non tamen juramento firmarit si postea alteri fidem juret, tenetur priori: quia juramentum posterius cadit in materiam indebitam, & illicitum est, nec ligat. Interim parvi pendunt cæci juvenes fidem etiam juratam, sufficit promissione ad turpia puellas illectare & defiorare, postea deserunt & despiciunt, cum illarum dedecore, lacrhymisque parentum: sicut Ammon cùm violasset Thamar, despexit, & *exosam eam habuit.* Hoc vero Deus permittit in pœnam levitatis puellaris, ut discant serpenti per os eorum sibilanti non credere, ne instar Evæ decipiantur fallaci promissione? & ut discant se matrimonio integras conservare. Sic exemplum alijs eas exhibet Deus, quomodò & Dinam violatam ob nimiam levitatem & curiositatem, quia voluit excurrere, ut videret filios & filias regionis alienæ. Sed & ex parte puellarum falsa hæc fides non deest, quæ illaqueant juvenes ad suam sequelam, alliciuntque ad graves expensas fallaci promissione; postea si opulentior occurrerit conditio, eam captant, non obstante fide & juramento, sed non sine animæ periculo.

Navarr. cap. 22. V. Parochiale Leod.

2. Reg. 13. 15.

Digitized by Google

Delrio lib 3 disq. mag. q. 7. sect. 2.

Audi exemplum memorabile. In Saxonia virgo opulenta formoso juveni at tenuioris fortunæ matrimonium promisit, dixisque se devoverat, dicens: *Si alteri nupsero, damon me in illis nuptiis abripiat.* Post intervallum, animum mutans alteri nubit, non obstante quod prior eam promissi & imprecationis admoneret. Ipso nuptiali die omnibus convivis ad hilaritatem se excitantibus, ipsa tristior fit solitò urgente conscientia. Tandem duo dæmones sub specie equitum adveniunt, & in ædes nuptiales mensamque adducuntur, deinde ad choreas. Uni ex illis honoris causa quasi extraneo, sponsa ducenda jungitur; cum ea aliquoties tripudiat, deinde sublime effert, in conspectu parentum & amicorum, cum eorum ejulatu. Altero die amici mœsti sponsam quærunt, ut fortè delapsam sepeliant: & ecce iidem occurrunt, vestes & aurum referentes dicentesque: Non in has res, sed in sponsam nobis à Deo potestas est concessa. Ita Delrio.

3. De Parentum consensu.

Tertiò interrogantur, *an adsit parentum consensus?* Ratio est, quia parentum est, prolibus providere & consulere in hoc gravi negotio. Nam & ratio naturalis docet, debere parentes de statu prolis satagere, illisque obtemperandum esse, & consilio illorum utendum hac in re. Scriptura veteris & novæ legis, hanc curam delegat parentibus. 1. Cor. 7. 38. Apostolus: *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, &c.* Eccl. 7 26 Ecclesiasticus verò: *Filia tibi sunt, serva corpus illarum, & non ostendas faciem hilarem ad illas. Trade filiam, & grande opus feceris. Homini* Gen. 24. 4 *sensato da illam.* Hinc Abraham ubi nubilem Isaac attigit ætatem, mittit fidelem domus suæ Oeconomum Eliezer, ut illi despondeat uxorem. Et laudatur Isaac tanquam filius obediens, quod totam hanc curam Patri defert: nihil disputat quod è longinquo adducatur, cum non deesset quam posset eligere, è multis quas suis oculis lustrarat. Non etiam contendit ipse proficisci, ut eligat, sed patris directioni, & illius qui mittebatur fidelitati, se committit. Ideò ut obedientiæ exemplar illum proponit S. Ambrosius, laudans illud puellæ apud Euripidem responsum: *Sponsalium quidem meorum* Amb. lib. de Abraham. *Pater curam subibit, hoc enim meum est munus.*

Sic Catullus in Epithalamio, alloquens puellam ut assentiatur voluntati parentum, dicit lepidè:

Virginitas non tota tua est, ex parte parentum est.
Tertia pars Matri data, pars data tertia Patri.
Tertia sola tua est, noli pugnare duobus.
Qui genero sua jura, simul cum dote dederunt.

Itaque invitis parentibus contrahere, ordinatiè est grave peccatum, ob irreverentiam & injuriam Gen. 36. patriæ potestatis. Graviter Esau offendit & contristavit parentes, duas sine eorum assensu ducens uxores. Et infœliciter cedere solet filiis hac in re in pœnam peccati. Aliud est cum quis religionem ingreditur: quia tunc non tam cum parentibus (qui solent obicem injicere) quam cum Deo consulendum. Si vocat oriens, nòn attendas ad occidentem; si vocat magni consilii Angelus, noli aliena consilia præstolari: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*, tu viam vitæ ingredere. Sufficit verò parentum consensus interpretativus. Sic Tobias absens duxit uxorem, & Jacob peregrinus apud Laban. Si verò non adsit consensus, ratum tamen est matrimonium; ut definit Trid. ſ. 24. c. 1. quia illorum consensus etiam jure naturæ sufficit, quorum est onera matrimonii ferre: hoc autem non parentum est, sed conjugum; & licet peccent contra obedientiam, dum de matrimonio decernunt, de re tamen sua non de aliena disponunt. Matth. 8. 22. Trid. ſ. 24. c. 1.

Gravissimè verò monendi sunt parentes, ne metu gravi, minis, verberibus, in electione status cum prolibus agant. Nec ad nuptias cogant, quæ statum eligunt castitatis, nisi Dei iram vindicem in se velint accersere, neque ad castitatem importunè urgeant, quæ nubere volunt. Exinde enim in Religione & claustris tot infausta, tot scandala & apostasiæ, quia plures irrepunt non à Deo vocati; sed à parentibus intrusi, ut spem hæreditatis amplioris aliis prolibus parent, aut cæco alio affectu. Denique si connubia eligant, non ad placita sibi, prolibus autem ingrata impellant: quia magna opus est libertate, cum de vinculo insolubili agitur, & ad tot onera ferenda opus spontaneo amore; nec tam uxor, quam hostis dicenda est, quæ invita nuptui datur. Eheu! quot malorum origo est parentum importuna potestas, & malesuada voluntas colligans filias cum exosis maritis!

Mihi contigit in variis locis hac de re casus lachrymis dignos audire. Quædam fuêre sunt, se per plures annos à maritis ita fuisse aversas, ut nec se attingi paterentur ad matrimonium consummandum: exponebant interim eos certo turpitudinis periculo. Quædam cum parentum voluntati non possent refragari, resolvebant secum: Si opus sit huic viro mihi exoso jungi, cogitatione alio perfruar. Sicque in congressu maritali ad alium affectum, cogitationemque convertebant. Cum quandam urgerem, an non interrogata fuisset à Ministro assistente, num in illum virum consentiret? An non saltem nunc afferuerit, se consentire? Respondit se verbo quidem asseruisse, mentem tamen, quantum in se erat, alio divertendo. Nec defuit, quæ tandem veneno maritum infecisse fassa est. Denique quam multæ hanc ob causam, adulterio matrimonia polluerunt? Sic discite, ô infausti parentes, non abuti patria potestate, liberos morosè premendo, opprimendo perimendo vosque ipsos, dum tot periculis salutem eorum exponitis quæ quidem in caput vestrum retorquentur.

* *
*

PRO-

Digitized by Google

Propositio II.

De Caremoniis adhibitis in Sacramento Matrimonij

1. *Stola dextra contrahentium colligantur.*

Ritus in hoc Sacramento 1. dextræ contrahentium junctæ sacra stola colligantur, in symbolum fidelitatis, & vinculi indolubilis, quo vi Sacramenti in Christo copulantur. Est Matrimonium indolubile ob unionem significatam Christi cum Ecclesia, per amorem & unionem hypostaticam in humanitate assumpta. Stola autem symbolum humanitatis Christi est, quam tanquam vestem & stolam sibi adstrinxit, & nos per illam, sic verò adstrinxit, ut nunquam dimiserit. Hanc significationem Matrimonio Christiano inferens, vult conjugum corpora animosque ita uniri, ut quamdiu spirant, non dividantur, dicens in illius institutione: Matt. 19. 4 *Quod Deus conjunxit, homo non separet* Hæc omnia stolæ colligatio mystice repræsentat Unde sic colligati, mutuum consensum exprimunt, & juramento solemni in præsentia Dei & Angelorum asserunt, per fidem quam Deo debent, per Baptismum quo in Christo regenerati sunt, per partem quam cum electis expectant, se mutuam fidelitatem tam cordis quam corporis, tota vita inviolabilem adservaturos quocumque in statu: simulque auxilium, bonorum communicationem, protectionem, sibi compromittunt: quæ olim per Pallium quod vir supra conjugem extendebat, designabatur, ut colligitur Ruth 3. Utinam hujus juris jurandi sæpius conjuges meminerint. Utinam non se perjurij reos coram Deo sistant, & in caput suum damnationem accersant; dum opere vel corde mœchantur, vel desponsatas deserunt, repudiant, in desperationem & perditionem adigunt. Per hanc fidem data fit, ut *mulier potestatem corporis sui non habeat, sed vir; & vir potestatem corporis sui non habeat, sed mulier*, ut dixit Apostolus. 1. Cor. 7. 4.

V. formam in Paroch. suis.

Ruth. 3. 9.

Sopronius in Prato spirit. c. 139

Hujus juramenti & potestatis sibi mutuo datæ per illud memores fuere viri ille & mulier, de quo in Prato spirit. Mercatori quidam naufragium passus omnium rerum suarum divina providentia incolumis evaserat. Ubi domum appulit, à creditoribus carceri traditur, omniaque ad uxoris usque vestes divenduntur. Hæc omni ope destituta mærebat, quod nec viro panem suppeditare posset. Cum quadam die in carcere mariti sortem deflereet, accessit dives quidam incarceratis eleemosynam largiturus, & mulieris specie captus est. Dicitque custodi, ut adducatur ad se. Venit illa eleemosynam sperans, narratque mariti infœlicem sortem. At ille. Vis hac nocte mihi jungi, eximam te angustiis, & creditoribus faciam? Cui Mulier casta & fidelis: Domine intellexi Apostolum dicere: *Mulier corporis sui potestatem non habet, sed vir*, remitte me ad maritum, quod jusserit, paragam. Regressa narrat marito rem. At ille non se hac occasione abripi passus est. Aut ergo lachrymans dilectam conjugi: Vade ô Soror, dic ei nos spem figere in Jesum, qui suos non deserit, mortemque potius obire nos paratos, quam eum offendere. Renunciat illa mariti responsum, rubore perfundens virum castitati suæ insidiantem. Nec verò Christus defuit speri illorum. Nam per id temporis latro etiam carcere detentus viri mulierisque colloquium audiens, compunctus in se dixit: Ecce hi pudicitiam Deumque pluris faciunt, quam pecuniam vitamque; At ego quid faciam, qui de Deo nunquam cogitavi, tot homicidiorum auctor? Vocat ergo eos, & dixit: Ego scio me ad mortem damnatum, audiensque pudicum vestrum consilium, compunctus sum: pergite ad talem locum, & fodite, pecuniam reperietis, ut debitum persolvatis, & orate ut ego inveniam misericordiam. Post paucos ergo dies latro neci datus est, & mulier pergens ad locum pecuniam repetit; & paulatim satisfaciebat creditoribus, ut existimarent pecuniam ab eo mutuò accipi Hæc ibi.

2. Non solum dextræ conjunctæ colligantur, sed etiam in Sponsæ digitum annulus infertur, ut hoc pignore facto dilectione mutua sic corda jungantur & obsignentur, ut nullus amori extraneo accessus detur, nullusque odio locus. Etenim & hujus rei symbolum est, quod quarto digito sinistræ manus annulus hic imponitur; qui & annularis digitus fidei, digitus cordis, nuncupatur. Tradant enim ab illo nervum quemdam tenuissimum, venamque sanguinis ad cor pertingere. Aulus Gellius, Macrobius, Plinius, Isidorus, & alij. Neque vèro mos annulum exhibendi in nuptijs recens est, cum & apud Hebræos usitatus fuerit, Græcos, ac Romanos, apud quos cives utebantur aureo, libertini argenteo, servi ferreo, teste Isidoro. Neque solum in usu erat Signatorius aut Honorarius annulus, sed & maximè Sponsalis ac Pronubus. Apud Hebræos annuli usus colligitur ex multis scripturis. Nam Thamar dixit Judæ: *Pactum quod vis, si dederis mihi arrhabonem.* Ait Judas, *quid pro Arrhabone vis dari? Respondit annulum suum* Iterum cum de fabrica tabernaculi agitur, ad quam monilia, aurum, argentum, byssus afferebantur, inter cætera etiam annulos oblatos, testatur Scriptura Exod. 35 & Isaiæ. 3, minatur Dominus se ablaturos a filiabus populi sui monilia, mitras, discriminalia, Annulos. Inter Christianos verò jam ab initio usitatos annulos, testatur Clemens Alexandrinus, docetque quo signo Christianorum annuli forent sculpendi: *Sint nobis signacula, Columba, Piscis, vel Navis, quæ celeri cursu à vento fertur, vel Lyra Musica, quam suus est Polycrates, vel Anchora, quam insculpebat Seleucus: & si sit piscator aliquis, memineris Apostoli, & puerorum qui ex aqua extrahuntur. Neque idolorum imprimenda sunt facies, quibus vel solum attendere, prohibitum est; sed nec ensis, vel arcus, iis qui pacem prosequuntur, nec loculi, iis qui sunt inordinati & temperantes* Sed apud Christianos, teste Baronio, usus olim fuit, ut in annulo sponsali, sculperetur signum mutui

2. *Annulus in quartum digitum sponsæ inseritur.*

A. Gellius Macrobius, &c. Isidorus.

Ge. 38. 17

Exod 35. 22. Isa. 3. 20.

Clemens Alexand.

Baron. ad an. 57.

tui fœderis & concordiæ, hoc eſt, *Dextra ſimul junctæ*, quia pontificione dextræ, apud omnes ferè nationes fides ſponderi ſolita eſt; & coniunctione manuum (ex qua efficitur numerus denarius) perfecta animarum conſenſio aptè exprimitur. Plura eadem de re vide apud Baron. ad Chriſti annum 57.

S Urſula Pronubus annulus Colonia adſervatur.

Sed & annuli Pronubi uſus ſatis ex eo probatur, quod adhuc aliquibus ſacris in Eccleſia habeantur. Nam Coloniæ reſervatur annulus S. Urſulæ aureus opere ſimplici, quo eam ſibi Conanus Gallo-Britanniæ Præfectus, nondum é paternis abductam latibus deſponſarat, ſed illa virginitatem amans, fugiensque ſponſum, ex majori Britannia fœlici naufragio Coloniam appulit, cum Virginum cohortibus, ubi Chriſto fidem datam, conjugiumque perfectitatem cum illo initum, ſanguine ſuo ſanxit.

B. Joach. Annulus quoque quo S. Joachim Annam Mariæ Parentem ſibi conjunxit, ſervatur Romæ apud Sanctimoniales S. Annæ; eſtque argenteus & rudis cum criſtallina gemmula, maculis circumingentibus nigris, in medio pellucida, ex qua imago, veluti è ſpeculo reſilit, quo hebetes & caligantes oculos, quibus admoveri ſolet in Feſto S. Annæ, plurimum juvari tradunt.

Servatur & Perußij in Italia, in templo S. Laurentij ſummaveneratione, & populorum concurſu, annulus quo B. Ioſeph Mariam deſponſavit, eſtque miraculis clarus, à Cluſinis ad Perußinos divina providentia delatus. Hiſtoriam deſcribit eleganter Ioannes Baptiſta Laurus Perußinus. Hunc annulum ſæpius ſe ſpectaſſe mihi aſſeruit Clariſſ. I. U. D. Iòannes Baptiſta de Ninis Illuſtriſſimi D. P. Aloyſij Caraffæ Nuntij Apoſt. ad Germaniam, Auditor Generalis; ſed non poſſe dignoſci ex qua materia ſit; non enim ex argento aut auro, ſed ex lapillo alicujus generis eſt. Solent vero Matronæ conflatos ex ebore annulos, Perußium mittere, attactu illius conſecrandos, in partu profuturos, de quo ſic Baptiſta Laurus: *Ego quoque Romæ ab hinc quadriennio, Principum aliquot fœminarum rogatu, annulos ex ebore conflatos Perußium tranſmiſi curavique attactu noſtri quaſi divinam ex eo hauſuros indolem, conſervavi ſic quod aſſerebant, partui propinquæ mulieres difficili nixu ſe excruciantes, ſi hos annulos digito geſtaſſent ſublevari.* Annulus quoque iſte ſacratiſſimus Deiparæ, reconciliandis conjugum diſſidentibus animis, mirè prodeſt; cujus rei gratia plures voto adſtricti, ſe Perußium conferunt, & fructu domeſticæ pacis fruuntur eliminata diſcordia. Denique multi à dæmonibus vexati & obſeſſi ad aram ſacram, ubi hic annulus ſervatur, confugientes, liberati ſunt.

S. Joſephi.

Joann. Bapt. Laurus.

Nec hoc ſilendum, quod cum nobilis & regij ſanguinis fœmina nomine Waldrada præcipiti pietate, dum ei gemma ſpectanda exhiberetur, manu eam accepiſſet, & digito annulari inſeriſſet, illum protinus digitum exaruiſſe in pœnam temeritatis. Quæ res in populi concurſu contigit, dum adhuc Cluſij exiſterent; nec mirum tibi videatur tantam in venerationem illum haberi, quandoquidem annulus ille pronubus, humanæ fœlicitati auſpicium dederit; qui Mariæ horrus concluſus, fons ſignatus, Porta Cœli, ſoli æterno Principi pervia fuit obſignata, & tradita Ioſepho virginitatis ſocio & conforti. De hoc annulo ſic quondam luſiſſe fertur Urbanus Octavus, qui modo in ſede Petri agit, dum adhuc S. R. E. Cardinalis ſoret: *Urb. 8.*

Imbriferis arcus fulgens in nubibus, Orbem,
Effera celuvij damna, timere vetat.
Sic Deus omnipotens voluit Deus annule, majus,
Eſt tibi quem ſupplex Virgo Perußina colit.
Et gemino conſtans arcu fœlicior undis,
Nam peperit Virgo nupta ſalutis opus.
Virgineos terras conjungens fœdere Cœlum:
Hæc duce, non pelagi, non flygus unda nocet.

Cæterum, cum Sponſus Sponſæ annulum tradat in digito cordis (ex quo nervulus in cor derivari anatomia Medicorum obſervavit) ſi quenter illum attendat Sponſa: oculumque mentis non debet, ab illo dimovere; ſicut nec oculis corporis expoſitum, facilè oblivioni tradit. Meminerit ergo amoris cordatiſſimi, ad quem ſe obſtrinxit, & illius aſpectu reſuſcitet gratiam in conjugio datam, nec obliviſcatur benedictionis illi annulo datæ, à Sacerdote Chriſtum repræſentante, quæ ſic habet: *Benedic Domine, hunc annulum, quem in tuo nomine benedeximus, ut quicumque eum portaverit, in tua pace conſiſtat, & in tua voluntate permaneat, & in tuo amore vivat, creſcat, & ſenef at & multiplicetur in longitudinem dierum.*

Propositio III.

De Benedictione Sacerdotali.

III. Benedictio Sacerdotalis.

Poſt interrogationes, ſtolæ collocationem, annuli traditionem, mutui conſenſus expreſſionem, conjugibus benedictionem impertitur Sacerdos, in qua benedictione legi ſolet Pſalm. 127. *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus, &c.* Qui quidem Pſalmus, quoniam bona matrimonij inſinuat, paulò latius à nobis explicandus eſt. *Pſ. 127. 1.*

Primo incipit: *Beati omnes qui timent Dominum*, quia initium omnis boni timor DOMINI eſt: *A timore tuo Domine, concepimus, & parturivimus ſpiritum ſalutis*, inquit Propheta. Timor autem ille ſanctus in hoc elucefcit, ſi ſolliciti è quis illi placere, illius ſe voluntati ſtudeat conformare; & nihil ita vereatur, quàm in ejus offenſam incurrere. Hoc nempe eſt in viis ejus ambulare, ejus mandata, conſilia, inſpirationes ſequi, nec declinare à via regia juſtitiæ. Qui ergo timet Dominum, in viis ejus ambulat, & ideo beatus eſt initiali quadam beatitudine, nunc expectatione certa, poſtea poſſeſſione ſecura.

Secun-

Secundò addit: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* Ubi indicat hominem non ad otium creatum, ſed ad laborem, ſicut avis ad volatum inquit Job. Nam prima ſen-
Gen.3.19. tentia ad id eum condemnat: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* At huic labori Deus benedicit, abundantiam tribuens timentibus ſe, vel certè ſufficientiam pro ſe, & liberis alendis. Non ergo debent hoc adſcribere Patresfamilias ſoli ſuæ induſtriæ, aut labori, ſed maximè divinæ providentiæ &
Pſ.126.1. benedictioni. Etenim quidquid laboris & induſtriæ adhibeatur: *Niſi Dominus ædificaverit domum, invanum laboraverunt qui ædificant eam.* Quid eſt ædificare domum? prolem, familiamque fœlicem conquirere. Nec enim domus hic tam pro loco manſionis, quam pro familia accipienda eſt. Sic
Exo.1.21. Exod.1. Deus dicitur ædificaſſe domos obſtetricibus, eo quod peperciſſent maſculis Hebræorum;
1.Paral.7. David quoque promittit ædificare domum, hoc eſt, proſapiam amplam, & fœlicem. Fruſtra ergo quis adlaborat, ut prolem fecundam habeat, operaque illi provideat, niſi Dominus collaborarit. *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere, ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.* Vanum eſt Deo non juvante, ſurgere ad laborem, quo victum conquiratis; & licet valdè manè, poſt quam paululum ſederitis, ſive quieveritis, ad laborem redeatis, non vobis ſuccedet, niſi Domino opitulante Vos ergo, *qui manducatis panem doloris*, qui cibo ærumnoſo veſcimini, edentes in triſtitia panem magnis laboribus partum, confidite magis in Domino, ut laboti manuum veſtrarum benedi-
Deut.28.1. cat. Hanc benedictionem promiſit populo ſuo: *Si mandata mea cuſtodieris, venient ſuper te benedictiones iſtæ, benedictus tu in civitate & benedictus in agro, benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructusque jumentorum tuorum.* Vide cætera Deut. 28. Quod ſi quandoque timentes Dominum has benedictiones non aſſequantur, ſed non obſtante quod labori inſudent egeſtate torqueantur, compenſat id Deus amplioribus donis ſpiritualibus & æternis. Unde ſi vix panem poſt laborem ad manducandum habent, certiùs præparat eis Deus panem, qui non deficit in regno Dei, eumque colligunt ibi de opere manuum ſuarum, de fructu meritorum, quæ hic ſeminarunt. Quapropter
Iſa.3.10. omnibus juſtis convenit illud in ſenſu ſpirituali: *Labores manuum tuarum quia manducabis* & magis quod ſequitur.

Beatus es, & benè tibi erit Beatus es in ſpe in præſenti, & benè tibi erit in re in futuro, in ampla illa operum tuorum remuneratione. Quo eodem ſenſu per Iſaiam dicit Dominus: *Dicite juſto quoniam benè fructum adinventionum ſuarum comedet: Væ impio in malum, retributio manuum ejus fiet ei.* Conſolatoria admodum monitio ſtatim eſt, ex ore Domini procedens & paucis multa complectens. An non rectè dicitur juſto quod bene, rectèque impio væ nunciatur? Nihil enim juſto niſi benè, nihil impio, niſi væ: quia juſto omnia etiam mala cooperantur in bonum, impio bona quæ habet vertuntur in malum, ceduntque ei in damnationem. Si enim opes habet, ſi honore fulget, ſi fœlicitate fruitur his peccata accumulat, & væ ſibi multiplicat: nec illi benè eſſe unquam dici poteſt, quia hæc à miſeria pœnæ & culpæ non valent eum liberare. Sic nec ægro benè eſſe dicimus, licet opibus affluat, licet famulorum turba circumſtet, licet honores omnes, diademata, ſceptra, inſulæ, deferantur peſſima autem ægritudo eſt ægritudo peccati, quæ non ſinit hominem benè eſſe, cùm & conſcientia ſemper inquieta pavorem, & affectus pravi turbidam mentem ei ingenerent. Juſto autem ſine limitatione vult Dominus nuntiari. *Quoniam bene* indicans omne genus boni humano cordi optabile ei dari, initialiter quidem in hac vita per ſpem & promiſſionem, conſummativè in altera, per promiſſionis exhibitionem. Dicite ergo juſto *quoniam benè*, quia benedicta hora, in qua natus eſt, benedicta vita benedicta mors, & quicquid illam ſequitur dicite *quod benè* ei ſuccedet, ſive in laboribus, ſive in quiete, ſive in honoribus ſive in ignominia, ſive in copia, ſive inopia. *Quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Annunciate ei omne bonum, ſive ex parte animæ, ſive ex parte corporis, ſive ex parte Dei, ſive ex parte hominum, ſive ex parte hujus vitæ, ſive ex parte futuræ. Licet enim per adverſa ejus probetur patientia, tamen damna in lucrum, labores in meritum, certamina cedunt ei in coronam & præmium. Dicite ei *quoniam benè*, quia nomen ejus ſcriptum eſt in libro vitæ, illique præparatum eſt ſummum omnium bonorum, à mundi conſtitutione. Unde licet omnia elementa conſpirent, licet totus infernus obluctetur, nihil trepidare debet: *Si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ.* In enim ruente ſæculo dicitur juſtis: *Levate capita veſtra quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Et cuilibet illorum dici poteſt: *Beatus es & bene tibi erit.* Rom.8.2.

Eſt & hoc advertendum, quod dum in benedictione conjugatorum dicitur: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es*, indicari his verbis eos debere hanc vitam tranſigere, non de laboribus alienis, ſed de ſuis, non de hæreditate pauperis, aut pupilli, non de pane viduæ, aut impotentis reſiſtere; ſed de propria induſtria & cura. Felix qui quietè manducare poteſt panem ſuum ſub ficu, & vite ſua, hæc eſt Dei benedictio, dum nihil injuſtè poſſidet, non per fraudes, non per dolos & circumventiones, non per lites & exactiones. Significatur etiam hanc eſſe à Deo benedictionem, ſi non moleſtetur, aut inquietetur diſſidiis, litibus, proceſſibus exemptus ab illa maledictione: *Diripiant alieni labores illius, non ſit illi adjutor, nec ſit qui misereatur pupillis ejus* Denique ſignificatur, quod non debeat eſſe inquietus nimia ſollicitudine, avaritia, cupiditate, ob quam vix Pſ.108.11.

cibum neceſſariamque relaxationem audeat ſibi & familiæ indulgere, vel amicis frugaliter communicare. Etenim & hoc reprehenſibile eſt, dicente Eccleſiaſte: *Quid proderit homini de univerſo labore & afflictione ſpiritus, qua ſub ſole cruciatus eſt? Cunctis diebus doloribus & ærumnis plena ſunt, nec per noctem mente requieſcit, & hoc nonne vanitas eſt? Nonne melius eſt comedere & bibere, & oſtendere animæ ſuæ bona de laboribus ſuis? Et hoc de manu Dei eſt.* Eccl. 2. 22. Itaque extrema hæc vitanda ſunt, vel nimia ſollicitudine, avaritiaque laborare, & terrenis bonis inhiare; vel otio etiam nimio marceſcere, nec commoda ad vitam hanc tranſigendam quærere: *Stultus enim* inquit, *complicat manus ſuas, & comedit carnes ſuas, dicens: Melior eſt pugillus cum requie, quàm plena utraque manus cum labore & anxietate afflictionis.* Eccl. 4. 5.

Tertiò dicit: *Uxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.* Hoc eſt, ſicut vitis propagines ſuas diffundit per omnia latera domus, fructum ſuum proferens; ita & uxor tua filiis elegantibus & ſuavibus domum tuam replebit. Hæc enim benedictio Dei eſt, in matrimonio proles ſœlices producere, & quaſi uvas multas ad maturitatem perducere. Ut ſicut vinum reficit, colore, odore, ſapore delectans; ita & filii bonæ converſationis odore & guſtu, parentum ætatem & ſenectam ſolentur. Rectè autem dicitur *uxor in lateribus domus* fructificare; illius enim eſt quietè domum incolere, prolium curam habere, non divagari, non otiari, ſed adjutorium eſſe viro in domeſtica gubernatione: & dum is externis negotiis ſe impendit, ut domui procuret neceſſaria, illius eſt fideliter omnia diſpenſare, non prodigè & inutiliter adminiſtrare: *Confidit* enim *in ea cor viri ſui, reddet ei bonum, & non malum omnibus diebus vitæ ſuæ: Conſideravit ſemitas* (live ſtatum) *domus ſuæ & panem otioſa non comedit.* Unde *ſurrexerunt filii ejus, & beatiſſimam prædicaverunt, vir ejus & laudavit eam.* Quomodo autem Deus ſicut viti tribuit uvarum abundantiam, ita & timentibus ſe fœcunditatem filiorum ac nepotum, patet ex filiis Iſrael. Hi cum tantum 70 ingreſſi fuerint Ægyptum, poſt 215. annos quibus in Ægypto vixerunt, ita numero auctiſunt, ut præter parvulos & uxores, ſexies centena millia peditum in egreſſu numerata ſint Exod. 12. Unde de illis dicitur Exodi cap. 1. *Erant igitur omnes, qui egreſſi ſunt è ſemore Iacob 70. Joſeph autem in Ægypto erat, qui mortuo & universis fratribus ejus, omnique cognatione illa filii Iſrael creverunt, & quaſi germinantes multiplicati ſunt, ac roborati nimis impleverunt terram*, terram ſcilicet Geſſen ſibi attributam. Sic manifeſtè adimpleta fuit multiplicatio ſeminis Abrahæ Gen. 13 & 15. promiſſa. Et quidem hæc fœcunditas potuit eſſe naturalis, quia naturaliter fieri potuit, ut omnes mulieres Hebrææ eſſent fœcundæ & ſingulis annis parerent: item ut maturè inciperent parere, & ſerò deſinerent, & ut Hebræi tradunt, binas aliquando & ternas proles ſimul parerent, nam hoc in Ægypto non ita fuiſſe inſolitum, teſtis Ariſtoteles eſt lib. 7. animalium cap 4. Tamen hæc propagatio etiam providentiæ ſpeciali Dei, & benedictioni adſcribenda eſt, quandoquidem Hebræi ita creverint, non obſtante quod ſummis & continuis laboribus & afflictionibus tam animi quam corporis, opprimerentur, licet enim hæc oppreſſio fœcunditati contraria eſſet, tamen quanto magis opprimebantur, tanto magis creſcebant. Unde dicit Auguſtin. *Creverunt Hebræi, divinitùs fœcundata eorum multiplicatione.* Exod. 1. 7. & c. 14. Gen. 11. 2. & 15. 5. Prov. 31. 11. v. 27. Ariſt. l. 7. animal. c. 4. Aug. l. 18. civ. c. 7.

Mirabilis certè fœcunditas In genus humanum provenit, ex prima illa benedictione Domini, *Creſcite & multiplicamini, &c.* Unde ex tribus Noe filiis 250 annis in tantum propagati ſunt homines, ut Diodorus Siculus doceat Ninum (qui regnare cœpit ſub annum 250. à diluvio) eduxiſſe contra Bactrianos, peditum decies ſepties centena millia & equitum ducenta millia. Gen. 1. v. 28. & c. 9. v. 1. Diodor. lib. 3. c. 3.

Sed parum eſt filios producere, niſi benè moratos, ideò dicitur conjugii benedicti fructus, ſore inſtar uvarum ſuavium: Mali enim filii ſunt uva acerba dentibus Patrum ſuorum, quibus obtupeſcunt & torquentur. De bonis autem filiis attende quod ſequitur.

Quartò ſubdit: *Filiitui ſicut novella olivarum in circuitu menſæ tuæ.* Hoc donum Dei eſt, circa ſe videre proles quaſi novas plantulas olivarum, ductiles, delectabiles, virentes, & bonæ ſpei; illaſque alere, irrigare, & ſi quid curvum ſit, erigere, manuducere, ut frondes, flores, fructuſque ſuaves parere tandem poſſint, olivas & oleum, hoc eſt, probos, pacificos, frugiferoque mores, quibus parentes Deuſque oblectetur. Cum autem dicit filios hos *in circuitu menſæ* conſpici, indicat maritum qui benedictione matrimoniali frui vult, non debere frequentare ſympoſia, popinas, tabernas, ibique ſua prodigere: ſed potius panem ſuum cum pueris & uxore dividere, illas in circuitu menſæ alere, cum eis quandoque animum relaxare. Sic Job dicit: *Omnipotens erat mecum, & pueri mei in circuitu meo.*

Hæc quoque allegoricè Chriſto competunt, cujus uxor Eccleſia fœcunda eſt *quaſi vitis, quæ extendit palmites ſuos uſque ad mare: & uſque ad flumen propagines ſuas.* Filii ejus ſunt quaſi novellæ olivarum in circuitu menſæ, quam Sponſus ſuus inſtruxit, virtute cujus irrigantur, fœcundantur; ut abundans oleum bonorum operum, gratiæque pinguedinem per odoriferam converſationem poſſint producere.

Quintò denique cum repetens benedictiones jam dictas dixiſſet: *Ecce ſic benedicetur homo qui timet Dominum*, adjicit & hanc finalem: *Benedicat te Dominus ex Sion, ut videas bona Jeruſalem omnibus diebus vitæ tuæ. Et videas filios filiorum tuorum pacem ſuper Iſrael.* Quæ quidem benedictio, vel

by Google

vel terrena & temporalis, vel cœlestis spiritualis, & æterna intelligi potest. Temporalis quidem & terrena erit, hoc sensu: Ex cœlesti Sion Deus sic te benedicat, ut non solùm privatam familiæ fœlicitatem experiaris, sed & publicam civitatis tuæ ac Patriæ, ut ejus statum videas tempore vitæ tuæ florentem & pacificum, sine turbine bellorum, sine vastitate & procella afflictionum publicarum bonis omnibus circumfluum: ita ut quisque sub vite & ficu sua illis quæ Deus de cœlo dedit cum pace gratias agens fruatur, & comedat cum quiete. Spiritualis autem & æterna hoc sensu erit Benedictionem & hanc postremam post omnes temporales dictas impertiatur tibi Dominus, qui ex Sion, sive ex specula æternitatis omnia contemplatur ab æterno, usque in æternum providentiam & misericordiam extendens: ut scilicet perducat te ad bona illa cœlestis & supernæ Jerusalem, quæ piis & timentibus se sunt reservata, quibus fruaris omnibus diebus vitæ tuæ. Quæ cum futura sit post hoc sæculum immortalis, opto ut æternum illis bonis perfruaris, & illa in Sion bona contempleris quæ hic oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt.

Et postquam ad bonam senectutem perduxerit te in hoc sæculo, ita ut filios & nepotes tuos fœlici jucunditate conspexeris: tandem ad pacem illam æternam Israelis sive populi electi videntis Deum pertingere tibi donet, ad pacem inquam illam imperturbabilem, quam nomen JERUSALEM importat quod interpretatur, VISIO PACIS, nomen quoque, ISRAEL, quod idem est ac VIDENS DEUM.

Has itaque benedictiones juvat explicare conjugatis, ut non solum opibus & fœlicitati terrenæ & externæ inhient, sed & maximè fœlicitati ac paci internæ, ac bonis æternis: ad quorum participationem filios s debere generare agnoscant.

PROPOSITIO IV.

De convivijs nuptialibus.

Convivia nuptialia Ge. 29. 22. Tob. 9 3. Athen. l. 5.

IAm olim convivia in nuptiis celebrari solita, constat ex Gen. 29. Ubi Laban, cùm traderet in uxorem Rachelem filiam, *vocatis amicorum turbis ad convivium, fecit nuptias.* A piis autem hæc convivia exercebantur cum timore Dei, ut dicitur Tob. 9. Sed & Athenæus convivii nuptialis dans causam, dicit: *Moribus & legibus scitum est, ut in nuptiis epulum fiat, tum nuptiales Deos ut venerentur, tum ut pro testimonio id sit convivii, quod nuptijs placeant sua nuptia.* Verum hæc convivia passim in luxum & abusus indignos Christianis excreverunt. Tunc quidlibet licitum videtur. Quis enumeret gravissima mala, quæ quotidiè convivia nuptialia ultra omnes limites Christianæ modestiæ exundantia, pariunt? Bacchus illis præsidet & proserpina, furiæque infernales cum tædis suis aderant; non Christus aut Maria, Geniique boni; hinc non solùm ebrietates, sed & rixæ, homicidia, sanguinis effusio, dissolutionesque gravissimæ passim ex illis oriri cernuntur. Vide Chrys. S. Chrys. in Gen. c. 29.

Sed has dissolutiones quandoque ultio divina à tergo consequitur. Paucis id exemplis comprobemus. Agebantur Qualenses in Lubeca nuptiæ, aderatque frequens utriusque sexus multitudo choreas ducens. Et ecce ignis ignota origine locum invadit, & 180. utriusque sexus, peremptæ sunt, soli Sponsi nudi è lecto evasere. Unde & proverbio locus datus NUPTIÆ QUALENSES. Nempè sponsi ritè suscepto Sacramento, in gratiæ statu exsistebant, unde eis divinus favor affulsit: alii in peccatis hærentes, divinamque irritantes clementiam dissolutionibus suis, ultioni fuere obnoxii. Testis est Albertus Crantzius & Majolus colloq. 4. art. 144. Crantzius & Majolus.

Alexander III. Scotorum Rex, cùm tertiò sibi uxorem desponderet jam senex, Druydam Comitis filiam, & nocturnum celebraretur, vidit cum aulica familia, mortuum in fine chorex carnibus exutum saltantem. Quod cùm Rex cæterique advertèrent, attoniti primum substitere, deinde omen aversari, non solum tunc, sed in posterum nuptiales jocos dimiserunt. Nec inaniter hoc visum est, nam eodem anno Rex equo insidens, excussus & occisus est. Inde etiam clades & seditiones ortæ, quæ florentissimum alioqui regnum everterunt. Contigère hæc anno 1250. Ita Hector Boëtius in Scotiæ Annalibus. Hector Boetius in annal. Scotiæ an. 1250.

Audi & aliud infaustum. Celebrabantur in aula Regis Galliæ Caroli VI. Nobilis cujusdam nuptiæ, Rex recreandi animi gratia (erat enim mente paulisper læsus) cum quinque alijs, nocturno ludo in cœnaculum prodit, vultum Leonini oris imaginem personato, reliquum verò corpus delibutum pice, & multo lino depexo ac in villos confecto, ita contexit, ut hispidi portenti speciem gereret. Sic fit chorea & spectaculum, ad quod tota Regia concurrit. At Ludovicus Aurelianensis, frater Regis volens clarius rem inspicere facem propius admovit: ex qua scintilla in Regem incidens, in omnes effusa flamma, repentinum concitavit incendium. Rex fuit servatus, uxoris Biturgis veste caudata fluxaque; quâ involutus est, antequam flamma jam lambens, ad vivum corpus pertigisset: quatuor miserè ululati perierunt; quintus in propinquam promicellam ruens, aquâ & vino se perluens, salutem invenit. Belfor est in hist. Paul. Æmilius, & alii.

Altera adjungi potest solemnitas matrimonii traductio sponsæ in domum sponsi, quæ repræsentari solet in Ecclesia Christiana quibusdam in locis, dum ad oblationem sacram inter officia divina procedunt sponsus & sponsa, & utriusque parentes. Deducitur autem sponsa à duobus juvenibus sibi proximis consanguineis; deinde reducitur & suscipitur à duobus consanguineis vel propinquis sponsi, quadam valedictione suis parentibus facta, per osculum datum signifi- *Et traductio sponsæ in domum sponsi.*

Digitized by Google

ſignificatâ. Et his cæremoniis ſignificatur tranſire in poteſtatem viri, ut ei adhæreſcat, relicto etiam ſi neceſſe fuerit patre & matre; ſimulque traduci in ejus familiam, nomen illius, titulosque honoris, ac prærogativas familiæ illi communicatas participando.

Neque nova eſt traductio ſolemnis ſponſi in domum ſponſæ, nam & quid ſimile indicatur Gen. 24. dum de Iſaac dicitur, quod Rebeccam ſibi deſponſaram & adductam per ELIEZER, *introduxit in tabernaculum Saræ matris ſuæ*; ubi notant aliqui ſponſam olim ductam fuiſſe in tabernaculum vel cubiculum Socrus ſuæ, ut ſignificaretur, quod novella ſponſa eſſet futura materfamilias, ex qua liberorum, ſucceſſionis, & familiæ filium produceretur, & propagaretur, quodque ipſa in pari honore & gradu futura eſſet apud domeſticos, quàm fuerat Sponſi mater. Et advertunt interpretes, ſeorſim à viris habitaſſe uxores apud Hebræos: Unde dicitur in tabernaculum matris, non verò patris introducta ſponſa. Sic & Rebecca cùm apud parentem ſuum exiſtens, inaures aureas accepiſſet ab Eliezer, dicitur cucurriſſe in domum matris ſuæ, ut nunciaret quæ audierat. Ex quo colligitur, alia habitacula virorum, alia mulierum fuiſſe; ſeorſim enim in gynæceo mater cum puellis degebant.

Gen. 24. 67.

LECTIO VI.

DE MATRIMONIO SPIRITUALI.

1. *Docet quale ſit matrimonium anima cum Chriſto.*
2. *Illud matrimonium perfici per votum caſtitatis.*

PROPOSITIO I.

In Eccleſia & anima fideli reperitur conjugium ſpirituale cum Chriſto.

2. Cor. 11. 2.

COlligitur id ex Apoſtolo dicente ad Corinthios: *Deſponſi vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* Quæ verba veritatem deſponſationis indicant cum Chriſto ſponſo, ſive loquamur de Eccleſia in genere, ſive de anima in particulari. Ut autem has nuptias intelligas, explico ſingula nuptiis carnis correſpondentia.

Fit 1. per fidem, &c. Aug. Tract. 13. in Ioan.

Primò ergo adverte, hanc deſponſationem fieri per fidem, ſpem & charitatem, dicente Auguſtino: *Virginitas mentis eſt integra fides, ſolida ſpes, ſincera charitas.*

2. *Paranymphi ſunt, qui hoc matrimonium conciliant.*

Secundò Paranymphi harum nuptiarum, illi ſunt, qui animarum ſaluti inſudant. Agnoſcit ſe Paulus Paranymphum, dum dicit: *Deſponſi vos*, quaſi dicat: Ego Paranymphus ſum harum nuptiarum ſpiritualium, non ſponſus; non ambio mihi ſponſam, ſed Chriſto & Deo, illius gloriæ incumbo, illi cupio vos exhibere & jungere, puro & caſto matrimonio. Ipſe enim ſponſus eſt, ego tantùm ſponſi amicus, ſponſæ cuſtos & ductor, ideoque illi animas veſtras mihi comiſſas adorno, introducendas tandem ad futurum thalamum, tanquam ſponſas virgines, hoc eſt, integras in fide, ſpe, charitate, ideoque nuptiis æternis aptas.

3. *Differentia hujus & mundani matrimonii.*

Tertiò, adverte differentiam: In nuptiis enim mundi ſponſæ poſt nuptias non manent virgines, ac Chriſti ſponſæ, quaſi prius virgines non fuerint, poſt nuptias cum Chriſto virgines fiunt, hoc eſt, fiunt in fide puriſſimæ, in ſpe & charitate integræ, in moribus incorruptæ, ob hæc enim Eccleſia & anima dicitur virgo. Et hoc vult Apoſtolus, dum Corinthiis etiam conjugatis dicit: *Deſponſi vos virginem caſtam exhibere Chriſto* Audi Bernardum: *Propter Æthyopiſſam Filius Dei è longinquo venit, ut ſibi illam deſponſaret. Moyſes quidem Æthyopiſſam duxit, ſed non potuit ejus mutare colorem, Chriſtus verò quam admavit ignobilem adhuc & fœdam, glorioſam ſibi exhibuit Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam. Vnde tibi ô humana anima, tam inæſtimabilis gloria ut illius ſponſa meretris eſſe, in quem deſiderant Angeli proſpicere?*

1. Cor. 11. 2. Bern. ſer. in Dom. 1. poſt. Epiph.

4. *Contractus fit per fidem, &c.*

Quartò, cum deſponſatio hæc fiat per fidem, ſpem, & charitatem, & velut per hunc contractum: *Eris mihi in populum, & ego ero tibi in Deum* (ſicut & in nuptiis dicitur: Accipio te in meum, accipio te in meam) meritò vocatur anima meretrix & adultera, quando conſentit infidelitati & peccatis, quando admittit ſuggeſtiones dæmonis, illiuſque obſequitur voluntati. Audi Origenem *Si ſuſceperit ô homo, in cubili animæ tuæ adulterum diabolum, ſi ſpiritum iræ, invidiæ, ſuperbiæ impudicitiæ, ingreſſus fuerit, & receperis eum, delectatusque fuerit in his quæ ſuggerit, meretricatus es cum eo* Conſequenter dicendum, eſſe lenones Sataniæ, qui ad peccatum alios pertrahunt pravis conſiliis & ſuggeſtionibus: quique ad hæreſim pelliciunt pravitate doctrinæ. Hi enim ſponſum ſurripiunt Chriſto; & ſatanæ conſtuprandam tradunt.

Orig.

5. *Dona ſponſalitia ſunt virtutes & dona Spir. S.*

Quintò, in hoc matrimonio annulus datur, ornamentaque ſponſalia, de quibus Ezechiel. 16. *Veſtivi te à diſcoloribus, & calceavi te hyacintho, & ſuſtinxi te byſſo, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum Et dedi inaurem ſuper os tuum & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo.* Quo omni ornatu, virtutes variæ, donaque Spiritus S. deſignari poſſunt quibus anima à CHRISTO decòratur, ut fiat Sponſa. Additur verò: *Similam & mel & oleum comediſti, & decora facta es vehementer nimis, & proſperata es in regnum* Etenim deſponſatio iſta, etiam facit communia utriuſque conjugis bona, ideò Sponſi Chriſti bona communicantur Eccleſiæ & animæ fideli. Nam quia ſponſus eſt Rex, ſponſam animam facit Reginam, licet ſerva ſit vilis & pauper, fit ſocia menſæ, ſocia regni, ſocia thalami, & bonorum omnium, an non audis? *Aſtitit Regina à dextris tuis in ve-*

Ezech. 16. 10.

Pſ. 44. 10.

in veſtitu deaurato. Quæ nunc pannoſo veſtitu ac ſervili habitu, vilis putatur, in regno Cœlorum Regina, & nobilis Regi aſſiſtans reperitur, inquit Baſilius.

S. Baſil. 6. *Convivium eſt gaudium nuptiis.*

Sextò, etiam in his nuptiis convivium reperitur, quod prandium vocatur, & à cœna ita diſtinguit Bernard. animam alloquens. *Iam deſponſata es illi, jam nuptiarum prandium celebratur, nam cœna quidem in cœlo paratur: ſed ibi vinum non deficiet, inebriabimur enim ibi ab ubertate domus Dei, & torrente voluptatis ejus potabimur. Paratum eſt profectò illic nuptiis flumen vini lætificantis cor, ſiquidem fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* Hoc ille. Eſt ergo prandium in gaudio interiori animæ, quæ ſe tanto ſponſo ſponſatam agnoſcit: Cœna erit in gloria, in gaudii illius conſummatione. Quo verò magis creſcit amor charitatis, eo magis creſcit & gaudium, & eo magis perficitur deſponſatio hæc & connubium. Tunc enim & major fit unio cum Deo, & nuptialibus bonis, ac gaudiis divinis fruitur anima. Quod eſt enim aliud amor charitatis, niſi conſpiratio & conformitas humanæ voluntatis cum divina, ex qua oritur communicatio & familiaritas & unitas cum Deo? Oritur & gaudium internum, animæque quies in centro. Audi Bernardum ſermone 38. in cantica. Talis conformitas maritat animam verbo, cùm cui videlicet ſimilis eſt per naturam, ſimilem nihilominus ipſa ſe exhibet per voluntatem, diligens ſicut dilecta eſt. Ergo ſi perfectè diligit, nupſit. Quid conformitate hâc jucundius? Quid optabilius charitate, quâ fit ut humano magiſterio non contenta, per temet, ô anima, fiduciaſiter accedens ad verbum, verbo inhærens, verbum familiariter percunctaris, conſulteſque de omni re. Vere ſpiritualis ſanctique connubii contractus eſt iſte. Parum dixi contractus, complexus eſt, ubi idem velle & nolle, unum facit ſpiritum de duobus, quæ enim inter ſponſos alia connexio præter amari & amare? Quæ ergo amat, & aliud novit nihil, ſponſa eſt. Hæc Bernardus.

S. Bern. ſer. 38.

7. *Proles ſunt Spiritus ſalutis &c.* Orig. in 25. num.

Septimò, ex illa deſponſatione pulchræ concipiuntur proles. Has deſcribens Origenes, dicit. *Dum anima adharet ſponſo, & audit verbum ejus, & ipſum complectitur ſine dubio ab ipſo ſemen ſuſcipit, ſicut ille dixit: De timore tuo Domine in utero conſepi, & parturivi ſpiritum ſalutis. Inde naſcetur generoſa progenies, inde pudicitia oritur, inde juſtitia, inde patientia, inde manſuetudo & charitas, & omnium virtutum proles veneranda.* Sic è contrario ſi ſponſum anima deſeruerit, & ſatanæ ſe adjunxerit per fornicationem ſpiritualem, ſemen peſſimum ſuſcipit, ex quo omne vitiorum genus concipitur & oritur.

PROPOSITIO II.

Hæc deſponſatio ſpiritualis perficitur & fit per votum & ſtatum caſtitatis.

DE hac ſic loquitur D. Auguſt. Tract 9. in Joan. *Quæ virginitatem Deo vovent, licet ampliorem honoris gradum in Eccleſia teneant, tamen ſine nuptiis non ſunt; nam & ipſa pertinent ad nuptias cum tota Eccleſia, in quibus Sponſus eſt Chriſtus.* Explicemus ergo particularius deſpôſationis illius circumſtantias & cæremonias, illarumque ſignificationes & comparationem ineamus cum nuptiis terrenis, nuptiarum harum ſpiritualium.

S. Auguſt. tract. 9. in Joan. *Circumſtantiæ & ritus hujus diſpenſationis.*

1. Igitur ſicut ſponſa contrahens dicit: *Accipio te in meum*, & exinde totum amorem, & ſeipſam tradit marito; ita & qui caſtitatem vovet, Chriſto totum amorem, & ſeipſum conſecrat, illique obligationem habet vivendi ſecundum ejus voluntatem, ſicut ſponſa obligationem habet erga maritum.

2. Sicut ſponſa in ſuam protectionem ſponſum accipit, cique familiaritatem & communicationem exhibet; ita & Deus protectionem aſſumit ſibi voventium, illiſque communicationem ac familiaritatem non denegat: ſi voto & vocationi reſpondeant, illis ſapientiæ ſuæ dona impertitur.

Suriusin vita B. Greg. Nazianz. 9. Maii.

Hoc aliquando in viſione oſtenſum fuit B. Gregorio Nazianzeno. Cùm ipſe juvenis caſtiſſimus Athenis ſtudiis vacaret, vidit per ſoporem, ſedenti ſibi & legenti duas decoras fœminas ad dextram & ſiniſtram conſediſſe. At ipſe caſtitatis inſtinctu, inſpiciens eas oculo torviore, quænam eſſent, quid vellent, percunctatur. Familiariter verò ipſum complectentes ajunt: *Nemoleſte accipitas juvenis, nata tibi & familiares ſumus: altera ex nobis ſapientia, altera caſtitas dicitur, & miſſa ſumus à Domino tecum habitare, quia jucundum nobis in corde habitaculum præparaſti.*

Simile habes de B. Laurentio Juſtiniano. Hic cùm annum ageret undevigeſimum, qui ætatis flexus lubricus eſſe ſolet, apparuiſſe ei dicitur Dominus Jeſus ſpecie Virginis, cujus ſplendor Solis ſplendorem facilè ſuperaret, vultuque placidiſſimo hæc ei dixiſſe: *Cur Adoleſcens cor tuum effundis, & pacem ſtillando, teipſum per multa ſpargis? Quod quæris, penes eſt. Ergo ſi me ſponſam accipere decreveris, pacem hanc certiſſimè polliceor.* Ille tanta pulchritudine, tamquam magnifico promiſſo delectatus, quæſivit quod ei nomen eſſet? Tum illa: *Ego ſum Dei Sapientia, quæ ad hominis reformandos, humanam formam induo.* Cùm ergo adoleſcens reſpondiſſet ſe eam libentiſſimè accipere, dato oſculo læta abſceſſit: Ipſe verò non multò poſt, in Monaſterium ad oblatas ſe contulit nuptias.

De S. Laurent. Juſtin.

3. Cæremoniæ exteriores quas Eccleſia adhibet, dum Virgines caſtitatis votum emittunt, hanc deſponſationem rectè indicant. Velum enim eis

Ritus in virginibus ſolet

Iemniter ventibus adhibendi.

Velum imponitur capiti.

Gen. 24. 65

Cant. 5. 7.

Tertul. lib. de vel virg.

Ps. 118. 116

Surius in vita S Aldegundis 30. Jan.

solet imponi, sicut & olim in nuptiis, velum flammeum dictum gerebant puellæ, quo obtegebantur. Hinc verbum, *Nuptiæ*, à verbo nubere, quod idem est ac velare, quia ergo Christo nubunt, ideò velantur. Sic Rebecca cùm ducta fuit in sponsi sui Isaac domum, velo se ornasse legitur Gen. 24. Et sponsa in Canticis inter injurias quas à custodibus noctis sibi illatas conqueritur, velum sibi ablatum commemorat. Nam licet interpres noster. *Pallium* nominet, originale tamen Hebræum utitur nomine etiam significante velum sericum. De hoc velo agit Tertull. libr. de velandis virginibus. *Pura Virgunculæ*, inquit, *semper timida oculos fugit, confugit ad velamen capitis, quasi ad galeam contra ictus tentationum, contra jacula scandalorum, contra suspiciones & susurros.* Significare etiam potest istud velum debere operiri virginem, tanquam imaginem Dei specialem, ejus sigillo insignitam, & ab eo ad perfectionis decorem penicillo cœlesti perducendam: ut ergo imago ista à Christo Sponso reformanda, terreno pulvere nequaquam aspergenda designetur, velo obvolvitur. Adde hoc esse servitutis perpetuæ symbolum, unde in illius susceptione solent virgines cantare: *Suscipe me secundum eloquium, & vivam, & non confundas me ab expectatione mea.* Velum verò illud solet benedici, in signum benedictionis, quam Christus Sponsus his nuptiis impertitur, qui etiam à se velum hoc imponi, miraculis quandoque demonstravit.

Illustre exemplum ejus rei habemus in vita S. Aldegundis. Hæc urgebatur à parentibus nobilissimis, ut nuberet Principi Angliæ Regis filio. Dies nuptiarum jam decreta erat, ipsa licet dissentiente. Ea nocte qua adventabat Princeps, è domo paterna sese surripit, in sylvam Malbodium muncupatam perrecturæ, ut ibi lateat. Quæritur puella à domesticis, quæritur & à Sponso; præsidio noctis se totam arbitrabatur, at illo insequente, in angustiis deprehenditur, Sambra fluvio ulteriorem gressum prohibente. Quid ageret, tumultum ad se adventantium equitum audit; nec tam sponsum existimat, quam Virginitatis hostem advenire. Rem igitur tacita oratione Deo commendat: & magna in Deum pacta fiducia, superliquidum & impermeabile elementum gradum figit solidum, opitulantibus duobus dextra lævaque Angelis. Sic evadit incolumis, spectante ut dicitur Sponso, qui divinum admiratus miraculum, plenus stupore, ab incepto desistens retrogeditur. Quid deinde illa? Cum paucis exinde diebus audisset SS Aubertum & Amandum Episcopos, in Cœnobium Altimontense (Malbodio hora distans) advenisse, nudis pedibus illuc pergit, perfusa lachrymis eis advolvitur, obsecrat ut eorum ope cœlesti sponso per votum castitatis consecretur, sicq; parentum importuno desiderio ad conjugium terrenum adspiranti, terminum imponat: Dum vero annuunt illi, & per preces sacras benedictum Virginitatis velum, solemni ritu imponere parant: ecce Columba divinitus missa velum à terra pedibus rostroque in sublime elevat, & Virginis voventis capiti imponit, cum omnium stupore. Hujus rei adhuc memoria est (quam licuit mihi cernere) in dicto Monasterio, in Sacello dicto S Aldegundis. Et velum istud maximo cum honore servatur apud Malbodienses Nobiles Canonissas, quæ patrimonio & patrocinio S. Aldegundis fruuntur.

Crines abscinduntur Deut. 21. 12.

4. Dum Virgines in Religione Christo despondentur, crines eis abscinduntur. Sic adimpletur figura Deut. 21. ubi decernitur ut fœmina gentilis bello capta, si velit nubere Hebræo, prius rasa cæsarie & præcisis unguibus, vestesque in qua capta erat deposita, patrem, matremque lugeat. Si hujus rei rationem quæras, id fieri decretum fuit, ut his lustrationibus sancta & munda reddita, ad populum sanctum adjungeretur, oblita generis & cognationis suæ. Vel ne fortè Judæus ob crinium, unguium, & vestium ornatum, temerè mulierem adamasset, sicque per horum spoliationem probaretur, an vanus esset amor, & ad perpetuum vinculum minus idoneus. Deinde id fieri poterat, ut puella lugubres sordes, & funebrem corporis habitum suscipiens, triginta diebus parentes defleret & amicos, quos in bello perdiderat: & postea luctu satiata, ad epuli gaudia, & nuptiarum lætitiam converteretur. Sed mystice significabatur 1. Christum animas è captivitate sæculi ac satanæ eductas, sibi in sponsas velle assumere, si & ipsæ velint vestem in qua captæ sunt, mutare: hoc est, pristinos mores exuere, quos sub mundi captivitate tenebant. Hoc Apostolus vocat, *exuere veterem hominem cum actibus suis, & induere novum, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate.* Utique nova vestis gratiæ, non est superaddenda vesti culpæ, sed deponenda est vetus, ut nova induatur. 2. Deinde adhibenda est novacula abnegationis propriæ, qua radantur crines, hoc est, terrenæ & superfluæ curæ & cogitationes, omnisque mundana ac vana pulchritudo & jactantia. 3. Debent & circumcidi ungues, hoc est, omnis affectus sævitiæ & rebellionis; quia simplicitas, mansuetudo, humilis obedientia requiritur. 4. Oportet denique sedere uno mense, hoc est, oportet sufficienti tempore vitam præteritam recogitare cum quiete; considerando quem Patrem habueris in mundi conversatione, satanam nempè, quam verò Matrem, malignantium congregationem; sicque culpas præteritas lachrymis oportet diluere. Vel etiam flere debet patrem, flere matrem, quasi mortui essent, & ita se gerere erga illos, quasi non essent: imò eos sancto odio prosequi oportet, si Christo adversentur: *Qui non odit patrem & matrem, non potest meus esse discipulus.* Sic adimpletur illud: *Obliviscere populum tuum & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum.*

Eph. 4. 24.

Luc. 14. 26.

Ps. 44. 11.

Sole-

Similitudo vestalium cum sponsis Christi.

Solebant vestales Virgines abrasam capillaturam suspendere ad arborem Lotos dictam, quæ fructus adeo suaves dicitur protulisse, ut semel ad eam allecti, non possent ab ea divelli. Sponsæ Christi ad arborem Crucis capillaturam suam debent suspendere, & ab ea nunquam divelli. Hæc enim arbor est vitæ, suavissimos fructus producens, immò thronus est & thalamus Sponsi, in quo primum animas desponsavit. In hoc thalamo poterunt sponsum invenire, hanc arborem conscendentes poterunt Christum cum Zachæo videre, ejusque æternam benedictionem participare. Inducantur prævium Reginæ Chunegundis exemplum, solemni ritu Christo nubentis, Crucemque Sponsi amplectentis. Sic habet ejus vita.

S. Chunegundis uxor S. Henrici Imp.

Chunegundis Henrici II Imp. conjux, quæ virgo manlit, Conrado sibi in regnum succedente, curis sæcularibus, ut optarat exonerata, ipso anniversario die obitus S Henrici, vocavit Archiepiscopos ad dedicationem Ecclesiæ Confugiensis. Ubi inter Missæ solemnia, in imperiali ornatu ante primum altare processit, & obtulit ligni crucis partem, quam uti thesaurum incomparabilem habebat. Recitato ergo Evangelio, quod in Ecclesiæ dedicatione solet legi (de Zachæo ascendente super Sycomorum, ut Christum videre mereretur, ejusque benedictionem impetrare, regalem purpuram exuit, & fusciorem tunicam, quam propriis operata erat manibus, ab Episcopis benedictam induit Religionis vestem. Deinde capillis abrasis (qui adhuc in eadem Ecclesia pretiosi servantur) multis flentibus pro se, aliis pro illa gaudentibus sæculo renunciavit. Exinde impositio sibi velo, traditoque annulo præcinuit: *Posuit signum in faciem meam, & annulo suo subarrhavit me Dominus.* Ita conscendit ipsa in Crucem, ut Jesum mereretur videre, quia statura sibi pusilla videbatur: ita suspendit ad arborem illam capillaturæ benedictam, Regiam suam cæsariem, ut jam significaret omnes cogitationes Crucifixo dicatas: ita pro imperatoria veste cilicium assumpsit, cui jugiter indormire immo immori voluit. Cum enim agonizans videret sibi parari regales exequias, & aurea feretro obtendi velamina, illa respuens ajebat: *Amictus iste non est meus, auferte hinc, alienus est: his terreno sponso, istis cœlesti copulata sum, nuda de utero matris egressa, nuda regrediatur illuc. His vilibus vilem miseræ carnis materiam involvite & corpusculum meum juxta tumulum fratris mei, ac D. Henrici Imperatoris, quem me jam vocantem video, in proprio loculo reponite.* Atque his dictis, spiritum Christo Sponso reddidit.

Annulus datur in quarto digito manus dextræ

5. Annullus tradi solet in virginum consecratione. Unde hac forma uti solet Episcopus: *Despondeo te Jesu Christo Filio summi Patris, qui te illæsam custodiat. accipe ergo annulum fidei, signaculum Spiritus Sancti, ut Sponsa Dei reperis, ut si fideliter ei servieris, imperpetuum coroneris.* Tunc illa hunc annulum ostentans, nuptiale symbolum solita est decantare: *Annulo suo subarrhavit Dominus Jesus, & quasi sponsam decoravit me corona*, ut jam diximus de S. Chunegunde. Sic & Episcopis dum consecrantur & sponsantur nomine Ecclesiæ Sponsæ CHRISTI, solet annulus dari, & dici: *Accipe annulum, fidei signaculum, quatenus sponsam Dei, Sanctam Ecclesiam, intemerata fide ornatus, illibatè custodias.* Sed adverte differentiam, nam Virgines & Episcopus recipiunt annulum in quarto digito manus dextræ, conjuges in quarto manus sinistræ; ut distinguantur nuptiæ spirituales à corporalibus, nuptiæ hujus vitæ à nuptiis futuri sæculi: Nam illæ incipiunt à gaudiis, & desinunt in luctum; ideoque per sinistram significantur: hæ à luctu initiantur, sed in gaudium terminantur, vel certè initium habent à solido Spiritus Sancti gaudio & deinde in æternum gaudium transfunduntur, unde rectè per dextram significantur.

Colonia asservatur annulus B. Agnetis

Ut verò ostenderet Christus non esse inanem hanc annuli traditionem & significationem, quandoque sponsis ipsemet annulos exhibuisse legitur, qui adhuc in Ecclesia pignora sacra servantur, Coloniæ Agrippinæ apud Patres Augustinianos, inter sacras reliquias exhibitus mihi fuit annulus, qui dicebatur esse S. Agnetis à Christo ei traditus. Celebris est annulus B. Edmundi, quo virginitatem in ipso vernantis ætatis flore Deo vovit coram imagine B. Mariæ Virginis; cui imagini annulum in digito inseruerat, insculptum gerentem AVE MARIA; quem quidem annulum, volunt esse in signum conjunctionis indissolubilis, quam pacisceabatur cum Maria tanquam Domina & Sponsa, & Filio ejus Jesu Christo. Hic verò annulus, post mortem ei divinitus redditus est & digito ejus insertus, quem cum extrahere vellet Religiosus Sacrista Pontiniacensis (ubi corpus adservabatur) nulla vi id potuit. Supplici tamen prece ad aures Viri sancti facta, statim sine difficultate dimisit, & per illum multæ sanitates infirmis redditæ sunt.

Annulus B. Edmundi.

S. Catharinæ Senensis Raymun. in vita ejus.

Sed inter omnia dignissimum commemoratione est, quod circa S. Catharinam Senensem visibiliter à Christo Sponso gestum est. Hæc ut posset Sponso cœlesti inviolabili fidelitate manere subjecta, valde adspirabat ad perfectum fidei gradum, dicens cum Apostolis: *Domine adauge mihi fidem, eamque ita in me perfice ut nulla vi unquam possit deficere.* Sæpe id orabat, sæpe respondebat Dominus; *Sponsabo te mihi in fide.* Tandem in Bacchanalibus, ventris festa aliis celebrantibus, inclusit se in cellula, non respiciens in vanitates, & insanias falsas; sed ardentissimè petens à Domino dictam fidei perfectionem. Adimpletum igitur est in ea illud Prophetæ: *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Etenim Christus, ei apparens cum Matre sua, aliquibus Sanctis, eam mirabili modo despondit, hortatus ut deinceps ageret

Ose. 2. 20.

Ps. 36. 4.

viriliter, quæ ex divina providentia incumberent peragenda. Post illam desponsationem, cœpit eam sensim trahere ad hominum conversationem, quia volebat ejus opera uti ad multorum salutem. Exinde etiam secuta est mira cum Christo familiaritas & unio: nam licet familiæ & ægris serviret, nihil ab æterni sponsi amplexibus recedebat, ineratque illi tanta promptitudo, mentem suam cum Christo quovis loco & tempore conjungendi, ut nullo actu externo impediretur, quominus tenderet ad cœlestia, unde & frequentissimè extra se rapiebatur. Porrò causam desponsationis hanc dedit Christus: *Quia tu sprevisti vanitates mundi, amplexa crucem & pœnitentiam, quærens summum & æternum bonum, his diebus quibus mundani vacant gulæ & luxuriæ, idcò ego te desponsabo.* Ritus sunt iste. Accipiens Maria dextram Catharinæ digitumque annulatem, petebat a filio hanc desponsationem. Matri annuens CHRISTUS, annulum sponsalitium digito ejus insesuit, dicens: *Ecce ego te Creator & Salvator tuus, te mihi desponsabo in fide, quæ perdurabit ex hac hora immutabilis, donec nuptiis æternis & me facie ad faciem perfruaris. Superest ut viriliter decertes, & in robore fidei quam infixi tuo corde, superes omnes illecebras & angustias mundi, omnes stimulos carnis, & tentationem inimici.* Hæc Raymundus ejus Confessarius. Adhuc hodie Romæ servatur hic annulus in Magnapoli, in Monasterio Virginum Dominicanarum.

LECTIO VII.

DE AMORE CONIUGALI.

1. *Docet qualis debeat esse amor conjugum.*
2. *Quibus effectibus possit probari.*

PROPOSITIO I.

Inter conjuges debet esse amor perfectus secundum Deum.

RAtio est, quia sine amore non possunt onera matrimonii, ut decent tolerari. per illum autem amorem, onus fit leve, jugum suave. Cum ollium perstrepit in cardine, aut rota in horologio non facilè volvitur, aliquid olei adiiciendum est, ita facilius quo volueris verteturs. Sic in matrimonio multus strepitus & stridor, nisi amoris oleum molliens accesserit, quo fit ut rota major minorque debitam suam revolutionem teneat; hoc est, ut vir & uxor debitum officium cum suavitate exequantur. Quapropter scriptura tam nova quàm antiqua, Eccl 25. 2. frequenter ad hanc dilectionem adhortatur. Audi sapientem in veteri: *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus, concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier bene sibi consentientes.* Et iterum: Si tubi uxor Prov. 5. 18 quasi *cerva charissima & gratissimus hinnulus, lætare cum muliere adolescentiæ tuæ.* Comparatur amor conjugum amori cervi & cervæ; tum quia cerva amabilis homini est, & in deliciis; tum quia inter cervum & cervam amor singularis est, & felle carere dicuntur. Sic olim (teste Plutarcho) sacrificantes Junoni Pronubæ, fel eximebant animalis immolati, significantes charitatem conjugum debere esse sine felle. Sunt etiam cervus & cerva veloces ad mutuò sibi opem ferendam, sunque cervæ maribus suis fidissimæ, ut meritò propter hæc omnia, amor conjugum à Sapiente, amori cervæ & hinnuli comparetur. Vide Bedam Prov. 5. *Amor conjugum benè comparatur amori cervi & cervæ.* Plutar. V. Bedam in Prov. 5.

Audi modò Apostolum in lege nova: *Viri diligite uxores vestras, sicut Christus Ecclesiam. Viri diligere debent uxores, ut corpora sua. Qui uxorem diligit, seipsum diligit.* Eph. 5. His omnibus, triplicem indicare videtur rationem Apostolus dilectionis conjugalis. Eph. 5. 25. & v. 28.

Prima est, quia cum matrimonium repræsentet unionem & amorem Christi & Ecclesiæ, ne inanis sit hæc significatio: oportet ut opere exprimatur: & ita debet amare vir uxorem perfecta & pura dilectione, ut Christus Ecclesiam, & uxor virum, ut Ecclesia Christum.

Secundo est, quia cum vir & mulier sint una caro, & morali quadam ratione una persona, & unus homo; quomodo seipsum quis diligit, sibi omne bonum optans & quærens, seipsum fovens, excusans, supportans; ita circa uxorem vir se gerat, uxorque circa virum.

Tertia est, quia istud est præceptum Domini in institutione matrimonii, dum decernit, ut etiam relicto patre & matre, vir adhæreat uxori perfecto amore. Ut verò hunc amorem in mulieris formatione designaret, formavit eam de latere, & costa cordi proxima, ut cordate diligeretur tanquam collateralis & socia. Et advertunt Sancti patres non esse de pedibus formatam, ne conculcaretur ut inferior & serva: non de capite, ne dominium sibi usurparet ambitiosa: non de oculis, ne nimis foret curiosa: non de renibus, ne existeret carnalis nimis & lubrica: non de brachiis, ne audax nimis foret & factiosa. Costa verò ista subbrachio viri detracta est, ut significetur sub manu & directione esse mariti; & ideò non solum debere amare, sed & revereri. Unde cum dixisset Apostolus, *vir diligat uxorem, ut Christus Ecclesiam*, subdit: UXOR TIMEAT VIRUM, id est revereatur, ut Ecclesia Christum; non obloquatur procaciter & inverecundè, sed alloquatur, & se gerat cum reverentiali amore. *Cur uxor formata ex costa & non ex capite, renibus, pedibus &c.* Gen 2. 22.

Quarta ratio insinuatur Malach. 2. quia mulier non solum est os de ossibus Adæ, & caro de carne, pars carnis, pars costæ, sed & spiritus de spiritu, sive reliquiæ spiritus ejus, ideo eodem spiritu amoris debent fieri uxor & vir participes ejusdem spiritus divini & humani. *Nonne unus fecit, & residuum spiritus ejus est?* inquit Dominus: quasi dicat, Nonne unus Deus primitus fecit Evam & Adam, & ex se spiritum halitumque vitalem produxit, cujus unam Malch. 2. 15.

Digitized by Google

nam quasi partem dedit Adæ, reliquam dedit Evæ? ergo cum non solum formati sint ex eodem corpore, sed ex eodem halitu vitali, debent eodem spiritu perpetuo sociari, eodem affectu sese diligere. Voluit enim Deus tali formatione, summum viri cum uxore amorem, ac conjunctionem non solum carnis, sed & spiritus insinuare, & ingenerare. Procul ergo divortia, procul discordiæ & jurgia, per quæ dividitur unum corpus viri, & fœminæ, unusque spiritus à Deo eis adspiratus. Unde addit Propheta: *Custodite ergo ò viri spiritum vestrum*, hoc est uxorem, quæ reliquum & dimidium est spiritus vestri, & dimidium sive altera pars corporis & animæ vestræ: custodite amorem & affectum, quem illi debetis.

Propositio II

Hæc dilectio multis debet effectibus comprobari.

1. Quod alteri gratum, procurare.

EXplicemus id particularius. *Primò*, quicquid alter alteri gratum novit, procurare debet & exequi, si licitum sit, & statui congruum: quidquid autem molestum vel tædiosum est, rescindere: sic conari debent sibi mutuò complacere ut in nulla re velint offendere. Ideo oculis comparantur, quo unus
Eph. 5. 25. respicit, illuc & alius convertitur. Habent hac in re exemplar Christum & Ecclesiam, cui se monentur ab Apostolo conformare in dilectione. Audiant Ecclesiam modo de Christo dicentem, *Dilectus meus*
Can 2.16. *mihi & ego illi*; modo verba transferentem: *Ego di-*
Cant. 6.2. *lecto meo, & dilectus meus mihi*. Quasi dicat: ego illi ex integro complacere studeo, quia & ipse mihi totus incumbit, purum amorem, puro amori refundo: ipse sollicitus est de commodo, gloria, & honore meo; & ego illius honori me consecrans, quantum in me est illum honoro, illius gloriam quæro: ipse quicquid mihi nocet, tollere nititur, ego quicquid illi displicere potest, procul elimino. Hoc exemplar, hoc speculum intueantur & imitentur conjugati, ut defectus sibi mutuo displicentes, quoad fieri potest, corrigant; & in familia cuncta sic ordinent; vir in famulis, mulier in ancillis, uterque in prolibus, ut omnis inquietudinis tollatur occasio, & pax perfecta reperiatur juncta amori solido.

2. Bene de se mutuo loqui.

Secundò, debent de se mutuo occasione occurrente loqui honorificè, defectus si qui sint excusando, & charitatis pallio illos operiendo; habent iterum exemplar Christum & Ecclesiam. Christus in Canticis multa dicit in laudem sponsæ, & quam noverat delictorum venialium pulvere aspersam; nihilominus vocat totam pulchram, quasi charitate defectus operiens, & illos oblivione voluntaria sepeliens. Sic ergo conjuges bene de se loquantur; imperfectiones domesticas non eventilent. Nec prudentiæ est, nec amoris conjugalis, mulierem per domos discurrere, de marito conqueri, quod turbulentus sit, molestus familiæ, suspiciosus, zelotypus, ebriosus, prodigus, aut vitiosæ alterius com-

Conjuges non debent defectus domesticos eventilare.

plexionis. Nec similia viro de uxore evulgare convenit. Esto enim ita se res habeat. Quid juvat illos id nosse, qui nec remedium, nec consilium adhibituri sunt? Quid, quod frequenter his hæc dicantur, qui etsi videantur audire cum compassione, postea improperant cum passione, aut fabulas inde nectunt cum irrisione.

3. Patientia in reb. turbidis.

Tertiò, cùm vix in matrimonio non contingat aliquod turbidum ob diversitatem naturalem conditionum, vel alia accidentia discordiam ingenerare nata, tunc maximè debet se exerere virtus amoris conjugalis, si in charitate sit fundatus. *Charitas enim patiens est & benigna, non æmulatur, non agit perperam, non cogitat malum*, monet alterius onera portare, sic legem Christi adimplere. Itaque tunc imponat conjux amans sibi impatientiæq; suæ frænum; nec debet existimare se immeritò pati & offendi, sciens quia & ipse quandoq; offensionis causam afferat graviorem, velitque supportari. Si alterius lingua in clamores, & convitia solvitur, non debet clamor, sed amor opponi clamori: *Responsio* Prov. 15, 1
mollis frangit iram, durus sermo suscitat furorẽ. Ferrũ ferro, contẽtione cõtentio acuitur; sed silentio, aut prudenti responso (quod amor conjugalis potest suggerere) pax reducitur. Torrens de monte erumpens, non ita nocet, si ejus impetus sinatur sine obice præterfluere; quodsi quis ei obstare velit, prata inundat, agros depascitur. Ira sæpe conjugis ira subito in verba & aerem diffluens, perit sine gravi damno: nisi altera contentiosa lingua verbis verba volens retundere, gravius damnum invehat. Sic enim agit, ac si quis oleum flammæ addat, aut ligna igni, non enim extinguit sed accendit.

4. Mutua exhortatio ad opera pietatis.

Quartò, in hoc etiam amor charitatis patescit, si se ad bonum mutuo exhortentur, ad opera pietatis & virtutis juxta statum suum peragenda. Habent exemplar iterum in Christo, toties monente & instigante sponsam suam ad sanctificationem. Sic & conjuges erudiant se & instigent ad timorem Dei & amorem; Christo enim gratum est si se de mutuis defectibus moneant, & corripiant ad emendationem. Quod quamvis viro magis congruat ob auctoritatem, quia caput est, cui debet ex amore mulier obedire; tamen & id convenit mulieri suo loco & tempore amanter facere, secundum leges prudentiæ. Jacob monet præcipitque omnia idola è familia ejici, Rachel obedit statim cum reverentia. Abigail nacta erat virum stultum, durum, ebrietati deditum, lisque familiam perturbantem: Ipsa verò prudens erat, nec iracunda, tamen suo cum tempore corripiebat eum efficacia. Undè laudat scriptura, quod occurrerit Davidi, ultionem paranti ob Nabal virum suum, qui nuncios Davidis injuria affecerat; quodque prudenti sermone ipsum potuerit placare, & ultricem gladium jam domui suæ incumbentem, removere. Sed non minoris fuit prudentiæ, quod rediens & inveniens virum suum ebrium, non locuta est ei verbum de re. Sed diluculo cum vinum di-

Digitized by Google

geſſiſſet ei omnia efficaci ſermone indicavit, factumque eſt cor viri mortuum intrinſecus, ita ut rigeſceret ipſe, qualis lapis. Exemplum ſumant fœminæ loquendi & ſuaviter efficaciterque corripiendi tempore opportuno; tacendi vero dum mariti animum ita ſuccenſum conſpiciunt, omnia potius domi vertentem, quam verba, quibus tunc moneretur, advertentem.

Sanctia virum à carcere liberat.

§. Mutuum ſolatium, auxilium, protectio.

Quinto, debent ſibi in adverſis ſolatium, opem, protectionem. Eſt enim perfectiſſima amicitia in conjugio, omni vero tempore diligit, qui vere amicus eſt. Dicunt, olim noviter conjugatis ſolitum proponi ignem & aquam, ut hæc attingerent, & profiterentur ſe per adverſa quælibet mutua ope pertranſire debere: quæ quidem per elementa contrariarum qualitatum deſignabantur, ſecundum illud Pſaltis: *Tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.* Idem ſignificarunt antiqui, dum dixere fœlices illas nuptias à quibus gratiæ & charites non exulan. Tres chărites vocabant tres gratias, & quia nuptiarum fœlicitas in mutua gratia & amore conſiſtit, ideo illæ fœlices, à quibus gratiæ ſive charites non abſunt. Per has triplicis temporis gratia deſignatur, præteriti, præſentis, futuri, & ſignificatur quædam conſtans gratia, & amor in conjugio. Nam multi nubunt per amorem prævium nuptiis, ſed vix conjuncti ſunt, & amor tepeſcit: his nuptiis, una tantum ex charitibus præfuit. In aliis aliquamdiu amor perdurat, curſu tamen temporis perit: His nuptiis duæ charites interfuere. At ſi amor ante nuptias, in nuptiis, ac tota inde vita conſtans eſt, trium gratiarum favor adfuit. Ad hoc videri poſſet alluſiſſe Sapiens Prov. 18. *Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum:* 70. ibi legunt, *invenit gratiam.*

Pſ. 65. 12. Plutarch. apud Stobæum. Prov. 18. 22.

Itaque obligatio mutua amoris, poſcit à conjugibus, ut alter alterius curam ſpecialem habeat in adverſis; curam, inquam, bonorum, honoris, ſanitatis, vitæ tam corporis quàm animæ. Ita ut teneantur ſeſe exponere alicui periculo pro alterius ſalute. Neque hic deeſt exemplar in Chriſto & Eccleſia illuſtre. Nam ipſe pro ea liberanda ſe tradidit, ipſa pro Sponſi honore tuendo, tot mortes & martyria ſanguinolenta non detractavit.

Exempla conjugalis amoris in adverſis, nec nova, nec antiqua deſunt. Non exiguum amoris indicium exhibuit Michol erga Davidem, cum juſſu Saulis quæreretur ad necem 1. Reg. 19. Dimiſit enim eum per feneſtram, & effigiem ligneam lecto imponens, finxit ægrotantem: nec verita eſt Saulis Patris iram graviſſimam, ſi modo marito ſubveniret.

1. Reg. 19. 11.

Sed audiamus recentiora: Sanctia Comitis Caſtellæ uxor, cum maritus ejus à Legionenſi Rege per fraudem & invidiam in vincula conjectus foret, peregrinantis induta perſonam. Compoſtellam Religionis gratia ſe proficiſci finxit: factoque per Legionem itinere, primum copiam videndi mariti ſibi fieri poſtulavit: deinde petiit, ut ea ſaltem nocte ſine catenis eſſet, Rex per omnia ſatisfaciendum voluntati tantæ matronæ duxit. At illa poſtridie antelucano, mutatis cum marito veſtibus, vicaria captivitate illum liberavit. Cumque Comitem jam eſſe in tuto arbitraretur, Regi nunciat ſe in carcere teneri, rogare ut ſolveret, neque durius quicquam in fœminam regiam, & cognatam ſuam conſuleret. Rex ubi dolum ſenſit, primo ſtomachari, mox admirari conſtantiam, ac virtutem Sanctiæ: poſtremò laudata illius in maritum pietate cum honorifico comitatu juſſit ad Comitem deduci.

Jo. Vaſæus in Chronico Hiſp. ad an. 932.

Enituit etiam uxorum pietas in maritos, cum Conradus Imperator obſediſſet oppidum Winſpergam, & armis fameque deditionem facere cogiſſet. Mandavit tum Cæſar omnes equeſtris ordinis viros capi: mulieribus abire permiſſum eſt cum tanta ſarcina bonorum, quantam humeris ſuis geſtare poſſent. Guelphi uxor & cæteræ matronæ nobiles neglecta ſupellectili, & relictis rebus omnibus, ſuos maritos humeris impoſitos, & liberos ex ſinu pendentes, aſportare maluerunt, videntibus cunctis, & induſtriam mirantibus. Id verò cum calumniarentur quidam, qui retinere captivos viros volebant, (nam bonorum non hominum beneficium propoſitum eſſe) adeò delectatus eſt Cæſar, hac virtute fœminarum nobilium, ut omnium etiam opum copiam fecerit, quas ſecum auferrent. Quin etiam cum Fridericus frater Imperatoris contradiceret, & de viris non eſſe cogitatum diceret; reſpondit Conradus: Non decet verbum regium immutari. Etſi enim ipſius conceſſio vafre eludi videretur, tamen tantopere Imperator pietate & conjugum fide commotus eſt, ut pœnam Guelpho holti capto condonarit, & pacem & amicitiam cum eo fecerit.

Jo. Naucler. vol. 2. Gen. 38. an. 1138. Trithem & alii. *Pietas uxorum in maritos.*

Audi & aliud. Cum Eduardus Regis Angliæ primogenitus ad Domini ſepulchrum transfretaſſet, à Mauro quodam proditoriè gladio venenato eſt percuſſus. Cumque medicorum remediis non tam allevaretur, quam aligaretur, tandem in Angliam ſine ſalutis ſpe eſt reverſus. Ejus verò uxor Regis Hiſpaniæ filia, novam & inauditam, ſed amore & pietate plenam adhibuit medelam: Plagam enim quæ veneni vi claudi non poterat, lingua dietim lingebat, fugebatque humorem venenoſum, ſibi liquorem dulciſſimum. Sic vero fidei uxoriæ virtute omnem veneni materiam attraxit, ut integratis vulnerum cicatricibus, ille planè curatus, ipſa incolumis evaſerit.

Roderic. Sanctius. p. 1. hiſt. Hiſp. c. 4.

Neque minus memorabile eſt, quod Fulgoſus lib. 4. c. 6 refert Dominicus Cataluſus vir nobilis & magnus tanto in uxorem fuit amore, ut cum illa in lepram incidiſſet, eſſetque magis illuvies, quam vivum corpus, ille nec aſpectus horrore, nec contagii diſcrimine, nec tetro odore ab ulceribus manante, unquam eam aut menſa aut lecto prohibuit. Conjugalis enim charitas, contagii timorem tetrum-

Fulgoſ. l. 4. c. 6.

iterumque aspectum & odorem, in securitatem verterat & voluptatem; quod eam juxta Dei verbum eandem secum esse carnem consideraret. Quod non potest conjugalis fides amori in charitate fundato conjuncta.

LECTIO VIII.

DE INORDINATO AMORE Conjugum.

1. *Docet in amore posse peccari per excessum.*
2. *Amorem esse culpabilem, si ob illum violetur Dei lex.*
3. *Esse quoque culpabilem, si in zelotypiam desinat.*

PROPOSITIO I.

In amore conjugum peccari potest, non solum per defectum sed etiam per excessum.

Sicut virtus in medio existens, extremitates habet vitiosas, ita & dilectio. Et qui viam regiam vult tenere, ad dextram vel sinistram non debet nimium declinare: ita & conjuges cavere debent, ne dissidiis aut radice amaritudinis germinante, ad sinistram devient; ne etiam ultra rationis divinæque legis limites, quasi ad dextram amor nimius exorbitet. Apud Scriptores Gentiles commendantur pleræque mulieres, quæ licet magnose animo gesserint erga maritos, neutiquam apud Deum gloriam consequi possunt; quia & rationis & divinæ legis terminos excesserunt.

Valer. Max. l. 4. c. 6.

Talis fuit Portia M. Catonis filia, de qua Valer. Maxim. libr. 4. sic ait. *Tuos quoque castissimos ignes, ô Portia cuncta secula admiratione prosequentur, quæ cum apud Philippos interemptum virum tuum Brutum cognosceres, quia ferrum non dabatur, ardentes carbones ore hausisse non dubitasti: muliebri spiritu virilem patrui exitii imitata; sed nescio an hoc fortius, quod ille usitato, tu novo genere mortis es assumpta.*

Xenophō. l. 6. & 7. de Gyripædia.

Talis & altera Panthea nomine, uxor Abradatæ regis Susorum, quæ cum audisset mariti sui necem in prælio, in mediam aciem veniens & inveniens eum totum sanguine conspersum, animam exhalantem, illius cruore se perfundens & abluens, in ejus amplexum ruit: & ferro simul cordi infixo, mortem sibi conscivit, idem sortita sepulchrum.

Val. Max. loco cit.

Nec absimilis his Artemisia Mausoli Cariæ Regis uxor, quæ tanto affectu virum amasse perhibetur, ut ad ejus funus, viros undique eloquentissimos accersiverit, ad laudes ejus decantandas. Quæ & sepulchrum à nomine Regis Mausoleum dictum erexit, adeo splendidum, ut inter septem miracula mundi annumeretur, indeque magnifica sepulchra, Mausolea dicta sint. Nec hic stetit amor, ossa enim viri in pulveres redigi jussit, & vino mixtos ebibit: utsic quodammodo eum vitæ redderet, & à mortuis ejus pulveres excitaret, sepulchro vivente condens, & in se viventem tanquam alimentum transformans.

Bern. Scardeonius lib. 3. hist. Patavinæ, an. 1233.

Denique, his annumeranda Blanca Patavina. Cùm vir in deditione Bassiani Municipii Patavini ab Acciolino Tyranno obtruncatus fuisset an. 1233. ipsa quoque armis induta fortiter dimicans captiva facta est. Tyrannus ejus forma & magnanimitate delectatus, primo blanditiis, deinde vi eam adornatus est, ut corrumperet. Illa cùm aliter non posset evadere, per fenestram se præcipitem dedit. Ex casu saucia, vix tandem curatur; at curatam, tyrannus iterum aggreditur, & ligatam à servis, obluctantem constuprat. Illa dolorem dissimulans, impetrat ab amicis, ut ad levandum mœrorem & desiderium aperto sepulchro, possit iterum mariti cadaver respicere. Morem gerunt illi, illa vero aperto sepulchro, emisso magno ejulatu, in illud se præcipitat; & tanto impetu lapidem impellit, ut una ruens, ei cervicem infringeret. Sic pudicitiam ulta, ex voto suo commune cum marito sepulchrum obtinuit. Ita Bernardus Scardeonius lib. 3. hist. Patavinæ.

PROPOSITIO II.

Amor culpabilis est, si ad complacendum, vir vel uxor Dei præceptum violet.

Gen. 3. 6. S. Aug. in Gen. 3. Reg. 11. 5.

Sic Adamum nimius amor ad esum pomi traduxit, de quo Augustin. *Noluit Adam uxorem contristare, non quidem carnis concupiscentia aut pulchritudine vitiis (non enim ante peccatum eum passus fuit) sed amicabili benevolentia, qua sæpe offenditur Deus, ne offendatur amicus.* Sic Salomon uxorum cæcatus amore etiam ad cultum idolorum defluit. Sic Sampson illecebris Dalilæ consentiens, abrasis capillis spiritu Dei destituitur.

Lib. 3. Esdræ c. 4. 26.

Legendus Esdras libro 3. capit 4. ubi ait: *Multi dementes facti sunt propter uxores & servi. Et multi perierunt, & jugulati sunt: & peccaverunt, insuper, fraudes, rapinas, homicidia relaxasse sunt, ut eorum voto satisfacerent.* Intelligant illi, quod Dominus Luc. 14. dicit. *Qui non odit uxorem, non potest esse meus discipulus:* odisse uxorem (more Scripturæ loquendo) est minus eam amare quam Deum. Odit uxorem, quipropter eam Dei legem non vult infringere; sed odium hoc bonum est, verè amor est quamvis odium vocetur: quia hæ se odiri clamant, dum eorum perversæ voluntati maritus nó obsequitur. Sic uxor Sampsonis ei improperabat: *Odisti me, & non diligis, idcirco problema quod proposuisti filiis populi mei, non vis mihi exponere.* Et iterum: *Quomodo dicis quod ames me, cùm animus tuus non sit mecum, & non vis dicere, in quo sit maxima tua fortitudo?* Tandem & blanditiis & importunitate ejus victus, Sampson aperuit veritatem sed in caput suum.

Luc. 14. 26.

Judic. 16. 15.

3. Reg. 19. 2.

Frequenter nimis verum est: *Vxor naufragium viri.* Jezabel, Achab viro suo, ruinæ est occa-

Digitized by Google

Theod. l. 4 hiſt. Eccl. c. 11. Baro to. 4. an. 366

occaſio. Quam multi ad hæreſes deducti ab uxoribus? Valens Imperator lenociniis conjugis ſuæ delinitus erroris Ariani laqueis irretitur, ſicque Catholicorum perſecutor, ſed poſtea miſere perit. Sic Arcadius Imperator importunitate uxoris Eudoxiæ ſeductus, S. Chryſoſtomum ſede Conſtantinopolit. depellit Baron. tom. 5. anno 404.

Bar. to. 5. ad a. 404

Multi ſimiles illi (de quo in Evangelio) qui vocatus ad cœnam illam opiparam, æternæ menſæ delicias deſignantem, excuſavit ſe, & dixit: *Uxorem duxi, non poſſum venire* Inordinatus conjugis affectus eis compedes iniicit, ne veniant & delicatis fruantur æternis. Sic è contrà, vir mulieri quandoque occaſionem præbet ruinæ, & cum conjugium à Deo ſit ordinatum in auxilium mutuum (non ſolum ad domeſticæ rei gubernationem, ſed & ad ſpiritualem profectum fœliciſque & æternæ vitæ adjumentum) cedit utique conjugi in laqueum & ſcandalum.

Luc. 14. 20.

Interim, cum vir caput ſit mulieris illi maximè incumbit uxori auxilium directionemque præſtare ad ſalutem; multo magis lenociniis ejus ad malum illectantibus obſiſtere. Hoc ſuo etiam exemplo viri fortes docuere. Audi de Saturo, domus Hunerici Regis Wandalorum procuratore. Urgebatur ut Arianus fieret, primò opibus & honoribus, deinde minis & tormentis. Ille omnia contemnit, pro confeſſione veritatis. Adductis uxor liberis, ad genua mariti advolvitur, & per omnia ſacra obſecrat, ut miſereatur ſui, & pendentis à lacte filiolæ aliorumque pignorum: nec committat, ut quos generis nobilitas reddidit claros, ſervili conditioni ſubiiciantur, & ipſa turpi matrimonio copuletur Camerarii ſervo: ad quod urgebatur: Deum haud dubiè reſpecturum, quod invitus faciat. At is ex Job ei reſpondet: *Tanquam una ex inſipientibus mulieribus locuta es. Formidarem ô mulier, ſi tantum hujus vitæ dulcedo foret amara, in earum rerum amiſſione. Imò ſi vere maritum diligeres, non conareris cum inſidioſis blanditiis in ſecunda mortis exitium præcipitare. Age, deſtrahant liberos, auferant uxorem, diripiant facultates; ego de Domini promiſſione ſecurus, ſixum mente tenebo: Si quis non dimiſerit uxorem, filios, agros, propter nomen meum, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Uxor diſcedit, & ipſe ſpoliatis omnibus, & ſupplicijs debilitatus, mendicus relinquitur. Victor Uticenſis l. 1. de perſecut. Wandalica.

Victor Uticenſ. l. 1. perſecut. Wandal.

Eadem fortitudine ſe geſſit erga maritum matrona, cui nomen Victoria. Hæc dum continuato ſuſpendio cruciaretur à marito jam perduto, filiis præſentibus, ita rogabatur: *Quid pateris conjunx, ſi me deſpicis, vel horum quos genuiſti miſerare parvulorum? Quare obliviſceris uteri tui & pro nihilo ducis, quos cum gemitu peperiſti? Ubi ſunt fœdera conjugalis amoris? Ubi ſocietatis vincula, & inter nos tabula conſcripta? Reſpice filios & maritum, & Regis imple præceptum, ut tormenta evadas & mihi liberisque doneris.* Sed illa, nec filiorum fletus, nec ſerpentis blandimenta audiens, affectum elevans à terra, mundum cum ſuis deliciis contemnebat. Et jam continuatione ſuſpendi, vulſis humeris conſpiciebatur mortua, ſicque examinis eſt depoſita. At poſt retulit quandam ſibi Virginem aſtitiſſe, ſingulaque membra tetigiſſe, ilico ſuiſſe ſanatam. Victor Uticenſis lib 3.

Idem Victor. lib. 3.

Nec illius prætereunda memoria, quæ valens mariti oculos ad fletum profl'ire, ob filios Ariana impietate à ſe ſeparatos; illius lachrymas gravi auctoritate increpavit, & ſiccavit, *Ejra*, inquit, *an ob filios animam es perditurus? Computa non fuiſſe natos, nam & Chriſtus ſibi eos vendicat, dum audis clamantes, Chriſtiani ſumus.* Cùm verò ipſa & maritus carcere diverſo tenerentur, veniunt impii, & dicunt mulieri: Solve duritiam, ecce vir tuus paruit Regis imperio & noſter factus eſt. At illa. Videam illum, & faciam quod voluerit Chriſtus. Educta invenit virum cum multitudine, pro tribunali ſtantem, æſtimanſque verum eſſe, quod dictum erat, apprehendit oram veſtis ſupremam, ſuffocans eum & dicens: *Perdite & reprobe, gratia Dei indigne, quare vis ad modicum gloriari, & æternum perire? Quid proderit tibi aurum, quid argentum? An liberabit te de camino gehennæ? Dixit & alia multa. Cui maritus: Quid pateris mulier? Quid audis de me? Ego in nomine Chriſti Catholicus permaneo, nec amittere unquam potero quod teneo.* Sic detecta fuit Hæreticorum fraus. Victor Uticenſis ſuprà.

Surius 8. Sept. in vita S. Adriani.

Excellit in hoc genere exemplum S. Nataliæ uxoris S. Adriani. Cùm illa reſciret Adrianum in vincula conjectum, gaudio exultans, accurrit ad carcerem, procidenſque ad pedes ejus, vincula oſculabatur dicens: *Beatus es, Domine mi Adriane, quia inveniſti opes non à parentibus relictas: jam ſecurus pergis ad Chriſtum, recondens in ipſo divitias pro tempore neceſſitatis, quando nemo liberabit, non Pater filium, aut mater filiam, non opes, non amici, non ſervi. Perge intrepidus, non revocet te minutus rerum, ut umbræ tranſeuntium, non gemitus parentum, non ſpecies tormentorum. Habes Chriſtum, cujus promiſſa percipies. Aſpice illorum conſtantiam, qui tecum ſunt, hic ſolus intende.* Deinde ſingulorum martyrum vincula deoſculans, dicebat: *Rogo vos, O ſervi Chriſti, confortate Adrianum beatis monitis, lucrifacite eum Chriſto, eſtote ei Patres, naſcatur per vos æterna vita* Tunc Adrianus. Vade ſoror in domum, cùm videro fieri quæſtionem, accerſam te, ut videas rei finem. Poſt aliquos dies imminente quæſtione dato cuſtodibus pretio, & fidejuſſore domum perrexit vocare Nataliam. Agnovit eum quidam, & præcurrens nunciat. Suſpicans illa quod martyrium refugiſſet, flebat amare & claudens oſtium clamabat: *Longè à me, qui mentitus es Domino. Quis te coegit ſuſcipere opus Chriſti, nec perficere? quis ſeduxit, quis ſeparavit à Sancto?* Adrianus autem: Aperi Soror, non eſt ſicut putas, ego veni, quia tormenta inſtant, ut promiſſis ſtarem,

ſtarem. Iterum illa non credens : *Ex me ſeducit tranſgreſſor, recede potius, quàm tibi faciat, me interficiam.* Lætatur Martyr de zelo, efficit tandem credentem verbis ſuis ; oſtium ergo aperiens, Adriani provolvitur pedibus, gratulans. Currunt ſimul ad locum tormenti. Dicit ei Adrianus : *Quomodo ô ſoror, ordinaſti de ſubſtantia mea!* At illa: *Noli, precor, memorare quæ mundi ſunt, hæ animum trahunt, illa ſolum reſpice quæ tibi in cœlo ſervantur.* Cùm exhibitus ſuiſſet coram tyranno, igniro charitatis eloquio iterum illum animabat, & dicebat : *Vide ut ſolum ad Deum ſit mens tua, nec trepidet cor tuum, dum videris tormenta, labor modicus nunc, ſed in ſæcula tibi quies.*

Itaque hic eſt verus amor conjugum, qui ad ſpiritum ſalutis ſibi mutuò communicandum ordinatur, ut jam non tantum ſint una caro, ſed verè ejuſdem ſpiritûs participes in Chriſto. Ad hoc debent adſpirare conjuges, hoc Deum obſecrare. De S. Gorgonia ſorore ſua teſtatur beatus Gregorius Nazianz. quòd adeo unum cum marito ſuo ſe fatebatur, ut eapropter ex parte tantum ſe baptizatam putaret, quòd ejus maritus non eſſet baptizatus, quem dimidiam ſui partem eſſe cenſebat. Ideò continuis precibus apud Deum efflagitabat, ut ſui ſpiritûs eum redderet participem per Baptiſmum, quod & impetrare meruit. Verba Nazianzeni ſunt: *Perrò cùm unum hoc ad omnia accedere cuperet, ut maritus quoque perficeretur (ut ſic corpore conſeceretur, & non dimidia tantum ex parte initiata diſcederet, ipſiuſque imperfectum aliquid relinqueretur) hoc quoque impetravit.*

§ Greg. Nazianz. orat. de Gorgoniæ laudibus.

Propositio III.

Amor culpabilis eſt, ſi in zelotypiam deſinat.

2. Per defectum, ſcil. Zelotypiæ, quæ eſt ingens conjugij morbus & malum.

VErmis ingenerari ſolet pomo etiam delicatiſſimo: ſic & zelotypia oritur ex amore nimis tenero & exceſſivo. Et ſicut vermis pomi corrumpit ſubſtantiam, ita illa amoris veritatem inducitque diſſidium & contentionem. Ubi amor verus purus, perfectus, in charitate & virtute fundatus eſt, zelus ille non habet locum ; ſupponit enim in amato amoris reciproci rectitudinem. Ubi ergo oritur, ſignum eſt, amorem eſſe ſenſualem, craſſum, diffidentem, impurum, imperfectum. Hunc amoris exceſſum à conjugio removendum ſæpè monet Scriptura, illius deſcribens incommoda Eccl. 26. *Dolor cordis & luctus, mulier zelotypa* : quæ ſcilicet ſuſpicatur aliam mulierem à marito præ ſe diligi, ſibiq; anteferri, ideoque ei diffidit : *In muliere zelotypo flagellum linguæ, omnibus communicans* Utique talis mulier affligit virum dolore cordis, & ſub jugo facit gementem. Lingua ejus quaſi flagellum, ſtrepitum continuò edit, verbis moleſtis, querelis, ſuſpirijs, rixis, convitijs, maledictis virum laceſſens, ejus greſſus & geſta omnia ſuſpecta habens, inquieta eſt & importuna. Unde ex illa oriuntur graviſſima peccata, judicium temerarium, detractio, odium, contumelia, &c. Hæc autem zelotypia perniciosior eſt, ſi in viro locum fomitemque reperiat, quantò ille potentior eſt, ut uxorem affligat. Hanc domo concludit quaſi carcere, inſtar mancipij eam tractat, nullam indulget libertatem, verbis & verberibus enecat, nihil ei fidit, ſingula explorat dicta, facta, greſſus, nutus, ſemper angustias corde gerit. Explodendum igitur eſt adeò grave malum, tot mala & infœlicia pariens germina, exſcindenda arbor infœlix & virulenta, tot fructus amaros, tot pira angustiæ producens : quia non habet originem & radicem ſuam, niſi ab illo, qui matrimonij, & hominis fœlicitati invidet ac inſidiatur. Idcoque ſemen diffidij in quocunque ſtatu & loco, ab initio cœpit ſerere, in cœlo, in Paradiſo, in mundo, in religione, in cœlibatu, in matrimonio, gaudetque ſi ſemen hoc maledictum exurgat in germen, per quod poſſit ſuffocare ſemen Dei, pacem, gratiam, charitatem, & in animas ſortiri poſſeſſionem.

Audiant ergo tales Eccleſiaſticum : *Non zelos mulierem ſinas tui, ne oſtendat ſuper te malitiam doctrinæ nequam.* Eccl. 9. Senſus eſt: Ne zelotypia proſequaris uxorem, quæ in ſinu tuo recumbit, oſtendens te malè de illa ſuſpicari ; quod ſcilicet alium virum amet magis, quàm te, aut alius rivalis tuus eam amet & inſequatur ; ne fortè dilectionem avertat à te, & des illi occaſionem peragendi, quod priùs nec illi in mentem venerat. Tu enim malè ſuſpicando, nec ei confidendo, quin potius affligendo, docere eam potes in caput tuum, vel certè anſam præbere alijs, ut ei ſuadeant, & inſtigent in vindictam. Certè non deſunt exempla earum, quæ priùs caſtæ, ſed à viris zelotypis divexatæ, coarctatæ inſtar mancipiorum, tandem ad vindictam matrimonia contaminârunt, & libertate uſæ ſunt : *Neceſſitas & coarctatio violenta, non eſt caſtitatis ſecura cuſtodia. Infida enim cuſtos caſtitatis eſt neceſſitas: & illa verè pudica eſt, cui licuit peccare, ſi voluit.* Quæ caſta eſt, amore detinetur pudicitiæ, frænoque timoris & amoris Dei, timoris & amoris mariti, ne utatur libertate, vel præpediatur oblata occaſione. Patet in Suſanna. Quæ laſciva eſt, fruſtrà muris concluditur, vis & metus tollit amorem, multamq; ingerit turbulentam cogitationem: deinde in alienum transfert mentem, ſuggeritq; media evadendi (viâ quâlibet etiam illicitâ) poteſtatem, & aſſerendi ſe in damnoſam libertatem. Ingenioſior plerumque eſt timor, quàm amor, ſervitus, quàm libertas, ſed ubi ingenij vis non ſuppetit, extrema quærunter etiam per impietatem extremam : quia ſicut *non eſt caput nequius ſuper caput colubri, ita nequitia ſuper nequitiam mulieris.* Eccl. 25.

S. Hieron. l. 1. in Jovin.

Eccl. 25. -23

Oſtendit id ſuo facto Roſimunda Alboini Regis Longobardorum uxor. Is quodam die vino ſuperbiâque in convivio temulentus Veronæ, uxorem ea patera bibere compellebat, quam ex capite patris ipſius Chunimundi, quondam à ſe occiſi, in poculum redigi fecerat, dicebatque conjugi, ut lætè biberet cum patre ſuo. Inſedit hæc injuria

Naucle. vol 2. generat. 20. an. 574.

mulieri, eamque ulcisci decernit. Erat quidam Helmechildus Longobardus, forma præstans, armisque ferox, qui puellam in obsequio Rosimundæ agentem, deperibat. Sciens Regina suadebat concubitum: reluctante puella, hoc utitur impio stratagemate. Monet puellam, ut saltem illum advocet clanculum & discedat. Et ita factum est, induitque Regina ancillæ vestes, & loco designato consedit. Venit ille, & voluntatem adimplevit. Volenti abire detegit se Regina, causamque facinoris exponens, ait: Aut Regi accusatus peribis, aut illo obtruncato, regno & conjugio meo frueris. Sic arctatus, aggreditur facinus. Regem dormientem obtruncat. Conatur Rosimunda, peracto furore, eum declarare Regem, armis repugnant Longobardi. Unde, ut sibi consuleret, aurum regiamque supellectilem navi imponit, cum adultero per Padum & Adriaticum mare Ravennam appellit, & à Longino rerum ibidem potiente, cum honore recipitur. Longinus autem formaque illius accensus, pertentat eam ut Helmechildum de medio tollat, sibique jungatur, sic fore ut regnum Italiæ & Longobardorum obtineant. Assentitur inconstans & impudica; marito poculum virulentum porrigit. At ipse sentiens venenum, per capillos eam apprehensam, venenum quod remanserat bibere cogit, & divino judicio ambo perierunt veneno.

Sic comprehendit Deus impietatem in consilijs suis. Sic ad impia consilia traducit vel amor perversus, vel maritorum severitas, & tyrannis, ut meritò moneat Ecclesiasticus: *Ne zelos malorum sinas tui, ne ostendas superis malitiam doctrina nequam.* Cujus quidem sententiæ, aliqui hunc ulteriorem dant sensum: Neque prosequaris zelotypia uxorem, ne forte suggeras ei occasionem utendi pessima doctrina maleficarum, ut se liberet de manibus tuis. Quis nesciat ob maritorum tyrannidem eo deductas mulieres, ut etiam se maleficijs traderent & Satanæ potestati? Ponderent hæc zelotypi & insupportabiles mariti, audiantque Chrysostomum dicentem: *Qui zelotypia laborant, & bonum pacis amittunt, turbas & fructus sibi multo exegerant, nullam voluptatem habere possunt, interno bello omnia confundente, multamque ejus amaritudinem invehente.*

Concludo, & ostendo quomodò inde homicidia quandoque contingant, exemplo funesto, quod anno 1528. accidit Basiliæ. Civis quidam dives Christophorus Bongartenerus, uxorem de adulterio suspectam habuit. Suspicionem auxit, quod in famuli caligis, ligulas sericas invenit, quas esse suas noverat. Extorquet ab uxore, ut fateatur, promittitque impunitatem; si neget, præsentem minatur mortem. Illa fatetur, quod vere non fecerat; sed mox fugit ad sororem in quemdam pagum. Amicorum tandem interventu, redit conciliata marito. Ea nocte dicitur ad commune admissa cubile; altera die ablegata famula & liberis ex priore conjuge, primò gravidam uxorem confodit, ipsi filiam vix quadrimam: mox epistolam scribit ad Senatum deinde cor invocato nomine Jesu è summa ædium parte se præcipitem dedit, fractis cervicibus. Epistola continebat, quid, & quo animo fecisset. At de eo mortuo grave sumptum est supplicium, corpus ejus fractis ossibus, sublimi rotæ impositum. Certè, unicum hoc exemplum, à maledicto zelotypiæ semine conjuges deberet deterrere.

Eccl. 9.1

S. Chrys. Hom. 38. in Gen.

Surius in Chronico rerum an. 1528.

Lactantius Zelotypiæ remedium dat: *Exemplo continentia*, ait, *decenda est uxor, ut se castè gerat. Iniquum est enim, ut exigas, quod ipse præstare non possis.* Hoc est quod ex S. Augustino dicitur. Ut quales volumus uxores nostras invenire, tales & ipsæ nos inveniant: Dicit enim uxor marito. *Cur ego te colam ut maritum, cum tu me non colas ut uxorem?* juxta illud Ciceronis. *Non rogabo ne consulem me illi quidem me ut consularem.* Deinde Alfonsus Aragonum Rex Zelotypiæ remedium ad vitam conjugio tranquillè transigendam hoc dabat: *Sit uxor cæca, maritus autem surdus fiat.* Uxor enim oculata, si videat maritum cum alijs fœminis, etiam negotiorum causa agere, fit zelotypia, inde querimoniæ & rixæ: ursus marito molesta est uxoris garrulitas; qua molestia carebit, si fiat surdus.

Zelotypiæ remedia. L. Lact. l. 6. de vera relig. C. Si dictum. 23. q. 6. Cic. 2. Philip. Panormit. in ejus. vita.

LECTIO IX.

DE CASTITATE CONJUGALI.

1. *Docet excludere omnē de alio concupiscentiā.*
2. *Moderari tempora actus conjugalis.*

Propositio I.

Castitas conjugalis non solùm omnem alterius contactum, sed & concupiscentiam debet eliminare.

NOn desunt conjugatis tentationes & illecebræ, à concupiscentia & dæmone, suggerente majorem voluptatem inesse alienis amplexibus. Videtur enim insusurrare auribus quorundam illud: *Aqua furtivæ dulciores sunt: & panis absconditus suavior.* Furto sublata videntur suaviora; quia sicut majori desiderio desiderantur, ita majori voluptate percipiuntur; & ferè nostra nobis vilescunt, aliena optantur. Hac similitudine, mulier improba persuadet vecordi, congressum cum non sua majorem afferre voluptatem. Idem multis satan insinuat fallaci tentatione. Sic senes, castam Susannam in abscondito pomarij, ad absconditam & furtivam libidinem prostituere conantur. Sic uxor Putipharis, desiderio furtivæ voluptatis castum Joseph sollicitat. Sed nec vecors Joseph fuit, nec Susanna, sic entes illud: *Qui adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam.* Verè enim qui adulterium mente gerunt, inopia cordis laborant: nec

Prov. 9. 17.

Daniel. 13. 20. Gen. 39. 7.

Prov. 6. 32.

Digitized by Google

nec advertunt, quàm amara ſit aqua hæc furtiva, quàm virulentus panis iſte abſcenditus, & inde duplum ſolvendus. *Noviſſima* enim *illius* amara
Prov. 5. 4 *quaſi absynthium, & acuta quaſi gladius biceps.* Animam corpuſque transfigit libido illa, inſtar romphææ bis acutæ. *Ignis eſt uſque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.* Devorat ſubſtantiam, famam, honorem, eradicat omnem animæ tranquillitatem, domeſticam pacem, amicorum concordiam, totius familiæ fœlicitatem, filios, qui ſunt germina ſancta Matrimonij, uredine
Prov. 5. 15. peſſima infamiæ lædit & ultulat arboremque ipſam conjugij vitiat. Ideo monet Sapiens: *Bibe aquam de ciſterna tua* (non de aliena) *& fluenta putei tui*, (non alteni) *deriventur fontes tui, & in plateis aquas tuas divide.* Hoc eſt, filij tui in publico poſſint apparere, ſine pudore tanquam tui, non tanquam illegitimi & communes.

Fruſtrà alijs bonis operibus Deo placere, vel illum placare contendunt, qui in hoc vitio adulterij compreſcuntur; factorem enim ſuum etiam uſque ad cœlum dignumque thronum exhalant. Sic aliquando fertur S. Virgo oſtendiſſe Hugoni Hetruriæ Marchioni VI. Huic enim poſt venationem laſſato, & nocte jam appetente ingreſſo tugurio-
Joann. Laurus lib. de Virg. annuio. lum, ut fame ſe penè enectum radicibus aut glande reficeret, apparuit Virgo, vas vile & luto ſordidum delicatis tamen cibis refertum offerens. Ille cibum quidem appetebat, ſed ob fœtidum & lutoſum vas guſtare renuebat. Tunc Virgo rei ſignificationem ei exponens, dixit: Huic vaſculo corpus tuum ſimillimum, carnalium vitiorum fœtore conſpurcatum. *Impoſita epula adumbrant animum, qui ob vaſis ſive corporis graveolentiam, etiam ſui nauſeam excitat aſpicienti, & puros beatarum mentium cœtus quaſi faſtidioſos à ſe dimittit. Ego quoque abominor animum faculentum, ſicut tu cibum hæc ſervidum. Atqui ego mater pulchræ dilectionis & ſanctæ ſpei, meliorate deſte impoſterum concepta ſpe, tibi me in obſcuro ſylvarum anfractu lucidam oſtendo, ut mentem è corpus amoris veterno excites, & corpus ab adulterinis amplexibus dimoveas, agnoſcensque errorem pœnitentiam agas.* Nec fuit ſine fructu hæc reprehenſio. Nam in melius vitam emendans, ſeptem monaſteria ſuis ſumptibus ædificavit. Eſt ſepulchrum ejus memorabile Florentiæ, habeturque codex vitæ ejus apud Monachos Sancti Salvatoris Ord. Ciſt.

Sic amat Virgo caſtitatem conjugalem, amant & beatæ mentes. Etenim & multi Sancti adhuc viventes, contra adulteros clamarunt adeo conſtanti voce, ut & mortem oppetere parati fuerint pro caſtitatis defenſione; fortiùs condemnantes adulterium apud Deum & homines, ſanguinis ſui voce.

Sic Joannes Baptiſta occiſus eſt ab Herode, quòd adulteraj & inceſtûs intrepidè eum argueret. Dicebat enim: *Non licet tibi habere uxorem fratris*
Marc. c. 6. 18. *tui*, inclamabat id ſæpius, ideò conjectus in carcerem, tandemque adulter à virgente perimitur, & à reis in judicem capitalis ſceleris pœna convertitur: ſed ejus ſanguis non deſinit clamare, ſuoſque peremptores ac luxurioſos homines coarguere. Amb. li. 5. de Virginibus. Unde Amb. *Intuere Rex auſterriſſime tuo ſpectaculo digna convivia, porrige dextram, ne quid ſævitia tua deſit, ut inter digitos tuos rivi defluant ſacri cruoris. Et quia non ſaturari epulis fames, non reſtinguis poculis potus inundis ſævitia ſitis; bibe ſanguinem ſcaturientibus adhuc venis inſecti capitis profluentem. Verte oculos in ipſa morte ſceleris tui teſtes, claudunt non tam mortis neceſſitate, quàm horrore luxuriæ. Os aureum iſtud exangue, cujus ſententiam ferre non poteras, conticeſcit, & adhuc timetur.* Sic Stanislaus Surius 7. Maij in vita ejus. pro caſtitate contra Boleſlaum Poloniæ Regem depugnans, ab ipſomet Rege, cujus notam libidinem publicè arguebat, obtruncatus eſt, ad altare offerens ſacrificium.

Similiter & ſanctiſſimus Patronus noſter Lambertus, pro caſtitatis & veritatis defenſione velut alter Joannes ſanguinem fudit. Cùm enim Pipini Surius 17. Sept. adulterium cum quadam Alpaide ferre non poſſet, non deſtitit Principem arguere, & à flagitioſo ſtatu deterrere. Reverebatur eum Pipinus, ſed Alpais altera Herodias odio furebat, timens repudiari. Fratris ergo ſui Dodonis furorem in eum concitavit, qui orantem coram altare SS. Coſmæ & Damiani, brachijſque extenſis in modum crucis, voventem ſe Chriſto Crucifixo victimam, confodit. Sed nec deſtitit ipſe etiam poſt mortem luxuriam miraculoſis ſignis condemnare. Cùm enim corpus ejus Trajectum à diſcipulis translatum fuiſſet, illud mirabile fuit, quod omnibus ad illud honorandum concurrentibus, neme prohibebatur accedere, & corpus attingere, ſpeciali autem miraculo removebantur, nec accedere aut attingere poterant corpus caſtiſſimum pro caſtitatis honore tuendo interemptum, Aulici impudici aut concubinarij, vel filiæ libidinoſæ proſtitutæ. Sic voce ſua vivens, voce ſanguinis ſui moriens, voce corporis exanguis poſt mortem, oſtendit ſe odio habere & condemnare impudicitiam, ſummus amator & propugnator caſtitatis.

Sed de adulterio, ejuſque pœnis fusè dixi ſuper præcepto 6. Videri poteſt Job. cap. 24. & ibi Interpretes. Item Sapiens Prov. 5, & 9. & Eccleſiaſt. cap. 23.

Quòd ſi ex Scripturis puniti adulteri exempla requiris, intuere Davidem & Abſolonem. Davidi dicit Natan 2. Reg. 12. 11. *Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximis tuis, & dormiet cum uxoribus tuis in oculis Solis hujus. Tu enim feciſti abſconditè, ego autem faciam verbum iſtud coram omni Iſrael & in conſpectu Solis.* Abſalon autem, licet permiſſus ſit juſto Dei judicio violare uxores patris ſui, tamen & ob id brevi ultorem ſenſit Deum. Propterea enim permiſit Deus, ut Jo. 2. Reg. 12. 11. 2. Reg. 16. 22.

Digitized by Google

transfigeret triplici lancea, quia triplici vitio abominabili infectus fuit; insatiabili ambitione, parricidali rebellione, adulterio incestuoso. Et quia decem violarat uxores, à decem armigeris, cùm adhuc palpitaret, confossus est.

Porrò castitas conjugalis non solum adulteria ablegare debet, sed & impudicitias, quæ exerceri possunt extrà usum conjugij ab altero conjugum circà se, vel circà conjugem. In his enim potest intervenire peccatum mortale: sic conjux in absentia alterius per sui corruptionem, peccat mortaliter: & omnes contactus, pollutionis periculum extrà vas naturale involventes, peccato mortali sunt obnoxij. Habes in Scriptura de vindicta Her & Oman, qui semen fundebant in terram, ne proles eis nascerentur. Hoc aliquando contingit aliquibus, ne fortè plures proles alere teneantur. Et tamen peccatum gravissimum directè repugnans fini Matrimonij.

Gen. 38. 9.

Propositio II.

Castitas conjugalis restringit etiam immoderatum usum conjugij, sola voluptatis causa factum.

1. Thess. 4. 4. Licet copulam carnis Matrimonium admittat, debet tamen fieri vel prolis desiderio, vel ad succurrendum carnis infirmitati, vel ad reddendum debitum conjugi. *Oportet*, inquit Apostolus, *vas suum possidere in honore & sanctificatione, non in passione desiderij sicut gentes, quæ ignorant Deum.* Hoc non attendentes multi, putant sibi licitum quodlibet in conjugio cum sua, & ita fiunt: *sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Nec advertunt documenta Angeli ad Tobiam, nec monita Sanctorum. Inter hos D. Hieronymus ait: *Sapiens vir debet judicio amare conjugem, non affectu, reget impetus voluptatis, ne præceps feratur ad coitum: nihil fœdius, quàm amare uxorem quasi adulteram. In aliena uxore omnis amor turpis est, in sua nimius.*

Psal. 31. 9. Tob. 6. 18. S. Hieron.

Præclarè B. Ægidius Franciscidiscipulus, cuidam glorianti se castum esse, se fidem uxori servare, respondit: *An putas, quòd ex suo quis debrietur fieri non possit?* Insinuabat non esse illi gloriandum de castitate, nisi etiam excessum voluptatis in conjugio nosset temperare. Nam sicut vinum moderatè sumptum conducit sanitati, excessus autem eam pervertit; sic immoderatus voluptatis usus ruina est spiritualis sanitatis. Et sicut contingit aliquem inebriari non solum alieno vino, sed etiam suo: similiter species quædam ebrietatis est, in usu conjugij immoderato, quæ ratio absorbetur, & contra perfectam rationem castitatis conjugalis peccatur. Sed & animalia quædam in hoc hominem condemnant; Cervus enim cerva non nisi castè & secretè congreditur, post conceptum congressum abstinent: dicitur que cervus mox à congressu in ferobem sese abscondere, quasi libidinis pudeat, donec pluviâ ablutus, & quasi purificatus, in pascua redeat, ut propterea sapiens etiam dicat: *Uxor sit tibi, quasi cerva gratissima*, teste Bedâ in Prov. c. 5. Simile quid de elephante legimus. Sint ergo hæc animalia conjugatis exemplum honestatis, & conjugalis castitatis. Audiant & ipsi S. Fulgentium: *justitia utendi conjugij hæc est, ut non explendæ libidinis, sed subsituendæ prolis obtentu, conjuges sibi misceantur congruo tempore. In illis namque bonis, quæ fecit Deus, invenitur justa copulatio uxoris & viri, in quibus Dei operibus libido non potest reperiri, quæ hominibus non ex dono conditionis, sed peccatoribus ex vitio primæ prævaricationis accessit. Sed quia sine illa, in corpore mortis hujus, proles humana non seritur, non eam effugiant conjugia casta, sed toleranti, eique imponet nuptialis honestas modum, sine qua non potest in carne peccati, naturalis explere fœcunditatis officium. Sic ergo quæri debet ex nuptijs fructus, ut cohibendus sit lubrica voluptatis excessus.* At ne fortè quis existimaret statim esse peccatum mortale, in conjugio voluptatem quærere; eam opinionem removet Fulgentius, subjiciens: *Conjugatus si uxori fidem non deserat; sed in uxore sua naturæ duntaxat usu aliquantum excedat, non solum generationem quærens, sed carnis libidini obediens, hoc equidem sine culpa non facit. Talis autem culpa, citius bene operanti, atque oranti veniatur; quia ipsi conjugi servat maritalis claritudo fidem, in qua non potest maritalis incendere temperiem. Et si nuptialis in uxore modum non tenetur, à nuptiali tamen fide nulla immoderatione discedit.*

Beda in c. 5. Prov. B. Fulgentius ep. 1. de conjug. debito.

Cæterùm, licet in conjugij usu, carnis quædam impuritas reperiatur, cordis tamen etiam perfecta potest puritas reperiri; si solum prolis desiderium, vel debitum conjugale ad id impellat. Hinc in vitis PP. legimus, S. Macarium in deserto hanc è cælo vocem audivisse: *Nondum, ô Macari, assequisti perfectionem duarum mulierum conjugatarum in una civitate.* Desiderio autem inquirendæ viæ, quam ad perfectionem inquirendam tenerent, adit civitatem, & Spiritûs divini ductu, ingreditur domum, in qua duæ mulieres duobus fratribus Matrimonio copulatæ agebant; à quibus precibus importunis efflagitat, ut enarrare velint, quem teneant vitæ modum. Tandem ejus precibus acquiescentes, dicunt se annis undecim in eadem domo viris cohabitasse summa pace, & sæpius enixè postulasse, ut vitam vellent cælibem agere; id verò cum impetrare nequirent, Deo puritatem cordis obtulisse. Insuper summo semper studio invigilasse, ne verbo, vel opere Deum offenderent. Hoc audiens vir sanctus, exclamare cœpit: *Verè in quacunque sorte puritas cordis Deo placet, ita ut quandoque puritas conjugatorum puritatem Virginum & Monachorum excedat.*

Davereultius c. 7. Catech. hist. tit. 55. Exemp. 1. In vitis PP. lib. 6. §. 17.

Sed cum non possint conjugati impuritatem corporis per abstinentiam à conjugij usu servare, nisi ex consensu mutuo: contingit quandoque, ut

qui

qui cordis puritatem Deo offerunt illamque sectantur, impetrent postea à Deo utramque : ita ut animum refragantis, aut dissentientis, inflectat Deus in favorem alterius puriorem vitam optantis. Habemus hujus rei præclarum exemplum in Annal. Franciscanis.

Chronic. Francisc. tomo 1. c. 86.

Transeunti Francisco circa sylvam Cortonæ, occurrit Matrona nobilis benedictionem poscens. Hac impertita, infœlicem statum suum enarrat. Nempè quod cùm Deo ex integro servire, jam diu inspiratione cœlesti impelleretur, maritum sortita sit ira infestum, ut in ejus potius perniciem conspirare videretur. Itaque obsecrat amore Dei opem Francisci. Cui vir sanctus: Confide filia, & si firmâ fidem conceperis, aderit Deus piæ voluntati. Regredere domum, & alloquere virum in hæc verba : *Ex parte Dei tibi annuncio, tempus modò esse misericordiæ, pœnas justitiæ ; ideoque per Christi vulnera te obsecro, ut in pace, timore, & amore Dei modò vivamus.* Abit mulier, interim Franciscus orationi se addicit. Res mira. Ingressa domum rogante marito, unde venisset, omnia ordine recitat. Et cum verba à Francisco insinuata pronunciasset, ita statim ille mutatus est, ut exinde resolverit vitam meliorem inire, uxorisque votis satisfacere. Cui uxor. Quidni, ô marite per castitatis votum nos Deo consecramus, cùm nihil illa gratius, nec fœlicius sanctitatis fundamenta jacere possimus. Acquievit ipse novam & miram initians sanctitatis viam, in qua uterque perseveravit, cum omnium qui eum noverant admiratione. Et quidem id ita Deo gratum fuit, ut eodem die obierint, mulier mane tanquam sacrificium matutinum, vir vesperi tanquam sacrificium vespertinum. Sic voluit Deus, ut qui concordes vixerant in pietate, simul uniretur per mortem in æterna beatitudine. Hujusque tanti miraculi æterna eo in loco mansit memoria.]

Licet verò hæc vota non facilè sint emittenda, ne vergant in laqueum, monet tamen conjugalis castitas tempora moderari, & abstinere, dum rebus spiritualibus incumbendum est. Sic monet Apostolus. *Nolite fraudare invicem nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi & revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas.* 1. Cor. 7. 5. Hinc Nicolaus I. in resp. ad qq. Bulgarorum. Nicolaus I. in respon. ad quæstiones Bulgarorum cap. 50. scribit, ut tota Quadragesima uxoribus abstineant. Et licet id sit consilij, pij tamen merito obsequuntur ut abstrahant animum à carne & Deo serviant spiritu mentis suæ, cum perfectiori cordis ac corporis puritate. Sic verè adimplent monitum Apostoli : *Qui uxores habent, tanquam non habentes sint.* Hoc enim congruit, dum Deo, orationi, jejuniis, vacandum est. Si alijs temporibus fiant una caro : quidni sacro tempore fiant unus spiritus, & communi zelo conspirent ad ea, quæ Dei honorem, propriamque concernunt salutem ? Certè, sic felicius fruentur Matrimonij bonis, sic tolerabiliùs ejus onera ferent, sic protegentur contra insultus, aut ingruentes perturbationes. Denique, sic renovabunt, & resuscitabunt gratiam in Sacramento susceptam, si mutuo impulsu pietati vacent, Deumque conjugij auspicem & præsidem profelicitate spiritus & animæ invocent. Maximè autem abstinendum, dum Communio suscipienda est. Si enim pro pane Propositionis edendo, interrogabatur David à Sacerdote, an casta essent puerorum vasa à mulieribus, quanto magis pro pane hoc cœlesti edendo id procurandum? 1. Reg. 21. 5.

LECTIO X.

DE PROLE, PRIMO MATRIMONII BONO.

1. Docet Parentes posse desiderare prolem.
2. Agit de cura prolis in utero.
3. Agit de cura prolis jam ab utero.

PROPOSITIO I.

Parentes possunt pro prole habenda Deum orare, frustra tamen orant, nondebent nimio affectu desiderare.

PRimum patet, quia fœcunditas est Matrimonii bonum à Deo veniens : & sicut fœcunditas ab illo provenit, ita & per illam tolli potest. Ideo dixere Hebræi Deum sibi reservare quatuor claves naturæ. *Deus sibi reservat 4. Claves naturæ.*

1. Clavem pluviarum, ut eas ad libitum emittat ex thesauris suis. Deuteron. 28. v. 12.

2. Clavem vitæ, id est, generationis, Genesis 30. *Num pro Deo Ego sum, qui te privavit fructu ventris tui?*

3. Clavem alimoniæ ad famem pellendam. Psal. 144. 16. *Aperis tu manum tuam, & implesti omne animal benedictione.*

4. Clavem sepulchrorum, id est, resurrectionis, patet Ezechiel. 37. *Aperiam tumulos vestros &c.*

Cum ergo illi clavis generationis attribuitur, non est fortunæ aut casui adscribenda fecunditas : sed benedictioni Dei, quam sæpè promisit in compensam bonorum operum. Sic recte Mater Machabæorum proles dona Dei esse agnoscens dicebat: 2 Mach. 7. 22. *Nescio qualiter apparuistis in utero meo, neque enim ego spiritum donavi vobis & vitam & singulorum membra non ego ipsa compegi ; sed ille mundi Creator qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, & spiritum vobis iterum cum misericordia reddet & vitam.* Patetquoque fœcunditatem donum Dei esse in tot sterilibus, Sara, Rachele, Anna, quas postea Deus prole donavit, ostendens quomodo habeat clavem generationis. Unde & dicere solet Scriptura, Deum claudere vulvam, vel aperire. Si autem quæras, cur Deus olim tot steriles fœcundarit, & prole electa donarit, Respondeo : Quia cum Deus

Digitized by Google

omnia disponeret in ordine ad Christum semen electum ex Patriarchis oriundum. voluit per minora miracula viam sternere ad maximum miraculorum, ut scilicet steriles parerent in antiqua lege, & lex nova oriretur, dum non solum sterilis generat, sed & Virgo Deum pavit & hominem.

2 Parentes steriles non debent nimis affligi.

Quantum ad secundum, non debere nimium affligi parentes steriles, declaratur, quia sic possent divinæ providentiæ injuriam irrogare. Etenim illa justa est, & sæpius permittit sterilitatem in bonis variis de causis.

Multi parentes ob proles pereunt.

Primò ob salutem parentum, quia si eis prolem dedisset, peccatioccasio non defuisset, vel ob nimium affectum, vel ob rerum temporalium accumulationem, cui neglecta salute inhæsissent. Quis enim nescit, multos parentes perire ob proles, qui cum dispendio salutis cum injustitia & ambitione opes procurant, & status honoratos?

Secundò ob bonum prolium, quia prævidet proles eis oriundas infœlices fore & improbas: ita ut melius sit non nasci, quàm perire, & parentibus ignominiæ esse & tormento. Sic de Juda dicit Dominus: *Melius fuisset si natus non fuisset homo ille.* Et in personam eorum dicit Job: *Pereat dies, in qua natus sum; & nox, in qua dictum est, conceptus est homo.* Quare *non conclusisti ostia ventris, qui portavit me? Quare non in vulva mortuus sum, cur exceptus genibus, lactatus uberibus?*

Matth 26. 24. Job 3. 3. v. 10. v. 11.

Tertio, ob damnum corporale, vel etiam dispendium vitæ, quod Deus novit parentibus à prole obventurum. Quàm multæ matres vitâ periclitantur, ob prolis nativitatem? Rebecca cùm diu sterilis fuisset, magnoque desiderio fructum optaret, tandem fœcunda reddita est ob preces Isaac, dicente Scripturâ: *Deprecatus est Isaac Dominum pro uxore, eo quod sterilis esset, qui exaudivit eum, & dedit conceptum Rebeccæ.* Sed quid deinde! Colliidebantur in utero ejus parvuli, lucta cum matris gravi periculo incuntes, ita ut diceret: *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* Infœlicius Rachel contigit: hæc tanto desiderio liberorum angebatur, ut diceret viro suo: *Da mihi liberos, aliquin moriar.* Unde iratus Jacob respondit: *Num pro Deo ego sum qui privavit te fructu ventris tui?* Tandem fœcunda reddita, enixa secundum filium, mortua est. Unde vocavit nomen ejus Benoni, hoc est filium doloris. Sic & alij gnati necem parentibus suis attulêre. Inter hos Julius Cæsar sic dictus à cæso matris utero. His quoque adnumeratur S. Drogo natus propè Valencenas, qui miro modo calculosis & ruptis invocatus subvenit. Ex parentibus nobilibus ortus est, sed posthumus puer & Cæsar. Cùm enim nondum natus patrem amisisset, inter diros parturientis matris labores, consilio obstetricum per maternum latus est editus in lucem. Sic natus est utroque parente orbatus: quòd cum decennis intelligeret, sæpius contristabatur, recogitans se maternæ necis esse occasionem. Idem refertur de S. Lamberto Vencensi Episcopo, qui floruit anno 1114. cujus mater in partu obijt doloribus victa, & de ventre filius inciso, puer extractus est, ideo matris sæpius lugebat interitum.

Gen. 25. 21.

Molanus 14 Julij.

Surius 26. Maij an. 1146

Quarto, permittit Deus sterilitatem in peccati alicujus vindictam. Sic Michol uxor David, filia Saul, quia despexerat Davidem coram arca ludentem, sterilitatis opprobrium incurrit. 2 Reg. 6.

Steriles corpore ut debeant esse steriles virtutib.

Quinto, quia vult Deus, ut steriles corpore, non sint animis steriles, sed virtutibus & bonis operibus fœcundæ, ut & temporalia bona, quæ in filiorum luxum erant erogaturæ, in eleemosynas & pia opera convertant, membrisque Christi impendant. Sic faciebant Joachim & Anna, qui, teste D. Hieronymo, bonorum suorum unam partem templo Domini impertiebantur, alteram pauperibus, tertiam necessitati suæ adservabant. Igitur prole carentes, orationi, & jejunio, pietatique vacabant, ita ut tandem post viginti annos fœcunditate donati, prolem illam electam Virginem Deiparam, orbis lucem, edere meruerint. Sic Joannes Patritius Romanus, & uxor ejus paris nobilitatis, cum liberos non suscepissent, quos bonorum hæredes relinquerent; suam hæreditatem Matri Deivoverunt, assiduis instantes precibus, ut significarent, in quod pium opus vellet eas opes impendi. Unde miraculo nivis æstivo tempore locum designantis & contegentis, Basilicam S. Mariæ Majoris erexerunt.

V. Brev. 5. Aug.

A Deo precibus proles impetrata.

Possemus hic adscribere plurimos conjuges, qui ob sterilitatem se suaque omnia Deo voverunt. Nam desunt multi, qui cum pijs operibus, eleemosynis, orationibus vacarent, post longos annos speciali Dei favore, Sanctorumque intercessione, proles sanctas genuêrunt, quas Deo voverunt. Sic sanctus Nicolaus Tolentinas ex sterilibus intercessione sancti Nicolai orbi datus est. Item S. Libertus precibus S. Rumoldi ex Adone Comite, & Eliza jam senibus natus est Mechliniæ. Item S. Stanislaus ex nobilibus & pijs parentibus, post annos triginta sterilitatis ortus est. S. Albertus Carmelita post annos 26. Item S. Ludovicus Rex impetratus fuit oratione S. Dominici, & devotione matris Blanchæ ad rosarium. Sic alij plures.

Suriust. Octob.

Sed non est prætereundum de S. Remigio, cujus ortum prædixit Anachoreta quidam, Montanus nomine, Angelicis sæpius fruens alloquijs. Hic nocte quadam orabat pro pace Ecclesiæ afflictissimæ apud Gallos & Belgas. Tandem obdormiens, visus est sibi interesse Angelorum & Sanctorum choris, hac de re agentibus, voxque cœlestis intonuit: *Dominus prospexit de excelso sancto suo, Dominus de cœlo in terram respexit, ut audiret gemitus compeditorum, in conveniendo populos in unum, & Reges ut serviant Domino.* Itaque monuit vir sanctus Æmilium & Ciliniam, genere nobiles; sed steriles & senes, de prole edenda, per quam Deus pacem Gallicanæ & Belgicæ Ecclesiæ esset

Digitized by Google

eſſet allaturus. Cùm vix crederent oraculo, ait ipſe matri: *Vis ſcias me vera nunciare, allactato infante oculos meos lacte tuo unge; & ego infantis mortui vultum recipiam.* Rem gnato ergo nato, matris ille lacte viſum recepit, qui utroque lumine orbatus erat.

Mirabilis hiſt anno. 1474.

Addenda eſt his & memoria ejus miraculi, quod Romæ extat, in templo S. Salvatoris de Lauro Anno 1474 Ioannes Mates & Catharina Calagonia Barcinonenſes, cum annos octo egiſſent ſine prole, pro ea obtinenda voto domi concepto, & in S Severi Eccleſiæ renovato, Sacrum ſolemne celebrandum curarunt in honorem duodecim Apoſtolorum, accenſis duodecim cereis, cum nomine unius Apoſtoli ad ſingulos cereos. Audierunt Apoſtoli vota precantium, nam ſpatio tredecim annorum ſequentium, duodecim proles habuere octo maſculos, & quatuor fœminas: quorum ſingulis unius Apoſtoli nomen indiderant. Et licet diu ſupervixerint, nullam ultra prolem ſuſceperunt. Filij deinde poſt parentum mortem, ſinguli circa feſtum ſui Apoſtoli, cujus nomen gerebant, obierunt. Horum ultimus Petrus Mates I. U. D. Cubicularius Apoſtolicus, hæc Romæ in marmore incidi curavit in S. Salvatore. Quod marmor translatum eſt in Clauſtrum, dum Eccleſia conflagravit.

PROPOSITIO II.

Proli curam tenetur habere mater, jam à conceptu.

EXplicemus id particularius cum brevitate; quia convenit Paſtores, ſæpius in concione & Cathechiſmo, ad inſtructionem parentum hac de re agere, & munia eorum explicare.

1. A fœtui noxia abſtinendum

Primo igitur tenetur mater ſtatim ubi concepit, abſtinere ab his quæ fœtui poſſunt nocere. Quapropter cum jam animatus eſt fœtus, in genere cujuſdam homicidij cenſetur, ſi non advigilet, ſed inordinatè ſe gerens illi noceat ſive in cibis, appetitui pravo nimis indulgens; ſive fatigatione nimia, aut oneribus ferendis, quibus impar eſt; ſive indiſcretis afflictionibus, jejunijs, abſtinentijs, ſive paſſionibus violentis, ira, odio, impatientia, triſtitia, aliisve modis.

2. In præcepto 5. Decal.

Debet & advigilare maritus, ne uxori horum ſit occaſio, indiſcreto mandato, objurgatione gravi, percuſſione, aliſve modis. De hac re fusè egi ſuper præcepto 5. Decal.

2. Angelo fœtus commendandus.

Secundò, juvat ex tunc Angelo fœtum frequentius commendare; quia ſicut hic cuſtodit matrem, ita & prolem, dum adhuc pars matris eſt; donec ſpecialis Angelus eidem putetur a Nativitate. Hic ergo eſt qui impedit ne dæmon noceat, ne procuret extinctionem, ut ad Baptiſmi gratiam non pertingat. Id ob peccata parentum aliquando permittit Deus, & indulget diabolo potestatem proles enecandi nec dum natas, vel per maleficia, vel per alia media quæ ſuſcitat, urens hominum opera. Semper enim inſidiatur dæmon vitæ ſpirituali, prolis & ita Angelica cuſtodia & protectio multum neceſſaria eſt. Sed & propter ipſam prolem, ſpecialiter quandoque Deus matres è periculis liberat, Angelorum ſubſidio. Cum Sigridis Brigittam materno adhuc geſtaret utero, contigit eam naufragio periclitari in quodam maris ſinu, ubi multi perierunt. At Dux Regni Sueciæ Henricus frater Regis, videns eam periclitantem, omnibus modis ad littus perduxit. Eidem nocte aſtitit ei Angelus radianti ſpecie, dicens: *Salva evaſiſti propter illud bonum, quod geſtas in utero, nutri ergo illud pro Dei amore ſtrenue ſpecialiter tibi donatum.* Viſibiliter quoque aliquando Angelos apparuiſſe legimus, ut benedictionem matribus impetrarent pro prole. Matri S Eucherij cum ſe quieti dediſſet ecce Angelus in veſte fulgida ei apparet, dicitque ſe miſſum ut benedictionem proli imperiatur adhuc in utero; & benedictione impertita, prædicit fore promovendum ad Aurelianenſem Epiſcopatum. Pium verò eſt, ut à Sacerdotibus qui Angelorum officium gerunt, benedictionem matres expoſcant pro ſe ac fœtu ſuo, idque cum viva fide. De Sancti Stephani junioris Martyris matre, apud Surium legimus, quod cum S. Germanus Patriarcha in thronum Patriarchalem aſcenſurus eſſet; circumfluente multitudine, aſcendit illa ſcamnum, ut virum Dei intueri poſſet. Cumque per Eccleſiam tranſiret, mulier clamare cœpit: *Benedic Domine, quod in utero meo eſt.* Ille autem perſpicacia animæ oculo eum qui utero geſtabatur intuens reſpondit: *Benedicat hunc Dominus per interceſſionem primi Martyris Stephani.* Apud omnes vero admirabatur illa, ſe ea hora qua hoc audiſſet, igneam flammam ex divino illo ore proſilientem vidiſſe. Sic mulieris fides, & benedictio illius, qui locum Dei gerebat, magnam habuit efficaciam, in puero materno adhuc carcere concluſo, qui à Stephano I. Martyre nomen & ſanctitatem eſt mutuatus.

Surius 23 Julij

Surius 29. Februar.

Surius 28. Novem.

3. Parentes curent in gratia eſſe.

Tertiò, advigilet mater ut in ſtatu gratiæ exiſtat, ſimiliter & pater: tum ne propter peccata parentum, proli aliquid contingat mali tum ut juxta illis inhærentem gratiam, Deus in prole affectiones diſpoſitiones que bonas operetur. Quia non ſolum corpus mirabiliter format, ſed & animam infundens, dotibus diverſis jam in radice adornat; idque meritis parentum, dum ſeſe per gratiæ ſtatum, & bonorum operum exercitium, ad id diſponunt, ut Deus initialem benedictionem in prole operetur. Similiter & eorum demeritis infœlicia nonnunquam prodigia contingunt.

Audi quid contigerit in Baccharach Oppido inter Confluentiam & Moguntiam, ex vini præſtantia celebri; quod quidam à Bacchi mare ſic nominatum putant. Illic anno 1595 14. Martij natum eſt monſtrum horrendum: anteriore ſuperiore que parte ſerpenti ſimile, caudam habens tribus ulnis longam: nec diutiùs vixit, quàm quoad mater ob quod miſſum fuerat perfunctum

Michael Iſelt in Mercurio gall. an. 1595.

fuit,

Digitized by Google

fuit. Cùm enim pater impius & ebriosus, contemptor Dei & hominum, Dominica Quinquagesimæ in cauponam abiisset, ad potationes, aleas, & impietatem more suo exercendam: uxor partui vicina secuta est, ut moneret, & domum eum reduceret. Ille monentem non solum contemnit, sed & percutit, dicens, ut cum suo vivo dæmone, quem utero gereret, domum abeat, alioqui se gladio eam transfossurum. Illa vero: Itane ego vivum gero Dæmonem? Esto igitur. Non plura locuta, domum revertitur, doloresq; partûs statim sentit, & terribile hoc monstrum peperit. Ille cùm jam potando & ludendo libidinem explevisset, domum revertitur. Ingressus ad locum ubi partus jacebat, monstrum illud in eum involat. & caudæ suæ implicatum venenatis ictibus ita pungit & transfigit, ut paulò post infelicem animam exhalârit. Marito mortuo, puerpera quoque extincta est, tandemque monstrum vivere desijt.

4. *Devotio exercenda.* Joan. 1. 9.

Quartò, devotio concipienda erga Christum in Venerabili Sacramento, qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; erga Deiparam ac alios Sanctos, quos puerperis opem frequentiùs attulisse, ex sacris notum est historijs. Vide quæ dixi Tom. 1. Tract. 3. Lect. 15.

Propositio III.

Tenentur quoque parentes statim à partu specialem curam proli exhibere.

1. *Baptismum procurare.*

PRimò quidem solliciti sint per Baptismum vitam spiritualem proli procurare. Nam Christiani non solùm carnis, sed & spiritûs & animæ esse debent parentes, ut obsequantur æterno Patri spirituum. Provideant ergo filijs de regeneratione in viram æternam ex aqua & Spiritu S. Nec per multos dies differant, ne proli periculum ingeneretur; fragilis enim admodum vita infantis, & minimo incommodo perimi potest. Matres cùm generent infantes per peccatum mortuos, matres sunt mortuorum: proles statim offerendo per Baptismum fiant matres viventium. Non patiantur ut nomen Eva ipsis conveniat solum per antiphrasim, aut ironicèfiat quælibet mater Eva, hoc est, *Mater viventium*, per veritatem procurando infanti vitam gratiæ in Salvatore promissam. Debent quoque simul cum Baptismo eligere tales Patronos, sive Patres spirituales puerorum; ut si contingat parentes intermori, possint ipsi in fide & probitate vitæ illos instruere. Sed de Patrinis & nomine imponendo fusè dixi Tract. de Baptismo.

2. *Matres adstare ad templum cum prole.*

Secundò, post partum munus matris est ad Ecclesiam reverenter procedere cum prole, tempore scilicet sufficienti ad restaurandam debilitatem ex partu relictam: nec hic ponenda est vis in numero dierum, aut hebdomadarum, ne Judaismo videantur accedere. Non alia autem intentione moneantur venire, quàm ut in gratiarum actionem, acceptam divino favore sobolem divinæ offerant majestati, adinstar Annæ Samuelem offerentis. Quapropter divinæ tunc majestati, monetur non debere esse ingrata, quod ú doloribus & periculis partûs cum fructu evaserit libera. Novam igitur gratiam imploret sibi, prolique, & ad hoc Sacerdotis advocet benedictionem, quæ multum efficax est per Ecclesiæ preces ad Spiritum, si accedentis dispositio reperiatur. Unde & in cęremonijs Ecclesiæ monetur cum lumine accenso venire, in symbolum vitæ proli datæ, ac lucis gratiæ, cujus incrementum sibi illique optat. Ac simul indicatur, quod sicut candela in honorem Dei consumitur, ita & ipsam debere vitam suam ac prolis, quoad in se est, in honorem Dei consumere. Capiti quoque superimposita stola, indicat omnem benedictionem à Christo mortalitatis nostræ stola induto, derivari: per quem immortalitatis stolam in Adam perditam, recuperare speramus. Unde & tunc legitur Evangelium Joan. in cujus fine significatur, quomodo Verbum Caro factum, ut habitaret in nobis, & ostenderet tandem gloriam suam, gloriam quasi unigeniti à Patre. Itaque longè alia ratio est purificationis antiquæ & novæ. Illa enim quadragesimo fiebat die ex præcepto cæremoniali; at illud jam cessavit, sicut & sacrificium, quod tunc offerebatur, de quo Luc. 2. & Levit. 12. Remansit iterum in Ecclesia consuetudo pia, qua mater se cum prole offert, non Judaico errore, aut superstitione, sed ad sacrificandam hostiam Deo viventi in Missæ mysterio, & seipsum cum illa. Et licet hæc generalis sit oblatio, quandoque tamen oblatio prolis speciali devotione facta, multam efficaciam habuit, tam in antiqua, quàm in nova lege. Declaremus exemplo.

Luc. 2. & Levit. 12.

Lauduna Comitissa S. Elzearij mater, ubi partum hunc primogenitum edidisset, statim ferventi devotione, & gratiarum actione obtulit Deo, dicens: *Domine Deus, ad cujus imperium existunt creaturæ omnes, gratias ago pro hoc filio tuæ benignitati donato, teque humiliter oro, ut eum tibi servum accipias, & tuæ benedictionis gratiam ei largiaris. Quòd si tu illum nostræ divinæ voluntati tuæ rebellem, nobisque Baptismate ejus candidatum, illum sine morâ tollas è medio: satius enim est innocentem, & nullis propriis auctum meritis tecum vivere, & mundo ex mori, quàm in hac mortali vita tuam offendere Majestatem.* Ut autem Deus ostenderet, se hoc sacrificium accepisse in odorem suavitatis, tantam pietatem infantis illius animo in ipsis cunabulis instillavit, ut cùm necdum triennij ætatem complevisset, ergà Christi pauperes mirabili commiseratione afficeretur. Nam cùm bajularum brachijs portaretur, in castri Ausoisij porta sæpè pauperes humanissimè intuens, nullo pacto ulteriùs progredi volebat, imò verò etiam sine intermissione acerbè plorabat, nisi illis præstita esset eleemosyna. Atque ea de causa nutrices ejus laturæ panem in castrum redibant, vel secum ferebant, ut illi infanti satisfacerent. Cumque pauperes accepissent eleemosynam, lætus & alacer transibat. Surius in vita S. Elzearij.

Surius in vita B. Elzearij.

Tertio

3. *Mater debet proli lactationem.*

Tertiò, Mater filio debet lactationem, natura enim hoc onus illis impoſuit, ideò mamillas & ubera ipſis adaptavit. Calor nempè naturalis, ex ſanguine menſtruo lac candidum & ſuave efficit: quem ſanguinem vi attractiva per venas alliciunt ad ſe mamillæ, & facultate ſibi innata, candore & dulcedine, aliſque proprietatibus lactis imbuunt, ad alendum congruis. Et hæc certè providentia meritò deberet impellere matres, ad proprio lacte nutriendas proles. Nam jam in utero infans illi nutrimento aſſuevit, quod tunc per umbilicum trahebat, optat jam ſibi defæcatius propinari in mamillis, per venas utero uberibusque communes. An non & Maria Virgo Jesum propriis lactavit uberibus: *Modicoque lacte paſtus eſt, per quem nec ales eſurit.* Hic tamen ſpeciale miraculum intervenit: ille enim qui aquam eduxit de petra, lac virgineo potuit elicere ex pectore, lac puriſſimum, candidiſſimum, plane virgineum. Hæc decoctio non jam à vi naturali, ſed à Spiritus igne Sancti facta eſt, ab illo ſcilicet qui eam ſanctificavit & fœcundavit. Unde canit Eccleſia: *Salvatorem ſæculorum, ipſum Regem Angelorum, ſola Virgo lactabat ubere de cœlo pleno.* Quapropter non eſt dubium majoris fuiſſe puritatis, candoris, & efficaciæ ad alendum, quam lac ullius mulieris; utpote à cœleſti efficacia gratiæ, & à Spiritus Sancti igne primitus originem habens.

Exempl.

Interim in Maria Matribus oſtenditur exemplum proles alendi, ſicut & in antiqua lege illuſtribus fœminis. Nam Sara lactat Iſaac, Rebecca Jacob, Anna Samuelem, & nobilis illa mater Machabæorum filios ſeptem: ut propterea laude dignum non ſit, quin potius vituperabile, dum fœminæ nobiles, abſque juſta cauſa & neceſſitate, filios alere dedignantur. Hoc aliqui dixerunt eſſe peccatum mortale. Navarrus tamen cum quibuſdam exiſtimat tantùm eſſe veniale. Plures interim graveſque rationes non deſunt (ultra ſupra dicta) quæ matres ad id officii impellant.

Rationes hujus lactationis.

Prima eſt, quia ſæpè contingit infantium corpora animoſque corrumpi, dum alieno lacte educantur. Corpora quidem non ita vivida ſunt aut nobilia; quia lac fugere compelluntur naturæ ſuæ non conforme: eſt enim lac maternum naturæ prolis convenientiſſimum utiliſſimumque. Et ſicut plurimum valet ad animi corporiſque ſimilitudinem communicandam vis ſeminis: ita vis lactis ad ingenium & proprietatem lactantis aſſequendam. Sic in naturalibus, ſi hœdi ovium lacte alantur, pilos teneriores gignunt; & agni ſi caprarum lac fugant, lana exiſtunt duriore. Similiter nutrix ſi ſit iracunda, ſi crudelis, ſi temulenta, ſi improba & impudica, facilè transmittit cum lacte hæc vitia, infirmitatem quoque corporis ſi illa laboret. De S. Catharina Suedica legimus, ſpeciali providentia Dei ab infantia refugiſſe ubera, ſi aliqua mulier incontinens admoviſſet, abhorrebat enim cum lachrymis & vagitu; ſed ſuæ matris, & aliarum pudicarum mulierum, ſine difficultate ſugebat. Idem dicitur de S. Catharina filia Brigittæ, & de S. Roberto. Vide Surium 2. Maij. & 24. Aprilis.

Secunda cauſa: quia ex eo quod filius non lactetur à matre, fit ut mater filium, filiuſque matrem minus amet: matres enim ſolent plus amare filios, quos propriis lactaverunt uberibus. Unde advertunt aliqui, in communi plebe majorem eſſe amorem parentum & filiorum, quàm in familiis Nobilium. Solent enim nobiles per nutrices lactare, & aliquando vix vident proles ſuas per annum: Hinc fit, ut major affectus inveniatur erga nutricem, quam erga matrem.

Addi tertia cauſa poteſt, quod aliquando poſſit contingere, ut proles commutentur dum nutricibus extra domum degentibus committuntur, nec de die in diem viſuntur. Huius rei fidem facit exemplum, quod Lutetiæ Pariſiorum, quaſi in publico Orbis Theatro notum factum fuit anno poſtremi Jubilæi 1626. Quidam inter primarios urbis conſiliarios prolem enutriendam & lactandam commiſerat conjugi Vinitoris cujuſdam ſui, extra urbem in agris & vinetis commoranti. Cùm de ſedulitate & fidelitate mulieris nihil ambigeretur, tota ei recenter natæ puellulæ cura ita concredita eſt, ut fere curam ipſius parentes viderentur ad tempus deponere & reſignare. Contigit autem infantulam Nutricis negligentia igni propius admotam, in facie uſtulari, & gravem ei deformemque maculam inuri. Quid faceret illa, quæ parentibus id nunquam auſa eſſet nuntiare? Inito conſilio cum conjuge, ſuam ipſa prolem nec ætate nec facie abſimilem, loco alterius ſupponit: & cùm per plures hebdomadas, & forte menſes, altera viſa non foret, credunt parentes ſine ſcrupulo ſuam eſſe. Itaque ætate creſcens educatur in urbe more nobilium, quæ filia ruſtici erat; quæ autem filia Conſiliarii, ignobiliter in agris verſatur, & more ruſtico enutritur. Tandem & illa ruſtica, ſecundum nobile genus putatitium, alterius conſiliarii filio nobiliter & opulente in matrimonium datur cum dote correſpondente. Altera penes Vinitorem commoratur ignobilis. Quid faceret mater, non mater? Urgetur ſcrupulis conſcientiæ ob fraudem, & damnum legitimæ proli inde ortum. Poſt multos tandem annos, Jubilæo adveniente compuncta, ſuaſu Confeſſarii fraudem detegit illis quos res iſta concernebat. Agnoſcitur puellula legitima, per notam quandam ſecretam, quam in ortu attulerat in parte aliqua corporis. Inſtatur tunc pro recuperanda dote extraneæ data, res apud Judices decernenda defertur: Matrimonium illud prioris non ſine perturbatione eſt, tanquam in quo error fuerit circa perſonam. Quid autem deciderint Judices, plenus forſan Mercurius Gallicus proximè excudendus poterit aperire. Hoc ſolum enarro Lutetiæ & Galliæ

Exemplū Pariſiis accidit 1626.

Digitized by Google

Galliæ notiſſimum, ut oſtendam neglectam lactationem prolium & curam, damna non pauca poſſe generare.

LECTIO XI.

DE INSTRUCTIONE PROLIS.

1. *Tractat de obligatione parentum ad inſtruendum, & corrigendum liberos,*
2. *Affert exempla prava inſtitutionis.*

PROPOSITIO I.

Tenentur Parentes prolem, ubi adoleſcit, in pietate inſtruere.

RAtio eſt, quia finis matrimonii eſt, non ſolùm prolem generare huic ſæculo, ſi & etiam inſtituere, ut perfectè generetur Deo, dicente Lactantio: *Hac quidem conditione generamur, ut generati Deo, debita obſequia præſtemus, hunc ſolum noverimus, hunc ſequamur.* Sed quia poſt peccatum, ab hoc fine facilè deviat homo; ideo educatione & magiſterio parentum ad rectam viam dirigi debet: & hoc quidem jam ab adoleſcentia; quia qualiter educatus fuerit, ſic ferè perſeverat. Eſt enim ætas tenera, ſicut charta candida, quæ primos characteres ſuſcipit, non facilè delendos: Eſt velut tabula, quæ primos colores ita imbuit ut omni tempore retervet, nec facilè expungas. Arbuſculæ, ſi rectè plantatæ fuerint, & poſtea in rectitudine ſolidè adminiculis quibuſdam conſerventur, in illo perſeverant. Sic adoleſcentum ingenia, ſi virtutis rectitudini aſſuëſcant, illam in ætatem ultimam transmittunt: è contra, ſi vitio imbuantur à teneris, illud etiam quaſi nativum ſibi adſciſcunt. Teſtatur id Job. *Oſſa ejus implebuntur vitiis adoleſcentiæ, & cum eo in pulvere dormient.* Quæ ſunt illa oſſa, niſi conſuetudines pravæ & duræ; quæ uſque ad mortem perdurant, ſemper cum ætate creſcentes in duritia. Quod clarius ibidem expreſſit, dicens: *Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea.* Lanæ albæ poſtquam ſemel alio colore ſunt imbutæ, non redeunt ad candorem. Certè adoleſcentiæ vitia non tam ætati (quæ imbecillis eſt) adſcribuntur, quam parentibus, quorum negligentiâ hæc in animos pueriles ſunt illapſa. Unde D. Gregorius Epiſt. 7. dicit peccata puerorum ad annum uſque ſeptimum redundare in parentes.

Lactant.

Job 20.11.

Pro. 25.6

Itaque convenit illos imitari Aquilam de qua dicitur: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans.* Ita parentes cogi filios ſe gerant, doceant eos cœlum ſolemque reſpicere, & mentis aciem in radios fulgurientes divinæ gratiæ dirigere, ut aperiant oculos ad virtutem, relicto vitio & vanitate. Quid juvat hortum plantaſſe, niſi etiam irrigetur, excolatur, & germina infœlicia diffluentiaque extirpentur? Quid juvat pueros in hunc mundum edidiſſe, ſi infructuoſi ſint, aut ſilveſcere permittantur, ſine cura & ſollicitudine, ſine inſtructione & directione. Pietatis ergo germen producant, & ſint *ſicut novella olivarum in circuitu menſæ tuæ*; non ſint infructuoſæ plantationes, abſcindendæ & in ignem mittendæ. Sis ô homo, non ſolum pater carnis, ſed & ſpiritus; non ſolum vitæ generans corpus, ſed & immortalitati animum: non ſolùm tempori, ſed & æternitati; non ſolum ſæculo, ſed & cœlo. Hoc fit per inſtructionem à teneris annis datam. Audi Eccleſiaſt. cap. 30. de filiis dicentem: *Ne deſpicias cogitatus illius, doce & operare in illo.* Non ſat ſibi videtur dixiſſe, *doce*, ſed addit *operare*: quia continua cura parentis, debet in animo adoleſcentis quaſi novello agro arare, montaque ſalutis ſerere, & doctrina ſancta inſtruere, ut hoc germen ſacrum, tandem in vitæ probitatem allurgat.

Pſ. 127.3.

Eccl. 30.11

Sic practicarunt viri ſancti: Exemplum enim habes in Barſabee, de qua Salomon: *Filius fui tenellus, unigenitus coram matre, & docebat me atque dicebat: ſuſcipiat verba mea cor tuum.* Prov. 4. Hæc Barſabee filium ſuum vocabat Lamuel, Prover. ultimo; quaſi diceremus, *Deus ipſe* (quod vernacule diceres, *garde de Dieu*) ut doceret matres Deo proles dicare, & de Deo eas alloqui; non verò acerbis verbis uti, aut circa eas diabolum nominare, aliaque diſſona pronunciare. Sic verò blandiens adoleſcentulo, ſeria monita immiſcebat: *Quid dilecte mi? Quid dilecte uteri mei? Quid dilecte votorum meorum!* Vocat ſibi ſpecialiter *dilectum uteri*, ſive viſcerum ſuorum, ut meminerit cruciatuum quos mater ſuſt nuit, & ſic magis devinciat ad audiendum & obediendum. Sicut mater Machabæorum: *Filii miſerere mei, qua te novem menſibus portavi, lac trium annorum dedi, & in ætatem iſtam perduxi.* Vocat etiam *dilectum votorum*: quaſi dicat, quod omnia vota, & deſideria, in illum unicè intendant, de nulla alia re ſollicita, præterquam de ejus ſalute & felicitate, pro qua vota & preces etiam Deo fundat. Sic cum attentum reddebat ad monita quæ dabat: & ideo fortè ter repetit, *dilectum*, quia triplex tunc dabat monitum. Primum de libidine fugienda: *Ne dederis ſubſtantiam tuam & robur tuum alienis.* Secundum de ebrietate vitanda, regio animo indigna: *Noli Regibus, ô Lamuel, noli Regibus dare vinum.* Tertium de non invadendo alieno, & juſtitia etiam pauperi ſervanda. *Ne forte bibant, & obliviſcantur judicum, & mutent cauſam filiorum pauperum.* Optimè autem hic, Chaldæa legunt: *Quale vas fili mei! Quale vas, fili uteri mei? Quale vas, fili votorum meorum?* Quaſi dicat ô fili, quem viſceribus genitſi, monitis & votis iterum parturio! Quæ lis infœlicitas mihi tibique, ſi dederis te mulieribus, ſi ebrietati vaces, ſi injuſte erga proximum te geras? Abſit id à te ô fili mi, avertat Deus ab illo

Prov. 4.3.

Prov 31.4.

2. Mach. 7. c. 7.

Prov. 31.3.

v. 4.

v. 5.

quem

quem amo ut viscera, quin potius audi vocem matris, cave eam contristare, quæ sic amat, quæ te votis & animo iterum generat. Hæc ergo verè mater fuit, & matrum exemplar, tanta sollicitudine adolescentis filii animum imbuens, ejusque salutem respirans

Exempla. Accipe inter Christianos exempla non inferiora.

S. Aug. l. conf. c. 11. *Primum* sit S. Monicæ, de qua dicit Augustinus filius, *Mater mea, præcepta vitæ quæ mi animo plantaverat verbo, rigabat lachrymis, alebat exemplis.* Cum is ætatem adolescentiæ, in lubrico carnis, & hæresis contagio contereret, nullam non sollicitudinem mater adhibebat, lachrymis apud Deum & homines instans, ut eum erueret è luto carnis & erroris. Nocte dieque, nec corpore nec spiritu quiescebat, perditione filii maternum cor lancinante. Id agnoscit August. c. 11. lib. 3. Confess. *Misisti manum tuam ex alto Domine, & de profunda caligine eruisti animam meam, cum pro me plorabat ad te mater mea fidelis tua, amplius quam flent matres corporea funera. Videbat enim illa mortem meam fide & spiritu quem ex te habebat: & exaudisti eam Domine, nec despexisti lachrimas ejus, cum rigarent terram in omni loco orationis ejus.*

Cum illa quodam die S. Episcopum consuleret, obsecraretque ut ad viam veritatis reduceretur filius, per ipsius monita & doctrinam: Respondit ille, necdum tempus esse, eo quod indocilis adhuc foret, inflatus novitate hæresis. Cumque illa magis instaret deprecando, & ubertim flendo; Respondit ille: *Vade, fieri non potest, ut filius tantarum lachrymarum pereat.* Sed nec ipsa quiescens secuta est eum ex Africa Mediolanum, majori sollicitudine filium generans spiritu, quàm carne pepererat. Et nescio quod remedium ejus dolori potuisset afferri si in eo statu vidisset eum morientem. Quod iterum agnoscit Augustinus: *De sanguine sordis matris meæ, per lachrymas ejus, diebus ac noctibus pro me sacrificatur tibi, & egisti mecum miris & occultis modis: Tu illud egisti Deus meus; nam à Domino gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet.* Ulterius explicat Augustinus bona opera, quæ ad filii salutem impetrandam, Mater Deo præsentabat. *Non aurum & argentum petebat à te Domine, aut aliquod volubile donum, sed salutem animæ filii sui: Audis tu Deus misericordiarum, sperneres cor contritum & humiliatum vidua casta ac sobria, frequentantis eleemosynas, servientis Sanctis tuis, nullo die prætermittentis oblationem ad altare tuum; bis in die, manè & vespere ad Ecclesiam tuam sine intermissione venientis, ut te audiret in sermonibus tuis, & tu illam in suis orationibus.* Denique desiderium ejus erga salutem filii in hoc enituit, quod ubi is fidem suscepit, statim & illa mortem obire paratissima fuit; quasi voto propter quod vitam desiderabat, jam adimpleto.

Idem Aug. l. 9. conf. c. 9.

Surius 22. Aug. *Secundum* sit Blanchæ circa filium S. Ludovicum. Hunc à pueritia docuit, non ambitiosa sequi, non erigi superbia, non equos calcaribus subigere, aut armis alienum sanguinem appetere, sed tanquam fundamentum futuræ sanctitatis, timorem Domini in ejus corde construxit, ita ut soleret dicere, se licet sciret filium natum ad sceptrum & diadema Regum, malle tamen oculis propriis ejus cernere necem, quam peccatum; & ita ad pietatem eum informabat, ut nihil hac in re curæ prætermitteret. Ad omnem actionem cum seipsum signo crucis muniret, solitus erat dicere: *Ita me puerum mater instruxit.* In tantum igitur monitis matris profecit, ut speculum omnibus Principibus meritò exhibeatur pietatis & virtutis. Licet enim Rex foret, tamen cum austeritate singulis feriis sextis jejunabat, singulis hebdomadis Corpus Christi sumebat, vel saltem confessione peccata expiabat. Rex utique & in hoc admiratione dignus, quod pauperibus lavabat pedes, cibum ministrabat, quod mediis noctibus surgens, laudibus divinis vacabat. Unde hæc omnia, nisi à matris pia cum lacte institutione? Ergo & matrem hanc matres imitentur piæ.

Surius 16. Nov. *Tertium exemplum* habet in matre S. Edmundi. Cum hæc adolescentulum filium Parisios mitteret studiorum gratia, timens ejus teneræ ætati, monebat sanctissimis verbis, ut puritatem & castitatem pietatemque, quam cum lacte suxerat, conservaret. Monebat lascivam societatem tanquam pestem vitare. Monebat Sacramentum Pœnitentiæ & Eucharistiæ purè & diligenter frequentare. Cum verò induisi, & alia linea ei mitteret, ciliciolum interserebat, quo carnis petulantiam coerceret. Quantos verò matris monitis in virtute progressus fecerit, ejus vita satis eloquitur: per illam enim ita in timore Dei fuit eruditus, ut ordinariè in ore gereret illud ex Anselmo desumptum: *Si ex una parte peccatum viderem, ex altera infernum cum pœnis suis, lubentius inferni pœnis me immergerem, quàm vel unum peccatum in Deum admitterem.*

Ex his satis elucescit vis educationis & institutionis, quæ certè tantam aliquando efficaciam sortita est, ut ad Martyria pueros sufficienter obarmarit. Notissima est institutio matris Machabæorum, S. Felicitatis, S. Symphorosæ. Nota & vox illa matris ad Symphorianum adolescentem in tormentis: *Nate, nate, memento æternæ vitæ, Cælum suspice, & ibi regnantem intuere, tibi enim vita non eripitur, sed in melius mutatur.* De hac re aliqua dixi Tom. 1. Tract. 1. lect. 8. & 9. Duas iterum ea de re historias memorabiles hic adnecto.

Surius 1. Aug. de S. Sophia cum trib. filiabus, anno 118. Sæviente Romæ Imp. Adriano, Matrona nobilis Sophia nomine in eam curam incumbebat, ut filias non solum in pietate, sed etiam in fortitudine ad martyrium obeundum instrueret. Erant autem ei tres, nomina gerentes rebus mirè consona. Fides annorum duodecim, Spes decem, Charitas novem. Cum autem pietate excel-

Digitized by Google

lerent, accusatæ sunt cum matre, quod multos à Deorum cultu averterent. Sistuntur itaque ad Imp. tribunal. Ac primo mater interrogata nomen, patriam, religionem, liberè respondit: se ex nobili Italiæ prosapia ortam, à parentibus Sophiæ nomen accepisse: interim in alio non gloriari, quàm quod à Christo Christiana dicatur. Libertate offensus tyrannus, cum Filiabus eam in custodiam tradit. Tertio die ad quæstiones producuntur. Ac primum blanditiis promissisque, filias à matris fide, quam suxerant ab uberibus, contendit separare. At illæ: *Nos nec tuas opes aut honores in hac vita expetimus, sed nec tormenta tua formidamus. Quid enim Christiano jucundius, quàm pati pro Christo, qui & hanc vitam contulit nobis, & æternam sanguine suo promernit.* Abjecta igitur spe tantam constantiam blanditiis superandi, tradit eas Imp. Judici torquendas FIDES, vestibus prima nudatur, virgisque crudelissime cæditur. At cum triumpharet de tortoribus, Judicis præcepto mamillæ ei excinduntur: Divinum interim adfuit prodigium, dum pro sanguine, lactis rivuli fluunt, & eam dealbant, mirèque exornant. Stupet Judex fremitque, & ideo in Sartaginem pice & bitumine bullientem, jubet præcipitari. Sed cùm exultaret illa in flammis, capitis condemnatur. Condemnata matrem & sorores sic affatur: *Vale, ô mater, quæ me benignitate Christus professorem fit; reliquum est ut etiam hoc certamen ultimum, suis precibus mecum pergas. Vos ô Sorores, mihi formidate, pro Christi nomine gloriosam mortem oppetere. Una mater nos genuit, eadem tres habuit, sic etiam unus tribus finis, sint Sororibus sororia & germana voluntates.* His verbis confirmatæ, lachrymantes præ gaudio, ultimum valedixerunt sorores cum matre: & illa porrecta cervice ad Christum migravit. Judex se victum non ferens sperat victoriam de aliis duabus. Secundam ergo aggreditur, ac primum blanditiis ad Dianæ sacrificium invitat. At illa: *Si me credis sororem illius cujus jam fecisti periculum, scias fore ut constantia ejus etiam soror sim.* Jubetur ergo crudis boum nervis flagellari, post flagella in fornacem ardentem mittitur, & cùm non laderetur, in ligno suspensa ferreis dilaniatur unguibus, ita ut ossa carne denudata, miserabile spectaculum forent. At illa oculis in cælum erectis, Deum precabatur, ne quid indignum Christiana sanctitate permitteret eam pati. Et Tyranno insultans dicebat: *Ego de Christi gratia & virtute confisa, de te cum Sorore triumphum agam.* Accenditur iterum lebes pice & resina plenus, injicitur in eam ut instar viri confracto lebete liquore dissiliente, non pauci extortoribus nece sunt affecti. Nec potuit ei mortem afferre, nisi gladius cui gloriosè cervicem subjicit, ut eandem, cum sorore palmam adipiscatur. Tabescit furore Judex, tertiam eisdem ferè panis aggreditur, equuleo, fornace, flamma, tandemque corpusculum terebris transigi jubet. Exultat & illa, insultatque eadem constantia. Et cùm capitis damnaretur, exultat & mater inclamans: *O me beatam, quæ tribus filiabus 85. Virginitatem honorare meruit! O summum Dei in me beneficium, quæ eas hodie Martyrii gloria coronatas, in suum transtulit regnum! perge ô filia, Angelos videre cum lætitia consummationem tuam expectantes. Perge ad cœlestem thalamum Christi, quo sorores jam perfruuntur.* His verbis dum postremam filiam prosequitur, ipsa lætè certamine glorioso, sponso se victimam præbet. Mater deinde filiarum corpora honorificè tumulavit. Et post tertium diem ad locum accedens reliquiarum, fusis precibus, & ipsa Deo spiritum reddidit, filiabus fidelium opera in eodem tumulo adjuncta. Historiam fusè refert Metaphrastes, & alii. Isque dicitur contigisse sub Alexandro Papa II. anno 122.

Surius 9. Martii de Melitone & 40. Martyr.

Adjungamus his nobilem adhortationem Matris, ad Melitonem filium, ex historia 40. Martyrium. Hunc cum tyrannica astutia adhuc viventem reperissent (aliis mortuis, postquam baculis eorum crura confracta essent) noluit ad rogum ejus corpus efferre, si fortè tandem resiliret à Christi confessione. At mater in humeros eum assumens, defert ad rogum Martyribus præparatum, illique in itinere hæc verba intonabat. *O me beatam, fil, si perseveres pro Christo mortem obire! O fœlicem uterum meum, qui te gestavit, fœlicia ubera quæ te lactarunt! Este filii animo intrepido, licet hanc lucem perdas, brevis æterna fruitionem es. Quando ad prælium properabas pro Imperatore terra, prosequebar tecum lachrymis, timens periculum quod subibas, exiguum mutuum præmium. At modo cum gaudio te sequor, sciens post breve certamen vitam tibi fore, & lauream immortalem. Angelus ille qui coronam in flagno gelido obtulit, exspectat ut illinc tibi perennem possessionem donet. Cui hæc modicum tepuit oportet, ut Matrem lætifices, Angelumque Tutelarem: Aqua & ignis iter sunt, ad refrigerium æternum, & Angelorum consortium. Aqua frigens possit es animo invicto, ego te ad ignem & rogum paratum defero, ut quem mihi Deus commodavit, reprasentem ei cum gaudio. Lugeant Matres de filiorum salute incertæ, ego securus sterum te pario Æternitati, abeque, ut ibi me expectes.* Hæc illa commemorante, spiritum reddit Meliton inter amplexus maternos: & ab illa in vehiculum Martyrum injicitur, nec ab eo recedit donec vi ignis, corpus ejus in cineres verum cernit. Sic fœmineæ cogitationi, masculinum cœlestemque animum intercus docet matres filios instruere, & instigare ad cœlestia bona æternum participanda, à perituris quibus filii hujus sæculi seducuntur, teneellos eorum animos abstrahendo.

***

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO II.

Exempla prava inſtitutionis.

MAximæ eſt efficaciæ prava educatio, ad ingenerandam & inſtillandam teneris animis malitiam. Ratio eſt, quia cum naturæ à primævo originis vulnere, inſita ſit pronitas in malum; ſi accedat prava inſtitutio vel exemplum, ita malitiam imbuit, ut quodammodo naturalis videatur. Ideo dicebat Propheta quibuſdam: *Si poteſt Æthiops mutare pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas: & vos poteritis benefacere, cùm diduceritis malum.* Multum verò confert exemplum pravum parentum ad impietatem illorum. Etenim frequenter verum eſt illud Prophetæ: *Filij colligunt ligna, Patres faciendum ignem, & mulieres conſpergunt adipem, ut faciant placentas Reginæ Cœli.* Quid his verbis vult Propheta? Inſinuat quod cum aliqui Patres ſtam. has Lunam tanquam cœli Reginam adorarent, illique ſacrificia offerrent, ſtatim etiam filios eam rem edoctos fuiſſe, & jam a puerili ætate ſolitos cooperari huic parentum ſacrilegio, ligna colligendo apta huic ſacrificio. Sanè Patres ſuccendiſſent ignem ad ſacrificium Dei veri, nonne & filii ad id etiam ligna collegiſſent, & ſacrificii veri pietatem edocti fuiſſent: Imo, nonne & mulieres ad idem cooperatæ fuiſſent? Tantum ſcilicet eſt virus in doctrina praveque exemplo Patrum, ut ita mox in familiam ſerpat, inficiatque ejus cuncta membra lue ſua, ut vix ſanitati locus relictus videatur.

Jerem. 13. 23.

Jer. 7. 18.

Hæc porrò adeo vera ſunt, ut etiam parentum impietas, ad nefanda cum dæmone pacta & horrenda maleficia, proles non infrequenter inſtituat à teneris annis, à quibus eas revocare pene ſit impoſſibile. Audi quid acciderit Leodii anno 1610. Tres erant maleficis & lycanthropiæ dediti, viri duo & puer unus duodennis. Hi ſub forma adſcititia, magnam infantium carnificinam exercebant poteſtate dæmonis transformati in lupos. Filium parens ſeptimo ætatis anno ſatanæ addixerat, & impiis ſacris initiaverat: quia verò vires ei deficiebant, diabolus eum in corvum transformabat, & cum pater in ſylvam tranſportaret infantes more belluino vorandos, ipſe in forma corvi advolabat ad has epulas. Poſtea cum viribus & ſtatura paulò firmior factus foret, etiam in lupum à dæmone transformabatur. Capti ſuere hi ſpeciali quadam Dei providentia. Cum enim lictores, uni eorum nihil minus cogitantes occurriſſent; ſtatim ille ob conſcientiam trepidantem perturbatus, cœpit pallere, genibus contremiſcere, fugam velle arripere. Illi ſuſpicantes alicui crimini virum obnoxium, appropinquant ei, ipſe verò mox inclamat: Sinite me & omnia aperiam vobis. ſtatimque atrociſſima facinora propalat, & deinde ad Judicem tractus, etiam ſocios criminis revelat. Fatebatur autem ſe ferè 40 annos dæmoni & veneficiis ſerviviſſe, antequam hac ab illo auctoritate Lycanthropiæ, quæ ſuprema inter eos eſt, donaretur. Itaque duo illi viri, ignis ſupplicio perempti ſunt: puer autem quem ætas excuſabat, & qui non ſua malitia, ſed parentis flagitio ad tale ſcelus venerat, à ſupplicio liber dimittendus videbatur, & in ſecretiorem locum ablegandus, niſi veritum fuiſſet, ne ob pravam inſtitutionem & conſuetudinem, ſimulque ob inſeſtationem, quam patiebatur, malo genio ad eadem flagitia rediret. Quare pertuſa vena, levi mortis genere interemptus eſt.

Exemplum Leodii an. 1610.

Neque verò exempla in Scripturis deſunt, quibus educationis pravæ aut bonæ vis agnoſcatur. Conſidera vitam moresq; Iſmaelis, mores vitamque Iſaaci. Undenam putas tanta in illis differentia cum eodem patre ſint nati? Nempe Iſmael cum Agar matre ſua, in tenera ætate diſcedens à domo Abrahæ, in ſylvis eſt educatus, & in infidelitate adolevit; unde crudelis factus eſt & impius, de quo Gen 16. *Erit homo ferus, manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum.* At verò Iſaac ſub inſtitutione ſancta Patris ſui Abrahæ, & Matris ſuæ Saræ domi adolevit, & ſic in pietate, fide, manſuetudine profecit. Sic nimirum fratres moribus diſjunxit, naturæ ſimili adjuncta diſſimilis educatio & converſatio.

Gen. 16. 12.

Vide idem in Wenceslao & Boleslao ex Hiſtoria Bohemica. Fratres erant, at hic impiiſſimus, ille ſanctiſſimus; hic Cain, iſte Abel; hic Iſmael, ille Iſaac, hic mitis, ille ſanguinolentus. Orti erant iiſdem parentibus, ſed non habuerant eandem educationem inſtitutionemque teneræ ætatis. Nam Wenceslaus Bohemiæ Princeps, à Ludmilla avia muliere religioſiſſima à puero in pietate fuerat educatus; Boleslaus à Drahomira impia fœmina adeo impius & crudelis, ad ſummum malitiæ gradum pertigit. Nam Drahomiræ veſtigia ſecutus (quæ Ludmillam ſocrum, multosque Chriſti Sacerdotes occiderat) Venceslaum fratrem interemit, divina humanaq; jura violans. Et templi paries cruore Venceſlai aſperſus, nunquam detergi potuit, ut cædis nefariæ teſtis foret æternus.

Jo. Dubravius in hiſt. Boe.

Lycurgus diverſam educationis vim volens Lacedæmoniis palam exhibere, duos catulos in theatrum produxiſſe legitur, quorum unus in culina inter tripodes, cacabos, ollas educatus fuerat, alter in ſylva venationi aſſuetus. Cum ergo hunc ollam, & inde leporem in medium exhibuiſſet cum utroque catulo; unus in ollam inſiliit, neglecto lepore, alter verò in leporem, neglecta olla & carne. Inde accepit Lycurgus occaſionem differendi ad populum, de [illegible] filiorum jam à pueritia inſtitutione nequaquam negligenda.

* * *

LECTIO XII.

DE CORRECTIONE PROLIUM.

1. *Docet parentes obligari ad correctionem.*
2. *Correctionem debere esse discretam.*
3. *Oportet illi adjungere bonum exemplum.*

PROPOSITIO I.

Debent Parentes filiis non solum institutionem sed & correctionem.

HOc frequenter indicat Scriptura : *Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit illam.* Quasi dicat Parvulo facilè innatcitur stultitia & indisciplinatio, crescitque cum ætate, nisi correctionis virga illam tempestivè effugarit. Addit Sapiens : *Qui parcit virgæ, odit filium, qui autem diligit, instanter erudit.* Hebræa habent. *Maturat ei correctionem sive manè quærit ei castigationem.* Manè, id est ante omnia, tempestivè scilicet, dum malum necdum adolevit vel induruit : aut etiam manè, hoc est, matutino tempore, ut scilicet id faciat sedato animo, non ex ira aut passione animum obnubilante, & ultra discretæ correctionis limites illum propipiente. Certè filios indisciplinatos non corrigere, quid aliud est quam eorum vitia alere, & velut ova aspidum fovere, quæ tandem adolescant & erumpant in prolium & parentum perniciem? Neque enim tantum segnes facit indulgentia gnatos : sed & superbos, audaces, indomitos, ad quælibet flagitia projectos. De quo iterum Sapiens : *Equus insolens evadit durus, & filius remissus evadet præceps.* Frænum igitur tumoris illi injiciendum est, ut à præcipitio dimoveatur, idque tempestivè, ne serò cogantur conqueri parentes de indomita indole eis dolorem gravissimum ingenerante, dum vix remedium adhiberi potest Disciplinatam & generosam prolem, vel solus timor correctionis ad debita omnia compellere solet. Sicut enim nobilis equus umbra virgæ regitur, cum tamen ignavus nec calcaribus concitari possit : sic generosa indoles, vel unico verbo parentis ad quælibet excitatur, perversum verò ingenium, contra stimulum recalcitrans, frænum jugumque excutere enititur Sed perversitas illa ab initio tolli debet, vel domati animadversione prudenti. Explorent diligenter parentes filiorum mores & inclinationes, ut eos dirigere possint vel corrigere : *Ex studiis puer cognoscitur, si recta sunt opera ejus*, inquit Sapiens. Vult dicere, conjici posse ad quam viam puer declinaturus sit, ex illis ad quæ in sua pueritia inclinatus reperitur. Quapropter observandæ sunt ejus actiones, nec, ut ferè fit, pro joco & voluptate habendæ, conandumque ut bonis assuescat, & pravæ propensiones refrænentur.

Prov. 22. 15.

Prov. 13. 24.

Eccl. 30. 8.

Dicentur Lacædemonii puerum regii sanguinis interemisse, quod captas aviculas soleret cum voluptate necare, inde conjicientes futuram ejus crudelitatem.

S. Gregorius Nazianzenus cum Julianum adhuc adolescentem, in ludum literarium ingredientem conspexisset, ejus gestus, faciem, oculos ac mores turbulentos penitus contemplatus, suspirans dixit : *O quantum malum imperium & manum in hoc alit adolescente!* Sic ex moribus puerilibus, non malè conjecit ætatis maturioris studia turbulentiora in hoc adolescente. Verum ergo est, *Ex studiis puer cognoscitur*, si attentiùs spectetur : quia jam à tenera ætate, quædam futuræ vitæ semina licet expectare. Si ex tunc munda sunt opera ejus, futurorum bonum præsagium est; non parvi faciendum hortæ indolis tunc exhibitum specimen. Si enim casti & pudici mores advertantur, si placidi ac dociles, quis non speret fructum? Si autem rigidi & protervi, frugem vix pollicentur, & ideo sunt corrigendi. Si libido in adolescente jam appareat, virtutum semina & probitatis radices adurit, & spem frugis futuræ facilè excindit. Tenera illa ætas in herba vel flore est; ut ergo maturos fructus in ulteriori reddat ætate, æstus libidinis, & rigor morum indocilium debet abesse : quia hæc instar caloris aut frigoris nimii, florem illum adurunt, & sic perimunt spem fructus. Pulchra autem est lectio Hebræa : *In stud is suis effoditur puer*, estque similitudo ducta à venis metallicis, quasi diceres : Sicut certa quædam judicia, suadent auri & argenti, vel aquæ venam alicubi latere, & sic oportere illam effodere; ita studia, affectus, propensiones puerorum, indices sunt in ipsis latentis venæ virtutis, quam scrutari, fodere, elaborare oportet. Sunt quædam in pueris scintillæ velut ab igne sub cinere adhuc latente erumpentes, quæ indices sunt illius ignis. Ideoque videndum ne vitiorum accidentium pondere suffocentur; paulatimque flatu juvandus est hic ignis, ut accendatur. Hoc est, per correctionem debent advigilare parentes, ne nimiæ vanitatis, perversæ societatis, dissolutæ libertatis cinis, vel aqua concupiscentiæ diffluentis, extinguat bonam indolem.

Greg Nazian anno 354 §. 24.

Diligenter excolenda pueritiæ indoles.

Ex Sanctorum historiis declarare possumus quanti facienda sit, & quam diligenter excolenda puerilis indoles, quæ quandoque secum affert sanctitatis futuræ indicia non obscura.

S. Carolus Borromæus, jam à pueritia, sapientiæ & sanctitatis futuræ specimen exhibuit. Cum enim quodam die in occulto paterni castri cubiculo ageret, inventus est pomum in diversas partes secans, illasque in ordinem variarum dirigens Rogatus verò quid ageret : Respondit : *Totus hic eram occupatus, in orbe varias imparesque regiones dividendo.* Ex quibus verbis magna aggressurus & extunc præsagire judicatus est, quæ & explevit, cum Pii quarti tempore, ad Ecclesiæ gubernacula adjunctus est.

Guissius in vita S. Caroli *Exemplum in S. Carolo Borromæo.*

Digitized by Google

est, ejusque consilio & diligentia Concilium Trid. coronidem suam accepit. Cùm etiam ipse puer altariolis erigendis & exornandis vacaret, & frequens Ecclesiasticis interesset officiis, boni omnis signa dedit, Ecclesiasticique zeli, quo postea exardescere visus est. Unde R. P. Bonaventura Castilonensis, Præpositus S. Ambrosii majoris apud Mediolanenses, vir gravis, eruditus, & zelosus, cum fortè præteriret Carolus adhuc puer, substitit illico, cumque obtutu defixo bene diu est intuitus, nec abiit donec ampla illi exhibita reverentia intuentes in admirationem vocaret. Quibus respondit: *Mirari desineretis, nisi puer hic vos lateret, futurus est enim aliquando totius Ecclesiæ lumen & columen.*

In B. Theresia.

B. Theresia ætatis anno octavo, Sanctorum vitas legens, martyrii cupiditate incendebatur: & jam parvulo fratri suo persuadebat, ut ad Mauros proficiscerentur, eleemosynam petendo; sic fore ut ob fidem ab illis necè afficerentur. Cùmque domum reducta esset à patruo haud procul ab urbe ei obviam facto, alio vertens consilia, quasdam eremiticas cellulas puerili amore, sed maturo sensu in paterno horto construebat, jamque id præsagium erat cellularum, quas constructura erat postmodum, & solitariorum locorum quæ ejus opera & institutione incolere debebant Religiosi ipsius reformationis sectatores.

Surius in vita. *In S. Vincentio.*

S. Vincentius necdum ætatis annum decimum attigerat, & jam prudentia, natu majores longe superabat, pueris raro colludebat: si tamen id quandoque contingeret: post brevem & honestum lusum, terræ tumulum concendebat, & socios convocans, dicebat: *Audite pueri quæ loquor, & judicate aptus sne Prædicator sim futurus.* Confidentibusque ac silentibus illis, facto signo crucis, quæ Valentiæ à Concionatoribus audiverat, pronunciabat: idque tam fœliciter, ut neminem unquam audierit, quem gestibus, dictis, aut sententiis quibusdam non potuerit æmulari. Simile quid refertur de S. Bernardino.

In S. Athanasio.

S. Athanasius judicatus est ad Ecclesiæ ordines aggregandus ab Episcopo Alexandro, dum in pueritia ætate ab ipso visus est Episcopum agere, & Catechumenos baptizare, ludo quidem puerili, attamen serio. Unde convocatis parentibus, sub Deo obtestatione ipsum tradidit Ecclesiæ nutriendum; tanquam alterum Samuelem, ad portandum post se Ephod Sacerdotale.

Joseph. La antiq. Jud. c. 5.

Possem hic de Moyse ex Josepho referre, quomodo adhuc puer, diadema regium concuticarit coram Pharaone, non sine infausto omine Ægyptiorum: qui regno suo nihil boni portendere id judicarunt, cui jam videbatur puer insultare. Vide Josephum in antiquitatibus lib. 2. cap. 5. Possem & de Alexandro adjungere, qui virtutis suæ bellicæ in ætate tenera hoc præsagium dedit, quod quoties audiret Patrem suum Philippum urbem aliquam fœlici auspicio oppugnasse, suoque imperio adjunxisse, toties tristem vultum, & quandoque non sine lachrimis exhibebat. Causam interrogatus, respondit: *Quia Pater meus nihil mihi relinquit, sua omnia sibi sumsit.*

Debent ergo juvari à parentibus hæ virtutis scintillæ, in ætate tenera exilientes: Debent advigilare, ne fortè suffocentur spinis vitiorum succrescentibus inclinationes hæ bonæ, hæc semina vitæ. Sic enim fatetur Theresia, scintillantia pietatis desideria quodam tempore sopita in animo suo fuisse, eo quod exemplo matris suæ libros curiosos & vanos lectitaret, qui ei propinarent lac sæculi: quandoque studeret ornatui exteriori nimio affectu, quamvis non prava intentione. Maximè verò ex consortio quarundam consanguinearum vanitati deditarum, à quibus pulveres mundanos contrahebat, animæ puritatem maculantes. Quapropter hoc deplorat, monetque parentes, ut solliciti sint, quam proles incant in ætate prima conversationem, & cum quibus: quia non parum ætati posteriori id importat; quod & de se ipsa fatetur. Nam cum ad Monasterium missa foret à Patre, ut cum aliis puellulis educaretur in pietate, ibi iterum ob bonam societatem prodiderunt se primæ ætatis scintillæ, rerumque æternarum desideria: maximè ex conversatione cujusdam religiosæ, quæ eam frequenter de rebus divinis alloquebatur, de præmio illorum, qui sæculum deserunt amore Christi: enarrabatque ei quomodo religiosum statum adsumpsisset, ex eo solum quod ex Evangelio audisset: *Multi vocati, pauci verò electi.* Sic ergo & ex conversatione hac pia, & ex librorum sacrorum lectione, Spiritum aluit quo æterna suspiceret, vana despiceret.

Matt. 20. 16.

Corrigendæ in pueris pravæ inclinationes.

Sed sicut alendæ sunt in pueris hæ inclinationes bonæ, ita expungendæ sunt per correctionem inclinationes perversæ; non solum verbis, sed si necesse sit etiam verberibus. Nec dicant parentes, fletum & lachrymas puerorum dilectorum sibi cor commovere, nec ideò posse adduci, ut virgam adhibeant: Præstat enim filii plorent leviter fluentibus lachrimis, quàm matres postea conficiantur gravissimis angoribus, ob vitam indisciplinatam puerorum: ob eamque à Deo plectantur, & filii æternum fletum nanciscantur.

1. Reg. 2. 23.

Heli nimis indulgens, filiorum perditam vitam (quam certo rumore agnoverat) paterna indulgentia & lenitate non coarguit, sed postea plorare coactus est eorum mortem infaustam eodem die: Statim verò & ipse mortuus concidit, nurus ejus subitis doloribus consternata nuntio de morte viri sui, pariens obiit. Sic multiplex luctus secutus est, eo quod filios suos corrigendo noluit contristare. De quo nec laudatur David, quod Ammon filium, cum violasset sororem suam, non reprehendit, timens ejus contristationem. Et quia Ammon & Absalon nimio amore enutriverat, in utroque punitus fuit, dum alter gladio, & alter lancea percussus, cor patris gravius percutit.

2. Reg. 31. 21.

Nec

Nec dicant quoque parentes : adhuc juvenculus est non ita judicio præditus, dissimulandum videtur : in ætate maturiori sese agnoscet, emendabit, aut tunc à patre emendabitur, grav usque cum illo agetur. Non enim intelligunt illud Ecclesiast *Lude cum filio, & contristabit te* : Et iterum *Filius qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam* Similes hi sunt Medico, qui initio morbi nihil dicit vel præscribit; cùm vero jam morbus insanabilis est, pluuima ordinat remedia. Nam pueros suos nolunt corrigere, cùm pueri sunt, volunt corrigere cùm adoleverunt, cumque vitium inveteratum jam medelam non patitur. Ipsæ enim ætate grandescentes sui juris volunt esse, nolunt ligari aut objurgari, excutiunt jugum, gerunt ulcus, quod dicitur, *Noli me tangere.* Monita paterna aspernantur, minantur militiam aut discessum è paterna domo, si leverior sit Sic serò medicina paratur, cùm mala per longas invaluêre moras ; & cùm ex parte ægri nulla sit dispositio.

Eccl 30. Prov. 29.

Verumtamen attendant hic filii quam inique agant, dum paternam disciplinam respuent, ad quam illi divino mandato tenentur. Advertant quanto se discrimini exponant : *Non amat pestilentem eum qui se corripit*, inquit Sapiens, *qui autem increpationes odit morietur.* Plutarchus in morali tria distinguit hominum genera. Primum eorum qui Præceptores suos adeunt, ut ab his corripiantur. Secundum eorum quidem qui non quærunt, tamen cùm in eos inciderint, non ægrè ferunt correctiones. Tertium eorum qui nec quærunt, nec sustinent. *Qui dentibus*, inquit, *laborant, Medicum ipsi adeunt, malum exponunt ; qui febre tenentur, accersunt : At phreneticum nec accersit, nec admittit.* Ita his qui vitia sua celant, & admonitiones recusant; nulla spes salutis. Ut enim difficillime sanantur, qui sui sensu carent in morbo, sicut Lethargici : ita difficillimè ad bonam mentem revocantur, qui vitia sua non agnoscunt nec ab aliis sibi repræsentata agnoscere volunt. Initium sanitatis est sensus morbi, ita & correctionis initium, agnoscere culpam. Qui ergo admoneri recusant satis se peccatorum suorum gravitatem ignorare produnt. Audiant Augustinum: *Quicumque corripi non vis ex eo sane corripiendus es, quia non vis corripi : Non vis en tua tibi vitia demonstrari, non vis ut feriantur, fiatque tibi utilis dolor, qui medicum quæras: non vis tibi tu ipse ostendi, ut cùm te deformem vides, reformatorem desideres, eique supplices ne in illa maneas fœditate.*

Prov. 15. 12 Plutarch. tom. 2. moral. c. 18.

Aug. l. de correct. & gratia c. 5.

Audiant & Chrysost. homil. 44. ad Corinth. Qui arguitur, non ægrè ferat ; quod enim fit medicina est, non odium & inimicitia ; si Medici urunt & non reprehenduntur, vel injus vocantur, etiam si sæpe aberrent à fine ; sed & qui dolent dum urunturtur, beneficio se affici existimant, Sic qui suscipit reprehensionem, pro medico habent corripientem, non pro inimico. Hoc attendant filii ; & parentes suos considerent tanquam divino obstrictos judicio, ut de filiis rationem reddant, curamque gerant. Ergo cædentem eorum manum lubentes susipiant, ne divinam ultricem sentiant: *Quod si extra disciplinam sunt, jam non sunt filij*, inquit Apostolus sed *adulteri.* Parentes quoque non debent curare quod turbentur, quia infirmus delirat & renuit medicinam ; nec Medicus curat, attendens non quid velit, sed quomodo sanitatem recuperet.

Chrysost. hom. 44. ad Cor.

Heb. 12. 8.

Propositio II.

Correctio parentum erga prolis debet esse discreta.

Ratio est, quia sicut nimia indulgentia eat perdit, ita & nimia crudelitas. Modus igitur servandus est in regenda adolescentia & prudentia adhibenda ad ingenia discernenda Sicut enim quædam ligna flexibilia & lenta sunt quædam rigidiora, quæ si nimium flectas, aut curves, diffringis: ita de ingeniis adolescentum judicandum est, adeoque diversis modis juxta leges prudentis regiminis sunt moderanda. Sic & medici quandoque fomentis & ligaturis, quandoque incisione vel cauterio, medentur vulneribus, quandoque amaram potionem exhibent, quandoque suavem & lenientem propinant. Juvat autem plurimum si filii agnoscant severitati disciplinæ commixtam mansuetudinem paternæ benevolentiæ. Oportet ergo cum Samaritano vinum & oleum adhibere, vinum acre est pungens, oleum suave est & ungens Idem significat antiquum illud Proverb. *Oportet oleum & salem emere* Oleum lenit & humectat, sal mordet & siccat, sicque significant suavitatem benevolentiæ jungendam esse cum rigore disciplinæ. Idem significat illud Domini apud Zachariam. *Assumpsi mihi duas virgas, unam vocavi decorem, alteram vocavi funiculum, & pavi gregem.* Docet his verbis Dominus, illos qui alios debent regere, duplici regimine uti debere : primo quidem virga decoris, hoc est, humanitate, amore, clementia, beneficentia, promissis, præmiis. Hoc nempè est regimen decorum; & speciosum, quo etiam Deus suos regit, disponens omnia suaviter. Quod si aliqui duri & servilis ingenii, amore regi nolint, secundo regimine utendum est, virga scilicet funiculi, quæ severitatem ac pœnam metumque incutit cervicosis & duris. Interim mixtum hoc regimen utrumque efficacius solet esse, dicente Apostolo : *Argue, obsecra, increpa*, cum rigore increpationis, miscendo benignitatem charitatis.

Proverbium hoc quid significet.

Zach 11. 7.

Quid significent duæ illæ virgæ.

2. Tim. 4. 2.

Quapropter attendant Patres illud monitum Apostoli : *Nolite ad iracundiam provocare filios, sed educate eos in disciplina & correptione Domini.* Hoc est : Nolite vestra duritie & asperitate, continuis minis & verberibus, eos asperare, neque tamen ab eis omnem etiam disciplinam & correctionem avertite, sed extrema vitantes, moderationem adhibete. Certè pueri qui omnio rigore tra-

Eph. 6. 4.

Digitized by Google

S.Anſel. Simile.

tractantur, quandoque à fructu impediuntur, fiunt deteriores. Id eleganti similitudine declaravit S. Anſelmus cuidam Prælato conquerenti, quod pueri quos in claustro instruebat, nocte dieque vapularent, nec libertatis quidquam eis indulgeretur; attamen deteriores deprehenderentur. Dic mihi, inquit, si plantam in horto haberes, & illam ex omni parte concluderes, ut ramos extendere non posset, qualis arbor prodiret? Certè inutilis, incurva & perplexis ramis. Sic vos, qui minis & verberibus undique coarctatis pueros sine ulla libertate, ita ut nihil amoris, & pietatis circa se à vobis sentiant, quin imò putent omnia ex odio procedere; tantum abest ut fructificent, quin proni potius & incurvi ad vitia remaneant. Attendant hæc patres qui auctoritate & severitate sua proles potius opprimunt quam instruunt, quasi servos eos tractantes non ut filios, quasi mancipia non pignora; exhibentesque se eis ut Dominos & tyrannos, non ut patres & genitores. Sunt enim instar leonum inter domesticos omnia evertentes, vix ullam aliquando benevolentiam exhibentes; quin potius ob rem nihili imprecantes, jurantes, maledicentes, minantes, exsecrantes, percutientes. Quid mirum, si tales parentes quandoque ad impatientiam & desperationem filios agant, aut etiam ad jugum paternum excutiendum animo fractos, propellant? Quid mirum, si quandoque tot maledictis divinam vindictam in se & filios accersant? Notum est exemplum ex Augustino, de matre quæ Cæsareæ per iracundiam decem filiis maledixit. Maternam verò imprecationem statim efficax vindicta secuta est. Nam omnes corporis tremore correpti fuere, & præ verecundia patriam relinquentes, vagi per orbem, exemplo suo omnibus ostenderunt, quàm pernicioſus sit maternæ execrationis effectus. Mater verò filiorum miseriam & opprobrium conspiciens, etiam desperationis funesto laqueo luctuosam vitam concluſit. Post illius mortem, cùm illi diversa quærerent remedia, quidam eorum libertati sunt: & quidem duo in præsentia S. Augustini, ad reliquias S. Stephani in Ecclesia Hipponensi. Vide Augustinum 2. de Civit. c. 2.

Aug. l. 2. civ. c. 2. *Exemplum de matre 10. filiis, maledicente.*

Exemplum de patre maledicente filio.

Plurima suppetunt similia exempla, quæ passim occurrent. Audi hoc unicum. Civis quidam Mediolanensis, cum filium rebus ludricis addictum præter consuetudinem increpasset, & filius indignè ferens insolita Patris monita, obtemperare renuisset, Pater his eum maledictis cœpit onerare: Egredere nequam domo mea, nunquam te videant oculi mei, nisi fodiendum & terra tumulandum. Abit filius furiis quibusdam instar Cain actus, fugiens paternam domum & consortium. Paulò post obvium habuit quemdam debitorem, à quo cùm importunè pecuniam exigeret, à verbis ventum est ad verbera, & gravi excitata rixa occisus est & in domum Patris illatus mortuus. Quid Pater infelix ageret: Meminit maledicti, quo filium onerarat & exasperarat. Itaque dolore ac pœnitentia cor paternum lancinante, barbam sibi evellit, quibusdam se furiis flebiliter agitat, infœlicitatem suam ita deplorat, ut vix remedio locus foret. Nempè hic fuit effectus paternæ execrationis, non solùm in filium, sed & in Patrem redundans.

Quam multi reperiuntur, qui hæc non attendunt, qui ob rem nullius momenti, statim filiis imprecantur: *Pestis te corripiat: Auferat te damon.*

Quam multi injuriis eos gravibus lacessunt, instar Saulis: qui Jonatham filium, pro Davidis innocentia benigne se alloquentem, verbis injuriosis ipsi & sibi onerat, & ait: *Fili mulieris, ulero virum rapientis.* Quasi dicat, fili meretricis & adulteræ. Sic ignominiam aspergit filio, ac thoro suo maculam, præ impatientia & impotentia animi. Quem certè non pauci imitantur, statim ad convitia prosilientes, si vel uxorem vel filios volunt reprehendere. Hoc verò non est eos educare in disciplina & correptione Domini, sed ad iracundiam, & ad deteriora provocare. Itaque quandoque virgam debet Pater gerere, sed talem qualem vidit Hieremias: *Virgam vigilantem*, sive ut alii legunt, *Virgam oculatam.* Oculus significat vigilantiam & prudentiam, quæ debet inesse Parenti, ut filios moderetur, & dirigat in virtutis semitam. Sit ergo in manu ejus virga directionis; sit & virga correctionis: sed cum oculo, id est, cum prudentia, ut videat quando & quomodo ferire debeat, ut scilicet id cum debita fiat discretione.

1. Reg. 20. 30.

Jer. 1. 11.

PROPOSITIO III.

Monitioni & correctioni parentum, ut efficax sit, debet præmium boni operis, & vitæ exemplum jungi.

PArum prodest vox oris, si desit sermo operis, efficaciusque influit in prolis animum exemplum parentis pravum, quam bonum illius monitum, exemplo destitutum. Quomodo potest efficaciter mater filias edocere castitatem, temperantiam, pietatem, quæ incontinenter vivit, quæ vanitatibus sæculi dedita est, neglecto Dei cultu? Quomodo probos mores monitis suis, tenero prolis animo instillabit, & ad veritatem modestiamque erudiet, quæ mendaciis, detractionibus, maledictis, contumeliis, à familia scatere agnoscitur? Non illepidè, puer quidam interrogatus, quod esset nomen matris suæ, respondisse fertur: se nescire aliud ejus nomen, nisi quod à Patre ordinariè vocaretur: CHAROHNE, MORE. Similia verba imbibunt pueri à parentibus, potius quam bona monita; fructusque instructionis eliditur per prava exempla. An efficaciter poterit Pater hortari filios ad sobrietatem qui ebriosus est, qui popinas quotidiè frequentat, qui temulentus domum repetens familiam totam perturbat? An fructuosè ad frugalitatem, & laborem eos exstimulabit, si dum illi laborant & expensis parcunt, ipse otiosus, dissolutus, ludis

ludis vacans, omnia dissipet & prodigat? Quomodo in timore Dei eos instruere poterit, si Sacramenta ipse negligat, Missæ Sacrificium parvipendat: si juramentis & blasphemiis contra divinum honorem, levi de causa os aperiat? An non potius hæc vitia pravique mores in proles transmittentur imitatione prava, & irrita reddent omnia recta monita? Profectò non malè dixit ille: *Quorum vita sui pœna est, illis ne servos quidem objurgandi potestatem habent.* Et fortius dicendum, illos tot esse mortibus dignos, quot prava exempla in filios transmittunt, sua improba vita, illis mortem & perniciem generantes æternam.

Cùm verò vitia hæc commemorata in Patribus-familias non infrequenter reperiantur, an mirum si familiæ multæ de generatione in generationem perversis moribus deprehendantur infectæ? An non mali corvi malum ovum? An non verum est & illud Poetæ: *Et sequitur patrem filius matris iter.* Si ergo quæris, cur tam multæ passim malæ proles? In promptu responsio est. Quia multi mali parentes, sed non tam parentes quam serpentes & viperæ, quia genimina viperarum pariunt, in suam illorumque perniciem. Conqueruntur plerique de filiis immorigeris, inobedientibus, contumacibus, dissolutis, & ipsi similes sunt, vel certè in juventute sua fuerunt. Non exiguum tormentum & contristationem tunc parentibus attulerunt: ideoque justo Dei judicio, similiter in filiis plectuntur, ob præterita scilicet vel præsentia peccata.

Debent itaque conjugati se liberis suis velut speculum nitidum exhibere, in quo videre possint & corrigere mores suos perversos: sita ut in vitam eorum piam, mentis oculos conjicientes, ab omni turpitudine abterreantur. Debent eis facem præferre bonis & lucidis operibus, viamque præmonstrare, & in virtutis stadio præcurrere: ut post cursum hujus vitæ fœlicem possint eis dicere: *Tibi lampadem trado.* Utinam in morte possint dicere, quod olim Seneca moriens, amicis suis legitur dixisse: *Testamento vobis relinquo imaginem vitæ meæ.* Quid aliud est Pater in familia sua, quàm centrum in circulo? Sicut à centro multæ ducuntur lineæ & omnes illæ respiciunt centrum, ita à Patre multæ proles derivantur, & illæ Patrem, Patrisque mores respiciunt, ut imitentur. An non id judicasse videtur Job multis abundans precibus, dum ait de tempore fœlicitatis suæ: *Omnipotens erat mecum, & pueri mei in circuitu meo.* Quare in circuitu? Nisi ut tanquam linea circuli, in ipsum centrum, oculorum animique aciem intenderent? Audi & aliam similitudinem.

Debet Pater in familia esse instar Solis, Mater instar Lunæ, Filii instar stellarum. Indicatur id in
Gen 37.9. visione Patriarchæ Joseph *Vidi* inquit, *per somnium quasi Solem & Lunam & Stellas undecim adorare me.* Quid aliud illis verbis significatur, quam Patrem ac Matrem cum undecim fratribus, adoraturos Joseph dum in Ægypto exaltabitur? Ergo Sol Pater est, Luna Mater, & in unaquaque domo debent esse luminaria duo, unum majus, alterum minus, quæ per bonum exemplum influant lucem in stellas, hoc est, gratiam conversationis sanctæ in proles, ut & ipsæ instar siderum effulgeant. Sed eheu! Sol ille Lunaque, non infrequenter obscuritatem patiuntur & ecclipsim: Luna quidem per interpositionem terræ, hoc est, Mulier terrenis affectibus & passionibus sese interponentibus inter eam & virum: Sol vero per oppositionem Lunæ, hoc est, Vir, dum ei uxor opponitur & contradicit. Et fit, ut lumen ad stellas non derivetur; hoc est lux boni exempli præque conversationis, ad filios non transfundatur. Quin potius tenebræ familiam obnubilant, dum domestica dissidia persuepunt, dum perversi mores scandalum & caliginem generant: & filii facilè vitiosam parentum vitam imitantur: Sicut qui in domo fumo turbida habitant, faciè suliginem contrahunt maculosam.

Cæterum, grave manet judicium parentes illos, qui pravo exemplo proles ad perversitatis latum tramitem traducunt: vel defectu institutionis & correctionis, ab erronea eas via non revocarunt. Gemunt filii quod propter parentes sint in opprobrium dati sempiternum, & planctus eorum in suos genitores redundat, à quibus vitæ improbæ exempla hauserunt. An non hic vel similis est illorum apud inferos lamentatio & planctus? O parentes, non parentes, sed peremptores! O patres, minimè patres, sed parricidæ! An oportebat à vobis nos vitam fugacem & temporaneam haurire, ut morti destinaremur æternæ? An oportebat exiguum lucis mutuare, oriendo ex vobis, ut in inferno perennis lumnis horridum occidentem reperiremur? Quid juvat eheu nos è vobis natos fuisse, ut supplicis renasceremur æternis? Quid profuit Christianismi Sacramento initiatos fuisse, si nos non juxta gratiam Christi, sed juxta legem mundi & inferni educatis? Sic lignaculum Christi, & character Baptismi, ad pœnæ incrementum & damnationis nobis vertitur cumulum, vermem pariens non intermoriturum, & vivam tormentorum imaginem nobis repræsentans continuo exagitante: Outinam in utero suffocati essemus, & abortivi in sterquilinium projecti, ne æternis flammis succenderemur, & colluctaremur cum ardoribus sempiternis. Aut cur genitos, statim neci non destinastis, ut criminis exortes mortem obiremus? Oportuitne nos nasci, & adeo infœlicem sortem nancisci noctis mortisque æternæ esse filios? Oportuitne conjugio vos sociari, ad propagandum animas æternum infœlices? An ignorastis Deum ad hoc conjugium sanxisse, ut proles ex illo prognatæ, timorem sanctum, legem, obedientiam, virtutem à parentibus discerent? An verò potius in perniciem nostram conspirasse, aut certe consensisse videmini. Etenim in vanitate nos erudivistis, dissolutos mores toleraistis, insolentes animos quasi ingenii specimen approbastis: si vox in juramentis

menta proterve erumpebat, magnanimitati adſcribebatis, ſi fraudes doloſaque mendacia ad lucrum inveniebat animus, artificio ingenioſo tribuebatis. Nec deſuit nobis exemplum veſtrum ad prava illectans, ſed deſuit correctio & monitio ab erroneo greſſu improbiſque moribus revocans, quæ ſi adhibita eſſet ad meliora impulſi jam à ſuppliciis eſſemus liberi. Nihil vobis fuit cordi, pietatis exempla tanquam hæreditatem ſacram nobis relinquere, ſed hæreditatem terrenam magna ſollicitudine nobis quæriviſtis, ut hæreditatis æternæ exortes fieremus, gloriam mundi nos ambire voluiſtis, ut cœli gloria privaremur. Maledicti igitur patres, maledictæ matres, maledicta hæreditas nobis relicta; maledicti ſæculi honores, veſtro nobis labore parti, maledicta viſcera quæ nos geſtarunt, maledicta ubera quæ ſluerunt. Sit maledictio & juſta Dei vindicta ſuper vos, ut qui progenitores eſtis corporum, ſed inventores vitiorum, ſitis & conſortes pœnarum. Hic eſt lugubris cantus, in veſperis illis æternæ noctis, in horridis tenebris delubri Plutonis apud inferos reſonans ſine fine, quia fumus tormentorum eorum, aſcendet cum blaſphemia in ſæcula ſæculorum.

Concludendo adjicio, quandoquidem non infrequenter parentes ob varias ſollicitudines ac negotia impediantur, nec poſſint diligenter advigilare inſtructioni prolium eruditionique cùm in moribus, tum in doctrina; teneri eos tradere Præceptoribus, Magiſtris, Pædagogis, à quibus intenera ætate haurire poſſint documenta pietatis, virtutis, eruditionis. Hoc certè dolendum eſt, quod multorum terrena ad[illegible]ata, & nihil cœleſte ſapiens, ut plus ſollicitudinis impendant pecoribus ſuis equis, vaccis, ovibus, quam filiis educandis. Ideo dicebat Diogenes *Malleum Megarenſis eſſe aries, quam filius*, inſinuans majorem illis animalium curam eſſe, quàm prolium. Alii quidem ſat ſollicitudinis pro filiis gerunt, ſed non tam ad ſalutem, quàm ad ſæculi ambitioſam vanitatem. Unde ſolliciti ſunt, ut filii & filiæ inſtructoribus tradantur ad artes ſæculi moreſque diſcendos; ut diſcant dextre arma tractare, ad numeros ſaltare, geſtus ordinatos, & auliciſimum ſæculi præ ſe ferre, in cæremoniis mundi eruditos eſſe: at negligunt ſcientiam Dei & Sanctorum, & vanitas hæc ſæculi ſuffocat in illis ſpiritum Chriſti, curamque ſalutis: arbos vanæ ſcientiæ exterminat germina piæ vitæ.

Laert. de Diogene.

Quantum veropia inſtructio Præceptorum efficax ſit ſi à teneris imbibatur, multis poſſet exemplis declarari. Unicum ſubjicio ex Chryſoſtomo & Metaphraſte de S. Babyla, qui cum tribus pueris quos in fide eruditverat, paſſus eſt Antiochiæ. Res ſic habet.

S. Chryſ. & Metaph. de S. Babyla.

Numerianus Imperator immolans dæmoniis apud Antiochiam, ingredi volut Eccleſiam Dei. Prohibuit eum Babylas Epiſcopus, ideoque in vincula conjectus fuit. Interrogatus ab Imperatore ſacri ſui rationem, reſpondit: *Placuit Deo me humilem ſervum plebis ſuæ conſtituere Paſtorem, ideo cum vidi te lupum venientem timens ovibus prohibui ab ingreſſu ovile.* Cum autem de Chriſtianis interrogaretur, & de doctrina ſua: *Si*, inquit, *vis ſcire quæ ſit doctrina mea, habeo tres parvulos, quos gratia Dei erudivi, jube adduci, & videbis in eis ſcientiam Dei.* Adducuntur parvuli, adducta eſt & mater, interrogatur nomen & an illi filii eius ſint. Reſpondet, *Theodula vocor, eos genui, & Deo obtuli per Paſtorem bonum Babylam, qui erudivit eos in doctrina Dei.* Alapis cæditur illa, & jubetur tormentis filiorum aſſiſtere. Pueri ergo in ſublime elevantur, uni duodecim plagæ infliguntur, alteri novem, tertio ſeptem. Illis autem Deum benedicentibus dicebat & mater: *Gratias tibi ago Domine, quia ſinguli ſecundum numerum annorum cæſi ſunt.* Cum vero à confeſſione per hoc nihil deterrerentur, juſſus eſt & Babylas ſuſpendi cum eis, & graviſſimè cædi. At ipſe exultans inſonabat: *Ecce ego & pueri mei quos dedit mihi Dominus in portentum. Ecce nihil tormentorum ſentio, quia patitur pro me Chriſtus.* Pueri autem inclamabant: *Crudelis tyranne, gloriam nobis accumulas, dum pœnam aggeris, tu autem non effugies judicium Dei. An non erubeſcis à puſillis vinci? Non ſentimus tormenta juvante Deo, tu vero magis cruciaris.* Cùm nihil proficeret tyrannus, juſſus eſt Babylas cum infantibus gladio percuti. Dicebat autem iterum: *Ecce ego & pueri mei macum, quos dedit mihi Dominus in portentum.* Pueri autem eius manus oſculantes, reſpondebant: *O Pater ac Domine, Magiſterque bone; quale nobis erit gaudium, ſi tecum pariter conſummeremur.* At ipſe: *Benedictus es Domine, qui ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem, ut deſtruas inimicum & ultorem.* Oſculatuſque ſingulos, tradidit eos tortoribus, ut in ſua præſentia percuterentur, poſtea tradidit & ſeipſum. Sic pariter educati, pariter coronati, ad cœleſtia migrarunt: & quatuor victimæ ad Deum miſſæ ſunt, Aries Dux, cum tribus agnis.

LECTIO XIII.

BREVIS REPETITIO DE OFFICIO PARENTUM.

Munus Parentum.

BREVITER hic repetamus munus parentum erga proles jam ab infantia, quod à Catechiſtis eis frequentius inſinuari convenit.

Parentes Deo proles offerant.

Primò igitur dicimus, oportere proles ſæpè Deo offerre, tanquam depoſitum ſacrum à Deo parentibus commendatum, cujus cura ſpecialis eis incumbit.

2. Doceant orare.

Secundò ſtatim ac eloqui poteſt puer, prima vox cui debet aſſuefcere, ſit ſalutatio angelica, deinde oratio Dominica, diſcatque cum lacte nomen JESUS & MARIÆ cum affectu & reverentia pronunciare.

3. *Instruāt in rebus fidei & pietatis.*

Tertiò, cum paulatim adolescit, instruatur in rudimentis fidei & pietatis, ut confusa quadam ratione concipiat, quid Deus, quid Christus, quomodo amandus, quomodo timendus, quomodo omne obsequium nostrum ei consecrandum.

4. *Doceant mandata Dei.*

Quartò discat mandata Dei, ut tempestativè agnoscere possit, quid sit peccatum, quomodo Dei offensivum, qualiter illud oporteat abhorrere: & juxta ætatis capacitatem proponatur ei punitio malorum, præmium bonorum, inferni tormentum Cœli Regnum Audiendus est Dominus, dicens: *Sinite parvulos, & nolite prohibere eos ad me venire, talium est enim Regnum Cœlorum.* Ducendi ergo sunt ad Christum, docendo eos quæ sunt pietatis & regni cœlestis. Imitandi illi de quibus Evangelistæ referuntur: *Offerebant illi parvulos ut tangeret illos, manus imponens super illos, & benedicebat eos.*

Matt. 19. 14.

Marc. 10. 13.

Joannes Gerson Theologiæ Doctor & Cancellarius Parisiensis, plurimum temporis impendere delectabatur, informando parvulos in fidei Christianæ rudimentis Unde & libellum conscripsit: De parvulis ad Christum trahendis. in quo sic ait: *Vsquequo parvuli diligitis infantiam, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Venite fidenter, nulla viarum insidiæ, nullus latet anguis in herba, communicabimus mutuo bona spiritualia, quia temporalia vestra nulla requiro: ego vobis doctrinam, vos mihi orationem impendetis, imò orabimus pro invicem, ut salvemur. Sic Angelos nostros vicissim lætificabimus in quorum solemnitate hæc scribo: sic forte, nec jam forte, sed certa spe misericordiam inveniemus apud patrem nostrum; dum obediemus voci ejus in accessu nostro ad eum, ego provocando vos exequendo. Nec deerunt piæ gratiæ & devotionis amplexus in præsenti miseria consolatorii: Postmodum gloria consummata perpetua unitas subsequetur. Ad quam nos omnes, qui spiritu parvuli esse debemus, invitat ipse Iesus spirituali collocutione & afflatu jugiter inspirans, & dicens: Sinite parvulos venire ad me.*

Gerf. libro de parvulis ad Christum trahendis.

Retulerunt viri fide dignissimi, dictum Joannem Gerson ante obitus sui diem in ea urbe, in qua tum habitabat, multos collegisse puerulos, quorum tanquam præceptor erat, quos quotidie ante summam Missam in templum adduxit, clausisque undique ostiis ipse in medio eorum stans jubebat ut verbis Gallicis post se in hunc loquerentur tenorem: *Mon Dieu, mon Createur, ayez pitié de vostre pauvre serviteur Ioan Gerson*, hoc est, *Deus meus, Creator meus miserere miseri famuli tui Ioannis Gerson.* Itaque post tam sanctos & steiles labores, post tam ferventem animarum zelum, tam exacta scripta, post tantam devotionem, novissimè infantium & innocentium interpellationem tantus Vir quæsivit.

5. *De Missa audiant fideles.*

Quinto edoceantur quid sacrificium, quomodo illi cum reverentia & modestia sit assistendum quid ibi adoretur & contineatur. Imò discant pueri statim ubi capaces sunt, illi ministrare cum humilitate & veneratione. Placet enim Deo puerilis innocentia hic ministrans, Angelorum ministerium imitans.

Audi hac de re quod refert Antonius Senensis in Chronicis Prædicatorum Circa annum 1240. pietate claruit. F. Bernardus in Portugalia, qui in Conventu Sanctæ renensi Ordinis Prædicatorum agens sacristam, puerulos aliquot religionis habitum gestantes peracto missæ mysterio informabat literis & moribus. Hos docuerat missis inservire, & pollea ex materna domo jentacula ferentes, soliti erant ad Capellam quamdam diverti re, & ibi jentaculum sumere. Erat vero in altari virginis imago, & in sinu ejus Puer Jesus qui parvulorum simplicitate delectatus, è sinu matris descendens, cum illis jentaculum sumebat. Posiquam id aliquot vicibus fecit. parvuli querulirem ad magistrum deferunt, narrantes quod ille parvulus ad eorum jentaculum semper descendebat, & nihil in symbolum aportabat. Prudens ac religiosus pater, re ista ab ore innocentium percepta, eos instruxit, ut si ille iterum more solito ad eos descenderet, eum sic alloquerentur. *En Domine, tu semper nobiscum comedis, & nihil symboli ferre consuevisti ad jentaculum: invita ergo nos & magistrum nostrum semel in domo patris tui.* Et sic illi instructi faciunt, cum parvulus Jesus more solito ad eos descendit. Qui eorum petitioni annuens, diem certum designavit, quod id præstaret, & erat dies ascensionis Domini jam jam instans. Id mox illi referunt magistro; qui se præparans ut cœlesti interesset convivio, illa die mature se ad celebrandum disposuit. parvulis eisdem illi ministrantibus, & sacrificio peracto, omnes tres ibi simul vivere deliberunt, & omnes tres simul eodem fuere reconditi tumulo. Aliquanto tempore postmodum elapso, eorum corpora fuerunt ex humili loco ad altiorem translata, & repolita in uno sepulchro, in capella quæ Regum dici consuevit, & miraculosa hæc historia fuit super idem sepulchrum depicta: & per traditionem quandam ab antiquis acceptam, fama ad hæc nostra tempora pervenit. Tandem anno Domini 1277. cum in eodem loco portam quandam oporteret aperiri, inventæ sunt horum sacrorum corporum reliquiæ & quidem parvulorum, uno superiecta linteamine, prædicti verò patris eorum magistri, alio. Quod verò easdem omnes illorum tam Reliquias simul cooperiebat linteamen, adeo candidum, integrum, & incorruptum fuit repertum, quali à paucis diebus ante fuisset ibi repositum. Hujus rei fama repentè per civitatem spargitur, accurrit mox ad rem stupendam universus populus, & quæ erga hos Beatos habebatur devotio & memoria augetur, & instrumento publico ad posterorum memoriam hæc omnia per testes prius Sacramento astrictos examinata scripto traduntur. Ita Senensis, ad annum 1240.

Ant. Senensis in Chron. Prædic. an. 1240.

Sane

6. Docendus modum confitendi.

Sextò oportet pueros Pœnitentiæ Sacramento assuescere, modumque confessionis edoceri, & inculcari eis illius integritatem: quia jam ætate puerili impuritates qualdam satgraves serpere agnoscimus, de quibus conscientia cum rationis illucescentis judicio eos arguit; verecundia tamen deterrente, in confessione eas reticent, & in multam ætatem vermem rodentem protrahunt, cum nullitate confessionum, & cum injuria Sacramenti. De qua re graviter postea multi anguntur, & multiplicatis confessionibus generalibus, vix adhuc sibi satisfaciunt.

7. Vesperè & manè orandi, & colendi Deum & SS.

Septimò puer instruatur de oratione manè & vesperè facienda & ad Angelum suum, ad Sanctos Tutelares, ad Virginem, ad Christum excitetur que ejus affectus, ut in his exercitiis piis oblectetur. Habeat imagunculas & altariolum in quo sit imago Christi & Virginis, coram quo genuflexio fiat: immo Sabbato & Festis B. Mariæ cereolum ibidem accendat, ut sic reverentiæ & pietati majori viam sternat. Plurimum enim juvat à teneris annis erga Deiparam devotionem imbibere, & gaudet Virgo exore infantium & lactentium perfici laudem suam. Vide exempla quæ attuli de S. Thoma, de S. Theresia, de S. Catharina Senensi. Unum hic iterum adnecto de puero Salun, de quo sic legimus.

Vid l. 2. de salut. Angelic.

Joan. de Longoeneu Abbas de Landevenec hæc se testatur vidisse. Raderus Vitid. p. 2. legenda Sanctorum 1. Nov.

Tempore Urbani V. circa annum Domini 1350. florebat in innocentia, simplicitate & sanctitate vitæ admodum austeræ, pauper; rudis & simplex mendicus nomine Salun: qui in annis puerilibus ad scholas missus, nihil aliud potuit discere, quàm hæc verba latina. Ave Maria. Cumque in Britannia Gallica oltiarim per pagos panem quæritaret, repetebat supradicta verba ter, quater, quinquies & sexies. Quamobrem illius Provinciæ habitatores ipsius sanctam simplicitatem intuentes, porrigebant ei quod comedere ipsimet statuerant. Tunc Salun conferebat se ad quemdam fontem ab urbe Laudevenec una ferme leuca diffitum, in cujus aquis suum panem macerare & condire solebat, nullo unquam alio potu ciboque utens; quam pane madefacto in dicto fonte. Lectus ejus nuda erat humus, capitis cervical lapis, idque sub arbore tortuosa, & modicum à terra erecta juxta illum fontem. Hyberno tempore cum præ frigore rigesceret, ascendebat illam arborem, & ramos flexibiles apprehendens, librabat corpus sursum deorsumque, & hac motoria agitatione temperabat algoris sævitiam, pleno decantans ore sexies, O Maria. Cumque aliquando increscret hyemis asperitas, in aquas fontium (per antiperistasin & contrarietatem qualitatum fumantes) insiliebat; hinc factum est, ut incolæ eum fatuum vocitarent: sed Deus admirabilis in Sanctis suis, volens matris suæ famulum excusatum habere ob innocentiam, & nomen Virginis Mariæ celebratius reddere, miraculum quod sequitur edidit: nam cum defunctum hunc innocentem simplicem Salun, vicini sub arbore sepelissent, eodem locoubi solebat sibi lectum sternere (qui erat nuda humus fonti adjacens) accidit ut postea pulcherrimum lilium miraculosè super ipsius tumulum cresceret, cujus flores repræsentabant hæc verba: Ave Maria, aureis litteris exarata.

8. Sexus sit separatio.

Octavò sexus uterque suo jungatur sexui, nec permittantur pueri cum pueris diversi sexus ludere, propter periculum impuritatis, quam infligante etiam Satana sibi mutuò facile pueri afficiant, quod experientia nimis notum est. Unde etiam cavere debent parentes, ne proles teneræ ætatis diversi sexus in eodem lecto decumbant; ut alibi iterum monui, & quam periculosum sit, exemplo declaravi. Sed nec impudicum aut scurrile ullum verbum proferre permittantur, ne assuescant turpibus, discantque impuritatem tum in verbis, tum in moribus, immò & à mendaciis absterreantur, nihilque noverint nisi quod ad timorem Dei pertinet. Unde etiam cavere debent parentes, ne ipsimet exemplum pravum exhibeant, aut ne in familiam admittant famulos vel ancillas, conversationem bonam prolum inficere natas.

9. Inclinetur puer ad misericordiam.

Isa. 31. 21. Otium vitandum.

Nunò ut jam ab infantia puer ad misericordiam inclinetur, non absterit, si per manus prolum eleemosynas erogent parentes: sic enim imitari poterunt Job dicentem: *Ab infantia mecum crevit miseratio.* Incumbit quoque parentibus cura sollicita, ne pueri discant in otium diffluere: ideoque alicui rei cujus per ætatem capaces sint, sunt applicandi, vel studiis litterarum; vel arti addiscendæ. Propterea Carolus Magnus (teste Eginhardo) filios suos mechanicam aliquam artem, & filias suas lanificium vel limificium discere voluit: Et Paulus licet nobilis foret, & sacris literis eruditus, didicit scenofactoriam artem, qua etiam utebatur cum prædicatione Evangelii, consuebat nimirum tabernacula ex pellibus, quibus milites uterentur in castris. Unde Origenes dicit: *Paulus à faciendis tabernaculis terrenis, ad coelestia construenda translatus est.* Defectu curæ parentum hac in re, multi ad otiosam immò & flagitiosam vitam transeunt.

Act. 18. 3.

Orig.

10. Monendi filii ut à Deo statûs vitæ deposcant.

Decimò, ubi adoleverint, moneantur ut Deum ferventer orent pro certo vitæ statu, ut in illo possint ipsi servire: In magna enim mundi familia supernì Patris familias est, unicuique officium & statum suum distribuere; unde parentes qui volunt ex proprio de liberis disponere, Deo injurii sunt, quod Dei est, Deo eripientes. Si ergo vocatum viderint ad aliquem statum, non impediant, sed promoveant.

DE INORDINATO AMORE PARENTUM

11. Vitent inordinatum amorem filiorum.

Undecimò, vitent inordinatum amorem erga filios, curamque præpolleram & non tam terræ genitos, quam cœlo agnoscant. Quod si quæras, in quo hic inordinatus amor, an præpollera cum

conſiſtat? Reſpondeo in divitiis conquirendis; honorato ſtatu, beneficiis Eccleſiaſticis quacumque via etiam præmaturæ filiorum ætati providendis. In his enim non infrequenter reperitur diſpendium ſalutis, tum filiorum tum parentum. Ac inprimis ſi ſollicitudinem parentum in congerendis opibus ſpectemus, videre licet plurimos ita ſe totos effundere, ut cæteris neglectis, quæ animum concernunt, huic uni rei infudent: contriſtantur de filiis, quod abjecti videantur & ignobiles, ſi autem improbi ſint, & Deo exoſi, negligunt. Propterea dicit D Chryſoſtomus, hanc eſſe primariam cauſam, cur tam multi filii parum probi reperiantur; quia nimirum Patres opes terrenas ita reſpiciunt, ut æternas nihil ſuſpiciant. Nec conſiderant illud: *Quid prodeſt homini, ſi universum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Pellicanus dicitur pectus ſuum dilacerare, & cruore conſpergere, ut pullos enutriat: Sic illi ut opes filiis parent, totos ſe dilacerant, animo ſunt corporeque fauciti. Hinc dicebat Crates Thebanus: *Si liceret in altiſſimam mihi partem conſcenderem, & acclamarem: Quo ruitis, inſtulti homines? Quid agitis, qui totum ſtudium in opibus corrogandis ponitis, filiorum vero veſtrorum quibus illas relinquatis erudiendorum curam non ſuſcipitis.*

Matth. 16. 26.

Crates Theban.

Eccl. 2. 18. Hanc etiam vanitatem notans Eccleſiaſtes dicit: *Deteſtatus ſum omnem induſtriam meam, qua ſub ſole ſtudioſiſſimè laboravi, habiturus hæredem quem ignoro utrum ſapiens, an ſtultus futurus ſit, & dominabitur in laboribus meis quibus deſudavi, & ſollicitus fui, & eſt quicquam tam vanum?* Taxat nimiam ſollicitudinem parentum, duas adferens cauſas, quibus in illa vanitatem oſtendat. Prima eſt, ex mortis neceſſitate, per quam, velit nolit, in manus hæredis debet ſua relinquere, nec ſecum poteſt quicquam efferre. Secunda eſt, quod neſciat qualem hæredem habiturus ſit. Licet enim habeat filios, illis tamen fortè ab aliis oppreſſis, hæreditas ad alienos ventura eſt. Deinde neſcit qualis futurus ſit filius, & an bene uſurus: ſolent enim ſæpiùs opes immutare, ſolent ad vitia transferre. Et licet vivente parente ſpem det bonam, forte tamen poſtea occaſione oblata præceps ibit in vitia & delicias, & tanto labore quæſita brevi diſperdet. Unde addit. *Hominis otioſi quæſita demorsit*, hoc eſt, nimio ſuo labore facit hæredem otioſum; videns enim ſe habere ad ſufficientiam, laborem refugit, & exercitium quo honeſtè occuparetur. Non ergo prolium prorſus immemores debent eſſe parentes: quia *ſi quis ſuorum maximè domeſticorum curam non habet fidem negavit, & infideli deterior eſt*; ſed nec immodicum ſollicitudine quia *melius eſt modicum juſto ſuper divitias peccatorum multas.*

Unde S. Chryſoſtomus hic hom. 9. in morali *Magnum*, inquit, *habemus pretioſumque depoſitum ſcilicet filios, ingentes illos ſervemus curas, atque omnia faciamus, ne fur id nobis aſtutus auferat: nulla vobis poſſeſſio, nullus fundus æquè nobis gratus & charus eſſe debet: quippe hæc omnia filiis quærantur. Si igitur major poſſeſſionum nobis eſt cura, quàm eorum quorum illa gratiâ comparantur, id profectò abſurdiſſimum & ſtolidiſſimum eſt. Exercemine ergo ad virtutem atque pietatem molles filiorum animos, cætera omnia ſecundo loco quæramus. Nam ſiquidem illi improbi fuerint, nihil eis pecunia proderunt; ſin autem probi, nihil expauperatæ lædentur. Va filium relinquere divitem: Bonum illum ac benignum eſſe decet, ita enim etiam rem familiarem auctiorem facere poterit. Filius non rectè inſtitutus præſta: pauperes eſſe quam divites. Paupertas enim vehementes coercet, atque intra virtutis limites continet: opes verò ne volentes quidem pudicè temperanterque vivere ſinunt, verum exorbitare facunt atque pervertunt.*

1. Tim. 5. 8.

Pſ. 36. 15.

S. Chryſ. hom. 9.

Quod ſpectat ad honores quanto labore & importunitate videmus parentes pro filiis inhiare, & nihil non intentatum relinquere? Mater filiorum Zebedæi hujus rei exemplum ſuppeditat, magna ambitione pro filiis obſecrans, ut unus ſedeat ad dextram, alter ad ſiniſtram: *hæreditario malo deliquebat errore*, inquit Ambroſius *Conſiderate Evæ illius primæ miſeræ hæredem, transfuſa in omnes immoderata cupiditate labentem, cui pro filiorum honore ſolliciti? immoderatior quidem ſed ignoſcenda menſura veterum eſt.* Sic & de Rebecca quid non agit, ut filio Jacob dilecto ultra Eſau, primogenituræ dignitatem adoptet cum Patris benedictione? Quo non aſtu utitur ut ei conſulat, & Iſaac fallat, renugnante licet filio, non maledictionem ſibi adſciſcat? Ille vero maledictionis periculum in ſe ſuſcipit amore filii; & certe illi ſeſe exponit, niſi inſpiratione divinâ rei eventum agnoſcat. Sic quidam parentes periculum maledictionis æternæ parum curant, ſi modo filii promoveantur. Quam multi officia emunt, permutant, fraude acquirunt nec attendunt an illorum capaces ſint filii, an ſaluti hæc promotio congruat, an ſiniſtrum ſucceſſum non ſint habituri empti bonorum ſtatus? Etenim quæ emuntur ingroſſo, minutatim ſolent vendi, & exinde corruptelæ ſequuntur, violatio juſtitiæ, furta, fraudes. Oportebat olim per templum Virtutis, ingredi ad templum Honoris: nunc per nummum tanquam numen ſummum, honor venalis habetur.

Matt. 20. 21.

S. Ambr.

Gen. 27. 8.

Hæc porrò inordinatio major eſt, ſi circa officia beneficiaque Eccleſiaſtica verſetur. Ex eo enim quod jam ab adoleſcentia filiis quacunque via parentes de illis provideant, graviſſima ſequuntur incommoda. Unde enim videmus in Eccleſia tot inundantia mala? Ex Eccleſiaſticorum prava vita, ex diſſolutorum juvenum promotione immatura, qui nihil minus quærunt quàm Dei honorem, & à parentibus quandoque inſcii, quandoque & inviti, promoventur, nec eorum eſt vocatio. Unde & ad præcipitium ducuntur, dum ad pinnaculum templi evehuntur, ſera querela dicentes:

Qua

Digitized by Google

Pſ. 102. 11. *Quia elevans allisisti me.* Sic non cingulum honoris, ſe funem aureum perditionis, parentes filiis nectere reperiuntur. Quis non videat parentum impulſu, ad ſacerdotium vel Eccleſiæ gradum multos conſcendere, ſine tantæ rei examine, ſine deſiderio, ſine devotione? Non alia ſanè ratione, quàm ut habeant ad commodè vivendum: eâdem planè intentione quâ alii artem mercatoriam, vel mechanicam addiſcunt. Quibus aſſimilabimus homines generationis hujus? Similes ſunt civibus Sichem, qui libenter admiſerunt Hebræorum circumciſionem, ut eorum bonis fruerentur, dicebant enim: *Si circumciderimus maſculos noſtros ritum gentis ſuæ tantes, ſubſtantia eorum & pecora & quæ poſſident noſtra erunt.* Quid iterum dicemus de ſimilibus Eccleſiæ miniſtris? Certè non ingrediuntur Eccleſiam per oſtium, dicemus potius quod per caminum. Quapropter videmus eos fuliginoſos & fumigantes: in uno fumat ignis concupiſcentiæ, in altero flamma turbida ambitionis exæſtuat, in tertio ignis caliginoſus avaritiæ animum obſcurat. Reditus vero Eccleſiaſtici, ſunt tanquam ligna igni, quibus eorum aviditas & vitioſi affectus magis ac magis ſuccenduntur.

Gen. 34 22.

Inordinatus quoque amor reperitur in parentibus, dum ſpoliant ſe poſſeſſionibus & rebus neceſſariis, ut de conjugio honorato, vel aliquo ſtatu filiis provideant. Unde monet Eccleſiaſticus: *Non des poteſtatem ſuper te in vita tua filio & mulieri, fratri & amico: & non dederis alii poſſeſſionem tuam, ne forte pœniteat te, & deprecaris pro illis. Dum adhuc ſuperes & aſpiras non immutabit te omnis ea re. Melius eſt enim, ut filii tui te rogent, quam te reſpicere in manus filiorum tuorum.* Etenim ſæpius accidit, cum totam ſpem collocarint parentes jam ſeneſcentes in filiis, in quorum gratiam bonis ſuis ſpoliarunt ſe, hac ſpe defraudari ob ingratitudinem illorum, deſerique ab eis, nec debita ſtatui ſuſtentatione honorari.

Eccl. 33. 20.

v. 21.

Habes exemplum ex Thoma à Cantiprato. In Normanniæ partibus vir dives unicum filium habebat, quem nobilis quidam adiens, proponit ei filiam ſuam in matrimonium filio dandam, ſi modo poſſeſſione velit bonorum cedere in gratiam filiæ: ea tamen conditione, quod filius ei abundantiſſimè provideret, reliquo vitæ tempore. Conſulentibus id ipſum amicis, nobilis conjugii illecebra alectus conſentit Pater. Et primis quidem annis honoratur à filiis, poſtea autem ut oneroſus eis non foret cohabitans, ædificant ei domunculam vicinam, inſufficienter etiam neceſſaria miniſtrantes ita ut non modicam egeſtatem pateretur ſenex Pater cum uxore decrepita. Quadam die cum vidiſſet mulier aſſandum anſerem in domo filii, inſinuavit viro, ut illuciret, ventremque eſurientem paſceret, de cibo præparato. Videns filius advenientem, curat ab igne abſtrahi & abſcondi dictum anſerem, obviiſque Patri quid quæreret, inquiſivit. ille diſſimulans, redit domum conſolatus. Sic dum igni iterum apponere volunt cibum aſſandum, invenitur buſo illi adhærens, quem cùm excutere niteretur ingratus filius, inſiliit in faciem ejus, nec ulla unquam arte dirimi potuit. Et hoc ſtupendum erat, quod ſi aliquando monſtri aliqua pars tangebatur, ita ſenſibiliter homo lædebatur, ac ſi in corde percuteretur. Conterritus tandem ipſe & contritus, adiit Epiſcopum, & ingratitudinem confeſſus pro pœnitentia accepit Normaniæ & Galliæ fines circuire facie aperta, & rei eventum populis enarrare ingratis filiis exemplum. Tandem autem Dei miſericordia per ſanctas preces invocata diſparuit fœdum monſtrum. Hæc ex Cantipratano aſſerente ſe id audiviſſe ab his, qui Pariſiis virum viderunt.

Cantipr. lib 2. Apum. c. 7.

Neque verò tantùm filios monet hoc exemplum vitandæ ingratitudinis, ſed & parentes evitandi inordinati amoris, & audiendi monitum Eccleſiaſtici: *In die conſummationis dierum vitæ tuæ, & in tempore exitus tui diſtribue hæreditatem tuam.* Sapienti hac in re fraude & ſtratagemate uſus ſuit quidam Joannes Conaxa, videns ſe deceptum nimis matura patrimonii diſtributione. Huic ditiſſimo duæ filiæ erant, quas duobus nobilibus nuptui tradidit, & in tantum generos dilexit, ut omnia ſua eis partiretur. Advertens tandem eorum ingratitudinem, adinvenit hoc conſilium. Adiit quemdam mercatorem familiarem, & decem millia mutuò petiit ad tres dies. Inſtabat feſtum quoddam, generos & filias invitat ad opiparum convivium. Finito convivio, intrat conclave, & pecuniam mutuatam diligenter calculat, commovet cum ſonitu, quem facile percipiebant filiæ. Unde occultè ad januam accedentes, per rimas cernunt gravem pecuniæ ſummam, quam poſt calculum Pater imponebat clanculum ciſtæ tribus clauſuris obfirmatæ. Occaſione accepta interrogant quanta foret pecunia in ciſta illa repoſita? Fingit ille viginti quinque millia ſe reſervaſſe in teſtamentum, ut impertiatur poſt mortem, his qui majoribus beneficiis inter generos eum affecerint. Spe igitur remunerationis allecti, certant utrimque filiæ & generi Patri obſequium, honorem, alimenta deferre. Cùm tandem mors ei inſtaret, convocat eos, & ait: Antequam moriar nullum aliud inſtituo teſtamentum, quam quod ciſta obſirmata continet: Vidi charitatem veſtram, volo ex æquo participetis de illis quæ relinquo. Et ut nemo præter vos quicquam illorum tangat, dum adhuc vivo. Fratribus Prædicatoribus, Minoritis, Auguſtinianis, aſſignate quinquaginta libras, & ab his poſt mortem claves ciſtæ, quas apud ſe habent depoſitas repetite, in qua invenietis ſigillum meum. Curavit deinde cuilibet Eccleſiæ civitatis aliquid pecuniæ donari. Cùm ergò diem clauſiſſet extremum, celebratis exequiis, redditæ ſunt claves, & aperta ciſta nihil repertum eſt (retulerat enim poſt triduum pecuniam ad negotiatorem) præter clavam magnam cujus manubrio inſcriptum erat: *Ego*

Eccl. 33. 24.

N. Exempl. de Joanne Conaxa.

Digitized by Google

Ego Ioannes Conaxa tale condo teſtamentum, ut feriatur hâc clavâ, qui ſe neglecto alterius curam gerit.

Concludamus hactenus dicta de inſtructione filiorum & cura parentum, ſancta illa inſtitutione, quam S. Ludovicus Rex, ſub mortem dedit Philippo primogenito filio ſuo, tanquam teſtamentum legans ejus cordi firmiter imprimendum, omnibuſque Principibus meritò imitandum.

INSTRVCTIO S. LVDOVICI AD FILIVM Philippum.

1. Amor Dei. 1. FIli mi, ante omnia diligenter in eam curam incumbe, ut diligas Deum: nemo enim poteſt eſſe ſalvus, niſi Deum amet.

2. Odium peccati. 2. Cave ne unquam admittas peccatum mortiferum, ſed omnia potius ferre velis genera tormentorum, quàm aliquam talem perpetrare culpam:

3. Patientia. 3. Cùm adverſa accidunt, feras æquo animo, & cogites te commeruiſſe, atque ita lucrum inde tibi accedet.

4. Humilitas. 4. Cùm rebus proſperis frueris, humiliter agas gratias Deo, ne inde animo elatus, efficiaris deterior, unde te oportuit fieri meliorem.

5. Confeſſio. 5. Crebro confitearis peccata tua, deligaſque tibi ſapientes Confeſſarios, qui te poſſint inſtruere & docere, quid agere, quid vitare & oporteat; & coram illis ita te compares, ut audeant ſincerè te reprehendere, & vitia tua indicare tibi.

6. Prædicandi ſtudium. 6. Officium divinum devotè auſcultes, faceſſant ibi fabulæ & nugæ, ne oculi huc atque illuc circumferantur: ſed ores Deum ore, & etiam meditando corde, idque præcipue ſub ſacrificio poſt peractam conſecrationem.

7. Miſericordia. 7. Animo ſis pio & humano erga pauperes & calamitoſos homines, illiſque pro viribus opituleris. Si quid angat animum, id mox explices Confeſſario tuo, aut alicui viro bono: ita fiet ut faciliùs id feras.

8. Qui adſciſcendi, qui vitandi. 8. Da operam ut quorum uteris conſuetudine & familiaritate, ii ſint homines probi & integri, ſive religioſi illi ſint, ſive ſæculares, & cum illis libenter miſce colloquia: Porro nequam & improborum virorum commercia devita.

9. Confeſſiones & indulgentia. 9. Sermones qui fiunt de Deo publice & privatim, lubens audias: preces quoque & condonationes, ſive indulgentias, ſtudioſe expetas. Amato bonum, odito malum omne.

10. Cavenda obtrectationis. 10. Ubicumque fueris, nemo auſus ſit quicquam ejuſmodi te præſente eloqui, quod alliciat ad mortiferum peccatum, aut alterius famæ deroget: nec tu unquam de ullo malè loquaris obtrectandi animo. Non patiaris quemquam, te audiente, perversè de Deo & Sanctis ejus loqui, nec id ſinas impune abire.

11. Gratitudo. 11. Crebrò gratias agas Deo pro bonis omnibus ab illo tibi collatis, ut dignus fias potioribus ejus beneficiis affici & augeri.

12. Juſtitia. 12. In adminiſtranda juſtitia ſis rectus & ſeverus, & ita ut leges præſcribunt, eam exercens erga ſubditos, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declectens: pauperumque querimonias non rejicias, donec veritas innoteſcat. Si quis habeat adverſum te querelam aut controverſiam, ſemper ab illo ſtes contra teipſum, donec rem certam comperies. Ita enim fiet, ut Conſiliarii tui fidentiùs juſtam ferant ſententiam.

13. Reſtitutio. 13. Si quid poſſideas rei alienæ, etiamſi id acceperis à moribus tuis, incunctanter reſtituas juſto poſſeſſori, ubi certo id tibi conſtiterit. Sin autem dubia res eſt, cura ut viri ſapientes accuratè & ſine mora inquirant; id enim vel maximè ſtudere debes ut qui ſunt inditione tua, pace & juſtitia fruantur, in primis homines Religioſi, & qui in clero ſunt, parentibus tuis debes amorem, reverentiam, & obedientiam.

14. Beneficia Eccl. dignis conferenda. 14. Beneficia Eccleſiaſtica non conferas niſi benè dignis, & qui nulla ejuſmodi beneficia habeant, idque ex conſilio bonorum virorum.

15. Pax. 15. Bellum præſertim adverſum quemlibet Chriſtianum, ſine multo conſilio vide ne ſuſcipias. Si neceſſitas cogat ſuſcipere, Eccleſias & inſontes nullo patiaris damno affici. Si qua exiſtat vel tibi vel ſubditis tuis contentio, vel bellum, quoad poteris componere & ſedare coneris. Vide ut bonos habeas Prætores & Magiſtratus, & de illis ſolerter exquiras uti ſe gerant.

16. Reverentia erga Rom. Pont. 16 Semper ſis addictus & devotus Romanæ Eccleſiæ, & ejus Pontifici haud ſecus atque ſpirituali Patri te morigerum præbeas. Da operam ut impenſæ tuæ moderatæ ſint, & rationi conſentaneæ. Sub finem hortor, & adjuro te fili mi, ut ſi me contigerit ante te migrare ex hac vita, ut toto Regno Franciæ pro anima mea cures offerri Deo preces & Miſſæ ſacrificia. Ad extremum, fili chariſſime, quidquid boni poteſt bonus & pius Parens precari filio ſuo, id ego tibi precor. Sacroſancta Trinitas, & Sancti omnes ſervent te ab omni malo, præſtetque tibi Deus gratiam rectè ſemper agendi, & ipſius faciendi voluntatem, ita ut per te honoretur, & nos poſſimus poſt hanc vitam pariter eſſe cum illo, eum contemplari, & laudare per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

LECTIO XIV.

DE INSOLUBILITATE MATRIMONII.

1. Docet Matrimonium Chriſtianorum eſſe omnino indiſſolubile, olim ſolutum per libellum repudii.

2. Solvi Matrimonium non conſummatum per Religionis Profeſſionem.

3. Multas affert cauſas diſſolutionis quoad thorum.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO I.

Matrimonium consummatum, in nova lege non potest dissolvi.

Trid. sess. 24. Can. 5. & 7. Luc. 16. 18. Rom. 7. 2. 1. Cor. 7. 10.

ITa Trid. Marc. 10 v. 11. *Quicunque dimiserit uxorem suam & aliam duxerit, adulterium commisit super eam.* Luc 16 *Omnis qui dimittit uxorem suam & aliam ducit, mœchatur.* Rom. 7. *Quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi, &c.* 1. Cor. 7. *His autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari*, Quia Matrimonium Christianorum est signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, sed illa conjunctio est indissolubilis, Ergo.

Olim in veteri lege erat dissolubile per libellum Repudij.

Duo vulnera Matrimonijin vet leg. 1 Polygamia seu pluralitas uxorum concessa fuit olim à Deo ex quadam indulgentia & divina dispositione.

Matrimonium antiquitus duo vulnera passum, suprà insinuavimus, *Polygamiam & libellum repudy.* Polygamiam quidem, quia licitum fuit plures habere uxores, ex quadam indulgentia & dispositione divina. Nam & Patriarchas plures duxisse constat, non quidem causa variandæ voluptatis, sed ratione multiplicandæ prolis, ut docet Augustinus. l. 2. de nuptiis, c. 8. Cum enim essent pauci cultores veri Dei, indultum fuit, ut numerositate prolium, Dei cultum & conservarent & propagarent; quod cùm non possent consequi per steriles, adjunxerunt sibi divina permissione plures fœcundas; & sic successio non solum fuit numerosa, sed & Religio sumpsit incrementa. Neque existimandum est ideò non fuisse propriæ uxores, quod concubinæ vocentur; nam dictæ sunt concubinæ à principali actu cõjugij, sed quandoque et à vocãtur uxores ut patet. 25. Gen. ubi dicitur: *Abraham aliam duxit uxorem, nomine Cetturam* Unde adverten tum fuisse quasdam primarias uxores, quæ dicebantur solemni ritu cum dote, erantque matres familias, & bonorum omnium cum marito consortes domus gubernatrices, quarum filij erant hæredes patris. Concubinæ autem non habebant auctoritatem, nec filij eorum succedebant, sed erant ignobiliores, pleræque manebãt servilis conditionis, quamvis vero conjugio jungerentur. Sed nec defuit in pluribus uxoribus Patriarcharum mysterium. Nam cùm Abraham ultra Saram accepit Agar concubinam, per eos qui nasci debebat ex Sara sub nomine Isaac, designabantur veri filij Ecclesiæ: per eos qui ex Agar sub nomine Ismael, illi qui ejiciendi erant ex Ecclesia, hæretici & infideles Nam Agar cum filio suo fugitiva est, sed per Angelum jubetur redire: sic & illi à vera domo Dei Abrahæ fugitivi jubentur redire ad gremium S. Matris Ecclesiæ. Adde quando unus plures duxit, significatum fuisse Christum Synagogam, & Gentium multitudinem sibi consociaturum, & in unam Ecclesiam redacturum. Una verò non permissa est nubere pluribus, ut significaretur Ecclesiam non posse nubere, nisi uni viro, hoc est, Christo.

Gen 25 1. *Uxores olim fuere duplicis generis*

Mysteria fuit in polygamia.

Quantum ad libellum repudij, usitatus etiam fuit in antiqua lege, unde de eo sic legimus Deut. 24. *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & nõ invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem; scribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua.* Ubi per *fœditatem* non solum fornicationis fœditas intelligenda est, sed etiam fœditas tum animi, tum corporis v. g. lepra, sterilitas, veneficium, rixæ perpetuæ, ebriositas, pravi mores incorrigibiles. Non ergo assentimur Tertulliano, & quibusdam aliis existimantibus ob solam fornicationem licitum fuisse repudium. Imò vix videtur locum habuisse ob fornicationem, si enim erat adultera, lapidabatur; si suspecta, aquis zelotypiæ prodebatur, ut patet Num. 5. Hic autem libellus repudij scribebatur, traduntque ex Hebræis hanc fuisse formam: *Ego Rabbi Simeon, filius R. Abraham, filij R. David, filij R. Salomonis, die prima mensis secundi, anno 5196 à creatione mundi hic & in hac Civitate, ex animi mei consensu, & sine ulla coactione repudiavi Rachel filiam R Moysis, filij R Ioseph, filij R Iacob, & dedi illi libellum repudij in manum, sicut dum absistionis, & signaculum divisionis, ut sit à me abjecta & abeat quocumque velit, & nemo possit illi prohibere juxta constitutiones Moysis & Israel.* Usitatissimum fuit repudium etiam apud Romanos, ac alias Gentes, Medos & Persas, nam Assuerus repudiat Vasthi Esth. 1. apud Philistæos patet Judicum. 15 Formula autem apud Romanos hæc erat. RES TUAS TIBI HABETO. Debebatque fieri repudium coram Judice forma judiciaria, ut patet ex jure civili it *de divort* Sed *cur erat conscribendus libellus*, Respondet aug. Deum interposuisse hanc moram, ut in dissidium animus præceps, libelli constitutione refractus absisteret, & quid mali esset dimittere uxorem cogitaret; præsertim quia scribæ, quorum erat litteras scribere, quasi viri prudentes, dissidij erant dissuasores. Deinde Scripturæ conveniens fuit, ut legitimè & juridicè res fieret, ne repudians postea repudium negaret, & repudiatam contra legem reciperet, & ut sic etiam repudiatæ consuleretur: ut per libellum demonstraret se novas nuptias inire posse.

1. *Libellus repudij* Deut 24. 1

Num. 5. 18 *Forma & modus repudij.*

Repudium fuit usitatum etiam apud alias Gentes. Ex jure Civ. tit. de Divortiis. Aug. li. 19. contra Faust. c. 26

Sed dices: *Christus* Matth. 19. *solum dicit ob duritiem cordis Moysem permisisse repudium; ergo non solvebatur matrimonium, nec repudiata alteri nubere poterat.* Respondeo hanc duritiem fuisse causam non solùm permissionis, sed etiam cujusdam divinæ dispensationis in lege matrimonij, nec scilicet Judæi uxores quas repudiare non possent, occiderent? & ita nomine permissionis non solùm intelligendum est quod non puniretur, sed dispensatio insinuatur, qua repudium fiebat licitum justa causa accedente, solvebatque matrimonium. Unde & de facto pleræque alteri nubebant, idque significatur Deuter. 24. dum dicitur: *Cum-*

Matt. 19.

Deut.24.2

que egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam & dederit illi libellum repudij, vel mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere Ubi dum vetatur ad maritum repudiantem redire, significatur matrimonium solutum esse, & posse alteri nubere. Nec refert, quòd à Deo dicitur prior maritus eam non posse recipere, quia polluta est, & abominabilis coram Deo facta est, Ideò enim vocat pollutam, non quod percassèt ineundo secundas nuptias, (nam alioquin deberet etiam prohiberi ne alicui tertio nuberet) sed quod ab alio, putà, secundò marito cognita esset, ejusque semine polluta; idcòque ad priorem redire ei non liceret, quia respectu ejus abominabilis erat. Velut habent Hebræa: *Quia abominatio hæc est coram Domino*, quia scilicet redirus ad maritum qui eam repudiavit abominabilis est, & omnino vetitus à Domino; tum quia specimen præ se fert adulterium concubitus hic orbicularis nuptiarum regressus, videturque fucatum, & palliatum tantùm fuisse divortium: tum quia alioqui facilior datus fuisset aditus ad divortia & repudia, si post secundas nuptias licitum fuisset redire ad primas; jam verò maritus magis repudiabat uxorem, sciens se eam nunquam recipere posse. Ita Cajet. & Oleaster. Itaque valde probabile manet, & gravissimorum sententia Doctorum est, Deum infirmitati Judæorum subveniendo, mitigasse legem de insolubili Matrimonio, repudiumque concessisse ut licitum: maxime cùm hoc ordinaretur ad mysterium significandum, significabatur enim repudium, quod Deus daturus erat Synagogæ Judæorum, ut Ecclesiam ex Gentibus desponsaret. Adde quod alioqui foret durissimum in illa lege, si repudiata tota vita continere cogeretur, cùm vir aliam ducere posset, cujus tamen vitio sæpius separatio accideret.

Cajet & Oleast.

Mysterium in libello repudij.

Exod.21.2 & v.4.

Sic Deo jubente Abraham repudiavit Agar, nec verisimile est eam deinceps perpetuò cælibem agere debuisse. Similiter Exod. 21. constituitur, si Dominus servo suo Hebræo uxorem alienigenam, quæ verè serva esset, dedisset, eaque filios peperisset, servus Hebræus evoluto septennio liber egrederetur, sed uxor & filij Domino manerent. Nec videtur iterum ad perpetuam continentiam illa coacta fuisse, sed potius soluto matrimonio cum alio contrahere potuisse. Hoc vero jus repudii non habebant uxores, sed viri; poterant tamen illæ ob justas causas facere thori divortium.

Propositio II.

Matrimonium fidelium non consummatum solvi potest per alterutrius religionis ingressum sive professionem. Patet ex Trid sess.24. Can.6.

Ratio congruentiæ esse potest, quia duplex in matrimonio vinculum reperitur, unum spirituale, quod ex solo consensu nascitur, alterum carnale, quod ex copula conjugali: ergo cum carnale dirimatur per mortem corporalem, conveniens fuit ut spirituale dirimeretur per mortem spiritualem, sive per civilem. Atque talis mors est in professione monastica, qua homo toti mundo quodammodo moritur, quoad animum, seu voluntatem, per votum obedientiæ; quoad corpus, per votum castitatis; quoad res exteriores, per votum paupertatis. Idem declaratur exemplis Sanctorum, qui ante Matrimonij consummationem conjuges suos relinquentes, statum perfectionis sunt amplexi. Sic testatur Epiphanius Hæresi 78. Theclam à D. Paulo à nuptijs revocatam ante Matrimonij consummationem, statum castitatis fuisse amplexam. Unde sponsi furore urgente, ad bestias damnata fuit; sed leonis objecta propriæ illæ feritatis obitus, pedes Virginis exosculans, satis indicavit, sacrum, castumque corpus se violare non posse. Idem refert D. Hieronymus de S. Macario. Celebrato enim nuptiarum convivio, cum vespere thalamum esset ingressurus, urbem egrediens, eremum petijt, ubi ad mortem usque permansit. Testatur idipsum Metaphrastes de B. Alexio, quòd propter eximium Jesu Christi amorem, prima nuptiarum nocte divina gratiâ vocatus, sponsam intactam relinquens, nudus Christo famulari cœperit, peregrinationemque illustrium orbis Ecclesiarum susceperit, ut ignotus vitam castam perpetuò duceret. Denique de S. Leobardo Arvernensi refert B. Gregorius Turonensis, quòd postquam parentum importunitate, dato annulo, osculo porrecto, exhibitoque calceamento, celebrâsset sponsalium diem festum: nocte quâdam divino excitatus spiritu, cœperit intra se dicere: *Quid agis anima? Quid in ambigua substentia teneris? Vanum est sæculum, vana concupiscentia ejus, vana gloria, & in eo omnia vanitas: melius est igitur illuc deservire & sequi Dominum, quàm ad ejus opera, habere consortium.* His dictis, oriente diei luce, ad S. Martini tumulum spiritûs ductu processit, ut per illius preces à Domino viam vitæ edoceretur. Oratione ergo factâ, in cellulam vicinam transit, ubi agnovit verum esse, quod Dominus inspirârat, illiusque obsequio se ibi in perpetuum consecravit. Vide simile apud Augustinum l. 8. confess. c. 6 de duobus aulicis juxta Treviros.

S Amb. l. de Virg. & Epiph. hæresi 78. de Thecl.

S Hier. de S Macario in vita ejus.

Metaph. de B. Alexio.

S Greg. Turon. l. de vitis PP. c. 20. de S. Leobardo.

Aug. l. 8. conf. c. 6. de duobus aulicis.

Si quandoque inveniantur SS. Patres condemnare eos, qui pratextu religionis conjugia solvunt, intelligendi sunt de conjugio consummato. Sic etiam intellige illud Domini: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Licet etiam rectè dicatur, non separare eos homo, sed potiùs Deus, quando divini amoris intuitu conjuges separantur. Quapropter etiamsi Matrimonium jam consummatum quoad vinculum nunquam dissolvatur, tamen quoad torum & habitationem utriusque consensu dissolvi potest, suscepto religionis statu, quod etiam sæpè aliquibus inspiravit Deus.

Mat. 19.7.

Matrimonium consummatum solvi potest quoad thorum.

S. Amel-

Digitized by

Sur 10. Jus lii in vita S. Amelberg.

S. Amelberga Mater S. Adelberti Cameracensis Episcopi, & Sanctarum Reineldis, Paraldis, Ermelendis, & Gudulæ (quæ sorores fuêre quatuor Deo dicatæ in Belgio celebres) divinitus monita fuit sæculum relinquere. Cum enim Gudulam utero gestaret, & instar parturientium jam angeretur, Angelico alloquio recreata est: *Ne timeas Amelberga lachryma, preces, eleemosyna tua ascenderunt ad Deum, paries dilectam Deo filiam castitate conspicuam, illa quæ totâ vitâ famulaturam. Deinceps nullam concipiendæ prolem sed in castitate cum marito, Religionis sumpto habitu, gratam Deo hostiam immolatis. Filiam autem Gudulam Gertrudi efferes salutari lavacro suscipiendam, & in Christo Lacte Dei enutriendam.* Cùm igitur filias ab infantia castam ducere vitam docuisset, & non obstante importunitate procerum ad matrimonium eas postulantium, Christo Sponso per castitatis votum conjunxisset; tandem mundo valedixit, sacrum velum à S. Auberto Cameracensi Episcopo accipiens, virque ejus Wirgerus Princeps Monasticam vitam est professus. Surius 10 Julii.

Molan. 9. April.

Idem fecerunt S. Vincentius Comes Hannoniæ Waldetrude uxore, de quibus sic Molanus: Cùm B. Vincentius totus inhians cœlestibus, in Alto-Monte monasticum habitum suscepisset, & relicto sæculi naufragio, Monasterii portum expetivisset; jugalis ejus S. Waldetrudis quæ id ei annuerat, admonitione S. Gisleni à B. Auberto velamen sacrum impetravit, & cellulam, seu monasteriolum construxit in monte, qui Castri locus dicitur. Quæ cellula est hodiè in primaria Hannoniæ urbe Ecclesia S. Waldetrudis, conversa in Canonicarum nobilium Collegium. Cùm autem illa ante conversionem secum luctaretur, dum esset in Basilica villæ quam vulgus Buxetum, vel ut hodie Bossutum vocat, apparuit ei S. Gaugericus Episcopus, qui dixit: Age quod agis & calicem vino plenum per visionem ebibendum dedit. Quam visionem illa passim narravit, & meditatum opus perfecit, tolerans calumnias & opprobria, quæ hinc consequebantur.

Ado in Martyrologio, & Surius 16. Nov. in vita S. Eucherii.

Memorabilis quoque est hac in re S. Eucherius Lugduni Episcopus anno 440. Hic cùm esset Senator, ingenio, opibus, eloquentiâ, dignitate nobilis, conjugem habens illustrem, & liberos utriusque sexus; universis relictis, secessit in monasterium Lirinense, & postea in solitudinem. Ibi in spelunca totum se jejunio & orationi addixit, donec sede vacante Angeli monitu designatus est Lugduni Episcopus. Cùm verò à Clero & populo ad id requisitus, omnino abnueret, è spelunca vi extractus, vinctusque in urbem ductus, in Cathedra Episcopali violenter est collocatus, quàm mirâ sanctitate & doctrinâ administravit. Extant ejus docta scripta in Genesim & libros Regum, quæ filiis suis Veranio & Salonio dedicavit. Hos à puero in Monasterio educari curavit, qui deinde ob illustrem virtutem & sapientiam ad Episcopatum sunt evocati. Uxor verò ejus nomine Galla, in spe-

luncam mariti cùm ipse ad Episcopatum raperetur, secessit, eique in vitæ & loci rigore successit, totam se pœnitentiæ & orationi consecrans. Filiæ vero Consortia & Tullia, Patrem & Matrem imitatæ virginitatem voverunt, & miraculorum gloria sicut Pater ac Mater claruerunt. Ita Ado in Martyrologio. 16. Nov. Et Claudianus lib. 2. de statu animæ sic de illo scribit: *Eucherium viridis ævi, maturi animi, terra despuens, Cœli appetens, humilis spiritu, arduus merito, ingenio subtilissimus, scientia plenus, eloquii profluus, magnorum sui sæculi Pontificum longè maximus, edidit in rem fidei multorum operum volumina.* *Encomia S. Eucher.*

Advertendum verò ex communi sententia, bimestres inducias à jure concessas esse utrique conjugi, ad deliberandum de ingressu Religionis antè Matrimonium consummatum, intra quod tempus neuter alteri reddere debitum teneatur, illo verò transacto, teneatur consummare altero exigente, vel statim ingredi: quod si lapsum sit jam tempus termini, non potest ingredi, altero repugnante: De qua relatius DD. Scholastici in 3. parte D. Thomæ agentes de Matrimonio. *Bimestre spatium conceditur conjugibus ad deliberandum.* DD. Scholastici in 3 p. D. Tho.

Propositio III.

Sunt alia multa causa ob quas solvitur matrimonium quoad thorum.

1. *Ob adulterium alterius* Mat. 19. 9. & c. 5. 32.

PRimaria divortii adulterium alterius partis, ob illud enim conjunx innocens potest in perpetuum dimittere conjugem. Hæc causa exprimitur in Evangelio à Domino: *Qui dimiserit uxorem nisi ob fornicationem, mœchatur*: Ubi solam fornicationem nominat, quia illa sola est causa matrimonio intrinseca, propter quam in perpetuum dimitti potest, ita ut emendatam non teneatur recipere. In alius verò vitiis, accedente emendatione, tenetur recipere. Dico non teneri recipere, loquendo de stricta obligatione; nam aliquando etiam decens est, & consulunt SS PP. pœnitentem & emendantem se recipi. Inter quos Augustin. sic ait de Pollicat. *Quod autem durum tibi videtur, ut post adulterium reconcilietur conjugi conjunx, si fides adsit, non erit durum. Cur enim adhuc deputamus adulteros, quos pœnitentia credimus sanatos? Hæc crimina in veteri lege nullis sacrificiis mundabantur, quæ in novo testamento sanguine Christi procul dubio sanantur. Et ideo prohibitum fuit ab alio contaminatam recipere uxorem; quamvis David Saulis filiam quam pater alteri dederat, receperit novi testamenti præfigurator. Nunc autem postquam Christus adultera dixit: Nec ego te condemnabo, vade noli amplius peccare: quis non videat debere ignoscere maritum, qui videt ignovisse amborum Domino: nec jam se debere adulteram dicere, cujus pœnitentiæ crimen divina creditur miseratione deletum?* Itaque quod in Proverbiis Sapiens dicit: *Qui tenet adulte-* S. Aug. l. 2. c. 6. Pro. 18. 8

rum stultus est & impius, intelligendum est, si consentiat, aut inde quæstū faciat, aut certè non resipiscat ob tolerantiam mariti.

Exempl. Surius 11. Maij de S Gangulpho.

Porrò non desunt exempla Sanctorum, qui uxores deseruere ob adulterium, & statum perfectiorem sunt amplexi. Uxor S Gangulphi rupta conjugii fide nefaria commixtione sese polluerat; ille rei indignitate permotus, debitas ab ea pœnas exigere statuebat. Sed veritus, ne si illi causa fuisset necis, superioris vitæ innocentiam alieni sceleris nævo obscuraret, tandem rem totam divino judicio commisit. Accidit interim, ut die quodam cum sola conjuge, prædii fines lustrando circuiret, & ad quemdam fontem veniret, ubi uxorem his verbis compellavit. *Multa quidem de te conjunx, passim feruntur fœda & indigna natalibus tuis, quæ verane an falsa sint mihi non constat, sed divina providentia, quam nihil fugit, ut se res habeat, jam certum declarabit indicio. En fons hic propositus est, nec frigidus valdè, nec immodicè calidus. In hunc manum immitte, & è fundo lapillum extrahe, & si quidem à culpa es aliena, nihil mali patieris, sin autem polluta es, non sines Deus latere scelus tuum.* Tum illa cum intrepidè jurando, falsos de se rumores sparsos assereret, & illos beati viri sermones contemneret, vecordiæque adscriberet, incunctanter in fontem manum injecit. Ecce autem frigus atque lapillum ad se retrahere conata est, membris omnibus obriguit, abstractaque à digitis & brachio quousque aqua pertigerat cute, nihil aliud misera nisi repentinum interitum expectabat. Tunc Gangulphus. *Optaram quidem si fidem servasses, omnia tecum usque hujus discrimina perpeti, sed quia te scelere obstrinxisti, morte quidem digna es, sed meis manibus nolim tibi necem afferre, divino potius te judicio relinquo. Quod si dignos pœnitentiæ fructus egeris, veniam à Deo impetrabis, si malitiæ finem non imposueris, cum auctore ejus diabolo flammis æternis obnoxia eris. Me sanè deinceps contubernio nequaquam frueris habebis autem tibi meam propter nuptias donationem, quæ possessionem sufficiat extare.* His dictis accēso curru, ad prædia sua procul in Avabensi territorio sita profectus est, pietatis illic & misericordiæ continuò vacans operibus Surius 11. Maij

Lib. 2 in vitas PP. palla. c. 8. Ibid. l. 8. c. 28.

Eadem ratione Paulus simplex Antonij discipulus, ad monasticam disciplinam amplexandam permotus fuit. Cùm enim rusticam vitam ageret cum conjuge, eaque in flagranti crimine deprehendisset: admoto jure jurando conjunctionem ejus renunciavit, eaque statim dimissa ad Antonium venit, sub quo in obedientia & religiosa disciplina maximè profecit.

2. Furor aut sævitia conjugis lepra vel morbus contagiosus.

Secundo divortii causa est; si alter cum altero securè vivere nequeat, vel propter enormem viri sævitiam, vel propter uxoris maleficia quibus vitæ viri, aut etiam liberorum insidiatur.

3 Lapsus in hæresim vel apostasiam Tit. 3. 10.

Tertia causa, est hæresis vel Apostasia subversionis periculo conjuncta. Hæc tamen causa non est perpetua, quia si convertatur, conjux debet recipi.

Quarta causa generaliter à Doctoribus affertur, si alter conjugum alterum ad peccatum impellat, ita ut illi cohabitare nequeat sine injuria Creatoris, sive sine periculo Deum offendendi. Id verò colligunt Doctores ex verbis Domin.: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Propterhæc omnia Trid. sess. 24. can. 8. anathema dicit illi, *qui dixerit Ecclesiam errare, quando ob multas causas, separationem inter conjuges quoad thorum seu cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit.*

4. Grave periculum animæ. Mat. 5. 29. Trid. sess. 24. can. 8.

LECTIO XV.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

Duplicia sunt impedimenta Matrimonij 1. Impedientia tantum.

DUplicia sunt matrimonij impedimenta, quædam enim tantum prohibent ne contrahatur, si tamen de facto contractum fuerit, validum est. Sic impedit votum simplex castitatis, sponsalia priùs contracta cum alio sponso, imò & quædam crimina, inter quæ numerantur incestus, occisio prioris, uxoris, raptus alienæ sponsæ, conjugium, sacrilegium cum sanctā monialī, homicidium Presbyteri, Baptismus propriī filij. Quorum tamen criminum aliqua consuetudo videtur abrogasse, ita ut non censeantur multis in locis impedimenta, salem in illis potest Episcopus dispensare. Alia sunt impedimenta dirimentia, quæ nullum reddunt Matrimonium, solentque his versibus comprehendi.

2. Impedientia & dirimentia.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Hæc jungenda vetans connubia facta retractant.

Non est autem instituti mei singula pertractare, & casus varios circa illa occurrentes decidere, de quibus passim videri possunt Toletanus, Navarrus Bonsfeldus, & alii, Pauca attingemus communiora, ut quando contingit Pastorem apud plebem de his agere, possint impedimentorum illorum rationem exemplis adstruere.

De consanguinitate & affinitate.

Primo igitur inter impedimenta communiora recensemus consanguinitatem & affinitatem. Hæc utraque dirimit matrimonium usque ad quartum gradum: quod si affinitas oriatur ex illicita copula, dirimit solum usque ad secundum. Et de hac quidem affinitate ex illicita copula oriente, opus est quandoque Pastores apud plebem differere, quia non infrequenter contingit dissolutos juvenes conversari, ubi plures sunt sorores vel consanguineæ, & jam commercio carnali cum pluribus consanguineis habito, cum alterutra illarum matrimonium inire incestuosum & invalidum.

Ratio

Ratio verò, cur Ecclesia inter consanguineos & affines invalidet conjugium, est, quia reverentia aliqua propinquitati debetur; ita ut incongrua judicetur valdè propinquorum copula conjugalis. Unde Levit. 18 dicitur: *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus.* Turpitudinem vocat membra inhonesta, quæ Hebraicè vocantur nuditas, à contrario sensu, eo quod minimè deceat illa nuda esse: turpitudinem ergo revelare, est illam cognoscere, sive in Matrimonio, sive extrà.

Levit. 18. 6.

Secunda ratio est, quia dum abstinetur à sanguine junctis, latius se diffundit charitas & necessitudo humanæ societatis; quando hi, qui sanguine sunt alieni, Matrimonio fiunt propinqui.

Greg. in resp. ad Aug. Anglorum Epis.

Tertia ratio est, S. Greg. in responsa ad Augustinum Anglorum Episcopum, ubi ait: *Experimento discimus, quòd ex conjugio adeo propinquorum soboles non solent succrescere.* Quia scilicet non tam facilè, ut ex conjugijs minus propinquorum, etenim duplicatus ardor & carnis & sanguinis procreationem aliquo usque solet impedire. Hic autem concubitus illegitimus, incæstus nominatur, quasi dicas non castus: quamvis aliqui deducant à cæsto, id est, cingulo, quo uxor cingebatur, cùm maritalis illi fides dabatur à marito. Est ergo incæstus concubitus reprobus, cui cingulum legitimarum nuptiarum insigne, ob consanguinitatem adhiberi nequit.

Quapropter viri sancti non solum oris; sed & sanguinis sui voce incæstas nuptias damnarunt. Sic fecit Baptista arguens Herodem: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Tandemque pro castitatis defensione capitis subijt detruncationem, & suum oppignoravit sanguinem. Similiter Apostolus fortiter increpat Corinthios, quòd sustinerent aliquem, qui novercam sive uxorem patris sui detineret.

Marc. 6. 18.

1. Cor. 5. 1.

Surius de S. Dunstano 19. Maij. Baron. tom. 10. an. 970. *Historia de quodam nobili, qui duxit consanguineam.*

Audi & de S. Dunstano, quàm constanter incæstis nuptijs obstiterit. Comes quidam potens consanguineam sibi copularat, nec post trinam monitionem incæstum divortio expiare volebat. Quare à liminibus Ecclesiæ excommunicatione est sejunctus, & gladio spiritûs à viro Dei percussus. Is superbiâ erectus Regem Angliæ adit. Dunstanum impiæ severitatis accusat, regia sanctione ab ejus tyrannide liberari obsecrat. Preci Rex acquiescens mandat Dunstano, ut hominem in pacem sinat, Ecclesiæque restituat. Videns Dunstanus Regem mendaci lingua circumventum, dolet, iterumque adit reum, ut increpet, & ad correctionem cor ejus emolliat. At ille contumaci spiritu furere minarique, imò se totum ad id impendere cœpit, ut Dunstano excitaret scandalum, & Christianæ legis jugum, quo à sua lasdine coercebatur, sibi faceret alienum. Legatos Romam destinat, & quorumdam Romanorum corda & ora in suam causam largo munere permutat. Mandat itaque Pontifex Acris, ut Comitem gremio Ecclesiæ restituat. Ad quæ Dunstanus: *Vbi hominem pœnitentiam agere videro, sedis Apostol. ea præcepto parebo, absit autem, ut in peccato hærens, insulse. nobis, ab Ecclesiastica disciplina immunis: avertat Deus, ut ego causa alicujus hominis mortalis, vel pro redemptione capitis mei postponam legem, quam servandam dedit in sua Ecclesia Dominus noster Jesus Christus.* Audiens ille Dunstanum inflexibilem, timore divinæ vindictæ constrictus, obstinationem deponit, & abdicato illicito conjugio pœnitentiam assumit. Celebrante enim Dunstano concilium generale totius regni, sui oblitus, nudis pedibus, laneis indumentis corpus amictum, virgam manu ferens, concilio sese medium ingessit ad pedes Dunstani gemebundus. Sic moti sunt omnes, qui aderant, ad pietatem; & ipse Pater omnium, majori præ cæteris pietate lacrymans, culpam indulsit. Surius in vita ejus, & Baronius ann. 970. Tom 10.

De cognatione spirituali.

Secundum impedimentum non infrequens est cognatio spiritualis: propinquitas scilicet orta ex Baptismo, aut Confirmatione, inter baptizantem & baptizatum, ejusque patrem & matrem, inter susceptorem & baptizatum, ac utrumque ejus parentem; & de Confirmatione similiter dicendum. Vide Tridentinum sess. 24. cap. 22. Neque in hoc impedimento dispensat Episcopus, sed ad arbitrium Pontificis res est referenda. Undè anno 998. cùm Robertus Francorum Rex cum sua commatre & affine conjugium iniisset, celebrata est in Gallijs Synodus, in qua adulatione Episcoporum indultum ei fuit tale conjugium, sed reclamante Gregorio V. dissolutum est, fueruntque Episcopi pœnitentiâ castigati. Nec defuit judicium Dei. Nam ex illa uxore suscepit Rex filium habentem anserinum per omnia collum & caput. Ac postea Regem & uxorem omnes ferè Galliarum Episcopi à Summo Pontifice coerciti, communi simul excommunicavêre sententia. Cujus sententiæ tantus omnes terror invasit, ut ab ejus societate recederent, nec illi præter duos servulos ad necessarij victûs obsequium illi remanerent: qui tamen & pli omnia vasa, in quibus Rex edebat & bibebat, abominabilia judicantes, pabulum ignis exhibebant. Sic coarctatus Rex, suasu Albonis Floriacensis Abbatis, viri magni nominis ad sanam mentem rediens, divortium fecit, inijitque legale connubium, & peccatum pœnitentiâ diluit. Baron. Tom 10 ann. 998. ex P. Damiani & alijs.

Trid. sess. 24. c. 22.

Baron. tom. 10. ann. 998. ex P. Damiani de Roberto Rege Francor.

Sic & Otto, Imper. duxit in conjugem Adalaidem Italiæ Reginam commatrem suam; sed filius ejus Almificus Moguntinus Episcopus publicè conjugium istud condemnavit, quem pater comprehendi jubens, per annum carceri mancipavit. Cùm verò circà Quadragesimæ tempus eductus fuisset, zelo accensus, excommunicationis sententiam in patrem intorsit; & in cauta Dei, nec imperiale fastigium, nec parentelæ agnovit affectum. Dicebat autem parenti: *Tu arbitrabis me infelicem egressurum: sed scito, quia die sancto Pentecostes*

Pet. Damiani tract. de miracul. Sur. to. 2. Herrendam de Ottone Imper.

Digitized by Google

astabimus simul ante Deum, & vendicabitur causa ista, ita apparebit, quis legi Dei contradicat. Et factum est in die solemnitatis illius, dum Augustus imperiali ornatu, Pontificum & procerum valatus agmine, Missæ interesset, repentino judicio concidit mortuus. Episcopus autem jam in Domino quieverat. Sic qui de incæstu inter homines contempserat judicari, ad tribunal æterni judicis coactus est pertrahi, & qui noluit audire Pontificem, divinam non evasit majestatem.

Decultûs disparitas.

Tertium impedimentum, est cultûs disparitas, quandò Matrimonium contrahitur cum infideli. Olim prohibebantur Hebræis Deut. 7. Matrimonia cum Chananæis: & ratio legis indicatur, periculum seductionis à fide. Eadem ratio movit Ecclesiam ad constituendum impedimentum dirimens: quia ex tali disparitate gravissima oriuntur incommoda; periculum educationis prolium in infidelitate, periculum seductionis à fide, periculum dissidiorum ob ea, quæ religionis sunt. Neque tamen solo jure naturali hæc conjugia irrita sunt, nam & olim in lege antiqua, & in initijs Ecclesiæ fuêre frequentia, & certis circumstantijs licita. Jacob duxit filias Laban, Moyses Æthiopissam, David filiam Regis Jessur. In nova lege S. Monica maritum habuit Patricium, quem in fine vitæ ad fidem adduxit, & hoc fuisse frequens testatur Augustinus & Hieronymus. Quapropter ignorantia, quæ ex contraria consuetudine ortum habuit, multos potuit excusare. Patriarchæ verò, & aliqui alij per hoc excusantur, quòd uxores acciperent infideles, ad fidem sua auctoritate transferendas. Sic & Clotildis Christiana contrahit cum Clodovæo Rege, cum spe certa conversionis. Testatur quoque B. Nazianzenus sororem suam Gorgoniam infideli nuptam fuisse; sed instantissimis precibus apud Deum urgere solitam, ut vir Baptismum reciperet: ita ut se tantùm ex parte baptizatam putaret, quòd maritus necdum Baptismum accepisset, quem dimidiam sui partem esse censebat. Sic enim loquitur orat 11. de laude Gorgoniæ: *Porrò cum meum hoc ad omnia accedere cuperet, ut maritus quoque perficeretur, ut sic corpore consecraretur, & non dimidia tantum ex parte initiata discederet, ipsiusque imperfectum aliquid relinqueretur, hoc quoque impetravit.*

Deut. 7. 3.

Aimon de gestis Franc. l. 1. c. 13. Baron. to. 6. an. 494. Gregor. Naz. de Gorgon. orat. 11.

Dicimus porrò, irritum Matrimonium fidelis cum infideli non baptizato, post Ecclesiæ constitutionem: non est tamen irritum cum hæretico, quia illi ratione Baptismi capaces sunt Sacramentorum. Vetantur tamen talia connubia, ob periculum seductionis, & alia incommoda. Et certè monitum Apostoli dicentis: *Nolite jugum ducere cum infidelibus; quæ enim societas luci ad tenebras, quæ conventio Christi ad Belial?* generale est, & præsertim intelligi videtur de jugo Matrimonij, in quo est arctissima conjunctio & communicatio. Quæ ergo conventio inter partes, si una Christo se voveat, altera Satanæ per hæresim serviat? In conjugio debet esse harmonia & concentus duplex, religionis & morum: quam harmoniam efficit divina gratia, aptans uxorem viro, virum uxori; sicut aptantur chordæ, ut harmoniam edant. Sed quænam consonantia, aut concentus orari potest in nuptijs Catholici cum hæretica, cum sit fides & morum dissonantia? nec divina gratia utrumque regnet, ut eorum tanquam chordas possit aptare & conjungere corda? Ubi fides non est, Deus non est, nec charitas est, quia Deus charitas est: ubi charitas non est, nihil nisi dissidium & discordia reperiri potest.

2. Cor. 6. 14.

Existimant tamen aliqui, non esse peccatum mortale contrahere Matrimonium cum hæretico, vel hæretica, in partibus valde infectis hæresi, v. g. in Germania & Gallia, ubi cum Catholicis permixti vivunt hæretici. Hoc enim licere putant, si conjux Catholica libere permittatur, & absque perversionis periculo, in fide permanere, in eaque prolem educare. Ita docet Sanchez. disp 72. num. 3. to. 2. Quia tamen hoc difficile est, ideò passim talia connubia sunt dissuadenda. Nec facile sibi persuadeat vir Catholicus, aut mulier, se uxorem hæreticam, vel virum ad fidem posse traducere. Hoc enim rarum est ob ingenium sive muliebre, sive virile, quod sæpe est contumax: *Unde scis mulier, quòd virum salvum facies?* inquit Apostolus: si enim Cæcilia Valerianum, Theodora Silinnium, Clotildis Clodovæum, Chrysantus Dariam, ad fidem convertit, non omnibus ea gratia datur: *Non est volentis, neque currentis, sed est Dei miserentis* & illuminantis. Estq; opus altiori illius providentia & misericordia, efficaciq; lumine, ad infidelitatis cæcitatem abstergendam. Adde, ex talibus Matrimonijs sæpe oriri Babylonicam quandam in familia confusionem; dum proles divisæ, & in varias sectas dissectæ, dissentiunt; dum unà patris errorem sectatur, altera maternæ fidei adhæresci: sicque fit, ut sese mutuò non agnoscant, corporum quidem & sanguinis propagatione fratres, animis verò & mente extranei. Apparetque in illis quædam Ægypti facies, dum una pars in tenebris, palpabilibus hæret; altera in luce versatur, sed non sine periculo tenebrarum. Denique etiam quandoque tales nuptiæ Dei providentiâ puniuntur sterilitate. Jucundum mihi fuit hac de re audire sententiam Consiliarij cujusdam nobilis & aulici Principis & Abbatis Fuldensis. Mirabar ego alcitus in sequelam Illustrissimi Patris Aloysij Carafa Nuncij Apostolici in visitatione Germanica, in familijs & monasterio Principum Ecclesiasticorum, Trevirensis, Moguntini, Fuldensis, agere quosdam vel Calvinismo, vel Lutheranismo infectos. Respondit ille mihi, rem non debere videri miram in perturbatissimo & exulceratissimo Germaniæ statu, ubi libertas nobilitati est indulta. Sic enim fieri, ut Principes Ecclesiastici, pati cogerentur vasallos cujuslibet religionis, sibi

Non esse p. mort. putant quidem contrahere cũ hæretico in partibus hæreticis.

Sanchez to. 2. disp. 72. nu. 3.

1. Cor. 7. 16.

Rom. 9. 16

Digitized by Google

ſibi ad certa obſequia obſtrictos. Et cum valde cordatè mecum ageret, ecce, inquit, ego Catholicus ſum, fidemque illam ſemper graviter ſui profeſſus: attamen uxorem duxi Calvinianam, ut paris nobilitatis conſortem nanciſcerer: confidens quod eam adhuc juvenculam, ingraveſcente ætate, maturioribus conſilijs, blandis veritatis ſermonibus, vel etiam conjugalis auctoritatis pondere, ad veram fidem inflecterem. At hactenus omnibus conſilijs pertentatis, cùm oleum & operam me perdere vidi, & auri ſurdæ verba dare, coactus ſum ei libertatis fræna laxare. Interim, cum fortitan Deo diſplicuerit diſpar hoc meum in religione connubium, non permiſit ex illo proles nasci, ne forte in adulterina religione matris blanditijs educarentur, & ita divinæ providentiæ connubij noſtri ſterilitatem adſcribo. Hæc ille mihi prudenter & verè.

Cùm ergò in diſpari cultu & conjugio non parum diſcriminis involvatur, laude dignæ ſunt Virgines illæ, quæ nec parentum minis, vel auctoritate, nec quorumlibet importuna ira vel prece adduci potuêre, ut cum infidelibus, vel hæreticis Matrimonij fœdera jungerent. Vis harum exempla?

Lucius Marin. Siculus l. 5. de rebus Hiſp.

Sancta Euroſia Bohemiæ Regis filia, capta à Maurorum Principe, mori maluit, quàm ei nubere. Cumque ferientis gladium patienter expectaret: audita eſt vox Angelica: *Veni electa mea ſponſa Chriſti, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit & donum, ut quoties pro pluvia, vel contra tempeſtatem fuerit invocata fidelium oratio exaudiatur.* Cùm hoc audiſſet, brachijs, pedibusque obtruncata expiravit miraculis celebris.

Baron. ad ann. 593.

Cæſarea Regina uxor Arnulphi Perſarum Regis, tempore Mauricij Imp. Conſtantinopolim ſecretò fugit, ibique converſa & baptizata eſt. Cùm autem maritus eam repeteret, ad eum redire noluit, niſi Chriſtianus fieret. Quare Conſtantinopolim veniens, ibi baptizatus eſt, & ab Auguſto de fonte levatur, acceptâque conjuge, lætus ad ſuos redijt. Id contigiſſe anno 593. teſtatur Baronius.

De vi & raptu.

Quartum impedimentum eſt vis & raptus. Vis quidem irritat Matrimonium, quia debet eſſe liber conſenſus. Hinc metus cadens in virum conſtantem, ſi ad extorquendum conſenſum injuſtè incuſſus fuerit, invalidum reddit Matrimonium, imo & metus reverentialis, qui à patre, vel parentibus incutitur, (maximè cum verbera, aut graves minæ accedunt) irritum reddit Matrimonium; etiam ſi copula carnalis accedat. Habes exemplum in Thereſia Alphonſi Regis Legionis ſorore, hanc ipſe invitam Abdallæ Regi Arabum, qui Toleti regnabat anno Domini 1010. voluit tradere in uxorem. Illa utpote Chriſtiana negavit ſe conſenſuram, niſi ejuſdem Religionis Chriſtianæ fieret. Simplex virgo promiſſione decepta, quod vir fieret Chriſtianus, ſe duci paſſa eſt; ubi autem tempus advenit, promiſſionem exigens, ſerò tandem ſe deluſam agnovit; illa cominatur divinam ultionem, ſi quis præter fas in invitam ac renitentem tentare præſumat. At ille deridens; libidinis æſtro percitus, puellæ vim intulit: at mox offenſi Numinis expertus eſt ultionem, affectus morbo graviſſimo. Cujus ſalutem deſperans, niſi cauſam protinus dimoveret, eandem Thereſiam cum amplis muneribus ad fratrem ſpontè remiſit. Ita Rodericus Sanctius, & Vaſæus & Baronius Tom. 11. anno Chriſti 983.

Rod. Sanctius hiſt. Hiſp. p. 3. c. 3. Vaſæus in Chron. Hiſp. ann. 985. Bar. tom. 11.

Quid ſit Raptus.

Raptus, eſt ablatio, qua fœmina violenter contra ſuam voluntatem, aut ſaltem parentum, ſub quorum poteſtate eſt ex uno loco trahitur in alium, ſive ad copulam carnalem, ſive ad eam ducendam in uxorem. Statuit autem Concilium Tridentinum, ut inter raptorem & raptam non poſſit contrahi validum Matrimonium, quamdiu rapta eſt in poteſtate raptoris; quantumvis ipſa liberè & ſpontè velit in Matrimonium conſentire. Statuitque ut fœmina prius libera dimittatur; atque in tuto loco conſiſtens poſſit, ſi velit, conſentire. Attamen ne ipes conjugij neſarios ad raptum invitet, graviſſimas pœnas decernit in raptorem; inprimis excommunicationem tam ab ipſo, quàm ab adjutoribus de facto incurrendam, deinde perpetuam infamiam & incapacitatem omnium dignitatum, & ut raptam ſive duxerit, ſive non, dotare teneatur.

Trident. Conc ſeſſ. 24 c 6.

De impotentia perpetua.

Quintum impedimentum eſt impotentia, ſi ſit perpetua, hoc eſt, defectus viri ſeu fœminæ, quo impediatur actus conjugalis. Cùm enim Matrimonium involvat traditionem mutuam corporum in ordine ad actum conjugalem, meritò conſtituit Eccleſia, ut tale Matrimonium ſit invalidum, quod etiam conforme eſt juri naturali. Tales ergo ſeparari poſſunt & debent, niſi velint ut frater & ſoror cohabitare ſine amplexu conjugali. Et parum eſt unde proveniat illa impotentia, ſive à natura, ſive ab accidente, per maleficium, caſtrationem, vel aliam cauſam, ſi modò perpetua judicetur: & qui noſcens hoc impedimentum nihilominus contrahit peccat, & in re gravi decipit.

Jo. Cuſpin. in Carolo Craſſo.

Carolus Junior dictus, cognomento Craſſus, Richardem habuit uxorem, Regis Scotiæ filiam, fœminam vitæ ſanctitate, & callitate inſignem. Cui cum adulterij crimen obijceret, quòd familiariùs ageret cum Lidvvaldo Vercellenſi Epiſcopo, unico ſuo Conſiliario, cui rerum ſuarum omnem adminiſtrationem conceſſerat; factus zelotypus ac delirus, uxorem in concionem vocat, jurat à ſe integram hactenus relictam, nec ullo concubitu cum ea ſe commiſcuiſſe. Caſta fœmina, quæ impotentiam viri tot annos celaverat, gaudet hanc occaſionem offerri, & ait: *Ecce quandoquidem mariti juramento virgo ab eo relicta ſum, adſint obſtetrices & matronæ, quæ integritatem meam atteſtari poſſint, nec enim mihi mens eſt ulterius tali marito cohabitare. Quod ſi unitis, inſuper parata ſum ignitis ferramentis caſtitatem meam alam*

Digitized by Google

palam cunctis faceret. Itaque facto divortio, acceptis bonis suis, in Alsatia Monasterium construxit Virginum, quod hodie vocatur Andalavv, ubi Deo se dicavit, & sepulta jacet. Quæ res ut multis commiserationem, ita Augusto peperit extremam calamitatem. Joan. Cuspin. in Carolo Crasso, Platus l. 2. de statu Religionis c 27. & alij.

LECTIO XVI.

DE VIDUIS.

1. *Morte alterius dissolvi Matrimonium.*
2. *Manere libertatem ad ulteriores nuptias.*
3. *Statum viduitatis amore continentiæ susceptum esse maximè meritorium.*

Propositio I.

Justa Dei providentia per mortem alterutrius conjugis vinculum Matrimonij dissolvit.

HANC Dei providentiam debet attendere is, qui viduatur, aut relinquitur, ut divinæ voluntati ex integro se offerat & conformet, licet ob derelictionem gravissimis se affectum incommodis deprehendat. Hæc autem conformitas ad divinam voluntatem triplici potest niti ratione.

1. *Ex parte Dei.*

Prima est ex parte Dei, qui separationis hujus auctor est, sicut & conjunctionis fuerat. Ad eum spectat ex libera voluntatis suæ æternæ dispositione connubia quando vult, & quomodo vult, jungere, & prospera in prole, opibus, honore reddere, alijsque cumulare bonis. Ad ejus quoque providentiam justam & sanctam spectat, ea dirimere, licet successu fœlicissima. Undè non aliud habent dicere conjuges, quàm illud Job: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* Est ergo & in hoc adoranda Dei providentia, licet asperior, tamen justa. Nemini enim injuriam facit, repetendo quod commodavit: imò debet gratias referre conjux quæ relinquitur pro tempore, quo conjuge uti potuit ex beneplacito Dei: debetque divinam dispositionem propriæ consolationi anteferre.

Job. 1. 21.

Hujus rei exemplum voluit Dominus in persona Ezechielis nobis exhibere, c. 24. *Et factum est verbum Domini ad me dicens: Fili hominis, ecce ego tollo à te desiderabile oculorum tuorum in plaga, & non planges, neq; plorabis, neq; fluent tua lacryma. Ingemisce tacens, mortuorum luctum non facies. Corona tua circumligata sit tibi, & calceamenta tua erunt in pedibus tuis, nec amictu ora velabis, nec cibos lugentium comedes. Locutus sum ergo ad populum manè, & mortua est uxor mea vesperè; feci que manè sicut præceperat mihi.* Nempè voluit Deus, ut Propheta se conformaret voluntati suæ in casu licet illi acerbo & funesto, quandoquidem tollebatur id, quo nihil illi charius & desiderabilius, uxor, scilicet dimidium cordis sui, & desiderium oculorum suorum. Prohibet verò ne plangat, aut ploret, more & clamore ejulantium & lugentium. Et quia solebant lugere mortuos, aperto capite, & nudis pedibus, attonsis etiam crinibus, orque velato per amictum, & certis cibis uti, certis abstinere tempore luctûs: hæc omnia prohibet ei, ut agnoscat populus, quàm sorti & erecto animo divino decreto, licet peralpero, sese conformet. Sufficit enim illi verbum istud divino ab ore procedens: *Fili hominis, ecce ego tollo.* Ego *pater tuus*, ego *Dominus*, ego *Deus tuus*, ego *tollo*, qui dedi: ego *tollo* quod magis meum est, quàm tuum, ego *tollo* juxtà meum beneplacitum. Tu cave refragari, nec interiùs cursa aut rebelli voluntate, nec exteriùs luctûs publici demonstratione. Quia tamen scio te ob amorem rei tibi charissimæ non posse omni sensu doloris carere (homo enim es, humani nihil à te alienum) hinc concedo, ut humano affectui nonnihil indulgeas. Poteris ergo ingemiscere & suspirare, sed *tacens*: nolo ex ore tuo effluat vel verbum, quo conqueraris aut deplores miseram sortem tuam; multò minùs murmuris, aut impatientiæ signum vel minimum ostentabis. Quòd si os aperueris, ad glorificandum me id perages, & ad gratias agendum divino huic meo decreto, quo non tua voluntas, sed mea adimpletur. Hæc ad Ezechielem dirigens Dominus, in illos & per illum videtur alloqui omnes, quos simili sorte plectit, charorum suorum scilicet morte. Nam quamvis eis luctus moderatus permittatur, adoranda tamen hac in re illis divina voluntas proponitur, ne limites excedant doloris, aut impatientiæ lacteatur fluctib⁹ nimirum amaris.

Ezech. c. 24. *Exemplum & documentum in Prophe ta in casu separationis per mortem.*

2. *Ex parte decedentis.* Rom. 8 28

Secunda ratio esse potest ex parte ejus, qui decedit. Divina enim Sapientia disponit omnia sua ad salutem electorum, ut mors etiam accelerata illis in majus bonum ordinetur: *Scimus* enim quod *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Et ut idem Apostolus ait electis: *Omnia vestra sunt sive mundus, sive mors, sive vita, sive præsentia sive futura.* Ordinat enim Deus eis vitam, ut colligant merita, ordinat mortem, ut finiant exilium, ut errumnas fugiant & peccata. Undè de multis verum est illud: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam ejus. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & transvertit sensum sine malitia.* Item illud: *Justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Iraque conjugi relicto hoc sperandum est, & quoad fieri potest, ad hoc cooperandum, sacrificijs, orationibus, eleemosynis, ut refrigerij locum, qui decessit, quantociùs assequatur, ad quod nihil confert luctus, aut immoderata desolatio, quin potiùs remoram injicere potest.

1. Cor. 3. 22.

Sap. 4. 11. Sap 4. 7.

3. *Ex parte viventis.*

Tertia ratio est, ex parte illius, qui relinquitur.

Hic

Hic enim considerare debet, hoc sic à Deo ordinatum esse ad ipsius probationem, & melius bonum. Unde cum humilitate debet hic honorare divinum beneplacitum, tanquam salutis suæ procurativum.

Luc. 14. 26. Et quoniam Dominus dixit neminem se de discipulatu suo agnoscere, *qui non odit patrem, aut matrem aut uxorem propter nomen suum*, hoc est, nisi minus amet patrem, aut uxorem quam Deum: ideo amore inordinato conjugi non debet adhærere, sed illum cùm Deo placuerit, hæcrè debet deserere, ne confeatur plus amare conjugem, quam Dei voluntatem.

Gen 35 18 Jacob licet ardenter amaret Rachelem, illam tamen in partu morientem haud immoderato luctu est prosecutus. Quinimò cùm puerum Mater vocasset *Benoni*, hoc est, filium doloris, ipse eum *Benjamin* nominavit, hoc est, filium dexteræ: agnoscens hunc funestum casum à dextera Dei potente provenire. Quæ quidem percutit sed in bonum: à dextra enim bona proveniunt & felicitas, etiam inter aspera: à sinistra mala procedunt & infelicitas, etiam inter prospera. Adoremus ergo eius manum dexteram etiam percutientem, refugiamus sinistrâ etiam blandientem. Dexteram adorabat Jacob, qui etiam noluit filium nominari Benoni; ne frequenter audito nomine, dolorem renovaret immoderatum.

Adde, conjugem dum relinquitur, morte præmatura erepta sibi comparte, inde moneri quod etiam mortalis sit, & morti se debeat præparare; ita ut mors alterius sit quasi quædam vox Dei excitans mentem ad contemnenda hæc caduca, & ad mortis propriæ cogitationem, immortalitatisque futuræ considerationem instigans: in qua jam degit fortè beatus qui præcessit, & promovet apud Deum salutem conjugis à quo recessit, ut in eundem tandem adducat locum, ubi æterno copulentur amore.

Appendo hic epistolam hac de re tractantem, & tres rationes jam dictas nervosè declarantem, quam ad fratrem Jurisconsultum, dilectissimo sibi conjuge recenter viduatum, & in luctu agentem solatii gratia destinavi.

Fraternus affectus literas à me prolixioris consolationis exigere videretur, nisi mihi persuaderem, te non adeo animo tepentem esse & dejectum, quin illum noveris erigere ad divinæ voluntatis beneplacitum, quo omnis emanat afflictio, sapienter ordinata ad salutem illius cui infligitur. Novit enim Deus ut medicus sapiens suaviora amaritudine aspergere, & licet cum fastidio ægri, ad salutem tamen ægri. Sic alternantibus sæculi malis, inter casus asperos, per charorum mortem vult nos erudite, ut scilicet agnoscamus in manu ejus esse vitam

Ps. 30. 16. & necem, dicente Propheta: *In manibus tuis sortes meæ & tempora mea.* Vult etiam docere, nos nihil hic possidere, nec vitam nec uxorem, nec filios, nec quidlibet earum, nisi velut depositum, aut accep-

ceptum precario vel commodato brevi repetendum; ne nimium inhæreamus, sed à perituris ad æterna, ubi possessio nostra firma erit, retorqueamus animum & affectum. Unde monet Apost. *Reliquum est, ut qui habent uxores tanquam non habentes sint,* 1. Cor. 7. 29. *& qui flent tanquam non flentes, & qui gaudent tanquam non gaudentes, & qui utuntur hoc mundo tanquam non utentes. Præterit enim figura hujus mundi.* Satis id clare intueri tibi datur, si oculos habes, & si hactenus non videris, jam tandem intuere, aperi illos sciasque magis perspicaces esse debere, ex eo tempore quo felle illiti sunt, & afflictionis collyrio junctî: *Fel valet ad ungendos oculos, in quibus fuerit albugo, & sanabuntur*, inquit Angelus Tobiæ. Sic tibi deserviet hæc fellis amaritudo, ut clarius videas, & perspicacius intuearis æterna, ad quæ contendendum est directo itinere, à latere respiciendo & despiciendo quæcumque in orbe sunt. His haud debet cor affligi aut immorari, sed erigi decet, & evolare ad illum, qui fecit illud. Itaque age gratias Deo, etiam de hac tibi immissa afflictione, & dic cum Propheta: *Tribulationem & dolorem inveni, & nomen Domini invocavi.* Sit tibi stimulus & calcar excitans ad se, & absit à te, ut ullatenus recalcitres. *Durum enim esset tibi contra stimulum calcitrare.* Nec id debet agere, quisquis rectus est corde. Rectus hic est, teste Divo Gregorio, *qui adversis non frangitur, qui ad temporalia non inclinatur, qui ad superiora totus erigitur, qui divinæ voluntati totus subjicitur.* Age divinæ bonitati gratias, quod hactenus usus fueris conjuge, tanquam re ad ipsum spectante, & ab illo tibi commodata. Imitare vocem illam eadem Job inter decem cadavera liberorum stantis, & libero ac constante animo dicentis: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* Sed & ad hoc nitere, ut cum qua tot annis pacificè demoratus es in terris, tandem possis æternum vivere & perennare in cœlis, quando perfectius erit cor unum & anima una. Noverisque te Dei dono ex illa per sacrum connubium liberos suscepisse, ut Dei cooperator existeres, & animas multiplicares quibus cœlum impleatur, & angelicæ instaurentur ruinæ. Jam aliquas Deo præmisisti in tenera ætate defunctas proles, cura ut reliquæ Deo educentur, & non tam in sæculi vanitate, quam in Dei timore & vera pietate instituantur. Interim ego tui memor ero rem divinam faciens, & sacro appropinquans altari, ut Spiritus ille bonus, qui deducit nos in terram, rectâ inspiret tibi, quod rectum est, & saluti tuæ proficuum. Tu etiam noli tibi hac in re deesse, in sacrificiis divinis frequentior quam soles esse, quia scriptum est *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo ostendam illi salutare Dei*

Rectus corde quis dicatur. Greg. in 1. c. Job.

Digitized by Google

Propositio II.

Per mortem conjugis manet libertas alteri aliarum nuptiarum.

1. Cor. 7. 39. Hæc est definitio Apost. *Mulier alligata est legi, quamdiu vir ejus vivit: si autem dormierit vir ejus, liberata est à lege viri, cui vult nubat, tantum in Domino; beatior autem erit, si sic permanserit, secundum consilium meum: puto autem quod & ego spiritum Dei habeam.*

Hinc sequitur primò, *posse conjugem relictum transire non solum ad secundas, sed etiam ad tertias, & quartas nuptias.* Nec enim id prohibet Ecclesia, licet Incontinentiæ notentur Bigami, & à sacris ministeriis arceantur: eo quod illis desit perfecta significatio illius sacri matrimonii, quod est inter Christum & Ecclesiam, quod est unicum, habens unionem perfectam unius cum una.

1. *Ad alias nuptias transeundi* 2. *Ad viduitatem.* Brev. Eccles. Leodiens. 24. oct. & Io. Roberti in notis ad vitam S. Huberti num. 25. Molan. Sigebertus a. 711.

Sequitur secundò *posse manere in statu viduitatis, vel liberè, vel adjuncto voto simplicis continentiæ:* Talium plura in sacris historiis occurrunt exempla. Inter historias Leodiensis Ecclesiæ, celebris est S. Oda, quæ traditur fuisse amita S Huberti, Ducis Aquitaniæ uxor: quæ cum Huberto ad Sanctum Lambertum Tongerensem Episcopum mortuo marito Christianæ perfectionis desiderio venit Atque ita ejusdem monitis, divitiarum & sæculi fastu contempto, Hubertus arctioris vitæ statum init: Oda vero ad consummandum sanctæ viduitatis cœptum certamen viriliter accincta pollicitiones suas amplissimas in usus pauperum abundanter erogare cœpit. Pietatis igitur & misericordiæ operibus totam se addicens, variis locis Xenodochia & Ecclesias construxit, Deoque ibi famulantibus de vitæ necessariis sedula providit. Ac singulariter in suo prædio Amanii prope Huum, ubi in sancto viduitatis proposito perseveranter Deo ejus Sacerdotibus, & sacris Ecclesiæ ministris, pauperibus, peregrinis, cæterisque miserabilibus personis serviens, fœliciter quievit, ac honorificè sepulta est De qua & memoriæ proditur, ipsam semel, deficiente prorsus domestica provisione, qua familiæ & peregrinis subveniret, ad orationem recurrisse; & eo peracta, Dominum ipsum cœlorum in specie pauperis adventantis excepisse, atque illic non solum cunctis superabundasse, sed & ab eo se demum proficente, bonorum æternorum protemporalibus repromissionem accepisse. Cujus corporis reliquias S Floribertus Leodiensis Episcopus, ipsius miraculis permotus, ad altare sacrum sublimavit Ita Breviarium Ecclesiæ Leodiensis 24 Octobr.

Ribadeneira 19. Novem

2. Celebris est etiam S Elisabeth Filia Regis Hungariæ, quæ mortuo marito adhuc juvencula castam & operibus misericordiæ eximiam viduitatem transegit, in pauperum & ægrorum cura Vide Ribadeneiram, & alios 19. Novembr. Vide & de S. Monica 4. Maii. Surium.

3. Celebris quoque est apud S. Chrysost. Ep. 5. Olympias quæ mortuo Nebridio marito, Urbis Constantinopolitanæ Præfecto, post secundum conjugii annum respuit conjugium etiam nobilissimi, à quo urgebatur ab Imperatore, illi sic respondens: *Imperator meus si voluisset me vitam transigere cum marito quopiam, utique non ademisset primum: nunc eum adimens, matrimonii molestiis me extricavit, & suave continentiæ jugum mihi imposuit, mentique meæ indidit.* Quare se totam addixit ministeriis templi, eleemosynis, & piis operibus. S. Chrys. Ep. 5.

4 Celebris etiam est apud Hieronymum S. Marcella Romana, quæ septimo mense post nuptias, viro nobilissimo est orbata. Cumque Consul Romanus Cerealis, ob nobilitatem & decorem corporis ac morum eam ambiret in uxorem grandior jam ætate, & suas omnes in eam transfundere vellet divitias: Albina mater idipsum appetebat, tanquam viduatæ domus præclarum præsidium. At illa respondit: *Si velle nubere, & non æterna me cupere pudicitiæ dedicare, utique maritum quærerem, non hæreditatem.* Cumque alle diceret, *posse & senes diu vivere, & juvenes cito mori*, eleganter lusit dicens: *Juvenis quidem potest citò mori, sed senex diu vivere non potest.* Ita Hieronymus in Epitaphio Marcellæ: apud quem etiam celebrantur, S. Paula Rom Blesilla, Melania, vidua quarum vitam scripsit. Hieron.

3. *Ad viduitatem ad Religionem.* Sequitur tertiò, *conjugem relictam posse transire ad Religionem.* Unde multæ sunt celebres viduæ, quæ post thorum maritalem in statu Religionis sancte vixerunt Sic in Ordine Carmelitidarum celebris est quidam Soror Maria de Incarnatione, quæ post conjugium Religioni illi se addixit; ac in Gallia ejus initia fecit Crebris etiam S Brigitta vidua, in Regno Sueciæ, Ordinis sancti Fundatrix. Item & S Cunegundis, Henrici II Imperatoris vidua, de qua egi suprà. Hæ omnes imitatrices fuere Judithæ veteris Testamento, quæ clausa morabatur in conclavi & oratorio secreto, agens in cilicio & jejunio: & Annæ Viduæ in novo Testamento Luc 2 *Cujus diversorium erat in templo, colloquium imprecatio, vita in jejunio*, inquit Ambrosius. Maria de Incarn. Judith 9. 1. Luc. 2. 37. Ambr.

Celebris etiam hac in re fuit S Galla Consulis Rom. Filia, de qua S. Gregorius & Fulgentius epist. ad Gallam Hæc primo anno orbata marito, ab omnibus urgebatur ad secundas nuptias, asserentibus medicis nisi nuberet, eam ob igneam complexionem barbam habituram, quod & factum est. Illa constans in viduitate permansit, nec hanc exteriùs deformitatem timuit, quæ interiùs cœlestis Sponsi speciem amavit Mox ergo abjecto sæculari habitu, in Monasterio juxta Ecclesiam S Petri, Dei obsequio se mancipavit, multis annis simplicitati cordis & orationi dedita. Cumque Deus mercedem ejus laboribus reddere decrevisset, cancri ulcere in mamilla est percussa. Nocte autem ad lectum ejus duæ lampades lucere consueverat, quia amica S. Greg. l. 4 dial. c. 13. & B. Fulgent.

Digitized by Google

amica lucis non solùm spirituales, sed & corporales oderat tenebras. Apparuit verò ei B. Petrus nocte inter lampades, quem agnoscentes cum fiducia interrogat: *Quid est Domine mi? dimissane mihi peccata mea?* Cui benigno vultu annuit, dicens: *Dimissa, veni.* At illa quandam Sanctimonialem ibidem diligens subjunxit: *Rogavit soror Benedicta mecum venias.* Respondit ipse: *Non, sed talis veniat tecum, hac verò quam tertia, die 30. est secutura.* His expletis, accivit matrem Congregationis, & cuncta ei indicat. Tertia ergo die, cum sorore altera est defuncta, & trigesimo post die soror Benedicta. Hæc ex S. Gregor.

4. Vir ad Sacerdotium, nisi sit bigamus.

Sequitur quarto, *Virum posse transire ad Sacerdotium, nisi sit bigamus.* Si enim matrimonio manente, ex consensu utriusque partis, vir potest Sacerdotium assumere, & mulier Religiosum statum; multo magis id potest fieri ab alterutra parte jam libera, idque sine dispensatione, nisi ut jam dixi, vir sit bigamus. tunc enim eget dispensatione ad Sacerdotium. Atque antiquitus non fuit insolitum, quosdam assumi ad Sacerdotium de statu matrimoniali imo & ad Episcopatum. Sic S. Salvianus, de quo suprà, S. Hilarius, & alii (qui passim occurrere possunt legentibus sacras historias) ad Ordinem Episcopalem de matrimonio sunt evecti. Addo hic quandoque Deum ordinare mortem conjugis proliumque, ut ad sublimiorem statum quosdam vocet disruptis vinculis. Hinc cuidam sacræ amicitiæ fœdere mihi conjuncto, cùm post thalamos conjugales, ad Cœlibatum & Sacerdotium (erepta sibi conjuge ac prole per mortem præmaturam) pertransiret, congratulari mihi visum fuit, & aptare ei Psalmum 22. per singulos versus, in hunc qui sequitur modum.

Non sine Numinis lumine factum reor, quod à thalamo ad sacrum Tabernaculum, à thoro ad Dei thronum, à nuptiis ascenderes ad Sacerdotium, Vellem in *Typho nostro Ioseph*, scypho sapientiæ, augurari posse, quid de te velit, talem mutationem faciens in te. Gratulor tibi animo calamoque, & dedico Psalmum Eucharisticum, sacræ pignus amicitiæ: quem per singulos versus tibi adaptatum, poteris in pondere Sanctuarii ponderare, tecumque sæpius considerare, nec hoc erit sine fructu. Sic orditur:

Gen 44. 46.

Psal. 22.1. *Dominus regit me & nihil mihi deerit:*
In loco pascuæ ibi me collocavit.

Dominus regit me, qui *Sortes hominum in Urna* Esth 9.26. *suæ providentiæ* sum temperat arbitrio. Quid ergo Col. 1.12. tibi proderit deesse? Ecce nunc tuam invertens sortem, *Dignum fecit in partem Sortis Sanctorum in lumine.* Et de conjugio ad cælibem vocans vitam, quasi de loco sterili ad uberiorem transtulit, *in loco pascuæ ibi te collocavit*, ubi possis & pasci & pascere. Cant. 1. 6. Quid est enim Cœlibatus, nisi pascuæ locus? Ibi Sponsus *pascit in meridie*: Ibi Agnus pascitur tota die. Quid est Cœlibatus, nisi *Hortus Conclusus* Sponsi? Ibi flores rosarum, Lilia convallium, Areolæ Aromatum. Quid est Cœlibatus, nisi ager fœcundus Dei? ibi castæ mentis deliciæ, *Aurei fruments, ubertas vini & olei.* Psal. 4. 8.

Super aquam Refectionis educavit me, animam meam convertit. Sacerdotii status quem eligis, habet *Aquas refectionis, aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio*, quibus reficitur animus, Rore cœli est circumfluus, habet rivos uberes. *Aqua salientis in vitam æternam.* Habet fluenta plenissima, juxta quæ residunt mentes candidæ, quasi *Columba lacte lotæ.* Cant. 5. 12. Tu esto de illis. *Deduxit me super semitas justitiæ, propter nomen suum.* Sunt in cœlibe vita, viæ spatiosæ, semitæ speciosæ. *Via pulchra, Semita pacifica:* per quas deducit Agnus, *ad vitæ fontes aquarum.* Multa ergo tibi fœlicitas, multa amœnitas; sed tamen non omnis securitas. Quare non omnis securitas? Quia latet coluber in via, *Cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retrò.* Vis clarius edisseram? Latet ibi satan, anguis in herba, dolos struens castitati, insidians calcaneo, ut is qui fœlicitèr graditur, retro cadat, & *cùm spiritu cœperit, carne consumetur.* Sed tu intrepidus dicas: *Nam etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala.* Quare non timebis? quia ipse tecum est, qui lux est in tenebris, Dux in periculis, ignis fulgidus in nocte, nubes roscida de die. Nunquid illo Duce, *super aspidem & Basiliscum ambulabis?* Nunquid sub ejus gradiens luce, omnia caliginosæ vitæ crimina, omnia lubricæ hujus vitæ discrimina evitabis?

Prov. 3. 17. Apoc 7. 17. Gen. 49. 17. Gal. 5. Exod. 13. 21. Psal 90. 13.

Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.

Aptè hoc tibi consonat. Mors enim præmatura & conjugis & prolis, quid aliud fuit, quàm virga castigans? Sed ex illa didicisti solium elicere, quasi *Oleum de saxo, mel de petra.* Didicisti enim verum esse, *Tempus est, ut qui habent uxores, tanquam non habentes sint, & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utentes.* Virga ergo ista non tam castigans fuit quàm erudiens te, non tam percutiens quàm excitans te, ut ad sublimioris vitæ genus oculos erigeres, & ad perfectionem Dei aspirares servitutem. Unde cœlestibus obtemperans monitis, in Sacerdotio totum te illi vovens, in ipso sæculo calcans sæculum, in ipso mundo nuntium remittens mundo. Jam ergo lætus Domino canis:

Deut. 32. 13. 1. Cor. 7. 29.

Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.

Quæ vincula? Proles vinculum, Conjux vinculum. Utrumque à te non tam separans, quàm avellens Deus; tua non tam dissolvit vincula, quàm disrupit. Avulsit à te quidquid poterat cor tuum cum ipso dividere, ut totum illi dicare possis & dicere:

In toto Cor De Meo eXqVIsIVI te.

Hunc versum anni quo Primitias offers, pro sacro monili cordi tuo appendo; ut moneat te semper ad illum tendere, qui centrum est cordis, cui sacris initiatus dixisti, *Dominus pars hæreditatis meæ.* Nonne agnoscis, quod *funes cecidérunt tibi in* Chronic. an. 1624.

Digitized by Google

praclaris ? Sed mundus id non agnoscet, nam cum
Ps.15. 5. divini luminis sequaris ductum, facilè pronuncia-
ibid.v.6. bit te seductum. Arguet hanc mutationem quasi professioni & talento tuo incongruam ; & eris scopus in quem jacula dirigent procaces linguæ. Attamen ; *Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.* Illius mensæ te ministrum memento, quæ fortitudinem dat contra omnes nobis adversantes. Dic ergo : *Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me.*

Ps.106.42. Ilia dabit tibi clypeum patientiæ, quo omnia lubricæ linguæ tela & elides & eludas. Sic tandem. *Iniquitas oppilabit os suum.* Sed & inter omnia adversa gaudens gaudebis in Domino, & dices cum sono epulantis : *impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quam præclarus est.*

Tu enim unctionis es particeps, Sacrorum Mysta inauguratus : particeps es olei odoriferi, à Christi capite, veri Aaronis *ad oram vestimenti ejus* Prov.9.1. *defluentis* : Dispensator es Calicis inebriantis sed Zach.9. vino illo quod *sapientia miscuit*, quod generat Pro- 17. phetas, consecrat Nazaræos, *germinat Virgines.* 1.Cor.4 2 Atnon Calix hic præclarus ? Sed *quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur*, solus enim ille intrabit in domum & gaudium Domini. Idcò Ps. 22. 6. ergo concludens cane : *Misericordia tua subsequetur me, ut inhabitem in domo Domini.*

Misericordia ejus præveniens, *prævenit te in benedictionibus dulcedinis*, concomitans deducet te, subsequens perducet, coronans introducet, ut pos- Ps.72 24. sis dicere : *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.* Deus cordis mei pars mea Deus in æternum. Sic opto. Sic voveo.

PROPOSITIO III.

Viduitas quæ dicitur matrimonio perfectior, amore continentiæ, & propter Deum suscepta debet.

DE illa nempe loquuntur sancti PP quando tot laudibus viduas extollunt, & statum earum. Alioqui si propter rationes quasdam humanas, sive politicas, & propter respectus quosdam sæculi, ab aliquibus vidualis status eligitur, tales habere possunt gloriam, sed non apud Deum. Exempla adducit D. Hieronymus de quibusdam Romanis Matronis, quæ ab antiquis Historicis laudantur ob repudiatas nuptias secundas.

S. Hier. t. 2. l. 1. adverf. Jovin. c. 27. *Pulchrum responsum Annæ viduæ.*

Anniam cum propinquus moneret, ut alteri viro nuberet : esse enim ei & rem, & ætatem integram, & faciem bonam : *Nequaquam*, inquit, *hoc faciam. Si enim bonum invenero, nolo timere ne perdam ; si malum, quid necesse est, post bonum, pessimum sustinere* ?

Martia, filia Catonis minor, cum quæreretur ab ea, cur post amissum maritum, denuo non nuberet ? Respondit : *Se non invenire virum qui se magis vellet, sed sua* ; nempè dives erat, sed deformis. Altera quædam respondit, mortuo viro se jam semimortuam, cùm fuerint una caro ; non convenire autem semimortuam nubere.

Audi, inquit S. Hieron. quid ex persona viduæ continentis ethnicus Poeta decantet l 4. æn. v. 28. S. Hieron. Epist. 9. ad Salvinam.

Ille meos primus qui me sibi junxit, amores
Abstulit, ille habeat secum servetque sepulchro.

Valeria Romana Messalarum soror, amisso Servio Viro, nulli volebat nubere : quæ rogata cur hoc faceret, respondit se virum secundum accipere non posse, quod vir suus non foret mortuus. *Quamdiu enim ego vivo, vivit vir meus in corde meo, alius defuncto, apud me vivit, vivitque semper.* Hæc ferè Hieron.

S. Greg. Nyssen to. 2. Epist. ad Olympiū ejus viā descript.

Sublimius respondit S. Macrina soror sancti Basilii, & Greg. Nyssæni. Hæc licet vovisset virginitatem, à Patre tamen cuidam juveni nobili desponsata & promissa fuit, mirè adamata ob pulchritudinem quam nullus Pictorum penicillo potuit perfectè exprimere. At illa, precibus assiduis à Deo impetravit, ut juvenis ille sponsus suus paulo post dies suos finiret. Iterum verò sollicitata ab altero, nuptias eidem ambiente. Respondit *non esse sibi licitum dissolvere matrimonium vel sponsalia nomine suo, per patrem prius contracta : quia nec sponsus suus inter mortuos sed inter vivos censendus foret : licet enim de hoc mundo exisset, accepisse tamen solum licentiam ab ipsa sub certa spe ac velut conditione ne simul se paulo post vivendi, & unitis cordibus perfectiori vitæ in Deo vivendi.* Dicebat ergo illa ; *Quandoquidem sponsus meus viator est & peregrinus ad tempus absens, & spem conceperim certam brevi eum invisendi, cur promissam illi fidem non servarem ? cur tam citò ejus oblivisceret, & inter mortuos eum computarem* ? Itaque inter viduas, quædam veræ viduæ suæ, quædam exteriori tantùm specie : Ideò Apost. Timoth. scribit. c. 5 *Honora viduas quæ verè viduæ sunt*, sive quæ conformem perfectioni statui suo vitam agunt. Divinum responsum S. Macrinæ. 1.Tim.5.3.

Primo quidem, ut verè sit vidua, requiritur, ut non solum sit corpore, sed & perfecto corde, resoluta ad conservandam inviolabiliter continentiam & castam viduitatem. Nam quæ iterum expectant occasionem mariti, corde non sunt viduæ, sed corpore. Quapropter consulit S. Augustinus, ut mulier se contineat in statu viduitatis per votum, quo corpus suum Deo offerat & castitatem ; ut sic omnes matrimonii tanquam jam sibi illiciti cogitationes, longè à se rejiciat postremam ætatis suæ partem Deo consecrans. Id tamen fiat, debet valde prudenter fieri & solidè idque præcedente examine sagaci constantiæ suæ, auxilioque Spiritus S. diuturnis precibus invocato. Est enim vita vidualis obnoxia ærumnis, cogitationibus, ac tentationibus, at facilè retrocedat à continentiæ proposito, nisi animus in Deo obfirmetur. Quapropter D. Amb. in lib. de viduis illas variis rationibus adhortatur ad resistendum fluctuantibus cogitationibus, in diversa eas rapientibus. *Verè vidua debet & corpore & corde castam viduitatem servare.* S. Aug. S. Amb. to. 4. l. de viduis.

1. O vi-

Digitized by Google

1. O vidua, si dicis & quereris te esse solam: Amat castitas solitudinem, sed & Christus in tua est sodalitate.

2. Si allegas te carere adjutore, aut mediatore, qui negotiorum tuorum curam gerat, aut apud Judices interveniat: Deus judex tuus erit, Advocatus & Mediator, legis suæ zelosus observator, qua præcepit pupilli & viduæ causam protegi.

3. Si dicis te exiguum habere patrimonium: continentia bonum patrimonium est, & hæreditas copiosa multa benedictione cumulata, secum vehens opes ad sufficientiam.

4. Si excusas te ratione prolium, allegans, sibi opus esse aliquo cooperante, ut educentur & instituantur. E contrà dum iterum nubis perdunt matrem: & quandoquidem hæredem habes, cur novis nuptiis novos quæris hæredes? Cur fraudas proles primi thori integro illo amore materno, quem eis debebas divisura illum non sine discordia in futuri thalami futuras proles! Quid est enim generare novam sobolem, nisi spoliare jam ex altero thoro generatam, & orbare eam multis pietatis maternæ officiis & solatiis.

5. Si dicis te non habere prolem, & ideò ambire nuptias, ne tibi desit semen & hæres. Unde scis non idem fore in secundo connubio ac in primo, Deo tibi sobolem denegante per sterilitatem, aut postea natas cripiente, idque fortè per asperiorem, quam antea afflictionem? His fere rationibus utitur S. Ambrosius, non quidem prohibens secundas nuptias, sed præferens viduitatis cœlestes opes.

1. *Renunciare secundis nuptiis ob majorem Dei cultū.*

Secundò, ut sit verè vidua, debet renunciare secundis nuptiis pura & simplici intentione ut possit perfectius divino obsequio se mancipare, & majori cum puritate affectus suos Christo dicare, & in Deum profundere, illique cor suum ex integro unire. Nam, si viduitatis statum amplectatur, ut liberior sit, quia jam marito subjici non oporteat, aut matrimonialis servitutis jugo premi, vel etiam ut relinquat filios suos divites, ob aliosve respectus humanos: talis apud Deum laudem veræ viduitatis non consequitur; quia non propter Deum purè illam amplectitur, nec spem solum figit in Deo, sed & in sæculo. Intelligat ergo verè vidua, se in Deo ita purè amorem debere constituere, sicut sponsa in sponso. Ipse est enim Vir & Maritus viduarum, Protector & Consolator earum: Ipse speciali intuitu earum lachrymas respicit, nec despicit, dicente Eccles. c. 35.

Eccl. 35. 18 *Nonne lachryma viduæ ad maxillas descendunt, & exclamatio ejus super deducentem eas. Ascendunt usque ad cœlum, & Dominus exaudiet deprecationem illius.*

3. *Addicta sit orationi & piis operibus.*

Tertiò, quæ verè vidua est, orationibus & piis operibus sese ex professo addicit, dicente Apostolo ad Timoth 5. *Quæ autem verè vidua est & desolata, speret in Deum, & instet orationibus, & obsecrationibus nocte ac die.* Nempè Christus volens earum esse Consolator, Pater, & Maritus, orationem instituit tanquam medium, per quod vult familiariter cum eis conversari, tanquam remedium, quo earum desolationi & infirmitati vult provisum Quapropter Augustinus scribens ad viduam nomine Probam, monet, ut vincat hoc sæculum assidua oratione, ut oret cum spe, ut oret cum instantia & compunctione, ut oret tanquam vidua Jesu Christi. Quia licet oratio ad omnia Christi membra spectet, potissimum tamen viduis commendatur, quæ aspirare debent ad faciem Jesu Christi Mariti sui & Protectoris, quem necdum vident præsentem in specie, intuentur tamen in spe, & ejus opem experiuntur certa fide. Exemplum eis sit Judith in suo clausa Oratorio cor effundens ad Dominum, & Anna in templo orationi instans, & expectans Christum redemptionem Israel, quem cùm oculis fidei ac spei jam diu intuita fuisset, tandem meruit & oculis corporis cernere, & brachiis pietatis amplecti, & lachrymis devotionis faciem ejus rigare. Denique, paulò post vinculis exsoluta corporeis, ac dimissa in pace, divinitatis ejus speciem lympidè contueri potuit in Christi resurrectione, ab illo cum aliis Sanctis educta de captivitate. 1. Tim. 5. 5. S. Aug. ep. ad Probā. Judith. 8. 5. & c. 9. v. 1. Luc. 2. 37.

4. *A sæculi vanitate se subtrahat, aliis exemplo & speculo virtutum. Vidua ornamenta.*

Quarto, ut verè sit vidua, debet quantum fieri potest, à sæculi vanitatibus se subtrahere, ut sit aliis exemplum modestiæ, & speculum virtutis omnigenæ. Debet enim sancta non solùm spiritu & corpore, sed & exteriori conversatione exemplaris esse. Quapropter nitor & simplicitas, tanquam duplex ornamentum elucent in ejus veste, humilitas & charitas in conversatione, honestas & affabilitas in actione & voce, modesta & pudica etiam in oculis ac externa facie, & amor Jesu Christi crucifixi interius in corde. Unde etiam tria vitia his adversa debet fugere, otiositatem, curiositatem, loquacitatem. De quibus Apostolus ad Tim. 5. *Otiosæ discunt circuire domos, & non solùm otiosæ, sed & verbosæ & curiosæ, loquentes quæ non oportet.* Nempè hæc sunt vitia viduarum, quæ viduæ non sunt, vitia fœminco sexui agnata. Non enim paucæ sunt in civitatibus, quæ otio assuetæ, & laboris inimicæ fabulis solùm vacant, ac risu oblectantur: Et ut occasionem nanciscantur, pio titulo visitationis charitativæ de domo in domum discurrentes, maximam diei partem otio & fabulis conterunt: imò vix adhuc orta luce, quas domos obire debeant visitando, mente revolvunt. Interim, linguosæ sunt & loquaces, varia inutilia comminiscentes, & colloquiis quæ seria esse videntur, commiscentes. Sunt etiam & ipsæ curiosæ, quid in aliorum domibus fiat, explorantes, & quæ rumore volatili feruntur investigantes. Denique etiam loquuntur quæ non oportet ex suspicione & judicio temerario, quæ in animo gerunt statim profundentes, evomentes etiam quæ famæ, aut honori proximi maculam valent affricare. Interim volunt 2. Tim. 5. 13.

Digitized by Google

videri tanquam viduæ religiosæ & piæ, quia templa quandoque frequentant & Sacramenta, aliaque exteriora opera in conspectu hominum speciosa exhibent. Sed non attendunt illud D. Jacobi c. 1. *Si quis autem putat se Religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est Religio. Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est, visitare pupillas & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* Non etiam attendunt Apostoli monita viduas concernentia Timotheo insinuata, qui quinque dotes videtur in vidua requirere.

Jac. 1. 26.

Quinque dotes viduarum.

Prima est, filios & domum pie regere, ac in pietate imbuere. Parentesque colere, & mutuam eis vicem reddere si adhuc vivant, eis ministrando, alendo, opitulando; sicut enim ab illis à puero alita fuit & educata, ita imitari debet Ciconiarum in parentes reciprocam pietatem. Si verò sint defuncti parentes, reddat eis vicem in filiis & nepotibus; ipsis illam curam impendat, quam parentibus impendisset. *Secunda* est, mortuo marito sperare in Deum, & instare orationi prout jam dixi. *Tertia* est, fugere delicias. *Nam quæ in deliciis est, vivens mortua est*, inquit Apostolus, hoc est, licet corpore vivat, spiritu non vivit; atque ita vivens non vivit, quia vitam corporis obruit animæ morte. Immodicis enim deliciis & gulositate ratio obruitur, & fit, ut in corpore tanquam in aliquo sepulchro jaceat. Exemplum viduis sit Judith, tantum facinus oratione & jejunio nobilis vidua perfecit, obtruncavit tanti agminis Ducem, & insperatam populo Dei reddidit libertatem. Tantum potuit humilis castitas, cujus mater fuit sobrietas. *Quarta* est, ut sint irreprehensibiles, hoc enim expresse dicit Apostolus: *Præcipue ut irreprehensibiles sint*, in conversatione scilicet, in verbo, in incessu, in actione. *Quinta* est, piis operibus se addicere, maximè hospitalitatis & misericordiæ.

I.

2.

3.

4.

5.

Has omnes dotes in Matre sua Monica agnoscit Augustinus l. 9. confess. ubi dicit: *Fuerat unius viri uxor, mutuam vicem parentibus reddiderat, domum suam piè tractaverat, in operibus bonis testimonium habebat; nutrierat filios, toties eos parturiens, quoties abs te deviare cernebat. Postremò nobis Domine omnibus, qui ex munere tuo ante dormitionem ejus in te jam consociati vivebamus, perceptâ gratiâ baptismatis tui, ita curam impendit, quasi omnes genuisset, ita servivit, quasi ab omnibus genita fuisset.*

Aug. l. 9. conf. c. 9. num. 5.

* * *

RESOLVTIONES
QUÆSTIONUM ET CASUUM PASTORALIUM
CIRCA MATRIMONII SACRAMENTUM.

CAPUT I.

DE *DENUNCIATIONIBUS.*

QUARRO PRIMO. *Quot Denunciationes, & quando sint faciendæ?* Respondet Tridentinum, *tres denunciationes à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festivis, in Ecclesia, inter Missarum solemnia publicè faciendas.* Hic autem aliqua notanda.

Q. 1. De Matrimonii denunciationibus.

Trid. sess. 24. de reformat. Matrim. c. 1

Rebell.

PRIMO, peccati mortaliter, si illæ omittantur, quia præceptum est de re gravi: putat tamen Rebellus cum quibusdam non esse mortale unam omittere, quando mortaliter certum est nullum esse impedimentum. Quod esse probabile existimant alii.

SECUNDO, quando esset aperta & gravis necessitas contrahendi sine proclamationibus, nec posset Episcopus adiri; Posset tunc illis non præmissis Parochus matrimonio assistere quia cum illæ non sint de essentia matrimonii, sed tantùm ex præcepto Ecclesiæ, in tali casu necessitatis, quando scilicet imminet grave damnum, præceptum illud non obligat. Exempli gratia: si quis in periculo mortis cum concubina vult contrahere, ut legitimet prolem.

Casus huc spectans paucis ab hinc diebus occurrit. Quidam miles juvenculam quandam post fornicationem in uxorem cupit ducere: imò & de facto cum ea sponsalia jurat: deinde accedit Parochum puellæ, coram illo matrimonium cupiens contrahere, sed sine denunciationibus, sibi enim ad castra redeundum citò esse asserit: vultque deserere puellam jam sibi affidatam, potiùs quam expectare tempus denunciationum. Quærebatur an Parochus posset assistere talium matrimonio; ut consulat huic puellæ, quæ relinquenda est ab illo: vel in fornicationis statu cum illo permansura? Respondi, cùm Episcopus facilè adiri non posset ad dispensandum, & moraliter esset certus Parochus nullum subesse impedimentum (de qua re etiam consulebam juramentum peti à contrahentibus) potuisse in foro conscientiæ assistere, & hanc esse sufficientem causam, bonum animæ utriusque. Non tamen excuso contrahentes, si fictio intercedat festinationis, ad evitandas denunciationes. Posset tamen & in illis etiam excusatio esse à mortali ex aliqua ignorantia, quia fortè non putent

Digitized by Google

sent has denunciationes esse præcepti rigorosi, sed cujusdam solum solemnitatis, quam omittendi existimant se habere ob pudorem justam aliquam causam, ideoque non esse hic fraudem in re gravi.

TERTIO, adverte quosdam existimare, quando timetur probabiliter matrimonium malitiosè impediendum si præmittantur proclamationes, sola tunc auctoritate Parochi posse ante eas contrahi; si modo proclamationes fiant antequam matrimonium consummetur. Et hoc habet fundamentum in Trident sess. 24 c. 1. ubi dicit: *Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiosè impediri posse, si tot præcesserint denunciationes; tunc vel una tantum denunciatio fiat, vel saltem Parocho; & duobus, vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denunciationes in Ecclesia fiant; ut, si aliqua subsint impedimenta facilius detegantur.*

QUARTO, non censetur mortale, si contingat sine fraude interpellari denunciationes, ita ut non fiant continuis festivis diebus, modo non diu intermittantur. Imò nec veniale erit, si ex inadvertentia intermittatur aliquis festivus dies, aut ex aliqua causa. Adde, si tres dies festivi statim sese mutuo subsequantur, magis haberi finem intentum per Tridentinum, si non continuis illis festis denunciationes omnes fiant, sed expectetur, donec intercedant alii feriales, ut possint impedimenta detegi. Hoc tamen etiam non est præcepti.

QUINTO, debent fieri in Ecclesia, in Missa, ita a Trid. Quorumdam tamen eorum etiam consuetudo obtinuit, ut in Concione extra Missam, si ad eam confluat ordinariè populus, possint fieri. Imò & in his partibus non sit scrupulus, si aliqua ex denunciationibus in Vesperis fiat, ad quas major pars populi concurrit, maximè si omissa fuerit in Missa inadvertenter, vel etiam quia nondum fuerat intimata voluntas contrahentium, vel alia ex causa. Atque in his omnibus habetur finis intentus per Tridentinum, quo scilicet majori parti Parochiæ innotescat Matrimonium.

An verò eodem die quo tertia denuntiatio fit, jungi possint matrimonio, vide consuetudinem. Alicubi id prohibetur, alibi proclamatis bannis in Missa, non sit scrupulus, si in vesperis conjungantur. In diœcesi nostra id aliquando puto fieri; nec prohibitionem reperio in Parochiali aut Synodo. Prohibetur vero eodem die conjungi, si unica solum fiat proclamatio, remissis aliis per Rubrum sigillum. Voluit tamen Anton Albergatus Nuncius Apost. in decretis Visitationis id etiam non fieri in tertia die proclamationis sine licentia Episcopi, sed non puto usu receptum, nec solere peti licentiam etiam in ipsa urbe Leodiensi.

Q. 2. Quibus festis debeant fieri Denunciationes.

QUÆRO SECUNDO. *Quid intelligatur nomine dies festi?* R. intelligi festos ex præcepto & consuetudine, vel etiam ex devotione, etiamsi non fervetur festus dies, nisi usque ad meridiem, inquit Possevinus. Rationem dat, quia ubi Concilium non distinguit, nec nos distinguere debemus, & in omnibus salvatur mens Concilii, quæ est ut denunciationes fiant tempore quo audiantur à populo, his autem diebus populus confluit ad Ecclesiam. Addit doctissimos Romæ consultos sic respondisse.

Q. 3. Post denunciationes quàm diu differri possit matrimonium.

QUÆRO TERTIO. *An matrimonium post denunciationes statim sit celebrandum, aut si diu differatur, iterum sint denunciationes faciendæ?* Resp. esse quandam declarationem Congregationis Cardinalium, qua approbavit decretum Concilii Ravennatis 2. quod hi, qui peractis denunciationibus intra quatuor menses non contraxerint, non possint contrahere, nisi iterum peractis denunciationibus, arbitrio tamen Episcopi. In Diœcesi nostra cùm sponsalia contrahunt in facie Ecclesiæ, jurant se ante quadragesimam diem matrimonium celebraturos.

Q. 4. A quo Parocho fieri debeant denunciationes.

QUÆRO QUARTO. *A quo debeant fieri denunciationes?* Resp. à proprio contrahentium Parocho. Ita enim exprimit Trid. Quando vero contrahentes sunt ex diversis Parochiis, proclamationes debent fieri in utraque. Sed quæres, *quis sit proprius contrahentium Parochus?* Respondet Congregatio Concilii, illum esse hic proprium Parochum, in cujus Parochia contrahentes habitant, quotempore matrimonium contrahunt. Unde, quod Sanchez ait deberi fieri in Parochia, in qua diutissimè habitarunt, non est necessarium. Imò nec aliquando convenit, cùm enim aliqui jam diu antiquas Parochias deseruerunt, non censentur amplius qui ibi sunt Pastores, horum Parochi, nec quantum ad Sacramentum pœnitentiæ, aut Eucharistiæ, nec quantum ad matrimonium, aut alia Sacramenta, igitur nec etiam quoad denunciationes. Ergo generaliter, Parochus qui censetur proprius Sacerdos quoad effectum Confessionis annuæ & Communionis Paschalis, censetur etiam pro administratione matrimonii, & consequenter pro denunciationibus faciendis: Prudens tamen Parochus si dubitet de aliquo impedimento, exiget testimonium à Pastoribus illius loci à quo hic conjungendus recessit. Hinc patet quid dicendum de famulis & ancillis, quæ modo in uno loco habitant per unum annum aut alterum, modo in altero loco per simile spatium, & sic frequenter mutant; quæritur pro illis, in quo loco denunciationes faciendæ sint? Resp. aliqui, in loco originis, sed id non est necessarium. Possunt enim fieri in loco, in quo contrahunt, si ibi fixerint domicilium, & maximè si per majorem partem anni commorati fuerint, & animo illic commorandi venerint. Sicut enim quantum ad confessionem & Communionem Paschalem, sunt illius Parochiæ, in qua jam degunt: ita & quantum ad matrimonium, ac ejus denunciationes. Non nego tamen, si non sint satis noti, oportere diligentiam adhibere, ut testimonia afferant de loco in quo diutius morati sunt; vel in quo magis noti esse possunt.

Unde

Digitized by Google

Unde in Namurcensi Synodo, tit. 6 cap. 17. rebè sic ordinatur: *Parochi extraneos in Parochiis suis commorantes, nonnisi visis Ordinariorum aut Parochorum suorum litteris quod soluti sint fidem facientibus matrimonio jungant. Quod si eos ob nimiam distantiam habere non possint, juramentum ab eis exigant, quod nullum norint impedimentum.*

Q. 5 An Episcopus possit dispensare in denuntiationibus.

Quæro Quinto, *An Episcopus possit dispensare in omnibus denunciationibus pro arbitrio?* Respondeo, cùm Tridentinum relinquat hæc non liberæ voluntati; sed prudentiæ Episcopi, censent Theologi requiri justam causam: justæ autem causæ multæ sunt, & aliquæ specificantur apud Sanchez & Filiucium. Miror verò cùm tam multæ sint, cur unica tantum exprimatur, in omnibus remissionibus bannorum quæ fiunt per Rubrum, ut vocant, sigillum, in hac Diœcesi. Semper enim exprimitur pro causa, quod sit suspicio probabilis, malitiosè matrimonium illud, pro quo petitur proclamationum remissio impeditum iri; cùm nec hoc ita se habeat plerumque, nec id narrent patres, aut impetrantes; imò nec de ea re cogitent. Et quidem non est meum de illis quæ Superiores concernunt, inquirere. Non erit tamen absque, si forte noverint Pastoribus aliquibus per id non satisfieri. Unde quidam hac in re scrupulosior, quærebat à me, an tutò posset tali dispensatione, vel impetratione uti, cùm contineret falsam narrationem & causam. Respondi vero ei non debere inquietum esse ea de re, cum sit stylus ordinarius; & licet aliæ adsint, vel narratæ sint causæ, non propterea stylum ordinarium mutari per Notarium. Adverte quando duo diversæ Diœcesis contrahunt, sufficere relaxationem bannorum ab illò Episcopo in cujus contrahitur Diœcesi.

Q. 6. Impedimentū occultum an quis teneatur aperire.

Quæro Sexto. *An teneatur quis aperire impedimentum factus denunciationibus, quamvis sit occultum?* Respond. affirmativè. Et ratio est, quia major est ratio habenda salutis proximi, quam famæ: Et quia quilibet tenetur, Superiore præcipiente, detegere peccatum inferens damnum tertio. Et quamvis non possit probari, nihil refert, quia non tendit hæc denunciatio ad punitionem criminis admissi, sed ad impediendum, ne admittatur. Sed quid si quis acceperit sub secreto, & juraverit secretum tenere. Resp. non teneri tunc juramento; quia lex de vitando animæ periculo, vincit legem de juramento, & de servando naturali secreto. Si tamen ex sacramentali confessione sciret, non potest aperire. Item multi putant non teneri denunciare, si sine gravissimo suo incommodo non possit, aut sine magno etiam scandalo; quia tunc nec correptio fraterna obligaret, nec præceptum Superioris. Quod si impedimentum conjunctum esset cum infamia, & illud tantùm quis audisset à personis fide indignis, aut incertis, non tenetur aperire, quia tum foret inefficax; consultum tamen esset monere contrahentes, si commodè fieri potest, & speratur fructus.

Q. 7. An denunciationes præmittendæ sponsalibus.

Quæro Septimo, *An ante denunciationes debeant præcedere sponsalia?* Resp. multis in locis non fieri denunciationes, nisi prius sponsalia coram Parocho in facie Ecclesiæ contraxerint. Id vero non esse necesse patet ex praxi aliorum etiam multorum locorum, ubi sufficit consensus utriusque partis parocho intimatus, sine sponsalibus saltem publicis; & hoc in usu est in his partibus. Permittitur vero libertati contrahentium, si sponsalia prius contrahere voluerint. Si in aliquibus Diœcesibus statutum sit de præmittendis sponsalibus ante denunciationes, observetur.

Q. 8. De fornicatione cum alio, post sponsalia.

Quæro Octavo. *An post sponsalia contracta si alteruter fornicetur cum alio, sit circumstantia necessariò in confessione explicanda?* Respondet Sanchez cum quibusdam aliis ex parte sponsi non esse confitendam, quia licet videatur circumstantia specialis, ea tamen injuria quæ fit sponsæ, reputatur arbitrio prudentum levis, ideoque non excedit culpam venialem. De hoc tamen ego dubitarem. Quando se tenet ex parte fœminæ, ut quando quis fornicatur cum sponsa alterius de futuro, est confitenda, quia est duplex malitia, una fornicationis, altera fidei datæ in sponsalibus. Nam licet per sponsalia non acquiratur jus in copulam; acquiritur tamen jus in corpus alterius, quod violatur per fornicationem, ideoque irrogatur maxima sponso injuria.

De peccatis sponsorum de futuro.

Adverte etiam hic, inter sponsos de futuro non esse peccata mortalia nisi tactus ex se impudicos? Unde eis licent oscula, amplexus, attactus faciei & manuum, & similia quæ non involvunt aliquam impudicitiam. Cùm enim habeant inchoatum quodam jus ad matrimonium, quatenus sponsalia sunt dispositio ad illud, ideo etiam illis permittuntur illa quæ sunt solum dispositio & præparatio ad fovendum affectum, licet adjungatur voluptas aliqua remota & præambula voluptati matrimonii. Quod tamen intelligendum venit, si cautela adhibeatur, ne contingat pollutio, nec periculum probabile illius, ut periculum consensus ulterioris in copulam, aut impudicitiam.

Adverte secundò, sponsos non posse se oblectare imaginatione copulæ futuræ, eam tanquam præsentem fingendo: quia opus & corporis immutatio, quæ inde sequitur, est illis illicita in eo statu, & ideò etiam illicita voluptas inde proximè resultans. Si tamen apprehendant solùm ut futuram, possunt de ea gaudere. Hoc enim non est aliud quam gaudere de spe boni futuri, quæ spes est præsens & licita.

***

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT II.

DE PRÆSENTIA PAROCHI & Testium.

Q.1. Sitne de essentia Matrimonij, Parochi & testium præsentia?

QUAERO PRIMO. *An sit de essentia Matrimonij ut Parochus interfit?* R. esse, in locis ubi Concilium est publicatum, & receptum. Dico PUBLICATUM, quia hoc requirit ipsum Concilium, ut decretum hoc in singulis locis publicetur; & post triginta dies à publicatione, robur habet. Dico etiam RECEPTUM; quia publicatum, sed non receptum, saltem quando decem anni transierunt, non obligat, inquit Filiucius ex Navarro, Ledesma, Sanchio, & aliis.

Q.2. De Matrimoniis in locis hæreticorum.

QUAERO SECUNDO. *Quid de matrimoniis quæ contrahuntur in Regionibus subjectis tyrannidi hæreticorum?* R. si in Parochia ubi contractus fit, non fuerit publicatum, impedientibus hæreticis, valida esse matrimonia, quæ ibi etiam ab hæreticis contrahuntur sine Parocho & testibus. Respondeo 1. declaratum esse ab interpretibus, si in Parochia tali publicatum fuerit legitimè hoc decretum; irrita ibi esse conjugia, quæ sine Parocho aut testibus contrahuntur, sive ab hæreticis, sive à Catholicis. Posteà verò scripsit ex Urbe Cardinalis Bellarminus ad Nuncium Apostolicum Belgii, quod in Regionibus subjectis hæreticis, ubi Pastores proprii nulli sunt, quantumvis olim ibi publicatum fuerit Concilium, rata esse matrimonia etiam sine Parochi præsentia, eo quod satis constet decretum Concilii, quod jubet matrimonia fieri coram Parocho, non se extendere ad ea loca, ubi nulli sunt Parochi. Postremò tandem pro similibus difficultatibus, iterum à sacra Congregatione declaratum est, ut in locis quæ subjecta sunt hæreticis, si concilium ibi olim publicatum fuerit, irrita sint coniugia, quæ citra formam Concilii contrahuntur, quando ibi aliquis Parochus inveniri potest: si verò nulli ibi Parochi sint, (sub quibus comprehende Sacerdotes alios, qui de licentia Ordinarii matrimonio interesse possunt) vel sint quidem, sed adiri nequeant, rata sint etiam sine præsentia Parochi. Ita docuit publicè in Academia Lovaniensi Jacobus à Castro Theol. Doctor, & modò Episcopus Ruremundanus.

Q.3. De Matrimoniis, ubi Conc. Trid. non est receptum.

QUAERO TERTIO. *An valeat matrimonium, si incola locorum, ubi Concilium est publicatum, transeant ad Parochiam, ubi non est publicatum, & ibi clam contrahant, & statim redeant?* Resp. validum esse, quia hoc decretum sic obligat personas, ut tamen necessario respectus debeat haberi ad locum contractus: ideoque cùm contractus naturam loci sequatur, sive fraude, sive non, ad illum locum accesserint, validè contraxerunt; quia quod fuit necessarium in eo loco, adhibuerunt. E contrà, si hi qui locum incolunt, ubi non est publicatum Concilium, accedant ad alium locum, ubi publicatum est, & ibi contrahant sine Parocho, invalidum est matrimonium: quia deest solemnitas necessario & essentialiter requisita, ut in eo loco validus sit contractus. Unde licet peregrini divertentes ad alium locum per modum transitus vel hospitii, non autem animo ibi commorandi, non teneantur ordinariè ad leges hujus loci, tamen excepto solet fieri in contractu, in quo adhibenda est solemnitas requisita à lege loci illius ubi fit.

Casus iste novissimè hic contigit. Advenit Nobilis quidam cum puella Nobili, in nuptias cum eo consentiente. Et quia puellæ Avunculus impedimento erat, ne voto potirentur, è Gallia discedebant. Ibi autem non est publicatum hoc decretum Tridentini, & ideò coram quolibet Sacerdote contrahere ad validitatem sufficit. Sic ipsi, ut sine strepitu matrimonium inirent, & tamen in facie Ecclesiæ, adveniebant ad Ecclesiam Fratrum Minorum in Eremo nostra, adducentes secum Sacerdotem è Gallia, qui eos conjungeret, nec is tamen erat Parochus alterutrius partis, nec à Parocho ullo licentiam habens. Quærebat à me per litteras loci Guardianus, an non posset hac in re merè permissivè se habere, non interdicendo eis Ecclesiam suam? Respondi, Sacerdotem illum ac contrahentes in errore versari, & ideò monendos esse de nullitate contractus hujus matrimonialis: quandoquidem in eo loco contrahatur, ubi decretum Tridentini Concilii receptum est, quod afficit quascumque personas ibi contrahentes, etiam venientes de loco ubi decretum istud non est receptum: Contractus enim sequitur naturam & leges loci in quo fit, unde, si aliquid de essentia in illo loco requisitum omittatur, nullus est contractus, in hoc autem loco præsentia Parochi proprii partium contrahentium necessaria est, & ideo nullum fuisse matrimonium. Qua re intellecta recesserunt ad Parochiam vicinam quæ erat in Gallia, & ibi conjuncti sunt.

Q.4. Præsentia Parochi & testium simul, requiritur moralis.

QUAERO QUARTO. *Qualis præsentia Parochi & testium requiritur?* Resp. 1. non tantum præsentia physica, sed & morali ipsos adesse debere, ita ut appareat ipsos à contrahentibus adhibitos esse, & possint ea quæ geruntur cognoscere: quia si coram dormientibus, vel ebrietate omnino sepultis, vel aliàs usu rationis carentibus contraheretur, matrimonium foret invalidum. Resp. 2. testes cum Parocho simul debere concurrere? non enim sufficeret priùs coram Parocho, deinde coram testibus absente Parocho contrahere. Sufficiunt autem testes qualescumque qui usu rationis sufficienti polleant. Unde infames, excommunicati, consanguinei, servi, fœminæ, Religiosi, possunt hic esse testes. Est enim causa matrimonii favorabilis, & concurrunt cum alio fide digno nempè Parocho, cujus idoneitas supplet.

Q.5. De invitis.

QUAERO QUINTO. *Quid si Parochus vel testes invitis adsint, vel etiam per vim aut dolum adhibeantur?* Resp. valere matrimonium, ut declaravit Con-

Digitized by Google

vel aliter adducta resistant.

Congregatio. Nihil enim obstat, quod tanquam alia de causa vocati sint, atque inter convivandum (verbi gratia) coram illis res geratur etiam non præmonitis, modo tunc appareat, contrahentes ipsorum præsentiam requirere, possintque ea quæ geruntur cognoscere. Dico POSSUNT, quia si Parocho affectante, de facto non intellexerit, judicat Congregatio valori matrimonii non obstare. Itaque non est necessarium, ut Parochus matrimonio adsit tanquam ex intentione exhibendi suam præsentiam auctoritativam in persona Ecclesiæ, sed omnino sufficit quod præsens sit, & possit testari, appareatque quod ad illum actum adhibitus sit. Quod etiam juri conforme est, ex lege *coram Titio, de verborum significatione*, ubi dicitur: *Coram Titio aliquid facere jussus, non videtur præsente eo fecisse, nisi is intelligat scire, non autem is velle debet, nam invito eo rectè fit quod jussum est.*

Q. 6. De licentia assistendi matrimonio.

QUAERO SEXTO. *Utrum Parochus possit dare licentiam alteri, ad assistendum matrimonio?* Resp. affirmativè, ita ut validum sit matrimonium, etiamsi contra Episcopi prohibitionem, alteri licentiam dedisset, vel ipse interfuisse. Neque necessaria est licentia in scriptis, sed sufficit verbalis, etiamsi probari non possit: imò non requiritur, ut specificè ad matrimonium solemnizandum detur, sed sufficit generalis ad omnia Sacramenta administranda, sive ad exercenda in sua Parochia illa quæ pertinent ad curam animarum in sua absentia, ut solent Pastores committere dum absunt. Non sufficit autem tacita licentia ex ratihabitione vel tolerantia, ut declaravit Congregatio Cardinalium. Requiritur enim vel commissio generalis administrandi omnia Sacramenta, vel si hæc non adsit, expressa & specialis licentia.

Q. 7. De eadem.

QUAERO SEPTIMO. *An Sacellani qui hanc delegatam habent auctoritatem, possint alteri Sacerdoti eam committere?* Resp. non posse, nisi sint delegati ad universitatem causarum. Unde adverte, quod deservitor, qui ad tempus vel per Episcopum vel per Parochum constitutus est ad administrandam curam pastoralem, alium subdelegare possit ad hunc effectum, eo quod delegatus sit ad omnia negotia Pastoralia: & hæc est potestas talis delegati juxta communem sententiam Jurisperitorum. Vicarius autem Pastoris, qui simul cum ipso curam administrat, eo quod non censeatur delegatus ad universitatem causarum, alium sibi substituere non potest, multo minùs quilibet alius Sacerdos, quem fortè Parochus in aliquo negotio sibi adjutorem adhibuerit.

Q. 8. De Parocho assistente extra Parochiam suam.

QUAERO OCTAVO. *Quod si Parochus vel Sacerdos ab eo delegatus, assistat suo subdito extra Parochiam, an valeat matrimonium?* Resp. affirmativè, quia jurisdictio voluntaria, qualis est assistentia in matrimonio, potest exerceri extra Parochiam: cum nulla irrogetur injuria alteri judici, fiatque sine strepitu judicii. Sic etiam in confessione, potest absolvi subditus extra Parochiam.

Q. 9. De Parocho non Sacerdote.

QUAERO NONO. *An Parochus debeat esse Sacerdos?* Resp. non esse necesse, quamvis is quem delegat Sacerdos esse debeat. Sic enim restringit Tridentinum dicens: *coram Parocho vel alio Sacerdote.* Nec refert quod illa dictio, *Alius Sacerdos*, videatur implicare similem qualitatem Sacerdotii in Parocho: nec enim universaliter inest verum, ut patet Matth. 27. *Cum eo crucifixi sunt alii duo latrones*, ubi particula, ALII, non implicat similem qualitatem, cum de Christo sit sermo. Itaque cum Parochus non Sacerdos, exercere possit omnia quæ ad jurisdictionem spectant, nec ordinem requirunt, poterit assistere matrimonio validè, non tamen licitè; quia cum Parochus debeat benedictionem dare, & ex præcepto Ecclesiæ dicere, EGO VOS CONJUNGO, hoc ut decenter fiat, à Sacerdote debet fieri. Itaque si contingeret Parochum non Sacerdotem assistere, non posset stola uti, nec dare benedictionem. Matth. 27. 38.

Q. 10. De Parocho excommunicato, &c.

QUAERO DECIMO. *Quid si fuerit Parochus excommunicatus, haereticus, schismaticus, aut suspensus à divinis?* Respondeo, si habuerit Canonicam institutionem, aut passim existimatam talem, quamdiu ipse gerat se pro Parocho, nec ab Ecclesia per sententiam est privatus officio aut possessione beneficii, non impedit aliquid ex prædictis validitatem matrimonii. Exhibitio enim præsentiæ, non est propriè actus jurisdictionis, ideoque fieri potest etiam ab invito, etiam ab excommunicato, ut declaravit Congregatio. Unde potest & alteri licentiam dare, quæ non est propriè actus jurisdictionis, sed tantùm concessio alicujus actus, in quo Parochus est legitimus testis. Manet ergo in eo potestas substituendi alium ad talem actum. Sed quid si aliquis sit intrusus in Parochiam, nec legitimus sit Parochus? Resp. si sit intrusus absque titulo proveniente à legitimo Superiore, matrimonium coram ipso censetur invalidum, quia gesta per talem, in neutro foro valent. Si verò habuit titulum à Superiore legitimo, sed invalidum ob vitium aliquod occultum, valet matrimonium; quia juxta communem sententiam valent gesta per eum in utroque foro. Vide quæ dixi in Resolutione Casuum de Sacramentis in genere cap. 4. in fine.

CAPUT III.

DE TEMPORE ET LOCO MATRIMONII CONTRAHENDI.

Q. 1. De loco matrimonium contrahendi.

QUAERO PRIMO. *An in omni loco possit matrimonium contrahi?* Resp. ordinariè in loco sacro debere fieri; cùm etiam præscribant Parochialia, ut Sacerdos assistens sit cum stola & superpellicco. Ex causa tamen posset assistere etiam in loco non sacro; puta, si malitiosè impediendum est matrimonium, vel sine periculo ad locum sacrum

Digitized by Google

sacrum accessus non est. Unde inter declarationes Cardinalium lego hanc: *Ordinarius non potest prohibere quin matrimonium domi celebretur, servata forma Concilii: cum tamen maximè deceret, ut in Ecclesia celebretur, ad hoc hortari debet, non tamen præcipere.* Ex quo colligere quis posset, non esse mortale assistere domi, etiamsi non adeo graves causæ intercedant, si modo solemnitates postea in Ecclesia peragantur, putà benedictio, & aliæ cæremoniæ in Rituali præscriptæ. Adverte etiam quod in Parochialibus solet præscribi, ut claræ luce fiat. Ratio est, quia nocturno tempore tumultus, & alia inconvenientia subsequi possent: alioqui his cessantibus, ex causa aliqua etiam nocturno aut matutino tempore ante lucem celebrare licet matrimonia. Nam nec aliud habet nostrum Rituale, quàm hæc verba, *Clara luce illud celebrari convenit.* Vide fol. 139.

Q. 1. *An matrimonia in libro referenda,*

Quæro Secundo. *An teneatur Parochus scribere Matrimonia?* Resp. teneri. Ita enim decernit Concilium Trident. *An tamen sit peccatum mortale, quari potest.* Ex vi solius Tridentini Concilii non videtur colligi posse adeo grave: nullo enim verbo rigoroso utitur. Quapropter non facilè condemnarim peccati mortalis in locis ubi hactenus non est consuetum, nec ulla Episcopalis accessit Constitutio rigorosa ea de re. Sic omnino etiam conveniens esset, ut liber Confirmatorum in Parochia haberetur, quia contingit Sacramentum istud iterari, defunctis parentibus, & pueris; non satis certam habentibus memoriam confirmationis. De hac re tamen etiam strictum præceptum paucis in locis reperitur. Idem dic de libro Defunctorum. De his enim omnibus videndum quo rigore observetur constitutio, vel consuetudo in quolibet Episcopatu.

Q. 2. *De tempore matrimonii contrahendi.*

Quæro Tertio. *An illicitum sit matrimonium contrahere tempore, quod vocant feriatum, seu clausum, in Adventu, aut Quadragesima?* Resp. istis temporibus prohibitas esse solemnitates nuptiarum. Inter quas primò recense solemnem benedictionem, deinde traductionem sponsi ad domum sponsæ cum solemnitate. Item celebrationem convivii nuptialis, cum sua pompa & solitis vanitatibus.

Sed quæritur, *an sine ordinarii licentia, sive solemnitate, matrimonium licite contrahatur?* Resp. ex vi Concilii Trid. licitè contrahi. Ex vi tamen particularium constitutionum, vel consuetudinis vim legis habentis, in certis Diœcesibus non esse licitum. Et quidem prohibitionem esse in Diœcesi Leodiensi nisi de Ordinarii licentia, satis manifestè consuetudo interpretatur, quæ etiam passim in vicinis Provinciis vigorem obtinet. Imò eam prohibitionem apertè exprimunt Episcopales dispensationes in denunciationibus, clausulam continentes ordinariam, quâ concedunt sine denunciationibus conjungi partes, *non tamen tempore clauso, sed tempore aperto.* Quæ clausula demitur, si licentia specialis pro illo tempore petitur, & hæc clausula inseritur, *etiam tempore clauso, &c.* Hanc ergo licentiam esse necessariam, vix remanet dubio locus; quamvis pauco ab hinc tempore dubium illud movere voluerint Dionantenses. In Diœcesibus quibusdam res est clarior, quia expressè per statuta Synodalia prohibetur matrimonium eo tempore etiam sine solemnitate, prout patet ex Synodo Mechlinensi, & aliis.

Q. 4. *De tempore sponsaliorum & denunciationum.*

Quæro Quarto. *An sponsalia & denunciationes censeantur inter nuptiarum solemnitates prohibitas?* Resp. non esse, neque lege, neque consuetudine, atque ita omni tempore posse fieri. Non ita tamen decet hæc etiam fieri tempore illo quo matrimonia prohibentur, quia mens Ecclesiæ constituentis tempus feriatum fuisse videtur ut Christiani circa majores anni solemnitates, & maximè tempore pœnitentiæ, sepositis curis sæculi & carnis, magis vacarent negotiis spiritualibus, & animæ saluti. Unde tunc tractare de matrimonio, sponsalia inire, denunciationes facere, non est ita conforme menti Ecclesiæ. Sed cùm intentio Ecclesiæ non cadat sub præceptum, non censentur prohibita hæc. Unde consuetum est alicubi tempore feriato ad finem tendente proclamationes fieri, putà, in festis Natalitiis, aut Paschalibus.

Q. 5. *De matrimonio consummato ante benedictionem.*

Quæro Quinto. *An sit peccatum mortale consummare matrimonium ante benedictionem?* Resp. non esse, quia copula ista est inter veros conjuges, nec est prohibitio aliqua rigorosa. Nam Concilium Triden. hortatur tantùm conjuges, ut ante illam benedictionem non consumment.

Q. 6. *De tempore matrimonii consummandi.*

Quæro Sexto. *An teneantur statim coniuges consummare matrimonium, si alteruter urgeat?* Resp. non teneri, sed dari eis à jure bimestres inducias, si de statu Religionis alteruter cogitare voluerit, etiamsi alter invitus sit. Quod si lapsum sit tempus duorum mensium, tenetur consummare, nec licet ingredi altero repugnante, quamvis si ante consummationem ingrediatur, quantumlibet temporis sit elapsum, valida sit professio. Hanc Sanchez etiam tunc putat licitam; sed repugnat Rebellus & quidam alii.

Q. 7. *De sponsa mox ingredi possit cognita.*

Quæro Septimo. *Quid si sponsa statim post matrimonium, vi clenter cognita fuerit, an Religionem ingredi possit?* Resp. probabile esse quod sic, quia à matrimonio vi & malitia oppressori patrocinari non debent; & alioqui sine culpa sua & invita jure suo privabitur. Adverte tamen actu etiam violento matrimonium consummari, & omnino insolubile fieri, quandoquidem per talem copulam conjuges fiant una caro. Unde si violata ingrediatur Religionem, vir in sæculo manens, non potest aliud conjugium inire illâ vivente, quandoquidem per illam copulam conjugium sit factum insolubile.

Caput IV.

De consensv necessario ad Matrimonium.

Q. 1. De matrimonio metu contracto.

Quæro Primo. *An matrimonium metu contractum sit validum?* Resp. *primò*, metus gravis ad extorquendum consensum injustè incussus, invalidum reddit matrimonium Resp *secundò*, metus quicumque, qui non est incussus ad extorquendum matrimonium, non reddit illud irritum. Respondeo *tertiò*, metus gravis si justè incutiatur, etiam ad extorquendum consensum, non reddit matrimonium invalidum. Ex his responsionibus deducitur resolutio casuum sequentium

Casus I. Si parentes alicujus filiæ defloratæ, comprehendant illum qui defloravit, & verberibus (aut metu mortis sive verberum quæ minantur ei manibus propriis infligere, & sese vindicare) extorqueant ab illo consensum, invalidum est matrimonium, nisi metu deposito, libere postea consentiat. Ratio est, quia hic injustè vim & metum pati censetur, cum nec mortem vel verbera, similemque vindictam gravem per se & propria auctoritate liceat inferre.

Casus II. Si tales parentes defloratori vim talem non inferant, per verbera aut minas mortis à se inferendæ sed solum minentur, nisi nubat cum ea, se à Judice pœnas debitas huic delicto procuraturos, atque actionem litemque intentaturos, validum est matrimonium, licet talis hoc metu inducatur ad consentiendum. Ratio est, quia talis metus non est injustè incussus, ideoque magis censetur oriri ab intrinseco, cum procedat ex lege & natura delicti, quàm ab extrinseco: & non tam censetur incuti metus, quàm declarari quid debeat sibi metuere ratione delicti. Et ita potius censetur auferri metus ob delictum concipiendus, offerendo ei matrimonium tanquam medium ad illum evadendum. Unde patet judicem posse stupratori virginis mortem minari, nisi eam ducat; cum id legibus sit consonum. Sicut & potest judex per excommunicationem cogere sponsos ad contrahendum: nec propterea irrita erunt hæc matrimonia, licet metu mortis vel excommunicationis contracta.

Casus III. Si quis matrimonium cum concubina metu morbi vel naufragii contrahat, alias non consensurus, valet matrimonium: quia hic metus ab intrinseco est, nec inducitur ab alio ad matrimonium, sed à seipso: voluntarie enim eligit hoc, tanquam medium, ut evadat periculum animæ vel corporis.

Casus IV. Idem dicendum, si quis in carcere positus contrahat cum aliqua, ut evadat illum carcerem, aut id faciat ut evadat mortem alias justam; si modo tamen non sit in illum carcerem detrusus, aut in illud periculum mortis, animo extorquendi matrimonium.

Quæro Secundo. *An matrimonium metu reverentialis contractum irritum sit?* Resp. affirmativè quando metus ille gravis censetur. Metus autem reverentialis is dicitur, qui contingit ex reverentia quæ debetur Prælatis, Parentibus ac Superioribus, v. g. quo filius patrem, pupillus tutorem, uxor maritum, subditus Principem timet. Itaque cum hic metus censetur gravis, non solum matrimonium, sed & professionem Religionis irritare, certum est. Censetur autem gravis, quando minæ, gravia verba, vel jurgia, interseruntur ab illo quem reveremur & timemus. Unde si filius vel subditus in aliquam consentit, solum quia vult Pater aut Princeps, aut alias si non faciat, offensio existimatur fore magna & diuturna, cum asperitate vultus vel verborum, censetur gravi metu consentire: Addunt aliqui, si parens vel alius cui hæc reverentia debetur, importune urgeat & assidue petat, preces illas & importunitatem conjunctam cum illa reverentia quæ superiori debetur, æquivalere metui gravi. Videmus de facto ob similem importunitatem declaratum matrimonium nullum in Diœcesi nostra novissimè in Parochia Advennæ Palisiensi: ubi quædam ob metum reverentialem & importunitatem parentum consenserat, & coram Parocho consensum expresserat, nunquam tamen à viro post longam licet cohabitationem adduci potuit ut consummaret matrimonium. Unde postea allegato & probato hoc metu, matrimonium nullum declaratum est, manetque ex nunc illa libera.

Q. 2. De metu reverentiali.

Quæro tertio. *An, qui ex tali metu emittit, peccet?* Resp. quando coactus fictè consentit, peccat saltem venialiter, quia mentitur; secus si æquivocaret, ut justè posset; non est verò mortale, quia non est mendacium pernitiosum, inquit Filiucius ex Sanchez. Quando autem verè consentit, nullo modo peccat, quia licet Sacramentum sit irritum, tamen ipse non est qui irritat, sed Ecclesia. & talis consensus desinit esse vera materia & forma, ut docet Sanchez disp 16.

Q. 3. De peccato ex tali metu

Quæro Quarto. *Quid si accedat copula carnalis?* Resp si accedat copula, quia matrimonium prius metu contractum validum putetur, nullum erit matrimonium. Ratio est, quia non additur copula ut matrimonium perficiatur, sed quia perfectum putatur, prius autem non erat perfectum, ergo nec jam perfici dicetur. Quod si licut prior consensus ex metu gravi expressus fuit, ita etiam copula ex metu fiat, nullum erit matrimonium, et amli esset intentio consummandi illud. Imò cum matrimonium sit irritum, copula etiam subsequens est mortalis, nisi ignorantia excuset existimantem hac copula ratificari matrimonium. Itaque ut validetur hoc matrimonium, debet pars coacta, metu jam depositio consentire libere & sponte, & tunc affectu conjugali libere copula habita potest illud ratificare. Atque sufficit per copulam affectu conjugali habitam consensum exprimere. Imo per diuturnam habita-

Q. 4. Si copula carnalis accedat ad talem metu.

habitationem spontaneam ratificatur, data opportunitate recedendi. Talis enim censetur sufficiens signum consensus spontanei de novo habiti. De quo Sanchez disp. 9.

Q. 5. De exprimendo iterato consensu talium

Quæro Quinto. *An non sit necessarium tales exprimere consensum de novo, coram Parocho & testibus?* Resp. non esse. Imò generaliter tradunt DD. quando aliqui sic vel contraxerunt coram Parocho & testibus, si ob impedimentum aliquod occultum non valuit matrimonium, sublato illo impedimento, sufficere quod inter se conjuges renovent consensum. De quo Sanchez late disp. 37.

Q. 6. An parentes possint præcipere ineundum conjugium filiis?

Quæro Sexto. *An non possit Pater præcipere matrimonium certum filio?* Resp. quando multum interest parentum, ut filius ineat certum matrimonium, possunt præcipere, & si ius nisi justam causam habeat, tenetur obedire, si modo velit ratum matrimonii. Talis casus erit si necessarium judicetur matrimonium ad sedandas graves inimicitias, aut ad subveniendum necessitati parentum. Extra similes casus, non tenetur filius obedire patri præcipienti conjugium aliquod. Imò non peccat contrahendo invitis parentibus, si justam causam habeat; ut si injuste prohiberetur ab illis à matrimonio prætenso, aut si vellent eum collocare in matrimonio, à quo abhorret; puta, quia imprudenti vel ægritudine laboranti volunt eum conjungere. Quod si filius non habeat justam causam contrahendi invitis parentibus, tenetur eos consulere, non tamen tenetur sequi eorum consilium sub peccato mort. Unde nec peccabit mortaliter, si contrahat ipsis invitis, postquam consilium petit. Ratio est, quia in matrimonio est quasi servitus perpetua; ad quam nemo potest compelli, cùm sit libera conditionis, & quisque libertatem debet habere in electione status sui.

Q. 7. De peccato parentum exprimendi vel impedientium matrimonium.

Quæro Septimo. *Qualiter peccent parentes inducendo vel impediendo?* Resp. Parentes non posse cogere per metum gravem, nisi sub gravi peccato, ad certum matrimonium. Posset tamen pater metum levem ex paterna increpatione inducere, ad hoc ut filius consentiat in certum matrimonium. Resp. 2 non posse absque justa causa impedire matrimonium proli. quia sunt sui juris in electione status. Justa autem causa est, si filius inæquale & indignum ineat matrimonium. Dicitur autem indignum, quod sine dedecore juxta loci mores iniri non potest; sive indignitas oriatur ex bonis animi, puta quia malis moribus est conjux; sive ex bonis fortunæ, quia valde pauper. Quod si filius ad tale matrimonium teneretur, vel quia defloravit, vel quia fidem dedit, peccat mortaliter Pater si impediat per vim aut metum.

Petes, *an incurrat excommunicationem Pater metu vel vi impediens, aut ad certum matrimonium cogens?* Id enim videtur indicari in Trident. sess. 24. cap. 9. Resp. non incurrere, quia illa excommunicatio tantum fertur contra Principes, temporales, Magistratus, & alios habentes jurisdictionem in foro externo, ut docet communis sententia.

Caput V.

De debito conjugali.

Q. 1. De peccato reddendi debiti.

Quæro Primo. *An teneatur sub peccato mortali conjux alteri debitum reddere?* Resp. non semper esse mortale, quia non semper petit conjux cum intentione obligandi adeo graviter. Sic nec creditor pecuniam sibi debitam sub illa ratione semper exigit, ut sit peccatum non reddere. Sic à mortali excusatur negans, imò quandoque & à veniali, cùm remisse petitur, cum nimis frequenter & immoderatè cum rationabilis item alia causa intercedit, putà, invaletudo aliqua, vel quia plures proles sunt, quàm possint ab eis enutriri. Intelligi autem hæc debent; nisi in parente periculum incontinentiæ adverteretur. Atque adverte, quando uxor etiam tolùm tacitè petit, virum teneri reddere: imo quandoque tenetur petere, quando scilicet quibusdam signis percipit virum ea voluntatem petendi, sed ob verecundiam abnuere; tunc enim vir non tam censetur petere, quàm reddere. Si vero conjux nonnisi cum magna difficultate, & quàm rarissimè reddere vellet, præsertim cùm sentiret incontinentiæ periculum in conjuge, esset peccatum mortale non reddere. Item si graviter sentit offendi conjugem, cui negatur, quia tunc censetur sub obligatione petere. Item si ad vindicandum se de conjuge negetur.

Q. 2. De peccato cum redditur petens debitum.

Quæro Secundo. *An sit aliquando peccatum, petens debitum reddere?* Resp. in multis casibus posse contingere peccatum etiam exigenti reddendo.

Casus I. Si petatur & redditur cum periculo abortus uxore gravida. Aliqui putant, si fœtus nondum sit formatus, non esse mortale uti matrimonio cum dicto periculo. Quicquid sit de hoc, vix conjugibus de ejusmodi periculo constare potest, ut ideo teneantur abstinere sub mortali. Potest igitur communiter vir uxorem gravidam cognoscere. Et licet Sancti Patres videantur docere abstinendum tunc esse; consilium magis dant, quam præceptum: Et si quandoque utantur nomine obligationis vel debiti, intelligendi sunt de debito honestatis & congruentiæ.

Casus II. Si petatur tempore fluxus menstrui, quia usus matrimonii tunc continet aliquam indecentiam: adeo ut aliqui putent tunc esse peccatum mortale, propter periculum infectionis in prole. Sed contrarium est verius; tum, quia tale periculum est rarissimum ipsâ experientiâ teste; tum, quia vix contingit prolem tunc concipi, ut colligitur ex Philosopho 1. de generat. animal. cap. 19.

Casus III. Si petatur tempore puerperii, tunc enim debere abstinere conjuges significat D. Gregorius S. Greg.

gorius Epist. ad Augustinum Anglorum Episcopum. Sed licet sit aliqua indecentia statim à partu, uti matrimonio, tamen non est mortalis, nisi aliunde periculum immineat: imò accedente justa causa posset esse licitum. Non tenentur verò abstinere per integrum mensem, sicut nec mulier ab ingressu Ecclesiæ, si alias sana sit.

Casus IV. Si petat conjux amens vel ebrius, cum periculo mortali pollutionis extra vas, quod his ebriis aliquando contingit. Unde adverte, quod conjux sanæ mentis alteri planè ratione destituto, vel ob amentiam, vel ob ebrietatem, aut similem causam, per se non tenetur debitum reddere. Ratio est, quia talis est incapax omnis dominii. Sicut enim dominium non potest esse in subjecto irrationali, sic nec usus in subjecto hic & nunc non potente uti ratione. Per accidens tamen ad vitandum grave malum, tenetur conjux amenti vel ebrio debitum reddere. Si uterque sit amens, illicitus erit usus matrimonii, ob periculum eminens proli, tum in conceptione, tum in educatione, & ideò separandi sunt. Idem dicendum, si uxor sit furiosa.

Casus V. Si sit detrimentum notabile sanitatis, non solùm non tenetur reddere exigenti, sed etiam illicitè reddit: quia quisque obligatur habere curam moderatam suæ salutis. Sic ratione febris, aut alterius morbi, potest præcipi à medico, ut ad tempus abstineat ob periculum. Quod si periculum illud judicetur moraliter certum & grave, tenetur abstinere.

Casus VI. Si petatur loco non debito, puta, in loco aperto, vel publico, aut sacro. Reddere enim aut petere in loco publico, censetur mortale; tum quia contra humanam honestatem & decentiam in re gravi; tum quia daretur occasio ruinæ spiritualis aspicientibus. Tactus etiam si tales forent, ut adstantes inducere possent ad venerea, essent mortales. Unde existimo quandoque graviter peccari à conjugatis, utentibus matrimonio insolenter, & sine ulla cautela in proprio etiam lecto: ita ut proles, ancillæ, vel famuli, quæ decumbunt in eodem vel vicino cubiculo, patenter advertant & audiant eos vacare rei carnali, ideoque periculo exponuntur cogitationum, motuum, & delectationum carnalium. Quantum ad locum sacrum, petere aut reddere in loco illo, extra casum necessitatis, peccatum mortale est, quia Ecclesia polluitur. Casus autem necessitatis excusat, ut si conjuges diu obsessi essent intra locum sacrum, & ideò exponerentur periculo incontinentiæ. Tactus autem turpes si sint absque periculo pollutionis, non sunt sacrilegia, quia non sunt specialiter prohibiti, sicut est pollutio, ideoque non sunt necessariò confitendi ratione circumstantiæ loci sacri: quod idem dicendum est de tactibus respectu non conjugatorum, ut docet Sanchez disputatione 15. q. 2. & ex eo Filliucius.

Q. 3. De peccato

Quæro tertio, *An peccent conjuges & qualiter, non servando debitum modum in conjugio?* Resp. ordinariè nisi esse veniale peccatum quando servatur legitimum vas, sive organum generationis debitum in muliere, sine periculo effusionis. Quod advertendum est ob multos modos incongruos, & à modo quem natura instituit devios, quos reperire est inter carnales conjuges, qui tamen peccati mortalis reatum non involvunt, & propterea non necessario à Confessariis interrogandi sunt ipsimet confitentes, nec de alia re interrogandi, nisi an periculum fuerit effusionis seminis extra vas. Sive ergo à latere, sive sedendo, sive stando, sive muliere loco viri superincumbente, sive etiam præposterè more brutorum, aliisque modis in vase muliebri actus conjugalis exerceatur, non censent DD. peccatum mortale: quia nullus ex illis generationi adversatur, eo quod semen in matrice recipiatur per attractionem. Fiet verò mortale, si ex tali modo concumbendi generatio impediretur, aut fieret ad talem finem. Potestque fieri, ut talis modus quandoque excusari possit justam ob causam: puta, quia dispositio ipsius conjugis non aliud patitur, aut si fiat, ut vitetur periculum fœtus in gravida. Excusaturque ut plurimùm reddens, si timeat displicere conjugi, aut indignationem excitare, ideoque patitur. Quod si in vase indebito copula consummetur, non solùm peccatum mortale est: sed ad sodomiam spectat, nec potest uxor pati licitè similem copulam.

conjugum, non servatis modum in reddendo debito.

Q. 4. De tactibus &c. inter conjuges.

Quæro Quarto. *Quid de tactibus, aspectu, verbisque turpibus inter conjuges?* Resp. tactus qui sunt circa corpus mulieris etiamsi non ordinentur ad copulam, non sunt mortales, nisi fiant cum periculo pollutionis: aut nisi pertineant ad sodomiam quamdam inchoatam, vel etiam speciem contra naturam. Idem dic de aspectu & turpiloquio.

Q. 5. De impediente conceptum.

Quæro Quinto *Quale peccatum sit, post actum conjugalem impedire conceptionem?* Resp. esse mortale. Hinc resolutio patet casuum sequentium.

Casus I. Si vir aut mulier se retrahit in actu seminationis, ne proles concipiatur, peccat mortaliter.

Casus II. Si mulier post actum conjugalem se ad hunc finem erigit, aut aliud facit, ut semen excutiat, vel ut non sit prolificum, peccat item mortaliter: quia est voluntariè frustrare semen fine ad quem institutum est. Et adverte hos casus non esse infrequentes inter aliquos qui multa prole gravantur, & nihilominus volunt conjugii actu delectari sine prole & generatione ulteriori, quantum in ipsis est. Item in quibusdam aliis mulieribus, quæ ob incommoditates partus ac dolores, timent denuò concipere. Inveni autem ex confessionibus, non paucas huic vitio obnoxias, sed existimantes se mortaliter non peccare. In his tamen exquirendis, debent magna cautela uti Confessarii. Atque de his satis.

Q. 6. De delectatione copulæ alterius absentis.

Quæro Sexto. *An conjux in absentia alterius possit delectari meritò de copula cogitata, tanquam*

quam præsenti? Respond. si absit periculum pollutionis, non esse peccatum mortale, ut multi docent, quia cum in eo statu sint, ut eis actus liceat, cogitatio illius aut imaginaria delectatio de illo, cogitatio non videtur eis interdicta saltem sub mortali; quamvis, quia caret debito fine, venialis esse possit. Vidua autem non potest delectari actu conjugii præterito, si illum sibi tanquam præsentem per imaginationem constituat: quia ille actus, & corporis immutatio quæ inde sequitur, in hoc statu non ei licent. Secus erit, si solum gaudeat de illo tanquam de re præterita; hoc enim non est aliud quam consentire in rem licitam, seu approbare actum præteritum, absque tamen delectatione venerea præsenti.

CAPUT VI.

DE COHABITATIONE CONIVGVM, & bonorum administratione.

Q. 1. Conjuges sibi cohabitare debent.

QUAERO PRIMO. *An vir & uxor teneantur simul cohabitare?* Resp. affirmativè. Id enim ex ipsa matrimonii natura colligitur, quod non solùm ad prolis educationem, sed & ad mutua obsequia præstanda ordinatum est. Hæc autem præstari non possunt sine ea cohabitatione, cum etiam uxorem alere vir teneatur. Si tamen marito dos cum uxore promissa non solveretur, non tenetur eam alere, nec adducere in domum suam ad eam sustentandam, & onera matrimonii sustinenda. Imò potest illam remittere in domum parentum, licet antea in domum suam adduxisset. Ratio est, quia dos quasi in pretium datur, tum pro alenda uxore, tum pro sustinendis oneribus matrimonii. Ergo illa deficiente, non tenetur maritus stare contractui quantum ad hoc onus.

Q. 2. De dote non soluta.

QUAERO SECUNDO. *An propter non solutam dotem possit negare uxori debitum, & maritale consortium?* Resp. non posse, ut docet Covarr. Mol. & alii, sed solam potest negare sustentationem; pro illa enim dos promittitur & datur.

Q. 3. De uxore an teneatur maritum sequi migrantem.

QUAERO TERTIO. *Quid si vir mutet domicilium, an teneatur uxor sequi?* Resp. teneri; nisi inde ei animæ vel corporis periculum immineret: aut nisi ab initio conjugalis contractus, deductum esset in pactum, ut vir certo loco cum uxore habitare teneretur. Tamen, si urgens causa locum mutandi marito supervenerit, v.g periculum capitis, tunc, non obstante pacto, tenetur uxor maritum sequi, nisi sine justa causa maritus inciperet vagari. Adde, si maritus solebat vagari ante matrimonium, & illa id non ignorabat, tenetur sequi.

Q. 4. De peccato uxoris circa bonorum dissipationem.

QUAERO QUARTO. *Quomodo peccet uxor circa administrationem bonorum familiæ?* Respondeo peccat mortaliter, si summam notabilem marito invito det vel alienet. Ratio est, quia non potest accipere aliquid justè, invito illo ad quem spectat dominium vel administratio, vel usufructus. Cum ergò bona communia administrare spectat ad maritum, fit illi injuria contra ejus voluntatem ea donando. Quia tamen in praxi res hæc posset scrupulis multis obnoxia esse, & difficultatibus, recensentur multi casus, in quibus uxor excusatur à mortali.

CASUS I. Si quantitas judicio prudentis non censeatur notabilis, considerato statu aut opibus: aut si maritus rogatus, censeretur consentire, aut irrationabiliter invitus esse. Sic potest facere donationes & eleemosynas secundùm morem mulierum suæ sortis. Quod si maritus vetet, censetur vetare excessum: & cùm consuetudo jus quoddam hac in re tribuat mulieri, rationi consonum; non videtur maritus posse absolutè illam privare tali jure. Quia tenetur uxori ad decentem sustentationem juxta statum, in qua sustentatione includi censetur, non tantum victus, vestitus, ornamenta & famulatus; sed etiam alia quæ mulieribus suæ sortis ad recreationes & largitiones concedi solent, maximè juxta morem loci aut Regionis. Et cùm uxor non sit mancipium viri, sed administrationis socia, irrationabiliter maritus omnem ei donationem prohiberet.

CASUS II. Si mulier det ex his quorum habet liberam administrationem, ut ex paraphernis, vel ex lucro suæ industriæ. De his enim liberior dispositio ei competere censetur, maximè si mulier attulit dotem sufficientem ad se alendum.

CASUS III. Si det ad impediendum damnum, vel spirituale, vel temporale. In temporali casus ordinarius esse solet, si ad vitandam litem, aliquid inscio marito parti adversæ solvit, ut faciliorem ineat compositionem; ne expensæ per litem excrescant, marito animum obfirmante. In spirituali casus esse solet, si det ut celebrentur Missæ pro fœlici successu familiæ, aut mariti conversione. Cùm utiliter negotium familiæ, ac ipsius mariti in his omnibus gerat, non censetur rationabiliter invitus. Sic Nabal non poterat cum ratione invitus esse, quod Abigail multa munera afferret ad David adventantem; ut se ulciscereturde injuria. 1. Reg. 25.

CASUS IV. Si mulier det in extrema aut gravi necessitate proximi. Tunc enim tenetur. Item, si maritus est absens, potest secundum administrationem prudentem donare, quia tunc censetur ad eam administratio pertinere.

CASUS V. Si maritus est dissipator, cùm tunc faciat uxori injuriam (ad quam dimidia pars bonorum in matrimonio acquisitorum cum dote spectat) potest occultè uti compensatione, accipiendo ex bonis mariti, ut sibi vel liberis consulat; quantum opus est, ut pars sua salva sit.

CASUS VI. Si pater vel mater uxoris sint pauperes, ita ut miserè secundum statum suum vivant, potest marito nolente eis succurrere ex bonis communibus, vel ex dote sua subtrahere, ut illis det. Idem dicendum, si habeat proles ex alio matrimonio, quæ similiter egeant. Ratio est, quia

habent

Digitized by Google

habent jus ad alimenta ab eo petenda: unde maritus non poteſt jure id inique ferre. Ita Leſſius ex Petro Navarra, & Corduba. Idem probabiliter dicitur, ſi frater vel ſoror uxoris ſimili urgeantur paupertate.

Q. 5. De furtis filiorum.

QUAERO QUINTO. *Quid de filiis familias occultè ex bonis parentum furripientibus?* R. ſi fiat ipſis invitis, & ſumma ſit notabilis, eſt futurum mortiferum. In furtis autem filiorum, vel uxoris, longè major quantitas requiritur, quàm in furtis externorum. Unde de ea debet formari prudens judicium, juxta conditionem ſtatus, ætatis, perſonarum, locorum, &c. Quare ſi filius ſubtraxit duos vel tres aureos parenti prædiviti, non ſtatim putandum eſt mortale, præſertim cum parens talis, ſæpè non ſit multum invitus: ſecus, ſi parens ſit mechanicus, aut mediocris fortunæ.

Sic etiam cenſetur peccare mortaliter, ſi in res turpes aut vanas expendat notabilem ſummam contra voluntatem parentum, ex pecuniis ei ad honeſtos uſus conceſſis. Exempli gratia, pecuniam pro veſte comparanda expendit in aleas, compotationes, vel mulieres. Vide Navarr. c. 17. 164. Sunt verò caſus, in quibus excuſetur à peccato ſaltem mortifero filius familias, aliquid accipiendo.

CASUS I. Si quantitas pro conditione ſtatus non cenſetur notabilis. Aut ſi putetur parens ſi rogaretur facilè conceſſurus. Tunc enim non videtur invitus circa ſubſtantiam, ſed tantum circa modum: aut ſi more aliorum ſuæ conditionis in eleemoſynas, ludum & honeſtas recreationes expendat.

CASUS II. Si in extrema vel gravi neceſſitate proximi furripiat, ad eis ſubveniendum. Parens enim non eſt tunc rationabiliter invitus, cum teneatur ipſe.

CASUS III. Si accipiat ex bonis ſuis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus; putà, quæ habet ratione beneficii, vel officii publici, vel militiæ; horum enim habet diſpoſitionem, quod ſi pater illa vendidiſſet expendens in alimenta filii, poteſt tantundem repetere à patre, vel etiam à cohæredibus; quod ſi non audeat, poteſt uti occulta compenſatione.

CASUS IV. Si filius gerit negotia patris, poteſt, deductis expenſis quas pater facit in illo alendo, profuo labore & induſtria tantum accipere, quantum daretur extraneo, ſi pater per ſe non erat facturus, ſed per alium. Notant tandem aliqui, uſumfructum illius lucri non debere libi vendicare ante mortem patris, vel ſuam emancipationem; quia cùm hoc lucrum cenſeatur in bonis adventitiis, cenſetur adhuc ſpectare ad patrem. Hæc notent Confeſſarii, pro filiis villicorum, artificum, vel mercatorum, qui frequenter multa expendunt, inſciis parentibus, ſed quis ipſis negotiorum adminiſtratio incumbit, ſuoſque omnes labores vovent paterno obſequio & familiæ bono, & quia multum lucri poſſent congerere ultra expenſas, ſi alibi permitterentur operas locare; ideo tales non tenentur ad reſtitutionem; nec facilè ad grave peccatum ſunt condemnandi: quamvis dehortari eos oporteat à ſimilibus, maximè quando expenſæ ſunt inutiles, neceſſatui eorum congruæ, tunc enim Parentes rationabiliter ſunt inviti. Atque de his ſatis.

Tandem extremam huic operi manuum impono, doctrinamque omnem hic traditam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ cenſuræ ac judicio lubens ſubſterno, quo tanquam lydio lapide, doctrina vera à falſa & adulterina diſcernitur. Pro meo vero labore haud exiguo, Lector benevole, Sacrificiorum vel precum communicationem impertire, ac ſicubi aberravi, inſcitiæ meæ adſcribes; ſi quæ verò tibi proficua, vel Paſtorum inſtructioni opportuna reperies, non niſi ſervo inutili, confuſione & verberibus digno, ſed Deo laudem refert: hic enim & ubique in omnibus, & per omnia, initians & finiens, illud decantare opto.

GLORIA PATRI ET FILIO AC SPIRITVI SANCTO,
SIT IN SÆCVLA SÆCVLORVM.

VIR-

Digitized by Google

VIRGA AARONIS FLORENS,

HOC EST:

DIRECTIO VITÆ SACERDOTALIS EX SS. PATRUM, PRÆSERTIM S. CAROLI BORROMÆI Documentis.

OMNIBVS SACERDOTIBVS, TAM IN SAECVLO QVAM in Religione agentibus, perfectionis ſtimulus.

TRACTATUS I. DE RECTITUDINE VIRGÆ AARONIS,

Sive

De Perfectione vitæ Sacerdotalis.

PROOEMIVM.

ADHORTATIO AD SACERDOTES.

VOs advocò, vos toto hoc libro alloqui geſtit animus, ô Sacerdotes & Miniſtri Domini, adeſte animis, & favete. Oculos veſtros inungere paro ſacri ſermonis collyrio, ſi fortè pulvere terreno, vel gravi aliquo humore depreſſi caligine; ne perſpicacius mecum contemplari valeatis, celſum quem conſcendiſtis Sacerdotii verticem, ſacriquæ miniſterii quod ſors vobis divina in Eccleſiaſtica Hierarchia tribuit, ſublimem perfectionem. Atque ut Cælo & Deo auſpice cuncta exordiar, dicere mihi liceat cum Apoſtolo: Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ex quo omnis Paternitas in cœlis & in terra nominatur, ut det vobis ſecundùm divitias Ep. 3. 14.
gloriæ ſuæ, virtute corroborari per ſpiritum ejus in interiorem hominem: det etiam ſcire ſupereminentem ſcientiæ claritatem Chriſti, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. *Nonne ipſe eſt, qui ſuum vobis nomen & honorem communicavit, ut ſicut Pater eſt unicus ſui Filii in æternitate, ſic & vos ſitis Patres Filiorum adoptionis in tempore? Nonne vim prolificam verbi, ſemenque cœleſtis gratiæ ſuæ vobis commiſit, ut novam progeniem, hoc eſt, filios ſalutis, ſibi Eccleſiæque Sponſæ ſuæ generetis? Ergo convenit ab eo poſtulare, ut divina ſua*

Digitized by Google

cognitione, suo amore, suo spiritu vos adimpleat, quem in alios refundere valeatis, & in cordibus Fidelium parturire. Atque cum ad hunc amorem & spiritum attrahendum, fovendum, aliosque ingenerandum, plurimùm conducat agnoscere statum sortemque, in quam vos vult Deus. Etiam hujus rei gratiâ flecto genua ad
Eph. 31. 8. Deum, & Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut possitis *viva fide apprehendere*, quæ sit sublimitas & profundum, quæ latitudo & longitudo *vocationis vestræ sanctæ; donet in abundantiâ gloriæ plenitudinem* cum omnibus Sanctis valeatis comprehendere, & *mysticas has dimensiones Sacerdotij limpida contueri visione.*

Primò igitur, ab illo exposcendum mihi decerno, ut det vobis notitiam non solum theoricam ac speculativam, sed maximè efficacem ac practicam, qua agnoscere valeatis, quæ sit sublimitas, qua altitudo vocationis ipsius. Hæc verò in eo consistit, quòd circa corpus Deificum Christi Jesu potestas vestra versetur; dum vestro sermone illud conficeretur, dum præsens, quoties volueritis, sistitur; dum manibus vestris tractatur, sumitur, distribuitur, quotidie in fidelium salutem & alimentum. Neque corpus solum, sed & sanguis, anima, divinitas, merita & thesauri gratiarum ejus, vestra sub sunt potestate per vos Fidelibus communicanda, & dispensanda. O sublimis potestas, Angelicam & Seraphicam potestatem superemines, super Deum gratiam se ratione ex-
Josue 10. 14. *tendens,* Domino obediente voci hominis; *ac super ipsum cœlum se porrigens, illud animabus Fidelium aperiendo, infernumq; claudendo! Hæc est ergo altitudo Sacerdotij vestri, quam utinam sublimi notitia per intellectum, sublimi amore per affectum, sublimi vitæ perfectione per opus divinè exercealis.* Vivam sic animam interiùs, sic mores exteriùs componatis, ut nemo non reveretur vos, ut Ministros Christi, & Dispensa-
1. Cor. 4. 1. *tores mysteriorum Dei, in vertice montis excelsissimi constitutos, in gradu Deo proximante.* Virè enim estis ejus personam præ gerentes, ejus auctoritatem exhibentes, ejus veri in supra naturam operantes, ejus spiritum participantes, illumq; aliis communicantes ejus sponsæ curam gerentes. Si hoc altiùs consideratione perpendetis, si certò fide creditis, sic agite, ut omnis homo idipsum legat in fronte & vultu vestro; idipsum discat ex sermone
Col. 4. 6. *ab ore vestro prodeunte*, qui semper sit in gratia sale conditus, *idipsum credat ex operibus vestris, quæ sint tanquam characteres vivi, quales sitis edocentes. Sic in vobis imaginem vivam primi Sacerdotis Jesu Christi per omnia agnoscant omnes, & vocationis vestræ tantam sublimitatem admirentur & reverentur.*

Secundò, à Patre, & à Domino Jesu Christo obnixè mihi postulandum existimo, ut possitis comprehendere non solum sublime, sed & profundum vocationis vestræ. Hoc est quàm profundum amorem à vobis expostulat ille, qui prior vos dilexit, sic elegit, sic consignavit: Et quàm profundè vos coram ipso humiliare debeat tanta ejus dignatio, dum sustollat de pulvere egenos, qui solio gloriæ suæ assistant, qui secum sedeant, suasq; vices gerant, qui suo loco judicent, & sententiam ferant in terris, quam certò sperent ratam habere in cœlis. Cùm ex nobis planè viles summi, impuri, ignorantes, imperfecti, cæci, ad malum pronissimi, è contrà illa Majestas, coram quâ stare, cujusq; vices debemus gerere, tanta sit, ut omnis ei perfectio ex natura & essentia conveniat: ita ut sit ipse ipsa Sanctitas, Sapientia, Potentia, Bonitas, Gloria, immensitas. Hæc ergo omnia in consideratione nostrâ bilance, & in Sanctuarij pondere expensa, nos minimum in modum humiliare deberent, & in profundum mergere,
Ps. 87. 16. *cum illa Psalmis voce* Exaltatus autem humiliatus sum & conturbatus. *Meritò sanè talia considerans, è cordis nostri fundo, è nihilitatis nostræ profundo, voces illas Sanctorum elicere deberet.* Quis tu? Quis ego? Noverim te, noverim me, ut exaltem te, & humiliem me. *Igitur super altitudinem potestatis nostræ ascendimus usque ad cœlos, per profundum vocationis nostræ quandoque etiam descendamus usque ad abyssos. Hæc sint, si sub ineffabilem judicij Dei nos constituentis, cum timore & tremore salutem nostram operemur, ne tanta gratia, tantusque Deus nos profusè dotes invenientes indigni; ac nec spiritum ejus per nos adeò sublimia operantis judicemur ingrati, vel contumeliosi, meritòque profundi supplicij obnoxij. Non paucorum erit in fronte illa querela apud Psalmistam expressa:* Quia elevans allisisti me. *Quæ eadem apud Jobum reperitur:* Elevasti me,
Ps. 101. 11. Job. 30. 22 & quasi super ventum ponens, elisisti me valide. *Juvet ergo sublimitatem Sacerdotalem nostri Ordinis intueri, sed non deferendo; profundam humilitatis & viæ, ne supra nescunquam tollamur sine cælo.*

Tertiò, & hoc opto à Patre luminum, & hujus rei gratiâ cordis genua libens flecto, ut possitis comprehendere, quæ sit latitudo vocationis vestræ. Extendit nimirum se, summique finem ad omnes animas Sanguine Christi emptas, etiam pretiosè. Aqui immaculatis redemptæ & Sacerdotium eorum ad id institutum est, ut eas brachijs amoris complectens, sanguine isto efficaciter (quantum in se est) aspergat, Spiritumque Christi participes efficiat, & illis reddat, cujus pretio emptæ sunt; ut ipse finem suum assequantur, & in illis æternum Deus glorificetur. Nullam animam negligit Sacerdotalis & pastoralis vocatio: hoc semper pro objecto & scopo sibi præfigit, Dei gloriam promovere, animarum salutem procurare; in hoc gemino cardine jugiter volvi debet Sacerdotum animus & vita, Pastorum mens & sollicita cura. Hæc ergo est vocatio eximia, latitudinem suam extendens ad omnia, quæ divinæ gloriæ promovendæ sunt congrua, & ad omnes, ad quos potest, electos, divinæ prædestinationi cooperando, Christi Jesu sanguinem, passionem & merita efficacia reddendo, gratiam ejus & Spiritum vitæ, quantum fieri potest, communicando; nihil discernens inter inopem & divitem, inter nobilem & ignobilem, inter sapientem & idiotam, inter servum & Dominum, inter masculum & fœminam, inter senem & juvenem, omnes ad cognitionem veritatis & salutem convocando, omnes compellando, imò quadantenus compel-
Luc 14. 23 *lendo, monente Domino:* Compelle intrare, ut impleatur domus mea.

Quartò & postremò flecto genua ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut possitis comprehendere, & frequenter pio mentis perpendiculo dimetiri, quæ sit longitudo vocationis vestræ, hoc est, Ordinis Sacerdotalis, ad

quem

quem vocati estis. Longitudinem ejus intellige, in sine in unoquoque vestrum durationem, quæ ad æternitatem usque se protendit. Nonne Character Sacerdotalis usque in æternum permanet inexpugnabilis? Quod ergo de Christo dictum est: Tu es Sacerdos in æternum, hoc ne singulis meritò dici potest, quandoquidem in Sacerdotio imprimatur signum indelebile in anima, quod non solum hujus vitæ & ævi brevis discursu perduret, sed etiam post hanc vitam perennet, vel ad gloriæ incrementum in electis, vel ad confusionis argumentum in reprobis. Hæc est doctrina Theologorum, ex qua etiam deducitur talem fieri per characterem consecrationem, ut si contingeret Sacerdotem quempiam à mortuis suscitari, neutiquam foret necessarium denuò eum consecrari, aut ordinari, quia nec mors characterem priorem expungere potuerit, nec ollare consecrationem. Ex quo agnosci potest firmius esse statum Sacerdotalis supra statum vel Religionis, vel Matrimonij: in neutro enim illorum consecratio fit per inhærentem animæ qualitatem sicut in Sacerdotio: Unde etiam aliquo casu quis solvi potest à Religionis vinculo, nunquam à Sacerdotio. Et si per mortem dissolvitur Matrimonium, haud vero Sacerdotium; sed illud manet in æternum. Qualem porrò confusionem reprobis Sacerdotalis inducet permanens signaculum æternum, Signaculam simultudinis Dei, *quo Pater ipsos elegerat conformes fieri imaginis Filij sui; quo ipse Filius eos sibi consignare voluerat non solum tanquam membra capiti, amicis tes Duci, sed etiam ut Ministros summe Sacerdotali? Manet enim illud, tanquam æterna dedecoris nota, cum vermis conscientiæ acerbissimè eos torquente conjuncta: quia cùm ex institutione sua signum foret spectatis quam fuerit erant in Ecclesia prærogativa, singularis & potestatis & gratiæ jam agnoscitur testimonium acerbum contra ipsos ferve, coram Iudice, coram Angelis & Beatis, coram tota curia, conjicitque deservire tanquam cumulationis damnationis, & acerbis cruciatus instrumentum in pœnarum æternitate. Hæc est ejus longitudo, quam præmeditari & præmetiri vos convenit, ô Sacerdotes, ô Christi Ministri! Quandoquidem tam sublimi & sacro signaculo à Domino signati estis, quandoquidem spiritum sanctum in pignus salutis æternæ accepistis cum plenitudine, in manus impositione, nolite pati latere eum morum vitaque improbitate illud, quod vobis traditum est in auxilium & gloriæ incrementum, verti in dedecus & opprobrium sempiternum. Quinimò omni cura satagite, ut ornamentum illud & decus characteris Sacerdotalis vobis datum in hac vita, perficiatur in gloria. Et quoniam ille quandam habet æternitatem sibi à Christo communicatam, ex nunc admonere censetur, omnia desideria vestra, affectus & vota, functiones & ministeria à vobis æternitati vovenda esse: ut quandoquidem estis Æternitati consecrati, Æternitati vivatis, Æternitati laboretis, Æternitatem cogitetis, Æternitatem annuncietis & prædicetis, ad Æternitatem respiretis, in qua Supremi & Æterni Sacerdotis Jesu Christi aspectu digni sitis, cum illo hostiam laudis perpetuæ, & perfectissimæ amoris Æternum Holocaustum oblaturi. Hujus rei gratia similiter flecto genua cordis mei ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, totis animi mei votis idipsum ab eo contendens. Hujus etiam rei gratia liber iste in lucem modo emittitur, quem omnibus Sacerdotibus offero, ac specialiter è illis, qui sub vexillo ac Regula S. P. S. CAROLI BORROMÆI pietatem sectari desiderant, quorum hortatu, consilio, suasu hæc elucubravi. Et quoniam numerus eorum in Habania, Arduena, Fania, Hannonia accrevit, ipsis Ducis ac Patris, quem sequi cœperunt, vestigia relegere poterunt & imitari. Cæterùm quia in hoc opere non parum laboris insumere mihi necesse fuit, hanc ab eis gratiam rependi opto, ut torpentem in via Domini gressum meum, precum ac sacrificiorum suorum spiritu valido promovere dignentur. Atque ita Apostoli Pauli verbis exorsus, eisdem quoque verbis concludo, & coronidem hanc adjecto:* Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus secundum virtutem, quæ operatur in nobis, ipsi gloria in Ecclesia, & in Christo Jesu, in omnes generationes sæculi sæculorum. AMEN. Eph. 3. 20.

LECTIO I.

Virga est hieroglyphicum status Sacerdotalis.

Virga designat potestatem.

DE NOMINE, ET SIGNIFICATIONE MYSTICA VIRGÆ.

STATUM Sacerdotalem Virgæ nomine rectè designari, ut clariùs declarare valeam, paulò altiùs repetenda est. Ex sacris igitur & profanis Scriptoribus exploratum esse potest, nomine Virgæ potestatem aliquam solere designari.

Gestamen 1. Regum.

Hinc 1. Virgam gerunt Reges, regiæ suæ potestatis symbolum, quam Sceptrum vocamus. De Assuero Rege refert Scriptura sacra: neminem non vocatum Regis atrium interiùs ausum ingredi, *nisi forte Rex auream virgam ad eum tetenderit pro signo clementiæ.*

Esth. 4. 11.

2. Etiam Principes primos à Rege, virgam & sceptrum, quasi suæ potentiæ indicium, gessisse, colligi potest ex Apostolo ad Hebræos 11. ubi indicat Joseph in Ægypto virgam in Principatûs sui testimonium gessisse, dum dicit: *Fide Jacob moriens, singulos filiorum Joseph benedixit, & adoravit fastigium virgæ ejus.* 2. *Principum.* Heb. 11. 21.

3. Romani Prætores virgam gerebant. Unde dum manu mittebant servos, eorum capita solebant virgâ attingere, quæ dicebatur VINDICTA, vel VINDICIA. Hinc Cicero in Topicis: *Si neq; censu, neq; vindicta, nec testamento liber factus est, non est liber.* Persius quoque Satyra 5. 3. *Prætorii Rom.* Cicero. Persius.

Vindicta postquam meus à Prætore recessi;
Cur mihi non liceat, jussit quodcunque voluntas?

4. Judices in tribunalibus virgâ uti solent, in symbolum potestatis vindicativæ, & punitivæ, quæ eis ex officio competit erga improbos, 4. *Judicis.*

Digitized by Google

Ps. 44. 7. nempe advigilare debent, ut potestas, quam fortiuntur, sit *Virga directionis, Virga æquitatis, Virga correctionis.*

5. Pastorale seu episcopum.

5. Pastores ovium, Virgam, sive Baculum Pastoralem ad oves dirigendas, ab initio sæculi, sive artis pastoritiæ, gestâsse, ex antiquis Scriptoribus & Scripturis deduci potest. Hinc illud:

Pastor ovis baculo minat, lupus ore minatur.

Traduntur, ab illis derivatum esse morem, ut Reges sceptra gerant, quasi baculos pastorales; cùm ipsi non aliud sint, quàm pastores populorum; sic enim vocat Homerus Regem Agamemnonem. Quapropter etiam Philo dixit, *Pastoralem artem esse præludium ad regnum.* Sic David, & Moyses, aliique antiqui, ab ovibus ad regnum translati, à regendis ovibus didicerunt populos regere.

Philo l. de Josephe.

Virga est significans potestatis spiritualis.

Denique, ad potestatem spiritualem hæc translata sunt, ita ut ad eam significandam, nomine Virgæ sæpius utantur sacræ literæ. Sic enim loquitur Regius Propheta de potestate annuntiandi verbum Dei, & de ipsa prædicatione per Apostolos initiata: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.* Quasi dicat: O Christe, Pater tuus æternus, sceptrum regiæ & Sacerdotalis tuæ potestatis agnosci & dominari faciet, per verbum prædicationis, quod primò exibit de Sion, post Spiritus S. adventum: virtute illius, quasi per virgam potentiæ tuæ ac fortitudinis, conteres eos, qui tibi adversantur, & subjicies dominatui tuo, ita ut amodò non resistant tibi, sed victas manus tradant; & exinde per fidem regnans, dilatabis imperium tuum, non solum inter Judæos, sed etiam inter Gentes infideles. Apud Zachariam quoque loquens Dominus de regimine populi sui, dicit: *Assumpsi mihi duas virgas, unam vocavi Decorem, id est unam vocavi funiculum, & pavi gregem.* Virga *Decoris*, hoc est, suavi, speciosoque regimine regimur pij: Virga *Funiculus* nuncupata, hoc est, severo & pœnis regimine permixto, regimur impij; & in hoc Deum imitari debent, qui ab illo regendi sortiuntur potestatem.

Ps. 109. 2.

Zachar. 7.

In Ecclesia est omnium istiusmodi virgarum usus.

Ortus exinde mos est in Ecclesia, ut symbolum potestatis spiritualis in quibusdam specialibus officijs virgas gestare. Sic Episcopi & Abbates insignium eminentiæ suæ dignitatis virgam pastoralem gerunt, quam Pedum vocamus. Sic Decanis, & aliis Prælatis, vel viris indignitate constitutis, argentea virga præfertur in solemnibus Officijs Ecclesiasticis. Sic & Romæ Pœnitentiarij virgas gestant, quibus capita pœnitentium attingunt, in symbolum specialis auctoritatis eos judicandi, absolvendi, in libertatem vendicandi discussis Satanæ & peccati laqueis. Sed & per Virgam antiquitùs inauguratum fuisse Moysen & Aaronem ad regendum populum, idque ex speciali Dei ordinatione, nemo est, qui ignorat. Virgam enim tenebat Moyses in manu, qua gregem suum ad interiora deserti minabat, ut dicit Scriptura, & jussus est eam in terram projicere: cumque projecisset, versa est in colubrum; sed cùm iterum apprehendisset, reversa est in virgam, & per illam multa prodigia patrata sunt in Ægypto. Itaque per illam virgam inauguravit Dominus Moysen, & Ducem populi constituit: nam non aliud illa significabat, quàm potestatem sibi à Deo datam, qua Ægyptios percuteret & puniret, Hebræos verò regeret & duceret: ita ut virga hæc Moysi fuerit instar sceptri, quod Ægyptijs formidabile fuit, & exolum instar serpentis & colubri; Hebræis verò amabile instar virgæ & baculi pastoralis. Atque etiam cum Moyses non solum Dux populi; sed & Sacerdos fuerit, dicente Psalte: *Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus.* Virga hæc etiam Sacerdotij symbolum ipsi fuit, qua fuit insignitus tanquam Legatus vices Dei gerens, tanquam Sacerdos, tanquam Mediator inter Deum, & populum, tanquam miraculorum Operater, quibus ostenderet se Deum Pharaonis. Hinc & illa virga vocatur, *Virga Dei.* Nam sic loquitur Scriptura: *Reversus est Moyses in Ægyptum, portans virgam Dei in manu sua.* Ubi addunt Hebræi, virgam istam fuisse quadratam, & in quatuor lateribus nomen Dei Tetragrammaton, sive quatuor litterarum, inscriptum fuisse, ita ut singulis virgæ lateribus una nominis litera esset incisa, ideoque dici, *Virgam Dei.*

Ps. 98 6.

Exod. 4. 20.

Virga Aaronis fuit indicium potestatis Sacerdotalis.

Num. 17.

Sed de virga Aaronis potissimùm nobis sermo, quæ specialissimè per divinam ordinationem Sacerdotalis potestatis fuit indicium, producens divinitùs frondes, flores, fructus, & per id Aaronis electionem ad Sacerdotium designans. Nam tum ob seditionem Core, cum suis contendentis cum Aaron de Sacerdotio, gravis murmur obortum fuisset; Deus ut litem visibili signo dirimeret, jussit singulas Tribus, earumque Principes, virgam suam adferre, cui inscriptum esset nomen Principis, seu Primogeniti illius tribus, illasque poni in tabernaculo fœderis, coram arca testimonij in Sancto Sanctorum. Fierunt que virgæ duodecim, præter virgam Aaronis, quæ erat virga tribus Levi; nam tribus Joseph erat divisa in duas, Ephraim scilicet, & Manasse. Cum ergo posuisset Moyses virgas coram Domino, sequenti die regressus, invenit germinâsse virgam Aaron, quæ erat Primogenitus de tribu Levi. *Et surgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt*; hoc est, forma florum mutata & definenta, gemmæ eorum transformatæ sunt in fructus amygdalarum. Manifestum ergo fuit hoc miraculum, & indicium electionis divinæ; nam hæ virgæ erant prorsus aridæ & siccæ, sicut fulciones vel baculi viatorum, nec naturaliter poterant revirescere. Deinde triplex quasi miraculum cernitur. Primum in eo, quod gem-

Num. 17.8

Miracula facta in virga Aaronis triplex.

Digitized by Google

ras sive baccas germinarit; secundum, eo quod baccæ hæ subitò conversæ sint in flores; tertium, eo quod flores eodem penè tempore in fructus sint conversi. Denique, probabilis est opinio, quam habet Tostatus, & alii, nunquam tuisse desiccatam, sed semper mansisse cum floribus, vel potius fructibus. Ratio afferri potest, tum quia perfecta sunt Dei opera & miracula: tum quia Virga hæc fuit perenne memoriale & testimonium apud posteros rei gestæ, quod per virgam florentem familiæ Aaronis esset consignatum Sacerdotium; hoc autem posteris non ita probari poterat per Virgam siccam. Sic manna semper fuit sui simile, & incorruptum in tabernaculo servatum, ut posteris fidem faceret illius quod populo pluerat in deserto. Ergo & de Virga Aaronis idem dicendum quam in arca fuisse, cum tabulis legis servatam (hoc est, circa arcam cum manna) tradit Apostolus. Nunc autem ignotus est locus, in quo arca delituit, quia abscondit eam Hieremias, *& dixit ignotum fore locum, donec congreget Deus congregationem populi sui, & propitius fiat.* Quod de fine mundi intelligunt S. Epiphanius & Dorotheus Martyr, & alii cum eis. Tunc autem manifestabitur, ut certiùs Judæi cognoscant, se in Christum credendo veros esse filios Abrahæ, discipulosque Moysis & Prophetarum, cùm viderint Jeremiæ Prophetiam impletam suo tempore, & se arcam habere, quam majores sui caruerant. Tunc ergo fortitan etiam apparebit Virga Aaronis, quæ circa arcam servari solita erat. Quò verò Virga Moysis devenerit, incertum est; maximè cùm Apostolus ad Hebr. 9 tantùm meminerit Virgæ Aaronis quæ fronduerat, quam aliam fuisse à Virga Moysis plerique arbitrantur. Nam Virga Aaronis vocatur Virga Levi, non Virga Moysis, Numer 17. Et cæteri Principes suspectum habuissent Aaronem & Moysem, si ipse fratri confinxisset Virgam illam, quæ tot portentorum fuerat operatrix, cum ibi communem virgam acceperent, consequenterque miraculum florentis Virgæ non Aaroni, sed Virgæ tribuissent. Fuit ergo Virga Aaronis communis, sicut & aliorum, quas omnes ex Amygdalo fuisse tradunt Hebræi, de more ejus gentis, quæ ex ea potissimum arbore, scipionibus utebatur. Amygdalus enim excellit in surculis, sive ramis rectis & proceris, ita ut apta sit ad virgas & scipiones senum conficiendos. Virgæ porro Moysis partem inventam esse anno Christi 1008. ad eamque ex Gallia, Italia aliisque Provinciis multos confluxisse narrat ex Glabro Baronius.

Toſtat. in hunc loc.

Heb. 9. 4.

2 Mach. 2. 7.

Baron. ad an. 1008.

LECTIO II.

EXPLICATIO VIRGÆ AARONICÆ.

SED jam breviter explicemus, quomodò hæc Virga Aaronis Sacerdotalis vitæ & perfectionis imaginem gesserit, quod potissimùm ad scopum nostrum spectat. *Virga Aaronica fuit*

Dicamus ergo *primò*, in eo quod Virga illa recta fuerit, non curva aut inodosa, insinuari, quomodò vita Sacerdotis à curvitate peccati & nodositate vitiorum libera esse debeat; alioquin reprobandam fore, ignisque æterni incendio operiri debere. Sic ergo recta & procera, divinæ regulæ conformis, non sit ad terram incurvata, nec de ligno spinoso aut præfracto; ut erga alios possit esse, Virga directionis, Virga correctionis erga Deum, Virga electionis, Virga dilectionis. 1. *Recta*

Dicamus *secundò*, in eo quod Amygdalina fuit, significare vigilantiam Sacerdotalem & Pastoralem. Amygdalus enim est symbolum vigilantiæ apud veteres, eo quod prima evigilet post hyemem, primaque floreat. Unde quod Jeremias dicit, *Virgam vigilantem ego video*, alii vertunt, *Virgam amygdalinam ego video.* Rectè itaque designat vigilantiam, quam pastores & Sacerdotes gerere debent, cum erga se, tùm erga gregem. Erga se quidem, ne passionibus & vitiis in animum forsan irrepentibus locum det dormiendo, & cum torpore se gerendo. Hinc Thomas à Kempis: *Vigila super teipsum, excita teipsum, admone teipsum, & quicquid fit de aliis, non neglige teipsum. Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris.* Erga gregem verò vigilare etiam tenentur, ne lupo feraumque spiritualium occursibus & infestationi pateant, ne corruptiores, ne pernicioſi errores gregatim irrumpant, & fero laniatu ovile Domini cum sibi concreditum discerpant. Imitari debent vigilem Pastorem fidumque Jacob, dicentem ad Laban. *Viginti annis fui tecum, oves tuæ & capræ steriles non fuerunt: arietes gregis tui non comedi, nec captum à bestia ostendi tibi; ego damnum omne reddebam, quidquid furto periebat, exigebas à me, die æstuque æstu urebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.* Quapropter ipsos etiam monet Apostolus in persona Timothei: *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple.* Nempè excubare debet pastoris cura pro totius gregis salute, & sicut non dormit, neque dormitat, qui impugnat & conterebat Israel, ita nec dormitare decet aut dormire, qui custodit Israel. 2. *Amygdalina.* Jer. 1. 11. Kemp. l. 1. de Imit. c. ult. Gen. 31. 38. 2. Tim. 4. 5

Dicamus *tertiò*, in hoc quod Amygdalus inter arbores primas flores producit, [illegible] virtutis, qua alios præire ad bene vivendum debet Sacerdos? & ex cæteris arboribus [illegible] 3. *Amyg-*

Digitized by Google

plantanas, ad florendum quodammodo exemplo suo invitare. Atque cùm perpetuò (ut diximus supra) flores fructusve conservat Virga Aaronis in testimonium posteris, etiam hoc ipsum designat, teste S. Ambrosio. *Quod nunquam Sacerdotalis marcescat gratia, & in summa humilitate, habeant in suo munere commissa sibi potestatis florem.* Designat ergo id perseverantiam in flore & fructu perfectionis, quam in sacra cordis sui arca diligenter debent adservare Sacerdotes.

S. Ambr. l. 10. ep. 82.

4. Virga Aaronis bacchas. flores, fructus simul produxit.

Dicamus *quartò*, in eo quod Virga Aaronis subitò gemmas seu bacchas, deinde flores, statimque fructus produxerit, significari quomodo Sacerdotes expediti esse debeant, prompti & efficaces ad omne bonum & ad omnem fructum citò producendum. Mox enim ut germinarint gemmas & baccas, hoc est, sancta intus desideria, statim flores subsequi debent, hoc est, firma proposita & resolutiones; exinde sine mora illas ad effectum deducendo, e floribus fructus efforment. Non sint de illis arboribus, quæ multas frondes & germina, multosque flores producunt, sed paucos fructus, quia statim flores decidunt manet. Hoc est, non sint de illis qui multa pia desideria, multa bona propolita germinant, sed omnia minimo ventu defluunt, & pauca tandem ad effectum deducunt. De quibus possumus dicere illud Job. 15. *Ladet eos quasi Vinea in primo flore.*

5. Amygdalus primo florens multas asperis injurias sustinere debet. Matth 10. 24.

Dicamus *quintò*, in eo quòd primò florens Amygdalus debeat frigora multa, grandines, pluvias, ventos sustinere & superare, designari, quod vita Sacerdotalis pia & florida debeat esse cum patientia conjuncta; eo quod illa non sit libera è multis adversis, à contradictione linguarum, à statu malignantium, ab infestatione improborum, aliisque grandinibus & ventis, ejus florem lædere conantibus. *Non est enim discipulus supra Magistrum, nec servus major Domino*, si ergo tot passus est contradictiones, tot maledicta & adversa Jesus Nazarenus potens in opere & sermone, ita ut Hypocritæ & voracis & seductoris nomen calumniosè ei ingestum fuerit; quid aliud exspectare debent ejus discipuli, & supremi hujus Sacerdotis ministri, qui, vestigijs ipsius volunt insistere; Certè non possunt esse liberi ab interiori vel exteriori afflictatione, si in Christo pie volunt vivere, sed instar Amygdali, inter pluvias & ventos debent fortes & floridi permanere.

6. Amygdalus corticem durum & amarum habet.

Dicamus *sextò*, in eo quod Amygdala exterius in cortice duritiem & amaritudinem habent, indicari austeritatem & mortificationem à Sacerdotis vita non debere abesse, ut possit fructus amygdalinos proferre. Hoc his verbis explicat S. Greg. Nyss. libr. de vita Moysis, de hac Virga sermonem faciens: *Aspera & exhorrenda, duraque debet esse exteriùs Sacerdotis vita, intus autem in occulto suave quodpiam edulium continere: quod tunc manifestatur, cum maturum fuerit, eumque corruptum fuerit stipticus & circumfusus cortex, & lignea nuclei testa defracta.* Cui consonat quod idem Philo, cum dicit per Amygdalum significari, opus esse aspero conatu & labore, ut quis dulcem virtutis fructum assequatur: ut quia enim fructus Amygdali fruatur, debet prius durum perfringere corticem quo fructus & nucleus contegitur. *Nucis extremum putamen est amarum, ligneus cortex interior est austerus & solidus, qui sit, ut fructus non sit in promptu nisi utroque munimine.*

Philo l. de vit. Moysis.

7. Virga Aaronis est percussa petra.

Dicamus *postremò*, hâc Virgâ percussam esse petram Numer. 20. Nam ibi dicitur: *Tulit Moyses Virgam, quæ erat in conspectu Domini.* Hoc est, quæ reposita erat in tabernaculo. Constat autem Virgam Aaronis repositam fuisse in tabernaculo, ex Apostolo ad Heb. 9. De virga autem Moysis ignoratur quò devenerit, & ita certius dicitur Virgam Aaronis percussisse petram, & aquas eduxisse, Itaque significatur, Sacerdotum esse, divino verbo & potestate percutere dura corda, lachrymasque ab illis elicere: atque etiam ipsorum esse è Christo petra mystica, aquam gratiæ copiosam educere in gratiam populi. Illis nempè dicitur: *Loquimini ad petram & dabit vobis aquam.* Ad quam petram: Ut que ad duplicem. 1. Loquimini ad cor petreum & impœnitens, ut contritionis aquas donet verbo compunctionis a vobis percussum. 2. Loquimini etiam, & maximè ad Christum, qui his quando vult siccis & duris cordibus aquam gratiæ non denegat abundantem.

Num. 20.8

CONCLUSIO AD SACERDOTES.

Concludo tandem, & dicta breviter retolligens, sermonem ad vos converto, ô Sacerdotes & Ministri Domini, Fratres Patresque mei: Cùm filiorum Aaron honore & nomine gaudeatis, & quod apud illos in typo gestum est, vos exhibere debeatis in veritate, vitam ad exemplar & imaginem illius Mysticæ virgæ decet vos componere. Sit ergo vita vestra recta & erecta Cœlum versus, non nodosa aut curva; ne de vobis vetum sit: *O curva in terras animæ, & cœlestium inanes!* Sit florida quoque, & vigilans instar Amygdali non tardè, sed tempestivè flores producens. Sit in perfectionis exemplum posita, & alios præflorens, & ad pietatis similem florem germenque producendum præinvitans. Nec solum frondes aut folia germinet, hoc est desiderta, propolita, aut verba pietatis; sed & ipsum fructum efficaciter producat. Sit quoque constans & patiens, nec à flore aut fructu retardetur, ob ventos aut grandines, ob adversa exterius interiusque infestantia; sed perseveret florida, & nunquam marcescat, Dei protegente eam gratia. Sit denique austeritate & mortificatione quasi quodam asperiori cortice obtecta, ut securiùs suavem suum fructum intus alat & conservet. Sic fiet, ut directionis Virga sit pro pijs, Virga correctionis pro impijs

impiis, ita ut exemplo vitæ vestræ, & verbo doctrinæ intus percussi, impietatem deferant & per pietatis viam ad aquas gratiæ, per contritionis lachrimas revertantur. Hæc satagite, huic rei advigilate, sic etiam veltram electionem & vocationem facietis.

Habemus exemplar quod intueamur in nostro Aarone, in S. CAROLO BORROMÆO, qui posteriobus his sæculis, tanquam novus Aaron ad Sacerdotium & Sacerdotalis perfectionis apicem supremum à Deo est vocatus, omnibusque Sacerdotibus ut perfectionis archetypus propositus: cujus & virga in tabernaculo Domini conservatur, dum ejus vita tanquam sanctitatis norma in Eccleli Dei in pretio habetur, & celebratur; vita ejus, instar Virgæ Aaronicæ, rectissima persistit, tanquam peccato mortali incurvata, vel præfracta. Florentissima fuit omnigenæ virtutis flore, ita ut illud ei conveniat: *Super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea*, Vigilantissima fuit in omni Sacerdotali & Pastorali muncre, ita ut cum Apostolo dicere potuerit: *Præter ea quæ extrinsecus sunt instantia mea quotidiana, sollicitudo Ec lesiarum*. Constantissima fuit inter ventos & turbines, inter ot persecutiones, contradictiones, conspirationes, nihil umquam viroris, nihil floris deperdidit. Cortice aspero fructus suavis interiùs obtegebatur, quia vitam duxit in contemplatione suavem, sed in cinere & cilicio carnisque mortificatione absconditam. Denique ita exemplo vitæ & verbo doctrinæ cleri sui, & populi cor antea durum emollivit, ut myriades animarum ad meliorem mentem vitamque traduxerit.

Luc.1.18.

2.Cor.11. 28.

LECTIO III.

DE OBLIGATIONE SACERDOTUM AD PERFECTIONEM

Non solos Religiosos, sed omnes Christianos ad perfectionem obligatos.

ERror est communis satis & popularis ad perfectionem tan ùm illos obligari, qui per Religionis vota se Deo consecrarunt: & à populi consortio ad vivendum sibi & Deo segregarunt, ita ut Religionis claustris putent hanc perfectionem concludi, nec in sæculo agentibus obligationem ad eam tendendi, imponi. Veruntamen ex sacris litteris constat, illam omnibus Christianis à Christo proponi, omnesque ad eam invitari. Si antiquis in conjugio agentibus vitæ perfectio proposita fuit, ita ut dixerit Dominus Abrahæ, ac similibus inter curas liberorum & domesticorum negotiorum degentibus: *Ambula coram me, & esto perfectus*; annon multo magis hoc ipsum in lege perfectionis omnibus dictum censebimus? An non omnes Christus alloquitur dicens, *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est* Sane perfectio sectanda hic intimatur omnibus illis, qui filios Dei se profitentur; quare go eam negligunt, sciant se à numero filiorum excludendos. Interim, sicut Deus ab initio creationis voluit unamquamq; arborem producere fructus juxta genus suum, ita idipsum decernit in horto suo mystico, volens unumquemque Fidelem, tanquam plantam à se insitam & rigatam, perfectionis fructum producere juxta vocationem suam. Et hinc certum est strictiorem obligationem tendendi ad perfectionem incumbere Sacerdotibus, quàm laicis & plebeis. Ac sicut virga Aaronis non quoslibet flores aut fructus dedit, sed amygdalinos & perfectos, electionis divinæ & specialis vocationis indices; ita Christus juxta vocationem sacerdotalem & electionem, à Membris suis frondes, florem, fructumque requirit perfectæ vitæ & sanctitatis. Id verò ut methodo Theologica procedamus, primò ex Scriptura, deinde ex Sanctorum Patrum doctrina, denique ex rationibus ad hoc allatis, demonstrandum nobis est.

Sacerdotibus incùmbere strictiorem obligationem perfectionis, quàm laicis.

DECLARATIO EX SCRIPTURIS.

PRimò quidem si Scripturæ Oracula consulimus, manifesta est illa Domini sententia Sacerdotes concernens: *Sancti estote, quia ego* SANCTUS *sum*, quia sanctifico vos. Quod si Sacerdotibus id antiquis dicitur, quanto magis Sacerdotes novæ legis concernit: quandoquidem eis tradita est lex perfectionis & amoris, & Sacerdotium longè perfectius, quàm vetus; in quo non animalium, sed agni immaculati caro & sanguis cum divinitate immolatur. Si ab eis perfectio & sanctitas requirebatur, qui ad arcam fœderis, aut vasa tabernaculi portanda erant destinati: quidnam requiretur ab eis, qui divinitatis Sanctuarium (Christi corpus) quotidie manibus sacratis debent tractare, & Sanctum Sanctorum in medio sui collocare? Si ab eis, qui incensum & panes offerunt, quid ab illis, qui deificum panem divinitati conjunctum tanquam Angeli Dei conficiunt, offerunt, sumunt, ministrant? Olim itaque separavit Deus tribum Levi ad perpetuò serviendum sibi, sed hoc in typo ministrorum & Sacerdotum novæ legis, quos sibi eligens Deus ad eminentius longè ministerium, segregari vult à communi plebe, non distantiâ locorum, sed disparitate morum, ut sicut ab illis segregantur status eminentiâ & distinctione, sic & ab illis separentur eminentiâ vitæ, & sanctiori conversatione. Decet nimirum eos nullis intendere popularibus negotijs & cogitationibus, nullis implexos esse cupiditatibus, nullis involvi impedimentis: ut excellentiorem vitæ rationem ineant, divino cultui, cœlestiumque rerum tractationi vacantes. Certè quantum distat cœlum à terra, tantum Sacerdos à plebe distat: igitur & Sacerdotalis vita non minùs distare debet à conversatione saculari & plebeja. Illis maximè convenit dicere cum Apostolo: *Conversatio nostra in cœlis est*. Namlicet in terris inter homines agant, tamen

Levit.19.2.

Phil.3.20.

Digitized by Google

tamen ad hunc solum scopum cum hominibus conversari debent, & cum terra commercium habere, ut hominibus benefaciant, ut in illos amorem & gratiam Jesu Christi influant, ut secum ad cœlestia pertrahant. Sicut ergo cœlum à terra distantissimè elevatum, tamen cum terra quoddam habet commercium influendo, idque in ipsius terræ commodum: ita Sacerdotibus convenit cum terrenis hominibus quandoque conversari, sed id in spirituale eorum emolumentum, ut de terrenis cœlestes efficiantur. Sint itaque Sacerdotes velut cœli elevati à terra per contemplationem, ampli per charitatem, splendidi per sapientiam, semper sereni per animi tranquillitatem, celerrimè moti ab intelligentia per obedientiam, pluentes per instructionem, tonantes per objurgationem & reprehensionem, fulgurantes per bonorum operum vividam lucem, multa bona terris largientes, & nihil ab eis quærentes per veram liberalitatem, purissimi ab omni sorde per vitæ sanctitatem. Deique sint habitaculum, sicut & cœli, per justitiam perfectam.

Sacerdotes sunt velut cœli.

Secundò notum est ex Scripturis, Sacerdotibus sæpè tribui nomen Angeli: sic enim loquitur Malachias: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem ex ore ejus requirent, quia Angelus Domini exercituum est.* Sic loquitur & S. Paulus ad Corinth. *Velamen debet habere mulier super caput propter Angelos*; hoc est, propter reverentiam Sacerdotum, qui tanquam Angeli Deo ministrant, convenit velari in loco sacro mulieres, ne forte vani alicujus, aut lubrici aspectûs occasionem suggerant. Sic etiam in Apocal. Prælatis Ecclesiarum nomen Angeli tribuitur, dum Joanni dicitur: *Angelo Ephesi scribe, Angelo Philadelphiæ, Angelo Thyatyræ, &c.* Cur verò Angeli nomen Dei ministris tribuitur, nisi ut indicetur ab eis requiri Angelicam vitam, puritatem, sanctitatem, quandoquidem & illis in officio assimilentur? Sicut ergo Angeli semper vident faciem Patris, sic convenit Sacerdotes in præsentia Dei semper ambulare, illumque contemplari oculo mentis, illi ministrare assistendo, illi assistere ministrando. Et sicut Angeli hominum sunt *administratorii spiritus, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis*, simili ferè modo Sacerdotes hominibus præsunt ut custodes, ut in viam salutis directores, ut inter Deum & ipsos mediatores, ut constituti à Patre tutores & actores. Itaque hæc omnia inclamant eminentiam status ac muneris eorum, cui fœdere inviolabili vitæ perfectio & puritas debet conjungi.

Mal. 2. 7.

1. Cor. 11. 10.

Apoc. 21. v. 18.

Heb. 1. 14.

Tertiò idem deducitur ex Apostolo variis locis, sed potissimùm ad Corinthios cap. 6. ubi specificans quantam perfectionem, & quàm vividum florem omnigenæ virtutis à suis Sacerdotibus requirat Deus, inter cætera sic ait: *Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in angustijs, in laboribus, in vigilijs, in jejunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiæ à dextris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam.* Ecce quot virtutum flores contexuit Apostolus, ex quibus sertum conficiat, quo Sacerdotum & Ministrorum Dei capita adornari est necesse. Quam multa consociat perfectionis munia, quæ ab illis exigi protestatur, si ve è Ministri Dei dici, & esse desiderent. Si olim opere polymito contexta vestis Sacerdotalis, auro, byssо, purpura, hyacintho, cocco retorto & bis tincto effulgere debebat, typus erat polimitarum virtutum, quibus debet Sacerdotalis vita promicare. Quod ergò illi gestabant in vestibus, nos debemus imprimere in cordibus, exprimere in moribus ut effulgeat in nobis, & efloreat super nos sanctificatio illius, cujus Ministri constituti sumus. Nemo igitur conqueratur, si Apostolicæ doctrinæ inhærentes, multa à ministris Dei requirimus, & plura quàm communis eorum fert opinio cogamur dicere, & docere. Nempe ipsis plus cœlitus a Deo creditum est, quàm ipsi videantur credere: ideoque plus ab illis exigetur, quàm ipsi à seipsis videantur exigere. Casula illa & Pœnula Sacerdotalis, majoris est ponderis, quam communiter existimetur: pondus illius appendant in sicio sanctuarij, qui illa se vestire vel adornare gestiunt. Quidam Vir sanctus cùm audisset mortem cujusdam recens ei Sacerdotio initiati, quid crebatur sciam semel Sacrum celebrasse, sacraque veste semel indutus fuisse, subjecisse fertur: *Multum ponderis secum defert ad Judicem.*

Exod. 39. 1

M. Avila teste Molinâ.

LECTIO IV.

DECLARATIO OBLIGATIONIS SACERDOTALIS EX SS. Patribus.

COnformis est jam dictis Sanctorum Patrum doctrina, inter quos sic loquitur Sanctus Ambrosius: *Audite me beatissimi Patres, & si dignum existimatis sanctissimi Fratres. Audite me stirps Levitica, germen sacerdotale, propago sanctificata, Duces & Rectores greges Christi: Audite me rogantem vos pariter & timentem, & honorem sacerdotalem demonstrare volentem, ut cùm honoris vobis prærogativam monstramus, merita etiam congrua requiramus. Dignum est enim, ut dignitas Sacerdotalis prius nescatur à nobis, & deinde servetur à nobis, ut Psalmographi sententia repelli queat à nobis: Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Ita ipse libr. de dignitate sacerdotali. Idem quoque epist. 6. ad Irenæum, refricat Pythagoræ, manda

Ambr. l. de dign. Sacerd.

Ps. 48. 14.

Idem Amb ep. 6.

Digitized by Google

rum, quo discipulos suos communem & usitatam populo viam ingredi prohibuit, ac multò magis ad Levitas & Sacerdotes, quos Dominus à turbis separari præcepit, pertinere his verbis eleganter docet: *Vides nihil in Sacerdotibus plebejum requiri, nihil populare, nihil commune cum multitudine, sobriam à turbis gravitatem, seriam vitam, singulare pudus dignoratio sibi vendicat dignitas sacerdotalis. Quomodo enim potest observare à populo, qui nihil habet secretum à populo, nihil dispar à multitudine? Quid enim in te miretur, si sua in te recognoscat, si nihil in te aspiciat, quod ultrà se inveniat, si qua in se erubescit, in te etiam offendat? Supergrediamur igitur strata gregalis conversationis, sit nostra via angustior, virtus exuberantior, trames prælior, fides sublimior, cella arctior, ut ger mentis exundans, sit gressus ad superiora.*

Isid. l. 2. ep. 2. *Virtutes Sacerdotales.*

Consonant & alij Patres, inter quos Isidorus Pelusiota lib 2 epist. sic dicat: *Sacerdos debet esse Christi alumnus, à peccatis segregatus, rector non raptor, speculator non speculator, dispensator, non usurpator, pius in judicio, justus in consilio, devotus in choro, stabilis in Ecclesia, sobrius in mensa, prudens in latitia, purus in conscientia, assiduus in oratione, patiens in adversitate, lenis in prosperitate: dives in virtutibus, expeditus in actibus, sapiens in sermone, verax in prædicatione.* Hæc ille.

Lan. Just. lerm. de corpore Christi.

Audiamus & B Laurentium Justinianum ser. a de Corp. Christi: *Accedat Sacerdos ad altaris tribunal ut Christus, assistat ut Angelus, ministres ut Sanctus, populorum offerat vota ut Pontifex, interpellet pro pace ut Mediator, pro se autem exoret ut homo: huic expedit ut divina laudis sit amator, religiosus in sacrificio, humilis corde, & ergà proximorum errata compassione compunctus.* Hæc ipse.

Omitto S. Chrysostomum, aliosque, qui ex professo de sacerdotio libros ed dê e, ut illius perfectionem plenius declararent, & Sacerdotum animis imprimerent, quos non communi, sed divina quadã & eminenti virtute ac sanctitate præditos esse debere inculcant, totosque Deo divinisque consecratos. Undè differentiam afferunt inter Laicos & Sacerdotes, quod Laici sint velut sacrificium oblationis, quod partim Deo offerebatur, partim offerenti cedebat; aliquando cor tantum & viscera animalis Deo offerebantur, cætera Sacerdoti obtingebant in partem. Sic Deus cor quidem & animum eorum qui in conjugio agunt, exposcere videtur, attamen corporis vires & membra permittit sæculi negotijs quandoque impendi. Sacerdotes verò holocausti rationem habere debent, cujus nulla pars erat, quæ Deo non offerebatur, & cultui divino mancipabatur, ac igne comburebatur: ipsorum ergo tota vita, omnia desideria, opera, verba, igne divini amoris incendi debent in obsequium Dei. Hinc He-

Hesich. in c. 6. Levit. sichius explicans illud Levit. 6. *Præcipe Aaron & filijs ejus: Hæc est lex holocausti, crematitur in altari tota nocte usque mane: sic ait: Sacerdos juge & continuum debet esse perfectionis holocaustum, ut à perfe-*

Ita sapientia incipiens in mane ætatis & juventutis, in eadem vesperam senectutis & vitæ finiat.

LECTIO V.

DECLARATUR IDEM RATIONIBUS ET EXEMPLIS.

Rationes, cur Sacerdotes præ cæteris perfectioni studere debeant.

EX doctrina jam tradita, quæ ex Scripturis, quæ ex sanctis Patribus, multiplices rationes deduci possunt, cur Sacerdotes præ cæteris ad perfectionem teneantur, eamque eminentem. Nempe cum sint in statu perfectissimo & eminentissimo, necessario sequitur obligatio conformiter huic statui & vocationi vitam agendi: cuiquidem obligationi nequit satisfieri, nisi per virtutem & perfectionem sublimem per vitam Deiformem. Hæc est doctrina sancti Ambrosij libr. de dignitate Sacerdotali, ubi ait: *Nihil est in hoc sæculo excellentius Sacerdotibus, si quod summum professione, actione potius, quàm nomine demonstremus, ut nomen congruat actibus, actio correspondeat nomini; ne sit nomen inane, & crimen immane; ne sit honor sublimis & vita deformis; ne sit divina professio, & illiterata actio.* Quàm eminens autem sit Sacerdotalis status, non est necesse multis probare, cùm functiones Sacerdotij id satis demonstrent. Cùm enim versentur circa corpus Christi verum, illud consecrando, offerendo, distribuendo; tum circa corpus Christi mysticum, peccata remittendo, animas sanctificando, judicando, languinis ac spiritûs Christi participes efficiendo: sicut hæ functiones omnem creatam potestatem transcendunt, ita sanctitatis gratia & perfectio correspondens, omnem perfectionem debet supereminere. Et sicut potestas Sacerdotalis est supremæ dignitatis Christi participatio: ita gratia, perfectio, spirituque vitæ Sacerdotalis debet esse participatio vitæ, spiritûs, gratiæ Iesu Christi in gradu eminenti. Denique cum eam in alios teneantur Sacerdotes transfundere, debent ubertim prosè & alijs continere, tanquam secundarij fontes gratiæ, ipsi fontali origini proximi & conjunctissimi.

1. Ratione status & vocationis. Amb. l. de dign. Sacerd.

2. Potestatis.

3 Communicationis.

Ex his colige, statum Sacerdotij sublimiorem esse statu Religionis, majoremque obligationem ad perfectionem & sanctitatem includere: quod non parum à Sacerdotibus ponderandum foret, & ab ijs qui nimis facilè & sine prævio examine, divinoque consilio ad Sacerdotium convolant, illius haud satis notis sibi vinculis se irretiunt, animasque suas illa queant. Hinc est, quod multi in Religione pietatis laude illustres, nunquam ausi fuêre ad Sacerdotium aspirare.

S Franc. de quo Bonav in vita ejus.

S. Francisco, cùm post importunam Fratrum interpellationem de ea re meditabundus, & velut deliberans incideret, apparuisse ferunt Angelum,

Digitized by Google

in manu phialam crystallinam limpidissimam gestantem, hisq; eum verbis allocutum: *Francisce, dece animum illiusqui Sacerdotio instrui desiderat, instar hujus crystalli effulgere, & ea puritate nitere.* Qua quidem ab petitione & sermone, ab ulteriori de sacerdotio suscipiendo cogitatione deterritus, in Diaconatus Ordine permansit.

In vitis PP l. 5 libello, n. 21. B. Theodorus Abbas, de quo in vitis Patrum, cùm Diaconus foret, nunquam ut ministerio suo fungeretur, adduci potuit. Cùm ad id sollicitaretur instantissimè, orationi se dedit, ut divinam ea de re agnosceret voluntatem, oranti verò apparuit columna ignis ad Cœlum usque pertingens, & vox audita est: *Si instar columnæ hujus igne flagrans charitatis, ministerio fungere Diaconatus.* Ideo numquam ei persuaderi potuit, ut illud exerceret, nec ut calicem tangeret.

S. Marcus Anachoreta (errant qui de Evangelista id narrant) ita fulgorem sacerdotij illiusque perfectionem animo concepérat, ut sibi pollicem dextrum abscideret, (non sine divino instinctu) ne ad Sacerdotium promoveretur quo se indignum judicabat.

Denique S. Benedictus, amplissimi licet & sanctissimi Ordinis Patriarcha, Sacerdotalem Ordinem non suscepit: nec unquam ausus fuit tantæ perfectionis verticem conscendere, utpote gradum Deo proximantem.

Similiter S. Antonius, Hilarion, Macarius, Arsenius totque eremi Patres sanctitate illustres, qui progeniem sanctam & numerosam, tot millia Monachorum Deo progenuerunt, Sacerdotium detrectarunt, illo se indignos censentes. Et hinc factum est, ut in multis Ægypti Cœnobiis vix unus Monachus Sacerdos reperiretur, ut patebit vitas Patrum diligenter revolventi.

ADHORTATIO AD SACERDOTES.

QUID dicemus ad hæc, nos terreni & animales, infirmi & imperfecti, vitijs & tenebris sæculi pleni, qui ad tantum gradum, tantæ perfectionis culmen ausi fuimus conscendere; Cur locum sanctitatis tenemus, & illius expertes sumus, nec ad illam contendimus, vel aspiramus; Cur terræ & rebus infirmis inhærentes, cœlestium parùm sumus memores? Certe auribus nostris intonare, & oculis nostris continuò obversari deberet illud: SANCTI *estote quia ego* SANCTUS sum. Hæc libri sacri, hoc templa, aræ, vasa sacra, hoc sacrificia, omnesque aliæ functiones, in quibus quotidiè versamur, nobis inclamant. Cordi nostro vivis litteris eam vocem exaratam gerere nos deceret, ut jugiter ad perfectionem sectandam animos nostros extimularet. Itaque ô Ministri & Sacerdotes Domini, non semel & iterum, sed & decies auribus vestris eam repetere libet ut agnoscatis quot titulis ad sanctitatem, hoc est, ad puritatem & integritatem vitæ obstricti sitis.

Lev. 19. 2.

1. *Sancti estote*, quia Ter Sanctus est Dominus, Deus exercituum, cui militatis. Sanctus Pater, omnis sanctitatis principium sine principio. Sanctus Filius, qui cœleste semen sanctitatis in terras attulit. Sanctus Spiritus, cui & nomen sanctitatis appropriatur, & opera sanctitatis specialiter attribuuntur.

2. *Sancti estote*, tanquam qui in officio similes estis Angelis Dei, ideoque cum puritate assistere & ministrare obligati, sicut & illi.

3. *Sancti estote*, tanquam Filij speciales Matris Sanctissimæ MARIÆ, cui debetis esse cooperatores; ut cum ipsa in cordibus Fidelium IESUM possitis parturire, & sanctitatis Filios gignere.

4. *Sancti estote* qui a Sanctus est pater, qui vos elegit: Sanctus Filius, cujus personam gerunis: Sanctus Spiritus, quem accepistis, qui vos libi signat & consecrat.

5. *Sancti estote*, oleo sanctificationis à Sancto Sanctorum defluente, (quasi à capite Aaronis) perfusi, ut per vos gratia unctionis ultima quælibet Christi membra, in oram usque vestimenti, detinetur.

6. *Sancti estote*, qui characterem sacratum in Sacerdotio accepistis, non solum tanquam signaculum potestatis vobis traditæ, sed etiam tanquam signaculum sanctitatis & gratiæ vobis datæ & commendatæ.

7. *Sancti estote*, quandoquidem quotidiè *hostiam puram, sanctam, & immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ* debetis offerre.

8. *Sancti estote*, quoniam totius Sanctitatis, vasa, Sanctissima Sacramenta, vestræ dispensationi sunt commissa, è quibus tanquam fontibus sanctitatis, sanctificationem vobis aliisque derivetis.

9. *Sancti estote*, quibus animæ sanctæ commissæ sut, Jesu Christi sanctissimo sanguine emptæ: quæ etiam sanguine fideles aspergere debetis, & pretium sanctum pro eis expensum applicare, ut sint ipsi vobiscum: *Genus electum, regale Sacerdotium, populus acquisitionis, gens sancta.* 1 Pet. 2. 9.

10. *Sancti estote* tanquam *Nazarei*, hoc est sancti, segregati, coronati, tanquam *Levitæ*, hoc est, assumpti & specialiter electi: tanquam *Clerici*, hoc est de parte & hæreditate sancta Domini, ab illo *in partem sortis Sanctorum in lumine* vocati: tanquam *Ecclesiastici*, hoc est de congregatione sancta, ut filij Sanctæ matris Ecclesiæ primogeniti: denique tanquam *Mediatores* inter Deum & homines, Aarones, Moyses, Samueles, Christi locum tenentes. Ea quot titulis ad sanctitatem & perfectionem vitæ obligati estis.

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO ET ORATIO AD CHRISTUM.

SEd quoniam tu, ô Jesu, Sacerdotii Institutor, Supreme Sacerdotum, auctor es & fons sanctitatis, nec nostris meritis debetur, nec nostris viribus acquiritur, illam tu impertire, illam conserva, illam adauge. Hoc dico modo quod unusquisque nostrum quotidiè. *Custodi animam meam quia Sanctus* Psal. 85. 2 *sum*. Merito omnis Sacerdos pronunciat quod Sanctus sit, quandoquidem tuo sit Sanguine emptus, & per illum in Baptismate accepta sanctitate regeneratus, per characteris signaculum consecratus, per confirmationem iterum sanctitate adauctus & signatus, ac tandem per sacram olei unctionem, & per novum characterem in sacerdotio sanctificatus: Custodi ergo Domine in nobis hanc sanctificationem, tuere & adauge sanctitatem; quia nec sine Te illam participare, nec sine Te conservare valemus. Te adoramus. Te agnoscimus Sacerdotii nostri & sacerdotalis gratiæ auctorem. à Te habemus potestatem, tanquam milites à Duce: à Te vitam, tanquam membra à capite: à Te spiritum, tanquam corpus ab anima vivificante: à Te succum gratiæ, tanquam palmites à vite, à Te rorem, tanquam terra arida à Cœlo irrorante: à Te lucem, tanquam radii à Sole, à Te motum omnem, tanquam instrumenta ab artifice: à Te unctionem, tanquam ab olei fonte. Tibi ergo omnia accepta referre cupimus, Tibi adhærere, Tibi nexu inseparabili uniri, ut semper participemus unctionem, lucem, gratiæ succum & rorem, ut semper sentiamus intus in nobis operantem motum tuum, spiritum tuum, tuam vitam; ita sane, ut sis nobis omnia in omnibus.

LECTIO VI.

SACERDOTES POSSE IN SÆCULO PERFECTIONEM ASSEQUI.

Difficultas est in sæculo perfectionem assequi.

QUia difficilius est Sacerdotibus in sæculo agentibus, assequi perfectionem statui sacerdotali congruam, hinc fit, ut multi illum deserant, simulque Pastorales curas, quibus jam erant obligati: sintque velut milites stationem suam deserentes ob periculum imminens ab hostibus, ut saluti suæ securius consulant. Et hoc quidem quandoque prudenter fieri, Deo alio vocante, non ignoramus: attamen quandoque etiam ex pusillanimitate fieri, nec satis consulto, & potiùs voluntatis esse summi Imperatoris nostri Jesu Christi, ut in ea in qua jam positi erant statione fortiter dimicent & perseverent, possumus asserere, idque ex mente & doctrina Sanctorum. Etenim sicut Deus multa prævidit pericula, in statu Sacerdotum & Pastorum in sæculo agentium; ita & de gratiæ auxiliis ac speciali protectione illis contra discrimina providit, si ipsi jactent fiduciam suam in Domino, ad cujus gloriam propagandam huic se sorti & militiæ adscripserunt. Alioqui defuisset in necessariis Ecclesiæ suæ Deus, si abundantia gratiæ & specialibus auxilis in periculis non subveniret; quandoquidem Ecclesia egeat Operariis & Pastoribus qui in sæculo agentes secularium curam gerant, pro animabus illorum animas suas periculo exponentes. Præclara est hac de re epistola. Cardinalis Bellarmini, viri pietate & doctrina eminentissimi, ad Henricum à Lotharingia Episcopum Verdunensem, 8. Idus Novemb. An. 1621. quam meritò hic inferendam duxi, ad consolationem quorumdam infirmorum, qui semper in statu Pastorali vacillant ob onus et pericula, ad Religionis securiorem statum mentem convertentes. Sic ergò scribit ille. Bellarm. ep. ad Henricum à Lotharingia.

Quod ad pium desiderium tuum attinet adipiscendi pennas columbarum, & volandi ad locum quietis dulcissimæ, dicam quod subit animum meum. Non puto solidiorem quietem & salutis veriorem securitatem in re alia posse inveniri, quàm in Dei voluntate, animæ totis viribus exequenda: illam ergò Domini vocem præter omnes amavi semper: *Pater transfer à me calicem hunc; verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.* Empti Luc. 22. pretio magno sumus, proinde tanquam servi obe- 42. dientiam nostro hero debemus. Dum conscientia testis est, non quæsivisse nos, non optasse, non elegisse locum sublimiorem, & in præsentia honorem nihili ducere, quo & abdicare nos si liceret luberet; sanè est quod gaudeamus & acquiescamus voluntati Dei, quam Pontifex nobis manifestavit. Pastorale onus est sollicitudinis & periculi plenum, neque fortasse, ut exemplum in me statuam, minus grave est onus, dignitas Cardinalis. Sed si Opifici, si Emptori nostro placuit, has in angustias, hæc in pericula nos vocare: ecquinam sumus, ut possimus ei dicere, cur ita feciti? Qui nos dilexit, & animam suam pro nobis posuit, dicere dignatus est Petro, & in eo Pastoribus omnibus: *Si me amas, pasce oves meas.* Ecquis erit, qui respondere audeat Domino: Nolo pascere oves tuas, ne perdam animam meam, nisi sit aliquis, qui non Deum, sed seipsum amet? Dei amator verus cum Apostolo ait: *Malo anathema esse à Christo pro fratribus meis*, quàm non subire sarcinam, quam mihi amor divinus imposuit. Quamquam discrimen nullum salutis esse potest, ubi charitas regnat. Nam esto imprudentes, vel ex imbecillitate in multis labimur, nonne *operit charitas multitudinem peccatorum?* Amantissime Præsul, quæ 1. Pet. 4. 8. mihi frequens dico, eadem & scribere volui sanctæ animæ tuæ, quam ab onere Pastorali admodum angi video. Hæc Bellarminus; & nos hic inseruimus, ut illa ponderent, qui sub onere Pastorali gemunt, non enim facilè excutere illud debent, &

Digitized by Google

& libertatem ab eo quærere, niſi de Dei voluntate certiores fiant.

Non facilè ſtatus deſerenda.

Dicimus ergo, intuitu majoris quietis aut ſecuritatis, è paſtorali cura ad Religionis ſtatum tranſire, quandoque eſſe ſeipſum quærere, crucem fugere; & nonnunquam fieri, ut majorem crucem reperiant, qui minorem fugerunt: quia ubique crux nos expectat, quocumque tranſiverimus. Ergò eam quam humeris noſtris impoſitam jam habemus, non facile deponamus? ſed auxilium ejus qui cum cruce dat fortitudinem, & commiſcet unctionem gratiæ allevantis, imploremus. Et hoc etiam inſinuat Apoſtolus conſilium, dum dicit: *Unuſquiſque in ſua permaneat vocatione.* Hic verò maximè alloqui eos, quibus divina gratia impertitur dotes animi non ignobiles, quibus in Eccleſia & plebe commiſſa frugem facere poſſunt, quam jam inchoatam quandoque derelinquunt; quibus illud etiam Auguſtini Epiſtola ad Eudoxium Abbatem repetimus: *Si Eccleſia parturienti miniſtrare noluerint qui poſſunt, quomodo filij naſcentur.*

1. Cor. 7. 20.

Auguſt. ep. 81.

Ad hanc rem confirmandam facit, quod de Alphonſo à Roſa referunt Annales Franciſcanorum. Cùm Dei ſervus ille pronominis Dei gloria laboraſſet ad converſionem Indorum, voluit ſecedere, ut majori otio ſibi vacaret, & ſecurius ſe ad mortem diſponeret. Rediit ergò in Hiſpanias, ubi ſe orationi & quieti dedit contemplationis. Verùm toties quoties orationi volebat intendere, ſtatim ſibi videbatur videre Chriſtum Crucifixum amica quadam querela ſibi dicentem, *Quare me reliquiſti in hac cruce ſeru interim ſolatium queris?* Quæ viſio adeo validè eius cor permovit, ut ſtatim ad copioſam illam meſſem pedem retulerit, animabus converter dis vitam ſuam & ſanguinem, ſi neceſſe erat profaturus.

Chron. Franciſcanor.

Addere hic poſſumus convenire potius è Clauſtris & Collegiis Religioſis edoci viros præclaros, in militia Domini exercitatos, qui populis præeſſent; exemplo vitæ, & verbo doctrinæ. Quod antiquitus ſolitum fuiſſe non ignoramus, & adhuc hodiè in quibusdam inſtitutis Religioſis practicari videmus. Hanc enim ob cauſam Curæ Paſtorales quibusdam Cœnobiis Religioſis annexæ fuerunt, ut eg emioſ o illis providerent. Et id quidem rectè, ex Religionis inſtituto, & Fundatorum pia mente. Sed utinam major delectus haberetur, utinam majori cura incumberent Prælati, ut viros undequaque idoneos alerent huic rei impendendos, Paſtoralibus Curis ſufficiendos, quoque tempore emittendos, de quibus poſſemus dicere illud vaticinantis Iacob: *Nephtali cervus emiſſus dans eloquia pulchritudinis.* Tales enim viri intrà Religionis Clauſtra, diu ſacræ doctrinæ paſcuis ſaginati dum emittuntur, ad velocitèr alios præcurrendum, ut viam perfectionis currendo & præcundo oſtendant, & ut plebes inſtruant ſacræ prædicationis ſpecioſo eloquio, nonne verè ſunt cervi emiſſi, veloces, ſpecioſi, ad ſublimia conſcendentes, alioſque illuc conſcendere docentes, & adjuvantes? Ergo Prophetia illa rectè in eos quadrat. Atque utinam (iterum repeto) multi tales ſint, maximè in Cœnobiis, quibus Curæ Paſtorales ob eam cauſam primitus commendatæ fuerunt, ut viros pietate & doctrina probatiſſimos populis præficerent, qui ſpiritum Dei, quem in Religione hauſiſſent, ad plebeium regimen translati in ſibi ſubditos transfunderent. At experientia videmus è Religioſo ſtatu ad Paſtoratus dimitti non paucos, quia difficilioris ſunt in domo moris & humoris cervicoli, elati, aut aliis imperfectionibus oneroſi; & hi has ſecum offerentes turbidas paſſiones, regendæ plebi parum ſunt idonei, parum frugiferi, & jam multis nocent, qui antea ſoli ſibi aut certè paucis in ſolitudine, & ſub diſciplina nocere poterant. Scimus etiam alios venire, qui non tam miſſi ſunt à Deo, vel ab iis qui Dei vicem hac in re gerunt, quam dimiſſi propter improbam ſollicitationem, qua per ſe, vel per alios amicos. Prælatorum molles animos tandem evicerunt. Atque complerique horum libertatis dulcedine allecti veniant, ut ſcilicet excutere poſſint vel fugere jugum arctæ obedientiæ, auſteritatis religioſæ, ſolitariæ vitæ: hinc fit, ut non exiguo cum ſalutis diſpendio inveniantur deſerere primitias ſpiritus, & delicias paternæ domus ad ſiliquas porcorum ad inania ſæculi oblectamenta libertate damnata converſi: De ſimilibus ergò verum eſt illud lamentum Prophetæ *Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora.* Candidi erant quaſi Nazaræi, in Religionis diſciplina coarctati: modo denigrantur ſuper carbones facies eorum, in converſatione plebeia. Lapides erant Sanctuarij, lapides eliſi, dum adhuc ſub manu pollentis agebant in ea Clauſtra; ac poſtea inveniuntur, per plateas diſperſi, & in luto conculcati. Quid ita? Quia *ipſi currebant, & ego non mittebam eos*, inquit Dominus: ſi ei. in propter importunam, vel ſuam, vel aliorum ſollicitationem dimittuntur à Prælatis, quos mitti ſentiunt à Deo mitti. Quid ergò eis in hac dimiſſione contingit? Deſe nôere de Paradiſo Religionis ſanctæ, ad ſæculum quaſi ſolum ſpinis & vepribus animam laedentibus obſitum, de portu in naufragium, de Ieruſalem in Babylonem, de Segor in Sodomam, de Cœlo in infernum, cum onere Babylonis, hoc eſt, æternæ confuſionis.

Thr. 4. 5.

Ier. 23. 21.

Paſtores ex Ordinibus aſſumendos.

Gen. 49. 21.

Itaque his advigilare ad Præſules ſpectat, non meneſt eos carpere, ſed ut Patres obſecrare, quatenus ſpiritus probent, & vocationem alienam explorent, quos mittere parant ad hæc gravia onera: ne ſubinde quandoque gemere invenientur, & querelam in eos retorquere, quæ ſæpe impoſuerunt. Præclarum certè eſt hac de re monitum, quod inter ſtatuta Ordinis Præmonſtratenſis diſtinct. 2. cap. 23. his verbis reperio. Cùm pro ſalute animarum ad Paſtorales curas cum ſpecialis indulto Sedis Apoſtolicæ Ordo noſter emittat, adlaborent omnes Prælati, ut in concredito ſibi grege ſem-

De Paſtoribus mittendis ſtatutum Ord. Præmonſt.

Digitized by Google

semper habeant, & vita & morum disciplina bene excultos, & doctrina præstantes, quos ad vineam Domini excolendam cum fructu, & fine animarum, cum propriarum, tum ipsis committendarum dispendio, emittere queant. Et quia regimen animarum ars est artium, & scientia scientiarum, Prælati in suorum ad Pastoralem curam promotione omnem privatum affectum exuentes, singulorum qualitates diligenter considerent, & eos provehant, de quorum pietate, sufficienti doctrina, & in virtute constantia, in supremo illo die respondere possint: scientes quod si indignos scienter promoverint, in promoventium caput refundendum sit, quicquid promoti deliquerint, & quod omne damnum Dominico gregi per illos illatum sit ab eis repetendum. Cùm autem nemo sibi honorem debeat assumere, Prælati eos, qui se impudenter nituntur ingerere, & currere volunt, sed non ex Deo, reprimant: Quando vero ad tam gravem & periculosam functionem aliquis emitti debet, Prælati ante oculos
Luc. 6. 12. habentes Christi Apostolos electuri, & in oratione pernoctantis exemplum, orationi sedulò vacent, oblatoque Missæ sacrificio, in eoque implorata Spiritûs S. gratia, omni favore & passione sepositis, Deum & Ecclesiæ utilitatem purè spectantes, eum promoveant, quem dictante conscientia omnibus consideratis, ad tale munus obeundum maximè aptum censuerint; nec hac in re tam ætatis, quàm idoneitatis & virtutis ratio habeatur. Ita ibi. Quæ sanè omnia sapienter & piè sancita sunt, & si executioni mandentur, non potest non ordo ille candorem suum sartum tectum custodire, & Ecclesiæ Dei magnam frugem parere.

Cæterùm hic mihi potissimum sermo est de illis, qui curam jam Pastoralem nacti sunt, & in illa fructum faciunt, quos dicimus haud facilè eam debere deserere; quia convenit eos potius Spartam quam nacti sunt adornare. Sed si quandoque vacillantes aliegant in sæculo multas esse occasiones peccandi, periculum etiam esse in onere Pastorali, ac vix in sæculo agentibus perfectionem possibilem esse; & sic formidolosi fiunt, & fratrum corda pavere faciunt. His respondemus, id verum esse, Pastoralem illatum onus advehere grave, sæculi conversationem pulverem quandoque aspergere, inter multa pericula & impedimenta Sacerdotem salutis suæ percupidum non esse sine conflictatione. An tamen propterea hæc debent animum infringere? Absit. Sicut enim Deus novit onus esse grave in hac vocatione, sic & gratiam ad ferendum illud absque dubio vult suppeditare; novit, & vult pericula temperare, & timoratis specialem protectionem impendere, ut illæsi pertranseant, ut in sæculo, si velint, sæculum possint calcare, & in medio nationis perversæ perfecti esse & lucere. Sic protexit Abraham in Chaldæa, Josephum in Ægypto, Lot in Sodomis, Job inter infideles in Oriente, Danielem in Babylone; hosque voluit perfectos esse in medio nationis pravæ, ut nemo debeat animum desponderе in quacunque vocatione, si sibi velit advigilare, sub divinæ manus directione & protectione. Atque sicut rosæ perfecti coloris & odoris inter spinas & vepres quandoque cernuntur crescere: ita & de perfectione inter spinas & dumeta hujus sæculi non oportet desperare, licet facilè concedamus hanc perfectionem non esse inter hæc sine difficultate, quam difficultatem compensat Deus merito ampliore, & fructuum majori uberitate.

Ad hoc elucidandum servire potest illud Sapientis: *Ubi non sunt boves, præsepe vacuum est: ubi autem plurima segetes, ibi manifesta est fortitudo bovis.* Prov. 14. 4 Quem locum allegoricè sic possumus explicare, cum nonnullis Interpretibus. Sicut qui caret bobus, habet præsepe, id est stabulum mundum: qui autem boves habet, immundius habet stabulum, tamen habet multitudinem fructuum. Sic qui curam animarum non suscipit, nec in agro Domini laborat, sed totus sibi vacat, fortè habet majorem munditiam conscientiæ. Sed qui boves suos jungit, id est, operas suas proximis navat, hic aliquando conscientiæ præsepe aut stabulum immundius habet: nam ex hominum consuetudine & negotiosa vita, aliquid sordium saltem levium contrahere potest, tamen uberiores fructus metit.

Concludamus denique, & exemplo ostendamus, propter aliquas tentationes non statim fugiendum, & officium proximo utile deserendum. Presbyter quidam Alexandrinus Conon nomine, ut testis est Sophronius Prati spirit. c. 3. ad Baptismi ministerium in monasterio à Superioribus erat deputatus: at quoties mulierem baptizare aut inungere parabat, intùs scandalum patiebatur, ideoque è monasterio abire volebat. Cùm autem ea cogitatione agitaretur, assistebat ei S. Joannes Baptista dicens: *Tolera & persevera, ego te hoc bello liberabo.* Quadam die venit puella ex Perside, adeo speciosa, ut numquam Presbyter ille ausus fuerit eam baptizare aut inungere, timens scandalum animæ suæ. Unde sumpto melote suo recessit, dicens: *Non amplius hoc in loco demorabor.* Cùm autem recessisset ad colles, ecce S. Baptista ei obvius dicit: *Revertere ad monasterium, & hoc te certamine exime.* At ille, quomodo revertar, jam toties id mihi pollicitus es, nec fecisti? Tunc Sanctus eum fedare fecit, & ter sub umbilico signavit dicens: *Crede mihi, volebam te pro hac pugna mercede donare; sed quia non vis, ecce absolvi à te bellum hoc, mercede autem hujus operis carebis.* Reversus ille puellam unxit & baptizavit, nec penitus animadvertit eam esse mulierem. Implevit autem in ministerio baptizandi & alios duodecim annos tanta animi tranquillitate, ut carnis nullum motum sentiret inspiciendo vel tangendo mulieres, & sic in pace consummatus est. Ita ibi.

Sophron. in prato spir. c. 3.

Objectioni ab adeo multa esse in sæculo peccandi occasiones,

Digitized by Google

LECTIO VII.

DOCUMENTA AD PERFECTIONEM assequendam.

Documenta perfectionis assequenda.

QUædam documenta generalia tradunt Magistri spiritualis vitæ ad perfectionem assequendam, quæ hic breviter insinuamus Sacerdotibus ad eam adspirantibus opportuna.

1. Illius fervens desiderium.

Primò, magnum & fervens desiderium illius concipere oportet: nam illud jam initium quoddam est ad illam obtinendam. Hinc beati dicuntur, qui esuriunt & sitiunt justitiam: hoc est, qui magno feruntur desiderio ad virtutem & perfectionem, per quam coram Deo justi esse possint; ita ut gratiæ divinæ ac perfectionis sint quasi famelici & sitibundi. Sanè hæc ardens voluntas & affectio stimulus est & calcar ad currendum: nec Deus desiderio eorum deesse poterit, qui promittit Sap. 6. quod sapientia (quæ non est aliud, quàm notitia & amor Dei) invenitur ab his, qui quærunt illam, imò *præoccupat eos, qui se concupiscunt, ut prior se illis ostendat.*

Sap. 6. 14.

2. Crebra hujus desiderij renovatio.

Secundò, Hujus desiderij & propositi frequens debet esse renovatio, ut tantò firmiùs & profundiùs cordi imprimatur: & ut hac renovatione semper magis ac magis accendatur & flammescat.

3. Pura intentio in operibus nostris.

Tertiò, Omnia opera debent fieri cum pura intentione, ut soli Deo placeamus. Atque etiam ideò debent fieri, quoad possibile est, perfectè & considerate: quandoquidem fiant ex affectu placendi Deo, & ex illius amore. Nam si propter homines fierent, parum est quòd aliquis tepor aut negligentia irreperet: sed cum propter Deum fiant, timendum illud: *Maledictus qui opus Domini facit fraudulenter.*

Ier. 48. 10.

4. Præsentia Dei.

Quartò, Videndum ut semper omnia opera nostra exerceamus quasi in præsentia Dei constituti: ne quid indignum committamus coram illo, qui cor introspicit, & defectus nostros perfectè explorat. Hoc ergo nobis dictum persuadeamus, quod antiquis Patribus dicebat Dominus: *Ambula coram me, & esto perfectus.* Quidquid ergo loquimur, quidquid cogitamus, quidquid desideramus & volumus, coram Deo loquendum est, cogitandum, volendum, agendum: hoc erit coram illo ambulare in veritate & corde perfecto, sicut Ezechias, sicut Abraham, sicut Enoch, sicut Noe.

Gen. 17. 1.

5. Præsenti operi tantum intendere.

Quintò, juvat sic operi, quod agendum est, intendere, quasi nihil aliud deberemus agere. Sic orationi oportet vacare, sic Missæ celebrandæ, sic examini conscientiæ, sic aliis exercitijs spiritualibus, ut aliorum omnium obliti, sic nos geramus, quasi nullum aliud opus nobis curæ esset, attendentes illud antiquum monitum: *Agè quod agis.* Nempè in oratione aut exercitio, quod nunc peragendum est, non de studio, non de officio, non de negotio, quod postea peragendum veniet, cogitandum est, quantum fieri potest.

6. Sic aliquod opus agere, quasi ultimum foret.

Sextò, consulunt Magistri spirituales, sic in particulari opus nostrum peragere, quasi esset ultimum vitæ nostræ. Unde illud Bernardi: *In omni opere suo dicat sibi, si modo moriturus esses facturus illud?* O quanto fervore Missam celebrares, quanta attentione ad orationem te componeres, quanta compunctione peccatorum veniam deposceres, si ultimum tibi diem diluxisse crederes. Igitur hoc seriò considerandum est, perfectionem consistere in hoc, ut actiones ex officio & vocatione nobis incumbentes perfectè (quantum in nobis est) obeamus. Non ergo multa extraordinaria postulat à nobis Deus, ut perfecti dicamur; sed cum ex vocatione nobis conveniat orare, conscientiæ examini vacare, Sacramenta ministrare, horas legere, sacrificium offerre; si hæc perfectè exequimur, perfecti sumus, si imperfectè, imperfecti: nisi fortè illa imperfectio minimè nobis displiceat, nos coram Deo humiliet, nos excitet ad pugnam contra nos ipsos, & illam ipsam.

Bernardi dictum apoph.

7. Quærere ex se quotidie cur illum finem assumpserit, erit Bern. ep. 254.

Septimò, & hoc documentum accipiendum est & practicandum: Quotidiè interroget se Sacerdos, quem obtinem statum illum assumpserit? Nunquid ut Deo placeret, & certiùs salutem suam operaretur? Ergo agat, quotidiè incipiat, quotidiè teporem excutiat, quotidiè impendat se ad victoriam passionum suarum & appetituum inordinatorum refrænationem, attendens illud Bernardi: *Ingressus ad perfectionem, perfectio repulsus.* Nec animo concidas, si labaris, aut non tantum proficias, sicut optas: nam & hoc signum esse potest ad perfectionem te tendere; si hoc advertas, ideoque tibi displiceas. Sic enim ait D. August. *Ipsa est perfectio hominis invenisse se non esse perfectum.*

8. Quærere quid maximè à progressu retardet.

Octavò, diligenter & sincerè coram Deo usque ad animæ fundum perscrutari se juvabit ad cognoscendum quid maximè à progressu remoretur, quæ sit origo vitiorum & imperfectionum: quia in quolibet terè reperitur vitium aliquod radicale, à quo cætera pullulant, cui eradicando oportet continuò animum defigere, curamque omnem impendere.

Aug. ser. 50. de tèp. 8.

Hæc ergo sunt, quæ breviter & summatim hic proponimus ad perfectionem media, quæ & postea latiùs explicabuntur. Diligenter verò considerata & practicata, non parum fructus poterunt producere. Simili praxi ad insignem illam sanctimoniam pertigit S. P. N. CAROLUS BORROMÆUS: Cùm enim delicatè esset nutritus, cœpit se in parvis mortificare & vincere, facilesque pœnitentias suscipere, ac deinde ad sublimiora progredi. Dicebat enim, animi generosi & invicti esse semper majora aggredi, & in vita spirituali magnis passibus procedere. Quia sicut mercatores intenti lucro, illi quotidiè aliquid adiiciunt, & sicut hortulani quotidiè hortum excolunt, pictores quotidiè imaginem, quam pingunt, poliunt & perficiunt: eodem modo

De S. Carolo Borromæo.

modo quotidiè virtutis aliquid adjecere debet, qui ejus est studiosus. Ita fecit ipse, donec eo perveniret, ut vix alterius quid superesset. Nam eò tandem pervenit, ut ultimis vitæ annis quotidiè solo pane & aqua viveret, exceptis festis, quibus aliquid obsonij addebat, non tamen carnem, nec piscem, nec ova, nec vinum. His enim semper abstinebat. In Quadragesima etiam pane abstinebat, tantumque ficubus & fabis vivebat. In hebdomade sancta non nisi lupinis (genus est piscorum amarorum) victitabat. Lectus ejus erat saccus stramineus, aut sedes; ajebat enim: Episcopum super gregem vigilare debere, ac proindè parcè & sedentem dormire, uti faciunt strenui Duces in bello. Cilicio duro utebatur, quod etiamnum servant Mediolanenses: nudi disciplina corpus castigabat: labores continuos & maximos jugiter capessebat. Ita Auctor vitæ ejus libro 8 c. 21.

Sed quoniam non omnibus datum est ad hæc adeò sublimia assurgere; ne quispiam infirmior animum desponderet, cùm quidam ex suis abillo petijsset documentum, quo ad perfectionem posset pertingere, & Deo placere, hoc breve dedit: *Qui quotidiè in via Dei progredi cupit, oportet primò, ut incipiat quotidiè*: hoc est, quotidiè debet conari, ut Deo serviat eo fervore, ac si ea die primùm inciperet. *Secundò ambulet actualiter in præsentia Dei. Tertiò sum Deum statuat sibi finem omnium & singularum actionum.* His tribus breviter complexus est omnia, totamque vitam spiritualem, & progressum interioris hominis. Ita Idem Auctor lib. 8. c. 8.

Concludo igitur cum Apostolo Paulo, obsecrans unumquemque Sacerdotum, ut digne vocatione sua ambulet. Sed quid est ambulare, nisi diligenter proficere, & in via Dei progredi? Audiant ergo Aug. ser. 15. de verbis Apost
Aug. est. *Proficite Fratres mei, discentes vos sine dolo, sine adulatione, sine palpatione. Non enim est aliquis intus te sum, cui erubescas & fatearis. Est tibi, sed cui placet humiliras, ipse te probet. Proba & tentum in ipso. Semper tibi displiceas quod es, si vis pervenire ad id, quod nondum es.* Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. *Si autem dixeris, sufficit, & periisti semper adde, semper ambula, semper proficc. Noli in viare manere, noli retrò redire, noli deviare, remanet qui non proficit: retrò redit, qui ad ea revolvitur, unde jam abscesserat: deviat qui apostatat. Melius it claudus in via, quàm cursor præter viam.*

TRACTATUS II.
DE VIRGA CURVA ET ARIDA, SIVE DE PRAVIS SACERDOTIBVS.

LECTIO I.
DE MULTITUDINE SACERDOTUM pravorum.

Sacerdotes mali.

RECTE comparantur mali Sacerdotes lignis curvis & aridis, sive infructuosis, quæ non possunt nisi ignem operiri. Conqueri porrò hic licet cum S. Chrysostomo: *Multi Sacerdotes, pauci Sacerdotes; multi nomine, pauci opere.* Multi externa veste, pauci interna perfectione: multi Ordine, pauci Ordinis sanctitate. Rari inveniuntur in messe Dei operatores, multi operis interturbatores. Imò cum gemitu addere licet, ex illis, qui se ministros Christi dicunt, plerosque ministros esse Satanæ per superbiam, ministros Mammonæ per avaritiam, ministros Beelphegor aut Veneris per luxuriam, ministros Bacchi & Cereris per gulam, ministros Beelzebub per invidiam, ministros Martis & Vulcani per impatientiam & iram ardentem, ministros Diaboli per ignorantiam. Hic porrò quæritur, unde tam multi improbi Sacerdotes, cùm Sacerdotium status sit sanctitatis? Aliquot hujus rei rationes in sequentibus prosequemur.

Unde tam multi improbi Sacerdotes.

RATIO PRIMA GRANDIS NUMERI Sacerdotum inidoneorum.

PRima ratio est, quia multi ad Sacerdotium accedunt non vocati à Deo. Quis tamen nesciat, ad illum spectare vocationem & electionem eorum, quos in domo sua speciali ministerio vult destinare? Quis nesciat Ducis esse, militum suorum delectum facere, & quo voluerit officio honorare? Quis ignoret, artificis esse seligere lapides ad ædificium suum erigendum, & quo voluerit loco disponere? Licet olim Sacerdotium certæ Tribui Deus consignasset, tamen ut ostenderet nemini ad illud aspirandum, nisi specialiter vocetur, præcipit Moysi: *Aaron ad filios ejus applicabis*

1. *Ratio quia multi accedunt ad Sacerdotium ut vocati à Deo.*

Exod 29. 4

Digitized by Google

Ibid.28.1. *cabis ad officium Tabernaculi* Domini, elegi enim eum
Num.3.6. *cum filiis suis de medio filiorum Israel, ut Sacerdotio*
fungantur mihi. Et iterum: *Applica tribum Levi, & fac stare in conspectu Aaron Sacerdotis, ut ministrent*
v.12. *ei. Ego tuli Levitas à filiis Israel pro omni primogenito, qui aperit vulvam in filiis Israel, eruntque Levitæ mei.* Itaque eorum vocationem ad ministerium noluit fieri per Moysen, ut exemplum det,
Heb.5.4. *Nemo sumit hunc sibi debere sumere honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.*

Duplex vocatio.

Ne quis tamen existimet hanc vocationem debere fieri miraculo aliquo, aut signo visibili, sicut in electione Aaronis per virgam florentem, advertendum est, duplicem distingui posse vocationem. Una est extraordinaria, altera est ordinaria. Quantum ad extraordinariam, fieri solet signis aliquibus miraculosis, vel certè miraculo proximis. Hujus multa exempla ex sacris historijs possemus proferre; sed ad scopum nostrum pauca sufficiet delibare.

S. Chrys. de quo Surius. S. Joannes Chrysostomus ordinatus fuit à Flaviano Patriarcha jubente Angelo, qui ei apparens dixit, eum futurum novum vas electionis. Atque dum ordinaretur, columba candida ejus capiti insedit, signum Spiritûs in eum descendentis. *Surius ex Metaph. 27 Ianuarij.*

S. Remigius. In ordinatione S. Remigij apparuit radius novi luminis super ejus verticem, quia illuminandarum lux parabatur animarum: & radio illo illustrante, sensit capiti suo unguenti sacri infusum loquorem, quo totum ejus delibutum est caput: erat autem ipse solùm 22. annorum. *Surius ex Hincmaro in vita ejus.*

S. Amphilochius. S. Amphilochius, ut Iconiensi Ecclesiæ præficeretur, ab Angelis legitur ordinatus, ita ut Præsules ulteriori eum consecratione non fuerint ausi initiare. *Nicephorus lib. 11. hist. c. 20.*

S. Greg. M. S. Fabianus. Pius V. S. Gregorius fugiens Pastoralem curam, indicio columnæ igneæ agnoscitur, & in templum B Petri trahitur, Pontifex inaugurandus. Similiter S. Fabianus Papa, signo columbæ divinitus super eum apparentis, ad Pontificatum eligitur, *teste Eusebio lib. 6. cap. 22.* Quod idem de Pio V. *referunt Annales Italiæ.*

S. Amb. S. Ambrosius puero instinctu divino eum nominante, ad Sacerdotium & Episcopatum communibus populi procerumque votis adhuc Catechumenus est postulatus, nec potuit publicæ voci, divinæque resistere inspirationi. *Paulinus in ejus vita.*

S. Nicetius. S. Nicetius à primo suo ortu divinis quibusdam signis in sortem Domini electus esse videtur: nam cum partu effusus, aliorum infantium instar prodiret in lucem, capillis nudus; in circuitu tamen capitis tenuis pilorum ordo aptè distinctus apparuit, haud secus, ac si Clericali corona ex arte ornatus fuisset. *Surius 11. Octobris.*

S. Rupertus Abb Tuitiensis. B Rupertus Abbas Tuitiensis, cum à Superioribus suis urgeretur ad sacros Ordines, & constanter refugeret indignitatis suæ conscientia permotus, nocturna quadam visione intellexit id Deo auctore fieri, ut ipsemet testis *libr. 12. in Matth.* Visus enim est sibi videre altare quoddam, & in eo imaginem Salvatoris Crucifixi viventis, & oculos in se dirigentis; cujus aspectu totus incensus, cum amplexum ejus ardenter expeteret, sed ab altaris crepidine (quod magnum altumque erat) impediretur, sensit se tamen à Domino interno instinctu invitari. Quare cum accessisset, medio altari sciso, via ad Dominum patuit; quem ardenter amplexus & osculatus est, ipso etiam Domino divinum os suum aperiente, ut profundiùs oscula admitteret. Sic factum est, ut divino inflammatus amore, etiam Sacerdotij, quod fugiebat, desiderium sibi inspirari senserit, quod cùm Abbati indicasset, illo annuente ordinatus est.

S. Carolus Borromæus. S. Carolus Borromæus, abdiderat se in occulto paterni castri cubiculo, ubi à famulo repertus est pomum in diversa secans. Rogatus quid ageret, respondit: *Orbem in var as partes & regiones dividimus occupabar.* Sic præsagium fuit, eum ad magna vocari, & quidem apparuit id, dum Pij V. tempore totum penè orbem & Ecclesiam regere visus est.

Sic Aaron virgâ florente, sic hi omnes extraordinariæ vocationis indicio ad Sacerdotium conscenderunt.

1. *Ordinaria vocatio.* Quantum ad ordinariam vocationem, non est necesse, eam miraculo, aut visibili aliquo signo innotescere; sed ut plurimum fit à Deo interius & invisibiliter. Illamque potest homo dignoscere, si Dei vocem intus loquentem in silentio animæ velit explorare. Vocare enim solet per inspirationes, per illuminationes, per motus interiores, & novit sufficienter suam indicare voluntatem, dum de statu vitæ eligendo cum ipso consultatio initur. Sed multi præcipiti & cæco consilio sese intrudunt, aut irrepunt in ministerium Ecclesiæ non vocati: quia Deum consulere, vel audire ea in re neglexerunt. A quo ergo vocati sunt? Nonnè à carne & sanguine? Nonnè plerique aurem præbent parentibus Ecclesiasticum statum suadentibus, ad opes augendas vel ad honores consequendos? Non adspirant ad Ordines sacros, ut Dominus sit pars eorum, sed ut de parte Domini lautè vivant, & de patrimonio Crucifixi honoratè incedant. Qui tali fine ad Sacerdotium ascendunt, funem sibi nectunt funestum, & ruinam moliuntur: qui tali intentione beneficium ambiunt, veneficium inveniunt. Et de his rectè dixeris, quòd à spiritu nequam in pinnaculum templi deferantur, ut æterno tandem præcipitium colliti pereant. Certè non possunt dici à Spiritu Dei ducti vel vocati, quia Dei Spiritus non inspirat, aut movet ad aliquid sacrum & divinum: propositio sine aliquo terreno, sed concupiscentia & ambitio, quæ etiam sacra pervertere & conspurcare solet, similem eis præfigit scopum, qui postea in scopulum vertitur, & naufragium.

Sacer-

Digitized by Google

Sacerdotalis status debet suscipi intentione cœlesti.

Sacerdotalis ergò ſtatus non debet ſuſcipi, niſi intentione omnino cœleſti, ad ſeſe mancipandum divino obſequio, idque toto cordis affectu. Quam intentionem ſagaci ſtudio debent diſcutere, ponderare, & probè in ſe agnoſcere, qui noſſe volunt, an ad ſacri miniſterii gradum vocentur à Deo. Debent & hi in interiori animæ conclavi ſedentes computare, an ſumptus ſibi competant ad turrim perfectionis in ſublimitate montis, ſive excelſi hujus ſtatus, inchoandam & perficiendam. Sumptuoſa ſiquidem turris eſt, cœlibatum & Eccleſiaſtici Ordinis perfectionem profiteri: & verbum grande, quod non omnes poſſunt capere. Multis latiùs eſſe in humili ſtatu vivere & ſalvari, quàm in ſublimitate cleri deteriùs agere, & diliciùs judicari; Meliuſque non pauci ſuiſſet nubere, & in Chriſtiana ſimplicitate rectè ſe gerere, quàm in Sacerdotio uri, & non continere, & poſtea in inferno ardere, fierique filius iræ, de miniſtris gratiæ. Quia ergò plerique non examinat vocationem, non vires, non dotes & capacitatem, non intentionem ponderant ſuam, ſed cœco greſſu in Eccleſiæ miniſterium ingrediuntur; hinc fit, ut in illo ſtatu ſe gerant injuriosè & ſcandalosè. Neque verò inidoneos & indignos vocari certum eſt, non enim virgam inutilem, aridam, aut curvam elegit Deus: ſed amygdalinam, floridam, & fructuoſam, dum Sacerdotium Aaroni conſignavit. Inidonei autem cenſentur, vel ob defectum ſcientiæ & talenti, vel ob defectum conſcientiæ & morum, vel ob defectum alicujus conditionis, per canones requiſitæ ad beneficium vel officium quod prætendunt. Olim licet Deus elegiſſet filios Aaron ad Sacerdotium, non quoslibet tamen indiſcriminatim admitti voluit, ſed proclamari juſſit per Moyſen: *Homo de ſemine Aaron, qui habuerit maculam, non accedet ad miniſterium: ſi cæcus fuerit, ſi claudus, ſi parvo, vel grandi, vel torto naſo, ſi fracto pede vel manu, ſi gibbus, ſi lippus ſi albuginem habens in oculo ſi jugem ſcabiem, ſi impetiginem in corpore, vel hernioſus.* Et hi quoque non vocantur à Chriſto ad altare novæ legis: ſed repudiantur. Non vocantur cœci, hoc eſt, ignorantes, & ſcientia carentes. Et tamen tales multi, non ſine grandi periculo ſuo & Eccleſiæ damno, non ſolùm ad ordines & beneficia ſimplicia, ſed etiam ad Paſtorales curas irrepunt. *Speculatores cæci, canes muti non valentes latrare.* Et certè mirandum, qua præſumptione Speculatores fieri audeant, qui vix vident: Prædones, qui nullam vocem habent: Pugiles, qui manibus & arte carent: Medici, qui morborum ſunt ignari: Agricolæ, qui neſciunt quid ſit de aratro, aut ſemine: Architecti, qui vix viderunt exemplar domus, ut rectè lapides aut ligna polire poſſint, & ſuis locis coaptare. An non Apoſtolus requirit. *Operarios inconfuſibiles, recte tractantes verbum veritatis?* An non tales qui ſciant ædificare, ſerere, plantare, mederi, pugnare, contra hoſtes inflare tubam, eoſque à longè proſpicere & cavere?

Levit. 21. 17.

Iſa. 56, 10.

2. Tim. 2. 16.

Non vocantur etiam claudi & manci ad altare Domini. Hi ſunt, qui nec bono pede, integro affectu incedunt, nec intentione omninò pura, ſed diſtorta: & ideò claudicare dicuntur, vel fracto pede & manu eſſe, quia à bonorum operum exortes vacant; aut certè non integrè ad probas actiones graduntur; ſed opus Dei faciunt imperfectè & negligenter. Sed nec hi judicantur idonei ad Sacerdotium Chriſti, qui parvo, vel grandi, vel torto naſo ſunt. Parvo naſo ſunt, qui prudentiâ carent, parumque diſcretionis habent. Grandi vel torto naſo ſunt, qui nimiùm prudentes, nimiùm ſapientes videri volunt. Cuncta dijudicare ſolent hi, cuncta reprehendere: non verentur quæ in Eccleſia benè inſtituta ſunt cenſura notare; quæ ſimpliciora videntur, vilipendere; ſuæ diſcretionis immoderata ſubtilitate cuncta confundere; imò & in his quæ fidei ſunt, ſuam philoſophiam & argutiam periculosè intermiſcere. Nec attendunt illud Apoſtoli: *Non ſublime ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem*, qui & alibi monet fideles ad Coloſſ. 2. *Videte, ne quis vos decipiat per philoſophiam & inanem fallaciam.* Et iterum. *Quidam aberrantes converſi ſunt in vaniloquium, volentes eſſe legis Doctores.* Hæc nimirùm fuit prima Eccleſiæ pernicies, & hæreſum origo; quod quidam Eccleſiæ miniſtri grandi & torto naſo ſcientiam ſuam, prudentiam, ſubtilitatem voluerunt propalare, & venditare. Et ſic Scripturas pro libitu ſuo interpretari, dicentes ſe Eccleſiæ Reformatores, Prophetas, videntes, Eccleſiæ unitatem ſciderunt, illamque deformarunt. Tales Arius, Calvinus, Lutherus, & ſimiles, qui prius Eccleſiæ & Chriſti miniſtri, cùm nimis grandi & torto naſo eſſent, nolentes ſapere ad ſobrietatem, facti ſunt miniſtri Synagogæ Satanæ, & Antichriſti Metatores: & hi nimirum in Eccleſiæ Sanctuarium irrepſerant non vocati.

Qui repellantur à miniſterio altaris.

Rom. 12. 3.

Coloſ. 2.

1. Tim. 1. 6

An verò illi vocantur, qui lippi, gibboſi, albuginoſi, ſcabioſi, vel hernioſi ſunt? Abſit. *Omnis qui habuerit maculam, non accedet.* Et ut breviter complectar ſingulos, Gibboſus eſt, quem terrena ſollicitudo nimiùm deprimit, ne ſuprema reſpiciat. Lippus, cujus ſenſum & mentem natura exacuit, ſed converſationis pravitas confundit. Albuginem habet, qui candorem juſtitiæ vel ſapientiæ ſibi tribuens à luce ſuperna cognitionis ſe per arrogantiam excludit. Jugem habet ſcabiem, cui carnis petulantia dominatur; impertiginem, cui avaritia. Hernioſus eſt, qui in abditis, id eſt, in mente pondus turpitudinis geſtat.

Levit. 21. 21.

Interim cùm hi meritò repellantur à miniſterio, nec vocentur à Domino, *currunt tamen ipſi, & reverenda etiam ſpiritibus Angelicis miniſteria appetunt, ſine conſideratione & reverentia.* Nec ſigmum regni occupare cœleſtis, aut illius imperii timent geſtare coronam, *in quibus avaritia regnat, ambitio imperat, dominatur ſuperbia, ſed & iniquitas, luxuria etiam principatur: in quibus & peſſima ſortè apparet abſominatio, ſi juxta Ezechielis Proph[etiam ſo-*

S. Bern. ſerm. ad Clericos cap. 29.

diamus parietem, ut in domo Dei videamus horrendum. Sodoma & Gomorrha tellurem luxuria exundante absumpsit igne, sulphur & spiritus procellarum, & in lacum horribilem redacta est. Gehennalis flamma morum non sustinens, execrabilem illam prævenit tollere nequitiam, ob peccata sua manifesta præcedentia ad judicium. Amputata sunt hydræ capita quinque, sed in innumera surrexerunt. Readificavit enim cum urbes flagitii, & turpitudinis mœnia. Va, va, sulphurei illius incendii reliquiæ infœlices circumquaque dispersis, execrabili illo cinere Ecclesiæ corpus adspersit. & non nullos etiam ministrorum ejus sinie sparsa respersit, qui deberent esse genus electum, gens sancta, populus acquisitionis. Et hæc tam similis macula ingeritur Sanctuarium Dei. Hæc conqueritur Bernardus serm. cit. ad clericos. Conquerimur & nos, ac licet universos non accusemus, universos etiam non excusamus. Multa millia sibi reliquit Deus tanquam semen sanctum, quorum justitia Ecclesia fulcitur & Clerus, ne sicut Sodoma & Gomorrha depereant. Sed & multi de clero libertatem gratiæ & sacri status traducunt in occasionem carnis, in multa vitia proruentes. Si fodere possemus parietes conscientiarum, inundantia mala in clero videremus. Sed & multa manifesta sunt, ita etiam ut cum dedecore Ordinis Sacerdotalis, inveniantur in publicis carceribus Sacerdotes & cogantur in triremibus cum ultima hominum fœce assidua fuligatione remos trahere. Dilatata igitur Ecclesia, etiam cleri sanctissimus ordo dilatatus est, numerus super numerum multiplicatus est, & conquerimur cum Propheta: *Multiplicasti Domine gentem, sed non magnificasti lætitiam*, dum nihil minus appareat decessisse meriti, quàm accessisse numeri. Verùm non tam Dominus multiplicavit numerum, quàm hi qui sine ejus voluntate aut vocatione irrumpunt in clerum, vel irrepunt: & hi sunt de numero super numerum, de numero indigno numerari.

Psal. 9. 3.

formando vel reformando, S. Episcopi CAROLI vel unicum exemplar docere potest. Hic cùm Mediolanensem non solùm populum, sed & clerum, quasi agrum malitia temporum vepribus turpiter deformem reperisset, sua vigilantia hunc ita restituit & excoluit, ut clerum illum redderet præclarum exemplar Ecclesiasticæ disciplinæ. Unde qui priùs in illa Diœcesi speciem quamdam Babylonis conspexerant, jam tanquam Jerusalem novam descendentem de Cœlo à Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo, admirarentur & collaudarent. Hinc Gregorius 13. vigilantissimi hujus Episcopi mortem intelligens, non sine gravi doloris sensu, in hæc verba prorupit: *Extincta est lucerna in Israel.* Cardinalis quoque Sirletus in ejus obdormitione hoc Elogium scripsit: *Carolus homo specie, Angelus gratia, Christiana pietatis exemplar, Episcopalis auctoritatis speculum, Cardinalitiæ dignitatis specimen, antemurale adversus impios firmissimum, decus Ecclesiæ Dei speciosissimum. Fuit sal, lux, cervix supra montem Sion. Fuit lucerna ardens Evangelica, salus vitæ & morum, lux in doctrina & prædicationibus, cervix in præsidiis & defensionibus, lucerna in accensione boni. Effulsit in Ecclesia fides, sapientia, vita, regimen: Fides ut Martyr, sapientia ut Doctor, vita ut Confessor, regimen ut Pastor.*

S. Carolus exemplum boni Prælati.

Alius quidam Episcopus hoc Elogium priori adscripsit: *Carolus Angelus terrestris, qui prædicatione, humilitate, charitate, nobis repræsentat hospitem, Chrysostomos, Gregorios: mortificatione Hilarionem & Antonios: constantia Athanasios & Hilarios: diligentia Cyrillos, Hieronymos, Basilios: Exemplar verum Prælatorum, norma Episcoporum, regula Ecclesiasticorum: sanctorum, vita Ecclesiastica disciplina.*

Itaque Vir hic Sanctus, datus novissimo sæculo in exemplar Prælatis, summa curæ ævigilabat his quos ordinabat, ut idonei forent. Incumbebat correctioni eorum qui citeriorem sectabantur libertatem, instruebat & dirigebat, quoscumque pietatis & disciplinæ æmulatores comperisset. Adveritant igitur cum illo Prælati illud Apostoli: *Nemini cito manum imposueris; neque communicaveris peccatis alienis.* Quid est manus cito imponere, inquit D. Leo ep. 82. nitil ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, antemeritum laboris, ante experientiam disciplinæ, sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem, qualis est qui non meruit ordinari? Sicut enim boni operis sibi comparat fructum, qui rectum tenet in eligendo Sacerdote judicium: ita semetipsum gravi afficit damno, qui indignum sublimat ad sacerdotum collegium. Si ad honores mundi, sine suffragio temporis, sine merito laboris, indignum est pervenire; & notari ambitus solent, quos probitatis documenta non adjuvant; quàm

1. Tim. 5. 22. D. Leo ep. 87.

LECTIO II.

EXPLICAT ALTERAM RATIONEM.

2. *Ratio est impro vidi Sacerdotii, est incuria & negligentia Prælatorum.*

SEcunda ratio numeri grandis malorum Ministrorum, est incuria & negligentia Prælatorum. Hi facilè nimis quoslibet ad Ordines admittunt, sine sufficienti scientiæ & conferentiæ examine: & ordinatos suæ libertati dimittunt, non fraternè corrigunt, non paternè dirigunt, nec forma gregis ipsi fiunt. Si quandoque corrigunt, sed potiùs agunt, *quasi domum meretricis, & turpe lucrum gratia*; neque tam cordi illis est, ut curent vitia, quàm ut evacuent marsupia. Quantum verò valeat Prælatorum pia & diligens cura in clero

2. Pet. 2.

Digitized by Google

quàm diligens & quàm prudens habenda eſt diſpenſatio divinorum munerum, & cœleſtium dignitatum?

Laude & imitatione dignos meritò cenſemus Epiſcopos, qui ad Ordines ſacros, Officiave Paſtoralia, admittendum neminem decernunt, qui non priùs teſtimonium ſecum tulerat, ſe per plures hebdomadas ſub Directore rerum ſpiritualium pertò exercitiis pietatis vacaſſe. Hæc maximè opportuna ſunt, tum ad vocationem ſuam cognoſcendam, tum ad conſcientiam à totius vitæ peccatis expiandam, tum denique ad ſpiritum concipiendum ſanctæ hujus vocationis ſacerdotalis. Hoc in Diœceſi Mechlinienſi decerni lubenter audivimus, ac in aliis quoque Epiſcopatibus introduci adeò ſanctum decretum, totis animi votis optaremus. Certè impoſitio manuum, ſive ordinatio, Oſtium eſt per quod intrant Eccleſiæ Miniſtri; ſed quia Oſtium illud ea qua deceret vigilantia non cuſtoditur; fit ut multi irrepant indigni, qui Eccleſiæ ſtatum commaculant: & inde tanta mala agminatim in Eccleſiam irrupiſſe ſentimus. Ac quidem non parva temeritas eſt, in Eccleſiam Dei ingredi cum macula, in Sanctuarium ejus ſeſe ingerere non vocatum, ſine ſcientia, & cum non ſatis integra conſcientia. Sed nunquid ea culpa retorquebitur in eos qui Oſtium Sanctuarii cuſtodiunt, qui ſine dilectu ordinant, qui ordinatorum curam non gerunt, qui officia & beneficia indignis impertiuntur?

In vitis PP. lib 9. Sophron. in prato ſpir. cap. 149.

Conſideratione dignum eſt, quod Leoni Papæ hac de re revelatum ſcribit Sophron. cum ait: Cum deſcendiſſet Abbas Amos Hieroſolymam Patriarcha ordinatus, venerunt omnes Monaſteriorum Abbates, ut adorarent eum, & ego cum Abbate meo. Cœpit vero Patriarcha dicere: *Orate pro me Patres, magnum onus mihi injunctum eſt, quod me non modicè terret. Petri & Pauli ſimilium eſt regere animas, ego autem infelix & peccator ſum:* Pius verò quàm cæteratimet ordinationis ſarcinam. Nam invenio ſcriptum, quia beatiſſimus & Angelis æqualis Leo Papa 40 *diebus perſeveravit ad ſepulchrum S. Petri, vigiliis & orationibus inſiſtens petenſque, ut pro ſe apud Deum intercederet, ut ſibi peccata dimitterentur. Impletis* 40. *diebus, apparuit ei Apoſtolus dicens:* O *navi pro te, & dimiſſa ſunt tibi peccata omnia præter impoſitionis manuum. Hoc ſolùm abs te requiretur, ſive benè, ſive fortaſſe malè egeris.* Interpretatur hic Baronius, omnia quidem peccata S. Leoni dimiſſa quoad culpam; nam ſic ex parte dimitti non poſſunt. Potuiſſe tamen S. Leonem manere obligatum pœnis aliquibus, propter peccata illa quæ illi perpetraſſent, qui ab illo indigni ordinati fuiſſent; tunc enim dicuntur Præſules communicare peccatis alienis, ut ex Apoſtolo diximus. Interim ſi hæc in viridi ligno fiunt, in arido quid fiet? Leone quis ſanctior & prudentior, ut tantum periculum liber tranſiliat?

Baron. 2. to 6. an. 461 n 6.

1. Tim. 5. 22.

Simile habes de S. Udalrico Epiſcopo Auguſtano, hic annos natus 81. proximè moriturus ablegare cupiens omnia negotia, ut ſibi Deoque ſoli vacaret in contemplatione, Eccleſiam ſuam reſignavit Adalberoni nepoti, quem apud ſe in virtute, pietate, & doctrina aluerat; ordinavitque eum in Epiſcopum & ſucceſſorem, putans idoneum. Interim paucos poſt menſes ſat repentina morte obiit Adalbero. Udalricus verò jam morti appropinquans, cum omnia ſua pauperibus diſtribui curaſſet, prolixæ orationi ſe dedit, petens à Deo omnium ſibi peccatorum ante egreſſum fieri remiſſionem. At poſt eam quaſi è gravi ſomno evigilans, cum lamento dicebat: *Ehen, ehen, ut nam nunquam agnoviſſem Adalberonem nepotem! Quia ſecundum deſiderium ſuum conſenſi ei, nolens me Sanctis impunitum in ſuum recipere conſortium.* Raptus ergò fuit per viſum ad divinum tribunal, & intellexit ſe pœnis purgatoriis condemnatum, quia quidam carnis affectus ſefe interſeruerat Nepotem ordinando ſucceſſorem, illo petente, & per hoc indignum ſe exhibente, licet forte præclaris dotibus non careret. Et hic adverte non repugnare, quod quis Sanctus ſit & miracula patret, & tamen per purgatorium tranſeat: nam & hoc teſtatur de S. Paſchaſio Diacono S. Gregorius in dialog.

De S. Udalrico Epiſcop. Surius in ejus vita.

Greg. in dialog.

Verùm, non ſolùm negligentia Prælatorum in ordinandis Miniſtris, ſed & prava vita eorum ſæpè Eccleſiaſticis occaſio eſt diſſolutioris vitæ. Nam dum pravi ſunt, quomodo ſubditos auſi erunt corrigere, aut quomodo poterunt in viam diſciplinæ eos dirigere? Oportet ut Regula recta ſit, nihil habens obliquum, deinde cætera ſibi admota poterit exæquare. Similiter qui aliis præeſt, poſtquam ſeipſum direxerit, vitamque ſuam compoſuerit, poterit coaptare eos quibus imperat. Nec enim cadentis eſt erigere, nec ignorantis docere, nec impoſiti componere, nec inordinati ordinare, nec imperare ejus eſt, qui non paret imperio.

Prælatorum prava vita eſt etiam occaſio diſſolutioris vitæ Clericis.

Sol & Luna obtenebrati ſunt, & Stellæ retraxerunt lumen ſuum, inquit Propheta Joel. Nempè, quando Prælati in firmamento Eccleſiæ tanquam ſol & luna conſtituti, ut illuminent diem & noctem, delidioſa vita obtenebrantur, inferiores miniſtri quaſi ſtellæ facilè tenebras contrahunt, quia à ſuperioribus illis luminaribus claritas & ſanctitas debet derivari; qua deficiente, jam inter *ſidera errantia* computantur, *quibus procella tenebrarum ſervata eſt in æternum.*

Joel. 2. 10.

Judas in ep. v. 13.

Audi hac de re quid referat Thomas Cantipratano. Clericus quidam in ſynodo Epiſcoporum prædicare compulſus, anguſtiabatur non modicum, quidnam digne poſſet coram tot Prælatis proponere. At ubi acceſſurus in oratione faceret, venit ad eum diabolus, & dixit ei. Quid anguſtiaris iſtis clericis prædicare? Dicas eis iſtud, & non aliud:

Cantipr. li. 1. Apum cap. 20.

Digitized by Google

Principes infernalium tenebrarum, Principes Ecclesiæ salutant. Lati omnes nos gratias eisdem referimus, quia cum ipsis, eorum nobis afferuntur subditi; & per eorum negligentiam ad nos devolvitur totus pariter fere mundus. Invitus quidem tibi dico quod dico, sed altissimi suffione coactus. Respondit clericus. Mihi quidem, si hæc eis retulero, non credent: Tunc diabolus tangens maxillam ejus: *Ecce*, ait, *signum nigredo insolita faciei. Hanc antequam prædices, non contingas, quia frustrà: post prædicationem verò, aqua benedicta delebis.* Processit ergo clericus in synodo prædicaturus: & admirantibus cunctis in signo indito facici, tantum illa quæ sibi jussa sunt recitavit, & ad horrorem maximum cunctorum corda permovit Hæc anno ab Incarnatione Domini M.CC. XLVIII. fuerunt Parisiis coram omni clero & populo solemniter recitata. Ita ille.

LECTIO III.

EXPLICAT TERTIAM Rationem.

3. *Ratio est neglectus gratiæ vocationis.*

1. Reg. 15. 1.

TERTIA ratio, cur mihi sint mali Sacerdotes, est, non quod ad Sacerdotium à Deo non fint vocati, sed quod vocationis tuæ gratiam negligant: quodque unctionis, consecrationis, dignitatis suæ reddantur immemores, sæculi vanitatis post vocationem sanctam ille implicantes Certè Saul à Domino electus fuerat, & vocatus ad regnum, ab illo unctus: At posteà immemor divinæ vocationis & unctionis, inobediens fit Domino, & ejus beneficiis ingratus, ideoque reprobatur. Nadab quoque & Abiu designati fuere & vocati à Domino ad Sacerdotium: sed officii sui & præceptis immemores, dum offerunt Sacrificium ignem alienum, à Domino pereussi interierunt. Et in novo testamento, Judas ad Apostolatum & Sacerdotium à Christo vocatus est: sed tantæ dignitatis non satis memor, triplici laqueo avaritiæ, perfidiæ, desperationis sibi vitam æternam præcidit, & mortem perennem consciscit. Nicolaus quoque Diaconus ad cum ordinem à Domino vocatus fuerat, per electionem discipulorum & Apostolorum, eratque plenus Spiritu S & sapientia: sed postea vocationem & spiritum deserens, auctor fuit perniciosæ hæresis, & profligatissimæ vitæ in aliis inventor. Sic multi pietatis spiritu impulsi ad Sacerdotium ascendunt: sed divinum hoc beneficium & gratiam paulatim negligentes, sæculo & vitiis ejus se involvunt. Respiciunt retro, claudicant in duas partes, descendunt de tecto & culmine virtutum ad tunicam veterem repetendam, tunicam Adæ, huntque ut hidera errantia, & impetu ferventis caudæ draconis, e virtutis & gratiæ gradu in vitia detracti, è Cœlo in profundum abyssi demergantur. Hi sunt instar statuæ Nabuchodonosor, cujus caput erat aureum, pedes

Lev. 10. 1.

Act. 6. 5.

Daniel. 2. 32.

lutei: incipiunt enim in auro, desinunt in luto, cùm spiritu rapetint, carne consummantur. Quos luget Jeremias: *Filii Sion inclyti, & amicti auro primò; quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli.* Quæ erant vasa in honorem, apta servire mensæ & altari Domini, fiunt vasa in contumeliam, immunditiæ servientia. Thr. 4 2.

Hos admonet Bernardus: *O Fratres non tædeat incipere magna, & tenere inchoata: sæpenumero quod perseverantia informat meritum, coronat bona proposita, remunerat currentem, dicit ad bravium & perfectum. Hæc est tunica talaris Ioseph usque ad finem pertingens. Hæc est tunica sacerdotalis ad pedes perveniens. Hæc est sancta hostia quam tenemur Deo offerre. Hæc est calcaneum bonæ operationis; quod contra serpentis morsum decenter oi servare. Hæc est quæ laureantur Martyres, quæ Virgines coronantur, quæ Sacerdotes sublimantur.* Hæc ille. S. Bern. Epist. 129.

Propterea etiam adeò sollicitè monet Apostolus ad Timotheum: *Noli negligere gratiam quæ est in te, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii:* Et iterum. *Admone te, ut resuscites gratiam quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Licet sciret Apostolus Timotheum à Deo vocatum, & per revelationem divinam eum ordinasset, ut docet Chrysostomus, & alii Patres, ex cap. 1. ad Timotheum. Tamen sedulò monet & replicat, ut memor sit gratiæ sibi collatæ in ordinatione, & in ipso omnes nos Sacerdotes admonere censetur, quasi dicat: Memor esto, ô Sacerdos, consecrationis tuæ unctionis, impositionis manuum, qua ordinatus es. Per hanc Spiritus sanctus in te descendit, tanquam Protector & Dux vitæ tuæ, qui manu sua te regeret & protegeret: Per hanc etiam tanquam victima specialis Deo consecratus es & oblatus, ut jam non tibi vivas, sed illi totam vitam impendas. Per hanc denique copiosam gratiam accepisti & benedictionem abundantem, non solùm ut te regeres, sed & aliis Rector & Dux præ ceteris exemplo vitæ & doctrinæ. Hæc ergò frequenter meditare, attendeque tibi: & gratiam hanc tanquam ignem sacrum animo tuo infusum, conversatione mundana, pulvere terreno, cinere delitiæ aut infirmitatis torpore, ne finas obduci & tepescere. Aqua carnalium desideriorum exingui ne permittas; sed excute pulverem & cinerem; excita te, excita zelum, excita gratiam & spiritum; ut semper ardeat in te ignis ille cœlestis gratiæ & charitatis, qui facilè ex infirmitate naturæ torpescere posset aut sopiri. Ac sicut ignis ligni & flabello eget ut fuscitetur; ita & gratia cœlestis novis alitur desideriis & vigilantia animi, piis conatibus, ferventibus precibus renovatur ac fuscitatur incrementumque accipit ejus flamma. Et quoniam hostes plurimi illam suffocare conantur, Satan venenato suo afflatu, Caro in juda unda crassiore concupiscentiæ, Mundus aggesto terreno cespite & pulvere: ideo continua attentione opus est, vigilantia, 1. Tim 4. 14. S. Chrys. in 1. ad Tim.

Digitized by Google

gilantia, ac repugnantia contra hoſtes hoſt, ne ſpiritum gratiæ in te ſuffocent, ô Sacerdos, ô Timothee! Hæc eſt mens Apoſtoli.

Interim nec his monitis, nec ſibi attendentes, non pauci Sacerdotes ſæculi, dum conformant ſe huic nequam ſæculo, ſuffocant gratiam & ſpiritum Dei ſtatu ambitionis & ſuperbiæ, ſordibus avaritiæ, ventris ingluvie, carnalibus deſideriis; aliiſque corruptis moribus ſublimem hunc ſtatum dedecorare noſcuntur. Ac deinde in conſpectu Dei cum immunditia audent ſtare, ſine timore conſecrant, ſine reverentia myſteria tractant, ſine amore diſpenſant, ſine pudore frequentant. Audent accedere ad Deificum Chriſti Corpus, manibus cruentis, labiis pollutis, viſceribus venenatis, corde impuri, corpore fœtidi, ſpiritu mortui. De quibus Dominus per Prophetam conqueritur: *Ad vos, ô Sacerdotes, qui deſpicitis nomen meum, & dicitis: In quo deſpeximus nomen tuum? Offertis ſuper altare meum panem pollutum. Et dicitis: In quo polluimus te? In eo quod dicitis: Menſa Domini deſpecta eſt.* Malach. 1. 6. Quæ quidem querela, licet directa ſit ad Sacerdotes antiquos, tamen maximè novæ legis Sacerdotes reſpicit. Hi licet non poſſint panem pollutum, aut victimam maculatam immolare (quia hoſtia noſtri ſacrificii nulla offerentis indignitate poteſt pollui) tamen quantum in ipſis eſt, cenſentur illam contaminare ſacrilego uſu, & impura conſcientia, ſicque nomen Dei deſpiciunt, quaſi non eſſet SANCTUS SANCTORUM; ſimulque ut ab aliis deſpiciatur, occaſionem ſuggerunt, dum ob improborum vitam Chriſtus in Miniſtris ſuis non honoratur.

vincula ſolvere poterant. Judicium graviſſimum fiet his qui præſunt; timeant ergo ipſi, non timeant.

Certè Sacerdotum peccata graviora eſſe & gravius ponderanda, quàm aliorum, non eſt ambiguum: æſtimatur enim peccatum non tantùm ex natura operis, ſed etiam ex conditione & dignitate operantis. Atque cum Sacerdotes toti ſint Dei, ſpecialiter illi conſecrati, ſpeciali ſigillo & charactere ſignati ſpecialibus gratiæ donis adaucti, myſteriorum omnium, & Corporis Sanguinisque Chriſti diſpenſatores conſtituti; dum ipſi peccant, non parum auget peccatum ingratitudo: creſcentibus donis, creſcunt rationes eorum. Et cùm peccatum ſit ſigillum ſatanæ, quando ſuperinducunt illud ſigillo Chriſti, jam cenſetur contra eos clamare, acerbumque teſtimonium ferre, unctio & conſecratio quam conſpurcant, character & viva in ſe ipſis imago Chriſti, quam polluunt, ſanguis Jeſu & ſpiritus ejus, cui contumeliam faciunt. *Sacerdotum peccata graviora, eſſe quam aliorum.*

Sed ut plenius earum ingratitudo graviſque culpa innoteſcat, primò eam declaravimus ex Scripturæ auctoritate, ſecundò ex doctrina Sanctorum Patrum, tertiò exemplis, quibus olim Sacerdotes punivit Deus.

DECLARATIO EX SCRIPTURIS.

PRimo ſi Dei vocem in Scripturis volunt audire, attendant illud Domini apud Hieremiam: *Quid eſt quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa? Olivam uberem, pulchram fructiferam, vocavit Dominus nomen tuum; ad vocem loquelæ grandis exarſit ignis in ea, & combuſta ſunt fruteta ejus. Et Dominus exercituum qui plantaverat te, locutus eſt ſuper te malum.* 1. Probatur ex Scripturis. Jer. 11. 15. Ad quos in melius dirigitur, quàm ad Sacerdotes? Hi præ cæteris electi, dilecti, beneficiisque divinis ſunt adornati; dum in domo Dei conſtituuntur, non ſolùm tanquam ſervi, ſed tanquam ſpeciales amici, tanquam domus adminiſtri, immò tanquam filii primogeniti. Ergone horum omnium obliti, electionem hanc, dilectionem, divinumque favorem contemnentes, in tantum benefactorem erunt injurii? Profectò dum ſceleribus ſuis domum Dei conſpurcant, dum ſanctitatem cui conſecrati ſunt, profanant, dum infideliter myſteria tanta tractant, non poteſt non eſſe graviſſimum, & indigniſſimum eorum peccatum, quandoquidem gratia & dignitas, ad quam evecti ſunt, ſublimis admodum ſit & incomprehenſibilis. Eheu, plantavit Dominus Sacerdotium & Sacerdotes, quaſi olivam uberem, ſpecioſam frugiferam: ſed neſcio quis malignus cupiditatis ignis cernitur, olivæ hujus fruteta adurens & depaſcens! Ita ut cogatur Dominus loqui ſuper eam malum, ramis infrugiferis maledictionis fulmen immittendo, exſcindendo, & in ignem perpetuum præcipites dando; ut tanto gravius puniantur, quanto magis iram merentur & indi-

LECTIO IV.

SACERDOTUM PECCATA GRAVIORA ESSE quam aliorum, & magis punienda.

SAcerdotes muneris ſui immemores, deberent attendere cœleſtem illam manum, quæ non ſolùm in aula Principum, ſed & in templo Sacerdotum decretum exarat contra improbos, juxta Candelabrum. Deberent bilancem illam & ſtateram, in qua expendendi ſunt; attentè conſiderare, & præcogitare pondus quod ab ipſis exquiretur, Dan. 5. 27. *ne tunc inveniantur minus habere*: Minus utique valoris & juſtitiæ, minus pietatis & religionis, quàm ſacer eorum ſtatus depoſcit: Quid dicturi ſunt, quando veniet ille qui numerat annos, menſes, dies, horas, momenta: ille *Ponderator ſpirituum*, Prov. 16. 2 cujus judicia pondus, & ſtatera; ille qui dividit regnum animæ à corpore, aufertque coronam & tiaram; ille qui veniens movet candelabrum; ille qui in tenebras mittit eos qui aliis illuminandis dati erant, & dejicit in ergaſtulum, ligatis manibus & pedibus, illos qui priùs aliorum

Digitized by Google

indignationem, post tot beneficia vocationis, plantationis, rigationis, nullum fructum ferendo, nisi acerbum & funestum peccati. Attendant ad id sacerdotes illi, qui cùm sæpè recitent illud Psal 51. Ps 51.10. *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei speravi in misericordia Dei in æternum & in sæculum sæculi*; tamen inveniuntur quasi rami aridi & sicci, succi spiritus, & humoris gratiæ exortes, aut tanquam rami Oleastri sylvestris, amarum liquorem peccati generantes. Curent igitur per peccati & vitæ prioris abdicationem, per contritionis culturam & purgationem, per orationis studium, gratiæ rorem & succum recuperare. Curent Olivæ Radicali (quæ est Christus Jesus) per unionem spiritus Rò.11.17. iterum se inseri ut fiant, *Socii radicis & pinguedinis*; sicque fructum copiosum proferant in fœcundo Ecclesiæ solo plantati, fructum correspondentem Zach. 4. 14. sux vocationi, tanquam *Filii olei*. Alioqui si aridi persistunt, aut perversis moribus silvescentes, Mat.3 10. *Securis ad radicem posita est*, ut excindantur, & igni esca tradantur.

Altera vox Domini ad hanc rem spectans, quam etiam debent attendere Sacerdotes, est illa quæ habetur Malachiæ 2. ubi dicit Dominus se pactum fecisse cum Levi, id est, cum Levitica & Sacerdotali Tribu, sive cum Aarone & Sacerdotibus: Malach. 2.5. *Et pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis, & dedi ei timorem; & timuit me, & à facie nominis mei pavebat. Lex veritatis fuit in ore ejus, & iniquitas non est inventa in labiis ejus, in pace & æquitate ambulavit mecum, & multos avertit ab iniquitate.* Hic indicatur, quod pactum speciale Deus ineat cum Sacerdotibus posteris Aaronis, promittens illis vitam & specialem gloriam ex parte sua: Ex parte autem illorum *primò* requirit timorem, quo ab omni ejus offensa se custodiant. *Secundò* legem veritatis in ore eorum; hoc est, ut legem divinam verè & rectè populum doceant. *Tertiò*, ut ambulent in pace & æquitate, hoc est, ut pacis & æquitatis amatores sint & tutores, sua conversatione pacifica illius amorem cordibus proximorum imprimentes. *Quartò*, ut alios avertant ab iniquitate, hoc est, verbo & exemplo satagant omnes ab impia & iniqua vita ad piam & sanctam traducere. Hæc omnia dicit Aaronem servasse, & Levitas veros. Nonne pacto quodam speciali quicumque Sacerdotio initiantur eadem servaturos se addicunt? Interim subdit Dominus exprobrans improbis Sacerdotibus: Malach. 2.8. *Vos autem recessistis de via, & plurimos scandalizastis in lege, irritum fecistis pactum.* Habent hæc verba emphasim, ad novæ legis ministros directa, & offensæ eorum gravitatem ostendunt. Quasi dicat: Vos qui mihi speciali pacto obligati estis: Vos qui tot obsequiis amoris mihi devincti: Vos quos specialiter elegi, & potestatis divinæ consortes feci: Vos quibus claves Cœlorum commisi: Vos quibus Ecclesiam sponsam meam, & animas à me redemptas concredidi: Vos quos cæterorum Duces constitui, ut eos in viam veritatis & æternitatis perducatis: Vos inquam ipsi, *de via recessistis*, de via legis & scientiæ divinæ, de via pietatis & timoris, de via salutis in viam perditionis proruentes. E. quod peccatum vestrum tot titulis gravissimum & indignissimum magis adauget: *Vos scandalizastis plurimos de lege*, improba vestra vita dedistis exemplum legis violandæ & contemnendæ: vos quibus lex concredita erat, quasi Virgo quæ tutoribus & custodibus committitur, ut inviolata servetur, eam primi deflorastis, devirginastis, violastis, ac deinde cæteri exemplo vestro audaciam ad id ipsum assumpserunt. Vos qui magistri probitatis cæteris esse debuistis, perversitatis Duces facti estis; & flagitiorum faciem præferentes eos in ruinam & excidium pertraxistis. Exinde nimirum Sacerdotum peccata graviora redduntur, Deoque intentissima, quod plebei illorum perditos mores considerantes, æstimant peccata sua levia, dum similia aut majora in Sacerdotibus conspicantur: & sic involuti similibus flagitiis in ruinam cum ipsis feruntur. Hæc igitur considerent Sacerdotes, servent pactum, legem custodiant tanquam sacrum depositum, vitent scandalum, caveant præbere pravum exemplum, nec in hoc incidant opprobrium.

Denique huc spectat illa visio Ezechielis de qua cap. 8. Cùm in Babylone ageret, raptus fuit in spiritu, & in Jerusalem delatus, ut peccata populi (quasi testis oculatus) intueretur. Ac primò templum ingressus advertit multitudinem idololatrantium, qui picturis reptilium & animalium omnis generis offerebant incensum. Progressus vidit lachrymas mulierum deplorantium Adonidem, qui ut turpitudinis & luxuriæ idolum colebatur. Quid turpius ei ostendi poterat? tamen dicitur: *Fili hominis vidisti abominationes mexiras, at conversus videbis majores.* Introductus igitur est in atrium interius, & ecce inter vestibulum & altare ostenti sunt ei viginti quinque viri, dorsum vertentes ad altare, adorantes ad ortum solis. Cur verò hæc abominatio dicitur gravior altera? Cur detestabilius altari tergum vertere, & ad Orientem adorare, quàm serpentibus incensum adolere? Respondent Interpretes cum D. Chrysost. S. Chrys. peccata quæ committebantur in atrio exteriori, peccata sæcularium designare: quæ verò in atrio interiori, peccata Ecclesiasticorum; quia locus ille locus erat Sacerdotum. Ideoque hæc exaggerantur præpriorибus, quia licet graviora non sint ratione operis, sunt tamen ratione status & qualitatis. Dum sæculares idola picta adorant, divitias, honores, voluptates, propter illa Deum relinquentes, absque dubio divino sunt Numini injurii, graviterque ejus iram accendunt. Sed Sacerdotes gravissimè, dum humeros altari obvertunt, dum sui immemores officii, suæ dignitatis obliti, dissolutiori vitæ & libertati perniciosæ frena laxant, mundo, voluptati, vanitati dediti. Frustrà tales gaudent nomine Sacerdotum & Ecclesiasticorum, in vanum

Digitized by Google

in vanum gloriantur in beneficiis, officiis, præbendis, quandoquidem ob hæc majori sint vindictæ obnoxii. Idem illis inculcamus quod olim Dominus Israelitis per Hieremiam: *Nolite confidere in verbis mendacii dicentes, Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini.* Hæc dicit dominus exercituum *Bonas facite vias vestras & studia vestra, & habitabo vobiscum in loco isto: Numquid ergo spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum in oculis vestris? Ego, ego sum, ego vidi dicit Dominus.* O quam multi propter honorem Sacerdotii, propter titulum & officium acquisitum in templo Domini, propter beneficium & præbendam, qua fecerunt abusi, majori erunt obnoxii damnationi! Videremum Dominus, & requirit.

Jere. 7. 4.

LECTIO V.

DECLARATIO EIVSDEM REI ex SS. Patribus.

2. Probatur ex SS. Patribus. Greg. hó. 17. in Luc.

SECUNDÒ audiendi sunt Sancti Patres, gravitatem peccati in Sacerdotibus verborum suorum gravitate declarantes. Inter hos S. Gregorius diserè dicit: Nullum majus præjudicium, quàm à Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit. Quando ipsi peccamus, qui peccata compescere debuimus, Nulla animarum lucra quærimus, ad nostra studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus. Eo ipso quo cæteris prælati sumus, ad quælibet agenda majorem licentiam sumimus, & susceptæ benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum. Dei causas relinquimus, ad terrena negotia vocamur, locum sanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur. Hæc ille.

Præclara sanè monitio, quæ utinam efficaciter Sacerdotum corda penetret, utinam animos eorum ulcerosos sic ictus fortiter pungat, ut vitiorum latentem saniem expungat, & educat, sicque sanentur. Utinam hoc collyrio inungant oculos suos, ut clariùs videant!

S. Bern. serm. Ecce nos.

Audiendus est secundo loco hac de re S. Bernard. in serm. *Ecce nos reliquimus. Cœleste genus officium Sacerdos, Angelus Domini exercituum est, tanquam Angelus aut elegitur aut reprobatur. Inventa in Angelo prævitas & districtius judicatur necesse est, & inexorabilius quàm humana.* Atque ad id confirmandum adfert S. Bernardus illud Domini apud Isa. 26. 10. Isa. 26. *in terra Sanctorum inique gessit, & non videbit gloriam Domini.* Quid est in terra Sanctorum nisi in Ecclesia, & in domo Dei quam decet sanctitudo? De qua Apostolus ad Timotheum. *Scias quomodo oporteat te conversari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei viventis columna & firmamentum veritatis.* 1. Tim. 3. 15. In Clero ergo tanquam in cœlo gerens iniqua, quidni gravius judicetur. Inventa est iniquitas ejus ad odium, qui in terra Sanctorum gessit iniqua non videbit gloriam Domini in Cœlo, qui eam debuit, nec voluit in Clero propagare: sed potenter torquenta patietur cum Angelis desertoribus, quibus non pepercit Deus.

Audiendus est tertio loco S. Augustin epist. 148. ad Valer. ut sit in ore trium testium omne verbum. Sic autem ait: *Ante omnia peto, ut cogitet religiosa tua prudentia, nihil esse maximè nunc facilius & latius hominibus, Episcopi, Presbyteri, Diaconi officio, si abluriè & perjuriè res agatur: sed apud Deum nihil miserius, tristius & damnabilius. Et nihil esse in hac vita laboriosius, difficilius, periculosius; apud Deum verò nihil beatius, si eo modo ministretur quo Imperator jubet.*

Aug. ep. 148.

Itaque sacræ militiæ adscripti, non adulemur nobis, non de gradu adblandiamur, non vanitati & vitiis dediti torpescamus, non perfunctoriè quæ muneris nostri sunt obeamus; quandoquidem nihil tristius, nihil miserius, nihil damnabilius esse queat. Sed abicientes opera tenebrarum, & induti arma lucis, eo modo militemus quo Imperator noster Christus jubet: *Satagamus ut per bona opera certam nostram vocationem & electionem faciamus, sic enim abundè ministrabitur nobis introitus in æternum regnum Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi*, ut nos monet S. Petrus, Sacerdotum & Pastorum Dux & Antesignanus. Ardua est militia nostra & periculosa, nisi solerter advigilemus; Sublimis est, & multa à nobis requirit. *Mediocre non putes quod tibi commissum est*, inquit S. Ambrosius *Primum ut alta videas, quod ipsi sapientiæ: Deinde ut excubias propopulo defendas, quod est justitiæ: Castra defendas, tabernaculum tueatur, quod est fortitudinis: Teipsum continentem & sobrium præstes, quod est temperantiæ.*

2. Pet. 1. 10.

Amb. l. 1. offic.

Quia ergò multam requirit perfectionem Sacerdotium, & maximè Pastorum vita, & quia exactiùs expendenda est, etiam Sancti Viri timuerunt illius reddere rationem. Audi quod de S. Huberto refert scriptor vitæ ejus apud Surium Hubertus ad extrema deductus, post varias salutis ad suos monitiones dicebat: Mihi non mediocris est angor, reminiscenti quanta perfectio debeat esse ministerii mihi injuncti: & è contrà quam contemptibilis vitæ meæ inofficiosa correctio. Ecce Judicis mei jam conlidero à nuptiis reditum, cum mihi desint lampades bonorum operum perfectione repletæ, & charitatis luce irradiatæ, quibus ejus valeam occurrere adventui. En rationem positurus de talentis redit, mihique timeo dici, quod servus negligens audivit: Redde rationem villicationis tuæ: Serve piger, nonne oportuit te pecuniam meam committere nummulariis, ut ego veniens cum usuris recepissem eam? Gregis mei te posui Pastorem, & lactis eorum uberrate famem, lanarumque tegmine repellere consuevisti algorem. Ergo necesse est eorum præsentes salvationem

De Sanct. Huberto Surius in vita ejus.

Digitized by Google

tionem, quorum te præposui Præsulem. Hæc ipse. Quid dicet lignum aridum, si Virga florens adhuc sibi timet.

LECTIO VI.

DECLARATIO PER EXEMPLA.

3. Probatur ea parte quibus olim Sacerdotes puniit Deus.

TERTIO confirmantur jam dicta, si expendamus pœnas graves, quas immisit olim Deus in suos Ministros, ob aliqua delicta, quæ non ita gravia judicarentur, nisi ipsa divina vindicta testis foret gravitatis.

Levit.10. In primis, Nadab & Abiu quia Thuribulis suis ignem alienum imposuere, statim igne cœlitus descendente absumpti sunt. Quis existimaret hanc culpam tanta severitate plectendam? Sed hoc exemplo voluit Deus Sacerdotibus omnibus notum esse, non communi hominum pondere & æstimatione, sed in Sanctuarii sui graviori siclo & pondere, Sacerdotum culpam expendi apud se; ideoque ipsos magna religione munus suum obire debere, & ab omni culpa sibi præcavere. Nempe hoc est verbum quod locutus est Dominus: *Sanctificabor in iis qui appropinquant mihi.* Ergo ô Sacerdotes Evangelici, cùm Sanctuarium Dei ingredimini, videte ne ignis alienus, ignis concupiscentiæ, in cordis vestri Thuribulo inveniatur, & divinam excitet vindictam: quandoquidem vobis præceptum sit, incensum purum suavis odoris, super igne divini amoris, supremo Numini adolere.

Lev.10.3.

2.Reg 6.6 2 Oza cum Levita foret, calcitrantibus bobus manum extendit ad arcam ut eam fulciret, & subitò percussus est. Certè vel nullam, vel levem culpam hic judicaremus: sive enim dicatur peccasse, quia actu conjugali non abstinuerat; sive, quia nudè arcam tetigerat: quam nonnisi per vectes portare licebat, sive, quia oporteret eam humeris portare, & non plaustro imponere; undecumque error acciderit, cùm necessitas urgeret, excusabilis culpa videretur, nec tanto obnoxia supplicio. Quin etiam Philisthæi nudam arcam tetigerùt, & plaustro vexerunt, nec simili vindicta absumpti sunt. Quid ergò? Quid dicemus ad hæc? Nisi quod offendere voluerit Deus, se Judicem Deorum severum exillere, Judicem scilicet Sacerdotum, in quorum medio stat tanquam Deos dijudicans & plectens eorum culpas, etiam quæ leves videntur: Graves enim sunt, quæ Sacerdotum culpæ sunt, sive eorum qui id quod ad Dei cultum spectat, nec debent ignorare, nec ullatenus omittere. Philisthæi ergo laici erant, & gens profana, quæ præceptum Domini poterat ignorare: Oza Levita erat & præceptum Domini nosse debebat, & strictè observare.

Ps.98.6. 3. Moyses & Aaron Sacerdotes Domini *invocabant eum, & ipse exaudiebat eos, in columna nubis loquebatur ad eos; miscens* tamen etiam erat in *eos adinventiones earum.* Dubitat Moyses percutiens petram propter duritiem & rebellionem populi, nec enim de potentia Dei ambigere poterat, quam in humili expertus fuerat, & prodigiis aliis gravioribus manifestatur: interimmascitur Dominus Moysi, & ob id eum punit, denegans ei ingressum in terram promissionis. Simili pœna Aaronem plectit Moysis fratrem, & in Sacerdotio consortem. An non ergo merito dicimus Sacerdotum peccata gravia esse, licet in specie levia videantur, quandoquidem adeò acri pœna calligantur?

Num.20.10.

4. Quantum ponderet Deus Sacerdotum peccata, satis liquet ex punitione Heli & filiorum ejus. Hi ingluviem & fornicationem fectantes, ceciderunt tandem divina vindicta perculsi. Heli quia non satis severè eos correxerat, subita etiam morte interiit, & Dei manum vindicem non solum in se, sed & in sua sensit posteritate. Unde sic ait Dominus: *Faciam verbum, quod quis audierit, tinnient ambæ aures ejus: præduxi enim ei quod judicaturus essem domum ejus in æternum propter iniquitatem, nec expiabitur iniquitas domus ejus victimis & muneribus usque in æternum.* Ob idipsum arcam capi permisit Dominus, & transtulit Sacerdotium à domo Heli in Samuelem. En igitur, quàm gravia censeat Dominus peccata Sacerdotum, dum divinis sunt sacrificiis injurii per improbam vitam: quandoquidem propter illa non solùm ipsi, sed & plebs Dei gravissimis sæpè afflictetur malis. Sed id sequentia clariùs & spectabiliùs poterunt declarare.

1.Reg.3.11.

LECTIO VII.

DE MALIS ORIUNDIS EX VITA improba Sacerdotum.

Quæ mala oriantur ex mala vita Sacerdotum.

EX improba Sacerdotum vita plurima mala, cùm culpæ, tùm pœnæ, in plebem derivari certum est. Et primò quidem quantum ad mala culpæ attinet, quis non videat ex malo exemplo Sacerdotum plurima vitia oriri, illudque efficax admodum esse, ut plebis animos ad libertatem pelliciat, & ad vitiorum imitationem inflectat? Quod enim quisque in Sacerdotibus cernit invaluisse, nec reprehendi, id sibi facilè licitum putat: & cùm nihil facilius, quàm vitia impuris mentibus affricentur, sit teste S. Bernardo, *ut misera Sacerdotum conversatio, plebis Dominicæ sit miserabilis subversio.*

1. Mala culpa.

S.Bern.

Similitudinibus id declarant sancti Patres: S. Ambrosius capitis & membrorum similitudine utitur, sic dicens: *Sicut in corporalibus membris capite vitiato necesse est reliquum corpus inundatione superioris morbi lethaliter irrigari: ita & hi qui caput esse videntur Ecclesiæ, morbo suo fraternum vitiant corpus, ut nihil ex totius corporis compage insanientium possit evadere, quod negligentium Sacerdotum*

Similia S. Ambr.

Digitized by Google

dotum vitiositas non infecerit: unde populum videmus nugacem & indoctum, eo quod tales habeat Sacerdotes.

Chryſoſt. hom. 38. in Matt.

S. Chryſoſt. utitur ſimilitudine radicis & ramorum. *Quemadmodum*, inquit, *cùm videris arborem pallentibus foliis, intelligis quia aliquam culpam habet circa radicem; ita cum videris populum indiſciplinatum & irreligioſum, ſine dubio cognoſce, quia in Sacerdotibus culpa eſt. Sicut de templo omne bonum egreditur, ſic & de templo omne malum procedit.*

Ovid l. 2. metam. v. 47.

Poetæ ùt oſtenderent quantum nocumenti Reſtoris improbitas, vel imperitia, invehere poſſit in eos quos regit, finxere apologum Phaetontis. Hic regendi avidus, popoſcit à Sole Patre ſuo habenas & regimen currus ſolaris. Et quamvis Pater, id ſupra vires ejus ſciens, difficilem ſe exhiberet, importunitate tamen victus, tandem ceſſit, & petita conceſſit. At cùm regendi ignarus eſſet, accidit ut igneo illo curſu & terram & ſe adureret. Similes porrò illi ſunt, qui Sacerdotium & regimen animarum ſuſcipiunt, vel imperiti, vel improbi. Currus ſolaris regimini admoventur, ſed damno ſuo & aliorum; nam ſibi perniciem æternam, alios quoque combuſtionem non infrequenter afferunt. Experientia certè quotidiana nos docet multos qui ad curas Paſtorales aſſumpti ſunt, vel irrepſerunt, ſine ſcientia, ſine digna tali ſtatu vita, plurimum detrimenti gregi afferre; & multiplici ſe reatu obſtringere, dum pereuntium animarum ſanguis requiritur de manibus eorum. Sæpè enim fit dum Paſtor per abrupta graditur, quod ad præcipitium grex ſequatur.

Jer. 10. 19.

Hinc de ſimilibus conqueritur Eccleſia apud Hierem. *Væ mihi ſuper contritione meâ peſſima plagа meа, tabernaculum meum vaſtatum eſt, omnes funiculi mei diſrupti ſunt, filii mei exierunt à me, & non ſubſiſtunt. Non eſt qui extendat ultrà tentorium meum, & erigat pelles meas; quia ſtultè egerunt Paſtores, & Dominum non quæſierunt, propterea non intellexerunt, & omnis grex eorum diſperſus eſt.* Certè meritò Eccleſia conqueritur, quod propter improbam vel negligentem vitam Paſtorum & Sacerdotum grex diſpergatur, vel errando à via mandatorum, vel reſiliendo à ſpe promiſſorum, vel dividendo ſe ab unitate fidei, & Sacramentorum. Juſtè conqueritur, paucos eſſe qui perfectæ vitæ exemplo erigere curent, quæ diruta ſunt, zeloque pietatis & veritatis inſtaurare, quæ in moribus aut fide corrupta ſunt. Illud eſt erigere tabernaculum Domini, tentorium & pelles ejus extendere, animas ſcilicet in Chriſto iterum ædificare, in quibus Dominus habitet & glorificetur, illaſque ad veram fidem & pietatem formare, & è cœno vitiorum erigere.

Sed quàm exiguus eſt numerus eorum, qui huic rei totos ſe impendant? Imò verò quàm magnus eſt numerus illorum, qui bene ædificata pravo exemplo deſtruunt, & animas illaqueant? *Audite hoc Sacerdotes*, inquit Propheta Ozeas, *ſatis eſtis laqueus ſpeculationi, & velut rete expanſum ſuper Thabor*, ad capiendas animas. Quaſi dicat: Vos ô improbi Sacerdotes eſtis ſcandalo & offendiculo plebi, & illaqueatis animas, malis veſtris exemplis & vitiis in peccata illicientes, & in exitium perducentes: quaſi venatores, qui ſuper montes laqueos tenſos habent, quibus illaqueantur aves. Eſtis ergò laqueus perditionis ſpeculationi, hoc eſt, populo curæ & ſpeculationi, ſive vigilantiæ veſtræ commiſſo; quia quem ſpeculari vos decebat, pro quo & excubare debebatis ad cuſtodiam, pertrahitis in ruinam. Eſtis igitur non ſpeculatores, ſed ſpiculatores; non directores gregis, ſed direptores; non tutores, ſed tortores; non Paſtores, ſed impoſtores, ſimulque proditores & perditores. *Eſtis rete ſuper montem Thabor*, ſuper montem luminis & puritatis; hoc enim Thabor ſignificat. Eſtis nimirum in Sacerdotio tanquam in ſtatu perfectionis, ut puritatem & lumen cæteris communicetis: & tamen prava vita veſtra non puritatem, ſed fœditatem, non lumen ſed tenebras offunditis; & de celſitudine in profundum perditionis cum plebe ruitis exoculati.

Ozee. 5. 1.

Quantum ad mala pœnæ, graviſſimas clades in- 1. *Mala* flictas eſſe in plebem ob peccata Sacerdotum, etiam *pœnæ.* ex ſacris hiſtoriis exploratum eſt.

Propter peccata Heli, & filiorum ejus, victoria 1. Reg. 2. ceſſit Philiſthæis, Iſraelitæ profligati ſunt, Arca in 22. hoſtium poteſtatem venit.

S. Cyprianus graviſſimam calamitatem ſuo tem- Cypr. lib. pore Africam depopulantem Sacerdotibus adſcri- 4 Ep. 4. pſit his verbis: *Facit Dominus voluntatem Patris ſui, & nos non facimus voluntatem Domini, lucro ſtudentes, ſuperbiam ſectantes, æmulationi ac diſſenſioni vacantes, fidem negligentes, ſæculo verbis & non factis renunciantes, unuſquiſque ſit placentes. Vapulavimus itaque ut meremur; cùm nec illi qui exemplo cæteris ad bonos mores eſſe debuerant, teneant diſciplinam.*

S Gregorius ſui temporis clades iiſdem attribuit S Greg. his verbis: *Quanto mundus gladio feriatur adſpicis, hom. 17. quibus quotidie percuſſionibus intereat populus vi- in Evang. detis; cujus hoc niſi noſtro Sacerdotum peccato agitur? Nos pereuntis populi auctores mortis exiſtimus, qui eſſe debemus Duces ad vitam: ex noſtro peccato populi turba proſtrata eſt, quia noſtra negligentia ad vitam erudita non eſt.*

Non ergò miremur diuturnam Eccleſiæ perſecutionem, & turbidam vaſtitatem Catholico populo, gregi Domini incumbentem. Non obmurmuremus de fœlici ſucceſſu Hæreticorum contra Catholicos. Sed cum B. Hieronymo fateamur nos S. Hier. Sacerdotes: *Noſtris peccatis Barbari & Hæretici fortes ſunt, noſtris vitiis Catholicus ſuperatur exercitus; infœlices nos qui tantùm diſplicemus Deo, ut per rabiem Barbarorum & Hæreticorum illius in nos ira deſæviat.*

* * *

LECTIO VIII.

HÆRESES ORIRI EX IMPROBA Vita Sacerdotum.

Etiam Hæreses oriuntur ex improba vita Sacerdotum.

SED hic malorum cumulus dici potest, quod ex improba Sacerdotum vita, tanquam ex pessima radice, hæreses fuerint exortæ & ob illam adhuc continuentur. Occasio enim orta est aliquibus ab Ecclesiæ unitate & fide recedendi, dum vivendi licentiam cernunt in sacris ministris, nihil redolentem antiquorum Sacerdotum pietatem, disciplinam, splendorem. Atque etiam modo Ecclesiæ hostes, Ecclesiasticorum, Sacerdotum, Prælatorum vitia nobis exprobrant. Hanc unam recensent ex primariis causis defectionis suæ à Romana Ecclesia inclamantes eam ob causam, mille nonnisi abusum esse, corruptelam, confusionem, Ægyptum tenebrosam, & Babylonem. At verò fatendum quidem nobis est, multos in Ecclesia reperiri Sacerdotes, multos Prælatos vitæ maculatæ & scandalosæ. Sed etsi plures adhuc forent & pejores, non ideò schismatis sui & defectionis sufficientem haberent rationem. Non enim est hæc in re vitium status Ecclesiastici aut Sacerdotii, nec fidei aut doctrinæ, nec ipsius Ecclesiæ. Sed est vitium particularium personarum, de quibus cum lamento ingemiscimus, & ingemiscit Ecclesia Columba gemebunda: detestaturque vitia omnia membrorum sibi per fidei solum vinculum, non per spiritus & charitatis perfectæ nexum, conjunctorum. Ac simul obtestatur eos qui regunt, ut impios coerceant & emendent, aut aliis pœnis & censuris, aliisque supplicitis, plectendos & abscindendos minatur. Dicant nobis Hæretici; Nonne sancti Prophetæ inclamabant olim contra impios Synagogæ Sacerdotes? An ideò defectionem à Synagoga unquam meditati sunt? Clamat Isaias: *Omne caput languidum, omne cor mœrens, à planta pedis usque ad vertricem non est sanitas.* Utique vitia regnabant à supremis Rectoribus, usque ad eos qui sunt de fœce plebis. An propterea novam religionem novum altare oportuit erigere? Certè & Viri sancti omni ætate hæc vitia viderunt & deplorarunt, sed non ideo ab Ecclesia defeciverunt. Sciebant fraudem esse satanæ, prætextu hordeorum ab ovili velle recedere, prætextu paleæ nolle cum frumento in area esse, prætextu loliorum nolle cum liliis in agro Patrisfamilias florescere. Dicant iterum nobis. Si quis ex Arc. Noe egressus fuisset, eo quod ibi animalia immunda, imò essent & Tygrides; Nonne id insipientiæ adscriptum fuisset, & talis noctibus involutus certo perisset? Pari plane modo, qui ab Ecclesia Romana egrediuntur sub prætextu vitiorum in ea regnantium, æternæ perditionis undis absorbentur:

Hæretici hanc recensent primariâ causam defectionis ab Ecclesia.

quia extra illam salus nequit reperiri, sicut nec extra arcam.

Excusatio ergo eorum inanis est, sed ipsi corde & lingua venenati, ut doctrinam Ecclesiæ carpere possint & obscurare, quicquid de Sacerdotibus, Episcopis, Religiosis, Ecclesiasticis reperire possunt vel fingere, statim ubique decantant, scribunt, exaggerant. At sicut in immundis excrementis lætantur sues; sicut vitiosum sanguinem lubenter sanguisugæ attrahunt; sicut denique quicquid veneni est in domo, vel horto, aranei & bufones attrahunt: ita quidquid in Ecclesiasticorum moribus corruptum est & vitiosum attrahunt illi ad se, & his quasi deliciis pascuntur. Ut quid vero sic se gerunt? Nonne ut simul fidem eorum ac doctrinam in odium vocent, sicque suam stabilire valeant?

Hunc eorum morem & fraudem jam olim adverrit S. Augustinus de hac re præmonens & præmuniens suos fideles. Unde ad Hipponenses sic ait: *Quid aliud capiunt, nisi ut quisquis Episcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis esse desierit, omnes tales esse credant, sed non posse omnes manifestari? Et tamen etiam ipsi cum aliqua manifestata inventur adultera, non proiciunt uxores suas, nec accusant matres suas. At cùm non habeant quod in causa sua divisionis defendant; & quia divina Scriptura veritatem, qua Ecclesia Christi ubique diffusa commendatur criminari & obscurare non possunt; homines per quos prædicatur in odium adducunt, de quibus & fingere quodquid in mentem venerit, possunt. Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis, & in illo edocti estis, sicut quippe fideles suos securos fecit etiam de dispensatoribus malis, mala sua facientibus, & bona ejus loquentibus ut ait. Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, nolite facere, dicunt enim & non faciunt.* Hæc Augustinus de hæreticis sui temporis, quæ & nos repetimus de hæreticis nostris. S. Aug. ep 137 ad Hippon.

CONCLUSIO AD SACERDOTES.

VOS interim, ô *Sacerdotes & Ministri Domini, state super custodiam vestram*, ponite corda super vias vestras, *ut detis gloriam nomini Domini.* Aggæi 1. Nemini *date* ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium vestrum: *nullam offensionem date adversarius maledicti gratia; nec lætentur illi de casu & ruina vestra. Quin potius ut Aarones, virga vestra virga per sanctæ penitentiam efflorescente, hos compescite qui sunt de contradictione Core, Sacerdotio vestro juvati hostes Integritate conversationis vestræ, obstruatur omne* os loquentium iniqua, *oppilet* iniquitas os suum. *Immaculatos vos custodire satagite, quia* omnis quidem macula in membro qualibet turpis est, *sed maximè* ruit, *in deformitate in facie. Vis autem tu de membro aliquo infirmo, sed de facie esse Corporis Christi mystici. In vos oculi omnium conversi sunt, illius ergo speciem sanctam retinentes conservantes, etiam hostibus* reverendam exhibite. Omnis casus dolendus, sed maxime si re- 2. Cor. 6. 3. Ps. 106. 42.

mò eorum qui sunt in sublimi; audite ergo illud: Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, ne dimiseris locum tuum: *Sic agite, ut possit Ecclesia Hæresi insultantes dicere,* Ne lætetis inimica super me, Eccl.10.4. quia cecidi: consurgam, cùm sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam judicet, educet me in lucem, videbo justitiam ejus. *Si Sacerdotem caliginosa vita tenebras Ecclesiæ attulit, vestra jam lux eas dissipet, & iram Domini placare contendat* Dies est, ut ædificentur macheriæ tuæ, inquit Michæ. 7. 8. propheta: *hoc est, ut bonorum operum exemplis & doctrinæ veritate, quæ in Ecclesiæ ædificio sacro infirma sunt, confirmetis, quæ disrupta consolidetis, quæ depravata convertatis; ne sit tanquam paries inclinatus, aut macheria dejecta. Hæc munera, hoc ordinis vestri est hoc opere in sedulo incumbentes, glorificabitis Patrem vestrum, qui est in cœlis lætificabitis Matrem vestram, quæ est in terris; ædificabitis Fratres vestros, & Angelos gaudio afficietis; animas vestras salvabitis, & inimicos tandem confundetis.* v. 11.

LECTIO IX.

DE BONIS ORIUNDIS EX PIA Sacerdotum vita.

Qua bona oriantur ex pia vita Sacerdotum. Trid sess. 22. c. 1.

SIcut ex prava Ecclesiasticorum vita plurima in Ecclesiam inundare mala declaratum est: sic consequitur ex pia eorumdem conversatione omnis generis bona in ipsam plebem Christi redundare. Hoc vero his verbis præclare expressit Tridentina Synodus. *Nihil est quod magis ad pietatem & Dei cultum assidùe instruat, quàm eorum vita & exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim à rebus seculi in altiorem sublati locum conspiciuntur, in eos tanquam speculum cæteri oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur. Quapropter sic decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus, nihil nisi grave, moderatum, religione plenum præseferant: levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant; ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.*

Hoc etiam semper intellexerunt & docuerunt antiqui Patres, nimirum à reformatione & correctione Cleri & Sacerdotum, reipublicæ mores & reformationem dependere. Quapropter S. Bernardus sic scribit ad Eugenium Pontificem, lib. 3. de Bern. l. 3. de consid. c. 5. consideral. *Superest, ut super Ecclesiæ statum intendas consideratio tua, si plebes Clericis, si Clerici Sacerdotibus, si Sacerdotes Deo, mea qua oportet humilitate subjecti sint, si censura Ecclesiastica vigeat & disciplina. Etenim si Ecclesia vinea floreat honestate & sanctimonia Sacerdotum, jam flores fructus parturiunt obedientiam fidelium populorum.*

S. Chrys. in Matth. S. Chrysostomus eadem de re agens, dicit idcò Christum initio suæ prædicationis, sæpiusque alià Sacerdotum vitia redarguisse, comparatque illum Medico, qui originem mali vult extirpare, ut sanet. Audi ejus verba. Hoc erat boni Medici, ut ingressus ad infirmam civitatem salvandam, primò ad originem morbi intenderet. Nam sicut de templo omne bonum egreditur, sic & de templo omne malum procedit. Medicus ingrediens ad infirmum, statim de stomacho interrogat, & eum componere curat: quia si stomachus sanus fuerit, totum corpus validum est; si dissipatus, totum corpus infirmum est. Ita si Sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret, si corruptum, omnium fides marcida est. Cor autem & stomachus Sacerdotes intelliguntur, quia in rebus spiritualibus per eos totus populus gubernatur. Et sicut cor sapientiæ locus est, ita Sacerdos sunt receptacula sapientiæ spiritualis Isaia dicente de Regibus quidem: Omnes caput in dolore; de Sacerdotis autem; Omne cor in tristitia. Hæc Chrysost. in *Cur stomacho comparentur Sacerdotes.* operis imperf. 50. 38. *vel quisquis est auctor.* Prosequitur & idem rationes, cur stomacho comparentur Sacerdotes, & illis munia stomachi applicat eleganter.

Primò quidem, quia sicut stomachus accipiens cibum, coquit eum in seipso, & per totum corpus dispergit. sic & Sacerdotes accipiunt scientiam sermonis per scripturas ex Deo, & excoquentes eam in se, id est tractantes & meditantes apud se, universo populo subministrant.

Secundò, sicut stomacho ministrante unumquodque membrum suscipit nutrimentum, & convertit ipsum in se secundum suam naturam: nam quod suscepit jecur, totum fit sanguis; quod suscipit fel, totum efficitur bilis; quod verò ascendit in pulmonem, fit phlegma; quod in mamillas, totum efficitur lac. Sic Sacerdotibus in Ecclesia loquentibus Dei verbum, unusquisque illud convertit secundum proprium cor: ita ut idem verbum in cordibus rectis procedat ad vitam, in cordibus perversis suscitet iracundiam, quasi bilis; in aliis autem operatur dilectionem dulcissimam quasi lac; in aliis odia quasi phlegma nocivum & expuendum. Tandem hujus similitudinis explicationem concludens idem auctor, sic admonet Sacerdotes. Videte ô Sacerdotes, quomodo vos componatis in verbo & opere. Quoniam sicut in corpore si aliquod infirmatum fuerit membrum, nec omnino languet & stomachus, si autem stomachus languerit, omnia membra inveniuntur infirma: sic si aliquis Christianorum peccaverit, non omnino peccant & Sacerdotes; si autem Sacerdotes fuerint in peccatis, totus populus convertitur ad peccandum.

Sapientes antiqui hanc quam tradimus doctrinam insinuare volentes, & qualis debeat esse Sacerdotum vita exprimere; depingebant venerabilem senem una manu Solem tenentem; altera *Vita Sacerdotum hieroglyphicum.*

Digitized by Google

Senex una manu solem, altera Horologiũ tenens.

horologium. Ac primò quidem, per solem significabant Sacerdotis vitam claram esse debere & luminosam, contra quam nemo merito loqui possit, de qua etiam verum sit illud Pythagoræ: *Adversus Solem ne loquaris*; hoc est, ne fugilla eum cujus vita instar Solis est illustris. Conforme est illud quod à Christo de Sacerdotibus pronunciatum: *Vos estis lux mundi.* Sicut enim nihil nitidius sole aut luce, sic nihil purius esse deberet Sacerdote. Deinde sicut sol non inficitur luto aut terrena corruptione, licet per terram tranſeat: sic & Sacerdos, licet cum luteis hominibus habeat conversationem, debet tamen infectionem omnem vitare: ac sicut lux viantibus iter præmonstrat, ita debet ipse deviantibus. Denique sicut sine luce omnia in tenebris & caca jacent caligine, quodamque frigore constricta languent: ita sine pia & lucida Sacerdotum vita mundus vivit in tenebris errorum, ignorantiæ, flagitiorum, frigescente fide & charitate. Vide ergo quanta bona advehat lucis & solis ortus, & scito longè majora & præstantiora Sacerdotum lucidam doctrinam & exemplum mundo parere. Secundò per horologium innuebant, à regimine, & vita Sacerdotum dependere regimen & vitam totius populi; sicut ab horologii directione pendet civitatis directio & negotiorum ejus. Est enim hora quasi regula & mensura quædam rerum gerendarum, & causa ut omnia ordinatè fiant, certo tempore operi cuilibet designato: quod si in motu celeriùs aut tardiùs incedat, ingeritur quædam confusio. Ita ad Sacerdotis vitam, quasi ad horologii motum, cæteri se conformant, ad illius pulsum excitantur & regulantur. Quod si confusio & inordinatio in illius motu intercurrant, statim etiam in aliis cernitur. Hinc rectè dixit Auctor politicus: *Quinque declarant Rempublicam benè aut malè habere. 1 Ædes precum. 2. Curia. 3 Schola. 4. Forum. 5. Horologium.* Prout hæc benè aut malè reguntur, sic & solet judicium formari de Republica. Hinc & Carolus V. urbes lustrans, dicitur solitus attendere ad horologium, ad Templum, & ad plateas; an omnia ibi recta & munda forent; sicque de civitatis directione solebat judicare. Idem tria P. inquirere solebat: *Quis in urbe Prætor? Quis Præceptor? Quis Pastor?*

Quinque ostendunt Remp. bene vel male habere. De Carolo V.

Est itaque Pastor velut horologium alios suo motu dirigens, suo sonitu excitans: & ideò ad vestem antiqui Sacerdotis, quasi ad horologium mysticum, pendebant 72. campanulæ intermixtæ malogranatis aureis. Quibus significabatur, ut advertit S. Hieronymus, quod Sacerdotes bonis odoris exemplis debeant oblectare & reficere appropinquantium ad se corda & animos: quodque instar horologii alios debeant verbis sonoris & igne pietatis examinatis & probatis, excitare ad omne bonum. Et quidem tintinnabula 72. discipulorum septuaginta duorum figuram gerebant, quos Christus summus Sacerdos in omnem locum misit ad annunciandum verbum Dei. Et in his omnes, alii Sacerdotes repræsentati censentur, qui quidem esse debent vocales & juncti malogranatis, quia verba eorum jungi debent operibus odoriferis; sic multos ad sectum voce doctrinæ, tum pietatis odore attrahent, sic ad Deum corda eorum convertent.

S. Hier. ep. 127. ad Fabiolam.

Ex dictis itaque satis colligi potest, quanti facienda sit Sacerdotum pia & exemplaris vita: cùm etiam per experientiam nobis compertum sit, quantum vel unius Sacerdotis, sive pastoris pietas & zelus emolumenti afferat, quantum mutationis in plebe ac moribus corruptis. Videmus enim non infrequenter, sub aliquibus animorum Rectoribus torpidis flaccescere pietatem, devotionem, cultumque Dei: sub aliis zelo accensis, revirescere, & odorem suavitatis afferre, per Sacramentorum frequentationem, per morum conversionem, per pietatis amorem.

Quanti faciendа sit pia vita Sacerdotũ.

S. Greg. Thaumaturgus morti vicinus, cùm annis plurimis laborasset pro Dei cultu propagando & extirpanda infidelitate, inquirebat à suis quot adhuc essent in civitate sua Neocæsariensi infideles? Cumque responsum fuisset, esse septem decim: *Deo gratias*, inquit ipse, *totidem erant Fideles, cùm cepi Episcopatum.* Vides quantum unius viri pietas in Dei cultu promovendo valuerit?

De S. Greg. Thaumaturgo V. Surium in vita ejus.

Patuit & in S. P. N. Carolo, quantum benedictionis ejus pia vita & vigilantia intulerit in Clerum populumque Mediolanensem; quia ante ejus ad Archiepiscopatum electionem vitus & ignorantia scatebat. Sed & quam magni faceret vel unum pium Sacerdotem, & verbo docuit & facto monstravit. Sacerdotibus enim suis, quos in partem sollicitudinis advocarat, tali affectu deditus erat, ut ipsis etiam ægris propriis manibus inservire vellet, & obsequium personaliter impendere, admirantibus omnibus tanti viri adeo humilem benevolentiam. Quodam die decumbebat infirmitate herbali Joannes Stopano, in Diœcesi curam gerens animarum. Hoc ubi rescivit S. Cardinalis, statim ad eum profectus est, & illius curam nocte dieque sic egit, quasi ipsemet foret Infirmarius, sive is cui ægrorum cura committitur. Dum verò ægritudo ingravesceret, illius confessionem excepit, & propriis manibus, Eucharistiam ministravit. Tandem cùm jam desperata sanitate extremum spiritum brevi redditurus videretur; ita afflictus fuit S. Cardinalis, ut summo compassionis affectu orationi se addicens, enixissimè obsecrarit Deum pro gratia sanitatis; quàm & illi impetravit. Cùm vero quidam admirarentur tantam viri tanti sollicitudinem: Respondit ipse cum cordis singultu: *O vos nescitis, cujus sit pretii apud Deum, vel unus bonus Sacerdotis vitæ!*

S. Carol. Borrom.

Porrò cum à Pastorum pia vita, & prudenti regimine, salus plebis dependeat, rectè Illustrissimus Antonius Albergatus ad partes Germaniæ quondam Nuncius Apostolicus, inter decreta sua pro Dœcesi Leodiensi fol. 11, sic decernit: *Vacaturi*

ter

per mortem Pastoris vel quomodolibet Ecclesia Parochialis, erit cura populi Pastore orbati exponendam curare orationem quadraginta horarum, pro bona Pastoris electione ab eo obtinenda à quo bona cuncta procedunt.

CONCLUSIO ET ORATIO AD CHRISTUM.

O *IESV Christe, Sacerdotum & Pastorum Pastor & Moderator, quandoquidem ab illius aterna populi salus & vita dependeat, de idoneis tua benignitate providere digneris qui possint decere:* Domini est assumptio nostra, & Sancti Israel Regis nostri. *Tu Ecclesia tua Sancta Sponsus es, tuum est illi providere Paranymphos, Tutoresque, qui ejus decorem adament, colant exornent: qui amulentur Dei amulatione Sponsam hanc exhibere ornatam viro suo; ut tandem specie & pulchritudine sua sic prospere procedat, ut cum sponso suo aternùm regnare valeat, tota triumphans, & gloriosa, sine macula, sine ruga. Obsecramus* Num. 16. 22. *Te, ô fortissime Deus spirituum universæ carnis, qui nosti unumquemque cujus spiritus sit, ne permittas irrepere in sacrum tabernaculum tuum, & ad regimen animarum, vocatos à carne & sanguine, sed solum à te missos & electos, qui Ponderator es spirituum; ut non conformentur huic sæculo, sed renoventur spiritu mentis sua; sicque super multiplicem gregem tuum constituti, possint ante illum ingredi, & egredi, tandemque in locum à Te preparatum introducere. Hoc meum, hoc omnium piorum votum est, cui favs, & cœlum adspira.*

Ps. 88. 19.

TRACTATUS III.

DE FLORIBUS VIRGÆ AARONICÆ, SEV VITÆ SACERDOTALIS.

FLORES Virgæ Aaronis varias designant virtutes animique dotes quæ in Sacerdote requiruntur, utpote Sacerdotio affines, vel illi congenitæ. Nam de quolibet Sacerdote illud verificari debet: *Super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.* Et iterum ad illos maxmè dirigitur illud Ecclesiastici: *Obaudite me divini fructus, & quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate. Quasi Libanus odorem suavitatis habete. Florete flores quasi lilium, & date odorem & frondete in gratiam, & collaudate canticum, & benedicite Dominum in operibus suis. Date nomini ejus magnificentiam, & confitemini illi in voce labiorum vestrorum.* Duplices porrò sunt hi Sacerdotii flores, quidam respiciunt Deum coram illo suavitatis odorem dantes. Alii respiciunt proximum, quia illorum bono odore proximus ad Deum attrahitur, dicente Apostolo: *Christi bonus odor sumus in omni loco.* Agemus ergo hoc Tractatu de floribus primi generis, qui continentur in Documentis floridis, quæ suis Sacerdotibus præscripsit S. Carolus Borromæus, ad perfectionem Sacerdotalem assequendam. Sequenti Tractatu explicabimus flores secundi generis, quibus proximo suavitatis odor affatur.

Ps. 131. 18. Eccl. 39. 17. *Duplices sunt flores Sacerdotii. 1. Respicimus Deum. 2. Proximum.* 2. Cor. 2.

LECTIO I.

DE PRIMO FLORE, QVI EST PIETAS erga Iesum Christum, Sacerdotem primum.

1 *Considerandus Christus ut Sacerdos primarius.*

PRIMO, hoc uniuscujusque Sacerdotis menti fixum esse debet, quidquid sacri ministerii ab ipso ex vocatione & consecratione peragitur, illud specialiter Christum æternum Sacerdotem operari: *Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Ipse enim in Sacerdotibus baptizat, absolvit, consecrat, sacrificat, animas justificat, verbum vitæ ministrat, aliisque functiones peragit. Quapropter oportet, ut Sacerdotes & Ministri ipsius, ipsum non solum in divinitate, sed & in humanitate uncta per divinitatem speciali pietate colant, adorent, adament; ac spiritum ejus attrahere conentur: quandoquidem ex ejus virtute, afflatu, & directione, omnis sacra functio dependeat. Nec enim nos

Ps. 109. 4. Heb. 5. 6.

Digitized by Google

illam obire debemus quasi ex nobis, sed in illo, & per illum, cujus vices gerimus, cujus personam repræsentamus, cujus verbis utimur, cujus munere fungimur. Hoc si viva fide apprehendat Sacerdos, non potest non concipere magnam reverentiam, submissionem, devotionem erga Jesum Christum primum Sacerdotem, adeo sublimia per hominis ministerium operantem, non potest non firma gratiæ & spiritus conjunctione velle illi continuo adhærere, cujus est vivens & electum instrumentum.

2. *Ut exemplar primum & absolutissimum omnium Sacerdotum.*

Secundò considerandus est Jesus Christus, ut omnium Sacerdotum primum & absolutissimum exemplar, & Sacerdotalis perfectionis unica Regula, quam secuti sunt omnes qui in Sacerdotio perfectionem sunt assecuti. Unde unusquisque illorum, cum Divo Paulo dicit, *Imitatores mei estote, sicut & ego* CHRISTI. Et rectè cum eodem Apostolo adjicimus: *Quicumque hanc Regulam secuti fuerunt, pax super illos & misericordia, & super Israel Dei.* Non ergo Paulus, non Petrus, non Augustinus, aut Ambrosius, non Carolus, aut Philippus, primum exemplar, sed Jesus Christus, cui oportet omnes conformes fieri ex decreto Patris. Oportet ergò exemplar istud secundum omnia sua lineamenta perfectè intueri & cognoscere, deinde revereri & adorare, denique ad imitationem illius sese accendere. Cognoscere quidem oportet illius non solùm notitia speculativa, quam docti etiam improbi possunt habere, sed scientia affectuosa, quæ ab intellectu transeat in affectum scientia quoque practica, quæ ab affectu transeat in effectum, imitando exemplar cognitum. Hæc nempè est cognitio illa, de qua Sanctus Joannes dicit: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Hæc est scientia de qua gloriatur S. Paulus: *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc Crucifixum.* Nuda ergo notitia Jesu Christi & virtutum ac perfectionum ejus, quæ sunt instar lineamentorum & colorum hujus exemplaris, exiguum fructum in anima parit; sed cum viva fide, cum adoratione in spiritu & veritate conjuncta, statim desiderium imitationis accendit; ut scilicet illa eadem lineamenta in nobis exprimamus, & illi conformes reddamur, qui tanquam imago Patris æterni proponitur, ut & nos simus imago imaginis. Certè omnis Sacerdos sigillum est, & signaculum quoddam sacrum, in quo debet reformari viva imago Jesu Christi, quam & ipse aliis possit imprimere: non autem compatiuntur se imago sæculi & Christi, spiritus sæculi & Christi, conformitas ad sæculum & ad Christum; Oportet ergò eradere & expungere unum, ut perfectè in hoc sacro sigillo imprimatur & insculpatur alterum. Eradatur mundus & imago ejus, imprimatur Christus, imago & spiritus ejus; sic assimiletur ei Sacerdos in tempore, ut assimiletur & in æternitate.

Joan 7. 3.

1. Cor. 2. 2.

3. *Ut sequatur omnis*

Tertiò, proponat sibi Sacerdos continuò Jesum Christum, Deum & Hominem, Sacerdotem & Sacerdotii Institutorem, ut pondus cordis, ut centrum sui amoris, scopum totius suæ intentionis: omnia scilicet sua ad ejus amorem, ad ejus gloriam pertectè referat, totam vitam, totum affectum illi devoveat, à quo Sacerdotalem unctionem & consecrationem participavit. Illius charactere signatus est, ut plenè in ejus dominium speciale translatum se noverit, quoad omnia, sive opera, sive desideria & vota quæ habiturus est in tempore, vel in æternitate. Itaq; ipse sit principium, medium, finis omnis nostræ devotionis & pietatis, qui est principium, medium, finis omnis gratiæ potestatis, omnisque functionis Sacerdotalis.

intentionis & centrum amoris.

Attendant Sacerdotes vocem illam Jesu Sacerdotis Æterni loquentis S. Thomæ, quem jam Sacerdotio cum aliis Apostolis initiarat: *Ego sum via, veritas, & vita*, i quidem ipse est Sacerdotibus *via*, in hoc quod à peccato segregatus fuit, & Pontifex impollutus, qui nihil inordinatum unquam vel cogitatione, vel verbo, vel opere commisit, sed omnia semper perfectissimè ad Patris gloriam retulit. Ergò in hoc sequamur in viam nostram. Ipse etiam est *via* in virtutum exemplis, in obedientia, castitate, humilitate, mansuetudine, dilectione. Ergo hæc iterum via sequenda. Ipse denique est *via* in afflictione & patientia, iter nobis præmonstrat, flagellis, clavis, spinis, felle, sanguine conspersum. Hæc est regia quam proponit via, hanc omnes vult sequi, & maximè eos qui dignitatis sibi gradu sunt proximi. 2. Ipse est *veritas*, cui adhærere oportet relicta vanitate, relicto mendacio & errore. Ipse est *veritas*, quam confectari decet, sæculi ignorantia mentis oculos obcæcante procul eliminata: *Beatus qui non respexit in vanitates & insanias falsas*, lucem Christi & veritatem secutus. 3. Ipse est *vita*: tum secundum divinitatem, quia vita in se, verbum vitæ, fons vitæ: tum secundum humanitatem, quia per illam est in nobis principium novæ & perfectæ vitæ, vita est in illo, vita est ab illo: *in ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* In Eucharistia quoque admirabiliter est vita, donans panem vitæ, in verbis suis erat vita: *Domine ad quem ibimus, habes verba vitæ æternæ*, inquit S. Petrus. Ergò ubique ipse est vita; & fonti huic vitæ toto cordis & pietatis affectu adhærere debent, qui eam primi debent participare, ac deinde in alios transfundere & influere.

Christus est via. Joa. 14. 6.

Veritas.

Pf. 39. 5.

& vita.

Audite igitur, ô Sacerdotes & Ministri Domini! Quandoquidem Christus Dominus *via* sit, absit ut ab hac via unquam devietis, vel oculos avertatis; quum extra eam non possit esse nisi casus & aberratio, offendiculum & impactio, præcipitium vel circuitus, quo non pertingitur ad terminum. Quandoquidem ipse sit *Veritas*, absit ut à vobis Veritas hæc deseratur unquam: quum extra eam non possit esse nisi mendacium & falsitas, vanitas & insipientia, error & ignorantia. Filii hominum diligant vanitatem, & quærant mendacium: vos qui primogeniti filii Dei estis, diligite veritatem,

tem, quærite sapientiam; illa in doctrina Jesu Christi, in ejus imitatione repetitur. Quandoquidem ipse sit *vita*, absit ut hæc vita à vobis negligatur; extra quam non est nisi ægritudo & perditio, venenum & mors, extra quam nulla unquam potest esse salus. Jugiter illum inspicite, quærite, diligite, inspicite tanquam Viam: quærite tanquam Veritatem & Sapientiam: diligite tanquam Vitam. Accedite ad illum, sed per illum tanquam Viam, de illo surgite tanquam vena Veritatis & Sapientiæ, haurite aquam vitæ & salutis de ipsius inexhausto fonte aliosque adducite, ut veniant, hauriant, bibant, & non moriantur in æternum, non devient in præcipitium, non decipiantur per mendacium, non pertrahantur in exitium.

CONCLUSIO AD CHRISTUM.

OBsecramus te Domine IESV, ut sis Sacerdotibus tuis Via, Veritas, Vita, & notas illis facias vias vitæ. Non sis solùm vita in Te, sed in illis, & per illos in omnibus qui ministerio eorum debent vitam participare. Cùm ipsi quotidiè tractent panem vitæ, verbum vitæ, fontem & principium vitæ: fac ut non careant fructibus vitæ: sed da eis posse vivere vitâ divinâ, vitâ perfectâ, vitâ, statu, & vocatione ipsorum digna. Non vivant sibi, sed Tibi; non desideriis terrenis, non voluntati suæ, non voluptati, sed amori tuo, voluntati tuæ, cœlo & rebus cœlestibus; non sæculo sed æternitati; non spiritu mundi dudi, sed spiritu quem afflare veniste. Viam tuam insistentur, quàm ei propositisti, & quotidiè proponis tanquam ideam, gratiam impertire, ut illi plenæ similitudini conformentur, ut exuta veteris hominis vitâ illam induant novam, perfectam, divinam. Illis copiosam impende benedictionem, ut possint dicere: Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus. Gal.2,20. *Hoc faciat spiritus tuus bonus, veniens in corda eorum, & illa animans, possidens, dirigens ad omne bonum, spiritumque sæculi & carnis exuens: ut jam noverint ipsi (& idipsum verbo & exemplo alios doceant) quid sit vivere, quid benè vivere, quid perfectè vivere, quid vivere in Te, quid vivere de Te, ut & posse à possint benè vivere, & in æternum vivere. Quid enim prodest vivere si non detur semper vivere? Hoc dare potest spiritus tuus; qui non est spiritus imperfecta, aut mortalis & corruptibilis vitæ, hoc est vitæ non vitæ; sed est spiritus vitæ perfectæ, beatæ & æternæ, quam inchoamus jam vivere per gratiam in Patre, Filio, & Spiritu sancto, & postea perficietur in iisdem per consummatâ gloriam. Ergò hanc vitam inspira, perfice, consumma in nobis, ô IESV, Sacerdotum exemplar, spes, amor, vita, gloria.*

PRAXIS AD ALENDAM PIETATEM ERGA CHRISTUM JESUM.

1. *Litaniarum nomin.*

AD excitandam devotionem erga Jesum Christum, servire potest quotidiana Litaniarum Nominis ejus cum affectu interiori recitatio. Frequentes quoque amoris erga illum actus, item adorationis in spiritu, item oblationis perfectæ sui ipsius repeti poterunt. Juvat ad id in promptu habere adspirationes sacras, sive orationes breves jaculatorias: ex sacris Scripturis; aut alibi excerptas, quibus mens erigi, & in Jesum possit dirigi: Ut autem modum eas formandi indicem, aliquot subjungo pro singulis diebus hebdomadæ.

nis I. suscitatis quotidianæ & actus amoris, adorationis, oblationis sui.

DIE DOMINICO. O Jesu signaculum Patris, qui me sacro charactere tuo signasti, amorem tuum imprime cordi, imprime brachio meo: ut in omni cordis affectu Te purè spectem, in omni operatione Te Jesum Sacerdotem magnum glorificem.

FERIA 2. O JESU Sacerdotum vera vita, & vitis vera, sim Palmes in Te vite, ferens fructum vitæ. Non ego Te, sed Tu me elegisti ut fructificem, fac ut fructus quem à me requiris, permaneat.

FERIA 3. O JESU, Tu es Pontifex noster impollutus, & à peccatoribus segregatus, da ut Sacerdotes tui à peccatis segregati induantur justitia, induantur salutari, & super ipsos efloreat sanctificatio tua.

FERIA 4. O JESU. Custodi animam meam, quoniam sanctus sum, à Te unctus, à Te sanctitati consecratus. Lætifica animam servi tui oleo sanctificationis & lætitiæ, à Te tanquam Capite defluente.

FERIA 5. O JESU Sacerdos adorande! Adoro Te in sinu Patris cum Angelis, in sinu Matris cum Magis, cum Pastoribus in præsepio, cum Simone Sacerdote in templo. In unione omnium odorationum istarum adorare Te cupio, in spiritu & veritate quotidie in Eucharistico Mysterio.

FERIA 6. O JESU Spiritus oris nostri, & Christus Domini, eheu tu captus es in peccatis nostris; Eheu in sublimem Crucis stipitem elevatus, ibi tanquam in altari munus imples Sacerdotis! Fac ut in umbra vivamus inter gentes.

SABBATO O Domine JESU, ego servus tuus, ego servus tuus & filius ancillæ tuæ, filius Ecclesiæ, filius Mariæ, Ancillam se pronunciantis: Disrumpe vincula mea, ut Tibi valeam dignam Hostiam laudis sacrificare.

Similia è sacris Scripturis deducta, vel breviter ex arcu cordis intenso & intento ejaculari licet in cor JESU Christi, vel etiam præsius ruminari & manducare: quia non parum medullæ continent & unctionis, si attentè expendantur.

PRAXIS SECUNDA.

2. *Considerat. Beneficiorum à Christo & perfectionum ejus.*

SEcundò, ad excitandam pietatem erga Dominum Jesum, qui debet esse objectum speciale pietatis sacerdotalis, servet consideratio beneficiorum ab eo primariam, consideratio item perfectionum ejus. Ad quam rem hic subjicio Pe-

Digitized by Google

tio Petitiones triginta tres, in honorem annorum ejus ex Scripturis concinnatas, per ternarios partitas, juxta beneficia nobis ab eo collata, & perfectiones correspondentes. Beneficia porrò sequentibus verbis indicantur. JESUS CHRISTUS *est Deus noster, Creans, Conservans, in carne veniens, Docens, Pascens, Moriens, Sanctificans, Protegens, Judicans, Glorificans*, O quot titulis Christum colere tenemur! O quot titulis illius toti sumus! Perfectiones verò ipsius his beneficiis correspondentes sunt: Nempè cùm à Patre per intellectum genitus sit, in eo elucet Sapientia, in creatione Potentia, in conservatione Providentia, in incarnatione Misericordia, in doctrina Zelus, in eo quod Pastor est Bonitas, in morte Charitas, in justificatione nostra ejus Sanctitas, in protectione Clementia in judicio Justitia, in glorificatione effulget ipsius Munificentia. Hæc omnia stimulus sunt, & objectum nostri amoris, nostræque considerationis. Et hæc consideratio iterum fieri potest, vel per meditationes longiores & profundas, vel per breves & ejaculatas adspirationes, quæ sint tanquam scintillæ animas inflammantes.

ADSPIRATIONES 33. IN HONOREM ANNORUM CHRISTI Domini.

IESVS Deus de Deo.

O JESU, Sapientia Patris mecum sis & labora, ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore.

O JESU, Verbum æternum Dei, audiam quid loquaris in me.

O JESU, Lumen de lumine illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.

Creans Potentia.

O JESU, Creator meus es: Cor mundum crea, & spiritum rectum innova in me.

O JESU, Formator meus es: inspira in faciem meam spiraculum vitæ.

O JESU, Plasmator meus es; Opus manuum tuarum ne despice.

Conservans Providentia.

O Jesu, Dominus & Deus meus es: Posside me, & nemo possideat absque Te.

O Jesu, Rex meus es: Salvum fac servum tuum, sperantem in Te.

O JESU, Pater meus es: Noli me à pueris tuis reprobare.

Nascens Misericordia.

O JESU, Frater meus es: Deosculer Te sugentem ubera Matris meæ.

O JESU, Os & caro mea: Ne derelinquas neque despicias me.

O Jesu, Deus es absconditus: Sed faciem tuam ne abscondas à me.

Docens Zelo.

O Jesu, Doctor Justitiæ: Bonitatem, disciplinam, & scientiam doce me.

O JESU, Via, Veritas, & Vita: Notas fac mihi vias vitæ.

O JESU, Dux & Præceptor: Audiam vocem post tergum monentis me: Hæc est via, ambulate in ea.

Pascens Benitate.

O JESU, Pastor bone: Propter nomen tuum deduces me & enutries me.

O JESU, Panis Vitæ: Exhilara & confirma cor meum in Te.

O JESU, Vinum germinans Virgines: Germina in me puritatem corporis & animæ.

Moriens Charitate.

O JESU, Vita animæ meæ, Quis mihi det ut moriar pro Te!

O JESU, Agnus ad occisionem ductus: Quocunque ieris, da sequi Te.

O JESU, Fidejussor: Nunquam obliviscar quod animam posueris pro me.

Justificans Sanctitate.

O JESU, Sanctificator meus es: fac in justitia & sanctitate serviam coram Te.

O Jesu, Sponse sanguinum: Aspersione sanguinis tui desponsa & sanctifica me.

O JESU, Deus cordis mei: Quando effundam totum cor meum in Te.

Protegens Clementia.

O JESU, Protector meus es: Sub umbra alarum tuarum protege me.

O JESU, Fortitudo mea: Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

O JESU, Perseverantia mea: In conspectu tuo in æternum confirma me.

Judicans Justitia.

O JESU, Judex meus: in vulneribus tuis donec pertranseat furor tuus, abscondè me.

O JESU, Sponsor meus es: Vim patior, responde pro me.

O JESU, Mediator: Pone crucem tuam inter peccata mea & Te.

Glorificans munificentia.

O JESU, Portio mea: Hæreditatem meam mihi restitue.

O JESU, Fons vitæ: Ubertate tua æternùm refice me.

O JESU, Gloria mea; In misericordia & miserationibus corona me.

Subservire poterunt etiam hæ 33 Adspirationes, his qui Coronam Salvatoris recitant in honorem Christi, quæ constat Oratione Dominica trigesies & ter repetita, in honorem Annorum totidem Domini. Quæ quidem Coronæ pia recitatio multis est indulgentiis adornata à Leone X. à Gregor. XIII. à Sixto V. aliisque Pontificibus. *Bullas impressit Ioannes Masius anno* 1595. *Lovanii.* post singulas igitur Orationes Dominicas, una ex his adspirationibus servire poterit ad excitandum affectum.

PRA-

Digitized by Google

PRAXIS TERTIA.

3. Pietas erga familiam Christi in terris.

PIetas erga Christum Dominum etiam involvit pietatem erga ejus familiam sacram, quam collegit in terris: in qua Maria post ipsum est caput & materfamiliâs; ac deinde constituitur ex omnibus illis, qui mysterijs ejus cooperati sunt, quales sunt sancti Progenitores ejus & Consanguinei. Nutritius, Præcursor, Apostoli, Discipuli, Mulieres eum secutæ, & alij justi, qui in carne eum adorárunt, & cum eo conversati sunt, ab eo converti, vel miraculo aliquo honorati. Concinnavi igitur Litanias breves ad eam pietatem excitandam & fovendam, maximè in Sacerdotibus, qui de familia Christi specialiter censentur, quotidiè mysterijs ejus cooperantes, & illi famulantes.

LITANIÆ PIETATIS ERGA Iesum & Familiam, quam habuit in terris, ex Evangelio depromptæ.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Pater de cœlis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Mis.
Spiritus sancte Deus, Mis.
Sancta Trinitas unus Deus, Mis.
Jesu Fili Dei vivi, Mis
Jesu Fili hominis, Mis.
Jesu Fili Mariæ Virginis, Mis.
Jesu sine Matre in cœlis, Mis.
Jesu sine Patre in terris, Mis.
Jesu unigenite Patris & Matris, Mis.
Jesu primogenite in multis Fratribus, Miserere nobis
Jesu oriens ab initio æternitatis, Mis.
Jesu oriens in medio temporis, Mis.
Jesu familiam alens Angelorum in cœlis, Miserere nobis.
Jesu colligens familiam electorum in terris, Miserere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Mater Jesu, ora.
Mater omnium electorum, ora.
Caput familiæ Jesu, ora.
Sancte Joseph, ora.
Sponse Mariæ, ora.
Nutritie Jesu, ora.
Sancte Joachim, ora.
Parens Mariæ, ora.
Omnes sancti Jesu Progenitores, orate.
Sancte Zacharia, ora.
Sancte Joannes Baptista, ora.
Præcursor Jesu, ora.
Præco voce & sanguine, ora.
Omnes sancti Patriarchæ & Prophetæ, orate.
Sancte Melchior, ora.
Sancte Balthasar, ora.
Sancte Gaspar, ora.
Sancti Reges Iesum adorantes, orate.
Sancti Pastores præsepe visitantes, orate.
Primitiæ Iudæorum & Gentium, orate.
Sancte Simeon, ora.
Omnes justi Iesum in templo suscipientes, orate pro nobis.
Sancti infantes pro Iesu occisi, orate.
Primitiæ Deo & Agno, orate.
Flores Martyrum, orate.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Iacobe, ora.
Sancte Ioannes, ora.
Sancte Iacobe juste, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thadæe, ora.
Omnes Fratres Domini, orate.
Omnes sancti Apostoli Iesu, orate.
Filij Columbæ, orate.
Primogeniti Lucis, orate.
Filij tonitrui, orate.
Electi ex millibus, orate.
Primitias Spiritus habentes, orate.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes sancti Evangelistæ, orate.
Legati pacis, orate.
Æterni verbi Præcones, orate.
Immortalitatis Satores, orate.
Testimonium Iesu dantes, orate.
Sancti Cleopha, ora.
Sancte Martialis, ora.
Sancte Zachæe à Iesu benedicte, ora.
Sancte Lazare à Iesu suscitate, ora.
Sancte Maxımine, ora.
Sancte Nathanael, ora.
Sancte Simon Cyrenæe, ora.
Sancte Longine, ora.
Sancte Latro à Iesu conversi, ora.
Sancte Ioseph Arimathæe, ora.
Sancte Nicodeme juste, ora.
Omnes sancti Discipuli Iesu, orate.
Omnes mysterijs Iesu cooperantes, orate.
Omnes cum Iesu in carne conversati, orate.
Omnes crucis ejus participes, orate.
Sancta Anna, ora.
Mater Mariæ, ora.
Avia Iesu, ora.
Sancta Elizabeth cognata, ora.
Sancta Anna templi vidua, ora.
Omnes Consanguineæ Iesu, orate.
Sociæ Mariæ Matris, orate.

Digitized by Google

Sancta Martha, ora.
Sancta Marcella, ora.
Sancta Ioanna, ora.
Sancta Suſanna, ora.
Sanctæ Mulieres Evangelicæ, orate.
Ieſum à Galilæa ſecutæ, orate.
Ieſum hoſpitio excipientes, orate.
Ieſu prædicanti miniſtrantes, orate.
Sancta Maria Iacobi, ora.
Sancta Maria Salome, ora.
Sancta Maria Magdalena, ora.
Sanctæ Mulieres Agni pediſſequæ, orate.
Ieſum ad crucem ſecutæ, orate.
Ieſum è cruce depoſitum lugentes, orate.
Sepulturæ Ieſu cooperantes, orate.
Sepulchrum viſitantes, orate.
Angelorum viſionem habentes, orate.
Reſurrectionis Ieſu Prænunciæ, orate.
Omnes de familia Ieſu in terris, orate.
Omnes de paradiſo Ieſu in cœlis, orate.
Roſæ purpureæ Martyrum, orate.
Violæ odorantes Confeſſorum, orate.
Lilia candida Virginum, orate.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercedite pro nobis.

PARS ALTERA LITANIARUM.

HÆc altera pars Litaniarum continet ſingula myſteria vitæ Chriſti Domini, juxta ordinem Evangelij ab incarnatione uſque ad aſcenſum ejus in cœlum. Adnexæ ſunt quinque petitiones aptæ ſingulis myſterijs rememorandis cum ſuis circumſtantijs primarijs juxta Evangelicam veritatem.

Propitius eſto, Parce nobis Ieſu.
Propitius eſto, Exaudi nos Ieſu.

Ieſu Domine liberanos. Ab omni malo & peccato, Libera nos Ieſu.
Ab inſidijs Diaboli, Libera nos Ieſu.
Ab ira, odio, & omni mala voluntate, Libera nos Ieſu.
A ſpiritu fornicationis, Libera nos Ieſu.
A morte perpetua, Libera nos Ieſu.
Per myſterium ſanctæ incarnationis tuæ, Libera nos Ieſu.
Per æternam illius prædeſtinationem, Libera nos Ieſu.
Per gemitus Patrum eam ſuſpirantium, Libera nos Ieſu.
Per ardentia deſideria juſtorum, Lib.
Per oracula Prophetarum, Lib.
Per Angelicam annunciationem, Lib.
Per Spiritûs S. obumbrationem, Lib.
Per ſublime & humile Mariæ reſponſum, Lib.
Per tuam in utero conceptionem, Lib.
Per primum iter in Montana, Lib.
Per exultationem Elizabeth & Mariæ, Lib.
Per Spiritum S. quo repleta eſt, Lib.
Per Ioannis adorationem & ſanctificationem, Libera nos Ieſu.
Per novem menſes, quibus Maria te geſtavit, Libera nos Ieſu.
Per tuam in Bethlecem profectionem, Lib.

Nativitas. Faſcias involvunt. Præſepium. Per myſterium ſacræ nativitatis tuæ, Libera nos Ieſu.
Per lectulum amoris, in quo jacuiſti, Libera.
Per ſtabulum, fœnum & præſepium, Lib.
Per lacrymas quas infans fudiſti, Lib.
Per infantiles neceſſitates tuas, Lib.
Per panniculos & faſcias tuas Lib.
Per frigus quod toleraſti, Lib.
per halitum bovis & aſini, quo calefactus es, Libera nos Ieſu.
Per lac Virginis quod ſuxiſti, Lib.
Per paupertatem quam deſponſaſti, Lib.
Per adorationem Mariæ & Ioſeph, Lib.
Per exultationem & harmoniam Angelorum, Libera nos Ieſu.
per gaudium & pacem nobis tunc promiſſam, Libera nos Ieſu.
Per viſitationem paſtorum, Lib.
Per verbum abbreviatum ſuper terram, Libera nos Ieſu.
Per Circumciſionem tuam, Lib.
Per dolores quos tunc ſuſcepiſti, Lib.
Per ſanguinem quem fudiſti, Lib.
Per durum cultrum tuo cruore aſperſum, Libera nos Ieſu.
Per nomen Ieſus quod accepiſti, Lib.
Per adorationem ſanctorum Regum, Libera nos Ieſu.
Per ſtellam cœlo radiantem, Lib.
Per myſtica munera oblata, Lib.
Per vocationem Gentium tunc ſignatam, Libera nos Ieſu.
Per Angelum in ſomnis eos monentem, Libera nos Ieſu.
Per tuam in templo oblationem, Lib.
Per Simeonis & Annæ amplexum, Lib.
Per exultationem juſtorum Lib.
Per Mariæ in partu & poſt partum puritatem, Libera nos Ieſu.
Per dona in purificatione ejus pro te oblata, Libera nos Ieſu.
Per tuam in Ægypto fugam, Lib.
Per Angelum Ioſeph monentem, Lib.
Per ſanguinem infantium pro te fuſum, Lib.
Per matrum piam lamentationem, Lib.
Per ſeptennium exilij tui, Lib.
Per annos infantiæ & pueritiæ tuæ, Lib.
Per miraculorum in Ægypto operationem, Libera nos Ieſu.
Per idolorum confractionem, Lib.
Per tuam ab exilio reverſionem, Lib.
Per fatigationem Mariæ & Ioſeph, Lib.
Per tuam in templo inventionem, Lib.
Per dolores Matris te quærentis, Lib.
Per gemitus turturis ſuſpirantis, Lib.
Per eam quam oſtendiſti tunc ſapientiam, Libera nos Ieſu.
Per ardentem in his quæ Patris ſunt zelum, Libera nos Ieſu.

Circumciſio. Reges viſitant. Offerunt. Fugit in Ægyptum. Reverſus. Inventus in templo.

Per

Per obedientiam qua parentibus subditus fuisti, Libera nos Iesu.
Per gratiam, qua puer profeciſti, Lib.
Per humiles à juventute labores, Libera nos Iesu.
Per tuam in Nazareth commorationem, Libera nos Iesu.
Per vitam tuam triginta annis abſconditam, Libera nos Iesu.
Per baptiſmum tuum, Lib.
Per vocem Patris inſonantem, Lib.
Per Spiritum in columba deſcendentem, Lib.
Per tuam & Ioannis humilitatem, Lib.
Per Sacramenti Baptiſmatis inſtitutionem, Libera nos Iesu.
Per ſanctum jejunium tuum, Lib.
Per orationes & vigilias in deſerto, Lib.
Per durum ſuper nuda humo accubitum, Libera nos Iesu.
Per victoriam quam de Satana tuliſti, Libera nos Iesu.
Per Angelos tibi tunc miniſtrantes, Lib.
Per Diſcipulorum vocationem, Lib.
Per primum coram ipſis miraculum, Lib.
Per converſionem aquæ in vinum, Lib.
Per gloriæ tuæ manifeſtationem, Lib.
Per prædicationis ſuſceptos labores, Libera nos Iesu.
Per tot miracula potentiæ tuæ, Libera nos Iesu.
Per tot ſanitates ægrorum, Lib.
Per ejectionem Dæmonum, Lib.
Per illuminationem cæcorum, Lib.
Per ſuſcitationem mortuorum, Lib.
Per converſionem peccatorum, Lib.
Per fletum amoris ſuper Lazarum, Lib.
Per hidem Chananeæ, Centurionis & Hemorrhoiſſæ, Libera nos Iesu.
Per aquam vivam Samaritanæ, Libera nos Iesu.
Per lacrymas Magdalenæ, Lib.
Per cogitationes amoroſi cordis tui, Lib.
Per deſideria anhelantia ſalutis noſtræ, Lib.
Per omnia verba divini oris tui, Lib.
Per omnia facta & exempla pietatis, Lib.
Per omnia vitæ tuæ abſcondita myſteria, Libera nos Iesu.
Per omnium in anima tua virtutum perfectionem, Libera.
Per tuam in opprobrijs patientiam, Lib.
Per tuam in converſatione manſuetudinem, Libera nos Iesu.
Per ardentiſſimam tuam charitatem, Lib.
Per puriſſimam tuam caſtitatem, Lib.
Per transfigurationem tuam, Lib.
Per vocem Patris te Filium approbantis, Lib.
Per Spiritum ſanctum in nube, Lib.
Per gloriam corporis tui radiantem, Lib.
Per ſermonem cum Moyſe & Elia, Lib.

Per triumphantem in Ieruſalem ingreſſum, Libera nos Iesu.
Per prædicationem ruinæ ejus, Lib.
Per lacrymas ſuper illam, Lib.
Per vocem puerorum acclamantium, Libera nos Iesu.
Per palmas & ramos olivarum, Lib.
Per cœnæ myſticæ inſtitutionem, Lib.
Per corpus & ſanguinem conſecratum, Libera nos Iesu.
Per humilitatem, qua Diſcipulorum pedes laviſti, Libera nos Iesu.
Per ſcintillantem poſt cœnam ſermonem, Libera nos Iesu.
Per orationem, qua Patri electos commendâſti, Libera nos Iesu.
Per orationem tuam in horto, Lib.
Per agoniam & ſudorem ſanguineum, Libera nos Iesu.
Per reſignationem perfectam, Lib.
Per calicem quem guſtâſti, Lib.
Per Angelum confortantem, Lib.
Per vincula quibus es comprehenſus, Libera nos Iesu.
Per noctis illius horribilia tormenta, Lib.
Per alapam crudelem, Lib.
Per velamen oculorum tuorum, Lib.
Per genarum vellicationem & conſputationem, Libera nos Iesu.
Per ignominioſam ad tribunalia præſentationem, Libera nos Iesu.
Per accuſationem falſiloquam Lib.
Per tot blaſphemas voces toleratas, Lib.
Per Herodis Regis illuſionem, Lib.
Per candidum tuum veſtimentum, Libera nos Iesu.
Per columnam ad quam es alligatus, Libera nos Iesu.
Per nuditatem ignominioſiſſimam, Libera nos Iesu.
Per flagellationem acerbiſſimam, Lib.
Per coronam ſpineam & ſceptrum, Lib.
Per purpureum paludamentum, Libera nos Iesu
Per mortis ſententiam injuſtiſſimam, Lib.
Per bajulationem crucis tuæ, Lib.
Per renovatas corporis tui plagas, Lib.
Per faciē dolorosam ſudario impreſſam, Lib.
Per veſtigia cruore tuo reſperſa, Lib.
Per erectionem tuam in crucem, Lib.
Per clavos transfigentes, Lib.
Per corporis tui divulſionem, Lib.
Per oſſium dinumerationem, Lib.
Per pedum & manuum perfoſſionem, Lib.
Per vinum myrrhatum cum felle miſtum, Lib.
Per titulum regium throni tui, Lib.
Per veſtimenta tua diviſa, Lib.
Per tunicam inconſutilem, Lib.
Per blaſphemias quas patienter audiſti, Lib.

In cruce exal. — Per myſtica tua in cruce verba, Lib. — Per veniam, quam crucifixoribus popoſciſti, Libera nos Ieſu. — Per lacrymas, quas fudiſti, Libera. — Per converſionem Latronis, Lib. — Per promiſſionem regni factam, Lib.

Infirmum cordis. — Per matris adſtantis lacrymas, Lib. — Per gladium doloris & martyrium cordis, Libera nos Ieſu. — Per Diſcipulum dilectum ei adſtantem, Libera nos Ieſu. — Per teſtamentum, quo Matrem Diſcipulo commendâſti, Libera. — Per amorem, quo illi nos filios dediſti, Libera nos Ieſu.

Mortuum. — Per abyſſalem tuam derelictionem, Lib. — Per litim quam voce expreſſiſti, Lib. — Per ſacrificium crucis conſummatum, Libera nos Ieſu. — Per Spiritum Patri commendatum, Lib. — Per mortem quam obediens acceptaſti, Libera nos Ieſu.

Latus aperuit. — Per lateris tui apertionem, Lib. — Per ſanguinem & aquam fluentem, Lib. — Per cor tuum ardens & flammans, Lib. — Per prodigia in morte tua, Lib. — Per pœnitentiam percutientium pectora ſua Libera nos Ieſu.

Deponunt de cruce, &c. — Per tuam è cruce depoſitionem, Lib. — Per pietatem & luctum te ſepelientium, Libera nos Ieſu. — Per ſyndonem, qua es involutus, Lib. — Per ſudarium benedicti capitis tui, Lib. — Per unctionem ſacram corporis tui, Libera nos Ieſu. — Per tuum ad inferos deſcenſum, Lib. — Per potentiam qua vectes ferreos confregiſti, Libera nos Ieſu. — Per triumphum de Satana, Lib. — Per gloriæ fruitionem tibi Patribus datam, Libera nos Ieſu. — Per illorum è carcere emiſſionem, Lib. — Per tuam ſanctam reſurrectionem, Lib. — Per Matris tuæ gaudium, Lib.

Reſurrexit. — Per Magdalenæ amantis fletum, Libera nos Ieſu. — Per Angelos reſurrectionis nuncios, Libera nos Ieſu. — Per tuam ſanctis mulieribus manifeſtationem, Libera nos Ieſu.

Apparuit multis. — Per omnes apparitiones amoris teſtes, Libera nos Ieſu. — Per illuminationem Diſcipulorum in Emaus, Libera nos Ieſu. — Per manifeſtationem Petro pœnitenti, Libera nos Ieſu. — Per apparitionem undecim Diſcipulis, Libera nos Ieſu. — Per vulnera oſtenſa Thomæ, Lib.

Aſcendit in cœlum. — Per quadraginta dies converſationis, Libera nos Ieſu. — Per inſufflationem in Apoſtolos, Lib. — Per poteſtatem remittendi peccata, Libera. — Per frequentem ſermonem de regno Dei, Libera nos Ieſu. — Per miſſionem Apoſtolorum in orbem, Libera nos Ieſu. — Per aſcenſum tuum in cœlos, Libera. — Per ultimam benedictionem elevatis manibus, Libera nos Ieſu. — Per Angelos apparentes in albis, Lib. — Per captivos tecum aſcendentes, Lib. — Per tuam in dextra Patris gloriam, Lib.

Spiritum S. miſit. — Per Spiritum S. quem miſiſti, Lib. — Per orationem Apoſtolorum illum expectantium, Libera nos Ieſu. — Per linguas igneas in vertice eorum, Libera nos Ieſu. — Per abundantiam charismatum ſpiritualium, Libera nos Ieſu.

Iudex venturus eſt. — Per converſionem tot millium, Lib. — In die judicij, Libera nos Ieſu. — Peccatores, Te rogamus audi nos. — Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce nobis Ieſu. — Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce nobis Ieſu. — Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce nobis Ieſu.

LECTIO II.

DE SECUNDO FLORE, QUI EST Pietas ſpecialis erga Virginem Deiparam.

MERITO monentur Sacerdotes ſpecialem pietatis affectum erga Virginem concipere; multis enim titulis eorum ſpecialis Mater eſſe dignoſcitur.

Primò quidem, cum ſint ſpecialiter Fratres Chriſti primogenituræ illius participes, conſequitur filios quoq; eſſe ſpeciales Mariæ. Fratres autem eos vocare Chriſtus dignatus eſt illis verbis apud Pſalmum: *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te.* Hoc de Apoſtolis, & eorum in Sacerdotio ſucceſſoribus pronunciaſſe ſenſetur Chriſtus. De quibus etiam Magdalenam alloquitur: *Vade ad fratres meos, & dic eis: aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum.* Deindè, rectè dixeris, Sacerdotes Mariæ in filios eſſe datos ab ipſomet Chriſto in perſona S. Ioannis, quando in celebri Crucis teſtamento illi dixit: MULIER ECCE FILIUS TUUS. Deindè diſcipulo: ECCE MATER TUA. Exindè MARIA eos in filios ſpecialis dilectionis adoptavit: exindè tenentur ſpeciale obſequium

II. Flos. ſpecialis erga V. Deiparam.

1. *Quia Sacerdotes ſunt fratres Chriſti.*

Pſ. 21. 23.

Joann. 19. 27.

Digitized by Google

quium pietatis Mariæ exhibere ut Matri. Qua in re S Joannes affectu & effectu eis præivit, cujus anima agglutinata tuit Deiparæ, amore, puritate, limitationeque speciali. Quamvis verò de omnibus Fidelibus verum sit, quod Mariæ in filios à Christo dati sint in persona Ioannis, per illud testamentum Crucis: tamen particulari ratione id de Sacerdotibus affertur, quia S. Ioannes Sacerdos erat & discipulus. Ideoque Sacerdotes, quia specialiter Christi discipuli sunt, particularius repræsentari censentur, & Virgini Matri in filios consignati: ut maternum illa eis exhibeat affectum in quo jam gradu eximio, illi rependant veræ filialem: & eò ardentiorem, quo Christo filio Mariæ conjunctiores censentur munere & dignitate

De S. Gertrud. lib. 4 Insinuation. div. c. 4.

Hic juvat in memoriam revocare id quod olim B. Gertrudi Deipara Virgo legitur insinuasse. Cùm enim in Missa de Christo B. Gertrudis audiret illud canì, *Primò genitum Virginis Matris*: consideratioui sacrorum horum verborum intendens cogitabat congruentiùs dici, *Virginitus Virginis Matris*: quia immemorata Virgo nullum alium genuerit, præter illum quem de Spiritu S. meruit concipere Cum verò in hac cogitatione hæreret, adfuit ei B. Virgo blanda serenitate respondens: *Nequaquam Virginitus, sed co gruentissimè Primògenitus dulcissimus meus Iesus, quem primum clauso utero procreavit: & post ipsum, imò per ipsum, omnes ipsi in fratres, mihi in filios materna charitatis visceribus adoptando genuavi.* Hoc fide omnibus verum est, de Sacerdotibus specialissimè, ob rationem dictam.

2 Quia est mater Sacerdotum specialis.

Secundò, Mater est specialis Sacerdotum, quia Filium, quem semel mundo edidit fructum vitæ, ipsi quotidiè reproducunt; ut sit usque ad consummationem sæculorum verè *Emmanuel*, verè *nobiscum Deus*. Quapropter Maria materno eis affluit affectu, ut cum animi puritate illum producant consecrantes, illumque in viscera suscipiant, jam consecratum sumentes: ut sicut ipsa peperit illum summa puritate, ulnisque amoris castissimi est amplexata, ita idipsum eis liceat per mysticam consecrationem & sumptionem. Hinc legitur non infrequenter Sacerdotibus sibi dilectis in sacrificio adstitisse, & ut sacris piè operarentur, invitâsse.

Vinc. in spec. hist. Surius in vita S. Boniti. 15. Jan.

S. Bonitus præsul Arvernensis cor totum suum voverat ad perfectè Iesum, ejusque Matrem diligendam. Quadam die in Basilica S. Michaelis, dum solitudinem eligens in angulo quodam obseratis foribus cor suum effunderet coram Domino: Ecce cœlestis multitudo micantibus luminaribus ingreditur cum Deipara, laudes decantans in medio templi. Factâ processione inquisitum est, quisnam Missam celebraturus foret? Tunc B. Virgo: Ecce adest Bonitus Præsul, verè idoneus, cui id officij committatur. Pavebat ille, & retrocedebat contra murum, ita ut in hujus rei testimonium grandis ei lapis cesserit, qui adhuc servat viri retrocedentis indicium, & vestigium manifestum: Attamen adductus est ab Angelis, & veste sacerdotali ornatus, ac altari admotus. Et postquam dedit in celebratione sancti operis decus, B. Virgo valedicens dilecto suo, pro munere dedit ei cœlestem & sacerdotalem vestem, seu Casulam. Res est nota & celebris apud Arvernenses, & in civitate quæ dicitur Mons-clarus monstratur illa vestis, cujus materia & contexturæ modus à nullo hominum dignosci potest, estque eximii candoris & miræ levitatis & lenitatis.

De S. Andreæ Ep. Fesulan. Surius in eius vita 6. Jan.

S. Andreas Ord. Carmelit. Episcopus Fesulanus, cùm jam Sacerdotio initiatus, primitias Corsini esset celebraturus, urgebant omnes ut magno apparatu & pompa id fieret. Ille verò secretò, licentia à Provinciali obtenta, secessit ab urbe in Conventum Sylvarum, sciens humilitatem magis placere Deo & beatæ Virgini, cui se ut Matri devoverat, quam apparatum. Ibi ergò devotissimè sacerdotii sui primitias offerenti, apparuit Maria Virgo cum comitatu Angelorum, & dixit: *Servus meus es tu, quia elegi te, & in te glorisabor. Et hæc dicens, disparuit.* Andreas verò stupore perculsus, non vana elatione intumuit; sed magis per humilitatem nitebatur se dignum Christi & Mariæ servum efficere humanas laudes fugiens. Sensit ergo ipse ex illa promissione & prima benedictione Mariæ, in primitiis suis sacerdotalibus data, auxilium sibi speciale adesse in omni munere & functione sacerdotii, idque semper cooperante Virgine

3. Quia B. Virgo se exhibet matrem specialem sacerdotibus. Gal. 4. 19.

Tertiò, Matrem se specialem exhibet Sacerdotibus Maria, quia Filium suum quotidiè pariunt novo modo in cordibus Fidelium, juxta illud Apostoli *Filioli quos parturio, donec formetur in vobis Christus.* Ipsa ergo eis ad sacrum hunc partum cooperatur, ut sit Mater Christi non solùm carne, sed & spiritu, dum Sacerdotibus specialem favorem impertit, ut per eos Fideles qui sunt Christi sui membra, spiritualiter nascantur, & æternitati gignantur. Hinc ejus specialem opem expertos esse scimus omnes illos, qui animarum zelo ferventes, non aliud respirabant, quam Filios spirituales Christo generare, & suscitare generationem novam Filiorum Deum timentium. Quales fuere Bernardus, Dominicus, Franciscus, Ignatius, Carolus, Philippus Nerius, & alii. Nam & Dominicum & Franciscum à Il Virgine tanquam Matre Christo ad hunc effectum præsentatos fuisse ex eorum historia satis notum est.

In vita S. Huberti V. Notas P. Ioan. Roberti.

Enituit favor B Matris erga S. Hubertum, cujus ope speciali ad Sacerdotium promotus fuit. Cùm enim ipse ad limina Apostolorum profectus foret, Sergio Pontifici mors S Lamberti indicata est per Angelum, delato Pastorali Pedo, ut inauguraretur Hubertus, tunc ad Apostolorum sepulchrum orans peregrinus, Pontificalia quoque ornamenta subito à loco martyrii Angelico ministerio sunt delata, ut his induceretur consecrandus. At cùm Stola non inveniretur, quam satan abdiderat consecrationem istam sentiens sibi damnosam.

Digitized by Google

Ecce Stola serica alba, auro intertexta, transmissa est per Angelum à Beatissima Virgine clienti suo munus perenne. Et ita cùm Hubertus insufficientiam suam prætendens tantæ promotioni reniteretur, per Angelum & Mariam difficultas est diremptа. Rem sic narrant vitæ ejus Scriptores Hubertus cui humilitas corde tenus radicata erat, inidoneitatem ad Episcopatum prætendebat : *Justus enim prior est accusator sui.* At dum Summus Pontifex & sacer conventus pensili animo fluctuaret, Angelus adveniens fulgore suo cuncta collustravit. Videnſque cunctos attonitos, sic allocutus est. Quorsum ô Præsules, animos suspenditis, & in diversa rapitur sententia? Huberte quid cunctaris? Deus qui Gedeonem hostium congressum veritum per Angelum suum roboravit, qui discipulorum corda & ora afflamine Spiritus sui edocuit, qui balbutienti Prophetæ Aaronem Oratorem constituit, ille aderit tibi, ille dabit os & sapientiam ad regendam plebem tibi commissam. Et ut verbis hidem habeas, en Deipara Mater Maria tibi hanc Stolam Angelicis manibus contextam, in singularem mittit prærogativam, qua consecreris Sacerdos, & quâ sicut petisti à Domino, habeas scientiam tibi necessariam & perfectam. Datque tibi Deus hoc sacro munere virtutem imperiosam super dæmonia cos, Energumenos, phreneticos, & super omnem inimici potestatem Hæc stola, quasi Virga Aaron, instrumentum erit virtutum & operationum, quas Deus orationibus tuis in salutem populi operabitur & durabit in memoriam tui, in remedium his qui patrocinium tuum implorabunt. Hæc ex vita S. Huberti Notis illustrata ex antiquis Codicibus.

Pro.18.17.

4 Quis nomen & gloriam Deiparæ propagent.

Quæ ideò Sacerdotum specialis Mater est Maria, qui nomen suum totum per orbem propagarunt & quotidiè propagare non desinunt, dum scilicet ejus encomia decantant, dum illius castitatem sibi, aliisque imitandam proponunt, dum Maternitatem & Virginitatem divino fœdere copulatam prædicant, dum infideles & hæreticos Virginitatis Mariæ hostes coarguunt.

1. dephonsus sacra veste donatur à B. Virg.

Numquid iterum hanc ob causam sacra veste seu casula donatus fuit S. Ildephonsus Archiep. Tol tanus; quia scilicet magno zelo Virginitatem perpetuam Mariæ, contra quemdam Helladium veteris Helvidii errorem suscitantem, scriptis & disputatione tutatus fuisset? Res sic narratur. Ad nocturnas preces, nocte festum Annunciationis præcedente, procedebat, & ecce templum visum est majore fulgore micare, quàm ut oculi mortales ferre posset. Tùc cæteris alibi atque alibi lilapsis præterrore, ad aram ipse progressus, & flexis genibus preces fundens in cathedra ex qua solebat concionari, ad stantem Virginem Matrem augusta specie conspicatur, hæc verba promentem : *En castitatis tuæ cum fidei ardore conjuncta, & nostra virginitatis defensa pramium, ex cælesti thesauro tibi illatum.* Inter hæc verba vestem illa suis manibus capiti ejus inseruit dicens: *Hac veste, Filii mei meâq; totius anni Festa celebrato.* Comites ejus resumptis animis advenientes eum fere exanimem reperiunt, toto spectaculo jam ex oculis sublato. Metus & admiratio vocem intercluserat, oculi tantùm in lachrymas solvebantur, quod neque pares beneficio gratias agere posset, nec Virginem alloquio morari. Lapis ubi Virgo stetit, ab ipso templi Toletani aditu monstratur, clarris ferreis inclusus, rei tantæ monumentum. Et casula illa de Cælo allata Oveti servatur in arca obserata, videndi omnibus facultate sublata, ideoque majori religione culta.

CONCLUSIO AD SACERDOTES.

Ergo, ô Sacerdotes, affectum & pietatem continuam fovete erga tantam Matrem, cujus estis filij inclyti; sive filiationis, inter cæteros Fratres honorationem locum tenentes, mensa Jesu Christi semper assidentes illiusque cibum aliis Fratribus partientes. Filii primogeniti estis ob dignitatem & primatum, ideoque vobis convenit illud, quod olim Jacob dicebat de Ruben: Primogenitus meus prior in domo, major in imperio. Nam sicut primogeniti in familia cæterorum curam habent, Patrisque negotia administrant, sic & vobis convenit dicere: in his quæ Patris mei sunt oportet me esse. Luc.2.49. *Cura quoque Fratrum, vestra est fides concredita à Patre, ita ut haud liceat vobis cum Cain dicere.* Nunquid custos Fratris mei sum ego, Ergò Gen.4.9. *verè Fratres Christi, verè filii estis Mariæ primogeniti, quandoquidem curam filiorum moerentissimam vobis commendat ille, committit & partitur ipse qui in medio Fratrum vos unxit, olei suæ eminentiæ dignitatis consortes, ministerii sibi à Patre commissi participes. Itaque pio recurrite affectu ad Matrem, recurrite ad Fratrem & Dominum vestrum, cui dictum est:* Esto Dominus Fratrum tuorum, & incurventur ante te Filii Matris tuæ. Gen.27. 29. *Dicite illi cum humili subjectione,* Ps.115.16. O Domine, ego servus tuus ego servus tuus & filius ancillæ tuæ *Bis etenim servi illius estis, tum quia ejus charactere in Baptismo signati, tum quia in ordinatione specialiter signati & consecrati; & tertiò servi, tanquam Mariæ filii, quæ se etiam ancillam Domini pronuntiat: Obsequium ergò servitutis vestra illi ex integro consecrate, & ut gratum sit semper illud per Matrem offerte, illam colite, illam adamate illi cum Filio servite.*

PRAXES ALIQUOT PIETATIS ERGA DEIPARAM.

Praxes devotionis erga Deiparam.

PRima praxis esse potest, quotidiè ei Litanias cum devotionis interioris affectu, & pietatis sensu recitare, aliasque preces tanquam obsequium servitutis nostræ exhibere. Aliqui officium B. Virginis ad hunc finem quotidiè persolvunt. Aliqui Coronam ejus nullo de omittunt. Alii quinque Psalmos initialibus literis nomen, MARIA, ad imita-

1 Litaniarum & precum.

Digitized by Google

recitatio in signum servitutis nostræ.

imitationem B. Joſcionis quotidiè recitant, ſcilicet. *Magnificat, Ad Dominum, Retribue, in convertendo, Ad te levavi,* & ſingulis Pſalmis Angelicam Salutationem præmittunt. Anj denique officium B. Bonaventuræ adjungunt in honorem Virginis. Unuſquiſque pro ſua pietate id perſolvat, quo magis excitari videtur; ſed advertat ne multiplicitas penſi quotidiani aut prolixitas, in cauſa ſit, ut frequenter curſim potius & perfunctoriè peragatur, vel idipſum officij, vel etiam Horarum recitatio ex obligatione incumbens. Idenim apud aliquos invaluit, ut quæ ſunt Eccleſiæ præcepto tradita, neglectius peragantur, quæ voluntariæ pietatis, diligentius; quod eſt ablonum, & à ratione alienum.

3. Aſſpirationes crebræ ad D. Virginem.

Secunda Praxis, in frequenti uſu habere jaculatorias orationes & aſpirationes ad Virginem directas, quæ deſumi poſſunt, vel ex ejus ſacris Hymnis aut Litaniis, vel ex Sanctorum ſcriptis & exemplis.

S. Antonius de Padua frequenter in ore habebat illud: *O gloriosa Domina, excelsa super sidera, qui te creavit provida, lactasti sacro ubere.*

S. Bernardus illud ſab is otis & cordis impreſſum continuò geſtabat: *Monstra te esse Matrem, sumat per te preces qui pro nobis natus sulit esse tuus* In quibus Verbis, quondam lac cœleſte ex uberibus Virginis ſibi inſtillari cenſerat.

Idem nos ſic Virginem ſæpe interpellare docet *Domina noſtra. Advocata noſtra; Mediatrix noſtra, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos repræſenta.*

Bern. ſer. 2 in Adventu Domini.

Item: *Fac obsecro dilecta Maria gratiam quam invenisti, per prærogativam quam meruisti, per misericordiam quam peperisti, ut qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis & miseriæ noſtræ, te quoque intercedente, participes nos faciat gloriæ & beatitudinis ſuæ.*

S. Anſelmus ſic nos orare docet; *Pie Domine, parce ſervo Matris tuæ: Et a Domina, parce ſervo Filii tui. O tu illa piè potens, & potenter pia Maria, de qua fons eſt ortus miſericordiæ, ne contemnas precor tam veram miſeri cordiam, ubi tam veram agnoſcis miſeriam.*

Ser. 2. de Annunc. Dom.

S Auguſtinus ſic alloquitur: *Succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, intervenipro clero, sentiant tuum juvamen qui devotè celebrant tuum nomen. Sis tibi compassa super afflictis, sit pius affectus super cæterum peregrinis.*

S. Caſimirus ſemper geſtabat ſecum hymnum à ſe compoſitum, qui incipit: *Omni die die Mariæ mee laudes anima: Die fœlicem Genitricem Die Beatam Virginem, &c.* Quo hymnus imbolum devotionis ejus erga Deiparam, cum eo ſupultus eſt; & poſt aliquot ſæculorum revolutiones integer repertus.

Frequens eorum Virg Matris.

Ferd. Caſtig in

Tertia Praxis eſt, ſæpe enter occaſionem ſumere Virginis laudes prædicandi, ſive in exhortatione ad populum, ſive in inſtructione puerorum & rudium.

Sic S. Vincentius Ord. Predicatorum, tanto amore & devotione ferebatur erga Virginem, ut numquam concionaretur, quin aliquid in ejus laudem diceret. Cùm in morbum gravem, & longam melancholiam incidiſſet ſub finem vitæ, vita B. Virgine in ſpiritu cœpit exultare & jubilare. Unde cum ſocio laudes perſolvens, cùm perveniſſet ad verba illa ultimi Pſalmi: *Omnis spiritus laudet Dominum*, multoties iterando & jubilando reddidit ſpiritum.

vita ejus.

Alphonſus Salmeron unus ex primis Societatis Patribus Ignatio adjunctis, tanta erga Virginem charitate fuit, ut de ea ſingulis quadrageſimæ Sabbatis, etiam ſi aliud feriæ illæ depoſcerent, concionaretur: & id quidem populo & optimatibus obſtupeſcentibus, ac in Sanctæ Matris amore creſcentibus.

Ribadeneira in vita ejus.

Quarta Praxis eſſe poterit. Feſta B. Virginis jejunio prævenire, & ſpeciali devotione colere ad demque alios excitare. Virtutes item ejus meditationis objectum ſibi proponere, & ſemper aliquam earum imitationis exemplar coram oculis habere: ſicque finali effectu ad eam recurrendo, gratiam poſtulare ad virtutis illius imitationé perfectam. De hac re ſic monet S Bonaventura: *Obsecro te, mi frater, ut gloriosam Reginam Domini nostri Matrem ben dilexeris, in summo habeas veneratione affectu, & in cunctis necessitatibus, periculis, pressuris, ad eam quasi ad refugium tutissimum te convertas, famulæque tuam eis cautam commendas: quia Mater misericordiæ est cui debes quotidiè specialem reverentiam exhibere. Et ut devotio tua sit Deo accepta, ipsius puritatem mente & corpore illibatè in te servando, toto conatu instatis ejus vestigia sectare.*

4 Pridie ſestum B. V. jejunare & ſingulas ejus peculiari pietate colere.

Poſtrema Praxis eſſe poteſt offerendo ſanctiſſimæ Matri in ſupplementum obſequii quandoque neglecti, cor amantiſſimum Jeſu filii ejus. Hinc nos edocuit B. Gertrudis, divinitus ipſa prius edocta. Sic enim legimus lib 4. inſinuationum divinæ pietatis. Cùm quodam die in proceſſione circumferretur imago B. Virginis, pia Gertrudis cum mœrore vol vebat in cord. ſuo, quod in ſimilitate præpedita, & lecto detenta, in hil ſpecialis obſequii diebus iſtis per orationes perſolviſſet Virgini Matri. At illa ſtatim prædulci unctione Spiritus edocta, obtulit interneratæ Matri nobiliſſimum ac amantiſſimum cor Jeſu Chriſti, pro ſuppletione totius neglectus ſui, quod benedicta virgo maximo cum gaudio & gratitudine ſuſcipiens, in aſpectu illius omnis obſequii & honoris ſufficiens competit delectamentum, exhibebat Matri virgineæ omnium deſiderabilium ſummam, quæ unquam ex alicujus devotione vel orationum ſtudio poſſent honori illius materno exhiberi. Ita ibi.

5. Offerre Divæ M. cor JESV in ſupplementum obſequii neglecti. S. Gertr.

LECTIO.

Digitized by Google

LECTIO III.

DE TERTIO FLORE, QUI EST DEVOTIO ERGA SANCTOS.

Qui Sacerdotali & pastorali dignitate & sanctimonia eminuerant.

III Flos devotio erga Sanctos.

SANCTORUM omnium invocatio nobis cordi esse debet, ut apud Deũ mediatores nanciscamur, qui quondam licut nos infirmitate circundati, noverint figmentum nostrum, noverunt necessitatem Et illi lubentes nobis succurrunt, tanquam fratres, qui, è fluctibus erepti, fratribus alios adhuc periclitantibus auxiliatricem manum gaudent porrigere, si invocentur. Illorum verò Sanctorum specialis debet esse cultus, & frequens invocatio, qui vel electi a populo, vel à Deo Designati sunt loci in quo versamur speciales Patroni, & auxiliatores Sic specialiter colendum hic dicimus Patronum Provinciæ, in qua degimus, & Ecclesiæ particularis cui præficimur. Etenim hos specialiter assistere, & locorum istorum ac personarum curam gerere, exploratum est. Quapropter *Divi Tutelares* rectè nominantur, quia scilicet instar Tutorum, nostri curam gerunt quasi pupillorum nos protegant, instruunt, & ad munus nostrum rectè obeundum instigant.

Sic monemus Pastores ac Sacerdotes Leodiensis Provinciæ, ut speciali cultu devoti sint S. Lamberto, qui in hac provincia Pastorali quondam præfulgens dignitate, illam etiam suo rigare voluit sanguine. Quidita; Ut sic totum illud Legiam cùm rore cruoris sui fœcundius redderet, ad germinandum fructum justitiæ & castitatis, pro qua ipse occumbebat Deinde ad excitandes animos Sacerdotum, qui temporum decursu ibidem animarum curam gerere debebant, ipsi utique vices sortiretur scilicet forti zelo animarum salurem promoverent, & pro justitia ac veritate semperdecertarent, populis præcepta & exempla quæcunq; daret proponendo. Et certè in functionibus Pastoralibus ejus opem frequenter poterunt experiri, si pia devotione illam velint invocare. Nam quod de Onia Pontifice defuncto olim pronunciatum est, de ipso meritò possumus dicere: *Hic est fratrum amator, & populi sui. Hic est qui multum orat pro populo, & universa sancta civitate.* 2 Mach. 15 14. Et quidem variis exemplis protectio & affectus specialis Divi huius in suam Ecclesiam posset demonstrari, sed non est loci hujus. Vnicum subjungo.

Anno 1212 Hugone Episcopo Leodiensi, Henricus Lovanij Comes, Brabantiæ Dux, conspiratione secreta Leodiensem civitatem ex insidijs diripuit; & atroci cujusvis Ordinis sexus atque ætatis strage oppressit, ipsis etiam templis profanatis, & rebus sacris depræd atis. Episcopus vix fuga Hoyum elapsus, Henricum sibi in spiritualibus homagiique Sacramento subditum anathemate ferit, & per sesqui annum (ipso obdurato & spoliis insolente gravioraque cotinuante) anathema quotidiè coram imagine Crucifixi, & Sanctorum reliquiis solo inter spinas constratis, in eum constanter repetitum est Quæ irridens Henricus, copioso iterum exercitu collecto, extremum intentat Leodiensibus exitium. Sed ei incendijs & rapinis omnia devastanti episcopus implorato B. Virginis & S. Lamberti patrocinio impari admodum manu occurrens, perterritum cœlitus, ad Brabantiæ usque confinia repulit, ac in campis de Steps commisso prælio, S. Martyre propugnante, memorabilem de hoste victoriam reportavit. Hanc victoriam, & in hostes ultionem divinam multi ex superna revelatione prænunciarant. Et tanta fuit ultio divina, ut Henricus coactus paulò post satisfacere, ad Ecclesiam Cathedralem Leodiensem nudis à civitatis porta pedibus, supplex venerit? & inter alia defixis pavimento genibus, hærentes adhuc eo usque ibidem sanctorum reliquias publice relevanti; demumque absolutionem & pacem ab Episcopo Hugone impetrarit. Vide quæ leguntur in Ecclesia Leodiensi 13. Octob. in festo triumphi S. Lamberti.

Quod de S Lamberto declaramus, id de singulis Provinciarum seu civitatum Patronis veritatem obtinet Et hoc variis exemplis pro locorum diversitate declarari posset, sed non est instituti hujus nostri.

Hoc interim hic advertendum est, non sufficere Patroni Ecclesiæ in qua præficimur, implorare auxilium, nisi etiam imitemur exemplum. Divinum Tutelares nobis virtutum exempla, & vitæ suæ piæ imaginem, tanquam sacram hæreditatem reliquerunt, & tanquam speculum morum, in quo profectum & defectum nostrum agnoscere mur. Quod si jam in vitiorum præcipitia declinaverus, prævia licet vitæ & virtutis eorum face collustrati, quo in via recta gressum figere poteramus; jam non eorum patrocinium, sed potius ultionem & judicium expectemus. Etenim ipsi judices nostri erunt & ultores; si scandalo fuerimus plebi ipsorum dilectæ, si improba conversatione animas ipsis nobisque concreditas in perditionis semitam pertraxerimus.

Canis. l. 5. Manual. c. 20. Annal & Centur. Magdeb. P. de Palude in Thesauro homil Naucler. vol 2. gen. 34. contigit seculo 10.

Habes exemplum de Udone Madeburgensi Episcopo, ob impuram vitam scandalosso, qui urgente & accusante apud supremum Judicem S. Mauritio Ecclesiæ istius Patrono, in medio templi, circumcingente Sanctorum cœtu, quorum ibi reliquiæ erant in choro, plexus est capite; cùm prius à divinæ justitiæ ministris illuc adductus fuisset, & de latere concubinæ divulsus ut hanc justam Judicis sententiam.

Alterum exemplum, sed fœliciorem habens exitum, narrat Cantipratanus in libr. de Apibus.

Cantipr. l. 2. Apum c. 20. parte 2.

Quidam inquit, per multos annos malè regebat sibi subditos, nec respondebat vocationi suæ: Tandem morbo correptus decubuit, & apparuit ei S. Petrus, qui Pastorum curam agit, Pastorum primus, apparuit autem severo & minaci vultu exhi-

Digitized by Google

exhibens libellum in quo erat ſcriptum illud Ezechielis 34. *Mortificas animas quæ non moriuntur, & vivificas quæ non vivunt.* Cogebat autem eum legere, ipſe verò & hærebat, & horrebat, & quaſi contra ſe decretum pronunciare durum erat, averſatur conſpectum, ut ulterius non legat. Sed cùm jam id legiſſet, cogitur alterius Apoſtoli præcepto gloſſam legere, quæ in margine ſic habebat: *Quando reduces animas de inferno, quæ tuo deſiderate exemplo, æterno demerſiſti ſupplicio;* Cùm verò is præ horrore & confuſione reſpondere non poſſet, diſparet viſio; remanet interim ipſe anxius, & multo ſudore perfuſus. Nec mora, conſilio cujuſdam Viri ſancti diſſolvit omnia vincula, & ſeculo valedicens, Chriſti ſe vovet ſervituti in Monaſterio Cambernenſi, Ordinis S. Bernardi, ubi beatiſſimo fine quievit.

DEVOTIO SPECIALIS ERGA S. CAROLUM.

A Sacerdotibus & Paſtoribus ſpeciali devotione colendi ſunt Sancti illi qui Paſtorali zelo & ſpiritu eminentes, cenſentur à Deo propoſiti, tanquam viva ſpecula perfectionis Sacerdotalis & Paſtoralis. Hoc in numero primùm recenſendi ſunt Apoſtoli, & Diſcipuli Jeſu Chriſti, qui ab eo tanquam fonte primitias Spiritus ſacerdotalis hauſerunt copioſiſſimè. Fonti nimirum proximè ſemper aſſidentes fuerunt, Primi Sacerdotis Jeſu Collegæ, vel Aſſeclæ, ejus ſpiritu afflante ab ipſomet ordinati, & ſuper plebem conſtituti: per quos etiam in finem uſque ſæculi Eccleſiam ſuam ſpiritualibus charismatibus replet, regit, protegit. Unde ſic canimus: *Verè dignum & juſtum eſt, Te Domine ſupplices exorare, ut gregem tuum Paſtor æterne non deſeras; ſed per beatos Apoſtolos tuos continua protectione cuſtodias, ut iisdem Rectoribus gubernetur, quos operis tui Vicarios eidem contulisti præeſſe Paſtores.* Cùm verò Sacerdotes ſint horum ſucceſſores, haud dubium quin ſuo patrocinio illis plurimum opitulentur, in propaganda Dei gloria & populorum ſalute, ſi ſe frequenti ferventique oratione iſtis ſoleant commendare.

Sed & ſingulis ſæculis viros Apoſtolico ſpiritu plenos eligit Deus, ut Sacerdotio fungantur ſibi, & habeant laudem in nomine ipſius, & offerant incenſum dignum in odorem ſuavitatis Hos quoque proponit invocandos & imitandos, ut ob oculos mentis noſtræ frequentius poſiti vitæ ſuæ odore & fragrantia excitent, & alliciant ad eadem premenda veſtigia. Inter hos eminuerunt hoc ſæculo S. Carolus Borromæus. & S. Philippus Nerius, qui viventes in carne in hoc teſti incubuerunt, ut ſpiritum ſacerdotalem & paſtoralem in Chriſti Jeſu miniſtris ſopitum & penè emortuum verbis, exemplis, conſtitutionibus, exhortationibus ſacriſque precibus ſuſcitarent: ſicque carbones ignis congererent ſuper caput noſtrum frigidum, ad cor etiam inflammandum. De ipſis poſſumus dicere: *Iſti ſunt duæ olivæ, & duo candelabra lucentia ante Dominum, duo filii olei & ſplendoris.* Ab illis in eos qui perfectionis ſacerdotalis boni æmulatores fuerint, derivari poteſt copioſa devotionis & pinguedinis ſpiritualis gratia, luxque fugans animi caliginem: ut perfectius videant, & adimpleant, quæ muneris ſui ſunt, ſive quoad ſacerdotium, ſive quoad curam paſtoralem. Sunt enim potentes apud Deum interceſſores, & ſpiritum quem à Domino hauſerunt, omnibus communicatum peroptant, ſi ſe eorum patrocinio ad eum finem, cum fiducia & ſollicitudine eadem ſectandi veſtigia, committant. Apoc. 11. 4.

Et quidem de S. Carolo legimus, hanc ei ſpecialiter à Domino gratiam dum adhuc in terris degeret impertitam, ut his qui familiæ ſuæ adſcribebantur, ſpiritum quemdam perfectionis afflare poſſet & communicare. Ideò cùm ferè centum perſonis quaſi domeſticis uteretur, inter illos tanta conformitas cernebatur, tanta colligatio ſpiritus, & unio amoris, zelus quoque pietatis ac mundi contemptus, ut admirationi & exemplo omnibus forent: maximè cùm ferè eſſent diverſæ nationis; quod ſicut humorum, ita & morum diſſimilitudinem non mediocrem ſolet parere. Quia verò hos omnes quaſi filios diligebat, ideò in ipſis Chriſtum formare, & ſpiritum gratiæ parturire non ceſſavit. An verò putamus eum minorem nunc habere copiam ſpiritus, aut minorem poteſtatem illum afflandi, & communicandi Sacerdotibus cultoribus ſuis? Imò vero longè ampliorem habere certum eſt. In gratia conſummata. Vult ergò Deus gloriam ejus accidentalem incrementum ſumere, dum exemplis quæ reliquit, monitiſque quotidiè novos Chriſto filios, & perfectionis zelatores Sacerdotes cernitur generare. Ad ejus porrò cultum promovendum, breves hic Litanias ſubjicio.

LITANIÆ BREVES DE S. Carolo.

KYrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de Cœlis Deus, miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miſerere nobis.
Spiritus Sancte Deus, Miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miſerere nobis.
Sancte CAROLE, Ora pro nobis.
Pater amabilis,
Pater admirabilis,
Filii Dei imitator,
Mariæ Virginis amator,
Angelus gratia & puritate,
Seraphim ardore,

Ora pro nobis.

Innocens ut Abel,
Justus ut Noe,
Fidelis ut Abraham,
Obediens ut Isaac,
Luctator ut Jacob,
Castus ut Joseph,
Æmulator Patriarcharum,
Electus ut Moyses,
Vocatus ut Aaron,
Hæres gratiæ Prophetarum,
Apostolus spiritu,
Martyr desiderio,
Doctor sapientiâ,
Confessor vitæ innocentiâ,
Dux Episcoporum,
Fax Prælatorum,
Speculum Sacerdotum,
Pastor Pastorum,
Prodigium populorum,
Lucerna Sanctuarii,
Columna templi,
Antemurale domus Dei,
Currus Israel & auriga,
Sator æternitatis,
Defensor veritatis,
Præco magni Regis,
Malleus Hæreticorum,
Sal & decus morum,
Cultor puritatis,
Protector Castitatis,
Sectator humilitatis,
Norma perfectionis,
Exemplar omnis virtutis,
Amator Virginum,
Forma pœnitentium,
Solatium viduarum,
Refugium miserorum,
Consors Sanctorum omnium.

Agnus Dei qui tóllis peccata mundi, Parce nobis Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.

Ora pro nobis.

DEVOTIO ERGA SS. ANGELOS.

Devotio erga B. Angelos.

ADdimus hic, à Sacerdoribus & Pastoribus pio & speciali cultu colendos esse Angelos. Ac primò quidem, devotio specialis erga SS. Michaelem & Gabrielem maximè commendabilis est; quia commissa est illis à Deo specialis cura Ecclesiæ, Ministrorum ejus. Hos etiam primariorum mysteriorum fidei nostræ, & in opere redemptionis coadjutores elegit Deus.

Bonav. c. 9. vitæ.

De S. Francisco sic testatur S. Bonaventura. Angelicis spiritibus ardentibus igne mirifico ad excedendum in Deum, & electorum animas inflammandas inseperabilis amoris erat vinculo colligatus, & ob devotionem erga ipsos, ab assumptione B. Virginis 40. diebus jejunans, orationi insistebat. Beato autem Michaeli eo quod animarum repræsentandarum haberet officium, spirituali erat amore devotior, ob fervidum quem habebat zelum ad salutem omnium salvandorum.

Secundò, specialis devotio à Pastoribus concipi debet erga Angelos custodes suos, Ecclesiæque suæ. Nam hi a Deo præficiuntur à Pastoribus, ut ab illis dirigantur, non solùm ut privatæ personæ in privatis actionibus, sed etiam ut publicæ personæ in officiis publicis rectè obeundis, & in aliorum salute procuranda. Unde Pastori unicuique duplicem Angelum ad custodiam à Deo deputatum, multorum est opinio; unum quidem à die baptismatis seu nativitatis, alterum ex eo tempore, quo aliorum ei cura incumbit. Et ita cùm ex officio aliquid peragendum est, invocet Pastor Angelum suum, invocet & angelum sibi ut Pastori specialiùs assistentem, ut illorum fretus auxilio, perfectè & efficaciter quæ muneris sui sunt, exequatur in gloria Dei propaganda, in salute animarum promovenda.

Paulin. in vita S. Ambr.

S. Ambrosius Auxentium Episcopum Arianum cum suis ejusdem sectæ provocarat, ut se differentem in Ecclesia convenirent. Accidit tunc quod quidam Arianorum acerrimus disputator, durus & inconvertibilis ad Ecclesiam se conferret; Is verò ut postea testatus est, vidit Angelum ad aures Ambrosii concionantis, suggerentem quæ populo proferre deberet. Quo viso conversus, fidem quam expugnabat, amplexus est, & acriter tutatus.

Tertiò, in publicis officiis, sive concio habenda sit, sive aliud pro salute animarum agendum, maximè fructuosum est Angelos illorum cum quibus tractandum est, invocare, ut nobis ministris Dei, ipsi primarii Ministri, cooperentur in opere Dei.

De Petro Fabro.

Petrus Faber S. Ignatii socius, magnus Præco verbi divini, cùm in Germania saluti animarum & gloriæ Dei amplificandæ insudasset, venit in Genevensem Diœcesim hæresi infectam. Fatebatur autem cum animi gaudio, sibi plurimùm profuisse, quod quacumque permeans Parochiam, Tutelares Angelos salutasset; sensisse enim illos propitios, tum ad declinandas insidias hæreticorum, tum ad animas reddendas doctrinæ capaces.

LECTIO IV.

IN QVARTO FLORE, QVI EST Ardor animi ad divina.

IV. Flos ardor mentis ad divina.

IN Regulis Sacerdotum ex documentis S. CAROLI BOROMÆI desumptis, sic præscribitur: *Alant Sacerdotes perpetuum animi quendam ardorem erga divina, zelumque gloriæ Dei & salutis animarum, tanquam ignem jacturi ad jacius*

Digitized by Google

fervas actiones necessarium. De hoc ardore & igne paulò latiùs modo disserendum est, ut illum in Sacerdotum cordibus accendere, & fovere valeamus.

Notum est quomodo in tabernaculo antiquo ignem perpetuum ali præceperat Dominus, quem extingui piaculum fuisset. Unde speciali sollicitudine provisum erat, ne ligna deessent ad continuo ignem illum alendum, instituta festivitate, quæ *Xylophoria*, id est, lignorum comportatio dicebatur, in qua magna copia vehebatur, ne pabulum igni deficeret. Quapropter dicitur: *Nutries Sacerdos subjiciens ligna manè per singulos dies.* Hoc quidem in figura. Designabat verò ignem illum sacrum, quem Dominus venit mittere in terram, & vehementer optat accendi, nunquam in tabernaculo cordis nostri debere extingui; sed semper novâ aggestâ materiâ alendum esse, & sancta sollicitudine magis magisque succendendum. Quod si id verum est de singulis Fidelibus, quanto magis de singulis Sacerdotibus? Hi cùm ad Deum (qui ignis consumens in Scriptura vocatur) quotidiè debeant accedere per varias functiones, novo semper egent spiritu, novo spiritus fervore. Mens eorum debet esse instar Rubi Moysis, sacro circumdata ardore, qui non consumit sed perficit; non destruit, sed instruit, non in cineres, sed in Deum animas continuò transformat. Hic ergò ignis quem in Sacerdote requirimus, cœlestis est, zelus scilicet ardens divinæ gloriæ, & fervor animi ad cœlestia illum elevans torporemque frigescentis cordis excutiens; quo & verba & opera ejus debent succendi, ut & alios possint accendere. Hic zelus & fervor ad cœlestia, est aurum illud ignitum, de quo Dominus monet quendam Episcopum in Apocalypsi: *Suadeo tibi emere aurum ignitum, ut locuples fias.* Ac sicut olim omnia quæ in templo erant, voluit Dominus auro vestiri & ornari, etiam usque ad ipsa emunctoria: ita vult omnes nostras actiones ab hoc aureo & ignito zelo procedere, ut decoræ sint & lucidæ, sibique acceptabiles.

Quapropter monet Apostolus, ut simus *sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Deo servientes*, hoc est, impetu quodam animi succensi, ad divinum obsequium, & ad ea quæ muneris nostri sunt rectè peragenda. Ac sicut olla quæ fervet, in altum se erigit, ignitosque vapores sursum emittit, nec quiescit, nec ebullit: ita zelus & spiritus in nobis otiosus esse non debet. sed ad cœlestia semper tendere, & desideria nostra, gemitus, intentionem, ad superna dirigere, quasi vapores sacros ad Deum ascendentes. Item sicut ad succensam ollam muscæ non appropinquant, si vero tepida fuerit, insident in ea, & faciunt vermes; ita & succensum igne divini amoris fugiunt dæmones, tepidum verò illudunt & insequuntur, ut dicebat quidam senex in vitis Patrum.

D. Basilius agens de hoc spiritus fervore ad omne opus bonum, dicit in tribus consistere. Primo, ut in ea re quam agimus sit tota animi intentio. Secundo, ut magna sit cupiditas benè operandi. Tertio, ut accedat continuatio, qua nihil prætermittamus, quod ad gloriam Dei, aut ad salutem proximi pertinere cernimus.

Huic fervori & ardori ad cœlestia tepor opponitur, de quo in Apocalypsi: *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Sicut enim tepida aqua solet vomitum provocare, ita tepor spiritualis solet Deo nauseam generare; & sic fit ut tepidos à se subjiciat: Dicit vero, *incipiam evomere*, quia qui per teporem resolvitur, non subito à gratia deseritur, ut statim in mala præcipitetur: sed primùm minora, deinde majora contemnens, gradatim à summis descendit, atque ad ima ruit. Sicut verò quod vomitu ejicitur, horrorem parit, & in vomendo corpus conturbatur: ita cùm Deus aliquem à se rejicit, cùm sit ipse bonitas, dolere quodammodo dicitur & conturbari; quod tamen ejicit, execrabile redditur, & maximè displicens. Sic cùm aliqui magno ardore & spiritus alacritate Deo servire cæperunt, & sensim suâ negligentiâ repescunt, & à vigore gratiæ deficiunt culpâ suâ, paulatim tandem ruentes ejiciuntur, & fiunt Deo abominabiles.

Hujus generis non pauci reperiuntur in quolibet statu; etiam inter eos qui perfectionem deberent profiteri. Unde D. Bernardus de religiosis congregationibus agens, cum multos ibi spiritu ferventes reperiri dixisset, insinuat etiam magnum numerum tepidorum reperiri, quos sic describit: *Invenire est homines pusillanimes & remissos, deficientes sub onere, virga & calcaribus indigentes; quorum remissa lætitia, pusillanimis tristitia est; quorum brevis & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conversatio, obedientia sine devotione, sermo sine circumspectione; quorum oratio sine cordis intentione, lectio sine sui ædificatione, quos vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix ratio frenat, vix disciplina coërcet.* Sed & illi inter tepidos pessimo loco sunt, qui cùm revera vocationi suæ non satisfaciant, tamen se inter bonos ac pios censent, sibi placent; & securè vivunt, quasi nullius egentes, nihilque timentes. De quibus in Apocalypsi subjungitur: *Tu dicis, quod dives sum, & nullius egeo; & nescis quia miser es, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Ideoque *suadeo tibi emere aurum ignitum, probatum*, hoc est, ardentem zelum & charitatem. De his quoque præsertim verum est quod ibi dicitur, præstare eos esse frigidos, & gravioribus peccatis obnoxios, quàm tepidos: quia tale hominum genus ferè inemendabile est, ideoque non immerito tales tepidi frigidis pejores, sive minus emendabiles censentur: frigidi enim suam miseriam agnoscentes, frequenter ad meliora aspirant.

Quàm multi inter Sacerdotes, quorum status perfectionis studium exposcit, ventri indulgent, mori-

Levi. 6. 12. Luc. 12. 49.

Deut. 4. 24.

Ignis cœlestis requiritur in Sacerdote.

Apoc. 3. 18

Rò. 12. 11.

In Reg. brev. resp. 259.

Apoc. 3. 16

Bern ser. 6 de ascens. Dom.

Apoc. 3. 17

v. 18.

Tepidi Sacerdotes.

moribus sæcularium se conformant, compotantium contubernia sectantur, congerendis pecuniis student, inter mulierculatum consortia rident, colloquiis, manibus, imò & detractorius tempus conterunt, vanitati interiùs exteriùsque dediti cernuntur, lectioni aut meditationi rerum sacrarum vix quicquam temporis insumunt? Vis uno verbo dicam? Mundani sunt, animales, terreni, libertatem sectantes, scioli & inani scientiâ suâ tumidi, ac inter cæteros dominatum ambientes: & tamen nihil sibi timent, ad cor non ingrediuntur, ut miseriam suam & egestatem interiorem pervideant. Sicque in tepida sua conversatione se gerunt, quasi nullius egeant. Sufficit eis quod horas canonicas non omittant, quod rogati Sacramenta administrent, quod Missas obligationis tempore celebrent, quod scandalum publicum non exhibeant, quod peccatis mortalibus conscientiam oneratam non sentiant. Dicunt se ad perfectionem non teneri majorem, nec ad venialia peccata vitanda, aut ad ea consitenda obligari, sine quibus vita hæc non transigitur. Altioris pietatis studium, vel hypocrisis cujusdam insimulant, vel ad Religiosos spectare proclamant timoratamque conscientiam aliorum, scrupuli accusant. Sic in vitiis ordinariis totum vitæ tempus transigunt, nec statum suum in pondere sanctuarii ponderant; ideoque puritati cordis non studeut, & languidè ac perfunctoriè, sine spiritu, sine zelo, divina obeunt ministeria, Calica tractant Ministeria. An non hi in periculoso statu versantur, qui caligine & pulvere mundano obtusos gerentes oculos, vulnera animæ suæ egestatemque cordis non perspiciunt? An non timent nauseam vomitumque Deo tempore suo provocare? O utinam Collyrio inungant oculos suos, ut videant confusionem suam. Verum animæ Collyrium, est propriæ fragilitatis cognitio, quo oculorum lippitudo & caligo detergitur. Duo porrò sunt oculi animæ nostræ, unus sinister, quo supplicia impiorum considerantur, & sic excitatur timor justitiæ, & animus à peccatis deterreturr alter dexter, quo æterna bona considerantur, sicque amor Dei & studium perfectionis in cordibus nostris accenditur. Si hunc utrumque oculum Collyrio veritatis & humilitatis perungerent, jam clariùs viderent nuditatem suam & excuterentur ad emendum aurum ignitum, ab illo qui est in medio Candelabrorum aureorum: hoc est, omne studium adhiberent ad comparandam sibi cœlestem sapientiam, amorem, gratiam, à Christo Jesu, qui in medio sacræ Ecclesiæ, & Sacramentorum ejus, ministris vicem suam gerentibus eam paratus est exhibere; solumque pro pretio petit promptam nostram voluntatem, sive anhelans desiderium cum humili petitione conjunctum.

Duæ animæ oculi.

CONCLUSIO AD SACERDOTES.

ITaque obsecro vos in Domino fratres, ut ignem illum quem Christus accendi optat in cordibus vestris, nunquam intermori aut sopiri permittatis. Vis multo elegis, non solùm ut illum in vobis alatis, sed etiam ut hunc cum ipso mistatis in terram, hoc est, in terrena corda: ut illa priùs viscosa, gravia, frigida & tenebrosa, excoquantur, purgentur, accendantur, illuminentur. Expectatur igitur vocatio vestra, ut in vobis semper flammescat, & lucida illius puritate, fervore, ardore, divinas functiones obeatis, ad cœlestia & superna corda elevantes desideria, tanquam scintillas illius sacri ignis. Resuscitate, *juxta monitum Apostoli,* gratiam quæ est in vobis, per impositionem manuum Presbyterii: *nec pulvere terreno, aut desidia, nimio olim gratia sacerdotalis efficaciam spiritusque fervorem unquam finatis. Sic verum sit de vobis illud Psalmi:* Qui facit Ministros suos flammam ignis. *Nec desit remedium, si torpor quandoque obrepserit, qui videatur gratiam sopire, ita ut in aquam crassam ignis sacer priùs in vobis accensus, consentur degenerasse. Attendite tunc quid in libris Machabæorum gestum dicatur de igne Sanctuarii. Hic cùm diu absconditus, in aqueum humorem conversus reperiretur, Soli fervenli expositus fuit; sicque novam concepit flammam & ardorem, qui corripiens sacrificii victimam, Deo eam reddidit acceptabilem. Sic exponite cor vestrum radiis Solis cœlestis, & torpor diffugiet, statimque aqua crassa in ignem novum converti poterit, quo cor frigidum accendatur amoris divini ardore renovatum.*

2. Tim. 1. 6.

Ps 103. 4.

PRAXIS AD ARDOREM ILLUM CONCIPIENDUM ET FOVENDUM.

Praxis ardoris

PRimò, consideret Sacerdos se in ministeriis sacris Angelicum obire officium, & ideò sicut Angeli, cum promptitudinis fervore, & divinæ gloriæ zelo, ministerium sibi à Deo commissum peragunt; eadem spiritus alacritate & ardore Sacerdotes ad divina sese accingere debere, & voluntati Domini cujus sunt ministri, obtemperare, illiusque gloriam respirare.

1. Considerato Angelici sui officio.

Secundò, consideret fervorem Christi Domini in opere redemptionis nostræ. Huic jam cooperator exsilit, imò & illius vices gerit. Ergo suscitet in se ejus spiritum, ejusque ardentem charitatem interiùs sibi imprimat, & exteriùs in opere exprimat. Cernatur in ipso Christus baptizans, Christus absolvens, Christus sacrificans, Christus prædicans & exhortans, sive verbum æternæ vitæ ministrans, Christus conversans. Ejus spiritu impulsus & animatus, hæc omnia vice ejus cum zelo peragat, & debita cùm exteriùs, tùm interiùs reverentia. Attendat illud: *Maledictus qui facit opus Domini negligenter.*

2. Fervoris Christi in opere Redemptionis.

Jer. 48. 10.

Tertiò, ad se excitandum & torporem excutiendum, nunquam se sacris accingat functionibus, nisi prævia oratione & obligatione. Habeat quoque jaculatorias orationes frequentes, quibus animus elevetur, & ignis sacer sopitus quasi flabello succendatur. Hæ ex sacris scripturis, ex Ecclesiæ precibus, ex S. Augustino & aliis Patribus delumi

3. Nunquam sacra obire nisi prævia obligatione & oratione.

defumi possent. Vis aliquas suggeram? frequens sit tibi in corde & in ore illa Ecclesiæ oratio: *Nunc sancte nobis spiritus, unum Patri cum Filio, dignare promptus impari, nostro refusus pectori. Os, lingua, mens, sensus, vigor confessionem personent, flammescat igne charitas, accendat ardor proximos.* Hac uti poteris, sive cùm concio habenda, sive cùm aliud ministerium sacrum obeundum. Memineris & illius ex Augustino: *O ignis sancte, quàm suaviter ardes, quàm secretè luces, quàm desiderantèr adueris! Vas ris qui ex te non ardent, qui per te non lucent.* Item illius ex eodem *O charitas Dei mei, accende me!* Repete & illud ex Psalmo: *Dormitavit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis* Item illud servire potest ex Cantico Canticorum, ad devotionis spiritum postulandum: *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.* Aquilo frigidus ventus est, & acedia frigidum spiritum designat, quo indurescit & glaciatur animus: Auster ventus suavis est & irrorans, ex arboribus aromaticis florem quendam odoriferum educens; & Spiritus S. gratiam suaviter afflantem designat, quo mens irroratur, & cœlesti odore adimplectur. Aperi ergo os per orationem brevem, & attrahe cordi spiritum vivificantem, sic enim dicit Prophe-ta: *Os meum aperui & attraxi spiritum.*

Psl. 118. 131.

4. *Recordatio monitorum Christi.*

Luc. 12. 49. Apoc. 3. 18. Joan. 20. 22.

Quarto, attendat frequenter monita Christi, de quibus jam dixi. Nempè illud: *ignem veni mittere in terram, quid volo nisi ardeat?* Et illud: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum.* Ac illud quod ille in ordinatione dictum est: *Accipite Spiritum sanctum.* Timeat quoque, si tepidum se reperiat ad obsequium divinum, ne indignè toties sacris participet mysteriis, quia cum ibi calculus ignitus de altari sumatur, mirum est quomodo frequenter accedens ad illum, & ore cordeque percipiens ignem cœlicum, non sentiat in se scintillas dissilientes, hoc est, ferventia desideria perfectionis & amoris. An non de corde Jesu, tanquam fornace exæstuante flammam ad frigus omne arcendum, in sacrificio Missæ unicuique datur depromere; Mirum ergo quod tam duri sumus, frigidi & indevoti Et cùm quotidiè ignitum Domini eloquium, vel psallentes, vel legentes, in ore & in aure habeamus, mirandum profectò quòd cor nostrum ardens non sit in nobis, ut perfectiùs Deo serviamus, & ferventiùs vocationi nostræ satisfaciamus.

5. *Exempla proborum Sacerdotii autori.*

Quinto, intueatur Sacerdos exempla Sacerdotum & Pastorum, qui in Ecclesia Dei pietate & sanctitate effulserunt. Hi sunt carbones ardentes, qui alios obscuros & frigidos accendere potentes sunt, si propiùs volucrint accedere, & vitam eorum considerate. Ipsi tanquam vasa electionis, nonnisi ab hoc igne sacro conflata fuere in fornace divini amoris, ideoque zelo zelantes pro Domino Deo exercituum, vitam animamque pro ejus gloria impenderunt. Horum omni fructu, ut diximus, aliqua exempla non deerunt, si Sanctorum gesta revolventur. Nam de Sacerdotibus novi testamenti vaticinatus Malachias: *Erit Dominus quasi ignis cōflans, & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quasi aurum & argentum, & erunt Domino offerentes sacrificia in justitia.* Quasi dicat: Spiritus ardoris quem mittit Dominus in corda Sacerdotum emundabit eos ab omni peccati scoria & rubigine, & erunt aurum ignitum, probatum, purissimum: ideoque pretiosi erunt in oculis Dei, eorumque sacrificia acceptissima. Malach. 3. 3.

S. Martinus tanto ardore ministeriis, mysteriisque sacris operabatur, ut quandoque globus igneus capute ejus circumcingens visus sit: symbolum utique extremum, calitus exhibitum, ut ardoris antecessoris in viro Dei delitescentis, mentemque ejus collustrantis, publicum foret indicium. *De S. Martino.*

Sic & S. Carolus frequenter visus est à S. Philippo Nerio cœlesti luce circumdatus, dum de divinis rebus cum illo ageret: zelo scilicet & lumine interiori exterius promanante, facies ejus instar Angeli promicabat, & fulgorem aliorum animis ardoremque communicabat. *De S. Carolo.*

CONCLUSIO AD CHRISTUM.

O Jesu Pastor Pastorum, & summe Sacerdotum, qui in Rubo ardente crucis inter flammas exæstuantis amoris apparuisti, & ut Sacerdotibus benedictionem impertiretur, ibidem manus extendisti: Fac ut hæc sit pars benedictionis eorum lumen in mente, ardor in corde, verbum ignitum in ore, charitas flammescens in conversatione; ut succensi ad cœlestia desiderio, elevemur à terrenis, alios que secum elevent & accendāt. Tu cujus juxta Prophetam: Ignis es in Sion, & caminus in Jerusalem, *quique apud Ezechielem designatus es per virum lineis indutum, cui dicitur:* Ingredere in medio rotarum quæ sunt subtus Cherubim, & imple manum tuam prunis ignis quæ sunt inter Cherubim, & effunde super civitatem, *hoc est; Effunde super Ecclesiam tuam sanctam, super ministros tuos, ut sint ministri tui flamma ignis, & verbum eorum quasi facula ardens, ad usturandos animos fidelium. Ad exterminandum è cordibus eorum caliginosum illum sæculi & maligni ignem, qui minus ebeu invaluit, & copiosum animarum numerum ad æternum ignem perduxit, illo continuò sufflante,* cujus halitus prunas ardere facit. *Fac tandem, ut Sacerdotes tui adimpleto perfectè ministerio, in medio lapidum ignitorum ambulent locum accipientes illorum, qui superbia elati, ejecti sunt de monte sancto tuo, ad quorum primarium Ducem loqueris per Prophetam:* Tu Cherub. extentus & protegens, posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti. Perfectus in viis tuis á die conditionis tuæ donec inventa est iniquitas in te: & ejecite de monte Dei, & perdidi te de medio lapidum ignitorum. *Perfice, ô Jesu, in nobis signaculum similitudinis tuæ, da sapientiam, decorem, zelum, perfectionem in viis tuis, ut in eorum locum valeamus æternum surrogari, & te laudare in secula sæculorum.* Isa. 31. 9. Ezech. 10. 2. Job. 41. 12 Ezech. 28. 14.

LECTIO V.

DE QUINTO FLORE, QUI EST PURITAS INTENTIONIS.

V. Flos Puritas intentionis.

HAnc sic exprimit Regula Sacerdotalis: *Curent Sacerdotes ut in omnibus functionibus actionibusque suis pura sit intentio: quia facilè vanus aliquis finis subrepit, actiones etiam sacras inficiens. Unde diligenter agnoscant qua intentione ferantur.* Hanc regulam sequentia plenius explicabunt.

Animus hominis lubricus adeò est, ut facilè à scopo quem sibi præfigere debet, & totam intentionem dirigere, contingat eum dilabi, distrahi, & exerrare. Dæmon quoque vanitati præsidens adeò subtilis est, ut furtim facilè quocumque irrepat, & sacratis etiam actionibus sese interserat, fumo suo illas aspergens & inficiens. Hinc licet ad muta videamur ferri ex intentione & zelo honoris divini, ac salutis proximi, sicut tamen vix ignis in sublime fertur, quin statim aliquid fumi admixtum habeat, & inde fuligo generatur: Ita difficile est, ut ignis etiam sacer sese exerat in functionibus præclaris, quin vanitatis fumum comitem ingerere conetur satan, ut afficet caliginem, & detorqueat intentionem. Et ita huic rei studiosè advigilare debent Ministri Christi, rebus divinis intendentes. Est enim gloriæ vanitas velut ærugo interiùs optimos opimosque fructus depascens: est vulpes parvula demoliens vineam floreſcentem: est tinea latenter irripens; & sublimes etiam quercus corrodens.

Et hoc quoque advertendum, dæmonem insidiari non solùm actionum nostrarum principiis,
Ps. 139. 6. sed & medio, & fini, juxta illud Psal. *In via qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi.* In principio scilicet viæ, sive operis nostri insidiatur intentionis puritati: medium vanæ complacentiæ fumo nititur commaculare; finem fallidio benè operandi pervertere. Sic omnem gressum & progressum nostrum, à recto tramite & scopo solet detorquere; ideoque nos super omnia opera nostra decet vigilare.

Intentio est radix perfectionis actionum. Matth. 6. 22.

Itaque intentio est radix & fundamentum bonitatis & perfectionis nostrarum actionum, dicente Domino: *Si oculus tuus simplex est, totum corpus tuum lucidum erit.* Si intentio tua recta fuerit & munda, totum corpus actionis tuæ mundum erit & rectum. E contra, si oculus nequam fuerit aut maculosus, totum corpus tenebrosum & maculosum erit, tota actio Deo displicebit. Nam per bonæ intentionis radium merita actionis illustrantur, ut dicit D. Gregorius; at verò per vanæ intentionis nævum penitus commaculantur & obscurantur. Sicut ergò ad rectè ambulandum duo oculi lucidi nobis necessarii sunt, ita Sacerdos
S. Greg. sacras suas actiones duplici oculo dirigat est necesse. Pro oculo dextro sit intentio pura honoris Dei; pro sinistro intentio salutis proximi, sic Deo non poterit displicere. Quod si alia intentione terrena munus exercet, lippos habet oculos ut Lia, aut caligantes ut Heli. Nempè gravi humore defluentes, aut pulvere respersi oculi, in operibus sanctis efficiunt, ut nihil sit lucidum, nihil Deo gratum. Quid verò sunt humores gravitantes, aut pulvis noxius aciem mentis sordidans, & turbidam efficiens, nisi affectus ad lucrum & proprium commodum, appetitus laudis vanæque gloriæ, & complacentia inanis. Et quàm facilè similia obrepunt in sacris ministeriis, nisi studiosa & continua vigilantia arceantur? Audi S. Bonaventuram gra-
Bonav. viter multorum Sacerdotum miseriam deplorantem. *Va va Domine Deus, quanti hodiè infælices Sacerdotes ad sacros Ordines & divina mysteria accedunt, non cœlestem panem sed terrenum, non spiritum sed lucrum quærentes, non Dei honorem sed ambitionem, non animarum salutem sed pecuniarum quæstum, non Christo servire mundo corde & corpore, sed deliciari, ditari, superbire, luxuriare de patrimonio Christi & eleemosynis populi Ecclesiastica munia ambiendo rentis liturgis & simoniis, potiùs rapiunt quàm assequuntur, non vocati à Deo, sed impulsi à diabolo.* Audi & Bernardum in eandem sententiam. *Omnes*
Bern. in Pl. Qui habitat. serm. 6. *ferè quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi: ipsa quoque Eccl. siastica dignitatis officia in turpem quæstum & tenebrarum negotium transiere: nec in illis salus animarum, sed luxus quæritur divitiarum. Propter hoc tenduntur, propter hoc frequentant Ecclesiam, Missam celebrant, Psalmos decantant. Pro beneficiis & dignitatibus impudenter hodie decertatur, ut Ecclesiarum redditus in superfluitatis & vanitatis usus impendantur.*

Vinc. Fer. in Dom. 8. post Pent. Refert S. Vincentius Ferrerius Ord. S. Dominici, Nobilem quendam graves sumptus & labores suscepisse, ut Episcopatu quodam opulento potiretur. Ad eum verò voti compotem cum venissent alii Episcopi munus consecrationis peracturi, interrogant, an onus Episcopale subire paratus sit? Respondet se ad id paratum. Interrogant ulteriùs, an Christo velit reddere rationem in extremo judicio, pro tot animabus ejus jam regimini & curæ committendis? Hæret ipse, & interrogationem ponderans, negat se velle tanto discrimini exponere. At ipsi dignitati Episcopali hoc onus necessariò annexum affirmant. Ille verò asserit se de hac re non cogitasse, sed opulentiam ac sublimem honoris gradum attendisse; malle vero tot sumptuum jacturam facere, quàm tantæ rationis aleam subire: sic renunciat Episcopatui.

De altero quodam legimus, varia amicorum potentium sollicitatione ad Episcopatum pertigisse: in quo cùm aliquot annos versatus fuisset, vacante Episcopatu altero pinguiore, illius ambitione cæpit urgeri, & iterum amicis in aula potentibus importunus esse, asserens si contingat se

voto

Digitized by Google

voto potiri nunquam quidpiam aliud postulatum à Rege. Adipiscitur ergo postulatam dignitatem, ea quam posuit conditione. Quid deinde? Effluxis paucis abinde annis, vacante Archiepiscopatu, iterum Aulicos & Aulæ fores frequentat, importuna prece pulsans, ut possit altiùs ascendere. Mirantur illi, & quærunt an immemor sit promissi sui? At meminisse fatetur quidem, sed excusat se dicens: *Nesciebam tunc, nec plenè expertus adhuc eram*, quod in proverbio est, *quantum appetitum crescat comedendo, sitis bibendo.* Nempe fames ambitionis, & sitis avaritiæ, non expletur fluxis bonis, quin potiùs excitatur & crescit. Et hæc est quæ multos urget ad Ecclesiastica munia non honor Dei, non salus proximi.

Hoc deplorat Ecclesia quæ est columba gemebunda, de qua in Canticis Sponsus: *Una est columba mea, formosa mea, perfecta mea.* Gemit quod cum pennæ ejus deargentatæ esse debeant, aut instar auri fulgidæ, radiis solis expositæ, & ad volandum pernici & sublimi volatu dispositæ; videre eas cogatur fuligine conspersas, pulvere sordentes, visco terreno coagulatas, ut perfectè volatum inire nequeat præpeditæ. Quæ sunt pennæ columbæ, nisi ministri Ecclesiæ? Hi in altum debent se elevare, debent puri & candidi esse; ac Solis justitiæ radiis præfulgentibus deliderionum plumas expandere: interim repunt in terra; rerum terrenarum visco præpediti volare nequeunt, fuligine & impuritate pleni. *Duabus alis anima volat in cælum, & sublevatur à terra* (inquit Thomas à Kempis) *simplicitate scilicet & puritate. Simplicitas debet esse in intentione, puritas in affectione. Simplicitas intendit Deum, puritas apprehendit & gustat. Nulla bona actio te impedit: si liber intus ab inordinato affectu fueris. Si nihil aliud quam Dei beneplacitum & proximi utilitatem intendis & quæris, interna libertate perfruêris.*

Cant. 6. 8.

Kempis, l. 3. de imit. c. 4.

CONCLUSIO ET ORATIO AD CHRISTUM.

O Jesu summe Sacerdotum, Pastor Pastorum, audi gemitum Columbæ tuæ. Emitte lucem & veritatem tuam super Ministros tuos, ut in sacris functionibus semper sint eorum oculi lucidi & puri, nulle vanitatis fumo, nulla terræ pulvere turbati. Fac semper eos portare Ephod Sacerdotale coram te ex lino candido & purissimo; fac candore & puritate cælestis intentionis sine fine, & obsequio tuo accinctos. Non ordiantur tela sua ex lino Linoque contexant: lana mundi non inficiat linum Dei. Sed sicut tu dixisti; Non quæro gloriam meam, sed Patris mei: *ita ipsi non gloriam suam, non sæculi lucrum, sed tuam semper umbrent gloriam, tuumque beneplacitum. Tanquam filii æmulatores sint honoris paterni: tanquam servi, lucrum & profectum attendant Domini, Domino suo semper acquirere studeant, ac ipsi totis illius, omnia sua in illius dominium transferant: Patri suo soli finali amore placere contendant. Pastores tuos, ô Pastorum Pastor, non pascat ventus, non aura popularis, nec umbra vanitatis: sed eos pascat solidus cibus veritatis tuæ, qua possint & oves suas pascere; non sibi sed tibi, non tanquam suas, sed tanquam tuas, ad honorem tuum, non suum. Et cùm semper in conspectu tuo stare debeant ministrantes, fac ut te solum respiciant, non hominem, non terram, non sæculum: tuos solum oculos ambiant, à te solo remunerationem dignam expectent; sic complaceant eloquia oris eorum, & meditatio cordis eorum, in conspectu tuo semper.*

Joá. 8. 50.

PRAXIS AD PURAM INTENTIONEM FOECUNDAM.

Primò. Dum expergiscamur, omnia dicti verba, cogitationes, opera in Deum dirigentes, rogemus ut in illius gloriam cedant, de alio vano fine, qui furtim irrepere posset, protestantes nolle nos consentire: ita ut si vana gloria advenerit, possimus respondere: *Serò nimium venis, omnia jam divinæ gloriæ sunt oblata, omnia in illius sunt possessione, nulla tibi pars remanet.*

1 *Expergefacti omnia in Deum dirigant.*

Secundò, Nec hoc sufficere debet, sed etiam in particulari, dum actualiter quodlibet opus exordimur, in Dei gloriam referendum est. Sed qui ædificat, cuilibet lapidi solet regulam & plumbum suum adhibere, ne quid in opere distortum reperiatur: imò frequenter adhibet, & appendit operi suo funiculum mensorium, ne forte error contigerit. Regula nostra est voluntas Dei ejusque gloria, ad quam omne opus nostrum debet dirigi, ut nihil incurvum reperiatur; ergò frequenter considerandum est, an singulæ nostræ actiones, conformentur & exigantur ad regulam istam & amussim.

2 *Actualiter quodvis opus in Dei gloriâ referant.*

Tertiò. Non solùm initio operis, sed & medio & fini advigilandum est. Nam dæmon dentem suum quandoque infigit radici, quandoque ramis, quandoque fructui arboris nostræ, ut eam vitiet: hoc est; insidiatur operis vel principio, vel progressui, vel termino; vanam iniiciens postea complacentiam, cum primam vitiare non potuit intentionem. Contingit nobis, inquit S. Gregorius, sicut in cibi sumptione. Illum primò sumimus ad satisfaciendum naturæ: at dum pergimus comedere, furtim se gulæ delectatio ingerit, ita ut quod inchoavimus necessitate, prosequi jam videamur voluptate. Sic officium prædicandi, docendi, proximum juvandi desiderio inchoamus, sed vanitas serpit paulatim, cupimusque hominibus placere, & ab illis æstimari. Quod si id non succedit ex animi sententia; facilè deficimus & elanguescimus; instar organi, quod non resonat, nisi flante vento è follibus.

3. *Advigilent initio, medio, fini operis.*

De quodam in vitis Patrum legimus, cùm aggrediendum illi opus aliquod erat, solitum paulo antea tempore subsistere & hærere. Interrogatus

Invitis PP.

Digitized by Google

gratus cursic se gereret, respondit: *Cùm opera nostra bonitatem sortiantur à fine illi proposito, imitari contende illos qui ad scopum jaculantur; qui ut illum attingant, aliquantum hærent, antequam jaculum emittant, figentes oculum ad signum: ita ego intentionem & oculum mentis in Deum dirige, qui scopus est noster antequam operi manum admoveam, & certum tunc illum attingo.* Imò sicut qui jaculantur, oculum sinistrum claudunt, ut visus sit magis in dextro collectus, nec hinc inde dispersus. Ita claudere nos oportet oculum sinistrum, humanis & terrenis respectibus: sic firmus oculus dexter cœlestis intentionis nos diriget ad cor Dei. Nam & ipse Sponsa suæ dicit: *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum.* Cant. 4. 9.

In vita S. Bernard.

Legimus de S. Bernardo, quod quadam vice puro gloriæ Dei zelo concionem ad populum exorsus, videns frequentiam auditorum, & applausum eloquentiam viri admirantium, cœpit inani lætitia subsilire, vanaque cogitatione tentari, quasi ei quis diceret: *En quam nobilis confluxus, quam attenti omnes & attoniti ad verborum tuorum eloquentiam?* At ipse statim advertens hæsit, & dubitare cœpit, an concionem vellet abrumpere, & sic serpenti, sive dæmoni vanitatis caput conterere. Sed illicò divina adjutus gratia, prosequitur inclamans: *Neque per te maligne spiritus prædicationem inchoavi, nec propter te desinam.*

4. Opera peragant quasi in præsentia Dei.

Quartò, omnia nostra opera peragere debemus, quasi staremus in præsentia Dei. Nam hujus *oculi, plus lucidiores super solem*, circumspiciunt *omnes vias hominum, & hominum corda intuentes in abscondita partes*, ut dixit sapiens. Ergò coram illo ambulantes, facilius ad illum opera & intentionem dirigemus, & perfectius operabimur, singulaque considerabimus, ne sint indigna oculis Dei. Quapropter sicut sancta animalia, de quibus Apoc 4. coram throno Dei stabant *plena oculis antè & retrò*, exteriùs & interiùs: Sic convenit Sacerdotes & Ministros Domini, coram ejus throno stantes, oculis plenos esse. Habeant oculos in pedibus, ut videant quomodo ambulent; habeant in manibus, ut videant quomodo operentur; habeant in labiis & ore, ut videant quæ & quomodo loquantur; habeant oculos in oculis, ut videant quomodo & ipsos oculos suos regere debeant; habeant oculos in corde, ut videant quæ cogitent, quibus afficiantur. Sic omnia opera sua pervidentes, perfectè illa peragent, & perfecta intentione in Deum referent.

5. Habeat in promptu Jaculatorias preces.

Quintò, habeat Sacerdos in promptu orationes jaculatorias animum elevantes, & cordis intentionem renovantes, aut interruptam resarcientes. Tales ex Psalmis plures occurrent. Huic rei serviunt subsequentes.

1. *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis.* Cor in Scripturis pro intentione accipitur: sic cor mundum postulare à Deo, puram est perfectamque in omnibus intentionem implorare, cum affectu illi placendi ex animi sinceritate.

2. *Regi sæculorum immortali & invisibili, soli Deo honor & gloria in sæculorum sæcula. Gloria Patri & Filio, & spiritui S.*

3. *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Tibi laus, tibi gloria, nobis autem non debetur nisi confusio & culpa, contemptus & pœna.*

4. *Notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam; doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.*

Frequens sit in ore & corde illud: *Sanctificetur nomen tuum: Fiat voluntas tua: Laudetur Dominus: Benedictus Deus.* Et similia, quæ in omni opere intentionem possunt rectam in Deum retorquere, aut ne effluat ab illo impedire.

S. Ignatius & in ore & in corde frequenter volvebat illud: *Ad majorem Dei gloriam*: sicque stimulabat se in omni opere, ad intentionis puritatem illibatè conservandam. Unde & ipsi pro symbolo sacro & elogio nobilitatis suæ adscriptum est: *Ad majorem Dei gloriam*; quam pro virili, in terris agens, amplificare omnibus suis præclare gestis, adlaboravit.

In opere finis primarius attende Dei gloria, non autem fructus proximi.

Hoc verò advertunt rerum spiritualium periti, dum quis opus aliquod aggreditur in proximi spirituale commodum v. g. dum concio habenda, confessiones audiendæ, rudes docendi, consilium pro vitæ directione dandum, non esse figendum, principaliter oculum in finem specialem, & proximum, in fructum scilicet, vel fælicem successum operis istius in particulari; Sed generaliter opus istud est aggrediendum, ut Deo placeas, ut ejus gloriam procures, exequendo in hoc ejus beneplacitum & ideò perfectè, quantùm in te est, proponere debes illud adimplere. Sive ergo fructus sequatur conversionis proximi, emendationis aut profectus in doctrina, sive non sequatur, id te proprie non concernit. Tuum est rigare & plantare, Dei est incrementum dare. Sufficiat quod feceris id, ut Deo placeres, ut voluntatem ejus faceres: nihil diminuitur de operis valore & perfectione, si feceris sub hac intentione, sive res successerit, sive non. Quod si quando confessiones audis, concionaris, doces, hortaris, principaliter figas intentionem in fructum quem opras facere, & quem mente jam recenses; si non successerit, facilè continget te turbari tranquilitate animi gaudioque interiori privari, imò & animum abiicere ac pusillanimem fieri. Quod non accidet, si solum Dei beneplacitum intendis, semper enim habes intentum.

S. Jacob. Apost.

S. Apostolus Jacobus non minus meriti habuit, quàm cæteri Apostoli, licet in Hispanias profectus, sex tantùm aut septem converterit: nec minus opus ejus Deo fuit gratum: quia Dei beneplacitum, quod in missione sua habuit in mandatis, non minori zelo est executus, & hæc fuit ejus intentio pro Christo legatione fungi, sive succederet, sive non.

Sic

Sic Angeli dum ex Dei commissione nostri curam gerunt, sufficit eis divinum in hoc complacitum, divinamque gloriam quærere; sive nos eorum inspirationibus & monitis rebelles reperiant, sive non. Nec eis fœlicitatis & fruitionis, quam de Deo habent, quidpiam decedit, si rebelles reperiantur: quia omne suum studium ad divinum beneplacitum retulerunt, & quantum in se fuit, perfectè muneri suo satisfecerunt. Imitemur eos in cura nobis à Deo demandata de proximo, semper proponamus ejus voluntatem ut finem, accingamur operi peragendo cum omni ex parte nostra perfectione. Quod si fructus non succedat, nihil turbemur aut inquietemur, nec animo deficiamus, sufficiat nobis Dei voluntatem adimplevisse; hæc fuit aut esse debuit nostra intentio. Dictum nobis est à Christo idem quod Sabulano dixit Samaritanus: *Curam illius habe.* Non verò mandatum est, *Cura illum*, Non est in Medico, semper relevetur ut æger. Luc. 10. 35.

CONCLUSIO AD SACERDOTES.

Igitur concludens obsecro vos Fratres, quandoquidem functiones nostræ sublimes, publicæ enim nostræ sint, ideòque afflanti vanitati, æstimationi, laudi adulationi, complacentiæ suaui facilè obnoxiæ: facilè sollicitudine nobis circumspiciamus, ne jam recipientes ab hominibus mercedem, meritum sublimioris gloriæ evacuemus: Sic opus sit in publico, ut intimus maneat in occulto, ut & proximus lucis exemplum monstremus: & tamen per intentionem quæ soli Deo placere intus contendamus, laudes externas non quæramus, ne aurum fulgidum boni operis, convertamus in lutum sordidum vanitatis. Væ nobis si de illis simus qui quæstum æstimant pietatem: si ad inanem gloriam transeamus, quod ad lucrum Domini accipimus erogandum: si de donis Dei, de auro eius & argento nobis commisso formemus idola vanitatis: aut si vili pretio transijs, orii favore in venalem exhibeamus rem tanti pretii, quæ regnum cœlorum nobis cooperare poterat. Væ si fuerimus de illis qui adulterant verbum Dei. Adulterinum prolem, seu quæstu voluptatum: ita vanæ gloriæ servientes Prædicator, rectè adulterare verbum Dei dicitur, (inquit Divus Gregorius) quia per sacrum eloquium non Deo filios gignere, sed suam scientiam desiderat ostentare. Verumtamen, si furti sit uxoriamur res, dum gloriam Deo debitam usurpamus, communicantes cum Angelo reprobo, qui in cœlis eam sibi attribuens, in furto deprehensus, æternis est supplicijs mulctatus. Si quid laude & gloria dignum opere in aliquo reperitur, an illud instrumento vili, an vero potius artifici adscribendū? Lana picturæ, aut Scripturæ penicillum aut calamus, an verò pictus Scriptorve vel Pictoris attribuendus est? Quid sumus nos, nisi vilia instrumenta confusione digna? His tamen uti potest Summus ille Artifex Deus, in gloriam suam promptissimis, & quid ergo per nos, in nobis, aut in aliorum cordibus operetur, non elevet securis nostrum, secumve sit: nos autem lutum in manu figuli, aut securis in manu operantis, quam non oportet gloriari contra trahentem se, sicut nec lutum contra formantem se ponamus iguiter corda super vias nostras, & semper dicamus: Magnificetur opus tuum Domine, non nostrum, laudetur nomen tuum, non nostrum. Aut nolimus timeamus, ne illud Aggæi de nobis verificetur. Seminastis multum, intulistis parum comedistis & non estis saturati: operuistis vos & non estis calefacti: & qui mercedes congregavit, misit eas in sæculum pertusum. Hoc illis contingit qui semen verbi Dei seminant, sed gurgulio aut cruce vanæ complacentiæ omnia depopulatur & depascit: sicque nonnisi paleam vanæ gloriæ, aut ventum metunt. Hi etiam alia multæ operæ eminentia peragunt, sed nullum fructum inde percipiunt: denique similes sunt his qui in saccum pertusum res pretiosas congerunt, aut vinum præstans in dolium perforatum. Aggæi. 1. 6.

LECTIO VI.

DE SEXTO FLORE, QUI EST STUDIUM SOLIDARUM VIRTUTUM.

De hac re sic monet Regula: Cæteras ad solidas virtutes, quibus debet vita Sacerdotalis ornari, maximè ad humilitatem, mansuetudinem castitatem, sobrietatem. VI. Flos studium solidarū virtutum.

Inter res materiales, quædam veræ sunt solidæque, quædam apparentes tantum, & inanes. Sic verum aurum, veræ quædam gemmæ reperiuntur, sed nec desunt apparentes & adulterinæ. Simili modo inter virtutes, quædam solidæ sunt & probatæ, quædam ventolæ, inanes, apparentes, imaginem tantum virtutis referentes. Ideo hic monemur solidas & veras virtutes, quia frequenter virtutis & pietatis cortice contenti sumus, & tanquam vasa vacua solo aere plena, aut idolum quoddam inane pietatis in nobis gerimus. Sicut enim imagines illæ Deorum, speciosæ [illegible] arachnearum telis scatentes reperiuntur: [illegible] exterior quædam species virtutis est, si autem intima nostra perspicuamus, texturas inanes reperimus, & imperfectiones absconditas sine veritate virtutis, quas nobis abscondit amor proprius. Quid enim? An non rectè & verè dixit S. Gregor. in illud Job. In voluptate sunt semitæ gressuum eorum. *Esse quippe humiles sed tamen sine despectu: esse contentos propriis, sed sine necessitate: esse castos, sed sine macerazione corporis: esse patientes, sed sine contumeliis volunt: cumque adipisci virtutes quærunt, sed labores virtutum fugiunt, quid aliud quam exhibere belli certamina in campo nescimus, & triumphare in urbibus de bellis concupiscimus;* Sic tantum umbram habemus & apparentiam, quæ dispareat, dum adversa irruunt ad probationem virtutis? quia vera & solida virtus, non prosperis extollitur, nec adversis supprimitur, sed propata exigitur. Simile. S. Greg. l. 7 moral. c. 13 Job. 6. 18.

An non verum est de nobis illud Domini ad Apostolos adhuc infirmos & imperfectos; *Nescitis cujus spiritus estis.* Passione movetum, & zelū putamus: malè quandoque agimus, nec agnoscimus, sed pejus excusamus, Castos nos existimus, & minima occasio nostram evertat castitatem & quales simus offendit. Minimum verbum ab altero prolatum honorem nostrum nostra opinione imminuens, iniquam perturbationem injicit, & quàm solida sit in nobis humilitas declarat. Exigua tribulatio patientiam nostram evacuat, iram accendit. Occasione societatis aut convivij, sobrietas nostra statim perit. Laus contemnenda plebei & vilis hominis, extollentiam in nobis parit. Levis aliqua suspicio de proximo, Charitatem nostram lædit. Sic quam inanes in nobis sint virtutes, quam infirma radice initiatæ, minima probatur occasione. An non frequenter in orationis fervore plurima fortiter resolvimus, intractoque animo vitiis resistere proponimus; Sed omnia illa nonæ pertranseunt quasi in imagine picta aut ficta in aere? Minimus ventus ea repenter dissolvere. Sic paucissimum imaginaria virtute, fortitudo & virtus nostra cum exercenda est, concidit, quia manus erat sine soliditate. Ita verum agnoscitur in nobis illud Psalmistæ: *Filij Ephrem intendentes & mittentes arcum conversi sunt in die belli.* Similes enim sumus Israelitis, quos Ibi arguit, qui ante bellum multa promittebant, mittentes jacula in scopum, quasi præludia & præsagia fortitudinis; at ubi prælij tempus venit, terga verterunt. Nos quoque magnos virtutis progressus exterius ostentantes, & virilem pugnam interius nobis promittentes, tentationis tempore recidimus pusillanimes, & virtutis inanes.

Luc. 9. 55.

Psal. 77. 9.

Procul verò à ministris Domini, umbra, larva, fucus pietatis & virtutis. Sed ut ambulent vocatione sua audiant illud Apostoli: *Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis* id est, in sanctitate vera solida, non fucata, non larvata, non inani. Audiant & illud: *Veritatem facientes crescamus in eo, qui est caput Christus.* In ipso qui est veritas, jacienda sunt solida fundamenta spiritualis nostri ædificij, solidæ perfectionis & virtutis: quia lapis angularis est, super quo firma consurgit structura virtutum, crescens in templum sanctum Domino, quod non nutat etiam concussum flatibus adversis, aut fluctibus. Caput quoque ipse est, spiritum verum & vitalem subministrans suis ministris, tanquam præcipuis membris, ut adorent in spiritu & veritate, & crescant quoque in spiritu & veritate perfectionis; nec sint arida membra, sed vegeta & fortia, non solum colore exterioris apparentiæ, sed & medulla & succo interioris devotionis & virtutis. Si in veritate solida corroborari curemus, & in sanctitate veritatis internum ædificium erigere, non nutabit aut elidetur humilitas nostra contemptu aut laudibus; nec castitas succumbet illecebris; nec mansuetudo aut patientia nostra vincetur injuriis; nec lædetur charitas suspicionibus; nec in nobis fortitudo infirmetur adversis; nec zelus noster extinguetur, aut refrigescet objectis Satanæ & sæculi impedimentis, vult aquis frigidis, nec pietas sufflocabitur delitiæ pulvere, aut vanis desideriis. Sed sicut arbos firmiorem jacit radicem agitata & probata ventis, & rupes allisos ad se recidens fluctus, in spumas abire sinit: aut sicut ignis sub cinere conservatus, & flante vento magis accenditur: ita crescet, & magis radicabitur adversus humilitas, castitas, fortitudo, patientia, zelus, aliæque virtutes. Tunc enim majorem rationem habent vim suam exerendi, quam dum manent inconcussæ, quia videntur otiosæ, nisi adversis exerceantur.

Eph. 4. 23.

Eph. 4. 15.

Simil.

De S. Carolo.

S. Carolus, solidis & bene radicatis in Christo Jesu virtutibus præditus erat, ideo nunquam ita agitatæ sunt, nunquam tanta luce coruscarunt, quam eo tempore, quo ut convellerentur, impetitæ fuerunt. Castitas maximè in ipso effulsit, dum in juvenilibus adhuc annis à familiaribus introducta est speciosa puella, quæ venustate & oris gratia ad libidinem eum pelliceret: Patientia & mansuetudo, dum sclopeto ab impio conspiratore impetitus, noluit eum requiri, quinimò optabat ei parci: Fortitudo & constantia, dum pro Ecclesiæ jurisdictione murum sese opposuit, non obstante potentia & minis eorum, cum quibus res agebatur. Zelus & pietas grassante peste enituit, dum nec vitæ suæ parcit, ut Sacramentis omnes præmunirentur. Et sic de aliis virtutibus judicandum est, quas non fuisse apparentes tantum, aut super labilem arenam initiatas, sed solidas & in petra inconcussa firmatas, tot persecutiones & pericula objecta comprobarunt.

Virtutes S. Caroli Borromæi.

MONITUM SACERDOTES CONCERNENS.

MEminerint Ecclesiæ Rectores & Sacerdotes, litterarum quas Christus scribit in Apocal. *Angelo Ecclesiæ suæ*, hoc est, Rectori & Episcopo illius loci. Hæc etenim eos etiam concernunt, ad rectè agendum in statu ad quem evecti sunt. Unde & Spiritus Sanctus dicit: *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.* Quid igitur continent Apoc. 3. 22
literæ illæ a Domino dictatæ, per Secretarium suum Joannem exaratæ, ad nos transmissæ? *Scio* Apoc. 3. 1.
opera tua, quia nomen habes quod vivas, & mortuus es: esto vigilans, non enim invenio opera tua plena coram Deo meo. His verbis amica reprehensio continetur, qua insinuatur Ecclesiæ illius Rectorem, nomini quod gerit non correspondere operibus, nec professioni suæ, aut statui perfectè satisfacere: plusque exteriori specie exhibere, quàm intus sit in veritate. Ideò dicit: *Nomen habes quod vivas, & mortuus es.* Quasi diceremus, Sacerdos est, Pastor, Episcopus: Nomina illa omnia, vita

Apoc. 3. 1.

Digitized by Google

vitæ perfectæ & ſanctitatis te admonent : interim quaſi mortuus intus es, nec ſpiritu Dei duceris, ſpiritu veritatis, ſed potius ſpiritu ſæculi, ſpiritu vanitatis. Ideò *non invenio opera tua plena coram Deo meo*, licet homines dei illis bene judicent, qui ſolum vident, quæ exterius patent. Ego autem ſcio cor tuũ ſcio opera, & agnoſco in te, & operibus tuis defectũ, vacuitatem, imperfectionem. Arbores frondoſa & florida, ſed perfectorum operum ſterilis; poma ſi quæ profers, inſtar fructuum Sodomæ ſunt exterius ſpecioſa, at bene conſiderata & attacta in pulverem reſolvuntur : vel certè intus vanitatis verme corroſa vacua ſunt nec coram Deo plena. Virtutes quæ exterius in te videntur oculis hominum patere ſolidæ non ſunt nec veræ. Ideò vigila ſuper te, penetra intima, perfectus perage opera tua, ſolliditati virtutis & perfectionis ſtudium omne impende. Hæc omnia eadem ratione nobis dici cogitemus Miniſtris Chriſti, propter nos enim ceciderunt, Unde ad unũmquemque noſtrum ſpectat, quod ibidem ſequitur: *In mente habe, qualiter acceperis, & audieris, & ſerva, & pœnitentiam Age. Si non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur & neſcies qua hora Qui vicerit veſtietur veſtimentis albis, & non delebo nomen ejus de libro vitæ, & confitebor nomen ejus coram Patre & Angelis ejus.* Apoc.3.3.

CONCLUSIO ET ORATIO AD CHRISTUM.

O *Jeſu ſumme Sacerdotum, Paſtor Paſtorum, qui hæc ad inſtructionem Sacerdotum, quæ Eccleſia præbuit, dixiſti, & poſteris ſcribi voluiſti, imprime ea cordibus noſtris, aperi autem interiorem nobis, ut audiamus quid Spiritus dicat Eccleſiis, & prompti obediamus. Tu ſcis opera noſtra qualia ſint, & virtutes noſtræ quàm defectuoſæ & inanes. Tu ſcis & cor noſtrum & defectus quos amor proprius abſcondit; ideò tibi unusquisque noſtrum inclamat:* Proba me Deus, & ſcito cor meum, interroga me, & cognoſce ſemitas meas. Et vide ſi via iniquitatis in me eſt, deduc me in via æterna. *Ita obſecro, fac ut opera noſtra ſint plena coram te, fac ut ſolida ſint illa virtutes in nobis, quæ ſtatus Sacerdotalis expoſcit à nobis. & omnis vanitas abigatur qua mulcipliciter animum noſtrum circumvolvit, actionesque noſtras inficit:* Sacerdotes tui induantur juſtitiam, & Sancti tui exultent. *Induamur à te Poderem omnibi virtutum aggregatione perfectam, textam à Spiritu S. & illa ad pedes uſque & talos, hoc eſt, ad finem uſque vitæ noſtræ ſe porrigat : ut poſſea veſtiamur à te veſtimentis albis promicantis gloria, & videamus nomen noſtrum in libro vitæ, & confiteris illud coram Patre tuo, & Angelis ejus.* Pſ.138.23.

***

LECTIO VII.

DE SEPTIMO FLORE ; QUI EST HUMILITAS.

QUIA radix aliarum virtutum eſt Humilitas, fundamentumque ſpiritualis ædificii, ideò prima Sacerdotibus commendatur, maximè quia cum ipſi in ſtatu ſublimi ſint, facilè contingit eos præſumptionis, ambitionis, ſuperbiæ ſtatu agitari & ſuperari, niſi profundas in humilitate radices figere ſtuduerint. Quare dicit S Gregorius: *Eo ipſo anno quo alius prælatis jungimur, ad qualibet agenda majorem licentiam ſumimus, & ſuſcepta hanc ditionis miniſterium vertimus ad ambitionis argumentum* Ideo etiam monet S. Petrus Paſtores & Sacerdotes: *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, non ut Dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo.* Nempè, ſuperbia naturæ quaſi cœleſtis eſt, quæ primo in cœlo ortum habuit, & Angelum qui erat principium viarum, ſive operum Dei, vicit : ideò eorum qui in ſublimi ſtatu à Deo ſunt erecti, mentes facilè invadit, ſi ſibi advigilent. Hinc & Apoſtolos licet in ſodalitio Salvatoris & ſchola humilitatis eruditos, adoriri auſa eſt, *dum facta eſt contentio quis eorum videretur eſſe major*, dum Jacobus & Joannes matris ſollicitatione dextram ſiniſtramque Salvatoris ambiunt. Ergò nec tuti ſunt ab illa ſucceſſores Apoſtolorum. Magiſtri ſcilicet Jeſu Chriſti, ſed continuò adverſus eam debent decertare, humilitatis contentione. *VII. Flos Humilitas* S.Greg. 1.Pet.5.1. Luc.22.24 Matt.20. 21.

Habent autem Capitis ſui & ſummi Sacerdotis inſtructionem, & exemplum. Inſtructionem quidem, dum inculcat hanc ſcholæ ſuæ primam lectionem : *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Diſcite non mundum fabricare, aut miracula facere, non ſublimia quærere, alta ſapere, ſed humilibus conſentire; & quæ mundus reputat alta conculcare; quæ infima amare. Et iterum, cum ſtatuiſſet parvulum in medio eorum ait: *Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* An verò ſolum id docuit verbo, & non etiam exemplo ſuo præivit, & viam præmoniſtravit; Nonne abjectus ad diſcipulorum pedes eos lavat ? ut exemplo doceat, quod qui major eſt, debat fieri ſicut minor, inferiorbus ex vera humilitate miniſtrando; Sed & tota ejus vita non fuit niſi humilitas uſque ad mortẽ, quia *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta* Recogitemus ergo Pontificem noſtrum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus contradictionem, & exinanivit ſe uſque ad abyſſalem abjectionem, ſicque diſcamus ab eo veram cordis humilitatem, excuſſo ſpiritu præſumptionis & ſuperbiæ, coram Deo, Angelis, hominibus fœtente quo ſimiles reddimur diabolo, & diffomes Chriſto injuſ- *Chriſtus 2 exemplar humilitatis.* Matt.18.3. Joan.13.5. Heb.12.

Digitized by Google

dentem clarè, & latatum est in abscondito cor meum. Respicere Solem aut Lunam fulgentem, est attendere ad famam honorificam, & bonam opinionem, quam de nobis homines conceperunt, & sic eorum laudibus vanè sibi complacere. Hoc a se removet Job hoc refugiunt veri humiles, quin potius erubescunt in laudibus aliorum.

Hieron. in vita S. Hilar.

Refert S. Hieronymus de S. Hilarione, graviter ipsum contristari & conturbari solitum, eò quòd videret magnam turbam continuò sequentem, ob miracula quæ Deus ejus operâ patrabat. Quodam autem die à discipulis interrogatus, cur ita fœderet contristatus? Respondit: quia vereor nè exiguum, quod hactenus Deo impendi obsequium, ipse in hac vita remuneretur, dum ita me homines honorant, & laude prosequuntur.

Qui porrò in humilitate infirmi sunt, adblandiente hominum laude statim evanescunt in cogitationibus suis: quia licet facilè sit laude carere, dum denegatur, inquit D. Augustinus, difficile est eâ non delectari, cum offertur. Quarè Sapiens rectè dixit: *Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, sic homo probatur ore laudantis.* q. d. Aurum & argentum si adulterinum sit aut falsum, consumitur in igne, ebullit in spumas: si verò bonum sit, purius redditur & inclarescit. Sic laus hominum habet se instar ignis hominem humilem probantis: si enim laude inflatur, ebullit interiùs & intumescit, non est aurum purum, at potius reprobum. Si verò solidus manet potiusque humiliatur laude, aurum probatum censetur. Vide ergo quomodo te geras dum laudaris, & indè collige, an aurum sis, an spuma & scoria ebulliens, & solam auri speciem referens.

August. ep. 64.

3. *Sectatur officia vilia.*

Tertiò, humilis solet sectari officia vilia & inferiora exercitia, & in illis se exercere, in illis delectari, Christum lubenter imitans lavantem pedes discipulis, sublimiora verò lubens refugere si posset, quia honore non delectatur.

4. *Non excusat sua vitia,* Bern. ser. 38. in Cantic.

Quartò, non excusat defectus suos & vitia, sed fatetur & aperit, gaudet moneri & reprehendi, & semper se alijs interiorem judicans, omnibus se submittit. Novit enim illud Bernardi: *Non est periculum quantumlibet te humiles & reputes minorem quàm sis, sicut non est periculum, si quis per portam declivem transiens valde se incurvet: sed est periculum, si altius modicum, quàm porta admittit, se elevet. Non nocet ergo si omnibus te postponas; potest autem nocere plurimùm si vel unius te præponas.*

De humilitate S. Caroli.

Hanc humilitatis semitam mirè coluerunt Sancti, inter quos S. Pater Sacerdotum & Pastorum Carolus, in cujus festivo die hæc scribo, toto corde eam adamavit, & licet in purpura ageret fastigiosque celsi honoris, illius nunquam corde oblitus, opere semper exhibuit. Avebat & gaudebat moneri personaliter, si quis in eo vel minimus defectus adverteretur, volebat singulas suas actiones circumspici & explorari. Undè ad hunc effectum duos constituerat Presbyteros domesticos, actionum suarum censores, quibus præcipiebat, ut nihil celarent imperfectionis statum suum concernentis, & cum id agerent, plurimùm eos diligebat. Laudes quoque maximè aversabatur, tanquam puritatis intentionis maculam aliquam adspergere solitas: undè quæ sublimi Dei favore in se experiebatur, abscondere satagebat. Abstinentias quoque exteriores & austeritates apud domesticos (quoad poterat) pallio quodam excusationis præobvelabat. Cùm quidam Prælatus coram ipso extolleret opera, quæ Deus per eum operabatur, respondit: Non opera esse attendenda, sed defectus & imperfectiones; quia multis scatent defectibus, & multa illis desunt (inquiebat ipse) ideoque laude digna non esse. Cùm quidam celebris Concionator in Ecclesia Cathedrali publicè etiam in ejus præsentia notasset eum imprudentiæ, & quædam, quæ ad ejus aliquam confusionem vergebant, diceret, nihil immutatus est: sed magnâ pace & quiete cum spiritu humilitatis hæc tolerabat, licet populus in Concionatorem non parum accenderetur, tanquam tanti viri gloriæ maculam affricare conantem. Nempè ita se servum inutilem existimabat, & confusione dignum, ut gauderet etiam ab alijs despici, licet heroicis operibus effulgeret. Non enim illa attendebat; sed suum nihilum, & in vilitatis suæ profundum se immergebat cum omni humani honoris contemptu. Sic tota ejus vita humilitas fuit, exemplarque præclarum profundissimæ humilitatis omnibus conspicuum. Hanc usque ad extremum spiritum imò etiam post mortem colere voluit. voluit enim sepeliri loco maximè hominum pedibus conculcato, ad gradus quibus ad chorum Ecclesiæ conscenditur. Hæc omnia attendentes urbis Ecclesiæque Mediolanensis Primores, in ejus exequijs procurârunt, ut numerosa pauperum multitudo cum pulla veste faces præferret ardentes, singulisque hoc symbolum in veste inscriptum gererent: HUMILITAS. Ac deinde & vocem illam, HUMILITAS, sepulchro ejus longis & intercisis characteribus insculpi voluerunt: cui voci supereminet cingens Ducalis corona, ut significetur humilitas in ipso coronata, quodque inter cæteras ejus virtutes principatum tenuerit; id verò maximæ admirationi esse debet, in tali sublimitate, dignitate, tantam humilitatem reperiri.

RESPONSIO AD OBJECTIONES.

SEd dicet aliquis *Primò*, Cùm functiones nostræ & opera proximis fructuosa esse debeant, fructum autem parere in eorum cordibus non possint, nisi ab illis magni fiamus, & æstimentur opera nostra; consequitur quod id optare & quærere possimus, sicque laudem non refugere, sed approbare & de illa gaudere.

Secundò,

Digitized by Google

Secundò si homo in vilitatem suam semper oculos figat, pusillanimis quodammodo reddetur, nec quicquam arduum aggredi audebit, aut laude dignum.

Gendi de honore ob ædificationem proximi de defectu ob occasionem meriti.

Respondendum ex doctrina sanctorum Patrum. *Primò*, licet quantum in nobis est, gloriam fugere debeamus & hominum æstimationem, desiderantes potius vilitatem nostram ab illis considerari; tamen cum propagatio honoris divini, & majus obsequium ejus id poscit, posse nos honorè & æstimationem desiderare apud eos, apud quos agimus: & expedire eis occultari imperfectiones nostras & defectus, qui agniti possent minuere fructum, quem intendimus. Tunc enim non amamus honorem nostrum propter se, nec in illo hæremus; sed amamus honorem Dei, & fructum proximi. Et cum æstimatio nostra sit medium ad illud, ideo illuc referimus eam, nec propriè de ipsa gaudemus, sed sine illo bono, quem per eam assequimur. Hoc de

S. Greg. lib. Mor. cap. 9.

his de verbis exprimit D. Gregorius: *Nonnunquam sancti viri de bona sua opinione gaudent, sed cum per hanc ad meliora proficere audientes pensant: nec jam de opinione sua, sed de aliorum gaudent utilitate: quia aliud est favores quærere, aliud de profectibus exultare.* Qua in re necesse est, ut cum audientium utilitati non proficit, mentem nostram laudabilis fama non elevet, sed fatiget. Itaque honor & æstimatio hominum de se non est quid malum; sed est quid bonum & desiderabile, si modò tanquam medium desideretur, & in illo non adhæreamus; sed ad finem suum purè & perfectè referatur. Quia tamen hominis animus lubricus est, & amor proprius facilè se interserit, ideò facilè fit, ut vana in illo complacentia reperiatur, & impuritas aliqua, nec ad Deum ita purè referatur; cui rei cautè & circumspectè oportet advigilare. Et ut quis plenius possit de sua intentione judicium ferre, advertat cum occasio humilitatis exercendæ se suggerit, v. g. contemptus aliquis, an promptè illam amplectatur; imò & de ea gaudeat ob profectum, quem indè potest elicere. Nec enim minùs debet de suo, quàm de aliorum profectu exultare: & ideò si utrumque gaudeat, sive cùm honor, sive cùm contemptus exhibetur (de honore ob ædificationem proximi, de despectu ob occasionem meriti) signum est humilis & benè dispositi animi, seu bonæ

Ps. 107. 2.

mentis; tunc enim potest dicere: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Paratum ad ambulandum coram Deo, sive in prosperitate laudis, sive in adversitate despectionis. Paratum ad illi serviendum per ignominiam & bonam famam, ut loquitur Apostolus. Sic Apostolus modò ipse se cómendat sublimi laude, quia necessariò id erat ad resistendum falsis Apostolis, & ad confirmandum veros Fideles: at cùm id necessarium non erat, humiliat se: *Nihil sum*, inquit, *insipiens sum, abortivus sum, infirmus omnium, indignus nomine Apostoli.*

Secundò, humilitas & consideratio vilitatis nostræ non officit magnanimitati, quin potius eam juvat. Homo enim suum nihilum considerans, jam non in se, sed in Deo fortitudinem suam ponit: ideo ejus viribus fidens, fortia audet & sublimia: sciens quod ille *vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt*, & quod eligat infirma & vilia instrumenta, ut grandia operetur, *ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus, sed qui gloriatur, in Domino glorietur.* Sic cum excusaret se Moyses tanquam balbutiens, ne adiret Pharaonem: & Hieremias tanquam infans diceret: *A A A Domine Deus puer ego sum*, ne prophetiæ onus ei incumberet incapaci, tantum abest, ut Deus eorum excusationes acceptârit, quin vero eos magis idoneos censuit, quia sibi-ipsis diffidebant, voluitque ut omnem jactarent cogitatum in illum, qui juxta Prophetam, *Lassos dat vermem*, & *his qui non sunt robur multiplicat.* Qui etiam per mandibulam asini Philistæos subruit, per os asinæ loquitur, & Prophetam redarguit. Ergo cum agitur de functionibus sublimibus, de animarum conversione, ob utilitatem nostram non reddamur pusillanimes, sed ejus attendamus virtutem, qui operari vult in nobis, & per nos quæ commisit nobis. Et ideo in illo solo gloriemur, in illo fortiter accingamur ad agenda & perficienda, quæ injuncta sunt nobis ex munere nostro.

Humili: ne non officiat magnanimitati.

1. Cor. 1. 29.

Jerem. 1. 6

Isa. 40. 29.

CONCLUSIO AD CHRISTUM.

O IESV, summe Sacerdotum, Pastor Pastorum, tui sit omnis eorum gloria, laus, gaudium, virtus & fortitudo. In te solo gloriemur, non in se, sibi omnia sua opera bona referant accepta, quia in illis docens, ministrans, vadicans, quidquid laude dignum est, operaris. Effice igitur, ut parvuli sint in oculis suis, & sibi ministrent in spiritu humilitatis. Videant in Magistrum & Ducem humilem in præsepio, despectum in fœno, peccatoris characterem suscipientem in circumcisionis signaculo, & immundi symbolum in baptismo, videant fugientem laudes & applausus populi Regem se volentis eligere & inaugurare, præcipientemque infirmis ne sanitatem per se factam prædicent, & discipulis ne visionem gloriæ, quam in sublimi transfiguratione conspexerant, ante mortem cuiquam denuncient. Videant denique incurvatum se ad pedes discipulorum abluentem, abstergentem, exosculantem, humilitatisque exemplar testamento sis legantem. Sic discant à teprima illam lectionem & ultimam scholæ tuæ, & familia tua, ut sint vere discipuli, ut sint veri filii, Patris & Magistri sinceri imitatores. Hoc gratia tua in illis perficiat, ô IESV Pastor humilis, Pastor summe & humillime Sacerdotum.

* *
*

LECTIO

Innocens ut Abel,
Justus ut Noe,
Fidelis ut Abraham,
Obediens ut Isaac,
Luctator ut Jacob,
Castus ut Joseph,
Æmulator Patriarcharum,
Electus ut Moyses,
Vocatus ut Aaron,
Hæres gratiæ Prophetarum,
Apostolus spiritu,
Martyr desiderio,
Doctor sapientiâ,
Confessor vitæ innocentiâ,
Dux Episcoporum,
Fax Prælatorum,
Speculum Sacerdotum,
Pastor Pastorum,
Prodigium populorum,
Lucerna Sanctuarii,
Columna templi,
Antemurale domus Dei,
Currus Israel & auriga,
Sator æternitatis,
Defensor veritatis,
Præco magni Regis,
Malleus Hæreticorum,
Sal & decus morum,
Cultor puritatis,
Protector Castitatis,
Sectator humilitatis,
Norma perfectionis,
Exemplar omnis virtutis,
Amator Virginum,
Forma pœnitentium,
Solatium viduarum,
Refugium miserorum,
Consors Sanctorum omnium.

Agnus Dei qui tóllis peccata mundi, Parce nobis Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.

Ora pro nobis.

tus, & ob devotionem erga ipsos, ab assumptione B. Virginis 40 diebus jejunans, orationi insistebat. Beato autem Michaeli eo quod animarum repræsentandarum haberet officium, spirituali erat amore devotior, ob fervidum quem habebat zelum ad salutem omnium salvandorum.

Secundò, specialis devotio à Pastoribus concipi debet erga Angelos custodes suos, Ecclesiæque suæ. Nam hi a Deo præficiuntur à Pastoribus, ut ab illis dirigantur, non solùm ut privatæ personæ in privatis actionibus, sed etiam ut publicæ personæ in officiis publicis rectè obeundis, & in aliorum salute procuranda. Unde Pastori unicuique duplicem Angelum ad custodiam à Deo deputatum, multorum est opinio; unum quidem à die baptismatis seu nativitatis, alterum ex eo tempore, quo aliorum ei cura incumbit. Et ita cùm ex officio aliquid peragendum est, invocet Pastor Angelum suum, invocet & angelum sibi ut Pastori specialiùs assistentem, ut illorum fretus auxilio, perfectè & efficaciter quæ muneris sui sunt, exequatur in gloria Dei propaganda, in salute animarum promovenda.

S. Ambrosius Auxentium Episcopum Arianum cum suis ejusdem sectæ provocarat, ut se differentem in Ecclesia convenirent. Accidit tunc quod quidam Arianorum acerrimus disputator, durus & inconvertibilis ad Ecclesiam se conferret; Is vero ut postea testatus est, vidit Angelum ad aures Ambrosii concionantis, suggerentem quæ populo proferre deberet. Quo viso conversus, fidem quam expugnabat, amplexus est, & acriter tutatus. Paulin. in vita S. Ambr.

Tertiò, in publicis officiis, sive concio habenda sit, sive aliud pro salute animarum agendum, maximè fructuosum est Angelos illorum cum quibus tractandum est, invocare, ut nobis ministris Dei, ipsi primarii Ministri, cooperentur in opere Dei.

Petrus Faber S. Ignatii socius, magnus Præco verbi divini, cùm in Germania saluti animarum & gloriæ Dei amplificandæ insudasset, venit in Genevensem Diœcesim hæresi infectam. Fatebatur autem cum animi gaudio, sibi plurimùm profuisse, quod quamcumque permeans Parochiam, Tutelares Angelos salutasset; sensisse enim illos propitios, tum ad declinandas insidias hæreticorum, tum ad animas reddendas doctrinæ capaces. De Petro Fabro.

DEVOTIO ERGA SS. ANGELOS.

Devotio erga B. Angelos.

Addimus hic, à Sacerdoribus & Pastoribus pio & speciali cultu colendos esse Angelos. Ac primò quidem, devotio specialis erga SS. Michaelem & Gabrielem maximè commendabilis est; quia commissa est illis à Deo specialis cura Ecclesiæ, Ministrorum ejus. Hos etiam primariorum mysteriorum fidei nostræ, & in opere redemptionis coadjutores elegit Deus.

Bonav. c. 9. vitæ. De S Francisco sic testatur S. Bonaventura, Angelicis spiritibus ardentibus igne mirifico ad excedendum in Deum, & electorum animas in flammandas inseperabilis amoris esset vinculo colliga-

LECTIO IV.

IN QVARTO FLORE, QVI EST Ardor animi ad divina.

IN Regulis Sacerdotum ex documentis S. CAROLI BOROMÆI desumptis, sic præscribitur: *Alant Sacerdotes perpetuum animi quendam ardorem erga divina, zelumque gloriæ Dei & salutis animarum, tanquam ignem jugiter ad sacras* IV. Flos ardor mentis ad divina.

Digitized by Google

ferræ actionis necessarium. De hoc ardore & igne paulò latiùs modo disserendum est, ut illum in Sacerdotum cordibus accendere, & fovere valeamus.

Notum est quomodo in tabernaculo antiquo ignem perpetuum ali præceperat Dominus, quem extingui piaculum fuisset. Unde speciali sollicitudine provisum erat, ne ligna deessent ad continuo ignem illum alendum, instituta festivitate, quæ *Xilophoria*, id est, lignorum comportatio dicebatur, in qua magna copia vehebatur, ne pabulum igni deficeret. Quapropter dicitur: *Nutriet Sacerdos subjiciens ligna manè per singulos dies.* Hoc quidem in figura. Designabat verò ignem illum sacrum, quem Dominus venit mittere in terram, & vehementer optat accendi, nunquam in tabernaculo cordis nostri debere extingui; sed semper novâ aggestâ materiâ alendum esse, & sancta sollicitudine magis magisque succendendum. Quod si id verum est de singulis Fidelibus, quanto magis de singulis Sacerdotibus? Hi cùm ad Deum (qui ignis consumens in Scriptura vocatur) quotidiè debeant accedere per varias functiones, novo semper egent spiritu, novo spiritus fervore. Mens eorum debet esse instar Rubi Moysis, sacro circumdata ardore, qui non consumit sed perficit; non destruit, sed instruit, non in cineres, sed in Deum animas continuò transformat. Hic ergò ignis quem in Sacerdote requirimus, cœlestis est, zelus scilicet ardens divinæ gloriæ, & fervor animi ad cœlestia illum elevans torporemque frigescentis cordis excutiens; quo & verba & opera ejus debent succendi, ut & alios possint accendere. Hic zelus & fervor ad cœlestia, est aurum illud ignitum, de quo Dominus monet quendam Episcopum in Apocalypsi: *Suadeo tibi emere aurum ignitum, ut locuples fias.* Ac sicut olim omnia quæ in templo erant, voluit Dominus auro vestiri & ornari, etiam usque ad ipsa emunctoria: ita vult omnes nostras actiones ab hoc aureo & ignito zelo procedere, ut decoræ sint & lucidæ, sibique acceptabiles.

Levi.6.12. Luc. 12. 49.

Deut. 4. 24.

Ignis cœlestis requiritur in Sacerdote.

Apoc.3.18

Quapropter monet Apostolus, ut simus *sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Deo servientes*, hoc est, impetu quodam animi succensi, ad divinum obsequium, & ad ea quæ muneris nostri sunt rectè peragenda. Ac sicut olla quæ fervet, in altum se erigit, ignitosque vapores sursum emittit, nec quiescit, nec ebullit: ita zelus & spiritus in nobis otiosus esse non debet, sed ad cœlestia semper tendere, & desideria nostra, gemitus, intentionem, ad superna dirigere, quasi vapores sacros ad Deum ascendentes. Item sicut ad succensam ollam muscæ non appropinquant, si vero tepida fuerit, insident in ea, & faciunt vermes; ita & succensum igne divini amoris fugiunt dæmones, tepidum verò illudunt & insequuntur, ut dicebat quidam senex in vitis Patrum.

Rom.12.11.

D. Basilius agens de hoc spiritus fervore ad omne opus bonum, dicit in tribus consistere. Primo, ut in ea re quam agimus sit tota animi intentio. Secundo, ut magna sit cupiditas benè operandi. Tertio, ut accedat continuatio, qua nihil prætermittamus, quod ad gloriam Dei, aut ad salutem proximi pertinere cernimus.

In Reg. brev. resp. 159.

Huic fervori & ardori ad cœlestia tepor opponitur, de quo in Apocalypsi: *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Sicut enim tepida aqua solet vomitum provocare, ita tepor spiritualis solet Deo nauseam generare; & sic fit ut tepidos à se subjiciat: Dicit vero, *incipiam evomere*, quia qui per teporem resolvitur, non subito à gratia deseritur, ut statim in mala præcipitetur: sed primùm minora, deinde majora contemnens, gradatim à summis descendit, atque ad ima ruit. Sicut verò quod vomitu ejicitur, horrorem parit, & in vomendo corpus conturbatur: ita cùm Deus aliquem à se rejicit, cùm sit ipse bonitas, dolere quodammodo dicitur & conturbari; quod tamen ejicit, execrabile redditur, & maximè displicens. Sic cùm aliqui magno ardore & spiritus alacritate Deo servire cæperunt, & sensim suâ negligentiâ tepescunt, & à vigore gratiæ deficiunt culpâ suâ, paulatim tandem ruentes ejiciuntur, & fiunt Deo abominabiles.

Apoc.3.16

Hujus generis non pauci reperiuntur in quolibet statu; etiam inter eos qui perfectionem deberent profiteri. Unde D. Bernardus de religiosis congregationibus agens, cum multos ibi spiritu ferventes reperiri dixisset, insinuat etiam magnum numerum tepidorum reperiri, quos sic describit: *Invenire est homines pusillanimes & remissos, deficientes sub onere, virga & calcaribus indigentes; quorum remissa lætitia, pusillanimis tristitia est; quorum brevis & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conversatio, obedientia sine devotione, firmo sine circumspectione; quorum oratio sine cordis intentione, lectio sine sui ædificatione, quos vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix ratio frenat, vix disciplina coercet.* Sed & illi inter tepidos pessimo loco sunt, qui cùm revera vocationi suæ non satisfaciant, tamen se inter bonos ac pios censent, sibi placent; & securè vivunt, quasi nullius egentes, nihilque timentes. De quibus in Apocalypsi subjungitur: *Tu dicis, quod dives sum, & nullius egeo; & nescis quia miser es, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Ideoque *suadeo tibi emere aurum ignitum, probatum*, hoc est, ardentem zelum & charitatem. De his quoque præsertim verum est quod ibi dicitur, præstare eos esse frigidos, & gravioribus peccatis obnoxios, quàm tepidos: quia tale hominum genus ferè inemendabile est; ideoque non immerito tales tepidi frigidis pejores, sive minus emendabiles censentur: frigidi enim suam miseriam agnoscentes, frequenter ad meliora aspirant.

Bern. ser. 6 de ascens. Dom.

Apoc.3.17

v.18.

Tepidi Sacerdotes.

Quàm multi inter Sacerdotes, quorum status perfectionis studium exposcit, ventri indulgent, meri-

moribus sæcularium se conformant, compotantium contubernia sectantur, congerendis pecuniis studeant, inter mulierculatum consortia rident, colloquiis, manibus, imò & detractorius tempus conterunt, vanitati internùs exteriusque dediti cernuntur, lectioni aut meditationi rerum sacrarum vix quicquam temporis insumunt? Vis uno verbo dicam? Mundani sunt, animales, terreni, libertatem sectantes, scioli & inani scientiâ suâ tumidi, ac inter ceteros dominatum ambientes: & tamen nihil sibi timent, ad cor non ingrediuntur, ut miseriam suam & egestatem interiorem pervideant. Sicque in tepida sua conversatione se gerunt, quasi nullius egeant. Sufficit eis quod horas canonicas non omittant, quod rogati Sacramenta administrent, quod Missas obligationis tempore celebrent, quod scandalum publicum non exhibeant, quod peccatis mortalibus conscientiam oneratam non sentiant. Dicunt se ad perfectionem non teneri majorem, nec ad venialia peccata vitanda, aut ad ea confitenda obligari, sine quibus vita hæc non transigitur. Altioris pietatis studium, vel hypocrisis cujusdam insimulant, vel ad Religiosos spectare proclamant timoratamque conscientiam aliorum, scrupuli accusant. Sic in vitiis ordinariis totum vitæ tempus transigunt, nec statum suum in pondere sanctuarii ponderant; ideoque puritati cordis non student, & languidè ac perfunctoriè, sine spiritu, sine zelo, divina obeunt ministeria, Calica tractant Ministeria. An non hi in periculoso statu versantur, qui caligine & pulvere mundano obtusos gerentes oculos, vulnera animæ suæ egestatemque cordis non perspiciunt? An non timent nauseam vomitumque Deo tempore suo provocare? Outinam Collyrio inungant oculos suos, ut videant confusionem suam. Verum animæ Collyrium, est propriæ fragilitatis cognitio, quo oculorum lippitudo & caligo detergitur. Duo porrò sunt oculi animæ nostræ, unus sinister, quo supplicia impiorum considerantur, & sic excitatur timor justitiæ, & animus à peccatis deterreatur: alter dexter, quo æterna bona considerantur, sicque amor Dei & studium perfectionis in cordibus nostris accenditur. Si hunc utrumque oculum Collyrio veritatis & humilitatis perungerent, jam clariùs viderent nuditatem suam & excitarentur ad emendum aurum ignitum, ab illo qui est in medio Candelabrorum aureorum: hoc est, omne studium adhiberent ad comparandam sibi cœlestem sapientiam, amorem, gratiam, à Christo Jesu, qui in medio sacræ Ecclesiæ, & Sacramentorum ejus, ministris vicem suam gerentibus eam paratus est exhibere; solumque pro pretio poscit promptam nostram voluntatem, sive anhelans desiderium cum humili petitione conjunctum.

Duo animæ oculi.

CONCLUSIO AD SACERDOTES.

ITaque obsecro vos in Domino fratres, ut ignem illum quem Christus accendi optat in cordibus vestris, nunquam intermori aut sopiri permittatis. Vis enim elegis, non solùm ut illum in vobis alatis, sed etiam ut hunc cum ipso mittatis in terram, hoc est, in terrena corda: ut illa priùs viscosa, gravia, frigida & tenebrosa, excoquantur, purgentur, accendantur, illuminentur. Expositur igitur vocatio vestra, ut in vobis semper flammescat, & incidat illius puritate, fervere, ardere, divinas functiones obeatis, ad cœlestia & superna corda elevantes desideria, tanquam scintillas illius sacri ignis. Resuscitate, *juxta monitum Apostoli,* gratiam quæ est in vobis, per impositionem manuum Presbyterii: *nec pulvere terreno, aut desidiæ, nimiæ otiosi gratia sacerdotalis efficaciam spiritusque fervorem unquam sinatis. Sic verum sit de vobis illud Psalmi:* Qui facit Ministros suos flammam ignis. *Nec deest remedium, si torpor quandoque obrepserit, qui videantur gratiam sopire, ita ut in aquam crassam, ignis sacer priùs in vobis accensus, censeatur degenerasse. Attendite tunc quid in libris Machabæorum gestum dicatur de igne Sanctuarii. Hic cùm diu absconditus, in aqueum humorem conversus reperiretur, soli ferventi expositum fuit; sicque novam concepit flammam & ardorem, qui correptus sacrificii victimam, Deo tam reddidit acceptabilem. Sic exponite cor vestrum radiis Solis cœlestis, & torpor diffugiet, statimque aqua crassa in ignem novum conversa patuit, quo cor frigidum accendatur amore divino ardere renovatum.*

2. Tim. 1. 6.

Psal. 103. 4.

PRAXIS AD ARDOREM ILLUM CONCIPIENDUM ET FOVENDUM.

Praxis ardoris.

Primò, consideret Sacerdos se in ministeriis sacris Angelicum obire officium, & ideò sicut Angeli, cum promptitudinis fervore, & divinæ gloriæ zelo, ministerium sibi à Deo commissum peragunt; eadem spiritus alacritate & ardore Sacerdotes ad divina sese accingere debere, & voluntati Domini cujus sunt ministri, obtemperare, illiusque gloriam respirare.

1. *Consideratio Angelici sui officii.*

Secundò, consideret fervorem Christi Domini in opere redemptionis nostræ. Huic jam cooperator existit, imò & illius vices gerit. Ergo suscitet in se ejus spiritum, ejusque ardentem charitatem interiùs sibi imprimat, & exteriùs in opere exprimat. Cernatur in ipso Christus baptizans, Christus absolvens, Christus sacrificans, Christus prædicans & exhortans, sive verbum æternæ vitæ ministrans, Christus conversans. Ejus spiritu impulsus & animatus, hæc omnia vice ejus cum zelo peragat, & debita cùm exteriùs, tùm interiùs reverentia. Attendat illud: *Maledictus qui facit opus Domini negligenter.*

2. *Fervoris Christi in opere Redemptionis.*

Jer. 48. 10.

Tertiò, ad se excitandum & torporem excutiendum, nunquam se sacris accingat functionibus, nisi prævia oratione & obligatione. Habeat quoque jaculatorias orationes frequentes, quibus animus elevetur, & ignis sacer sopitus quasi flabello succendatur. Hæ ex sacris scripturis, ex Ecclesiæ precibus, ex S. Augustino & aliis Patribus delumi

3. *Nunquam sacra obire nisi prævia oblatione & oratione.*

Digitized by Google

defumi poſſint. Vis aliquas ſuggeram? frequens ſit tibi in corde & in ore illa Eccleſiæ oratio: *Nunc ſancte nobis ſpiritus, unum Patri cum Filio, dignare promptus ingeri, noſtro refuſus pectori. Os, lingua, mens, ſenſus, vigor confeſſionem perſonent, flammeſcat igne charitas, accendas ardor proximos.* Hac uti poteris, ſive cùm concio habenda, ſive cùm aliud miniſterium ſacrum obeundum. Memineris & illius ex Auguſtino: *O ignis ſancte, quàm ſuaviter ardes, quàm ſecretè luces, quàm deſiderantèr adueris! Væ iis qui ex te non ardent, qui per te non lucent.* Item illius ex eodem *O charitas Dei mea, accende me!* Repete & illud ex Pſalmo: *Dormitavit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis* Item illud ſervire poteſt ex Cantico Canticorum, ad devotionis ſpiritum poſtulandum: *Surge Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.* Aquilo frigidus ventus eſt, & acedia frigidum ſpiritum deſignat, quo indureſcit & glaciatur animus: Auſter ventus ſuavis eſt & irrorans, ex arboribus aromaticis florem quendam odoriferum educens; & Spiritus S. gratiam ſuaviter affiantem deſignat, quo mens irroratur, & cœleſti odore adimpletur. Aperi ergo os per orationem brevem, & attrahe cordi ſpiritum vivificantem, ſic enim dicit Propheta: *Os meum aperui & attraxi ſpiritum.*

Pſ.118.28. Cant.4.16

Pſ.118.131.

4. *Recordatio monitorum Chriſti.* Luc. 12. 49. Apoc. 3. 18. Joan. 20. 22.

Quartò, attendat frequenter monita Chriſti, de quibus jam dixi. Nempè illud: *Ignem veni mittere in terram, quid volo niſi ardeat?* Et illud: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum.* Ac illud quod illi in ordinatione dictum eſt: *Accipite Spiritum ſanctum.* Timeat quoque, ſi tepidum ſe reperiat ad obſequium divinum, ne indignè toties ſacris participet myſteriis, quia cum ibi calculus ignitus de altari ſumatur, mirum eſt quomodo frequenter accedens ad illum, & ore cordeque percipiens ignem cœlicum, non ſentiat in ſe ſcintillas diſſilientes, hoc eſt, ferventia deſideria perfectionis & amoris. An non de corde Jeſu, tanquam fomace exaſtuante flammam ad trigus omne arcendum, in ſacrificio Miſſæ unicuique datur depromere; Mirum ergo quod tam duri ſumus, frigidi & indevoti Et cùm quotidiè ignitum Domini eloquium, vel pſallentes, vel legentes, in ore & in aure habeamus, mirandum profectò quòd cor noſtrum ardens non ſit in nobis, ut perfectiùs Deo ſerviamus, & ferventiùs vocationi noſtræ ſatisfaciamus.

Joan. 12. 22. Apoc. 3. 18. Luc. 12. 49.

5. *Exempla proborum Sacerdotii imitari.*

Quintò, intueatur Sacerdos exempla Sacerdotum & Paſtorum, qui in Eccleſia Dei pietate & ſanctitate effulſerunt. Hi ſunt carbones ardentes, qui alios obſcuros & frigidos accendere potentes ſunt, ſi propiùs voluerint accedere, & vitam eorum conſiderare. Ipſi tanquam vaſa electionis, nonniſi ab hoc igne ſacro conflata fuere in fornace divini amoris, ideoque zelo zelantes pro Domino Deo exercituum, vitam animamque pro ejus gloria impenderunt. Horum omni ſæculo, ut diximus, aliqua exempla nò deerunt, ſi Sanctorum geſta revolventur. Nam de Sacerdotibus novi teſtamenti vaticinatus Malachias: *Erit Dominus quaſi ignis cõflans, & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quaſi aurum & argentum, & erunt Domino offerentes ſacrificia in juſtitia.* Quaſi dicat: Spiritus ardoris quem mittit Dominus in corda Sacerdotum emundabit eos ab omni peccati ſcoria & rubigine, & erunt aurum ignitum, probatum, puriſſimum: ideoque pretioſi erunt in oculis Dei, eorumque ſacrificia acceptiſſima.

Malach. 3. 3.

S. Martinus tanto ardore miniſteriis, myſteriiſque ſacris operabatur, ut quandoque globus igneus caput ejus circumcingens viſus ſit: ſymbolum utique extremum, cæſtus exhibitum, ut ardor ſanctioris in viro Dei delitescentis, mentemque ejus coluſtrantis, publicum foret indicium.

De S. Martino.

Sic & S. Carolus frequenter viſus eſt à S. Philippo Nerio cœleſti luce circumdatus, dum de divinis rebus cum illo ageret: zelo ſcilicet & lumine interiori exterius promanante, facies ejus inſtar Angeli micabat, & fulgorem aliorum animis ardoremque communicabat.

De S. Carolo.

CONCLUSIO AD CHRISTUM.

O Jeſu Paſtor Paſtorum, & ſummus Sacerdotum, qui in Rubo ardente crucis inter flammas exaſtuantis amoris apparuiſti, & ut Sacerdotibus benedictionem impertireris, ibidem manus extendiſti: Fac ut hæc ſit pars benedictionis eorum lumen in mente, ardor in corde, verbum ignitum in ore, charitas flammeſcens in converſatione; ut ſuccenſo ad cœleſtia deſiderio, deventur à terrenis, aliiſque ſecum elevens & accendat. Tu cujus juxta Prophetam: Ignis es in Sion, & caminus in Jeruſalem, *quique apud Ezechielem deſignatur ut per virum lineis indutum, cui dicitur:* Ingredere in medio rotarum quæ ſunt ſubtus Cherubim, & imple manum tuam prunis ignis quæ ſunt inter Cherubim, & effunde ſuper civitatem, *hoc eſt; Effunde ſuper Eccleſiam tuam ſanctam, ſuper miniſtros tuos, ut ſint miniſtri tui flamma ignis, & verbum eorum quaſi facula ardens, ad uſtulandos animos fidelium. Ad exterminandum è cordibus eorum caliginoſum illum ſæculi & maligni ignem, qui nimis ibeu invaluit, & copioſum animarum numerum ad æternum ignem perduxit, illo continuò ſufflante*, cujus halitus prunas ardere facit. *Fac tandem, ut Sacerdotes tui adimpleto perfectè miniſterio, in medio lapidum ignitorum ambulent locum accipientes illorum, qui ſuperbia elati, ejecti ſunt de monte ſancto tuo, ad quorum primarium Ducem loqueris per Prophetam:* Tu Cherub extentus & protegens, poſui te in monte ſancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulaſti. Perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ donec inventa eſt iniquitas in te: & ejecite de monte Dei, & perdidi te de medio lapidum ignitorum. *Perfice, ô Jeſu, in nobis ſignaculum ſimilitudinis tuæ, da ſapientiam, decorem, zelum, perfectionem in viis tuis, ut in eorum locum valeamus æternum ſurrogari, & te laudare in ſæcula ſæculorum.*

Iſa. 31. 9. Ezech. 10. 2. Job. 41. 12. Ezech. 28. 14.

Digitized by G

LECTIO V.

DE QUINTO FLORE, QUI EST PURITAS INTENTIONIS.

V. Flos Puritas intentionis.

HAnc sic exprimit Regula Sacerdotalis: *Curent Sacerdotes ut in omnibus functionibus actionibusque suis pura sit intentio: quia facilè vanus aliquis finis subrepit, actiones etiam sacras inficiens. Unde diligenter agnoscant qua intentione ferantur.* Hanc regulam sequentia plenius explicabunt.

Animus hominis lubricus adeò est, ut facilè à scopo quem sibi præfigere debet, & totam intentionem dirigere, contingat eum dilabi, distrahi, & exerrare. Dæmon quoque vanitati præsidens adeò subtilis est, ut furtim facilè quocumque irrepat, & sacratis etiam actionibus sese interserat, fumo suo illas aspergens & inficiens. Hinc licet ad multa videamur ferri ex intentione & zelo honoris divini, ac salutis proximi, licut tamen vix ignis in sublime fertur, quin statim aliquid fumi admixtum habeat, & inde fuligo generatur: Ita difficile est, ut ignis etiam sacer sese exerat in functionibus præclaris, quin vanitatis fumum comitem ingerere conetur satan, ut afficet caliginem, & detorqueat intentionem. Et ita huic rei studiosè advigilare debent Ministri Christi, rebus divinis intendentes. Est enim gloriæ vanitas velut ærugo interiùs optimos opimosque fructus depascens: est vulpes parvula demoliens vineam floreſcentem: est tinea latenter irripens; & sublimes etiam quercus corrodens.

Et hoc quoque advertendum, dæmonem insidiari non solùm actionum nostrarum principiis, sed & medio, & fini, juxta illud Psal. *In via qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi.* Ps. 139. 6. In principio scilicet viæ, sive operis nostri insidiatur intentionis puritati: medium vanæ complacentiæ fumo nititur commaculare: finem fastidio benè operandi pervertere. Sic omnem gressum & progressum nostrum, à recto tramite & scopo solet detorquere; ideoque nos super omnia opera nostra decet vigilare.

Intentio est radix perfectionis actionum. Matth. 6, 22.

Itaque intentio est radix & fundamentum bonitatis & perfectionis nostrarum actionum, dicente Domino: *Si oculus tuus simplex est, totum corpus tuum lucidum erit.* Si intentio tua recta fuerit & munda, totum corpus actionis tuæ mundum erit & rectum. E contra, si oculus nequam fuerit aut maculosus, totum corpus tenebrosum & maculosum erit, tota actio Deo displicebit. Nam per bonæ intentionis radium merita actionis illustrantur, ut dicit D. Gregorius; at verò per vanæ intentionis nævum penitus commaculantur & obscurantur. Sicut ergò ad rectè ambulandum duo oculi lucidi nobis necessarii sunt, ita Sacerdos sacras suas actiones duplici oculo dirigat est necesse. Pro oculo dextro sit intentio pura honoris Dei; pro sinistro intentio salutis proximi, sic Deo non poterit displicere. Quod si alia intentione terrena munus exercet, lippos habet oculos ut Lia, aut caligantes ut Heli. Nempe gravi humore defluentes, aut pulvere respersi oculi, in operibus sanctis efficiunt, ut nihil sit lucidum, nihil Deo gratum. Quid verò sunt humores gravitantes, aut pulvis noxius aciem mentis sordidans, & turbidam efficiens, nisi affectus ad lucrum & proprium commodum, appetitus laudis vanæque gloriæ, & complacentia inanis. Et quàm facilè similia obrepunt in sacris ministeriis, nisi studiosa & continua vigilantia arceantur? Audi S. Bonaventuram graviter multorum Sacerdotum miseriam deplorantem. *Va va Domine Deus, quanti hodiè infœlices Sacerdotes ad sacros Ordines & divina mysteria accedunt, non cœlestem panem sed terrenum, non spiritum sed lucrum quærentes, non Dei honorem sed ambitionem, non animarum salutem sed pecuniarum quæstum, non Christo servire mundo cordè & corpore, sed deliciari, ditari, superbire, luxuriari: de patrimonio Christi & eleemosynis populi Ecclesiastico munia ambiendo multis largitis & simoniis, pertès rapiunt quàm assequuntur, non vocati à Deo, sed impulsi à diabolo.* Bonav. Audi & Bernardum in eandem sententiam. *Omnes ferè quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi: ipsa quoque Eccl. siastica dignitatis officia in turpem quæstum & tenebrarum negotium transfiere: nec in iis salus animarum, sed luxus quæritur divitiarum. Propter hoc tondentur, propter hoc frequentant Ecclesiam, Missam celebrant, Psalmos decantant. Pro beneficiis & dignitatibus impudenter hodie decertatur, ut Ecclesiarum redditus in superfluitatis & vanitatis usus impendantur.* Bern. in Pf. Qui habitat. serm. 6.

Refert S. Vincentius Ferrerius Ord. S. Dominici, Nobilem quendam graves sumptus & labores suscepisse, ut Episcopatu quodam opulento potiretur. Ad eum verò voti compotem cum venissent alii Episcopi munus consecrationis peracturi, interrogant, an onus Episcopale subire paratus sit? Respondet se ad id paratum. Interrogant ulteriùs, an Christo velit reddere rationem in extremo judicio, pro tot animabus ejus jam regimini & curæ committendis? Hæret ipse, & interrogationem ponderans, negat se velle tanto discrimini exponere. At ipsi dignitati Episcopali hoc onus necessariò annexum affirmant. Ille verò asserit se de hac re non cogitasse, sed opulentiam ac sublimem honoris gradum attendisse: malle vero tot sumptuum jacturam facere, quàm tantæ rationis aleam subire: sic renunciat Episcopatui. Vinc. Fer. in Dom. 8. post Pent.

De altero quodam legimus, varia amicorum potentium sollicitatione ad Episcopatum pertrigisse: in quo cùm aliquot annos versatus fuisset, vacante Episcopatu altero pinguiore, illius ambitione cœpit urgeri, & iterum amicis in aula potentibus importunus esse, asserens si contingat se

Digitized by Google

voto potiri nunquam quidpiam aliud postulatum à Rege. Adipiscitur ergo postulatam dignitatem, ea quam posuit conditione. Quid deinde? Elluxis paucis abinde annis, vacante Archiepiscopatu, iterum Aulicos & Aulæ fores frequentat, importuna prece pulsans, ut possit altiùs ascendere. Mirantur illi, & quærunt an immemor sit promissi sui? At meminisse fatetur quidem, sed excusat se dicens: *Nesciebam tunc, nec plenè expertus adhuc eram*, quod in proverbio est, *quantum appetitus crescat comedendo, sitis bibendo.* Nempe fames ambitionis, & sitis avaritiæ, non expletur fluxis bonis, quin potiùs excitatur & crescit. Et hæc est quæ multos urget ad Ecclesiastica munia non honor Dei, non salus proximi.

Hoc deplorat Ecclesia quæ est columba gemebunda, de qua in Canticis Sponsus: *Una est columba mea, formosa mea, perfecta mea.* Gemit quod cum pennæ ejus deargentatæ esse debeant, aut instar auri fulgidæ, radiis solis expositæ, & ad volandum pernici & sublimi volatu dispositæ; videre eas cogatur fuligine conspersas, pulvere sordentes, visco terreno coagulatas, ut perfectè volatum inire nequeat præpeditæ. Quæ sunt pennæ columbæ, nisi ministri Ecclesiæ? Hi in altum debent se elevare, debent puri & candidi esse; ac Solis justitiæ radiis præfulgentibus desideriorum plumas expandere: interim repunt in terra; rerum terrenarum visco præpediti volare nequeunt, fuligine & impuritate pleni. *Duabus alis anima volat in cœlum, & subrevatur à terra* (inquit Thomas à Kempis) *simplicitate scilicet & puritate. Simplicitas debet esse in intentione, puritas in affectione. Simplicitas intendit Deum, puritas apprehendit & gustat. Nulla bona actio te impedit: si liber intus ab inordinato affectu fueris. Si nihil aliud quam Dei beneplacitum & proximi utilitatem intendis & quæris, interna libertate perfruere.*

Cant. 6. 8.

Kempis, li. 2. de imit. c. 4.

CONCLUSIO ET ORATIO AD CHRISTUM.

O Jesu summe Sacerdotum, Pastor Pastorum, audi gemitum Columbæ tuæ. Emitte lucem & veritatem tuam super Ministros tuos, ut in sacris functionibus semper sint eorum oculi lucidi & puri, nullo vanitatis fumo, nullo terræ pulvere turbati. Fac semper eos portare Ephod Sacerdotale coram te ex lino candido & purissimo; fac candere & puritate cœlestis intentionis sint semper obsequio tuo accincti. Non ordiantur telam ex lino Linoque contextam: lana mundi non inficiat linum Dei. Sed sicut tu dixisti; Non quæro gloriam meam, sed Patris mei: ita ipsi non gloriam suam, non sæculi lucrum, sed tuam semper ambiant gloriam, tuumque beneplacitum. Tanquam filii æmulatores sint honoris paterni: tanquam servi, lucrum & profectum attendant Domini, Domino suo semper acquirere studeant, ac ipsi toti illius, omnia cum illius dominium transferant: Patri suo soli filiali amore placere contendant. Pastores tuos, ô Pastorum Pastor! non pascat ventus, non aura popularis, nec umbra vanitatis: sed eos pascat solidus cibus veritatis tuæ, quo possint & oves suas pascere; non sibi sed tibi; non tanquam suas, sed tanquam tuas, ad honorem tuum, non suum. Et cum semper in conspectu tuo stare debeant ministrantes, fac ut te solum respiciant, non homines, non terram, non sæculum: tuos solum oculos ambiant, à te solo remunerationem dignam expectent; sic complaceant eloquia oris eorum, & meditatio cordis eorum, in conspectu tuo semper.

Joan. 8. 50.

PRAXIS AD PURAM INTENTIONEM FOECUNDAM.

Primò. Dum expergiscimur, omnia diei verba, cogitationes, opera in Deum dirigentes, rogemus ut in illius gloriam cedant, de alio vano fine, qui furtim irrepere posset, protestantes nolle nos consentire: ita ut si vana gloria advenerit, possimus respondere: *Serò nimium venis, omnia jam divinæ gloriæ sunt oblata, omnia in illius sunt possessione, nulla tibi pars remanet.* 1. *Expergefacti omnia in Deum dirigant.*

Secundò, Nec hoc sufficere debet, sed etiam in particulari, dum actualiter quodlibet opus exordimur, in Dei gloriam referendum est. Sed qui ædificat, cuilibet lapidi solet regulam & plumbum suum adhibere, ne quid in opere distortum reperiatur: imò frequenter adhibet, & appendit operi suo funiculum mensorium, ne forte error contigerit. Regula nostra est voluntas Dei ejusque gloria, ad quam omne opus nostrum debet dirigi, ut nihil incurvum reperiatur; ergò frequenter considerandum est, an singulæ nostræ actiones, conformentur & exigantur ad regulam istam & amussim. 2. *Actualiter quodvis opus in Dei gloriâ referant.*

Tertiò. Non solùm initio operis, sed & medio & fini advigilandum est. Nam dæmon dentem suum quandoque infigit radici, quandoque ramis, quandoque fructui arboris nostræ, ut eam vitiet: hoc est; insidiatur operis vel principio, vel progressui, vel termino; vanam injiciens postea complacentiam, cum primam vitiare non potuit intentionem. Contingit nobis, inquit S. Gregorius, sicut in cibi sumptione. Illum primò sumimus ad satisfaciendum naturæ: at dum pergimus comedere, furtim se gulæ delectatio ingerit, ita ut quod inchoavimus necessitate, prosequi jam videamur voluptate. Sic officium prædicandi, docendi, proximum juvandi desiderio inchoamus, sed vanitas serpit paulatim, cupimusque hominibus placere, & ab illis æstimari. Quod si id non succedit ex animi sententia; facilè deficimus & elanguescimus; instar organi, quod non resonat, nisi flante vento è follibus. 3. *Advigilant initio, medio, fini operis.*

De quodam in vitis Patrum legimus, cùm aggrediendum illi opus aliquod erat, solitum paulo antea tempore subsistere & hærere. Interrogatus Invitis PP.

Digitized by Google

gratus: cur sic se gereret, respondit: *Cùm opera nostra bonitatem sortiantur à fine illis proposito, imitari contende illos qui ad scopum jaculantur; qui ut illum attingant, aliquantum hærent, antequam jaculum emittant, figentes oculum ad signum: ita ego intentionem & oculum mentis in Deum dirigo, qui scopus est noster antequam operi manum admoveam, & certius tunc illum attingo.* Imò sicut qui jaculantur, oculum sinistrum claudunt, ut visus sit magis in dextro collectus, nec hinc inde dispersus. Ita claudere nos oportet oculum sinistrum, humanis & terrenis respectibus: sic firmus oculus dexter cœlestis intentionis nos diriget ad cor Dei. Nam & ipse Sponsæ suæ dicit: *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum.* Cant. 4. 9.

In vita S. Bernard.

Legimus de S. Bernardo, quod quadam vice puro gloriæ Dei zelo concionem ad populum exorsus, videns frequentiam auditorum, & applausum eloquentiam viri admirantium, cœpit inani lætitia subsilire, vanaque cogitatione tentari, quasi ei quis diceret: *En quam nobilis confluxus, qui tot attenti omnes & attoniti ad verborum tuorum eloquentiam?* At ipse statim advertens hæsit, & dubitare cœpit, an concionem vellet abrumpere, & sic serpenti, sive dæmoni vanitatis caput conterere. Sed illicò divina adjutus gratia, prosequitur inclamans: *Neque per te maligne spiritus prædicationem inchoavi, nec propter te desinam.*

4. Opera peragant quasi in præsentia Dei.

Quartò, omnia nostra opera peragere debemus, quasi staremus in præsentia Dei. Nam hujus *oculi, plus lucidiores super solem*, circumspiciunt *omnes vias hominum, & hominum corda intuentes in abscondita partes*, ut dixit sapiens. Ergò coram illo ambulantes, facilius ad illum opera & intentionem dirigemus, & perfectius operabimur, singulaque considerabimus, ne sint indigna oculis Dei. Quapropter sicut sancta animalia, de quibus Apoc 4. coram throno Dei stabant *plena oculis antè & retrò*, exteriùs & interiùs: Sic convenit Sacerdotes & Ministros Domini, coram ejus throno stantes, oculis plenos esse. Habeant oculos in pedibus, ut videant quomodo ambulent; habeant in manibus, ut videant quomodo operentur; habeant in labiis & ore, ut videant quæ & quomodo loquantur; habeant oculos in oculis, ut videant quomodo & ipsos oculos suos regere debeant; habeant oculos in corde, ut videant quæ cogitent, quibus afficiantur. Sic omnia opera sua pervidentes, perfectè illa peragent, & perfecta intentione in Deum referent.

5. Habeat in promptu Jaculatorias preces.

Quintò, habeat Sacerdos in promptu orationes jaculatorias animum elevantes, & cordis intentionem renovantes, aut interruptam resarcientes. Tales ex Psalmis plures occurrent. Huic rei servient subsequentes.

1. *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis.* Cor in Scripturis pro Intentione accipitur: sic cor mundum postulare à Deo, puram est perfectamque in omnibus intentionem implorare, cum affectu illi placendi ex animi sinceritate.

2. *Regi sæculorum immortali & invisibili, soli Deo honor & gloria in sæculorum sæcula.* Gloria Patri & Filio, & spiritui S.

3. *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Tibi laus, tibi gloria, nobis autem non debetur nisi confusio & culpa, contemptus & pœna.*

4. *Notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam; doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.*

Frequens sit in ore & corde illud: *Sanctificetur nomen tuum: Fiat voluntas tua: Laudetur Dominus: Benedictus Deus.* Et similia, quæ in omni opere intentionem possunt rectam in Deum retorquere, aut ne effluat ab illo impedire.

S. Ignatius & in ore & in corde frequenter volvebat aliud: *Ad majorem Dei gloriam*: sicque stimulabat se in omni opere, ad intentionis puritatem illibatè conservandam. Unde & ipsi pro symbolo sacro & elogio nobilitatis suæ adscriptum est: *Ad majorem Dei gloriam*; quam pro virili, in terris agent, amplificare omnibus suis præclare gestis, adlaboravit.

In opere simul primavus attende divinæ gloriæ, non autem fructus proximi.

Hoc verò advertunt rerum spiritualium periti, dum quis opus aliquod aggreditur in proximi spirituale commodum v. g. dum concio habenda, confessiones audiendæ, rudes docendi, consilium pro vitæ directione dandum, non esse figendum, principaliter oculum in finem specialem, & proximum, in fructum scilicet, vel fœlicem successum operis istius in particulari; Sed generaliter opus illud est aggrediendum, ut Deo placeas, ut ejus gloriam procures, exequendo in hoc ejus beneplacitum & ideò perfectè, quantùm in te est, proponere debes illud adimplere. Sive ergo fructus sequatur conversionis proximi, emendationis aut profectus in doctrina, sive non sequatur, id te propriè non concernit. Tuum est rigare & plantare, Dei est incrementum dare. Sufficiat quod feceris id, ut Deo placeres, ut voluntatem ejus faceres: nihil diminuitur de operis valore & perfectione, si feceris sub hac intentione, sive res successerit, sive non. Quod si quando confessiones audis, concionaris, doces, hortaris, principaliter figas intentionem in fructum quem optas facere, & quem mente jam recenses; si non successerit, facilè continget te turbari tranquilitate animi gaudioque interiori privari, imò & animum abiicere ac pusillanimem fieri. Quod non accidet, si solum Dei beneplacitum intendis, semper enim habes intentum.

S. Jacob. Apost.

S. Apostolus Jacobus non minus meriti habuit, quàm cæteri Apostoli, licet in Hispanias profectus, sex tantùm aut septem converterit: nec minus opus ejus Deo fuit gratum: quia Dei beneplacitum, quod in missione sua habuit in mandatis, non minori zelo est executus, & hæc fuit ejus intentio pro Christo legatione fungi, sive succederet, sive non.

Sic

Digitized by Google

Sic Angeli dum ex Dei commissione nostri curam gerunt, sufficit eis divinum in hoc complacitum, divinamque gloriam quærere; sive nos eorum inspirationibus & monitis rebelles reperiant, sive non. Nec eis fœlicitatis & fruitionis, quam de Deo habent, quidpiam decedit, si rebelles reperiamur: quia omne suum studium ad divinum beneplacitum retulerunt, & quantum in se fuit, perfectè munera suo satisfecerunt. Imitemur eos in cura nobis à Deo demandata de proximo, semper proponamus ejus voluntatem ut finem, accingamur operi peragendo cum omni ex parte nostra perfectione. Quod si fructus non succedat, nihil turbemur aut inquietemur, nec animo deficiamus, sufficiat nobis Dei voluntatem adimplevisse; hæc fuit aut esse debuit nostra intentio. Data nobis est à Christo idem quod Samaritano dixit Samaritanus: *Curam illius habe.* Non verò mandatum est, *Cura illum.* Non est in Medico, semper relevetur ut æger. Luc. 10. 35.

gloriari contra trahentem se, sicut nec lutum contra formantem se ponamus inter corda super vitia nostra, & semper dicemus: Magnificetur opus tuum Domine, non meum, laudetur nomen tuum, non meum. Aut etiam timeamus, ne illud Aggæi de nobis verificetur. Seminastis multum, intulistis parum comedistis & non estis saturati, operuistis vos & non estis calefacti: & qui mercedes congregavit, misit eas in saccum pertusum. *Hoc illis contingit qui semen verbi Dei seminant, sed gurgulio aut eruca vanæ complacentiæ omnia depopulatur & depascit: sicque nonnisi paleam vanæ gloriæ, aut ventum metunt. Hi etiam alia multa opera eminentia peragunt, sed nullum fructum inde percipiunt: denique similes sunt his qui in saccum pertusum res pretiosas congerunt, aut vinum præstans in dolium perforatum.* Aggæi 1. 6.

CONCLUSIO AD SACERDOTES.

Igitur concludens obsecro vos Fratres, quandoquidem functiones nostræ sublimes, publicæ enim nostræ sint, ideòque afflanti vanitati, ostentationi, laudi adulationi, complacentiæ inani facilè obnoxiæ; sæpe à soli ciudine nobis circumspiciamus, ne jam recipientes ab hominibus mercedem meritum sublimioris gloriæ evacuemus: Sic opus sit in publico, ut intentio maneat in occulto, ut & proximum luci exempla monstremus: & tamen per intentionem quæ soli Deo placere intendit consentiamus, laudes exterius non quæramus, ne aurum fulgidum bonis operibus, convertamus in lutum sordidum vanitatis. Væ nobis si de illis simus qui quæstum æstimant pietatem: si ad inanem gloriam transferamus, quod ad lucrum Domus accipimus erogandum: si de, donis Dei, de auro eius & argento nobis conflatos formemus idolo vanitatis: aut si vili pretio transitoria vendamus in veram eam exhibeamus rem tanti pretii, quæ regnum cœlorum nobis cõparare poterammus. Væ, si fuerimus de illis qui adulterant verbum Dei. Adulterum proximi, sed quærit voluptatem: ita vanæ gloriæ serviens Prædicator, rectè adulterare verbum Dei dicitur, (inquit Div. Gregorius) quia per sacrum eloquium non Deo filios gignere, sed suam scientiam desiderat ostentare. Væ verum, si furti inveniamur rei, dum gloriam Deo debitam usurpamus, communicantes cum Angelo reprobo, qui in cœlis eam sibi attribuens, in furto deprehensus, æternis est supplitiis multatus. Si quid laudis & gloriæ dignum opere in aliquo reperitur, an illud instrumento vili, an vero potius artifici adscribendũ; Laus pictura, aut Scripturæ penicillone aut calamo, an verò pictoris aut Scriptoris vel Floris attribuenda est? Quid sumus nos, nisi vilia instrumenta a confusione digna? Hic tamen uti potest Summus ille Artifex Deus, in gloriam suam prout libuerit, si quid ergo per nos, in nobis, aut in aliorum cordibus operatur, non elevet secus nostrum, totum illius est: nos autem lutum in manu figuli, aut securis in manu operantis, quam non oportet

LECTIO VI.

DE SEXTO FLORE, QUI EST STUDIUM SOLIDARUM VIRTUTUM.

VI. Flos studium solidarũ virtutum.

De hac re sic monet Regula: *Constituat ad solidas virtutes, quibus debet vita Sacerdotalis ornari, maximè ad humilitatem, mansuetudinem castitatem, sobrietatem.*

Res quædã veræ, quædam apparentes:

Inter res materiales, quædam veræ sunt solidæque, quædam apparentes tantum, & inanes. Sic verum aurum, veræ quædam gemmæ reperiuntur, sed nec desunt apparentes & adulterinæ. Simili modo inter virtutes, quædam solidæ sunt & probatæ, quædam ventolæ, inanes, apparentes, imaginem tantum virtutis referentes. Ideo hic monemur solidas sectari virtutes, quia frequenter virtutis & pietatis cortice contenti sumus, & tanquam vasa vacua solo aere plena, aut idolum quoddam inane pietatis in nobis gerimus. Sicut enim imagines illæ Deorum, Simile. speciosæ [illegible] aranearum telis scatentes reperiuntur: [illegible]s exterior quædam species virtutis est, si autem intima nostra perspicamus, texturas inanes reperimus, & impatientiones absconditas sine veritate virtutis, quas nobis abscondit amor proprius. Quid enim; An non rectè & verè dixit S. Gregor. in illud Job. IN VOLUTÆ SUNT SEMITÆ GRESSUUM EORUM. *Esse quippe humiles sed tamen sine despectu: esse contenti propriis, sed sine necessitate: esse casti, sed sine macceratione corporis: esse patientes, sed sine contumeliis volunt: eamque adipisci virtutes quærunt, sed labores virtutum fugiunt, quid aliud quam exhibere bella certamina in campo nolunt, & triumphare in urbibus de bello concupiscunt;* Sic tantum umbram habemus & apparentiam, quæ dispareat, dum adversa irruunt ad probationem virtutis? quia vera & solida virtus, non prosperis extollitur, nec adversis supprimitur, sed propata erigitur. S. Greg. l. 7 moral c. 12 Job. 6. 11.

An non verum est de nobis illud Domini ad Apostolos adhuc infirmos & imperfectos; *Nescitis cujus spiritus estis.* Passione movetur, & zelū putamus: malè quandoque agimus, nec agnoscimus, sed pejus excusamus, Castos nos existimus, & minima occasio nostram evertat castitatem & quales simus ostendit. Minimum verbum ab altero prolatum honorem nostrum nostra opinione imminuens, iniquam perturbationem injicit, & quàm solida sit in nobis humilitas declarat, Exigua tribulatio patientiam nostram evacuat, iram accendit. Occasione societatis aut convivij, sobrietas nostra statim perit. Laus contemnenda plebei & vilis hominis, extollentiam in nobis parit. Levis aliqua suspicio de proximo, Charitatem nostram lædit. Sic quam inanes in nobis sint virtutes, quam infirma radice initiatæ, minima probatur occasione. An non frequenter in orationis fervore plurima fortiter resolvimus, infractoque animo vitiis resistere proponimus; Sed omnia ista nonne pertranseunt quasi in imagine picta aut ficta in aere? Minimus ventus ea reperitur dissolvere. Sic pascimur imaginaria virtute, fortitudo & virtus nostra cum exercenda est, concidit, quia manus erat sine solliditate. Ita verum agnoscitur in nobis illud Psalmistæ: *Filij Ephrem intendentes & mittentes arcum conversi sunt in die belli.* Similes enim fumus Israelitis, quos ibi arguit, qui ante bellum multa promittebant, mittentes jacula in scopum, quasi præludia & præsagia fortitudinis; at ubi prælij tempus venit, terga verterunt. Nos quoque magnos virtutis progressus extrinsecùs ostentantes, & virilem pugnam internis nobis promittentes, tentationis tempore recidimus pusillanimes, & virtutis inanes.

Luc. 9. 55.

Psal. 77. 9.

Procul verò à ministris Domini, umbra, larva, fucus pietatis & virtutis. Sed ut ambulent vocatione sua audiant illud Apostoli: *Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis* id est, in sanctitate vera & solida, non fucata, non larvata, non imani. Audiant & illud: *Veritatem facientes crescamus in eo, qui est caput Christus.* In ipso qui est veritas jaciendæ sunt solida fundamenta spiritualis nostri ædificij, solidæ perfectionis & virtutis: quia lapis angularis est, super quo firma consurgat structura virtutum, crescens in templum sanctum Domino, quod non nutat etiam concussum flatibus adversis, aut fluctibus. Caput quoque ipse est, spiritum verum & vitalem subministrans suis ministris, tanquam præcipuis membris, ut adorent in spiritu & veritate, & crescant quoque in spiritu & veritate perfectionis; ne sint aridi membra, sed vegeta & fortia, non solum colore exterioris apparentiæ, sed & medulla & succo interioris devotionis & virtutis. Si in veritate solida cor stabilire curemus, & in sanctitate veritatis internum ædificium erigere, non nutabit aut elidetur humilitas nostra contemptu aut laudibus; nec castitas succumbet illecebris; nec mansuetudo aut patientia nostra vincetur injuriis; nec lædetur charitas suspicionibus; nec in nobis fortitudo fatiscet adversis; nec zelus noster extinguetur, aut refrigescet objectis Satanæ & sæculi impedimentis, vult aquis frigidis, nec pietas sufflocabitur delitiæ pulvere, aut vanis desideriis. Sed sicut arbos firmiorem jacit radicem agitata & probata ventis, & rupes allisos ad se recidens fluctus, in spumas abire sinit: aut sicut ignis sub cinere conservatur, & flante vento magis accenditur: ita crescet, & magis radicabitur adversus humilitas, castitas, fortitudo, patientia, zelus, aliæque virtutes. Tunc enim majorem rationem habent vim suam exercendi, quam diu manent inconcussæ, quia videntur otiosæ, nisi adversis exerceantur.

Eph. 4. 23.

Eph. 4. 15.

Simil.

De S. Carolo.

S. Carolus, solidis & bene radicatis in Christo Jesu virtutibus præditus erat, ideo nunquam ita agitatæ sunt, nunquam tanta luce coruscarunt, quam eo tempore, quod convellerentur, imperitæ fuerunt. Castitas maximè in ipso effulsit, dum in juvenilibus adhuc annis à familiaribus introducta est speciosa puella, quæ venustate & oris gratia ad libidinem eum pelliceret: Patientia & mansuetudo, dum sclopeto ab impio conspiratore impetatus, noluit eum requirere, quinimò optabat ei parci: Fortitudo & constantia, dum pro Ecclesiæ jurisdictione murum sese opposuit, non obstante potentia & minis eorum, cum quibus res agebatur. Zelus & pietas grassante peste enituit, dum nec vitæ suæ parcit, ut Sacramentis omnes præmunian-tur. Et sic de aliis virtutibus judicandum est, quas non fuisse apparentes tantum, aut super labilem arenam initiatas, sed solidas & in petra inconcussa fixas, tot persecutiones & pericula objecta comprobarunt.

Virtutes S. Caroli Borromæi.

MONITUM SACERDOTES CONCERNENS.

Meminerint Ecclesiæ Rectores & Sacerdotes, litterarum quas Christus scribit in Apocal. *Angelo Ecclesiæ suæ*, hoc est, Rectori & Episcopo illius loci. Hæc etenim eos etiam concernunt, ad rectè agendum in statu ad quem evecti sunt. Unde & Spiritus Sanctus ibi dicit: *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.* Quid igitur continent litteræ illæ a Domino dictatæ, per Secretarium suum Joannem exaratæ, ad nos transmissæ? *Scio opera tua, quia nomen habes quod vivas, & mortuus es: esto vigilans, non enim invenio opera tua plena coram Deo meo.* His verbis amica reprehensio continetur, qua insinuatur Ecclesiæ illius Rectorem, nomini quod gerit non correspondere operibus, nec professioni suæ, aut statui perfectè satisfacere: plusque exteriori specie exhibere, quàm intus sit in veritate. Ideò dicit: *Nomen habes quod vivas, & mortuus es.* Quasi diceremus, Sacerdos est, Pastor, Episcopus: Nomina illa omnia, vita

Apoc. 3. 2.

Apoc. 2. 29

Apoc. 3. 1.

by Google

vitæ perfectæ & sanctitatis te admonent : interim quasi mortuus inter es, nec spiritu Dei duceris, spiritu veritatis, sed potius spiritu sæculi, spiritu vanitatis. Idcò *non invenio opera tua plena coram Deo meo*, licet homines de illis bene judicent, qui solum vident, quæ exterius patent. Ego autem scio cor tuũ scio opera, & agnosco in te, & operibus tuis defectũ, vacuitatem, imperfectionem. Arbor es Frondosa & florida, sed perfectorum operum sterilis; poma si quæ profers, insta fructuum Sodomæ sunt exterius speciosa, at bene considerata & attacta in pulverem sèsolvuntur: vel certè intus vanitatis verme corrosa vacua sunt nec coram Deo plena. Virtutes quæ exteriùs in te videntur oculis hominum patere solidæ non sunt nec veræ. Idcò vigila super te, penetra intima, perfectius perage opera tua, soliditati virtutis & perfectionis studium omne impende. Hæc omnia eadem ratione nobis dici cogitemus Ministris Christi, propter nos enim scripta sunt. Unde ad unúmquemque nostrum spectat, quod ibidem sequitur: *In mente habe, qualiter acceperis, & audieris, & serva, & pœnitentiam Age*. Si non vigilaveris, veniam *ad te tanquam fur & nescies qua hora Qui vicerit vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen ejus de libro vitæ, & confitebor nomen ejus coram Patre & Angelis ejus*

Ibid.v.3.

CONCLUSIO ET ORATIO
Ad Christum.

O Jesu summe Sacerdotum, Pastor Pastorum, qui hac ad instructionem Sacerdotum, quos Ecclesiæ præfecisti, dixisti, & posteris scribi voluisti, imprime ea cordibus nostris, aperi aurem interiorem nobis, ut audiamus quid Spiritus dicat Ecclesiis, & prompte obediamus. Tu scis opera nostra qualia sint, & virtutes nostras quàm defectuosæ & inanes. Tu scis & cor nostrum & defectus quos amor proprius abscondit; ideò sibi unusquisque nostrum includimus: Proba me Deus, & scito cor meum, interroga me, & cognosce semitas meas. Et vide si via iniquitatis in me est, deduc me in via æterna. *Ita obsecro, fac ut opera nostra sint plena coram te, fac ut solidæ sint illæ virtutes in nobis, quas status Sacerdotalis exposcit à nobis. & omnis vanitas abigatur quæ multipliciter animum nostrum circumvolvit, actionesque nostras inficit:* Sacerdotes tui induantur justitiam, & Sancti tui exultent. *Induamur à te Pauperem omniũ virtutum aggregatione perfectam, texturam à Spiritu S. & illa ad pedes usque & talos, hoc est, ad finem usque vitæ nostræ se porrigat: ut postea vestiamur à te vestimentis albis promicantis gloriæ, & videamus nomen nostrum in libro vitæ, & confitearis illud coram Patre tuo, & Angelis ejus.*

Psl.138.23.

***

LECTIO VII.

De Septimo Flore, qui est Humilitas.

QUIA radix aliarum virtutum est Humilitas, fundamentumque spiritualis ædificii, ideò prima Sacerdotibus commendatur, maxime quia cum ipsi in statu sublimi sint, facilè contingit eos præsumptionis, ambitionis, superbiæ statu agitari & superari, nisi profundas in humilitate radices figere studuerint. Quare dicit S. Gregorius: *Eo ipso anno quo aliis prælatis sumus, ad quælibet agenda majorem licentiam sumimus, & susceptæ benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum* Ideo etiam monet S. Petrus Pastores & Sacerdotes: *Pascite qui in vobis est gregem Dei, non ut Dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Nempè, superbia naturæ quasi cœlestis est, quæ primo in cœlo ortum habuit, & Angelum qui erat principium viarum, sive operum Dei, vicit: ideò eorum qui in sublimi statu à Deo sunt erecti, mentes facilè invadit, si sibi advigilent. Hinc & Apostolos licet in sodalitio Salvatoris & schola humilitatis eruditos, adorti ausa erit, *dum facta est contentio quis eorum videretur esse major*; dum Jacobus & Joannes matris sollicitatione dextram sinistramque Salvatoris ambiunt. Ergò nec tuti sunt ab illa successores Apostolorum, Magistri scilicet Jesu Christi, sed continuò adversus eam debent decertare, humilitatis contentione.

VII. Flos Humilitas

S. Greg.

1.Pet.5.1.

Luc.22.24

Matt.20. 21.

Habent autem Capitis sui & summi Sacerdotis institutionem, & exemplum. Institutionem quidem, dum inculcat hanc scholæ suæ primam lectionem: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Discite non mundum fabricare, aut miracula facere, non sublimia quærere, alta sapere, sed humilibus consentire; & quæ mundus reputat alta conculcare; quæ infima amare. Et iterum, cum statuisset parvulum in medio eorum ait: *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* An verò solum id docuit verbo, & non etiam exemplo suo præivit, & viam præmonstravit; Nonne abjectus ad discipulorum pedes eos lavat? ut exemplo doceat, quod qui major est, debat fieri sicut minor, inferioribus ex vera humilitate ministrando; Sed & tota ejus vita non fuit nisi humilitas usque ad mortẽ, quia *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta* Recogitemus ergo Pontificem nostrum, qui talem sustinuit à peccatoribus contradictionem, & exinanivit se usque ad abyssalem abjectionem, sicque discamus ab eo veram cordis humilitatem, excusso spiritu præsumptionis & superbiæ, coram Deo, Angelis, hominibus fœtente. quo similes reddimur diabolo, & difformes Christo injuriique

Christus 2 exemplar humilitatis.

Matthæ.29

Mat.18.3.

Joan.13.5.

Heb.12.2.

Digitized by Google

dentem clarè, & latetram est in abscondito cor meum. Respicere Solem aut Lunam fulgentem, est attendere ad famam honorificam, & bonam opinionem, quam de nobis homines conceperunt, & sic eorum laudibus vanè sibi complacere. Hoc a se removet Job hoc refugiunt veri humiles, quin potius erubescunt in laudibus aliorum.

Hieron. in vita S. Hilar.

Refert S. Hieronymus de S. Hilarione, graviter ipsum contristari & conturbari solitum, eò quòd videret magnam turbam continuò sequentem, ob miracula quæ Deus ejus operâ patrabat. Quodam autem die à discipulis interrogatus, cur ita sederet contristatus? Respondit: quia vereor nè exiguum, quod hactenus Deo impendi obsequium, ipse in hac vita remuneretur, dum ita me homines honorant, & laude prosequuntur.

Qui porrò in humilitate infirmi sunt, adblandiente hominum laude statim evanescunt in cogitationibus suis: quia licet facilè sit laude carere, dum denegatur, inquit D. Augustinus, difficile est ea non delectari, cum offertur. Quarè Sapiens rectè dixit: *Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, sic homo probatur ore laudantis.* q. d. Aurum & argentum si adulterinum sit aut falsum, consumitur in igne, ebullit in spumas: si verò bonum sit, purius redditur & inclarescit. Sic laus hominum habet se instar ignis hominem humilem probantis: si enim laude tollatur, ebullit interiùs & intumescit, non est aurum purum, at potius reprobum. Si verò solidus manet potiusque humiliatur laude, aurum probatum censetur. Vide ergo quomodo te geras dum laudaris, & indè collige, an aurum sis, an spuma & scoria ebulliens, & solam auri speciem referens.

August. ep. 64.

3. *Sectatur officia vilia.*

Tertiò, humilis solet sectari officia vilia & inferiora exercitia, & in illis se exercere, in illis delectari, Christum lubenter imitans lavantem pedes discipulis, sublimiora verò lubens refugere si posset, quia honore non delectatur.

4. *Non excusat suas vitia.* Bern. ser. 38. in Cant.

Quartò, non excusat defectus suos & vitia, sed fatetur & aperit, gaudet moneri & reprehendi, & semper se aliis inferiorem judicans, omnibus se submittit. Novit enim illud Bernardi: *Non est periculum quantumlibet te humilies & reputes minorem quàm sis, sicut non est periculum, si quis per portam declivem transiens valde se incurvet: sed est periculum, si altius modicum, quàm porta admittit, se elevet. Non necet ergo si omnibus te postponas; potest autem nocere plurimùm, si velut te præponas.*

De humilitate S. Caroli.

Hanc humilitatis semitam mirè coluerunt Sancti, inter quos S. Pater Sacerdotum & Pastorum Carolus, in cujus festivo die hæc scribo, toto corde eam adamavit, & licet in purpura ageret fastigioque celsi honoris, illius nunquam corde oblitus, opere semper exhibuit. Avebat & gaudebat moneri personaliter, si quis in eo vel minimus defectus adverteretur, volebat singulas suas actiones circumspici & explorari. Undè ad hunc effectum duos constituerat Presbyteros domesticos, aliorum suarum censores, quibus præcipiebat, ut nihil celarent imperfectionis statum suum concernentis, & cum id agerent, plurimùm eos diligebat. Laudes quoque maximè aversabatur, tanquam puritati intentionis maculam aliquam adspergere solitas: undè quæ sublimi Dei favore in se experiebatur, abscondere satagebat. Abstinentias quoque exteriores & austeritates apud domesticos (quoad poterat) pallio quodam excusationis præobvelabat. Cùm quidam Prælatus coram ipso extolleret opera, quæ Deus per eum operabatur, respondit: Non opera esse attendenda, sed defectus & imperfectiones; quia multis scatent defectibus, & multa illis desunt (inquiebat ipse) ideoque laude digna non esse. Cùm quidam celebris Concionator in Ecclesia Cathedrali publicè etiam in ejus præsentia notâsset eum imprudentiæ, & quædam, quæ ad ejus aliquam confusionem vergebant, diceret, nihil immutatus est: sed magnâ pace & quiete cum spiritu humilitatis hæc tolerabat, licet populus in Concionatorem non parum accenderetur, tanquam tanti viri gloriæ maculam affricare conantem. Nempè ita se servum inutilem existimabat, & confusione dignum, ut gauderet etiam ab aliis despici, licet heroicis operibus effulgeret. Non enim illa attendebat; sed suum nihilum, & in vilitatis suæ profundum se immergebat cum omni humani honoris contemptu. Sic tota ejus vita humilitas fuit, exemplarque præclarum profundissimæ humilitatis omnibus conspicuum. Hanc usque ad extremum spiritum imò etiam post mortem colere voluit. voluit enim sepeliri loco maximè hominum pedibus conculcato, ad gradus quibus ad chorum Ecclesiæ conscenditur. Hæc omnia attendentes urbis Ecclesiæque Mediolanensis Primores, in ejus exequijs procurárunt, ut numerosa pauperum multitudo cum pulla veste faces præferret ardentes, singulique hoc symbolum in veste inscriptum gererent: HUMILITAS. Ac deinde & vocem missam, HUMILITAS, sepulchro ejus longis & interciss characteribus insculpi voluerunt: cui voci supereminet cingens Ducalis corona, ut significetur humilitas in ipso coronata, quodque inter cæteras ejus virtutes principatum tenuerit; id verò maximæ admirationi esse debet, in tali sublimitate, dignitate, tantam humilitatem reperiri.

RESPONSIO AD OBJECTIONES.

SEd dicet aliquis *Primò*, Cùm functiones nostræ & opera proximis fructuosa esse debeant, fructum autem parere in eorum cordibus non possint, nisi ab illis magni fiamus, & æstimentur opera nostra; consequitur quod id optare & quærere possimus, sicque laudem non refugere, sed approbare & de illa gaudere.

Secundò,

Digitized by Google

Secundò si homo in vilitatem suam semper oculos figat, pusillanimis quodammodo reddetur, nec quicquam arduum aggredi audebit, aut laude dignum.

Gaude de honore ob ædificationem proximi de despectu ob occasionem meriti.

Respondendum ex doctrina sanctorum Patrum. *Primò*, licet quantum in nobis est, gloriam fugere debeamus & hominum æstimationem, desiderantes potius vilitatem nostram ab illis considerari; tamen cum propagatio honoris divini, & majus obsequium ejusdi poscit, posse nos honoré & æstimationem desiderare apud eos, apud quos agimus: & expedire eis occultari imperfectiones nostras & defectus, qui agniti possent minuere fructum, quem intendimus. Tunc enim non amamus honorem nostrum propter se, nec in illo hæremus; sed amamus honorem Dei, & fructum proximi. Et cum æstimatio nostra sit medium ad illud, ideò illuc referimus eam, nec propriè de ipsa gaudemus, sed fine illo bono, quem per eam assequimur. Hoc de

S. Greg. l. 22. Mor. c. 9.

his de verbis exprimit D. Gregorius: *Nonnunquam sancti viri de bona sua opinione gaudent; sed cum per hanc ad meliora proficere audientes pensant: nec jam de opinione sua, sed de aliorum gaudent utilitate: quia aliud est favores quærere, aliud de profectibus exultare.* Qua in re necesse est, ut cum audientium utilitati non proficit, mentem nostram laudabilis fama non elevet, sed fatiget. Itaque honor & æstimatio hominum de se non est quid malum; sed est quid bonum & desiderabile, si modò tanquam medium desideretur, & in illo non adhæreamus; sed ad finem suum purè & perfectè referatur. Quia tamen hominis animus lubricus est, & amor proprius facilè se interjit, ideò facilè fit, ut vana in illo complacentia reperiatur, & impuritas aliqua, nec ad Deum ita purè referatur; cui rei cautè & circumspectè oportet advigilare. Et ut quis plenius possit de sua intentione judicium ferre, advertat cum occasio humilitatis exercendæ se suggerit, v. g. contemptus aliquis, an promptè illam amplectatur; imò & de ea gaudeat ob profectum, quem indè potest elicere. Nec enim minùs debet de suo, quàm de aliorum profectu exultare: & ideò si utrumque gaudeat, sive cùm honor, sive cùm contemptus exhibetur (de honore ob ædificationem proximi, de despectu ob occasionem meriti) signum est humilis & benè dispositi animi, seu bonæ

Ps. 107. 2.

mentis; tunc enim potest dicere: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Paratum ad ambulandum coram Deo, sive in prosperitate laudis, sive in adversitate despectionis. Paratum ad illi serviendum per ignominiam & bonam famam, ut loquitur Apostolus. Sic Apostolus modò ipse se cõmendat sublimi laude, quia necessariò id erat ad resistendum falsis Apostolis, & ad confirmandum veros Fideles: at cùm id necessarium non erat, humiliat se: *Nihil sum*, inquit, *insipiens sum, abortivus sum, infirmus omnium, indignus nomine Apostoli.*

Secundò, humilitas & consideratio vilitatis nostræ non officit magnanimitati, quin potius eam juvat. Homo enim suum nihilum considerans, jam non in se, sed in Deo fortitudinem suam ponit: & ideò ejus viribus fidens, fortia audet & sublimia: sciens quod ille *vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt*, & quod eligat infirma & vilia instrumenta, ut grandia operetur, *ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus, sed qui gloriatur, in Domino glorietur.* Sic cum excusaret se Moyses tanquam balbutiens, ne adiret Pharaonem: & Hieremias tanquam infans diceret: *A A A Domine Deus puer ego sum*, ne prophetiæ onus ei incumberet incapaci, tantum abest, ut Deus eorum excusationes acceptârit, quin vero eos magis idoneos censuit, quia sibi-ipsis diffidebant, voluitque ut omnem jactarent cogitatum in illum, qui juxta Prophetam, *Lassis dat virtutem, & his qui non sunt robur multiplicat.* Qui etiam per mandibulam asini Philistæos subruit, per os asinæ loquitur, & Prophetam redarguit. Ergo cum agitur de functionibus sublimibus, de animarum conversione, ob utilitatem nostram non reddamur pusillanimes, sed ejus attendamus virtutem, qui operari vult in nobis, & per nos quæ commisit nobis. Et ideo in illo solo gloriemur, in illo fortiter accingamur ad agenda & perficienda, quæ injuncta sunt nobis ex munere nostro.

Humil: ne non officit magnanimitati.

Jerem. 1. 6

Isa. 40. 29.

CONCLUSIO AD CHRISTUM.

O IESV, summe Sacerdotum, Pastor Pastorum, in te sit omnis eorum gloria, laus, gaudium, virtus & fortitudo. In te solo glorientur, non in se, tibi omnia sua opera bona referant accepta, quia in illis docens, ministrans, vivificans, quidquid laude dignum est, operaris. Effice igitur, ut parvuli sint in oculis suis, & tibi ministrent in spiritu humilitatis. Videant te Magistrum & Ducem humilem in præsepio, despectum in fœno, peccatoris characterem suscipientem in circumcisionis signaculo, & immundi symbolum in baptismo, videant fugientem laudes & applausus populi Regem te volentis eligere & inaugurare, præcipientemque infirmis ne sanitatem per te factam prædicent, & discipulis ne visionem gloriæ, quam in sublimi transfiguratione conspexerant, ante mortem cuiquam denuncient. Videant denique incurvatum te ad pedes discipulorum abluentem, abstergentem, exosculantem, humilitatisque exemplar testamento eis legantem. Sic discant à te primam illam lectionem & ultimam scholæ tuæ, & familiæ tuæ, ut sint vere discipuli, ut sint veri filij, Patris & Magistri sinceri imitatores. Hoc gratia tua in illis perficiat, ô IESV. Pastor humilis, Pastor summe & humillime Sacerdotum.

* *
*

LECTIO

Digitized by Google

Innocens ut Abel,
Justus ut Noe,
Fidelis ut Abraham,
Obediens ut Isaac,
Luctator ut Jacob,
Castus ut Joseph,
Æmulator Patriarcharum,
Electus ut Moyses,
Vocatus ut Aaron,
Hæres gratiæ Prophetarum,
Apostolus spiritu,
Martyr desiderio,
Doctor sapientiâ,
Confessor vitæ innocentiâ,
Dux Episcoporum,
Fax Prælatorum,
Speculum Sacerdotum,
Pastor Pastorum,
Prodigium populorum,
Lucerna Sanctuarii,
Columna templi,
Antemurale domus Dei,
Currus Israel & auriga,
Sator æternitatis,
Defensor veritatis,
Præco magni Regis,
Malleus Hæreticorum,
Sal & decus morum,
Cultor puritatis,
Protector Castitatis,
Sectator humilitatis,
Norma perfectionis,
Exemplar omnis virtutis,
Amator Virginum,
Forma pœnitentium,
Solatium viduarum,
Refugium miserorum,
Consors Sanctorum omnium.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.

Ora pro nobis.

DEVOTIO ERGA SS. ANGELOS.

Devotio erga S. Angelos.

ADdimus hic, à Sacerdotibus & Pastoribus pio & speciali cultu colendos esse Angelos. Ac primò quidem, devotio specialis erga SS. Michaelem & Gabrielem maximè commendabilis est; quia commissa est illis à Deo specialis cura Ecclesiæ, Ministrorum ejus Hos etiam primariorum mysteriorum fidei nostræ, & in opere redemptionis coadjutores elegit Deus.

Bonav. c. 9. vitæ.

De S Francisco sic testatur S. Bonaventura, Angelicis spiritibus ardentibus igne mirifico ad excedendum in Deum, & electorum animas in flammandas inseperabilis amoris erat vinculo colligatus, & ob devotionem erga ipsos, ab assumptione B. Virginis 40 diebus jejunans, orationi insistebat. Beato autem Michaeli eo quod animarum repræsentandarum haberet officium, spirituali erat amore devotior, ob fervidum quem habebat zelum ad salutem omnium salvandorum.

Secundò, specialis devotio à Pastoribus concipi debet erga Angelos custodes suos, Ecclesiæque suæ. Nam hi a Deo præficiuntur à Pastoribus, ut ab illis dirigantur, non solùm ut privatæ personæ in privatis actionibus, sed etiam ut publicæ personæ in officiis publicis rectè obeundis, & in aliorum salute procuranda. Unde Pastori unicuique duplicem Angelum ad custodiam à Deo deputatum, multorum est opinio; unum quidem a die baptismatis seu nativitatis, alterum ex eo tempore, quo aliorum ei cura incumbit. Et ita cùm ex officio aliquid peragendum est, invocet Pastor Angelum suum, invocet & angelum sibi ut Pastori specialiùs assistentem, ut illorum fretus auxilio, perfectè & efficaciter quæ muneris sui sunt, exequatur in gloria Dei propaganda, in salute animarum promovenda.

Paulin. in vita S. Ambr.

S. Ambrosius Auxentium Episcopum Arianum cum suis ejusdem sectæ provocarat, ut se differentem in Ecclesia convenirent. Accidit tunc quod quidam Arianorum acerrimus disputator, durus & inconvertibilis ad Ecclesiam se conferret; Is verò ut postea tectatus est, vidit Angelum ad aures Ambrosii concionantis, suggerentem quæ populo proferre deberet. Quo viso conversus, fidem quam expugnabat, amplexus est, & acriter tutatus.

Tertiò, in publicis officiis, sive concio habenda sit, sive aliud pro salute animarum agendum, maximè fructuosum est Angelos illorum cum quibus tractandum est, invocare, ut nobis ministris Dei, ipsi primarii Ministri, cooperentur in opere Dei.

De Petro Fabro.

Petrus Faber S. Ignatii socius, magnus Præco verbi divini, cùm in Germania saluti animarum & gloriæ Dei amplificandæ insudasset, venit in Genevensem Diœcesim hæresi infectam. Fatebatur autem cum animi gaudio, sibi plurimùm profuisse, quod quamcumque permeans Parochiam, Tutelares Angelos salutasset; sensisse enim illos propitios, tum ad declinandas insidias hæreticorum, tum ad animas reddendas doctrinæ capaces.

LECTIO IV.

IN QVARTO FLORE, QVI EST Ardor animi ad divina.

IV. Flos ardor mentis ad divina.

IN Regulis Sacerdotum ex documentis S. CAROLI BORROMÆI desumptis, sic præscribitur: *Alant Sacerdotes perpetuum animi quendam ardorem erga divina, zelumque gloriæ Dei & salutis animarum, tanquam ignem jugiter ad facies*

Digitized by Google

fervor actionem necessarium. De hoc ardore & igne paulò latiùs modo differendum est, ut illum in Sacerdotum cordibus accendere, & fovere valeamus.

Notum est quomodo in tabernaculo antiquo ignem perpetuum ali præceperat Dominus, quem extingui piaculum fuisset. Unde speciali sollicitudine provisum erat, ne ligna deessent ad continuo ignem illum alendum, instituta festivitate, quæ *Xilophoria*, id est, lignorum comportatio dicebatur, in qua magna copia vehebatur, ne pabulum igni deficeret. Quapropter dicitur: *Nutriet Sacerdos subjiciens ligna manè per singulos dies.* Hoc quidem in figura. Designabat verò ignem illum sacrum, quem Dominus venit mittere in terram, & vehementer optat accendi, nunquam in tabernaculo cordis nostri debere extingui; sed semper novâ aggestâ materiâ alendum esse, & sancta sollicitudine magis magisque succendendum. Quod si id verum est de singulis Fidelibus, quanto magis de singulis Sacerdotibus? Hi cùm ad Deum (qui ignis consumens in Scriptura vocatur) quotidiè debeant accedere per varias functiones, novo semper egent spiritu, novo spiritus fervore. Mens eorum debet esse instar Rubi Moysis, sacro circumdata ardore, qui non consumit sed perficit; non destruit, sed instruit, non in cineres, sed in Deum animas continuò transformat. Hic ergò ignis quem in Sacerdote requirimus, cœlestis est, zelus scilicet ardens divinæ gloriæ, & fervor animi ad cœlestia illum elevans torporemque frigescentis cordis excutiens; quo & verba & opera ejus debent succendi, ut & alios possint accendere. Hic zelus & fervor ad cœlestia, est aurum illud ignitum, de quo Dominus monet quendam Episcopum in Apocalypsi: *Suadeo tibi emere aurum ignitum, ut locuples fias.* Ac sicut olim omnia quæ in templo erant, voluit Dominus auro vestiri & ornari, etiam usque ad ipsa emunctoria: ita vult omnes nostras actiones ab hoc aureo & ignito zelo procedere, ut decoræ sint & lucidæ, sibique acceptabiles.

Levi. 6. 12. Luc. 12. 49.

Deut. 4. 24.

Ignis cœlestis requiritur in Sacerdote.

Apoc. 3. 18

Rò. 12. 11.

Quapropter monet Apostolus, ut simus *solliciti dine non pigri, spiritu ferventes, Deo servientes*, hoc est, impetu quodam animi succensi, ad divinum obsequium, & ad ea quæ muneris nostri sunt rectè peragenda. Ac sicut olla quæ fervet, in altum se erigit, ignitosque vapores sursum emittit, nec quiescit, nec ebullit: ita zelus & spiritus in nobis otiosus esse non debet, sed ad cœlestia semper tendere, & desideria nostra, gemitus, intentionem, ad superna dirigere, quasi vapores sacros ad Deum ascendentes. Item sicut ad succensam ollam muscæ non appropinquant, si vero tepida fuerit, insident in ea, & faciunt vermes; ita & succensum igne divini amoris fugiunt dæmones, tepidum verò illudunt & insequuntur, ut dicebat quidam senex in vitis Patrum.

D. Basilius agens de hoc spiritus fervore ad omne opus bonum, dicit in tribus consistere. Primo, ut in ea re quam agimus sit tota animi intentio. Secundo, ut magna sit cupiditas benè operandi. Tertio, ut accedat continuatio, qua nihil prætermittamus, quod ad gloriam Dei, aut ad salutem proximi pertinere cernimus. In Reg. brev. resp. 259.

Huic fervori & ardori ad cœlestia tepor opponitur, de quo in Apocalypsi: *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Sicut enim tepida aqua solet vomitum provocare, ita tepor spiritualis solet Deo nauseam generare; & sic fit ut tepidos à se subjiciat: Dicit vero, *incipiam evomere*, quia qui per teporem resolvitur, non subito à gratia deseritur, ut statim in mala præcipitetur: sed primùm minora, deinde majora contemnens, gradatim à summis descendit, atque ad ima ruit. Sicut vero quod vomitu ejicitur, horrorem parit, & in vomendo corpus conturbatur: ita cùm Deus aliquem à se rejicit, cùm sit ipse bonitas, dolere quodammodo dicitur & conturbari; quod tamen ejicit, execrabile redditur, & maximè displicens. Sic cùm aliqui magno ardore & spiritus alacritate Deo servire cœperunt, & sensim suâ negligentiâ tepescunt, & à vigore gratiæ deficiunt culpâ suâ, paulatim tandem ruentes ejiciuntur, & fiunt Deo abominabiles. Apoc. 3. 16

Hujus generis non pauci reperiuntur in quolibet statu; etiam inter eos qui perfectionem deberent profiteri. Unde D. Bernardus de religiosis congregationibus agens, cum multos ibi spiritu ferventes reperiri dixisset, insinuat etiam magnum numerum tepidorum reperiri, quos sic describit: *Invenire est homines pusillanimes & remissos, deficientes sub onere, virga & calcaribus indigentes; quorum remissa lætitia, pusillanimis tristitia est; quorum brevis & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conversatio, obedientia sine devotione, sermo sine circumspectione; quorum oratio sine cordis intentione, lectio sine sui ædificatione, quos vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix ratio frenat, vix disciplina coercet.* Sed & illi inter tepidos pessimo loco sunt, qui cùm revera vocationi suæ non satisfaciant, tamen se inter bonos ac pios censent, sibi placent; & securè vivunt, quasi nullius egentes, nihilque timentes. De quibus in Apocalypsi subjungitur: *Tu dicis, quod dives sum, & nullius egeo; & nescis quia miser es, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Ideoque *suadeo tibi emere aurum ignitum, probatum*, hoc est, ardentem zelum & charitatem. De his quoque præsertim verum est quod ibi dicitur, præstare eos esse frigidos, & gravioribus peccatis obnoxios, quàm tepidos: quia tale hominum genus ferè inemendabile est; ideoque non immerito tales tepidi frigidis pejores, sive minus emendabiles censentur: frigidi enim suam miseriam agnoscentes, frequenter ad meliora aspirant. Bern. ser. 6 de ascens. Dom. Apoc. 3. 17 v. 18.

Tepidi Sacerdotes.

Quàm multi inter Sacerdotes, quorum status perfectionis studium exposcit, ventri indulgent, mori-

moribus sæcularium se conformant, compotantium contubernia sectantur, congerendis pecuniis studeant, inter mulierculas rum consortia rident, colloquiis, manibus, imò & detractionis tempus conterunt, vanitati interiùs exteriùsque dediti cernuntur, lectioni aut meditationi rerum sacrarum vix quicquam temporis insumunt? Vis uno verbo dicam? Mundani sunt, animales, terreni, libertatem sectantes, scioli & inani scientiâ suâ tumidi, ac inter ceteros dominatum ambientes: & tamen nihil sibi timent, ad cor non ingrediuntur, ut miseriam suam & egestatem interiorem pervideant. Sicque in tepida sua conversatione se gerunt, quasi nullius egeant. Sufficit eis quod horas canonicas non omittant, quod rogati Sacramenta administrent, quod Missas obligationis tempore celebrent, quod scandalum publicum non exhibeant, quod peccatis mortalibus conscientiam oneratam non sentiant. Dicunt se ad perfectionem non teneri majorem, nec ad venialia peccata vitanda, aut ad ea confitenda obligari, sine quibus vita hæc non transigitur. Altioris pietatis studium, vel hypocrisis cujusdam insimulant, vel ad Religiosos spectare proclamant timoratamque conscientiam aliorum scrupuli accusant. Sic in vitiis ordinariis totum vitæ tempus transigunt, nec statum suum in pondere sanctuarii ponderant; ideoque puritati cordis non student, & languidè ac perfunctoriè, sine spiritu, sine zelo, divina obeunt ministeria. Calica tractant Ministeria. An non hi in periculoso statu versantur, qui caligine & pulvere mundano obtusos gerentes oculos, vulnera animæ suæ egestatemque cordis non perspiciunt? An non timent nauseam vomitumque Deo tempore suo provocare? O utinam Collyrio inungant oculos suos, ut videant confusionem suam. Verum animæ Collyrium, est propriæ fragilitatis cognitio, quo oculorum lippitudo & caligo detergitur. Duo porrò sunt oculi animæ nostræ, unus sinister, quo supplicia impiorum considerantur, & sic excitatur timor justitiæ, & animus à peccatis deterretur: alter dexter, quo æterna bona considerantur, sicque amor Dei & studium perfectionis in cordibus nostris accenditur. Si hunc utrumque oculum Collyrio veritatis & humilitatis perungerent, jam clariùs viderent nuditatem suam & excuterentur ad emendum aurum ignitum, ab illo qui est in medio Candelabrorum aureorum: hoc est, omne studium adhiberent ad comparandam sibi cœlestem sapientiam, amorem, gratiam, à Christo Jesu, qui in medio sacræ Ecclesiæ, & Sacramentorum ejus, ministris vicem suam gerentibus eam paratus est exhibere; solumque pro pretio petit promptam nostram voluntatem, sive anhelans desiderium cum humili petitione conjunctum.

Duæ animæ oculi.

CONCLUSIO AD SACERDOTES.

Itaque obsecro vos in Domino fratres, ut ignem illum quem Christus accendi optat in cordibus vestris, nunquam intermori aut sopiri permittatis. Vos enim elegit, non solùm ut illum in vobis alatis, sed etiam ut hunc cum ipso mittatis in terram, hoc est, in terrena corda: ut illa priùs viscosa, gravia, frigida & tenebrosa, excoquantur, purgentur, accendantur, illuminentur. Exposcitur igitur vocatio vestra, ut in vobis semper flammescat, & lucida illius puritate, fervere, ardere, divinas functiones obeatis, ad cœlestia & superna cordis elevantes desideria, tanquam scintillas illius sacri ignis. Resuscitate, juxta monitum Apostoli, gratiam quæ est in vobis, per impositionem manuum Presbyterii: *nec pulvere terreno, aut desidia, nimiâ otiosi gratia sacerdotalis efficaciam spiritusque fervorem unquam sinatis. Sic verum sit de vobis illud Psalmi:* Qui facit Ministros suos flammam ignis. *Nec deest remedium, si torpor quandoque obrepserit, qui videantur gratiam sopire, ita ut in aquam crassam ignis sacer priùs in vobis accensus, consentur degenerasse. Attendite tunc quid in libris Machabæorum gestum dicatur de igne Sanctuarii. Hic cùm diu absconditus, in aquosum humorem conversus reperiretur, Soli ferventi exposita fuit; sicque novum concepit flammam & ardorem, qui corripiens sacrificii victimam, Deo eam reddidit acceptabilem. Sic exponite cor vestrum radiis Solis cœlestis, & torpor diffugiet, statumque aquæ crassæ in ignem novum converti poterit, quo cor frigidum accendatur amore divini ardoris renovatum.*

2. Tim. 1. 6.

Psal. 103. 4.

PRAXIS AD ARDOREM ILLUM CONCIPIENDUM ET FOVENDUM

Praxis ardoris.

1. Consideratio Angelici sui officii.

PRimò, consideret Sacerdos se in ministeriis sacris Angelicum obire officium, & ideò sicut Angeli, cum promptitudinis fervore, & divinæ gloriæ zelo, ministerium sibi à Deo commissum peragunt; eadem spiritus alacritate & ardore Sacerdotes ad divina sese accingere debere, & voluntati Domini cujus sunt ministri, obtemperare, illiusque gloriam respirare.

2. De veris Christi in opere Redemptionis.

Secundò, consideret fervorem Christi Domini in opere redemptionis nostræ. Huic jam cooperator exsilit, imò & illius vices gerit. Ergò suscitet in se ejus spiritum, ejusque ardentem charitatem interiùs sibi imprimat, & exteriùs in opere exprimat. Cernatur in ipso Christus baptizans, Christus absolvens, Christus sacrificans, Christus prædicans & exhortans, sive verbum æternæ vitæ ministrans, Christus conversans. Ejus spiritu impulsus & animatus, hæc omnia vice ejus cum zelo peragat, & debita cùm exteriùs, tùm interiùs reverentia. Attendat illud: *Maledictus qui facit opus Domini negligenter.* Jer. 48. 10.

3. Nunquam sacra obire nisi previa oblatione & oratione.

Tertiò, ad se excitandum & torporem excutiendum, nunquam se sacris accingat functionibus, nisi prævia oratione & obligatione. Habeat quoque jaculatorias orationes frequentes, quibus animus elevetur, & ignis sacer sopitus quasi flabello succendatur. Hæ ex sacris scripturis, ex Ecclesiæ precibus, ex S. Augustino & aliis Patribus delumi

by Google

desumi possent. Vis aliquas suggeram? frequens sit tibi in corde & in ore illa Ecclesiæ oratio: *Nunc sancte nobis spiritum, unum Patri cum Filio, dignare promptus ingeri, nostro refusus pectori. Os, lingua, mens, sensus, vigor confessionem personent, flammescat igne charitas, accendat ardor proximos.* Hac uti poteris, sive cùm concio habenda, sive cùm aliud ministerium sacrum obeundum. Memineris & illius ex Augustino: *O ignis sancte, quàm suaviter ardes, quàm secretè luces, quàm desideranter aduris! Vae iis qui ex te non ardent, qui per te non lucent.* Item illius ex eodem *O charitas Dei mens, accende me!* Repete & illud ex Psalmo: *Dormitavit anima mea pra tædio, confirma me in verbis tuis* Item illud servire potest ex Cantico Canticorum, ad devotionis spiritum postulandum: *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.* Aquilo frigidus ventus est, & acedia frigidum spiritum designat, quo indurescit & glaciatur animus: Auster ventus suavis est & irrorans, ex arboribus aromaticis florem quendam odoriferum educens; & Spiritus S. gratiam suaviter affiantem designat, quo mens irroratur, & cœlesti odore adimpletur. Aperi ergo os per orationem brevem, & attrahe cordi spiritum vivificantem, sic enim dicit Propheta: *Os meum aperui & attraxi spiritum.*

Pf.118.131. 4. *Recordatio monitorum Christi,* Luc. 12. 49. Apoc. 3. 18. Joan. 20. 22.

Quartò, attendat frequenter monita Christi, de quibus jam dixi. Nempè illud: *Ignem veni mittere in terram, quid volo nisi ardeat?* Et illud: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum.* Ac illud quod illi in ordinatione dictum est: *Accipite Spiritum sanctum.* Timeat quoque, si tepidum se reperiat ad obsequium divinum, ne indignè toties sacris participet mysteriis, quia cum ibi calculus ignitus deitati sumatur, mirum est quomodo frequenter accedens ad illum, & ore cordeque percipiens ignem cœlicum, non sentiat in se scintillas dissilientes, hoc est, ferventia desideria perfectionis & amoris. An non de corde Jesu, tanquam fornace exæstuante flammam ad frigus omne arcendum, in sacrificio Missæ unicuique datur depromere; Mirum ergo quod tam duri sumus, frigidi & indevoti. Et cùm quotidie ignitum Domini eloquium, vel psallentes, vel legentes, in ore & in aure habeamus, mirandum profectò quòd cor nostrum ardens non sit in nobis, ut perfectiùs Deo serviamus, & ferventiùs vocationi nostræ satisfaciamus.

3. Exempla proborum Sacerdotii intueri.

Quintò, intueatur Sacerdos exempla Sacerdotum & Pastorum, qui in Ecclesia Dei pietate & sanctitate effulserunt. Hi sunt carbones ardentes, qui alios obscuros & frigidos accendere potentes sunt, si propiùs voluerint accedere, & vitam eorum considerare. Ipsi tanquam vasa electionis, nonnisi ab hoc igne sacro conflata fuere in fornace divini amoris, ideoque zelo zelantes pro Domino Deo exercituum, vitam animamque pro ejus gloria impenderunt. Horum omni fœtu, ut diximus, aliqua exempla nò deerunt, si Sanctorum gesta revolventur. Nam de Sacerdotibus novi testamenti vaticinatus Malachias: *Erit Dominus quasi ignis cõflans, & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quasi aurum & argentum, & erunt Domino offerentes sacrificia in justitia.* Quasi dicat: Spiritus ardoris quem mittit Dominus in corda Sacerdotum emundabit eos ab omni peccati scoria & rubigine, & erunt aurum ignitum, probatum, purissimum: ideoque pretiosi erunt in oculis Dei, eorumque sacrificia acceptissima. Malach. 3. 3.

S. Martinus tanto ardore ministeriis, mysteriisque sacris operabatur, ut quandoque globus igneus caput ejus circumcingens visus sit: symbolum utique extremum, cælitus exhibitum, ut ardoris interioris in viro Dei delitescentis, mentemque ejus collustrantis, publicum foret indicium. *De S. Martino.*

Sic & S. Carolus frequenter visus est à S. Philippo Nerio cœlesti luce circumdatus, dum de divinis rebus cum illo ageret: zelo scilicet & lumine interiori exterius promanante, facies ejus instar Angeli promicabat, & fulgorem aliorum animis ardoremque communicabat. *De S. Carolo.*

CONCLUSIO AD CHRISTUM.

O Jesu Pastor Pastorum, & summe Sacerdotum, qui in Rubo ardente crucis inter flammas exæstuantis amoris apparuisti, & ut Sacerdotibus benedictionem impertiremur, ibidem manus extendisti: Fac ut hæc sit pars benedictionis eorum lumen in mente, ardor in corde, verbum ignitum in ore, charitas flammescens in conversatione; ut succensi ad cælestia desiderio, elevemur à terrenis, aliosque secum elevent & accendat. Tu ergo, juxta Prophetam: Ignis es in Sion, & caminus in Jerusalem, *quique apud Ezechielem designatus es per virum lineis indutum, cui dicitur:* Ingredere in medio rotarum quæ sunt subtus Cherubim, & imple manum tuam prunis ignis quæ sunt inter Cherubim, & effunde super civitatem, *hoc est; Effunde super Ecclesiam tuam sanctam, super ministros tuos, ut sint ministri tui flamma ignis, & verbum eorum quasi facula ardens, ad ustulandos animos fidelium. Ad exterminandum è cordibus eorum caliginosum illum sæculi & maligni ignem, qui nimis eheu invaluit, & copiosum animarum numerum ad æternum ignem perduxit, illo continuò sufflante,* cujus halitus prunas ardere facit. *Fac tandem, ut Sacerdotes tui adimpleto perfectè ministerio, in medio lapidum ignitorum ambulent locum accipientes illorum, qui superbia elati, ejecti sunt de monte sancto tuo, ad quorum primarium Ducem loqueris per Prophetam:* Tu Cherub extentus & protegens, posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti. Perfectus in viis tuis á die conditionis tuæ donec inventa est iniquitas in te: & ejecite de monte Dei, & perdidi te de medio lapidum ignitorum. *Perfice, ô Jesu, in nobis signaculum similitudinis tuæ, da sapientiam, decorem, zelum, perfectionem in viis tuis, ut in eorum locum valeamus æternum surrogari, & te laudare in sæcula sæculorum.* Isa. 31. 9. Ezech. 10. 2. Job. 41. 22. Ezech. 28. 14.

zed by Google

LECTIO V.

DE QUINTO FLORE, QUI EST PURITAS INTENTIONIS.

V. Flos Puritas intentionis.

HAnc sic exprimit Regula Sacerdotalis: *Curent Sacerdotes ut in omnibus sanctionibus actionibusque suis pura sit intentio: quia facilè vanus aliquis finis subrepit, actiones etiam sacras inficiens. Unde diligenter agnoscant quæ intentiones seruantur* Hanc regulam sequentia plenius explicabunt.

Animus hominis lubricus adeò est, ut facilè à scopo quem sibi præfigere debet, & totam intentionem dirigere, contingat eum dilabi, distrahi, & exerrare. Dæmon quoque vanitati præsidens adeò subtilis est, ut furtim facilè quocumque irrepat, & sacratis etiam actionibus sese interserat, fumo suo illas aspergens & inficiens. Hinc licet ad multa videamur ferri ex intentione & zelo honoris divini, ac salutis proximi, sicut tamen vix ignis in sublime fertur, quin statim aliquid fumi admixtum habeat, & inde fuligo generatur: Ita difficile est, ut ignis etiam sacer ipse exerat in functionibus præclaris, quin vanitatis fumum comitem ingerere conetur satan, ut afficeat caliginem, & detorqueat intentionem Et ita huic rei studiosè advigilare debent Ministri Christi, rebus divinis intendentes Est enim gloriæ vanitas velut ærugo interiùs optimos opimosque fructus depascens: est vulpes parvula demoliens vineam floreſcentem: est tinea latenter irripens; & sublimes etiam quercus corrodens.

Et hoc quoque advertendum, dæmonem insidiari non solùm actionum nostrarum principiis,
Ps. 139. 6. sed & medio, & fini, juxta illud Psal. *In via qua ambulabam, abscoderunt superbi Laqueum mihi.* In principio scilicet vitæ, sive operis nostri insidiatur intentionis puritati: medium vanæ complacentiæ fumo nititur commaculare: finem fastidio benè operandi pervertere. Sic omnem gressum & progressum nostrum, à recto tramite & scopo solet detorquere; ideoque nos super omnia opera nostra decet vigilare.

Intentio est radix perfectionis actionum. Matth. 6, 22.

Itaque intentio est radix & fundamentum bonitatis & perfectionis nostrarum actionum, dicente Domino: *Si oculus tuus simplex est, totum corpus tuum lucidum erit.* Si intentio tua recta fuerit & munda, totum corpus actionis tuæ mundum erit & rectum. E contra, si oculus nequam fuerit aut maculosus, totum corpus tenebrosum & maculosum erit, tota actio Deo displicebit. Nam per bonæ intentionis radium merita actionis illustrantur, ut dicit D. Gregorius; at verò per vanæ
S. Greg. intentionis nævum penitus commaculantur & obscurantur. Sicut ergò ad rectè ambulandum duo oculi lucidi nobis necessarii sunt, ita Sacerdos sacras suas actiones duplici oculo dirigat est necesse. Pro oculo dextro sit intentio pura honoris Dei; pro sinistro intentio salutis proximi, sic Deo non poterit displicere. Quod si alia intentione terrena munus exerceat, lippos habet oculos ut Lia, aut caligantes ut Heli. Nempè gravi humore defluentes, aut pulvere respersi oculi, in operibus sanctis efficiunt, ut nihil sit lucidum, nihil Deo gratum. Quid verò sunt humores gravitantes, aut pulvis noxius aciem mentis sordidans, & turbidam efficiens, nili affectus ad lucrum & proprium commodum, appetitus laudis vanæque gloriæ, & complacentia inanis. Et quàm facilè similia obrepunt in sacris ministeriis, nisi studiosa & continua vigilantia arceantur? Audi S. Bonaventuram graviter multorum Sacerdotum miseriam deplorantem. *Va vis Domine Deus, quanti hodiè infælices Sacerdotes ad sacros Ordines & divina mysteria accedunt, non cæleſtem panem sed terrenum, non spiritum sed lucrum quærentes, non Dei honorem sed ambitionem, non animarum salutem sed pecuniarum quæstum, non Christo servire mundo corde & corpore, sed deliciari, ditari, superbire, luxuriari: de patrimonio Christi & eleemosynis populi Ecclesiastica munia ambiendo multis liturgiis & simoniis, potiùs rapiunt quàm assequuntur, non vocati à Deo, sed impulsi à diabolo.* Bonav.

Audi & Bernardum in eandem sententiam. *Omnes ferè quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi: ipsa quoque Eccl. siastica dignitatis officia in turpem quæstum & tenebrarum negotium transire: nec in eis salus animarum, sed luxus quæritur divitiarum. Propter hoc tenduntur, propter hoc frequentant Ecclesiam, Missam celebrant, Psalmos decantant. Pro beneficiis & dignitatibus impudenter hodie decertatur, ut Ecclesiarum reditus in superfluitatis & vanitatis usus impendantur.* Bern. in Pſ. Qui habitat. ſerm. 6.

Refert S. Vincentius Ferrerius Ord. S. Dominici, Nobilem quendam graves sumptus & labores suscepisse, ut Episcopatu quodam opulento potiretur. Ad eum verò voti compotem cum venissent alii Episcopi munus consecrationis peracturi, interrogant, an onus Episcopale subire paratus sit? Respondet se ad id paratum. Interrogant ulteriùs, an Christo velit reddere rationem in extremo judicio, pro tot animabus ejus jam regimini & curæ committendis? Hæret ipse, & interrogationem ponderans, negat se velle tanto discrimini exponere. At ipsi dignitati Episcopali hoc onus necessariò annexum affirmant. Ille verò asserit se de hac re non cogitasse, sed opulentiam ac sublimem honoris gradum attendisse: malle vero tot sumptuum jacturam facere, quàm tantæ rationis aleam subiret sic renunciat Episcopatui. Vinc. Fer. in Dom. 8. post Pent.

De altero quodam legimus, varia amicorum potentium sollicitatione ad Episcopatum pertigisse: in quo cùm aliquot annos versatus fuisset, vacante Episcopatu altero pinguiore, illius ambitione cæpit urgeri, & iterum amicis in aula potentibus importunus esse, asserens si contingat se

voto

voto potiri nunquam quidpiam aliud poſtulatum à Rege. Adipiſcitur ergo poſtulatam dignitatem, ea quam poſſit conditione. Quid deinde? Effluxis paucis abinde annis, vacante Archiepiſcopatu, iterum Aulicos & Aulæ fores frequentat, importuna prece pulſans, ut poſſit altiùs aſcendere. Mirantur illi, & quærunt an immemor ſit promiſſi ſui? At meminiſſe fatetur quidem, ſed excuſat ſe dicens: *Neſciebam tunc, nec plenè expertus adhuc eram*, quod in proverbio eſt, *quantum appetitus creſcat comedendo, ſitis bibendo.* Nempe fames ambitionis, & ſitis avaritiæ, non expletur fluxis bonis, quin potiùs excitatur & creſcit. Et hæc eſt quæ multos urget ad Eccleſiaſtica munia non honor Dei, non ſalus proximi.

Hoc deplorat Eccleſia quæ eſt columba gemebunda, de qua in Canticis Sponſus: *Una eſt columba mea, formoſa mea, perfecta mea.* Gemit quod cum pennæ ejus deargentatæ eſſe debeant, aut inſtar auri fulgidæ, radiis ſolis expoſitæ, & ad volandum pernici & ſublimi volatu diſpoſitæ; videre eas cogatur fuligine conſperſas, pulvere ſordentes, viſco terreno coagulatas, ut perfectè volatum inire nequeat præpeditæ. Quæ ſunt pennæ columbæ, niſi miniſtri Eccleſiæ? Hi in altum debent ſe elevare, debent puri & candidi eſſe; ac Solis juſtitiæ radiis præfulgentibus deſideriorum plumas expandere: interim repunt in terra; rerum terrenarum viſco præpediti volare nequeunt, fuligine & impuritate pleni. *Duabus alis anima volat in cœlum, & ſublevatur à terra* (inquit Thomas à Kempis) *ſimplicitate ſcilicet & puritate. Simplicitas debet eſſe in intentione, puritas in affectione. Simplicitas intendit Deum, puritas apprehendit & guſtat. Nulla bona actio te impedit: ſi liber intus ab inordinato affectu fueris. Si nihil aliud quam Dei beneplacitum & proximi utilitatem intendis & quæris, interna libertate perfruaris.*

Cant. 6. 8.

Kempis, li. 2. de imit. c. 4.

CONCLUSIO ET ORATIO AD CHRISTUM.

O IEſu ſumme Sacerdotum, Paſtor Paſtorum, audi gemitum Columbæ tuæ. Emitte lucem & veritatem tuam ſuper Miniſtros tuos, ut in ſacris functionibus ſemper ſint eorum oculi lucidi & puri, nullo vanitatis fumo, nullo terræ pulvere turbati. Fac ſemper eos portare Ephod Sacerdotale coram te ex lino candido & puriſſimo; fac candore & puritate cœleſtis intentionis ſint ſemper obſequio tuo accincti. Non ordiantur telam ex lino Linaque contextam: lana mundi non inficiat linum Dei. Sed ſicut tu dixiſti; Non quæro gloriam meam, ſed Patris mei: *ita ipſi non gloriam ſuam, non ſæculi lucrum, ſed tuam ſemper ambiant gloriam, tuumque beneplacitum. Tanquam filii æmulatores ſint honoris paterni: tanquam ſervi, lucrum & profectum attendant Domini, Domino ſuo ſemper acquirere ſtudeant, ac ipſi toti illius, omnia ea in illius dominium tranſferant: Patri ſuo ſoli finalis amore placere contendant. Paſtores tui, ô Paſtorum Paſtor! non paſcat ventus, non aura populoris, nec umbra vanitatis: ſed eos paſcat ſolidus cibus veritatis tuæ, quo poſſint & oves ſuas paſcere; non ſibi ſed tibi, non tanquam ſuas, ſed tanquam tuas, ad honorem tuum, non ſuum. Et cùm ſemper in conſpectu tuo ſtare debeant miniſtrantes, fac ut te ſolum reſpiciant, non homines, non terram, non ſæculum: tuos ſolum oculos ambiant, à te ſolo remunerationem dignam expectent; ſic complaceant eloquia oris eorum, & meditatio cordis eorum, in conſpectu tuo ſemper.*

Joã. 8. 50.

PRAXIS AD PURAM INTENTIONEM FORTUNDAM.

PRimò. Dum expergiſcimur, omnia dicti verba, cogitationes, opera in Deum dirigentes, rogemus ut in illius gloriam cedant, de alio vano fine, qui furtim irrepere poſſet, proteſtantes nolle nos conſentire: ita ut ſi vana gloria advenerit, poſſimus reſpondere: *Serò nimium venis, omnia jam divinæ gloriæ ſunt oblata, omnia in illius ſunt poſſeſſione, nulla tibi pars remanet.* 1 *Exerceli omnia in Deum dirigant.*

Secundò, Nec hoc ſufficere debet, ſed etiam in particulari, dum actualiter quodlibet opus exordimur, in Dei gloriam referendum eſt. Sed qui ædificat, cuilibet lapidi ſolet regulam & plumbum ſuum adhibere, ne quid in opere diſtortum reperiatur: imò frequenter adhibet, & appendit operi ſuo funiculum menſorium, ne ſorte error contigerit. Regula noſtra eſt voluntas Dei ejuſque gloria, ad quam omne opus noſtrum debet dirigi, ut nihil incurvum reperiatur; ergò frequenter conſiderandum eſt, an ſingulæ noſtræ actiones, conformentur & exigantur ad regulam iſtam & amuſſim. 2 *Actualiter quodvis opus in Dei gloriã referant.*

Tertiò. Non ſolùm initio operis, ſed & medio & fini advigilandum eſt. Nam dæmon dentem ſuum quandoque infigit radici, quandoque ramis, quandoque fructui arboris noſtræ, ut eam vitiet: hoc eſt; inſidiatur operis vel principio, vel progreſſui, vel termino; vanam iniiciens poſtea complacentiam, cum primam vitiare non potuit intentionem. Contingit nobis, inquit S. Gregorius, ſicut in cibi ſumptione. Illum primò ſumimus ad ſatisfaciendum naturæ: at dum pergimus comedere, furtim ſe gulæ delectatio ingerit, ita ut quod inchoavimus neceſſitate, proſequi jam videamur voluptate. Sic officium prædicandi, docendi, proximum juvandi deſiderio inchoamus, ſed vanitas ſerpit paulatim, cupimuſque hominibus placere, & ab illis æſtimari. Quod ſi id non ſuccedit ex animi ſententia; facilè deficimus & elanguſcimus; inſtar organi, quod non reſonat, niſi flante vento è follibus. 3 *Advigilant initio, medio, fini operis.*

De quodam in vitis Patrum legimus, cùm aggrediendum illi opus eſſet, quod erat ſolitum pauco antea tempore ſubſiſtere & hærere. Interrogatus Invitis pp.

gratus ſit curſic ſe gereret, reſpondit: *Cùm opera noſtra bonitatem ſortiantur à fine illi propoſito, imitari contendo illos qui ad ſcopum jaculantur; qui ut illum attingant, aliquantum habent, antequam jaculum emittant, figentes oculum ad ſignum: ita ego intentionem & oculum mentis in Deum dirigo, qui ſcopus eſt noſter antequam operi manum admoveam, & certum tunc illum attingo.* Imò ſicut qui jaculantur, oculum ſiniſtrum claudunt, ut viſus ſit magis in dextro collectus, nec hinc inde diſperſus. Ita claudere nos oportet oculum ſiniſtrum, humanis & terrenis reſpectibus: ſic firmus oculus dexter cœleſtis intentionis nos diriget ad cor Dei. Nam & ipſe Sponſa ſuæ dicit: Cant. 4. 9. *Vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum.*

In vita S. Bernardi. Legimus de S. Bernardo, quod quadam vice puro gloriæ Dei zelo concionem ad populum exorſus, videns frequentiam auditorum, & applauſum eloquentiam viri admirantium, cœpit inani lætitia ſubilire, vanaque cogitatione tentari, quaſi ei quis diceret: *En quam nobilis confluxus, quam attentus omnes & attoniti ad verborum tuorum eloquentiam!* At ipſe ſtatim advertens hæſit, & dubitare cœpit, an concionem vellet abrumpere, & ſic ſerpenti, ſive dæmoni vanitatis caput conterere. Sed illicò divina adjutus gratia, proſequitur inclamans: *Nequa per te maligne ſpiritus prædicationem inchoavi, nec propter te deſinam.*

4. Opera peragant quaſi in præſentia Dei. *Quartò*, omnia noſtra opera peragere debemus, quaſi ſtaremus in præſentia Dei. Nam hujus *oculi, plus lucidiores ſuper ſolem*, circumſpiciunt *omnes vias hominum, & hominum corda intuentes in abſconditas partes*, ut dixit ſapiens. Ergò coram illo ambulantes, faciliùs ad illum opera & intentionem dirigemus, & perfectius operabimur, ſingulaque conſiderabimus, ne ſint indigna oculis Dei. Quapropter ſicut ſancta animalia, de quibus Apoc 4. coram throno Dei ſtabant *plena oculis antè & retrò*, exteriùs & interiùs: Sic convenit Sacerdotes & Miniſtros Domini, coram ejus throno ſtantes, oculis plenos eſſe. Habeant oculos in pedibus, ut videant quomodo ambulent; habeant in manibus, ut videant quomodo operentur; habeant in labiis & ore, ut videant quæ & quomodo loquantur; habeant oculos in oculis, ut videant quomodo & ipſos oculos ſuos regere debeant; habeant oculos in corde, ut videant quæ cogitent, quibus afficiantur. Sic omnia opera ſua pervidentes, perfectè illa peragent, & perfecta intentione in Deum referent.

5. Habeat in promptu Jaculatorias preces. *Quintò*, habeat Sacerdos in promptu orationes jaculatorias animum elevantes, & cordis intentionem renovantes, aut interruptam reſarcientes. Tales ex Pſalmis plures occurrent. Huic rei ſervient ſubſequentes.

1. *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.* Cor in Scripturis pro intentione accipitur: ſic cor mundum poſtulare à Deo, puram eſt perfectamque in omnibus intentionem implorare, cum affectu illi placendi ex animi ſinceritate.

2. *Regi ſæculorum immortali & inviſibili, ſoli Deo honor & gloria in ſæculorum ſæcula. Gloria Patri & Filio, & ſpiritui S.*

3. *Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Tibi laus, tibi gloria, nobis autem non debetur niſi confuſio & culpa, contemptus & pœna.*

4. *Notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam; doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.*

Frequens ſit in ore & corde illud: *Sanctificetur nomen tuum: Fiat voluntas tua: Laudetur Dominus: Benedictus Deus.* Et ſimilia, quæ in omni opere intentionem poſſunt recta in Deum retorquere, aut ne effluat ab illo impedire.

S. Ignatius & in ore & in corde frequenter volvebat aliud: *Ad majorem Dei gloriam*: ſicque ſtumulabat ſe in omni opere, ad intentionis puritatem illibatè conſervandam. Unde & ipſi pro ſymbolo ſacro & elogio nobilitatis ſuæ adſcriptum eſt: *Ad majorem Dei gloriam*; quam pro virili, in terris agens, ampliſicare omnibus ſuis præclare geſtis, adlaboravit.

Hoc verò advertunt rerum ſpiritualium periti, dum quis opus aliquod aggreditur in proximi ſpirituale commodum v. g. dum concio habenda, confeſſiones audiendæ, rudes docendi, conſilium pro vitæ directione dandum, non eſſe figendum, principaliter oculum in finem ſpecialem, & proximum, in fructum ſcilicet, vel felicem ſucceſſum operis iſtius in particulari; Sed generaliter opus iſtud eſt aggrediendum, ut Deo placeas, ut ejus gloriam procures, exoquendo in hoc ejus beneplacitum & ideò perfectè, quantùm in te eſt, proponere debes illud adimplere. Sive ergo fructus ſequatur converſionis proximi, emendationis aut profectus in doctrina, ſive non ſequatur, id te propriè non concernit. Tuum eſt rigare & plantare, Dei eſt incrementum dare. Sufficiat quod feceris id, ut Deo placeres, ut voluntatem ejus faceres: nihil diminuitur de operis valore & perfectione, ſi feceris ſub hac intentione, ſive res ſucceſſerit, ſive non. Quod ſi quando confeſſiones audis, concionaris, doces, hortaris, principaliter figat intentionem in fructum quem optas facere, & quem mente jam recenſes; ſi non ſucceſſerit, facilè continget te turbari tranquilitate animi gaudioque interiori privari, imò & animum abiicere ac puſillanimem fieri. Quod non accidet, ſi ſolum Dei beneplacitum intendis, ſemper enim habes intentum.

In opere ſuis primarius attendendi Dei gloria, non autem fructus proximi.

S. Apoſtolus Jacobus non minus meriti habuit, quàm cæteri Apoſtoli, licet in Hiſpaniis profectu, ſex tantùm aut ſeptem converterit: nec minus opus ejus Deo fuit gratum: quia Dei beneplacitum, quod in miſſione ſua habuit in mandatis, non minori zelo eſt executus, & hæc fuit ejus intentio pro Chriſto legatione fungi, ſive ſuccederet, ſive non. S. Jacobi Apoſt.

Sic

Sic Angeli dum ex Dei commissione noſtri curam gerunt, ſufficit eis divinum in hoc complacitum, divinamque gloriam quærere; ſive nos eorum inſpirationibus & monitis rebelles reperiant, ſive non. Nec eis fœlicitatis & fruitionis, quam de Deo habent, quidpiam decedit, ſi rebelles reperiamur: quia omne ſuum ſtudium ad divinum beneplacitum retulerunt, & quantum in ſe fuit, perfectè munera ſuo ſatisfecerunt. Imitemur eos in cura nobis à Deo demandata de proximo, temper proponamus eius voluntatem ut finem, accingamur operi peragendo cum omni ex parte noſtra perfectione. Quod ſi fructus non ſuccedat, nihil turbemur aut inquietemur, nec animo deficiamus, ſufficiat nobis Dei voluntatem adimpleviſſe; hæc fuit aut eſſe debuit noſtra intentio. Dictum nobis eſt à Chriſto idem quod Sabulano dixit Samaritanus: *Curam illius habe.* Non verò mandatum eſt, *Cura illum*, Non eſt in Medico, ſemper relevetur ut æger. Luc. 10. 35.

gloriari contra trahentem ſe, ſicut nec lutum contra formantem ſe ponamus; igiter corda ſuper vias noſtras, & ſemper dicamus: Magnificetur opus tuum Domine, non nobis, non nobis, laudetur nomen tuum, non nostrum. Aut aliàs timeamus, ne illud Aggæi de nobis verificetur. Seminaſtis multum, intuliſtis parum comediſtis & non eſtis ſatiati, operuiſtis vos & non eſtis calefacti: & qui mercedes congregavit, miſit eas in ſæculum pertuſum. *Hoc illis contingit qui ſemen verbi Dei ſeminant, ſed gurgulio aut eruca vanæ complacentiæ omnia depopulatur & depaſcit: ſicque nonniſi paleam vanæ gloriæ, aut ventum metunt. Hi etiam alia multa opera eminentia præagunt, ſed nullum fructum inde percipiunt: denique ſimiles ſunt his qui in ſaccum pertuſum res pretioſas congerunt, aut vinum præſtans in dolium perforatum.* Aggæi. 1. 6.

CONCLUSIO AD SACERDOTES.

ITaque concludens obſecro Vos Fratres, quandoquidem functiones noſtræ ſublimes, publicæ omnino ſint, ideòque affluant vanitati, oſtentationi, laudi adulationi, complacentiæ inani facilè obnoxiæ: ſæpe ſæpiùs circumſpiciamus, ne jam recipientes à hominibus mercedem, meritum ſublimioris gloriæ evacuemus: Sic opus ſit in publico, ut incenſio maneat in occulto, ut & proximi lucri exemplo monſtremus: & tamen per intentionem quæ ſoli Deo placere intus contendimus, laudes exterius non quærimus, ne aurum fulgidum boni operis, convertamus in lutum ſordidum vanitatis. Væ nobis ſi de illis ſimus qui quæſtum æſtimant pietatem: ſi ad inanem gloriam transferamus, quod ad lucrum Dominici accipimus erogandum: ſi de donis Dei, de auro eius & argento nobis commiſſo formemus idola vanitatis: aut ſi vili pretio tranſeuntia favillæ venalem exhibeamus rem tanti pretii, qua regnum cœlorum nobis cõparare poteramus. Væ ſi fuerimus de illis qui adulterant verbum Dei, Ad ſolvendum prolem, ſed quærit voluptatem; ita vanæ gloriæ ſervientes Prædicatur, recte adulterare verbum Dei dicitur, (inquit Divus Gregorius) quia per ſacrum eloquium non Deo filios gignere, ſed ſuam ſcientiam deſiderat oſtentare. Vasterum, ſi furtis inveniamur rei, dum gloriam Deo debitam uſurpamus, communicantes cum Angelo reprobo, qui in cœlis eam ſibi attribuens, in furto deprehenſus, æternis eſt ſupplicijs mulctatus. Si quid laude & gloria dignum opere in aliquo reperitur, an illud inſtrumento vili, an vero potius artifici adſcribendum? Eam pictura, aut Scriptura penicillone aut calamo, an verò pertia Scriptoris vel Pictoris attribuenda eſt? Quid ſumus nos, niſi vilia inſtrumenta confuſione digna? Hic tamen uti poteſt Summus ille Artifex Deus, in gloriam ſuam prout libuerit, ſi quid ergo per nos, in nobis, aut in aliorum cordibus operatur, non elevet ſecor noſtrum, totumillius eſt: nos autem lutum in manu figuli, aut ſecuris in manu operantis, quam non oportet

LECTIO VI.

DE SEXTO FLORE, QUI EST STUDIUM SOLIDARUM VIRTUTUM.

VI. Flos ſtudium ſolidarũ virtutum.

DEhac re ſic monet Regula: *Conentur ad ſolidas virtutes, quibus debet vita Sacerdotalis ornari, maximè in humilitatem, manſuetudinem caſtitatem, ſobrietatem.*

Res quædã veræ, quædam apparentes:

Inter res materiales, quædam veræ ſunt ſolidæque, quædam apparentes tantum, & inanes. Sic verum aurum, veræ quædam gemmæ reperiuntur, ſed nec deſunt apparentes & adulterinæ. Simili modo inter virtutes, quædam ſolidæ ſunt & probatæ, quædam ventolæ, inanes, apparentes, imaginem tantum virtutis referentes. Ideo hic monemur ſolidas ſectari virtutes, quia frequenter virtutis & pietatis colore contemti ſumus, & tanquam vaſa vacua ſolo aere plena, aut idolum quoddam inane pietatis in nobis geramus. Sicut enim imagines illæ Deorum, ſpecioſ[illegible] aranearum telis ſcaterent reperiuntur: [illegible] exterior quædam ſpecies virtutis eſt, ſi autem intima noſtra perſpicerimus, texturas inanes reperiemus, & imperfectiones abſconditas ſine veritate virtutis, quas nobis abſcondit amor proprius. Quid enim? An non rectè & verè dixit S. Gregor. in illud Job. IN VOLUTÆ SUNT SEMITÆ GRESSUUM EORUM. *Eſſe quippe humiles ſed tamen ſine deſpectu: eſſe contenti proprio, ſed ſine neceſſitate: eſſe caſti, ſed ſine macerationis corporis: eſſe patientes, ſed ſine contumeliis volunt: cumque adipiſci virtutes quærunt, ſed labores virtutum fugiunt, quid aliud quæſo exhibere belli certaminis in campo noſcuntur, & triumphare in urbibus de hoſtibus concupiſcunt?* Sic tantum umbram habemus & apparentiam, quæ diſparet, dum adverſa irruunt ad probationem virtutis? quia vera & ſolida virtus, non proſperis extollitur, nec adverſis ſupprimitur, ſed propata exigitur. Simile. S. Greg. l. 7 moral. c. 18. Job. 6. 18.

An non verum eſt de nobis illud Domini ad
Luc.9.55. Apoſtolos adhuc infirmos & imperfectos; *Neſcitis cujus ſpiritus eſtis.* Paſſione movetum, & zelū putamus: malè quandoque agimus, nec agnoſcimus, ſed pejus excuſamus, Caſtos nos exiſtimus, & minima occaſio noſtram evertat caſtitatem & quales ſimus oſtendit. Minimum verbum ab altero prolatum honorem noſtrum noſtra opinione imminuens, iniram perturbationem injecit, & quàm ſolida ſit in nobis humilitas declarat. Exigua tribulatio patientiam noſtram evacuat, iram accendit. Occaſione ſocietatis aut convivij, ſobrietas noſtra ſtatim perit. Laus contemnenda plebei & vilis hominis, extollentiam in nobis parit. Levis aliqua ſuſpicio de proximo, Charitatem noſtram lædit. Sic quam inanes in nobis ſint virtutes, quam infirma radice initiatæ, minima probatur occaſione. An non frequenter in orationis fervore plurima fortiter reſolvimus, infractoque animo vitiis reſiſtere proponimus; Sed omnia illa nomine pertranſeunt quaſi in imagine picta aut ficta in aere? Minimus ventus ea repentes diſſolvere. Sic paſcimur imaginibus virtute, fortitudo & virtus noſtra cum exercenda eſt, concidit, quia magis erat ſine
Pſ.77.9. ſolidate. Ita verum agnoſcitur in nobis illud Pſalmiſtæ: *Filij Ephrem intendentes & mittentes arcum converſi ſunt in die belli.* Similes enim ſumus Iraelitis, quos ibi arguit, qui ante bellum multa promittebant, mittentes jacula in ſcopum, quaſi præludia & præſagia fortitudinis; at ubi prælij tempus venit, terga verterunt. Nos quoque magnos virtutis progreſſus exteriùs oſtentantes, & virilem pugnam interiùs nobis promittentes, tentationis tempore recidimus puſillanimes, & virtutis inanes.

Procul verò à miniſtris Domini, umbra, larva, ſucus pietatis & virtutis. Sed ut ambulent vocatione ſua audiant illud Apoſtoli: *Renovamini ſpiritu*
Eph.4.23. *mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis* id eſt, in ſanctitate veræ virtutis, non fucata, non larvata, non mani. Audiant & illud:
Eph.4.15. *Veritatem facientes creſcamus in eo, qui eſt caput Chriſtus.* In ipſo qui eſt veritas jacienda ſunt ſolida fundamenta ſpiritualis noſtri ædificij, ſolidæ perfectionis & virtutis: quia lapis angularis eſt, ſuper quo firma conſurgit ſtructura virtutum, creſcens in templum ſanctum Domino, quod non nutat etiam concuſſum flatibus adverſis, aut fluctibus. Caput quoque ipſe eſt, ſpiritum verum & vitalem ſubminiſtrans ſuis miniſtris, tanquam præcipuis membris, ut adorent in ſpiritu & veritate, & creſcant quoque in ſpiritu & veritate perfectionis; nec ſint arida membra, ſed vegeta & fortia, non ſolum colore exterioris apparentiæ, ſed & medulla & ſucco interioris devotionis & virtutis. Si in veritate ſolida conſtabilire curemus, & in ſanctitate veritatis internum ædificium erigere, non nutabit aut elidetur humilitas noſtra contemptu aut laudibus; nec caſtitas ſuccumbet illecebris; nec manſuetudo aut patientia noſtra vincetur injuriis; nec lædetur charitas ſuſpicionibus; nec in nobis fortitudo fatiſcet adverſis; nec zelus noſter extinguetur, aut refrigeſcet objectis ſatanæ & ſæculi impedimentis, vult aquis frigidis, nec pietas ſuffocabitur deſidiæ pulvere, aut vanis deliciis. Sed ſicut arbos firmiorem jacit radicem agitata & probata ventis, & rupes alliſos ad ſe recidens fluctus, in ſpumas abire ſinit: aut ſicut ignis ſub cinere conſervatus, & flante vento magis accenditur: ita creſcet, & magis radicabitur adverſus humilitas, caſtitas, fortitudo, patientia, zelus, aliæque virtutes. Tunc enim majorem rationem habent vim ſuam exercendi, quam diu manent inconcuſſæ, quia videntur otioſæ, niſi adverſis exercentur. *Simil.*

S. Carolus, ſolidis & bene radicatis in Chriſto Jeſu virtutibus præditus erat, ideo nunquam ita agitatæ ſunt, nunquam tanta luce coruſcarunt, quam eo tempore, quo ut convellerentur, impetitæ fuerunt. Caſtitas maximè in ipſo effulſit, dum in juvenilibus adhuc annis à familiaribus introducta eſt ſpecioſa puella, quæ venuſtate & oris gratia ad libidinem eum pelliceret: Patientia & manſuetudo, dum ſclopeto ab impio conſpuratore impetitus, noluit eum requirere, quinimò oprabat ei pacem: Fortitudo & conſtantia, dum pro Eccleſiæ juriſdictione murum ſeſe oppoſuit, non obſtante potentia & minis eorum, cum quibus res agebatur, Zelus & pietas graſſante peſte enituit, dum nec vitæ ſuæ parcit, ut Sacramentis omnes præmuniantur. Et ſic de aliis virtutibus judicandum eſt, quas non fuiſſe apparentes tantum, aut ſuper labilem arenam initiatas, ſed ſolidas & in petra inconcuſſa firmatas, tot perſecutiones & pericula objecta comprobarunt. *De S. Carolo.* *Virtutes S. Caroli Borromæi.*

MONITUM SACERDOTES CONCERNENS.

MEminerint Eccleſiæ Rectores & Sacerdotes, litterarum quas Chriſtus ſcribit in Apocal. *Angelis Eccleſiarum*, hoc eſt, Rectori & Epiſcopo illius loci. Hæc etenim eos etiam concernunt, ad recte agendum in ſtatu ad quem evecti ſunt. Unde & Spiritus Sibi dicit: *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis.* Quid igitur continent Apoc.2.29 literæ illæ à Domino dictatæ, per Secretarium ſuum Joannem exaratæ, ad nos transmiſſæ? *Scio* Apoc.3.8. *opera tua, quia nomen habes quod vivas, & mortuus es: eſto vigilans, non enim invenio opera tua plena coram Deo meo.* His verbis amica reprehenſio continetur, qua inſinuatur Eccleſiæ illius Rectorem, nomini quod gerit non correſpondere operibus, nec profeſſioni ſuæ, aut ſtatui perfectè ſatisfacere: plusque exteriori ſpecie exhibere, quàm intus ſit in veritate. Ideò dicit: *Nomen habes quod vivas, & mortuus es.* Quaſi diceremus, Sacerdos eſt, Paſtor, Epiſcopus: Nomina iſta omnia,

vita

Digitized by Google

vitæ perfectæ & ſanctitatis te admonent : interim quaſi mortuus intus es, nec ſpiritu Dei duceris, ſpiritu veritatis, ſed potius ſpiritu ſæculi, ſpiritu vanitatis. Ideò *non invenio opera tua plena coram Deo meo*, licet homines dei illa bene judicent, qui ſolum vident, quæ exterius patent. Ego autem ſcio cor tuũ ſcio opera, & agnoſco in te, & operibus tuis defectũ, vacuitatem, imperfectionem. Arbor es frondoſa & florida, ſed perfectorum operum ſterilis; poma ſi quæ profers, inſtar fructuum Sodomæ ſunt exterius ſpeciola, at bene conſiderata & attacta in pulverem reſolvuntur: vel certè intus vanitatis verme corroſa vacua ſunt nec coram Deo plena. Virtutes quæ exteriùs in te videntur oculis hominum patere ſolidæ non ſunt nec veræ. Ideò vigila ſuper te, penetra intima, perfectus perage opera tua, ſolliditati virtutis & perfectionis ſtudium omne impende. Hæc omnia eadem ratione nobis dici cogitemus Miniſtris Chriſti, propter nos enim ſcripta ſunt, Unde ad unumquemque noſtrum ſpectat, quod ibidem ſequitur: *In mente habe, qualiter acceperis, & audieris, & ſerva, & pœnitentiam Age*. *Si non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, & neſcies quâ horâ. Qui vicerit veſtietur veſtimentis albis, & non delebo nomen ejus de libro vitæ, & confitebor nomen ejus coram Patre & Angelis ejus.* Ibid. v. 3.

CONCLUSIO ET ORATIO AD CHRISTUM.

O Jeſu ſumme Sacerdotum, Paſtor Paſtorum, qui hæc ad inſtructionem Sacerdotum, quos Eccleſia præſtitit, dixiſti, & poſteris ſcribi voluiſti, imprimis ea cordibus noſtris, aperi aurem interiorem nobis, ut audiamus quid Spiritus dicat Eccleſiis, & prompte obediamus. Tu ſcis opera noſtra qualia ſint, & virtutes noſtræ quàm defectuoſæ & inanes. Tu ſcis & cor noſtrum & defectus quos amor proprius abſcondit; ideò tibi unusquiſque noſtrum inclamat: Proba me Deus, & ſcito cor meum, interroga me, & cognoſce ſemitas meas. Et vide ſi via iniquitatis in me eſt, deduc me in via æterna. *Ita obſecro, fac ut opera noſtra ſint plena coram te, facus ſolida ſint illa virtutes in nobis, quas ſtatus Sacerdotalis expoſcit à nobis, & omnis vanitas abigatur quæ multiplicitèr animum noſtrum circumvolvit, actionesque noſtras inficit:* Sacerdotes tui induantur juſtitiam, & Sancti tui exultent. *Induamur à te Poderem omnium virtutum aggregatione perfectam, textam à Spiritu S. & illa ad pedes uſque & talos, hoc eſt, ad finem uſque vitæ noſtræ ſe porrigat: ut poſtea veſtiamur à te veſtimentis albis promicantis gloriæ, & videamus nomen noſtrum in libro vitæ, & confiteatur illud coram Patre tuo, & Angelis ejus.* Pſ. 138. 23.

**

*

LECTIO VII.

DE SEPTIMO FLORE ; QUI EST HUMILITAS.

QUIA radix aliarum virtutum eſt Humilitas, fundamentumque ſpiritualis ædificii, ideò prima Sacerdotibus commendatur, maximè quia cum ipſi in ſtatu ſublimi ſint, facilè contingit eos præſumptionis, ambitionis, ſuperbiæ ſtatu agitari & ſuperari, niſi profundas in humilitate radices figere ſtuduerint. Quare dicit S. Gregorius: *Eo ipſo anno quo alios prælatis junxit, ad qualibet agenda majorem licentiam ſumimus, & ſuſcepta benedictionis miniſterium vertimus ad ambitionis argumentum.* Ideo etiam monet S. Petrus Paſtores & Sacerdotes: *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, non ut Dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo.* Nempè, ſuperbia naturæ quaſi cœleſtis eſt, quæ primo in cœlo ortum habuit, & Angelum qui erat principium viarum, ſi ejus operum Dei, vicit : ideò eorum qui in ſublimi ſtatu à Deo ſunt erecti, mentes facilè invadit, ſi ſibi advigilent. Hinc & Apoſtolos licet in ſodalitio Salvatoris & ſchola humilitatis eruditos, adoriti auſa eſt, *dum facta eſt contentio quis eorum videretur eſſe major*; dum Jacobus & Joannes matris ſollicitatione dextram ſiniſtramque Salvatoris ambiunt. Ergò nec tuti ſunt ab illa ſucceſſores Apoſtolorum, Magiſtri ſi ilicet Jeſu Chriſti, ſed continuò adverſus eam debent decertare, humilitatis contentione. *VII. Flos Humilitas.* S. Greg. 1. Pet. 5. 1. Luc. 22. 24. Matt. 20. 21.

Habent autem Capitis ſui & ſummi Sacerdotis inſtructionem, & exemplum. Inſtructionem qui dem, dum inculcat hanc ſcholæ ſuæ primam lectionem: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Diſcite non mundum fabricare, aut miracula facere, non ſublimia quærere, alta ſapere, ſed humilibus conſentire; & quæ mundus reputat alta conculcare; quæ infima amare. Et iterum, cum ſtatuiſſet parvulum in medio eorum ait: *Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* An verò ſolum id docuit verbo, & non etiam exemplo ſuo præſvit, & viam præmonſtravit; Nonne abjectus ad diſcipulorum pedes eos lavat ? ut exemplo doceat, quod qui major eſt, debat fieri ſicut minor, inferioribus ex vera humilitate miniſtrando; Sed & tota ejus vita non fuit niſi humilitas uſque ad mortẽ, quia *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta.* Recogitemus ergo Pontificem noſtrum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus contradictionem, & exinanivit ſe uſque ad abyſſalem abjectionem, ſicque diſcamus ab eo veram cordis humilitatem, excuſſo ſpiritu præſumptionis & ſuperbiæ, coram Deo, Angelis, hominibus fœtente, quo ſimiles reddimur diabolo, & diſformes Chriſto injuſtique *Chriſtus exemplar humilitatis.* Matth. 11. 29. Matt. 18. 3. Joan. 13. 5. Heb. 12.

riique spiritui ejus spiritus enim Christi qui debet habitare in nobis ejus ministris, cœlestis est & humilis, & excutere debet spiritum mundi, qui vanus est, terrenus & carnalis; spiritum quoque dæmonis, qui est superbiæ spiritus, invidiæ & arrogantiæ Ipse
Job.41.25. enim diabolus *Rex est super omnes filios superbiæ.* Jesus Christus è contra humilitatis Magister & exemplar, qui ad hos despectus venit, contumelias, ludibria, irrisiones toleravit, *ut superbum non deberet esse hominem docere humilis Deus, & quia perditionis nostræ originem superbia præbuit diaboli, instrumentum redemptionis nostræ inventa est humilitas*
Leo ep. ad Dios. Dei. Unde & D. Leo ait: *Tota sapientia Christiana disciplina, non in abundantia verbi non in astutia disputandi, sed in vera & voluntaria humilitate consistit, quam Dominus Jesus ab utero matris usque ad supplicium Crucis omni fortitudine elegit & docuit.*
Aug ep. 29. Cui consonans adit Aug. dicens: *Si quæras qua via sit ad obtinendam veritatem, quidque primum sit in religione & disciplina Christi; Respondebo, Primum est humilitas Quid secundum, Humilitas. Quid tertium, Humilitas: & quoties interrogabis, toties dicam Humilitas. Quos Demosthenes in schola eloquentiæ pronuntiationis docuit, ego docebo humilitatem, in schola Christi.*

Itaque cum in schola Christi Sacerdotes primi esse debeant qui & alios docere debent, imprimant corda hanc potissimam lectionem, & primum alphabetum, sive elementum exordii sermonum Dei magistri sui, illudque semper & verbo doceant & exemplo, ut possint dicere cum Apostolo: *Imitatores mei estote sicut & ego Christi.* Habent verò imitandæ humilitatis quotidianum calcar, si considerent Filium
1.Cor.4. 16. Dei in manibus nostris quotidiè humiliantem se, nec recusantem innoculi ab indigentia etiam peccatorum,
Heb.6.6. qui renovant. Iterum despectum & injurias sibi quondam illatas, *crucifigentes sibi metipsis Filium Dei & ostentui habentes, ac sanguinem testamenti pollutum ducentes* impuraque vita conculcantes Obumbratas, ad quam abjectionem deducis Filium Dei! Obumbilitas in quantam oblivionem venisti apud filios hominum! Et tamen hoc ipsum quod sunt filii hominum, ac proinde fragiles, imbelles, miseriis circumdati & peccatis, continuo eos deberet humilitatis admonere. Circumferentes enim mortalitatem suam, testimonium circumferunt, quod illis resistit Deus, qui parentem primum, in se & in filiis, ob superbiam sic punivit.

Cæterùm pro praxi humilitatis exercendæ multis differunt Magister spiritualis vitæ, tractantes gradus ejus, media illius acquirendæ, & signa illius jam acquisitæ Videri potest Alphonsus Rodericus, & alii Pauca subjiciam quæ ad propositum nostrum, hoc est ad humilitatem sacerdotalem assequendam juvare poterunt. Humilitas enim omnia opera & functiones nostras debet præcedere, comitari, & subsequi: alioquin si hinc inde animi elatio interferit, meritum nostrum, & fructus erga proximum de-

Humilitas omnibus actionibus nostris adesse debet.

perit. Justo enim judicio fit, ut sacrum ministerium quod exhibemus ex se proximis fructuosum, inefficax reddatur, dum nobis aliquam gloriam in illo arrogamus, nec Deo totum attribuimus. Sic fit, ut præclari Concionatores, nimium gratiæ, eloquentiæ, sapientiæ suæ fidentes & persuasibilibus, plausibilibusque humanæ scientiæ verbis nimium se oblectantes, minus fructus faciant, quia scilicet, nimis de suo afferre volunt, & de opere quod totum debet esse Dei aliquid sibi attribuere. Contingit ergo illis
Ozee.9.14 in pœnam illud Ozee: *Da illis Domine, quid dabis ei? Da eis vulvam sine liberis, & ubera arentia,* q. d. Redde eos steriles, ut filios spirituales non gignant nec nutriant, nec conversionis animarum efficaciam habeant. Prædicationes eorum sint infœcundæ, solum eis nomen Patris prædicatoris maneat, aliud nihil. Hæc enim merentur, dum perfectè non agnoscunt, quod tu solus sis qui generationem hanc tribuis, & dicis, *Gloriam meam alteri non dabo.* Isai.42.8. Itaque sive exhortatio habenda, sive confessiones audiendæ, sive quid aliud sacri muneris obeundum, post omne studium nostrum, industriam, aut dona impensa, dicendum: *Servi inutiles sumus.* Nulla indè animi elatio oriatur, sed ex corde inutiles nos pronunciemus, ut utiles reddamur. Et quoties aliquem fructum parere optamus, documentum illud benè observemus: *Si quis loquitur, quasi sermones Dei, si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum, cui est gloria & imperium in sæcula sæculorum.* 1.Pet.4.11. Hoc documentum nobis tradit Apostolus Petrus, scitus ipse quomodo in verbo Luc.5.5. Domini laxans retia, tantum piscium multitudinem traxerit; qui prius tota nocte totam industriam suam impendens, irritum laboraverat Unde & postea hominum piscator efficius, una prædicatione & exhortatione, loquens quasi sermones Dei, Act.2.41. tria millia convertit, & altera quinque millia, & nihil hic sua virtute, sed ex virtute quam administrat Deus, unde & totam ei gloriam refundebat, nihil sibi attribuens.

DE PRIMO GRADU HUMILITATIS, PRAXIS.

Gradus Humilitatis.

GRadus humilitatis duo potissimi sunt. Horum primus est, nullam sui æstimationem habere, sed sibi vilescere veræ sui agnitione. Ex notitia enim sui tanquam fundamento, oritur proprius contemptus. Multiplex porrò habes tuæ vilitatis in te testimonium si introspicias? *Humilitatis tuæ in medio tui,* inquit Micheas. Non longè humilitatis magisterium & vilitatis præconium quærendum est, in te geris.

1. Nihil sui sumus æstimare. Ex notitia sui oritur proprius despectus. Mich.6.14

1. Ex parte corporis.

Primò, ex parte corporis si te inspicis, meritò, despicis QUID SUPERBIT TERRA ET CINIS? Quid fuisti? Quid es? Quid eris? Sperma fœtidum, vas stercorum, esca vermium. Si benè consideres quid Eccl.9.18.

pos

per os, nares, aliosque corporis meatus egrediatur, vilius sterquilinium non vidisti. Dic putredini: *Pater meus es, mater mea, & soror mea vermibus,* Job. 17. 14 sicque humiliare in tua origine & fœditate, & misero tandem fine. Audi Thomam à Kempis: *Loquar ad Dominum, cùm sim pulvis & cinis. Si me ampliùs putavero, ecce tu stas contra me, nec possum contradicere. Si autem me vilificavero, & ab omni reputatione defecero, & ad nihilum redegero, & (sicut sum) pulvis arefecerò mihi propitia gratia tua, & vicina cordi meo lux tua, & omnis æstimatio quæ alicunde minima, in valle nihilitatis meæ submergetur.* Hoc refert S. Bonaventura mysterium cæci nati à Christo illuminati applicatione luti, per quod & se vidit, & Dominum agnovit, ac protinùs adoravit. Sic Dominus nos cæcos natos, per nostri & Dei ignorantiam, illuminat. At quomodo? Luto unde nati sumus, oculos nostros liniendo, ut primùm incipiamus nos agnoscere, deindè illuminatorem nostrum proni adorare. Joan. 9. 11.

2. *Ex parte animæ.* Mich. 6. 14. *Secundò*, ex parte animi, si sagaciùs explores, *Humiliatio tua in medio tui*, occultioque multa, ut tibi ipsi vilescas. Quanta ignorantia & tenebræ in intellectu? quanta pronitas ad malum in voluntate? quanta obscuritas & oblivio in memoria, quam vitiata natura mentis nostræ? quanta ad bonum impotentia, quanta inconstantia? quàm omnia miseriæ spirituali obnoxia & imperfectioni ac corruptioni, ita ut nonnisi tædium & nausea sit etiam bene agere volenti? Certè tot cupiditatibus rebellantibus est animus obnoxius, ut ad bonum contendens homo, cogatur sub onere gemere, & Domino in- Job. 7. 20. clamare: *Quare me posuisti contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi gravis?*

3. *Ex parte peccatorũ.* *Tertiò*, Non solùm generalem naturæ corruptionem & ingenitum morbum inspice; sed & particularia peccata summatim perpende, quibus scatet vita tua ab initio usus rationis. Hæc & multiplicia & gravia humiliatem & confusionem tibi parere deberent, cùm obilla & indignus sis aere, quem respiras, pane quo vesceris, terrâ quam calcas? Et licet ea per pœnitentiam expiâsse te putes, tamen recordatio transactæ fœditatis debet in te custos esse humilitatis: ut sicut hortulanus cùm spinas extirparit, ex illis sepem circumducit ad horti custodiam: ita & tu de præteritis ac præsentibus animæ tuæ spinis, eas eradicans, sepias viam superbiæ, ne in animæ tuæ hortum ullus ei pateat ingressus. Quid, quod homo nesciat, an peccata præterita ei dimissa sint, sciat verò se omnino infirmum facili impulsu in eadem posse corruere, nisi continuâ gratiâ sustentetur? Humiliet ergò se sub manu Dei; nam & ideò gratiam suam abscondit, & non certam nobis vult Deus, ut unam gratiam certam habeamus, scilicet humilitatem. Ergò & ex illa parte *humiliatio tua in medio tui.* Simil.

4. *Ex parte bonorum operum & donorum Dei.* *Quartò*, ob oculos pone etiam opera bona & dona Dei, quæ in te experiris: tantùm abest ut illa aliquam debeant in te arrogantiam generare, quin imò humilitatem magnam. Sicnim de operibus bonis loquamur, quanta confusio quod tam imperfectè ea peragamus, tot defectibus ea conspergamus, ut dicat S. Gregorius: *Si remota pietate discutiamur, apud nostrum pœna dignum est, quod remunerari præmijs præstolamur?* Cui consonat illud Isaiæ: *Factus sumus ut immundus omnes nos, & justitia nostra quasi pannus menstruata.* Isa. 64. 6. Itaque, quantum ad operum & vitæ perfectionem, plurima tibi desint novetis.

Joan. Climacus. Quidam ex antiquis Patribus, teste Climaco, descripserat in cellæ pariete, altissimarum virtutum appellationes perfectæ charitatis, Angelicæ puritatis, incorruptibilis castitatis, &c. Cum ergò cogitationes eum extollere cœpissent, dicebat: *Eamus ad argumentum.* Et veniens relegebat appellationes, & sic clamabat: *Cùm hæc omnes possideris, tunc fortè, quàm adhuc longè sis à Deo, & cùm possederis, servus eris inutilis, feceris enim quod facere debuisti.*

S. Greg. hom. 9. in Evang. Quod si de donis loquamur, quantò majora in te sunt, tantò humilior esse debes, dicente S. Greg. *Cùm augentur dona, etiam rationes crescunt donorum: tantò ergo esse humilior, & ad serviendum Deo promptior quisque debet esse cui munera, quantò se obligatiorem conspicit in reddenda ratione.* Multis gratiæ donis vel abutimur, vel non utimur, multa auxilia gratiæ & inspirationes negligimus, nec respondemus. Et inde iterum oriri deberet *humiliatio in medio nostri.*

DE SECUNDO GRADU HUMILITATIS PRAXIS.

II. Gradus humilitatis velle ab aliis despici. SEcundus Humilitatis gradus est: quando non solùm tibi ipsi quis vilescit; sed nec ullam quærit apud alios reputationem, quin verò vult potius ab ipsis despici. Etenim vere humilis libenter patitur se contemptibiliter tractari: quia sicut se vilem reputat, ita gaudet suæ æstimationi aliorum etiam opinionem conformari.

1. Humilis non loquitur de suis rebus cum laude. Hinc fit *primò*, quòd verè humilis non loquatur de his, quæ suam laudem concernunt, sed potius ea abscondat: & confidat non se qualis est ex se, hoc est nihil, aut etiam qualem se fecit peccatis suis, hoc est infra nihil, talis etiam ab alijs vult reputari. Undè & indignitatem suam ex sincero corde coram alijs confitetur. Sic Apostolus Paulus vocat se abortivum, & talis optat haberi ab alijs. Undè ad Corinthios loquitur: *Ego sum minimus Apostolorum, & non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei, quæ blasphemus & contumeliosus fui.* 1. Cor. 15. 9.

2. Ab alijs laudatus non sibi complacet. *Secundò*, si ab alijs laudatur, non ideò complacet sibi, sed potius in se humiliatur. Cauta enim consideratione tropidat, inquit Gregorius, ne aut in his, in quibus laudatur, & non sunt, major Dei judicium inveniat; aut in his, in quibus laudatur, & sunt, competens præmium perdat. Sic S. Job dicit: *Si vidi Solem cùm fulgeret, & Lunam incedentem* Job. 31. 26.

Digitized by Google

denſum clarè, & latatum eſt in abſcondito cor meum. Reſpicere Solem aut Lunam fulgentem, eſt attendere ad famam honorificam, & bonam opinionem, quam de nobis homines conceperunt, & ſic eorum laudibus vanè ſibi complacere. Hoc à ſe removet Job hoc refugiunt veri humiles, quin potius erubeſcunt in laudibus aliorum.

Hieron. in vita S. Hilar. Refert S. Hieronymus de S. Hilarione, graviter ipſum contriſtari & conturbari ſolitum, eò quòd videret magnam turbam continuò ſequentem, ob miracula quæ Deus ejus operâ patrabat. Quodam autem die à diſcipulis interrogatus, cur ita ſederet contriſtatus? Reſpondit: quia vereor nè exiguum, quod hactenus Deo impendi obſequium, ipſe in hac vita remuneretur, dum ita me homines honorant, & laude proſequuntur.

Auguſt. ep. 64. Qui porrò in humilitate infirmi ſunt, adblandiente hominum laude ſtatim evaneſcunt in cogitationibus ſuis: quia licet facilè ſit laude carere, dum denegatur, inquit D. Auguſtinus, difficile eſt eâ non delectari, cum offertur. Quarè Sapiens rectè dixit: *Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, ſic homo probatur ore laudantis.* q. d. Aurum & argentum ſi adulterinum ſit aut falſum, conſumitur in igne, ebullit in ſpumas: ſi verò bonum ſit, purius redditur & inclareſcit. Sic laus hominum habet ſe inſtar ignis hominem humilem probantis: ſi enim laude inflatur, ebullit interiùs & intumeſcit, non eſt aurum purum, at potius reprobum. Si verò ſolidus manet potiuſque humiliatur laude, aurum probatum cenſetur. Vide ergo quomodo te geras dum laudaris, & indè collige, an aurum ſis, an ſpuma & ſcoria ebulliens, & ſolam auri ſpeciem reſciens.

3. *Sectatur officia vilia.* *Tertiò*, humilis ſolet ſectari officia vilia & inferiora exercitia, & in illis ſe exercere, in illis delectari, Chriſtum lubenter imitans lavantem pedes diſcipulis, ſublimiora verò lubens refugere ſi poſſet, quia honore non delectatur.

4. *Non excuſat ſua vitia.* Bern. ſer. 38. in Cant. *Quartò*, non excuſat defectus ſuos & vitia, ſed fatetur & aperit, gaudet moneri & reprehendi, & ſemper ſe aliis inferiorem judicans, omnibus ſe ſubmittit. Novit enim illud Bernardi: *Non eſt periculum quantumlibet te humiles & reputes minorem quàm ſis, ſicut non eſt periculum, ſi quis per portam declivem tranſiens valdè ſe incurvet: ſed eſt periculum, ſi altius modicum, quàm porta admittit, ſe elevet. Non nocet ergo ſi omnibus te poſtponas; poteſt autem nocere plurimùm, ſi velut is præponas.*

De humilitate S. Caroli. Hanc humilitatis ſemitam mirè coluerunt Sancti, inter quos S. Pater Sacerdotum & Paſtorum Carolus, in cujus feſtivo die hæc ſcribo, toto corde eam adamavit, & licet in purpura ageret, faſtigioque celſi honoris, illius nunquam corde oblitus, opere ſemper exhibuit. Avebat & gaudebat moneri perſonaliter, ſi quis in eo vel minimus defectus adverteretur, volebat ſingulas ſuas actiones circumſpici & explorari. Undè ad hunc effectum duos conſtituerat Presbyteros domeſticos, actionum ſuarum cenſores, quibus præcipiebat, ut nihil celarent imperfectionis ſtatum ſuum concernentis, & cum id agerent, plurimùm eos diligebat. Laudes quoque maximè averſabatur, tanquam puritati intentionis maculam aliquam adſpergere ſolitas: undè quæ ſublimi Dei favore in ſe experiebatur, abſcondere ſatagebat. Abſtinentias quoque exteriores & auſteritates apud domeſticos (quoad poterat) pallio quodam excuſationis præobvelabat. Cùm quidam Prælatus coram ipſo extolleret opera, quæ Deus per eum operabatur, reſpondit: Non opera eſſe attendenda, ſed defectus & imperfectiones; quia multis ſcatent defectibus, & multa illis deſunt (inquiebat ipſe) ideoque laude digna non eſſe. Cùm quidam celebris Concionator in Eccleſia Cathedrali publicè etiam in ejus præſentia notâſſet eum imprudentiæ, & quædam, quæ ad ejus aliquam confuſionem vergebant, diceret, nihil immutatus eſt: ſed magnâ pace & quiete cum ſpiritu humilitatis hæc tolerabat, licet populus in Concionatorem non parum accenderetur, tanquam tanti viri gloriæ maculam affricare conantem. Nempè ita ſe ſervum inutilem exiſtimabat, & confuſione dignum, ut gauderet etiam ab aliis deſpici, licet heroicis operibus effulgeret. Non enim illa attendebat; ſed ſuum nihilum, & in viliratis ſuæ profundum ſe immergebat cum omni humani honoris contemptu. Sic tota ejus vita humilitas fuit, exemplarque præclarum profundiſſimæ humilitatis omnibus conſpicuum. Hanc uſque ad extremum ſpiritum imo etiam poſt mortem colere voluit, voluit enim ſepeliri loco maximè hominum pedibus conculcato, ad gradus quibus ad chorum Eccleſiæ conſcenditur. Hæc omnia attendentes urbis Eccleſiæque Mediolanenſis Primores, in ejus exequijs procurárunt, ut numeroſa pauperum multitudo cum pulla veſte faces præferret ardentes, ſingulique hoc ſymbolum in veſte inſcriptam gereret: HUMILITAS. Ac deinde & vocem iſtam, HUMILITAS, ſepulchro ejus longis & interciſis characteribus inſculpi voluerunt: cui voci ſupereminet cingens Ducalis corona, ut ſignificetur humilitas in ipſo coronata, quodque inter cæteras ejus virtutes principatum tenuerit; id verò maximæ admirationi eſſe debet, in tali ſublimitate, dignitate, tantam humilitatem repetiri.

RESPONSIO AD OBJECTIONES.

SEd dicet aliquis *Primò*, Cùm functiones noſtræ & opera proximis fructuoſa eſſe debeant, fructum autem parere in eorum cordibus non poſſint, niſi ab illis magni fiamus, & æſtimentur opera noſtra; conſequitur quod id optare & quærere poſſimus, ſicque laudem non refugere, ſed approbare & de illa gaudere.

Secundò,

Digitized by Google

Secundò si homo in vilitatem suam semper oculos figat, pusillanimis quodammodo reddetur, nec quicquam arduum aggredi audebit, aut laude dignum.

Gaudi de honore ob ædificationem proximi de defectu ob occasionem meriti.

Respondendum ex doctrina sanctorum Patrum. *Primò*, licet quantum in nobis est, gloriam fugere debeamus & hominum æstimationem, desiderantes potius vilitatem nostram ab illis considerari; tamen cum propagatio honoris divini, & majus obsequium ejusdi poscit, posse nos honorè & æstimationem deliderare apud eos, apud quos agimus: & expedire eis occultari imperfectiones nostras & defectus, qui agniti possent minuere fructum, quem intendimus. Tunc enim non amamus honorem nostrum propter se, nec in illo hæremus; sed amamus honorem Dei, & fructum proximi. Et cum æstimatio nostra sit medium ad illud, ideo illuc referimus eam, nec propriè de ipsa gaudemus, sed fine illo bono, quem per eam assequimur. Hoc de

S. Greg. lib. Moral. c. 9.

his de verbis exprimit D. Gregorius: *Nonnunquam sancti viri de bona sua opinione gaudent; sed cum per hanc ad meliora proficere audientes pensant: nec jam de opinione sua, sed de aliorum gaudent utilitate: quia aliud est favores quærere, aliud de profectibus exultare.* Qua in re necesse est, ut cum audientium utilitati non proficit, mentem nostram laudabilis fama non elevet, sed fatiget. Itaque honor & æstimatio hominum de se non est quid malum; sed est quid bonum & desiderabile, si modo tanquam medium desideretur, & in illo non adhæreamus; sed ad finem suum purè & perfectè referatur. Quia tamen hominis animus lubricus est, & amor proprius facilè se interserit, ideò facilè fit, ut vana in illo complacentia reperiatur, & impuritas aliqua, nec ad Deum ita purè referatur; cui rei cautè & circumspectè oportet advigilare. Et ut quis plenius possit de sua intentione judicium ferre, advertat cum occasio humilitatis exercendæ se suggerit, v. g. contemptus aliquis, an promptè illam amplectatur; imò & de ea gaudeat ob profectum, quem indè potest elicere. Nec enim minùs debet de suo, quàm de aliorum profectu exultare: & ideò si utrumque gaudeat, sive cùm honor, sive cùm contemptus exhibetur (de honore ob ædificationem proximi, de despectu ob occasionem meriti) signum est humilis & benè dispositi animi, seu bonæ

Ps. 107. 2.

mentis; tunc enim potest dicere: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Paratum ad ambulandum coram Deo, sive in prosperitate laudis, sive in adversitate despectionis. Paratum ad illi serviendum per ignominiam & bonam famam, ut loquitur Apostolus. Sic Apostolus modò ipse se cõmendat sublimi laude, quia necessariò id erat ad resistendum falsis Apostolis, & ad confirmandum veros Fideles: at cùm id necessarium non erat, humiliat se: *Nihil sum*, inquit, *insipiens sum, abortivus sum, infirmus omnium, indignus nomine Apostoli.*

Secundò, humilitas & consideratio vilitatis nostræ non officit magnanimitati, quin potius eam juvat. Homo enim suum nihilum considerans, jam non in se, sed in Deo fortitudinem suam ponit: & ideò ejus viribus fidens, fortia audet & sublimia: sciens quod ille *vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt*, & quod eligat infirma & vilia instrumenta, ut grandia operetur, *ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus, sed qui gloriatur, in Domino glorietur.* Sic cum excusaret se Moyses tanquam balbutiens, ne adiret Pharaonem: & Hieremias tanquam infans diceret: *A A A Domine Deus puer ego sum*, ne prophetiæ onus ei incumberet incapaci, tantum abest, ut Deus eorum excusationes acceptârit, quin vero eos magis ideneos censuit, quia sibi-ipsis diffidebant, voluitque ut omnem jactarent cogitatum in illum, qui juxta Prophetam, *Lassis dat virtutem, & his qui non sunt robur multiplicat.* Qui etiam per mandibulam asini Philistæos subruit, per os asinæ loquitur, & Prophetam redarguit. Ergo cum agitur de functionibus sublimibus, de animarum conversione, ob utilitatem nostram non reddamur pusillanimes, sed ejus attendamus virtutem, qui operari vult in nobis, & per nos quæ commisit nobis. Et ideo in illo solo gloriemur, in illo fortiter accingamur ad agenda & perficienda, quæ injuncta sunt nobis ex munere nostro.

Humiles ne non officiat magnanimitati.

1. Cor. 1. 29.

Jerem. 1. 6

Isa. 40. 29.

CONCLUSIO AD CHRISTUM.

O IESV, summe Sacerdotum, Pastor Pastorum, tui sit omnis eorum gloria, laus, gaudium, virtus & fortitudo. In te solo glorientur, non in se, tibi omnia sua opera bona referant accepta, quia in illis docens, ministrans, radicans, quidquid laude dignum est, operaris. Effice igitur, ut parvuli sint in oculis suis, & sibi ministrent in spiritu humilitatis. Videant te Magistrum & Ducem humilem in præsepio, despectum in cruce, peccatoris characterem suscipientem in circumcisionis signaculo, & immundi symbolum in baptismo, videant fugientem laudes & applausus populi Regem se volentis eligere & inaugurare, præcipientemque infirmis ne sanitatem per se factam prædicent, & discipulis ne visionem gloriæ, quam in sublimi transfiguratione conspexerant, ante mortem cuiquam denuncient. Videant denique incurvatum te ad pedes discipulorum abluentem, abstergentem, exosculantem, humilitatisque exemplar testamento eis legantem. Sic discant à te primam illam lectionem & ultimam fabulæ tuæ, & familia tua, ut sint vere discipuli, ut sint veri filii, Patris & Magistri sinceri imitatores. Hoc gratia tua in illis perficiat, ô IESV. Pastor humilis, Pastor summe & humillime Sacerdotum.

* * *

LECTIO

LECTIO VIII.

DE OCTAVO FLORE QUI EST MANSUETUDO.

VIII. Flos Manſuetudo.

MANSUETUDO affinis eſt humilitati, imò tanquam filia ex illa ſolet generari, ideoque ſecundo loco Sacerdotibus commendatur. Etenim & Dominus ſe proponens exemplar virtutis, primò humilitatem, deindè manſuetudinem in ſe conſiderari optat. *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Hæc autem manſuetudo quàm deſideretur in rectoribus animarum, ex eo colligi poteſt, quòd Deus ideò elegerit Moyſem populi ſui Ducem, quia manſuetudine omnes præcellebat, de quo S. Hieronymus: *Dux ille Iſraelitici exercitus, qui decem plagis afflixerat Ægyptum, & ad cujus imperium cœlum & terra & maria ſervibant, inter cunctos homines, quos terra tunc genuerat, manſuetiſſimus prædicatur. Et ideo per annos 40. obtinuit principatum, quia poteſtatis ſuperbiam manſuetudine & lenitate temperabat. Lapidabatur à populo, & pro lapidantibus orabat, quia ipſe potius delere vult de libro vitæ, ne commiſſus ſibi grex pereat.* Capiebat enim illum imitari Paſtorum, *quem ſciebat etiam errantes ovis humeris ſuis portaturum.* De eodem ſic loquitur S. Ambroſius: *Quantas Moyſes à populo Dei illatas abſorbebat contumelias? Quàm miti ſermone poſt injurias appellabat populum, ſolabatur in laboribus, delinibat oraculo, fovebat operibus. Et cùm Deo conſtanter loqueretur, homines tamen humili & grata appellatione affari ſolebat.* Veriſſimum enim eſt illud Eccl. *Verbum dulce multiplicat amicos & mitigat inimicos.*

§ Hier. epiſt. ad Theoph.

§ Amb. l. 2. off. c. 7.

Eccl. 6. 5.

Hujus etiam virtutis admonet S. Paulus Miniſtros Chriſti, dum dicit: *Nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum: ſed in omnibus exhibeamus nos ſicut Dei Miniſtros in multa patientia, in longanimitate, in ſuavitate, in Spiritu ſancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, per arma juſtitiæ & à dextris & à ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam.* Ex quibus Apoſtoli verbis deduci poteſt, quoſnam affectus & effectus in Miniſtris Chriſti debeat manſuetudo producere.

1. Cor. 6. 3.

Effectus manſuetudinis.

1. Suavitas ſpiritus erga omnes.

Primò, cum ſuavitate ſpiritûs & affabilitate erga omnes debent ſe gerere, non ſolum erga honoratos & divites, ſed & erga pauperes & deſpectos: ita ut Sacerdotum & animi & aures eis pateant, ſive cùm conſilium petunt, ſive cùm auxilium. Nec agreſti aut odioſa ſeveritate rejiciendi ſunt, licet quandoque videantur aliquantum importunè accedere, vel de ſua paupertate, ægritudine, afflictione nimiùm conqueri, ſed cum benignitate debent dimitti, ſi non poteſt eis auxilium, quod petunt impendi. Eſt enim aſperioris animi, ſtatim importunitatem eis objicere, vel dicere quod nobis caput obtundant, vel verbo modoque agendi dedignari, & à ſe ablegare. Chriſtus Jeſus, qui ſe manſuetudinis exemplar proponit, venientes ad ſe non repellit: at benigne ſuſcipit, & cum beneficio dimittit: parvulos ad ſuum conſpectum & alloquium admittit, turbas opportunè importunè irruentes decet, afflictos & pauperes conſolatur, ægros viſitat & ſanat; quinimmo proditoris oſculum non reculat, & tanta affabilitate mulierculam Samaritanam alloquitur, ut animam ejus dignatione & verborum ſuavitate ad ſe converterit.

Manſuetudo S. Auguſtini.

S. Auguſtinus tanta ſuavitate & manſuetudine ſe gerebat cum populo curæ ſuo commiſſo, ut magna ſubmiſſione veniam petat, ſi vel verbum aſperius ex ejus ore prodierit in quempiam. Sic enim ait ad plebem: *Diverſarum curarum æſtibus ac diſſenſionibus conturbatus, ſi quem forte, non ut poſcebat, audivi: ſi quem triſtitiæ, quæ mihi opus erat, affixi: ſi in quem verbum durius emiſi, ſi quem corde tribulatum & opis indigum reſponſo incongruo turbavi: ſi quem pauperem, mihi in malum intento, importunius inſtantem, vel prætermiſi, vel diſtuli, vel unus aſpero contriſtavi: ſi quemquam ſua conſcientia non agnovit, quod humanitus de illo ſuſpicatus ſum: vos qui pro his offenſis fatear me eſſe debitorem, ſimul me veſtrum credite debitorem. Nam pullus, quos fovet, ſæpè ſe anguſtiis, ſed non toto pedis pondere, calcat & mater: nec ideò deſinit eſſe mater. Dimittite ut dimittatur vobis, & commendate Domino curam pro vobis meam.* Hactenùs Auguſtinus.

S. Aug. hom. 24. ex 50. hom.

2. Aptitudo ad doctrinæ & inſpirationem cœleſtem.

Secundò, manſuetudo etiam tollit cordis aſperitatem & duritiem, redditque aptum divinæ impreſſioni ſuſcipiendæ, doctrinaque ſanctæ, & inſpirationi cœleſti, juxta Prophetam dicentem: *Dirigit manſuetos Dominus, & docebit mites vias ſuas.* Nempè, illi nihil rebellionis, aut aſperitatis in corde ſunt, quo Deo aſſiſtante inſpiranti, docenti, dirigenti; ſed ductiles ſunt quaſi lutum molle humanæ figuli, formandum ut ſit vas honoris, vas gratiæ. De manſuetis ergo verum eſt illud: *Erunt docibiles Dei*, ſive Theodidacti. Sic de Moyſe dicitur: *In lenitate ſanctum fecit illum Dominus.* Quapropter etiam ſit, ut Superioribus facilem obedientiam exhibeant, ſuaviterque ab illis dirigantur. Hæc ergo virtus omninò Sacerdotes & miniſtros Dei decet, qua diſpoſiti ſint, ut Jesus Chriſtus in corde eorum imprimatur tanquam ſigillum in cera molli, ſicque conformes fiant imagini Filij Dei.

Pſ. 24. 9.

Jo. 6. 45.

Ecc. 45. 6.

3. Reformatio paſſionum.

Tertiò, Manſuetudo frænat paſſiones, & animi motus inordinatos, efficitque ut miniſter Chriſti neminem lædat, non ſit turbulentus, non litigioſus & contentioſus, non percuſſor aut iracundus: quas contentiones requirit Apoſtolus, ſcribens ad Timotheum & Titum, & in ipſis erudiens omnes Sacerdotes: *Servum Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem.* Et iterum: *Noli contendere verbis, ad nihil enim utile eſt, niſi ad ſubverſionem audientium.*

2. Tim. 2. 24.

1. Tim. 6. 14.

Rex

Simil. Rex in apibus dicitur aculeo carere: ſic Sacerdotes à Deo conſtituti, ut Fideles regant, quaſi apum ſacrarum examina non debent aculeum gerere, nec in cauda, nec in ore, nec in corde: ſed mellis ſuavitatem, hoc eſt manſuetudinem & benignitatem ſemper præferre; ut nec animo, nec verbo, nec opere quempiam lædant. Unde maximè eos concernit monitum illud Apoſtoli ad Coloſſ. Col. 3. 12. *induite ſicut electi Dei, ſancti & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſupportantes invicem & donantes vobiſmetipſis, ſi quis adverſus aliquem habet querelam.*

S. Greg. Docet porrò S. Gregorius, quomodo cum rigore manſueto erga peccantes committenda ſit ab his, qui regunt & corrigunt, utriuſque his verbis: *Sunt nonnulli ita diſtricti, ut omnem manſuetudinem benignitatis amittant: & ſunt nonnulli ita manſueti, ut perdant diſtrictæ juſtitiæ ſeveritatem. Unde cunctis rectoribus utraque ſunt tenenda, ut nec in diſciplina rigore manſuetudinem, nec in manſuetudine diſtrictionem deſerant diſciplinæ. Nec à compaſſione pietatis obdureſcant cum contumaces corrigunt, nec diſciplina rigorem mitigent, cum infirmos animos conſolantur. Regat ergo rigor diſciplinæ manſuetudinem, & manſuetudo ornet ſeveros rigorem. Et ſic alterum ex altero commendatur, ut nec rigor ſit rigidus, nec manſuetudo diſſoluta.*

4. Læſus pacate injurias ferat. *Quarto*, maximè elucet effectus manſuetudinis, dum quis provocatus & læſus vincit in bono malum. Sunt enim quidam mites, ſed quamdiu nihil dicitur, vel agitur, niſi pro eorum arbitrio. Patebit autem quam longè ſint à vera manſuetudine, ſi levis oriatur occaſio. Vere autem manſuetus, aliorum iniquitates etiam in ſui læſionem redundantes tolerat, & prunas ardentes charitatis congerit ſuper capita eorum, quibus ſuccendantur in cordibus, & ſibi temperent à malis. Hanc manſuetudinem perfectam optat in miniſtris Dei S. Paulus, dum monet ut exhibeant ſe cum omni 2. Cor. 6. 7. patientia & benignitate, *per arma juſtitiæ à dextris & à ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam*: hoc eſt, tam in adverſis quàm in proſperis ſive honorentur & laudentur, ſive inhonorentur & vituperentur. Ergo injuriis & provocatione lædentis maximè probatur manſuetudo Chriſtiana. Quapropter, unus ex antiquis eremi Patribus, cum Chriſti fidem annuncians exagitaretur injuriis ab infidelibus Alexandrinis, & interrogaretur ab illis, qua Chriſtus miracula feciſſet, non aliud reſpondit: *Hoc miraculum fecit, quod ego convitiis & injuriis veſtris lacerſitus, ad indignationem nihil commoveor.* Hoc requirit Chriſtus à ſuis Apoſtolis, & ab eorum ſucceſſoribus in regimine animarum. Quod enim dicit: *Ecce ego mitto vos ſicut* Matth. 10. 16. *oves in medio luporum*; omnes concernit Paſtores, qui miſſi à Domino monentur (licet ex officio Paſtores ſint) inſtar ovium & agnorum per humilitatem & manſuetudinem ſe exhibere, cum in lupos inciderint, hoc eſt, in eos, qui verbis mordent, & factis nocent, aut ſæviunt. Ut ſcilicet humilitate & manſuetudine iram eorum luperent, eoſque vincant, & de lupis oves efficiant, quod non infrequenter accidit Domino cooperante. Etenim & hoc indicare voluit Dominus per Iſaiam, loquens Iſa. 11. 6. de grege futuro in Eccleſia nova Chriſti: *Habitabit lupus cum Agno, & Pardus cum hædo accubabit, vitulus & leo & ovis ſimul morabuntur.* Et ſtatim adjicit: *Puer parvulus minabit eos, ſive deducet ad paſcua.* Hoc Paſtores concernit, interprete D. Hieronymo, in quorum grege non deſunt varii humoris & conditionis homines: aliqui ſuperbi ſunt ut leones, ob potentiam & nobilitatem, obſcientiam vel opes: aliqui doloſi ſunt & furioſi, cholerici, impatientes, ut Pardi vel Urſi, qui vix poſſunt domari. Aliqui ut lupi rapaces ſunt & injuſti, alios nati devorare. Alii vero ut oves, agni, hædi, vituli faciles ſunt & ſuaves moribus. Interim grex iſte ex variis aggregatus naturali complexione diſſonis, gratia Chriſti ad concordiam debet reduci, ut ſimul morari poſſint & paſci nec ſibi mutuo nocere. Quomodo id poterit fieri? Vult id Dominus perfici per Paſtores, quos monet inſtar puerorum humiles eſſe & manſuetos ac innoxios, ſine dolo & malitia: ut ſic paſcuis doctrinæ efficacius poſſint gregem paſcere, & de Lupis, Leonibus, Pardis ac Urſis, ſua humilitate & ſuavitate agnos facere, gratia Dei cooperante. Hoc eſt enim quod ait: *Puer parvulus minabit eos.* Si enim ſuperbus ſit ut Leo is qui Paſtor eſt, variegatus & doloſus ut Pardus, cholericus & impatiens ut Urſus, mordens & dilanians ut Lupus, nihil proficiet, ſed contrariis virtutibus eos evincet. Sic Apoſtoli facti parvuli & agnelli, ad paſcua doctrinæ Chriſti deduxerunt Reges Principes, barbaros & feros homines, eoſque agnos è lupis effecerunt.

EXEMPLA MANSUETUDINIS.

HAnc manſuetudinem humilitati conſœderatam, non ſolum Chriſtus & Apoſtoli, ſed & illi qui in Eccleſia ut Paſtores eminuerunt ſemper ſectati ſunt. Audi Severum Sulpitium de S. Martino Turronenſi, in cujus ſacrato die hæc ſcribo, diſ- Sulpitius in vita S. Martini. ſerentem: *Nemo unquam Martinum vidit iratum, nemo mœrentem, nemo ridentem, unus idemque ſemper cæleſtem lætitiam vultu præferens. Tantam verò adverſum omnes injurias patientiam aſſumpſerat, ut impune etiam ab infimis clericis laederetur, nec propterea, eos aut loco unquam moverit, aut à ſua charitate repulerit. Nunquam in illius ore, niſi Chriſtus, nunquam in illius corde, niſi pietas, niſi pax, niſi miſericordia inerat. Plerumque etiam, pro eorum qui obtrectatores illius videbantur, ſcelebat flere peccatis.* Ita Sulpitius Dial. 1.

Excelluit quoque virtus Manſuetudinis in S. Paſtorum Patre Carolo Borromæo, cui cum pro reformatione Eccleſiæ ſuæ adlaboranti, tot oppo- S. Caroli manſuetudo.

fitiones, contradictiones, conſpirationes ſpiritus maligni per potentiam Magnatum, per rebellionem Eccleſiaſticorum & Religioſorum ſuſcitarit? nunquam tamen in iram prorumpere viſus eſt, aut animi alterationem pati vel turbida commotione conqueri. Omnia cum manſuetudine & tranquillitate ſuperans ad optatum finem perduxit. Cùm quodam die ad eum deferrentur litteræ, quibus certior reddebatur conſpirationis in perſonam ſuam factæ, detectis illius auctoribus: accipiens litterarum faſciculum à nobili quodam miſſo ab Epiſcopo de Savona, delatum nequidem referendum putavit, ſed coram latore igni tradidit; hoc ſolùm addens: *Gratias tibi ago pro obſequio charitatis in me præſtita, & rogo ut nomine meo R. Epiſcopo idipſum præſtes. Noſti autem videre quis auctor foret tam improbæ factionis, qui jam Miſſa Sacrificium oblaturus ſum, nec ullum velo admittere aditum tentationi, aut prava in aliquem voluntati.* Quo quidem reſponſo, in admirationem rapuit virum illum nobilem, qui ubique Præco extitit tranquillitatis & lenitatis, quam in viro ſancto deprehenderat. Similiter cum quidam domeſticus publicum ſcriptum refertum injuriis & calumniis ejus perſonam laceſſentibus reperiſſet affixum, & ad ipſum detuliſſet: ſtatim curavit flammis dari, nec animi tranquillitatem his voluit præpediri. Quid etiam ejus manſuetudine manifeſtius, quando impius ille conſpirator ſclopeto orantem appetiit? Cum enim globulus ad pedes defluxiſſet, haud ab oratione abſtinuit, quinimò præcepit domeſticis, ut nemo ſe moveret, nec conſpiratorem requirerent, cui eo ipſo tempore offenſam ſe remittere proteſtatus eſt. Unde quantum potuit Urbis Mediolanenſis Gubernatorem tunc ſe viſitantem, ne inquiſitionem in reum perageret, eſt dehortatus. Sic & verbo & exemplo inculcabat illud Sapientis: *Fili in manſuetudine perfice opera tua, & ſuper gloriam hominum dilgere.* Eccl. 3. 19.

CONCLUSIO AD CHRISTUM.

O Jeſu *ſumme Sacerdotum, Paſtor Paſtorum, effice per ovium tuam & ſpiritus tui communicationem ut Miniſtri altaris tui, tanquam electi Dei, & ſancti & dilecti in mundi ſæva benignitatis, manſuetudinis, ſuavitatis quam ſemper obſervent, ſive gloria ſive ignominia affecti, ſive honore, ſive vituperio probati. Sint agni manſueti ſine turbida voce clamoris. Sint columbæ, ſine felle amaritudinis. Sint Reges inter apes cum dulcore mellis, & ſine aculeo ultionis. Neminem deſpiciant, neminem offendant, nec læſi ladant, ut non vituperetur miniſterium eorum: nec degenerent à te Capite ſuo, qui cum maledicerentur non maledicebant, ſed benedictionem rependebant. Sic ſint in mundo tranquilli ſine, unices & benefici, ſine tanquàm pueri ſine veneno, puri, innoxii, ut ſic gregem ſuum pascant, & Leones, Pardes, Serpentes, benignitate, humilitate, ſuavitate, ad deponendam iram, ſuperbiam, venenum, invitent, & ad te convertant, Paſtorem animarum omnium.*

De Manſuetudine iterum infrà recurret ſermo, in tract. 4. ubi etiam agemus de Caſtitate ac ſobrietate Sacerdotum.

LECTIO IX.

DE NONO FLORE, QUI EST STVDIVM pietatis & puritatis conſcientiæ.

IX. Flos Pietatis ac puritatis conſcientiæ ſtudium. Pietas quid ſit.

DE hac re ſic regula: *Studeant ſemper pietati & puritati conſcientiæ, quam ut conſervent Sacerdotes, bis in hebdomada confiteantur, & ſic caveant à peccatis, ut ferè quotidie apti ſint ad ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium offerendum.*

Pietas in Scripturis dicitur religioſus Dei cultus, ſinceruſque erga eum affectus: ſive ſtudium internæ devotionis, excitans ad ſpem, timorem & amorem Dei. De hac dicit Apoſtolus ad Timotheum: *Exerce ipſum ad pietatem:* Pietas enim *ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt & futuræ.* Quia nimirum, ſtudium internæ devotionis erga Deum vitam hic pacatam & quietam parit: & ad futuram in beatitudine æterna pacem nos initiati, tandemque introducit. Hæc ergo pietas, inquit Auguſtinus, *Eſt verax veri Dei cultus, unde omnia rectè vivendi docuntur officia*, eſtque omnium virtutum fundamentum, fons & parens. Ideò vero ad omnia dicitur utilis; tum quia Dei gloriam promovere nata eſt, tum quia propriam animæ ſalutem procurat; & ad promerendum vitæ æternæ bravium valet; tum denique quia ad alios docendos, & ad ſalutem perducendos efficax eſt. Ideoque maximè commendatur Sacerdotibus, ad quos ſpectat relictis externis hujus ſæculi occupationibus, internæ devotioni animum addicere: aliiſque Fidelibus hac in re prælucere, & cum hac coram Deo in divinis miniſteriis continuò ſtare. Quod ubi fit, cum magna divini Numinis reverentia, ſanctoque timore & amore miniſterium Sacerdotale odorem ſuavitatis affiat, Deo hominibuſque pergratum. Nam ipſa vita Sacerdotalis fit aliis *odor vitæ ad vitam*, à pietate commendata: quod ſi hæc pietas deſit, fit *odor mortis in mortem*. Ergo primum ſtudium Sacerdotis ſit ſtudium pietatis: ut vitæ præſentis fructu pacato in interná ſuavitate poſſit frui, & futuræ promiſſionem habens, illius jam quoddam initium valeat deguſtare. Auguſt. ep. 92. 1 Tim 4. 7. 2. Cor. 2. 16.

Puritas conſcientiæ. Pſal. 23. v. 5.

Prima autem pietatis pars, eſt ſtudium puritatis conſcientiæ: quæ maximè illis cordi debet eſſe, qui coram Deo in juſtitia & ſanctitate obligantur ſtare & miniſtrare. *Quis verò aſcendit in montem Domini: aut quis ſtabit in loco ejus, niſi innocens manibus & mundo corde? Hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari*

Digitized by Google

ris ſui. Cùm ergo illi, qui ad Sacerdotium evecti ſunt, cenſendi ſunt ad montem conſcendiſſe in vertice montium, hoc eſt, ad ſtatum maximè ſublimem, & ad gradum Deo proximantem. Cumque in locum ſanctum, imo in ſancta ſanctorum quotidie ingrediantur, debent portare Ephod candidiſſimum coram Domino: hoc eſt animu & conſcientiæ perfectiſſimam puritatem: debent manus gerere innocuas, & cor immaculatum, opere & cogitatione pura & fulgidi. *Sic benedictionem accipient à Domino* pro ſe, qua de die in diem proficiant: *& miſericordiam à Deo ſalutari ſuo*, pro populo, pro quo mediatores exiſtunt. Et quia de illis verum eſt, quod ſint de generatione quærentium faciem Dei Jacob: debent continuo ad illam beatitudinem contendere, *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.*

Matt. 5. 8.

Sed in via lutulenta agimus, in qua difficile eſt non aliquid adhærere pulveris, vel cordi, vel manibus, vel pedibus: in Ægypto tenebroſa converſamur, ſive in Sodoma, in qua à fuligine & ſcintillis diſſilientibus facilè inficicontingit. Ideò monentur Sacerdotes diligenter ſibi advigilare à pulvere volante, & ſcintillis etiam exiguis. Et tamen cum omnis etiam diligentia hac in parte vix ſit ſufficiens ad ſibi præcavendum ab omni impuritate: ideò ſolliciti eſſe debent frequenter ad lavacrum & aquam pœnitentiæ accedere, ubi valeant omnem etiam labeculam abſtergere.

ERROR QUORUMDAM DE PECCATIS VENIALIBUS.

Error triplex.

TRiplex ergo hic error à Sacerdotum mente & corde relegandus eſt. *Primus* eſt eorum, qui nihili faciunt peccata venialia, ideoque nec ſe cuſtodium ab illis, nec commiſſa plangere aut abſtergere curant. Sufficit eis quod peccato mortali non ſe putent obnoxios, reliqua contemnunt Sed non advertunt hi documentum Sapientis dicentis: *Qui ſpernit modica, paulatim decidet.* Frequenter enim in ſervis Dei contingit, dum negligentes ſunt ad ſui cuſtodiam, & dum non vitant minora peccata, quod in graviora tandem prolabantur. Propterea D. Gregorius dixit ex aliqua parte culpas leves periculoſiores eſſe gravibus, quia graves melius agnoſcuntur: idcoque circumſpecti ſumus ad eas vitandas, & citò corriguntur ſi cecidimus; ſed leves nec agnoſcimus, nec cavemus, & dum in his hæremus, magnæ fiunt de parvis. Idem docet D. Chryſoſtomus his verbis: *Mirabile quidem & immundiſſimum dicere audeo.* Solet mihi nonnunquam videri, non tanto ſtudio magna eſſe peccata vitanda, quanto parva & vilia. *Illa enim ut averſemur, ipſa peccatorum natura efficit: hæc autem quia parva ſunt, deſides ſumus; & dum contemnuntur, non poteſt ad expulſionem eorum animus generoſus inſurgere. Unde citò ex parvis maxima fiunt, negligentia noſtra.* Ita ille.

1. Eorum, qui peccata venialia nihili faciunt.

Eccl. 19. 1.

S. Greg. 3. p. Paſtoral. monit. 34.

S. Chryſ. hom. 87. in Matth.

Hoc ipſum ſimilitudinibus varijs declarari poteſt. Hoc enim contingit quod in morbo, qui initio levior contemnitur, & paulatim creſcens necem adfert. Sicut enim infirmitates corporis paulatim ingenerantur & diſponunt ad ægritudinem, ſi negligantur: ita & infirmitates ſpirituales, quæ per peccata venialia incurrunt, diſponunt ad necem animæ. Contingit quoque idem quod in ædificijs, quæ ab exiguis ſtillicidijs paulatim diſſolvuntur, & tandem corruunt, dum illa negliguntur, cum facili antea negotio ruinæ potuiſſet provideri. Sic enim paſſiones noſtræ & affectiones paulatim inſtar ſtillicidij penetrant, vireſque animæ quaſi muros diſſolvunt, dum molliunt, tandemque demoliuntur: tamen ab initio facilis foret reparatio; ſed negligimus & ſpernimus. Contingit denique idem quod in navi, quæ aquâ per rimulas paulatim ingrediente tandem ſubmergitur, cum facilè fuiſſet initio eam ſubrepentem impedire, vel evacuare. Unde Auguſtinus: *Quid intereſt ad naufragium, utrum uno grandi fluctu navis obruatur, aut paulatim ſubrepens aqua in ſentinam navim impleat, & ſubmergat?* Itaque per examen & confeſſionem frequentem peccata etiam venialia evacuanda ſunt, ne multiplicata ad mortale diſponant: ita ut tandem animæ navicula ob incuriam periclitetur, vel naufragium patiatur.

Similitudines.

Auguſt. ep 108.

Nemo porrò dicat ſe non obligari niſi ad vitandum peccatum mortale, ut propterea neglectim ſe habeat circa alia, quæ exiſtimat ſolum venialia: ne audiat Deum ſibi reſpondentem, ſe etiam non teneri ad multiplices gratias & auxilia, quibus illum protegit & cuſtodit, ideoque relicto quidem neceſſario & ſufficiente auxilio, ſublimiorem illam & efficacem gratiam meritò ſubtracturum. Quo fiet, ut in lubrico facilè cadat, & inter hoſtes agens divinæ protectionis clypeo ſingulari orbatus facilè det vulneri locum. Hoc enim in ingratitudinis pœnam juſtè ordinatur, ut qui non vult facere aliud, quàm id ad quod ſtrictè obligatur, non etiam accipiat à Deo, niſi gratiam & auxilium ordinarium, ſubtracto ſpeciali favore. Hunc electis ſuis, ut firmiter ſtent, ſolet impendere, & quaſi gratiam pro gratia rependere, quia ad omne ejus obſequium gratiſſimo animo ſe impendunt, & omne peccatum ſolliciti ſunt fugere & plangere. Hoc eſt, quod quondam S. Catharinæ Senenſi dixit Dominus: *O filia, eſto mei ſollicita, & ego ero tui.* In quibus verbis plurimum ipſa ſolatij & fiduciæ reperiebat. Nempè ſicut nos gerimus erga Deum, ſic ipſe erga nos, ſi ejus advigilamus gloriæ & obſequio, ipſe noſtræ protectioni & gratiæ.

Surius in vita S. Cath. Senenſis.

Peccati venialis non levia damna.

Nemo etiam dicat, vel opinetur, peccatum veniale leve quid eſſe, quandoquidem damna ſecum vehat, quæ haud levia dici poſſunt. Licet enim non ſpolier gratiâ & charitate, imminuit tamen charitatis fervorem, devotionis alacritatem, & facilitatem illam tollit, qua via Domini & manda-

Digitized by Google

torum ejus percurri possit. Et licet non dejectat omninò à via, ut aberrare faciat; retardat tamen, & per circuitus gressus nostros inflectit, torpentesque reddit. Licet non expellat Spiritum S. attamen non parum contristat. Offendit Deum, licet planè non reddat infensum. Certè censetur lædere amorem, & pulvere gravi eum obscurare, licet non planè violet amicitiam: Spiritum quoque Christi licet non extinguat, consopire tamen censetur, & impedire ejus efficaciam. Deinde licet gratiam jam acceptam non expellat, novæ tamen recipiendæ obstaculum quoddam ponit. Quia anima venialibus peccatis obscuratur, & voluntarie in illis delitescens, beneficiorum Dei obliviscitur, illisque ingrata redditur: ita ut gratiæ dona suo pretio ab anima sic negligente non ponderentur, pravæque dispositiones in ipsa generentur. Et hinc fit, ut influxum abundantioris gratiæ cohibeat Deus, tanquam quo anima indignum se reddiderit, priore non utens cum debito favore & gratitudine. Qui ergo vult Dei obsequio se perfectè mancipare, etiam veniale peccatum debet sollicitè fugere, maximè illud quod ex deliberata sit scientia aut voluntate.

Surius in vita S. Martini.

S. Martinus Turonensis Episcopus acceserat Imperatorem nomine Maximum Treviris agentem, gravissimis de negotiis Ecclesiæ tractaturus. Aderant in aula Episcopi aliquot excommunicati, quia faverant Imperatori Judicem agenti in causa Ecclesiastica contra Priscillianum Hæreticum quem condemnarat & neci addixerat. Hos vero Episcopos primò quidem vitare voluit S. Martinus: sed cùm id ægerrimè ferret Imperator, cumque negotia Ecclesiæ, pro quibus advenerat, non possent felicem exitum sortiri, nisi in hac re dissimularet, eorum alloquium tandem non est dedignatus. Hoc verò postea ita defluxit, ut necesse fuerit Deum et Angelum deflumare ad solatium. Quique idem Angelus dixit viro sancto, meritò ipsum eam ob rem mœrore affici (licet excusabilis foret, quia aliter expeditionem negotiorum Ecclesiæ sperare non potuerat) quia à prima constantia non debuerat dimoveri; ideoque correcta jam culpa ad constantiam illam redeundum sibi esse. Interim Martinus, licet Angelica visitatione dignus, cùm videret se postmodum non ita facile ut anteà dæmones ejicere, vel ægros sanare, flens solebat dicere: *Heu mihi, quia exiguo tempore, & quasi cum exiguis cum excommunicatis fuit conversatus, castigat me Deus ut non ea sit mihi modo miraculorum gratia, qua prius.* Exindè sexdecim annis quibus vixit, sedulo ab Episcoporum conciliis se subtraxit, ne in similem culpam incidere posset. Quis verò hanc culpam putaverit mortalem, quandoquidem ex urgente causa etiam licitum sit cum excommunicatis agere? Et tamen, quia aliquid inconstantiæ in tanto viro intervenerat, venialem licet culpam diu deflere voluit. Voluit & Deus gratiam miraculorum ei diminuere, ut nemo existimet Peccatum etiam veniale aliquid leve esse, vel contemnendum.

II. Eorum qui p. v. confitentur sed sine dolore, sine dispicentia.

Secundus error, est eorum qui venialia quidem peccata frequenter confitentur, sed non cum debita contritione aut displicentia, non conceptoque firmo proposito ea vitandi. Hinc fit ut frequenter à sacro pœnitentiæ tribunali redeant non mundati: Immò quandoque magis maculati; quia nulla est confessio, si nullitas sit dispositionis pro absolutione. Quod tunc fit, si venialia solùm confessioni subiiciantur ex arida consuetudine, sine vera attritione, sine proposito firmo, cum quadam solùm emendationis velleitate. Hæc itaque non sufficit ad Sacramentum confessionis, nec ad custodiam mentis: sed oportet sedulam curam adhibere, ut vera sit displicentia, firmumque propositum, quibus tanquam excubitoribus janua mentis custodiatur à peccatis, quæ tanquam insidiatores occultè irrepere conantur, & quælibet pretiosa in anima diripere, aut etiam eam interimere. Unde D. Gregorius quod de Isboseth refertur. 1 Reg. 4. nostro accommodans proposito, sic ait: *Nequaquam morte occubuisset, per insidiatores admissos dum dormiret, si non ad ingressum domus, mulierem, hoc est, mollem custodiam ad mentis aditum deputasset: Fortis namque vitiis, si sensus prapone cordis foribus debet, quem nec negligentia somnus opprimat, nec ignorantia error fallat.* Itaque, ut fertur etiam venialium contritionem, confitentes elicitamus, ponderanda sunt illa, non in statera mendace filiorum hominum, ubi parum ponderant; sed in sicle & bilance Sanctuarii, ubi multum gravantia inveniuntur. Hac bilance utuntur Sacerdotes pii, & verè timentes Deum. Hac usi sunt & Sancti, qui supernè illuminati culpæ etiam venialis damna agnoverunt, & ideo illas amarè deflebant. Quod quidem jam declaravimus exemplo S. Martini, cui adnci potest exemplum S. Maurilii.

S Greg. l. 2. moral. c. 19.

P. V. magni facere Sanctos.

De S. Maurilio Tympius & Surius in ejus vita.

S. Maurilius Andegavensis Episcopus rogabatur, ut puerum quemdam ad Ecclesiam adductum baptizaret: dum verò exspectat donec Sacrificium Missæ obtulisset, puerum quem erat baptizaturus, vita defunctum comperit. Sum vero id negligentiæ imputans, usque adeo doluit, ut relicta Ecclesia navim conscendens, clam effugeret. Fortè Sanctuarii claves secum tulerat; sed illis de manu casu fortuito in mare elapsis, existimavit eo indicio se prorsus Episcopatu indignum; atque jam proposuit nunquam ad sedem suam redire, nisi inventas claves quis ad se retuliset. Transmisso mari, veste sæculari indutus, cuidam Principi viro operam servilem locavit, olitor ejus factus. Septennio sic peracto, à Clerico inventus & cognitus, nolebat cum illis redire; propter clavium illarum casum. Ipsi ergo quas Episcopus requirebat claves, in medium proferunt; eas autem in itinere capto pisce & exenterato invenerant. Itaque jam manifesta Dei voluntati contradicere non ausum,

ſum, cum alacritate ſecum reducunt; quem paulò antè earundem clavium argumento in mari periiſſe ſuſpicati fleverant. Maurilium igitur ex Epiſcopo culpa ſervum fecerat, ſed rurſum ex ſervo Epiſcopum fecit culpæ pœnitudo. Fama eſt, cùm reductus eſſet, quâ primùm antipueri illius urnam proſtratum oraſſe, atque ipſum à morte ſuſcitatum Baptiſmo perfudiſſe. Ita habet Matthæus Tympius in Speculo Epiſcoporum. Attamen apud Surium, Ribadeneiram, & alios in vita S. Maurilii, non invenio fieri mentionem Baptiſmi; ſed Sacramenti Confirmationis, ſine quo cùm puer ille expiraſſet, ſuæ id culpæ attribuens S. Maurilius, ſummè pœnituit, & aufugit.

III. *Eorum qui negligunt p. v. remedium ob infirmitatem recidivâ. Simil.*

Tertius error, eſt eorum qui propterea negligunt remedium per pœnitentiam & confeſſionem venialium quærere, quia ſtatim eandem infirmitatem & eadem peccata vident recurrere. Hi porro ſimiles ſunt illis qui lintea ſua lavare negligunt, quia iterum uſu novo ſordenda ſunt. Et id quidem inſipienter: Si enim lintea noſtra, manus, facies quotidie ſordidantur: ideò frequentiùs abluenda ſunt, quia etiamſi redeant ſordes, tamen tenacitate non cohæreſcunt. Nec ideò inſoluta relinquere debemus debita, quia quotidie nova contrahenda ſunt, ſed ideò diligenter ſolvenda, ne nimis excreſcant. Nec ideo navem aut lentinam exhauriens, deſerit opus; quia tantumdem redibit aquæ quantum expulerit, ſed diligenter exonerat, ne periculo exponat. Licet igitur ſolliciti eſſe debeamus ut quantum in nobis eſt a peccatis etiam quotidianis abſtineamus, & confitentes firmum cum auxilio Dei propoſitum eliciamus ad ea vitanda: non tamen propterea debemus puſillanimes effici, & animo concidere, aut nimia anxietate concuti & fluctuare; ſed cum diligentiam adhibeamus, & nihilominus perfectam puritatem non aſſequimur, nec conſervamus conſiderare nos convenit, quod vita noſtra, ab eo tempore quo excidimus à ſtatu illo innocentiæ perfectæ, corruptionem ſecum vehat, infirmitatem & inſtabilitatem. Et ideò vita noſtra, non eſt niſi perpetuus quidam caſus & reſurrectio, ſordidatio & dealbatio, infirmitas & ſanatio, quaſi domus cujuſdam luteæ, quæ terrenum habet fundamentum, cùm ſenſim ex aliquid collabaſcat, etiam continua reparatio.

Domus ab opificibus licet peritis benè ſtructæ, tamen ſucceſſu temporis ſemper aliquid patiuntur clamur, modò erecto regulæ aliquot decidunt vento flante mox aliquid de pariete labitur, mox vitreæ feneſtræ diſſolvuntur. mox lapis aut lignum exteritur. Attamen qui inhabitat, non propterea ſtatim turbatur, aut domum deſerit: ſed latomum vocat aut Vitrarium, aut tegularium, & curat inſtaurari quod decidit; ſicque quantum poteſt domum ſartam tectam cuſtodit, & quoties novum damnum patitur, novam curam adhibet. Non abſimili modo nobis agendum eſt cum animæ ſpirituali domo, non enim turbari oportet aut deſperare, aut deſertam negligere, ex eo quod continuò à vento tentationis, & damno peccati venialis non poſſit immunis cuſtodiri, ſed continua ſollicitudine defectus eſt reparandus. Hac ſimilitudine utitur S. Chryſoſtomus.

Porrò tanta eſt Dei benignitas, ut paratus ſit ſuppl'ere hos noſtros defectus, ſi modò hanc miſeriam, inſtabilitatem, infirmitatem, cum confuſione agnoſcamus, ſi cum humilitate de ea indoleamus. ſublimi ejus miſericordia nos continuò egere confitentes. Hinc rectè Thomas à Kempis: *O quanta fragilitas humana, quæ ſemper prona eſt ad vitia. Hodiè confiteris peccata tua, & cras iterum perpetras commiſſa. Nunc proponis cavere, & poſt horam agis quaſi nihil propoſuiſſes. Meritò ergo noſipſos humiliare poſſumus, nec unquam aliquid magni de nobis ſentire, quitam fragiles & inſtabiles ſumus. Interim oportet nos tenere patientiam, & Dei expectare miſericordiam, donec tranſeat iniquitas hæc & mortalitas abſorbeatur à vita. Quia quamdiu iſtud fragile corpus gerimus ſine peccato eſſe non poſſumus, nec ſine tædio & dolore vivere.* Ita ille. Kempis. 1. de imit. 1. 22. §. 6.

Hoc docet exemplum quod refert Jacobus de Vitriaco in vita S. Mariæ Ogniacæ. Quidam Religioſus Ciſtercienſis, ob immoderatum puritatis zelum, quo conabatur ad innocentiam privæmi ſtatus aſſurgere, pœnè ad deſperationem adactus fuit. Suſcepit ea de cauſa varias afflictiones; per inedias, vigilias, preces, ſed fruſtra; ideoque incidit in tœdium & accediam. Volebat cibo ſumendo non ſentire delectationem, conabatur primos ſenſualitatis motus reprimere, contendebat ſine venialibus param vitam agere: & erat tentatio dæmonii meridiani, adimpoſſibile inſtigantis. Tandem illigatus eſt quadam deſperatione, perſuadens ſe in illo corruptionis ſtatu ſalutem conſequi non poſſe, imo veniales culpas jam mortiferas putans, nolebat ſumere corpus Chriſti etiam diebus ex regula præſcriptis, ad hanc miſerandam ruinam ſub ſpecie boni ab hoſte perductus eſt, ut infirmus reſpueret medelam, & propriæ voluntatis ſectator iret, contra obedientiam. Hunc morbum agnoſcens pius Abbas, cùm eſſet amicus ancillæ Chriſti, cujus etiam virtutem aliquando in ſe expertus erat jubet illum adduci ad eam. Et ecce illa orante cum lachrymis, ante introitum Miſſæ cùm recitaret Monachus Confiteor, quaſi ſtati lapilli ad ſingula confeſſionis verba ex ore decidere videbantur. Sic ipſa agnovit ab illo receſſiſſe deſperationis & triſtitiæ nigredinem, de quo gratias Deo egit, qui amat converſionem peccatorum. Monachus vero peracto ſacrificio, quaſi ex longinqua regione ad ſe reverſus, Chriſti Corpus accepit, & hac ſalutis medicina perfectè curatus eſt. In vita S. Mariæ Ogniacæ Jac. Vitriaco.

Concludendum itaque hic eſt cum D. Joan. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus; ſi autem confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra & emundet nos ab omni iniquitate.* Dicendum 1. Joan. 1. 8

quoque cum August. in Psalm 99. *Semper confitere, quia semper habes quod confitearus: difficile enim est in hac vita, ut sic homo mundetur, ut nihil inveniat in se quod confiteatur.* Dicendum denique Sacerdotibus, ut memores sint Vasis aenei, quod jussus est ponere Moyses ad lavandum inter testimonii tabernaculum & altare. Exod 30 *Lavabunt*, inquit Dominus, *in eo Aaron & filii ejus manus suas, ac pedes quando ingressuri sunt tabernaculum, & accessuri ad altare, ut efferant thymiama Domino, ne fortè moriantur.* Quid aliud est vas illud nisi symbolum Sacramenti Poenitentiæ, in quo Sacerdotes debent eluere affectus & cogitationes, opera & actiones impuras antequam accedant oblaturi thymiama odoriferum ex divinitate & humanitate confectum.

Aug. in Ps. 99.

Exod. 30. 19.

CONCLUSIO AD CHRISTUM.

Psal. 81. 1. O JESU Christe, *tu es Summus Sacerdotum, & Deus eorum, Deus enim scriptum est*: Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio Deos adjudicat. *Sacerdotes sunt Dei tecum, in medio eorum stas, tanquam in Synagoga Deorum. Ipsi offerunt Sacrificium ut Sacerdotes, intercedunt ut Mediatores, ministrant ut Dispensatores, sedent ut judices; mittuntur ut Angeli, praedicatores mittuntur ut Dei. Sed licet Dei sint, & Filii excelsi, tamen infirmi sunt ut homines, moriuntur ut homines, peccant ut homines: Quod si in primogenitis filiis, in Angelis tuis reperisti pravitatem, nec fuerunt stabiles:* quantò magis in qui habitant domos luteas, & terrenum habent fundamentum, *licet angelicum in terra munus obeant, in carne enim lutea degunt, in lubrico, in terra & pulvere pedem ponunt. Nec ei contingit quod à radiis Solis, ut per lutum transeuntes ab omni se infectione eximant. Et ita fit, ut qui alios mundant, quandoque sint immundi qui alios sanant, quandoque sint infirmi, qui Judices sunt constituti, quandoque inveniantur & Rei. Tu interim misericors providisti quàm Angelis, quorum culpa sit sine remedio, At etiam pro Sacerdotibus, qui Christianorum Duces sunt & Angeli, Poenitentiæ Sacramentum instituisti, in quo remedium reperirent pro infirmitate, balneum pro pedum ablutione, Tribunal pro culparum absolutione. Licet ergo moriantur ut homines aut cadant ut Angelici Principes: si tamen huic sistant Tribunali, in quo ut Deus Deorum ministerio hominum judicem; tu supponis manum ut erigantur, imponis manum ut absolvantur; extendis manum quam amplectantur, sicque gratiam pristinam denuo consequantur. Inspira ergo eis gratiam contritionis & humilitatis, ut libenter alius se subjiciant, licet fidelium sint judices; & ipsi quoque alternatim peccata sua confiteantur, graties pro invicem ut salventur. Spiritum eis impertire veritatis, ut sincerè & cum confusione, non leviter & perfunctoriè culpas suas agnoscant, & confusione frequenti expient.*

LECTIO X.

DE FLORE DECIMO, QUI EST DEVOTIO *Sacrificij quotidie offerendi.*

CUM oblatio sacrificii sit primaria functio Sacerdotii, in eam prima Sacerdotum cura debet incumbere. Unde monentur, ita immunes se conservare à peccatis, ut quotidie apti sint sacrificio offerendo. Neque digni sunt nomine & honore Sacerdotum, qui perraro divinum offerunt sacrificium. Quapropter Beda, & ex eo S. Bonaventura, sic eos arguunt: *Cum Sacerdos est absque peccato mortali, & in proposito bono, non habens legitimum impedimentum, & non ex reverentia, sed ex negligentia celebrare omittit, tunc quantum in ipso est, privat S. Trinitatem laude & gloria, Angelos laetitia, peccatores venia, justos subsidio & gratia impetratoria existentes refrigerio, Ecclesiam spirituali Christi beneficio & speciali medicina ac remedio contra quotidiana peccata, & infirmitates.* Singula breviter percurro & explico.

Bonav. de præparat. ad Missam c. 5.

Primò quidem, *privare censetur Trinitatem laude & gloria*, quia Missa nihil aliud est nisi legatio quaedam cum munere incomparabili conjuncta, in agnitionem supremi Numinis, & in testimonium nostræ servitutis. Ibi ergo divina laus celebratur, tum ab Ecclesia militante, tum ab Ecclesia triumphante, quarum vices gerit Sacerdos sacrificans. Ibi extollitur divina potentia, sapientia, bonitas, charitas, sanctitas, aliæque infinitæ perfectiones. Ibi supremus honor trino & unico numini impenditur ab omni creatura, quæ est in Christo Jesu recapitulata, simulq; quodammodo in ipso oblata, dum offertur ipse *Primogenitus omnis creaturæ*, in quo omnis creatura eminenter continetur. Hac ergo laude & gloriâ quodammodo privat Deum, qui sua socordia non se aptat sacrificio.

Sacerdos non celebrans 2. Privat S. Trinitatem & gloria & laude.

Secundo, censetur privare *Angelos laetitiâ*, quia illi hic ascendunt & descendunt super filium hominis tanquam in mystica scala Jacob. Et hi quoque exultant hic in laude divina per sacrificium nostrum renovata. In illo enim renovatur de die in diem elevatio Agni, *stantis quasi occisi*, coram cujus throno inclamant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, qui est, qui erat, & qui venturus est.* Ad illius quoque pedes mittunt hic Beati coronas suas, agnoscentes sibi ab illo, qui offertur, fuisse impertitas. Undè censentur & ipsi hic inclamare quotidie: *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem & divinitatem, & sapientiam, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Atque etiam cùm in hoc sacrificio, cum passione Jesu Christi Martyrum capitis & Ducis, commemoretur passio militum, sive Martyrum ejus, gaudent & ipsi in quotidiana hac oblatione. Et ita, qui ex negligentia sacrificium raro offert, censetur privare quodam gaudio & gloria, acci-

2. *Angelos laetitia.*

Apoc. 5. 6 Cap. 4. 8.

Ib. 5. 12.

Digitized by Google

accidentali non ſolùm Angelicos ſpiritus, ſed & beatas mentes.

3. *Peccatores vanis.*

Tertiò, peccatores privantur *vanis*, quia quotieſcunque in hoc ſacrificio incruento myſtice effunditur Sanguis Chriſti: id fit in remiſſionem peccatorum, & multum proficit ad impetrandam gratiam contritionis & converſionis, his qui jacent infixi in limo profundi, in ſtatu perniciolo. Nam intuitu hujus ſacrificii, Deus multis immittit cogitationes ſanctas, & inſpirationes ad converſionem efficaces. Ideo Sacerdos, quoties ſacrificio ſe accingit, in veſte Sacerdotali crucem geſtat, & pro delictis totius mundi exorat: pretiumque ſemel oblatum in remiſſionem, iterum offert, ut profit efficaciter in expiationem. Ergo hoc pietatis præſidio, hac efficaci ſalutis victima non ſunt privandi, qui in peccatis demorantur ſalutis periculo obnoxii, ſed ſollicitè pro illis exorandus eſt Deus, immolata

Pſ. 68. 16. hoſtia hac ſalutari, ut eruantur, & *non abſorbeat* eos *profundum, neque urgeat ſuper* eos *puteus os ſuum*; ſed ſpiritus contritionis illis immittatur, quo aperiant oculos excæcatos & cor durum, vitamque & lucem attrahant ad revertendum. Hoc porrò præſidio & ope abillis privari cenſentur, qui ubi poſſunt, Sacrificium offerre renuunt.

4. *Juſtos gratia & ſubſidio.*

Quarto privantur juſti *gratia & ſubſidio*, quia hic fit efficax applicatio meritorum Chriſti, & eſt apertio thæſauri, ex quo cœleſtis gratiæ dona copioſè depromuntur, & in juſtos derivantur. Hic iterum Chriſtus ut Mediator & Interceſſor, ut Sacerdos & Hoſtia, à Patre depoſcit & impetrat, quæ ſuis electis novit congruere dona. Ergo & hoc extimulare debet quemlibet Sacerdotem, ad frequentiſſime offerendum hoc ſacrificium, non ſolùm pro peccatoribus & perditis, ut revocentur ad vitam: ſed & pro juſtis, ut confirmentur & proficiant ad ampliorem gratiam; & pro perfectis, ut cœleſtibus incrementis & auxiliis tandem pertingant ad gloriam.

5. *Defunctis refrigerio.*

Quintò, privantur defuncti *refrigerio*. Nam & pro ipſis etiam inſtitutum eſt hoc ſacrificium: ideoque ſollicitam eorum gerere debent curam Sacerdotes, quod in magna degant inopia, graviſſimiſque affligantur pœnis, impotentes ſibi ipſis ſuccurrere. Sacerdotes verò exigua & facili opera eis valent auxiliari, & mediante ſacrificio tormentis eripere. Nec exiguum hoc beneficium exiſtimandum eſt, quia cum omnes animæ purgatoriis pœnis detentæ ſint prædeſtinatæ, & in gratiæ ſtatu confirmatæ, continuò ſuſpirant ad præmium ſibi debitum; cui jam ſe appropinquare probè norunt. Et quia ſcunt quanti æſtimanda ſit illa gloria, illa divinitatis viſio, licet nullis afflictarentur pœnis, graviſſimum eis eſt tormentum, vel una hora ab ejus fruitione retardari. Quapropter nec ingratæ erunt opitulantibus, quia adepta beatitudine, reddent gratiam pro gratia, cum ſint potentes apud Deum. Deinde non ſolùm ipſis; ſed & civibus cœleſtibus gratiſſimum eſt, has è carcere animas quantociùs liberari: quandoquidem huic debeant inſcribi civitati, ejuſdem conſortes gaudii. Expectant autem ipſi avidè reſtaurari ruinas civitatis ſuæ, electorum numero ſeſe complente. Adde quod hanc pietatem remunerare ſoleat Deus ſimili planè compenſatione: ut ſcilicet qui in defunctos fuere pii vita durante, ubi deceſſerint, viventium etiam fruantur pietate. Itaque Sacerdotes hæc expendentes, frequentiſſima Sacrificii oblatione, & charitatis affectu ardente, eis opitulari conentur gratiam multiplicem tum ab eiſdem, tum à Deo, haud dubiè recepturi. Cùm enim eis benè fuerit, non obliviſcentur, ſicut ille apud Regem Pharaonem ſuccedentibus proſperis oblitus eſt interpretis ſui: ſed ſuggerent æterno Regi, ut & ipſi educantur de carcere expiatorio, & de flammis piacularibus, ſi contingat illuc pro exolutione pœnarum detrudi.

Anima ſalva Sacerdotibus rependent.

6. *Eccleſiæ beneficio Chriſti.*

Sextò privatur Eccleſia ſpirituali Chriſti beneficio, quia Miſſæ Sacrificio non habet ipſa beneficium majus. Nihil enim eſt pretioſius humanitate Chriſti divinitate perunctæ, quæ hic immolatur, hominibuſque tum in cibum, tum in ſanctificationem ordinatur: Eſque oblatio iſta origo omnium beneficiorum in Eccleſiam derivantium, cùm holocauſtum perfecti amoris, propitiatorium pro peccatis, expiatorium pro pœnis, impetratorium pro donis, euchariſticum pro beneficiis. Nam ſemper aſcendit in Deum cum odore ſuavitatis, & ſecum refert ejus dona in profectum humanæ ſalutis, & in bonum Eccleſiæ militantis: Hoc igitur bonum urgere debet Sacerdotes ad excutiendam ſomnolentiam & teporem, & ad concipiendum ardorem ad rite offerendum adeò ſublime & ſalubre ſacrificium; ne reſpuere videantur copioſa dona ſpiritualium chariſmatum, ab hoc fonte ſcaturientium.

7. *Seipſum medicina & remedio.*

Septimò, privat ſeipſum Sacerdos non celebrans medicina & remedio. Cum enim homo ſemper peccet, ſemper eget medela, quæ hic efficaciſſimè præparatur. Cum ergo Sacerdotes etiam infirmitati ſint obnoxii, dum ſacrificium negligunt, remedium certiſſimum aſpernari videntur: privanturque bonis omnibus ex ſumptione pharmaci hujus cæleſti provenientibus, quæ ſunt peccatorum remiſſio, fomitis mitigatio, mentis illuminatio, interior refectio, Chriſti & corporis ejus myſtici incorporatio, virtutum roboratio, contra Diabolum armatio, fidei certitudo, elevatio ſpei, excitatio charitatis, augmentatio devotionis, & communicatio cum Angelis. Atque cum Sacerdotes magno debeant pietatis affectu ferri erga paſſionem Chriſti, & ſanguinem pro ſe fuſum, ad redemptionem acquiſitam, eorum vita non aliud debet eſſe, quam continua ad ſacrificium præparatio, in qua renovatur myſticè & incruentè Jeſu Chriſti primi Sacerdotis immolatio. Audiant ergo illud Chriſti, ſibi in ordinatione dictum: *Hoc facite in meam commemorationem.* Non

Quare ſacerdotes deberent frequentius celebrare.

ſemel

semel, non aliquoties in anno, sed prout possibile est per impedimenta hujus mortalis vitæ istud facite, istam mortem meam commemorate, istud pretium redemptionis immolate: alioqui beneficio mortis meæ, quam quotidie commemorari volui, annon sitis ingrati perpendite.

Sacerdos ergo quotidie accedens ad sacrificium cum mortis Christi memoria sibi in ordinatione commendata, piè hanc orationem ex D. Bonaventura poterit ore, vel corde, Deo præsentare.

ORATIO EX DIVO BONAVENTURA DESUMPTA.

ECce cœlestis Pater, recolens illam mortem unigeniti tui, offero tibi hostiam hanc quam ipse tibi obtulit pro mea & totius mundi salute: Ecce ad altare tuæ majestatis transmitto oblationem vivam quam tu in miseratione multa misisti ad altare crucis pro nobis immolandam. Recordare illius sacrosanctæ sudoris, quasi guttæ sanguinis decurrentis in terram. Respice illam Virgineam carnem, verberibus cru delster flagellatam, sanguine cruentam spinis perforatam, clavis confixam, lancea vulneratam. Illa ergo pietas qua filium tuum traxit & vicit ut statera quæ totius mundi peccata librabat, ipsa te cogat Pater misereri nobis miseris. Respice, obsecro non nostra peccata, sed in faciem Christi tui. Non enim in justificationibus nostris, prosternimus preces ante faciem tuam, sed in multitudine miserationum tuarum.

CONFIRMATIO DICTORUM PER EXEMPLA.

OB has rationes viri sancti nullo die sacrificium Deo offerre neglexerunt, & id quidem, non ex arida consuetudine, sed ex amoris divini impulsu, & diligenti præparatione.

De S. Ambros. Baron. tom. 4. an. 375.

Sic de S. Ambrosio legimus, ad sacrificium celebrandum ita assiduum fuisse, ut ex ardenti animi affectu se præparans, illud quotidie offerret. Cui in diebus Dominicis concionem semper jungebat ad populi institutionem Testis est orat. 1. ad Missam & Epist. ad Sororem. Testus & Augustinus l. 5. con-

Ambr. l. 4. de sacram. c. ult. to. 4. refertur de consec. d. 2. c. Si quotiescunque

fess c 13. De se ipse Ambrosius sic ait: Si quotiescunque effunditur sanguis Christi, totics in remissionem effunditur debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur: qui semper pecco, semper debeo accipere medicinam.

de S. Carolo.

S. Carolus Borromæus, Pallii & spiritus ejus hæres, ac ejusdem Mediolanensis Cathedræ successor, singulis etiam diebus rem divinam faciebat: & id non perfunctoriè, sed sæpè cum lachrymis, solebatque Sacramentalem Confessionem præmittere. Gaudebat quoque propriis manibus populo sacram Communionem ministrare, tanquam unus

Isa. 6. 6.

ex Seraphinis, *ignitum illum calculum*, sive carbunculum divinitatis flammam continentem, duplicis charitatis forcipe de altari sumens, ut confitentium & communicantium non solum labia, sed & corda expurgaret, sacratissimo divini amoris igne inflammaret. Ideoque plurima millia de sacris ejus manibus immolatam hostiam sumebant sacrificio ejus participantes.

De S. Gudwalo Surius in ejus vita 6. Junii. *Et sacrificanti apparent Angeli.*

De S. Gudwalo apud Surium similiter legimus, solitum fuisse Missis assidue celebrare: quanta autem puritate se tanto ministerio præpararet, divinitus revelatum est. Jejunus, vigiliis, precibus præmissis, cum sacro altari virginitatis byssо, & charitatis purpura, adstaret indutus, atque ad cœlestia suspensus, cœli aperti sunt, & visio mirabilis ei exhibita est. Descendunt ad eum sancti Angeli, adstantes consolationis gratia sacrificanti, tremendis interfuit mysteriis, una cum illo laudes depromunt Deo cum ingenti reverentia Ille seu splendida lucis columna stat, Sancta Sanctorum tractans, Agnum Dei immolans: junguntur cœlestia terrenis, terrena cœlestibus, mortalibus immortales, pro tanta gratia divinitus mortalibus collata immortales gratulantur. Ita Surius in vita ejus 6. Julii.

S. Greg. de S. Cassio hom. 37. in Evang.

Audi & S. Gregorium de S. Cassio. Multi vestrum: Fratres, Cassium Namiensis Urbis Episcopum noverunt, cui mos erat quotidianas Deo hostias offerre ita ut penè nullus dies vitæ ejus abiceret, quo non Omnipotenti Deo hostiam placationis immolaret. Cum Sacrificio valdè etiam concordabat vita: nam cuncta quæ habebat in eleemosynis tribuens, cum ad horam offerendi sacrificii veniret; velut totus in lachrymis defluens, semetipsum cum magna cordis contritione macabat. Cujus & vitam & exitum, à quodam venerabilis vitæ Diacono qui fuerat ab eo nutritus, cognovi. Ajebat enim, quod quadam nocte ejus Presbytero per visum Dominus astitit, dicens: *Vade & dic Episcopo: Age quod agis, operare quod operaris, non cessat pes tuus, non cessat manus tua. Natali Apostolorum veniet ad me, & retribuam tibi mercedem tuam.* Quod quidem septimo post anno contigit; in Natali enim Apostolorum, oblato Sacrificio ad lectum rediit, ibique Sacerdotes suos ac ministros circumstantes, quasi ultimum valedicens, de servando charitatis vinculo admonebat. At inter sanctæ exhortationis verba subitò exclamavit: *Hora est.* Mox assistentibus ipse suis manibus linteum dedit, quod ex more morientium sibi contra faciem tenderetur, quo tenso spiritum emisit. Sicque sancta anima ad gaudia æterna perveniens, à carnis corruptione soluta est. Hæc ex D. Greg. qui addit ipsum id meruisse ob pietatem in Missa quotidie offerenda. Sic enim dicit: *Quem, Fratres charissimi, quem vir iste in morte sua imitatus est, nisi eum quem in vita sua fuerat contemplatus? Dicens enim, Hora est, de corpore exire; quia Jesus peractis omnibus, cum dixisset, consummatum est, spiritum tradidit. Quid ergo Dominus ex potestate, hoc egit famulus ex vocatione. Ecce quotidiana hostia, illa cum lachrymis missa legatio, quantam cum Rege gratiæ pacem fecit!*

S. Tho-

Digitized by Google

De S. Thoma Aquinate.

S. Thomas Aquinas in rerum divinarum contemplatione sic sæpe vitus est mente in Deum sublimiter excessisse, ut corpus pariter in aere suspensum videretur: præcipue autem afficiebatur Eucharistiæ mysterio, solebatque quotidiè Missæ offerre sacrificium, nulli ægritudine impediretur, nec per hoc contentus, alterius etiam Fratris Missam auscultabat & sæpè inserviebat. Sub ipso autem sacrificio tanti Sacramenti amore ebrius, non raro in Deum rapiebatur lacrymis totus perfusus.

De S. Laurentio Just. Surius 8. Jan.

S. Laurentius Justinianus patriarcha Venetus, ex quo die factus est Sacerdos, non omisit celebrare, nisi ob valetudinem. Solebat vero dicere, quod qui cùm potest Domino suo frui, non frueretur, facilè se declarare Domini sui curam non habere.

Hos imitantur plerique viri pij, & imitari maxime debent, quoad fieri potest. Pastores quos convenit similes esse Job, quem dicit Scriptura pro peccatis filiorum quotidie hostias immolasse. Sic & ipsi cum Patres sint, solliciti esse debent de filiis, eosque in visceribus gerere, in Christo diligere, ac pro eorum salute hostiam illam propitiationis quotidiè immolare: illorum est, vota precesque æterno & vivo Deo offerre, pro redemptione animarum, pro spe salutis & incolumitate suorum: miserias orphanorum, inopiam debilium, desperationes languentium, defectus senum, suspiria juvenum, vota virginum, lamenta viduarum, Deo præsentare. Offerre debent & orare pro pereuntibus, ut revocentur; pro labentibus, ut non collidantur; pro lapsis, ut erigantur; pro stantibus, ut confirmentur; pro justis, ut coronam adipiscantur. Convenit illis idem agere & dicere, quod olim Esther periclitante populo suo. Hæc enim accedens ad Regem, & summitatem virgæ regiæ (quæ protendebatur in signum clementiæ) tangens & osculans, dicebat: *Si inveni gratiam in oculis tuis, ô Rex, & si tibi placet; dona mihi animam pro qua rogo, & populum meum pro quo obsecro.* Sic ad thronum gratiæ & divinæ misericordiæ Dei accedens Pastor & Sacerdos in Sacrificio quotidiano, auream divinæ clementiæ virgam exosculans, pro se & populo sibi commisso, repetat illud: Si inveni gratiam in oculis tuis, ô Rex, dona mihi animam meam pro qua rogo, & populum meum pro quo obsecro. Esth. 7. 3.

Dolendum porrò, non paucos reperiri Sacerdotes, qui ferè quotidiè celebrant: at non tam propter Christum, quam propter nummum, animo potiùs mercenario, quàm spiritu divino: aviditate lucri ad altare currunt, non pietate ducti, ut marsupium impleant, non ut animum, cibumque quærunt terrestrem non ita cœlestem. Et ideò nolunt Deus, qua dispositione, qua mentis præparatione accedant: quandoque enim abhuc cibos & crapulam præcedentis diei ructantes primò diluculo consurgunt, & altari se sistunt, vix lectis matutinis horis, sine prævia aliqua oratione; sicque celeriter, cursim, perfunctoriè omnia peragunt, ne distributione careant.

O Domine Jesu ideò nominaris *Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*, quia quotidie in finem usque sæculi per tuos offers Ministros sacrificium, quod semel in cœna & cruce obtulisti, idque instar Melchisedech sub panis & vini symbolis. Inspira igitur Sacerdotibus tuis, tuo consignatis & configuratis charactere, ut ad Sacrificium de die in diem accedant: non ex arida consuetudine, non ex lucri aviditate, sed ut Te adorent in spiritu & veritate. Fac ut semper memores sint, cujus personam gerant, cujus verbis consecrent, qua potestate sacrificent: ut sic conformentur Tibi, tamquam membra capiti, tamquam instrumenta electa principali operanti: tamquam ministri summo Sacerdoti. Sanctificetur à Te, sanctificeris ab eis, quoniam dixisti: *Sanctificabor in iis qui approximant mihi*: Lavent inter innocentes manus suas, & circumdent altare tuum, ab omni inquinamento carnis & spiritus puri, ut sic audiant vocem laudis, & enarrent mirabilia tua, donec in templo gloriæ tuæ, in stolis albis immolare valeant hostiam laudis perennantis. Ps. 109. 4. Lev. 10. 3.

DE PRÆPARATIONE AD SACRIFICIUM.

Cum, ut jam dictum est, primaria Sacerdotum functio sit sacrificio hujus divini quotidiana oblatio: hinc rectè infertur primariam Sacerdotis occupationem, imò & totam vitam, non aliud esse debere, quàm jugem tanti sacrificii considerationem, sive præparando se ad illud, sive pro illo gratias agendo. Itaque de die in diem Sacerdos hoc corde revolvat, huic rei sollicitudinem impendat, ut dignè sacrificet; ut Sacerdotium Christi indignis moribus non commaculet. Interim quemlibet conatum & sollicitudinem animi ad pium præparationem conferet it, hoc semper cum humilitate agnoscat, nunquam illam correspondentem esse posse dignitati tanti sacrificii, licet pluribus annis in eam insudaret totus animus, totusque cordis affectus. Unica tantum Missa dignè, sive correspondenter ejus dignitati, semel oblata est & hæc ipsa est, quam Christus Homo Deus in cœna primò consecrans & sacrificans obtulit. Quia tunc ex parte offerentis infinita dignitas aderat, sicut & ex parte rei oblatæ. Rectè igitur Thomas à Kempis: *Si haberes Angelicam puritatem & S. Baptistæ sanctitatem* (addo & Virginis Mariæ dignitatem) *non esses dignus hoc Sacramentum accipere, nec tractare. Non enim hoc debetur meritis hominum, quòd homo conficeret & tractet Christi Sacramentum, & sumat in cibum panem Angelorum.* Vult interim Dominus, qui sua benignitate supplet quod ex nobis deest, ut sincero cordis affectu & reverentia, non ex arida consuetudine aut necessitate, tantæ actioni mentem præ- Kempis l. 4. de imit. c. 5.

Digitized by Google

Præparationes à variis præſcribuntur, ſed quia diverſo palato diverſus ſapit cibus, illud poteſt unuſquiſque ſeligere ad ruminandum, in quo majori afficitur ſaporis; ſive quod efficacius ſibi judicat, ad intellectum & affectum excitandum in tanti myſterii participatione. Multa præclara habet Thomas à Kempis l. 4. de imit. & occurrent alia paſſim libelli. Vide Bourgoineum de ligno Vitæ.

EXERCITIVM PVRGATORIVM IN quinque vulneribus Chriſti, ad dignè ſacrificandum, vel communicandum.

Praxis ad digne celebrandum vel communicandum.

INgemiſcens de peccatis veniam à Deo enixè poſtula, & ſingula peccata divide, ac depone ad ſingula Jeſu Chriſti vulnera.

Primò, ad vulnus dextri pedis, deponere potes ſuperbiam & inanem gloriam, & his affinia peccata ſuperbiæ maledicta germina, à quibus te commaculatum agnoſcis: ſeque collecto Spiritu, & tota cordis converſione ac gemitu, dic: *O IESV miſerator & miſericors, propitius eſto mihi peccatori, & libera me ab omni ſuperbia peſte, & da imitationem humilitatis tuæ.* Optabis igitur deſiderium fervens in hoc vulnere, quo valeas ab his peccatis expiari: & ſimiliter te excitabis pro aliis peccatis in ſingulis aliis Chriſti vulneribus, ut jam dicemus.

Secundò, ad vulnus ſiniſtri pedis, depone iram & invidiam, & quidquid ex his peccatis in te enaſci ſolet, & iterum cum gemitu extimo cordis affectu pronuncia, cum pectoris tunſione pia: *O Ieſu miſerator & miſericors, propitius eſto mihi peccatori, & libera me ab omni ira & impatientia, ab omni vindicta & invidia malediſto germine, & da imitationem charitatis tuæ.* Hic iterum excita fervens deſiderium in hoc vulnere, ut ab illis expieris.

Tertiò, ad vulnus dextræ manus, depone gulam & luxuriam ac vitia inde germinantia, quæ te coinquinarunt: excitatoque deſiderio ardenti ibidem te ab illis expiandi, ingemiſce & dic. *O Ieſu miſerator & miſericors, eſto mihi propitius peccatori, & libera me ab omni inquinamento gulæ & luxuriæ, & accende me ad imitationem ſobrietatis & caſtitatis tuæ.*

Quartò, ad vulnus manus ſiniſtræ, depone acediam & negligentiam in divino ſervitio & officio, cum omnibus delictis quæ inde ortum habent: atque ita in iſto vulnere ab illis expiari ferventer deſiderans, dic cum cordis & pectoris tunſione: *O Ieſu miſerator & miſericors propitius eſto mihi peccatori, & ab omni aviditate, torpore & ſopore, ac tædio, ab omnibuſque negligentiis expriame: & da participationem fervoris, quam exhibuiſti in redemptionis noſtræ opere.*

Quintò, in vulnere cordis piiſſimi Jeſu, depone omnem amorem proprium, amoremque ſæculi, cum omnibus vitiis & concupiſcentiis inde enatis, quibus neque proximum, neque Deum pura charitate, ſed tuis deſideriis ſatisfacies, temetipſum quæſiviſti. Itaque in hoc vulnere cordis, ab his omnibus impuris affectibus emaculari & expiari ferventiſſimè optans, contriti cordis gemitum educ cum hac voce: *O IESV miſerator & miſericors, propitius eſto mihi miſero peccatori, & libera me ab omni proprio vel impuro creaturarum amore, quo inquinatum eſt cor meum: & da amorem tuum purum, quo purè te poſſim quærere, & nihil amare niſi te, & propter te.*

His peractis poteris mentaliter Jeſum Chriſtum coram oculis cordis tui crucifixum alloqui, cum firma reſolutione deinceps peccata vitandi. hoc aut ſimili modo: *O Ieſu Salvator benigniſſime, poſtquam omnia peccata, vitia, imperfectiones & negligentias, in vulneribus tuis, & in corde tuo amantiſſimo & miſericordiſſimo paſſi, indulge mihi, infunde contritionem perfectam, ut ex totis meis dilli hac omnia lugeam. Da emendationem vitæ, ut deinceps ab omni peccato protus amore abſtineam, & omnia tibi beneplacita perficiam. Cor meum tua charitate impleas, tui amore vulnera, in te illud transformes, tibique inſeparabiliter unias.*

LECTIO XI.

DE FLORE VNDECIMO, QVI EST Studium orationis mentalis.

XI. Flos ſtudium Meditationis.

DE hac re ſic Regula: *Vivat preces horarias Sacerdotes quotidie aliquantò temporis deſtinens orationi mentali, & ſincero conſcientiæ examini.*

Oratio eſt quædam vita vitæ noſtræ, & animæ animæ noſtræ: eſt enim quædam reſpiratio, qua os aperimus & ſpiritum cœleſtem attrahimus. Unde omni tempore commendabilis eſt, omnique negotio opportuna. Sicut omni momento Dei fruimur bonitate, ita omni momento congruum foret in Deum cor elevare. Atque maxime decet Sacerdotes, in omni negotio quod aggrediuntur, ad orationem recurrere, & Dei voluntatem quærere. Cum enim negotia quæ tractant Dei ſint, exitus directione peragi debent: quæ directio impetratur frequenti oratione, cum ſit quædam cum Deo conſultatio. Hoc exemplo Moyſis eos monet S. Gregorius in Paſtorali, his verbis: *Moyſes crebro tabernaculum intrat & exit, & qui intus in contemplationem rapitur foris infirmantium negotiis urgetur, intus Dei arcana conſiderat, foris onera carnalium portat. Qui de rebus quoque dubiis ſemper ad tabernaculum recurrit, coram teſtamenti arca Dominum conſulit: exemplum procul dubio Rectoribus præbens, ut cum foris ambiguum quid diſponent, ſemper quaſi ad tabernaculum redeant.* S. Greg. in Paſtorali.

S. Carolus hoc ipſum requirit in Sacerdotibus, frequens ſcilicet orationis ſtudium: familiaritas enim cum Deo, quotidiano & attento S. Carolo.

Digitized by Google

orationis ac divinarum rerum meditationis ſtudio nutritur, & fovetur. Nec ſolum hoc aliis præcipiebat, ſed multo magis faciebat ipſe. Vix enim abibat dies, etſi in ſummis illis occupationibus, quoternas & quaternas horas, imò etiam plures orationi inſumeret. Paulo ante mortem, cum ad eam ſe diſponeret, ipſum octo horis in oratione mentali perſeveraſſe, teſtis eſt ſcriptor vitæ ejus. Atque etiá noctes integras ea in re impendere ſolitum, teſtati ſunt, qui familiariter virum ſanctum agnoverant. Imò tota ferè ejus vitá, excepto breviſſimo omno, perpetua fuit oratio, quia inter agendum inter eundum, inter veſcendum, ſemper aliquid mente volvebat.

S. Mart. Similiter S. Martinus invictum ab oratione ſpiritum non relaxabat, nec in vita, nec in morte. unde cum jam corpore fatiſcente animam agere videretur, labia adhuc movebat orans, & in cœlum oculos tollebat. Nec orare deſtitit, donec lumine ſubito circumfuſus, ſpiritum reddidit perpetuò in cœlis laudaturum.

S. Greg l. 3. dial de Iſaac Monacho. Admirabile eſt quod de Iſaac Syro Monacho refert Greg qui poſtquam Spoletum Picen. Oppidum appuliſſi, Presbyteros rogavit ut ibidem orandi, quamdiu vellet, copiam ſibi concederent, nec ſinerent orationi quempiam impedimento eſſe. Ea re impetrata, dies tres continuos, & totidem noctes genibus innixus oravit. Hoc quidam hypocriſi deputans, & verbis injunctis inſultans, etiam colaphum impegit, ſed repentè à maligno ſpiritu vexari cœpit; Iſaac verò pietatis memor, percuſſorem ſuum oratione liberavit.

Hæc vero exempla ſublimia quidem ſunt, nec omni ex parte imitabilia; attamen monent & ſtimulant Dei miniſtros, ut orationis ſtudium, tanquam ipſorum maximè proprium, habeant commendatum. Ipſis enim cum Apoſtolis convenit illud dicere: *Nos orationi & miniſterio verbi inſtantes, ſumus* Ipſorum eſt, Chriſtum Jeſum primum exemplar Sacerdotum imitari, qui de his quæ plebis ſalutem concernebant vacare ſolitus erat, de nocte orationi incumbebat, & Apoſtolis commendabat ſedulam & frequentem orationem: *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.* Inſtituitur & Franciſcum, qui in omni re per orationem Dei explorabat voluntatem, frequenter hoc habens in corde & in ore: *Quid jubet Dominus meus; Da quod jubes, jube quod vis.*

Act. 9. 4.

Matt. 26. 41.

Cæterùm duplex eſt oratio, vocalis ſcilicet & mentalis, hac poſteriore homo non tam voce quam animo teſe cum Deo conjungit, & maximè commendabilis eſt, tanquam omni tempori & loco congrua. Omni enim tempori omnique loco fieri poteſt mentis in Deum elevatio, per actum oblationis, per actum amoris, per actum contritionis, humiliationis, adorationis, & ſimiles. Et ita Dei continuam fovente memoriam dicere poſſumus cum Pſalmiſta: *Apud me oratio Deo vitæ meæ.*

Pſ. 41. 10.

Apud nos illa debet adeſſe tanquam omnium functionum noſtrarum ſocia & comes indiviſa. De hac re Religioſum inſtruens Thomas à Kempis ſic ait: *Surgat tecum oratio noſtra de lectulo, vigilet & cantet tecum pſalmos de pſalterio, quieſcat tecum in dormitorio, præcedat & ſequatur te in Choro, ſedeat tecum in refectorio, gratias tecum agat cibo ſobriè ſumpto, tranſeat tecum in agrum in labore diverſo, plantet tecum ſæpe in horto, tecum vadat & adſit in cubiculo, mundet tecum pedes à luto verborum, lavet tecum manus à ſorde operum, comitetur te in omni loco privato & aperto, habitet tecum in ſilentio.* Hæc itaque oratio non eſt niſi quædam in Deum reflexio, & mentis in Deum reſpiratio, quæ non impedit opera alia aut functiones, ſed dirigit illas, vel ſola mente, vel quandoque etiam voce. Nam aſpirationes breves & jaculatoriæ, ſolo cordis deſiderio, vel oris etiam gemitu emiſſæ plurimùm proſunt, & efficaciter in cœlum penetrant, noſque ac noſtra in Deum dirigunt. Kempis in ſerm. ad Novit.

Sed de oratione mentali nunc potiſſimum agimus, dicimuſque ad Sacerdotum munus ſpectare, ultra preces horarias ex profeſſo illi vacare, ſive ſacrarum rerum meditationi aliquid temporis quotidie deſtinare. Quia cum inter ſublimia myſteria hi quotidie verſentur, illa vix digne tractare queunt, neque muneri ſuo plene ſatisfacere niſi per frequens ſuæ meditationis exercitium. Unde congruit eos eſſe ſimiles myſticis animalibus illis de quibus apud Ezechielem: *Facies eorum & penna eorum extenta erant deſuper.* Animalia illa myſtica circa currum gloriæ Dei, illorum figuram videntur gerere, quorum eſt divino Throno aſtare, hoc eſt Sacerdotum & Dei Miniſtrorum. Hi nempe ſublimes debent habere facies per rerum divinarum contemplationem, pennaſque extentas per affectum in cœleſtia volantem. Facies enim interpretè S. Gregorio notitiam ſignificat, alæ ſunt deſideria & affectus: & ita facies & alæ in ſublime feruntur, quando per orationem mentalem, intellectus & voluntas ad Deum cognoſcendum & amandum elevatur. His duabus alis etiam volabant apud Iſaiam, contemplatione per intellectum, amore & fruitione per voluntatem.

Ezech. 1. 6. 11.

S. Greg l. 1. Hom 7. in Ezech.

Iſa. 6. 2.

DE ILLIS QVI DICVNT SE NON poſſe meditari.

Deliq qui ſe excuſant meditationis omiſſa.

NOn omnes idem poſſunt in hac mentali oratione, ſed diverſi diverſis donantur à Deo hac in re donis. Quidam, ſpeciali Dei beneficio, ad contemplationis etiam altiſſimæ verticem pertingunt. Nemo tamen eſt ſincerè ſeſe addicens huic rei, quin aliquid poſſit, aliquidque proficiat. Unde nemo dicere debet: Non poſſum orare mentaliter non poſſum meditari. His reſpondet 1. Thomas Kempis: Si non potes cum Joanne ſublimia & divina contemplari, procide cum Magdalena ad pedes Jeſu, & corde contrito, ſpiritu humi-

humiliatio, pete tuorum veniam peccatorum, quibus multoties offendisti. Si non vales cum Paulo ad tertium Cœlum evolare, mane cum eo apud Jesum Crucifixum, non in carne gloriando, sed carnem cum vitiis & concupiscentiis crucifigendo Si non potes montes excelsos contemplationis cum cervis, id est, viris perfectis, scandere, ingredere petram cum Erinaciis, ut ibi spinas peccatorum relinquas. Si non habes alas Aquilæ volantis ad tidera, habeas pennas simplicis columbæ nidificantis in macería, meditando sacrosancta Jesu Christi vulnera. Plus sanctitatis reperit humilis Franciscus in Passione Christi, quàm omnes Sapientes & Philosophi in contemplatione Cœli.

In distractionibus quid agendum.

Respondet 2. B Ægidius S Francisci socius. Si non potes nisi distractas orationes & meditationes peragere, tamen offer, quia Deus etiam in tabernaculo accepebat pilos caprarum. Oportet ergo, non obstantibus distractionibus animum in diversa rapientibus, in præsentia Dei perseverare, & tempus orationi destinatum non interrumpere. Oportet hanc ipsam miseriam, quæ non sinit cor perfecte in Deum erigere, cum humilitate agnoscere, & repræsentare gemendo cum Propheta: *Cor meum dereliquit me, Domine, ad adjuvandum me respice.* Cogitationes meæ quæ dividunt animum meum à me, *multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, emplaceat tibi Domine, ut eruas me.* Haud dubio oratio hæc fructuosa erit Deoque placens in humili agnitione nihili nostri, & in conformitate voluntatis nostræ cum divina, quæ vult nos sic probare: & juste ordinat in tali etiam miseria nos esse in tali cordis inopia, quæ vix sinat illud in Deum aliquanto tempore erigere, aut erectum tenere. Atque cùm sic affectus & afflictus animus, propter Deum purè, & nullo modo propter se, aut propter consolationem suam, hæret in oratione, tempus destinatum nolens interrumpere, sed perseverare quasi ad pedes Domini gemendo, absque dubio plurimùm meretur Et cùm hoc sit valde molestum tempore orationis sine ullo sapore esse, sed potius in quodam cordis exilio & desolatione stare; cum animus id acceptat tanquam à Deo, etiam rationem habet pœnalis sanctificationis in vindictam peccatorum ordinatæ Hoc nimirum est servire Deo suis expensis, ut quondam dicebat Dominus B Gertrudi sponsæ suæ Sic enim teste Blosio c 3 Monil alloquutus est eam Dominus: *Vellem electio meus persuasum esse, eorum exercitia mihi omnino placere, quando serviunt expensis suis. Sic autem serviunt illi, qui licet saporem devotionis minimè sentiant, fideliter tamen, ut possunt, orationes & alia opera pia peragunt, fidentes pietatis meæ, quod libenter ea suscipiam Plerisque si sapor & consolatio daretur, non prodesset eis ad salutem, & meritum minueretur.*

Ps 39. 13

De S. Gertrude Blosius.

In sterilitate quid faciendi.

Itaque in tali cordis sterilitate oportet se divinæ voluntati forti animo offerre, actus patientiæ, actus resignationis, actus humilitatis elicere, in nihilum suum descendere, & instar inopis & mendici ad Deum clamando ulcera ostentare. Unde M Avila docet sic tunc orandum ad pedes Jesu Christi: *Dum ne in quantum culpa mea intervenerit, quod hic fortè distractionibus occasionem dederim fuminopere doleo; in quantum verò à tua procedit voluntate, agnosco justum & peccatis meis debitam pœnam castigantem culpas meas, & præteritas ac præsentes negligentias. Vnde lubens animo accepto de manu tua hanc aviditatem & desolationem, hoc exilium miseri cordes mei.*

M. Avila.

Addi hic debet, quando tempore meditationis cor nostrum sta fugit à nobis, ut illud in alicujus mysterii consideratione figere nequeamus, magnum salicm hujus rei desiderium à nobis ejiciendum esse, quo suppleatur defectus. Quia hæc docet Blosius: *Deus non minus voluntate sanctoque desiderio lætatur, quam si tota anima amore liquefacta plenè sibi jungeretur.* Hoc etiam insinuavit Virgo Deipara S. Brigittæ sic eam quondam docens: *Diabolus explorator invidus quærit impedire bonos dum orant, tu verò filia quamcunque tentationem pulseris, persiste in desiderio & conatu sancto: quia desiderium & conatus pietatis reputabitur pro effectu orationis. Etiam si cogitationes sordidas ejicere non potueris, tamen pro illo conatu coronam recipies, & proderit illa molestia si tentationi non consentias.*

Blos. c. 2. Monil.

Respondemus 3. his qui dicunt se non posse meditari, mentalem orationem & meditationem plurimùm adjuvari, si quis piæ lectioni intendat, & inter legendum inhæreat singulis sententiis: ut & intellectum illuminet, & affectum moveat, volvens & revolvens quæ legit, non animo sciendi sive studio doctrinæ, sed studio animum devotione impinguandi, & divino amore succendendi Quacumque ratione finis habeatur orationis, quid refert? Hac ratione multis contingit efficacius mentem elevari, quàm sublimiori oratione; imo hæc est via ad sublimiorem contemplationem.

De S. Theresia accepimus, per quindecim & amplius annos vix potuisse meditationi animum addicere nisi hac via, libellum scilicet pietatis coram se gerendo, & post singula quæ legebat mentem in cœlum Deumque elevando, ac deinde deficiente intellectus consideratione & voluntatis motione, iterum ad librum se convertendo. Tandem Deus ad sublimiora eam vocans, noluit ut libris amplius uteretur, sed dixit ei: *Exhibebo tibi librum vivum, in quo poteris plenius legere, & perfectius erudiri.* Necdum sciebat, quem ob finem hoc ei diceret Dominus: sed paulo post intellexit, quia tanto eam favore prævenit Deus, ut multifariam multisque modis ipsam de rebus divinis erudiret. Etiam non egebat libris, sed apte ei liber erat scriptus intus & foris, liber vitæ & sapientiæ, liber pietatis & devotionis omnis.

De S. Theresia virg.

Itaque qui aliter nescit meditari, libellum de contemptu mundi, aut similem in manus sumat, & sogu-

ſingula quæ legit attendat, cum ſapore guſtet, maſticet & comedat. Imitetur animalia munda, quæ in paſcuis ruminant. Imitetur gallinam, quæ dum bibit, ad ſingulas aquæ ſtillas caput exaltat. Imitetur columbam, quæ ad ſingula grana oculos in cœlum tollit.

CONCLUSIO AD SACERDOTES.

Pſ.67. *Concludo igitur, & ad vos, ô Paſtores & Sacerdotes ſermonem convertens, verba Regii Prophetæ vobis ramemoro*: Si dormiatis inter medios Cleros pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi ejus in pallore auri. *Vos qui de Clero eſtis, de ſorte Domini, dormite inter medios Cleros. Quid eſt dormire inter medios Cleros? Contemplari ſcilicet, & in tranquillitate conſiderare utramque æternitatis ſortem ſcilicet, ſortem prædeſtinationis, ſortem reprobationis. Inter utramque ſæpè vobis herendum eſt, hanc deteſtando, ad illam aſpirando; hanc vitando, illam per bona opera certam faciendo; ſæpius de noviſſimis, de morte, de judicio, de inferno, de gloria meditando. Rurſus, quid eſt dormire inter medios Cleros? Verſari ſcilicet inter duas ſortes, cœleſtem & terrenam, ad illam aſcendendo per contemplationem rerum divinarum, ad hanc deſcendendo per charitatis obſequium erga proximum; ſicque in medio contemplativæ & activæ vitæ cum tranquillitate animi ſeſe gerere. Hoc veſtri muneris eſt, ô Sacerdotes, ô Paſtores, & quicunque de Clero eſſe gloriamini? Hoc ſi peregeritis, erit Eccleſia columba formoſiſſima habens alas deargentatas, & dorſum deauratum. Erunt pennæ columbæ hujus, (id eſt Eccleſiæ fides & mores) quaſi deargentata puritate cœleſtis ſapientiæ, & deaurata charitatis ardentis fervore. Eſtote igitur pulli hujus columbæ, in altum pennas ſublevate, ad foramina petræ, ad ſaxeam maceriæ volate, ibi gemite ob ex lium veſtrum, vel ob infelicem malorum ſortem. Cadavera relinquite & fœtidos ſæculi nitores, & aream cœleſtem contemplationis alu ſapiat animum veſtrum provehere ſatagite, ut ibi valeatis aliquantum quieſcere.*

DE ORATIONE MATUTINA.

Oratio matutina commendatur.

Licèt omne tempus idoneum ſit orationi, maximè tamen matutinum, multiplici ratione.

Pſ.90. *Primò*: quia matutina oratio deterſis tenebris feneſtras animæ divino aperit lumini: deinde ſervit tanquam clypeus nos præmuniens & protegens *à ſagitta volante in die, ab incurſu & dæmonio meridiano.*

Secundò: quia per illam perſolvuntur Deo primitiæ cogitationum & actionum, ipſiusque diei; quæ debentur illi tanquam primæ cauſæ, tanquam omnium rerum principio, tanquam auctori naturæ & gratiæ, tanquam bonorum omnium largitori. Hoc ipſum agnovere gentiles, apud quos hoc inter præcepta recenſetur: *Adveniente aurora, cum Deo eſt verſandum.* Et quia decet omnes actiones initium à Deo ſumere, dicebant ipſi: *A Jove principium.*

Tertiò, quia ad id invitant aliæ creaturæ, Angeli divinas laudes canentes, Sol, volucres, gallusque cantans. Hinc D. Ambroſ. *Grave eſt ſi tectioſum in ſtratu Solis ortentu radius invererecundo pudore convenit, & lux clara ferat oculis ſomnolento adhuc tepore depreſſos. Occurre ergo ad Solis ortus, ne lumina tua primus dies fulgor exagitet.* Et infrà: *Si hunc Solem* (Chriſtum) *præveneris, antequam iſte ſurgat, aſpicies Chriſtum illuminantem: ipſe prius in tuo corde illucèſcet arcano, iterumque dices ad eum: Exitus matutinos & veſperè delectabis.* Ambr. in Pſ.118. ſerm 19.

Quartò, quia hoc ipſum Scriptura commendat. Audi de hac re monitum Sapientis: *Oportet prævenire Solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare.* Loquitur ibi quidem de manna, quod ſpeciali Dei benedictione quotidiè deſcendebat, qui volebat colligere, debebat ante Solis exortos radios, qua per illos liquefiebat. Significabat verò ſimul, illum qui voluerit participare de cœleſti orationis dulcedine, quæ eſt manna & refectio filiorum Dei, debere diluculo paratum eſſe: quia tunc defluit ros cælicus, ros lucis ad animam vigilem irrorandam & impinguandam. Huc etiam ſpectat illa monitio Eccleſiaſtici: *Hora ſurgendi nonte trices, præcurre autem prior in domum tuam, & illic evocare, illic lude & age conceptiones tuas.* Sap.16 28. Eccl.32.15

Quaſi dicat Sapiens: Ingredere in domum interiorem ſtatim ac experrectus fueris, illic vaca, illic ambula, delectare cum ſponſo animæ tuæ: tunc opportunum eſt, ut rerum divinarum conſiderationi vacando, ſacros & conceptus & afflictus illi exponas, in illum dirigas. Subdit ibidem: *Benedicito Dominum qui fecit te, & inebriamente in omnibus donis ſuis.* Quaſi dicat: Opportunum eſt tunc gratias agere, & maturè conſiderare, quod ad imaginem ſuam creavit, quod ad beatitudinis ſuæ participationem te ordinavit, quod ut eam aſſequaris, tot quotidiè te cumulet bonis, & ubertim adimpleat benedictionibus.

Quintò, ratio etiam eſt evidens, quia tunc meliùs mens eſt diſpoſita ad conſideranda & percipienda divina, poſt aliquam quietem corporis, & minùs obnoxia eſt diſtractionibus, cùm necdum ſe implicuit diurnis curis. Liberiùs ad Deum volat, quia pennæ ejus occupationum variarum pulvere necdum ſunt reſperſæ, vel depreſſæ. Itaque nihil eſt utilius, quàm tunc temporis alluſcere ſacro mentis exercitio, in meditatione aliqua de brevitate vitæ, de morte, de judicio, de æternitate, de propriis ſtatûs obligatione, de vita aut Chriſti paſſione, de Sanctorum geſtis & exemplis tanquam carbonibus ignitis ſuper caput noſtrum congerendis. Exindè efficacia oportet propoſita concipere de mortificandis eo die paſſionibus noſtris, ita, ſuperbia, gula, deſideriumque elicere exercendi ſe in

Digitized by Google

virtutibus contrariis humiliate, patientia, charitate; ac dissolvendi quæcumque occasionem præbent vitiis quæ exoriuntur in nobis. Denique juvat hæc proposita subinde per diem recolere & renovare, ut efficaciora sint: atque etiam per orationes jaculatorias & aspirationes sacras acuere & accendere.

Hoc verò, si omnibus piis rectè suadetur, quanto magis Sacerdotibus? Illis olim præcipiebatur: Lev.6.12. *Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet Sacerdos, subiiciens ligna manè per singulos dies.* Hoc perfectè adimplent, qui sacræ meditationis objectum, quasi lignorum congeriem, quotidiè admovent, ut ignis pietatis in corde, tanquam in divino quodam altari nunquam extinguatur. Quàm felices dum possunt dicere: Psal.38.4. *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Audiant ergo Sacerdotes, qui spiritu Domini repleri volunt & illum in alios refundere, & practicent illud quod de viro justo ait Sapiens: Eccl.39.6. *Cor suum tradet ad vigilandum diluculo, ad Dominum qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur. Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum, & ipse tanquam imbres emittet eloquia sapientiæ suæ, & in oratione confitebitur Domino, & ipse dirigat consilium ejus.* Singula hæc Sacerdotibus conveniunt, & orationis modum edocent, ideoque ab illis bene ponderanda sunt.

Modus Orationis matutinæ.

Oportet *primò*, ut solliciti sint ad mane vigilandum; hoc enim est *cor suum tradere ad vigilandum diluculo.* Ideò debet Sacerdos jam nocte incumbente cogitare de matutino sequente & tunc prælegere materiam, de qua meditationem sumet.

Debet *secundo* primas cogitationes & affectiones ubi evigilaverit, Deo dicare, tanquam primogenita mentis & cordis, quibus ipse delectatur; & hoc iterum est cor illi tradere.

Debet *tertiò*, omnem mentis somnolentiam in oratione excutere, lucemque & alacritatem induere; & hoc est diluculo vigilare.

Debet *quartò*, præsentiam Dei sibi firmiter toto orationis decursu proponere; & hoc est in conspectu Altissimi deprecari.

Debet *quintò*, oratio initium sumere à spiritu contritionis & humilitatis, à confusione de ingratitudine nostra, à firmo proposito peccata præterita expiandi, & neutiquam reiterandi; & hoc est aperire os suum in oratione, & pro delictis deprecari.

Debet *sextò*, volvere animo cœlestia & pia pro captu suo, & tunc si Dominus voluerit, replebit illum spiritu amplioris intelligentiæ: quia solet illuminare intellectum, quando quis sincero corde se illi offert in oratione: Ps.33.6. *Accedite ad eum, & illuminamini,* dicit Psalmista. Accessus ad Deum fit in oratione, & radius illuminans diffunditur à spiritu sapientiæ & intelligentiæ, quem Deus communicat adorantibus se in spiritu & veritate. Et quia abundanter tribuitur hoc donum quibusdam speciali favore, ideò dicitur: *Si Dominus magnus voluerit, replebit illum.* Exindè oriuntur in mente colloquia intima & suavia cum Deo, dum jam illustrata est per meditationem, & irrorata per sapientiam cœlestem, & hoc est quod additur: *Et ipse tanquam imbres emittet eloquia sapientiæ suæ, & in oratione confitebitur Domino,* laudans scilicet, & illum glorificans, benedicens, affectus in ipsum dirigens, ut ab ipso in omnibus dirigatur. Hic est ergo ordo, hic modus, hic scopus & finis sacræ meditationis: qui justis omnibus communis est, sed Sacerdotibus & Pastoribus maximè proprius, quia per orationem in omnibus debent dirigi, ut se & alios possint dirigere: ubertimque debent spiritu gratiæ & intelligentiæ impleri, ut aliis illum possint communicare.

DE ORATIONE VESPERTINA.

Sicut oratio matutina animæ fenestras divino aperit lumini: sic vespertina claudit cordis fenestras, & illas munit contra stygias tenebras; mentemque protegit. *A negotio perambulante in tenebris*; Ps.90.6. ideoque debet illa maximè commendari sicut & matutina.

Vespertinæ orationis modus.

Primò igitur tunc agendæ sunt Deo gratiæ, pro beneficiis quæ per singulos dies & momenta de manu ejus accepimus. Ejus enim nutu vitæ nostræ stadium decurrimus: in manibus ipsius sunt sortes & tempora nostra. Si non cadimus, ejus manu fit nos tenente: si cadimus & non collidimur, fit ipso manum supponente: si cadimus & resurgimus, fit ipso sublevante & manum porrigente. Sic tempora nostra ipse disponit, sic dies regit, ut licet frequenter promereantur vindictam, & damnationis præcipitium, ab illa nos nihilominus sua benignitate eripiat: ideoq; de die in diem ei debemus gratias agere, eum benedicere, cùm nec unum diem sine ejus benefica manu securi transigamus. Ad eam porrò gratiarum actionem opportunum est tempus vespertinum, dicente Psalmista: *in noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.* Ps.133.2. Sic & nocturnæ aves canoro carmine occasum diei solent prosequi, ne immunes abeant gratiarum actiones, quibus Creatorem omnis creatura collaudat, inquit S. Ambros. S. Ambr. l.5. Hexa. c.23.

Secundò, nocturno tempore examen conscientiæ commendatur, ut quæ per diem carnis fragilitate commisimus, humili mente censeamus, & cordis contritione eluamus. monente iterum Psalmista: *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.* Ps.4.5. Quasi dicat: Quæ per diem vel sola cogitatione in Deum aut proximum peccando commisistis, noctu cùm soli estis in silentio & quiete recogitate, rationem & pœnas à conscientiæ exigite per veram cordis compunctionem, ut hic coram Deo vos continuo ad mortem judiciumque disponatis, quasi ea nocte à Domino evocandi. Multæ enim contigit subita morte prævenari, cum sani cubule

cubile ingressi fuissent, & nocte illâ ad inferos descendisse, quod peccato mortali obnoxij obdormivissent. Ergò hoc monitum Apostoli altè nostris hæreat fixum mentibus: *Sol non occidat super iracundiam vestram; nolite locum dare Diabolo.* Sol non occidat super ullum peccatum nostrum quod possit esse mortiferum, nec unquam per illud locum relinquamus Diabolo. Cur enim obdormiat, aut hæreat diu homo in statu, in quo non audeat mori, si vitæ suæ agnoscit incertitudinem? Quis scit an somnus, quem mortifero in statu suaviter capessit, æternæ non sit futurus mortis initium? Hoc igitur serio prius meditetur cum corde suo, excitetur in se, & per stricti examinis ac perfectæ contritionis exercitium scopet spiritum suum, emundet cordis sui cubiculum, & ejiciat quidquid Deo displicet.

Eph. 4. 26.

Hugo de S. Victor. lib. 3 de anima.

Præclarum est ea de re consilium Hugonis Victorini, ubi sic monet: Redi ad cor tuum, & subtiliter discute teipsum, considera undè venis, quò tendis, quomodo vivis, quid agis, quid amittis, quantum quotidiè proficis, vel deficis, quibus cogitationibus magis incurraris, quibus affectibus tangeris, quibus tentationibus à maligno acrius impugnaris. Et cùm totum exterioris & interioris hominis statum plenè agnoveris, non solum qualis sis, sed etiam qualis esse debeas; de cognitione tui poteris sublevari ad cognitionem Dei. Opportunè certè illa vespertino tempore, dum silent omnia, & à negotiorum tumultu vacuus est animus, à Sacerdotibus verè pijs ratis sectatoribus requiruntur, antequam quieti membra componant.

Tertiò, vespertina oratione non solum renovanda est voluntas de cæteronon peccandi, ne quidem venialiter ex deliberatione: sed etiam debet fieri renovatio omnium desideriorum ferventium circa Dei obsequium & vocationem nostram, implorato simul auxilio, quo ad effectum deduci & firmari possint omnia illa propolita & desideria pia. Multum profectò confert hæc renovatio ad vitæ directionem. Nempe, sicut horologij pondera ad terram semper trahentia matutino vel vespertino tempore solent erigi, & ab hoc pendet totius horologij motus & progressus: ita ad animæ horologium, ut rectè incedat (cùm carnis pondus continuo ad terram vergat, & animum secum deprimat) opportuna est vespertina matutinaque oratio, per quam mens à terrenis ad cœlestia elevetur, & congrua secundùm Deum revolutione moveri possit & procedere, dirigi & dirigere.

Quartò, cùm nocturno tempore ad quietem homo se componit, aut experg scitur, juvat serio recogitare de tot servis & ancillis Dei, qui in Religione & alibi tunc vigilant in conspectu Dei, etiam cum lacrymis cor offerentes; & forsasse sanguinem pro ejus amore elicientes. Hac cogitatione excitatus, saltem intentionem tuam & spiritum conjungat cum illis, supplicando Patri spirituum participes fieri tot orationum, tot bonorum operum, quæ coram ipso pretiosa sunt & accepta, dum alij in frigore & nuditate, alij in cinere, & cilicio tunc temporis pœnitentiam agunt, non solum pro se sed & pro omnibus Ecclesiæ membris illa offerentes in expiationem peccatorum. Plurimùm prodest his & alijs sanctis cogitationibus cor munire contra tenebras inferni & phantasmata Diaboli. Et certè pia cogitatio nocte in corde condita, est instar seminis sacri, quod manè germinat, reflorescit & fructificat. Ac sicut is, qui vesperi carbones cineribus tegit, tantò facilius manè cum exurgit, focum potest exsuscitare: ita qui cum pia consideratione vesperi incumbit, manè facilius fervorem in se potest accendere. Reliquiæ enim cogitationis nocturnæ statim incipiunt agere diem festum Domino. De hac vespertina & matutina oratione fusius egi Tom. 2. Horti Pastoralis Tract. 1. Unde hæc ex parte resumpta sunt pro opportunitate.

ADSPIRATIONES NOCTURNÆ PRO singulis hebdomadæ diebus.

O Jesu, *lumen indeficiens, illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus: Prævalui adversus eum.* Dom.

O Jesu, *Proba me & scito cor meum, interroga me, & cognosce semitas meas. Et vide si via iniquitatis in me est, & deduc me in via æterna.* Fer. 2.

O Jesu, *Tu singulariter in spe constituisti me: In pace in idipsum dormiam & requiescam. O in pace! ô in id ipsum! ô quid dixi, Dormiam & requiescam!* Fer. 3.

O Jesu, *Quid erit de me, quando obortus fuerit super me tinea, & operimentum meum erumi vermes?* Fer. 4.

O Crux! *ô corona spinea, quàm durum lectulum præbetis* Jesu *Salvatori meo! In hoc lectulo dormiam & requiescam in cogitatione animæ meæ.* Fer. 5.

O Jesu *Sponse, fac nunquam exors sit luminis tui lampas mentis meæ: Sed jugiter ardeat & luceat ad illam noctis vocem promptæ: Ecce Sponsus venit, exite obviam ei.* Fer. 6.

O *Domine nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ meæ: An ma mea desidevavit Te in nocte, sed & de mane in præcordijs meis vigilabo ad Te.* Sabb.

ADSPIRATIONES MATUTINÆ.

O Jesu, *Sol æterne, per viscera misericordiæ, in quibus visitasti nos oriens ex alto, illumina hos, qui in tenebris & umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Dom.

O Jesu, *lux de luce, fac exuamus opera tenebrarum, & induamus arma lucis, ut filij lucis ambulemus in omni bonitate, justitia & veritate.* Fer. 2.

O Jesu, *Rex meus & Deus meus, intende voci orationis meæ, manè orabo, manè adstabo tibi & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Fer. 3.

O Jesu

Fer.4. *JESU Deus meus, ad te de luce vigilo, Sitivit in te anima mea. In matutinis meditabor in te, quia fuiſti adjutor meus: adhæſit anima mea poſt te.*

Fer.5. *O JESU, Præceptor meus, manus erige: mihi aurem, ut audiam quæ ſi magiſterium, & rectorem non abeam.*

Fer.6. *O JESU, Alpha & Omega, Principium & Finis, Te ſit quæ primum concinat. Te mentis ardor ambiat, ut actionum ſequentium Tu Sancte ſis exordium.*

Sabb. *O JESU, Veritas & vera Caritas, & cara æternitas, Tu es Deus meus, ad te ſuſpiro de die ac nocte.*

LECTIO XII.

DE FLORE DUODECIMO, QUI EST

Lectio librorum pietatis vel doctrinæ neceſſaria ad Officium.

XII. Flos lectionis librorum adjutatem & doctrinam ſpectantium.

EXiſtimant quidam Sacerdotes, ſatis eſſe matutino tempore breve aliquod tempus orationi impendere, & exinde horas canonicas percurrere: reliquum verò temporis impendunt, vel otio, vel vagationi, vel inutilibus occupationibus; idque non ſine gravi animæ detrimento, gravique obligatione erga Deum judicem & vindicem. Hi occaſionem dederunt illi quorumdã dicto: Quid eſt ſacerdotium, niſi otium; Hi porrò condemnationi ſunt obnoxij, cum ſervis illis quos invenit Dominus deſides & otio torpentes, aut talentum in ſudario ligantes. Et certè cum otium, ſit non infœcunda multorum malorũ mater, diabolique pulvillus, vitandũ eſt maximè Sacerdotibus, à quibus temporis ratio ſtrictior exigetur. Occupatio igitur poſt orationem conſiſtit in lectione librorum ſacrorum, illorum ſcilicet, qui vel ad pietatem erudire, vel de his quæ ſacerdotale munus ſpectant, poſſunt inſtruere; ad ſcientiam ſcilicet comparandam abundè ſufficientem, cùm pro ſe, tum pro aliis adjuvandis.

Libri pij. Quantum ad lectionem librorum pietatis, è quibus è diſcere poſſunt ſcientiam Sanctorum ſcientiam ſalutis hanc eis commendat S. Amb. his verbis: *Cur nonilla tempora quibus ab Eccleſia vacat lectioni impendas, Chriſtum audias? illum alloquimur cùm oramus, illum audimus cùm divina legimus oracula. Quid nobis cum fabulis? Myſterium altari Chriſti non hominibus deferendum accepimus.* Hæc Ambr. Modum autem & finem quo debet hæc lectio fieri, diſertè inſinuat S. Aug. *Optimè uteris lectione divinâ, ſi tibi eam adhibeas ſpeculi vice, ut ibi videlicet imaginem ſuam animæ reſpiciat, & vel fœda quæque corrigat, vel pulchra plus ornet.* Addit B. Bernardus, eos exhortans ad lectionem, non tam ad quærendam ſcientiam, quam ſaporẽ. *Dei quotidiana lectione aliquid in ventrem memoriæ dimittendum eſt quod fideliùs digeratur, & rurſus revocatum crebriùs ruminetur, quod propoſito conveniat, quod intentionem proficiat, quod animum detineat, vel aliena cogitare non ſinat.* Non itaque multa curſim, ſed pauca animo collecto legenda ſunt, ruminanda, maſticanda, ut paſcatur animus, & excitetur ad ea adimplenda.

Libri ad ſcientiam ſpectantes. Oſee 4.6. Malach. 2. 7. 1. Tim. 4. 16.

Ambr. l. 1. offi. c. 20.

S. Aug. ep. 143.

S. Bern. ep. ad fratres de monte Dei.

Quam eſficax lectio piorum librorum.

Multum porro efficax eſt lectio iſta rectè peracta. Exploratum enim eſt, plurimos per eam ad vitæ perfectioris inſtitutum extimulatos. Teſtis eſt S. Ignatius, qui legendo Sanctorum vitas accenſus eſt ad Religionem illam inſtituendam, quæ in Eccleſia fructum parit amplißimum. Teſtis S. Columbanus, qui ex lectione vitæ S. Mariæ Ægyptiacæ initium fecit converſionis ſuæ. Teſtes Auliciſi illi de quibus Auguſtin. l. 9. confeſſ. qui legendo vitam S. Antonij, ad ejus imitandum exemplum incitati, ſtatim ibidem ubi librum invenerant, Religioni nomina dederunt. Certè de libris ſactis rectè aſſerimus fructum eorum hanc ſatis poſſe explicari. Etenim verum eſt, quod de illis Thomas à Kempis alibi dicit, Docent ignaros, arguunt otioſos, excitant torpentes, extimulant dormientes, corrigunt errantes, erigunt corruentes, terrent ridentes, conſolantur lugentes; laudant humiles, vituperant ſuperbientes, confortant debiles, reprimunt præſumentes, mitigant turbatos, lætificant triſtes, juſtificant pios, damnant perverſos.

Quantum ad lectionem librorum illorum qui ad ſcientiam ſtatui ſacerdotali congruam ordinantur, illa etiam debet eſſe cordi ſacerdotibus, ne in illud Domini impingant: *Quia tu ſcientiam repuliſti, & ego repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi.* Noſſe ergo debent illud: *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem ex ore ejus requirent, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Quapropter monet Timotheum Apoſtolus, & in illo omnes Sacerdotes: *Attende* lectioni, exhortationi, *doctrinæ.* Notum eſt, ob imperitiam Sacerdotum multa mala in Eccleſia exorta eſſe. Inde enim hæreſis initiũ factum, inde contemptus ſacerdotum & ſacerdotii, inde dicti ſunt ipſi Afini coronati. Neque excuſent ſe quidam, quaſi ſcientia non egeant eo quod animarum curam non ſuſceperint. Neque enim exigua egent ſcientia, ut officio ſuo perfectè fungantur, & ut quæ ſtatum ſuum Sacerdotalem concernunt callere poſſint. Et certè indignum eſt, ſcripturis ſacris & Pſalmis quotidiè legendis adſtrictos eſſe Sacerdotes, & tamen numquam vel interpretem aliquem ſaltem in Pſalmos legiſſe, aut eloquiis divinis intelligendis aliquoutque operam dediſſe. Audiant Raduiphum Decanum olim Tungrenſem lib. de obſervat. Prop. 8. *Omnes Eccleſiaſtici ad librum Pſalmorum per diligens ſtudiũ meritò debent transferre, ut ea quæ tenentur quotidie orare & pſallere, diſcant intelligere: & ſic intelligendo guſtent interiore guſtu dulcedinem ipſius ſapientiæ, ſalutaris ſcilicet libri laudis divinæ.* An non & hoc ipſum monet ipſemet Pſaltes, dum dicit:

igitized by Google

dicit: *Psalliste Deo nostro psallite; psallite Regi nostro, psallite sapienter.* Quid est sapienter psallere, nisi sapiendo & sciendo? Sapor ergo sit in affectu, scientia in intellectu, ut digné Deo Regique possis psallere. S. Ambrosius sacram Scripturam vocat: *Librum Sacerdotalem*, & S. Dionysius dicit esse *Substantiam Sacerdotij nostri*: ergo indignum est Sacerdotes reperiri, qui nunquam eam vel à limine salutárint, cæci & duces cæcorum. Hæc certè sacræ Scripturæ studium ita sancti Patres commendárunt, ut omne vitæ sacerdotalis studium meritò in illa legenda & relegenda, & sæpiùs sæpiùs decurrenda dixerint merito consumendum. Quod & ipsimet priùs perfecerunt, ut & alijs stimulo forent & exemplo.

Commendatur lectio sacra Script.

2 Tim. 4. 13. S. Paulus mortiturum erat vicinus, & tamen libros sacros ad se afferre mandat: absque dubio illis volvendis se impendebat, licet divinitus infusâ scientiâ non careret, ut nos edoceret tam diu discendum, quamdiu vivimus.

De S. Ambros. S. Ambrosius usq; ad ultimam ægritudinem non cessavit unquam scribere & commentari, sive exponere sacras literas: undè in commentatione Ps. 47. *Magnus Dominus & laudabilis nimis*, immortuus est. Nec dedignabatur ipsemet scribere, nullo utens amanuensi, ut perfectius opus foret. Unde epist. 65. ad Sabinum sic ait: *Nobis cura est, familiarem sermonem familiari usu ad unguem distinguere, & lento quodam figere gradu, ideoque aptius meâ videtur propriam manum nostro affigere stylo, ut non tam desisse aliquid videamur, quàm abscondere, neque alterum scribentem erubescamus.*

De S. Thoma Aquin. S. Thomas in lecto ægritudinis explicabat Religiosis Monasterij Fossæ Novæ Cantica Canticorum; & mortuus est cum ad illa verba pervenisset: *Veni dilecte mi, veni, egrediamur in agrum.* Quæ verba summo suavitatis affectu repetens, cum illis spiritum reddidit.

De V. Beda. Venerabilis Beda de se in historia Anglicana sic scribit: *Ego septennis Monasterium ingressus, ibi tota vitæ omnem meditandis Scripturis operam dedi, atq; inter observantiam disciplinæ regularis, & quotidianam cantandi in Ecclesia curam, semper aut discere, aut docere, aut scribere dulce habui.* Scripsit penè ipse in omnes Scripturæ libros, nec morbo destitit. In ultima enim infirmitate in Evangelio Sancti Joannis laboravit, & penè animam agens Scribam accersens, ut absolveret, dicebat: *Accipe calamum, & scribe, tandemque absolvens dixit: Benè est, consummatum est*, & paulò post cygneam vocem hanc edens: *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto*, placidissimè spiritum emisit anno 371.

De S. Bonifacio Ep. & mart. S. Bonifacius jugiter Evangelij Codices secum deferebat, adeò ut nec in martyrio eum dimiserit. Nam cum impij in eum ensem vibrarent, ipse Codicem hunc quasi clypeum objecit: & illustri miraculo factum est, quod licet ense peracuto per medium sectus sit liber, nulla tamen litera ex sectione est abolita. Quem ego librum in prænobili Fuldensi Monasterio in Germania propriis oculis conspicere merui.

Hæc recensemus hic, ut noverint Sacerdotes muneris sui potissimum esse, legere, discere, scribere, & sacros libros versare. Sive eis animarum cura incumbat, sive non; eloquia divina non debent negligere; & post illa debent quæstiones morales (quas conscientiæ casus vocant) sæpè volvere, ne ex illorum ignorantia in graves impingant errores, in his etiam, quæ proprium Sacerdotij statum concernunt, & conscientiæ propriæ directionem. Undè Thomas à Kempis sic ait in doctrinali juvenum cap. 6. *Ecclesia sicut sine libris, quasi miles est sine armis, equus sine frænis, navis sine remis, scriptor sine penna, avis sine alis, sutor sine subula, faber sine malleis, sartor sine acu & filis, sagittator sine jaculis, vector sine baculo, cæcus sine ductore.*

DE OCCUPATIONE DIVRNA, ET FUGA negotiorum Sæcularium.

Fuga sæcularium negotiorum. 2 Tim. 2. 4. ALiqui inter Sacerdotes non quidem sunt otiosi, sed cùm se occupationibus sacris deberent impendere, profanis & sæcularibus inveniuntur animum immergere. Hos disertis verbis arguit Apostolus: *Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus, ut placeat ei cui se probavit.* Et sanè sancti Patres hoc à vocatione sacerdotali alienum semper judicárunt, inter homines sæculi versari, & maximè ex parte sæcularia tractare negotia, neglectis illis quæ proprium Sacerdotis statum concernunt, & tamen videmus & dolemus Sacerdotes, imò & Religiosos non paucos id agere.

S. Ansel. lib 3 similit. c. 18. Audiant illi S. Anselmum, qui olim Abbas Beciensis & Archiepiscopus Cantuariensis fuit; ipse libro 3 sim. cap. 187. ita de se scribit: *Sicut Bubo dum in caverna sua cum pullis est, lætatur, & suo molle bene sibi est, dum verò inter corvos & cornicula seu oliat avis est, incurvatur ac dilaniatur, & omnino sibi malè est: utpote quia hic vestro percutitis, illa alis in eum irruit, alter verò unguibus discindit; ita & mihi: Quando enim cum Monachis, meis fidelissimis filijs, conversari queo, mihi bene est, & grata ac singularis vitæ meæ consolatio: quando verò remotus ab illa inter sæculares conversor, hinc inde me variarum rerum incursus discerpunt, & quæ non amo sæcularia negotia, vexant. Malè itaque mihi est, quando sic sum, ac tremens pertimesco animam meam dispendium.* Ecclesiasticis debent fugere negotia sæcularia

Audiant & Synesium Episcopum, qui cùm urgeretur ad negotia aliqua civilia tractanda, sic respondit: *Mea sententia non est duobus Dominis servire: Si verò sunt aliqui, qui neq; à conscientia laudantur in his, perierunt sanè & Sacerdotio fungi, & civitatum esse Præfecti. Radium solis etiam si cum fuerere convertabitur, parum manet, & non coinquinatur. Ego verò si idem hoc fecero, fontibus & mari* Synesius Epist.

mari opus habes. Rectè ille. Nam Sacerdotis munus eſt cœleſtia tractare & non in exteriora ſe diffundere, & pulvere terreno aciem mentis obtundere.

Chryſoſt. hom. 2. in Matth.

Audiant & Chryſoſtomum, ſive auctorem operis imperfecti hom. 2 ſic differentem. Videmus planè corporis oculos cùm in fumo morantur, lachrymas fundere, ſi verò potiantur aere purgato, & florentibus pratis, aut hortis virentibus, fontibuſque inter amœna fluentibus, ſaniores eſſe, & multo majore aciei fulgore rutilare. Talis profectò eſt mentis oculus: ſi enim in pratis divini eloquii paſcatur, erit ſine dubio purus & lucidus, & acutius cuncta perluſtrans. Si verò in fumum negotiorum ſæcularium fuerit ingreſſus, ad innumera prorſus mala illachrymabitur. Hæc ille.

Clemens Papa c. Te quidé 11. q. 1.

Audiant denique Clementem Papam hoc decretum ferentem: Sacerdotem oportet irreprehenſibiliter vivere, & ſummo ſtudio niti, ut omnes vitæ hujus occupationes abjiciat, ne fidejuſſor exiſtat, ne advocatus litium fiat, nevè in ulla occupatione prorſus inveniatur mundialis officii occaſione perplexus. Neque enim cognitorem ſæcularium negotiorum eſſe oportet; ne præfocatus præſentibus hominum curis, non poſſit Dei verbo vacare. Nemo ergo eum occupet ab his turbis, per quæ ſalus hominibus datur. Ita ille.

S. Cypr. ep 6. de Victore Gemin.

Conformiter loquuntur & alii Patres, inter quos Cyprianus dignum memoratu refert exemplum de quodam Victore Geminio graviſſimè punito, quod filiis ſuis Presbyterum Fauſtinum nominaſſet per ſuum teſtamentum tutorem. Nam hæc, inquit, nunc ratio & forma in clero tenetur, ut qui ordinatione promoventur, in nullo ab adminiſtratione divina avocentur, nec moleſtiis & negotiis ſæcularibus alligentur: ſed in honore ſportulantium fratrum tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari & ſacrificiis non recedant, ſed nocte & die cœleſtibus rebus ac ſpiritualibus exercitiis ſerviant Quod Epiſcopi anteceſſores noſtri religiosè conſiderantes, cenſuerunt ne quis decedens ad tutelam vel curam clericum nominaret. Si quis hoc feciſſet, nec offeratur pro eo, nec ſacrificium pro dormitione ejus celebretur. Neque enim apud altare Dei meretur nominari, qui ab altari Sacerdotes & miniſtros voluit avocare. Et ideò cùm Victor Geminius Fauſtinum Presbyterum ausus ſit Tutorem conſtituere, non eſt quod pro dormitione ejus apud nos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Eccleſia frequentetur; ut Sacerdotum decretum religiosè ſervetur, & cæteris fratribus detur exemplum, ne quis Sacerdotes & Miniſtros Domini altari ejus & Eccleſiæ vacantes, ad ſæculares moleſtias devocet.

Attendite igitur ô Sacerdotes quanta cura fuerit olim proviſum & decretum ne quis occupationibus ſæcularibus vos præpediret, quanta ſollicitudine Eccleſia mater veſtra voluerit, ut omnibus ſepoſitis impedimentis orationi, lectioni, ſpiritualibuſque exercitiis toti inſiſteretis Quod ſi negotia ſæcularia à vobis releganda ſunt ut ſublimioribus intendatis, quanto magis ea quæ pernicioſa amplius judicantur ſtatu veſtro indigna? Aleæ, ſcilicet, commeſſationes, luſus & pocula, quibus major pars diei à quibuſdam teritur, dicentibus, *Operæt transigere tempus.* Itane verò (inquit Bernardus) Tranſire debet tempus adeò pretioſum, quo divinam repropitiare debueras pietatem, properare Angelicam ſocietatem, ſuſpirare ad amiſſam hæreditatem, excitare remiſſam voluntatem, flere commiſſam iniquitatem? Certè ſi ab omnibus, multoſtrictior à Sacerdotibus temporis ratio exigetur: & ſi in ſæcularibus otioſitas mater nugarum noverca virtutum à Domino condemnabitur, in Eccleſiaſticis & Chriſti Miniſtris gravius certè punietur. S. Bern. ſerm. de triplici cuſtodia.

LECTIO III.

DE FLORE DECIMO-TERTIO, QUI EST recollectio annua.

Flos XIII. Annua recollectio & receſſus. in hoc ſtatus animæ perviendus.

DE hac re ſic regula: *Singulis annis totius anni peccata confeſſione expient, ut defectus plenius agnoſcere, & ſibi ad profectum calcar adjicere poſſint.*

Conſulunt Magiſtri ſpiritualis vitæ, ultra recollectionem quotidianam, inſtituere & annuam octo vel decem dierum, ad pervidendum animæ ſtatum, ad exſcindendas occaſiones peccatorum, ad vitæ perfectioris propoſitum efficacius renovandum, & gratiæ ſpiritum cœlitus hauriendum Sic juſſit Dominus diſcipulos ſuos decem diebus ſedere, & in tranquillitate animi agere, ut induerentur virtute ex alto. Conſulunt & aliqui ſingulis trimeſtribus tres feligi dies, ad implendo illud: *Eamus viam trium dierum in ſolitudine & ſacrificemus Deo noſtro.* Idipſum poteſt in honorem triduj mortis Chriſti fieri; ut ſcilicet perfectiùs commoriamur cum ipſo vitæ veteri, & ſepeliamus veterem Adam, ad reſurgendum & ambulandum in novitate vitæ. Conſuli etiam poteſt menſtrua unius diei ſpecialis recollectio, qua renovetur animus: imò & hebdomadalis, qua totius hebdomadæ defectus ad mentis tribunal vocentur, inveſtigenturque radices eorum, & contra occurrentes occaſiones animus obfirmetur. Exod. 5. 3.

Cæterùm, ad annuam hanc recollectionem, juvat eligere locum ſolitarium, & à turbis remotum, qui mentis etiam ſolitudinem generare poſſit, vel adjuvare: ut Dominus ibi loquatur ad cor, & animus in ſilentio divini ſuſurri venas poſſit percipere. Ad id porrò neceſſarium eſt ab omnibus objectis mentem diſtrahere natis, à curis etiam licitis ſeſe ſegregare, cum Domino Jeſu in ſolitudinem ingredi, cum illo ſolo converſari, illo

Digitized by Google

Aliquè dicere: *Sileant Domine omnes creaturæ tuæ in conſpectu tuo, tu ſolus loquere, qui ſolus loqui pacem ſuper eos qui converſantur ad cor, audire enim cupio quid loquaris in me.* Quàm fructuoſa ſit hæc mentis ſolitudo, & aliquot dierum recollectio ad totius vitæ directionem, nonniſi experti ſatis intelligere valent. Unde meritò ad eam inſtigantur quicumque perfectionis ſunt cupidi, maximè Sacerdotes & Eccleſiaſtici. Nam ex converſatione ſæculi frequenter pulvere terreno contingit etiam pia corda ſordeſcere, & ſpiritum ſopiri: ſed hac methodo & praxi perfectius poſſunt emundari, & de novo accendi. Sic etiam efficacius adimpletur monitum illud Apoſtoli: *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum.* Ibi enim flabella ſuppeditantur & folles, ad ſpiritum & gratiam impoſitionis manuum excitandam, oratio ſcilicet, lectio, meditatio, examen & inveſtigatio inclinationum & paſſionum perverſarum, quæ impediunt gratiam & ſpiritum. Ibi pugna ſpecialis inſtituitur contra primarias aliquas inclinationes, quæ ſunt origo & fons aliarum imperfectionum & vitiorum. Eſt enim in quolibet aliquod vitium ſpeciale cæterorum radix, contra quod principaliter eſt decertandum. De qua concertatione ſic monet Caſſianus: *Adverſus illud arripiat homo ſpeciale certamen, omnem curam mentis erga illius impugnationem, obſervationemque dirigens, adverſus illud quotidiana jejuniorum diligens ſpicula; contra illud cunctis momentis cor diu ſuſpiria, crebraque gemitus tota conterquens; adverſus illud vigiliarum laboret, ac meditationes ſui cordis impendens, indefinenter quoque orationum ad Deum fletus fundens, & impugnationis ſuæ extinctionem ab illo ſpecialiter ac jugiter poſcens.*

2. Tim. 1.

Caſſian. collat. 5. c. 14.

Eligite igitur ô Sacerdotes & Miniſtri Chriſti hanc adeo fructuoſam ſolitudinem, hanc adamate, quam Dominus frequenter elegit & adamavit, illius vobis exemplum tradens, ſive in deſerto per quadraginta dies commorans à ſpiritu illuc ductus, ſive in montibus in oratione pernoctans. In hac ſolitudine Angelum & Angelorum Dominum, divoſque Tutelares ſufficiat conſcios habere mentis noſtræ, & duces vitæ, adjunctò illo qui vicem Dei teneat in directione. Ibi perfecta fiat oblatio totius vitæ; totius temporis & æternitatis noſtræ, totos nos Domino Jeſu exhibendo; omnibus ejus placitis, votis, intentis, conſiliis per ſingula vitæ currentis momenta fideliſſimè cupientes reſpondere, & ad id nos hoc ipſo exercitii tempore diſponentes integerrimè.

DOCUMENTA ALIQUOT AD Recollectionem annuam.

Praxis ſimilis Recollectionis ad

STatus animæ in illa annua recollectione perſpicaciter inquirendus eſt, & ſingula perveſtiganda. Sicut horologii director non ſolùm mane & veſperi pondera depreſſa erigit, ſed etiam in anno ſemel ſingulas partes ſingillatim inſpicit, & è loco ſuo dimovet, ut rubiginem extergat, oleo ungat, reparet & componat ſingula, quæ uſu vel violentia attrita ſunt, vel loco ſuo mota. Sic qui conſcientiæ ſuæ curam habet, non ſolùm nocte & veſperi per examen, pondus ad terram devergens erigit, vel per orationis exercitium ei curam adhibet, ſed etiam ſingulis annis ſingula ſagaciter inveſtigat, affectus, paſſiones, defectus tanquam notas horologii explorans, ut videat an congrua ſecundùm Deum revolutione moveantur. Et ſic ubi reperit rubiginem, oleo novo gratiæ inungere curat, & quæ detrita ſunt, reparare. Sequentia porrò documenta ad animæ ſtatum cognoſcendum ſubſervire poſſunt

animæ ſtatum cognoſcendum.

Primò, inquirat quale ſit cor ſuum contra peccatum mortale, an valida reſolutione firmatum, ut nullam ob cauſam vellet in illud incidere: & an hæc reſolutio ſemper in ipſo perdurarit ab altero examine, ſive annua confeſſione. In hoc enim præcipuum fundamentum vitæ ſpiritualis conſiſtit.

1. *De p. mortali.*

Secundò, quale ſit cor ſuum erga peccata venialia, à quibus licet penitus non poſſit eximi; videndum tamen an inclinetur ſpecialiter ad aliqua; aut illis inhæreat cum affectu. Hic enim affectus maximè expungendus eſt ſarculo contritionis perfectæ, ne germinet peſtiferum germen in mente.

2. *De p. venialí.*

Tertiò, quale cor erga exercitia ſpiritualia, an ea diligat, an ea æſtimet, an ſapore & guſtu illis afficiatur & reficiatur: an verò moleſta ſint, & illi tædium ingenerent?

3. *De exercitiis ſpirit.*

Quartò, an libenter lectioni piorum librorum ſe impendat, verboq; Dei lecto vel audito delectetur? Num frequenter cogitet de Deo lubenſque loquatur de illo, & deſideriis ſæpè renovatis adſpiret ad illum? Quod ſi in his cum tædio languidè ſe gerat, inquirat cauſam & originem, coneturque radicitus exſcindere

4. *De lectione libris pior.*

Quintò, qua devotione erga Chriſtum Deum hominem, quo amore feratur erga redemptionis myſteria & ejus paſſionem, quomodo imitetur ejus virtutes, patientiam, humilitatem, charitatem. An ſincerè quærat ejus gloriam, ita ut ſe totum impendat ad eam promovendam? Quid pro illius amore faciat, aut relinquat. Quo item affectu erga Deiparam, erga ſanctos Tutelares, erga Angelum Cuſtodem, quamque fiduciam in illorum patrocinio concipiat.

5. *De devotione erga Chriſtum.*

Sextò, quo affectu & ſpiritu feratur erga officia vocationi ſuæ annexa, circa celebrationem Sacrificii, horarum lectionem, Sacramentorum tractationem, an pura intentione, an torpidè, an perfunctoriè hæc obeat? Quo zelo erga animas feratur, ad eas adjuvandas, ſanctificandas, lucrandas; quo deſiderio inardeſcat, ut in illis honorificetur Deus per Jeſum Chriſtum,

6. *De officio ſuæ vocat.*

7. De Amore proprio.

Septimò, quàm inordinato amore erga seipsum feratur: an non plus curæ & diligentiæ corpori curando impendat, quàm animo? An non plus sollicitudinis, ut honorem terrestrem assequatur, quàm cœlestem? An non plura ob respectus humanos peragat, quàm propter Deum? Item quam æstimationem sui habeat; an non facilè præsumat, an non liberè se jactet?

8. De proximo.

Octavo, quomodo erga proximum se gerat in charitatis sinceritate illi auxilietur, non solùm in ordine ad necessitatem sublevandam? Qualiter se gerat erga illos, qui ipsum offendunt, an directè vel indirectè vindictam non quærat, an de illis benè loquatur, an non impatienter se habeat, an non temerariè judicet?

Postremò, his & similibus examinatis, si profecerit, gratias Deo immensas agat, cui omne bonum adscribendum est. Si potiùs defecerit, confundatur & erubescat, quod divinis inspirationibus gratiæque auxiliis non responderit: & compungatur, quod erga eum infideliter se gesserit, nec vocem aut manum attenderit invitantis ad meliora, deducere volentis ad perfectiora. Tunc integra sui oblatio

9. De sui integra oblatione in manus Dei.

in manus Dei fiat, ut dominetur cordi, illudque dirigat secundum suum beneplacitum, ut omnes voluntates eius, & omnia consilia super salute nostra ab æterno & in tempore habita, perfectè ipso operante adimpleantur: & non simus rebelles eius nimi, sanctissimæque voluntati, sed gratias & inspirationes, illustrationesque & motus spiritus sui divini perficiat in nobis. Et ad hoc invocentur Sanctorum patrocinia, præsertim Mariæ & Angeli Custodis.

CONCLUSIO AD CHRISTUM.

O Jesu *Dux Sacerdotum & Pastorum, inspira illis desiderium & amorem hujus sacræ sollicitudinis recollectionem; in qua de anno ad annum se valeant agnoscere, & Te; se humiliare & contemnere, Te exaltare & glorificare. Ibi agnoscant quamodo ex se semper deficiant & ad nihilum tendant, quodque septem temporum mutentur super se, nisi tu qui idem semper ipse es, semper bonus justus & sanctus, eos in Te stabilias. Dum agitur illis in sollicitudine claudentes autem ad vocem foris sonantem, audiant te veritatem intus docentem, & clausis oculis ad exteriora, cœlestia penetrent & interiora. Ibi renovent animum, & magis ac magis accendantur ad tuum obsequium. Tu ô Jesu innocentiæ restitutor & amator dirige ad te tuorum corda servorum, ut novus semper fervore concepto, & in fide invaniantur stabiles, & in opere efficaces.*

ADSPIRATIONES SACRÆ PRO diebus recollectis.

O *Domine, ecce ego, quia vocasti me, loquere quia audit servus tuus; & quia servus tuus sum, da mihi intellectum.*

1. *O Magister bone, fac me de illis discipulis esse, de quibus dicis: Erunt docibles Dei & Theodidactæ; Unctio tua de omnibus doceat me.*

3. *O Domine, verba æterna vitæ habes, ad quem ibo nisi ad te? loquere ergo & dic animæ meæ, Salus tua ego sum, Pax, Vita, Gloria tua.*

4. *O Domine, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu: Spiritus tuus bonus deducat me & vivificet me.*

5. *O Domine, quid ego sum mihi sine Te, nisi Dux in præceps? Tu ergo deduc me in via tua, & ingrediar in veritate tua.*

6. *O Domine* Jesu, *qui dixisti Ego Principium qui & loquor vobis: fac loquere, ut redeamus ad Te Principium à quo profluximus.*

7. *O Domine, ab occultis meis munda me, & ab alienis parce servo tuo, ut placeant tibi eloquia oris mei, & meditatio cordis mei.*

8. *O Domine* Jesu, *Vias tuas demonstra mihi & semitas tuas edoce me; quia tu es Deus Salvator meus.*

9. *O Deus cordis mei, cor mundum crea in me, & spiritum rectum innova in visceribus meis. Spiritu principali, quem Sacerdotali charactere indelebiliter confirma me.*

LECTIO XIV.

DE FLORE DECIMOQUARTO, QUI EST Officii Divini Pia Recitatio.

XIV. Flos Pia recitatio Horarii Can.

De hac re sic monet regula: *In divinis officiis diligentur curent Sacerdotes pronunciationem integram; attentionem & reverentiam, cum interiorem, tum exteriorem.*

Officium divinum unum est ex propriis & primariis muneribus Sacerdotum, & ideò debet cum perfectione peragi: quod ipsum nomen insinuat, quandoquidem non quodlibet officium sit, sed divinum. Omnibus ergo exercitiis voluntariæ pietatis illud præferendum est, quandoquidem sit obligationis strictæ: ideoque præposteré aliqui animum collectum & locum opportunum in aliis sollicitè requirunt, officium autem divinum cursim & perfunctorie persolvunt.

Duo requiruntur. 1. Attentio 2. Affectus

Potissimum autem duo requiruntur ad ritè illud persolvendum, attentio scilicet & affectus; attentio ex parte intellectus, affectus ex parte voluntatis. Hæ sunt duæ alæ quibus mens ad cœlestia volat, & ad Dei thronum pertingit: sine his oratio non ascendit, sed super terram repit, & sine fructu perit. Ideò dicit Apostolus: *Orabo spiritu orabo & mente, psallam spiritu, psallam & mente.* Itaque non solum spiritu oris, sed & spiritu mentis & cordis oratio debet fieri, ne sit sine fructu, si fiat labiis sonantibus, corde & mente aliud volventibus. Ut verò attentio ista procuretur, necessarium est prævia aliqua consideratione frænum

1. Corda 14. ut

Digitized by Google

ſnjicere imaginationi per varia vagari aſſuetæ. Et cor paulatim à terrenis ad cœleſtia, ab exterioribus ad interiora, à fluctibus tumultuantium cogitationum ad quietem aliquam revocandum, ut in Deum erigi poſſit. Hoc monet Eccleſiaſticus: *Ante orationem prepara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo qui tentat Deum.* A turbidis enim cogitationibus adorationem ſubitò proſilire, Deum potius eſt tentare, quàm morare. Quid enim eſt tentare Deum, niſi deſiderare ut aliquid faciat ſine mediis ordinariis quæ prærequirit? Cùm ergo requirat præviam animi recollectionem, ut menti devotionem in oratione infundat; nolle ſic ſe diſponere, & velle orare, quodammodò eſt illum tentare & irritare. Nempe ſicut inſtrumentum muſicum aliud non poteſt edere, quàm ſtrepitum & confuſum ſonum, niſi chordæ prævie diſponantur: ita niſi cordis noſtri chordæ prævia conſideratione componantur, & animus attemperetur, oratio ingrata eſt in auribus divinis quaſi ſonus obſtrepens.

Eccli. 18. 23.

Sancti ante orationem peregrinas cogitationes rejiciebat.

Quapropter Sancti ante orationem conabantur exuere ſe ab omni cogitatione rerum externarum, ſoliſque Dei memoriam corde gerere. Sic de S. Franciſco traditur, cùm Eccleſiam oraturus ingrederetur ſolitum dicere; *Manete hic cogitationes meæ donec egrediar, & ubi opus Dei complevero, ſi indigeam vobis, iterum vos aſſumam.* Eodem hortabatur ſe modo S. Bernardus ante orationem dicens: *Intentiones, cogitationes, voluntates, affectiones, & omnia interiora mea, venite aſcendamus ad montem, ubi Dominus videt, & videtur. Cura, ſolite tudines, anxietates, pœnæ, ſervitutes, expectate me cum aſino, ſorore iſto; donec ego cum puero, intelligentia ſcilicet & oratione, uſque illuc properantes poſtquam adoraverimus, revertemur.* Alludebat ad verba Abrahæ, in montem ad ſacrificium aſcendentis. Ad pedem enim montis Aſinum reliquit & famulos, cunctaque ad ſacrificium importuna. Ita viri ſancti ad montem ſacrificii, ad montem myrrhæ & collem thuris, hoc eſt, ad locum orationis aſcendentes, Aſinum cum famulis & oneribus, hoc eſt corpus torpidum cum cogitationibus & impedimentis, ad januam relinquere ſolent, ſolo velut animo aſcendentes, & cum Abraham ſtrentes: *Poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Hoc imitari debemus; nam & ideò ad ingreſſum templi vas aquæ benedictæ appendi ſolet, ut ad orandum ingredientes, cogitationum turbam nos inter turbantem immergamus & ſepeliamus ibidem, quaſi Ægyptios in aquis; quia nos à ſacrificio impedire nituntur, & ad lutum & paleas revocare, dum divino inſiſtendum eſt operi.

De S. Francisco.

De S. Bernardo.

Gen 22. 5.

CONSIDERATIONES PRO PIA recitatione Officii divini.

Praxis pro attentione in libris.

COnſiderationes piæ præparare poſſunt & fovere attentionem in decurſu officii, harum aliquot ſubjicimus.

Primò, Dei conſiderandæ eſt præſentia ad cujus laudes accingimur; illiuſque Majeſtatem reverari decet toto laudum decurſu. Servi dum in conſpectu Dominicæ quæ tibi ex officio incumbunt, peragunt, ſolent perfectè peragere, quia ad oculum ſerviunt. Nos obſequium ſervitutis noſtræ in conſpectu ſupremi Domini peragimus, vereamur ergo oculum ejus ad fundum uſque animi penetrantem, & quæ imperfectè fiunt ulciſcentem, vereamur illud Prophetæ: *Maledictus qui facit opus Domini negligenter.* Et quidem cum ſupremo Numine de negotiis omnium gravillimis tunc agimus, de remiſſione peccatorum, de juſtificatione animæ, de gratia & ſalute, de gloria æterna: An non ergo aliis tunc intendere indecorum? An non id in tantæ Majeſtatis vergit contemptum? Nonne coram Rege terreno de negotio quolibet tractans, ſi animum interim & vultum ab eo avertat, Regis majeſtatem aſpernari videtur? Quanto magis id hic verum eſt. Præſentia ergo divini Numinis viva & firma fide apprehendenda in oratione, & ad eam rem armorandam, excitandamque attentionem ſervit. Adſpiratio illa ſingulis Pſalmis adjecta: *Gloria Patri & Filio, & Spiritui ſancto, &c.* Quæ totum animi ſenſa pronuntianda eſt, ut attentio & intentio inter pſallendum facile diffluens, revocetur & renovetur, vel ſi perſteterit, accendatur & acuatur.

1. *Dei præſentia.*

Jerem. 48. 10.

Secundò, conſideret qui pſallit, ſe officium Angelorum obire, quorum in cœlo perpetuum eſt exercitium, Dei laudes celebrare; eorum ergo ſolertiam cum reverentia junctam debet æmulari. Audi Thomam à Kempis. Chorus eſt Dei & Sanctorum Angelorum locus, ſicut Angeli in cœlo, ſic miniſtri ordinati ſunt in choro. Opus Angelorum eſt, ſemper Deum laudare; opus Religioſorum eſt, interna mente pſallere & orare. Sint in choro & in cantu quaſi in medio Angelorum. Imò omnes fratres ſui ſint tibi tanquam Angeli Dei, & cum quibus pſallis in terris, ſpera te quandoque cantaturum & in cœlis. Meminerit ergo, qui pſallit, verſus illius: *In conſpectu Angelorum pſallam tibi, adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.* Sic animum erigat, intentionemque foveat.

2. *Eſt Angelorum officium.*

Kempis l. de diſciplina Claustr. c. 8.

Pſ 137. 1.

Exemplis multis demonſtrari poteſt officium divinum, Angelorum eſſe officium, & in eorum conſortio perſolvi.

Exemplis oſtenditur.

S. Magdalena 30. annis ab hominum conſuetudine diſjuncta, quotidie ſeptiès ab Angelis elevabatur in altum, ad audiendas cœleſtium ſpirituum laudes, & cum illis perſolvendas.

S. Ignatius tertius à Petro Apoſtolo Antiochiæ Epiſcopus, viſionem vidit Angelorum SS. Trinitatem hymnis alterna voce decantatis collaudantium, & formam canendi in ea viſione expreſſam Antiochiæ Eccleſiæ tradidit. Teſtis eſt ex Socrate, & aliis Baronius.

Tempore Diocletiani, trucidatis multis Sacerdotibus

dotibus, circa eorum Reliquias, audita eſt cœleſtis pſalmodia, horis illis, quibus ſancti illi Martyres & Sacerdotes Deum laudare conſueverant, manè ac veſperi, ac hora tertia, ſexta, nona. Teſtis eſt hujus rei Adonis Martyrologio, qui ideò Angelico miniſterio Horarum Canonicarum ordinem eſſe conſtitutum affirmat.

In Monaſterio Corbeienſi Ordinis Benedicti in Weſtphalia multis ſæculis perdurante Religioſi Inſtituti ſanctitate, quoties quis Religioſus infirmitate detentus chorum non poterat frequentare, ſupplebat Angelus perceptibiliter ejus vicem, ejuſque in choro vocem. Teſtantur Annales illius Cœnobij Illuſtriſſimo Nuncio Apoſtolico P. Aloyſio Caraffa noviſſimè in ejus viſitatione exhibiti, ex cujus ore id percepi.

S. Guduvaldus Archiepiſcopus, ambulans aliquando per mare, cum preces in navi perſoluturus inchoaſſet more Eccleſiæ, dicens: *Deus in adjutorium meum intende*, Angeli ſubjunxerunt: *Domine ad adjuvandum me feſtina*, & ita totum officium alternis vicibus cum viro Dei perſolverunt. Surius 6. Junij.

Ioſuæ 6. 5. Septem tubis miniſterio Sacerdotum clangentibus, olim muri Jericho ceciderunt. Sic ergo ſepties in die cum Angelis laudes Dei pſallant Sacerdotes, ut his divinæ laudis buccinis ore ſacerdotali clangentibus, Diaboli machinæ diruantur.

3. Eſt imitatio Eccleſiæ triumphantis. *Tertiò* conſideret, qui pſallere debet, ſe membrum Eccleſiæ Militantis, quæ laudes divinas decantando Triumphantem imitari cupit, ubi non ſolum Angeli, ſed & omnis Beatorum Chorus ardenti amore decantat. Una verò eſt Eccleſia, ſive Militans, ſivè Triumphans; ſicut unus erat populus Iſraelis, licet una pars jam mare tranſiſſet in littore ſecura, altera per mare adhuc graderetur inter undas. Utraque autem ordinata eſt ad laudandum Deum, licet una ſecurè & continuo laudet, altera pro modulo ſuo certis tantum temporibus, ad æternam interim illam laudem reſpirans. Porrò, Sacerdotes hujus Eccleſiæ laudantis primaria ſunt membra, quibus commiſſum eſt, ut nomine totius Eccleſiæ laudes perſolvant; ideoque illius ſpiritu eas debent perſolvere, cujus vices gerunt. Imo ſpiritum Eccleſiæ triumphantis, quantum in ſe eſt, attrahere debent, aut in ſpiritu ſic elevari, ut illi intereſſe jam quodammodo poſſint, & cum illa decantare. Ideò enim in alba veſte eas decantare jubentur in Choro, ut meminerint ſe æternitatis Candidatos eſſe, & ad eam laudem æternam aſpirare, de qua dicitur: Pſ. 83. 5. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Quomodo laudabunt? Altiſſimè, devotiſſimè, puriſſimè, ſuaviſſimè, ferventiſſimè, ſecuriſſimè, fœhciſſimè: Nec umquam ceſſabunt à laude, quia numquam ceſſabunt ab amore. His vocem & ſpiritum jungant Eccleſiæ Miniſtri, quorum profeſſio eſt immolare Deo hoſtiam laudis vice totius Eccleſiæ & vice plebis; quæ cùm variis negotijs & curis, detineatur, habet eos tamquam Mediatores, qui certis horis orent, laudent, intercedant apud Deum, impetrentque ſubſidia neceſſaria, cum temporalia, tum æterna. Nempè ſicut Reſpublica civilis habet ſuos milites, qui excubent & vigilent noctu diuque pro illa: Ita Chriſtiana Reſpublica habet ſuos, qui nocturnis & diurnis horis vigilent, & preces tanquam arma ſpiritualia contra hoſtium incurſus opponant. De his intelligi poteſt illud Prophetæ: Iſa. 62. 6. *Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes, tota die & nocte laudabunt nomen Domini.* Iterum ſunt filij Sion, qui exultant in Rege ſuo & laudant nomen ejus in choro.

Exempla. Tanta antiquitis Patribus divini hujus officii & laudis cura fuit, ut ad imitationem illius quæ perpetuò in cœlo perſolvitur in quibuſdã Monaſteriis inſtitutum fuerit, ut ſine intermiſſione laus & cantus continuaretur.

Sic legimus in Luxovienſi Monaſterio, inſtitutis S. Columbani celeberrimo, antam fuiſſe Religioſorum multitudinem, ut continuò ſibi invicem chori ſuccederent, nullumque interſtitium foret à divinis laudibus die noctuque vacuum.

Eccleſia Miſnenſis per Albertum & Erneſtum Saxoniæ Principes, ſic inſtituta fuit & dotata annuis fructibus, ut perpetuum diurno nocturnoque tempore chorum haberet, cœleſtis concentus perpetuitatem imitantem. Teſtis eſt Joan Bonifacius l. 3. de inſtit pueri Chriſtiani.

4. Attendere adorationem Chriſti in terris. *Quartò*, ut attentio poſſit foveri in decurſu officii divini, juvabit animum reflectere ad orationem Chriſti in terris qui nunc oravit pro nobis, & jam oraturà nobis: imo adhuc orat in nobis tamquam in membris ſuis, & ideò nos oportet illi conjungere mentem & ſpiritum, & effectum fructum laborum, in unione laudis & orationis quam patri obtulit in terris. Ipſum etiam hymnos decantaſſe ad laudem Patris, ſatis deducitur ex Evangelicis geſtis: Cœna enim peracta, hymno dicto, cum diſcipulis gratias egit: quem hymnum quidam exiſtimant fuiſſe Pſalmum, *In exitu de Ægypto.* In Cruce etiam inchoavit Pſal. 22. *Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti* Ibidem finivit, Pſal 30. pronuncians. *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum;* Matt. 26. 30. Pſ. 113. 1. Pſ. 21. 1. Pſ. 30. 6. contentque aliqui Pſalmum integrum ſubmiſſa voce perſolviſſe. Itaque Chriſti Domini conſideratio, nata eſt excitare attentionem noſtram: ſive conſideremus eum olim orantem in terris, quia ejus devotionem debemus imitari, ſive conſideremus ut modò orantem in nobis, quia ejus ſpiritum reverentur dum oramus: ſive conſideremus ipſum eſſe qui oratur & adoratur in cœlis, quia nullo ſatis digno honore cum poſſumus proſequi. Ipſe etenim eſt Agnus ille in Throno ſtans, in circuitu cujus myſtica animalia cum Angelis, & ſeniores cum omnibus creaturis quæ in cœlo ſunt & in terra inclamant: Apo. 5. 12. *Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem & divinitatem, & ſapientiam, & honorem, & gloriam, & benedictionem*, Atque ſicut

ſciant Sacerdotes ſe vicem non ſolum populi, ſed & omnium creaturarum gerere, in laude & honore ac gloria Agno reddenda: quia creaturæ, quæ ſine anima ſunt, & ſine voce illorum ſpiritum, animam, & linguam quodammodo mutuant, ut laudent Creatorem, & illi homagium præſtent, & agnitionem. Quin imo cum animæ reprobæ ſe voluntariè gratiâ & amore æternùm privârint, & conſequenter laude, in pœnis blaſphemantes Creatorem & Redemptorem, ipſi tenentur ſupplere, quibus laus eſt Dei commiſſa, non ſolum pro illis creaturis, quæ non poſſunt niſi muto eloquio laudare, ſed etiam pro illis, quæ maledictioni æternæ obnoxiæ, indignæ ſunt laudem Dei in ore aut mente habere. Et ideò quanto ipſi maledicti affectu maledicunt Deum Vindicem, tanto nos affectu laudare debemus & benedicere juſtum judicem: & ad eum etiam finem laudes divinæ in officio quotidiano, animo devotiſſimo perſolvendæ ſunt & referendæ.

EXEMPLA SANCTORUM.

EAm ob cauſam viri ſancti ad extremum uſque ſpiritum divino officio & laudibus Dei perſolvendis inſtiterunt, ut eam quam in laude Creatoris vitam inſumpſerant, finire poſſent.

De S. Joanne in vita ejus. De S. Joanne Epiſc. Neapolitano ſic legimus: *Sabbatho autem ſecunda hora diei lætus ad Eccleſiam proceſſit, & aſcenſo tribunali ex more populum ſalutavit, reſalutatuſque à populo orationem dedit, & collectum oratione ſpiritum exhalavit.* Quod dicitur ex tribunali populum ſalutâſſe, ſignificatur mos Epiſcopi ex altiori loco dicentis ad populum: *Pax vobis.* Eumque reſalutâſſe dicitur populus, reſpondendo ſcilicet: *Et cum ſpiritu tuo.* Tunc orationem, quæ collecta nominatur, ſubjunxit, & eam finiens etiam vitam finivit.

De S. Oſualdo, Surius 15. Octob. an. 1170. S. Oſualdus Wigornienſis in Anglia Epiſcopus, cùm ſciret vitæ ſuæ terminum adeſſe ex divina revelatione, convocatis Sacerdotibus ſuis, hortatus eſt, ut ſibi impenderent Sacramentum Extremæ Unctionis, cum Viatico Domini. Interim nocte ſequente quaſi oblitus adverſæ valetudinis, in templum ſe contulit, & officium divinum explevit, reliquaque noctis ſpatia in divinis laudibus explevit. Manè ſolito more linteo præcinctus, pauperum pedes lavit, atque extergens, quindecim Pſalmis, quos in illo miniſterio dicere ſolebat, perſolutis, ſubjunxit: *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto*; ſicque ad pauperum pedes in divina laude expiravit.

De S. Vincentio. S. Vincentius Ordinis Prædicatorum, cùm non poſſet officium divinum in ultima ægritudinis die perſolvere, curabat apud lectum ſuum per ſocium recitari. Cumque ſocius laudes perſolvens perveniſſet ad verſum ultimi Pſalmi; *Omnis ſpiritus laudet Dominum*, ipſe multoties id repetendo cum jubilo ſpiritum reddidit. Idem de S. Petro Cæleſtino tradit Scriptor vitæ ejus.

Pſ. 150. 6.

CONCLUSIO AD SACERDOTES

ERgò agite, Benedicite Sacerdotes Domini Domino, benedicite ſervi Domini Domino: *Vos qui ſtatis in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri* Dan 3. 48. *benedicite, laudate, ſuperexaltate, pſallite cum attentione & reverentia, cum affectu & devotione. Memores eſtote ſive privatim, ſive publicè vobis pſallendum ſit, vos ſtare in conſpectu Angelorum, in conſpectu Majeſtatis divinæ, in conſpectu Agni coram throno ejus: ut reddatis ei gloriam & honorem, ex parte Cleri, ex parte populi, ex parte omnis creaturæ, quæ ſi vocem haberet, optaret ei laudem perſolvere. Supplete toto animi conatu laudem quam ei denegant Infideles, Hæretici, Reprobi, & maledictionis voces, quas in eum intorquent, compenſate frequentiſſimis & ferventiſſimis laudibus. Vos ſtatis quaſi inter cœlum & infernum medii, ad hunc effectum Deo conſecrati, ut cum laudetis pro ſuperioribus & inferioribus creaturis, pro animatis & inanimatis, pro Infidelibus & Chriſtianis, pro Hæreticis & Catholicis, pro electis & reprobis: ut ſic confiteantur per vos Deo omnia opera ſua, dum vos ſanctis & conſecrati benedictionibus illis. Cur verò curſim, cur perfunctoriè, cur præcipitanter, oſcitanter & torpidè tantum munus obeatis, ſi Deum, ſi Angelos, ſi teſtem Chriſtum attenderitis? Ipſum conſiderate, tanquam eum, quem debetis laudare, tanquam eum, per quem debetis laudare, tanquam eum, cum quo debetis laudare & orare: quia ſemper laudat & orat Patrem, ſemper illi ſe hoſtiam offert & holocauſtum laudis, per ſe in cœlis, per vos in terris.*

Concludo, obſecrans Te Domine Jeſu, *qui ſimul es Sacerdos & hoſtia laudis, pro me & Sacerdotibus fratribus meis, ut illis aperias ora, aperias corda ad dignè Te laudandum, & per Te Patrem ac Spiritum Sanctum, ad dignè pronuntiandum Pſalmos, Hymnos, Cantica laudis quotidiana.* Da eis labium electum, Soph. 3. 4. *quod Eccleſia filijs promiſit in per Prophetam*: ut invocent in nomine Domini, & ſerviant ei humero uno; *unanimi ſcilicet conſenſu in obſequio tuo; unanimi devotione in domo ſacra tua; puro corde, puris labijs tibi pſallentes. Lætifica eos* in domo orationis tuæ, in monte ſancto tuo, *ſicut promiſiſti per Iſaiam Pac ut ſint de populo, qui ſcit jubilationem. Ambulent* in Iſa. 61. 19. *lumine vultûs tui, & in nomine tuo exultent* totâ Pſ. 88. 16. *die, quoniam gloria virtutis eorum tu es: Spiritum cordibus eorum infunde, ne ſ; ut Dei facians negligenter, aut ne, dum labijs te honorans, cor eorum longè ſit à Te.*

* *
*

LECTIO

LECTIO XV.

DE FLORE DECIMOQVINTO, QVI EST. elevatio mentis ad ſenſum, vel ad myſteria Paſſionis.

ECcleſia à Spiritu Sancto inſtructa ordinavit Officium ex ſacra Scriptura, ex ſanctorum Patrum ſcriptis, ex ſacrorum precationum medulla, ex Martyrum & aliorum Sanctorum geſtis. Et hinc liber officij divini *Breviarium* vocatur, quaſi compendioſè & abbreviatè continens, quicquid præclarum eſt in ſacris Scripturæ libris, in Patrum ſcriptis, in Sanctorum geſtis & hiſtorijs, in orationibus à ſummis Pontificibus editis, aut alijs libris pijs. Diſtinxit vero hoc officium gratâ varietate ad tædium tollendum, per Pſalmos, Cantica, Hymnos, Antiphonas, Lectiones, Reſponſoria, Verſus, Orationes. Et in his omnibus mens erigenda eſt, ut intelligat ſenſum; & affectus excitandus ad ſaporem & guſtum, quia ſub cortice ſacrorum verborum, quæ decantantur vel leguntur, non parum medullæ continetur, quæ poteſt reficere animum benè attentum. Hoc diximus velle Plalterm, dum monet: *Pſallite Deo noſtro, pſallite, pſallite Regi noſtro, pſallite ſapienter*; hoc eſt ſapidè & ſapienter, ut ſit intelligentia in mente, ſapor in corde. Hoc etiam vult Apoſtolus: *In Pſalmis, Hymnis, & Canticis ſpiritualibus, cantantes in cordibus veſtris Domino.* Cui conſonat monitum S. Bernardi: *Immolantes hoſtiam laudis, jungamus ſenſum verbis, affectum ſenſui, exultationem affectui, modeſtiam exultationi.* Quoniam verò plerique non intelligunt quæ pronunciant, ſaltem meminerint ſe Spiritûs ſancti verba proferre; & ideò in illis verbis ſpiritum Eccleſiæ orare, qui eſt ſpiritus columbæ poſtulans *pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Et idem ille ſpiritus eſt, qui hæc officia dictavit & ordinavit, qui etiam nobis non intelligentibus orat. Hac conſideratione mentem in Deum elevent, qui ſenſum ignorant; & ita licet non paſcantur ſenſu & intelligentiâ, habebunt tamen fructum devotionis erga Deum, fructumque reverentiæ erga preces ſacras, & erga ſpiritum Chriſti & Eccleſiæ, qui in illis orat. Hoc ſi magna humilitate & pietate fiat, non minus meriti conciliabit, quàm ſi verborum ſenſus perciperetur, nec minus efficaciæ ad impetrandum habebit.

Breviarium unde dicatur Hora Canonica.

Pſ. 46. 7.

Coloſ. 3. 16.

Rom. 8. 26.

De Monialibus non intelligentibus preces.

Quapropter S. Jordanes rogatus, an preces Monialium non intelligentium placerent Deo? Reſpondit: *Sicut gemma in manu ruſtici ignorantis pretium tantum valet, ac in manu aurificis, qui pretium novit: Sic & preces tantum valent in ore indocti, quantum in ore docti, qui intelligit.* Addi poteſt & hæc ſimilitudo. Libellus ſupplex licet porrigatur Principi ab idiota, tantum impetrat quantum ſi à viro literato. Audi & aliam ſimilitudinem.

Simil.

In vitis Patrum quidam conquerebatur: *Ecce ego, & non eſt compunctio in corde meo, quia naſcio virtutem ſive ſignificationem verbi.* Reſpondet ei Abbas Paſtor. *In carmen aves pergentia ſicut incantator licet virtutem verborum quæ dicit, naſciat, ſero tamen percipit & ſubjicitur incantanti. Sic & nos, licet ignoremus virtutem eorum quæ loquimur, Dæmones tamen intelligunt, & ſervis deſecdunt.*

In vit. PP.

Memorabile eſt, quod de S. Lutgarde legimus. Contulerat ei Deus donum curationis, ita ut tactu ſalivæ, vel manûs morbos curaret. Cùm verò hominum frequentia ſæpe in oratione impediretur, dicebat: *Quorſum Domine, hæc gratia, impedimentis me tibi vacare poſſim? Meliorem illam dono communia.* Reſpondet Dominus: *Quid verò petis?* Ait illa: *Cupio intelligere Pſalterium pro majori devotione.* Conceſſit ei Dominus, ſed vidit ex ea gratia ſe nonita proficere, ut ſperârat: reverentia enim veluti myſterij mater eſt devotionis, & avidius res celata quæritur, majorique veneratione concupiſcitur. Iterum ergo Domino dicebat: *Quid ad me ſimplicem Monialem Scriptura arcana noſſe? Potius mihi Domine cor tuum ſtrue, & cor dis tui amorem ſic cordibus meis attempera, ut in ſe cor meum poſſideam omni tempore, tua protectione ſecurum.* Dedit ei Dominus, & ex eo tempore facta eſt quædam commutatio cordium, ſive unio ſpiritus creati & increati per gratiæ excellentiam. Et ita deinceps Chriſtus cordi Virginis inhæſit, ut nec tentatio carnis, nec cogitatio turpis eam infeſtârit vel momento.

Surius de S. Lutgarde in vita ejus. 16. Jan.

Sed quæritur, *Cur in ſeptem Horas Officium divinum Eccleſia diſtinxerit?* Reſpondeo, potiſſimùm id feciſſe ad memoriam Paſſionis Jeſu Chriſti, ut recolerentur ea, quæ paſſus eſt diverſis illis horis laudis hujus obſequio quotidiano gratum animum exhibendo. Hinc illi Verſus:

Officium devetur in 7. Horas diſtributi ſit.

Matutina *ligat Chriſtum, qui crimina ſolvit,*
Prima *replet ſputis. Cauſam dat* Tertia *mortis.*
Sexta *cruci nectit: Latus ſed* Nona *haſta ſecat.*
Veſpera *deponit: Tumulo* Completa *reponit.*

Quocirca fructuoſum & Deo gratum exercitium eſt, illis Horis mente volvere illa, & adſpicere in Jeſum propeccatis noſtris ligatum, illuſum, & conſputatum, flagellatum & coronatum, in cruce acerba elevatum, vulnere amoris circa cor transfixum, cum luctu tandem depoſitum, & cum mœrore tumulatum. An non hoc indicare voluit Dominus per Zachariam, dicens: *In illa die erit fons patens domui David, & habitatoribus Jeruſalem ſpiritum gratiæ & precum, & aſpicient ad me, quem confixerunt.*

Zach. 13. 10.

Quænam eſt domus David, niſi Eccleſia Chriſti & Congregatio Fidelium. Quinam habitatores Jeruſalem, niſi filij Eccleſiæ, qui intra muros illius adhuc Militantis demorantur, adſpirantes interim

interim (& animo jam conversantes) ad Jerusalem Triumphantem? In illa ergo die, hoc est tempore legis gratiæ communicabo Spiritum gratiæ & precum: ut adspiciant in me quem confixerunt, remorantes quomodò pro peccatis omnium confixus sim, ideoque necem meam, & peccata sua deplorantes. Hoc omnibus Christianis qui de domo David & Filij eius sunt commune est, qui omnem orationem auspicari & finire debent per merita Christi Crucifixi: *Adspicientes in Authorem Fidei & consummatorem Iesum*, ideoque à signo Crucis inchoant, & eo in die orando, manè, meridiè, vesperi, mortem Christi commemorant. Sed potissimum id his qui de Clero sunt, convenit, tanquam primarijs Habitatoribus & Civibus Jerusalem; qui ideo septies in die laudes decantant, in honorem Crucifixi, & in memoriam omnium eorum quæ toto Passionis tempore diversis horis est perpessus. Ergo ut hoc tuo munere perfectè fungantur, debent meminisse Crucis Christi, & ardentibus votis implorare Spiritum gratiæ & precum, adspiciendo continuò in eum quem peccata nostra confixerunt, tanquam objectum & scopum, qui unicè proponitur eis toto officij divini decursu in certas Horas eam ob causam ab Ecclesia distributo.

Mysteria passionis recolunt ur ad Matutinum & Laudes.

Ad Matutinum igitur & Laudes, recoluntur angustiæ, tormenta, pœnæ & contumeliæ probrosæ, quas Christus passus est pro nobis tota illa nocte; dum in horto jam sudore sanguineo & angustijs innumis exhaustus, crudelissimè vinculis & funibus attractus est in Hierusalem, toroque noctis tempore modò percussionibus atrijus, modò opprobrijs & blasphemijs innumeris affectus: ita ut dixerit S. Hieronymus, ea nocte tot ac tanta passum Christum, ut in diem usque judicij reservata sit eorum integra notitia.

2. Ad Primam. Ps. 21. 17.

Ad Primam, recolitur quid ea hora passus sit, dum diluculo convenere cum rabie Principes Judæorum, de quibus conqueritur per propheram: *Circumdederunt me canes multi, & concilium malignantium obsedit me.* Quot latratus, quot calumniæ mordaces, conspurationes, illusiones affluxerunt cor Domini Jesu, dum per plateas trahitur tamquam opprobrium hominum & abjectio plebis, dum manè sistitur tamquam omnium sceleratissimus coram Principibus Judæorum, coram Pilato, coram Herode accusatus, illusus angustiatus: *Aperuerunt os suum sicut Leo rugiens & rapiens, & factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.*

Ibid. v. 14.

3. Ad Tertiam.

Ad Tertiam, recolitur post tot noctis & diei attritiones, acerbissima flagellatio, impulsima coronatio, ignominiosissima purpuræ & arundinis inauguratio, innumeris opprobrijs conjuncta, dolorosissima exhibitio in illis verbis: *Ecce Homo.*

4. Ad Sextam.

Ad Sextam, recolitur, damnatio ejus ad mortem, crucisque bajulatio renovans tormenta jam inflicta, aceti cum felle mixti potus, denique infamis iterum denudatio, pedum & manuum crudelissima transfixio, & in crucem elevatio: *Foderunt manus meas & pedes meos, & dinumeraverunt omnia ossa mea.*

Ad Nonam, recolitur trium horarum in cruce angustia, cum mysticis quæ protulit verbis quasi testamentum condens, post quæ tandem expiravit, cœlo lugente & elementis signum luctus edentibus. Simulque rememoratur quomodo sibi jam mortuo latus voluerit aperiri, extremi amoris extremum indicium.

1. Ad Nonam.

Ad Vesperas, ejus de cruce depositio recolitur; quanto cum mœrore fuerit piorum, maximè Virginis Matris, discipuli Joannis, Magdalenæ, Josephi Arimathæi & Nicodemi, qui corpus undique cruentum & laceratum in sinum Matris deposuerunt dolorosum spectaculum.

6. Ad Vesperas.

Ad Completorium recolitur ejus funus & sepultura, cui cooperatæ sunt personæ hæ piæ cum emulieribus quæ secutæ erant eum à Galilæa, quæ non deseruerunt pium Dominum & Magistrum lachrymis, quæ amoris & doloris testes fuere, ad sepulchrum usque comitantes.

7. Ad Completorium.

Itaque ad fructuosè recitandum officium, & recolendum Christi Passionem, ad singulas Horas poterit oratio aliqua brevis & eraculatoria fieri, vel voce, vel mente, in hunc vel similem modum.

Ad Matutinum, *Domine Iesu, in unione illius Orationis, quam in horto angustiatus Patri obtulisti, & tormentorum omnium quæ Passionis tuæ nocte pertulisti, offero tibi hoc Matutina Laudis obsequium, ut illud accaptare digneris in compensam eor blasphemiarum*

Ad Primam, *Domine Iesu, in memoriam sputorum alaparum, convitiorum, illusionum, quæ initio diei pro nobis pertulisti & Patri obtulisti, hoc erit & cordis nostri obsequium suscipere ne dedigneris, ut Patri Æterno gratum sit in unione tui amoris.*

Ad Tertiam, *Domine Iesu, in memoriam acerbissimæ flagellationis & ignominiosissimæ coronæ tuæ, Tibi modo orare, te adorare cupio: & hoc sit obsequij servitus in me, quo te Regem æternum profitear & agnoscam.*

Ad Sextam, *Domine Iesu in memoriam Crucis acerbæ quam bajulasti, in qua exaltatus es, & Te Patri Hostiam obtulisti hoc Laudis sacrificium à nobis dignetur suscipere, & Patri offerre, ut sit acceptum in oblationis tuæ unicæ.*

Ad Nonam, *Domine Iesu, in memoriam cordis tui tribus horis in cruce angustiati, & post expirationem lanceæ aperti, offero Tibi hoc precum & amoris obsequium, ut cor nostrum jungere digneris tuo cordi amore inseparabili.*

Ad Vesperas, *Domine Iesu, in memoriam capitis tui languidi, & corporis tui plagis undique affecti è cruce in sinu Matris depositi, hoc officium orationis suscipe, & tibi acceptum sit in unione dolorum benedictæ Matris tuæ.*

Ad Completorium, *Domine Iesu, in memoriam sepulturæ & sacræ tumulationis tuæ accipe hos extre-*

mum officium servitutis & devotionis nostræ diurna, &, ut tibi gratum sit, conjunge cum lachrymis, quas tibi nunc obtulerunt pia anima.

Oratio post divinum officium.

Conclusio orationis pro supplemento negligentiæ in Horarum recitatione, hæc esse poterit post expletum officium.

O bone Jesu, propitius esto mihi peccatori. Ego tepidum & distractum officium commendo mellifluo cordi tuo emendandum & perficiendum: Tibique offero ad salutem omnium, in omnem illam perfectissimam attentionis, quæ Patrem erasti & laudasti in terris. Responde quæso, satisfac & supple pro me plenissimè.

De S. Gertrude.

B. Gertrudis hoc ipsum divinitus est edocta: quæ cum quodam die officium cum aliis perageret, attentè singula pronunciare studens, ex infirmitate tamen humana multas patiebatur distractiones, Unde mœsta dixit intra se: *Quis fructus provenire potest ex hoc studio, cui tanta instabilitas est conjuncta?* At Dominus volens eam consolari, præsentavit illi dignissimum illud totius boni Gazophylacium, Cor scilicet suum, & dixit: *Ecce cor meum oculis mentis tuæ prætende, cui omnia quæ per te minus perficere potes, fiducialiter per me perficienda commendabis, & sic coram oculis meis apparebunt perfecta. Certè cor meum humanam fragilitatem instabilitatemque cognoscens, semper cum desiderio expectat, ut si non verbis, saltem cogitatione committas pro te supplendum, emendandum ac perficiendum quicquid minus per te vales.*

Bosius in Monili c. 3. §. 11.

LECTIO XVI.

DE FLORE DECIMO-SEXTO, QUI EST observatio pia loci, temporis, modi convenientis, ad Officium persolvendum.

DE LOCO.

XVI. Flos Observatio circumstantiarum Orationis.

I. Locus est Templum, vel Oratorium.

QUantum ad orationis locum, peropportunus est & peroptimus Templum vel Oratorium Deo consecratum. Hic enim proprie est locus orationis, in quo chorus & altare; Hic locus sanctus, in quo Dominus specialiter habitat, & Angeli ascendunt & descendunt, ut preces nostras offerant & dona Dei referant. Et certe quicquid in templis cernitur aut reconditur, natum est ad devotionem excitare, si mens ad ea consideranda elevetur; & ideò in illis officia publica decantari præceptum est. Quid est enim Ecclesia, nisi summi Imperatoris Palatium sacrum, locusque non solum divino Numini gratus, & ab Angelis frequentatus, sed & dæmonibus terribilis, devotis delectabilis & suavis? Quid aliud Ecclesia, quàm domus Dei ad orandum, aula Dei ad laudandum, chorus Dei ad cantandum, altare Dei ad celebrandum, porta Dei ad Cœlos intrandum, scala Dei ad ascendendum, cœnaculum & mensa Dei ad panem vitæ edendum, atrium Dei ad mortuos in Domino sepeliendum? Verè locus ille sanctus est, in quo omnia sancta, omnia ad sanctitatem Christianos excitantia. Unde & Sacerdotum animus illic frequens debet esse, illic vota eorum & preces coram Deo comparere, ubi exercitiorum omnium sacrorum proprius est locus. In Templis enim castra sunt Christianorum, ut in eis vigilent & orent, & pugnent contra diabolum. Ibi celebrantur festa Christi & Sanctorum, quæ indicant nobis gaudia Cœlorum, ubi nunc cum Christo regnant, qui mundum contempserunt. Ibi recitantur Sanctorum gesta, quæ corda pusillorum confirmant, ut constantes sint, & per arctam viam eos sequantur. Ibi miracula eorum declarantur, ut mali intelligant, quomodo nequaquam bonos opprimere debeant, aut in malitiis suis inebriari; sed tantis signis ad veritatem reduci. Ibi conduntur ossa eorum, ut populorum fidem roborent, ne moriturum meant, sed cum electis resurgere confidant. Ibi scripta Sanctorum Patrum exhibentur & leguntur, quæ sunt velut lucernæ viatorum, ne in fide aut moribus errent. Ibi imagines & picturæ mentes excitant ad venerationem & amorem Beatorum. Ibi denique Psalmi & Cantica resonant, ad excitanda corda arida & tepida, ut ipsi exultent in conspectu Dei & Angelorum.

Quid sit Ecclesia.

Non parum profectò quæ in divinis officiis piè decantantur, ad animos audientium excitandos valere, variis potest exemplis declarari.

Aug. conf. lib. 9. c. 6.

Ac imprimis S. Augustinus de se sic fatetur post Baptismum: *Non satiabar illis diebus, dulcedine mirabili, considerare altitudinem consilii tui super salutem generis humani. Quantum flevi in Hymnis & Canticis tuis suavè sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter? voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & exæstuabat affectus pietatis, & currebant lachryma, & bene mihi erat cum eis.*

De S. Cæcilia.

S. Cæcilia, cantantibus organis soli Domino decantabat in corde suo illud Psalmi: *Fiat Domine cor meum* & corpus meum *immaculatum, ut non confundar*: & ita animo per hæc sacra verba in Deum erecto, se in castitatis proposito, ac in fide Jesu Christi confirmabat. Ipsa quoque Evangelium Christi gerens in pectore, non diebus neque noctibus vacabat à colloquiis & laudibus divinis: dumque expansis manibus orabat ad Dominum, cor ejus in verborum sacrorum pronunciatione cœlesti exardescebat igne. Denique, dum jam convertisset Valerianum Sponsum & Triburtium Fratrem nocturnis colloquiis: dum aurora finem daret, insonuit eorum auribus hoc ex Apostolo monitum: *Ejiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Audi aliud ex Chronicis PP. Prædicatorum.

Ps. 118. 8.

Rom. 13. 12.

De Juven. Chron. Prædicat. p. 4. c. 10.

Juvenis quidam in civitate Parisiensi Jurispendentiæ operam navans, cùm quodam die Officio defunctorum interesset in Ecclesia, illud audivit decantari: *Heu mihi Domine quia peccavi nimis in vita mea, quid faciam miser, quo fugiam nisi ad te Deus*

Digitized by Google

Deus meus. Ita verò interius illa voce commotus est, ut non potuerit eam continò auribus intonantem à mente repellere; nec occupationibus aliis, aut recreationibus quibuscumque eludere. Quapropter renuncians dissolutioni vitæ & sæculo valedicens, de medio Babylonis fugit ad Ordinem S. Dominici adhuc pietate recentem, ibi reperturus Deum suum. Ita Vitæ FF. Prædicatorum p. 4. cap. 10.

De Guerrico ib. Gen 55

Alius quidam F. Guerricus, vir eminens in Ordine Prædicatorum, similem sui ingressus in Religionem causam afferebat. Cùm quodam die Officio divino interesset, audivit legi in Ecclesia: *Factum est omne tempus quod vixit Adam nongenti triginta anni, & mortuus est. Facti sunt dies Seth nongentorum duodecim annorum, & mortuus est. Facti sunt dies Enoch nongenti quinque anni, & mortuus est.* His auditis, eum invasit, & ad cor usque penetravit hæc cogitatio: *Quid faciemus & nos, nonne citò morieмur?* Hæcque sancta cogitatione vehementer compunctus, O. d. nem S. Dominici est ingressus, ut morti se præpararet. Ita Idem lib. c. 10.

De B. Teresia,

S. Theresia non poterat sine spiritus exultatione & jubilo audire decantari illud: *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Similiter cum in Missa illud caneretur: *Et regni ejus non erit finis,* tota extra se rapiebatur.

Cæterùm quia his qui privatim divinum Officium recitant, non est semper integrum in Templis Deo sacratis illud peragere: ideò omnis eis locus qui non impedit attentionem & devotionem, est permissus. Consulitur verò eis illud Matthæi. *Tu autem cum oraveris, intra cubiculum tuum, & ora Patrem tuum in abscondito.* Quod licet maximè intelligatur de mentis solitudine & conclavi; etiam tamen intelligi liberaliter potest de loco solitario & secreto ad orandum & psallendum eligendo, tàquam magis congruo. Istud ubi fieri non potest. S. Catharinæ Senensis exemplum est imitandum: quæ cùm à parentibus impediretur, separatum locum ad pietati & orationi vacandum seligere, divina inspiratione est edocta cellulam sibi in interiori mentis domo fabricare. In illa deliciabatur cum Deo magna quiete, etiam inter ollas, & lebetes, ac culinaria loca, ob præceptum matris, existens. Audientum igitur est monitum illud D. Aug. *Quisquis supplicaturus Deo locum aptum & familum requiris, interiora tua munda, & omni inde mala cupiditate depulsa, prepara tibi in corde tui pace secretum. Volens in Templo orare intra ora: & ita age semper, ut Dei templum sis, ibi enim Deus exaudis, ubi habitat.*

Matt. 6.

S. Catharina Sen.

Aug. tra. 34. in Joan.

DE COMPOSITIONE CORPORIS.

11 Compositio corporis.

QUantum ad compositionem exteriorem corporis, ea sola prohibetur quæ impedit attentionem; & consulitur ea, quæ devotionem & mentis elevationem magis juvat. Varia autem est, juxta varietatem orantium dispositionem: ideoque dum privatim horæ recitantur, relinquitur id prudentiæ unicuiusque & devotioni, quamvis in choro oporteat se conformare Ecclesiæ moti & cæremoniarum præscripto.

De S. Francisco,

S. Franciscus licet oculorum, stomachi, splenis & hepatis ægritudine laboraret, nolebat tamen muro vel pariети inhærere, dum psalleret; sed horas semper erectus, & sine caputio, non gyrovagis oculis, nec cum aliqua syncopa persolvebat. Si quando esset in itinere figebat tunc temporis gressum, hujusmodi consuetudinem reverentiæ & sacram propter pluviarum inundantiam non omittens. Dicebat enim: *Si quietè comedis corpus cibum suum, quod futurum est vermium esca, cum quanta pace & tranquillitate accipere debet anima cibum vitæ;* Hinc adhuc S. Francisci corpus mortuum stat quasi orans, nullis fulcris innixum.

De S. Carolo,

S. Carolus solebat flexis genibus totum Officium divinum recitare, idque propter reverentiam illius quem alloquebatur. Imò sacras Scripturas capite discooperto, & flexis etiam genibus, tanquam divina verba legebat.

De S. Paulo, Eremita.

S. Paulus Primus Eremita etiam in oratione hunc modum servabat, flectendo, & manus oculosque in Cœlum tollendo. Et id ex eo constat, quod tali corporis situ animam exhalarit. Unde S. Antonius cum sic invenisset eum, existimabat in oratione esse persistentem, quam non decerent interrumpere. At postea advertit corpus exanime esse, & tamen speciem quam in oratione toto vitæ suæ cursu observarat, etiam in morte non deseruisse, genibus complicatis, erecta cervice, extensisque in altum manibus.

S. Hieron. in ejus vita.

De B. Isaac Syro monacho ex S. Gregorio supra diximus, quod tres continuos dies & totidem noctes genibus innixis oraverit.

Horas Canon. in lecto recitare indecens est.

Ex his colligere licet, quandoque negligentiæ & irreverentiæ periculo obnoxium esse, horas Canonicas in lecto recitare. Quod exemplis aliquot comprobat B. Petrus Damiani epi. 14. ad Desiderium Cassinensem Abbatem. In quodam Cœnob. Burgundiæ refert accidisse, quod casu Religiosus piæ conversationis obviaret cuidam speciem præferenti peregrini alicujus Jerosolomitani, palmamque in manu gerenti: cum autem ille paululum pertransisset, dixit: *Completorium in tecto nec salus est, nec profectus.* Id audiens Religiosus, miratus est: at post tergum respiciens, eum videre non potuit, quia mox prolato verbo disparuit. Ille verò ad conscientiam mox reversus, invenit quod pridiano vespere lassus de via rediverat, & fessam in lectulum membra projiciens, jacendo Canonicas horas compleverat. Utrùm Angelus verò fuerit, vel homo, Dei ductimus relinquendum judicio. Ita ille.

Pet. Damian. ep. 14. c. 8 Baron. t. 11. a. 1062. num 82.

Idem refert de altero Religioso, Priore cujusdam Cœnobii, qui quia levi quadam infirmitate laborabat, sæpè jacens in lecto, Completorium decurrebat, confisus in hac sui corporis imbecillitate. Accidit ut quemdam dæmonia cum

Idem P. Damiani lib. de miraculis.

exorcizare rogaretur. Cumque hoc perageret: *Tunc ille es* (inquit dæmon per os energumeni) *qui quarta die Completorium in lecto insusurras? & eo modo me quasi Sanctus vir eiicere, & jura mei vasculum de meo dominio eripere?* Erubuit ipſe, quia rei veritatem etiam per mendacii cognovit auctorem.

Ex Chron. F. F. Eremit. S. Aug.

Adjiciendum hic eſt, quod ex Vitis Fratrum Eremitarum S. Auguſt. l. 2 c. 15. refertur. Cùm duo Fratres quadam nocte ſedendo in lectis ſuis, & quaſi cabando Matutinas horas perſolverent; ecce pertranſiens dæmon, & fœtorem intolerabilem ſpargens, dixit: *Ad talem orationem tale debetur incenſum.*

Itaque ſub divini timoris ac reverentiæ diſciplina divina ſunt perſolvenda Officia, ne dum pſallimus, fructum ſpiritus cum carnis delicia miſceamus: quia ſæpè parum profeſt Deo laudis offerre, & per torporem negligentiæ eum laudis, vel inutilibus cogitationibus inquinare.

DE TEMPORE OFFICII PERSOLVENDI.

III. Tempus recitandi horas Can.

QUantùm ad tempus, olim etiam recitantibus ſecundùm Canones & antiqua jura opportunum tempus & certum deſtinatum fuit: ita ut juxta communiorem opinionem Prima recitari deberet una hora ante vel poſt Solis ortum. Tertia verò, hora à Solis ortu tertia. Sexta, hora meridiana. Nona, tertia poſt meridiem hora. Veſpertina, hora duodecima à Solis ortu. Completorium verò, poſt Solis abſceſſum, appetente jam nocte. Nocturnæ vigiliæ cum laudibus matutinis ad mediam noctem, aut quarta vigilia noctis, hoc eſt una, duabus tribuſve horis ante ſolis ortum. Hæc ſunt debita tempora, ſecundùm Canones & jura. At vero uſu receptum eſt, ut ſingularum horarum officia perſolvantur in choro, juxta conſuetudinem Provinciæ vel Patriæ.

Privatim quando legenda hora.

Quantùm verò ad privatim horas legentes, quoad fieri poteſt tenentur ſeſe conformare horis ab Eccleſia ſolitis: ita ut veniale peccatum intercurrat, ſi notabiliter abſque cauſa præveniantur, vel poſtponantur. Ad hanc rem comprobandam facit exemplum quod ex antiquis Patrum hiſtoriis refertur, & citat Innocentius, Hoſtienſis, Joannes Andreæ, & Abbas in c. 1. de celebrat. Miſſarum. Angelus quemdam Anachoretam ſolitus erat obſervare divina officia perſolventem: ille verò perſolvebat modò citiùs, modò tardiùs, quandoque etiam hora debita. Ideo Angelus aliquando ei deferebat uvas immaturas & acerbas, aliquando maturas & ſuaviſſimas, aliquando etiam ſiccas & marcentes. Interrogatus eſt Angelus, quid rerum id ſignificaret? Reſpondit ſe uvas afferre ex parte tantum maturas, quando divini officii tempus præveniebat: quia tunc & ipſe immaturam quodammodo orationem Deo offerret, horam præoccupans. Tunc verò perfectas uvas ſe deferre, quando debito tempore

Exempl. Jac. à Graphiis c. 32. §. 14.

officium divinum perſolvebat: ut inſinuaret, quàm ſi ſit apud Deum meritò, obſequium laudis divinæ ſuo tempore perſolvere. Denique attulit ſi quando-que uvas ſiccas & emarcidas: ut indicaret obſequium laudis divinæ ſeriùs quàm par eſt præſtitum, multominus valere quàm ſuo tempore oblatum, vel etiam anticipatum.

Alterum exemplum idem confirmans refert B. Petrus Damiani epiſt. ad Abbatem Deſiderium de S. Severino Epiſcopo Colonienſi in purgatorio puniro, eo quod frequenter ob negotia aulæ horarum tempus anticiparet. Sic autem habet. Clericus Coloniculis vadum fluminis tranſibat, & ecce B. Severinus ibidem nuper Epiſcopus, equi habenas apprehendit, eumque retinens ſiſtit. Cumque ille in furorem verſus, cur illic tam celebris famæ virum moraretur, inquireret: *Domine*, inquit, *manum tuam, & quæ circa me ſunt, non ut tuta diſpe, ſed tactu.* Cumque datam manum ſuctibus Epiſcopus impreſſiſſet, tantus eam ardor abſorbuit, ut undique carnes ejus diffluerent. Ad quem Clericus ait: *Cum nomen tuum in tanta ſit benedictione apud eos, & fama tua totius Eccleſiæ præconiis celebretur, cur te peſtilens hæc voragò conſtringit, tamque intendo cruciatu?* Reſpondit: *Nihil aliud in me manſit plectendum, præter hoc, quod dum in aula regia conſtitutus imperialibus me conſiliis vehementer implicui, Canonica ſynaxis officia per diſtincta horarum ſpatia non perſolvi: Manè quippe ſimulomnia conſervans, tota die negotiis vacabam ſecuris.* Hæc Petrus Damianus. Advertit verò Baronius hic errorem in nomine; putatque non eſſe legendum SEVERINUS, ſed PELEGRINUS, ſive PEREGRINUS, qui creatus eſt Epiſcopus Colon. anno 1021. & præfuit 26. annis. De quo Baronius Tom. 10. anno 1062.

S. Damian. in de S. Severino Ep. Col.

Notatur Error de S. Severino.

Notat Baro. hic legendum Peregrinus Ep. Col. anno 1021.

Sed dices, videtur ſequi ex dictis, ob negotia & occupationes incidentes, illicitum eſſe prævenire tempus horarum: & tamen communiter Doctores conſulunt, tunc mane divinum officium uſque ad Veſperas perſolvi; eo quod attentiùs, ſtudioſius, religioſius recitari ſoleat. Unde & in cap. Presbyt. de celebrat. Miſſ. idem conſilium datur Clericis, qui variis occupati ſunt negotiis. Quocirca etiam Hugo de S. Victore dicit: *Ante horam, officium perſolvere prudentiæ, poſt, negligentiæ, debita hora, obſervantiæ eſt.* Reſpondeo: Non ſequi ex dictis exemplis, ob juſtas occupationes etiam communes, non licere prævenire officium. Quantum enim ad Anachoretam illum, quandoquidem ſolitariam vitam agebat, merito ſuis temporibus divinum officium perſolvere tenebatur, & de ea re monebatur. Quantum ad Epiſcopum illum, ideò in Purgatorii pœnis detentus videtur, quia vel aulam Regiam frequentabat plus quam par erat, vel preces horarias præcipuè in Eccleſiis cantandas non curaverat, vel certè ipſe privatim eas plus æquo & ſine juſta cauſa anteponebat. Ita Azor. lib. 10. cap. 9.

Hugo Victor.

LECTIO

Digitized by Google

LECTIO XVII.

DE FLORE DECIMO-SEPTIMO, QUI EST *studium intelligentiæ principalium partium Officii divini.*

Explicatio Officii Divini.

XVII Flos intelligentia i. omni offic. 1. De orat. Dominic.

CVr incipit Ecclesia preces canonicas per orationem Dominicalem? Quia hæc est perfectissima omnium orationum, & singulæ ejus petitiones finem complectuntur, ob quem debemus orare, & omne id quod orando debemus petere. Cùm enim dicimus *Pater noster qui es in cœlis*, elevatur mens ad illum æternæ Majestatis Patrem, & conciliatur attentio, & animi ad cœlestia erectio. Deinde in prima petitione, designatur finis primus ob quem debemus orare, scilicet ut honoretur & glorificetur Deus in omnibus, & ab omnibus, & per omnia. In secunda petitione secundus finis indicatur, nempè ut *adveniat nobis Regnum* Dei æternum, & internum. *Internum* quidem, quod consistit in justitia, interiori pace, & gaudio Spiritus sancti: *Æternum* autem, quod erit in fruitione consummata, ad quam illa ducunt. In tertia petitione indicatur tertius finis, quia oramus, ut *impleatur voluntas* in nobis, vel per nos, vel sine nobis. ut simus conformes divinæ & æternæ voluntati, eamque quantum in nobis est, possimus adimplere cum fervore, promptitudine, & perfectione. Et quia Angeli & Sancti eam implent in cœlis, rogamus ut det nobis orare in spiritu, sicut & ipsis, ejus consilia & præcepta adimplere, sicut & illis. In quarta dum petimus *panem quotidianum*, cùm ille panis sit etiam refectio animæ, quæ datur in oratione, hanc nobis intendimus & petimus in horarum & precum harum persolutione. In quinta indicatur & alter finis orationis nostræ, quia ad hoc fundimus preces Deo, ut *peccatorum nostrorum remissionem*, & cordis contritionem impetremus. Denique in sexta & septima insinuatur & ille orationis scopus, qui est ut *liberemur à periculis & occasionibus peccatorum, ab omnibusque corporis & animæ malis.* Et numquid omnia hæc in Psalmorum decursu variis versiculis continentur? Oratio ergo Dominica rectè præmittitur, tanquam breviter continens & rememorans nobis omnia, ad quæ mentem erigere debemus, dum divinum officium persolvimus. Adjicitur quoque salutatio Angelica, tum ut amorem & reverentiam erga Beatissimam Virginem Mariam testemur, tanquam Matrem Domini, & Mediatricem nostram, tum ut nos adjuvet sua intercessione, in hoc sancto opere rectè peragendo. Tum denique, ut ipsa in omnibus laudibus nostris participet cum Filio; per illius laudes inchoamus, recitantes, Ave Maria, & finimus, dicentes Salve Regina, vel aliam Antiphonam. Denique additur Credo in Matutinis & Prima, ac in fine horarum: ut profitemur fidei virtutem ore & spiritu, per quam inchoamus, prosequimur, & finimus omnem orationem; quia ipsa est radix & fundamentum omnis devotionis, omnisque illius quam Deo reddimus laudis.

Salutatio Angelica.

Le Credo.

2. *Cur singula horæ præmittitur*: Deus in adjutorium meum intende? Ut miseriam nostram agnoscamus, & gratiam divinam planè nobis necessariam; quandoquidem nec unum solùm desiderium bonum, vel cogitationem Deo gratam, possit homo habere à se. Tantum abest, ut rectè possit orare, nisi specialiter à Deo juvetur. Auxilium ergo poscimus, ut in hac laude ei persolvenda intellectum illuminet, voluntatem accendat, memoriam foveat, sicque verba, cogitationes, & affectus & desideria, toto tempore laudis hujus in eum transferantur. In vita S. Lutgardis lego, quod licet ea idioma latinum haud intelligeret, ad illum tamen versum: *Deus in adjutorium meum intende*, videbat fugientes dæmones, & agnoscebat quam efficacia sint divina verba, etiamsi qui pronunciant, illa non intelligant.

2. Deus in adjutorio.

3 *Cur adjicitur Gloria Patri*? Ut moneamur non habere aliam intentionem, quàm sanctæ Trinitati gloriam reddendi, & ad id omnes creaturas, cœlum & terram, & quæ in eis sunt, invitandi. Censemur enim toto officio jungere voces nostras cum Angelis & Choris Cœlestibus, qui in æternum cantant, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Illam eandem gloriam pro modulo decantare conamur, dicentes Gloria Patri &c. Unde id proponitur velut thema; & quæ in toto officio peraguntur, non sunt nisi commentarius, & plenior explanatio, glossaque hujus versiculi. Hæc est *primaria nota* ad quam omnes alii moduli, sicut in musica fieri solet, reducuntur: hinc in fine cujuslibet psalmi repetitur. Et idem est, *Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto*, cum voce Apocal. *Benedictio & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum, Amen.* Hic verò versus ex Apostolorum instituto & usu ortum habet, ut docet Baronius ex S. Basilio. Concilium autem Nicenum addidit *Sicut erat in principio & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.* ut retunderet Arianos dicentes: *Erat quando non erat*, hoc est, Erat tempus quando non erat filius. Unde olim Catholici ab Arianis per hunc versum, *Gloria Patri*, distinguebantur, tanquam per quoddam symbolum continens professionem Fidei Trinitatis, & consubstantialitatis personarum. Per illum ergo initiamus psalmodiam sacram, per illum continuamus, per illum finire debemus, ubique tribuentes gloriam tribus in divinitate personis, illamque semper respicientes, tanquam primarium objectum nostræ intentionis in omni oratione. Hic verò versus ita quorumdam inhæsit animis, ut in extremo spiritu illum exprimere

3. Gloria Patri, &c.

Apoc. 7. 12.

Baron. to. 3. ann. Christi 325. Conc. Nicen.

Digitized by Google

non ſolùm corde, ſed & voce conati ſint. Sic ſuprà dixi S. Oſvaldum Epiſcopum Vigornienſem, & Venerab. Bedam in illius pia pronunciatione ſpiritum reddidiſſe. Atque etiam nonnulli pii & eruditi ex illo verſu conficiunt Roſarium ſanctæ Trinitatis; in quo recitata oratione Dominica & Salutatione Angelica, ad ſingulos globulos majores recitant etiam ad ſingulos minores hunc verſum *Gloria Patri* &c. loco ſalutationis Angelicæ, quæ ſolet repeti in Roſario Virginis. Et hoc exercitium non eſt infructuoſum, cùm ſit imitatio cœleſtis chori Angelorum, illam gloriam continuè decantantium.

DE INVITATORIO.

4. Invitatorium.

4. CVr *ſubditur Invitatorium?* Invitamus non ſolùm plebem aut eos cum quibus officium perſolvimus, ſed & omnes beatos è cœlis imò omnem creaturam è terris, quaſi eis inſonantes: *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipſum.* Et quia ſeptem ſunt horæ canonicæ, reduci poſſunt tunc in mentem ſeptem ordines Beatorum. Primus Angelorum in novem Choris. Secundus Patriarcharum, & Tertius Apoſtolorum, Evangeliſtarum, & Diſcipulorum Chriſti. Quartus Martyrum. Quintus Pontificum, Confeſſorum, Doctorum. Sextus Sacerdotum, Levitarum, Monachorum, Eremitarum. Septimus Virginum, Viduarum & Conjugatorum. Et cùm de Martyribus, aut Apoſtolis, aut Confeſſoribus officium peragimus præſertim in medio eorum nos eſſe conſideremus, dum dicimus: *Regem Martyrum Dominum venite adoremus.* Et ſicut Saul inter Prophetas merito talis ſocietatis prophetavit, ita & nos digni fiamus, qui cum illis Dominum adoremus. Deinde advocare debemus omnes animæ noſtræ vires, omnia interiora noſtra, ut in Dei laudem conſpirent.

Pſ. 33. 4.

In vitis PP.

Ita practicabat Religioſus quidam, de quo in vitis Patrum, qui initio orationis ſolitus erat dicere facultatibus animæ ſuæ: *Venite exultemus Domino, jubilemus Deo ſalutari noſtro, adoremus & procidamus ante eum, nos enim populus ejus & oves paſcuæ ejus.* Quaſi diceret: O potentiæ animæ meæ, eſtote populus Dei, oves ovilis ejus! Venite, & ſimul intendite ac proſternite vos, ad plorandum peccata veſtra: & orate, ut poſſitis paſci in hac Dei laude ſanctis affectibus & cogitationibus.

S. Gertrudis l. 4. inſinuat. div. piet.

S. Gertrudis in Invitatorio, quod quinque conſtat verſibus, ad ſingula vulnera Domini noſtri Jeſu Chriſti ſuaviter deoſculanda ſolebat mente accedere, & ſanguine inde fluente in ſpiritu ſe aſpergere, ſinienſque in vulnere lateris & ejus corde, ibi remiſſionem & ſuppletionem defectuum petebat, ac novam gratiam ad officium rectè inchoandum & perſolvendum. Cùm verò quintum verſum ad vulnus laterit perſolviſſet, quaſi intracta ipſi fonti totius boni, ibidem decantabat: *Gloria Patri & Filio & ſpiritui Sancto, Sicut erat in principio &c.* Omnia per cor Jeſu terminabat, quod totius divini influxus eſt contentivum. Similiter practicabat in aliis verſibus Pſalmorum decantans illos ad florida vulnera Chriſti, & in eorde ejus finiens.

DE HYMNIS.

5. Hymn.

5. CVr *Hymnus ſubiicitur.* Reſpondeo, Hymni iſti vel continent hiſtoriam creationis mundi diſtributam per ſeptem dies hebdomadæ, vel hiſtoriam feſtorum, quæ celebrantur ad laudandum Deum de donis gratiæ communicatis: & ideò aliqui initio horarum, alii in fine ſubiiciuntur, & ſunt à SS. Patribus compoſiti: & à Sancta Eccleſia probati. Undè in Concilio Toletano dicitur: *A multis Hymni magnifice in laudem Dei, atque Apoſtolorum & Martyrum triumphos, compoſiti eſſe noſcuntur: ſicuti ſunt ii, quos beatiſſimi Doctores, Hilarius atque Ambroſius ediderunt.* Porrò Canticum Hymno eſt affine: Solent verò Cantica ex ſacris Scripturis depromi. Attamen Canticum *Te Deum laudamus* à B. Ambroſio & Auguſtino fuiſſe compoſitum, teſtatur Dacius Epiſcop. Mediolanenſis in ſuo Chronico l. 1. c. 10. his verbis: *AB. Ambroſio cunctis Fidelibus urbis ſtantibus & videntibus, in nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Auguſtinus baptizatus & confirmatus eſt. In quibus fontibus, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis: Te Deum laudamus canentes, cunctis qui aderant audientibus & videntibus, ediderunt; quod ab univerſa Eccleſia uſque in hodiernum diem religioſe decantatur.* Hæc Epiſcopus Dacius, cujus meminit S. Gregor. dialog. l. 4. c. 4. Attamen quandoque miratus ſum, me id non reperire, nec apud S. Auguſt. in Confeſſionibus, cùm de Baptiſmo ſuo agit, nec apud Baronium tractantem de hoc eodem Baptiſmo Auguſtini. Hoc interim certum maneat, divino Spiritu compoſitum fuiſſe, & ab Eccleſia inter Cantica recenſeri, tanquam dignum quod Canticis è Scriptura depromptis annumeretur. Cantica enim Eccleſia non ſolet appellare niſi illa, quæ ſpiritu Propherico aut divino edita ſunt, putà Moyſis, Ezechiæ, Zachariæ, trium puerorum, Mariæ Virginis, & Simeonis. Undè adverte Eccleſiam in ſingulis hebdomadæ diebus aliquod Canticum ad Matutinas laudes decantare. In diebus Dominicis ac feſtis Canticum Ambroſii & Auguſtini, & Canticum trium puerorum. Feria ſecunda, Canticum Ezechiæ. Iſaiæ 38. Feria quarta, Canticum Annæ, 1. Reg. 2. Feria quinta, Canticum Moyſis & Filiorum Iſraëlis, Exod. 15. Feria ſexta, Canticum Habacuc, c. 3. Sabbato, Canticum Moyſis Deut. 32. Ad Veſperas quotidiè recitat Canticum B. Virginis. Ad Completo-

De Hymno Te Deum Laudamus Dacius, Ep. Mediolan.

Cantica quæ dicantur in Eccleſia.

Iſa. 38. 10.
1. Reg. 2. 1.
Exo. 15. 1.
Haba. 3. 2.
Deut. 32. 1.

Luc. 2. 29. pletorium Canticum Simeonis. Luc. 2. Quotidiè itidem ad Matutinas Laudes Canticum Zachariæ Luc. 1. Ita ut nullum ferè Canticum, ex iis quæ in Scripturis continentur, prætermiserit Ecclesia.

Id. 1. 67.

DE PSALMIS.

6. Psalmi. His sunt primaria pars Horarum.

6. CVr *Psalmi adjiciuntur Hymnis?* Respondeo, Psalmos esse principalem officii divini partem, omnis generis voces & affectus in se complectentem. Modo enim exprimunt affectus & voces compunctio. is pro peccatoribus, modo sublimis amoris pro justis. Modo voces docent miseriam nostram repræsentantes, ut nos ipsos agnoscamus: modo voces divinam misericordiam exaltantes, ut Deum collaudemus. Mox divina beneficia enarrant, ut gratias agamus: mox ex hortationem continent, & perfectionis consilia suggerunt, ut ea adimpleamus. Denique multa continent, quæ omni tempori, omni loco, omni conditioni hominum congruunt, ut animus in Deum erigatur. Hinc antiquitus maximè fuit commendatum his qui in pietate instituebantur, à primæva ætate Psalterio ediscendo incumbere.

S. Athanasia septennis puellula, brevi edidicit tempore totum Psalterium. Testatur Surius 14 Januarii.

Psalterium ediscere Deo gratum & pium.

S Beatrix Ordinis Cistercienſis Abbatissa, quinto ætatis suæ anno absque errore totum Psalterium ordine memoriter tenebat, ut testantur Annales Cistercienses.

S. Margareta Hungarica cùm Monasterium ingressa esset, annos tantum tres cum dimidio nata, dimidium post annum preces horarias B. Virginis perfectè callebat. Testis est Surius 28. Januarii.

S Theodorus anno duodecimo ætatis magno zelo cœpit Psalterium ediscere: gravi autem cum labore usque ad decimum sextum psalmum edidicit; sed 17. nullo modo percipere poterat. Quare Deum humi prostratus orabat, ut sibi donum psalmos memoriæ commendandi impertiretur. Quod factum est: nam cum surrexisset ab oratione facta coram imagine Salvatoris, dulcedinem melle suaviorem in ore sensit, & deinceps totum Psalterium paucis diebus memoriæ commendavit. Surius 22. Aprilis. Petrus de Natalibus l. 10 c. 44.

S. Walericus à prima ætate oves Patris ducebat; sed discendi aviditate impulsus sibi Alphabetum pingi curavit, & ita inter pascendum de illo discendo sollicitus fuit, ut brevi non solum alphabetum, sed & totum diceret. Psalterium Surius 7. Aprilis.

His omnibus insinuamus, gratissimam esse Deo hanc Psalmorum recitationem, quandoquidem ad eos ediscendos multis inspiratione speciali auctor & adjutor fuerit. Hinc merito Sacerdotes & Ecclesiasticos exhortandos duximus, ut non solùm illorum lectioni, sed etiam interpretationi operam navent. Quandoquidem hæc potissimum sit fructuosa oratio, si quis psalmos enuncians, quantum in se est, eundem affectum induat quem Psaltes, eundemque spiritum excitare conetur qui in versibus pronunciatis insinuatur. Itaque si Psaltes indicat se Deum diligere, Dei amorem excita in te, si timere, timorem. si sperare, spem. Lauda dum laudat, compungere dum peccata deplorat, humilia te, dum se humiliat, super cœlos eleva te dum se elevat. Admirare Christi sponsi pulchritudinem & Ecclesiæ decorem, dum eum enarrati gratias age, dum Dei beneficia commemorat; time, dum vindictam rebellium notam facit, Deique lauda justitiam.

Ex psalmis utile est pros versus memoriæ mandare.

Atque etiam ex sacris Psalmis juvat memoriæ infigere versus pios, qui diversis occasionibus servire possint ad animum erigendum & excitandum, sive manè sive vesperi, sive in tentatione sive in tranquillitate, sive in prosperitate sive in adversitate, sive in morbo sive in sanitate, sive in vita sive in morte. Continent enim, ut diximus, sacri versus omnis generis affectus, omnique tempori & negotio congruentes. Hinc Martyres aliique sancti viri, in mediis tormentis, ac in extremo etiam spiritu, sacrorum versuum & Psalmorum modulatione animum confirmabant, & in Deum erigebant.

De 40. Martyribus 9. Martii.

Martyres illi 40. de quibus 9. Martii, in carcere concluſi, noctem transigebat decantando Ps. 90. *Qui habitat in adjutorio Altissimi.* Et cùm ora ipsorum lapidibus contusa fuissent, iterum carceri mancipati decantabant Psalm. 122. *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis.* Denique cum bacillis eorum jam confractis cruribus animam penè exhalarent, repetebant illud Psal. 127. *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Adjutorium nostrum in nomine Domini*, & subjicientes, *Amen*, spiritum reddiderunt.

S. Nicasius Rhemis Episcopus, Wandalis urbem occupantibus in templo orans est repertus: feriente autem eum carnifice, ut caput abscinderet, versum illum cœpit recitare: *Adhæsit pavimento anima mea*, caputque jam longè à corpore separatum adjecit: *Vivifica me secundum verbum tuum.* Ps. 118. 25

S. Theodorus in mediis tormentis resonabat: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper Laus ejus in ore meo.* SS. Processus & Martinianus similiter illud repetebant: *Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & usque in sæculum.* SS. Marcus & Marcellianus unanimi concentu Psalm 132. intonabant: *Ecce quam bonum habitare fratres in unum.* Ibid 33. 2. Ps. 112. 2. Ps. 132. 1.

S. Franciscus in mortis extremis angustiis recitabat Psalmum 141. *Voce mea ad Dominum clamavi, voce* Ps. 141. 2.

vocem meam ad Dominum deprecatus ſum, quem ubi complevit, ſtatim expiravit, in illis nimirum verbis:

Ib. v. 8. *Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo*, &c. Eundem verſum ter repetens B. Conradus S. Dominici diſcipulus, fixâ & lætâ facie intuens Crucifixum, animam in iſtis verbis Chriſto reddidit.

Caſtiglius in hiſt. ord. Prædicat.

Quidam F. Romæus in Ordine S. Dominici ſanctitate inſignis perpetuò in ore habebat illud Pſal. 118 *Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini*, & per illum ſe in omni afflictione ſolari ſolebat. Cùm eſſet in agone, Frater quidam abſens ejuſce rei neſcius audivit Angelos eundem verſum canentes. Unde ad Romæum accurrens, reperit agonizantem & ſanctè morientem.

F. Petrus Alcantara moriens inchoavit Pſalmum 121 *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus*, & ſic os, oculos vitamque clauſit. Quidam F. Munius Ordinis S. Dominici Epiſcopus Palentinus, ſimiliter moriens Pſ. 4. finivit vitam in his verbis: *In pace in idipſum dormiam & requieſcam. Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.* Lege l. 9 cap. 4 Confeſſ. quanto affectu hunc eundem Pſal. ipſe Auguſtinus initio converſionis jubilans reſonabat. Sic & alij in alijs occaſionibus, ex Pſalmorum pia & ruminata recitatione plurimum ſolatij reperiunt.

DE DISPOSITIONE PSALMORUM.

Quomodo Pſalmi diſtribuantur.

QUantum ad diſpoſitionem Pſalmorum in Officio Divino, ſic per totam hebdomadam diſtribuuntur, ut centum quinquaginta in hebdomada perſolvi poſſint, ut patebit advertenti. Et quidem S. Benedictus in Regul. c. 18. licet aliter diſponat Pſalmos per hebdomadam, quàm in Romano Breviario, tandem ait: *Sive hoc, ſive alio ordine Pſalmi diſponantur, hoc omninò attendatur, ut omni hebdomadâ Pſalterium ex integro numero centum quinquaginta Pſalmorum pſallatur: quia nimis inſers devotioni ſuæ ſervitium oſtendunt Monachi, qui minus Pſalterio cum Canticis ordinarijs per ſeptimanæ circulum pſallunt, cum legamus ſanctos Patres noſtros uno die hoc ſtrenuè impleviſſe, quod nos tepidi, utinam per ſeptimanam integrum perſolvamus.* Teſtis eſt Marcus Marulus, S. Stephanum Presbyterum Conſtantinopolitanum, totum Pſalterium ſingulis noctibus perſolvere ſolitum. Cùm verò quodam die citiùs, quàm conſueverat, conſopitus, Pſalterium iſtud ſemilectum dimiſiſſet, monitus eſt à B. Petro Apoſtolo in ſomnis, ut ſurgeret, & cœptum opus intentius perficere curaret.

S. Benedictus.

M. Marulus l. 2. c. 1.

Quantum ad Nocturnum ordinarium, in quo duodecim Pſalmi recitantur, ex monito Angelico proceſſit. Refert enim Caſſianus lib. 2. de inſtitut. Monachor. c. 4. per Ægyptum & Thebaidem apud Monachos olim diverſum fuiſſe morem in numero Pſalmorum concinendo, dum alij plures, alij pauciores cantarent. Sed Angeli miniſterio retentus eſt poſtea numerus duodecim Pſalmorum, qui ad Nocturnas vigilias quotidiè recitantur. Nam coram Monachis ſemel Angelus apparens, duodecim Pſalmos continenter cecinit; quibus finitis Alleluja cantavit ac ſiluit, non amplius viſus, nec auditus. Unde in Concilio Turonico cap. 19. legimus: *Ad Matutinum ſaltem duodecim Pſalmi expediantur; quia Patrum ſtatuta præceperunt, ut duodecim Pſalmi dicantur cum Alleluja: quod etiam Angelo oſtenſante didicerunt.* In Feſtis autem tria Nocturna cum novem Pſalmis recitantur, in memoriam novem Chororum Angelorum, quibus etiam adtribuuntur Sancti, qui juxta opinionem Theologorum aſſumuntur ad diverſos choros Angelorum juxta merita diverſa. Antiquitus verò etiam hæc Nocturna dividebantur, & perſolvebantur per certum tempus interpolatum: ut ſignificaret Eccleſia, ſe quodammodo ſemper orare, ſemper divinas laudes cantare, ſemper memoriam beneficiorum divinorum celebrare, ſemper gratias agere, & ſic adimplere monitum Domini: *Oportet ſemper orare, & nunquam deficere*, monitum quoque Apoſtoli: *Sine intermiſſione orate.* Si autem vis intelligere, quomodo ſemper oret tam de die, quàm de nocte, adverte quod nox conſtet quatuor intervallis, quæ dicebantur vigiliæ. & dies ſimiliter quatuor partibus, ſeu horis ſacris, quarum crebra mentio eſt in Scripturis; ſingula verò intervalla ſuas preces habent: nam pro prima, ſecunda, & tertia vigilia noctis ſunt preces nocturnæ. Hæ vel tribus partibus conſtant, quæ Nocturna dicuntur, ut in Feſtis; (ſicut enim quæque vigilia continet tres horas civiles, ita quodque Nocturnum continet tres Pſalmos, & tres Lectiones, ut ſingulis horis ſinguli Pſalmi, & ſingulæ Lectiones reſpondeant:) vel uno tantum conſtat Nocturno, ſed duodecim Pſalmorum & trium Lectionum; ita ut ferè tribus Nocturnis æquipolleat, ut in Feriis & Feſtis ſimplicibus. Pro quarta vigilia ſunt Laudes matutinæ, Pro prima hora diei, quæ durat ab ortu Solis uſque ad tertiam excluſivè, ſunt preces primæ. Pro tertia, quæ durat à tertia uſque ad ſextam excluſivè ſunt preces tertiæ. Pro ſexta quæ durat à ſexta diei uſque ad nonam, ſunt preces ſextæ. Pro nona, ſunt preces nonæ. Pro veſpera apparente, ſunt preces veſpertinæ. pro initio noctis, eſt Completorium. Non tamen eſt neceſſe, ut præcisè iſtis temporibus illæ preces dicantur; Sufficit haberi reſpectum ad illa; & officium publicum quantumcommodè fieri poteſt, aliis temporibus accommodari.

Caſſian. de 12. Pſ. Nocturni.

Conc. Turon.

De 9. Pſalmis.

Luc. 18. 1. 1. Theſſ. 5. 17.

Quomodo Eccleſia ſemper oret.

DE LECTIONIBUS.

7. *CUr Lectiones interijciuntur Pſalmis?* Reſp. 7 Lectiones deprompſi vel ex ſacra Scriptura, vel ex homiliis Sanctorum, vel ex geſtis & vita eorum; & deſignant nobis uſum diuturnæ ſalubertimum &

7 ob-ſervationes.

Digitized

mum & fructuosissimum lectionis spiritualis, quem diximus frequentandum esse à Sacerdotibus & Ministris Christi. Horum enim vita maxima ex parte deberet consumi in lectione sacræ Scripturæ, præsertim Evangeliorum & Apostolicarum Epistolarum: deinde in libris Sanctorum Patrum, qui ex spiritu Dei hæc interpretati sunt: denique in vita & gestis Sanctorum, quorum exempla movere nos possunt ad imitandum. Undedixi suprà propter hæc omnia hoc nomen, *Breviarum*, utilitatum esse: quia scilicet sit compendium breve omnium dictorum & gestorum, quæ ad pietatem possunt excitare.

DE BENEDICTIONIBUS.

8. Benedictiones. CUr *Lectionibus benedictiones præmittuntur?* Resp. esse quasdam breves Adspirationes, velut jaculatorias preces, quibus excitetur attentio: quarum prima ad Patrem, secunda ad Filium, tertia ad Spiritum Sanctum dirigitur; ut indicetur nunquam lectionem debere nos auspicari, nisi in nomine SS. Trinitatis, neque fructum ex ea percipi, nisi prævia illius benedictione. Quapropter etiam hæc conclusio adjicitur: *In autem Domine misereberis nobis*, ut scilicet sua misericordia miserat cordibus nostris semen hoc verbi divini lecti, quod germinare possit & crescere in salutem: ut condonet etiam culpam quam incurrimus, eo quod monita quæ leguntur, non adimpleverimus. Subjicitur, *Deo gratias*, & id refertur ad totam lectionem. Agimus enim gratias Deo, quod doctrinæ verbum tanquam panem frangere dignetur. Quod autem Lector recitaturus dicit: *Jube Domne benedicere*, indicat neminem usurpare debere munus annunciandi verbum Dei, sine permissu & auctoritate Majoris: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* In horis diurnis etiam lectiones sunt: sed breviores: & ideò Capitula vocantur, quasi brevia quædam capita, in quæ lectio ad Missæ Sacrificium recitanda, quasi in breves partes dissecta, solet distribui. Sed cùm Capitula inchoamus, non solemus dicere: *Jube Domne benedicere*; quia Lectiones Cantor vel Lector olim recitabat, Capitula Episcopus vel Sacerdos.

Capitula.

DE RESPONSORIIS, ANTIPHONIS, COLLECTIS.

9. Responsoria. QUid *Responsoria, Antiphonæ, Collectæ?* Resp. vocari Responsorium, illum cantum qui Lectiones sequitur, eo quod uno aliquid recitare desinente, alius respondeat. *Antiphona* autem dicitur græce opposita vox, sive vox contrasonans. Inde Antiphonæ dictæ sunt, quod alternatim à duobus choris canerentur. Usu verò receptum est, ut sententia Psalmum antecedens, *Antiphona* appelletur, ad cujus sonum totus Psalmus à duobus choris alternis versibus decantatur; ac deinde simul duo chori in Antiphona conveniunt. *Collecta* verò dicitur oratio quâ Sacerdos omnium vota & orationes colligit, quasi in unum, & per illam concludit, addens, *Per Dominum nostrum* JESUM CHRISTUM: quia nihil nisi per ejus merita impetramus, *quem proposuit Deus propitiatorem in sanguine suo.* Cæterùm *Responsoria* deduci solent ex illis quæ tempori conveniunt, aut ex Scripturis ex quibus ipsæ Lectiones sunt. Et adverte quod olim ultima lectio Dominicæ semper erat de Trinitate; & ideò Responsorium erat illud: *Duo Seraphim clamabant ad alterum*, quod nunc etiam permansit, licet lectio de Trinitate sit omissa. Præclare verò in officio de Sacramento S. Thomas Responsoria sic concinnavit, ut initium sumatur ex veteri testamento, versus autem subsequens, correspondeat ex novo, vel è contrà, ut initium sit ex novo testamento, & versus correspondens ex veteri. Sic elegantissimè ostendit, quomodo fœdere quodam speciali conspirent in veritatem hujus Sacramenti paginæ utriusque testamenti, ut meritò confusione digni sint, qui hoc Sacramentum ponunt tanquam contradictionis signum, & scopum ad quem virulenta linguæ suæ jaculentur.

Antiphonæ. Collecta. Isa. 6. 3.

10 *Cur concludantur horæ per illud: Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace?* Ut in qualibet hora partem habeant animæ Purgatorii: & illarum non obliviscantur Ecclesiæ Ministri quoties officium persolvunt. Monentur etiam per hoc mortis, in qua aliorum indigebunt precibus; & cùm hora illius sit incerta, animum reflectant ad singula debitè peragenda. Denique concluditur officium per aliquam ad Virginem Antiphonam, quia hæc est Mediatrix preces nostras Filio porrigens, & per illum Patri æterno: ipsaque intercedit pro defectibus & negligentiis in decursu officii intervenientibus.

10 Conclusio horarii.

LECTIO XVIII.

DE FLORE DECIMO-OCTAVO, QUI EST *Cæremoniarum pia observatio.*

DE hac re sic monet Regula: *Sacerdotes in officiis publicis decentem cultum & reverentem Cæremoniarum observationem semper adhibeant.*

XVIII. Flos Cæremoniarum observatio.

Cæremonias Ecclesiæ à Spiritu Sancto eam dirigente provenire, alibi diximus; triplicique de causa eas institutas esse. *Primò* ad excitandum fidelium devotionem erga sacra mysteria, *Secundò*, ad illorum institutionem: quia solent simplices erudiri per signa sensibilia, & rudiorum mens sic elevari ad sublimiora percipienda. Unde dum solemnes illos ritus intuentur, vel eruditur, vel saltem extimulantur ad inquirendum quid per illos significetur. *Denique* solemnes illi ritus in Ecclesia Dei, sacræ processiones, hymni resonantes, ordo distinctus ministrorum, ornamenta eorum.

Cur cæremoniæ sint institutæ?

Digitized by Google

& alia quædam extrinseca symbola Ecclesiæ militantis, adumbratio quædam sunt illius gloriæ quæ erit in Triumphante, in distinctis Angelorum ac Beatorum Choris laudes divinas resonantibus: ideoque monemur per hæc quæ celebri officio geruntur, ad perennem illam solemnitatem adspirare. Itaque tantum abest, ut sit in his superstitio, quin vero mystica significatio in illis involvitur, omnibus veneranda, tam intelligentibus, quàm ignaris.

Exemplum Christi utentis cæremoniis.

Exemplum porrò Christi Domini cæremoniis utentis, obstruere debet omne os loquentium iniqua, omnem blasphemam vocem hæreticorum nostrorum, impiè superstitionis Ecclesiam accusantium ob has cæremonias. Quid enim? An Christus superstitiosus, dum lutum imponit oculis cæci, digitum oculis surdi, salivam linguæ muti? An non ritu sacro utitur, dum lavat pedes discipulorum, dum in horto tertio prosternitur, dum insufflat in Apostolos, dum pueris benedicens manum imponit, dum Lazarum suscitans oculos elevat in cœlum, ingemiscit, & spiritum fremitu quodam excitat in se? Sic in Eucharistico mysterio instituendo, nonne ritus multos adhibet? Lavantur pedes, grande cœnaculum eligitur, tapetibus adornatur, preces junguntur, gratiarum actiones miscentur, sermo amoris scintillis plenus adhibetur. Ut quid hæc omnia, nisi ut exteriori ritu tale mysterium commendetur, & in discipulorum animis grandis reverentia tanti Sacramenti, eximiæque pietatis sensus excitetur?

Itaque Sacerdotes, dum vel Sacramenta ministrant, vel divina officia celebrant, vel Missæ mysterium conficiunt, decentem cultum & reverentem cæremoniarum observationem (quas à Christo, Apostolis, ac Sanctis Patribus Ecclesia est edocta) debent adhibere; ut & se & alios excitent ad pietatem, & tantorum mysteriorum dignam considerationem. Quia vero absonum est eos non intelligere (aliqua saltem ex parte) cæremonias, & sacrum ritum quem quotidie in Missæ adhibent Sacrificio: ideò brevem ex sacris interpretibus illarum explicationem per interrogationes subnecto.

EXPLICATIO BREVIS CÆREMONIARUM MISSÆ.

DE PRIMA PARTE USQUE AD *Præfationem.*

Explicatio rituum Missæ.

QUæritur primò, *Quid significet descensus Sacerdotis ad inferiores altaris gradus humiliantis se?* Respondeo significare Christum in horto incurvatum pro peccatis nostris inchoantem Passionis suæ sacrificium & mysterium.

2. *Cur incurvatus confessionem facit?* Respon. ut plebem adid exhortetur, & indicet in meritis Domini nostri Jesu Christi salutem reperiri, si corde contrito & humiliato requiratur.

3. *Cur tundit pectus Sacerdos confitens?* Respon. ut moneat redire ad cor nostrum, à quo omnis prævenit malitia, cui etiam ascribi percussione significatur, non vero per excusationes in alias causas referri.

4. *Cur ascendens osculatur altare?* Respon. Altare significat Ecclesiam, ex diversis populis quasi vivis lapidibus ædificatam, charitatis cæmento coagmentatam, quàm Christus veniens osculatus est in medio, pacem donans utrique parti, sive utique populo ex gentibus & Judæis, utrumque reconcilians in seipso.

5. *Quid introitus significat?* Resp. Sanctorum Patrum pro Christi adventu desiderium, quo suspirabant ad Salvatorem & Medicum Agnumque venturum, qui se debebat offerre in sacrificium.

6. *Cur repetitur introitus?* Resp. ut istius desiderii vehementia significetur, quo Patres eandem repetebant æterno Patri supplicationem.

7. *Cur Gloria Patri adjicitur?* ut Sanctissimæ Trinitati debitæ gratiæ agantur de Redemptione, quam illi expectat aut jam peractæ.

8. *Quid significat Kyrie eleison novies repetitum?* idem est ac si dicamus: DOMINE MISERERE, quod ter singulis Trinitatis personis repetimus, ut misericordia nos egere perfecta supplicatione ostendamus: votisque ardentibus illam nos expetere significemus.

9. *Quid Gloria in excelsis?* Post imploratam misericordiam, Hymnum in ortu Salvatoris ab Angelo pronunciatum mox incipiat Sacerdos, ut significet Christi Mediatoris ortu misericordiam illam quam poscimus nobis allatam. Idcirco chorus statim prosequitur glorificans Deum ob misericordiam quam nobiscum fecit, & quotidiè reiterat.

10. *Quid Collecta?* Oratio est Sacerdotis pro populo, & Collecta vocatur; quia totius plebis petitiones in ea colliguntur, & omnium collecta vice offerumur.

11. *Quid*, DOMINUS VOBISCUM? Salutatio est populi quam Sacerdos præmittit, ut audientium corda ad devotionem excitet, qui orationem communibus votis adjuvant: Unde & chorus vicem totius populi tenens, respondet, AMEN, innuens se petitioni vota conjungere.

12. *Cur omnes orationes finiuntur, Per Dominum nostrum* JESUM CHRISTUM? Quia monuit nos, ut quicquid à Patre petierimus, in ejus nomine petamus, qui ab illo Mediator est constitutus, per quem nobis omnia donantur.

13. *Quid Epistola?* Ad populi eruditionem servit, & designat officium legis Moysis, & doctrinam Baptistæ viam Domino præparantis.

14. *Cur Epistola præcedit Evangelium?* quia lex præcessit Christum, nec auditores suos ad perfectum adducere potuit, ideo succedere debuit Evangelii doctrina.

15. *Cur ad lectionem Epistolæ sedemus?* Ut imperfectionem legis infra Evangelii dignitatem designe-

deſignetur, id quod quidem jam majori reverentia adjungimus.

16. *Quid Graduale?* Lamentum indicat pœnitentiæ, quam Joannes prædicavit, & ſignificat nos ad ſalutem Chriſti nonniſi per pœnitentiæ gradum poſſe conſcendere.

17. *Quid* ALLELUJA? Sicut Graduale vox eſt adhuc luctantium, ut aſcendant: ita Alleluja vox aſpirantium ad laudem æternam: ideoque longa vocis modulatione protrahitur, & paucis ſyllabis prolixitas cantus adaptatur.

18. *Cur tempore Reſurrectionis adeò frequenter repetitur?* Quia cùm ſit vox quædam Beatorum, illo tempore Reſurrectio glorioſa rememoratur.

19. *Cur aliquando Tractus cantatur?* Reſp. A Septuageſima uſque ad Paſcha Cantus lætitiæ omittitur, quia illud tempus pœnitentiæ eſt deſtinatum. Sed Tractus tunc canitur, multa vocis aſperitate & multiplicatione verborum ſignificans piorum gemitus, quibus vitæ præſentis miſeria, captivitas, exilium, ſuſpirando deploratur.

20. *Quid Evangelium?* Chriſti docentis eſt bonum nuntium.

21. *Cur legitur facie verſa ad Aquilonem?* Quia hæc mundi plaga in Scriptura malitiæ diabolicæ dedicata ſignificatur. Dixit enim ille: *Ponam ſedem meam in Aquilone; & ab Aquilone pandetur omne malum* juxta Prophetam. Contra hanc ergo mundi plagam vox Evangelii perſonat, ut ſignificetur ſubverſum eſſe per illud diaboli principatum.

22. *Cur Salutatio præmittitur à Sacerdote?* Ut ad auditum populus præparetur, & gratia à Domino optetur, quâ idonei fiant auditores ad ſuſcipiendum verbum, quod poteſt ſalvare animas ipſorum.

23. *Cur aſſurgunt omnes?* Ut ſignificent ſe attentos eſſe, & nudatis capitibus cum reverentia ſuſcipere, atque ad executionem eorum quæ audierint promptos eſſe.

24. *Cur poſtquam Sacerdos dixit:* SEQUENTIA SANCTI EVANGELII, *reſponſum accipit*, GLORIA TIBI DOMINE? Sacerdos indicat de qua Evangelii parte velit depromere, & chorus vice plebis, glorificat Deum, quod ex dignatione ſua voluerit nos participes eſſe Evangelii Chriſti, quod eſt virtus ad ſalutem omni credenti.

25. *Cur Crucis imaginem imprimit libro?* Ut ſignificet hanc doctrinam ad myſterium Redemptionis per Crucem conſummatæ pertinere.

26. *Cur omnes Crucis ſignum tribus locis ſibi imprimunt?* In fronte id fit, ut non erubeſcant Evangelium Crucis. In ore, ut ſignificent ſe ore confiteri velle ad ſalutem. In pectore, ut deſignent ſe firmo cordis aſſenſu ſemper velle credere.

27. *Cur ad finem Evangelii iterum pectus ſignaculo munitur?* Ne veniens diabolus tollat ſalutare ſemen de cordibus, ſed potius radices agat, & fructificet in vitam æternam.

28. *Quid Symbolum quod canitur?* Publica eſt fidei profeſſio, ſalutarem Evangelicæ Prædicationis fructum indicans.

29. *Cur à Sacerdote inchoatur, & per chorum vice plebis continuatur?* Ut intelligamus fidei fundamenta nos ex ore Chriſti percipere, cui ſtatim aſſentimur corde, deinde ore confitemur.

30. *Cur oblatio ſit panis & vini, cum mixtione aquæ in offertorio?* Repræſentatur prompta voluntas, qua Chriſtus ſe obtulit Patri ante Paſſionem, magno ardens deſiderio patiendi pro noſtra ſalute: *Baptiſmo baptizari habeo, & quomodo coarctor uſque dum perficiatur?* Luc. 12. 50. Mixtio vero aquæ ſignificat unionem populi fidelis cum Chriſto.

31. *Cur ablutis Sacerdos extremitatem digitorum?* Commonet ſe & alios, ut immundas cogitationes ex corde abſtergant, quotantis myſteriis aptæ eſſe queant: & quidem extremitates ſolùm abluit, ſignificans ſe jam mundum eſſe, niſi quod forte pulviculi extremis digitis adhæreſcant, hoc eſt, levia aliqua & venialia peccata.

DE ALTERA PARTE MISSÆ à Præfatione uſque ad finem.

1. *CUr Præfatio poſt ſilentium ſolemniter canitur?* Significatur ingreſſus triumphalis Chriſti in Jeruſalem, poſtquam aliquo tempore latuiſſet & fugiſſet. Unde & repetitur vox acclamantium: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Et tunc ſignum Crucis facit Sacerdos ante ſe ſignificans hunc ingreſſum non ad regnum ſæculi, ſed ad Paſſionem & mortem crucis initium eſſe.

2. *Cur in canone omnia ſub ſilentio fiunt?* Repræſentatur mœror Dominicæ Paſſionis. Atque initio illius inclinato capite, oſculum figit Sacerdos in medio altaris, humilem Chriſti obedientiam demonſtrans, qua ſe initio Paſſionis Patri obtulit hoſtiam, ut nos reconciliaret. Unde altare ex lapidibus multis, populos ſignificat, & impreſſio oſculi, reconciliationem illorum cum Deo per Sanguinem Chriſti.

3. *Cur trina ſit crucis ſignatio ſuper oblata?* Significatur quod totius Trinitatis voluntate, redemptionis noſtræ opus per crucem ſit conſummatum.

4. *Cur iterum poſtea quinque cruces fiunt?* Indicantur quinque dierum myſteria, qui ab ingreſſu Chriſti, uſque ad diem immolationis interceſſerunt.

5. *Cur poſt conſecrationem ſit elevatio Hoſtiæ?* Ut exhibeatur corpus jam conſecratum & ſanguis toti populo adorandus, & ſignificetur quomodo pro ſalute noſtra in ſublimi patibulo pendere voluit, & ſanguinem fundere, ut omnes eum poſſent conſpicere ſalvatorem.

6. *Cur poſt elevationem quinque crucis ſignaculo ſiunt ſuper oblata?* Significatur Corpus Domini quinque præcipuis vulneribus pro nobis confoſſum, quæ etiam tacitè repræſentamus Patri pro noſtra ſalute.

7. *Cur iterum post trina consignatio?* Significantur tres hominum conditiones participantes fructum ab hoc mysterio: *Beati*, quibus hoc mysterium proficit ad gloriam, *Defuncti*, quibus proficit ad purgationem. *Fideles viventes*, quibus proficit ad omnem gratiam & benedictionem.

8. *Cur post* MEMENTO DEFUNCTORUM *pectus tundit Sacerdos, & vocem elevat pro vivis orans?* Rememorat Latronis pœnitentis obsecrationem ad Dominum in cruce pendentem Ac sicut ille Domini miseratione, Regni factus est particeps; sic & nos per eandem, licet vacui meritorum, rogamus nobis partem & societatem dari in regno suo cum electis.

9. *Cur postea iterum tres crucis consignationes super oblata cooperta?* Significant tres horas, quibus vivens Dominus in cruce pependit: & sic renovatur memoria omnium cruciatuum, quos tunc innocens toleravit.

10. *Cur discooperto calice rursus quinque crucis consignationes?* Significatur velum templi ablatum fuisse & disruptum in morte Salvatoris; ac illum post mortem tribus horis in cruce perduasse. Duæ verò cruces ad labra calicis, designant è Crucifixi latere aquam & sanguinem defluxisse Postea Sacerdos Corpus Domini in Corporali deponens & calicem cooperiens, Christi indicat sepulturam.

11. *Cur post orationem Dominicam sterum fit silentium?* Indicat hoc Sabbati quietem, in quo Dominus in sepulchro quievit, postquam orationem alta voce ad Patrem in Cruce emisisset. Similiter & mulieres tunc siluerunt juxta legem, quæ postea cum aromatibus venerunt.

12. *Cur rursus elevat vocem dicens:* PAX DOMINI &c. Indicat resurrectionis lætitiam, & resurgentis salutationem: PAX VOBIS &c. quia resurgens Christus, pacem nobis cum Deo reddidit.

13. *Cur in tres partes Hostia dividitur?* Designantur tres hominum conditiones participantes de hoc mysterio, ut dixi suprà: quia hi qui in Cœlo, qui in Purgatorio, qui in terris agunt, de mysterio hoc participant. Hostiæ item confectæ fractio illam panis fractionem subindicat, cujus indicio Dominum à mortuis suscitatum discipuli in Emaus cognoverunt.

14. *Cur tertio fit signum crucis dicendo:* PAX DOMINI? Significatur triplex pax crucis merito nobis impetrata, externa, interna, æterna.

15. *Cur commiscetur particula cum sanguine?* Illa designat nos viventes non posse gloriæ Christi esse consortes, nisi sanguinis & passionum ejus fuerimus participes. Significatur etiam in commixtione, Sanguinis & Corporis Domini cum anima reunio post mortem.

16. *Cur Agnus Dei canitur?* Vox est rememorans gloriam ascensionis Domini, quia ipse est Agnus qui peccata nostra tulit, & pacem nobis attulit: & modò vultui Dei Patris quasi Agnus occisus (sive occisionis & mortis signa retinens) assistit, & pro nobis interpellat.

17. *Cur osculum pacis datur ante Communionem?* Ad significandam unionem cordium, quæ inter eos debet esse, qui de eodem pane sacro participant, & in unum Christi Corpus coalescunt, tanquam membra ejus mystica.

18. *Quid designant orationes post communionem:* Adhibentur in gratiarum actionem, pro participatione Eucharistiæ.

19. *Quid designat* ITE MISSA EST *& ultima benedictio Sacerdotis?* Designat benedictionem Christi in Ascensione elevatis manibus factam. Ac illa verba: ITE MISSA EST, repræsentant vocem Angelorum ad Apostolos dicentium: VIRI GALILÆI QUID STATIS &c. sicque eos dimittentium.

COROLLARIA.

EX his patet quàm impiè Missam fugillent & execrentur Hæretici cum cæremoniis illi adjectis, quandoquidem sacris plena sit mysteriis. Constat enim psalmodia, qui dicitur Introitus, doxologia, precatione, sacris canticis, recitatione verborum Propheticorum aut Apostolicorum, quam vocant Epistolam, recitatione Evangelii, professione fidei Catholicæ, gratiarum actione quam vocant Eucharistiam, ac religiosa commemoratione mortis Dominicæ: rursus precationibus, inter quas est precatio Dominica: deinde sequitur pacis Christianæ symbolum, mox communio, rursus sacrum canticum & precatio. Postremo loco Sacerdos totum populum, velut in suam tutelam receptum, Deo benedictione tradit atque commendat, ut perseverent in affectu pietatis mutuaque charitate. Quid in his non pium ac venerandum? *1. Hæretici impiè Missam fugillant & ritus ejus.*

Patet ex hac 2. quanta cum reverentia & attentione Sacerdotes his mysteriis debeant cooperari. Et quanto tum silentio, cum exteriori, tum interiori, fideles teneantur assistere & attendere, illa verò quæ non intelligunt revereri & suscipere. Unde etiam omnis inquietudo inter turbans in populo, sive ab infantibus & pueris, sive à mendicantibus per Ecclesiam, sive ab hominibus vanè confabulantibus, eliminanda foret; de quo plebs frequenter est monenda. Hinc S. Ambrosius post Evangelium monere consueverat populum, ut à tussi & omni inquietudine se temperarent, maximè ne Sacerdotem verba canonis recitantem & Sacrificium offerentem impediret. Hanc consuetudinem adhuc retinere dicitur Ecclesia Mediolanensis tempore solemnioris Missæ, in qua Archidiaconus ad populum conversus ante Evangelii lectionem ex ambone proclamat *Silentium habete*: cui respondet alius è choro: *Habete silentium*. Hujus etiam moris meminit tanquam usitati rei S. Isidor. li. 1. de Eccl. offic. c. 11. *2. Quæ reverentia Sacerdotes debeant cooperari sacris.*

Patet ex his 3. quanta cum devotione & alacri-

tate

3. Quæ devotione Missa peragenda.

tate mentis, quanta cum lætitia ſpirituali debeat aggredi, progredi, & perficere hoc cœleſte Sacrificium, quandoquidem non ſine cauſa terniò repetat illud: *Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam.* Ibi cor & caro exultare deberent in Deum vivum, qui novam gratiam, novas vires, novam alacritatem animæ tribuit, quaſi renovans ipſius decorem & juventutem virtute hujus Sacrificii, donec in immortalitatem perfectam nos reſtituat, in qua nihil antiquatur, nihil feneſcit. Monetur ergo Sacerdos in Sacrificio Corporis & Sanguinis Domini, expungere veteris hominis ſenectam & corruptionem, & in via novi hominis greſſum ponere puriori converſatione. Ad id gratiam hic accipit & alacritatem, ſive promptitudinem; ideoque mœſtum pectus ac triſte quod priùs peccatis augentibus premebatur, congruum eſt ut hic divinæ indulgentiæ lætitia reſolvatur, & ſpe nova concepta exciteturi, cum interiori ſuavitate illud pronunciando: *Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? ſpera in Deo quoniam adhuc confitebor illi ſalutare vultus mei & Deus meus.*

4. Cur Miſſa celebrãda cum A. B. C. D.

Patet ex his 4. cur Miſſa dicatur celebranda, cum A. B. C. D. quia ſcilicet, *Attentè, bene & breviter, clarè, devotè.*

Attentè, ad verba, ad ſenſum, ad Jeſum Chriſtum. Illum reſpiciendo ante conſecrationem, ut ſupremum Dominum & Deum cui miniſtrandum eſt; & cui Sacrificium illud tanquam obſequium ſervitutis noſtræ offerendum. Illum reſpiciendo in conſecratione, & tanquam Summum Sacerdotem per nos conſecrantem, cujus perſonam gerimus, cujus verbis utimur illum aſpiciendo poſt conſecrationem, tanquam Agnum immolatum, tanquam *Hoſtiam vivam, Hoſtiam ſanctam Hoſtiam immaculatam*, cum qua nos quantò intimiùs valemus, offerre debemus, in animo contrito & ſpiritu humilitatis. *In* communione illum inſpiciendo ut Paſtorem animarum, illas paſcentem propria ſubſtantia ſua, carne, ſanguine, divinitate.

Bene, cum exacta obſervatione cæremoniarum & rituum, cum convenienti decentia inceſſus, oculorum & totius corporis. Item, *Breviter*, non moroſè, non nimium indulgendo propriæ devotioni cum tædio aſſiſtantium, ſed ſecundum communem morem piorum, non tamen præcipitanter ſe gerendo, aut feſtinè.

Clarè pronunciando verba & diſtinctè, non corruptè, non languidè, non nimis altè aut ſubmiſſè; ſed ita, ut quæ alta voce dicenda ſunt, non clamoroſe enuncientur, poſſint tamen audiri à circumſtantibus; quæ verò ſubmiſſè dicenda præcipiuntur, audiri poſſint à ſeipſo.

Devotè interiùs, per erectionem mentis & affectum voluntatis, elicientis actus adorationis, oblationis, amoris, humiliationis, contritionis.

Devotè etiam exteriùs, ad ædificationem circumſtantium, per modeſtam & piam, ſed ſinceram & non affectatam, corporis compoſitionem.

LECTIO XIX.

DE FLORE DECIMO-NONO, QUI EST ſtudium munditiæ circa Altaria & alia divina.

XIX. Flos Munditiæ circa ſuperlectilem altaris.

DE hac re ſic monet Regula: *Eccleſiarum, Altarium, & ſacra ſupellectilis ſint ſtudioſi Sacerdotes, ut munditia digna myſteriis illis quæ in his celebrantur, reperiatur.*

Ex altarium, ſacræque ſupellectilis immunditia, ſplendor noſtræ Religionis non parum obſcuratur, ardorque fidei quam de divinis myſteriis concipere debemus. Quodammodo enim vilipendi videtur ſacra illa & divina tremendaque actio, dum vilia ſunt & ſordida illa in quibus myſteria tanta tractari debent, calices, patenæ, corporalia, purificatoria, mappæ, & ſimilia. Profecto, ſi menſa pauperis honeſtum hoſpitem excipientis candido ſolet tegi linteo, ne offendatur hoſpes: quanto major cura niteris habenda eſt in menſa quæ Chriſtum excipit, ne ipſe deſpici videatur! Multæ porrò rationes aſſerri poſſunt, cur Altaris, & omnium quæ illud concernunt, ſpecialis cura haberi debeat; Eſt enim Altare res valde ſacra multis titulis.

Cur Altaris & ad illud ſpectantium cura ſpecialis habenda.

Primò, quia eſt nobilior pars Templi, non enim eſt Altare propter Templum, ſed Templum propter Altare, ſicut & Altare propter Sacrificium. Præpoſtera igitur cura eſt quibuſdam in locis, dum magnæ impenſæ fiunt pro muris & columnis Templi, pro Turribus ut in ſublime faſtigium extollantur, pro Campanis ut grandes & ſonoræ ac magno numero ſint, interim Altaria deleruntur, vel negliguntur in ſqualore & ſordе. Vix neceſſaria eis providentur, ut quandoque renovari valeant & in nitore conſervari, vix mappæ, vix albæ, aut corporalia, aliave ad Sacrificium proximè ſpectantia. Ut quid verò Templa, Columnæ, Muri erecti, & Turres ſublimes, Campanæ reſonantes, niſi ut populus vocetur ad Altare, in quo Sacrificium offerri debet? Illius ergo primo cura animum ſubeat, ut decoris paramentis, & neceſſariis ad Sacrificium veſtibus multiplicibus non careat. Illius ornatus cordi ſit Sacerdotibus, quandoquidem res ſacra ſit tot conſecrationibus & benedictionibus ad divina primariò deſtinata. Profectò ſi hujus ſanctificationis vivam fidem conciperemus, illius nitorem cum ſuis valis & lineis majori ſollicitudine curaremus.

Secundò cuilibet altari Angelus eſt deſtinatus à die conſecrationis, cooperans Sacerdotibus ibidem offerentibus, ut alibi multis exemplis declaravi. Non ergo parum Angelo diſplicet, ſi locus adeò ſacer, cuſtodiæ eorum ſpecialiter deſtinatus, qui puriſſimis debet myſteriis ſubſervire, ob ſordes inveniatur vileſcere, & nauſeam potius excitare quàm reverentiam.

Digitized by Google

Tertiò, ſub altari reſident Sanctorum Reliquiæ pretioſæ, Æternitatis pignora, Reſurrectionis gloriam expectantia; ergo & ex eo capite honorari debent & ornari. Altare illud quod vidit S Joannes in Apocal. ſuper quo offerebatur incenſum orationum Sanctorum, erat totum aureum. Ao non per id innuitur oportere nos magni facere Altaria, quæ ſunt velut Sanctorum Cubilia, in quibus eorum quieſcunt pignora, dum ipſi exultant in gloria & pro nobis offerunt orationes in odorem ſuavitatis?

Quartò, cùm certa fide teneamus Altaria eſſe Thronum Regis æterni, ubi reſidet & adoratur: quis non videat magno eſſe honore veneranda, magno nitore conſervanda? An ſortè Thronus & Sedes Pontificum, Epiſcoporum, Regum, pretioſo eſt amictu adornanda, Thronus verò & Sedes Jeſu Chriſti, ſupremi Regis & Pontificis, negligenda eſt, & vilis habenda? Si ſindone munda involvi voluit Corpus ſuum jam mortuum, ſi in ſepulchro novo in petra exciſo honorificè condi; certè illud ipſum corpus in Sacramento nobis exhibens, lineis benè mundis tractari præcipit, & in Altari honorifico, quaſi in ſepulchro, reponi. Si Angelos in Albis voluit apparere ad ſepulchrum ſuum venerandum; vult & Sacerdotes, inſtar Angelorum, cum puritate interna & externa Altare ſuum, quaſi corporis ſui puriſſimi ſepulchrum circumdare. An non & hoc ipſimet profitentur, dum dicunt: *Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo Altare tuum Domine; ut audiam vocem laudis & enarrem univerſa mirabilia tua*; *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Meminerint ergo verborum quæ pronunciant, & ſint ſemper ſtudioſi munditiæ; primò interioris, deindè exterioris, quæ in veſtibus ſacris, ornatuque Altaris conſiſtit ut nihil indignum myſteriis tantis hic reperiatur. Alioqui ſi notabilis immunditia ſit in his, quæ immediatè attinguat Corpus Chriſti, gravi ſe noverint culpæ obnoxios.

Bellarm. lib. 2. de gemitu Columbæ cap. 5.

Hac de re agens Cardinalis Bellarminus in lib. De gemitu columbæ, variaſque miſerias congerens, quæ in Eccleſia reperiuntur, & meritò piit (qui ſunt membra hujus columbæ) gemitum excutiunt, hæc inter cætera habet. Illud etiam lachrymis ubertrimis dignum eſt, quod ob nonnullorum Sacerdotum incuriam, aut impietatem, ſacroſancta myſteria tam indecore tractentur, ut qui illa tractant, videantur non credere majeſtatem Domini eſſe præſentem. Sic enim aliqui ſine ſpiritu, ſine affectu, ſine tremore & timore, feſtinatione incredibili Sacrum perficiunt, quaſi fide Chriſtum Dominum non viderent, aut ab eo ſe videri non crederent. Omitto, quod alicubi vaſa ſacra & veſtes quibus myſteria celebrantur, vilia & ſordida inveniantur, indigna prorſus quæ ad tremenda myſteria adhibeantur. At fortè, qui hæc adhibent, pauperes ſunt? Id quidem fieri poteſt, ſed ſi pretioſa non poſſunt ſaltem munda & nitida procurent. Ego tamen cùm aliquando ex itinere apud Epiſcopum & nobilem præclivitem hoſpitarer, vidi aulam vaſis argenteis ſplendidam, & menſam omni ciborum genere refertam, mappas quoque & reliqua omnia nitida & odorem ſuavem ſpirantia. Sed cùm die ſequente ſummo manè ad Eccleſiam Palatio contiguam deſcendiſſem, ut Sacris operarer, inveni omnia contraria, id eſt vilia & ſordida: ut vix auderem in tali loco, & cum tali apparatu, divina celebrare myſteria; fontibus ergo lachrymarum plangendi ſunt non pauci, qui exteriore turpitudine & ſordibus, animi ſui impuritatem ſordeſque teſtantur. Hæc Bellarminus.

De Tabernaculo P. Sacramenti.

Cæterùm quæ de altari, & de iis quæ ad Sacrificium pertinent nitidè conſervandis dicimus, etiam de Tabernaculo Sanctiſſimi Sacramenti intelligi volumus. Quapropter Paſtoribus hic rememoramus Decretum Petri Aloyſii de Caraſa Illuſtriſſ. Nuncii Apoſtolici, anno 1628. in viſitatione Diœceſis Leodienſis: *Nos auctoritate Apoſtolica ſancimus, ut Tabernaculum Venerabilis Euchariſtiæ, quia eſt quaſi thalamus in quo cœleſtis ſponſus adeſt ſponſæ Eccleſiæ ſuæ, interim velo byſſino purpureo undique conveſtiatur, ne intra nudos ligneos aſſeres contineri videatur Rex gloriæ in terris qui lucem in Cœlis habitat inacceſſibilem, & eſt amictus lumine ſicut veſtimento.* Idem decrevit illuſtr. Antonius Albergatus, itidem Nuncius Apoſt. in viſitatione an. 1613.

* * *

TRACTA-

Digitized by Google

TRACTATUS IV.

DE ALIIS FLORIBUS VIRGÆ AARONIS,

SEV VITÆ SACERDOTALIS, QVI RESPICIUNT PROXIMUM.

Hactenus dicta concernunt Sacerdotes, maximè quantum ad interiorem hominem formandum erga Deum. Cùm autem Sacerdotium non solùm Deum, sed & proximum respiciat, functiones varias habens annexas ad proximi salutem directè ordinatas, nunc nobis differere restat de illius perfectionibus & virtutibus requisitis in Sacerdote, ut fructum valeat in proximis efficaciter producere. Sunt porrò hæ virtutes & perfectiones, velut flores decori & suaveolentes, quibus oculos & corda plebis ad Sacerdotii venerationem & ad Christi amorem, valent pertrahere ipsius Ministri.

LECTIO I.

DE FLORE PRIMO, QVI EST ZELVS salutis animarum.

1. Zelus salutis animarum.

DE hac re sic Regula: *Sciant se ad animarum salutem juvandam vocari; Unde sæpè recogitent dignitatem illarum, quas ipsemet Christus Sanguinis sui pretio voluerit redimere & ablucre.*

1. Vis pulchritudinem vocationis ad salutem Animarum procurandam.

Quam sit sublimis vocatio eorum, qui ad salutem animarum procurandam destinantur ex officio, quadantenus intelligi poterit, si perspicacibus mentis oculis consideraverimus, quantum sit & quàm eximium bonum salus vel unius animæ. Quid est enim gratia Dei, in qua salus animæ hæc in vita consistit, nisi divinæ naturæ participatio & consortium? Quid sempiterna fœlicitas, in qua post hanc vitam salus consummata sita est, nisi divinitatis perfecta & interminabilis fruitio? Quid vero ex alia parte offensa Dei & peccatum, quid pœna damni & pœna sensus correspondens, quale quantumque malum hæc involvunt? Nonne peccatum est aversio à summo & incommutabili bono? Nonne pœna damni est æterna à Deo separatio? Nonne pœna sensus est cum igne devorante & ardoribus sempiternis perpetua commoratio? Ergone prohibere tantum malum ab anima, & oppositum illi malo eximium alterum bonum fœlicitatis procurare, exigui potest esse momenti? Imò verò rectè asserit S. Dionysius: *Omnium divinorum esse divinissimum, Deo cooperari in salute animarum.* Nempè, quia Deus bonitas est per essentiam, proprissimum est illi sui diffusivum esse, & ita omnes ad sui participationem, quæ in æterna fœlicitate consistit, convocare: qui ergò huic rei cooperantur, divinæ perfectionis sunt imitatores, divini operis executores. Unde dixit Richardus Victorinus: *Nescio an majus beneficium possit homini à Deo conferri, quàm ut per ejus obsequium alii consequantur salutem, sitamen homo Deo cooperetur ex charitate.* Rich. Victorinus.

Eodem modo loquitur V. Beda: *Quæ gratia sublimior, & Deo gloriosior conversatio esse potest, quàm illius qui quotidiano exercitio alios ad Auctoris sui gratiam studet convertere, & crebra animarum acquisitione gaudium Patris cœlestis semper augere?* V. Beda.

Si quis Deo cooperari posset in Cœli & terræ, stellarum vel elementorum compositione & dispositione, quis non id eximium planè arbitraretur? At doctrina Sanctorum Patrum disertè asserit illud longè majus esse. Inter eos S. Chrysostomus sic Deum sacris suis ministris loquentem introducit. *Feci ego Cœlum & terram, eadem facultate te dono, ut terram facias Cœlum. Accendi ego luminaria, accende tu illis clariora, ut potes hic qui in errore sunt lumen veritatis accendere. Hominem facere non vales, at justum gratumque Deo potes. Vide quam te ditigam, qui majora tibi faciendi tribuo potestatem.* Chrys. in Genesim.

Ut autem scias, quantum sit bonum cum salute nostra & alios lucrari, audi Prophetam ex persona Domini loquentem: *Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Quasi dicat, Qui ab errore ad veritatem, vel à peccato ad virtutem proximum manuduxerit, me imitatur, & velut os meum censetur. B. Gregor. celebratur sententia. *Nullum omnipotens Deus tale est sacrificium, quale est salus animarum.* Jer. 15, 19. S. Greg. lib. homil. 12. in Ezech.

Secundo.

Digitized by Google

2. Hanc procurare, eſt Angelico & Apoſtolico muneri cooperari.

Secundò conſiderandum eſt, animarum ſalutem procurare, non aliud eſſe quàm muneri Angelico & Apoſtolico communicare. Nam quantum ad Angelos, de illis ſcriptum eſt: *Omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus, miſſi propter eos qui hæreditatem capient ſalutis.* Angelici ergo officii partem adimplent, qui ſe ſaluti animarum piè & ſedulò impendunt; neque parum per hoc Angelorum patrocinium ſibi demerentur. Hanc ob cauſam S. Joanni in Apocalyps. Angelus apparens, nonvult ab eo honorem accipere; ſed ſe illi parem reputat non ſuperiorem, vultque æquali gradu ipſum ſecum procedere, tamquam ad munus ſimile coronatum: *Conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium IESV Chriſti, Deum adora.* Munus ergo Angelicum & Apoſtolicum non abſimile eſt, utrumque autem implent, qui electorum ſaluti cooperantur. S. Paulus de ſe & ſuo Apoſtolatu non aliud dicit: *Paulus ſervus Jeſu Chriſti, ſegregatus in Evangelium Dei.* Hoc omnibus Paſtoribus etiam convenit; nam & ipſi debent eſſe ſervi Chriſti, non quomodocunque, ſed omnino propriè, id eſt toti addicti obſequio Chriſti: ut abjecta omni alia ſollicitudine, unum ſit eis negotium Chriſto famulari in lucro animarum. Servus enim quidquid eſt, Domini ſui eſt, quidquid habet, Domino ſuo habet, quidquid poteſt, Domino ſuo poteſt. Sunt etiam ipſi ſegregati in Evangelium Dei: hoc eſt, ad annunciandum populo nuncium bonum æternæ ſalutis; quod quidem continuo inſtillare debent cordibus ſuorum, nec in hoc unquam laſſari aut tædio affici. Hinc Sancti Paſtores tam antiqui quàm novi, hanc in rem diligentiſſimè incubuerunt.

Heb. 1. 14

Apoc. 19. 10.

Rom. 1. 1.

S. Carolus cum jurisprudentiæ operam dediſſet, & uſum concionandi non haberet, tamen ad Paſtoralem curam aſſumptus (cùm etiam linguæ impedimentum pateretur) omnes difficultates Chriſti amore & officii ſui implendi deſiderio ſuperavit: & aſſiduè uberrimo cum fructu uſque ad mortem Evangelium prædicavit.

S. Chryſ. hom. 1. de Lazar.

S. Chryſoſtomus de ſeipſo dicit: *Ego meo ipſius animo perſuaſi, quoad ſpiravero, hoc implere miniſterium, ſive quis attendat, ſive non attendat. Aquarum vena etiamſi nemo veniat adaquatum, manant tamen; & fontes quamvis nemo hauriat, ſcatebras emittunt.*

Pontius in vita ejus. Cypr. l. de bono pudic.

S. Cyprianus nihil charius habebat quàm aſſiduò verbum Dei populo annunciare; unde lib. de bono pudicit. ſic ait: *Semper miſer, vel maximè quotidianis Evangeliorum tractatibus, aliquando vobis fidei & ſcientiæ incrementa præſtare, ut poſſint credentes ad repromiſſum regnum pervenire. Hoc mei & operis, & muneris quotidianum veſtrum negotium eſt.* Et ideò cum ipſe abſens eſſet à plebe, per litteras hoc penſum perſolvebat, & Dei verbo ſic ſemper intentus erat, ut ſummo deſiderio optaret inter concionandum extremum poſſe diem claudere, aut pro fide necari.

Certè ſic mortuus eſt S. Andreas, qui in patibulo tanquam in Cathedra ſublimi, non ceſſavit concionari biduo, donec animam exhalavit.

Similiter de B. Galdino Archiepiſcopo Mediolanenſi, viro ſanctimonia & zelo eminenti, referturita ſcilicet concionibus ad populum edocendum & hæreſes confutandas animum addixiſſe, ut quadam die concione finita, ſimul etiam animam Deo tradiderit.

De S. Dunſtano Cantuarienſi Epiſc. illud planè mirabile eſt, quod in ejus vita refertur: in die aſcenſioni ſacro orabat ipſe, & ecce in templo illi oranti adfuit multitudo Angelorum, dicentium ſe veniſſe ad eum in cœlum deducendum, ſi tamen paratus eſſet. Quibus ille, quod ad ipſum attineret, ſe quidem eſſe paratum, ſed tamen moleſte laturum, ſi tam celebri die populus ſacri verbi pabulo privaretur. Tum Angeli excuſatione accepta, diem proximum ejus migrationi præfiniunt, quo deinde cum magno ſuo gaudio defunctus eſt.

Porrò ſicut munus Paſtorum, non eſt aliud quam Apoſtolici muneris participatio, ideoque munus grande, ita ei meritum eſt correſpondens: nam qui illo officio cum zelo funguntur, participes efficiuntur omnium bonorum operum, quæ fideles illorum hortatu faciunt. Et ſi magnam illi mercedem percipiunt, qui operibus miſericordiæ corporalis ſeſe impendunt; quanto magis hi qui admonendo & docendo in viam rectam alios perducunt? Quanto enim anima corpore præſtantior eſt, tanto majoris meriti eſt auxilium quod animæ impenditur. Unde ſic monet S. Gregor. *In quantum vos profeciſſe penſatis, vobiſcum alios trahite, in via Domini ſocios habere deſiderate. Et ad Deum tendite, ut ate ne ſoli veniatis. In Apocalypſi dicitur: Qui audit dicat veni, ut qui jam in corde vocem ſuperni amoris acceperit, foris etiam proximis vocem exhortationis reddat. Et forte panem ut indigenti porrigat, non habet ſed magis eſt quod tribuere valeat, qui linguam habet. Plus eſt enim verbi pabulo vitturam in æternum animam reficere, quàm ventrem moritura carnis terreno pane ſatiare.*

S. Greg. hom. 6. in Evang.

Tertiò conſiderandus hic maximè à Sacerdotibus, amor Jesu Chriſti erga animas, qui & cordi imprimendus eſt: omnique ſtudio adlaborandum, ut ſpiritus ejus ſuſcitetur in nobis, & excitat ac impellat nos ad animarum lucrum. Illi meritò dicimus illud Sap. *Domine, qui amas animas.* Amat enim eas multis titulis, & ſe amare oſtendit multis ſignis amoris.

3. Amor Chriſti erga animas cordi imprimendus

Sap. 11. 27.

1. Quia eas creavit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam.

2. Quia ita deſideravit earum ſalutem, ut pro illis venire voluerit in mundum.

3. Quia ex zelo ardentiſſimo amoris tanta in mundo pro illis peregit, docens, illuminans, ſanctificans,

4. Quia ſanguine ſuo emit, deſponſavit, abluit, eas volens eſſe ſine macula, ſine ruga.

5. Quia

Digitized by Google

5. Quia dedit unicuique Angelum, imò cœlum & terram, & omnia creata ad eorum ſalutem ordinavit.

6. Quia unicum cordis ejus deſiderium eſt, ut divinitatis ſuæ, viſionisque ac fruitionis æternæ faciat eſſe participes: & ideo in finem uſque ſæculi perſe, & per ſuos miniſtros eas docet, illuminat, paſcit, ſanctificat, ducit ut perducat, & tandem in æterni amoris thalamum introducat.

Itaque hic eſt ſolus honoris, quem meritò capiti frontique ejus inſcriptum dicimus: *Domine, qui amas animas.* Imò in omnibus ejus membris hoc ipſum inſculptum legere poſſumus. Hoc vulnera tanquam characteres, hoc clavi tanquam calamus, aut penicillus, hoc ſanguis ejus inſtar atramenti aut colorum planè exprimit omnibus legere volentibus: *Domine, qui amas animas.* Ipſe eſt liber extenſus, intus & foris ſignatus, liber amoris non amplius clauſus, ſed cunctis apertus, quem inſpicientes excitentur ad amandas ánimas. Cur igitur nos Sacerdotes ejus perſonam repræſentantes torpeſcimus? Cur animas à Jeſu Sacerdote magno ita dilectas, omni ſtudio amare non conamur? Cur non cooperamur totis viribus earum prædeſtinationi, quandoquidem Dei adjutores ſumus? Cur non promoveamus omni ſedulitate, ut æternum poſſint laudare & amare Jeſum, qui ita eas amat & amavit? Cur non collaboremus Angelis, quorum officium ſuſcepimus? quorum exemplum & auxilium in procuranda animarum ſalute prævium habemus? Si amamus Jeſum ſincero cordis affectu, amare illum debemus in animabus: non enim tantum vult amari in ſe, ſed & in illis. Amemus ergo amorem illius erga animas, amemus animas in illo, & in amoroſis ejus viſceribus pretioſas. Amemus pretium ſanguinis, quo emptæ ſunt. Amando illas vacemus illarum converſioni, ablutioni, ſanctificationi: quandoquidem illo opere nihil ſit nobilius, nihil majoris meriti, nihil Deo charius.

EXEMPLA SANCTORUM.

De S. Franciſco B. Bonav. c.8. vitæ ejus.

QUicunque Chriſti ſpiritum habuerunt, animas in Chriſto magna charitate dilexerunt. Unde de S. Franciſco ſic loquitur S. Bonavent. *Cùm Franciſcus animarum ſalutem viſceroſa pietate appeteret, & fervidis amulationis zelaret, ſuaviſſimis dicebat ſe replari odoribus, & quaſi unguento pretioſo liniri. Cum ſanctorum Fratrum per orbem diffuſarum odoriferus fama multos audires ad viam veritatis induci, ex talium auditu exultabat in ſpiritu, benedictionibus omni acceptione dignißimis Fratres illos accumulans, qui verbo & opere ad Chriſti amorem induxerent peccatores.*

De S. Catharina Sen. Sur.

S. Catharina Senenſis ſæpè oſculabatur non ſolum pedes, ſed & veſtigia illorum, qui converſioni animarum per verbum prædicationis operam dabant; cauſamque interrogata, dicebat: Dominum oſtendiſſe aliquando ſibi animarum in gratia exiſtentium pulchritudinem. Illius verò pulchritudinis amore ſic ſe captam aſſerebat, ut continere ſe non poſſet, quin terram oſcularetur, quam eorum pedes calcant, qui verbo Dei animas à peccatis ad pulchritudinem gratiæ divinæ reducunt.

S. Thereſ.

S. Thereſia ex zelo animarum ſic loquitur: *Quale mihi damnum, aut cur conqueri debeo, licet uſque ad diem judicij pœnas purgatorij ſuſtinere me oporteat, modò per illi ad conſequar, quod anima una ſalvetur; quantò ergò magis ſi agatur de plurium animarum lucro, id verere nequaquam deberem?*

Theodoretus l. 4. hiſt. Eccl. c.25.

SS. Anachoretæ quandoque etiam ob lucrum animarum ſolitudinem ſuam deſerendam cenſuerunt. Quod fecit S. Antonius tempore Imperatoris Conſtantij, dum hæreſi Ariana invaleſcente venit Alexandriam, & totam illam circuibat provinciam, veritatis agens præconem. Celebris eſt hac in re inter cæteros quidem Aphrates, qui tempore Valentis Imperatoris Ariani Antiochiam venit zelo impulſus animarum. Cui cùm occurriſſet Imperator, & interrogaret: *Quo te conferes?* Reſpondit: *Ire regno tuo præcaturus venio.* Tum Imperator: *At domitibi manendum & intra cellam tuam orandum.* Cui ille: *Præclarè ô Imperator au; nam id mihi faciendum & hactenus feci, dum ovis Salvatoris pace fruerentur. Verùm quia jam magnoperè conturbantur, & periculum eis impendet, neceſſe eſt omnes vias perſequi, non modò ne à ſero capiantur, ſed etiam ut incolumes conſerventur.* Adjecit & ipſe ſapienter hanc oppoſitam ſimilitudinem. Dic mihi, ô Imperator! ſi filia alicujus eſſem, & ſederem in conclavi ut ædes curarem, & deindè cernerem flammam in ædes incidiſſe, & domum paternam conflagrare: an intus manere me oportet, & ædes incenſas negligere; an relicto conclavi ſurſum deorſumque curſitare, & aquam afferre qua flammam extinguerem? Hoc certè te reſponſurum conſtat. Atque hoc ipſum nos agimus, ô Imperator! Nam cum tu in ædes Patris noſtri flammam injeceris, nos circumcurſitamus, quo eam maturè poſſimus extinguere. Hæc cum locutus eſſet ille, ei Imperator interminatus conticuit.

Idem l. cod. c. 24.

Non abſimili ſimilitudine uſi ſunt Galli Theologi, dum hæreſis initio ſerperet, ſic ſcribentes: Quod ejecto ædibus incendio, ac jam vel ſumma tecta vel infima ſervitia occupante, facere ſolent qui propè ſunt, ut opem ferant primi, excitentque clamore univerſos, ut opem omnem ferant: id nos in magna domo, quæ Eccleſia eſt, deflagrante ejus non vili parte, ſed ſponſi thalamo, in quo totis mille ac ducentis annis placidiſſimè quievit, & primogenitos ſponſæ ſuæ conſtituit, quod regnum Galliæ eſt, ambuſti ipſi, & vix è medio igne erepti tantò magis præſtare debuimus, ne Propheticum illud in nos rueret: *Va mihi, quia tacui.* Et certè ſi id non faceremus, parùm probè quod Gallorum eſt, qui cæteros excitare ſolent, feciſſe videremur, qui nos potius ab anſeribus illis, qui olim clangore ſuo Capitolium ſervârunt, vinci pateremur.

d by Google

LECTIO II.

DE SECUNDO FLORE, QUI EST *diligens instructio puerorum.*

2. Flos Puerorum catecheses.

Diligentem institutionem puerorum operam navare debent Sacerdotes & Pastores: quia ab illa pendet omnis posterioris ætatis fructus, sicut messis à semine. Seminent ergo in cordibus tenellis semen pietatis & timoris divini, rigent illud exhortationis frequenti rore, absq; dubio germinans germinabit, & fructus cernetur tuo tempore. Adolescentum mollia sunt ingenia, & instar ceræ sigillum, quod primo eis imprimitur, facilè suscipiunt; ergo imaginem vitæ piæ & perfectæ juvat extunc eis proponere & imprimere, quam paulatim coloribus virtutum possint adornare

Primò, itaque edoceantur elementa sermonum Dei, prima fidei mysteria, ut juxta ætatem intelligere possint, quid sit Deus, quomodo unus & trinus: quid Christus, quomodo carnem assumpserit Dei Filius, non Pater, aut Spiritus Sanctus. Deindè, quæ mandata Dei & Ecclesiæ, ut sciant distinguere vitium à virtute, peccatum à bono opere, vitium abhorrere, virtutem amare; simulque pœnæ improborum, præmia bonorum eis proponantur. Abterreantur maximè à vitijs ætati illi teneræ assuetis, à mendacio, inobedientia, furto, verbis obscœnis, cogitationibus, aut tactibus impuris. Ulteriùs edoceantur, quid sacrificium, qua pietate oporteat assistere. Quid Pœnitentia, quid Eucharistia, quis fructus frequentationis horum Sacramentorum. Denique erudiantur, de precibus fundendis ad Christum, ad B. Virginem, ad Angelum Custodem, & in hoc ter vespertino matutinoque tempore exercere moneantur.

Quod de adolescentulis dicimus, de quibuslibet etiam rudioribus intelligimus, quos inter parvulos censemus, quibus doctrinæ panis frangendus est, imò masticandus, imò in fauces infundendus: & cùm incapaces sint solidi cibi, lacte alere eos oportet; hoc est, simplicissima institutione in rudimentis doctrinæ & pietatis Christianæ. Ergà tales nempè decet ut Pastores se exhibeant, non solum ut spiritu patres, sed etiam ut matres & nutrices ubera eis exhibentes veritatis, pietatis amoris plena. Oportet eos repuerascere cum pueris, & balbutire cùm illis, rudes esse cum rudibus: hoc est, oportet deprimere verba & conceptus mentis ad captum eorum; nam vulgaribus vocibus uti ad institutionem simplicium, non debet videri vile nimis & abjectum.

1. Cor. 3. 1

Elias & Elizeus, ut spiritum communicarent puero, non veriti sunt instar pueri membra contrahere, os super os, manus super manus, pedes super pedes coarctando apponere; & ita se puero conformando, spiritum vitæ infuderunt. Hos imitantur Pastores illi, qui scientia licet eminente omnimodo ad puerorum rudium captum se demittunt; sic enim spiritum gratiæ illis possunt inspirare. Ad id omnes excitari debent, & merito magno laboris, & prævijs magnorum exemplis.

Ad id excitare debet:

Primò quidem ipsius Christi, qui dum jubet parvulos ad se venire, dum illos amplectitur, benedicit, manus imponit, humilis ad parvulos, & parvulus factus est cũ illis, satis ostendit illos, quibus doctrina & beneficio spiritualis committitur, non debere parvulos dedignari. *Et æternus Pater, ut Verbum suum Æternum captus nostro aptaret, & assibus hominum addiceret, adeò demisit, ut carne & corpore se vestiret: ut pigeat Doctorem & Magistrum verbis & conceptus mentis sua deprimere, & abjectis vulgaribusque vocibus sub icere, ut audientium rudium captum non superet!* inquit sanctus Augustinus.

1. Exempli Christi.

Aug. libi de catechiz. rudib.

Secundò, ad id invitat exemplum Apostolorum. Eximiâ hi sapientiâ repleti, nihilominus cum rudibus agunt, cum vilibus conversantur, illisque se adaptant, omnibus omnia facti, ut omnes lucri faceret. S. Petrus apud Simonem coriarium in Joppe commoratur. S. Paulus Angelis sapientiâ æqualis apud eos, qui erant scenofactoriæ artis, hoc est, tabernaculorum & pellium artifices. Et profectò Apostoli orbem converterunt non sublimibus concionibus, sed simplici & catechistico sermone cum spiritûs virtute. Patet in S. Petro, qui in die Pentecostes simplici exhortatione & catechismo tria hominum millia ad pœnitentiam convertit. Sequenti die similiter quinque millia ad priorem numerum adjecit: & nunquid id sublimibus humanæ sapientiæ verbis? Ablit: factus est enim parvulus parvulis, qui vult omnes repueraiscere, *ut sicut modò geniti infantes lac sine dolo* possint concupiscere & crescere in salutem. Similiter & Apostolus Paulus: *Facti sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos.*

2. Exemp. Apostolorum.

1. Pet. 2. 2. 1. Thess. 2. 7.

Tertiò, hoc ipsum imitati sunt & ad id alios invitant, viri eminentes sanctitate & doctrinâ post Christum & Apostolos, humilem rudium & puerorum institutionem lætissimo animo amplexi.

3. Exempl. virorum sanctorum

S. Hieronymus jam senex, cùm multa præcepta dedisset in epistola ad Lætam, pro recta filiæ institutione sic concludit: *Si ad Paulam miserum, in gestum me & nutricium spondeo, gestabo humeris, balbutiente senex verba formabo, multò gloriosior mundi Philosopho, qui non Regem Macedonum Babylonis periturum veneno, sed ancillam & sponsam Christi eruditam regnis cœlestibus offerendam.*

Hieron. ep. ad Lætam. c. 7.

S. Vincentius Ordinis S. Dominici eximius Concionator, gaudebat cum parvulis Doctorem agere. Undè sic habet ejus vita. Neque tantum ætate provectos sublimium rerum capaces erudiebat, sed etiam pueros certis ad se horis evocatos instruebat; docens quomodo se crucè signarent, quomodo orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, fidei

De S. Vincent. Sur. 5. Aprił.

fidei symbolum enuntiarent, quomodo Deum colerent, parentibus honorem deferrent, & debita officia persolverent.

De Ioanne Gersone.

Cancellarius Gerson, qui & Legatus fuit ad Concil. Constantiense, hac quoque in re eminuit. His enim amplissimis honoribus non obstantibus, solebat parvulorum greges ad se in Ecclesiam advocare & erudire, scriptisque & exemplo suo alios ad idem invitare. Sciebat pie, quantum emolumentum in Ecclesiam redundet ex parvulorum instructione. Quocirca scripsit libellum: *De puerisad Christum trahendis*, ubi inter cætera in facti sui defentionem sic dicit. Adeo tam indignum videtur apud multos si quis ex Theologis, aut famosus in literis, vel Ecclesiastica dignitate præditus, ad hoc se opus inclinaverit, præsertim circa parvulos, quod mihi in fabulam & improperium cesserit. Convincit autem illos exemplum Christi, qui *Sinite*, inquit, *parvulos venire ad me; talium enim est regnum cœlorum.* O pijssime Jesu, quis ultra posthac verecundabitur esse humilis ad parvulos, quando tu, qui es Deus, usque ad cassissimos puerorum amplexus brachia mansuetus inclinas, atque circumligas? Da mihi aliquem, qui spiritualis sit, qui quærat non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, quem totum repleverit charitas, humilitas & pietas, & nullum in eo locum inveniat vanitas & cupiditas, cujus conversatio in cœlis sit qui tanquam unus ex Angelis Dei, nec benedictione, nec maledictione moveatur, qui nullis stimuletur aut alliciatur formis corporum; sed abstractus in sublimi arce rationis, in sola animarum perspicaci qualitate verletur, & hæc intelliget. Sed dicunt, occupationem meam in majoribus esse debere. Nescio prorsus, si quidquam majus esse potest, quàm animas ab ipsius inferni portis eripere, & parvulorum animas plantare aut rigare, tanquam partem non indignam horti Ecclesiastici. Sed asserunt me in prædicationibus publicis ista magnificentiùs operaturum. Id quidem fortè pomposius, sed meo judicio non efficaciùs, neque fructuosiùs: nam quo semel est imbuta recens, servabit odorem testa diu. Venite ergo ad me parvuli; ego vobis doctrinam, vos mihi orationem impendetis: sic Angelos nostros vicissim lætificabimus.

Multum meriti sibi conciliant Pastores & Sacerdotes, qui charitate urgente solliciti sunt, ut pauperes & miserabiles personæ instruantur in doctrina & pietate, quas sæpè contingit in paupertatis sordibus & paupertati vitijs affinibus hærere sine instructione. Videmus enim quotidiè non paucos ignorantes, nec aliam afferre excusationem ignorantiæ suæ, nisi paupertatem, quasi ea ipsis debeat patrocinari hac in re. Dicunt se ob inopiam in Ecclesia ad instructionem non ausos comparere, nimioque pudore affici, dum sine veste decenti publicis Ecclesiæ conventibus oportet interesse. Alij qui in agris commorantur, nimiam ab Ecclesia distantiam in suæ ignorantiæ patrocinium allegant, quod ob eam tempore & loco, ubi doctrina Christiana traditur, adesse illis vix liceat. Alij ut plurimum pecoribus pascendis detinentur, etiam divinorum officiorum tempore, rudes planè & agrestes: ideoque doctrinæ fidei incurij, delitescunt in tenebris, & ignorantiæ cæca nocte. In hoc igitur incumbere debent Pastores, ut hi quacunque ratione & via instruantur in his, quæ ad salutem sunt necessaria, nullamque animam debet negligere eorum pia cura. Animarum enim omnium æqualis est nobilitas ex Christi sanguine, nec anima divitis charius empta est, quàm inopis, Christiq; sanguis æquè fusus pro rustico & ignobili, quàm pro nobili & urbano. Manet utrumque eadem æternitas, eadem pœna si pereant, eadem gloria si ad salutem emergant. Idem jus habent ad gratiam, eosdem fontes gratiæ, eandem hæreditatem & patrimonium filiorum Dei, eundem Patrem in cœlis, eandem Matrem in terris, eandem escam spiritualem in verbo Dei & Sacramentis.

Imitatio Christi.

Itaque qui curam animarum suscipiunt, imitentur Pastorem illum Evangelicum, qui ovem errantem quærit per desertum. Imitentur Christum de se dicentem: *Spiritus Domini super me, evangelizare pauperibus misit me.* Meminerint se de numero servorum esse, qui mittuntur non solum per plateas, sed etiam per agros & sepes ac sylvas; ut omnes invitent ad cœnam Domini sui, pauperes & claudos, cæcos & surdos, detersâ animarum prius cæcitate, & gressus rectos eis faciendo in veritate. Hoc fecêre Apostoli, & Apostolici viri, qui per vicos, casas, mapalia agrestia, & deserta loca pertransierunt, doctrinæ veritatem, lucem gratiæ, pacis benedictionem omnibus impertiendo. Hoc fecit Christus Dominus, nullum quantumlibet vilem & abjectum, cujuscunque conditionis aut sexûs, à se rejiciens. Attende vel unicam Samaritanam, quam licet extraneam, licet conditione vilem, licet conversatione impuram ac falacem, occasione apud puteum quæsita, non dedignatur catechizare, exhortari, & convertere; ita ut illa potuerit dicere: *Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit.* Pſ. 22. 3.

Simili ergò sollicitudine Pastores occasionem

LECTIO III.

DE FLORE TERTIO, QUI EST DILIGENS *instructio rudium & pauperum.*

III. Flos rudium & pauperum instructio.

DE hac re sic regula: *Invigilent diligenter puerorum & juventutis instructioni, rudiumque ac pauperum personarum, quarum curam lubenti animo subeant exemplo Christi Domini.*

quærant quamcunque, oves suas docendi vel deducendi per semitas justitiæ, ne aberrent per abrupta, & tandem æterno præcipitio collidantur. Ideo in principio nascentis Ecclesiæ in calicibus, imò & in vestibus sacrificio deputandis, solebat depingi imago pastoris ovem gestantis, ut Sacerdotes quotidiè monerentur imitationis. Ideo etiam pallium Episcopale ex lana contextum est, ut testatur Isidorus his verbis: *Illud autem amictum, quod Sacerdos humeris gestat, atque ex lana, non ex lino contextum est, ovis illius, quam Dominus aberrantem quæsivit, & inventam humeris suis sustulit, pallem designat.* Episcopus enim Christi typum gerit: ipsius munere fungitur, atque ipso etiam habitu illud omnibus ostendit, se boni illius ac magni Pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit.

Baron. a. 216. Isidorus.

EXEMPLA SANCTORUM.

De S. Carolo.

HUjus rei memor S. Carolus Borromæus, cum numerosam plebem haberet in sua Diœcesi inter sylvas & montes demorantem, considerabat esse gregem, & oves à supremo Pastore sibi concreditas; & idcò sollicitudine pastorali eas requirebat, personaliter invisebat, ut instrueret, ut lucem ac benedictionem eis impertiret. Unde visitans Diœcesim, per Helvetianas partes, aliaque loca prærupta & invia oberrabat; sæpius coactus potius septare, quàm itinerari, coactus quoque farcinas proprijs vectare humeris, ut ad inaccessos illos populos pertingeret, ut Sacerdotes ac plebem in montosis locis demorantem proprio ore catechizaret, proprijs monitis stimularet. Testis est Auctor vitæ ejus lib. 6 c. 4. & 5. Hoc & alij eximij viri præstiterunt.

De S. Norberto. Tympius ex Surio.

S. Norbertus Colonienſis & Xantenſis quondam Canonicus, postea Ordinis Candidi Institutor, cum esset Concionator celeberrimus (Bernardus enim vocat eum Fistulam cœlestem divini verbi) neglectis tamen urbibus, malebat concionari in vicis & pagis. Nec minus paucis quàm multis, pauperibus, quàm divitibus, rusticis quàm nobilibus paratus erat operam suam impendere, exhortando & instruendo.

De S. Cuthberto.

Similiter S. Cuthbertus sanctitate & miraculis celebris, in villis montanis locisque solitarijs & horridis, quò non veniebant Concionatores, lubens ipse properabat, & multis diebus hærens verbum Dei annunciabat.

De S. Francisco.

De S. Francisco idem refertur, quod lubentius se ad vilia & agrestia loca conferebat, ubi à paucis rudibus audiretur, quàm ad civitates populosas.

De Josepho Anchieta.

Nostro sæculo Josephus Anchieta magno zelo in Brasilia operam navavit, rudibus populis per agrestia ibidem loca dispersis instruendis, & excolendis. Admiratione porro dignum est, quod in ejus vita lib. 2. referens. Quodam die à comitibus digressus, solus in sylvam intravit, & quali alterius manu duceretur, in senem incidit, humi abjectum, atque arbori incumbentem. Isque senex eum videns, his vocibus compellabat: Perge huc venire, tamdiu enim expecto. Quærit ex eo Josephus, quisnam sit, ex qua patria, & unde illuc venerit? Respondit senex, se ex remotioribus terris esse, patriamque suam mari immmere, & alia adjecit, ex quibus satis judicabatur, ministerio plusquam humano illuc translatum, vel divino aliquo duce suis gressibus venisse; ex quo labore & ætate fractus jacebat. Quærivit rursus Josephus, cur venisset, & quid ibi quæreret? Respondit, ut rectam viam percipiam. Hoc loquendi modo divinam legem & iter ad salutem intelligunt Brasii. Cum verò accuratè omnem ejus vitam per omnes ætatis partes inquisivisset, eo gravior, ipsum nunquam nisi unam contra gentem habuisse, nunquam arma, nisi sui defendendi causa tractasse, nunquam lethalem culpa naturæ legem violasse: ut verisimile illud esse credamus, quod de talibus innocenter etiam in infidelitate viventibus tradunt Theologi, à Deo non deseri, quin illuminentur quacunque via. Comperit præterea, hominem naturæ bono magnæ præditum cognitione rerum pertinentium ad animum, æqui præsertim & iniqui: tum etiam ipsius naturæ auctoris. Et cùm multa de veræ Religionis mysterijs illi Pater exponeret, subjiciebat identidem, se intra animum suum ita sensisse, sed exprimere nescijsse. Ergo satis instructum, labore & ærumnis itinerum, ætateque confectum, quoniam solutio instabat, aquâ pluviâ ex cardino collectâ (nulla enim alia in arenis illis suppetebat) baptizavit, Adamumque illi nomen dedit. Qui tam divino affectus beneficio, operante intus virtute Sacramenti, divinæ in se gratiæ sentiens charismata, oculis manibusque in cœlum sublatis, lætovultu divinæ bonitati primùm, tum etiam Patri Josepho gratias egit, & quasi expetiti voti compos, cùm nihil jam deesset eorum, quorum illuc causâ divino ductu venerat, omni solutus curâ animam sacro lavacro expiatam, in ipso primo suæ regenerationis vestigio Deo reddidit. Pater Josephus illum morientem statis precibus de more commendavit, & sabulo sepelivit. Hæc ipse rediens enarravit.

Hoc porrò hìc recensendum censui, ut advertant Pastores, se nullum debere laborem detrectare, ut divinæ prædestinationis sint cooperatores in animarum conversione & directione. Ipsi enim electi sunt tanquam instrumenta Deo cooperantia, ut adducant homines ad hunc suæ prædestinationis finem: & cùm nesciant ipsi, quinam ex sibi commissis ab hoc numero sint excludendi, omnibus operam suam graviter debent navare, & neminem quamlibet simplicem & vilem despicere: quia licet sint inæqualia dona naturæ & fortunæ, omnibus tamen æquale jus comperit ad dona gratiæ & gloriæ. Ideo ille Sanctus ad senem per sylvas Dei spiritu & manu deductus est, ut

cum catechizaret, baptizaret, morienti adesset, mortuum tepeliret; sicque prædestinato Dei consilio tanquam instrumentum electum subserviret.

LECTIO IV.

DE QVARTO FLORE, QUI EST *Prædicatio pia verbi Dei,*

Prælo 8. dicatio verbi divini.

DE hac re sic regula: *Piè prædicent Verbum Dei, sed & illarum personarum diligentem curam habeant quæ longè à Parochiis dissita non possunt commodè audire Verbum Dei, aut erudire in vitæ & locis ingressibus agendis.* De hac re cum jam dictum sit, pauca de Prædicatione Verbi divini subjicimus.

PRAXIS PIE ET FRVCTVOSE PRÆDICATIONEM peragendi.

Praxis fructuose concionandi. Magnificere hoc munus.

PRimò magnificiendum est legatione fungi pro Christo, ejus gratiam, spiritum, merita parturi, & velut per aquæ ductus in alios influere: ipsam Domini Passionem & Sanguinem efficacem reddere, Dei verbum ore humano tradere, munusque exercere ad quod Apostoli Spiritus S. charismatibus prius repleti assumpti fuerunt, quod & ipse Christus in terris exercuit.

2 Christi spiritum.

Secundo, oportet D. Jesû sibi proponere ut principium influens, nihil optando dicere quod ipse non posuerit in ore, Ideoque eum obnoxiè obsecrare, ut inspiret & influat: & in ejus spiritum ejus sequi, ut nihil dicatur, nisi quod ad ejus amorem, timorem, cultum imprimendum spectet: & hoc est, prædicare Jesum, ut loquitur Apostolus.

1 Cor. 2.3 3 Præparatio practica

Tertiò præparatio adhiberi debet non tantùm speculativa, sed maximè practica, quæ fiat ex animi in Christum elevatione: ita ut primariæ veritates & capita, in oratione, vel consideratione, velut escæ calore devotionis digerantur, & in propriam substantiam convertantur, ut ex abundantia cordis os loquatur. Non sicut aves pullos ex aliundè quæsitis, sed ut matres, vel nutrices, ex propria substantia nutrire decet, & cum Apostolo dicere: *Tanquam parvulis in Christo lac dedi.*

1 Cor. 3.1. 4 Bona intentio.

Quartò, purificanda est intentio, ut nullum verbum nisi ad gloriam Dei proximè, vel remote referatur; & animus respiciat semper Deum, & salutem animarum, non auram popularem, aut suam gloriam, ut possit coram Deo & Angelis protestari: Non quæro gloriam meam. Oportet itaque prævia oratione offerre D. Jesu ejusque spiritui omnia dicenda; omnia illi subjicere ut dirigat, animet, applicet juxta beneplacitum voluntatis suæ. Nam sæpè fit ut dicta ex occasione, ejus direction animos efficaciter tangant, imò longo post tempore fructificent in salutem.

5. Præsentia Christi

Quintò, in ipso exercitio Prædicationis, juvat sibi sistere præsentem Christum, & reverenter in terris prædicantem, ejusque loquentis spiritum, zelum, virtutem efficaciter in animos instuere, & ex illo intuitu ac reverentia loqui. Nam sicut verum est, licet Petrus baptizet, Paulus baptizet, tamen Christus est qui proprie baptizat: sic & ipse est non solum qui prædicatur, sed & qui in nobis prædicat, & interius afflicit animam, & prædicantis & audientis. Unde etiam ex hoc intuitu cum spiritu & efficacia loquendum est, tanquam in persona illius qui loquebatur *sicut potestatem habens*: sicut & de Apostolis dicitur: *Virtute magnâ testimonium* reddebant *Resurrectionis Jesu Christi.* Hujus virtutis & spiritus aliqua stilla ex animi humilitate deponenda, ut & possit fervor ac affectus auditoribus patescere, eosque sic afficere.

Mat. 7. 29. Act. 4. 33.

6. Post concionem sine oblatio

Sextò, cum post Concionem pungi quis possit stimulo vanitatis, si rectè successerit, aut confusionis, si non rectè, aut nonita ex animi sententia; ideò illatum Domino Jesu & ejus spiritui quidquid boni fecerit, referendum est: quidquid verò incongrui, cum humiliatione animi sibi tribuendum, rogando Deum ut suppleat sua benignitate, & fructum educat ex nostro qualicumque labore.

Monita B. Xaverij pro concionem habendo.

Audiendus est hac de re B. Xaverius epist. ad Patrem Gasparem. In concionandi munere caput est, Deo bonorum omnium fonti, quidquid inde fluat boni acceptum referre: Sis memor quidquid in cócione pii rectique expresseris, nequaquam esse tuum, sed ore tuo loquentis Dei. Nec quicquam tibi tribue præter delicta, socordiam, elationem, ingratumque animum in Deum, in populum, in socios, quorum deprecatione, non tuo merito, talentum communicatum tibi est à Deo. Illud etiam te meminisse velim, ac sæpius animo repetere, multos Concionatores apud inferos cruciari, qui plus habuerint vel copiæ, vel leporis in dicendo quam tu, pluresque à sceleratâ vitâ, ad piam honestamque traduxerint: & quod monstri simile est, cum plurimis saluti fuerint, ipsi tamen miserrimè perierint. Cur ita? Ob eam maximè causam, quia ab elatione & arrogantia insolentes divina dona non Deo retulerunt accepta, sed vendicarunt sibi: quocirca humanæ avidos laudis, vanaque sui opinione inflatos, infanâ gloriæ cupido præcipitem in locum provexit, unde in exitium ruerent sempiternum, hæc Xaverius.

7. Non cessandum à prædicatione ob exiguum fructum.

Septimò, non debet animum despondere Concionator, licet exiguus fructus sequatur, sed debet attendere illud Augustini l. 1. contra Cresconium. *Sicut malignus suasor peccati, etiam si non persuaserit, meritò pœnam deceptionis incurrit: ita fidelis justitiæ Prædicator, etiam si ab hominibus respuatur, absit ut apud Deum officii mercede fraudetur.* Nihil ergò decedit de merito, sed, (ut dicit Dominus Matth. 10.) Pax, quam indignus apprecamur, ad nos revertitur. Sunt etiam multæ rationes quas tangit S. Chrysost. ob quas non oportet facilè animo deficere, aut à verbo Dei cessare. Ac *Primò* quidem vix contingit quin saltem aliquis ex auditoribus fructum faciat, nec parvi æstimandum est, si

S Aug li 1. c. 3.

S Chrys. con 1 de L. Sato.

Digitized by Google

vel unum lucremur. *Deinde* vix fieri poteſt, ut ſermo vacet omni fructu: quia & illi ipſi, qui ad peccatum redeunt, cum aliquo timore, & non cum tanta libertate id faciunt. *Verum* ſi non prodeſt ſermo malis, bonos tamen in bonis confirmat propoſitis. *Denique* ſi ſecundâ vel tertiâ vice non perſuades; forſitan quartâ aut quintâ id facies. Piſcator licet totum penè diem in vacuum laboraverit, nihil per rete attrahens, quandoque ſub noctem piſcem quæ ſitum involvit: ſic & venator diu perſeverat, & tandem prædam capit, quæ ſæpius effugerat. Ideò monet Apoſtolus: *Argue, obſecra, increpa, in omni patientia & doctrina.* Id ergo agendum eſt, etiamſi difficiles & duri ſint auditores; exemplo Domini, qui peccatores continuò monet, docet, hortatur, expectat in omni patientia & longanimitate. Exemplo etiam medici, qui convitia & inepias phreneticorum tolerat, nec de ægritudine deſperat. Et porro cum omnis fructus verbi divini ab ipſo Deo pendeat, recte ait S. Bern. *Fa tu quod tuum eſt: nam Deus quod ſuum eſt curabis. Planta, riga, & tuas impleviſti partes, ſanè incrementum ubi voluerit, dabit Deus, ubi fortè noluerit, tibi deperit nihil. Medici eſt medicamenta adhibere, non eſt in medico ſemper velle ut ægri ſanitatem incumbit, curam exigens non curationem.*

Octavo, ſollicitus ſit ut opera verbis & ſermonibus correſpondeant, attendens illud Apoſtoli Petri: *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, forma facti gregis ex animo.* Quaſi dicat: Paſcite non ſolum verbo, ſed exemplo: ita vivite pro ut loquimini, eſtote forma bene vivendi, & grex Chriſti legat non ſolum in ſermonibus, ſed & in operibus veſtris, quaſi in libro originali, quid agere, & quomodo converſari debeat. Paſcite gregem Chriſti propriis paſcuis & herbis, & non ſolum alienis, ſive aliunde adjectis. Non enim ſufficit alienæ virtutis exempla gregi proponere, niſi & eandem in nobis poſſint cernere. Non eſt ſatis patientiam Job prædicare, niſi eam prædicans etiam in ſeipſo conetur exhibere. Non eſt ſatis caſtitatem docere, & in Joſeph prælucentem indigitare; ſed oportet in ſeipſo eam etiam poſſe deſignare. Non eſt ſatis obedientiam Iſaac, humilitatem Franciſci, aliaſque Sanctorum perfectiones imitandas proponere; ſed oportet ut qui proponit, aliquid ſaltem earum poſſit in ſe exprimere: ita loqui hoc eſt ad aliena ſolum prata gregem ducere, non autem propriis paſcere. Qui ergo efficaciter vult verbum Dei annunciare, videatur cum Chriſto primo Magiſtro, incipiat prius facere quàm docere. Et ut cum Apoſtolo dicere poſſit: *Imitatores mei eſtote ſicut & ego Chriſti.* Ambulate *ſicut habetis formam noſtram.*

Hæc eſt etiam doctrina Sanctorum Patrum, inter quos ſic loquitur S. Hieron. *Non confundant*, inquit, *ſermonem tuum opera tua: ne cum in Eccleſia loqueris, tacitus quilibet reſpondeat: Cur ergo hæc, quæ dicis ipſe non facis? Sacerdotes Chriſti ore, mente, manuque concordent.*

S. Greg. Nazianz. malos Concionatores malis comparat Piſcatoribus, qui linguâ pungunt, virâ expungunt. Ideo, ait, purgari prius debent, quàm purgare: lux fieri, & alios illuminare: ad Deum appropinquare, & ita alios adducere: ſanctificari, & ita alios ſanctificare: potiùs manibus ducere, id eſt, exemplo ſuarum actionum, indè conſilium dare. S. Greg. Naz.

Hanc etiam ſimilitudinem Abbas Paſtor in vitis Patrum adducit: *Si quis decet aliquid & non facit, ſimilis eſt puteo, qui omnes adſe venientes ſatiat, & ſordes delet: ſe ipſum autem purgare non poteſt, ſed omni ſpurcitiæ & immunditiæ meo eſt.* In vitis PP. l. 5. de diſcret. §. 50.

Audi & Iſidorum: Qui non vivit ſicut docet, ipſam quam prædicat veritatem contemptibilè facit. Arcus perverſus eſt lingua Magiſtrorum benè docentium & malè viventium: & ideò ex perverſo arcu ſagittam emittunt, dum ſuam pravam vitam linguæ propriæ ictu confodiunt. Quid eſt enim benè docere & male vivere, niſi ſe propria voce damnare? Iſid. l. 3. de ſummo bono.

O Jeſu Doctor & Magiſter æternæ veritatis, da Paſtoribus tuis & Concionatoribus lumen in mente, ardorem in corde, verbum in ore, puritatem in intentione, efficaciam in opere: ut prædicent Te, & prædices in eis; ut operentur in Te, & opereris in eis, ſicque poſſint vivis operibus & ſermonibus perſuadere evangelizantes verbum virtute multa. Non ſit in ipſis *Vox Jacob manus Eſau*: vox benè docentis, ſed malè operantis. Aquam ſacræ doctrinæ, quam à Te fonte vivo puriſſimam poſſunt haurire, pravæ converſationis pedibus non turbent, ne ſic turbatam oves tuæ ſine ſapore guſtent ſed puram ſic eis propinent, ut ſit bibentibus aqua in vitam æternam ſaliens.

LECTIO V.

DE QVINTO FLORE, QUI EST BENIgnitas erga proximum charitati conjuncta.

DE hac re ſic Regula: *Erga omnes perſonas cum humilitate & manſuetudine ita ſe gerant: ut ex fraterno patre nequæ agendi more, ſatis agnoſcens omnes deſiderio ſalutis agi, quidquid erga eos agitur.* V. Flos Manſuetudo & charitas erga proximum.

Spiritus manſuetudinis & charitatis, vande efficax eſt ad allicien das & Chriſto devinciendas animas: Solent enim trahi homines *in funiculis Adam, & vinculis charitatis.* Unde etiam qui rudes ſunt, tardi vel duri, manſuetudine, humilitate, charitate ducuntur, vincuntur, & Chriſto devinciuntur; quando agnoſcunt puro ſalutis ſuæ deſiderio & paterno animo agi, quidquid erga ipſos agitur. Quantum putas commovebat Philippenſes illud Apoſtoli. *Teſtis eſt mihi Deus, quomodò vos omnes cupiam in viſceribus Jeſu Chriſti.* Quantum afficiebat Corinthios illud? *Os noſtrum patet ad vos, cor noſtrum dilatatum eſt, non anguſtiamini in nobis.* Oſee. 11. 4. Phil. 1. 8. 2. Cor. 6. 11.

Digitized by Google

nobis, auguſtiamini autem in viſceribus veſtris: tandem autem habentes remuneorationem, tanquam filiis dico, dilatamini & vos. Quantum corda Theſſalonicenſium penetrabat illud? *Facti ſumus parvuli in medio veſtrum, tanquam ſi nutrix foveat filios ſuos, ita aſſi entes vos cupidè, volebamus tradere vobis non ſolùm Evangelium, ſed etiam animas noſtras.* Hunc ergo ſpiritum paternum cum manſuetudine & humilitate exhibere erga fideles, prævio ſuo exemplo multis in locis docet Apoſtolus: Fideles enim omnes quaſi in viſceribus geſtans, dicebat: *Filioli quos parturio, donec formetur in vobis Chriſtus:* Unde non ſolùm ſe Patrem, ſed & Matrem inſinuat, quia, ut inquit S. Greg. *Illi verè doctores ſunt, qui cum per rigorem diſciplinæ Patres ſint, per pium affectum viſcera Matres eſſe noverunt; qui labores ſanctæ conceptionis tolerant, & profectibus Deo filios intra uterum charitatis portant, in edenda exim prole plus Matres laborant.* Talem ſe exhibebat S. Bern. in ſeipſo erudiens eos qui curam aliorum gerunt, dum ex intimo cordis affectu, ſic ſuos alloquitur: Me putate Matrem animarum veſtrarum, & ideò vos velle ſic componere, ut in nobis nec macula, nec ruga poſſit ante Tribunal æterni Judicis apparere. Animabus autem veſtris non ſolum ornamenta, ſed etiam medicamenta providere, deliderans ſtudio diſſuta conſuere, conſciſſa farcire, vulnerata curare, abluere ſordida, reparare perdita, & ea quæ integra ſpiritualibus margaritis ornare.

1. Theſſ. 2. 7.

Gal. 4. 19.

S. Greg. l. 3. in Job. c. 9.

Onera ſubditorii ferre cum manſuetudine, munus eſt Paſtorum.

Spiritus quoque ille manſuetudinis & humilitatis cum charitate conjunctus, facilitatem induxit Paſtoribus ad ſubditorum omnia onera portanda, quod proprium eorum munus eſt. Si enim videt Paſtor ſibi ſubditum gementem ſub onere paupertatis, deoret ejus onus charitatis humeris & elecmoſynis ſublevare, cum manſuetudine. Si alterum ſub ægritudinis onere cernit conſtitutum & deſperantem, operam dat erigat auxilio, conſilio, conſolatione. Si tertium conſpiciat ſub peccati faſce jacentem, onus eſt Babylonis, onus confuſionis, ſollicitus ſit ut onus illud poſſit excutere. Si videt puſillanimem, excitare debet & adjuvare ſtimulis monitionis ſinceræ, cum humilitate & manſuetudine. Denique ſi aliquem etiam patitur rebellem & durum, portare debet humeris charitatis, lenitatis & patientiæ. Si humilitas juncta ſit manſuetudini, ne quidem nos conturbare valent noſtræ curæ ſubditi, licet rebelles ſint, & poſt monitionem injurii; quia noſtræ humilitatis nobis conſcii, interiùs animo noſtro repræſentamus illud: *Conculcate pedes hominum, ſal inſatuatum. Debemus enim nos infirmorum infirmitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere,* inquit Apoſtolus Debemus *alter alterius onera portare.* Quod explicans S. Bernardus, ita ad Prælatum quendam ſcribit: *Hoc omne animarum eſt, & infirmorum: nam qui ſana ſunt, portari non indigent, ac per hoc nec onus ſunt. Quoſcunque igitur de tuis inveneris triſtes vel puſillanimes, ipſorum te noveris*

Rom. 15. 1.

Gal. 6. 2. S. Bern. ep. 73.

Patrem exhortando, conſolando, increpando, agis opus tuum, portans onus tuum: & portando ſanas, quæ ſanando portas. Si quis verò ita ſanus eſt, ut magis juvet te quàm juvetur à te, hujus te non Patrem ſed fratrem & ſemitem jam agnoſcas. Idem Bernardus contra detractiones aut injurias rebellium ſe muniens, ſic dicebat: *Ego plagis conſentiens meis nullum judico accommodatius medicamentum probris & contumeliis: non eſt proinde quod promoveas hominem omni digna diſpectione & opprobrio.*

Hac ergo conſideratione, cum patientia & lenitate contradictiones ſunt ferendæ, & evincendæ. Nec animum deſpondere oportet, ſi ſeminemus triticum, & metamus ſpinas; quandoquidem ipſe Chriſtus ſuo exemplo nos id æquo animo ferre docuerit magna fortitudine. Rectè in quodam brevi Apoſtolico ad Joannem Bernardum, Abbatem Fuldenſem ſic ſcribit Urbanus VIII. *Diſciplinam Monaſticam apud tuos corrumpi diutius non patiaris, nulla querelæ exterreant. Ægrotantes etiam invitos, etiam Medico miniſtrantes curamus; qui tamen ubi convaluerunt, minarum vices vertunt in grassatorum actiones.*

Urban. VIII.

Humilitas quoque & manſuetudo docet nos ad tempus quædam vitia in aliis tolerare & diſſimulare: ne imperiosè nimium aut violentè volentes illa exſcindere, inveniamur potiùs animos exacerbare, & in malo obfirmare. Sunt enim quædam vitia quæ potius lentè ſunt diſſuenda, quàm impetu diſcindenda: & animi quorumdam priùs ſunt artificio pietatis tentandi, quàm acerbæ ſive acris correptionis ſtimulo pudere turbulento inutiliter fuffundendi. Et ut quodamloco dicit Gelaſius Papa: *Non omnes ſimul curat medicina languores; ſed quos perculſi ſibi conſpicit inminere: ne aut materiam corporis non ſufficiat medicina, aut pro conditione mortali ſimul omnia non poſſit avertere.* Unde diverſa curoxia, diverſo ſubtiatis ſunt tempore. Eam ob cauſam, cùm S. Gregorius Auguſtinum Monachum ſanctitate & doctrina clarum ad Britanniam miſiſſet, ut inſulam illam Chriſtiana fide imbueret; cum id feliciter peractum fuiſſet, & nihilominus quædam nequitiæ veteris nequitiæ & gentilitii in populis illis noviter Chriſto adjunctis permanere Auguſtinus animadvertiſſet, conſulendum exiſtimavit ea de re Gregorium Pontificem. Rescripſit Gregorius ut quædam adhuc Britanno rum imbecillitati permitteret, hanc rationem addens: *Quia ſancta Eccleſia quædam per ſeverum corrigit, quædam per manſuetudinem tolerat, quædam per conſiderationem diſſimulat atque portat; ut ſæpè malum quod averſatur, portando & diſſimulando compeſcat.* Hoc etiam intellexere, & praxi ſuanos docuere Viri ſancti, animabus converſendis à Deo deſtinati.

Gelaſius Papa.

S. Greg. Epiſt. ad Auguſt. Monach.

S. Xaverius inter præcepta quæ ſuis præſcribebat ad animarum converſionem efficacia, monebat ut Chriſtianos magis humiliatus, quàm poteſtatis

Humilitas S. Xaverij.

Digitized by Google

& amor efficacia ad animarum conversionem

Turſell. in vita S. Xaverii l. 2, c. 17.

teſtatis memores, paternum in omnes imperium exercerent; amorem ſibi conciliando, potius quam timorem. Quia nulla re magis quam amor in omnes partes humanus animus flecti poteſt. Hinc teſte Turſellino, quo-rundam animos adeò perditos, ut nec ſcelera ſentirent, nec remedia ferrent, hac arte adjuvit. Comiter primò conſueverat ſe in illorum familiaritatem inſinuare, in peccatis connivere, medendi voluntatem diſſimulans: inde uſu & comitate devinctis animis, ſenſim ad inveterati morbi curationem ſibi viam faciebat, modò divinis legibus propoſitis flagitia oſtendens, modò intentatis variis humanæ vitæ caſibus Dei terrorem incutiens. Sic mentibus præparatis manum admovebat, avaritiam reſecans, illecebras, removens abeis & recrudeſcentia conſcientiæ vulnera divinæ miſericordiæ oleo delinien-s. Audi in particulari. Sceleſtum militem qui jam duodevigeſimum annum ſacra confeſſione abſtinuerat ſocium navigationis habere voluit; com-ta-e in eum utens maxima, etiam ludendi aſſidebar, omnibuſque obſequiis demerebatur, ut illum ad confeſſionem indu-ceret, & in viam ſalutis revocaret. Quod accidit. Militem confeſſione peracta, ſemel Pater & Ave orare juſſit pollicitus ſe pro illo Deo ſatis facturum, & ita aculeato flagello Vir ſanctus ſe pro illo uſque ad ſang-inem verberavit. Quare ita mollitus flexuſque militis animus eſt, ut ſtudium pœnitentiæ amplexús, voluntariis ſe pœnis addiceret, ad eluendas anteactæ vitæ ſordes.

LECTIO VI.

DE FLORE SEXTO, QUI EST ARDENS zelus ad reducendos eos qui in peccatis agunt.

VI Flos, Converſio peccatorũ

DE hac re ſic monet Regula: *Perſonæ quas ſcieverint in ſtatu peccati mortalis agere, quantum in eis eſt, perſe & alios conentur educere, hortando, increpando, monendo obſecrando.*

Sacerdotes & paſtores ſunt velut Angeli Cuſtodes erga populum, ideoque hortando, increpando, oblectando docendo, debent eos in viam ſalutis dirigere, & è via peccati educere. Sicut Angeli Loth & familiam ejus è Sodoma eduxerunt, ne incendio involverentur: Similiter debent & ipſi manum apprehendere illorum, qui perditionis iter ſectantur, aut peccatis involuti jacent. Debent opportunè, importunè eos è periculo eruere, ac velut cõpellere, ut è Sodoma, è ſtatu peccati egrediantur. Convenit ergo illis cum Chryſoſt. dicere: *Sum Communis Pater eſque neceſſe eſt curam agere non tantum eorum qui ſtant, ſed eorum quoque qui collapſi ſunt: non eorum modo qui ſecundis navigant ventis ſed & illorum qui tempeſtate jactantur: non eorum modo, qui ſunt, ſed & illorum qui periclitantur. Vnde & eos qui jam demergi coperant, in portum tranquillum portectis manu deducere ſtudeo.* Quantâ autem ſollicitudine id ageret Chryſoſtomus, patet ex his, quæ habet ipſe in acta Apoſtolorum, ubi inter alia ſic dicit: *Nonne per tres dies, fatre etiam per ſeptem exhortamur? Quid amplius aſſequimur, quam quòd reprehendimus, increpamus, lacrymas fundimus, dolemus, & ſi non foris, ſed in corde? Niſi quis judicaret me ſupra modum honoris cupidum, vidiſſetis quotidie me ſentes lacrymarum emittere, quarum conſcia ſunt domeſticum & ſolitudo. Credite enim mihi de ſalute quidem mea deſperavi, hoc eſt, curam mei prætermiſi, & res veſtras deploravi. Non vacat mea mala deplorare, adeò totus deditus ſum vobis. Et ſi ſenſu vos obtemperantes, pra gaudio non ſentio mala mea. Si video vos minus obtemperantes, pra dolore iterum in-ermitto mala mea.* Idem Chryſoſtomus ſic iterum ſuos alloquitur: *vellem, ſi fieri poſſet, vos ſtriæ oculo oſtendere, quam in vobis hoc charitatem. Nihil eſt enim mihi vobis jucundius, & deſiderabilius, nec hac ipſa quidem lux. Millies enim optarem ipſe eſſe cæcus, ſi per hoc liceret veſtras animas convertere, adeò ipſa luce eſt mihi veſtra ſalus jucundior. Quid enim me juvant ſolares radii, quando qua propter vos accipitur animi agritudo, oculis meis magnas effundit tenebras? Lux enim tunc eſt bona, quando apparet in lætitia.* Et paulò poſt: *Implete gaudium meum, licet vobis ſalutem aſſequi, me autem propter vos reddere rationem: vobis dari ſalutem, me verò accuſari, quòd meum munus non impleverim. Non enim curo, ut per me ſalvi ſitis, ſed ut ſalvi ſitis quacunque ratione.*

Idem hom. 44. in Acta Apoſt.

Sic imaginem veri Patris ac Paſtoris in ſeipſo exhibet S. Chryſ. quam meritò debent Paſtores alii attentius inſpicere & imitari, ut erga peccatores magno amore & compaſſione, magnâque ſollicitudine ad eorum converſionem afficiantur. Undè iterum eos inſtruens, ſic alibi dicit: *Vis fratrem corrigere? Lacrymare, ora Deum ex corde, apprehenſum admone, conſule, exhortare. Sic Paulus faciebat. Demonſtra charitatem erga peccatorem, perſuade ipſi quod conſulans & juvans, non verò pervulgare volens, ipſum peccati commoneſacis. Comprehende pedes, oſculari ne erubeſcas, ſi modò mederi vis. Hæc & Medici faciunt, ſæpe difficiles ægros habentes, deoſculantes & rogantes perſuadent ſumere medicinam.*

Idem hom. 3. ad popul.

Itaque omnis occaſio arripienda eſt, omnis modus tentandus, ut reducatur frater errans omni charitatis benignitate, vel etiam judicij divini propoſito terrore, à ſuo revocandus eſt errore: attendendumque eſt illud Jacobi: *Fratres mei, ſi quis ex vobis erraverit à veritate, & converterit quis eum: ſcire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Idcò Sancti nullum prætermiſêre laborem, quo vel unam animam converterent.

Jac. 5. 19.

S. Chryſ. hom. ad pop.

EXEM-

Digitized by Google

EXEMPLA SANCTORUM.

Abrahæm Eremita convertit Neptem ſuam.

QUID non fecit Abraham Eremita, ut neptem ſuam Mariam à turpi vita ad caſtitatem & pœnitentiam reduceret? Mutavit habitum, ingreſſus eſt tanquam miles hoſpitium, incognitus petiit ejus alloquium, quaſi rem nefariam cum ea commiſſurus. Ac tandem ſe redegens, pro ejus anima ſpopondit, peccatis ipſius ſeſe onerare paratus fuit, ſi modò reverteretur; ſicque ovē perditam humeris reportavit.

S. Joan. Evang. reduxit prædonum Ducem.

Quid non egit S. Joannes Evangeliſta, ut adoleſcentem quem cuidam Epiſcopo commendarat, jam prædonum Ducem factum requireret, & reduceret? Senex planè inter arma Sicariorum, per montes & ſylvas inter lupos, ovem perditam requiſivit, & reduxit.

Vitalis Monachus lupanaria adit ut animæ lucretur.

Quid non Vitalis Monachus? Adibat ipſe proſtibula & lupanaria, & pretium offerebat, ut ſaltem vel hoc obtineret ab aliqua, ut vel una nocte abſtineret ab impudicitia. Ipſe verò in angulo procumbens & orans, pervigilabat, donec dies illuceſceret. Et ita multæ ob id ab eo converſæ, ut tam correxerunt; ipſe verò licet homines perverſum de ea re judicium formarent, eo quod circa lupanaria frequens eſſet, patienter tolerabat quia plus utilitatis ex correctione alieni delicti percipiebat, quàm ex ſua infamia damni.

Pafnutius Thaidem meretricem convertit.

Quid non fecit Pafnutius Abbas, ut Thaidem meretricem ad bonam mentem & frugem reduceret? Infamem etiam locum ipſe eſt ingreſſus, ut eam alloquendi & arguendi occaſionem nancisceretur. Quam tandem ex ſumma peccatrice, maximam pœnitentem effecit.

Serapion Abbas.

Quid non agebat Serapion Abbas, ut infideles converteret? Venundabat ſe in ſervum ut ſaltem ſi Dominus privatim colloquendi poteſtatem haberet, ſicque eos inſtruebat & convertebat.

S. Dominicus.

Quid non S. Dominicus? Hic in pane & aqua quadrageſimam agere voluit, ſuper nuda humo decumbere, ut quasdam domus pellices in qua degebat ad pœnitentiam adduceret.

S. Ignat.

Quid non S. Ignatius? Hic Pariſijs agens, cùm ſciret quemdam extra oppidum frequenter ire, ad turpitudinem voluptuariam, in lacum frigidiſſimum viæ adjacentem ſeſe conjecit, corporeque immerſo, capite tantum extante, ad illum jam appropinquantem clamabat: *Perge miſer ad tuas fœdas voluptates, hic ego pro te tamdiu me macerabo, donec juſtum Dei furorem in te jam paratum avertam.* Sic hominem illum lucratus eſt.

Sciebant nimirum omnes hi, quantum vel peccatum unum Deo diſpliceat, quantum vel anima una coram Deo exiſtimetur: & hoc magno lucro ducebant, vel unicam ſecum ad Deum evehere, ideoque nullum laborem detrectabant. Et certè non inutiliter operam locarit, qui vel unam animam lucratus fuerit. S. Jacobus licet Apoſtolus à Chriſto miſſus, octo tantum animas in Hiſpanijs convertiſſe legitur. An tamen parvum illud lucrum? Abſit. Nam hi quidem octo ſemen fuerunt electum, per quod amplior poſtea ſeges excrevit. Et ſi Noë non in utiliter operam impendit, per centum annos aream fabricando ad octo animas ſalvandas, quia hæ cæteris ſemen exhibere debebant: Sic nec S. Jacobus, nec alij quilibet, qui paucos convertunt; nam & hi converſi cæteris exemplo eſſe poſſunt ad converſionem.

LECTIO VII.

DE FLORE SEPTIMO; QUI EST ORATIO *zeloſa pro peccatoribus*

VII Flos, Oratio pro peccatoribus.

DE hac re ſic regula: *Illas animas peccati mortalis vinculis conſtrictas, in precibus ac Sacrificijs ſuis ſpecialiter Deo commendent, ut à morte peccati eas infeſtare dignetur.*

Licet pro omnibus fieri debeat obſecratio & poſtulatio; pro illis tamen maximè, qui in ſtatu pernicioſo peccati hærere dignoſcuntur. Nam & ſecreta Dei ordinatio, ſublimi ſuo conſilio, ſæpè diſpoſuit per orationem unius, alterius converſionem operari. Sic prædeſtinarat per orationem Stephani ſalutem Pauli adhuc perſecutoris: per orationem B. Monicæ, ſalutem Auguſtini. Et certum eſt, frequenter ob preces piorum fuſas pro illis qui in peccato exiſtunt, plures è peccatis reduci, & ad gratiam vocari. Ob eam cauſam S. Dominicus ſingulis noctibus acerrimè tertiò ſe flagellabat. 1. Quidem ob peccata propria. 2. pro animabus in peccato mortali exiſtentibus, ut Deus eas dignaretur benigno ſuo vultu illuſtrare & educere: 3. pro animabus in Purgatorio detentis, ut eis cederet id in ſatisfactionem. Optima etiam hujus rei praxis eſt in Cœnobijs S. Franciſci in Hiſpania; nam hora nona veſpertina dum decumbunt Fratres, unus ex eis ſingulorum ſolet circuire cellas, & oſtium pulſando inclamare, ut recitent unum PATER NOSTER, pro animabus in peccato mortali agentibus.

Cùm verò omnis oratio noſtra ad impetrandam peccantium converſionem valeat, maximè tamen efficax eſt illa quæ in Sacrificio fit, conjuncta cum Sanguine Chriſti. Hic melius loquitur quàm ſanguis Abel, quandoquidem ille de terra clamans, è Cœlo advocabat vindictam: hic verò invocet miſericordiam: *Sanguis enim Jeſu Chriſti qui per Spiritum S. obtulit ſemetipſum, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo viventi.* Itaque Sacerdotes & Paſtores toto compaſſionis affectu eorum in Sacrificio memoriam debent habere, quos gravioribus peccatis ſciunt in pernicium ſuam inhærere; ut ſolicem Deus det illis è peccato exitum, nec æternum quantocius ſortiantur exitum. Hæc ergo ſollicitudinis Paſtoralis non minima pars eſſe debet, pio ſubditis percuntibus, pro ovibus errantibus: quas ſi voca

Heb. 9. 14.

si voce monitionis reducere nequimus, voce orationis conjuncta cum sanguine primi Pastoris, in Sacrificio id impetremus.

De S. Ivone. S. Ivo Presbyter, tum miraculis, tum pietate clarus, dolens quendam cum propria matre non levi odio dissidere, conabatur omni ratione reconciliationem inter ipsos inire. Cùm vero nihil proficeret, nullum ad eam rem efficacius remedium se posse adhibere ratus est, quàm pro illis Sacrificium Missæ intima charitate offerre. Perfecit id ipsum, & exinde nemine jam sollicitante, solo divino instinctu, ita animis resipuere, ut ille se filium obedientem exhiberet, illa matrem amantem.

LECTIO VIII.

DE OCTAVO FLORE, QUI EST *Castitatis odoriferum Exemplum.*

VII Flos Castitat. DE hac re sic monet Regula: *Sint omnibus tale castitatis exemplum, ut & ipsi & familia eorum ab omni fit vel suspicione libera.*

Damon omni hominum conditioni insidias parat, attamen majoris sibi ducit victoriæ & honori, dum
Luc. 22. 31 personas Deo sacratas in peccata præcipitare valet. Propterea cum Judam Apostolum proditione & desperatione illaqueasset, expetivit & alios Apostolos cribrare, & suæ potestati subjicere, tanquà tritieum electum, *Cibus ejus electus*, inquit Prophera. Cibus
Amos. 1. 16. quo ab initio vescitur est peccatum, crescit autem peccatum ex dignitate peccantium, quando ingrati sunt post consecrationem, crescit in te injuria Dei, crescit Ecclesiæ damnum, crescit plebis scandalum, & hæ sunt deliciæ satanæ, hoc ejus gaudium. Maximè autem tentat personas Deo sacras de vitiis castitati adversis, quia illud vitium in ipsis fœtidius est, gravius & majoris scandali. Itaque specialiter monentur Sacerdotes huic rei sedulò advigilare, quia in illis Christus adamat castitatem, cujus illos vult reminiscei per illam candidam vestem quam palam gestant, aliorum oculis ostentant; ut nunquam obliviscantur castimoniæ & puritatis, cùm in operibus, tum in animo, & omni conversatione circumferendæ. Gerant semper coram Domino Ephod lineum cum
3. Greg. in 1. Reg. 2 v. 18. Samuele, quod Castitatis erat symbolum. *Quod* inquit D. Greg. *in Ephod lines, nisi continentia candor ostenditur. Quod Ephod accingimur, cum ad pudorem pudicitiæ omni ex parte retinemur: cum anima & carnis nulla pars à districtionis lege absolvitur, per quam ad luxuriæ caliginem defluamus. Talis itaque minister in conspectu Domini est, qui de omnipotentia Dei spe vana visione non fallitur cui cum tanto accinctionis mitere famulatur.*

Ut vero constet, quantum Deus castitatem coli voluerit à suis ministris, animadversione dignum est, à te electos Apostolos adhuc permansisse in aliqua labi peccata, puta in superbiam & ambitionem, in vindictam & iram, in abnegationem sui & desertionem, & in avaritiam & murmurationem; nulla tamen voluisse eos notari luxuriæ macula, utpotè statui Ecclesiastico nimis fœda, ab illoque planè eliminanda. Certè nihil ita detestari debent qui Deo sunt consecrati, quia hominem maximè reddit indignum præsentiâ Dei, ejusque luminis & gratiæ influxu. Quâdoquidè igitur sacerdotes Purissimi Jesu Christi Corpus ore cõficere, manibus contrectare & corde sumere debeant, quid magis curæ eis esse debet quam puritatem cordis & corporis conservare? Alioqui si impuri sunt & impudici, injuriosi orationi & consecrationi suæ puritatique carnis Deificæ, quæ proximè dimanant à divina & essentiali puritate, nec non Spiritus S. castitatis omnis auctoris & amatoris. Odit ergo maximè Christus spurcitiæ carnalem, in ministris sibi specialiter unctis. Odit Pater in filiis suis primogenitis, quos unigenito sicut in potestate, sic & in puritate vult assimilari. Odit Spiritus S. in his quos specialiter sanctavit & unxit ut sanctificationi deservirent. Odit Ecclesia in suis mystagogis & mysteriorum Dei dispensatoribus, quos decet similes esse filio hominis, hoc est, præcinctos zona aurea ad renes & mamillas, ut describitur in Apoc Castitatis re- Apoc. 15. 6
tè zona dicitur, quia carnis lasciviam, libidinis ardorem, concupiscentiæ stimulum comprimit: & quia sub jugo spiritus sensus omnes & cogitationes ac defluentia desideria ordinat & constringit.

ADJUMENTA CASTITATIS.

Castitatis adjumenta.

CÆterum, ad tuendam castitatem opus est vigili cura, opus studio diligenti ad coeperandũ gratiæ Dei, quæ nulli deest nisi eam repudianti.

Primo igitur, opus est carnem domare ottumque fugere. Et certe nihil mirum si quibusdam difficilior videatur, qui nihil adversus carnem volunt pugnare, sed potius fomitem illi suggerere. Sic enim vivunt aliqui, ut dæmonem arment, & carnem adversus castitatem, dum omnem refugiunt austeritatem, omnem fœtantur corporis mollitiem & blandam commoditatem. Hos alloquitur Origenes: *Nescitis quia si carnem solum nutritis, & deliciarum luxui foveatis, insolescet adversus spiritum forsitan ille, quod si fiat sine dubio eum in suam ditionem redactum jure cogit legibus ac vitiis obedire. Nutrimenta igitur spiritus sunt divina lectio, orationes assiduæ, sermo doctrinæ; his alitur cibis hic, convalescit his victor efficitur. Quod quia non facitis, nolite conqueri de infirmitate carnis, nolite dicere, Volumus, sed non possumus. Tu das stimulos carni tuæ, tu eam adversus spiritum armas, & potentem facis, dum carnibus saturas, dum vino nimio inundas, dum omni mollitie palpas, & ad illecebras nutris.* Hæc ille. Origen. hom. 9 in Lev.

In eas,

Digitized by Google

S. Carol. epist ad Battoreum Card.

In eandem sententiam scribit S. Borromæus ad Andream Battoreum Cardinalem, ubi cùm dixisset statum Cardinalium exigere castitatem singularem, adjungit: *Quam nunquam assequeris, nisi te carnis macerationo affligaveris, sanctus omnes compresseris, etiam ut pœnè fugeris. Deniq; nisi in hujus divini doni pul. herrimi conservationem, quod illi tibi custodiendum dedit, omnes animi ac mentis tuæ vires intendas. Mirum est enim quam facilè ab eis perdatur, qui ejus conservationem non invigilant. Nec aliam ob causam S. Paulus Timotheum quem ab infantia educaverat, sacrasq; litteras edocuerat, qui corpore erat imbecillo & infirmo, qui jejuniis & aquæ potu carnis petulantiam frenarat, tam sæpè monet, ut seipsum castum custodiat.* Hæc S. Carolus

2 *Resistere initiis tentationum.*

Secundò, oportet diligentes resistere initiis tentationis, aut malignæ suggestionis? ut sic nequitia dæmonis suffocetur in semine; ut conteratur caput serpentis in cor nostrum illabi cupientis; ut consopiatur scint illa ignis infernalis, ne in ardam palam nostræ carnis injecta, suscitet incendium. Similiter omnia verba & colloquia quæ aliquam turpitudinis speciem præ se ferunt, magna circumspectione sunt vitanda. Hæc quandoque parum æstimantur a Sacerdotibus puta in consortiis hominum impudice loquentium demorari, & cum illis risum miscere: vel eam cum diverso sexu nugari, redire blandiri. Atque inter hæc, putent se cor mundum posse conservare, quo tamen nihil facilius inficitur, vel verbo, vel cogitatione. Est enim cogitatio immunda, vel verbum dissolutum, instar guttæ olei, quæ in vestem aliquam cadens, statim se dilatat & diffundit.

Sophron. in prato sp. c. 194.

Audi præclarum exemplum hanc rem concernens ex Sophronio.

Quidam ex antiquis Patribus venerat è solitudine Alexandriam, ut manuum suarum opus venderet. Advertit verò juvenculum Monachum publicam ingredientem tabernam; & ob eam rem non parum indignatus, zeloque accensus, quærebat foris occasionem eum alloquendi. Illum igitur egredientem manu à plebe in locum secretiorem ducens, sic affatus est: *Nescis, Frater, quod Angelicum gestas habitum? Ignoras te juvenem esse? An te latet hostem nobis semper vetus tendere? Interim tu tabernas ingredi audes, ubi multa audis, quæ nec decet audire: multa cernis, quæ nec cernere licet, sedesque ibi inter viros ac mulieres. Obsecro te in Christo, mi frater, desina hùc in locis commorari, sed redi ad locum tuum, ad cellam pœnitentiæ, ubi possis salvare animam.* Indignatus juvenis ille, respondit: *Vade senex in viam tuam, Deus non quærit nisi cor mundum & purum.* Tunc in cœlum manus tollens senex, inclamavit: *O Domine Deus, laus tibi sit, & gloria, ecce quinquaginta annis in solitudine dego, & cor mundum non habeo, hic verò juvenis in loco dissolutis frequenter agens, cor purum & mundum illibatè conservat.* Ita senex efficaciter his verbis perstringens omnes qui nihil sibi cavèntes à consortiis dissolutorum hominum, putant interim cordis puritati hoc parum officere.

Illud verò maximè concernit Sacerdotes, qui debent esse petra salis in populis, quorum sermo debet esse in gratia sale conditus, ut ex eorum verbis & sermonibus etiam privatis, audientes æternæ vitæ saporem concipiant, & ab insipidis turpiloquiis deterreantur. Ob quam putas causam in consecratione Sacerdotis extremum auriculæ ejus sanguine victimæ tingebatur? Typus utique erat Sanguinis Christi, quo empti sumus & sanctificati, ideoque glorificare debemus eum in corpore nostro, & omnibus membris ejus: & ita monetur per id Sacerdos, aurem non debere aperire ad sæculi nugas, levitates, & turpiloquia, sed ad audiendum verbum Dei, ad audiendum quid loquatur in se Dominus. Audi hac de re ultionem memorabilem. Lev. 8.

De S. Walericus quodam hyberno die suum repetebat Monasterium: at propter frigoris acerbitatem, coactus fuit divertere ad cujusdam Sacerdotis ædes. Aderat huic Sacerdoti illius loci Prætor, & cùm ignem circumsederent, nihil Viri Sancti præsentiam reverriti, turpiloquia cum risu miscebant, ille verò cum modestia cæpit eos arguere, addens quod si de verbo otioso rationem reddere oporteat, quantò magis de turpi sermone. At illi nihil monitis deferentes, pergebant impudicis verbis connugari. Quid ageret Vir Dei? Ob frigus, inquit, ad vas diverteram, sed oris vestri me ejicit turpitudo. Sicque excutiens pulverem, discessit. Subito autem ulciscens Deus, Sacerdotem oculorum lumine orbum reddidit: Prætoris autem consodalis genitalia putredine correpta sunt, & non multò post expiravit. Surius 1. Aprilis. Walerico Sur. 1. April.

3. *Mulierum consortium & cohabitatio vitanda.*

Tertiò vitanda maximè mulierum consortia, & cohabitationes periculosæ. Hujus rei hic specialiter monemur, quia non pauci in hunc lapidem impegere, & alios naufragium fecere. Viri enim & mulieres consortium velut fomitis & stupæ conjunctio est, ita ut cùm lateat ignis, facilè accendatur illo flante, *Cujus halitus prunas ardere facit*; hoc est, satanæ suggestiones immittente. De hac re frequentia sunt Sanctorum Patrum monita; sed sufficiant modò trium consonantes voces, non parum efficaces. Job. 41. 12

S. Hieron. ep. ad Nepotianum

S. Hieronymus sic loquitur. *Hospitium tuum aut rarò aut nunquam mulierum pedes terant. Omnes aut pusillæ ac virgines Christi aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne sub eodem tecto manseris, nec in præterita castitate confidas. Nec Davide sanctior, nec Samsone fortior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper quod Paradisi colonum mulier è possessione sua ejecerit.* Hæc ille, instituens Nepotianum, ubi & plura in eandem sententiam subjicit.

S. Cyprianus præclara hac de re præscribit in libro de singularitate Clericorum, aut quisquis

S. Cypr. de ſing. Cleric. Bronto. 2. probat eſſe geminum Cypriani partum. S. Bern. ſerm. 64. in Cant.

auctor libri illius eſt, dignus ſanè, qui attentè perlegatur. Inter cætera ſic ait. *Quid illic geritur, ubi libertatis fumis mulier in contubernalitate conſtituta? Quando in domeſticis negotiis nunc lacertos & femora laniſicis operibus nudat, nunc aſtuans detegit membra, nunc fatigata jactatur, aut in uſum aliquando diſſolvitur, nunc blanditias exhibet, & quod vehementius eſt, pſallere delectatur, cujus cantus tolerabilius eſt audire baſiliſcum ſibilantem.*

S. Bernardus eodem modo concludit. *Cum fœmina ſemper eſſe, & fœminam non cognoſcere, nonne plus eſt, quam mortuum ſuſcitare? Quod minus eſt non potes, quod majus eſt vis credam tibi? Quotidiè latus tuum ad latus juvencula eſt in menſa, lectus tuus ad lectum ejus in camera, oculi tui ad illius oculos in colloquio, manus tua ad manus ipſius in opere, & continens vir putaris? Eſto ut ſis, ſed ego ſuſpitionem non caveo. Scandalo mihi es, tolle ſcandali cauſam. Si non vis ſcandalizare Eccleſiam, ejice fœminam.* Hæc Bernardus.

DeS Aug. in ejus vita Poſſid. c. 26. & 27.

S. Auguſtinus ita hujus rei obſervator fuit, ut intra domum ejus nulla unquam fœminarum fuerit converſata ne quidem germana ſoror, nec fratris ſui filiæ. Interrogatus cur illarum familiaritatem vitaret, reſpondit: *Quia licet de ſorore aut nepte non ſit ſuſpicio, tamen illa quæ ad eas ventitant, ſuſpicionem poſſunt movere, & inde infirmioribus ſcandalum naſci.*

Cantip. l. 3. Apum. c. 20.

Ut verò firmius hæc Patrum monita Sacerdotum menti inhæreant, & eos omni tempore providos reddant ne fœminea converſatione inficiantur: Operæ pretium eſt hic illis in memoriam reducere exemplum quod refert Thomas Cantiprato. Accidit, inquit ipſe, moderno tempore propè Cameracenſem Diœceſim, quod quidam à puericia celebs & caſtus, poſt longum Theologiæ ſtudium Canonicatum ſit adeptus; ſed animarum zelo prabendam cum Parochiali commutavit: In qua cùm per ſeptennium fructuosè verbo & exemplo laborasſet, accidit ut virgo ſexagenaria crinium Sacerdotis lavare ſolita, ſola ſine teſte conclave ejus ingrederetur. Ad tam nefandum verò infortunium res devenit, ut uterque ſervato diu caſtitatis lilio privarentur. Ex qua re mulier ita doluit, ut amoro nimiùm planctu mortem ſibi acceleraret: Sacerdos verò in luxuria vilis diu perſeveravit. Hæc ille. Quid mirum? Quantò locus altior, tantò caſus gravior; & ſicut Angelorum, ſic & Sacerdotum quandoque caſus irreparabilis eſt. Et certè ſi fodere liceret parietem cum Propheta, & intra penetralia domuum aſpectum inferre, non paucos ſimiles caſus liceret agnoſcere, non parum abominationis in Eccleſiaſticorum domibus eſſet reperire; idque quia ſibi præſidentes incauta ſunt ſeducti converſatione. Nempè verum eſt illud cujuſdam ſenis, juvenem Religioſum inſtruentis: *Chariſſime, attende, quia ſal ex aquo eſt, & ſi appropinquat aqua, continuò ſolvitur & deficit. Et Monachus ſimiliter ex muliere eſt, & ſi appropinquat muliari, ſolvitur & ipſe.* Ita ille perscutè. Unde nemo præſumat, nemo nimiùm ſibi fidat, etiam de præterita caſtitate, nam duo lapides frigidi ſi confricentur, ignem excutiunt. Sic vir & mulier familiariter nimiùm cohabitantes, licet caſti videantur frigidi, ignem tamen concupiſcentiæ facilè poſſunt excutere. Proinde merito dixit S. Cyprianus: *De carbonibus ſcintilla diſſiliunt, de ferro rubigo nutritur de veſtimentis procedit tinea, de muliere peccati aculeus, ſibilus concupiſcentiæ, fomes peſtilentiæ.* Quod ſi quis de hac re certior fieri velit, audiat Auguſtinum ſic omnes cerrentem. *Experto crede, quam Deo non mentior, Cedros Libani, Duces gregum ſub hac peſte cecidiſſe reperi; de quorum caſu non magis ſuſpicabar, quam Hieronymi aut Ambroſii.* O quanta igitur videbimus, & admirabimur, in illa die in qua revelabuntur abſcondita tenebrarum.

S. Cypr. lib. de ſingul Cleric.

Auguſt. dies illum notabile.

DE FUGA NOXIÆ FAMILIARITATIS.

Familiaritas noxia fugienda.

EX his igitur monentur etiam Sacerdotes, non nimiùm inire familiaritatem cum Virginibus, ſub titulo ſpiritualis inſtructionis. De qua re præclara monita dat S. Leander Epiſcopus Hiſpalenſis in quadam Inſtitutione ad Virgines, ubi inter cætera cap. 2. ſic præcipit: *Quicquid vir, ſi Sanctus eſt, nullam tecum quæras familiaritatem: ne videndo jungatur, aut infametur utriuſque ſanctitas, aut pereat. Decidet enim à charitate Dei, qua perpetrandi mali operis occaſionem præbuerit. Decidet à charitate proximi, qua etſi male non agit, opinionem tamen peſſimam famæ nutrit. Diſpar enim ſexus in unum locatus, ea titillatur inſtinctu, qua naſcitur; & naturalis movetur flamma, ſi incompoſita attigerit. Quis colligabit ignem in ſinu, & non comburetur? Ignis & ſtupa ſibi utraque contraria, in unum redacta flammæ nutriunt: Viri ſexus & fœmina diverſus ſi conjungitur, quo lex natura provocat, commovetur.* Hæc ille.

Monita S. Leandri Ep.

Exemplum huic propoſito congruum habemus in vita S. Mariæ Ogniacæ. Cùm quidam illi familiaris, ex ſpiritualis affectus exceſſu manum ejus aliquandoſtringeret, ſenſit aliquid in ſe motus, licet animo eſſet callo. Cùm verò illa hoc ignoraret, audivit tamen vocem ab excelſo: NOLI ME TANGERE. Et cùm non intelligeret ſignificationem, inquirebat ab illo, quid hoc ſibi vellet: at ipſe diſſimulans, & diligentiùs ſibi in poſterum cavens, gratiasque Dominoagens de ea monitione, receſſit. Conſule quæ de S. Arſenio & de B. Urſino Presbytero dixi, Lectione ult. ſup. Decalog.

In vita M. Ogniacæ Sur.

Propterea etiam S. Gertrudis, in verbis maximè cavebat, ne cujuſcumque hominis cor ſibi attraheret, aut ne in ejus ſe amicitiam inſinuaret, ne ſimili occaſione à Deo retraheretur. Omnem enim amicitiam cujus advertere poterat cauſam, fundamentumque non eſſe Deum, ut virus lethale horrebat. Unde pro Dei ita zelabatur amore, ut

Sophr. in prato ſpir. & l. 10. vitæ PP. c. 217.

De S. Gertrude l. 2. Inſin. c. 3.

§

ut ne verbum quidem unum tolerare posset, quod humanum vel sensualem amorem redoleret. Undè licet alicujus maximè egu isset obsequijs, vel beneficijs; malebat tamen carere illis, quàm permittere ut humano secum favore coralicujus foret occupatum. Ita libro 1. Insinuat. cap. 7.

Joseph à Costa & Delrio.

Audi & exemplum mirabile, quod refert Joseph à Costa lib. 2. c. 11. de novissimis temporibus, & Delrio l. 4. c. 2. de Magia. Doctus quidam Theologiæ Professor, magni æstimatus, mulierculæ Patrem spiritualem agebat, & illius familiaritate deceptus, credidit eam (ut eadem jactabat) ingentia mysteria ab Angelo edoceri, se illi discipulum exhibuit pravâ mentis cæcitate, & inde in multas incidit hæreses. Credidit enim se Regem & Pontificem esse. Angelis & Apostolis sanctiorem se dixit, se oblatam sibi unionem hypostaticàm recusâsse, & se quoad efficaciam (ut ajebat) orbis Redemptorem. Nullis disputationibus Theologorum ad mentem potuit reduci. Undè tandem judicis sententia igni traditus est.

CONCLUSIO AD CHRISTUM

Concludo igitur, & cùm nemo possit esse continens nisi Deus det, ad ipsum intimo cordis mei vultum converto, & pro omnibus Sacerdotibus deprecans, inclamo: O IESV, Sacerdotum primum & purissimum exemplar, totius auctor puritatis & castitatis; illius zelum, amorem, sollicitam curam imprime cordibus eorum. Quandoquidem ipsis opus sit quotidie corpus tuum virginum tractare, & vinum germinans virgines conficere ac fumare. Hanc iis gratiam impetra, ut sinceræ interim castitatem hanc adeo non offuscatam adement & celent, ac bonum illius odorem exterius effundant. Fac ut in omni opere, verbo, cogitatione, conversatione, meminerint se sanctos & consecratos Deo, tam animo, tam carne, ut sanctificent Christum in corde suo, & Deum glorificent in corpore suo, tanquam qui Sancta Sanctorum digni sint intra se quotidie recipere. Ita Domine Iesu, Tu qui omnes mundities auctor omnia munda & virginea elegisti, mundam & virgineam Matrem, & Nutricium, mundum Præcursorem, ac dilectum discipulum virginem, munda & nova sindone involvi voluisti, mundo in tumulo, in quo nemo antea, deponi; qui ab hu, qui mundo sunt sordi, ut videri, ab hu, qui mundo sunt corpore, possideri: da ut Ministri tui omnem fugiant carnis, animique immunditiam, nec diffluant desiderijs, nec lenocinante voluptate corrumpantur; sed sint tanquam apes castitatem corporis præferentes, suave mel in cogitationibus & delectationibus sanctis conficientes, cibum vitæ puritatis cum puritate exhibentes, & eulogiæ impuros exercentes. Sint puri ad sanctificationem, sint suaves ad refectionem, sint severi ad percutiendum ultionem. Sic sanctam te sequi possint, tanquam examina apum suum Regem, tanquam inferiores ministri Summum Sacerdotem in Sancta Sanctorum ingredientem, & tanquam pedisequi Te Agnum comitentur quocunque ierit, ut cantent canticum novum cum illis, qui empti sunt de terra; nec cum mulieribus sint coinquinati.

LECTIO IX.

DE FLORE NONO, QUI EST CONTEMPTUS opum & fuga avaritiæ.

IX Flos. Vitium fuga.

DE hac re sic regula: *Avaritia quæque notam, tanquam flatus Ecclesiastice noxiam & sordidam maculam inurentem, quantum possint fugiant, nec inesse cupidi habeantur.*

Avaritia & cupiditas pestis est exitialis, quam summopere fugere tenentur Ecclesiastici, memores prælati moniti, quod Apostolus suo præscribit Timotheo. Nam in ipso erudire cupit cæteros Ecclesiæ ministros, & ab hac pestilenti ægritudine animi eos deterrere. 1. Tim. 6. 5

1. Tim. 6.

Primo igitur de quibusdam dicit: *Quæstum æstimant pietatem.* At ipse hos corrigens, subjungit: *Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia.* Qui sunt qui existimant quæstum pietatem? Nonne illi qui ad sacerdotia & beneficia adspirant, ut opes adaugeant, & temporalia congerant? Sed plane præposterè se gerunt, quia cùm cœlestibus incumbendum illis foret, toto mentis annisu temporalibus lucris potissimum intendunt; & sic quæ ad pietatem ordinata sunt, ad quæstum ipsi ordinant. Hi porro scire debent quæstum magnum esse pietatem, si cum sufficientia sit conjuncta, hoc est, si infideat animo illius, cui exigua & pauca sufficiunt, eo quod suâ vivat sorte contentus aspernans temporalia, illis non nisi ad sufficientiam & necessitatem utens, nec multa animo inquieto vel corradens, vel exoptans. Intali nimirum parit pietas quæstum magnum, lucrum eximium: opes scilicet cœlestes, mentem pacatam & cœlebem, animum sublimioribus intentum in cœlo thesaurizantem. Nec lucrum aliquod majus, nec quæstus amplior esse potest, quam talis pietas conjuncta cum sufficientia & animi quiete, caduca hæc despiciens, & æterna suspiciens. v. 6.

Talis pietas eluxit in S. Paulino Nolano Episcopo, qui, dum Barbari Nolam vastarent, sic in corde Deum precabatur: *Domine non exercuerit rapto auri nec argenti cum, tu enim es mihi omne meum.* Animus ejus erat in cœlum pietate sublevatus, ibidem etiam thesaurizabat, & omnia sua recondebat per egenorum manus, ubi eum thesaurizare Christus monuerat.

Secundò, ut à cupiditate & avaritia mortalium animos avertat addit Apost. *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quòd nec auferre quid possumus.* Ubi rationem insinuat, cur sufficientia sit magnus quæstus, & quomodo pauci necessarijs contenti vivere debeamus, non verò congerendis

1. Tim. 6. 7.

opibus ſtudere. Quia nempe hæ opes tantum datæ ſunt ad uſum præſentis vitæ, quæ brevis eſt, in qua nobis continuè tendendum eſt ad alteram beatam & æternam. Temporalia igitur à latere reſpicienda ſunt, totâ intentione anhelante ad æterna. Et cùm non plus opum dives efferat, quàm pauper, fruſtra in his ſtudium ſigit & animum: quin potius in illis ſtudium collocare deberet, quæ efferre poterit; in operibus ſcilicet & lucris pietatis. Itaque habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus.

Hoc etiam ſuo exemplo docuerunt ſancti Patres, peregrinos ſe reputantes in hoc ſæculo, & in pietate cum ſufficientia viventes. Inter hos S. Baſilius, qui cum ab Epiſcopatu pelleretur in exilium, nihil aliud habebat præter libellos pauculos, & pannoſam veſtem qua indutus erat; hæc erat ſola illius ſupellex. Quam cùm Præfecto Imperatoris Valentis exilii ſententiam pronuntianti obtuliſſet, dixit: *Exilium nihil ad me ſpectat, cum domus quam inhabito, aliena ſit. Nihil poſſidens, ab exilio metus liber ſum: totam cognoſco omnium priorem Paradiſum, terra communis exilium eſt incola ego ſum in terra ſicut omnes Patres mei.* Ita Nazian. in orat. funeb. de S. Baſilio. Idipſum agnovit S. Greg. Thaumaturgus, qui teſte Niſſeno in ejus vita, moriens obteſtatus eſt ſuos, ne peculiarem & proprium ſibi locum ſepulturæ compararent. Rationem addebat hanc: *Si vivus non ſuſtinui vicari alicujus loci Dominus, ſed inquilinus vixi in alienis, neq; poſt mortem pudebit eſſe inquilinum; ſed hoc narretur poſteris, quod Gregorius neq; vivus loci alicujus poſſeſſor eſt nominatus, & poſt mortem ſui ſepulcrum alienorum ſepulchrorum, ſeipſum ſejungens ab omni in terra poſſeſſione, adeo ut nec in proprio quidem loco voluerit ſepeliri.* Solam enim poſſeſſionem illum indicavit precioſam, *quæ in ſe avaritiæ vitium non admittit.* Hæc ipſe.

De S. Baſil. Surius in vita.

De S. Gregor. Thaumaturg. Niſſenus in vita ejus.

Tertiò, ut cupiditatem & avaritiam eliminet Apoſtolus, addit: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum, & deſideria multa nociva, quæ mergunt homines in interitum.* Propterea opes dictæ ſunt ab antiquis compedes Plutonis; ſive illis conſtrictus animus non eſt liber; ſive quia tali laqueo homo in regiam Plutonis, hoc eſt, in tartarum devolvitur, nec facilè ſe expedire poteſt. Multa deſideria nociva pariunt opes, vel ut congerantur, vel ut augeantur, vel ut extendantur: animumque diſtrahunt in varias partes, & terrenis cogitationibus aggravant, ut non ita ad cœleſtia erigere ſe poſſit, ſed facilè ad infima revolvatur.

Ib. v. 9.

Unde pro concluſione ſubjicit Apoſt. *Radix omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes inſeruerunt ſe doloribus multis.* Amorem pecuniæ (hoc enim ſignificat Græca vox philargyria) vocat radicem omnium malorum: quia ex illa omnis generis mala naſci poſſunt, & quandoque nata ſunt: *Non quod conſumſit in crimine, ſed effectus*, ut loquitur S. Greg. *Cuncta enim, qua Deus condidit, bona ſunt, ſed qui bonis malè utitur, id profectò agit, ut quaſi per edacitatis inglaviem, illo quo vivere debuit, pane moriatur.*

Ibid. v. 10.

Hæc porrò Apoſtoli monita licet ad omnes dirigantur, præſertim tamen concernunt Eccleſiaſticos & Sacerdotes: quia ut dixi, illos inſtruit in perſona Timothei Epiſcopi & Paſtoris. Avaritiæ ergo nota illis maximè fugienda, tanquam noxiam maculam ſtatui Eccleſiaſtico inurens. Sacerdos enim aut Paſtor, qui pecuniæ ſtudere agnoſcitur, non ſolam ſibi nocumentum, ſed & aliis generat ſcandalum. Ac deindè vix muneri ſuo ſatisfacere poteſt, lanam potius & lac, quàm ovium ſalutem expectans; cogitationes in nummis ponens, animas negligens, & pauperum curam derelinquens. Quando pro ijs daturus eſt animam, quibus externam denegat ſubſtantiam? quomodo etiam implere poſſet illud monitum Apoſtoli: *Præcipe divitibus non ſublimè ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum ſed ſperare in Deo vivo, benè agere, divites fieri in operibus bonis, facilè tribuere & communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam.* Quomodo, inquam, hæc omnia poterit præcipere Paſtor, ſi ipſemet in opibus ſpem aut affectum deſigat; ſi illis accumulandis magis ſtudet, quàm bonorum operum meritis: ſi non facilis ſit ad erogandum egenis, ſi fundamentum bonum & ſolidum cœleſtium & æternarum opum negligat.

1. Tim. 6. 17.

Quapropter, ut oſtendat Apoſtolus, ſe omnia antea de cupiditate & avaritia dicta ad Chriſti miniſtros dirigere, ſic concludit: *Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge; ſectare vero juſtitiam, pietatem, fidem, charitatem.* Illa vox; *Homo Dei*, vel *Vir Dei*, in Scriptura ad miniſtros Dei ſolet dirigi. Hoc enim titulo gaudent, quia Deo ſpecialiter ſunt conſecrati, quia ejus ad plebem internuncij, quia rerum divinarum adminiſtri, quia Vicarij per quos loquitur, operatur regitque populum. Hinc in antiquis Scripturis hoc nomen tribuitur Prophetis, quos Dei ſpiritus regebat: *Homo Dei, Rex dicit deſcende*, dicebat quidam Eliæ. Et de Samuele dicitur: *Vir Dei eſt in hac civitate.* Et de Angelo dicit Manue: *Vir Dei venit ad me.* Ergo ô Sacerdos, memineris te virum Dei, memineris te eſſe Chriſti, vide cui ſervis, vide cui conſecratus ſis, vide quo ſpiritu duci te convenit. Utique non ſpiritu hujus mundi, ut periturus pericula ſecteris, & inhæreas his, quæ ſunt labentis ſæculi, ſed ſpiritu Dei, cujus es vir, cui ſervis, cui ideò es conſecratus, ut ad divina & cœleſtia totam mentem, totum affectum erigas. Quid tibi cum Mammona, qui Dei es? Quid tibi cum Plutonis compedibus & vinculis, qui Chriſto es obligatus? An fortè ſperas te duobus Dominis poſſe ſervire, Deo & Mammonæ? An in eodem cordis tui templo & altari exiſtimas te poſſe collocare Dagon & Arcam Dei? Fuge avaritiam, quæ cultum Dagon & Mammonæ promovet, & miniſterium tuum deturpat: ſectare verò juſtitiam, pietatem & charitatem, in quibus

4 Reg. 1. 11. 1. Reg. 9. 6 Judic. 13: 6.

Dei

Dei & Chriſti cultus conſiſtit. Ulterè rebus hujus ſæculi ad Dei gloriam, ad pauperum levamen, ad tuam neceſſitatem : & ſectare in ſpiritu & affectu paupertatem tantopere à Chriſto, qui pretium ejus noverat, adamatam. Atque ut verbis Auguſtini concludam: *Extirpa cupiditatem, & plantas charitatem; ſi ut omnium malorum radix eſt cupiditas, ita & omnium bonorum radix eſt charitas.*

Auguſt.

LECTIO X.

DE DECIMO FLORE, QVI EST FRVGALITAS, & pia bonorum Eccleſiaſticorum Diſpenſatio.

X. Flos Frugalitas & pia diſpenſatio bonorum Eccl.

DUo extrema Eccleſiaſticis ſedulò vitanda ſunt. Primum quidem, nimia temporalium bonorum cura & coacervatio, quæ affectum ad ſe trahit, & mentem non parum diſtrahit: Nam dum per multa ſpargitur, ſtare in intimis fixa prohibetur. Propterea dum ad Clerum quis aſſumitur, crines ei raduntur, ſeu detondentur, atque per eam detonſionem, rerum temporalium cura ſuperflua ab illis abjicienda deſignatur. Nam ſicut pili non ſunt pars corporis, ſed quædam ſuperfluitas à corporis humore procedens: ſic temporalia non nobis naturalia, ſed velut aliena ſunt & ſuperflua; ideoque nimia eorum cura & cupiditas reſecanda, ut vertex capitis, id eſt animus, maneat liber, & cœleſtium cogitationi idoneus. Sed & hujus rei monet ipſum nomen: Nam Clerus ſors appellatur, & Clericus quis dicitur, quod de ſorte ſit Domini, vel quia ipſe Dominus ſors, ſive pars & hæreditas ejus ſit. Ergo qui Eccleſiæ ſervit, hujus rei meminerit, & nitatur eſſe quod dicitur. Si ipſe Domini pars eſt, vel Dominum habet ipſum partem & hæreditatem, talem ſe exhibere debet, ut ipſe poſſideat Dominum, & poſſideatur à Domino. Ergo de altaris obſequio victum & veſtitum habens, his contentus ſit, nec lucra, nec opes ſæculi in Chriſti quæras militia, alioquin non Dominus pars ejus & funiculus hæreditatis ejus, qui extra Dominum partem quærit, & poſſeſſionem ſuperfluam.

S. Hieron. S. Aug.

Sic ſolent hac in re ratiocinari SS. Patres, præſertim Hieronymus epiſt. ad Nepotianum, de vita Clericorum, & Auguſtinus lib. de contemptu ſæculi tom. 9. Clericos cupidos, tenaces & avaros hac ratione perſtringentes. Et certè ſi in Evangelio Domini (inquit S. Ambroſius) etiam populus ipſe ad deſpicientiam opum informatus, atque inſtitutus eſt, quanto magis nos Levitas oportet terrenis non teneri cupiditatibus, quorum Deus portio eſt? In eandem ſententiam Sidonius Epiſcopus Avernenſis lib. 9. epiſt. 3. ſic ſcribit ad Fauſtum Regienſem Epiſcopum: *Tuis precatibus obtine, ut portio noſtra ſit Dominus; atque adſcripti turmæ Levitarum, nec remaneamus terreni, quibus terra non manet, inclinemusque ſicut à ſæculi luctu, ſic quoque à culpis peregrinari.* Itaque ſi oper in Clero affluant, non eſt illis cor apponendum, non in illis gaudendum, non magni pendendæ ſunt. Adhiberi quidem debent ad vitæ neceſſitates, ſed ut terra, ſine qua ne vivere quidem poſſumus, & tamen adeò non habetur in pretio, ut etiam pedibus teratur, & ſi quid fortè adhæſerit, ſtatim excutiatur. Terrena ergò ſint quidem in uſu, ſed æterna in deſiderio; ſic Dominus erit noſtra portio.

S. Amb. Sidon. Apoll.

Alterum extremum omninò etiam vitandum, eſt bonorum Eccleſiaſticorum prodiga, ſeu inutilis profuſio. Hoc enim ſibi certò perſuadere debent, qui Eccleſiaſticis bonis abundant, non ideò poſſe genio indulgere, vel illa ad luxi & vanitatem profundere, in epulas & convivia, in ædificia ſumptuoſa, aut in alios uſus profanos: ſed ſibi concredita eſſe, ut moderatè & frugaliter in ea, quæ honeſtæ ſuſtentationi ſunt congrua, expendant, ac reliquum in pios uſus erogent. Certè ſtrictior hic ratio exigenda eſt, quàm communiter Eccleſiæ Miniſtri ſibi perſuadere videantur. Ac inprimis non pauci, illique valdè eruditi, cum Theologi, tum Juriſperiti, opinantur Eccleſiaſticos non eſſe proprié Dominos ſuorum reditum, ſed tantum uſumfructum habere, ac diſpenſationem illorum: ita ut ex juſtitia teneantur, quod ſupereſt decentiæ ſtatûs, in pauperes, vel pias cauſas erogare, alioqui obligationem reſtitutionis incurrere. Audi quomodo hac de re loquatur graviſſimus Theologus Petrus à Soto de inſtruct. Sacerdotum: *Primo omnium conſtat ex decurſu totius Eccleſiæ ab Apoſtolis, & ipſo jure divino, bona omnium Eccleſiarum, cùm Chriſti ſint, meritò etiam pauperum eſſe; nec ullo ratione aut poteſtate humana fieri poſſe, ut licitè in alios uſus, quàm Eccleſiaſticos & pauperum expendi poſſint. Contrarium credimus eſſe errorem graviſſimum, ſaltem contra bonos mores & juſtitiam: & quidni etiam contra Scripturam?* Atque huic opinioni non parum favent dicta ſanctorum Patrum, & Canones, de quibus ſtatimmitta ut ſententia illa ſit tutior, & in praxi Beneficiarijs conſulenda.

Prodigalitas bonorum Eccl. vitanda.

Eccleſiaſtici non ſint proprii Domini ſuorum redituum.

Pet. à Soto. p. 2. lect. 3.

Sed etſi alteram ſententiam ſectemur, nimirum illos eſſe verè Dominos omnium ſuorum proventuum, tamen nec à Theologis, nec à Juriſperitis negari poteſt, eos ſtrictè omnino obligari ad eleemoſynas, & pias largitiones de ſuperfluis ſtatui ſuo, ſive honeſtæ & decenti ſuſtentationi; & peccati mortalis reatum incurrere, ſi in profanos uſus notabilem ſummam expendant; quamvis ad reſtitutionem non obligentur. Id verò multiplici ratione poteſt declarari.

Primùm quidem, quia Eccleſiaſtici in ſtatu perfectiori degunt, & ideo ſtrictiùs quàm Laici tenentur pauperum curam gerere; tanquam pauperum Patres & Tutores, ut inſinuant ſacri Canones. Et hoc quidem de Eccleſiaſticis omnibus verum eſt, maximè tamen de illis, qui curam gerunt animarum.

Hoc

Digitized by Google

De S. Joanne Eleemoſyn.

Hoc probè intelligens S. Joannes Eleemoſynarius cum primùm factus eſſet Epiſcopus, illis accerſitis, qui res Eccleſiæ diſpenſabant, illis etiam præſentibus, qui erant à ſecretis, *Non eſt* (inquit) *juſtum ô Fratres, & in miniſterio ſocij, ullius alterius rei curam gerere priusquàm Chriſti. Euntes itaque per totam ci vitatem, ſing ulorum deſcribite meos Dominos.* Cùm autem illi dubitarent, quinam eſſent hi Domini, dixit ipſe: *Quos vos pauperes & mendicos appellatis, ego Dominos meos & adjutores nomino, illi ſolum mihi poſſunt opem ferre, ut à Chriſti regno non excidam.* Factum eſt quod juſſerat, & omnes numerati efficiebant ſeptem millia & quingentos, unicuique verò eorum dedit ſumptum diurnum. Idem poſtea quæcunque habere poterat, etiam lectorum ſtragula, pauperibus diſtribuebat; cumque pauperes adeo profuſam liberalitatem mirarentur, reſpondere ſolebat: *Fratres nondum ſanguinem pro vobis fudi, ſicut præcepit mihi Dominus Jeſus Chriſtus.*

Memoratu dignum exemplum S. Joan. Eleemoſ. de culcitra.

Jucundum & memoratu dignum eſt, ejus cum quodam divite certamen. Miſerat dives ei dono culcitram mollem è plumis, at ubi pluſimum in ea cubavit nocte illam inſomnem egit, ingemiſcens mollius ſe jacere, quàm ſuos Dominos; cumque illuxiſſet, juſſit culcitram vendi, & pecuniam pauperi dari. At dives ille ab emptore redemptam ei iterum miſit, obſecrans ne iterum venderet, ſed ea frui vellet. Verùm non potuit precibus impetrare quin iterum venderet. Sic dives ſecundo redemptam eidem remiſit dicens: *Videbimus uter noſtrum citius defatigabitur, tu vendendo, an ego redimendo.* Ille hæc modeſto riſu excipiens, dixit: *Gratias Deo ago, quod inituri ſimus certamen, dives ſalubre pauperi commodum, mihi jucundum.* Et ita quoties miſſum eſt munus, ipſe toties illo vendito pauperibus ſubveniebat.

Secundò, quia Eccleſiaſticorum bona, quæ ex beneficijs percipiuntur, ita ſunt Chriſti, ut in Jure vocentur Patrimonium Crucifixi, & res Dei, ideoque obligationem ſpecialem ſecum volvunt, ut in ejus honorem & cultum impendantur. Ita enim loquitur Urbanus Papa: *Ipſa res fidelium oblationes appellantur, quia Domino offeruntur; non ergo debent in alijs uſibus, quàm Eccleſiaſticis, & Chriſti membrorum fratrum indigentium converti, quia vota ſunt fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum, aut ad præfictum opus explendum à Domino tradita: ſi quis autem, quod abſit, ſecus egerit, videat ne damnationem Ananiæ & Saphiræ percipiat, & rem ſacrilegij efficiatur, ſicut qui pretia prædiorum fraudaverunt.*

Urbanus in decret.

Baſil. ep. ad Julian.

Quapropter S. Baſilius in epiſt. ad Julianum Apoſtatam, depoſcentem à ſe talenta aliquot auri, ſic ſcribit: *Reditus Epiſcopatus mei ſunt unus ager, decem olea, decem alvei, una mola, domus una, ovis quadraginta, octo palmæ, tres fici, parvum hortus. Quorum ego me Dominum non cenſeo, ſed diſpenſatorem, cum mihi rerum incumbat cura, ut inde pauperes alantur. Nam hic ſtatus noſter adeo arctus eſt, ut ſi fors quiſpiam Sacerdotum ea ſibi reſervet, aut in malos uſus expendat, æqualem pœnam meretur, & qui dilapidat, & qui ex altaris furatur.* Ita Baſilius.

Tertiò ſaltem ex præcepto Eccleſiaſtico tenentur portionem redundantem decentiæ ſtatûs, non in profanos, ſed in ſacros uſus Beneficiarij expendere. Colligitur manifeſtè præceptum illud ex Concilio Tridentino, ubi ait: *Interdicit S. Synodus Epiſcopis, ne ex redditibus Eccleſiæ conſanguineos familiareſque ſuos augere ſtudeant, cum & Apoſtolorum Canones prohibeant, mores Eccleſiaſticos quæ Dei ſunt, conſanguineis donent; ſed ſi pauperes ſint, eis ut pauperibus diſtribuant. Quæ verò de Epiſcopis dicta ſunt, eadem non ſolum in quibuſcunque Eccleſiaſtica beneficia, tam ſæcularia, quàm regularia obtinentibus, pro gradu ſuo conditionis obſervari, ſed etiam ad S.R.E Cardinales pertinere decernit.*

Cõc. Trid ſeſſ. 25 c. 1. de refor.

Ad hujus porrò præcepti elucidationem juvat obſervare, initio Eccleſiæ ante erecta beneficia, & antequam miniſtris ſingulis in particulari eſſet portio aſſignata, proventus fuiſſe communes: quia & Clerici vivebant in communi, & ſingulis dabatur ab Epiſcopo, qui omnium erat adminiſtrator, quantum cuique opus erat, ſumebatque quiſque menſtruam ſportulam. Sic enim loquitur S. Cyprianus, vocans, *Clericos ſportulantes eos*, qui hæc victûs ſtipendia ab Eccleſia capiebant. Quod verò ſupererat, in pauperes & alios pios uſus erogabatur. Proceſſu verò temporis charitate refrigeſcente multa exorta ſunt incommoda, vel quod non poſſent pacificè ita inter ſe vivere, vel fortè quod plerique majores poſcerent commoditates, & Eccleſiaſtico ſtatui ſe nollent dicare ſub tanta diſciplina & tenui portione. Sic ſenſim præbendæ ſunt inſtitutæ & beneficia, ac ſingulis dati annui proventus, quibus poſſent ſeorſim vivere, & copioſè ſe alere. Neque tamen ideò ablata eſt obligatio, qua præcipiebatur portio redundans honeſtæ ſuſtentationi in pauperes erogari: ſed voluit Eccleſia id quod fiebat per Epiſcopum adminiſtratorem, id modo à ſingulis fieri pro cujuſque facultate, & prudenti adminiſtratione, quandoquidem illi loco Epiſcoporum in adminiſtrationem ſuccederent certæ portionis. Alioquin niſi eſſet hæc Eccleſiæ intentio, non ſatis prudenter Eccleſia affluentiam eis conceſſiſſet: quæ potius verteretur in occaſionem luxûs & ſuperbiæ, & ſic etiam fruſtrarentur pia Fidelium vota reditus amplos conſtituentium in Eccleſia. Hanc igitur intentionem Eccleſiæ declarat Tridentinum, & obligationem præcepto rigoroſo renovat.

S Cypr. ep. 66.

CONFIRMATIO EX SANCTIS PATRIBUS.

QUartò audiendi ſunt hac de re ſancti Patres. Et quidem jam antè audivimus S. Joan. Epiſcop. Alexandrinum, & S. Baſilium: his porrò ſub-

subſcribens S. Bernardus, multis in locis ſublimi voce invehitur contra Eccleſiaſticos, bona Eccleſiæ in uſus profanos expendentes. In declamationibus ſuper Evangelium: Ecce nos reliquimus omnia, ſic dicit: *Res pauperum non pauperibus dare, parſa erilegij crimen eſſe dignoſcitur: ſanè patrimonia pauperum facultates Eccleſiarum ſunt & ſacrilegè eis ſubtrahitur quicquid ſibi miniſtri & diſpenſatores, non utique Domini, ultra victum & veſtitum accipiunt.* Quod quidem amplificans in epiſt. 42. ad Henricum Senonenſem Archiepiſcopum ſic proſequitur: *Clamant nudi, clamant fameli.i, & dicunt: Nolin fame & frigore laborantibus, quid conferunt tormenta aroria ſervata in domibus veſtris? Noſtrum eſt quod effunditis, noſtis crudeliter ſubtrahitur, quod inaniter expenditis. Duo mala de una prodeunt radice cupiditatis, dum vos vanitando pereris, & nos ſpoliando perimatis. Et omnes in fatuo eſtis magnâ conſtantiâ adverſus eos qui ſe anguſtiaverunt, ſtante pro eu Patre orphanorum & judice viduarum & dicente: Quod non feciſtis uni ex minimis meis, mihi non feciſtis.* Idem ſerm. 33. in Cantica multis agit hac de re, inter cætera ſic habet. *Serpit hodie pruritus iſte per omnes corpus Eccleſiæ, & quo latius, eò deſperatius, eoque periculoſius quò interius. Nam ſi infurgeret ac pertus inimicum hæreticum, mitteretur foras & arceret: nunc verò quem ejiciat, aut quò abſcondat ſcio? Omnes amici, & omnes inimici omnes neceſſarii, & omnes adverſarii, omnes domeſtici, & nonnulli pacifici; omnes proximi & omnes qua ſua ſunt quærunt. Miniſtri Chriſti ſunt & ſervium Antichriſto, honorati inſidunt de bonis Domini qui Domino honorem non deferunt. Inde is, quem queſtis ſic vides, meretricius mitor, hiſtrionica habitus regius apparatus. Inde aurum in frenis, in ſellis & calcaribus, & plus calcaria, quàm ad arare ſolent. Inde ſplendida menſa, & cibi & ſcyphi. Inde comeſſationes & ebrietates; inde cythara, & lyra, & tibia; inde redundantia ſæcularia, & promptuaria plena cruciantia ex hoc mollud, inde dolia pigmentaria, indè referta morſupia. Probatiſſimi di eſſe volunt Eccleſiarum Præpoſiti Decani, Archidiaconi Epiſcopi, & Archiepiſcopi. Olim prædictum eſt, & nunc tempus impletionis advenit; Ecce pace amaritudo mea amariſſima. Amara prius in nece Martyrum, amaritur in conſtantia hæreticorum, amariſſima nunc in moribus domeſticorum.* Hæc S. Bernardi & Cyprianum. In ſerm. de lapſis rationem reddere volens, cur Deus permiſiſſet perſecutionem, ait: *Studebant augendo patrimonio ſinguli, & oblitis quid credentes, aut ſub Apoſtolis antè feciſſent, aut ſemper facere deberent, inſatiabili cupiditate ardore ampliandi facultatibus incubabant. Non in Sacerdotibus religio devota, non in miniſtris fides integra, non in operibus miſericordia, non in moribus diſciplina corrupta. barba in viris in fœminis forma fucata. Adulterati poſt Dei manus oculi, capilli mendacio colorati; ad decipienda corda ſimplicium callidæ fraudes, circumveniendi fratres ſubdola voluntates; non jurare tantùm temerè, ſed adhuc etiam pejerare: Præpoſitos ſuperbo tumore contemnere: venenato ſibi ore maledicere, odiis pertinacibus invicem diffidere. Epiſcopi plurimi, quos & hortamento eſſe oportet cæteris & exemplo, divina procurationes contemptæ procuratores rerum ſæcularium fieri, derelicta cathedra, plebe deſerta per alienas provincias obervantes, negotiationis quæſtuoſæ nundinas aucupari; eſurientibus in Eccleſia fratribus non ſubvenire; habere argentûm largiter velle, fundos inſidioſiſſimè audibus vastare, uſuris multe plicantibus fœnus augere. Quia non propeti tales pro peccatis ejusmodi morerentur?* Hæc S. Cyprianus.

S. Bern. ſer. Ecce nos reliquimus.

Idé ep. 42.

Idem ſer. 33. in Cât.

S. Cypr. ſerm. de lapſis.

Hos SS. Patres citans Card. Bellarm. hæc adjungit: Perpendant noſtræ ætatis homines, an ea, quæ deplorant ſanctiſſimi iſti viri in moribus ſuorum temporũ; non ſint omnino ſimilia peccatis temporum noſtrorum: ob quæ nos quoque lugere aſſiduè ac gemere debeamus. Adde, quod quemadmodum veteres illi populi habuerunt ſuos Cyprianos, ſuos Bernardos, qui cæteris vitâ & exemplo prælucebant, & propterea inexcuſabiles erant, qui ad illa lumina oculos claudebant: ſic & nos habuimus diebus noſtris, non paucos viros ſanctiſſimos, quorum mores & vita reliquis omnibus regula benè vivendi eſſe potuerunt. Sed nos potiſſimùm, qui Eccleſiaſtici ſumus habuimus S. Carolum, quaſi lucernam lucentem in caliginoſo loco, eamque non ſub modio, ſed ſuper candelabrum celſiſſimum, undè lucebat omnibus, qui in domo Dei ſunt.

Bellarm. l. 2. de gemitu columbæ c. 4.

Qualis autem fuerit ex comparatione eorum, quos SS. Patres Cyprianus & Bernardus reprehendunt, facilè cognoſci poterit. Illi cathedram, id eſt, munus concionandi, Epiſcoporum proprium relinquebant: iſte cathedram non reliquit, niſi cum vita eum reliquit. Illi plebem deſerentes ad temporales nundinas in aliis provinciis vagabantur: iſte plebem ſibi à Deo creditam nunquam deſeruit, niſi quando plebis ſuæ utilitas vel neceſſitas compulit. Illi fratribus pauperibus non providebant: ſed argentum largiter poſſidere gaudebant; iſte patrimonium ſuum, ut haberet unde pauperibus largiter ſubveniret, cum gaudio diſtribuebat. Illi non erubeſcebant uſuris multiplicantibus fœnus augere: iſte miſerebatur inopum, ut Domino ſoli fœneraretur, ſciens ſcriptum eſſe; Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis. Illi non multùm laborabant, quòd non eſſet in Sacerdotibus religio devota, in miniſtris fides integra, in moribus diſciplina: iſte dies ac noctes excuſabat, ut reſtitueretur in Eccleſia ſua priſtina Clari ac populi Eccleſiaſtica diſciplina. Inde tam multas habemus ab ipſo poſteris relictas conſtitutiones, ordinationes, admonitiones. Atque hæc ex Cypriano. Addamus pauca ex Bernardo. Epiſcopi, quos S. Bernardus corripit, honorati incedebant de bonis Domini, qui Domino non ſerviebant: iſte in publico utebatur veſtitu, quem dignitas exigebat, ſed privatim viles & attritas veſtes gerebat; Domino autem ita ſerviebat, ut verbo Dei & oratione

tioni semper intentus noctes insomnes non raro traduceret. Illi splendidas mensas & cibis & scyphis habere volebant: hic vulgarem mensam, & scyphis communibus, non aureis vel argenteis utebatur. Illi commessationibus & ebrietati operam dabant: hic sæpè jejunans, & pane & aquâ ut plurimùm contentus erat. Illi citharam, & lyram, & tibiam in conviviis adhibebant: illius ad mensam sola Scripturarum Sanctarum verba sonant. Illi redundantia torcularia, & promptuaria plena, & dolia pigmentaria, & præcipuè referta marsupia habere gaudebant: Iste modestiam & paupertatem Christi amans, cùm dives esset, egenus factus est, nec solùm patrimonium in egenos consumpsit, sed etiam multa pinguia beneficia Ecclesiastica, quibus à Pontifice maximo avunculo suo ditatus fuerat, novo exemplo sponte dimisit. O beatum Pontificem, ac verè Christi amantem & imitantem discipulum! O nos beatos, si imitari non pigeat, quem laudare delectat! O nos verè miseros, & omni lachrymarum fonte plangendos, si tanto proposito ante oculos nostros exemplo, & quasi lucidissimo vitæ perfectæ speculo, deformia nostra non viderimus, neque emendare diligentissimè studuerimus. Hæc Bellarminus.

guinis effusione acquisitum, illi vertunt in occasionem avaritiæ & cupiditatis, luxûs & carnis.

Secundò peccant plerumque tales in Ecclesiam, quæ fraudatur pluribus ministris, qui divinum cultum & obsequium personaliter in pluribus beneficiis erant præstituri. Atque cùm multi idonei pietate & eruditione reperiantur, quibus hæc plura stipendia unius sufficerent ad producendum in Ecclesia copiosum fructum, & jam illis quadammodò fit injuria iniquâ illâ distributione, vel occupatione plurium beneficiorum. *2. In Ecclesiam.*

Tertiò peccant in fundatores, quorum pia intentio & ultima voluntas evertitur. Nec enim mens eorum fuit alia, quàm diversis fundationibus diversos Ecclesiæ ministros alere, qui per se officium obirent legationibus piis annexum: ideoque vox eorum & querela censetur detonare auribus istorum, qui beneficiorum lucra & commoda solum captantes, parùm officij per se præstant: sed onus in alium transferunt, & exugunt substantiam beneficii per pensionem, vel aliâ viâ, quæstuario potiùs more, quàm spiritualis profectûs intentione. Ad hos illud Ezechielis dirigitur: *Lac comedebatis & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis.* *3. In Fundatores.* Ezech. 34.3.

Quartò, peccant & hi in populum, cùm fidelem, tum infidelem. Quia fidelis populus scandalum patitur, dum videt in Ecclesia tot beneficiorum nundinationes: infideles autem & hæretici hæc subsannant & rident, traducuntque Ecclesiæ ministros, & exinde occasionem stabiliendi suas hæreses apud imperitam & pusillam multitudinem nanciscuntur, in avaritiam & alia vitia cleri debacchantes *4. In Populum.*

Quintò denique quòdammodo jure naturali adversum videtur, quòd unus similiter sit in diversis Ecclesiis sicut quòd unum membrum sit in diversis corporibus. Quòd unum & idem sit caput vel oculus in uno corpore sitque manus etiam & pes in altero, inordinatum est. Hoc verò fieri videtur, dum unus idemque existit Pastor unius Ecclesiæ, Canonicus alterius, vel beneficiarius, maximè quando utrobique functiones obire nequit. *5. In Jure naturæ.*

DE PLURALITATE BENEFICIORUM PERICULOSA.

Pluralitas beneficiorum periculosa.

EX dictis satis lucidè deduci potest ex mente SS. Patrum, haud tutum esse beneficia beneficiis, pensiones pensionibus cumulare: nec enim id sine gravi inordinatione, ut plurimùm fit, & ex radice cupiditatis ortum habet, quantumvis multi prætextus & pallia (quasi folia & perizomata filiorum Adæ) ad velandam nuditatem, & turpitudinem istam à plerisque afferantur. Interim ex omnium Theologorum sententia exploratum manet & decisum, peccati mortalis reatum incurri, si dum unum honestæ sustentationi sufficit, alterum nihilominus retineatur. Nam si Propheta minatur hominibus hujus sæculi, & dicit: *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis: numquid habitabitis vos soli in medio terræ?* Quantò magis væ inclamandum est his, qui beneficia beneficiis, præbendas minores majoribus, pensiones pensionibus aggregant, Ecclesiasque Ecclesiis? Certè multiplici ratione tales peccare comperiuntur.

Isa 5.8.

Peccant tales variè 1. In Deum & Christum.

Primò quidem in Deum & Christum, cujus patrimonium dilacerant, & pravè dividunt: de illo inveniuntur incrassati, impinguati, dilatati, onus verò & multiplex officium illi adnexum, qualiter peragatur, parùm sunt solliciti. Sic ipsi ut loquitur S. Bernardus. *Christi opprobria, sputa, flagella, clavos, lanceam, crucem & mortem, hæc omnia in fructu avaritiæ conflant & perfligant in acquisitionem turpis quæstus, & pretium universitatis suæ marsupium studere sæpe fatentur.* Nam patrimonium quod Sponsæ suæ Ecclesiæ Christus reliquit, flagellis, alapis, San-

S Bern. serm 10. in Cant.

De dispensatione ad plura beneficia.

Neque sibi omnes blandiantur de dispensatione, cùm & illa sæpè impetretur tali quali narratione; ita ut non reddat possidentem tutum in foro conscientiæ, quamvis liberet eum ab externa desuper molestatione. Unde S. Bernardus ad Eugenium Pont. de hac re sic scribit *Non sum tam rudis, ut ignorem vos positos dispensatores, sed in ædificationem, non in destructionem: Vis necessitas urget, excusabilis est hæc dispensatio; nisi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est, utilitas dico communis non propria. Nam cùm nihil horum est, non plenè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.* Quapropter nonnullis posset responderi, quod olim cuidam Colonienſi Canonico è curia regredienti cum dispensatione ad plura beneficia, responsum fuit à viro magni zeli, & scientiæ: *Peteras ire in infernum sine* S Bern. l 3 de consid. c. 4.

Digitized by Google

ſine licentia, nunc ibis cum diſpenſatione. Atque illud etiam timendum eſt, ne qui non unus, ſed plures eſt in beneficiis, non unus, ſed plures ſit in tormentis.

Exempla ex Cantiprato.

Horum plura exempla refert Cantiprato, qui aſſerit circa annum 1258. fuiſſe Pariſiis ſolemnem diſputationem, ubi omnes Theologi à Guilielmo Epiſcopo Pariſienſi convocati, uniformiter determinaverunt, duo beneficia dummodò unum valeret quindecim libras Pariſienſes, retineri non poſſe cum ſalute animæ. Duo ſolùm Theologi huic aſſertioni tunc ſunt refragati, Philippus Cancellarius Pariſientis, & quidam Arnoldus poſtea Epiſcopus Ambianenſis. Sed quid de iſto Philippo contigerit ſic enarrat. Agonizantem in morte dictus Guilielmus Epiſcopus paterna ſollicitudine viſitavit, rogans ut ſingulari opinioni cederet de pluralitate beneficiorum, & omnia ſua beneficia excepto uno in manus Eccleſiæ reſignaret, eâ conditione, ut ſi convaleſceret, ei ſuppleret ipſe de proprio; renuit verò agere, experiri ſe velle dicens, an ſit damnabile beneficia plura tenere Sic ergo mortuus eſt. Poſt paucos dies, cùm Epiſcopus finitis Matutinis oraret, vidit inter ſe & lumen quaſi umbram hominis tetram. Elevata ergo manu confignat ſe, & ſi ex parte Dei ſit, præcipit ut loquatur. Cui reſpondit is qui apparebat : *Alienus à Deo ſum, ſed tamen ſ. Eccleſiæ ejus : ego enim ſum Cancellarius ille miſerrimus* Rurſus Epiſcopus. *Et quomodo tibi eſt ſic doloſi? Damnatus, inquit, ſum æterna morte, & tres fuere cauſæ damnationis meæ. Una eſt, quòd creſcentes fructus annuos contra pauperes timidè reſervavi Secunda eſt, quòd contra ſententiam plurimorum de pluralitate beneficiorū opinionem propriam defenſavi, & in hoc me periculo mortalis culpæ commiſi. Tertia eſt, quòd carnis vitio cum ſcandalo multo tempore laboravi.* Hæc ille.

Pluralitas beneficiorum cauſa damnationis.

Refert idem, ſe cuidam alteri magnæ eruditionis viro cum extremo morbo conflictanti adfuiſſe. Reduxque ei, inquit ipſe, ſolemnem illam diſputationem & determinationem de pluralitate beneficiorum, cui ipſe interfuerat Doctor magnus; conſulens ei cum magna lachrymarum inſtantia, ut unam præbendarum dimitteret, quia duas contra animam ſuam tenuerat, quarum una ad omnem vitæ copiam ſufficere poterat. Tunc ille facie converſa diſſimulans, hoc tantùm reſpondit : Orate Dominum, ut inſpiret. Nec diu poſteà cùm receſſiſſem & tenuiſſimo vix hærente ſpiritu, hoc idem quod conſulueram ei quidam conſobrinus cum lachrymis inclamaret, cum voce non poſſet, manu innuens expiravit, poſt cujus obitum cùm quidam ex noſtris ſtupefactus cogitaret, cur tantus homo ſi mortale peccatum eſſet plura beneficia retinere, in tali ſtatu obiiſſet : mox quaſi ſemi vigilanti mortuus apparens dixit : *Hæc ſola prebendarum cauſa eſt, pro qua in ſæculo ego æternaliter ſum damnatus*

Damnatus propter plura beneficia.

Addit idem & alia exempla his verbis : Ego in quadam civitate Epiſcopali annis undecim adolevi, ubi ſexaginta duo Canonici ſub præbendis pinguiſſimis ducentarum ferè librarum Pariſienſium in matrice Eccleſia ſervichant, quorum plures erant beneficiorum plurium detentores. Ego qualem vidi vindictam in ipſos, mihi teſtis & Judex ſit S. Trinitas. Paucos enim vidi communi morte defungi, ſed omnes ſubitò & reprobè mori : ita ut quidam eorum audito quod unus ſociorum nocte ſanus, manè mortuus inventus eſſet, complosis manibus dixerit. Quid vultis? Secundum uſum & mortem Eccleſiæ mortuus eſt, ut videtis. Vidi ego in ea Eccleſia quatuor Archidiaconos ſic defungi. Primus eorum de equo phalerato cecidit, & fracta cervice expiravit. Secundus manè in cathedra ſedens, mortuus eſt repertus. Tertius in choro ſtans cum ad Miſſam elevatio Corporis Chriſti fieret, cecidit reſupinus, & ſubtracta loquela cum ſenſu, quaſi brutum animal tertia die ſine Sacramentis eſt defunctus. Quartus Confeſſionem Sacramentaque recuſans, mortuus eſt, & extra cœmiterium ſepultus. Hæc Thom Cantip. l. 1. Apum, c. 19. p 5 & ſequentibus.

Quam periculoſa pluralitas beneficiorum.

Poſſem & ego noſtri temporis exempla plura recenſere, quibus oſtenderem ſubita & improviſa, vel dubia morte abreptos fuiſſe in florida ætate, beneficiorum multorum occupatores; in diſpenſatione taliter qualiter ſine ſufficienti fortè cauſa impetrata, vel in favorabili aliquorum ſed periculoſa opinione, nimis confidentes. Verùm quia & in judiciis Dei occultis non debet præceps noſtrum eſſe judicium, & recens adhuc memoria animos aliquorum illis ſaventium exaſperare poſſet, lubens prætereo. Hoc ſolùm inculcatum velim his qui hæc legunt, iſtam beneficiorum accumulationem, vel bonorum Eccleſiaſticorum, non carere gravi periculo.

DE DONATIONE IN CONSANGUINEOS REPROBATA.

Donatio in cognatos reprobatur. Trid. ſeſſ. 25. c. 1.

DEducitur item manifeſtè ex mente SS Patrum, bona Eccleſiaſtica in conſanguineos haud licitè profundi, ut illis ditentur Quod expreſſit Concilium Tridentinum, hortans & monens Eccleſiaſticos, *ut omnem humanum hunc arga fratres nepotes, propinquoſque carnis affectum, unde multorum malorum in Eccleſia ſeminarium extat, penitus deponant.* Iſtis tamen ſi pauperes ſint, ex charitate ut pauperibus ſubvenire, laudabile eſt, ut decernit etiam Concilium : *Nam & illa probanda liberalitas, ut proximos ſemmis tuis non deſpicias, ſi egere cognoſcas*, ut dicit S. Ambroſ. 1. de off. c. 30.

Cognati non ditandi ex bonis Eccleſiæ. S. Baſil. in conſtit. c. 23.

Verùm multis viſcus eſt & laqueus hic cognatorum affectus, à quo ſe vinci patiuntur, & in ſalutis periculum pertrahi, dum illi nimis indulgent, & è bonis Eccleſiæ ſuorum ſtatum augent, ſtimulante cupiditate. Propterea monebat S. Baſilius in conſtit. *Scientes itaque intolerab le detrimentum hujus arga cognatos affectus, fugiamus illorum curam,*

Digitized by Google

vel unum lucremur. *Deinde* vix fieri poteſt, ut ſermo vacet omni fructu: quia & illi ipſi, qui ad peccatum redeunt, cum aliquo timore, & non cum tanta libertate id faciunt. *Vicarius* ſi non prodeſt ſermo malis, bonos tamen in bonis confirmat propoſitis. *Denique* ſi ſecundâ vel tertiâ vice non perſuades; forſitan quartâ aut quintâ id facies. Piſcator licet totum penè diem in vacuum laborârit, nihil per rete attrahens, quandoque ſub noctem piſcem quæſitum involvit: ſic & venator diu perſeverat, & tandem prædam capit, quæ ſæpius effugerat. Ideò monet Apoſtolus: *Argue, obſecra, increpa, in omni patientia & doctrina.* Id ergo agendum eſt, etiamſi difficiles & duri ſint auditores; exemplo Domini, qui peccatores continuò monet, docet, hortatur, expectat in omni patientia & longanimitate. Exemplo etiam medici, qui convitia & inepitas phrenetici tolerat, nec de ægritudine deſperat. Et porro cum omnis fructus verbi divini ab ipſo Deo pendeat, recte ait S. Bern. *Ea tu quod tuum eſt: nam Deus quod ſuum eſt curabit. Plantа, riga, & tuas imbecillas partes, ſanè incrementum ubi voluerit, dabit Deus, ubi forsè noluerit, tibi deperit nihil. Multi eſt medicamenta adhibere, nam eſt omnibus dico ſemper relevatur ut ager. Explegatis incumbit, curam exigens non curationem.*

8. Verba operibus reſpondeant.

Octavo, ſollicitus ſit ut opera verbis & ſermonibus correſpondeant, attendens illud Apoſtoli Petri: *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, forma facti gregis ex animo.* Quaſi dicat: Paſcite non ſolum verbo, ſed exemplo: ita vivite pro ut loquimini, eſtote forma bene vivendi, & grex Chriſti legat non ſolum in ſermonibus, ſed & in operibus veſtris, quaſi in libro originali, quid agere, & quomodo converſari debeat. Paſcite gregem Chriſti propriis paſcuis & herbis, & non ſolum alienis, ſive aliunde adjectis. Non enim ſufficit alienæ virtutis exempla gregi proponere, niſi & eandem in nobis poſſint cernere. Non eſt ſatis patientiam Job prædicare, niſi eam prædicans etiam in ſeipſo conetur exhibere. Non eſt ſatis caſtitatem docere, & in Joſeph prælucentem indigitare; ſed oportet in ſeipſo eam etiam poſſe deſignare. Non eſt ſatis obedientiam Iſaac, humilitatem Franciſci, aliaſque Sanctorum perfectiones imitandas proponere; ſed oportet ut qui proponit, aliquid ſaltem earum poſſit in ſe exprimere. Ita loqui hoc eſt ad aliena ſolum prata gregem ducere, non autem propriis paſcere. Qui ergo efficaciter vult verbum Dei annunciare, videatur cum Chriſto primo Magiſtro, incipiat prius facere quàm docere. Et ut cum Apoſtolo dicere poſſit: *Imitatores mei eſtote ſicut & ego Chriſti.* Ambulate *ſicut habetis formam noſtram.*

Hæc eſt etiam doctrina Sanctorum Patrum, inter quos ſic loquitur S. Hieron. *Non confundant*, inquit, *ſermonem tuum operatum: ne cum in Eccleſia loqueris, tacitus quilibet reſpondeat: Cur ergo hæc, quæ dicis ipſe non facis? Sacerdotes Chriſti ei, mens, manuque concordent.*

S. Bern. l. 4. de conſiderat.

2. Tim. 4. 2.

Phil. 3. 17.

S. Hier.

S. Greg. Nazianz. malos Concionatores malis comparat Piſcatoribus, qui lingua pungunt, vitâ expungunt. Ideo, ait, purgari prius debent, quàm purgare: lux fieri, & alios illuminare: ad Deum appropinquare, & ita alios adducere: ſanctificari, & ita alios ſanctificare: priùs manibus ducere, id eſt, exemplo ſuarum actionum, indè conſilium dare. S. Greg. Naz.

Hanc etiam ſimilitudinem Abbas Paſtor in vitis Patrum adducit: *Si quis docet aliquid & non facit, ſimilis eſt puteo, qui omnes ad ſe venientes ſatiat, & ſordes deletſe ipſum autem purgare non poteſt, ſed omnis ſpurcitia & immunditia in eo eſt.* In vitis PP. l. 5. de diſcret. §. 50.

Iſid. l. 3. de ſummo bono.

Auct. Iſidorus: Qui non vivit ſicut docet, ipſam quam prædicat veritatem contemptibilé facit. Arcus perverſus eſt lingua Magiſtrorum benè docentium & malè viventium: & ideò ex perverſo arcu ſagittam emittunt, dum ſuam pravam vitam linguæ propriæ ictu confodiunt. Quid eſt enim benè docere & male vivere, niſi ſe propria voce damnare?

O Jeſu Doctor & Magiſter æternæ veritatis, da Paſtoribus tuis & Concionatoribus lumen in mente, ardorem in corde, verbum in ore, puritatem in intentione, efficaciam in opere: ut prædicent Te, & prædicem eis; ut operentur in Te, & operetur in eis, ſicque poſſint vivis operibus & ſermonibus perſuadere evangelizantes verbum virtute multa. Non ſit in ipſis *Vox Jacob manus Eſau*: vox benè docentis, ſed malè operantis. Aquam ſacræ doctrinæ, quam à Te fonte vivo puriſſimam poſſunt haurire, pravæ converſationis pedibus non turbent, ne ſic turbatam oves tuæ ſine ſapore guſtent ſed puram ſic eis propinent, ut ſit bibentibus aqua in vitam æternam ſaliens.

LECTIO V.

DE QVINTO FLORE, QUI EST BENIGNITAS ERGA PROXIMUM CHARITATI CONJUNCTA.

V. Flos Manſuetudo & charitas erga proximum

DE hac re ſic Regula: *Erga omnes perſonas cum humilitate & manſuetudine ſe gerant: ut ex fraterno paterno que agendi more, ſatis agnoſcant omnes deſiderio ſalutis agi, quidquid erga eos agitur.*

Oſee. 11. 4.

Spiritus manſuetudinis & charitatis, vande effluxit ad alliciendas & Chriſto devinciendas animas: Solent enim trahi homines *in funiculis Adam*, & *vinculis charitatis.* Unde etiam qui rudes ſunt, tardi vel duri, manſuetudine, humilitate, charitate ducuntur, vincuntur, & Chriſto devinciuntur; quando agnoſcunt puro ſalutis ſuæ deſiderio & paterno animo agi, quidquid erga ipſos agitur. Quantum putas commovebat Philippenſes illud Apoſtoli. *Teſtis eſt mihi Deus, quomodò vos omnes cupiam in viſceribus Jeſu Chriſti.* Quantum afficiebat Corinthios illud? *Os noſtrum patet ad vos, cor noſtrum dilatatum eſt, non anguſtiamini in*

Phil. 1. 8.

2. Cor. 6. 11.

Digitized by Google

nobis, angustiamini autem in visceribus vestris: tandem autem habentes remunerationem, tanquam filiis dico, dilatamini & vos. Quantum corda Thessalonicensium penetrabat illud? *Facti sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos, ita desiderantes vos cupidè, volebamus tradere vobis non tantùm Evangelium, sed etiam animas nostras.* Hunc ergo spiritum paternum cum mansuetudine & humilitate exhibere erga fideles, prævio suo exemplo multis in locis docet Apostolus: Fideles enim omnes quasi in visceribus gestans, dicebat: *Filioli quos parturio, donec formetur in vobis Christus:* Unde non solùm se Patrem, sed & Matrem insinuat, quia, ut inquit S. Greg. *Illi verè doctores sunt, qui cùm per rigorem disciplinæ Patres sint, per pietatis viscera Matres esse noverunt: qui labores sanctæ conceptionis tolerant, & profectibus Deo filios intra uterum charitatis portant, ut cùm eadem prole plus Matres laborant.* Talem se exhibebat S. Bern. in scripto erudiens eos qui curam aliorum gerunt, dum exintimo cordis affectu, sic suos alloquitur: Me putate Matrem animarum vestrarum, & ideò vos velle sic componere, ut in nobis nec macula, nec ruga possit ante Tribunal æterni Judicis apparere. Animabus autem vestris non solum ornamenta, sed etiam medicamenta providere, deliderans studio dissuta consuere, conscissa farcire, vulnerata curare, abluere sordida, reparare perdita, & ea quæ integra spiritualibus margaritis ornare.

1. Thes. 2. 7.

Gal. 4. 19.

S. Greg. l. 3. in Job. c. 9.

Onera subditorum ferre cum mansuetudine, munus est Patrum.

Spiritus quoque ille mansuetudinis & humilitatis cum charitate conjunctus, facilitatem induxit Pastoribus ad subditorum omnia onera portanda, quod proprium eorum munus est. Si enim videt Pastor sibi subditum gementem sub onere paupertatis, debet ejus onus charitatis humeris & elecmosynis sublevare, cum mansuetudine. Si alterum sub ægritudinis onere cernit consistere & deficere, opitulare ut erigat auxilio, consilio, consolatione. Si terrium conspiciat sub peccati sarce jacentem, onus est Babylonis, onus confusionis, sollicitas sit ut onus illud possit excutere. Si videat pusillanimem, excitare debet & adjuvare stimulis monitionis sinceræ, cum humilitate & mansuetudine. Denique si aliquem etiam patitur rebellem & durum, portare debet humeris charitatis, lenitatis & patientiæ. Si humilitas juncta sit mansuetudini, ne quidem nos conturbare valent nostræ curæ subditi, licet rebelles sint, & post monitionem injuriis animo nostro repræsentamus illud: *Consolate pedes hominum, salvatorum. Debemus enim nos firmiores infirmitates infirmorum sustinere, & non nobis placere,* inquit Apostolus Debemus *alter alterius onera portare.* Quod explicans S. Bernardus, ita ad Prælatum quendam scribit: *Hoc omnis animarum est, & infirmarum: nam quæ sana sunt, portari non indigent, ac per hoc nec onus sunt. Quocunque igitur de tuis inveneris tristes vel pusillanimes, ipsorum te noveris Patrem exhortando, consolando, increpando, agis opus tuum, portans onus tuum: & portando sanas, quæ sanando portas. Si quis verò ita sanus est, ut magis juvet te quàm juvetur à te, hujus te non Patrem sed fratrem & comitem jam agnoscas.* Idem Bernardus conta de tractones aut injurias rebellium se muniens, sic dicebat: *Ego plagis consentiam meis nullum judico accommodatius medicamentum probris & contumeliis: non est proinde quod promoveat hominem omni dignum dilectione & opprobrio.*

Rom. 15. 1.

Gal. 6. 2. S. Bern. ep. 73.

Hac ergo consideratione, cum patientia & lenitate contradictiones sunt ferendæ, & evincendæ. Nec animum despondere oportet, si seminemus tritium, & metamus spinas; quandoquidem ipse Christus suo exemplo nos id æquo animo ferre docuerit magna fortitudine. Rectè in quodam brevi Apostolico ad Joannem Bernardum, Abbatem Fuldensem sic scribit Urbanus VIII. *Disciplinam Monasticam apud tuos corrumpi diutius non patiaris, nulla querela exterreare. Ægrotantes etiam invitos, etiam Medico minitantes curamus, qui tamen ubi convaluerunt, minarum vices vertunt in gratiarum actiones.*

Urban. VIII.

Humilitas quoque & mansuetudo docet nos ad tempus quædam vitia in aliis tolerare & dissimulare: ne imperitosè nimium aut violentè volentes illa exsindere, inveniamur potiùs animos exacerbare, & in malo obfirmare. Sunt enim quædam vitia quæ potius lentè sunt dissuenda, quàm impetu discindenda: & animi quorumdam priùs sunt artificio pietatis tentandi, quàm acerbæ sive acris correptionis stimulo pudore turbulento inutiliter suffundendi. Et ut quodam loco dicit Gelasius Papa: *Non omnes signul curat medicina languores; sed quos personæ sive conspectus monuerit: ne aut materia corporis non sufficiens medenti, aut pro conditione mortali simul omnia non possit avertere.* Unde diversa vitia, diverso sublata sunt tempore. Eam ob causam, cùm S. Gregorius Augustinum Monachum sanctitate & doctrina clarum ad Britanniam misisset, ut insulam illam Christiana fide imbueret; cum id feliciter peractum fuisset, & nihil omnus quasdam urquitas veteris nequitiæ & gentilitii in populis illis novæ Christo adjunctis permanere Augustinus animadvertisset, consulendum existimavit ea de re Gregorium Pontificem. Respondit Gregorius ut quædam adhuc Britanno rum imbecillitati permitteret, benè rationem addens: *Quia sancta Ecclesia quædam per fervorem corrigit, quædam per mansuetudinem tolerat, quædam per considerationem dissimulat atque portat; ut sæpè malum quod adversatur, portando & dissimulando compescat.* Hoc etiam intellexere, & praxi suà nos docuere Viri sancti, animabus convertendis à Deo destinati.

Gelasius Papa.

S. Greg. Epist. ad August. Monach.

S. Xaverius inter præcepta quæ suis præscribebat ad animarum conversionem efficacia, monebat ut Christianæ magis humilitatis, quàm po-

Humilitas S. Xaverij.

testatis

& amor efficacia ad animarum converſionem

teſtatis memores, paternum in omnes imperium exercerent; amorem ſibi conciliando, potius quam timorem. Quia nulla re magis quam amore in omnes partes humanus animus flecti poteſt. Hinc teſte Turſellino, quosdam animos adeò perditos, ut nec ſcelera ſentirent, nec remedia ferrent, hac arte adjuvit. Comiter primò conſueverat ſe in illorum familiaritatem inſinuare, in peccatis connivere, medendi voluntatem diſſimulans: inde uſu & comitate devinctis animis, ſenſim ad inveterati morbi curationem ſibi viam faciebat, modò divinis legibus propoſitis flagitia oſtendens, modò intentatis variis humanæ vitæ caſibus Dei terrorem incutiens. Sic mentibus præparatis manum admovebat, avaritiam reſecans, illecebra, removens abeis & rectrudeſcentia conſcientiæ vulnera divinæ miſericordiæ oleo delinions: Audis in particulari. Sceleſtum militem qui jam duodevigeſimum annum ſacra confeſſione abſtinuerat ſocium navigationis habere voluit; comitate in eum utens maxima, etiam ludendi aſſidebat, omnibuſque obſequiis demerebatur, ut illum ad confeſſionem inducaret, & in viam ſalutis revocaret. Quod accidit. Militem confeſſione peracta, ſemel Pater & Ave orare juſſit pollicitus ſe pro illo Deo ſatis facturum, & ita aculeato flagello Vir ſanctus ſe pro illo uſque ad ſanguinem verberavit. Quare ita mollitus flexuſque militis animus eſt, ut ſtudium pœnitentiæ amplexus, voluntariis ſe pœnis addiceret, ad eluendas anteactæ vitæ ſordes.

LECTIO VI.

DE FLORE SEXTO, QUI EST ARDENS zelus ad reducendos eos qui in peccatis agunt.

Vi Flor. Converſio peccatorũ

DE hac re ſic monet Regula: *Perſonas quas ſcivérint in ſtatu peccati mortalis agere, quantum in eis eſt, perſe & alios conantur educere, hortando, increpando, monendo obſecrando.*

Sacerdotes & paſtores ſunt velut Angeli Cuſtodes erga populum; ideoque hortando, increpando, obſecrando docendo, debent eos in viam ſalutis dirigere, & è via peccati educere. Sicut Angeli Loth & familiam ejus è Sodoma eduxerunt, ne incendio involverentur: Similiter debent & ipſi manum apprehendere illorum, qui perditionis iter ſectantur, aut peccatis involuti jacent. Debent opportunè, importunè eos è periculo eruere, ac velut cõpellere, ut è Sodoma, è ſtatu peccati egrediantur. Convenit ergo illis cum Chryſoſt. dicere: *Sum Communis Pater eoquæ neceſſe eſt curam agere non tantum eorum qui ſtant, ſed eorum quoque qui collapſi ſunt: non eorum modo qui ſecundis navigant ventis ſed & illorum qui tempeſtate jactantur: non eorum modo, qui ſunt, ſed & illorum qui periclitantur. Vnde & eos qui jam demergi cœperant, in portum tranquillum portectæ manu deducere ſtudeo.* Quantâ autem ſollicitudine id ageret Chryſoſtomus, patet ex his, quæ habet ipſe in acta Apoſtolorum, ubi inter alia ſic dicit: *Nonne per tres dies, ſæpe etiam per ſeptem exhortamur? Quid amplius aſſequimur, quàm quòd reprehendimus, increpamus, lacrymas fundimus, dolemus, & ſi non foris, ſed in corde? Niſi quis judicaret me ſupra modum honoris ſtupidum, vidiſſetis quotidie me fontes lacrymarum emittere, quarum conficta ſunt domicilium & ſolitudo. Credite enim mihi de ſalute quidem mea deſperavi; hoc eſt, curam mei præmiſi, & vos veſtras deploravi. Non vacat mea mala deplorare, adeò totus deditus ſum vobis. Et ſi ſentio vos obtemperantes, præ gaudio non ſentio mala mea. Si video vos minus obtemperantes, præ dolore iterum in ermitto mala mea.* Idem Chryſoſtomus ſic iterum ſuos alloquitur: *vellem, ſi fieri poſſet, vos ſtris oculis oſtendere, quam in vobis habeo charitatem. Nihil eſt enim mihi vobis jucundius, & deſiderabilius, ne hac ipſa quidem lux. Millies enim optarem ipſe eſſe cæcus, ſi per hoc liceret veſtras animas convertere, adeò ipſa luce eſt mihi veſtra ſalus jucundior. Quid enim me juvant ſolares radii, quando qua propter vos accipitur animi ægritudo, oculis meis magnas effundit tenebras? Lux enim tunc eſt bona, quando apparet in lætitia.* Et paulò poſt: *Implete gaudium meum, liceat vobis ſalutem aſſequi, me autem propter vos reddere rationem: vobis dari ſalutem, me verò accuſari, quòd meum munus non impleverim. Non enim curo, ut per me ſalvi ſitis, ſed ut ſalvi ſitis quacunque ratione.*

& amor efficacia ad animarum converſionem Turſell. in vita S. Xaverii l. 2, c. 17.

Idem hom. 44. in Acta Apoſt.

Idem hom. 3. ad popul.

Jac. 5. 19.

Sic imaginem veri Patris ac Paſtoris in ſeipſo exhibet S. Chryſ. quam meritò debent Paſtores alii attentius inſpicere & imitari, ut erga peccatores magno amore & compaſſione, magnâque ſollicitudine ad eorum converſionem afficiantur. Undè iterum eos inſtruens, ſic alibi dicit: *Vis fratrem corrigere? Lacrymare, ora Deum ex corde, apprehenſum admone, conſule, exhortare. Sic Paulus faciebat. Demonſtra charitatem erga peccatorem, perſuade ipſi quod conſulens & juvans, non verò pervulgare volens, ipſum peccati commonefacis. Comprehende pedes, oſculari ne erubeſcas, ſi modò mederi vis. Hæc & Medici faciunt, ſæpe difficiles ægros habentes, deoſculantes & rogantes perſuadent ſumere medicinam.*

Itaque omnis occaſio arripienda eſt, omnis modus tentandus, ut reducatur frater errans omni charitatis benignitate, vel etiam judicij divini propoſito terrore, à ſuo revocandus eſt errore: attendendumque eſt illud Jacobi: *Fratres mei, ſi quis ex vobis erraverit à veritate, & converterit quis eum: ſcire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Idcò Sancti nullum prætermiſêre laborem, quo vel unam animam convertorent.

EXEM-

S. Chryſ. hom. ad pop.

Digitized by Google

EXEMPLA SANCTORUM.

Abrahamus Eremita convertit Neptem suam.

Quid non fecit Abraham Eremita, ut neptem suam Mariam à turpi vita ad caſtitatem & pietatem reduceret? Mutavit habitum, ingreſſus eſt tanquam miles hoſpitium, incognitus petiit ejus alloquium, quaſi tem nefariam cum ea commiſſurus. Ac tandem ſe tedegens, pro ejus anima ſpopondit, peccatis ipſius ſeſe onerare paratus fuit, ſi modò reverteretur; ſicque ovê perditam humeris reportavit.

S. Ioan. Evang. reduxit prædonum Ducem.

Quid non egit S. Joannes Evangeliſta, ut adoleſcentem quem cuidam Epiſcopo commendarat, jam prædonum Ducem factum requireret, & reduceret? Senex planè inter arma Sicariorum, per montes & ſylvas inter lupos, ovem perditam requiſivit, & reduxit.

Vitalis Monachus lupanaria adit ut animas lucretur.

Quid non Vitalis Monachus? Adibat ipſe proſtibula & lupanaria, & pretium offerebat, ut ſaltem vel hoc obtineret ab aliqua, ut vel una nocte abſtineret ab impudicitia. Ipſe verò in angulo procumbens & orans, pervigilabat, donec dies illuceſceret. Et ita multæ ob id ab eo converſæ, vitam correxerunt; ipſe verò licet homines perverſum de ea re judicium formarent, eo quod circa lupanaria frequens eſſet, patienter tolerabat; quia plus utilitatis ex correctione alieni delicti percipiebat, quàm ex ſua infamia damni.

Pafnutius Thaidem meretricem converſis.

Quid non fecit Pafnutius Abbas, ut Thaidem meretricem ad bonam mentem & frugem reduceret? Infamem etiam locum ipſe eſt ingreſſus, ut eam alloquendi & arguendi occaſionem nanciſceretur. Quam tandem ex ſumma peccatrice, maximam pœnitentem effecit.

Serapion Abbas.

Quid non agebat Serapion Abbas, ut infideles converteret? Venundabat ſe in ſervum ut ſaltem cũ Domini privatim colloquendi poteſtatem haberet, ſicque eos inſtruebat & convertebat.

S. Dominicus.

Quid non S. Dominicus? Hic in pane & aqua quadrageſimam agere voluit, ſuper nuda humo decumbere, ut quasdam domos pellices in qua degebat ad pœnitentiam adduceret.

S. Ignat.

Quid non S. Ignatius? Hic Pariſijs agens, cùm ſciret quemdam extra oppidum frequenter ire, ad turpitudinem voluptuariam, in lacum frigidiſſimum viæ adjacentem ſeſe conjecit, corporeque immerſo, capite tantum extante, ad illum jam appropinquantem clamabat: *Perge miſer ad tuas fœdas voluptates, hic ego pro te tamdiu mortificabo, donec juſtum Dei furorem in te jam paratum avertam.* Sic hominem illum lucratus eſt.

Sciebant nimirum omnes hi, quantum vel peccatum unum Deo diſpliceat, quantum vel anima una coram Deo exiſtimetur: & hoc magno lucro ducebant, vel unicam ſecum ad Deum evehere, ideoque nullum laborem detrectabant. Et certè non inutiliter operam locarit, qui vel unam animam lucratus fuerit. S. Jacobus licet Apoſtolus à Chriſto miſſus, octo tantum animas in Hiſpanijs convertiſſe legitur. An tamen parvum illud lucrum? Abſit. Nam hi quidem octo ſemen fuerunt electum, per quod amplior poſtea ſeges excrevit. Et ſi Noë non in utiliter operam impendit, per centum annos aream fabricando ad octo animas ſalvandas, quia hæ cæteris ſemen exhibere debebant; Sic nec S. Jacobus, nec alij quilibet, qui paucos convertunt; nam & hi converſi cæteris exemplo eſſe poſſunt ad converſionem.

LECTIO VII.

DE FLORE SEPTIMO; QUI EST ORATIO *zeloſa pro peccatoribus*

VII Flos, Oratio pro peccatoribus.

De hac re ſic regula: *Illas animas peccati mortalis vinculis conſtrictas, in precibus ac Sacrificiis ſuis ſpecialiter Deo commendant, ut à morte peccati eas juſtetur dignetur.*

Licet pro omnibus fieri debeat obſecratio & poſtulatio; pro illis tamen maximè, qui in ſtatu pernicioſo peccati hærere dignoſcuntur. Nam & ſecreta Dei ordinatio, ſublimi ſuo conſilio, ſæpè diſpoſuit per orationem unius, alterius converſionem operari. Sic prædeſtinarat per orationem Stephani ſalutem Pauli adhuc perſecutoris: per orationem B. Monicæ, ſalutem Auguſtini. Et certum eſt, frequenter ob preces piorum fuſas pro illis qui in peccato exiſtunt, plures è peccatis reduci, & ad gratiam vocari. Ob eam cauſam S. Dominicus ſingulis noctibus acerrimè tertiò ſe flagellabat. 1. Quidem ob peccata propria: 2. pro animabus in peccato mortali exiſtentibus, ut Deus eas dignaretur benigno ſuo vultu illuſtrare & educere: 3. pro animabus in Purgatorio detentis, ut eis cederet id in ſatisfactionem. Optima etiam hujus rei praxis eſt in Cœnobiis S. Franciſci in Hiſpania; nam hora nona veſpertina dum decumbunt Fratres, unus ex eis ſingulorum ſolet circuire cellas, & oſtium pulſando inclamare, ut recitent unum PATER NOSTER, pro animabus in peccato mortali agentibus.

Cùm verò omnis oratio noſtra ad impetrandam peccantium converſionem valeat, maximè tamen efficax eſt illa quæ in Sacrificio fit, conjunctim cum Sanguine Chriſti. Hic melius loquitur quàm ſanguis Abel, quandoquidem ille de terra clamans, è Cœlo advocabat vindictam: hic verò invocet miſericordiam: *Sanguis enim Ieſu Chriſti qui per Spiritum S. obtulit ſemetipſum, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo viventi.* Itaque Sacerdotes & Paſtores toto compaſſionis affectu eorum in Sacrificio memoriam debent habere, quos gravioribus peccatis ſciant in perniciem ſuam inhærere; ut fœlicem Deus det illis è peccato exitum, nec æternum quantocius fortiantur exitium. Hæc ergo ſollicitudinis Paſtoralis non minima pars eſſe debet, pro ſubditis pertentibus, pro ovibus errantibus: quas Heb. 9. 14.

si voce monitionis reducere nequimus, voce orationis conjuncta cum sanguine primi Pastoris, in Sacrificio id impetremus.

De S. Ivone. S. Ivo Presbyter, tum miraculis, tum pietate clarus, dolens quendam cum propria matre non levi odio dissidere, conabatur omni ratione reconciliationem inter ipsos inire. Cùm vero nihil proficeret, nullum ad eam rem efficacius remedium se posse adhibere ratus est, quàm pro illis Sacrificium Missæ intima charitate offerre. Perfecit id piùm, & exinde nemine jam sollicitante, solo divino instinctu, ita animis resipuere, ut ille se filium obedientem exhiberet, illa matrem amantem.

LECTIO VIII.

DE OCTAVO FLORE, QUI EST *Castitatis odoriferum Exemplum.*

VIII Flos Castitat. DE hac re sic monet Regula: *Sint omnibus tale castitatis in exemplum, ut & ipsi & familia eorum ab omni sit vel suspicione libera.*

Luc. 22. 31 Dæmon omni hominum conditioni insidias parat, attamen majoris sibi ducit victoriæ & honori, dum personas Deo sacratas in peccata præcipitare valet. Propterea cum Judam Apostolum proditione & desperatione illaqueasset, expetivit & alios Apostolos cribrare, & suæ potestati subjicere, tanquã triticum electum. Abac. 1. 16. *Cibus ejus electus*, inquit Propheta. Cibus quo ab initio vescitur est peccatum, crescit autem peccatum ex dignitate peccantium, quando ingrati sunt post consecrationem, crescit in te injuria Dei, crescit Ecclesiæ damnum, crescit plebis scandalum, & hæ sunt deliciæ saranæ, hoc ejus gaudium. Maximè autem tentat personas Deo sacras de vitio castitati adversis, quia illud vitium in ipsis fœtidius est, gravius & majoris scandali. Itaque specialiter monentur Sacerdotes huic rei sedulò advigilare, quia in illis Christus adamat castitatem, cujus illos vult reminisci per illam candidam vestem quam gaudia gestant, aliorum oculis ostentant; ut nunquam obrivescantur castimoniæ & puritatis, cùm in operibus, cum in animo, & omni conversatione circumferendæ. Gerant semper coram Domino Ephod lineum cum Samuele, quod Castitatis erat symbolum. S. Greg. in 1. Reg. 2 v. 18. Quod inquit D. Greg. *in Ephod linea, nisi continentia candor ostenditur? Quod Ephod accingimur, cum ad pudorem pudicitiæ omni ex parte restringimur: cum anima & carnis nulla pars à districtionis lege absolvitur, per quam ad luxuriæ caliginem defluamus. Talis itaque minister in conspectu Domini est, qui de omnipotentia Dei sperata visione non fallitur cui cum tanta accinctionis mitrâ famulatur.*

Ut vero constet, quantum Deus castitatem coli voluerit à suis ministris, animadversione dignum est, à se electos Apostolos adhuc permisisse in aliqua labi peccata, puta in superbiam & ambitionem, in vindictam & iram, in abnegationem sui & desertionem, & in avaritiam & murmurationem; nulla tamen voluisse eos notari luxuriæ macula, utpotè statui Ecclesiastico nimis fœda, ab illoque planè eliminanda. Certè nihil ita detestari debent qui Deo sunt consecrati, quia hominem maximè reddit indignum præsentiâ Dei, ejusque luminis & gratiæ influxu. Quãdoquidẽ igitur sacerdotes Purissimi Jesu Christi Corpus ore cõficere, manibus contrectare & corde sumere debeant, quid magis curæ eis esse debet quam puritatem cordis & corporis conservare? Alioqui si impuri sunt & impudici, injuriosè ingerentur ut actioni & consecrationi suæ puritatique carnis Deificæ, quæ proximè dimanant à divina & essentiali puritate, nec non Spiritus S. castitatis omnis auctoris & amatoris. Odit ergo maximè Christus spurcitiem carnalem, in ministris sibi specialiter unctis. Odit Pater in filiis suis primogenitis, quos unigenito sicut in potestate, sic & in puritate vult assimilari. Odit Spiritus S. in his quos specialiter sacravit & unxit ut sanctificationi deservirent. Odit Ecclesia in suis mystagogis & mysteriorum Dei dispensatoribus, quos decet similes esse filio hominis, hoc est, præcinctos zona aurea ad renes & mamillas, ut describitur in Apoc. Castitatis scilicet zona dicitur, quia carnis lasciviam, libidinis ardorem, concupiscentiæ stimulum comprimit: & quia sub jugo spiritus sensus omnes & cogitationes ac defluentia desideria ordinat & constringit. Apoc. 15. 6

ADJUMENTA CASTITATIS.

Castitatis adjumenta.

CÆterum, ad tuendam castitatem opus est vigili cura, opus studio diligenti ad cooperandũ gratiæ Dei, quæ nulli deest nisi eam repudianti.

1. Carnis mortificatio fugienda.

Primò igitur, opus est carnem domare otiumque fugere. Et certè nihil mirum si quibusdam difficilior videatur, qui nihil adversus carnem volunt pugnare, sed potius fomitem illi suggerere. Sic enim vivunt aliqui, ut dæmonem alant, & carnem adversus castitatem, dum omnem refugiunt austeritatem, omnem sectantur corporis mollitiem & blandam commoditatem. Hos alloquitur Origenes: Orig. ho. 9 in Lev. *Nescitis quia si carnem solum nutritis, & deliciarum luxui foveatis, insolescet adversus spiritum ferrum illo, quod si sine dubio cum in suam dicionem redactum jure coget legibus ac vitiis obedire. Nutrimenta igitur spiritus sui divina lectio, orationes assiduæ, sermo doctrinæ; hoc alitur cibis his, convalescit his victor efficitur. Quod quia non facitis, nolite conqueri de infirmitate carnis, nolite dicere, Volumus, sed non possumus. Tu da stimulos carni tuæ, tu eam adversus spiritum armas, & potentem facis, dum carnibus saginas, dum vino nimio inundas dum omni mollitie palpas, & ad illecebras nutris.* Hæc ille.

In eas,

By Google

S. Carol. epist ad Battoreum Card.

In eandem sententiam scribit S. Borromæus ad Andream Battoreum Cardinalem, ubi cùm dixisset statum Cardinalium exigere castitatem singularem, adjungit: *Quam unquam assequeris, nisi ea carnis maceratione afflixeris, ejus omnes compresseris, ostium ut pessè fugeris, Deique, nisi in hujus divini doni pul. herrimi conservationem, quod ille tibi custodiendum dedit, omnes animi ac mentis tuæ vires intendevis. Mirum est enim quam facilè ab eis perdatur, qui ejus conservationem non invigilant. Hac aliam ob causam S. Paulus Timotheum quem ab infantia educatum erat, sacrarúmque litterarum edocuerat, qui corpore erat imbecillo & infirmo, qui jejuniis & aquæ potu carnis petulantiam frænarat, tam severè monet, ut seipsum castum custodiat.* Hæc S. Carolus

2. Resistere initiis tentationum.

Secundò, oportet diligenter resistere initiis tentationis, aut malignæ suggestionis? ut sic nequitia dæmonis suffocetur in semine; ut conteratur caput serpentis in cor nostrum illabi cupientis; ut consopiatur scintilla ignis infernalis, ne in aridam paleam nostræ carnis injecta, suscitet incendium. Similiter omnia verba & colloquia quæ aliquam turpitudinis speciem præ se ferunt, magnâ circumspectione sunt vitanda. Hæc quandoque parum æstimantur a Sacerdotibus puta in consortiis hominum impudicè loquentium demorari, & cum illis risum miscere: vel eam cum diverso sexu nugari, redire blandiri. Atque inter hæc, putent se cor mundum posse conservare, quo tamen nihil facilius inficitur, vel verbo, vel cogitatione. Est enim cogitatio immunda, vel verbum dissolutum, instar guttæ olei, quæ in vestem aliquam cadens, statim se dilatat & diffundit.

Sophron. in prato sp. c. 194.

Audi præclarum exemplum hanc rem concernens ex Sophronio.

Quidam ex antiquis Patribus venerat è solitudine Alexandriam, ut manuum suarum opus venderet. Advertit verò juvenculum Monachum publicam ingredientem tabernam; & ob eam rem non parum indignatus, zeloque accensus, quærebat foris occasionem eum alloquendi. Illum igitur egredientem manu à plebe in locum secretiorem ducens, sic affatus est: *Nescis, Frater, quod Angelicum gestes habitum? Ignoras te juvenem esse? An te latet hostem nobis semper vetustate tendere? Interim in tabernas ingredi audes, ubi multa audis, quæ nec decet audire: multa cernis, quæ nec cernere licet, fœdeque ibi inter viros ac mulieres. Obsecro te in Christo, mi frater, desina hujusmodi locis commorari, sed redi ad locum tuum, ad cellam pœnitentiæ, ubi possis salvare animam.* Indignatus juvenis ille, respondit: *Vade senex in viam tuam, Deus non quærit nisi cor mundum & purum.* Tunc in cœlum manus tollens senex, inclamavit: *O Domine Deus, laus tibi sit, & gloria, ecce quinquaginta annis in solitudine dego, & cor mundum non habeo, hic verò juvenis in locis dissolutis frequenter agens, cor purum & mundum illibatè conservat.* Ita senex efficaciter his verbis perstringens omnes qui nihil sibi cavent à consortiis dissolutorum hominum, putant interim cordis puritati hoc parum officere.

Lev. 8.

Istud verò maximè concernit Sacerdotes, qui debent esse petra salis in populis, quorum sermo debet esse in gratia sale conditus, ut ex eorum verbis & sermonibus etiam privatis, audientes æternæ vitæ saporem concipiant, & ab insipidis turpiloquiis deterreantur. Ob quam putas causam in consecratione Sacerdotis extremum auriculæ ejus sanguine victimæ tingebatur? Typus utique erat Sanguinis Christi, quo empti sumus & sanctificati, ideoque glorificare debemus eum in corpore nostro, & omnibus membris ejus: & ita monetur per id Sacerdos, aurem non debere aperire ad sæculi nugas, levitates, & turpiloquia, sed ad audiendum verbum Dei, ad audiendum quid loquatur in se Dominus. Audi hac de re ultionem memorabilem.

De S. Walerico Sur. 1. April.

S. Walericus quodam hyberno die suum repetebat Monasterium: at propter frigoris acerbitatem, coactus fuit divertere ad cujusdam Sacerdotis ædes. Aderat huic Sacerdoti illius loci Prætor, & cùm ignem circumsederent, nihil Viri Sancti præsentiam reveriti, turpiloquia cum risu miscebant, ille verò cum modestia cæpit eos arguere, addens quod si de verbo otioso rationem reddere oporteat, quantò magis de turpi sermone. At illi nihil monitis deferentes, pergebant impudicis verbis connugari. Quid ageret Vir Dei? Ob frigus, inquit, ad vas diverteram, sed oris vestri me ejicit turpitudo. Sicque excutiens pulverem, discessit. Subito autem ulciscens Deus, Sacerdotem oculorum lumine orbum reddidit: Prætoris autem consodalis genitalia putredine correpta sunt, & non multò post expiravit. Surius 1. Aprilis.

3. Mulierum consortium & cohabitatio vitanda.

Tertiò vitanda maximè mulierum consortia, & cohabitationes periculosæ. Hujus rei hic specialiter monemur, quia non pauci in hunc lapidem impegere, & alios naufragium fecere. Viri enim & mulieres consortium velut fomitis & stupæ conjunctio est, ita ut cùm lateat ignis, facilè accendatur illo flante, *Cujus halitus prunas ardere facit;* hoc est, satanæ suggestiones immittente. De hac re frequentia sunt Sanctorum Patrum monita; sed sufficiant modò trium consonantes voces, non parum efficaces.

Job. 41. 12

S. Hieron. ep. ad Nepotianum

S. Hieronymus sic loquitur. *Hospitium tuum aut rarò aut nunquam mulierum pedes terant. Omnes ancillas ac virgines Christi aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne sub eodem tecto mansites, nec in præterita castitate confidas. Nec Davide sanctior, nec Sampsone fortior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper quod Paradisi colonum mulier è possessione sua ejecerit.* Hæc ille, instituens Nepotianum, ubi & plura in eandem sententiam subjicit.

S. Cyprianus præclara hac de re præscribit in libro de singularitate Clericorum, aut quisquis

S.Cypr.de sing. Cleric. Berom. to. 1. probat esse geminum Cypriani partum. S. Bern. serm. 64. in Cant.

auctor libri illius est, dignus sanè, qui attentè perlegatur. Inter cætera sic ait. *Quid illic geritur, ubi libertatis sumis mulier in contubernalitate constantiam? Quando in domesticis negotiis nunc lacertos & femora lanificis operibus nudat, nunc æstuans detegit membra, nunc fatigata jactatur, aut in usum aliquando dissolvitur, nunc blanditias exhibet, & quod vemonosius est, psallere delectatur, cujus cantus tolerabilius est audire basiliscum sibilantem.*

S. Bernardus eodem modo concludit. *Cum femina semper esse, & feminam non cognoscere, nonne plus est, quam mortuum suscitare? Quod minus est non potes, quod majus est vis credam tibi? Quotidiè Latus tuum ad latus juvencula est in mensa, lectus tuus ad lectum ejus in camera, oculi tui ad illius oculos in colloquio, manus tua ad manum ipsius in opere, & continuus vir putaris? Esto ut sit, sed ego suspectum non caveo. Scandalo mihi es, tolle scandalo causam. Si non vis scandalizare Ecclesiam, ejice feminam.* Hæc Bernardus.

DeS Aug. in ejus vita Possid. c. 26. & 27.

S. Augustinus ita hujus rei observator fuit, ut intra domum ejus nulla unquam fœminarum fuerit conversata ne quidem germana soror, nec fratris sui filiæ. Interrogatus cur illarum familiaritatem vitaret, respondit: *Quia licet de sorore aut nepte non sit suspicio, tamen illa quæ ad eas venitasus, suspicionem possunt movere, & inde infirmioribus scandalum nasci.*

Ut verò firmius hæc Patrum monita Sacerdotum menti inhæreant, & eos omni tempore providos reddant ne feminea conversatione inficiantur: Operæ pretium est hic illis in memoriam reducere exemplum quod refert Thomas Cantiprato. Accidit, inquit ipse, modernotempore propè Cameracensem Diœcesim, quod quidam à pueritia celebs & castus, post longum Theologiæ studium Canonicatum sit adeptus; sed animarum zelo prabendam cum Parochiali commutavit: In qua cùm per septennium fructuosè verbo & exemplo laborasset, accidit ut virgo sexagenaria cilicium Sacerdotis lavare solita, sola sine teste conclave ejus ingrederetur. Ad tam nefandum verò infortunium res devenit, ut uterque servato diu castitatis lilio privarentur. Ex qua re mulier ita doluit, ut amoro nimiùm planctu mortem sibi acceleraret: Sacerdos verò in luxuria vilis diu perseveravit. Hæc ille. Quid mirum? Quantò locus altior, tantò casus gravior; & sicut Angelorum, sic & Sacerdotum quandoque casus irreparabilis est. Et certè si fodere liceret parietem cum Propheta, & intra penetralia domuum aspectum inferre, non paucos similes casus liceret agnoscere, non parum abominationis in Ecclesiasticorum domibus esset reperire; idque quia sibi præbidentes incauta sunt seducta conversatione. Nempè verum est illud cujusdam senis, juvenem Religiosum instruentis: *Charissime, attende, quia sal ex aqua est, & si appropinquat aqua, continuò solvitur & desipit. Et Monachus similiter ex muliere est, & si appropinquat muliari, solvitur & ipse.* Ita ille peracutè. Unde nemo præsumat, nemo nimiùm sibi fidat, etiam de præterita castitate, nam duo lapides frigidi si confricentur, ignem excutiunt. Sic vir & mulier familiariter nimiùm cohabitantes, licet casti videantur frigidi, ignem tamen concupiscentiæ facilè possunt excutere. Proinde merito dixit S. Cyprianus: *De carbonibus scintilla dissilunt, de ferro rubigo nutritur de vestimentis procedit tinea, de muliere peccati aculeus, sibilus concupiscentia, fumus pestilentia.* Quod si quis de hac re certior fieri velit, audiat Augustinum sic omnes terrentem. *Experto crede, ceram Deo non mentior, Cedros Libani, Duces gregum sub hac peste cecidisse repero; de quorum casu non magis suspicabar, quam Hieronymi aut Ambrosii.* O quanta igitur videbimus, & admirabimus, in illa die in qua revelabuntur abscondita tenebrarum.

S. Cypr. lib. de singul Cleric.

Augustin. die Item notabile.

Cantip. l. 3. Apum. c. 20.

Sophr. in prato spir. & l. 10. vitæ PP. c. 217.

DE FUGA NOXIÆ FAMILIARITATIS.

Familiaritas noxia fugienda.

EX his igitur monentur etiam Sacerdotes, non nimiam inire familiaritatem cum Virginibus, sub titulo spiritualis institutionis. De qua re præclara monita dat S. Leander Episcopus Hispalensis in quadam institutione ad Virgines, ubi inter cætera cap. 2. sic præcipit: *Quisquis vir, si Sanctus est, nullam tecum quærat familiaritatem: ne videndi jugitate, aut infametur utriusque sanctitas, aut pereat. Decidet enim à charitate Dei, qua perpetrandi mali operis occasionem præbuerit. Decidet à charitate proximi, quæ etsi male non agis, opinionem tamen pessimam famam nutrit. Dispar enim sexus in unum locatus, ea titillatur instinctu, qua nascitur: & naturalis movetur flamma, si incomposita attigerit. Quis colligabit ignem in sinu, & non comburetur? Quis & stupa sibi intraque contraria, in unum redacta flammæ nutriunt: Viri sexus & femina si versus si conjungitur, quo lex natura provocat, commovetur.* Hæc ille.

Monita S. Leandri Ep.

Exemplum huic proposito congruum habemus in vita S. Mariæ Ogniacæ. Cùm quidam illi familiaris, ex spiritualis affectus excessu manum ejus ali quandò stringeret, sensit aliquid in se motus, licet animo esset calto. Cùm verò illa hoc ignoraret, audivit tamen vocem ab excelso: NOLI ME TANGERE. Et cùm non intelligeret significationem, inquirebat à illo, quid hoc sibi vellet: at ipse dissimulans, & diligentiùs sibi in posterum cavens, gratiasque Domino agens de ea monitione, recessit. Consule quæ de S. Arsenio & de B. Ursino Presbytero dixi, Lectione ult. sup. Decalog.

In vita M. Ogniacæ Sur.

Propterea etiam S. Gertrudis, in verbis maximè cavebat, ne cujuscumque hominis cor sibi attraheret, aut ne in ejus se amicitiam insinuaret, ne simili occasione à Deo retraheretur. Omnem enim amicitiam cujus advertere poterat causam, fundamentumque non esse Deum, ut virus lethale horrebat. Unde pro Dei ita zelabatur amore, ut

De S. Gertrude l. 1. Instit. c. 3.

ut ne verbum quidem unum tolerare posset, quod humanum vel sensualem amorem redoleret. Undè licet alicujus maximè egueiset obsequijs, vel beneficijs; malebat tamen carere illis, quàm permittere ut humano secum favore coraliçujus foret occupatum. Ita libro 1. Insinuat. cap. 7.

Joseph à Costa & Delrio. Audi & exemplum mirabile, quod refert Joseph à Costa lib. 2. c. 11. de novissimis temporibus, & Delrio l. 4. c. 2. de Magia. Doctus quidam Theologiæ Professor, magni æstimatus, mulierculæ Patrem spiritualem agebat, & illius familiaritate deceptus, credidit eam (ut eadem jactabat) ingentia mysteria ab Angelo edoceri se illi discipulum exhibuit pravâ mentis cæcitate, & inde in multas incidit hæreses. Credidit enim se Regem & Pontificem esse, Angelis & Apostolis sanctiorem se dixit, se oblatam sibi unionem hypostaticàm recusâsse, & se quoad efficaciam (ut ajebat) orbis Redemptorem. Nullis disputationibus Theologorum ad mentem potuit reduci. Undè tandem judicis sententia igni traditus est.

CONCLUSIO AD CHRISTUM.

Concludo igitur, & cùm nemo possit esse continens nisi Deus det, ad ipsum intimo cordis mei votum converto, & pro omnibus Sacerdotibus deprecans, inclamo: O IESV, Sacerdotum primum & purissimum exemplar, totius auctor puritatis & castitatis; illius zelum, amorem, sollicitam curam imprime cordibus eorum. Quando quidem ipsis opus sit quotidie corpus tuum virginum tractare, & vinum germinans virgines conficere ac fumere. Hanc iis gratiam impertire, ut sincerè universas castitatem hanc adeo necessariam adament & colant, ac bonum illius odorem exterius effundant. Eas ut in omni opere, verbo, cogitatione, conversatione, memoriæ se unctos & consecratos Deo, tum animo, tum carne, ut sanctificent Christum in cordibus suis, & Deum glorificent in corpore suo, tanquam qui Sancta Sanctorum digni sint intra se quotidie recipere. Ita Domine Iesu, Tu qui omnia mundissima auctor omnia munda & virginea elegisti, mundam & virgineam Matrem, & Nutricium, mundum Præcursorem, ac dilectum discipulum virginem, munda & nova sindone involvi voluisti, mundo in tumulo, in quo nemo antea, deponi; qui ab his, qui mundo sunt sordes, ut videri, ab his, qui mundo sunt corpore, possideri: da ut Ministri tui omnem fugiant carnis, animique immunditiam, nec diffluant delicijs, nec lenocinante voluptate corrumpantur; sed sint tanquam apes castitatem corporis præferentes, suave mel in cogitationibus & delectationibus sanctis conficientes, cibum vitæ spiritualis comparatæ exhibentes, & eulcum legis aliga impures exercentes. Sint puri ad sanctissimationes, sint suaves ad refectionem, sint severi ad precatorum ultionem. Sic tandem te sequi possint, tanquam examina apum suum Regem, tanquam inferiores ministri Summum Sacerdotem in Sancta Sanctorum ingredientem, & tanquam pedisequi Te Agnum comitentur quocunque ieris, ut canticum canticum novum cum illis, qui empti sunt de terra, nec cum mulieribus sunt coinquinati.

LECTIO IX.

DE FLORE NONO, QVI EST CONTEMPTVS opum & fuga avaritiæ.

IX Flos. Virtus fuga.

DE hac re sic regula: *Avaritia quæque noxam, tanquam statui Ecclesiastico noxiam & sordidam maculam inurentem, quantum possunt fugiant, nec intra cupidi habeantur.*

Avaritia & cupiditas pestis est exitialis, quam summopere fugere tenentur Ecclesiastici, memores prælari monti, quod Apostolus suo præscribit Timotheo. Nam in ipso erudire cupit cæteros Ecclesiæ ministros, & ab hac pestilenti ægritudine animi eos deterrere. 1. Tim. 6.

1. Tim. 6. 5

Primo igitur de quibusdam dicit: *Quæstum æstimant pietatem.* At ipse hos corrigens, subjungit: *Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia.* Qui sunt qui existimant quæstum pietatem? Nonne illi qui ad sacerdotia & beneficia adspirant, ut opes adaugeant, & temporalia congerant? Sed planè præpostere se gerunt, quia cùm cœlestibus incumbendum illis foret, toto mentis annisu temporalibus lucris potissimum intendunt; & sic quæ ad pietatem ordinata sunt, ad quæstum ipsi ordinant. Hi porro scire debent quæstum magnum esse pietatem, si cum sufficientia sit conjuncta, hoc est, si in fideat animo illius, cui exigua & pauca sufficiunt, eo quod suâ vivat sorte contentus aspernans temporalia, illis non nisi ad sufficientiam & necessitatem utens, nec multa animo inquieto vel corradens, vel exoptans. In tali nimirum parit pietas quæstum magnum, lucrum eximium: opes scilicet cœlestes, mentem pacatam & cœlicam, animum sublimioribus intentum, cœlo thesaurizantem. Nec lucrum aliquod majus, nec quæstus amplior esse potest, quam talis pietas conjuncta cum sufficientia & animi quiete, caduca hæc despiciens, & æterna suspiciens. v. 6.

Talis pietas eluxit in S. Paulino Nolano Episcopo, qui, dum Barbari Nolam vastarent, sic in corde Deum precabatur: *Domine non excrucier; propter aurum & argentum, tu enim scis ubi sint omnia mea.* Animus ejus erat in cœlum pietate sublevatus, ibidem etiam thesaurizabat, & omnia sua recondebat per egenorum manus, ubi eum thesaurizare Christus monuerat.

Secundò, ut à cupiditate & avaritia mortalium animos avertat addit Apost. *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quòd nec auferre quid possimus.* Ubi rationem insinuat, cur sufficientia sit magnus quæstus, & quomodo paucis necessitatibus contenti vivere debeamus, non verò congerendis 1. Tim. 6. 7.

Digitized by Google

opibus ſtudere. Quia nempe hæ opes tantum datæ ſunt ad uſum præſentis vitæ, quæ brevis eſt, in qua nobis continuè tendendum eſt ad alteram beatam & æternam. Temporalia igitur à latere reſpicienda ſunt, tota intentione anhelante ad æterna. Et cùm non plus opum dives efferat, quàm pauper, fruſtra in his ſtudium agit & animum: quin potius in illis ſtudium collocare deberet, quæ efferre poterit; in operibus ſcilicet & lucris pietatis. Itaque habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus.

De S. Baſil. Surius in vita.

Hoc etiam ſuo exemplo docuerunt ſancti Patres, peregrinos ſe reputantes in hoc ſæculo, & in pietate cum ſufficientia viventes. Inter hos S. Baſilius, qui cum ab Epiſcopatu pelleretur in exilium, nihil aliud habebat præter libellos pauculos, & pannoſam veſtem qua indutus erat; hæc erat ſola illius ſupellex. Quam cùm Præfecto Imperatoris Valentis exili i ſententiam pronuntianti obtuliſſet, dixit: *Exilium nihil ad me ſpectat, cum domus quam inhabito, aliena ſit. Nihil poſſidens, ab exilio metu liber ſum: unam cognitio omnium patriam Paradiſum, terra commune exilium eſt incolæ ego ſum in terra, ſicut omnes Patres mei.* Ita Nazian. in orat. funeb. de

De S. Gregor. Thaumatur. Niſſenus in vita ejus.

S. Baſilio. Idipſum agnovit S. Greg. Thaumaturgus, qui teſtu Niſſeno in ejus vita, moriens obteſtatus eſt ſuos, ne peculiarem & proprium ſibi locum ſepulturæ compararent. Rationem addebat hanc: *Si vivus non ſuſtinui vocari alicujus loci Dominus, ſed inquilinus vixi in aliena, neq; poſt mortem pudebit eſſe inquilinum; ſed hoc narratur noſtris, quod Gregorius neq; vivus loci alicujus poſſeſſor eſt nominatus, & poſt mortem ſua ſit inquilinus alienorum ſepulchrorum, ſeipſum ſejungens ab omni in terra poſſeſſione, adeo ut nec in proprio quidem loco voluerit ſepeliri. Solam enim poſſeſſionem illam judicavit pretioſam, quæ in ſe avaritiæ vitium non admittit.* Hæc ipſe.

Tertiò, ut cupiditatem & avaritiam eliminet

Ib. v. 9.

Apoſtolus, addit: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum, & deſideria multa nociva, quæ mergunt homines in interitum.* Propterea opes dictæ ſunt ab antiquis compedes Plutonis; ſive illis conſtrictus animus non eſt liber, ſive quia tali laqueo homo in regiam Plutonis, hoc eſt, in tartarum devolvitur, nec facilè ſe expedire poteſt. Multa deliderio nociva pariunt opes, vel ut congerantur, vel ut augeantur, vel ut extendantur: animumque diſtrahunt in varias partes, & terrenis cogitationibus aggravant, ut non ita ad cœleſtia erigere ſe poſſit, ſed facilè ad infima revolvatur.

Ibid, v. 10.

Undè pro concluſione ſubjicit Apoſt. *Radix omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes inſeruerunt ſe doloribus multis.* Amorem pecuniæ (hoc enim ſignificat Græca vox philargyria) vocat radicem omnium malorum: quia ex illa omnis generis mala naſci poſſunt, & quandoque nata ſunt: *Non quod cenſus ſit in crimine, ſed effectus*, ut loquitur S. Greg. *Cuncta enim, quæ Deus condidit, bona ſunt, ſed qui bonis male utitur, id profectò agit, ut quaſi per edacitatis ingluviem, illo quo vivere debuit, pane moriatur.*

Hæc porrò Apoſtoli monita licet ad omnes dirigantur, præſertim tamen concernunt Eccleſiaſticos & Sacerdotes: quia ut dixi, illos inſtruit in perſona Timothei Epiſcopi & Paſtoris. Avaritiæ ergo nota illis maximè fugienda, tanquam noxiam maculam ſtatui Eccleſiaſtico inurens. Sacerdos enim aut Paſtor, qui pecuniæ ſtudere agnoſcitur, non ſolam ſibi nocumentum, ſed & alijs generat ſcandalum. Ac deindè vix muneri ſuo ſatisfacere poteſt, lanam potius & lac, quàm ovium ſalutem expectans; cogitationes in nummis ponens, animas negligens, & pauperum curam derelinquens. Quando pro ijs daturus eſt animam, quibus externam denegat ſubſtantiam? quomodo etiam implere poſſet illud monitum Apoſtoli: *Præcipe divitibus non ſublimè ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum ſed ſperare in Deo vivo, benè agere, divites fieri in operibus bonis, facilè tribuere & communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam.* Quomodo, inquam, hæc omnia poterit præcipere Paſtor, ſi ipſemet in opibus ſpem aut affectum deſigat; ſi illis accumulandis magis ſtudet, quàm bonorum operum meritis: ſi non facilis ſit ad erogandum egenis, ſi fundamentum bonum & ſolidum cœleſtium & æternarum opum negligat.

1. Tim. 6. 17.

Quapropter, ut oſtendat Apoſtolus, ſe omnia antea de cupiditate & avaritia dicta ad Chriſti miniſtros dirigere, ſic concludit: *Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge; ſectare verò juſtitiam, pietatem, fidem, charitatem.* Illa vox; *Homo Dei*, vel *Vir Dei*, in Scriptura ad miniſtros Dei ſolet dirigi. Hoc enim titulo gaudent, quia Deo ſpecialiter ſunt conſecrati, quia ejus ad plebem internuncij, quia rerum divinarum adminiſtri, quia Vicarij per quos loquitur, operatur regitque populum. Hinc in antiquis Scripturis hoc nomen tribuitur Prophetis, quos Dei ſpiritus regebat: *Homo Dei, Rex dicit deſcende*, dicebat quidam Eliæ. Et de Samuele dicitur: *Vir Dei eſt in hac civitate.* Et de Angelo dicit Manue: *Vir Dei venit ad me.* Ergo ô Sacerdos, memineris te virum Dei, memineris te eſſe Chriſti, vide cui ſervis, vide cui conſecratus ſis, vide quo ſpiritu duci te convenit. Utique non ſpiritu hujus mundi, ut peritura ſecteris, & inhæreas his, quæ ſunt labentis ſæculi; ſed ſpiritu Dei, cujus es vir, cui ſervis, cui ideò es conſecratus, ut ad divina & cœleſtia totam mentem, totum affectum erigas. Quid tibi cum Mammona, qui Dei es? Quid tibi cum Plutonis compedibus & vinculis, qui Chriſto es obligatus? An fortè ſperas te duobus Dominis poſſe ſervire, Deo & Mammonæ? An in eodem cordis tui templo & altari exiſtimas te poſſe collocare Dagon & Arcam Dei? Fuge avaritiam, quæ cultum Dagon & Mammonæ promovet, & miniſterium tuum deturpat: ſectare verò juſtitiam, pietatem & charitatem, in quibus

4 Reg. 1. 11.
1. Reg 9. 6
Judic. 13: 6.

Dei

Dei & Chriſti cultus conſiſtit. Utere rebus hujus ſæculi ad Dei gloriam, ad pauperum levamen, ad tuam neceſſitatem : & ſectare in ſpiritu & affectu paupertatem tantopere à Chriſto, qui pretium ejus noverat, adamatam. Atque ut verbis Auguſtini concludam: *Extirpa cupiditatem, & plana charitatem; ſi ut omnium malorum radix eſt cupiditas, ita & omnium bonorum radix eſt charitas.*

Auguſt.

LECTIO X.

DE DECIMO FLORE, QVI EST FRVGALITAS, & pia bonorum Eccleſiaſticorum Diſpenſatio.

X. Plus Frugalitas & pia diſpenſatio bonorum Eccl.

DUo extrema Eccleſiaſticis ſeduló vitanda ſunt. Primum quidem, nimia temporalium bonorum cura & coacervatio, quæ affectum ad ſe trahit, & mentem non parum diſtrahit: Nam dum per multa ſpargitur, ſtare in intimis fixa prohibetur. Propterea dum ad Clerum quis aſſumitur, crines ei raduntur, ſeu detondentur, atque per eam detonſionem, rerum temporalium cura ſuperflua ab illis abjicienda deſignatur. Nam ſicut pili non ſunt pars corporis, ſed quædam ſuperfluitas à corporis humore procedens: ſic temporalia non nobis naturalia, ſed velut aliena ſunt & ſuperflua; ideoque nimia eorum cura & cupiditas reſecanda, ut vertex capitis, id eſt animus, maneat liber, & cœleſtium cogitationi idoneus. Sed & hujus rei monet ipſum nomen: Nam Clerus ſors appellatur, & Clericus quis dicitur, quod de ſorte ſit Domini, vel quia ipſe Dominus ſors, ſive pars & hæreditas ejus ſit. Ergo qui Eccleſiæ ſervit, hujus rei meminerit, & nitatur eſſe quod dicitur. Si ipſe Domini pars eſt, vel Dominum habet ſpartem & hæreditatem, talem ſe exhibere debet, ut ipſe poſſideat Dominum, & poſſideatur à Domino. Ergo de altaris obſequio victum & veſtitum habens, his contentus ſit, nec lucra, nec opes ſæculi in Chriſti quæras militia, alioquin non Dominus pars ejus & funiculus hæreditatis ejus, qui extra Dominum partem quærit, & poſſeſſionem ſuperfluam.

S. Hieron. S. Aug.

Sic ſolent hac in re ratiocinari SS. Patres, præſertim Hieronymus epiſt. ad Nepotianum, de vita Clericorum, & Auguſtinus lib. de contemptu ſæculi tom. 9. Clericos cupidos, tenaces & avaros hac ratione perſtringentes. Et certè ſi in Evangelio Domini (inquit S. Ambroſius) etiam populus ipſe ad deſpicientiam opum informatus, atque inſtitutus eſt, quanto magis nos Levitas oportet terrenis non teneri cupiditatibus, quorum Deus portio eſt? In eandem ſententiam Sidonius Epiſcopus Avernenſis lib. 9. epiſt. 3. ſic ſcribit ad Fauſtum Regienſem Epiſcopum: *Tuas precatibus obtine, ut portio noſtra ſit Dominus, atque adſcripti turmæ Levitarum, nec remaneamus terreni, quibus terra non manet, inclinemusque ſicut à ſæculi luxu, ſic quoque à culpis peregrinari.* Itaque ſi opes in Clero affluant, non eſt illis cor apponendum, non in illis gaudendum, non magni pendendæ ſunt. Adhiberi quidem debent ad vitæ neceſſitates, ſed ut terra, ſine qua ne vivere quidem poſſumus, & tamen adeo non habetur in pretio, ut etiam pedibus teratur, & ſi quid fortè adhæſerit, ſtatim excutiatur. Terrena ergò ſint quidem in uſu, ſed æterna in deſiderio; ſic Dominus erit noſtra portio.

S. Amb. Sidon. Apoll.

Alterum extremum omninò etiam vitandum, eſt bonorum Eccleſiaſticorum prodiga, ſeu inutilis profuſio. Hoc enim ſibi certò perſuadere debent, qui Eccleſiaſticis bonis abundant, non ideò poſſe genio indulgere, vel illa ad luxú & vanitatem profundere, in epulas & convivia, in ædificia ſumptuoſa, aut in alios uſus profanos: ſed ſibi concredita eſſe, ut moderatè & frugaliter in ea, quæ honeſtæ ſuſtentationi ſunt congrua, expendant, ac reliquum in pios uſus erogent. Certè ſtrictior hic ratio exigenda eſt, quàm communiter Eccleſiæ Miniſtri ſibi perſuadere videantur. Ac inprimis non pauci, illique valdè eruditi, cum Theologi, tum Juriſperiti, opinantur Eccleſiaſticos non eſſe proprié Dominos ſuorum redituum, ſed tantum uſumfructum habere, ac diſpenſationem illorum: ita ut ex juſtitia teneantur, quod ſupereſt decentiæ ſtatús, in pauperes, vel pias cauſas erogare, alioqui obligationem reſtitutionis incurrere. Audi quomodo hac de re loquatur graviſſimus Theologus Petrus à Soto de inſtruct. Sacerdotum: *Primo omnium conſtat ex decurſu totius Eccleſiæ ab Apoſtolis, & ipſo jure divino, bona omnium Eccleſiarum, cùm Chriſti ſint, meritò etiam pauperum eſſe; nec ullatenus aut paratæ humanæ fieri poſſe, ut licitè in alios uſus, quàm Eccleſiaſticos & pauperum exigi poſſint. Contrarium credimus eſſe errorem graviſſimum, ſalem contra bonos mores & juſtitiam: & quidem etiam contra Scripturam.* Atque huic opinioni non parum favent dicta ſanctorum Patrum, & Canones, de quibus ſtatimitta ut ſententia illa ſit tutior, & in praxi Beneficiarijs conſulenda.

Prodigalitas bonorum Eccl. vitanda.

Eccleſiaſtici an ſint proprié Domini ſuorum redituum.

Pet. à Soto. p. 2. lect. 3.

Sed etſi alteram ſententiam ſectemur, nimirum illos eſſe verè Dominos omnium ſuorum proventuum, tamen nec à Theologis, nec à Juriſperitis negari poteſt, eos ſtrictè omninò obligari ad eleemoſynas, & pias largitiones de ſuperfluis ſtatui ſuo, ſive honeſtæ & decenti ſuſtentationi; & peccati mortalis reatum incurrere, ſi in profanos uſus notabilem ſummam expendant; quamvis ad reſtitutionem non obligentur. Id verò multiplici ratione poteſt declarari.

Primùm quidem, quia Eccleſiaſtici in ſtatu perfectiori degunt, & ideo ſtrictiùs quàm Laici tenentur pauperum curam gerere; tanquam pauperum Patres & Tutores, ut inſinuant ſacri Canones. Et hoc quidem de Eccleſiaſticis omnibus verum eſt, maximè tamen de illis, qui curam gerunt animarum.

Hoc

Digitized by Google

De S. Joanne Eleemoſyn.

Hoc probè intelligens S. Joannes Eleemoſynarius, cum primùm factus eſſet Epiſcopus, illis accerſitis, qui res Eccleſiæ diſpenſabant, illis etiam præſentibus, qui erant à ſecretis, *Nomen eſt* (inquit) *juſtum ô Fratres, & in miniſterio ſocij, nullum alterius rei curam gerere priusquàm Chriſti* Eunuchi itaque per totam ciuitatem, *ſingulatim deſcribite meos Dominos.* Cùm autem illi dubitarent, quinam eſſent hi Domini, dixit ipſe: *Quos vos pauperes & mendicos appellatis, ego Dominos meos & adjutores nomino, illi ſolo nobis poſſunt opem ferre, ut à Chriſti regno non excidam.* Factum eſt quod juſſerat, & omnes numerati efficiebantur ſeptem millia & quingentos, unicuique verò eorum dedit ſumptum diurnum. Idem poſtea quæcunque habere poterat, etiam lectorum ſtragula, pauperibus diſtribuebat; cumque pauperes adeo profuſam liberalitatem mirarentur, reſpondere ſolebat: *Fratres nondum ſanguinem pro vobis fudi, ſicut præcepit mihi Dominus Jeſus Chriſtus.*

Memoratu dignum exemplum S. Ioan. Eleemoſ. de culcitra.

Jucundum & memoratu dignum eſt, ejus cum quodam divite certamen. Miſerat dives ei dono culcitram mollem è plumis, at ubi pluimum in ea cubavit nocten illam inſomnem egit, ingemiſcens mollius ſe jacere, quàm ſuos Dominos; cumque illuxiſſet, juſſit culcitram vendi, & pecuniam pauperi dari. At dives ille ab emptore redemptam ei iterum miſit, obſecrans ne iterum venderet, ſed eâ frui vellet. Verùm non potuit precibus impetrare quin iterum venderet. Sic dives ſecundo redemptam eidem remiſit dicens: *Videbimus uter noſtrum citius defatigabitur, tu vendendo, an ego redimendo.* Ille hæc modeſto riſu excipiens, dixit: *Gratias Deo ago, quod inituros ſimus certamen, divitis ſalubre, pauperi commodum, mihi jucundum.* Et ita quoties miſſum eſt munus, ipſe toties illo vendito pauperibus ſubveniebat.

Secundò, quia Eccleſiaſticorum bona, quæ ex beneficijs percipiuntur, ita ſunt Chriſti, ut in Jure vocentur Patrimonium Crucifixi, & res Dei, ideoque obligationem ſpecialem ſecum volvunt, ut in ejus honorem & cultum impendantur. Ita enim loquitur Urbanus Papa: *Ipſæ res fidelium oblationes appellantur, quia Domino offeruntur; non ergo debent in alios uſibus, quàm Eccleſiaſticis, & Chriſti amorum fratrum indigentium converti, quia vota ſunt fidelium, & preſtia peccatorum, ac patrimonia pauperum, atq; ad præditum opus explendum à Domino tradita; ſi quis autem, quod abſit, ſecus egerit, videat ne damnationem Ananiæ & Sapphiræ percipiat, & rem ſacrilegij efficiatur, ſicut qui preſtia prædiorum fraudaverunt.*

Urbanus in decret.

Baſil. ep. ad Julian.

Quapropter S. Baſilius in epiſt. ad Julianum Apoſtatam, depoſcentem à ſe talenta aliquot auri, ſic ſcribit: *Reditus Epiſcopatus mei ſunt unus ager, decem olea, decem alvei, una mola, domus una, ovis quadraginta, octo palmæ, tres fici, parvus hortus. Quorum ego me Dominum non cenſeo, ſed diſpenſatorem, cum mihi eorum incumbat cura, ut inde pauperes alantur. Nam his ſtatus noſter adeo arctus eſt, ut ſi quis quiſpiam Sacerdotum ea ſibi reſervet, aut in mutuos uſus expendat, æqualem pœnam meretur, & qui diripidat, & qui ex altaris furatur.* Ita Baſilius.

Tertiò ſaltem ex præcepto Eccleſiaſtico tenentur portionem redundantem decentiæ ſtatûs, non in profanos, ſed in ſacros uſus Beneficiarij expendere. Colligitur manifeſtè præceptum illud ex Concilio Tridentino, ubi ait: *Interdicit S. Synodus Epiſcopis, ne ex reditibus Eccleſiæ conſanguineos familiares ſuos augere ſtudeant, cum & Apoſtolorum Canones prohibeant, bona Eccleſiaſtica quæ Dei ſunt, conſanguineis donare; ſed ſi pauperes ſint, eis ut pauperibus diſtribuant. Quæ verò de Epiſcopis dicta ſunt, eadem non ſolum in quibuſcunque Eccleſiaſtica beneficia, tam ſæcularia, quàm regularia obtinentibus, pro gradu ſuæ conditionis obſervari, ſed etiam ad S.R.E Cardinales pertinere decernit.*

Cóc. Trid ſeſſ. 25 c. 1. de refor.

Ad hujus porrò præcepti elucidationem juvat obſervare, initio Eccleſiæ ante erecta beneficia, & antequam miniſtris ſingulis in particulari eſſet portio aſſignata, proventus fuiſſe communes: quia & Clerici vivebant in communi, & ſingulis dabatur ab Epiſcopo, qui omnium erat adminiſtrator, quantum cuique opus erat, ſumebatque quiſque menſtruam ſportulam. Sic enim loquitur S. Cyprianus, vocans, *Clericos ſportulantes eos*, qui hæc vitiis ſtipendia ab Eccleſia capiebant. Quod verò ſupererat, in pauperes & alios pios uſus erogabatur. Proceſſu verò temporis charitate refrigeſcente multa exorta ſunt incommoda, vel quod non poſſent pacificè ita inter ſe vivere, vel fortè quod plerique majores poſcerent commoditates, & Eccleſiaſtico ſtatui ſe nollent dicare ſub tanta diſciplina & tenui portione. Sic ſenſim præbendæ ſunt inſtitutæ & beneficia, ac ſingulis dati annui proventus, quibus poſſent ſeorſim vivere, & copioſè ſe alere. Neque tamen ideò ablata eſt obligatio, qua præcipiebatur portio redundans honeſtæ ſuſtentationi in pauperes erogari: ſed voluit Eccleſia id quod fiebat per Epiſcopum adminiſtratorem, id modo à ſingulis fieri pro cujuſque facultate, & prudenti adminiſtratione, quandoquidem illi loco Epiſcoporum in adminiſtrationem ſuccederent certæ portionis. Alioquin niſi eſſet hæc Eccleſiæ intentio, non ſatis prudenter Eccleſia affluentiam eis conceſſiſſet: quæ potius verteretur in occaſionem luxûs & ſuperbiæ, & ſic etiam fruſtrarentur pia Fidelium vota reditus amplos conſtituentium in Eccleſia. Hanc igitur intentionem Eccleſiæ declarat Tridentinum, & obligationem præcepto rigoroſo renovat.

S Cypr. ep. 66.

CONFIRMATIO XX SANCTIS PATRIBUS.

QUartò audiendi ſunt hac de re ſancti Patres. Et quidem jam antè audivimus S. Joan. Epiſcop. Alexandrinum, & S. Baſilium: his porrò ſub-

subſcribens S. Bernardus, multis in locis ſublimi voce invehitur contra Eccleſiaſticos, bona Eccleſiæ in uſus profanos expendentes. In declamationibus ſuper Evangelium: Ecce nos reliquimus omnia, ſic dicit: *Res pauperum non pauperibus dare, parſa ſacrilegij crimen eſſe dignoſcitur: ſanè patrimonia pauperum facultates Eccleſiarum ſunt & ſacrilegè eis ſubtrahuntur quicquid ſibi miniſtri & diſpenſatores, non utique Domini, ultra victum & veſtitum accipiunt.* Quod quidem amplificans in epiſt. 42. ad Henricum Senonenſem Archiepiſcopum ſic proſequitur: *Clamant nudi, clamant famuli, & dicunt: Nobis fame & frigore laborantibus, quid conferunt tot monaſteria ſervientia domibus veſtris? Nonne eſt quod offenditis, noſtra crudeliter ſubtrahitur, quod inaniter expenditis? Duo mala de una prodeunt radice cupiditatis, dum vos vanitando pereatis, & nos ſpoliando pereamus. Hi omnes in futuro eſſurient magnâ conſtantiâ adverſus eos qui ſe auguſtiaverunt, ſtante pro ſuo Patre orphanorum & judice viduarum & dicente: Quod non feciſtis uni ex minimis meis, mihi non feciſtis.* Idem ſerm. 33. in Cant. multis agit hac de re, inter cætera ſic habet. *Serpit hodie putidus abſes per omne corpus Eccleſiæ, & quo latibi, eò deſperatius, eoque periculoſius quò interius. Nam ſi infurgeret apertus inimicus hæreticus, mitteretur foras & arceret: nunc verò quem ejiciet, aut quò abſcondet ſe? Omnes amici, & omnes inimici omnes neceſſarii, & omnes adverſarii, omnes domeſtici, & nonnulli pacifici, omnes proximi & omnes quæ ſua ſunt quærunt. Miniſtri Chriſti ſunt & ſervium Antichriſto, honorati inſidiant de bonis Domini qui Domino honorem non deferunt. Inde unum quem queri ſic videres, meretricius nitor, hiſtrionica habitus regius apparatus. Inde aurum in frenis, in ſellis & calcaribus, & plus calcaria, quàm ad aras fulgent. Inde ſplendida menſa, & cibi & ſcyphi. Inde comeſſationes & ebrietates; inde cythara, & lyra, & tibia; inde redundantia ſæcularia, & promptuaria plena crudentia ex hoc in illud, indè dolia pigmentaria, indè vaſorta marſupia. Præhujusmodi eſſe volunt Eccleſiarum Præpoſiti, Decani, Archidiaconi Epiſcopi, & Archiepiſcopi. Olim prædictum eſt, & nunc tempus implationis advenit; Ecce in pace amaritudo mea amariſſima. Amara prius in nece Martyrum, amarior in conſtitutione hæreticorum, amariſſima nunc in moribus domeſticorum.* Hæc S. Bernardus. Cyprianum. In ſerm. de lapſis rationem reddere volens, cur Deus permiſiſſet perſecutionem, ait: *Studebant augendo patrimonio ſinguli, & obliti quid credentes, aut ſub Apoſtolis antè feciſſent, aut ſemper facere debuerunt, inſatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incubabant. Non in Sacerdotibus religio devota, non in miniſtris fides integra, non in operibus miſericordia, non in moribus diſciplina corrupta barbaris viris in fœminis forma fucata. Adulterati poſſe Dei manus oculi, capilli mendacio colorati; ad deciſionda corda ſimplicium callida fraudes, circumveniendæ fratribus ſubdola voluntates; non jurare tantùm temerè, ſed adhuc etiam pejerare: Præpoſitos ſuperbo tumore contemnere: convenire ſibi ore maledicere, odio pertinaciter invicem diffidere. Epiſcopi plurimi, quos & hortamento eſſe oportet cæteris & exemplo, divina procuratione contempta procuratores rerum ſæcularium fieri, deſerta cathedra, plebe deſerta per alienas provincias obervantes, negotiationis quæſtuoſæ nundinas aucupari; eſurientibus in Eccleſia fratribus non ſubvenire; habere argentûm largiter velle, fundos inſidioſis fraudibus rapere, uſuris multe plicantibus fœnus augere. Quia non perpeti tales pro peccatis ejusmodi merentur?* Hæc S. Cyprianus.

S Bern. ſer. Ecce nos reliquimus.

Idé ep. 42.

Idem ſer. 33. in Cãt.

S. Cypr. ſerm. de lapſis.

Hos SS. Patres citans Card. Bellarm. hæc adjungit; Perpendant noſtræ ætatis homines, an ea, quæ deplorant ſanctiſſimi iſti viri in moribus ſuorum temporũ; non ſint omnino ſimilia peccatis temporum noſtrorum: ob quæ nos quoque lugere aſſiduè ac gemere debeamus. Adde, quod quemadmodum veteres illi populi habuerunt ſuos Cyprianos, ſuos Bernardos, qui cæteris vitâ & exemplo prælucebant, & propterea inexcuſabiles erant, qui ad illa lumina oculos claudebant: ſic & nos habuimus diebus noſtris, non paucos viros ſanctiſſimos, quorum mores & vita reliquis omnibus regula benè vivendi eſſe potuerunt. Sed nos potiſſimùm, qui Eccleſiaſtici tumus habuimus S. Carolum, quaſi lucernam lucentem in caliginoſo loco, eamque non ſub modio, ſed ſuper candelabrum celſiſſimum, undè lucebat omnibus, qui in domo Dei ſunt.

Bellarm. l. 2. de gemitu columbæ c. 4.

Qualis autem fuerit ex comparatione eorum, quos SS. Patres Cyprianus & Bernardus reprehendunt, facilè cognoſci poterit. Illi cathedram, id eſt, munus concionandi, Epiſcoporum proprium relinquebant: iſte cathedram non reliquit, niſi cum vita eum reliquit. Illi plebem deſerentes ad temporales nundinas in aliis provinciis vagabantur: iſte plebem ſibi à Deo creditam nunquam deſeruit, niſi quando plebis ſuæ utilitas vel neceſſitas compulit. Illi fratribus pauperibus non providebant: ſed argentum largiter poſſidere gaudebant; iſte patrimonium ſuum, ut haberet unde pauperibus largiter ſubveniret, cum gaudio diſtribuebat. Illi non erubeſcebant uſuris multiplicantibus fœnus augere: iſte miſerebatur inopum, ut Domino ſoli fœneraretur, ſciens ſcriptum eſſe: Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis. Illi non multùm laborabant, quod non eſſet in Sacerdotibus religio devota, in miniſtris fides integra, in moribus diſciplina: iſte dies ac noctes excuſabat, ut reſtitueretur in Eccleſia ſua priſtina Clari ac populi Eccleſiaſtica diſciplina. Inde tam multas habemus ab ipſo poſteris relictas conſtitutiones, ordinationes, admonitiones. Atque hæc ex Cypriano. Addamus pauca ex Bernardo. Epiſcopi, quos S. Bernardus corripit, honorati incedebant de bonis Domini, qui Domino non ſerviebant: iſte in publico utebatur veſtitu, quem dignitas exigebat, ſed privatim viles & attritas veſtes gerebat; Domino autem ita ſerviebat, ut verbo Dei & ora-

Digitized by Google

ſine licentia, nunc ibi cum diſpenſatione. Atque illud etiam timendum eſt, ne qui non unus, ſed plures eſt in beneficiis, non unus, ſed plures ſit in tormentis.

Exempla ex Cantiprato.

Horum plura exempla refert Cantiprato, qui aſſerit circa annum 1278. fuiſſe Pariſiis ſolemnem diſputationem, ubi omnes Theologi à Guilielmo Epiſcopo Pariſienſi convocati, uniformiter determinaverunt, duo beneficia dummodo unum valeret quindecim libras Pariſienſes, retineri non poſſe cum ſalute animæ. Duo ſolùm Theologi huic aſſertioni tunc ſunt refragati, Philippus Cancellarius Pariſientis, & quidam Arnoldus poſtea Epiſcopus Ambianenſis. Sed quid de iſto Philippo contigerit ſic enarrat. Agonizantem in morte dictus Guilielmus Epiſcopus paterna ſollicitudine viſitavit, rogans ut ſingulari opinioni cederet de pluralitate beneficiorum, & omnia ſua beneficia excepto uno in manus Eccleſiæ reſignaret, eâ conditione, ut ſi convaleſceret, ei ſuppleret ipſe de proprio; renuit verò agere, experiri ſe velle dicens, an ſit damnabile beneficia plura tenere Sic ergo mortuus eſt. Poſt paucos dies, cùm Epiſcopus finitis Matutinis oraret, vidit inter ſe & lumen quaſi umbram hominis tetram. Elevata ergo manu confignat ſe, & ſi ex parte Dei ſit, præcipit ut loquatur. Cui reſpondit is qui apparebat : *Alienus à Deo ſum, ſed tamen ſ. Guilielmi ejus : ego enim ſum Cancellarius ille miſerrimus* Rurſus Epiſcopus. *Et quomodo tibi eſt ſic dolenti ?* *Damnatus, inquit, ſum æterna morte, & tres fuere cauſæ damnationis meæ. Una eſt, quòd de roſecentes fructus annuos contra pauperes timidè reſervavi. Secunda eſt, quòd contra ſententiam plurimorum de pluralitate beneficiorũ opinionem propriam defenſavi, & in hoc me periculo mortali culpa commiſi. Tertia eſt, quòd carnis vitio cum ſcandalo multo tempore laboravi.* Hæc ille.

Pluralitas beneficiorum cauſa damnationis.

Refert idem, ſe cuidam alteri magnæ eruditionis viro cum extremo morbo conflictanti adfuiſſe. Reduxique ei, inquit ipſe, ſolemnem illam diſputationem & determinationem de pluralitate beneficiorum, cui ipſe interfuerat Doctor magnus; conſulens ei cum magna lachrymarum inſtantia, ut unam præbendarum dimitteret, quia duas contra animam ſuam tenuerat, quarum una ad omnem vitæ copiam ſufficere poterat. Tunc ille facie converſa diſſimulans, hoc tantùm reſpondit : Orate Dominum, ut inſpiret. Nec diu poſtea cùm receſſiſſem & tenuiſſimo vix hærente ſpiritu, hoc idem quod conſulueram ei quidam conſobrinus cum lachrymis inclamaret, cum voce non poſſet, manu innuens expiravit, poſt cujus obitum cùm quidam ex noſtris ſtupefactus cogitaret, cur tantus homo ſi mortale peccatum eſſet plura beneficia retinere, in tali ſtatu obiiſſet : mox quaſi ſemi vigilanti mortuus apparens dixit : *Hæc ſola prebendarum cauſa eſt, propter quam ſic ego æternaliter ſum damnatus.*

Damnatus propter plura beneficia.

Addit idem & alia exempla his verbis : Ego in quadam civitate Epiſcopali annis undecim adolevi, ubi ſexaginta duo Canonici ſub præbendis pinguiſſimis ducentarum ferè librarum Pariſienſium in matrice Eccleſia ſerviebant, quorum plures erant beneficiorum plurium detentores. Ego qualem vidi vindictam in ipſos, mihi teſtis & Judex ſit S. Trinitas. Paucos enim vidi communi morte defungi, ſed omnes ſubitò & reprobè mori : ita ut quidam eorum audito quod unus ſociorum nocte ſanus, manè mortuus inventus eſſet, complosis manibus dixerit Quid vultis ? Secundum uſum & mortem Eccleſiæ mortuus eſt, ut videtis. Vidi ego in ea Eccleſia quatuor Archidiaconos ſic defungi. Primus eorum de equo phalerato cecidit, & fracta cervice expiravit. Secundus manè in cathedra ſedens, mortuus eſt repertus. Tertius in choro ſtans cum ad Miſſam elevatio Corporis Chriſti fieret, cecidit reſupinus, & ſubtracta loquela cum ſenſu, quaſi brutum animal terria die ſine Sacramentis eſt defunctus. Quartus Confeſſionem Sacramentaque recuſans, mortuus eſt, & extra cœmiterium ſepultus. Hæc Thom Cantip. l. 1. Apum, c. 19. p. 5 & ſequentibus.

Quam periculoſa pluralitas beneficiorum.

Poſſem & ego noſtri temporis exempla plura recenſere, quibus oſtenderem ſubita & improviſa, vel dubia morte abreptos fuiſſe in florida ætate, beneficiorum multorum occupatores; in diſpenſatione taliter qualiter ſine ſufficienti fortè cauſa impetrata, vel in favorabili aliquorum ſed periculoſa opinione, nimis confidentes. Verùm quia & in judiciis Dei occultis non debet præceps noſtrum eſſe judicium, & recens adhuc memoria animos aliquorum illis ſaventium exalperare poſſet, lubens prætereo. Hoc ſolùm inculcatum velim his qui hæc legunt, iſtam beneficiorum accumulationem, vel bonorum Eccleſiaſticorum, non carere gravi periculo.

DE DONATIONE IN CONSANGUINEOS REPROBATA.

Donatio in cognatos reprobatur. Trid. ſeſſ. 25. c. 1.

DEducitur item manifeſtè ex mente SS Patrum, bona Eccleſiaſtica in conſanguineos haud liceré profundi, ut illis ditentur Quod expreſſit Concilium Tridentinum, hortans & monens Eccleſiaſticos, *ut omnem humanum hunc erga fratres nepotes, proſinquoſque carnis affectum, unde multorum malorum in Eccleſia ſeminarium extat, penitus deponant.* Iis tamen ſi pauperes ſint, ex charitate ut pauperibus ſubvenire, laudabile eſt, ut decernit etiam Concilium : *Nam & illa probanda liberalitas, ut proximos ſeminis tui non deſpicias, ſi egere cognoſcas*, ut dicit S. Ambroſ. 1. de off. c. 30.

Cognati non diuendi ex bonis Eccleſiæ. S. Baſil. in conſtit. c. 23.

Verùm multis viſcus eſt & laqueus hic cognatorum affectus, à quo ſe vinci patiuntur, & in ſalutis periculum pertrahi, dum illi nimis indulgent, & è bonis Eccleſiæ ſuorum ſtatum augent, ſtimulante cupiditate. Propterea monebat S. Baſilius in conſtit. *Scientes itaque intolerabile detrimentum humano erga cognatos affectui, fugiamus illorum curam,*

Digitized by Google

tamquam diabolicam ad nos impugnandum armaturam. Deus nempe voluit Sacerdotes cœlibes eſſe & illiberes, ut à terrenis curis ad cœleſtia animum traducerent: Verum ſatan affectu cognatorum, fratrum, nepotum, eos ita obligat, ut non minùs terrenis curis implicet propter ipſos quam ſi proprios liberos natos eſſent, quibus providere deberent, aut in illis familiam perpetuare, inſtar hominum hujus ſæculi. Et hæ ſubt inſidiæ ſatanæ, quibus etiam bonos illaqueat, ut verum eſſe illud agnoſcamus.

Cùm factor rerum privaret ſemine Clerum,
Ad ſatanæ votum ſucceſſit turba nepotum.

His oportet ſtatum aliquem ſollicite procurare vel beneficia conquirere, aut reſignare præmaturè, & providere ut in familia permaneant, ſicque oportet hæreditate poſſidere Sanctuarium Dei, & ædificare Sion ex Sanguinibus. Et cùm nemo carnem ſuam odio habeat, ſed nutriat, & foveat eam, cùm Nepotes & Fratres, os noſtrum ſint & caro noſtra, plus æquo illis indulgetur, in noſtrum eorumque damnum. Exemplum ea de re ſupra dedimus in S. Vdalrico Auguſtano Epiſcopo, qui Epiſcopatum reſignans in Adalberonem nepotem licet ſapientia & virtute conſpicuum, moriturus tamen ad Dei judicium raptus eſt, & per viſum didicit ſe ob eam cauſam purgatorii pœnas ſubiturum. Unde ad ſe rediens dicebat: *Heu, heu, quod meum nepotem Adalberonem unquam vidi, quia pro eo quod ei ſecundum deſiderium ſuum conſentiebam nolum cælitus mihi imputatum in ſuum recipere conſortium.* Vdalricus ergo poſt mortem per purgatorium tranſiit, & Adalbero anno ſequenti repentina morte extinctus eſt. Sic verum eſſe patet, quod de aliquibus ſcribit S. Gregorius, quod ſæculum & ſæcularia deſerere videantur: *Sed tamen adhuc vinculo carnalis cognationis obligati, dum amori propinquorum in diſcretè deſervium, ad ea ſæpe perafſi ſum cognationis redeunt, cumq; plus quàm neceſſe eſt carnis propinquos diligunt, retractis externum, à cordis parente divertuntur. Quo itaque iſti niſi in rete ambulant, quos à præſenti ſæculo ipſa horrida jam vita perfectio ſolverat, ſed inordinatus amor terrena cognat onis ligat?* Verum contra horum propinquorum, ſive fratrum, ſive ſororum, ſive & nepotum importunitatem, aut aliorum parentum affectum nimium, eos qui pietatem ſectantur armans Climacus, ſic ait: *Melius eſt contriſtare parentes, quàm D. eſum; hic enim nos creavit & ſalvavit, illi ſæpè ſuos amando perdiderunt. Amor Dei ipſius quo ſanctum deſiderium extinguis in anima carnalium parentum amorem, qui autem utrosque in uno corde claudi poſſe putat, in ſeipſum decipit. Nec te moveant eorum lachryma, ne tui tibi ipſi æternas lachrymas parias.*

Neque vero deſunt exempla eorum qui ſe hac in re fortiter geſſerunt; propinquorum importunitatem, preces, lachrymas, deſpicientes, ne in Eccleſia aut pauperum præjudicium eis bonis Eccleſiaſticis adaugerent.

De S. Udalrico Ep. Aug. V. hic tract. 2. ſect. 2.

S. Greg. l. 7. mor. c. 14

S. Joan. Climacus gradu 3.

Laurentius Juſtinianus Patriarcha Venetus urgebatur à conſanguineo quodam ſuo non ita paupere, ut pecunia eum juvaret in filiæ dotem. Ipſe verò non minùs piè quam ſapienter reſpondit: *Conſidera frater quæſo, ſi parum dedero non eſt quo opus habeas. ſi multum, defraudavero multos, ut unis ſatisfaciam: & præterea quicquid iſtud eſt, quod eſt ad eos potius pauperum, quàm ad interiores cruces aut margaritas ab Eccleſia traditum eſt.*

De B. Laurent. Juſtin.

Auſterus fuit plane hac in re, ut Præſulibus ſpeculum exhiberet, Clemens IV. ante Sacerdotium conjugatus, & Bononiæ Juris Doctor. Cum is anno 1265. evectus foret ad pontificatum, acceſſerunt duæ ei filiæ ex matrimonio ſuſceptæ, ſperantes ab illo dotem juxta pontificiam dignitatem. Reſpondit ipſe: Papam non habere filias, ideoque debere eis ſufficere patrimonium eis relictum, nec licere quod ſuum non eſſet propinquis dare. Trecentas ergo libras Turonenſes ſolum contribuit unicuique earum, vel ad matrimonium, vel ad Religionem. Quapropter poſt obitum ejus repertum eſt hoc Breve in Cœnobio Dominicanorum Barchinonenſi ad nepotem ſuum Petrum Groſſum. Multis de noſtra promotione gaudentibus, nos ſoli ſumus qui certiùs immenſitatem oneris experimur. Et idcircò, quod aliis gaudium, nobis fletum ſubminiſtrat & metum. Sanè ut ſcias qualiter his auditis debeas te habere, ſcire te volumus, quod humilior ſolitò debes eſſe. Neque enim quod nos vehementer humiliat, debet noſtros extollere, maximè cum honor hujus ſæculi momentaneus ſit, & ſicut ros tranſeat matutinus. Neque vos, neque fratrem veſtrum, vel ex aliis noſtris aliquem venire volumus ſine noſtro ſpeciali mandato quia ſpe ſua fruſtratus, ſi ſecus venire præſumeret, oporteret ut rediret confuſus. Sed nec in ſororis tuæ nuptiis gradum quæras propter nos altiorem, nec enim nos haberes propitios, nec in aliquo adjutores. Sitamen eam filio militis ſimplicis deſponſaveris, centum libris Turonenſibus tibi proponimus ſubvenire. Et ſi altiora quæſiveris, ne denarium ſpares unum. Et hoc ipſum ſecretiſſimum eſſe volumus, ac tibi & matri ſolummodo notum eſſe. Illud etiam ſcias, quod nullum nullaniqui de ſanguine noſtro ſub noſtræ ſublimationis obtentu inſtari volumus. Hæc Pontifex. Interim Nepoti cuidam ſuo, cùm nihil umquam dediſſet, Gallix Antiſtites in gratiam Pontificis tres contulerunt Canonicatus; verum ipſe compulit eum, ut ex tribus illis unum quem mallet, retineret reliquos reſignaret, nec voluit eum ulteriori dignitate cohonestare, licet à multis pro eo preces fierent. Quibus reſpondit ipſe: *Ego Deo, non autem carni & ſanguini acquieſcam. Dona ita vult ut ſua impia cauſſas erogentur: dignus Petri ſucceſſor non eſt, qui plus cognationi, quàm pietati & Chriſto deſert.*

De Clemente IV. Papa.

Exemplum Clementis IV. diſponendi de bonis & Patrimonio S. Petri

Similiter modo ſe geſſere erga propinquos Cœleſtinus V. Urbanus VII. Benedictus XI. & XXI. Nicol. IV. Marcellus Pont. & Adrianus VI. Noluerunt hi ædificare Sion ex ſanguinibus, noluerunt

De quibuſdam Sum. Pontiff.

pro

erga suos cognatos.

propinquos, vel ad opes, vel ad dignitates provehere, ſcientes has deferendas non ſanguini, ſed vitæ: Suo etiam exemplo docentes. Sacerdotes ac Præſules debere eſſe inſtar Melchiſedech, quaſi ſine Patre, ſine Matre, ſine genealogia. Introducitur enim talis ab Apoſtolo, ut indicetur Sacerdotes debere parentum obliviſci, quaſi cœleſtes ſorent ac de cœlo lapſi, ut viſcoſo cognationis glutino expediti, cœleſtia poſſint cogitare, & in Eccleſiæ communem utilitatem curam ſuam omnem impendere, illique prodeſſe.

De S. Cypriano.

S. Cyprianus à conjugio aſſumptus ad Epiſcopatum Carthaginenſem, uxorem & liberos non ditavit, aut evixit: ſed bona ſua in pauperes erogavit, curamque uxoris & filiorum plane à ſe abdicavit, eamque Cæcilio Presbytero commiſit, relinquens eis dotem, quæ tantùm ad neceſſaria vitæ ſufficeret. Ita habet Pontius Diaconus in ejus vita.

D. S. Richardo Ep. Surius 3. Apr.

S. Richardus Epiſcopus Ciſtrentis conſanguineos nolebat tali ratione ad beneficia promovere, dicens Paſtorum Principem D. Jeſum Chriſtum non B. Joanni Evangeliſtæ conſanguineo, ſed B. Petro ſanguine minimè conjuncto, claves Regni Cœlorum tradidiſſe. Chriſtus Dominus cognatis ſuis Jacobo & Joanni non opes & delicias, vel primatus promiſit, licet mater urgeret; ſed ſolùm calicem Paſſionis ſuæ propoſuit & propinavit.

DE TESTAMENTIS ECCLESIASTICORUM.

Ni poſſunt teſtari Beneficiarii de bonis Beneficii niſi ad pias cauſas.

DEnique ex dictis rectè deducitur, non poſſe Beneficiarios teſtari de bonis acquiſitis ex beneficio, niſi ad pias cauſas. Unde peccant relinquendo ea conſanguineis divitibus, licet forè conſuetudo alicubi invaluerit, efficiens ut talis diſpoſitio & ſucceſſio ſit valida. Undè ſive Epiſcopus, ſive Pontifex Beneficiatis concedat facultatem teſtandi, hoc ſolùm eſt intelligendum ad pias cauſas, ut monent Doctores. Et certè ſi peccent, & quidem mortifere, diſponendo de his profanè inter vivos; ut omnium Theologorum ſententia aſſeverat, multò magis diſponendo per ultimam voluntatem. Nam ſemper minus conceſſum fuit Beneficiariis condere teſtamentum, quam donare inter vivos, ut etiam ex Canonibus colligi poteſt. Quapropter gravis quidam Theologus hæc de re ſic loquitur: Mirum eſt in quibuſdam Eccleſiaſticis tantam eſſe ſalutis ſuæ incuriam, & futurorum ſecuritatem, ut etiamſi mox ad tribunal Chriſti rapiendi ſint; ea tamen negligant, quibus ſalutem facilè conſequi poſſint, & inſuper tam adeo periculoſam, ut amicos ſuos locupletent, audeant attentare. Verum hæc eſt ſæculi hujus faſcinatio, & Principis hujus mundi, corda mortalium excæcantis poteſtas. Undè & his repetimus illud S. Ambroſii ad Clericos. *Bonum eſt, ut ipſe tuis ſubveniat, quibus pudor eſt ab aliis ſumptum depoſcere; non tamen ut illi altiores fieri velint, ex eo quod tuum conſurgere poteſt inopibus. Neque enim properat te Deo dicaſſi, ut illos divites faciat; ſed ut tibi vitam perpetuam fructu bonæ operis acquiras, & preſto miſerationis peccata tua redimas. Putamus ſe parum eſſere, pretium quæritis bonum, vitæ tuæ fructum adimere contenditis, & accuſatis quod eos divites non feceris, cum te velit æterna vita mercede fraudare.* Hæc Ambroſius.

Navarr. in Apolog q. 3.

Leſſius l. 3. de juſt. c. 19. dub. 4.

S Ambr. Li. de off.

Cæterùm, ſic ſe gerere deberent Eccleſiaſtici in bonorum ſuorum diſtributione, & patrimonii Chriſti diſpoſitione in pias cauſas dum ſani ſunt, ut adveniente morbi, vel mortis tempore, ab omni ſorent inquietudine exempti, à ſollicitudine nimia temporalium, ab amicorum importunitate; qui quandoque ægris aſſiſtunt, ſed intùs vulturum cadaver expectantes, ut relicta ſubſtantia paſcantur. Parum congruum videtur Clericali ſtatui, multa millia congerere grandi etiam patrimonia, & de illis haud diſponere donec anima jam agenda eſt. Nam & quandoque ægrè dimittuntur; licet in pias cauſas diſpoſitio per teſtamentum fiat; quandoque & teſtamenta juxta mentem teſtatoris non complentur; quandoque longe melius & certiùs ſuiſſet egenis, tanquam Chriſti membris & viſceribus eſurientibus, dum proſpera eſt adhuc & vegeta valetudo, auxilia fuiſſe. Hinc communi proverbio illud circum ferri ſolet: *Fax una quæ præfertur, plus lucis affert per tenebras ambulantibus, quàm ſi plures ſubſequantur.* Unde iterum illud:

Da tua, dum tua ſunt, poſt mortem tunc tua non ſunt.

S. Lucia V. de qua Surius.

Præclare S. Lucia Virgo hac in re ſe geſſiſſe legitur, urgens matrem ut patrimonium quod ſibi debebatur in egenos erogaretur. Cum vero illa diceret, vitæ ſuæ finem ut expectaret, tunc libertatem ſibi fore ea de re diſponendi, hoc ſapiens reſponſum à Lucia accepit. *Non eſt admodum gratum Deo munus, ô Mater, quando ideo illud offertur, quia illius non jam ſuprema interceſſit dies. Da dum ſana es, ne ſi moriens dederis invita dediſſe arguaris rem quam velis nolis relinquere cogeris, quam tecum ferre non poteſ & quæ ipſa frui nequit.*

Teſtamenta S. Auguſtini.

Hæc attendentes viri ſancti, ne quidem apud ſe in morte voluere invenirí temporalem ſubſtantiam, de qua poſſent vel teſtamento diſponere. Unde de S. Auguſtino Epiſcopo legimus: *Teſtamentum nullum fecit, quia unde faceret pauper Chriſti non habuit.* Teſtamentum S. Gregorii Thaumaturgi ſuprà retulimus, quo ordinavit ut in alieno ſepulchro conderetur, ut nullius loci hæres eſſet aut Dominus, ſicut nec in vita, ſic nec in morte.

S. Greger. Thaumaturg.

S Ioannis Alex.

S Joannes Alexandrinus hoc ſcribi juſſit teſtamentum: *Ioannes humilis quidem ſervus ſervorum Dei propter autem mihi impoſitam Pontificatus dignitatem, gratia Chriſti liber: Agnoſci gratias Domino Deo meo, quod me dignum cenſuerit, qui ma tibi offerrem; & quod ex mundi bonis nihil aliud ſit mihi reliquum, niſi tertia pars nummi, quam etiam jubeo etiam dari pauperibus, qui ſunt fratres mei in Chriſto. Quando enim Dei permiſſione ex eremo fui Epiſcopus Alexandriæ, inveni in meo Epiſcopatu circiter octoginta li-*

Digitized by Google

librarum auri, e. obl- ginta autem piorum collegiis denis millibus plures hic plenius. Quas autem cognoscerem esse Christi, Christo etiam dare volui, eas nunc quoque trado animam. Cum hoc testamentum fecisset, deposuit spiritum in manus Dei viventis. Metaphrastes in ejus vita.

De Ioanne Fischero.

Ac ut recentius exemplum subiiciamus, Joannes Fischerus Episcopus Rossensis ita Episcopatus sui reditus dispensavit, ut cum impii satellites vi domum ejus ingressi, arculas scrutarentur, pecuniæ & auri reperiendi cupiditate: non nummos repererint, sed cilicium, flagellum asperrimum, quibus suum corpus solitus erat castigare. Poterat ergo & ipse dicere cum S. Paulino: *Domine non excrucier propter aurum & argentum, tu scis enim mihi omnia mea sint.* Et ideo, nec horum, nec opum amore potuit retardari, quò minùs primus è Præsulibus sacris in Anglia, ob fidem & veritatem securi cervicem subiiceret, gloriosè prius decantans, oculis in cœlum sublevatis, Hymnum gloriæ Dei; *Te Deum laudamus.*

De Greg. XIII.

Sæculo nostro Gregorius XIII opes Ecclesiæ & patrimonium Christi sic in utilitatem & salutem animarum, & membrorum Christi erogavit: ut durante vita legatur excitasse & dotasse Collegia ad viginti; & tot millia pauperum extra & intra urbem aluisse, ut testetur Baronius ei à Romanis erectam statuam in Capitolio cum hac inscriptione: *Sestertium octingenties singulari beneficentia in egenos distributum*: id est, vicies centena aureorum millia.

Baron. tom. 2. ann. 172.

De Alexandro V.

Alexander V. ex Ordine S. Francisci ad Pontificatum evectus, adeò liberalis & profusus fuit in pauperes, ut diceret se divitem Episcopum fuisse, pauperem Cardinalem, mendicum Pontificem.

Corn. à Lapide in c. 34. Eze.

Concludamus hæc omnia iisdem verbis quibus Vir quidam pereruditus & pius hac de re agens concludit, ad Christum vota hæc dirigens; O æterna veritas, vera sanctitas sancta felicitas, illumina tenebras nostras, aperi oculos mentis nostræ, ut nulla nos seducat, nulla inquinet, nulla condemnet philargyriæ vanitas. Eia aspiret dies & lux tua, ut inclinentur umbræ. Infunde cordi nostro justitiam, ut quæ Ecclesiæ sunt, Ecclesiæ; quæ Dei sunt, Deo reddamus. Infunde continentiam, ut modico (pro modica enim via hujus vitæ modico opus est viatico) victu & amictu contenti, sobriè juste & piè vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei. Infunde religionem & pietatem; ut non Mammonæ Iniquo, sed tibi Domino nostro *serviamus in sanctitate & justitia omnibus diebus nostris.* Infunde charitatem, ut animam magis diligamus quàm arcam, ut pauperes & inopes magis amemus quàm aurum & opes. Infunde sapientiam, ut veras divitias ambiamus & coacervemus, quæ nobiscum perennent in cœlis, non vanas & mox perituras in terris. Da nobis sic tranire per bona temporalia, ut non amittamus æterna. Da ut domos, nomen & familiam construamus, non apud homines brevi morituros, sed apud te & SS. Angelos, beatos & glorioses quæ in omnia sæcula durent & æternent. Da ut simus sal terræ & lux mundi: ut exemplo magis quàm verbo omnes trahamus ad te, eosque doceamus reipsa contemnere terrena, & amare cœlestia, ut in magno illo decretorio mundi die à te Judice audire meteamur: *Euge serve bone, quia in pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Amen.*

LECTIO XI.

DE FLORE UNDECIMO, QUI EST *sobrietas & temperantia.*

XI. Flos. Temperantia, & sobrietas. Sacerdotem maximè decet hæc virtus.

DE hac re sic monet Regula: *Si quando conviviis sæcularium interesse oporteat, ita se gerant, ut modestiæ & temperantiæ limites non excedant, prævique exempli omnem occasionem fugiant. Nuptialibus convivüs non intersint, nisi de consensu Superioris.*

1. *Ob ordinationem eorum.* 2. Tim. 2. 7.

Primò, quia Apostolus testatur scribens ad Timotheum in ordinatione, sive *in impositione manuum, dari nobis spiritum virtutis, dilectionis & sobrietatis.* Qui ergo intemperantiæ vacant & crapulæ, gratiam illam ordinationis repudiant & conculcant, qua conformiter statui cui adscribuntur, piè & sobriè vivere illis datur. Et inter cæteras dotes quas idem Apostolus sive ad Titum scribens, sive ad Timotheum requirit in Episcopo (quo nomine etiam Sacerdotes comprehendit) semper exprimit, ut *sobrius sit, & non vinolentus*; quia nempe virtus sobrietatis inter prima Sacerdotii ornamenta merito censenda sit, sicut temulentia inter illius dedecora

2. *Ob officium regendarum animarum.*

Secundò, maximè incongruum est, & crimini ac discrimini obnoxium, si illi quibus regendæ navis cura incumbit, ebrietate & somno sepulti inveniantur. Idem judicium esto de speculatoribus & vigilibus, quibus civitatis custodia est commissa. At quis nesciat, Sacerdotes speculatores esse constitutos & vigiles in Ecclesia, ut excubent pro sua & & aliorum salute, semper accincti ad laudes divinas, & ad ipsum alios excitantes? At quomodo potest vigilare, qui ventri se addicit, aut crapulæ vacat: quomodo suam aliorumque salutem curare? quomodo navis sibi concreditæ curam agere? An non potius illi convenit illud Proverb. *Eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator, amisso clavo; & dices: Verberaverunt me, sed non dolui, traxerunt me & non sensi. Quando evigilabo, & vinum rursus reperiam?* O quam indignum id Sacerdote!

Prov. 23: 34.

3. *Ob gravitatem earum munia.*

Tertiò, si attendantur munia quæcumque, ad quæ Ecclesiastici, maximè Sacerdotes & Pastores obstringuntur, singula sobrium, animum & corpus requi-

Digitized by Google

requirunt, mentemque perſpicacem & vigilem, cui maximè adverſantur commeſſationes & compotationes; quia ventris repletio mentis eſt obtuſio. Et quænam ſunt illorum qui Eccleſiaſticum gradum ſortiti ſunt munia, niſi frequens oratio, diurna, nocturnaque horarum lectio ac divini officii perſolutio, Sacramentorum adminiſtratio, ſacrificii quotidiana oblatio, denique divinarum rerum fere aſſidua tractatio? An verò hæc omnia obire poteſt ut decet, qui cibo & potu frequenti ſeſe ingurgitat, qui lympoſiis, temulentiæ & ventri indulget? Quis ignorat, ingluviei tamquam infelicis matris primam prolem eſſe mentis & corporis hebetudinem? Hæc verò obſcurat intellectum, opprimit pietatis affectum, generat torporem, parit acediam & tædium divinorum; & ſic inidoneum reddit ad attentionem, ad mentis functiones, ad ſacrarum rerum tractationem. Quam indecorum eſt Eccleſiaſtica officia recitantem, & cum Deo loquentem, ob repletionem ventris gravi intemperantiæ conjunctam, mentem plane diſtractam gerere, cor & oculos penè adhuc in ſcyphis & patinis habere, lingua titubare, verba divina dimidiare, vel præcipitanter proferre, aut abſorbere, & cùm ex ſpiritu divino proferri deberent, tumultuoſo ſpiritu vivi, perfunctorie & tumultuariè recitare? Certè ſi omnes illud mentum Dei concernit: *Attendite ne graventur corda veſtra in crapula aut ſtatuli curis*; Maximè id cavere debent Miniſtri Chriſti, quorum corda nonniſi cœleſtibus & ſacris functionibus debent intendere in timore & pietate. Quàm turpe etiam eſt, Sacerdotes non paucos qui de die in diem ad Sacrificii oblationem obſtringuntur ex officio vel beneficio ad illud ſeſe accingere, adhuc ferè ructantes præcedentis diei intemperantiam, hebetes, torpidos, diſtractos, corpore & mente graveolentes, ſicque tanto myſterio tractando parum aptos? Nonne his meritò poſſemus dicere illud Apoſtoli: *Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum.* Calix crapulam inducens, nonne calix dæmoniorum rectè nominatur? Menſa cui admiſcetur aſotia & temulentia, nonne dæmoniorum eſt menſa? Quid ergò? Fugite ô Sacerdotes & Miniſtri Altaris & menſæ Chriſti menſam, in qua vinum germinans virgines propinatur; fugite, inquam intemperantiam, menſæ illi ſacræ adverſam, tot inſelicia germina in corpore & animo germinantem. Non poteſtis ſervire Chriſto & Baccho, nec menſæ utriuſque apti eſſe miniſtri. Si gulæ & intemperantiæ dediti fitis, jam non tam Dei quàm Bacchi Sacerdotes dici meremini; ac de illorum numero poteſtis cenſeri, de quibus Tertullianus lib de jejuniis: *Quorum Deus venter eſt, & pulmo templum, & aqualiculus altare, & Sacerdos cocus, & Spiritus ſanctus nidor, & condimenta charismata, & ruinæ Prophetæ: quibus agere ea ſe tabus ſervus, fides in culinis calet, ſpes in ferculis jacet.*

Luc. 21. v. 34.

1. Cor. 10. 20.

Tertull.

Vetus lex prohibebat ne qui altari deſervirent, vinum & ſiceram biberent, hinc illud Levitici ad Aaronem: *Vinum & omne quod inebriare poteſt non bibetis tu & filii tui, quando intratis in tabernaculum teſtimonii, ne moriamini; quia præceptum eſt in generationes veſtras: & ut habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & profanum.* Nempè vetatur Sacerdoti ſacris operaturo ſub pœna mortis vinum & ſicera, & omne quod inebriare poteſt, ut fugiat torporem, pigritiam, oblivionem, & ut inter miniſtrandum non erret, ſed ſui plenè compos, ſciat ſecernere ſacrum à profano. Lev. 10. 9.

Hinc aliqui putant Nadab & Abiu, qui cœleſti igne abſorpti fuere in miniſterio, ideò punitos fuiſſe, quod non caviſſent ſibi à nimio potu: & ideò aliquantum turbati temulentia, pro igne ſacro profanum accepiſſent. Erat enim in atrio tabernaculi, in altari holocauſtorum, ignis ſacer è cœlo lapſus, quem Deus juſſerat foveri, ut eo ſolo uterentur ad Sacrificia & thymiamata, de quo Levit. 9. Erat & alius ignis communis, quo utebantur ad coquendas carnes hoſtiæ pacificæ, vel hoſtiæ pro peccato, quibus veſcebantur in atrio partim Sacerdotes, partim laici offerentes. De hoc igne acceperunt in thuriſicatione coram Domino, ſive coram altari holocauſtorum & oſtio tabernaculi, & dicitur ignis alienus, hoc eſt, profanus & communis, qui debebat eſſe à ſacro miniſterio alienus. Hoc verò ex aliqua inconſideratione & perturbatione feciſſe ob nimium potum, ex eo colligunt aliqui cum Hebræis Doctoribus, quod ideo ſtatim lex ſubjungitur poſt illorum punitionem, ut miniſtri vinum & omne quod inebriare poteſt, non bibant. Et ratio adjungitur, ut poſſint diſcernere ſanctum à profano, in quo errabant Nadab & Abiu. Hunc opinioni ſubſcribit B. Petrus Chryſologus his verbis: *Vini odor, odorem figurat incenſi, & ebrietatis ignis flammam provocarat incenſi. Vidit quia alienati vino alienum portaverunt ignem, mox divino igne referuntur extincti. Ebrietas in alio crimen eſt, in Sacerdote ſacrilegium.* Lev. 10. 1. Lev. 9. 24. Petr. Chryſol.

Atque utinam non reperiantur inter Sacerdotes Chriſti aliqui, qui ad miniſteria Sacramentorum accedant ita potu perturbati, ut vix diſcernant inter ſacrum & profanum, ſomnolentia vel oblivione animum prægravante. Hac de re quandoque plebium audivi, non ſine mœrore, de ſuis Sacerdotibus querelas. Quod nimirum à comportatione meridiana audiendis confeſſionibus ſe exponentes, ex parte ſomno gravarentur, non ſine pœnitentium ſcandalo. Quod à popinis ad baptizandum vocati, in cæremoniis titubare vel errare, verboque abſorbere adverterentur: quidni & in forma Sacramenti? Quod ægros viſitantes, Confeſſionis nonnunquam gratia, nimii potus affluxu & oris graveolentia naueam ingenerarent. Quod ad officia publica veſperarum prodeuntes in facie tota rubea, in modo cantandi, in compoſitione vocis & corporis, potu pleni & turbidi facile judicarentur.

Et re-

Digitized by Google

Elogium sobrietatis.

Et vera hæc omnia conscientiæ gravem reatum, plebi pravum exemplum, infirmis scandalum. Sacerdotio probrum conflare quis ambigit? Ideo ergo omni sunt sollicitudine à Christi Ministris evitanda. Ideò sobrietas omni tempore ab eis colenda, quæ est Nutrix omnis virtutis. Mater Sanctitatis, socia orationis, agnata Sacerdotio, Religioni & pietati affinis. Radix est castimoniæ, germina proferens boni odoris, fructus pariens sanctæ ædificationis. Flos est nostri honoris, omnibus amabilis; cùm & eam revereantur ejus hostes in Sacerdotibus, tanquam præcipuum decus & ornamentum Ecclesiastici Ordinis. E contrà verò, sicut fumus fugat apes, sic crapula dona Spiritus sancti inquit S. Basilius: atque ira coram Deo & hominibus facit fœtere odorem nostrum, ipsum dedecorans ministerium.

Basil. ser. de ingluvie.

DE FUGA CONVIVIORUM.

Cur convivia fugienda.

MEritò propter omnia dicta, dehortandi sunt Ecclesiastici à Conviviorum sæcularium frequentatione: ne scilicet facilè contingat temperantiæ limites excedere, aut pravi exempli aliquam occasionem præbere. In illis enim magna suggeritur occasio sobrietatis violandæ, quia difficillimum est inter cyathos & epulas cohibere ventris ingluviem, inter irritamenta & illecebras illibatam colere sobrietatem; maximè cùm accedat frequens incitantium & propinantium importunitas, & inter fercula malesuada moræ prolixitas: atque limitem ipsum temperantiæ abscondit cibi potusque voluptas, ita ut facilè persuadeamus nobis, causam nos agere sanitatis vel honestæ recreationis, cùm agamus voluntatis & ebrietatis.

1. Ibi est occasio sobrietatis violandæ.

2. Ibi est locus dissolutionis, non ædificationis.

Adde, quod in Conviviis vix datur locus ædificationi, sed potius dissolutioni & ineptæ lætitiæ, superfluisque & noxiis jocis, item & sermonibus detractioni affinibus. Ita enim modo depravatos cernimus sæculi mores, ut vix contingat illud Tobiæ: *Cum timore Domini convivium exercebant*: aut illud Judith. *Erat populus jucundus secundùm faciem sanctorum*; hoc est, sicut populo sancto, Deumque verum colenti congruebat. Temulentia & lascivia tanquam comites indivisi conviviis nostris tota libertate se interserunt, aut tamquam pedissequi sub finem convivii subsequuntur. Olim populo Israelitico præceptum fuit? *Comedes coram Domino Deo tuo, & epulaberis tu & domus tua, & Levites qui intra portas tuas est, cave ne derelinquas eum.* Et hoc quidem etiam hoc tempore plerisque in locis in more positum scimus, ut vix convivia instruant, nisi vocato loci Pastore aut Sacerdote; nec incongruè, si in epulis istis se gererent, tamquam comedentes coram Domino, ut sacer textus dicit ibi, & iterum alibi: *Isti epulentur, & exultent in conspectu Dei.* Sive, si ipsi epulantes reprimerentur à lascivia & intemperantia, ob præsentiam Sacerdotis personam Domini repræsentantis, sed fere aliter contingit. Nam vel Sacerdos præsens eorum moribus accommodare se debet in scyphis evacuandis, in jocis dissolutis, in luxu & aliis incongruis; aut scrupuli & hypocrisis insimulatur, morosicatisque, ne quid gravius dicam, videturque infulsè impedire totius epuli condimentum, hoc est vanam lasciviam, sua nimis seria præsentia. Quod si verò se accommodet moribus Convivantium, citharis decertando, loquacitate & jocis dissolutiùs se gerendo; non solùm sobrietatis sed & auctoritatis damna patitur, quandoque etiam oblocutionis & scandali, sive pravi exempli. Nam ferè adsunt aliqui, qui Sacerdotum actiones explorant, nec ut decet interpretantur, nec benevolentiæ pallio excusant; aliqui etiam pusilli scandalo passivo facile sunt obnoxii.

3. Scandalum aliorum.

Prætereo, quod homines libertatis sectatores, ex eo opinentur dissolutam libertatem etiam temulentiæ conjunctam vel nullum vel leve esse peccatum, quod eam quandoque in Sacerdotibus cernant, ideoque tanta infœlicitate se inebriant homines. De hac re agens S. Augustinus, affert eam pravam vel ignorantiam vel opinionem in caput Sacerdotum in judicii extremo die retorquendam, nisi commissis sibi populis quæ & quanta mala de ebrietate nascantur, assiduè verbo & exemplo prædicarint. Et serm. 231 sic habet: *Quia aliqui etiam Clerici, qui hoc deberent prohibere, ipsi cogunt bibere aliquos ebrios quò expedit, amodò incipiant & seipsos corrigere, & alios castigare: & cùm ante Tribunal venerint, nec de suo, nec de aliorum ebrietate incurrant supplicium, sed magis dum & ipsi se emendant, & alios castigare non cessant, pervenire ad æternum præmium mereantur.*

S Aug. ser 252. de temp.

Idem ser. 231.

Porrò hanc fuisse Sanctorum Patrum doctrinam, constanterque ab eisdem observatam, de vitandis scilicet Conviviis, possemus multorum exemplis confirmare. Id enim teste Possidonio diligenter observavit S. Ambrosius, ut ad Convivia non accederet, licet invitatus.

4. Exempla Sanctorum.

S. Ambr.

Hujus mores & doctrinam imitatus Augustinus, hæc tria homini Dei servanda monebat. *Primum, ut uxorem suam nunquam peteret. Secundum, ut militare volentem ad hoc non commendaret. Tertium, ut in Patria sua petitus ad Convivium non iret*; Causamque singulorum dabat. *Primi*, ne dum inter se conjugati jurgantur, eum maledicant per quem conjuncti sunt. *Secundi*, ne militiæ commendatus malè agens; suam culpam suffragatori tribueret. *Tertii*, ne per frequentiam in Patriæ Conviviis constitutus, temperantiæ amitteretur modus.

5. Augustini monita.

S. Hieronymus Presbyter idem observabat, idem Presbyteros alios monebat. Undè ad Nepotianum sic scribit: *Convivia vitanda sunt sæcularium, maximè eorum qui honoribus tument; Consolatores nos potius in mœroribus suis, quàm convivas in prosperis noverint. Facilè contemnitur clericus, qui sæpè vocatus ad prandium ire non recusat. Nescio enim quomodo etiam ipse deprecatur ne tribuat, cùm*

S. Hieron. ep. ad Nepot.

Deut. 14. 26.

Ps. 67. 4.

Digitized by Google

ebm acceperit, vilierem te judicat, & mirum in modum ſi eum rogantem contempſeris, plus te poſtea venerantur.

S. Greg. Nazianz. S. Gregor. Nazianz. licet venerationis gratiâ à Theodoſio Pio Imperatore invitaretur, penè tamen invitus non tam ibat, quàm abducebatur. Undè poſtea carens hac importunitate, ſibi congratulabatur his verbis: *Non jam Imperatoris ut priùs contubernalis eris Gregorius, atque inter medios epulones non erit, triſtis & tacitus accumbens, agrè ambitiosum ducens & ſervilem in modum edens.* Ita ille Tract. de vitæ differentia.

Convivia Nuptialia maximè vitanda. Conc. Agathenſe c. 28. Inter Convivia Presbyteris vitanda, cenſentur maximè nuptialia. De quibus olim in Concilio Agathenſi hoc ſtatutum emerſit, & repetitur in cap. Presbyteri d. 34 *Presbyteri Diaconi, Subdiaconi nuptiarum evitent convivia. Nec his cœtibus miſceantur, ubi amatoria canuntur & turpia, aut obſcœni motus corporum choreis & ſaltationibus exhibentur, ne auditus & viſus ſui miniſteriis deputati turpium ſpectaculorum, atque verborum contagione polluantur.*

Exempla duorum Parochorũ horrenda. Hic rememorare oportet, ſed non ſine mœrore, funeſtos duos caſus, qui in nuptialibus Conviviis duobus Paſtoribus non multis ab hinc annis in locis mihi probè notis contigere. Unus eorum tabulato in quo peragebatur epulum nuptiale dehiſcente, ſub ruina oppreſſus expiravit, Scyphum adhuc in manu gerens. Erat autem his modicæ literaturæ Paſtor, ſed & Confeſſarius multorum per vicina loca popularium, illis ideò gratus, quia de numero erat illorum Confeſſariorum, qui vix aliud interrogant, quàm conditionaliter: ſi hoc vel illud feceris, à Deo veniam petis: ſi jurasti, ſi mentitus es, ſi detraxiſti, &c. veniam petis; ſicque grata interrogatione conditionali, ſine alia Confeſſione pœnitentes ſuos impœnitentes dimittunt. Et quia plures hac methodo citò expediebat is de quo agimus, ideò Paſtoribus negligentibus aut tædio affectis in excipiendis Confeſſionibus, Paſchate & aliis Solemnitatibus in auxilium advocabatur. Sic ipſe inſœliciter extinctus lætitiam nuptialem luctu commixtam & amaram effecit. Quo autem in ſtatu fuerit, aut exceſſerit è vita, divino relinquo judicio.

Alter itidem Paſtor, nec perfectioris doctrinæ quàm præcedens, nec vitæ, in alterò convivio temulentus, dum deſcenderet ex altiori loco, per gradus corruit, & fracta cervice, ſat citò expiravit. Sic judicia Dei terribilia ſunt ſuper filios hominum. Et hæc duo exempla quæ nec locis, nec temporibus longè ab invicem diſſitis contigere, non ſine plebium ſcandalo, monere debent, imò & terrere Sacerdotes, ut tumultuoſa & temulenta convivia fugiant: & ſobrietatis ſtatum Sacerdotalem decorantis ſemper meminerint, ne in Dei manus, ebrii quandoque cadant.

LECTIO XII.

DE FLORE DVODECIMO, QVI EST diſcretio & prudentia.

XII. Flos Diſcretio & Prudentia. DE hac re ſic monet Regula: *In converſatione prudentiam & diſcretionem ſervent, & caveant ne zelo indiſcreto in actionibus aut verbis ſuis ſeranter, etiam in ſibi ſubditorũ correctione aut correctione.*

Meritò prudentia & diſcretio Eccleſiæ Miniſtris ſpecialiter commendatur, quandoquidem teſte B. Bernardo, *Moderatrix ſit & auriga omnium virtutum, affectuum, morum. Omnis virtutis ordinem ponis, ordo modum tribuit & decorem, & perpetuitatem. Tolle hanc & virtus vitium erit.* Eandem ob cauſam eam aliis virtutibus præferebat S. Antonius teſte Caſſiano collat. 2. tanquam ſcilicet cæterarum directricem, quæ non ſinat eas à recto itinere, ad dextram vel ſiniſtram deflectere. Aſſerebatque illas ſi diſcretio abſit neceſſariò impingere, vel nimio ſervore, vel torpore & remiſſione; hanc verò ſolam efficere, ut regia incedant via. Item hanc eſſe quæ in Evangelio vocetur *Oculus & lucerna corporis noſtri*, à qua totum virtutum veluti corpus ſit illuſtrandum. Propterea igitur Apoſtolus inter primas Epiſcopi dotes (ſub quo Sacerdotes comprehendi ſæpè diximus) recenſet *Prudentiam.* De qua agens S. Ambroſ. addit. *Requiris Paulus non prudentiam mundialem, de qua dicitur quod ſtultitia ſit apud Deum, ſed ſpiritualem qua & apere ſit circumſpecta, & verbo perita ut prudens ſit ſicut ſerpens, & ſimplex ſicut columba.* Nempè & hoc requirit Dominus ab Apoſtolis, exigitque ut ſit *fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit ſuper familiam ſuam.* Certè cum Deus tanto honore Eccleſiaſticos decorare voluerit, ut illis ſuam velut in fronte auctoritatem inſculpſerit, ſuum in ore verbum tradiderit, ſpontam ſuam eis crediderit, ſanguinem ſuum manibus eorum commiſerit, claves cœli eorum arbitrio conſignarit, animas à ſe redemptas eorum regimini reliquerit: magna plane illis opus prudentia ad hæc omnia, ut rectè & fideliter tanto muneri ſatisfaciant, & ut noverint *quomodo oporteat converſari in domo Dei, in Eccleſia Dei vivi*, ut loquitur Apoſtolus. Nec enim ad ea ſolum ſufficit vitæ bonitas aut puritas, ſed & in ſingulis magna circumſpectio exigitur & cautio, quæ eſt pars prudentiæ. Ideò dicebat S. Thereſa, *Sanctitas ſibi, Prudentia aliis magis proficit.* Adeò ut ſi quæratur qui regat, prudentia magis ſpectanda ſit quam ſanctitas, quærendo potius quis prudentior, quàm quis ſanctior.

Bern. ſer. 49. in cant.

Caſſian. coll. 2. c. 1. Vitæ PP. l. 4. c. 42.

Matth. 6. 22.

1. Timot. 3. 2. S. Ambr. l. de dignit. Sacerd.

Matt. 24. 45.

1. Tim. 3. 15.

Effectus Prudentiæ. 1. *Ordinat hominem erga ſeipſum.*

Primò igitur prudentia ordinat hominem erga ſeipſum, ut advigilans ſibi culpam omnem à ſe eliminet. De quo ſic ait Gregor. *Sanorum providus diſcretio dum ſollicitè circumquaque conſpicit in altum poſita, priuſquam veniat, culpam deprehendit,*

S. Greg. l. 31. mor.

eamque quæ vigilanter præstat, eo fortiter declinat. Occasiones etiam, quibus alii ceciderunt, attentè considerare & fugere prudentia monet, ut casus evitetur, docens quod cautè scopulus ille vitandus est, ubi alter offendit; quandoquidem & pecora ipsa vitare norint, quæ læsisse cognoscunt, nec itinera illa repetant, ubi in foveam corruerint, quodque laqueos avis capta declinet, & in retia suspecta non facilè incidat: *Frustrà jacitur rete ante oculos pennatorum*, inquit Sapiens; qui prudens est, oculos habet & pennas, ideoque retia circumspicit, & evolat ne capiatur. Prudentia ipsa oculus est perspicax, non solum præsentia respiciens, sed & præterita & futura; docetque quomodo præsentia ordinanda sint, præterita recogitanda, futura providenda. Quapropter Romani, ut testatur Pierius, prudentiam cum triplici facie pingebant, tamquam respicientem tempus præteritum, præsens, & futurum. Optima porrò est illa prudentia, quæ in rebus salutis hæc circumspicit, ut animæ prospiciat & æternitati. Hæc maximè Sacerdoter concernit, tamquam in sublimi specula positos, ut circumspectent, & sibi aliisque provideant. Utinam ergo ipsi saperent, & intelligerent, & novissima providerent. *Saperent quæ Dei sunt, intelligerent quæ mundi sunt, providerent quæ inferni sunt. Profectò infera horrerent, superna appeterent, quæ ad malum sunt contemnerent*, inquit Bernardus.

Pro. 7. 17.

Prudentia hieroglyphicum. Pierius.

S. Bern. ep. 192.

Secundò, Prudentia ordinat hominem erga proximum, docens, quomodo se gerere debeat circumspectè, ut nemini det offensionem. Monetque illa Rectores animarum, ne obliviscantur in conversatione sua illius sententiæ S. Hieronymi: *In se oculi omnium diriguntur, domus tua & conversatio, quasi in speculo constituta, magistra est publica disciplina.* Illud quoque S. Ambrosius prudentiam altè eorum animis infigit: *Mediocre non putes quod tibi commissum est. Primùm ut alta videas, quod est sapientia & providentia. Deindè ut excubias pro populo deferas, quod est justitia. Castra defendas, tabernaculum tuearis, quod est fortitudinis. Temperatum sobrium & continentem præstes, quod est temperantiæ.* Hæc nempè est quadriga virtutum, qua vita Sacerdotalis in omni actione ferri debet, ut possit procedere secundi gressu, ne in hominum conversatione gregali luto inhæreat, aut commaculetur: & hanc non solum à malo, sed & ab omni specie mali immunem conservare docet prudentia morum secura directrix.

2. Ergo proximũ.

Hieron. ep. 3.

Ambr. l. 1. Offic.

Tertiò, instruit quomodo oporteat cum pusillis & infirmis conversari, illis quoad fieri potest condescendere, rudes & duros emollire omnibus omnia fieri, omnes lucrifacere, moribus hominum sese accommodare sine conscientiæ dispendio aut vulnere, pro artificio animos eorum pertentare, ut ad meliora impellantur. Est enim homo animal varium & multiplex, ideoque ad eum regendum, vario prudentiæ genere est utendum: & cum variis morbis animi sit obnoxius, vario medicationis genere opus est, ut curetur: quam varietatem, explorato eorum cum quibus agendum est genio & ingenio, prudentia suggerit.

3. Ergo quoris, in se accommodandi.

Quartò, suggerit illa quando & quomodo oporteat proferre sermonem, ne loco aut tempori sit importunus, sed *semper sit in gratia sale conditus*, hoc est, discretionis sale conspersus, quo omnis nostra actio, omne eloquium condiri debet, ut Deo sit gratum, hominibus profícuum. Juvat enim sermones disponere in judicio, ut sint accommodi & efficaces, ac personis cum quibus agimus congruentes. Quapropter monet S. Gregorius Nazianzen. alicui qui cum sæculo conversatur tribus non raro opus esse: *Velo super oculos, clave in aure custodia in ore. Velo*, ut multa non videat, vel videndo dissimulare sciat. *Clave*, quæ aures frequenter claudat, ne audiat detractiones, susurrationes, contumelias in se vel alios licenter jactas. *Custodia* seu *claustro* ut linguam & spiritum cohibeat, ne indiscretè loquatur, sed suos sermones ponderet, priusquam effundat. Ab hac loquendi prudentia quædam mulieres in Scriptura commendantur. 1. Mulier Thecuitis, quæ prudenti eloquio ita efficaciter animum Davidis permovit, ut profugum Absolonem revocaret. 2. Abigail, quæ occurrit eidem Davidi contra Nabal ad ultionem se accingenti, eumque minas spirantem oris sui sapientia placavit, & compescuit. At deinde ad virum suum Nabal reversa, cùm temulentum reperisset, posuit custodiam ori suo prudentia id suadente, nec ei tunc verbum locuta est; sed diluculo facto cum ad mentem rediisset, amentiam acri sermone eidem ob oculos posuit, ac discrimen cui sese objecerat, expositi, quando verbis duriotibus servos David exceperat. Atque ita eum obstupefecit, ut cor ejus instar lapidis effectum fuisse, testetur Scriptura.

4. In verbis. Col. 4 6.

Gregor. Nazianz. *Secularis homini tribus opus est.*

Quintò, lumen prudentiæ pedes nostros sic dirigit, ut nihil temerè vel inconsultè aggrediamur, aut cæco præcipitique gressu, maxime in negotiis alicujus momenti. Monet enim prius considerare quæ subsequi possint; & ne subitò ad res agendas impulsi, facilè impingamus, aut aberremus, vult ut palpebræ præcedant gressus nostros perspicaci consideratione. Per tenebrosam domum pedetentim incedendum nemo ambigit, & quasi palpando: Tenebrosa autem domus est mundus, negotia illius cogitatione prius quasi manu palpanda sunt, antequam illa adoriamur: atque in illis est cum consilio & maturitate incedendum, maximè si salutem nostram vel aliorum concernant. Et sicut nautæ dimissa bolide maris profunditatem explorant, aut qui flumen exundans pertransire debent, vadum illius priùs tentant: ita & in negotiis sæculi peragendum est, duce prudentia, ne periculo obnoxii reddamur, aut obruamur, vel involvamur.

5. In negotiis.

Simil.

Sextò,

6. Zelum moderatur. Kempis l. 1. de imit. c. 5.

Sextò, prudentia zelum moderatur, qui facilè poteſt metas tranſilire. Nam verum eſt illud Thomæ à Kempis: *Non debemus nobis-ipſis credere, quia modicum lumen in nobis eſt, paſſiones movemur, & zelum putamus.* Sic Petrus à Chriſto reprehenditur, quod nimis ſerventer nimiſque temerè ad magiſtri ſui defenſionem proſiliret. Sic & Apoſtoli, Jacobus & Joannes, cum Samaritani Chriſtum non reciperent, ex zelo indiſcreto in illa verba proruperunt: *Vis dicimus ut deſcendat ignis de cœlo, & conſumat illos?* Sed reprehenduntur à Domino: *Neſcitis cujus ſpiritus ſitis*: Illi enim tanquam zelatores honoris Magiſtri, volebant perdere eos, ad ſimilitudinem Eliæ in monte, qui zelans Dei honorem, fecit ignem de zelo deſcendere, qui interemit duos Principes quinquagenarios cum militibus ſuis. Sed quia Dei honorem non ſecundum ſcientiam zelabant, poterat eis dici illud, quod Paulus Romanis ait: *Teſtimonium perhibeo illis, quod æmulationem Dei habent non ſecundum ſcientiam.* Sic duo filii Jacob, Simeon & Levi, zelo injuriæ toti familiæ inflictæ per conſtuprationem Dinæ ſororis ſuæ, deſtruxerunt urbem Sichimorum, ſed non prudentia duce, ideo vehementer objurgantur à patre.

Luc. 9 54.

Rom. 10. 2

Zelus indiſcretus S. Carpi.

Memorabile eſt hac de re, quod S. Dionyſius S. Carpo refert accidiſſe. Indignatus planè fuerat Carpus cuidam infideli, qui alienum à fide abduxerat; precabaturque ut amborum vitam Deus fulmine extingueret. Hæc precatus, nocte quadam vidit quaſi cœlum aperiri, & lumen inde deſcendens ad cubile uſque ſuum. Et in cœlum oculos levans, vidit Chriſtum innumeris humanæ ſpeciei Angelis cinctum. Oculos deinde deflectens in terram, profundam vidit abyſſum, & duos illos viros præcipitio jam proximos trementes planè & miſerandos: ſerpentes quoque teterrimos eorum pedibus colligatos cernebat, omnem vim adhibentes ut miſeros in voraginem pertraherent, quos & adjuvabant viri aliquot impellentes eoſdem ut ruerent. Delectabatur interim Carpus quaſi voto potiturus, Deo graviſſimam ſibi injuriam vindicante, ſi ruerent. At ecce iterum in ſuperna oculos vertens, vidit Jeſum commiſeratione eorum deſcendentem & manum porrigentem. Angelosque opem ferentes. Sic autem ipſum Carpum allocutus eſt Jeſus; *Jam pervenit adverſum me, paratus ſum etiam iterum pro ſalvandis hominibus pati, gratum mihi iſtud eſt, dum non alii homines pereant. Tu autem inſpice, an tibi utile ſit iſtam cum ſerpentibus in profundo manſionem Dei & Angelorum præferre conſortio.* His verbis zelum indiſcretum Viri ſancti correxit Dominus, & aliis exemplum dedit, ut zelo prudenter utantur.

Quàm multi Sacerdotes & Rectores animarum, vel Concionatores, quia prudentiam ſibi ducem aut comitem non aſciſcunt, zelo indiſcreto populum perturbant, aut riſui & ludibrio ſe exponunt? Invehuntur publicè in ea, de quibus prius privatim agendum foret: quandoque etiam non ſatis explorata veritate perſonas ſugillant & exaſperant; quandoque in ſtatum aliquem verborum multorum acrimonia feruntur, indiſcretè & ſine fructu. Privatim quoque ſi quis corripiendus ſit, impetu reguntur; & zelo tumido ac imperioſo ulcus exaſperant, animos exacerbant. Alii ſuſcipiunt neſcio quas difficultates cum nobilibus & locorum Dominis, quaſi ex zelo, ex quibus odia & ſcandala duntaxat enaſcuntur; & his prudentia duce facilè poterant obviare. Iſtis ergo omnibus inſinuamus illud Salluſtii: *Seſe fatigando nonniſi odium vel ludibrium quærere, extrema dementia eſt.*

Salluſtii dictum.

Poteſt & indiſcretus zelus contingere in Confeſſionibus audiendis. Huc referri poteſt exemplum, quod deſe refert Cantipratanus. Quidam, inquit, Epiſcopatus Cameracenſis, pollutionis carnalis vitio continuo laborans, venit ad me cum ſuo Sacerdote, rogans ut abſolverem recidivantem? Sed cum jam per annos plures abſolviſſem, volebam mittere eum ad Epiſcopum gravius affligendum. Rogatus tamen ſum ab eodem Sacerdote, ut tali conditione abſolverem, quod flexis genibus coram me rogaret Dominum, ut ſi recidivaret, ipſum mox divina vindicta puniret. Conſenſi conditioni, & heu mihi quod conſenſi! Flexit enim genua, & vindictam illam ſibi imprecatus eſt, ſicque abſolvi gaudentem. At ferta quarta poſt Paſcha reincidens, mox horrifice clamavit, vindicta Dei ſuper me; ſicque amara morte multatus eſt. Hæc ille.

Cantipr. l. 2. Apum. c. 30.

Quapropter S. Bernardus Paſtorem animarum ſuâ adornans panopliâ dicit, quod geſtare debeat peram, & panem in pera, baculum & canem latrantem, cornu cum oleo. *Panis in pera, eſt verbum Dei in memoria: Canis latrans, eſt zelus clamans contra vitia: ſed ille, inquit, quandoque debet eſſe in fune, quia zelus debet eſſe cum diſcretione.* Baculus & virga, eſt verbum correctionis & increpationis, quo dura debet ferire corda: ſed virga debet eſſe *vigilans & acuta*; ut videat quo cadat, quando & quomodo ferat, ne importunè & cum rigore ferions, non jam corrigat, ſed enecet, aut interimat. Nec debet deeſſe oleum leniens, hoc eſt monitio ſuavis, quo ſcabiem & impetiginem fricare, quo linire & lenire poſſit ulcera; commiſcens prudenter cum ſeveritate manſuetudinem, ne immoderata ſeveritas à lapſu non revocet delinquentem, aut ſolutior lenitas etiam occaſionem præbeat delinquendi.

S. Bern. Paſtorem adornat. panopliâ.

His ergo omnibus nihil aliud indicatur, quàm quod apertis verbis ſupra expreſſum eſt, advigilare ſibi debere Dei Miniſtros, ut in converſatione prudentiam & diſcretionem ſemper obſervent, ne in actionibus aut verbis indiſcreto zelo ferantur. Quapropter concludo verbis S. Bonaventuræ Doctoris Seraphici: *Abus gradus eſt prudentiæ, in omnibus cautum eſſe coram ſæcularibus, ne ſcandalizentur; altior coram Religioſis & pu-*

Bonav. l. de Gradibus virtutum c. 9.

cautum eſſe, ut ædificentur: altiſſimus, ſeram Deo judicari cautum eſſe, non offendatur.

Tu Domine Jeſu ſapientia es, quæ ex ore altiſſimi prodiiſti, attingens à fine uſque ad finem fortiter, ſuaviterque diſponens omnia: Tu veniſti, ut viam prudentiæ nos doceres. Iliam igitur Sacerdotibus & Miniſtris tuis communicare digneris, quàm & in pueritia in medio Sacerdotum & Doctorum exhibuiſti, ita ut mirarentur ſuper reſponſis & prudentia tua. Da igitur, ut per illam laqueos peccati in via abſconſos, devitent, & coram te ſtent ſine offenſione: ut ſapienter ſe gerant, & populum ſuum regant ſine errore, fortiter ſuaviterque omnia diſponant, ſine indiſcretione. Da ut proximum ædificent prudenti & ſancta converſatione, & omnibus omnia fieri poſſint ſine conſcientiæ diſcrimine & ſine fictione, ſicque valeant eos lucrifacere. Fac ut nihil temere aggrediantur ſine circumſpectione; & zelo in omnibus ferantur, ſed cum diſcretionis ſale & debito moderamine: ut ſic efficacem & maturum fructum in proximos poſſint producere, & fœlici prudentiæ ductu ad æternitatem ipſos ſecum perducere. Ita obſecro totis animi mei votis, & imploro ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, ut nobiſcum ſit & nobiſcum laboret, ſicque ſciamus & perficiamus quod acceptum ſit coram te omni tempore, ſine qua in caligine degimus, in errore & cæcitate, quaſi palpantes, labilemque in erroneum greſſum figentes, neque enim niſi illa duce poſſumus nos alioſve regere.

LECTIO III.

DE FLORE DECIMO-TERTIO, QUI EST modeſtia in veſte.

XIII. Flos Modeſtia in veſtitu.

DE hac re ſic monet Regula: *Veſtitus ſit decens & honeſtus, ſacerdotali ſtatui congruus, nec nitidus aut ſordidus contemptum ſæcularibus inducens, nec notabili ſuperfluitate vanitatem ſapiens.*

Variorum Ordinum varius veſtitus.

Variorum ordinum varia eſt veſtis in Eccleſia Dei, & tantum abeſt ut deformitatem pariat; quin potius ſplendorem auget & decorem. Sicut enim in Imperatoris terreni militia, diverſæ cohortes veſtis exterioris ſymbolo agnoſcuntur, & ſaga diverſo colore promicantia decorem aciei ordinatæ conferunt: ita & in militia Regis cœleſtis ex Religioſis variorum ordinum tamquam militibus diſcoloribus conflata, decor aliquis ex varietate ſanctè ordinata reſplendet. Si Regina Saba in admirationem rapitur in aula Salomonis, ob diverſos famulantium ordines & veſtes eorum: Non minus admiratione digna eſt in aula noſtri Salomonis Jeſu Chriſti, inſtitutorum variorum coordinatio ad ipſius obſequium accincta, quæ exteriori etiam amictu dignoſcitur. Non quod ille amictus ſplendidus ſit externa ſpecie, cum potius rudem & vilem inſtitutores ſacrarum Religionum ſemper commendarint, & quicquid ultra mediocritatem vanitati accederet, deteſtati ſint, ſed quia hirſuta etiam & neglecta veſtis, ſplendorem & gloriam quæ ab intus eſt in variis ordinibus, tegit & protegit: *ſicut pelles Salomonis & tabernaculo Cedar*, quæ foriſecus ſalcedine vel nigredine decolorata intus ſpecioſa erant & decora. Hanc ob ſignificationem aliqui ordines auſteriores aſperum planè indumentum elegerunt, ad imitationem antiquorum Prophetarum, de quibus Apoſtolus: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.* De S. Baptiſta teſtatur Scriptura, quod ex pilis camelorum contexta veſte uſus fuerit; erat hirtum utique tegmen, & quaſi cilicina veſtis. Similiter Elias & Elizæus zonâ cilicinâ adſtringebant & mortificabant lumbos. Teſtantur quoque ſacræ hiſtoriæ S. Paulum primum Eremitam de palmæ foliis contextam geſtaſſe veſtem, quam S. Antonius cum defunctum ſepeliviſſet ita in pretio habuit, ut nonniſi feſtis ſolemnibus ea uteretur. Ac de illa S. Hieronymus ſic loquitur: *Si mihi Dominus optionem daret, multò magis eligerem tunicam Pauli cum meritis ſuis quàm Regum purpuram cum ſuis Regnis.* Denique in eremo olim melotæ uſum fuiſſe communem ex Sophronio & Caſſiano ſatis conſtat, ſive melota fuerit veſtis ex exuviis & pelle ovium (quod ipſum verbum ſignificat, nam melon Græcè Latinè ovem ſignificat, & inde melotes vel melota) ſive prout generaliter ſumitur hæc vox, ad ſignificandam veſtem quamlibet piloſam & hirſutam. Aſperiores ergo Religiones ut carnem magis mortificent, & luxum veſtium vitandum doceant, habitum auſterum aſſumunt, habitum pœnitentiæ, in cinere & cilicio vitam ſibi agendam rememorantes, nihilque commune cum ſæculo ſibi quærendum inſinuantes, cùm & paupertatis auſteræ ſint ſectatores.

Cant. 1. 4. *Cur aliqui Ordines veſtem aſperiorem elegerint?* Heb. 11.

S. Hieron.

Eccleſiaſticis honeſtus habitus præſcribitur.

Cæterum, Sacerdotibus aut Eccleſiaſticis qui in ſæculo agunt, nec paupertatis aut religionis vota emiſere, commendatur in veſtitu mediocritas cum honeſtate conjuncta, quæ nihil vanitatis, novitatis, aut ſuperfluitatis redoleat. De quo ſic loquitur Trid. *Oportet Clericos veſtes proprio congruentes ordini ſemper deferre: ut per decentiam habitus extrinſeci, morum honeſtatem intrinſecam oſtendant.* Cui conformiter loquuntur Concilia antiqua, inter quæ Synod. 7. ſic ait: *Omnis jactantia & ornatura corporalis à ſacrato ordine aliena eſt.* Addit S. Baſilius *A priſcis temporibus omnis ſacratus vir cum mediocri & vili veſte converſabatur, ſed neque ex ferocis texturis veſtem quæ varietatem induebat. And erant enim ex Perſona linguæ: Qui molibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt.* Conforme iterum eſt, quod Synodus Carthaginenſis 4. c. 45. ait: *Clericus profeſſionem ſuam & habitu & inceſſu probet, & ideoneis veſtibus, nec callamentis decorem quærat.*

Trid ſeſſ. 24. in decreto de reform. c. 6.

Synod. 7. Baſilius.

Synod. Carth. IV.

Eccle-

Cardinalibus & Prælatis conceditur in veſtitu ſplendor ob dignitatem eorum

Eccleſia tamen Cardinalibus & aliis in dignitate ſuprema conſtitutis, ſplendorem aliquem, ornatum & majeſtatem etiam externam permittit, ne dignitas vilefcat. Eſt enim hoc valde proprium humanæ naturæ, ut ſenſibus moveatur, & illis afficiatur, quæ per ſenſus ac præſertim per oculos ingeruntur: Ideoque ut populus moneatur dignitatis Eccleſiaſticæ quâ adornati ſunt, externum apparatum eis concedit in veſte hyacinthina, & purpurea. Neque refert quòd Apoſtoli tali externo apparatu uſi non fuerint, ſed potiùs in paupertate, in fame & ſiti, in frigore & nuditate dignitatem Apoſtolicam excoluerint. Hæc enim fuit certa quædam ratio illorum temporum propria, quando Eccleſiæ fundamenta jacienda erant: ne humanæ potentiæ tribueretur orbis converſio. Accedebant miracula, quibus ſibi venerationem conciliabant. Unde in actis legimus: *Magnificabat eos populus, & cæterorum nemo ſe audebat conjungere illis.* Nunc autem cùm & ſigna ceſſarint, & Eccleſia ſatis fundata & propagata ſit: niſi aliquid eſſet, quod hominum oculos caperet, minor foret reverentia & auctoritas Præſulum; atque etiam Eccleſiaſtica obedientia facilè collabeſceret, & contemptus ſequeretur. Adde quòd non ambitionis gratia, ſed ſignificationis ſacræ hyacinthus vel purpura in ſublimi dignitate conſtitutis concedatur. Cùm enim hyacinthus veſtis ſit Regum ſicut & purpura, ſignificat eos animum regium & excelſum gerere: atque color iſte cœleſtis animum in cœlis fixum eſſe debere deſignat, ut omnia terrena peſſundet & proterat. Ideo enim & Eccleſiæ tanquam Sponſæ Chriſti *Calceus hyacinthinus* aſſignatur apud Prophetam *Calceavi te Ianthive*, id eſt, calceo janthini ſive hyacinthini ſeu violacei & cœleſtis coloris, quo in cœleſtibus ambulet, & Lunam mutabiliaq; omnia & terrena conculcet. Simul etiam ſignificatur, quòd hi primarij Senatores Eccleſiæ ſint: tanquam *Regalis Sacerdotium*, & *Regnum Sacerdotale Chriſti* quem ſequi debent, ut nimirùm ſicut ipſe in paſſione & cruce purpuram induit, & ſeipſum ac Eccleſiam ſanguine ſuo purpuravit, ita & ipſi pro Chriſto & Eccleſia ſtent uſque ad mortem, & ſi res poſcat ſanguinem fundant. Ut ergo hujus conſtantiæ & charitatis ac martyrij admoneantur habitum ſuum intuentes. Paulus Secundus an. Dom. 1464. cui Platina à ſecretis fuit, eis veſtem rubeam ſive purpuream primus attribuit: atque ante eum Innocentius IV. anno Domini 1245. creatis duodecim Cardinalibus primus eisdem galerum purpureum aſſignavit, ut illi uſque ad ſanguinem & mortem Friderico Imper. hoſti Eccleſiæ ſeſe unà ſecum objicerent, eique caput ſuum quaſi murum opponerent. Ita Martinus Polonus, Platina, Onuphrius, & alii in horum Pontificum vita.

Act. 5. 13.

Purpura cur data ſit Cardinalibus.

Ezc. 16. 10

8. Carolus Borromæus veſte purpureâ, cùm in publicum procederet, lubens utebatur, tanquam Eccleſiaſticæ dignitatis ſymbolo. At quia nec dignitatem, nec dignitatis veſtem ſplendeſcentem ambierat, ideo nec affectu immoderato his inhærebat: ſed ſimplicitatis & pauperratis amore inferioribus veſtibus utebatur ex ſimplici panno & tela confectis. Imò veſtis ejus cubicularis erat ex panno cinericio, rudi & craſſo, quam quatuordecim totis annis non mutavit.

Clerici in veſtitu duo fugiant extrema.

Sed quoniam de cleri ordinato amictu hic agimus, non de ſublimibus, in dignitate perſonis; hoc monemus ut quicumque de clero ſunt, duo fugiant hac in re extrema. Nimirùm, luxum, ſuperfluitatem, & exceſſum, qui oriri ſolet ex animi elatione, illamque alere: fugiant etiam contemptibilitatem, abjectamque nimis & ſordidam rationem in victu & amictu, quo ſacrum miniſterium vituperari poteſt. Sic verò in medio ambulent, ut veſtis modeſtiam & gravitatem ſapiat, & humilitas perſonæ ſit ſine abjectione ſtatûs, & gravitas vitæ ſine animi elatione. Pro hac mediocritatis forma tenenda, notatu digna eſt S. Auguſtini ſententia in lib. 3. de doctr. Chriſtiana. *Quisquis rebus præterentibus veſtrictius utitur, quàm ſe habent mores eorum, cum quibus vivit, aut temporis, aut ſuperſtitioſius eſt. Quisquis verò ſic eis utitur, ut motus conſuetudinis bonorum inter quos verſatur excedat, aut aliquid ſignificat, aut flagitioſius eſt. In omnibus enim talibus non uſus rerum, ſed libido utentis in culpa eſt. Fieri enim poteſt, ut ſine aliquo vitio cupiditatis vel voracitatis pretioſiſſimo cibo ſapiens utatur, in ſipiens autem ſordidiſſima gula flamma in viliſſimum olus inardeſcat.*

1. *Luxum.*

2. *Sordes*

De mediocritate amictus. Aug. l. 3. de doctr. Chriſt.

Ambulant in brevi & curta veſte, quæ vix genua attingit, & frequenter variis ſciſſuris ſuperfluè & curioſè eſt aptata ad ſæculi morem: Collaria gerunt prominentia; ita ut cùm ad ſacrificandum accedunt, ne fortè plicas contrahant, aut venuſtatem deperdant, ea deponere oporteat, & juxta altare, vel certè in Sacriſtia indecenter collocare. Ridiculum planè id, & ſacerdotali ſtatui indecorum. Hic non eſt uſus Patrum noſtrorum ſive piorum & antiquorum Sacerdotum, ſed originem duxiſſe videtur à juvenibus quibusdam, qui in veſte & moribus leviores, partim ſæculo, partim Eccleſiæ ſervire & placere cupiunt. Ideoque à piorum id Sacerdotum mente ablegandum, nemo non prudens judicare debet. Si enim collaria honeſtatis gratia geſtent, ſic curent aptari, ut ſacrificantibus indecentiam nullam afferant. Quosdam hujusce moris riſu excipiens, ut illum emendarent, interrogabam, num hæc collarium depoſitio ſecundùm morem Romanum ſit, an ſecundùm Leodienſem. Si ſecundùm ritum Romanum, mirari me cur in Rubricis Romanis, in quibus omnia valde exactè præſcribuntur, non inveniatur aliqua, quæ ordinet de paxillis, ſive bacillis muro affigendis, in quibus collaria ſuſpenduntur. Hoc enim foret valde opportunum; ne diſperſa per menſas ornamentis ſubtrahantur, hinc indè vagentur, & commaculentur. Forſitan in editione nova Miſſalis expectanda erit ſimilis Rubrica, quia probus ille mos Sacerdotum col-

Indecorum eſt deponere collaria tempore Miſſæ.

larla deponentium invaleſcit, & ita magiſtris cæremoniarum plenius innotuiſſe potuerit. Hàc facetâ propoſitione, quorumdam pravum ea in re uſum correxi, & ad ſeriam indecentiæ hic annexæ conſiderationem induxi.

Corona Sacerdotalis non eſt negligenda.

Addendum hic, quod & alibi iterùm monui, dignos eſſe reprehenſione Sacerdotes, qui coronam ſuam Sacerdotalem negligunt, cùm illa ſit ſignum ſortis & gradus, ſive electionis ad ſacrum miniſterium. Certè mœrore dignum eſt, reperiri quosdam Sacerdotes, qui ut liberiores ſint in converſatione mundana, & minime agnoſcantur ut Dei miniſtri, hoc negligunt ſortis ſuæ ſymbolum; verecundantur de illo, utpotè cui vita non ſit conformis. Nequidem ad altare eam deferunt, quia non tam facilè eam exuere poſſent ac caſulam & albam, dum ad mundi ineptias Sacerdotibus indignas revertuntur. Videant hi, ne graviter eis iraſcatur Dominus, & Angelus ejus, qui graviter iratus fuit Moyſi, quia ſignum circumciſionis in filio neglexerat, quod erat ſignum ſeparationis populi ſui ab aliis infidelibus. Profectò cùm illa corona indicet conſortium Regiæ dignitatis cum Chriſto, cujus per Sacerdotium jam participatio donatur: nunquam illius deceat oblivi ſci, quin potiùs illa continuò ſtimulus eſſe debet, ut regio & excelſo animo Sacerdos quilibet infima hæc deſpiciat, & ad æternum regnum adſpiret.

Exod. 4. 25.

CONCLUSIO AD CHRISTUM.

FAc, ô Domine Jeſu, ut Sacerdotes tui induantur interiùs veſte juſtitiæ, exteriùs veſte modeſtiæ: ut per hanc populos ædificent, per iſtam oculis tuis placeant. Rejiciant ſicut à mente, ſic & à veſte, omnem vanitatem, ſuperfluitatem, elationem. Non conformentur huic ſæculo, nec in morum, nec in veſtitus compoſitione; ſed reformentur ſpiritu mentis ſuæ, ut probent bona: eique magis ſit cura interioris hominis, ut illum veſte ſanctitatis & veritatis adornent, quàm exterioris; ut ſuperfluo ornatu illum ſæculi more componant. Fac etiam, ut ea pia cura ſit vellicandi vitia mea, & cum criminibus ſuperfluas cogitationes & curas, affectuoſque nimis terrenos, inanes, luxuriantes, ut in ipſo ſæculo agentes, calcent ſæculum, mores ſæculares circumcidant, & ſe abdicent ſuſtamque aſpernentur, animis malè compoſitis initium.

TRACTATUS V.

DE MEDIIS QUIBUS REFLORESCERE POTEST VIRGA AARONIS,

Sive vita Sacerdotalis.

LECTIO I.

DE CONGREGATIONIBUS PIIS per Sacerdotes instituendis.

HAud ambigi poteſt, Congregationes Paſtorum ſeu Sacerdotum, cum inſtructionis, tum exhortationis mutuæ gratia initas, frugem parere poſſe non mediocrem; pluresq; rationes in hujus rei confirmationem & elucidationem afferre licet.

Primò, quia in omni arte, ſcientia, profeſſione, iniri ſolent ſocietates & congregationes inter eos, qui conſimilis ſunt profeſſionis, ad conferendum, conſultandum, de his quæ eam artem, ſcientiam vel profeſſionem concernunt; & amovendum ea quæ illi nocumentum afferre valent. Hinc in civitatibus benè inſtitutis, cernere licet Academias eruditorum, Sodalitia cujusvis generis opificum, Societas mercatorum, ſub certis legibus & ſtatutis, ad promovendum commune & politicum bonum. An non potiori ratione congruit ſacras iniri ſocietates inter Eccleſiæ miniſtros ad bonum illius publicum?

Secundò, etiam ipſe Satan, ut efficaciùs quaquaverſum malitiam ſuam promoveat, habet Synagogas malignantium, conventicula hæreticorum, quin etiam ſagarum & magorum conciliabula. His congregationibus, ipſæ doctrinæ peſſimæ ac nequitiæ ſuæ virtus diffundit, fovetque: & ſic regnum ſuum, regnum peccati, adverſus regnum Chriſti novit ſtabilire & dilatare, horribilem animarum edens ſtragem. Cùm itaque Satanas pro perdendis animabus tantam impendat ſollicitudinem, tot utatur miniſtris, tot malignis ſocietatibus, in quibus miniſtri ipſius opus urgent, indefeſſi atque aſſidui, animis in malum obfirmatis: An non magis convenit miniſtros Chriſti inter ſe ſocietatem inire, aç frequenter convenire, ut ſeſe mutuò

Digitized by Google

mutuò exhortentur & extimulent ad promovendum regnum Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti; ad obſiſtendum adverſus regnum peccati & conatus diaboli; ad conſultandum de mediis quibus animabus percuntibus poſſit ſubveniri? An non turpe eſt & probroſum, ſi Jeſu Chriſti Domini ſui gratiam & voluntarem negligentes, à ſatanæ miniſtris ſuperari ſe ſinant, patianturque ut illi majori ſtudio ad ſe & alios perdendos, quam ipſi ad ſuam aliorumque ſalutem tuendam incumbant?

Tertiò, ad hunc ſcopum jam pridem in Eccleſia inſtitutæ ſunt ſynodales convocationes Paſtorum, & Miniſtrorum Eccleſiæ; non ſolum generales, aut quæ totius ſunt Provinciæ, vel Diœceſis; ſed etiam particulares, quotannis aliquoties fiebant per ſingulos Decanatus & diſtrictus, ut in illis de rebus animarum curam concernentibus tractaretur. At quoniam pleriſque in locis perfunctoriè & exiguo cum fructu eas peragi contingit, id ſuppleri, & longè efficacius ac fructuoſius perfici poſſe haud ambigi poteſt, ſi unanimi morum & animorum conſenſu, inter ſe ſacra ſocietate devincti Paſtores, ſeu Sacerdotes, non raro conveniant, ad reſuſcitandam gratiam Sacerdotalem, ad conſpirandum indiviſim, in hoc ut ignis ille quem Dominus voluit vehementer accendi, reflammeſcat, nec cinerulento torpore ſopiatur, zelus ſcilicet gloriæ Dei, & ſalutis animarum: ad fovendam etiam mutua conferentia ſcientiam neceſſariam officiis & functionibus Sacerdotalibus ritè obeundis.

Quartò, huc ſpectat illud Matth. 18. *Dico vobis, ſi duo ex Vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re, quamcumque; petierint, fiet illis à Patre meo qui in Cælis eſt. Ubi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Itaque quando plures divina charitate inter ſe conſentientes congregantur, efficax Dei in medio eorum præſentia ſolet adeſſe, adjuvans ſanctos eorum conatus, & vota exaudiens, quibus ex illa divina charitate apud Deum obſecrant, recta rectè poſtulantes. Debent verò congregationes hæ fieri *in nomine Chriſti*, ſi hanc ſpecialem gratiam, præſentiam, aſſiſtentiam velint promereri: hoc eſt, debent fieri propter Chriſtum, & propter cauſam aliquam mirè ad ipſum ſpectantem: debet adeſſe intentio gloriæ ejus, & dilectio concordiaque veræ charitatis in ipſum relata. Si enim mundana tantum dilectione aliqui inter ſe conſenſerint, ſi ſocietatis amicæ gratia potiſſimùm congregati fuerint; ſi ut bonam ſibi opinionem apud alios concilient; ſi ſolatii, aut ſympoſii, recreationisque cauſa, aut ob reſpectus humanos conventus agant: hanc Dei præſentiam ſeu aſſiſtentiam ſpecialem, non ſibi promittant, quin verò contingat, ut Deus illis reſiſtat, gratiam deneget.

Hortamur ergo Chriſti Miniſtros, ut congregationes ſacras inter ſe incant, ſed in gloriam Patris Æterni, ſed in nomine Filii ejus Jeſu Chriſti, ſed in veritate & unione Spiritus Sancti. Aggregentur tamquam Lapides Sanctuarii, ſuper *Lapide illo angulari in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino.* Agglutinentur glutino Spiritus, cæmento Sanguinis Chriſti, cæmento charitatis erga Deum & proximum, colligatione zeli, & deſiderio ſalutis: ſic ædificare poterunt turrim perfectionis, in vertice montis. Eliminent reſpectus vanos nimium & humanos, qui ſunt inſtar labilis arenæ: ſuper his ædificatio conſtructa facile ruit, mox ut aura muratur, aut aliquid venti afflat, vel imber affluit. Talis ſtructura cum ſit inſtar materiæ depoſitæ, aut parietis inclinati, ſenſim ſeſe diſſolventis, aut ruinam minitantis, non poteſt diu perdurare. Eliminatis verò his reſpectibus inanibus, initiatur ſolida compagine ædificium perfectionis, adverſus ventos perſtrepentes, vel imbres ruentes intemeratum: quia *conſilium quod ex Deo eſt, non diſſolvitur*; & ut loquitur Apoſtolus: *Firmum fundamentum Dei ſtat habens ſignaculum hoc; Cognovit Dominus qui ſunt ejus.* Ephes. 2. 20.

Tu igitur, Domine Deus, qui diſperſa congregas, congregata conſervas, apud quem eſt ſapientia omnium artifex: illam infunde, & fac ut ædificent, quicumque ædificare moliuntur, ne in vanum laborent. Da ut in idipſum conveniant, mente, linguis, zelo unus: & ut non ſint diſcordes labiis, vel corde, elimina quicquid babylonium poteſt ſe interſerere in multitudine. Eſt enim in te *ſpiritus intelligentiæ ſanctus, unicus, multiplex, ſubtilis diſertus mobilis inconquinatus, certus ſuavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat beneficiens: humanum benignus, ſtabilis, certus, ſecurus omnem habens virtutem, omnia proſpiciens, & qui capiat omnes ſpiritus intelligibiles:* illum ergo communica myſtico Eccleſiæ corpori, quo coadunetur, regatur, & vivificetur: illum effunde ſuper congregationes tibi commiſſas, tibi devotas; & dirige ad te tuorum corda ſervorum, ut in veritate tibi placeant, & ab omnibus gradibus tuo numini fideliter ſerviatur, ſervoreque concepto in fide inveniantur ſtabiles, & in opere efficaces. Sap. 7. 22.

LECTIO II.

DE CONGREGATIONE STABILITA à S. Philippo Nerio.

SÆculo hoc noſtro conſiderantes viri pietate & ſapientia eminentes, quantum conducant Eccleſiæ publico bono congregationes & Societates Sacerdotum, ſecundum jam dicta: Spiritu divino impulſi, ſub certis Regulis & conſtitutionibus aliquas erexerunt, quæ non mediocrem Eccleſiæ frugem hactenus pepererunt. Atque ſcopus eorum fuit, eos qui Clericali militiæ extra Religionis clau-

clauſtra nomen dederunt, & Eccleſiaſticorum ſpecioſo titulo gaudent, ad perfectionem Eccleſiaſticam & clericalem extimulare, gratiam manuum impoſitionis, ſpiritumque ſacerdotalem, quaſi ignem ſub cineribus latentem & ſopitum, ſuſcitare.

Inter hos primo loco numerari poteſt S. PHILIPPUS NERIUS, qui Romæ ſocietatem ſacram Presbyterorum inſtituit, quam CONGREGATIONEM ORATORII nominavit, neq; voluit eam ullis Religionis votis obſtringi, ſed ſolo ſpiritus ſuavi vinculo colligari, & dirigi. Ipſe verò congregationi Presbyterorum à ſe inſtitutæ eam commonſtravit viam, qua inflammati ad pietatem humana deſpicerent, & Chriſti amore ferventes progrederentur ad divina. Atque in hac congregatione inſtituenda, primos diſcipulos, & quaſi cæterorum Duces, nactus eſt Cardinalem Taurufium, & Cardinalem Baronium notiſſimum ob annales Eccleſiaſticos, propter quos, inter ſcriptores Eccleſiaſticos, merito Cæſaris nomen & omen habet. Et hos quidem Annales inſtigante S. Philippo ſe ſuſcepiſſe fatetur in octavo ſuo tomo. Hi primò inter privatos parietes illius doctrinam & ſpiritum hauſere, pro varia pietatis exercitia ab hoc magiſtro probari. Et hæc prima Oratorii fundamenta fuere; quod privato in cœnaculo S. NERIUS pios quosdam & familiares diſcipulos maxima vi & amplexu ardoris cœleſtis erudiens; & exhortans, ſtatim multos verbi & ſapientiæ ſuæ efficacis nactus ſit auditores & ſectatores. Et quidem tantus erat ejus ardor, ut lecto cogeretur decumbere, quin & ſupra lectum cubito uno & altero in altum elatus ſæpius cernebatur. Cum verò ob frequentiam confluentium anguſtus locus foret, tandem in Eccleſia S. Hieron. ac deinde in Eccleſia B. Mariæ de Vallicella, ubi nunc fixum eſt Oratorium, exhortationes ad populum familiares habere cæpit; quas Oratio mentalis ſequebatur, & inde exortum eſt Oratorii nomen. Inſtitutum verò iſtud Oratorii ſtabile permanſurum, quamvis nullis votorum nexibus colligatum, divina relevatione Sanctiſſimæque Genitricis Dei Mariæ admonitione intellexit, ex ſpiritu quoque Prophetiæ, quo donatus fuit, idem dicit. Nam hic ſpiritus erat in eo eminens, quo & cordium intima penetrabat, & ſtatum animarum interiorem pernoſcebat: fœtoremque peccati mortalis à longè olfaciebat, obviantibus ſibi animis perverſis: hoſtiam conſecratam à non conſecrata interiori quodam ſenſu dignoſcebat: mira denique ſpirituum diſcretione præditus erat. Hæc omnia agnoſcet, qui ejus vitam perlegerit. Cæterum Oratorii à ſe Romæ inſtituti hæ fere ſunt primariæ conſtitutiones vel praxes.

1. In Eccleſia eorum quotidiè, præter diem Sabbati, pia alicujus libri lectione præmiſſa, quatuor è Sacerdotibus ad dicendum delecti, ordinata ſucceſſione ſemihora horologio arenario ſingulis præfinita, familiares & utiles de rebus divinis ſermones habent. Feſtis quoque diebus, unus ſermocinatur poſt veſperas decantatas: & expletis ſermonibus, temperatur concentus muſicus ad pietatem fovendam.

2. Quotidiè ſub veſperum dato ſigno (ad quod etiam externi confluunt) poſt dimidiam horam orationis mentalis, recitantur Litaniæ cum precibus, alternis multitudinis congregatæ vocibus, Sacerdote orationes quæ poſt Litanias ſubſequuntur perſolvente. Cum vero ad pacis Orationem venit, cujus eſt initium: DEUS À QUO SANCTA DESIDERIA, &c. Duo ex Oratorii Miniſtris ex altari ſumentes duas JESU imagunculas Sacerdoti genu flexo oſculandas exhibent; ac deinde ſingulis in Oratorio, cum ſalutatione, PAX TECUM. Orationibus abſolutis Sacerdos monet omnes clara voce, ut à Deo jugem in ejus cultu & ſervitute perſeverantiam precentur, quinquies ſecretò Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam recitantes. Ac poſtea petit, ut pro Summo Pontifice Cardinalibus, aliisque Sacerdotum Primatiis, pro Chriſtianorum Principum concordia, fidei propagatione, hæreſum extinctione, impiorum converſione bis eam repetant, & ſemel pro defunctis Oratorii Fratribus. Adjicitur deinde Antiphona, SALVE REGINA, vel alia pro tempore occurrente.

3. In feriis, ſecunda, quarta, & ſexta & tota majori hebdomada, ob memoriam flagellorum Chriſti, omnes ſe in Oratorio flagellis cædunt. Abſoluta enim mentali oratione dimidiæ horæ veſperi, Oratorii cuſtodes flagella ex funiculis cum nodis multis contexta diſtribuunt cuique, januis, feneſtriſque diligenter clauſis, lucernula tantùm accenſa ſuper altare, qua JESU Chriſti Crucifixi imago ſola reſplendet, reliqua in tenebris ſunt. Tunc Sacerdos lugubri voce pronunciat: *Jube Domine benedicere R. Paſſio Domini noſtri JESU Chriſti ſit ſemper in cordibus noſtris*: Subdit: *Recordemini, Fratres chariſſimi quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus fuit pro nobis venditus, oſcula traditus, ad Annam primùm, deinde ad Caiphan Pontificem ductus, & poſtremo in prætorium ad Pilatum: ubi fuit ad columnam ligatus & flagellatus, ſpinea corona coronatus, veſte purpurea circumdatus, alapis percuſſus atque conſputus & Judæis traditus ut crucifigeretur: Ad Calvariæ locum deductus & crucifixus & cum eo crucifixi ſunt duo latrones; unus à dextris, alter à ſiniſtris & cum dixiſſet, ſitio, porrexerunt ei aceſtum, quod cum accepiſſet, dixit; Conſummatum eſt, & inclinato capite miſit ſpiritum. Deinde unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuò exivit ſanguis & aqua; & de cruce de oſſibus ſuis in monumento novo ſepultus, tertia autem die reſurrexit à mortuis.* Tu autem Domine, &c.

Tunc ſubdit: *Servite Domino in timore, &c. Apprehendite diſciplinam ne quando irascatur Dominus*

missus, &c. Ad hæc verba, arreptis funiculis cædunt se, dum recitatur Psalmus, *Miserere*, & *De profundis*. Adjicitunque oratio, *Fidelium*; & *Deus qui culpa offenderis &c.* Postea recitatur Canticum, *Nunc dimittis* Parat interim se Custos, ut cùm illa verba audierit, *Lumen ad revelationem gentium*, laternam aperiens, lumina rursus accendat. Denique recitatur Antiphona, *Da pacem*, cum oratione, *Deus à quo sancta desideria*, & pax datur ut in aliis diebus, complenturque omnia per Antiphonam, *Salve Regina*, vel aliam, & per quinque *Pater noster*, ut aliàs.

4. Ex Confessariis quotidiè aliquis moratur in Ecclesia: Festis autem diebus, Feria quarta & sexta, à mane usque ad horam prandii, omnes excubant.

5. Noluit S. Nerius, ut sui aliquas Congregationes, loca vel Collegia gubernarent, aut aggregarent. Sed statuit ut quælibet Congregationis domus, vel familia formam instituti Romani Oratorii imitata, se per se regat & moderetur.

LECTIO III.

DE CONGREGATIONE ORATORIS Domus Jesu.

Oratorio Romano à S. Nerio erecto, non absimiles Congregationes variis in locis institutæ fuerunt, ac potissimùm in Gallia, sub hoc titulo: *Congregatio Presbyterorum Oratoris* Jesu C.D.N. Hujus Congregationis Parisiis anno Domini 1611 ipso die S. Martini, in quo excellunt Spiritus sacerdotalis, jacta sunt initia, per R.P. Petrum Berullium. Virum spiritu Dei & scientia salutis eminentem; qui postea ob spectatam sapientiam & pietatem, in Cardinalium numerum ab Urbano 7 remittente licet, fuit cooptatus. Sed anno 1629. è vivis excessit, magno Ecclesiæ Gallicanæ damno, & omnium bonorum luctu. Hoc verò post mortem Medicorum expertissimorum judicium constans de eo fuit, quatuordecim penè totis annis postremis non potuisse vivere, pili quodam miraculo, ob pulmonis defectum. Magnus ipse fuit Sacerdotalis dignitatis æstimator, præco, zelator, tantoque affectu erga divinissimum Sacrificium, Sacerdotii primariam functionem, accensus, ut sæpius optarit inter sacrificandum mortem obire, ac vitam suam summo Sacerdoti Jesu Christo posse sacrificare, & in ipso sacrificio consummare. Nec frustratus est omnino votis; nam à Missæ sacrificio totus corpore deficiens, inter manus Fratrum in lectulum deportatus, paucis exinde diebus mortem oppetiit. Hic itaque octodecim ante obitum annis, spiritu fervens, & zelo zelatus pro domo Domini exercituum & Sacerdotio ejus, instituit dictam Congregationem, adjunctis sibi selectis Presbyteris, divini quod moliebatur operis idoneis administris. Ac horum aliquos diu privatim omni exercitiorum genere in spiritu probatos, in varias Europæ partes, Episcopis advocantibus, transmisit; utpote qui existerent de semine virorum illorum, per quos salus contingere posset in Israel. Et ita eorum ope & opera erecta sunt Oratoria in variis Galliæ Provinciis: imò & in Burgundia, Lotharingia, Italia. Ac novissimè (annuentibus Episcopis, & advocantibus operarios hos novos in vineam suam) in Belgium transierunt, in Diœcesi Cameracensi & Mechliniensi, in partem sollicitudinis Episcopalis & Sacerdotalis adsciti, suo fervore alios excitantes.

Primariæ porrò eorum qui huic Congregationi adscribuntur Functiones & Praxes, hæ ferè sunt

1 Quotidiè matutino tempore decantant Litanias Sanctissimi Nominis Jesu. Vespertino autem tempore Litanias beatissimæ Virginis Mariæ, vel id peragunt alternatim; adjunguntque Psalmum Miserere; vel quadragesimali tempore Psalmum Passionis, Deus, Deus meus respice in me. Adjungunt & alias pias preces.

2. Magnam habent rationem orationis mentalis, scientes quod Domus Jesu, Domus orationis esse debeat. Huic manè certam horam designant. Vesperi autem examen conscientiæ simul in Oratorio peragunt. Quo peracto illud recitant ad Heb. 4. *Habemus Pontificem magnum qui penetravit Cœlos, Jesum Filium Dei. Adeamus ergò cum fiducia ad thronum gratiæ ejus ut misericordiam consequamur & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Vers. *Miserere nostri Jesu.* Resp. *Miserere nostri.* Oremus. *Dirigat corda nostra, quæsumus Domine tua miserationis operatio, quia tibi sine te placere non possumus.*

3. Curam sollicitam gerunt exercitiorum spiritualium, quotannis per plures dies vel hebdomadas illis vacando. Et adventantes ad illa quoslibet extraneos lubenter amplectuntur, maximè Sacerdotes & Pastores.

4. Profitentur se Episcoporum ac Pastorum coadjutores, quoliber in ministerio sacro. Unde veri Dei ministerio, catechismis, confessionibus Parochos coadjuvant, sive in urbibus, sive in pagis & villis. Missionum enim instar discipulorum Christi, onus per varia loca lubentes obeunt.

5. In propriis Oratoriis frequentes habent familiares sermones, pro ratione confluentis plebis, illud enim Apostolicum pro scopo habent: *Nos orationi, & ministerio verbi instantes erimus.*

6. Nullis votis obstringuntur, ne quidem obedientiæ, sed reguntur spiritus suavi regimine, Christi jugo leni humillimè sunt subjecti, mortificationi carnis, paupertati spiritus, passionibus moderandis seriò animum addicentes.

7. Habent distributionem certam temporis,

certis horis designatis cuilibet exercitio. Nam lectiones & conferentias habent ; pro doctrina & eruditione necessaria functionibus quas profitentur : Spirituales etiam lectiones & conferentias pro spiritu pietatis hauriendo & fovendo.

8. Noluerunt eximi à Jurisdictione Ordinarii, sive Episcopi, in locis in quibus degunt: quamvis Oratoria eorum, sive congregationes habeant Superiorem aliquem generalem.

9 Nihil ab Oratorio alienum putant, quod à Sacerdotio, & Sacerdotum ministerio, non sit alienum: puta evangelizare, baptizare, Sacramenta ministrare, curam animarum habere, beneficia possidere, quæ residentiam in congregatione non impediant, officia decantare. Nam & cantum specialem habent, à Gregoriano diversum, à Sede Apostolica approbatum. Atque à clericali militia ab Apostolorum temporibus prorsus nihil recedere, sed ejus antiquum spiritum & pietatem renovare peroptant. Quapropter in locis in quibus Oratoria erigunt, Clero Ecclesiæ ibidem primariæ se offerunt; choroque & processionibus cum advocantur, in superpelliciis & habitu Ecclesiastico instar cæterorum Sacerdotum intersunt.

Denique finis & spiritus Oratorii Domini Jesu est, intimo pietatis affectu & humilis servitutis vinculo ipsi Jesu Christo Domino nostro adhærere, vitæ ipsius ac spiritus participatione in terris animari: illum Deum-Hominem & summum Sacerdotem, tanquam exemplar continuo intueri, revereri, & imitari: illum semper in omnibus functionibus repræsentare in spiritu pietatis & fervoris: illum Sacerdotibus omnibus, specialiter per manuum impositionem & characterem consecratis, proponere ad imitationem, tamquam sacerdotalis, ordinis & gratiæ fontem & auctorem, Sacerdotalis perfectionis archetypum absolutissimum. Hinc celebratur in hac congregatione Festum solemnitatis Domini Jesu cum octava 28. die Januarii, tamquam præcipuum & titulare Oratorii Jesu Christi, habetque officium proprium & integrum à Sede Apostolica approbatum.

LECTIO IV.

DE CONGREGATIONE OBLATORUM MEDIOLANI.

HUic congregationi Oratorii planè similem in scopo & spiritu, jam pridem instituerat S. CAROLUS BORROMÆUS, Sacerdotum splendor, Ecclesiastici Ordinis & Pastoralis muneris eximius instaurator, qui cœlesti sapientia & gratia, qua eminuit in terris, clerum ad Apostolicam & avitam pietatem reducere est conatus. Hoc autem ut efficacius perficeret, instituit congregationes Sacerdotum, quos oblatos sancto Ambrosio nominavit, quia hic omnis in clero perfectionis exemplar fuerat, & Mediolanensis Ecclesiæ Patronus tutelaris. Unde eos ad doctrinæ ac virtutum ejus sequelam his verbis adhortatur. Meminerint se B. P. Ambrosio oblatos, quare librorum ejus studiosos esse decet, illorum imprimis quos ad hujus Ecclesiæ clerum de officiis conscripsit. Magnam etiam curam conferant, ad imitationem illarum virtutum, quas tamquam hæreditatem posteris reliquit, has ut obsequentes filii peculiari animi ardore & affectu complectantur: Ex his præcipuæ illæ sunt, ad Ecclesiæ gubernationem invitus ingressus, quotidiana abstinentia, diuturna & fere assidua in Ecclesia statio, frequentis orationis & meditationis studium, religiosa & laboriosa Sacramentorum administratio, diligens Ecclesiasticarum functionum exercitatio; in sacris studiis instructionibusque Christianis; quas & sermonibus & libris confecit, assidui magnique labores; constantia & fortitudo in omnibus quas à mundo & satana illatas pertulit oppugnationibus, animi mansuetudo cum magnitudine conjuncta adversus hominum potentium impetum & furorem; prudentia in rebus gerendis, morum gravitas singularis, disciplinæ Ecclesiasticæ diligentissimus cultus, mira erga sedem Apostolicam observantia, magna commiseratio erga pauperes & benignæ largitiones; charitas illa digna memoria sempiterna, qua profusis lachrymis peccata aliena deflevit, adeò ut animos in malè agendo obfirmatos; ad pœnitentiæ lachrymas perduxerit. Has igitur & alias virtutes, quas & operum exemplis & scriptis Sanctissimus Parens Sacerdotibus Cleroque reliquit, tibi quisque ob oculos ponat. Hæc S. Carolus ad suos. Atque eadem omnes in ipsum et Carolo agnoscimus, & imitandas proponimus. Bar. lib. 3. Instit.

Varias autem congregationes sese offerentium Sacerdotum constituit. Ac *Primò* quidem, in domo S. Sepulchri intra urbem Mediolanensem, constituit congregationem Sacerdotum, aliorumque Clericorum in Societate viventium: quibus regulas certas præscripsit, quæ habentur in libris institutionum, in opere quod intitulavit; ACTA MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ, Voluitque in Ecclesia S. Sepulchri fieri Oratorium toto anni decursu, ad instar Oratorii Romani in S. Maria de Vallicella cum eadem praxi exercitiorum ad fovendam pietatem in plebe. Et hæc congregatio adeo tunc fœliciter successit, ut numerari potuerint ducenti quandoque Sacerdotes pereruditi & prudentissimi, quorum opera utebatur Archiepiscopus Mediolanensis ad salutem animarum procurandam, & suæ Diœcesis spiritualem gubernationem.

Secundò, ultra hos residentes in domo S. Sepulchri, qui beneficiorum aliam residentiam requirentium non erant capaces, collegit & in congregationes coadunavit alios per civitatem & Dio-

Digitized by Google

Diœceſim reſidentes in ſuis ſpeciatim beneficiis, vel officiis; ut ſpiritu convenirent, quaſi in unum corpus, licet locis diviſi ob miniſteria; & ad eundem gloriæ Dei & animarum zelum accenderentur, quandoque ſimul congregati ſub uno Præfecto ſpirituali. Diviſit itaque hanc congregationem univerſalem, in ſex partiales; duæ erant in Urbe, quatuor autem per Diœceſim. Optavit vero ut ſingulis ferè menſibus convenirent; hi quidem qui in Urbe ad Domum S. Sepulchri, præſidente Archiepiſcopo: hi verò qui in Diœceſi, ſub ſuo quiſque Præfecto, modo in unum, modo in alterum locum. Ibi & regulæ legendæ erant, & conferentia ineunda de modo eas obſervandi, de progreſſu ſpirituali, de modo providendi ſalutem animarum. Ibi etiam aliquis congregatorum ſermonem ad populum proferebat: congregationes autem foraneas iiſdem ferè regulis dirigi voluit, quibus congregationem collegialiter viventem: exceptis his conſtitutionibus, quæ convictum concernunt, & modum ſimul convivendi & ſimul agendi in eodem loco, cum officiis quibuſdam & functionibus, domum S. Sepulchri in ſpeciali reſpicientibus.

Quanti porrò regulas iſtas æſtimarit, tamquam impetratas, ut ipſemet fateturtquantumque eos qui iſtis regulis obſervandis ſeſe obtulerunt, animo affectuque paterno dilexerit; patet ex illa adhortatione, quam ad eos habuit, dum conſtitutiones illas in lucem editas eorum manibus tradidit. Atque dignum exiſtimavi eam adhortationem hic ſubiicere, initio librorum 4. Inſtitutionum præfixam; ut quilibet agnoſcere valeat, quàm ignitus fuerit ejus ſermo, etiam animos frigidos, quaſi carbones ſopitos, valens ſuccendere. Utique de ſermone ab ejus ore prodeunte, dum ſuos congregaret, rectè dixeris, *Verba congregantis, filii Vomentis, viſio quàm lo-*
Prov. 30. 1. *cutus eſt vir cum quo eſt Deus, & qui Deo ſecum morante, confortatus eſt.*

EXHORTATIO SANCTI CAROLI ad ſuos Oblatos.

NUnc tandem Filii, quas diu à nobis expetiſſe vos, & expetiſſe ſcimus congregationis noſtræ inſtitutiones, in manus veſtras veniunt. Prodeunt illæ ex intimis animi noſtri ſenſibus in lucem, & in ſinum veſtrum recta feſtinant. Veſtra jam intereſt prompte eas excipere, diligenter obſervare, & in eo ſemper honore habere, quem & earum æquitas cum incredibili Eccleſiæ noſtræ utilitate conjuncta, & noſtra erga vos pietas, fideſque veſtra & obediendi inſtitutum efflagitare videtur. Nam labor noſter & in his condendis ſtudium adhibitum irritum plane eſſet, voſque præterea omni fructu careretis, ſi operæ ſollicitudinique noſtræ veſtris animis ſtudiisque non reſpondeatis, & has quas offerimus inſtitutiones toto pectore non amplectamur. Quare ne id accidat unquam, magnopere cavere debetis. Nam ut corporis humani conſtitutio abſque nervis & compage vinculorumque adminiculo cohærere, & vim ſuam conſervare non poteſt: Sic Societatis hujus corpus ſtare nequit, ſine certis inſtitutionum quaſi vinculis. Variæ quippe ſunt animorum propenſiones, diverſa ſtudia, & mores. Quamobrem niſi quibuſdam præceptorum ſanctionibus Collegia connectantur, & ad unum finem dirigantur, ne quam primum diſſolvantur, periculum eſt. Illic enim voluntatem varietas, ſtudiorum diverſa ratio, morum diſſimilitudo temperatur, diſperſa colliguntur, diſſipata colligantur, multa demum unum efficiuntur. Cùm omnes autem qui ſe in aliquam ſocietatem aggregarunt magnam adhibere oporteat diligentiam ad ejus ſocietatis leges cognoſcendas & obſervandas, tum vos id maximè & diligentiſſimè facere debetis. Magna enim principiorum eſt vis, ac latius emanans, ſeque in omnem partem innata quadam facultate diffundens. Atque ut à radice arbor, & à fonte effluunt rivi, ita ſuis principiis cætera quoque omnia reſpondent.

Cùm igitur hujus congregationis vos primordia, & quaſi primitiæ ſitis, illud in animum inducere, & altius figere debetis, veſtrum hoc in genere exemplum plurimum momenti non ſolum apud præſentes, ſed & apud poſteros habiturum: in eamque propterea toto pectore curam incumbendum, ut quam optimum & præſtantiſſimum ſit exemplum veſtrum. Vos eſtis ô filii tamquam civitas in altiſſimo monte ſita, & omnium oculis expoſita. In vos hominum præſens ætas, in vos poſteri animos menteſque convertent. Quare cavendum vobis, ne quid indecorum, ne quid remiſſum, ne quid ab inſtituta vitæ ratione alienum in vobis animadverti ullo tempore poſſit. Vos eſtis lucernæ congregationis hujus in ſublimi Candelabro, unde in omnes partes ſplendor lumenque diffundatur. Vos eſtis Sal, quo cœtum hunc Oblatorum in omnem ætatem condiri oportet. Maneat igitur præclaræ mentis veſtræ, præſtantiumque actionum ſplendor in omnem ætatem, vigeat virtutum veſtrarum memoria in omnia ſæcula. Nihil unquam de honeſto ſtudio, nihil de præſtanti in omni virtutis genere contentione remittite. Non quantum profeceritis, ſed quantum ab antiquis illis probis hujuſce etiam Civitatis Sacerdotibus, quantum ab Apoſtolis, quantum ab ipſo Domino Jesu Chriſto, abſitis cogitate. Haſce inſtitutionis veſtræ Regulas in manibus ſemper, multò magis in animis, & in actionis uſus habete. Nihil in his temerè, nihil inconſideratè poſitum eſt, nihil ſupervacaneum, nihil inutile. Omnia à nobis diligenter expenſa ſunt, & cum lectiſſimis ſapientibuſque viris collata: & quod caput eſt, magnis ac diuturnis precibus, atque etiam lachrymis poſtulata, & ut ſperamus impetrata. Quare neque quiſquam eſt, quod in

Digitized by Google

his jure contemni, aut parvi æstimari debeat. Omnia enim tum ad animarum salutem procurandam, tum ad ipsam congregationem conservandam ita spectant, ut si quippiam eorum omittatur, vel vestrum officium cum aliquo animarum dispendio desiderari, vel statum ipsum congregationis damnum facere necesse sit. Sed de his satis.

Reliquum jam est Filii, ut congregationem istam, quam nos totius Ecclesiæ Mediolanensis causa instituisse scitis, sic complectamini, ut illam & virtutum vestrarum exemplis foveri, & spirituali progressu ornari, & benefactis auctiorem splendidioremque reddi, in eaque amplificanda neq; piam voluntatem ardensque studium, neque promptam obedientiam officiumq; perfectum in vobis desiderari, cognoscant omnes. Vobisque præterea persuaderis, nos pro Archiepiscopalis nostri muneris ratione, proque paterna charitate, qua vos unice in Christo diligimus, vestras in via Domini progressiones, quantum in nobis est, perpetuo esse adjutores. Ac de vobis adeò sollicites fore, ut sicuti pro Ecclesiæ hujus salute non vigilare solùm sed vitam etiam profundere, si opus sit, parati sumus: ita nihil inexcogitatum, nihil intentatum in posterum relicturi simus, quod ad vestras omnium vestraque congregationis rationes pertinere arbitrabimur. At verò ut immortalia denique præmia reportetis, abundantioremque indies divinam gratiam consequamini, Deum obsecrabimus assidua prece. Mediolani. Idibus Septemb. 1518.

LECTIO V.

DE CONGREGATIONE S. CAROLI Borromæi in Diœcesi Leodiensi, & ejus stabilita.

PRUDENTI admodum & divino consilio S. CAROLUS auxilium & directionem impendere voluit, non solum his qui in Societate collegialiter vivere possunt, sed & illis qui in certis locis ob beneficia vel officia residere coguntur. Consideravit nempe illam lamentantis Prophetæ vocem etiam præsentem Ecclesiæ statum concernere: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus color optimus? Dispersi sunt lapides Sanctuarii in capite omnium platearum.* Quia scilicet, pietas antiqua Sacerdotalis instar auri rutilans, ardor & zelus perfectionis olim flammescens; obscuritatem decursu temporum contraxit, inter corruptelas & fuliginem secularis conversationis. Et multi Sacerdotum qui debent esse lapides Sanctuarii à Deo electi & dilecti, in plateis Babyloniæ inveniuntur dispersi, in lato itinere mundi, corde & corpore vagi, in sordibus & luto jacentes, in vitiis sæculi: ideoque concubcantur pedibus transeuntium & vilipenduntur, nec dignitas Sacerdotalis in ipsis eo quo par est honore habetur, sed quasi sal infatuatum proteri videtur. Hæc inquam considerans Vir Sanctus, zelo zelans pro domo Domini, & Sanctuario ejus ædificando, non solum voce & exemplo, sed & constitutionibus præclaris è luto eripere hos lapides conatus est, & è plateis ac viis publicis revocare, sanctisque moribus instruere, ut ædificarent populum Ecclesiamque Dei in suo quisque officio. Et quos non potuit in Societatem unius corporis eadem in domo colligare, voluit tamen spiritu & morum conformitate, ac consimili perfectionum studio & contentione, unitos esse, præscribens eis regulas & vivendi methodum, qua officio suo juxta vocationem sanctam possent satisfacere, & ab hoc sæculo immaculatos se custodire. Optavitque illud Prophetæ in Sacerdotibus illis impleri: *Stellæ dederunt lumen in custodiis suis & vocatæ dixerunt, Adsumus: & luxerunt illi cum jucunditate, qui fecit illas.* Quid sunt probi Ecclesiastici in Clero, nisi quædam stellæ in cœlo? Et quandonam dant lumen in custodiis suis, nisi quando in diversis officiis vel beneficiis, unusquisque eorum luce fulget doctrinæ, & exemplo vitæ? Vocantur verò, & dicunt, adsumus, quando in congregationes veniunt ab illo qui præest convocati, parati officium suum cum hilaritate exequi, ad omnia quæ eis incumbere possunt, ad nutum superiorum prompti; sic decorem Sacerdotio & Ordini sacro afferunt, sic in populum Dei lucem suam refundunt; denique sic cum jucunditate lucent illi qui fecit illos. Quapropter in eandem sententiam dicebat Ecclesiast. *Species Cæli est gloria stellarum, mundum illuminans, in verbis sanctis stabunt ad judicium, & non deficient in vigiliis suis.* Renovare ergo voluit S. CAROLUS pulchritudinem & speciem Cœli, hoc est, Cleri & Ecclesiæ Militantis: & gloriam stellarum, hoc est, Sacerdotum & Ecclesiasticorum. Idque fecit verbis suis & constitutionibus sanctis, quasi advocans ad Tribunal & judicium, in quo Deus Deorum Deos dijudicat, Christus Sacerdotes, quibus dixit: Directis hosque monitos voluit, ut sæpius considerent, exactam quam reddituri sunt rationem, sicque excitentur, & numquam deficiant in vigiliis seu custodiis suis, sed sibi semper gregique suo advigilantes, & in officio suo graviter excubantes, jugem hic lucem fundant, ut postquam ad justitiam se cum aliis multis erudierint, possint fulgere tanquam stellæ in perpetuas æternitates.

Th. 4. 1.

Baruch 3. 34.

Eccl. 43. 19.

Cæterùm diu & maturè considerarunt aliquot Sacerdotes & Pastores Leodiensis Diœcesis, Anno 1624. eodem spiritu congregati, quæ Sanctus Carolus sanctè instituerat circa Sacerdotes & Pastores Mediolanensis Diœcesis. Censuerunt verò posse in aliis Diœcesibus in praxim deduci effeque adjumenta ad vitam Sacerdotalem & Pastoralem piè agendam, & ad fructum in proximis efficaciter parandum. Quapropter resolve-

Digitized by Google

runt & ipſi, ejuſdem ſpiritus pio impulſu, inſtituere Congregationem ſacram Regulis ſanctæ communitam & adſtrictam, quibus poſſent ſeſe mutuò dirigere & excitare ad ea quæ ſunt vocationis ſuæ, & hanc nominandam cenſuerunt, CONGREGATIONEM S. CAROLI, utpote ejus prævio exemplo, ſacriſque legibus ſtabilitam. Quia verò ſine Superiorum auctoritate & directione ſolidè inire non poterat, implorarunt illius Candidati STEPHANI STRECHEI Reverend. Suffraganei Leodienſis Viri rerum ſpiritualium peritiſſimi directionem, necnon & Reverendi admodum Clariſſimique Viri JOANNIS à CHOKIER Vicarii Generalis favorem, ut Sereniſſimi Principis ac Epiſcopi Leodienſis FERDINANDI auctoritate, & literis confirmaretur. Hæc autem fuit Summa litterarum quæ ad Reverendiſſimum Suffraganeum primo deſtinatæ ſunt.

Reverendiſſime Pater ac Domine. Viſum eſt nobis infra ſignatis has ſupplices ad Reverendiſſimam Dominationem veſtram litteras deſtinare, ut dignetur piis noſtris deſideriis & votis opitulatricem & directricem manum porrigere: Convenimus unà, pietatis impulſi ſpiritu, peroptantes Sacrum Sodalitium inſtituere ſub nomine Congregationis S. Caroli Borromæi, conforme Congregationi, quam inſtituit Mediolani, vocans eam Congregationem Oblatorum S. Ambroſii. Hic vero titulus CONGREGATIO S. CAROLI, viſus eſt nobis huic tempori, & his locis ac perſonis magis congruere: & ſub hoc titulo Congregationem fœlicius propagandam eſſe, ob Sancti Viri primi Inſtitutoris ſuaveolentem & recentem adhuc odorem in animis cum Sacerdotum, tum plebium. Supplicamus igitur Reverendiſſimæ Pietati veſtræ, quatenus ejus directionem & protectionem, tamquam Præfectus illius Generalis dignetur ſuſcipere: ut poſſit velut Caput in membra influere, & ſpiritum Dei nobis, ac per nos aliis communicare, quodque zelo gloriæ Dei inſtituitur, plenaſſima poteſtate dirigere. Et quia ſcimus, quod hæc initialis Congregatio Ordinarii auctoritate firmari debeat: ſupplicamus denuò, ut apud Sereniſſimam ſuam celſitudinem ſupplicem noſtrum libellum ea de re promovere, & adjunctis ſuis litteris commendare haud dedignetur. Nam quæ poſſumus animi ſubmiſſione obſecramus, media auctoritate veſtra ut perficiatur, quod à nobis ad laudem divini numinis, ſed non ex nobis, inſtitutur.

His porro litteris Candidatorum Reverendiſſimus Suffraganeus per epiſtolam ſcriptam 25. April. 1624. hunc in modum reſponſum dedit:

Dilectiſſimi in Chriſto Fratres: Recepi litteras veſtras, & cognovi quæ Spiritus Sanctus cordibus veſtris inſpiravit: quem rogo, ut manifeſtet vobis in hoc, & ſimilibus vocationis veſtræ negotiis, quæ ſit voluntas ſua bona, beneplacens, & perfecta, & corroboret in omni bono animas veſtras in augmentum gloriæ ſuæ, & ſalutem quam plurimorum. Deo dante agam apud Principem & Epiſcopum noſtrum, quod expedire pro hoc negotio videbitur. Sanè magni ponderis eſt hoc opus, aptum promovere Regnum Chriſti, Domini & Salvatoris noſtri, cui proinde ſatan vehementer ſe opponet. Si tamen credamus nos omnia poſſe in eo qui nos confortat, magnam ſumemus confidentiam pertingendi ad ea quæ prudenter æſtimavimus à Domino fuiſſe inſpirata, nec incaſſum laborabimus: præſertim cum non tam ſecundum proventum, quam ſecundum laborem præmia reddat Deus, qui ſit benedictus in ſæcula, & vos omnes regat & cuſtodiat in æternum. Valete, Leodii 25. Aprilis, 1624.

Itaque hoc Inſtitutum commendarunt apud Principem & Epiſcopum Leodienſem ſuis litteris illi, quorum conſilio ſolet uti in determinandis ſacris negotiis ſuæ Diœceſis. Inter quos obſtetricantes manus huic ſacro partui porrexerunt, non ſolum Reverendiſſimus ſuffraganeus, ſed & Illuſtris & Reverendus D Arnoldus à Brocholtz Præpoſitus Leodienſis, ac Clariſſimus D. Joannes à Chokier Generalis Vicarius, necnon & Conſulariſſimus D Gaſpar à Rupe, ſuæ Celſitud. Conſiliarius, Patritius & Senator Leodienſis. Sed licet Sereniſſimo Principi & Epiſcopo grata fuerit inſtituti hujus commendatio à tot tantiſque Viris; voluit nihilominus reſponſum differri, ad probandos ſollicitantium animos. Et ne quid non ſatis maturè decerneretur, iterum voluit hoc ſacrum negotium in Urbe ſua Bonnenſi illorum Conſiliariorum conſeſſui proponi, quorum opera uti ſolet in ſacris & ſpiritualibus decretis. Cùm verò longa dilatione Candidatorum ſuſpenſi manerent animi, admirantes quid remoræ amici potuiſſet huic rei determinandæ, preces & ſacrificia multorum poſtularunt, ut cœptis adſpiraret Deus. Unde eorum rogatu multæ Congregationes Religioſæ prece ſpeciali negotium iſtud Deo commendabant, tamquam concernens non mediocriter gloriam Dei ſalutemque animarum. Ipſi interim per libellos ſupplices ſæpè repetitos non deſiterunt inſtare urgentiſſimè, ut votis potirentur. Hæ porrò fuerunt poſtremæ litteræ, quibus Principis animum devicerunt.

Sereniſſimè Princeps. Supplicibus iterum litteris Celſitudinis veſtræ pedibus advolvuntur Congregationis S. Caroli Candidati, & quibus poſſunt precibus inſtant, ut piæ iſtius Congregationis jactis fundamentis, auctoritas veſtra eam confirmans, dignetur coronidem & extremam manum apponere. Hoc jam diu, tot votis & adeo ardenter, à vobis expetierunt, & expetunt. Quod ſi fortè importuni ſunt, pia & venia digna importunitas eſt, quæ ab illo ſpiritu procedit, qui neſcit tarda mobimina, qui novos Operarios Vineæ veſtræ præparat & vocat; vocatos verò non vult cum tepore venire, aut cum torpore eo in negotio

ſollicitando ſe gerere. Ideoque quibus poſſint precibus cum Celſitudine veſtra colluctantur, ſicut Jacob cum Angelo, ægrè dimilluri niſi hanc benedictionem obtinuerint. Ipſe qui de tenebris dixit lumen ſplendeſcere, illuxit in cordibus eorum, & urget eos, ut hanc rem urgeant. Aurora eſt, dimitte illos cum petita benedictione. Hoc iterum, atque iterum in viſceribus Domini noſtri Jesu Chriſti poſtulant, & obſecrant, ne adeò pius fœtus quem Eccleſia ſponſa veſtra parturit in utero, aut initiis ſuis ſuffocetur, & velut abortivus embrio ſepeliatur. Quin potius auctoritate veſtra committatur R. Suffraganeo veſtro, Antiſtiti rerum Dei perito, quaſi Nutritio, ſub cujus educatione, directione, tutela feliciter adoleſcat & creſcat in Domino. Hoc à vobis ſupplex expectat congregatio iſta, piam cupiens ſaluti animarum operam navare ſub auſpiciis Serenitatis veſtræ, quam in ſuis ſacrificiis Deo Opt. Max. continuò commendat.

Tandem ſatisfactum fuit poſtulantium voto, & litteræ erectionis, ſive commiſſionis ad eam erigendam, directæ ad RR. DD. Suffraganeum & Vicarium Generalem, Leodium. Quarum hic tenor fuit.

Ferdinandus Dei gratia, electus confirmatus Archiepiſcopus Colonienſis S. R. I. per Italiam Archicancellarius & Princeps, Elector, Epiſcopus Leodienſis &c. Reverendis & Venerabilibus ſincerè nobis dilectis, Stephano Epiſcopo Dyonilienſi, & Joanni à Chokier Vicario in ſpiritualibus Generali ſalutem in Domino. Cum per biennium & amplius fuerimus à nonnullis Viris timoratis Eccleſiaſticis & laicis multoties inſtanter rogati, quatenus eis exercitia ſpiritualia & alia munia ad inſtar Oblatorum Inſtituti S. Caroli Borromæi in noſtra Diœceſi Leodienſi, ſub ſpeciali noſtra obedientia, & tua R. Suffraganee directione permittere, approbareque vellemus & dignaremur. Noſque Inſtitutum hujuſmodi per rerum ſpiritualium peritos diligenter examinari fecerimus, nec quicquam comperimus, quod ſacris Canonibus adverſetur, ſed è contra pietatem & Religionem Orthodoxam ſidem inſtitutum non parum promoturum ſperetur. Hinc eſt, quod nos honoris divini & rerum ſpiritualium, quantum in Domino poſſumus, promotioni ſtudentes, vobis committimus & demandamus, per præſentes, quatenus auctoritate noſtra ordinaria, jure cujuslibet ſalvo, inſtitutum illud prout vobis magis expediens & opportunum videbitur; ſub certis Regulis à vobis præſcribendis ſtabiliatis, laudetis, & approbetis; necnon quoslibet eidem inſcribi cupientes recipiatis & admittatis. De ulteriori ejuſdem directione, poſtquam præfertur, ſtabilitum fuerit, & approbatum, mentem noſtram ſi opus fuerit, ulterius aperiemus. In quorum fidem præſentes litteras fieri, & ſigillo noſtro muniri juſſimus. Datum ex Arce noſtra Brulæ, die 20. Septemb. 1625.

His litteris receptis, illi quibus res committebatur, adjunxere & ſuas, quibus dictam congregationem approbarunt & ſtabiliverunt, hunc in modum

Stephanus Epiſcopus Dionyſienſis Canonicus & Suffraganeus Leodienſis, & Joannes à Chokier etiam Canonicus & Vicarius in ſpiritualibus Diœceſis Leodienſis Reverendiſſimi & ſereniſſimi Ferdinandi Archiepiſcopi Colonienſis, Epiſcopi Leodienſis, &c. vigore Litterarum ejuſdem quibus hæ noſtræ transſixæ ſunt ſpecialiter deputati. Vobis univerſis & ſingulis Præfecto, Officiatis, & aliis perſonis congregationis Sancti Caroli Borromæi ſalutem in Domino. Cum per antementionatas litteras idem Reverendiſ. Epiſcopus nobis commiſerit & demandarit, quatenus auctoritate ejus ordinaria, ad inſtar Oblatorum S. Caroli inſtitutum in Diœceſi Leodienſi, prout nobis magis expediens & opportunum viſum foret, ſub certis Regulis à nobis præſcribendis ſtabiliremus, laudaremus, & approbaremus, necnon quoſcumque eidem inſcribi cupientes reciperemus, & admitteremus: Ac poſtmodum Venerabiles Domini Jacobus Marchant S. Theol. Licent. in Oppido Couvienſi Paſtor, & Lambertus Valois Presbyter & Medicinæ Doctor, à Candidatis ejuſdem congregationis per litteras deſtinati & deputati apud nos comparuerunt, ſuoque & Confratrum nomine iterum inſtanter ſupplicarent, quatenus ad commiſſionis nobis demandatæ plenariam executionem procedere dignaremur: Nos votis & piis eorum ſupplicationibus inclinati, & præfati Reverendiſſimi mandatis ut par eſt morem gerentes, congregationem veſtram ſub patrocinio S. Caroli ad inſtar Oblatorum ſuorum ſub certis à nobis approbatis, & ſubſcriptis Regulis auctoritate ordinaria nobis demandata, ſtabiliimus, laudavimus, & approbavimus, prout præſentium tenore ſtabilimus, laudamus, approbamus ad gloriam Dei, & in nomine SS. Trinitatis. Voſque proinde & veſtrum ſingulos in hujus congregationis corpus tamquam membra, mox ubi ad manus Præfecti votum ſeu oblationem, juxta præſcriptam in dictis Regulis formam, ex tunc prout ex nunc recipimus & admittimus. Ac amodo pro prima vice antefatum D. Jacobum Præfectum, D. verò Lambertum Vice præfectum ad triennium, niſi aliter poſtea viſum fuerit, recepto prius ab eis hac die ſecundum præſcriptam in Regulis formam, voto, conſtituimus. Volentes hac etiam vice eorumdem arbitrio, adhibitis tamen prius & ſeorſim in conſilium ſingulis dictæ congregationis perſonis, ſingulos Officiatos ulteriùs nominari, & deputari, locaque congregationum proviſionaliter deſiniri.

Inſuper vos omnes & ſingulos per viſcera Jesu Chriſti Salvatoris noſtri mònemus & obſecramus, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, ut quandoquidem peculiariter vocati eſtis in vineam Domi-

Digitized by Goog

Domini dilectam, ſtrenuè & conſtanter accincti fortitudine lumbos animarum veſtrarum, operemini, effodientes vitia eorumque radices, inſerentes virtutes, redimentes tempus, idipſum unanimiter ſapientes, forma facti gregis ex animo, ſecundùm portionem vobis à primo Paſtore diviſam: Hoc idem in vobis ſentientes, quod & in Chriſto Jeſu, omne gaudium exiſtimantes, cum in varias tentationes pro ejus amore & gloria incideritis, expectantes beatam ſpem & adventum Domini, qui tandem fideliſſimè vocabit operarios ſuos portantes manipulos ſolidarum virtutum, ut intrent in gaudium Domini, ubi recipiant optatiſſimam mercedem, & pro momentaneo & levi tribulationis tranſitoriæ poſſideant æternum gloriæ pondus.

LECTIO VI.

DE INDULGENTIIS DICTÆ CONGREGATIONIS.

CONGREGATIO S. Caroli Borromæi non ſolum eſt Canonicè inſtituta & approbata, ſed etiam privilegiis & indulgentiis adornata, tum ab Epiſcopo, tum à ſede Apoſtolica. Quantum quidem ad Epiſcopales indulgentias, illarum conceſſio in literis erectionis jam rectatis inſeritur: illarum enim literarum hoc erat complementum & coronis ad Candidatos.

Quò vero dilectiſſimi etiam ex parte noſtra ad alacritàs operandum, currendum, & pugnandum in exercitiis ſpiritualibus excitemus pietatem veſtram, de Omnipotentis Dei miſericordia confiſi, omnibus & ſingulis confratribus in gratiæ ſtatu exiſtentibus, ipſo die admiſſionis ſuæ in dictam congregationem, aut in morte dulce Nomen Jeſu invocantibus, & pie ore vel corde proferentibus, vel quodcunque opus ſibi ex voti vel oblationis vi ab Epiſcopo, ſeu ejus præfecto injunctum fideliter & obedienter exercentibus, aut generalem peccatorum confeſſionem, juxta regulas facientibus, quadraginta dierum: Culpas verò ſuas in congregatione humiliter accuſantibus, ægrotis ſeu moribundis miſericorditer aſſiſtentibus, Catechiſmum vel exhortationem privatim vel publicè ad fidem vel bonos mores, vel ad animorum reconciliationem directam, aut eleemoſynam vel legatum ad congregationis oncra ſupportanda, vel alicui confratrum indigenti facientibus, triginta dierum. Quodcumque item aliud opus pium ex præſcripto regularum dictæ congregationis, aut ad converſionem peccantium agentibus, viginti dierum indulgentias, toties quoties unum ex præmiſſis præſtiterint, auctoritate ordinaria elargimur. Quas etiam indulgentias triginta dierum ad omnes & ſingulos Chriſti fideles, qui in aliquo actu ſolemni dictarum congregationum, vel alicujus ex confratribus, qui ex præſcripto ſæpè dictarum regularum factus fuerit, pie intercerunt, extendimus. In quorum fidem præſentes literas fieri, & propriis manibus ſubſcriptas ſigillis noſtris muniri juſſimus. Datum Leodii, menſis Februarii die decima ſeptima, anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſexto.

INDULGENTIÆ PONTIFICIÆ.

AMpliores poſtmodùm eidem congregationi à ſede Apoſtolica indulgentiæ conceſſæ fuerunt favore & reſcripto Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Patris Aloyſii Caraffa Epiſcopi Tricarienſis Legati & Nuncii Apoſtolici ad inferiores Germaniæ partes. Qui quidem primò ex auctoritate officii ſui voluit ſibi exhiberi regulas & exercitia dictæ congregationis, ut poſt diligens examen, de illa Romæ ſcripto ſuo indubitatum teſtimonium perhibere poſſet. Perlegit ergo regulas omnes, laudavit, approbavit; & apud ſedem Apoſtolicam probatum teſtimonium ferens in favorem congregationis novellæ (quam exindè paterna benevolentia eſt complexus, pallioque Apoſtolicæ ſuæ dignitatis fovet & protegit) indulgentias ſubſequentes impetravit, perpetuis temporibus valituras. Tenor Bullæ eſt talis

URBANUS PP. VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Cùm ſicut accepimus, in Diœceſi Leod. una pia Chriſti fidelium Presbyterorum congregatio oblatorum nuncupata, ſub invocatione S. Caroli canonicè inſtituta exiſtat, cujus conſratres in diverſis pietatis & charitatis operibus ſeſe conſueverunt exercere. Nos ut congregatio hujuſmodi majora in dies ſuſcipiat incrementa, De Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, Omnibus & ſingulis Presbyteris qui dictam congregationem in poſterum ingrediuntur, die primo eorum ingreſſus, ſi vere pœnitentes & confeſſi ac ſacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, ſaltem contriti nomine Jeſu ore ſi potuerint, ſin autem corde invocaverint, etiam plenariam. Nec non ipſis nunc & pro tempore confratribus ſimiliter verè pœnitentibus & confeſſis; ac ſacra Communione refectis, qui dictæ congregationis Eccleſiam vel Capellam, ſeu Oratorium in Aſſumptionis B. Mariæ Virginis, nec non ſancti Caroli Feſtis diebus, à primis Veſperis uſque ad occaſum Solis Feſtorum hujuſmodi ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. Mariæ Eccleſiæ exaltatione, Romanique Pontificis ſalute pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum

sd egerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Quoties vero Presbyteri prædicti Sacramenta Ecclesiæ quæcumque administraverint, unum annum, ac cum ex missione seu jussu Superiorum, & de licentia Ordinarii loci prædicaverint, seu etiam catechizaverint, tres annos & totidem quadragenas. Ac eisdem etiam quoties pias exercitationes ac alias functiones ad Dei cultum, & piorum salutem fecerint, sive ex congregationis hujusmodi instituto simul congregati collocutionibus, colloquiisve spiritualibus, aut sacris lectionibus, hortationibus, aut aliis piis exercitationibus per semihoræ spatium vacaverint, seu Litanias B. Mariæ Virginis, vel Antiphonam, SALVE REGINA, aut aliam pro temporis ratione recitaverint, aut decantaverint, sive examen conscientiæ egerint, aut futuræ meditationis argumentum acceperint, seu meditationis hujusmodi rationem Confessario aut Præfecto spirituali reddiderint, seu Rosarium B. Mariæ Virginis recitaverint, vel pro aliquo confratre defuncto ex instituto prædictæ congregationis oraverint, aut peccata sua confessi fuerint, aut Missam celebraverint, toties pro quolibet prædictorum operum centum dies de injunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis, in forma Ecclesiæ consueta relaxamus. Insuper omnibus & singulis Christi fidelibus, qui convenerint ad Ecclesiam in qua prædicti confratres collegialiter ex instituto congregationis prædictæ populo verbum Dei de eadem Ordinarii licentia prædicaverint, seu exhortationem piam habuerint, & Sacramenta Ecclesiæ administraverint, quoties hujusmodi prædicationi interfuerint, etiam centum dies de injunctis eis; seu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis, in forma Ecclesiæ consueta pariter relaxamus; Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut si aliàs dictis confratribus præmissa peragentibus aliquam aliam Indulgentiam perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum duraturam, concesserimus, præsentes nullæ sint. Utque etiamsi dicta congregatio alicui Archiconfraternitati aggregata jam sit, vel in posterum aggregetur, seu quavis alia ratione uniatur, seu etiam quomodolibet instituatur priores seu quævis aliæ litteræ Apostolicæ illis nullatenus suffragentur; sed ex tunc eo ipso prorsus nullæ sint. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die duodecima Januarii. Millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, Pontificatus nostri Anno quinto.

Signatum erat M. A. Maraldus.

LECTIO VII.

DE PROGRESSU EJUSDEM CONGREGATIONIS.

His quibus à Reverend. Episcopo directio congregationis commissa erat, non destiterunt litteris pastoralibus ad congregatos directis, eos muneris sui paternè commonefacere, ut quod Deo auspice fœliciter inchoatum fuerat, major in dies progressus haberet, Dei gratia operante, hominum pia sollicitudine cooperante. Hoc frequenter præstitit Clarissimus admodumque Reverendus Joannes à Chokier Vicarius Generalis, maximè post mortem piæ memoriæ Reverendissimi Stephani Episcopi Dionysiensis Suffraganei Leodiensis, cujus speciali directione congregatio fovebatur. Quoniam verò tanti viri auctoritate sapientia, pietate eminentis, non sine gravi Ecclesiæ Leodiensis luctu novissimè vita functi, incidit hic mentio, dignum existimavi monita quæ postremis suis litteris paulò antè obitum tradidit congregatis, hic inserere: Quandoquidem ea tanquam testamentum Patris, & legatum pretiosum extremi amoris, diligenter servet S. Caroli congregatio. Sic autem scribit.

Reverendi ac Venerabiles Domini in Christo dilectissimi recordatus appropinquare diem inceptæ congregationis vestræ, nolui omittere, quin omnes & singulos S. Caroli filios humanissimè & amantissimè salutarem, uti per præsentes facio; & ad solidum constansque vestræ vocationis studium animos vestros, si necesse foret, excitarem. In quam rem optarem vehementer, ut certo quisque vestrum apud se attentè statuat fundandam & perpetuò exercendam esse in congregatione vestra, & quolibet illius membro, veram cordis humilitatem: adeoque radicitus extirpandam & eliminandam superbiam, præsumptionem, ostentationem, & quamcumque vanitatem; alioquin fore ut Deus vobis resistat, & suam deneget gratiam, sine qua in vanum laborabitis, in vanum ædificabitis.

Etiam amorem mutuum, purum & sanctum in sinceritate, coram Deo & toto mundo, tanquam veri Christi discipuli invicem exhibete, nescientes irasci, dissidere, disceptare, mordere, odisse, invidere; sed unanimes idem in Domino sentientes & sapientes, infirmis compatientes, omnia sustinentes, alter alterius onera portantes.

Deinde videte quomodo pugnetis contra diabolum, qui initio tentat vos cribrare, & instrumenta gloriæ Christi ac salutis animarum soles cautissimè & vigilantissimè impugnare. Ideoque & vos vigilate, & viriliter indefessèque decertate, arma in quibus confidit, diripite: hoc est, amorem proprium, proprium judicium, propriam voluntatem, gladio mortificationis universim detruncate: & aliorum confratrum judiciis potiùs & lubentiùs vos, quàm proprio singuli submittite. Unde nolite omni spiritui & fervori quantumvis bene apparenti credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.

Denique satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis, ut præcipua vestra doctrina, quam in ædificationem Corporis Christi impendetis magis sortiet exem-

Digitized by Google

exemplo virtutum, quam pronunciatione verborum, ut cum aliis prædicaverimus, ipsi reprobi non efficiamur.

Ne facilè etiam admittatis in vestram societatem homines superbos, tenaces proprietatis, judicii & affectus, sensualitati præsertim gulæ adductos, nisi prius se emendarint. Ad cujus rei probationem, videte inter vos, quænam possent postulantibus injungi priusquam admittantur.

Hæc paucula modo sufficiant, quia magnam si fideliter præstentur, efficient novi vestri ædificii firmitatem, & ingentem habebunt rem creationem. Rogo vos in Domino vehementer dilectissimi, ut illa in optimam partem, prout scribuntur, accipiatis, & cordatè executioni mandetis, ac pro me oretis. Deus autem repleat vos omni gaudio & ardentissimo suo amore per Jesum Dominum nostrum qui sit benedictus in sæcul. Amen. Valete Leodii. 9 Septembris 1616 Signatum erat. Addictissimus in Domino servus, Stephanus Suffraganeus Leodiensis.

Litterarum porrò quas postremò misit R. Vicarius Generalis ad Congregatos ut eorum animos ad ea quæ muneris Pastoralis sunt, solerter obeunda extimularet, summa hæc est

Venerabiles & dilectissimi in Christo Fratres. Cùm nobis compertum sit, & jam pridem intellexerimus, (sed quàm læris & pronis auribus novit Deus) qua fide, qua integritate, zelo & charitate saluti animarum illic intendatis, visum est has ad vos destinare, ut omnibus etiam testatum faceremus, quam gratæ nobis ac Episcopo & Principi nostro sint operæ vestræ in Vinea Domini, quam in vestris partibus excolendam suscepistis Quare si benè currentibus calcaria adhibeam, benigne ut spero omnes interpretabuntur, cùm non tam ipsos, quàm me qui Pastoribus Pastor licet immeritus præsideo, moneam & exhorter Duorum porrò S. Augustinus vult Pastores semper meminisse, cùm in persona Pastorum sic plebem alloquatur: *Duo vobis ob oculos ponenda sunt, unum quod Christi sumus, alterum quod Præpositi sumus. Illud quod Christiani sumus, propter nos est, quod Præpositi, propter vos est In eo quod Christiani sumus, ratio redditur utilitati nostræ: in eo quod Præpositi, nomini vestro. Sunt autem multi Christiani, & non Præpositi, qui pervenium ad Deum facilius fortasse timere, & tanto expeditiùs ambulantes, quanto minorem sarcinam portant. Nos autem excepto quod Christiani sumus, unde rationem Deo reddimus de vita nostra, sumus etiam Præpositi, unde rationem reddimus Deo de dispensatione nostra.* Horum ergo verborum S. P. Augustini meminerimus semper, & sic munus nobis creditum dispensemus, ut cùm Deo nobiscum positurus erit rationem, cum fideli servo Evangelico nos pro apportato lucro remuneret & non cum malis Pastoribus damnet. Hi nempè inter reprobos Pastores censentur, qui honorem suum quærunt, & commoda sua sola respiciunt, ideoque se pascunt, non oves. Hos perstringit Dominus apud Ezechielem: *Væ Pastoribus Israel qui pascebant semetipsos. Lac comedebatis, & lanis cooperiebamini, & quod crassum erat, occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum erat non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, quod confractum non alligastis. & quod abjectum est non reduxistis, & quod perierat non quæsistis, sed cum austeritate imperabatis eis & cum potentia.* Sed hic locus ad malos Pastores pertinet, non ad vos: Confidimus enimde vobis, Dilectissimi, meliora & viciniora salutis, quos fideles & cordatos esse didicimus erga gregem Domini Gaudemus ergo quod oves vestras, oves Dei, oves Christi esse agnoscitis, de quibus dixit Petro, & in illo vobis omnibus: Pasce oves meas Et quidem cum Dei Filius eas Sanguine suo redemerit, videte ut semper vobis sint curæ tanto pretio emptæ. Nec solùm gregi vestro, sed vobis etiam attendere par est, estis enim & ipsi oves Christi, qui quotidiè è pabulo Evangelii cibum in lac convertitis, ut in os plebis ingeratis & lac istud è divina sapientia sic hauritis, ut in eo crescatis in salutem, si tamen gustastis, vos qui pascitis Israel, quàm dulcis est Dominus Sed quoniam sub supremo Pastore Pastores agitis, illum imitari decet; aut certe illos sequi qui ipsum proximis vestigiis sunt imitati. Ideoque semper ob oculos mentis vestræ ponite exemplum B. Patris vestri Caroli Sanctissimi Viri, considerantes qua charitate pastorali se gesserit, dum suis ipsis manibus pestiferis Sacramenta ministrabat, medicinam ægris præbebat, sanos si diffiderent, reconciliabat, Pastores sui officii admonebat, denique aliis prælucebat, non tam verbis quàm exemplo. Utrumque ipse adimplebat, oves scilicet Christi & suas instruebat, exemplo que præibat, ut vitam haberent & abundantiùs haberent; Pauperes implebat, & se exinanibat Exinanibat autem imò replebat: qui semper habet unde det, cujus pectus plenum est charitatis. In quo finem facio brevis hujus adhortationis, rogans vos in Christo Jesu, ut illam æqui boni consulatis, ac institutum, quod sub ejusdem B. Caroli vexillo suscepistis, non solùm arctissimo inter vos amoris vinculo firmiter teneatis ac foveatis, sed etiam aliis exemplum modestiæ, sobrietatis, continentiæ præbeatis, & doceatis alios deponere omnem malitiam & omnem dolum, simulationem & invidias, & omnes detractiones, ut quasi modò geniti infantes lac concupiscant: Vos verò crescatis in salutem, quam Dominus Jesus Sanctissimæ suæ Matris ope ac meritis nobis conferat, postquam in sanctitate & justitia omnibus diebus vitæ nostræ illi servierimus. Quod ut ipse pro infirmitate mea præstem, ut mei in Sacrificiis vestris memores sitis, vos omnes rogo. Valete Leodii 24. Octob Signatum erat Addictissimus ad obsequia Joannes à Cholier Vicarius Leodiensis.

Neque hic prætereundum eſt quod Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Pater Aloyſius Caraffa Legatus & Nuncius Apoſtolicus dignatus ſit in Viſitatione Provinciæ Leodiènſis præſidere congregationi S. Caroli, & publicè in Eccleſiæ Couvinenſis choro Latino ſermone congregatos adhortari, poſt Miſſæ à ſe celebratæ ſolemnia. Ac deinde poſt meridiem ad conclave ſuum eos vocare, ac de rebus Paſtoralibus diu cum eis conferre familiari & paterno alloquio. Quia autem omnibus pergrata fuerat adhortatio iſta adeo Eminentis Viri, & poſteris commendanda, optavit congregatio etiam ſcripto ſibi eam communicari quod quidem me ſollicitante impetravit. Unde hæ ſuerunt Illuſtriſſimi Nuncii ad congregationem eam ob rem deſtinatæ litteræ.

Venerabiles ac admodum RR DD. Rogavit nos coram, non ita pridem Leodii. R. D. Jacobus Marchant. ut quam intra Couvinenſem Eccleſiam ejus ſuperiori anno Paræneſim habueramus; in pio conſeſſu Sacerdotalis Sodalitii veſtri, eam quoque ſcripto communicaremus: quo ita nimirum poſſet vis etiam poſſet eſſe ſtimulatio & incitamentum. ad ſuſceptum conſilium cum charitate alacriori, divino, adſpirante Numine, proſequendum. Annuimus, & illius exemplum transmittimus, quia nobis perſuademus inſtituti veſtri laudabilis tantam eſſe præſtantiam, quæ vel ſola ſufficiat, ut ſinguli qui in ejus album digito Dei ſunt tranſcripti, accendantur abundè ad promptè obeundum quæcumque exigit ejuſdem inſtituti ratio, plena perfectionis & plena charitatis. Quocirca fati etiam ſumus adhortatione noſtra facilius ſubdi poſſe ſtimulos animis (quo alioqui ſponte incitantur) ut perficiant in dies magis id quod in ipſis operatus eſt Deus: à quo in hunc finem Venerabili Sodalitio veſtro precamur cumulum uberem cœleſtium gratiarum. Leodii 21 Octobris, 1629. Signatum erat: Ad omnia officia paratus, Petrus Aloyſius Epiſcopus Tricarienſis.

His porrò litteris à congregatione hunc in modum reſponſum fuit Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Nuncio & Legato Apoſtolico.

Eximium Illuſtriſſimæ Dominationis veſtræ affectum jam pridem multoties experta eſt S. Caroli congregatio: ſive cum indulgentiis à Sede Apoſtolica impetratis placuit eam adornare; ſive cum præſentia ſua eam dignata eſt illuſtrare, & ignito ſacræ exhortationis eloquio accendere. Cùm verò id nulla ratione ſe potuiſſe promereri lubens agnoſcat, nec obſequio aliquo digno gratiam valeat rependere, voluit tamen humilem affectum ſuum, ac obſervantiam erga Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram, hiſcè litteris conſignatam, & teſtatam eſſe. Acceſſit ad cumulum multiplicis obligationis, quod paucis abhinc hebdomadis, eadem congregatione ſupplicante, Paræneſim Sacram in Eccleſia Couvinenſi pronunciatam dignatus ſit ſcripto communicare: ut quod ex ore differentis plaudente aure congregatio excepterat, etiam legere eam peroptantium oculis & animis frequentius liceret ſubiicere, tamquam ad perfecta munia obeunda acre incitamentum, & diffluentis memoriæ adminiculum. Certè ut non ſolùm tunc præſentibus, ſed & poſteris ſit ſtimulo, in Acta ſua eam refert: Scietque poſteritas, quod fructiferum novellum, quem in Diœceſi Leodienſi ſuis meritis plantavit S. Cardinalis Carolus, ore & rore ſuo ſuo melliſluo rigarit P. Aloyſius Legatus, ut illi perfectionis incrementum daret Deus. Et hoc magni beneficii loco ducens, ac in medullio cordis gerens Congregatio, inſtabit ſacrificiis apud Deum Opt. Max. qui rigat montes de Superioribus ſuis, ut donorum cœleſtium affluentia Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram ſic compleat, ut in inferiores ubertim valeant refluere. Humile interim obſequium ſuum, cum ſacratæ manus oſculo, ſupplices deferunt congregationis alumni, Paternæ veſtræ gratiæ ac benevolentiæ jugiter commendantes.

PARÆNESIS HABITA AD SACERDOTES & Paſtores Congregationis S. Caroli per Illuſtriſſimum P. Aloyſium Caraffa Legatum Apoſtolicum.

In partes vade ſæculi Sancti, cum vivis & dantibus confeſſionem Deo. Eccl. 17. 25.

COnſtitutus in hoc veſtro conſeſſu, ut pauca proloquar Apoſtolicus Viſitator, poſſe mihi videor dicendo memorare hanc præ multis vocem Dei, quam fuerit cælitus miſſa, & auribus cordis propoſita, quando unuſquiſque veſtrum fuit ad cleri ſtatum, & ad munus Paſtoris animarum vocatus. Etenim in ea voce oſtendam, Eccleſiaſticum è Spiritus Sancti magiſterio vos & veſtrum munus expreſſiſſe mirificè, cum dixit: *In partes vade ſæculi ſancti, cum vivis & dantibus confeſſionem Deo.* In oraculi hujus, & ejus litterarii ſenſus explicatione non hæreo; quia apud eos verba facio, quibus ſonus & concentus verbi Dei ſacrarumque Scripturarum meditatio familiaria eſſe conſueverunt. Quocirca potiſſimum adfero illa quæ indicare videantur, quam aptè Parochi & Paſtoris animarum vocatio hîc contineatur.

In partes vade ſæculi ſancti. Cœtus eos hominum intelligite, quibus Chriſtiana charitate præeſt è cœlo ille, *qui parvulus datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum ejus & vocatus eſt nomen ejus, Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis.* Paſtoribus dicitur; *Vade in partes hujus ſæculi ſancti.* Scitis enim a partitione Curæ Parochum nominari; quia Epiſcopus eſt Paſtor totius Diœceſis, Parochus eſt Epiſcopi adjutor, particeps oneris, & qui partitam curam intra cæteros illius Diœceſis limites gerit. In partes itaque ſæculi hujus ſancti vocati, & miſſi à Deo eſtis ô Paſtores animæ-

animarum, in quaſdam quaſi tribus veſtræ charitati, veſtræ fidei concreditas & commendatas. Hic verſari vos, hic agere, hic inſtare opportune importune, arguere, obſecrare, increpare, miniſterium Paſtoris implere, pro laboribus ingemere, & animam ponere pro ovibus veſtris, ſi oporteat, debetis. Sed in partes ſæculi ſancti, non cum hominibus deploratis, aut cum cadaveribus eorum futura eſt veſtra converſatio at potius cum vivis & dantibus confeſſionem Deo. Quinam potiſſimum illi ſunt? Illi qui poſt Baptiſmum cum Apoſtolo dicere poſſunt: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.* In hunc finem præcipit Chriſtus Parocho & Paſtori, ut in partes eat ſæculi ſancti.

Ecce veſtrum munus, veſtra auctoritas, veſtra dignitas: quotquot naſcuntur filii ſunt iræ, ſunt filii mortis, deferuntur ad vitæ fontem ad baptiſmi hoſtialem aquam. Vos illos abluendo, efficitis ut vivant jam non ipſi, ſed vivat in eis Chriſtus: quinimo ut vivant ipſi in perpetuas æternitates. Vos in fidei rudimentis decet parvulos imbuere. Chriſtianæ doctrinæ ſymbolis erudire, provectiores verbo Dei & pane cæleſti alere, ut proficeant deinde proles, quæ ſint filii Sanctorum. Vos oportet matrimonio jungere jam viros, repurgare à peccatis in omni vita, & à morte animæ ruſſus excitare, in ſenio ad ſenectutem bonam, & ad tranſitum piorum adhortari, denique in morte corporis extremo Sacramentorum communire, ut à mortis ſempiternæ faucibus liberentur. Quæ omnia conducunt ut partes ſæculi, ad quas vocati & miſſi eſtis, vitam habeant, quo ita verſari cum vivis & dantibus confeſſionem Deo unuſquiſque veſtrum deprehendatur. Sed in hac quoque Sacramentorum adminiſtratione oculus intentionis ſimplex in vobis eſſe debet, & veſtrum *totum corpus lucidum erit*: abſint ſordes, abſint proprii lucri cupiditates; eleemoſynæ nimiæ non exigantur, caveaturque rei ſacræ nundinatio, ne avaritia, quæ eſt idolorum ſervitus, in Miniſtris Dei vivi & veri locum inveniat. Miſſæ ſacrificia decenter, nitide ac juxta Eccleſiæ ritus cæremoniaſque celebrentur. Non adulteretur verbum Dei, ſed inter Miſſarum ſolemnia ſacroſanctæ Evangelii documenta cæleſtia proferantur, exponanturque juxta ſenſum ortodoxum Eccleſiæ: ſcandala publica extinguantur, arceantur procul ab altari ſi qui ullo ſint aſperſi crimine: neque ſacris intereſſint ſi qui fuerint cenſuris Eccleſiaſticis notati. Neque enim cum vivis & dantibus confeſſionem Deo, emortui vel ii qui ſunt contemptores Religionis ac Dei, habere conſuetudinem debent. Foveatur in omnibus pax & concordia & mutua dilectio, neque ſcinda veſtem Chriſti inconſutilem, qua corpus Eccleſiæ tegitur, Paſtores patiantur Ægros etiam lue infectos, vel cum vitæ periculo inviſant: nec eſt quod multum ipſi metuant, ſi charitatis amuleto ſeſe muniant, ſi hoc unum in deſiderio habuerint, ut animas Chriſto lucrifaciant.

Hic optatis grande illud exemplum à me recenſeri, ſanctiſſimi Archiepiſcopi & Cardinalis S. CAROLI BORROMÆI, cujus non magis cordi vobis eſt admiratio, quam imitatio. De ejus rebus præclarè geſtis nihil vos ignoratis, & ideò ſupervacaneum ferme ſit, à me jam ex eis aliqua cómemorari. Verè vocatus ipſe fuit in partem ſæculi ſancti, ſed in partem amplam & latam juxta ſpatia ejus immenſæ charitatis: In Archiepiſcopatum Mediolan. quem impleviit meritis & exemplis, quem virtutibus adeò illuſtravit, ut earum lux omnibus quibus orbe Chriſtiano ſunt, ac in cœlo deinde, lucere debeat nitore diutiſſimo & ſempiterno. Vos vocati perinde in partes ſæculi ſancti, limites longè minores acceptis à Deo, adeòque facilius implere poteſtis menſuram miniſterii veſtri. Hoc mihi pollicetur ſtudium præclaræ illius inſtitutionis S. CAROLI, quæ non rudes animæ ſed populorum Magiſtri erudiuntur. Vigeat hæc in vobis diſciplina, & ſimul in partibus ſæculi ſancti, quibus vos præpoſuit Deus, vigebit pietas, vigebit ſanctitas. Referent Eccleſiæ veſtræ pulchritudinem cœli, ac domus Dei: vereque cum vivis & dantibus confeſſionem Deo, veſtra in terris erit converſatio; donec item veſtra in cœlis, par tanto merito, ſit cum eodem CAROLO ſancto inſtitutore gloriæ remuneratio.

EPITOME CONSTITVTIONVM PRIMARIARVM congregationis S. Caroli Borromæi.

COnſtitutionum S. Caroli Borromæi frequens hoc in libro facta fuit mentio. Licet veto eas ſparſim in ſuperioribus tractatibus explanaverimus, ut tamen unico intuitu conjunctim perviderí poſſint ab his qui earum notitiam & obſervantiam optarint; primariæ ſolectæ hic ſubjiciuntur, & ad aliquot capita ſummatim referuntur.

CAPUT II.

CONSTITVTIONES SPECTANTES PERſonas Eccleſiaſticas quæ congregationi S. Caroli adſcribuntur, quantum ad exercitia quæ ipſæmet reſpiciunt.

PRimò, Devotionem concipiant particularem erga Beatiſſimam Virginem Dei Matrem MARIAM & B. LAMBERTUM, quorum patrocinio ſpeciali Eccleſia hæc Leodienſis dirigitur: erga divum quoque CAROLUM, inſtituti hujus & congregationis auctorem. Undè in functionibus ſuis ad illorum Patrocinium & ſubſidium fidenti animo recurrant: & virtutum exempla, quæ ipſi tanquam hæreditatem ſacram Eccleſiæ reliquerunt ſpecialiter imitari, & ſpiritum ab eis haurire contendant.

Secundò, Alant perpetuum quemdam animi ardorem erga divina, zelumque gloriæ Dei,

Digitized by Google

tanquam ignem sacrum ad actiones sacras necessarium.

Tertiò, Curent ut in omnibus functionibus actionibusque suis pura sit intentio : quia facilè vanus aliquis finis subrepit, actiones etiam sacras inficiens. Unde diligenter agnoscant qua intentione ferantur.

Quartò, Conentur ad veras & solidas virtutes, quibus debet vita Sacerdotalis ornari: maximè ad humilitatem, mansuetudinem, castitatem, sobrietatem.

Quintò, Studeant semper pietati & puritati conscientiæ, quam ut conservent Sacerdotes, bis in hebdomada confiteantur, & hi caveant à peccatis, ut tere quotidie apti sint ad sacrosanctum Missæ Sacrificium offerendum.

Sextò, Ultra preces horarias, quotidiè aliquid orationis dedicent orationi mentali, & sincero conscientiæ examini.

Septimò, Singulis annis totius anni peccata confessione quadam generali expient, quam alicui Sacerdoti de congregatione faciant : ut defectus suos plenius agnoscere, & sibi ad profectum calcar adjicere possint.

Octavò, In divinis officiis diligenter curent pronunciationem integram, attentionem & reverentiam, cùm interiorem, tùm exteriorem. In officiis autem publicis, decentem etiam cultum, & reverentem cæremoniarum observationem adhibeant.

Nonò, Ecclesiarum, Altarium, & sacræ supellectilis ita sint studiosi, ut munditia digna mysteriis quæ in ipsis celebrantur, reperiatur.

Caput II.

CONSTITVTIONES CONCERNENTES eos ut fructum in aliis producere possint.

Primò, Sciant se ad animarum salutem juvandam vocari : unde sæpè recogitent dignitatem illarum, quas ipsemet Christus Sanguinis sui pretio voluerit redimere & abluere.

Secundò, Invigilent diligenter puerorum & juventutis institutioni, rudiumque ac pauperum personarum, quarum curam lubenti animo subeant exemplo Christi Domini.

Tertiò, Illarum personarum diligentem curam habeant, quæ longè à Parochus dissitæ, non possunt commodè audire verbum Dei, aut erudiri, in sylvis & locis agrestibus agentes.

Quartò, Erga omnes personas cùm humilitate & mansuetudine ita se gerant, ut ex paterno fraternoque agendi more, satis agnoscant omnes desiderio salutis agi, quidquid erga eos agitur.

Quintò, Personas quas sciverint in statu peccati mortalis agere, quantum in ipsis est, per se & alios conentur educere, hortando, increpando, monendo, obsecrando.

Sextò, Illas animas peccati mortalis vinculis constrictas, in precibus ac sacrificiis suis speciatim Deo commendent, ut à morte peccati eas suscitare dignetur.

Septimò, Sint omnibus tale castitatis exemplum, ut & ipsi, & familia eorum ab omni sit vel suspicione libera.

Octavò, Avaritiæ quoque notam, tanquam statui Ecclesiastico noxiam & sordidam maculam inurentem, quantum possunt fugiant, nec lucri cupidi habeantur.

Nonò, Si quando conviviis sæcularium interesse oporteat, ita se gerant, ut modestiæ & temperantiæ limites non excedant, pravique exempli omnem occasionem fugiant.

Nuptialibus conviviis non intersint, nisi de consensu Præfecti.

Decimò, In conversatione prudentiam & discretionem servent, & caveant zelo indiscreto in actionibus aut verbis suis ferantur, etiam in ubi subditorum correptione, aut correctione.

Undecimò, Vestitus sit decens & obiongens, sacerdotali statui congruus, nec vilitate nimia aut sorde contemptum sæcularibus inducens, nec notabili superfluitate vanitatem sapiens.

Duodecimò, Patrini & Susceptores puerorum non fiant, cùm ipsi baptizando Patrini propriè exsistant.

Decimotertiò, In colloquiis familiaribus, maximè inter se, illi qui de hac congregatione sunt, frequenter agant de his quæ juvant ad profectum spiritualem animæ suæ, vel aliorum.

Caput III.

CONSTITVTIONES CONCERNENTES eos quantum ad obedientiam respectu Præfectorum, & quantum ad charitatem erga se mutuo.

Primò, Ament præfectum, & observent eum, quasi locum Dei gerentem.

Secundò, Obediant promptè, & interno animi affectu illique mentem suam conforment, ita ut non sint propriii judicii & voluntatis sectatores.

Tertiò, Murmurationes quibus Præfecti authoritas lædi, vel susurrationes quibus mutua charitas refrigerari posset, non aliter quam pestem congregationis & omnis disciplinæ fugiant.

Quartò, Pro majori profectu, abnegatione, & humiliatione sui, unusquisque debet grato animo suscipere; si ea quæ in ipso notantur, superiori manifestentur.

Quintò, Debet etiam grato animo suscipere, si corrigatur & reprehendatur, & quantum in se est, debet etiam juvare aliorum correctionem. Imò qui de hac congregatione erunt, debent parati esse cum debita charitate & amore sibi mutuò suas imperfectiones aperire, ut ipse juvare possint in vera charitate & cordis sinceritate.

Sextò

Digitized

Sextò, Temeraria de fratribus judicia summè caveant, omnemque similitatem, malevolentiam, amaritudinem, invidiam: quia necessaria est maxime ad scopum hujus congregationis, perfecta charitas & animorum conjunctio, tum cum membris aliis, tum cum ipso capite.

Septimò, Fiant congregationes sequentes juxta præscriptum præfecti spiritualis, in quibus & regulæ legantur, & de iis quæ ad earum observationem juvant conferatur.

Item de iis quæ ad animas juvandas, aut ad defectuum propriorum correctionem, & virtutum plantationem spectant.

Octavò, Sciant semper & sibi proponant, scopum hujusce congregationis esse, mutuis se verbis & exemplis instruere & corrigere, ut digne ambulent vocatione sua, & ut alios possint secum salvare: quare Spiritum Dei ardentibus precibus imploient, nullumque laborem ut sibi & aliis proficere possint refugiant, sintque solliciti servare unitatem spiritus, in vinculo pacis

Nonò, In congregationibus quoque culparum accusatio fiat, earum scilicet quæ sacram confessionem nihil attingant, sed negligentiam circa regulas, aut officium sibi commissum.

Decimò, Quæ autem in congregationibus agentur, illudo silentio ab unoquoque secreta teneantur: & cum pœnitentiæ aut humiliationes aliquibus imponentur, nullo modo in jocum, contemptum, aut impropersum cujuspiam vertantur.

Caput IV.

De admittendis vel dimittendis.

Primò, quantum ad idoneitatem & conditiones requisitas ut quis admittatur, judicabunt Superiores: & servabuntur conditiones quas præscribit sanctus Carolus, quantum fieri potest Habentur autem hæ conditiones, cap. 2. lib. primo institutionum ejus.

Secundò, Nemo admittatur, nisi duæ ex tribus partibus congregationis votis suis suffragentur.

Tertiò, Cùm quis admitti petit, serio moneatur non id debere facere respectu aliquo humano: sed ex Spiritus sancti instinctu, & perfectionis studio, ut vocationi suæ possit coram Deo satisfacere.

Quartò, Nemo excludatur, nisi etiam duæ ex tribus partibus, id judicarint: idque propter gravem iteratamque pertinaciam vel delictum; aut etiam ob aliam justam causam, quam talem esse judicabunt Episcopus, Vicarius, vel ab Episcopo delegati.

Quintò, Tempus modusque probationis non necessario erit uniformis: sed juxta conditionem personarum supplicantium pro admissione, illa præscribet prætectus & congregatio cum superiorum eorundem assensu Solent autem præscribi exercitia spiritualia octo vel decem dierum sub aliquo directore,

Sextò, Quicumque verò admittuntur beneficium officiumque Ecclesiasticum obtinentes, cui residendi onus conjunctum est: licet Episcopo obedientiæ vinculo subjicerantur, nullis tamen legibus, aut institutis teneantur, quæ functiones beneficio, officioque quod habent debitas impediunt.

Septimò, Cum contigerit aliquem è congregatione periculose laborare, penes præfectum aut vice præfectum sit cura, ut aliquis confratrum ei charitatem impendat, visitando, & consolando, Sacramentorumque quantum opus fuerit ministerio subveniendo. Cum autem è vita discesserit, singuli pro ejus animæ refrigerio Sacro-sanctum missæ sacrificium offerent.

Octavò, Quod autem ad harum præscriptionum constitutionumque usum tenendum ac servandum attinet; licet ad præclaram animi atque ad veræ religionis omniumque virtutum Ecclesiasticarum consecutionem, progressumque spiritualem, perutiles atque pernecessariæ sint illæ: si quem tamen eas aliquandò non servare contigerit, non plus illum tunc peccare declaratur, decerniturque quam prævaricationis ipsius, operisve in quo peccatum est, ratio alias postularet.

Nono, Hæc quidem sunt præcipua fundamenta instituti hujus; in his autem quæ hic expressa non sunt, recurritur ad constitutiones à D. Carolo præscriptas, illas quantum fieri potest, ad praxim usumque cujuslibet Diœcesis accommodando; prout superiores & directores ab Episcopo designati judicant expedire.

Decimo, Solet eligi præfectus quolibet triennio, qui etiam potest continuari; atque cum ipso aliquot consultores, qui in rebus gravibus mutuo consilio decernant, unus etiam corrector solet designari, qui in spiritu charitatis & lenitatis unumquemque è congregatione secreto monere solet, ut defectus qui in ipsis notantur, emendent. Solet & præfecto subservire Secretarius, qui acta & decreta congregationum notat.

Undecimo, Qui huic congregationi adscribuntur, vel simplex obedientiæ votum in manibus Episcopi sive delegati emittunt; quo renovatur obedientia in ordinatione promissa: vel saltem oblationem specialem obedientiæ faciunt

Votum obedientiæ his solet verbis concipi. Ego N. Omnipotenti Deo, Beatissimæ Virgini Mariæ, sanctoque Patri nostro Lamberto, hujus diœcesis Patrono speciali, necnon B. Carolo instituti hujus authori, coram tota cœlesti curia: ac tibi quoque locum sanctissimi Patris nostri Lamberti hic obtinenti, Reverendissime D. Pater Episcope (vel tibi Reverende D Præfecte ab eo delegate, cæterisque dominis Episcopis sanctæ Leodiensis Ecclesiæ successoribus seu ab eis delegatis, promitto, spondeo, ac voveo perpetuam obedientiam, in his omnibus quæ mihi præcipientur ad Dei gloriam, & salutem animarum ejusdem Ecclesiæ procuran-

dam, adjuvandam & promovendam, ad præscriptum instituti hujus Congregationis; illudque præterea spondeo ac voveo, me in hac congregatione & instituto perpetuo victurum.

Forma verò obligationis est. Ego N in conspectu Dei omnipotentis gloriosissimæque semper Virginis Mariæ, nec non S. Patris nostri Lamberti hujus Diœcesis Patroni, atque etiam S. Caroli hujus instituti authoris, ac totius curiæ cœlestis, prostratus tibi Reverendissime Episcope Pater & Domine mi, (vel tibi Reverendissime D. Præfecte ab eo delegate) cæteraque deinceps Ecclesiæ Leodiensis successoribus, perpetuam obedientiam offero, tam in iis quæ ad curam, salutem, spiritualemque progressum animæ meæ pertinent: quam in illis etiam, quæ ex congregationis hujus institutis per me præstanda erunt in operibus officiisque charitatis in Deum & proximos.

Hac porrò oblatione solent contenti esse Reverendissimi Episcopi, qua sufficienter renovatur obedientia in ordinatione promissa: ne fortè etiam aliqui pes votum præcedens laqueum sibi injici metuant.

Formula porrò receptionis talis est.

Dominus noster Jesus Christus, pro cujus amore, & gloriæ propagandæ studio hanc oblationem fecisti, tibi benedicat & gratia sua perpetuo te custodiat. Et sanctissimus Pater noster Lambertus, quem præcipuum Patronum elegisti, suis precibus & meritis gratiam tibi impetret, qua in hujus congregationis instituto uberes fructus ad Dei gloriam & animarum salutem proferas Leodiensi Ecclesiæ. Et ego tibi benedico, teque in numerum congregationis hujus recipio

Sunt & aliæ quædam cæremoniæ & orationes, quæ hic adjungi solent ad pietatem ac charitatem excitandam.

Tandem huic operi extremam manum impono, & quoniam in gratiam Sacerdotum & Pastorum hæc exaravi, præsertim eorum qui S. CAROLI congregationi sacræ, spiritu & digito Dei sunt adscripti: ideò ad te, ô Christe Jesu, tanquam ad Sacerdotem summum, & Pastorum omnium Pastorem, votum hoc extremum dirigo, & tuæ promissionis chirographum in literis sacris consignatum tibi repræsento, quo promissis in medio eorum esse, qui in nomine tuo sunt congregati.

1. Obsecro, ut in medio eorum sis, tanquam Sol lucem diffundens in medio stellarum, quæ Ecclesiam tuam sanctam tecum & per te debent illuminare; ut de illis dici possit illud Prophetæ: *Stellæ dederunt lumen in custodiis suis, & lætatæ sunt; vocatæ sunt, & dixerunt, adsumus, & lucerunt ei cum jucunditate qui fecit illas.* Baruc. 3. 34.

2 Obsecro esto in medio eorum, tanquam Patersfamilias in medio puerorum, panem vitæ & cibum eis distribuens, ita abunde ut & aliis ipsi sufficienter possint illum communicare: Atque de his utinam possis æterno Patri illos repræsentans tandem dicere: *Ecce ego & pueri mei quos dedisti mihi.*

3. Obsecro, ut sis in medio eorum tanquam centrum in medio circumferentiæ: ut omnes affectus & desideria ab ipsis prodeuntia tanquam lineæ ad te tendant, ut directæ.

4. Obsecro, ut sis in medio eorum tanquam cor in medio membrorum suorum, ut quandoquidem tanquam primaria membra corpus tuum mysticum constituunt Sacerdotes eos vivifices, animes, impellas, spiritu tuo repleas, ut vita perfectionis in te vivant.

5. Obsecro, ut sis in medio eorum tamquam Magister supremus in medio discipulorum, ut juxta promissum tuum, ibi sint *Theodidacti*, hoc est, *Docibiles Dei*, ad pedes tuos sedentes, & verba vitæ æternæ excipientes. Unctio tua doceat eos de omnibus, & Spiritus tuus, Spiritus veritatis, sapientiæ & scientiæ, quem in alios valeant refundere.

6 Obsecro, ut in sis medio eorum, tanquam *Deus in medio Deorum eos dijudicans*, eis leges & regulas præscribens, eos spiritu divino potestati suæ correspondente adimplens, ut agnoscant se Deos, & Dei excelsi filios.

7. Obsecro, ut sis in medio eorum, tanquam candelabrum effulgens in medio domus: vel tanquam Lampas primaria, à qua ipsi tanquam lucernæ inferiores liquoris & lucis influxum percipient. Ipsi sint *Filii olei*, filii splendoris, assistentes *Dominatori universæ terræ*. Zach. 4. 14.

8. Obsecro, ut sis in medio eorum, tanquam Pastor in medio ovium, & in medio inferiorum Pastorum: ut ipsi à te discant pasci & pascere, agnos parere, agnos alere errantesque humeris suis reportare: Donec adducantur ad te, *& fiat unum ovile & unus Pastor.* Joan. 10. 16.

9. Obsecro, ut sis in medio eorum tanquam Dux exercitus in medio Tribunorum, eos animans & exhortans, ut sub vexillo crucis fortiter dimicent contra Satanam, carnem, mundum, & exemplo aliis præeant.

10. Obsecro, ut sis in medio eorum, tanquam Legislator ardens in medio Rubi, ut ignis tui sacratissimi sint participes, & cor eorum ardeat sine læsione quo igne succensi, ignitum eloquium tuum populis, ad quos eos destinas, valeant ministrare.

Postremò. Obsecro, ut sis in medio eorum tanquam fons irrigans in medio Paradisi: Plantis & arboribus sacris rorem benedictionis abunde impertiens, ut fructum producere valeant in mystico Ecclesiæ tuæ horto: Donec tandem transferantur in Paradisum cœlestem æterno flore & fructu fœcundum, juxta *fluvium aquæ vivæ, procedentem de sede Dei & Agni*; ubi te laudabunt in sæcula sæculorum. Ita his animi mei votis fave, & cœlitus adspira, ô Jesu summæ Sacerdotum & Pastor Pastorum, & illud anni hujus signaculum in nobis comple

TRISTITIA Vestra Conversetur in GAUDIUM. Joan. 16.

TIARA

Digitized by Google

TIARA SACRA
MONILIBUS QUINQUE
ADORNATA è SACRÆ SCRIPTVRÆ THESAVRO.

R. D. PRÆLATO LAVBIENSIS COENOBII IN DIE Inaugurationis ſuæ dedicata.

FOELIX OMEN.

RaphaeL BaCCart PræLatVs LaVbIensIs eLeCtVs atqVe ConfIrMatVs.

MONILE I.

Pſ 88. 19. & Nu. 17. *Domini eſt aſſumptio noſtra Et Sancti Iſrael Regi noſtri. Non irrepit, ut olim Abiron: Sed vocatus es, tamquam Aaron Eſto florida Virga memor.*

VOTUM SACRUM.

Pſ. 79. 18. *Fiat manus tua Domine, ſuper virum dextera tua. Et ſuper Filium hominis, quem confirmaſti tibi.*

PARÆNESIS EXPLICANS VOTVM.

AGEDUM *Vir dextera*, ſit ſpiritus, & manus Domini tecum. Illa te regat, erigat; illa te protegat, benedicat. Cur à Sacrorum Hierarcha, Dei vices gerente, manus impoſitio tua ſit in vertice, in ſacra inauguratione, niſi pro hac imploranda Directione Protectione, Benedictione? Olim Jacob benedixit Euphraim cancellatis manibus, ut
Gen. 48. 14. facer textus commemorat. Nec id ſine myſterio. Nempè Ephraim ſiniſtræ adſtabat ut junior, Manaſſes ſenior dextræ. Voluit verò Jacob portiorem partem in benedictione Ephraim impertiri, præ Fratre Manaſſe; ideò commutat manus, ut dextera valeat eum benedicere, ut *Virum dextera* valeat eum efficere: ideò & meritò in ortu nomen *Ephraim* acceperat, id eſt, *Creſcens & fructificans*. Sic tibi primas in benedictione inter fratres attribuit Dominus, ut ſis *Vir dextera ejus*, ut ſis *Ephraim* creſcens & fructificans præcæteris. Si ergo *Vir dextera es*, quæ à ſiniſtris ſunt deſpice, infima & caduca: quæ à dextris ſunt ſuſpice, ſublimia, & æterna. Nec verò immemor ſis, in ſublimiori licet dignitatis apice conſtitutus, te *filium hominis*, imbellem, invalidum: ideoque indigere robore ex alto. Infirmitatis agnitio, divinæ virtutis eſt impetratio. De
Pſ. 74 4. Prælatis Eccleſiæ dicit ipſe: *Ego confirmavi columnas ejus.* Ecce erigeris ut lapis ad fundamentum, ut columna ad ſuſtentaculum: efflagitanda igitur fortitudo ac ſolidiras à divinâ virtute, ut confirmeris, & aptus ſias oneri ſuſtinendo, totius imponendæ molis ſacri ædificii. Scire enim decet, ac ſæpius mente repetere, te electum eſſe, & erectum, ut infirma confirmes, diſrupta conſolides, depravata convertas. Ideircò & nos pro te ad Dominum clamantes repetimus: *Fiat manus tua ſuper virum* Pſ. 79. 18. *dexteram tua, Et ſuper filium hominis quem confirmaſti tibi.*

PARÆNESIS EXPLICANS MONILE.

PEdum Paſtorale, quo inauguraris, memorem te reddere poteſt Aaronis. A Deo vocatus ille fuit, & Virga portentoſa electionis divinæ ſymbolum extitit. Vitam autem Prælatorum & doctorum virga illa ſignabat. Vis audire qualis debeat eſſe Prælatorum vita Utique frondoſa, florida, frugifera. Frondoſa cœleſtis gratiæ virore Florida boni nominis odore. Frugifera ſancti operis Pſ. 88. 19. fœcunditate. Sic poterunt verè iſti dicere: *Domini eſt aſſumptio noſtra, & ſancti Iſrael Regi noſtri.* Sic poterunt cum ſiducia tibi perſuadere, ſe non irrepiſſe ad dignitates, aut contendiſſe inſtar Abironis; ſed vocatos eſſe inſtar Aaronis. Audi ergo, audiant & Prælati cœleſte monitum Sapientis: *Ob-*
Eccl. 39. 17. *audite me divini fructus, & quaſi roſa juxta rivos aquarum fructificate: quaſi Thus Libani odorem ſuavitatis date. Florete flores quaſi lilium & frondete in gratiam* Audin frondes, flores, fructus ab his requiri qui in Religione, aut in Eccleſia Dei, tanquam in fertili ſolo Domini plantati, aquis divinæ gratiæ ſunt irrigui? Hujus te rei commoneſaciat Pedum iſtud adornatum, Prælaturæ tibi delatæ ſacrum Signaculum. Certè illud ipſum quod olim Virga florens ab Aarone depoſcebat, deſignat modo à te gerendum. Ideo monemus ut floridæ Virgæ memor ſis, & frondes, flores, fructus germines. Sed

per-

Digitized by Google

perpende ulteriùs. Virga illa non absque mysterio Amygdalina fuisse perhibetur. Quid enim? Nonne Amygdalus inter arbores primigenia est, & flores prima parturit? Nonne citissimè excussa hybernali aura evigilat? Nonne ventos, tempestates, grandines fortiter novit perpeti? Ita noveris te præ cæteris electum, ut virtûtis & gratiæ vernantibus gemmulis, cæteris etiam præfloreas. Noveris quoque, pervigilandum tibi in commisso munere, omni excusso frigore & torpore. Noveris denique, non paucas tibi tempestates, ventos, & grandines imminere, si perfectè tuo volueris perfungi munere. Sed adversus hæc omnia infractus animus, fructum debet patientiæ conservare, sub amaro licet cortice. Merito igitur Virgam Aaronis, Virgam Amygdalinam tibi pro Monili offero, quod Monitum sacrum contineat nobilissimæ & sublimissimæ dignitatis tuæ: quodque excitare te valeat & in munere tuo fortem pervigilemque reddere. Ergo eam conspiciens dicere poteris cum Jeremia:

Jer. 1. 11. *Virgam vigilantem ego video: Mentem vigilantem gerere debeo.*

FOELIX OMEN.

VnXIt te DoMInVs præ ConsortIbVs.

MONILE II.

Psal. 44. & 132.

Vt diligas justitiam, & oderis iniquitatem.
Propterea unxit te Deus oleo lætitiæ.
In vestu eram finat unguentum à capite.

VOTUM SACRUM.

Gen. 27. 28.

Det tibi Deus de rore cæli benedictionem, & de pinguedine terræ abundantiam.
Esto Dominus fratrum tuorum: Incurventur ante te filii Matris tuæ.
Qui tibi maledixerit sit maledictus: Qui tibi benedixerit, sit benedictus.

PARÆNESIS EXPLICANS MONILE.

IUSTITIA & iniquitas adversantur sibi: Tu illam tuere, hanc torvo oculo intuere. Tibi committuntur Justitia & Religio, utraque Virgo incorrupta, pro cujus integritate oportet te regio & excelso animo decertare. Ob eam rem defers Diadema & sceptrum; Tiaram & Pedum, Regiæ, & Sacerdotalis dignitatis indicium. Nec unctio interior deest, à Domino & Christo ejus defluens. Sit ergo *Virga directionis*, *Virga regni tui*, imbelles sustentans, rebelles domans: segnes stimulans & pungens, recalcitrantes feriens & expungens. Dilige justitiam, odi iniquitatem, & audi monitum Sapientis: *Noli fieri Iudex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates. Noli esse pusillanimus, & ne ponas in*

Eccl. 7. 6.

agilitate tua scandalum. Unctio cœlestis gratiæ, quo Christos suos ungit Christus roborabit te, & de omnibus docebit te; si modo aurem interiorem illi volueris inclinare. Quinimò illa per te in consortes poterit derivari, ut fiant Theodidacti, sive docibiles Dei. Ac sicut ab Aaronis perfuso capite, oleum sacratum in genas ac faciem, deinde & in oram vestis defluebat: ita cùm in caput electus sis, decet te divini ceromatis & unguinis florem præ cæteris participare, & in inferiora membra refundere. Dicam igitur cum nostro Ecclesiaste: *Omni tempore vestimenta tua sint candida: Et oleum de capite tuo non deficiat.* Eccl. 9. 8.

PARÆNESIS EXPLICANS VOTUM

DEdit Dominus sacro Ordini S. Benedicti benedictionem de rore cœli, dedit & benedictionem de pinguedine terræ: hoc est, providit ei copiosè opes terrenas, providit & cœlestes. Et quidem Ros cœli terræ pinguedinem generavit, quia Religio & Pietas peperit divitias. Sed, heu! filia devoravit Matrem Nam variis in locis copia opum abligurivit Religionem. Multi enim affluentes divitiis affluxere & vitiis, neglectu Roris cælestis gratiæ & ordine disciplinæ. Tu verò huic rei provide, Satage, ut ager, quem excolendum suscipis, tamquam Hæreditas Domini primum Roris cœlestis benedictione irrigetur, & disciplinæ sanctæ sarculo à vepribus expurgetur. Sic semen sacratum & benedictum germinabit Deo, & Benedicto. Exinde advigilare poteris, ut Hæreditas terrena Monasterii S. Petri & possessiones ad ejus pedes prisca Fidelium pietate oblatæ, integræ conserventur, justè dispensentur. Det ergo tibi Dominus, primò quidem de rore cœli irriguum superius: deinde de pinguedine terræ irriguum inferius; ut cœlestem terrenamque substantiam ad ejus gloriam valeas dispensare. Esto quoque Dominus Fratrum tuorum: *& incurventur ante te filii Matris tuæ.* Volo te Dominũ, sed magis ambio Patrem. Volo ante te incurventur filii Matris tuæ, per eam quam debent obedientiam, honorem, timorem. At cupio magis, ut subdantur per filialem affectum, observantiam, amorem. Nomen Prælati, nomen est imperii & honoris. Nomen Abbatis, nomen est suavitatis & amoris. Utrumque junge, ut suadente Apostolo Petro, *non tam sis dominans in Clero, quàm factus ex animo forma gregis.* Memor sis Domini pronunciantis: *Reges gentium dominantur eorum; qui autem major vestrum est, fiat sicut minor.* Hæc si observes, à lingua malignantium, & verbo aspero securior eris. Et qui tibi maledixerit, erit maledictus; qui benedixerit, benedictus. Tunc quoque de prænobili Cœnobio tuo, & alumnis tuæ curæ commissis poterit illud dici: *Quàm pulchra tabernacula tua, & tentoria tua! Vt valles nemorosa, ut horti juxta fluvios irrigui. Vt tabernacula quæ fixit Dominus quasi Cedri prope aquas.* Gen. 17. 29. 2. Pet. 5. 3. Luc. 22. 25. Nũ. 24. 5.

FŒLIX

FOELIX OMEN.

PræVenIas In MatVrItate, tV præVenIerIs In beneDICtIone.

MONILE III.

Ex Pſ. 20. *Imponitur vertici tuo, Corona de lapide pretioſo. Illa ornat, ſed onerat: Niſi onus benedictio tollat. Prævenias ex imo oratione. Prævenieris ex alto benedictione.*

VOTUM SACRUM.

Deut. 33. 16. & Gen. 49. 24. *Benedictio illius qui apparuit in Rubo ſit ſuper verticem tuum. Quia Nazaræus es Tu inter Fratres. Egreſſus es lapis; regreſſus Paſtor Iſrael.*

PARÆNESIS EXPLICANS MONILE.

NOn omne quod rutilat aurum eſt, nec quicquid aureum, aut ſpecioſum, mox ambiendum. An non aurea reperiuntur vincula, aurei compedes, aurei laquei præfocantes? Abſalon aureis ſuis capillis, & coruſcante cæſarie ad funeſtam arborem ſuſpenſus lugetur. Vittá aurea caput nimium ſtringens, vertici ornamento eſt, ſed & tormento. Galea auro ſplendeſcens Duci quandoque ob pondus onerоſa fit, & tædioſa: Diadema regium ex gemmis contextum non deſinit torquere geſtantem: adeò ut Rex quidam ingemiſcens pronunciarit: *O ſplendens corona, quas ſub rutilantibus gemmis ſpinas tegis! Has quicunque noſſet homo, haud te dignaretur tollere de humo.* Nempe Honorum Faſces, geſtantium humeris ſunt faſces, ſub quibus gemere coguntur. Dignitatum roſæ, non ſine aculeo ſunt pungente. Vidi quandoque, in hujus rei ſymbolum & emblema, Pedum Abbatiale depictum, quaſi proſtratum humi, & in pulvere neglectum. cum hac inſcriptione: *Qui non novit me tollat me.* Hoc igitur nec te lateat, Cidarim & Tiaram, monilibus licet promicantem grave pondus Prælatis advoluere. Hoc te experientia plenus poterit erudire. Subtiliter & vere Urbanus VII. dum Pontificali veſte indueretur, cum vocis & cordis ſingultu dixiſſe fertur: *Quis credat, tam ſubtilis indumento tantum pondus involvi?* Verum enimvero. onus Prælati non parum ſublevat benedictio Dei Illa vires ſubminiſtrat ad portandum cum ſolatio, quod vix attingi poterat gravi ſine tædio. Hoc igitur Monile te admonet, divinam è cœlo opem fixis oculis ſuſpicere, divinamq; benedictionem ferventibus votis implorare, & dicere: *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi* Monet quoq; onus quod tuis incumbit humeris ponderare in maturitate in Sanctuarii ſiclo & pondere: ut cum agnoveris illud, & præveniris Dominum intima oratione, præveniaris ab illo ſuperna benedictione Tunc verò & illud è Pſalmis poteris ore & corde ſonoro decantare: Pſ. 65. 20. *Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam: Et miſericordiam ſuam à me.*

PARÆNESIS EXPLICANS VOTUM.

CHRISTUS in flammivomo Crucis Rubo, inter rubentes ſpinas, manus protendere cernitur. Sciſcitaris rationem? Paucis ediſſeram. Quemadmodum olim Dominus Moyſi è Rubo ardente benedictionem eſt elargitus, Legatum tum eum inaugurans: ſic & modò ex myſtico Crucis Rubo benedictionem expanſis manibus impartitur Nazaræis: hoc eſt, Sacerdotibus & Prælatis legatione pro ipſo fungentibus. An non hi meritò dicuntur Nazaræi inter Fratres, quandoquidem ſpeciali ritu ſegregati ſint, conſecrati, coronati? Ergo benedictio ſuper verticem eorum. A quo vero, niſi à Nazaræorum Principe, & Summo Sacerdote? Quis ille niſi Dominus JESUS CHRISTUS? Quicumque ipſius expoſcit benedictionem, in Rubum oculos mentis convertat. Inſpiciat frequenter, pietatis oculo, Sacerdotii ipſius ac Nazaræatus Inſignia. Cordi illa imprimere, operibuſque eadem in ſeipſo, quoad fieri poteſt, conetur exprimere. Intueatur Sacratiſſimam ipſius Tiaram & infulas, è ſpinis & rubeo contextas: intueatur ſanguineas guttas, quaſi geminas in vertice rutilantes. Perſpiciat manus & digitos, transverſis radiantes clavis, quaſi pretioſis annulis. Contempletur ejus Pedum Paſtorale & Pontificiale, aſperum illum Crucis Baculum, cui innititur ingrediens Sancta Sanctorum. Attendat denique Sacrificium & Holocauſtum, quod in odorem ſuavitatis offert, cruoris purpurea veſte, quaſi Podere Sacerdotali, adornatus. Hæc ſunt Summi Sacerdotis, Summique Paſtoris & Abbatis Pontificialia & Abbatialia Inſignia. Hæc ſacroſancta ſunt ejus ſtemmata, in quibus gloriatur; in quibus & optat ut Nazaræi omnes ac Religioſi, omneſque Sacerdotes, Abbates, Pontifices glorientur. Ab illis omnis derivatur benedictio, quam ipſi ſuo exoptare poſſunt in regimine. Hunc ergo Pontificem tuum è Rubo flammante manus protendentem, ut tuo illas imponat vertici, oculis fidei contemplare. Hodie ſacrata benedictione Prælulum ejus vices gerentium Legatus inauguraris, conſecraris. Illius porrò vivum exemplar decet te jugiter menti proponere; ut ſicut conſors es unctionis, & benedictionis ab illo promanantis; ſic & conſors ſis ſanctæ imitationis. Nempè cùm ejus perſonam geras ſacro in regimine: ab illo ediſcendum eſt, quomodo perfectè tuo poſſis perfungi munere. Ac meminiſſe te convenit, quod quidem *egreſſus ſis lapis*, Gen. 49. dum è Monaſterio ad curam animarum multis 24. ab hinc annis fuiſti evocatus; Parochialis enim Eccleſiæ directionem ſuſceperas, ut ſuper angulari lapide Chriſto JESU ædificares & ædificareris. At modò revocatus ad Cœnobium, *regreſſus es Paſtor Iſrael*, electus Paſtor Benedictinæ congregationis. Quæ quidem imitatione Parentis ſui Benedicti recte Iſrael nominatur; hoc eſt, videns Deum.

Digitized by Google

Hæc enim generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob. Quapropter de te, dum ut illi præſis eligeris & conſecraris, merito feſtivus chorus concinit: *Hic accipiet benedictionem à Domino: Et miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.*

FOELIX OMEN.

Eccl. 32. 1. RcCtoreM te posVerVnt? eſto qVasI VnVs De Ipsis.

MONILE IV.

Ex Pſal. 101. *Humilitas in honore, honor eſt ipſius honoris.*
Humilitas ſine honore, ipſa ſibi ſufficeret ad honorem.
Noli extolli, illud time: Elevans allidis me.

VOTUM SACRUM.

Num. 27. 16. *Provideat Dominus ſpirituum,*
Ut digne ſis ſuper hanc multitudinem:
Poſſisque ante eos exire, educere, introducere.

PARÆNESIS EXPLICANS MONILE.

NEutiquam tibi abblandiatur eminens celſitudo. Humiliare potius debet ejus pediſſequa ſollicitudo. Ab altiori gradu ruina periculoſior; Grave judicium his qui præſunt. Audi S. Cyprianum: *Fœnore quodam, quanto amplior fuerit forma dignitatum & honorum, tanto major exigitur uſura pœnarum.* An non & idipſum inſinuat Rex & Propheta? *Exaltatus autem humiliatus ſum & confuſus.* Conformiter his Sapiens, in ſuo Eccleſiaſtico, te, Prælatoſque omnes commonefacit diſertis ſit is verbis: Eccl. 32. *R Eorem te poſuerunt? Noli extolli. Eſto in illis quaſi unus ex ipſis, curam illorum habe, & ſic conſidera; & omni cura expleta recumbe ut lateris propter illos, & ornamentum gratiæ accipias coronam, & dignationem conſequaris corrogationis.* Aurea ſane ſententia, inſcribi digna Prælatorum aulæ, vel conclavi, magis autem penitiori mentis eorum ſacrario. Sed & plenius de his te erudire poteſt Magnus Gregorius, Magni Patris Benedicti Sectator eximius. Ordinis ejus alumnus ille in opere ſuo Paſtorali Prælatos inſtruit, quomodo in gradu ſublimi ſe gerere debeant, ut ordinem ſuum illibatum tueantur. Ac in illis ſollicitè requirit humilitatem; talem ſed humilitatem, quæ ſit ſine diſpendio auctoritatis & & diſciplinæ. Audi ejus monitum propriis verbis expreſſum, quod tuo recondas pectori: *Humena mens plerumque extollitur, etiam cum nulla poteſtate fulcitur, quanto magis in altum ſe erigit, quando eſ poteſtas ſe adjungit? Hanc tamen poteſtatem v. titer diſpenſet, quam noverit & ſumere ex illa quod adjuvat, & expugnare quod vitat: æqualem ſe cæteris in eam illa cernere, & tamen peccantibus zelo ſe ultionis anteferre. Summus itaque locus benè regitur, cum is qui præeſt, vitia potius quam fratres dominatur.* Quid elegantius efficaciuſque dici poteſt, ad commendationem humilitatis, ſimulque ad cuſtodiam auctoritatis & diſciplinæ? Diſpendioſa eſt enim humilitas, & inanis, quæ ordinem pervertit, vel perverti linit diſciplinam. Tumida quoque eſt auctoritas, & cœlo terræque odioſa, quæ humilitati non eſt conjuncta. Inflatio eſt, non magnitudo. Audi iterum de utraque eundem S. Gregorium ſic diſſerentem: *Solerter intuendum eſt, ne dum immoderatius erigitur virtus humilitatis, ſolvantur jura regiminis: & dum Prælatus quiſque ſe quam decet deicit, ſubditorum vitam adſtringere ſub diſciplina vinculo non poſſit. Teneant ergo Rectores exteriora, quod pro aliorum utilitate ſuſcipiunt, ſervent interius, quod de ſua æſtimatione pertimeſcunt. Sed tamen quibuſdam ſignis acerbiores erumpentibus, eos apud ſe eſſe humiles etiam ſubjecti deprehendant; quatenus & in auctoritate eorum quod formident videant, & in humilitate quid imitentur agnoſcant.* S. Greg. 2. paſtor. Paſtor. En fœdus auctoritatis & humilitatis, plane admirabile, plene amabile, quod Prælatis omnibus cordi eſſe decet; ut humilitas qua intus apud ſe deprimuntur, ſic honor ipſius honoris, quo foris afficiuntur & extolluntur.

PARÆNESIS EXPLICANS VOTUM.

DEus ſpiritus eſt, & ſacris in literis, *Dominus Deus ſpirituum. Pater ſpirituum, Ponderator ſpirituum eſt* nomen ejus. Utique omnium corda & ſpiritus creat, ingenerat, ponderat. Is qui cuncta ſuo temperat arbitrio, ſpiritum ac multiformem gratiam affilat unicuique ſecundum cujuſque vocationem ac ſecundum varia ad quæ deſtinat munia. Hoc ergo ſacro voto obſecratum volumus, Dominum Deum ſpirituum univerſæ carnis, Patremque ac Ponderatorem ſpirituum univerſi orbis, ut cùm te ad regendum deſtinarit, providere dignetur, & communicare huic ſublimi muneri ſpiritum congruum & efficacem. Spiritum utique benedictum Benedicti Patris tui, tibi adoptamus; ut eodem ſpiritu impulſus, illiuſque exemplo præmunitus, ante gregem tuum egredi valeas & ingredi, educere & introducere. Paſtor gregem ſuum modò præit, modò ſequitur, ut dirigat, ut paſcat. Quod ſi per abrupta Paſtor graditur, facile contingit, quod ad præcipitium grex ſequatur. Tu Paſtor es electi gregis cave abrupta, cave præcipitia. Ut verò perfectè Paſtorali fungaris munere, opus eſt fibilo, opus eſt & virga. Sibilo, ut oves errantes revocentur. Virga, ut dirigantur, & delinquentes feriantur. Et quidem duplex tibi virga convenit, ut poſſis dicere cum Propheta: *Aſſumpſi mihi duas virgas,* Zach. 11. *unam vocavi Decorem, alteram vocavi Funem unum, & pavi gregem.* Quid binæ illæ Virgæ? Duplex regimen deſignant, diverſæ ſubditorum conditioni per accom-

Digitized by Google

neceſſarium. Unum eſt ſuave, ſpecioſum, & decorum; quando regi poſſunt amore, clementia, ſuavitate. Alterum eſt ſeverum, minax, pœniſque permiſtum, quando duri ſunt, cervicoſi, elati. Hi cum conſtringi magis debeant quam duci, virga qua reguntur, *Funis & Funiculus* nuncupatur. Docebit te morum & humorum conditio, quando virga Decoris utendum fuerit. Spiritus prudentiæ ſuggeret, quando virga Funiculus nuncupata ſit exerenda. Sed & Regula Patris tui Benedicti, de his te erudire eſt nata. Interim quicquid circa oves peragis; ſive vocando, ſive revocando; ſive ducendo, ſive reducendo; ſcibilo ſive virga utendo, hunc ſemper ſcopum ſpecta, ut ad Æternitatis virentia paſcua eas ducere valeas & introducere. Tunc tibi erit merces à Domino oves & Paſtores recenſente, quando erit unum ovile, & unus Paſtor: Quando qui deducit velut ovem Joſeph, manifeſtabitur coram Ephraim, Benjamin & Manaſſe (hoc eſt, coram variis Ordinibus Electorum) limpida divinitatis ſuæ viſione: Hæc erit remuneratio Paſtorum, Principem Paſtorum claro intuitu cernere. Hæc erit remuneratio ovium, Agnum cœleſtem jugiter ſequi deducentem ad vitæ fontes aquarum. Tu verò dum in Eccleſia Dei & paſcis & paſceris, dic cum fiducia & gratitudine: *Dominus regit me, nihil mihi deerit; In loco paſcuæ ibi me collocavit.* Pſ. 22. 1.

quorum fulgida vita, & fulgurians auctoritas tenebroſis frigiditique mentibus lucem & calorem valet impertiri. Facem ipſi deviantibus in caligioſa umbra præferunt, ut pedem erroneumque greſſum in viam veritatis & æternitatis revocent. In his radiis evidenter æterni Solis ſplendor vigorque agnoſcitur; quando errorum fugant tenebras, & vitiorum eliminant catervas, quaſi Noctuas aut Veſpertiliones lucis oſores, qui ad ejus præſentiam antris ſe remergunt. Prælatorum munus eſſe arguere opera tenebrarum, & diſterminare. Tenebriones à filiis lucis, quis ignorari poteſt? Ergo, o Prælati, merito vobis inclamatur: *Vos eſtis lux mundi.* Veſtrum eſt, ab Horizonte in quo conſtituti eſtis, omnem caliginem auctoritatis ac piæ vitæ corruſco jubare propulſare. Ergo agite, puram ſundite lucem pietatis, ſapientiæ. Hanc à Solis Æterni perennante ſplendore, veluti totius luminis fonte, poteſtis cum volueritis in vos derivare. Vos ejus eſtis Radii ignis, & ſcintillantes: à vobis igitur diffili ant ſcintillæ illius ignis, de quo dixit: *ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut ardeat?* Terrena & frigida corda calore cœlefti ſuccendite. Algidæ aridæque telluris viſcera veſtro penetrate fervore, ut frugem ampliorem valeat producere. Vos eſtis Stellæ illæ de quibus Propheta: *Stellæ dederunt lumen in cuſtodiis ſuis, & vocatæ dixerunt, Adſumus. Et cum jucunditate luxerunt illi qui fecit illas.* Quid illæ cuſtodiæ Stellarum, niſi Cœnobia & Prælaturæ, in quibus poſiti eſtis & à Deo vocati, ut lucem fundatis; Ergo ejus qui vos vocavit, & ibi conſtituit, voto reſpondentes, lucete illi cum jucunditate. Tandem verò è Cuſtodia hac inferioris Horizontis vos transferet, & cœlie ſublimioribus figet, ut fulgere poſſitis in perpetuas Æternitates. Luc. 12. 49. Baruch 3. 34.

FOELIX OMEN.

Mat. 5. 14. ô PræLati, Vos eſtIs LVX MVnDI.

MONILE V.

Procul à luce tenebræ & caligo.
Procul ab igne fumus & fuligo.
Ardete & Lucete.

VOTUM SACRUM.

Ibid. 5. 16. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus:*
Ut videant opera veſtra bona,
Et glorificent Patrem qui in Cœlis eſt.

PARÆNESIS EXPLICANS MONILE.

Joan. 8. 12. & c. 9. CHRISTUS Dominus de ſe pronunciat: *Ego ſum lux mundi.* Id verò non ſolùm quamdiu fuit in mundo, ſed & perpetuo verum eſt, quamdiu ſtat mundus. *Illuminat* enim *omnem hominem venientem in hunc mundum*; illuminat omnem egredientem ex hoc mundo. Quicumque oculos aperit, hanc lucem agnoſcit. Et licet Militantis Eccleſiæ Horizontem præſentis corporali reliquerit, ſupremum cœli verticem conſcendens: radios tamen fulgurientes & coruſcantes hactenus miſit, & in finem uſque ſæculi promiſit. Hi variis in Orbis partibus ſerie ordinata diſpertiti, lucem quoquo verſum diffundunt. Quinam hi Radii? Eccleſiæ ſunt Prælati,

PARÆNESIS EXPLICANS VOTUM.

Sic luceat lux veſtra, ô Prælati, ut fumo, aut nebuloſo vapore non ſit permiſta. Quiſquis faſtu honoris, vel ſcientiæ, ſe turgidum oſtentat, aliquam fuliginem affricat propinquanti: aut velut titio fumigans, non lucem, ſed obſcuritatem parit, non diſcutit tenebras, ſed excutit lachrymas intuenti. Vos verò non ſic, quos elegit Dominus & evexit latentes ſub modio, ac in ſublimi Eccleſiæ Candelabro conſtituit, ut luceatis omnibus qui in domo ſunt. Imo vult etiam ut luceatis his qui extra domum ſunt, extra Eccleſiam Dei jacentes in tenebris & umbra mortis, ut ſcilicet in domum veniant, & dirigant pedes ſuos in viam lucis, de regione umbræ mortis. Ardete igitur & lucete. Alioquin veniens veniet is qui ambulat in medio Candelabrorum aureorum; *De cujus ore Gladius & Romphæa acuta procedit.* Veniet autem & movebit Candelabrum veſtrum, ac in perpetuum lucernam veſtram extinguet. Imo verò gladio peracuto oris ſui ſuccidet, flammis ultricibus Apoc 1. 16. Eccleſ. 21. 4.

Digitized by Google

æternum devovendos : ideò enim describuntur
Apoc.1.15. *Pedes ejus sicut in camino ardenti*, ad reprobos ibidem proculcandos. Ardete igitur & lucete ; sed lux vestra sic luceat , ut in gloriam Patris cœlestis radii ejus jugiter tendant. Abit , ut propriam lucem aut gloriam ambiatis, vel adametis; Vanitatis ventus, aut popularis aura venenosum afflatum regit ; veritatis lucem perimit , vel inanem reddit. Hunc afflatum præcavete. Lux vestra Deum glorificet , & in subditorum profectum redundet. Illis præesse , non est sine sollicitudine : illis prodesse, non est sine remuneratione. Videant illi in vobis dignitatis auctoritatem, videant & operis sublimitatem. Audiant verba vestra sed prævia simul insueantur exempla. Concipiant à luce vestra lucem, à zelo ardente fervorem. Verbis sacris Ecclesiæ concludo , & postremum hoc cum ipsa Monile & Votum, hoc est Monitum sacrum , repræsento, & pectori vestro appendo. *Os, lingua, mens, sensus, vigor, Confessionem personent : Flammescat igne charitas , Accendat ardor proximos.*

APPLAUSUS COELI ET DONA.

FInxere olim Poetæ , Pandoram ita Deorum sibi gratiam conciliasse , ut concordi favore eam quisque suis certatim insigniis adornarit. Jupiter ei fulmen, Neptunus tridentem, Mars romphæam, Vulcanus ignem , Mercurius caduceum , Apollo laurum. Bacchus thyrsum, Pallas ægidem, Cupido pharetram, Minerva librum, Venus myrtum concessit. Sed & his Deorum insignis adjuncta fuere correspondentia dona , potentia & fortitudo , sapientia & eloquentia; divitiæ & voluptas, venustas & gratia. Sic perfectionis apicem Pandora Dea omni ex parte est assecuta , & inde Pandora dicta, quasi omni rerum genere donata , vel cui omnes dona tribuerunt.

Sed procul hæc figmenta , procul ficitii , illi factitique Dii , cum suis insigniis & donis. Neque tamen enarratio ista & figmentum à nostro est proposito alienum. Divorum nos favorem, & pietatis ac auctoritatis eorum insignia his communicari optamus , qui eorum locum tenent , eorum vices in auctoritate gerunt , eorum patrocinio fulciuntur. Quapropter in die benedictionis & solemnis inaugurationis tuæ, hæc animi mei postrema vota accipe , eximo cordis proficuntia.

1. Tibi hodiè *S. Petrus* , Cœnobii Tutelaris Patronus, Pastorum Pastor, claves suas in potestatis consortium communicet.

2. Tibi *S. Paulus*, ejus Consors & Collega Gladium spiritus , quo demetas omnem altitudinem extollentem se contra Deum , concidat.

3. Tibi *S. Benedictus*, cujus in Præfectura vices geris, Pallium suum cum duplici spiritu , velut alter Elias Elizæo discipulo , ad feliciter regendum gregem suum testamento consignet.

4. Tibi *S. Vimarus*, cujus es successor in regimine, cum infulis Prælaturæ præroget partem ardentis zeli sui & sapientiæ.

5. Tibi *SS. Erminus, Abel, Amoluinus, Vigilius, Theodulphus*, quorum Hæres in Abbatiali dignitate es, non solùm pedum Pastorale , sed & virtutum suarum hæreditatem, piorum instar Parentum, donent & resignent.

6. Tibi *S. Lambertus*, Ordinis S. Benedicti quondam Alumnus , in cujus festivo die auspicatò benedicetis , Poderem & Ephod Sacerdotale , symbolum puritatis & perseverantiæ , à Domino impetret pro sacro munere.

7. Tibi *Raphael Archangelus*, cujus nomine insigniris, in omnibus Dux sit prævius; & Caduceum suum tibi consignet , ut sis pacis legatus.

8. Tibi *Maria Virgo , Mater Sponsa* , annulum pronubum tradat , quo Ecclesiæ hujus hodiè fidus Sponsus inaugureris.

9. Tibi *IESVS*, Summus Sacerdotum , & Sanctus Sanctorum , unctionis suæ copiosam portionem infundat, ut sanctificeris.

10. Tibi *Pater æternus, & sanctus Spiritus*, cœlestis gloriæ Cidarim præparent , qua æternum cum Christo coroneris. Sic esto Pandorus Dei & Divorum donis omnigenis adornatus.

APPLAVSVS TERRÆ , ET CONCLVSIO,
per
RAPHAELEM BACCART.

Vita quam Religiosa commendat,
Quamque Pastoralis sollicitudo probat,
Fratrum electio suffragiis comprobat.
Aloysius Carafa *Legatus electionem initiat.*
Urbanus VIII. *Pontifex confirmat.*
Franciscus *Archiepiscopus electum consecrat.*
Abbas Alnensis, Lattensis, Rhodiensis coadjuvat.
Latus Virorum illustrium Cœtus circumstat.
Festivus Monachorum Chorus inclamat:
Et dicit omnis populus: Fiat, Fiat.
Ad multos annos. Fiat, Fiat.
Ad annos æternos. Fiat, Fiat.

F I A T,

TVBA

Digitized by Google

TUBA SACERDOTALIS DEMOLIENS MVROS IERICHO.

TRACTATUS I.

DE VITIO SUPERBIÆ.

LECTIO I.

DE MVRIS IERICHO, ET EORVM significatione.

Peccati divisio.

PEccati apud Theologos multiplex est divisio. *Primò* enim dividitur in originale, & actuale. *Originale* vocant, quod à primo parente in nos transfusum, & in ipsa conceptione contractum, Baptismo tollitur. *Actuale*, quod per proprios nostros actus, divinam legem transgrediendo voluntariè contrahitur. Ex S. Augustino describi solet: *Dictum factum, vel concupitum, contra vel præter legem Dei.* Unde iterum illud subdividi solet, in peccatum cordis, oris, operis. Rursus alia illius divisio est in peccatum mortale & veniale. *Mortale* est, quod animæ vitam gratiæ eripit, & mortem affert, quæ à Deo Deique regno separat, & supplicio æterno dignum facit. *Veniale* est, quod Dei inimicum non efficit, sed illius venia facilè impetratur, de quo dicit S. Jacob: *In multis offendimus omnes.* Et S. Joan. ep. 1. c. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Mortale porrò peccatum varias etiam habet divisiones, & varias species. Quædam dicuntur peccata in cœlum clamantia, quædam vocantur peccata contra Spiritum sanctum. Quædam etiam appellantur peccata capitalia, eo quod sint capita, radices, initia, & prima fomenta omnium peccatorum quæ ab hominibus committi solent: Unde illud:

Peccati definitio. Aug. lib. 22. contra Faust. c. 27.

Mortale peccatum varias divisiones habet.

Jac. 3. 2. 1 Joan. 1. 8.

Cur dicantur peccata capitalia.

Crimina cur censes quædam Capitalia dici?
Cætera Lernæa velut hinc cervice resultant.

Hæc septem enumerari solent, initialibus suis litteris in hac dictione, *Saligia* comprehensa; nimirum Superbia, Avaritia, Luxuria, Invidia, Gula, Ira, Accidia.

Jos. 6. 20. Omnia hæc complectimur nomine civitatis Jericho, & murorum ejus. Quæ quidem civitas cum muris fortissimis, cœlesti virtute penitùs concidit, tubis Sacerdotalibus personantibus: ideoque civitatem satanæ apertè designat, quæ ex variis peccatis, quasi lapidibus vel lateribus igne tartareo excoctis ædificata, Sacerdotalis vocis ministerio, virtute divina per eam operante, est diruenda. Unde ad Sacerdotes illud Prophetæ dirigitur: *Ascende super montem tu qui evangelizas Sion. Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, annuntia populo meo scelera eorum, & domui Jacob peccata eorum.* Itaque hic in memoriam revocandum est quod docet S. Augustinus, & alii sancti Patres, duplicem ex sacris litteris colligi civitatem sibi mutuò adversam. *Fecerunt*, inquit, *civitates duas, amores duo, terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei; cœlestem verò amor Dei usque ad contemptum sui. Illa in seipsa, hæc in Domino gloriatur.* Una est civitas diaboli, quæ fundata in amore hujus sæculi crescit usque ad contemptum Dei. Altera est civitas Dei, quæ fundata in amore ipsius Dei crescit, & pertingit usque ad contemptum sui. Hanc primus ædificavit Abel justus & innocens: pro illa dimicans usque ad mortem, illamque ut firmior foret adstruens cæmento sanguinis sui. Hanc quoque ædificant justi usque in finem sæculi, & maximè Martyres, Abelis primi justi primique Martyris imitatores, glorioso suo cruore eam sancientes. Alteram satanæ civitatem, huic numquam intermorituro odio jugiter infestam, primus ædificavit. Cain adversus Deum se erigens, fraternoque sanguine manus polluens. De quo sic loquitur Sapiens. *Ab hac* (scilicet sapientia) *in recessit injustus in ira sua, per iram homicidii fraternitatis deperiit.* Cæno cooperantur ejus sectatores impii omnes, qui hanc civitatem satanæ coædificant, usque in finem sæculi, peccata peccatis, quasi saxa saxis, adjiciens & compaginantes, ut culmen ejus erigant adversus Deum, ejusque civitatem sanctam.

S. Aug. lib. 14. civ. c. 28.

Duplex civitas, diaboli, & Dei.

S. Aug. lib. 15. civ. c. 1. & lib. 21. c. 1

Sap. 10. 3.

Sicut verò civitas illa Dei quam ædificat Abel cum suis, sortitur varia nomina sacris in litteris

Lectore 3 voca-

...s ...
...s Ci-
...e
... &
diaboli.

vocatur enim *Civitas Jerusalem*, *Civitas Sion*, *Civitas sanctificata*, *Civitas pacis & visionis*. Ita & civitas diaboli solet variis nominibus typicis designari. Vocatur primo *Civitas Babylonis*, id est confusionis, quam qui inhabitant, non tam homines quam bestiæ dicendi sunt; quia animis, moribus, vocibusque, dissoni verè cives sunt confusionis.

Isa. 13. 21. De qua loquens Isaias ait: *Requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ululæ in ædibus ejus, & sirenes in delubris voluptatis.* Designat Propheta varii generis peccatores, superbos & invidos, crudeles & feros, carnales & voluptuosos, & cujuslibet sortis improbos homines, qui in ædibus Babylonis, in civitate satanæ, sibi mutuò respondent, sese mutuò ad peccata impellunt animis, vocibusque certatim ad flagitia sese concitant, dum alius alium vanitate, fastu, superbiâ, delitiis, voluptate superare contendit.

Jer. 51. 6. Ideò inclamat alter Propheta: *Fugite de medio Babylonis, & salvet unusquisque animam suam.* Vocatur secundo *Ægyptus*, id est, tenebrosa, quia in ea regnant miræ tenebræ, mira cæcitas, cujus typus erant tenebræ illæ palpabiles Ægyptiorum, de quibus Sapiens *Dum existimabant inviolabili posse dominari nationi sanctæ vinculis tenebrarum & longæ noctis compedibus inclusi sub tectis, fugitivi perpetuæ providentiæ jacebamus*; hoc est, quasi profugi seu exules à providentia divina, quæ perpetuò per Solem homines illuminat, in ædibus suis vel cavernis malis delitescebant. Addit ibidem: *Et dum putant se latere in obscuris peccatis, tenebroso oblivionis velamento dispersi sunt, paventes horrendè, & cum admiratione nimia perturbati. Et ignis quidem nullus vis poterat illis lumen præbere, nec sydereum lympida flamma illuminare poterant illam noctem horrendam.* Sap. 17. 2. Certè hæc omnia designant ea, quæ contingunt habitantibus in civitate satanæ, in civitate caliginosa peccati, qui tenebrosa oblivione Dei detinentur, nec cœlestem lucem attendunt, sed de tenebris pergunt in tenebras, de peccatis in peccata corruunt, & de tenebris æternis ad æternas cæci ambulant: Nec desunt illis pavores horrendi, à redarguente conscientia: *Cum sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis.* Sic ergo incolæ hujus Ægypti *una catena tenebrarum omnes sunt colligati.* Superposita est illis gravis nox, imago tenebrarum quæ supervenire debent in æternitatis nocte: *& ipsi sibi sunt graviores tenebræ.* Vocatur tertio *Sodoma & Gomorrha*, quia instar illarum sese in turpitudinis cæno & in corruptione fœda peccati convolutat; in ea dominatur ignis concupiscentiæ, fumus immunditiæ, sulphur & fœtor luxuriæ: Regnant & in ea alia ejus peccata; Ezech. 16. 49. de quibus Ezechiel: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius filiarumque ejus, & manum pauperi non porrigebant.* Hæc omnia vitia in civitate satanæ regnant, ideò spiritualiter Sodoma nuncupatur. Hinc ad Principes improbos populumque sceleratum inclamat Isaias: *Audite verbum Domini Principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri populus Gomorrha.* Isa. 1. 10. Quapropter & S. Hieronymus quod de Elia & Enoch interemptis Apoc. 11. dicitur: *Corpora eorum jacebunt in platea civitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus*, interpretatur de urbe illa magna quam Cain ædificavit, sive de civitate impiorum, de qua loquimur. Quamvis rectè etiam id intelligas specialiter de Jerusalem, quæ ob scelera pars erat civitatis illius magnæ à Caino inchoatæ, & hic ob imitationem scelerum spiritualiter Ægyptus & Sodoma nominatur. Vocatur quarto *Ninive*, id est, speciosa, quia specie externa rerum laculi oblectatur, & ut speciosa nimis æstimat honores, opes, delicias; horumque specie illecta, ut ea conquirat, non veretur peccatis variis se obnoxiam reddere. Quicquid in ea concupiscitur, *aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* 1. Joan. 2. 16. Et hæc quidem ejus incolis pulchra videntur & amabilia, quæ in se tota fœda sunt & abominabilia. Et ideò adversus Ninivem intonat Propheta Nahum, onus ei calamitosum & calicem maledictionis prædicens. Hæc autem omnia ærumnosa onera, sive lemmata, quæ ejus humeris incumbere ab ultrice Dei manu prædicit, de hac civitate satanæ figuraliter prædici testatur S. Hieronymus in Prologo Prophetiæ Nahum præfixo. Nah. 1. 11. S. Hieron.

Not autem de eadem civitate satanæ differere aggredimur, sed nomine & typo civitatis Jericho, quæ maledicta fuit à Domino præceptumque legimus filiis Israel de ea: *Sit hæc civitas anathema, & omnia quæ sunt in ea.* Jos. 6. 17. At post destructionem ipsius, maledictio fulminata fuit omnibus eam reædificare molientibus. Modus autem quo diruta fuit planè est admirabilis. Jussi enim sunt filii Israel septem diebus circuire civitatem cum arca Domini, & in septimo die septem circuitus facere; septenique Sacerdotes cum septem buccinis præcedebant arcam: sic septimo die, in septimo circuitu, illis clangentibus & populo vociferante, illicò muri corruerunt. Hæc certè omnia nostro aptè congruunt proposito. Nam & hic proponimus civitatem rebellem Deo, & instar Jericho claudam, per obstinationem & pertinaciam, de qua illud Psalmi possumus usurpare: *Vidi iniquitatem & contradictionem in civitate*; Ps. 54. 10. iniquitatem contra proximum, contradictionem contra Deum, & præceptum divinum: iniquitatem in illis qui in ea principantur, contradictionem cordis & linguarum plusquam Babylonicam in illis qui eam incolunt. *Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas, & labor in medio ejus, & injustitia: & non deficiet de platea ejus usura & dolus.* Ps. 54. 11. Iniquitas undique eam circumdat, intus & extra, subtus & supra; ex pura iniquitate, injustitia, dolo, usura, absque peccatis constructa cernitur. Septem muros principales

Muri civitatis, Satanæ sub typo Iericho sunt 7. vitia capitalia.

pales in hac maledicta civitate deligimus, septem vitia capitalia, ex quibus cætera ortum habent, qui muri stant contra Deum & civitatem cœlestem, nec nisi virtute divinâ possunt diruti. His præsunt septem spiritus tartari, qui illos conservent aut refarciant. Hi sunt, qui de septem illis vitiis asseruntur à quibusdam homines specialiter tentare, *Lucifer* de superbia, *Mammon* de avaritia, *Matth.* 6 *Asmodæus* de luxuria, *Tob* 3 *Belphegor* de gula, *Ps.* 105. *Belzebub* de invidia, *Luc.* 11. *Satan* de ira & impatientia. *Iob* 1. *Behemot* de acedia. *Iob* 40. His numirum sunt septem Præfecti, & exactores crudeles in operibus luti & lateris, ut facta tecta custodiatur, aut instauretur civitas Deo & cœlo adversa, & muri ejus redintegrentur. Nec sine mysterio est septenarius numerus, sive in Sacerdotibus circumeuntibus Jericho, sive in tubis personantibus, sive in diebus septem quibus circumire oportebat, sive in septemplici circuitu qui in ipso septimo die fieri debebat. Est enim septenarius sacris in Litteris mysticus numerus, frequenter ordinatus in remedium contra hæc septem capitalia vitia, quæ & per

Septenarius numerus mysticus est.

Apoc. 12. 3. & c. 17. 3. & c. 16. 1. Levit. 14. 16. 4. Reg. 5. 10.

septem capita draconis in Apocalypsi designantur, quibus etiam correspondent septem plagæ in eodem libro Apocalypsis descriptæ. Fortè etiam propterea septies aspergitur ex decreto legis leprosus, & Naaman Syrus leprâ infectus septies in Jordane se lavare jubetur, quia peccatoris gerebant ipsi typum, qui à septemplici tali lepra vitiorum, in virtute Sanguinis Christi, & vi aquæ gratiæ, septupla quadam, id est, perfecta aspersione & lotione debet emundari.

7. Tubæ Sacerdotales contra 7. muros virtutes Satanæ.

Exhibemus deinde in hoc Tractatu specialiter septem tubas sacerdotales, hos satanæ muros cœlesti virtute demoliri potentes. Hæ sunt maledictionis voces adversus hæc capitalia vitia personantes, quibus uti debent Sacerdotes & verbi divini Præcones, ut ea effringant & diruant. *Væ* enim, & *væ*, & septies *væ*, intonat Scriptura sacra adversus hos septemplices septemplicis maledictionis muros. At, ut breviter quasi uno obtutu intueatis, quæ latius de his posteà dicemus, adverte quod sequitur.

Superbia.

Primus murus est *Superbia*, rebellis utique & erectus contra Deum. At contra eum audi tubam insonantem cum maledictionis fulmine: *Væ coronæ superbiæ, & flori decidenti gloriæ exultationis ejus.*

Isai. 28. 1.

Avaritia.

Secundus murus est *Avaritia*, ex aggeribus luteis conflatus. Sed personat etiam contra illum buccina cœlestis cum maledictione: *Væ qui multiplicas non tua. Usquequò aggravat contra te densum lutum?*

Habac. 2. 6.

Luxuria.

Tertius murus est *Luxuria*, cæmento fœtido coagmentatus. Sed tuba divina illi maledictionem ingerit, & inclamat: *Væ qui opulenti estis in Sion, & lasciviis in stratis eburneis!*

Amos 6. 1. & 4.

Invidia.

Quartus murus est *Invidia* ex lateribus & saxis præduris conflatus, quasi invictus. Sed sacra buccina ei insonuit: *Væ illis qui in viam Cain abierunt, & in contradictione Core perierunt.* Judas in epist.

Gula.

Ira.

Isa. 5. 11.

Quintus murus est *Gula*, contra quem validus maledictionis sonus perstrepit, & inclamat: *Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandum, & potandum usque ad vesperam ut æstuet vinum.*

Sextus murus est *Ira*, cæmento humani sanguinis quandoque commixtus, & coagulatus. Sed personantem audiat hanc necesse est tubam. *Væ labiis scelestis, & manibus malè facientibus.* Labia scelesta sunt, quæ exita in maledicta, calumnias, contumelias proruunt; Manus malefacientes, quæ ad verbera à verbis procedunt, & cruore alieno se fœdant. De quibus & Psalles: *Quorum os maledictione plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem: Contritio & infelicitas in viis eorum.*

Eccl. 2. 14.

Ps. 13. 3.

Acedia.

Septimus murus est *Acedia*, contra quem inclamatur: *Væ dissoluto corde. Væ his qui perdiderunt sustinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diverterunt in vias pravas.*

Eccl. 2. 15.

Attende ergo in his sententiis, ex sacra Scriptura quasi ex ore Domini deductis septies *Væ* repetitum; quasi septuplex maledictionis fulmen contra vitia illa capitalia; quæ tanquàm ore ministrorum Dei & Præconum verbi repeti debent, ut conterant, & demoliantur septem illos aggeres civitatis diaboli, in quibus tota ejus vis consistit contra Civitatem Dei. Sed hæc in genere ad scopum nostrum insinuandum dicta sufficiant, quæ latius & specialiùs ex infra dicendis patebunt, ubi altitudinem ac profunditatem, latitudinem ac longitudinem murorum istorum, explanabimus singillatim.

LECTIO II.

DE PRIMO FUNDATORE MURI Superbia.

1. Murus Superbia. Superbia definitio.

PRimum murum civitatis nostræ maledictæ constituit Superbia, ut ex jam dictis liquet. Est autem illa, sicut eam definit S. Augustinus l. 14. de Civit. *perversa celsitudinis appetitus.* Vel secundùm Isidorum, & Hugonem, *est inordinatus amor propriæ excellentiæ.* Hujus muri fundamenta prima jecit Angelus reprobus in cœlo, dum propriæ excellentiæ notitia & amore turgidus, contra Deum sese extulit. Cujus vox est apud Propheten *Dei: ascendam in cœlum, super astra exaltabo solium meum, similis ero Altissimo.* Et quidem Deo vindicè detracta illico fuit ad inferos ejus superbia: ut qui voluerat ascendere sublimiùs quàm decuerat creaturam, jam profundissimè descenderet ab omni creatura cruciandus. Attamen non destitit ex eo tempore contra Deum per superbiam conspirare, & semper novo quodam incremento malitiæ augeri dicente Propheta: *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper.* Quomodo ascendit? Ascendit utique

S. Aug. l. 14. Civit. c. 13. Isidor. & Hugo.

Isa. 14. 13.

Ps. 73. 23.

Digitized by Google

utique cum odio implacabili conjuncta, ascendit tanquam fumus turbidus & tumidus putei infernalis contra Deum Judicem & Vindicem; ascendit blasphemiis & execrationibus commixtus, illius quaquaversum gloriam obscurare connitens. Itaq; qui Superbiæ murum in cœlo non potuit firmiter stabilire, ultrice Dei manu illum subitò demoliente, & cooperatores ac structores Angelos exterminante, statim conatus est nova illius fundamenta in terris erigere. Conatus est vexillum primigeniæ malitiæ suæ in turri superbiæ figere, quo dominaretur in terris, qui in Cœlis principatum & solium, quod perversè ambiebat, non potuerat obtinere; ut & jam illud de ipso veritatem haberet: *Ipse est Rex super omnes filios superbiæ.* Job.41.25.

Hunc verò dominatum exorsus est, cùm per serpentis vocem auribus & animo primæ mulieris superbiæ venenum instillavit, & maledictum illius semen ejus corde inseruit: quod infœlici germine in filios erat transmittendum. Nempè ut eam sociam criminis supplicii atque consortem, ejus fœlicitati invidens, irretiret, dixit: *Eritis sicut Dii, scientes bonum & malum, & aperientur oculi vestri.* Gen. 3. 5. Appetiit mulier: improvida similitudinem Dei, appetiit scientiam & excellentiam perversè, elevavit se super se: & veneno infecta diabolicæ superbiæ, cum desertoribus illis Angelis æterno se reddit obnoxiam supplicio. Illudque virulentum superbiæ semen, quo primò gravida fuit ingenerante satanâ, in posteros infœliciter parturiens, etiam illos miserè involvit. Primum itaque in cœlesti, primum in terrestri Paradiso peccatum, læsæ Majestatis divinæ reatum inducens, superbia fuit: unde ei inter vitia etiam capitalia primatus assignatur, quod & Angelum primum, & hominem primum devicerit. Sed in homine medelam reperit per pœnitentiæ efficax antidotum: in Angelo inexpiabile est, quia & ipse omnem pœnitentiæ medelam tumido respuit supercilio, in affectum transiens malitiæ & nequitiæ, nec flammis quidem ultricibus unquam expiandum.

Et certè in figura Moab apud Isaiam de illo scriptum est, interprete Bernardo: *Audivimus superbiam Moab, superbus est valde, superbia ejus, & arrogantia ejus, & indignatio ejus, plus quam fortitudo ejus. Idcircò ululabit Moab ad Moab, universus ululabit; his qui lætantur super muros cœli lateris lapsi mini plagas suas.* Audivimus superbiam Luciferi, cum consortibus suis, tota Scriptura illis reddente testimonium. Superbus est planè, superbus valde, & arrogans, elevans se contra Deum, & contra eos qui sunt ex parte ejus, implacabili elatus indignatione. Sed non habet tantam virtutem, quantam habet arrogantiam & indignationem. Multa præsumit & infirmus est. *Haret fiducia quòd Jordanis influat in os ejus*; id est, ex superbia & indignatione præsumit absorbere omnes baptizatos (qui per Jordanem, ubi Baptismus Christi cœpit, designantur) sed inanis est præsumptio: & si quos per tentationes & peccata absorbere videtur, novit Dominus *perforare maxillam ejus*, ut evomat quod aliquando deglutiit; novit *conterere molas iniqui, & de dentibus ejus præ lam auferre*, ut loquitur Job. Idcirco ululat Moab ad Moab, idcirco fremunt dæmones, & contabescunt præ impotentia & indignatione, dum se illudi, & inanes esse vires suas agnoscunt. Lætari quidem videntur super muros cœli lateris, ædificando muros de quibus agimus civitatis maledictæ, ex diversis vitiis quasi lateribus igne infernali decoctis, ut hisce muris & fortalitiis dimicent contra Deum & Cœlum; sed per hoc non diminuuntur plagæ eorum, nec flagella vindicis iræ Dei sub quibus ingemiscunt & ululant. Eorum ergo plagas advertant & ruminent, qui in his muris maledictis erigendis & ædificandis cooperantur per peccata sua, quibus se reddunt Satanæ ministros & imitatores. Maximè superbi & arrogantes hæc considerent, qui quodammodò expuncta imagine & charactere Dei, imaginem & characterem diaboli per superbiam animo suo superinducere censentur: ideoq; ejus charactere & sigillo signari, plagis iisdem & flammis cum illo merentur obvolvi. Idem v. 21 Idem 29. 17.

Sed audiamus rursus superbiam Moab, superbiam Diaboli: & agnoscamus eam ex propria ejus confessione, quam quandoque divinâ virtute coactus est facere. Habes hujus rei exemplum apud Thomam à Cantipratolib. 2. apum c. 57 quod retulimus Horti Pastor. Tract. 3 ubi diximus præ superbia hunc versum ferre non posse ex Cantico Moysis desumptum: *Deum qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Dei Creatoris tui.* Nec enim permittit superbia, ut Deum Creatorem suum humiliter agnoscat, aut ut illi possit dicere illud *Domine Deus meus.* Lib 1. Tract 3. lect. 4. prop 1.

Habes & in vita S. Macarii, Anachoretæ celebris sanctitate, quomodo ei quondam apparuerit Satan armatus falce acutâ, quâ eum percutere molichatur, sed irrito conatu, Deo eum protegente. Interim fremere cœpit, quod tanta non foret fortitudo sua, & in virum sanctum virtus, quanta indignatio & odium in illum. Quid ergo? Virtute divinâ victus, coactus est inclamare, & ei dicere: *O Macari, Macari, quàm crudelis me bello lacessis, infatigabilis & fortis nimis, quem nullo pessum superare conatu: nam me à te superari, invitus licet, agnosco. Attamen quæcunque facis, ego facio, si tu vigilas, ego quoque numquam dormio si tu jejunas, ego numquam comedo: si tu pauperem contemptus es indumento, ego vestem nullam gero: si tu castus es & continens, ego quoque contineo, nec mulieres ad voluntatem ego. Si tu sæculi vanitates, opes, honores aspernaris, ego & illa contemno, nec appeto. Sed unum est in quo me superas.* Cumque cogeret eum vir sanctus edicere quid illud foret, respondit: *Profunda est humilitas tua, quam mihi impossibile est imitari.* Hæc Satan dixit, & confusus abscessit. In vitis PP. l. 3. num. 184. l. 5. n. 26. & l. 7. n. 6.

Bern. ser. 1. de Adv. Isa. 16 6.

Job.40.18

LECTIO

LECTIO III.

DE DIMENSIONIBVS MVRI Superbiæ.

Dimensiones superbiæ.

APud Hiſtoricos pleræque civitates admirationem peperetunt, ob murorum ſuorum dimenſiones, longitudinem, latitudinem, celſitudinem, profunditatem.

Vrbes memorabiles à muris.

Primò, ſacris in Litteris dignum commemoratione viſum eſt, quòd *Arphaxad Rex Medorum ædificavit civitatem potentiſſimam, quam appellavit Ecbatanam. Fecit muros ejus ex lapidibus quadratis & fortis in altitudinem cubitorum 30 & in latitudinem cubitorum 20. turres verò ejus poſuit in altitudinem cubitorum 100. Per quadrum verò earum latus utrumque vicenorum pedum ſpatio tendebatur, poſuitque portas ejus in altitudinem turrium.*

1. Ecbatanis. Jud. 1. 1. & v. 2.

2. Ninive. Jonæ 3. 3.

Secundo memoratur *Ninive* fuiſſe *civitas magna itinere trium dierum.* Quod plerique Interpretes intelligunt, non in circuitu, ut aliqui voluerunt, ſed in directo, ita ut ad eam ab uno extremo ad alterum directa viâ pervadendam, opus fuerit itinere tridui. Hinc & Diodorus Siculus ait, eam cùm à Nino primùm condita eſſet, habuiſſe ſtadia in circuitu 480. id eſt; milliaria ſexaginta, quæ conficiunt leucas gallicas viginti; muros altos fuiſſe centum pedibus, & adeò latos, ut tres currus ſimul per eos incedere poſſent. Turres habuit 150. pedum 200. in altitudine. Si autem dum primò condita fuit, leucas viginti in circuitu habuit, non eſt dubium, quin poſt ducentos aut trecentos annos maximè ampliata fuerit, Monarchis in ea reſidentibus, ita ut tempore Jonæ tres dies neceſſarii fuerint ad pervadendum.

3. Babylon. Pauſan.

Tertiò, *Babylon* celebris fuit à murorum ſuorum ampl tudine, ita ut dixerit Pauſanias, *Babylon omnium quæ unquam Sol vidit urbium maximè jam nihil præter muros reliqui habet.* Dicturque tanta ejus fuiſſe amplitudo, ut potuis videret r eſſe regio clauſa muris, quàm civitas. De altera Babylone in Ægypto, quæ Memphis dicebatur, & modo Cayrus appellatur, referunt Hiſtorici. Lutetiam Pariſiorum quinquies magnitudine ſuperare, & per Nilum pas latiſſimè eſſe diffundere. Ita Ortelius in Theatro orbis, Scribitq; Ariſtot l 3 Polit. cap. 2 cùm expugnata eſſet, hoſtesq; primam urbis partem obtinerent, illos qui ex alia parte urbis habitabant, tertio die neſciviſſe urbem captam eſſe.

Ortelius.

4. Turris Babel. Gen 11. 9. Hieron.

Quartò, turris *Babel* de qua Gen. 11. teſte S Hieron in Iſaiæ c. 14. in tantam partigit altitudinem, ut haberet quatuor millia paſſuum, quæ efficiunt milliare magnum germanicum. Indicatque Joſephus ideo filios Nemrot cogitaſſe illam turrim tanta ædificare altitudine, ut ad eam diluvium, ſi redieret, pertingere non poſſet.

5. Quinzai

Denique ſcribit Marcus Paulus Venetus urbem *Quinzai* in Tartaria, centena milliaria in gyro cõprehendere. Oculatus autem ipſe teſtis eſt, qui ibidem habitavit circa annum 1260. Pontes lapideos habet duodecim milia, cosque tam altos, ut naves magnæ erecto malo ſubter eos tranſeant. Magnus Cham ibi ſtativum præſidium 30 millium habet. Urbs magnifica & amœna, inde nomen adepta; nam *Quinzai*, Cœlt civitas interpretatur. Ita Ortelius in Theatro Orbis. Videri etiam poteſt Lipſius de antiqua magnitudine Romæ.

Sed hæc de dimenſionibus corporalibus civitatum illarum celebrium dicta ſufficiant. Noſtra porro civitas de qua agimus, quam & Babylonem, & Ninivem, & Sodomam, & Jericho ſpiritualem vocari diximus, maxima eſt, & muri ejus dimenſiones habent ſpirituales conſideratione dignas, quas intellectus noſtri perpendiculo explorare non erit inutile, nec infructuoſum. Vis ergo muri quem Superbia conſtituit dimenſiones noſſe? Altitudinem ſi inquiris, aſcendit uſque ad cœlum. Profunditatem ſi exploras, deſcendit uſque ad abyſſum infernalem, latitudinem ſi conſideres, ampliſſima eſt ex eo perpendenda, quod varii generis lapidibus & lateribus luteis conſtruitur, & dilatatur. Longitudinem ſi metiris, univerſum pene ambit orbem. Porrò hæc in ſpeciali nobis ed ſerenda modo ſunt,

Muri ſuperbiæ dimenſiones.

DE MVRI SVPERBIÆ ALTITVDINE.

1. *Altitudo eſt exaltatio ſui ſuper omnes, & ſupra Deum.*

PRimo igitur ſuperbiæ celſitudinem in cœlum uſque aſcendere aſſerimus: quia ſuperbia non ſolùm ſe erigit ſuper inferiores, aut ſuper æquales, aut ſuper iptos ſuperiores eos deſpiciendo, ſed & in Deum rebellis eſt & perduellis, ipſum quantum in ſe eſt, ſua ſpolians majeſtate, ſua ſpolians divinitate. Adeo enim inveniuntur ſuperbi quidam filii hominum, ut *quaſi pedes onagri ſe viderentes natos putent*, ſine ulla vel ad homines, vel ad Deum ſubjectione. Imo contra eum *armantur pingui cervice, & incurvant in humeri collo*, ut loquitur Job, animo rebelli & obſtinato ejus tollingentes leges, contemnentes mandata.

Job. 11. 12.

Demùm etiam eò temeritatis prorupit humana ſuperbia, ut ſupremo Numine deſpecto, nomen divinitatis ſ mbiret, divinosque honores ſibi arrogaret. Annon Pharao arrogantia elatus dicit Moyſi: *Quis eſt Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Iſrael? Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam.* At quia Deum Hebræorum nolunt agnoſcere, dicitur Moyſi: *Ego te conſtitui Deum Pharaonis.* Ideoq; dum Moyſes tamquam Deus Judex & Vindex, variis plagis percutit Ægyptum, miſcens cœlum & terram, elementisque imperans, percellit regiam mentem & Principum ac Sapientum ejus, cogunturque dicere: *Digitus Dei eſt hic.* Similiter, an non etiam Nabuchodonoſor dicit Danieli: *Quis eſt Deus qui eripiat vos de manu mea?* Statuam ergo quam poſui proſtrati adorate. Statua iſta fuit ipſius Nabuchodonoſoris, in qua voluit ut Deus adoraretur, ut cum multis Interpretibus teſtatur S. Hieron. cùm dicit: *Velox obliviosſt veritatis, ut qui dudum ſervum Dei quaſi Deum adoraverat* (propter in-

Exod. 5. 2.

Dan. 3. 15.

S Hieron. in cap. 3. Daniel.

Digitized by Google

ter; retationem ſomnii illius admirabilis de ſtatua, cujus caput aureum, brachia argentea) *nunc ſtatuam ſibi fieri jubeat, ut ipſe quaſi Deus in ſtatua adoretur.* En volubile ſuperbi Regis ingenium. Sed propter feram ſuperbiam cum feris eſt ejectus, & in ferinam naturam converſus, per ſeptennium cum illis converſatus, ut deſcribitur Dan. 4. Unde

S Greg. l. 5 mor. c. 4. Pſ. 48. 13. S. Gregorius ſic de eo loquitur: *Quia eloquentiæ cogitationis ſuæ ſe ſuper homines extulit, ipſum quem eo munere cum hominibus habuit ſenſum amiſit.* Sic verum hic eſt illud Pſalmi: *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Manifeſtum etiam eſt ex Ezech. 28. quomodo Rex Tyri ibi divinitatem arrogarit, ſub cujus typo Lucifer arrogantia ibi deſcribitur. Sic ait de Rege illo ſuperbo Ezechiel:

Ezech. 28. 1. *Et factus eſt ſermo Domini ad me dicens: Fili hominis dic Principi Tyri. Hæc dixit Dominus Deus: eo quòd elevatum eſt cor tuum, & dixiſti: Deus ego ſum, & in cathedra Dei ſedi in corde maris, cùm ſis homo & non Deus, & dediſti cor tuum quaſi cor Dei. Ideò adducam ſuper te alienos robuſtiſſimos gentium, & nudabunt gladios ſuos ſuper pulchritudinem ſapientiæ tuæ & pollutent decorem tuum. Interficient & actrahent te, & morieris in interitu occiſorum in corde maris. Nunquid dicens loqueris, Deus ego ſum coram interficientibus te?* Similis ſuperbia Balthaſaris Regis Babylonis deſcribitur Iſaiæ 14. & ſub illa, ſuperbia ac ruina primi Angeli delineatur.

Dan. 14.

Neque ſolùm in ſacris, ſed & in prophanis hiſtoriis plerosque reperies inter Reges, qui humanæ conditionis obliti, tumido & cæco ſupercilio ſibi quandam divinitatem arrogarunt: *Ponuerunt os ſuum in cœlum, & os eorum locutum eſt ſuperbiam.*

Pſ. 72. 9. & 16. 10.

Dioclet. Dioclesianus poſt triumphum de Perſis humanam ſortem & mortalitatem oblivioni tradens, ut Deus adorari voluit, & ut frater Solis & Lunæ haberi. Unde coram eo ſe homines proſternebant in terram, & pedibus oculum figebant. Sed arrogantia iſta à Deo ultionem mox accepit. Nam toto corpore intumuit, & lingua ejus blaſphema vermes fœtidiſſimos proruit. Poſtremò canis inſtar ſceleratam animam exhalavit, ut teſtatur Nicephorus, Sidonius & alii.

Nicephor. l. 7 hiſt. Eccl. c. 20

Caius Caligula. Philo l. de legat. ad Cajum. Cajus Caligula etiam pro Deo coli deſideravit, rationem afferens, inquit Philo; quia ovium Paſtor non eſt ovis, nec boum bos, nec caprarum capra, ergo nec hominum homo. Quid ergo? Deus: vefaniâ igitur ſuperbiæ elatus Deum ſe fecit, Deorum aſſumens inſignia, Mercurii Caduceum & Talaria; Apollinis radiatam coronam, arcum & ſagittas; Martis Thoracem, Gladium, & Clypeum. Hâc ratione divinitatem oſtentabat. Fingebat quoque ſe rem habere cum Luna: Unde quodam die quærebat à Vitellio Senatore: Viditne ſe cum Dea congredi? Cui ille non inſulsè reſpondit: ſolis vobis Dius licet invicem videre.

Plutarch. Alexander Magnus divinitatem ambiens; ſe Jovis filium pronunciabat, & hanc infamem opinionem multi adulatione ſuâ fovebant. Sed rectè mater ipſius Olympias gravibus objurgationibus apud eum verbis conqueſta fertur, quod hâc ratione eam adulterii inſimularet. Reſipuit verò tandem ab hac demente mente. Nam in bello gravi perculſus vulnere, dolorem perſentiens, & cruorem copioſi ſanguinis cernens, in hæc verba prorupit: *Omnes me filium Jovis acclamant, omnes Deum, & immortalem pronunciant. At iſtud vulnus iſte cruor, me hominem morti obnoxium evidenter demonſtrat.* tom. 1. de Alex. M. & Curt. l. 4. de rebus geſtis Alex. M.

Ex his ergo ſatis colliges muri primi Jerichuntini, hoc eſt, Superbiæ altitudinem. Cujus cùm fundamenta in cœlo jacta fuerint, ſed Dei manu vindice diruta, iterùm conatur ad cœlum uſque & divinitatem ſeſe erigere, & primùm ſemper ſuum imitetur auctorem dicentem: *In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo.* Sed vere hic de re pronunciavit S. Bernardus in Medit. *Superbia in cœlo nata, immemor quâ viâ ceciderit, illuc ultra redire non potuit.* Iſa. 14. 13. S. Bern. in Medit. cap. 11.

LECTIO IV.

DE PROFUNDITATE
Superbiæ.

QUantùm ad profunditatem. Hæc imprimis ex eo declarari poteſt, conformiter ad dicta, quod ſicut altitudo ſuperbiæ aſcendit uſque ad cœlum erigens ſe contra Deum, ſic & profunditas ejus deſcendit uſque ad abyſſum. Illi enim dictum eſt, *Verumtamen ad infernum detraheris in profundum lacus.* Nempè juſtiſſimâ Dei ordinatione ſuperbia è cœlo detracta eſt, & ad abyſſum relegata, lacuſque inferi præparatus & deſignatus eſt, ut ibi domicilium haberet non ſolùm reprobi Angeli ſuperbia, ſed & omnium illorum qui illum hac in parte imitantur, ita ut ſicut ſunt conſortes peccati & malitiæ, ſint & conſortes ſupplicii & pœnæ. Et quia in omni peccato reperitur ſuperbia, & virtualis quidam contemptus Dei, ideo omnis peccator illuc deportatur, ubi locus proprius ſuperbiæ eſt primitus deſtinatus, conſtitutâ ibidem Regiâ caliginoſâ illius qui eſt *Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.* Unde etiam aſſerit S. Gregor. Superbiam eſſe reproborum characterem, & ſignum certiſſimum reprobationis: ſicut humilitas electionis eſt ſignum, & ſpecialis character electorum. Quæ quo profundior eſt, eò locum ſublimiorem paratum ſibi habet in cœlis: ſicut ſuperbia quò ſublimior eſt, eo locum profundiorem ſortitur in inferis.

1. *Profunditas ſuperbiæ, eſt deſcenſus ejus ad inferum.*

Job 41. 25. S. Greg.

Eſt ſignum reprobationis.

Ulteriùs ſuperbiæ profunditas ex eo declarari poteſt, quòd ad profundiſſima peccata hominem educat, nimirùm, ad homicidia, parricidia, imò ad Deicidium uſque,

Superbia quo pro fundiùs peccat deducit,

1. Nonne Superbia cum dominandi libidine cõjuncta, Athaliam eò deduxit profundæ cœcitatis, ut omne semen regium extingueret? 4 Reg. 11.

2. Nonne Abimelech induxit, ut septuaginta fratres interimeret crudelissimè super lapide unò? Jud. 9.

3. An non ambitio Absolonem ita excœcavit, ut parenti suo optimo necem quaquâ vià moliretur? 1 Reg. 15.

4. An non Romulum & Remum, ut fraterno sanguine primos civitatis suæ muros deformarent? T. Livius l. 1. hist. Rom. decade 1.

5. An non Herodem ita dementavit ambitio, ut Christum Filium Dei in ortu, nefando quodam Deicidio interimere attentaret, & ad id cædem illam promiscuam infantium adhuc lactantium decerneret? Matth. 2 13.

6. Denique, quæ non in orbe nefanda flagitia, neces, cruorisque humani profusiones, in cœlum usque vocem tollentes, ex hac ambitione & dominandi libidine quotidie cernimus exoriri? O ergo superbia malorum omnium fons & origo profundissima!

Postremò, profunditas ejus ex eo declarari potest, quod plerosque ad hæresim deducat & atheismum, qui est centrum profundissimum peccatorum omnium, continens in se omnis religionis & pietatis contemptum, omnisque justitiæ & veritatis. De illo rectè intellexeris illud Proverb. *Impius cùm in profundum venerit, contemnit.* Græci leguntz *Impius cùm in centrum venerit, contemnit.* Quid verò contemnit? Omnia utique divina, omniaque humana, omne monitum, omnem probitatem, omnem justitiam. Ex hoc verò profundo vix contingit quempiam iterùm assurgere ad lucem veritatis aut gratiæ, quia subversus est talis, & submersus in impietatis inextricabili abysso.

Prov. 18.

Exempla dedimus alibi, *lib. 1 tract. 6 propos. tract* 1. quæ breviter hic repetere non reor supervacaneum. Quidam Cœnobita sapere volens plusquam oportet sapere, nolens sapere ad sobrietatem comparabat virum sanctos inter se, in meritis, in gratia, in gloria; & pertinaci judicio hos illis præponebat, non sine præjudicio. Arguebatur vero eam ob causam indiscretæ devotionis, superbiæque simul & pertinaciæ. At ulteriùs procedens, ausus est asserere viventes æquè sanctos esse, ac illi sint quos in canonem & numerum Beatorum relatos Ecclesia proponit colendos. Arguitur gravis ea in re erroris. Sed dicit non posse errorem demonstrari. Citatur Scriptura, citantur Patres, & eorum interpretationes. Ridet ipse, dicitque esse homines errare potentes. Deducitur ad infallibilem Spiritûs S. assistentiam Ecclesiam regentem. Idipsum ridet. Ex in abyssum tandem ultimam ruens, ipsum Deum negat. Sic ex Monacho Atheus efficitur, idque adeo pertinaci superbiâ, ut nemo eum ad veritatis orbitam reducere valuerit. At furore quodam rabido correptus, bellæ instar, postmodum scelestam animam perfide exhalavit. En ergo superbiæ inextricabilis profunditas, en abyssus. Testis est hujus rei Cassianus in Patrum collationibus.

Exempl. Cassian. collat.

Simile quid refert S. Dorotheus. Primum genus superbiæ est, cum quis fratrem suum contemnit, seque cæteris excellentiorem habet: hic statim nisi se revocet, sensim labetur in alteram superbiam, ut in Deum etiam incipiat insolescere, & bona opera sibi, non Deo asscribere. Memini inquit, Dorotheus fratribus loquens, vidisse aliquando me hujuscemodi hominem qui in hanc miseriam incidet; & initio quidem, si quis è fratribus locutus quippiam esset in alterius laudem, statim illum spernebat, dicens; Quis est ille, non est alius præter Zosimum, & qui cum eo sunt. Post, cœpit & illos contemnere, ac dicere, neminem alicujus pretii esse præter Macarium, & paulo post: Quis ait, est Macarius? nullus est præter Basilium & Gregorium, atque non multo post, hos quoque cœpit spernere, & nullum ullius pretii æstimare, nisi Petrum & Paulum. Cui ego prædixi, quod evenit, fore ut hos quoque suo tempore contemneret. Quod factum est: nam hos sprevit, & nihil habendum in pretio, præter Trinitatem asserere cœpit: statimque in Deum quoque factus est insolentior, exarsit, intumuit. Nobis ergo luctandum cum prima, ne paulatim in secundam labamur superbiam.

Exempl. paulatim invalescentis superbiæ. Doroth. Abbas l. 2. doctr. de humilitate.

Audi & alterum: Quidam Simon de Tornaco, celebris Parisiis Doctor in disputatione de humilitate Christi ex superbia in reprobum est sensum datus. Nec enim veritus est asserere. Tres esse, qui mundum sectis suis subjugassent, Moysen, Christum, Mahometum; Moysen insatuasse Judæos, Christum Christianos, Mahometum Gentiles. His vero pronunciatis, statim diversis oculis pro humana voce mugitum dedit, & epilepsia elisus in terram, die tertia vindictam accepit, mutusque mansit, non nominans nisi Aleidem concubinam suam. Ecce iterum in homine isto ex superbia error, post errorem atheismus, ex atheismo blasphemia horribilis, contemptusque Christi & Prophetarum. Talis est Cantiprato.

Cantipratan. l. 2. Apum. c. 48.

Audi & tertium de Machiavello. Hic cum rememoraret, quod viri illi illustres Alexander, Plato, Aristoteles, assererentur damnati: & alia ex parte, eos qui inter beatos censentur, considerans fuisse homines ut plurimum in oculis sæculi despectos, quales fuere Apostoli, viles & illiterati, superbiæ spiritu dementatus in hanc erupit vocem: *Malo cum illis illustribus Viris in infernum descendere, quàm cum his infimis in cœlo degere:* Ecce iterum, & tertio, profunditas inexplorabilis superbiæ humanæ, ad atheismum deducens, centrum omnium peccatorum.

De Machiavello.

Audi postremo, ad quam vesaniæ profunditatem superbia pertigerit humana, ex relatione quam facit Josephus à Costa. Fuit in Peruensi Regno magni nominis Theologus: Hic familiaritate cujusdam mulieris, quæ videbatur pati divina, cùm

Joseph. à Costa l. 5. de temp. novis. c. 11.

igitized by Google

plena extaſibus & revelationibus, deceptus ex illius verbis, quaſi oraculo, tantam de ſe opinionem concepit, ut licet integri ſoret ſenſus & cerebri, tamen ſerio crederet, ſeque affirmaret, ſe & Regem futurum, & Pontificem ſummum, Sede Apoſtolica ad ea regna tranſlata; conceſſam quoque ſibi ſanctitatem ſuper omnes Angelos & choros cœleſtes, atque Apoſtolos omnes: quin etiam oblatam ſibi à Deo unionem hypoſtaticam, ſed à ſe non fuiſſe admiſſum. Datum ſe quoque Redemptorem orbis quoad efficaciâ, ut ipſe loquebatur, quod Chriſtus ſolam quoad ſufficientiam fuiſſet. Omnem ſtatum Eccleſiaſticum abrogandum, leges vero alias ſe edaturum facile & apertas, ſecundum quas cœlibatus Clericorum tolleretur, multitudo uxorum concederetur, confeſſionis neceſſitas excluderetur. Hæc & alia tanta libertate & facundia aſſeverabat coram Epiſcopo & Judicibus ſanctæ Inquiſitionis, citans plurima ex Prophetis, ex Apocalypſi, ex Pſalmis, & ex his commentis adaptans, ut omnes ſtarent attoniti. Atque cùm per complures dies diſputatio eſſet inita cum eo à Doctiſſimis nunquam potuit ad ſanam doctrinam reduci. Adeò ut ſtupendum foret, eo poſſe adigi mentis humanæ ſuperbiam & pertinaciam. Quapropter novus ille Rex, Pontifex, Redemptor, Legiſlator igni traditus eſt, & in cineres redactus.

Sic nimirum nullum altius, nullum profundius vitium ſuperbiâ: nullare capitur humana mens aut facilius aut potentius. Nulla vis veneni, nulla febris phrenetica, nulla medicatiſſima potio, quæ ſic ſtatum mentis evertat, aut in furorem rapiat, ut animo ſemel humano imbibita ſuperbia, in profundam & abyſſalem mergens hominem excitatem. Quapropter verè aſſeruit S. Auguſt. omnium errorum, hæreſum, & ſectarum arrogantiam & ſuperbiam eſſe genitricem & nutricem: *Al a*, inquit, *ſecta eſt in Africa, alia eſt in Oriente, alia in Ægypto, alia in Meſopotamia. Diverſis locis diverſa ſunt, ſed una mater ſuperbia omnes genuit.* Et certe eadem mater eas fovet & alit uſque modo. O impia mater! O impobra Nutrix adeo infelicis partus!

Aug. l. de Paſtorib. in c. 34. Ezech.

LECTIO V.

DE LATITUDINE SUPERBIÆ.

3. *Latitudo conſiſtit ex variis vitiis. Quæ vitia oriuntur ex ſuperbia.*

LAtitudo hujus muri quem conſtituit Superbia, conſiſtit in variis quæ illi connectuntur & ſuperſtruuntur peccatis, quaſi lapidibus aut lateribus coctis, quibus Lucifer operis hujus Præfectus hujus civitatis mœnia continuò amplificat & dilatat. Et quidem ex ſuperbia oriuntur generaliter omnia vitia. At etiam ſpecialiter aliqua adeam pertinent, ſuntque materiâ exqua compaginatur murus ille. *Primò* quidem, vana gloria, jactantia, ambitio, hypocriſis. *Secundò*, arrogantia, tumor, præſumptio, aliorum contemptus. *Tertiò* pertinacia, diſcordia, inobedientia, rebellio, & horum ſimilia. Hæc omnia à Sanctis Doctoribus vocantur Superbiæ moles & germina. Nos apte propoſito noſtro dicimus eſſe ſaxa & luteos lateres quibus primus hic murus Jericho, civitatis maledictæ, & in altum & in latum conſurgat, tanquam ex triplici quadam ſerie conſtans. Suntque hi lateres, inſtar illorum quibus conficiendis à Pharaonis exactoribus urgebantur Hebræi in Ægypto oppreſſi: ex luto nimirum & paleis coagulati, igne quodam ex fornace inferni deſumpto excocti, bitumine quoque & cæmento è tartareis vallibus & venis educto agglutinati. Sed de lignis pauca dicere non erit abs re. Exod. 5. 7.

DE PRIMA SERIE STRUCTURÆ: *DE GLORIA VANA.*

PRimam itaque ſeriem in hoc ædificio conſtituunt *vana gloria, jactantia, ambitio, hypocriſis. Vana gloria* eſt appetitus inordinatus, & inordinata delectatio humanæ laudis. Ita definit Alex. ab Ales. Ex ſuperbia ortum ducit, quia ſuperbus valde appetere ſolet humanam laudem: nec contentus eſt, quod apud ſe ſit in æſtimatione ſua magnus; vult etiam magnus haberi & clarior fieri in notitia aliorum. Quanto verò magis laudatur, tanto magis extollitur per ſuperbiâ: inſtar veſicæ, quæ quo magis vento inflatur, eo magis dilatatur: aut inſtar paleæ inanis, quæ quanto levior, tanto altius ab aëre flante huc illuc raptatur. Humilis verò, inſtar electi grani in imo ſolidè ſe tenet, ventoq; flanti quantum in ſe eſt obnititur. Si enim ſe laudari advertit de his quæ in ſe non agnoſcit, confunditur & erubeſcit. Si laudatur de his quæ novit, laudem in Deum rejicit, & à ſe repellit. Audi hæc de re S. Greg. *Laus juſtos cruciat, iniquos exaltat; ſed juſtos dum cruciat, purgat, iniquos dum lætificat, reprobos monſtrat. Et cum ſua laude pejiciuntur, iſti cruciantur, ne non ſit intus quod foris dicitur. Ne etenim ſi ita ſit ut dicitur, ante Dei oculos favoribus vacuetur ne humana laus cubur mentis extollat cruciat, & in ſui deſtitutione proſternat.* In hoc itaque inordinatio ſuperbi conſpicitur, vel quod laudem aucupetur de his quæ non ſunt, aut laudem non merentur: vel quin laudem quærit ab hominibus & non à Deo: vel quia laudem non ordinat ad debitum finem: Etenim ſi a Deo quæratur, vel ab hominibus oblata ad Deum referatur, vitio haud eſt tribuendum. 1. Series. Alex. ab Ales 3. p. ſummæ Theol. S. Greg. l. 26. Moral. c. 23.

DE JACTANTIA.

JActantia eſt inanis de ſe & ſtulta prædicatio, quando quis ſe verbis extollit, dicendo de ſe aliquid ſuper id quod in ſe eſt. Contra vitium iſtud monitum dat Sapiens: *Laudet te alienus, & non os tuum, extraneus, & non labia tua.* De quo & Poëta: Pro. 27. 2.

Nec te collaudes, neve culpaveris ipſe
Hoc faciunt ſtulti: queis gloria vana inanis.

Hinc

S. Aug. l. 10. conf. c. 36. n. 3.

Hæc iterum provenit ex aviditate laudis humanæ, quæquam inordinata sit, ostendit S. Augustin. dum sic Domino loquitur: *Qui laudari vult ab hominibus, vituperante te, non defenditur ab hominibus judicante te, non eripitur damnante te.* Tunc verò jactantiæ crimen censetur mortale, quando in divinum vergit dedecus, aut grave proximi damnum. Sic contingit, cùm quis jactat se aut gloriatur de delicto aliquo mortali. De talibus loquitur

Isaiæ 3. 9. Pro. 2. 14.

Isaias: *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt.* Item sapiens: *Lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis.* Eheu quam id frequens est inter juvenes dissolutos, qui imprudenter sua jactant scelera, fornicationes, adulteria, rixas & pugnas, vulneraque illis inflicta, ebrietates, dolos, quibus puellas intemeratas circumvenerunt: in hisque etiam mendaciter gloriantur, & ad similia alios extimulant. Inter nos se quandoque fuisse fatetur S. Augustinus, & se illosque sic describit:

Aug. l. 2. Confess. c. 3.

Monebat me mater mea ingenti sollicitudine ne fornicarer, & maximè ne adulterarem cujusquam uxorem. Quæ mihi moniens mulebres videbantur, quibus obtemperare erubescerem. Illi autem tui erant, & nescibam, & te tacere putabam, atque illam loqui per quam mihi tu non tacebas, & in illa contemnebaris à me filio ejus, filio ancillæ tuæ, servo tuo. Sed nescibam, & præceps ibam tanta cæcitate, ut inter coætaneos meos puderet me minoris dedecoris quàm audiebam eos jactantes flagitia sua: & tantò gloriantes magis quantò magis turpes essent, & libebat malum facere non solum libidine facti, verum etiam laudis. Quid dignum est vituperatione, nisi vitium? Ego ne vituperarer, vitiosior fiebam. Et ubi non suberat quo admisso æquarer perditis, fingebam me fecisse quod non feceram, ne videretur abjectior, quo eram innocentior, & ne vilior haberer quo eram castior. Ecce cum quibus comitibus iter agebam platearum Babylonis: & volutabar in cœno ejus, tanquam in cinnamomis & unguentis pretiosis, & in umbilico ejus, quo tenacius hærerem. Hactenus August. *Mores certè improvidæ & ad flagitia projectæ juventutis* eleganter & vere delineans, qui quidem pravi mores plerisque ea in ætate lubrica adhærent, quasi morbidæ adolescentiæ maculosa lepra, pruriensque scabies.

Jactantiæ quando sit peccat. mortale.

Similiter peccati mortalis culpam incurrit ex jactantia censemus, cum illa vergit in grave alicujus præjudicium. Sic potest jactantia fieri cum gravi despectu aliorum; quandoque etiam damnum exea subsequi natum est. Ita Medicus se potest jactare de scientia, & æger cum gravi sanitatis dispendio illi se committere: Item Jurisperitus de scientia Juris, ita ut inde fiat, quod cum grandi damno gravis ei concredatur causa ignaro. Similiter & artifex jactare se potest peritiæ & artis, & opus exinde ei tradi cum detrimento notabili. O mendaces filii hominum, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum: Qualibet arte lucrum mendaciter & jactabundè quæritant etiam contra conscientiæ testimonium! O quantus est numerus eorum, qui dicunt & non faciunt, & dicendo fingunt, quæ efficere nesciunt!

DE AMBITIONE.

Ambitio Ecclesiasticorum munerum.

Ambitio, est honoris vel dignitatis, seu præeminentiæ immoderata cupiditas. Ab hac sæpe deterret Scriptura, tanquam grandium malorum infælici origine. Nam & Christus Dominus suos acriter reprehendit discipulos, quando inter eos exorta fuit illa disceptatio, quis eorum foret major. His enim dixit: *Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.* Idem reprehendit Pharisæos, quod primos accubitus ambirent in Cœnis, primas cathedras in Synagogis, & ab hominibus vocari Rabbi. Quorum adhuc similes sunt nonnulli, inquit S. Gregorius initio Pastoralis, *qui intra sanctam Ecclesiam per speciem regiminis gloriam affectant honoris, videri Doctores appetunt, transcendere cæteros concupiscunt, primas in conventionibus quærunt cathedras. Qui susceptum Curæ Pastoralis officium ministrare dignè tantò magis nequeunt, quantò ad hujus humilitatis magisterium ex sola elatione pervenerunt.* Hos condemnat Christus, condemnant & Sanctorum Exempla, qui dignitates & honores vel fugerunt trepidi, vel suscepe-

Matt. 20. 26. & 27. Matt. 23. 6. S. Greg.

Sancti honores vel fugerunt, vel invisi susceperunt.

runt inviti: scientes in loco sublimi vertiginis periculum esse, & præcipitii. Horum aliqua recenseamus exempla.

De B. Gaufred.

B. Gaufredus, Cœnobii Clarevallensis Prior Episcopatum Tornacensem ut acceptaret, nullis potuit precibus induci, quantumlibet urgeret B. Bernardus Abbas ejus sanctissimus, ac simul Eugenius, qui tunc Apostolicam Sedem tenebat. Quàm vero id sapienter fecerit, effectus demonstravit. Obiit enim ipse non ita multò post, & apparens cuidam Religioso ejusdem Cœnobii dixit: *Salvus sum, ubique fabricerecessi fuga Episcopatus. Si enim fuissem de numero Episcoporum, fuissem de numero damnatorum. Ita mihi Sancta Trinitas revelavit.* Nempe verum est illud Sapientis: *Judicium durissimum fiet his qui præsunt.* Importunitatem ergo omnem vir sanctus evincens, omnemque ambitionis occasionem evitans, dicere poterat illud: *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine: Expectabam eum qui salvum me fecit à pusillanimitate spiritus, & tempestate.*

Sap. 6. 6.

De alijs SS.

Lege Sanctorum historias, & complures reperies, inter quos S. Bruno, S. Thomas Aquinas, S. Bernardus, S. Bernardinus, qui eadem ob causas Episcopales Infulas repudiarunt, dicentes cum Job: *In nidulo meo moriar, quasi palma multiplicabo dies meos.* Quasi dicerent: In humili Religionis statu, ceu in quietis lectulo & nidulo, Christo vivere, mihique mori præ cæteris potius quam demorari in sublimi & amplo dignitatis loco, variis periculis exposito: & sicut palma, diminutione eorum quæ deorsum sunt foliorum, cœlum versus procera

Job. 29. 18.

extollitur, paulatim crescens; sic in humili loco plantatus, totam cordis intentionem ad cœlestia erigere aveo.

De Moyse. Aliquidem Sancti Primatum susceperunt, sed divinitus coacti, & ab omni ambitione alieni. Quid non egit Moyses Principatum detrectans? Ait enim Domino excusans se: Exod. 3. 11. *Quis sum ego ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Ægypto?* Quasi dicat ego nullus sum, & omnino ineptus, ut me tam excelso destines muneri. Et iterum Exod. 4. 10. *Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri & nudius tertius & ex quo locutus es ad servum tuum impeditioris & tardioris linguæ sum.* Quasi dicat: Nunquam fui eloquens, ne quidem ab eo tempore quo tu mecum locutus es, quia à natura impeditam & tardam habeo linguam: Noli me huic destinare muneri, quia Pharao tam indisertum reiiciet Oratorem. Denique cum has excusationes non acceptaret Deus, respondens se os hominis fabricasse, se posse os & facundiam dare & adimere cùm voluerit, nihilominus urget Moyses: v. 13. *Obsecro, mitte quem missurus es.* Quasi dicat: Excute à me tantum munus, mitte quem volueris, modo me excuses inidoneum planè & ineptum. Certè Deus erat qui eligebat, qui & idoneitatem impertitur his quos eligit: & tamen timet Moyses, timent Sapientes Primatum, ad quem tota ambitione anhelant insipientes.

Jud. 9. 9. Audi ad hanc rem parabolam Judicum 9. expressam. Ubi nec oliva, nec ficus, nec vitis nec aliæ v. 10. 12. arbores fructuosæ & dulces ad regnum promoveri inter ligna sylvarum voluerunt, ne fortè cogerentur deferere pinguedinem & suavitatem, fru- v. 15. ctuosumque liquorem; Rhamnus autem, frutex spinosus & infructuosus, consentit electioni. Quid aliud hæc indicat parabola, quam eos quidem detrectare Primatum, qui dotibus præclaris à Deo præditi sunt, ne fortè contingat eos suavi fructu privatæ & tranquillæ vitæ privari, dum ad aliorum regimen inquietum transferuntur, alios vero cæteroquin inidoneos ambire talem promotionem etiam cum grandi suo periculo? Sed hos quandoque reiiciet Deus, illos verò cogit, illos erigit in humili jacentes, eligit fugientes.

De S. Greg. Alleg. Joannes in vita ejus. S. Gregorius ad Summum electus Pontificatum, non solùm ab urbe fugit, ut in solitudine foret ignotus: sed & ad Mauritium Imperatorem literas dedit, ne huic electioni consentiret obnixè obsecrans. Verùm indicio cœlestis & ignitæ Columnæ in solitudine deprehensus, invitus ad Pontificatum rapitur. Conqueritur interim postmodum ipse, tanquam oliva & ficus quæ pinguedinem & suavitatem deseruerit. Sic enim quodam loco de se pronunciat: *Infelix animus meus occupationis suæ pulsatus vulnere, meminit qualis in monasterio fuerit, quomodo ei cuncta labentia subtererent, quomodo rebus omnibus quæ volvuntur emineret, quod nulla nisi cœlestia cogitare consueverit, quod etiam retentus corpore ipsa jam carnis claustra contemplatione transibat. At nunc ex ejectione Curæ Pastoralis sæcularium hominum negotia patitur, & post tam pulchræ quietis suæ speciem terreni æstus pulvere fœdatur. Perpendo itaque quid tolero, quid amisi: dumque illius intueor quod perdo, fit hoc gravius quod porto. Ecce enim nunc magni maris fluctibus quatior, atque in navi mentis tempestatis validæ procellis illidor & cùm prioris vitæ statum recolo, quasi post tergum deductis ventis viso littore suspiro.*

De S. Augustino. S. Augustinus quoque cognita Episcopi sui morte fugit ab urbe, ut fatetur Epist. 148. Verum tamen à populo reductus est renitens, & Sacerdotio ordinatus non sine lachrymis ubertim fluentibus.

De S. Ambrosio. S. Ambrosius similiter, ut testatur Paulinus in vita ejus, à populo & imperatore post vocem prodigiosam infantis postulatus ad Episcopatum Mediolanensē nocte urbe excessit. Sed cum Ticinum iter intendisset, manè se deprehendit in porta Mediolanenti, non sine divino miraculo.

De Baronio & Bellarmino. Inter recentiores recensemus Cæsarem Baronium, & Robertum Bellarminum Cardinales Illustrissimos. Hi quidem priùs diu & fortiter cum purpura & dignitate oblata reluctati, non aliter tandem victi sunt, quam ex ore Clementis Octavi, emanante ea de re mandato in virtute obedientiæ, & sub excommunicationis interminatione. Unde Cæsar Baronius sic de se quodam loco loquitur: *Perterrebat me illa quam videre meditabar manus hominis, contra candelabrum in pariete publico in ipso Ecclesiæ albo scribentis, stateram & pondera proferentis, quibus expendendi forent omnes ad Cardinalatum, illa Loth verba proferens, Non possum in monte salvari, ne inveniat me malum, & moriar. Est civitas hæc juxta, ad quam possum fugere parva, & salvabor in ea. Nunquid non immodica est, & vivet anima mea? Statueram in privato simplicique genere bene practicatus mundi contemptu, & expeditus permanere.* Hæc ille. Bellarminus quoque scribens ad Henricum à Lotharingia, Episcopum Verdunensem, se suæ promotioni ad purpuram renitentem quidem fuisse diu, satis indicat; sed tandem divinæ voluntati per præceptum Pontificis agnitæ acquievisse. Sic enim loquitur: *Illam Dominus vocem præter omnes amavi semper: Pater transfer à me calicem hunc: verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat. Empti pretio magno sumus, proinde tanquam servi obedientiam huic nostro debemus. Dum consecrationis tempus est, non quæsivisse me, non optasse, non elegisse locum sublimiorem, & in præsentia honorem nihil decere, quo & abdicare me si liceret deberet; sanè est quod gaudeamus & acquiescamus voluntati divinæ quam nobis Pontifex manifestavit. Pastorale onus est periculo & sollicitudine plenum. Sed si Opifici, si Emptori nostro placuit hos in angustias, hæc in pericula nos vocare, æquanimes sumus, ut pessimus ei dicere, cur ita fecisti?* Hæcipte.

Gen. 19. 20.

DE

DE AMBITIONE AVLICORVM.

Ambitio Aulicorū.

QUæ hactenus dicta sunt, maximè concernunt ambitionem ad Ecclesiastica munia. Verùm magis illa regnat in aulis & curiis Principum, ubi certatim ad sæculi honores & præfecturas contenditur. Ambitionis enim & invidentiæ quædam sunt gymnasia, Magnatum Aulæ & Palatia: Sed quàm variis ibidem malis, variisque periculis ambitio sit obnoxia; quamque instabilitati conjuncta, dilucidè docent omnium Historiarum Volumina. Cernerè est ibi fortunam cum ambitiosis istis primùm prosperè ludentem, ac postmodum asperè illudentem; Hos quos evehit primùm quidem blandè excipientem & lenientem, mox verò crudelè omninò laniantem, ut verè possint illud Job usurpare: *Elevasti me, & quasi super ventum ponens elisisti me validè.* Certè, quoties ambitionis malum aliquos suo tramite duxisse cernitur, toties eos miserè cernitur seduxisse: Nam qui hac duce gradiuntur, dum per famosam ejus caliginem ascendere se autumnant, subito præcipiti gressu in confusionis voraginem, velut exoculati proruunt: *Ascendunt usque ad talos descendunt usque ad abyssos, & moti sicut ebrius.* Percurre Regna, percurre Aulas Principum, intuere quæ ibi geruntur oculo mentis perspicaci: & agnosces Theatra esse, ubi fortuna, spectante orbe, circa ambitiosos ludum suum exercet, sed in eorum ludibrium. Ibi inconstantiæ suæ absolutissima expromit, & exponit exempla. Ibi rotam suam volubilem ascensu & descensu sanguineo purpuratam erigit, & ostentat. Hinc Poeta:

Job. 30. 22.

Ps. 106. 27.

Ovid. 1. trist. *Fortuna instabilitas & casus aulici.*

Vive tibi, quantumque potes prælustria vita:
Sævum prælustri fulmen ab arce venit.

Sed de hac volubili ambitiosorum fortuna aliqua lubet subjicere exempla, variis in aulis optimarum nobis præposita; quæ & his proponi possint, qui nimium suæ fidunt fortunæ, ambitionis fallaci aura in aula decepti. Nam pauci illud considerant: *Fortuna vitrea est; tum splendet, frangitur.* Aperiant oculos hic & videant.

1. Aman in aula Assueri primus, interrogante Rege, quo prosequi honore conveniret, quem Rex decrevisset honorare, hunc sibi à Rege decernendum honorem tumida ambitione autumans, respondit: Induendum fore talem regali veste, & equo impositum regio, cum diademate regali invertice, circumducendum per urbem à primo de Principibus Regiis inclamante: *hoc honore condignus est, quemcunque Rex voluerit honorare.* At citò jussus est id Mardochæo Judæo, quem hostili odio insectabatur, præstare, eumque per urbem sic ornatu regio amictum circumducere: & paulò post is qui gentem Hebræam penitus interfectione delere ambitione seductus molicbatur, erectus est in patibulum, corvorum ipse pabulum. Sic nimirum in fatali aliquo ligno pendet Aman, ambitiosæ fortunæ ludibrium, aulicis & omnibus ambitiosis exemplum.

Esth. 6. 6.

v. 11.

2. Magnus fuit in aula Davidis Regis Joab, exercitui imperans, qui & ausus fuit duos Principes Abner & Amasam in dolo perimere, lugente quidem Rege, crimen tamen ejus differente punire. At tandem justo Davidis decreto jussu Salomonis infeliciter interfectus fuit juxta altare. Sic ambitiosa ejus audacia & crudelitas condignam accepit vindictam; sortitaque est ambitio infœlicem exitum, per infœlix ejus exitum.

2. Reg 3. 27.

3. In aula Tiberii Cæsaris potentia & honoribus mirè effulsit Sejanus, cui statuam æneam populus erexit, cujus nutu omnia regebantur, cujus natalis dies celebrabatur, qui & Imperatoris in Consulatu Collega factus est. Sed quid tandem? Ejus ambitio cum ad supremum apicem pertigisset honoris, citò etiam ad extremam infœlicitatis sortem revolvi visa est. Nam paulo post publico edicto cum tota perimitur progenie, & ipse unco spectandus ducitur; quique eum prius æneatabundi spectabant, jam ejus exitio gaudent, & currunt præcipites, pedibusque eum proculcant, clamantes: *Dum jacet in ripa, Calcemus Cæsaris hostem.*

De Sejano. Dio Cassius l. 5. 58. hist. Rom.

4. In aula Arcadii Imp. rerum summam obtinuit Ruffinus, cum eo imperium in oriente administrans. Hic suo non contentus loco, dignitatem imperialem sibi arrogare conatus est, ambitione seductus. Verùm eadem die qua purpureo paludamento inaugurandus erat, ferro necatus ab exercitu Romano jacuit ad pedes Arcadii. Caput deinde ei resectum est, & lapido in os immisso hastæ infixum est, in sublimique loco expositum. Dexteram quoque ejus abscissam per urbem circa opificum officinas circumtulerunt, his utentes verbis: *Date stipem inexplebili avaritiæ viro.* Et ridicula illa mendicitas auri multum satis collegit: lubenter enim contulerunt aurum ad hoc jucundum spectaculum.

Juvenal. Satyr. 10. *De Rufino.* Niceph. l. 11. c. 1.

5. Belisarius in aula Justiniani Imperatoris summus fuit Præfectus, nemini suæ ætate comparandus militari fortitudine, & triumphis celebris contra Persas, Vandalos, Gothos. Adeò ut Justinianus monetam cudi curarit argenteam, in cujus uno latere imaginem suam imprimi, in altero imaginem Belisarii cum hoc elogio, *Belisarius decus Romanorum.* Hunc tamen tot & tantis honoribus ornatum, propter affectati regni suspicionem ab æmulis suscitatam, non tantum omnibus honoribus privavit: sed etiam erutis oculis eo calamitatis induxit, ut è vili tugurtiolo stipem sibi emendicare coactus sit, dicens: *Date obolum Belisario, quem virtus extulit, invidia extraxit,* ita Procop. lib. 1. belli Persarum, Cedrenus, & alii.

De Belisario. Procop. Cedren.

Sed cum hæc antiquiora censeri possint, nostro etiam sæculo non desunt exempla his non absimilia, quæ ab ambitione mentem prudentem valeant abstrahere & detterrere. Et hæc quidem in Europæ celebrioribus Regnis, quasi in Theatris orbis fuere oculis exhibita nostris. Pauca rememoremus.

Exempla nostri sæculo.

1. In

Digitized by Google

De Thoma Volſæo. Sanderus lib. 1. de Schiſ. Angl.

1. In Regno Angliæ Thomas Volſæus humili loco natus, ita Regis ſibi gratiam conciliavit, ut Lincolienſis primum Epiſcopus, deinde Vintonienſis, ſimulque Archiepiſcopus Eboracenſis, denique regni totius Cancellarius, ac poſtremò Cardinalis & Legatus à latere creatus fuerit. Acceſſit & gratia duorum Regum Caroli V. Imp. & Franciſci Galliarum Regis, qui certatim hunc ſibi devinciebant muneribus; ita ut Carolus ſæpe amanter ad eum ſcriberet, & ſe ejus filium & cognatum ſubſcriberet. Verùm cùm ſummi Pontificatus cum ambitio invaſiſſet, ſe per Franciſcum Regem ad illum viam ſecuram ſternere poſſe autumans, primus ſuggeſſit funeſtum illud Angliæ conſilium Henrico Regi, ut divortium iniret cum Catharina Caroli materterâ. Et quidem conſilium illud eo animo dederat, ut Rex nuptias novas cum Gallica Proſapia contraheret, ſicque arctius ſibi Regem devinciret. Cùm ergo in id omnem conatum exercuiſſet, ſpe fruſtratus eſt: nam Henricus Catharina relicta alteram duxit, ſimulque regnum à fide Catholica ſeduxit. At verò Volſæus, non immunis à flagitio, conſilii peſſimi auctor, illud in caput ſuum retorqueri non ita multò poſt perſenſit. Nam gratia Regis excidit, Cancellariæ munere privatus eſt. Epiſcopatu quoque & Palatio magnificentiſſimo quod extruxerat ſpoliatus. Denique in magna Nobilium corona comprehenſus in Londinenſem arcem trahitur, ſed in ipſo itinere his oppreſſus ærumnis, animam exhalavit. Dicitur vero quod cum ſatellites ei dixiſſent ſe ob Regiam Majeſtatem læſam vinculis his tradi, reſpondiſſe: *Vinam non magis divinæ Majeſtatis læſa rem ſorem! At dum Regi nimium ſervio, & Dei & Regis gratiam perdo.* Teſtis eſt Sanderus l. 1. Schiſm. Anglic. Hic nimirum eſt funeſtus finis ambitionis, hic fumus aureus in jugulum eorum redundans, tandemque eos præfocans incautos.

De Carolo Bironio.

2. In Regno Galliæ Carolus de Biron Mareſcallus, per gradus proſperæ fortunæ ad apicem ſupremæ fælicitatis conſcenderat: Primùm Capitaneus, deinde Admiralis, poſtea Mareſcallus regni, denique Regis vices gerens. At nec hoc loco contentus, regnum dum vult ambire, cum Regibus exteris conſilia miſcens deprehenſus eſt; & comprehenſus à regis ſatellitibus, carceri eſt mancipatus. Atque ut ambitio ejus finem tandem acciperet, & ſubitò decreſceret is qui nimium intumuerat, in publico Theatro capite eſt multatus. Dignum verò eſt memoratu, quod de eo ferunt. Nimirum jam à juventute ambitione ductum mutata veſte adiiſſe quendam Aſtrologum, ut ſortem fortunamque ſuam ex aſtris exploraret. Oſtendit ergo ei Horoſcopum ſuum, & nativitatem per alterum delineatam, diſſimulans ſuam eſſe, aſſerensque eſſe cujuſdam Nobilis Domini, ſe autem ejus eſſe famulum. Aſtrologus ille reſpondit, cujuſcumque eſſet Horoſcopus aut nativitas, eſſe alicujus prænobilis, qui arte & fortitudine militari ad regiam dignitatem poſſet conſcendere, ſed quoddam Caput *Algol* impedimento fore. Quærit, ipſe quid ſit illud *Caput Algol*? Reſpondet Aſtronomus, eſſe capitis periculum illi imminens. Et hoc quidem reſponſum ſæpius ipſi in cogitationem poſtmodum veniebat, non ſine ſollicitudine, neque tamen eum à dicta potuit deterrere ambitione. Fertur & alterum magiæ deditum acceſſiſſe, illumque prædixiſſe, ut præcaveret ſibi ab ictu Burgundi retrorſum quem ſi poſſet evitare, ad Regnum facile pertingeret. Hujus memor reſponſi, cum carcere detineretur, inquiſivit ab amico viſitante, num Executor Pariſienſis Burgundus foret? Cumque reſponderet ille, Burgundum eſſe: Ergo, inquit, actum eſt de vita mea. Sic nec magicis reſponſis, nec conſcientiæ interioris ſtimulo, ab ambitionis periculoſiſſimæ libidine abſtrahi potuit, ſed miſere periit, exemplum aliis daturus. Unde exivit hic verſus apud Gallos, annum, diemque necis ejus deſignans gallico idiomate.

L'an mil ſix cent deux en Juillet
L'on fit Grand Biron deſaire,
Tant pour le mal qu'il avoit fait,
Que pour celuy qu'il vouloit faire,

De Marchione d' Ancre.

3. Nota eſt in eodem regno hiſtoria tragica Marchionis d' Ancre, qui ſummo apud Regem loco fuit, cuncta negotia regia ſuo adminiſtrans conſilio & potentia. Multi porrò exinde tumultus orti, multæ conſpirationes in nobilitate gallica; adeò ut Proverbium circumferretur: *Noſtra Navis ens' aſſeurera ſi l' on ne jette l' Ancre en l'eaue.* Quaſi dicas: Non erit tuta Navis, nili Anchora in aquam jaciatur. Alludebant autem ad nomen d' *Ancre*, quod Gallis Anchoram deſignat; hanc aquis ſubmergeadam aſſerebant, ut Regnum fluctibus variis agitatum ſecuritatem acciperet. Quid tandem? Dum mandato Regis ad fores palatii comprehenſus vult reluctari, ibidem perimitur; ac deinde cadaver à furente plebe per plateas cum ignominia trahitur, fœdeque pertractatur, & diſcinditur odio incredibili. Uxor quoque ipſius decreto publico igni poſtmodum traditur. Sic qui Galliæ regnum dudum cum ambitione adminiſtrarat, quaſi in prora ſedens, clavumque tenens; poſtea dejectus eſt, & confractus non ſine graviſſima confuſione. Hinc Chronographicus ille verſus necis ejus in vulgus ivit:

AnChora ConfraCta eſt, tota ergo paCe fr VatVr FranCIa, nVnC Ipſo Rege regente rate M.

De Alvaro de Luna Alphonſus à Carthagena Reg. Hiſp. Anacephal. c. 92. Ann. 1507 Roder. Sanctius 4. p. hiſt.

4. In regno Hiſpaniæ, ſimilem paſſus eſt aulicæ fortunæ varietatem Alvarus de Luna, ſub Joanne 2. Legionis & Caſtellæ Rege, cui intimus erat à conſiliis; ita ut primo Comitem, deinde Conneſtabilem, demum Magiſtrum S. Jacobi illum fecerit, non ſine admiratione multorum; quia has dignitates in unius perſonam concurriſſe, numquam auditum fuerat. Tantoque affectum in eum Rex ferebatur, ut omnia ad ejus voluntatem facere crederetur. At tandem amor in odium incredibile eſt commutatus; unde Regis decreto apud Burgos captus, criminibus quibuſdam contra eum propoſitis,

Hisp. c 28. fitis; capite mulctatus est, caputque ejus in publico loco in ligno sublimi fixum, omnibus fuit miserabile spectaculum; ut discant homines non nimium prosperæ fortunæ fidere, aut Regum favori, non nimium laxare habenas propriæ ambitioni, aut cupiditati.

De Roderico Calderonis. In eodem regno recens est adhuc historia Roderici Calderonis viri in aula potentis, cui anno 1621. 21. Septem. Madriti, sede in publico Theatro constituta, caput abscissum est: ita ut ejus exemplum & cruor recens effusus satis moneat ambitiosos, satisque edoceat, quomodo à summa prosperitate ad summam adversitatem fortunæ rota frequenter ac velociter humanos successus revo vat.

De Barneveldio. 6 Barneveltii Batavi, Statuum totius Hollandiæ Archiconsiliarii, cujus consilia instar Achitophelis in Israel æstimabantur, haud ignotus est occasus; tota fortuna sese in ejus exitum volvente, post tot tantaque obsequia Reipublicæ Hollandicæ exhibita. Sic præclarè dixit Polybius: *Sicut calculi modo sursum sunt, modo deorsum: sic aliquis ad rectum Principem, nunc beati sunt, nunc miseri.*

Polyb. l. 5.

Æneas Sylv. Scripsit Æneas Sylvius, postea creatus Pontifex Pius II. ad aulicum quemdam librum de miseria curialium, ubi ostendit quanta in aulis sit vanitas, invidia, ambitio; quot servitutes, solicitudines, metus; quanta inconstantia, mutabilitas, casus, ruinæ, pericula animi & corporis. Hunc verò tandem epilogum addit: *Quæ cum ita sint, relinquamus hunc pelagum inquietum, nosque in alium vitam redigamus. Nam si pacem cupimus, si nobis vivere volumus, si salutem animæ quærimus fugienda sunt nobis atria Regum & aulæ tumultus, in quibus nec requies, nec bonarum artium exercitatio, nec virtutis amor regnat; sed avaritia, libido, crudelitas ambitio. Quibus vitiis qui deditus sit non poterit se tueri, qui malis convincatur & stultus apud sapientes. Val. vir, visis ex curialibus unus esses, meo judicio prudens. Anno* 1445.

Sapienter ergo Horatius, ut ambitioni multorum insatiabili trænum ponat, sic concludit, & nos cum illo:

Horatius lib. 2. ode. 10.

Aurea quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti caret invidenda
Sobrius aula.

DE HYPOCRISI.

Quid sit Hypocrisis. HYpocrisis est simulatio, qua quis se justum simulat, vel justiorem quam sit, estque illa quoddam facti mendacium crimen mortale involvens, si finis & intentio simulantis sit contra charitatem. Sic potest quis simulare pietatem ut alterum decipiat; ut beneficium vel officium assequatur ad quod est inidoneus; ut temporalia cum aliorum damno per eam simulationem conquirat, ut doctrinam falsam disseminet. Simili enim perverso fine simulatio vestita perniciosa est. Propterea Dominus, octo maledictiones fulminat in scribas, Pharisæos hypocritas, sicut octo beatitudines justorum alio loco protulerat.

Christi maledictiones 8. in hypocritas. Matth. 23. 13.

Prima est: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia claditis regnum cœlorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.* Nempe cum deberent doctrina sua & exemplo aliis aperire regnum cœlorum, viamque præmonstrare: è contra claudebant, & impedimentum præstabant, avocando à fide in Christum, qui ostium erat per quod intrandum erat: ejus enim doctrinam ac miracula pessimè interpretabantur, & condemnabant. Quibus planè similes sunt hæretici, doctrinæ veræ, perquam in regnum cœlorum introeundum est, & miraculis obnitentes, sicque eis, quos docent, regnum cœlorum claudentes.

Secunda est: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes, propter hoc amplius judicium accipietis.* Simulabant illi longas se peragere preces, ut captarent favorem viduarum, earumque domos, hoc est facultates, hac via ad se attraherent & exhaurirent. Nam tamquam sanctæ & Religiosæ personæ frequenter magno sumptu invitabantur, ut ait Theophylactus. Atque etiam propter illam precum ostentationem, multum in eis confidebant tamquam sanctis viris, muneribusque magnis afficiebant, ut fierent participes orationum: imo suas pecunias & fortunas apud eos deponebant, & sic exhauriebantur. Non absimiles sunt aliqui, etiam inter Catholicos Sacerdotes & Religiosos, qui prætextu pietatis & religionis non solum viduarum sed & conjugatarum domos exhauriunt. Summas grandes in pias causas ab illis expostulant, easque acceptant sine consensu maritorum, & in superflua ædificia vel ornatus impendunt. Atque etiam hypocriticè quandoque multas missas promittunt, multas orationes, exiguumque præstant. Ib. v. 14.

Tertia est: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, quia circuitis mare & aridam: ut faciatis unum Proselytum; & cum factus fuerit, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos.* Proselytus dicebatur, qui ex Gentilismo convertebatur ad Judaismum, in quam rem Pharisæi multos labores exantlabant. Nec propterea væ eis dicatur, sed quia quem tanta diligentia & labore in suæ regionis consortium pellexissent, pravis exemplis & conversatione gehennæ reddebant obnoxium: multo magis quam ipsi essent, quia ut plurimum qui Præceptorem sortitur malum, non in illius malitia sistit, sed ulterius solet progredi. Videant ne his similes sint, qui indifferenter quoslibet ad suam introducunt Religionem; & postea eis pravo exemplo præeuntes, disciplinæque Religiosæ neglectum fovent, eos gehennæ reddunt obnoxios, qui sæculari in vita piè agentes, Regnum erant ingressuri. Ib. v. 15.

Quarta est: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, &* Ib. v. 23.

Digitized by Google

reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium misericordiam & fidem; hæc oportuit facere, & illa non omittere. Similes sunt, quotquot inter Christianos studiosius humana observant præcepta, quàm divina; magis solliciti de cæremoniis aliquibus, quàm de conscientia. Solliciti & anxii ne aliquas preces quotidianas consuetas omittant, potius quàm de odio & invidia in proximos, de detractione & judiciis falsis, de fraude, injustitia, oppressione pauperum, & similibus; ita ut levia quædam curent, graviora & conscientiam gravantia negligant.

Ib. v. 25. *Quinta* est: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapina & immunditia.* Hos imitantur, qui magnam proferunt in exterioribus puritatem, in corpore, in veste, in cubiculis, in mensis, in lineis, in cyathis & catinis: immunditiam verò animi parvipendunt impuritatem cordis & cogitationis negligunt. Væ illis.

Ib. v. 27. *Sexta* est: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum.* Utinam considerent hæc illi, qui omni ornatu & candore exteriùs effulgent in corpore, intus verò cadaver gerunt, illudque fœtens circumferunt; animam scilicet mortuam, coram Deo & Angelis fœtidam, & coram seipsis, si oculos mentis intus velint intendere, & sepulchrum referare, nam non potest non fœtorem exhalare mortua conscientia, si intrò spiciatur.

Ib. v. 29. *Septima* est: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta justorum, & dicitis: Si fuissemus in diebus Patrum nostrorum, non essemus socii in sanguine Prophetarum.* Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum qui Prophetas occiderunt. Implete & vos mensuram Patrum vestrorum.

Ib. v. 16. *Octava* est: *Væ vobis Duces cæci qui dicitis: Qui juraverit per templum nihil est, qui autem juraverit in auro templi debet, &c.*

Vide ergo quot maledictionibus percellat Dominus hypocritas omnes, in persona Pharisæorum.

Hypocrisis mire dominatur in Christianis.

Dominatur nihilominus hypocrisis mirè in Christianis, statumque omnem inficere cernitur Ecclesiasticum, Religiosum, Sæcularem. I. An non hypocrisis & simulatio est, sub pietatis nomine lucrum quærere, aut per alios titulos ementitos? Horum verò quantus est numerus in orbe? II. An non hypocrisis, animo odium invidiamque fovere, interim amicitiam simulare, aliudque in ore, aliud in corde gerere? Et hoc tamen est mundi ingenium: *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum, labia dolosa in corde locuti sunt.* Duplici corde sunt, aliud cor in pectore, aliud in ore gerentes. Eccli. 28. *In labiis suis undicat inimicus, & in corde insidiatur, ut subvertat te.* Instar apis plerique mel in ore, in cauda virulentum gerunt aculeum alium infigere parati. III. An non hypocrisis, ostentare se ut liberalem, interim durissimum esse erga pauperes creditores, & inopum sanguinem exsugere? Item in publico se justum exhibere, in occulto verò multa injustè patrare? Et tamen quàm multi sunt horum de numero? IV. An non hypocrisis simulare se aliquid consulere alteri ob bonum suum, interim de lucrè proprium commodum quærere? Sic nempè mundus hypocrisi plenus est, dum homines aliud ostentant externa specie, aliud verò moliuntur obscurè. Vis horum exempla? Audi quædam sacra ex literis.

Exempla hypocrisium.

1. Hypocrita erat Cain fratri dicens: *Egrediamur in agrum*, educens eum quasi consortii fraterni solatio volens fieri, animumque in agris relaxare: interim odium corde fovens, agnum innocentem ducit ad lanienam, & semotis arbitris crudelissimè interimit, ne Pater resciret, aut Mater: Imò quasi Deum facinus horrendum lateret, interrogatus simulabat se innocuum. Gen. 48. *Cain Hypocrita.*

2. Hypocrisi usus est Joab, Amasan officiosissimè salutans, *Salve mi frater*, amplectensque amicorum more, in hoc interim simulato amplexu, dolosè ejus fundit cruorem, & lethale vulnus infligit. Hoc nimirum est fraternum opus, hic fraternis amplexus. *Joab Hypocrisis.* 2. Reg. 20. 9.

3. Hypocrita erat Absalon, stans juxta introitum portæ, & omnem virum pro negotio venientem ad judicium Regis, ad se vocans, benignè audiens, adblandiens, dicensque: *Videntur mihi sermones tui boni & justi, sed non est qui te audiat constitutus à Rege. Quis me constituat in judicem?* Hypocrisi quoque nefanda usus est idem, invitans fratrem suum Ammon ad convivium, sollicitans proculdubio Regem Davidem, ut Ammon mitteretur vices Regis repræsentans: interim non aliud moliebatur, quam eum hac occasione inermem & jam temulentum interimere. *Absalon Hypocrita.* 2. Reg. 15. 2.

4. Hypocrita erat Judas, hypocritarum ipse Dux: *Ave* inquit, *Rabbi* Magistrum dissimulanter vocat, quem jam vendidit; oculo Filium hominis tradit, & occidit, velat facinus impium, prætextu honoris & pietatis. *Judæ Hypocrisis.* Matt. 26. 49.

Hos multi imitantur, & pauci sunt de quibus possis dicere quod Dominus de Nathanaele: *Ecce verè Israelita, in quo dolus non est.* Pauci sunt quorum *oculi ut columbæ*, hoc est, quorum intentio sit simplex & recta. Oculos enim vagos duplices & simulatos plerique gerunt, oculos, qui facilè volvuntur in utramque partem. Dum eos putas ad dextram respicere, respiciunt ad sinistram, dum sursum existimas eos tolli, flectuntur deorsum. Videntur respicere cœlum & cœlestia, respiciunt terram & terrestria: videntur proximi salutem aut bonum quærere, suum proprium lucrum quærunt, vel gloriam. Nec pauci sunt, qui perfectionem profitentur cum hypocrisi. Volunt esse humiles sine despectu, pauperes sine delectu, patientes sine tribulatione, obedientes sine coactione, pœni- Joan. 1. 48

Hypocritarum descriptio.

tem-

tentes ſine afflictione, virtuoſi ſine labore, volunt abſtinentiam præferre & paſci delicatè, benè veſtiri ſine ſollicitudine. Volunt laudari ſine virtute, amari ſine bonitate, honorati ſine ſanctitate. At peſſimi omnium hypocritarum ſunt, qui pietatem ſimulantes, mordaces ſunt ut canes, doloſi ut vulpes, ſuperbi ut leones, rapaces quaſi lupi, mel appetentes, hoc eſt, carnis laſciviam, ut urſi; ſpeciem denique pietatis omnis habentes, virtutem autem ejus abnegantes.

Hypocriſin occultam revelat Deus.

Adverte verò, quod frequenter ſimulationem & hypocriſim occultam revelet Deus, nec ſinat inultam. Ipſe enim corda inſpicit, ipſe agnoſcit Jacob, ſub pellibus alienis, non caligat ejus oculus & ubi damnoſa eſt ſimulatio non tardat ultrix ejus manus. Probamus id ſacris exemplis.

Act. 5. 2. Ananias & Saphira ſimulant apud Apoſtolum Petrum, ſe omnia ejus manibus tradidiſſe, nec de pretio agri quicquam defraudaſſe. At cito detegitur eorum hypocriſis divina ultione.

Gen 39. 14. Ægyptia Putipharis uxor innocuam ſe & caſtam ſimulat, Joſephum caſtiſſimum adulterii attentati doloſe inſimulat. At non patitur Deus ſimulationem iſtam diu perdurare; adulteram detegit, ſimulatamque æquitatem, iniquitatem oſtendit; Joſephum protegit, ejuſque innocentiam propalat.

Gregor. Turon. l. 1 de gloria Marty. cap. 106. Mulier quædam (inquit S. Gregorius Turonenſis) in Gallis ſub ſpecie Religionis vacabat jejuniis, orationibus inſiſtebat, vigilabat pertinaciter, loca ſancta devotione ſimulata aſſidue circuibat. Sic aurum quotidie congregabat, quod devotio Chriſtiana pro redimendis porrigebat captivis. At ipſa, quæ dabantur neceſſitatibus profutura, loculis abſcondebat occultis: ita ut in medio cellulæ haberet ollam grandem defoſſam, auro plenam. Interim emoritur mulier, & ſepelitur in inferno. Puella ei familiaris interrogatur, quid de pecunia quam corradebat, an eam in pauperum uſus erogaſſet? Reſpondet, ſe numquam vidiſſe quod ulli inopum miſericordem manum porrexiſſet. Inquiritur pecunia, tandemque repertur, & aſſertur inter manus Epiſcopi conſignanda. At ille repudiat eam, jubetque referato ſepulchro pecuniam ſuper corpus exanime projici, dicens: *Sint tua tibi quæ congregaſti, non deerit pauperibus Chriſti unde ſuſtententur.* Poſtmodum nocturno tempore audiebantur voces è tumulo, fletus & ululatus. *Miſeram, me infelicem auri conſumor incendio.* Poſt triduum tumulus à Sacerdotibus aperitur, viſumque eſt aurum quaſi in fornace reſolutum in os mulieris ingredi, cum flamma ſulphurea. Quibus autem illis Dominum, ut malitia populis ſat declarata luctuoſas iſtas voces removeret, operto tumulo mulieris vox ultra non eſt audita. Ita Turonenſis Gregor.

De mendico ſene. Novi & ego ſenem inopem, jam ſeptuagenarium, frequentiſſimum in ſacrificiis, in Concionibus attentiſſimum, in aliis pietatis publicis exercitiis continuum. An verò veræ pietatis ſtudio, an hypocriſis vitio hæc perageret, mihi valde ambiguum reliquit. Quæritabat enim eleemoſynas, & his quandoque verbis utebatur: ut ad me perlatum eſt: *Date eleemoſynam mopiſſimi, cilicium continuo gerenti.* Cùm autem eum reprehendiſſem, quia ſermo iſte ſaperet vel jactantiam & oſtentationem, vel hypocriſim & ſimulationem, neſcio an monitis acquievit. Hoc ſcio, quod non ita multo poſt puellam aliquam mendicantem nobis ignoratam in uxorem ducere voluerit; ad id, ut ajebat, inductus, quod curam habitura foret ſuæ ſenectæ, ne pædore & ſordibus conficeretur: Veriſimilius autem ſtimulo agitatus concupiſcentiæ, quia & jam cum illa male verſari rumor erat, aut ſuſpicio. Cùm verò remoram injicerem huic matrimonio, dicereque accedendum Epiſcopum, eo quod puella peregrina foret & vagabunda, à propoſito conjugio deſiſtere viſus eſt: ſed paucis abindè menſibus, nullo præagnito vel evulgato ejus morbo, in horreo quodam, nemine ſciente, & ſine ullis Sacramentis exceſſit è vita. Et hoc quidem non parum me anxium reddidit, cùm de vita, cùm de fine fælici. Et licet divino judicio totum lubens relinquam, qui ſolus corda & interiora ſcrutatur: tamen non potuit mihi non moveri ſuſcipio alicujus in homine hypocriſis, ſortè per hanc ſat improviſam & ſubitaneam mortem ultionem accipientis.

Concludo denique exemplo quod in Tripartita Hiſtoria legimus. Circa annum Domini 399. quidam pauperes Epiphanium Cypri Epiſcopum conati ſunt arte & ſimulatione deludere iter agentem: Unus eorum ſupinum ſe proſtravit in terram, alter ſtabat quaſi mortuum deflens, quæritanſque ſe non habere quo eum ſepeliret. Epiphanius ſuperveniens oravit ut ſub quiete dormiret & ſepulturæ neceſſaria præbuit, ſimul conſolatus eſt flentem, dicens: Quieſce à lachrymis, non enim fleta reſuſcitari poterit. Cùm receſſiſſet Epiphanius cæpit ille pulſare ſocium, ut reſurgeret. At ille nec ad ſecundum, nec ad tertium pulſum & monitum movetur, quamvis ut reſurgeret ad epulandum ſuper eleemoſyna data moneretur. Cognoſcens ille vere mortuum, cucurrit ad Epiphanium, cum fletu rogans ut ſocium ſuſcitaret, culpamque agnoſcens. At ille conſolatus quidem eſt illum, ne graviter ferret quod evenerat, noluit tamen mortuum ſuſcitare. Hoc verò provide factum eſt, ut non facilè Dei miniſtri deludantur, Sozomonus lib. 7. cap. 26. Caſſiodorus in hiſt. trip. l. 9. c. 48.

Simile narrat Gregorius Nyſſenus de duobus pauperibus Hebræis quorum alter ſe mortuum in via publica conſinxerat, alter verò mortuum ſicte deplorans, neceſſaria ad funus à Gregorio illac iter habente poſtulabat, cui pallium B. Gregorius illico injecit, & cæptum iter proſecutus eſt, at pallii injectio animam è jacentis corpore ejecit. In vita S. Gregorii Thaumaturgi.

Digitized by Google

LECTIO VI.

DE SECUNDA SERIE STRUCTURÆ.

2. Seriei. SEcunda series hujus muri Jerichuntini, quem superbiam nominamus, constituitur ex arrogantia, tumore, præsumptione, defectu aliorum, & similibus, duris saxis aut latericus luteis, igne pessimo excoctis, de quibus pauca in particulari subjicio.

DE ARROGANTIA.

ARrogantia est quædam vana existimatio sui, per quam quis sibi attribuit quod non habet, idque temerè & insolenter. Hæc non solùm humilitati, sed & modestiæ est contraria. Hanc sæpè Deus in Scriptura se detestari indicat. Unde in Prov. 8. 13. Proverbiis sic legimus: *Arrogantiam & superbiam, os bilingue, & viam pravam ego detestor.*

Exempla arrogantium multa, cùm ex Scripturis sacris, tum ex historiis profanis depromere licet, pauca accipe.

Exempla arrogantium. 1. Quid arrogantius & insolentius Rege Assur? Isa. 10. Isaia dicente: *In fortitudine manus meæ ego feci, & in sapientia mea intellexi: & abstuli terminos populorum, & Principes populorum depradatus sum, & detraxi quasi potens in sublimi residentes. Et invenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum, & sicut colliguntur ova quæ derelicta sunt, sic universam terram ego congregavi, & non fuit qui moveret pennam & aperiret os, & ganniret.* An aliquid verbis istis insolentius dici potest? Respondit ibidem Dominus: *Visitabo super fructum magnifici cordis Regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorum ejus.* Numquid gloriabitur securis, contra eum qui secat in ea? Aut exaltabitur serra, contra eum à quo trahitur? Quomodo si elevetur virga contra elevantem se. Propter hoc mittet Dominator Dominus exercituum in pinguibus ejus tenuitatem, hoc est, in fortibus ejus plagam, & subtus gloriam ejus succensa ardebit quasi combustio ignis. Quantificat Dominus: Debebat in me, non in se gloriari, ipse enim virga est & baculus, quo percutio hos quibus indignatus sum: ego illi dedi fortitudinem, sed quia illam sibi arrogat, quasi elevans se contra me, puniam eum, & gloriam ejus ad nihilum deducam, sicut stipulam vis ignis in favillam redigit.

De Zischa tyranno. 2. Quid insolentius & arrogantius Zischa tyranno Bohemorum? Hic cùm varias victorias reportasset contra Sigismundum Imperatorem, ita fastu, superbiâ, & crudelitate plenus vitâ excessit, ut suis moriens præciperet cadaveris sui pellem detrahere; & ex illa tympanum conficere, quo ad prælium contra hostes tuti progrederentur. Futurum enim ajebat, ut tympanum istud ex cadavere suo confectum, solo sonitu hostes fugaret, & terrore nimio profligaret.

De Eduardo I. Angliæ Rege. 3. Quid insolentius & arrogantius Eduardo primo Angliæ Rege? Hic cùm in variis prælis contra Scotiæ Regem, quoties præsens fuerat, feliciter trophæa reportasset; hæc omnia cum fastu sibi soli attribuens, jam morti proximus juramento obstrinxit filium, ut post mortem cadaver suum aquis bullientibus traderet, sicque carnem ab ossibus secerneret. Ulterius præcepit eidem, ut quoties ad prælium contra Scotos proceder dum foret, ossa ista paterna secum veheret, hostibus metum & vastitatem absque dubio, ut asserebat allatura. Sic arrogantia & præsumptio, nec Regem hunc nec tyrannum Zischam in morte deseruit. *Ossa eorum adolescentia implentur vitiis, & cum eo in pulvere dormient,* ut de quibusdam dicit Job. Job. 20. 11.

DE TVMORE.

TUmor arrogantiæ conjungi solet, estque mentis quædam inanis & superba inflatio, de qua Augustinus sic ait quodam loco: *Est superbia non magnitudo, sed tumor; quod autem tumet, videtur magnum, sed non est sanum.* Propterea superbi comparantur Buboni Æthiopico, qui cùm in eodem secum prato bovem pascentem advertisset, ejus invidens magnitudini, voluit & ipse sui quodam incremento illi adæquari. Unde toto annisu sese inflans, tandem crepuit medius. Comparantur etiam superbi, propter tumorem & inflationem mentis, montibus & collibus; humiles verò vallibus. Dicuntur que tumore illo animi maximè adversari divinæ gratiæ, & illius se incapaces & indignos reddere. Montes propter altitudinem suam & tumorem, aquam superfluam à se repellunt, quæ defluens toto impetu ad valles currit; ita cor per superbiam tumidum & elatum, à se rejicit fluenta gratiarum. Quapropter si loci profunditas fuerit in montem per tumorem conversa, statim hunc locum aquarum deserit copia, & tunc fit durus, aridusque: Simili plane modo cor elatum durum est, expers pietatis, ignarum compunctionis, siccum ab omni rore gratiæ Spiritualis. In sensu mystico illud Psalmi ad hanc rem potest accommodari: *Qui emittis fontes in convallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ.* Simile. S. August. Psal. 103. 10

DE PRÆSVMPTIONE.

PRæsumptio ex arrogantia oritur: estque immoderatio, qua quis corde elato attentat quid temerè, vel supra vires. De præsumptuoso scriptum est: *Omne sublime videns oculis ejus.* Oculos autem sublimes se odisse testatur Dominus, Proverb. 6. Præsumptuosum quoque monet Apostolus: *Non altum sapere, sed time.* Rom. 11. 16. Prov. 6. 17

Digitized by Google

Est itaque odibilis, & condemnatione digna præsumptio, sive versetur in materia scientiæ & doctrinæ, sive virtutis & sanctimoniæ, sive artis & industriæ, sive divitiarum & fortunæ.

S. Bern. tract. de 12 grad. humil. *Præsumptuosi descriptio.*

S. Bernardus aptè describit præsumptuosorum genium & ingenium, dum ait: *Præsumptuosus primus in conventibus residet, in consiliis primus respondet, non vocatus accedit, non missus se intromittit, reordinat ordinata, refici facta, quidquid ipse non fecit aut ordinavit, nec pulchrè factum, nec pulchrè æstimat ordinatum: judicat judicantes, præjudicat judicaturos. Quòd si ad id quod sperat non promovetur, eos qui promovere poterant judicat invidos, aut deceptos.*

Propter hanc præsumptionem multi volentes nimium saperi, & alta penetrare, neque humilibus consentire, a fide etiam naufragium fecerunt; dum infœliciter quasi pelagi fluctibus ingenium suum committunt, testatur id B. August. *Non ego meo ingenio vel merito, sed ejus dono sum, si qua laudanda sum. Nam quædam acutissima & excellentissima ingenia tantò pejus erraverunt, quantò confidentius tanquam suis viribus encurrerunt; nec suppliciter ac veraciter Deum, ut sibi viam ostenderet, rogaverunt.* Aug. ep. ad Macedonium.

Hi præsumptuosi rectè comparantur Icaro, qui præsumpsit in sublime volare, & Soli nimium appropinquare. Unde ad Solis calorem pennis ejus defluentibus, cecidit, & submersus est. Unde Poeta:

Dum petit infirmis nimium sublimia pennis
Icarus Icarias nomine fecit aquas. Ovid. 1. Trist.

Comparantur etiam Phaethonti, qui importunus fuit Patri ad regendum solarem currum. Cui pater:

Magna petis Phœbithon, & quæ non viribus istis
Conveniunt. Ovid. l. 2. Metam.

Exterbit tandem, sed orbi ac sibi imperitus incendium suscitavit, in ultionem præsumptionis.

Quàm multi his similes sunt, qui volare contendunt ad ea quæ vires superant, solis vecti præsumptionis aliis? Sed sæpè confusionem sibi pariunt & perniciem, levantes se super se. Unde satius illis foret cum Propheta dicere: *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis & mirabilibus super me: si non humiliter sentiebam & exaltavi animam meam; sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea.* Quasi dicat, & Deo nos idem dicere doceat: Domine tu testis es, quod modestè semper de me senserim: quod si exuli animam meam, arrogando, vel præsumendo altiora me, non recuso quidlibet à te pati. Sicut infans recenter ablactatus, adhuc tamen totus pendet à matre: ita & anima mea tibi uni omnia refert accepta, atque à te uno omnia sibi tribui, donarique expectat. Imò, si ita est, quod humiliter de me non senserim, cupio ut fiat talis retributio animæ meæ, quâ sim sicut infans qui ablactatur à matre ante tempus, ut nec competenter crescam, nec proficiam, sed subtrahatur mihi gratia tua in ultionem superbiæ & præsumptionis meæ. Ps. 130. 1. & 2.

Certè Deus ab his qui præsumunt de se, aut fiduat viribus suis, frequenter auxilium subtrahit gratiæ: & permittit ut labantur, cadentesque agnoscant se. Non enim nisi de ignorantia sui præsumptio oritur, & superbia vitæ: Idcò quia Petrus nimis de se, & de viribus suis præsumpserat, Domino monente, tandem permissus est graviter cadere. Et dum infirmitatem agnovit suam, lachrymis illam diluens, iterùm erectus est, didicitq; non nisi a præsumere. Similiter David quodam loco sic Domino inquitur, præsumptionem suam notans: *Ego dixi non movebor in æternum.* At posteà subdit, præsumptionis suæ agnoscens ultionem: *Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Nemo ergo sibi blandiat, nemo præsumat. Psal. 16. 7. & 8.

DE CONTEMPTV.

COntemptus aliorum arrogantiæ affinis est, & superbiæ agnatus. Sic superbus Pharisæus dicebat arrogantèr: *Non sum sicut cæteri hominum.* Unde & ejus exemplum proponit Dominus illis, *qui in se confidebant tanquam justi, & aspernabantur cæteros.* De his agens S. Gregor sic loquitur: *Quisquis superbiæ tyrannidem captiva mente susceperis hoc primum damnum patitur, quod clauso cordis oculo judicii æquitatem perdit. Nam cuncta quæ ab alio benè geruntur, displicent, & sola ei quæ pravè egerit, placent. Semper alienæ operæ adspicit, semper miratur quæ ipse facit, quia & quidquid egerit egisse se singulariter credit.* De his rectè usurpaveris illud Psalmi: *Erraverunt in solitudine*: Qui sunt qui in solitudine errant? Qui soli sapere, soli videri, soli honorari peroptant; aliosque vel aspernantur, vel negliguntur, nec patiuntur sibi fieri in honore consortes. Hoc profectò ambitiosis commune esse, rectè declarat Innocentius de vilitate conditionis humanæ, ubi sic ait: *Ambitiosus, statim ut est ad honorem promotus, in superbiam extollitur, jactantiâ effrenatur, non curat prodesse, sed gloriatur præesse, præfertur seniorem, quia erat superiorem. Priores dedignatur amicos, notos ignorat, diu sternos comites contemnit antiquos, vultum avertit, cervicem erigit, fastum effundit: grandia loquitur, sublimia meditatur, subesse non patitur, præesse molitur, subditis onerosus, omnibus infestus, præceps, molestus, arrogans, gravis & importunus.* Luc. 18. 9. S. Greg. 34. Moral. Pf. 106. 4. Innocent. *Ambit. est mores & conjuratio.*

Advertendum & hic, ex quadam oriri superbia, quòd sese mutuò contemnant, ibique invicem detrahant nationes diversæ. Certè nullæ sunt contemnendæ nationes, cùm æque charas habuerit Christus, omnes suo redimens sanguine. Sunt quidem quibusdam sua vitia & defectus, suique mores, qui non æquè nobis placent; sed sunt hi similiter & nobis defectus & vitia, moresque qui aliis meritò displicent; sunt & illis virtutes multæ, quæ nobis desunt. Sicut in corpore membra omnia officium *Nulla nationes contemnenda.*

Digitized by Google

suum ad corporis perfectionem & subsidium habent; ita & ad mundi unionem Deus dedit regionibus quibuslibet fructus, dedit & munera, quo necessaria societas mutua coalesceret, per auxilium mutuum. Imo distribuit Deus nationibus dona propria, quæ inspiceremus, ne in vitia temper intenti essemus: proprias que virtutes illis distinxit, quas & nobis precaremur, & imitaremur Sic Græci natura sunt eloquentes, Afri callidi, Brasilii casti, Hispani ingeniosi, Itali judicio maturi, Germani sinceri, Galli agiles. Poloni hospitales, & peregrinorum amatores, Angli amantes civium, Scoti parci. Belgæ industrii & laboriosi. Hæ ergo virtutes considerandæ sunt, & pleraque alia in illis munera Dei, ideoque nulla natio despicienda.

Costerus Conc 4. post Pent. *Elogia nationum.*

LECTIO VII.

DE TERTIA SERIE STRVCTVRÆ.

1. *Series.* Tertia series structuræ muri nostri constituitur ex pertinacia, discordia, inobedientia, rebellione, ingratitudine, & his similibus vitiis.

DE PERTINACIA.

Gradus Hæresis. Pertinacia est vitium, quo quis nimis innititur propriæ sententiæ, proprio consilio vel judicio, nolens cedere meliori sententiæ, vel consilio. Oritur hæc ex superbia, & in rebus fidei valde est perniciosa, quando quis suæ innitens scientiæ, Majorum declarationi haud vult acquiescere. Hi sunt enim gradus hæresis ordinarij 1. Curiositas legendi omnis generis libros 2. Præsumptio judicandi de omnibus. 3. Pertinacia rebellis tuendo propriam opinionem. 4. Contemptus omnium, qui huic contradicunt. 5. Cæcitas cum superbia conjuncta. 6. Denique, ex his omnibus error pertinax.

Pernicios etiam est pertinacia sive in moribus, sive in institutione vitæ: dum scilicet quis proprio adhæresit judicio, aliorum relicto consilio. Hinc sæpè monet Scriptura: *Ne innitaris prudentiæ tuæ. Ne sis sapiens apud temet ipsum. Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Væ qui sapientes estis in oculis vestris.* Hinc Tobias instruens filium, monet, ut sine consilio nihil faciat. Moyses ipse non est dedignatus suscipere consilium à Jethro socero suo, se longè sapientiâ & auctoritate inferiore.

Prov. 3. 5. Rom. 12. 3. Isai. 5. 21. Tob. 4. 19

S. Basil. in c. 1. Isaiæ. Hoc idem monent sancti Patres, consilio scilicet aliorum rebus in dubiis uti. Unde sic ait Basilius: *Sacra quædam res est consilium, voluntatum unio, fructus dilectionis humilitatis insigne. E diverso insolerabilis est superbiæ argumentum, existimare se nullius egere consilio. sed sibi tantum attentum esse, quasi soli quis possit sibi decernere quæ optima sunt.*

Bern. ep. 87. Præclarè quoque Bern. in eandem sententiam dixit: *Qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit.* Iterumque addit sermone de Resurrectione. *In corde quorundam duplex est lepra, propria voluntas, & proprium consilium: Lepra utraque pessima, eoque; ermciosior, quò magis interior.*

Idem ser. 3. de Resurr.

Quantum verò noceat pertinacia, duobus possumus exemplis demonstrare. Primum est apud B. Greg. de Paschasio Apostolicæ Sedis Diacono. Alterum est apud Cass. de Herone Monacho. De primo sic ait Gregorius: Cùm adhuc essem juvenculus, narrari à Majoribus audivi, quod Paschasius hujus Apostolicæ Sedis Diaconus, miræ sanctitatis vir fuerit, cultor pauperum, & contemptor sui. Sed hic in ea contentione quæ inardescente zelo fidelium inter Symmachum atque Laurentium facta est, ad Pontificatûs ordinem Laurentium elegit, & omnium post unanimitate superatus, in sua tamen sententia usque ad diem exitûs sui perstitit, illum amando atque præferendo, quem Episcoporum judicio præesse sibi Ecclesia refutavit. Hic itaque cùm temporibus Symmachi Apostolicæ Sedis Fratulis esset defunctus, ejus dalmaticam feretro superpositam dæmoniacus tetigit, statimque sanatus est. Post multum verò temporis Germano Capuano Episcopo Medici pro corporis salute dictaverant, ut in angularibus thermis lavari debuisset. Qui ingressus easdem thermas, prædictum Paschasium stantem, & obsequentem in caloribus invenit. Quo viso vehementer extimuit, & quid ille vir tantus faceret, inquisivit. Cui ille respondit: Pro nulla alia causa in hoc pœnali loco deputatus sum, nisi quia in parte Laurentij contra Symmachum sensi. Sed quæso te pro me Dominum Deum deprecare. Atque in hoc statim cognosces, quod exauditus sis, si huc rediens me non inveneris. Qua de re vir Domini Germanus se in precibus strinxit, & post paucos dies rediens, Paschasium in eodem loco minimè invenit. Ita S. Greg.

Exempl. S. Greg. l. 4. dial. c. 40.

De secundo sic habet Cassianus: Recolite quod nuper gestum oculorum vestrorum viditis obtutibus senem videlicet Heronem ante paucos admodum dies illusione diabolicâ à summis ad ima dejectum, quem quinquaginta annis in hac eremo commoratum, singulari districtione continentiæ rigorem tenuisse, meminimus. Hic igitur quo pacto post tantos labores gravissimo corruens lapsu cunctos in hac eremo constitutos luctuoso dolore perculit? Nonne, quia minus discretione possessa, suis definitionibus regi, quam consiliis vel collationibus fratrum, atque institutis majorum maluit obedire. Quâ præsumptione deceptus, Angelum satanæ, velut Angelum lucis, cum summa veneratione suscipiens, ejusque præceptis prono obediens famulatu, semetipsum in puteum, cujus profunditatem oculorum non attingit intuitus præcipitem dedit, de Angeli videlicet sui spontione non dubitans, qui eum pro merito virtutum, ac laborum suorum, nequaquam posse firmaverat

Cassian. collat. 2. c. 5.

ulli

Digitized by Google

illi jam diſcrimini ſubjacere. Do quo ingenti fratrum labore extractus, vitam die tertia finiturus, in deceptionis obſtinatione permanſit, non credens quod dæmonum calliditate fuiſſet deluſus. Idem Caſſianus non dubitat affirmare; *Impoſſibile eſſe quemquam qui proprio ſidit judicio diaboli illuſione non decipi.* Sicut contra Abbas Moſes apud eundem: *Nullatenus fraudibus & inſidiis inimici decipi poſſe, qui non ſuo judicio, ſed Majorum vivit exemplo.*

Idem Caſſian. collat. 16. c. 11. colat. 2. c. 10.

DE DISCORDIA.

Prov. 18. 6

DISCORDIA eſt quædam voluntatum diſgregatio, ſoletque ex ſuperbia genus ſuum ducere. Teſtis eſt ſapiens: Inter ſuperbos ſemper ſunt jurgia. Sicut enim vapor de terra & mari ſurſum aſcendens in regionem aëris, nubes turbines, fulmina, tonitrua generat, aliaſque tumultuoſas impreſſiones: Sic ex ſuperbiæ vapore de corde terreno in caput ſuperbi condeſcendente, oriuntur diſcordiæ diſſenſiones, & tumultuantes interius exteriuſque paſſiones. Unde hos rectè Gallo comparaveris. Nam ſicut Gallus criſtam in capite gerit, erectus incedit, caudam levat, ſæpè cantat calcaria portat, pro nihilo cum aliis Gallis decertat: Sic multi reperiuntur in capite criſtati per ſuperbiæ elationem, & per veſtimentorum faſtum; incedunt erecto corde, erecta cervice, plumas ſuas extendunt, & limbrias, aliosque contemnunt per vanitatem. Diſſolutè canunt & fracta voce, ambulant calcaribus & enſe ſuccincti, ſemper ad lites ſunt parati, caudam elevant ſervorum multitudine cincti: & ut verbo dicam, ad nihil aliud videntur nati niſi ad pugnas, diſcordias, oppreſſiones pauperum, aut ad ſæculi vanitatem cum arrogantia ſectandam.

Diſcordia ſimiles Gallo.

Sanè ſi ſe mutuò agnoſcerent homines, & cum humanitate & humilitate, tamquam de eadem humo orti, ſupportarent ſe in charitate fraternitatis uniti, nullus relinqui poſſet diſcordiæ locus. Verum cupiditas & ſuperbia furtim irrepentes, ſemper nanciſcuntur occaſionem diſſidii, effringuntque fraternitatis nexum, in diverſum rapiendo voluntates. Ad hanc rem innuendam finxere Poëtæ, junonem Deam divitiarum, Palladem Deam ſapientiæ, Venerem Deam amoris, unione concordi ad nuptias Mercurii invitatas venille. At Dea diſcordiæ, cùm invitatata non foret, adinvenit modum quo ſe ingereret, & unionem ac ſocietatem amicam inter eas dirimeret. Pomum enim aureum accepit, in quo ſcriptum erat: *Pulchriori detur*; Illudque in medium earum jecit. Cùm ergo quælibet ſibi adblandiens ſuperbiæ inſtinctu, de pulchritudinis laude contenderet, diviſæ fuerunt, & diſcordes. Sic Regnum Trojanorum, quod diu ſteterat per divitias, ſapientiam & honorem, his inter ſe diſceptantibus delere potuit diſcordia.

Fabula de diſcordia.

Non abſimiliter diabolus, ſciens, quod per concordiæ nexum Filii Dei congregantur in unum, ſumme nititur in omni congregatione, etiam ſancta, diſſidia generare, & prava ſua ſuggeſtione pacificos ad diſſenſiones concitare. Æmulationes inter eos ſpargit, venenumque ſuperbiæ, ut neuter alteri ob elationem cordis dignetur cedere. Nimirum ſic ipſis diviſis dominium ſuum propagat, ſic imperii ſui pomeria dilatat; quia *ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.* Inquire in omnibus congregationibus, ſive ſacris, ſive politicis, in Regnis, in Civitatibus, Monaſteriis, Collegiis: & ſi aliquam invenis diſcordiam, ſcito præceſſiſſe ſuperbiam, illaque hanc foveri agnoſcito. Unde ſcilluræ & ſchiſmata in Eccleſia, niſi ex illa? Unde ſeditiones in republica? Unde in domo & familia particulari tot verborum contradictiones, tot animorum diviſiones, nonne ex mentis elatione, dum unus alteri non vult cedere? Utinam ergo monitum attendant Apoſtoli: *Obſecro vos Fratres, ut digne ambuletis vocatione qua vocati eſtis, cum omni humilitate & manſuetudine, cum patientia ſupportantes invicem in charitate, ſolliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Unum corpus, & unus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ.* Verum dum non vult frater fratrem, conſanguineus conſanguineum proximus proximum, collega collegam tolerare; hinc contentiones, hinc rixæ. Sed & poſt offenſam nemo alterum dignatur accedere, nemo prius reconciliationem poſtulare: ſic ſuperbia ſemper aſcendente, ſemper aſcendit diſcordia, omnium vitiorum vel genitrix, vel nutrix. Similis planè eſt beſtiæ illi de qua Apoc. 13. quæ aſcendebat de mari habens capita ſeptem, & cornua decem, & ſuper cornua decem diademata. Eſt enim diſcordia beſtia aſcendens de amaro hominum corde, quaſi de mari tumultuante; habens capita ſeptem, generans ſeptem capitalia vitia, habens & cornua decem, ob tranſgreſſionem decem Præceptorum Dei, quæ temerè violat. Habet quoque ſemper cornua diademata decem, quia gloriam de malis & peccatis captat. Lætantur enim diſcordes in malis ſuis, & in proximi damnis. Sic ex ſuperbia oritur diſcordia, & ex diſcordia & ſuperbia junctis, omnium malorum cumulus exurgit.

Job 41. 25.

Eph. 4. 2.

Diſcordia ſimilis beſtiæ. Apoc. 13.

DE INOBEDIENTIA.

INobedientia etiam ex ſuperbia ortum habet facitq; illa ut quis dedignetur aliis ſubeſſe, & quandoque contemptum inducit præcipientis, vel prohibentis Eſt vero mortalis, ſi res gravis præcipiatur legitimè ab habente poteſtatem *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*, inquit Apoſtolus *Omnis ergo anima ſublimiori poteſtati ſubdita ſit, ſive Regi quaſi præcellenti, ſive Ducibus tanquam ab eo miſſis &c.*

Rom. 13. 2

Hanc inobedientiæ culpam adauget protervia & rebellio, ſuperbiæ germen peſſimum: Sive illa ſit ſubditorum erga Dominos, filiorum erga parentes, plebis erga Principes, populi erga Paſtores Sacer-

Digitized by Google

Hugo de S Victore de 12. abulib. seculi.

Sacerdotes, sive Inferiorum quorumlibet erga Superiores. Hinc Hugo ait: *Inobedientia morbus ex superbia tumore est procedens. Ac sicut sanies ex ulcere, sic ex superbia contemptus manat. Tribus autem modis solemus mederi ulceri; emplastro, unguento, & ferro: sic etiam inobedientiæ oportet remedium afferre, exemplo boni operis; verbo exhortationis, disciplinæ correctionis. Cum enim ulcus hoc non emittit saniem per confessionem & humiliationem, vel excommunicationem non permittit emundationem, restat ut ferri recipiat incisionem per disciplinæ correctionem.*

DE INGRATITUDINE.

INgratitudo etiam superbiæ murum amplificat, dum beneficium acceptum vel contemnitur, vel oblivioni voluntariæ traditur: ideoque eam, non solum erga Deum, sed & erga benefactores, condemnant oracula Scripturæ sacræ.

2. Tim. 3. 2. Hinc S. Paulus ingratos numero adscribit improborum & superborum 2. Tim. 3. *Erunt in novissimis temporibus homines seipsos amantes, cupidi, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, &c.* Sap. 16. *Ingratæ spei tanquam hybernalis glacies tabescet, & dispertiet tanquam aqua supervacua.* Est vero gravis & condemnanda ingratitudo erga eos, quos Magistros nacti sumus; quibus sicut nec parentibus reddi potest æquivalens. Est quoque erga Deum ingratitudo, hostis gratiæ, inimica salutis, exinanitio meritorum, dispersio virtutum, ventus urens & siccans tibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ, ut sæpè docet Bernardus; ideoque tanquam radix omnis mali spiritualis, summè est fugienda & detestanda.

Sap 16. 29

S. Bern. ser 52. in Cant.

LECTIO VII.

DE LONGITUDINE MURI SUPERBIÆ.

4. *Longitudo eius, extendit se per omnem orbem.*

MUri Superbiæ longitudinem in hoc dicimus consistere, quod totum ambiat orbem sui extensione; id verò propter multitudinem innumeram ædificantium. Etenim ex omni statu reperiuntur aliqui superbiæ murum ædificantes in civitate hac terrena, idque satanæ Regis sui instinctu. Inveniuntur varios comportare lapides & lateres, quibus in immensum extenditur hoc primum ejus propugnaculum, quo se erigit adversus Deum, & civitatem ejus sanctam. Longior ergo multò est murus hic, muro illo celebri apud Historicos, qui quingentis dicitur constare leucis, & Chinas à Tartaris dividere. Sed videamus in particulari horum ædificantium multitudinem, ut considerare possimus nostri longitudinem.

Ædificantium hunc murum multitudo

DE SUPERBIA NOBILIUM.

PRimò ædificant hunc murum Jericho Nobiles & Potentes sæculi, quibus superbia cum natura videtur ingenita, ita ut dixerit Sallustius: *Superbia commune Nobilitatis malum est.* Hi sunt qui de primatu solent contendere, & exinde bella, seditiones, duella, tumultusque publicos suscitare. Nempè sicut terræ motus à vento intra viscera sua concluso, ortum habet, dum volens erumpere evertit omnia quæ offendit: Sic ambitio & superbia, licet non sic nisi ventus & vanitas mera, in sublime erumpere volens omnia commovet & perturbat.

Sallust. 1. *Nobiles de Primatu solent contendere*

Cur Alexander totum orbem bellis commovet? Cur Cæsar & Pompejus totum Romanum Imperium concutiunt? Cur Saul persequitur Davidem per montes & deserta? Cur occasione illius octoginta Sacerdotes perimit in civitate Nobe? Cur Aman procellam gravissimam excitat in Judæos: cur in Republ ab illis qui regere ambiunt, tanta commotio & tempestas exurgere sæpe cernitur, omnia certè ista à vento superbiæ in hominum cerebro concluso procedere exploratum est. Vult Alexander orbis solus esse Monarcha; & hic est ventus erumpens & suscitans tot prælia. Non fert Cæsar quemquam priorem, Pompejusque parem; & ideo tanta commotio Romano redundans cruore. Superbia Saulis hoc mulierum canticum non potuit tolerare: *Percussit Saul mille, & David decem millia.* Aman indignatur gravissimè quod Mardochæus Judæus nolit sibi genua flectere; hinc tot tempestates tot procellæ.

1. Reg. 18. 7. Esth. 3. 5.

In hoc quoque Nobiles hunc murum ædificare cernuntur, quod ex superbia passim de suis stemmatibus & nobilitate glorientur. Attamen exigui ea momenti est, si ignavis vel sordidis ipsorum moribus coinquinetur. Sicut enim nulli nocet generatio vilis, quam nobiles commendant mores. sic nec illis prodest generatio clara, quam sua deturpant & obscuram ignavia. Adde nullum esse adeò nobilis familiæ, etiamsi Princeps, qui si suos à bis mille annis repetat, inter eos non inventurus sit multos spurios, rusticos viles. Nam & ex vili prosapia multi mox ad Regnum pertigere. Vis horum exempla?

Nobiles 2. Passim glorientur de suo stemmate.

Multi ex vili prosapia ad Regnum pervenere.

Exempl.

1. Saul ab Asinis, David ab Ovibus ad Regnum evehitur, & Saul poltmodum reprobatur.

2. Valentinianus primus Imperator Patrem habuit funes torquentem.

3. Agathocles Syracusanorum Rex Patrem habuit Figulum.

4. Tamberlanus ex Bubulco factus est Rex Tartarorum.

5. Tullus Hostilius ex Pastore factus est Rex Romanorum.

6. Maximilianus ex opilione Imperator.

7. Justinus primus Imperator primò fuit subulcus, deinde bubulcus, postea Faber lignarius, deinde miles, tandem Imperator.

8. Othomannus ex agrestibus parentibus ortus, primus Turcarum Princeps fuit, cujus & modo posteri Regnum obtinent.

9. An-

Digitized by Google

9. Aurelianus & Diocletianus Imperatores etiam ex vili genere orti ſunt.

10. Denique omnis Nobilitas ignobile habuit principium, & qui in avorum nobilitate gloriantur, non in ſua, ſed in aliena virtute gloriam collocant.

Ovid. *Et genus & proavos & quæ non fecimus ipſi*
Vix ea noſtra voco.

Plutarch. Unde Iphicrates cuidam exprobranti ignobilitatem rectè reſpondit: *Meum genus à me incipit tuum in te deſinit.* Teſtis eſt Plutarchus in Apoph.

Sixtus V. Pontifex cùm de nobilitate ageretur, per jocum ſolebat dicere, ſe ex illuſtriſſima domo prognatum: quia licet vili eſſet è tugurio ortus, illam meritò domum dicebat illuſtriſſimam, quæ primas multas habens, undiq; Solis radiis erat pervia.

Multi ad Pontificatum evecti ex vili familia. Certè multi ad Pontificatum, ſupremum Eccleſiæ apicem, evecti ſunt ex vili familia; nec hoc obfuit nobilibus eorum moribus. Horum aliquos recenſeamus.

Exempl. 1. Joannes vigeſimus ſecundus Sutoris cujuſdam fuit filius, doctrina interim ſpectatiſſimus.

2. Sixtus quartus filius Nautæ pauperis extitit.

3. Nicolaus quintus filius circumforanei pullos & ova vendentis.

4. Sixtus quintus (ut jam diximus) filium pauperis ruſtici in tugurio habitantis ſe gloriabatur.

5. Adrianus ſextus Ultrajectinus, pauper Lovanii quondam ſtudioſus fuit.

3 Gloriantur bellicis victoriis. Agathias l. 4. Baro. tom 11. anno 1106. num. 90. Iuda. 1. 6. Gloriantur & alii Equites Nobiles bellicis ſtratagematibus & victoriis; & hoc iterum eſt ſuperbiæ murum erigere.

Sic Perſarum Rex Sapor devicto Valeriano Imperatore, equum dum conſcenderet, ſubſellii vice utebatur: ac eum inſtar canis ſub menſa ſua micas cadentes lingere cogebat, inaudita ſane ſuperbia.

Similiter Adonibeſec Rex, ut habetur Judicum 1. habebat ſeptuaginta Reges amputatis manuum ac pedum ſummitatibus ſub menſa ſua ciborum reliquias colligentes. Unde juſtè factum eſt, ut & ipſe captus, cæſis ſummitatibus manuum ac pedum, ab hoſtibus illuderetur.

Niceph. l. 18. hiſt. c. 29. Seſoſtris Ægyptiorum Rex illuſtris admodum & felix, plurimas & maximas ſibi ſubjecit nationes. Atque ex eo ſucceſſu in protervam arrogantiam ſublatus, currum ſibi aureum pellucidis pretioſisque lapillis exornatum fieri fecit. In quo confidens à quatuor ex devictis Regibus currum ſuum voluit trahi, jugo illis impoſito. Hoc verò cùm fieret celebri quodam feſtoque die, ex iſtis Regibus unus oculis converſis continuè retroſpiciebat, & ſubridens, rotæ volubilitatem intuebatur. Seſoſtris verò cum cujus rei gratia tam frequenter oculos in rotam conniteret, percontaretur; reſpondiſſe is fertur: *Cum ſtupore admiror, imò cum riſu; rotam inſtar viri modo ferri, atque alias aliter volui, & nunc quidem ſublimia deſiderantem, rurſus autem damniſſo ſubi manum conſpicio.* Seſoſtris porrò, ubi dictum id intellexit, ſtatuit, ne illi poſt hac currum traherent, conſideravitque rotam in cujus ſummitate ipſe agebat, ad infortunium ſimile devolvi poſſe: Unde moderationem accepit ejus arrogantia, & inſolens gloriatio.

Certè ex victoriis ortam gloriationem planè vanam eſſe & ſtolidam, rectè ottendit Archidamus Rex Lacedæmonum. Cùm enim Philippus Rex Macedo poſt partam de hoſte victoriam, epiſtolam inſolentem & amarulentam ad eum ſcripſiſſet, ſcripſit ille: *Si mecum in umbram tuam, haud reperies illam majorem quàm ante victoriam.* Sic graviter monuit, non eſſe viri prudentis ob tales ſucceſſus proſperos intumeſcere, cum inde quis melior vel major non exiſtat, niſi extrinſeca quadam & umbratili ambitione, cùm & omnia hæc variati poſſint fortunæ mutabilitate. Plut. in Lacon.

Hoc enim rectè agnovit Carolus V. Imperator. Florimundus Remundus & alii. Cùm enim Franciſcus Valeſius Galliæ Rex, ejus tunc captivus, parieti cubiculi inſcripſiſſet; *Hodie mihi, cras tibi*: id advertens Carolus, & captivi mentem haud ignorans ſubſcripſit: *Homo ſum, humani nihil à me alienum puto.* Non ergo glorientur Nobiles in avis & proavis, non in ſtemmatibus aut inſigniis, non in vexillis aut victoriis. Non ædificent turrim ſuperbiæ in caput ſuum tandem occaſuram; ſed meminerint ſe ejusdem eſſe ſortis cum hominibus omnibus, ſe è humo prognatos, & in humum redituros, quando nihil proderunt ſtemmata, nihil arma victricia, nihil fortitudo bellica; quia hæc deteretur, & ipſi à vermibus obſeſſi, devincentur, prædaque erunt ac eſca.

Ponant & illi ſibi ante oculos Pompejum, poſt tot bellica geſta à vili ſpeculatore capite truncatum & in ſuo jacentem tabido cruore.

Proponant & Julium Cæſarem, poſt tot victorias in medio Senatus tot confoſſum vulneribus.

DE SUPERBIA DIVITUM.

SEcundo, ædificant hunc murum divites hujus ſæculi. Rectè enim dixit Auguſtinus: *Omne pomum, nunc granum, omne lignum habet vermem ſuum; & alius eſt vermis grani, alius pomi, alius ligni. Vermis autem divitiarum ſuperbia eſt.* August. Abac. 2. 9 Nempè ideò homines congregant divitias, *ut in excelſo ponant nidum ſuum, ſicque putent ſe liberari de manu mali*, ut dicit Propheta. Et cum paupertas aut fortuna mediocris eos in officio poſſet continere, ſtatim ubi vident ſe abundare rebus ſæculi extolluntur, inflantur. Ideò ſpecialiter divites moneri vult Apoſtolus, & ab hac ſuperbia deterreri. *Præcipe divitibus non ſublime ſapere nec ſperare in incerto divitiarum*, ait ipſe diſcipulo ſuo Timotheo. Divites ſpecialiter exprimit, ſciens majorem eis ſuggeri occaſionem ſuperbiæ, quàm tenuioribus. In quem enim finem, vel Negotiatores, vel Juriſperiti, vel alii ſcientia & induſtria multa congregant, niſi ut nidum ſuum in ſublime tollant? niſi ut nomen ſuum excelſum faciant? Certè ſi in ſtatu ſuo tranquilli 1. Tim. 6. 17.

Digitized by Google

agerent, cum mediocritate & bona conscientia melius illis consultum foret. At ipsi quidem sicut aves sunt, qui in excelso nidum suum construunt, ut nemo illum valeat disiicere: putant enim & hi per opes excelsas ab omni esse calamitate liberi. Sed non infrequenter confusionem sibi moliri inveniuntur; & opus in perniciem cùm temporalem, cùm æternam, ob superbiæ excellum, illis convertuntur, quod serò agnoscunt.

Osee 5. 10. De quibusdam dicit Propheta Oseas *Facti sunt quasi assumentes terminum*, sive ut Legunt LXX. & D. Hieron. *Facti sunt transponentes terminum.* Quid est transponere terminum, nisi signum aliquod dividens fundum tuum ab alio transferre, ut partem de alieno vindices. Hoc prohibitum legimus Deut. 19. 14. & 27. 17. Similes his dicimus eos, qui majora nomina, titulos, opes ambiunt, quàm eorum deposcat status. Et hæc nihilominus ambitio penè ubique cernitur. Vis particularius exemplis tibi id ob oculos ponam? An non videmus, quod rusticus & arator si ditescat, statim rurale sagum abiiciens vesturi velit & in omnibus se gerere quasi mercator Urbanus? Mercator verò si opes auxerit, jam negotiatorum conversationem fastidire cernitur, optat inter Nobiles censeri, more Nobilium se suamque familiam vult indui, modum vivendi Nobilium domi suæ introduci, filios suos Dominos vocitari. Denique, an non cernimus eos qui exiguæ sunt nobilitatis, si opibus contingat abundare, nova & sublimiora dominia coemere; Baronatus, Comitatus, Marchionatus ambire? An non hoc ipsum est quodammodo terminum transponere, nolle se intra statum suum mediocrem coarctare, sed sublimius semper superbia duce velle conscendere.

Exempla ambitiosorum.

Osee 5. 10. Profectò hi, & his similes, meritò asseruntur hunc superbiæ murum in altum erigere, in longum latumque protendere; sed in perniciem sapè suam: Nam quandoque Deus super hos ædificatores Jericho, *iram effudit suam quasi aquam*, ut ibidem loquitur Ozeas Propheta. Superbiam eorum deprimit cum pudore & confusione, ut aliis sint exemplo & ludibrio. Videmus enim non infrequenter; eos tandem non sufficere sustinendis sumptibus status altioris, quem ambierunt: Videmus & proles eorum, per fastum quem à Parentibus didicerunt, paulatim ab illis grandi labore congesta & conservata, exigui temporis curriculo infeliciter prodigere, & à statu decidere.

DE SVPERBIA MVLIERVM.

3. De faciei ornatu & compositione. TErtiò ædificat hunc murum sexus muliebris superbiæ & vanitati supra modum addictus. Cùm enim specie externa delectetur, aut alios delectare aveat, huic adornandæ muro cum fastu inhæret, dicente Poëta:

Fastus inest pulchris, sequiturque superbia formam.

Cumque pulchritudo inter dona Dei sit minimum, in illa tamen vel comparanda, vel alenda, totum studium figit, inde captans gloriam vanam & inanem: Hinc illa speculis adhæsio, & sui contemplatio cum abusu, huic sexui familiaris. Abusum voco non enim materia illa accipiendæ imagini apta, ad hunc est finem inventa primitus, ut cum vanitate & superbia ad speculum se comeret femina; Sed ad hoc specula inventa sunt, ut se nosceret homo, teste Seneca. Inde consecuta sunt multa bona, si homo ad malum illa non detorqueret. Primo, inde orta sui notitia, & ad multa consilium: formosus ut vitaret infamiam, deformis ut sciret redimendum esse virtutibus, quod corpori deesset. Juvenis ut in flore ætatis moneretur tempus esse discendi, & fortia audendi. Senex ut indecora canis deponeret, & de morte cogitaret. Ad hoc rerum natura facultatem dedit nosmet videndi. Fons lucidus, aut leve saxum cuique imaginem reddit. Qualem fuisse putas cultum ad hoc speculum se comentium? Ætas illa simplicior, & fortuitis contenta, beneficium nondum detorquebat in vitium, nec inventum naturæ in libidinem luxumque rapiebat. At verò nunc multi, instar Narcissi, ex speculis se intuentes, nimis efferuntur, nimis eheu! se amant; & dum corpus formant, animum deformant. Et certè Narcissi fabula tales perstringit, qui inaniter speculis deluduntur, & deludunt. De qua re sic S. Gregor Nanzianz in carminibus suis:

Speculi cur inventa. Seneca l. 1. nat. q. c. 7.

Narcissi fabula S. Greg. Nazian.

Ut data sit priscis per casum fabula nostros,
Quidam olim forma ipse sua correptus amore,
In fontem insilit pulchrique ex ore inani
Exitium traxit speculo, mortemque pudendam.

Dicitur Basiliscus sese respiciendo seipsum interimere, reflexione quorundam radiorum ab ipsiusmet oculis infestissimis procedentium. Non absimiliter contingit quandoque curiosis, & superbis illis mulierculis, quæ multoties in speculis sese intuentur, ut sciant an pallor & rubedo apta sint: permixta, an fucus & color adjectitius adhibendus, an sic placituræ sint illis quibus nec placere decet. Etenim radiis quibusdam superbiæ è facie sua promicantibus nonnunquam sibi mortem generant. Et sicut inter specula quædam sunt fallacia, quia corpus objectum vel longius quam sit in re & altius, vel latius & amplius repræsentant; sic plerique sese intuendo, ita alti & sublimes, ita ampli & superbi animo efficiuntur, ut aliis sese præferre haud vereantur tumido supercilio; sic nimirum Superbiæ murum ædificant & exaltant.

Quàm melius verò eis foret, speculum tale intueri, quod eis conscientiæ maculas ostentaret, & animæ impuritatem exhiberet? Hac detersa colores & lineamenta virtutum super inducerent, candorem puritatis & caritatis, pallorem humilitatis, ruborem divini amoris, cæruleumque colorem cœlestis intentionis. Quàm satius eis foret, calvariam suam contemplari, sine cute, sine crine, sine lineamentis & coloribus tandem futuram, cum horrore omnium intuentium, à vermibus vel serpentibus exedendam? Inspiciant utinam Absalonis florentissimi,

Digitized by Google

tissimi juvenis, omni specie, omni cæsarie denudatum cranium: & quærant, ubi decor ille, ubi capilli auro splendidiores, quibus virgines Israel ornatæ in publicum procedebant gloriantes pretio auri illos sibi comparantes. Nunquid non solum non totus ille decor evanuit, sed & intuentibus caput illud aureum jam horrorem incuteret?

Utinam intuerentur, tanquam speculum animas illas in flammis æternis vel purgatoriis lamentantes, & horridis suis clamoribus commonentes, ut in vanum tempus suum non consumant in speculis, noxiæ vacantes contemplationi; pro qua animæ multæ vel flammis æternis, vel expiatoriis sunt addictæ: Vel certe intueantur animas gloriosas, & lusoirent ad pulchritudinem illam immortalitatis despiciendo hæc vana, respiciendo illa æterna. Hæc forent specula proficua & pretiosa, in quibus se nosse possent, se humiliare discerent, superbiamque conculcare.

2. In vestium luxu. Neque verò solum superbiæ murum ædificare hic sexus censetur in faciei ornatu, & vana compositione; sed & maximè in vestium luxu, & ornamentorum extrinsecus adhibitorum varietate, ex noxiæ curiositatis pernicioſa inventione. Denique in ingressu & incessu, in oculorum & corporis affectatione: quæ omnia interioris hominis designant depravationem & deformitatem, elationem ac superbiam. Propterea minatur Dominus per Prophetam: *Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant & plaudebant: ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant:* Decalcabit Dominus vertices filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. *In die illa auferet ornamentum calceamentorum, & lunulas & torques, & monilia, & armillas, & mitras & discriminalia, & periscelidas, & murenulas & olfactoriola & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina & acus, & specula, & sindones, & vittas, & theristra. Et erit pro suavi odore fœtor, & pro zona funiculus & pro crispante crine calvitium, & pro fascia pectorali cilicium.* Isa. 3. 16.

Hæc Isaias ait ad uxores & filias, quæ ut pretiose se ornarent, viros fecerunt exactores compilatoresq; pauperum, quorum ipsæ sudore ac sanguine ad lasciviam compta luxuriabantur, & splendebant. Taxantur in mulierum, maximè puellarum vita, 1. est superbia *Tò Elevatæ* q. d. ut viris eminerent, & ab omnibus spectarentur, subiiciebant sibi cothurnos; ut iis proceræ incederent, & quasi reginæ aut deæ quædam viderentur. 2. Procacia *ambulaverunt extento collo.* Superbissime cervicem extenderunt instar gruum vel cygnorum, habitus hic est insolentis & procacis. 3. Libido: *& nutibus oculorum ibant &c.* Obliquando oculos: oblique scilicet oculum jaciendo in juvenes & amasios, & petulanter, eis annictando. Quod illicis & meretricis certissimum est signum, ait S. Chrysost. & Hieron. *Tactus, joci, nutus, fibili meritura virginitatis sunt principia. Plaudebant*, id est, incedebant molli motu fracto incessu & supplosione quasi tripudiantium: ut in choris fieri solet. *Composito gradu incedebant* pompaticè ad majestatem & elegantiam concinnato gressu incedebant: fortè etiam ad calceorum seu cothurnorum soleas gerebant clavos capitatos inter punctos eo ordine, ut terræ, cum sonitu impressi, signa quædam amatoria relinquerent. Ita ex Clem. Alex. l. 2. pædag. c. 11. Sanch.

S. Hiero. in vita S. Hilar.

Est certè vestitus ille nimia curiositate compositus, nimisque mollis, superbiæ vexillum, nidus luxuriæ. Ideo S. Petrus, monet ut mulieris ornamentum non sit in extrinseco ornatu, sed in pura & casta conversatione, ac timore Dei: sic enim loquitur: *Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri aut indumenti vestimentorum cultus: sed qui absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Sic enim aliquando & sanctæ mulieres sperantes in Deo ornabant se, subjectæ propriis viris.* Sanchez in hunc loc. 1. Pet. 3. 3.

Porrò quantum Deo displiceat ornatus ille superbiæ, qui non solum mulieribus modo, sed & juvenibus ac viris virorum nomine indignus, est communis; quantumque sit perniciosus multis possit exemplis declarari. *Quantum Deo displiceat ille ornatus superbus. Exempl. De Iezabel*

Notum est quomodo Jezabel, quæ sibi pingebat oculos fucis & luxu diffluebat muliebri, fœdè interierit justo Dei judicio; ita ut adimpletum fuerit illud Domini per servum suum Eliam: *Erunt carnes Iezabel sicut stercus super faciem terræ, in agro Iezrahel, ita ut prætereuntes dicant: Hæcine est ista Iezabel?* Quasi dicat: Illane est, quæ sua pulchritudine adeo delectabatur, aliosque il ectabat? quæ tanto cum fastu & pompa incedebat, quæ fuco & sibio genas oculosque ut promicarent, depingebat, quæ delicis omnibus diffluebat? Heu quantum mutata à seipsa, quæ jam ut stercus fœtidum proculcatur, à canum dentibus dilaniatur, sordibus conspurcatur, vilissimè pertractatur. Ubi nunc illa pulchritudo & decor? Ubi fastus & arrogantia? Ubi pompaticus ornatus? Ubi opes & delicia? Ubi oculi radiantes? Heu omnia in stercus & spurcitiam sunt commutata. 4. Reg. 9. 37.

Theodoretus l. 4. hist. c. 26. & in vitis PP. l. 9. *Argute Petrus minium matris Theodoreti ornatum sim laudi ne apta.*

Recte S. Petrus Eremita, ut in Historiis SS. Patrum Theodoretus refert, ad quandam mulierem huic vanitati vestium ornatui corporis & genarum, factuosaque pulchritudini nimium studentem, in & in vitis spiritu Dei sic locutus est non sine efficacia: Dic mihi filia, si quis Pictor in arte benè exercitatus, aliquam pinxisset imaginem, ut præcipit lex artis, & eam proposuisset videre volentibus; veniret autem aliquis alius artem non sciens perfectè & accuratè, temereque & inconsultè, ut sibi videtur, vellet contra pingere: deinde illam artificiosam reprehendens picturam, superciliis quidem & ciliis lineas adderet longiores faciem autem efficeret albiorem, & genis rubrum adderet colorem: non tibi videtur prior ille Pictor jure succensurus, quod imago ejus probro esset & contumelia affecta, & eorum,

Digitized by Google

quibus opus non erat additamentum à manu indocta accepiſſet? Ergo univerſorum quoque opificem, & noſtræ naturæ Effectorem & Pictorem, jure iraſci credite, quod illam imaginem ſuam naturam, & ſapientiam accuſetis inſcitiæ. Non enim rubrum aut album aut nigrum colorem vobis compararetis, ſi non exiſtimaretis eſſe vobis opus hac additione. His autem corpus egere arbitrantes, imbecillitatis damnatis Creatorem. Deinde ſubdidit: *Nolite ergo corrumpere ejus imaginem; neque tentetis ea addere, quæ ſapienter non dedit: neque hanc adulterinam excogitate pulchritudinem, quæ vel pudorem affert exitium, videntibus inſidiam.* Hæc cum audiſſet præſtantiſſima fœmina, domum reverſa, omnem extrinſecus inductum abjecit ornatum, neque varia veſte induta, neque amplius eſt aureis monilibus exornata; idque cum eſſet ætate admodum juvenis.

De Severa S. Bernardi refertur in vita ejuſdem Sancti.

Audi & de ſorore S. Bernardi exemplum. Hæc cum in divitiis & deliciis ſæculi pericliaretur, tandem aliquando inſpiravit ei Deus, ut fratres ſuos viſitaret. Cumque veniſſet quaſi vultura Venerabilem fratrem ſuum, & adeſſet cum comitatu ſuperbo & apparatu, ille deteſtans & execrans eam tamquam rete diaboli ad capiendas animas, nullatenus acquievit exire ad videndam eam. Quod audiens illa confuſa & compuncta vehementer, cùm et nullus fratrum ſuorum occurrere dignaretur, cumque à fratre ſuo Andrea, quem ad portam invenerat Monaſterii, ob veſtium apparatum, ſtercus involutum argueretur, tota in lachrymas reſoluta; *Et ſi peccatrix ſum*, inquit, *pro talibus Chriſtus mortuus eſt. Quia enim peccatrix ſum, ideo conſilium & colloquium bonorum requiro. Et ſi deſpexit frater meus carnem meam ne diſpiciat ſervus Dei animam meam. Veniat, percipiat: quæ quid præceperit, facere parata ſum.* Hanc ergo promiſſionem tenens, exiit ad eam cum fratribus ſuis frater ejus. Et quia ſeparare à viro non poterat, primo verbo omnem ei mundi gloriam in cultu veſtium & in omnibus ſæculi pompis & cortoſitatibus interdixit, formam vitæ matris ſuæ, in qua multo tempore vixit cum viro, ei indixit, & ſic eam à ſe dimiſit. Illa vero obedientiſſimè patris præcepto, rediit ad propria, mutata repente ſecundum omnipotentiam dexteræ Excelſi. Stupebant omnes adolescentiam, nobilem, delicatam ſubita mutatione in habitu & victu, in medio ſæculi vitam ducere eremiticam: inſtare vigiliis, & jejuniis, & continuis orationibus, & ab omni ſæculo prorſus ſe facere alienam. Brennio poſtea ſic vixit cum vito ſuo, illo dante Deo honorem, nec temerare ulterius præſumente templum Spiritus ſancti. Qui etiam tandem virtute ejus perſeverantiæ victus, liberamque à ſe dimittens, juxta morem Eccleſiæ, facultatem ei conceſſit ſerviendi Deo, cui ſe probavit: Illa vero optata libertate potita Monaſterium Julle jum adiens, cum ſanctimonialibus ibidem Deo ſervientibus, reliquum vitæ ſuæ Deo vovit. Ubi tantam ei Dominus gratiam contulit ſanctitatis, ut non minus animo quàm carne illorum probaretur virorum Dei eſſe germana. Teſtis eſt Guilielmus Abbas lib. 1. c. 6. vitæ S. Bernardi.

DE SUPERBIA IUVENUM.

QUartò, ſuperbiæ murum certatim juventus cæca ædificat. Cernitur enim paſſim in pleriſque ſuperbiæ & arrogantiæ virus cum annis creſcere, cum ætate adoleſcere. Ideo dicebat Sapiens: *Tria ſunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro:* Prov. 30. 18. *Viam Aquilæ in cœlo, viam colubri ſuper terram, viam navis in medio mari, viam viri in adoleſcentia.* Quanam eſt via Aquilæ in cœlo, cui comparat Sapiens viam viri in adoleſcentia, niſi via mentis inſtabilis & elatæ, quæ in aere vanitatis volitare videtur per jactantiam, præſumptionem, audaciam effrænem, & per gloriæ ambitioſam cupiditatem? Quid porro aliud videmus in juvenibus, niſi has elatas & inſtabiles animi paſſiones, ex ſuperbia progenitas? His porro huc illuc incerto vulgio moritantur? ita ut difficile ſit agnoſcere viam quam ineunt per varios flexus vitiorum. Etenim cernere eſt, eos modo per elationem quaſi in cœlum tendentes, Icari ſed alis præſumptionis, modo in terra repentes, & inſtar columbi per cupiditatem rerum terrenarum tortuoſa via incedentes modo etiam in aquis inſtar navis fluctuantes, & libidinum fluxu & refluxu ſine certo veſtigio agitatos. Sic per horas ſingulas adeo diverſas ineunt vias, duce ſuperbia vel libidine, ut has poſtea vel memoriâ repetere aliis ſit impoſſibile. Certè nec exiguus eſt numerus eorum, qui Deo, Parentibus, Magiſtris rebelles eorum jugum ſuperba audacia excutere moliuntur. Ubi vel leniter corripi, vel leviter corrigi contigerit, ringuntur, *& quaſi pullos onagri ſe liberos natos putant.* Job. 11. 12. Imo diverſus eos quibus obſervantiam humilem debent, pingui collo & erecta cervice procurrunt. Montes ſunt hi, & ſi vel minimum tangantur, fumigant; vindictamque meditantur, arrogantiæ turbido & tumido fumo furſum aſcendente. Monita paterna aſpernantur, minantur parentibus diſceſſum niſi liberati à fræna laxent, minantur militiam, aut deteriora. Et non infrequenter divexant eos proportione ſubſtantiæ quæ eos contingit, ut jà ſui juris effecti, quo cæcus ſuperbiæ impetus eos tulerit, abeant, & illam prodigant, vel divendant.

Hos itaque, dicimus murum hunc Jerichuntinum infœliciter ædificare, in caput ſuum ruiturum. Sed huic rei ab illis qui juventuti præſunt maturè & prudenter advigilandum. Unde Tobias inſtruens filium ſuum, & prævidens hoc ſuperbiæ malum juventuti affine vel agnatum, his cum verbis adhortatur: *Attende tibi fili, & ſuperbiam numquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas, in ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio.* Tob. 4. 14.

Exempla habemus nimis ſuperbæ juventutis, ex ſacris deprompta litteris. 1. Intuere Elau, con- *Exempla.* Gē. 27. 41.

temptu quodam parcatum, ex filiabus alienigenis sibi contra eorum voluntatem uxorem despondentem. Intuere eundem sic Patri & Matri tumida superbia minantem: *Veniam diebus luctus Patris mei, & occidam Jacob fratrem meum.*

Gē. 34. 2. 2. Memineris filiorum Jacob, tumida audacia, sine Patris consilio & assensu, Dinæ stuprum barbarè vindicantium, in occisione Hemor Principis, & totius urbis Sichem: Adeò ut moriens & feram hanc superbiam detestans Jacob dixerit: *Simeon & Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea: quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura.*

Gen. 49. 5.

3 Reg. 12. 10. 3. Memineris Roboam, qui derelicto consilio senum, & adhibitis in consilium juvenibus qui cum eo erant enutriti; sic locutus est populo petenti ut jugum gravissimum imminueret: *Minimus digitus meus grossior est dorso Patris mei. Et nunc Pater meus posuit super vos jugum grave, ego autem addam super jugum vestrum. Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.* Sed responso hoc superbissimo, è juvenum consilio procedente causa fuit discessionis populi, & scissionis Regni sui, decem tribubus deperditis protervia sua.

2. Reg. 15. 14. 4. Memineris Absalonis, ambitione & superbia intolerabili insidiantis sceptro & vitæ Davidis, propriasque manus Parentis cruore fœdare parantis.

DE SUPERBIA ERUDITORUM.

QUintò ædificant hunc murum scientia præditi, dum illorum plerique ex ea superbiunt, nec eam ordinant ad finem suum: sed ad vanitatem, ambitionem, ostentationem. Ideò dixit S. Bernardus: *Sunt qui scire volunt, eo tantum fine ut sciant, & turpis curiositas est. Et sunt qui scire volunt ut sciantur ipsi, & turpis vanitas est. Sunt item qui scire volunt ut scientiam vendant pro pecunia, vel honoribus, & turpis quæstus est. Sed sunt quoque qui scire volunt ut ædificent, & charitas est; velut ædificentur, & prudentia est.* Sed horum quidem non ita magnus est numerus; istorum vero præcedentium pene est innumerus, quorum scientia inflata est, animalis terrena, diabolica. Percurre urbes, percurre Academias, inspice singulos gradus, & verum id esse reperies. Unusquisque ad hoc videtur certatim scientiæ incumbere, ut sibi vel ad beneficia pinguia, vel ad honores, vel ad lucrosum statum viam sternat. Sic, ô Virgo Scientia, te prostituunt, sic te venalem faciunt, castis amplexibus aptam; non te propter te quærentes, sed per te lucra & honores.

Bern. in Cant.

Plerique studens ob honores & lucra.

Scientia, falsa à vera distinguitur.

Porrò illos scientia maximè inflari videmus; qui nec dum veram & perfectam scientiam, sed scientiæ tantùm umbram, vel imperfectum gradum, sunt assecuti. Et ideo hi non tam scientes & sapientes, quam stulti & ignorantes dicendi sunt; quia vera ignorantia est mater superbiæ. Si enim animus se cognosceret, haud facilè se extolleret superbiret. Unde ex eo ignorantes cernuntur, quod exigua pro magnis ostentent, quodque alios vanitate deceptos facilè despiciant. Vera scientia ad humiliter de se sentiendum facem præfert. Quia quò in aliquo quis scientiæ genere plus profecit, eo plura sibi deesse cognoscit, cum ex illa, tum ex aliis scientiis, meritoque se tyronem & discipulum fatetur, cum sibi discendum semper superfit; & immensum scientiarum pelagus se illi objicit, cui vix prima labra ad gustandum immerserit. Quapropter vere dixit Apostolus: *Si quis existimat se scire aliquid, nondùm cognovit quemadmodum oporteat eum scire.* Perfecta enim scientia est, scire quidem, & tamen quodammodo scientem se esse nescire. Dum enim in sæculo hoc agimus, non perfectè quæ scienda sunt scimus, tamen proficientes per intellectum, nihil nos perfectè scire cognoscimus. Rifu ergo digna est vanitas quorumdam, qui ubi vel humaniores literas gustarunt, vel Philosophiæ studia cursim audierunt, Magistelli effecti; vel si Jurisprudentiam: aut Theologiam leviter attigerint, in propriis oculis sapientes sibi videntur. Cùm quadam ostentatione coram quibuslibet etiam plebeis de his differere imperitè non verentur; opinione certè sua tumidi, sed veritate scientiæ vacui. 1. Cor. 8. 2.

Concionatores novelli tumidi.

Inter hos etiam recensemus Concionatores quosdam novellos & incipientes, melius fortè dixeris, insipientes, qui à studiis Theologicis mox ad concionandum rudi plebi à superioribus destinati ad hoc cathedram conscendere videntur scioli, ut scientiam suam venditent, & ostentent. Vix enim quippiam captui rudis populi aptum proponunt; sed terminos Theologicos interponunt, & materias Theologicas scientiæ suæ indices avidè requirunt: buccis sonantibus. Magistrum sententiarum, Scotum, Durandum, S. Thomam citant, longis sententiis verba eorum, librum, distinctionem, quæstionem, articulum, corpus articuli nominant, & præcisè hæc allegant, memoriæ suæ fœlicitatem ostentantes. Sed quam vane, inutiliterque nemo prudens non videat, ita ut dici possit de plerisque horum quod apud Job habetur: *Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis?* Atque huic rei advigilare deberet superiorum cura, ut juxta monitum Tridentini Concilii involutis illis sermonibus relictis, communi plebi annuntient cum brevitate sermonis, vitia & virtutes, pœnam & gloriam, fidei & pietatis rudimenta. Sed hæc negliguntur; & nescio quæ alia non intelligentibus infructuosè proponuntur; voce clamorosa aër verberatur vix aliud. Job. 38. 2. Trid. sess. 24. c. 4. & sess. 25.

Exemplum.

Expertus loquor, & dolens tot esse Concionatores per naturales Ecclesias discurrentes, adeo exiguo cum fructu; eo quod capacitati plebis neutiquam se accommodent. Risum, imo partim & stoma-

Digitized by Google

stomachum mihi movit quidam rusticanæ plebi prædicans super Evangelio de Nuptiis in Cana Galilææ: Statim initio Concionis, opinionem Durandi Theologi antiqui proponebat, docentis quod Matrimonium non videatur esse Sacramentum, eam vero opinionem proponebat cum omnibus singulatim argumentis ejus Theologicis, ac deinde illa refovebat ex mente Scoti Doctoris subtilis. Hæc prima pars Concionis. Secunda dividebat Nuptias quadruplices, literales, allegoricas tropologicas anagogicas: & hi termini repetebantur frequentissime toto sermonis decursu, ita ut certo crederem ob terminorum illorum involutam repetitionem, in qua sibi videbatur Concionator complacere, vix vel unam periodum concionis à rusticis intellectam. Alter quidam coram eadem rustica plebe de beata Virgine concionem adornans, primam partem totam insumebat in explicandis singulis proprietatibus materiæ, quæ in libro primo Physicorum traduntur, quod materia prima sit prope nihil, quod sit pura potentia, quod sit merè passiva, &c. Altera parte probabat, quod per materiam primam oporteat intelligere beatam Virginem, & sic infudabat ut omnes proprietates materiæ primæ ipsi accommodaret. Quid hæc porro ad plebem rudem? Tertius vocem latriæ, dulæ, hyperduliæ, ita singulis sententiis retonabat, & commiscebat, ut non plus intelligeretur, quam si Græcè aut Hebraicè concionaretur. Unde mulier quædam interrogata num intellexisset concionem, dicebat se intellexisse quod Concionator frequenter locutus fuisset de pultibus: dum enim gallico sermone sæpius pronunciaret *Dulie*, ipsa *Boudre* intelligebat; quod vernacula lingua rusticis Pultes significat: se autem fatebatur ignorare mulier, cur de pultibus sermo institutus foret. Similia quotidiè contingunt: sed hæc pauca rememoro ex occasione, ut advertant qui ad concionandum suos mittunt, advertant quoque illi qui mittuntur, ne locum dent simili aut imprudentiæ, aut ostentationi infructuosæ.

S. Bonav. Sed dolendum magis quod scientia inflans multos perdat, & in tartara mittat. Hinc dixit S. Bonaventura: *Arbor scientiæ multos privat arbore vitæ.* Nempe cum scientia sit lux quædam, sicut per lucem radiantem quidam illuminantur, quidam excæcantur: ita per scientiam humiles illustrantur, superbi excæcantur. Quia scilicet illa non ad Dei gloriam utuntur, sed ad suam perniciem abutuntur; & per illam peccant, per quam à peccatis se emendare debuerant. Audi S. Bern. *Sicut cibus indigestus malos generat humores, ita multa scientia stomacho nocet animæ, quæ est memoria. Nam si decocta igne charitatis non fuerit, & sic per quosdam artus animæ, mores scilicet atque actus transfusa atque digesta, nunc reputabitur in peccatum, tanquam cibus conversus in pravos noxiosque humores? An non malos humores, pravos mores?* Audi & August. explicantem illud Apostoli: *Scientia inflat charitas autem ædificat.* Sic enim loquitur: *Quid ergo? an scientiam fugere debetis, & electuri estis nihil scire potius quam inflari? Ut quid vobis loquimur si melior ignorantia, quàm scientia?* Respondet verò S. Augustinus huic quæstioni his verbis: *Scientia cavenda ne inflet, ergo ante scientiam sed anteponite charitatem. Scientia si sola sit inflat; quia vero charitas ædificat, non permittit eruditam inflare. Ibi ergo inflat scientia, ut charitas non ædificet. Ubi autem ædificat, solidata est; non est ibi inflatio, ubi petra est fundamentum. Quando autem tentat inflatio, hoc est elatio? Vitque ut, & quando charitas deest,* Hæc Aug.

S. Bern. ser. 36. in Cant. circ. med.

Aug. ser. 53. de verb. Domini.

Exempla pereuntium per scientiam sine charitate.

Audi exempla quorundam pereuntium per scientiam sine charitate inflantem. Ac primò memoria dignum est, quod in Chronico FF. Minorum Gallico lib. 2. c. 23. lego. Quidam Frater Minor. Joannes de Sciactia, Minister Bononiæ, Vir literatus, absque S. Francisci consilio ordinavit studium pro Fratribus Bononiæ. Statim verò ubi id Francisco nuntiatum fuit, advolat Bononiam acriterque alloquitur, & reprehendit virum istum, propter illam ordinationem sine ejus assensu factam dicitque ei: *An tu ita vis destruere Ordinem meum? Optabam ego magis exemplo Domini Fratres orare, quàm legere: tu verò huic sancto voto meo obstitisti & meruisti id sine ultione divina.* Recedens ergo Franciscus spiritu divino maledixit ei, statimque cœpit infirmari. Miserunt Fratres, ut maledictionem retractaret: at respondit illam in cœlo esse confirmatam. Itaque in lecto cum decumberet, gutta ignea è sublimi descendit lectumque ejus perforavit. Unde factum est, ut paulo post magno cum fœtore expiraret, & diabolus animam ejus acciperet. Sic nimirum ipse scientia inflatus neglexit charitatem, neglexit veram simplicitatem; propterea divina est ultione percussus, mitissimo & humillimo virorum ei comminante. Res sanè consideratione & horrore plena.

In Chronico Minorum l. 2. c. 83.

Hoc quidem initiis Ordinis Fratrum Minorum contigit, at non minus horrore dignum, quod in Ordine coætaneo Fratrum Prædicatorum contigisse multis est testibus comprobatum. Accidit Neapoli in quodam conventu S. Dominici, ut post completorium ingrederetur Refectorium is cui illius cura incumbit, idque comperit locum refertum Fratribus quasi collationem expectantibus. Accurrit, & Priori id denuntiat. Ille delirium aut somnium reputat. Accedit tamen; videt, credit, turbatur, rem denique confert cum gravioribus Monasterii Patribus. Horum consilio sacras assumit vestes, Christique corpus. Per illud adjurat eos, ut aperiant qui sint, & quid velint. Tandem is qui inter eos videbatur primus, respondet, omnes fuisse Ordinis Religiosos & pro majori parte Magistros, Priores, Superiores, Baccalaureos, Lectores, vel alio in Officio constitutos; omnesque esse damnatos ob ambitionem, superbiam, invidiam, & similia vitia. Huic vero ipsos adventasse Deo jubente, ut omnes suæ vocationis commonefacerent: quam quia neglexissent ipsi flammis jam æternis cruciarentur. In

Anto. Senensis in Chronico FF. Præd. Delrio tom. 3. disq mag. l. 6. cap 2. sec. & 3. q. 3.

Digitized by Google

hujus rei indicium cappas aperientes, flammis undique cincti apparuere. Tunc præcipuus manu signum dedit, & visio disparuit. Istius rei adhuc perseverat memoria, velut per traditionem accepta in illo Conventu, ut testatur Antonius Senensis in Chronico ad annum 1370. pag. 199.

DE SVPERBIA PIETATEM Sectantium.

POstremò hunc superbiæ murum ædificare reperiuntur, qui pietatem & sanctitatem proteri videbantur. Inter hos nonnunquam serpit ambitio, contentio, vana gloria Sic attestatur S. Cyprianus: *Etiam in sinu Sacerdotum ambitio dormit, sub umbra recubat, in secreto calami se fraudulenter occultat, per omnia officia, gradusque discurrit.* Cui conforme est quod de illa scribit S. Bern. *Ambitio subtile malum secretum virus, pestis occulta, dolus artifex, mater hypocrysis, livoris parens, visionum origo, virtutum aruga, sinea sanctitatis, cordium excæcatrix.* Addit S. Ambros. *Sæpè quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia subvertere, facit ambitio criminosos, eo perniciosiores, quò blandior.* Ideo hanc ambitionis viam tentavit Satan, ut Christum subrueret Sanctum Sanctorum; non ignorans hanc multam habere efficaciam, ad sublimes mentes, etiam sanctitatem profitentes, evertendas. Nempè quia naturâ cœlestis quodammodò est, facile sublimium invadit mentes: in Cœlo enim ortum suum habuit, ubi Luciferum devicit; qui erat *principium viarum Dei* ut dicitur, hoc est, qui erat primum & præcipuum opus Creatoris in Cœlo. Exinde Principes generis nostri, quierant præcipuum Dei opus in terra, iterùm invasit & subvertit; dum ex promisso serpentis elati, ambire divinitatem non sunt veriti, cum illis illud suggeritur; *Eritis sicut Dii.* Tandem & ipsos Ecclesiæ Principes primos, etiam in schola humilitatis ad Christi pedes eruditos, aggressa est. *Facta est contentio, quis eorum videretur esse major.* Quid mirum igitur, si & alios quavis sublimitate sapientiæ vel pietatis excellentes aggreditur; ita ut nemo sibi ab ea securitatem polliceri debeat quâmlibet in virtute provectus? Insidiatur enim maximè operibus bonis, insidiatur sanctitati, insidiatur divinis in nobis donis, ut illa reddat mania. Tinea est perniciosissima, quæ non solùm ex serico, sed etiam ex sacco exoritur, & utrumque corrodit.

Hæc porrò præsertim vera sunt de vana gloria, de qua S. Basilius sic monet pietatis sectatores. *Fugiamus inanem gloriam, dulcem spiritualium operum spoliatricem, jucundum animarum nostrarum hostem, suavem virtutum blandissimam, bonorum nostrorum depradatricem eandemque, mollis illius fraudis sui venenum colatricem, & mortiferi hominum mentibus pestis porrectricem.* Similiter loquuntur & alii Patres, monentque ab illa cavendum tanquam à fermento Pharisæorum. Quod ipsum præmonuit Dominus Marci 8. Sicut enim fermentum inflat massam, sic superbia hominem; & sicut totam massam fermentum corrumpit, sic omne præclarum opus inanis gloria destruit. Ideo dixit Philo, lib. de offerentibus victimas fermentum ab altari, olim divinâ ordinatione repulsum Sic enim ait: *Iubet Legislator oblationem omnem fieri sine fermento, ob tumiditatem quam efficit: figurato præcepto, ne quis elatus ad altare accedat, tumidusque fastu aut arrogantia.*

Cæterùm non mirum quod etiam viris sanctis quandoque subrepit vanæ gloriæ effectus: rectè enim dixit Valerius Maximus: *Nulla est tanta humilitas, quæ gloriæ dulcedine non tangatur.* Si hujus rei causam plenius vis agnoscere, advertè quòd omnibus hominibus innatus sit appetitus excellentiæ: Honor autem est excellentiæ testimonium: Gloria ejusdem excellentiæ est notitia & opinio: Laus quoque excellentiæ istius est prædicatio. Dum igitur hæc exhibentur, nascitur in homine apprehensio & cogitatio suæ excellentiæ, quâ mirè delectatur. Sicut è contrà dum convitio quis afficitur, excitatur in ipso apprehensio vilitatis, quæ est exosa, & mœrorem parit. Itaque omnes amant laudem & gloriam, quia signa sunt excellentiæ. Omnes oderunt convitium & contumeliam, quia signa sunt abjectionis & vilitatis.

Adde & alteram rationem. Nempè sicut animus maximè desiderat eminere, ita & talis haberi in mentibus hominum Et hoc censet ad se spectare, quasi novum quoddam esse, & quasi novam vitam intelligibilem, qua cognitum sub illustri specie & forma, videtur vivere in mente cognoscentis. Unde, vel scriptis, vel factis eam vitam ambiunt homines, quæ viget memoria sæculorum, quam posteritas alit, qua absentes quodammodò adsunt, & mortui vivunt. Hæc ergo memoria, æstimatio, & laus est vita quædam quâ quis sibi videtur in mentibus hominum vivere, & tot habere vitas, quot sunt homines, in quorum corde magni penditur. Hanc porro quandoque tanti faciunt homines, ut vitam corporalem præ illa aspernentur, parati morti se potiùs exponere, quàm nominis & gloriæ detrimentum sustinere Sic pluris existimant vivere in hominum mente per memoriam, quam in proprio corpore per naturam.

Hi itaque omnes, vel ob doctrinam, vel ob sanctitatem, vel ob industria gesta superbientes, aut gloriam aucupantes, murum hunc Jericho amplificant infœliciter sanè, & in perniciem suam; cùm ipsi iisdem mediis æternam sibi potuissent gloriam cóparare, & in cœlo, in solido divini honoris fundamento ædificare. Heu quàm magnus est eorũ numerus qui in vanum ædificant, in vanum laborant.

Hos rursus comparare possumus cum S. Anselmo illis qui magno labore granum seminant, metunt, molunt: ac postea farinam vento exponentes, eam dispergunt; sicque pane quo se sustentare debuerunt, carentes, miseriam & inopiam serò lugere coguntur. *Tres sunt,* inquit, *à mane usque ad vesperam*

Marc. 8. 15. Simile Philo l. de victimas offerentibus.

Val. Max. *Omnibus innatus est appetitus excellentiæ*

Lessius de provid. nominis.

S. Cypr. ser. de Jejunio & tentat.

S. Bern. in Ps. 90. *Ambitionis species.*

S. Ambr. l. 4. in Luc. c. 4.

Job. 40. 14.

Job 40.

Luc. 22. 24.

S. Basil. in const. monst. c. 11.

Anselm. l. Similit. c. 45.

Digitized by Google

vesperam molentes. Primus, quidquid molit, in secum abscondit. Alter partem suscepit, partem in flumen, vel ventum cadere negligentia sua permisit. Tertius vitæ exponens, quidquid molat, nihil retinet. Veniente vespere quid credas singulos dicturos? Quid est flumen, nisi sæculi decursus: Quid ventus, nisi gloria mundi? Quid molendinum totâ die molens, nisi labor sæcularis? Quid est mane, nisi tempus quo nati sumus? & vespere, tempus, quo per mortem transibimus? Tempus nempe præsens illud est, quo laborare debemus, ut in vespera vivamus. Et sicut mola circumducta ad eundem locum revertitur, ita labor præsens singulis annis more Solis iteratur. Modò namq; aratur, modo seminatur, modo metitur; sic de anno in annum. Eadè mola circùducitur, idem labor iteratur. Sic in temporalibus, sic & in spiritualibus: semper labor innovandus est, semper molendum est. In vespera lætabuntur justi, tota farina sua conservata; hoc est, vitâ sua & labore utiliter impenso. Alij ex parte mœsti erunt, quod partem laboris perdiderint; ex altera tamen parte sibi gratulantes, quam Deo impenderunt. Verùm alij omne tempus in vanitate inlumentos, omne opus suum ab humana laude non abscondentes, censentur omne studium vitæ suæ in decursum fluminis projicere, farinam q; omnem vento committere. Væ illis, quia in fine pane vitæ carebunt. Væ illis, quia post multos labores, post multa opera, etiam in speciem bona, peribunt ipsi, peribunt illa.

Guil. Peral insum. viriorum. Specul. Exempl. v. superbia n. 5. Pepin. & alii.

Refert ad hoc nostrum propositum Guillelmus Peraldus Lugdunensis Episcopus illud exemplum. Eremita quidam cùm infirmaretur ad mortem, quamprimum misit ad monasterium propinquum, rogans Abbatem, ut aliquem de fratribus cum Sacramento Altaris ad se destinaret pro viatico sufsciendo: quod & Abbas fecit. Cumque frater Sacramentum deferens per silvam transiret, nolamque ut moris est, pulsaret Clericus, latro quidam ibi latitans advenit, ut videret quidnam esset. Cùm verò rem intellexisset, secutus est usque ad cellam Eremitæ, mansitque foris, indignum se reputans sancti viri domum ingredi. Cùm denique Eremita confessione prævia devote communicasset, latro stans prope januam cum humilitate cordis in hæc verba erupit: *O si essem talis, qualis est!* Audiens Eremita, mente inflari cœpit, & dicere: *Tu verò hoc meritò optare deberes, ut talis fores, qualis ego.* Completo ministerio, Monachus ille ad monasterium redit, comitante Clerico, eumque secutus est latro magnâ cordis contritione, ut ei confiteretur in monasterio, sed prævenit eum Deus; & in via mortuus est. Moritur pariter & Eremita, eâdem horâ. Nocte porrò sequenti revelatum est dicto fratri, Angelos animam latronis in Cœlum deduxisse ob humilitatem, & ob propositum confitendi una cum vehementi contritione de peccatis commissis: Dæmones verò animam Eremitæ in infernum detulisse propter superbiam & elationem mentis suæ.

LECTIO IX.

DE SEPTEM TVBIS CONTRA Superbiam.

SEptem tubis clangentibus testatur Scriptura muros Jericho concidisse: Sic oraculis sacræ Scripturæ adversus hos muros civitatis satanæ vehementi clangore personantibus, deberent illi in nobis concidere. Licèt verò numero septenario tubarum dicere possimus generaliter universitatem indicari, quia tota ferè Scriptura adversus hæc vitia capitalia insonat, & illa condemnat. Specialiter tamen designabimus septem voces, quasi septem tubas contra singula vitia conclamantes, ut ea destruant & demoliantur.

Prima tuba, erit *vox legis divinæ.* Secunda, *vox librorum sapientiæ.* Tertia, *vox Prophetica.* Quarta, *vox Evangelica.* Quinta, *vox Apostolica.* Sexta, *vox propriæ conscientiæ.* Septima, *vox divini judicij.* Has voces septemplices declaremus contra superbiæ murum personantes. *Tuba 7. contra superbiam clangentes.*

Prima itaque *tuba* contra superbiam clamans forti clangore, vox est divina in lege: *Anima quæ per superbiam ad quid commissoris sive civis sit ille, sive peregrinus quoniam ad versus Dominum rebellis fuit, peribit de populo suo: Verbum enim Domini contempsit, & præceptum illius irritum fecit, idcirco delebitur & portabit iniquitatem suam.* Severa planè communatio Dei, adversus animam per superbiam peccantem detonans, & cœlesti quodam fulmine eam percellens. Benignius verò agendum insinuat Dominus ibidem, si anima non per superbiam, sed per ignorantiam peccaverit. Dicitur enim ibi: *Offeret illa capram anniculam pro peccato, & deprecabitur pro ea Sacerdos, impetrabitque veniam: dimittetur illi.* Detestabilis ergò planè est apud Dominum superbia, sed excusatione veniaque digna judicatur infirmitas & ignorantia. 1. Vox legis. Num. 15. 30.

Secunda tuba, est vox sapientiæ in libris suis. Sæpissimè eum vociferatur ibi contra hanc murum, ut eum funditùs demoliatur. Sic apertè clamat: *Arrogantiam, & superbiam, & viam pravam ego detestor.* Item *Vestes pretiosas odivit anima mea, Divitem mendacem, Senem fatuum, Pauperem superbum.* Quis est iste pauper superbus, nisi homo, quo nihil miserius, nihil pauperius in hoc exilii loco? Quid superbit terra & cinis? Non est creata hominibus superbia; nec terra actus est superbiæ, sed potiùs humilitatis. Toto capite decimo variis sententiis sapientia detestabilem proclamat hominum superbiam, unde ibidem dicit: *Sedes Ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis. Radices gentium superbarum arefecit Deus, & plantavit humiles exaltis gentibus. Terras Gentium evertit Dominus, & perdidit eas usque ad fundamentum. Arefecit ex ipsis & disperdidit eos, & cessare fecit memoriam eorum de terra. Memoriam superbo-* 2. Sapientia. Prov. 8. 13 Eccl. 25. 4 Eccl. 10. 17.

oogle

rum perdidit Deus, & reliquit memoriam humilium sensus.

3. *Prophetarum Dei.* Isai. 28. 1. & v. 3.

Tertia tuba, est vox divina insonans per Prophetas. Audi primo Isaiam. *Væ corona superbiæ, conculcabitur corona superbiæ.* An forte superbia coronam habere dicitur, quia Regina est omnium vitiorum? Certè numquam est sola, sed instar Reginæ magnum habet comitatum, magnam vitiorum sequelam, multæ iniquitates eam velut pedissequæ subsequuntur. Verum Regina ista abominabilis planè est & maledicta, maledictumque gerit diadema: *Væ corona superbiæ*, quia *conculcabitur*, ex floribus est contexta caducis: *Væ flori decidenti.* Audi secundò Prophetam Amos: *Iuravit Dominus in superbiam Iacob, si oblitus fuero usque in finem omnia opera eorum.* Quasi dicat Dominus: Perpetuæ, meamque veritatem juro, quod superbiam Jacob & Amos 8. 7. Idem 6. 8. scelera ex ea prodeuntia non relinquam inulta. Iterum: *Iuravit Dominus in anima sua dicit Dominus Deus exercituum, detestor ego superbiam Iacob, & domos eius odi, & tradam civitatem cum omnibus habitatoribus suis.* Quasi dicat: Abominabilis est coram me non solùm superbia populi mei Israelis, sed & domus eorum superbæ, quas exusuris & rapinis ædificant, cum Patres eorum Abraham, Isaac, & Jacob in calis & tentoriis habitarint, quasi exules & peregrini in terra, cives verò cœli. Audi denique Jerem. *Ecce ego ad te superbe, dicit Dominus Deus exercituum, quia venit dies tuus, tempus visitationis tuæ.* Nempè *retribuet Dominus abundanter facientibus superbiam*, ut dicit Propheta Regius, *concides cervices peccatorum.* Non dicitur concidere pedes aut manus superborum, sed cervices eorum; quia in cervicibus superbia magis apparet, dum adversus Deum currunt erecto collo.

Jerem. 50. 31. Ps. 10. 14. & 128. 4.

4. *Dominica.*

Quarta tuba, vox est divina in Evangelio, quæ toties repetit: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.* Hic enim sonus buccinæ divinæ tertiò repetitur Luc. 14. & 18. Item Matth. 23. ut tonitrus repetitus fortius penetret, & percellat corda superborum. Similiter etiam in Evangelio eidem voci consonans resonat Maria. *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui: Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.* Denique, ut ipse Christus non solùm verbo, sed & facto superbiam condemnans & subvertens, statuit in medio discipulorum parvulum, & inclamat: *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum*, sic subvertit murum contentionis ambitiosæ, quem ædificant quæritantes: *Quis major esset in Regno Cœlorum.*

5. *Apostolica.* 1. Pet. 5. 5. Jac. 4. 6. Ambros. in Ps. 118.

Quinta tuba, est vox Apostolica contra superbiam detonans: nam S. Petrus & S. Jacobus in epist. suis eadem voce personant: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Quam vocem interpretans S. Ambrosius, & quantæ efficaciæ esse debeat declarans, sic loquitur: *Scriptura dicit Dominus superbis resistit, Tanquam enim sua contumelia propulsator, veluti quoddam suscepit adversus superbiam speciale certamen, Tanquam dicat, Meus iste adversarius est, qui me lacessit, mihi debetur ista congressio.* Similiter loquitur S. Hieron. epist 45. ubi sic dicit: *Scriptura ait; Superbis Deus resistit, humilibus dat gratiam. Vide, frater, quantum sit malum, quòd adversarium habet Deum. Tantum nempe est superbia malum, ut non Angelum, non alias virtutes contrarias, sed ipsum Deum adversarium habere mereatur*, inquit Cassianus. Denique concludit cum Augustino. *Nulla ferè est pagina sanctorum Librorum, in qua non sanci quòd Deus superbis resistat.* S. Hieron. Cassianus l. 12. Institut. c. 7. Augustin. l. 3. c. 43. de doctr. Christ.

Sexta tuba, est vox propriæ conscientiæ superborum, quæ intùs clamat, & adversus eos tandem personat, inquietosque eos non sinit. Hæc exprimitur apud Sapientem. *Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuntius percurrens, & tanquam navis quæ pertransit fluctuantem aquam, cujus cum præterierit, non est ejus inuenire viam, neque semitam carinæ illius in fluctibus. Aut tanquam avis quæ transvolat in aëre, cujus nullum invenitur argumentum itineris illius, sed tantum sonitu alarum verberans levem ventum & scindens per vim itineris aëream, commotis alis transvolavit & post hoc nullum signum invenitur itineris illius. Aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum, divisus aër continuò in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius; sic & nos nati continuò desivimus esse & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere, in malignitate autem nostra consumpti sumus.* 6. *Propria conscientia.* Sap. 5. 8.

Septima tuba, est vox divini judicii, postremò tandem buccinans, & superbos humilians; atque ad abyssos ipsam superbiam cum Rege suo detrahens, nunquam inde egressuram. Unde dicitur: *Oculi sublimes hominis humiliati sunt, & incurvabitur altitudo virorum: Exaltabitur autem Dominus solus in die illa. Quia dies Domini exercituum super omnem superbum & excelsum, & super omnem arrogantem, & humiliabitur. Et super omnes Cedros Libani sublimes & erectas, & super omnes quercus Basan. Et super omnes montes excelsos, & super omnes colles elevatos. Et super omnem turrim excelsam & super omnem murum munitum. Et super omnes naves Tharsis, & super omne quod visu pulchrum est. Et incurvabitur sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum: & elevabitur Dominus solus in die illa.* Perpende quot sententiis illam superbiæ & superborum omnis generis destructionem per tubam divini judicii finiendam exprimat Propheta; ut dum tempus est, hæc omnia secum ipsi expendant superbi, ne ruina irreparabili perire eos tandem contingat. Similiter loquitur & Malachias. *Ecce dies veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi stipula, & inflammabit eos dies veniens, quæ non relinquet eis radicem & germen.* Nempe superbi & potentes, qui in hac vita adeò erant fortes, ut nemo auderet eis resistere, ipsi 7. *Judicii Dei.* Isa. 2. 11. Malach. 4. 1.

verò auderent cum Deo dimicare; in illo die clangentis tubæ infirmi erunt, ut ſtipula quæ vento raptatur, & igni non poteſt reſiſtere. Potenti enim ultione Dei ut ſtipula celerrimè cremabuntur, nec tamen conſumentur, ſervante eos Deo ad æterna tormenta; ut ſemper vivant, & ſemper ardeant. Hæc eſt *vox tonitrui in rota*, ut loquitur Pſalmiſta, quæ ſemper voluit ſuperbos de pœnis in pœnas, de flammis in flammas; quia in rota ſuperbiæ & ambitionis animum ſuum continuò inſæliciter priùs rotarunt, & ſuperbiam de ſceleribus in ſcelera ſeſe convolverunt. Ad hanc vocem divini judicii
Apoc 18.2 dicitur in Apocal. *Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis immundi ſpiritus.* Quid eſt Babylon, niſi civitas & congregatio conſulibilis ſuperborum? Hæc nempe & Babylon à confuſione, & Jericho à demolitione & defectione creatura appellari. Ad vocem ergo buccinæ illius poſtremæ, funditus illa corruet in abyſſum, cum ſuo primo Auctore, Fundatore, & Rege.

LECTIO X.

DE SEPTEM ARIETIBUS CONTRA SUPERBIAM.

Exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea.
Pſ. 136.

Filii Babylonis & Idumeæ, miniſtri Satanæ, cum ſuo Rege, omnes ad hoc vires, omnesque clamores conferunt, ut civitatis Dei mœnia deſtruant, & illius arces uſque ad fundamenta diruant, hoc eſt, omne ædificium ſpirituale, omnem virtutis ſtructuram, etiam uſque ad fidei radicem. Ideo in-
Pſ. 136. 7. clamant: *Exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea.* Ita planè Filii Dei & Miniſtri Chriſti, in hoc omnes debent animi vires impendere, omnemque conatum exercere, ut civitatis ſatanæ muros & mœnia uſque ad fundamenta evertant, non relinquentes lapidem ſuper lapidem. Hoc verò fiet, ſi omnes ſpecies vitiorum, maximè capitalium, in ſe & in aliis diruere, quantum in ſe eſt, moliantur.

Primum murum conſtruit ſuperbia.

Itaque cùm prima mœnia hujus civitatis conſtituat ſuperbia, reſtè exhortamur filios Dei, ut vocibus divinis inſtar tubæ perſonantibus operam ſuam conjungant, ad hujuſce muri demolitionem; ideoque eis inclamamus: *Exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea.* Cum arca Domini armisque ſpiritualibus circumite, circumluſtrate & explorate civitatem iſtam Jericho, & omnibus votis veſtris, vocibus, conatibus, ad ejus demolitionē accingite: ſic enim cadet, non tam viribus veſtris, quàm Deo pro vobis dimicante, eamque ſubvertente. Et licèt Jericho ſubitò conciderit nemine manus admovente, vult tamen Dominus, ut in hac ſpirituali Jericho deſtruenda pedetentim pergatis, & manus adhibeatis, donec uſque ad fundamentum diruendum ſpectingatis.

Fundamentum porro hujuſce muri ſuperbiæ eſt amor nimius ſui, amor nimius propriæ excellentiæ: hunc evertere oportet propriæ vilitatis agnitione, ac ſui ipſius deſpectu & abnegatione. Hoc fiet, ſi homo conſideret qualis fuerit in ſua nativitate; qualis ſit in præſenti tempore, qualis futurus ſit in morte. Sperma fuit fœtidum, nunc faccus eſt ſtercorum poſtmodum erit eſca vermium.

Unde ſuperbit homo, cujus conceptio culpa,
Naſci pœna, labor vita, neceſſe mori?
Poſt hominem vermis, poſt vermem fœtor & horror:
Sic in non homines vertitur omnis homo.

Fundamentum muri eſt amor ſui.

1. *Ariſtagathie propriæ vilitatis quoad corpus.*

Hic eſt primus aries quo concutitur murus ſuperbiæ, etiam uſque ad fundamentum; in quo nos docuerunt aretare SS. Patres: inter quos ſic ait S. Bernardus: Conſidera ô homo, unde venis, & erubeſce: Ubi es, & ingemiſce: Quò vadis & contremiſce. Cùm ſuperbientibus Angelis Deus non pepercit, putasne impunè ſuperbire putredo & vermis? Nihil illi fecerunt, nihil optati ſunt, tantùm cogitaverunt ſuperbiam, & in momento, in ictu oculi irreparabiliter ceciderunt, & è cœlo præcipitati ſunt. Si ſic actum eſt cum Angelis, quid de te erit terra & cinere? Illi in cœlo ſuperbierunt, tu verò in ſterquilinio. Quis non tolerabiliorem in divite ſuperbiam quàm in paupere dicat? Si ergò tam durè in beatos illos Angelos animadverſum eſt, quoniam elatum fuerat cor eorum: quàm gravia de te exigentur ſupplicia & miſero & ſuperbo? Hæc nimirùm conſideratio, ſi cordi figatur, & in ſanctuarii bilance expendatur, valide poteſt ſuperbiam humanæ mentis elidere, & uſque ad fundamentum exinanire.

Videri poteſt S. Bern. in medit. & ſer. 1. de Advent.

Secundus aries, quo vana gloria ac jactantia concuti poteſt, eſt ſortis illa conſideratio, qua ſibi homo ob oculos ponit nihil ſe habere quod à Deo non acceperit. Sin autem acceperit, quare gloriatur: Et maximè de fluxis & caducis bonis, quæ facilè perdi poſſunt, nulla ſuperbiendi occaſio, ſi in ſe conſiderentur, quia nec his animo inhærendum, cùm fluxa & labentia ſint, vel citò decidua. Quòd ſi conſiderentur ut à Deo data ſunt, ad hoc data ſunt, ut ad meliorem vitam provocent, & per præſentia quæ accepimus bona, ad æterna & invisibilia ſperanda nos invitent. Peſſimus ergo illorum bonorum diſpenſator eſt ille, qui per ea ad Deum ſe non convertit; ſed potiùs ad cumulum damnationis illis abutitur ſuperbiens & glorians; ſicque illa & ſe pervertit. Vide S. Bern. ſerm. 13. in Cantica.

2. *Quidquid laude dignum habes, acceptū à Deo.* 1. Cor. 4. 7.

Tertius aries, quo ſuperbia concutitur uſque ad fundamentum, eſt notitia ſui, non ſolùm ſecundùm corporis infirmitatem & vilitatem, ſed etiam ſecundùm animæ miſerias & ærumnas. De ignorantia noſtri naſcitur in nobis ſuperbia, cùm nos meliores aut beatiores decepta & deceptrix cogitatio eſſe mentitur, ideoque facit nos in oculis noſtris

3. *Notitia ſui, & vilitatis quoad animam.*

Digitized by Google

ris majores, quàm apud Deum in veritate ſimus. Idcirco naſcenti ſuperbiæ nemo efficacius occurrere poteſt, ut ſupprimat, quàm ſi in veritate ſeipſum dijudicet; & ad veritatis lumen ſeſe ſine diſſimulatione diſcutiat, ne fortè ſibi de ſe meutiatur, & in ſpiritu ejus ſit dolus. Nam quomodo non verè humiliabitur in vera ſui cognitione, cùm ſe perceperit oneratum peccatis, mole hujus mortalis corporis aggravatum, terrenis intricatum curis, carnalium deſideriorum fœce infectum, implicitum mille erroribus, expoſitum mille periculis, mille timoribus trepidum, mille difficultatibus anxium, mille ſuſpicionibus obnoxium, mille neceſſitatibus ærumnoſum, prochivem ad malum, difficilem ad bonum? Certè his omnibus conſideratis, non eſt periculum ne quis ſe nimis humiliet, aut nimis humiliter de ſe ſentiat; Imò grande eſt malum, grandeque periculum, ſi quis ſe extollat, vel modicùm plus æquo ſe extollat; ſemperque periculum eſt, ſi vel unus quis in ſua cogitatione ſe præferat, quem fortè parem veritas judicat, aut ſuperiorem. Et hinc fit, ut ſi quis quem viderit peccare, vel gravia perpetrare, neutiquam tamen debeat ſe meliorem exiſtimare, quia ignorat quamdiu poſſit in bono ſtare. Omnes enim fragiles ſumus, nemo tamen debet ſeipſo quempiam fragiliorem exiſtimare. Hic ergo conſideratione ſuperbia eliditur cum ſuo fundamento, id eſt, cum philautia ſeu ſuiipſius amore & complacentia. Deſtruitur etiam hoc modo contemptus aliorum, qui ex ſuperbia oriri poteſt: nam & forſitan is qui deſpicitur, ſalutem aſſequetur, eſtque dignior & Deo carior ob virtutem nobis incognitam; is autem qui deſpicit, & ſuperbit alterius intuitu, damnationi obnoxius redditur, ob demeritum occultum vel ſuperbiam.

4. Conſideratio ſuperbiæ & ſuperborum, quòd nulli placere poſſunt. Jac. 4. 6.

Quartus aries, quo ſuperbiæ murus concutitur ad fundamentum uſque, eſt conſideratio ipſiusmet ſuperbiæ & ſuperborum, quia nec illa, nec illi poſſunt ullis placere. Non Deo quia ipſum habent adverſarium: *ſuperbis enim reſiſtit, & humilibus dat gratiam.* Non humilibus, quia humilitatis amatores planè exhorrent ſuperbiam. Non enim aliis ſuperbis, quia eo ipſo nomine quo quis ſeſe exaltat & extollit, jam ſibi aliorum ſuperborum conciliat invidiam, qui hoc metuunt, ne ipſis alle poſſit excellentior cenſeri aut beatior. Nec tandem ſibi placebit ipſe ſuperbus, ſive in hoc ſæculo, cùm ad ſe reverſus vilitatem ſuam agnoverit, nihilque invenerit, quo verè gloriari poſſit: neque in futuro, cùm ob ſuperbiam in æternum ardebit. Quapropter quodam loco ſic loquentem introducit Deum Bernardus: *O homo ſi te videres, tibi diſpliceres, & mihi placeres: ſed quia te non vides, tibi places & mihi diſpliceres. Veniet dies, quando nec tibi, nec mihi placebis: mihi quia peccaſti; tibi, quia in æternum ardebis, Soli Diabolo tua placuit ſuperbia, quia ſuperbus eſt valde, qui ex ſpecioſiſſimo Angelo pro ſuperbia in teterrimum Dæmonem eſt commutatus, teque ſimili modo ſibi ſimilem tentat efficere.* Hæc certè conſideratio valida eſt, & exinanire poteſt hunc murum uſque fundamentum.

Quintus aries qui concutit ſuperbiam; & gloriam inanem quæ poteſt eſſe de bonis operibus, eſt conſideratio incertitudinis quam de illis habemus. Nemo enim evidenter & certo ſcit, an toto vitæ ſuæ tempore vel unum opus meritorium fecerit: quia ſæpè vitia virtutis ſpeciem præ ſe ferunt; ſæpè inanis gloria, vel intentio diſtorta, opus alioqui bonum vitiat: ſæpè juſtitia noſtra ad examen juſtitiæ divinæ deducta injuſtitia eſt; & plerumque ſordet in conſpectu Judicis, quod in oculis fulget operantis. Alia enim ſunt judicia hominum, alia Dei, cui gratior eſt peccator humilis, quàm juſtus ſuperbus. Certè mala noſtra potiùs conſideranda ſunt, quàm bona; quia & plura ſunt, & magis pura. Bona autem noſtra vel exigua ſunt, & minori numero; vel etiam impura. Nam mala noſtra pura mala ſunt, gravibus ſuppliciis digna, quia ſæpè gravia: bona autem noſtra non ſunt pura bona, ſed multis impuritatibus admixta; ita ut nemo de illis debeat gloriari, quin potiùs pertimeſcere. Hoſtis enim noſtri malitia tanta ſe arte palliat, ut plerumque ante deceptæ mentis oculos, culpas eſſe virtutes fingat; & fit ut ſæpè quisque quaſi expectet præmia, unde æterna dignus eſt invenire tormenta. Quapropter quodam loco dixit S. Auguſt. & S. Greg. *Vita laudabilis vita hominum ſi remotâ pietate judicetur: quia unde ante oculos ſuos placere ſuſpicatur, ob hoc ſæpe.*

5. Incertitudo de bonis operibus.

Sextus aries, qui impetit ſuperbiam illam, quæ humanam laudem undique aucupatur, eſt conſideratio meræ in ea re vanitatis: quia nemo ſeipſum debet æſtimare ex aliorum laude, ſed ex ſua ipſius conſcientia in veritate. Qui ſe laudari audit, ſeipſum interroget, an talis ſit, qualem alii prædicant. Quòd ſi animus reſpondeat ſe longè alium eſſe, magis credat ſibi ipſi, cui notior eſt, quàm aliis. Quod ſi ſe talem eſſe agnoverit, nihilominus, quantum in ſe eſt ſcuto veritatis curet à ſe repellere jaculum favoris, dans Deo gloriam, & dicens: *Gratia Dei ſum id quod ſum.* Nam Deus eſt, qui in nobis operatur omnia opera noſtra, qui dat velle & perficere, ſine quo nec bonum quidem poſſumus cogitare, nec in bonis ſtare, nec laude dignum quidquam aggredi, vel peragere. Unde nihil nobis, ſed Deo omnis adſcribenda laus, ne cùm hic temporalem gloriam receperimus pro mercede, in futuro æternam gloriam perdamus cum omni opere. Nemo enim poteſt præſentis ſæculi mercedem ſecurè expectare. Qui itaque mercedem receperit in ſæculo, non ſperet in Cœlo. Unde quodam loco ſic iterùm D. Gregorius: *Cùm pro rectis operibus laus tranſitoria quæritur, æterna retributione res digna vili pretio venumdatur.*

6. Conſideratio meræ vanitatis in ſuperbia.

1. Cor. 13. 10.

S. Greg.

Septimus aries, qui ambitionem impetit, & ſuperbiam in honore, eſt conſideratio breviſſimi & infœliciſſimi ſæpè exitus honorum hujus ſæculi. Nam & mors brevi illis finem imponit, & de pluribus

7. Conſideratio brevitatis & infœlicis finis ſuperbiæ.

Digitized by Google

Baſil. hō. 3. in illa verba Deut 15. 3. juxta LXX.

cogentur rationem reddere, qui fuerint in ſublimitate. Unde S. Baſilius ſcribens in verba Moyſis: *Attende tibi ipſi.* Sic alloquitur ſuperbos: *Tibi nunc places ob opes, vel avita genus claritudinem? immodico gaudio ſubſilis ob Patriæ celebritatem? ob elegantiam corporis? ob honores ab omni gradu tibi delatos? Attende tibi ipſi, Mortalis enim tu. Quippe terra es & in terram abibis.* Circumſpice eos qui ante te ſimilibus ſplendoribus fulſere. Ubi ſunt qui ambibant civitatem potentatus? Ubi inſuperabiles Imperatores? Ubi qui conventus diſponebant & feſta? Ubi equorum ſplendidi invectores? exercituum Duces? Ubi Satrapæ & tyranni? Nunc omnia pulvis, nunc omnia favillæ, nunc in paucis verſibus eorum vitæ memoria eſt. Reſpice ſepulchra, & vide quis ſervus, quis Dominus, quis pauper, quis dives. Diſcernere ſi potes, vinctum à Rege, fortem à debili, pulchrum à deformi. Memor iis itaque, ne extollaris aliquando ne altiora ambias. Memor autem eris, ſi teipſum reſpexeris. Similiter loquuntur & alii Patres, inter quos S. Chryſoſt. ſic alicubi: Intuere nunc ſepulchra ſuperborum, & vide ſi eſt aliquod in eis jactantiæ ſuæ veſtigium: ſi aliqua divitiarum vel luxuriæ ſigna cognoveris. Require nunc ubi veſtes, & ornamenta peregrina, ubi ſpectaculorum voluptas, ubi affectarum turbæ. Conviviorum ceſſit opulentia: effræna verò lætitia quo abiit, quo receſſit? Ubi illa nunc, & ubi ipſi? Quis finis utrorumque, intuere diligentiùs, & accede propiùs. Vide cineres ſolos, & fœtidas carnes, vermium reliquias, & recordare nunc eſſe corporum finem & honorum. Atque utinam res omnis, omniſque noſtra cauſa uſque ad cineres tantùm veniret & vermes: parva viderentur hæc damna, & quæ facilè excuſare poſſit naturæ conditio: Nunc autem converte oculos tuos ab his cineribus & ſepulchris, & revoca cogitationem tuam ad illud divini judicii tribunal horrendum, ubi fletus & ſtridor dentium, ubi tenebræ exteriores, ubi vermis ille conſcientiæ, qui nunquam moritur, & ignis qui nunquam extinguitur.

Chryſ.

Sic ergo præter voces divinas muros Jericho, inſtar buccinarum ecclefium, valide impetentes, poterunt variæ conſiderationes eſſe efficaces, & ſervire tanquam arietes, ad eoſdem muros convellendos, diſſringendos, & ſunditus demoliendos; ita ut invitemus omnes, ut his utantur, ideoque eis inclamemus pro deſtruenda civitate ſatanæ (longè potiori ratione quam Idumæi vel Babylonii pro demolienda civitate Jeruſalem) *Exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea.* Exinanite, & diruite omnes ambitionis luteos lateres, conſiderantes quod finem tandem ambitioni ponet ſeptem pedum urna in qua ambient vos vermes. Diruite omnes lateres, omne cæmentum arrogantiæ & tumoris, exinanite omnes lapides jactantiæ & vanæ gloriæ tartareo bitumine coagulatos, benè penſantes nihil in vobis eſſe, niſi peccatum de quo tamquam veſtro gloriari valeatis. Diruite omnem ſeriem lapidum præſumptionis, pertinaciæ, rebellionis, & inobedientiæ, & his quæcumque affinia vitia, ex quibus murus iſte Deo adverſus conflatur. Denique diruite amorem proprium, fundamentum totius hujus ædificii ſatanici, ut fundamentum veræ humilitatis jacere poſſitis, & primum murum Civitatis Dei perfectè in vobis ædificare, qui à contemptu veſtri creſcere valeat uſque ad amorem Dei.

LECTIO XI.

DE MALEDICTIONE SUPERBORUM.

Maledictus vir coram Domino, qui ſuſcitaverit & ædificaverit civitatem Jericho, &c. Joſue 6.

Maledictionem à Deo expectare debent quicumque aliquam ex muris Jericho, hoc eſt, ex peccatis iſtis capitalibus civitatem diaboli conſtituentibus, ædificant. Sed maximè illi qui poſtquam per pœnitentiam, vitia illa deſtruxerint, tuba intus cœleſti eos ad meliorem vitam vocante, & per inſpirationem ſanctam intonante, divinaque gratia efficaciter cooperante, nihilominus vitiis iterum ſe implicant, & de novo muros iſtos quodammodo reædificant. Sed quænam eſt maledictio illorum; Utique Dei ſingularis vindicta, quam frequenter experiuntur in corpore & in anima, in præſenti & in futura vita. Et hoc indicari videtur in verbis iſtius maledictionis, quam imprecatus eſt Joſue ſpiritu Dei, Jericho jam deſtructa, ubi ait: *Maledictus vir coram Domino, qui ſuſcitaverit, & ædificaverit civitatem Jericho, in primogenito ſuo fundamenta ejus ponat, & in noviſſimo liberorum ponat portas ejus:* hoc eſt plectatur morte primogeniti ſui inchoans, & morte ultimogeniti antequam abſolvat; ſive moriantur ei filii omnes antequam conſummet ædificium iſtud præcepto Domini contrarium. Et hoc quidem litteraliter & in veritate contigit. Nam 3. Reg. 16. refert Scriptura: *In diebus Achab Regis ædificavit Hiel Bethelites; in Abiram primitivo ſuo fundavit eam, & in Segub novi ſſimo ſuo poſuit portas ejus, juxta verbum Domini quod locutus fuerat in manu Joſue filii Nun.* Perdidit ergo Hiel omnes filios ſuos anathemati & mandato Domini rebellis. Joſ. 6. 26.

Spiritualiter autem, id interpretari poſſumus de his qui muros Jericho ſpirituales ædificant, quod in primogenito & ultimogenito vindictam accipiant; hoc eſt, in corpore & anima; & id quidem cum in præſenti tum in futura vita. Per Primogenitum ergo intelligere licet animam, quæ primatum tenet in homine, prima ordine dignitatis, prima ſecundum jus ad hæreditatem æternitatis, jure quodam

Mal. dicti ſuperbi à Deo & in corpore & in anima, & hic, & in futura vita.

Digitized by Google

quodam primogenituræ cœleſtis in competente. Propterea etiam prima regeneratur ad vitam immortalem, deinde corpus; licet in generatione corporali præcedat generatio corporis animæ inſuſionem. Ergo maledictio hæc ædificantium civitatem diaboli adverſus civitatem Dei, primò animam concernit, tanquam primogenitam; deinde corpus, quaſi noviſſimè genitum. Et cùm verum ſit omnes vitiis ſuis dæmoni cooperantes & coædificantes maledictionem hanc incurrere, & vindictam divinam tandem experiri, id verè maximè manifeſtis exemplis probare poſſumus de his qui ſuperbiæ murum ædificant, tanquàm primo maledictum, utpotè civitatis Deo inſenſæ primum murum, primum fortalitium. Si enim dum in Cœlo ab Angelis primitus inchoaretur iſtud ædificium, in omnes illius ſtructores maledictionis æternæ fulmen ſubitò eſt immiſſum, quo in abyſſum præcipites corruerunt: Nonne meritò eidem maledictioni & vindictæ erunt obnoxii, qui eorum inſtinctu & perſuaſione hic eandem ſtructuram erigere contendunt? Itaque exemplis è ſacra Scriptura depromptis declaremus maledictionem illorum, qui ſuperbiæ elato tumore quodam modò ſe contra Deum erexerunt. Et quidem maledictionem & vindictam non ſolùm in futura, ſed & in præſenti vita eis divinitus inflictam ſacra nobis exhibent eloquia.

1. *Pharao Rex Ægypti.*

Primò quidem, nonne maledictus Pharao Rex Ægypti, ob ſuperbiam? Monente enim eum Moyſe, ex parte Domini Dei Iſrael, ut dimitteret populum ſuum ſacrificaturum in deſerto, cum ſuperbia reſpondet: *Quis eſt Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Iſrael. Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam.* In pœnam ergo tantæ ſuperbiæ cum curribus & equitibus, cum toto ſuo exercitu vindictam & maledictionē accepit, ſubmerſus quaſi plumbum in aquis vehementibus dextera Domini, elationem ejus & altitudinem ſuperbiæ ſic demolliente, ſic humiliante. Atque per hanc vindictam divinam etiam indicatum eſt, omnes qui per ſuperbiam contendunt ſe erigere, à Deo vindice projiciendos & in aquis putei infernalis ſubmergendos. Ubi eſt nunc taſſus tuus, ô Pharao maledicte, ubi ſceptra & currus, ubi vox illa *Neſcio Dominum?* Spoliaſti Hebræos & oppreſſiſti, nunc oppreſſus jaces, & ipſi ſpoliantur te. Tu crudelis & ſuperbe meriſti infantes eorum, nunc dignum eſt, ut mergaris ipſe, & in mari, & in tuo ſanguine. Devoraſti eos, nunc te piſces vorant & corvi. Et hæc quidem fuit maledictio tua temporanea, ſed ſequetur & æterna. *Detracta eſt enim à tuis oculis, meritissimè,* deſcendiſti *in profundum Lacus*, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur, ubi fumus tormentorum tuorum aſcendit in ſæcula ſæculorum. Hæc eſt maledictio, hic finis ſuperborum. *Maledictus ergo vir qui ædificat Iericho.*

Exod. 5. 2.

Iſa. 14. 11.

2. *Sennacherib Rex Aſſyriorum.*

Secundò: Nonne maledictus Sennacherib Rex Aſſyriorum, ob nimiam arrogantiam & ſuperbiam? Audi quid de eo dicat Dominus apud Iſaiam, *Cui exprobraſti, & quem blaſphemaſti, & contra quem exaltaſti vocem, & levaſtis excelſum oculos tuos? contra ſanctum Iſrael.* Et, *Superbia tua aſcendit in aures meas, ponam ergo circulum in naribus tuis, & frenum in labiis tuis, & reducam te in viam per quam venisti.* Egreſſus igitur Angelus Domini, *percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia. Et ſurrexerunt mane, & ecce omnes cadavera mortuorum. Et egreſſus eſt, & abiit Sennacherib Rex Aſſyriorum, & habitavit in Ninive. Et factum eſt cùm adoraret in templo Nisroch Deum ſuum, Adramelech & Sarasar filii ejus percuſſerunt eum gladio, fugerunt; & regnavit Aſarhaddon filius ejus pro eo.* Ecce igitur maledictio necis temporalis per filios inflictæ, necis æternæ à Deo vindice ſemper infligendæ, ut in æternum Regis ſuperbi maledicta elatio & arrogantia plectatur, & humilietur in abyſſo. *Maledictus ergo vir qui ædificat Iericho.*

Iſa. 37. 29. v. 36. v. 38.

Tertiò: Nonne maledictus Abſalon filius Davidis Regis qui ædificans ambitionis maledictam turrim in caput ſuum ruituram, tandem pendet in funeſta arbore inter cœlum & terram? Aureis ſuis cincinnis, & regia cæſarie ramis circumligatus, cœlo utique ac terra indignus, cernitur ſuſpenſus maledictus filius, ambitioſo ſuper cilio jugiter parenti infenſus. Cernitur, tribus lanceis confixus, juxta Dei ultionem, ut omnibus ambitioſis exemploſit & remedio. Et quidem exigua cenſeri poſſet ultio per mortem illam præmaturam & temporaneam, niſi ſequeretur & æterna, quæ omnis eſt conſummatio maledictionis. Hanc enim maxime luget pius ejus parens David, fili mi Abſalon, fili mi Abſalon! *Planxit meritò ſuper parricida filio*, inquit S. Bernardus: *cui perpetuò ſerat obſtruſum exitum de ventre mortis, male crimini.* Ergo iterum hic repetamus: *Maledictus vir qui ædificat Iericho.*

3. *Abſalon filius Davidis Regis*

2. Reg. 15. & c. 18. 9

Bern. ſer. 26. in Cant.

Quartò: Nonne maledictus Aman magnus ille Aſſueri Regis Aulicus à Rege primus, & quidem maledictus ob ſuperbiam? Non potuit ejus ſuperbia tolerare, quod Mardochæus ibi genu non flecteret, ideoque ei erigendum putavit patibulum altitudinis 50 cubitorum. Verùm ille qui humana omnia juſto ſuo moderatur arbitrio, ſortem invertit, & juſtiſſima ejus ultione contigit, ut in ligno quod injuſtè alteri pararat, mox penderet ipſe. Sic qui tumido nimis corde ſe elevarat per arrogantiam & ſuperbiam, jam in ſublime elevatus cernitur per ignominiam & confuſionem maximam. Ergo rurſum hic verum illud illi agnoſcimus: *Maledictus vir qui ædificat Iericho.*

4. *Aman aulicus Regis Aſſueri.*

Eſth. 3. 5. &c. 5. 14.

Quintò: Nonne maledictus fuit Saul, & reprobatus ob ſuperbiam & inobedientiam? Sublimatus fuerat à Domino ad regnum propter humilitatem, ſed cecidit à regno terreno & æterno ob ſuperbiam. Præceperat ei Deus, ut contra Amalechitas procedens univerſa illorum bona demoliretur, nec

5. *Saul 1 Rex Hebræorum.*

quicquam de præda ſibi reſervaret. Ipſe verò Domini præcepto inobediens, meliora reſervat. Quapropter et & ſuperbiam & inobedientiam exprobrat Dominus: *Nonne cùm eſſes parvulus in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es? Quare ergo non audiſti vocem Domini, ſed vaſus es ad prædam & feciſti malum in oculis Domini? Pro eo ergo quod abjeciſti ſermonem Domini, abjecit te Dominus ne ſis Rex.*

1. Reg. 15. 17. v. 23.

Poſtmodum inſœlici morte interit in montibus Gelboe, ſollicitans ut à ſuo quodam milite Amalecita propriæ incumbens haſtæ adjuvetur ad ſe interficiendum. Sic qui in humilitate agens à Deo fuerat benedictus, in ſublimi ſtatu poſitus ab eodem fuit maledictus ædificans turrim ſuperbiæ. Itaque iterum eſt *Maledictus vir qui ædificat Iericho.*

2. Reg. 1. 8.

Sextò: Nonne Herodes Agrippa Rex Galileæ ob ſuperbiam maledictionem quoque incurrit? Veſte ipſe regia indutus ſedebat pro tribunali, & concionabatur ad populum, hoc eſt, magna facundia & eloquentia illum alloquebatur. Populus autem ex adulatione & aſſentatione acclamabat: *Dei voces, & non hominis.* Conſeſtim autem percuſſit eum Angelus Domini, eo quod non dediſſet honorem & gloriam Deo, & conſumptus à vermibus expiravit. Vide quomodo ejus altitudinem demolitur Deus. Nam qui prius in veſte regia promicabat, & ſibi divinos attribuebat honores: jam vermibus eſt circumamictus, qui palam teſtatur eum non eſſe Deum immortalem, ſed fœtidum & miſerrimum hominem: Sic maledictione involvitur in corpore hac putredine vermium correpto: ſed & in anima fœtidiſſima, lacunis infernalibus paulò poſt immerſa. *Maledictus ergo vir qui ædificat Iericho.*

6. Herodes Rex. Act. 12. 23.

Septimò: Nonne Antiochus in Scriptura celebris admirabili maledictione ob ſuperbiam à Deo fuit percuſſus? Certè ultio multiplex Dei in ſuperbos maximè in ipſo effulget, ſi expendantur quæ de eo dicuntur. Primò enim de eo legitur: *Qui universa conſpicit Dominus Deus Iſrael, percuſſit eum insanabilis & inviſibilis plaga.* Ut enim finivit ſermonem, quo ex ſuperbia pronunciarat ſe Hieroſolymam congeriem ſepulchri Judæorum facturam: *Apprehendit eum dolor diruus viſcerum, & amara internecivum tormenta; & quidem juſtè, quis multis & novis cruciatibus aliorum torſerat viſcera.* Et hæc fuit prima plaga. *Secundò*, cum ſuperbia & ira furens in Judæos, juberet celerrimè agitari currum, contigit eum impetu de curru cadere, & gravi corporis colliſione vexari. Unde addit Scriptura: *Is qui ſibi videbatur fluctibus maris imperare, ſupra humanum modum ſuperbus repletus, & montium altitudines in ſtatera appendere, nunc humiliatus ad terram in geſtatorio portabatur, manifeſtam Dei virtutem in ſemetipſo conteſtans.* Et hæc fuit ſecunda ipſius plaga. *Tertiò*, membra ejus computruerunt, ita ut de corpore impii vermes ſcaturirent, ac viventis in doloribus carnes ejus fœterent. Nam & odore ejus ac fœtore exercitus gravabatur. Addit Scriptura: *Et qui paulo ante ſidera cœli contingere ſe arbitrabatur: nemo eum poterat propter intolerantiam fœtoris portare.* Et hæc fuit tertia plaga. *Quartò* tandem cœpit ex gravi ſuperbia eductus ad ſui agnitionem venire, divina admonitus plaga per momenta ſingula doloribus augmenta capientibus. Et cùm nec ipſe jam fœtorem ſuum ferre poſſet, ita ait: *Juſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire. Orabat autem ſceleſtus Dominum, à quo miſericordiam non erat conſecuturus.* Væ igitur arrogantibus, væ ſuperbis, exemplum iſtud ſibi proponant, & reſipiſcant, ne ſimili maledictioni & vindictæ divinæ obnoxios ſe reddant.

2. Mach. 5. 5.

v. 8.

v. 10.

v. 12.

Poſſemus & plura hic attexere exempla maledictæ à Deo ſuperbiæ, ex hiſtoriis Eccleſiaſticis; ſed ſufficientiſſima & certiſſima ſunt iſta, ex ſacræ Scripturæ oraculis deprompta: quæ & in ſeptenario numero diſpoſuimus, quia numerus iſte in materia de qua agimus, frequens eſt & myſticus, ut initio Tractatus annotavimus.

LECTIO XII.

DE MURO HUMILITATIS CONTRA SUPERBIAM.

SIcut initio dixímus ſeptem eſſe muros primarios civitatis ſatanæ, quam ſub typo civitatis Jericho deſcribimus: ita ex adverſo ſeptem ſunt muri primarii civitatis Dei, quæ ſub nomine Jeruſalem ſacris in litteris deſignatur. Nimirum, 1. Humilitas contra Superbiam. 2. Liberalitas contra Avaritiam. 3 Caſtitas contra Luxuriam 4 Charitas contra invidiam. 5. Abſtinentia contra Gulam 6. Patientia contra Iram. 7. Devotio contra Accidiam. Hi ſunt muri, quibus ſeſe tuentur Filii Dei contra ſatanam, ſuntque Arces fortiſſimæ ad dimicandum contra inferorum regnum. His ædificandis omnem operam impendunt electi, præſuntque huic ſtructuræ Genii boni eos excitantes & adjuvantes.

7. *Muri civitatis Dei ſub typo Jeruſalem ſunt* 7. *Virtutes.*

Primus itaque murus civitatis Dei muro jam deſcripto civitatis Jericho adverſans, & ex diametro oppoſitus, Humilitas nominatur. Hujus fundamenta poſuit Chriſtus Dominus ædificii cœleſtis Auctor, dum cœleſtem ſuam doctrinam in monte traditam ab illa exorſus eſt dicens: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum.* Pauperes enim ſpiritu humiles intelligi ſine controverſia eſt. Atque huic muro continuò nos cooperari & coædificare docuit verbo & exemplo: Unde ait: *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, & inveniatis requiem animabus veſtris.* Quod quidem Chriſti Domini monitum expendens S. Auguſt. ſic ait: *Huccine redacti ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi in te, ut hoc*

1. *Murus Humilitatis.*

Mat. 5. 3.

Aug. l. de Virg. c 52.

Matt. 11. 29.

Auguſt. ibid. c. 25.

Digitized by Google

hoc pro magno diſcamus à te, quoniam mitis es & humilis corde? itane magnum eſt eſſe parvum, ut niſi à te qui tam magnus es fieri, diſci à te non poſſet? Ita planè, non enim aliter invenitur, requies animæ, niſi in quieto tumore digeſto, quo magna ſibi erat, quando tibi ſana non erat.

Chryſ. in Geneſ. hom 35.

Neque mirum quod Chriſtus Jeſus humilitatem ſuos continuo docuerit, & ad eam ædificandam perpetuò hortatus ſit, quandoquidem illa fundamentum ſit omnis virtutis, omnis boni operis. Audi hac de re eleganter S. Chryſoſt. *operibus noſtris humilitatem quaſi fundamentum ſubſtruamus, ut ſecurè virtutes ſuper exſtruere valeamus. Virtus enim non eſt niſi conjunctam habeat humilitatem. Qui hoc fundamentum rectè jecerit, poterit in quantam voluerit altitudinem ſtructuram excitare. Hæc eſt inexpugnabilis turris, hac omne continet ædificium non ſinens ipſum vel à ventorum violentia, vel ab imbrium impetu, vel à ſpirituum vi dejici ſed omnibus inſidiis inacceſſum facit & invictum, quaſi ex adamante conſtructum eſſet.* Murus ergo hic primus civitatis Dei ſolidus omnino eſt, & fortis potenſque contra adverſarias poteſtates, ita ut idem ſanctus Chryſoſtomus iterum in eandem ſententiam ſic pronunciarit: *Nihil humilitate potentius, fortior eſt petrâ, ſolidior adamante, & in majorem ſecuritatem nos collocat, quam quæcumque vel turres, vel urbes, vel muri omnibuſque diaboli machinamentis ſublimior facta inſuperabiles reddit.*

Chryſ. in act. Apoſt. hom. 20. & 30.

Hinc murus conſtruitur ex variis lapidibus, id eſt aliis humilitatis. Signa humilitatis.

Hunc porro murum variis lapidibus compingi & conſtrui rectè aſſeruerimus. Sunt vero hi lapides aut lateres varii actus virtuoſi ex humilitate ortum habentes, velilli individuum conjuncti. Inter hos cenſentur, contemptus ſui, abnegatio propriæ voluntatis & judicii, fuga laudis, confeſſio proprii peccati, agnitio infirmitatis, amor vilitatis & contemptus, patientia in injuriis & adverſis, obedientia prompta in omnibus, modeſtia in voce, in veſte, in inceſſu, in verbis, exercitium lubens in officiis humilibus. Ex his enim omnibus conſtruitur turris iſta ſublimis, quæ quo profundior eſt, eo celſior conſurgit, quia ejus celſitudo in cœlum uſque ſe porrigit, pertingens tandem à contemptu ſui uſque ad conſpectum Dei. Ex his quoque omnibus cognoſcitur, ſi ſit perfectus humilitatis in nobis murus. Nam teſte Caſſiano, vera humilitas his judiciis comprobatur. 1. Si homo habeat mortificatas in ſe omnes voluntates. 2. Si nihil, nec actuum ſuorum, nec cogitationum, ſuum velaverit ſuperiorem. 3 Si nihil ſuæ diſcretioni, ſed judicio ejus univerſa committat, ac monita ejus ſitiens libenter auſcultet. 4. Si in omnibus ſervet obedientiam, manſuetudinem, & patientiæ conſtantiam. 5 Si non ſolum injuriam inferat nulli, ſed nec ab alio quidem ſibimet irrogatam doleat atque eriſetur. 6. Si nihil agat, nihil præſumat, quod non vel communis regula, vel majorum cohortentur exempla. 7. Si omni vilitate contentus ſit, & ad omnia ſe quæ ſibi præbentur velut operarium malum judicabit indignum. 8 Si ſemetipſum cunctis inferiorem, non ſuperficie pronunciet labiorum, ſed intimo cordis credat affectu. 9. Si linguam cohibeat, vel non ſit clamoſus in voce. 10 Si non ſit facilis ac promptus in riſu. Hactenus Caſſianus.

Caſſian. l. 4. inſtit. c. 39.

Hoc ædificium ſpirituale humilitatis non ſolum Chriſtus ſed & omnes ſacri Doctores jugiter nobis commendarunt, tanquam totius perfectionis fundamentum. De hac re agens Hugo de claſtro animæ lib. 3. ſic ſpirituale ædificium cum ſuis dimenſionibus deſcribit: *In ſpirituali ædificio fundamenti locus imus, id eſt, humilitate quæritur. In latitudine, id eſt, in charitate diſponitur. In altitudine vero bonorum operum paries erigitur, & divina protectionis tectum deſuper ponitur. In longitudine autem, id eſt, in patientia perficitur.* Sic loquuntur & alii Patres, primatum ſemper humilitati inter omnes virtutes attribuentes, & totam ſoliditatem ſpiritualis ædificii in illa conſiſtere conformi voce aſſerentes. Audiendus eſt inter hos iterum hac de re diſſerens ſanctus Gregorius. *Qui humilitatem, quæ eſt mater virtutum neſciunt, uſum ſui laboris perdunt; etiamſi bona ſint quæ operari videantur. Quia ſurgentis fabricæ robuſta celſitudo non figitur, quæ nequaquam per fundamenti fortitudinem in petra ſolidatur. Sibi igitur ruina creſcit quod ædificant, qui ante molem fabricæ humilitatis fundamenta non procurant.* Conformiter planè loquitur ſanctus Auguſtinus. *Magnus eſſe vis? à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam conſtruere celſitudinis? De fundamento prius cogita humilitatis. Et quantum quiſque vult & diſponit ſuperimponere molem ædificii, quantò erit major ædificium, tantò altius fodit fundamentum. Et fabrica quidem cum conſtruitur in ſuprema conſurgit, qui autem fodit fundamentum ad ima deprimitur: ergo & fabrica ante celſitudinem humiliatur, & faſtigium poſt humiliationem erigitur. Quid eſt faſtigium conſtruenda fabrica quam metiuntur? Quò perventurum eſt cacumen ædificii? Citò dico uſque ad conſpectum Dei.* Sic hac de re uniformis eſt Auguſtini, Chryſoſtomi, Gregorii aliorumque Sacrorum Doctorum conſenſus, aſſerens, noſtro congruè propoſito, primum murum civitatis Dei, primam ſtructuram cœleſtis ædificii eſſe Humilitatem. Hæc alia dona Dei ac virtutes ſibi ſuperædificat, quia humilibus Deus dat gratiam; illasque acceptas conſervat, quia Spiritus ſanctus donorum omnium auctor non requieſcit niſi ſuper humilem cordis conſervatas etiam illas perficit, quia virtus in humilitate & infirmitate perficitur, inimicumque omnis gratiæ & omnis peccati initium ſuperbiam debellat, ipſa denique illas coronat, quia ipſa emittur Regnum Cœlorum *Beati pauperes. ſive humiles Spiritu.* Quid ita? *Quia ipſorum eſt Regnum Cœlorum.*

Chriſtus & omnes SS. DD. humilitatem commendarunt.

Hugo Victorin.

S. Greg. l. 18.

S. Aug. ſer. 10 de verb. Dñ.

Con-

S. Cypr.

Concludamus hanc humilitatis commendationem verbis S Cypriani de nativitate Chriſti *Humilitas primus eſt Religionis introitus; ſicut in mundum primus Chriſti ingreſſus: ut quicunque vult piè vivere humiliter de ſe ſentiat, neque ſupra ſe in mirabilibus ambulare præſumat. Fundamentum ſanctitatis ſemper fuit humilitas, nec in cœloſtare poterit ſuperba ſublimitas. Hanc primam gratiam ingrediens mundum noſter parvulus attulit, & à cunabulo non ſibi conformes fieri volens, teneri voluit in vita, quod exhibuit in perſona.* Nempe quicquid Chriſtus docuit, quicquid fecit, magiſterium humilitatis fuit; & ideo venit, ut doceret hominem non debere eſſe ſuperbum, humilis Deus; noluit dicere quod ipſe non eſſet, noluit jubere quod ipſe non faceret. Vis particularius id cernere?

Chriſtus doctor humilitatis & verbo & exemplo.

1. Humilitatem commendans, Matrem humilem voluit eligere, Luc. cap. 1. *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.*

2. Elegit domum humilem diverſorum animalium, lectum humilem præſepium, veſtem humilem vilium pannorum involucrum, denique & humilibus Paſtoribus per Angelum ſuam nuntiat Nativitatem. Luc. 2.

3. Humilem ſe exhibet in circumciſione, peccatoris etiam ſignaculum non veritus aſſumere. Luc. 2. v. 21.

4. In pueritia contemptum in Ægypto elegit, in adoleſcentia humiliratem in Nazareth exhibuit, ſubditus Parentibus. Luc. 2.

5 Humiles in ſuum adiciyit conſortium, viles ſcilicet Piſcatores. Matth. 4. v. 18.

6. Subdit ſe humiliter Joanni pro Baptiſmo; ubi mirabile fuit certamen inter humilitatem Salvatoris & humilitatem Præcurſoris: *Ego debeo baptizari à te, & tu venis ad me?* ait Joannes. At ipſe: *Sine modo, ſic nos decet implere omnem juſtitiam.* Sed vicit humilitate, qui vincebat ſublimitate. Ceſſit humilitas Præcurſoris tanquam minor, quia obedientia tulit auxilium humilitati Salvatoris.

7. Parvulum amplectitur, & ſtatuit in medio Magiſter humilitatis, parvuloſque ad ſe venire prohibentes increpavit. Marc. 19 & 10.

8. Dat humilitatis exemplum in miraculorum operatione, dum ait leproſo: *Vide nemini dixeris.* Similiter loquitur & Apoſtolus electis in Transfiguratione. Matth. 17. 2.

9. Humilitatem docet in verbi prædicatione. *Ego gloriam meam non quæro. Doctrina mea non eſt mea. Ego Patrem honorifico.* Joan 8.

10. In fuga dum Regem eum volunt facere, manifeſtam fecit humilitatem; Fugit enim in montem ipſe ſolus. Joan. 6.

11. Ubi melius humilitatis exemplum præbuit, quàm in pedum ablutione; *Filius*, inquit, *hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. Exemplum dedi vobis, &c.* Joan. 13.

Poſtremò in Paſſione humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem. Quid ergo ſuperbis homo, tantum habens humilitatis exemplum, ſuperbiæ medicamentum? Quid pellis morticina tenderis? Quid ſanies fœda inflaris? Princeps tuus humilis eſt, & tu ſuperbis? Capiti humili ſuperbum membrum non congruit. Ambula per Chriſti humilitatem, ut venias ad Æternitatem. Deus Chriſtus patria eſt, quò imus: Homo Chriſtus eſt via, quà imus. Ad illum imus, per illum imus, quid timemus ne erremus? An non dixit ille; Diſcite quomodò mitis ſum & humilis corde; Vis capere celſitudinem Dei, cape prius humilitatem Chriſti. Nunc in civitate Dei in hoc ſæculo peregrinante, in Rege ejus Chriſto maximè humilitas prædicatur, & commendatur.

Similiter alii Sancti viri non ſolum verbis, verùm etiam potiſſimùm exemplis humilitatem hanc edocuere. Primum hunc morum ædificii cœleſtis & perfectionis ſpiritualis primò in ſe, deinde in aliis ædificare contenderunt omnes cohortando ad ædificandum prævio ſuo exemplo. Unde S. Gregor. ſic ait: *Vera doctrina humilitatem, quæ magiſtra eſt omnium meritorumque virtutum, & loquendo diſcere, & videndo conatur oſtendere, ut eam apud diſcipulos veritatis plus morum quàm ſermonibus exæquet:* Certè nihil humilius S. Auguſtino, nihil humilius Chryſoſtomo, Gregorio, Ambroſio, Hieronymo. Hi ópere & veritate humilitatis magiſtri extiterunt, non lingua ſolùm aut eloquio. Conſule eorum vitam apud Laur. Surium. Vide etiam quæ de humilitate tractavi in Virga Aaronis, *Tract. 3. Lect. 7.* quæ hic non repeto brevitati conſulens.

Sancti quoque.

S. Greg. 23. mor. c. 13.

Inter omnes porrò humillimus planè S. Franciſcus, qui interrogatus familiariter & ſincere à quodam è Fratribus ſuis, quid de ſe ſentiret, humillimè reſpondit: *Videor mihi maximus peccatorum.* Cum vero Frater ille diceret, impoſſibile ei eſſe hoc in conſcientia dicere vel ſentire, niſi cum injuria divinæ gratiæ quæ mire in ipſo promicabat, iterum hoc reſponſum humile accepit: *Si quantumlibet ſceleratum hominem tanta fuiſſet Chriſtus miſericordia proſecutus, arbitror ſanè multò magis quàm ego ego gratiorem fore illum, ſolertiuſque divina gratia cooperaturum, & ideo miſerrimus ſum omnium peccatorum.* Agnovit ille humilitatem Franciſci profundiſſimam & ſolidiſſimam, quam prius in viſione quadam prævidere potuerat. Cùm enim eſſet in comitatu viri Dei, & una cum ipſo in quadam Eccleſia deſerta ſerventi oraret affectu, in extaſi factus, vidit inter multas in cœlo ſedes unam præ cæteris digniorem, pretioſis lapidibus & omni gloriâ refulgentem. Miratus intus ſe præcelſi refulgentiam throni, anxia cœpit cogitatione requirere, quis ad illum deberet aſſumi? Audivit inter hæc vocem dicentem ſibi: *Sedes iſta unius de Angelis ruentibus fuit, & nunc humili ſervatur Franciſco.* Teſtis eſt S. Bonaventura in vita ejus cap. 6.

De S. Franciſco. Exempl.

Quiſquis ergo ad Angelicam ſublimitatem cupit pertingere, & ad civitatis cœleſtis ſocietatem, debet muro huic civitatis ſanctæ cooperari, debet illam

illum cum divina gratia ædificare. Cujuslibet sis status, sublimis vel vilis, in quolibet statu honoris vel paupertatis, necessaria est humilitatis virtus, sine qua nemo potest salutem assequi; quia sine contemptu sui non pertingitur ad conspectum Dei. Et quidem humilibus his qui in statu inferiori degunt facilior est illisque conjunctior, de qua continuò eos vel status ipse monet. Quod si superbiant hi, intolerabiles planè sunt, & abominabiles coram Deo & hominibus. Dicit enim Sapientia: *Tres species odivit anima mea, divitem mendacem, senem fatuum, pauperem superbum.* Specialiter se odisse pauperem superbum asserit, quia cum ille nullam superbiæ occasionem habeat, quin potius omnis humiliationis materiam, si se circumspiciat, planè intolerabilis est judicandus, si superbiat: at vero inter honores superbia tolerabilis magis videtur; & veniâ digna. Nihilominus etiam eos qui in sublimi positi sunt frequenter monent sacræ literæ, ut humilitati studeant, ut propugnaculum hoc primum & fortissimum contra satanam ædificent, ne ejus imitatores sint, & superbia sua pereant.

Eccles 3.

Hinc illud monitum Ecclesiastici; *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* In quam sententiam S. Bernar. sic loquitur: *Cùm omni indifferenter personæ humilitas sit quadamtenus à facie inimici; nescio quo pacto tanto vis ejus major in majoribus, & splendidior in clarioribus comprobatur. Nulla clarior gemma in omni præsertim ornatu Pontificis. Salubris copula, ut cogitans te Summum Pontificem, agnoscas simul te non solum fuisse, sed esse vilissimum cinerem. Non est magnum esse hominem lemma abjectionis, magna prorsus & rara virtus est humilitas honorata. In alto non altum sapere, nihil apud homines rarius, nihil Deo carius.* Hæc eleganter Bernardus summo scribens Pontifici, quæ eadem concernunt omnes in honoris gradu constitutos, ut se adversus ventum superbiæ firmos faciant, tutosque à casu & ruina humilitatis arce.

S. Bern. l. 2 de Consid ad Eugenium.

TRACTATUS II.

DE VITIO AVARITIÆ.

LECTIO I.

QUID SIT AVARITIA, ET quotuplex.

I. Murus urbis Jerichuntinæ est Avaritia. Avaritia duplex est.

ALTER Murus Jerichuntinus Tuba Sacerdotali diruendus nominatur Avaritia. Est autem avaritia immoderatus appetitus illorum exteriorum bonorum, quæ ad sustentationem vitæ hominis ordinata sunt, qualia sunt, aurum, argentum, agri, vineæ, domus, aliæque possessiones. Distingui verò potest duplex avaritia. Est enim quædam avaritia & cupiditas sic immoderata, ut etiam extendat se ad aliena indebitè & per nefas desideranda, conquirenda, possidenda; puta per injustitias, dolos, fraudes, rapinas, furta, oppressiones. Et in hanc maximè invehuntur eloquia divina, & Sanctorum Patrum scripta. Est & alia avaritia, quæ est amor inordinatus circa propriis opes aut res possessas, dum quis nimis amat res exteriores, nimis ardenter illis acquirendis incumbit, nimis tenaciter illas retinet, nimis illis delectatur & animum immergit; licet nolit rapere aut retinere aliena. Et hæc etiam peccatum est, licet non ita grave ut prior illa justitiæ adversa. Mortalem vero culpam potest involvere, si ob illum inordinatum amorem, vel affectum quis transgrediatur Dei vel Ecclesiæ præcepta; si propter illum negligat quæ sui muneris sunt erga pauperes, aut alios quibus ex charitate obstringitur. Opponitur ergo hæc avaritia liberalitati & charitati, quæ moderatur talem affectum erga externa bona. Neque vero ut communis plebs existimare solet, illa solùm reperitur in divitibus, qui immoderatè congregant aut retinent opes supra statum & conditionem suam: sed & in pauperibus locum habet, quibus licet non sit superflua, immoderato tamen frequenter desiderio illis inhiant, illa qualitercumque acquirere satagunt, & paucis quæ possident affectu nimio inhærent. Hoc etiam advertit sanctus Augustinus explicans illud Psalmi 51. *Videbunt justi & timebunt, & super eum ridebunt, & dicent*: *Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum.* Sic in hunc locum differit Augustinus: *audivit aliquis pauper Prophetam dicentem: Speravit in multitudine divitiarum suarum, & continuò attendit pannos suos, respexitque sordes circa se divitem ornatum indutum, & ait in corde suo, de illo dicit, non de me.* Sed subjun-

S. Aug.

subjungit idem Augustinus. *Noli te extipere, noli sperare, nisi & tu videris & timueris, ut possis videre in die novissimo. Nam quid tibi prodest si gemas facultates & ardens cupiditate?* Ergo & avaritiæ pauper obnoxius esse potest, qui animo pauper non est, sed affectu dives: Sicut & dives divitiis affluentibus nequaquam cor apponere, imò illis ut materiâ virtutes rectè uti potest. Sunt enim divitiæ indifferentes: & sicut scala ad ascendendum & descendendum indifferentiam habet; sic & illis bene utendo potest quis conscendere in cœlum, vel abutendo descendere in infernum. Sic bonum est & vinum, sed immoderatus ejus usus perniciem affert. Hinc rectè Xeris divitias in manu impii esse velut gladium in manu phrenetici, sibi & aliis in perniciem: in manu verò viri pii segetes esse meriti, gratiæque & gloriæ semen.

Divitiæ sunt indifferentes.

Non absimiles sunt opes aquæ Ægyptii, quæ in sanguinem versa fuit. Hanc verò asserunt Hebræi, in manu Ægyptiorum sanguinem fuisse, in manu Hæbræorum aquam mundam; sic & divitiæ in manu improbi sunt sanguis, dum illis peccata peccatis cumulat; in manu verò pii aqua munda, per quam peccata eluat. Sic in manu Job pulchritudo opes operatæ sunt, dum Pater est pauperum, oculus cæco, pes claudo: *Si comedi buccellam solus, & pupillus non comedit ex ea.* In manu Epulonis Evangelici damnationis sunt occasio, dum in luxum abutitur illis, & immisericors erga pauperem Lazarum manet, illum aspernans. Quia verò plerique hominum illis avarè abutuntur ad suam perditionem, ideò & apud veteres, compedes Plutonis vocantur, & apud eosdem Pluto simul inferorum & divitiarum Deus asseritur. Est ergo divitiarum cupiditas, aut amor nimius, hujus muri infelicis fundamentum, contra quod insonat tuba efficax sacrorum eloquiorum, ut funditus murus ille dirustur. Sed videndæ sunt muri hujus dimensiones, altitudo & profundum, latitudo & longitudo.

Job. 31. 17. Luc. 16. 22.

Cur Plato divitiarū Deus.

LECTIO II.

DE DIMENSIONIBUS MURI AVARITIÆ.

DE ALTITVDINE.

1. Alsted.

ALtitudo muri avaritiæ ex eo declarari potest, quod in cœlum usque sese erigat. Quod maximè fit, quando propter illam oppressio fit pauperum, pupillorum, viduarum; defraudatio item mercenariorum, similesque injustitiæ quæ in cœlum clamare dicuntur, more loquendi Scripturæ sacræ. Ascendunt enim in cœlum ut divinæ vindictæ pondus attrahant super iniquos illos oppressores, muri hujus ædificatores, & sathanæ operarios conficibiles. Unde hoc monet S. Jacobus: *Ecce merces operariorum qui messuerunt Regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat, & clamores eorum in aures Domini Sabaoth introivit.* Idem docet Sapiens, dum ait: *Nonne lachryma viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio ejus super deducentem eas? A maxilla ascendunt usque ad cœlum, & Dominus exaudiet eam, & celabitur in illis.* Murus itaque iste permixtus lachrymis & sanguine pauperum neutiquam bono conflat cæmento, nec firmiter coagmentatur: sed Deo & cœlo pugnante contra ejus altitudinem, in caput ruit ædificantium, & in æternam eorum confusionem.

Jacob 5. 4. Eccl. 35. 18.

Deinde ejus altitudo inde declarari potest, quod contra Deum se erigere ex eo censeatur, quia in sacris Scripturis avaritia *Idolorum servitus* appellatur. Ita enim eam disertè appellat Apostolus. Et hoc verum est, quia avaritia totum cor & mentem hominis sibi vindicat: ita ut vix aliud cogitet, quàm de augendis lucris, noctes diesque in his insumat. Et ita avarus Mammonæ corpus velut immolata per assiduos labores ex amore lucri; immolata illi & animam, per varia peccata, quæ inde obveniunt. Habet ergo avarus opes pro Deo, id enim cuique Deus est, quod semper in mente habet, cui totus intendit, in quo totum cor, totam curam, totam fiduciam figit, cui & totam vitam dicat. An fortè idololatra est, qui duo grana thuris offert altari & idolo Mercurii; ille verò idololatra non judicabitur, qui totum vitæ obsequium defert pecuniæ & creaturæ? Certè impossibile est servire Deo & mammonæ, ut asserit Evangelium. Servit autem Mammonæ, qui nummo servit & pecuniæ, plus sollicitus de pecunia, quàm de divina gratia; curans lucrum in arca, quàm damnum in conscientia. Sic enim plus censetur colere Nummum, quàm Deum, quandoquidem ei obsequitur servitute damnosa, quam & divinæ præfert servituti.

Col. 3. 5. Eph. 5. 5. *Avarus est idololatra, quia divinum numen censetur tribuere creaturæ.*

Deinde magna similitudo inter idololatram & avarum, quia ut ait Innocent lib. de vilitate conditionis humanæ. *Sicut idololatra servit simulacro, sic avarus servit thesauro. Nam ille curiosius idololatriæ diligenter amplius, & iste cumulum pecuniæ libenter augmentat. Ille cum diligentia colit simulacrum, & iste cum omni cura custodit thesaurum. Ille spem ponit in idololatria & idolo, & iste spem ponit in pecunia & nummo. Ille timet mutilare simulacrum, & iste timet minuere thesaurum.* Dicamus ergo simulacra avarorum esse argentum & aurum, quæ præ reverentia vix videntur audere tangere, sed inani eorum aspectu solùm delectantur, ut latè deducit sanctus Chrysostomus in cap. 5. ad Ephesios.

Innoc. Chrys.

Declaremus id exemplis. 1. An non idololatra is de quo Robertus de Licio Theologus Ord. Minorum in suo Quadragesimali? Vidi, inquit ipse, quemdam in extremis laborantem, qui ditissimus erat,

Exempl. Robert. de Licio in suo Quadra-

Digitized by Google

erat, & divitias non ſine peccato congregaverat. Cumque monerem eum ut jam animæ ſalutem quæreret, ejuſmodi monitum haud lubens audiebat. Quinimmo in lectulo in quo jacebat ſe volvens, ſuſpirabat, gemebat, imo rugiebat, dicens: *O quantum laboravi ut theſaurizarem, & alii meis fruentur theſauris! O divitiæ, ò pecunia, ò gemmæ & jocalia mea, quis vos poſſidebit, & quibus vos relinquam?* In his itaque tingens cor & animum, miſerè expiravit. Sic qui prius Mammonæ corporis labores, cordiſque effectum voverat, jam illi & animam è corpore egredientem victimam æternam infœliciſſimè immolavit.

S. Proſp. l. de dono timoris.

2. An non etiam idololatra is, de quo Proſper lib. de dono timoris? Quidam, inquit, pecuniæ ſemper amantiſſimus, cum opes plurimas congregaſſet, nihilque unquam pietatis officiis impendiſſet, ſubitâ morte raptus eſt; cadaver autem ejus amicis præſentibus & petentibus apertum eſt, ut deſpiceretur quænam tam repentinæ mortis cauſa foret. At cor in eo non fuit repertum, omnibus in admirationem raptis. Paulo poſt cubiculum aditur, ubi thetaurus erat; atque ciſtâ apertâ, cor hominis reperiunt inter manus dæmonis, qui inſtar draconis ſuper illud ſedebat, ac in varias partes diſcerpebat: dixitque aſtantibus hoc aurum & argentum pretium eſſe cordis, quod ille ſibi antea vendederat & voverat. O infœlicem mercatorem! O infœlicem idololatram, Mammonæ ſervum!

Nider. Simile apud Anton. p. 2. tit. 1. c. 4.

3 An non ille idololatra pecuniæ, de quo Niderus in formicario l. 3. c. 5. Quidam inquit in civitate Conſtantiæ in morbum incidens, ut pecuniæ ſuæ parceret, deferri ſe curavit in Xenodochium. Cùm jam deſperabundus vitæ termino appropinquaret, curavit ſibi juſculum præparari quod forberet: atque in illo aurum ſuum clam cochleari commiſcens, dum putat deglutire, tandem poſt aliquot pectori immiſſis particulas, antequam totum hauſiſſet, confuſibiliter ſuffocatus expiravit.

Ex Annal. Soc.

4 Denique Nonne ſeſe nummum ut numen adorare apertiſſimè oſtendit ille, de quo in Annalibus Societ, refertur, quod nulla Sacerdotis inſtantia ad confitendum induci potuerit. Sacerdote autem è cubiculo exeunte vocavit uxorem, & ſibi in diſco copiam auri afferri juſſit, ac deinde illud oſculis frequenter repetitis ori admovens, dixit: *Tu es Deus meus, in te omnis ſpes mea.* Cùm aliquanto tempore oculos, cor, animum, in præſens illud aurum idololatrans intendiſſet, tandem miſerrime animam exhalavit.

Magna eſt igitur altitudo hujus peccati ſeſe contra Deum extollentis, dum divinum cultum (quantum ad aliquem modum) cenſetur tribuere creaturæ. Magna ejus altitudo, quandoquidem etiam uſque ad Deicidium, pecuniæ cupiditas hominem potuerit perducere: Dum Judas avaritiâ excæcatus Chriſtum Magiſtrum ſuum Deum-Hominem neci objecit, hoſtibuſque tradidit; De qua re ſic ait S. Cyprianus: *Uſque ad mortem Domini amor lucri ſe ingeſſit.* Magna ejus altitudo, dum ex cupiditate avara, perjuria prodeunt nefanda, quæ divinam impetunt Majeſtatem. Magna ejus altitudo, dum per violentiam & oppreſſionem inopum, in cœlum uſque ſuum tollit clamorem, aures Domini Sabaoth pervadentem. Tract. de oper. Card.

Cypr.

LECTIO III.

DE PROFUNDITATE MURI AVARITIÆ.

2. Profunditas.

PRofunditas avaritiæ dici poteſt ejus inſatiabilitas, propter quam inferno comparatur. Sic enim dicit Sapiens: *Infernus & perditio nunquam implentur: ſimiliter & oculi hominum inſatiabiles* Eccl. 14. *Inſatiabilis eſt oculus cupidi.* Nempe ſicut dicit Iſaias: *Dilatavit infernus animam ſuam, & os ſuum, abſque termino*: ſic & de avaritia dicimus, dilatat animam ſuam, & os ſuum abſque termino, quia *avarus nunquam implebitur pecuniâ* teſte Eccleſ. Sed eſt in eo ſemper ignis cupiditatis exardeſcens, *qui numquam dicit ſufficit*: Lit in eo ſanguiſugæ infernalis filia, quæ ſemper dicit, *affer, affer.* Cor ejus terrenum & aridum terra illa eſt, *quæ numquam ſatiatur aqua.* Ex abyſſo igitur profundiſſima murus avaritiæ confluxit, nec ullum habet ſupra aut infra terminum. Unde Auguſt. vel quiſquis eſt auctor ſermonum ad Fratres de Eremo, ſerm. 48 ſic ait O peſtis interminabilis! O famelica rabies. Omnia nempe ſuis terminis clauduntur: ſola avaritia nullo clauditur termino, nullo fine. Ecce enim terra ſuis limitibus terminatur, aqua ſuis finibus limitatur, aër ſuo fine concluditur, cœlum ſuis terminis arctatur, ſola avaritia terminum neſcit. O Avare, ſi cuncta terra tibi datur, mare quæris. Si terra & mare dantur, aerem quæris. Quod ſi mare, terram, & aerem poſſederis, adhuc cœlum ambis, ad ipſum penetrare affectas. Quod ſi cœlum penetraveris, adhuc non quieſces donec Deo te adæquaveris, vel altiſſimo ſuperior fueris. Prov. 27. 20. Eccl. 14. 9. Iſa. 5. 14. Eccl. 5. 9. Prov. 30. 15. S. Aug.

Oculus cupidi & avari inſatiabilis. Plut. in Alex. M.

Oculum cupidi inſatiabilem eſſe, nonne ſatis demonſtravit Alexander? Hic cùm à Democrito Philoſopho audiviſſet innumeros mundos eſſe, ingemuit; & cùm necdum uno plenè potiretur, ad alios imaginarios etiam cupiditatem extendit, nec uno contentus fuit. Sic ferociſſima peſtis eſt cupiditas, quæ ſolet quos capit egenos efficere, dum finem acquirendi non invenit, ſed magis quo fuerat locupletata mendicat. Propterea quidam Sapiens Alexandro interroganti; *Docemus aliquid ſapientiæ plenum*; in hunc modum reſpondiſſe fertur: *Si ego ſapientiam à Deo acceptam tibi communicare volo, non habes quo tale munus capias: implerverunt enim animam tuam immodica cupiditates. Sed & quomodo deſiderio tuo poſſum ſatisfacere,*

Digitized by Google

ſtomachum mihi movit quidam ruſticanæ plebi prædicans ſuper Evangelio de Nuptiis in Cana Galilææ: Statim mitto Concionis, opinionem Duranti Theologi antiqui proponebat, docentis quod Matrimonium non videatur eſſe Sacramentum, eam verò opinionem proponebat cum omnibus ſingillatim argumentis ejus Theologicis, ac deinde illa refovebat ex mente Scoti Doctoris ſubtilis. Hæc prima pars Concionis. Secunda dividebat Nuptias quadruplices, literales, allegoricas tropologicas anagogicas: & hi termini repetebantur frequentiſſimè toto ſermonis decurſu, ita ut certo crederem obterminorum illorum involutam repetitionem, in qua ſibi videbatur Concionator complacere, vix vel unam periodum concionis à reliquis intellectam. Alter quidam coram eadem ruſtica plebe de beata Virgine concionem adornans, primam partem totam inſumebat in explicandis ſingulis proprietatibus materiæ, quæ in libro primo Phyſicorum traduntur, quod materia prima ſit prope nihil, quod ſit pura potentia, quod ſit meræ paſſiva, &c. Altera parte probabat, quod per materiam primam oporteat intelligere beatam Virginem, & ſic inſudabat ut omnes proprietates materiæ primæ ipſi accommodaret. Quid hæc porro ad plebem rudem? Tertius vocem lateræ, dolæ, hyperdoliæ, ita ſingulis ſententiis retonabat, & commiſcebat, ut non plus intelligeretur, quam ſi Græcè aut Hebraicè concionaretur. Unde mulier quædam interrogata num intellexiſſet concionem, dicebat ſe intellexiſſe quod Concionator frequenter locutus fuiſſet de pultibus: dum enim gallico ſermone ſæpius pronunciaret *Dulce*, ipſa *Boulte* intelligebat; quod vernacula lingua ruſticis Pultes ſignificat: ſe autem fatebatur ignorare mulier, cur de pultibus ſermo inſtitutus foret. Similia quotidiè contingunt: ſed hæc pauca rememoro ex occaſione, ut advertant qui ad concionandum ſuos mittunt, advertant quoque illi qui mittuntur, ne locum dent ſimili aut imprudentiæ, aut oſtentationi infructuoſæ.

S. Bonav. Sed dolendum magis quod ſcientia inflans multos perdat, & in tartara mittat. Hinc dixit S Bonaventura: *Arbor ſcientiæ multos privat arbore vitæ.* Nempe cum ſcientia ſit lux quædam, ſicut per lucem radiantem quidam illuminantur, quidam excæcantur: ita per ſcientiam humiles illuſtrantur, ſuperbi excæcantur. Quia ſcilicet illa non ad Dei gloriam utuntur, ſed ad ſuam perniciem abutuntur; & per illam peccant, per quam à peccatis ſe emendare debuerant. Audi S. Bern. *Sicut cibus indigeſtus malos generat humores, ita multa ſcientia ſtomacho nocet animæ, quæ eſt memoria. Nam ſi decocta igne charitatis non fuerit, & ſic per quoſdam artus animæ, mores ſcilicet atque actus tranſiſſa atque digeſta, nunc reputabitur in peccatum, tanquam cibus converſus in pravos noxioſque humores?* An non mali humores, *prava mores?* Audi & Auguſt. explicantem illud Apoſtoli: *Scientia inflat charitas autem ædificat.* Sic enim loquitur: *Quid ergo? an ſcientiam ſugere debetis, & elaturi eſtis nihil ſcire potius quam inflari? Ut quid vel ſic loquimur ſi melior ignorantia, quam ſcientia?* Reſpondet verò S. Auguſtinus huic quæſtioni his verbis: *Scientia cavenda ne inflet, ergo amare ſcientiam ſed anteponite charitatem. Scientia ſi ſola ſit inflat, quia verò charitas ædificat, non permittit scientiam inflare. Ibi ergo inflat ſcientia, ut charitas non ædificet. Ubi autem ædificat, ſolidata eſt non eſt ibi inflatio, ubi petra eſt fundamentum. Quando autem tentat inflatio, hoc eſt elatio? Vtique ubi, & quando charitas deeſt,* Hæc Aug.

S. Bern. ſer. 36. in Cant. circ. med.

Aug. ſer. 53. de verb. Domini.

Audi exempla quorundam pereuntium per ſcientiam ſine charitate inflantem. Ac primo memoria dignum eſt, quod in Chronico FF Minorum Gallico lib. 2. c. 23. lego. Quidam Frater Minor. Joannes de Sciacia, Miniſter Bononiæ, Vir literatus, abſque S Franciſci conſilio ordinavit ſtudium pro Fratribus Bononiæ. Statim verò ubi id Francisco nunciatum fuit, advolat Bononiam acriterque alloquitur, & reprehendit virum iſtum, propter illam ordinationem ſine ejus aſſenſu factam dicitque ei: *An tu tua vis deſtruere Ordinem meum? Oportebat ego magis exemplo Domini Fratres orare, quàm legere: tu verò huic ſancto voto meo obſtitiſti? nec erit ad finem ultione divina.* Recedens ergo Franciſcus ſpiritu divino maledixit ei, ſtatimque cœpit infirmari. Miſerunt Fratres, ut maledictionem retractaret: at reſpondit illam in cœlo eſſe confirmatam. Itaque in lectio cum decumberet, gutta ignea è ſublimi deſcendit lectumque ejus perforavit. Unde factum eſt, ut paulo poſt magno cum fœtore expiraret, & diabolus animam ejus acciperet. Sic nimirum ipſe ſcientia inflatus neglexit charitatem, neglexit veram ſimplicitatem; propterea divina eſt ultione percuſſus, mutiſſimo & humillimo virorum et comminante. Res ſanè conſideratione & horrore plena.

Exempla pereuntium per ſcientiam ſine charitate, In Chronico Minorum l. 2. c. 23.

Hoc quidem intuis Ordinis Fratrum Minorum contigit, at non minus horrore dignum, quod in Ordine coætaneo Fratrum Prædicatorum contigiſſe multis eſt teſtibus comprobatum. Accidit Neapoli in quodam conventu S Dominici, ut poſt completorium ingrederetur Refectorium is cui illius cura incumbit, idque comperit locum refectum Fratribus quaſi collationem expectantibus. Accurrit, & Priori id denuntiat. Ille delirium aut ſomnium reputat. Accedit tamen; videt, credit, turbatur, remque confert cum gravioribus Monaſterii Patribus. Horum conſilio ſacras aſſumit veſtes, Chriſtique corpus. Per illud adjurat eos, ut aperiant qui ſint, & quid velint. Tandem is qui inter eos videbatur primus, reſpondet, omnes fuiſſe Ordinis Religioſos & pro majori parte Magiſtros, Priores, Superiores, Baccalaureos, Lectores, vel alio in Officio conſtitutos; omneſque eſſe damnatos ob ambitionem, ſuperbiam, invidiam, & ſimilia vitia. Huic vero ipſos adventaſſe Deo jubente, ut omnes ſuæ vocationis commonefacerent: quam quia neglexiſſent ipſi flammis jam æternis cruciarentur. In

Anto. Senenſis in Chronico FF. Præd. Delrio tom. 3. diſq mag. l. 6. cap 2. ſect. 3. q. 3.

huju

hujus rei indicium cappas aperientes, flammis undique cincti apparuere. Tunc præcipuus manu signum dedit, & vitio disparuit. Istius rei adhuc perseverat memoria, velut per traditionem accepta in isto Conventu, ut testatur Antonius Senensis in Chronico ad annum 1370. pag. 199.

DE SVPERBIA PIETATEM Sollentium.

POstremò hunc superbiæ murum ædificare reperiuntur, qui pietatem & sanctitatem profiteri videbantur. Inter hos nonnunquam serpit ambitio, contentio, vana gloria. Sic attestatur S. Cyprianus: *Etiam in sinu Sacerdotum ambitio dormit, sub umbra recubat, in secreto calami se fraudulenter occultat, per omnia officia, gradusque discurrit.* Cui conforme est quod de illa scribit S. Bern. *Ambitio subtile malum secretum virus, pestis occulta, dolus artifex, mater hypocrysis, livorum parens, vitiorum origo, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, cordium excæcatrix.* Addit S. Ambros. *Sæpè quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia subruere, facti ambitio criminosos, ac pernicioſos, quò blandior.* Ideo hanc ambitionis viam tentavit Satan, ut Christum subrueret Sanctum Sanctorum; non ignorans hanc multam habere efficaciam, ad sublimes mentes, etiam sanctitatem profitentes, evertendas. Nempè quia naturâ cœlestis quodammodò est, facilè sublimium invadit mentes: in Cœlo enim ortum suum habuit, ubi Luciferum devicit; qui erat *principium viarum Dei* ut dicitur, hoc est, qui erat primum & præcipuum opus Creatoris in Cœlo. Exinde Principes generis nostri, quærent præcipuum Dei opus in terra, iterùm invasit & subvertit; dum ex promisso serpentis elati, ambire divinitatem non sunt veriti, cum illis istud suggeritur; *Eritis sicut Dii.* Tandem & ipsos Ecclesiæ Principes primos, etiam in schola humilitatis ad Christi pedes eruditos, aggressa est. *Facta est contentio, quis eorum videretur esse major.* Quid mirum igitur, si & alios quavis sublimitate sapientiæ vel pietatis excellentes aggrediatur; ita ut nemo sibi ab ea securitatem polliceri debeat quâmlibet in virtute provectus? Insidiatur enim maximè operibus bonis, insidiatur sanctitati, insidiatur divinis in nobis donis, ut illa reddat inania. Tinea est perniciosissima, quæ non solùm ex serico, sed etiam ex facco exoritur, & utrumque corrodit.

S. Cypr. ſer. de Jejunio & tentat.

S. Bern. in Pſ. 90. *Ambitionis epitheta.*

S. Ambr. l. 4. in Luc. c. 4.

Job. 40. 14.

Job. 40.

Luc. 22. 24.

Hæc porrò præsertim vera sunt de vana gloria, de qua S. Basilius sic monet pietatis sectatores. *Fugiamus inanem gloriam, dulcem spiritualium operum spoliatricem, jucundum animarum nostrarum hostem, tineam virtutum blandissimam, bonorum nostrorum depradatricem eandemque mollis illius fraudis sui venenum colatricem, & mortiferis hominum mentibus poculi porrectricem.* Similiter loquuntur & alii Patres, monentque ab illa cavendum tanquam à fermento Pharisæorum. Quod ipsum præmonuit Dominus Marci 8. Sicut enim fermentum inflat massam, sic superbia hominem; & sicut totam massam fermentum corrumpit, sic omne præclarum opus inanis gloria destruit. Ideo dixit Philo, lib. de offerentibus victimas fermentum ab altari, olim divinâ ordinatione repulsum. Sic enim ait: *Jubet Legislator oblationem omnem fieri sine fermento, ob tumiditatem quam efficit; figurato præcepto, ne quis elatus ad altare accedat, tumidumque fastu aut arrogantia.*

S. Basil. in conſt. monſt. c. 11.

Marc. 8. 15. Simile Philo l. de victimas offerentibus.

Cæterùm non mirum quod etiam viris sanctis quandoque subrepit vanæ gloriæ effectus: rectè enim dixit Valerius Maximus: *Nulla est tanta humilitas, quæ gloria dulcedine non tangatur.* Si hujus rei causam pleniùs vis agnoscere, adverte quòd omnibus hominibus innatus sit appetitus excellentiæ: Honor autem est excellentiæ testimonium: Gloria ejusdem excellentiæ est notitia & opinio: Laus quoque excellentiæ ipsius est prædicatio. Dum igitur hæc exhibentur, nascitur in homine apprehensio, & cogitatio suæ excellentiæ, quâ mirè delectatur. Sicut è contrà dum convitio quis afficitur, excitatur in ipso apprehensio vilitatis, quæ est exosa, & mœrorem parit, Itaque omnes amant laudem & gloriam, quia signa sunt excellentiæ. Omnes oderunt convitium & contumeliam, quia signa sunt abjectionis & vilitatis.

Val. Max. *Omnibus innatus eſt appetitus excellentiæ*

Adde & alteram rationem. Nempè sicut animus maximè desiderat eminere, ita & talis haberi in mentibus hominum. Ut hoc censet ad se spectare, quasi novum quoddam esse, & quasi novam vitam intelligibilem, qua cognitum sub illustri specie & forma, videtur vivere in mente cognoscentis. Unde, vel scriptis, vel factis eam vitam ambiunt homines, quæ viget memoria sæculorum, quam posteritas alit, qua absentes quodammodò adsunt, & mortui vivunt. Hæc ergo memoria, æstimatio, & laus est vita quædam quâ quis sibi videtur in mentibus hominum vivere, & tot habere vitas, quot sunt homines, in quorum corde magni penditur. Hanc porrò quandoque tanti faciunt homines, ut vitam corporalem præ illa aspernentur, parati morti se potiùs exponere, quàm nominis & gloriæ detrimentum sustinere. Sic pluris existimant vivere in hominum mente per memoriam, quam in proprio corpore per naturam.

Leſſius de provid. nominis.

Hi itaque omnes, vel ob doctrinam, vel ob sanctitatem, vel ob industria gesta superbientes, aut gloriam aucupantes, murum hunc Jericho amplificant infœliciter sanè, & in perniciem suam; cùm ipsi eisdem mediis aeternam sibi potuissent gloriam cõparare, & in cœlo, in solido divini honoris fundamento ædificare. Heu quàm magnus est eorũ numerus qui in vanum ædificant, in vanum laborant.

Hos rursus comparare possimus cum S. Anselmo illis qui magno labore granum seminant, metunt, molunt: ac posteà farinam vento exponentes, eam dispergunt; sicque pane quo se sustentare debuerunt, carentes, miseriam & inopiam serò lugere coguntur. *Tres sunt, inquit, à meo usque ad vestros*

Anſelm. l. Similit. c. 45.

Digitized by Google

veſperam molentes. Primus, quidquid molit, in ſaccum abſcondit. Alter partem ſuſcepit, partem in flumen, vel ventum cadere negligentia ſua permiſit. Tertius vanis exponens, quidquid molit, nihil retinet. Veniente veſpere quid credas ſingulos dicturos? Quid eſt flumen, niſi ſæculi decurſus: Quid ventus, niſi gloria inanis? Quid molendinum totâ die molens, niſi labor ſæcularis? Quid eſt mane, niſi tempus quo nati ſumus? & veſpere, tempus, quo per mortem tranſibimus? Tempus nempe præſens illud eſt, quo laborare debemus, ut in veſpera vivamus. Et ſicut mola circumducta ad eundem locum revertitur, ita labor præſens ſingulis annis moreSolito iteratur. Modò namq; aratur, modo ſeminatur, modò metitur; ſic de anno in annum. Eadè mola circúducitur, idem labor iteratur Sic in temporalibus, ſic & in ſpiritualibus: ſemper labor innovandus eſt, ſemper molendum eſt. In veſpera lætabuntur juſti, tota farina ſua conſervata; hoc eſt, vitâ ſua & labore utiliter impenſo. Alij ex parte mœſti erunt, quod partem laboris perdiderint; ex altera tamen parte ſibi gratulantes, quam Deo impenderunt. Verùm alij omne tempus in vanitate inſumentes, omne opus ſuum ab humana laude non abſcondentes, cenſentur omne ſtudium vitæ ſuæ in decurſum flumini projicere, farinamq; omnem vento committere. Væ illis, quia in fine pane vitæ carebunt. Væ illis, quia poſt multos labores, poſt multa opera, etiam in ſpeciem bona, peribunt ipſi, peribunt illa.

Guil. Peral inſum. vitiorum. Specul. Exempl. v ſuperbia n. 5. Pepin. & alii.

Refert ad hoc noſtrum propoſitum Guilielmus Peraldus Lugdunenſis Epiſcopus illud exemplum. Eremita quidam cùm infirmaretur ad mortem, quamprimum miſit ad monaſterium propinquum, rogans Abbatem, ut aliquem de fratribus cum Sacramento Altaris ad ſe deſtinaret pro viatico ſuſcipiendo: quod & Abbas fecit. Cumque frater Sacramentum deferens per ſilvam tranſiret, nolamque ut moris eſt, pulſaret Clericus, latro quidam ibi latitans advenit, ut videret quidnam eſſet. Cùm verò rem intellexiſſet, ſecutus eſt uſque ad cellam Eremitæ, manſitque foris, indignum ſe reputans ſancti viri domum ingredi. Cùm denique Eremita confeſſione prævia devotè communicaſſet, latro ſtans prope januam cum humilitate cordis in hæc verba erupit: *O ſi eſſem tuus, qualis es tu!* Audiens Eremita, mente inflari cœpit, & dicere: *Tu verè hos meritò optare debueras, ut talis eſſes, qualis ego.* Completo miniſterio, Monachus ille ad monaſterium redit, comitante Clerico, eumque ſecutus eſt latro magnâ cordis contritione, ut ei confiteretur in monaſterio, ſed prævenit eum Deus; & in via mortuus eſt. Moritur pariter & Eremita, eadem horâ. Nocte porrò ſequenti revelatum eſt dicto fratri, Angelos animam latronis in Cœlum deduxiſſe ob humilitatem, & ob propoſitum confitendi una cum vehementi contritione de peccatis commiſſis: Dæmones verò animam Eremitæ in infernum detuliſſe propter ſuperbiam & elationem mentis ſuæ.

LECTIO IX.

DE SEPTEM TUBIS CONTRA Superbiam.

SEptem tubis clangentibus teſtatur Scriptura muros Jericho concidiſſe: Sic oraculis ſacræ Scripturæ adverſus hos muros civitatis ſatanæ vehementi clangore perſonantibus, deberent illi in nobis concidere. Licèt verò numero ſeptenario tubarum dicere poſſimus generaliter univerſitatem indicari, quia tota ferè Scriptura adverſus hæc vitia capitalia inſonat, & illa condemnat. Specialiter tamen deſignabimus ſeptem voces, quaſi ſeptem tubas contra ſingula vitia conclamantes, ut ea deſtruant & demoliantur.

Prima tuba, erit *vox legis divinæ.* Secunda, *vox librorum ſapientiæ.* Tertia, *vox Prophetica.* Quarta, *vox Evangelica.* Quinta, *vox Apoſtolica.* Sexta, *vox propriæ conſcientiæ.* Septima, *vox divini judicii.* Has voces ſeptemplices declaremus contra ſuperbiæ murum perſonantes. *Tuba 7. contra ſuperbiam clangentes.*

Prima itaque *tuba* contra ſuperbiam clamans forti clangore, vox eſt divina in lege: *Anima quæ per ſuperbiam aliquid commiſerit ſive civis ſit ille, ſive peregrinus quoniam adverſus Dominum rebellis fuit, peribit de populo ſuo: Verbum enim Domini contempſit, & præceptum illius irritum fecit, idcircò delebitur & portabit iniquitatem ſuam.* Severa planè communatio Dei, adverſus animam per ſuperbiam peccantem detonans, & cœleſti quodam fulmine eam percellens. Benignius verò agendum inſinuat Dominus ibidem, ſi anima non per ſuperbiam, ſed per ignorantiam peccaverit. Dicitur enim ibi: *Offeret illa ſapram anniculam pro peccato, & deprecabitur pro ea Sacerdos, impetrabitque veniam: dimittetur illi.* Deteſtabilis ergò planè eſt apud Dominum ſuperbia, ſed excuſatione veniaque digna judicatur infirmitas & ignorantia. 1. *Vox legis.* Num. 15. 30.

Secunda tuba, eſt vox ſapientiæ in libris ſuis. Sæpiſſimè eum vociferatur ibi contra hunc murum, ut eum funditùs demoliatur. Sic apertè clamat: *Arrogantiam, & ſuperbiam, & viam pravam ego deteſtor.* Item *Teſpecies odivit anima mea, Divitem mendacem, Senem fatuum, Pauperem ſuperbum.* Quis eſt iſte pauper ſuperbus, niſi homo, quo nihil miſerius, nihil pauperius in hoc exilii loco? Quid ſuperbit terra & cinis? Non eſt creata hominibus ſuperbia; nec terra actus eſt ſuperbiæ, ſed potiùs humilitatis. Toto capite decimo variis ſententiis ſapientia deteſtabilem proclamat hominum ſuperbiam, unde ibidem dicit: *Sedes Ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit miites pro eis. Radices gentium ſuperbarum arefecit Deus, & plantavit humiles exipſis gentibus. Terras Gentium evertit Dominus, & perdidit eas uſque ad fundamentum. Arefecit ex ipſis & diſperdidit eos, & ceſſare fecit memoriam eorum à terra. Memoriam ſuperbo-* 2. *Sapientia.* Prov. 8. 13 Eccl. 25. 4 Eccl. 10. 17.

rum perdidit Deus, & reliquit memoriam humilium ſenſus.

5. *Prophetarum Dei.* Iſai. 28. 1. & v. 3.

Tertia tuba, eſt vox divina inſonans per Prophetas. Audi primò Iſaiam. *Væ corona ſuperbiæ, conculcabitur corona ſuperbiæ.* An ſortè ſuperbia coronam habere dicitur, quia Regina eſt omnium vitiorum? Certè numquam eſt ſola, ſed inſtar Reginæ magnum habet comitatum, magnam vitiorum ſequelam, multæ iniquitates eam velut pediſſequæ ſubſequuntur. Verùm Regina iſta abominabilis planè eſt & maledicta, maledictumque gerit diadema: *Væ corona ſuperbiæ*, quia *conculcabitur*, ex floribus eſt contexta caducis: *Væ flori decidenti.* Audi ſecundò Prophetam Amos: *Iuravit Dominus in ſuperbiam Iacob, ſi oblitus fuero uſque in finem omnia opera eorum.* Quaſi dicat Dominus: Permne, meamque veritatem juro, quod ſuperbiam Jacob & ſcelera ex ea prodeuntia non relinquam inulta. Iterum: *Iurauit Dominus in anima ſua dicit Dominus Deus exercituum, deteſtor ego ſuperbiam Iacob, & domos eius odi, & tradam ciuitatem cum omnibus habitatoribus ſuis.* Quaſi dicat: Abominabilis eſt coram me non ſolùm ſuperbia populi mei Iſrachs, ſed & domus eorum ſuperbæ, quas exuſuris & rapinis ædificant, cum Patres eorum Abraham, Iſaac, & Jacob in caſis & tentoriis habitarint, quaſi exules & peregrini in terra, cives verò cœli. Audi denique Jerem. *Ecce ego ad te ſuperbe, dicit Dominus Deus exercituum, quia venit dies tuus, tempus viſitationis tuæ.* Nempè *teribuet Dominus abundanter facientibus ſuperbiam*, ut dicit Prophetà Regius, *concidat ceruices peccatorum.* Non dicitur concidere pedes aut manus ſuperborum, ſed cervices eorum; quia in cervicibus ſuperbia magis apparet, dum adverſus Deum currunt erecto collo.

Amos 8. 7

Idem 6. 8.

Jerem. 50. 31.

Pſ. 30. 24. & 128 4.

4. *Dominica.*

Quarta tuba, vox eſt divina in Evangelio, quæ toties repetit: *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Hic enim ſonus buccinæ divinæ tertiò repetitur Luc. 14. & 18. Item Matth. 23. ut toties repetitus fortius penetret, & percellat corda ſuperborum. Similiter etiam in Evangelio eidem voci conſonans reſonat Maria. *Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui: Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles.* Denique, ut ipſe Chriſtus non ſolùm verbo, ſed & facto ſuperbiam condemnans & ſubvertens, ſtatuit in medio diſcipulorum parvulum, & inclamat: *Amen dico vobis, niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum*, ſic ſubvertit murum contentionis ambitioſæ, quem ædificant quæritantes: *Quis major eſſet in Regno Cœlorum.*

5. *Apoſtolica.* 1. Pet. 5. 5. Jac. 4. 6. Ambroſ. in Pſ. 118.

Quinta tuba, eſt vox Apoſtolica contra ſuperbiam detonans: nam S. Petrus & S. Jacobus in epiſt. ſuis eadem voce perſonant: *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Quam vocem interpretans S. Ambroſius, & quantæ efficaciæ ſit declarans, ſic loquitur: *Scriptura dicit Dominus ſuperbis reſiſtit. Tanquam enim ſua contumelia propulſatur, velut quoddam ſuſcepit aduerſus ſuperbiam ſpeciale certamen. Tanquam dicat, Mihi eſt aduerſarium eſt, quo me lacceſſit, mihi debetur iſta congreſſio.* Similiter loquitur S. Hieron. epiſt 45. ubi ſic dicit: *Scriptura ait: Superbis Deus reſiſtit, humilibus dat gratiam. Vide, frater, quantum ſit malum, quòd aduerſarium habet Deum. Tantum nempe eſt ſuperbia malum, ut non Angelum, non alias virtutes contrarias, ſed ipſum Deum aduerſarium habere mereatur*, inquit Caſſianus. Denique concludimus cum Auguſt. *Nulla ferè eſt pagina ſanctorum librorum, in qua non ſonet quòd Deus ſuperbis reſiſtit.*

S. Hieron.

Caſſianus l. 12. Inſtitut. c. 7.

Auguſt. l. 3 c. 45. de doctr. Chriſt.

Sexta tuba, eſt vox propriæ conſcientiæ ſuperborum, quæ intùs clamat, & adverſus eos tandem perſonat, inquietosque eos non ſinit. Hæc exprimitur apud Sapientem. *Quid nobis profuit ſuperbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuntius percurrens, & tanquam nauis quæ pertranſit fluctuantem aquam, cuius cum præterierit, non eſt veſtigium inuenire, neque ſemitam carinæ illius in fluctibus. Aut tanquam auis quæ tranuolat in aëre, cuius nullum inuenitur argumentum itineris illius, ſed tantum ſonitu alarum verberans leuem ventum & ſcindens per vim itineris aëream, commotis alis tranſuolauit & poſt hoc nullum ſignum inuenitur itineris illius. Aut tanquam ſagitta emiſſa in locum deſtinatum, diuiſus aër continuò in ſe reclauſus eſt, ut ignoretur tranſitus illius; ſic & nos nati continuò deſtruximus eſſe & virtutis quidem nullum ſignum valuimus oſtendere, in malignitate autem noſtra conſumpti ſumus.*

6. *Propria conſcientia.* Sap. 5. 8.

Septima tuba, eſt vox divini judicii, poſtremò tandem buccinans, & ſuperbos humilians; atque ad abyſſos ipſam ſuperbiam cum Rege ſuo detrahens, nunquam inde egreſſuram. Unde dicitur: *Oculi ſublimes hominis humiliati ſunt, & incuruabitur altitudo virorum: Exaltabitur autem Dominus ſolus in die illa. Quia dies Domini exercituum ſuper omnem ſuperbum & excelſum, & ſuper omnem arrogantem, & humiliabitur. Et ſuper omnes Cedros Libani ſublimes & erectas, & ſuper omnes quercus Baſan. Et ſuper omnes montes excelſos, & ſuper omnes colles ſelectos. Et ſuper omnem turrim excelſam & ſuper omnem murum munitum. Et ſuper omnes naues Tharſis, & ſuper omne quod viſu pulchrum eſt. Et incuruabitur ſubli mitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum: & elevabitur Dominus ſolus in die illa.* Perpende quot ſententiis illam ſuperbiæ & ſuperborum omnis generis deſtructionem per tubam divini judicii finiendam exprimat Propheta; ut dum tempus eſt, hæc omnia ſecum ipſi expendant ſuperbi, ne ruina irreparabili perire eos tandem contingat. Similiter loquitur & Malachias. *Ecce dies veniet ſuccenſa quaſi caminus, & erunt omnes ſuperbi ſtipula, & inflammabit eos dies veniens, quæ non relinquet eis radicem & germen.* Nempe ſuperbi & potentes, qui in hac vita adeò erant fortes, ut nemo auderet eis reſiſtere, ipſi

7. *Iudicii Dei.* Iſa. 2. 11.

Malach. 4. 1.

Digitized by Google

verò auderent cum Deo dimicare; in illo die clangentis tubæ infirmi erunt, ut stipula quæ vento rapratur, & igni non potest resistere. Potenti enim ultione Dei ut stipula celerrimè cremabuntur, nec tamen consumentur, servante eos Deo ad æterna tormenta; ut semper vivant, & semper ardeant. Hæc est *vox tonitrui in rota*, ut loquitur Psalmista, quæ semper voluit superbos de pœnis in pœnas, de flammis in flammas; quia in rota superbiæ & ambitionis animum suum continuò infœliciter priùs rotarunt, & superbiam de scelcribus in scelera sese convolverunt. Ad hanc vocem divini judicii
Apoc. 18. 2 dicitur in Apocal. *Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis immundi spiritus.* Quid est Babylon, nisi civitas & congregatio confusibilis superborum? Hæc nempe & Babylon à confusione, & Jericho à demolitione & defectione meretur appellari. Ad vocem ergo buccinæ illius postremæ, funditus illa corruet in abyssum, cum suo primo Auctore, Fundatore, & Rege.

LECTIO X.

DE SEPTEM ARIETIBUS CONTRA SUPERBIAM.

Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.
Ps. 136.

Filii Babylonis & Idumeæ, ministri Satanæ, cum suo Rege, omnes ad hoc vires, omnesque clamores conferunt, ut civitatis Dei mœnia destruant, & illius arces usque ad fundamenta diruant, hoc est, omne ædificium spirituale, omnem virtutis structuram, etiam usque ad fidei radicem. Ideo in-
Ps. 136. 7. clamant: *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.* Ita planè Filii Dei, & Ministri Christi, in hoc omnes debent animi vires impendere, omnemque conatum exercre, ut civitatis satanæ muros & mœnia usque ad fundamenta evertant, non relinquentes lapidem super lapidem. Hoc verò fiet, si omnes species vitiorum, maximè capitalium, in se & in aliis diruere, quantum in se est, molantur.

Primum murum constituit superbia.

Itaque cùm prima mœnia hujus civitatis constituat superbia, rectè exhortamur filios Dei, ut vocibus divinis instar tubæ personantibus operam suam conjungant, ad hujusce muri demolitionem; ideoque eis inclamamus: *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.* Cum arca Domini armisque spiritualibus circumite, circumlustrate & explorate civitatem istam jericho, & omnibus votis vestris, vocibus, conatibus, ad ejus demolitionê accingite: sic enim cadet, non tam viribus vestris, quàm Deo pro vobis dimicante, eamque subvertente. Et licèt Jericho subitò conciderit nemine manus admovente, vult tamen Dominus, ut in hac spirituali Jericho destruenda pedetentim pergatis, & manus adhibeatis, donec usque ad fundamentum diruendum pertingatis.

Fundamentum porro hujusce muri superbiæ est amor nimius sui, amor nimius propriæ excellentiæ: hunc evertere oportet propriæ vilitatis agnitione, ac sui ipsius despectu & abnegatione. Hoc fiet, si homo consideret qualis fuerit in sua nativitate; qualis sit in præsenti tempore, qualis futurus sit in morte. Sperma fuit fœtidum, nunc saccus est stercorum postmodum erit esca vermium. *Fundamentum est amor sui.*

Unde superbit homo, cujus conceptio culpa,
Nasci pœna, labor vita, necesse mori?
Post hominem vermis, post vermem fœtor & horror:
Sic in non hominem vertitur omnis homo.

Arietes agendi pro vitatis quoad corpus.

Hic est primus aries quo concutitur murus superbiæ, etiam usque ad fundamentum; in quo nos docuerunt arietare SS. Patres: inter quos sic ait S. Bernardus: Considera ô homo, unde venis, & erubesce: Ubi es, & ingemisce: Quò vadis & contremisce. Cùm superbientibus Angelis Deus non pepercit, putasne impunè superbire putredo & vermis? Nihil illi fecerunt, nihil optati sunt, tantùm cogitaverunt superbiam, & in momento, in ictu oculi irreparabiliter ceciderunt, & è cœlo præcipitati sunt. Si sic actum est cum Angelis, quid de te erit terra & cinere? Illi in cœlo superbierunt, tu verò in sterquilinio. Quis non tolerabiliorem in divite superbiam quàm in paupere dicat? Si ergò tam durè in beatos illos Angelos animadversum est, quoniam elatum fuerat cor eorum: quàm gravia de te exigentur supplicia & misero & superbo? Hæc nimirùm consideratio, si cordi figatur, si in sanctuarii bilance expendatur, validè potest superbiam humanæ mentis elidere, & usque ad fundamentum exinanire. Videri potest S. Bern. in medit. & ser. 1. de Advent.

2. Quicquid laude dignum habes, accepisti à Deo. 1. Cor. 4. 7.

Secundus aries, quo vana gloria ac jactantia concuti potest, est sortis illa consideratio, quâ sibi homo ob oculos ponit nihil se habere quod à Deo non acceperit. Sin autem acceperit, quare gloriatur: Et maximè de fluxis & caducis bonis, quæ facilè perdi possunt, nulla superbiendi occasio, si in se considerentur, quia nec his animo inhærendum, cùm fluxa & labentia sint, vel citò decidua. Quod si considerentur ut à Deo data sunt, ad hoc data sunt, ut ad meliorem vitam provocent, & per præsentia quæ accepimus bona, ad æterna & invisibilia speranda nos invitent. Pessimus ergo illorum bonorum dispensator est ille, qui per ea ad Deum se non convertit; sed potiùs ad cumulum damnationis illis abutitur superbiens & glorians; sicque illa & se pervertit. Vide S. Bern. serm. 23. in Cantica.

3. Notitia sui, & vilitatis quoad animam.

Tertius aries, quo superbia concutitur usque ad fundamentum, est notitia sui, non solùm secundùm corporis infirmitatem & vilitatem, sed etiam secundùm animæ miserias & ærumnas. De ignorantia nostri nascitur in nobis superbia, cùm nos meliores aut beatiores decepta & deceptrix cogitatio esse mentitur, idcoque facit nos in oculis nostris

Digitized by

ſtris majores, quàm apud Deum in veritate ſimus. Idcirco naſcenti ſuperbiæ nemo efficacius occurrere poteſt, ut ſupprimat, quàm ſi in veritate ſeipſum dijudicet, & ad veritatis lumen ſeſe ſine diſſimulatione diſcutiat, ne fortè ſibi de ſe meutiatur, & in ſpiritu ejus ſit dolus. Nam quomodo non verè humiliabitur in vera ſui cognitione, cùm ſe perceperit oneratum peccatis, mole hujus mortalis corporis aggravatum, terrenis intricatum curis, carnalium deſideriorum fœce infectum, implicitum mille erroribus, expoſitum mille periculis, mille timoribus trepidum, mille difficultatibus anxium, mille ſuſpicionibus obnoxium, mille neceſſitatibus ærumnoſum, proclivem ad malum, difficilem ad bonum? Certè his omnibus conſideratis, non eſt periculum ne quis ſe nimis humiliet, aut nimis humiliter de ſe ſentiat; ſmo grande eſt malum, grandeque periculum, ſi quis ſe extollat, vel modice, ne plus æquo ſe extollat; ſemperque periculum eſt, ſi vel unus quis in ſua cogitatione ſe præferat, quem fortè parem veritas judicat, aut ſuperiorem. Et hinc fit, ut ſi quis quem [illegible]ideret peccare, vel gravia perpetrare, neutiquam tamen debeat ſe meliorem exiſtimare, quia ignorat quamdiu poſſit in bono ſtare. Omnes enim fragiles ſumus, nemo tamen debet ſeipſo quempiam fragiliorem exiſtimare. Hìc ergo conſideratione ſuperbia eliditur cum ſuo fundamento, id eſt, cum phlauria ſeu ſuiipſius amore & complacentia. Deſtruitur etiam hoc modo contemptus aliorum, qui ex ſuperbia oriri poteſt: nam & fortitan is qui deſpicitur, ſalutem aſſequetur, eſtque dignior & Deo carior ob virtutem nobis incognitam; is autem qui deſpicit, & ſuperbit alterius intuitu, damnationi obnoxius redditur, ob demeritum occultum vel ſuperbiam.

4. Conſideratio ſuperbiæ & ſuperborum, quod nulli placere poſſunt. Jac. 4. 6.

Quartus aries, quo ſuperbiæ murus concutitur ad fundamentum uſque, eſt conſideratio ipſiusmet ſuperbiæ & ſuperborum, quia nec illa, nec illi poſſunt ullis placere. Non Deo quia ipſum habent adverſarium: *ſuperbis* enim *reſiſtit, & humilibus dat gratiam.* Non humilibus, quia humilitatis amatores planè exhorrent ſuperbiam. Non enim aliis ſuperbis, quia eo ipſo nomine quo quis ſeſe exaltat & extollit, jam ſibi aliorum ſuperborum conciliat invidiam, qui hoc metuunt, ne ipſis ille poſſit excellentior conſeri aut beatior. Nec tandem ſibi placebit ipſe ſuperbus, ſive in hoc ſæculo, cùm ad ſe reverſus vilitatem ſuam agnoverit, nihilque invenerit, quo verè gloriari poſſit: neque in futuro, cùm ob ſuperbiam in æternum ardebit. Quapropter quodam loco ſic loquentem introducit Deum Bernardus: *O homo ſi te videres, tibi diſpliceres, & mihi placeres: ſed quia te non vides, tibi places & mihi diſplices. Venit dies, quando nec tibi, nec mihi placebis: mihi quia peccaſti; tibi, quia in æternum ardebis. Soli Diabolo tua placeat ſuperbia, quia ſuperbus eſt valde, qui ex ſpecioſiſſimo Angelo pra ſuperbia in terrimum Dæmonem eſt commutatus, ſequæ ſimili modo ſibi ſimilem ſentat efficere.* Hæc certè conſideratio valida eſt, & eximanire poteſt hunc murum uſque fundamentum.

Quintus aries qui concutit ſuperbiam; & gloriam inanem quæ poteſt eſſe de bonis operibus, eſt conſideratio incertitudinis quam de illis habemus. Nemo enim evidenter & certo ſcit, an toto vitæ ſuæ tempore vel unum opus meritorium fecerit: quia ſæpè vitia virtutis ſpeciem præ ſe ferunt; ſæpè inanis gloria, vel intentio diſtorta, opus alioqui bonum vitiat: ſæpè juſtitia noſtra ad examen juſtitiæ divinæ deducta injuſtitia eſt; & plerumque ſordet in conſpectu Judicis, quod in oculis fulget operantis. Alia enim ſunt judicia hominum, alia Dei, cui gratior eſt peccator humilis, quàm juſtus ſuperbus. Certè mala noſtra potiùs conſideranda ſunt, quàm bona; quia & plura ſunt, & magis pura. Bona autem noſtra vel exigua ſunt, & minori numero; vel etiam impura. Nam mala noſtra pura mala ſunt, gravibus ſupplicijs digna, quia ſæpè gravia: bona autem noſtra non ſunt pura bona, ſed multis impuritatibus admixta; ita ut nemo de illis debeat gloriari, quin potiùs pertimeſcere. Hoſtis enim noſtri malitia tanta ſe arte palliat, ut plerumque ante deceptæ mentis oculos, culpas eſſe virtutes fingat; & ſit ut rudè quisque quaſi expectet præmia, unde æterna dignus eſt invenire tormenta. Quapropter quodam loco dixit S. Auguſt. & S. Greg. *Vita laudabilis vita hominum ſi remotâ pietate judicetur: quia unde ante oculos judicis ſe placere ſuggeritur, ob hoc.*

5. Incertitudo de bonis operibus.

Sextus aries, qui impetit ſuperbiam illam, quæ humanam laudem undique aucupatur, eſt conſideratio meræ in ea re vanitatis: quia nemo ſeipſum debet æſtimare ex aliorum laude, ſed ex ſua ipſius conſcientia in veritate. Qui ſe laudari audit, ſeipſum interroget, an talis ſit, qualem alii prædicant. Quòd ſi animus reſpondeat ſe longè alium eſſe, magis credat ſibi ipſi, cui notior eſt, quàm aliis. Quod ſi ſe talem eſſe agnoverit, nihilominus, quantum in ſe eſt ſcuto veritatis curet à ſe repellere jaculum favoris, dans Deo gloriam, & dicens: *Gratia Dei ſum id quod ſum.* Nam Deus eſt, qui in nobis operatur omnia opera noſtra, qui dat velle & perficere, ſine quo nec bonum quidem poſſumus cogitare, nec in bonis ſtare, nec laude dignum quidquam aggredi, vel peragere. Unde nihil nobis, ſed Deo omnis adſcribenda laus, nec cùm hic temporalem gloriam receperimus pro mercede, in futuro æternam gloriam perdamus cum omni opere. Nemo enim poteſt præſentis ſæculi mercedem ſecurè expectare. Qui itaque mercedem receperit in ſæculo, non ſperet in Cœlo. Unde quodam loco ſic iterùm D. Gregorius: *Cùm pro recto opere laus tranſitoria quæritur, æterna retributione res digna vilipenſa venumdatur.*

6. Conſideratio meræ vanitatis in ſuperbia.

1. Cor. 13. 10.

S. Greg.

Septimus aries, qui ambitionem impetit, & ſuperbiam in honore, eſt conſideratio breviſſimi & infeliciſſimi ſæpè exitus honorum hujus ſæculi. Nam & mors brevi illis finem imponit, & de pluribus cogen-

7. Conſideratio brevitatis & infelicis finis ſuperbia.

Basil. hó. 3. in illa verba Deut 15. 3. juxta LXX.

cogentur rationem reddere, qui fuerint in sublimitate. Unde S. Basilius scribens in verba Moysis: *Attende tibi ipsi.* Sic alloquitur superbos: *Tibi mire places ob opes, vel avita gentis claritudinem? immodico gaudio subsilis ob Patriæ celebritatem? ob elegantiam corporis? ob honores ab omni gradu tibi delatos? Attende tibi ipsi. Mortalis enim es. Quippe terra es & in terram abibis.* Circumspice eos qui ante te similibus splendoribus fulsere. Ubi sunt qui ambibant civitatem potentatus? Ubi insuperabiles Imperatores? Ubi qui conventus disponebant & sessa? Ubi equorum splendidi invectores? exercituum Duces? Ubi Satrapæ & tyranni? Nunc omnia pulvis, nunc omnia favillæ, nunc in paucis versibus eorum vitæ memoria est. Respice sepulchra, & vide quis servus, quis Dominus, quis pauper, quis dives. Discernere si potes, vinctum à Rege, fortem à debili, pulchrum à deformi. Memor sis itaque, ne extollaris aliquando: ne altiora ambias. Memor autem eris, si teipsum respexeris. Similiter loquuntur & alii Patres, inter quos S. Chrysost. sic alicubi: Intuere nunc sepulchra superborum, & vide si est aliquod in eis jactantiæ tuæ vestigium: si aliqua divitiarum vel luxuriæ signa cognoveris. Require nunc ubi vestes, & ornamenta peregrina, ubi spectaculorum voluptas, ubi affectarum turbæ. Conviviorum cessit opulentia: effœminata verò lætitia quo abiit, quo recessit? Ubi illa nunc, & ubi ipsi? Quis finis utrorumq;, insuere diligentiùs, & accede propiùs. Vide cineres solos, & fœtidas carnes, vermium reliquias, & recordare nunc esse corporum finem & honorum. Atque utinam res omnis, omnisque nostra causa usque ad cineres tantùm veniret & vermes: parva viderentur hæc damna, & quæ facilè excusare possit naturæ conditio: Nunc autem converte oculos tuos ab his cineribus & sepulchris, & revoca cogitationem tuam ad illud divini judicii tribunal horrendum, ubi fletus & stridor dentium, ubi tenebræ exteriores, ubi vermis ille conscientiæ, qui nunquam moritur, & ignis qui nunquam extinguitur.

Chrys.

Sic ergo præter voces divinas muros Jericho, instar buccinarum cœlestium, valide impetentes, poterunt variæ considerationes esse efficaces, & servire tanquam arietes, ad eosdem muros convellendos, diffringendos, & funditus demoliendos; ita ut invitemus omnes, ut his utantur, ideoque eis inclamemus pro destruenda civitate satanæ (longè potiori ratione quam Idumæi vel Babylonii pro demolienda civitate Jerusalem) *Eximanite, eximanite usque ad fundamentum in ea.* Eximanite, & diruite omnes ambitionis luteos lateres, considerantes quod finem tandem ambitioni ponet septem pedum urna in qua ambient vos vermes. Diruite omnes lateres, omne cæmentum arrogantiæ & tumoris, eximanite omnes lapides jactantiæ & vanæ gloriæ tartareo bitumine coagulatos, bene pensantes nihil in vobis esse, nisi peccatum de quo tamquam vestro gloriari valeatis. Diruite omnem seriem lapidum præsumptionis, pertinaciæ, rebellionis, & inobedientiæ, & his quæcumque affinia vitia, ex quibus murus ille Deo adversus conflatur. Denique diruite amorem proprium, fundamentum totius hujus ædificii satanici, ut fundamentum veræ humilitatis jacere possitis, & primum murum Civitatis Dei perfectè in vobis ædificare, qui à contemptu vestri crescere valeat usque ad amorem Dei.

LECTIO XI.

DE MALEDICTIONE SUPERBORUM.

Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit & ædificaverit civitatem Jericho, &c. Josue 6.

MAledictionem à Deo expectare debent quicumque aliquam ex muris Jericho, hoc est, ex peccatis istis capitalibus civitatem diaboli constituentibus, ædificant. Sed maximè illi qui postquam per pœnitentiam, vitia illa destruxerint, tuba intus cœlesti eos ad meliorem vitam vocante, & per inspirationem sanctam intonante; divinaque gratia efficaciter cooperante, nihilominus vitiis iterum se implicant, & de novo muros istos quodammodo reædificant. Sed quænam est maledictio illorum; Utique Dei singularis vindicta, quam frequenter experiuntur in corpore & in anima, in præsenti & in futura vita. Et hoc indicari videtur in verbis istius maledictionis, quam imprecatus est Josue spiritu Dei, Jericho jam destructa, ubi ait: *Maled ictus vir coram Domino, qui susciaverit, & ædificaverit civitatem Jericho. In primogenito suo fundamenta illi ponat, & in novissimo liberorum ponat portas ejus:* hoc est plectatur morte primogeniti sui inchoans, & morte ultimogeniti antequam absolvat; sive moriantur ei filii omnes antequam consumet ædificium istud præcepto Domini contrarium. Et hoc quidem litteraliter & in veritate contigit. Nam 3. Reg. 16. refert Scriptura: *In diebus Achab Regis ædificavit Hiel Jericho; in Abiram primitivo suo fundavit eam, & in Segub novissimo suo posuit portas ejus, juxta verbum Domini quod locutus fuerat in manu Josue filii Nun.* Perdidit ergo Hiel omnes filios suos anathemati & mandato Domini rebellis. Josue 6. 26.

Spiritualiter autem, id interpretari possumus de his qui muros Jericho spirituales ædificant, quod in primogenito & ultimogenito vindictam accipiant; hoc est, in corpore & anima, & id quidem cum in præsenti tum in futura vita. Per Primogenitum ergo intelligere licet animam, quæ primatum tenet in homine, prima ordine dignitatis, prima secundum jus ad hæreditatem æternitatis, jure quodam

Maledicti superbi à Deo & in corpore & in anima, & hic, & in futura vita.

Digitized by Google

quodam primogenituræ cœleſtis in competente. Propterea etiam prima regeneratur ad vitam immortalem, deinde corpus; licet in generatione corporali præcedat generatio corporis animæ infuſionem. Ergo maledictio hæc ædificantium civitatem diaboli adverſus civitatem Dei, primò animam concernit, tanquam primogenitam; deinde corpus, quaſi noviſſimè genitum. Et cùm verum ſit omnes vitiis ſuis dæmoni cooperantes & coædificantes maledictionem hanc incurrere, & vindictam divinam tandem experiri, id verè maximè manifeſtis exemplis probare poſſumus de his qui ſuperbiæ murum ædificant, tanquàm primo maledictum, utpotè civitatis Deo infenſæ primum murum, primum fortalitium. Si enim dum in Cœlo ab Angelis primitus inchoaretur iſtud ædificium, in omnes illius ſtructores maledictionis æternæ fulmen ſubitò eſt immiſſum, quo in abyſſum præcipites corruerunt: Nonne meritò eidem maledictioni & vindictæ erunt obnoxii, qui eorum inſtinctu & perſuaſione hic eandem ſtructuram erigere contendunt? Itaque exemplis è ſacra Scriptura depromptis declaremus maledictionem illorum, qui ſuperbiæ elato tumore quodam modò ſe contra Deum erexerunt. Et quidem maledictionem & vindictam non ſolùm in futura, ſed & in præſenti vita eis divinitus inflictam ſacra nobis exhibent eloquia.

1. *Pharao Rex Ægyti.*

Primò quidem, nonne maledictus Pharao Rex Ægypti, ob ſuperbiam? Monente enim eum Moyſe, ex parte Domini Dei Iſrael, ut dimitteret populum ſuum ſacrificaturum in deſerto, cum ſuperbia reſpondet: *Quis eſt Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Iſrael. Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam.* In pœnam ergo tantæ ſuperbiæ cum curribus & equitibus, cum toto ſuo exercitu vindictam & maledictionē accepit, ſubmerſus quaſi plumbum in aquis vehementibus dexterâ Domini, elationem ejus & altitudinem ſuperbiæ ſic demolientē, ſic humiliante. Atque per hanc vindictam divinam etiam indicatum eſt, omnes qui per ſuperbiam contendunt ſe erigere, à Deo vindice projiciendos & in aquis putei infernalis ſubmergendos. Ubi eſt nunc talitus tuus, ô Pharao maledicte, ubi ſceptra & currus, ubi vox illa *Neſcio Dominum?* Spoliaſti Hebræos & oppreſſiſti, nunc oppreſſus jaces, & ipſi ſpoliantē te. Tu crudelis & ſuperbe meriſti infantes eorum, nunc dignum eſt, ut mergaris ipſe, & in mari, & in tuo ſanguine. Devoraſti eos, nunc te piſces vorant & corvi. Et hæc quidem fuit maledictio tua temporanea, ſed ſequetur & æterna. *Detracta eſt enim a tuis ſectis morbiferis, & delectabilibus in profundum lacus*, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur, ubi fumus tormentorum tuorum aſcendit in ſæcula ſæculorum. Hæc eſt maledictio, hic hujus ſuperborum. *Maledictus ergo vir qui ædificat Jericho.*

Exod. 5. 2.

Iſa. 14. 11.

2. *Sennacherib Rex Aſſyriorum.*

Secundò: Nonne maledictus Sennacherib Rex Aſſyriorum, ob nimiam arrogantiam & ſuperbiam? Audi quid de eo dicat Dominus apud Iſaiam, *Cui exprobraſti, & quem blaſphemaſti, & contra quem exaltaſti vocem, & levaſtiſti excelſum oculos tuos? contra ſanctum Iſrael.* Et, *Superbia tua aſcendit in aures meas, ponam ergo circulum in naribus tuis, & frenum in labiis tuis, & reducam te in viam per quam venisti. Egreſſus igitur Angelus Domini, percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia. Et ſurrexerunt mane, & ecce omnes cadavera mortuorum. Et egreſſus eſt, & abiit Sennacherib Rex Aſſyriorum, & habitavit in Nineve. Et factum eſt cùm adoraret in templo Neſroch Deum ſuum, Adramelech & Sarazar filii ejus percuſſerunt eum gladio, fugerunt; & in terram Ararat, & regnavit Aſarhaddon filius ejus pro eo.* Ecce igitur maledictio necis temporalis per filios inflictæ, necis æternæ à Deo vindice ſemper infligendæ, ut in æternum Regis ſuperbi maledicta elatio & arrogantia plectatur, & humilietur in abyſſo. *Maledictus ergo vir qui ædificat Jericho.*

Aſſyriorū Rex 4. Reg. 19. 22. Iſa. 37. 29. v. 36. v. 38.

Tertiò: Nonne maledictus Abſalon filius Davidis Regis qui ædificans ambitionis maledictam turrim in caput ſuum ruituram, tandem pendet in funeſta arbore inter cœlum & terram? Aureis ſuis cincinnis, & regia cæſarie ramis circumligatus, cœlo utique ac terra indignus, cernitur ſuſpenſus maledictus filius, ambitioſo ſupercilio jugiter parenti infenſus. Cernitur, tribus lanceis confixus, juxta Dei ultionem, ut omnibus ambitioſis exemplo ſit & remedio. Et quidem exigua cenſeri poſſet ultio per mortem illam præmaturam & temporaneam, niſi ſequeretur & æterna, quæ omnis eſt conſummatio maledictionis. Hanc enim maxime luget pius ejus parens David, fili mi Abſalon, fili mi Abſalon! *Planxit meritò ſuper parricida filio*, inquit S. Bernardus: *cui perpetuò ſciret obſtrudum extitum de ventre mortis, mole criminis.* Ergo iterum hic repetamus: *Maledictus vir qui ædificat Jericho.*

3. *Abſalon filius David Regis* 2. Reg. 15. 5. &c. 18. 9 Bern. ſer. 26. in Cant.

Quartò: Nonne maledictus Aman magnus ille Aſſueri Regis Aulicus à Rege primus, & quidem maledictus ob ſuperbiam? Non potuit ejus ſuperbia tolerare, quod Mardochæus ſibi genu non flecteret, ideoque ei erigendum putavit patibulum altitudinis 50 cubitorum. Verùm ille qui humana omnia juſto ſuo moderatur arbitrio, ſortem invertit, & juſtiſſima ejus ultione contigit, ut in ligno quod in juſſe alteri pararat, mox penderet ipſe. Sic qui tumido nimis corde ſe elevarat per arrogantiam & ſuperbiam, jam in ſebime elevatus cernitur per ignominiam & confuſionem maximam. Ergo rurſum hic verum illud elle agnoſcimus: *Maledictus vir qui ædificat Jericho.*

4. *Aman aulicus Regis Aſſueri.* Eſth. 3. 5. &c. 5. 14.

Quintò: Nonne maledictus fuit Saul, & reprobatus ob ſuperbiam & inobedientiam? Sublimatus fuerat à Domino ad regnum propter humilitatem, ſed decidit à regno terreno & æterno ob ſuperbiam. Præceperat ei Deus, ut contra Amalechitas procedens univerſa illorum bona demoliretur, nec

5. *Saul 1 Rex Iſraelitarum.*

quicquam de præda ſibi reſervaret. Ipſe verò Domini præcepto inobediens, meliora reſervat. Quapropter ei & ſuperbiam & inobedientiam exprobrat Dominus: *Nonne cùm eſſes parvulus in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es? Quare ergo non audiſti vocem Domini, ſed verſus es ad prædam & feciſti malum in oculis Domini? Pro eo ergo quod abjeciſti ſermonem Domini, abjecit te Dominus ne ſis Rex.*

1. Reg. 15. 17.
v. 23.

Poſtmodum inſœlici morte interit in montibus Gelboe, ſollicitans ut à ſuo quodam milite Amalecita propriæ incumbens haſtæ adjuvetur ad ſe interficiendum. Sic qui in humilitate agens a Deo fuerat benedictus, in ſublimi ſtatu poſitus ab eodem fuit maledictus ædificans turrim ſuperbiæ. Itaque iterum eſt *Maledictus vir qui ædificat Jericho.*

2. Reg. 1. 8.

Sextò: Nonne Herodes Agrippa Rex Galilææ ob ſuperbiam maledictionem quoque incurrit? Veſte ipſe regia indutus ſedebat pro tribunali, & concionabatur ad populum, hoc eſt, magna facundia & eloquentia illum alloquebatur. Populus autem ex adulatione & aſſentatione acclamabat: *Dei voces, & non hominis.* Conſeſtim autem percuſſit eum Angelus Domini, eo quod non dediſſet honorem & gloriam Deo, & conſumptus à vermibus expiravit. Vide quomodo ejus altitudinem demolitur Deus. Namqui prius in veſte regia promicabat, & ſibi divinos attribuebat honores: jam vermibus eſt circumamictus, qui palam teſtantur eum non eſſe Deum immortalem, ſed fœtidum & miſerrimum hominem: Sic maledictione involvitur in corpore hæc putredine vermium correpto: ſed & in anima fœtidiſſima, lacunis infernalibus paulò poſt immerſa. *Maledictus ergo vir qui ædificat Jericho.*

6. Herodis Rex. Act. 12. 23.

Septimò: Nonne Antiochus in Scriptura celebris admirabili maledictione ob ſuperbiam à Deo fuit percuſſus? Certè ultio multiplex Dei in ſuperbos maxime in ipſo effulget, ſi expendantur quæ de eo dicuntur. Primo enim de eo legitur: *Quia universa conſpicit Dominus Deus Iſrael, percuſſit eum insanabili & invisibili plaga.* Ut enim finivit ſermonem, quo ex ſuperbia pronunciarat ſe Hieroſolymam congeriem ſepulchri Judæorum facturam: *Apprehendit eum dolor divus & ſcrum, & amara interiorum tormenta; & quidem juſtè, qui multis & novis cruciatibus aliorum torſerat viſcera.* Et hæc fuit prima plaga. *Secundò*, cum ſuperbia & ira furens in Judæos, juberet celerrimè agitari currum, contigit eum impetu de curru cadere, & gravi corporis collisione vexari. Unde addit Scriptura: *Is qui ſibi videbatur fluctibus maris imperare, ſupra humanum modum ſuperbia repletus, & montium altitudines in ſtatera appendens, nunc humiliatus ad terram in geſtatorio portabatur, manifeſtam Dei virtutem in ſemetipſo contectam.* Et hæc fuit ſecunda ipſius plaga. *Tertiò*, membra ejus computruerunt, ita ut de corpore impii vermes ſcaturirent, ac viventis in doloribus carnes ejus fœterent. Nam & odore ejus ac fœtore exercitus gravabatur. Addit Scriptura: *Et qui paulò ante ſidera cœli contingere ſe arbitrabatur: nemo eum poterat propter intolerantiam fœtoris portare.* Et hæc fuit tertia plaga. *Quartò* tandem cœpit ex gravi ſuperbia eductus ad ſui agnitionem venire, divina admonitus plaga per momenta ſingula doloribus augmenta capientibus. Et cùm nec ipſe jam fœtorem ſuum ferre poſſet, ita ait: *juſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire. Orabat autem ſceleſtus Dominum, à quo miſericordiam non erat conſecuturus.* Væ igitur arrogantibus, væ ſuperbis, ex emplum iſtud ſibi proponant, & reſipiſcant, ne ſimili maledictioni & vindictæ divinæ obnoxios ſe reddant.

v. 8.

v. 10.

v. 12.

Poſſemus & plura hic attexere exempla maledictæ à Deo ſuperbiæ, ex hiſtoriis Eccleſiaſticis; ſed ſufficientiſſima & certiſſima ſunt iſta, ex ſacræ Scripturæ oraculis deprompta: quæ & in ſeptenario numero diſpoſuimus, quia numerus iſte in materia de qua agimus, frequens eſt & myſticus, ut initio Tractatus annotavimus.

LECTIO XII.

DE MURO HUMILITATIS CONTRA SUPERBIAM.

SIcut initio diximus ſeptem eſſe muros primarios civitatis ſatanæ, quam ſub typo civitatis Jericho deſcribimus: ita ex adverſo ſeptem ſunt muri primarii civitatis Dei, quæ ſub nomine Jeruſalem ſacris in litteris deſignatur. Nimirum, 1. Humilitas contra Superbiam. 2. Liberalitas contra Avaritiam. 3 Caſtitas contra Luxuriam 4 Charitas contra invidiam. 5. Abſtinentia contra Gulam 6. Patientia contra Iram. 7. Devotio contra Acediam. Hi ſunt muri, quibus ſeſe tuentur Filii Dei contra ſatanam, ſuntque Arces fortiſſimæ ad dimicandum contra inferorum regnum. His ædificandis omnem operam impendunt electi, præſuntque huic ſtructuræ Genii boni eos excitantes & adjuvantes.

7. Muri civitatis Dei ſub typo Jeruſalem ſunt 7. Virtutes.

Primus itaque murus civitatis Dei muro jam deſcripto civitatis Jericho adverſans, & ex diametro oppoſitus, Humilitas nominatur. Hujus fundamenta poſuit Chriſtus Dominus ædificii cœleſtis Auctor, dum cœleſtem ſuam doctrinam in monte traditam ab illa exorſus eſt dicens: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum.* Pauperes enim ſpiritu humiles intelligi ſine controverſia eſt. Atque huic muro continuò nos cooperari & cœdificare docuit verbo & exemplo: Unde ait: *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris.* Quod quidem Chriſti Domini monitum expendens S. Auguſt. ſic ait: *Hucſine redacti ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi in te, ut hoc*

1. Murus Humilitatis.

Mat. 5. 3.

Aug. l. de Virg. c. 32.

Matt. 11. 29.

Auguſt. ibid. c. 21.

Digitized by Google

hoc pro magno discamus à te, quoniam mitis es & humilis corde? tanæ magnum est esse parvum, ut nisi à te qui tam magnus es fieret, discs à te non posset? Ita planè, non enim aliter tu venitur, requies animæ, nisi in quieto tumore digesto, quo magna sibi erat, quando tibi sana non erat.

Neque mirum quod Christus Jesus humilitatem suos continuo docuerit, & ad eam ædificandam perpetuò hortatus sit, quandoquidem illa fundamentum sit omnis virtutis, omnis boni operis. Audi hac de re eleganter S Chrysost. *operibus nostris humilitatem quasi fundamentum substruamus, ut securè virtutes super exstruere valeamus. Virtus enim non est nisi conjunctam habeat humilitatem. Qui hoc fundamentum rectè jecerit, poterit in quantam voluerit altitudinem structuram exstruere. Hæc est inexpugnabilis turris, hæc omne continet ædificium non finem ipsum vel à ventorum violentia, vel ab imbrium impetu, vel à spirituum vi dejici sed omnibus insidiis inaccessum facit & invictum, quasi ex adamante constructum esset.* Murus ergo hic primus civitatis Dei solidus omnino est, & fortis potensque contra adversarias potestates, ita ut idem sanctus Chrysostomus iterum in eandem sententiam sic pronunciarit: *Nihil humilitate potentius, fortior est petrâ, solidior adamante, & in majorem securitatem nos collocat, quam queant vel turres, vel urbes, vel muri omnibusque diaboli machinamentis sublimior facta insuperabiles reddit.*

Chrys. in Genes. hom. 35.

Chrys. in acta Apost. hom. 20. & 30.

Hic murus construitur ex variis lapidibus, id est actibus humilitatis. Signa humilitatis.

Hunc porro murum variis lapidibus compingi & construi rectè asseruimus. Sunt vero hi lapides aut lateres varii actus virtuosi ex humilitate ortum habentes, velilli individuum conjuncti. Inter hos censentur, contemptus sui, abnegatio propriæ voluntatis & judicii, fuga laudis, confessio proprii peccati, agnitio infirmitatis, amor vilitatis & contemptus, patientia in injuriis & adversis, obedientia prompta in omnibus, modestia in voce, in veste, in incessu, in verbis, exercitium lubens in officiis humilibus. Ex his enim omnibus construitur turris ista sublimis, quæ quo profundior est, eo celsior consurgit, quia ejus celsitudo in cœlum usque se porrigit, pertingens tandem à contemptu sui usque ad conspectum Dei. Ex his quoque omnibus cognoscitur, si sit perfectus humilitatis in nobis murus. Nam teste Cassiano, vera humilitas his indiciis comprobatur. 1. Si homo habeat mortificatas in se omnes voluntates. 2. Si nihil, nec actuum suorum, nec cogitationum, suum velaverit superiorem. 3 Si nihil suæ discretioni, sed judicio ejus universa committat, ac monita ejus sitiens libenter auscultet. 4. Si in omnibus servet obedientiam, mansuetudinem, & patientiæ constantiam. 5 Si non solum injuriam inferat nulli, sed nec ab alio quidem sibimet irrogatam doleat atque tristetur. 6. Si nihil agat, nihil præsumat, quod non vel communis regula, vel majorum cohortentur exempla. 7. Si omni vilitate contentus sit, & ad omnia se quæ sibi præbentur velut operarium malum judicabit indignum. 8 Si semetipsum cunctis inferiorem, non superficie pronunciet labiorum, sed intimo cordis credat affectu. 9. Si linguam cohibeat, vel non sit clamosus in voce. 10 Si non sit facilis ac promptus in risu. Hactenus Cassianus.

Cassian. l. 4. instit. c. 39.

Hoc ædificium spirituale humilitatis non solum Christus sed & omnes sacri Doctores jugiter nobis commendarunt, tanquam totius perfectionis fundamentum. De hac re agens Hugo de claustro animæ lib. 3. sic spirituale ædificium cum suis dimensionibus describit: *In spirituali ædificio fundamenti locus in imo, id est, humilitate quæritur. In latitudine, id est, in charitate disponitur. In altitudine vero bonorum operum paries erigitur, & divinæ protectionis tectum desuper ponitur. In longitudine autem, id est, in patientia perficitur.* Sic loquuntur & alii Patres, primatum semper humilitati inter omnes virtutes attribuentes, & totam soliditatem spiritualis ædificii in illa consistere conformi voce asserentes. Audiendus est inter hos iterum hac de re differens sanctus Gregorius. *Qui humilitatem, quæ est mater virtutum nescunt, ipsum sui laboris perdunt; etiamsi bona sint quæ operari videantur. Quia surgentis fabricæ robusta celsitudo non figitur, quæ nequaquam per fundamenti fortitudinem in petra solidatur. Sola igitur ruina crescit quod ædificant, qui ante molem fabricæ humilitatis fundamenta non procurant.* Conformiter planè loquitur sanctus Augustinus. *Magnæ esse vis? à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? De fundamento prius cogita humilitatis. Et quantum quisque vult & disponit superimponere molem ædificii, quantò erit major ædificium, tantò altius fodit fundamentum. Et fabrica quidem cùm construitur in suprema consurgit, qui autem fodit fundamentum ad ima deprimitur: ergo & fabrica ante celsitudinem humiliatur, & fastigium post humiliationem erigetur. Quod est fastigium construendæ fabricæ quæro? Quò perventurum est cacumen ædificii? Cùsò dico usque ad conspectum Dei.* Sic hac de re uniformis est Augustini, Chrysostomi, Gregorii aliorumque Sacrorum Doctorum consensus, asserens, nostro congruè propositio, primum murum civitatis Dei, primam structuram cœlestis ædificii esse Humilitatem. Hæc alia dona Dei ac virtutes sibi superædificat, quia humilibus Deus dat gratiam; illasque acceptas conservat, quia Spiritus sanctus donorum omnium auctor non requieverit nisi super humilem cordis conservatas etiam illas perficit, quia virtus in humilitate & infirmitate perficitur, inimicumque omnis gratiæ & omnis peccati initium superbiam debellat, ipsa denique illas coronat, quia ipsâ emitur Regnum Cœlorum *Beati pauperes*, sive humiles *Spiritu*, Quid ita? *Quia ipsorum est Regnum Cœlorum.*

Christus & omnes SS. DD. humilitatem commendarunt.

Hugo Victorin.

S. Greg. l. 18.

S. Aug. ser. 10 de verb. Dñ.

Con-

Digitized by Google

S. Cypr. Concludamus hanc humilitatis commendationem verbis S. Cypriani de nativitate Chriſti *Humilitas primus eſt Religionis introitus; ſicut in mundum primus Chriſti ingreſſus: ut quicunque vult piè vivere humiliter de ſe ſentiat, neque ſupra ſe in mirabilibus ambulare præſumat. Fundamentum ſanctitatis ſemper fuit humilitas, nec in cœlos ſtare poterit ſuperbo ſublimitas. Hanc primam gratiam ingrediens mundum noſter parvulus attulit, & à cunabulis non ſibi conformes fieri volens, teneri voluit in vita, quod exhibuit in perſona.* Nempe quicquid Chriſtus docuit, quicquid fecit, magiſterium humilitatis fuit; & ideo venit, ut doceret hominem non debere eſſe ſuperbum, humilis Deus; noluit dicere quod ipſe non eſſet, noluit jubere quod ipſe non faceret. Vis particularius id cernere?

Chriſtus doctor humilitatis & verbo & exemplo.

1. Humilitatem commendans, Matrem humilem voluit eligere, Luc. cap. 1. *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.*

2. Elegit domum humilem diverſorum animalium, lectum humilem præſepium, veſtem humilem vilium pannorum involucrum, denique & humilibus Paſtoribus per Angelum ſuam nuntiat Nativitatem. Luc. 2.

3. Humilem ſe exhibet in circumciſione, peccatoris etiam ſignaculum non veritus aſſumere. Luc. 2. v. 21.

4. In pueritia contemptum in Ægypto elegit, in adoleſcentia humilitatem in Nazareth exhibuit, ſubditus Parentibus. Luc. 2.

5. Humiles in ſuum adſcivit conſortium, viles ſcilicet Piſcatores. Matth. 4. v. 18.

6. Subdit ſe humiliter Joanni pro Baptiſmo; ubi mirabile fuit certamen inter humilitatem Salvatoris & humilitatem Præcurſoris: *Ego debeo baptizari à te, & tu venis ad me?* Sed vicit humilitate, qui vincebat ſublimitate. Ceſſit humilitas Præcurſoris tanquam minor, quia obedientia tulit auxilium humilitati Salvatoris.

7. Parvulum amplectitur, & ſtatuit in medio Magiſter humilitatis, parvuloſque ad ſe venire prohibentes increpavit. Marc. 19 & 10.

8. Dat humilitatis exemplum in miraculorum operatione, dum ait leproſo: *Vide nemini dixeris.* Similiter loquitur & Apoſtolus electis in Transfiguratione. Matth. 17. 2.

9. Humilitatem docet in verbi prædicatione. *Ego gloriam meam non quæro. Doctrina mea non eſt mea. Ego Patrem honorifico.* Joan 8.

10. In fuga dum Regem eum volunt facere, manifeſtam fecit humilitatem; Fugit enim in montem ipſe ſolus. Joan. 6.

11. Ubi melius humilitatis exemplum præbuit, quàm in pedumablutione; *Filius*, inquit, *hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. Exemplum dedi vobis, &c.* Joan. 13.

Poſtremo in Paſſione humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem. Quid ergo ſuperbis homo, tantum habens humilitatis exemplum, ſuperbiæ medicamentum? Quid petis morticina tenderis? Quid ſanies fœda inflaris? Princeps tuus humilis eſt, & tu ſuperbis? Capiti humili ſuperbum membrum non congruit. Ambula per Chriſti humilitatem, ut venias ad Æternitatem. Deus Chriſtus patria eſt, quò imus: Homo Chriſtus eſt via, quà imus. Ad illum imus, per illum imus, quid timemus ne erremus? An non dixit ille; Diſcite quomodò mitis ſum & humilis corde; Vis capere cœlitudinem Dei, cape prius humilitatem Chriſti. Nunc in civitate Dei in hoc ſæculo peregrinante, in Rege ejus Chriſto maximè humilitas prædicatur, & commendatur.

Similiter alii Sancti viri non ſolum verbis, verùm etiam potiſſimùm exemplis humilitatem hanc edocuere. Primum hunc mutuum ædificii cœleſtis & perfectionis ſpiritualis primò ih ſe, deinde in aliis ædificare contenderunt omnes cohortando ad ædificandum prævio ſuo exemplo. Unde S. Gregor. ſic ait: *Vera doctrina humilitatem, quæ magiſtra eſt omnium virtutum, & loquendo docere, & videndo comitante oſtendere, ut eam apud diſcipulos veritatis plus moribus quàm ſermonibus tradatur:* Certè nihil humilius S. Auguſtino, nihil humilius Chryſoſtomo, Gregorio, Ambroſio, Hieronymo. Hi opere & veritate humilitatis magiſtri extiterunt, non lingua ſolùm aut eloquio. Conſule eorum vitam apud Laur. Surium. Vide etiam quæ de humilitate tractavi in Virga Aaronis, *Tract. 3. Lect. 7.* quæ hic non repeto brevitati conſulens.

Sancti quoque.

S. Greg. 23. mor. c. 13.

Inter omnes porrò humillimus planè S. Franciſcus, qui interrogatus familiariter & ſincere à quodam è Fratribus ſuis, quid de ſe ſentiret, humillimè reſpondit: *Videor mihi maximus peccatorum.* Cum verò Frater ille diceret, impoſſibile ei eſſe hoc in conſcientia dicere vel ſentire, niſi cum injuria divinæ gratiæ quæ mire in ipſo promicabat, iterum hoc reſponſum humile accepit: *Si quantumlibet ſceleratum hominem ſancta fuiſſet Chriſtus miſericordia proſecutus, arbitror ſanè multò magis quàm ego ipſe gratiorem fore illum, ſolertiuſque divinæ gratiæ cooperaturum, & ideo miſerrimus ſum omnium peccatorum.* Agnovit ille humilitatem Franciſci profundiſſimam & ſolidiſſimam, quam prius in viſione quadam prævidere potuerat. Cùm enim eſſet in comitatu viri Dei, & una cum ipſo in quadam Eccleſia deſerta ferventi oraret affectu, in extaſi factus, vidit inter multas in cœloſedes unam præ cæteris dignioremo, pretioſis lapidibus & omni gloriâ refulgentem. Miratus intra ſe præcelſi refulgentiam throni, anxia cœpit cogitatione requirere, quis ad illum deberet aſſumi? Audivit inter hæc vocem dicentem ſibi: *Sedes iſta unius de Angelis ruentibus fuit, & nunc humili ſervatur Franciſco.* Teſtis eſt S. Bonaventura in vita ejus cap. 6.

De S. Franciſco. Bonavent.

Quiſquis ergo ad Angelicam ſublimitatem cupit pertingere, & ad civitatis cœleſtis ſocietatem, debet muro huic civitatis ſanctæ cooperari, debet illam

Digitized by Google

illum cum divina gratia ædificare. Cujuslibet sis status, sublimis vel vilis, in quolibet statu honoris vel paupertatis, necessaria est humilitatis virtus, sine qua nemo potest salutem assequi: quia sine contemptu sui non pertingitur ad conspectum Dei. Et quidem humilitas his qui in statu inferiori degunt facilior est: illisque conjunctior, de qua continuò eos vel status ipse monet. Quod si superbiant hi, intolerabiles planè sunt, & abominabiles coram Deo & hominibus. Dicit enim Sapientia: *Tres species odivit anima mea, divitem mendacem, senem fatuum, pauperem superbum.* Specialiter se odisse pauperem superbum asserit, quia cum ille nullam superbiæ occasionem habeat, quin potius omnis humiliationis materiam, si se circumspiciat, planè intolerabilis est judicandus, si superbiat: at vero inter honores superbia tolerabilis magis videtur; & veniâ digna. Nihilominus etiam eos qui in sublimi positi sunt frequenter monent sacræ literæ, ut humilitati studeant, ut propugnaculum hoc primum & fortissimum contra satanam ædificent, ne ejus imitatores sint, & superbia sua pereant.

Eccles 3.

Hinc illud monitum Ecclesiastici: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* In quam sententiam S. Bernar. sic loquitur: *Cùm omni indifferenter personæ humilitas sit quædam turris à facie inimici; neutro quo pacto tam è vis ejus major in majoribus, & splendidior in clarioribus comprobatur. Nulla clarior gemma in omni præsertim ornatu Pontificis. Salubris cogitatio te non solùm fuisse, sed esse validissimum cinerem. Non est magnum esse hominem nihil unquàm esse, magna præsumere & rara virtus est humilitas honorata. In alto non altum sapere, nihil apud homines rarius, nihil Deo carius.* Hæc eleganter Bernardus summo scribens Pontifici, quæ eadem concernunt omnes in honoris gradu constitutos, ut se adversus ventum superbiæ firmos faciant, tutosque à casu & ruina humilitatis arce.

S. Bern. l. 2 de Consid ad Eugenium.

TRACTATUS II.

DE VITIO AVARITIÆ.

LECTIO I.

QUID SIT AVARITIA, ET quotuplex.

II. Murus Jerichuntinus est Avaritia. Avaritia duplex est.

ALTER Murus Jerichuntinus Tubæ Sacerdotali diruendus nominatur Avaritia. Est autem avaritia immoderatus appetitus illorum exteriorum bonorum, quæ ad sustentationem vitæ bonis ordinata sunt, qualia sunt, aurum, argentum, agri, vineæ, domus, aliæque possessiones. Distingui verò potest duplex avaritia. Est enim quædam avaritia & cupiditas sic immoderata, ut etiam extendat se ad aliena indebitè & per nefas desideranda, conquirenda, possidenda; puta per injustitias, dolos, fraudes, rapinas, furta, oppressiones. Et in hanc maximè invehuntur eloquia divina, & Sanctorum Patrum scripta. Est & alia avaritia, quæ est amor inordinatus circa proprias opes aut res possessas, dum quis nimis amat res exteriores, nimis ardenter illis acquirendis incumbit, nimis tenaciter illas retinet, nimis illis delectatur & animum immergit; licet nolit rapere aut retinere aliena. Et hæc etiam peccatum est, licet non ita grave ut prior illa justitiæ adversa. Mortalem vero culpam potest involvere, si ob illum inordinatum amorem, vel affectum quis transgrediatur Dei vel Ecclesiæ præcepta; si propter illum negligat quæ sui muneris sunt erga pauperes, aut alios quibus ex charitate obstringitur. Opponitur ergo hæc avaritia liberalitati & charitati, quæ moderatur talem affectum erga externa bona. Neque vero ut communis plebs existimare solet, illa solùm reperitur in divitibus, qui immoderatè congregant aut retinent opes supra statum & conditionem suam: sed & in pauperibus locum habet, quibus licet non sit superflua, immoderato tamen frequenter desiderio illis inhiant, illa qualitercumque acquirere satagunt, & paucis quæ possident affectu nimio inhærent. Hoc etiam advertit sanctus Augustinus explicans illud Psalmi 51. *Videbunt justi & timebunt, & super eum ridebunt, & dicent: Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum.* Sic in hunc locum differit Augustinus: *audivit aliquis pauper Prophetam dicentem: Speravit in multitudine divitiarum suarum, & continuò attendit pannos suos, respexitque fortè circa se divitem ornatius indutum, & ait in corde suo, de illo dicit, non de me.* Sed subjun-

S. Aug.

Digitized by Google

erat, & divitias non sine peccato congregaverat. Cumque monerem eum ut jam animæ salutem quæreret, ejusmodi monitum haud lubens audiebat. Quinimmo in lectulo in quo jacebat se volvens, suspirabat, gemebat, imo rugiebat, dicens: *O quantum laboravi ut thesaurizarem, & alii mei fruentur thesauris! O divitiæ, ó pecunia, ó gemmæ & focalia mea, quis vos possidebit, & quibus vos relinquam?* In his itaque fingens cor & animum, miserè expiravit. Sic qui prius Mammonæ corporis labores, cordisque effectum voverat, jam illi & animam è corpore egredientem victimam æternam infœlicissimè immolavit.

S. Prosp. l. de dono timoris.

2. An non etiam idololatra is, de quo Prosper lib. de dono timoris? Quidam, inquit, pecuniæ semper amantissimus, cum opes plurimas congregasset, nihilque unquam pietatis officiis impendisset, subita morte raptus est, cadaver autem ejus amicis præsentibus & petentibus apertum est, ut despiceretur quænam tam repentinæ mortis causa foret. At cor in eo non fuit repertum, omnibus in admirationem raptis. Paulo post cubiculum aditur, ubi thesaurus erat; atque cistâ apertâ, cor hominis reperiunt inter manus dæmonis, qui instar draconis super illud sedebat, ac in varias partes dilcerpebat: dixitque astantibus hoc aurum & argentum pretium esse cordis, quod ille sibi antea vendiderat & voverat. O infœlicem mercatorem! O infœlicem idololatram, Mammonæ servum!

Nider. Simile apud Anton. p. 2. tit. 1. c. 4.

3 An non ille idololatra pecuniæ, de quo Niderus in formicario l. 3. c. 5. Quidam inquit in civitate Constantiæ in morbum incidens, ut pecuniæ suæ parceret, deferri se curavit in Xenodochium. Cùm jam desperabundus vitæ termino appropinquaret, curavit sibi jusculum præparari quod forberet: atque in illo aurum suum clam cochlearî commiscens, dum putat deglutire, tandem post aliquot pectori immissis particulas, antequam totum hausisset, confusibiliter suffocatus expiravit.

Ex Annal. Soc.

4 Denique Nonne sese nummum ut numen adorare apertissimè ostendit ille, de quo in Annalibus Societ. refertur, quod nulla Sacerdotis instantia ad confitendum induci potuerit. Sacerdote autem è cubiculo exeunte vocavit uxorem, & sibi in disco copiam auri afferri jussit, ac deinde illud osculis frequenter repetitis ori admovens, dixit: *Tu es Deus meus, in te omnis spes mea.* Cùm aliquanto tempore oculos, cor, animum, in præsens illud aurum idololatrans intendisset, tandem miserrime animam exhalavit.

Magna est igitur altitudo hujus peccati sese contra Deum extollentis, dum divinum cultum (quantum ad aliquem modum) censetur tribuere creaturæ. Magna ejus altitudo, quandoquidem etiam usque ad Deicidium, pecuniæ cupiditas hominem potuerit perducere: Dum Judas avaritiâ excæcatus Christum Magistrum suum Deum-Hominem neci objecit, hostibusque tradidit; De qua re sic ait S. Cyprianus: *Usque ad mortem Domini amor lucri se ingerit.* Magna ejus altitudo, dum ex cupiditate avara, perjuria prodeunt nefanda, quæ divinam impetunt Majestatem. Magna ejus altitudo, dum per violentiam & oppressionem inopum, in cœlum usque suum tollit clamorem, aures Domini Sabaoth pervadentem.

Tract. de oper. Card.

Cypr.

LECTIO III.

DE PROFUNDITATE MURI AVARITIÆ.

2. *Profunditas.*

PRofunditas avaritiæ dici potest ejus insatiabilitas, propter quam infernocomparatur. Sic enim dicit Sapiens: *Infernus & perditio nunquam implentur: similiter & oculi hominum insatiabiles* Eccl. 14. *Insatiabilis est oculus cupidi.* Nempe sicut dicit Isaias: *Dilatavit infernus animam suam, & os suum, absque termino*: sic & de avaritia dicimus, dilatat animam suam, & os suum absque termino, quia *avarus nunquam implebitur pecuniâ* teste Eccles. Sed est in eo semper ignis cupiditatis exardescens, *qui nunquam dicit sufficit*: Est in eo sanguisugæ infernalis filia, quæ semper dicit, *affer, affer.* Cor ejus terrenum & aridum terra illa est, *quæ nunquam satiatur aqua.* Ex abysso igitur profundissima murus avaritiæ consurgit, nec ullum habet supra aut infra terminum. Unde Augustinus vel quisquis est auctor sermonum ad Fratres de Eremo, serm 48 sic ait O pestis interminabilis! O famelica rabies. Omnia nempe suis terminis clauduntur: sola avaritia nullo clauditur termino, nullo fine. Ecce enim terra suis limitibus terminatur, aqua suis finibus limitatur, aër suo fine concluditur, cœlum suis terminis arctatur, sola avaritia terminum nescit. O Avare, si cuncta terra tibi datur, mare quæris. Si terra & mare dantur, aërem quæris. Quod si mare, terram, & aërem possederis, adhuc cœlum ambis, ad ipsum penetrare affectas. Quod si cœlum penetraveris, adhuc non quiescis donec Deo te adæquaveris, vel altissimo superior fueris.

Prov. 27. 20. Eccl. 14. 9. Isa. 5. 14. Eccl. 5. 9. Prov. 30. 15. S. Aug.

Oculus cupidi & avari insatiabilis. Plut. in Alex. M.

Oculum cupidi insatiabilem esse, nonne satis demonstravit Alexander? Hic cùm à Democrito Philosopho audivisset innumeros mundos esse, ingemuit; & cùm necdum uno plenè potiretur, ad alios imaginarios etiam cupiditatem extendit, nec uno contentus fuit. Sic ferocissima pestis est cupiditas, quæ solet quos capit egenos efficere, dum finem acquirendi non invenit, sed magis quo fuerat locupletata mendicat. Propterea quidam Sapiens Alexandro interroganti; *Doce nos aliquid sapientiæ plenum*; in hunc modum respondisse fertur: *Si ego sapientiam à Deo acceptam tibi communicare volo, non habes quo sale munus cupiat: implevisset enim animam tuam immodica cupiditatis. Sed & quomodò desiderio tuo possum satisfacere,*

Digitized by Google

quod totus orbis ſi bi ſerviens explere non poteſt, aut frenare? Interim hoc habe à me breve ſapientiæ documentum. Omnia licèt velis poſſidere, tandem neceſſe eſt ut telluris tantum teſtrémo poſſideas, quantum vides me jacentem occupare.

De Myda Rege, Fulgentius.

Sed & illa quæ apud antiquos reperitur narratio, ſeu apologus, de Rege Myda, inſatiabilem hominem rectè arguit cupiditatem, de qua ſic Fulgentius. *Midas Rex Apollonis petiit ex magna rerum temporalium avaritia, ut quicquid tangeret, aurum fieret. Id verò cùm obtinuiſſet, mutus in ultionem converſum eſt cùm cibus & potus in auri naturam obrigeſceret.* Sic nempè avarus pecuniæ cuncta deputat, & ſe fami deſtinat; & adeò ſtultus eſt, ut aurum ſitiat & fame videatur, & fame enecari, dum ſibi benefacere vix audet. Propterea Mithridates Rex (teſte Plinio natur. hiſt. l. 33. c. 3) cùm Aquilium Ducem, hominem ſuper omnes mortales avaritiæ deditum, bello ſuperaſſet, juſſit aurum liquefactum ori ejus infundi, dicens: *Aurum ſitiſti, aurum bibe.*

Plin.

Hæc profunda abyſſus avaritiæ, & auri cupiditas, etiam uſque ad effodienda ſepulchra, & exenterandos mortuos ſeſe extendit, non ſolùm in vivos, ſed & in defunctos crudelis. Hoc cùm advertiſſet Semiramis (ut refert Ælianus) ut hanc cœcam & feram cupiditatem argueret, ſepulchro ſuo inſcribi moriens juſſit: *Si quis Rex pecuniæ indigat, hoc monumentum diruat.* Darius Rex hâc epigraphe ſepulchrali invitatus aperuit tumulum, ſed ſuæ ſpe fruſtratus eſt, & deluſus. Nec enim nummos reperit, ſed tantùm hoc intùs ſcriptum: *Niſi eſſes inſatiabilis ſepulchrum mortuorum non attingeres.*

Avaritiæ ad interitum deducit.

Profunditas quoque avaritiæ declarari poteſt, tum ex eo quòd ſuos ſectatores in profundum mergat interitum, tum ex eo quòd ad profundiſſima deducat peccata. Generat enim teſte Apoſtolo, deſideria nociva, quæ mergunt hominem in perditionem illumque inextricabiliter abſorbent. Ideo dicebat S. Auguſt. *Amas ſæculum, abſorbebit te: Amatores ſuos vorare novit, non portare.* Similiter dicimus: Amas terrena & ſæcularia bona, abſorbebunt te, non portabunt: Fluctus ſunt, ſuper quibus ambulare gaudes: Abyſſus eſt, ſuper qua ambulare geſtis oneratus. Haud verò id fiet, ſed involvaris neceſſe eſt, & mergaris. Immò non mirum ſi avari demerguntur: alligatam enim gerunt ad collum quaſi molam aſinariam, quamcunque ſuam poſſeſſionem, cui immoderato affectu adhærent.

1. Tim. 6. 9.

Ad magna peccata.

Sed & profundiſſima peccata ad quæ deducit avaritia, nota ſatis ſunt, nempè homicidia & parricidia, ſacrilegia, proditiones, & alia gravia flagitia, ut ideo dixerit Poeta:

Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Radicitas mentis.

Addamus denique, illi annexam eſſe profundam cœcitatem, quia oculos obnubit ſectatorum ſuorum, ut molam trahant in circuitu, inſtar Samſonis à Philiſtæis obcœcati. Quid eſt enim mola, niſi terrenorum volubilitas cui continuo ſunt affixi? Hanc gravi volvunt labore; at in illa inquietis curis jugiter volvuntur & ipſi. Et certè nec tantâ anxietate hanc volverent, nec inquieto motu ita volverentur, niſi oculos priùs perdidiſſent. Sicut nec Samſon ad id deduci potuiſſet, niſi oculis priùs ſibi eruitis. Et iterùm? Sic Tobias calido ſtercore hirundinum cœcus, luget, quod cœli lumen intueri nequeat: ſic & his merito legendum foret, quod accumulatione temporalium bonorum, quæ tanquam ſtercora reputat Apoſtolus, oculi eorum ita gravati ſunt, ut videre non poſſint lumen cœli. Nec mirum, quia cùm erexerit eis Deus vultum, & aciem oculorum dederit ut quæ ſurſum ſunt, intueantur: contrà ipſi oculos tuos ſtatuerunt declinare in terram, cujus pulvere reſperſi lumen perdunt. Et ita quidem perdunt aliqui, ut neque cœlum eſſe credere videantur, neque internum: quia nec peccatum multiplex quo circumvolvuntur, agnoſcunt. Quapropter quoſdam ob avaritiam excœcatos à Religione Chriſtiana excidere teſtatur Apoſtolus dicens: *Radix omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide.* In quem locum S. Ambr. *Videt ergo, quia qui pecuniam appetit, fidem perdit; qui autem rediit gratiam prodigit? Avaritia enim cæcitas eſt, errorem religionis induxit. Cæca, inquam, eſt Avaritia, ſed diverſis fraudum occulata ingeniis, non videt quæ divinitatis ſunt, ſed cogitat quæ cupiditatis.* Ideo & multi hoc tempore ob cœcum amorem patrimonii ſui & divitiarum, hæreſim amplectuntur; vel in ea detinentur, ne his priventur: quin cœleſti inſpiratione ſatis agnoſcant ſe errare: Sic ſerpenti terram comedunti ipſi cibus & præda ſunt, quia terreni; Cœlumque perdunt, ob affectum ad terrena, mira & profunda cœcitate avaritiæ deluſi. Hoc ipſum deplorat S. Cyprianus multis contigiſſe ſuo tempore in ſerm. de Lapſis.

Judic. 16. 21.

Tob. 2. 11. & c. 3. 12.

1. Tim. 6. 10.

S. Ambr. ſer. 59.

S. Cypr.

LECTIO IV.

DE LATITUDINE MURI AVARITIÆ.

3. Latitudo

LAtitudo muri avaritiæ declarari poteſt, ex variis quæ illi annectuntur & ſuperſtruuntur peccatis; quæ ſunt quaſi lateres igne cupiditatis decocti, & cæmento tartareo diabolicæ ſuggeſtionis coaleſcentes, quibus mirum in modum dilatatur, & fortis efficitur hic ſatanæ murus. Et quidem generaliter loquendo, omne genus peccati ex fundamento cupiditatis exurgere videmus: ideoque ad hunc murum pertinent quædam ratione vitia omnia cætera. Unde & divitiæ dicuntur *Mammona iniquitatis*, idque teſte S. Ambroſio, non ſolùm quia ſunt frequenter iniquè partæ, ſed etiam quia ſunt

Euc. 16. 9.

omnis

omnis iniquitatis cauſa & fomenta. Ac inprimis opes ſuperbiam generant, quia facile dives inflatur & extollitur, cùm paupertas hominem in officio ſoleat continere. Deinde ex illarum. Pauperem enim lacerſitus tacet, & patientiam habet, non habens potentiam ſe vindicandi. Dives litigat, proſequitur vindictam, fidens pecuniæ. Invidia quoque cognata eſt avaritiæ; quia ditiori invidet, qui illas cupidè coacervat. Gulæ etiam materiam ſuggerunt divitiæ, cùm pauper pane & ſale debeat eſſe contentus. Et quia domi oportet graves ſplendidæ menſæ ſuſtinere ſumptus, grandia etiam oportet aucupari lucra, & quidem per fraudes, rapinas, & oppreſſiones. Abyſſus expenſarum abyſſum invocat injuſtorum lucrorum, in domo divitum. Luxuriam verò ex opibus oriri, & per illas foveri, haud eſt ignotum. Denique & Acedia opes comitatur. Dum paupertas pondus diei & æſtum portat, ut neceſſaria acquirat; abundantia facit ut otio multi torpeant, avarè interim labores pauperum comedentes. Singula ferè hæc in divite Evangelico intueri licet, & ex verbis ipſius apertè colligere, dum dicit: *Anima mea, habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare.* Primo enim dicit; *Anima mea habes bona plurima*; en inflatio ſuperbiæ, tumor, jactantia, & vana complacentia. 2. Dum ait: *Poſitam annos plurimos*; en accumulatio immoderata. 3. Dum ſubdit: *Requieſce*, en acedia, torpor, & ignavia. 4 Dum adjicit: *Comede, bibe*; en gula, en ebrietas. 5 Dum dicit *Epulare*; en luxus ventris, & inde ſubſequens luxuria. Ergo radix omnium malorum cupiditas, fundamentumque cui multiplicia ſuperſtruuntur peccata.

Quæ vitia ex divitiis oriantur.

Luc. 12. 19

Duplex Avaritia.

Sed ſunt quædam ſpecialia peccata, ex avaritia ſpecialiter ortum habentia, ex quibus murum hunc noſtrum Jerichuntinum particularius conſtrui & dilatari aſſerimus. Poſſunt verò duplicis ſortis diſtingui, tanquam duplicis ſeriei in eadem ſtructura lateres, ſicut & duplicem avaritiam ſuprà diſtinximus. Eſt enim avaritia quæ opponitur liberalitati tantùm, non juſtitiæ: ex hac oriuntur non ſolum accumulatio immoderata, & tenacitas nimia, ſed & obduratio mentis, & erga pauperes immiſericordia, ſollicitudo quoque inquieta, & anxietas ſuperflua & damnoſa; item neglectus rerum divinarum, rerumque ſalutis, fiduciaque nimia in rebus caducis, & in divitiis. En lutei lateres paleis Ægypti commixti, ex quibus conſurgit prima ſeries muri noſtri.

1. Oppoſitur liberalitati.

2. Juſtitiæ.

Eſt & altera avaritia, juſtitiæ quoque adverſa, quæ per nefas accumulat: & ex ea oriuntur uſura, & fraudulenta negotiatio, mendacium & perjurium, furtum, rapina, ſacrilegium, oppreſſio pauperum, & ſimilia vitia. En ſecunda ſeries laterum, ex quibus murus hic compingitur. Paucis ergo diſſeremus de ſingulis, ac primò quidem de primæ ſeriei lateribus.

LECTIO V.

DE OBDURATIONE, ET IMMISERICORDIA, ET DE PRIMA SERIE Avaritiæ.

1. Series.

PRimo loco conſtituamus inter lateres hujus muri, durum illum & igne tartareo excoctum laterem, qui dicitur obduratio & immiſericordia erga pauperes. Hæc enim ex avaritiæ ortum habet, ſæpiusque in Scriptura condemnatur. Dilertè de ea Dominus per os Sapientis pronunciat: *Qui obdurat aurem ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit, & non exaudietur.* Id verò confirmat Evangelica doctrina exemplo Divitis in Lazarum mendicum, & ad januam jacentem duri & immiſericordis, qui poſtea inclamat pro ſtilla aquæ refrigerantis, nec exauditur. Sic inter cauſas everſionis Sodomæ apud Ezechielem enumeratur immiſericordia. Dicitur enim ibi: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius, & filiarum ejus, & manum egeno & pauperi non porrigebant.*

Immiſericordia erga pauperes.

Prov. 21. 13.

Luc. 16. 24.

Ezech 49 24.

Horum verò avarorum inanes excuſationes perſtringit elegantèr S. Baſilius: *Quantopere benefactori tuo Deo gratia agenda ſunt, quàm hilaris, nitidusque eſſe debueras de eo honore, quòd ipſe alienis limina non verres, ſed tua abalienatio occupentur. Nunc contra mœſtum te prabes, adituque difficilem & occurſus hominum vitas, ne quid vel pauxillulum à manibus cogaris emittere. Vnam noſtis vocem, non habeo neque dabo, pauper enim ſum.* Hæc ſcilicet eſt prima excuſatio, multis communis cùm rogantur; & mendacio quidem conjuncta excuſatio, ut inſtantem à ſe propulſent. Rectè verò reſpondet S. Baſilius, *Pauperes revera & inops omne boni, inops charitatis, inops fiducia in Deum, inops ſpei æternæ.* Iterùm his reſpondet idem S. Baſilius hom. adverſus divites. *At pauperem te eſſe prædes, & ego tibi adſtipulor. Pauper enim eſt qui multis eget. Multorum verò res indigos facit inſatiabilis cupiditas. Decem talenta, decem alia apponere ſtudes, ea cùm vigint fuerint, rurſus totidem requiris, ſemper id quod additur, non impetum cupiditatis ſiſtit, ſed aviditatem incendit.*

S Baſil. hom in divites avaros ſuper illa verba deſtruam horrea mea.

Luc. 12. *Vox avarorum. Avari ſemper pauperes.*

Sed replicant avari: *Ecquem injuriâ affixio, ſi mea teneo?* Reſpondet iterùm S. Baſilius: *Quid ais tua? unde ea in vitam actus es? quemadmodum ſi quis in theatro ſedilia occupet, ac deinde ſuper venientes excludat, ſibi proprium vendicans, quod omnium uſui patet, ad eum modum ſe avaritiæ gerunt. Cùm enim quod commune eſt, priores invaſerunt ex prava captatione, id proprium ſibi faciunt. Nonne nudus ex utero lapſus es? nonne nudus in terram reverteris? iſta quæ habes, unde tibi orta ſunt? ſi ulterò fortuitò dicis, impius es, cum non agnoſcas, qui ea crearit, nec*

Horn. in divites avaros ſuper illa verba. Horrea mea deſtruam.

Digitized by Google

gratiam habes, qui ea tibi dedit. Si verò confiteris ea a Deo profecta esse, dic mihi, quæ de causa acceperis. Num Deus injustus est, qui ea, quæ victui sunt, inæqualiter distribuit? Cur tu divus? ille verò pauper est? An ideo planè ut & tu benignitatis & fidelis dispensationis merceda recipias, & ille magnificis tolerantiæ præmiis cohonestetur. Tu verò cùm omnia inexplebilem avaritiæ tuæ sinum infarcias, neminem te putas injuria ladere, cùm eos defraudas? An non tu avarus es? an non fraudator? qui quæ dispensanda acceperis, ea tibi propria facis. Famelici panis est, quem tu detines; nudi vestimentum est, quod tu in tuis capsulis servas; discalceati sola est, quæ apud te computrescit; egeni pecunia est, quam tu defossam habes. Ergo totidem injuriæ affici, quot præbere potuisti. O quanti tibi pretii in die judicii illud verbum videbitur: Agite hùc benedicti à patre meo possidete regnum, quod vobis paratum est à condito mundo. Esurivi enim & dedistis quod ederem; sitivi, & potum præbuistis. Quantus ibi horror, & pudor, & caligo circumfundetur avaritiæ istam condemnationem; ita excæcati à me in tenebras extremas, quæ destinatæ sunt Diabolo & Angelis ejus. Esurivi enim, & non dedistis mihi cibum; sitivi, & non dedistis mihi potum; nudus eram, & non vestistis me. Nunc enim ille rapior accusatur, sed malignus condemnatur.

Divitum bona sunt pauperum quoad usum, non quoad proprietatem. Matth 25. 34. Ibid. v. 41.

Secunda excusatio avarorum pauperes immisericordiæ est ista: *Incerti, ais, est, num nos inexpectata necessitates invasura sint.* Respondet S Basil. eleganter. *At longè incertior defossi auri usus, nec tamen incerta pœna est tua inhumanitatis.* Probat id ipse, & ostendit in particulari, dum addit. *Multos novi qui jejunant, qui orant, qui gemunt, qui omnem, quæ sumpturi erant, pietatem præ se ferunt, unum tamen obolum afflictis non præbent. Quid commodi ex reliquis virtutibus? quandoquidem eos regnum cœlorum non admittit. Quid judici respondebis? tu qui paratus vestis hominem non induis? qui equos exornas fœdam miseriam fratris negligis? Qui frumentum longa detentione putrefacis, fame laborantem non alis? Qui aurum defodis, & eum qui fame angitur, nihil respicis?*

Hom. adversus divites.

Tertia excusatio obduratorum & immisericordium, cum multi rogantes concurrunt, est ista: *Non est in nostra potestate, ut potentibus sufficiamus.* Resp. S. Basil. *Lingua quidem ejus ne hanc quidem facultatem, sed à tua ipsius manu refutatis. Ea enim tacita tuum mendacium proclamat, cùm undique resplendeat fulgore annularis pala. Quæ potest unus tuus annulus ab arce aliena liberare, quæ domos ruinosas instaurare? Una tua vestis aria arcu universum populum algentem frigore amicire potest. Tu tamen res infelix, pauperem abiegas, nec veteris justissimam illam judicis talionem, non misertus es, nam in feram audiam impetrabis, non aperuisti domum, à regno ejiceris, non dedisti panem, non accipies vitam æternam.* Hæ sunt judicis minæ, quas præcavere deberes.

Quarta excusatio est: *Liberis nostris est providendum, & necessaria sunt divitiæ propter illos.* Respondet S. Basilius: *Hic est ille speciosa confficatio avaritiæ, liberos enim in excusationem prætendis, cùm animæ vestræ adimpleatis. Cùm à Deo postulabas fœcunditatem, cùm cupiebas liberorum pater fieri, nunquid & hoc apposuisti precibus tuis? da mihi liberos, ut tuis præceptis non obsecundem, ut ad regnum cœlorum non pervenium. Cæterùm quis de moribus puerorum fidejussor eris? ut vestè rebus hæreditatis utatur. Multis enim divitiæ flagitiorum administræ fuerunt. An non audis Ecclesiasten dicere: Est & alia infirmitas pessima quam vidi sub Sole divitiæ conservatæ in malum Domini sui. Et rursus: Studiosissimè laboravi, habiturus hæredem post me, quem ignoro, utrum sapiens, an stultus futurus sit & dominabitur in laboribus meis, quibus defessus sui? Vides igitur, ne cum infinitis laboribus divitias congregaveris, materiam scelerum aliis instruxeris. Atque eò id duplicis pœnæ afficieris, eò quòd & ipse peccasti, & quòd aliis peccandi fomitem suppedisasti. Nonne tibi quovis filio anima charior est? nonne illa longè omnium tibi proxima est? Quæ prima est, primogenita hæreditatis ea te accipiat. Opulentas ei facultates vivendi suppedita, & tunc liberis tuis arridebis bona, unde vivant.*

S. Basil. hom. adversus divites.

Eccl. 5. 12. Idem c. 2. 18.

Quinta excusatio est eorum qui liberis carent: *Ego dum vixero, bonis meis frui volo, & cùm per omnem vitam meis bonis usus fuero à morte pauperes successuros nequam, & in testamento & codicillis dominos eos meorum rerum declarabo.* Respondit S. Basil. *Cùm non amplius in humanis eris, tunc sc. humanus futurus es? cùm te cadaver videro, fraterna charitatis studiosum appellabo? Magna tibi gratia habenda de tuo officio, quòd cùm in sepulchro jaceas, & in terram revolutus sis, liberalis extiteris, & magnanimus insumptibus facundis.* Addit denique & hoc responsum vir sanctus: *Atramento & hujus benificia polliceris, sed quis tibi renunciabit tempus extitus tui? Quis fidejussor eris de genere mortis? Quot violenti casibus sublati sunt, quibus ne vocem emittere licuit? Quot sobrii insanos facti? Quid igitur tempus expectas, in quo sæpè nec cogitationum tuarum compos eris? Nox profunda, mortis gravis, spiculator nusquam. Hæreditatis insidiator in promptu, qui omnia ad suum commodum digerat, consilia tua irrita faciat.*

Eadem hom.

His ergo omnibus excusationibus calvis tenacium hominum & avarorum, totidem responsis amplè respondet vir sanctissimus, ut omnem obdurationem & immisericordiam ob eorum animis eliminet. Quæ quidem responsa digna sunt, ut ab animo Christiano ponderentur in pondere & statera sanctuarii; ideoque ea iisdem, a quibus ipse verbis expressi, ut ab ejus auctoritate etiam pondus sortiantur. Vide plura ibidem.

IN

Digitized by Google

IN INQVIETVDINE OB *Avaritiam*

INqvietudo & anxietas superflua secundo loco constitui potest inter lateres duros muri avaritiæ: Illa enim oriri solet ex avaritia & cupiditate, nec parum damni animi afferre. Propterea divitiæ in Evangelio spinæ vocantur, quia interprete S. Gregorio aculeis solitudinum mentes lacerant, & corda avarorum pungunt, sicque peccati vulnus infligunt, & mentem frequenter cruentant. Ideo etiam dixit Ecclesiastes: *Peccatori Deus dedit afflictionem, & curam superfluam ut addat & congreget. Cunctis diebus ejus doloribus & ærumnis plenis sunt, nec per noctem mente requiescit, & hoc vanitas est, & cassa solicitudo mentis.* Loquitur ibi Ecclesiastes de homine cupido & avaro, semper inquieto, semper anxio. Hunc cani famelico eleganter comparat. Seneca epist. 74. ad Lucilium. *Vidisti aliquando canem missa à Domino frusta panis; aut carnis, aperto ore captantem? quicquid excipit, protinus integrum demittit, & properat ad spem futuri. Idem evenit nobis: Quicquid fortuna expectantibus projecit, id sine ulla voluptate demittimus, & statim ad rapinam alterius erecti & attenti stamus.* Hæc ille. Solicitudinem porrò necessariam filiis Adæ, ut sibi de necessariis provideant, si fuerit sine diffidentia aut anxietate nimia, non condemnat Scriptura, quandoquidem primævo decreto sanxerit Deus, ut homo in sudore vultus sui vescatur pane suo.

Luc. 8.
Greg hom. 15. in Evang.
Ecclesiast. 2. 26.
v. 23.
Seneca, *Avarus similis cani famelico.*
Gen. 3. 19.

Hanc solicitudinem omni arti annexam Eccles. diserte describit: Primò enim sic dicit de rusticis: *Qui tenet aratrum, & qui gloriatur in jaculo, stimulo boves agitat, & conversatur in operibus eorum & enarratio ejus in filiis taurorum. Cor suum dabit ad versandos sulcos, & vigilia ejus in sagina vaccarum.* Hæc est solicitudo nostrorum rusticorum, quæ quidem non est reprobanda, quando cor nimium his non immergitur: ita ut propterea non negligant divina, & saluti necessaria; si damnum quoque proximi quantum in se est devitent. Sed frequenter avaritia sese interserit, fraudulentia, divinorumque neglectus, ut postea dicemus. At quando hæc absunt, & finis bonus hisce operibus laboriosis præfigitur, puta alere familiam, necessitati suæ & liberorum providere; solicitudo moderata etiam meritoria est, & apud Deum laude digna: sicut & otium, & socordia in his, qui hujusce professionis sunt, merito condemnatur. Nam *homo nascitur ad laborem, sicut avis ad volatum.* Et ideò primus agriculturæ exemplum dedit Adam, quem secuti sunt Patriarchæ, imò & quidam ex Prophetis. De Noe dicit Scriptura, quod vir agricola fuerit, qui cœpit exercere terram. Elias quoque Elisæum vocans, & ungens Prophetam, invenit *arantem in duodecim jugis boum*, & unxit eum imponendo pallium suum super ipsum. Amos etiam Propheta, celebris arator instar sui, & sequens boves, signum cor suum dabat ad tuicos versando: Ergo solicitudo hæc est condemnanda.

Ecclesiast. 38. 26.
Job. 5. 7.
Gen. 9. 20.
3. Reg. 19. 19.
Amos 7. 13.

Secundo dicit Eccles. *Sic omnis faber & architectus, qui noctem tanquam diem transigit, qui sculpit signacula sculptilia, & assiduitas ejus varias picturam cor suum dabit instantissimam pictura, & vigilia sua perficiet opus.* Et quidem quandoque etiam illi necessaria est illa solicitudo, ut provideatur familiæ, sicut de priori ante dictum est, facile verò excessus committitur, nec modus servatur.

Ecclesiast. 38. 28.

Tertio ait ibidem. *Sic & ferrarius faber sedens juxta incudem, considerans opus ferri: Vapor ignis uret carnes ejus, & in calore fornacis conteretur. Vox malleo innovat aurem ejus, & contra formam vasis oculus ejus. Cor suum dabit ad consummationem operum, & vigilia sua ornabit perfectionem.* Atque utinam ita cor suum det vasis suis formandis, ut tamen non obliviscatur corde se à Domino ut vas formatum, & expoliendum ut vas aureum & argenteum Domini ulibus profuturum; sicque interius se disponat, ut inter vasa gloriæ deputetur, & æternis ignibus non destinetur

Ib. v. 29.

Quarto ait. *Sic figulus sedens ad opus suum, convertens pedibus suis rotam: qui in solicitudine positus est semper propter opus suum. Cor suum dabit, ut conjungat limitionem, & vigilia sua mundabit fornacem.* Et hi itaque omnes haud reprobandi, nec similes artifices laboriosi & solliciti in suo opere: quia sine his omnibus non constat civitas. Sed quia facile cupiditas & immoderatio se interserit solicitudinis, ideo Ecclesiasticus postquam de unoquoque dixerit, de singulis subjicit. *Cor suum dabit*, &c. Item, & *Vigilia ejus* &c. Indicat igitur amore lucri cor nocte dieque terrenis his operibus facilè nimium implicari. Quam immoderationem vitantes quidam, etiam sanctitatis nomen sunt adepti, licet vile artificium profitentes. Sic inter agricolas eminet sanctitate Sanctus Isidorus, stivam & aratrum professione secutus sub imperio herili.

Ib. v. 32.

Artifices avaritiam vitantes clari sanctitate.

Sic & S. Joseph faber lignarius, & non nisi ex opere manuum victitans, meruit eligi sponsus Mariæ; Nutritius Christi.

Sic Coriarius Alexandrinus, ad quem S. Antonius missus est, sedens in opere suo, divina voce meruit, tanquam humilitatis exemplar honorari.

Sic Crispinus & Crispinianus sutoriam sunt artem professi, operarii inconsutilibes coram Domino pro quo & Martyrio sunt affecti.

Sic Fabris ferrariis revelata fuit Confraternitas illa celebris S. Eligii, quæ pelle infectos visitat sepelitque sine periculo apud Bethunienses.

Sic Sanctus ipse Eligius, aurifaber fuit in opere suo strenuus, & ingeniosus; deinde evectus est ad Ecclesiæ curam pastoralem: ut vasis gloriæ aureis & argenteis efformandis totus insudaret.

Sic

Sic Paulus Apostolus tabernaculorum opifex, nocte & die laborat, ut se opere manuum suarum sustentet, ne ex Evangelio lucrum captare videatur.

Sic & omnes antiqui anachoretæ & eremi incolæ opere manuum victitabant, sportas contexendo aliaque laboriosa opera conficiendo, sed divino cultui primùm animo toto dediti erant.

DE NEGLECTV DIVINORVM *ob Avaritiam.*

NEglectus divinorum & salutarium, ex avaritia oritur, & sollicitudine nimia temporalium. Impossibile enim est servire Deo & Mammonæ, servire Deo & divitiis, cor apponendo illis quærendis, vel quæsitis totum affectum addicendo. Impossibile est cœlum & terram simul aspicere; sic & oculos mentis terrenis & cœlestibus simul intendere. Hinc experientia videmus, eos qui magna cupiditate terrenis inhiant, parvam & raram gerere curam salutis; Sacramenta vix frequentare, divina officia negligere, ut suis vacent negotiis, conscientiæ examen prætermittere, mortis aut judicii rarò meminisse, verbi divini semen vel non excipere, vel suffocare, hæreditatis cœlestis & patrimonii filiorum Dei desiderium vix cum fervore concipere. Quia tanquam terrigenæ & filii terræ, terram amant, terram sapiunt, terram accumulant, terram hæreditate ambiunt, & excolunt. Hos rectè comparaveris filiis Gad, qui cum Terram promissionis ducerentur, voluerunt fugere domicilium in monte Galaad, ejus contenti fertilitate, sicque *pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.* An non aliqui similes inter filios hominum, qui ita gravi corde ad terrena sunt depressi, ut videantur parum curare cœlestia promissa, si modo securitas eis detur fruendi his terrenis? Dicamus ergo cum Eccl. *Difficile exuitur negotians à negligentia.* Hoc aliqui interpretes intelligunt de negligentia salutis; ut sit sensus; difficile exuitur à negligentia salutis; qui nimis inhiat terrenis lucris, & negotiis. Inde enim teste Augustino dictum est negotium, quod neget otium. Quantum autem mali affert, quod negat quærere otium, & veram in Deo quietem? Otium inquam de quo Psalmista; *Vacate & videte quoniam ego sum Deus.* O cæca & malesuada cupiditas, quæ ita avide sectaris res perituras, ut amittas æternas, quibus ut vacet homo creatus est, hic eas contemplando & suspirando, illic fruendo. De hac cupiditate negligendum salutis inducente sic loquitur S. Bern. serm. 38. super Cantic. *Currum avaritiæ vehitur rotis quatuor vitiorum, quæ sunt pusillanimitas, inhumanitas, contemptus Dei, mortis oblivio. Porro jumenta trahentia sunt rapacitas & tenacitas. Hic ambobus unus auriga præsidet, ardor habendi. His auriga ad urgendum trahentia jumenta flagellis utitur acerrimis libidine acquirendi, & metu amittendi. Hæc sola avaritia, quia conducere plures non patitur, una contenta est servitore.*

Psal. 105. 24.

Eccl. 26. 28.

Augustin. in Ps. 70.

Ps. 45. 11.

S. Bern. ser. 38. super cant.

DE FIDVCIA IN OPIBVS.

FIducia quoque nimia in rebus sæculi & opibus stagnata est avaris, nec parum in illis damnosa. Unde Propheta: *Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ*, monte scilicet fertili & opulento. Similiter & Apostolus monet: *Præcipe divitibus hujus sæculi non sublime sapere, nec sperare in incerto divitiarum; sed sperare in Deo vivo, bene agere, divites fieri in operibus bonis, facile tribuere, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum ut apprehendant veram vitam.* Incerta ergo spes in divitiis, cum & illæ sint incertæ, axi versatili fortunæ obnoxiæ. Citò adveniant, citò eunt & intercunt, faciunt sibi alas, & avolant. Hedera sunt Jonæ umbrosa, sed citò virens, citò arescens. Ascensu diluculi, verme oriente, & vento urente, concidit hedera: sic & opes & fiducia in illis collocata, parvo vento, parvo verme intermoriuntur. Et licet tota vita durent, in fine deferendæ sunt, non sine dolore & confusione, dicente Job: *Dives cum dormierit, nihil secum auferet, aperiet oculos, & nihil inveniet.* Ideo divitii in Evangelio fiduciam omnem in suis divitiis collocanti & dicenti: *Anima mea habes reposita multa bona in annos plurimos, requiesce nunc, bibe, epulare*; Respondet vox divina: *Stulte hac nocte repetent animam tuam à te, & quæ parasti cujus erunt?* Sed de hac fiducia in rebus sæculi quàm inanis sit, instabilis, Deoque injuria, latè deduxi Lib. 2. de Spe. Tract. 1. Lect. 3. idcoque illuc Lectorem remitto.

Amos 6. 1.

1. Tim. 6, 17.

Jonæ 4, 6.

Job, 27. 19.

Luc. 12. 19.

LECTIO VI.

DE SECUNDA SERIE AVARITIÆ. 2. Serie.

DE VSVRA.

PRimum lapidem in secunda serie usuram esse diximus. Hanc detestatur Scriptura plurimis in locis. *Si pecuniam mutuam dederis pauperi qui tecum habitat, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes.* Item: *Pecuniam non dabis fratri tuo ad usuram, & frugum superabundantiam non exiges.* Et Deut. 23. *Fratri tuo absque usura commodabis id quo indiget, ut benedicat tibi Dominus in omni opere tuo.* Prophæta etiam David usuram excludere à regno sat intimavit, dum dixit: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Ubi inter cætera respondet: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.*

Exod. 22. 25.

Levit. 25. 37.

Deut. 23. 20.

Ps. 14. 5.

Usura quid & duplex est.

Ill vero usura, cùm in mutuo aliquid accipitur ultra sortem. Esto; duplex ejus species. Una est manifesta, altera palliata. Manifesta nunc rara est, quia passim Montes pietatis eriguntur in civitatibus ut publicis usuranis non sit locus. Videndum tamen quibus conditionibus & circumstantiis stent illi montes;

Digitized by Google

montes; nam ut quibusdam in locis instituuntur, difficultate non carent & suspicione injusti & nimii lucri; sed non est hujus instituti mei id modo disputare. Usura palliata frequens est in contractibus, in mercationibus, in societatibus. Lapis est offensionis, in quem multi ex avaritia & nimia lucri cupiditate impingunt, & corruunt. Lapis est coloratus, colore justitiæ & conventionis passim usitatæ, qui multis ut pulvillus servit, sed novissimè durus erit. Lapis coloratus est, ex quo passim divitum domus speciosè ædificantur: sed *lapis* qui tandem contra eos *de pariete clamabit*, ut dicit Propheta. Passim vero lapis iste obducitur duplici colore damni emergentis, quod vocant Interesse, & lucri cessantis, de quo illud Augustini frequenter dicere possumus. *O lucrum damnosum, dum invenis pecuniam, perdis justitiam perdis animam. Præda quam rapere cupis, muscipula est, in qua sicut mus volens capere laridum, dum capis, caperis; dentes alienum, & à diabolo detinaris.* Sic usura & interesse injustum, animas devorat, dum aliorum exhaurit facultates. Interesse enim illud quasi cancer serpit, & quasi alienam corrodit, & exedit substantiam, ut passim videmus. Hinc & aptè Hebræis usura vocatur, *Nesech*, id est, morsus. Est enim instar morsus serpentis, qui mordet exiguum in pede vulnus, ita ut quis non sentiat: mox autem serpit & & diffundit se venenum, donec ad verticem usque pertingat. Sic est incrementum usuræ, vel duri interesse, vix primo sentitur, donec ita augetur, ut substantiam totam exsugat. Hæc est similitudo S. Chrysost. dum ait. *Pecunia usurarii similis est morsui aspidis. Percussus ab aspide quasi delectatus in somnum vadit, & per suavitatem soporis moritur: quia tunc venenum per omnia membra latenter decurrit. Sic qui pecuniam sub usura accipit, eo tempore quasi beneficium sentit, sed usura per omnes ejus facultates decurrit & totum convertit in debitum; id est homines eum substantia devorat.* Segnis est exitialis vir usurarii, nescit laborem agrorum colendorum, mercaturam non exercet, sed uno in loco considens, vult omnia sibi sine satu & inarata progigni, cui quidem aratrum est calamus, ager charta, semen atramentum, pluvia tempus quod pecuniæ ipsius fructus occultis incrementis adauget & educat: sitis est illi repetitio, area domus in qua miserorum fortunas ventilat; ò fortunatum imò ò infortunatum agricolam!

Aba. 2. 11.

Aug. sententia notabilis.

Chrys. Homil. 12. in Matth. c. 5.

Sed quàm fœlicius hi Deo fœnerarentur, ut totam ejus substantiam ejusque regnum sibi converterent in debitum? Ipse enim pro simplo commodato obligat se ad centuplum, & tandem ad vitam æternam retribuendam: *fœneratur* autem *Domino qui miseretur pauperis*, inquit Sapiens. Et ipse exigit continuo à divitibus, ut ipsi dent sibi ad usuram, & ad has lucrosas concurrant nundinas. Unde S. August. sic eum introducit loquentem: *Da mihi de eo quod dedi tibi de meo quæro, da & reddam. Habuisti me largitorem, habeam te fœneratorem, panca mihi dones, plurima reddam; temporalia dones, æterna retribuam.*

Prov. 19. 17.

August. in serm. de temp.

At ipsi lucri & fœnoris pecuniosi aviditate capti malunt animam Dæmoni oppignorare, pauperes spolando: quam Deo illam obligare, egenis propter amorem Dei subveniendo. Dico *spoliando pauperes*; nam sancti Patres passim vocant fœneratorem honestum furem, blandum spoliatorem, pium carnificem, humanum tortorem. S Greg. Nyssenus sic usurarium alloquitur: *Optulator verteris in hostem, non enim jeris opem, ut evadas alter egestatem seu seriæ afflicto malæ, vadum excutis, vulneratum demiò vulnerans, curas curis accumulans, doloresque doloribus addens; sicque specie beneficii, exitium ille domum reportas.* Unde fit, ut infœlici morte, Deo vindice, intereant, & æternum pereant fœneratores.

Avari animæ diabolo oppignorant.

S Greg. Nyssen.

Exemplum hac de re refert Cantiprato his verbis: Vidi ego in Brabantiæ partibus Usurarium nequam valde, qui multos nobiles & potentes exhæredaverat, & pauperes spoliaverat supra modum. Hic frequenter occurrens Religiosis rogabat, quasi cum lachrimis pro se orari, sed in nullo prorsus se correxit. Cumque super hoc eum frequentius arguissem, nec tamen in aliquo profecissem, accidit ut repentina infirmitate correptus ad exitum propinquaret: & ecce subitò duo ingentes tenebrarum canes lectum jacentis circuitibus ambibant; ipse verò protracta lingua ad longitudinem propè pedis dehiscens, horribiliter expiravit.

Cantip. l. 2 de universo c. 22.

Narrat quoque Abbas Sabinensis, Usurarium quemdam à Pastore aliquoties ad agendam pœnitentiam commonitum fuisse; quam cum de die in diem distulisset, ac jam jamque se facturum, jam verò satis adhuc temporis superesse respondisset, tandem in gravem morbum incidit: actum quidem denuo, urgente Pastore, ut pœnitentiam ageret; faciam, inquit, sed alias. Revertitur Pastor, iterumque ad faciendam pœnitentiam ægrotum exhortatur. Respondit ille se nondum esse paratum. Demum eo res devenit, ut quotiescumque Pastor eum excipiendæ confessionis causa accederet, ipse animi deliquium pateretur; cumque vehementius eum Pastor urgeret, videns miserrimam ejus animam periclitari, quasi expostulabundus ei reclamavit: *O pœnitentia ubi es? Non possum amplius pœnitere; cùm enim possem, nolui.* Atque ita miserabiliter animam efflavit.

Pinel. li. 1. de altera vita c. 6.

DE FRAVDVLENTIA.

SEcundum ex lateribus hujus seriei posuimus fraudulentiam in commerciis & negotiationibus. Hæc potest esse vel circa substantiam, vel circa qualitatem, in numero, pondere, mensura. Variæque sunt species injustæ negotiationis ex radice pessimæ cupiditatis & avaritiæ prodeuntes. Videnda sunt quæ de hac re diximus fusè sub præcepto 7. ad arguendum avaros mercatores, qui contra

Digitized by Google

1. Theſſ. 4. 6. præceptum Apoſtolicum in negotio circumveniunt fratres ſuos, nolentes advertere quod vindex eſt Dominus.

DE MENDACIO.

DOlum & fraudem ſubſequuntur mendacium & perjurium, lateres tartarei hanc ſeriem perficientes. Hæc in commerciis ulitata ſunt, inſtigante ſatana primo mendacii auctore. *Malum eſt, dicit omnis emptor, & cum receſſerit gloriatur*, ait ſapiens. Prov. 20. 14. Sic de ementibus & vendentibus dicere poſſumus: Pſ. 5. 10. *Non eſt in ore eorum veritas, cor eorum vanum eſt, linguæ ſuæ doloſe agebant.* Fatentur ipſi mercatores, qui dicunt ſibi vix poſſibile eſſe vendere, & lucrum captare ſine mendaciis. Et ita implerí videtur quotidie inter eos, quod in Apocal. legitur: *Et faciet beſtia, ut nemo poſſit vendere, vel emere, niſi qui habuerit characterem beſtiæ, aut nomen ejus, aut numerum nominis ejus.* Apoc. 13. 17. Hoc quidem fiet tempore Antichriſti, ibi per beſtiam delignati; nam viſibiliter ejus characterem in manu vel fronte gerere oportebit eos qui ement, aut vendent. At modo etiam qui emunt & vendunt, characterem gerunt, beſtiæ infernalis, hoc eſt, ſatanæ; inviſibiliter quidem in anima, ſed in lingua viſibiliter, dolum ſcilicet in anima, mendacium in lingua. Hic eſt duplex character fraudulenti ſerpentis, & doloſæ beſtiæ, quo ipſe primò circumvenit in negotio ſalutis Adam & Evam, primos noſtros parentes: & modò in negotiis temporalibus eorum poſteris eumdem imprimit characterem, ut eorum ſalutem illaqueet; ut jam fiant filii hujus ſæculi, filii ſatanæ & mendacii, qui filii debebant eſſe veritatis, filii Dei. Sed ſicut ibidem in Apocal. dicitur, quod gerentes characterem beſtiæ bibituri ſint de vino iræ Dei: ſic & verum eſt de illis, qui hunc characterem mendacii gerunt ementes & vendentes. *Va qui dicitis malum bonum, & bonum malum*, inquit Iſaias. Et quid aliud in mercimoniis dicunt emptores & venditores? Neque tamen iſtud vitium eſt negotiationis, Auguſt. in Pſal. 70. ſed negotiantium. Unde dicit S. Auguſt. *Ego mentior, nè negotium, vitium meum eſt, non negotiationis eſt. Poſſum enim dicere tanto emi, tanto vendam, ſi placet eme. Nunquid enim iſtam veritatem audiens emptor repelleretur, & non omnes potius accurrerent? Accurrerent; quia plus fidem quàm mercem diligerent.* Ita Prov. 21. 6 que vanus eſt & excors, teſte ſapiente, *qui congregat theſauros linguæ mendacii, & impingetur ad laqueos mortis.*

DE PERJURIO.

PEſſimum portò & abominabile eſt, cum avari iſti negotiantes non contenti ſimplicibus mendaciis, etiam perjuriis ſeſe onerant, nomen Dei violantes cum ſigillo æterni Regis, ſigillo veritatis. Deum enim ſumma cum ejus injuria falſi teſtem non verentur invocare: & ob immoderatum pecuniæ ambitum merces ſuas quandoque plus perjuriis onerant, quam pretiis, nihil juſtitiam Dei conſiderantes ipſi injuſti. Sed Deus erit illis teſtis & vindex; teſtis fidelis mendacibus & perjuris; vindex juſtus injuſtis, ut minatur Malachias. Unde & Malach. 3. Zachar. 5. exhibet volumen volans, in quo maledictio continetur. Zach. 5. 4. *Et veniet*, inquit, *ad domum jurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio domus ejus, & conſumet lignum & lapides ejus.* Vide quæ dixi hac de re ſuper præcepto 4. decalogi.

Interim ſi negotiatores exiſtiment, ſine avaritia aut ſalutis diſpendio ſe non poſſe negotiationi operam dare, advertant ſpeculum quod eis exhibet S. Bernardinus, & in illo ſe intueantur: videantque quales ſint, & quo in ſtatu, nec ſpeculi hujus unquam obliviſcantur ne obliviſcantur & ſui. S. Bernardin. ſer. 23. Regulæ mercatorum.

Primò, inquit, fugiat mercator in mercationibus nullo uti mendacio, aut juramento: abhorreatque omnia perjuria, nulla utatur duplicitate, nec etiam duplicibus & ſophiſticis verbis, ſit verbum ſuum rectum & verum in ore ſuo.

Secundò: Non circumveniat quemquàm in opere aliquo: neque mercimoniorum ſuorum malitioſè occultet vitium, vel defectum: nullam falſitatis mixturam in venalibus ſuis apponat, vendendo velemendo. Utatur juſtis ponderibus & menſuris.

Tertiò: non vendat cariùs propter ſolutionis pretii conceſſum tempus; & in plus vendendo, vel minus emendo, juſtum pretium non excedat.

Quartò: Non diffamet merces alienas contra proximi charitatem, ut vendat ſuas.

Quintò: Studeat ſervare promiſſa, & ſolvere tempore conſtituto: atque cum ſciis non faciat iis tam fidem, ſed ſervare præſtita juramenta, vel promiſſa.

Sextò: Summopere caveat, ne hi qui propter ejus dicta de mercimoniis & pretio liberè in eo confidunt, defraudatos ſe inveniant & deceptos.

Septimo: Moneta nullo modo abutatur, vel dando vel recipiendo ſolutionemque fideliter numeret, atque ſcribat.

Octavò: Sapius in anno Confeſſori perito ac timenti Deum prævio conſcientiæ examine integrè confiteatur, & Euchariſtiæ Sacramentum ſumat.

Nonò: Frequenter quantum poteſt fieri Eccleſias, Sacrificia & Miſſas, ac divina officia, maximeque verbum Dei audiat.

Decimo: Omni anno ad minus ſemel cum ſociis revideat rationes, & teſtamentum, ac ſuam ultimam voluntatem in ſcriptis authenticè ſemper teneat præparatam.

Hoc ſpeculum, haſque probæ vitæ regulas tradidit Mercatoribus Sanctus Bernardinus, easque & prædicando, & conſcribendo illos edocuit.

DE

DE ALIIS MVRI HVIVS LATERIBVS Tartareis.

TErtio loco constitui possunt varia injustitiæ manifestæ peccata, quæ avaritia sibi coadunat, quasi lateres suum murum augentes. Talia sunt furtum, rapina, peculatus, sacrilegium, de quibus egi super Præcepto 7. ideoque non repeto, sed illuc Lectorem remitto.

LECTIO VII.

DE OPPRESSIONE PROXIMI OB AVARITIAM.

QUARTO loco constituamus defraudationem mercenariorum, & oppressionem pauperum, pessima avaritiæ germina, quæ in cœlum usque clamorem suum extollunt, ut supra dixi. De qua re frequenter Scriptura. Unde Eccl. 34. dicitur: *Panis egentium vita pauperum est, qui defraudat illum homo sanguinis est.* Et iterum: *Qui aufert in sudore panem quasi qui occidit proximum suum.* Et rursus. *Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.* Sic sapiens comparat inter se, tanquam in peccatis similes, homines homicidas sive sanguinarios, & fraudatores mercedis; victum scilicet tenuem in sudoribus partum, quo vitam sustentat pauper, defraudantes, aut detinentes, ita ut miseram vitam ducere eum cogant. Et quia aliqui divites quandoque ex alienis, & quidem pauperum bonis, eleemosynas faciunt, vel dant Ecclesiis, vel Missas curant dici, putantque per hoc peccata redimere: His ibidem Ecclesiasticus fortiter sic loquitur. *Qui offert Sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu Patris.* Ubi indicat pauperes esse dilectos filios Æterni Patris, & cum quis ex eorum bonis direptis vel defraudatis munus Deo offert, idem esse, ac si occideret filium in conspectu Patris: quia in conspectu ejus aufert id unde vita ejus pendebat, quod non potest non eum ad gravem iram commovere; tantum abest ut per hoc placetur.

Homicidæ & mercedis fraudatores similes sunt.

Eccl. 34. 24.

Neque solum defraudare, sed & detinere mercedem operarii egentis indicat Scriptura grave coram Deo esse. Unde dicitur: *Non negabis mercedem indigentis fratris tui, sed eadem die reddes ei pretium laboris ante Solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam, ne clamet ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.*

Deut. 24. 14.

Hic sese intueantur Nobiles & Divites hujus sæculi, qui non raro operas à subditis diutissimè exigunt, nec obulum, nec panis fructum rependentes. Contra hos & similes dicit Jerem. *Væ qui ædificat domum suam in injustitia, & cœnacula sua, non in judicio. Amicum suum opprimet frustrà, & mercedem ejus non reddet ei.*

Jer. 22. 13.

Hic etiam illi intueantur, qui licet aliquid solvant operariis à se conductis non tamen justum pretium laboris, sed angariant, & cogunt vili pretio laborare egenos. De illis Propheta Amos videtur conqueri, dum similes divites introducit sic loquentes: *Possideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis.* Quasi dicat: Redigamus pauperes ad extremam inopiam, ut eogantur pretio minimo nobis se velut in mancipia vendere: & ita possideamus eos, ut quasi jumenta serviant, & quidem exigua mercede, quasi pro pari calceamentorum.

De mercede operariis imminuta vel retenta. Amos 2. 6.

Denique, his etiam illi intueantur, qui multos conducunt operarios, sive pro lignis cædendis, sive pro officinis ferrariis, sive pro aliis operibus sibi proficuis; & dum cum illis computandum est, & pecunia numeranda, ex industria se absentant: sic de die in diem, de hebdomada in hebdomadam protrahunt, prætexentes impedimenta, sed cum angustia egenorum. Imò solent quidam eorum, dum urgentur ad solutionem, asserere sibi pecuniam non esse; cogunt verò hos egenos operarios granum aut aliud mercaturæ genus à se excipere, & quidem cariori pretio, quam prompta pecunia sibi alibi compararent, aut deterioris speciei. Hi certè omnes gravem pauperi injuriam irrogant sua avaritia, ideoque digni sunt ultione.

Postremò, qui pupillos aut viduas opprimunt, eorumque bona vel fraudulenter, vel vi occupant, non sunt sine divina vindicta. Hac de re audi exemplum omni certè sæculorum memoria dignum, quod habemus in vita S. Joannis Chrysostomi, qui cupiditati Eudoxiæ Imperatricis infracto animo obstitit ob adeptum Callitropæ viduæ agrum. Audi, & attentius considera, quid post mortem ejus acciderit. Theodosius junior, Arcadii & Eudoxiæ filius, tum ut expiaret parentum culpam, tum ut populi desiderio faceret satis, optavit ut Constantinopolim ejus sacræ reliquiæ transferentur ab urbe Comana. Ad hunc ergo finem Senatores destinavit, qui ab Episcopo loci id impetrarent, quique desiderium Imperatoris exponerent, optantis sui corpore Patris sui spiritualis, à quo & Baptismum, & fidei institutionem perceperat. Verum cum id concessum jam fuisset, nullus unquam viribus potuit corpus à loco dimoveri. Quapropter hujus rei certior factus Imperator, hanc dedit ad Virum Sanctum quasi adhuc inter vivos ageret, epistolam.

De oppressione viduarum & pupillorum.

Sacro Doctori totius Orbis, ac Patri meo spirituali, S. Ioanni Chrysostomo, Theodosius Imperator.

EXistimabam, *Pater sancte, corpus tuum instar aliorum corporum vita functorum, fore, ideoque*

Digitized by Google

go filius tuus pignus paternum deſiderans, illud mihi volus præſentare, miſſique cum omni humilitate, reverentia & honore huc adferri. Sed pro hoc voto fruinon eſt datum forſitan ob imperialem faſtum, quores ſæculi tuderamus, inſigni divina viſ ſpiritualia tractare. Quapropter, O Pater omni reverentia digniſſime; Te tanquam virum alloquor, & humillimè ſupplico, ut noſtro tandem condeſcendere digneris deſiderio. Tu qui docuiſti nos pœnitentiam agere, pro peccatorum, & inſtantiſſimè veniam deprecanti, nec benignitatem tuam noſtra aſſignas culpa. Sic tuam benignitatem quam ſi ſtes noſtro quæſumus affectu, & fiducia ſtabilis: propter quam ſummè tibi in more eſt, tuos carè honorare cineres, imò & umbram, pro noſtro ſalute & commodo ſpirituali.

Translatio corporis S. Chryſ.

Hæc epiſtola appoſita fuit magna cum reverentia, pectoris Viri ſancti, conjuncta omnium fervent. imprecc. Exaudita ſunt ergo preces adeò humiles, ſtatimque permiſit ſe elevari: At vero totus populus Conſtantinopolitanus mare transmiſit, & cum lætitia obviam venit, magno navium numero Imperatorem comitatus. Imperator ergo illud in ſuam navem deponi jubet. At cum mare eſſet tranquillum, tempeſtuoſiſſimum, exorta eſt mox tempeſtas valida, quæ naves cæteras ab Imperatoria divitis. Illa verò divino ductu in agrum viduæ cujus delata eſt, cujus Vir ſanctus protectionem quondam ſuſceperat, denegato introitu templi Imperatrici, ob injuſtam agri poſſeſſionem. Non ita multò poſt tempeſtate ceſſante, iterum cæteræ naves ſunt congregatæ, & in portum delatæ: Corpus verò Viri ſancti in Imperatoris curru triumphali per urbem deportatum fuit, & depoſitum in templo SS. Apoſtolorum. Ibi Imperator humillimè teſe interiam prollerners. veniam rogavit pro animabus Parentum ſuorum, & ſpecialiter Matris ſuæ: obſecrans ut Sancti meritis & favore ceſſarent tumultus illi, qui jam à 35 annis in ſepulchro Matris audiebantur, totumque templum concutiebant. Quod quidem obtinuit, nec illi exinde audiri fuerunt. Cumque totus populus inclamaret: *Regnum in Tuorum tuum; O ſanctle Pater.* Reſpondit ipſe, quaſi adhuc viveret: *Pax ſit vobiſcum.* Sicque honorifico tumulo depoſitus quievit.

Attende igitur in hoc exemplo quanto tempore & preſſio illa viduæ, & Chryſoſtomi perfecutio ab Eudoxia facta punita fuerit, adhuc poſt mortem tumultu quodam continuo perdurante in ejus tumulo, donec illa pœnitentiæ & lachrymis, Virique ſancti meritis, Deus illi finem impoſuit.

poſt triginta quinque & amplius annos.

LECTIO VIII.

DE DECIMATIONE FRAUDULENTA OB AVARITIAM.

QUinto loco inter hujus muri lateres conſituamus fraudem in decimatione, & ſolutione aliorum jurium, quæ Eccleſiæ, & Deo debentur. De hac re differtè ſic Sapiens monet: *Bono animo glorianre Deo, & non minuas primitias manuum tuarum.* Eccl. 35. 12. Quaſi dicat: Quæ Deo donanda ſunt & offerenda, animo lubenti, vultu hilari, animo liberali, & nequaquam avaro ſunt eroganda. Cum ergo glorificare debes Deum per oblationes, primitias, decimas, non id facias extriſtitia aut neceſſitate, neque ex animi avaritia quicquam minuas aut detrahas, eas nequaquam liberaliter perſolvendo, ſed tenuiter & accuſè: hoc enim non eſt Deum ut oportet honorare. Et peculiariter de decimis adjungit: *In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione ſanctifica decimam tuam.* Eccl. 35. 10. Sanctificare decimas, eſt eas a reliquis ſeparare, & Deo deputare, atque offerre idque vult fieri cum exultatione & lætitia: *Hilarem enim datorem diligit Deus*, inquit Apoſtolus. 2. Cor. 9. 7. Denique concludit ibidem Sapiens monitum ſuum de decimis perſolvendis his verbis: *Da altiſſimo ſecundùm datum ejus, & in bono oculo adinvenionem facito manuum tuarum. Quoniam Dominus retribuens eſt & ſepties tantum reddet tibi.* Eccl. 35. 12. Præcipit non ſolum hilariter ſed & liberaliter perſolvere. Hic enim dicitur bonus oculus, qui liberalis eſt & largus, ſicut & oculus nequam dicitur is, qui parcus eſt & avarus, cum triſtitia ſapiens quod dandum eſt, & non ſavens ei qui dandum eſt. Da ergo bono oculo quidquid inveneris de terra tua, ea quod Deo dono manus tuæ comparaverunt & acquiſierunt. Cave malis oculis ſervatis pejora deligere ut offeras, inſtar Cain, qui ideo reprobatus eſt cum oblatione ſua. Idem enim tibi dicitur quod ſpiritus Sanctus ei: *Nonne ſi bene offeras & non rectè dividas peccaſti?* Sic legunt 70. Gen. 4. 7. Interpretes. Ubi noſtra Lectio habet: *Nonne ſi bene egeris, recipies?* Cain ergo bona ſua inter ſe & Deum dividens, male dicitur diviſſe, in Dei partem deteriora conjiciens. Sic permulti in decimarum perſolutione peragunt animo avaro & injuſto: nec attendunt hoc Sapientis pronunciatum: *Deo Altiſſimo ſecundùm datum in bono oculo, quoniam retribuens eſt. & ſeptiestantum reddet tibi*: hoc eſt, multiplicatum reddet tibi, abundanter compenſabit. Duplici ergo ratione, lubenter & liberaliter quæ Deo ſunt perſolvenda ſunt. Primo quidem, quia ipſe meritus eſt, qui omnia dedit. Deinde, quia abundè remuneratus eſt. Confirmat id Apoſt. *Qui ſeminat ſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ.* E contra verò ſi diminuto ſolva & avare; ſi defraudes, etiam fortunis tuis in juſtam vindictam meritò debes

Digitized by Google

Auguſt.

debes à Deo tinere damnum. Audi & hæc de re S. Auguſt. *Quid dignatus eſt totum dare, decimam dignatur repetere, non ſibi, ſed nobis ſine dubio profuturam. Non præſtabo hoc gratis, quod ſtatuit pretio magno cum fœnore: Novem, quæ tibi partes detrahit, quia decimam ſibi vindicavit, cum meſſis tua hanc dixit one plurium ſe ſeſe ſeſtum, grando percuſſit, pruina decoxit.* Unde Malach. 10. dicitur: *Inferte omnem decimationem in horreum meum.*

Decimarii de fraudatis puniuntur. Malach. 3. 8. Jo. Magnus in hiſt. Goth. l. 18. c. 13. Saxo l. 11. hiſt. Gram. Danor. 1088.

Certè quiſque fraude decimas ſolvunt benedictionem recipiunt: qui decimationem non inferunt in horreo Domini, ſed fraudant, audire coguntur: *Sacrilegus homo Deum, quia vos conſpigitis me? Et dixiſtis: In quo conſpigimuſte? In decimis & primitiis & in penuria vos maledictione eſtis.* Hanc maledictionem ſenſerunt quandoque variæ Regiones. De Dania tellus Joannes Archiepiſcopus Upſalenſis in Gothorum Sueorumque hiſtoria his verbis: Canutus Rex cum ſtudio ſummo & pio contenderet, ut Chriſti miniſtris liberalius & commodius de decimis & primitiis provideretur, inſigni cujuſdam Blaconis perfidia traditus, ab infanda plebe trucidatur. Quo facto tanta frumentorum penuria univerſam Daniam invaſit, ut maxima populi pars alimentorum inops, medià conſumeretur. Enim vero abunde ſeges fructuoſa erat, ut privata gentis, non publica terrarum ultio videretur. Nec prius Danicis agris fœcunditas reſtituta eſt, quam populus ad cor converſus, pœnitentiam ageret, ſeram ſanctum Regem occiſſe, quem ſua juſta & honeſta pro Chriſti miniſtris poſtulaſſet. Itaque experimento didicerant, ſe juſte novem frumentorum partes amiſiſſe, qui decimam ex eis Deo & Dei miniſtris reddere noluiſſent.

Molanus ex Bern. Scardeon. l. 3. antiq. Patavinæ Claſſ. 11. Cranzius l. 1. metrop. & l. 4. Daniæ c. 37. an. 1149.

Memorabile eſt etiam hac in re quod refert Joannes Molanus ex variis hiſtoriis de S. Bellino Martyre his verbis: Thomas Captivatus juſtè convictus & judicatus fuerat à Bellino Epiſcopo Patarmo, viro ſanctiſſimo, ad ſolvendas decimas agrorum quos in ea Diœceſi lare poſſidebat. Hæc ſententia homini avaro viſa eſt multum acturæ afferre, ideoque non valens eam æquo animo ferre, Bellinum Romam pro Eccleſiæ ſuæ negotiis proficiſcentem immaniter interemit. Qui quidem vir ſanctus miraculis multis poſtea clarus ab Eugenio IV. biennio à morte Martyrum catalogo eſt adſcriptus. Homicida autem ille, divino judicio poſtmodum acriter eſt punitus; nam juſta Dei vindicta graviſſimis poſt hæc inopia afflictus, quoad vixit, vitam traduxit miſerrimam: ita ut tanta æris alieni magnitudine oppreſſus fuerit, quod incarcere inſœlicter reliquum vitæ degens, egeſtate confectus, miſer interierit. Inſuper, in ultionem tanti flagitii, omnis ejus progenies templum D. Bellino dicatum ingredi nunquam potuit. Imo tota cum ſundis, & facultatibus ita poſtea defecit, ut nulla proles ex iſta radice remanſerit.

Cantipr. l. 2 apum. c. 29.

Audi denique exemplum quod ad hanc rem ſpectans ſic refert Cantipratus. Vidi in Brabantiæ partibus juvenem generoſum, qui licet eſſet ſæculo totaliter deditus, Virginitatem tamen devotus, tres quinquagenas quotidie exſolvebat. Infirmatus eſt, & ad extrema deductus. Sed cum per aliquot horas, quaſi mortuus jaceret, revixit ſubitò & ſororem moniali juxta ſedenti inclamabat: Soror ecce redii, cito advoca Sacerdotem. Advocatur ille, coramque ipſo quid acciderit refert omnibus aſtantibus, dicens: Ad tribunal Judicis raptus ſui, & cum in tribus maximè à dæmone accuſarer, unique ſententia contra me ferenda foret, piiſſima Mater Filium rogavit, ut ad corpus reduceret, pœnitentiæ locum ſuſcepturus. Primum ex peccatis pro quo damnandus eram, erant decimæ quas de agris & bonis meis ſubtraxeram Sacerdoti. Secundum, quod cum quibuſdam ſodalibus piſces Religioſorum quorumdam furtivè ſurripueram. Tertium, quod ſegetes pauperum cum canibus venatricis vagans deſtruxeram. Ipſe ergo reſtituenda omnia damna ſtatim aſſignavit, & diſponens rebus ac domui ſuæ, poſtmodum in ſpe & pace mirabili ſpiritum exhalavit. Hæc Cantipratanus.

DE SIMONIÆ, AVARITIÆ peſſima ſpecie.

POſtremo loco annumeremus Simoniam. Ex avaritia enim ortum ducit, dum res ſpirituales annexæ commerciis humanis, emptioni, venditioni illicitè ſubjiciuntur. Et de Simonia ſic dicta eſt à Simone Mago, qui emere voluit pecuniâ poteſtatem dandi Spiritum Sanctum, cum dicitur: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quia existimaſti donum Dei pecunia poſſideri.* Huic etiam vitio Giezi diſcipulus Eliſei fuit obnoxius, dum pro dono curationis Lepræ Naaman vestes & munera acceptit: ideoque Lepra cum tota poſteritate ſua eſt infectus. Similiter in hoc vitium incurrerunt, non ſine Dei vindicta, Jeroboam, & Antiochus. De Jeroboam enim dicit Scriptura. *Quicumque voluerit, implebat manum ſuam, & fiebat Sacerdos excelſorum.* Ideo peccavit domus Jeroboam, & everſa eſt ac delota de ſuperficie terræ. Advertè vero, licet verum ſit muneribus multos tempore Joroboam ad ſacerdotium pervenille; id tamen non exiſtimo ſignificari illa phraſi, qua dicitur: *Implebat manum, & fiebat Sacerdos.* Nam implere manum ut fiat quis Sacerdos, non eſt munera ad id dare: quandoquidem etiam in bonum more loquendi Scripturæ id accipiatur, ut idem ſit implere manum, quod per unctionem conſecrare manum.

Act. 8. 20. 4. Reg. 5. 26.

De Jeroboam. 3 Reg. 13. 33.

Certè ea phraſis inde deſumpta eſt quod illi qui ſiebat Sacerdos in manum traderetur victima, quam apprehenderet & immolaret: item quia quicumque conſecrabatur Sacerdos, aliquid manu Deo in munus offerebat.

De Antiochi. 2 Machab. 4. 8.

Hoc etiam vitium Simoniæ maximè regnavit tempore Antiochi Regis Syriæ, de quo habemus in Lib. 2. Machab. quod tantum Sacerdotium

impiiſſimo Jaſoni vendidit; ob quam cauſam Dei cultus & ſacrificia planè fuerunt contempta, & ad ritum gentium translata.

Beneficiorum Simoniapallia.

Nunc vero paſſim in beneficiorum callida aſſecutione & varia ſuper illis tranſactione Simonia delitescit: ſed tot pallis obvoluta, ut vix poſſit agnosci. Revelabit verò Dominus tandem, ſecretorum & cordium omnium Judex & Vindex, omne velum, omne pallium, omne perizoma filiorum Adæ, qui in rebus his & juribus Eccleſiaſticis, præter jus tranſactiones neſcio quas immiſcent: & oſtendet nuditatem & ignominiam ſimoniacæ labis, per quam ad Sacerdotia & beneficia Eccleſiaſtica irrepunt, non ſine ſalutis diſpendio.

Lepidum dictum de Simonia & uſura.

Facete dixit quidam ad hanc rem. Dæmoni olim duas fuiſſe filias nubiles, & in matrimonium elocandas vel proſtituendas; unamque earum Eccleſiaſticis, alteram Mercatoribus conſignare peroptabat. Sed turpes erant facie, turpes nomine, ideo deferebantur. Una quidem *Simonia*, altera vocabatur *Uſura*. Id advertens ille, faciem colore aliquo immutavit eis, immutavit & nomen: uni nomen dedit *penſionis*, alteri nomen dedit *Intereſſe* ſive *Damni emergentis*. Sicque ſub nomine illo & colore multos procos ſortitæ ſunt, multis placuerunt, quæ ſub nomine Uſuræ aut Simoniæ prius diſplicebant. Certe ſicut exploratum eſt, ſub titulo lucri ceſſantis, vel damni emergentis, multos fovere uſuram: ita etiam nemo ignorat, ſub nomine penſionis multas corruptelas & illicitas pactiones paſſim irrepere, non ſine Simonia. Sic qui Eccleſiæ muros, muros Sion ædificant, murum Jericho, murum avaritiæ inſtigante ſatana ædificare reperiuntur. Et quidem ex lapidibus aut lateribus colore juſtitiæ & pietatis coloratis, ſed ſi perſpicaci oculo inſpiciantur, illi planè adverſis. Quapropter unusquisque maturè conſideret, quomodo ingrediatur ad patrimonium Crucifixi in Eccleſiam Dei: qua viâ, quâ portâ, quo pede, quo auxilio: advertatque illud monitum Eccl. *Cuſtodi pedem tuum, ingrediens domum Dei*. Cave per portam auream introire, & vide ne fortè ambiens beneficium, per quod ingrediaris, offendas pedem tuum ad lapidem Simoniæ, qui quandoque latet in obſcuro, quem & cupiditas excæcans oculos noſtros nobis abſcondit; & ita vide, ne dum te reperiſſe putas beneficium, animæ repereris veneficium.

Eccl. 4. 17.

LECTIO IX.
DE LONGITUDINE MURI AVARITIÆ.

4. Longitudo.

Longitudo hujus muri in immenſum creſcit, ob ædificatores omnis generis operam ſuam ad hanc ſtructuram elocantes. Ex omni enim ſtatu & conditione, reperies plerosque avaritiæ mirè deditos. Quapropter dicebat Dominus apud Prophetam: *Extendam manum meam ſuper habitantes terram, à minore quippe uſque ad majorem omnes ſtudent avaritiæ, & à Propheta, uſque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum.* Et quidem hac de re fusè egimus in Horto Paſtorum ſuper præcepto 7. Lect. 13. Ubi in particulari oſtendimus varios ſtatus hoc vitio infectos: Pauca tamen hic, ut ordinem noſtrum ſequamur, repetemus, pauca dictis ibidem adjiciemus. Jer. 6. 13.

Ædificatores hujus muri. 1. Reges. Eccl. 3. 6.

Primò igitur, hunc murum ædificant Reges & Principes; ita ut propterea de his dixerit Sapiens: *Multi dati ſunt in auro caſus, etiam uſque ad eos Regum ſe extendit.* Hinc & ille verſus

Cuncta trahunt ad ſe Magnates aurea, ſicut
Magnetes adſe ferreа cuncta trahunt.

Habemus Regum pleraque exempla. In Juſtiniano Imperatore (inquit Evagrius) tam inexplebilis fuit pecuniæ cupiditas, ut omnia ſubjectorum bona his qui Magiſtratus adminiſtrabant, qui tributa colligebant, qui nulla de cauſa inſidias hominibus ſtruere volebant, ob auri amorem vendiderit. Complures verò, imò innumerabiles, qui bona multa poſſidebant, cauſa falſa commentitiaque confictа, omnibus fortunis mulctavit. Quod ſi quæ meretrix oculos cupiditatis ad alicujus bona adjiciens, conſuetudinem ſe ullam cum eo, vel conjunctionem habuiſſe ſimularet; ſtatim omnia jura ac leges, modo Juſtinianum turpis lucri ſocium conſtituerent, ejus cauſa everſa jacuerunt; facultatesque omnes illius, qui falsò in crimen adductus erat, fuerunt ejus domum translatæ. Ita Evagrius.

Exempl. Evag. l. 4. c. 29. de Juſtin. avaritia.

Audi aliud Chrumnus ſeu Crumus Rex Bulgarorum Legatos mittens Conſtantinopolim ad Nicephorum Imperatorem, non poterat pacem ab eo obtinere, niſi iniquiſſimis conditionibus, quæ avaritiam mirè ſapiebant Imperatoris. Hic ergo velut quadam furiâ actus, cum paucis quos collegerat militibus Imperatorem aggreſſus, devicit eum; tandemque caput ei abſcindi voluit. Hoc verò caput in ultionem avaritiæ exſiccari juſſit, & penitus expurgari, ac argento obduci & adornari, inſtarque crateris argentei efformari, ut in illo biberet. Primus ergo bibit, ac deinde omnibus Principibus exercitus ſui ex eodem propinavit, hoc addens: Planè eſſe juſtitiæ conſonum, ut adeo avari Imperatoris aurum ſitientis caput in poſterum ſerviret ad fundendum vinum, quo aliorum ſitis extingueretur. Ita Zonaras in Hiſt. & alii.

Zonaras tom. 3. in Nicepho.

Memineris etiam Mauritii Imperatoris crudelis & avari, qui cum paucis nummis magnam militum manum è captivitate hoſtium liberare potuiſſet; nolens ob avaritiam, neeis eorum cauſa fuit. Unde omnem hanc occiſorum turbam in aula noctu vidit coram Chriſto Judice exſurgere, & avaritiam, ac inhumanitatem ſuam graviter accuſare. Quapropter poſteà ſuam agnoſcens culpam, petiit à Domino inſtantiſſimè, ut in vita eam offenſam vindicaret, quod & accidit. Nam Nobilis quidam

Niceph. Call hiſt. l. 18 c. 49. de Mauritio Imp.

Digitized by Google

quidam Phocas nomine, ſpoliavit eum imperio: & tandem capite plecti eum juſſit, cum uxore & octo pueris. Imperator porro in terram proſtratus: cum prolium ſuarum necem intueri cogeretur ad ictum quo lingua necabantur, cum fervore ſpiritus illud pronunciabat: *Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum.* Tantamque in fine vitæ judiciorum Dei notitiam habuit, ut cum Nutrix abſconderet unum è pueris, ſupponens ſuum ornatu imperiali amictum, id nequaquam ipſe permittere voluerit, dicebatque juſtum eſſe Dominum, in ſingulis ſuis prolibus peccata ſua plectentem.

3. *Reipub. magiſtri.* *Secundò*, murum hunc ædificant qui Reipublicæ adminiſtrandæ admoti, illius opes in propriam utilitatem convertunt. Idem dum de contributionibus pauperum, de munerum corruptelis, de pauperum ſanguine centum ſuum annuum adaugent, domoſque ſuas alienis impendiis in ſublime erigunt. O quot in Republica ſanguiſugæ, qui dicunt, affer, affer, avaritia inſatiabili inniantes jugiter opibus congerendis, alienisque exſugendis! Sed tandem hi cum pauperum ſanguinem ſuxerunt, nec evomuerunt per reſtitutionem, in morte inſtar ſanguiſugarum crepant, & infœliciter intereunt. Hi porro qui in officiis publicis conſtituti, hoc avaritiæ & rapacitatis morbo laborant, olim *Reſpublica Mulctores* appellabantur, eò quòd populi pecunias emulgere noſſent. Atque hi ſanè non paucis malis viam aperiunt, ut rectè dixerit Salluſtius in Catilinario: *Pecunia, imber iſque libido, materies ſunt omnium malorum. Nam avaritia fidem, bonitatem, cæteraque bonas artes ſubverſat; & pro his ſuperbiam, crudelitatem, Deos neglegere, omniaque venalia habere edocuit.* Propterea etiam rectè quidam dixit: Cum aurum Romam ingreſſum eſt per unam portam, virtutem egreſſam eſſe per alteram.

Salluſt.

4. *Judices & cauſidici.* *Tertiò*, hunc ædificant murum Judices, Advocati, Procuratores & Cauſidici: quia plerique eorum litigantium exhauriunt ſubſtantiam exactionibus iniquis, & ſtipendiis injuſtis. Atque etiam hi auro & argento facilè vincuntur, ut injuſtæ cauſæ fiant Tutores & Patroni.

Propert. lib. 3. Eleg. 12. *Auro pulſa fides, auro venalia jura,*
Aurum lex ſequitur, mox ſine lege pudor.

De Juriſconſulto quodam referunt injuſtæ cujusdam cauſæ patrocinium noluiſſe ſuſcipere precibus licèt importunis ad id ſollicitaretur. Quid igitur? Sollicitator aliam meditatus viam precibus efficaciorem in menſam profert non paucos Hungaricos aureos, quibus impreſſæ viſuntur bellatorum imagines caraphractæ. Quid verò Juriſconſultus ad hæc? *Eben*, inquit, *captivum me times, qui enim tot armatis reſiſterem?* Sic cauſæ qualis qualis patrocinium in ſe ſuſcepit, militibus aureis victus, qui precibus vinci non potuerat.

4. *Mercatores.* *Quartò* ædificant hunc murum negotiatores & mercatores: quia plerique eorum nonniſi avaritiæ ſtudio impulſi tot labores exanthlant, tot pericula adeant; cùm eis non ſit res anguilla, ſed auguſta domi. Ac veriſimiliter avaritiæ ſitis primò docuit maria ſulcare, mortiſque periculis, in elemento adeò incerto ſemperque tumultuante, ſeſe objicere. De qua re Seneca Tragœd. 7.

Seneca. *Audax nimium qui freta primus*
Terramque ſua poſt terga vidit;
Dubioque ſecans æquora curſu
Inter vitam mortemque vium
Rate tam fragili perfida rupit:
Animam, ventis credidit auras
Potuit tenui fidere ligno:
Nimium gracilis limite eduſto.

Propert. In eandem ſententiam dixit Propertius Eleg. 6. Lib 3.

Et ſolicita tu cauſa pecunia vita times
Per te immaturum mortis adimus iter.

Anacharſis dictum. Rectè Anacharſis dixit: Avari qui lucri cupiditate pernavigant maria, incerti de reditu, quatuor tantùm digitis abſunt à morte; hæc eſt enim navium ſpiſſitudo.

5. *Divites.* *Quintò*, ædificant hunc murum plerique inter divites cujuscumque ſtatûs, quia illis divitiæ non ſatietatem, ſed famem augent, & concupiſcentiam. Hinc agrum agro conjungunt, domum domui, pecuniam pecuniæ copulant. *Mare terminos habet, noctem leges antiquas non egreditur. Solus avarus nullum circumſcribit tempus, non terminum noſſit.* Basil hom. 7 variorum argumentum. *Potentia incrementum & avaris ſceleris occaſio majori*, inquit S. Baſilius. Hoc enim eſt ſæculi vitium, quod divites cupiditati ſuæ non ſatisfacientes, extendere ſemper moliuntur, & agros & domos ſuas; idque frequenter non ſine dispendio proximi. Unde idem Baſilius ibidem eos alloquens, ait: *Numquid innumeræ cauſarum, ut quæ jam proximos ſuffocaſti Domus, inquis proximi, ædes obſtruas, eas tantas excitas, aut errores ſuſcepit; aut male quid aliud quodcumque prætexis, quo vexes & agros, villas aut lares proximorum, nec ſine cauſa, quàm ille neceſſitate coactus alibi migret.* Quam ob cauſam Naboth Iſraelita occiſus? An non propter concupiſcentiam Achab vineam ipſius auferre volentis? Hinc verò hiſtoriam Naboth proſequens S. Ambroſius lib. ea Ambr. de re edito contra divites avaros ſic ait, cap. 1. Hiſtoria antiqua eſt, ſed uſu quotidiana. *Quæ enim divitum non quotidie concupiſcat aliena? Quæ opulentorum non contenta exturbare agelli ſui paupertate? & inopem avitis finibus eliminare finibus?* *Quæ divitum contentus eſt ſuo? Cursus divitiis non inflammat animi vitiosa poſſeſſio? Non igitur unus Achab nunc eſt, ſed quod peius eſt, quotidie Achab, ſimus naſcitur. & numquam hunc ſæculo morit. Si unus moritur, aſſurgunt plures, qui vacuum, quæ ille quæ amittat, ſimiliter nō omnis Naboth pauper occidus eſt, ſed quotidie pauper Naboth ſtruitur, & quotidie pauper occiditur. Quis nō videat pauperē odere ſuis terris, & migrare cum ſuis parvulis omnium pignore ſuo?*

Quam

Quemadmodum ſequitur uxor lachrymans tamquam ad buſtum perſequatur maritum. Hæc S. Ambroſ. qui & poſtea addit: *Quouſque extendis in divites inimicas tuas edaces? Nunquid ſoli habitabitis ſuper terram? Cur ejectis conſortem naturæ veſtræ, & vendicatis poſſeſſionem ejus? In communi nempe omnibus divitibus atque pauperibus terra fundata eſt. Cur vobis ſoli proprium ſibi divites arrogatis? Naſcit natura divitis, quas pauperes omnes generavit.* Hæc S. Ambroſ.

6. *Multi pauperes.*

Sextò, hunc murum ædificant multi inter pauperes, illi ſcilicet, qui etſi egent facultate, ardent tamen cupiditate, neutiquam animo pauperes, ſed affectu divites: Non enim opes aut cenſus avaritiam parit, ſed animus. Circumſpice, & conſidera varias tenuiorum hominum conditiones, & paucos reperies ſuâ ſorte contentos, ſed plerosque avidiores fortunæ altioris. Et cùm ad hanc non valeant arte & viâ licitâ exſcendere, illicitam attentant; per fraudes, dolos, injuſtitias, iter ſibi ad meliorem fortunam ſternunt. Explora quæ inter plebeios opifices & artifices geruntur, quæ inter mercenariam operam locantes & reperies multas in arte, multas in opere fraudes, ob amorem nummi, ob aviditatem majoris lucri. Sic fides, ſic probitas exulat, eam eliminante avaritiâ in majori tenuiorum hominum parte. Nec deſunt qui paupertatem mentiuntur, cùm & nummos reconditos habeant, & rei familiaris copia ſufficiens eis non deſit. Interim ſic ementitâ paupertate, de pauperum bonis participant, illosque defraudant, eleemoſynasque & largitiones ditiorum ſic ſdolo aucupantur, & cupiditate avara.

7. *Eccleſiaſtici.*

Septimò, hunc murum etiam ædificant multi inter Eccleſiæ Dei miniſtros, qui avaritiæ facibus accenſi, multa ſibi beneficia Eccleſiaſtica comparant, & ex illis multos reditus, multasq; opes congregant; non in obſequium Chriſti, aut Eccleſiæ Dei, ſed vel in uſus profanos & illicitos, vel ad fortunas augendas nepotum & conſanguineorum. Sic verò ſubtrahunt Chriſto & pauperibus relictum eis patrimonium ex oblatione fidelium pro pretio peccatorum ſuorum. De qua re cum multa dixerim in Virga Aaronis Tract. Lect. 9. & in Horto Paſtorum ſuper præcepto 7. Decalogi, Lect. 13. hic ſuperſedeo, illuc remittens Lectorem. Ubi & ſingula quæ hic attigimus, de plerisque ex omni ſtatu murum hunc avaritiæ ædificantibus, & Mammonæ. Præfecto hujuſce muri, ea in re cooperantibus, fuſiùs tractata reperiet.

LECTIO V.

DE SEPTEM TUBIS CONTRA AVARITIAM.

TOta Scriptura ſacra væ avaris inſonat, totaque dici poteſt Tuba quædam contra hunc avaritiæ murum detonans, ut eam ſunditus concutiat, & demoliatur. Specialiter tamen è ſacris oraculis ſeptemplicem tubam aſſignare poſſumus, contra murum illum maledictum inſonantem: eodemque ordine procedemus, quo ſuprà de ſuperbia agentes. *Prima tuba* erit vox legis divinæ *Secunda*, vox ſapientiæ in libris ſuis. *Tertia*, vox Prophetica. *Quarta*, vox Evangelica. *Quinta*, vox Apoſtolica. *Sexta*, vox propriæ conſcientiæ. *Septima*, vox divini judicii. Singillatim ergo illas voces tabulas exprimamus, & quomodo avaritiæ murum ſatanicum concutiant, declaremus.

Tuba 7. contra hunc avaritiæ murum.

Prima itaque *Tuba* contra avaros & avaritiam intonans eſt vox divina in lege. Nam tuba illa in monte Sina, valido inſonat clangore contra eos, dum illud inclamat. *Non furtum facies. Non concupiſces rem proximi tui, non agrum, non domum, non bovem.* Huc etiam ſpectant illæ voces: *Maledictus qui tranſfert terminos proximi ſui.* Item illud: *Non fœnerabis fratri tuo. Non negabis mercedem, ſed reddes ei pretium ante Solis occaſum.* An non hæc omnia perſonant, ut percutiant mentes avaræ cupiditati deditas? Nonne ut avaritiam penitus diruant, & à populo Dei exterminent?

1. *Vox Legalis.* Exod. 20. 16. Deut. 27. 17. & cap. 23. 19. & cap. 24. 14.

Secunda Tuba eſt vox divina in libris Sapientiæ, altiſſimè & fortiſſimè proclamans: *Avaro nihil eſt ſceleſtius.* Et, *Nihil iniquius, quàm amare pecuniam: Hic enim & animam ſuam venalem habet, quoniam in vita ſua projecit intima ſua.* Quænam vox validiùs concutere valeat avaritiæ murum? Cur verò avaro nihil ſceleſtius eſſe, vox iſta ita fortiter aſſerat? Audi plures hujus rei rationes.

3. *Sapientialis.* Eccl 10. 9 Eccl. 10. 10. *Cur nihil ſceleſtius Avaro?*

Primò, Quia avaritia in ſeipſa graviſſimum peccatum eſt, ſi conſideres bonum, cui inordinatè afficitur: illud enim inter omnia bona eſt infimum, nempè pecunia. Unde viliſſima res, eſt hominem tam vili rei ſeſe addicere, ſe totum ita tradere, & quaſi Deum adorare, ideo enim & avaritiam idololatriam nuncupari docuimus.

Secundò, quia nullum eſt vitium quod in plura ſcelera impellat: aut quod ſit adeo noxium proximis, & Reipublicæ; ad quodvis enim malum hominem perducit. Unde quodam loco ſic loquitur Auguſt. *Quæ eſt iſta aviditas concupiſcentiæ? Cùm & ipſa bellua habeat modum. Tunc enim rapiunt, quando ſe ſurripit: parcunt verò prædæ, cùm ſenſerint ſatietatem. Inſatiabilis eſt ſola avaritia divitum; ſemper ranit, & nunquam ſatiatur. Nec Deum timet, nec hominem reverentur: nec patri parcit, nec matrem cognoſcit, nec patri obtemperat, nec amico fidem ſervat. Viduam opprimit, pupillum invadit, liberos in ſervitium revocat, teſtimonium falſum profert. Quæ eſt illa animarum inſania, amittere vitam, appetere mortem, acquirere aurum, & perdere cœlum.* Auguſt. de verbis Domini.

Tertiò, quod aſſeritur, avaro nihil eſſe ſceleſtius, ibidem amplius explicatur, dum addit Sapiens: *Nihil iniquius quàm amare pecuniam. Hic enim & animam ſuam venalem habet, quia projecit intima ſua in vita ſua.* Nempè pro re viliſſima

ſima vitam & animam, rem omne pretium excedentem periculo exponit & perdit. Immò adhuc vivens perindè ſe habet, ac ſi omnia viſcera ſua ejeciſſet: nimirùm quia omnem humanitatis & commiſerationis affectum exuit, nec ſibi bonus, nec aliis. Ad quod ſortitan jusjurandum Judas ſuſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera ejus. In quo clarè patuit, avaro nihil ſceleſtius eſſe: patuitque, quomodo avarus animam ſuam venalem habet; qui dum pro tantillo Chriſtum vendidit, ſuam magis animam vendidit; & vitam tam temporalem, quàm æternam perdidit, impieque prodegit. Sic pro obolo perjurant avari quidam, & animam vendunt, imò Chriſtum: quia ut habetur 11. q. 3. *Profectò qui veritatem pro pecuniâ negant, Deum pro pecuniâ vendunt: ipſe enim dixit, Ego ſum veritas.* Nihil ergo iniquius, quàm amare pecuniam: nihil iniquius, quàm in latera doloſa Chanaan, hoc eſt in mundi reprobâ bilance illam ponderare, & Deo animæque ſuæ eam impiè præferre.

Simil. Nihil iniquius, quàm ſe eviſcerare inſtar aranei, pro telâ inanitexenda, nonnili ad captandas muſcas apta: hoc eſt, pro vilibus hujus ſæculi bonis & inanibus lucris. Atque ſicut frequentiſſimè araneus cum ſuis telis per ſcopam mundantem convolvitur, & in ignem mittitur: ita poſt tot labores inutiles, quibus ſe avarus conſumpſit & eviſceravit, tandem cum illis in fine ardere eum contingit. Sic nimirùm eſt eſſe in Deum iniquum, in ſe quoque, ac etiam in proximum. Iniquitas enim eſt in proximum, nihil ei velle communicare ex avara & adunca tenacitate, cùm omnes creaturæ ad imitationem Creatoris ſe & ſua communicent: ignis calorem, Sol lucem, aqua frigus & humorem, terra cum arboribus fructum, fructus odorem & ſaporem. Iniquitatem ergo illam, quæ negat alteri fructus communis participationem, omnes condemnant creaturæ.

3. *Prophetarum.* *Tertia Tuba* eſt vox Domini per Prophetas contra avaritiam buccinans, & declamans frequentiſſimè & acerrimè.

Audi *primò* Abacuc. c. 2. *Væ qui multiplicas non ſua. Væ qui aggravat contra ſe denſum lutum.* Quid eſt, inquit S. Greg. Avarum contra ſe denſum lutum aggravare, niſi terrena lucra cum peccati pondere cumulare? Per lutum enim terrenarum rerum multiplicitas figuratur: & ita denſo ſe luto aggravat, qui terrena per avaritiam multiplicans, peccati ſui oppreſſione ſe anguſtat. Verè lutum ſunt opes aggregatæ, quæ de luto ſunt, quæ & amatæ inquinant, & poſſeſſæ onerant, & amiſſæ cruciant. Verè lutum, maximè cùm per injuſtitiam aggregantur: quia non ſolùm peccati pondus accumulant, & conſcientiæ remorſum ingenerant, ſed etiam reſtitutionis obligationem ſecum vehunt. Et hæc eſt velut denſum lutum, ex quo difficulter pedes extricare quis poteſt: quia pauci reſtitutionem faciunt injuſtè acquiſitorum. Rurſus idem Prophetâ inſonat in ſequentibus! *Væ qui congregat avaritiam malam domui ſuæ,* (hoc eſt exitialem) *ut ſit in excelſo nidus ejus, & liberari ſe putat de manu mali. Lapis de pariete clamabit, & lignum quod inter junctura eſt ædificiorum reſpondebit.* Hæc nimirùm pecuniis injuſtè partis empta, quaſi alterno concentu coram Deo & toto mundo injuſtitiam avarorum tandem propalabunt. Subdit poſtremò Propheta: *Væ qui ædificat civitatem in ſanguinibus:* hoc eſt, pecunia parta ex oppreſſione, ſudoribus, & ſanguine pauperum. Attende ergo, quàm multoties væ repetit ille juſſu Domini, ut ædificationes muri noſtri Jericho percellat, & murum ipſum evertat.

Greg. 3. p. Paſtor. cap. 34. Item 34. mor. c. 13.

Habac. 2. 12.

Audi *ſecundò* Iſaiam alteri Prophetæ conſonantem, ſimilemque buccinam cum voce maledictionis inſonantem: *Væ,* inquit, *qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis. Numquid vos ſoli habitabitis in medio terræ? In auribus meis ſunt hæc, dicit Dominus exercituum.* Et iterùm: *Væ qui juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti auferetis ab eo. Propter hoc ſicut devorat ſtipulam lingua ignis, & calor flamma exuſit: ſic radix eorum quaſi favilla erit, & germen eorum ut pulvis aſcendet.* Quid fortius dici poſſet contra avaros divites? quid ſonantius contra avaros judices, qui pecuniâ corrupti, juſtitiam. Virginem intemeratam ſibi commiſſam, violare audent, & corrumpere.

Iſa. 5. 8.

Verſ. 23.

Audi *tertiò* Ezechielem contra Jeruſalem proclamantem: *Juravi & ſuperabundantiam accepiſti, & avarè proximos tuos calumniabaris, meique oblita es, ait Dominus tuus.* Sed attende quod ſequitur: *Ecce compleſi manus meas ſuper avaritiam tuam quam feciſti.* Quid eſt complodere manus, niſi more irati & indignantis manibus compleſis indicere vindictam, minarique ruinam? Id verò ſe facere dicit Dominus ſuper Jeruſalem, propter ejus avaritiam: Ergo & vox & manus Domini ſuper murum avaritiæ luteum, ut demoliatur eum, & ædificatores ejus gravi plectat ultione.

Ezech. 22. 13.

Verſ. 13.

4. *Domini.* *Quarta Tuba* eſt vox Domini in Evangelio, toties perſonans contra avaros. Ac inprimis Luc. 12. clamat: *Videte & cavete ab omni avaritia, quia non in abundantia cujuſquam vita ejus eſt ex his quæ poſſidet.* Quaſi dicat. Non ideo, quia apud homines quis opibus abundat, ideo etiam vita ejus eſt abundans; ſcilicet ut ſit longior & beatior ob opes; ſed potiùs brevior eſt, ob ſollicitudinem & luxum. In hunc locum ſic differit S. Auguſt. Præcipit nobis veritas, quæ nec fallit, nec fallitur: audiamus, timeamus, caveamus: *Dico* inquit, *vobis abſtinete ab omni avaritia.* Quid eſt *ab omni*? Quare hoc addit, & non dicit: *Cavete ab avaritia?* Quare *ab omni*? Cur hoc dixerit, occaſio ipſa unde natus eſt ſermo docet. Interpellavit enim eum quidam contra fratrem, qui totum patrimonium abſtuleratat, & fratri partem ſuam non reddebat. Non rapere quærebat alienа, ſed ſua à parentibus derelicta quærebat. Et tamen Dominus ei dicit: *Cavete ab omni avaritia.* Tu fortè avarum & cupidum dice-

Luc. 12. 15.

Hab. 2. 9.

Digitized by Google

res, ſi quæreret aliena : at Dominus ei etiam dicit, ut cupidè & avarè non appetat & ſua. Hoc eſt ergo ab omni avaritia cavere. Fratres mei, non leviter habendum eſt, quando Dominus noſter, Redemptor, Salvator qui ſanguinem ſuum pretium dedit pro nobis, Advocatus & Judex noſter : non eſt leve inquam, quando dicit, *Cavete*, novit ille quantum malum ſit : nos non novimus, illi credamus. Nec dicas, meum ſervo, alienum non tollo. *Cavete ab omni avaritia* Non ſolùm avarus eſt qui rapit aliena; ſed & ille qui cupidè ſervat ſua. Sed ſi ſic culpatur, qui cupidè conſervat ſua : quomodo damnatur qui rapit aliena? Ita Auguſtinus.

Avarus etiam eſt, qui ſua cupidè ſervat. Marc. 10. 24.

Iterum Marci 10. inclamat Dominus : *Quàm difficilè eſt confidentes in pecuniis in Regnum Dei introire; Facilius eſt camelum per foraminam acus tranſire, quàm divitem intrare in Regnum Dei.* Quis crederet, niſi diceret ille qui fallere neſcit, aut mentiri? Et quis non crederet illo dicente? Decretoria illius ſententia eſt, qui errare non poteſt, quam Evangelica propalat tuba; ergo credendum. Nec tamen exterminandæ divitiæ, ſed cupiditas & confidentia, quæ in illis figitur funditus diruenda, hæc eſt, quæ murum Jericho, murum avaritiæ conſtruit, quem hoc evangelicæ tubæ ſono demoliri intendit Dominus.

Matth. 6. 19. Denique apud Matthæum iterum proclamat tuba iſta Evangelica contra avaritiæ deditos. *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur, ubi fures effodiunt & furantur. Theſaurizate vobis theſauros in cœlo, ubi nec ærugo, nec tinea demolitur, nec fures effodiunt aut furantur.* Ergo ædificium avaritiæ luteum ne erigite, ut placeatis Plutoni & Mammonæ : ſed ædificium cœleſte bonorum operum, non moriturum, vobis conſtruite, credentes Chriſto, æternæ Sapientiæ.

5. Apoſtolica. Eph. 5. 5. Hebr. 13. 5. 1. Timot. 6. 9. *Quinta Tuba*, eſt vox Apoſtolica, quæ inſonat ad Epheſios *Hoc ſcitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei.* Iterum ad Hebræos inſonat: *Sint mores ſine avaritia contenti præſentibus. Ipſe enim dixit : Non te deſeram, neque derelinquam.* Denique ad Timoth. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Tu verò ô homo Dei, hæc fuge.* An non hæc omnia concutiunt avaritiæ & cupiditatis ſtructuram validiſſimè? Quanam fortiori voce poteſſet Apoſtolica tuba illam convellere, illiusque ſtructores perterrere?

6. Conſcientialis. Sap. 7. *Sexta tuba* eſt vox propriæ conſcientiæ. Quam exprimit Sapient : *Quid profuit nobis ſuperbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia tamquam umbra, laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, viæ difficiles ambulavimus, & viam Domini ignoravimus.* Hoc, dum ad cor redire volunt, agnoſcunt opum & avaritiæ ſectatores, ipſa ſyndereſi interius id proclamante. Et utinam id non ſero nimis agnoſcant, & vel tertiam laboris & ſollicitudinis partem impendant pro Deo & cœleſti præmio conſequendo, quam in vis difficilimis & laborioſiſſimis pro nummo & mammona iniquo impendere ſolent. Sed ad hanc vocem conſcientiæ ſæpius ſolent obdurare aurem dum tempus eſt : coguntur verò in futuro eam continuò inſonantem audire, ſed infructuoſè & ſumma cum infœlicitate. Hanc infœlicitatem deſcribit S. Jacobus in his verbis : *Agite nunc divites, plorate ululantes in miſeriis veſtris, quæ advenient vobis. Divitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, veſtimenta veſtra à tinea comeſta ſunt. Aurum & argentum veſtrum æruginavit, & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras ſicut ignis. Theſaurizaſtis vobis iram in noviſſimis diebus.* En ergo poſt cupiditatis cumulum, malorum cumulus; quem conſcientiæ voce præmonente vitare poſſent avari, ſi de terrenis accumulatis bonis tempeſtivè cœlo vellent theſaurizare, nec dura illa teſtimonia veſtium coacervatarum, auriique & argenti, ac ærugine eorum contra ſe, expectare.

7. Judicii Dei. *Septima Tuba* eſt vox judicii divini ſive particularis judicii, ſive univerſalis. Hæc enim avaritiæ terminum ultimum ponit, eamque in æternum radicitus deſtruit, & flammis condemnat perennantibus. Audi tubam duré ſonantem in auribus divitis illius avari ſecum dicentis : *Quid faciam quia non habeo quo congregem fructus meos? Deſtruam horrea mea, & majora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata ſunt mihi.* Audi inquam tubam acerbe illi inſonantem : *Stulte, hac nocte repetunt animam tuam à te, quæ autem parâſti cujus erunt?* O dura vox! cupiditatis limitem & vitæ imponens, ſed & audiant avari poſtremam illam tuam ad ſe directam; cujus clangor cœlum & terram, elementaque omnia commovebit : *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus.* Hæc, inquam, maximè ad avaros dirigitur. Hoc manifeſtè docet quod ſequitur : *Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare : Sitivi, & non dediſtis mihi bibere. Nudus fui, & non cooperuiſtis me.* An non hoc divites cupidos & tenaces, ideoque duros & immiſericordes concernit? Hæc nimirùm eſt ultima & terribilis admodum tuba, omnes lapides, omne cæmentum muri noſtri Jericho, murò cupiditatis avaræ perfectiſſimè diſperdens, & in abyſſum æternam devolvens, cum ſuis ſtructoribus maledictis.

Luc. 12. 17.

Verſ. 20.

Matth. 25. 41.

Verſ. 42.

***

LECTIO

LECTIO XI.

DE SEPTEMPLICI ARIETE CONTRA AVARITIAM.

Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea. Ps. 136.

SIcut diximus suprà, filios Babylonis & ministros Satanæ sese mutuo exhortari verbis iltis, ut civitatem Dei deprimant, & opprimant: sic etiam adjecimus, filios Jerusalem similibus se debere exhortari verbis, ut diruant civitatem Satanæ, nec vestigium ejus relinquant. At potissimùm adversus hunc avaritiæ murum ipsis maximè perniciosum vires omnes debent exerere, ut divinis tubis (de quibus jam diximus) toto molimine cooperemur. Erigant adversus illum machinas sacras, quasi arietes belli spiritualis, quibus validissimè poterunt hostilem hanc monitionem profligare. Hi arietes, sunt considerationes efficaces, quibus animus præmunitus facilè avaritiam omnem proculcat; & hæ quidem ex dictis erui possunt, specialim tamen aliquot rememorabimus, & in ordinem redigemus.

1. *Arietis. Mortis consideratio.*

Primus quidem & validissimus aries contra avaritiam, est mortis consideratio. Facilè enim omnia quæ sunt sæculi hujus, omnemque eorum cupiditatem contemnit & calcat, qui semper cogitat se esse moriturum. Mors nempè ad oculum demonstrat, contemptibilia esse quæcunque quæruntur in hoc mundo: quandoquidem homo qui nudus ingressus est hunc orbem, nudus egredi debet ex hoc orbe, cum orbitate, inops natus, inops desinere. Quid ergo accumulat opes sibi brevi perituras, ipse fors cum illis perituras? Postquam diutino labore & sollicitudine se fatigarit, & cum avaritia possederit, difficulter ab eis avellitur, nec securè: avellitamen necesse est cum dolore, & ad judicium deferre mala, quæ propter opes conquirendas operatus est. Hâc ratione contra hunc murum arietare nos docent SS. Patres præclari hoc in bello Duces. Audi S. Ambros. elegantèr: *Nescit natura divites, quæ pauperes omnes generavit; nudos fudit in lucem, nudos recipit terra quos edidit, nescit fines possessionum sepulchro includere. Omnes similes erat, omnes similis gremio claudis sepulchri. Quis discernat species mortuorum? Redapsi terram & si cognoscis divitem, deprehende. Eruderato paulò post tumulum, & si cognoscis egentem, argue, nisi forte hoc solum quòd cum divite plura perierunt. Serica vestes, & auro intexta velamina, quibus divitis corpus ambitur, damna virentium, non subsidia sunt defunctorum.*

Ambros. l. de Naboth. c. 1.

2. *Arist. Incommoditas*

Secundus aries quo impetitur avaritia, est efficax consideratio illorum incommodorum, quæ etiam post mortem frequenter ex opibus avarè coacervatis ortum habent. Ac imprimis multi accumulant propter hæredes quos adamant, sed certè quandoque in damnum salutis, cum propriæ, tum hæredum. Nam non raro contingit divitis fieri in morte tres partes, dum corpus datur vermibus, anima dæmonibus, bona temporalia hæredibus, aut ingratis, aut prodigis. Audi iterùm Ambros. eodem quo suprà loco. *Hæredes relinques, qui litigent cum hæredibus. Si frugi hæredes sunt, custodiunt: si luxuriosi, exhauriunt. Itaque aut bonos hæredes perpetua condemnas sollicitudine: aut malos dimittis qui tua facta condemnent.* Hoc ipsum priùs præmonuerat Ecclesiastes. *Detestatus sum omnem industriam meam, qua sub Sole studiosissimè laboravi habiturus hæredem post me, quem ignoro utrum sapiens, an stultus futurus sit: & dominabitur in laboribus meis quibus defatigatus & sollicitus fui. Et est quisquam tam vanus?* Explicat nimirùm vanitatem in divitiis nimia sollicitudine aggregandis: Cujus duas dat causas. Primam ex mortis necessitate, quia non perennant, sed oportet in manus tradere alicui hæredi. Secundam ex incertitudine, quia nescit homo quem sit nacturus hæredem: licèt enim filii ei non desint, ignorat tamen, an his pervim oppressis, vel paternâ hæreditate spoliatis, illa ad extraneos sit perventura, ut sæpè contingit. Deindè nescit qualis sit futurus hæres, an usurus probè; an improbè: quia solent opes animum immutare, & ad vitia traducere. Unde licèt Patre vivente spem dat bonam filius, fortè tamen occasione copiæ se dabit præcipitem in vitia, luxurians in his quæ tanto sunt parta labore, illaque abliguriens. Unde & posteà addit Sapiens: *Homini occiso quæsita dimittit*, hoc est, nimio tuo labore otiosum reddit hæredem, qui circumfluus bonis, honestum etiam repudiat exercitium. Itaque non prorsus immemores esse debent parentes liberorum; sed nec sint immodici sollicitudine, inquieti cupiditate, illaquesti, & propter liberos carentes libertate. *consid. post mortem.* Ambros. loc. cit. Eccl. 2. 18

3. *Arist. Dicti Apostoli consid.*

Tertius aries contra murum avaritiæ est consideratio efficax illius dicti Apostolici: *Est autem quæstus magnus, pietas cum sufficientia.* Et iterum: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Cur extendunt homines circa varia cupiditatem, non contenti sorte suâ, nec contenti mediocritate & sufficientia? *Quid prodest homini*, inquit Sapiens, *divitiarum possessori nisi quòd cernat divitias oculis suis?* Attende quosvis sublimioris sortunæ, etiam Reges, etiam Principes, quid nisi victum & vestitum habent, & quæ his continentur? Quibus hi qui mediocris fortunæ sunt, fruuntur majori cum solatio. Quamvis enim in regias gazas tributa & reditus annui inferantur, hæc tamen ipsi nonnisi oculis cernunt, expenduntur enim in ministros & vasallos, in pensionarios, halebardarios, cantores, coquos, mulliones, mimos, equos, canes. Contemplare Regum Salomonis aulam, in qua apponebantur mensæ dietim triginta cori 1. Tim. 6. 6. & 8. 3 Reg. 4. 22.

similæ, & sexaginta farinæ, decem boves pingues, & viginti pascuales; centum arietes, excepta venatione & altilibus. Quid ex his omnibus habebat pro portione sua Rex, nisi crustulam similæ, & coxam unam atque alteram avis altilis, aut quid simile? Reliqua proceres oculis suis cernere. An non tantum habent, qui mediocris sunt fortunæ? Sic contingit, quod *ubi sunt multæ opes, multi quoque qui comedunt eas.* Desinant ergo homines exteriora cupiditates, congregare cum solicitudine divitias, quas profundant in usus vanos, quum sufficientia contenti esse possint, & sic lætius securiusque vivere.

Pulchrum responsum ad Regem Gallæ admiratio.

Audi non illepidum quidpiam quod Ludovico II. Regi Galliæ fertur contigisse: Turonis agens quodam tempore accessit culinam instar alicujus nobilis de communi turba sine comitatu ideoque ignotus. Invenit ibi adolescentem versantem verubum ad ignem, interrogatque: *quantum lucraris?* Respondet adolescens confidens huic familiaritati: *Lucror tantum quantum Rex ipse.* Interrogatitium: *Quid ergo Rex lucratur?* Respondet: *Victum & amictum, tantumdem & ego. Sed ille à Deo, ego vero abeo, dum illi servio.* Delectatus Rex responso pueri, fecit illum postea evocari ad horotes. Et certè verè respondit? quia Rege felicior est, qui sua contentus est forte, & *magnus quæstus est pietas cum sufficientia*, ut ex Apost. diximus. Necessitati verò pauca, si benè attenderemus, sufficiunt. Vita brevis est, mors properat, breve iter est, mox terminus peregrinationis adest: quid tanto opus est viatico? quid tot avarè & sollicitè congestis divitiis? quò minus quis fuerit onustus, eò expeditiùs hanc peregrinationem conficit. Ad metam cùm pervigent pauper, aut mediocris, nihilo pejus cum illo actum erit, quàm cum ditioribus, quorum plus viatici ad eandem viam conficiendam congesserant. Hæc sola erit differentia, quod nihil, aut parum superfit in exitu relinquendum inopi. Ditioribus autem locupletes thesauri, frustrà ad breve iter conservati, cum animi angustia erunt deserendi, ut jam dictum est.

2. *Aries consideratio vilitatis terrenarum. S. Basil.*

Quartus aries concutiens avaritiam, est efficax consideratio vilitatis pecuniæ, bonorumque hujusmodi, quibus avaritia inhiat, vel inhæret. Audi sanctum Basilium: *Habes terra partim arboribus, partim aratro utilia tot jugera: præterea vineas, montes, campos, salinas, flumina, loca amœna: Quæ ergo post hæc? Nonne tellus tres tantum cubitos expectat? Nonne parvus lapis ad tui miseri corporis custodiam satis erit? Quibus verbis te cumulabo? regnum Dei non emunt, gehennam nonnumquam. Infelix homo pecuniæ naturam aliquantum inspice. Quid enim aurum aliud est, quàm lapis? argentum, lapis margarita, lapides sunt chrysolithus, beryllus, achates, hyacinthus, amethystus, jaspis. Hæc omnia bona si res opum magnarum, hoc partim cum sint clarissimi, in tenebris abscondunt; partim in digitis micantibus, lucubrationem circumferis. Quis pulchritudinis formæ, sive*

gendæ studens unam vitæ diem sibi prorogare potuit? Aut cui mors ob divitias parcit? A quo morbus ob pecuniam abstinet? Quousque igitur opes erunt animarum laqueus, mortis hamus, peccati esca? Aut subsidium vitæ, non ad malorum incitamentum data sunt, pecunia anima redempta est, non exitii occasio. Hæc ille. Filius Profecto miserabilis est abjectio & pusillanimitas hominum, quod animam ad similitudinem & imaginem Dei creatam, cujus pretium totus mundus esse non potest, pro his temporalibus, & caducis bonis perdant: Christus animam pro toto mundo dare noluit, pro anima dedit: hic vide quantum eam æstimarit. Quid ergo cum terrenis divitiis, in ejus perniciem congerendis? Cum nec veræ sint, nec nostræ, & animo longè inferiores esse manifestum sit, certè homini, qui verè homo est, haud illis inhiarendum; contemnendæ potius illæ sunt, & calcandæ. Idipsum agnoverunt gentiles Philosophi: inter quos sic ait Seneca: *Nullis nos vitio naturæ concilsit, illa integros ac liberos genuit. Nihil quod avaritiam nostram irritaret posuit in aperto. Pedibus aurum & argentum subjecit, calcandumque ac premendum dedit. At verò vultus nostros erexit in cœlum.* Hæc ille, & verè: nam si hominum opinionem sustuleris, quid est aurum & argentum, nisi terra rufa & alba? Et cur in imis visceribus terræ eorum delitescunt mineralia, nisi ut indicentur calcanda, & aspernanda? Adde, quod bona quæ à Deo in hoc mundo nobis data sunt, claritatis sunt solatia, non autem retributionis præmia. Itaque cavendum, ne dum copiâ nimiâ nobis suppetunt, eorum omnium datorem quærere negligamus: Ne iis, quæ dantur, animum figamus, ne peregrinationem pro patria diligamus, ne tubidia itineris in obstacula perventionis verteamus: ne nocturno Lunæ lumine delectati, claritatem diuturni Solis videre refugiamus; tandemque favorem vitæ transeuntis in mortis perpetuæ occasionem commutemus.

Seneca ad Lucil. ep. 96.

5. *Aries consid. bonorum æternorum. S. P. Ignatij dictum de terrenis.*

Quintus aries avaritiæ adversus, est opum & bonorum æternorum frequens consideratio. Videlicet enim hæc terrena, eorumque cessat cupiditas, si mens ad cœlestia & æterna assurgat. *O quàm fœtet mihi terra, cum cœlum aspicio*, dicebat quidam. Sola illa æterna animi nostri valent sitim & desiderium explere, cum ad illius fruendum animus noster sit destinatus, & creatus. Cuncta autem opes terrenæ nihil animo possunt conferre, nec cordis valent desiderium explere. Sano cujusdam est dementiæ, ea semper appetere quæ multiplicata nunquam satiant, & ne minuunt quidem appetitum, imò potius cupiditatis sitim augent sicut potus hydropico. Nam quidvis talium habuerit quis nihilominus non habita concupiscit: & ad ea qua desunt semper inquietus anhelat. Sic nempè vagabundus animus dum per fallacia bona inani labore discurrit, fatigatur, & non satiatur. Et quicquid famelicus deglutierit, parum reputat id quod super est devorandum, semperque non

minus

Digitized by Google

minus anxiè optat quæ desunt, quam lætè possidet quæ adsunt: nec prius satiatur auro, quam corpus aura.

6. Aries. consid. dicti Apost. 1. Tim. 6. Greg. l. 10. moral.

Sextus aries contra avaritiam, est efficax consideratio illius dicti Apostolici. *Qui volunt divites fieri, incidunt in multa desideria inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum.* Hæc desideria inutilia, nociva, infeita, explicans S. Greg. sic ait. *Magna est securitas cordis nihil habere concupiscentiæ sæcularis. Nam si ad terrena concupiscenda cor inhiat, securum tranquillumque esse nullatenus potest. Quia aut non habita concupiscit ut habeat; aut adepta metuit ne amittat: & dum in adversis sperat prospera, in prosperis formidat adversa: huc illuc quasi quibusdam fluctibus volvitur, ac per modos varios rerum alternantium mutabilitate versatur. Si verò semel in appetitione superna patria forti stabilitate animus figitur, minus temporalium rerum perturbationibus vexatur.* Hæc ipsa desideria inutilia & nociva tamquam laqueos diaboli in terra hærentes, ut terrenis rebus inhiantes irretiant, sic describit S. Chrysost.

Chrys. hom 8. in ep ad Rom.

Diabolus serpentis formam gerit, deorsum trahitur, ab inferiori loco depugnat, hoc est, ab iis rebus quæ infra nos sunt, à voluptate, à divitiis, denique à quibuslibet sæcularibus rebus. Quapropter si quem ille viderit volatu in cœlum ferri, primum saltu eousque contingere nequaquam potest. Deinde ad aggressus, celeriter concidit; neque enim pedes habet, ne formidet: neque alas ne terreare. Super terram trahitur, ita quæ in terra sunt adhærescit, velut serpens spinis occultatur intra divitiarum impostaram assiduè latitans. Itaque ibi multa desideria nociva suggerit, nempè non solùm propria avarè servare, sed & aliena appetere, fraude quærere, mendaciis agere, & similia quæ mergunt hominem in interitum. Qui ergo hæc omnia forti consideratione in corde figit, avaritiam & cupiditatem, tanquam horum radicem geminam, à corde exscindere conatur, & usque ad fundamentum exinanire. Sed etsi fortè à divitiis mortifera desideria non semper oriantur, vix tamen unquam cessant inutilia & vana. Nam teste Basilio homilia in divites avaros.

Basilius.

Quædam est diaboli methodus ad suggerendum divitious mille sumptuum inanium occasiones ut semper concupiscant, ut congerant. Suggerit enim eis oportere partem habere ad usum partem in arca sepolitam: illam ut fervat sumptibus domesticis, hanc ut præsto sit ad externa quæ contingere possunt: nam iter facienti ornatus cultior erit necessarius, equitatus, viaticum. Deinde oportet splendidam quandoque sternere mensam adventantibus; morbus longior potest accidere similaque multa avaritiæ velamenta satan suggerere novit, qui quæ præconsiderat tentationes est. & laqueos, facile contemnit hæc omnia, & elidit avaritiam ac cupiditatem nocivam & infestam in sua radice.

7. Aries, consid exempli Christi.

Septimus aries contra avaritiæ murum, est consideratio efficax Christi Domini & paupertatis ejus. Hæc animo fixa facile dejicit quidquid ædificare in nobis molitur avaritia etiam usque ad fundamentum. Cùm enim caput nostrum sit, nos ejus membra oportet ei conformari in contemptu rerum sæculi, ut aspiremus cum ipso ad bona æterna.

LECTIO XII.

DE MALEDICTIONE AVARORUM.

Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit, & ædificaverit Civitatem Jericho. Josue. 6 26.

MALEDICTUS quicumque ex muris Jericho aliquem reædificat, hoc est, qui alicui ex his vitiis capitalibus deditus, satanæ cooperatur in hoc ædificio civitatis suæ: Sed specialiter maledictionem videtur incurrere, qui hunc avaritiæ murum ædificando, Plutoni & Mammonæ cooperatur operis hujus tartareo Præfecto, & luti ac lateris exactori crudelissimo: Quapropter, ut ex jam dictis satis colligitur, toties sacris in literis maledictio contra avaros repetitur. Maledicti ergo omnes isti ædificatores, & in primogenito, & in ultimo genito: hoc est, in anima & in corpore, ut supra explicui, cum de superbia ageremus. At maledictionis hujus juvat hic exempla recensere, cùm ex Scripturis, cum ex sacris historiis.

EX VETERI TESTAMENTO.

Avari Maledicti,

Primò, Maledictus Cain primus terræ filius, terram colens, terram sapiens, terrenis inhians, immemor cœlestium. Hic enim est qui muri hujus primam jecit fundamenta, suam orbi futuro manifestans avaritiam, dum è deterioribus terræ frugibus Deo offert, qui aeco abundè omnia ei suppeditabat. Verè primus avarorum est, ita fraudulenter & dolosè inter se & Deum ipsissimet Dei dona dispartient. Væ illis qui hac in re viam Cain sequuntur, sint & ipsi maledicti.

1. Cain. Gen. 4. 5.

Secundò, Maledictus Achan murum hunc ædificans, quando divino non obstante præcepto in demolitione Jericho ex avaritia & cupiditate pallium coccineum & regulam argenteam furatus est, & abscondit. Verùm ali in abscondito contra ipsum testimonium dedit, avaritiam ejus condemnans, ac propalans. Quapropter, ut omnes a simili avaritia abhorrerent, ab omnibus è populo divini præcepti transgressor est lapidatus, argentumque & pallium, & aurea regula in tabernaculo defossa, & cuncta quæ illius erant, cum ipso tabernaculo igne fuere consumpta. Væ ergo eis qui eum sectantur, furtis in abscondito diteſcere cupientes, sint & ipsi maledicti.

2. Achan; Josue 7. 25.

Tertiò, Maledictus Balaam murum hunc satanæ ædificans, dum mercedem accipit ut maledicat populo Dei, avara ad id impulsus cupiditate:

3. Balaam Nu. 22. 2.

Digitized by Google

Veruntamen ei reſtitit Dominus, & coactus eſt maledictionem in benedictionem vertere, increpationemque accepit ab Angelo Domini, quem prius vidit ejus aſina, quàm ipſe cæcus. Væ igitur & illis, *qui errore Balaam mercede effuſi ſunt*, inquit S. Judas In epiſto a ſua. Tales ſunt noſtri hæretici, de quibus S. Petrus ſic dicit: *Pellicientes animas inſtabiles, cor exercitatum avaritia habentes maledictionis filii derelinquentes rectam viam erraverunt, ſecuti viam Balaam ex Bozor, qui mercedem iniquitatis amavit, correptionem verò habuit ſuæ veſaniæ: Subjugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit Prophetæ inſipientiam.*

v. 23.

2. Pet. 2. 14.

Quartò, Maledictus Achab & Jezabel, vinea ſua Naboth ſpoliantes ex avaritia, & ipſum vita Sed nec immunes fuerunt ab ultione divina; nam paulo poſt Jezabel jacet in agro à canibus devorata, juxta verbum Domini per Iſaiam. Achab autem humilians ſe coram Domino pœnas comminatas evaſit; ſed in filiis ultionem non evaſit: Unde ibidem factus eſt ſermo ad Eliam dicens: *Nonne vidiſti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus ejus, ſed in diebus filii ſui inferam malum domui ejus.* Vide lib. 4. Reg. c. 9. Væ ergo & his qui viam & vitium Achab ſectantur, proximum ſuum opprimentes.

4. Achab & Jezabel. 3. Reg. 21. 25.

v. 29.

Quintò, Maledicta Dalila quæ pecunia accepta virum ſuum Sampſonem tradidit in manus hoſtium, excæcandum, illudendum, occidendum. Sic nimirum avaritia non veretur etiam proditiones meditari in eos quibus ſummum debet amorem, vel ratione conſanguinitatis, & affinitatis, vel ratione nuptialis unionis. Væ Dalilæ, Væ & illis omnibus qui ejus ſectantur veſtigia, ſeducti avara cupiditate.

5. Dalila. Judic. 16. 18.

Sextò, Maledictus Giezi, qui pro dono curationis lepræ Naaman veſtes accipiens & dona avaritiæ ſuæ ſenſit ultionem dum anima & corpore lepra ſœdiſſima infectum ſe invenit. Quàm quidem corporis lepram etiam in poſteritatem ſuam transmiſit. De illo ſic loquitur Caſſian. *Giezi ea quæ ne antea quidem poſſederat, volens acquirere, non modo gratiam Prophetiæ non meruit poſſidere quam per ſucceſſionem voluit hæreditariam à ſuo habuit Magiſtro ſuſcipere*: Verùm etiam è contrario æterna lepra Sancti Eliſei maledictione perfunditur. Et hæc quidem exempla è veteri ſunt teſtamento deprompta, ſed ſunt & pleraque ex novo manifeſta.

6 Giezi. 4. Reg. 5. 26.

Caſſian. lib. 7. inſtitut. Monaſt. c. 14.

EX NOVO TESTAMENTO AVARI Maledicti.

Primò, maledictus Ananias & Sapphira, à S. Petro, hi maledictionis fulmine percuſſi ob avaritiam: quia defraudarunt de pretio agri divenditi, cujus pretium ad pedes Apoſtolorum afferebant. Dum ergo avaritia ſtimulante auſi fuere Spiritui Sancto mentiri, loquente Petro, cœleſti ultione proſtigati exſpirarunt: De qua re ſic loquitur S. Ambroſ. *Exemplum avaris omnibus in Anania propoſitum eſt, ut qui ejusdem criminis in Eccleſia fuerit reus ejusdem ſupplicii in die judicij ſententia feriatur.* Grande ergo malum avaritiæ, imò omnium ferè origo malorum. Væ illis qui viam Ananiæ ſequuntur, ſunt enim & illi maledicti. Tales ſunt, qui in Religione ſunt proprietarii. Qui cum ad pedes Chriſti ſua attulerint, & omnibus renunciarint; cupiditate ſeducti furtim ſici poſtmodum aliqua audent vendicare, vel reſervare.

1. Ananias & Sapphira. Act. 5. 1.

S. Ambr. ſer. 39.

Secundò, Maledictus Judas avarorum ille Corypheus, qui poſt Domini ſui proditionem, pro qua pecuniam pactus erat, laqueo triplici, avaritiæ, parricidii, deſperationis *ſuſpenſum crepuit medius* effuſis viſceribus: *Melius fuiſſet ſi natus non fuiſſet homo ille*: Væ ergo illi, væ & omnibus ejus ſectatoribus.

1. Judas. Matth. 26. 15. Act. 1. 18.

Tertiò, Maledictus Simon, qui exiſtimavit donum Dei pecunia poſſideri, & Spiritum Sanctum poſſe vendi, cui dicitur: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem.* Væ illi, væ quoque illis qui res ſpirituales, vel ſpiritualibus annexas in Eccleſia vendunt, vel emunt, Simonis irreligionem imitantes. Hi omnes ædificant murum hunc Jericho maledictum.

3. Simon Magus. Act. 8. 20.

Quartò, Maledicti cuſtodes Dominici Sepulchri qui pecunia corrumpi ſe paſſi fuere, ut in caput ſuum mentirentur, & pejerarent, dicentes Chriſti Domini corpus furtivè à diſcipulis ſurreptum. Sic avaritia quæ captivavit diſcipulum comitem Chriſti, captivavit & militem cuſtodem Sepulchri.

4. Cuſtodes ſepulchri dominici.

Quintò, Maledictus dives ille luxurioſus gulæ deditus, ſed & avarus & immiſericors erga pauperem Lazarum, cui vel micæ canibus datæ denegabantur, & ideò maledictione percuſſus flammis utitur æternis; nec ullo fericordiæ locum invenit, qui non dedit. De quo agens Hugo de Clauſtro animæ ſic ait: *Superbia diabolo claudit cœlum: Gula primo Parenti abſtulit Paradiſum, avaritia diviti aperuit infernum; Intemperantia verò adhuc corrumpit mundum.* Væ ergo diviti illi, væ illis qui viam ejus ineunt; à maledictione haud immunes eſſe poſſunt, quia omnes tales cœdificant ſatanæ in muro illo avaritiæ maledictioni obnoxio.

5. Dives epulo. Luc. 16. 21.

Hugo Victorinus

Poſſemus & ex Eccleſiaſticis hiſtoriis aliqua recenſere exempla Maledictionis avarorum, ſed paſſim occurrent: Unum hic ſubjicio ex Baronio. Juſtiniano imperante vir quidam pecunioſus Conſtantinopoli in morbum incidit; mortemque formidans, in pauperes triginta auri libras diſtribuit. Convaleſcit ſubito, & dæmone impulſore pecuniæ hujus expenſæ magna pœnitentia ducitur, valdeque anxiatur. Rem interim cum ſincero quodam amico divite communicat. At ille: Repelle, inquit, hanc cogitationem impiam, nec te pœniteat

Baron. tom. 7. anno 553. n. 252. Ex Cedreno. De avare terribilis caſus.

Digitized by Google

teat eleemosynæ, ne Deum graviter offendas, qui tui misertus te sanitati restituit; & ne fato insaullo, & subita morte opprimaris sine pœnitentia: Sed frustra consilium illud datur avaro. Videns amicus se hac ratione non mederi, sic ait: Quandoquidem quæ salutaria suadeo non admittis, aliud suggeram: Si vis, adi mecum templum, & ibi dic & profitere: Domine non ego, sed ille dedit eleemosynam, sicque triginta libras auri tibi restituam. Placet hoc consilium avaro, ad templum venitur, verba concepta pronunciantur, aurum ab amico illi redditur. At recepta pecunia, dum pedem ex templo effert, subitò mortuus concidit, omnibus præsentibus ingenti horrore receptis, justumque Dei judicium admirantibus & laudantibus. Cum autem præsentes Clerici monerent amicum, ut suam sibi ipse pecuniam resumeret: *Absit*, inquit, *hoc à me, ut ego Deo devotum aurum, & cœlo jam conscriptum recipiam, Domini est, nullum mihi in id ampliùs jus, aut potestas. Ananiæ & Sapphiræ immemores de agro jam Deo dedicato, dum aliquid pretij sufferati sunt, pœnas subitâ morte, sicut & ipse, persolverunt. Absit id à me. Deus non irridetur.* Itaque illo sic loquente, aurum istud pauperibus divisum fuit.

Ex Lamberto Scafnaburg. Baron. tō. 1. anno 1066. nu. 1. *Avarus Episcopus miserè à Demone jugulatur.*

Mirabile quoque est, quod de Reginhero Misnensi Episcopo refertur. Is post refectionem in cubiculum, ubi thesaurum suum secretò infoderat, ingressus, quasi paululum requiescere volens, sese inclusit. Cumque jam die urgente in vesperam præter modum consuetudinemque suam somno indulgere videretur: rem insolitam mirantes cubicularij, pulsare ostium cœperunt, sed nec pulsantibus, nec vociferantibus ullum dabatur responsum. Tandem effractis foribus irrumpentes invenerunt eum fractis cervicibus, colore tetro exanimem, ipsis thesauris mirabilem in modum incubantem.

LECTIO XIII.

DE LIBERALITATE VIRTUTE OPPOSITA AVARITIÆ.

Pl. Murus civitatis Dei est Liberalitas.

Huic avaritiæ muro, muro civitatis Satanæ ex diversis vitijs quasi lateribus compacto, ex adverso opponitur murus & turris civitatis Dei, quæ etiam ex diversis virtutibus avaritiæ contrarijs componitur. Nimirum ex justitia, quæ aliena rapere, vel appetere non novit, sed suum cuique tribuere: ex liberalitate, quæ novit moderari opes, & earum appetitum, eas, quando oportet, distribuendo: ex misericordia & beneficentia in egenos, quæ hic exhaurit divitias, ut in futuro thesaurizet: ex paupertate spiritûs, quæ etiam in opum circumfluentia potest reperiri: Denique ex contemptu omnium bonorum sæculi, quæ nec bona dicenda, nec diligenda sunt. Ex his virtutibus, earumque varijs actibus, structuram spiritualem avaritiæ adversam construere docuit Christus Dominus, auctor sacri omnis ædificij. Tunc verò id edocuisse censendus est, cum dixit: *Beatius est magis dare, quàm accipere.* Item cum eleemosynam & opera misericordiæ toties præcepit, esurienti dare cibum, sitienti potum propinare, vestire nudum, hospitio excipere peregrinũ, iuvare ægrum, & similia. Iterum, cum pronunciavit, beatos esse pauperes spiritu, illos scilicet, qui contemnunt caduca, & adspirant ad æterna. Idem verbo & exemplo docuerunt omnes Sancti ab initio sæculi: qui ex dictis virtutibus turrim sibi construxerint altissimam & fortissimam, ex qua depugnarent contra civitatem Satanæ, & Satanam ipsum evincerent. Magnas enim vires sibi acquisierunt contra illum, sæculi res omnes despiciendo, peregrinos se profitentes, circumeuntes, *ut egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus*, ut loquitur Apostolus. Vel certè si opibus quidem abundabant, magnum sibi cumulum bonorum operum aggregârunt, eas in egenos distribuendo, nec affectu, nec effectu eis inhærendo. Innumeri occurrent, si gesta Sanctorum evolvantur, qui sua in pauperes erogârunt, ut in cœlo sibi thesaurizarent, & ut ab omni affectu terreno liberi, divino obsequio, cœlestiumque rerum meditationi perfectius se manciparent. Habes inclytos civitatis Dei structores, avaritiæ & cupiditatis omnis destructores, Antonium, Hilarionem, Franciscum, & similes innumeros, qui ad vocem Domini insonantem: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, veni & sequere me*; statim excitati sunt, quasi classico militari, ad præliandum prælia Domini omnibus suis derelictis, omnique calcatâ cupidine. Habes & Martinum, Joannem Patriarcham Alexandrinum, Gregorium, Carolum, & similes Eleemosynarios, præclaros certè bellatores contra avaritiæ murum: opibus quidem affluentes, sed in usum pauperum eas continuo impertientes; ipsimet egentes; & multos locupletantes. Vide eorum vitam, liberalitatis & misericordiæ eminentissimæ exemplis refertam, ad imitandum omnibus propositam.

Christus Doctor liberalitatis. Act. 20. 35.

Sancti quoque. Heb. 11. 37.

Sed de liberalitate, quæ avaritiæ virtus est opposita, pauca nobis in particulari tractanda sunt. Est autem liberalitas, ut describit S. Thomas: *Virtus benè dispensandi divitias in usus bonos sibi, suisque, & alijs.* Ita ille. Alij sic describunt: *Liberalitas est virtus beneficiorum erogatrix, quam pro affectu benignitatem, pro effectu beneficentiam dicimus.* Debet autem liberalitas, ut virtus dicatur, suis vestiri debitis circumstantijs; nec enim satis est erogare, sed videndum cui, quid, qualiter, quando, ubi, & quare dandum sit. Unde aliqui has circumstantias hisce versibus comprehenderunt:

Liberalitatis definitio. D. Tho. 22. q. 117. art. 1.

Libera quæ virtus in dando, ritè videbit
Cui, quid, cur, quantum, quo tempore, quove loco det,
De proprio latus, non improperans, neque tardans.

Circumstantiæ & conditiones hujus virtutis.

Digitized by Google

Videamus in particulari præcipuas liberalitatis circumſtantias, quia apud homines ſæculi ſæpe liberalitas vocatur, quæ minimè talis eſt.

1. Cui benefaciat.

Primò ergo liberalitas attendit *cui* benefaciat, nam in hiſtriones, meretrices, aſſentatores, aut voluptatem aliam quampiam afferentes beneficum agere, & multa erogare, non eſt liberalem eſſe, ſed potius prodigum. Remuneraturis quoque benefacere, aut lucrum aucupari, eſt aut certè mutuare, & hæc eſt mercenaria liberalitas. Rectè Cicero: *Duo ſunt largorum genera, quorum alteri profugi, ſcilicet qui in epulis & invitationibus, & gladiatorum muneribus, ludorum venationumque apparatu pecunias profundunt, & in eas res, quarum memoriam nullam, aut brevem ſunt relicturi. Alij ſunt liberales, qui facultatibus ſuis aut captos à prædonibus redimunt, aut es alienum ſuſcipiunt amicorum causa, aut in filiarum collocatione adjuvant, aut opitulantur in re acquirenda, aut augenda.* Erga omnes itaque ſe liberalitas extendit, quantum poteſt, cum ratione honeſtatis comite: maximè erga egenos pauperes, & eos, qui rerumnam patiuntur, fame, carcere, captivitate, calumnia, aut alijs modis. Unde Job de illis dicebat: *Benedictio perituri ſuper me veniebat.* Addit S. Ambroſius: *Eſt etiam illa probanda liberalitas, ſi proximos ſeminis tui non deſpicias, ſi egere cogneſcas. Melius eſt enim ut ipſa ſubvenias tuis, quibus pudor eſt ab alijs ſumptum depoſcere, aut alienum poſtulare ſubſidium neceſſitati, non tamen ut illi eo ditiores fieri velint, quod tu poteſ conferre inopibus.*

Cicero lib. 2. de officijs.

Job. 29. 13

Amb. l. 1. offic. c. 30.

Idé Amb. loc. cit.

Denique ſubjicit ipſe oſtendens quibus primò benefaciendum ſit. *Conſideranda in largiendo ætas, atque debilitas, nonnunquam etiam verecundia, qui ingenuos prodit natales; ut ſenibus plus largiaris, qui ſibi labore jam non queunt victum quærere. Similiter & debilitas corporis juvanda promptius. Tum ſi ex divite cecidit in egeſtatem, & maximè ſi non vitio ſuo, ſed aut latrocinijs, aut proſcriptione, aut calumnijs, quæ habebat, amiſit.* Quamvis verò primùm ad juſtos liberalitas & beneficentia ſe extendere debeat, tamen & injuſtos, & inimicos, & ingratos ac peccatores negligere non debet & illis egeant: *Benefacite his qui oderunt vos*, ut efficiamini ſimiles Patri veſtro qui in cœlis eſt, qui etiam orire facit Solem ſuum ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos, ait Chriſtus. Hoc & agnovêre Gentiles, inter quos Seneca ſic dicit: *Officium liberalitatis eſt omni petenti dare, Deos imitari. Si Deos imitaris, da etiam ingratis, nam & ſceleratis Sol oritur, & piratis maria patent. Dij rerum omnium optimi auctores ignorantibus beneficia dare nec ſpernunt, ingratis perſeverant. Non ceſſant Dij beneficia congerere, unam ſortis intentionem, ſcilicet prodeſſe, imitemur illos; demus, etiamſi multa in irritum data ſunt. Ingratus eſt? Non fecit mihi injuriam, ſed ſibi; nam gratum beneficium ſemper delectat, ingratum ſemel.* Hæc ille.

Matth. 5. 44.

Seneca l. de benef.

2. Quid, & cur donet.

Secundò, liberalitas attendit *quid*, & cur donet; hoc eſt, ut elargiatur, quod utile futurum ſit egenti, nec nociturum animæ vel corpori. Nam ſi luxurioſo donet quis id, quod ad luxuriam abutitur, aut ebrioſo ad commeſſationes & ebrietates, jam commaculatur beneficentia, cum id potius ſit officere, quàm prodeſſe; illeque potius videtur injuriam accipere, quàm ornari beneficio. Ubi eſt nocumentum & ſcitur, non beneficentia aut benevolentia vera reperitur. Etiam attendit liberalitas, cur donet, hoc eſt, qua intentione, ut ſcilicet donet non propter inanem gloriam, aut vanum aliquem finem. Quia teſte ſancto Ambroſio: *Non eſt ſalus perfecta liberalitas, ſi jactantia causâ magis, quàm miſericordia largiaris. Affectus tuus nomen imponit operi tuo: quomodo à te proficiſcitur, ſic æſtimatur.* Debet quoque liberalis dare, non reſpiciens ſuum emolumentum, non reſpiciens ad ſeipſum; dare debet, non fœnerari. Sit ergo intentio pia, ut liberalitas ſit vera; ut virtutis rationem induat, ſæculi mercedem non requirat.

Amb. loc. ſupra cit.

3. Quantum, & de quo donet.

Tertiò, liberalitas attendit, *quantum* donet, & *de quo*. Non enim excedendus eſt modus, ne non liberalitas, ſed prodigalitas ſit, quandoquidem hoc & danti & accipienti nocere valeat: fieri enim poteſt, ut propter immoderatam profuſionem in aliquos, non poſſit quis ſatisfacere his, quibus magis obnoxius eſt, puta uxori, liberis, conſanguineis, creditoribus. Non verò profundendæ ſunt opes, ſed diſpenſandæ. Unde ſanctus Ambroſius: *Eſtam bonorum operum ſumptibus immoderatum eſſe non decet. Pulchra liberalitas etiam erga ipſos pauperes tenere menſuram, & abundantes pluribus non conciliandis favoris gratiâ ultra modum fluere.* Multi ſunt, qui non donant, ſed projiciunt; Non voco liberalem, pecuniæ ſuæ iratum. In ipſa liberalitate modus adhibendus eſt, & rerum, & perſonarum, cavendumque, ne beneficium facultatem dantis exuperet, incit enim nonnunquam tali liberalitati cupiditas rapiendi, ut ad largiendum ſuppetant copiæ. Cum enim dando egere cœperint, alienis bonis manus inferre coguntur: & majora odia eorum aſſequuntur, quibus ademerunt, quàm favores eorum, quibus dederunt. Propterea etiam diximus, liberalem attendere, *quantum*, & *de quo* det. *Quantum*, hoc eſt juxta vires & facultates. *Quomodo potueris, ita eſto miſericors, ſi multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum, etiam exiguum libenter impertiri ſtude.* Sic docebat Tobias filium. *De quo*, hoc eſt de proprio, an de alieno. Certè nihil liberale, quod non juſtum, nihilque proficit, qui alterum inde reficit, unde alijs injuriam facit. Non vult Deus pietatem uni de alterius crudelitate præſtari: nec alicui aufferre fraudulenter, quod alteri exhibeatur miſericorditer. Illa ſola liberalitas vera, quæ de juſtis laboribus alijs opitulatur. Quod verò per uſuram, rapinam, extorſionem, conculſionem acquiſitum eſt, illi reſtituendum, à quo provenit, nec Deo, nec Eccleſiæ, nec alijs cauſis pijs impendendum. Talis enim oblatio aut bene-

Amb. l. 2. c. 22. de offic.

Tob. 4. 8.

Digitized by Google

beneficentia, à Deo reprobatur, maximè cum hæc à pauperibus ablata sunt. Quia teste Ecclesiastico: *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris.* Quid autem potest intolerabilius esse, quàm filij mors ante oculos parentis?

Ecclı. 34. 24.

4. *Quo loco.* Matth. 6. 3 Ambros.

Quartò, liberalitas attendit *quo loco* se effundat. Quo quidem loco, hoc est, ut potius in secreto, quàm palam: ut si id fieri possit, *Nesciat sinistra quid faciat dextra.* Perfecta est liberalitas (inquit sanctus Ambrosius) ubi silentio quis tegit opus suum, & necessitatibus singulorũ occultè subvenit: quem laudatos pauperis, & non labia sua. Audi & Senecam distinctionem quandam non inutilem hac in re afferentem: Præcipiunt omnes Auctores sapientiæ quædam beneficia palam danda, quædam secretò. Palam, quæ consequi gloriosum est, ut militaria dona, & honores, & quidquid aliud notitia pulchrius sit. Rursus quæ non producunt, nec honestiorem faciunt, sed occurrunt infirmitati, egestati, ignominiæ, tacitè danda sunt, ut nota sint solis quibus profunt. Interdum & ipse, qui juvatur, fallendus est, ut habeat, nec à quo accepit, sciat. Archesilaus, ut ajunt, amico pauperi, & paupertatem suam dissimulanti ægro autem, & nec hoc quidem confitenti deesse sibi in sumptum ad necessarios usus, cum clam succurrendum judicâsset, pulvino ejus ignorantis subjecit, ut homo inutiliter verecundus quod desiderabat, inveniret potius, quàm acciperet. Hæc Seneca.

Seneca l. 2 de benefic. 9.

De S. Nicolao Ep. Surius in ejus vita.

Habes in sacris historiis illustre hujus rei exemplum de sancto Nicolao Myræ Episcopo, cujus cum civis egens tres filias jam nubiles in matrimonio collocare non posset, sed earum pudicitiam prostituere cogitaret, ille re cognita, nocte secretissimè per fenestram tantum pecuniæ in domum ejus injecit, quantum unius virginis doti satis esset. Quod cum iterum, & tertio fecisset, tres illæ virgines honestis viris in matrimonium datæ sunt. Sed tandem in tertia vice deprehensus est, à cive illo excubante, & vigilantissimè observante, ut agnoscere posset benefactorem suum, illique gratias agere. Ad pedes ergo ejus, cùm nocturnis in tenebris fugientem ipsum insecutus fuisset & assecutus, humillimè procidit, lachrymis illos rigans, hisque verbis cum alloquens *Quare ô vir Sancte, ita te abscondis à me? Cur non permittis, ut humili agnitione testari valeam, quæ erga te teneat obligatione? Verè tu refugium meum, qui animam meam ac filiarum mearum eripuisti de portis inferi, corporaque earum ab infami contaminatione, & prostitutione. Verè per te Deus suscitavit à terra inopem, & de stercore erexit pauperem* Indoluit interim Vir sanctus se detectum, qui coram Deo non coram hominibus liberalitatis suæ opus exercebat: Obsecravitque illum, ut nemini hac de re verba faceret, fore in compensam illius bonæ voluntatis quam testabatur hoc accepturum. Verùm voluit Deus, ut hæc tanta charitas, liberalitas, humilitas Nicolai toti Ecclesiæ totique orbi patesceret in exemplum, illo prædicante qui tantum acceperat ab illa charitate beneficium. Unde & quamdiu Ecclesia orbisque durabit, celebre erit hoc liberalitatis opus eximum, verificabiturque illud de ipso: *Dispersit, dedit pauperibus justitia ejus manet in sæculum sæculi.*

5. *Quo tempore.*

Quintò liberalitas attendit *quo tempore* beneficiat. Tempestivè elargitur, imò prævenit petitionem indigentis. Omnis enim benignitas properat, & proprium est libenter facientis citò facere, tarde velle nolentis est: Nam & beneficii gratia promptitudine & celeritate congeminatur, & ut in proverbio est; *Qui citò dat, bis dat.*

Si bene quid facias, facias citò, nam citò factum,
Gratum erit; ingratum gratia tarda facit.

Unde contra differentes sic ait sapiens. *Cor inopis ne afflixeris, non differas quod erogaturus sis in egenum.* Item in Proverbiis. *Ne dicas amico tuo, vade & revertere, & cras dabo tibi, cum statim possis dare.* Quapropter S. Basilius divites sic monet. *Iam quando suppetit tibi, quid prohibet, quo minus liberaliter impartiare? Nonne inops adest? Nonne sunt plena horrea? Non merces à Domino parata? Non mandatum manifestum? Esuriens fame absumitur, Nudus frigore rigescit, & tu eleemosynam crastinum differs? Audi Salomonem. Ne dicas regressus revertere, nescis enim quid sequens pariet dies.*

Eccl 4. 3. Prov. 3. 28. Basil. homil. 6. contra divites.

6 *Quo animo quid detur.*

Sexto, attenditur in liberalitate, *quò animo* quid detur. Debet enim fieri hilari & voluntario, ut sæpius monet scriptura, & SS. Patres. Audi Ecclesiasticum. *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* Et iterum. *Declina pauperi sine tristitia aurem tuam.* Cui conformiter Apostolus. *Non ex tristitia, aut necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus.* Audi & Ambrosium. *Non est satis benefacere, nisi id ex bono fonte, hoc est ex bona voluntate proficiscatur. Nam si invitus facias, quæ tibi merces est? Vade Apostolus generaliter inquit: Si volens hoc agro, mercedem habeo: si invitus dispensatio mihi credita est.* Conformiter sic loquitur & Augustinus. *Ex animo frange esurienti panem, quia plerumque sic à tristibus, & à murmurantibus, ut careant rabie interpellantis, non ut reficiant viscera indigentis: Hilarem quippe datorem diligit Deus. Si panem dederis tristis, & panem & meritum perdidisti: fac ergo ex animo, ut ille qui intus videt, adhuc loquente te dicat; Ecce adsum.* Agnovit id & Seneca dum dicit: *Quid de die in diem trahens prosunt; non ex animo fecit. Itaque duas maximas res perdidit, & tempus, & argumentum amicæ voluntatis.* Animus quoque verè liberalis in hoc cognoscitur, si non improperet illi qui dedit, nec superbè sed benignè donet & humaniter. Omnia quæ habent homines, à Deo benignissimè data accipiunt, & ille nobis non exprobrat: sic & nos aliis exprobrare non debemus. Imò agnoscere debent divites, se constitutos à cœlesti Patrefamilias dispensatores bonorum temporalium, in quibus distribuendis tanto se debent præstare humiliores, quanto

Ecclı. 35. 11. 2 Cor. 9. 7. Amb. l. 1. de offic. c. 30. August. in Psal. 42. Seneca.

Digitized by Google

quanto magis aliena eſſe intelligunt quæ diſpenſant. Quinimo diſpenſando conſiderent, ſe potius beneficium accipere, quàm dare. Nam teſte S. Gregorio: *Multum ad edomandam dantis ſuperbiam valet, ſi tum terrena tribuit, verba Magiſtri cœleſtis attendit qui dicit: facite vobis amicos de Mammona iniquitatis. Si enim eorum amicitiis æterna tabernacula acquirimus, dantes proculdubio penſare debemus, quia patronis potius munera offerimus, quàm dona largiſ-* S. Greg. 23. moral. *mur egeno.* Denique ex animo penſatur liberalitas, & ex affectu dantis; ita ut etiamſi quis parum donet, magnum exiſtimetur, ſi animo lubenti donet, juxta facultatem ſuam. Liberalitas enim non cumulo patet: imonii, ſed largitatis definitur affectu, & ut dixit S. Leo. *Nullis parvum eſt cenſus, cui magnus* S. Leo ſer. de appar. Domini. *eſt animus. Nec de rei familiaris menſura pendet modus pietatis. Majora quidem ſunt impendia divitum, & minora mediocrium: ſed nec diſcrepat fructus operum, ubi non deeſt affectus operantium. Si non eſt omnium æqualis facultas, debet eſſe par pietas: quoniam fidelium largitas non de muneris penſatur pondere, ſed de benevolentia quantitate. Et ſemper illi quod largiatur occurrit cui bene velle non deficit.* Hæc ſanctus Leo. Concludamus verbis Senecæ: libro de beneficiis, qui oſtendens quo animo liberalitas exercenda ſit, quam hilari, quàm lubenti, quam humili, ſic ait: Quidam beneficium ab homine duro & aſpero datum, panem lapidoſum recte vocavit, quam eſurienti accipere neceſſarium eſt, ſed tamen acerbum. Multò vero gratius venit, id quod ex facili potius, quam ex plena manu venit, ſeu datum eſt. Exiguum eſt quod quis in me contulit ſed amplius non potuit. Seneca. At quod alius dedit magnum eſt? ſed dubitavit, ſed diſtulit, ſed cùm daret gemuit, ſed ſuperbè dedit, ſed cum contulit, ambitioni dedit non mihi. Idemque Seneca docens, quàm humiliter beneficientia erga alterum exercenda ſit, quamque humiliter excipienda ab illo cui beneficium, ſic iterum dicit: *Hæc beneficii inter duos lex eſt. Alter ſtatim oblivi ſci debet dati, alter accepti nunquam. Non eſt memoria revocandum, niſi ut aliud dando, priorem admoneas. Ne aliis quidem narrare debemus. Qui dedit beneficium taceat, narret, qui accepit. Quid opus eſt te loqui? Quid alienum occupare officium? Eſt qui ſine ſuo facere honeſtum poſſit: quo narrante & hoc laudabitur quod ipſe non narrat.*

Habes ergo hic veræ liberalitatis conditiones, in ſacris literis inſinuatas, à ſanctis Patribus delineatas, à Sapiente Philoſopho eleganter deſcriptas. Et quoniam liberalitas illa murum conſtituit civitatis Dei, muro avaritiæ in civitate diaboli adverſum; illum erigere ex beneficentia & miſericordia in egenos compoſitum, ex ſeptemplici ſerie operum miſericordiæ amplum, ex variis charitatis actibus coordinatum, in paupertate ſpiritus & contemptu bonorum facultatibus fundatum. Ex illo poteris pugnare contra Mammonam, contra ſæculum, & ejus retia aurea, & illecebras aureas, contra Principem hujus ſæculi: idque fiet jactando omnem ſpem ad futurum ſæculum, illiuſque cœleſtes & perennantes opes contemplando, quæ ſolæ verè ſunt opes, quibus avarè & tenaciter, imò pertinaciter & toto corde inhærendum eſt, pro quibus omnis labor ac ſudor exantlandus.

TRACTATUS III.

DE VITIO LUXURIÆ.

LECTIO I.

Quàm fœtidum murum erigat Luxuria.

III. Murus erigitur Satanæ. Luxuria quid?

TERTIUS Murus Jericho Tubæ Sacerdotalis ſonitu demoliendus, eſt Luxuriæ murus. Luxuria autem definiri poteſt: *Impura & libidinoſa voluptatis inordinatus appetitus.* Conſtruit ergo ipſa murum, ex variis luteis latentibus conſtructum; hoc eſt, ex variis vitiis carnalibus. Et hanc murum ædificando & tuendo præeſt Aſmodæus: ideoque illi cooperari & ſubſervire conſeptur, (miſerabili certè ſervitute) omnes qui huic ſunt vitio carnis addicti. Habet vero hoc vitium præ cæteris quemdam fœtorem & infamiam, non ſolùm coram Deo & Angelis ejus, ſed & coram hominibus, ideoque ſpecialiter deteſtandum Eccleſiaſtic. 47. *Inclinaſti femora tua mulieribus, poteſtatem habuiſti in corpore tuo, deciſti maculam in gloria tua.* Maculam ſcilicet ſibi aggeris, qui affectus carnis non coercens, mulieribus ſe inclinat, macularis, inquam, in conſcientia, fama, vita. Unde & de adultero dicitur. *Turpitudinem & ignominiam ſibi congregat, & ſempiternum non delebitur.* Et de muliere fornicaria dicit Sapiens: *Quaſi ſtercus conculcabitur in via.* Propter hunc fœtorem & infamiam luxu-

Eccl 47. 21. Prov. 6. 33. Eccl. 9. 10.

riæ,

riæ, hic murus non ſolùm ex lateribus igne infernali decoctis conſtare recte dicitur; ſed etiam compactus eſſe ex cæmento ſulphureo, de tartareis vallibus educto. Nam & de hoc vitio interpretatur D. Gregorius illud Job. *Aſpergatur in tabernaculis ejus ſulphur.* Unde dicit: Sulphur quid aliud eſt, quam fomentum ignis, quod tamen ſic ignem nutrit, ut fœtorem graviſſimum exhalet? Quid itaque in ſulphure niſi peccatum carnis accipimus, quod dum perverſis cogitationibus, quaſi quibuſdam fœtoribus, mentem replet, æterna incendia præparat, & dum fœtoris ſui nebulam in mente dilatat, contra eam flammis ſubſequentibus quaſi nutrimenta ſubminiſtrat. Subjungit ad propoſitum S. Gregorius. Namquod per ſulphur fœtor carnis accipitur, ipſa ſacri eloquii hiſtoria teſtatur, quæ contra Sodomam ignem & ſulphur Dominum pluiſſe narrat, qui cum carnis ejus ſcelera punire decreviſſet, in ipſa qualitate ultionis notavit maculam criminis. Sulphur quippe fœtorem, ignis ardorem habet. Qui itaque ad perverſa deſideria ex carnis fœtore arſerant, juſtum erat ut ſimul igne & ſulphure perirent, quatenus ex juſta pœna diſcerent, perverſo deſiderio quid feciſſent. Idcò in tabernaculo impii ſulphur aſpergitur, quoties perverſa carnis delectatio in mente ejus dominatur. Hæc S. Greg.

Greg. in illud. Job. 18.

Cæterùm de hoc vitio ſuſè diximus ſuper Præcepto ſexto Decalogi. Ut tamen inſtitutum ordinem proſequamur, altitudinem & profunditatem, latitudinem & longitudinem hujus muri deſcribemus, lateresque ex quibus conſtruitur. Ac deinde tubas & maledictiones contra eum inſonantes & contra illius ſtructores, in medium producemus.

LECTIO II.

DE ALTITUDINE MURI LUXURIÆ.

2. Altitudo.

ALtitudo muri Luxuriæ in cœlum uſque ſe protendit Deo, Cœloque rebellis, divinam ſuper ſe attrahit vindictam. Unde primi illi ædificatores maligni ante diluvium, poſtquam turrim ſuperbiæ ædificare non potuerunt in cœlum uſque divina impediti vindicta irrlinguarum confuſione: poſtea nihilominus turrim luxuriæ adeo altam erexere, ut neceſſarium fuerit Deum alio modo contra eam bellare, ejuſque muros disjicere immiſſo diluvio univerſalis, apertis cœli cataractis. Potiſſimam enim diluvii cauſam fuiſſe luxuriæ peccatum deſcribit Moyſes dicens: *Cùm cœpiſſent homines multiplicari ſuper terram, & filias procreaſſent, videntes Filii Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt uxores ſibi ex omnibus quas elegerant. Dixitque Deus: Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt, &c.* Nempe cum homines numero auctí, toto orbe terrarum diviſi, ferventiùs libidini operam darent, & filias potius quàm filios genuiſſent, promiſcuo abutentes concubitu, in peccatis ſecuri, judiciorum Dei, & verbi ejus contemptores; idque impietatis urgeret non in populo tantùm, ſed etiam in Principibus inopes opprimentibus per tyrannidem, diluvium immiſit Dominus ſuper terram, in luxuriæ paſſim regnantis vindictam. *Quæres qui ſint hi Filii Dei, quæ filia hominum, quas in uxores accepiſſe dicuntur?* Reſpondeo. Filios Dei intelligi filios Seth, filias hominum, filias Cain. Duæ enim lineæ ductæ ab Adam ſunt, eorum qui ex Cain eſſent procreati, & qui ex Seth, qui ſuffectus eſt in locum Abel, quem interfecerat Cain. Qui ergo à Cain originem acceperunt, non fuerunt Patri diſſimiles: ſed cùm in aliis facinoribus, tum in homicidiis paternam impietatem referebant. Qui autem ex Seth ducerentur, hi quoque Patris pietatem ac modeſtiam ſecuti ſunt. Erantque hi potius genere vitæ diſcrepantes, quam loco: altari alteros execrabantur, à ſeſe procul disjuncti. Vigebantque in genere Cain ſtupra, adulteria, veneficia, homicidia: & apud illos pietas, religio, Deique ſumma veneratio: ob eamque rem Dei Filii nuncupabantur, nimirum ſacrum ac cœleſte genus, Annis autem decurrentibus, totoque vertente mundo, corrupta omnia ſunt. Prima corruptelæ fuit cauſa, eorum qui Dei Filii haberentur, cum illo genere peſſimo ſceleratiſſimaque natione admiſtio. Cumque divinum genus eſſet potentiſſimum, ac nobiliſſimum, pulchritudine infamium mulierum capti alterius generis, eas ſibi uxores acceperunt, quarum commercio & ipſi polluti ſunt, averſique à Religione. Factumque eſt, ut & hi quos ſuccedentibus temporibus procreaſſent, ſceleratiſſimi, bellis, homicidiis, violentia, adulteriis inſignes evaderent.

Gen. 6. 1.

Poſt diluvium quoque iterum huic ſtructuræ maledictæ cooperari viſi ſunt cives Pentapolis, in Sodomis, Gomorrha, aliiſque oppidis, vicinis, Adama & Seboim. Erant hi quaſi certatim ædificantes hunc luxuriæ murum; ſed cùm ipſi in Cœlum uſque quodammodo turrim hanc altiſſimam erexiſſent, igne cœleſti profligavit eam Deus, & exinanivit uſque ad fundamentum in ea, diſpergens omnes reliquias fœtidi hujus peccati, cum ædificatoribus ſuis. Quapropter ex nunc adhuc manent vindictæ hujus veſtigia in mari adjacente, & in terra illa maledictioni obnoxia, ubi contra Deum ſe erexit luxuria, cujus clamorem in Cœlum conſcendiſſe teſtatur Scriptura. Nam regio illa amœna quaſi Paradiſus, tota affecta eſt ſterilis & fœtida, totaque cinerulenta: adeo ut arbores naſcantur in ea, poma ferentes quæ ſtatim in favillam vertuntur manu qualibet attacta, ut

Gen. 19.

Digitized by Google

testatur Sapiens Est quoque regio putidissimis aquis è terra erumpentibus tecta & lacus adjacens pisces non fert, nec aliquid vivum Unde vocatur mare mortuum. Vide latius dicta hac de re super Præcepto sexto Decalogi Lect. 11.

Luxuria causas haresin.

Maledictum ergo ædificium luxuriæ, & sublime nimis quod usque ad contemptum Dei exlurgens, Cœlo bellum videtur indicere, religionis omnis ac fidei in mentibus extinguens veritatem. Hæc enim luxuria potissima causa fuit, & adhuc modò est, cur multi adversus Deum & fidem se erexisse cernantur, nova dogmata confectati. Etenim idipsum ab illis fit, ut securius corda sua enutriant in luxuriis suis, ideoque de illis dixit S. Petrus: *Hi velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem & in perniciem, in his quæ ignorant blasphemantes, & in corruptione sua peribunt, percipientes mercedem iniustitiæ, voluptatem existimantes diei deliciæ, coinquinationes, & maculæ deliciis affluentes, in convivis suis luxuriantes, oculos habentes plenos adulterii & incessabilis delicti.* Hæc quoque luxuria ad idololatriam deduxit filios Israel fornicantes cum filiabus Moab. Deduxit & Salomonem, qui jam violatorin se templo Spiritus S. per variam libidinem eousque pertigit cæcitatis, ut violaret templum sanctum Dei, ædificans in excelsis lucos contra Deum, ejusque verum cultum: in quibus & ipse falsis Diis thus adhibuit, in injuriam Dei viventis. Vide ergo quomodo turris luxuriæ contra Deum rebellis, divinos ei denegat honores, cœlum & aerem inficiens, perniciosa celsitudine sublimis.

2 Pet. 2. 12.

Idololatriam.

Incantationes & magicas artes. Delrio l. 3 disq. Mag. p. 1. q. 2.

Hæc iterum est quæ ad incantationes & magicas artes, Deo maximè adversas, multos traducit, ut fœdis fruantur voluptatibus quâlibet viâ, cum dæmonum pacto, & summa Creatoris sui injuria. Admirabile est quod hac de re refert Delrio contigisse in quadam urbe Hispaniæ. Magni, inquit, nominis Concionator quidam, in reprobum sensum datus est. Hic familiaris erat cuidam nobili, cui formosa erat uxor, sed casta. Hanc cœpit ipse deperire, nec diu ignem fovit occultum, sed mulieri aperit animum, & flagitium nititur persuadere. Illa sedulò conatur eum ad saniorem reducere mentem sed erat oleum flammæ adjicere: nam & monita magis inflammabant incendium. Illa solicitata continuo, pertæsa tandem molestiarum, statuit se ulcisci de nebulone. Rem totam pandit marito. Ejus jussu tempus certum addicit huic sollicitanti. Venit ipse nocte optatâ, & addictâ: sed maritus cum aliquot famulis agebat in propinquo conclavi cum armis, insigniter eum excepturus. Adest ergo laculari habitu, gladio & pugione accinctus, & sequitur matronam in cubiculum se deducentem, ibi veterem cantilenam repetit. Cumque mulier more solito reniteretur verbis, vim ipse parat tenebris audacior. Tandem mulier exclamat, & conditum cum marito signum altâ voce enunciat. Verum nec maritus, nec quisquam accurrit. Anxia illa vim vi repellit, ungues & dentes arma muliebria fingit, faciem ejus deformans, at ille propterea non desistit. Advertit matrona inter luctandum, dorso pugionem hærere: hunc eripit, & improbum perfodiens, vitâ privat. Collapso cadavere, accurrit in conclave mariti, & invenit ipsum cum famulis mortuis potiùs quàm vivis similes. Clamat, vellicat, trahit, at illi consopiti permanent: Suspicata maleficio id fieri, nec opem aliundè sperans, cadaver domo effert, & in plateam abjicit, cum gladio & cruento pugione. Interim nocturni vigiles in cadaver incidunt, & in carcerem illud efferunt. Facie lotâ agnoscitur Concionator. Silentio indicto vigilibus summo mane Prætor quem Corrigidor vocant, adit Cœnobium illius, evocat Priorem, jubetque omnes de Conventu convenire, tanquam de re magna coram ipsis tractaturus. Adsunt omnes excepto illo, qui cùm quæreretur in cubiculo, non respondet. Ingreditur Prior cum Prætore in cellam, & nil reperitur nisi fax ardens, & obscurè lucens, in camino defixa. Mirantur omnes. Tum Prætor narrat de invento cadavere, & dum illud auferunt è carcere, ut profanæ tradatur sepulturæ: Ecce nobilis advenit cum uxore, rem totam enarrans. Conferuntur momenta temporis, reperiunturque evigilasse, dum fax extincta fuit. Sic perfidia improbi & luxurioli hominis in cœlum se erexit, & abominabilis contra Deum, ut voluptate fœda frueretur. O luxuriæ perversa altitudo, divina omnia, humanaque pervertens, ad quam eheu cœcitatem perducis hominem!

Horrendè exemplum de quodam luxurioso.

LECTIO III.

DE PROFUNDITATE LUXURIÆ.

TAnta est profunditas hujus satanici vitii, ut meritò dicere possit, qui illo detinetur: *infixus sum in limo profundi.* Nam & Scriptura attestatur: *Profunda fovea meretrix, & pedes ejus ad inferos descendunt.* Prov 23 & 22. *Fovea profunda os aliena, cui iratus est Dominus, incidet in eam.* Item cap. 7. *Via inferi domus ejus, penetrantes interiora mortis.* Denique cap. 2. *Inclinata est ad mortem domus ejus, & ad inferos semita ejus: omnes qui ingrediuntur ad eam, non revertentur, nec apprehendent semitas vitæ.* Sic Sapiens profunditatem frequenter attribuit huic vitio ad inferos usque pertingentem: quia qui illo involvuntur, ferè absorbentur à profundo inferi, & mortis æternæ; & domum sibi ædificant in inferis in baratro. difficillimè enim carnalibus addicti peccatis, resipiscentiam inveniunt, ut saluti & vitæ restituantur. Idco etiam dicitur: *Non dabunt cogitationes suæ ut revertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicationis in medio eorum.* Hinc S. Augustinus postquam huic vitio diu addictus, illius profunditatem luce divinâ affulgente agno-

2. *Profunditas.* Ps 68. 3. Osee. 5. 4. S. Aug.

Digitized by Google

gnovit inclamat: *Va cæcitati, Va tenebris. Va byssо in qua jacui.*

Profunditatem quoque hujus vitii notat Ozeas, c. 9. dicens: *Profundè peccaverunt sicut in diebus Gabaa.* Ubi Hebræa. *Profundè fecerunt, corrupti sunt sicut in diebus Gabaa.* Meminit Prophetæ veteris illius historiæ Judic. 19. & 20. Ubi Gabaitæ homines vitioli & carnales, exemplum nefandæ luxuriæ & corruptionis exhibuere: dum uxorem Levitæ peregrè proficiscentis totâ nocte constuprarunt, & corruperunt, incredibilique furore libidinis ita vexarunt, ut manè ad ostii limen, ubi vir hospitabatur concideret emortua. Quod cùm advertisset Levita, impositâ eam asino, reversusque est in domum suam. Quam ingressus, arripuit gladium, & cadaver uxoris cum ossibus suis in 12. partes ac frusta occidens, misit in omnes terminos Israel: Nempè singulis tribubus singulas mittit partes; eo consilio, ut cùm nemo gravitate facinoris commoveretur, spectaculi hujus horrore & abominatione omnes ad vindictam invitarentur. Quod factum est. Nam cùm singuli id vidissent, conclamabant: *Numquam res talis facta in Israel, ex eo die quo ascenderunt Patres nostri de Ægypto usque in præsens tempus: ferte sententiam, & in commune deserite, quid facto opus sit.* Bellum ergo ob id facinus indixere reliquæ tribus Benjamitis & Gabaitis, atrox flagitium vindicare recusantibus. Profundè itaque peccarunt illi: profundè peccant, qui totos luxuriæ se tradunt, in profundo inferi ædificant abominabilem hunc murum, satanæ cooperantes.

Luxuria ad gravia pec cata trahit.

Denique profunditas hujus vitii ex gravissimis & profundissimis peccatis ad quæ deducit, latè declarari potest. Quandoquidem non solum ad incestuosas commixtiones, & ad eas quæ contra naturam sunt deductas, sed etiam usque ad nefandam bestialitatem; cujus vitii putant quidam Joseph accusasse fratres suos, dum exprimit Scriptura accusasse eos apud Patrem de crimine pessimo. Imò usque ad congressum cum corporibus mortuis, & cadaveribus luxuriam hominum infamem se protendisse, notum faciunt historiæ. Denique ad congressum cum dæmone succubo vel incubo illam pertingere, notissimum est à sagis & magis.

Exempl. Audi exempla luxuriæ gravissimæ & profundissimæ, deprompta ex historiis antiquis cum sacris, tum profanis.

2. Reg. 13. 14. & v. 28. 1. Ammon, ultro libidinis victus, propriam sororem constuprat: At posteà eam ob causam à fratre Absolone in convivio interemptus jacet, & calcatur.

2. Reg. 16. 22. 2. Absolon uxores Patris sui David in publico cognoscit, in conspectu Solis hujus, ut loquitur Scriptura: At posteà spectaculum ipse tunestum in publico ostentatur, in ligno pendens lanceis confixus.

Plut. de Græc. & 3. Cyanippus Syracusanus temulentus nocte quâdam violat & constuprat filiam Cyanen propriam. Hæc verò non ferens flagitium adeò exe-

crandum, Patrem interemit, seque ipsam cum illo. Dositheus l. 3. hist. Siculæ.

4. Papyrius filius Papirii Volucris, dum cum propria sorore congressus fuisset, indignatus Pater, mucronem eis transmisit sceleris vindicem, quo subitò se interemerunt. Rom. Compar.

5. Proculus Imperator Romanus eò jactantiæ infamis prorupit, ut asseveret se spatio dierum quindecim centum virgines in Sarmatia, sive Polonia, bello captas ingravidasse. Flaccus Vopiscus, & Sabellicus in exemplis.

6 Periander Corinthius (inter 7. Græciæ sapientes numeratus) adeò infatiabilis fuit luxuriæ, ut cum propria uxore Melissa, vel ut aliis placet meretrice post mortem ejus congressus fuerit fœdissimè. Herodotus lib. 5.

7. Sigismundus Malatesta cùm in itinere occurrisset speciosæ cuidam mulieri Germanicæ Romam euntí, nisus est omni vi eam constuprare. Cùm autem illa renitente non potuisset voto potiri, ejus jugulum mucrone appetiit, & cum ipsa jam emortua nefandè est congressus. Dicitur & ipse cum propria filia carnale commercium habuisse, & attentasse idipsum circa proprium filium Robertum, à quo hâc occasione mucro ei in pectore infixus fuit. Fuit ipse vir maximè nobilis, qui filiam Francisci Sforziæ Ducis Mediolanensis in uxorem duxerat, sed spurcissimis his facinoribus ignobilis & infamis audit.

Ex his ergo exemplis & infinitis aliis, patet abominanda & infernalis profunditas luxuriæ, hominem ad tam nefanda demergentis, quæ horrorem legenti aut audienti valeant incutere.

LECTIO IV.

DE LATITUDINE MURI LUXURIÆ.

1. Latitudo.

HUjus muri latitudinem diversæ series laterum, quæ in ejus conspiciuntur structura efficiunt amplissimam. Dicamus ergo primò. seriem primam hic constitui per lateres illos, qui gradus peccatorum nominantur, suntque maximè conspicui in hoc vitio: nimirùm cogitatio prava, delectatio, consensus, operatio, frequentatio, consuetudo, ac deinde desperatio.

DE PRIMA SERIE HVIVS structuræ.

Lapides ad structuram muri.

1. Cogitatio prava. Jac. 1. 13.

HUic ergo ædificio tanquam primi lapides aut lateres initium dant cogitationes pravæ, à carne, & concupiscentia, à Dæmone & mundo, per suggestionem prodeuntes. De qua re 3 Jacobus: *Nemo cùm tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est, sed unusquisque à sua concupiscentia tentatur, abstractus & illectus.*

Concupiſcentiam propriam vocat pravum appetitum, corruptæ homini naturæ congenitum, ab originali peccato prodeuntem, qui ſolet pravas cogitationes ſuggerere, & ad varia ſceleris a primum cogitandi, ac deinde patrandi, facile hominem inclinare. Hanc eandem concupiſcentiam vocat Apoſtolus legem carnis & membrorum, repugnantem legi mentis, & captivantem in lege peccati. Hæc quidem concupiſcentia de ſe peccatum non eſt, cum homo poſſit reſiſtere, ne ab illa vincatur: quia tamen ex peccato eſt, & ad illud inclinat, alliciendo, attrahendo cauſa eſt & fomes peccati, rationemque obnubilans & voluntatem ineſcans, ad illicita perducit blandimentis & illecebris ſuis. Ita ut jam cogitationibus pravis quas ſuggerit, non ſolùm delectetur ſenſus, ſed & affectus aliquis accedat.

2. Lapis. *Mora & delectatio in cogit. pravis.*

Secundus ergo lapis eſt initium dans huic ædificio, eſt delectatio & mora in cogitationibus pravis, de quibus Jerem. *Ut quoquò mora buntur in te cogitationes noxiæ?* Dicis enim, *morabuntur*, nam advenantes ſiſtatim rejiciantur, non eſt culpa. Non enim eſt in poteſtate noſtra ut non veniant, aut ut non ſentiamus; ſed in poteſtate noſtra eſt, ut non delectemur, nec conſentiamus. Si quis carbones ardentes caſu apprehenderit, & citò à ſe projecerit, nihil ei nocebit: ſi verò diutiùs tenere voluerit, ſine vulnere non erit. Similiter ſi quis libidinis cogitationem cordi incidentem ſtatim excutiat, nihil illa nocet: ſed ſi morari permiſerit, excutere ſine plaga haud poterit. Delectationem enim moroſam etiamſi voluntas operis non accedat, eſſe peccatum mortale: docent Theologi ex Auguſt. ubi dicit: *Nec ſanè cum ſola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem docemus eſſe facienda, tamen tamen & volens libenter, qua ſtatim ut arripuerunt animum, reſpui debuerunt; negandum eſt eſſe peccatum, ſed longè minùs, quàm ſi & opere ſtatuatur eſſe implendum: idcircò de talibus quoque cogitationibus venia petenda eſt, & pectus percutiendum.* Et infrà quale ſit peccatum indicans, dicit: *Totus homo damnabitur, niſi hæc quæ ſine voluntate operandi, ſed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi ſolùm cogitationis ſenſu tantùm eſſe peccata, per Mediatoris gratiam remittantur.* Hoc etiam indicat S Job. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. Quam enim partem haberet in me Deus deſuper, & hæreditatem Omnipotens de excelſis? Nonne ipſe conſiderat vias meas, & cunctos greſſus meos dinumerat?* Agnovit ergo Job, non ſolùm ineſſe peccatum, ſi corpus aliena libidine contaminetur, aut voluntas in id conſentiat, ſed etiam ſi in ſola cogitatione delectatio voluntaria delitеſcat, abſque operis voluntate; quia per laſcivam cogitationem & delectationem cor maculatur, & expellitur habitator Deus & Spiritus S. ut ibi partem non habeat. Auctor enim munditiæ, non vult niſi in mundo corde habitare. De hac re latiùs dixi ſuper Præcepto ultimo Decalog. Lectione ultimâ, illuc Lectorem remitto.

Jer. 4. 14.

Delectatio moroſa eſt p.m. Auguſt. l. 12. de Civ. c. 13.

Job. 31. 1.

Verſ. 4.

Tertius lapis huic accedens ſtructuræ, eſt conſenſus perfectus; accedit enim ille cogitationi, affectioni, delectationi, & illa complet, ſic quædam eſt gradatio in hoc erigendo ædificio, ut ſemper creſcat & dilatetur; dum cogitatio quodam cæmento agglutinat ſibi delectationem, delectatio conſenſum, conſenſus operis conſummationem.

3. Lapis. *Conſenſus perfectus.*

Quartus ergo lapis eſt operis luxurioſi patratio, quæ peccatum conſummat, affectum deducens in effectum.

4. Lapis. *Opus luxurioſum.*

Quintus lapis eſt operis frequentatio: nam generaliter quidem verum eſt illud S. Gregorii: *Peccatum quod citò pœnitentia non delatur, mox ſuperadvenire trahit ad aliud.* Id verò maximè in hoc vitio luxuriæ, quod tenaciùs hominem illigat, & peccato peccatum cumulat, quaſi lapidem lapidi, cæmento quodam glutinoſiſſimo & validiſſimè connectente. Unde Greg. ſic ait: *Cum culpa in uſum venerit, ei jam animus, etſi appetat, debilis reſiſtit. Quia quot vitiis prava frequentationis adſtringitur quaſi ſot vinculis colligatur.* Et iterum: *Viſitata culpa obligat mentem, ut nequaquam ſurgere poſſit. Ad rectitudinem tonatur, & labitur, quia ubi ſe ſponte perſtitit, ibi & cùm noluerit, coacta cadit.* Hinc ſequitur.

5. Lapis. *Conſuetudo.* S. Greg. l. 4. mor. Idem hom 31. in Evang.

Sextus lapis eſt conſuetudo & quædam neceſſitas ex frequentatione orta: quam deinde deſperatio conſequitur, complens quaſi ultimus lapis ſtructuram hanc maledictam, illamque conſtituens in gradu ſuo perfectiſſimo. Nempe cùm eorumdem actuum pondere premitur peccator, in pravæ conſuetudinis carcere incluſus, à ſemetipſo exire non poteſt. Difficile eſt conſuetudinem vincere, pravus uſus vix aboletur: aſſidua enim conſuetudo vitium in naturam convertit, ſicque animus ſceleribus adſtrictus, vix ab eis divelli poteſt. Hinc fit, ut notat Apoſtolus, quòd ſint *quidam tenebræ obſcuratum habentes intellectum alienati à vita Dei per ignorantiam quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum: qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis.* Eph. 4. 18.

Hanc ſeriem & gradationem ſtructuræ libidinoſæ in ſeipſo advertit ſanctus Auguſtinus, quam ſic deſcribit: *Suſpirabam ligatus non ferro alieno, ſed ferrea mea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate perverſa facta eſt libido. Et dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo. Et dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas. Quibus quaſi anſulis quibuſdam ſibimet annexis (inde catenam appellari) tenebat me obſtrictum dura ſervitus. Voluntas autem nova, quæ mihi eſſe cœperat, ut te colerem, ô Deus meus, nondum erat idonea ad ſuperandum priorem vetuſtate roboratam. Ita duæ voluntates meæ, una vetus, alia nova, illa carnalis, hæc ſpiritualis, conflictabant inter ſe, atque diſcor-*

Aug. l. 8. Conf. c. 5.

diſcordando diſſipabant animam meam. Hæc S. Auguſtinus.

Hæc etiam omnia in morali quodam ſenſu inſinuata videntur a Job, dum ſic loquitur: *Circumdedit me lanceas ſuas, convulneravit lumbos meos, effundit in terram viſcera mea, conſcidit me vulnere ſuper vulnus.* Recte, & ad noſtrum propoſitum accommodè intelligi poteſt loqui Job de ſatana, in perſona peccatoris, & maximè luxurioſi, ut ſit ſenſus *Circumdedit me lanceas ſuas*, per multiplicem, quia me appetit, tentationem. *Convulneravit lumbos meos*, per delectationem & conſenſum. *Effudit in terram viſcera mea*; per peccati maledicta, ſeries lachrimis deploranda & evertenda.

Job. 16.14

LECTIO V.

DE SECUNDA SERIE HUJUS ſtructuræ.

Impudicitiæ ad inchoatæ Luxuriæ perfectionem ſeriatim ſunt 5.

Dicamus ſecundò ſeriem quandam etiam conſtitui in hac ſtructura, per impudicitias quaſdam inchoatas & incompletas, quæ tandem perducunt ad perfectam luxuriam. Hæ autem ortum habent ex ſenſibus exterioribus. Sunt enim in quolibet ſenſu aliquæ delectationes ad luxuriam ſpectantes, vel illam proritantes. Hinc illud: *Mors aſcendit per feneſtras noſtras*, mors ſcilicet peccati per ſenſus, quaſi per feneſtras quasdam malè obſeratas, aditum ſibi ad nos parat. *Primò*, luxus viget in auditu, quia ex auditu verborum, ex cantu laſcivo, ex alloquio mulieris aut viri cor facilè concipit flammam libidinis: ideo dicitur, *Colloquium mulieris quaſi ignis exardeſcit.* *Secundò* luxus viget in odoratu, dum homo odoribus meretricius delectatur. De quibus meretrix quædam, ut juvenem irretiret, ſic loquitur: *Aſperſi cubile meum Myrrha, & cinnamomo, & myrrha, veniolectemur.* *Tertiò*, Libido guſtu quoque concitatur; Unde monitum illud datur: *Cum muliere alienam ne ſederis omninò, nec cum ea accumbas ſuper pulvinum, & non alternceris cum illa in vino, ne forte declinet cor tuum in illam.* Hinc in comedendo & bibendo cum muliere cui jam affectus aliquis annexus eſt complacentia quædam oritur inter juvenes & homines lubricos. Quod advertens Ovidius Libro de arte amandi, ſic dicit:

Prov. 7.17.

Eccl. 9.11.

Eccl. 9.12.

Hæc primùm capiat illius tacta libellis
Pocula: quæ bibit parte puella, bibe.
Et quemcumque cibum digito laudaverit illa,
Tu pete, dumque petis, ſit tibi tacta manus.

Nempè hæc eſt conſuetudo horum amantium, vel potius amentium, qua fovetur, aut proritatur libido. *Quartò*, ex viſu oritur delectationem notorium eſt. Dicente Eccleſiaſt. cap. 9. *Propter ſpeciem mulieris multi perierunt.* *Quinto*, tactus vehementiſſimè libidinem incitat. *Qui ingreditur ad uxorem proximi, non erit mundus, ſi tetigerit eam.* Pro. 6.29.

Itaque, ut breviter repetamus, hos eſſe injuſtos ſeries lapides in hac ſtructura luxuriæ aſſerimus, cantus laſcivos, turpiloquia, viſum incautum, epulas & convivia, ludos & choreas, familiaritates, blanditias, oſcula attactus impudicos: Quæ quidem omnia ſenſim murum amplificant, & ſibi invicem cæmento libidinis glutinoſo connexa, inſtar laterum paulatim illum erigunt, & ad opus tandem perfectum perducunt. Sed in particulari libet pauca de ſingulis dicere, ut per ſingulas partes murus iſte noſter inſtructura ſua melius dignoſcatur.

DE INCAUTO ASPECTU.

Aſpectus incautus.

In primis ut de viſu exordiamur, ſæpe Scriptura monet & SS. Patres diligenti curâ illum eſſe cuſtodiendum, tanquam primam feneſtram per quam mors aſcendens, & ad cordis noſtri conclave penetrans, illud interimit. De quo rectè interpretaberis illud: *Oculus meus deprædatus eſt animam meam.* Propterea etiam dicebat Job. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarem quidem de Virgine.* Fœdus cum oculis pepigit, ne priùs incautè conſpiceret, quod poſtea invitus amaret. Hinc Eccleſiaſticus toto capite 9. diſſuadet aſpectum mulierum, tanquam periculum libidinis animo invehentem. *Virginem ne conſpicias, ne forte ſcandalizeris in decore illius.* Et iterum: *Averte faciem tuam à mulere compta, & non circumſpicias ſpeciem alienam. Propter ſpeciem enim mulieris multi perierunt.* Et rurſus: *Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti ſunt.* Hæc de re etiam agens Auguſt. in libris confeſſionum dicebat: *Per quales imagines ſtabant oculi mei, per talis ibat & cor meum.* Formæ enim mulierum qualescunque virorum affectum ſolent allicere. Unde etiam Apoſtolus, oculorum periculum inſinuans, ordinat, ut *mulier in Eccleſia habeat velamen ſuper ea, ut ſuum propter Angelos.* Quid eſt propter Angelos? Propter Sacerdotum ſcilicet reverentiam, ne forte facie mulierum inſpectâ, alicujus concupiſcentiæ ſubeant periculum. Vocantur enim Sacerdotes in Scripturis Angeli, tum ob cognitionem divinorum ſecretorum, & annunciationem divinorum mandatorum: quia inſtar Angelorum divinam nobis indicant voluntatem. Tum propter continentiam, quia inſtar Angelorum nec nubunt, nec nubentur. Tum propter gregis ſibi credita cuſtodiam, quia ſicut Angelis mandavit ut cuſtodiant nos in omnibus viis noſtris, ſic & Sacerdotibus. Tum propter continuationem officiorum divinorum, quia ſicut Angeli Deum perenni laude collaudant; ſic ſuo modulo debent Sacerdotes. Tum propter contemplationem ſupernorum, quia ſicut Angeli ſemper vident faciem Patris, ſic & illi ad eam continuò debent aſpirare. Tum propter victoriam

Thren. 3. 51. Job c 31.1.

1. Cor. 11. 4.

Cur Sacerdotes vocentur Angeli.

Digitized by Google

paſſionum, quia inſtar Angelorum à paſſione debent eſſe liberi. *Sicut Angelus Dei ſic Dominus meus Rex: ut nec benedictione, nec maledictione moveatur.* Prudenter ergo Apoſtolus præſcribit, ut velamen gerant mulieres propter illos. Nam & ipſi vigilanter debent oculos cuſtodire & avertere, ne videant vanitatem: quia cum nec virorum ſit mulieres intueri, multo minus ſervorum Dei. Hoc quodam die edocuit S. Ephrem mulier quædam procax, caſu ei occurrens, aut potius divino impulſu: Cum enim ille ſingulari quodam inſtinctu ad pietatem majorem ſublimioremque vitam complectendam moveretur, eoque ſtudio Edeſſam tenderet, ſic ſecum dixit, ſic precatus eſt: *O Jeſu Chriſte, omnium Domine, concede ut Edeſſam civitatem ingrediens, in talem virum ſtatim incidam, qui ſit idoneus ad differendum mecum de iis quæ ad animæ ædificationem pertineant & utilitatem.* Cùm ſic oraſſet, atque in portam civitatis perveniſſet, cœpit cogitabundus ſecum attento ſollicitoque animo expendere, quomodo virum illum optatum accederet, & quænam ex illo ad majorem utilitatem, vitæque perfectionem eſſet interrogaturus. Dum ſic cogitabundus incederet, ecce illi mulier quædam levicula & meretrix, in ipſo portæ introitu facta eſt obviam. Cumque defixis in eam oculis quaſi emotæ mentis ſubſiſteret, & triſti perturbatoque animo torqueretur, quod non ut precatus fuerat, ſed contrarium potius votis ipſius acciduſſet, cœpit & illa eum ſic ſtantem acerrimo obtutu contemplari. Poſtquam verò ſic diu ſe invicem aſpexiſſet, volens eam pudore afficere, & ad verecundiam adducere magnus Ephrem: *Quid verò*, inquit, *non erubeſcis mulier tam ſixu oculis nos intuens?* Illa autem: *Mihi convenit ſic te aſpicere, ex te enim ſumpta ſum, & tuo latere: Te verò non nos, ſed terram potius oportet aſpicere, ex qua ipſe ſumptus es, & in quam rurſus reverteris.* Hæc cum audiſſet, mulieri magnas habuit gratias, propter eam quam ab ipſa acceperat utilitatem &c, Surius tom 1. Feb. ex Metaphraſte.

De S. Ephrem. Surius.

Meretricis documentum ad S. Ephrem.

Exempla pereuntiũ aſpectu incauto.

Sed & exempla manifeſta ſunt plurimorum, qui ob mulieris aſpectum incautum perierunt, ita ut oculi illis fuerint irritamenta vitiorum, & duces ſcelerum. Pauca ex Scripturis accipe.

Gen. 34. 2. Primò, Sichem filius Emor videns Dinam, adamavit eam, rapuit, conſtupravit. Propterea periit ipſe, & tota civitas internecione deleta eſt.

Jud. 14. 1. Secundò, *Deſcendit Sampſon in Thamnata, videnſq; de filiabus Philiſtiim mulierem*, adamavit eam. Hæc verò eum prodidit, ei crines & ſpiritum ſeptemplicem eraſit.

Jud. 16. 11. Tertiò, Holofernes videns Judith, captus eſt, ſed & capite truncatus. *Sandalia rapuerunt oculos ejus, pulchritudo captivam fecit animam ejus.*

2. Reg. 11. 2. Quartò, Vidit David lavantem ſe Berſabee, illiuſque pulchritudine captus, homicidium & adulterium commiſit.

Quintò, Senes vident Suſannam quotidie ſe lavantem, & in concupiſcentiam ejus exardent. Dan. 13. 8.

Similiter Abimelech ſpecie Saræ captus eam tranſtulit in domum ſuam: ſed correptus à Domino, mille illi argenteos dedit, dicens: *Hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum ſunt*, ut ſcil cet tibi & puellis comitantibus velum compares, ne alius quiſpiam in tuam pulchritudinem conſpecta exardeſcat. Gè. 20. 16

Sexto: Sicut viri per mulieris inſpectum periere, ſic è contra & mulieres. Habes exemplum in uxore Putipharis, quæ capta eſt aſpectu Joſeph pulcherrimi juvenis. Illa ei continuo moleſta erat, donec tandem ſemotis arbitris eum preceriens, ad adulterium apprehenſa veſtis fimbria adigere voluit. Coactus porrò fuit fugere, & egredi foras, relicto in manibus adulteræ pallio ſuo. Gen. 39 7.

LECTIO VI.

DE TURPILOQUIO.

TUrpiloquia, & verba lubrica, ad hoc ſpectare ædificium nemo ignorat, cùm vehemens libidinis & luxuriæ incentivum circumferant. Unde Apoſtolus turpiloquium ſedulo docet fugiendum, additque cauſam hanc: *Corrumpunt mores bonos colloquia prava.* In quam ſententiam S Ambroſius cùm dixiſſet libidinem conviviis paſci, deliciis nutriri, tandem ſubjicit: *Græviora ſunt his fomenta verborum.* Et certè, obſcœna verba etiam ad animos caſtos non ſine fæce inficiente penetrare, nemo poteſt inficiari. Nec inelegans eſt S. Baſilii ſimilitudo. Sic ait ipſe: *Velut Lapis in aquam ciſternæ conjectus, non ſolum ad jacentem aquæ partem in quam decidit, agitat, verùm & orbes alios perpetuis ictibus excitans, eos interdum ad ultimos lacunæ margines producit; ita ſermo laſcivus in animam caſtam, velut in undam puriſſimam vehementer conjectus alias poſt alias amatorias cogitationes excitat, totamque animam volutat variis fluctibus agitat.* Nempe ſicut oleum veſti incidens facilè ſe dilatat, & maculam haud exiguam illi ingignit: ſic ferè eſt de verbis impudicis & obſcœnis, ubi in animam inciderint, facilè eam commaculant, niſi ſtatim ſedulitate magna extergantur & ejiciantur. 1. Cor. 15. 33. S. Ambr. de pœnit. l. 1. c. 14. Baſilii ſimilitudo l. de Virginit.

Hoc egregiè declaravit ſenex ille qui juvenem Religioſum videns Alexandriæ ingredientem Tabernam, maximè indoluit, zeloque incenſus quærebat foris occaſionem eum alloquendi. Illum igitur egredientem manu à plebe in locum ſecretiorem ducens, ſic affatus eſt. Neſcis Frater, quod Angelicum geſtes habitum? Ignoras ne te juvenem eſſe? Ante latet hoſtem nobis ſemper retia tendere? Interim tu tabernas & popinas ingredi audes, ubi multa audis quæ nec decet audire: multa cernisque nec cernere licet; ſedeſque ibi inter viros ac mulieres. Obſecro te in Chriſto, mi Frater, deſine his In vitis PP. l. 10. Sophron. in prato ſp. c. 141

Digitized by Google

Diſſolute in ſenes & tiberum corpora ſunt.

hit in locis commorari, ſed redi ad locum tuum: ad cellam pœnitentiæ, ubi poſſis ſalutare animam. Indignatus juvenis ille reſpondit: Vade ſenex in viam tuam. Deus non quærit niſi cor mundum & purum. Tunc in Cœlum manus tollens Senex, inclamavit: *O Domine Deus, laus tibi ſit & gloria, ecce quinquaginta annis in Scithi ſolitudine degò, & cor mundum non habeo; hic verò juvenis in locis diſſolutis frequenter agens, cor purum & mundum illibatè conſervat.* Ita Senex efficaciter his verbis perſtringens omnes, qui nihil ſibi caventes à conſortiis diſſolutorum hominum, putant interim cordis puritati hoc parum officere.

DE CANTU AMATORIO.

CAntus amatorii his turpiloquiis affines ſunt, eadem efficacia libidini prorſitandæ vel fovendæ cooperantes: Unde non ſolum aſpectu pulchritudinis, ſed & auditu modulatæ vocis pleroſque cadere inſinuat Poëta, dum ait:

Ovid de arte amandi. Crorian. l. de ſing. Clerie Simil de Baſiliſco & Sirenibus.

Res eſt blanda canor, diſcant cantare puellæ,
Pro facie multæ vox ſua lena fuit.

Nihil potentius ad enervandum animum juvenilem, quàm lenocinium melodiæ. Unde Cypr. ſic ait: *Mulier nunc in reſum diſſolvitur, nunc blanditias exhibet, & quod eſt venenoſius ſuper cuncta, pſallere delectatur, cujus cantu tolerabilius eſt audire Baſiliſcum ſibilantem.* Recte Baſiliſco comparantur, qui cantando alios inficiunt: Baſiliſcus enim dicitur ſibilo & flatu ſibi circumadjacentia inficere, & quandoque interimere: ſic & nonnulli cantu & ſibilo ſerpentino, & lubrico, aliorum audientium animos corrumpunt. Comparantur & hi Sirenis, quæ vocis modulatione navigantium aures & animos ſic detinere aſſerit, ut tandem ſoporatos, & ſui oblitos in mare mergat. Dicitur autem Siren eſſe ſpecies monſtri aquatici & marini, ore & pube tenus virgo inferne piſcis: qualis noſtro ſæculo in Britia captus vixit inter homines multos annos, dedicitque nere. Hac enim ſpecie homines ludificat dæmon. S. Baſil. ait Siren eſt dæmon, qui animum voluptate illicit & decipit. Nec aliud deſignat, quam voluptuoſas illas animas, quæ circa aquas voluptatis ſæcularis lubenter degentes, alios etiam blandis verborum illecebris, cantionumque laſcivis vocibus dementant, & in naufragium ducunt. Quod in choreis & ludis puellarum & juvenum non infrequenter accidit, ut propterea moneat Eccleſiaſt. *Cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis, ne audias illum ne forte pereas in efficacia illius.* Nempe inter ſaltationes & ludos, efficacia vocis animum quandoque penetrans, vulnerat & mergit.

Eccl. 9. 4.

Iſa. 13. 22.

Hugo Card.

De quibus ludis rectè & illud intellexerit, *Reſpondebunt ululæ in ædibus ejus, & Sirenes in delubris voluptatis.* Ululæ ut & inter pretatur Hugo Cardinalis, aures ſunt magnitudinis corvinæ maculis reſperſæ, quæ roſtro fixo mulcendo, ſtridentque ut quam canunt: Et rectè deſignant illiblutos alios juvenes, cantantes cantica luxuriæ. Habent hi noſtra ſira in palude, hoc eſt, in fœtore luxuriæ. Sirenes verò in delubris voluptatis, ſiſtas illas cantatrices deſignant, quæ loca illa in quibus luditur, ſaltatur, chorizatur, canitur, pro templis ſuis, & delubris habent, & voluptatem tanquam idolum, tanquam Deum ſuum adorant. Veneri pſallunt, illi ſuas voces dicant, illi ſuas proceſſiones faciunt, illi obſequuntur geſtu, manu, pede, voce. Hæc ſunt delubra & ædes ſacræ in Babylone, in ſæculi confuſione diebus etiam ſacris & feſtivis, hæ ædes ibi ſunt frequentatæ, Babylonico more. Et ſicut cantus ſacer Eccleſiæ provocat ad devotionem: ſicut profanus ille cantus in choreis provocat ad luxum & diſſolutionem.

Scimus quidem choreas & ludos hos in ſignum publicæ lætitiæ inſtitutos, ut in nuptiis & ſimilibus, ex ſe carere peccato, & in finem bonum referri poſſe, ita ut ſi his cum moderatione quis interfuerit, à peccato immunis exeat. Attamen, quia ut plurimum periculum involvunt, parentibus diligenti cuſtodiâ tunc invigilandum eſt caſtimoniæ filiarum ſuarum; quia illâ lætitiâ diffuſæ facilè ad illicita diffluunt, facilè ſeducuntur. Et cùm noctè plerumque choreæ illæ ducantur, nocturnæ & tenebroſæ ſecum vehunt accidentia, mœroris noctem parentibus patientia. Tunc enim ſæpè munerum corruptelæ ſpondentur, tunc loca privatim & ſecretò conveniendi & colloquendi excogitantur, tunc & tempus opportunum perquiritur & condicitur. Tunc inſtrumenta omnia haud negligit ſatan, quibus animas etiam caſtas ſubvertere novit. Qualia ſunt blanditiæ, colloquia lubrica, oculorum nutus, affixus intuitus, amplexus, contactus, & his affinia, quæ libidinis eſſe ſolent incentiva & irritamenta. Tunc verum eſt illud Poëtæ:

Mens erit apta capi, tunc cùm lætiſſima rerum
Vt ſeges in pingui luxuriavit humo.
Pectora dum gaudent, nec ſunt attrita dolore
Ipſa patent; blanda tunc ſubit arte Venus.

Sed de choreis & ejus periculis, iterum dixi ſuper Decalogi Præcepto tertio in fine. Vide ibi dicta.

LECTIO VII.

DE OSCULIS ET CONTACTIBUS.

POSTREMO dicamus, maximè efficaciter luxuriæ cooperari oſcula & amplexus mulieriſque attactus. Unde & hæc à pleriſque Theologis cenſentur peccata mortalia, ſi libidinoſe fiant; hoc eſt, intentione libidinis & voluptatis, etiam illius ſolum quæ ex attactu, aut oſculo, aut amplexu oritur, non intendendo ulteriorem actum

Oſcula & attactus qualia peccata,

Digitized by Google

consummationem. Nempe, quia cum naturâ sua ad consummatum actum ordinentur, & disponant fatis propinque, periculum non exiguum censentur
Eccl. 9. 12. involvere, & ideò ab his deterret Scriptura & SS. Patres. Ideòdicitur, *Cum muliere alienâ ne sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum.*
Eccl. 7. 27. De eadem dicitur: *Vincula sunt manus illius.* Ergo non attingendæ, ne capiaris; nec sermones attendendi, ne irretiaris; nec faciei pulchritudo, ne excæ
Prov. 5. 3. ceris. *Favum distillans labia meretricis, nouissima autem ejus amara quasi absynthium*, dicebat Sapiens. Cur verò meretricis labia favo mellis comparantur, nisi propter suavitatem sermonis, qui illecebra est libidinosi amoris? Rectè Hugo Card. in hunc
Hugo Card. locum. *Sicut in favo duo considero, mel & ceram, sic in facie meretricis video decorem & gratiam; hoc est, pulchritudinem oris & dulcedinem sermonis.* Succendit cera ignem sed mel præbet dulcedinem. Et sicut cum dulcore mellis latet cera fomentum ignis; sic pulchritudo meretricis igne libidinis inflammat carnem, blandimento vero locutionis subvertit mentem. Stillat mel, dum verba sua meretrix mollit, sed ignem accendit, dum suæ voluptati consentit. Ad hoc enim diligit mulier ut decipiat, decipit ut capiat, amat quod non es, sed quod habes.
Lepidum dictum de mulere. Ideò dixit etiam quidam non illepidè; Vocativus oculos, ablativos loculos gerit mulier, dativus si fueris genitivus poteris esse. Sic ergo meretricis mellita verba & blanditiæ fugiendæ procul, nam verum est illud,

Præmissas mellis sequitur conclusio fellis.

Prov. 7. 7. Attende mulierem illam de qua Sapiens: *Considero* (inquit) *vecordem juvenem, qui transit per plateam juxta angulum, & prope viam domus illius graditur in obscuro, ad vesperascente die, in medio tenebris & caligine.* Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, *præparata ad capiendas animas, garrula, & vaga, quietis impatiens; nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians.* Apprehensam deosculatur juvencm, & procaci vultu blanditur dicens: *Victimas pro salute vovi, hodie reddidi vota mea, idcirco egressa sum in occursum tuum, desiderans te videre & reperi. Irretivit eum multis sermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum. Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciviens, & ignorans quod ad vincula stultus trahatur donec transfigat sagitta jecur ejus; velut si avis festinet ad laqueum, & nescit quod de periculo anima illius agitur.* Tales verò juvenes vecordes ad cor reducere tentans Sapiens, hoc eis monitum animo paterno insinuat, quo à casu præmuniat: *Nunc ergo fili mi, audi me, & attende verbis oris mei. Ne abstrahatur in via illius mens tua, neque decipiaris semitis ejus. Multos enim vulnerator adjecit, & fortissimi quique interfecti sunt ab ea.* Itaque docet fugiendas occasiones & fortitias: quæ si non interficiunt, saltem inficiunt; si non comburunt, saltem denigrant. Sicut enim murus à candela juxta se posita non incenditur quidem, tamen fuligine & nigredine aspergitur, candoremque perdit: sic quidem ex familiaritate mulierum non ita quidam aduruntur, ut in peccatum cõsummatum incidant, ustulantur tamen, & coinquinantur frequentissimè. Ergo excusationi eis non est locus, ob periculum cui se exponunt. Et hoc maximè verum est, si oscula & blanditiæ accedant, quibus nihil periculosius.

Audi quod de his insinuavit Sapiens. *Fovea profunda os alienæ, cui iratus est Dominus incidet in eam.* Prov. 22. 14. Os porro alienæ rectè dixeris oscula ejus, vel colloquia. Unde in hanc sententiam sic ait Beda: *Qui verba veloces meretricis amplectitur, quasi januam jam gehennalis abyssi pulsat: citoque mergitur, si pedem cautus non retraxit, si non membra reliqua à vitiis cohibet, fovea præceps, in quam nullus omnino nisi filius iræ labitur.* Quasi dicat: Qui in foveam labi non vult procul ab illius ore recedat: sic qui non vult in fornicationis barathrum labi, longè se coërceat à colloquiis & sermonibus mulieris. Alioqui sicuti qui incautus ad oram alicujus putei profundi accedere non veretur, vento impellente, vel capite ob profunditatem turbato potest impingere, & irreparabiliter cadere: ita qui improvidus ad colloquium mulieris, quasi ad os putei accedit, potest vento tentationis impelli, & oculi capi, & tenebris offundi, inde exhalantibus vaporibus, & sic præcipitio se exponit. *Cui iratus est Dominus, incidet in eam.* Hæc omnia illis certius imminent, qui divinam iram aliis jam culpis demeruerunt; fit enim, ut qui alia peccata admiserunt, à quibus non effect difficile resipiscere, in turpem amorem incidant, à quo vix emergunt. Sic animum superbum Deus justè permittit in hanc ruinam cadere, dicente Augustino: *Nonnunquam desicit Deus occultam mentis superbiam, per manifestam luxuriæ ruinam.* Hoc experientia etiam docet. V. Beda. Augustin.

DE TERTIA SERIE
Structura.

Impudicitia consummantes luxuriam.

DICAMUS tertiò seriem tertiam hanc structuram consummantem ex actibus luxuriæ consummatus perfici: hoc est, ex fornicatione, adulterio, sacrilegio, incestu, stupro, raptu, sodomia, bestialitate, & aliis speciebus luxuriæ, sive naturalis, sive contra naturam: Quot enim species, tot sunt hujus maledicti muri saxa & lateres, quibus perficitur & consummatur, sub Asmodæo exactore, & operis hujus præfecto. Sed quoniam de singulis his luxuriæ speciebus super Præcepto sexto Decalogi tractavimus, superfedemus, & illuc Lectorem remittimus

LECTIO

LECTIO VIII.

DE LONGITUDINE MURI LUXURIÆ.

Multitudo ædificantium hunc murum.

LONGITUDO hujus muri, ob multitudinem ædificantium totum per orbem se extendit. Nempe hæc maledicta luxuria omnem ætatem corrumpit, omnem sexum confundit, omnem gradum perverterit, omnem statum invadit. Aggreditur enim Principes & Reges, mares & fœminas, prudentes & idiotas, superiores & inferiores, & ad extremum subvertit etiam Deo dicatos Sacerdotes & Religiosos. Differamus ordine quodam de singulis.

1. Reges & Principes.

Primò, quot Reges & Principes invicti bello & armis, libidini minus dedere victas? Respice Sampsonem à Dalila victum. Respice Davidem à Bersabee prostratum. Respice Holofernem à Judith præligatum. Recte ergo inter aulicos Darii Regis, Cum primus scripsisset: *Forte est vinum.* Et alius: *Fortior est Rex;* Tertius scripsit: *Fortiores sunt mulieres.* Probansque suum dictum sic edidisse it: *Credite mihi, quia magnus est Rex in potestate sua, quoniam omnes Regiones verentur tangere eum. Videbam tamen Apemenistiam Bexazi mirifice concubinam Regis, sedentem juxta Regem ad dexteram, & auferentem diadema de capite ejus, & imponentem sibi, & palmam cædebat Regem de sinistra manu. Et super hæc aperto ore intuebatur eam; & si arriserit ei, ridet: nam si indignata ei fuerit, blanditur donec reconcilietur ingratiam. O viri, cur non sunt fortiores mulieres?* Ad hoc etiam insinuandum dixerunt antiqui, famosum illum Herculem, post tot monstra domita, mulieris malesuado amore victum fuisse: adeo ut relinquens clavam suam, fortitudinis insuperabilis insigne, fœderet inter ancillas cum colu ad cingulum alligata, filium trahens, & stupam ad nendum aptam; quia ita præcipiebat illa cujus amore malesano devinctus erat & devictus.

3 Eldr. 4.

Itaque Reges & Principes luxuriæ servi & mancipia hunc murum ædificant sub Rege tartareo.

2. Juvenes.

Secundò juvenes & senes huic ædificio cooperantur indiscriminatim. Juvenes quidem ad hoc impellit ætas in Venerem proclivis & lubrica; hi sunt enim qui dicunt: *Coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum sit pratum quod non pertranseat luxuria nostra.* Agnovit hoc S. Augustinus qui adolescentiam suam describens, omnibus palam fecit, quomodo illa non solùm à se, sed & ab illis in ardore libidinoso consumi soleat. Sic ille dicit: *Et quid erat quod me delectabat, nisi amare & amari? Sed non tenebatur modus ab animo usq; ad animum, quatenus est limosus limes amicitiæ. Sed exhalabantur nebulæ ex limosa concupiscentia carnis, & scatebra pubertatis, & obnubilabant atq; obfuscabant cor meum, ut non discerneretur serenitas dilectionis à caligine libidinis. Utrumque in confuso æstuabat, & rapiebat imbecillam ætatem per abrupta cupiditatum, atq; mersabat ingurgite flagitiorum.* Quod Augustinus de se fatetur, hoc plerisque ea in ætate experiuntur: ita ut hic opus non sit exemplis. Attende Sichem filium Emor, violantem Dinam filiam Jacob; libidinem haud temperare potens, donec in stuprum efflueret. Attende Ammon fororem suam Thamar consobrinam; cujus amore pene emoriebatur. Attende Absalonem florentissimum juvenem, uxores Patris sui libidinoso incestu defœdantem.

Lib. 2. Conf. c. 2.

Quantum verò ad Senes, licet efflœta ætas jam terminum libidini imponere moneat; sunt tamen & plerique, qui vitio huic ab adolescentia dediti, illud in sepulchrum usque trahunt. De his verum est illud Job: *Ossa implebuntur vitiis adolescentiæ ejus & cum eo impul vere dormient.* Propterea & Sapientia inter tres species, quas se odisse pronuntiat, recenset *Senem fatuum.* Quis est autem Senex fatuus, nisi qui adolescentum adhuc vitiis delectatur, Venerem sectans & libidinem. Nempe senis jam capularis libido intempestiva est, & Deo odiosa: quanto enim quis ætate provectior est: tanto à voluptatum corporis titillationibus remotior esse debet; & canitie admonetur gravioribus curis incumbere. Hinc & illud:

Et Seneca. Job. 20. 11 Eccl. 25. 4.

Turpe senex miles: turpe senilis amor.

Interim multi etiam in illa ætate amantes fiunt & amentes, sive amore insanientes. Horum unum describens Tibullus, sic canit:

Eleg. 2. l. 2.

Vidi ego qui juvenum miseros lusisset amores,
Post Veneris vinclu subdere colla senem,
Et sibi blanditias tremula componere voce,
Et manibus canas fingere velle comas.
Stare nec ante fores pudet aut cantare puellæ
Ancillam medio detinuisse foro.
Hunc puer, hunc juvenis, turba circumstetit arcta,
Despuat in rugas & sibi quisque sinus.

Emblema de Morte & Amore.

Ad decidendam hanc senum imprudentiam & fatuitatem, finxerunt Antiqui in Emblematibus suis, Mortem, & Amorem qui Cupido dicitur quadam nocte ad idem hospitium appulisse, utrumque pharetrâ ornatum, & telis: nam & Morti & cupidini sagittæ attribui solent, cum pharetra. Cum autem subitò discedendum foret, inopinato suas pharetras cum telis commutasse dixerunt. Hinc postea, cùm unusquisque jaculandi munus suum exerceret, Cupido jacula dirigens contra juvenes, eos enecabat & lætabatur, Mors verò contra senes illos curuos & canos sua emittens tela, jam curuos erigebat, quos tumulo dejicere parabat. Jam videbantur juvenescere, floribus se coronare, vanitates chorcas, ludos, amores sectari. Quid mirum? Non erant tela mortis, sed amoris. Unde illud:

Hinc juvenes occidit amor, fallente pharetra,
Hinc mors ipsa suos cogit amare senes.
Discite hinc, humana quæ sint ludibria vitæ.
Mors thalamum sternit, sternit Amor tumulum.

Digitized by Google

3. *Divites & pauperes.*

Tertiò, ædificant hunc murum, & divites & pauperes: æque enim habitat & fovetur luxuria apud utrosque. Parum erat, vel in Palatio demorari, vel in tugurio: æque sub vili amne & sub rustico sago, atque in purpura vel lenteo locum sibi elegit.

4. *Sapientes & Idiotæ.*

Eccl. 19. 2.

Quartò, Sapientes & Idiotæ huic subserviunt structuræ maledictæ. *Vinum & mulieres apostatare facunt Sapientes.* Testis unus instar omnium ut ipse Salomon, qui à mulieribus dementatus, etiam à Deo fuit recessit, sapientissimus licet, & orbis miraculum: Ideo de muliere dictum est *Laqueus venatorum est, & sagena cor illius.* Qua duplici Metaphora significatur, per mulierem lubricam non tantùm capi illos qui tanquam pisces totos se mundanis aquis in hoc mari sæculo undoso immergunt pro quibus mulier sagena dicitur: Sed & illos qui tanquam aves sapientiæ alis in cœlum volare videntur; pro quibus mulier laqueus dicitur; quia sicut sagena pisces, sic laqueo captantur aves.

Eccl. 7. 27.

5. *Mulieris sexus.*

Quinto, maximè hoc vitio, & hoc ædificio, manicipatur sexus muliebris. Ille enim mollior virili ad luxuriam promtior est: & sic natura compositus videtur, ut blanditiis facilè veneatur, & succumbat; domque vincitur, virorum etiam animos fortes illecebris suis vincere tentat. Melle mollior mulier quasi mollis aer, enervat animum virilem lactanter & latenter. Unde multæ ex illis quæ virgines dicuntur, aut viragines, dicendæ potius forent voragines; quia viros vorant, & vires eorum atterunt, ut jam non viri sint, sed homines viles. Quantum ad hunc sexum libidini esse addictum, ut probemus haud necesse est; testantur satis, & sacræ & profanæ historiæ. Attende mulieres qua fodiente parietem templi Prophetæ Ezechielæ, inventæ sunt intus plangentes Adonidem, Veneris scilicet Amasium. Dixerunt Poetæ, Adonidem filium Cinaræ Cypriorum Regis, Veneris Amasium cùm juvenis esset pulcher, dente Apri occisum, quem Venus planxit quasi mortuum, sed mox revivisscentem cum gaudio recepit. Pingitur Adonis, inquit Macrob. capite obnupto, specie tristi, faciem manu læva intra amictum sustinens, lachrymæ visione conspicientium manare creduntur. Fœminæ ergo & viri libidinosi, hoc planctu Venerem colebant, eamque sibi reddebant propitiam. Ita S. Hieron. Testantur quoque antiqui historici, Corinthi fuisse Fanum Veneris, in quo erant plusquam mille filiæ Deo dedicatæ, & meretricio vacantes, tanquam sacris Deæ suæ, hoc opere eam colentes quasi obsequio sacro. Sic Ægyptii Cypriі, & alii populi templa sua habuere Veneri dicata, ubi filias suas prostituebant, & tanquam Deæ hujus sacrificulas per hæc abominabilia sacra reputabant. Hæc omnia manifestè declarant, quantum hic sexus luxuriæ sit addictus.

Ezech. 8. 14.

Fulgent. lib. Mythologg.

V. Macrob. lib. Saturn. c. 16.

Ovid. 10. Metam.

6. *Sacerdotes & Religiosi.*

Postremò, huic muro ædificando cooperari visi sunt multi, qui ex professione filii sunt civitatis Dei, Sacerdotes nimirum & Religiosi Deo dicati, ejusque charactere consignati. Illuc enim processit hoc malum luxuriæ, ut etiam non vereantur quidam de die contrectare Filium Virginis de nocte filiam Veneris: de die Filium Virginis offerre, in altari, de nocte fi iam Veneris fovere in cubili. Hæc patebunt in die illo qui deteget omnia abscondita tenebrarum, omnia occulta cordium. De his agens S. Cyprian. sic dicit: *Quanti & quales Episcopi, & Clerici, post confessionem & victoriarum certamina, post magnalia, & signa mirabilia usquequaque monstrata, noscuntur cum his omnibus naufragasse, cùm volunt in navi fragili navigare? Quantus leonis dentes una infirmitas delicata, id est luxuria, quæ cùm sit vitii & miseria, de magnis efficit prædam?* Blandum sanè malum luxuria quam accusare aliquanto facilius est, quàm vitare. Nam principaliter hoc vitio humano generi dominatur diabolus, de quo Job dixit: *Sub umbra dormit in secreto calami, & locis humentibus*, quod de carnis luxuria interpretatur S. Isidorus & alii Patres.

S. Cypriā. l. de ing. Clerico.

Job. 40. 16.

Isid. l. 2. de sum. bon. c. 39.

Diaboli amor iniquitas, ejus filia 7. vitia cap.

Ad idem significandum dixit quidam ex antiquis, diabolum sibi in uxorem desponsasse iniquitatem, ex qua varias suscepit filias, superbiam, avaritiam, usuram, furtum, rapinam, mendacium, tandem simoniam, hypocrisim, invidiam, & similes, sed præcipuam ejus filiam fuisse luxuriam, illas enim priores in Matrimonio quodam collocavit; nam superbiam desponsavit nobilibus & potentibus, avaritiam & usuram mercatoribus, rapinam & furtum militibus, mendacium & fraudem artificibus & advocatis, simoniam Ecclesiasticis, hypocrisim Religiosis, invidiam Aulicis. At verò luxuriam voluit esse liberam, & omnibus communem, ut per eam lucrari posset innumeros cujuslibet status & sortis; quod in finem sæculi peragit.

Habes in vitis Patrum multa exempla eorum qui post longam castitatem per luxuriam ceciderunt; & horum aliqui lapsi sunt irreparabiliter, alii divina luce & ope resurrexerunt. Quidam post quadraginta annos in deserto exactos in omni sanctitate, ita ut per Angelos pane cœlesti pasceretur, tandem per mulierem corruit, & in peccatis diem extremum clausit. Alter quispiam senex solitarius, cum in gravem incidisset ægritudinem, jamque diu ei Fratres servissent cum sollicitudine & charitate, veritus eos ulterius gravare dixit: *Vado in Ægyptum, ne iterum Fratribus meis sim onerosus.* Dixit autem ei Abbas Moyses: *Noli Pater discedere, nam fornicationem incurrisse es.* At ille contristatus hoc responso, ait: *Mortuum est corpus meum, & tu mihi ista dicis?* Abiit ergo in Ægyptum: cumque audissent homines circumquaque habitantes, visitabant eum, & multa offerebant. Venit quoque ad eum virgo fidelis, ut ei in infirmitate serviret. Cùm autem post tempus aliquantulum paulo melius habuisset, cognovit eam, & ex ipso concepit. Interrogata à vicinis, unde concepisset? Respondit: *De Senesllo.*

Speculum Exempl. V amor illicitus. Exempl. 6. ad lib. doct. P. P. l. de fornic. n. 12.

Cumque:

Cumque illi non crederent, dicit Senex: *Ego feci, sed custodite infantem.* Cum autem genuisset infantem, & ablectatus fuisset, Senex tulit eum in humeris, & rediit ad Fratres, & in Ecclesia coram multitudine Fratrum dixit: *Videte hunc infantem, filium est mobedientiæ meæ. Cavete ergo Fratres, quia in senectute hoc feci, & orate pro me.* Sic pergens ad cellam, reversus est per ulteriorem pœnitentiam.

Vide etiam exemplum quod retuli in Candelabro Mystico, Tract. 5. Lect. 1. in fine. Videre etiam potes vitam S. Jacobi Eremitæ apud Surium 28 Januarii, de quo ego in Horto Pastorum, Lib. 2. Tract. 3. Lib. 16. in fine.

LECTIO IX.

DE SEPTEMPLICI TUBA CONTRA MURUM LUXURIÆ.

Tuba 7. clangentes contra luxuriam.

PRIMA Tuba est vox divina in lege antiqua, detonans contra fornicarios, mœchos, incestuosos, stupratores, sodomitas, bellialesque homines. Nam Tuba illa in monte Sinai proclamat. *Non mœchaberis, Non concupisces uxorem proximi tui, Maledictus omnis qui dormierit cum uxore proximi sui, & dicet omnis populus, Amen* Et iterum: *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat, ut revelet turpitudinem ejus* Rursus: *Non erit meretrix de filiabus Israel, neque scortator de filiis ejus.* Deinde: *qui dormierit cum masculo coitu femineo, morte moriatur* Denique: *Qui coierit cum jumento morte moriatur.* An non hæc omnia in lege personantia, pertterrefacere debent mentes quaslibet luxuriæ cujusvis generis deditas? An non diruere debent seriem omnem hujusce maledictæ structuræ, ex quacunque laterum specie constantem? Quæ enim species luxuriæ sacris hisce oraculis specialiter non est condemnata? Audiant ergo tubam hanc multiplici sapore sonantem fornicarii & mœchi, incestuosi & stupratores, sodomitæ & belluini homines: & animent à se omnia hæc vitia, eorumque vel minimas occasiones.

Exod. 20. 14. Deut 27. Levit. 18. 6. Deut. 23. 17. Levit. 20. 15. Exodi 22. 19.

Eccl. 9.

Secunda tuba, vox est divina in libris Sapientiæ. Ecclesiasticus enim toto capite 9. declamat contra luxuriosos, contra omnes muliebri consortio infeliciter colligatos: nexum Veneris efficaci voce sua inter hos non tam dissolvere quàm disrumpere connitens. Iterum idem proclamat: *Ne respicias mulierem alienam viri, & ne scruteris ancillam ejus, neque steteris ad lectum ejus.* Præterea alias voces in libro Proverb. & alibi per sapientiam efficacissimè in vitia hæc invehentes, de quibus sparsim jam aliqua dicta sunt.

Idem 41. 27.

Amos 6. 4.

Tertia tuba, vox est Domini per Prophetas contra impudicos & lascivos personans. Audi primò Prophetam: *Væ qui dormitis in lectis ebur.ea, & lasciviis in stratis vestris.* Alia Lectio habet, *Væ vobis qui indecorè estis vos dilatantes in stratis vestris lascivis & lordinosis.* Audi Ozeam hic inclamantem. *Audite filij Israel verbum Domini: Judicium Dominus cum habitatoribus terræ, quia maledictum mendacium, furtum, adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit:* Id est, interprete Rupertо, adeo luxuria invaluit, ut consanguinei invicem sanguinem & semen commiscerent, sese mutuò polluentes & incestuantes Audi 3. Nahum *Ecce ego ad te & revelabo pudenda tua in facie tua & ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.* Hæc vox & tuba insonare dicitur auribus luxuriantium: quibus Deus per Prophetam minatur occultas spurcitates, fœditates, fornicationes, pollutiones, quas in secreto se commisisse putant, se propalam facturum: & coram omnibus regnis abominanda illa scelera ignominiosissimè detecturum: ut tandem in publico orbis theatro erubescant, qui in privato conclavi coram Deo & Angelo haud erubuerunt, ad omnia projecti scelera impudenter & imprudenter. Audi 4. Prophetam Joel, *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Josaphat, & ibi disceptabo cum eis*; quia posuerunt puerum in prostibulum, & vendiderunt puellam pro vino. Eò impietas luxuriæ procedit in quibusdam populis, ut pueri prostituantur & puellæ pro vilissimo pretio: Hoc se arguere debere proclamat Deus in generali illo judicio similiaque luxuriosorum hominum scelera gravissima ultione plectenda denuntiat.

Rupert. in eum loc. Nahum. 3. 5. Joel, 3. 2.

Quarta tuba, est vox divina in Evangelio: Cujus hic est clangor: *Dictum est antiquis: Non mœchaberis? ego autem dico vobis: Quicunque viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Et iterum: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, quia mundatis quod deforis est calicis, & paropsidis, & intus plenum estis immunditia: Væ vobis Scribæ & Pharisæi, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia.* Rursus Matth. 15 *De corde exeunt cogitationes malæ, adulteria, fornicationes; hæc sunt quæ coinquinant hominem* Itaque clangor Evangelicæ tubæ sonantibus inclamat contra interna luxuriæ peccata, cogitationes, delectationes, consensusque interiores quam legis antiquæ tuba; eaque clarius reprobat & condemnat.

Mat 5. 27. Id. 23. 25. v. 27.

Quinta tuba, est vox Apostolica valdissimè insonans variis locis contra hæc peccata. Apostolus Paulus, Buccinam inflans, hanc vocem resonare facit: *Fugite fornicationem. Omne enim peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus suum est, qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Et iterum: *An nescitis quoniam corpora vestra templum sunt Spiritus sancti & membra Christi? Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis?* Concludit denique: *Empti estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro* Quæ omnia fusè explicuimus super Præcepto 6. Decalogi. Contradem vitium personat ipse scribens ad Thessalo-

1. Cor. 6. 18.

Ró 13.15. 1. Theſſ. 4 3. Ephe.5.5. Hebr 13 4. Gal. 5.19. Ioniceníes, ad Epheſeos, ad Hebræos, ad Romanos. *Fratres hora eſt nos de ſomno ſurgere : Non in cubilibus & impudicitiis, non in contentionibus & æmulationibus, ſed induimini Dominum Ieſum Chriſtum. Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra, ut ſciat unuſquiſque vas ſuum poſſidere in honore & ſanctificatione, non in paſſione deſiderii, ſicut gentes quæ Deum ignorant. Omnis fornicator aut immundus non habet hæreditatem in regno Dei. Fornicatores & adulteros judicabit Deus. Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia luxuria, &c. quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* Attende quàm frequenter, quàm efficaciter percellat Apoſtolus voce & vice Dei, ſtructores muri luxuriæ.

Ró 6.21. Sexta tuba eſt, eſt vox propriæ conſcientiæ, quæ interius intonat luxuriolis : *Quem fructum habuiſtis tunc in his, in quibus nunc erubeſcitis?* Voluptas enim eſt quidam hamus diaboli ad pernicium trahens : Voluptas eſt mater peccati : Voluptas eſt ſtimulus mortis : Voluptas eſt nutrix æterni vermis : quæ ad tempus demulcet fruentem, at poſtea felle amariores retributiones facit, ut loquitur Ambr. Idcò Ambr.l.6. ep. 42. conſcientia voluptuoſis intus ſtridens, facit illos in noviſſimis gemere, poſtquam conſumpſerunt carnes & corpus ſuum : ab illiſque hanc vocem elicit inquietam, quaſi tubam continuo buccinantem & intima omnia concutientem : Prov.5.12. *Cur deſpectus ſum diſciplinam, & increpationibus non acquieſcit cor meum, nec audivi vocem docentium me, & Magiſtris non intendi? Pènè fui in omni malo, in medio Eccleſiæ, & Synagoga.* Hæc enim eſt vox conſcientiæ, feria quidem ſed nimis fera. Quæ iterum exprimitur Sapientiæ 5. Sapien.5.7. *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, ambulavimus viam difficilem, viam autem Domini ignoravimus.* Ideo Salomon Eccl.7.27. propria conſcientia & ſynderesi ſtimulatus, de ſeipſo inclamat : *Invenio amariorem morte mulierem, quæ laquei venatorum eſt, & ſagena cor illius, vincula ſunt manus illius. Qui placet Deo, effugiet illam; qui autem peccator eſt, capietur ab illa.* Ita loquitur ad cor converſus, non abſimilis illis, qui poſt ebrietatem profundam, & ſomnum brutalem ad ſe redeunt. *Luxuriosi ſimiles ebriosis.* His enim vini fæces totum guttur mira amaritudine & alteratione inficiunt, ita ut illud deteſtentur, & ad aſpectum ejus nauſeam concipiant : Sic poſt ſtium mulierum videtur contigiſſe Salomoni, ut ſe ipſum deteſtaretur, & ſexum illum. Et quæ prius melle ipſi dulciores viſæ fuerant, ita ut vix ei ſufficerent uxores ſeptingentæ, & trecentæ concubinæ, nunc felle amariores eas invenit : Quid dico felle? Morte amariores eas judicat, cum amarorum omnium amariſſimum ſit mors, ſic terribilium terribiliſſimum. Nec tamen irrationabiliter ſic loqui conſendus eſt, ſed per os ejus Spiritus ſancti id eloquitur, omnes inſipientes eruditens, ut hoc vitium evitent quaſi mortem acerbiſſimam, omnia opera viva, omnia bona ſpiritualia internecioni dantem, atque animam ipſam æterna vita orbantem, mortique perenni addicentem.

Septima tuba, vox eſt divini judicii, quæ inſonat per Angelum, Tibicinem cœleſtem, in libro Apoc. *Exercitu, & homicidia, fornicatoribus, & veneficis pars illorum in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quæ eſt mors ſecunda.* Et iterum in eodem libro Apoc.21.8. inclamatur : *Cecidit cecidit Babylon illa magna, mater fornicatorum & facta eſt habitatio dæmoniorum. Væ cæcitati ſanguinum.* Quænam eſt hæc Babylon, mater fornicatorum? Quænam hæc civitas Apoc.18.2. ſanguinum, niſi ſocietas impiorum, & præſertim immunditiæ ſervientium? Hæc eſt civitas quæ ædificatur & ædificat in ſanguinibus, ex adulteriis nimirum & fornicationibus ſtupris, & immunditiis carnis conſtructa & compaginata ; quæ quidem peccata nomine ſanguinum frequenter in Scriptura deſignantur, eo quod ſanguinis, hoc eſt ſeminis humani effuſione impura, & impia conſummentur. Contra hanc ergo civitatem ſanguinum divini judicii tuba jam ab initio in lege naturæ, in lege veteri, in lege gratiæ inſonuit, nec ceſſat quotidie perſonare, donec poſſi emam in die illo orbis decretorio edens vocem, totam illam ſynchrus demoliatur, ut non reſtet veſtigium ejus, niſi ſulphureis æternisque incendiis.

LECTIO X.

DE SEPTEMPLICI ARIETE CONTRA MURUM LUXURIÆ.

Exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea. Pſal. 136.

EXinanite uſque ad fundamentum hunc luxuriæ murum, non eſt aliud, quàm omnes non ſolùm ejus actus, ſed & delectationes, & cogitationes exſcindere Atque omnes occaſiones peccati hujus ita à nobis rejicere, elongando ſe ab omnibus illectamentis, ut nullum ejus veſtigium in nobis poſſint reperiri, aut certè nulla ejus tentatio in nobis convaleſcere, & roborari Quod fiet, ſi initio *Initia vitiorum accurandi.* ſtatim illi obſiſtatur, ſi ſtatim proſligetur, & obruatur, mente intenta, & conatu continuo. Hoc quidem in omnibus vitiis locum habet, quia diligenter contra initia malignæ ſuggeſtionis connitendum eſt, ut elidatur nequitia dæmonis in ſemine : maximè tamen in hoc vitio, quia vigilantiſſimè aditus omnis illi præcludendus eſt. Et ſi quando in nobis robur acceperit, per ſuggeſtionem, delectationem, conſenſum, vel etiam opus perpetratum : ita omnes poſtmodum ſtructuræ ipſius lapides diruendi ſunt, ut ad fundamentum uſque pertingatur. Alioqui inanis erit omnis conatus, niſi ſtato fundamento, quod ſi permaneat, mox lapides novos exſeipſo aggerere, ſibi natum eſt, & in novam

Digitized by Google

vam ſtructuram ſe erigere, vitia vitiis connectendo & aggluti̇nando. Fundamentum igitur luxuriæ eſt omnis occaſio, quâ fovetur carnis concupiſcentia, omnis familiaritas & conſortium lubricitati obnoxium. Hæc vitanda, hæc diruenda planè. Quapropter SS Patres ſingulare præſidium contra luxuriam aſſerunt eſſe fugam occaſionis, & hæc eſt uniformis doctrina omnium hac in re peritorum & expertorum. Hinc ille verſus:

Alanus de planctu Metro 3.

Si vitare velis Venerem, loca, tempora vita;
Nam locus & tempus, pabula præbet ei.
Si ſuperſequitur, ſequitur: fugiendo fugatur:
Si cedit, cedit; ſi fugit, illa fugit.

De hac re latius egi in Horto Paſtorum **Tom. 2.** Tract. 3. Lect. 10. ſub finem. Vide ibi dicta.

Cæterùm, ut ordini à nobis hactenus conſtituto, inſiſtamus producamus hic arietem ſeptemplicem, quo quaſſare & exmanire valeamus omne fundamentum luxuriæ, illudque penitùs à nobis eliminare. Erunt verò hi arietes, conſiderationes efficaces, quibus inſtructus animus, omnem à ſe luxuriam facilè propulſare, planeque abominari poterit.

1. *Arietis. Conſid. fœditatis, vilitatis, ac brevitatis hujus vitii.*

Primus itaque aries, quo diruitur luxuriæ murus, eſt conſideratio efficax fœditatis, vilitatis, ac brevitatis quæ in voluptate veneræ reperitur. Certè vilitas ejus ac fœditas ita manifeſta eſt, ut propriè nomen turpitudinis ei aſſignetur, & qui huic dediti ſunt, comparantur belluis fœtidis, porcis in volutabro luti ſeſe convolventibus, canibus immundis, mulis & equis hinnientibus, quibus non eſt intellectus. Nempè luxuria belluinum eſt vitium, quia omnia ſenſu & cupiditate carnali metitur, quæ nobis communis eſt cum belluis; ratione autem neſcit ſe moderari, quæ eſt propria homini. Hinc & fœditatem ejus, velint, nolint, agnoſcere cogantur, qui illi ſe addicunt; ideoque pudefacti refugiunt lucem, ſemperque formidant ne in illa fœditate deprehendantur. Inde etiam factum eſt, ut quibusdam Sanctis Deus fœtorem hujus peccati agnoſcere dederit, ſi quando illo quis maculatus ipſis obviaret: Sic de S. Catharina Senenſi legimus. Quoties illam impurus aliquis alloqueretur, vel occurreret, ſenſiſſe fœtorem ex anima ejus exhalatum, ita ut vel faciem avertere cogeretur, vel etiam ad vomitum quandoque provocaretur. Idem de S. Euthymio Abbate refertur apud Surium 20. Januarii. De S. etiam Pachone Abbate refert Palladius, dæmoni in ſpecie Æthiopiſſæ adipſum tentandum adventanti colaphum infregiſſe, ſed fœtorem tantum manui contraxiſſe, ut vix duobus annis eluere potuerit. Tanta ergo eſt turpitudo, tanta vilitas, tantus fœtor hujus vitii, ut merito abominationem parere debeat illi, qui verè homo eſt ratione ſe regens, nec ſimilis fœtus jumento inſipienti. Sed neque ſolùm vilitas, aut fœditas, in voluptate carnali reperitur, verùm etiam ſpurciſſima brevitas. Brevis utique eſt & momentanea voluptas fornicationis; perpetua verò pœna fornicationis. Sic maximè hic verum eſt; *Momentaneum eſt quod delectat, æternum verò quod cruciat.* Et nonne iniquiſſima eſt permutatio, quo brevis horulæ turpi voluptate, æternitatis aleam jactare, æternum gaudium perdere, & mercari dolorem nunquam interiturum.

Invita PP. l. 8. Palad. in hiſt. Lauſiaca, c. 29.

Secundus aries quo impetitur luxuria, eſt efficax conſideratio indignitatis ejus in homine Chriſtiano; quandoquidem adverſetur unctioni & conſecrationi ſuæ in ipſo repetitæ. Spurca enim illa voluptas corrumpit fœdè imaginem Dei, violat templum vivum Spiritus S. quod eſt corpus humanum in Baptiſmo conſecratum & unctum, pretio Sanguinis Jeſu Chriſti emptum & ſacrificatum, iterùm in Confirmatione ſacro Chriſmate perfuſum, deinde toties in Euchariſtia auctori puritatis conjunctum, denique in reſurrectione incorruptionis perpetuæ munere donandum. Vocationi ergo Chriſtianæ, redemptioni, ſanctificationi, glorificationi mirum in modum hæc carnalis corruptio adverſatur, ut merito illam horrere debeat animus Chriſtianus. Horum omnium pernoveri debet efficaci conſideratione, ne membra Chriſti, ne domum Dei, ne templum vivum Spiritûs Sancti, in injuriam totius Trinitatis, per quam & in qua ſanctificatus eſt, violet & polluat libidinis ſpurcitia: & ne tandem diſperdat illum Deus, tantam injuriam impunitam non relicturus. De hac re latiùs egi ſuper Præcepto ſexto Decalogi ſub initium. Vide ibi dicta fusè.

2. *Conſid. indignitatis ejus in Chriſtiano.*

Tertius aries eſt, conſideratio efficax remorſus conſcientiæ voluptatem hanc ſubſequentis, qui tanquam furia infernalis inquietum reddit jugiter animum, & cito præterlapſam delectationem amariſſimo felle aſpergit. Unde dixit Boetius *Habet omnis hoc voluptas, ſtimulis agit fruentes: aptumque par volantum, ubi grata mella fudit, fugit, & nimis tenaci ferit ictu corda morſu.* Hoc etiam expreſſit Sapiens: *Favus diſtillans labia meretricis, nouiſſima autem ejus amara quaſi abſynthium, & acuta quaſi gladius biceps.* Utique biceps gladius, qui animam & corpus transfigit; qui & jaculum venenatum relinquit, continuo lancinans & vulnerans. Habet ergo plus fellis quàm mellis libido; longè major eſt, & amarior triſtitia quæ conſequitur, quàm delectatio quæ præceſſit: quod & agnoſcere coguntur, qui luxuriæ vacant. Agnovit id Salomon inclamans: *Inveni amariorem morte mulierem.* Agnovit Ammon poſtquam ſororem ſuam Thamar violavit, quàm deperibat: nam poſteà triſtitia tanta tranſfixum animum geſſit, ut longè foret odium majus violatæ, quàm amor integræ, qui præceſſerat. Agnovit & Auguſt. inclamans: *Effer bus miſer ſequens impetum fluxus mei, vel ille tu, non eras ſi ego ille tua: Nam tu ſemper aderas, miſericorditer favens, & amariſſimis aſpergens offenſionibus omnes illas itus jucunditates meas.* De hoc ſtimulo conſcientiæ continuò corrodente luxuriosos, fusè etiam dixi ſuper Præcepto Decalogi, Propoſit 3. Lect. 8. Ideoque illuc recurrendum.

3. *Conſid. remorſus conſcientiæ poſt peccatum.*

Prov. 5. 3.

Eccl 7. 27

2 Reg. 13. 15.

Aug.

Digitized by Google

4 *Conſid. noviſſimorum* S. Greg.

Quartus aries luxuriæ murum convellens fortiſſimè, eſt ſerià mortis aliorumque noviſſimorum conſideratio. Nihil enim (teſte S. Greg.) ad edomandum deſideriorum carnalium appetitum ſic valet, quàm ut unusquisque hoc quod vivum diligit, quaſi ſit mortuum perſpiciat. Quod ipſum docet S. Iſidorus, ſic præſcribens: *Quando impulſus Daemonum meus ad delectationem fornicationis impellitur divinis judiciis metum, & aeternis tormenta incendii ante oculos proponantur: quia nimirum omnis poena gravioris ſupplicii formidine ſuperatur. Sicut enim clavum clavum pellit, ita ſæpè recordatio ardoris gehennæ, ardorem ex ludis luxuriæ.* Idem præſcribunt & alii Patres. & in praxim deduxerunt illi qui caſtimoniæ conſervandæ ſollicti fuêre. Audi Thomam de Cantiprato. Vidi ſanctum Virum M. Guidonem, Presbyterum monalium Nivellenſium, de quo certiſſimè ferebatur quod cùm in Sonegio, Hannoniæ oppido, ſcholas regens incautè ſemel fœminam contemplatus fuiſſet, per tres annos etiam ipſa mortua ita tentatum fuiſſe, ut præter id quod vigilans ſuſtinebat, omni nocte in ſomnis crederet eſſe præſentem. Sentiens ergo Diabolum non ceſſare, clàm tumulum mortuæ mulieris aperuit, naresque in cœno putrefacti corporis tamdiu tenuit, ut penè fœtore nimio ſuffocatus, quaſi mortuus caderet roſupinus. Quæ res in tantum valuit ſancto viro, ut nullum poſtèà ſtimulum in carne ſentiret. Imitatus ille fuit alterum illum Eremitam Scythiæ, qui cùm non ignoraret ſepultam fœminam, cujus memoria ſæpè animo recurrebat, ingreſſus ſepulchrum, abſtulit putridi cadaveris partem, eamque conſervavit panno involutum: ut cùm perſentiſceret libidinis commotionem, fœtorem hunc naribus applicans, tali ſensûs molestia victoriam ſuper carnem, per carnem reportaret. Ita habetur in vitis Patrum. Vide hac de re plura *Lib. 2. Horti Paſtorum, Tract. 1 Lect. 10. tit. de 3. remedio.*

Iſid. l. 2 de ſum. bono c. 39.

Cantipr. l. 2. Apum c. 30. In vitis PP. l. 5. nic. nu. 3.

Part. 2. de Formic.

Itaque concludendum hic & certo aſſerendum, nihil efficacius deſtruere murum hunc ſatanæ noviſſimorum attentâ conſideratione. Nam menti hoc objiciendum tanquam certiſſimum: Si carnem ſequeris, in carne punieris: Si in carne delectaberis, in carne cruciaberis. Non poteſt juſtitia Dei aliter judicare; qui plùs ſæculum diligit, quàm Deum, aut luxuriam, quàm caſtitatem, ipſe ſequitur ſatanam, & ſimul cum illo in ſupplicium æternum. Attende diligenter quid ſunt, & quid fuerunt, qui ante pauca tempora nobiſcum viſi ſunt, Cinis ſunt & vermis, comederunt, biberunt, riſerunt, luxuriati ſunt, in bonis dies ſuos duxerunt, & in punctò ad inferna multi eorum deſcenderunt: hic caro vermibus, illic anima ignibus deputatur. Quid profuit illis brevis lætitia? quid voluptas carnis? De grandi exultatione in ruinam, de exultatione in perennantem cecidere triſtitiam. Tibi idem accidere poterit, ſi carnem ſequeris; quia humus de humo, terra de terra es, in terram reverſurus. Et forſitan hodie mors te expectat, tu quoque illam expecta, & elige unum de duobus, aut æternum cruciari cum impiis, ſi deſiderta carnis ſectatus fueris; aut æternum regnare cum Sanctis, ſi illis reſtiteris, & illa contraveris. Hoc autem ariete, hoc eſt, mortis, judicii, inferni, æternitatis futuræ ſeriâ conſideratione abſque dubio conterere deſideria illa poteris, ſi vo'ueris.

Quintus aries quo impetitur luxuriæ luroſus paries, eſt frequens & fervens oratio cum vera fide & humilitate conjuncta. Oratio enim à carnalibus deſideriis animum abſtrahit, ad cœleſtia transferens; fugatque Aſmodæum dæmonem, & ſolo ſternit omne ejus in nobis ædificium. Nam per orationem, Aſmodæus dæmon luxuriæ fugatus eſt à Sara uxore Tobiæ junioris. Et verum eſt de illo illud Matth. 17. *Hoc genus Daemoniorum non ejicitur, niſi in oratione & jejunio.* Nempe cùm per orationem Spiritus S. advocetur, ejus præſentiam non ſert dæmon; ſed ſtatim fugatur cum ſuis carnalibus ſuggeſtionibus. Maximè verò id fit, ſi fidei fervore ſit munita oratio, quod monet Apoſtolus: *In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere:* Si & humiliter ſit roborata; namque cor contritum & humiliatum non deſpicit Deus. Cor verò ſuperbum juſta animadverſione in luxuriæ barathrum cadere permittit, ut ſe humiliet. Sæpè enim fit, ut qui ſuperbiendo ſuper alios volare, illosque aſpernari volebat, inſtar avis in ſublime alas expandens; jam more beſtiæ luxuriando in imo ſe jacere cernat; ſicque de ſe non ultrà præſumit, qui de volatu volucrum. In ſtercore jacet jumentorum per carnalem appetitum. Hoc porrò orationis humilis munimentum & machinam validiſſimam, per quam adverſus luxuriæ murum arietare valeamus, & illum exinanire, docuerunt nos viri ſancti. Unde Sapiens ſic de ſe dicit. *Scivi quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det,* & idcirco *ait Dominum, & deprecatus ſum illum.* Suſanna quoque, ut luxuriæ reſiſteret, adit Dominum, & vi orationis humilis omnem vim ſatanæ elidit, caſtitatemque ſuam ſartam tectam cuſtodit. Sic & S. Thomas Aquinas, cùm illecebroſa juvencula in ejus cubiculum immiſſa foret, ut ejus caſtitatem ſubverteret, adit Dominum oratione humili: *Ne ſinas quaeſo Domine Ieſu, & tu Sanctiſſima Mater & Virgo, ut tam immani me ſcelere obſtringam.* Mox autem per hanc orationem vires accepit ad evertendum omne molimen diabolicum, ejusque vim omnem atterendam. Nam & adfuere Angeli lumbos ei cingentes, in ſymbolum perpetuæ caſtimoniæ. Vide etiam hac de re plura *Lib. 2. Horti Paſtor. Tract. 3. Lect 10.*

5. *Crebra & fervens oratio.*

Tob. 6.

Eph. 6. 16.

Sap. 8. 21. Dan. 13. 35.

Sextus aries prioti adjungendus, eſt carnis caſtigatio & maceratio, ſive per jejunia & vigilias ſive per cilicia & flagellationes, aut id genus alia. His machinis ad evertendam luxuriæ ſtructuram, uſi ſunt omni ævo caſtitatis æmulatores et. Unde Apoſtolus: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo,*

6. *Caſtigatio corporis.*

1 Cor. 9. 27.

ne fortè cum aliis prædicaverò, ipse reprobus efficiar. Ea Paulus, Dux militiæ noſtræ, quibus armis & machinis pugnandum nobis ſit adverſus carnem & ſatanam, nos prævio ſuo exemplo docet, ut digniſimus recenſeri incolæ & milites civitatis Dei; ut ne unquam inveniamur accolæ, & cives reprobi civitatis diaboli. Hunc præclarum Ducem & aliis iisdem armis eodem in prælio ſunt ſecuti. Audi S. Hieron. *Omni auxilio in eremo deſtitutus ad Jeſu pedes, rigabam lachrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia ſubjugabam. Meminisse clamantem, diem cum nocte crebro junxiſſe, nec priùs à pectoris eſſe verberibus, quàm Domino increpante rediret tranquillitas.* Idem peregit B. Juſtina, teſte Nazianzeno, cùm à Cypriano Mago pelliceretur ad libidinem. Audi ejus verba. *Jeiunis atque humi cubitationi pharmaco ſe communit, ut formæ venuſtatem tamquam inſidioſam obſcuraret, ſicque flamma materiam ſubtraheret ac libidinis facem extingueret, partim ut hoſtis ſua propè ſum ſibi Deum & exorabilem redderet. Nequeunt enim ulla re perinde ac corporis animique afflictione conciliari Dei, lachrymisque miſericordia citiſſimè rependi ſolet.* Hæc Gregor. Nazianz. qui & alibi animæ ſuæ deplorans calamitatem, fatetur ſe iisdem machinis contra luxuriam pugnare. Ventri inquit, clauſtra impono, animum mœrore conficio, lachrymarum vim profundo, ſempiterno Regi debilitata genua flecto, ſordidatus incedo, pro lecto mihi eſt pavimentum lachrymis perfuſum, pro linteis cilicium.

Hier. ad Euſtoch. epiſt.

S. Greg. Naz. de laude S. Cypr.

Sed & quidam Sancti extraordinariâ corporis maceratione adverſus luxuriam uſi ſunt. S. Benedictus ſe in vepres ardentè uſtulat, donec libidinem opprimeret & exinaniret. S. Bernardus in lacum vicinum frigidiſſima aura uſque ad collum ſe mergit. S. Franciſcus in nives ſe projecit, donec conglaciatus, luxuriam omnem evincerèt. Sic & alii alià caſtigatione corpus macerarunt, ut victoriam reportarent.

7. *Continua præſentia Dei conſid.*

Septimus aries contra luxuriam, eſt continua præſentia Dei objecta oculis mentis, tamquam Judicis ſeveriſſimi turpitudinem ſi committas te ſpectantis, & mox vindicantis; peccantis enim cervicem mox divinus incumbit mucro, ſequiturque eum ultor à tergo Deus. Juvat etiam præſentia ipſius Angeli, tibi à Deo conſtituti cuſtodis. In hac attenta conſideratione facilè eliditur omnis luxuria. Quomodo enim rem ſœdam attentare audebit coram Angelo ſuo Cuſtode, coram Deo quoque ſpectatore & Judice, qui coram homuncione planè erubeſceret? Quinimò contra omnem libidinis tentationem oportet ob oculos ſibi ponere Jeſum præſentem, Cruci pro te ſuffixum. Hæc efficax conſideratio vim dabit ad diruendum omne diaboli molimen, ne in corde tuo luxuriæ ſtructuram valeat erigere. Hoc nos edocent quoque SS. Patres. Inter hos Hugo de S. Victore ſic ait: *Quoties te ſentis turpibus cogitationibus pulſari, & ad illicitam delectationem affici, totiès pone ante mentis oculos, quomodo Chriſtus in Cruce crucifixus eſt pro te. Intuere quomodo à ſuis Judæ traditur, & quàm vilèr pertractetur, blaſphemetur, & colaphizetur, judicetur, & condemnetur, expolietur, & flagelletur, ad ultimum verò contumeliis affectus inter duos latrones ſuſpenditur, clavis Crucis affixus, ſpinis de ſua, ſpinea coronatus, lancea perforatus, ex omnibus partibus ſanguis emanat, & inclinato capite emittit ſpiritum. Ita Redemptor tuus moritur pro te, & tu neſcis cujusmodi ſordida cogitatione ſordidaris in mente?* Idem præſcribit S. Auguſt. Vide eum ibi ſusè.

Hugo Vict.

l. 3. de anim. c. 25

Auguſt. c. 22. & 25 manual.

LECTIO XI.

DE MALEDICTIONE LUXURIOSORUM.

Maledictus vir coram Domino, qui ſuſcitaverit & ædificaverit civitatem Jericho. Joſue 6.

Luxuriоſi maledicti.

MAledictos eſſe omnes ſtructores muri luxuriæ in primogenito, & ultimogenito, hoc eſt, in anima & corpore, in præſenti & futura vita, tum ex jam dictis ſatis colligitur, tum ex variis exemplis tam antiqui quàm novi teſtamenti, dilucidè probari poteſt. Exempla antiqui hujus maledictionis in medium producamus.

EXEMPLA VETERIS TESTAMENTI.

Primò quidem maledicti filii illi Dei, qui videntes filias hominum, quòd eſſent pulchræ, ſolo libidinis æſtu illas ſibi copularunt: ſicque genus ſuum divinum commacularunt, filii fideles cum infidelibus commixti. Quapropter dum ipſi generis ſui oblivi in laſcivis ætatem conterent, primo illo diluvio, tanquam maledictionis flumine & fulmine, ſunt abſorpti. Videant porro hic filii Dei, hoc eſt, Sacerdotes, vel Deo dicati Religioſiſe hujuscemodi maledictionis, & animadverſionis eſſe conſortes, quando immemores divinæ originis, & ſanctificationis cœleſtis, cum filiabus hominum non verentur ſe nefario concubitu, aut impurâ converſatione commiſcere.

Secundò, Maledictus Cham, quòd Patris ſui Noe virilibus fortuitò detectis impudicè inſultarit, impius & impurus ipſe filius, meritò in filiis, & progenie ſua propterea maledictus. Benedictus autem Sem & Japhet, qui obſervantiæ paternæ & caſtitatis amatores, retrorſum incedentes turpitudinem paternam pallio obtexerunt, aſpectum etiam indecorum omni ſollicitudine evitantes.

Tertiò, Maledicti Sodomitæ & Gomorrhæi, qui exſornicantes, & abeuntes poſt carnem alteram facti ſunt exemplum, ignis æterni pœnam ſuſtinentes, ut loquitur S. Judas in Epiſtola ſua.

Quartò, Maledictus Her & Onan, qui ne naſcerentur filii, ſemen in terram fundebant, & ideo cœli-

Gen. 38. 9.

Gen. 38. 7. cœlitus percuſſi mox corruerunt. Timeant quidam in conjugio maledictionem & interitum ſimilem, qui ne prolibus onerentur, extra conjuges ſuas temen profundunt; certè non ſine crimine, nec ſine ſalutis diſcrimine.

Quintò, Maledictus Sichem, filius Emor, Dinam filiam Jacob rapiens & conſtuprans, qui propterea cum ſuis civibus internecione eruenta eſt deletus. Sed & diſcant puellæ exemplo Dinæ non circumcurſitare, & curiosè huc illuc ſe transferre, ut videant filias Regionis alienæ.

Num 25. 9 *Sextò*, Maledicti filii Iſrael fornicantes cum filiabus Moab, ideo 24. millia internecioni jubente Domino, data ſunt, & Principes populi contra Solem in patibulis ſuſpenſi. Benedictus Phinees, qui zelo Domini accenſus interfecit Sambri cum Madianitide coeuntem; propterea enim & iram Dei averſit, & Sacerdotium ſempiternum promeruit.

Septimò, Maledictus Ammon ſororem ſuam Thamar conſtuprans: ideo juſtâ Dei ultione meruit à fratre Abſolone in conviviotemulentus interimi, quiſiverat à temulentia voluptatis libidinoſæ ad tam horrendum flagitium ſe abripi. Sed & maledictus Abſolon, qui uxores Patris ſui palàm inceſtavit; & ideo cernitur triplici haſta confixus, ſcilicet crudelis ambitionis, inceſtus pudibundi, inobedientiæ parricidalis.

Octavò, Maledicti ſenes, Suſannæ impudici proci, qui ut proci libidine occæcati ſtatuerunt declinare oculos ſuos in terram, ne cœlum aſpicerent, & thorum conjugalem viri fidelis audaciter contaminarent. Ideo juſta Dei vindicta à Daniele adoleſcente criminis duplicis convincuntur, & morti traduntur. Suſanna pudica è periculo famæ & vitæ erepta.

Nonò, Maledicta quælibet mulier adultera in veteri lege, quæ ſi quas zelotypiæ, in quas cum exeratione maledicta congeſta erant, biberet, computreſcebat femur ejus, & tumens uterus diffrumpebatur, ſic cernebatur in maledictionem & exemplum cunctis data. Tali nempe horribili pœnâ & maledictione Deus uxores in officio continebat.

Decimò, Maledicti Gabaitæ, qui uxorem Levitæ totâ nocte ita conſtuprarunt, ut mane ad oſtii limen vir emortuam reperiret. Hinc aſperrimum illud bellum inter Benjamitas & cæteras Tribus, quod illi tale flagitium non vindicaſſent. *Vide libr. Iudicum.*

EXEMPLA NOVI TESTAMENTI.

SI ex novo Teſtamento exempla maledictionis cupis, attende:

Primò, Maledictus inceſtuoſus ille Corinthius, qui uxori Patris ſui auſus fuit commiſceri, quem ideo Paulus Satanæ tradere parabat, nili reſipiſceret.

Marc 6. 25 Luc 3. 19. *Secundò*, Maledictus Herodes, qui uxorem fratris ſui publice fovebat, quique libidine, ac mali conſulibus auſus fuit Prophetæ caput obtruncare, & ſpectaculum illud horrendum menſæ ſuæ opiparæ apponere. Ubi caput exanimè, mortui cruor defluens, non fuit ſine voce ſcelus inceſtuoſi condemnante, & vindictam à Deo depoſcente: Unde & arumnis confectus, in exilio miſerè periit.

Tertiò, Maledicta Herodias ſaltatrix impudica, quæ facinoris hujus auctor extiterat, de cujus interitu ſic Nicephorus: Furibunda adultera, inceſtaque adeo illa, (quæ quidem Herodis habebatur, revera autem Philippi erat conjunx) vitæ longius acta, quum prius filiam ſuam ſaltatricem acerbo ſuo ſublatam vidiſſet: deinde ipſa quoque decceſſit, futuri ſæculi judicio, & ſupplicio reſervata meræ ibi quàm exiſſimè divinæ iræ fœces, intolerabiliſque indignationis Domini calicem hauſtura. Filiæ autem ejus (dignus enim eſt, qui memoriæ commendetur) talis fuit obitus. Eundum ei quopiam brumali tempore erat, & fluvius trajiciendus: qui cum glacie conſtrictus coagmentatusque eſſet, pedes eum tranſibat: glacie autem ruptâ, idque non ſine Dei numine, demergitur illa ſtatim capite tenus, molliuſque ſe movens ſaltat, non in terra, ſed in undis. Caput verò ſceleſtum frigore & glacie concretum, deinde etiam convulneratum, & à reliquo corpore, non ferro ſed glaciei cruſtis reſectum, in glacie ipſa ſaltationem lethalem exhibet, ſpectaculoque illo in memoriam ea quæ fecerat ſpectantibus revocat. Niceph. l. 11. hiſt. Eccleſ. c. 20

Quartò, Maledictus Nicolaus advena Antiochenus, qui inter primos Diaconos Spiritûs S. chariſmatibus plenus, cùm ab uxore quam habebat pulcram, ſeſe continuiſſet, poſteà tamen ſuperatus concupiſcentiâ, ad eam reverſus eſt, cumque ideo carperetur ab Apoſtolis, turpem hæreſin excogitavit, ſcilicet, neceſſarium eſſe ad ſalutem libidini operam dare: ita poſtmodum Spiritui Sancto injurius fuit, ut profligatiſſimæ hæreſis incentor fuerit, volens communes eſſe uxores. Maledicti ejus ſectatores Nicolaitæ dicti, maledicti, inquam, cum ſua doctrina maledicta, de quibus Apoc. 2. dicitur, quod doctrinam Balaam ſecuti ſint, *qui docebat Balaac mittere ſcandalum coram filiis Iſrael, edere & fornicari.* Væ his qui hanc vitam lectantur, Væ Anabaptiſtis noſtris, qui ſimilem doctrinam renovare noſtro ævo conati ſunt. Act. 6. 5. S. Hier. ep. ad Heliod. Baron. tom 1. ann. Chriſti 68 Apoc. 2. 14.

Quintò, Maledicta mulier Jezabel de qua Apoc. 2. *quæ ſe dicebat Prophetam, & docebat, ac ſeducebat ſervos Dei*, fornicationi addicta: Dederat quidem illi Deus tempus, *ut pœnitentiam ageret, & non vult.* Ideo de ea dicit Dominus: *Ecce mittam eam in lectum, & qui mœchantur cum ea, in tribulationem maximam erunt, niſi pœnitentiam ab operibus ſuis egerint: & filios ejus interficiam in morte, & ſcient omnes Eccleſiæ, quia ego ſum ſcrutans renes & corda, & dabo unicuique veſtrum ſecundùm opera ſua.* Hæc Jezabel fuit nobis & pirens aliqua mulier hæretica, quæ Prophetiſſam ſe mentiendo propagavit ſectam Nicolaitarum, docens licere fornicari & edere Ib. v. 20 Ib. v. 22.

Digitized by Google

re idolothyta. Sicut Jezabel propagavit cultum Baal. Ita Beda, Rupert. Pererius, & S Hieron.

1. Pet. 2. 11. *Sexto*, Maledicti omnes, de quibus S. Petrus: *Qui velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem, & interitum; in his quæ ignorant blasphemantes, in corruptione sua peribunt, percipientes mercedem iniustitiæ, voluptatem existimantes deliciæ, coinquinationis & maculæ deliciis affluentes in conviviis suis, luxuriantes vobiscum, oculos habentes plenos adulterii & incessabilis delicti.*

Hi nempè omnes merito maledictioni sunt obnoxii, quandoquidem reædificatores sunt murorum Jericho, quasi de novo eos suscitantes è ruderibus illis quæ anathemati subjecit Dominus, præcipiens ne structuræ iterum deservirent; quandoquidem tubæ cœlestis virtute disjici funditus voluerit civitatem illam maledictam.

LECTIO XII.

DE CONTINENTIA ET CASTITATE VIRTUTE OPPOSITA LUXURIÆ.

III. Murus civitatis Dei. Castitas & continentia. HUic muro jam descripto civitatis diaboli, ex adverso opponitur alter murus civitatis Dei, murus scilicet & turris continentiæ & castitatis. Ex hac arce, inter alias primaria debellatur hostilis civitas, dum concupiscentia & caro per continentiam subigitur, dæmonisque vires, quas præcipuè per carnis concupiscentiam exerit, enervantur, & conteruntur. Hoc nimirum est munus continentiæ & castitatis, quæ virtus est sub jugo rationis refrænans impetum libidinis. Altè adhinc porrò suam turris hæc & structura castitatis in cœlum usque provehit. cùm ipsa sit imitatio quædam vitæ Angelicæ & cœlestis: imò & vitæ divinæ, quandoquidem *Incorruptio facit esse proximum Deo*, ipsaque Trinitas prima est virgo quam omnes virgines imitantur, ut docet S. Nazianzenus in carmine de virginitate. Hinc etiam de illa S. Athanasius sic loquitur: *O Virginitas, opulentia indefessa, corona immarcescibilis, templum Dei, domicilium Spiritûs S. margarita pretiosa, meritis & laudibus prosequenda, Angelorum vita, corona Sanctorum.*

Sap. 6. 20.

S. Athan. l. de virg.

Christum castitatis perfectæ prima fundamenta jecit. Matt. 19. 12.

Porrò castitatis perfectæ prima fundamenta, tanquam primarii muri civitatis suæ in terris erigendæ in cœlis postmodum perficiendæ, jecit ipsemet Christus, qui ex Virgine castissima natus, ad castitatem omnes sibi cohortatus. Et quandoquidem quidam sunt Eunuchi è natura, alii ab hominum violentia: voluit & ipse suos habere Eunuchos, non necessitatis, sed voluntatis, qui se castrarent ob regnum cœlorum, ob divinum cultum, specialem mercedem donandi, specialem locum accepturi. De his jam prædixerat per Prophetam. *Non dicat Eunuchus; Ecce ego lignum aridum. Quia hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Et quamvis sub præceptum noluerit hanc rem cadere, vel ad id quempiam obstringere, ut se castraret propter regnum cœlorum: tamen noluit suo obsequio specialiter in divinorum ministerio quempiam mancipari, qui castitatem non profiteretur; ipsos idcirco discipulos quos elegerat de conjugio, suæ jam adscriptos sacræ familiæ, à thoro voluit abstinere, & ad castitatis ac continentiæ arcem omnes convocare.

Isa. 56. 5.

Christum secuti Apostoli discipuli & alii ex omni statu.

Hi ergo sunt, qui à Josu Christo, tanquam supremo Architecto, jactis jam divini hujus operis primordiis, structuram muri hujus amplificandam susceperunt donec amplitudinem suam totum per orbem protenderet. Convocarunt enim exemplo & verbo, ex omni statu, conditione, sexu, castitatis amatores & fautores innumeros, tanquam addictos hujus cœlestis structuræ constructores, qui ejus stigium in cœlum usque tollerent, ejusque altitudinem & amplitudinem toti orbi conspicuam reddererent. Mox enim concurrerunt multa millia hominum utriusque sexûs; qui etiam sanguinem fuderunt pro castitate tuenda. Nempe tot millium Virginum sacer cruor profusus castitatis subliimem murum quasi pretiosum cæmentum coagmentavit, & illi firmem orbi fecit. Harum lucidissimis exemplis, validissimaque constantia, plerique in tenebris cæca libidinis sub carnis infirmitate jacentes lucem aspexerunt, & animum erexerunt, ut è cæno emergerent, cœlosque se redderent. Hoc fatetur sanctus Augustinus de seipso adhuc in carne hærente. Aperiebatur ab ea parte qua intenderam faciem, & quò transire trepidabam dignitas continentiæ (inquit ipse l. 8 confess. c. 11) serena & non dissolutè hilaris honestè blandiens ut venirem, neque dubitarem, & extendens ad me suscipiendum & amplectendum pias manus plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri & puellæ, ibi juventus multa, & omnis ætas, & graves viduæ, & virgines anus: & in omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis, sed fœcunda mater filiorum gaudiorum de marito te Domine. Et irridebat me irrisione exhortatoriâ. Quasi diceret Tu non poteris quod isti & istæ? An verò isti & istæ in semet-ipsis possunt, & non in Domino Deo suo? Quid in te stas, & non stas? Projice te in eum, noli metuere non se subtrahat ut tu cadas. Projice te securus, excipiet & sanabit te. Hæc ipse.

August. in lib. Confess.

Itaque Augustinus qui priùs ædificabat civitatem satanæ, sub Asmodæo Principe deserviens in luto & latere, in operibus immundis luxuriæ, invitatus tot exemplis structorum civitatis Dei de utroque sexu, ex lapidibus politissimis sanctorũ operum

erigentium arcem longè lateque rutilantem continentiæ & caſtitatis, tranſivit in ſortem eorum. Et factus eſt non ſolum cooperator & coadjutor, ſed & Dux cæterorum, & exhortator ferventiſſimus, ubique zelans pro caſtimonia, omnes exercitans ad ejus arcem & caſtra, omnes animans ad fortiter præliandum pro ea, ut poſſint poſtmodum in cœleſti civitate canticum novum, & trophæa victricia decantare. Propterea librum ſcripſit de ſancta virginitate, ubi ſic illius ſectatores alloquitur. Pergite itaque Sancti Dei, pueri & puellæ, mares & fœminæ, cælibes & nuptæ, pergite perſeveranter uſque in finem. Vos afferetis ad nuptias Agni canticum novum, quod cantabitis in cytharis veſtris. Non utique tale, quale cantat univerſa terra, cui dicitur Cantate canticum novum, cantate Domino univerſa terra, ſed tale quale nemo poterit dicere, niſi vos in ſequela Agni. Et quo ire putamus hunc Agnum, quo nemo eum ſequi vel audeat, vel valeat, niſi vos? In quo ſaltus & prata? Ubi credo ſunt grandia gaudia, non gaudia hujus ſæculi vana, infamiæ mendaces: nec gaudia qualia in ipſo Regno Dei cæteris non Virginibus erunt; ſed a cæterorum omnium gaudiorum ſorte diſtincta Gaudium Virginum Chriſti, de Chriſto, in Chriſto, cum Chriſto, poſt Chriſtum, per Chriſtum, propter Chriſtum Gaudia propria Virginum Chriſti, non ſunt eadem non Virginum, quamvis Chriſti. Nam ſunt aliis alia, ſed nullis talia. Sequantur itaque Agnum cæteri Fideles, qui virginitatem corporis amiſerunt non quocumque ille ierit, ſed quo uſque ipſi potuerint. Poſſunt autem ubique præterquam cùm in decore virginitatis incedit. Vos itaque ſequimini eum tenendo perſeveranter quod vovi-ſtis: ardenter facite cum poteſtis, ne virginitatis bonum à vobis pereat, cum facere nihil poteſtis ut redeat. Videbit vos cætera multitudo Fidelium, quæ Agnum ad hoc ſequi non poteſt. Videbit, nec invidebit: ſed collætando vobis, quod in ſe non habet, habebit in vobis. Fidite itaque roboramini, permanete, qui voveris & redditis Domino Deo veſtro vota perpetuæ continentiæ non propter præſens ſæculum, ſed propter regnum cœlorum. Vos etiam qui hoc nondum voviſtis, qui poteſtis capere, capite; perſeveranter currite ut comprehendatis. Tollite hoſtias quiſque ſuas, & introite in atria Domini, non exacceſſitate, ſed poteſtatem habentes veſtræ voluntatis. Non vobis id Dominus imperat, ſed ſi quid ſupererogaveritis, reddet vobis. Cogitate, quicquid illud eſt, in regno ejus locum nominatum, meliorem multò quàm filiorum atque filiarum. Cogitate illic nomen æternum. Quis explicat quale nomen erit? Quicquid tamen erit, æternum erit. Hoc credendo, & ſperando, & amando potuiſtis conjugia non devitare prohibita, ſed tranſvolare conceſſa. Hæc ſparſit S. Auguſtinus in variis capitibus ejuſdem libri de virginitate. Ubi totus in hoc incumbit, ut cooperatores convocet ad ſtrenuè ædificandum murum & arcem caſtitatis in civitate Dei, per quam depugnare valeant & ſuperare ſæculum, carnem, ſatanam: in ipſo ſæculo agentes & carnes; ac poſtea in altero ſæculo triumphantium celeuma decantare, cives effecti cœleſtis civitatis, ubi nec carnis rebellio, nec ſatanæ ſuggeſtio, nec concupiſcentiæ ſtimulus ultra habebit locum, ſed præcipitabitur in æternum. Tot igitur Sacerdotes tot Religioſi, tot ſacræ Virgines, tot Sanctimoniales in cluſtris, tot fuit ædificatores hujuſce muri & arcis, tot præliantes prælia Domini & caſtitatis.

Aug. in libr. de S. Virginitate.

Hujus porro arcis primariæ civitatis Dei invictam fortitudinem, & adverſus hoſtes ſuos triumphantem gloriam, ſic decantat S. Cyprianus l. de ſingularitate Clericorum: Caſtitas numen invictum eſt ſanctimoniæ & expugnatio fortis infamiæ; fortitudinis firmitas, & lasciviæ petulantis infirmitas; probitatis prædium, & improbitatis excidium; animæ victoria, & corporis præda; ubertas gloriarum, & ſterilitas criminum, pronuba ſanctitatis, & repudium turpitudinis, ſinceritatis judicium, & abolitio ſcandalorum, exercitium continentiæ, & evacuatio totæ luxuriæ; pax ſecura virtutum; & debellatio inquieta bellorum; hoſtis immunditiæ, lorica pudoris, murus rigoris, triumphatrix diſſolutionis, exitium corruptionis. Hi nempe ſunt tituli honoris, quos caſtitatis fronti inſcribit S. Cyprianus: & ſanè meritò quia ſicut concupiſcentia initium eſt omnium vitiorum, ita caſtitas ei adverſa origo eſt omnium virtutum, & mater omnium bonorum ſpiritualium. Neque enim eſt ſolum honor corporum, ſed & ornamentum morum, & ſanctitas ſexuum, puritatem à corpore in animam refundens, ſoli Deo placere optans in ſanctificatione animæ & corporis. Hinc & ejus laudes decantans Sanctus Ephrem ſic inclamat. O caſtitas, oculorum frænum, quæ è latebris ad lucem totum corpus tranſfers. O caſtitas, quæ carnem caſtigas, & in ſervitutem redigis, ac cœleſtia velociſſimè penetras. O caſtitas, quæ cor poſſidentis te lætificas, & animæ ad cœleſtia alas adjungis. O caſtitas, quæ ſpirituale gaudium paris & mœrorem aufers. O caſtitas, quæ paſſiones minuis, & animum à perturbationibus liberas. O caſtitas, quæ juſtos illuminas, & diabolo tenebras offundis. O caſtitas quæ pigritiam depellis, & patientiam affers. O caſtitas, currus ſpiritalis poſſeſſorem ſuum in ſublime evehens. O caſtitas quæ roſæ inſtar in medio animæ & corporis flores, univerſamque domum odoris fragrantia replens. O caſtitas, Præcurſor atque habitator Spiritus Sancti. O caſtitas, mater dilectionis, & angelicæ vitæ ratio. O caſtitas, quæ mundos es corde, ac dulci gutture, hilarique aſpectu. O caſtitas, quæ homines Angelis ſimiles reddis. O caſtitas, quæ Dei amicum ita exaltaſti in patria externa, ut & eos qui emerant ipſum redimeret. O caſtitas, donum Dei, benignitatis, diſciplinæ, cogitationiſque plena. O caſtitas, portus tranquillus in ſumma pace ac ſecuritate conſtitutus. Hæc S. Ephrem.

S. Cyprianus utilitates & laudes Caſtitatis decantat.

S. Ephrem tom. 1. ſerm. de Caſtitate.

Laudes caſtitatis

Con-

Digitized by Google

Triplex Caſtitas.

Concludendo addamus triplicem eſſe muri caſtitatis ſeriem. Eſt enim triplicis generis caſtitas: unam vocant virginalem, & ſecundam vidualem, tertiam conjugalem. De qua ſic S. Cyprian. *Pudicitia*, inquit, *primum in virginibus locum tenet, ſecundum in continentibus, tertium in matrimonio. Verùm in omnibus gloriosa eſt, cum gradibus ſuis. Nam & matrimoniorum fidem tenere laus eſt inter res bella corporis; & matrimonio de continentia modum ſtatuiſſe, majoris eſt virtutis dum etiam licita reſecantur.* Idem tradit S. Ambroſius in libro de viduis; ſic enim ait: Docemur triplicem caſtitatis eſſe virtutem. Unam conjugalem, aliam viduitatis, tertiam virginitatis. Non enim unam ſic prædicamus, ut alias excludamus. Suis quibuſque profeſſionibus ita conducunt. In hoc Eccleſiæ opulens diſciplina quos præferat habet, quos rejiciat non habet; atque utinam habere numquam poſſit. Ita igitur virginitatem prædicamus, ut viduas non rejiciamus: ita viduas honoramus, ut ſuus honos conjugio reſervetur. Idem Ambroſius propter hos tres ſtatus comparat Eccleſiam agro fertili; ita ut ſtatus virginum ſit velut hortus odoriferis vernans floribus: Status vidualis campus aut nemus arboribus conſitum: Conjugii autem ſtatus velut ager arabilis multa fruge & meſſe fœcundus. Reſtè etiam hi tres ſtatus intelliguntur in ſemine illo triplici Parabolæ Evangelicæ, cujus pars attulit fructum centeſimum, pars ſexageſimum, pars triceſimum. Centeſimum enim fructum SS. Patres aſſignant virtutibus, ſexageſimum viduis & continentibus, triceſimum caſto matrimonio? Nos verò aptè propoſito noſtro hanc triplicis generis caſtitatem aſſerimus eſſe velut triplicem ſeriem in hoc muro civitatis Dei, per quam agnoſcitur & lucet multiformis gratia Dei, in vario contínentium ſtatu, per ſapientiam Dei coordinato ad pugnandum contra civitatem diaboli, & obtinendum ei juxta ordinem unicuique à Deo conſtitutum.

Cypr. l. de bono pudic.

Ambr. l. de viduis.

Idem Ambr. l. 3. de Virg.

Matt. 13. 8.

Poſtremò dicamus, hunc caſtitatis murum ſolidari oratione, jejunio, humilitate, vigiliis, caſtigatione corporis & ſimilibus fulcris ſibi connexis. Atque in tantam ſoliditatem exurgit murus iſte electus, ut nec mors, nec omnes taranæ aut inferni vires illi valeant prævalere. Audi S. Bernard. *Qui ergo protegente patientia continenter vivunt, ipſi bene cum Apoſtolo proteſtantur, & dicunt: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas an periculum, an gladius? Videt quàm ſolidus ſit continentium murus? quos neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque poteſtates: neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque altitudo, neque fortitudo, neque profundum, neque creatura aliqua poteſt ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu.* *Quibus mediis muri caſtitatis ſolidetur?* S. Bern. ſerm. de aſſumpt. B. Mariæ.

TRACTATUS IV.

DE VITIO INVIDIÆ.

LECTIO I.

Quid & qualis Invidia?

IV. Murus civitatis Satanæ, Invidia.



Quartum murum civitatis Jericho conſtituit Invidia, ex maledictis lapidibus & luteis lateribus in ſublime elata, & dilatata à variis ſtructoribus. Hanc porrò invidiã definiens S. Auguſt. dicit eſſe *Dolorem & odium felicitatis alieni.* Plenius & ſpecialius S. Thom. dicit eſſe. *Triſtitiam de bono alterius, in quantum eſtimatur diminuere excellentiam propriam.* Quoniam verò invidia ſecum triſtitiam & dolorem ob alterius proſperitatem involvit; hinc antiqui (teſte Alciato embl. 71. eam deſcripſêre & depinxere mulierem annoſam, & macie & pallore confectam, oculos habentem lividos & dolentes, cor ſuum edentem, ſimul carnes vipereas, ambulantem etiam & innitentem ſpinoſo baculo, manum punctoris.

Invidia definitio. Auguſt. D. Tho. 2, 2. q. 36. art. 1.

Emblema Invidiæ, ex Alciato

Squallida vipereas manducans fœmina carnes,
Cuique dolent oculi, quæque ſuum cor edit,
Quam macies & pallor habent, ſpinoſaque geſtat
Tela manu, talis pingitur invidia.

Explicatio emblematis.

Videamus rationem picturæ hujus, quia pereſegans eſt vitamque infeliciſſimam invidorum dilucidè proponit.

Primo igitur, invidia ut fœmina depingitur, quia infirmi animi vitium eſt, & maximè in fœminis regnat. Annoſa quoque eſt, quia ab initio ſæculi ætas ejus.

Secundò, deſcribitur vipereas carnes manducans, quia cùm invidus alterius proſperos ſucceſſus contemplans intabeſcat, & triſtetur: virulentis paſci cenſetur cogitationibus, in perniciem ſuam. Alienis enim gaudere malis, quid aliud eſt, quàm venenoſo vipereo paſci? Deinde, ſicut verum eſt

Digitized by Google

viperam non prodire in lucem niſi artoſis matris lateribus; ſic livor primo afficit & quaſi enecat eum in quo gignitur. Denique linguam vipereo veneno infectam gerit invidus, ſemper eorum quibus invidet, fatuam detractione nocere paratus. Propter hæc omnia invidi Pharifæi à Joanne Baptiſta vocantur *Progenies viperarum.*

Tertio, depingitur cor proprium edens: eſtque alluſio ad illud Proverbium Pythagoræ: *Cor ne edito.* Hoc eſt, Curis ne animum excrucia. Cura enim dicitur, quod cor edat velut rat. Gravis ergò & molella animi ſollicitudo cor exedere rectè dicitur. Et hæc contingit invido, quia invidia tineæ ſimilis eſt, quæ lignum ex quo oritur ſenſim corrodit; ſic illa cor ex quo gignitur Prov. 25. *Sicut tinea vestimento, & sicut vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi.* Torquet ergo invidentes triſtitia alieni boni, ſiccat, affligit, exoſſatque quaſi tortor quidam tartareus. Eſt ex tartareis ulceribus unus, ad mortalium exterminium miſſus. *Invidia sibi primum nocet: primum auctorem suum mordet, mentis efficit, cor quasi pestis apprehendit, animam urit,* inquit Iſidor. 2. ſoliloq. & S. Gregor. *Invidendum alienis prosperitatis augmenta properant, apud semetipsos animis afflictis cordis peste afficiuntur.* Audi & Alanum in complanctu naturæ hæc de re diſſerentem: *Hæc est Hespas, qui apud suum hospitem inhospitabiliter hospitatus, sui hospitis lar fecit hospitium. Hæc est pestifera, suum possidens pestiferum, quæ dum alios detractionum latratibus vexat, suppeditat animum intestino suo profundius inquietat.* Quicumque ergo invidus es illis quos odiſti intelius [illegible] gis tibi. Is enim quem zelo profe[illegible] gere & vitare te poterit, tu ve[illegible] Quocumque fugeris, adverſarius [illegible] tecum eſt, hoſtis ſemper in pectore tuo eſt, pernicies intus incluſa eſt

Iſidor S. Greg. in Paſtor l. 2. c. 11. Alanus.

Quartò, depingitur Invidia habens oculos obſcuros, lividos dolentes, quia illa mentis oculum confundit, rectumque judicium exhabilitat: invidiæ enim languor rectè judicandi impedit ſenſum, & operi etiam optimo nomen imponit vitioſum, menſque invidia dum alieno bono affligitur, radio lucis obſcuratur. Nam luce virtutis in aliis conſpecta, & boni operis ac exempli converſatione lucida, invidi quodammodo excæcantur. Tenebras amant, quia proximorum umbroſa adverſitate exhilarantur: nec abſimiles ſunt noctuis aut veſpertilionibus, qui ſolis lumen averſantur; & illo magis cæcantur, noctis verò caligine quodammodo illuſtrantur: Hoc manifeſta ſatis experientia compertum eſt, quod invidi ſcilicet mentis cæcitati obnoxii lucem in tenebras convertant, dum aliorum bona opera vel præclarè geſta ſiniſtra interpretatione obſcurare conantur. Lux illorum illis diſplicet, in illam mentis ſuæ aciem intendere nequeunt niſi hippientem & caliginem, inſtar Heli Sacerdotis, qui non poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur. Quid ergo de illis dicemus, niſi quod Job de quibuſdam? *Per diem incurrunt tenebras, & quasi in nocte, sic palpabunt in meridie.* Quem locum interpretans Gregor. de invidis, ſic diſſerit. Mentes iniquorum dum de alicna melioritate affliguntur, de luce obſcurantur; quia dum bona opera conſiderant, & quæ mala lateant invelligant, & ſollicitè laborant ſi quid quod accuſare poſſint inveniant. Sana membra exterius conſpiciunt, ſed clauſis cordis oculis, vulnus palpantes quærunt. *Quasi in nocte, sic palpabunt in meridie.* Dies quidem boni operis exterius in proximo lucet, ſed quaſi in nocte palpant, quia livoris intus tenebras tolerant. Pervenire ad aliqua quæ reprehendant ſatagunt, detractionis aculeum quærunt; ſed quia hunc invenire non valent, cæci exterius circumeunt. Quod bene exprimitur, cum Loth protegentibus Angelis in domo ejus, Sodomitæ oſtium invenire non potuerunt Sodomitæ enim oſtium invenire nequeunt, quia invidi contra vitam juſti, nullum actionis aditum deprehendunt. Percuſſi enim cæcitate quaſi domum circumeunt, qui invidentes, facti & dicta perſcrutantur juſti: ſed quia ejuſdem via fortis undique & laudabilis obviat, ipſi errantes, nihil aliud quàm parietes palpant. Hæc S. Gregorius; idemque docent alii Sancti Patres

Job. 5. 14. S. Greg. l. 6. moral.

Gen. 19. 11.

Pulchrè quoque id expreſſit Sapiens, ſic pronuncians: *Ne quam oculus invidi, & avertens faciem.* Quare oculus invidi dicitur nequam? Quia nullam [illegible] aspectatur æquam. Non poteſt enim aliorum [illegible] ſpectare oculis, qui torvam & depravatam gerit oculorum aciem. Cur enim vocatur invidus? Nonne quaſi non videns? Hæc nominis etymologia: Sed quare non videt, aut bene non videt? Quia nihil bene videtur niſi per lineam rectam, ipſe autem vel avertit faciem & oculum nequam, vel non vult cernere niſi per lineam curvam, & paſſione obliquatam. Vis id in exemplo invidi ob oculos noſtros ſacris in litteris poſito plenius agnoſcere? Attende in Saule invido, de quo dicitur. *Non poterat respicere David rectis oculis.* Utique, nec ejus heroica geſta rectè intueri poterat, acie mentis turbida. Sic oculus ejus interior & exterior uterque erat nequam, inique ſcilicet contuens rem planè æquam.

Eccl. 14. *Etymologia invidia.*

1. Reg. 18. 9.

Quintò, propter eandem cauſam deſcribitur ab aliquibus domus invidiæ obſcura, abdita, ſole & luce carens. Tum quia Deus Sol juſtitiæ ab invidis abeſt, & ab illis ſapientiæ ſuæ lumen abſcondit: tum quia ipſi tenebroſa amant, & lucem oderunt. Inſtar furum enim ipſi lucem extinguere conantur, ut in abſcondito furentur, & aliorum honorem, famam, gloriam furripiant, aut ut in obſcuritate illos confundant. Audi Alanum: *Invidi alienis famæ insidiantur, detractionum eam nube obnubilare conantur, aut ejusdem gloriam sola taciturnitate furari: sed justo Dei judicio contingit, quod sicut papilio circa lumen volitans, illudque extinguere volens*

Alan. l. de planctu naturæ.

Digitized by Google

volens ſæpſum conſumit ; ſic invidi dum aliis lumen bonæ famæ extinguere conantur, ipſimet inde laduntur & turbantur.

Sextò, dicitur inniti baculo ſpinoſo, quia invidus unde ſe fulcire deberet, pungitur ; & baculo haud ſe ſuſtentat, quia nihil habet in ſe invidia quo delectet. Etenim ex bono proximi, quo ſe tanquam baculo relevare deberet, ipſe per invidiam tanquam ſpinarum aculeis ſe & alios lacerat. Spinæ ergo ex undique, quia & ſemine bono etiam ſpinas metit. Hæc omnia dicta deſcribens iterum alio Poemate Ovidius, ſic ait:

Ovid. l. 2. Metamorph.

Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto,
Nuſquam recta acies, livent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno.
Riſus abeſt omnis, niſi quem facere dolores:
Nec fruitur ſomno, vigilantibus excita curis.
Sed videt ingratos intabeſcitque videndo
Successus hominum, carpitque & carpitur unà,
Supplicium ſumum eſt.

De hac porrò invidia nunc nobis differendum eſt, ſub ſchemate quarti muri Jericho, ſive civitatis diaboli. Videbimus itaque muri hujus altitudinem, profunditatem latitudinem, longitudinem. Audiemus etiam tubas contra illum inſonantes, & maledictiones contra ejus ſtructores fulminatas; ac deinde murum ei adverſum erigemus.

LECTIO II.

DE ALTITUDINE MURI INVIDIÆ.

1 *Altitudo. Angelus malus primi invidiæ auctor. Hæc virtus ſtudet contra Deum Patrem. SS. Patres.*

Altitudo muri invidiæ ex eo inprimis declarari poteſt, quod ejus prima fundamenta jecerit Angelus reprobus in Cœlo. Eſt enim opinio nonnullorum Sanctorum Patrum, quod Angelus reprobus in cœlo notum fecerit Deus Pater Filium ſuum deſtinaſſe humanam naturam aſſumere, & ſibi conjungere per hypoſtaticam unionem: huic verò beneplacito voluntatis divinæ invidiſſe, eo quod neglecta Angelica natura, ad tantam dignitatem evehereturhumana. Exiſtimat namque S. Bernardus ſerm. 7. in cantica. S. Baſilius ſerm. de invidia. S. Gregorius, & alii quidam, Lucifero & Angelis complicibus Chriſtum Deum hominem ex tunc in ordinatione divina fuiſſe propoſitum, tanquam per fidem adorandum, utpote Regem & Dominum, Caputque Angelorum. Verum ob ſuperbiam noluiſſe eos hanc ei adorationem & obſequium deferre, indignumque judicaſſe, quod Angelus homini ſe ſubderet. Exinde igitur invidia ab Angelo rebelli contra hominem concepta eſt, imò contra Chriſtum Deum hominem: propter quam invidiam à cœlo exterminatus eſt, quæ quidem non niſi ex ſuperbia ortum ſuum duxit. Neque invidia filia eſt ſuperbiæ; nec eſt ſterilis mater illa, ſed continuò cum parit. Statim ergo ſuffocanda eſt mater, niſi filiam iſtam voluerit concipi & generari. Hoc porro invidiam adauxit Angelis reprobi, quod homo in ejus locum, & benedictionem cœleſtem, ſive in jus ad ejus gloriam ſucceſſerit. Sicut enim Eſau ſummam invidiam concepit adverſus fratrem ſuum Jacob, eo quod primogenita ejus tulerat, & benedictionem primogenito debitam patre impertiente hæreditarit: Sic & hic contigit; nam homo primogenita Angeli, & hæreditatem ejus ſibi in partem tulit: hoc eſt, gratias ſpirituales, virtutes & dona, cum quibus Angelus à Deo creatus fuerat, ut filius Dei primogenitus. Hæc illo peccante ablata ſunt ab eo, & in hominem translata; factuique eſt ipſe hæres primogenituræ cum ſua benedictione, ſive cœleſtium donorum & gloriæ promiſſione. Et hæc fuit cauſa & ſomes invidiæ nunquam intermoriturę.

De Eſau. Gen. 27. 41.

Itaque cum dejectus fuiſſet Lucifer cum conſortibus ſuis, & cùm fundamento muri duplicis, ſuperbiæ ſcilicet & invidiæ, cum ipſo, & cum conſtructoribus ſuis forent dejecta; conatus eſt iterum illa reſtaurare, novumque parietem ex veteri materia erigere in Paradiſo terreſtri, qui non potuerat in cœleſti. Ibi peſſima intentione, colore tamen benevolentiæ palliata, hominem eſt aggreſſus, & invidiam ſuæ non abſimilem, animo ejus ingenerare eſt conatus: perſuadens ut de ligno vetito carperet, in ſcientia boni & mali per divinitatis cujuſdam participationem ſimilis Altiſſimo futurus. Addidit, ut ſtimulum eis hunc ad effectum ſubjiceret, id vetitum ipſis non fuiſſe niſi quadam invidentia tanti boni. Exinde ejecto etiam ex illo Paradiſo homine, quod ſuggeſtioni tali aurem dediſſet, & obedientiam ſatanæ detuliſſet, divinum aſpernans præceptum: non deſtitit ſatan novam invidiam concitare, novum illius ſemen virulentum ſerere; non jam contra Deum, ſed inter hominem & hominem, inter fratrem & fratrem inter Cain & Abelem. Ac nunquam poſtea ullo hominum ævo deſtitit, aut deſiſtet, novis aggeſtis lateribus & ſaxis murum illum invidiæ dilatare, & in ſublime erigere, cooperatoreſque ſibi adſciſcere: ut per hoc ſortalitium civitatis ſuæ, dimicet contra cœlum, & contra Deum auctorem & parentem ſuum odio nunquam interiturum.

Gen. 4. 8.

Secundò declarari poteſt altitudo invidiæ, eo quod illa directè quandoque contra Spiritum ſanctum confurgat, idque irremiſſibili quodam modo. Invidentia enim fraternæ gratiæ, quæ Dei & Spiritus ſancti bonitatem impugnat, ſpecialiter nominatur peccatum contra Spiritum S. & quidem irremiſſibile. Quia cum ſit ex certa malitia, & opponatur directè gratiæ Spiritus ſancti auctoris omnis ſanctificationis & juſtificationis, omniſque remiſſionis peccatorum, certè talis culpa gratiæ tali malitioſè adverſans difficulter plane remittitur, quia ſublimem nimis malitiæ conſentit.

Contra Spiritum S.

Porrò

Contra Filium Dei.

Tertiò, Altitudo invidiæ ex eo ulteriùs declarari poteſt, quod in terris ſe erigere auſa fuerit contra Filium Dei Altiſſimum, ipſum Cruci fuffigens. Neque enim aliud præter invidiam Filium Dei neci tradidiſſe, frequenter atteſtatur Scriptura, tam Prophetica, quam Evangelica. Nam hi ſunt ſermones invidorum Phariſæorum apud Sapientem prophetice expreſſi: *Venite, circumveniamus juſtum, quia contrarius eſt operibus noſtris & improperat nobis peccata legis & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ. Promittit ſe ſcientiam Dei habere & filium Dei ſe nominat. Factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtrarum. Gravis eſt nobis etiam ad videndum, quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius & immutatæ ſunt viæ ejus. Tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, & abſtinet ſe à viis noſtris, tanquam ab immunditiis & præfert noviſſima juſtorum, & gloriatur Patrem ſe habere Deum. Videamus ergo, ſi ſermones ejus veri ſunt, & tentemus quæ ventura ſunt illi, & ſciemus quæ erunt noviſſima illius. Si enim eſt verus Filius Dei ſuſcipiet illum & liberabit eum de manibus contrariorum.* An non hic invidia contra Patrem; an non contra Filium, an non contra Spiritum ſanctum, donorum omnium in Chriſto auctorem venenoſum erigit caput, & virus totum ſuum effundit? Sublime ergo nimis & deteſtabile vitium, contra Deum rebellionem ſuſcitans in Cœlo, in Paradiſum exilii loco. Et quidem contra perſonam Patris dona ſua pro beneplacito diſpertientis etiamnum adhuc ſe erigit alta & ſublimi cervice, dum non verentur murmurare quidam de donis Dei in alios effuſis, liberalem ejus manum quodammodo coarctare optantes. Deinde etiam contra filium altiſſimi adhuc modo ſe exerit, dum non deſunt diabolicæ animæ quæ redemptionis ipſius efficaciam quibuſdam communicari indolent peſſimâ certe invidentiâ. Denique contra Spiritum ſanctum manifeſtè adhuc inſurgit invidia illorum, qui dona Spiritus ex malitia optant ab aliquibus ſubtrahi jam data, vel denegari donanda. Quid verò de illis dicemus, qui Draconis adminiſtri & metatores Antichriſti, bellum continuò inferunt ſponſæ Chriſti, ex eo invidia lividi quod nariat ſemen electum? Ideoque mittunt flumen blaſphemiarum poſt eam, ut abſorbeant eam, & ſemen ejus, prout Apoc. 12. deſcribitur Draco virulentus facere: utique non tam per ſeipſum, quam per ſuos miniſtros, quos ſpiritu livoris ſui & invidiæ afflat & implet. Hæc ergo omnia ſatis ſuperque probant altitudinem malitiæ quæ in invidia reperitur; ut meritò aſſeramus murum hunc ſatanæ ſublimem admodum eſſe, tanquam arcem principalem ejus nequitiæ.

***

LECTIO III.

DE PROFUNDITATE MURI INVIDIÆ.

3. Profunditas.

PRofunditas hujus muri ex eo declarari poteſt, quod ſicut invidiæ altitudo attendit uſque ad cœlum erigens ſe contra Deum: ita & ejus profunditas deſcendit uſque ad infernum, illuc à Deo vindice relegata dum ſunt è cœlo exturbata. Illic enim proprium domicilium conſtituit invidiæ diabolicæ, ac omnibus qui ejus ſunt imitatores & conſortes. Nempe invidiæ vitium diabolicum eſt, ut dicit S. Auguſtinus quo ſolo diabolus reus eſt, & inexpiabiliter reus. Non enim diabolo dicitur ut damnetur, adulterium commiſiſti, furtum feciſti, &c. Sed homini ſtatim invidiſti. Hoc ſolo peccato ſatan, ſatan eſt & illud continuat, & continuò auget & effundit. Nam ex invidia continuò tentat, continuò ad peccatum impellit, & *Fiduciam habet quod Jordanis in ſuum os ejus*: id eſt: Sperat omnes baptizatos abſorbere & deglutire; hi namque per Jordanem deſignantur, quia ibi accepit baptiſmus ſuam originem, in Chriſto, à Joanne baptizato. Invidia quoque ſignum eſt ſpeciale quo filii diaboli agnoſcuntur, & primarius character ſatanæ: ſicut charitas ſignum eſt diſtinctivum Filiorum Dei, & character familiæ Chriſti. Audi Gregor. hoc ipſum aſſerentem: Ecce, inquit, *ſatanas quia fratri ſuo invidet, & ſi occaſionem reperiat, eum ſupplantare contendit: Cujus alterius talis membrum eſt, niſi illius de quo ſcriptum eſt: Invidiâ diaboli mors introivit in orbem terrarum.*

Auguſt.

Job. 40. 18

S. Greg. 29. moral. cap. 3.

Secundò, invidiæ profunditas declarari ex eo poteſt, quod ad profundiſſima peccata hominem demergat. Unde S. Cyprianus; quanta ſit malorum abyſſus invidia, ſic deſcribit: Non eſt quod aliquis exiſtimet malum illud una ſpecie contineri, aut brevibus terminis, & anguſto fine concludi. Latè patet zeli multiplex & fœcunda pernicies, radix eſt omnium malorum, fons cladium, ſeminarium delictorum. Inde odium ſurgit, animoſitas inde procedit, avaritiam zelus inflammat, dum quis non poteſt ſuo eſſe contentus, videns alterum ditiorem. Ambitionem zelus excitat, Dei timor ſpernitur, magiſterium Chriſti negligitur, judicii dies non providetur, inflat ſuperbia, exacerbat ſævitia, perfidia prævaricatur, impatientia concurit, furit diſcordia, ira ferveſcit. Nec ſe poteſt jam cohibere, nec regere, quia factus eſt poteſtatis alienæ. Hinc dominicæ vinculum pacis rumpitur, hinc charitas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, unitas ſcinditur, ad hæreſes atque ſchiſmata proſilitur, dum obtrectatur Sacerdotibus dum Epiſcopis invidetur. Mala cætera habent terminum, & quodcumque delinquitur, delicti conſummatione finitur: In latrone conquieſcit ſcelus, homicidio admiſſo, & prædoni rapacitatem ſtatuit præda poſ-

S. Cypr. Invidia malorum abyſſus.

Quid efficiat invidia.

ſeſſa:

Digitized by Google

ſeſſa; Zelus & invidia terminum non habet permanens jugiter malum, & ſine fine peccatum. Hæc Cyprianus. Et certè ex quo vitium illud plenè cor alicujus occupavit, nullum ſcelus abhorret. Non parcit innocenti, non timet homicidium, non parricidium, aut fratricidium, quod ab initio quidem ſæculi liceret demonſtrare. Non pepercit ſatan primis parentibus innocuis, donec eos morte involveret, & Deo reos ſtatueret, ſic ſe de Deo ipſo vindicans. Non pepercit Cain fratri ſuo Abeli innocentiſſimo; nec quievit, invidia jugiter ſtimulante, donec fraterno ſe ſatiaret cruore. Quam invidiam parricidalem deſcribens Proſper de benedictionibus ſic ait: *Cain contumax ſuique impatiens, inſilit ſuper Abel in campum, & occidit eum. Proh nefas! Haccine ſunt Cain Germanitatis fœdera? Haccine principia bona natura? Haccine bona indolis ſpes eſt? ut ante noverit Pater homicidam, quàm filium. Sed hæ auſibus facinus ſuum Cain multis etiam vinculis connodavit: Effecit in contemptor divini mandati, ſuperbia caput, auctor invidiæ; Princeps illata mortis, & primus in hominibus parricida. Hæc invita bellandi inſtituit, ut reus innoxium ſanguinem diffundat, livoris plenus, gloriam impetit alienam. Nam præclara hanc fulſere martyria, dum juſti occiduntur ab impio.* Itaque Cain factus eſt per invidiam omnium impiorum Patriarcha, & primus lapis in ædificio civitatis diaboli, exemplar filiorum hujus mundi, & Deum non credentium, ejus judicia blaſphemantium, proximos perſequentium, fraternæ gratiæ invidentium, & deſperantium de clementia Dei. Jerum igitur eſt quod diximus, invidiam nulli ſcelus abhorrere, nulli parcere: Sic etiam non pepercerunt Filii Jacob fratri ſuo Joſeph caſtiſſimo, innocentiſſimo, mitiſſimo: Quapropter vendiderunt eum extraneis Iſmaelitis, nec defuit voluntas, ejus ſanguine ut ſe contaminarent. ſola inſtigante invidia. Parata erat fera hæc peſſima eum devorare, niſi Ruben fratrum ſenior auctoritate & conſilio obſtitiſſet. Sic etiam non pepercit Saul Davidi, livore ſtimulante transfigere eum conatus, generum licet ſuum planè amabilem, geſtis heroicis orbi admirabilem. Denique non quievit invidia, quæ Phariſæorum animos continuò obſidebat, donec ad Deicidium eos deduceret, & cruore Filii Dei illa necdum potuit temperari, morte ejus non emortua, ſed accenſa magis.

O igitur profundum invidiæ vitium! O abyſſus! O profunditas hujus muri ſatanici, plane deteſtabilis! O ad quam profundas machinationes, & horrenda conſilia deducis animos quos poſſides, & quæ ſuggeris dedecora ad nocendum! O vere tu es erroneæ cecitatis abyſſus imperſcrutabilis, humanæ mentis infernus, contentionis omnis ſtimulus, tranquillitatis animi hoſtis perduellis, criminisque omnis aculeus damnabilis! Propterea SS. Patres de hac invidia agentes innumera infamiæ ejus epitheta congerunt, ut v tii hujus profunditatem quadam ratione ob oculos ponant. De illa S. Baſilius ſic loquitur; *invidia eſt interitus vitæ, peſtis naturæ, adverſa omnibus bonis ex Deo venientibus, demum Deo ipſi contraria. Fugiamus eam, eſt enim intolerabile malum, ſerpentis præceptum, diabolo inventum, inimici ſatus, punitionis arrhabo, pietatis impedimentum, via ad gehennam, Regni Cœlorum privatio.* Audi & S. Gregorium Nyſſenum in vita Moyſis: *Invidia malorum princeps mortis, mater primi peccati janua, virtutum radix, doloris initium, calamitatis parens, inobedientiæ cauſa, ignominiæ principium, mortifer ſtimulus, mucro reconditus, natura morbus, bilis venenoſa, tabes ſponte adhibita, telum amarum, figens animam clavus, flamma cordis inteſtinorum ignis.* Audi & S. Gregorium. *Quamvis per omne vitium quod perpetratur, humane cordi antiqui hoſtis virus inſinuatur: in hac tamen nequitia tota ſua viſcera ſerpens concutit; & imprimenda malitiæ peſtem vomit. Et cùm devictum cor livoris putredo corruperit, ipſa quoque exteriora tudicant, quàm graviter, animam veſania inſtigat. Color quippe pallore afficitur, oculi deprimuntur, membra frigeſcunt, ſitque in cognatione rabies, in dentibus ſtridor, & cùm in latebris cordis creſcens abſconditur odium, dolore cæco terebrat conſcientiam vulnus incluſum.*

Invidia Cain.

S Proſp.

Deſcriptio invidiæ.

Invidia filiorum Jacob.

Invidia Saulis.

Deſcriptio invidiæ.

Baſil hom. 11. *Invidia epitheta.*

S. Greg. Nyſſ. *Invidia epitheta.*

S. Greg. l. 5. moral. c. 3.

Effectus invidiæ.

Tertiò, invidiæ profunditas declarari poteſt, ex eo quod ſit inſanabile malum: incurabilis enim eſt iſta pernicies invidioſa, ita ut blandimentis exaſperetur, infletur obſequiis, muneribus irritetur. Et cum intra conſcientiæ latebras cæco dolore claudatur, ſine remedio eſt: quia non poteſt adhiberi remedium, quando vulnus eſt occultum; ſed & innumeris appoſitis medicaminibus propriam adhuc incognitur ſcaturire tabem, & inſaniam erumpere.

Invidia incurabilis.

Concludamus hanc lectionem exemplo abyſſalis & infernalis invidiæ in vita S. Benedicti relato à S Greg. Cùm jam Monaſteria S. Benedicti in amorem Chriſti ferveſcerent, & ſæcularem vitam multi relinquerent, leni Redemptoris jugo cervicem ſubjicientes; ſicut mos pravorum eſt invidere aliis virtutis bonum, ſic factum eſt, ut quidam Florentius Sacerdos, antiqui hoſtis malitiâ perculſus. Sancti viri ſtudiis cœperit æmulari, ejuſque converſationi derogare, ab illa ut alios abſtraheret. Sed cùm videret nihilominus ſanctitatis ejus opinionem creſcere, & multos convertere: invidiæ tenebris cæcatus, ad hoc uſque perductus eſt, ut ſervo Dei infectum veneno panem, quaſi pro benedictione, tranſmitteret. At illum quæ peſtis lateret in pane, non latuit. Ad horam refectionis ex vicina ſylva corvus venire conſueverat, & panem de manu ejus accipere: Hunc igitur ante corvum projecit, & dixit: *In nomine Jeſu Chriſti tolle hunc panem, & tali loco projice, ut à nullo hominum poſſit reperiri.* Tunc corvus aperto ore, expanſis alis circa panem cœpit diſcurrere & crocitare, ac ſi apertè diceret obedire ſe velle, & non poſſe. Cui Vir Dei præcipiebat iterum dicens: *Leva, leva ſe-*

Exempl. S. Greg. dial. l. 2. c. 8.

Exemplum cujuſdam invidi.

eurus, atque ibi projice, ubi invenire non possit. Quem tandem corvus momordit, levavit, & recessit. Post trium vero horarum spatium, abjecto pane rediit, & de manu hominis Dei annonam quam consueverat, accepit. Venerabilis autem Pater contra vitam suam inardescere Sacerdotis animum videns, illi magis quam tibi doluit. Sed prædictus Florentius, quia Magistri corpus necare non potuit, se ad extinguendas discipulorum animas accendit: ita ut in hortum cellæ cui Benedictus inerat, ante eorum oculos nudas septem puellas mitteret: quæ coram eis ludentes illorum animos ad perversitatem libidinis inflammarent. Quod vir sanctus de cella conspiciens, lapsumque adhuc teneriores discipulis pertimescens, idque pro sua solius persecutione fieri pertractans, invidiæ locum dedit. Atque oratoria, & cuncta quæ construxerat, subsistutis Propositis adjunctis Fratribus ordinavit. Sicque paucis secum Monachis ablatis, habitationem mutavit loci, humiliterque odium declinavit. Sed & Omnipotens Deus terribiliter percussit invidum. Cùm enim ille in solario Benedictum discessisse cognosceret, & exultaret, perdurante immobiliter tota domus fabrica, hoc ipsum tantum in quo stabat solarium cecidit, & Benedicti hostem contemptus extinxit. Quod Vir Dei discipulus Maurus nomine statim Venerabili Patri Benedicto, qui adhuc à loco eodem vix decem millibus abierat, nuntiavit esse nuntiandum, dicens: *Revertere, quia Presbyter qui te persequebatur, extinctus est.* Quod Vir Dei Benedictus audiens, sese in gravibus lamentationibus dedit, vel quia inimicus occubuit, vel quia de inimici morte discipulus exultavit. Qua de re factum est, ut eidem quoque discipulo pœnitentiam indiceret, quod manifestans talia, gaudere de inimici interitu præsumpsisset. Hæc S. Gregorius.

Punitio ejusdem invidi.

LECTIO V.

DE LATITUDINE MURI INVIDIÆ.

1. Latitudo.

LAtitudo hujus muri conspicitur in variis peccatis, quæ invidiæ superstruuntur, & ex illa originem ducunt, aut cum ipsa affinitatem habent. Suntque peccata hæc velut lapides, aut lateres, quibus in altum & in latum hic muris civitatis Satanæ consurgit sub Præfecto hujus operis, quem diximus Beelzebub esse. Sunt autem hi lateres, odium,

Invidiæ origo.

sulurratio, detractio, judicium temerarium, interpretatio prava, contentio, contemptus, accusatio, conspiratio, exultatio in adversis proximi, tristitia in prosperis, calumnia, convitium, improperium, & his affinia peccata. De quibus sic ait S. Ambrosius: *De invidia, odium, sulurratio, detractio, exultatio in adversis proximi, afflictio autem in prosperis ejus propagatur. O mala progenies, quæ si animo intromissa dominari cœperit, omnem sanctitatis sobolem extinguit. Qui itaque invidet, vel odit, non alium prius quàm seipsum occidit. Qui exultat in adversis proximi, & afflictum in prosperis ejus, alium proximum, se suo pene gladio. Hæc secundum superbia virgultum tunc primùm fuit exortum, cùm ille de quo scriptum est, invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum, Cain persecit, ut livoris odio fraternum funderet sanguinem.* Vide etiam S. Greg. l. 31. moral. c. 7.

S. Ambrosius.

precat. ad Missa.

Quoniam vero de detractione, sulurratione, judicio temerario, & similibus vitiis specialiter tractavimus super Præcepto Octavo Decalogi, nihil hic de illis repeto. Pauca vero de odio, contumelia, convitio, & improperio subjiciemus.

DE ODIO.

Odium multiplex est.

ODium porrò multiplex est. Quidam enim sunt, qui licet nec verbo nec opere studeant malum pro malo reddere, tamen erga fratrem miserè afflliguntur in corde. Alii non sentiunt talem tristitiam erga fratrem sive proximum suum, tamen cum audierint illum ab alio afflictum, vel contumelia affectum delectantur omnino. Alii neque videntur odium in corde retinere, neque gaudere de afflictione, contumelia, aut adversitate alterius: non tamen libenter audiunt illum bene habere, & hæc iterum est species quædam invidiæ. Denique alii quidam sunt, qui jam odium deposuerunt, & injuriæ acceptæ obliti sunt, fratri statim post offensam reconciliati; sed si post dies aliquot aliquid dicatur ab eodem sibi minus gratum, statim revocant in memoriam primam injuriam. Hi omnes radicem aliquam invidiæ vel vindictæ adhuc gerunt, quæ est amaritudinis sursum germinans radix, exscindenda penitus. Similesque hi sunt vulneratis post vulnus cicatricem aliquam retinentibus, quæ facilè reducatur, & recrudescit. Oportet igitur ut huic cicatrici remedium adhibeant omnem rabem omnemque famem invidiæ vel odii adhuc intus latentem expungendo, & expurgando perfectiùs vulnerisque locum ita expoliendo, ut nulla ibi deformitas relinquatur, nec aliquando reminiscantur vulnus ibi extitisse. Hoc vero fiet, si quis quantum in se est à corde eliciat delectationem, invidiæ & odio adversam; quam quidem testetur non solùm erga proximum beneficentia, ubi occasio occurrerit; sed etiam oratione erga Deum pro his quibus infensus fuit. Pro his enim orans argumentum præstat charitatis, nec potest sic vindictæ aut odii studiosus illis bona omnia a Deo opprecans. Et licet quandoque recalcitret passio aliqua interior, suggestione maligni sese exercere nitens: nihil tamen illa nocet, si mox extinguatur & opprimatur ex dictamine rationis & charitatis ideò dicit Job: *Si gavisus sum ad ruinam eorum qui oderant me, & exultavi quod invenisset eum malum.* Quasi dicat: Si ita est, non habeat Deus partem mecum, nec

Modus odientium & invidorum.

Dorothi doctr. 8.

Job. 31. 29.

Num. 4. nec altissimus mihi ignoscet. Sic & Psalmista dicit: *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam.* Nempe justus invidiam invidia, vindictam vindicta, aut odium odio non compensat, sed orat pro his à quibus affligitur, ut Deus illis inspiret meliorem mentem, pro se autem ut inveniat patientiam & dilectionem.

S Bern. serm. 2. in Cant. Hæc de re etiam agens S. Bern. multa præscribit contra invidiam & odium, quod quandoque in communitate aliqua levibus ex causis cernitur ebullire. Ante mihi contingat, inquit ipse, mori, quàm audire in vobis quempiam justè clamitantem: *Filij matris meæ pugnaverunt contra me.* Nonne præsentis congregationis tanquam unius matris filii omnes vos estis, & singuli alterutrum fratres; Quid ergo à foris vos conturbare aut contristare potest, si intus bene estis, & fraterna pace gaudetis? Denique, quis vobis nocere poterit, si boni æmulatores fueritis? Quamobrem æmulamini charismata meliora, ut bonos vos probetis æmulatores. Charisma per optimum charitas est, totiesque inculcatum à Christo: *in hoc cognoscent quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* Ideò & orat ipse, ut unum sint, sicut pater & ipse unum sunt. Fugiendum ergo malum intestinum atque domesticum. Et quodnam illud? Invidia, discordiæ seminarium, & odij fomes, quæ etiam gliscit inter eos qui debent habitare unus moris in domo, ita ut conqueretur eadem Propheta. *Si is qui oderat me super me magna locutus fuisset abscondissem me forsitan ab eo; tu vero homo unanimis dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos in domo Dei.* Quasi dicat: Hoc planè mihi molestius, hoc & ægrius fero, quod ego à te patior conviva & concubernali meo: quod filius matris meæ pugnet contra me, odio & invidia stimulatus. Quapropter idem S. Bernardus sic loquitur congregationi suæ. Longè quæso à vobis facite hoc tam abominabile & detestabile malum: vos qui experti estis *quàm bonum sit, & quàm jucundum habitare fratres in unum*, si tamen in unum & non in scandalum. Alioquin nec jucundum planè, nec bonum, sed pessimum ac molestissimum. Væ autem homini illi per quem unitatis vinculum jucundum turbatur, judicium profectò portabit, quicunque est ille. Hæc S. Bernardus, qui & postea monet omnem occasionem etiam levem eliminandam, ne quis lædatur aut odium concipiat, sic enim dicit. Proinde dilectissimi pacem habete ad vos, & nolite lædere invicem, non facto, non verbo non signo qualicunque: ne quis fortè exacerbatus, & præoccupatus à pusillanimitate spiritus & tempestate Deum interpellare cogatur adversus eos, qui se læserint aut contristarint: ne & conqueri cogatur: *Filij matris meæ pugnaverunt contra me:* sic enim peccantes in fratrem, in Christum peccatis. Quia verò aliqui abstinent quidem ab aperto convitio, vel maledicto, aut gravioribus offensis, clandestinum autem susurrium ex invidia aut malevolentia ortum tanquam leve existimant: hos arguens idem Sanctus sic subjungit: Vide an leve debeat dici quodcunque in fratrem præsumpseris voluntatem lædendi, cum hoc solo si irasceris illi, divini judicii reus tenearis. Meritò quidem, nam quod tu leve putas, plerumque alius aliter accipit, tanquam homo videns in facie, & secundum faciem judicans: paratus festucam trabem suspicari, & scintillam putare fornacem. Ita utitur ille, & moritur clauso & lethali vulnere, intra semetipsum gemens, dum totus in ira & discrepatione positus, nil aliud silens versare in mente potest, præter injuriam quam accepit. Non potest orare, non potest legere, non sanctum aut spirituale aliquid meditari. Et ita intercepto vitali spiritu, dum suis destituta alimentis vadit ad mortem anima pro qua Christus mortuus est, quid tu interim quæso animi habes?

Joan. 13. 1 Joan. 3. Psal. 54.

Sed dices, illum non tam graviter pro tam levi causa debuisse turbari? Respondet Bernardus. Quanto levior est, tanto à se levius potuit non committi: quamquam nescio, quomodo leve dicas, ut jam dixi, quidquid amplius est, quàm irasci; cum vel hoc ipsum obnoxium esse judicio, ex ore ipsius acceperis Judicis. Quid enim? Tune leve dixeris, in quo offenditur Christus, unde ad Dei judicium pertrahi habes, cum horrendum sit incidere in manus Dei viventis? Tu ergo accepta fortè injuria (quod quidem interdum non accidere in his convictibus difficile est) non continuò more sæcularis obliquè referire fratrem responsione festines, sed neque sub specie quasi corripiendi, verbo acuto & urenti transfigere audeas ullatenus animam, pro qua Christus affigi cruci dignatus est. Nec debes grunnire quasi increpando: non labia mussitare, quasi murmurando; non narem contrahere, aut cachinnare, quasi subsannando; non frontem rugare quasi invehendo aut commmando. Sanè commotio tua ibi moriatur, ubi oritur, nec permittatur exire quæ mortem portat, ne permitat, ut dicere possis & tu cum Propheta: *Turbatus sum, & non sum locutus.* Bern. occurrit objectioni.

Hæc quidem Bernardus de Religiosis, sed quæ etiam omnibus Christianis conveniunt, tanquam filius ejusdem matris, qui prohibentur pugnare contra se invidia & odio, animo vel lingua: quia & in Christum fratrem omnium hæc zefultant, qui in quolibet læso læsi censetur; qui & toties in Evangelio dilectionem inculcans, omnem invidiæ & odii fomitem voluit procul eliminari. Cum autem omne odium detestabile sit, illud certè maximè, quod absconditum latet in corde & lingua mendacii tegitur in voce; de quo Prov. 10. *Abscondunt odium labio mendacio.* Rectè ait Cassiodorus: *Gravissimum inimicitiæ genus est, corde esse adversarium, & lingua simulare devotum.* Sic Absalon oderat Ammon, & dissimulavit, donec illum colore amicitiæ fraternæ ad convivium invitatum inter- *Odium hypocrita detestabile.* Cassiod. in Ps. 54.

fici curat temulentum. Sicut ſeſellit Trojanus equus, quia formam miſericordiæ ſimulavit; Sic & latens in pectore invidiæ virus. Hoc etiam habet odium abſconditum quod facile permanat: Odium vero in lucem eductum facilius perimatur. Sicut ſi quando domus aliqua exarſit, dum ignis interius eſt, nemine prohibente exurit, ſed ſi flammis extulerit, vicini occurrunt, & aquâ extinguunt: Sic odium dum latet, adurit animi penetralia nullo prohibente; ubi verò flammas extulit, amicorum interventu non infrequenter ſopitur.

DE CONTUMELIA, CONVITO
Improperio.

Contumelia quid ſit.

Contumeliæ dicuntur verba quibus aliquis injuſte vel injuriosè alterum afficit, objiciens ei defectum vergentem in honoris ſui præjudicium. Et maximè contumeliâ quis afficitur, cùm ſunt defectus culpæ, aut defectus animæ, v. g. ſi quis in faciem vocet quempiam furem, vel raptorem, fornicarium, adulterum, ſuperbum, aut vitium ſimile exprobret: aut ſi vocet ignarum, ſtultum, aliosque defectu notet, qui animum concernat. De hac re docebat Sapiens. *Qui profert contumeliam, inſipiens eſt.* Prov. 10. 18. Nempè non facilè contingit illam efficaciter revocare & ferè ſemper, ut notat Plutarchus in moralibus, amicitiæ poſt contumelias & mutuas famæ lacerationes, aut non coeunt, aut cicatricoſæ coeunt: quia ſemper veſtigium antea factæ diſcordiæ impreſſum manet, tanquam vibex, aut cicatrix. Quod quidem veſtigium dum memoria refricatur, vulnus præteritum ſolet inſtaurare. Unde planè mirum eſt, inter eos qui etiam amicitiâ junctiſſimi ſuêre, tam facilè contumeliam quandoque levi ex cauſa exſurgere, dum ſocietatis pertæſus, facilè quis diſplicentiam alterius concipit. Sic inſtabilis eſt amicitia humana, & quem prius laudabat quis, nunc contumelioſè vituperat, licèt in eo non ſit ulla mutatio. Hoc advertit S. Greg. Naz. anz. de pace, ubi ſic ait: *Hic tibi heri pius erat, quo pacto hodie impius, cùm nec verbo, nec re quidquam additum, aut detractum?* Plutarch. Greg. Nazianz. orat. 16. *Hodie tibi libidinoſus qui heri ſobrius erat, Judas hodie vel Caiphas, qui heri Elias: vel Joannes. Sic contentiosè progrediuntur, quaſi flamma per ſtipulam currens, & ſpinas comprehendens.* Hoc ſanè accidit, quia iniquâ rerum regulâ, hoc eſt, contentione & iracundiâ utimur ad metiendas alterius actiones. Sicut terra ſanis quidem ſtabilis eſt, his autem qui circumaguntur, & vertigine laborant, movetur, nimirùm alpicientium vitio ad rem aſpectam transeunte, ſic ob inimicitiam facilè decipimur, nec de eisdem rebus eadem amantes, & non amantes judicamus. Ita Nazianz.

Quid ſit convitium.

Convitium dicitur, cùm objiciuntur alicui defectus corporis, v. g. ſi alicui dicas: *Turpiſſime claude, & ſtorte nequam, infelix cochus, illegitime nebulo.* Tales enim & ſimiles defectus ſolent ſibi homines in faciem objicere, animo irriſorio, & exprobratorio, vel vindicativo, & ſæpè non ſine gravi culpa.

Inſultabant Eliſæo pueri inclamantes cum illuſione: *Aſcende calve, aſcende calve:* & duo Urſi ex ſylva prodeuntes laceraverunt quadraginta duos ex eis. 4 Reg. 2. 23.

Comes quidam Geldriæ cùm nuntium Pariſiis cum litteris ad ſe directis revertentem interrogaſſet, num Regem Franciæ Ludovicum vidiſſet? Subſannans ille, illudens, & collum contorquens, reſpondit: *Vidi illum miſerum papiſtarum Regem, griſea veſte indutum, ad ſcapulas capucium gerentem.* Sed vix verba finierat per convitium hoc illuſorium, quin ſtatim facies ejus retrorſum acta fuerit, & ſic contorta permanſerit, ita apud Surium in vita S. Ludovici. Sur. in vita S. Ludovici.

Sic S. Michol, cùm inſultando Davidi ante arcam ſaltanti dixiſſet: *Quàm glorioſus eſt Rex Iſrael, nudatus quaſi unus de ſcurris*: Non impunè tulit Deus hoc convitium, nam ſterilitate percuſſa fuit eam ob cauſam. 2. Reg. 6. 20.

Improperium quid ſit.

Improperium dicitur, cùm cuipiam objiciuntur fortunæ defectus: *Tu pauper, tu mendice, tu ignobilis, &c.* vel quando in faciem beneficia, & auxilia improperantur: ut cùm quis exprobrat alteri: *Sine me eras derelictus, eras profugus, eras mendicus.* Quænam autem hic culpa contineatur, ex animo objicientis, & aliis circumſtantiis metiendum eſt. Videri poteſt de his S. Thom. Videri etiam poſſunt Interpretes ſacri, ſuper illud Matth. cap 5. *Qui dixerit fratri ſuo: Raca, reus eſt concilio: Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Ubi nonnulli illam vocem *Raca*, idem exiſtimant ſignificare, quod *Pannoſus*, ita ut ſit exprobratio quædam egeſtatis & paupertatis, ex malevolo animo in alterum profecta: ſive ut idem ſit quod Galli dicerent exprobrando: *Tu n'es qu'un gueux, un briboux.* Alii aliter interpretantur. Contra hæc omnia Chriſtianum munens S. Baſilius ſic ait: *Probris te perculit? At ea illi benedicas conſuevit, & nihil te ferit? Cogita quòd ex terra factus es, & in terram reſolveris. Ignobilem te dixit? Tu dicito te cinerem, num es præſtantior Patre noſtro Abraham Indoctum ac nullis opibus? Tu vermem te dicito, ex ſtercoribus ortum. Quid te paupertatis appellatio perturbat? Memoria repete ortum tuum & reperies te nudum hùc ingreſſum. Quid pauperius?* D. Tho. 2. 2. q. 72. S. Baſil. orat. 9. de Ira. *Reſponſum ad improperantem.*

LECTIO V.

DE LONGITUDINE MURI INVIDIÆ.

4. Longitudo.

Longitudo hujus muri ex multitudine ædificantium illum conſiderari poteſt. Concurrunt enim ad hoc ædificium extendendum omnis penè conditionis homines, ita ut orbem pènè totum ambiat Invidia; Arque ut in particulari hoc cernamus, recenſeamus per diverſos ſtatus cooperatores aliquos muri hujus civitatis ſatanæ.

Primò

Ædificantes hunc murum. 1. Principes & Magnates.

Primò igitur, hunc murum ædificare Principes & Magnates, exploratum est. Cum enim inter eos sibi locum vendicet superbia, hanc illico invidia subsequitur, tanquam proles, aut pedissequa. Nempè cùm superbia amor sit propriæ excellentiæ, invidia verò odium sollicitatis alienæ: quisquis amat proprium excellentiam; illius ita æmulator est, ut solus eam velit possidere. Hinc fit, ut mox vel æqualibus invideat quòd sibi æquentur; vel inferioribus quòd crescant, timens ne sibi pares efficiantur; vel superioribus ne sibi imperent & dominentur. Exsurgunt inde inter Principes tot bella & tumultus, ob alienæ potentiæ invidiam & æmulationem. Etenim solus splendor nimis rutilans vicini Regis & Regni ita quandoque perstringit oculos quorundam Regum & Principum, ut suggerente invidiæ incentore, illatim nanciscantur sufficientem occasionem ad bella commovenda, & potentiam illam deturbandam, aut certè perturbandam. Hinc tam cruenta bella, tam funesta prælia, tot cædes Innocentum, tot oppressiones pauperum, tot bonorum direptiones, tot templorum profanationes, Monasteriorum, claustrorumque violationes. Hinc tantus rerum sacrarum contemptus, & morum corruptela. Cæsar & Pompejus mutuâ æmulatione concitati, totum conturbant imperium Romanum, nece & sanguine replent. *O invidia vitiorum radix, doloris instinctum, & calamitatis parens!* ut benè S. Greg Nyssenus: Proh dolor! una cum statu avita religio, & probata pietas *pariter non est qui recogitet in corde suo.* Prælarè certè ac verè S. Hieron. *Romanus*, inquit, *orbis ruit, & tamen cervix nostra erecta non flectitur.* Et paulo post: *Nec amputamus causas morbi, ut morbus pariter auferatur.* Quanto itaque est major affectatio potestatis sublimis, tanto amplior seges exoritur invidiæ & æmulationis. Quapropter aulas Regum & Principum, ubi multi ad sublimes certatim contendunt honores, rectè dixeris scholas esse & gymnasia invidorum. Quò præclariora gesseris in Regum obsequio, eò magis æmulationi & invidiæ subjacebis. Sic Scipio Africanus, militari glorià inclytus, cùm totam Africam armis & consilio Romanis subjecisset, de omnibus trophæis nihil præter nomen sibi retinens: invidiam tamen suorum effugere non potuit. Fatetur id ipse apud Valerium Max. sic Romanos alloquens: *Cùm totam Africam vestro jussu subjecerim potestati, nihil ex eo quod meum diceretur, præter cognomen retuli: Non igitur me Punica nec fratrem meum Asiatica gaza avarum reddiderunt; sed uterque invidia magnâ quàm paucis implevimus.*

S. Greg. Niss. in vita Moysis, Isa. 57. 1.

S. Hieron. ep. 3. ad Heliodor. de Epitaphio Nepotiani. *Aula gymnasium invidiæ.*

Valer. Max. l. 3. c. 7.

Idem Val. c. 3.

Neminem quoque, ut refert idem Val. Lycurgo majorem aut utiliorem virum Lacedæmonia genuit: Attamen neque vitæ suæ sinceritas, neque in patriam constantissimus amor, neque leges salubriter excogitatæ auxilio esse potuerunt, quò minùs invidos & infestos cives pateretur: sæpè enim lapidibus petitus, aliquando furore ejus, publicè etiam privatus, ad ultimum patria pulsus est. Hoc nimirum est commune vitium in magnis civitatibus & regnis, ut invidia comes sit gloriæ, tanquam umbra corporis, & plerique æquo animo non intueantur, quos altius vident eminere, ac de his bene loqui ignorent. Sicut enim in Sole ambulantes umbra sequitur; ita in honore & sælicitate viventes invidia. Ubi nullum lumen, umbra nulla, sic ubi nulla sælicitas, nulla est invidia. Hinc illud Poetæ contra invidos:

Invidiosa mea nempè umbra pedissequa vita.
Cùm datis lucem rebus inesse meæ.

Invidia in magnis civitatibus, & regnis.

Secundò ædificant hunc murum satanæ opulenti & divites, qui dum ad lucra ad opes continuo conatu contendunt, ex affectu nimio humanæ cupiditatis sibi invicem æmulationes conciliant. Frequenter ex invidia fit, ut quidquid alteri vident accrescere, totum sibi credant deperire. Rectè ergo Aristoteles interrogatus quid foret invidia? Respondisse fertur: *invidia fortunatorum est anagonista.* Cui subscribens Seneca sic pronuntiat: *facilius est pauper contemptum effugere, quàm divitis invidiam.* Hoc ex scripturis deducta probant exempla. Isaac quia Dominus ei benedixerat, & multiplicabatur prosperè in ovium & armentorum possessione, sustinere debuit invidiam Palæstinorum, qui implebant puteos humo, ne posset greges adaquare. Quamobrem unum puteum ex illis eruderans, vocavit *Calumniam* eo quod jurgium ibi fuisset Pastorum Geraræ adversus pastores suos, dicentium; *Nostra est aqua.* Alterum quoque fodiens, vocavit *Inimicitia* eo quod pro illo iterum invidiosa rixa exorta fuisset. Sed profectus inde fodit alium puteum, pro quo non contenderunt, & vocavit nomen ejus, *Latitudo.* Patet etiam in scripturis invidia Laban contra Jacob, eo quod prosperaret in omnibus; ita ut decem vicibus mercedem ei mutarit, ut exprobrat ei Jacob.

2. *Divites & cupidi.*

Quid sit invidia. Aristot. Seneca. Exempla

Gen. 26. 14.

v. 20. & 21.

ib. 31. 7.

Tertiò, ædificant hunc murum, eumque mirè extendunt & adaugent plebeii cujuslibet artis vel opificii: Neque enim in magnos tantum animos aut in fortunas magnas, sed etiam in mediocres & viles invidia cadit, & odium. Sic in proverbio est: *figulus odit figulum, faber fabrum; fortè juratorem sartor non æquo inspicit animo:* eo quod quidquid lucelli veni accedit, alteri decedere videatur: Et si qua melior fortuna vicino contigerit, novæ exsurgunt æmulationes, imò si qua solum spes aut opinio illius. Quæcumque proximi sunt, ferè solent rudiores animi cum invidia contemplari, hinc illud:

3. *Artifices vel opifices.*

Fertilior seges est alieno semper in arvo:
Vicinumque pecus grandius uber habet.

Sed nuda opinione plerique laborant, & sibi nihilominus afflictionem pariunt, modò avaritia, modò invidia stimulante. Propterea etiam negotiatores mutuas merces mutuò contemnunt, & si sermo intercurrat de arte, industria, mercemoniis alterius, facilè advertes vix ipsos sincerè judicare, nec sincere loqui. Quid ita? Quia nimirum passio

Invidiæ ſicut rectum obnubilat judicium, ſic & rectum impedire ſolet ſermonem.

4. *Eruditi.* *Quartò*, huic fabricæ cooperatores ſunt eruditi & litterati. Unde enim inter eos tot diſcrepantes ſententiæ, tot diſcrepationes, tot contentiones, verbolæ? Invidia ſæpenumero illas parit: imo illa efficit, ut non ſolùm verbis, ſed & ſcriptis ſefe mutuò acerrimè infectentur non ſine legentium ſcandalo. Alii etiam invidiæ habenas laxantes toti in hoc incumbunt, ut libros & doctrinam aliorum eruditorum cenſura aliqua aut nota conſpergant. Et dum in ipſorum libris etiam quadam carpſerunt ſibi proficua, reliqua contemnunt, auctoremque ipſum. Hi non abſimiles ſunt harpiis: quæ ubi lautè in cadavere invento epulatæ fuerint, reliqua deſœdant: & hinc eſt, quod Zoilos timere debeant, qui alios verbo vel ſcripto eruditunt. Charitas communicat, ſed invidia conſpurcat. Cùm ſcriptores ipſi poſſint
Sap. 7. 13. aſſerere cum Sapiente: *Sapientiam ſine fictione didici, ſine invidia communico*, exempti tamen non ſunt, nec eorum ſapientia, ab aliorum tabeſcente invidia.

5. *Fratres.* *Quintò* etiam fratres ejuſdem familiæ, ejuſdem uteri, inveniuntur hanc ædificare maceriem ſatanicam. Quàm manifeſtum id ſacris in Litteris eſt, in Cain inſurgente contra Abel, in Eſau contra Jacob, in Iſmaele contra Iſaac, in fratribus contra caſtiſſimum Joſeph? In his omnibus omnes ſuas exeruit invidia vires, omnem virulentiam: ita, ut non mirum ſit, ſi & modò cernamus eos qui non ſolùm ſocietate humanâ, ſed etiam conſanguinitate ſtrictâ colligati ſunt, ſibi mutuò adverſari, ſibi mutuò invidere. Nam etiam in amiciſſimis, & conjunctiſſimis, alter eum alteri eſſe prælatum, ſat ampla materia invidiæ eſt, & odiorum. Magnam non raro invenies inter fratres morum ſimilitudinem, mutuam benevolentiam: ſed ſi major uni accedat honor, maximè juniori, fratres eſſe deſinunt, iniquis ſe oculis inſpectant: & æquius ferunt in externum aliquem transferri dignitatem & honorem, quam in fratrem, quem volunt habere ſe minorem. Uteri hæc videtur eſſe prærogativa quod inter fratres neſciat diſcrimina; ignorat & illa mater, ignorant, & ubera. Ideo ſicut utero & uberibus, ſic opibus, honore, veſte, æquari volunt: nec ſibi ferendum putant, ſi notabilis in his diſtinctio reperiatur. Quamobrem cauſa odii & invidiæ fratrum contra Joſeph fuit, quod plus diligeretur à Patre. Tunicaque ejus polymita, ſymbolum amoris & honoris paterni, aſſiduè oculos eorum invidos feriebat; hinc tot in eum conſpirationes & necis etiam molitiones. Diſcant exindè parentes, quoad fieri poteſt, filios æquare in omnibus, æqualiter diligere, veſtire, educare, ſuaque dona & bona ſecundùm aliquam æqualitatis rationem inter eos partiri, ne perpetuent inter eos contentionem & invidiam, ſibique concilient ob id aſſiduum dolorem & triſtitiam.

6. *Eccleſiaſtici.* *Sextò*, Eccleſiaſtici viri etiam huic ſtructuræ ſatanicæ amplificandæ incumbunt. Quàm ſæpè enim jurgia inter eos concitantur ex æmulatione, modò ratione officiorum, modò ratione præcedentiæ in loco & ſimilium? Certè Eccleſia, quæ deberet eſſe ſchola diſcipulorum Chriſti & veræ charitatis gymnaſium, facta eſt ſchola æmulationis, & gymnaſium contentionis. Et illa quidem æmulatio quondam voluit irrepere in familiam Chriſti, ſed ſtatim eam eliminandam docuit ipſe. Dum enim contentio facta eſt inter diſcipulos, quis eorum videretur eſſe major (quam contentionem invidia ſuſcitarat) compeſcuit eam Dominus ſeriâ increpatione, & gravi verbo; compeſcuit quoque operis exhibitione & exemplo. Statuit enim parvulum in medio eorum ipſo facto oſtendens, & parvuli exemplo manifeſtans, quales diſcipulos exoptaret: nimirum parvulos ſine dolo, ſine fictione, ſine æmulatione, ſine ambitione. Cùm etiam mater filiorum Zebedæi pro filiis ambiret primatum, ſciens Dominus id non ſine invidia cæterorum fore, prudenti reſponſo cum ambitionem, tum invidiam eliminavit è mentibus eorum. Hoc attendere deberent diſcipulorum hæredes, & in Sacerdotio ſucceſſores; ut magis aſpicerent ad bibendum calicem paſſionis? quam ad conſcendendum verticem ambitionis. Verùm penè ſemper hi qui in Eccleſiaſtico gradu doctrinæ & ſanctitatis gloriâ eminuerunt, aliquos ejuſdem gradus paſſi ſunt æmulos. Quanta invidia in Sanctum exarſit Athanaſium, etiam ab Epiſcopis ſuis? Quanta in ſanctum Chryſoſtomum, qui Epiſcopis ſubſcribentibus & ingentibus, ab Eudoxia Auguſta in exilium pulſus fuit? Præclarè & ſapienter S. Greg. Nazianz. pronunciavit, quando propter ſuos æmulos & invidos Eccleſiam vidit perturbatam: *Abſit à me*, inquit ipſe, *ut unquam mei cauſa aliqua ſimultas inter Dei Sacerdotes oriatur. Illud bona uſurpabo. Si propter me orta eſt tempeſtas, mittite me in mare.* S. Greg. Nazian.

7. *Religioſi.* *Poſtremò*, etiam huic ædificio operam ſuam impendunt nonnulli, qui religioſum ſtatum profitentur. Quis enim ignorat inter eos contentiones & æmulationes quandoque ſerpere? Quam ſæpè advertere eſt, eos qui in diverſa religione quaſi in diverſis caſtris ſinxerunt ſedem, non in ſefe amplecti ut fratres, non ita amare ut ejuſdem militiæ ſub uno Imperatore Chriſto commilitones? Certè inveniuntur plerumque neutiquam de ſefe mutuò præclarè loqui, idque ex paſſione & æmulatione? imò invicem mordere, meritaque aliorum interpretatione ſiniſtra quandoque evacuare; vel certè frigidâ laude non parùm imminuere. Denique eò præcedit quorumdam animus invidiæ livore tabefactus, ut devotionem, pietatem, præclaraque opera virorum alterius ordinis fictioni & hypoſtiſi adſcribere non vereantur. Quibus affimulabimus homines generationis hujus? Similes ſunt amicis Job qui cùm rectiſſimus foret & patientiſſimus, peccato labiorum numquam infectus, audent tamen illi eum inſimulare hypocriticæ fictionis. Prætereo æmulationes inter Religioſos propter cathedras, & alia

Ortus hæreſis ex invidia.

& alia officia, ac prærogativas. Quæ quidem frequenter non parum ſcandali generant in Eccleſia Dei, & in plebe rudi. Undenam ortum ſuum habent hæreſes omnes hujus noſtri ævi, niſi ab invidia Lutheri? Deferebatur ab Archiepiſcopo Moguntino promulgatio Indulgentiarum pro ſuſcipientibus crucem, aut elargientibus ſtipem contra infideles Fratribus Dominicanis, & in Eccleſia eorum celebris ad hanc rem erat concurſus. Invidit Lutherus Auguſtinianus, quia Conventui Auguſtinorum id primum deferri ſolitum ſoret. Nec diu invidiæ venenum conceptum fuit, ſed ea ſtimulante, contra Pontificis auctoritatem, contra Indulgentiarum valorem virus ſuum effudit. Hæc fuere initia erroris, qui tot portenta errorum poſtea parturiit, tanquam invidiæ fœtus ſerpentinos. Sic ergo nullus ſtatus ab invidia eſt ſecurus quamlibet profiteatur ſanctitatem: nam & indignum quod ad viros etiam ſpirituales ſe extendat, Evangelica doctrina nobis atteſtatur, diſcipulos Baptiſtæ Chriſto & ejus diſcipulis invidiſſe: Zelo enim

Joan. 3. 26

commotis dixere quondam Joanni: *Rabbi qui erat tecum trans Jordanem cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* Phariſæi quoque doctrinæ & ſanctitatis Profeſſores, invidebant Chriſto, invidebant & Joanni, peſſime de illis omnia interpretantes. Unde illis improperat Chriſtus:

Matt. 11. 18.

Venit Joannes neque manducans, neque bibens, & dicunt dæmonium habet. Venit filius hominis, manducans & bibens & dicunt: Vorax eſt, & potator vini.

LECTIO VI.

DE SEPTEM TUBIS CONTRA INVIDIÆ MURUM.

Tuba 1. contra invidiam.

PRIMA *tuba* eſt, vox ſanguinis Abel contra Cain detonans, ſimul etiam contra omnes invidos, fratrum ſuorum ſanguinem ſitientes. Cui voci jungitur & vox Domini condemnantis invidum Cain, omneſque malignos, ejus ſequaces. Quam vocem & condemnationem renovare cenſetur S. Judas, dum ſic inſonat in Epiſtola ſua: *Væ his qui in via Cain abierunt.* Itaque omnes invidi, qui maligna Cain ſectantur veſtigia, eadem merentur involvi pœna.

Secunda tuba, vox eſt Domini per Prophetas ab invidia deterrentis, inter quos David inclamat:

Pſal. 36. 1.

Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem. Hoc eſt: Noli invidere malignis hominibus, ſi videris eos proſperari in divitiis, officiis, honoribus. Rationem ſubdit. *Quoniam tanquam fœnum velociter arefcent, & quemadmodum olera, herbarum citò decident.* Quaſi dicat: Licet modo videantur florere, aut fructificare, ſubitò tamen deficient & decident, inſtar herbæ marceſcentis, inſtar floris decidui, aut contriti. Nam vel in media proſperitate deficere cernuntur, vel ſaltem in morte: & hæc conſideratio facit, ut non opus ſit eis invidere, imo nec deceat. Nam hoc eſt optimum invidiæ omnis remedium contemptus opum, honorum, & rerum omnium hujus ſæculi, ut ſtatim dicemus. Inter Prophetas quoque accenſere poſſumus Job contra invidos ſic pronuncian-

Job. 31. 2 & v. 24.

tem. *Quam partem haberet in me Deus deſuper, & hæreditatem Omnipotens de excelſis, ſi gaviſus ſum ad ruinam ejus qui me oderat, & exultavi quod invenſſet eum malum:* Quaſi dicat aperte: Si contingat quempiam de numero illorum eſſe, qui ob infortunium alterius ex odio aut invidia exultant; certum eſt in illo Deum non habere partem, neque ipſum cum Deo. Quid ergo; Habet partem in ipſo diabolus, & ipſe cum diabolo, qui invidorum & invidiæ primus eſt auctor & parens; hæreditatem peſſimam ſupplicii æterni filius ſuis peſſimis in partem donans.

Tertia tuba, vox eſt Domini in libris Sapientiæ contra Invidiam declamans. Unde Prov. 17. hæc Prov. 17. 5

vox inſonat: *Qui ruina lætatur alterius, non erit impunitus.* Quis verò eſt ille qui in ruina alterius lætari poteſt, niſi qui invidiæ ſtimulis agitatur? Talis igitur non evadet divinam vindictam, nec in hoc ſæculo, nec in futuro: Ruina & ipſe involvetur, aliis collætantibus; nam & hoc eſt juſtum æterni Judicis decretum. Hinc iterum inclamat Sapiens contra invidos & malignos ſuſurratores: *Cum*

Ib. 24. 21.

detractoribus non commiſcearis, quoniam repentè conſurget perditio eorum: & ruinam utriuſque quis novit? Tam ſcilicet detractoris, quam illius qui detractioni lubens aurem accommodat. Unde porro detractio, niſi ex invidia ortum habet? Unde ſuſurratio niſi ab ejuſdem genus ſuum ducit? Denique Sapiens, cum in libro ſapientiæ c. 1. dixiſſet: *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum*, Mox ſubdit: *Imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius.* Si ergo imitantur illum quicumque Invidiæ ſunt obnoxii, væ illis, quia illius etiam ſe commiſcent maledictioni, & ſe reos ſtatuunt ejuſdem ſupplicii. Neque ſolum invidiam à ſe fugandam monet Sapiens, ſed & omnem cum invido communicationem cautè fugiendam. Unde cap. 6. ſic ait: *Neque cum invidia tabeſcente iter habebo, quoniam talis homo non erit particeps ſapientiæ.* Ergo odio habenda eſt invidia, fugiendusque invidus, qui illam affricare poteſt ſecum converſanti, aut certè per eam illi ipſi cui amicum ſe ſimulat nocere.

Quarta tuba, eſt vox Domini in Evangelio. Sic enim contra invidum intonat, ſic illum ejicit in

Matt. 20. 14.

Parabola Patris familias operarios vineæ convocantis: *Tolle quod tuum eſt, & vade. An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Iterum minæ illæ intentantur: *Progenies viperarum quis demonſtravit vobis fugere à ventura ira?* Progeniem viperarum invidos vocat, ob rationem ſupra à nobis allatam: quia

Ib. c. 3. 7.

humorum

nimirum ſerpentis ſunt germen: ſerpentis quidem illius per quem primum invidiæ venenum jactum fuit, & in hoc nem efluſum, quod & quotidie illo vomente increſcit. Quia ut ſupra diximus ex S. Gregor. *Quamvis per omne vitium virtus hoſtis antiqui inimica inſundatur cordi, in zelo tamen invidiæ tota ipſa noſcitur ſerpens ille antiquus concutis, & imprimens ſe malitia peſtem vomit.* Propterea etiam de membris, & progenie hac ſerpentis illius antiqui dici poteſt illud. *Erit Dan. coluber in via ceraſtes in ſemita, mordens ungulas equi, ut cadat aſcenſor ejus retro.* Diabolus livore impulſus invidiæ, quantum potelt impedit ne homines illic gloriose aſcendant, unde ipſe turpiter æternum eſt dejectus. Eſt itaque tanquam venenatus coluber, qui inſidiatur per viam tranſeuntibus, ut eos mordeat; quia per iter ſalutis incedentibus, & tendentibus in cœleſtem regiam impedimentum opponit. Ipſe eſt ceraſtes ſerpens cornutus in ſemita quæ ad cœlum pergitur; & equi dicitur mordere ungulas, ut ſimul cadat equus & aſcenſor: quia dum nititur impedire hominis in cœlum aſcenſum, etiam & hoc molitur, ut corpore & anima finaliter cadat, & præcipitetur in infernum. Huic malignitati videntur cooperari invidi, ſerpentina ejus progenies, dum & ſibi & aliis impedimento ſunt, ne gloriam aſſequantur; quia & eſt eorum malitia, ut de caſu aliorum & ruina eorum lætitiam concipere videantur.

S. Gregr. l. 5. moral. c. 34.

Gen. 49. 17.

Quinta tuba, eſt vox Apoſtolica quæ ſæpe contra invidos valido inſonat clangore. Audi S Petrum tibicinem cœleſtem c. 2. inſonantem: *Deponite omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationem, invidias & detractiones, ut in Deo creſcatis in ſalutem.* Audi & Apoſtolum Paulum, de quibuſdam pronunciantem: *Tradidit eos Deus in reprobum ſenſum, plenos invidia, dolo, malignitate.* Iterumque tanquam tuba matutina inſonat: *Fratres hora eſt nos de ſomno ſurgere non in contentione & æmulatione: ſed induimini Dominum Jeſum Chriſtum.* Ad Corinthios verò hæc eſt vox ejus: *Cùm ſit inter vos zelus & contentio, nonne carnales eſtis?* Utique carnales, quia *manifeſta ſunt opera carnis*, inter quæ recenſenda ſunt, *inimicitiæ, rixæ contentiones invidiæ, æmulationes* & his ſimilia. Audi denique S Jacobum proclamantem: *Ubi zelus, & contentio ibi inconſtantia, & omne opus pravum.*

1. Pet. 2. 1.

Rom. 1. 28

Ib. 13. 11.

Ib. v. 13.

Jacob. 3. 16.

Sexta tuba, eſt vox propriæ conſcientiæ, quæ invidos tandem cogit dicere: *In via iniquitatis laſſati ſumus, & in malignitate noſtra conſumpti ſumus.* Invidia enim ignis eſt inextinguibilis, qui conſcientiam urit in hoc ſæculo, urit & poſtmodum in futuro. Et illa quidem non oritur niſi ex malignitate, cum cætera peccata aliquam habeant annexam vel delectationem vel excuſationem. Hoc ita aſſerit S Chryſoſt. *Omni*, inquit, *venia caret iſtud invidiæ peccatum: Nam fornicator quidem concupiſcentiam prætendere poteſt, fur paupertatem, homicida furorem; frigidas quidem & irrationabiles, habent tamen quas prætendant excuſationes; at verò quâ dicere cauſam poſſit invidus, niſi tantum intenſam nequitiam. Si enim inimicos diligere jubemur, quam pœnam luemus, ſi etiam diligentes oderimus?*

Sap. 5. 7. Ib. v. 13.

S. Chryſ. ho. 44. ad pop. Antioche.

Sept ma tuba; eſt tuba judicii divini, quam indicat Pſalmiſta acerbiſſimam fore contra invidos, dum ait: *Sedens adverſus fratrem tuum loquebaris & ponebas ſcandalum. Hæc feciſti & tacui. Exiſtimaſti iniq, quod ero ſimilis tui: arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.* Poſtea ſubdit: *Intelligite hæc qui obliviſcimini Deum, ne quando rapiat, & non ſit qui eripiat.* Intelligebant hoc ſuſurrones, detractores, omnesque invidiæ livore tabeſcentes, animo & lingua proximis ſuis innocuis nocumentum inferentes, de quibus præceſſit: *Os tuum abundavit malitia, & lingua tua concinnabat dolos.* Audiant, inquam, hæc quia divini Judicis fratres ſuos vindicantis, non effugient manum, nec vocem terribilem, malignos omnes tanquam maledictos in ignem æternum devolventem. Unde iterum illis id inculcatur per eundem Pſalmiſtam. *Dilexiſti malitiam ſuper benignitatem, iniquitatem magis quam loqui æquitatem, dilexiſti omnia verba præcipitationis linguæ doloſa. Propterea Deus deſtruet te in finem, evellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo & radicem tuam de terra vivorum.* Timeant ergo invidæ linguæ & malignæ hanc deſtructionem, hanc evulſionem, & eradicationem, quam eis divini judicii tuba ex nunc comminatur. Redeant ad cor, & omne virus, tam animi quàm linguæ venenatæ extergant; diſcantque Deum & proximum benedicere, Deum & proximum ſemoto omni livore diſcant ſincerè amare.

Pſ. 49. 20. v. 22.

Pſal. 51. 5.

LECTIO VII.

DE SEPTEMPLICI ARIETE CONCUTIENTE MURUM SUPERBIÆ.

Exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea, Pſal. 136.

SEPTEMPLICES Arietes, ſive machinas, quibus deſtruitur invidiæ murus vocamus ſeptem efficaces conſiderationes, quæ illi fortiter obſiſtunt: & animo fixæ omnem invidiæ rationem demoliri, & procul eliminare valent.

Primus ergo *aries* contra invidiæ murum erigendus eſt conſideratio efficax fraternitatis, & fœderis ſtrictiſſimi quod inter homines incſſe debet, cum à natura, tum à ſpiritu & gratia. Et quidem omnes ſumus natura fratres, ex ijſdem principiis genus ducentes, quibus unus eſt Pater Adam, una Mater Eva. Ideoque voluit Deus ab uno principio omnes nos originem ducere, ut charitatem & unitatem commendaret, diſcordiam omnem & invidiam eliminaret. Sumus etiam ſpecialiſſimè fratres ſpiritu & gratia, quibus unus eſt Pater Deus, una

1. *Aries Conſid. Fraternitatis*,

mater

mater Sancta Ecclesia, unus communis omnium frater Filius Dei Jesus Christus: Ad eandem paternam hæreditatem creati sumus, ut una possideamus, & æternum una collætemur. Quod si ergo fratres sumus in Domino, cohæredes in Christo, ejusdem corporis membra, eodem redempti sanguine, eadem muniti fide, ad eandem gratiam & gloriam vocati; procul abesse debet omnis invidia, procul omnis æmulatio & discordia. Imò unumquemque unicuique eanquam fratrem fratri oportet bene velle, bene precari, benefacere: tantum abest, ut in adversis gaudere, vel rebus secundis dolere quis possit, nisi fraternitatem hanc quis repudiare velit à Deo prius ipse repudiandus, & à numero filiorum ejus probandus.

2 Consid. deformitatis hujus vitii.

Secundus aries, est consideratio efficax deformitatis hujus vitii: quæ abominabilis ex eo est, quod hominem dæmoni similem reddat; unde vitium istud diabolo proprium esse diximus. Non enim diabolus statim creatus est diabolus, sed cum angelicam naturam & potestatem accepisset, per invidiam in dæmonis naturam est conversus, & à Dei familiaritate alienatus. De hac re sic loquitur S. Cyprianus. *Facilius malunt tam perniciosum à nobis vitabitur, si ejus idem origo & magnitudo noscatur. Hinc diabolus inter initia statim mundi, & persis primus, & perdidit. Ille Angelica Majestate sublimis, ille Deo acceptus & carus, postquam hominem ad imaginem Dei factum conspexit, in zelum malevolo livore prorupit; non prius alterum dejecerit infirmitatis, quàm ipse zelo ante deciderit, captivus antequam capiens perditus antequam perdens. Dum simulante livore hominis gratiam data immortalitatis eripit: ipse quoq; id quod prius fuerat amisit. Hinc nova fraternitatis prima odia hinc parricidia, cœperunt.* Itaq; cum proprium sit diabolo de hominum benefactis dolore affici, supernaque & cœlestia illi invidere; hunc imitantur, qui ad invidiam se diaboli sinunt, cum illo ut diximus cruciandi: quia illius imaginem characterem proprium suscipiunt, imagini & characteri filiorum Dei planè adversantem. Hoc qui efficacius consideravit, omne invidiæ semen statim à seipso rejiciat necesse est; nisi ex humana natura diabolicæ naturæ similitudinem assimere aveat.

S. Cypr.

3. Consid. mali quod sibi invidus acerfit.

Tertius aries, est consideratio efficax mali quod sibi conficit, qui invidiam in corde alit; seipsum enim suo gladio perimit, se confodit. Sic asserit S. Cyprian. *Nihil magis Christiano cavendum, nihil cautiùs providendum, quàm ne quis invidia & livore capiatur, ne dum zelo in fratris odia convertitur gladio suo nescius ipse perimatur.* Nempe ut supra diximus, invidia dum quis tabescit, uritur continuò, & corroditur cor ejus, corpus exsiccatur, mens jugiter sollicitatur: nec homini bene esse illa permittit, nec nisi cum tristitia vivere. Unde & invidiam similem diximus vermi nato de ligno, qui lignum istud de quo egreditur, mox incipit rodere. Sic illa nascitur ex hominis corde sed primum quod affligit & lædit, cor ipsum est, de quo nascitur.

S. Cypr. serm. de zelo & livore.

Tristius invidia nihil est, quia protinus ipsum Auctorem lædit, excruciat, & suum.

4. Consid. Amplissimis bonorum alicerum,

Quartus aries, est consideratio efficax, quod omnium bonorum operum quibus quis invidere potest, particeps esse queat, si voluerit. Sic enim & dona proximi per charitatem nostra sunt, & quæ abillis egrediuntur merita, communicatione charitatis nostra fiunt. Membra ejusdem corporis, licet diversas dotes diversasque habeant functiones & officia, haud tamen sibi mutuò invident, quia potius congratulantur; quia in eodem corpore quadam ratione ob unionem sibi sunt communia, & in communem utilitatem redundantia: Sic si unum lædatur membrum etiam infimum, cuncta dolorem sentiunt, & quantum in se est, opitulatur unum alteri, tantum abest ut sese mutuò lædant aut conculcent. Hoc ipsum imitari debent membra mystica ejusdem corporis sibi mutuò congratulari de donis, & prosperis; invicem etiam dolere de adversis.

5. Contemptus rerum terrenarum, Basil.

Quintus aries, est contemptus rerum omnium terrenarum, opum, bonorum, voluptatum. Hanc machinam adversus hunc murum erigendum esse docet S. Basilius his verbis: *Quid faciendum ut pulsa invidia aff. facile liberemur? Si nihil rerum humanarum magni æstimemus: Non enim in rebus fluxis bonum constituimus, sed ad sempiternorum & verorum bonorum participationem vocati sumus.* Itaque nec dives æmulandus est propter divitias, nec potens ob dignitatis ac magistratus culmen, nec fortis ob corporis robur, nec eloquens ob dicendi facultatem. Instrumenta hæc sunt virtutis rectè utentibus nihil per se veræ fœlicitatis habentia. Miser est, qui his abutitur, non aliter quàm qui in pugna contra inimicos ensem corripiens in se ac interitum suum convertit. Omnino autem qui res humanas rationi subjecerit, & ad veram pulchritudinem, laudemque se converterit, multum abfuerit ab eo, ut in rebus terrenis & fluxis, quemquam putaret esse fœlicem & æmulandum. Qui verò ita fuerit animatus, ut nihil usquam humanum admiretur, huic procul dubio invidia dominari nullo modo poterit. Si quis verò ita gloriæ cupidus fuerit, ut omnes antecellere cupiat, nec secundos facile patiatur, maximam profectò occasionem, causamque invidiæ dabit. Itaque amplectenda humilitas quæ mater est charitatis fugiendaque superbia, mater invidiæ & simulationis: nam superbus, qui non solum superiorem, sed neparem quidem pati potest, ut facillimè invidet, quos aliqua in re excellentiores videt, hoc timens ne illis videri possit inferior. Hæc S. Basil.

Basil ser. de invidia.

6. Consideratio æternorum bonorum S. Greg. l. 5. moral. c. 34.

Sextus aries, est efficax consideratio æternorum bonorum, æternæque beatitudinis amor. Si enim hæc in anima sint, omnem invidiæ rationem extinguent, omnem illi instructuram demolientur. Hac machina nos uti docet S. Greg. Qui livoris pestem plenè carere desiderat, illam hæreditatem diligat, quam cohærendum numerus non angustat, quæ

tes periisset populus. Qua indignatione Dominus perdidisset omnes, nisi Moyses & Aaron precibus iisdem resistens, postea objecta sui Sacerdotis Aaron, maluisset ingratos majore veniæ pudore donare iis quorum abnuebant gratiam. Ipsa Prophetissa Maria quæ cum fratribus pedè transmiserat freta maris, quia Æthiopissæ uxoris adhuc nescienti immurmuraverat adversus fratrem Moysen, lepræ maculis inhorruit, ut vix tanto absoluta esset contagio, nisi Moyses rogasset. Hæc S. Ambrosius.

5. Saul. *Quintò*, maledictus Saul, tandem miserè interemptus, & à Deo reprobatus; quia toties animo invido Davidem innocentem persecutus fuerat, eo quod cantassent filiæ & mulieres Israël *Percussit Saul mille, & David decem millia.*

1. Reg. 18. 7. 6. Iosab. 3. Reg. 2. 5. *Sextò* maledictus Joab qui Abner & Amasam ex invidia proditorie occiderat, effundens sanguinem belli in pace, *& ponens cruorem prælii in balteo suo, & calceamento quod erat in pedibus ejus*, ut loquitur Scriptura. Ideo David mandavit Salomoni, ut canos ejus non deduceret pacifice ad inferos.

7. Aman. Esth 7. 9. *Septimò*, maledictus Aman, qui ex invidia voluit delere totum genus Judæorum, cum Mardochæo, cui jam lignum infame præparaverat. Sed retorta sententia in caput ejus, in eodem ligno ipse infami necatus est suspendio.

8. Satrapæ Dan 14 31 Ib. v. 41. *Octavò*, maledicti Satrapæ, qui ex invidia insidiantes vitæ Danielis integerrimæ, in lacum Leonum, decreto regio importunè sollicitato, eum immiserunt. At ejus innocentiam cum approbassent Leones intactum dimittendo, ipsi cum tam iis suis injecti sunt, & subitò interierunt, subitò devorati sunt.

9. Accusatores Machabæorii. 1. Mach. 7. 25. Exempl. novi testament. 10. Pharisæi. *Nonò*, maledicti illi qui invidentes Sacerdotium Machabæis, eos injustissimè apud Regem Demetrium accusarunt, & reos statuerunt: inter quos impius Alcymus Dux eorum, qui volebat fieri Sacerdos. De quo in lib. Machab.

Decimo, si requiris exempla novi testamenti, maledicti Pharisæi, qui ex invidia in Jesum Christum Filium Dei, dixere eum in Beelzebub ejicere dæmonia, & aliis convitiis affecerunt. Denique adeo atrox facinus meditari, ut eum crucifigerent. Propter hoc sanguis ejus super filios eorum in ultionem fuit, dum eorum civitate destructa, non mansit lapis super lapidem.

11. Persecutores Apostolorum, &c. Isa. 22. 18. *Undecimò*, maledicti & eorum posteri, in ejus discipulos consurgentes, flagellantes, vinculis, morti addicentes. Propter hoc enim jam toto orbe dispersi gemunt, impletaque est in eis illa apud Isaiam interminatio: *Coronans coronabit te tribulatione, quasi pilam mittet te in terram latam & spatiosam; ibi morieris, & ibi erit currus gloriæ tua.* Hoc enim in Israelis populo est adimpletum, cùm instar pilæ de regno ad regnum est excussus, miseram trahens servitutem, omnium mancipium & ludibrium, ignava occumbens morte, exilio solo & vinculis illustris, omniumque contemptu, & irrisione ostentatus; hic est currus gloriæ ejus.

12. Elymas Magus. *Duodecimò*, maledictus Elymas Magus, de quo in actis Apostolorum: qui invidens doctrinæ à Paulo prædicatæ, & donis Spiritus Sancti quæ per eum communicabantur, nitebantur avertere Proconsulem Sergium Paulum à fide, desiderantem audire verbum Dei, accersitis Barnaba & Saulo, Saulus autem, qui & Paulus, repletus Spiritu S. intuens in eum dixit: *O plene omni dolo & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus non videns Solem usque ad tempus.* Et confestim cecidit in eum caligo & tenebræ, & circumiens quærebat qui ei manum daret. Act. 13. 10.

LECTIO IX.

DE MURO CHARITATIS CONTRA INVIDIÆ MURUM.

IV. Murus civitatis Dei est charitas, S. Cypr. Tract. de zelo & livore.

HUic quinto muro jam descripto civitatis sanctæ, ex adverso oppositus cernitur alter murus civitatis Dei, murus scilicet charitatis: Illa enim opponitur directè invidiæ, nec ullus ei locus esse potest, ubi illa regnat. Hoc luculenter docet S. Cyprianus. *Quid inter salutaria præcepta & monita cælestia servanda custodiendaque magis mandavit discipulis Dominus, quàm ut eadem dilectione qua ipse discipulos dilexit, nos quoque invicem diligamus? Quomodo autem vel pacem Domini vel charitatem teneat, qui intercedente zelo & livore, nec pacificus esse potest, nec carus? Idcò Apostolus Paulus cum pacis & charitatis merita depromeret, adjecit: Charitas benigna est, charitas non zelat, ostendens eum esse charitatem tenere, quisquis benignus, & à zelo & livore est alienus.* Nempe Apostolus qualitates enumerans charitatis, illas planè invidiæ esse ex diametro oppositas declarat dicens: *Charitas patiens est, benè gaudet, non æmulatur, non inflatur, non agit perperam, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* Vides præclaras charitatis perfectiones? Vide etiam his planè adversas invidiæ qualitates. Invidia enim impatiens est, maligna est, continuò æmulatur & inflatur, perperam agit, hoc est perversè, procaciter, malitiosè; ambitiosa est, quia ex ambitione ortum ducit; quærit quæ sua sunt, idque tanto affectu, ut tibi detractum autumet, quod alter acquirat; semper malum cogitat, alios lacessit etiam non lacessita; non congaudet æquitati & veritati, sed potius iniquitati. Cùm enim videt proximos rectè vivere & proficere, non gaudet, sed tristatur; si autem alterum videat inique & injustè pati, magis tunc hilarescere videtur. Destruenda igitur est maligna isthæc invidia, tanquam turris diabolica, ex-rocta

1. Cor. 13. 4. *Invidiæ qualitates*

Digitized by Google

arce charitatis ex adverſo illi oppoſita, quæ & inter primas eſt arces & turres civitatis Dei. Imò illa non ſolum invidiam debellat & demolitur, ſed & omnibus aliis vitiis debellandis planè utilis eſt, omnibus contraria vitiis, omnibus vitioſis adverſa; quod ipſum qualitates ejus ab Apoſtolo enumeratæ declarant. Unde S. Chryſoſtomus illas explicans, dicit Apoſtolum bona & fructus charitatis Corinthiorum vitiis quaſi remedia oppoſuiſſe. Audi ejus verba: *Charitas*, inquit, *patiens eſt* contentioſos notans: *Benigna*, factioſos & clandeſtinos: *Non invidet*, adverſus eos qui ægrè ſuperiores ferunt: *Non eſt procax*, perſtringit diſſolutos: *Non inflatur*, ſuperbos: *non eſt faſtidioſa*, contra eos qui ſe demittere, & proximo inſervire nolunt: *Non quærit quæ ſua ſunt*, in eos qui cæteros deſpiciunt: *Non irritatur, non cogitat malum*, in contumelioſos: *Non gaudet ſuper iniquitate*, in invidos, Rurſum; *Omnia ſuffert*, ad ſolatium circumventis & oppreſſis: *Speral omnia*, ad ſolatium rejectis & deſperatis: *Omnia ſuſtinet, & nunquam excidit*, in eos qui levi cauſa ſeditiones fovent. Hæc S Chryſoſtomus. Elegantes verò S. Gregorius hæc eadem bona & fructus charitatis explicans, tanquam invidiæ primariò adverſantes, ſic proſequitur. *Charitas patiens eſt*, quia illata mala æquanimiter tolerat. *Benigna eſt*, quia bona pro malis largiter miniſtrat. *Non æmulatur*, quia per hoc quod in præſenti mundo nihil appetit, invidere terrenis ſucceſſibus neſcit. *Non inflatur*, quia cum præmium internæ retributionis anxia deſiderat, de bonis ſe exterioribus non exaltat. *Non agit perperam*, quia quæ ſe in ſolum Dei & proximi amorem dilatat, quidquid à rectitudine diſcrepat, ignorat. *Non eſt ambitioſa*, quia quæ ardenter intus ad ſua ſatagit, foris nullatenus aliena concupiſcit. *Non quærit quæ ſua ſunt*, quia cuncta quæ hic tranſitoriè poſſidet, velut aliena negligit, cum nihil ſibi eſſe proprium, niſi quod ſecum permancat, agnoſcit. *Non irritatur*, quia & injurns laceſſita ad nullos ſe ultionis ſuæ motus excitat, cum pro magnis laboribus, majora poſt præmia expectat. *Non cogitat malum*, quia in amore mundi tiæ mentem ſolidans, dum omne odium radicitus eruit, verſare in animo quod inquinet, neſcit. *Non gaudet ſuper iniquitate*, quia quæ ſola dilectione erga omnes inhiat, nec de perditione adverſantium exultat. *Congaudet autem veritati*, quia ut ſe cæteros diligens per hoc quod rectum in aliis conſpicit, quaſi de augmento proprii profectus hilareſcit. Hæc S. Gregor.

Chryſoſt. hom. 34. in ep. 1. ad Corinth.

Gregl 10. moral. c. 8.

Charitatis excomia effectus.

Chriſtus doctor charitatis.

Cæterùm hujus muri charitatis fundamentum jecit Chriſtus, cùm verbo, tum exemplo Chriſtianos omnes ad illius ſtructuram invitans. Verbo quidem, quia nihil ita ac charitatem continuò inculcavit, ut jam dictum eſt: nihil ita à diſcipulorum cordibus eſtimari voluit ac ambitionem, contentionem, æmulationem charitati adverſantem: Exemplo autem, quia ſumma charitate æmulorum invidiam pervicacem & pertinacem toleravit, bonum pro malo reddidit, beneficium pro venefício. Nam ore ſerpentino in eum continuò virus vomebant, ejus famam inficere omnimodè conati; verùm ipſe non ſolùm æquanimiter id ferebat, ſed etiam eorum ſanabat ægros, curabat ſurdos & mutos, illuminabat cæcos, ſuſcitabat mortuos, & pertranſibat beneficio afficiens omnes. Tandem & in cruce ad ſummum perfectionis apicem ejus charitas pertigiſſe viſa eſt, dum inter cruciatus intolerabiles, in extremo & anguſtiis invidorum conſpiratione ſanguinolenta conſtitutus, non meminit dolorum aut vulnerum, ſed cum lachrymis Patrem obſecrat illis petens ignoſci, offertque ſanguinis pretium in redemptionem & remiſſionem illius horrendi ſceleris, quo hunc ipſum innocuum fuderunt ſanguinem. Et cum ille vindictam deberet expoſcere in æmulos ita atrociter illum fundentes, ſicut ſanguis effuſus Abelis in Cain invidum ſe erexit, in cœlum uſque penetrans: è contra poſcit clamore novo miſericordiam & gratiam, & quot ſunt vulnera, tot aperta ad id ſunt ora. Sic ergo Chriſtus fundator eſt, & primus Architectus hujus ſublimis muri civitatis Dei, quo omnia invidiæ molimina & culmina diruuntur. Ejus verbo & exemplo invitati, tanquam ſub ipſo ſtructores, hoc charitatis ædificium mirè ampliarunt Apoſtoli & innumeri Martyres. Etiam & ipſi pro ſuis æmulis & inimicis Deum obſecrantes non infrequenter eorum converſionem ſunt promeriti. Ad hoc ædificium conſtruendum, dilatandum, exaltandumque in finem uſque ſæculi, omnes ab his primis ſtructoribus invitantur Chriſtiani, qui volunt eſſe concives civitatis Dei & cohæredes Chriſti.

Habet porrò hoc ædificium etiam lapides varios, vario ordine & ſerie diſpoſitos; per varios enim charitas gradus ad culmen & faſtigium perfectionis conſurgit. Hos enumerans S. Chryſoſtomus ſic ait: *Primus gradus eſt, ne prior injuriam ordiatur: Secundus, ubi eſt injuria recepta, motus illam eodem pacto propellat. Tertius, ne par pari referas ſed quieſcas. Quartus, ut etiam te præbeas promptum ad injuriam ſuſtinendam. Quintus, ut etiam ad majora te paratum præbeas, quam vult ille, qui fecit. Sextus, non odiſſe à quo eſt læſa perpetitur. Septimus, etiam diligere lædentem. Octavus, beneficiis quoque eum habenter afficere. Nonus, etiam Deum pro adverſariis precari.* Hoc nimirum eſt culmen & cacumen ædificii noſtri, quia ad illum gradum pertingit, ut adverſantem ſibi amet, beneficio afficiat, pro illo deprecetur, reddens pro malo bonum corde, ore, opere, jam charitatis ſupremam attingit perfectionem: adimpletque Chriſti Domini ſupremi Architecti illam quam in hoc ædificio collocari voluit coronidem, dum dixit: *Benefacite his qui oderunt vos: Benedicite maledicentibus: Orate pro calumniantibus & perſequentibus vos:* Poſſumus quoque dicere ad hoc ædificium charitatis varias alias virtutes ſpectare, illudque fulcire, ſolidare, ac ſpecioſum reddere, charitati enim individuo quaſi glutino & cæmento virtutes aliæ connexæ cernuntur.

Gradus charitatis, S. Chryſ. in cap. 5. Matth.

Nam

by Google

Nam ubi charitas, ubi manſuetudo, ibi humilitas, ibi patientia, ibi benignitas, ibi miſericordia. Tot ergo virtutes conglutinatæ charitati, tot ſunt lapides pretioſi, tot latercs cœlestes, hunc murum electum civitatis Dei, hanc aream ejus primariam exornantes, & ſolidantes.

Charitatis dimenſiones.

Denique huic charitatis muro ſuas poſſumus aptè attribuere dimenſiones, longitudinem, latitudinem profunditatem, altitudinem. *Charitatis longitudo*, eſt ejus continuatio & conſtans perſeverantia. *Charitatis latitudo*, eſt ejus extenſio, quâ ſe ad omnes tam Angelos quàm homines; tam inimicos quàm amicos, & quodammodo ad omnes creaturas ſe extendit. *Charitatis profunditas*, eſt ejus intenſio & fervor, eſt & humiliatio profunda quam inducit in nobis. *Charitatis altitudo*, eſt ejus excellentia, quia in Deum ſe elevat ut objectum ſuum primarium; atque in excelſum ſe tollens, illum ſemper reſpicit ut diligat; nam & proximum non novit diligere, niſi propter Deum. Excellentia quoque ejus & celſitudo in heroicis actibus ipſius elucet, càm uſque ad martyrium pertingat fortis ut mors, dilectio; imò & morte fortior, rebuſque omnibus humanis celſior. Hæ ſunt igitur dimenſiones, hæc excellentia muri hujus invidiæ adverſi, quem nos omnes cives civitatis Dei debemus ædificare. Sed quoniam de charitate fusè tractavimus initio tertii Tomi Horti Paſtoralis, hic ſuperſedeo nec plura adjicio.

TRACTATUS V.

DE VITIO GULÆ.

LECTIO I.

QUID GULA, ET QUÆ EIUS ſpecies?

V. Murus civitatis Satanæ eſt Gula.

QUintum murum civitatis Jericho conſtituit Gulæ vitium. Huic muro ædificando & amplificando præeſt dæmon qui in Scripturis Beelphegor nominatur, de quo fit mentio in Pſal. 105. *Et initiati ſunt Beelphegor, & comederunt ſacrificia mortuorum.* Eſt autem Gula inordinatus appetitus cibi & potus. Nempe cum cibus & potus ad corporis humani ſuſtentationem à Deo ordinata ſint, ſi quis ſuis utatur prout congruit ſuſtentationi naturæ, & hominis habitudini bonæ, ſeu temperatæ, agit ſecundum virtutem, & ſecundum rationis regulam. Si vero recedit ab hac regula inordinato aliquo appetitu, vel immoderata aliqua concupiſcentia, jam rationis & virtutis ordinem tranſgreditur, & pervértit, ideoque vitio obnoxius redditur, & gulæ arguitur. Cum verò contingat propter hanc inordinatam cibi & potus concupiſcentiam hominem à fine debito & ultimo quandoque ſe avertere, Dei præcepta propter ventris cultum & curam deſerendo, rationiſque ordinem pervertendo: ideo gravem per hoc vitium incurri culpam, graviſque ſupplicii reatum, facis eſt manifeſtum. Propterea ſæpè Scriptura contra gulam & guloſos ſorti & minaci voce inſonat, ut infra patebit.

Cæterum, varias habet gula ſpecies, quas exprimit S Gregorius. Sciendum eſt, inquit, quia nos multis modis gulæ vitium tentat: aliquando namque indigentiæ tempora prævenit: aliquando vero tempus non prævenit, ſed cibos lautiores quærit: aliquando quælibet ſumenda præparari accuratiùs expetit. Aliquando autem & qualitati ciborum, & tempori congruit; ſed in ipſa quantitate ſumendi menſuram moderatæ refectionis excedit. Nonnunquam vero & objectius eſt quod deſiderat, & tamen ipſo æſtu immenſi deſideril deterius peccat. Solent autem hæ diverſæ ſpecies gulæ hoc verſu notari.

Præpropèrè, laute, nimis ardenter, ſtudiosè.

1. *Præpropèrè* comedunt vel bibunt, qui tempus comedendi vel bibendi prævenunt, ſola voluptate, non neceſſitate coacti. Et quidem ſi præcepti ſit abſtinentia aut jejunium, notabiliter horam prævenientis, graviter peccare decernitur. Mortis ſententiam ore Petris Jonathas meruit, quia in guſtu mellis conſtitutum edendi tempus anteceſſit. Currunt in hunc abulum etiam plerique, qui diebus feſtis ventri indulgent, bibendo & comedendo priuſquam divinis interfuerint, carnis cultum Dei cultui anteponentes. Illi quoque qui vix ſtratum ſuum egreſſi, quiſquis dies ſit, ad patinas currunt, omnemque orationem negligunt, ſolius ventris curam exercentes. Non abſque cauſa inclamat Eccleſ. *Væ terra, cujus Principes mane comedunt.* Et iterum: *Væ qui mane ſurgitis ad ebrietatem ſectandam.* Non enim animæ & corpori exiguum afferunt detrimentum hi gulæ ſectatores impuri & præmaturi.

Eccl. 10. 16. Iſa. 5. 11.

2. *Lautè* comedere aut bibere cenſentur qui quoad ſubſtantiam eſculenta aut poculenta nimis pretioſa quærunt. Hic tamen videndum, an ex immoderata cupiditate id fiat; poteſt enim & quandoque ſine vitio fieri. Unde advertit illud Auguſtinus: *Quæque ſunt quibus utitur res bonas præter-eundas, quatenuſque habeant modos eorum cum quibus utendum, ne temperans, aut ſuperfluitoſus eſt. Quæque vero ſic ea quisque appetat, ut immunda concupiſcendaque bonorum inter quæ vivitur excedat, aut aliquid ſignificet, aut ſignificatus eſt in omnibus enim talibus non uſus rerum ſed ſui ipſius in culpa eſt.* Quid igitur locis, & temporis, & perſonis conveniat, diligenter attendendum eſt, ne temere appreh endamus. Fieri enim poſſit ut ſine aliquo vitio cupientis vel voracitatis pretio alimo cibo Sapiens utatur, inſipiens autem ſordidiſſima gulæ flamma in viliſſimum cibus inardeſcat. Interim non ratus eſt abuſus, ſuperflue querentium lauta nimis, ſine neceſſitate ex ſola aviditate gulæ. In hunc abuſum lapſi ſunt filii Iſrael in deſerto, quibus cum plueret manna de cœlo, in carnium concupiſcentiam exarſerunt; ſed ita Deum irritarunt, ut viginti tria millia hominum perierint. *Adhuc carnes erant in dentibus eorum nec defecerat hujuſcemodi cibus: & ecce furor Domini concitatus in populum, percuſſitque eum plaga magna nimis.* Hos imitantur illi, qui cum paucis & ordinariis poſſunt eſſe contenti, lauta Cœlo pelagoque requirunt, de quibus Lucanus lib 4.

S. Auguſt. l. 3 de doct. in. Chriſt. c. 12.

Idem Auguſt. loco cit.

Num. 11 33.

O prodiga rerum
Luxuries unquam parvo contenta paratu,
Et quæſitorum terra, pelagoque ciborum
Ambitioſa fames: O lauta gloria menſæ!
Diſcite quàm parvo liceat producere vitam.

Unde & Boetius dicebat:

Fœlix nimium prior ætas, contenta fidelibus arvis.

Seneca.

In eandem ſententiam Seneca: Taurus, inquit per pauciſſimorum jugerum ſpatia ſe implet, una ſylva plumbus Elephantibus ſufficit; homo verò terra paſcitur & mari. Verum tamen non fames ventris magis conſtat, ſed ambitio. Quidquid aviũ volitat, quidquid piſcium natat, quidquid ferarum diſcurrit, totum ventribus ſepelitur. Sic omnia elementa ambitioſa fames pervadit, præter elementum ignis, quod ei in futuro reſervatur. Ideò enim dives ille qui lautè epulabatur, in inferno ſepultus, & in flammis jacens deſcribitur.

3. *Nimis*, ſpectat ad quantitatem immoderatam, quando ſumuntur alimenta ſuſtentationi naturæ ſuperflua. Unde inter vitia Sodomæ recenſetur, *Saturitas panis, & abundantia.* Difficile tamen eſt menſuram illam non excedere, quia venter exactor eſt inquietus, niſi temperantiæ frænum ei injiciatur. Quapropter dicebat S. Auguſt. In tentationibus poſitus certo quotidie adverſus concupiſcentiam manducandi & bibendi; non enim eſt quod ſemel præcidere, & ulterius non attingere decernam, ſicut de concubitu potui. Itaque fræni gutturis temperata relaxatione & conſtrictione tenendi ſunt. Et quis eſt Domine, qui non rapiatur aliquantulum extra metas neceſſitatis. Quiſquis eſt, magnus eſt, magnificet nomen tuum. Ego autem non ſum, quia peccator & homo tuus. Iterum hæc de re ſic diſſerit idem: Reficimus quotidianas ruinas corporis edendo & bibendo, priuſquam eſcas & ventrem deſtruas Domine, cum occideris indigentiam meam ſatietate mirifica, & corruptibile hoc induceris incorruptione ſempiterna. Nunc autem ſuavis eſt mihi neceſſitas, & adverſus iſtam ſuavitatem pugno ne capiar, & quotidianum bellum gero in jejuniis, ſæpius in ſervitutem rediges corpus meum. Hoc me docuiſti, ut quemadmodum medicamenta, ita & alimenta ſumpturus accedam. Hæc Auguſt. docens nos armare contra immoderatam potus cibique menſuram. Sunt verò non pauci de quibus poteſt uſurpari illud Iſaiæ 56. *Canes impudentiſſimi neſcierunt ſaturitatem.* de quibus etiam Chryſoſtomus: Deteriores, inquit videntur irrationabilibus animalibus; illa enim nihil ultra neceſſitatem exquirunt, iſti autem irrationabiles effecti, moderaminis terminos excedunt, & ad quemcumque exceſſum gulæ deſiderio rapiuntur. Hos nimirum porcis rectè comparaveris cum eodem Chryſ. ſic dicente: Novimus porcos immundos eſſe naturaliter, atque ad terram, ad cœnoſas voragines demorſos ire, non ad aliud quàm ad ſatietatem ventris pabula ſemper requirere, nullam utilitatem ex ſe dum vivunt præſtare. Non lanam ut oves, nec lac ut cætera animalia, non vecturam præbere, ſed ſolum paſtum ventris requirentes ad mortem nutriri. In quorum perſona, ſine dubio immundos, & luteos homines advertimus ſignatos, qui nullum opus miſericordiæ vel religioſi laboris, nullam ſpem futuræ ſalutis habent; ſed de gula ac ventre tantummodo cogitantes, in peccatorum ſuorum ſordibus, tanquam porci in cœno volutantur.

S. Chryſ.

Guloſi porcis ſimiles.

4. *Ardenter* dicitur cibus potuſque ſumi, cum nimis avide ac voluptuosè ſumitur, quod etiam in quolibet cibo & vili potu poteſt contingere. Exemplum habes in Eſau, qui vilis cibi delectatione attractus, ultrò vendidit primogenita ſua. Veniens enim de agro, vidit Jacob fratrem ſuum coquentem lenticulam & in illam mira exarſit concupiſcentia, dicens: *Da mihi de coctione tua hac ruſa, quia oppido laſſus ſum.* Et facta pactione de venditione primogenitorum, comedit in voracitate cottionem nimis deſideratam. Non eſt dubium quin ardenter comederit acceptum, quod tam ardenter fuerat deſideratum. Unde dicebat præ deſiderio languens: *En morior, quid mihi proderunt primogenita mea?* Hac de re ſic loquitur S. Auguſt. Non propter porcum, ſed propter pomum, mortem primus homo invenit. Et Eſau pri-

Exech. 16. 49.

S. Aug. l. 10. conf. c. 31.

Gen. 25. 30.

v. 32.

S. Auguſt. loco cit.

Digitized by Google

fratum ſuum non propter gallinam, ſed propter lenticulam perdidit: Ergo ſæpius non cibus peccatum facit, ſed aviditas & cupiditas. Unde iterum
Idem lib. idem Auguſt. Non ego immunditiam obſoni timeo, ſed immunditiam cupiditatis. Scio, Noe omne carnis genus quod cibo eſſet uſui manducare permiſſum: Heliam cibo carnis refectum: Joannem mirabili abſtinentiâ præditum, animalibus, hoc eſt, locuſtis in eſcam cedentibus, non fuiſſe pollutum. Et ſcio Eſau lenticulæ concupiſcentiâ deceptum, & David propter aquæ deſiderium, à ſeipſo reprehenſum: Et Regem noſtrum non de carne, ſed de pane eſſe tentatum. Ideoque & populus in eremo, non quia carnes deſideravit, ſed quia eſcæ deſiderio adverſus Dominum murmuravit, meruit improbari. Hæc S. Auguſt. Advigilandum igitur huic aviditati, contra quam nos prænonet
Eccl. 37. 32. Eccleſ. *Noli avidus eſſe in omni epulatione, & non te effundas ſuper omnem eſcam.* Solet verò hæc aviditas ſeſe intermiſcere, ut ad gulam provocet, & ultra neceſſitatem alimenti hominem quâdam voluptate trahat. Hoc iterum eleganter deſcribit S. Aug. eodem loco, ubi ſic ait. Dum ad quietem ſatietatis ex indigentiæ moleſtia tranſeo, in ipſo tranſitu mihi inſidiatur laqueus concupiſcentiæ: Ipſe enim tranſitus, voluptas eſt. Et non eſt aliàs quâ tranſeatur, quàm quâ tranſire cogit neceſſitas. Et cùm ſalus ſit cauſa edendi aut bibendi, adjungit ſe tanquam pediſſequa periculoſa jucunditas, & plerumque præire conatur, ut ejus cauſa fiat, quod ſalutis cauſa me facere velle dico, vel volo; nec idem modus utriuſque eſt. Nam quod ſaluti ſatis eſt, delectationi parum eſt. Et ſæpè incertum ſit, utrum adhuc neceſſaria corporis cura ſubſidium petat, an voluptaria cupiditatis fallacia miniſterium ſuppetat. Ad hoc incertum hilareſcit infœlix anima, & in eo præparat excuſationis patrocinium; gaudens non apparere quid ſatis ſit moderationi valetudinis, ut obtentu ſalutis obumbret negotium voluptatis. His tentationibus quotidie conor reſiſtere, & invoco dexteram tuam ad ſalutem meam. Audio vocem tuam, non graventur corda veſtra crapulâ & ebrietate. Ebrietas longè eſt à me, miſereberis ne appropinquet mihi: crapula autem nonnunquam ſurrepit ſervo tuo, miſereberis, ut longè fiat à me. Docet igitur nos S. Auguſt. auxilium divinum invocare contra hunc laqueum concupiſcentiæ, omnibus inſidiantem in cibo & potu; nam ſic voluptas ſub neceſſitate ſe palliat, ut vix eam perfectus quiſque diſcernat. Dum enim ſolum debitum neceſſitas petit, voluptas expiere deſiderium expetit, & tantò gula ſecurius in præceps ruit, quantò ſub honeſto nomine neceſſitatis explendæ ſe collegit.

Hugo Vict. de diſcipl. c. ult. 1. *Studiosè*, hoc modo peccatur, cùm nimis accuratè eſculenti vel poculenti fit præparatio. Hâc ratione multi inveniuntur peccare. Nam ut Hugo dicit: Quidam ſunt qui in præparandis cibis nimium ſtudium adhibent, infinita decoctionum genera excogitantes, modò mollia, modò dura, modò frigida, modò calida, modò cocta, modò aſſa deſiderant: & tantâ ſollicitudine præparantur, ut devoratis jam quatuor aut quinque ferculis, prima non impediant noviſſima; ſemper novos ſapores deſiderant, inſtar prægnantium fœminarum, ſic multi poſt ventris repletionem, & potùs inebriationem, cum non ſitiant nec eſuriant, ſitim & eſuriem novis & acutis ſpeciebus excitant, variſque fructibus impulſant; ut novo ſemper guſtu delectentur, ſine menſura lineas potionis extendant. His altilia ſtudiosè parantur, & variegantur coquorum induſtria; unus contundit & colat, alius confundit, & conficit, ſubſtantiam vertit in accidens, naturam mutat in artem, ut ſaturitas tranſeat in eſuriem, & revocet appetitum. Ad irritandam autem gulam hæc ſiunt, non ad ſuſtentandam naturam: Ad aviditatem explendam, non ad neceſſitatem ſupplendam. Hinc interim tot morbi humano corpori ingenerantur, quia teſte Eccl. *In multis eſcis infirmitas.* Poſtquàm magna diligentiâ ſe impinguant, nimiâ voracitate ſe gravatos inveniunt. Medicosque inquirere neceſſe eſt, ut purgationes recipiant, & quæ cum dulcedine ingeſſerunt, cum amaritudine evacuent. Seneca ſic hac de re diſſerit: Eſca fuit quondam paucarum herbarum, quia tunc cibus facilis: nunc per artem voluptatemque corruptus eſt, poſtquam non ad tollendam famem, ſed potiùs ad incitandam, inventæ ſunt multæ conditiones, quibus aviditas excitetur & voluptas, & quæ erant fameſcentibus alimenta, repleta ſunt horrore. Inde pallor vultûs & nervorum tremor, & miſerabilior, & execrabilior, quàm ex fame macies. Quid capitis vertiginem dicam? quid oculorum auriumque tormenta? Multos morbos, multa fercula fecerunt. Neceſſe enim eſt, ut inter ſe tam diverſa diſcrepent, & hauſta malè digerantur; ex diſcordi verò cibo naſcitur morbus. Hæc ille. Hanc etiam ſtudioſam præparationem & varietatem, gulæ illicem, deſcribit & arguit S. Bernard. in Epiſtola quadam ad Abbatem Cluniacenſem ſuavè & eleganter; ſed prætereo, quia hæc nota ſunt per experientiam. Hoc interim monitum Apoſtoli animis noſtris inſitum velim, oculisque mentis noſtræ ſæpius obſervari: *Nolite curam carnis facere in deſideriis.* Et iterum monitum illud S. Bern. *Vitioſa diverſitas ciborum paſcit ventrem, cœleſtis panis ejusdem deſerit mentem.* Homo ergo ſic ſatisfacere debet naturæ, ne deficiat; non tamen carnis deliderijs tantum deferre, ut ſpiritui contraria ſit & rebellis. Et quamvis hoc ſit difficile, poterit tamen id auxilio divinæ gratiæ, quam continuò debet invocare, & illi conatum vigilantiamque ſuam conjungens, non debet diffidere.

Eccl. 37. 33. S. Bern. Bern. ep. ad Fulg.

Agnoverunt antiqui Patres hanc difficultatem, ſed ſummâ animi contentione adverſus illam animum erexere. Hinc Senex quidam ut in vitis eorum refertur, diſputans cum Philoſophis ſub colore problematis hoc propoſuit: *Multis debitoribus Pater meus me fecit obnoxium, cæteraque ſolvens,*

& ab earum moleſtiis liberatus, ſoli uni quotidie, ſolvendo ſatisfacere non poſſum. Quærentibus ſolutionem, reſpondit: *Modus ſui conſtructus vitam, qui ut tanquam moleſtiſſimus creditoribus omnem abjiciens ſubſtantiam ſatisfecit, atq; ab eo ſolutus fugæ tradidit margini. Vereor ſimulac carcere maceror, & licèt eam exparte redegerim, vix unus impoſſibile evado.* In eandem ſententiam referunt de quodam Serapione Smdonita (quod tantùm Syndone indutus eſſet) qui Athenis poſt jejunium triduanũ fame preſſus, juxta loci Concilii clamavit, dicens: *Viri Athonienſes mihi ſuccurrite.* Quærentibus qui ſi haberet? Reſpondit: *Trium fœnatorum manus incurri, & duorum debitum ſolvi, tertio ſatisfacere non poſſum.* Quærentibus iterùm, quid hoc eſſet? Reſpondit: *Dei fœneratores eſſe cupiditatem pecuniæ, carnalitatem luxuriæ & avaritiam gulæ.* Quorum duobus primis ſatisfecerat, ſed tertius eum fame urgebat. Igitur dederunt ei unum ſolidum, & empto pane unius denarii, qui ſufficeret, reliquum totum ſolidum dimiſit, & receſſit. Cæterùm de hoc vitio gulæ, quem murum Jericho conſtituere diximus, eodem ordine quo ſuprà de aliis proſequendum nobis eſt. Videamus itaque ejus altitudinem, & profunditatem, ejus latitudinem, & longitudinem.

In vitis PP l. 8. auctore Palladio c. 83.

LECTIO II.

DE ALTITUDINE MURI GULÆ.

1. *Altitudo. Gula dediti ventrem pro Deo colens.*

ALtitudo hujus muri ſive hujus vitii gulæ, in eo cernitur, uò uſque ad contemptum Dei conſurgat, & contra ſe lum ſe erigat. Hoc perfectius intelligemus, ſi expendamus, quod hi qui huic vitio ſunt addicti, ventrem pro Deo colere cenſeantur, in injuriam certè maximã ipſius Dei. Sic loquitur Apoſt de gulotis: *Multi ambulant, quos ſæpè vobis dicebam, nunc autem & flens dico inimicos crucis Chriſti: Quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum qui terrena ſapiunt, quorum finis interitus.* Hos deflet Apoſtolus, dicitque inimicos eſſe crucis Chriſti. Hic nempè perſtringit Apoſtolus illos, qui ventri toti ſtudent, qui omnia ſua ſtudia, cogitationes, opos, ad gulam & ventrem referunt: qui illum Deo proponunt, parati pro gula Dei legem & amicitiam violare: qui etiam de peccatis turpibus, de quibus confundi deberent & pudibundi eſſe, gloriantur & ſeſe jactant. Putant quidem ſanctum Paulum in his verbis alludere ad Dagon Deum Philiſtinorum, primi Regum 5. Dagon enim eſt Deus venter, qula ventris cauſa colebabatur, petebant enim ab eo copiam piſcium, & multiplicationem prolium inſtar piſcium, & copiam frumenti. Traduntque Hebræi fuiſſe idolum hominis mixti cum piſce, ita, ut ab umbilico & infra piſcis figuram habuerit, à parte autem ſuperiori figuram hominis, ſicut & Sirenes finguntur. Rurſus Dagon Deus venter eſt, qui cum area fœderis capta a Philiſtæis collocata eſſet juxta Dagon, Dagon concidit coram ea, capite & manibus à corpore avulſus, ut tantùm truncus ſeu venter extaret reliquus, quem poſteà coluerunt: Unde & cultores Dagon percuſſi ſunt in pudendis partibus; pudendis ſcilicet morbis ani in ſecretiori parte natium, ita ut computreſcerent, & inteſtina defluerent, & prominerent. Sic etiam modo, juſto Dei judicio cultores ventris & Veneris feriuntur pudenda & infami lue. *Multi* itaque *ambulant inimici Crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt*, ut cum lachrymis conqueritur Apoſtolus: & hi contra Chriſtum iterùm Dagon colere videntur; nam venter ipſorum ipſis Dagon eſt, cui cultum exhibent in injuriam Dei. Unde Hugo Victorinus de clauſtro animæ ſic dicit, ad hunc Apoſtoli locum alludens: *Solent Dis templa conſtrui, altaria erigi, miniſtri ad ſerviendum ordinari, immolari pecudes, thura concremari; ita Deo ventri templum eſt coquina, altare menſa, miniſtri cocᵢ, immolata pecudes, cultu carnes, fumus inconformis, ordo ſuperuus. Spiritusque Sanctus eorum vas & tentatoria ſpiritum & flatus.* Deinde, ſicut in templo Dei fit decantatio laudum (inquit Alanus in planctu naturæ proſa 6.) ſic in commeſſationibus & ventris templo fit recitatio nugarum & diſſolutionum. Et ſicuti ibi fit continuatio orationum, ita hic detractionum, fabularum. Ibi promptitudo obſequiorum hic multitudo miniſtrorum; ibi proceſſiones devotæ, hic choreæ & circumitiones diabolicæ. Ibi ſalutatio Sacerdotis dicentis, Dominus vobiſcum, & populi reſpondentis congratulatio. Et cum Spiritu tuo; hic ad ingurgitandum mutua exhortatio. Ibi dicitur, Ite miſſa eſt, & datur populo exeundi licentia, hic dicitur, Ite menſa evacuata eſt, & vaſa vini ſunt exhauſta. Hic popinæ ſatanæ ſunt oratoria, templa ſunt ubi Deus venter excolitur.

Phil. 3. 19.

Dagon eſt Deus venter.

Hugo Victor *Dei ventris templum.*

Alanus.

Similitudo templi ventris cum templo Dei in quo conſiſtat.

Deinde altitudinem gulæ in contemptum Dei exſurgere, & contra ſe illum erigere, declarati poteſt ex multis blaſphemiis, & juramentis perniciosis, quæ ex hoc vitio ortum habent. Nam de multis huic vitio addictis verum eſt, quod apud Oſeam conqueritur Dominus: *Senuerati ſunt, & leverunt cor ſuum, & obliti ſunt mei.* Quis enumeret notanda juramenta, & blaſphemas voces, quas effutiunt cum Dei maxima injuria inter pocula, commeſſationes ebrietates? Audi terribile exemplum relatum à Delrio.

Oſeæ 13. 6

In Flandriæ comitatu Prioratus eſt, tres ubi nomine tenus Monachi degebant, qui nonniſi belluari, & libidinari noverant, dediti etiam tuis quique concubinis. Quàdam die in ſeram noctem compotatione protracta, unus minus inter eos ſceleratus ait: *Sat Baccho libidinique jam datum Deo ſalutis gratia agenda.* Alter procaciùs reſpondet: *Ego Damoni gratias ago, & agendas meas ſolo, neque opus agimus.* Sic menſa cum riſu relicta eſt, & ipſi in cubicula reverſi. Singuli cum ſcorto vix decubuerant,

Delrio tom. 2. l. 3. diſq. mag. pag 9. 7. *Vindicta Dei in Irriſores & gulioſos.*

rant, ecce tibi in triclinium, ut janua reſerata, Dæmon atri, & trucis viri ſpecie, habitu venatorio, & cum eo coci duo parvuli, obambulant. Hic lectos circumſpicit torvo vultu, deinde horrendâ voce: *Vis qui mihi gratias egit? adſum, referam.* Lecto abſtrahit pavitantem, & fermè præ metu animam efflantem. Traditum cocis jubet, infigi veru & luculento igne probè aſſari. Parent promptè: aſſatur infœlix, emoritur planiſſimè, cæteri ferè præ formidine; aſſi corporis nitore cubiculum impletur. Demùm venator ad ſuperſtites ſub ſtragulis trepidantes, vix vivos; *Digni vos etiam, ait pari ſupplicio, nec deeſt voluntas mihi: Vetor vi majore: Invitus abeo, & moneo: reſipiſcite, aut manens turr biluca.* Diſparent larvæ, nec tamen his aliis animus redit vel vox, niſi clarâ jam luce. Ubi ſurrexere collegam inveniunt mortuum, & (ne viſum inane putes) plenè aſſum. Haud ſcio an ab aliquot ſæculis quidquam ad exemplum utilius acciderit, ſcio locum, & ordinem, ſed utrumque ſilentio involvo. Hæc Martin. Delrius. Sed ô blaſphemam vocem! ô blaſphemam animam! ô altitudinem ebrioſæ & impuræ conſuetudinis, extollentem ſe contra Deum, illumque aſpernantem, quæ meritò confeſtim tali ſuccidi ſupplicio commeruerit.

Punitio ebrioſorum

Gabriel Prateolus tom. 2. Chron. an 1580. 24. Julij.

Sed & audiamus alterum duorum comporcorum exemplum contra Deum; ut vitii hujus altitudinem perfectiùs agnoſcamus. Refertur illud à Gabriele Prateolo contigiſſe in Germania in Nekerhovio pago. Duo ibi ingreſſi hoſpitium, vinum petierunt, & primò quidem ipſis ſat tenue & viride promptum eſt, quod Hornanum vocant. Inſtiterunt ipſi pro meliori, & obtinuerunt vinum vetus ſat probum, ſicque cœperunt inter ſe ſcyphis certare, cachinnari, debacchari. Cùm incaluiſſent mero, dicit unus: *Cui nunc bibam?* Reſpondit alter: *Bibe Deo, videbis quid reſponſurus ſit. Vitrum arripit miſer, & his verbis Deum compellat. O Deus, audi me, tibi de plano ſycho propino, & miſi rationem feceru injuriam mihi feceru.* Sed *de quo ei fundam*, interrogat ipſe ſocium. *cùm duplex nobis ſit vinum.* Additque, *Hornanum mihi fundendum eſt, licèt crudum & tenue, ſat præſtans pro ipſo eſt.* Levans ergo manum ait: *Tibi ô Deus. Miror an reperies bonum? ſi hoc anno illud melius effeciſſes, melius bibiſſes.* His prolatis confeſtim irriguit, immobilis factus, ſine ſenſu reſpirationis quoque & loquelæ impotens, quamvis oculos clauderet ac aperiret. Socius eo prodigio deterritus fugit, alii eo in loco tunc præſentes amovere conati ſunt, ſed fruſtrà. Vocantur ergo Scabini loci, quorum decreto homo funibus, & tribus equis extrahi juſſus eſt, ſed nihil effectum. Quocirca Magiſtratus id juſto Dei judicio fieri agnoſcens, tota rei veritate perpetrà, ignem admoveri jubet, ut contemptor ibidem comburatur; ſed ignis nunquam potuit accendi. Sic multo tempore ibi ſtetit immobilis ille, non loquens, neque bibens, aut manducans, ut omnes agnoſcerent judicium Dei.

Horrendū exemplum de quodam blaſphemo ebrioſo.

Vindicta Dei in eundem.

Hæc eſt igitur altitudo judiciorum divinorum demetens & plectens hujus vitii altitudinem in cœlum cum contemptu ſe erigentem, in Deum ipſum blaſphemam vocem & manum elevantem: ut propterea meritò dixerimus, magnam eſſe muri hujus ſatanici ſublimitatem, ad contemptum Dei ſic facilè pertingentem: & Spiritui Sancto, quantum in ſe eſt, ſeſe opponentem, cujus dona contemnit, & aſpernatur: Sicut enim muri alicujus altitudo ſolares impedit radios, ne locum illuſtrent: ſic & vitii hujus ſublimitas Spiritûs Sancti gratiam & radiantem lucem, ab anima propulſat, tenebris obcæcatam eam relinquens.

LECTIO III.

DE PROFUNDITATE MURI GULÆ.

PRofunditas hujus muri, ſive hujus vitii, ex eo declarari poteſt, quod ad barathrum & abyſſum profundiſſimam, profundiſſimorum ſcelerum, hominem deducat Ebrietas enim & crapula, quæ duæ ſunt ſpecies primariæ gulæ, quàm profunda orbi invehant flagitia, nimis notum eſt ex omnium gentium hiſtoriis, imò & ex ſacræ Scripturæ pluribus exemplis. Iniquitas Sodomorum apud Prophetam ſaturitati panis adſcribitur. *Panem quippe Sodomita immoderatè ſumentes*, (ſub nomine panis omnis cibus apud Hebræos intelligi ſolet) *in turpitudines deſluxere flagitiorum, atque inde meruerunt comitante ſuperbiâ cœleſtibus adhuc incendiis, ex quo modum non tenuerunt edacitatis. Ideo carvenda eſt gula, cibarumque concupiſcentia.* Ita loquitur Iſidorus. Sic & Loth ebrietate & crapulâ ad inceſtum deducitur cum filiabus: ita ut quem Sodoma non viceret, jam vinceret vini potio immoderata, & concupiſcentia gulæ connexa. Certè profunditatem hujus vitii agnovit S. Auguſt. dum ſic loquitur: *Quicumque gulæ ſi & ebrioſi cum Dei adjutorio de luto fœtis ſe excutiant, de cloaca ebrietatis dum adhuc tempus eſt pœnitendi, ſeſtinent quanto poſſunt celeritate conſurgere; totis animæ viribus cum Propheta ſupplicantes Domino dicant: Eripe me de luto, ut non inhæream.* Et illud: *Non me demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me profundum, neque urgeat ſuper me puteus os ſuum Ebrietas enim, quaſi infernus puteus quoſcumque ſuſceperit, ita fortiter ſibi vendicat, ut eoſdem ipſos de inferni tenebroſo puteo ad ebrietatis vel ſobrietatis lucem redire non permittat.* Videsne profunditatem hujusce vitii quod ita hominem mergit & ſubmergit, abſorbetque irreparabiliter? Profectò proprium hoc habet ebrietatis vitium quòd peccatorem conſtituat in certo & inevitabili æternæ damnationis periculo, idque ſpecialiter præ aliis peccatis. Alii enim peccatores ſi mors in-

2. *Profunditas.*

Ezech. 16. 49. Iſidor. l. 2. de ſum. bono c. 42 Gen. 19. 32.

S. Auguſt. ſerm. 231. de temp.

gruat, pœnitere poſſunt, cùm ſint rationis compotes, poſſunt & Sacramentis expiari. Solus ebrius, nec pœnitentiæ, nec aliarum capax eſt Sacramentorum, ita, ut ſi ladatur, vel catarrho ſuffocetur, certo certius damnationem debeat expectare. Cogitet ergo ebriolus, ſibi eamdem manum, eandemque ſententiam imminere, quam cernere coactus fuit Balthaſar, Babyloniorum Monarcha. Vidit enim ille manum ſcribentem contra parietem: *Mane, Thecel, Phares:* Et eadem nocte à Cyro ſpoliatus vitâ jacuit, orbatus & regno. *Mane*, hoc eſt: Numerati ſunt dies vitæ tuæ, ô ebriole, & hoc fortè die quo ebrietate ſepultus es, morieris, & in inferno ſepelieris. *Thecel*, id eſt: Appenſus es in ſtatera divinæ juſtitiæ, & inventus es minus habens, quàm à te requiritur virtutis; plenus vitiis, tumulentiâ gravis. *Phares*, ideſt: Diviſus es, corpus tuum quod impinguare & ſaginare ſollicitus eras, jam vermibus alimentum erit & epulum: anima verò dæmonibus tradetur in ludibrium & tormentum. Sic in profundam & inextricabilem abyſſum merget te vitium iſtud profundiſſimum. O quæ pereunt in ebrietate! Etiam & hoc habet vitium hoc, quod vix unquam ſit ſolum, quia rationem cùm ſuffocet, aliis facilem præbet ingreſſum in animum. Sicut caſtri cuſtode interempto facilè illud occupatur, ſic eſt & in animæ arce, cujus cuſtodia rationi eſt concredita; quæ ſi jacet ſepulta, jam omnibus vitiis arx redditur pervia.

Daniel. 5. 25.

In vitia PP.

Memorabile hic eſt quod in vitis Patrum hac de re ſcriptum habemus. Quidam ex illis graviſſimè contentus tentationibus divexatus, mœrebat & inconſolabiliter ſuâ plangebat ſortem. Tandem dixit ei dæmon, ſe liberum eum dimiſſurum, & ab omni poſteà tentatione immunem futurum, ſi unum ex tribus peccatis, ebrietate, homicidio, adulterio patrare decerneret. Ille ſeductus fallaci hac promiſſione, elegit ebrietatem tanquam minus inter cætera malum. Verùm quid contigit? Cùm tumulentus foret, cum quadam muliere in adulterium lapſus eſt nec ibi flagitii terminus. Virorenim ſuperveniente, & facinus ſubodorante, ne fortè illud ipſe vindicaret, etiam & virum aggreſſus, trucidavit. Ita qui ſimplex & minus cæteris peccatum ſibi eligere viſus fuerat, triplici ſe ſcelere abominabili contaminatum agnovit. Sic namirum profundum meritò dicimus & deteſtabile vitium, quod ad tantam malorum abyſſum mox hominem perducit. Origitur gula origo profundiſſima graviſſimorum malorum in orbe inundantium! Hæc Paradiſum clauſit, primogenita vendidit. Noe denudavit, Loth inceſtavit, Samſonem hoſtibus tradidit, Pharaonis Paſtorem ſuſpendit, Ammon occidit, Simonem & filios interemit. Balthaſarem cum regno internecioni dedit, Holofernem confudit, millia plurima à populo Dei interfecit, regna integra perdidit. Baptiſtam decollavit, divitem epulonem igni & flammis devovit. Hæc quidam antiqua ex ſacris Litteris aliisque hiſtoriis notiſſima, ſed quotidie nova orbi malorum prodigia parere noſtris oculis cernitur. Unicum accipe noſtri ſæculi, quod à Joanne Benedicti Ord. S. Franciſci Theologo lib. 3. ſuæ ſummæ, poſteritati eſt conſignatum his fere verbis: Quid paucos, inquit ipſe, ante dies homini luſui & poculis addictiſſimo contigerit, hic minimè prætereundum. Ille cùm rem omnem in luſu & popinis conſumpſiſſet, eum aliquando poſtea tentavit uxor, rei domeſticæ penuriam expoſitura; ſed ſic illam verberibus excepit, præſentibus compororibus, ut quaſi mortua ſit ibi relicta. Mitera tandem reſurgit, ac domum reverſa occurrit duobus puerulis, qui hinc inde illius veſtem apprehendentes, vociferabantur: *Da panem, mater, mater, fame perimur: jam biduum eſt ex quo nihil ſumpſimus. Ab pueri mei, undenam habebo? Peter veſtes expendit omnia. Quid agendum? Præſtat ſemel mori, quàm ſic fame languere, & una morte mille mortes redimere.* His dictis velut deſperabunda, confeſtim arripit cultrum, quo utrumque jugulat. Sub crepuſculum verò noctis, maritus domum reverſus, ebrius, & reliqua ſubſtantiâ exhauſtâ, lecto ſe committit. Quem ut ſomno ſopitum vidiſſet, eodem cultro, eâ audaciâ quâ Judith Holoferni, etiam marito caput amputat: *Moriaris*, inquit illa, *cum perverſa tua vivendi ratio ſit tua ipſius, & mea & puerorum noſtrorum ruina.* Re palàm factâ, ipſa à Magiſtratu comprehenſa, faſti veritatem fatetur. Et tandem morti adjudicata, ſupplicium lubenter ſubit, habitâ priùs ad conjugatos monitione, ne ſic ſua in aſſeis, & tabernis diſſiparent. En ut gula, cum aloa, hos quatuor mortem intulerat.

Jo. Benedicti l. 3. ſuæ ſumm. c. 7. in Appendice.

Ebrietas & gula occaſio quatuor homicidiorum.

Ebrietas ſive gula quàm periculoſa.

Efficax gulæ & ebrietatis.

LECTIO IV.

DE LATITUDINE MURI GULÆ.

VArii ſapides & ſateres hunc murum latum efficiunt tot ſcilicet vitia, quot ex gula ortum habent; inter quæ primas obtinent crapula & ebrietas. Eſca nimia crapulam, potus nimius ebrietatem generat. Ex his quoque oriuntur inepta lætitia, multiloquium, ſcurrilitas, immunditia, mentis & corporis hebetudo, & alia ejuſmodi vitia, quæ ſacri Doctores vocare ſolent gulæ filias, tanquam ab illa infœlici matre genus ducentes. Nos congruè propoſito noſtro & ſcopo vocamus diverſa ſaxa & lateres, quibus hic murus ſatanæ conſtruitur, erigitur, dilatatur. Atque hic de ſingulis paucæ attingamus.

3 *Latitudo.* Filiæ Gulæ à S. Greg. l. 31. mora. c. 31. recenſentur.

Primò itaque, *ineptam lætitiam* gulæ eſſe affectam & affinem, Scriptura ſat inſinuat, dum de populo Iſraelitico ſic dicit: *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.* De hac quoque quiventris curam exercent in ſympoſiis & comeſtationibus dicit Job: *Bonus ſymposiarcha*

1. *Ineptæ lætitiæ.* Exod. 32. 6. Job. 12. 19.

Digitized by Google

vum gaudent ad ſanitum organi, ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Audi & S. Greg. *Pœnè omnes epulas comitatur voluptas: nam dum corpus in refectionis delectationes reſolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur.* Sed hanc inanem lætitiam ſæpè ſolvunt in uſuram, qui illi nimium ſe immergunt; dolore ſcilicet capitis, vel ſtomachi, & amaritudine variâ ſubſequente. Unde Eccleſ. *Vinum multum potatum amaritudo animæ.* Ebrietas unius horæ hilarem inſaniam longi temporis tædio compenſat. Non illepidum eſt, quod de quodam ſtudioſo è Gymnaſio Pariſienſi paternos lares repetente referunt. Hic cùm in itinere quodam in hoſpitio à ſibi notis excipieretur, lautè, & cum copioſa vinipropinatione; poſt comportationem perquam ſufficientem, urgebatur cohortatione amicâ ad hauſtus æquales, primò ad ſanitatem hoſpitis & hoſpitæ, iterum ad ſanitatem filiarum ejus, denique & ad ſanitatem ancillæ. Sic pergebat ipſe potum jucundè & hilariter continuare; ita, ut ſubſequenti die capitis graviſſimo torqueretur dolore. Diſceſſit ipſe, hunc dolorem ſecum viæ ducens comitem. Cumque in itinere ad fluvium pertigiſſet, in quo adaquandum erat jumentum cui inſidebat, exiguum aquæ bibit ſobrium iſtud animal, ſufficienter tamen naturæ. Ille verò ſibilo, geſtu, verbo urgebat, ut amplius biberet, cumque recalcitraret & abnueret, hortabatur, ut amore ancillæ, amore puellarum amore hoſpitæ iterum & iterum biberet. At fruſtrà. Quid ille? Verè inquit, longè prudentior me es, cum omni ſtudio & doctr na mea. Si enim ego heri, eodem me modo continuiſſem, quo tu modo, cùm ſufficienter naturæ datum erat: eâ nunc faucium alteratione, & capitis acri dolore haud torquerer. Sic homo jumentis inſipientibus inſipientior redditur, per crapulam & ebrietatem. Serotina vigilia nimis hilaris; & inepta exundans lætitia, triſtem mane parturit; & totum ſæpè amarum reddit diem, tum ob conſcientiæ remorſum, tum ob corporis & mentis hebetudinem, tum ob crumenæ evacuat onem, tum ob alia incommoda per crapulam & ebrietatem ſequinata.

S. Greg. l. 1. mor.

Eccl 31. 39.

Studioſus Pariſienſis ſapetus imprudentior ſuæquo.

2. *Multiloquium.* Prov. 10 19.

Secundo, *inprimis lætitiam* mox ſequitur *Multiloquium* dicit Sapiens. *In multiloquio non deerit peccatum.* Niſi enim gulæ deditos ſequeretur immoderata loquacitas, dives ille quotidie epulatus, in lingua graviùs non arderet. Quia epulando quotidie crebriùs in lingua peccaverat, refrigerari ſe in lingua præcipuè requirebat. Hoc vero multiloquium ſæpiſſimè in detractiones & temeraria colloquia degenerat, deinde in contentiones & rixas. Audi eleganter hæc deſcribentem S. Ambroſ. *Sedentes in foribus tabernarum, tunicam vix habentes aut ſumptum ſequentis diei de impetoribus & poteſtatibus judicant, immò regnare ſibi videntur, & exercitibus imperare. Fiunt ebriorato divites, qui ſunt in veritate inopes. Aurum donant, diſpenſant pecunias populis, civitates ædificant, qui non habent unde tanquam potiùs ſui pretium ſolvant.*

S. Ambr. de jejunio & Elia c. 12. *Ebrioſi vili etiâ mendicorum*

Fervet enim vinum in his, & neſciunt quid loquantur. Dii putantur ſunt dum inebriantur, mox ubi vinum digeſſerint, cernunt ſe eſſe mendicos. Hæc Ambroſ. Cui conforme eſt quod Eſdræ libr 3. dicitur de vino *Quàm prævalet vinum omnibus hominibus qui bibunt illud? Seducit mentem. Itemque Regis & orphani mentem facit vanam. Item ſervi & liberi, pauperis & divitis, & omnem mentem convertit in ſecuritatem & jucunditatem, & non meminit omnem triſtitiam & debitum, & non meminit Regis & Magiſtratum; & omnia per talenta faciloquit.* Nempè temulentia reſolvit corda & voces in jactantiam, præſumptionem, & mirum in verbis levitatem, mendacii conjunctam, in promiſſa inania, & his ſimilia. Hinc Ovid.

jactantia & imaginatio.

Omnia promiſiti, cùm tota noſte bibiſti:
Non faciunt quemquam pocula noſtra rum.

Maximè autem in detractiones linguam effundit profuſum in eam vinum; adeò, ut nec Regibus, nec Magiſtratibus illa tunc parcat. Audi præclarum Pythi Epirotarum Regis exemplum, quo docuit parcendum linguæ, quæ vino madida diffluit, alienoque non parcit honori; cùm id potiùs temulentiæ adſcribendum ſit, quàm pravæ voluntati. Audiverat ipſe quosdam Tarentinorum in convivio parum honoratum de ſe ſermonem habuiſſe. Accerſit eos, & percunctatus eſt, num ita foret? Num de ſe ſermones vituperii & detractionis protuiſſent? Unus ſimplici veritatis confeſſione reſpondet: *Hoſtis Rex quædam contra honorem tuum dicti ſunt, & niſi vinum defeciſſet plura alſque dubio dicturi eramus.* Urbana hæc ebrietatis excuſatio, & veritatis nuda confeſſio placuit Regi, & iram ejus in riſum convertit: cùm ſatis intelligeret, quæ dicta erant magis vino, quàm malevolentiæ imputanda. Quâ clementiâ & moderatione conſecutus eſt, ut febru ibi Tarentini gratias agerent, & ebrii penè precarentur.

Plutarch. tom 1. in Pyrrho.

Tertio non ſolùm multiloquium, ſed *Turpiloquium & ſcurrilitas* ex gula originem ducit. Temulentorum gutur ſepulchrum eſt patens, facilè fœtorem exhalat, ut Chryſoſt. ſic ait: *Vos ebrietas, ubi diabolus: ubi turpia verba, ubi ſatvitas: illinc dæmones choreas agunt. Talem habebat menſam dives ille, propterea ne gutta quidem aquæ dominus fuit.* Experientiâ ſatis notum eſt, quomodo in tabernis ſtultiloquium & turpiloquium propriam ſibi ſedem eligat: ubi qui inter potationes ſpuciora proloquitur, loquentior gratiorque habetur. Sales vocantur; ſed ſine ſale, ab homunibus ſalacibus prodeunt. De hisque rectè uſurpaveris illud S. Judæ: *Hi ſunt in epulis ſuis maculæ convivantes.* Nec enim eis ſufficit quòd ſordidi ſint & maculati, ſed & maculæ ipſæ ſunt, aliis labem afficientes, alios commaculantes. In cauponis tales homines paſſim reperiuntur, tales convivæ falaciſſimi. Ibi amateria comminiſcuntur & laſciva; inter pocula deſudant mixtim & certatim ingenia convi-

3. *Turpiloquium ſeu ſcurrilitas.* S. Chryſ. hom. 57. ad pop.

vantium ad hæc concinanda carmina quæ ſpurcitiis vel ſcomatis referta poſtmodum decantentur, & in vulgus perniciose ſpargantur.

Neque vero in verbis ſolum modo, verum etiam in actionibus eorum qui ventri dediti ſymposia ſectantur, multa ſcurrilitas cernitur. Multa enim enormia ebrii faciunt, de quibus ſobrii erubeſcunt. Ubi poſſedit animum nimia vis vini, quicquid mali latebat, emergit. Tunc impudicus morbum confitetur, ac publicat. Tunc petulans non linguam, non manum continet. Tunc inſolenti ſuperbia creſcit, & malignitas livido. Tunc omne vitium detegitur, & prodit. Denique, in has etiam impudentias venitur, ut ſacra quælibet in ritum traducantur. Sacerdotes enim & Religioſi, ritus & cantus Eccleſiaſtici, ſermones & conciones in ſcurrilitates convertuntur. Sic lingua vino madida, in udo poſita, frenum omne excutit, & in quælibet lubrica eſt, ſine retinaculo. Nam corde ad latitiam inoptam diſſoluto, etiam ſpurca & blaſphema ſeſe illa diſſolvere cernitur.

4. *Immunditia ſive Spurcitiæ.*

Quartò, ex gula & crapula generatur. *Immunditia*, quæ in oris eructatione & fœtore, ac in ſtomachi vomitu horrorem pariente cernitur. Nempe ſepulchrum eſt patens venter luxconum & epulonum, cadavera quæ ſepelivit veſpere, mane ejicit cum fœtore. De his Iſaias: *Abſorpti ſunt à vino, erraverunt in ebrietate, neſciverunt videntem, ignoraverunt judicium. Omnes menſæ repletæ ſunt vomitu, ſordibuſque, ita ut ultra non eſſet locus.* Rectè dixit quidam, quod eorti non ſuſtinent Deum ſuum Bacchum foris manere, ideoque illum volunt ventri ſuo includere. At ejus deitas magna minis, ventris anguſtiis nequit concludi, propterea egreditur ſuperius quaſi per polum Arcticum, hoc eſt, per os; vel inferius per Antarcticum. Deploranda certè fæditas talium quiſtomachi ſui neſciunt tantare menſuram, ſed invitis etiam ingeſta viſceribus per os reddunt, & vinum omne vomitu immundo remetiuntur. Vomunt ut bibant, bibunt ut vomant: digeſtio ventris & gutturi uno occupantur officio.

Iſa. 28. 7.

5. *Hebetudo mentis & corporis* S. Chryſ. Hom. 44. in Joan. Luc. 21. 34.

Quintò, ex gula ſequitur *corporis mentisq; Hebetudo*. De qua S. Chryſoſt. ſic ait: *Nihil gula pernicioſius, nihil ignominioſius eſt. Hæc obtuſum & craſſum ingenium, hæc carnalem animam reddit. Hæc cæcat intellectum, nec ſinit ut quæ quam perſpiciat.* Ideo enim monuit Dominus: *Attendite ne graventur corpora veſtra crapula & ebrietate.* Dicit rectè & ad rem Seneca. *Ebrietas nihil eſt aliud quam infania voluntaria.*

Ebrioſo aſinus melior & rudentior.

D. Chryſoſt. crebris eam ſententiarum quaſi aculeis confecit dum ait: Ebrietas excæcat ſenſus: *Ebrietas eſt mater ſcortationis: Ebrioſo aſinus melior.* Aſinus ſiquidem adaquas ductus ne verberibus quidem adigi poteſt, ut plus quam opus ſit bibat: poſt potum ferendis oneribus perficiendoq; itineri aptior eſt. Ebrioſus ſe potu prægravat; & tunc nec rectè incedere, nec orare, nec boni quicquam facere poteſt. Unde rectè dicitur de tali, quod abſorptus ſit à potu, quem ipſe nimium abſorpſit: demerſus, & ſepultus, & perditus eſt. Sicut qui in aquam lapſus, à fluctibus & vorticibus quantus quantus eſt, abſorbetur, ut planè jam de eo conclamatum ſit: ita de ebrio & potu obruto judicandum eſt; qui ita totus gurgite ebrietatis hauſtus evanuit, ut neſciatur, neſciatque ipſe ubi ſit, quid & quo evaſerit. Ideo idem Chryſoſt. *Ebrietas ſeipſum ignorat.* Subdit rationem. Ebrietas tempeſtas eſt tam in animo quam in corpore. Ita Chryſoſt. homil. 1. de jejunio.

6. *Mollities ſeu pollutio.* Hieron. ep. ad Oceanum.

Sexto ex gula & crapula etiam alcera immunditia, carnalis ſequi ſolet, quæ ad libidinem pertinet veneream; mollitiei ſcilicet & pollutionis immunditia, *quæ* ſæpe in ſomnis ex cibi & potus nimietate exoritur. Proxima eſt ventri libido, ſicut loco, ſic vitio. *Venter* cibo *mero* ac diſtentus & *aſtuans, ejus depurmat in libidinem.* Hinc & ad belluinas voluptates concitantur etiam conjugati; conjugio injurii, dum indebito modo indulgent concubitui, non viri, ſed equi inſtar humentes effecti, ob temulentiam. Ciborum enim & potus fomite inardeſcunt eorum corpora in vapores libidinoſos, quibus præter naturam concitantur in abuſum. Et quidem etiam caſti ex abundantia nimia ſentiunt hanc ſpermatis effuſionem, & ſi non vitent cauſam & occaſionem, ſe culpæ obnoxios reddunt. Sæpe enim ſecuta immunditia corporis ex imaginatione turpi, culpabilis eſſe poteſt in ſua cauſa, ſi nimirum proveniat ex nimia crapula. Alioqui ſine culpa eſt, dum nullatenus conniti eſt voluntaria; vel in ſe, vel in occaſione illi data. Hoc eleganter deſcribens S. Auguſt. ſic ait: Juſſiſti ut contineam à concupiſcentia carnis & concubitu, & quoniam dediſti, factum eſt. Sed adhuc vivunt in memoria mea talium rerum imagines, quas ibi conſuetudo mea fixit; & occurſant mihi vigilanti carenti quidem viribus, in ſomnis autem, non ſolum uſque ad delectationem, ſed etiam ad conſenſionem, ſatisque ſimillimum. Et tantum valet imaginis illuſio in anima mea, & in carne mea, ut dormienti falſa viſa perſuadeant, quod vigilanti vera non poſſunt. Numquid tunc ego non ſum Domine Deus meus? Ubi eſt tunc ratio, qua vigilans animus talibus ſuggeſtionibus reſiſtit, & ſi res ipſæ ſuggerantur, manet inconcuſſus? Numquid ſopitur cum ſenſibus corporis? Etunde etiam ſæpe in ſomnis reſiſtimus, noſtrique propoſiti memores in eo caſtiſſimè permanentes, nullum talibus illecebris adhibemus aſſenſum: Et tamen, tantum intereſt inter nos ipſos, & nos ipſos, ut cum aliter accidit, nihilominus evigilantes ad conſcientiæ requiem redeamus, ipſaque diſtantia reperiamus, nos non feciſſe, quod tamen in nobis quoquo modo factum eſſe doleamus. Numquid non potens eſt manus tua Deus Omnipotens ſanare omnes languores animæ meæ, atque in abundantiore gratia tua lateivos motus etiam meſoporis extinguere? Augebis Domine magis

S. Aug. l. 10. confeſ. cap. 30.

gis magiſque in me munera tua; ut anima mea ſequatur te concupiſcentiæ viſco expedita, ut non ſit rebellis ſibi: atque ut in ſomnis etiam, non ſolum non perpetret, iſtas corruptelarum turpitudines per imagines animales uſque ad carnis fluxum, ſed ne conſentiat quidem. Hactenus S. Auguſtinus de illa immunditia, quam diximus quandoq; eſſe ſine culpa cum in nobis ſit ſine nobis, per meram illuſionem: videndum autem ne fiat per intemperantiam, vel aliam nobis culpabilem occaſionem. Etiam propter hunc impurum effectum gula & crapula omnino eſt fugienda.

Itaque plurima ſunt vitia, gulæ & gaſtrimargiæ comœa fœdere quodam vix diſſolubili, quæ ſi vincere quis optat vel effugere, prius illa debellanda eſt vel fugienda. Audi Climacum qui cum diu & laliciter dimicaſſet contra hanc ingluviem, quæſtione ſe fingit tribuiſſe cum ea, & reſponſum etiam extorliſſe. Interrogemus, inquit ipſe, hunc hoſtium noſtrorum primum vitiorum januam, ruinam Adam, Eſau pernicium, interitum Iſraelitarum, Noe turpitudinem, Gomorrhæorum perditionem & proditorem, Loth crimen, filiorum Eli exterminationem, inquinationum ducem, undè gignatur? quinam nati ejus? quis ſit, à quo conteratur? & à quo tandem perimatur? Dic nobis mortalium nimis violenta Domina, unde tibi in nobis introitum paras? Quid poſt ingreſſum parere conſueviſti? Quiſnam exitus ex nobis tuus? Quomodo abs te liberemur? Illa vero agitata contumeliis ferox reſpondeat: Quid me maledictis inceſſitis, qui mihi eſtis obnoxii, aut quomodo à me ſeparari ſtudetis, quæ natura vobis conjuncta ſum? Stirpium vero mearum nomina quare quæritis diſcere? Primogenitus meus fornicationis incentor nominatur. Secundus, obdurationis auctor. Somnus tertius. Mare cogitationum, inquinationis fluctus profundum immunditiarum ex me prodeunt. Filiæ vero meæ ſunt, deſidia, loquacitas, ſcurrilitas riſum movens: contradictio, cervicis duritia, tarditas ad audiendum, elatio temeritatis, mundi amor, oratio immunda, fluctuſque cogitationum. Oppugnat quidem me, ſed non ſuperat peccatorum memoria, inimicitias per omnia contra me gerit mortis intenta cogitatio. Nihil vero in hominibus me perfectè deſtruit. Qui Paracletum poſſidet interpellet eum adverſum me, ille operatus non me permittet operari vitioſè. Hactenus Climacus.

S. Climacus in ſcala Paradiſi gradu 14. de Gula.

Ebrietatis & Gulæ opiſthea.

Stirps & progenies Gulæ & Ebrietatis.

LECTIO V.

DE EBRIETATE.

Ebrietatis damna. Ebrietatis ſpecies pleræ

EX dictis ſatis colligitur, quanta nocumenta ebrietas afferre ſoleat. Quapropter S. Auguſt. & alii Patres variis eam titulis ſolent decorare, ita ut hæc ſit illius deſcriptio: *Ebrietas eſt animæ corruptela, inſania voluntaria, procella corporis, tempeſtas linguæ, naufragium caſtitatis, amiſſio temporis & bonorum prodigalitas, omnium vitiorum mater, omnium origo flagitiorum.* Hæc ſingula quamvis ex dictis partim eluceſcant, pancis tamen amplius adhuc & plenius lubet declarare ſigillatim, ad hujus vitii perfectam deteſtationem.

Primò itaque Ebrietas deſcribitur. *Anima corruptela.* Eſt enim illa peccatum mortiferum, animam mirè commaculans: eſt velut peſtis contagioſa illam inficiens, ac coram Deo & Angelis ejus omnino fœtentem reddens. Non ita fœtet corpus peſtilens coram hominibus, ſicut anima ebrii coram ſpiritibus angelicis. Peſtis è domo ejicit procul omnes eam incolentes: Ebrietas ex anima ejicit cunctos ſanctos habitatores, Spiritum ſanctum cum donis & virtutibus, cunctuſque piis deſideriis; ac ſimul omnia bona opera in ea inventa commaculat. Ergo verè ebrietas eſt animæ corruptela & infectio: & ut dixit quidam ex Sanctis Patribus: *Blandus eſt dæmon ebrietas, dulce venenum, quam qui habet ſuipſum non habet, & quicquid facit peccatum non facit, ſed ipſe totus eſt peccatum.* Omni enim ſe peccato, vel peccati periculo exponit ebrius, ſepulta jam ratione. *Ebrietas* inquit, *eſt blandus dæmon* ac ſi dicat: Horribile eſt dæmonem tetrum ſponte & cum voluptate imbibere; verum, quia blanditur, arridet, adulatur, mille lenociniis ingreſſum in hominem obtinet, à quo procul alioqui erat arcendus.

1. *Anima corruptela*

Secundò ebrietas deſcribitur. *Inſania voluntaria*, quæ hominem ratione privans amentem reddit & ſtultum. Hunc deſpiciunt Angeli, illudunt dæmones, rident homines, conculcant omnes, aſpernantur & ludibrio habent. Certè hoc ſolum ſufficere deberet, ut hominem ab hoc vitio deterreret. Dicuntur Lacedæmones ſoliti inebriare quandoque mancipia ſua, ac deinde illa coram pueris & liberis ſuis exhibere illudenda, ut hac ratione ab ineunte ætate vitium illud horrere diſcerent. Sic & Anacharſis Philoſophus interrogatus. *Quomodo quis abſtinentiæ fieri poſſet?* Reſpondit: *Si turpes ebrioſorum motus ſibi ob oculos ponat.* Propterea & Seneca ait: *Ebrietas quid aliud quàm inſania voluntaria? Extende in plures dies ebrii habitum, numquid de furore dubitabis? Nunc quæ modo non eſt minor, ſed brevior.* Habes & ſapientis cujuſdam dictum celebre apud Apulenum. Prima, inquit, cratera ad ſitim pertinet. Secunda ad hilaritatem. Tertia ad voluptatem. Quarta ad inſaniam. Voluntaria certè inſania, quæ reddit hominem jumentis inſipientibus ſimilem, neglecto rationis honore quo Angelis Deoque ipſi ſimilis effectus eſt. Sed & inſipientior redditur jumentis, quandoquidem illa ultra ſatietatem haud ſe ingurgitare noſcuntur, ut ſupra diximus.

2. *Inſania voluntaria*

Ebrii ab omnibus deſpecti.

Anacharſis.

Seneca.

Apuleius l. 3 Floridor

Tertiò ebrietas deſcribitur *Procella corporis*: Sicut enim cymba agitata vento huc illucque tituhans ſe verſat, non ſe regere potens, eodem modo

3. *Procella corporis.*

Digitized by Google

Prov. 23. 34. S. Chryſ. ſermo contra luxum & crapu.

ſe gerit homo ebrietate exagitatus Prov. *Eris ſicut dormiens in medio maris, & quaſi ſedens gubernator amiſſo clavo.* Hoc præclarè explicat S Chryſoſt. *Sicut navis oneraria quæ ſupra ſuam magnitudinem vehenda capit, oneris magnitudine gravata ſubmergitur: ita anima & corporis noſtri natura, ſi plures acceperit cibos quàm ferat natura, impletur & injectorum gravitatem non amat, & in perditionis pelagus demergitur, & nautas, & gubernatores, & eos qui in prora & alios navigantes, & ipſum omnes cum hominibus perdit. Sicut igitur non tranquillitas maris, non ſcientia gubernatoris, non nautarum multitudo, non præparationis ſtudium, non anni pars tempeſtiva, non aliud quicquam navi, quæ ſic in tempeſtate eſt, prodeſt: ita & de caſu evomis, neque cogitationum multitudo, neque eruditio, aut admonitio, neque conſilia, neque timor futurorum, aut aliud quid ſalvare poteſt ſic periclitantem animam; ſed invaluiſſet luxus & amentia per omnia & ſub aquas deferens grave facit naufragium.* Sic nimirum luxus & crapula non ſolum corporis, ſed & animæ eſt procella, in profundum illam mergens, & in mortis ducens naufragium Audi & S Ambroſ ebrii corpus & animam quaſi tempeſtate jactatam deſcribentem. *Hinc*, inquit, *ebrius vana imagines incerti viſus, inſtabilis greſſus, umbras ſæpe tranſilit ante, ſi ut frenet. Natat hic cum facie terra, ſubitò erigi & inclinari videtur, & quaſi vortatur cunctes in faciem ruunt, & ſolum manibus apprehendunt, aut concurrentibus montibus ſibi includi videntur. Murmur in auribus, quaſi maris ſtridentis fragor, & reſonantia ſtultis labra.*

Ambroſ. de Elia & jeju. c. 16.

4. Tempeſtas lingua

Quarto ebrietas dicitur *Tempeſtas linguæ*. Nam illam exagitat hoc illud, in impudica & ſpurca, in pernicioſa & nociva Exagitat illam contra proximum, contra Deum, contra amicum, contra ſeipſum, contra abſentes & præſentes, contra vivos & mortuos. Deinde in rixas exagitat & contentiones. O quoties mane ad mentem & tranquillitatem redeuntes, optarent poſſe revocare illas quas deſpumarunt confuſiones, illas inquam ſpumas convitiorum, vel blaſphemiarum, in quas eorum linguam præcedente veſpere exagitavit ebrietatis tempeſtas!

5. Naufragium caſtitatis.

Quinto, dicitur ebrietas *Naufragium caſtitatis*, quia ex illa impudicitiæ, fornicationes, adulteria, inceſtus prodiſſe hisque ſimilia vitia apud omnes nationes notum eſt. Et quotidiè libidines illæ portentoſæ ex illa originem primam ducunt, quia ut inquit Comicus, ſine Cerere & Baccho friget Venus: venter autem cibo potuque repletus æſtuat & in libidinem deſpumat. Sic de populo Iſraelitico legimus: *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Luſus hic luxuriam indicat, cujus poſtmodum infælix effectus fuit coram vitulo choros agere, & à Deo fornicari. Sic una ebrietas populi tabulas confregit, quas 40. dierum jejunium obtinuerat Notum eſt etiam, quomodo in Loth, naufragium fuerit caſtitatis ebrietas, dum duplici ſe contaminat inceſtu. Nec quoque ad unius horæ ebrietatem nudavit femora, quæ per ſexcentos annos obtexerat, propter hoc ludibrium tactus filio. Habes & exemplum ex D. Hier Epiſt ad Vital. Tom. 3. Ubi ſic ait: Audivi, & Domino teſte non mentior, quod ſequitur. Quædam muliercula cùm expoſitum nutriret infantem, & inſtillaret cibos, ac nutricis officio fungeretur, cubaretque cum ea parvulus, qui uſque ad decimum jam pervenerat annum: accidit ut pluſquam pudicitia patitur, ſe mero ingurgitaret, accenſaque libidine, obſcænis motibus ad coitum duceret infantem. Prima ebrietas alterius noctis, & cæterarum deinceps fecit conſuetudinem. Necdum menſes duo fuerant evoluti, & ecce fœminæ uterus intumuit. Quid plura? Diſpenſatione Dei factum eſt, ut quæ contra naturam ſimplicitate parvuli in contemtum Dei abuteretur, à naturæ Domino proderetur: impleto ſermone, quo dicitur, nihil occultum, quod non reveletur. Hæc S. Hieron.

Exempl. ex S. Hier. *Ebrietas cauſa inceſtus & contemptus præter naturam.*

Sextò, ebrietas dicitur *Amiſſio temporis, honorumque prodigalitas.* Et primum quidem patet, quis noctes diſque ebrioſi in popinis conſumunt. Et magis dolendum, quod tempus ſacrum feſtis diebus ac Dominicis in Dei injuriam impendunt, quodque Sanctorum honori maximè tunc derogent. Tempus enim iſtud Chriſtianis dedtinatum eſt, ut divinam bonitatem ſibi propitiam reddant, ut Sanctorum patrocinium concilient, ut ad eorum ſocietatem properent, ut ad amiſſam Cœli hæreditatem ſuſpirent ut remiſſam voluntatem excitent, ut commiſſim defleant iniquitatem, deniq, ut divinæ gratias agant clementiæ. Interim hæc omnia vilipendentes, totos penè dies illos carni dicant, & ſæculari voluptati; templum & oratorium diaboli, cauponas ſcilicet, frequentant, ibi cantus ejus & Pſalmi cantica laſciva, & juramenta retonant, ibi ſacrificant ventri, tanquam Deo; ibi ſe oſtendunt inimicos crucis Chriſti, & amari fellis quo potatus eſt propter peccata noſtra; illius enim amaritudinem crapula ſua renovare cenſentur Quantum ad ſecundum, patet etiam experientia, ebrietatem nimirum rem domeſticam prodigè conſumere & abligurire. Unde ſcriptum eſt: *Operarius ebrioſus non locupletabitur.* Nec id opus eſt exemplis probare, ipſi fatentur ebrioſi: & licet fateri nollent, ſatis id oſtentant uxoris & prolium voces. Unde iterum Propheta pronuntiat: *Qui congregavit mercedes miſit eas in ſaccum pertuſum.* Ebrioſi enim illi quidquid per totam hebdomadam congeſſerunt labore & induſtria ſua, die feſto vel dominico occurrente in ſaccum pertuſum conjiciunt; hoc eſt, in ventrem. Nle cito omnes labores devorat operariorum, & ad inopiam eos, eorumque adigit familiam Rectè Socrates, cum quodam die pertranſiret plateam, ubi domus quædam venalis expoſita erat, in qua gulæ & ebrietati deditus epuliq; vacans quispiam poſſeſſor fuerat, ſic pronuntiavit: *Perſentiſcebam, & ede-*

6. Amiſſio temporis.

Et bonorum profuſio. Eccl. 19. 1.

Agg. 1. 6.

Socrates de quodam gula dicto.

Digitized by Google

& ederabat, domum illam vino semper plenam, hospitem tandem suum evomiturum. Sicut ebriosi illi coguntur sua quælibet divendere, etiam usque ad vestimenta, & supellectilem necessariam, imo & usque ad ædes sibi à parentibus in hæreditatem relictas. Hæc est intælicitas miseranda, quæ & nonnunquam patriam delerere cogit, & in exilium velut commigrare, per provincias varias divagando, vel multiam infortunate seclando. Sed parum foret, si temporalia solùm divenderent, si non & animam dæmoni & inferno oppignorarent, & quidem in æternum non redimendam.

Speculum Exempl. v Ebrietas nu. 5. Cantipratanus l. 2. cap. 58. part. 2. *Ebriosus propriam animam dæmoni vendit.*

Audi exemplum quod refert Thomas à Cantiprato Sedebant, inquit, in taberna viri quidam, & cùm incaluissent mero, varios inter se sermones miscebant, inciditque illic, quid futurum foret post hanc vitam Tunc unus: *Vane decipimur à Clericis, dicentibus animas sine corpore vivere post mortem.* Hoc dicto, omnibus in risum concitatis, supervenit homo statura robustus & grandis: Vinum & ipse postulat, quæritque quis sermo inter eos? De animabus, inquit ille: *Si quis meam emere velit, optimo pretio darem, & pretium in commune ad bibendum conferrem.* Ridentibus omnibus, is qui supervenerat, ait: *Talem ego mercatorem quæro, paratus sum eam emere, dic pretium.* Conventum est de pretio, solvit emptor, bibitur caliee pleno Vespere facto, ait: *Tempus est, ut quisque ad sua revertatur, sed autem datur judicium: Si quis emerit equum capistri vinculo alligatum, nunquid & jus habet in capistrum?* Affirmant omnes. Mox ergo venditorem cum anima & corpore in conspectu omnium elevat, & secum absque dubio ad inferna pertrahit, Dæmon enim erat in specie hominis. Quis namque alius se diceret animarum mercatorem, nisi is in cujus figura ad Abraham dictum est: *Da mihi animas, cætera tolle tibi?*

Exemplũ *Potator mortem spectro territus suspirsit.*

Fæticius quippiam contigit (ut refert Gotscalcus Holen Ordinis S Augustini Concionator. Ser. 101 in parte æstivali) cuidam potatori, quodam in loco Judicis officium agenti. Habebat ille conjugem valde piam, quæ Deum quotidie precabatur, ut à potatione maritum avocaret, & ad cor reduceret. Eleemosynis hunc in finem datis pauperes adhibebat etiam precatores. Accidit verò eum quadam nocte temulentum redire & per cœmeterium transire. Ibi casu in lapidem impingens, in maledicta contra Deum & Virginem erupit. Mox verò apparuit ei imago cujusdam mortui terribili specie. Ille nihil pavidus, interrogat: *Quis esses?* Respondeturque ei: *Quod ego, tu eris.* At ipse vino animatus subjungit: *Quisquis es, veni mecum, ad cœnam te invito.* Retorquium iterum ei est: *Vade, mox sequar.* Cùm domum appulisset, rem secum plenius conferens, timore quodam percellitur, aperitque uxori quod gestum fuerat, se quendam invitasse non admittendum, ideoque ostia, & fenestras omnes diligenter claudi jubet. Paulo post cum mensæ sederet cogitabundus, venit invitatus pulsans fores: cumque non intromitteretur, iterum & tanto fragore pulsat, ut tota domus contremisceret, & ostia omnia spontaneè sese reserarent. Ait ergo intrans. *En adsum quem invitasti secum mihi comedendum est.* Fugiunt omnes, deseritur ipse totus trepidus Iterum vero vox invitati ad illum: *Tu invitasti me, nec fercula jam apponis, ego te ad cœnam meam reinvito, fercula mea videbis. Tertia die venies, & comparebis.* Sic disparuit. Sequenti die totus tremulus, omnium peccatorum confessione conscientiam purgare fuit sollicitus, expectabatque diem & horam conditam, non sine animi horrore. Illo die raptus est in locum, ubi vidit omnia genera potatorum, & mensam serpentibus, sulphure, pice, igne refertam. Dixitque ei invitans: *En cœna mea, comede nunc & bibe, potum sume, cibumque appositum.* Cumque ipse hæreret, & horreret quasi emortuus præ timore, reductus est in locum suum, totus canus & decrepitus effectus. Et hac visione ita ad mentem rediit, ut postea gravissimam cum lacrymis pœnitentiam egerit.

Postremò, ebrietas dicitur: *Origo omnium vitiorum*, & hoc jam satis elucescit ex dictis suprà, ubi egimus de profunditate vitii gulæ in abyssum flagitiorum omnium hominem præcipitantis. 7. *Origo omnium vitiorum.*

PICTURA EBRIETATIS.

Ebrietatis Emblema.

HÆc omnia quæ de Ebrietate diximus, ab Antiquis insinuata videntur, in pictura, quam nobis exhibuerunt ebrietatis. Depinxerunt enim ebrietatem sub imagine Bacchi, qui Deus vini dictus est; forte quod imitatus Noe viti colendæ sese addixerit Depinxerunt autem Bacchum, ut puerũ, facie tamen Mulieris, nudoque pectore, deinde vite coronatum, & cornibus dotatum. Tigridi insidentem. Videamus breviter hujus picturæ rationes, ut quàm rectè dictis congruat, intelligamus.

Primo, *ut puer pingitur*, quia ebrietas insipientem reddit hominem, & vacillantem instar pueri. Privat enim prudentia & scientia: ita ut ebrius instar infantis balbutiat, nec quid eloquatur noverit. Genua quoque habet tremula, instar pueri ambulare edisscentis, caditque frequenter. quasi non valens se sustentare, quod ipsum pueris contingit. Adde, quod sicut puer de nullo sollicitus omnia se possidere credit; sic & ebrius omnium sollicitudinem abjicit: & licet pauper sit, tunc tamen opinione sua sibi videtur opulentus, aut saltem non meminit egestatis. *Ebrius similis infantibus.*

Secundo, *pingitur facie muliebri*, quia ad luxuriam stimulat & accendit: Unde monet Apostolus: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Deinde quia virum enervat vinum, & effœminat; cor emollit, imo & aufert vires. Unde Osee 4 *Vinum & ebrietas auferunt cor.* Ephes. 5. 18.

Tertio, *ebrietas pingitur nudo pectore*, quia ebrius omnia quæ in corde habet manifestat, nihilque secretum tenet, sive nocivum sit, sive non. Similis est *Ebrius omnia mal nisi sua.*

Digitized by Google

vaſi muſto novo repleto, quod de imò feces trahens per os dolii emittit. Hanc ſimilitudinem dedit Seneca *Non eſt*, inquit, *animus in ſua poteſtate, ebrietate devictus: quemadmodum muſto dolia ipſa rumpuntur, & omne quod in imo jacet, vis caloris in ſummam partem ejectat: ſic vino exæſtuante, quidquid in imo jacet abditum, effertur, & prodit in medium. Onerati mero quemadmodum non ſentiunt ciborum vino redundante; ita nec ſecretum quidem. Quod ſuum, alienumque eſt pariter effundunt.* Propterea etiam Scriptura videtur vinum Regibus prohibere, ne fortè vino exæſtuantes ſecreta in Reipubl. perniciem pandant: *Noli Regibus dare vinum, quia nullum ſecretum, ubi regnat ebrietas.* Rege nimirum nihil debet eſſe ſecretius, maximè ſi in hoſtem ducendi ſint exercitus. Unde & regni cenſetur proditor, qui eſt ſecreti. Nam regna multa exercitusque ſtetiſſent, ſi ſtetiſſet lingua: dum hæc ſui eſt oblita, vel per injuriam, vel per temulentiam, in exitium regni exitus ejus fuit. Propterea etiam monet Sapiens. *Et qui revelat myſteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia ſua, ne commiſcearis.* Fugiant ergo qui à conſiliis intimis Principum ſunt, ebrietatem & temulentiam, arcanorum proditricem, & irreparabilium ſæpe damnorum invectricem. Deinde, *nudo etiam pectore* propterea ebrietas depingi poteſt, quod homines denudet, hoc eſt, ad nuditatem & egeſtatem ſæpenumero redigat, ut jam diximus: quodque pudorem auferat, & ad nudandum ſe non ſolùm adoleſcentes, ſed & adoleſcentulas inducere ſoleat. Quia vix ulla erubeſcentia, ubi vini dominatur copia.

Seneca ep. ad Lucil.

Prov. 31. 4

Prov. 20. 19.

Quartò, *ante coronata* depingitur, quia fatuè homines exhilarat: quam hilaritatem hiſce corollis, modo ex aliis fruticibus, vel floribus contextis oſtentare ſolent. Unde hæc eorum vox apud Sapientem. *Coronemus nos roſis, antequam marceſcant; & nullum ſit pratum, quod non pertranſeat luxuria noſtra: Nemo noſtrum exors ſit luxuria noſtra, ubique relinquamus ſigna lætitiæ.* De his quoque intelligi poteſt agere Propheta dicens: *Væ corona ſuperbiæ, ebriis Ephraim, & flori deſidenti gloriæ exultationis ejus qui erant in vertice vallis pinguiſſimæ errantes à vino. Pedibus conculcabitur corona ſuperbiæ ebriorum Ephraim, & erit flos deſidens gloriæ exultationis ejus, qui eſt ſuper verticem vallis pinguium, quaſi temporaneum ante maturitatem autumni.* Sic & antiqui Deos ſuos coronarunt ſpeciali corona, Jovem Oleaſtro & Quercu, Martem gramine, Apollinem Lauro & Hyacintho, Herculem Populo & Apio, Venerem Amomo, Minervam Olea, Proſerpinam Narciſſo, Cererem Spica & papavere, Bacchum hedera & palmite. Cùm ergo Bacchus Deus ſit ebrietatis, & ebriorum, hac ipſa vite etiam ipſi rectè exhibentur coronati, in ſignum ut dixi jucunditatis fatuæ, quam parit ebrietas, de qua iterum. *Omnem mentem vinum convertit in ſecuritatem & jucunditatem, & non meminit omnem triſtitiam.*

Sap. 2. 8.

Iſa. 28. 1.

v. 3.

Corona Deorum.

3. Eſdræ 3. 20.

Quintò, *ebrietas cornibus ornatur*, quia elevat & inflat, ſuperbiamque, & animoſitatem generat. Hinc facilè de ebrietate ad arma conſurgit, calicibuſque tela ſuccedunt, pro vino ſanguis effunditur, & ipſum ſanguinem vina fuderunt. Quam fortes ſibi homines videntur in vino? Barbari in ferrum ruunt, vulgus in rixas, inquit Ambroſ. Unde etiam Sapiens dicit: *Tumultuoſa res eſt ebrietas.* Propter eandem cauſam. *Tigridi inſidere depingitur*, eſt enim illa miræ velocitatis, virtutis, & crudelitatis. Sic indicatur, ebrios ad iram concitatos, protervos eſſe, & ſine deliberatione in ferrum ruere, & crudelitatem exercere; à qua planè alieni forent, ſi temulentia abeſſet, ſi vini calor ſanguinem non adureret, & cor non inflammaret, ſicque ad choleram aptum & immite efficeret. Unde S. Ambr. ſic de illa loquitur: *Ebrietas fomentum libidinis, incentivum inſaniæ, venenum inſipientiæ, hæc ſenſus hominum mutat & formas: Per hanc ſunt ex hominibus equi adhinnientes, &c. Vocem amittunt, colore variantur, oculis igneſcunt, ore anhelant, fremunt naribus, in furore ardeſcunt, ſenſu exceduntur. Omnes ſibi æquales in vino videntur, nullus inferior, non pauper divitis cadit, non infirmus valido ignobilis honorato.* Hæc ergo ſunt cornua ebrietatis, hæc Tigridis immitis inſignia.

Ambr. de ebriet. & jeju. c. 12. Prov. 20. 1.

Ambr. loco cit.

Ebrioſorum deſcriptio.

LECTIO VI.

DE INANI EXCUSATIONE Ebriorum.

SEd dicunt ebrii in excuſationem ſuam: Vinum à Deo creatum eſt, ergo illo oportet uti, & quidem in copia utilicet, aut alias non licebit ſe unquam recreare. Reſpondet Sapiens: *Vinum creatum eſt à Deo, non in ebrietatem, ſed in jucunditatem.* Atque utinam ſcirent homines hujus ſæculi, hanc jucunditatem intra terminos ſuos tueri illibatam, hoc enim & nos eis indulgemus. Verùm illa in diſſolutionem vertitur & laſciviam. Utinam illud intelligerent quod apud Tob. habemus: *Cum timore Domini convivium exercebant; populus jucundus ſecundum faciem Sanctorum*, hoc eſt, ſicut decebat populum ſanctum, & verum Deum colentem. Verùm modo menſæ quæ jucunditatem ſapiunt, ita ingluviem & temulentiam commiſcent, ut jam non à veri Dei cultoribus cenſeas inſtrui, ſed à Bacchi potius adoratoribus. Alii verò ſunt, qui ubi in aliqua gravia incommoda ob ebrietatem inciderint, dicunt: *Vinam non eſſet vinum!* Sed & hi quoque planè ſtolidè loquuntur. Unde contra eos ſic Chryſoſt. O amentiam ſingularem, ò ſtoliditatem inauditam! Alii delinquunt, & Dei tui dona criminaris: putaſne à vino hoc factum malum? Non fecit vinum certè, ſed incontinentia eorum, qui vino abuſi ſunt. Dicas utinam non eſſet ebrietas, non eſſent delicia: ſi verò dicis, utinam non eſſet vinum, ordine paulatim progrediens, optabis

Excuſationes Ebrioſorum, Vinum creatum eſſe, ut eo copioſe utamur.

Eccl. 31. 35.

Tob 9. 12. Judith. 16. 24.

S. Chryſ. homil. 58. in Matt.

Digitized by Google

tabi ne sit ferrum propter homicidium, ne sit nox propter fures, ne sit lux propter calumniatores, ne sit fœmina propter adulterium, & sic omnia Dei opera tibi destruentur. Non igitur dicas, mentis enim illud est diabolicæ, nec vinum, sed ebrietatem crimineris. Et ebrio cùm in se fuerit reversus, omni dedecore suo priùs descripto, dicas datum esse vinum ad lætitiam, non ad turpitudinem nostram: datum est ut rideamus, non ut deridеamus: ut rectè valeamus, non ut ægrotemus: ut imbecillia corpora reficiamus, non ut robur animi dejiciamus: honoravit te hoc munere Deus, cur inhonestas propter intemperantiam bibendi teipsum? Hæc S. Chrysost.

2. *Oportere cum amicis convivari.* August. ser. 23. de temp.

Secundo dicunt: Non ego ebrietatem amo, sed oportet amico satisfacere, si enim ad convivium vocatum non tracto liberaliter, & quantum voluerit potum subministro, sine gratia eum dimitto. Resp. Augustinus. *Non sit tibi amicus, qui te Deo vult facere inimicum, qui & suus & tuus est inimicus. Si & te & alium inebriaveris, habebis hominem amicum, habebis Deum inimicum. Et rectè sapienter considera, si justum sit, ut te & Deo separes, dum te ebrioso conjungis. Ad extremum, tu eum noli adjuvare, noli cogere; sed in potestate illius dimitte, ut quantum sibi placuerit bibat; & si inebriare voluerit, vel solus pereat, & non ambo pereatis.* O infœlicitas generis humani (addit ibidem Augustin.) quàm multi inveniuntur, qui ebriosos, & luxuriosos amplius quàm oportet cogunt bibere, & ante ostium pauperibus petentibus, vel calicem dissimulant dare? Nec attendunt, quia illud quod luxuriosis videntur ingerere, Christus in pauperibus deberet accipere, qui dixit: *Quod fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis.* Sed qui tales sunt, quando alios in nimio potu sepelunt, pauperi eleemosynam petenti dicunt: Vade, vade in ante, & dabit tibi Deus. Quid est verò quod dicit, vade in ante, & dabit tibi Deus, nisi vade ad illum hominem, qui habet Deum, quia daturus est Deus? Ac sic ore suo confitentur, apud se Deum non esse, quo inspirante possent pauperibus erogare. Hæc iterum Augustinus, perstringens ebriosos immisericordes.

Convivia quomodo sint tractanda.

3. *Coactio ad bibendum.* Aug. ser. 232. de temp.

Tertiò dicunt aliqui; Persona potens me coegit, & societati satisfaciendum fuit, nec potui aliter. Respondet S. Augustin. Ad excusandas excusationes in peccatis ista prætendimus; & quod implere nolumus, non potuisse nos dicimus. Nolle, in culpa est nostra, & non posse, prætenditur. Etiamsi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur; Aut bibas, aut morieris: melius erat ut caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur. Sed excusatio ista falsò objicitur. Ipsi enim Reges, & quicumque sunt alii Potentes, quia, Deo propitio, & Christiani sunt, & prudentes, & sobrii, & toto corde Deum timentes, si te viderent desiniviſſe ut eis non acquiescas pro timore Dei inebriari; etsi tibi sub hora videanturàrasci postea vero te in grandi admiratione suscipiunt, dicentes: Quantum cum illo egimus, quantis eum minis & terroribus fatigamus, & tamen numquam eum à sobrietate separare potuimus. Nam & Deus qui te videt propter eius amorem inebriari non velle, ipse tibi gratiam illorum dabit, qui te, ut amplius biberes, videbantur hortari & cogere. Ille qui ebrietati restitit, si cum Dei adjutorio perseverare voluerit, & pro ipsa ille aliquas pertulerit tribulationes, omnia ei Dominus ad martyrii gloriam reputabit, Hæc August.

4. *Satis evidentia exempla.* Aug. ser. 331. de temp. *Consuetudo potandi quomodo tollenda.*

Quanto, dicunt alii se siti frequenter premi, oportere eam extinguere; seque consuetudine bibendi ita implicatos, ut sine maxima difficultate, imo nec sine periculo sanitatis desistere valeant. Respondet August. Qui se de hoc malo desiderat liberare, quomodo sibi intervallo dierum potum addendo ad ebrietatis tenebras pervenit; ita paulatim subtrahendo, ad sobrietatis lucem redeat. Qui si semel totum quod amplius accipiebat, subtraxerit, ubi nimia siti cæperit exardescere, cum grandi amaritudine clamat & dicit: Malle se mori, quam sibi bibendi vel inebriandi consuetudinem tollere: nec attendit, quod tolerabilius erat illi in carne mori, quàm per ebrietatem in anima interfici. Et ideo, ut nec ardorem nimium patiatur, & de tam gravi malo quod patitur, liberetur; sicut jam dictum est, per intervalla dierum sibi aliquid de nimietate potus subtrahat, quo usque ad rationabilem consuetudinem redeat. Qui hoc ita ut diximus, per partes subducere voluerit, & de ebrietate liberabitur, & illam intolerabilem pœnam non patietur. Hoc iterum est sanum consilium S. Augustini.

5. *Enimverò esse peccatum ob consuetudinem.* Aug. ser. 232. ad temp. *Ignorantia ebrietatis magnam causam præbet.* 1. Cor. 6. 10.

Postremo, dicunt & aliqui, exiguum istud esse peccatum ebrietatis, contra quod consuetudo obtinuerit & quodammodo præscripserit. Hanc rationem quorundam afferens S. Aug. sic dicit. Tanta infœlicitate se inebriant homines, qui putant ebrietatem, aut parvum, aut nullum peccatum esse. Sed pro illa ignorantia maximè Sacerdotes in die judicii reddituri sunt rationem, si commissis sibi populis, quæ vel quanta mala de ebrietate nascuntur, assiduè voluerint prædicare. Qui ergo credit ebrietatem esse parvum peccatum, si se non emendaverit, & pro ebrietate ipsa pœnitentiam non egerit cum adulteris, & homicidis æterna sine remedio pœna illum cruciabit, secundum illud quod ipsi bene nostis B. Apostolum prædicasse; *Neque*, inquit, *fornicarii, neque idolis servientes, neque molles, neque masculorum concubitores neque adulteri, neque ebriosi regnum Dei possidebunt.* Videte, ebriosos, cum fornicatoribus, & idolis servientibus, & masculorum concubitoribus, & adulteris Apostolus hic conjunxit. Sciant ergo hi consuetudine improba peccatum non diminui, quin potius augeri, nam consuetudo sine veritate, vetustas erroris est: non ergo hominum consuetudo ad prava ducentium, & ad perniciem currentium, sed Dei veritas quæ per Prophetas, per Apostolos, per ipsam Domini vocem nobis innotescit, sequenda est, nisi interi-

tum & perditionem adamemus. Neque erit illis minus ſupplicium, quin potius ſupplicii incrementum ebrioſi accipient, ac multitudine peccantium, & conſortio eorum qui ſimili culpa colligati, ſimili pœna involventur.

Peccant ad ebrietatem inducentes. Ambroſ. de jeju. cap. 14.

Neque verò illi ſolum qui inebriant ſe, graviter peccant : ſed & illi qui ad ebrietatem alios inducunt. Unde Ambroſ. ſic eos arguit: *Rogas ad jucunditatem, cogis ad mœrorem. Invitas ad prandium, efferre vis ad ſepulchrum. Cibos promittis; tormenta irrogas. Vina prætendis, venena ſuffundis. Omne quod nocet venenum eſt. Tollit ſenſus, viſcera exurit, ſomnum infert, caput vexat. Etiam major vis vini, quam veneni eſt. Venenum vino excluditur, non veneno vinum. Deus meritò per Moyſen non ſolùm venena, ſed venena draconum vinum comparat Deut. 23. Veneno caro vulneratur, vino mens. Noxia ebrietas corpori, crimen adjungit & menti. Adverte etiam & perfidiæ venenum vini declaratum nomine. Ait enim de his qui neſciunt Deum: De vinea Sodomorum vinea eorum, & de ſuburbanis Gomorrha. Uva fellis, uva eorum, & botrus amaritudinis.*

LECTIO VII.

DE LONGITUDINE MURI GULAE.

4. Longitudo.

MUri noſtri longitudo agnoſcitur ex variis hominum generibus, qui ad illum conſtruendum concurrunt, quique quotidiè opus ſuum continuant. Ita enim invaluit vitium crapulæ & ebrietatis, ut paſſim irrideantur in conviviis qui ſe vino ſive potu non ingurgitant; ſolentque per inimicam amicitiam ſeſe mutuo homines adjurare, & adigere ad mutuam ebrietatem. Ac Primo quidem huic vitio ſunt obnoxii multi inter Magnates, de quibus conqueritur Sap *Væ tibi terra cujus Rex puer eſt, & cujus Principes manè comedunt.* Et hi quidem ſpeciali reprehenſione digni, qui aliis ſemper conſilio, judicio, exemplo præire tenentur. Soletque hæc ebrietas Principum & Magnatum non parum nocumenti Reipubl. adferre, maximè ſi regnet in eis, qui exercitus ducere populoſque debent regere. Unde Val. Max. ſic de Hannibale loquitur: Campana luxuria perquam utilis civitati noſtræ fuit: invictum enim armis Hannibalem illecebris ſuis complexa, vincendum militi Romano tradidit: Illa vigilantiſſimum Ducem, illa exercitum acerrimum dapibus largis, abundanti vino, unguentorum fragrantia, Veneris uſu laſciviore ad ſomnum & delicias evocavit; actum demum confracta & contuſa Punica feritas fuit. Quid ergo his vitiis fœdius, quid etiam damnoſius, quibus virtus atteritur, animique pariter & corporis vires expugnantur? adeo ut neſcias, ab hoſtibuſne, an ab illis capi pernicioſius ſit. Quanta mala invehat Magnatum menſa ebria, ſatis docent Herodis, Holofernis, Balthaſaris, aliorumque exempla. Adde & Alexandri Macedonis exemplum antiquum, qui Clytum ſibi chariſſimum ac fideliſſimum inter epulas transfodit, & intellecto facinore mori voluit, certè debuit. Atque ipſe Herculeano poſtea ſcypho periit.

Quinam hunc vitio ſint obnoxii. Eccl. 10. 16. 1 Magnates & Nobiles. Val. Max. l. 9. c. 1. Q. Curtius l. 8. de rebus geſtis Alex M. 2 Opulenti quilibet.

Secundo huic vitio obnoxii ſunt, huicque fraudi cooperantur, non ſolum nobiles & potentes, ſed & quilibet cujuslibet ſortis opulenti hujus ſæculi. Mirum profectò, quanto luxu convivia inſtruantur, quàm profuſo mero illa exundent. Hos arguit Propheta. *Væ qui opulenti eſtis in Sion, & laſciviis in ſtratu veſtris: qui comeditis agnum de grege & vitulos de medio armenti qui canitis ad vocem pſalterii, bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti, & nihil patiebantur ſuper contritione Joſeph.* Deſcribit porrò opulentorum horum convivia S. Ambroſ. quaſi pugnas & prælia, ubi ſcyphi diſpoſiti inſtar aciei ordinatæ ad præliandum. Sic enim dicit. Primò minoribus poculis velut velitari pugna præluditur, & ſicut tragœdiarum actores, primò ſenſim vocem excitant, donec vivæ voces aperiant iter, ut poſtea magis poſſint clamoribus perſonare: ita iſtu quoque in principio præludentis ſe exercent poculis, ut irritent litim, ne fortè reſtinguant eam, & ſatiati poſtea bibere non poſſint. Ergo ubi res calere cœperit, majoribus poculis fervor inardeſcit. Aridus cibus ſitim exæſtuat, & ubi imminui vaſa cœperint, potu meraciore reparantur. Certant pocula cum ferculis, & inter moras ſæpe geminantur. Deinde procedente potu longiùs, contentiones diverſæ, & magna certamina, quis bibendo præcellat. Nota gravis, ſi quis ſe excuſet, ſi quis temperandum fortè vinum putet. Et hæc donec ad menſas perveniatur ſecundas. Ubi verò conſummatæ fuerint epulæ ſi putes jam eſſe ſurgendum: tunc de integro potum inſtaurant ſuum, & cum conſummaverint, tunc inchoare ſe dicunt: tunc deferuntur phialæ, tunc magni crateres quaſi inſtrumenta bellorum: Ac ne immoderatum hoc arbitreris, menſura proponitur, certatur ſub judice, ſub lege decernitur. Agonothetes illic furor eſt, ſtipendium debilitas, victoriæ præmium culpa: pendet anceps diu, & dubius belli eventus. Furor enim illic eſt peculiaris: Hæc ille.

Amos 6. 1. v. 4. S. Ambr. de Jejunio & Elia c. 13. *Compotatorum mos.*

Idem quoque Ambroſ. irridet illam conſuetudinem ebrietatis illicem qua bibitur ad ſanitatem Magnatum & Regum, ad ſanitatem Imperatorum: Bibamus, inquiunt, pro ſalute Imperatorum, videtur non amare Imperatorem, qui pro ejus ſalute non biberit. Qui non biberit, ſit reus in devotione. O piæ devotionis obſequium, ô ſtultitia hominum, qui ebrietatem ſacrificium putant! In hoc advertendum illud Apoſtoli, 1. ad Timoth. 2. *Obſecro fieri poſtulationes, orationes, obſervationes, gratiarum actiones; pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate.* Hi porro compotatores neſciunt has obſecrationes, & poſtulationes, & apprecationes in templis peragendas. Aut certè non

Ambr. re. 1. de Elia & Jejun. c. 17. 1. Timoth. 2. 1.

Digitized by Google

non ſufficit eis ſibi eas perfunctoriè peragere : in menſis pleniùs reſervant perficiendas, donec multiplicatæ ſanitatum inſani, ad aſotiam pertigerint, & ebrietatem. Hanc ergo piam devotionem, piumque obſequium in Reges & Principes profuſum, ſed in Deum non raro impiè redundantem, ſubſannat & condemnat S. Ambroſius ac alii SS. Patres.

1. *Adoleſcentes & juvenes.*

Tertio, huic muro ædificando certatim operam ſuam aſſerunt adoleſcentes & juvenes. Hi enim vix pubertatis annos attigerunt, qui potationibus & comeſſationibus ſeſe dedant ; ludibrio habendi confodalibus, ſi bibere & ſe in ingurgitare non probè noverint. Norunt id Parentes, & ſæpè ſuo malo, gravique familiæ incommodo. Nam plerique eorum, cum prodigo decoquunt & abligurunt patrimonia, in cauponis & vinolentia in crapula & luxuria. Cui malo obviare optant Parentes, ſed ſæpenumero ſero nimis, dum jam incorrigibiles ſunt effecti. Hinc illa antiquitus pronunciata in filios immorigeros & prodigos ſententia *Si genuerit homo filium contumacem & proterum, apprehendent eum, & ducent ad ſeniores civitatis, & ad portam judicii, dicentque ; Filium noſtrum iſte proteruus comeſſationibus vacat & luxuriæ atque conviviis, lapidibus eum obruet populus civitatis, & morietur, ut auferatur malum de medio veſtri, & univerſus Iſrael audiens pertimeſcat.* Hæc eſt ergo pœna juventutis inobedientis, luxuriosæ & ebriosæ, quæ ſi nova lege ſanciretur, multos hoc ævo deterreret his vitiis mirè deditos. Sed & hi norunt modos invenire, quibus ſuas promoveant ebrietates per varias nimirum Amaſiarum ſanitates : & conantur nonnunquam tot ebibere calices, quot literas nomen Amaſiæ habet. Sic bibunt ad numerum, antiquos idololatras imitantes, qui in Deorum vel Dearum ſuarum honorem tot bibebant cyathos, quot literas continebat nomen, ut docet Martinus Delrio in Adagiis, Adag. 810.

Deut. 21. 18.

Lipſius l. 3. antiq. c. 8.

4. *Senes.*

Quartò, etiam ſenes ſtructuræ hujus muri ſe impendunt, quia & crapulæ, & ebrietati inveniuntur addicti ; cum tamen his ſobrietatis exemplo cæteris præire deberent. Propterea ſenem fatuum ſe odiſſe dicit Sapiens, cum nimirum odio dignum judicans, qui cum jam ſenio ex parte tremulus ſit, nihilominus ut fatuus juvenculus ſymphoniis, cantu, popinis, & converſatione lubricorum & laſcivorum delectatur. Melius Berzelai, qui cum invitaretur à Rege Davide ad regiam menſam reſpondit : *Octogenarius ſum hodie numquid vigent ſenſus mei ad diſcernendum ſuave aut amarum ? aut delectare poteſt ſervum tuum cibus aut potus ? vel audire poſſum ultra vocem cantorum atque cantatricum ? Non indiges hac viciſſitudine, ſed obſecro ut revertar ſervus tuus, & moriar in civitate mea, & ſepeliar juxta ſepulchrum Patris mei, & matris meæ.*

2. Reg. 19. 35.

5. *Artifices & homines tenuis fortunæ.*

Quintò, notum eſt, quomodo tenuioris fortunæ homines, artifices cujuslibet ſortis, huic ſtructuræ cooperantur ; quomodo inguviei & crapulæ ſefe immergunt. Omni oblata occaſione, ſæpe totos ſe exhauriunt in popinis, ut amicam & columnam ſuam ebrietatem foveant ; uno die expendunt, quod in plurium dierum refectionem pro ſe & familia erat impendendum, ita ut ad inopiam redigantur, de qua re ſuprà iterum diximus. Rectè de illis dixit quidam : Illi burſam ad nummorum vomitum, & arcam invitant ad pecuniæ nauſeam, ut exactori ſtomacho poſſint audacius adulari. Interius ventrem ciborum & potuum locupletant divitiis, exterius nudi, & in paupertate poſiti. Hæc eſt introductio, per quam quis furandi arcem ingreditur ; hæc mœchos parit, & feminat egeſtatem. Hoc verò eis frequenter contingit, ob pravam quorumdam ſocietatem : qui enim ebriolis & prodigis ſe aſſociat, ſimilis illis mox redditur. Et certè non abſimiles ſunt quidam magneti, qui trahit ad ſe annulum ferreum : annulus quoque ille virtute ſibi communicata dicitur & alterum attrahere, & ille tertium, & tertius quartum ; ſicque fit quaſi catena per attractionem annulorum. Sic revera dæmon in quibuſdam operatur : delectatione enim potus aliquem ad ſe trahit ebriolum & ille tertium & tertius quartum ; ſicque caupona fit plena, in qua eſt quædam concatenatio ebriolorum. Hoc ut plurimum diebus feſtivis reperies, in quibus ſe mutuò ad pocula invitant & trahuntur ita ut demum corpore quandoque agunt in templo, jam corde ſunt in taberna & ſympolio ; quibuſdam ſociis ſint uſuri meditantur in oratorio. Id vero iſtis diebus maximè fieri ſatis patebit, ſi cauponum regiſtra velis conſulere & dies quibus iſti ſub credito vacarunt crapulæ, annotare, & hoc maximè dolendum inter Chriſtianos.

Simil.

Sexto, non deſunt etiam in fœmineo ſexu, quæ huic ædificio maledicto cooperentur, temulentiam ſectantes. De his dixit Eccleſi. *Mulier ebrioſa, ira & contumelia magna, & turpitudo ejus non tegetur.* Has deſcribens S. Ambroſ ſic ait : Sed quid de viris loquamur, quando etiam fœminæ quas oportet ſollicitiorem caſtitatis ſobrietatiſque adhibere cuſtodiam, uſque ad ebrietatem bibunt ? Deinde ſurgentes, quæ etiam inter ſe creta domus vel audiri ab alienis non convenit, vel videri, prodire audent in publicum, non velato capite, vultu procaci. Apoſtolus mulieres tacere etiam in Eccleſia jubet, viros ſuos domi præcipit interrogare. Illæ in plateis in verecundos ſub conſpectu adoleſcentulorum intemperantium choros ducunt, jactantes comam, trahentes tunicas, ſciſſæ amictus, nuda lacertos, plaudentes manibus ſaltantes pedibus, per ſonantes vocibus, irritantes in ſe juvenum libidines motu biſtrionico, petulanti oculo, dedecoroſo ludibrio. Spectat corona adoleſcentum, & ſit miſerabile theatrum. Inter ſaltantium lapſus, oculo impuro, & contaminato aſpectu, terra turpi ſaltatione polluitur, quæ obſcœnis cantibus verberatur. Olim vini uſus teſte Valerio Max. Romanis fœminis ignotus fuit, ne ſcilicet in aliquod dedecus prolaberentur. Quia proximus à libero Patre ſæpe paratur gradus ad inconcuſſam Vene-

6. *Mulieres.*

Eccl. 26. 11. S. Ambr. de Elia & Jeju. c. 18. *De famuis temulentis.*

1. Cor. 14. 35. 1. Tim. 2. 11. *Ebriarum mulierum invereciundia & impudentia.*

Digitized by Google

rem eſſe conſuevit. Quæcumque enim fœmina vinulum immoderate appetit, virtutibus januam claudit, & delitiis aperit.

7. Eccleſiaſtici & Religioſi.

Septimò etiam Eccleſiaſtici, Sacerdotes, Religioſi, hunc murum maledictum amplificant, quod maximè dolendum eſt, quandoquidem aliis exemplo præire deberent. Certè non niſi id infimis ſcandalum, ſacerdotio probrum, & propriæ conſcientiæ gravem reatum conflare poteſt. De qua re conquerebatur Iſaias. *Sacerdos & Propheta neſciverunt præ ebrietate, abſorpti ſunt à vino. Erraverunt in ebrietate ignoraverunt judicium.* Interim antiquitùs gravitèr puniebatur ebrietas in Sacerdotibus, imò & in laicis. Unde Burchardus Vormatienſis Epiſcopus lib. 14. decret. hunc affert Canonem ex Pœnitentiali Theodori: Sacerdos quilibet ſi inebrietur per ignorantiam, ſeptem dies pœniteat in pane & aqua: ſi per negligentiam, quindecim dies: ſi per contemptum, 40. dies. Diaconus vel Monachus ſecundùm ordinem, ut ſcriptum eſt, ſeu & reliqui Clerici & miniſtri juxta ordinem judicio Sacerdotis pœniteant. Laici velut votum non habentes, ſi inebrientur, arguantur à Sacerdote, quòd ebrioſi Regnum Dei non poſſidebunt, & interius ſit ebrietas, & compellat ipſos pœnitere. Qui cogit hominem ut inebrietur humanitatis gratiâ, acerrimè corripiatur, & ſeptem dies pœniteat: ſi per contemptum, triginta dies. Nullus Chriſtianus alium Chriſtianum plus bibere cogat, quàm naturæ ſufficiat. Quod ſi fecerit, juxta id quod in Pœnitentiali habetur, pœniteat. Et ejuſdem libri c. 13. ex Pœnit. Rom. Qui per ebrietatem vomitum facit, ſi Presbyter aut Diaconus eſt, 40. dies pœniteat: Si Monachus, 20. dies pœniteat: ſi Clericus, 20. dies: ſi Laicus, 15. dies. Item cap. 14. ex Pœnit. Bedæ: Laicus ſi per ebrietatem vomitum facit, tres dies à carne & vino & cerevisia abſtineat. Rurſum c. 15. ex eodem: Si quis per nequitiam alium inebriat, 40 dies pœniteat. Quod ſi in conſuetudine habuerit, communione privetur, donec dignè pœniteat, & emendationem promittat. Hæc ibi.

Iſa. 28. 7.

Pœnitentia clericorum, qui ſe inebriant.

Pœnitentia laicorum ad ebrietatem.

Pœnitentia vomentium ex ebrietate. Alius inebriantes.

De ebrietate vitandâ à Sacerdotibus dixi in Virga Aaronis, Tract. 4. Lect. 11. & infrà exempla proponemus.

Ex his itaque patet, quantoperè ſe extendat murus iſte, tot concurrentibus ſtructoribus impiis, ita, ut meritò aſſeramus magnam partem hominum propter gulam perire, & propterea dicat Iſaias: *Dilatavit infernus os ſuum abſque termino, & deſcendent fortes ejus, & populus ejus.* Agit enim contra guloſos, de quibus præceſſerat *Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in convivüs veſtris, & opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum ejus conſideratis.* Ubi cùm dicit, quòd infernus aperiet os ſuum abſque termino, ad deglutiendum gulones illos, & ebrietatem ſectantes, inſinuat tanto eos numero, futuros, ut opus ſit infernum extraordinariè os aperire ſuum, ad tantam multitudinem abſorbendam: Sicut cùm homini magnus morſus deglutiendus eſt, os grande aperire dicitur. Inſinuatur etiam illis verbis, quòd ſicut illi ad ſatiandum appetitum, & ventrem adimplendum os ſuum abſque termino aperuerunt, appetitui inordinato finem non imponentes: Sic & infernus ſine termino os ſuum aperiet, ut ſe illis impleat, & ibi operum ſuorum mercedem accipient. *Opus Domini non reſpiciti*, inquit, *& opera manuum ejus non conſideratis*: quia nimirùm effectus genera is gulæ, eſt oblivio operum Dei, & beneficiorum ejus. Qui enim de ventre ſunt ſollicti, vix Dei meminerunt & ſalutis.

Iſa. 5. 14.

Verſus.

LECTIO VIII.

DE SEPTEM TUBIS CONTRA MURUM GULÆ.

Tubæ 7. contra Gulam.

TUbæ declamantes contra murum hunc gulæ à ſatana, & ejus cooperatoribus ad fortificandam civitatem ſuam longè lateque conſtructum, partim ex dictis intelligi poſſunt: ordine tamen noſtro, ſeptem voces quaſi tubas deſignabimus ex ſacris Litteris, murum hunc demoliri potentes.

Prima tuba, eſt vox divina in lege contra filios familias ebrietati & comeſſationibus vacantes detonans, quam ſtatim audivimus: *Si homo genuerit filium contumacem & proterum, apprehendent eum, & ducent ad ſeniores civitatis, & ad portam judicii, dicentque: Filius noſter iſte proterus comeſſationibus vacat & luxuriæ atque conviviis, lapidibus eum obruet populus civitatis, & morietur, ut auferas malum de medio veſtri, & univerſus Iſrael audiens pertimeſcat.* Item: *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, & ecce furor Domini concitatus in populum, percuſſit eum plaga magna nimis. Vocatumque eſt ille locus Sepulchra concupiſcentiæ*: ibi enim ſepelierunt populum qui deſideraverat.

Deut. 27. 18.

Num. 11. 33.

Secunda tuba, eſt vox Domini per Prophetas contra idem vitium inſonantes. Audi 1. Abacuc. *Væ qui potum das amico ſuo, mittens fel ſuum, & inebrians ut aſpiciat nuditatem ejus, repletus es ignominia pro gloria.* Audi 2. Jerem. *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael; Bibite inebriamini, & vomite, & cadite, neque ſurgatis à facie gladii quem ego mittam inter vos.* Audi 3 Iſa. *Væ qui ſurgitis manè ad ebriſtatem ſectandam, & potandum uſque ad veſperam, ut vino æſtuetis.* Et iterùm: *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebriſtatem.* Et *Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, & ad planctum, & ad calvitium, & ad cingulum ſacci: & ecce gaudium & lætitia occidere vitulos, jugulare arietes; comedere carnes, & bibere vinum: Comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Et revelata eſt vox Domini in auribus meis: Si dimitteretur iniquitas hæc vobis, donec moriamini, dicit Dominus exercituum.*

Abac. 2. 15.

Jerem. 25. 27.

Iſa. 5. 11.

Verſ. 22.

Tertia

Prov. 23. 20. Tertia Tuba, vox est Domini apud Sapientem: *Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt: quia vacantes potibus, & dantes symbola, consumuntur; & vestietur pannis dormitatio.* Et paulò post: *Cui væ! cujus patris væ? cui rixæ? cui fovea? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, & studunt calicibus ebrietatis?* Quàm fortiter insonat vox ista, quamque efficaci clangore repræsentat ebrietatis damna præcipua? *Primò* dicit: *Cui væ?* Equidem affert ebrietas, væ tam ebrioso, quàm parentibus ejus: hoc est, pœnam, dolorem, afflictionem gravissimam, ratione malorum quæ ex illa promanant. *Secundò* dicit: *cui rixæ?* Quia parit illa rixas, parit & contentiones quæ sæpius inter bibendum intercurrunt, cum gravi læsione honoris proximi. Hinc lites, hinc obligatio ad honoris restitutiones. *Tertiò* dicit: *Cui fovea?* Intelligitque varia impedimenta itineris ebrii obvia, in quæ frequenter impingunt, non sine collisionis periculo, aut etiam necis, dum vel in fovea, vel in flumina præcipites ruunt. *Quartò* dicit: *Cui sine causa vulnera*; quia non solùm contentiones verborum inter ebrios oriuntur, sed etiam ad ferrum consurgitur, & sanguis effunditur; pocula in tela vertuntur si ferrum deest, scyphique in faciem jaciuntur. Sic in vulnera mutua mox insani proruunt; immoderatio enim potûs, ira cundiam concitat, & ruinas multas facit. Deindè etiam vulnera sine causa sibi conscisceunt, frequenti casu ad saxa collisi. *Quintò* dicit: *Cui suffusio oculorum?* Ratione humorum copiosè nimis ex oculis defluentium, & visus aciem obtundentium; & suffocantium. Unde ebrioti passim ob copiam catharrorum defluentium, oculis sanguineis cernuntur, visuque hebetes & lippientes. Possumus & hæc omnia spiritualiter sensu altero accipere; ut per *Væ*, intelligatur æterna maledictio & damnatio, cui animam oppignorat ebriosus, cujus & sunt consortes Patres, qui filios ebrietati deditos non reprehendunt, non avertunt. 2. Per *foveam*, intellige præcipitia varia ad pleraque vitia, in quæ ratione ebrietatis corruit. 3. Per *vulnera*, interpretare tot ictus mortales, quibus animam suam conficit, quot peccatis se obnoxium reddit. 4. Per *suffusionem oculorum*, designatur hebetudo & cœcitas in oculis cordis, quia tenebræ & caligo interior ita mentem ebrioti obnubilat, ut nihil cernere videatur in negotio salutis.

Ebrietatis damna.

Quarta tuba, est vox evangelica, quæ Luc. 21. insonat: *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula & ebrietate, & cura hujus vitæ, & superveniat in vos repentina dies illa. Tanquam laqueus enim superveniet in omnes qui sedent super faciem omnis terræ.* Idem Matthæus 24. *Sicut in diebus Noe, ita erit adventus Filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, usque ad eum diem quo intravit Noe in arcam, & non cognoverunt, donec venit diluvium, & tulit omnes; ita erit & adventus Filii hominis.*

Quinta tuba, vox est Apostolica frequentissimè insonans contra ebriosos. Audi ad Romanos, Matutinam Tubam illos excitantem, illis autem fortissimè vellicantem: *Fratres, hora est nos de somno surgere, non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, sed induimini Dominum Jesum Christum.* Audi & ad 1. Corinth. *Nolite errare, neque fornicarii, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces Regnum Dei possidebunt.* Denique audi ad Galatas. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, dissensiones, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam, qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur.* Rom. 13. 11. 1. Cor. 6. 9. Gal. 5. 19.

Sexta tuba, est vox propriæ conscientiæ; illa enim mox remordet; & tandem in fine voce & clangore æterno transfodiet illos: *Ne intuearis vinum quando flaveſcit, cùm splenduerit in vitro color ejus: ingreditur blandè sed in novissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus venena diffundet.* Nempè vinum duplici illectamento ad sui desiderium, & concupiscentiam trahit, colore splendido, & sapore delicato. Monet interim Sapiens, ne his ejus illecebris vinci nos patiamur & seduci, quin potiùs exitum nobis repræsentemus, & trille quod adferre solet exitium. Quasi venenum cauda sua profundit instar serpentis; & hoc venenum continuò corrodit conscientiam. Illaque non cessat eis inclamare: *Quem fructum habuistis, in quibus nunc erubescitis?* Hæc vox conscientiæ quosdam æternâ afficit confusione. Pro. 23. 31. Rom. 6. 21.

Septima tuba, vox est divini judicii, fletum æternum ebriosis & gulosis interminans: *Expergiscimini ebrii, & flete, & ululate omnis qui bibis in dulcedine, quoniam periit ab ore vestro.* O Tubam, ô vocem valide clangore personantem! Sic tota Scriptura, antiqua & nova, plena est vocibus resonantibus contra murum hunc maledictum, in civitate satanæ à gulosis & ventri deditis constructum, ut illum funditus demoliatur Deo & Cœlo adversum. Joel. 1. 5.

ADMONITIO AD EBRIOSOS.

EXpergiscimini igitur ebrii, & dum tempus est flete & ululate, si fletum & ululatum æternum optatis evadere. Divinæ vocis clangor insonat, aurem vobis mentemque vellicans, ut veternum & læthiferum somnum, internos animi oculos vobis obserantem & consepientem illicò excutiatis. Quid verò clamat? *Expergiscimini*, inquit, *& flete.* Quasi dicat. An forte tempus est somno profundo indulgendi, quando æternæ mortis jam proximè vobis diserimen imminet? *Expergiscimini*, & excusso lethargo aperite oculos, ut divinæ justitiæ mucronem tot ebrietatum aliorumq; scelerum ebrietati affinium vindicem, cervici vestræ incumbentem, & subitam infœlicem mortem minitantem inveni-

ſueri comitus valueris. Ubi ratio, quà à Deo prædiri eſtis? Ubi judicium, ubi intellectus, ſi non videatis, nec præcaveatis æternum non finiendam ſummi *Expergiſcimini*, & conſiderate mala innumera, quæ tibi tetra pars & accumulat. in caput veſtrum tandem ruitura. Hisq; conſideratis, in melius dirigite infortunatam vitam veſtram, ad ſobrietatis & pietatis regulam ordinate illam. Iram Dei placate, ejus gratiam conciliate, pro anteactæ vitæ delictis & tot diſſolutionibus temulentiæ, ejus Majeſtatē obſecrate. An vera fides in vobis eſt judicii futuri, in quo ineunda ratio totius vitæ coram ſeveriſſimo Tribunali divinæ juſtitiæ? An verè Chriſtiani eſtis? Cur ergo non ut Chriſtiani, ſed ut Athei, ut Sardanapali, ut Epicuri, vitam traducitis: Cur ſic ætatis floridæ maximam partem conteritis, quaſi poſt hanc morientem vitam, altera non intermoritura mox ſecutura non foret? Ubi fides veſtra, de animarum immortalitate donanda, quandoquidem bibentes ſicut aquam iniquitatem, quaſi invanum acceptiſtis eam? quam pœnam rationem dabitis Judici, de tot ebrietatibus, de tam prodiga effuſione bonorum vobis ab illo concreditorum, de tot rixis domeſticis, quibus familiam, uxorem, proles divexaſtis temulenti? quid de blaſphemiis & juramentis? quid de ſcandalo & pravo exemplo inde ortis? quid de contentionib. injuriis, percuſſionibus proximo, ſuadente ebrietate illatis? *Expergiſcimini* igitur ebrii, de profundo iſto ſopore oculos claudente: *Expergiſcimini* tam ſonora tot præconum voce tam valido tubæ divinæ clangore commonefacti. Perterreat mentes veſtras divini judicii rigor, qui ſi modò vos ſubitâ morte non conterit, paulatim nihilominus de peccatis in peccata, de præcipitiis in præcipitia ruere permittit, donec in reprobum ſenſum traditi, graviori poſtmodum ſupplicio æternum intereatis. Habet enim Deus pedes laneos, lenta ira ad vindictam procedit; ſed tarditatem ſupplicii gravitate compenſat. Quòd ſi ad vocem divini judicii pœnas comminantem non expergiſciminī, ſaltem ad vocem eorum, qui ob ſimilia veſtris peccata, in flammis ululant fletu & ululatu æterno, ne obſurdeſcatis. Hi ſunt commilitones veſtri, comeſſatores, combibones, inclamantes cum Evangelico illo Epulone ad fratres ſuos & ſocios ne in eundem locum tormentorum veniant, eorum ſupplicijs incrementum allaturi. Expergefaciant vos illi, & clamore ſuo infano ſanos vos reddant, ne de die in diem procraſtinantes, interitui approximetis. Cur in ſenectam emendationem differentes indormitis, & tanquam mancipia carnis & ſatanæ, vereque rebelles Deo & lumini ejus, ſolitam initis viam in tartara præcipitem? Quando ſperatis à peccatis libertatem, & cum Deo ineundam à vobis pacem? An ſortè floridâ ætate luxuriis, comeſſationibus, aliiſque vitiis incalescente, putatis ſi quidam ſenectam, ſobrietati, pietati, virtuti ſeccularis poſſe incandeſcere? Annoſcitis illud, *Et [illegible]*

runtur veſtri in ſympoſiis & poculis confodales, æternæ jam necis addicti, igne & ſulphure potatoſpiritu procellarum temulenti, quia emendationem procraſtinantes cita ruinâ jacuerunt oppreſſi. O quàm refertus eſt inferorum locus corvis illis, qui nolentes gemere, & citò reverti cum columba, inclamantes, cras, cras, æternæ mortis jaculo ſunt confixi! De his Propheta Sophonias: *Vox cantantium in feneſtra, corvus in ſuperliminari.* Indigitat enim homines leves, & voluptatis amatores, in feneſtris tabernarum laſciva cantica decantantes. Hi nempe ſi de converſione agatur, numquam *hodie* canunt, ſed ſemper *cras*, ut cervi nigri, ab arca id eſt, gratiâ Dei extranei. Hi in ſuperliminari hujus vitæ tandem æternum intereunt, & cantus eorum vertitur in ululatum. *Expergiſciminī* igitur ebrii ad vocem eorum: illa dum tempus eſt, *dum hodie cognominatur*, penetret corda veſtra, ne craſtinum non inveniatis, ne conſigat vos repente Deus, qui *veſtras ſuper vires defixos in feribus ſuis*, & calicem illis propinat *cujus ſex non eſt cainanita*, de quo bibere coguntur *omnes peccatores terræ*. Abſit, ut illorum vos numero accenſeri oporteat, qui inclamant *præ angustia ſpiritus gemontes*. O utinam dies, utinam hora nobis daretur, qui tot dies & tot horas noctis ac diei inter pocula infœliciter contrivimus, dum foret pœnitentiæ & ſalubris contritionis hora & tempus! O à tenum nos infortunatos! O ſpem fallacem, quæ nos ſalaces in feribus detinuit, & tandem æternis ſupplicijs præcipites dedit. O Lazare, O pauperes, quos in veſtibulo depeximus jacentes, quàm fœlices eſtis, quàmque fortunati! O aquæ gutta, numquid non in æternum te carebimus? Talia inclamant in inferno epulones. Hi eorum gemitus vos commoneant, vos expergefaciant, ò ebrii; dum adhuc divina gratia vos expectat, ut ad cor & mentem redeatis; dum necdum clauſa eſt janua pœnitentiæ, oſtium miſericordiæ. Attendite divitem evangelicum epulantem quotidiè ſplendidè: attendite Chryſaurium infœliciter infœliciter & ſerò nimis inclamantem: *Induciæ, induciæ veluſque manet* poſtquam in conſeſſationibus & luxurijs enutriverat cor ſuum. Sed manè non invenit, qui *dum hodie cognominatur*, pacem noluit cum Deo inire. *Intelligite, intelligite hæc qui obliviſcimini Deum* vino abſorpti, cœcitate ebrietatis percuſſi, *ne quando rapiat, & non ſit qui eripiat.*

Sophon. 3. 14.

Sophon. 1. 18.

Pſ. 49. 22.

LECTIO IX.

DE SEPTEMPLICI ARIETE CONTRA murum Gulæ.

Extenuate, extenuate uſque ad fundamentum in ea. Pſ. 136.

CUM ſeptem Tubis murum hunc gulæ male ædificatum demoliturus, admovemus & ſeptem machinas, quæ plurimum [illegible]

Ariete 7. contra Gulam.

habent ad destruendum illum; usque ad fundamentum. Sunt autem hæ machinæ, septem considerationes, efficaciter huic vitio gulæ obnitentes, & instar arietum belli, structuram illius Deo adversam validissimè concutientes.

1. *Abstinentia Christi consid.* Matt. 4. 2.

Primus aries, *est consideratio efficax singularis abstinentiæ Christi*, qui in carnem venit, ut satisfaceret pro peccato gulæ per quod omne peccatum intravit in genus humanum. Ideò carnem suam macerat tanta abstinentia quadraginta dies & noctes in deserto jejunans, ut exemplo foret Christianis omnibus, doceretque gulæ vitium fugere, & contra illud continuo obsistere, & pugnare. Quia nisi quis illud evicerit, facilè superabitur ab aliis vitiis; illo verò superato, facilius etiam alia superabit. Qui enim vitia quæ intus sunt extinxerit, nullo negotio ea quæ foris adversantur, proteret & conculcabit. Ergo sensualitati resistat Christianus, Christum Caput suum & Ducem secutus; ad mentemque reducat acetum illud cum felle mixtum, quo ipse potatus fuit, sitim quoque qua erat arefactus & supra modum adustus, ut satisfaceret pro reatu hujus gulæ maledictæ, genus humanum maledictione pessima afficientis.

2. *Consid. eorum qui Christum in abstinentia sequuntur.* Rom. 14. 7

Secundus aries, *est consideratio efficax eorum qui Christum Caput suum & Ducem secuti, carnem crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis suis*, scientes non esse aliam viam ad Regnum Dei & Christi: *Non* enim *est Regnum Dei esca & potus*, sed Regno Dei adversantur illa, nisi ratio temperantiæ obstillat illecebræ: Vide tot Athletas in eremo & deserto, per abstinentiam quotidianam huic illecebræ & voracitati gulæ bellum indicentes, carnem macerantes, & concupiscentiam subigentes. Intuere tot religiosos greges in claustris agentes in cinere & cilicio, in jejunio & austeritate; & hoc quidem nonnisi ut hoc vitium funditus demoliantur; & procul à se eliminent.

3. *Judicii præpostèri consid.*

Tertius aries quatiens murum hunc gulæ, illumque destruens, *est efficax consideratio judicii valdè præpostèri & inordinati* dum homo gulæ ventrique serviens curam gerit corporis mox à vermibus devorandi, illud cibo potuque exsaturat ac impinguat; animum verò inanem bonorumque operum exsortem reddit, & ad omnia hebetem. Illius porro gerenda cura erat, bonorum operum fructu impinguenda, esca spirituali reficienda, postmodum æterno cibo potitura. *Esca ventri, & venter escis, Deus autem hunc & has destruet.* Quid igitur? *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Non anima ob corpus, sed corpus ob animam factum; qua neglecta, nec corpus quidem salutem assequi poterit. Ergo primum illius subeunda solicitudo, illi cibus, illi providenda salus; sic enim & corpori provisum erit, cum corporis ab anima salus dependeat æterna. Gulæ addictorum saginatum deliciis corpus infælici animæ infælici vinculo colligatum, in tormentis etiam jugiter sociabitur, ob societatem in vitiis. Quapropter S. Bernardus sic alloquitur corpus: Noli o corpus, noli præripere tempora, potes enim impedire animæ salutem, tuam operari non advenu-potes. Patere, ut nunc anima pro se laboret; magis autem ei collabora, in jejuniis, in vigiliis in siti & fame, in frigore si opus est & nuditate, si compateris, & conregnabis. In brevi cadaver putidum & putridum simul ies, & decor omnis in saniem convertetur; ut quid ergo temporali qualibet delectatione contristas & lædis hospitem tam nobilem, qui hospitatur in te, ut reducat te ad regionem viventium, de regione umbræ mortis? Tota salus tua pendet de ejus salute, tota reparatio tua de ejus reparatione; quia propter illam mortale hoc induet immortalitatem, corruptibile hoc induet incorruptionem; propter illam veniet ille, qui reformabit te configurans corpori claritatis suæ. Noli ergo, o misera caro, insipiens, cæca, demens, prorsus inlana, transitorias quærere consolationes & delectationes, ne indigna judiceris hac gloria, magis autem ne contingat excruciari pœnâ æternâ. In hunc ferè modum sparsim loquitur Bernardus serm. illo 6 ut à gulæ aliisque delectationibus sensualibus, deterreat homines terrenos & animales, nobiliorem sui partem, animam scilicet negligentes, & spiritum Dei in ea suffocantes. S. Bern. ser. 6. de adventu.

4. *Brevitas & vilitas Gulæ.*

Quartus aries, & machina hunc murum dissolvere potens, *est efficax consideratio brevitatis & vilitatis, quæ in delectatione gulæ reperitur.* Quàm enim velociter pertransit illa, quasi numquam fuerit! Interim relinquit post se vestigia remordentis conscientiæ, pœnitudinis, confessionis & reatum æternæ damnationis, æternique doloris. *Breve enim est quod delectat, æternum quod cruciat: voluptas modica, pœna infinita.* è contrà, si quis tentationi, sensualitati, & ejus illectamentis resistat, si appetitum inordinatum mortificet, pro passione modica perpetuam assequitur gloriam. Unde caro ad tempus vivit, inde spiritus æternum cruciatur & ingemiscit; quo vero plus caro punitur in hac vita, tantò plus gaudii assequitur in futura. Vide Lazarum esurientem in hoc sæculo, ab Angelis in sinum Abrahæ deportatum: Vide divitem epulantem quotidie splendidè, detrusum in infernum, aquæ guttam exposcentem. Sic in morte miseriæ patienter toleratæ deliciis, delitiæ verò & epulæ miseriis non intermoriturus commutantur. Elige dum tempus est, quam optaris sortem, elige cui volueris numero accenseri. Luc. 16. 22.

5. *Indignitas dum os fit instrumentum Satanæ.*

Quintus aries *est consideratio efficax indignitatis quam homo committit*, dum os illud quo sæpe sacratissimum Christi Jesu Corpus sumit, instrumentum debet fieri gulæ, & vomitus quandoque sordidissimi, instrumentumque Satanæ, per quod peccatum introducit animum sæpissimè coinquinans per gulam, coinquinato corpore. Sic nempe os quod organum esse debet & ostium vitæ, in

1 Cor. 6. 13. Joan. 6. 27.

panis

panis Angelorum vivifica manducatione, fit organum & ostium mortis æternæ, per continuationem crapulæ. Illudque idem os quo ad benedicendum Domino datum esse sacra testantur eloquia post crapulam in spurca colloquia in detractiones & maledictiones, in juramenta & alia indigna se factis offundit; sitque obstaculum divinæ gratiæ, quod instrumentum esse debuerat æternæ gloriæ.

6. Impensa damnosa, & obligatio erga pauperes.

Sextus aries. *est consideratio efficax impensa inutilis & damnosa*, quam affert & ingluvies & crapula, *obligationis quoq; quam habet unusquisque erga pauperes*, quibus superflua ex divino sunt præcepto eroganda. Eheu! Voluptas linguæ vix duorum habet latitudinem digitorum, & huic tam modicæ parti, tam brevi delectationi, aër, terra, mare, vix sufficiunt. Interim propter fovendam linguæ gulæque voluptatem etiam aliena diripiuntur, pauperes spolia patiuntur, injustitiæ variæ committuntur: ita ut fames inopum transeat in dilicias opulentorum. Horum enim spolis sæpius splendida cernitur mensæ Magnatum, Judicum, Officiatorum, Advocatorum, Consiliariorum, Procuratorum, Mercatorum, & aliorum divitum. Ac propter istas mensas opiparas, crapula & ingluvie redundantes, pauperes negliguntur cum immisericordia in vestibulis licet jacentes, inediaque gravi ac morbis & ærumnis confecti. Patet iterum in Lazaro, & in Epulone Evangelico.

7. Immumera mala gulam comitantia. Ebrietatis & Gulæ mala.

Septimus aries, & machina potens contra gulam, *est efficax consideratio innumerorum malorum gulam comitantium*, quæ ex dictis jam satis constare possunt: Lædit enim corporis dispositionem temperatam variosque morbos ingenerat, calculum, podagram, chiragram, capitis vertigines, stomachi crudidates, oculorum caliginem & suffusionem, viscerum corruptionem & adustionem, totius corporis graveolentiam, & ad omnia inutilitatem. Nam sicut terra, quando aquæ abundantia nimis oppressa fuerit, suum innatum perdit calorem, perdit autem & vires, & nec ad opus nec ad generationem est accommoda. Sic & corporis vis mollescit, dissolvitur, & diffluit, potu continuo ingurgitata; inutilisque homo redditur, & morbis variis obnoxius, nihil aliud exhalans quam fœtores, eructationes, oscitationes, & alias lutulentas impuritates ac superfluitates suprà infraque. Hinc S. August. ait: Omnes ebriosi tales sunt quales paludes esse videntur. Quid enim paludibus nascatur, non ignorat charitas vestra: totum quod ibi nascitur, nullum fructum habere cognoscitur. Nascuntur ibi serpentes, sanguisugæ, nascuntur ibi ranæ, & diversa genera vermium, quæ magis horrorem possunt generare, quàm aliquid quod ad victum proficiat exhibere. Istæ enim herbæ, vel arbores, quæ aut in ipsis paludibus, aut circa ripas nasci solent, nihil utilitatis habere videntur; ita ut annis singulis incendio concrementur. Videte quod de ebrietate nascitur; igni præparatur. Paludes enim sunt, ut dixi? ebriosi, quorum prandia ducuntur in noctem, quorum cœna Lucifer videt, quorum sensus tardi, graves, obtusi, & quodammodo jam sepulti. Sic nimirum graviter lædit corpus gravissimè lædit & animum crapula & ingluvies, hebetem illum planè reddens ad divina perturbans rationem, languorem generans, & tædium ad cœlestia, pronum facient ad libidinem & omnia vitia, intellectum obnubilans, affectum deordinans, prudentiam & sapientiam evertens, animam quodammodo brutam faciens, verecundiam tollens, infaniam inducens, sicque quidquid in animo est & mente, animi mentisque proprium, dehonestans & deturpans. Quisquis ergo hæc efficaci consideratione perpenderit, hoc vitium destruere funditus & demolliri conetur, necesse est; si quid ei judicii residuum est aut rationis, si homo esse, hominisque honorem in se tueri velit, nec fieri similis jumentis insipientibus.

Gula & crapula effectus.

S. Aug. ser. 231. de temp. *Ebriosi paludibus comparantur.*

LECTIO X.

DE MALEDICTIS OB GULAM.

Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit & ædificaverit civitatem Jericho, &c. Josue 6.

Gulæ addicti maledicti.

MALEDICTOS esse omnes gulæ addictos, quorum Deus venter est, Scripturæ testimonia jam prolata satis manifestant; toties enim huic vitio, væ & væ repetunt, maledictionis certum in sacris literis signum: *Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam. Væ qui potentes estis ad miscendam ebrietatem. Væ terræ cujus Principes manè comedunt. Cui væ? Cujus Patri væ? Nonne hi qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* Isa. 5. 11. v. 22. Prov. 23. 26.

Ergo maledicti structores hujus muri civitatis Jericho, in primogenito & ultimogenito, in anima & corpore, in præsenti & futura vita, apud Deum & homines. Hoc vero nunc exemplis nobis declarandum est ex sacris Scripturis delumptis, aliisque Historiis.

Exempla vet. testamenti.

Primò quidem Maledicti illi qui comessationibus, sympoſiis vacantes, *comedentes & bibentes*, ut loquitur Scriptura; hoc est, genialibus conviviis cum luxu indulgentes, immemores divinorum judiciorum, & ultionis per Præconem justitiæ Noë sibi nisi resipiscerent intentatæ, illicò diluvio sunt involuti & obruti, æternoque interitu sepulti. Justum utique erat, ut qui quotidie animum, mentem, cor, sensus obruebant & sepeliebant, potus cibique quodam in venas inundante diluvio; perfectè tandem obruti & sepulti jacerent in aquarum abyssо, quantum voluerint epotaturi, sed calicem iræ Domini numquam exhausturi.

1. Ebriosante diluvium. Matth. 24. 37. Luc. 17. 26.

Secundò, Maledicti filii Israel, qui pane cœlesti de die in diem à Deo nutriti, nihilominus ut gulæ satisfacerent carnes concupiverunt in deserto, licque divinam in se iram accenderunt. Quapropter tot millia ad sepulchra concupiscentiæ cœlesti ultione

2. Hebræi in deserto. Num. 11. 34.

Digitized by Google

ultione prostrata jacuerunt. Quæ quidem sepulchra eorum, dicta sunt sepulchra concupiscentiæ, ob hanc carnium malesuadam cupiditatem.

3. *Philistæi convivantes.* Judic. 16. 27.

Tertiò, Maledicti illi Philistini, qui in convivio genio indulgentes excæcatum Sampsonem produci voluerunt in ludibrium convivantium: hos enim omnes vino temulentos, & Deo contumeliosos obtrivit ruina, æternoque exitio sepelivit, Sampsone concutiente columnas per spiritum Dei in se insilientem. Sic plures occidit moriens, quàm fecerat vivens, in justam ebrietatis & illusionis ultionem.

¶. 30.

4. *Ophni & Phinees.* 1. Reg. 2. 15.

Quartò, Maledicti filii Heli Sacerdotis Ophni & Phinees, qui gulæ dediti rapiebant carnes sacrificii antequam coquerentur contra fas, contra præceptum legis; id verò faciebant, ut acurratius illas gulæ & palato suo appararent. Verùm non diu Dominus hanc gulæ concupiscentiam, & scandalum ex ea ortum passus est inultum; nam uterque postmodum in bello infæliciter occubuit; & peccati pœnam mox persensit.

5. *Ammon* 2. Reg. 13. 28.

Quintò, Maledictus Ammon, qui cum sororem suam Thamar quam miserè deperibat, violenter constuprasset; postmodum à ministris Absalonis in convivio temulentus infæliciter est interemptus; ut jam non solùm vino immaderet obrutus, sed & in proprio cruore jaceret immersus.

6. *Balthasar.* Dan. 5. 25.

Sextò, Maledictus Balthasar apud Danielem, cui opiparè convivanti, & magnatibus ac concubinis suis propinanti vinum in vasis sacris è templo sancto direptis apparuit manus in pariete regio juxta candelabrum scribens: *Mane, Thecel Phares Numeravit Deus Regnum tuum, & complevit illud: Appensus es in statera, inventus es minus habens, divisum est regnum tuum, & datum Medis & Persis* Eadem verè nocte jacuit interfectus, Balthasar Rex, & multi convivæ ejus, qui ad inferos descenderunt genialem noctem ibi consummaturi. Similem sententiam diximus suprà imminere unicuique ebrioso in conviviorum luxu lascivienti cum oblivione Dei.

7. *Holofernes.* Judith. 13. 4. v. 10.

Septimò, Maledictus Holofernes cui jam crapula, ebrietate, & somno sepulto, mulier Hebræa caput, animo plusquam virili, obtruncavit in opprobrium ejus sempiternum, & confusionem totius exercitus sui.

Exempla novi Testamenti.

Octavò, si ex novo testamento exempla petis, nota est nimis maledictio divitis evangelici, qui obepulas & luxum quotidianum, sepultus asseritur in inferno. Cujus lingua frequenter nimis vino madida, jam ab annorum millibus aquæ guttam postulat nec impetrat

9. *Deliciosi.* V. Cor. à Lapide in hæc loca. Judæ v. 12.

Nonò, Maledicti omnes illi de quibus S. Petrus epist. 2. c. 2 *Delicias affluentes in conviviis suis luxuriantes maledictionis filii*, de quibus & S. Judas addit. *Hi sunt in epulis suis maculæ, convivantes, sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aquæ, quæ à vento circumferuntur, arbores autumnales infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris despumantes fœditates suas, sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum.*

Decimò, Maledicti omnes illi, de quibus idem Judas dicit: *Væ illis quia in via Cain abierunt. Quis est*, inquit S. Basilius, *qui maledictionem in Cain seipsum transfert? An non qui vino tremit, & vacillat per omnem vitam? Naturali namque firmitate deficiente, necesse est corpus continuò vacillet & moveatur.*

10. *Cainitæ.* Bas. v. 11. Basil. hô. 14 in ebrietate.

Denique Maledicti omnes qui in ebrietate moriuntur maledictione irrevocabili. Quod si orbem perambules, vel civitates populosas, non paucos tales recensere audies, qui post temulentiam in rixa interfecti sunt, vel in grassatione nocturna; sicque vomentes cibum & potum, etiam sanguinem evomuerunt & vitam. Alios etiam invenies somnum cum morte conjunxisse in ebrietate, catharro aut defluxione eos obruente & interimente. Horum certa maledictio; cùm in flagranti delicto mors eos præoccupet, sine sensu, aut certè sine perfecto rationis usu, quod ad Deum converti possent. Sic verum est de illis illud Job: *Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonum organi: ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.*

11. *Morientes in ebrietate.*

Job. 21. 12.

Itaque hi omnes, quos modò è sacris Scripturis recensuimus, structores sunt muri hujus civitatis satanæ, sub nomine & schemate Jericho à nobis descriptæ: muri inquam intemperantiæ & gulæ cooperatores sunt sub Behemot maledicti hujus operis præfecto: ideoque ejusdem cum ipso maledictionis & supplicii sunt consortes, infælici fato hinc decedentes. Possumus verò & plerosque alios ex certis historiis ejus adnumerare.

Zeno Imp. ebrius ab uxore temulatur & moritur. Zonaras tom. 3. annal.

Audi de Zenone Imperatore Orientis. Hic gulæ & ebrietati deditus, errore mentis sic affici solebat, ut prolapsus à mortuo nihil differret. Cùm verò ipsi etiam conjugi Adriadnæ invisus esset; sic inebriatus pro mortuo in monumentum imperatorum ab illa conjectus est, lapide maximo pro operculo impolito: factusque sobrius, inter lamentationes & ejulatus, miscra & horrenda morte est extinctus, prohibente Adriadna, ne quis monumentum aperiret. Ita Zonaras.

Michael Imp. ex ebrietate multa indigna imperat. Baron. tom. 10. an. 867.

Audi & eundem de Michaele Imperatore III. Hic cùm se vino ingurgitare consuevisset, ebrius absurda multa fieri imperabat, aliis enim aures amputari, aliis nares, aliis caput jubebat. Eam ob rem, de inferenda ei nece Basilius consilium cum quibusdam communicavit. Cùm ergo vino in cœna obrutus in cubiculo suo regio jaceret, Basilius advenit cum conjuratis: quorum unus ambas manus Imperatoris excecuit, & alius quidam ensem in ebrii pectus adegit, ita ut ventre trajecto, intestina elaberentur.

Alexandri Imp. exitus.

Sic & Alexander Imperator, cum ebrius post meridiem pilâ lusurus descendisset, exorto dolore in intestinis præ cibis quibus se ingurgitarat, &

Baron. tom. 10. an 912. *Phoca Imper. triſtiſſimè interiit.* Michael Glycas parte 4. ann. Byzant.

ebrietate, in Palatium reverti cogitur, ubi multo è naribus ac pudendis effuſo ſanguine, poſtridie mortuus eſt infami exitu. Baron.

Denique audi & de Phoca Imperatore, qui cum ebrius multos morte mulctaſſet, ebrietatem quod ſuam riſu excepiſſent; tandem & ipſe ſollicitantibus Proceribus & Magiſtratu, fœda morte interiit. Advocarunt enim contra Phocam, Heraclium Africæ Prætorem; & unus quidem Magnatum Photinus, cujus uxoris pudicitiæ Phocas inſidias ſtruxerat in palatium irrupit, & Phocam ad Heraclium cum pulla veſte adduxit. Tunc ei dextra manus & pedes amputati; cutis dorſo detracta, exſecta verenda & haſtæ affixa, denique & caput obtruncatum. Reliquus corporis truncus in foro quod Boarium nuncupant, per contumeliam hinc inde tractus, tandem igni traditur. Hic fuit funeſtus ebrioſi exitus. Vide igitur qua maledictione percuſſi intereunt Imperatores hi, ebrietati & crapulæ addicti, cum ſtructoribus maledictis muri noſtri Jerichuntini jure adnumerandi, cum illis condemnandi.

Terribile exemplum.

Indicium ebrietatis.

Gula dedita horrendâ morte caſtigati. Cantipr. l. 2. apum c. 12. n. 5.

Audi poſtremo recentiora. Refert Thomas Cantiprato, ſuo tempore in Francia contigiſſe quod ſequitur. Erant duo ſenes Monachi, à juvenilibus annis in Monaſterio enutriti, pares inſcelere & diſſolutione. Hi plures è juvenibus ſibi aſſociabant ſeorſum vacantes epulis, riſui, cantui, diſſolutioni, detractioni. Cùm de eorum inſolentia Conventus quotidie turbaretur, nec eſſet qui corrigeret, *vidit Dominus & ad iracundiam eſt concitatus.* Accidit enim quodam veſpere, ut ſecundum conſuetudinem eſculento ore ad voraginem inhiarent. Vix verò quintum morſellum unus ori appoſuerat, & ecce ſubita ingluvie ſtrangulatus, everſis ſtatim oculis expiravit. Territi omnes qui conſederant, ſurrexerunt. Nec diu poſt ſuperſtes vetulus licet ad momentum horruiſſet, ſicut porcus occiſo à cranifice porco, reſumptâ audacia reſedit ad menſam. Atque ita enormi capula eſt repletus, ut amens portaretur ad lectum, ſicque ut brutum animal expiravit. Horrore talium exemplorum perturbati alii, mores in melius emendarunt, & obſervationem diſciplinæ Religioſæ in cibo & potu tenuerunt.

Michael Illeſt anno 1584. R. Tyræ de locis infeſtis p. 1. c. 59. *Exemplum terribile exemplum* Illeſt lib. Mercurii Gallo-belgici, an. 1595.

Noſtro item ſæculo anno 1584. in Appeldorn Veluæ pago, contigit duos Nobiles Germanos ordinibus Hollandiæ militantes inter ſe convenire, ut vino aduſto tamdiu ſe ingurgitarent donec alter uter exſpiraret. Si quis prior ſurgeret, in eum dæmon poteſtatem acciperet. Accidit dum hac lege potarent, quemdam ex mercatoribus illac iter tacere, quem ut ſe tertium jungeret, coegerunt. Invitus ille huc inductus eſt mortis metu. Paulò poſt ſpiritus malignus locum ingreſſus utrique cervicem fregit.

Addamus & id quod in Baccharach oppido in Rheni ripa ſito inter Moguntiam & Confluentiam contigit an. 1595. de quo terum alibi memini. Natum ibi eſt monſtrum horrendum, anteriore & ſuperiore parte ſerpenti ſimile, caudam habens tribus ulnis longam: nec diutius vixit, quâ quoad munere ob quod miſſum fuerat, perfunctum fuit. Cùm enim Pater impius & ebrioſus, contemptor Dei & hominum, Dominica Quinquageſimæ in cauponam abiiſſet, ad potationes, aleas & impietatem more ſuo exercendam: Uxor partui vicina, ſecuta eſt ut moneret, & domum eum reduceret. Ille monentem non ſolùm contemnit, ſed & percutit dicens, ut cum vivo ſuo dæmone, quem utero gereret, domum abeat, alioqui ſe gladio eam tranſfoſſurum. Illa verò: Itane ego vivum gero dæmonem? Non plura locuta domum revertitur, doloresque partus ſtatim ſenſit, & terribile hoc monſtrum peperit. Ille cum jam potando & ludendo libidinem explevisſet, domum revertitur. Ingreſſus locum ubi partus jacebat, monſtrum in eum involat, & caudæ ſuæ implicatum venenoſis ictibus ita tranſfigit, ut paulò poſt infælicem animam exhalarit. Marito mortuo puerpera quoque extincta eſt, tandemque monſtrum illud horrendum vivere deſiit.

Itaque hi omnes de eorum numero ſunt, quos maledictionis divinæ fulmen manet, eo quod contra divinum Præceptum murum gulæ maledictum erigant in caput ſuum tandem ruentem; & ſatanæ cooperantur in ſtructura iſta æternæ maledictioni obnoxia: ideò in primogenito & ultimogenito, in corpore & anima, tandem ultionem perſentiſcent.

LECTIO XI.

DE MURO SOBRIETATIS ET TEMPERANTIÆ, CONTRA murum gulæ.

V. Murus Civitatis Dei eſt ſobrietas & Temperantia. S. Ambr. l. 1. de S. Jaco. c. 2. S. Aug. l. 1. cap. 13. de lib. arbit. Eccl. 31. 32.

HUic Muro deſcripto civitatis diaboli, opponitur ex adverſo alter in civitate Dei, quem Sobrietatis & Temperantiæ murum arcemque dicimus. *Eſt autem Temperantia* (ut eam deſcribit S. Ambr.) *virtus quæ paſſionum reſtinguit ardorem, quæ primum ſobrietate atque moderatione animum temperat, mentem informat, deinde etiam deliciarum abſtinentia reſtinguit habenas corporalis ferocitatis.* Vel ut compendioſè dicit S. Auguſtinus. *Temperantia eſt animæ affectio, coercens & cohibens appetitum, ab iis rebus quæ turpiter appetuntur.* Abſtinentia enim & ſobrietas, quæ ſunt ſpecies temperantiæ, moderantur voluptatem circa uſum cibi, potusque. Unde illud Eccleſiæ. *Æqua vita hominibus, vinum in ſobrietate. Si bibis illud moderatè, erit ſolatium.* Itaque gulæ, crapulæ ebrietati, comeſtationi, & aliis cupiditatibus carnis, adverſatur directè temperantia: ideoque dicimus illam murum conſtituere, illis ex diametro oppoſitum, illaque debellantem ex quibus murus gulæ compaginatur. Audi Sanctum Proſperum hac de re diſſerentem, & hanc hoſtilitatem deſcri-

S. Proſp. l. 2. c. 19. de contempl. vitæ.

Digitized by Google

Temperantia quid officiat?

deſcribentem. Temperantia temperantem facit, abſtinentem, parcum, ſobrium, moderatum, pudicum, ſerium, verecundum. Hæc virtus, ſi in animo habitat, libidines frænat, affectus temperat, deſideria ſancta multiplicat, vitioſa caſtigat, omnia intra nos confuſa ordinat, ornata corroborat, cogitationes pravas removet, ſanctas inſerit, ignem libidinoſæ voluptatis extinguit, animi teporem deſiderio futuræ remunerationis accendit, mentem placida tranquillitate componit, & totam ſemper ab omni vitiorum tempeſtate defendit.

Fortis itaque eſt murus iſte in civitate Dei, carnis deſideriis & omnibus obſiſtens vitiis validiſſimè, omneſque ſibi cæmento quodam & vinculo firmiſſimo connectens virtutes, ut adverſetur carnali voluptati, & inordinato appetitui. Quapropter

S Auguſt. *Temperantiæ & ſobrietatis deſcriptio.*

D Auguſt. ad ſacras ſcribens Virgines, temperantiæ ac ſobrietatis vires deſcribens ſic ait: Sobrietas eſt mens & ſenſus membrorum omnium, corporiſque tutela, caſtitatis pudicitiæque munimentum, pudori proxima, amicitiæ paciſque ſerva honeſtatique ſemper conjuncta, criminum & vitiorum omnium profuga. Audi iterum eundem: Sobrietas eſt recti judicii tenax; memoriæ recordationisque inſeparabilis ſapientia, ſecretorum cuſtos, arcani velamen, lectionum & doctrinæ capax, ſtudiorum & artium bonarum diſciplina, magiſtra, ingeniorum, bonæ famæ ſemper avida, ſalubria, atque utilia creans, virtutis ſingulare auxilium, cuncta cum ratione diſponens, in congregationem honeſtorum ſemper ingerens. Audi & S. Ambroſ. de hac etiam

Idem.

Ambroſ. ad Vercellens. Eccleſ. ep. 82.

diſſerentem. Quid pulchrius abſtinentia, quæ facit etiam juventutis annos ſeneſcere, ut ſint morum ſenectus? Namque ut redundantia ciborum ac temulentia etiam maturior ætas caleſcit ita mitigatur juventutis ferocitas epularum parſimonia, irriguoque fontis. Quid quod naturæ conveniens temperantia eſt, atque illi divinæ legi, quæ in ipſo rerum ortu omnes fontes potui, fructus arborum eſui dedit? Vinum poſt diluvium juſtus ad tentationem ſui reperit. Utamur ergo temperantiæ naturali cibo, uti namque poſſumus. Sed quia non omnes fortes ſumus ideò, ait Apoſtolus: *Modico vino uſare propter ſtomachi infirmitatem.* Non ergo propter voluptatem bibendum eſt, ſed propter infirmitatem; pro remedio igitur parcius, non pro deliciis redundantius. Hæc Ambroſ.

Muri hujus exſtructores ſunt abſtinentiæ ſectatores Adam & 1. Poſteri eius multis ſæculis.

Tot porrò ſunt muri hujus in civitate Dei conſtructores, quot enumerari poſſunt abſtinentiæ ſectatores. Et cùm ab initio Deus civitatem ſuam erexerit, & illius fundamenta jacens ad eamdem perficiendam multos convocarit ædificatores & cooperatores; etiam ab initio abſtinentiæ & ſobrietatis murum gulæ adverſum erigi voluit. Primò quidem poſteri Adæ, multis decurrentibus à creatione ſæculis abſtinentiæ & ſobrietati operam dederunt, arborum fructibus & terræ oleribus fontiumque aquis victitantes, crapulæ & ebrietatis ignari. Vini poſtmodum inventio tentationis fuit occaſio; quamvis illud non ad ebrietatem, ſed ad[d] jucunditatem creatum atteſtetur Sapiens in libro Eccl. c. 31.

[d] V. S Hieron l. 2. in Jovin. 2. *Iſraelita deſerto.* Num. 11. 34.

Secundò per 40. annos populum ſuum deducens Deus abſtemium voluit eum eſſe, manna & aqua vivere; ducens gulam edomandam, ſobrietatem colendam. Cum verò populus carnes concupivit, ut gulæ & concupiſcentiæ ſatisfaceret, graviſſimè à Deo punitus fuit ad ſepulchra concupiſcentiæ, ut diximus. Sic ante legem in ſtatu naturæ, ſic in lege ſobrietatem coli voluit.

3. *Prophetæ, & pij veteris legis.*

Tertiò idipſum tempore Prophetarum inſpice. Quot enim Prophetæ, tot ſectatores abſtinentiæ, tot muri noſtri ædificatores pro civitate Dei, ad debellandam civitatem diaboli. Elia quid abſtinentius, quem corvus paſcit pane in deſerto, quem & Angelus laſſum ſub junipero excitat vaſculum aquæ panemque ſubcinericium ei præbens in portionem? An non poterat ei lautas carnes Angelus providere? At non erat hic cibus Prophetæ. Quid de Daniele? Rapit Abacuc Prophetam Angelus cum prandio quod ad meſſores deferebat, & Danieli illud proponit. An fortè lautum delicatumque prandium illud? meſſorum erat, & ita ruſticanum. Poterat Angelus regium procurare, at illud non erat Prophetæ ſobrio congruum. Eliæus quoque Propheta invitaret filios Prophetarum ad prandium. At quo cibo refertum? herbis, inquit Scriptura, agreſtibus. Quid de Anania, Miſaele, Azaria, in Babylone captivis? Nonne regiam aſpernantes menſam, ſolis veſcuntur, cum aqua leguminibus? Ideò decorem cùm externum, tum internum contulit eis Deus, quo Regi regiique miniſtris forent acceptiſſimi ſapientiamque & gratiam mirè effulgentem eis impertivit. Addamus & de Nazaræis, qui ita odio ebrietatem ſunt inſectati, ut non ſolum non biberent, aut ſiceram, vel omne quod inebriare poteſt, ſed nec uvas quidem paſſas attingerent, ut omne illectamentum gulæ, omnemque occaſionem prurientis concupiſcentiæ ad vini uſum paulatim viam ſternere potentis, plane reſcinderent & procul eliminarent. Audi & de Rechabitis, quibus cùm à Hieremia in domo Domini propoſiti ſuiſſent ſcyphi & calices pleni vinò, reſponderunt: *Non bibemus vinum, quia Ionadab filius Rechab, Pater noſter, præcipit nobis dicens: Non bibetis vinum vos & filii veſtri in ſempiternum. Et domum non ædificabitis, & ſemen-*

Jer. 35. 6.

tem non ſeretis, & vineas non plantabitis; ſed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus veſtris, ut vivatis diebus multis ſuper faciem terræ in qua peregrinamini. Obedivimus ergo voci Ionadab Patris noſtri in omnibus quæ præcipit nobis. Hi ergo omnes fuere ſtructores muri illius, de quo nobis ſermo: neque ab orbe condito aliqui defuere uſque ad Chriſtum.

Poſt Chriſtum verò, qui omnes omnibus ſæculis futuros verbo & exemplo ad idem ædificium conſummandum convocavit, etiam non defuere innu-

4. *Poſt Chriſtum Apoſtoli & pii novæ legis.* Clem. l. 2. pæd. c. 2.

meri conſtructores. Ac inprimis ejus Diſcipuli, prævio exemplo Magiſtri, mirè abſtinentiam & ſobrietatem coluerunt S. Petrus Apoſtolorum & princeps teſte Greg. Nazian. orat. de pauperum amore, ferè ſemper jejunavit, ſolis lupinis veſcens minuto aſſe comparatis. S Matthæus, teſte Clemente Alexandrino, ſolis oleribus cum pane vitam duxit. Similiter refertur de S. Petro in vita ejus apud P. Ribadeneiram. Jacobus frater Domini vino & carne teſte Egeſippo, abſtinuit. Marci Evangeliſtæ diſcipuli, pane, ſale, hyſopo, & aqua contenti fuere, ut Euſebius & Hieronymus probant ex Philone. Euſebius l. 2 hiſt. c. 21. Hieron. de viris Illuſtr. Hos inſecuti ſunt S Paulus Eremita, Antonius, Hilarion, & cum ipſis myriades Anachoretarum, qui in deſerto vitam traduxerunt, pane, qua, radicibus, herbiſque agreſtibus, daſtylis, & ſimilibus Quorum omnium præduxerat S. Joannes in deſerto, ſylveſtri melle veſcens ac locuſtis, vinum & ſicerâm, aut omnè quod inebriare poſſet, non attingens. Hi omnes gulæ bellum inſenſiſſimam indixerunt, diruerunt uſque ad fundamentum murum maledictum, quem conſtruere nititur. Arcem verò temperantiæ & ſobrietatis in ſublime erexerunt, toti orbi conſpicuam. Horum etiam exemplis invitati innumeri Religioſorum & Sanctimonialium greges, ſi non in diſertis, certè in Clauſtris, huic ſtructuræ cœleſti cooperantur, in cinere, cilicio, orationibus, jejunus, vigiliis, mortificationibus, carnis maceratione, Deo deſervientes. Omnia hæc lateres & ſaxa ſunt, quibus hic ſacer murus erigitur, ſolidatur, conſummatur, & in cœlum uſque ——, ibi coronidem à Deo accepturus. Huic ergo & nos gnaviter cooperari convenit, ſi cives & incolæ Civitatis Dei eſſe volumus: ſi enim ventri & gulæ, crapulæ & ebrietati, ſi aſotiæ operam damus, ſumus cives reprobi civitatis diaboli.

TRACTATUS VI.

DE VITIO IRÆ.

LECTIO I.

QVID SIT IRA, ET QVANDO LICITA, vel illicita?

VI. Murus Civitatis Satanæ eſt ira. Duplex eſt ira.

STextum murum Jericho conſtituit iræ vitium, quod etiam inter capitalia recenſeri ſolet. Eſt tamen hic in fronte animadvertendum, iram non ſemper in malum accipi, cum poſſit eſſe recta & juſta, dicente Pſalmiſta: *Iraſcimini & nolite peccare.* Punitio & vindicta poteſt non excedere ordinem & limites rationis. Imò vitioſum eſſe poteſt non iraſci, ſive vindictam & punitionem in delinquentes non expoſcere aut non inferre Unde S. Chryſoſt ſic dicit: *Si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec judicia ſtant, nec crimina compeſcuntur. Qui cum cauſa non iraſcitur peccat: Patientia enim irrationabilis vitia ſeminat, negligentiam nutrit, & non ſolùm malos ſed & bonos ad malum quodammodo invitat.* Sic Patres & Matres in familiam convenit iraſci, & ſibi ſubditos ſecundùm rectæ rationis judicium plectere. Nam juſta ira mater eſt diſciplinæ *Melior eſt ira riſu, quia per triſtitiam vultus, animus corrigitur delinquentis.* Quapropter Heli graviter arguitur, & juſta morte punitur, dum non iraſcitur filiis ſuis diſcolis, & vitiis eorum. Idem aſſerendum generaliter de quibuslibet Superioribus erga inferiores, præceptoribus erga diſcipulos, Dominis erga ſervos: eos nimirum coram Deo reatum incurrere nimia levitate & facilitate iram excludente, & vitiis viam ſternente, aut illa confovente.

S. Chryſ. in Matth. c. 5.

1. Laudabilis.

Eccl 7. 4. 1. Reg. 3. 13.

Tunc verò ira juſta maximè locum habet, cum in Dei injuriam aliorum geſta & verba redundant. Nam in propriis injuriis eſſe patientem, laudi ducitur: Dei autem injurias diſſimulare, probro aut impietati. Quapropter Moyſes licet mitiſſimus ſuper omnes homines qui erant in terra (ut teſtatur Scriptura Num. c. 12.) videns tamen populum à Deo deſciviſſe per idololatriam, & vitulum conflatilem adoraſſe, iratus valde projecit & effregit tabulas legis. Hæc porro ita dicitur ira per zelum, de qua agens Iſidorus, ſic ait: *Ira recta data eſt homini naturaliter, ad cohibendum vitia ſua, vel aliena, ſine mentis perturbatione, ſola charitatis intentione ne homo ſerviat peccatis* Et hæc tamen etiam gubernaculo eget, ne limites excedat, quia dum juſto plus iraſcimur, & volumus aliena coercere peccata, graviora committimus. Illa verò Præpoſitorum ſollicitudo eſt utilis, illa cautela laudabilis, in qua totum agit ratio, & furor nihil ſibi vendicat. Reſtringenda ſub ratione poteſtas eſt; nec quid agendum, priuſquam concitata ad tranquillitatem mens redeat. Nam commotionis tempore, juſtum putat omne quod fecerit. Eſt itaque quædam ira laudabilis, quæ vitiis juſtè iraſcitur, & quidem cum moderatione, limites ſuos non tranſgrediens: & illa divinam imitatur iram. Nam

Exod. 32. 19. Iſidor. lib. 3. de ſum. bono.

Digitized by Google

Nam divina bonitas ideo irascitur in hoc sæculo, ne irascatur in futuro: & misericorditer temporalem exhibet severitatem, ne æternam inferre cogatur ultionem.

2. *Laudabilis,*

Sed de hac ira laudabili nunc nobis non est sermo, at de illa differente instituimus, quæ definitur *Immoderata cupiditas puniendi, vel vindicandi se de eo à quo quis se lasum arbitratur.* Estque illa irrationabilis perturbatio mentis, quæ in civitate diaboli murum altum & fortem constituit contra civitatem Dei, destruens quantum in se est virtutes omnes. Unde explicans S. Greg. de ea quanta mala eveniant, sic ait. 1. Per iram patientia perditur, ut quid, quo ordine agendum sit nesciatur, quia nimirum intelligentiæ lucem ira subtrahit, cum mentem promovendo confundit. 2. Per iram justitia relinquitur, quia dum perturbata mens judicium sine ratione exasperat, omne quod furor suggerit rectum putat. 3. Per iram gratia vitæ socialis amittitur, quia qui se ex humana ratione non temperat, necesse est ut bestialiter solus vivat. 4. Per iram mansuetudo amittitur, & supernæ imaginis similitudo vitiatur. 5. Per iram concordia rumpitur. 6. Per iram lux veritatis amittitur, quia cum menti iracundia confusionis tenebras incutit, huic Deus radium suæ cognitionis abscondit. 7. Per iram Spiritus S. splendor excutitur, qui super humilem & quietem requiescere dicitur: quia cum ita subtrahit quietem, Spiritui S. habitationem claudit; cujus recessione animus vacuus, ad apertam morum insaniam ducitur, & usque ad superficiem, ab intimo cogitationum fundamento dissipatur. Hæc S. Greg. ostendens apertè, quomodo ira dissipat in nobis quicquid solidarum virtutum est, spectans ad ædificium civitatis erigendum.

S. Greg. l. 5. moral. c. 31.

Ira effectus

Ira vitiosa emblema & pictura.

Antiqui iræ vitium volentes cum suis perniciosis effectibus ob oculos nobis ponere, depingebant illud sub specie Martis, sive hominis furentis, in curru sedentis, galeam in capite gerentis, cum flagello in dextra, quem & lupus præcedebat. Nempè Mars furibundus. Deus belli dictus est; & stella illa quæ Mars nominatur, complexioni cholericæ dominatur, & ad iram movere dicitur. Unde de sphæra Martis illud exrat Poema.

Alanus.

Imperat hic Mars, igne calens facundus in iræ:
Bella serens, fitiens lites nostrique furitur
Sanguinis, excutiens pacem fœdusque rescindens.
Quid gerat interitus facies docet ipsa rubore.

Irati gestus,

Primò igitur, *Mars instar hominis furibundi describitur.* Eodem modo designari potest & iratus, quia nulla celerior est via ad insaniam & furorem iracundia; quod ipsum motus gestusque irati hominis satis indicant. Nam iræ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies igniscit exasperantur oculi, in ore est clamor, & intus quid loquatur iratus ignorat. In quo ergo iste ab arreptitiis longè est, qui actionis suæ conscius non est? inquit S. Greg. Utique, qui iratum planè perturbatum, clamantem, percutientem, destruentem, mordentem, lædentem se & alios inspexerit, non aliud dicere potest, quam iram brevem esse insaniam.

S. Greg. l. 5. moral. c. 31.

Secundo, *Mars in curru depingitur.* Sic & iratus designatur, quia ira volubilitati est subjecta: irati enim nulla stabilitas, cholera quæ est ignea & mobilis naturæ in eo dominante, de uno in aliud volutatur. Quapropter de insatuato per iracundiam rectè illud usurpaveris: *Procordia fatui quasi rota carri, & quasi axis versatilis cogitatus illius.* Confusæ enim sunt cogitationes ejus & volubiles, ex confuso & turbido corde prodeuntes. Et sicut rota currus suo motu ingratum edit sonitum, ita & intima hominis irati, dum incondito sermone proferuntur, ingratum auditoribus edunt sonum, & quasi auribus eorum stridentem. Currus ergo cui iratus insidet, est cholera qua vehitur & opinio prava cui adhæret. Quatuor rotæ quibus volvitur, passiones sunt, quibus ad vindictam impellitur, inquietudo, impetuositas, præsumptio, audacia: *Rota ejus quasi impetus tempestatis.* Eccl. 33. 5.

Isa. 5. 28.

Tertio, *Mars habet caput galea coopertum*, sic & iratus judicium rationis habet obtectum & obnubilatum, caput habet caliginosa galea obumbratum: *Impedit ira animum, ne possit cernere verum.*

Quarto, *depingitur cum flagello*: quia illud instrumentum est percussionis & ultionis. Sicut flagelli plaga livorem facit; ita ira per vindictam percutit & punit. Quod si manu non potest, lingua facit, dicente Eccl. *Flagelli plaga livorem facit, plaga autem linguæ comminuet ossa.* Ubi comparat percussionem linguæ cum percussione flagelli; indicatque aliquem lædi gravius lingua injuriosa, quàm flagello: quia ictus flagelli facit in cute exteriori livorem & vibices; ictus vero linguæ sit veluti ictus fustis, ossa & durissima quæque & intima hominis comminuentis. Turpiores enim notæ in vita & moribus maledica lingua irati inferuntur, quam sint cicatrices in cute corporis verberatione impressæ; suntque magis insanabiles. Itaque ira flagellum gestare dicitur, quia omnibus viis vindicare se gestit si non flagello dexteræ, flagello linguæ, quod si vindicare se nequit, contristatur. Ad hoc flagellum iræ in tyrannidem sese quandoque vertentis refert illud Roboam *Pater meus cecidit vos flagellis; ego autem cædam vos scorpionibus.* Eccl. 28. 11.

3. Reg. 12. 14.

Quinto, *depingitur lupus Martis adjunctus*, quia is solebat Marti olim consecrari; cum autem lupus sit animal vorax, eos designat qui furore & ira nulli parcunt, omnes devorant, immites sunt, & dente mordaci oves & pecudes divexant, dilaniant. Tales sunt plerique Domini erga subditos, qui tali ira & furore instigante eos divexant, opprimunt, deprædantur, de quibus Ezech. *Principes ejus quasi lupi rapientes prædam.* Ezech. 22. 27.

Hæc igitur fuit apud antiquos iræ descriptio. Nos eam describimus sub schemate muri Jerichuntini, variis lapidibus & luteis lateribus constantis, Tuba divina insonante concidentis, & varia

Digitized by Google

vulneribus & cruore insignes, Moguntiæ adhuc asservantur, & terrificus ille cruor vitatur, religioseque colitur. Unde multi variè afflicti, conceptis votis, ibi Dei clementiam sunt experti.

Ira etiam resistit Spiritus Sancto.

Ex his ergo satis constat, quanta sit altitudo hujus vitii, hujusque muri satanici, quandoquidem sic contra Deum, Divosque se superbè extendat. Sed & Spiritui S. illa semper restitit, illius gratiis & donis impedimentum ponit, illum expellit ab anima, quia in pace locus ejus: Spiritusque iræ planè Spiritui Sancto, qui est spiritus mansuetudinis, censetur adversus. Denique & in hoc contra Deum se erigere censetur iræ vitium, quod ejus imaginem confundit & dissipat. Quæ est imago Dei, nisi homo? Hanc mansuetudo servat, dum tranquillitatem in animo hominis fovet. Ira autem hanc imaginem dissipat, quia ex homine dæmonem efficit, aut certè hominem in belluam furibundam vertit, ratione vel extincta, vel perturbata. Et sanè, valde parum abarreptitiis & dæmoniacis irati & furibundi distant, qui & actionis suæ postmodum vix sunt conscii, corpore frementes, ore spumantes, sine ordine & decore membra agitantes instar arreptitiorum. Profectò malignus quidam dæmon eos agitat & possidet, saltem ad tempus, hominis namque imagine & Dei similitudine interius exteriusq; per iram dissipata, non potest non sibi dæmon illic locum vendicare. Veruntamen, sicut irati in civitate terrestri Dei disperdunt imaginem, locum dantes diabolico huic vitio: sic Deus in civitate cœlesti imaginem eorum ad nihilum rediget, & in æternum cum dæmonibus eos condemnaturus est. Quapropter monet Apostolus de hoc vitio agens. ***Nolite locum dare diabolo.***

LECTIO III.

DE PROFUNDITATE MURI Iracundiæ.

1. Profunditas. Ira necem corporis & animæ quandoq; infert.

PRofunditas hujus muri civitatis Jericho, ex profunditate hujus vitii capitalis agnosci debet. Est autem profunda valde & abyssalis iræ sive appetitus vindictæ culpa. Etenim eo usque descendit quandoque appetitus ille, ut ne quidem satietur nece & morte illius cui vindicta paratur; hinc fit, ut homines illi vindicativi, prostrato & enecato eo quem persequuntur, vulnera vulneribus adjiciant, in corpus mortuum crudeliter sævientes, ut iram conceptam exsaturare valeant. Adde eò infernalis profunditatis iram pertingere ut non solùm necem corporis, sed & animæ in æterna perditione respirare inveniatur, illudque conetur omnimodis ut supremum malum intligere, diabolicam æmulans malitiam. Audi quod novimus de facto contigisse ævo nostro. Quidam irâ quasi furia infernali agitatus, cùm in hostem incidisset, pedibus suis tenebat diu prostratum, quasi deliberando quânam viâ furori & odio concepto satisfacere posset. Tandem verò, urget ut Deum abneget, alioqui mucrone jam jugulo incumbente se confossurum eum asserit, spem autem evadendi ei dabat, si modò abnegarit. Hærebat ille sub pugione trepidus, & mortem horrebat imminentem: quam sperans evadere; & peccatum postmodum pœnitentiâ diluere, in Dei abnegationem ore sacrilego prorumpit. Verùm id malo suo æterno irrevocabili. Mox enim eum alter perfodit, ubi abnegationem extorsit; hancque adjecit consolationem satanicam: ***Jam tandem faciebar, jam in te me jolabar, quod tibi non solum corporis, sed animæ æternam peremerim salutem.*** O abyssalis profunditas vindictæ! O infernalis ira! Nempe diabolus, qui per se iram suam perfectè non potest in animarum perniciem profundere, illam per hos suos ministros iræ & furoris sui satanici participes effundit. ***Væ terræ, quia descendit diabolus magnam iram habens***; Jam à sex annorum millibus omni quâ potest viâ ad effectum illam perducens! Maximè verò per vitia iræ & vindictæ annexa id peragit; nam tot occisiones, tot bella, tot discordiæ & rixæ, quæ iræ sunt infœlicia germina, maximè infernum replent. Non enim solùm intereunt corpora, sed & animæ maximo numero, dum ad sonitum tubæ & tympani millia hominum criminosorum concurrunt, ut vindictam insatiabilem alicujus Principis aut Tyranni expleant: sicque Plutoni & inferno victimas æternas sese vovent.

Iratus quidam hostem suum privat vitâ & salute.

Apoc. 12. 12.

Habes hujus rei exemplum apud S. Greg. Ubi refertur, quomodo quidam Judæus in templo idolorum nocte hospitatus, audivit Principem dæmoniorum in cathedra sedentem, à ministris suis tartareis, quos in varias regiones destinarat ad promovendum regnum suum, rationes exigentè, & quid ab unoquoque gestum foret interrogantem. Atque ibidem unus inter cæteros comparens enarravit, quomodo iram discordiamque seminando plurima suscitasset bella, in quibus copiosus sanguis effusus fuerat, multique perierant. Prodiit & in medium alius, declarans se quibusdam nuptiis interfuisse, ubi rixas varias concitaverat, ita ut lætitia festiva multo cruore, multorumque nece redundaret; atq; ibidem sponsum interemptum fuisse. Et hæc quidem grata fuêre nuncia Principi tenebrarum, quia tamen iram semper gerit insatiabilem, sitiens supra modum perniciem animarum, vapulare jussit hos suos malos ministros, quod primus spatio triginta dierum, alter spatio decem dierum, plura & graviora non suscitassent mala. Verum ergo est illud: ***Væ terræ, quia descendit diabolus magnam iram habens.*** Murum hunc iracundiæ, murum civitatis suæ, continuò ab abysso in cœlum usque erigere, & contra Deum stabilire molliens, & cooperatores ad hoc advocans, partem iræ suæ videtur effundere in Deum, partem in homines quos vitii sui & supplicii reddit consortes, in pernitiem illos trahens.

S. Greg. l. 2. dial. ex vitis PP.

Exempl.

Hoc

Hoc nempè redundat in injuriam Dei, & hoc modo de Deo ſe vendicare videtur, ſi homines perdere poſſit, divinaque gratia & gloria fruſtrare, pacem inter eos perturbans, ſymbolum filiorum Dei; iram diſcordiamque ferens, ſymbolum generationis maledictioni obnoxiæ.

Habes & aliud exempium apud Joannem Naucler, Henricus III. Imperator humilis & Pius, ac pauperibus benignus, Feſtum Pentecoſtes celebrabat Moguntiæ. Ubi, ſuadente diabolo inter famulos Archiepiſcopi, & famulos Abbatis Fuldenſis gravi ortâ contentione de loco. Eccleſiæ pavimentum copioſo cruore repletum eſt. At mox Epiſcopis & alijs advolantibus, pax inter diſſidentibus compoſita eſt, templum purgatum, & multa cum devotione Miſſa celebrata. Cùm verò ad illum verſum Sequentiæ ventum foret; *Hunc diem glorioſum feciſti*, vox ab aere lapſa eſt dicens: *Hunc diem bellicoſum ego feci.* Quo audito, advertens Imperator hanc eſſe lætitiam diaboli, ſic ait: *Tu omnia malitiæ inventor & incentor, diem bellicoſum & arrogantibus luctuoſum feciſti. ſed per gratiam Dei qui illum glorioſum feceſt pauperibus gratioſum faciemus.* Mox ergo inchoata iterum Sequentia, ſolemni ploratu Dei gratiam invocari jubet. Ac completa Miſſa, omnibus pauperibus per Præconem vocatis, omnes cibos pretioſos ſibi & curialibus præparatos diſtribuit. Ipſeque pius Imperator cum cæteris Prælatis ac miniſtris propriis manibus illis ſervivit.

Naucl. vol. 2. gener. 36. an. 1055. *Diſcordia à dæmone excitata obtegi præ-*

Concludamus ergo & dicamus vitium hoc iracundiæ diabolicum eſſe, & merito profundum vocari, profundumque murum in civitate ſatanæ conſtituere, quandoquidem ad crimina profundiſſima homines perducat & immergat. Neque enim ex ira ſolùm oriuntur homicidia, ſed & parricidia, fratricidia, uxoricidia, ut ex variis hiſtorijs conſtare poteſt. Cain iratus eſt vehementer in fratrem ſuum Abelem, & interemit eum. *Abſolon*, Davidis Patris ſui necem, & Saul ſui generi ex invidia, ex ira, quoties quæſierunt? Ubi ira deſerbuit, Saul flagitium ſuum non ſemel agnovit: At ubi ſpiritus malus invadebat eum, pſallentem licet coram ſe Davidem aliquoties tranſfigere lanceâ eſt conatus. *Herodes* iracundiâ ſævus, non ſolùm filios, ſed & uxorem enecavit, virtute licèt eximiam. Unde de ea iſta poſteritati commendatio relicta eſt, & literis conſignata: *Mariamne Regina, Machabæorum ſtirpe inclyta, Herodis, peſſimi omnium viri uxor optima, forma corporis ſupra cæteras eximia, animi eram virtutibus major, integerrima pudicitia & inculpabilis patientia fœmina, iniquiſſimis calumniis oppreſſa, martyrii gladio regias cervices dedit anno ante Chriſti natalem 26.* De illo verò ſic poſteritati ſcriptum lego: *Herodes Aſcalonita, vultu ferus, animo barbarus, luxu & ſanguine maceratus, à quo nihil ad ſummam crudelitatem prætor Decidium abfuit, Decidio voluntas non defuit. Vulpina fraude regnum Judeæ invaſit, regnavit ira ſervum, jure Dominus, fortuna faustus, Cyclopea vita infeliciſſimus. Defuit cœleſti plagæ feralis morbi, annus regni trigeſimo ſeptimo, vitæ fermè ſeptuageſimo, Chriſti octavo.*

Extra quæ vitia nefuniur.

LECTIO IV.

DE LATITUDINE IRÆ & muri ejus.

LAtitudo hujus muri Jericho, quem ira conſtituit, in variis ſaxis, variiſque lateribus igne infernali decoctis agnoſcitur. Quænam enim ſunt ſaxa, quinam lateres murum hunc compaginantes, & ampliantes? Magno certè numero ſunt. Tot nimirùm vitia, quot libi fœdere quodam vel affini tate iracundia connexa & conglutinata habet. Inter cætera recenſeri poteſt, odium, indignatio, tumor mentis, bella, diſcordiæ, furor, crudelitas, contumeliæ, clamores, minæ, voces blaſphemiæ, calumnia, maledictiones, injuriæ vindicatio, in adverſis impatientia, & his ſimilia. Omnia enim iſta murum iſtum maledictum conficiunt & dilatant; ſuntque ſibi invicem glutinoſo quodam cæmento cohærentia. Pauca verò in ſpeciali de his attingemus.

3. *Latitudo.*

Filia iræ.

Ira concepta & completa.

Primò quidem, *odium* lapis eſt hujus muri maledicti, ſaxumque grave, ex ira ortum habens. Imò odium non eſt niſi ira inveterata, ira perdurans. Ira feſtuca eſt in oculo, odium trabs eſt: ira turbat oculum mentis, odium excæcat, & lumen omne extinguit. Ira eſt inſtar aceti, quod quidem corrumpit vas, ſi ibi diutius fuerit: ſic & ira cor ſunditus corrumpit, ſi perduraverit: *Qui odit fratrem ſuum, in tenebris ambulat, & homicida eſt*, inquit S. Joan. in epiſt. ſua. Sed de odio, cùm etiam ad invidiam ſpectet, diximus ſuprà Tract. 4.

1. *Cordis.*

Odium.

1. Joann. 3. 15.

Affinis eſt odio *indignatio & tumor mentis*, ſunt enim & iſta lapides quidam hujus muri. Eſt porrò indignatio, quando homo illum, contra quem iraſcitur, reputat indignum, vel alloquio, vel ſocietate ſua; imò eſt quædam parvipenſio, ſive contemptus ipſius. Tumor autè mentis eſt, quando iratus varias ſecum agitat amaras cogitationes quaſi varias meditans vias, quibus ſe vindicet. Et quidem hæc tria, indignatio, tumor, odium, iram in corde fovent: ſuntque lapides primæ ſtructuræ, ſive primæ ſerici, in hoc ædificio maledicto.

Indignatio & tumor mentis.

Secundò, recenſeri poſſunt tanquam lapides & lateres ſecundæ ſeriei, ea vitia quæ ad iram ore expreſſam ſpectant. De quibus S. Ambroſ. ſic ait: *Nullum iræ inter cætera vitia eſt aſperius, nihil invenustius amarius: qua dum ultra modum effervuerit, atrociter mentem exulceret, ſenſum hebetat, linguam immutat, oculos obumbrat, totumque corpus perturbat. Hinc proclives clamor, contumelia, minæ, blaſphemiæ ſuſcitantur.*

2. *Oris.*

Ambroſ. tom. 5. Precat. 2. ad Miſſam ira eſſe-

Clamor eſt inordinata & confuſa locutio, qua quis exterius demonſtrat iram. De hoc clamore intel-

Clamor. Matt. 5. 22.

Digitized

intelligi poteſt illud: *Quicunque dixerit fratri ſuo Raca, reus erit concilio.* Quam vocem nihil ſignificare multi autumant, ſed ſolùm eſſe iræ quandam cum clamore indignabundo demonſtrationem confuſam. Frequenter verò lingua irati clamorem format, ſed ſenſus quid loquatur, ignorat. Unde fit, ut poſtmodum ſe excuſare velint. Neſciebam inquiunt, quid dicerem. Quos quidem hit verbis arguit S. Chryſoſt. *Et quare neſciebat hoc, cùm ſis homo rationalis? rationem habens irrationalium opera facis, tanquam effrænis equus furore correptus & impetu. Et excuſatio quidem eſt accuſatione digna. Vtinam enim ſciviſſes quæ dicebas, ira ſunt, inquis, verba non mea. Quomodo ſunt illius? certè viret ira non habet, niſi fumat abſte? Quale ſi quis dicat, manus ſunt, non mea vulnera.* Frænum ergo iræ, frænum linguæ imponendum ab homine prudenti, ne deſpumet aliquam verborum confuſionem clamore indigno: Velut enim ſpumam & ſalivam fœtidam emittit cum confuſione, quando in verba clamoroſa & indigna erumpit.

S. Chryſ. hom 3. ad pop. Antioch.

Clamorem ſubſequi ſolent *contumelia, vel maledictiones mutuæ. Quandoque,* inquit Greg. *ira uſque ad manus non proſilit, ſed in maledictionis jaculum linguam vertit. Frater is namque interitum precibus expoſcit, & hoc Deum perpetrare expetit, quod ipſe perverſus homo facere vel metuit, vel erubeſcit. Et ejus ut voto & voce homicidium peragat, etiam cùm à læſione proximo manibus ceſſet.* Hos iratos in injurioſa aut contumelioſa verba erumpentes comparat eleganter S. Chryſoſt ebriis vomentibus. Si videris, inquit ipſe, vomentem ebrium diſtrahi, diſſipari, oculos habere diſtentos, immunditia menſam implere, omnes eum fugere, & poſteà in eadem incidas; num eris magis odioſus? Talis eſt & iraſcens, imò verò vomentis venas intendit, oculos inflammat, diſtrahit inteſtina, verba multo illis immundiora cibis eructat, indigeſta loquitur omnia, elaboratum nihil, non enim ira permittit. Sed ſicut illic humorum immoderatio ſtomachum vexans, ut plurimùm omnia ejicit: Itidem & hic immodicus fervor animam vexans, ea tegere, quæ tacere bonum eſt, non permittit. Sed effabilia dicit & ineffabilia: non audientes, ſed ſeipſum dedecorans. Sicut igitur à vomentibus fugimus, ſic & ab iraſcentibus; pulverem eorum injiciamus vomito. Quid agentes? Tacentes, canes vocemus, ut ipſa devorent vomita. Novi, quod audientes nauſeam patimini: ſed cùm hæc fieri videtis, hoc volo vos tunc pati, non autem ſuperfacto delectari, Cane ſordidior eſt, contumeliis gaudens, qui revertitur ad vomitum ſuum. Hæc ſanctus Chryſoſtomus.

Contumelia & maledictiones. Greg. l. 5. moral. c. 31.

Vomentis turpitudo. S. Chryſ. hom. 13. ad pop. Antioch. *Iratus ſimilis ebrioſo vomenti.*

Denique clamores iratorum ſequi ſolent *juramenta & blaſphemiæ in Deum* redundantes, ut experientia nimis notum eſt. His tamen blaſphemis vocibus nihil eſſe deberet deteſtabilibus Chriſtiano, ab ejus ore alienum, magis quod laudibus divinis decantandis eſt conſecratum. Ideo monebat Apoſtolus Epheſios: *Omnis amaritudo & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia tollatur à vobis cum omni malitia. Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat; ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam auditoribus. Et nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei, in quo ſignati eſtis in die redemptionis.* Mirè deturpant nomen Chriſtianum hæ blaſphemæ voces, quæ inter eos agnoſcuntur, & Spiritum Sanctum planè contriſtant hæ ſpumæ cerebri, ſpumæ confuſibiles Tartari, à Chriſtiano ore prodeuntes. Omnia quæ fecit Deus, laudant Deum, cœleſtia & terreſtria, Angeli & elementa, cœlum, maria & flumina, plantæ & animalia. Homo verò ingratus, ad hanc laudem ſpecialiter creatus, cum Angelis primogenitis Dei filiis (qui & alias creaturas ad laudis hujus conſortium advocare monetur) ubi iram in fratrem conceperit, mox & in Deum illam refundit, per indignas voces execrationibus & blaſphemiis refertas. Sic non ſolùm fratri, ſed & Deo ac Spiritui Sancto in quo ſignatus eſt, injurium ſe reddit, omnibusque creaturis deteſtabilem.

Eph. 4. 31. Verſ. 29.

Juramenta & blaſphemiæ.

Propterea Spiritus Sanctus per os David in Pſ. 68. multas inſinuat maledictiones & plagas blaſphemis his hominibus perimendas, cùm ſic ait: *Fiat mensa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributiones & in ſcandalum. Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva. Effunde ſuper eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deſerta, & in tabernaculis eorum non ſit qui inhabitet. Quoniam quem tu percuſſiſti perſecuti ſunt, & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt. Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum, & non intrent in juſtitiam tuam. Deleantur de libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur.*

Maledictiones & plaga blaſphemantium quatuor.

Prima plaga blaſphemantium inſinuatur his verbis: *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, &c.* Quæſtificat: Hi in ſimpoſiis ſuis, dum ſibi gaudere videntur, illaqueantur variis vitiis, ac juſto Dei decreto poſtmodum etiam multis tribulationibus, quando majori pace ac quiete frui autumabant. Tunc menſa eorum fit in retributiones, & in ſcandalum, qui ruinam patiuntur & impingunt, cùm in hoc ſæculo, tum in futuro. Ibi perfectè retribuetur maledictio & plaga ab omnibus creaturis, dum de illis qui Deum læſerint, aut blaſphemarint, ſe vindicabunt. Et quia in menſis non infrequenter hæ blaſphemæ voces audiuntur, inter pocula & comeſtationes, inter rixas ex ebrietate concitatas; ideo dici poteſt de menſa ſpecialem fieri mentionem, quòd ſæpè illa vertatur in laqueum & ſcandalum, ſive in ruinam & perditionem multorum.

1. Plaga.

Secunda plaga, inſinuatur illis verbis: *Obſcurentur oculi eorum, & dorſum eorum ſemper incurva.* Hi enim blaſphemi cœcitate interiori percutiuntur à Deo, impleturque in illis illud: *Ambulabunt ut cæci quia Domino peccaverunt.* Ex hac cœcitate fit, ut de tenebris in tenebras, de peccatis in

2. Plaga. Sophon. 1. 17.

Digitized by Google

peccata prorumpent, & tandem in tenebras æternas ibidem deorſum eorum ad flagellum ſemper incurvatur in continuis plagis; nec deſunt etiam plagæ hoc in ſæculo dorſo eorum inflictæ.

3. Plaga. *Tertia plaga* blaſphemantium illis verbis indicatur: *Effunde ſuper eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos.* Ipſi effundunt iram ſuam in fratres, effundunt & in Deum blaſphemias vocibus. Patienter tolerat Deus, nolens quempiam perire, ſed ad pœnitentiam ad cor redire unumquemque. At tandem effundit, & ipſe iram ſuam in eos, & furore iræ ſuæ eos comprehendit, ita ut nulla via valeat evadere. Sic habet vices ſuas Deus, iram eorum & furorem irâ & furore plectens: eò quod ſecundùm duritiam ſuam & impœnitens cor theſaurizaverunt ſibi iram in die iræ & revelationis juſti judicii Dei.

4. Plaga. *Quarta plaga* indicatur illis verbis: *Fiat habitatio eorum deſerta: & in tabernaculis eorum non ſit qui inhabitet.* Blaſphemantium enim domus & familiæ ſæpè ruinam patiuntur juſto & ſecreto Dei judicio. Dathan, Core & Abiron rebellantes Moyſi & Deum blaſphemantes devoravit terra, cum tabernaculis ſuis & univerſa ſubſtantia. Hos enim quaſi blaſphemos talia paſſos eſſe aſſerit Moyſes ſic turbam alloquens: *Si conſueta morte mortalium, & viſitaverit eos Deus; legem quam & cæteri viſitari ſolent, non miſit me Dominus: ſi autem rem novam fecerit Dominus, ut aperiens terra os ſuum, deglutiat eos, & omnia quæ ad illos pertinent, deſcenderintque in infernum viventes, ſcietis quòd blaſphemaverint Dominum.*

Dathan &c. punitus. Num. 16. 29.

Blaſphemantes perſequuntur Chriſtum. Harum porrò prædictarum plagarum ratio inſinuatur illis verbis: *Quoniam quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt, & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Nempe blaſphemantes perſequuntur Chriſtum denuo, quem Pater pro peccatis noſtris ſemel percuſſit, ſive percuti permiſit; imo quodammodo ejus dolorum renovant, & vulnera ejus plagas ſanguinolentant, ejus carnem pollutis labiis & dentibus dilacerant & offendunt, ejus caput ſpinis compungunt, ejus latus transfodiunt. Hoc moraliquâdam ratione agere cenſentur, dum indignè ejus caput, ſanguinem, carnem, ore furioſo uſurpant, jurantes & blaſphemantes. De his enim verum eſt illud Apoſtoli: *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei & oſtentui habentes.* ac ſanguinis teſtamenti pollutum ducentes.

Hebræ. 6.6

Poſtrema plaga blaſphemantium. *Poſtremam plagam* blaſphemantium hæc poſtrema verba continent: *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum: & non intrent in libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur.* Quaſi dicat: De peccatis in peccata, de pœnis in pœnas permitte Domine juſtorum decreto eos corruere; neque ſint participes veritatis tuæ quo juſtos ſcribis in libro vitæ, de quo ſe peccatis ſuis ipſi deleverunt: ac ideo in pœnitentes tandem intro mortis æternæ adiciantur, dele ti de libro vitæ.

Tertiò, recenſeri poſſunt cæmentarii & latomi tertiæ ſpeciei in hac ſtructura, peccata illa quæ ad iram ſpectant non ſolum corde conceptam, ſed ore & linguâ expreſſam, ſed etiam facto & ſæpe etiam completam. Talia ſunt rixæ, bella, ſeditiones, duella, homicidia, vulnerationes & percuſſiones. Hæc enim omnia iræ ſunt germina infœlicia, imò illam complent & conſummant. Porrò cùm de his tractaverim fuſè ſuper Præcepto: *Non occides*, in Horto Paſtor, hic ſuperſedeo; illuc que Lectorem remitto.

LECTIO V.

DE LONGITUDINE muri iræ.

4. Longitudo. LOngitudo hujus muri Jericho ſive civitatis ſatanæ, ex multitudine ædificantium declarari poteſt. Huic enim ſtructuræ multos cooperari & coædificare reperies, ſi conſideravero quàm multos ſatan, muri hujus præfectus, ad iram & impatientiam deducat ex omni ſtatu: quomodo etiam odia, inimicitias, bella undique foveat & ferat.

Quatuor genera iracundorum enumerat S. Greg. *Nonnulli ira citiùs accenditur, facilimè deſinit: Nonnulli verò tardè quidem commovetur, ſed diutiùs tenet.* Hoc eſt primum & ſecundum genus iracundorum, de quibus poſt ſubjungit: *Aliqui namque accenſi calamo ſimiles, dum vocibus perſtrepunt, quaſi quaſdam accenſionis ſuæ ſcintillas reddunt: citiùs quidem flammam faciunt, ſed protinùs in favilla frigeſcunt.* Hi ergo ſunt primi generis; ſtatim irati, ſtatim placati. *Alii autem lignis gravioribus, durioribuſque quæ non diſparent, tardè accenſionem ſuſcipiunt: tamen accenſi ſemel, difficilius extinguuntur: & qui ſe tardiùs in aſperitatem concitant, furorem ſuæ diutiùs ignem ſervant.* Hi ſunt ſecundi generis, tardè irati, tardè placati. *Alii quod eſt reprehenſibilius, & citiùs iracundiæ flammas aſcipiunt, & tardiùs deponunt.* Hi ſunt tertii generis. *Nonnulli denique, tam & tardè ſuſcipiunt, & citiùs amittunt.* Hi ſunt quarti generis ad tranquillitatis bonum magis appropinquantes cæteris. Interim adeò late patet hoc iracundiæ vitium, ut omnis penè ſtatus hominum, ad aliquam horum ſortem referre debeas. Percurramus ergo breviter ſtatus aliquos, & videamus quàm multi ſtructuræ hujus noſtri muri cooperentur.

Quatuor genera iracundorum. S. Greg. l. 5. moral. c. 33.

1. Reges & Principes. *Primò.* Quis dubitet plerosque Regum & Principum primum hic locum obtinere, quando in juſtis vellevibus ſanè cauſis tot bella conflant, adeò numeroſum militem conſcribunt, cruoris tantam copiam profundunt? Horum omnium dux eſt ira, comes vindicta. Audi exempla ex ſacris Litteris. Nabuchodonoſor mittit legatos ad omnes provincias, quo volens eas ſubjugare imperio. His verò

Nabuchodonoſor

Digitized by Google

ſine honore remiſſit, ira Nabuchodonoſoris ſupra modum accenſa eſt, & juravit per thronum ſuum, quod vindicaret ſe de omnibus. Hinc tantus exercitus ductante Holoferne Judææ fines invadit, ſed parùm fœliciter. Audi & aliud crudelius: Saul Rex intelligens Davidem ab Achimelech Sacerdote in Nobe hoſpitio ſuſceptum, cùm ei panes propoſitionis, & gladium Goliath præbuerat: iratus nimis curavit trucidari Achimelech, & octoginta quinque Sacerdotes, veſtitos ephod lineo. Nobe autem civitatem Sacerdotum percuſſit in ore gladii viros & mulieres, parvulos & lactentes, bovemque & asinũ, & ovem in ore gladii. Nota eſt & Theodoſij ira (quam tamen poſtmodum pœnitentia ſevera Ambroſio judice, expiavit) quâ concitatus, ſeptem millia hominum Theſſalonicæ trucidari mandavit, immiſſis militibus in promiſcuam multitudinem ad theatrum ludorum gratiâ convocatam. Sic vindicari voluit necem cujuſdam de ſuis in ſeditione populari factam, in innoxios ſæviendo, crudeliter ſanè & barbarè. Addamus hic & exemplum Cambyſis Regis, Cyri Regis filii. Hic vino nimiùm deditus, cùm moneretur à familiari quodam privatim & familiariter, non ita eſſe decorum Regi, in quem ceteri tanquam in ſpeculum oculos conjiciunt, nimio ſe potu ut aſſolebat, implere: mox ille iratus nimis, monitoris filium adduci coram ſe jubet, ſumptoque arcu & ſagittâ cor ejus transfixit: hoc addens: *Vide an Regis ebrii certa ſit manus, & oculus.*

Ira Ducis.

Theodoſij ira.

Cambyſis ira.

Secundò hunc murum ædificant Nobiles, divites, honorati, dum facilè concipiunt iram, ut pauperes opprimant. *Cum obſecrationibus loquetur pauper, divus effabitur rigidè*, inquit Sapiens. Huc etiam reſpicit Eccl. dum ſic pronunciat: *Secundùm ligna ſilvæ exardeſcit ignis, & ſecundùm virtutem hominis, ſic iracundia illius; & ſecundùm ſubſtantiam ſuam exaltabit iram ſuam.* Docet enim hic ſententiâ Sapiens, quomodo vires & opes fomenta ſint iræ, ut expeditiùs pernotum eſt. Aptaque utitur lignorum ſimilitudine: ſecundùm enim illorum qualitatem & multitudinem ignis exardeſcit major & calidior, ſi nimirùm multa & dura ligna apponantur. Sic etiam juxta vires & opes homines ſolent iram ſuam exaltare quo quis ditior & fortior eſt, eo magis audet iram ſuam ſine pudore & timore oſtentare, altè inclamando, & quosvis liberè inceſſando. Sic potentia & opulentia fomenta ſunt iracundiæ, ſicut ligna ſunt ignis alimenta: idque tum quod propter illa homines magis ponderent injuriam ſuam, & facilè ſe læſos judicent: tum quod pudore & timore non ita ab ira & clamoribus revocentur, ſicut humiliores. Inter opulentos & validos verbum unum malè pronunciatum ſtatim ſuſcitat rixas & iras. Hinc ob verba volatilia, quandoque duella & homicidia fiunt, quæ excuſantur pallio puncti honoris. David vir alioqui benigniſſimus quomodo incenditur in Nabal, jurans totam ejus familiam internecione delere? Quid ita? Quia dixerat: *Quis eſt David, & quis eſt filius Iſai? Modò inorevarunt ſervi, qui fugiunt dominos ſuos.* Secundùm vires & potentiam ſuam excitatus eſt ignis in David, & his verbis ita eſt ſuccenſus, ut pararet ultionem non ſolùm in perſonam Nabal, ſed & in totam ejus domum & ſubſtantiam, etiam uſque ad mingentem ad parietem; niſi prudentia Abigaileum placaſſet, & ignem jam ſuccenſum extinxiſſet.

Exemplũ in David.

1 Reg 25. 10.

Tertiò, Judices populorum quandoque & hunc iracundiæ murum maledictum ædificant, ſub Belial Principe, à quibus tamen non ſolùm ira, ſed & omnis paſſio rectum judicium obnubilans procul deberet abeſſe, præſertim cùm in judiciis de vita hominis agitur. Recte Alexander Magnus, cùm Mater ejus Olympias importunè eum ſollicitaret pro condemnatione viri cujuſdam innoxii, ſolo odio & vindictâ ad id eam impellente, reſpondiſſe fertur: *Pete aliud mater, vita enim hominis nullâ poteſt re compenſari.* Hanc interim judices crudeles parvi æſtimant, & ad fundendum ſanguinem humanum levi quandoque causâ ducuntur, irâ ſuadente. Refert ad hanc rem Seneca, militem quemdam accuſatum furtis apud judicem de morte commilitonis fuiſſe, eo quod illi unà furti idem iter conficere, ſolus hic reverſus foret. Lata eſt ſententia, juſſuſq; Centurio militem hunc homicidii ſuſpectum ad ſuſpendium ducere. At ipſo progrediente, en obviat miles ille pro quo huc morti adjudicatus erat. Quid ageret? Utrumque lætus ad judicem reducit. Quid verò judex? Iratus ſupra modum in tres ſententiam dictat. Ac primò quidem ſic ait: *Te jubeo interfici, quia jam condemnatus es.* Alteri vero ſic: *Te quoque ſimiliter, quia commilitoni tuo mortis es cauſa.* Tum Centurioni: *Mortem etiam te reum volo, quòd militem occidere juſſiſti, imperium meum deteſtaſti.* Sic furor iracundiæ, tanquam gladius triceps, uno velut ictu tres peremit, iniquo judice illum exerente. Quicquid furor ſuggerit, rectum putat.

3. *Judices.*

Seneca l. de ira.

Ira trium mortis, cauſa.

Quartò, non ſolùm in magnos animos, ſed & in viles ira cadit; & ideo non ſolùm nobiles & opulenti, ſed & plebei ac egeni hunc murum ſatanæ ædificare reperiuntur. Hinc inter eos tot diſcordiæ & rixæ, tot lites & diſſenſiones. Hinc & in Republica tot populares ſeditiones, acerrimo iracundiæ igne concitatæ, ita ut vix extingui valeant, quia hi impetu magis furoris ducuntur, quàm ratione. Hinc Poeta:

4. *Plebei & egeni.*

Adjuvat infirmas qualibet ira manus.

Nemo ergo quantumlibet vilis conditionis ab iracundia cenſetur immunis; nam & formicæ ſuæ bilis ineſt, & vermi, ſi attingatur aut calcetur, non deeſt.

Bivus in ira audacior.

Quintò, etiam inter fratres, conſanguineos, ac propinquos ira regnat, eaque plerumque acerrima. Nam è propinquitate & ſanguine odia ſi exorgant, omnium ferè ſunt maxima. Ac velut ignis magnus exardeſcens, vix arte, aut aquâ extingui poteſt,

5. *Fratres & amici.*

ſta nec ira inter illos accenſa: facilius extinguenda, ſi inter alienos. Id verò ex eo provenit, quod ſummus amor, ſi exaſperetur, in ſummum odium tranſeat: ſicut & clementia, ſummaque manſuetudo, dum exacerbatur, in extremam crudelitatem & ferociam degenerat. Tardè hæc quidem lenteque veniunt, & ſylvarum more ignem concipiunt: ſed quo tardiùs, eò vehementiùs. Nota eſt ira (tanquam fera peſſima) fratrum in Joſeph; quam ejus cruore ſatiare parabant, niſi Ruben obſtitiſſet. Unde & ipſemet Joſeph poſtmodum fratres ex Ægypto dimittens, cum ſciret concordiam fratrum, rem eſſe ſat lubricam, monet eos his verbis: *Ite, & non iraſcimini in via.*

Ira fratrū in Joſ. h. peſſima

Poſtremò, ira non ſolum in viris reperitur, ſed & maximè in mulieribus, ideoque & illæ huic muto aſſificando cooperantur. Hinc illud Eccleſ. *Non eſt caput nequius ſuper caput colubri, & non eſt ira ſuper iram mulieris.* Quaſi dicat: ſicut inter omnium animantium capita nullum eſt perniciosius capite ſerpentis, ob venenum quod gerit, quo & occultè hominem perimit: ita omnium peſſima eſt ira mulieris, quia etſi viribus corporis aperto Marte nocere nequeat, tamen iram, quam in animo inſtar veneni latenter gerit, opportunitatem nacta effundit; nec deſinit, niſi eum, cui iraſcitur, perimat & perdat. Unde iterum Sapiens dicit: *Melius eſt habitare in terra deſerta, quàm cum muliere rixoſa & iracunda:* Videre potes Eccleſiaſticum cap. 25. per varias ſententias de mulieris iracundæ & rixoſæ malitia differentem. Non quod Sapienti propoſitum ſit, ſexum illum acerbâ oratione infectari; ſed improbarum mulierum vitia voluit acriter notare, ut inſinuaret cum quanta diſcretione & judicio uxor ſit diligenda; quantaque prudentia agendum cum mulieribus, ne temerè irritentur: *Nam mulieris ira*, inquit, *irreverentia & confuſio magna.* Quia nempe illa ſua inverecunda non vulgarem confuſionem vel ignominiam ſolet adferre, & maximè marito. Iracunda enim mulier irreverenter ſe gerit erga maritum ſuum, ſuaque tum ira, tum irreverentia, viro confuſionem magnam adducit, quòd ei non deferat honorem, quem debet. Exempla porrò perniciosiſſimæ mulierum iræ habes in Jezabel, in Athalia, in Eliſabetha Angliæ Regina, in quibus manifeſto patuit, quòd non ſit ira ſuper iram mulieris, ſicut non eſt caput nequius ſuper capite ſerpentis.

6. *Mulieres.* Eccl 25. 22. Prov 21. 19.

Eccl. 25. 29.

LECTIO VI.

DE SEPTEMPLICI TUBA CONTRA Murum iracundiæ.

7. *Tuba contra Iracundiam.* 1. *Vox legis* Gen. 9. 6.

PRIMA Tuba eſt vox Domini in lege naturæ *Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius. Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo.* Hæc nempe tuba inſonat contra iram, eoſque procedentem, ut etiam non vereatur imaginem Dei violare in homine per necem & cruoris fraterni effuſionem. Qui quidem cruor, vocem etiam habet in cœlum uſque ſe tollentem. Sic exprimit Scriptura de Abel interempto à Cain: *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* De qua voce effuſi ſanguinis contra interemptores clamante, multa dixi ſuper Præcepto 5. Decalogi, ubi egi de homicidio. In lege quoque veteri contra murum iræ detonans Dominus, ſic ait: *Non oderis fratrem in corde tuo, nec memor eris injuriæ civium tuorum, ut quæras ultionem.*

Gen. 4 10.

Levit. 19. 17.

Secunda tuba, vox eſt Domini per Prophetas contra iram detonans, inter quos ſic inclamat David: *Deſine ab ira, & derelin que furorem, noli æmulari ut malig ens, quoniam qui malignantur, exterminabuntur.* Job quoque pronuntiavit. *Verè ſtultum interficit iracundia, & parvulum occidit invidia.* Sæpius etiam voces prophetica iram condemnant, ut patebit perlegenti.

2. *Prophetarum.* Pſ. 36. 8.

Job. 5. 2.

Tertia tuba, vox eſt Domini in libris Sapientiæ frequenter contra iram & vindictam inclamans. Sic Eccleſiaſt. *Qui vindicari vult, à Domino invenies vindictam, & peccata illius ſervans ſervabit.* Et iterum: *Memento noviſſimorum, & deſine inimicare; tabitudo enim & mors imminens in mandatis ejus.* Hoc eſt corruptio & mors imminent homini propter neglecta mandata ejus; aut certè *imminent in mandatis*, hoc eſt, transgreſſoribus mandatorum ejus apertè prædicuntur obventura. Horum ergo malorum metu merito inimicitia omnis & ira deponenda eſt, ut iram Dei, quam omnes meruerunt, effugere quis poſſit. Et rurſum: *Memorare timorem Dei, & non iraſcaris proximo. Memorare teſtamentum Altiſſimi, & deſpice ignorantiam proximi.* Quaſi dicat: Recordare legis & timoris Dei, & hoc intuitu, revoca te ab ira omni & ultionis cupiditate, quia *teſtamentum Altiſſimi*, hoc eſt, lex ejus, eam prohibet. Ipſiusque timoris Dei intuitu, noli ne quidem iraſci proximo ſed deſpice ignorantiam proximi, hoc eſt parvitatem, quæ proximus per ignorantiam in te peccavit. Ut extenuet proximi peccatum & oſtendat eſſe deſpiciendum tanquam parvum, vocat ignorantiam, quia & ſæpè per ignorantiam committitur: memoria autem legis & timoris Dei vult illius oblivionem induci. Addit denique: *Abſtine te à lite, & minues peccata, homo enim iracundus incendit litem.* Quibus verbis revocat à contentionibus, & litibus, quæ ex cupiditate vindictæ, & ira prodeunt. Addit rationem, quia continendo te à lite minues peccata, tam tua, quàm adverſarii: quia & pauciora tu peccata committes, & cauſam præbebis, ut alii minus peccent, quos ad contentiones & rixas non excitabis. Homo enim iracundus, qui ſicut facilè iraſcitur, ita facilis eſt ad contendendum, incendit litem non ſolùm in ſe contra alios, ſed etiam in aliis contra ſe; & ſic multa peccata committit, aliisque peccatorum etiam cauſa eſt. Multis quo-

3 *Sapientia.* Eccl. 28. 1.

v. 6.

v. 8.

v. 10.

Digitized by Google

quoque aliis ſententiis Sapiens contra iram detonat. Nam c. 22. ſic habet: *Nolis eſſe amicus hominis iracundo, neque ambules cum viro furioſo, ne forte diſcas ſemitas ejus, & ſumas ſcandalum animæ tuæ.* Et iterum: *Grave eſt ſaxum, & onerоſa arena, ſed iræ ſtulti utroque gravior. Ira non habet miſericordiam, nec erumpens furor, & impetum concitatis ferre quis poterit?*

Prov. 22. 24. Id. 27. 3.

Quarta tuba, vox eſt Domini in Evangelio, quæ ita manifeſtè inſonat: *Dictum eſt antiquis: Non occides. Ego autem dico vobis: Quicunque iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio: Qui autem dixerit fratri ſuo, Raca, reus erit judicio: Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis.* Et iterum: *Audiſtis quia dictum eſt: Oculum pro oculo, & dentem pro dente: ego autem dico vobis non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Et ei qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium: & quicumque te angariaverit mille paſſus, vade cum illo & alia duo.* His certè omnibus ira penitus diruitur voce Domini, etiam ad fundamentum uſque.

4. Domini. Matth. 5.

Quinta tuba, vox eſt Apoſtolica iram condemnans. Ideò clamat Apoſtolus. *Non vos defendentes, chariſſimi, ſed date locum iræ*: id eſt, non vos ulciſcentes, ſed relinquite Deo vindictam veſtræ injuriæ: hoc eſt cedere iræ divinæ, ut explicat S. Chryſoſt. Theod. Auguſt. in Pſal. 78. Vel ut explicat S. Ambroſ. & Anſelmus: *Date locum iræ*, fugiendo, tacendo, cedendo irato, illum patienter terendo, nihil contradicendo, aut contra faciendo, ſic enim ejus ira ſubſidet. Vel denique: *Date locum iræ*, hoc eſt; non ſint corda veſtra ſic impatientia, & puſillanimitatis angustiis coarctata, ut violentam commotionis procellam, cum irruerit, ſuſtinere non poſſint; ſed dilatamini in cordibus veſtris, ſuſcipientes adverſos iracundiæ fluctus in illis extenſis finibus charitatis, quæ omnia ſuffert, omnia ſuſtinet. Et ita mens veſtra amplitudine longanimitatis ac patientiæ dilatata, habeat in ſe conſiliorum ſalutares receſſus, in quibus receptus quodammodo atque diffuſus reterrimus iracundiæ fumus, protinus evaneſcat. Dare ergo locum iræ, eſt excipere iracunda verba, imo & verberа in ſinu cordis, in ſinu patientiæ & charitatis, ibique ea extinguere & obruere charitate. Ita Abbas Joſeph apud Caſſ. Addit vero S. Paulus; *Scriptum eſt enim: mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus.* Ergo Domini officium non præoccupemus: cujus tanquam Judicis & Vindicis proprium munus eſt iraſci, & injurias ulciſci.

Rom. 12. 19. SS. Patres in hunc locum. Caſſian. coll. 16. c. 27.

Iterum alibi clamat Apoſtolica tuba contra murum iracundiæ. *Manifeſta ſunt opera carnis; quæ ſunt inimicitiæ, rixæ, diſſenſiones, iræ, ſectæ, contentiones, invidiæ, homicidia, &c. quæ prædico vobis ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non conſequentur: fructus autem Spiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, benignitas, bonitas, &c.* Inclamat quoque Joan. *Qui odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quò eat, quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus.* Quid eſt autem odium, niſi ira inveterata?

Gal. 5. 1 Joan. 2. 11.

Sexta tuba, vox eſt propriæ conſcientiæ, hæc enim continuò arguit, & conturbat interius eos qui iram fovent: Gladius eorum intrat in corda ipſorum ipſoſmet perimens. Audi vocem quam propria conſcientia elicit ab illis qui jam in condemnatione ſunt: *Inſumal gniſate noſtra conſumpti ſumus: luſtitia lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis.* Quia ſcilicet ſumus iracundiæ & vindictæ, lucem veritatis & juſtitiæ excludit, & in æternum excludet ab illis, ideò conqueruntur, nec deſiſtit unquam conſcientia acerbo ſono querelam & clamorem renovare nunquam morituram. Ideo dicebat Abigail Davidi, ut eum à vindicta revocaret: *Non erit hoc tibi in ſingultum, & in ſcrupulum cordis Domino meo, quod effuderis ſanguinem innocuum, aut ipſe tenuerit manus.*

6. Conſcientia. Sap. 5. 6. 1. Reg. 25. 31.

Septima tuba, vox eſt judicii divini, per quam *armabitur omnis creatura, & pugnabit orbis terrarum contra inſenſatos*, & maximè contra vindicativos illos, qui inſana cupiditate ſeſe ulciſcendi, exacerbati ſunt contra fratres ſuos Chriſtianos, armarunt ſe & pugnarunt contra illos, vel verbis, minis, contumeliis, maledictis exaſperarunt, ira & odio inſtigante. Illis ergò inclamabit tuba: *Diſcedite maledicti in ignem æternum.* Et iterum: *Foris canes & venefici & homicidæ.* Canes ſunt, qui mox in alios ringuntur, lacerant dentibus, proſcindunt verbis & contumeliis, latrant & inceſſunt maledictis; ſuntque hi venefici & homicidæ, corde ſaltem & voto. Foras ergo illi ejicientur extra civitatem Dei, & canente noviſſima tuba ſegregati, inter maledictos computabuntur, & à tenebris interioribus odii in tenebras exteriores & æternas, abigne fumigante iracundiæ in ignem æternum devolventur: *Fumuſque tormentum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum.* Hanc tubam repræſentans S. Jacobus de his iracundis ſic ait: *Nolite ingemiſcere fratres in alterutrum, ut non judicemini: Ecce judex ante januam aſſiſtit.*

7. Judicii extremi. Sap. 5. 21. Apoc. 22. 15. Maledici ſunt quaſi canes. Jac. 5. 9.

LECTIO VII.

DE SEPTEMPLICI ARIETE DEMOLIENTE MURUM IRACUNDIÆ.

Exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea. Pſal. 136.

EXINANIRE murum iræ uſque ad fundamentum, eſt inordinatum ſui amorem deterrere, & ex animo delere; illud enim eſt fundamentum iræ, quod ſcilicet ex illo inordinato amore

Arietes contra I. murum.

ſtatim exiſtimemus nos læſi, levemque injuriam mox gravem judicemus. Iterum examinare mutum iracundiæ uſque ad fundamentum, eſt illius omnes occaſiones exſcindere primaſque cogitationes, primos motus penitus diruere: alioqui ſi permittatur ira excreſcere, aut in nobis locum arripere; difficilior eſt contra illam pugna. De hac re dicebat S. Ambroſ. *Cavere debemus, nos inperturbationes prius incidamus, quam animos noſtros ratio componat: examinat enim mentem plerumq; aut ira, aut dolor; & improviſo percellit ictu; Ideò prævenire pulchrum eſt cogitatione, ne repentinus excitetur commotionum, ſed juge quodam rationis & habenis conſtricta muteſcat.* De hac re etiam eleganter Greg. ſic ait: *Curandum eſt ne ira ſubrepat, ira quippe cum etiam delinquentium culpas exquirit, non debet mentis quaſi Domina præire, ſed poſt rationis tergum velut ancilla famulari, ut ad faciem juſſa veniat. Nam ſi ſemel poſſidere cœperit, juſtum eſſe deputat etiam quod crudeliter facit. Hinc enim ſcriptum eſt: Ira viri juſtitiam Dei non operatur.*

S. Ambr. in offic. l. 1. c. 21.

S. Greg. ep. ad Reg. Viſigotorū.

1. *Animi præparatio contra iram.*

Prima itaque machina, primuſque aries contra iram, eſt animi præparatio contra illam, & efficax conſideratio, ſive præmeditatio, quæ mentem excreat, ad omne initium illius, omnemque occaſionem exſcindendam præmature. à ſcintilla augetur ignis, niſi illico ſuffocetur & extinguatur. Mirum profecto quomodo ſele prævia conſideratione adverſus omnem iram etiam Ethnici præmunierint. Audi non injucundam de Socrate relationem, quæ oſtendit quàm præmunitus ille foecit contra iram. Quidam ejus faciem vehementi impetu percuſſit: ipſe verò minimè commotus, furentem debacchari, & iram ſatiare permiſit, ex quo eum totum plagis contuſum reddidit. Ubi verò ille cædendo deſtitit, nihil aliud Socrates feciſſe dicitur, quàm fronti propriæ inſcripſiſſe: Talis fecit, velut ſtatuæ cuidam nomen auctoris inſcribens: nec alio modo ſe vindicavit. Ità refert Baſil.

Baſil. hom. 24. *Conſid. malorum quæ ex ira naſci poſſunt.* S. Ambr.

Secundus aries, ſi fortè jam ira animo oborta fuerit, eſt efficax conſideratio malorum, quæ ingenerare poteſt, ſi excreverit, hac enim ratione illa ſupprimitur & vincitur. Ideò de hac re ſic docebat S. Ambroſ. Iræ motus naturæ ita infixus eſt, ut evelli atque evitari quandoque non queat ſi prævideri potuerit, ratione permutat: ſi autem prævenerit, & præoccupaverit mentem tuam iracundia, & alcenderit in te, non relinquas locum tuum. Locus tuus patientia eſt; locus tuus ſapientia eſt, locus tuus ratio eſt, locus tuus ſedatio indignationis eſt. Aut ſi te contumacia reſpondentis movent, & perverſitas impulerit, ad indignationem ſi non potueris mitigare mentem reprime linguam tuam. Sic enim ſcriptum eſt: *Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.* Deinde: *Inquire pacem, & ſequere eam.* Mala autem quæ ex ira ſequi nata ſunt, jam ex ſupradictis ſatis patent.

Tertius aries contra iræ murum, eſt conſideratio efficax illius quod dicit Apoſtolus: *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.* à malo ſcilicet noli vinci, hoc eſt, ab injuria tibi illata, & conſequenter à dæmone qui injuriam injuriantemque excitat ut & ſuam & tuam pacem, pariter ac conſcientiam conturbet. Rurſum: *Noli vinci à malo*, à tua ſcilicet impatientia: nemo enim lædetur & vincitur niſi à ſeipſo. *Sicut enim*, ait Ariſtoteles, *Debilis ſtomachi eſt, cibum durorum non poſſe concoquere; ita puſillanimis eſt, verbum durius inſultans non poſſe ſuſtinere.* Hinc de Julio Cæſare Cic. ait: *Cæſar nihil obliviſci ſolet niſi injurias.* Quam longo ab hac virtute abeſt vulgus hominum (ut dicere ſolet S. Thomas Morus) beneficia pulveri, maleficia marmori inculpunt! Vincitur verò & non vincit, qui ſe vindicat: Vincit autem ille in bono malum, qui patitur, & multo magis qui malefactum, benefacto ſuperat: Unde Chryſ. loc. ſitum explicans ſic ait: *In Olympiacis certaminibus diabolo conſeratis lex eſt malefacienda vincere: in ſtadio Chriſti omnino lex eſt, contraria: Sic enim non tum qui percutit, ſed qui percuſſus coronari decretum eſt. Illud denique eſt divinæ virtutis illud cœleſte ſtadium, illud Angelorum theatrum. Si manſuetudinem exhiberemus, eſſemus omnibus inſuperabiles, nec ulla ad nos injuria perveniret. Roga inimicum, an non doleat, an non cenſeat ſe victum eſſe contemnis ejus injurias? Sed vince in bono malum*, id eſt, maleficia beneficiis ſupera, malitiam vince bonitate: Tunc verò maximè vincis in bono malum, ſi adimples illud quod ibidem apud Apoſtolum præcedit: *Si eſurierit inimicus tuus, cibα illum, ſi ſitierit, potum da illi, hoc enim faciens carbones ignis congeres ſuper caput ejus:* Carbones ſcilicet ignites, non iræ, ſed charitatis & amoris, qui eum inflammant, ad pacem concordiam, amorem. Carbones quoque ignis congeres ſuper caput ejus, id eſt, faciem ejus ardere facies, & rubore quodam ſuffundi non ſecus ac ſi ſupra caput carbones ſuggeſſiſſes, qui faciem inflammarent. Ille enim tua beneficentia pudefactus, tua charitate victus, cedat neceſſe eſt, & odium in amorem convertat.

1. *Conſid. monita Apoſtoli.* Rō. 12. 21.

Ariſt. l. 4. Ethic. c. 3. Cic. orat. pro Marcello.

S. Chryſ.

Rō. 12. 20

Quartus aries, eſt conſideratio efficax bonitatis & manſuetudinis divinæ quæ nos ad deponendam iram erga proximum, omnemque vindictam commonet. Levis enim culpa proximo condonanda eſt, cùm leve ſit quidquid homo in hominem peccat, ut ipſe nobis mille culpas & graviores condonet. Nec durum nobis debet eſſe iratum animum comprimere, & aliquid perpeti, quandoquidem duriora à nobis patiatur Deus. duriora pro nobis paſſus fuerit Chriſtus. Qua enim benignitate quotidie nos tolerat, etiam vetera peccata iterantes? Qua miſericordia etiam graviſſimè offenſus ad ſe recipit revertentes? Qua porrò manſuetudine Chriſtus tot pertulit probra, vincula, verbera, denique & mortem ignominioſiſſimam? Si illa efficaciter ad memoriam revocentur, nihil adeò durum

4. *Conſid. monita Dei ad deponendam iram erga proximū.*

Digitized by Google

sum est, quod non æquo animo toleretur. Ergo si is qui te disturbat, quique inimicatur, indignus est cui beneficium pro maleficio rependas; dignus tamen est Christus, pro quo id faciat. Hoc ariete utebatur contra iram S. Elzearius, qui in familia licet numerosa, & negotiis variis intertexta, numquam vel leve impatientiæ aut iræ signum dedit. Interrogatus autem ab uxore, qui fieri posset, ut sic immotus permaneret? Respondit: *Quid mihi prodesset fracta? Dicam tamen veritatem. Quandoque in me insurgit indignatio in molestius: at mox mihi ob oculos pono injurias quas à me & pro me Redemptor tulit, & tunc in me ipse sic loquor: Etiamsi famulus tuus tibi barbam evellerat, & colaphis caderem, operteret te tolerare; mihi enim istud est in comparatione ejus quod Dominus pro te tulit. Hæc vero considerata autem mox reddit pacatum.* Ita Surius.

Surius in vita S. Elzearii c. 23.

Quintus aries, est consideratio efficax ejus, quod in Evangelio docet Dominus, nullum posse bonum operis sacrificium rectè immolari, quamdiu à proximo per iracundiam quis discordat, sic enim scriptum est: *Si offers munus tuum ad altare & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum.* Ex qua præceptione efficaciter considerandum est, quàm eorum culpa intolerabilis esse monstretur, quorum hostia repellitur. Nam cùm mala cuncta bonis sequentibus diluantur magna utique mala discordiæ est necesse, quæ nisi funditus extincta fuerint, bonum opus subsequi non permittunt. Hæc saltem consideratio efficere debet, ut iracundiam, si qua incideris, citò à nobis excutiamus, ad implentes illud Apostoli: *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Et: *Nolite locum dare diabolo.* Nempè per iram maximè ei datur, locus in nobis; & stilla aliquandiu permanet, in odium convertitur, & festucæ trabs efficitur. *Incomparabiliter, inquit S. Augustinus, salubrius est etiam ira justa pulsante non aperire penetrali cordis, quam admittere non facilè recessuram & pervenuram de furculo ad trabem: audet quippe impudentior etiam crescere cui nimis placetur, non enim erubescit in tenebris cùm super eam Sol occiderit.*

5. Consid. mors Christi.

Mat. 5. 23.

S. Aug. ep. 149.

Sextus aries iram revertens, est consideratio efficax proximi, à quo offensus es junctâ contemplatione tui. Vel enim in eum exasperaris qui justus est, vel in eum qui injustus. Si justus ille est cur tu velis illi esse inimicus, cur Deus amicus est? Cur tu velis illi nocere, cui Deus vult bene esse? Adde, quod si injustus est, non eum tu malitia tua commovebis, non illi nocebis, sed ejus patientiam exercebis. Si verò injustus est, non minus miserum est, dum alienam ulcisceris improbitatem improbum etiamnè facis; & dum violenter in tuæ ipsius causa judex, alienam conaris punire injustitiam, & novam admittere iniquitatem? Dicit enim Dominus: *Mihi vindicta & ego retribuam.* Sic tua injuria non manebit multa, ulciscetur eam vivus tempore Deus: Non debes te ipsum ulcisci, ne invadas officium Dei. Et noli particeps esse injuriarii in peccato; quod facis, si tu convicium convitio rependas, iramque. Commiseratione potius ille dignus est & compassione qui levem nobis irrogans injuriam gravem à Deo accepturus est ultionem. Audiendus est hac de re S. Ambrosius ubi ait: Quando aliquis nobis convitiatur, lacessit, ad violentiam provocat; ad jurgium vocet, tunc silentium exerceamus. Peccator enim est qui provocat, & nos sui similes fieri desiderat. Si taceas, si imules, solet dicere, quid taces? loquere si audes, elinguem te feci. Si ergo taceas plus rumpitur, victum se reputat & illusum. Si respondeas, superiorem & arbitratur, quia parem invenit. Si taceas dicetur: Ille huic convitiatus, contempsit iste: Si referas contumeliam, dicetur: Ambo convitiati sunt. Uterque condemnatur, nemo absolvitur. Ergo illius est studium ut irriteat, ut similia loquaris & agas. Justi autem est dissimulare, nihil loqui, tenere fructum bonæ conscientiæ, plus committere bonorum judicio, quàm criminantis insolentiæ. Ita fit ut etiam humilitatem custodiat. Hæc sunt arma justi, ut cedendo vincat. Hæc Ambros.

Rom. 12. 19.

S. Ambr. l. 1. de officiis.

Septimus aries validè murum iræ concutiens, est consideratio efficax Sanctorum, qui occasione data iræ miram exhibuere patientiam. Attende quomodò David iniquitatem Semei sibi maledicentis tulerit, non enim iræ locum dedit, sed in Deum causam transtulit, dicens: *Dominus præcepit Semei, ut malediceret David.* Efficax nimirum consideratio hujus & similium exemplorum, mortuos cordis & impulsus facilè delebunt, & animi cogitationes in tranquillum statum deducent. Sic exemplum Davidis proponens Chrysostomus ergà Saulem ait: *Si imaginem Davidis pro oculis habemus, & in hanc assiduè defixis oculis, etiamsi millies obstrepat ira, mentis omnium perturbans, ad hoc virtutis exemplar reficiemus, perfectam consequemur sanitatem: Ne quis igitur mihi dicat: Inimicum habeo scelestum, improbum, incorrigibilem: quidquid dixerit, non est tamen Saule deterior, qui semel & iterum, imò sæpius servatus à David, cùm ipse mille modis illi struxisset insidias, tamen pro tot beneficiis perseveravit in sua malitia.*

7. Consid. patientia Sanctorum.

1 Reg. 26. 10.

Chrys. hom 3. de David.

LECTIO VIII.

DE MALEDICTIS OB IRACUNDIAM.

Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit, & ædificaverit civitatem hanc Jericho, &c. Josue 6.

PRIMO, Maledictus Cain, cujus irati vultus concidit contra fratrem; nec exfatiata est ira ejus, nisi cruore illius.

Maledictus autem ille

6. Consid. persona ladentis & tua.

factus eſt, ſemper tremulus, ſemper vagus & profugus; maledicta & terra propter ipſum, quia ſanguine fratris ejus ab co polluta. Maledictionis ergo ſignum ſemper ſecum circumtulit tremorem corporis & mentis, pavoremque conſcientiæ maledictæ. Repræſentabat enim ſibi Cœlum contra ſe infenſum cæleſteſque & inferiores virtutes. Nam ad fulgura, tonitrua, coruſcationes, horrificè tremebat; videbaturque ſibi videre Angelos igneis gladiis ſibi mortem minitantes, cælum ſi aſpiceret. Si verò terram, videbatur ſibi videre ſerpentes venenò, leones unguibus, cæteraſque feras in ſe irruentes. Sic hac conſcientia, quaſi furia infernali excarnificatus, continuò profugus ambulabat, & tremulus. Maledictus & Etau, exira in fratrem dicens: *Veniant dies luctus Patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.*

Precep. in Gen.

Gen. 27. 41.

2. Pharao.

Secundò, Maledictus Pharao, quia ira & odio impulſus, non ſolùm Hebræorum maſculos enecari aquis præcepit, ſed egredientem populum Domini de Ægypto cum furore eſt perſecutus. Verùm in eo patuit, quàm verùm ſit illud: *Per quæ quis peccat, per hæc & punitur.* Nam qui odio & furore tot maſculos Hebræorum aquis devoverat, ſepelitur & ipſe in illis. Et qui Iſraelitas devorare parabat, à piſcibus devoratur, imo & à corvis. De qua re Auguſt. differens, oſtendit quam juſta Dei providentia & vindicta Moyſes de aqua ſublatus ſit, & à filia Pharaonis conſervatus, ſed in perniciem totius regni paterni. Audi ejus verba ad Pharaonem directa. *Quid inepte inſanis, & crudeliter ſævis? Licet plurimis infantium mortes inferas acerbas, tibi necis augetur, & pœna non detrahitur meritum. Cum enim paſſim innocua parvulorum corpuſcula dejicerentur in flumina, Moyſen manus excepit humana. Novum miraculi genus fecit filia Parricida: nam dum parvulum ſervat ignara, patrem decipit inſcia. Dignum malitiæ ejus ſcelere erat, ut filia proviſione pereat, qui genitrices indixerat partu. Jubet crudelis in flumen parvulos projici, in flumine pariturus. Hos necdum vivere naturæ conceſſerat, & eos jam ad pœnam deſtinat ſententia. O nova & inaudita crudelitas! Non natorum pietas, non parentum dolor te flectit, qui inter infantium mortem, parentumque dolorem, ſævitia tua explere ſententiam gaudes. Sed percutitur Ægyptus primogenitorum nece; ut ex ſe ſe cognoſcerent quantus dolor ſit filiorum, qui necarant filios Hebræorum. Dignitas nullum excuſabat, nec ipſum Regem ab hoc juſto Dei decreto abſolvebat. Stabant Hebræi vindicta dominante illeſi, quos non tantum propria ſalus latos reddiderat; ſed & hoſtium plaga lætiores effecerat.* Hæc Auguſt. declarans maledictionem Pharaonis in populum ſuum fuiſſe redundantem, ob iram crudelem in populum Dei exercitam.

S. Auguſt. ſerm. 89. de temp.

3. Adonibeſec.

Tertio, Maledictus Adonibeſec, crudeli, nimirum ira ſæviens in Reges à ſe devictos, amputans eis ſummitates pedum ac manuum, jubenſque ſub menſa ſua, canum inſtar, ciborum reliquias colligere. Juſta ergo Dei vindicta, ſimili in eum pœna recidit; nam Judâ duce captus eſt, ſummitatesque manuum ac pedum ei amputatæ. Unde juſtum hoc decretum è Cœlo eſſe agnovit, dicens: *Septuaginta Reges, amputatis manuum ac pedum ſummitatibus, ſub menſa mea ciborum reliquias colligebant: ſicut feci, ita reddidit mihi Deus.*

Judic. 1. 7.

Quartò, Maledictus Saul, qui irâ duce toties perſecutus eſt innocuum Davidem, & propter ipſam civitatem Nobe cum ſacerdotibus, & incolis ſuccendit. Propterea poſtmodum infelici morte in montibus Gelboe defungitur, propriæ incumbens haſtæ.

4. Saul.

Quintò, Maledictus Achitophel, magni vir in Iſrael conſilii; qui cùm vidiſſet in conſpiratione Abſalonis contra David non eſſe factum juxta conſilium ſuum, exira & indignatione domum abiens ſuſpendio ſe interemit.

5. Achitophel. 2. Reg. 17. 23.

Sextò, Maledictus Ozias, qui cùm templum ingreſſus, incenſum ut adoleret, reprehenderetur ab Azaria Sacerdote, iratus eſt vehementer, & tenens manu thuribulum, graviter Sacerdotibus eſt comminatus: Sed ſtatim in ſignum maledictionis, orta eſt lepra in fronte ejus coram Sacerdotibus in domo Domini ſuper altare Thymiamatis, furque leproſus uſque ad diem mortis, & habitavit in domo ſeparata plenus lepra, ob quam ejectus fuerat de domo Domini.

6. Ozias. 2. Paral. 26. 19.

Septimò, Maledictus Herodes Deicidium attentans, & tot innocentium ſtrage furorem ſuum orbi manifeſtum faciens. Poſt hæc autem dignam pœnam ſuſcepit, inquit ſanctus Chryſoſtomus. Nam filios ſuos tres interfecit, & non interfectos ab alio vidit occidi, ut ne vel paternam in illos pietatem demonſtraret in luctu; ſed ipſe occidit, ut & filios perderet, & de morte eorum crimen acquireret. Viſcera ſua laniabat in filiis, & dolorem eorum non ſenſit. Ut quemadmodum parvuli mortem ſuam non ſenſerunt, propter infantiam: ſic & ille dolorem viſcerum ſuorum non ſentiret, propter inſaniam. Deinde ipſe multis doloribus apprehenſus. Quot enim membra corporis habebat, tot doloribus torquebatur. Et quia multoties mori non poterat, qui multos occiderat infantes: propterea vindicta morientium plurimorum in plurimis et doloribus reddebatur. Item quando vidit ſe prope mortem, ſciens quia odibilis erat apud omnes Judæos, & quia mors illius multis gaudium erat factura, congregavit omnes Principes Judæorum, & juſſit ut cùm ipſe mortuus fuiſſet, omnes occiderentur, ut in morte ejus omnes civitates lugerent: etſi non propter amorem illius, vel ſaltem propter ſuum dolorem. Hæc Chryſoſt. Latiùs verò mortem ejus & crudelitatem legere potes apud Joſephum libr. 1. de bello Judaico cap. 21. & libr. 17. antiquitatum, cap. 9.

7. Herodes. Chryſoſt. homil 2. in Matth.

Mors miſera Herodis;

Joſeph.

Poſtremò, ſi omnes pacifici dicuntur beati, & filii Dei vocantur; certè maledicti qui pacem turbant,

turbant, quique lites, contentiones, rixas concitant, ut propterea dixerit de filiis suis Simeone & Levi Jacob moriens: *Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio, quia dura.* Nec solùm beati qui pacem in se colunt, sed & illi qui ad pacem alios reducunt, & ab iracundia avertunt. Ideo benedicta Abigail, de qua dixit David: *Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit hodie te in occursum meum, & benedictus sermo tuus, & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem & ulciscerer me manu mea. Aliquin vivit Dominus Deus Israel, qui prohibuit me ne malum facerem tibi: nisi cito venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal usque ad lucem matutinam mingens ad parietem.*

Gen. 49. 7

1. Reg. 25. 32.

LECTIO XI.

DE MURO PATIENTIÆ CONTRA MURUM IRÆ.

6. Murus Civitatis Dei est patientia. Tertull. Patientiæ laudes.

HUic jam descripto muro iracundiæ in civitate satanæ, ex adverso opponitur in civitate Dei murus Patientiæ. Eilque hic murus sublimis & speciosus, amplus, fortis, & solidus, muros omnes aliarum virtutum fulciens & consolidans. Unde de Patientia sic scribit Tertullianus. *Patientia fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adjuvat, humilitatem instruit, pœnitentiam expedit, exomologesim assignat, carnem regit, spiritum servat, manum continet, tentationes conculcat, scandala spernit, pauperem consolatur, divitem temperat, infirmum non extendit, valentem non consumit, fidem delectat, gentilem incitat, servum Domino, Dominum Deo commendat, fœminam exornat, virum approbat, amatur in puero, laudatur in juvene, suspicitur in sene, in omni sexu, in omni ætate formosa est.* Hæc ille.

Speciosus ergo murus ille, fortisque, ab omni statu, ab omni sexu, ab omni ætate ædificandus, tanquam cæterarum virtutum munimentum & propugnaculum. Unde iterum de eadem re differens S. Cyprianus sic loquitur. *Pat. extra tuetur in virginibus beatam integritatem, in viduis laboriosam castitatem, in conjunctis & maritatis individuam charitatem, facit humiles in prosperis, in adversis fortes, contra injurias & contumelias mites: Docet delinquentibus citò ignoscere, si ipsa delinquas diu & multum rogare, tentationes expugnat, persecutiones tolerat, martyria consummat.* Videsne igitur quod non solùm speciosus & fortis, sed & sublimis maximè sit murus iste, quandoquidem ad sublimissimum charitatis & virtutis culmen hominem perducat. Ad martyrium scilicet, quo nihil inter omnes heroicos sublimius, nihil fortius. Et certè sicut impatientia in omne delictum ducit, diffundens de suo fonte varias criminum venas: ita patientia radix est & custos aliarum virtutum, quia ejus munus est non vinci à malo, sed vincere in bono malum. Unde Basilius in admon. ad filium spiritualem sic eum monet: *Fili, patientiam arripe, quia maxima virtus animæ, ut velociter ad sublimitatem perfectionis possis ascendere. Retributionem patientiæ tuæ ne quæras ab homine, ut in futuro possis accipere ab æterno Domino æternam retributionem.* Nempè huic sacro & sublimi ædificio patientiæ tandem Deus coronidem addit in æterna illa retributione; quia quamdiu in hoc mundo sumus, pati oportet, & jugiter hunc murum ædificare & erigere; post hanc verò vitam finem accipiet, consummationem & coronam.

5. Cypr. l. de bono patient. Patientiæ effectus.

Patientiæ custos aliarum virtutum.

Porrò varii lapides & lateres electi hujus muri dici possunt varii virtutis Patientiæ actus. Hi sunt linguam frænare, iram temperare, mentem gubernare, pacem custodire, disciplinam regere, aliena mala æquanimiter tolerare, bonum pro malo reddere, impetum omnem animi frangere, tumoris violentiam comprimere, omne odium, omne simultatis incendium extinguere, cito delinquentibus ignoscere, cito ingratiam recipere. Sunt & alii innumeri jactus ad virtutis hujus perfectionem spectantes, & cum illa turrim perfectionis constituentes adversus omnes ventos & contrarias potestates perseverantem.

Patientiæ actus.

Hanc Patientiæ arcem ædificare nos docuit Christus Dominus, illius supremus Architectus: docuit autem non solùm verbo, sed etiam exemplo. Unde sanctus Petrus: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit nec dolus inventus est in ore ejus, qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur.* Ad ejus exemplum gnaviter sequendum sic exhortatur ibidem Christianos omnes: *Hæc est gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injustè. Quæ enim est gloria, si peccantes, & colaphizati sufferetis? Sed si benefacientes, patienter sustinetis, hoc est gratia apud Deum, In hoc enim vocati estis.* Ita ipse. Itaque convocantur omnes Christiani ad Christo cooperandum omni conatu in hac structura patientiæ ejusque exemplar, tanquam primi structoris diligentissimè intuendum & imitandum: Quia in illo patientia per totam vitam effulsit: Omnes actus ejus statim ab adventu in carnem patientiam docent, dum sine peccato peccata aliena jam ab infantia patienter portat, pœnasque illis debitas dignatur sustinere. In Judæis porrò tolerandis, quanta ejus patientia? Incredulos ad fidem suadendo flectere, obsequio ingratos fovere, contradicentibus respondere leniter, superbos sustinere clementer, humiliter persequentibus cedere, Prophetarum interfectores, & adversus Deum semper rebelles, usque ad Crucis & Passionis horam velle colligere. Judam verò quàm longâ usque ad extremum patientiâ voluit tolerare, dum dignatur cibum cum inimico sumere hostem domesticum sustinere,

Patientiæ exemplar Christus.

Arcis Patientiæ constructores. 1. Christus D. 1. Pet. 2.

tized by Google

nere, nec palam offendere, proditoris oſculum non recuſare. Quid poteſt patientius, quid benignius dici?

2. Sancti alij. S. Cypr. lib. de bono patien.

Ad hanc quoque patientiæ ſtructuram origendam, nos convocarunt & alii Sancti exemplo & verbo, tam ii qui Chriſtum præceſſerunt, quàm illi qui ſecuti ſunt. Audi S. Cypr. *Inventimus & Patriarchas & Prophetas, & juſtos omnes, qui figuram Chriſti imagine præmiſſa portabant, nil magis inſtediſſe in laude virtutum ſuarum, quàm quod patientiam forti & ſtabili æquanimitate tenuerunt. Sic Abel originem martyrij & paſſionem juſti hominis inſtituit primus, & dedicans, adverſus fratrem fratricidam non reſiſtit, non reluctatur, ſed humilis & miti patienter occiditur. Sic Abraham Deo credens & radicem ac fundamentum fidei primus inſtituens, tentatus in filio, non dubitat, neque cunctatur, ſed præcepta Dei tota patientia devotionis obſequitur. Et Iſaac ad hoſtiæ Dominicæ ſimilitudinem præfiguratus, quando à Patre immolandus offertur, paſſum invenitur. Tot denique Prophetas interfecti, tot gloriosi Martyres gloriosis mortibus honorati, omnes ad cœleſtis coronæ patientiæ laude venerunt.* Propterea dixit Apoſt. *Patientia vobis neceſſaria eſt, ut voluntatem Dei facientes reportetis repromiſſiones.* Item: *Exhibeamus nos ipſos ſicut miniſtros Dei in multa patientia.* Denique ob eandem cauſam dixit Dominus: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Homo enim ſibi & ſuo animo dominatur per patientiæ virtutem; dominatur & membris, linguam cohibent à contumelia, manum à vindicta: ſic homo patiens, ſeipſum interius exteriusque poſſidet: in homine verò impatiente dominatur furor, poſſidet eum ira. In ſæculo quoque futuro animam poſſidebit ſuam in æternum per patientiam, quia per illam regnum Cœlorum acquiritur, & animæ dominium gloriosum, ubi nulla amplius exterior vel interior reſiſtentia.

Heb. 10. 36. 2. Cor. 6. 4.

Patientia valdè neceſſaria.

Ex his itaque manifeſtum evadit, patientiam omnibus Chriſtianis eſſe ſollicitè procurandam & cuſtodiendam; ſive cùm tribulationes à Deo immiſſæ nos exercent, ſive cum contumeliæ, maledicta, verbera à proximo inflicta nos exacerbare contendunt, & ad iram provocare. Habemus exempla præclara Sanctorum, pauca hic accipe.

S. Martinus.

De S. Martino ſcribit Severus Sulpitius. Nemo unquam Martinum vidit iratum, nemo mœrentem, nemo ridentem; unus idemque ſemper cœleſtem lætitiam vultu præferens: Tantam verò adverſus omnes injurias patientiam aſſumpſerat, ut impunè etiam ab infimis Clericis læderetur, nec propter id, eos aut loco unquam moverit, aut à ſua charitate repulerit. Quin & pro illorum ſolebat orare peccatis, qui obtrectatores videbantur. Hæc ille.

Exemplo 55.

S. Spiridion ab Imperatore Conſtantino ad aulam erat vocatus; cùm verò cum quidam lacera veſte intrantem conſpiceret, alapam ei impegit. Ille mox alteram præbet conſilium Chriſti ſecutus. Id verò percuſſoris cor ita pervaſit, ut illico ad pedes ejus ſe abjiceret veniam deprecaturus.

S. Spiridion. Sur. 14. Decem.

S. Joannes Canonicus Regularis, de quo Surius 10 Octob. vir maximæ fuit patientiæ. Quidam è Fratribus furore commotus, & procaciter ingreſſus locum ubi familiariter cum quibuſdam conferebat, multa in eum convitia jactabat, minis & clamoribus eum exaſperare putans. At ille fellis expers, columbinæ ſimplicitatis amans, ne verbum reſpondet. Inquirit quidam ex familiaribus; Cur tam atrocia verba perferat, cùm enim ad cubiculum verbo remittere poſſit? Cur negligat ita honorem ſuum? Cur nequitiam viri non reprimat. Reſpondet: *Si flammis vorax adit tecta lambens in ſublime fratres, num tu conſulis plus materiæ in flammam injicies? Frater iſte magno ardet furore, ſi minarum faculas admovero, inflammabitur magis, nec in veſtram viam facilè revocabitur. Vos verò flamma deſerbuerit, ad remedia opportuna animo deliberato accedere licebit.* His dictis, nihil commotus abſceſſit, eum Davide ſuæ Scripturæ pulſans citharam, atque ita Saulis inſaniam temperans: ea enim harmonia didicerat iræ veſaniam profligare.

S. Ioan. Cor. Reg.

Pulchrum eſt hac de re ad patientiam ſectandam, & contra iram ſe armandum, decretum Imp. Theodoſii: *Si quis modeſtia cenſcius & pudoris ingenui, improbo petulantique maledicto nominum noſtrorum crediderit lacceſſanda, ac temulentia turbulentus obtrectator temperiæ fuerit, cum pœnæ volumus ſubjacere, neque durum aliquid, neque aſperum ſuſtinere: Quoniam ſi id ex levitate proceſſit, contemnendum eſt ſi an inſania, miſerationis dignißimum; ſi ab injuria, remittendum.*

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS VII.

DE VITIO ACEDIÆ.

LECTIO I.

Quid ſit Acedia?

7. Morum ariſtatis Sacra eſt Acedia.

SEPTIMUM murum Jericho conſtituit Acediæ vitium. Definitur autem Acedia, *Torpor mentis bona inchoare, vel proſequi negligentis.* Habet enim duas partes, ſcilicet vel pigritiam in aggrediendo, & auſpicando bonum, vel triſtitiam in progrediendo, & tædium in perſeverando in jam inchoato bono. Hinc apud ſacros Scriptores vitium iſtud inſinuatur variis nominibus, variiſque deſcriptionibus.

Etymon & definitio Acedia.

1. S. Gregorius vocat acediam, utriuſque hominis languidam dejectionem de virtutum laudabili exercitio.

2. S. Damaſcenus vocat triſtitiam aggravantem mentem, ut nihil boni ei agere libeat.

S. Tho 2. 2. q. 35.

3. S. Thomas vocat tædium bene operandi, & triſtitiam de re ſpirituali, ſive receſſum mentis à bono ſpirituali divino, cui oportet mentem inhærere ex neceſſitate.

4 Hugo de S. Victore vocat Acediam ex confuſione mentis natam triſtitiam, & amaritudinem animi immoderatam.

5. S Joan. Climacus ſic eam deſcribit: *Acedia eſt remiſſio animæ, & reſolutio mentis, puſillanimitas exercitationis, odium profeſſionis, meritorum beatificatrix, detractrix Dei quaſi in viſceribus, & exiſtentia ſine benignitate. Attonita in pſalmodia, infirma in oratione, in miniſterio ferrea, in opere manuum pigra in obedientia improba.*

Duplicitèr hoc vitio peccatur.

Quibuſcunque porrò nominibus aut titulis indicetur, ſive triſtitiæ ſpiritualis, ſive torporis, & pigritiæ, ſive tædii & faſtigii, ſive indevotionis & languoris: duplici modo hoc vitio, ut diximus, homines peccant. Primo quidem modo, quando pigrè, tardè, & cum triſtitia bona opera aggrediuntur, ut jejunia, orationes, exercitia ſpiritualia, & in his quæ ſalutis ſunt laborem detrectantes, aut bona opera ex tædio & faſtidio intermittunt. Quod ſi verò, ea quæ omittuntur ſint ex præcepto aut ſint ad ſalutem neceſſaria, tale animi tædium jam ſit mortale peccatum; quandoquidem illud ſit excutiendum, illique repugnandum & reſiſtendum. Ad illud excutiendum his operibus quæ ſalutem concernant, ſæpe monet Scriptura. Hinc illud ad Galatas: *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Et iterum: *Bonum facientes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus.* Item: *Quodcunque poteſt facere manus tua, inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Item: *Earum ſcientiam volui atem Domini ſui, & non feciens, plagis vapulabit multis.* Gal. 6. 10. Eccl. 9. 10.

Propterea etiam Sapiens ad ſtudium ſcientiæ ſalutaris, ſive ad ſtudium virtutis & perfectionis extimulans, ſic ait: *Subjice humerum tuum & porta illam, & ne acedieris vinculis illius.* Nempe is qui virtutem ſectatur, & viæ ac ſcientiæ ſalutis incumbit (quæ hic ſapientiæ nomine intelligitur) debet ſe totum ſubmittere virtuti & ſapientiæ, quicquid injungit, etiamſi grave ſit & moleſtum, debet exoqui. Debet pedes, collum, humerum illi offerre, nihil pro illa laboris debet detrectare, ſed omnia ſufferre cum alacritate, etiamſi vincula & compedes videantur, ſunt enim alligaturæ ſalutis. Bonum eſt, cum illa pedes noſtros conſtringit, hoc eſt, dum affectus noſtros cohibet. Cum collum noſtrum, hoc eſt, ſuperbiam curvat, etſi moleſtum eſt, & ipſum tamen nobis proficuum. Cum manus noſtras colligat, à malis operibus Dei timore nos retrahens, & hoc ipſum durum eſt, ſed tamen cum gaudio ſuſtinendum. Cùm humeros noſtros onerat, onus alacri animo ferendum. Hoc igitur vult Sapiens, dum dicit: *Injice pedes tuos in compedes illius & in torques illius collum tuum. Subjice humerum & porta illam, & ne acedieris vinculis illius* Luc. 12. 47. Eccl. 6. 26.

Ibi utitur verbo acediæ, vitii ſcilicet illius quod explicaturi ſumus. Quaſi dicat: Ne triſteris vel tædio afficiaris, ob ejus vincula ſalutaria manibus pedibuſque tuis injecta, quibus te à malo & ab affectibus inordinatis cohibet, quibus & ad viam ſalutis ac ad opera bona trahit, permitte te cohiberi, permitte te trahi; ſequere lubens, non invitus aut triſtis, quò te ducit, ejus præcepta promptus exequere. Idipſum iterum clarius explicat verbis ſequentibus: *In omni animo tuo accede ad illam & in omni virtute tua conſerva vias ejus.* Q. d. Tota animi tui virtute, tota fortitudine exequere mandata ejus; noli frigido aut tepido & tædioſo animo ad illam accedere, illiuſque præcepta obſervare cum triſtitia. Rationem ſubdit. *In moviſſimis enim invenies requiem in ea, & convertetur tibi in obleſtationem.* Nam ſi præcepta Dei & ſapientiæ divi-

divinæ videntur carni moleſta eorum tamen obſervatio prompta, poſtmodum conſcientiæ eſt jucundiſſima. Jugum quidem Domini oculis carnis videtur aſperum & tædioſum, ſed oculis mentis ſuave eſt & leve, requiem animi adducens. Virtutis radices nonnihil ſunt amaræ, ſed fructus ſuaviſſimi tum in hac vita, propter conſcientiæ pacem, tum in altera ob æternam mercem. Ergo omne tædium, omnis triſtitia, omnis torpor, omnis acedia in via virtutis excutienda.

Duæ viæ ſunt humanæ vitæ.

In eandem ſententiam dixerunt antiqui, duas eſſe vias, per quas humanam vitam progredi neceſſe eſt; unam quæ in cœlos ferat, alteram quæ ad inferos deprimat; unam virtutis, alteram vitiorum. Et quidem illam quæ virtutis eſt, dixerunt primo aditu eſſe arduam & contragoſam, in qua ſi quis difficultate ſuperatâ in ſummum ejus evaſerit, habere eum de cætero planum iter, amœnumq; campum, & omnes laborum ſuorum capere fructus uberes atque jucundos. Quos autem primi aditûs difficultas deterruerit, eos in eam vitiorum viam labi atque deflectere, quæ primo ingreſſu ſit quaſi amœna; ſed deinde cùm in eam paulo ulterius proceſſerint, amœnitatis ſpeciem repentè ſubduci, exoriri autem viam præcipitem, nunc ſaxis aſperam, nunc obductam ſentibus; nunc gurgitibus interciſam, vel torrentibus rapidam, ut laborare, hærere, labi, cadere ſit neceſſe. Quæ omnia ideo dicuntur, ut appareat in virtutibus capiendis labores eſſe magnos, ſed magnos etiam fructus, & ſolidas atque incorruptas voluptates, ideoque acediam & triſtitiam, ad illos fructus per aſperam viam contendenti, proculcandam eſſe animo forti. Ut appareat quoque, vitia quibusdam delinimentis alicere animos ad inertem vitam, & inanis jucunditatis ſpecie, ad acerbas amaritudines miſeriasque perducere. In via ergo vitiorum, ad quam ignavia ducit, illecebræ ſunt, voluptates ſuntiæ mortiferæ: illic enim diabolus blanditur ut fallat, arridet ut noceat, allicit ut occidat. Hanc utramque viam elegantè deſcripſit verſu Virgilius de littera Pythagoræ, quæ eſt littera Y.

Littera Pythagoræ diſcrimine ſicta bicorni,
Humanæ vitæ ſpectum præforre videtur.
Namque via virtutis dextrum petit ardua callem,
Deſſicilemque aditum primum ſpectantibus offert;
Sed requiem præbet ſeſſis in vertice ſummo.
Molle ſiniſtrorſum vitæ lata ſed ultima meta
Præcipitat cæcos, vulvitque per avia ſaxa.
Quisquis enim duros caſus virtutis amore
Victoris, illa ſibi laudemque decuſque parabit.
At qui deſidiam, luxumque ſequuntur inertem,
Dum fugis oppoſitos incauta mente labores,
Turpis inopsque ſimul miſerabile tranſiget ævum.

Cæterum cùm hæc acedia de qua agimus, quam & triſtitiam & tædium boni ſpiritualis definivimus, murum ſortem & amplum conſtituat in civitate ſatanæ inter capitalia peccata locum ſibi vendicans, reſtat ut ejus dimenſiones explicemus, tubasque contra illum inſonantes audiamus, & maledictiones quas inducit, in medium producamus, ordine ſuprà à nobis conſtituto.

LECTIO II.

DE ALTITUDINE muri Acediæ.

1. *Altitudo.*

SIcut de alijs vitiis capitalibus, murum civitatis diaboli conſtituentibus, diximus habere quemlibet eorum altitudinem extollentem ſe contra Deum, ſic & in vitio acediæ eſt demonſtrandum. Etenim ex hac tædia & acedia, paulatim cætera quotquot ſunt in homine virili oriuntur. Ideo ſcripſit Sapiens: *Multam malitiam docuit otioſitas.* Imo inducit acedia tandem hominem ad contemptum quemdam Dei, rerumque divinarum. Ergo non mirum ſi dicamus contra Deum & cœlum hunc ſatanæ murum ab acedia conflatum ſuam altitudinẽ erigere; qua quidem altitudine gratiam Dei & lucem Spiritus S. planè impedit, gratiam devotionis & orationis impugnat, Deo & Spiritui ejus rebellis. Facit quoque ignavia & torpor acediæ, quando jam invaluit, ut impoſſibilitatem quandam Dei præceptis ineſſe exiſtimet homo; ideoque Deum crudelitatis cujusdam inſimulat, imò & injuſtitiæ. Hinc blaſphemia, hinc & odium ſequi natum! O altitudo ſemper creſcens maledicti hujus vitii, niſi quantocyus ejus fundamentum demetatur! Denique dilationem converſionis in peccatoribus acediæ torpor inducit, ex qua torpida dilatione in animo ſequitur quædam rebellio contra Deum vocantem & inſpirantem. Pugnat ergo cum ea acediæ contra ceſtitudinem divinæ miſericordiæ. Ideo Apoſtolus dicit: *An divitias benignitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* De hac etiam pronuntiavit Job: *Iſti ſunt rebelles lumini, & neſciverunt vias ejus.* Certè Deo maximè odiolum & abominabile eſſe acediæ vitium, ſatis manifeſtè atteſtatur ipſe, dum dicit: *Vinam calidus vel frigidus eſſes; ſed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Quid magis horrorem parit, quam quod vomitu ejectum eſt: Ergo tepor horrorem quendam Deo pariat neceſſe eſt, quandoquidem ad evomendum hominem à ſe, Deum provocat quodammodo invitum.

Rom. 2. 4.

Job. 24. 13

Apoc. 3. 16

LECTIO III.

DE PROFUNDITATE MURI ACEDIÆ.

2. *Profunditas.*

PRofunditas hujus muri ſatanici, ex graviſſimis peccatis ad quæ hominem mergit, intelligi poteſt. Unde S. Maximus ſic de acedia loquitur: *Omnes alios affectus, aut tranſeundi in animo attingunt, aut*

S. Maximus de charitate, c. 1.

Digitized by Google

concupiscentiam, aut partem animæ rationalem, cujus generis est oblivio aut ignorantia. At acedia omnes animæ virtutes depopulans omnes fere unanimiter animæ affectus commovet. Quapropter omnibus aliis quoque affectibus est gravissima. Probèitaque Christus adversus hanc unum præstitit pharmacum: in patientia, inquit, vestra possidebitis animas vestras. Unde & hoc vitio affectos describens S. Bern. Invenire inquit est etiam in congregatione religiosa homines pusillanimes & remissos, decidentes subonere, virga & calcaribus indigentes, quorum remissa lætitia, pusillanimis tristitia est, quorum brevis & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conversatio, quorum obedientia sine devotione, sermo sine circumspectione, oratio sine cordis intentione, lectio sine ædificatione, quos denique vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frænat ratio, vix disciplina coercet. Postmodum vero describit S. Bernardus quàm profundè eos deducat illud acediæ vitium, ita ut possint usurpare illud: *Æstimatus sum cum descendentibus in lacum, vita mea inferno appropinquavit.* An non tibi horum vita, inquit ipse, inferno appropinquare videtur penitus, *dum intellectu affectus, & affectui intellectus repugnante necesse habent mittere manum ad opera fortium qui cibo fortium minùs sustentantur. sociplanè tribulationis, sed non consolationis? Exurgamus obsecro, quicumque ejusmodi sumus, resarciamus animas, spiritum recolligamus, abjicientes pernicio sam tepiditatem; quia pernicio sa est, & Deo solet vomitum provocare: quia molestissima, plena miseriæ & doloris; & inferno planè proxima, umbra mortis jure censetur.*

S. Bern. serm de Accens.

Hæc est igitur profunditas hujus vitii, profunditas hujus muri satanici, quæ proxima inferno est, quæ hominem deducit ad cor durum, cor quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur: Cor quod ingratum est ad beneficia, infidum ad consilia, ad judicia sævum, irverecundum ad turpia, inpavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina, præteritorum oblivi scens, præsentium negligens, futura non providens. Huc usque deducit acedia, sed & ad centrum & profundum omnis peccati perducit, ad desperationem nimirum, quâ nihil profundiùs, nihil infer-

S. Chrys. l. de lapsu. no proximùs. Audi S. Chrysost. *Radix desperationis est ignavia, & non solùm radix, sed & nutrix ejus & mater. Nam sicut vestimentum & tinctam generat & nutrit; ita ignavia non solùm gignit ex se desperationem, sed alit & fovet.* Ex torpore enim oritur pusillanimitas, ex pusillanimitate diffidentia omnis futuræ emendationis, ex illa diffidentia desperatio veniæ: & hoc est profundissimum barathrum, ex quo vix contingit emergere. Hæc omnia ex acedia venire, tum experientia, tum sacra testantur eloquia. Hinc illud Prov. 15. *In mœrore animi dejicietur spiritus.* Quid verò est acedia, nisi mœror animi? Absorbet ille animum, illumque dejicit in desperationis profundum. Sic verum est & illud: *Spiritum tristitiæ exsiccat ossa.* Quænam ossa? Animi scilicet ossa æquè ac corporis, hoc est vires ejus & fortitudinem exlugit; sicque exsiccat ab humore gratiæ, & indissidentiæ, & desperationis siccitate eum relinquit. Idcircò iterùm Eccl. pronuntiat: *Fœlix qui non habuit ex mœstitiam, & non excidit à spe sua.* Qui enim immoderatam concipit ex acedia tristitiam, jam quodammodò ab animo suo condemnatur, ita ut excidat à spe quam habet in Deum. De hac tristitia pessima, animum & spem absorbente, ac in profundum mergente, sic loquitur S. Chrysost. Tristitia animarum crudele tormentum est, & dolor quidam inexplicabilis, & judicium omni judicio & vindictâ deterius. Nam & vermi similis est venenato non solùm ad ossa, sed etiam ad corda pertingens: & perpetuus quidam carnifex, non corpus dilanians, sed vires animæ consumens: & jugis nox ac tenebræ profundæ & tempestas, & turbo, & febris non apparens, omni igne validiùs incendens, & pugna requiem non habens, & languor plurimos obscurans viventium. Non enim noctis tenebræ tales sunt, qualis nox mœroris ex cogitationum obscuritate collecta, faciem omni tyranno crudeliorem præferens, nulli facilè obtemperans eorum qui eam dissolvere moliuntur. Hæc S. Chrysost.

Prov. 17. 22.

Eccl. 14. 2.

S Chrys. ep 7. ad olympiam

LECTIO IV.

DE LATITUDINE MURI ACEDIÆ.

LAtitudo hujus muri Jericho agnoscitur in varii generis saxis, sive luteis lateribus, quibus constat. Quænam autem sint illa saxa, quinam illi lateres, nisi varia peccata acediæ agglutinata? Et quidem omnis generis vitia ex illa ortum ducere suprà docuimus; sunt tamen quædam quæ specialiter ad eam referuntur. Hæc sunt illa, quæ partim suprà insinuavimus, nimirum tepiditas, mollities & pusillanimitas, somnolentia, otiositas, dilatio, tarditas, negligentia, imperseverantia, remissio & dissolutio animi, incuria, ignavia, indevotio, tristitia, tædium vitæ, diffidentia & desperatio. De his porrò sigillatim pauca nobis dicenda. 3. Latitudo.

DE TEPORE.

TEpiditas definitur parvus boni amor, sive languor spiritualis ad bonum: & videtur prima radix in peccato acediæ, ex qua cætera germina pessima pullulant. Hæc ut diximus, Deo vomitum provocat: atque tunc à Deo tepidus evomi incipit, quando in deteriora labitur; perfectè verò evomitur, dum impœnitens moritur & reprobatur. Hæc etiam satanæ aditum referat, & tentandi fidu- *Quid sit tepor.*

Digitized by Google

etiam præbet; nam ferventes vix aggredi audet Satan: *Olla fervens musca non insidet.* Qui in virtute progredi ab teporem non curat, januam claudit inspirationi divinæ, sicque paulatim corruit. Hinc Cassianus sic ait: *Lapsus quispiam nequaquam subitaneum corruisse credendus est, sed aut prava institutionis deceptus exordio, aut per longam mentis incuriam paulatim virtute animi decidente, & per hoc sensim vitiis insrescentibus, consendus est concedisse. Ante contritionem enim præcedit ruina, & ante tristitiam mala cogitatio. Quemadmodum domus nunquam subitaneo ad ruinam procumbit impulsu, nisi aut antiquo vitio fundamenti, aut longa inhabitantium desidia, stillicidii primùm parvissimis penetrantibus, corrupta sensim fuerint munimenta tectorum.* Sic ergo tepor occasionem graviori ruinæ suggerit, ideoque sollicitè fugandus.

Cassian. collat. 6. c. 17.

DE MOLLITIE.

Quid sit mollities. Prov. 18. 9

Mollities est impatientia rei duræ. Mollis enim dicitur qui duris cedit. & sic ab opere, cùm durum aliquid occurrit, discedit. Prov. *Qui mollis est & dissolutus in opere, frater est suæ operæ dissipantis.* Sicut cera mollis ad ignem, sic homo quandoq; deficit ad minimam difficultatem. Hanc etiam mollitiem possumus vocare pusillanimitatem, de qua Eccl. etiam scribebat Bern. *Noli esse pusillanimis in animo tuo.* De hac

Eccl. 7. 9. Bern. ep. 32. *nostrate positos videmus compatimur, quibus dum exitum ignoramus, defectum metuimus: quanquam quidem sicut Sanctis & electis tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatis spem, spes autem non confundit; sic damnandis & reprobis tribulatio parit è contrario pusillanimitatem, pusillanimitas perturbationem, perturbatio desperationem, & illa interimit.* Contraria huic mollitiei & pusillanimitati est fortitudo animi, quæ à Deo precibus humillimis imploranda est. De qua S. Ambros. sic ait:

Ambros. l. 1. offic. c. 36. *Reverà juxta ea fortitudo vocatur, quando nunquam sortunæ vincit, nullis illecebris emollitur atque infletitur, non adversis perturbatur, non extollitur secundis, non variarum rerum mutationes, quasi vanto quodam circumfertur. Quid autem excelsius & magnificentius, quàm exercere mentem, afficere carnem, & in servitutem redigere, ut obediat imperio, consilijs obtemperet, ut in agendis laboribus impigrè exequatur propositum animi ac voluntatem.*

Animi fortitudo.

DE SOMNOLENTIA.

Quid sit somnolentia.

Somnolentia est pigredo illa de qua Prov. 19. *Pigredo immittit soporem.* Et cap 6. *Usquequò piger dormies? quando consurges à somno tuo. Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus ut dormias, & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus. Si verò impiger fueris, veniet ut fons messis tua, & egestas longè fugiet à te.* Quæ quidem omnia, non solùm de corporali, sed etiam de spirituali copia, aut inopia, accipienda sunt. Iterùm monet eadem de re Eccl. *Hora surgendi non tetricæ, sed præcurre prior in domum tuam, ibi lude, ibi avoca, & age conceptiones tuas, & benedicite Dominum qui fecit te, & inebriantem te ab omnibus bonis suis.* Econtrà somnolentos reprehendit Sapiens: *Sicut ostium vertitur in cardine, sic piger in lecto suo.* Nempè sicut ostium in cardine versatum huc illuc, murmurat, & tamen à loco suo non recedit, nec exit; ita piger somni amator de lecto se non movet, licèt in lecto moveatur: si evocetur clamore, infestatur, murmurat, huc illuc se vertit, distendit brachia, manus scalpit, & interim præsto adesse renuit. Ac hæc etiam vera sunt in pigro spirituali, quia ad viam virtutis vocatus, aures obstruit; vel si audit, venire differt, semper morat quærit. Ad hunc inclamat Apostolus: *Hora est de somno nos surgere.*

Eccl. 38. 15.

Prov. 26. 14.

Pigri eunsuendo.

Rom. 13. 11

Audi iterùm Eccles. de pigro contemptim loquentem: *In lapide luteo lapidatus est piger, & omnis qui tetigerit eum, excutiet manum.* Quasi dicat: Per suam socordiam ita est maculatus, ac si lapide lutoso aut stercore boum esset impetitus, ac proindè, sicut omnes de tali cum riso loquerentur, & qui talem contigillet, mox à sordibus contractis excuteret manus suas; sic omnes de pigri vilitate loquuntur, ejusque consortium devitant, & si quid ei commiserint, mox ab illo subtrahunt, & se eximunt. Græca ibi legunt, teste Jansenio: *Lapidi conspersato comparatus est piger, & omnis sibilat super ignominiosa ejus. Stercori boum comparatus est piger omnis qui tollit illud, excutiet manum.* Significaturque hic comparatione vilitas, contemptus, & sordities hominis pigri. Potest etiam & hic sensus esse, ut piger lapide luteo dicatur lapidari, quando corripitur, aut verbis increpatur: ipse enim sic exaggerat quod patitur, sic ingemescit, quasi lapidatus foret, cùm in nullo sit læsus, sicut stercore boum vix potest quis lædi. Omnis quoque qui tetigerit eum, excutiet manus, quia onerosus est omnibus, & displicibilis, & inquinatus. Quomodo verò pigritia & somnolentia excutienda ad laudes divinas matutino tempore decantandas, vide quæ dixi in 2. Tomo Horti Pastoralis cit. de Orat. matutina, & in Virga Aaronis, Tract. 3. Lect. 11.

Eccl. 22. 1. & v. 2.

Pigri vilitas.

Jansen. in illum locum.

DE OTIO, ALIIS SPECIEBVS ACEDIÆ.

Otium Christiano multis titulis vitandum.

Otium etiam species est acediæ, illudque Christiano multis est titulis vitandum. Prima ratio esse potest, quia homo ex conditione sua natus est ad laborem, sicut avis ad volatum. Secunda, quia exemplo aliarum creaturarum invitatur ad laborandum, & non ad otiandum. Sol, Cœli elementa numquam quiescunt, sed semper aguntur: homini quoque datæ sunt manus, pedes, vires à natura, ut operetur, ut non otietur. Deus itaque hominem finxit, non ut segnis ac languens desideat, sed ut in laboribus honestis se exerceat. Unde primò Adæ in paradiso præcepit, ut laboraret, & paradisū custodiret:

Digitized by Google

Prov. 6, 6. *Formica hieroglyphicum laboris.*

diret? & postquam eum ejecisset, tulit sententiam; ut in fudore vultus sui vesceretur pane suo. Ubique otium reprobatur, sive à Deo, sive à creaturis, sive ab animalibus, ad quæ sæpe mittit Scriptura hominem inertem: *Vade ad formicam ô piger, & considera vias ejus, & disce sapientiam; quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, parat sibi cibum in æstate, & congregat in messe quod comedat*: Quasi dicat: Cùm formica non habeat cujus exemplum sequatur, sicut nos Christi & Sanctorum, nec præceptorem, sicut nos Ecclesiam & Præpositos, tamen congregat in messe quod comedat in hyeme. Nos verò non prospicimus in præsenti vita futuro tempori, cùm nancisci possimus tot occationes operis boni, & provisionis copiosæ, pro tempore illo indigentiæ. Et adverte, quod singula quæ in formica sunt ad virtutem omnigenam nos instruunt. 1. Formica enim est animal parvum: sic commendatur humilitas. 2. Formica sociæ laborantes adjuvat: sic docetur charitas. 3. Formica sollicita semper curritat: sic monstratur laboriosa industria. 4. Formica provida est de futuro, sic ostenditur prudentia. 5. Formica portat majus pondus quam ipsa sit; sic insinuatur zeli compassio. 6. Formica vias facit in silice: sic docet hominem per vias durat ambulare. *Vade* ergo *ad Formicam*, ô homo, & *considera vias ejus*. Non solùm Regina Austri, aut Ninivitæ, sed & ipsa consurget in judicio, & otiosos condemnabit, sterilesque bonorum operum. Vade & ad apes, & vide earum diligentiam, sollicitudinem, industriam, & disce non otiari. *Brevis in volatilibus apis, imitium dulcoris fructus ejus.* Tertia causa fugiendi otii est, quia multa ex illo vitia exoriuntur. Nam & de Sodoma testatur Ezechiel, eo usque malitiæ eam prorupisse, ob saturitatem panis, & otium ejus ac filiarum. Etiam in idololatriam lapsi sunt filii Israel otium lectantes, dum Moyses in monte cum Deo ageret: *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere*; Vitulumque aureum impiè adorarunt. David quam diu exercita vit se in militia, non insultavit ei luxuria; sed postquam domi otiosus remansit, adulterium commisit, & postmodum homicidium. Sampson dum cum Philistæis pugnavit, non potuit caprab hostibus; sed postquam dormivit in sinu fœminæ, & otiosè cum ea remansit, mox capitur & excæcatur. Salomon dum occupatus esset in ædificatione templi non sensit luxuriam, sed mox recedens ab opere, ejus persensit insultum; & fedas inertiæ, ad idola adoranda defecit, fœmina instigante.

V. quæ de Formica natura scribit Plinius lib. 11. nat. hist. c. 30. omnia virtutis in formica habentur.

Eccl. 11. 3. Ezech. 16. 49. —

Exod. 32. 6.

Judic. 16. 19. *Otium fomes vitiorum.* 3. Reg. 11. 3.

Propterea S. Antonius Monachorum Pater, cupiens otiositatem fugere, clamabat in Eremo ad Dominum: *O Samaritane Domine Deus, ô animarum & corporum vere custos, suscita in me gratiam tuam, infunde servo tuo ne in cordibus, ut in Eremo collocatus, incassùm à te non moriamur otiosi.* Et audivit Anton. vocem: *Antoni cupis Deo placere? Ora, & dum orare non poteris, manibus labora, semperq; aliud facito: fac quod in te est, & non deficiet tibi mox lumen de Sancto.* Testis est S. Athanasius in vita ejus.

In vitâ PP. & Athanasius.

Hinc etiam laudatur mulier illa fortis, quod panem non comederit otiosa, sed quod quæsierit lanam & linum, & *operata* sit consilio, sive industria *& opera manuum suarum, factaque sit velut navis institoris de longè portans panem suum.* Laudatur quoque quod accinxerit fortitudine lumbos, roboraverit brachium, manum miserit ad fortia, & digiti ejus apprehenderint fusum. Deniq; laudatur quod de fructu, sive labore & lucro manuum suarum plantaverit vineam, quodque cingulum tradiderit Chananæo; hoc est, vendiderit mercatori de laboribus suo. Et multa similia in laudem ejus dicuntur ut ostendatur quomodo non fuerit otiosa, sed in omni opere maximè laboriosa; sicque in exemplum aliis exhibetur, ne per otium diffluant, & in vitia dilabantur. Nam, ut de quibusdam dicit Apostolus: *Otiosæ discunt circuire domos simul & verbosæ.* Et otio enim circumcursatio, garrulitas, & curiositas, aliaque vitia graviora in fœminis sequi solent. Neque solum in illis, sed in viris, nam verum est illud Catonis: *Nihil agendo, male agere discimus.* Mens nostra est mobilis, instar molendini quod semper volvitur, & molit vel farinam, vel seipsum. Quapropter necesse est, si frugiferum opus non aggrediatur, infrugiferum & inutile attentet, adeoque aliorum vitas otiosè scrutetur, & inde ad obtrectationes & alia vitia progrediatur.

Pro. 31. 17.

1. Tim. 5. 13.

Hinc etiam de quibusdam dicit Apostolus: *Audivimus inter vos quosdam ambulare inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes.* Nempè hi otiosi avent singulorum facta audire, judicare, carpere, inquieti sunt, dicaces, & turbulenti: Negotiosi verò in silentio panem suum manducant, & suis operibus vacant. Rectè sanctus Chrysost. *Sicut terra non occupata semente, aut consitione, quamlibet herbam producit: sic & anima quoties non habet quod agat rerum necessariarum, cùm omnino cupiat aliquid agere, pravis actionibus semet tradit.* Et quemadmodum oculus non desinit cernere, atque ob hoc cernit mala, si quando bona non sint objecta: sic & cogitatio, quoties se abducit à necessariis, circa inutilia jam versatur; nam undequaque perspicuum est, quod occupatio ac sollicitudo valet primùm incursum repellere. Rectè quoque Cassian. *Mens otiosi nihil aliud cogitare novit, quàm de cibo ac ventre, donec inventa quandoque sodalitate cujusdam viri, vel fœminæ æquali toto pene torpentis, rebus eorum ac necessitatibus involvatur & ita paulatim reddatur noxiis occupationibus irretitus, ut tanquam serpentinis spiris obstrictus, hanquam dudùm adperfectionem professionis suæ se valeat exuere.* Hæc quotidiana experientia docet, tum in viris sæculi hujus, tum in Religiosis otiosis.

1. Thess. 3. 11.

S. Chrys. hom. 7. in 2. ad Corinth.

Cassianus l. 10. instit. c. 8.

DE DILATIONE.

Quid ſit dilatio.

Dilatio quæ ex acedia oritur, eſt quædam converſionis procraſtinatio: quæ ſæpe reprehenditur à Scriptura, tanquam periculo obnoxia. Unde Heb. 3. 13 Eccl. 5. 8. Apoſtolus ſic loquitur. *Adhortamini vosmet ipſos per ſingulos dies, donec, Hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* In quam eandem ſententiam dixit Sapiens. *Ne tardes converti ad Dominum & ne differas de die in diem.* Nempè hæc converſio unum eſt ex his quæ oportet fieri cito; Quapropter dum vocat oriens gratiæ, non eſt reſpiciendum ad occidentem peccati & malitiæ. Unde merito ſic monebat S. Baſilius. Baſil. orat. 4. de pœnit. *Suſcipiamus tandem aliquando curam animarum noſtrarum, ô Fratres, mœreamus ob ſtultitiam vitæ antegreſſæ, decertemus pro futuris; ne amplius in hac perſtemus, nec præſens ſemper per negligentiam amittendo, in craſtinum verò, & conſequentia actiones differendo, revocati ab eo qui reposcit animas noſtras, nec bonis operibus præparati, à gaudio ſponſi excludamur. Fruſtrà tum poſſimè actam vitam lugebimus, cùm nihil amplius hoc pœnitentibus proderit.*

Iſa. 28. 13. Ad eandem dilationem poteſt referri illud Iſaiæ. *Erit ei verbum Domini, Manda Remanda, Expecta, Re expecta, Modicum ibi, ut vadant &c. ædant retrorſum, & conterantur.* Verbum Domini multis eſt occaſio ſimilis deriſionis: Multi enim quando admonentur de ſua converſione, reſpondent Domino, ſi non verbo, ſaltem facto: *Mandùca, Remanduca, Expecta, Re expecta*; & tandem procraſtinantes venire ad Deum cadunt retrorſum, & conteruntur, dum improvisè moriuntur, & irrevocabiliter damnantur. Sic de ſe fatetur S. Auguſt. S. Aug. l. 8. Confeſſ. c. 5. *Non erat quod tibi reſponderem dicenti mihi: Surge qui dormis, niſi verba lenta & ſomnolenta, modo ecce modo, ſine paululum. Sed modò non habebat modum; & ſine paululum, in longum ibat. Differebam de die in diem vivere in te, & non differebam in memetipſo mori.* Sed de hac dilatione converſionis jam diſſeruimus, quando de Pœnitentia egimus. Videri etiam poteſt Guillielmus Peraldus copioſiſſimè de hac re tractans cap. 5 de Acedia, tom. 2.

DE TARDITATE.

Tarditas eſt, cùm quis jam inchoavit opus, ſed tardè procedit in illo jam inchoato. Quod quidem Deo inviſum eſt. Unde Proverb. 10. dicitur: Prov. 10. 26. *Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, ſic piger his qui miſerunt eum.* Moleſtum eſt acetum dentibus, moleſtus fumus oculis, ſic & moleſtiam videtur ſuſtinere Deus in tarditate eorum qui ſibi ſerviunt, vult enim eos ſtrenuos eſſe. Imo quodammodò volare, vel currere: Iſa. 40. 31. *Qui ſperant in Domino, aſſument pennas ut Aquila current, & non deficient.* Eccl. 31. 27. Ideò etiam monebat Eccleſ. *In omnibus operibus tuis eſto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi*; hoc eſt: In his quæ agenda incumbunt, ne pigidus ſis, ſed diligens & ſtrenuus: velocitas & diligentia cuſtos eſt ſanitatis animæ & corporis nam promptitudini & alacritati animi conjuncta, pellit mœrorem, pellit melancholiam & languorem, quem deſidia nutrit, vires corporis & animæ enervans.

DE NEGLIGENTIA.

Quid ſit negligentia.

Negligentia in hoc conſiſtit, quo homo non curet, qualiter opus inchoatum faciat, benè vel malè, perfectè vel imperfectè. Hoc ſolum curat, ut onere laboris inchoati ſe expediat. Monet tamen Dominus per Sapientem: Prov. 24. 30. *Diligenter exerce agrum tuum.* Quod de agro cordis rectè intelliges, de quo ibidem dicitur: *Per agrum hominis pigri tranſivi, & per vineam viri ſtulti; & ecce totum repleverant urticæ, & operuerant ſuperficiem ejus ſpina, & macheria lapidum deſtructa erat.* Certè dignum lachrymis eſt, quod homines adeò diligenter ſe gerant in his quæ ſæculi ſunt peragendis, in his verò quæ ad Deum ſpectant, adeo negligenter, cùm illa opera coram Deo & Angelis ejus ſe exercere probè noverint, aut certè ignorare non debeant. In Chronicis Ciſtercienſis Ordinis legimus de S. Bernardo. In chron. ord. Ciſt. Quadam nocte cùm intereſſet matutinis Officiis, adverſiſſe plures Angelos in Choro agere cum Religioſis, & ſcripto notare qualiter ſe hi in officio gererent. Vidit autem quadruplicis generis ſcripturam, nam quorumdam nomina & acta aureis erant conſcripta literis, quorumdam argenteis: aliorum verò aqua ſordida vel atramento. Hacque diverſitate ſcripturæ indicabatur varia attentio ſpiritus & devotio, quam unuſquisque ad laudes divinas decantandas afferebat. Quorumdam verò nomina nec ſcribebantur, nec geſta, quia licet præſentes fòrent corpore, abſentes tamen erant mente. Hoc ſimilitum incitare deberet eos, qui ad officium divinum recitandum tenentur, ut videant quomodo coram Deo & Angelis ejus illud perſolvant, qua diligentia, qua attentione, quia *maledictus qui facit opus Dei negligenter.*

DE NON PERSEVERENTIA.

Imperſeverantia, ſive inconſtantia, in illis reperitur, qui opus conſummatum ad perfectionem non deducunt, de quibus S. Greg Admonendi ſunt, S. Greg. in paſtor. 3. Par. c 35. qui inchoata bona minimè conſumant, ut cauta circumſpectione conſiderent, quia dum propoſita non perficiunt: etiam quæ fuerant cæpta convellunt. Si enim quod videtur gerendum ſollicita intentione non creſcit, etiam quod fuerat benè geſtum decreſcit. In hoc quippe mundo humana anima quaſi more navis eſt contrà ictum fluminis contendentis, quæ uno loco nequaquam ſtare permittitur, quia ad ima relabitur, niſi ad ſumma conetur. Si ergo inchoata bona fortis operantis manus ad perfectionem non ſublevat, ipſa operandi remiſ-

Digitized by Google

Pro. 18, 9. remiſſio contra hoc quod operatum eſt pugnat. Hinc eſt enim quod per Salomonem dicitur: *Qui mollis & diſſolutus in opere ſuo fuerit, frater eſt ſua opera diſſipantis.* Sed de hac inconſtantia, & perſeverantia illi contraria tractavi Tom. 2. Horti Paſt. Lect. 6. De cæteris verò ſpeciebus acediæ, remiſſione animi, tædio in devotione, triſtitia, jam partim ex dictis conſtat, & videri poteſt latius Guilhelmus Peraldus de hoc vitio tractans, & de ſingulis ejus ſpeciebus copioſè.

LECTIO V.

DE LONGITUDINE MURI ACEDIÆ.

4 *Longitudo.* LOngitudo hujus muri, & variis ædificantibus illum eſt manifeſta. Etenim omnibus, aut penè omnibus, commune eſt illud vitium acediæ, non ſolùm qui in ſæculo agunt, aut conjugio, ſed & qui in Religione, aut Sacerdotio, huic ſtructuræ inſerviunt. Nam quemlibet quis perfectionis ſtatum profiteatur, non deeſt neglectus: In ſæculo verò tanta eſt illius corruptio, ut ſicut alia peccata gignit amor ſui, ita eadem nutriat & foveat acedia, & deliciosa quædam ſui incuria. Eſt omnium peccatorum mater & radix ſuperbia: eſt eorumdem nutrix & altrix acedia. Illa concipit, geſtat, parit; hæc fovet, nutrit, & ad id augmenti producit, ut complcatur omnis malitia.

1. *Religioſi S. Bern. ſer. 6. de aſcenſ.* Primò itaque Religioſos quosdam hanc acediæ ſtructuram erigere, teſtatur ipſe Bernardus quem ſuprà allegavimus. Inter eos enim non pauci ſunt torpidi & tepidi. Porro teporis hæc ſunt indicia.

Indicia teporis & Acedia.

1. Orare ſine attentione, & fervore ſpiritus.

2. Meditari res divinas ſine animi ſenſu, affectu, fructu

3. Difficulter ſe expedire ab hominum frequenti, nec utili congreſſione & colloquio.

4. Ægrè redire ad ſeipſum, & numquam aut raro admodum in cor ſuum diſſipatum animum cogere.

5. Examinare conſcientiam, & ſeipſum inſpicere quaſi per tranſennam, & ſtrictim abſque compunctione, propoſito & emendatione.

6. Latè libenterque ſe diffundere in omnes res exteriores, non hominum ſalutis procurandæ, ſed tædii ſui mitigandi cauſa.

7. Conſolari ſe, quæſitis ſolatiis ex rebus creatis, aut ex cogitationibus inanibus.

8. Liberè de aliis loqui, & eadem libertate aliorum facta, dictave obſervare, & reprehendere.

9. Graviter ferre diſciplinam religioſam, (ſi Religioſus ſis,) & omnem admonitionem aut correctionem, quæ olim jucundiſſima fuiſſet, inſuavem, intempeſtivam, intolerabilem exiſtimare.

10. Ad otioſam vitam aſpirare, & ſubtrahere ſe fugere labores ad animarum auxilium fructuoſos & neceſſarios: permittereque ut earumdem zelus omnibus langueſcat: quæ gravis eſt culpa iis quibus animarum cura aliqua commiſſa eſt.

11. Obedire majoribus Patribus ſpiritualibus, aut etiam legibus, quibus tenetur, ſine ulla animi conſolatione, imo cum faſtidio, lentè frigidè, invitè.

12. Optare ſibi ab hominibus honorem haberi, & ab iis ſe multum amari, hominum blanditiis, & forte etiam aſſentationibus delectari.

13. Exiſtimare vocationem laborum ſuis meritis jam deberi, & immunitatem qua careant alii, dandam ſibi. Et ſi hæc fortè alicui minima videntur, illa ſine dubio majora ſunt, videlicet.

14. Fugere jam Sacramentorum uſum, nec ea amplius frequentare, ut inceperas.

15. Sacras Conciones non audire, ſpirituales & utiles libros non evolvere, vel certè raro & faſtidioſius.

16. Occaſiones peccatorum minimè vitare ut antea, idcirco quia tibi multum, tuiſque viribus fidis, quæ temeritas eſt maxima, atque occultior ſuperbia; ita enim tepidus, imprudens provehitur in altum mundanorum fluctuum; ſicque, quo minus ſecum reputat, eò magis periculo propior.

17. Indulgere tibi, tuoque corpori deſervire, & paulatim quidquid ſalutari pœnitentia adſtrinxeras, relaxare molliore vivendi ratione.

18 Memoria replicare priſtinos mores, & mundanorum hominum fœlicitatem, eoque mentis cæcitate induci, ut mundi voluptates & deliciæ, quæ priùs ſomnia ludibriaque, uti ſunt, videbantur, non diſpliceant, ut antea, arridere incipiant potius, ac præclara quædam bona videantur.

19 Divinos inſtinctus, quibus ad ſeveritatem vitæ & Chriſtianam diſciplinam ſubinde excitaris & impelleris, vel non advertere, vel diſſimulare & in aliud tempus differre, vel quod deterrimum eſt tepiditatis genus, etiam negligere.

20. Spiritual bus Patribus non auſcultare, uti conſueveras, & quanquam eorum conſilia præſens probas, abſentem facto abeis diſcrepare, clam te ſubtrahere, & ab eorum magiſterio, curaque refugere. Hæc Bernardinus Roſignolius l. 2. c. 19.

Hæc attendant viri ſpirituales, viri Religioſum ſtatum profitentes, & ſæpe ad cor ingredientes, inquirant hæc omnia: ſi quædam illorum reperiant, ſtatim conentur excutere, & ſecurim ad radicem tepiditatis omnis apponere, ut eam penitus exſcindant.

Secundò, non ſolùm profeſſi Religioſi, ſed & 2. *Novitii* Novitii, huic acediæ quandoque victas dant manus, & ſub dæmone Præfecto hujus muri maledicti ædificare coguntur. Hos deſcribit S Bern. S. Bern. *Hoc frigus, Tepiditas, ſi ſemel animum invaſerit mox* ſer. 61 *uti in corpore ſolet evenire febricitantibus ſubit quæ-* in Cant. *dam animi rigor, & vigor lenteſcit, langor ſingitur* circa finè

Digitized by Google

Mores teſtorum Novitiorum depingit.

virium, horror auſteritatis intenditur, timor ſollicitas pungit curas, conturbatur animus, ſubit aliquis gravis, quem timuit longitudo viæ, ſopitur ſanctus cantus, gemitur, defervefcit novitius fervor, ingravat ſeſe tepor faſtidioſus, refrigeſcit fraterna charitas, blanditur voluptas fallax ſecuritas, revocat conſuetudo. Quid plura? Diſſimulatur lex, abducitur jus, fas proſcribitur, derelinquitur timor Domini. Dantur poſtremò impudenti amantis; præſumitur ille temerarius, ille ſplendidus, ille turpiſſimus, lenitur illa ignorantia & confeſſione ſaltus de excelſo in abyſſum, de paradiſo in ſterquilinium, de ſolio in cloacam, de cœlo in cœnum, de claſtro in ſæculum, de Paradiſo in infernum. Hæc Bern.

3. *Deveniunt in ſæculo.*

Tertiò, Juventus in ſæculo quàm mirè huic dedita ſit acediæ vitio poteris agnoſcere, ſi propiùs intueri & conſiderare voluerit, quomodo paſſim in urbibus otio marceſcant & deliciis. Diffluite enim hilaris non niſi ludos amat: lectionem ſacram, occupationes pias, auditionem divini verbi vel aſpernatur, vel faſtidit. In popinis in ſpectaculis ludoriis aleis, taxillis; chartarum ludis, totos videas dies, totasque conſumi noctes. ſic fallendum ajunt tempus. Ex hac deinde otioſa vita, & permitioſis ludis, innumera conſequuntur mala, plura certè quàm ſint in taxillis, vel chartis, ſive tabulis luſoriis puncta. Hinc Cyprianus Tract. de Aleatoribus ſic ait: Aleæ tabula eſt diaboli venabulum, & delicia vulnus inſanabile. Aleæ tabulam dico, ut diabolus præſto eſt, ad capiendum ſumma miſſus, & cùm cæperit de captivo triumphum, perfidia, falſa teſtimonia. Tabulam aleæ dico, ubi clementia & furio, & venale perjurium, imperium & colloquium ſerpentinum. Illic rabioſa amicitia, illic atrociſſimi ſceleris fraternitas diſcordans, illic convitia & audacia ſæva, & mens inſana & ſera impatientia. Aleæ tabulam dico, ubi poſſeſſionum amiſſio, & pecuniarum ingentium perditio, monſtrum & dæmonii ludus litigioſum, furax dementia. O aleatorum noxia, ſedentaria, & pigra nequitia! ô manus crudeles, & ad periculum ſui armatæ, quæ bono patrum & opes avorum ſudore quæſitas ignominioſo ſtudio dilapidant: manus trux, noxia & inſomnis, nocte dieque continuis inſtrumentorum ſuorum armigera, quæ peccando ſeipſum damnavit, & poſt peccata non deſinit ire. Hæc S. Cyprianus.

S. Cypr.

6. *Præterſimentes emendationem vitæ.*

Quartò, omnes illi murum hunc acediæ diabolo inſtigante, ædificant, qui de die in diem converſionem ab improba vita ſua protrahunt, vocante licet eos gratia divina. Hos nimirum occupat dæmon in operibus luri & lateris, ut vocem divinam non attendant ex Ægypto evocantem in terram promiſſionis. O quanto hi ſunt numero, qui paleis ſæculi colligendis animum ita impendunt, ut cœleſtium non meminerint, divinæ rebelles vocationi, ſive cum è peccatis graviſſimis vult eos educere, ſive cum ex tenebris ſæculi, ad ſolitudinem perfectionis ſtatus in Religione transferre! Spiritus acediæ detinet eos multis vinculis, aures, oculos, cor claudit, ne vocem audiant, ne lucem videant ne conſolationem, & exurgant. Sed de his alibi nonnihil dictum.

5 *Mulierum ſexus.*

Quinto, muliebris ſexus huic acediæ monſtruoſæ cooperatur, per modum & deliciosum vitam. Id maximè manifeſtum eſt inter Domicillas nobiles, quibus mos eſt nocturni temporis partem in choreis & ſalcationibus aliiſque vanis ludis conterere; matutini verò temporis horas pene uſque ad meridiem ſomno dare; ac deinde vacare ornatui corporis, pectendo, comendo, cerufando, crines intorquendo, ac ſimilibus. Sic tota pene decurrit dies vanitatis; nam & pomeridianum tempus ambulationi, viſitationi amicæ, confabulationi, ſpectaculis dicatur & voluptati.

In vitis PP. l. 1. Surius 8. Octob.

Audi exemplum memorabile: Pelagia Antiochena meretrix adeò compta & ornata per plateas incedebat, ut in veſtibus ad pedes uſque nihil niſi aurum & gemmas cerneres. Stipabat & eam ingens comptulorum adoleſcentum & adoleſcentularum numerus. Tanta erat formæ venuſtas, ut ſpectantes vix ſe ſatiari poſſent. Epiſcopi aliquot ei obviam facti, cum gemitu vultum & oculos averterunt, velut à re execranda: Solus Nonnus Epiſcopus Ediſſenus, oculos faciemque diu in eam direxit. Cumq; alii mirarentur, rogat ipſe quid de ea venuſtate illis videretur? Atque illis nihil ad id reſpondentibus, vultum in genua demiſit ſudario tectum, lachrymaſque copioſas profundit. Erectus paulò poſt dixit mire ſe ea venuſtate delectatum, & addit: *Quot horas hæc mulier expendit ſe ornans, tota mentis cogitatione in id intenta, ut ſua pulchritudine amatoribus ſæculi placeat? Et nos habentes Patrem in Cœlis, Dominum majeſtatis, tanta gravitate promittentem, nihil ſtudemus animabus exornandis & ſordibus expiandis, ſed patimur eas deſidia quadam marceſcere.* His dictis abiit in cubiculum ſuum; ibique proſtratus nullum plorandi finem fecit, coram Deo ſuam deteſtans ſocordiam, & dicens: *Ecce unius diei ornatus, quem hæc fœmina corpori ſuo excolendo adhibet, omnem animæ meæ ornatum vincit.* Hanc tamen Pelagiam S. Nonnus paulò poſt, cùm ſuæ concioni intereſſet, ad Chriſtum convertit; & baptizavit: illaque doctiſſimam egens pœnitentiam in monte Oliveti in habitu virili ignota, tandem felicitſſimè vitam finivit. De hac Surius die 8. Octob.

6. *Sacerdotes vel Eccleſiaſtici.*

Sexto, Sacerdotes non pauci hunc murum acediæ ædificant, qui exiſtimant ſatis eſſe horas canonicas mane perſurrere, reliquum verò temporis impendunt velotio, vel vagationi, aut aliis inutilibus occupationibus, unde exivit illud quorumdam dictcrium: *Sacerdotium non eſſe niſi otium.* Hos reprehendit S. Ambr. *Cur non illa tempora quibus ad Eccleſiam vacas, lectioni impendas, Chriſtum audias, Chriſtum alloquaris. Illum alloquimur cùm oramus, illum audimus cum divina legimus oracula. Quid nobis cum fabulis? Miniſterium altari Chriſti, non hominibus, deferendum accepimus.* Sed de his legi ſuſe in Virga Aaronis Tract. 3. Lect. 12. Hoc monitum

S. Ambr. l. 1. offic. c. 20.

S. Bern. ſer. 22. in Cant.

Digitized b

nitum adjicio cum Bern. Cùm te tepore, acedia vel tædio affici sentis, noli propterea diffidere, aut desistere à studio spirituali, sed juvantis require manum, trahi te obsecrans Sponsæ exemplo, donec denuò suscitante gratia factus promptior, curras & dicas: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Sic autem quamdiu adest gratia delectare in ea, ut non te existimes donum Dei jure hæreditario possidere: ita scilicet securus de eo, quasi nunquam perdere possis; ne forte cùm subitò retraxerit manum, & subtraxerit donum, tu animo concidas, & tristior quàm optes, fias. Ergo in die virtutis tuæ noli esse securus, sed clama ad Deum cum Propheta: *Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Hæc Bern.

LECTIO VI.

DE SEPTEM TUBIS CONTRA murum acediæ.

7. *Tuba contra Acediam.*

1. *Vox legalis.* Levit. 6. 12.

PRIMA Tuba, vox est divina in lege, quæ severè præcipit: *Ignis in altari meo semper ardebit.* In figura enim illud præceptum antiquitus à Deo datum est; in veritate autem, vult Dominus fervorem & ardorem ad divina semper in sacro animi nostri tabernaculo foveri, & numquam extingui, alioqui nos maledictioni proclamat obnoxios. Tepor ergo omnis omneque tædium, & acedia, procul à nobis eliminanda sunt, ne reos nos coram Deo statuamus. Iterum in figura vox divina proclamat veris Israelitis: *Agnum comedatis festinanter, succinctis renes, habentes baculos in manibus, calceamenta in pedibus.* Ubi Præceptum rursus est, ut accincti & expediti, solertes & prompti non desidiosè & torpide in rebus divinis nos geramus, alioqui de numero filiorum Dei sumus excludendi.

Exod. 12. 11.

2. *Prophetalis.* Jer. 48. 10. Ezech. 16. 49.

Secunda Tuba, vox est divina per Prophetas contra acedioſos detonans, inter quos Hieremias: *Maledictus, qui facit opus Domini negligenter.* Et Ezechiel ad Jerusalem otium sectantem, vitiorum omnium originem, sic insonat: *Hæc fuit iniquitas sororis tuæ Sodomæ, superbia, saturitas & abundantia panis, otium ejus, & filiarum ejus.* Vox quoque Domini per Aggæum inclamat contra eos qui solliciti de rebus propriis, divina negligebant, domas proprias diligenter instaurantes, domum Dei ædificare

Aggæi 1. 4

differebant: *Numquid tempus est vobis, ut habitetis in domibus laqueatis, & domus ista deserta?* Populus iste dicit: *Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ. Et versus est manus quisque in domum suam. Propter hoc super vos prohibiti sunt Cœli, ne darent rorem suum.* His porro verbis graviter arguuntur, hacque tuba percelluntur, omnes qui rebus divinis cum tædio & acedia se impendunt, toti rebus sæculi intenti: Vox ergo ista murum acediæ concutere potens est, & demoliri.

v. 9.

Tertia Tuba, vox est divina in libris Sapientiæ, quæ toties contra inertes & pigros personat validissimè. *Usquequo piger dormies, quando consurges?* Vide Caput 6. Proverb. Vide etiam Cap. 24 ex quibus pleraque jam allegavimus, quæ repetere supervacaneum foret. Item Cap. 20. *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi.* In quem locum sic ait S Greg Propter frigus quippe piger non arat, dum desidia & torpore constrictus, agere quæ debet bona considerat, & dissimulat. Propter frigus piger non arat, dum parva ex adverso mala metuit, & operari maxima prætermittit. Bene autem dicit: *Mendicabit æstate, & non dabitur illi.* Qui enim nunc in bonis operibus non exsudat, cum Sol judicii ferventior apparuerit, quia frustra Regni aditum postulat, nihil accipiens æstate manducat. Hæc ipse.

3. *Sapientia.* Prov. 6. 9.

S. Greg. 1. P. Pastor. admonit. 16.

Quarta Tuba, vox est Domini in Evangelio contra acediam frequentissimè ferti insonans clangore, Marci 13. *Videte, vigilate, & orate, nescitis enim quando tempus sit.* Iterum, iterumque idem repetit Matth. 24. & 25. Item Luc. 13. *Contendite intrare per angustam portam, quia multi dico vobis quærent intrare, & non poterunt.* Idipsum inculcatur Matth. 7. Item Math. 11. *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* An non hæc omnia toties voce Domini in Evangelio repetita, velut tubæ divinæ sonitus validissimus, omnem torporem à Christianis mentibus excutere deberent, omnemque acediæ structuram funditus diruere? An non & hæc vox Christianos omnes concernit: *Quid hic statis tota die otiosi?*

4. *Domini.*

Quinta Tuba, vox est Apostolica quæ insonat ad Romanos 13. *Fratres, hora est nos de somno surgere. Nox præcessit, dies autem appropinquavit: abiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Item *Propter quod remissas manus, & soluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, sed sanetur magis.* Iterum: Estote sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes, necessitatibus communicantes. Denique *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Videte itaque fratres, quomodo cautè ambuletis, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Cadant ad has voces muri Jericho, concidat murus acediæ maledictus, voce divina, voce prophetica, voce evangelica, voce apostolica contra eum personante: toties repetitis contra tepidos Christianos cœlestibus buccinis, diruatur usque ad fundamentum

5. *Apostolica.* Rom. 13. 11. Hebr. 12. 12. Rom. 12. 11. Eph. 5. 14.

Sexta Tuba, vox est propriæ conscientiæ, ipsos tepidos arguentis, & in præsenti, & in futuro sæculo condemnantis. Hæc exprimitur apud Job. *Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos secundum dies quibus Deus custodiebat me. Quando splendebat lucerna ejus super caput meum, & ad*

6. *Conscientia.* Job. 29. 2.

Digitized by Google

lumen ejus ambulabam in tenebris. Quando lavabam pedes meos in butyro , & petra fundebat mihi rivos olei. Hæc enim est vox eorum qui negligenter vixerunt, qui nec divinis inspirationibus, cœlestique luci affulgenti responderunt. Cumque Sacramentorum gratia pedes animæ, hoc est, affectus lavare & ungere potuissent; & è Christo tamquam mystica petra oleum gratiæ sanctificantis, quo se ungerent, delumere; omnia hæc desidia & languore quodam animi compediti, neglexerunt, cum tempus opportunum affulgeret. Hanc ergo vocem propriæ conscientiæ graviter arguentis, coguntur sæpè audire, & maximè in fine vitæ, ac postea incessanter in æternitate. Socordiamque suam tunc ipsi condemnant, sed seronimis, cum vocem Domini, vocemque conscientiæ prius audire & obaudire debuissent, dum hodie cognominatur: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Alioqui postmodum continget, quod de reprobis Sapiens asserit: *Venient in cogitationem peccatorum suorum timidi, & traducent ipsos ex adverso iniquitates ipsorum.*

v. 6.

Sap. 4. 20.

7. *Vox divini indicij.*

Septima tuba, vox est, & tuba postrema divini judicii, quæ continuo minatur negligentibus & desidiosis excisionem. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Jam securis ad radicem arboris posita est* Matth. 3. & 7. Item Lucæ 13. de Ficulnea infructuosa dicitur: *Succide illam, ut quid etiam terram occupat?* Quænam est hæc arbor, aut quæ Ficulnea infructuosa, nisi anima bonorum operum sterilis & inanis, desidioso languore torpida? Audi apertius Judicis æterni vocem contra ignavum servum detonantem. *Serve male & piger, oportuit committere pecuniam meam nummulariis, & veniens ego recepissem utique quod meum est, cum usura: Tollite itaque ab eo talentum, & inutilem servum ejicite in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentium.* Audi denique vocem ejus in Apocal. tepidum acerrimè increpantem, & illi minantem. *Habeo adversum te pauca quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* Perterreant ergo, voces istæ dum adhuc tempus est, animas tædio quodam & languore in opere salutis torpidas, & hunc murum maledictum acediæ, quem sub Behemot Principe ædificant, hisce tubis personantibus, tempestivè demoliantur, & funditus destruant; alioquibrevi in caput suum æternâ infelicitate noverint ruiturum.

Matth. 25. 26.

v. 10.

Apoc. 2. 4.

LEGTIO VII.

DE SEPTEMPLICI ARIETE MURUM acediæ evertente.

Eximite, eximite usque ad fundamentum in ea. Psal. 136.

Sicut septem Tubas audivimus contra murum acediæ personantes: sic & septem machinas, quasi arietes bellicos admovere possumus, ad funditus demolendum murum istum capitalem civitatis Jericho. Sunt autem hi arietes, septem considerationes efficaces, quibus vitium istud à nobis possumus amoliri, & à corde nostro eliminare. 7. *Arietes.*

Primus aries, est efficax consideratio tot laborum, quos continuo Christus Dominus pro nobis pertulit, summa cum promptitudine, à præsepio usque ad sepulchrum, à primordio vitæ ad extremum usque spiritum. Quid non in stabulo & in infantia sua, quid non in Ægypto & fuga sua, quid non in deserto & abstinentia sua perpessus est? Quanta adversa toto illo triennio prædicationis toleravit, modo in orationibus noctem ducens insomnem, modo in hanc, modo in illam Regionem progressus ad animarum lucra, in his quæ Patris sui erant semper sollicitus? Denique quid post tot fatigationes & itinera tot tempore Passionis toleravit, sive ante crucem, sive in cruce, omnibus intueri, volenti manifestum esse potest? Si ergo tantum laboravit pro nobis, & pro salute nostra, quid nos pro eadem salute affectuanda facere convenit? Non decet sub capite spinoso membra esse mollia & delicata. *Qui non baiulat crucem suam, & sequitur me, non est me dignus*, ait ipse. 1. *Consid. Laborum Christi pro nobis.* Luc. 14. 27.

Secundus aries, est efficax consideratio laborum quos Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, & tot Pœnitentes ab initio suscepere, Christum Ducem secuti eadem via, iisdem vestigiis qua prætriverat, ut ejusdem gloriæ consortium assequerentur. Agnoverunt illi non aliam viam esse ad Regnum nisi per labores, spinas, cruces, sudores, & ideo pressio pede Christi vestigia secuti, ad eadem nos adhortantur verbo & exemplo: optantque ut agnoscamus illud verum esse *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Non itaque dormientibus aut desidiosis ipsum defertur: aut certè omnes hi Sanctorum frustranei sunt sudores, omnisque doctrina eorum inanis. 2. *Consid. Laborum quos Sancti subiere.* Matth. 11. 12.

Tertius aries, est efficax consideratio rerum omnium cœlestium & terrestrium, continuo opus suum ac munus exercentium, & academiam ac otium nostrum contemnantium. Ac inprimis Christus de Patre suo ac de seipso dicit: *Pater meus usque modò operatur, & ego operor.* Item de seipso secundum humanitatem. *Me oportet operari opera ejus qui misit me quamdiu dies est: venit nox, quando* 3. *Consid. rerum Cœlestium & Terrestrium manus sui exercentium.* Joan. 5. 17.

Digitized by Google

nemo poterit operari. De Angelis verò notum est, quomodo continuò laudes decantent divinas; Apoc. 4. 3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.* Notum etiam est quomodo sint administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, in quo quidem opere promptissimè se gerunt, currunt, volant, & non deficiunt. Quantum ad cœlestes orbes, & alia inferiora jam supra insinuavimus, quomodo numquam otiantur, cursum suum jugiter perficientes. Herbæ quoque & plantæ; arbores & frutices, ad incrementum suum quodam conatu naturali feruntur. Formicæ, apes, aliaque bruta muneri non desunt suo. Cur ergo homo rationis particeps ignaviam sequatur, quam exhorrent naturalia omnia.

4. *Consid. Negotiatorum hujus sæculi.* Quartus aries acediam destruens, est efficax consideratio negotiatorum hujus sæculi, qui tanto ardore feruntur ad res perituras, tanto labore conquirunt fallaces fluxasque opes, cum ipsis postmodum periturí. Quid non ergo pro æternis & cœlestibus divitiis homini Christiano agendum est? Aperiat oculos unusquisque, & illorum sollicitudinem pro re adeò vili & occidua contemplans, ignaviam suam condemnet, pro gloria æterna & Luc. 16. 8. perennante substantia assequenda. Verè *filii hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua.* Thom. à Kempis l. 3. c. 4. Audi hac de re Thomam à Kempis, qui introducit Christum sic loquentem. Promittit mundus temporalia & parva, & servitur ei aviditate magna: ego promitto summa & æterna, & torpescunt mortalium corda. Quis tanta cura mihi servit, sicut mundo & Dominis ejus servitur? Erubesce Sidon, ait mare. Et si causam quæris, audi quare. Pro præbenda modica, longa via curritur. Pro æterna vita, à multis vix pes à terra levatur. Vile pretium quæritur, pro uno numismate interdum turpiter litigatur. Erubesce ergo serve piger & querulose; quod illi paratiores inveniuntur ad perditionem quàm tu ad vitam. Gaudent amplius illi ad vanitatem, quàm tu ad veritatem. Hoc & alii Sancti

5. *Xaverij querela.* deplorare solebant, inter quos S. Xaverius solebat dicere, magna à sese affici confusione & pudore, quod negotiatores citiùs in Japoniam penetrâssent ad divendendas merces viles & perituras, quàm ipse cum sociis ad divendendas spirituales merces & opes cœlestes.

3 *Consid. Temporis adeo pretiosi.* Quintus aries, sive machina diruere potens murum acediæ, est efficax consideratio temporis adeò pretiosi, & tamen adeò inaniter præterfluentis. Tempus illud datum est ad bene agendum, si noluerit quamdiu potes, forsan non poteris quando voles. Qui benè perpenderit, quam breve sit tempus cursus nostri, quàm irrevocabile, & quomodo ab hoc momento temporis pendet. Æternitas extimuletur oportet ad diligentiam & fervorem. Quia quod jam negligitur, per omnem æternitatem recuperare non licebit: *Juravit Angelus in* Apoc. 10. 6. Apoc. *per viventem in sæcula sæculorum, quia tempus non erit amplius.* Unde S. Greg. Nazianz. dicit hanc vitam mercatui esse similem, in quo quis varias Greg. Nazianz. In sentent. merces comparare potest, illo autem transacto nihil amplius potest emi. Nempè cœlestes merces & opes comparare quis potest hac in vita, quæ est quasi unus dies, summo una hora: illa autem brevi transacto curriculo, nihil lucri potest homo reperire, nihil mercari pro æternitatis provisione. Ergo dum tempus suppetit, omnis impendenda diligentia, omnis torpor, omnis acedia effugenda: ne postmodum frustra illud revocare conemur, & in tormentis inclamare: *Quis mihi tribuat, ut sim* Job. 29. 2. *juxta menses pristinos, quando pera fundebat mihi vinum olei &c.* ut ex Job suprà allegavimus. Tempus hoc Deus constituit tempus meriti, non temPus otii, tempus seminis laboriosi, post erit tempus in benedictionibus metendi. *Quidquid potest instan-* Eccl. 9. 10. *ter operare, quia nec opus nec ratio apud inferos, quo tu properas*, inquit Eccles. Illuc ante Christum omnes tendebant, in limbum scilicet, vel infernum, vel purgatorium; ideo illis verbis Sapiens omnes vult monitos.

Sextus aries, est consideratio efficax gravium 6. *Consid. Peccatorũ gravium vitæ nostræ.* peccatorum, quæ tota nostra vita commisimus. Hæc enim consideratio omnem in nobis destruere deberet acediam & torporem: quis cùm peccata nostra, nec exigua sint, nec pauca, merito requirunt pœnitentiæ & devotionis magnum fervorem, ut elevatur, & pro illis satisfiat. Hoc considerantes viri sancti, etiam pro paucis peccatis commissis nolebant suam terminare pœnitentiam, nisi cum terminarunt & vitam. Petrus toto vitæ suæ tempore trinam lachrymis copiosissimis eluit negationem, ad Galli cantum continuò promanantibus. Magdalena quanto fervore sua deplorat peccata præterita, tametsi à Christo dimissa ob ferventissimam in primordio conversionis dilectionem? Nos verò quotidiè peccata peccatis cumulamus, & tamen labor exiguus pro illis susceptus mox nobis censetur gravis, obspiritum accidæ, & valde tepide nos gerimus, ut illa nobis tepida remittantur, quibus mors æterna debetur. Certè qui efficaciter perpenderit quantum damni peccata nobis intulerint, quamque mereantur pœnam, levem reputabit omnem laborem pro illis susceptum.

Septimus aries acediam demolitus, est efficax 7. *Consid. Gaudium æterni & Gloria futura.* consideratio cruciatus futuri in tormentis, vel gloriæ futuræ in cœlestibus. Hæc *sunt condigna passio-* S. Bernh. de con- *nes hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revela-* verſ. ad *bitur in nobis*, inquit Apost. Imo addit S. Bern. Cler. c. 30. *Non sunt condignæ passiones totius hujus tem-* S. Francis. *poris, ad præteritam culpam quæ immittitur, ad* ei paran- *præsentem consolationis gratiam quæ immittitur* sis adjunct. *ad gloriam futuram quæ promittitur nobis.* Propterea S. Franciscus suos exhortans ad omnem eliminandam acediam, sic dicebat: *O dilectissimi Fratres & æternùm benedicti filii, audite me, audite vocem Patris vestri:*

Magna promisimus: Majora promissa sunt nobis. Servemus hæc: suspiremus ad illa.

Voluptas brevis : Pœna perpetua :
Modica paſſio : gloria infinita :
Multorum vocatio : Paucorum electio :
------ Omnium retributio.

Sophron. in prato Spiri. c. 141.

Audi quod in Prato Spirit. Sophronii hac de re legimus. Frater quidam perrexit ad Abbatem Alexandrum, & dixit: *Abba, volo ex hoc loco ubi habito diſcedere, valdè enim acedia & tædio animus laboro.* Reſpondit Abbas: *Iſtud fili mi, ſignum eſt, quod nec Regnum Cœlorum, nec æternum cruciatum in mente habes. Nam ſi iſta ſollicita intentione cogitares, nullam in cella tua acediam ſentires.*

S Aug. in Pſal. 91.

Non abſimile huic eſt aliud in vitis PP. Frater quidam, à ſene Achille rogavit, cur ſedens in cella pateretur acediam? Cui ſenex ait: Quia necdum vidiſti requiem quam ſperamus, nec tormenta quæ timemus. Si enim ea diligenter inſpiceres, etiamſi vermibus plena eſſet cella tua uſque ad collum, tu tamen in ipſa jaceres ſine acedia S. Auguſt. *Quamvis labore digna eſt requies, quæ non habet finem? Si verum vis comparare, & verum judicare, æterna requies, æterno labore recte emitur.*

In vita S. Sebaſt.

Etiamſi opus bonum ſpectes quatenus ex gratia & charitate fit, adhuc tamen propriè & adæquatè non eſt condignum ad tantam gloriam: licet enim cum ea proportionem quandam habeat, non tamen æquam dignitatem: quæ enim proportio inter terrenam paſſionem & martyrium unius horæ, cum æterna & immenſa gloria cœleſti? Dilemmate S. Sebaſtianus Martyr SS. Marco & Marcelliano acerrimè tentatis à ſuis parentibus, & jam nutantibus perſuaſit conſtantiam in fide & martyrio, dicens. *Omnis labor & dolor hujus vitæ obitus pro Chriſto aut lenitus & longus eſt, aut acer & intenſus. Si acer, brevis eſt, & diu durare nequit, mortemque accelerat. Si lenis tolerabilis eſt. State ergo fortiter, tolerate & lenes & acres dolores quia hi pariunt vobis coronam & gaudium immenſum atque æternum.* Hinc S. Franciſcus ajebat: Vana eſt gloria quam exſpecto, ut omnis me pœna delectet, omnis morbus, humiliatio omnis, perſecutio omnis, mortificatio omnis. Refert Joannes Moſchus in prato ſpir. quod Abbas Athanaſius audierit choros laudantium Deum, cumque vellet ad eos ingredi, audiit: *Nemo huc ingreditur negligens: abite, certate, contemnite vanitatem ſæculi.*

J. Moſch. c. 110.

LECTIO VIII.

DE MALEDICTIS OB VITIUM ACEDIÆ.

Maledictus vir coram Domino, qui ſuſcitaverit Jericho, &c. Judic. 6.

Acedioſi & tepidi maledicti.

PRIMO, Maledicti filii Iſrael ex acedia murmurantes ob laborem itineris, cùm Deo Duce egreſſi forent ex Ægypto. Ideo juſto Dei decreto terram promiſſionis non intrarunt. Porrò ipſi figuram geſſerunt eorum, qui per varios labores in regnum à Deo promiſſum ducuntur, ſed tandem pertæſi laborioſi itineris deficiunt, & perſeverantiæ defectu à divinis promiſſionibus excluduntur, fiuntque ob acediam maledictioni obnoxii. Gerunt quoque figuram eorum, qui relicto ſæculo, tamquam tenebroſa Ægypto, Religionis ſtatum ſuſcipiunt: ac poſtmodum reſpicientes retrò reſpirant ad allia & cepas, & ollas carnium quas in Ægypto reliquerunt; ad præteritas voluptates ſæculi rurſus animo feruntur, cum faſtidio itineris ad perfectionem ducentis per aſperiores vias.

1. Iſraelita in deſerto. Num 11.1.

Secundò, Maledicti ante legem illi de Sodoma & Gomorrha, qui ex eo quod otio & abundantia diffluerent, in horrenda poſtmodum flagitia defluxerunt, ſuoque exemplo docuerunt, verum eſſe quod Sapiens dixit: *Malitiam omnem docuit otioſitas.* Hos verò ex otio in hæc facinora abominanda impegiſſe, teſtatur Propheta. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ ſaturitas, abundantia panis, otium ejus, & filiarum ejus, & manum pauperi non porrigebant.* Similibus irretiti fuere vitiis Gabaitæ ob otium, propteres & ipſi maledictionis filii. Et maledictionis horum participes ſunt omnes qui eorum ſectantur veſtigia, qui ob deſidioſam vitam in fornicationes, adulteria, & alia hujus generis crimina prolabuntur. Meritò ergo dixit Ennius in Iphigenia.

2. Incola Sodomorum.

Ezech. 16. 49.

Otio qui neſcit uti, plus negotij habet,
Quàm cùm eſt negotium in negotio.

Ennius.

Tertiò, hanc maledictionem incurrerat David, otioſus in ſolario domus ſuæ, alienam ex occaſione concupiſcens uxorem, quam adulterio maculavit. Verùm divino monitu, crimen & maledictionis reatum ſevera pœnitentia & uberrimis lachrymis poſtmodum expiavit.

3. David. 2 Reg 11. 16.

Quartò, ſi ex Evangelio exempla petimus, Maledictus dives ille, qui in otio & delitiis vitam ducens, poſtmodum conqueritur ſe ita tempus inaniter conſumpſiſſe. Optatque mitti Lazarum ad fratres ſuos, ut moneantur melius illud tempus impendere, ne veniant in eumdem locum tormentorum per eamdem vitam ignavam & luxui deditam, cruciatibus ejus incrementum allaturi.

4. Dives epulo. Luc. 16. 27.

Quintò, Maledictus & alter ille, priori non abſimilis, qui dicebat intra ſe: *Anima mea, requieſce, bibe, epulare, habes bona repoſita in annos plurimos &c.* Dicitur enim ei: *Stulte hac nocte repetent animam tuam à te, & quæ paraſti cujus erunt?*

5. Alius dives. Luc. 12. 19.

Sextò, Maledictus ſervus ille ignavus, qui talentum ligavit in ſudario, & illud defodiendo in loco abſcondito, inutile reddidit. Acerrimè ſi à Domino ſuo reprehenditur; & ablato talento in tenebras exteriores dejicitur, ubi fletus & ſtridor dentium. E contra benedictus ſervus qui duo vel quinque talenta multiplicavit in uſum Domini ſui.

6. Servus ignavus.

Septi-

7. Energumenus. Septimò Maledictus is de quo Matth. 12. à quo cùm ejectus fuisset spiritus, nequam postmodum reliquit domum ita vacantem, ut reversus dixerit spiritus ille maledictus, cum septem spiritibus nequioribus se. Tuncque illius novam & fortiorem possessionem accepit, ita ut fierent posteriora prioribus deteriora. Hi vero designantur, qui salutis suæ, & gratiæ divinæ incurii, eam ut oportet non custodiunt, sed negligentia & accidia sua iterùm locum dant dæmoni, quem pœnitentiæ flagello prius excusserant.

8 Virgines fatuæ. Octavo, Maledictæ virgines fatuæ, quæ dormitantes & dormientes, neglexerunt provisionem olei in lampadibus suis, ad occurrendum Sponso nocturno tempore. Dum enim nimis sero oleum requirerent, clausa est janua, & à nuptiis Sponsi exclusæ fuerunt frustrà postmodum gementes, frustrà pulsantes. Econtrà benedictæ virgines, quæ suo tempore sibi oleum pronecessitate nocturna providerunt, & cum sponso, accensis & adornatis lampadibus, ad nuptialia gaudia, cum geniali & æterno plausu, admissæ sunt.

9 Episcopus Apocalypticus c. 3 16. Apoc. 2. 21 Nono, Maledictus & illè Episcopus, cui à Domino in Apoc. dicitur: *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Utique maledictus, nisi resipuerit, & teporem excusserit. Maledicta & mulier Jezabel de qua cap 2 *Dedi illi tempus, ut pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere.*

10. Chrysaurius. De quo S. Greg. l. 4. dial. c. 38. Decimò, Maledictus Chrysaurius, de quo S. Greg qui ignaviam & perditam vitam ducens, satanæ admonitioni nolebat obtemperare. At postmodum spiritibus malignis circumvallatus, inclamabat horrendè: *Indurate, indurate, vel usque mane* Sed manè non invenit, qui præsentis temporis occasionem neglexit, & pœnitentiæ non impendit.

Hebr. 6. 8. Hi itaque omnes ideo maledicti, quia dæmoni cooperantur, ædificando hunc murum accedæ, murum Jericho maledictum. Hunc enim ædificare censentur, dum tepidè se in negotio salutis gerunt, vel talenta negligunt, à Deo sibi concredita, vel bonorum operum oleum sibi providere non fatagunt, vel conversionem de die in diem differunt, nec divinæ gratiæ vocanti cooperantur: Maledicta enim terra, quæ rore cœlesti irrigata, non nisi tribulos profert & spinas: *Consummatio ejus in combustionem erit*, ut ait Apostolus.

LECTIO IX.

DE FERVORE ET DILIGENTIA spirituali oppositis Accidiæ.

7. Murus civitatis Dei est fervor & diligentia spiritualis. MUro jam descripto de civitate satanæ opponitur alter in Dei civitate ex diametro, vocaturque *Fervor & diligentia spiritualis*. Hunc fortem & sublimem murum, ac primariam civitatis Dei arcem, jam ab initio sæculi justi ædificarunt, per quam contra satanæ vires & insidias depugnarent. Constat verò ex præclaris lapidibus, apte inter se cæmento quodam indivisibili compactis. Nam murum illum constituunt, promptitudo ad divinam voluntatem exequendam, ardor animi, zelus gloriæ divinæ, zelus salutis suæ, zelus salutis proximi, devotio in oratione, celeritas in bono opere, constantia, perseverantia, odium terrenorum, amor cœlestium, sollicitudo æternorum. Hæc omnia opponuntur tædio spirituali, remissioni animi, languori cordis, tristitiæ & tepori, negligentiæ & tarditati, ex quibus murum accedæ componi jam diximus.

Hunc murum jam ab initio justos ædificasse, declarat præclarè S. Ambr. exemplo Abraham Patriarchæ, quem omnibus imitandum proponit. & singula quæ ad hunc murum erigendum spectant, ei non defuisse ostendit, promptitudinem, zelum, devotionem, celeritatem, constantiam. Audi ejus verba. Prima voti gratia, est celeritas solutionis. Abraham filium suum in holocaustum jussus offerre, non post dies ut Cain obtulit, sed consurgens manè stravit asinam suam, & adhibuit secum duos pueros, & Isaac filium suum, & concidens ligna ad holocaustum, surgens abiit, & venit ad locum quem dixerat ei Deus, die tertia. Primò, adverte immolantis studium maturum atque festinum, ut mora expectationis non esset, nisi donec audiretur oraculum. Deinde, ut sterneret asinam, obsequium omne ipse susciperet, & sacrificio necessaria præpararet, duabus quoque fide & spe virtutibus comitantibus hostiam suam duceret, de potestate Dei certus, & de bonitate securus. Quod autem ait de tertia, ostendit, quòd continua & perpetua esse debeat devotio Sed & in alio facto Abrahæ, cognosce celeris studia devotionis. Cucurrit, & accepit vitulum tenerum, & dedit puero, & festinavit coquere eum. Ubique impigra devotio, & ideo munus acceptum. Hæc S. Ambrosius. Adjecit & ipse postea ibidem exemplum Zachæi de Evangelio: Audis, inquit, dicentem Dominum. festina, descende Zachæe. Et ille quia impetraverat quod volebat, ut Christum videret, & amplius impetraverat, ut videretur & vocaretur à Christo festinans descendit, & excepit cum gaudens. Et ideo probavit Dominus ejus affectum, & cum celeri remuneratione donavit dicens: Quia hodie huic domui salus facta est; festinavit enim Dominus ad beneficium, ideo non expectavit, ut promitteret, & impleret omnia; sed antè fecit, postea declaravit: Dixit enim, facta est salus, quod utique præsentiri servit non promittenti. Justus ergo votum suum celeritate commendat. Hæc iterum ille.

Hunc murum ædificarunt.

1. Abraham. Ambr. l. 1. de Cain & Abel.

3. Zachæus

Ad hoc ædificium junctis animis erigendum adversus teporem spiritualem, omnes suos provocat Christus primus Architectus & divini hujus operis Præfectus. Hoc enim & exemplo fecit & verbo, ut ex jam dictis satis constat. Ideo enim tam frequenter inculcat in Evangelio, ut oremus, ut vigilemus, ut ope-

1. Christus.

ut operemur dum dies eſt, ut talentum impendamus, ut lucrum referamus, ut laborantes numquam deficiamus, ut per anguſtam portam contendamus, ut eum ſequamur. & crucem gnaviter & perſeveranter feramus. Ideo & ipſe hæc quæ à nobis requirit, primus peragit, vigilans, orans, docens opera Patris ſui operans, noctes inſomnes ducens, jejunans, patiens, ſanguinem fundens, & uſque ad extremum ſpiritum in cruce ſummâ promptitudine & fervore perſeverans. Ergo erigenda nobis cum ipſo eſt hæc ſtructura cum ſollicitudine & diligentia, cui tandem ipſe coronidem glorioſam adjiciet.

4. *Apoſtoli Martyres, & Confeſſores.*

Ac non ſolum ipſe, ſed & Apoſtoli & Martyres, Confeſſoresque & Virgines, hunc ſpiritualem fervorem, hanc diligentiam in opere ſalutis, & in his quæ Dei ſunt, ſemper commendarunt, & exemplo, & verbo geſta eorum & labores manifeſtè hac in re proloquuntur. Tota etiam Scriptura Apoſtolica plena eſt monitis continuis, ut bonum facientes non deficiamus, ut tempus redimamus, ut diligenter ſeminemus, poſteà meſſem in benedictione habituri, ut ſomnum excutiamus, & ſtrenui vigilemus, ut ſemper impigri, ſol iciti, & ſatagentes ſimus. Hæc ex dictis conſtant. Unde concludit Apoſtolus Petrus omnium Paſtor poſt Chriſtum, & over ſuas omnes ſic paulò ante mortem adhortatur: *Fratres, magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis: hæc enim facientes non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum Regnum Domini noſtri & Salvatoris Jeſu Chriſti.*

Denique confuſionem Chriſtianis deberet ingerere, quod ipſi Ethnici, qui cœleſtia illa bona nobis promiſſa ignorabant, nihilominus magnam temporis nobis à Deo dati rationem habere voluerunt. Audi Senecam: *Ita fac mi Lucili, vindicare tibi, & tempus quod adhuc aut auferebatur, aut ſurripiebatur, aut excidebat, collige & ſerva. Perſuadetibi hoc ſic eſſe, ut ſcribo: quædam tempora eripiuntur nobis, quædam ſubducuntur, quædam effluunt: Turpiſſima tamen eſt jactura, quæ per negligentiam fit. Etſi voluerit attendere, magna pars vitæ elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.* Nempè illa pars vitæ, quæ ludo, quæ aleæ, quæ ventri, quæ vanis colloquiis, aliisque inutilibus exercitiis impenditur, malè agentibus elabitur. Illa verò quæ ſomno, otio, ignaviæ datur, effluit nihil agentibus. Denique cùm negligenter & languidè pleraque nos concernentia tractemus, aliud cogitantes; illa pars cenſetur elabi aliud agentibus & aliter quàm oportet; maximè cùm & alienis ſæpè nos implicemus, nobis neglectis. Addit Seneca: *Quem mihi dabis qui aliquod pretium tempori ponat! qui diem æſtimet? qui intelligat ſe quotidiè mori? In hoc enim fallimur, quòd mortem proſpicimus. Magna pars ejus jam præterit, quicquid ætatis retrò eſt, mors tenet. Horas ergo omnes complectere, ſic fiet, ut minimum ex craſtino pendeas, ſi lucidiora mentis injecerit. Dum differtur vita, tranſcurrit.* Hæc omnia audiat Chriſtianus ignavus cum confuſione, & rubore concepto extimuletur ad pretium temporis ponendum, ad ſeriò conſiderandum ſe quotidiè mori, ad vitæ tranſcurrentis horas, non languidè, ſed diligenter his quæ oportet impendendas. Denique ſubjicit & concludit idem Seneca: *Omnia aliena ſunt, tempus tantùm noſtrum eſt. In hujus rei fugacis ac lubricæ poſſeſſionem natura nos miſit, ex qua nos expellit, quandocunque vult. Sed tanta ſtultitia mortalium eſt, ut quæ minimo & viliſſima ſunt, certè reparabilia impetrari ſibi, cùm petere pacantur; nemo ſe judicet quicquam debere qui tempus accepit: cùm interim hoc unum eſt, quod ne gratus quidem poteſt reddere.* O Chriſtiane, quam dabis rationem temporis tibi dati ſevero judici? Cur conqueris, & doles, dum jacturam facis rerum vilium, & caducarum quas recuperare poteſt, temporis autem pretioſiſſimi jacturam nihil facis, nec doles, nec conquereris, cùm & illud irrecuperabile ſit, & illo æternitatem valeas tibi comparare? Ridet ſtultitiam tuam gentilis Philoſophus, tuamque arguit cœcitatem.

Seneca ep. 1. ad Lucilium.

Sed ſi dedignaris audire Ethnicum, audi certè ſapientem Chriſtianum, ejusdem rei graviſſimè commonentem. Audi S. Bernardum, virum utique ſapientiſſimum & ſanctiſſimum, qui ſermone de triplici cuſtodia ſic loquitur: *Nemo parvi æſtimet tempus quod in otioſis colloquiis conſumitur. Volat verbum irrevocabile, volat tempus irrevocabile, nec advertit inſipiens quod amittat. Licet confabulari inquiunt, donec hora præteat. O donec præteat hora, ò donec pertranſeat tempus! Donec hora præteat, quam ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam, miſeratio Conditoris indulget. Donec tranſeat tempus, quo divinam tibi propitiare debuerat pietatem, præparare ad angelicam ſocietatem, fugitare ad amiſſam felicitatem, excitare remiſſam voluntatem, flere commiſſam iniquitatem.* Hæc S. Bern. Quod quidem monitum, ſicut decet, perpendant Chriſti fideles, diſcent excutere ignaviam & tepo-rem: diſcent pretium temporis in ſicio & pondere Sanctuarii ponderare: diſcent cum diligentia & ſollicitudine, cum promptitudine & alacritate, illud in negotio ſalutis & operibus divinis impendere. Sed quoniam non ſolùm ab humana cura cooperante, ſed maximè à divina gratia prævie operante id pendet, ad te Domine hoc votum poſtremum operi huic meo coronidem addens, dirigo: *Tu innocentia reſtituor & amator, dirige ad te motum cordis ſervorum, ut Spiritûs tui ſervore concepto, & in fide inveniantur ſtabiles, in opere efficaces.*

Tempus quod otioſis teritur, non parvi faciendum

* * *

SUMMA

SVMMARIVM RESOLUTIONUM, ET RESPONSIONVM,

Ad quæſtiones paſtorales frequentiùs recurrentes circa Præcepta Decalogi, & capitalia vitia.

PRÆFATIO.

QUÆ de præceptis Decalogi tractavi, in ordine ad Catechiſmos & Concionet in gratiam Paſtorum tractata ſunt. In gratiam autem eorumdem brevem Tractatum hic damus in ordine ad Reſolutiones mox ad manum habendas, pro confeſſionibus audiendis. Summariè enim explicabimus quæſtiones præcipuas & magis ordinarias, ut juvetur Confeſſarius, dum vel debet interrogare, vel reſponſum dare ſuper peccatis Decalogi aliquod præceptum concernentibus. Adjiciemus & pauca de peccatis capitalibus, quia illa ferè ad præceptum aliquod reducuntur. Viſum eſt autem expediens has Reſolutiones ideo ſeparatim dare, ut uno intuitu eas Paſtores inſpicere poſſint, & ut parcant labori & confuſioni requiſitioni, quæ neceſſaria videbatur, ſi eas doctrinæ morali pro catechiſmis & concionibus datæ intermiſcuiſſemus, dum de præceptis Decalogi fuſiùs egimus. Quapropter ut hunc laborem noſtrum boni conſulant, rogamus. Quod ſi his reſponſis per aliquot capita digeſtis conjunxerint Reſolutiones, quas poſt ſingula Sacramenta in noſtro candelabro myſtico ſeparatim dedimus, & attentiùs perlegant & relegant, invenient magnam partem Caſuum moralium conſcientiæ compendioſè tractatam & reſolutam ſecundùm opinionem celebriorum Doctorum, quorum etiam opinioni nonnulla ex praxi à nobis adjecta eſſe, non ſine utilitate, ut ſperamus, deprehendent.

PARS I.
RESOLVTIONES CIRCA PRÆCEPTA.

CAPUT I.
Reſolutiones Quæſtionum paſtoralium circa 1. Præceptum Decalogi.

Q. 1. *De quibus rogandi pœnitentes circa hoc præceptum.*

QUÆRO 1. *De quibus ſint interrogandi pœnitentes, circa hoc præceptum.*

Reſp. An non crediderint, vel deliberato conſenſu dubitaverint de aliquo puncto fidei? 2. An non legerint libros hæreticos vel prohibitos? 3. An Biblia vulgari linguâ legant ſine licentia, ſi ſint laici? 4. An non ſint uſi ſuperſtitionibus? 5. An verbis ſacris non ſint uſi ad turpia, ad amatoria, vel profana, gravi cum irreverentia? Item de irreverentia erga loca ſacra, vel res ſacras, de odio Dei, de deſperatione, de præſumptione. Omnia enim quæ ſunt contra fidem, religionem, ſpem, & charitatem erga Deum, huic præcepto adverſantur. Sed ſpecialiter horum aliqua hic explicanda nobis ſunt. Unde

Q. 2. *Cum rudibus quid agendum?*

QUÆRO 2. *Quid agendum cum rudibus, qui ignorant fidei articulos primarios, maximè de Deo trino in perſonis, in eſſentia uno, ac de Filii Dei incarnatione?*

Reſp. Plerosque Theologos ſentire fidem & ſcientiam explicitam articulorum & myſteriorum Trinitatis & Incarnationis, ita neceſſariam eſſe ad ſalutem neceſſitate medii, ut ſine illa quis nec juſtificari poſſit, nec ſalvari; etiam ſi interrogans non foret in culpa, quia numquam fuerit inſtructus. Vide quæ hac de re dixi in Reſolutionibus de Sacramento Pœnitentiæ *cap. 2. q. 7* & in Horto Paſtor. *Tract. 1, lect. 9. in fine.* Reliquorum articulorum ſcientiam aut fidem explicitam, dicunt non eſſe neceſſariam niſi neceſſitate præcepti; ita ut ſi quis ſine ſua culpa ignoret, quia inſtructus non fuerit, excuſetur, & ſalvari poſſit. Et quidem præceptum eſt ſub peccato gravi, ut ſciant ſaltem ſubſtantiam articulorum ſolemnium in Eccleſia Dei: puta, *Chriſtum eſſe natum de Virgine, eſſe crucifixum, mortuum, ſepultum, reſurrexiſſe, aſcendiſſe, judicemq; venturum.* Quæ omnia vix ignorant rudes, licèt ſymbolum non ſciant ordinatè, aut quid ſub quoque articulo contineatur. Sed ad id non tenentur, niſi fortè ſub veniali. Quod advertere debent Paſtores nimis anxii.

Q. 3. *de iis qui putant quemvis in ſua fide ſalvari.*

QUÆRO 3. *Quid agendum cum illis qui putant in ſua fide quemlibet ſalvari poſſe?*

Reſp. hunc errorem eſſe ſatis frequentem, non ſolùm inter rudes, ſed & inter eos qui ſapere videntur, & ſe Catholicos putant. Eliminandus porrò error iſte, tamquam gravis, & repugnans illi articulo, quo credimus *Sanctam Eccleſiam Catholicam*; extra quam non eſt ſalus, ſicut extra arcam Noe à diluvio nemo fuit liberatus. Et qui id ignorat, certè ignorat ſubſtantiam illius articuli.

Q. 4. An pec. legere Biblia vulgari idomate.

Quæro 4. *An ſit peccatum mortale, Biblia vernaculi idiomatis ſine licentia legere & retinere?*

Reſp. hoc difficulter perſuaderi laicis quibusdam; eſt tamen res gravis, & rigoroſum præceptum; & ubi contumacia intervenerit, excommunicationi daret locum. Nec video quomodo id poſſit excuſari, niſi dicatur quibusdã in locis illud præceptum contrariã conſuetudine eſſe enervatum; quomodo aliqui aſſerunt præceptum datum laicis de non diſputando in fide, ut habetur cap. *Quicumque*, de hæreticis in 6. contrariã conſuetudine eſſe enervatum, in locis maximè ubi paſſim vigent hæretici. Sed quidquid ſit de hoc poſteriori; de priori præcepto Biblia in vernacula lingua non legendi, ignorantia aut excuſatio valida non videtur poſſe afferri in noſtra Diœceſi Leodienſi, cùm illud renovatum, & per Parochias publicatum fuerit anno 1619. juſſu Ferdinandi Epiſcopi Leodienſis, à quo emanavit hocce decretum. *Cùm hucusque turbulenti & ſeditioſi Reipublicæ temporibus à pijs & doctis viris animadverſum ſit, diverſas opiniones errorum irrepſiſſe: eò quòd tam facilè omnes ſæculares ſacra Biblia in idioma vernaculum tranſlata in ſuis domibus, officinis, tabernis teram. Hinc eſt, quòd nos huic malo obviam ire cupientes, mandamus omnibus & ſingulis civitatis & Diœceſis noſtræ Leodienſis Paſtoribus, quatenus proxima poſt præſentium receptionem Dominica, ſubditis ſuis à ſuggeſtu publicent, nemini deinceps licere hujuſmodi Biblia in linguam vernaculam tranſlata legere, nec domi retinere, niſi de expreſſa Vicarii noſtri Generalis, aut illius deputatorum, licentia in ſcriptis obtenta. Et ſi qui hujuſmodi Biblia habeant, & illa legendi facultatem obtinuerint: Nihilominus illa ſuis Parochis intra eſtiduum examinanda reproducant, aliqui abſolutionem peccatorum ſuorum non obtineant. Datum in civitate noſtra Leodienſi, ſub ſigillo noſtro Vicarii noſtri Generalis ac ſigillo noſtro. Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo decimonono, menſis Febr. die 2.*

Sed excuſant ſe aliqui, dicentes ſe non habere Biblia, ſed ſolùm Evangelia, aut Epiſtolas Pauli, aut novum teſtamentum: & ſe illa legere non ad diſputandum, aut dubitandum, ſed potiùs ad ſolatium & confirmationem fidei, vel adſciendum Evangelia quæ in concione proponuntur. Reſp. Prætextus iſtos non eſſe ſufficientes, quia lex generaliter prohibet, niſi adſit licentia propter certas cauſas, & pericula. Deinde cùm prohibet Biblia, etiam prohibet partes illorum, ſive Evangelia, ſive Epiſtolas Pauli, ſive alios libros novi teſtamenti; quia eadem in omnibus ratio. Adverto tamen paſſim librum Judith, Tobiæ, Eſtheretiam pueris legere diſcentibus permitti; & in his fortè potuit conſuetudo prævaluiſſe, quia libri iſti hiſtorici ſunt & morales, vix periculo obnoxii erroris inde captandi.

C. Quicumque de hæret. in 6.

Adverte etiam, noviſſimè per declarationem Congregationis Interpretum Concilii Tridentini prohibitã eſſe omnibus lectionem Tridentini Concilii in vernaculo idiomate; quæ declaratio in Leodienſi Diœceſi Decanis inſinuata fuit ſub obtestatione Epiſcopi, ut ea per ipſos Paſtoribus innoteſceret. Actum id. Anno 1631.

De hæreticorum libris.

De hæreticorum libris non legendis, dixi in tractatu de Pœnitentia, ubi de caſibus reſervatis egi; ibique advertendum dixi in Bulla Cœnæ prohiberi lectionem librorum hæreticorum ſub excommunicatione, non tamen illa excommunicatione contineri audientes conciones eorum. Vide ibi dicta.

Qu. 5. De Bibliis hæreticis.

Quæro 5. *Quomodo agnoſcet Parochus, Biblia aliqua eſſe hæretica?*

Hoc cum Parochos concernat, quædam hic loca ſubjiciemus, ex quibus maximè Biblia aliqua gallica agnoſcuntur eſſe hæretica.

1 Ex Gen 37. 42 44. *Deſcendam lugens in infernum.* Nam habent (*en la foſſe*) ne ſinum Patrum admittant, ſive purgatorium.

2. Ex Pſalmo 6. *In inferno quis confitebitur tibi*, vertunt (*au ſepulchre.*)

3. In Pſalmo 15. *Non derelinques animam meam in inferno*, vertunt (*au ſepulchre*) ne Chriſti ad inferos deſcenſum cogantur admittere.

4. Item Malach. 1. v. 11. *In omni loco ſacrificatur oblatio munda*, vertunt: *In tout lieu eſt l'encenſement offert*, ne admittant Miſſæ ſacrificium.

5 In lib. 2. Machab. c. 12. duo ultimi verſus ſunt ſublati: ne nimis evidenter orationem pro defunctis cogantur admittere.

6. In Matthæi Evang. c. 6. Non habentur verba illa in Bibliis Catholicis. *Quia tuum eſt Regnum, & potentia & gloria in ſæcula.* Hæc autem habentur in Bibliis hæreticis.

7. In c. 15. Actorum omittuntur illa: *Præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & ſeniorum.* Quibus Eccleſiæ præcepta ſervanda docentur.

8. 2 Pet. 1. v. 10 Illa verba non habentur, *per bona opera*, quæ in Catholicis leguntur.

9. In Apoc. c. 14. *Opera illorum ſequuntur illos*, legunt hæretici, & omittunt particulam, *enim*, quæ habetur in Catholicis.

10. Apocalypſis aſcribitur in plerisque illorum *Joanni Theologo*, non Apoſtolo.

Q. 6. De iis qui agitantur variis cogitationibus contra fidem.

Quæro 6. *Quid agat Parochus cum illis qui agitantur variis cogitationibus contra fidem & Religionem, & quibuſdam quaſi blaſphemis imaginationibus contra Chriſtum, contra Virginem vel Sanctos, contra Euchariſtiam infeſtantur?*

Reſp. Cùm hæc illis ſint involuntariæ, non debent multùm angi. Nec ita hæ ſuperari poſſunt poſitivè reſiſtendo, ſed potiùs contemnendo. Quapropter prudens Confeſſarius monere poterit pœnitentem nimis anxium, ut ne quidem illas confiteatur, cùm certum eſt non fuiſſe conſenſum deliberatum. Sola enim via contemptus dæmon hac in re infeſtus ſolet vinci, & abſcedere confuſus.

Qu. 7. De comedione carnes tempore hæreſis.

Quæro 7. *An non cenſeatur tacitè & in facto negare fidem, qui inter hæreticos exiſtens, carnes comedit diebus ab Eccleſia prohibitis.*

Reſp. Comedere carnes ad vitandum periculum vitæ,

Nec dictum omittit.

vitæ, vel injuſtæ perſecutionis, licere Catholicis inter infideles ſive hæreticos: nam lex Eccleſiæ non obligat cum vitæ periculo, aut graviſſimo incommodo. Neque comedere carnes propriè eſt negare fidem, vel profiteri hæreſim, quocumque die fiat: quia poteſt ſæpè fieri etiam in die prohibito juſta alia de cauſa, v.g ob infirmitatem. Atque hic & nunc non negatur fides, à Catholico in die Veneris cùm hæreticis comedente; ſed diſſimulatur, & celatur juſta de cauſa, nec tunc inſtat tempus obligans ad confitendam fidem. Aliud foret, ſi publicâ auctoritate juberetur à judice comedere carnes in ſignum Catholiciſmi abnegati, quia tunc contemptus fidei urgeret ad non comedendum, & ad fidem hæreticam profitendam. Sicut patet in exemplo

2. Mach. 6 21. Eleazari, qui maluit mortem pati, quàm comedere contra legem carnes prohibitas, ad quod urgebatur à judice in contemptum legis: nec etiam voluit ſimulare ſe comediſſe, ne ſcandalum daret. In ſimili ad idem tenetur Catholicus.

Q. 8. De templis & concionibus hæreticorum adeundis.

Quæro 8. *An non ſit tacitè negare fidem, adire templa hæreticorum, intereſſe eorum concionibus & congregationibus? Aut quale peccatum ſit?*

Reſp. Hic per ſe non eſſe profeſſionem fidei hæreticæ, aut negationem fidei Catholicæ; poteſt enim id fieri ad eorum errores notandos & redarguendos, poteſt & fieri alias ob cauſas juſtas *Ex gr.* Famulus Catholicus illuc procedere poteſt, cum Domino aut Hero ſuo hæretico ad ei obſequium impendendum: Sicut Naaman petiit ab Elizeo, ut

Naaman 4. Reg. 5. 19. ſibi liceret Regi obſequium præſtare adeunti templum Remmon, & ibi genua flectenti: ſolebat enim innixi adorans brachio Naaman. Hoc verò conceſſiſſe videtur Elizeus, dum ait: *Vade in pace.* Quapropter adire templa hæreticorum, eorum congregationi, vel concioni intereſſe, ſi ſcandalum Catholicorum abſit, & periculum propriæ perverſionis, non videtur peccatum, ſi quis juſtam cauſam habeat aliundè; putà quòd per hoc notabile damnum evadat, aut periculum vitæ ſive perſecutionis injuſtæ.

Adverte tamen Paulum V motu proprio, occaſione cujuſdam edicti Regis Angliæ, declaraſſe Catholicis in Anglia agentibus non licere templa & congregationes hæreticorum adire. Hæc verò declaratio ſuper hoc innititur, quod Regis edictū præcipiebat aditum templorum in ſymbolum Religionis, & dignoſcendos Catholicos ab hæreticis. Quapropter virtualiter cenſebantur à judice interrogari tunc de fide; & tanquā ſignum abnegationis fidei erat, adire congregationes & templa Anglicana, eratq; Catholicorum ſcandalum grave, cùm quispiam Catholicus ea adiret. Cenſebatur ergo tunc urgere obligatio confitendæ fidei, nec obediendi præcepto, quod in contemptum Religionis Catholicæ vergebat, ſimulque occaſio ſcandali erat tollenda. Videre potes quæ dixi de ſignis quibus olim cenſebatur fides abnegari. Horti Paſt. tract 2. lect. 3.

Q. 9. De ſuperſtitione,

Quæro 9. *An omnis ſuperſtitio ſit mortale peccatum?*

Reſp. negativè: Nam quædam ſuperſtitio quæ eſt tantùm ſuperflui cultûs, quædam etiam quæ vocatur obſervantia vana, poteſt eſſe venialis. Pro qua re adverte reſolutiones caſuum ſequentium, qui ſat frequentes ſunt inter plebeos, maximè inter ruſticos.

I. Caſus. Quandoque præter morem Eccleſiæ ponitur Religio in quibuſdam circumſtantiis vel rebus, in quibus non eſt ponenda, v.g. in numero, colore, ſitu, ut tot ſint candelæ, non plures, tot orationes dicantur, ad ſingulas orationes candela extinguatur; ut cera ſit alba, non flava. In his & ſimilibus non videtur plusquam veniale peccatum. ut notat Navar. *c. 11 num.* 23. Cajet. V. *Superſtitio*, Toletan. *l. 4. c.* 14 Leſ. & alii.

II. Caſus. Obſervatio ſomniorum poteſt eſſe venialis, ratione ſimplicitatis perſonæ. Item quia licèt fidem adhibere videatur ſomniis, putans ob illa ſibi aliquid proſperum, vel adverſum fore, tamen non firmiter ſed tenuiter credit. Nec propterea aliquid facit aut omittit quòd ſit contra præceptum aliquod Dei, vel Eccleſiæ.

III. Caſus. Si quis ita deditus eſſet obſervationi ſomniorum, ut paſſim illa in rebus agendis uteretur, non poſſet facilè à peccato mortali excuſari. Nam expreſsè Deus prohibet: *Non augurabimini, nec obſervabitis ſomnia.* Dæmoni quoque occaſio Levit. 19. 26. ſese illis intermiſcendi ſuggeritur.

IV. Caſus. Qui obſervant dies, credentes hunc eſſe fœlicem, hunc infœlicem, & tenent tales obſervationes tanquam regulas vitæ, non excuſantur à peccato mortali, ſaltem poſt monitionem. Qui hæc ſolùm obſervant quandoque, ſed cum tenui fide, non videntur niſi venialiter peccare.

V. Caſus. Qui obſervant eventus fortuitos, ex quibus conjectant aliquid alicui fœliciter vel infœliciter eventurum, peccant vana ſuperſtitione; ſed ordinariè non videtur plusquam veniale, tum quia fides omninò certa non adhibetur, tum quia à majoribus ſe ita accepiſſe dicunt, nec apprehendunt id, ut grave malum, tum quia hæc ad cauſas ſibi ignotas referunt. Sic ex occurſu quorundam animalium, canis, felis, vulpis, corvi, ſolent judicare aliquid fœlix vel infœlix obventurum: ſed ſæpè vaniſſimè, & ſtultiſſimè.

VI. Caſus Eſt obſervatio ſanitatum, quando adhibentur verba, vel ſigna ad curandos morbos ſive hominum, ſive animalium: quæ naturaliter, vel ex divino, aut Eccleſiaſtico inſtituto nullam ad id vim habent. Licèt verò quidam ratione bonæ fidei vel ignorantiæ excuſentur: non video tamen quomodo hi excuſari poſſint à mortali. qui poſt monitionem Parochorum, vel privatim, vel publicè factam, non deſiſtunt. Cùm in his tacitum quoddam pactum cum dæmone intervenire ſoleat, res gravis cenſeri debet. Sed de his fusè dixi in Horto Paſtor. ſuper Præcepto 1. Decal.

Q. 10. De ſignis maleficii amovendis.

Quæro 10. *An liceat amovere ſigna maleficii, ut damnum non noceat?*

Reſp. primo: Non licet illa ſigna tollere novo maleficio, imò nec malificium ad id rogare, vel paratum & ſeſe offerentem ad id acceptare. Hoc enim eſt vel inducere, vel conſentire peccato. Reſp. 2. Licet illa ſigna tollere & deſtruere abſq; maleficio, eſt communis ſententia Doctorum. Imò licet illa ponere, quibus poſitis expirat vel deſtruitur pactũ prius, & diabolus deſinit nocere, vel certè priora ſigna vim ſuam amittunt. Ita Leſſius. Ratio eſt, quia licitum eſt aliquid facere non ex pacto novo cum dæmone, aut expectando beneficium ab illo, ſed ob inimicitiam evertendo pacta ejus & impedimenta quæ poſuit. Hinc reſolvuntur hi caſus quotidiani.

Leſſius l. 2. c. 44. dub. ult.

I. *Caſus.* Si Saga te tangit ut inficiaris, & repercutiendo impediatur nocumentum, id tibi licitum erit: ſive quia dæmon ſtatuerit tunc non nocere, ſive quia tunc ſignum veneficæ non eſt tale, quale eſſe requirit.

II. *Caſus.* Dum quis eſt infectus à Saga, dicitur ceſſare nocumentum, vel reddi inefficax, ſi infectus det illi panem & ſalem, vel ab illa panem accipiat: id ſi verum eſt, licitum erit: Quia cum forte ſtatuerit diabolus his poſitis non nocere, mihi licitum eſt aliquid facere, quod ſit indifferens, ut ejus pactum expiret. Vide Leſ. ſuprà latiùs in genere iſta explicantem, & in particulari hos duos caſus per modum exempli ponentem. Experientia, vel confeſſione maleficum potuit agnoſci dæmonem deſinere nocere his caſibus.

Leſſius ſupra.

CAPUT II.

Reſolutiones concernentes II. Præceptum Decalogi.

Q. 1. De quibus quærendũ circa 2. præceptum.

QUæro 1. *De quibus interrogandus ſit Pœnitens circa ſecundum præceptum?*

Reſp. 1. An juraverit aſſertivè ſcienter falſum, vel ſaltem dubitans an eſſet falſum? Utrobiq; autem eſt peccatum mortale. Similiter ſi induxit alterum ad jurandum falſum; vel incertum.

2. An non juraverit promittendo alicui aliquid, & poſtea non adimplevit illud cum poſſet? Tunc etiam peccatum eſt mortale: ſi res ſit notabilis. Similiter ſi juravit, non intendens adimplere; tum quia decipit in re gravi, tum quia gravis irreverentia eſt erga Deum, eum in teſtem invocare, ſine animo exequendi.

3. An non juraverit aliquid facere quod eſſet illicitum facere, v. g. vindicare ſe de aliquo, percutere eum, & ſimilia? Tunc ſi malum quod jurat eſt mortale peccatum, jurando peccat mortaliter, ſi veniale, venialiter: & ſi adimplet, peccatum peccato adjungit.

4. An non juraverit aliquid, quod quidem eſſet verum, ſed nulla erat neceſſitas jurandi? Tunc eſt ſolùm peccatum veniale.

Q. 2. De quibuſdam jurandi formulis.

Quæro 2. *An hæc ſint juramenta, Per fidem meam, fides boni viri, fides boni Chriſtiani, fides boni Sacerdotis aut religioſi.*

Reſp. ut ordinariè accipiuntur, non eſſe juramenta. Nam qui ſic loquuntur, non intendunt jurare; ſed ſolum ſignificare ſe loqui ex virtute fidei, ſeu veritatis, quam vir probus, aut Chriſtianus, aut Sacerdos, vel Religioſus in dictis ſuis adhibere debet: ita ut ſi fallat, jam non habeatur, verax aut fidelis. Aliud foret, ſi quis juraret. *Per fidem Deo per fidem Catholicam, per ſuum Sacerdotium, aut Religionem*; Quia tunc cenſeretur invocare Deum, quaſi fidei Catholicæ, vel ſui Sacerdotii & Religionis autorem. Similiter non eſt juramentum dicere: *Per meam conſcientiam: vel in conſcientia, in veritate.* Significat enim tantùm tales ſe loqui ex conſcientia & veritatis notitia. Et ſive dicas *in conſcientia & per conſcientiam* idem videtur. Videtur autem eſſe juramentum, ſi quis dicat, *Super animam meam*, vel *per animam meam.* Idem enim videtur id ſignificare, ac ſi quis dicat. *Pereat anima mea, niſi ita ſit.* Atqui olim in veteri teſtamento quoddam juramentum erat: *Vivit anima mea.* Sic & apud Apoſtolum juramentum eſt, *Teſtem in voco Deum, in animam meam.* 2. Cor. 1. 23.

Q. 3. De Ruſticorũ jurandi ritu.

Quæro 3. *Quid dicendum de more ruſticorum confitentium ſe juraſſe & blaſphemaſſe. At interrogati quomodo juraverint, dicunt ſe hæc ſimilia pronunciaſſe. Bougre, Charogne, Morse, Diable, &c. & idem quidem ut plurimum circa ſua pecora?*

Reſp. inſtruendi hi ſunt, hæc non eſſe propriè juramenta; ſed verba impatientiæ, maximè ſi dicantur circa animalia; nec ordinariè excedunt peccatum veniale. Si autem circa humanam perſonam verſentur, quandoque cum impatientia ſimul injuriam & ſcandalum ſimilia verba involvunt, non ſine gravi culpa. Hoc autem pendet, tum ex animo quo ſimilia pronũnciant; tum ex qualitate perſonæ in quam talia verba interquentur, tum ex aliis circumſtantiis; de quibus prudentis Confeſſarii eſt judicare, ut dignoſcatur an culpa ſit mortalis, & injuria gravis, vel ex animo & intentione dicentis, vel ex modo, vel ex perſonis. Nam inter perſonas viles hæc vix reputantur mortalia, & vix æſtimantur, niſi aliud ex alia circumſtantia judicetur.

Q. 4. De Nobilium modo.

Quæro 4. *Quid dicendum de more nobilium quorundam, qui ad ſingula fere quæ pronunciant, ſcilicet verbum, juro, intermiſcere? Sic Galli Nobiles ſapiſſimè habent in ore, je vous jure, dum aliquod volunt aſſerere; item illud frequenter, par Dieu?*

Reſp. hæc plerumque ſine juramento pronunciari; quia licet verba juramentum præ ſe ferant, non tamen intendunt illi jurare. In juramento autem non tam ponderanda verba, quàm intentio. Sicut ergo communi ſermone dicimus: *Ego promitto hoc me facturum*, ſolum ſignificantes animi noſtri propoſitum, ſine voluntate ſtrictioris obligationis: Si hi plerumque verbis iſtis, *Ego juro*, non intendunt Deum in teſtem vocare; ſed juro ipſis ſolùm ſignificare idem quod firmiter aſſero. Eſt tamen mos iſte reprehenſione dignus, ob perſculum

Digitized by Google

culum quod involvit. Similiter & illud ad ſingula fere uſurpare. *Per Deum*, ut Gallis eſt commune, licet cum intentione juraudi non ſit conjunctum, pravæ tamen eſt conſuetudinis, & à Chriſtiano ore omnino ablegandum.

Q. 5. De iſdem.

Quæro 5. *An poſſint excuſare à peccato mortali illi Nobiles vel Aulici, qui dum ſimul ambulaturi procedunt, jurant ſe non ituros ad dextram, ſe primo loco non aſſeſſuros, ſe primo non introituros &c. At poſtmodum victi auctoritate & invitatione, aſſident primi, ingrediuntur primi, &c.*

Reſp. videri hos poſſe excuſari, tum quia quandoque non intendunt jurare, & fiunt hæc ſine conſideratione juramenti, tum quia licet jurent, ſuum tamen juramentum intelligere ſic cenſentur: *Quamvis in me eſt, non procedam primus, non ſedebo primus; niſi ſi licet cogar tua voluntate, aut comitate.*

Q. 6. De gravitate peccatis juramento.

Quæro 6. *Quale peccatum ſit, jurare per mortem, per ſanguinem Dei, per caput Dei, &c.*

Reſp. jurare aliquid illicitum cum his ſacris adjurationibus, graviſſimum eſſe peccatum: prout ſolet fieri in rixis & contentionibus, dum ibi jurant ſe vindicaturos, ſe occiſuros alterum, aut alia injuſta comminantur cum iſtis verbis: *Per ſanguinem Dei, per Caput, per mortem id faciam.* Si autem ſimilia verba uſurpent ex impatientia, aut paſſione, non tamen jurando falſum quippiam aut illicitum, non audim condemnare peccati mortalis. Eſt tamen gravis irreverentia, tempore iræ & impatientiæ Sacra hæc ore temerario uſurpare, quibus noſtra redemptio eſt peracta.

Cajet. in ſum. v. me blaſphemia.

Q. 7. De eo: ſam verum eſt hæc quam Deus.

Quæro 7. *Quale peccatum ſit, dicere, hoc eſt tam verum quàm Deus, vel quàm quod ſit unus, vel quàm quod Chriſtus ſit in Miſſa.*

Reſp. In rigore loquendo, ſive verum ſit quod affirmatur, ſive non, non poſſe iſtas comparationes veritatem habere; nam veritas dicti noſtri non poteſt eſſe tanta qualis eſt divina, vel veritas alicujus articuli fidei. Unde alibi dixi hæc plane à Chriſtiano ore eſſe penitus eliminanda. Quia tamen plebi & rudes, dum ſimiles comparationes faciunt, non intendunt aliud dicere, quam omnino veriſſimum eſſe quod aſſerunt; non ſtatim aſſerere oportet eos in hac re peccare mortaliter, ſi veritas certa eorum dictis ineſt.

Vide Azorium.

Q. 8. De conſuetudine blaſphemandi,

Quæro 8. *Quid dicendum de conſuetudine blaſphemandi, qualis reperitur inter milites & alios homines diſſolutos, maximè in ludis & rixis?*

Reſp. Si deſit advertentia plena; etiam ſi conſuetudo adſit blaſphemandi, non committitur peccatum mortale. Quia advertentia ad peccatum omnino requiritur, ut ſit plene voluntarium: & undecumque defectus illius ſit, excuſat à peccato. Sicut quàdo adeſt advertentia plena, etiamſi quis blaſphemet ex ſubita paſſione, & ſtatim pœniteat, non deſinit eſſe peccatum mortale. Conſuetudo autem blaſphemandi tunc inducit culpam, quando eſt conjuncta cum voluntate blaſphemiæ directa vel indirecta, ſeu interpretativa. Cenſetur autem interpretativa, cùm quis non aufert occaſiones. Exempli gratia. Si quis ex ludo habeat occaſionem blaſphemandi, quando id advertens voluntariè ludit, cenſetur dare cauſam blaſphemiæ, & ſic interpretative eam velle. Quod ſi verò quis nitatur ſe corrigere, & occaſiones auferre; licet ob conſuetudinem reincidat ex non plena advertentia, cùm hoc ei ſit deliberatum, & plenè voluntarium, non poteſt eſſe niſi veniale peccatum.

Navar. cap. num. 14

Toler. l. 4. c. 13.

Q. 9. De juramentis comminatoriis parentum, vel herorum.

Quæro 9. *Quid dicendum de juramentis comminatoriis parentum erga filios, vel herorum erga famulos, v. g. juraui ſe illos caſtigaturos, & poſtmodum non faciunt?*

Reſp. Similia juramenta ex communi interpretatione & recepta conſuetudine contineri tacitam quandam conditionem, vel reſtrictionem hanc aut ſimilem: *Niſi naſcatur inde grave incommodum, niſi veniam deprecando impetrarint; niſi aliud expediens viſum fuerit, &c.*

Imò adverte generaliter: Quando promiſſio aut propoſitum de re bona habet tacitam aliquam conditionem, vel ex diſpoſitione juris, vel ex mente loquentis, vel ex recepta conſuetudine, etiam juramentum illi appoſitum cenſetur habere illam conditionem. Exempla aliquot ſubjicio, ex quibus alia poterunt agnoſci.

I. *Caſus:* Tu juraſti puellam ducere in uxorem. Si ipſa poſtmodum fornicetur, aut morbum incurabilem aut paupertatem, aut infamiam incurrat, non teneris. Quia ſic tacitè intelligitur juramentum tuum, etiam ex diſpoſitione juris.

II. *Caſus:* Juraſti ſervare promiſſum alicui, & ipſe etiam tibi aliqua promiſſa fecit quæ poſtmodum non ſervat: tunc nec tu teneris juramento, quia tacitè hæc involvitur conditio: Juro ei ſervare promiſſum, niſi & ipſe ſuum violet.

III. *Caſus:* Inita pace cum inimico juras te non nociturum: Intelligitur, niſi per novam offenſam occaſionem dederit.

IV *Caſus:* Juraſti ſervare ſtatuta Capituli: Intelligitur quæ ſunt in vigore, & quæ ſunt alicujus momenti, atque ex vi juramenti in uſu. Nec enim quis intendit, tam graviter ſe adſtringere ad ea quæ non ſervantur, vel quæ ſunt minima.

V. *Caſus:* Inquiſitus ab illis qui locum tenent judicis, juraſti dicere quicquid noſti in ea cauſa: Intelligitur ſi ſecundum ordinem juris interrogeris. Nam quæ ſunt occulta, de quibus nec præceſſit ſemiprobatio aut infamia, detegere non teneris.

Poſtremò: Sicut promiſſio rebus notabiliter mutatis non obligat, ſic nec juramentum illi additum.

Q. 10 De Juramento cui dolus vel error cauſam dedit.

Quæro 10 *An obliget juramentum, cui dolus vel error cauſam dedit?*

Reſpondent plerique Theologi & juriſperiti non obligare. Ratio eſſe poteſt, tum quia ubi dolus eſt, excluditur voluntas, tum quia juramentum non obligat extra mentem & intentionem juran-

Digitized by Google

tis ; jurantis autem intentio non videtur esse le in tali casu obligare ; nam mens ejus tacitè repugnat. Hinc resolvuntur casus sequentes.

I. *Casus:* Si puella dolo inducta est à fratribus, ut renunciet cum juramento hæreditati paternæ pro certa dote : Si postmodum hæreditas multo pluris valere agnoscitur; non tenetur juramento.

II. *Casus* : Juramento quis promisit emere domum Petri, quia persuadebatur ei esse bona: postmodum deprehendit, in fundamentis notabile vitium, Non tenetur stare juramento.

III. *Casus:* Vendit quis domum suam, & juramento promisit stare contractui. Sed postmodum deprehendit se graviter læsum: potest agere ad suppletionem pretii ; quia jurando non intendit cedere juri suo, si deceptus esset in pretio. Sic de similibus.

IV. *Casus:* Juraſti celare secretum quod tibi vult quis committere ; intelligitur nisi alteri noceat; unde si postmodum deprehendis graviter alteri nocere, non teneris celare.

Q. 11. De Juramento calumniæ.

Quæro 11. *Quid sit juramentum calumniæ, quod à litigantibus solet requiri?*

De hac re vide quæ dixi in Candelabro mystico Tract. 5. ubi explicui quid Perjurium, & quando sit casus reservatus, in casu XVIII. inter reservatos.

Q. 12. De Juramento ambiguo, & restrictione mentali.

Quæro 12. *An possit quis jurare secundum mentem suam verum, secundum autem mentem poscentis falsum : ita ut ambiguè loquatur, & amphibologicè, ut vocant ? Item an possit jurando uti restrictione mentali ?*

Respondeo prius, posse quem uti locutione ambigua, & secundum sensu.- suum vera, licet aliter is cui juratur intelligat, quando injustè cogitur ad jurandum, & habet justam causam celandi mentem suam: puta, ad vitandum aliquod damnum. An verò tunc possit restrictione mentali uti, duplex est sententia Theologorum & Canonistarum. Alii enim negant, inter quos Sotus, Cajetanus Arragonius, Sylvius. Alii affirmant, inter quos Navarrus, Toletus, Valentia, Lessius. De hac re doctissimum opusculum consule R. Joannis Malderi Epic Antverp. quondam in Theologia Professoris mei; cui titulum dedit de restrictione mentali. Resp. 2. Quando quis se offert ad jurandum, vel legitimè à Judice compellitur & interrogatur servato ordine juris, peccat mortiferè, si alieno sensu juret, fallens interrogantem. Quia pervertit justum judicium, & justam obedientiam in re gravi non adimplet.

Q. 13. De Mercatoribus juramentis.

Quæro 13. *Quale peccatum committant Mercatores, qui jurant sibi mercem tanti constare, sed alio sensu quam emptor intelligat? Solent si excusare tales dicendo se aliter justum pretium non posse obtinere.*

Resp. tunc non videri peccatum mortale. At censendum esse mortale, si hac ratione intendunt decipere, & extorquere supra justum pretium: aut si hoc modo extorqueant pretium summum, quod alioqui emptor non daret, vel si alia ratione sint causa gravis damni.

Q. 14. De

Quæro 14. *Quid de juramento eorum quia adhibiti sunt custodes sylvarum jurant, & deferre ad Dominos, Officiarios, si quos invenerint damnum sylvis inferentes, ut mulctentur pœnis constitutis ?* Quæro inquam, *an hi teneantur quemlibet deferre ?* custodibus sylvarum.

Ratio dubitandi est, quia quandoque exiguum omnino & ferè nullum reperitur damnum, mulctæ autem exiguntur gravissimæ, v. g. decem aureorum. Sic quandoque reperiunt pauperculum duo vel tria ligna colligentem, quandoque aurigam qui ob difficultatem præfracti itineris aliquantum currum ad latus, deflexerit exiguo & ferè nullo cum damno. Et tamen hi deferuntur, mulctisque gravibus opprimuntur; dicunt verò illi custodes, se debuisse satisfacere juramento. Respondeo: Non videtur obligatio tales accusandi, quando est periculum gravis mulctæ ; nam licet juramentum eorum sit generale quoslibet deferendi & mulctandi, intelligi tamen debet secundum rationabilem mentem & voluntatem Domini vel Principis. Rationabilis autem voluntas non videtur esse, ut gravissimè damno afficiatur, qui nullum, vel levissimum detrimentum attulit, idque semel, aut iterum, aut quasi ex accidenti, nam ob consuetudinem, aut frequentiam actuum, justum esset deferre, & eos graviter mulctare, tum quia paulatim increscit damnum, tum quia via aperitur aliis ad simile quid audendum contra justam & rationabilem voluntatem Domini. Ideò ut alii terreantur, justè posset mulcta exigi ab eo qui videtur parvi pendere edictum pœnale, & aliis similem ansam dare, licet graviter non offenderit. At experientia compertum est quod hi quidem custodes quandoque culicem colant, camelum verò glutiant, dum insciis Dominis compositionem ineunt sibi lucrosam, cum iis qui graviter damnosi, & oculos claudunt quasi nesciu, nec inquirunt in eos : alios verò leviter & fortuitò transgredientes opprimunt.

Quæres, *an tales teneantur ad restitutionem damni quod infertur Dominis ?*

Resp. teneri, quando res est magni momenti, & Dominus justa ratione invitus, ut jam diximus: si enim pauperi aliquid exiguum quis permittat, non tenebitur. Cur autem in gravi damno teneatur, ratio est, quia ob custodiam stipendium accipit, & sic lege justitiæ tenetur impedire damnum.

Quæres *iterum si mulcta imposita sit, & non accensent, teneantur ne ad illam mulctam.*

Resp non teneri. Vide Lessium Navar. Idem dicendum de his qui habent curam ne merces exportentur sine vectigali soluto. Tales si non accusent eos qui exportant, tenentur de damno, sed non de mulcta.

Lessi. l. 2. c. 13. dub. 10. Navar. c. 25. num. 34.

Q. 15. De relaxatione juramenti.

Quæro 15 *Quomodo posset relaxari juramentum ?*

Resp. 1. Juramentum factum in alicujus favorem potest ab ipso relaxari. Resp. 2. Juramentum factum in Dei gloriam potest quisque commutare in rem aperte meliorem. Resp 3. Juramentum quod de re indifferenti est, vel quod vanum est, aut quod postea non decet facere, non obligat.

Resp. 4.

Reſp. 4. Epiſcopum in juramentis poſſe diſpenſare, ſicut & in votis; ſi tamen factum eſt in favorem tertii, debet adeſſe juſta & legitima cauſa. Imo generaliter quidam putant, Confeſſarios qui ex privilegio & poteſtate delegata poſſunt commutare vota, vel diſpenſare, poſſe etiam commutare, vel diſpenſare in juramentis de eadem materia. Vide Leſſium.

Leſſ l. 7. cap. 41. dub. 12.

DE VOTIS.

Quæro 16. *Quanam vota obligent?* Q. 16. *Quæ vota obligent?*

Reſp. 1. Ad obligationem voti primo requiritur, ut ſit deliberatum. Deliberatum dicitur, non quod ſit opus longa mora, aut longa mentis agitatione; ſed quia requiritur perfecta ejus quod agis animadverſio. Unde ad obligationem voti ſufficit talis animadverſio, qualis ſufficeret ad peccandum mortaliter: quod enim ſufficit ad obligandum nos diabolo, etiam judicandum eſt ſufficere ad obligandum nos Deo. Si quis vero ex ſubito animi motu, vel conſuetudine lingua mentem præcurrente voveat, non obligatur: ſicut qui ſimili impetu malum alteri imprecatur, non peccat mortiferè. Similiter ſi ſit ſolùm imperfecta conſideratio, dum ſolùm confusè & tenuiter advertis quid agas, non invehitur vinculum voti.

Reſp. 2. Debet eſſe votum ſpontaneum, ut obliget. Unde ſi metu vel dolo extorqueatur cum injuſtitia, cenſent Doctores eſſe irritum: ſi vero metus eſt juſtus, non irritat, ut latiùs tradunt Doctores Ex gr. Si judex minatur alicui mortem propter homicidium, niſi ingrediatur Religionem; cùm metus ille juſtè incutiatur, profeſſio ex tali metu facta non cenſetur irrita.

Reſp. 3. Requiri ad votum ut fiat cum intentione ſe obligandi: omnis enim promiſſio cùm ſit lex quædam quam quis ſibi imponit, vim ſolùm habet Juxta intentionem promittentis; nec ampliùs, nec aliter, nec diutius quàm intendebat Cùm verò quis ſciens & volens vovet, implicitè cenſetur velle obligare; etiamſi formaliter hoc non intendat. Qui vero voveret cum expreſſa intentione ſe non obligandi, revera non intendit vovere; ſed potiùs ſimulare votum, licet externis verbis dicat *Voveo*: Aut certè talis non intelligit quid ſignificetur nomine voti. Unde nec talis actus induceret obligationem; tùm quia procedit ex errore circa ſubſtantiam actus; tùm quia actus agentium non operantur ultra intentionem eorum. Ex dictis reſolve caſus ſequentes.

I. Caſus: Si quis naufragio, vel prælio mortis metu voveat ingredi Religionem ſi evadat, tenetur implere votum, quia metus non injuſtè incuſſus ab aliquo ad extorquendum votum.

II. Caſus: Si à parente proli incutiatur gravis metus niſi ingrediatur Religionem, profeſſio ex tali metu ſecuta invalida eſt, quia injuſtè metus ille incutitur.

III. Caſus: Si quis aliquid vovit, & poſt votum aliquid ſe aperiat quod ante latebat, vel aliquid ſuperveniat quod ille ſuo voto prudentum judicio non videtur voluiſſe comprehendere; non tenetur, v. g. Vovit quis peregrinationem ad locum longinquum, & poſtea viæ ſunt redditæ infeſtæ propter latrones aut bella: Item vovit quis ingreſſum dura Religionis & intervenit morbus, qui Medicorum judicio non ſinet eum perferre auſteritates In his caſibus vel tollitur, vel ſaltem ſuſpenditur obligatio voti, quia nunquam fuit intentio in his eventis ſe obligandi.

IV Caſus: Si quis vovit ingredi certum Monaſterium, falſo perſuaſus eſſe benè reformatum; non tenetur, ſi poſtea reperit eſſet diſſolutum; quia ex errore vovit, nec mens ejus fuit in eo caſu ſe obligare: votum autem non obligat ultra expreſſam vel tacitam intentionem vovèntis.

V. Caſus: Qui profeſſus eſt in Religione ubi non ſervabantur niſi eſſentialia, & non intendit ſe ultra receptam conſuetudinem aſtringere, non obligatur ad arctiora, niſi fortè illa ſint neceſſaria ad ſervanda ſubſtantialia. Ita Navar. c. 12. num. 50. Fumus v. *Religio*, num. 19. Silveſt. v. *Religio* Lopez c. 45.

Quæro 17. *De quare poſſit votum fieri?* Q. 17. *De materia voti.*

Reſp. debere fieri de re nobis poſſibili. Defectu hujus primæ conditionis, nullum eſt votum quod quis faceret de nunquam committendo peccato veniali in genere? quia cum ordinario Dei auxilio non poſſumus omne vitare De peccatis tamen certis venialibus, poteſt votum emitti validè, puta de nunquam mentiendo voluntariè Poteſt etiam votum emitti de nunquam peccando mortiſere.

In vita S. Thereſiæ legimus ipſam emiſiſſe votum non ſolùm in omnibus agendi quicquid gratum eſſet Deo, ſed etiam quicquid illi gratius, & quicquid magis ad ejus eſſet honorem, majoriſque perfectionis. Sed hoc votum cùm ſit extraordinariæ perfectionis, magis admiratione quam imitatione dignum eſt. Quia & in aliis perſonis Dei voluntatem apertè non agnoſcentibus, nec ita illuminatis, ſcrupulos varios poſſet ingenerare talis votum.

Reſp. 2. Votum debere eſſe de re bona. Hinc ſequitur, nullum eſſe, ſi quis vovet opus malum? imò eſſe peccatum ob irreverentiam, quæ per tale votum Deo irrogatur. Quidam Doctores exiſtimant ſemper eſſe peccatum mortale, etiamſi quis voveat opus quod ſolùm ſit peccatum veniale; & hoc ratione gravis injuriæ, & irreverentiæ quæ Deo infertur, quaſi ipſe approbaret aliquid quod malum ſit. Alii tamen dicunt eſſe peccatum mortale, quando opus malum quod vovetur eſt mortale, eſſe verò tantum veniale, ſi opus malum quod vovetur ſit veniale. Ita Sylveſter, Sotus, Navarrus. Quia materiæ parvitas videtur excuſare; nec id vovetur tanquam gratum Deo, ſed ſolùm ut quis ſe confirmet intentione ſua, opus non ita conſiderans in ratione ſuæ malitiæ,

Reſp.

Reſp.3. Votum debere eſſe ita de re bona, ut melior ſit quàm ejus oppoſitum. Nam ſi ejus oppoſitum eſt melius, jam erit Deo gratius; & ideò cum promittamus ut Deo gratificemur, id quod gratius eſt, ſervandum eſt & non alterum. Ex his reſolvuntur caſus ſeqq.

I. Caſus: Si quis vovit nunquam ſe ingreſſurum domum Petri, ex quadam paſſione & vindicta: voto non tenetur, imo peccavit ſic vovendo.

II. Caſus: Si quis voluit nunquam ingredi domum aliquam, quia ibi occaſiones ſunt peccandi, v.g. ob ludos & potationes, ob occaſiones luxuriæ, & ſimilia; tenetur ſervare tale votum, quamdiu ſimiles occaſiones permanent. Quod ſi auferantur tales occaſiones, jam res ſit indifferens, & ideò ceſſat obligatio voti.

III. Caſus: Si quis vovit non mutuare unquam alteri, votum nullum eſt, quia melius eſt mutuare, cum ſit opus charitatis.

IV. Caſus: Si quis vovit non amplius vovere, non tenetur tali voto, quia melius eſt vovere, quàm non vovere. Adverte tamen illum qui facilis nimis foret ad vovendum, poſſe valide hoc votum emittere: Voveo non amplius vota aliqua emittere, niſi re priùs cum prudente Confeſſario communicata. Ratio eſt, quia melius eſt huic homini vovere adhibita deliberatione cum viro prudente, quam vovere abſque hujuſmodi deliberatione.

Sed quæritur: *Si quis poſt tale votum, voveat ſine Confeſſarii conſilio, tenebis ne votum?* Reſpondet Leſſius valere, ſi deliberatè fiat; peccare tamen talem ſic vovendo, quia violat priùs illud votum quo promiſerat non ampliùs ſic vovere. Sed fortè inquit, hæc violatio non eſt mortifera, quia ſæpè contingit ut adhibere vel prætermittere illam maturam deliberationem, non cenſeatur res magni momenti, præſertim quando res quæ vovetur eſt facilis. Ita ille. Alii quidam exiſtimant in dicto caſu tale votum ſine conſilio Confeſſarii factum, non obligare, & peccare illum qui ſic ſine illius conſilio vovet poſtquam aliter voto promiſit. Ita Sayrus.

Leſſ. l.2. cap.40. dub.5.

Qu.18 *De voto non ſponſandi pro aliis.*

Quærro 18. *Quid dicendum de illo, qui vovet ſe nunquam ſponſorem fore pro alio, quia ſponſando gravia damna paſſus eſt?*

Reſp. tale votum poſſe eſſe validum: quia licet ſponſorem agere, in genere loquendo, poſſit eſſe charitatis; tamen huic homini nolle amplius ſponſorem agere, videtur prudentiæ & virtutis

Qu.19. *De votis impuberum.*

Quærro 19. *Quid dicendum de votis adoleſcentulorum, vel adoleſcentularum, dum vovent caſtitatem perpetuam, aut Religionis ingreſſum in ætate, v.g. decem vel undecim annorum?*

Reſp hæc vota quidem valere, ſi judicium ſufficiens habeant ad vovendum, quale cenſeri debet in ætate in qua poſſunt mortiferè peccare: in qua etiam aliquo modo intelligere poſſunt obligationem voti quod emittunt. Hæc tamen vota ante pubertatem facta (hoc eſt, in maribus ante annum decimum quartum, in fœmellis ante duodecimum) irritari poſſunt à patre, vel à tutore qui pupillo loco patris eſt: ſic enim jura ſtatuerunt, & hoc locum habet in quibuslibet votis illorum.

Quærres verò, *an poſſint etiam irritari poſt tempus pubertatis?*

Reſp. poſſe. Quia ſimile votum ex interpretatione juris eſt conditionatum; hanc ſcilicet conditionem involvens: *Si parens vel tutor non contradixerit*: Quam conditionem per tractum temporis non amiſit. Nec obſtat, quod filius habuerit intentionem ſervandi, aut poſtea fortè illud renovaverit, quia hæc omnia ex errore provenerunt, quo putavit votum ſuum ab initio firmum abſolutè fuiſſe, unde non ſufficiunt ad ratificandum. Ut enim quis cenſeatur aliquid ratificare, neceſſe eſt, ut ſciens eſſe invalidum, velit eſſe validum; vel ſaltem habeat aliquam ſcientiam de re ſciat; ut ſaltem intendat illud confirmare, etiam eo eventu quo invalidum fuiſſet.

Quærres etiam, *an vota puberum, hoc eſt, poſt annum decimum quartum, vel duodecimum in fœmina non poſſunt a parentibus irritari?*

Reſp. illa vota poſſe irritari quæ obſunt diſciplinæ in familia, & poteſtati paternæ; alia verò vota non poſſe irritari. Hinc ſequitur, ſi filius-familias multas voveat peregrinationes, illa vota poſſe à parente irrita reddi; Item ſi voveat multa jejunia; Item ſi voveat geſtare habitum inſuetum in familia, & his ſimilia. Quia cùm iſta ad domeſticam gubernationem pertineant, ſubſunt paternæ poteſtati.

Quærro 20. *Quid poſſit maritus circa vota uxoris ſine conſenſu ſuo facta?* Qu.20. *De votis uxorum.*

Reſp. quorundam probabilem eſſe ſententiam maritum poſſe omnia vota uxoris ſine conſenſu ſuo facta diſſolvere, ſicut poteſt parens vota puellæ impuberis, aut Prælatus vota Religioſi ſui. Habet hoc quoddam fundamentum in Scriptura, quia ibi eodem modo loquitur de voto uxoris & puellæ, quæ eſt in domo parentum. Ideo hanc ſententiam ſequitur ibidem Abulenſis: Favent Sotus, Lopez, & alii. Alia ſententia eſt, illa tantùm à marito irritari poſſe, quæ ad familiæ adminiſtrationem ſpectant in quibus ipſe eſt caput mulieris. Exempli gratia. Poteſt irritare votum jejunii frequentis, quo poſſet ineptior ad uſum matrimonii reddi, votum peregrinationis, humi cubationis, habitus ſimplicioris, & ſimilia. Si autem votum emiſerit non peccandi mortaliter; item votum recitandi certas preces, & ſimilia conjugio nil incommodantia, ſecundùm hanc ſententiam non poteſt diſſolvere maritus. Num.30.

Quantum ad uxorem, illa etiam diſſolvere poteſt vota mariti juri ſuo incommodum afferentia. Ex. gr. ſi voluit maritus geſtare habitum religioſum, ſi vovit humi cubare ad longum tempus: Imò ut docet Navar. num.60. ex D. Tho. & Paludano, poteſt irritare votum mariti, quo voviſſet non petere debitum, eò quod ipſi non parum ſit onoroſum

Digitized by

ac verecundum ſemper exigere ? Alii tamen non pauci hic contradicunt.

QUÆRES *Quid ſi uterque pari conſenſu voverit conſervandam.*

S. Aug. ep. 199. Reſp. Tunc neutrum poſſe alterius votum irritum reddere, ut expreſſe docet S. Auguſtinus. Unde neuter poteſt tunc petere, aut petenti reddere, quia uterque cenſetur juri ſuo ceſſiſſe.

QUÆRES 21. *An Epiſcopus poſſit diſpenſare in voto caſtitatis.*

Qu. 21. *De diſpenſatore in voto caſtitatis.* Reſp 1. Poſſe in voto caſtitatis non perpetuæ, puta, unius anni, quinque, decem, viginti. 2 Id poteſt in voto non fornicandi, quia non votum caſtitatis integræ, quod Pontifici reſervatur. 3. Poteſt in voto non nubendi, quia differt à voto caſtitatis, quandoquidem per fornicationem non violetur. 4. Poteſt in voto non petendi debitum. Unde ſi aliquis habens votum ſimplex caſtitatis contraxit matrimonium & conſummavit, Epiſcopus ob periculum incontinentiæ poteſt diſpenſare, ut petat debitum. Mortua tamen conjuge tenetur ſervare caſtitatem Unde hæc diſpenſatio non fuit integra, ſed partialis tantum, & ad tempus Imò, ſi conjuges poſt contractum matrimonium voverunt continentiam, & poſtea periculum utrique vel alteri eorum imminear, multi docent Epiſcopum poſſe diſpenſare; quia non relaxat abſolutè & ſimpliciter illud votum, ſed ſolum ſecundum quid, ut ejus executio ad tempus differatur : mortua enim conjuge redit vis voti & tenetur quis ſervare caſtitatem.

Denique quidam generaliter docent ; quandocunque eſt magnum periculum incontinentiæ, poſſe Epiſcopum diſpenſare; maximè cum non eſt facilis ad Summum Pontificem, aut ejus Delegatum acceſſus.

CAPUT III.

Reſolutiones concernentes III. Decalogi Præceptum.

Qu. 1. *De quibus Pœnitentes hic interrogandi.* QUÆRES 1. *De quibus interrogandi ſint Pœnitentes circa hoc præceptum?*

Reſp. 1. An opus aliquod ſervile exercuerint in die feſto? An Miſſam audierint à principio uſque ad finem, vel an partem notabilem omiſerint? 3 An non majore parte Miſſæ divagati ſint mente & quidem voluntariè ? 4. An non magnam partem fabulis impenderint, aut hinc inde ſpectantes libidinoſe? De quibus pauca in ſpeciali nobis explicanda ſunt. Itaque

Qu. 2. *De operibus ſervilibus feſto die.* QUÆRES 2. *Quandonam poſſit quis excuſari, opus ſervile exercens in die feſto?*

Reſp. Excuſare varias cauſas.

I. Si exiguum ſit opus & leve. Sic excuſantur famuli & ancillæ opera ordinaria exigui temporis exercentes; puta verrere cubiculum, purgare veſtes, & his ſimilia In his ſaltem non niſi veniale intervenit, etiamſi nulla juſta adſit cauſa, quin ad alium diem poſſint differri.

QUÆRES, *Quantum temporis requiratur, ut quis dicatur notabili tempore in die feſto opus ſervile exercuiſſe.*

Reſp Alii dicunt quatuor horas, alii tres, alii vero duas, ego ut minimum requirerem tres, ad peccatum mortale; quia cenſeri debet pars notabilis dici. Unde aliqui tertiam vel quartam diti partem requirunt.

II Excuſat neceſſitas. Sic qui ratione paupertatis non poteſt familiam alere, & ideo cogitur diebus feſtis operari, facilè poteſt excuſari; maximè ſi fiat ſine ſcandalo, in loco privato.

Similiter ob quandam neceſſitatem, ſive ad vitandum detrimentum, excuſantur qui grana colligunt & ferunt, qui uvas ex vinea, aut fructus tranſferunt ex pomario, tempore illo quo imbres timentur vel pluviæ : ſed in his ſolet ſaltem à loci Parochiis licentia peti. Et hi ubi Epiſcopus non reſidet vel ejus Vicarius, ſive quando ad hos non eſt facilis recurſus, poſſunt eam dare, ut mox dicemus.

Sic etiam excuſantur, qui diebus feſtis excoquunt vitrum, ollas, calcem, mineralia ferri, carbones & ſimilia; quando opus illud non poſſunt intermittere. Sic & lanienæ, quando plura occurrunt feſta, nec cibus ſervaretur antea præparatus ſine periculo corruptionis, excuſari cenſentur.

III. Excuſat conſuetudo. Sic aliquibus in locis, conſuetudo à Prælatis ſcita, nec præcepto ſpeciali abrogata, facit licitam aliquarum rerum venditionem etiam publicam in die feſto.

Tali ex conſuetudine auctiones bonorum ad Eccleſiam, vel ad communitatem ſpectantium in pagis & urbeculis permittuntur, quia aliis diebus emptores non concurrerent.

Simili ex conſuetudine excuſari videntur quidam extranei mercatores, quos vulgò *Porteparniers* vocamus, aut *Sabandos*; qui ſuas merces humeris ſuis tranſvehentes, de loco in locum continuò tranſire ſolent, maximè per pagos, quia hi aliis diebus emptores non reperiunt.

Huc etiam referri poſſent molendina, ex conſuetudine à Prælatis tolerata, feſtis molere ſolita.

IV. Excuſat neceſſitas quædam ſpiritualis. Sic excuſatur à pleriſque puella, quæ ut vitet otium, vel alias occaſiones vagandi & peccandi, domi acu pingit, vel aliud quidpiam privatim operis peragit.

Excuſantur etiam qui ex pietate laborant in gratiam templi, vel loci pii, maximè ex conſenſu Parochorum.

V. Excuſat obedientia. Sic excuſatur famulus, aut ancilla, aut filius-familias, qui jubente hero vel patre, aliquid operis agit in die feſto Excuſatur etiam à præcepto Miſſæ, ſi non poteſt detentus ab hero illam audire. Si tamen herus non habeat juſtam cauſam liberos vel famulos ſic detinendi, peccat ipſe. Item ſi in contemptum Eccleſiæ vel feſti, aut miſſæ id præciperet, tunc non poteſt filius aut famulus obedire. Quia tunc non eſſet ſolum contra jus humanum, quo feſta præcipiuntur (à

Digitized by Google

quibus excuſatio facilè datur) ſed eſſet contra divinum & naturale, quo Chriſtus & Eccleſia contemnitur; quod ne quidem licet, etiam mortis propoſito periculo.

Q3 Quod opus dicatur ſervile.

Quæro 3. *Quodnam opus dicatur ſervile?*

Reſp. opus ſervile proprie eſſe illud, ad cujus exercitium, ſervos, ſive famulos ſervientes, habemus deputatos, & in quo artes mechanicæ verſari ſolent. Quod autem opus ſit mercenarium, ſive quod fiat propter mercedem & lucrum, non facit ipſum ſervile, ſicut ſe tale non ſit. Quapropter docere, ſcribere, conſulere, etiam ad inſtructionem alicujus litis propter lucrum, non cenſetur ſervile, nec prohibitum hoc præcepto. Venatio autem, piſcatio & ſimilia, ſi fiant recreationis gratia, quodammodo ad liberum opus ſpectant; ſi vero ex officio, conveniunt ſervis & famulis & quodammodo ſervilia videntur. Hæc nihilominus licita in feſto conſuetudo facit; ſi modò Miſſæ auditionem non impediant.

Similiter conſuetudine quadam inter ruſticos inolita excuſari poſſunt, ſaltem à mortali, qui audita Miſſa ad fructus aliquos ſylveſtres carpendos currunt, & magnam illici partem in hoc impendunt; putà, colligendo fragos, vaccinia, nuces, licet ad ob lucrum faciant. Vidimus hoc anno 1631 paſſim Miſſam Parochialem & Veſperas relinqui, & audita manè aliqua Miſſa concurſum ex pagis maximum, tum virorum, tum mulierum fieri ad colligendas in ſylvis nuces, quæ in maxima fuere copia: Et ad id quidem vidimus totos penè dies feſtos impendi, ſpe lucri ad vendendum haſce decerptas nuces. Cùm autem id ex ſe non minus ſervile ſit, nec magis licitum, quàm metere ſegetes, aut alios quoſcunque fructus toto feſto die carpere: non video quomodò excuſentur, niſi per conſuetudinem toleratam. Quamvis horum etiam pars quædam excuſabilis ſit ob paupertatem.

Qu. 4. De mercenariis ſolvendis.

Quæro 4. *Quid dicendum de illis qui varios ſub ſe habent operarios mercede conductos, & diebus feſtis vel Dominicis eos ad computandum convocant, & promeritam mercedem ſolvunt?*

Sic frequenter videmus practicari, per illos qui multos habent operarios in ſtallnis, in officinis ferrariis, in lapicidinis, in ſylvis cædendis, & ſimilibus. Reſpondeo tales ſe ſolere excuſare, dicentes id fieri in gratiam operariorum, qui alio die cogerentur perdere diuturnum laborem ad familiam alendam neceſſarium. Quod ſi verum eſt, jam id ad pietatem, tamquam ad cauſam excuſantem, referri poterit. Puto tamen magis conſuetudine id introductum quibuſdam locis. Namqui magis pii & timorati ſunt, diem Sabbati eis deſignant, in quo certò mercedem poſt computum recepturi comparent.

Quibuſdam etiam locis, mercatores oppidani non faciunt magnum ſcrupulum ruſticis vendere pannum, veſtes, & alia neceſſaria ad familiam, intrà tamen parietes domeſticos. Excuſationemque aſſerunt eamdem quam alii ſuprà, quod ipſi totâ hebdomada operibus ſuis detenti non ſoleant comparere niſi diebus feſtis. Partim ergo pietas, partim conſuetudo tolerata poterit hos excuſare, maximè quando multum temporis non impenditur. Similiter ob exiguitatem operis & temporis excuſari poſſunt ſartores, qui diebus iſtis pannum ſcindunt ad aptandam veſtem his ruſticis, & menſuram corporis capiunt.

Qu. 5. An habeant Paſtores diſpenſandi auctoritatem in feſtis.

Quæro 5. *An Parochi habeant auctoritatem diſpenſandi in feſtis.*

Reſp. Habere in locis ubi non reſidet Epiſcopus, & diſtans eſt. Patet ex praxi, & ratione; quia ad regimen animarum ob crebros & quotidianos caſus hæc poteſtas moraliter eſt neceſſaria. Communiſque ſententia DD. notat illam ipſis conceſſam, tam in hoc præcepto Eccleſiæ, quam in præcepto de jejunio. Neque ſolùm dixeris eſſe interpretationem; nam omnis doctus poteſt interpretari ceſſare legem quibuſdam in caſibus, ſive quempiam eximi à lege certis de cauſis. Plus verò Parochis conceſſum eſt, quam doctis quibuslibet, ergò non ſolùm interpretatio eſt, ſed & vera diſpenſatio auctoritatem requirens. Et licet requiratur cauſa rationabilis ut ipſi diſpenſent, non tamen requiritur evidenter juſta: ſed auctoritas eorum cauſæ inſufficientiam aut inevidentiam ſupplet, ideoque non interpretatio ſolùm legis eſt, ſed & diſpenſatio poteſtativa.

Qu. 6. Et ſaltus proprii domicilij abſenti ſervandus.

Quæro 6. *An civis ab ſua tenetur ſervare feſta propria domicilij ſi ſit in loco ubi non eſt feſtum?*

Reſp. Non teneri: Quia cum præceptum illud de ſervandis quibuſdam feſtis in ſuo oppido vel pago, quæ alibi non ſervantur, ſit quodammodo loco affixum, obligat ſolùm ratione exiſtentiæ in loco; & ſic non obligat extra territorium. Sic Leodienſis in feſto S. Lamberti, Huberti, Dionyſii, exiſtens in Diœceſi Cameracenſi, non tenetur ibi audire Sacrum, poteſtque ibidem operari.

Leſſius l. 4. c. 2. dub. 8.

Quæres, *Si quis diſcedat manè à proprio loco ubi eſt feſtum, teneturne audire Sacrum quod ibidem manè celebratur?*

Reſp. id conſulendum omninò, & pietati conſonum eſſe. In rigore tamen non tenetur. Ratio eſt, quia cùm in loco proprio poſſet differre auditionem uſque ad ultimum Sacrum; ſi ante illud tempus inveniatur in loco ubi non eſt feſtum, tollitur obligatio. Aliud eſt de illo qui propter impedimentum non poteſt audire Sacrum ultimum: ille enim tenetur audire aliud ſi poſſit; quia cum toto tempore maneat obligatio, ſi putet impedimentum ſuperventurum pro ultimo Sacro, tenetur prævenire.

Idem de jejunio.

Similiter dicendum de eo qui diſcedit ad locum ubi non eſt jejunium. Non enim tenetur, in rigore loquendo, jejunare illic, licet in proprio teneretur; unde ibi poteſt comedere carnes. Et hoc verum eſt, licet eodem die domum ſit reverſurus. Tunc tamen reverſus non poteſt vetci carnibus; ſed ſi ſemel

ſemel jejunium eſt violatum, non tenetur à cœna abſtinere.

Quæres iterum : *An quando eſt feſtum in una Parochia oppidi, in altera non, poſſit ſubditus Parochianus qua eſt feſtum adire aliam Parochiam, ut ibi laboret?*

Suarez, Sanchez, & alii.

Reſp poſſe. Dices, *ſi ſolum in eam locum ſe confert ad operandum alias non itursus, videtur facere in fraudem legis?* Reſp. non eſſe propriè fraudem legis, ſed talis utitur jure ſuo, nec dicitur violator legis, cùm non faciat contra eam in loco ubi obligat.

Qu. 7. De feſto loci, ubi quis non habet domicilium.

Quæro 7. *An quis teneatur ſervare feſtum, & audire Sacrum exiſtens in loco, ubi non habet domicilium, ſi ibi ſit feſtum quod in loco domicilij ſui non ſervatur?*

Reſp. ſecundum probabiliorem ſententiam teneri, ſi ibidem aliquamdiu hæreat, ſive, ſi ibi moram executioni præcepti proportionatam trahat, v. g. ſi ſit feſtum in loco ubi quis hoſpitatus eſt; & ipſe uſque ad meridiem ibi hæreat cenſetur obligari ad audiendum Sacrum. Si autem quis tantùm tranſeat feſto illo die per pagum aut civitatem vel parum ibidem hæreat mox tranſiturus, non tenetur. Ratio eſt, quia ſi à manè uſque ad meridiem, vel circiter, hæreat in illo loco, ſtatutum illud locale jam illum videtur obligare. Similia enim ſtatuta localia, ſive de jejuniis, ad bonam gubernationem loci conducentia, cenſentur obligare omnes qui ibi inveniuntur, & qui moraliter præceptum implere poſſunt. Imò conſuetudo, legum interpres, ita recepta eſt, etiam inter doctos, ut ſi aliquandiu hæreant in loco ubi feſtum vel jejunium obſervatur, obligari ſe putent, licet externi ſint. Et huc ſpectat verſus ille:

Si fueris Roma, Romano vivito more:
Et ſi ſis alibi, vivito ſicut ibi.

Quod ſi quis autem tranſiens vix moram trahat, non cenſetur ſtatuto locali obligari; quia moraliter loquendo vix in eo loco cenſetur eſſe, & brevis præſentia non videtur adeò ſtrictam obligationem inducere.

Imo adverte, illam quorumdam ſententiam, qui dicunt externum hærentem uno die feſto particulari alicujus loci, vel uno die jejunii, non teneri ad feſtum, nec ad jejunium, eſſe probabilem, & judicari ab aliquibus DD. ſecuram. Ideo ſepoſito ſcandalo talis poſſet operari privatim in feſto tali, poſſet & comedere carnes in jejunio illo particulari. Ratio horum eſt, quia ad obligandum legibus localibus juriſdictio requiritur, quam negant ſeſe extendere ad externos uno vel altero die tantùm ibi hærentes. Hoc dixerim, ne Confeſſarius facilè condemnet juxta hanc ſententiam agentes. Altera tamen ſententia, quam explicamus, pietati & conſuetudini receptæ eſt conformior, & ideò tenenda.

Qu. 8. De Miſſa audienda.

Quæro 8. *Quanam excuſentur à Miſſa audienda in die feſto? Quanam pars omiſſa cenſeatur notabilis, & inducere peccatum mortale? Quanam attentio ſit requiſita?* Sed de his omnibus, & aliis quæſtionibus ad Miſſam ſpectantibus ſufficienter tractavi in Candelabro myſtico poſt Tractatum de Euchariſtia, ideò illuc Lectorem remitto.

Qu. 9. De libidinosè vagis in Sacro.

Quæro 9. *Quid dicendum de juvenibus, aut juveneulis, tempore Sacri libidinosè hinc inde ſpectantibus? dum hæ quidem ad preces, illi autem ad amaſias ſuas cor & oculos habent?*

Reſp. ſæpè ultra id quod tales Sacrum audire non cenſentur, nec præcepto ſatisfacere; novum peccatum libidinosè mente conceptæ adjici.

Sed quæritur *an ſi tales in templo exiſtentes libidini dent conſenſum interiorem, ſit talis circumſtantia in Confeſſione ſpecialiter explicanda, quod fuerit in loco ſacro conſenſus ille aut voluntas carnalis adfuerit?*

Hoc nimirum ad ſacrilegium ſpectare videtur, ideoque circumſtantia illa loci ſacri judicari poſſit mutare ſpeciem peccati. Reſp. non mutari hic ſpeciem peccati, nec cenſeri ſacrilegium, niſi voluntas conſentientis eo uſque feratur, ut paratus etiam eſſet complere actum carnalem in loco ſacro, quantum in ſe eſt. Alias voluntas carnalis quæ concipitur ex occaſione in loco ſacro, quam tamen nollet quis intra locum ſacrum complere, ſed extra illum, jam non facit ſacrilegium. Non nego tamen aggravari peccatum, ex eo quod quis exiſtens in loco ſacrato, conſenſum dat interiori voluptati carnali; ſed cùm circumſtantias aggravantes plerique Doctores non cenſeant neceſſariò confitendas, dicto caſu quis non videtur obligandus.

Qu. 10. Quæ opera, præter ſervilia ſint vetita.

Quæro 10. *An alia opera præter ſervilia prohibita ſint in die feſto?*

Reſp prohiberi etiam judicia ſive proceſſus. Unde in die feſto non poſſunt examinari teſtes, aut exigi ab illis juramentum juridicum. Quod autem noſtri Notarii & alii juris Practici in die præcedenti ſolent juramentum exigere, ac demde feſto ſequenti teſtes examinare, etiam contra intentum præcepti eſt, quia prohibet ſtrepitum judicialem ob quietem & vacationem quæ rebus divinis debet dari; interrogatio autem & reſponſio teſtium ad ſtrepitum judicialem ſpectat. Imò tenet Suarez cum Antonino, nullam eſſe teſtium examinationem in die feſto, licet pridie juramentum expetitum fuerit; quia debet repeti juramentum ut ſit juridica examinatio: prohibitum autem eſt juramentum ſive petitum ſive repetitum in feſto die. Quidam tamen Canoniſtæ aliter ſentiunt.

Suarez de Relig. c. 30. n. 7. Filiucius in 3. præcepto.

Caput IV.

Reſolutiones quæſtionum circa IV. Decalogi Præceptum.

Qu. 1. De examinandis circa hoc præceptum.

Quæro 1. *De quibus examinandi ſint pœnitentes circa hoc præceptum?*

Reſp. filios-familias hic interrogandos de obe-

Digitized by Google

dientia, de honore, de ſubventione erga parentes. Item, è contrà parentes hic interrogandos de officio ſuo & cura erga proles, an inſtruxerint aut neglexerint corrigere, an malum exemplum dederint, item, uxor erga maritum, quomodo ſe geſſerit in ſubjectione debita. Denique quicumque ſubditi, quomodo ſe habuerint erga ſuperiores, qui hic nomine parentum accipiuntur. *Ex gr.* diſcipuli erga Magiſtros, ſubditi erga Principes, cives erga Magiſtratus, oves erga ſuos Paſtores.

Q. 2. De peccatis filiorum erga parentes.

Quæro 1. *Quando peccent mortaliter filii erga parentes, contra iſtud præceptum.*

Reſp. 1. peccant mortaliter, quando eos habent odio, vel quotieſcumque eis notabile malum deſiderant vel imprecantur, ex debita voluntate. Et tunc non eſt ſatis dicere in confeſſione ſe aliquem odio perſecutum, vel notabile malum alicui apprecatum eſſe, ſed debet circumſtantia illa exprimi, quod pater ſit, aut mater, aut alius proximè junctus ſanguine, cui obedientiam & reverentiam debes. Similiter dicendum, ſi pater ſpiritualis ſit, v. g. Patrinus, Paſtor, Prælatus.

2. Peccant mortaliter filii, ſi nullum externum amorem vel benevolentiam parentibus oſtendunt. Et licèt fortè neceſſaria eis ſubminiſtrent, tamen ferè eos ſemper durè & aſperè alloquuntur, eosque torve inſpiciunt, ſicque vel contemnunt, vel multa triſtitia afficiunt.

3. Peccant mortaliter, ſi percutiant; & licèt levis eſſet percuſſio in ratione nocumenti, cenſetur tamen hic gravis injuria, contra venerationem parentibus debitam. Imò aliqui putant, etiamſi ſolùm manus attolleretur quaſi ad percutiendum, licèt percuſſio non ſequatur, eſſe gravem & mortalem injuriam. Excipiendus tamen hic eſt caſus, quo id filius ageret ad defendendum ſe legitimè.

4. Peccant mortaliter filii, qui in his quæ pertinent ad gubernationem domûs non obediunt in re notabili, maximè quando jungitur huic inobedientiæ pertinacia, & quaſi quidam contemptus.

5. Quando non obediunt in his quæ notabiliter ſpectant ad bonos mores. *Ex gr.* Præcipitur à Patre filio, ut fugiat alicujus converſationem planè ſibi noxiam, ut fugiat ludum aliquem prohibitum, ut non egrediatur domo noctu ad gr. ſtandum cum diſſolutis juvenibus, & ſimilia. Tunc ſi non obediat, adſitque pertinacia quædam, cenſetur mortaliter peccare. Dico, ſi adſit pertinacia; nam hanc pertinaciam vel contemptum aliquem requirunt hic plerique DD. ad peccatum mortale, unde ſi quis ex infirmitate non obediat, excuſabitur à peccato mortali.

6. Si non adimpleant teſtamentum parentum, ſolvendo debita vel legata. Imò diu ſine juſta cauſa differre, peccatum mortale judicat Navar. num. 16. c. 24. & S. Anton. abeo citatur.

De parentum debitis.

Quæres, *an renunciando mobilibus bonis adeuntes hæreditatem filii familiæ, exemptione incenſionis à ſolutione debitorum perſonalium, quibus obligantur parentes?*

Reſp. ſecundùm conſtitutiones quorumdam locorum in dicto caſu non poſſe in eos in judicio agi, aut ad ſolvendum cogi. Ita habent conſuetudines patriæ Leodienſis. In foro tamen conſcientiæ exiſtimo hæredes amplam adeuntes hæreditatem, teneri ad debita, ſi mobilia quibus renunciant, ad id non ſufficiant. Dico, ſi ampla ſit hæreditas, nam ſi excedunt debita hæreditatis facultates, non cogitur filius in foro conſcientiæ ad debita ſolvenda; poteſtque ſe conformare legi exterioris fori, ut vitet gravem inopiam, licèt creditoribus inde damnum accedat.

Quæro 3. *Quando cenſeantur prolis mortaliter peccare dando occaſionem iræ parentibus?*

Q. 3. De filiis dantibus cauſam iræ parentibus.

Reſp. 1. filius contumelioſus, vel valde aſperis & rebellibus verbis parentibus reſpondet, unde fit, ut ille in iram gravem prorumpant, absque dubio peccati mortalis reatum incurrit. Si autem paululum obmurmurat, & levem dat occaſionem, ſed illi ex vitioſa naturæ moroſitate ſupra modum in iram ſe effundunt, excuſatur à peccato mortali. Nec enim id tam ei adſcribendum eſt, quàm vitio parentum.

Quæro 4. *Quando teneantur ſui veniæ parentibus ſub peccato mortali?*

Q. 4. De ſubventione parentum à filiis.

Reſp. quando ſunt in gravi neceſſitate, v. g. ſi infirmitate gravi detinentur, nec habent propria quibus uti poſſint, ſi carcere detineantur, & ſe redimere nequeant. Idem dicendum de neceſſitate ſpirituali; debent enim curare ut Sacramenta eis miniſtrentur, ſi in infirmitate egeant. Legata quoque piæ quæ pro ſalute animæ facere volunt, ac eleemoſynas non debent impedire. Qua in re eos peccare mortaliter tradit Navar.

Quæri etiam hic poteſt: *Quando filii familiæs peccent in adminiſtratione bonorum ad parentes ſpectantium?* Navar. c. 14. n. 14.

Sed de ea re dixi in Reſolutionibus de Matrimonio in Candelab. Myſt. tract. 8. Vide ibi.

Quæro 5. *Quando peccent parentes mortaliter erga filios?*

Q. 5. De peccatis parentum in filios?

Reſp. quando eis non miniſtrant neceſſaria ad ſuſtentationem cùm tamen id poſſint. Sic reperiuntur aliqui, qui eos ita divexant, ut tandem domo paternâ excedere cogantur, & mendicare, vel militiam non ſine diſpendio ſalutis ſequi.

2. Peccant mortaliter, quando eos ſupinè omninò negligunt inſtruere de neceſſariis ſcitu ad ſalutem, vel eos impediunt ſine neceſſitate, ita ut præceptis Eccleſiæ ſatisfacere non poſſint, putà. Præcepto de audiendâ Miſſâ.

3. Peccant mortaliter, ſi eos verbo aut verbere corrigere negligunt de peccatis mortalibus; de blaſphemia, de converſatione cum meretricibus, de graſſationibus nocturnis, de furtis, &c.

4. Peccant mortaliter, ſi eis ſint cauſa peccati, per malum conſilium, vel factum. Non enim pauci repe-

Digitized by Google

reperiuntur, qui cauſa ſunt corruptionis, quæ in filiis cernitur, idque malo exemplo, vel ſuaſu.

Si ſine juſta cauſa proles retrahunt à ſtatu Religionis. Item & maximè ſi invitos compelliant ad Monaſteria, vel Matrimonia.

Q. 6. de alimentis filiorum à parentibus tuendis.

Quæro 6. *An parentes etiam filii teneantur alimenta?*

Reſp. affirmativè ita enim jure canonico decernitur. Et licet jus civile videatur contrariari, intelligendum eſt de alimentis non teneri Patrem, ſi aliundè poſſit filius ali.

Quæres, *An Clerici prolibus ſuis ſpuriis providere alimentaque poſſint de fructibus beneficiorum?*

Reſp. poſſe, ſi aliunde non habeant bona patrimonialia. Eſt enim de jure naturæ obligatio alimentorum neceſſariorum erga proles. Nec refert, quod Conſtitutiones Pii V. videantur adverſari. Intelligenda enim ſunt non prohibere alimenta neceſſaria, ſed teſtamenta, dotationes, hæreditates, ultra alimenta. Adde illas Conſtitutiones vix uſu receptas.

Q. 7. De expondendis filiis illegitimis,

Quæro 7. *An poſſint parentes exponere filios ſuos illegitimos in loco aliquo publico, ut inventi alantur in hoſpitalibus?*

Reſp. Id eis licere, ſi pauperes ſint, & non habeant ad prolem alendam ſufficientia media. Pro talibus enim hoſpitalia puerorum in civitatibus ſunt inſtituta. Quod ſi parentes divites ſint, ſaltèm ſecretò tenentur tali hoſpitali expenſas ſolvere; & curare ut proles illa poſtmodum ſuo tempore inſtruatur. Debent quoque expoſitionis tempore, & loco, tabulasque circumſtantiis, ut ſaluti infantis nocumentum non afferatur.

Q. 8. De inobedientia uxoris erga maritum.

Quæro 8. *Quando peccet mortaliter uxor per inobedientiam erga virum?*

Reſp. 1. quando ex contemptu quodam vel pertinaciâ, præcipienti rem notabilem, ad gubernationem domûs, vel probos mores ſpectantem, non vult obedire: 2 quando ſciens, vel ſcire debens, maritum ad gravem iram, juramenta, vel blaſphemiam excitandam fore, ſi aliquid dicat vel faciat; putà ſi obmurmurando reſpondeat, aut verba verbis reddat; nihilominus ipſa non deſiſtit illud facere, & verboſitate aut murmuratione eum magis provocare Ratio eſt, quia videtur ſalutem viri contemnere, ei præbens occaſionem peccati mortalis, cùm facilè poſſit eam vitare, v. g. tacendo & patienter ferendo poteſt ejus iram compeſcere; adeòque tenetur, quia ipſa inferior eſt.

Q. 9. De peccatis viri in uxorem,

Quæro 9. *Quando peccet vir mortaliter erga uxorem?*

Reſp. 1. ſi graviter eam percutiat aut lædat: licèt enim habeat jus eam corripiendi aut caſtigandi, tamen intelligitur cum diſcretione & moderatione; non enim ei licet eam crudeliter tractare ut ſervam & mancipium. Tantò gravius erit peccatum, ſi graviter percutiat gravidam, & ad iram notabilem provocet, quia in his quandoque periculum abortus eſt, aut gravis damnum in prole. 2. Peccat mortaliter, ſi contumelioſis verbis quæ graviter honori ejus aut exiſtimationi officere poſſint, eam exaſperet; nam licèt ipſe, qua caput uxoris eſt, poſſit eam verbis increpare; hoc tamen etiam intelligendum eſt moderatè, non verò cum atroci aut gravi contumelia.

Adverte vero, inter perſonas viles in matrimonio non æſtimari contumelioſa quædam verba, quæ inter honoratas gravia eſſent ponderis. Unde, ſecundùm conditiones perſonarum poteſt hic ponderare injuriam Confeſſarius. Nam quandoque mox conjuges rixoſi ſunt, & invicem clamoroſi, mox pacati fiunt; & potiùs ex animi levitate & prava conſuetudine quædam effutiunt, quæ ex ſe gravia quidem videntur, inter ipſos tamen parùm æſtimantur, ſed ſubitæ paſſioni aſcribuntur, & fiunt ſine intentione honorem alterutrius graviter lædendi. Sic uxori dicit vir: *Tu mentiris.* Reſpondet idem viro mulier; nec ſe multùm læſi in honorem alteruter exiſtimat: inter honoratos autem hoc gravi injuriæ duceretur.

Q. 10. De debito uxoris in conjugio.

Quæro 10 *Quomodo peccet uxor in debito conjugali: tum in adminiſtratione rerum familiæ?*

Sed de hac re ſufficienter tractavi in Candelabro Myſtico, de Matrimonio in fine, illuc Lectorem remitto.

Q. 11. De Zelotypia.

Quæro 11 *Quale peccatum ſit zelotypia mariti erga uxorem, vel è contrà?*

Reſp. zelotypiam eſſe quendam amorem intenſum qui non patitur conſortium in re amata: ideoque exceſſum in amore ſignificat: qui quidem ex ſe non eſt mortale, frequenter tamen cauſa eſt peccatorum mortalium. Nempè ex hac zelotypia oriri poſſunt ſuſpiciones & judicia temeraria in marito de uxore, vel in uxore de marito; & hæc cùm ſunt deliberata & voluntaria, mortale peccatum involvunt. Ex his etiam judiciis temerariis de infidelitate conjugis, oriuntur rixæ domeſticæ, improperia & contumeliæ, quæ graves ſæpè ſunt & mortales. Item dura propter zelotypiam tractatio uxoris in viro grave peccatum facit. Unde ſimilia ponderanda ſunt à Confeſſario, ut judicare poſſit de hoc peccato. Alioqui zelotypia ſive amor conjugis nimis intenſus, licet aliquando ſuſpiciones adducat, ſed veloces, vel involuntarias, aut non deliberatas, ſolùm venialis eſt. Vide quæ dixi in Candelabro Myſtico de Zelotypia. Tract 8 Lect. 8.

Q. 12. De famulis erga ſuos heros.

Quæro 12. *Ad quid teneantur famuli vel ancillæ erga ſuos?*

Reſp. teneri eis exhibere obedientiam, honorem, & fidelitatem in obſequio pro quo conducuntur.

Quæres? *An famulus, cujus quo vel Domini furta ſæpiùs patiuntur, & ipſe non accuſet, aut diſſimulet, teneatur ad reſtitutionem?*

Reſp. teneri, quando ei domus vel rerum cuſtodia à Domino eſt demandata, aliàs non: Neque enim ex hoc quod ſit famulus, tenetur ex juſtitia

Digitized by Google

res Domini cuſtodire ſaltem contra domeſticos. Unde, ſi alium famulum videat aliquid furripientem, non tenetur lege juſtitiæ impedire, & per conſequens nec reſtituere. Ille tamen cui inter famulos ſpeciatim cura commiſſa eſt cuſtodiendi res Domini, putà, vinum, blandum, fœnum teneturne ex officio etiam contra domeſticos cuſtodire, & damnum impedire. Ideo quoque ſi diſſimulat, obnoxium ſe facit reſtitutioni, ſi illi non reſtituant. Contra externos videtur quilibet famulus ratione famulatus obligari ad res Domini tuendas, ita enim habet communis ſenſus, inquit Leſſius.

Leſſ. l. 2. c. 3. dub. 10.

Quæres iterum, *an ſint peccata mortalia contra fidelitatem vel juſtitiam, ſi famuli clàm à Domino furripiant quædam ad comedendum & bibendum?*

Reſp. Ordinariè furta famulorum vel ancillarum circa eſculenta & poculenta, in rebus ordinariis quas ipſi conſumunt, quæ non ſolent accuratè concludi, non cenſeri mortalia. Ratio eſt, quia hæc ferè ſciuntur fieri, & Domini patiuntur; ac licèt id ſibi diſplicere ſignificent, magis tamen diſplicet modus, quàm ſubſtantia rei. Et idem notandum generaliter circa furta filiorum à parentibus, amicorum, vel familiarium, qui per verecundiam aut timorem non audent petere ea, de quibus tamen opinantur probabiliter Dominum in rei ſubſtantia non eſſe invitum. Cæterum vendere aut donare eſculenta, poculenta, ſine conſenſu heri, famulis aut ancillis non eſt licitum, cùm Dominus rationabiliter ſit invitus etiam circa ſubſtantiam, niſi donatio foret rei omninò levis momenti. Idem dicendum, ſi abuteretur famulus, aut ancilla ad comportationes & commeſſationes; nam meritò id diſplicet graviter heris.

Q. 13. De heri obligatione erga famulos.

Quæro 13. *Ad quid teneatur Herus erga famulos?*

Reſp. 1. teneri Herum famulis proſpicere, in his etiam quæ ſunt animæ & ſalutis. Unde tenetur illos qui ſunt corruptis moribus, objurgationibus, & moderatâ etiam caſtigatione emendare: quod ſi hâc viâ non poſſit, tenetur expellere; ſi probabiliter exiſtimet meliores evaſuros. Quòd ſi pejores timeat reddendos, vel tandem ſi retineantur, redituros ad meliorem vitam, tunc non tenetur. Ita paſſim Summiſtæ, verbo *Famulus*. 2 tenetur Herus ad alimenta famulatui congruentia. 3. tenetur ad juſtum ſtipendium perſolvendum.

Quæres, *quodnam juſtum ſtipendium cenſeatur?*

Reſp. Illud quod paſſim in iſtis locis talibus famulis tali miniſterio occupatis dari ſolet. Cùm autem iſtud non conſiſtat in indiviſibili, ſed ſicut in rerum pretiis poſſit eſſe ſummum, medium, infimum; ut ſit juſtum, non debet eſſe minus infimo. Atque hinc infertur, ſi nulla facta ſit conventio de certo ſtipendio, ſed res ſit Domini arbitrio relicta, Dominus pro more patriæ debet dare ſtipendium, quòd non ſit ſaltem infra infimum.

Q. 14. De famulo recedente ante tempus pactũ

Quæro 14. *An famulus qui ad annum locat operas ſuas anni mediatate completa velit recedere, teneatur herus ad mediatatem ſtipendii?*

Reſp. Non teneri, ſed ſolùm juxta arbitrium boni viri. Cùm enim incommodum Domino poſſit ſequi ex eo quod recedat ante tempus per pactum conſtitutum; illud incommodum poteſt Dominus æſtimare & compenſare, defalcando aliquid de ſtipendio. Sic & ægrotanti famulo ad aliquod notabile tempus, aliquid mercedis poteſt ſubtrahi; quia ſortè per alium oportuit operas ſuppleri, vel incommodum Dominus accepit, quod juſtè compenſat; licèt enim ſuâ culpâ non defecerit, tamen defacto operas non præſtitit Domino neceſſarias, vel utiles.

Q. 15. De famulis vel operariis an poſſint uti compenſatione.

Quæro 15. *An famulus vel alius locans operas, cui herus det ſtipendium minus juſto, poſſit uti compenſatione ſubtrahendo de rebus Domini ut augeat ſtipendium ſuum?*

Hic caſus eſt ſatis frequens inter famulos & operarios, qui ſæpè queruntur ſtipendia eſſe juſto minora, ideoque hoc titulo id aliâ viâ compenſant. Reſp. hoc non eſſe licitum, niſi reverà judicio prudentis ſtipendium non ſit juſtum, nec ſolùm lege gratitudinis, ſed etiam juſtitiæ plus debeatur. Duos hac in re caſus indicant DD. Theologi.

1. Caſus eſt. ſi parvo quidem pretio conventum ſit, eâ tamen mente, ut Dominus ſervitio diligenter præſtito eſſet ſuppleturus, & hanc mentem famuli ſatis adverterit Dominus; tunc enim ex juſtitia tenetur ſupplere, eò quòd tacitè id in pacto contineatur.

II Caſus eſt, ſi preſſus neceſſitate exiguò convenit; quia Dominus ampliùs dare noluit. Tunc enim quod operam ſuam multò pluris valentem, tam parvo locet, non ſponte facit, ſed neceſſitate compulſus. Tenetur ergo Dominus ſupplere ad æquivalentiam. Ita Leſſius.

Leſſ. l. 2. c. 12. dub. 10.

Hæc tamen intellige, ſi Dominus tali ſervitio egebat, vel ſi magnum inde capit emolumentum. Quod ſi non egebat, ſed ſolùm ad preces alterius nullo maximo ſuo commodo admiſit, meritò poteſt minus offerre & dare, quia merces ultroneæ vileſcunt. Videri poteſt cum Leſſio, Navarr.

Navar. c. 17. n. 109. & ſeqq.

Generaliter verò advertendum eſt, non poſſe uti compenſatione famulum, vel operarium, quando dubium eſt, an herus plus debeat ex lege juſtitiæ. Et tunc non plus debere judicandum eſt, quando multi alii facilè reperirentur, qui tale ſervitium, vel talem operam eſſent præſtituri tali ſtipendio.

Hinc non facilè excuſo ſartores, qui aliquid detinent ex materia in qua operantur, dicentes ob multitudinem ſartorum non ſibi ſolvi juſtum pretium, & ſic opus eſſe aliquâ induſtriâ ad aliquid exiguum detinendum, quæ compenſent inæqualitatem. Nam hoc ipſum quod multi eodem pretio parati ſunt opus facere, facit quodammodo eſſe juſtum pretium; nam multitudo locantium operas non parum facit ad diminuendum pretium pro tali opere dandum, pro quo multi paratos ſe exhibent.

Quæro

Digitized by Google

Q. 16. De famulo pluris vendente quam ſuus præſcriptum.

Quæro 16. *Virum famulus cui aliquid eſt traditum ab hero vendendum certo pretio, poſſit retinere aliquid, ſi plus vendiderit, quam erat præſcriptum.*

Reſp. ordinariè non poſſe, ſed totum illud debere Domino cadere. Nam quod Dominus pretium determinaſſe dicitur, Id fecit ne venderetur infrà, non autem ne venderetur ſupra occaſione oblata. Adde, quod talis famulus non habet legitimum titulum, quo aliquid ex eo pretio ſibi ſumeret: non enim ratione rei venditæ, nam illa Domini eſt; nec ratione induſtriæ vel miniſterii, quia habet ſtipendium ſuum. Idem dicendum de alio cui Dominus merces ſuas vendendas tradidiſſet, ſolvens ei pro labore & miniſterio. Notant tamen hic aliqui, ſi famulus rem illam pretio à Domino conſtituto ſibi compararet, & pluris poſtea ſuo nomine venderet, non facturum contra juſtitiam: quia juſto pretio à Domino emit, poteſtque nomine ſuo juſto pretio vendere. Hoc nempè verum eſt, ſi Dominus ei non mandarit, ut intra latitudinem juſti pretii vendat quantum poteſt.

Q. 17. De portione pro animalibus augenda à famulis.

Quæro 17. *An famuli quibus commiſſa eſt cura animalium, puta, ovium, jumentorum, equorum, certa portione illis diſtributa in alimentum illorum, poſſint inſcio hero furripere, ultra eam portionem, fœnum, avenam, & hiſ ſimilia, in alimentum pinguius illorum animalium?*

Quotidiana hæc eſt quæſtio; nam hæc ferè conſuetudo inter famulos viget, & excuſant ſe alter vegeta animalia vix poſſe conſervare, vel apta reddere ad laborem ad quem à Domino deſtinantur. Aſſeruntque Dominos in hac portione dandâ nimis parcos eſſe, & graves labores ſupra vires ab animalibus exigere; ideoque neceſſarium pene eſſe quaqua via aliquid corradere, hoc autem eſſe in profectum ipſius heri ſeu Domini, nihilque inde lucri ſibi accedere.

Reſp. 1. cùm ſit Domini adminiſtrare res ſuas, & diſpenſare pro ſua prudentia, ordinariè debent famuli contenti eſſe portione ſibi aſſignata pro pecoribus, quando judicat Dominus eſſe ſufficientem. Nec enim ipſorum eſt Domini res diſpenſare contra voluntatem, idque faciendo peccant, quamvis quantitatem valde notabilem requiriexiſtimem, ut pertingat ad peccatum mortale in caſu hujus noſtræ quæſtionis.

Reſp. 2. Quantum ad reſtitutionem eos excuſari; tum quia nihil inde lucri acceperint: tum quia fructus ceſſit Domino in animalibus ſuis; tum quia Domini non ſolent requirere reſtitutionem in ſimilibus licet eis id diſpliceat. Adverte tamentantum poſſe inde damnum accedere Domino, ob diſſipationem prodigam alimentorum in pecora factam per famulum, ut meritò poſſet Dominus requirere, & ſervus teneri: quia contra rationabilem omnino voluntatem Domini non ſolùm conducentia alimenta, ſed & ſuperflua dederit. Adverte deinde Paſtores ovium qui ordinariè alunt aliquem numerum ſibi proprium in grege Domini (v. g. decem vel viginti oves proprias habent) cùm ultra rationabilem portionem ab hero deſtinatam furripiunt, teneri ſaltem ad partem redundantem in oves proprias, quia inde lucrum & fructus eis accedit, qui in Dominum non refluit. Quod ſi (ut etiam contingit) ſuis ſolùm ovibus aut vervecibus furripiendo provideant de ampliore portione neglectis ovibus heri, tanto certius obligantur in integrum reſtituere.

Reſp. 3. Si Dominus imperitus ſit agriculturæ vel rei paſtoritiæ, & ideò non det, non obſtante petitione famuli periti, portionem rationabilem pro pecoribus; & ita facilè fiet, ut deficiant præ labore, v. g. cum arandum erit, ſi agatur de jumentis & equis: vel in hyeme ob auram frigidam & humidam intermorientur; ſi agatur de ovibus. Tunc inquam & ſimilibus caſibus, non peccat rei peritus famulus clam ſupplendo, multo minus tenetur ad reſtitutionem. Ratio eſt; tum quia agit negotium heri, tum quia ipſe herus irrationabiliter eſt invitus. Debet tamen prudenter in his judicare famulus, ac in bona conſcientia, nec excedere rationabilem portionem.

Q. 18. De ſubditorum debito erga Principes.

Quæro 18. *Ad quid teneantur ſubditi erga Principes?*

Reſp. tenentur leges juſtas acceptare, & illis obedire. Tenentur etiam juſtum ſtipendium, & ſubſidium neceſſarium ad conſervationem Reipublicæ eis perſolvere.

Q. 19. De Gabellis & vectigalibus ſolvendis.

Quæro 19. *An teneantur ſubditi gabellas & vectigalia ſolvere ſub peccato mortali? Item, an defraudantes, vel non ſolventes teneantur reſtituere?*

Reſp. duplicem hic reperiri ſententiam. Prima tenet aſſerit, ob rationem dictam; quia jus habet Princeps petendi ſubſidia neceſſaria ad manutentionem tranquillitatis publicæ, inter quæ ſunt gabellæ legitimè & juſtè impoſitæ mercibus vel rebus alijs. Alia ſententia aſſerit fraudantes non peccare mortiferè, nec teneri ad reſtitutionem, eo quod lex de ſolvendo aliquo vectigali, pœnalis ſit; adjicitur enim pœna confiſcationis mercium, ſi quis inveniatur fraudaſſe: unde non videtur niſi obligare ad pœnam, caſu quo quis deprehenſus fuerit. Prima ſententia certior eſt & ſecurior: ſecunda tamen non caret probabilitate. Vide eam explicatam latiùs apud Leſſium. Certe multi ejus rei ſibi non formant conſcientiam, ſi poſſint evadere ſine ſolutione vectigalis. Et mulctæ ac confiſcationes quas incurrunt illi qui deprehenduntur, facilè compenſant damna, quæ princeps vel vectigalium redemptores poſſent incurrere ex non ſolutione aliquorum. Et quia hi ſcrunt multos non ſolvere, ſed occultare merces minoris ſolent conducere. Leſſ. l. 2. c. 33. dub. 8.

Sic in praxi quotidiana videmus, quod cùm hi qui è vicino nobis regno Galliæ tranſferunt vinum vel frumentum, in noſtram Ditionem Leodienſem, vel Belgicam Provinciam certum vectigal

Digitized by Google

teneantur ſolvere Regi Galliæ ſuper qualibet menſura frumenti, & ſuper quolibet dolio vini v. g. ſcutum aureum; judicio tamen communi non cenſent ſe peccaſſe, ſi noctu tranſvexerint ſine ſolutione, vel alia via evaſerint: nec poſſe eos ſolere à Confeſſariis condemnari ad reſtitutionem.

Neque hic majorem difficultatem faciunt tranſeundi ſine ſolutione, quam efferendi aurum vel argentum à finibus Regni, quod ipſum prohibitum eſt edictis regiis ſub pœna commiſſi, ſive ſub pœna amiſſionis rei, ſicut & prius. Putant ergo utrobique ſe non obligari niſi ad pœnam, caſu quo fuerint deprehenti, non vero ad culpam. Hanc ſententiæ favit Navarrus c. 3. Angelus V. Pedagium, Beja in libello caſuum conſcientiæ, Henricus à Gandavo, & alij.

Q. 20. quod ſit juſtum vectigal vel Gabella.

Quæro 20. *Quodnam cenſeatur juſtum vectigal, vel gabella?*

Reſp. ut ſit juſtum vectigal, non requiri ſolùm ut imponatur ab habente auctoritatem, ſed etiam debere imponi ob juſtam cauſam, puta ob publicam neceſſitatem aut utilitatem. Item convenienti forma ſeu proportione imponendum eſt, ut ſit juſtum. Hinc ubi pauperes magis gravantur, juſtum non judicatur. Tale fuit vectigal, quod paucis ab hinc annis in Ditione Leodienſi impoſitum fuit, vocabaturque, *Oculus Molendini*. Quiſque ferens menſuram grani ad molendinum, aſſem unum ſuper illa menſura debebat pendere. Quod quidem non parum in gravamen pauperum probibus oneratorum redundabat, qui ſolo ferè pane veſcuntur, & plus panis domi conſumunt, quàm divites plerique.

Quæro 21. *An leges Principis vel Pontificis obligent, ſi non ſint promulgatæ in loco?*

Q. 21. De obligatione Legum, ſi non ſint promulgatæ in loco.

Reſp. multorum ſententiam probabilem eſſe non obligare legem, niſi promulgetur in Provincia. Quod ipſum de legibus Pontificis ordinariè verum eſſe aſſerunt. Dico ordinariè, non poteſt Pontif. aliter in ipſamet lege exprimere. Certè ad ordinatam & ſuavem diſpoſitionem & gubernationem pertinet utlex ad ſubditos derivetur ut obliget, cùm ergo populus Chriſtianus per Epiſcopos & Paſtores gubernetur, Pontificia ad eos debet lex dirivari, ut promulgetur; & ſi defectu promulgationis non ſervetur, excuſſintur ſubditi. Adde, nonniſi poſt duos menſes à publicatione obligare, ſecundum multorum ſententiam.

Navar. c. 23. n. 44. Sa. V. Lex.

Quæro 22. *An lex non obliget in conſcientia, ſi non ſit communiter recepta ſive à majore parte: item ſi conſuetudine contraria cenſeatur abrogata?*

Q. 22. De lege non recepta à majore parte, vel abrogata conſuetudine.

Reſp. non ſolùm Juriſperitos, ſed & Theologos pleroſque aſſerere in dictis caſibus legem etiam in conſcientia tunc non obligare. V. Nav. c. 23 n. 41.

Nota tamen Superiores poſſe peccare, quando abſque juſta cauſa non curant ſervari leges Principum aut Pontificum: & tamen inferiores tunc poſſe excuſari, quia Legislatoris tacita voluntas fuiſſe videtur, ut non obligentur ſinguli privatim, niſi lex per ſuperiores communitatis in praxim deducatur. Poteſt quoque fieri, quod aliqui initio peccent legem tranſgredientes aliis poſtea non peccantibus, quia quando major pars non ſervat, connivet Princeps, qui initio non connivebat, vel non ita poterat præſumi connivere. Denique per majorem partem intelligenda eſt major pars Provinciæ vel Diœceſis, quæ cum occaſio legis implendæ ſe offert eam non implet; tunc enim vel non recipi lex, vel conſuetudine abrogari cenſetur.

Ex dictis infero, multas conſtitutiones Pontificum, vel etiam Concilii Tridentini, quæ variis in locis non fuerunt, promulgatæ, vel nunquam fuerunt uſu receptæ vel contraria conſuetudine fuerunt abrogatæ, poſſe cenſeri in praxi in illis locis non obligare; nec facile conſcientias hic illaqueandas eſſe, ſi conſtet de non uſu & contraria conſuetudine.

Quæro 23. *Qua ignorantia excuſet à mortali in tranſgreſſione legis humanæ?*

Q. 23. De ignorantia excuſante à legis tranſgreſſione.

Reſpondet Navar. c. 23. n. 59. Sylveſt. V. *Inobedientia*: Non committi peccatum mortale in tranſgreſſione legis humanæ, quando adeſt ignorantia, niſi ſit ignorantia craſſa, aut ſupina, ſive affectata. Videri etiam poteſt Cajet. *in Sum. V. Præceptum in fine.* Hæc ſententia eſt probabilis.

Caput V.

Reſolutiones circa V. Decalogi Præceptum.

Quæro 1. *De quibus ſunt interrogandi pœnitentes circa præceptum quintum?*

Q. 1. De examine circa hoc præceptum.

Reſp. 1. An pugnaverint, vel alios ad pugnam excitaverint? 2. An occiderint, vel voluntatem occidendi habuerint? quanto tempore durarit: an frequenter remiſſata fuerit? 3. An familiam percutiendo crudeliter quis tractarit? 4. An grave malum minatus alicui fuerit? 5. An grave malum corporis vel animæ ei vindicta deſiderarit vel imprecatus ſit? Denique de odio, ira, inimicitia hic interrogandi ſunt.

Quæro 2. *Quando homicidium excuſetur à peccato?*

Q. 2. De Homicidio quod excuſet à peccato.

Reſp. ut hos caſus recenſeri; aliquot frequentiores hic rememorabimus, ex quibus de cæteris judicandum.

I. *Caſus*: Licet occidere alterum in vitæ ſuæ defenſionem, ſi fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ; hoc eſt, cum ea moderatione ſine qua injuria arceri non poteſt. Exempli gratia. Tu me aggrederis, nec vitam poſſum defendere niſi te occidendo: tunc mihi id licitum. Si autem me percuſſiſti & fugis, nec mihi jam periculum vitæ eſt, non poſſum te inſequi & occidere, quia excedo moderamen inculpatæ tutelæ, nec tunc tam defenſio cenſetur quàm ultio.

II. *Caſus*: Si accedit ad me feriendum, nec poſſim evadere niſi fugiam, aut te præveniam; non teneor fugere, ſi mihi inde periculum ignominiæ: ſed

Digitized by Google

ſed poſſum te prævenire, nec teneor expectare donec percutias. Idem dicendum, licet necdum accedas, ſed tamen inſtructus ſis ad me invadendum, nec poſſim evadere niſi præveniam. Exemplum dari ſolet de marito qui pugionem condidit ſub cervicali, & omnia oſtia concluſit ut uxorem interficiat, illa poteſt prævenire, ſi aliter nequit evadere.

III. *Caſus*: Si per famulum vel licarium ſtatueris me occidere, nec ipſe ſit evadendi niſi te occidam, poſſum id peragere: quia parum eſt quod per te vel per alium me invadere pares. Imò ſi conjuraveris in necem meam, & continuò inſidieris vitæ meæ, nec alia via ſuperſit mihi evadendi, poſſum te prævenire, quia non teneor continuo me includere domi, aut in exteram regionem abire. Unde tunc cenſetur potius defenſio quàm aggreſſio, maximè ſi monitus fuit is qui conjurabat aut inſidiabatur, ut deſiſteret. Nam & in foro externo, ſi occiſus minatus erat mortem occidenti, & erat conſuetus minas ſuas exequi, excuſabitur occidens, ut tradit Navar. *cap.* 15 *num.* 3

IV. *Caſus*: Si falſis criminationibus per teſtes ſubornatos vitam meam impetis in judicio, nec aliter valeam evadere tuum falſum teſtimonium, periculum vitæ meæ inducens, multi putant poſſe tibi à me mortem inferri; eſt enim non tam invaſio, quàm defenſio. Pro hac ſententia citatur Bannez, Petrus Navarra, Cajetanus, & alii.

Bannez 2. 2. q. 64. a 7. dub. 7.

Quæro 3. *An propter defenſionem honoris ſui poſſit quis alium licitè interficere?*

Reſp. quibuſdam caſibus id licitum eſſe.

Q. 3. *An ob honoris defenſionē liceat alium occidere.* Leſſ. l. 2. c. 9.

I. *Caſus* eſt certus, pro defenſione pudicitiæ & honoris licere mulieri, adoleſcenti, virgini, invaſorem occidere, ſi aliter evadere nequit.

II. *Caſus*: Viro honorato licet occidere invaſorem qui fuſtem vel alapam nititur impingere, ut ignominiam inferat; poſito quod aliter hæc ignominia vitari nequit. Ita Leſſius cum multis.

Hoc verum eſſe poteſt quandoque in Nobilibus, in Militibus, maximè Officiatis, & ſimilibus; quia apud illos pluris longè æſtimatur honor quam damnum grave in bonis temporalibus; unde, ſi licet defendere ſua bona temporalia etiam occidendo furem, ut mox dicemus, quidni etiam ad defendendum honorem pluris æſtimatum?

III. *Caſus*: Ob eandem rationem, multi putant virum nobilem, vel honoratum, contumelia atroci affectum, vel injuriâ, putà, alapâ percuſſum, etiamſi qui percuſſit, fugiat, poſſe inſequi, & tantum verberum vel vulnerum infligere, quantum neceſſarium putatur ad honorem recuperandum. Navar. *c.* 15. *num.* 4. Henriquez, & alii.

Nota hæc vix habere locum in Eccleſiaſticis, aut Religioſis, quia illis potius laudi eſt, quam ignominiæ, non repercutere, ſed pati. Imo hi tenentur ex charitate fugere, quando ab aliis imminet ipſis periculum vitæ, ſi fuga poſſint periculum evadere; alii verò non tenentur quibus ignominiæ verteretur. Nec refert quod vita alterius & ſalus præferenda ab omnibus videatur honori, vel bonis aliis; quia id non eſt neceſſe, quando quis eam ex malitia periculo exponit, ſicut ſit ab injuſtè alium invadente.

IV. *Caſus*: Si quis criminationibus falſis apud Principem, Judicem, vel viros honoratos famam alterius auferre nititur, nec alia ratione quis poſſit damnum illud famæ avertere, exiſtimat D. Bannez cum quibuſdam, morte alterius id poſſe. Sed in praxi id improbari ſolet, & vix locum habere poteſt. Nam vel fama jam eſt ablata, & ſic per mortem infamantis non reſtitueretur; vel non eſt ablata & tunc ferè contingit alia via poſſe impediri ejus ablationem. Per hæc etiam cædibus occultis via aperiretur in Republica. Ita Leſſius.

Leſſ. l. 2. c. 9. dub. 11. & alii.

Quæro 4. *An quando quis provocatur ad duellum, & niſi acceptet, ignavus reputabitur, nec ullam promotionum militarem ſpectare poteſt, immò ſi ſit Capitaneus, vel in militia Officiatus, milites tanquam ignavo & vili nollent obedire. Denique coram Nobilibus ignominiâ notabitur, nec audebit coram illo comparere ſine dedecoris nota: An in quam his poſitis, poſſit acceptare?* Videtur quibuſdam probabilis ſententia affirmans, ob rationes ſequentes:

Q. 4. *De Duello ſeu Monomachia.*

Prima ratio eſt, quia talis provocans eſt invaſor honoris alterius, & moraliter loquendo non poteſt aliter ſuum conſervare honorem niſi acceptando.

Secunda, quia quando quis injuſtè invaditur, non tenetur fugere; ſi fuga ſit ignominioſa. At non minus eſt ignominioſum in caſibus dictis reſpuere duellum: cùm revera paſſim dedecus graviſſimum ſit apud nobiles, æſtimeturque magis quam bonorum fortunæ amiſſio, immo quam ipſa mors; ergo tale dedecus ei licet repellere.

Tertia, quia ſaltem licebit acceptare non animo provocantem interficiendi, ſed comparendi in loco, ne famam ſtrenui viri, æquè charam nobilibus ac eſt ipſa vita, amittat. Quod ſi provocans invaſerit, provocatus ſtatuit ſe defendere cum debito moderamine.

Quarta, quia acceptare & comparere in tali loco non videtur intrinſecè malum, ſed indifferens, cùm poſſit benè & malè fieri, ergo cùm juſta cauſa ſubeſt, nempe conſervatio honoris, poterit licitum eſſe.

Quinta, quia quando eſt neceſſe advitæ defenſionem, licet acceptare vel offerre duellum. Ex g. Si te inimicus armatus inermem reperiens, permittat tibi arma, ut militariter te occidat, vel ſi roges, ut arma tibi permittat, id licet tibi, quia eſt defenſio: quidni & hic cùm ſit defenſio honoris tui, nec aliter poſſis? Hæ rationes ex Leſſio & Filiucio deducuntur & his rationibus (teſtis eſt Filiuc & Bannez 2. 2. *qu.* 64 *a.* 7. *dub.* 3. & Sanchez de *præcepto* l. 2. *c.* 39.) aliqui eam tenent ut probabilem.

Leſſ. l. 2. c. 9. dub 12. Filiucius tr. 25. præcept. c. 8.

Sed quoniam Eccleſia univerſim duella graviſſimis ſub cenſuris prohibet, ſententia iſta non judi-

judicatur ſecurè, nec facilè ſequenda: quamvis Nobiles multùm ſoleant has rationes amplificare & ponderare. Atque utinam pondus illud foret in ſtatera & ſiclo Sanctuarij & non in ſtatera & ſiclo fallacis ſæculi. Itaque honor videtur conſervari in tali provocatione, ſi dicat provocatus, ſe ad id paratum, ſi decreta Eccleſiæ & Principum id permitterent, ſeque oſtenſurum quid poſſit, ſi non prodijorie, ſed palam aggrediatur, quocumque loco vel opportunitate.

Sed de duello fusè egi in candelabro Myſtico, Tract. 5. in Reſolutionibus de Pœnitent. c. 5. Item invenies Bullam Clem. VIII. contra duellantes, in Horto Paſtor. in 5 Præcepto Decalogi.

Q. 5. De Fure occidendo ad defendendum res ſuas.

Quæro 5. *An liceat furem occidere ad defendendum res ſuas?*

Reſp. ex communi ſententia id licere, ſi res ſit magni momenti, nec ſpes ſit alter recuperandi. Si enim eſt parvi momenti, non videtur conceſſum jus defenſionis cum tanto alterius malo. Si etiam re ſublatâ fur fugiat & per Judicem vel alio modo poſſit res facilè recuperari, eſſet contra charitatem pro rei defenſione occidere. Ex his reſolvuntur caſus ſequentes.

I. *Caſus*: Si nitatur quis furari, & ego furtum impedire tali poſſum vi uti qualibet neceſſe eſt ut res ſalva mihi ſit; licet per Judicem poſſem recuperare. Quia ratio dictat, ut non patiar res meas in mea præſentia abripi, & dictat ut tantæ improbitati reſiſtam vim vi repellendo.

II. *Caſus*: Si fugiat cum re mea, poſſum inſequi & ferire, imò bombarda illum petere. Exempli gratia, fugit cum equo meo.

III *Caſus*: Si res mea certo loco poſita eſt, & quis injuſtè & vi me impediat volentem ingredi, poſſum vim vi repellere, & Judex non adſit cujus ope id poſſim.

IV. *Caſus*: Si conjuraveris in mea damna, vel iniquè impedias meos creditores, ne mihi ſatisfaciant; vel falſa accuſatione & teſtimonio falſo me conaris fortunis evertere; nec alia ratio impediendi ſuppetat, poſſum nece tua Leſſ. l. 2 c. 9. dub 11. In praxi autem vix caſus videtur occurrere, utaliâ via non poſſit huic malo occurri.

V. *Caſus*: Si malefica vel ſaga poſitis certis ſignis per dæmonem continuò nocear, vel bonis meis, vel animalibus meis, vel ſanitati meæ aut meorum: Si aliud remedium non ſupperat, poſſum cogere verberibus, ut ab injuria ceſſet: ſi certò conſtet illam eſſe malæ auctorem; quia eſt hic quoddam jus defenſionis.

Q. 6. De occiſore pro alterius defenſione.

Quæro 6. *Virum pro defenſione alterius, vel rerum ejus, liceat invaſorem occidere?*

Reſp. 1. non poſſe vitam proximi, ſi injuſtè imperitur à privato, tueri etiam cum illius interfectione, ſi aliter fieri nequit. Idem dicendum de honore, pudicitia, & fortunis ſi ſit ſanguine junctus, vel noſtram opem expoſcat. Injuria enim quæ fit perſonæ nobis conjunctæ, in nos redundat. Reſp. 2. Nemo tenetur tueri vitam hominis privati cum probabili periculo vitæ ſuæ. Immo nemo tenetur, quando non poteſt ſine occiſione invaſoris, quia nec propriam vitam tenetur tueri per mortem alterius. Qui verò non defendit vitam alterius, velejus facultates, cùm commodè poſſit, mortaliter peccat contra charitatem. Illi verò etiam peccant contra juſtitiam, qui ex officio tenentur, ut Judices, Magiſtratus, Principes & hi tenentur ad reſtitutionem, ſi commodè defendere poſſint, & non faciant. Non tamen tenentur vitam privati defendere cum periculo vitæ, ſed pro bono publico illam tenentur exponere. Exempli gratia: Tenentur hoſtes Reipublicæ & latrones è medio tollere, cauſam autem particularis alicujus non tenentur cum tali diſcrimine tueri. Proprié enim & directè ſunt cuſtodes boni publici, & officium publicum ad id eos obligat.

Q. 7. De homicidio caſuali.

Quæro 7. *An homicidium caſuale ſit peccatum.*

Reſp. illud quod omninò caſu fit non eſſe peccatum, poſſe tamen eſſe caſuale, taliter, quod in ſe non ſit voluntarium, in cauſa tamen cenſeatur volitum. Debet autem cauſa eſſe quodammodo efficax, ita, ut ex illa ſoleat talis effectus ſequi, ut cenſeatur quid in cauſa volitum: ſi enim conjugatur per accidens, tunc non cenſebitur volitum in tali cauſa. Hinc reſolvuntur caſus ſequ.

I. *Caſus*: Si alicui inflixiſti vulnus non lethale, ſed mors ſecuta eſt, vel malitia, vel gravi negligentia medici, aut ipſius temeritate læſi, non cenſeris homicida, nec ut talis teneris ad reſtitutionem, ſed ut vulnerans teneris compenſare damnum ſecundum qualitatem vulneris.

II. *Caſus*: Reparans domum tuam, lapides & ligna dejecis in plateam, & caſu tranſeuntem hominem occidit, cenſeris homicidii reus, ſi non præcaviſti, & prænunciſti, nullamq; diligentiam feceris. Ratio eſt: quia actio iſta periculoſa erat, & tenebaris diligentiam adhibere, alioqui vulnus vel mors inde ſecuta tibi in cauſa cenſetur voluntaria.

III *Caſus*: Jacularis ad ſcopum, vel etiam ad feras, circa locum ubi tranſitus eſt communis, nec adhibes omnimodam diligentiam, & cautionem: certè ſiquis tranſiens lædatur, tibi imputatur, & illa læſio à te volita indirectè ſive in cauſa cenſetur; quia actio illa erat periculoſa, ex qua ſimiles effectus ſequi nati ſunt.

IV. *Caſus*: Si ſufficientem adhibuiſti cautionem ne ex actione tua quis incommodum acciperet, tunc etiamſi forte ſecuta ſit mors alicujus, non tibi cenſetur voluntaria: quia licet actio fuerit periculoſa, periculum tamen cenſetur abtuliſſe diligentia. E.g. Tu das operam venationi & advigilas ne quis forte lædatur; caſu autem crepuit bombarda, aut homo ferina pelle tectus te decipit, non erit tibi mors illius imputanda; Et id verum eſt, ſive licita ſit venatio, ſive illicita, puta ſi Sacerdoti vel Religioſo id contigerit. Quia licet peccet venando non tamen peccaſſe cenſetur homicidij peccato.

V. Ca-

V. *Caſus*: Sacerdos peritus Chirurgiæ, incidit apoſtema, & monet ægrum ne ſe committat aëri, ille verò confert ſe ad meſſem, hinc corripitur febri, & moritur. Illa mors non imputatur Sacerdoti, nec ſit irregularis; quia fortè licet peccaret ſeſe miſcendo in Chirurgia, ſi tamen ſecutus eſt artis præſcriptum, mors ex alterius negligentia ſubſequens non cenſetur ei voluntarie, non pluſquam laico alteri qui idem fecillet.

Q. 8. *An liceat ſeipſum interficere.*

Quæro 8. *An liceat quandoque ſeipſum interficere?*

Reſp. non licere directè & ex intentione. Indirectè tamen & per accidens, quando juſta cauſa ſubeſt, licet aliquid facere vel omittere, unde certò ſcitur mors ſecutura. Ratio eſt, quia non eſt prohibitum homini ne vitam ſuam unquam periculo exponat, ſed tantum ne abſque cauſa exponat, & velut ex intentione illam quaſi exoſam autierat. Hinc reſolvuntur caſus ſequentes.

I. *Caſus*: Poteſt quis ſervire infectis peſte etiamſi putet interficiendum & mortem obiturum.

II. *Caſus*: Potest miles imò tenetur, non deſerere ſtationem licet certus ſit ſe occidendum.

III. *Caſus*: Poteſt quis injicere ignem in pulverem ſormentarium ad evertendam turrim hoſtilem, etiam ſi certus ſit ſe quoque mox diſſipandum.

IV. *Caſus*: Poſſunt milites navales, ne ipſi & navis in poteſtatem veniant hoſtium, in mare ſe dejicere, ignemque in navem injicere, licet certiſſimæ mortis periculo ſe exponant. Similes caſus ſunt quotidiani in bellis.

Q. 9. *De mutilatione ſui ipſius.*

Quæro 9. *An quandoque licitum ſit ſe mutilare?*

Reſp. id licitum eſſe quando id judicatur neceſſariũ ad corporis neceſſitatem, v. g. ſi cancer membrum occuparit, ſi vipera momorderit, nec aliud ſit remedium. Imò adverte quod homo teneatur permittere ſibi membrum ſecari, ſi Medici judicent neceſſarium, nec magni dolores perferendi ſint: quia tenetur vitæ ſuæ periclitanti mediis ordinariis non admodum difficilibus opitulari. Ingentes tamen cruciatus non tenetur permittere, nec ad hoc poteſt ogi; non enim quis tenetur tanto cum cruciatu vitam conſervare, incerto maximè eventu.

Q. 10. *An liceat ſibi optare mortem.*

Quæro 10. *An optare ſibi mortem, ſit peccatum mortale?*

Reſp. voluntariè ſibi optare ex deſperatione, vel impatientia gravi tanquam malum, ſine dubio eſſe peccatum mortale. Optare autem ſibi mortem ad finiendas ærumnas ex tædio aliquo vitæ miſerabilis, non eſt mortale, maximè ſi id quis committat voluntati divinæ: imò non eſt quandoque peccatum. Sic ſæpe miſerabiles perſonæ vel ægritudine afflictæ optant ut Deus eos ex hoc mundo eripiat ſine peccato. Sic & aliis mortem optare quandoque licet ex cauſa aliqua, non ex vindicta aut odio, rem tamen committendo divino beneplacito. Sicut enim gaudere poſſumus de morte alterius, non tanquam de ejus malo, ſed quia per illam à variis afflictionibus eſt liberatus; ſic & ob eandem cauſam optare licet, ut tamen obveniat inculpatè. Sic matres quandoq; aut parentes proliſus onerati, optant aliquas ex illis defectuoſas, mancas, claudas, aut aliter afflictas, morte ſibi eripi tum ut hæ his eripiantur ærumnis, & pauperie ſecutura; tum ut ipſi exonerentur ab eis tanta cum difficultate alendis.

Q. 11. *De minis alicui intentandis.*

Quæro 11. *Alicui minas intentare quale peccatum ſit?*

Reſp. ſi malum comminatum eſt grave & injuſtum, & proveniat ex voluntate ultionis, peccatum eſt mortale. Si verò juſtum eſt, licet quis comminando nimis ira accendatur, ordinarie eſt veniale. Si denique peccatum ex fictione; v. g. ſi quis minatur ſolo verbo, animo non exequendi, ſed ad terrendum delinquentem, peccatum eſt etiam veniale mendacii officioſi; nec erit mortale, niſi aliunde grave aliquod incommodum ex minis intentatis proveniret.

Q. 12. *De Abortu.*

Quæro 12. *Quale peccatum ſit procurare abortum?*

Reſp. ex propoſito id facere peccatum eſſe mortale; & ſi fœtus ſit animatus, eſſe verum homicidium; ſi autem inanimatus, eſſe ſimile peccatum quale eſſet procuratio pollutionis voluntaria. Eſt autem fœtus animatus, ſecundum aliquos, die quadrageſimo à conceptu ſi ſit mas, ſi fœmina die octuageſimo; ſed alii verius putant fœtum animari ſtatim ac formatus eſt: formationem autem abſolvi docet Hippocrates lib. de natura fœtus, maſculi quidem aliquando quadrageſimo, aliquando trigeſimo quinto, aliquando quadrageſimo, aliquando quadrageſimo quinto. Fœminæ verò nunc trigeſimo quinto, nunc quadrageſimo, nunc quadrageſimo quinto, nunc quinquageſimo. Reſp. 2. Si abſque propoſito abortus, ſit aliquid à muliere, vel ab alio, quo tali periculo probabiliter exponitur, etiam peccatum mortale incurritur: Exempli gratia. Poteſt eſſe peccatum mortale, gravi nimium oneri humeros ſupponere, immoderatis laboribus ſeſe divexare, imò ut aliqui addunt, immoderatis tripudiis & ſaltationibus ſe defatigare. De abortu dixi in myſtico Candelabro, agens de caſibus reſervatis, Tract. 5

Q. 13. *An matri periclitanti liceat præbere pharmacum noxium prolis?*

Quæro 13. *An ſi mater ſit in periculo, liceat præbere pharmacum, quo proles putatur morituta?*

Reſp. 1. Non licere ei eo animo præbere ut faciat prolis abortum, ſive antè, ſive poſt animationem, quò nunquam licet directè intendere, vel procurare abortum, non plus quam liceret procurare & intendere pollutionem ob ſanitatem. Si tamen non ſuperſit aliud remedium periculoſè laboranti, poteſt præberi pharmacum directè tendens in curationem, etiam ſi putetur abortio ſecutura, modò proles nondum ſit animata. Quia tunc cenſetur ſolùm permiſſa abortio, non procurata: ſupervenit enim præter intentionem, matre jure ſuo utente; cùm habeat jus ad utendum remediis vitæ ſuæ neceſſariis. Simile eſt ſi quis ob ſanitatem

uti deberet quibuſdam medicamentis, vel cibis, ex quibus polliutio putaretur ſecutura, quam tamen non intenderet, cenſeretur ſolùm tunc permiſſa, & per accidens ſuperveniens.

Reſp. 2. Si proles ſit animata, non licet præbere matri medicamentum cum notabili periculo prolis, ſi certum erat vel valde probabile prolem alias vivam edendam. Ita Navarrus, Leſſius, & alii contra Conclubam & Lopez. Ratio eſt, quia quilibet tenetur præferre ſalutem æternam proximi, vitæ ſuæ corporali, & hanc pro illa exponere: ergo ad hoc tenetur mater, abſtinendo à medicamento, ut poſſit proles ad Baptiſmum ſervari. Si tamen eſſet valde probabile non adhibito remedio utrumque moriturum, & illo adhibito matrem ſervari poſſe, tunc licet.

Qu. 14. *De matre in lecto infantem oppr mente.*

Quæro 14. *Qualiter peccet mater infantulum in lecto ſecum recumbentem opprimens?*

Reſp. de hac re ſuſe à nobis reſolutum eſſe, Tract 5. de Pœnitentia in Candelab. myſt. Vide ibid. Caſum 10. reverſato.

Qu. 15. *Ad quam reſtitutionem teneatur homicida?*

Quæro 15. *Ad quam reſtitutionem teneatur homicida?*

Reſp teneri ad expenſas factas in curationem vulnerati. Teneri etiam ad lucrum quod facturus erat, ſive quantum lucri ſpes valebat, ſi quæſtum aliquo officio vel artificio faciebat: illa tamen detrahi poſſunt, quæ ipſe conſumere ſolebat: hæc autè æſtimatio lucri, cùm ignoretur quamdiu victurus foret, ſecundùm prudentum judicium facienda eſt.

Quæres, *ſi homicida moriatur, an teneantur hæredes ex ejus bonis?*

Reſp. teneri, quia cùm ſuccedant in locum ejus, & in bona & jura, etiam in obligationes ad quas tenebatur ex juſtitia; & licet his in foro exteriori ſuper hoc non eſſet conteſtata (quod aliqui videntur requirere) id tamen nihil refert ad obligationem coram Deo in conſcientia.

Qu. 16. *De creditoribus occiſi &c.*

Quæro 16. *An occiſor teneatur creditoribus, qui per id fuit impeditus ne ſolutionem acciperet?*

Reſp ex communiori ſententia & praxi non teneri; nam quandoquidem ſatisfacit hæredibus propter ſpem lucri quod facturus erat, jam in hæredes tranſlata cenſetur obligatio, ut ab eis ſolutionem petant.

Quæres, *an aliquid reſtituere teneatur pro expenſis funeris?*

Reſp. non teneri, quia etiamſi morte naturali obiiſſet, nihilominus hæ expenſæ fieri debuiſſent. Unde per occiſionem nil damni eſt ex hac parte illatum; niſi fortè ex acceleratione, eo quod citiùs ſumptus iſti fieri debuerunt, ſed hoc exigui eſt momenti. Quod ſi fortè in loco occiſus ſit ubi majores ſumptus quam domi fieri debuerunt, poterit hoc inter damna emergentia æſtimari.

Quæres iterum. *Virum animo occiſi aliquid ſit reſtituendum?*

Reſp. ex juſtitia nihil illi deberi, ex æquitate tamen & ſalubri conſilio homicidæ imponi orationes, miſſas, eleemoſynas, pro animâ defuncti.

Quæro 17. *Quando rixa ſit peccatum mortale?*

Q. 17. *Rixa quando ſit peccatum mortale.*

Reſp Rixam vocari, quando aliqui ſe invicem percutiunt auctoritate privatâ; & hæc etiam hoc præcepto prohibetur.

Eſt autem illa ordinariè peccatum mortale in invadente; quia contra charitatem proximo natâ eſt nocumentum inferre. In defendente autem poteſt eſſe nullum, ſi ſe defendit animo repellendi illatam injuriam cum debito moderamine; erit autem veniale ſi paululum excedit moderamen. Quod ſi verò obfirmato animo inſurgit quis adverſus impugnantem, ut ei inferat gravem læſionem, & notabile nocumentum, tunc vindicta eſt, & mortale peccatum.

Quæro 18. *Quid dicendum de rixis puerorum, vel adoleſcentiorum facile ſe invicem percutientium?*

Qu. 18. *De Rixis puerorum ſe invicem percutientium.*

Reſp hos ordinariè non peccare niſi venialiter, quia leviter faciunt & ex parvo odio. Ita Binsfeldius parte 2. c. 11. Nec diſplicet opinio Soti, quam approbat Emmanuel Sa V. *Excommunicatio* Clericos pueros ſe invicem percutientes uſque ad ſanguinis è naribus effuſionem, etiam in Eccleſia, non eſſe excommunicatos. Certè, inquit Sa, tales non abſolutione, ſed caſtigatione ſunt purgandi. Imò quidam exiſtimant ante annos pubertatis cenſuras non obligare. Sotus dicit generaliter pueros Eccleſiæ legibus non obligari ante annum duodecimum. Conformiter loqui videtur Valentia 1. 4. d. 7 quæſt. 9 part. 4.

Sotus in 4. d. 18. q. 1. a. 2.

Quæro 19. *Virum qui mandat, vel conſulit aliquem percuti, vel vulnerari, teneatur de damno inde ſecuto?*

Qu. 19. *De mandante percuti aliquem.*

Reſp. teneri, ſi efficax fuit mandatum aut conſilium. ita ut ex illius altercatione inductus fuerit.

Sed *quid ſi ante executionem mandatum vel conſilium revocarit?* R. communis ſententia tenet, ſi revocatio mandati innoteſcat illi cui mandabat, tam mandantem non teneri de damno, licet alter progrediatur, quia tollit cauſam. Quantum autem ad conſilium, plerique opinantur non eſſe eandem rationem atque mandati: Unde ſi machinanti malum occultam nocendi rationem apperuiſti, oſtendens id eſſe in honorem ejus, vel utilitatem, ut ſe hac ratione vindicet, &c. dicunt non ſufficere quod revoces oſtendendo rem eſſe ill citam, & contraſuadeas; ſed neceſſarium eſſe ut perſuadeas: quia quamdiu ratio & via conſilii quod dediſti eum movet, cenſeris influere moraliter ad actum damnoſum, qui inde alteri obvenit. Altera tamen ſententia non eſt improbabilis, ſufficere ſcilicet quod conſilium quantum in te eſt revoces, & contrarium ſuadeas, licet non perſuadeas. Nec ponit diſtinctionem inter mandantem & conſulentem. Ratio eſt, poteſt, quia quando quis fecit quod poteſt, ut conſilium quod dedit evertat, & oſtendit eſſe iniquum, & non ſequendum; non videtur alter tamen jus conſilio moveri, quàm ſuâ malitiâ. Ita tenet Petrus Navarra, citans Joannem Medinam. Idem docet Salonius.

Navar. l. 3. c. 4. n. 17. Salon q. 62. art. 7.

CAPUT

CAPUT VI.

Reſolutiones contra VI. Decalogi Præceptum.

Qu. 1. De Examine circa hoc præceptum.

QUAERO 1. *De quibus ſint interrogandi Pœnitentes circa hoc præceptum?*

Reſp. præter perfectas ſpecies luxuriæ, fornicationem, ſtuprum, adulterium, raptum, inceſtum, ſacrilegium, pollutiones voluntarias, ſodomiam &c. hæc prohiberi etiam omnia quæ ad ſimilia tendunt. Ideo hic interrogandi ſunt 1. An non habuerint cogitationes venereas, quibus voluntas efficax juncta fuerit? 2. An non ſaltem delectationes internas habuerint, cogitando de rebus venereis; & licet illas opere complere noluerint, an tamen in illis non ſibi complacuerint? 3. An non permiſerint tactus inhoneſtos, vel exercuerint tales tactus erga alios, vel erga ſe? 4. Interrogandi de oſculis ex quibus motus libidinoſi exurgere potuerint. 5. de viſu libidinoſo, de verbis inhoneſtis, de cantionibus, & libris impudicis, choreis, & ſimilibus.

Qu. 2. De oſculis.

Quæro 2 *An oſcula ſint peccata mortalia?*

Reſp. 1 Certum eſt illa quandoque non eſſe peccata, ſi ex amicitia & benevolentia honeſta, juxta patriæ conſuetudinem fiant. Certum etiam eſt eſſe mortalia, ſi fiant cauſa delectationis concubitus extra Matrimonium: Ita ut quis ſibi in oſculo tamquam ſigno repræſentet copulam, & in ea delectetur, vel per illa allicere intendat ad concubitum. *Reſp.* 2. Oſcula etiam judicantur mortalia, licet quis non intendat copulam, nec in ea delectetur, ſed ſolùm illam voluptatem carnalem & ſenſibilem quæ ex oſculo oritur, quærat, non intendendo ulteriorem. Hæc eſt communior ſententia, & tutior. Altera tamen quæ dicit ſolum eſſe venialia, ſi abſit periculum conſenſus ulterioris, & periculum pollutionis, non videtur improbabilis. Hanc tenet Martinus de Magiſtris, & aliqui recentiores, in eamque inclinat Navarr. Si cui, in fine; Atque rationes hujus ſententiæ proſequitur laſè Leſſius. Certè difficile planè eſt Confeſſariis, peccati mortalis mox condemnare juvenes nobiles, & procos, quos paſſim reperies aliquibus oſculis uti erga procas, aut puellas quas viſitant; nec ſibi hi vel hæ formant gravis peccati conſcientiam licet aliquam inde voluptatem perceperint, vel quæſierint; ſi modo nulla intervenerit voluntas alterius actus impudici, vel periculum actus aut conſenſus ulterioris. Difficile etiam eſt denegare eis abſolutionem ſacramentalem, ſi a ſimilibus oſculis abſtinere noluerint; cùm afferant impoſſibile moraliter eſſe, ut non intercurrant quandoque oſcula cum aliqua voluptate; eò quod decreat ipſos converſari inter puellas ad ambienda matrimonia; & honeſtas recreationes, & familiaria colloquia eis exhibere. Ratio igitur cur non videantur in tam peccati mortalis condemnandi, eſt: quia voluptas illa ex oſculo captata videtur ſpectare ad parvitatem materiæ in hoc genere peccati, & ſolùm remotè diſponere ad voluptatem mortalem, quæ in concubitu carnali eſt. Sic ergo voluptas illa venialis cenſeri poteſt, ſicut quæ remotè diſponunt ad illa peccata mortalia ſolum in genere peccati venialis cenſentur: v. g. litigium diſponit ad homicidium, hauſtus immoderatus ad ebrietatem; non tamen mox ſunt mortalia peccata. Quapropter etiam illa voluptas inter ſponſos & ſponſas non cenſetur peccatum, ſi ſit ſine periculo pollutionis; quia nimirum remotè ſolùm diſponit ad actum principalem conjugii; ratione vero ſponſalium jus eis ad illa competit, quæ ſunt ſolùm diſpoſitio & præparatio ad matrimonium. Itaque in aliis quàm ſponſis judicabitur voluptas illa exigua, ſicque venialis, niſi ſit cum libidinis magno ardore conjuncta. Unde adverto multos qui peccati mortalis condemnant oſcula, ſic loqui: *Qui oſculo vacat ſine libidine*, ita loquitur Cajet. Armilla, & alii, ideoque videntur loqui de replicatis oſculis, & cum mora & ardore libidinis datis: ob periculum enim conſenſus ulterioris, vel pollutionis, mortales ſunt. *Reſp.* 3. Amplexus, oſcula, & tactus qui non ſunt turpes & impudici, ſi ſolùm habeantur ex joco, vanitate, levitate, abſque delectatione venerea intenta, etſi inſurgat ea repreſſa, non excedunt culpam venialem; cenſetur enim ea materia exigua, ſi delectatio venerea abſit.

Navarr. de pœnit. doct. 1. c. Leſſ. l. 4. c. 3. d. 8.

Qu. 3. De tactibus impudicis.

Quæro 3 *An tactus impudicus, ſive partium inhoneſtarum, ſit mortalis, ſi non aliquid ulterius intendatur?*

Reſp. talem contactum ſi fiat cauſa voluptatis eſſe mortalem; ſi autem cauſa medicandi, vel alia quæ juſta cenſeatur, poteſt non eſſe peccatum. Addunt aliqui, ſi talis contactus non fiat cauſa voluptatis carnalis, ſed ſolius curioſitatis ſine periculo pollutionis: per ſe non eſſe peccatum mortiferum; eo quod ſub alia quadam ratione apprehenditur, quæ tantam vim ad naturam concitandam non habet, & affectus, non quærit in eo voluptatem carnalem, ſed curioſæ cognitionis. Vide Leſſium. Forrò quando tactus eſt inhoneſtus & mortalis, etiam illum permittere eſt mortale. Si autem tactus ſit honeſtus, poteſt permittere mulier ſe tangi, licet motus exurgat aliquis, modo abſit periculum conſenſus. Qui tamen adverteret in alio animum libidinoſum, non debet permittere, niſi juſta ratio excuſet, alias cenſeretur alterius peccato conſentire.

Leſſ. l. 4. c. 3. dub. 8.

Qu. 4. De Viſu.

Quæro 4 *An quærere ex viſu aliquam delectationem ſenſibilem, ſit peccatum mortale?*

Reſp. ſi ſiſtatur in ſola delectatione quæ ex viſu oritur, non eſſe mortale, modò abſit periculum pollutionis, & ulterioris conſenſus. Differentia enim eſt inter tactum & viſum, quod tactus ſuapte natura ordinetur ad libidinem excitandam, non ita viſus; nec habet is ita ſenſibilem voluptatem, nec ita corpus commovet. Unde videtur quod voluptas inde percepta ad parvitatem materiæ in delectatione venerea ſpectare dicenda ſit. Si tamen

tamen aſpectus eſſet omnino turpis, puta partium obſcœnarum, fieretque cum mora, periculoſus omnino eſſet, & ſtimulus urgentiſſimus ad luxuriam. Sic David Rex cecidiſſe memoratur. Ob periculum igitur poſſet quis mortaliter peccare immorando tali aſpectui, nec ſe avertendo.

Qu. 5. De turpiloquio, vel ejus auditione,

Quæro 5 *An turpiloquium, vel ejus auditio, ſit peccatum mortale.*

Reſp. non eſſe; ſi quis turpia narret, vel audiat, ob delectationem tantùm quæ ex ipſa narratione percipitur, abſque ulteriore intentione. Item ſi hæc narrentur vel audiantur ſolùm ex levitate & vanitate, ad vanum ſolatium. Si quis verò faciat id animo excitandi ſe vel alios ad turpia, aut cum periculo conſentiendi in illa, mortale peccatum eſt.

Qu. 6. De motibus veneris,

Quæro 6. *Quando motus veneres cenſeantur eſſe mortales?*

Reſp. 1. Si à voluntate excitentur, vel etiam illis aliunde excitatis voluntas conſenſum præbeat, mortale peccatum committitur. Reſp. 2. Si hos motus nec voluntate homo excitet, nec ſua actione intendat, non ſunt mortales ratione cauſæ quam homo poſuit, ſi illa tantùm ſit venialis ex ſe. Ex. gr. per hæc verba jocoſa, aſpectum immoderatum, lectionem curioſam, & ſimilia, aliquis ſe exponit periculo turpis motus, non tamen illum intendens, imò vellet non exurgere; tales actiones nec ex ſe, nec ex periculo ſimilis motus cenſentur mortales. Ita Vaſquez, aſſerens ea de re hactenus non fuiſſe controverſiam. Certè conſonum videtur fragilitati humanæ, ut homo non teneatur ſub peccato mortali vitare omnem actionem levem, ex qua eſt periculum ne exurgat aliquis motus naturalis diſſonus rectæ rationi; alioqui vix poſſemus quidpiam vel loqui, vel audire, vel videre ſine periculo peccati mortalis. Et cùm hi motus facillimè exurgant, ut ceuſeantur mortales, videtur requiri majus voluntarium, quàm ſit id quod ſolùm eſt voluntarium aliquo modo in cauſa quæ ſit tantùm venialis. Sic etiam tactus ſi non ſint impudici, non videntur peccata mortalia, licet ſint occaſio alicujus motus, ſi abſit conſenſus periculum. Alioqui omnem penè converſationem juvenum cum puellis in choreis, in levibus recreationibus, in colloquiis aliquantum familiaribus, oporteret çondemnare peccati mortalis, cum facilè aſpectus nimis fixus, manuum aut faciei attactus, blanditiæ in verbis, & ſimilia quæ ſunt venialia, intercurrant, quibus nonnulli motus non infrequenter ſeſe interſerunt, ſed ſine deliberato conſenſu voluntatis. Et hos igitur cenſemus veniales, quia cauſa venialis.

Vaſquez in 2. diſp. 105.

COROLLARIUM.

Caſus variis reſolvuntur circa hanc materiam.

EX jam dictis reſolvi poſſunt varii Caſus in ſpeciali hanc materiam concernentes.

I. *Caſus*: Qui pueros oſculantur ex amore teneræ infantilis ætatis, licet forſitan aliqua quandoque delectatio & ſenſualitatis motus exurgat ex mollitie carnis infantilis, vel non peccant, vel ſolùm venialiter peccant, ſi in his motibus non ſibi complaceant.

II *Caſus*: Ancillæ quæ puellulos veſtiunt, lavant, & ideò quandoque genitalia puerorum attingere & adſpicere contingit, non peccant, licet motus aliquis ſenſualitatis ſeſe interſerat, ſi ipſis ille motus non placet. Ratio eſt, quia officium debitæ ſervitutis hæc ab ipſis quandoque poſtulat. Si verò ex curioſitate adſpiciant, vel attingant ſine neceſſitate, non erit pluſquam veniale, niſi periculum propinquum moroſæ delectationis vel libidinoſi conſenſus inde illis eveniat; quod facile poſſet evenire, ſi moram aliquam in ſimili viſu, vel attactu trahant.

III, *Caſus*: Famuli circa equos, jumenta, aut alia pecora verſantes; ſi contrectent genitalia pecorum ex quadam libidine, non ſolùm peccant mortaliter, ſed & iſtud referendum eſt ad ſpeciem beſtialitatis: eſt enim actus quidam inchoatus. Nec videntur facilè excuſandi, ſi id faciant ex curioſitate, quia ille attactus omnino periculoſus eſt, niſi ſit valde leviter factus.

IV. *Caſus*: Qui aſpicit ex curioſitate bruta coeuntia, non videtur peccare mortaliter: ſi abſit morale periculum delectationis libidinoſæ, in quam aliquando tranſit curioſitas nimia; maximè quando in ſimilibus trahitur mora. Eſt vero differentia inter tactum & aſpectum, quod efficacius moveat tactus ad libidinem, quàm aſpectus; ideoque magis periculoſus eſt. Aſpectus tamen viri cum muliere concumbentis natura ſua efficaciter movet ad libidinem; ideò omnino vitandus foret ſub gravi peccato, ob periculum. Hinc quandoque graviter peccare poſſunt parentes vel conjuges, qui in eodem cubiculo ubi pueri vel ancillæ decumbunt, conjugio ita indiſcretè vacant, ut qui in eo cubiculo ſunt, facilè advertant quando commiſcentur, & exinde aliquod periculum libidinoſæ commotionis ſubeunt.

V. *Caſus*: Perſonas ejuſdem ſexus ſimul in flumine natantes, ſi caſu aut ex curioſitate contingat ſeſe aſpicere etiam in partibus inhoneſtis, non condemnarim peccati mortalis, ſi abſit libidinoſus animus. Aliud eſt de perſonis diverſi ſexus, ſi ſe nudas adſpicerent; quia tunc morale periculum eſt libidinis.

VI. *Caſus*: Qui ſeipſum aſpicit nudum etiam in partibus inhoneſtis, ordinariè non peccat niſi venialiter, licet id fiat ſine cauſa, & ex curioſitate; quia minus movent propria pudenda quam aliena, minorque eſt indecentia: quod ſi fiat ex cauſa aliqua, non eſt veniale. Sic ſine peccato is qui ſentit pruritum in his partibus, poteſt illas ut pruritum ſedet refricare, vel abſtergere ab immunditia. Similiter attactus qui fiunt ab aliquo erga ſe, rationabili etiam ſine cauſa (non tamen animo excitandæ libidinis) culpam venialem non excedunt.

VII. *Caſus*: Qui componunt cantiones omnino impuras & laſcivas, ordinariè mortaliter peccant: quia vix continget quod aliquis inde moralis libidinis occaſionem non accipiet. Qui autem illas can-

Digitized by Google

cantant, ſecundùm intentionem quâ id faciunt judicandi ſunt gravius vel leviùs peccaſſe; aut juxta periculum quod tibi vel aliis per hoc creant. Imò generalis hæc regula advertenda eſt de tactibus, aſpectibus, cantu, turpiloquio, vel auditu turpium rerum quod venialia eſſe poſſint ex varietate, levitate, cursolitate, tamen ſemper æſtimandum eſt periculum morale libidinis, cui aliquis ſe vel alium exponit. Qua in re quisque debet ſuæ ſatisfacere conſcientiæ, quia periculum illud diverſum eſt pro ratione perſonarum. Nam quod uni periculoſum eſt, alteri non eſt, & quod reſpectu unius propinquum peccandi periculum ingenerat, reſpectu alterius non niſi remotum periculum generat, vel etiam nullum.

VIII. Caſus: eſt de oſculis inter juvenculos & juvenculas, ex quibus aliqua ſenſualis delectatio impura oritur. Atque de his jam dictum eſt, ſi fiant cum ardore & morâ, putà replicatis diu in ore oſculis; ob periculum morale, mortalem ordinariè culpam afferre. Si verò in tranſitu fiat oſculum cui vix inhæretur, licèt voluptas ſeu delectatio aliqua capetur, poſſe ſecundùm opinionem multorum veniale id judicari ob parvitatem materiæ. Imò quidam hæc negant vocari libidinoſa oſcula, quæ paſſim à Summiſtis condemnantur peccati mortalis: illa enim ſolùm inter libidinoſa recenſent, quæ ſunt ex intentione delectationis concubitus, ſive pollutionis, aut ſimilis actus luxurioſi. Videri poteſt Filiucius,

Filiuc. tract 30. in 6. præcept. c. 9.

IX Caſus eſt, de oſculis partium pudendarum, nam & hæc etiam contingunt inter perſonas impuras tam conjugatas, quàm non conjugatas, ut ex confeſſione cognovimus. De his certum eſt gravia mortalia eſſe inter non conjugatos, inter conjugatos autem non cenſet eſſe mortalia Filiucius loco jam citato, quamvis indicent ſimilia hominem valde eſſe libidini deditum, ideoque graviter reprehendenda. Hinc reſolve quæſtionem à quodam pœnitente mihi propoſitam: An qui per ſimilia oſcula peccarit cum illa cum qua jam fornicatus erat, teneretur explicare in confeſſione? An etiam irrita fuiſſet confeſſio, in qua ex pudore illa circumſtantia explicata non fuiſſet? Reſpondeo, cùm ſimilia vel præcedunt, vel ſubſequuntur actum fornicarium, in principali confeſſo videntur contineri. Sicut ergo actus præambuli vel conſequentes immediatè actum fornicationis non debent ſpecialiter exprimi, ſunt enim vel tendentes ad illum principalem actum, vel ſignificantes complacentiam in illo; ſic & de hoc actu judicari poteſt: qui non mutat ſpeciem peccati, ſed videtur ſolùm indicare complacentiam inordinatam libidinis jam peractæ vel peragendæ. In opinione tamen eorum qui circumſtantias aggravantes volunt ex obligatione confeſſioni ſubjiciendas, hæc videretur explicanda. Quòd ſi verò quis non explicuerit eam ob pudorem, exiſtimans tamen neceſſariò confitendam; hinc cenſetur feciſſe confeſſionem nullam, ob eſſe-

Idem loc. cit. c. 9. num. 195.

roneam quam ſibi formavit conſcientiam; quod ſi dubitavit, debuit, dum omittere illius confeſſionem voluit, probabili ratione dubium depoſuiſſe, aliàs etiam cenſetur irritam feciſſe confeſſionem, ex ponendo ſe periculo dimidiandi Confeſſionem.

X. Caſus: eſt de verbis quibusdam valde ſcurrilibus & impudicis, quæ extra & impatientia in ore aliquorum verſantur. Sic Galli irati in quempiam, quandoque hæc infamia verba pronunciant: *Va en foutre ta Mere*: quaſi dicerent: *Vade fornicatum cum matre*. Certè hæc & ſimilia non poſſunt excuſari a gravi peccato, ſi ex advertentia pronuntientur, & non ex ſola ſurreptione. Ratio eſt, quia licèt non intendant plerumque id quod illis verbis ſignificatur; tamen continent gravem contemptum perſonæ in quam ſimilia verba intorquentur. Dixi, ſi ex advertentia & deliberatè quis ſimilibus utatur, nam inter viles perſonas, ob malam educationem, & perverſam conſuetudinem, effluere ſoleant ex ore in ſubita paſſione, ſine plena advertentia, vel ex levitate quadam pronunciari.

XI Caſus: eſt de choreis. De his nimis ſcrupuloſi vel anxii Confeſſarii & Paſtores audiant quod ſcriptum eſt à Vincentio Filiucio Pœnitentiario S. D. N. ad S. Petrum. Ruſtici in diebus feſtis non ſunt prohibendi à choreis, modo fiant poſt Miſſam; tum quia otio aliter vacarent, quod pejus eſſet: tum quia ſunt pro more regionis, & coram aliis publicè, ideoque magna ex parte auferitur libidinis occaſio: tum denique, quia videntur conciliatrices omnis benevolentiæ, inter adoleſcentes & puellas, unde ſæpiùs contrahuntur matrimonia inter illos. Tolendi tamen ſunt abuſus ſi qui miſceantur, & modeſtia procuranda quod ejus fieri poteſt. Hæc ille. *Tract 33 in 6. præcepto, cap. 10. num 224.* Similiter Cajetanus V. *Chorea*.

XII Caſus eſt, de miſſione litterarum aut munerum. De hac re dicendum, ſi literæ ad amorem pravum incitent, eſſe peccatum mort. eas ſcribere vel deſtinare; ſimiliter & de muneribus ex pravo fine amoris excitati miſſis dicendum.

Quæro 7. *An poſſit dari ignorantia invincibilis de fornicatione, aut aliis ſpecieibus conſummatis, ita, ut quis non peccaret mortaliter fornicando, quia ignoraret eſſe peccatum mortale.*

Q. 7. An poſſit eſſe ignorantia invincibilis de foro nicatione, &c.

Reſp. apud Chriſtianos vix poſſe talem ignorantiam invincibilem eſſe, ob inſtructionem quæ ſolet dari. Dico vix, nam fortè aliquis vulgaris & rudis homo qui videt in urbibus publicè meretrices permitti, & quia neſcit diſtinguere inter licitum & permiſſum, putans eſſe licitum quidquid eſt permiſſum, poſſet ignorare ad meretricem accedere eſſe peccatum grave, ſi ea de re nunquam inſtructionem habuerit: maximè quibusdam in regionibus illud eſt adeo commune, ut vix pro peccatore putetur, ut quidam de Italia tradunt.

Quantum ad peccatum mollitiei, ſive pollutionis voluntariæ, exiſtimo poſſe ignorantiam invincibilem illius ſi frequentius in hominibus rudibus repe-

Digitized by Google

ciri. Nam ſi frequenter ex confeſſionibus reperi, pleroſque ruſticos nunquam in juventute hæc confeſſos fuiſſe, aſſerebantque ſe nunquam ea de re ſibi conſcientiam formalem, nec fuiſſe inſtructos. Imò inter conjugatos adhuc reperiuntur, qui abſente conjuge exiſtimant ſibi illos contactus, quibus ſe polluunt licitos eſſe. Itaque munus eſt Confeſſariorum, Paſtorum, Concionatorum, Catechiſtarum, de his plebem rudem pro occaſionis opportunitate erudire. Quod ſi nihil unquam audierint, non video cur ignorantia invincibilis quandoque hic dari non poſſit, quia licèt deducantur iſta ex principiis quibusdam lumine naturali notis, non ita tamen evidenter ſunt nota, ut in nullum poſſit cadere ignorantia. Ob hanc ignorantiam tales ruſtici non tenentur iterare confeſſiones, in quibus peccatum mollitiei non fuit expreſſum; ſecurius tamen eſt eos ad id deducere ut iterent, quia difficile eſt judicare an talis ignorantia fuerit omninò invincibilis.

Adverte etiam ignorantiam ſatis communem in juvenibus confitentibus quidem ſe fornicatos cum aliqua puella, ſed non adjicientibus ſe ut generationem impedirent extra vas fœmineum ſeminaſſe. Hoc enim eſt alterius ſpeciei peccatum, ad peccatum contra naturam ſpectans, & ſpecialiter exprimendum, vel interrogandum à Confeſſario; non enim id infrequenter contingit.

Q. 8. De ſtupro.

Quæro 8. *de Stupro. An cenſeatur ſtuprum quando virgo conſentiens cognoſcitur, nec ulla vis ei infertur.* Reſpondeo multorum eſſe ſententiam non eſſe ſtuprum, nec ſpeciale peccatum, ſive non eſſe peccatum à fornicatione ſpecie diverſum niſi per vim tollatur integritas carnis. Ratio eſt, quia neque in ratione luxuriæ ſpecialis hic deformitas concurrit in concubitu cum virgine, ſi fiat in vaſe naturali, neque in ratione injuriæ, cùm ipſa conſentiat; volenti autem & conſentienti non fit injuria. Nec refert quòd ſit in poteſtate parentum; quia habet jus in corpus ſuum, & illius eſt domina, ut, ut nemini propriè faciat injuriam, ſicut nec corrupta propriè alicui facit injuriam corpore ſuo utens, licèt ſub poteſtate parentum. Ipſa autem prævidens, vel qui eam carnaliter cognoſcit, magnum inde mœrorem aut infamiam parentibus & familiæ oriundam, aut lites & inimicitias: poteſt contra charitatem erga proximos, ſive contra reverentiam erga parentes gravem ideo culpam committere ultra culpam fornicationis. Sed cùm hæc eadem oriri poſſint ex fornicatione cum filia corrupta ſub poteſtate parentum exiſtente, non ſunt ſpecialiter referenda ad culpam concubitûs cum virgine, ut inde ſpecialis malitia & propria ſtupri ſpecies exurgere dicatur. Nam & hæc contingunt ratione evulgationis potiùs, quàm ratione defloration is, quæ poteſt manere occulta; unde talia exinde non eſſent ſecutura. Vide Leſſium.

Leſſ. l. 2. c. 10. dub. 1.

Ex dictis inferunt hujus ſententiæ auctores, cogitationes ſeu delectationes morоſas in virgine, vel in adoleſcente circa virginem, licèt ſint peccata mortalia, non habere tamen ſpecialem malitiam mortiferam ſupra delectationes morоſas & fornicationes niſi ſint conjunctæ cum voluntate inferendæ violentiæ. Quod ponderandum puto à Confeſſariis, quibus non parùm moleſtum eſt interrogare adoleſcentulas, tales cogitationes confitentes an ſint virgines: ſic enim peccatum corruptionis jam fortè aliàs confeſſum tenerentur aperire. Nec etiam minus moleſtum interrogare adoleſcentes an cogitarint de virgine, cùm frequenter rudes reſpondeant ſe neſcire an ea de qua cogitarint ſit virgo, vel non: nec de hoc ſe reflectionem feciſſe, putantque tum adoleſcentulæ, tum adoleſcentes has interrogationes ex curioſitate & nimio ſciendi deſiderio à Confeſſariis provenire. Per hanc itaque opinionem dictam à multis anxiis interrogationibus eximuntur Confeſſarii, habetque graves auctores, inter quos Sotus, Leſſius, Vaſquez, Suarez, Sanchez, Petrus Navarra & alii.

Quæres. *an puella quæ violenter conſtupratur vel impudicè per vim attingitur, debeat clamare, ut cenſeatur exempta à peccato, ſive à conſenſu.*

R. ſp. ut non peccet coram Deo mortaliter, ſufficit obmuti, & interiorem conſenſum non dare, licèt aliquam delectationem perciperet. Quoad forum autem exterius, illa præſumeretur conſenſiſſe, quæ intra civitatem exiſtens, non clamavit, nec opem petiit; ſed id non eſt neceſſarium in foro interiori, ut expreſsè docet ex Soto, Navarr. c. 16. num. 1. Imò Sotus dicit non teneri etiam in propriis membris reſiſtere, eò quòd ſatis ſit non ſe componere, aut præparare ad obſcœnum actum; quod verum erit, ſi ex timore non audet reſiſtere. Aptare autem ad id membra, tibias aperire, veſtem elevare, aut ſimile quid agere, exiſtimat Navarrus eſſe quodammodo cooperari, & non ſolùm pari, licèt conſenſus interior non adeſſet pro fornicatione vel delectatione.

Q. 9. Ad quid teneatur corruptor virginis?

Quæro 9 *Ad quid tenetur corruptor virginis?* Reſp. ſi libere conſenſit, ad nihil tenetur; quia volenti non fit injuria. Item ſi puella remiſit damni compenſationem, corruptor ad nihil tenetur, quia illa poteſt cedere juri ſuo. Si verò fraude uſuram corporis extorſit, vel violenter, etſi nil promiſerit, tenetur vel matrimonio eam ſibi jungere, vel damnum compenſare. Poteſtque Pater puellæ vel ipſa recuſare matrimonium, & exigere quanti pluris eget ad alteri liberè pro ſua conditione nubendum. Corruptor autem ſi velit damni compenſationem præſtare, non cogitur in foro conſcientiæ eam in uxorem accipere, niſi expreſsè vel tacitè promiſerit, aut niſi à judice ad id condemnatus fuerit. Quòd ſi adoleſcens ſolùm precibus importunis uſuram corporis impetrarit, non tenetur ad dicta in rigore, quia preces violentiam non inferunt. Quòd ſi puella fraude vel vi corrupta æquè commodis potita fuerit nuptiis, ita, ut nihil detrimenti acceperit, nulla reſtitutio eſt neceſſaria, cùm nullum

damnum

damnum ſit ſecutum deſloratio autem pudicitiæ eſt irreparabilis, nec pretio æſtimanda venit.

Difficultas eſt, *ſi promiſſum fuerit matrimonium fidè?* Reſp nihilominus teneri ducere, quia promiſſio facta eſt in modum contractûs, unde cum ipſa ex parte ſua compleverit contractum, tenetur etiam ipſe complere ex parte ſua, prout extet iis judicio prudentum ſonat. Nec ſufficit dotare, niſi ipſa conſentiat. Excipiunt tamen hic Doctores aliquos caſus.

I. *Caſus*: Si ipſe ſit longè nobilior, vel ditior, & maximè ſi ipſa id ſciverit. Item, ſi ex conjecturis facilè poterat conjici ipſum non ſincerè promittere, quia ambiguè quia inconſtanter, quia apertis exaggerationibus loquebatur. Quia tunc non præſumitur decepta, ſed deceptionem fingere. Imò aliqui putant non teneri deceptorem, quando ipſa potuit advertere deceptionem.

II. *Caſus*: Si grave damnum, vel ſcandalum ex tali matrimonio ſequerotur.

III. *Caſus*: Si illam contingat poſteà cum alio fornicari.

IV. *Caſus*: Si putabat illam eſſe virginem, & in conjunctione deprehendit eſſe corruptam. Tunc enim deceptus fuit. Et tunc aliqui, inter quos Sanchez l. 1. de matrimonio, diſp. 10. putant non teneri quidem dotare. Quod ſi ſcivit corruptam, & promiſit fictè matrimonium, idem Sanchez cum quibusdam putat, quod non tenetur ducere, ſed ſufficere pecunia compenſare Rationem aſſerunt, quia corrupta exigendo tale matrimonium pro corporis uſura, nimium exigit. Non enim tanti æſtimatur copula cum corrupta, ut matrimonio ejus debeat compenſari. Si tamen eſſet vidua honeſta, cui aliàs gravis impenderet infamia niſi ducatur, videtur ille teneri qui etiam fictè promiſit.

Sed petes, qui vovit Religionem, ſi poſteà ſub promiſſione fictâ vel vera decipit puellam poteſtne ingredi? Reſp. non poſſe, ſed tenetur ducere ſi ipſa votum ignoravit, nec velit aliam compenſationem: Factus eſt enim ei illicitus ingreſſus, cum tam gravi damno puellæ. Si verò illa ſcivit, non poteſt urgere nuptias, quia non bonâ fide contraxit, cùm ſciret ipſum non poſſe promittere. Idem dic ſi ipſa ſciebat ipſum voviſſe caſtitatem. Imò in his caſibus non tenetur aliter compenſare, quia illa ab ipſo non fuit decepta.

Q. 10. *De adulterio.* Quæro 10 *De adulterio. Ad quid tenetur adulter, ſi partus eſt ſecutus?*

Reſp. teneri pro alimentis à tertio prolis anno, ſi certum ei ſit moraliter eſſe ſuam prolem. Non videtur autem certum, quamdiu habet rationem probabilem dubitandi; & quamdiu illam habet, ad nihil tenetur. Cùm enim melior ſit conditio poſſidentis, non tenetur ſolvere, niſi conſtet ei ſe debere. Quod ſi conſuluerit, ſive auctor fuerit mulieri, ut prolem illam ſupponat quaſi legitimam, & illa ſuccedat in hæreditatem, tenetur etiam de damno legitimis inde ſecuto. Dico, ſi auctor fuerit ſuppoſitionis. Quia ſi nec conſuluerit, nec hujus ſuppoſitionis auctor fuerit, quidam cum Soto, Henriquez, Penna, & aliis probabile putant, quod non teneatur. Quia verè non eſt cauſa damni, nec illud intendit, ſed ex aliena actione provenit. Nec refert, quòd matrem in quamdam videatur neceſſitatem conjeciſſe, ut ſupponeret filium illum tanquam legitimum, ne ſi prodaſſe, grave periculum incurrat; quia non conjecit in eam neceſſitatem nolentem & invitam, ſed volentem; unde ipſa ſibi debet imputare. Contraria tamen ſententia eſt communior, quia enim ex adulterio iniquo & injurioſo fecit quod credatur eſſe mariti, & ex illa credulitate, cujus ipſe cauſa eſt, ſequuntur illa damna, ipſe cum adultera videtur obligari illa reſarcire.

Q. 11. *An mulier teneatur illegitimum ſuum prodere.* Quæro 11. *An mulier quæ damnum reſarcire nequit, quòd oriatur ex ſucceſſione illegitimi in hæreditatem, teneatur ſuum factum prodere?*

Reſp. non teneri cum periculo vitæ vel famæ, quia hæc ſunt bona ſuperioris ordinis, quæ non ſunt exponenda neceſſariò pro rebus inferioris ordinis. Deinde, non tenetur ſe prodere, niſi certa ſit damnum avertendum, hoc tamen vix contingit. Quia filius non tenetur credere matri dicenti ſe illegitimum; unde mulier poteſt ferè ſemper timere tumultus, lites, & pericula ex ſua revelatione.

Petes ergo. *quid conſilii dabit confeſſarius mulieri?* Reſp. Moneat ſi habeat particularia bona, ut illis compenſet legitimos. Item, ut quantum poteſt diligentiæ ſuæ & induſtriæ lucrum faciat in eorum gratiam. Item ut quoad poteſt parcat ſumptibus, quod juxta ſtatum poſſet facere. Denique ſi idonea eſt proles ad Religionem, inducat eam ſuo conſilio.

Q. 12. *De peccato pollutionis.* Quæro 12. *de peccato pollutionis: An & quando ſit mortale pollutio, quia voluntaria in cauſa?*

Reſp. hoc declarari poſſe aliquot concluſionibus.

Concluſio 1. *eſt*: Si quis det operam rei honeſtæ, licèt inde ſequatur pollutio, modò abſit periculum conſenſus in voluntate, non eſt peccatum. Declaratur in Confeſſario, ſtudioſo, Medico, qui non tenetur officium ſuum relinquere, licèt inde ſequatur pollutio. Sic qui ex certo ſitu in lecto patitur pollutionem, nec poteſt ſine diſpendio ſanitatis alterjacere, non peccat; quia cauſam licitam non tenetur cum ſanitatis detrimento vitare, ſi non intendat illum effectum, nec periculum ſit conſenſûs. Sic qui ex equitatione celeri patitur pollutionem, & habet cauſam equitandi, non peccat, ſi abſit intentio pollutionis & periculum conſenſûs.

Concluſio 2. Si quis det operam rei illicitæ, ex qua ſolùm remotè ſequitur pollutio, nec directè intenditur, non eſt niſi veniale peccatum. Sic qui edit edulia nimis calida ex aliqua gula, licèt ſciat quandoque ſibi inde evenire pollutionem, ſi tamen eam non intendat, non eſt condemnandus peccati mortalis. Similiter qui ex nimio potu prævidet ſibi id

id frequenter accidere, non propterèa peccat mortaliter, ſi non abſtineat, modò abſit intentio directa, & periculum conſensûs. Ratio eſt, quia obligatio vitandi cauſam eſt ſatis tenuis, & effectus ex illa ſequens non cenſetur niſi imperfectè volitus, quandoquidem nec directè intendatur, nec ex illa cauſa tamquam diſpoſitione omnino propinqua oriatur, ſed potiùs ex quadam conditione naturæ abſque voluntatis operatione.

Concluſio 4. Si quis det operam rei illicitæ, ex qua propinquè nata eſt oriri pollutio, etiamſi eam non intendat, cenſetur peccare mortaliter, & eam velle in cauſa. Sic qui contactus turpes erga ſe vel alium exercet, vel qui imaginationi rerum turpium ex delectatione inhæret, ſi ſequatur pollutio, cenſetur ei mortalis, & volita in cauſa, licet directè eam non intenderet.

Q. 13. An liceat pollutionem deſiderare, vel de præterita gaudere.

Quæro 13. *An liceat ullo caſu deſiderare pollutionem, vel de illa præterita gaudere.*

Reſp. numquam id licere cauſâ libidinis, ob cauſam tamen honeſtam; putà ob cauſam ſanitatis, vel quia ſic tentationes ſedatæ ſunt; multi probabiliter putant id non eſſe illicitum; nam quod deſideratur, tunc non eſt peccatum, ſed indifferens, quandoquidem deſideretur ut inculpatè obveniat, per cauſas à natura conſtitutas ſine alia operatione; & cùm finis ob quem deſideratur ſit bonus, non videtur culpa incurri. Si autem licet deſiderare, licet etiam gaudere.

Notent Confeſſarii quandoque aliquos confiteri ſe paſſos pollutionem, cùm reverà non fuerit perfecta pollutio, ſive feminis aut ſpermatis effuſio ex genitalibus enim ultra urinam & ſperma, ſive ſemen, humor quidam tertius exoriri quandoque ſolet, qui aliquid immunditiæ generat, & ex commotione partis genitalis in viro facilè ſtillat, ſine impetu delectationis, ut fieri ſolet in feminis decliue, ideoque humor ille fluens non intelligitur hic ſub nomine perfectæ pollutionis; nec illius ſolius periculo ſe exponere, eſt mortale, quia ex levi commotione oriri poteſt in juvenibus, putà ex oſculo leviter dato, vel attactu etiam levi faciei, aut manus perſonæ alterius ſexûs. Interim adverto quòd in confeſſionibus dicant aliqui ſe paſſos pollutionem, cùm ſolùm paſſi fuerint aliquid levis hujus immunditiæ, ſive ſeroſi humoris, ſine delectatione.

Quæro 14. *Quid de pollutione in ſemi experrectis?*

Q. 14. De pollutione in ſemiexpertis.

Reſp. Non eſſe mortalem, quia non eſt plenum aut perfectum judicium. Imò cœptam in ſomno pollutionem non tenetur evigilans reprimere, ſed ſufficit non placere. Ita Emmanuel Sa, V. *Luxuria.*

Q. 15 De delectatione morosa

Quæro 15. *De delectatione morosa, an ſit peccatum mortale?*

Reſp. eſſe peccatum mortale delectari de peccato carnali cogitato, ſi quis plenè adverrat hanc cogitationem & delectationem, & in illam conſentiat; licèt opus nollet, nec adſit voluntas efficax illius. Si autem ſit ſolùm confuſa & ſemiadvertentia, non erit niſi peccatum veniale.

Advertat verò Confeſſarius, has delectationes, & cogitationes moroſas à plerisque, maximè fœminei ſexûs non explicari in confeſſione: ideoque prudenter de his interroget, & diſcernat. Nam & rudes nihili illas æſtimant, ſi voluntas efficax operis non adfuerit, licèt immorati ſint cogitationi, ſolentque dicere: *Hoc leviter tranſiui, quia poſcè noluiſſem*; illud autem potiùs ſignificat, in ipſa morula temporis præcedente conſenſum & voluntatem fuiſſe ſaltem delectationis.

Quæro 16. *An delectatio quæ ſumitur ex cogitatione actûs carnalis, ſortiatur diverſam ſpeciem ex diverſitate conditionis perſonæ cogitatæ? Exempli cauſa, ſi quis ne ex percogitet de virgine, de conjugata, de conſanguinea, de ſerua cogitet, vel groſſa, nollet tamen actum complere, ſed tamen delectatur?* *Q. 16. de*

Reſp. quidam ex recentioribus Doctoribus putant probabiliter, quando repræſentata certa perſona per imaginationem, animus delectatur non ex motivo conditionis perſonæ, ſed tantùm de actu prout delectabilis eſt. delectationem non contrahere ſpeciem novam ex conditione perſonæ, quia quamvis conditiones perſonarum differant ſpecie, delectationes tamen poſſunt eſſe ejuſdem ſpeciei. Vaſquez, Leſſius, & alii.

Itaque ſecundùm hanc ſententiam, ſi quis cogitans de virgine Deo ſacra, aut de conjugata, aut conſanguinea, delectatur de eo etiam ut virgo eſt, vel ut conjugata eſt, vel ut conſanguinea, actus habet malitiam duplicem, nempe fornicationis & ſimul ſacrilegii, vel adulterii, aut inceſtûs; ſi autem non feratur ex motivo conditionis perſonæ, ſed ſolùm delectetur cogitatione conjugis alienæ, quia pulchra eſt mulier, non contrahetur malitia, niſi contra caſtitatem, non verò contra juſtitiam, quia in tali delectatione non vellet injuriam in maritum, quandoquidem nollet opus externum illi injurioſum explere. Similiter, ſi perſona ſit religioſa, vel conſanguinea, præſcinditur ab hac circumſtantia, cùm illi non conferat ad delectationem.

Ex hac ſententia ſequeretur, non eſſe neceſſarium explicare in confeſſione perſonæ cogitatæ circumſtantiam, ſi abfuerit deſiderium efficax ſive voluntas operis, ſed tantùm adfuerit delectatio. In praxi tamen ſecurius eſt confiteri eam circumſtantiam, tum quia contraria ſententia eſt communior, tum quia difficile eſt agnoſcere, an animus ſteterit in illa ſimplici delectatione & affectu; nam quandoque non deeſt etiam voluntas operis ſi infamia, aut alia incommoda abeſſent; & nihil reſpectus humani prohibèrent.

Quæro 17. *Quid inceſtus, & quomodo confitendus?* *Q. 17 De inceſtu.*

Reſp. eſt carnalis inter conſanguineos vel affines abuſus, & terminatur in quarto gradu, niſi hæc affinitas ex illicita copula orta: hæc enim terminatur in ſe-

in ſecundo gradu. Hinc ſequitur quòd juvenis qui cum pluribus fornicatur, ſi fornicari cum contingat cũ conſanguinea germana illius puellæ ſeu mulieris quam anteà cognoverat, teneatur dicere non ſolùm ſe fornicatum eſſe, ſed inceſtum commiſiſſe. Item multo magis ſi cum duabus ſororibus fornicetur. Adverte tamen, ut affinitas hæc ex illicita copula oriatur, neceſſe eſſe ut fuerit perfecta copula carnalis, quæ ad generationem ſufficiat prolis, qualis non eſt, niſi per quam virile ſemen recipitur in vas mulieris; quare neque per ſolum copulæ nexum, neque per quamvis aliam pollutionem, quâ ſemen intra vas non recipitur, poteſt oriri affinitas iſta.

Q. 18. De gradibus conſang. & affinit. Navar. c. 7. n. 4.

Quæro 18. *An gradus conſanguinitatis & affinitatis neceſſariò ſint ſpecificandi in confeſſione.*

Reſp. Duplicem eſſe hic opinionem: Prima negat, quia dicit non differre ſpecie hos gradus. Videri poteſt Cajetanus in ſumma. V *Inceſtus.* Altera aſſerit, & hæc eſt communior & probabilior. Vide Navar.

Q. 19. De ſacrilegio in hac materia.

Quæro 19. *Quando ſit ſacrilegium confitendum in materia luxuriæ?*

Reſp ſi peccetur cum perſona Deo conſecrata, ſive ſit Religioſus, aut Religioſa, ſive Sacerdos, aut in ordinibus ſacris qui peccat, aut cum quo peccatur. Item ſi in loco ſacro, in Eccleſia, vel in cæmiterio peccatum luxuriæ committatur; vel ſi voluntariè in illud conſentitur, licèt opus non ſequatur. Debet tamen voluntas, ut ſuprà dixi ferri etiam in circumſtantiam loci ſacri, hoc eſt, non ſufficit quòd pravam voluntatem concipias exiſtens in loco ſacro, ſed opus eſt (ut ſit ſacrilegium) quòd paratus ſis voluntatem eam exequi etiam in loco ſacro. Adverte verò, Monaſterium & dormitorium non eſſe loca ſacra, quæ peccatum carnis ibidem commiſſum efficiunt ſacrilegium. Vide Navarr.

Navar. c. 16. n. 11. 13

Quæro 20. *An Religioſus ſeſe oblectans carnaliter, ſi ſit Sacerdos, committat duplex ſacrilegium?*

Q. 20. De religioſo Sacerdote ſe carnaliter oblectante.

Reſp. quoſdam affirmare quod tic. eo quòd etiam ſepoſito voto, in honorem Ordinis ſacri ſit annexum impedimentum Matrimonii, unde ſepoſito voto peccaret ſacrilegio. Alii non admittunt hic duplex ſacrilegium; quia exiſtimant obligationem ſervandi caſtitatem in ordine ſacro oriri ex voto, itaque tantùm contra votum peccat, & proindè unico peccato. Et hoc ſatis probabile eſt.

De peccatis conjugum dictum eſt quando egimus de Matrimonio; ideo hic non repeto.

CAPUT VII.

Reſolutiones circa VII. Decalogi præceptum.

Q. 1. De examine circa hoc præceptum.

QUæro 1. *De quibus interrogandi ſunt pœnitentes circa ſeptimum præceptum.*

Reſp 1 An non ſcienter acceperint, vel detinuerint alienum? 2. An non vendiderint, vel emerint cum fraude circa pretium, circa rem, circa menſuram, aut numerum? 3. An aliorum agris, hortis, domibus, vel bonis damnum intulerint? 4. An debita creditoribus, mercedem operariis detraxerint, aut diſtulerint eorum damno, cùm poſſunt ſolvere? 4. An miniſterium pro quo merces eis perſolvitur, fideliter præſtiterint? Deniq; quicquid ad injuſtitiam erga proximũ eſſe poteſt, ad hoc præceptũ ſpectat.

Q. 2. Quæ quantitas in furto conſtituat p. mort.

Quæro 2. *Quanam quantitas in furto peccatum mortale conſtituat?*

Reſp. vix poſſe id univerſim taxari, ſolùm in genere dici poteſt, quòd requiratur quantitas notabilis; talis autem judicari debet arbitrio prudentum, pro varia tum locorum, tum perſonarum conditione, quia quod reſpectu unius cenſetur notabile, reſpectu alterius exiguum eſt. Reſpectu mediocriter divitum aliqui requirunt quatuor regales, reſpectu mechanicorum duos, reſpectu pauperis unum vel etiam dimidium, quia hæc ſumma his proportionaliter ſufficit ad vivendum uno die, victum autem unius diei ſurripere alicui, videtur notabile. Aliqui etiam abſolutè ſtatuunt quantitatem eſſe notabilem duos regales, inter quos Toletus, Medina, Leſſius.

Reſp 2. furtum rei exiguæ poteſt eſſe mortale ratione damni conjuncti, ſi præviſum eſt, aut prævideri debuit. Exemplum afferunt de furto acûs, ſi ſartor propter id tota die nequit operari. Si ferrum aratri ruſtico fureris, propter quod toto die non poteſt arare. Similiter ſi quis furetur rem exiguam alicui, quem novit propterea ſolere jurare, imprecari, blaſphemare, peccabit mortaliter; ſed id non tam ratione damni, quàm ratione occaſionis peccati, quam alteri dat, ejus quodammodo ſalutem contemnens, & ſic hoc ſpectat ad rationem cujusdam ſcandali.

Reſp 3. Qui aliquid exiguum ſurripit, ſed cum animo plura ſurripiendi ſi poſſet, peccat mortaliter, & de hoc ſunt interrogandi, qui furtis ſunt involuti: quia ſæpe animus eis non deeſt majora ſurripiendi, licèt pauca ſurripuiſſe ſe fateantur, quia facultas & occaſio non ſe dedit. Econtrà non facilè peccati mortalis ſunt condemnandi, qui modica accipiunt non animo furtivo, vel certè non animo ſurripiendi aliquid notabile. Sic ſuprà à mortali excuſavimus famulos aut ancillas eſculenta aut poculenta ordinaria ſurripientes.

Q. 3. De furtis in meſſe à pauperculis.

Quæro 3. *Quid dicendum de furtis quæ fieri ſolent in meſſe?*

Reſp. à mortali excuſari poſſunt pauperes, & vetuloris fortunæ mulierculæ, aliquas ſpicas in diverſis agris clàm ſurripientes; cùm ipſi quantitatem notabilem nollent ſurripere, aut notabile damnum alicui inferre.

Sed dices, licèt quantitatem notabilem uni vel alteri non ſurripiant, nec eis notabile damnum inferant, tamen in fine meſſis, ſi velint bene conſiderare, invenient ſe quantitatem notabilem de alieno habere: ergo tunc velle eam retinere, nec velle reſtituere, erit peccatum mortale Reſp. 1. magnam

requiri quantitatem in ſimilibus furtis quæ diviſim fiunt & paulatim, à diverſis, vel etiam ab eodem (per ſortuita ſcilicet furta cum intervallo facta aliquid corradendo) ut judicetur furtum mortale. Reſp. 2. Vix abillis æſtimari eſſe hæc furta, ſi hinc inde paucas ſpicas colligant de meſſe etiam ultra illas quæ manent poſt terga metentium, nam ratione paupertatis putant quodammodo ſibi hæc deberi à ditioribus. Atq; etiam ipſi ditiores ſciunt vix aliter contingere, quin hinc inde aliquid tunc furripiatur, nec ita graviter accipiunt, ſi ſit exigua quantitas, licet de die in diem ſenſim creſcat; nec videntur velle ideò obligare tenuiores ad reſtitutionem. Unde cùm in fine meſſis petitur venia generalis ab illis de omni quæ intervenire potuit injuſta acceptione, facile condonant. Non tamen hic excuſo eos qui modo partem manipulo detruncant, modo etiam adhuc ſegetem manibus plenis vellicant: mox enim grave paucis diebus damnum poſſunt ea ratione inferre, & id meritò graviter diſplicet Domino. Fit certe ad reſtitutionem ſi commode fieri poſſet obligandi forent; ſed fere ad confeſſionem accedunt, dum omnia iſta corraſa conſumpſerunt, & ſic injuſtè corradendo evadere pauperiores ſolent, in pœnam injuſtitiæ, vixque aliquid ad reſtituendum habent.

Q. 4. de furtis lignorum in ſylva.

Quæro 4. *Quid de furtis lignorum in ſylva ad communitatem ſpectante.*

Reſp. cum illa quæ bono publico conducibilia ſunt, ſpectent ad cujuſlibet loci Rempublicam ordinare, jus poteſt prohibere ultra certum modum & menſuram ligna exportari è ſylva communi. Si autem civis illius communitatis ultra id aliquid exportet, ſolùm cenſetur venialiter peccare, nec ad reſtitutionem teneri; niſi magnum omnino detrimentum communitati inferatur, puta ſi pes notabiles incidendo, grandiores arbores ſtremendo. Niſi enim tale damnum ſit enorme, vix æſtimari ſolet notabilis injuria committi per eos qui aliàs jus habent. Sic excuſari poſſunt à gravi peccato pauperiores qui portionem ſuam ad calefaciendum deſtinatam vendunt; & poſtea dictim faſciculos hinc inde ſibi comparant; neo enim cenſetur grave damnum.

Sed *quid ſi civis alterius communitatis fer ligna exportet?* Reſp. quando ſunt incolæ locorum vicinorum, habentque ſylvas easdem ſibi vicinas, dùm paſſim ſciantur hinc inde exigua damna ab utraq; parte fieri, cenſentur communitates viciſſim condonare quod ereptum eſt, contenti multa, ſi qui in furto deprehendantur. Ita Leſſ.

Leſſ. l. 2. c. 5. dub. 14.

Quod ſi verò quiſpiam ligna exporter è loco alicujus privati, vel in loco communi jam vendito vel locato alteri, peccat prorationè rei ablatæ, vel damni illati.

Q. 5. de paſcuis animantum.

Quæro 5. *Quid dicendum de his qui paſcunt in locis prohibitis?*

Reſp. eodem modo proportionaliter dicendum, quod de lignis: nam ſi ſint membra communitatis qui paſcunt, non cenſentur graviter peccare, niſi ex omnimo grave damnum, quale poteſt eſſe ſi paſcant boves & vaccæ, & ſimilia animalia in ſylvis prohibitis, propter novellas ſtirpes germinantes quæ exeduntur ab illis animalibus cum notabili damno.

Quæro 6. *An inventa ſint reſtituenda?* *Q. 6. An inventa reſtituenda?*

Reſp. ſi poſt diligentem inquiſitionem Dominus non invenitur, probabilis eſt ſententia aliquorum Doctorum poſſe retineri ab inveniente, quia tunc quodam ratione cenſentur derelicta; & ſic fiunt occupantis cum tacita obligatione, ſi Dominus compareat, illi reſtituendi. Æquitati tamen & pietati magis conſonum videtur, ut in pauperes vel pias cauſas impendantur. Quantum ad feras aut aves in alieno laqueo inventas, etiam juri eſt conforme, ut fiant inventientis & accipientis, ut habet Navar. Covar. & alii. Eſt tamen quorundam ſententia, adjudicans illas illi qui poſuit laqueum, quia quodammodo cenſetur per laqueum eam in ſuam redegiſſe poteſtatem; & hoc communi hominum ſenſui videtur conforme.

Navar. c. 17 n. 176. Leſſ. l. 2. c. 5. d. 18.

Quæro 7. *Quid agendum cum his qui in officio conſtituti, exigunt ſtipendium amplius quàm eis ſit conſtitutum?* *Q. 7. de officiariis plus exigentibus quam ſit in conſtitutum.*

Reſp. hos obligandos eſſe ad reſtitutionem, cùm talis exactio vel extorſio ſit contra juſtitiam. Poteſt autem illa fieri, vel expreſſe, vel tacitè. Expreſſè quidem, ut dum quis mendaciter aſſerit ſibi plus deberi pro ſtipendio, quam debeatur. Facitè, dum differt, vel recuſat officii ſui actum, niſi ultra ſtipendium aſſignatum aliquid ei detur.

Sed *quid ſi detur ab aliquo ultra ſtipendium?* Reſp. ſi ille ignorat taxam, nihilque ultra daret ſi veritatem ſciret, tunc ir qui accipit non poteſt in conſcientia retinere, quia non eſt datum liberalidonatione, ſed ex errore & deceptione. Si verò non ignorat, dat, cenſetur liberaliter datum.

Adverte etiam quorundam excuſationem, aſſerentium taxæ quantitatem adeò exiguam eſſe in quibuſdam officiis, ut ne quidem juſti pretii infimi rationem habere cenſeatur. Quod ſi hæc excuſatio veritate nitatur, excuſabit à reſtitutione, ſi ſolum quod juſtum eſt, petant. Item, quandoque labor extraordinarius, ad quem quis ex officio non tenebatur, excuſabit ſi quid ultra ſtipendium ordinarium exigatur.

Quæro 8. *Quid agendum Confeſſario cum illis qui æs alienum onerantur, nec ſolvunt, vel ſolutionem nimis differunt?* *Q. 8. de Debentibus non ſolventibus vel ſolutionem differentibus.*

Reſp. certum eos invito creditore non poſſe in conſcientia diu debitum differre; quod pauci advertunt. Quod ſi inde damnum creditori obveniat, etiam teneatur ad illud reſarciendum, vel compenſandum.

Sunt tamen, aliquæ cauſæ excuſantes à debiti ſolutione ſtatim facienda. 1. Impotentia excuſat à toto, ſi contingat in toto; ſi contingat tantum ex-

Digitized by Google

exparté, excuſat ex parte. II. Magnum damnum quod ſequeretur in rebus non debitis. III Notabilis jactura decentiæ ſtatus. Ratio eſt, quia his caſibus creditor ſecundum rectam rationem tenetur conſentire, & ideo irrationabiliter eſt invitus ut differas ſolutionem Intelligenda tamen hæc, niſi creditor par damnum vel parem jacturam ſtatus pati deberet propter tuam dilationem. In cauſa enim paris damni potior eſt conditio creditoris, habetque ille plus juris.

Ex his reſolvi poſſunt Caſus ſequentes in gratiam debitorum.

I *Caſus*: Si Nobilis non poteſt ſolvere niſi ſe privet omni obſequio famulorum & equorum; cogaturque abſtinere à conſortio ſui ſimilium, excuſari poteſt ſi differat reſtitutionem.

II. *Caſus*: Si civis aliquis primarius non poteſt ſolvere, niſi artem mechanicam exercere cogatur, ſibi & ſtatui ſuo inſuetam, ſimiliter excuſari poterit.

III. *Caſus*: Si quis debet centum aureos, nec poteſt ſtatim ſolvere, niſi domum, vel prædium aliquod vendat multo minoris quàm valeat, non tenetur ſtatim ſed poteſt differre.

IV. *Caſus*: Si quis debita non poteſt ſolvere ſine periculo ſalutis ſuæ vel ſuorum, poteſt differre. Exempli gratia: Periculum eſt ne uxor vel filiæ præ inopia ſe proſtituant, ne filij ad furta & latrocinia abeant; ne ipſemet debitor præ impatientia in deſperationem incidat. Nempè ſaluti ſuæ vel ſuorum quiſque potius tenetur conſulere, ſi periculum iſtud ſit notabile.

V. *Caſus*: Non excuſantur illi qui ut ſolvant ne quidem mobilia aliqua eis haud neceſſaria volunt alienare. Nec illi qui nolunt ſibi quinquiam detrahere de domeſticis expenſis ſæpè ſuperfluis; ut ſenſim reddantur potentes reſtituere. Cùm enim decentia ſtatus non conſiſtat in individibilis, tenentur quantum poſſunt ſibi detrahere, ut poſſint debita diſſolvere, vel aliena reſtituere.

VI *Caſus*: Non etiam excuſantur illi qui injuſtè ſtatum aliquem obtinent, puta quia furtis, fraudibus, rapinis, uſuris ad eum pertigerunt, quin teneantur reſtituere etiam cum diminutione ſtatus. Intellige, quando jam ex parte notum eſtrum ſic divitem factum, aut pertigiſſe ad eum ſtatum. Aliquin ſi vir habeatur probus & honeſtus, non tenetur ſe infamare, ſed ſenſim prout poteſt, debet reſtituere.

Q. 9. *de ordine in ſolvendo.*

Quæro 9. *Quando quis non poteſt omnibus ſimul ſolvere, quem teneatur in ſolvendo ordinem ſervare?*

Reſp. multa de hoc ordine præſcribi, tum à juriſperitis, tum à Theologis hac de re tractantibus: quia diverſis locis diverſæ leges vel conſuetudines reperiuntur hanc rem concernentes. Atq; has quidem ordinarie ſervandas putavimus. Illos tamen excuſandos exiſtimavimus, qui creditori priùs petenti & urgenti ſolverunt, aut magis indigenti

Biel in 4. d. 15. q. 2. Hos excuſat Sa. V. *Reſtitutio.* Immo Gabriel Biel dicit eos quæ Canoniſtæ diſputant, quinam jure priores ſint in reſtitutione, potius ad judicii quàm ad conſcientiæ forum ſpectare. Et licet hoc alii refellant, tamen quando non ex fraude, ſed bona fide debitor ſolvit aliquibus etiam in jure poſterioribus, illi retinere poſſunt, & hic ſolvendo poteſt excuſari, quia non tenetur ſcire omnes iſtas leges & ordinem quem ſtatuunt. Immò multi paſſim putant ſe in conſcientia ad talem ordinem non obligari, conformiter opinioni Gabrielis, niſi Judice decernente.

Quæro 10. *Quid dicendum de his qui cedunt bonis, an ultrà ad aliquid teneantur.* Q. 10. *De iis qui cedunt bonis.*

Reſp. Ceſſio bonorum in foro conſcientiæ non aliter excuſat, quàm neceſſitas ſine ceſſione excuſaret. In hac enim ceſſione ex quadam miſericordia conceduntur alimenta ob neceſſitatem: quia non tenetur ſe ſpoliare debitor neceſſariis alimentis, ita ut cogatur mendicare. Itaque, ſicut quis in neceſſitate conſtitutus poteſt retinere ea quæ ſpectata perſonæ ſuæ conditione, & eorum quos alere tenetur, cenſentur neceſſaria: Similiter qui abſque culpa cogitur cedere bonis, poteſt abſcondere quantum neceſſarium erit, ut honeſtè vivat ſecundùm ſtatum ſuum. Ita Leſſius, citans Petrum Navarram, & Silveſtrum. Si tamen poſtquam ceſſit quis bonis ad lautiorem fortunam pertigerit, tenetur integrè ſatisfacere.

Quæro 11. *Verum liceat cariùs vendere dilata ſolutione, ſive credita, quàm vendi ſolat præſenti pecunia.* Q. 11. *An cariùs liceat vendere credita.*

Reſp. 1. Licere vendere cariùs dilata ſolutione intra limites juſti pretii: Unde ſi præſenti pecunia vendebas infimo pretio, potes ob dilatam ſolutionem vendere ſummo. Item ſi res quæ nunc valet viginti; putatur tempore ſolutionis valitura triginta aut circiter, potes illam tali pretio vendere, ſi ſervare decreveras; & hoc ratione lucri ceſſantis. Item aliquid licitè exigitur ultra pretium juſtum, ratione periculi ſortis, cui mercator credito vendens ſe exponit; vel ratione expenſarum & moleſtiarum quas timet in recuperanda ſorte & ſolutione.

Sed difficultas eſt in quibuſdam modis vendendi ad creditum in auctione publica introductis, ut hac ratione augeatur pretium concurrente emptorum copia. Sic in quibuſdam locis Domini temporales grana à receptoribus ſuis collecta ex cenſu annuo, circa Junium curant exponi ad creditum, dantes terminum ſolutionis poſt meſſem futuram, puta, in Decembri, & propterea concurrentibus emptoribus, multùm augeſcit pretium, ultra illud quod tunc præſenti pecunia valeret, & quidem ultra rigoroſum, & ſummum illius temporis. Hic caſus à quodam Receptore timorato paucis ab hinc annis mihi propoſitus fuit, quia ei ſcrupulus ea de re à Religioſo pio & docto ingeſtus fuerat.

Reſp. Non videri abſolutè condemnandum hunc modum tanquam injuſtum, quamvis diſſuadere non abs re foret, his qui non habent intereſſe

ex ſolutionis dilatione. Ratio eſſe poteſt, quia non venduntur pluris præcisè ob dilationem ſolutionis, ſed quia iſte modus vendendi per accidens faciat pretium creſcere allicriendo copiam emptorum. Et illud cenſeri poteſt pretium quodammodo juſtum, quod in tali modo vendendi ſpectatis circumſtantiis lubenter à pleriſque penditur. Maximè ſi libertas ſit in tali modo vendendi, etiam infra pretium quod tunc præſenti pecunia curreret offerre; quamvis moraliter non contingat infimo pretio obtineri in tali foro, & talibus circumſtantiis, ob raritatem mercis, & concurrentiam emptorum.

Q. 12. De tutoribus pecuniam pupillorum apud mercatores deponentibus, &c.

Quæro 12. *Quid dicendum de tutoribus pecuniam pupillorum apud mercatores deponentibus, ut quinque vel ſex pro centum recipiant, cum ſecuritate ſuis capitalis.*

Reſp. à multis id condemnari, nec ſecurum eſſe. Cui reſolutioni conſentiunt quæ decreta ſunt in Synodis Provincialibus Cameracenſi anno 1586 tit. 23 cap. 4. Mechlinienſi anno 1570 atque etiam in Diœceſanis Audomarenſi anno 1583 tit 11. c. 1. Iprenſi anno 1577. tit. 30. cap. 4 Nequis tutor aut curator pupillorum, aut pupillarum, ſub prætextu augmentandi patrimonii ipſorum pecunias eorum ſub certo lucro ſingulis annis ultra ſortem recipiendo det mutuo, retenta facultate recipiendæ ſortis, quando ad majorem ætatem perveneriut, aut matrimonium contraxerint, aut alias ad illorum voluntatem & arbitrium. Simul autem declarant iſtæ Synodi omnes hujuſmodi contractus eſſe uſurarios; & contra ſic mutuantes, tanquam contra uſurarios procedendum. Philippus quoque Secundus Rex in diplomate, ſuper executione dictæ Syn. Provinc Camerac. *art* 11. declarat tales contractus eſſe nullos. Et ſimiliter Octavius Epiſc Tricaricenſis directorio Colonienſibus ſcripto, *tit. de uſuris.* Ita Franciſcus Sylvius in additionibus ad Bimſfeldii compendium *cap. 22. parte 3.*

Q. 13. De pecunia etiam ſola.

Quæro 13. *Quid dicendum de viduis, auſtillis, famulis, & horum ſimilibus mercaturam non exercentibus, qui tamen pecuniam apud ſe aliis quæſitam deponunt inter manus mercatorum, ut ſex lucrentur ſuper centum, & capitalem ſummam ſecuram ſibi volunt, repetendam ubi egerint?*

Reſp. eandem rationem hic eſſe quæ in priori caſu, eandemque reſolutionem.

Attamen praxis hac in re ſic invaluit, ut paſſim id etiam timoratæ conſcientiæ agere videantur ſine ſcrupulo injuſtitiæ; nec parum difficultatis patiuntur Confeſſarii aut Parochi. Vulgò vocant id vernaculè *Mettre ſon argent à moute*, quod quibuſlibet conceſſum putant; quia & ad id quandoque importunè à mercatorib. ſollicitantur, qui rem ſibi gratiſſimam paſſim ab his præſtari fatentur, & lucrum, quod inde hi pecuniam deponentes faciunt, libenter ſolvunt, ob majus lucrum quod ex pecunia depoſita eis cedit.

Ideo quidam recentiores Theologi & Canoniſtæ hanc praxim excuſant, & juſtificant per tres virtuales ſeu implicitos contractus, nempè per contractum ſocietatis, per contractum allecrandi capitale, & per venditionem lucri incerti majoris pro minore certo. Nec eſt neceſſarium, ut contrahentes expreſsè hos contractus ineant; ſed ſufficit quod implicite illos intendant per unicum contractum expreſſum. Unde ſufficere videtur, quod quis tendat conferre centum cum mercatore, ut quotannis ſolvat quinque, ſalvâ ſorte eo modo quo licitum eſt. Vide Leſſ. Nec eſt neceſſarium, ut hi qui ſic pecunias bona fide conferunt, omnia ita perfectè intelligant, ſed implicitè cenſentur intendere juſtum titulum, quia cupiunt juſto modo lucrari, & non aliter. Interim, etſi de facto uſurarius eſſet contractus, ſi tamen bona fide proceſſerint, & aliàs facturi erant juſtum, probabilis eſt opinio multorum, poſſe retinere lucrum quod juſto tunc contractu facturi erant. De quo videre potes latius Leſſium. Leſſ. l. 2. c. 25. dub. 3.

Hinc infero, licet ſecurius ſit ſupradictam conſuetudinem tollere ab his qui pecunia ſua negotiaturi non erant, ne videatur mutuum implicitum cum uſura: Attamen qui bona fide fecerint, & lucrum perceperint, non puto facile eſſe condemnandos ad reſtitutionem ob dicta. Vide Navar. Idem l. 2. c. 10. d. 12.

Sed dices: *Quid ſibi hi repetant ſortem capitalem, ut ſecuriori modo juam applicent pecuniam ad lucrum & mercatores refundere differant?* Reſp hoc non infrequens eſſe, ſcioque contigiſſe quibuſdam viduis quas ab hac lucrandi ratione parum tuta divertere optab m. Tunc autem cum illi ſint in mora, ratione illius moræ poſſunt tuto lucrum juſtum accipere: quia pecuniam ſuam, vel in annuum reditum, vel per aliam juſtam viam poterant lucroſè impendere. Navar. c. 17. n. 257.

Videri etiam poteſt alius modus excuſandi tutores, vel viduas ſic pecuniam deponentes apud Leſſ Nempe putat poſſe excuſari per cenſum utrimque redimibilem. Hæc paulo latiùs dixerim, quia quæſtio quotidiana eſt Paſtores concernens, quibus licet ſuadeam quoad fieri poteſt, conſuetudinem ſupradictam corrigere: non tamen approbo quod aliqui nimis vehementer in publico invehantur in eam ſine ſufficienti diſcretione; nam experientia conſtat quandoque inde non ſequi fructum, ſed potius tumultum & conſcientiarum involucrum Unde addo, cùm aliqui bona fide id præticant, nec ex monitione ſperatur fructus (quod certe non eſt infrequens) potius hos in ſua fide & opinione favorabili quamvis minus ſecura relinquendos; quia ſaltem ratione bonæ fidei ſunt ſolum in ſtatu materialis peccati & injuſtitiæ. Quod ſi verò interrogent Confeſſarium, vel Parochum, tunc illis veritatem aperire tenetur, ut alibi diximus generaliter. Leſſ. l. 2. c. 22. d. 10 circa finem.

Quæro 14. *Quid dicendum de illis venditoribus, qui, quia emptoribus non placet merces noſt infimo pretio, cum pretio multo vel rigoroſo optant vende-* Q. 14. De venditoribus.

Digitized by Google

infimo pretio, qui compenſant id in diminutione mercis.

vendere, compenſant id occulta diminutione mercis, puta in menſura vel pondere. Ex gr. *emantur menſurando pannum occultè mediam vel unam ulnam lucrari, ut perveniant tali modo ad pretium intentum?*

Reſp. hic eſſe injuſtitiam, & proinde obligationem reſtitutionis, maximè cùm eſt quantitas notabilis. Ratio eſt, quia licet poſſent vendere pretio medio, vel rigoroſo; hoc tamen poſt conventionem de pretio non licet: ſed tenentur ſtare conventioni quæ eſt juſta, licet ſit de pretio infimo. Aliud foret ſi cogeretur vendere mercator infra juſtum pretium etiam infimum, ex neceſſitate compulſus. Tunc enim ſi occultè diminuendo ſolùm pertingeret ad pretium juſtum infimum, non videretur peccare contra juſtitiam.

Similiter peccant contra juſtitiam, & in re notabili tenentur ad reſtitutionem, qui computando cum mercatore, aliqua reticent quæ certo ſciunt ſe ex officina habuiſſe, ſed non eſſe ſcripta à mercatore. Solentque hi inſufficienter ſe excuſare, dicendo ſe ideo illa reticere, quia caro nimis vendiderit eis alias merces. Nam ſi non vendiderit ultra pretium rigoroſum juſtum, tenentur in conſcientia ſtare convento pretio.

Qu. 15. An Venditor teneatur aperire defectum mercis ſuæ.

Quæro 15. *An venditor teneatur aperire defectum mercis ſuæ.*

Reſp. 1. Si emptor roget venditorem de bonitate, aut vitio rei, vel ſi petat ad certum uſum: tenetur venditor aperire rei vitia quæ ſunt occulta? quia ex officio tenetur explicare conditionem rei ſuæ, ſi rogetur. Quod ſi aſſerat rem vitio carere, & eam multum laudet ſciens occultum vitium, facit injuriam emptori; quod ſi hac ratione alliciat emptorem qui alioqui emere noluiſſet, contractus eſt invalidus, quia dolus ei dedit cauſam. Si voluiſſet emere ut non tanti, habet actionem quanti minoris. Si petenti ad certum uſum det rem inutilem, tenetur ad damna. Vide Leſſium fusè.

Leſſ. l. 2. c. 21.

Reſp. 2. Si venditor laudet rem ſupra meritum, vel celet vitium quod illam non reddat notabiliter minus utilem ad uſum pro quo petitur, non tenetur ad reſtitutionem. Tum quia fere ſcitur hæc conſuetudo mercatorum ab ementibus. Tum quia non incurrit emptor notabilem læſionem.

Qu. 16. De Monopolio.

Quæro 16. *An monopolium obligat mercatores ad reſtitutionem.*

Reſp generaliter à Doctoribus monopolium accipi, pro omni machinatione qua mercatores efficiunt, ut ipſi ſoli aliquid vendant, vel certo pretio vendant. Itaque ſi conſpirent in pretium quod non ſit ſupra legitimum, ſive ſupra rigoroſum, non peccant contra juſtitiam licet peccare poſſint contra charitatem. Sic nec emptores conſpirantes inter ſe ut non emant niſi infimo, ſed tamen juſto, quod contingit quandoque in auctionibus publicis. Si verò conſpirent in pretium ſupra legitimum, peccant contra juſtitiam, & tenentur ad reſtitutionem excellus pretii. Sic ſi emptores conſpirent ut pretio vili emant quod ſit infra infimum juſtum, obligantur venditori de damno.

Reſp 2. Quando mercatores coemunt omnes merces certi generis, puta frumentum tempore meſſis, velantè aut poſt, ut poſtmodum inducant caritatem & ſuo arbitratu vendant; quidam Doctores aſſerunt eos peccare contra juſtitiam, & obligari ad reſtitutionem: quia injuriam faciunt Reipublicæ, & fraude quadam ſunt cauſa cujuſdam pretii injuſti. Alii tamen putant eos ſolùm peccare contra juſtitiam legalem, & ideò non teneri ad reſtitutionem. Ita Molina & Leſſius cum quibuſdam. Ratio eſt, quia non peccarunt emendo, ſi pretio currento emerint; nec ſervando, quia non tenebantur ex juſtitia vendere: poterant enim ſervare, vel alio ferre, vel vaſtare, &c. Itaque cum non vendant ſecundùm æſtimationem communem à qua pretium pendet rerum, nec injuſta actione illius pretii cauſa fuiſſe probentur, non videntur obligari ad reſtitutionem, quamvis puniri poſſint à Republica, eò quod contra juſtitiam legalem & bonum publicum ſe geſſerint inducendo caritatem.

Reſp. 3. Si aut fraude impediant aliqui mercatores, ne copia alicujus rei quam vendere volunt aliunde importetur, ut ſic caritatem inducant, tenentur ad reſtitutionem, tum mercatoribus, quos impediunt, & probabili lucro privant, tum Reipublicæ, quia per injuſtam actionem cauſa ſunt majoris pretii.

V Sylveſtrum. V. empt. q. 13.

Q. 17. Quæ fraudes in emptione & venditione obligent ad reſtitutionem.

Quæro 17. *An fraudes, quæ variè in emptione & venditione ſolent concurrere, obligent ad reſtitutionem?*

Reſp. ordinariè obligare, cùm per illas cauſa damni datur, ſive ſint ex parte emptorum, ſive venditorum; ſed hæc tamen parum æſtimantur ab illis, ideoque ſine fronte bis paſſim ſuam involvunt conſcientiam. Aliquas recenſeamus.

1. Eſt ex parte vendentium, qui non ſolùm non tegunt vitia occulta rei, ſed & mirè rem extollunt, emptori ſaepius inutilem, vel parum utilem.

2. Eſt ex parte eorundem, dum ſubornant perſonas quæ rem faciant cariùs vendere quàm juſtum ſit, quod ſit plerumque in auctionibus: hi enim ſemper augent donec rei Dominus ad pretium pertingat intentum, quod plerumque eſt ſupra rigoroſum; quod ſi ad illud pretium alii non augeant, redit horum qui ad hoc ſubornati ſunt fraude res ad Dominum.

3. Eſt ex parte ementium, qui alios deterrent quandoque à licitatione, fraude, vel minis, vel pecunia, ut ipſi obtineant infra juſtum pretium.

4. Eſt eorundem falsò rem vendendam deprimentium; falſoque aſſerentium eſſe inutilem, infrugiferam, vitioſam, litigioſam, ut talibus mendaciis avertant emptores.

5. Eſt eorum qui perſiſtunt in actione pretii, non ut rem obtineant, ſed ſolum ut alteri noceant, & cariùs emant, ſcitates ea rem quodammodo neceſſariam.

6. Eſt

6. Esse potest ex parte eorum quibus res commissa est; ut exponatur venditioni: & hi exponunt eam tempore & loco incommodo, ut aliqui consanguinei eam obtineant, vel ipsimet per aliam personam. Hoc quandoque Tutoribus contigit & Judicibus, vel similibus, qui & pecunia sinunt se abripi ad similia incommoda.

Q. 18. *Ad quam restitutionem hi teneantur.*

QUAERO 18. *Ad quam restitutionem teneantur.*

Resp. si notabile damnum per hoc aliis creetur; nam si propter hæc non vendatur res supra pretium rigorosum talis fori, vel infra infimum, crediderim non obligandos ad restitutionem.

Qu. 19. *De miscentibus bonas merces malis vel minoris valoris.*

QUAERO 19. *Quid dicendum de fraude illorum qui bonis mercibus alias deficuosas, vel minoris valoris commiscent.* Ex gr. *frumento commiscent secale, aut alia semina, vel quisquilias; vino aquam miscent, tenue vinum cum præstantiori; lanas in locis humentibus constituunt, ut tanto magis ponderent, & sic de similibus, ubi in qualitate vel quantitate fraus aliqua intervenit.* Resp. si simili admixtione facta mercator non pluris rem vendat, quàm valeat ut sic (quia res non sit propterea deterior, quàm quæ passim ab aliis venditur) non videtur obligari ad restitutionem; Ratio est, quia per hoc emptoribus nullum vel exiguum damnum facit. Supponimus enim rem sic mixtam non ultra pretium vendi quod meretur etiam cum illa mixtione. Aliud foret, si damnum inde grave patiatur emptor. Puta quia res ei redditur postmodum inutilis, vel dispendiosa: Ex gr. emit vinum ad conservandum, & ob mixtionem aquæ si citò non evacuatur, totum elanguescit, vel acescit, cum ejus damno; emit fructus in quantitate, & quia commixti sunt per industriam vel fraudem mercatoris aliqui ad putredinem vergentes, paulò post magna pars inficitur. In his & similibus si non monuit emptorem, saltem post contractum, censetur causa damni per fraudem.

Q. 20. *An liceat emere rem furtivam.*

QUAERO 20. *Virum liceat quandoque emere rem furtivam?*

Resp. non licere, nisi quando emptor in gratiam Domini ut illi reddatur, & tunc meretur Dominus pretium refundere; quia talis emptor censetur ejus negotium egisse. Alioqui qui emit rem furtivam, Domino comparente, tenetur eam reddere, etiam si nolit pretium reddere.

Less l. 2. c. 14. d. 3. in fine.

Resp. 2. Qui bona fide emit nescient esse furtivam, si postmodum deprehendat esse talem, potest reddere illi qui vendidit, repetito pretio ut se servet indemnem. Hæc est sententia multorum Theologorum & Canonistarum: imò aliqui eorum etiam tenent, si mala fide emisti, sciens vel dubitans esse furtivam, posse id ipsum facere. Vide Lessium.

Sed QUAERES: *Quid si rem furtivam bona fide emptam alteri vendiderim?* Resp. si tunc Dominus compareat, teneris solum restituere id in quo factus es inde locupletior. Unde si eodem pretio vendideris, ad nihil tenetis; si pluris, teneris auctarium illud dare: Si dono eam accepisti & vendidisti, teneris dare pretium, nisi fortè illud in largitiones liberales insumpseris, quas aliàs non eras facturus. Si eam donaveris, etiam ad nihil teneris, nisi similem ex tuis eras donaturus, tunc enim pepercisti rei tuæ.

CAPUT VIII.

Resolutiones circa VIII. Decalogi Præceptum.

Qu. 1. *De Examine circa hoc præceptum.*

QUAERO 1. *De quibus interrogandus est Pœnitens circa hoc præceptum?*

Resp. 1. An aliquod falsum testimonium contra aliquem in judicio dederit? 2. An Superiori de proximi peccato roganti mentitus falsò fuerit, accusando vel excusando? 3. An famam alicujus læserit falsum spargendo, vel occultum detegendo? 4. An discordias inter amicos non seminarit? 5. An in malam partem facta alterius interpretatus non fuerit? 6. An temeraria judicia de proximo non habuerit? 7. An per adulationem alicui peccati causam non dederit? 8. An mendacia perniciosa non protulerit? Sed de his paucas quæstiones in particulari proponemus: ac in primis de detractionibus.

De peccato detractionis.

Itaque quæritur *de detractione, quando peccatum sit mortale?* Resp. esse peccatum mortale si sit detractio formalis in re gravi. Dicitur autem formalis, si quis directè intendat famam alterius lædere. Quod si ex quadam loquacitate narret quispiam peccata, vel defectus alterius, est detractio materialis: Quæ tamen aliquando potest esse peccatum mortiferum, si quod narratur, graviter proximum lædat in fama, quia licet non intendas expressè lædere, tamen id censeris implicitè intendere, dum causam ponis læsionis. Resp. 2. Si id quod narratur, parum lædit, detractio est tantum venialis. Hinc narrare defectus veniales, non censetur nisi veniale, eo quod ordinariè hi notabiliter non lædunt famam, cum ab his vix homines sint liberi. Posset tamen talis esse conditio personæ, ut defectus similis censeatur magni momenti. Ex gr. Si de Prælato aliquo grayi, dicas esse mendacem, id est, crebrò mentiri: nam dicere illum semel & iterum mentitum, non videtur mortale.

Similiter è contra quædam peccata etiam mortifera non censentur notabiliter lædere famam ratione conditionis personæ. Ex gr. de juvene dicis esse prodigum, vel amoribus deditum; de milite dicis decepisse aliquam puellam, vel frequentare aliquam concubinam.

Q. 2. *Quale peccatum sit in genere aliquem infamare?*

QUAERO 2. *Quale peccatum sit generali nomine aliquem infamare, v. g. dicendo esse superbum, esse avarum esse iracundum?*

Resp. ordinariè non esse peccatum mortale, quia hæc non ita solent accipi, ut sonent peccata mortalia, sed ut denotent naturalem inclinationem, vel etiam veniales defectus. Ratione tamen dignitatis personæ, de qua dicuntur, vel quia putantur accipienda quandoque pro gravibus vitiis, posset in hac

in his peccatum mortiferum committi, ait notat Navar.

Qu. 3. De revelatione defectuum naturalium.

QUÆRO 3. *An ſit peccatum mortale, revelare defectus naturales, ut ſi dicat aliquem eſſe ignarum, parvi judicii, parvi ingenii.*

Reſp. non eſſe, niſi inde aliquod notabile damnum ſequatur. Idem dicendum de defectu natalium, ut ſi quis dicat eſſe filium Clerici, aut natum ex adulterio, & ſimilia. Ratio eſt, quia ob hæc non cenſetur quis infamiam ſive læſionem in fama propria contrahere. Videndum tamen an hoc ex animi contemptu non dicatur. & an etiam ab aliis valde contemnendus non cenſeatur; nam ob circumſtantias ſimiles poſſet peccatum eſſe grave. Navar. ſuprà, & alii.

Qu. 4. De revelatione facta uni vel duobus.

QUÆRO 4. *An ſit mortale, revelare crimen alterius uni vel duobus qui vim omnimò ſilebunt?*

Reſp. Multi putant non eſſe. Cajetanus *quæſt. 73. art. 7.* Petrus Navarra *l. 2. cap. 4* Corduba *Tractatu de Detractione quæſt 2 concluſ 5.* Ratio eſſe poteſt, quia illud cenſetur eſſe leve detrimentum in fama, ſi uni vel duobus dicas, quibus dicere perinde ſit ac ſi nulli dicas, cùm periculum non ſit evulgationis, aut alterius incommodi gravioris.

Qu. 5. De revelatione injuriæ ſibi factæ.

QUÆRO 5 *Virùm qui injuriam ſibi factam ab aliquo amico refert, peccatum detractionis incurrat, vel quale peccatum committat?*

Reſp. ſi faciat intentione detrahendi, & ut ſe vindicet, poteſt eſſe quandoque peccatum mortale: ſi autem ut conſolationem acciplat, ſive ut querelâ expoſitâ dolor mitigetur, non eſt peccatum ſaltem mortiferum, quia jure ſuo uti videtur. Ita Leſſ. ex *Pet. Navar. lib. 2. cap. 4* Rationem ſubdit: Quia nimis grave eſt, & præter humanam conſuetudinem, ut quis cogatur injurias acceptas ſolus in ſilentio concoquere, nec poſſit eas cum amico communicare: cum hac ratione magna pars earum veluti pondere quodam levetur. Unde ſi inde aliqua infamia auctori injuriæ provenit, ipſi imputandum.

QUÆRO 6. *Virùm manifeſtare poſſim crimen alterius occultum ad impedendum damnum proximo impendens?*

Qu. 6. De manifeſtatione criminis occulti ad vitandum damnum proximi.

Reſp. ſi aliter non poteſt averti, id licere. Ratio eſt, quia nemo habet jus tuendæ famæ cum damno gravi alterius. Hinc reſolvuntur Caſus ſeqq.

I. Caſus: Ego novi aliquem famulum furem eſſe, poſſum monere eos cum quibus habitat, ut ei adviglent.

II. Caſus: Si homicidium, vel aliud crimen imponitur innocenti, qui ob id erit plectendus, poſſum aperire auctorem, imò teneor.

III Caſus: Si agitur de officio vel beneficio conferendo, de matrimonio contrahendo, de Religione ſuſcipienda, ſi ego ſciam juſtum impedimentum, unde notabile incommodum timeri debeat, poſſum ejus occulta pandere.

IV Caſus: Si quis ſimulet ſe peritum Medicum, vel Advocatum, vel Pharmacopolam cum pericu-

lo damni alterius, & ſciam non eſſe talem, poſſum aperire ejus fictionem.

V. Caſus: Si quis ſimulat pietatem, & paupertatem, ut eleemoſynas conquirat cum damno aliorum pauperum, poſſum ejus hypocriſim vel fictionem aperire, occulta peccata manifeſtare. Cùm enim fama ejus tota in errore verſetur, non habet ad eam jus cum aliorum periculo, vel incommodo.

Qu. 7. Infamia uno crimine, an poſſit de ignoto infamari.

QUÆRO 7. *Virùm qui uno aut altero crimen eſt infamis, & notus ut talis, poſſit etiam de aliis ignotis infamari?*

Reſp. non poſſe, quia qui eſt infamis in uno genere vitii, non propterea amiſit jus & famam quam habet in aliis virtutibus. Nam v. g. poteſt quis haberi tanquam adulter, non tamen tanquam fur, aut tanquam hæreticus; & ideò ſi id eſt occultum, non poſſum detegere.

Aliud foret, ſi tantùm referantur crimina aliqua minora, affinia, & ordinariè conjuncta crimini illi quod jam publicum eſt. Ex. gr. infamatus eſt quis de furto aliquo grandi, & tu apud illos qui norunt principale, refers alia minora. Aliquis infamatus eſt tanquam adulter, & tu aliquas converſationes, vel actus ad ipſum ſpectantes narras. In his non intercurrit grave peccatum, ſi non cenſeatur notabiliter infamia augeri.

Q. 8. Publicum crimen in una non liceat in alia urbe publicare?

QUÆRO 8. *Virùm crimen proximi publicum in aliqua civitate, liceat alibi patefacere ubi ignoratur?*

Reſp id non eſſe contra juſtitiam, quando crimen eſt publicum & notorium, quia talis amiſit jus ad famam, unde non fit ei injuria. Imò, ſi fama communis brevi illuc perlatura erat ad locum illum, ne quidem eſt contra charitatem, vel ſaltem nō eſt peccatum mortale. Idipſum aſſerunt Navar. & Cajetan. ſcilicet non eſſe mortale, licet fama illuc non erat perventura; quia quando ſemel infamatus eſt quis publica infamia, cùm jam non habeat jus ad famam, non videtur grave, ſi de publico facto alibi fiat mentio. Et quidem non ſolent hoc grave æſtimare referentes, ſi publica ſcandala alibi facta alio in loco enarrent.

Qu. 9. De referente audita ſimpliciter, nec timetur inde infamia.

QUÆRO 9 *Virùm quis audita referens abſque aſſeverazione, & dubitanter, peccet mortaliter, & teneatur ad reſtitutionem?*

Reſp. negativè, ſi ita referat, ut probabile non ſit infamiam indè orituram, eo quod alii non ſint credituri. Si tamen audita referat coram illis quos probabile eſt ex ſua levitate credituros, licet ſufficientem occaſionem ad id minimè dederit, poteſt peccare mortiferè contra charitatem; quamvis non contra juſtitiam; nec tenetur ad reſtitutionem, eo quod non ſit cauſa efficax damni per ſe, cùm narratio non ſit talis, ut fidem idonea ſit facere, ſed potiùs id eorum levitati, & malitiæ ſit tribuendum. Attamen quia ex charitate tenebatur abſtinere, advertens exſuis dictis alterum graviter lædendam, ideò mortale peccatum poteſt incurrere.

Digitized by Google

Hinc infero illum qui narrat audita ab hominibus parum fide dignis, indicans suos auctores non teneri ad restitutionem, quamvis aliqui audientes credant Nec refert quod malo animo id faciat, quia intentio nocendi non obligat ad restitutionem, si opus, ex se non sit damnosum Qui vero refert, audita tali modo, & talibus auctoribus nominatis, ut audientes meritò possint induci ad opinandum malum, tenetur ad restitutionem, quia dat sufficientem causam damni.

Qu. 10. De audiente detrahentem.

Quæro 10. *Quomodo peccet qui audit detrahentem?*

Resp. 1. Qui ita audit ut inducat, vel excitet ad detrahendum, vel ad prosequendum inchoatam detractionem, non minùs peccat quàm detrahens; quia ei est causa peccati, & ita tenetur ad restitutionem, nisi detractor restituat. Si verò audiendo detractorem lætatur quidem, non tamen inducit, aut animat ad continuandum, non tenetur ad restitutionem, quia non est causa damni: Potest tamen peccare mortaliter; si quis solùm delectetur eloquentia detractoris, vel curiosâ cognitione factorum proximi, non tamen desideret ut ille detrahat; tunc enim non est peccatum mortale.

Resp. 2. Qui nec inducit, nec lætatur; tamen audit, nec resilit detractioni, aliquando peccat venialiter. Mortaliter, si infamia sit gravis, & facilè possit eam impedire, nec putet alia ratione avertendam, vel brevi recuperandam famam. Charitas enim obligat ad grave damnum proximi avertendum, quando commodè possumus. Venialiter peccat, si detractio non est gravis, vel si nimia verecundia, aut animi pusillanimitate non audeat resistere, quia tunc valde difficile est efficaciter impedire; unde tunc non tenetur sub mortali, nisi infamia esset valdè atrox, & gravia incommoda mox paritura. Tunc enim debet tibi vim facere excussa verecundia, & modestè contradicere. Item solùm venialiter peccat, si putet auditores non credere. Potest autem quis excusari à peccato, si putet monitionem non profuturam, vel si metuat aliquod grave damnum, puta contumelias vel verbera, vel si rationabilis verecundia obstet, si sis inferior, vel nullius auctoritatis. Ita Less. & alii.

Q. 11. Quomodo fama sit restituenda.

Quæro 11. *Quomodo fama sit restituenda.*

Resp. Qui falsum crimen disseminavit, debet adhibere omnem industriam ut falsa illa opinio animis hominum eximatur: Unde tenetur illis significare se deceptum fuisse, aut falsum dixisse, etiam cum juramento ubi opus erit. Quod si id fecerit, jam amplius ad nihil tenetur, & si auditores non credant, quia illorum perversitas jam est causa pravæ opinionis.

Resp 2 Qui crimen occultum manifestavit, dicat se deprehendisse deceptionem, & se errasse, ac deceptum fuisse; laudet infamatum, & honorificè de eo loquatur ubi datur occasio; aut simili alio modo expresse vel implicite, quantum in se est, eximat opinionem quam ingessit.

Quæro 12. *Quænam excusent à famæ restitutione?*

Q. 12. Quæ excusent à famæ restitutione.

Resp. 1. excusare, si fama alia ratione jam sit recuperata. 2. Si infamia jam abiit in oblivionem. 3. Si revera infamia efficaciter non fuit secuta, eo quod infamator esset nullius fidei, quod sæpè contingit. Item si illi apud quos infamavit sciebant similia, ita ut infamia non fuerit notabiliter aucta. 4. Si non possit fieri sine amissione famæ quæ sit longè majoris momenti, ut si Prælatus vel Vir Illustris infamavit plebeium, non tenetur cum jactura sui nominis revocare. Ratio est, quia ille plebeius non potest cum ratione exigere, ut ille famam tanti momenti amittat, sed debet esse contentus laude, si eum laudet in eo genere virtutis, ubi infamavit, vel honorifica compellatione, aut salutatione, aut certè pecunia ex arbitrio prudentum, ut passim tenent Doctores.

Quæro 13. *Utrùm in fama possit fieri compensatio?*

Q. 13. An possit fieri compensatio in fama.

Resp. affirmativè. Si tu alium infamasti, qui te antea infamarat, non teneris ei ad restitutionem si ipse tibi restituere nolit; sed potes uti compensatione; maximè si infamia gravior non sit à te ei illata Imò quidam putant posse fieri compensationem infamiæ cum damno in fortunis tibi illato. Ex. gr. Intulisti Petro damnum, & ille te graviter infamavit, tu potes illi denegare restitutionem, si nolit tibi restituere famam Immo advertendum, si quis te infamet, nec possis infamiam alia ratione avertere, tu potes illius occultos defectus aperire, ne fides ei adhibeatur, v. g. dicere quod aliàs in mendacio & perjurio sit deprehensus, si ita sit. Vide latiùs Less.

Less. l. 2. c. 11. d 25; Qu. 14. De judicio temerario.

Quæro 14 *Quale peccatum sit judicium temerarium de proximo?*

Resp. judicium temerarium (sive ex levibus aut insufficientibus indiciis) quod concipitur de gravi malo proximi cum plena animadversione, ordinariè est peccatum mortale. Ratio est, quia hæc injuria proximo, & in despectum ejus gravem vergit quod in corde tuo judices eum sine causa improbum: & ex malevolentia pravoque affectu provenit, quod advertens signa non esse sufficientia, nihilominus pergis judicare.

Resp. 2. Si indicia non sint omnino sufficientia ad certum judicium, magnam tamen habeant probabilitatem, ut rem faciant omnino credibilem, non censetur mortale, etsi rem judices moraliter certam; quia non est tanta distantia inter valdè probabile & moraliter certum, ut censeatur gravis injuria inferri, si quod valdè probabile est, judiceatur esse certum.

Resp. 3 Non est nisi veniale, de defectibus levibus & venialibus judicium temerarium; quia non est gravis per hoc injuria. Item non est nisi veniale, si fuit grave malum, sed non perfectè advertisti te malè judicare; vel non advertisti signa esse insufficientia, licet adverteres te male judicare.

Quæro

Digitized by Google

Qu. 15 De ſuſpicione temeraria.

Quæro 15. *Quale ſit peccatum ſuſpicio temeraria?*

Reſp. ſuſpicionem qua ex levibus indiciis malam de proximo opinionem habemus, ordinariè non eſſe niſi veniale peccatum; quia cum ſemper maneat intra latitudinem ambiguitatis ſine judicio & definitiva determinatione, non involvit completè contemptum proximi; niſi proximum completè deſpiceret, prorumperet in definitivam ſententiam, & diceret in ſe ipſo, v. g. Joannes eſt perverſæ mentis. Vide Cajetan in Summa, V. *Suſpicio.* Quidam tamen putant ſuſpicionem de gravi malo pertinacem, provenientem non ex humano errore, ſed ex contemptu & malevolentia, eſſe mortale peccatum. Ita Leſſ.

Leſſ. l. 2. c. 29. n. 21. dub. 3.

Petes: *Quomodo ſciri poteſt an tantùm ſit ſuſpicio, an verò judicium firmum; in his enim diſcernendis habent nonnulli quam pœnitentes, habent & Confeſſarii?* Reſp. Dum quis ita judicat, ut rogatus an habeat pro certo, reſponſurus ſit ſibi certum, aut ferè certum videri, tunc cenſetur judicium firmum. Si verò ita judicet, ut reſponſurus ſit ſe non eſſe moraliter certum, ſed ſe poſſe ea in re falli; tunc ſolùm eſt ſuſpicio. Hæc eſt regula Cajetani, & aliorum Theologorum.

Qu. 16. De ſuſurratione.

Quæro 16 *An ſuſurratio ſit peccatum mortale?*

Reſp. Suſurrationem vocari oblocutionem ad amicitiam tollendam inter aliquos, & in genere ſuo eſſe peccatum mortale, cum tendat ad nocendum proximo, tollendo ei magnum bonum, amicum ſcilicet. Unde qui ſeminant diſcordias inter conſanguineos vel amicos, graviter valde peccant. Poteſt verò ſuſurratio eſſe venialis propter imperfectionem actus, quia non intendit contra amicitiam, licet materialiter dicat aliquid provocativum contra amicum. Videndum tamen ex gravitate nocumenti, an non redeat actus in naturam ſuæ ſpeciei, quia tenebatur advertere ex ſuo dicto tale nocumentum oriturum. Poteſt etiam eſſe venialis, ex parte ejus quod dicitur, quia leve eſt, vel ex parte modi, quia jocosè & non ſeriò dicitur. Ita Cajet. in Summa. V. *Suſurratio.*

Petes: *An is qui ad diſſolvendam amicitiam alicui damnoſam occultum alterius peccatum aperit, cenſeatur ſuſurro, & peccatum mortale incurrere?* Reſp non peccare, ſed opus charitatis agere, quia talis non vera amicitia quæ non in virtute ſed vitio eſt fundata; atque etiam alter non habet jus ad tuendam famam ſuam cum damno proximi, ut ſuprà dixi.

Sed *quid ſi ad diſſolvendam amicitiam damnoſam confingat grave peccatum de altero, ut amicum ab illo avertat?* Reſp ſi ſit peccatum cum infamia conjunctum, peccat mortaliter; quia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona. Quod ſi peccato non ſit infamia adjuncta, non cenſetur niſi veniale peccatum. Sayrus.

Sayrus l. 12. c. 5.

Quæro 17. *Virùm ſub peccato mortali teneatur quis teſtari, vel denunciare, Judice præcipiente, vel juramentum differente?*

Qu. 17. De teſtante vel denunciante vi præcepti vel juramenti.

Reſp. ſubditus tenetur, ſi author laboret infamia delicti, vel ſi de illo jam ſemiplenè probatum eſt. Item licet nulla laboret infamia, ſi tamen ab eo impendet grave damnum bono publico, vel etiam privato quod aliter nequit averti, tenetur quis denuntiare & teſtari. Item, ſi procedatur via accuſationis, & delictum probari plenè poſſit, teſtis citatus tenetur teſtari.

Reſp. 2. Multis caſibus non tenetur quis denuntiare vel teſtari 1 ſi ſub ſecreto tibi patefactum eſt, conſilii, vel auxilii cauſa, ad ſalutem animæ, vel corporis. Ex gr. ſi ſit Medicus, Advocatus, Obſtetrix. Non enim debet miſero obeſſe, quod conſilii vel auxilii petendi cauſa ſe alteri bona fide patefecerit, & hoc tamen verum eſt, licet infamia vel ſemiplena probatio de author præceſſerit. Si tamen denuntiatio vel teſtificatio ad aliquod damnum publicum vel privatum foret neceſſaria, promiſſio ſecreti etiam jurata non obligat, quia juramentum promiſſorium cedens in damnum tertii non poteſt obligare. 2. ſi author non laborat infamia, nec timetur damnum conſecuturum, quia poterit alia via emendari, puta monitis privatis, non teneris etiam tunc denuntiare vel teſtificari, licet cum duobus & tribus ſcias, & licet procedatur per viam inquiſitionis. 3. quando proceditur per viam accuſationis, ſi teſtis videt rem probari non poſſe, eo quod ipſe ſolus & accuſator ſciant, non tenetur teſtari, quia accuſator tunc non poteſt accuſare. 4. ſi ex denunciatione & teſtificatione notabile damnum tibi vel tuis impendeat, non teneris, niſi fortè publicum bonum neceſſariò id poſtulet. 5. ſi cognoveris ab iis qui fide non ſunt digni; hoc enim periſſe eſt ac ſi nelcires. Neque tunc expedit revelare eos, ſi fide digni non ſint. Porro in caſibus in quibus non tenetur quis revelare, etiamſi juret dicere veritatem, non tenetur, quia poteſt juramentum ſuum convenienti modo intelligere cum hac reſtrictione; *Quatenus tenor jure.*

Qu. 18 De teſte nolente teſtari.

Quæro 18 *Tenetur ne teſtis ad damni ſecuti reſtitutionem, ſi nolit teſtari quando obligatur, vel ſi tunc veritatem occultet?*

Reſp. Quoldam DD ita ſentire, teneri ſcilicet ad reſtitutionem damnorum quæ inde oriuntur, quod noluerit teſtari, vel veritatem patefacere; quia tunc ex juſtitia tenetur teſtimonium dare citatus à Judice. Alii negant, ſi enim fugit, vel ſe occultat antequam Judicis citatio denuntietur ei legitimè, non tenetur ad reſtitutionem damni, defectu teſtificationis ſecuti, quia necdum obligatus erat præcepto Judicis, cùm necdum ei debito modo erat impoſitum. Si verò ei jam inſinuata eſt citatio per miniſtrum juſtitiæ, licet obligetur præcepto, & obligatione obedientiæ, non tamen obligatione juſtitiæ, antequam acceptarit. Cùm verò receptavit, tunc tenetur ex juſtitia veritatem dicere, legitimè interrogatus.

Digitized by Google

Q.19 De teste falso.

Quæro 19. *Virum testis ratione falsi testimonii teneatur ad restitutionem damni secuti?*

Resp. 1. teneri, si sciens vel ex crassa ignorantia falsum testetur: nisi fortè jam damnum erat datum sufficienter per alios testes, ita, ut ejus testimonium nihil efficeret, tunc enim non censetur causa efficax damni. Adde, quod si quis per falsum testimonium alium in periculum mortis induxit, tenetur retractare, etiamsi simile periculum illi crearetur. Tenetur enim avertere quisque damnum, quod alteri iniquè paravit, etiam cum pari damno suo. Et hoc verum est in omni restitutione, sive famæ, sive pecuniæ, sive honoris, quia in pari damno melior est conditio innocentis. Item si alios ad falsum testimonium induxit, tenetur judici machinationem aperire, ut innocens liberetur. Hæc autem intellige, si spes sit revocationem & detectionem profuturam.

Resp. 2. Qui falsum testimonium dixit ex inadvertentia, vel oblivione, vel ignorantia non mortifera, nec graviter culpabili, non tenetur ad restitutionem: solùm enim tenetur de dolo & culpa lata, non levi aut levissima: & censetur tunc tale damnum, quasi fortuito illatum. Ita multi cum Cajet. q. 70 a 4.

Q. 20. *An testis possit pecuniam accipere ut dicat veritatem.*

Quæro 20. *Virum testis possit pecuniam accipere, ut dicat veritatem, & si accipiat, an teneatur restituere?*

Resp. posse accipere expensas, & dietam quam impendit, ut audiatur in testem, etiam potest accipere aliquid pro damno & periculo quod incurrit, testem se exhibendo. Si autem accipit pecuniam solùm hoc titulo ut verum testimonium dicat, tenetur restituere, nisi liberaliter ei datum. Sit Ratio est, quia si testari velit, tenetur veritatem dicere ex justitia, & ideo pro ea re nihil potest accipere. Imò tenetur restituere, quia censetur exortum, & coactè datum ex metu injuriæ, ne fortè injustitiam comminetur.

Sed quid si testis pecuniam accipiat, ut falsum testimonium dicat, tenetur ne ad restitutionem? Resp. quorumdam sententiam esse non teneri, quia putant acceptum ob turpem causam generaliter non esse restituendum. Unde nec judex si acceperit pecuniam pro sententia injusta, teneretur. Alii volunt non posse recipi, nec retineri acceptum pro opere pravo quod legibus punitur, eo quod leges videantur impedire ejus acquisitionem & dominium, dum similia pacta irrita reddunt. Sed prior sententia omnino probabilis est. Et licet leges velint talia pacta invalida esse, ita ut obligatio civilis ex illis non nascatur, non tamen incapacem reddunt acquisitionis rei in foro conscientiæ eum qui accipit & retinet opere jam completo. Saltem tabe ante sententiam judicis non tenetur restituere.

Q. 21 De re à judice interrogato.

Quæro 21. *An reus à judice interrogatus, teneatur fateri veritatem?*

Resp. 1. Certum est non teneri, si judex non interroget servato juris ordine. Putà quia interrogat de crimine occulto, de quo nec est fama sufficiens, nec sufficientia indicia, nec probatio semiplena.

Resp. 2. Si judex interroget juridicè, multorum etiam probabilis est sententia, si agatur de pœna gravi maximè capitali, non teneri reum se prodere, nec peccare mortaliter negando crimen quamdiu est spes evadendi. Vide Sylvest. V. *Confessio de delicto*, Emmanuelem Sa, V. *Reus*. Unde sequitur, non teneri reum jurare ad mentem judicis, sed posse uti artificio, seu æquivocatione vel restrictione mentali. Nec tenetur de juramento calumniæ, hoc est, non tenetur jurare se in omni parte litis dicturum veritatem, maximè si dubitet se juridicè interrogandum.

Petes: *An reus accusatus de crimine, quod juridicè probari nequit, peccet si negando crimen dicat accusatorem mentiri & calumniari?* Resp. posse peccare contra charitatem, si simpliciter negando possit se defendere, sine simili verborum asperitate, quæ non est proximo malum majus inferendum, quàm ad tuendam defensionem sit necessarium. Non peccat tamen contra justitiam, quia reus se potest tueri quâvis viâ, modo non dicat mendacium. Non censetur autem dicere mendacium, quia qui accusat de eo quod probare non potest, calumniator præsumitur in jure, & mentiri, tum quia contra dictamen conscientiæ loquitur, tum quia falsum præsumitur in judicio, quod probari nequit.

Idem dicendum de eo qui extra judicium negat se dixisse aut fecisse quippiam, quod alius illicitè aperuit; ut si secretò, vel tamquam amico ex confidentia tibi patefecit, & tu id alteri reticeas cum mea infamia, vel cum offensione gravibus. Si enim ille mecum ea de re expostulet, possum negare me dixisse, convenienti modo intelligendo, ut mendacium vitetur. Negando enim utor jure meo: quisque enim habet jus sua occulta dicta, vel facta celandi quantùm potest, si indè infamia sibi vel offensio alteri nascatur. Quòd si delatori inde incommodum obveniat, sibi imputet. Ita Less. Pet. Navar. Aliud esset, si aliter licitè id patefecisset, tunc enim ei fieret injuria, si sine sua culpa infametur ut mendax. Less. l. 2. c. 21. d. 2. Navar. c. 4. n. 348.

Adverte quoque reum ut se defendat, cùm aliter non potest, posse detegere occulta crimina testium, ad labefactandum eorum testimonium, v. g. crimen falsi, vel perjurium. Is enim qui se offert ad testandum sibi imputet, quia tali se periculo exponit.

Q. 22. De fuga rei è carcere.

Quæro 22. *An reus possit fugere è carcere: & vincula ac carceres perfringere, si pœnam mortis timeat.*

Resp. id posse, nisi juraverit se permansurum. Est enim ex tale jus ad vitæ suæ conservationem, ut humana potestas eum obligare non valeat ad eam non conservandam: si ejus ipsa aliqua affulgeat. Neque effringendo vincula & carcerem inferre censetur vim potestati publicæ, quia hæc non est in vinculis aut lapidibus, sed in judice & ministris, quibus vim non licet inferre, quando est justa condemnatio. Hinc sequitur, quod si reo licitum est fugere, etiam alias

Digitized by Google

aliis licitum eſſe id conſulere, & auxilium ferre ſuppeditando inſtrumenta & media ad fugam. Si enim licet finem conſulere, cur non & media porrigere? Neque id eſt violare publicam cuſtodiam, quia non juvo eſſi fingere, neque porrigo inſtrumenta ei qui injuſtè ſit uſurus: Itaque non licet juvare eſſringendo, aut rumpendo carceres, vel vincula. Quia ſolus reus ad id habet jus, ob maximum incommodum quod ei imminet. Alioqui nihil poſſet judicibus eſſe firmum & tutum.

Adverte etiam quod miniſtris juſtitiæ non licet conſulere reo, vel ſuppeditare inſtrumenta, quia ex officio prohibentur: tenentur enim quantum in ſe eſt, reum curare detineri: unde ipſi ſuadentes vel cooperantes ad fugam, injuriam Reipublicæ faciunt.

Q. 23. *De eo qui ſibi impoſuit falſò crimen ad vitanda tormenta.*

Quæro 23. *Verum quis poſſit ſibi falsò crimen imponere ad vitanda tormenta, ſi extremo ſupplicio inde ſit afficiendus?*

Hic caſus non eſt infrequens in illis qui non valent tot turas ſuſtinere, & mortem præligunt, ideoque fatentur crimen quod non deferunt, puta, maleficium, vel homicidium. Reſp. Probabilem eſſe recentiorum Doctorum opinionem, non eſſe id peccatum mortiferum; nec poſtea teneri revocare, ſi ad tormenta iterum ſint rapiendi. Quæ opinio favet multis miſeris qui alioqui non ſolum corpore, ſed & anima perirent, confitendo ea quæ non audent revocare metu tormentorum. Quam ſententiam latè explicat Leſſ.

Leſſ. l. 2. c. 11. d. 7.

Non licet tamen metu tormentorum alterum accuſare falſi criminis, ſi ei mors inde impenderet, aut grave malum. Quia non habet eam poteſtatem in famam alterius, quam habet in ſuam. Tunc tamen poteſt occultum alterius peccatum aperire, vel ſecretum, quia non tenetur cum tanto tuo incommodo alterius famam ſervare. Quod verum eſt, niſi inde graviſſima incommoda timeantur, v. g. ſi eſſet ſecretum Principis, vel Reipublicæ, vel exercitus.

Pater. *Quomodo peccent Iniquantes qui appellant à ſententia, juſta ad differendam executionem?* Reſpondeo teneri alteri parti de damnis & intereſſe, ſi injuſta eſt appellatio, eſſeq; peccatum mortale, quando ſatis patet ſententiæ juſtitia. Quod ſi illa obſcura eſt, poteſt ſine peccato appellari.

Q. 24. *De liceru alterius legendi & de ſecreto ſibi commiſſo.*

Quæro 24. *Quale peccatum committit, qui aperit literas alienas, & eas legit, vel ſcripturas quas in ſecreto obſervabantur.*

Reſp. ſi advertit, vel advertere debet notabile damnum alteri poſſe inde obvenire, peccat mortaliter, niſi id authoritate legitima faciat, quomodo faciunt tempore belli locorum Gubernatores, item & prælati in Monaſteriis.

Qui autem aperit imprudenter, putans eas ad ſe miſſas, aut ob curioſitatem quæ non judicantur periculum involvere alicujus nocumenti, non peccat mortaliter ſed venialiter. Quia autem aperit ex tacito conſenſu ejus à quo vel ad quem mittuntur, non peccat.

Similiter dicendum de ſecreto commiſſo. Si enim quis illud revelat, advertens aut advertere debens indè ſecuturum alteri notabile damnum, aut notabilem diſcordiam, peccat mortaliter. Detectio autem peccati quam conſtat nemini notabiliter nociturum, ſolùm eſt venialis.

Q. 25. *De irriſione proximi.*

Quæro 25. *Quale peccatum ſit irriſio proximi?*

Reſp. ſi ablit contemptus perſonæ, eſſe ex ſuo genere peccatum veniale: eo quod ſecluſo contemptu leve damnum nata ſit inferre, puta erubeſcentiam. Si quis tamen putet ex defectu etiam levi objecto quempiam graviter commovendum, poteſt mortaliter peccare. Item, ratione ſtatus & conditionis perſonæ, poteſt eſſe hic gravior culpa, ſi in riſum traducatur.

CAPUT IX.

Reſolutiones circa IX. Decalogi Præceptum.

QUæ hoc Præceptum concernunt explicata ſunt in Præcepto Sexto.

CAPUT X.

Reſolutiones circa X. Decalogi præceptum.

De iis qui lucrum captant ex ludo.

QUæſtiones hoc Præceptum concernentes, explicatæ ſunt in Præcepto 7. Unica quæſtio hic explicanda de his qui lucrum captant ex ludis.

Q. 1. *De Acquiſitis per ludum.*

Quæro 1. *Quando quis teneatur ad reſtitutionem ex acquiſitis per ludum.*

Reſp. teneri variis caſibus. *Caſus 1. ſit:* Si lucratus eſt quis ab eo qui non poterat in ludo deponere, quia non habebat diſpoſitionem rei quam exponebat. Tales ſunt Religioſi reſpectu rei notabilis, niſi accedat conſenſus Prælati. Tales & pupilli ac minores juxta multorum ſententiam: Item & filiifamilias, niſi habeant propria bona caſtrenſia, aut quaſi caſtrenſia. Poſſunt tamen hi petere ſecundum modum perſonarum ſuæ conditionis, id quod honeſtæ recreationi congruit, nam hic eſt tacitus parentum conſenſus. *Caſus 2.* Si per injuriam, puta minis, fraude, convitiis, ad ludum pertraxiſti quempiam, & victus, ſecundum multorum ſententiam teneris reſtituere. *Caſus 3.* Si ſimulavit ſe parum peritum ut ad ludendum allicias, cùm tamen moraliter certus ſis te ineraturum; tunc etiam teneris ad reſtitutionem, quia tunc dolus dat cauſam contractui. Idem dicendum cum quis ſponſionem facit cum altero, ita ut certus ſit de re ſuper qua fit ſponſio, & tamen diſſimulat ut alliciat alterum.

Caſus 4. Si cùm ine pie ludere habebas animum non ſolvendi, vel ſolutum, reperendi; tunc etiam non poteras in conſcientia lucrari. Tum quia decipis alterum, & ſi ſciret tuam deceptionem, nollet ludere: tum quia debet par eſſe conditio ludentium,

Digitized by Google

ut uterque eorum eodem modo paratus sit rem depositam perdere.

Casus 1. Si utaris fraudibus contra leges ludi, teneberis ad restitutionem ejus quod sic lucraris; imò & ad restitutionem ejus quod alter justè lucraturus erat; nisi fraude impeditus fuisset, quia damnum per injustitiam ei infers. Leges autem ludi sunt, quæ vel eo loco receptæ sunt, vel quas ludentes communi consensu statuunt. Fraudes autem vel astutiæ communi consuetudine receptæ, vel in quas tacitè ludentes consentiunt, sunt licitæ, nec obligant ad restitutionem. *Ex gr.* si quis advertens se lucraturum, roget adversarium, an velit deponere duplum: aut si videat errantem in numerandis signis, & non moneat; quia cùm unusquisque suas agat partes, non tenetur alterius agere, & ludenti non censetur prodesse, quod per negligentiam non advertit, nisi aliter consuetudo habeat.

Injusta autem foret deceptio, & ad restitutionem obligans: (*Ex gr.* in lusu chartarum) si quis subsuret chartam, unde eum contingit vincere. Item si charta signis notet, ut agnoscat quando sibi vel collusori pars pejor vel melior contingat. Item si ita artificiosè charta cum fraude componat, ut melior ludi pars sibi contingat.

Q. 2 *De lucro ex ludo vetito.*

Quæro 2. *An qui lucratus est ludo vetito, teneatur restituere?*

Resp ex communi sententia, retineri posse, nisi per sententiam judicis quis condemnetur ad restituendum. Ratio est, quia ex eo quòd ludus sit prohibitus, non propterea impeditur translatio dominii. Potest autem per judicem repetere is qui perdidit; imò potest non solvere, quia jura sic disponunt.

Q. 3. *De ludis prohibitis.*

Quæro 3. *Quinam ludi censeantur prohibiti?*

Resp. Jure civili prohibitos esse etiam laicis ludos qui fortunâ magis quàm arte reguntur, & hi communiter nomine alearum significantur in jure. Patet *lege 1 & 2. cap. de* Aleatoribus. Clericis etiam prohibetur ludus alearum & taxillorum. *can. 41. Apostol. & cap. Clerici.* De vita & honestate Clericorum. Et repetitur prohibitio in *Trid sess. 22. c. 1.* De refor. Unde censetur peccatum mortale, si hus ludis vacent, id est, crebrò & per longum tempus ludant. Si ad breve tempus recreationis causâ, licèt crebrò ludant, non videtur peccatum mortiferum, si absit scandalum. Nam hi Canones non videntur recepti modò, nisi quatenus id prohibent fieri cum periculo scandali, cùm nec per Superiores curentur executioni mandati. Ita Less. Less. l. 2. c. 26 d. 1.

Quæro 4. *Quid si victus, ob dedecus non audeat repetere in judicio, potestne nisi occulta compensatione?* Q. 4. *De victo in ludo.*

Resp. negare id plerosque Doctores. Ratio est, quia non habet jus ad recuperandum amissum, nisi per judicis sententiam, nec aliud ei leges permittunt.

Quæro 5. *Quid si uterque renunciarit beneficio legis, & cesserit jure suo?* Q. 5. *Si uterque cesserit jure suo.*

Resp. Si solùm renunciarit simplici verbo absque juramento, potest non solvere, & solutum repetere: quia simplex cessio non privat hominem jure quod ei lex tribuit in favorem boni communis. Si verò juravit se non usurum beneficio legis, tenetur solvere; nec potest repetere, nisi forte jurarit quidem se soluturum, sed non jurarit se non repeturum, nec hoc intenderit. Debet quoque ea de re potuisse disponere, alioqui juramentum foret de re illicita.

PARS II.

SVMMARIVM RESOLUTIONUM CASVVM OCCVRRENTIVM CIRCA PECCATA CAPITALIA.

CAPUT I.

DE SUPERBIA.

CUm rudiores passim confitentes non nisi in genere soleant peccata sua exprimere, dicendo se superbos fuisse, iracundos, avaros, invidos, gulosos: ideo Confessarii tenentur scire, quando peccent mortaliter circa hæc peccata quæ capitalia dicuntur; ut eos in particulari valeant de his interrogare. Itaque paucis id explicabimus in quæstionibus sequentibus.

Quæro 1. *Quando superbia censeatur peccatum mortale?* Q. 1. *Superbia quando sit p. m.*

Resp. Cùm superbia sit appetitus inordinatus ex-

Digitized by Google

excellentiæ, æſtimatioque ſui ipſius pluſquam convenit, ordinariè non eſt peccatum mortale; niſi ſimul contineat gravem contemptum vel injuriam proximi, injuriam aut deſpectum ipſius Dei. Et de tali ſuperbia perfecta loquitur Scriptura & Sancti Patres, quando inſinuant eſſe graviſſimum peccatum. Sic peccat mortaliter, qui quod habet à Deo, exiſtimat ſe habere à ſe, & vult ut alij ita exiſtiment; eſt enim in tali ſuperbia quidam deſpectus, aut injuria in Deum redundans. Similiter peccat mortaliter, qui ita appetit propriam excellentiam, ut ſit paratus Dei præceptum transgredi & mortaliter peccare, potiùs quàm à propria excellentia cadere. Denique peccabit mortaliter ex ſuperbia, qui inſtar Phariſæi publicanum deſpicientis alios deſpiceret, ſibi nimis arrogans. Item qui ex ſuperbia ſuperioribus non vult ſubeſſe.

Qu. 2. De vana Gloria vel jactantia.

Quæro 2. *Quando vana gloria, vel jactantia cenſeatur peccatum mortale?*

Reſp. ut ſupra, hanc non cenſeri mortalem niſi in Dei vel proximi gravem injuriam redundet. Sic peccat mortaliter, qui gloriatur vel ſe jactat de peccato mortali, quia ibi eſt injuria Dei. Si quis verò enarrat quædam ſua peccata mortalia, ſine approbatione & affectu peccati; ſed ſolùm ut inde dexteritas, ingenium, virilitas appareat, excuſari poteſt à mortali. Similiter mortifere peccat, qui ſe jactat Medicum peritum, Chirurgum, Advocatum, & ſimilia; ita ut hunc emergat grave alicui damnum, eo quod ſe illi credat tanquam Medico, vel litem tanquam Advocato, &c. Denique, ſi quis ſe jactat, alios ut deſpiciat, mortaliter peccat.

Qu. 3. De pertinacia.

Quæro 3. *Quale peccatum ſit pertinacia?*

Reſp cùm pertinacia ſit adhæſio in propria ſententia pluſquam oporteat, ordinariè eſt venialis. Tamen erit mortalis, ſi in rebus verſetur contra honorem Dei, vel in grave proximi detrimentum cedentibus. Sic peccat mortaliter, qui adhæret ſuæ ſententiæ cum pertinacia, licet auctoritatem Eccleſiæ videat ſibi contrariam, & omnium Doctorum conſenſum. Ita & Medicus, qui adhæret ſuæ ſententiæ pertinaciter cum periculo ægri.

De diſcordia.

Similiter dicendum de diſcordia quæ eſt etiam filia ſuperbiæ, quando quis non vult à propria voluntate diſcedere ut alius concordet, & hoc ex intentione contradicendi. Poteſt enim & illa diſcordia verſari erga rem pernicioſam, tendentem in detrimentum grave proximi, vel contra honorem Dei; & tunc eſt mortalis, alias eſt venialis. Sic inter eos qui gubernant, diſcordiæ grave damnum parere natæ ſunt in Republica, ideòque mortalem reatum facilè involvunt.

Q. 4. de Contentione.

Quæro 4. *Quale peccatum ſit Contentio?*

Reſp. cum contentio ſit ſermo contradictorius, quo quis veritatem oppugnat; ſi quis ſcienter notam impugnet veritatem in rebus fidei, vel in rebus ad ſalutem proximi ſpectantibus, mortalem culpam incurrit. Item, in rebus indifferentibus, vel non ita notabilibus, poteſt quis mortale peccatum incurrere verbis contendendo, propter modum contentionis quo aliis ſcandalum ingeritur, aut cùm injurioſa verba miſcentur. Aliàs ſi hæc abſint, licet forte perturbatio aliqua clamoroſa etiam cum quadam excandeſcentia interveniat, non cenſetur contentio illa niſi venialis.

Quæro 5. *Quale peccatum ſit hypocriſis?* *Qu. 5. De hypocriſi.*

Reſp cùm hypocriſis ſit ſimulatio virtutis quam quis non habet; erit mortalis ſi ſit perfecta. Tunc autem cenſetur perfecta, quando quis intendit eſſe malus, & vult ſimulare ſe bonum, vult injuſtitiam committere, & fingit ſe juſtum, vult fornicari & in fornicationibus permanere, & tamen fictione & ſimulatione expreſſa vult apparere caſtus. Ideo contra hos in ſacris literis ſæpè repetitur: *Væ vobis hypocritæ*, quia ſcilicet in his cum ſimulatione contemptus quidam ſanctitatis involvi videtur, ſanctitatis ſcilicet internæ. Quod ſi quis ſe ſimulet bonum, vel meliorem quàm ſit, optans illam bonitatem quam ſimulat deſideransque aſſequi, non eſt niſi venialis; item ſi ſimulet, ſolùm ne ſcandalizet alios. Poteſt etiam hypocriſis [illegible] eſſe mortalis, ut ſi quis ſimulet ſanctitatem, ut poſſit doctrinam falſam ſeminare, aut ut poſſit aſſequi beneficium, quo planè eſt indignus.

Petes: *quid dicendum de illis qui per hypocriſim eleemoſynas extorquent?* Reſp qui neceſſaria habet ad ſuſtentandam vitam, & pauperiem fingit ut eleëmoſynas extorqueat, mortale peccatum poterit incurrere. Si verò non habet neceſſaria, & ut eleëmoſynas lucretur, ſimulat bonitatem non peccat mortaliter.

Quæro 6 *Quale peccatum ſit curioſitas?* *Qu. 6. De Curioſitate.*

Reſp. illam etiam inter ſuperbiæ filias cenſeri, quia eſt appetitus ſciendi inordinatus; poteſt autem variis caſibus eſſe mortalis. 1. ſi res ſunt prohibitæ ſub mortali. Sic velle ſcire, ſive audire quæ in confeſſione dicuntur, eſt peccatum mortale. Item velle legere, & ſcire quæ in libris prohibitis continentur. 2. ſi res ſunt noxiæ, & occaſio ſit proxima peccandi in illa ſcientia. Sic qui multum proclivis eſt in luxuriam, & novit ſibi periculum propinquum ſore ſi legat libros inhoneſtos & laſcivos, peccat mortaliter volendo ſcire hæc ſibi noxia. 3. ſi ita velit ſcire, ut alium inducat ad peccandum mortaliter. Sic peccat, qui vult ſcire ea quæ alius tenetur occultare ratione juramenti.

Quæro 7 *Quale peccatum ſit inventio novitatum aut ornatus vani?* *Qu. 7. De inventione Novitatis aut ornatus vani.*

Reſp. ordinariè eſſe veniale. Poteſt tamen ornatus eſſe mortalis, ex fine. Sic peccat mortaliter, mulier quæ ſe ornat ad alliciendum quempiam ad peccatum mortale. Item ex aliis circumſtantiis. Sic peccare mortaliter poſſunt qui ſibi magnificas ultra ſtatum

Digitized by Google

ſtatum veſtes procurant, & interim debita non ſolvunt, ad quæ tenentur Similiter qui convivia magnifica inſtruunt, cum gravi damno creditorum Sic & hi graviter delinquunt, qui ut foveant ſuperbiam ſuam domeſticam in veſtibus, conviviis, & aliis ſumptibus, coguntur gravare pauperes, ſtipendia exigere injuſta, & ſimilia.

Q. 8. De Ornatu fœminæ, pigmentis, &c.

Quæro 8. *An ornatus fœminæ per pigmenta, aut comam appoſitam, intorteſque capillos, item per pectoris nuditatem, & per novas veſtium formas non ſit mortale peccatum?*

Reſp. quosdam exiſtimare eſſe mortalem hunc exceſſum: quia Scriptura & Patres graviter eum reprehendunt, ut etiam ſuprà reprehendimus in Tractatu de ſuperbia. Dicendum tamen hunc exceſſum non videri mortalem, niſi finis ſit mortalis, putà, ad alliciendum ad libidinem; aut niſi grave ſcandalum contineat. Sic aliquis adeò tenui & ſic conformata veſte poteſt uti, ut pudenda non ſatis tegantur; & ideò hoc ſcandalum omninò eſſe poteſt mortale. Quantum ad nuditatem pectoris, cùm illa pars honeſta cenſeatur, nec natura aut pudor humanus abſolutè poſtulet illam tegi, non inducit peccatum mortale, maximè ubi conſuetudo viget. Talem autem conſuetudinem introducere, ubi eſſet inſolitum, grave peccatum committeret, quia ubi inſolitum, ibi magis periculoſum.

Quod autem Scriptura 1. *Pet* 3. & SS. Patres graviter reprehendunt capillaturam extrinſecus, & circumdationem auri, fucos item & pigmenta, tanquam ſit adulterare opus Dei: Advertendum initio Eccleſiæ & temporibus perſecutionum, ad bonum exemplum Ethnicorum, conſiderationem hujus rei magis fuiſſe neceſſariam: ideoque tunc potuiſſe modeſtiam in veſte & ornatu exteriori faciei & corporis præcipi à Prælatis & tunc etiam majus ſcandalum generaſſe. Alias ſe ornare coma, & capillis adoptivis ſeu alienis, vel pigmentis & aliis modis, non eſt propriè adulterare opus Dei qua parte Dei eſt, ſed adjuvare opus naturæ, vel defectus ejus ſupplere: quod cùm ſit ex vanitate ſolùm, ſeu vano appetitu pulchritudinis, nullo alio extrinſeco fine mortali adhibito, veniale eſt. Hæc latiùs dixerimus propter aliquos Confeſſarios, qui morosè nimis quaſdam rejiciunt ſine abſolutione, non niſi tumultum ingenerantes ſine fructu. Optimè verò faciunt Confeſſarii, qui quoad poſſint exhortantur ad moderandum corporis cultum.

Patres: *An ſit peccatum mortale, ſi vir utatur veſte fœminea, vel fœmina veſte virili:* Videtur enim quod ſic: quia Deuteron. 22. dicitur: *Non induetur mulier veſte virili, nec vir utetur veſte fœminea, abominabilis enim apud Dominum eſt qui hoc facit.* Reſpondeo, uſum veſtis alieni ſexus non eſſe ita intrinſecè malum, quin liceat ob juſtam cauſam. Sic qui fugit hoſtes poteſt in aliena veſte muliebri ſe occultare: idem patet in ludis & comediis. Quod ſi ex levitate quis utatur; peccatum eſt tantum veniale, Quantum autem ad præceptum Deuteronomij, pertinet ad cæremonias, vel politiam illius populi.

Quæro 9. *An ingratitudo poſſit eſſe peccatum mortale?* Q. 9. De ingratitudine.

Reſp. eſſe mortale, quando quis beneficium notabile contemnit, & benefactoris affectum, vel elevat, vel ſiniſtrè interpretatur, ut non videatur ei debitor ratione beneficij, aut cogatur gratus eſſe gratias agendo. Ratio eſt, quia contemptus benevoli affectus & ſiniſtra interpretatio beneficii, (maximè ſi ſit notabilis) non eſt minus peccatum quàm judicium temerarium. Nam & illud hic involvitur, dum quis judicat affectum eſſe ſimulatum, & alio quàm benevolo animo beneficium impendi Unde homines tali contemptu graviter ſolent offendi. Erit verò veniale, ſi hoc eximperfecta advertentia vel imperfecto conſenſu fiat, ut in repentino choleræ motu ſolet accidere, item ex parvitate materiæ ſi beneficium ſit exiguum, non enim cenſetur notabilis injuria benefactoris exigui beneficij contemptus.

Quæro 10. *Quale peccatum ſit inobedientia qua dicitur filia ſuperbiæ.* Qu. 10. De Inobedientia.

Reſp. formalem inobedientiam ex ſuo genere eſſe peccatum mortale. Tunc autem dicitur formalis, quando quis præceptum violat, ea intentione ut illud violet, & ei ſuo facto adverſetur. Itaque eſt tunc quidam contemptus præcepti, vel præcipientis, cenſeturq; gravis & mortalis, niſi fiat eximperfecta attentione, vel præceptum ſit de re omnino levi. Vide Cajetanum, V. *Inobedientia* Leſſ dub 6 De inobedientia ſupra egimus latius *in Præceptum 4.* Leſſ. l. 2. cap. 47. dub. 6.

Caput II.

De Avaritia.

Quæro 1. *Quale peccatum ſit Avaritia.* Qu. 1. De Avaritia.

Reſp. Avaritia prout dicit appetitum immoderatum divitiarum, non eſt ordinariè niſi veniale peccatum; niſi appetitus hic eo uſque ſe extendat, ut quis non curet qua via opes congreget, aliena etiam rapiendo vel detinendo. Tunc enim eſt mortale peccatum, prout ſcilicet opponitur non ſolùm liberalitati, ſed etiam juſtitiæ, ut ſuprà latiùs diximus tractantes de Avaritia. Prout verò opponitur liberalitati, poteſt eſſe mortalis, quando quis ita immoderatè afficitur pecuniæ, ut pauperum neceſſitati non ſubveniat, quando tenetur ex præcepto.

Quæro 2. *Quandonam teneatur quis ad eleemoſynam ſub peccato mortali?* Q. 2. quando quis ad Eleemoſynam tenetur ſub p. m.

Reſp. quando quis eſt in extrema vel gravi neceſſitate, certum eſt ex communi ſententia eum qui habet ſuperflua ſtatui ſuo, vel etiam perſonæ, obligari ex præcepto illi ſubvenire; maximè ſi putet alium non ſubventurum. Tunc ergo foret mortale ex avaritia non ſubvenire. In aliis autem communibus neceſſitatibus non intervenit ordinariè pecca-

Digitized by Google

peccatum mortale, ſi eleemoſyna non detur. Sunt tamen qui condemnant peccati mortalis divitem habentem ſuperflua ſtatui ſuo, nullas eleemoſynas facientem in communibus neceſſitatibus pauperum; quia hæc immiſericordia gravis cenſeatur, graviterque repugnans charitati.

Sed PETES: *An quando quis eſt in gravi neceſſitate, ſufficias illi mutuare, cum reſtitutionis obligatione ubi veneris ad pinguiorem fortunam?* Reſp. Si is qui eget non habeat, nec hoc loco, nec alibi, nec probabiliter putetur habiturus, tunc obligatio eſt ad dandum gratis, quia præceptum eleemoſynæ urget. Si verò ipſe eſt hic inops, alibi habens ſufficientia, aut certe vires habet, & artem ad facile lucrandum, tunc ſatis eſſet dare mutuo.

Q. 3. *De Prodigalitate.*

Quæro 3. *An prodigalitas ſit peccatum mortale?*

Reſp.: Tunc prodigalitatem cenſeri peccatum mortale, quando quis per illam etiam aliena conſumit, ut cùm aliquis ſibi ad diſpenſandum commiſſa prodigit, vel ſe impotentem facit ad ſolvendum debita ſua. Item cum quis propterea deſinit providere familiæ, uxori, liberis. Denique ſi prodigalitas talis, ſit, ut notabile ſcandalum generet, qualis poteſt eſſe quandoque in Eccleſiaſticis.

Q. 4. *De filiabus Avaritiæ.*

Quæro 4. *An peccata illa quæ filia avaritiæ nominantur, ſint mortalia?*

Reſp. Filias avaritiæ nominari, fraudem, fallaciam, proditionem, uſuram, ſimoniam, perjurium violentiam. Et hæ ſunt filiæ ejus quatenus eſt contra juſtitiam; ſuntq; peccata mortalia, niſi parvitas materiæ excuſet. Inquietudo & obduratio filiæ avaritiæ etiam ſunt, quatenus illa eſt contra liberalitatem. Inquietudo, quæ eſt immoderata ſollicitudo ad acquirendum aut conſervandum temporalia, non eſt mortalis, niſi propter eam aliquis omittat aliquid ad quod obligabatur ſub peccato mortali. Obdurationem cordis qua cor avari eſt durum erga pauperes, & ad eis ſubveniendum difficile, mortalis eſt, quando quis ex præcepto tenetur eis ſubvenire, ut jam diximus.

Q. 5. *Quid ſit Uſura.*

Quæro 5. *Quid ſit Uſura?*

Reſp. Uſuram dici quando lucrum accipitur ultra ſortem ex vi & cauſa mutui. Poteſt verò id fieri implicitè in variis tranſactionibus & contractibus. Hinc reſolvunt Doctores eſſe uſuram, ſi quis mutuet alicui ut ad ſuum molendinum veniat, vel ut ad ſuam officinam veniat ad emendum, vel ut in ſuo prædio laboret. Quod quidem intelligendum eſt, ſi de his intercedat obligatio civilis & ſtricta; nam ſi ſolum ſit obligatio gratitudinis, ſive ſi hoc expectetur ex amicitia quadam, non ex vi pacti, tunc non eſt uſura. Imò adde, non poſſe alicui injici obligationem civilem remutuandi alio tempore, ſine vitio uſuræ; quia id eſt pretio æſtimabile. Sic uſura erit, ſi quis mutuet frumentum, ut poſtmodum aliud præſtantius reddatur, vel ut in majori quantitate; niſi forte frumenti pretium jam eſſet auctius, quam erit tempore redditionis, ita ut mutuans pateretur damnum; poteſt enim ipſe ſe indemnem ſervare. Item erit uſura, ſi quis pecuniæ argenteas alicui mutuet, cum obligatione poſtmodum reddendi aureos numinos; quia & hoc oneroſum eſt, & pretio æſtimabile. Si tamen ex amicitia id petatur, & non ex obligatione ſtricta, non erit uſura.

Quæro 6. *Quomodo per avaritiam peccetur mortaliter circa beneficia Eccleſiaſtica?* Q. 6. *de avaritia circa beneficia Eccleſiaſtica, ſive de Simonia.*

Reſp. Varios hic caſus recenſeri poſſe ad ſimoniam ſpectantes, reatum peccati mortalis inducentes, & quandoque etiam obligationem reſtitutionis.

I. *Caſus*: Qui dat pecuniam ut ei conferatur aliquod beneficium, peccat mortaliter. Similiter qui recipit pro collatione aut præſentatione beneficii, & ipſe tenetur ad reſtitutionem.

II. *Caſus*: Si quis conferat alicui beneficium, propter munus à manu vel obſequio, peccat mortaliter: Similiter & is qui tale beneficium accipit. Ex. g. aliquis inſervit alicui Prælato principaliter ut beneficium aliquod conſequatur, tunc eſt ſimonia, maximè ſi promiſſio aut pactum accedit ſaltem tacitum. Quia quando aliquid accipitur vel datur pro beneficio quod ſit pretio æſtimabile vitium incurritur ſimoniæ.

III. *Caſus*: Qui dat mediatori aut interceſſori aliquod pretium, ut procuret ſibi collationem, etiam mortifere peccat. Ratio eſt, quia hæc parta æſtimantur, dare collatori, vel dare alicui tertio ut ipſum collatorem moveat ad conferendum.

IV. *Caſus*: Reſignare beneficium cum penſione, addita conditione ut is cui reſignatur poſtmodum ſit obligatus redimere penſionem, eſt ſimoniacum.

V. *Caſus*: Reſignare beneficium alicui cum pacto ut ſibi reſtituat expenſas quas feciſti in acquiſitione beneficii, expeditione literarum, ſolutione jurium dum accepiſti ejus poſſeſſionem, &c. ad ſimoniam ſpectat. Ratio eſt, quia omne pactum in ſpiritualibus de onere temporali, quod jure non eſt annexum, reprobatur. Vide Binsfeld. part 4 c. 5.

De aliis Avaritiæ peccatis.

De aliis quæ avaritiam concernunt, fraude, fallacia, perjurio in emptionibus, venditionibus, &c. ſupra ſufficienter dictum eſt in quæſtionibus ſuper *Præcep. 7. Decal.*

CAPUT III.

DE LUXURIA.

DE peccato Luxuriæ & ſpeciebus ejus tractatum eſt in quæſtionibus ſuper *Præcept. 6. Decalogi*, Ideo hic ſupersedeo. Videri etiam poſſunt quæ dixi de raptu, ſodomia, inceſtu, inter caſus reſervatos poſt tractatum de Pœnitentia in *Candelabro noſtro myſtico*. Vide etiam *Tab. Sacerd. c. 3.*

CAPUT IV.

DE INVIDIA.

Q. 1. *Quale pecc. ſit Invidia.*

QUæro 1. *Quale peccatum ſit Invidia?*

Reſp. Cùm invidia ſit triſtitia de alieno bo-

no, in quantum tale bonum minuit excellentiam invidentis, ſi illa triſtitia ſit voluntaria & deliberata, ſitque de gravi bono alterius, mortalis eſt. Motus autem imperfecti invidiæ veniales ſunt. Sic ſi quis deliberate exultet in adverſis proximi ob invidiam, mortaliter peccat: ſicut & proſperis ejus ob eandem invidiam ſe contriſtando & affligendo. Ex invidia ſolet oriri odium proximi, & illud etiam ex ſuo genere eſt mortale: poteſt autem quis ſine peccato odiſſe peccatum proximi & pravas conſuetudines, quia cum hoc ſtat quod proximum diligat.

Q. 2. Quæ peccata ex invidia oriantur.

Quæro 2. *Quæ peccata oriri ſolent ex invidia?*

Reſp. Detractio, ſuſurratio, & ſimilia, de quibus dixi ſupra *Præcep.* 8. *Decal.*

Q. 3. De Æmulatione.

Quæro 3. *An æmulatio diſtinguatur ab invidia?*

Reſp. Diſtingui. Eſt enim æmulatio triſtitia de alicujus bono, non quia ille alius bene habet, ſed quia ipſe qui triſtatur, non habet: & hæc à Confeſſariis diſtinguenda eſt ab invidia perfecta; eſt enim ordinariè æmulatio illa ſolùm venialis, qualis ſæpe eſt inter homines ejuſdem artis vel profeſſionis.

Caput V.

De Gula.

Q. 1. Quale peccatum ſit Gula.

Quæro 1. *Quale peccatum ſit Gula?*

Reſp. Cùm Gula ſit appetitus inordinatus cibi vel potus, ordinariè eſt ſolùm venialis, niſi propter gulam quis paratus ſit transgredi præceptum aliquod Dei vel Eccleſiæ, puta furari propter gulam ſatiandam, vel frangere jejunium, non ſolvere creditoribus, ut opipare & gulosè vivat.

Q. 2. Comedere vel bibere ad vomitum, non ſit p. m.

Quæro 2. *An comedere vel bibere inordinatè uſque ad vomitum, non ſit peccatum mortale?*

Reſp. Quoſdam affirmare, inter quos Angelus, V. *Munditia*, & Sylveſter, V. *Gula*. Communior tamen opinio negat. Quamvis & aliqui illorum dicant uſque ad vomitum ſe ingurgitare eſſe mortale, quando aliquis ita gulæ eſt addictus, ut evomat voluntariè ad finem iterum bibendi & comedendi, ac de novo ſe ingurgitandi, videtur enim id involvere etiam, quod ingurgitatio cum gravi ſanitatis detrimento cenſeri debeat mortalis, ſive circa nimium cibum verſetur, ſive circa potum. Quod autem aliquis ſequenti die ob potum pridianum capite multum doleat, non puto cenſeri ideo mortale ſi abſit periculum morbi gravioris.

Q. 3. quando Ebrietas ſit mortalis.

Quæro 3. *Quando ebrietas mortalis ſit?*

Reſp. Quando ſcienter quis ſe inebriat, & uſu rationis privat. Cenſetur autem ſcienter id facere, quando potuit & debuit advertere ex immoderato potu ebrietatem ſecuturam, licet eam non intenderet. Alias quando quis ignorans vim vini, omnino æſtimavit non ſecuturam ebrietatem, licet videret aliquam immoderationem, potuit eſſe venialis ſecuta ebrietas. Adverte iterum hic quoſdam ventri & gulæ deditos frequenter peccare mortaliter, licet ebrietas non ſe ſecuta; quia ſcilicet nocte dieque bibentes, aperte exponunt ſe periculo ebrietatis, parumque curant an ea ſequatur.

Q. 4. De ſigno hominis ebrii.

Quæro 4 *Quibus ſignis agnoſci poterit, an quis ebrius fuerit?*

Reſp. Si poſtridie non meminit eorum quæ egit, vel dixit; aut quomodo domum rediit, aut cubitum conceſſerit, quo duce, aut adjutore, & ſimilia, ſignũ eſt ebrietatis. Item, ſi egit aliquid quod integra mente nunquam ſolebat, v. g. jurabat, blaſphemabat, familiam perturbabat, cum alias ſoleat eſſe modeſtus, benignus: turpia agebat aut loquebatur, cùm ſoleat eſſe caſtus, ſignum etiam eſt tuſſe rationem ſopitam. Alias qui novit diſcernere inter bonum & malum, licitum & illicitum, vitare mala & eligere bona, non videtur eſſe ebrius, licet recta nequeat incedere, & domus ei verti videatur. Similiter, ſi poſſit adhuc ſolita officia utcunque exequi, etſi cum vertigine & difficultate. Ita Leſſius l. 4. c. 3. dub 4. ex Cajet. V. *Ebrietas.* Leſſ. li. 4. c. 3. d 4v

Q. 5. De provocatione ad æquales hauſtus.

Quæro 5. *Quale peccatum ſit provocare ad æquales hauſtus?*

Reſp. Si fiat animo ſe vel alium inebriandi, aut advertere facile quis poſſit in ſe vel in altero ebrietatem ſecuturam, peccatum eſt mortiferum, niſi forte juſta cauſa excuſet. Hoc addo, quia aliqui exiſtimant poſſe eſſe licitum ex cauſa alterum inebriare, vel etiam ſe. Exempli cauſa, detinetur quis à volonibus, aut ab hoſtibus, non poteſt evadere niſi illos inebriet. Item meditatur quis proditionem vel homicidium, nec poteſt averti niſi inebrietur, provocando ad æquales hauſtus, & ſe etiam ebrietatis periculo committendo. His & ſimilibus caſibus putant licitum ſe inebriare vel alterum: tum quia licitum eſt quibuſdam caſibus ſuadere vel inducere ad minus malum, ut impediatur malum juſtum: tum etiam, quia privatio uſus rationis ex potu, non eſt ita intrinſecè & per ſe peccatum, quin quandoque liceat. Nam cauſa medicinæ ad arcendum morbum, ſumere potum etiam uſque ad ebrietatem, ex præſcripto Medicorum licitum eſt; Ebrietas enim proprie eſt exceſſus in potu uſque ad privationem rationis cauſa voluptatis factus. Itaque ad vitandam mortem, cùm non ſit cauſa voluptatis, videtur poſſe quis bibere uſque ad ebrietatem, ſi aliter quis non poteſt evadere. Exempli gratia. Niſi æquali cyatho reſpondeas, provocat te alter ad duellum, vel gladio te invadet. Vide latius de his Leſſium loc. ſup. cit. Leſſ. l. cit. Q. 6. De cauponis vinã vendente ex qua ſint eligendi inebriandi.

Quæro 6 *An peccent mortaliter caupones, vinum vendentes. Ita quos ſciunt ex illo inebriandos?*

Hic caſus eſt frequens, nam illis promitur adhuc vinum in copia, cum jam proximi ebrietati cernuntur.

Reſp. Peccare mortaliter, ſi ſine incommodo petentibus denegare poſſunt, & ebrietatem eorum impedire; Etenim quando id commode vitare poſſunt nec faciunt, cenſentur cooperari & conſentire, qui non ſolum non impediunt, ſed etiam materiam

Digitized by Google

riam peccandi ſuggerunt. Quod ſi vero ſine notabili incommodo denegare non poſſunt, tunc excuſantur. Nec enim tunc facere cenſentur cauſa cooperationis, ſed vitandi incommodi cauſa, & involuntarie, nec intendunt ebrietatem illorum. Sic ancilla jubente domino, promere poteſt, licet videat inebriandum, quia ſine incommodo negare nequit. Simile eſt in aliis exemplis; auriga poteſt vehere dominum vel dominam ſuam ad locum adulterii, nec cenſetur cooperari, licet ſciat adulterium ab illis committendum in loco ad quem vehit. Naaman Syrus poterat comitari dominum ſuum ad locum idoli, & ſuſtentare adorantem. Itaque ſi caupo aut hoſpita timet querelas & rixas graves, vel convicia, juramenta & blaſphemias, ſi promere deſinat, non cenſetur cooperari ebrietati, ſi promat: Item non poterit ſolutionem impetrare convivii, niſi adhuc promat; item ad aliam tabernam ſunt ituri nec peccatum impedietur. His inquam & ſimilibus caſibus non cenſetur mortaliter peccare, quia cenſetur facere involuntarie, & res per ſe eſt indifferens, nec ſit cauſa cooperationis, ſed vitandi incommodi. Idem dic de cauponibus apponentibus cibos in die jejunii illis qui petunt cœnam: licet enim ſciant aliquos non excuſari, non cenſentur tamen cooperari, ſi ſine incommodo non poſſunt illis denegare, ut ferè ordinarie fit, atqui etiam denegando peccatum non impedient, quia alio ituri ſunt, & ibi cœnaturi.

Q. 7. An ebrio imputentur peccata quæ in ebrietate committit. V. D. Th. 2. 2. q. 3. art. 2.

Quæro 7. *An ebrio imputentur peccata quæ in ebrietate committit, putà, ſi fornicetur, ſi occidat, aut vulneret?*

Reſp. Si non fuerit culpabilis ebrietas, mala etiam ſecuta non imputantur ei ad culpam. Si vero fuit culpabilis, videndum an ſimilia ſolitus erat facere in ebrietate, puta, quia tunc rixoſus eſſe ſolet & lubricus; & tunc cum potuerit & debuerit prævidere & præcavere, imputantur ei ad culpam mortalem, tanquam voluntaria in cauſa. Si autem non ſolitus ſit ſimilia agere etiam ebrius, nec ullo modo ea potuit prævidere, non imputantur ei ad culpam novam.

CAPUT VI.
DE IRA.

Q. 1. de Ira an ſit pecc. mor.

QUæro 1. *Quando ira ſit peccatum mortale.*

Reſp. Cum ira ut in malum accipitur, ſit appetitus injuſtæ vindictæ, cenſetur mortalis ſi vindicta quam quis appetit ſit gravis, & perfecte volita: quia tunc eſt contra proximi charitatem & contra juſtitiam in re notabili.

Poteſt verò eſſe venialis ob imperfectionem actus; vel defectu voluntarii perfecti, quando motus iræ perfectum judicium rationis prævertit; vel ex parte materiæ, cum quis medicam vindictam cupit. Sic ſupra dixi iram puerorum ſeſe percutientium ſine intentione gravis læſionis, venialem ordinarie cenſeri.

Quæro 2. *An quando quis gravem quidem vindictam non appetit, tamen graviter exacerbetur interius & perturbatur, vel etiam exterius excandeſcit, & iram per ſigna & clamorem multum patefacit, an cenſeatur peccatum mortale?*

Reſp. Non cenſeri, niſi quis ita accendatur, ut paratus ſit aliquid facere quod ſit peccatum mortale: vel niſi ſcandalum grave oriatur; quod quandoque contingere poſſet in viris Eccleſiaſticis aut Religioſis.

Quæro 3. *Si omnis ira non ſit mortalis, quare Matth. 5. generaliter dicit Dominus: Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio?* *Q. 3. de illo Matth. 5. Omnis qui iraſcitur, &c.*

Reum enim eſſe judicio, apud Hebræos nihil eſt aliud quam dignum eſſe condemnatione & quidem mortis; nam illa, tanquam præcipua, dicitur abſolute condemnatio & judicium: & translata ad Tribunal Dei, deſignat damnationem æternam, ut multi interpretantur.

Reſp. Chriſtum ibi non loqui de omni ira, ſed de ea quæ tendit ad homicidium, ſive qua quis alterius mortem deſiderat. Ponit ergo tres gradus homicidii. Primus eſt ira interna mortem deſiderans. Secundus eadem ira erumpens in contumeliam, ſed leviorem. Tertius eadem erumpens in contumeliam gravem, dum non ſolum *Raca*, ſed & *Fatue* fratri dicit. In quarto eſt ipſum homicidium, aut percuſſio. *Loquitur de ira tendente ad Homicidium. D. Th. 2. 2. q. 158. ar. 3. ad 2.*

Quæro 4. *An maledictio ex ira procedens ſit ſemper peccatum mortale?* *Q. 4. An maledictio ex ira procedens ſit pec. m.*

Reſp. Cum maledictio ſit mali imprecatio, ſi quis grave malum animo deliberato alicui imprecetur, eſt peccatum mortale. Si vero in maledictionem erumpit ſolum oretenus, corde vero & voluntate non vellet illud malum quod imprecatur, peccatum eſt ſolum veniale. Quomodo frequenter parentes verba quædam maledictionis fulminant in prolem immorigeras ex ira ſubitanea, abſque voluntate mali; & ita abſque peccato mortali. Eſt tamen res periculoſa, de qua graviter & frequenter ſunt monendi.

Adverte hic quoſdam malum imprecari advertenter ipſo fervore iræ, & tunc etiam conſentire in malum, mox autem placari, & pœnitere mali imprecati. Hi quandoque ſe excuſant, quaſi graviter non peccaſſent, quia mox malum noluiſſem, inquiunt ipſi; ſed id non ſufficit, quia in morula præcedentis temporis potuit eſſe ſufficiens advertentia & conſenſus ad peccandum mortaliter; illa autem quæ ſtatim ſubſequitur pœnitentia & nolleitas, mali, indicat in peccato non fuiſſe permanentiam, non verò facit, ut non fuerit conſenſus. De quo rudes in Confeſſione examinandi ſunt, quia putant exiguum fuiſſe peccatum, eo quod non duraverit ira, aut quia malam imprecationem mox revocarint. *V. Cajet. V. Maledictio.*

Quæro 5. *Quid de contumelia, convitio, improperio, an ſemper ſint peccata mortalia?* *Q. 5. de contumelia.*

Reſp. ſi quis notabiliter intendat lædere alterius bono-

honorem, vel ex contemptu illa procedant, peccat mortaliter. Si quis verò ex ira levi aut animi levitate abſque animo inhonorandi aliquid objicit, cenſetur veniale peccatum. In peccatis verborum maxime conſideratur ex qua intentione & affectu proferantur. Si tamen advertat aliquis graviter aliquem commovendum & lædendum ex aliquibus objectis, licet forte ei non ſit animus graviter inhonorandi, poſſet mortaliter peccare; tum quia occaſionem gravius peccandi alteri dat; tum quia dum advertit alterum graviter lædi, (etiamſi non faciat eo animo) tamen actus redit in naturam ſuæ formæ, ut loquuntur Theologi.

Qu. 6. De Maledicente ſibi aliique.

Quæro 6. *Quale peccatum committunt, qui ſibi vel alteri ex ira dicunt? Maledictus dies quo ego natus ſum. Maledictus dies quo natus er. Maledictus dies quo primum unquam te vidi. Maledictus dies quo te in conjugem accepi. Maledicti qui unquam id mihi ſuaſerunt, & ſimilia?*

Reſp. Hic eſſe diſcernendum animum ejus qui ſic maledicit. Si enim maledicendo diei, intendit quis ſolum irrationabili creaturæ maledicere, ita ut intendat ſolum quod dies maledictus ſit tot malarum culparum vel pœnæ producens, ſive nativitatis ſit dies ſive conjugii, cenſetur ſolum peccare venialiter, & quandoque etiam poteſt non peccare, ut Job. Si vero per illam maledictionem intendit optare malum homini naſcenti, ſive ſibi, ſive alteri, item perſonis illo die conjugatis, ſive ſibi, ſive conjugi, peccatum mortale eſt. Unde deliberato animo id facere, vel his qui conjugium ſuaſerunt maledicere, à mortifero peccato non excuſatur. Sed cum ſæpe non intelligant proprium ſenſum verborum quæ proferunt, & ex pravo uſu magis hæc pronuncient, quam ex voluntate mali; tunc excuſationi à peccato mortali locus eſſe poterit.

Qu. 7. De indignatione.

Quæro 7. *Quale peccatum ſit indignatio, quæ dicitur filia iræ?*

Reſp. Indignatio dicitur, quando homo non vult videre eum cui irascitur, nec cum eo loqui aut converſari, quia eum indignum judicat ſua converſatione & affabilitate. Communiter autem eſt peccatum veniale, niſi ſcandalum accedat, vel caſus quo ei teneatur loqui. Poteſt vero in ſuperiore erga inferiorem fieri ex juſta cauſa correctionis, ſine peccato. Sed & indignatio poteſt creſcere uſque ad contemptum & odium proximi, & tunc eſt mortalis; de quo eſt examinandus pœnitens.

Qu. 8. De Tumore mentis.

Quæro 8. *Quale peccatum ſit tumor mentis, qui etiam recenſetur inter filias iræ.*

Reſp. Quidam vocant tumorem mentis quo ſe ipſum irascens extollit, & alteri præfert. Facit enim ira ut is qui iratus eſt, de aprehendat ut magnum, & extollat, eum vero qui offendit, ut vilem, & contemnat: quomodo & animaliain ira intumeſcunt & extollunt. Si itaque ſit perfectus in tumore contemptus, tunc peccatum mortale committitur, alias non. Alii tumorem vocant, quando irascens animum ſuum replet diverſis cogitationibus amaris, quibus apud ſe cogitat diverſas vias ſe vindicandi & habet multiplex propoſitum id perficiendi. Itaque hic tumor, quia ex gravi & diuturna ira procedit, cum viæ multæ vindictæ injuſtæ excogitantur, in re notabili graviter eſt & mortalis.

Quæro 9. *Quæ ſigna dilectionis inimico tenetur quis exhibere?*

Qu. 9. De ſignis dilectionis inimico exhibendis.

Reſp. Tenetur exhibere ſigna charitatis generalia, ex præcepto; ſigna autem particularia non tenetur, niſi ex conſilio, in præparatione tamen animi debet eſſe paratus ſubvenire ei in neceſſitate. Vide quæ dixi Horti Paſtoralis *Tom. 3 Tract. 2 in fin. Sect. 3.*

CAPUT VII.

DE ACEDIA.

Quæro 1. *Quale peccatum ſit Acedia?*

Qu. 1. Acedia quale peccatum.

Reſp. Cum Acedia ſit faſtidium ſpiritualium rerum & divinarum, ſive triſtitia, eo quod ſint res ſpirituales; ſi ſit perfecta & deliberata, mortale peccatum eſt; Sic peccat mortaliter quia triſtatur ex deliberato conſenſu voluntatis, quod creatus ſit ad gratiam, ad merita, ad gloriam. Item qui ex tædio & triſtitia rerum ſpiritualium deliberate appetit mortem, aut velle ſe nunquam fuiſſe natum, vel ſe eſſe beſtiam. Item qui ex tali triſtitia omitteret quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem. Alias facere quæ ſunt præcepti, licet cum tædio, non erit mortale, quandoque nec veniale, ſi ratio non conſentit.

Quæro 2. *Quæ vitia ex Acedia ſolent oriri?*

Qu. 2. De vitiis ex Acedia oriri ſolitis.

Reſp. Tepor, mollities, ſomnolentia, otium & cætera, de quibus *Tract. 7. Tol. a Sect. Lect. 4.*

Quæro 3. *Quæ ſint ſigna Acedia?*

Qu. 3. De ſignis Acedia.

Reſp. Vide *Tract. eund. Sect. 5.*

CONCLUSIO.

TAndem concludo hoc opuſculum Reſolutionum Paſtoralium, & Lectorem monitum opto, me frequenter hic inſinuaſſe opiniones probabiles & favorabiles; idque in gratiam Confeſſariorum, qui tenentur eas ſcire. Quia hæc non raro eos liberant à variis anxietatibus occurrentibus circa quoſdam pœnitentes ſatis difficiles, qui quandoque deterrentur nimia ſeveritate Confeſſariorum ab hoc Tribunali ſacro. Circa eos igitur quandoque ſufficit uti opinione Doctorum probabili, ita diſtante prudentia; licet ipſemet Confeſſarius contrariam probabiliorem putaret. Interim omnia quæ hic ſcripſi, S. R. Eccleſiæ judicio & cenſuræ ſubſterno; cui nunc varius errorum & beliorum turbinibus exagitatæ, inviolabilem veritatem & firmitatem à

Deo Opt. Max. promiſſam hoc voto exopto, tota cordis contentione ad eum clamans,

EXVrgat, & DiſſIpentVr InIMICI eIVs.

FINIS.

Digitized by Google

PRAXIS CATECHISTICA.

Ex Paſtorali Horto per Interrogationes & Reſponſiones digeſta.

LECTOR BENEVOLE SALVTEM IN DOMINO.

EDITO Paſtorali noſtro opere, optarunt quidam è Paſtoribus, ut tanto faciliorem viam ad catechizandum ſtratam reperirent, ſummatim per ſingulas Lectiones indicari Interrogationes quæ pueris proponi poſſent. Alii etiam Indicem Concionatorium experierunt, ut aptè ad Evangelia Dominicalia, vel ad feſta poſſint ex hoc noſtro Horto Paſtorali Concionnes ſuas adornare. Ego quia omnibus Paſtoribus, & rudioribus, & doctoribus, me debitorem initio operis profeſſus ſum, voto eorum ſatisfacio. Unde per Interrogationes & Reſponſiones breves, digeſſi ſingulas Lectiones: quas Interrogationes & Reſponſiones poterunt pueris vernaculo ſermone ſummatim tradere; ipſi verò ut docere poſſint, legere poterunt eaſdem Lectiones, & invenient ampliorem explicationem, & exemplar ex geſtis Sanctorum in fine Catechiſmi addenda: Addam & poſtea Indicem Concionum pro Dominicis & Feſtis præcipuis Anni. Vale Lector, & fruere, ac me Sacrificiis tuis commendatum habe.

CATECHISTICÆ INTERROGATIONES & Reſponſiones ex Tractatu 1. Tom. 1. Horti Paſtorum.

De Fide Christiana.

Ex Lectione prima.

I. Es tu Chriſtianus? *R.* Sum equidem per gratiam Dei.

I. Unde tibi illud Nomen? *R.* A Chriſto, qui oleo ſanctificationis me unxit.

I. Quando nomen illud acceperunt Fideles? *R.* Initio Eccleſiæ novæ in urbe Antiochena.

I. Quomodo antea vocabantur? *R.* Diſcipuli vel Fratres.

I. Quomodo adhuc? *R.* Galilæi & Nazarei, à Ieſu de Nazareth Galilæa.

I. Eſt-ne diviſio inter Chriſtianos, quod aliqui vocentur Franciſcani, alij Benedictini, alij Bernardini. *R.* Non eſt: Nam Franciſcus, Benedictus, Bernardus, ſunt Duces ad perfectionem ſub Chriſto.

I. Ad quod nos obligat nomen Chriſtianum? *R.* Ad moriendum pro Chriſto.

I. Declara exemplo. *R.* S. Sebaſtianus, S. Diaconus, S. Blandina per nomen Chriſtianum animati ſunt ad Martyrium.

Ex Lectione ſecunda.

I. Sunt ne alia obligationes Chriſtiani? *R.* Obligantur jugiter agere gratias Deo de ſua ad fidem vocatione.

I. Quid ultra? *R.* Sicut eſt hæres Nominis, ita debet eſſe imitator Sanctitatis Chriſti.

I. Quod debet eſſe ſpeculum quotidianum Chriſtiani? *R.* Vita & virtutes Ieſu Chriſti.

I. Sunt ne multi Chriſtiani? *R.* Sunt multis numero, pauci vitæ merito.

I. Quid ita? *R.* Quia pauci Chriſtum imitantur.

Ex Lectione tertia.

I. Quod eſt ſignum Chriſti? *R.* Signum Crucis.

I. Quis fructus illius? *R.* Continet profeſſionem fidei SS. Trinitatis: Item, Incarnationis & Paſſionis Filij Dei.

I. Quis ulterior fructus? *R.* Multam vim habet contra dæmonem, & ejus maleficia.

Ex Lectione quarta.

I. Quanam eſt prima virtus requiſita in Chriſtiano? *R.* Eſt Fides.

I. Quid eſt Fides? *R.* Eſt donum Dei quo firmiter aſſentimur illis quæ revelata ſunt.

I. Quæ requiruntur ad perfectam fidem? *R.* Requiritur lumen ſupernaturale ex parte intellectus.

I. Quid ultra? *R.* Pius affectus ex parte voluntatis.

I. Quomodo Deus vocat infideles ad fidem? *R.* Vocat lumine & voce interiori; vocat etiam exteriori per ſe vel per ſuos.

Ex Lectione quinta.

I. Quàm firma debet eſſe fides? *R.* Adeo firma eſſe debet, ut nullam vacillationem admittat.

I. Quid ita? *R.* Quia innititur Deo, qui eſt prima veritas, nec fallit potens, nec fallere.

I. Qui ſolum unum articulum non crederet perdit-ne fidem totam? *R.* Omnino perdit ſi ſit pertinax, quia fides debet eſſe integra.

I. Nonne ſufficit credere quæ in Scriptura continentur? *R.* Non ſufficit, ſed oportet etiam credere Traditiones Eccleſiæ.

I. Poſſetne id oſtendi exemplo? *R.* Omnino: Nam & hæreſis

hæretici nobiſcum credunt Symbolum Apoſtolorum, nec tamen habetur in Scriptura.

Ex Lectione ſexta.

I. Quod eſt peccatum oppoſitum fidei? R. Eſt hæreſis.
I. Eſt ne magnum peccatum? R. Eſt grav iſſimum.
I. Quare? R. Quia deſtruit fidem, quæ eſt primum donum Dei, & fundamentum omnium aliorum donorum.
I. Cur adhuc? R. Quia ſolet hominem deducere ad atheiſmum.
I. Sunt ne fugiendi hæretici? R. Omnino; & quidem magis quam peſte infecti.

Ex Lectione ſeptima.

I. Videnam hæreſis ſuam duxit originem? R. A maligno Cain, qui primus non credidit providentiam & judicium Dei.
I. Ex quibus vitiis oriuntur nunc hæreſes? R. Potiſſimum ex ſuperbia & libidine.
I. Quare Deus permittit hæreſes? R. Vel in punitionem peccatorum, vel ad probationem electorum.

Ex Lectione Octava.

I. Quinam ſunt fundatores fidei? R. Sunt Apoſtoli.
I. Quomodo eam fundarunt? R. Doctrina ſua, quam toto orbe intulerunt.
I. Quomodo item? R. Sanguine ſuo quo doctrinam rigarunt, & firmam fecerunt.
I. Quinam ſunt fidei fundatores in novo orbe? R. Viri Apoſtolici, illuc zelo Dei procedentes.
I. Quomodo eam fundant? R. Sicut Apoſtoli, doctrina, & ſi opus ſit, etiam ſanguine.

Ex Lectione nona.

I. Quis compoſuit Symbolum noſtrum? R. Apoſtoli.
I. Quando? R. Cum in univerſum orbem ſunt diviſi.
I. Ad quem effectum illud compoſuerunt? R. Ut ubique traderent eandem formulam credendi.
I. Compoſuerunt ne ſingul. unum Articulum? R. Non eſt id certum: ſufficit communi conſenſu omnes Articulos compoſu ſſe.
I. Quare dicitur Symbolum ſæpe eſſe recitandum? R. Quia eſt ſpeculum fidei noſtræ.
I. Valet-ne contra ſatanam? R. Omnino, eſt ſcutum contra ejus jacula.
I. Oportet-ne ſcire memoriter Symbolum? R. Oportet ſcire, & aliquo modo intelligere.

CATECHISTICÆ INTERROGATIONES & Reſponſiones ex Tractatu II.

Explicatio I. Partis Symboli.

Ex Lectione prima.

QVod eſt initium Symboli? R. Credo in unum Deum.

I. Poteſt ne cognoſci quid ſit Deus? R. Non poteſt perfectè cognoſci, nec declarari.
I. Quænam ſunt perfectiones Dei? R. Sunt infinitæ.
I. Enumera aliquas? R. Æternitas, Immenſitas, Omniſcientia, Omnipotentia, Providentia, Miſericordia, Juſtitia.
I. Quare Deus dicitur Æternitas? R. Quia ſine principio & fine ſemper fuit, ſemper erit, ſemper eſt.
I. Quare dicitur immenſus? R. Quia ubique eſt per eſſentiam, præſentiam, potentiam.
I. Quare dicitur Omniſcius? R. Quia videt & novit omnia præterita, præſentia, futura, & omnia poſſibilia.
I. Videt-ne omnes cogitationes? R. Omnino videt, uſque ad fundum cordis noſtri.
I. Quare dicitur Omnipotens? R. Quia nihil eſt impoſſibile ejus voluntati.
I. Poſſet-ne creare plures mundos? R. Poſſet infinitos.
I. In quo conſiſtit Dei providentia? R. in gubernatione omnium creaturarum, ab Angelo uſque ad vermiculum.
I. In quo iterum? R. In prædeſtinatione & reprobatione hominum.
I. Reprobat-ne aliquem Deus non previſis peccatis? R. Non.
I. In quo relucet Dei miſericordia? R. In omnibus operibus ejus, & maximè in ſalute hominum.
I. In quo ejus elucet juſtitia? R. In punitione malorum.
I. Declara exemplo? R. Impunitione Angelorum reproborum, in Diluvio, in Sodoma, & aliis ultionibus.
I. Sunt ne plures prædeſtinati quam reprobi? R. Sunt plures reprobi.

Ex Lectione ſecunda.

I. Sunt-ne plures Dei? R. Non: Sed unus eſt.
I. Cur ergo tres nominantur, Pater, Filius, Spiritus ſanctus? R. Tres ſunt Perſonæ, ſed unus eſt Deus in natura & eſſentia.
I. Declara id exemplo? R. Poteſt id declarari exemplo animæ: in illa ſunt tres potentiæ, intellectus, voluntas, memoria; unica tamen eſt anima.

Ex Lectione tertia.

I. Die primum Articulum Symboli? R. Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ.

I. Quid ſignifi at vox, Credo *? R. Significat idem quod firmiſſimè teneo, ſine ulla hæſitatione.*
I. Quid ſignificat, Credo in Deum, *R. Hæc ſolere diſtingui,* Credo Deo, Credo Deum, Credo in Deum.
I. Oſtende diſtinctionem? R. Credere Deo, eſt credere vera eſſe quæ loquitur, Credere Deum, eſt credere quia eſt. Credere in Deum, eſt credendo & ſperando pio quodam affectu in Deum ferri.
I. Quid eſt Credo in Deum Patrem? R. Per Patrem intelligitur prima perſona Trinitatis.
I. Cur eum dicis Omnipotentem? R. Omnipotentia licet communis ſit omnibus Perſonis, ſpecialiter tamen attribuitur Patri, quia eſt fons omnis originis, & principium ſine principio.
I. Cur initio Symboli ſtatim fit mentio Omnipotentiæ? R. Ut nobis ſit nihil difficile ad credendum in omnibus in illo proponendis.

Ex Lectione quarta.

I. In quo Deus primò ſuam Omnipotentiam oſtendit? R. In creatione cœli & terræ.

I. Quid

Digitized by Google

I. *Quid impulit Deum ad creandum omnia iſta?* R. *Sola ſua bonitas, quia non egebat creaturis.*

I. *Eſtne magna obligatio hominis erga Deum, ob creationem?* R. *Eſt planè magna, quandoquidem homo creatus ſit propter Deum, & alia omnia propter ipſum.*

Ex Lectione quinta.

I. *Quandonam Deus creavit Angelos?* R. *Primo die, quando creavit cœlum, nam creavit illud vacuum, ſed Angelis plenum.*

I. *Eſtne ergo magnus numerus Angelorum?* R. *Eſt ſine comparatione major numero hominum, & quaſi innumerabilis.*

I. *Eſtne numerus Angelorum qui ceciderunt magnus?* R. *Eſt magnus, quia ex omni ordine aliqui ceciderunt, & ad eorū locum homines electi evehuntur.*

I. *Præſuntne Angeli bonis mundi gubernationi?* R. *Omninò: Præſunt elementis, provinciis, templis, altaribus, civitatibus, & ſingulis hominibus.*

Ex Lectione ſexta.

I. *Quanam beneficia accipiunt homines ab Angelis cuſtodibus?* R. *Accipiunt beneficia, tam corporalia, quàm ſpiritualia.*

I. *Declara de beneficiis corporalibus?* R. *Conſervant à multis periculis vitam noſtram, & in neceſſitatibus juvant.*

I. *Declara de neceſſitatibus ſpiritualibus,* R. *Conſervant nos ne in peccata cadamus, & offerunt Deo preces noſtras. Si in peccatis agamus, ad pœnitentiam nos juvant.*

I. *Erga quòs ſpecialem proteſtionem exhibent Angeli?* R. *Erga amatores caſtitatis.*

Ex Lectione ſeptima.

I. *Quando incipiunt Angelica cuſtodiæ?* R. *Mox à nativitate noſtra.*

I. *Quamdiu durat illa?* R. *Uſque ad mortem.*

I. *An non & poſt mortem Angelum officium durat?* R. *Etiam animas poſt mortem deducunt Angeli in cœlum, vel ad purgatorium.*

Ex Lectione octava.

I. *Quando creavit Deus hominem?* R. *Sexto die.*

I. *Quomodo creavit?* R. *Ad imaginem & ſimilitudinem ſuam.*

I. *In quo conſiſtit illa ſimilitudo?* R. *In hoc quòd homo ſit ſecundùm animam incorporeus, immortalis, particeps æternitatis & juſtus.*

I. *Fuitne homo creatus cum perfectione dotium naturalium?* R. *Planè fuit creatus in perfectiſſima ſtatura, ſcientia & aliis donis, etiam cum perfecto dominio in alias creaturas.*

I. *Si homo non peccaſſet, an mortuus eſſet?* R. *Nequaquam, ſed beneficio Dei vixiſſet, & Deo ſpecialis donante vitam conſervaturus.*

I. *Quid deinde?* R. *Tempore à Deo deſtinato ad convivium Angelorum ſine morte erat tranſferendus.*

CATECHISTICÆ INTERROGATIONES & Reſponſiones ex Tract. III.

Explicatio Articulorum ſpectantium ad

SECUNDAM TRINITATIS Perſonam.

Ex Lectione prima.

I. *DE quare tractat ſecunda pars Symboli?* R. *De myſterio magno Incarnationis.*

I. *Quare vocas myſterium magnum?* R. *Quia eſt fundamentum cæterorum & myſteriorum myſterium.*

I. *Quomodo gratias egimus Deo pro hoc myſterio?* R. *Frequenter illud & piè recolendo.*

I. *Quis inde fructus?* R. *Accendatur in nobis charitas.*

Ex Lectione ſecunda & tertia.

I. *Quid neceſſe fuit Filium Dei incarnari?* R. *Quia ſine illo non potuit homo à peccato liberari.*

I. *Quid ſi homo non peccaſſet, an non fuiſſet Filius Dei incarnatus?* R. *Non fuiſſet.*

I. *Nunquid poterat aquè Pater aut Spiritus S. carnem ſumere, & hominem redimere?* R. *Poterat.*

I. *Quare ergo potius Filius id fecit?* R. *Quia congruè fuit per filium naturalem reduci filios adoptivos ad hæreditatem æternæ participationem, à qua exciderant.*

I. *Potuitne Deus magis amare mundum, quàm ut Filium ſummi genitum daret?* R. *Non potuit.*

Ex Lectione quarta.

I. *Quare potius Deus hominem peccantem liberavit, quàm Angelum?* R. *Quia natura humana infirmior Angelica, movit Dei miſericordiam.*

I. *Nunquid potuit homo liberari per Angelum?* R. *Non potuiſſet Angelus perfectam ſatisfactionem offerre pro peccatis hominum, ſicut Chriſtus.*

I. *In quo conſiſtit illa perfecta ſatisfactio?* R. *In eo quòd Sanguis Chriſti, & ejus paſſiones fuerunt infinitæ valoris.*

Ex Lectione quinta & ſexta.

I. *Potuitne magis elevari natura humana, quàm per myſterium Incarnationis?* R. *Non potuit, quia per illud deificata fuit, unita verbo.*

I. *Nunquid antiqui Patres magnè deſiderarunt hanc Incarnationem?* R. *Omnino nam Scripturæ plenæ eſt eorum ardentiſſima deſiderio.*

I. *Quare ergo tantam dilatam fuit?* R. *Quia Chriſtus voluit venire in medio ſæculorum.*

Ex Lectione ſeptima & octava.

I. *Die verba articuli ſecundi in Symbolo?* R. *Et in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum, Dominum noſtrum.*

I. *Quare facit reverentiam pronunciando nomen* JESUS? R. *Quia illud eſt nomen proprium & diviſſimum Filii Dei incarnati.*

I. *A quo*

I. A quo fuit illi impoſitum? R. A Patre æterno.
I. Nunquid Angelus illud impoſuit? R. Non: illud ſemen Mariæ & Joſepho revelavit.
I. Quare vocatur nomen ſuper omne nomen?
R. Quia continet reliqua nomina quæ Chriſto tribuuntur, & illa tranſcendit.

Ex Lectione nona & decima.

I. Quare Jeſus etiam vocatur Chriſtus? R. Chriſtus vocatur, quia unctus.
I. Quomodo unctus? R. Ob triplicem dignitatem; quia Sacerdos, quia Rex, quia Propheta.
I. Quare vocatur Chriſtus Filius Dei unicus?
R. Quia in nativitate æterna non habet fratres.
I. Nunquid & nos ſumus Filii Dei, R. Sumus per adoptionem, ſed ipſe unicus eſt per naturam.
I. Quare vocatur Dominus noſter? R. Quia ipſe ſpecialiter nos ſibi ſervos emit pretio Sanguinis ſui.

Ex Lectione undecima.

I. Dic Articulum tertium: R. Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.
I. Quando fuit conceptus? R. Poſt Angeli ſalutationem Mariæ dicentis: Ecce ancilla Domini, &c.
I. Quid opus erat Angeli nunciatione? R. Ut mens Virginis inſtrueretur de Filio, antequam in carne eum conciperet.
I. Sed cur id ſit per Angelum? R. Ut idem eſſet initium orbi reparando, quod fuit evertendo.
I. Declara iſtud: R. Angelus malus colloquio cum Eva dedit initium mortis & peccati. Angelus bonus colloquens cum Maria dedit initium vitæ & gratiæ.
I. Quare conceptio Chriſti ſpecialiter tribuitur Spiritui Sancto? R. Quia opera bonitatis ſpecialiter illi ſolent appropriari.

Ex Lectione duodecima & decima tertia.

I. Quare voluit Chriſtus naſci in Bethlehem?
R. Tum, quia erat de familia David, tum quia voluit eligere locum humilem.
I. Quare voluit reclinari in præſepio? R. Voluit hoc eſſe primum altare, in quo Patri ſe offerret.
I. Quare voluit naſci tempore pacis univerſalis?
R. Quia nomen ejus erat, Princeps pacis.
I. Quare natus eſt media nocte? R. Quia erat lux vera quæ veniebat ad illuminandas tenebras noſtras.
I. Quem in nobis effectum habet Nativitas Chriſti?
R. Perficit in nobis fidem, ſpem, & charitatem.
I. Quem iterum R. Docet nos Chriſtus natus, ex præſepio quaſi cathedra, omnem virtutem.

Ex Lectione decimaquarta & decimaquinta.

I. Quomodo dicitur ex Virgine natus? R. Quia manſit MARIA ante partum, in partu, poſt partum Virgo.
I. Fuitne Chriſti Nativitas ſine dolore Matris?
R. Imò fuit cum illius magno gaudio.
I. Oportuitne obſtetricem adeſſe Virgini parienti?
R. Nequaquam, quia partus ejus fuit facilis, & ſine ulla ſorde.

Ex Lectione decima ſexta.

I. Dic quartum Articulum: R. Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus.
I. Virnam Chriſtus ſuam inchoavit Paſſionem?
R. In horto.
I. Quare in horto? R. Ibi inceperat morbus & mors per primum Adam, ſecundus Adam ibi voluit remedium inchoare, ut redderet vitam.
I. Sudavit ne ibi Chriſtus verum & naturalem ſanguinem? R. Omninò.
I. Fuitne id factum per miraculum ſpeciale?
R. Fuit factum naturaliter ex vi maximi angoris & agoniæ.

Ex Lectione decima ſeptima.

I. Quid paſſus primò fuit Chriſtus ſub Pontio Pilato?
R. Flagellationem crudeliſſimam.
I. Quare verus crudeliſſimam? R. Ob inſtrumenta crudelia, atq; varia; cujus enim fuit virgis ſanitatis, loris, imò addunt aliqui etiam catenulis.
I. Fuitne magnus numerus ictuum? R. Quidam dixerunt revelatum ex. eſſe quinque millia.

Ex Lectione decima octava.

I. Quid ultrà paſſus? R. Coronationem acerbiſſimam, & ignominioſiſſimam.
I. Quare vocas acerbiſſimam? R. Quia nihil ea acerbius, dum ſpina penetrant carnem, & nervos capitis.
I. Quare vocas ignominioſiſſimam. R. Quia ideo talem coronam impoſuerunt, ut regnum ejus ſubſannarent.
I. Quid propterea huic ignominiæ adjecerunt? R. Arundinem, quaſi ſceptrum, & purpuream veſtem imperialis pallium.

Ex Lectione decima nona.

I. Quid poſtmodum Chriſtus paſſus eſt? R. Novos dolores in bajulatione Crucis impoſita.
I. Declara iſtud: R. Quia hoc onere graviſſimo premebantur novo cruore plateæ reſpergebat.
I. Quare vocas Crucem tam grave onus? R. Tum quia illa ponderoſa erat; tum quia in illa omnium peccata impoſita erant.
I. Quare Simon Cyrenæus juvit Chriſtum in ferenda Cruce? R. Deſignat quemlibet ferè fidelem cum Chriſto debere bajulare Crucem.

Ex Lectione vigeſima.

I. Qui fuere ulteriores dolores Chriſti? R. Hi fuere in tranſfixione manuum & pedum per acerbiſſimos clavos.
I. Quare Chriſtus voluit elevari in Crucem? R. Elegit Crucem quaſi altare in quo immolaretur.
I. Explica myſterium Crucis: R. Crux ſignificat totam perfectionem Chriſtianam.
I. Quomodo hoc? R. Pars inferior in profundo ſignificat fidem, ſublimitas ſpem, latitudo charitatem, longitudo perſeverantiam.

I. Fuit

I. Fuitne Chriſtus totus nudus in Cruce? R. Probabile eſt quòd ſic.

Ex Lectione vigeſima prima.

I. Quare Chriſtus mortitur clamans? R. Vt oſtendat ſe poteſtatem habere vitæ & mortis.

I. Quare moritur inclinato capite? R. Vt ſignificet ſe ex obedientia accepare mortem.

I. Quare ſivi mortuo voluit latus aperiri? R. Vt oſtenderet extremum cordis ſui amorem erga nos.

I. Fuitne illa lateris aperto dolorosa? R. Non fuit Chriſto, quia mortuus jam erat. Fuit verò Virgini ſub Cruce ſtanti durſſimum vulnus.

Ex Lectione vigeſima ſecunda.

I. Fuitne Chriſti ſepultura honorifica? R. Planè fuit.

I. Declara: R. Quia viri primarii & Nobiles eum ſepelierunt in ſepulchro novo, & corpus findens mundiſſima involverunt cum aromatum copia.

I. Cur voluit Chriſtus ſepulturam ſuam eſſe magnificam, cùm mors fuerit ignominioſa? R. Quia prædictum erat per Prophetam: Erit ſepulcrum ejus glorioſum.

I. In quo conſiſtit præcipua gloria ſepulchri Domini? R. In corpore quod condidit; quia illud nunquam fuit à divinitate ſeparatum.

I. In quo iterùm conſiſtit ſepulchri gloria? R. In multis miraculis ad illud omni ſæculo factis.

Ex Lectione vigeſima tertia.

I. Die quintum Articulum: Deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit à mortuis.

I. Quomodo dicitur deſcendiſſe ad inferos? R. Quia anima ejus verè & realiter deſcendit ad limbum, qui in inferiori terræ loco eſt.

I. Quare illuc deſcendit? R. Vt animas Sanctorum Patrum liberaret.

I. Cur adhuc? R. Vt poſſeſſionem caperet in inferioribus partibus terræ, & de Principe tenebrarum triumpharet.

I. Nunquid etiam deſcendit ad purgatorium? R. Etiam: Quia & inde aliquos liberavit; imò fortè omnes.

I. Deſcenditne etiam ad locum damnatorum? R. Non deſcendit; ſaltem inde nullum liberavit.

Ex Lectione vigeſima quarta.

I. Quandonam Chriſtus reſurrexit? R. Tertiâ die, & hæc erat Dominica dies.

I. Quare non ſtatim à morte reſurrexit? R. Vt verè mortuus crederetur.

I. Quot horæ interceſſerunt inter ejus mortem & reſurrectionem? R. Circiter quadraginta.

I. Quâ igitur horâ ſurrexit? R. Circa auroram diei Dominicæ.

I. Reſumpſit ne omnes partes ſui corporis? R. Reſumpſit omnes; etiam capillos variis locis ſparſos.

I. Reſumpſitne omnem Sanguinem? R. Etiam omnem reſumpſit.

I. Quid ergo dicis de Sanguine qui ſudario, lanceæ, vel Pars. VI.

clavis adhæſiſſe oſtenditur? R. Non eſt ſanguis quoad ſubſtantiam, ſed ſolùm color relictus de ſanguine.

I. Quare Chriſtus retinuit foramina vulnerum in manibus, pedibus, latere? R. Vt oſtenderet veritatem reſurrectionis, & ut Patri pro nobis æternum illa repræſentet.

Ex Lectione vigeſima quinta, & vigeſima ſexta.

I. Quem fructum habemus ex reſurrectione Chriſti? R. Fides & ſpes noſtra confirmatur, quòd ſimul cum ipſo tandem reſurgemus.

I. Quare tam frequenter & tamdiu Chriſtus poſt reſurrectionem apparuit? R. Vt firmaret fidem reſurrectionis.

I. Cui facta fuit prima apparitio? R. Virgini Matri; hoc enim poſcebant merita matris.

I. Cui ſecunda? R. Mariæ Magdalenæ, quæ maximo ardebat amore.

I. Cui tertia? R. Aliis mulieribus, unguenta ferentibus ex pietate erga Chriſtum.

I. Cui quarta? R. Petro peccatum ſuum deploranti.

I. Cui quinta? R. Diſcipulis euntibus in Emaus, & de ſe loquentibus.

I. Cui ſexta? R. Apoſtolis omnibus in cœnaculo, abſente Thoma, ac poſtmodùm iterùm octava die, illo præſente.

Ex Lectione vigeſima ſeptima.

I. Die ſextum Articulum? R. Aſcendit ad Cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris.

I. Ex quo loco aſcendit? R. Ex monte Oliveti, ubi & veſtigia reliquit terræ impreſſa.

I. Quare ex illo loco aſcendit? R. Vt illo loco inciperet exaltari, ubi maximè fuerat humiliatus.

I. Quâ horâ aſcendit? R. Circa meridiem, cùm comediſſet cum diſcipulis.

I. Quomodo aſcendit? R. Elevatis manibus benedicens diſcipulis.

I. Quis fuit triumphus aſcendentis? R. Angeli venerunt obviam Regi ſuo cum jubilo: & animas quas ſecum vehebat, ſuſcipiebant eum cum triumpho.

I. Quare aſcendit in Cœlum? R. Vt adimpleret omnia de ſe ſcripta, & illuc traheret corda noſtra.

I. Quomodo vult illa trahere? R. Per Fidem, Spem, Charitatem.

Ex Lectione vigeſima octava.

I. Die Articulum ſeptimum. R. Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.

I. Numquid unuſquiſque in morte ſubit judicium particulare? R. Certum eſt ita eſſe.

I. Quid ergo opus Chriſtum venire ut judicem in fine mundi? R. Tunc erit judicium univerſale, ut homo omnis judicetur non ſolùm in anima, ſed & in corpore.

I. Da & aliam rationem? R. Vt Chriſtus qui fuit hic reproba us ab omnibus, tunc agnoſcatur coram cœlo, mundo, & inferno.

I. Vbinam exercebitur iſtud judicium? R. Hic in inferiori mundo, in valle Joſaphat.

Ex Lectione vigeſima nona.

I. Qua ſigna antecedent iſtud judicium? R. Veniet Antichriſtus, & multos ſeduces.

I. Qui erunt præcurſores Judicis? R. Elias & Enoch, qui necdum ſunt mortui.

I. Ubi ergo modò ſunt iſti? R. Sunt in Paradiſo terreſtri, vel in regione aliqua amœna Deo cognita.

I. Quid tunc agent illi? R. Reducent multos ad pœnitentiam; & pro fide Chriſti morientur.

Ex Lectione trigeſima.

I. Quanam erunt ſigna immediatè ante judicium? R. Erunt ſigna in Sole, Luna, & ſtellis.

I. Quid acciet? R. Apparebit ſignum Crucis in cœlo.

I. Ad quem effectum? R. Vt ſit ſolatium juſtis, terror impiis.

Ex Lectione trigeſima prima & ſecunda.

I. Quinam comparebunt in judicio ultimo? R. Omnes comparebunt, etiam infantes

I. Erunt ne ſeparati boni à malis? R. Boni erunt à dextris, mali à ſiniſtris.

I. Quale fiet examen? R. Erit de omnibus peccatis, etiam occultiſſimis.

I. Erit ne etiam de operibus bonis? R. Omnia illa etiam manabuntur quæ in ſuerint, & an verè bona

I. De quibus ultimo erit examen? R. De donis & beneficiis Dei, an illis bene uſi ſimus.

Ex Lectione trigeſima tertia & quarta.

I. Quanam erit ſententia pro malis? R. Vos qui Benedicti Patris mei, percipite regnum paratum vobis à conſtitutione mundi.

I. Quinam pronunciabit? R. Chriſtus Dominus in numeris comitatus Angelis.

I. Quæ erit ſententia pro reprobis? R. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus.

I. Quæ erit maxima pœna reproborum? R. In æternum ſeparati à Deo, & ejus gloria.

I. Quid ſequetur ex illa maledictione à Deo fulminata? R. Immanes maledictiones eam ſequentur.

I. Declara id? R. Anathema maledicent; homines ſe ipſos mal dicent; corpus ſuum anima maledicet. Item cœlum & terram, ac Deum ipſum maledicent.

I. Quare ignis ille dicitur æternus? R. Quia non ad tempus aliquod ardebit, nec per myriades annorum tantùm; ſed cruciabit per infinita ſæcula ſæculorum cum deſperatione damnatorum.

I. Quare Chriſtus dicitur judicaturus vivos & mortuos? R. Per hos ſignificamus quod ſit judicaturus omnes; tam eos qui nunc vivunt, quàm eos qui mortui ſunt.

CATECHISTICÆ INTERROGATIONES & Reſponſiones ex Tract. IV.

EXPLICATIO ARTICULORUM ſpectantium ad TERTIAM TRINITATIS Perſonam.

Ex Lectione prima.

I. Die Articulum octavum. R. Credo in Spiritum Sanctum.

I. De quare agit Articulus iſte? R. De tertia perſona Trinitatis, de Spiritu Sancto.

I. Eſtne Spiritus Sanctus æqualis Patri & Filio? R. Eſt æqualis in omni perfectione.

I. Quomodo id declaras? R. Ex Eccleſiæ doctrina, quæ ubique gloriam æqualem decantat Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

I. Procedit ne Spiritus Sanctus à Patre & Filio? R. Procedit ab utroque, per modum amoris.

I. Quare Spiritus Sanctus dicitur Spiritus vivificans? R. Quia vitam ſpiritualem effiat animis noſtris, & toti Eccleſiæ.

I. Quomodo id declaras? R. Sicut corpus mortuum jacet ſine anima; ita anima mortua eſt ſine Spiritûs Sancti afflatu.

Ex Lectione ſecunda.

I. Apparuitne aliquando Spiritus Sanctus? R. Apparuit in diverſis formis.

I. Declara: R. In Baptiſmo Chriſti apparuit in forma columbæ; & ideo ita ſæpè pingitur

I. Quare in forma columbæ apparuit? R. Quia candor columbæ & ejus puritas, divina deſignant Spiritûs Sancti.

I. Quomodo adhuc apparuit? R. In forma nubis lucidæ in Transfiguratione

I. Quare in die Pentecoſtes apparuit in forma ignis & linguarum? R. Quia inſtar ignis accenderat corda & linguas Apoſtolorum, ad loquendum magnalia Dei.

Ex Lectione tertia & quarta.

I. Die Articulum nonum? R. Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem.

I. Quid intelligis per Eccleſiam? R. Congregationem omnium fidelium ſub Chriſto, & ejus in terris Vicario.

I. Eſtne Eccleſia viſibilis? R. Eſt planè viſibilis ſicut Sol.

I. Quare ergo hæretici dicunt eſſe inviſibilem? R. Quia cæci ſunt, ut intellus qui non poſſunt videre Solem.

I. Quomodo vocatur Eccleſia in Scripturis? R. Vocatur quandoque Regnum Dei Sponſa Chriſti, Hortus Sponſi, Corpus myſticum Chriſti.

Ex Lectione quinta.

I. Eſtne Eccleſia una & non plures? Eſt una ratione unitatis & fidei, & doctrinæ.

I. Qui-

Digitized by Google

I. Quinam ſcindunt hanc unitatem? R. Hæretici.
I. Quare? R. Quia diverſam doctrinam & fidem introducunt.
I. Declara. R. Non recipiunt Confeſſionem, nec extremam Unctionem, nec ſacrificium, quæ ab initio Eccleſia recepit.

Ex Lectione ſexta.

I. Quare Eccleſia dicitur, unica? R. Quia nonniſi ſanctitatem nocet, tam in fide, quàm in moribus.
I. Da & aliam rationem? R. Quia in ea ſunt ſanctificationis media. Baptiſmus & alia Sacramenta, & caput eius Sanctus Sanctorum eſt.
I. Da & tertiam rationem? R. Quia extra eam non poteſt ſanctitas reperiri, nec ſalus.
I. Nunquid unuſquiſque ſalvari poteſt in ſua fide? R. Nequaquam poteſt: ſed ſicut extra arcam non poterat eſſe ſalus, ita nec extra Eccleſiam Catholicam.

Ex Lectione ſeptima, octava & nona.

I. Quare vocas Eccleſiam Catholicam? R. Quia extendit ſe ad omnes gentes, & omnia regna.
I. Explica id plenius. R. Nullum eſt regnum, nulla gens nobis cognita, quæ religionem & fidem Eccleſiæ Catholicæ vel non habeat adhuc, vel non habuerit, vel modò non incipiat habere.
I. Quare vocas Eccleſiam Apoſtolicam? R. Quia ab Apoſtolis fundata, & doctrinâ & ſanguine.
I. Quare dicitur Eccleſia Romana? R. Quia Romana mater eſt omnium Eccleſiarum, cui Chriſtus primatum dedit.

Ex Lectione decima.

I. Quid eſt: Credo Sanctorum communionem? R. Hoc eſt: Credo quòd Sancti & juſti inter ſe communicationem habeant ſpecialem, ſicut membra ejuſdem corporis.
I. Da & alium ſenſum? R. Hoc eſt: Credo in Eccleſia eſſe communionem Sanctorum, ſive rerum ſanctarum.
I. Quæ ſunt illæ res ſanctæ, in quibus communicamus? R. Sanguis redemptionis, Sacramenta, dona gratiæ, verbum Dei.
I. Eſtne etiam in Eccleſia communicatio bonorum operum? R. Omninò: Nam cùm ſimus membra ejuſdem corporis, ſi quis orat, aut jejunat, non ſolum ſibi orat, vel jejunat; ſed omnibus orat vel jejunat.
I. Declara ſimilitudine: R. Apta eſt ſimilitudo membrorum: dum auris audit, oculus videt, os comedit, toti corpori inde fructus redundat.
I. Habentne mali etiam fructum in hac communione Sanctorum? R. Habent aliquem.
I. Offendis? R. Quia bonis ſuis precibus ſæpè illis impetrant gratiam. Item propter ſocietatem cum bonis ſæpè evadunt offenſiones & vindictam Dei.
I. Habentne anima purgatorii fructum ex hac communione? R. Omninò: Quia cùm ſint membra vivæ nobis conjuncta per eandem Fidem, Spem, Charitatem, juvantur ſatisfactionibus noſtris.

Ex Lectione undecima & duodecima.

I. Die Articulum decimum? R. Credo remiſſionem peccatorum.
I. Eſtne aliquod peccatum adeò grave, quòd non ſit remiſſibile? R. Nullum eſt.
I. Quare? R. Quia miſericordia Dei, & gratia, ac Sanguis Chriſti eſt efficacior qualibet peccato.
I. Poteſtne eſſe tantus numerus peccatorum, ut illi non detur remiſſio? R. Nequaquam, ſi modò adſit illorum contritio.
I. Quare ergo peccata in Spiritum Sanctum dicuntur irremiſſibilia? R. Quia cùm obſiſtant gratiæ Spiritus S. per malitiam, vix contingit quòd illorum deliciatur contritio.
I. Poteſtne unum peccatum mortale remitti ſine alio? R. Non poteſt.
I. Quare? R. Quia remiſſio peccati eſt amicitiæ cum Deo redintegratio; unus autem peccato mortali manente, non poteſt quis eſſe in gratia aut amicitia Dei.
I. Poteſtne quis certo ſcire ſibi remiſſum peccatum? R. Non poteſt infallibili certitudine, niſi ex ſpeciali revelatione.
I. Quomodo ergo habebit pacem conſcientiæ? R. Sufficit ad hoc probabilia habere teſtimonia, quæ non deſunt his qui faciunt quod in ſe eſt.
I. Poteſtne homo juſtus certus eſſe de ſua perſeverantia? R. Non poteſt, niſi ſpeciali revelatione.

Ex Lectione decima tertia.

I. Die Articulum undecimum? R. Credo carnis reſurrectionem.
I. Quid intelligis per carnis reſurrectionem? R. Reſurrectionem corporum, quando iterùm anima illis jungentur.
I. Quomodo poterit corpus in cinerem redactum reſurgere? R. Hoc facile eſt Dei omnipotentiæ.
I. Da aliquod hujus rei ſymbolum in rebus naturalibus? R. Granum ſeminatum corrumpitur, putreſcit, & emoritur; poſtmodum repullulat, reviviſcit, & rejurgit.

Ex Lectione decima quarta.

I. Erimus idem numero corpus? R. Erit planè idem, quamvis mutatum in qualitatibus.
I. Quomodo mutatum?
R. Quia corpora glorioſa habebunt qualitates & dotes gloriolas.
I. Quæ ſunt illæ? R. Impaſſibilitas, claritas, agilitas, ſubtilitas.
I. In qua ætate reſurgemus?
R. In ætate perfecta, in qua Chriſtus reſurrexit.
I. In qua ſtatura?
R. In ſtatura quam unuſquiſque habiturus eſſet decenter in flore ætatis.
I. Quare dicis decenter?
R. Quia nulli erunt ibi Gigantes vel pygmæi, nulli gibboſi aut claudi.

I. *Nulli-ne ergo pueri reſurgent? R. Non reſurgent pueri, ſed in ætate perfecta.*

Ex Lectione decima quinta.

I. *Quomodo fiet hæc reſurrectio? R. Fiet in voce Archangeli, quæ erit Tuba Dei.*

I. *Ad quem finem canet Tuba? R. Ut Angeli mox ſint parati ad colligendos cineres mortuorum.*

I. *Quid deinde? R. Mox illam audient qui in monumentis ſunt, tanquam vocem virtutis Dei.*

I. *In quo loco fiet reſurrectio? R. In loco ubi major pars corporum mortuorum jacebit, illinc & reliqua partes adducentur ab Angelis.*

I. *Quo tempore fiet reſurrectio, die an nocte? R. Veriſimile eſt quod hora matutina, qua Chriſtus reſurrexit.*

Ex Lectione decima ſexta.

I. *Die Articulum undecimum.* R. Credo vitam æternam.

I. *Quare hic Articulus ponitur ultimus? R. Quia vita æterna eſt finis noſter, & præmium quod ultimo per fidem expectamus.*

I. *Sunt-ne omnes creati ad illam vitam æternam? R. Omnes planè: quia Deus neminem creavit ut eum damnaret.*

I. *An igitur omnes pervenient ad vitam æternam? R. Non omnes.*

I. *Quare non omnes? R. Quia non omnes ſequuntur viam, & media ipſis à Deo præſcripta.*

I. *Erit-ne igitur defectus Dei vel gratiæ ejus? R. Nequaquam.*

I. *Unde ergo defectus? R. Ex parte cooperationis liberi arbitrij.*

Ex Lectione decima ſeptima & ultima.

I. *In quo conſiſtit vita æterna? R. Conſiſtit primò in Dei clara viſione.*

I. *Nihil-ne præter Deum in Cœlo videbimus? R. Videbimus omnia myſteria, omnes perfectiones Dei, & in ipſo tanquam ſpeculo, creaturas.*

I. *Quid ex hac viſione ſequitur? R. Amor & fruitio æterna Dei, cum ineffabili gaudio.*

I. *Quid ex amore & fruitione ultra ſequitur? R. Laus & canticum perenne, qui non finietur in ſæcula ſæculorum.*

I. *Quare non finietur? R. Quia viſio, amor, & gaudium non finietur, ex quibus laus reſultat.*

Finis ex Parte I. Horti Paſtorum.

CATECHISTICÆ INTERROGATIONES ET Reſponſiones ex Parte II. Horti Paſtorum, ex Tract. I.

DE SPE. II.

VIRTUTE THEOLOGICA.

Ex Lectione prima, ſecunda & tertia.

QUa eſt virtus Chriſtiano neceſſaria poſt fidem? R. Eſt Spes.

I. *Quid eſt Spes? R. Eſt expectatio certa beatitudinis, proveniens ex gratia Dei & meritis noſtris.*

I. *Quos effectus in nobis producit Spes? R. Dat vires ad currendam viam Dei.*

I. *Quid ultrà? R. Conſolatur mirè animam in afflictione.*

I. *Quid denique? R. Tollit omnem anxietatem in morte.*

I. *Quomodo opponitur ſpei mundanæ? R. Quod illa falſa ſit, & in fine hominem deſerat in anxietate.*

Ex Lectione quarta & quinta.

I. *Quare dicis quod Spes ſit certa expectatio beatitudinis? R. Quia juſta certitudine quadam præſolantur futura bona.*

I. *In quo fundatur illa certitudo? R. In promiſſione Dei, qua nobis promiſit beatitudinem, & auxilium ad ſuperandum omnia obſtacula ad illam.*

I. *Quare dicis quod ſpes proveniat ex meritis noſtris? R. Quia licet primariò ſpes ſit fundata in gratiâ Dei, requiruntur tamen & opera à nobis quibus ſpem noſtram certam faciamus.*

I. *Sunt-ne ergo opera noſtra æterna vitæ meritoria? R. Omnino ſunt.*

I. *Licet-ne operari bene intuitu mercedis æternæ? R. Planè licet.*

I. *Licet-ne fidere in meritis? R. Licet fidere in illis, non tamen ſunt à nobis, ſed ut à divina gratia operante in nobis.*

Ex Lectione ſexta & ſeptima.

I. *Quomodo tandem confirmatur ſpes noſtra? R. Per perſeverantiam finalem.*

I. *Unde provenit donum perſeverantiæ? R. Provenit à Deo & eſt ſpeciale donum.*

I. *Quare? R. Quia quo illud habet, à Deo electus eſt, & finaliter non excidet.*

I. *Poſſunt-ne dari aliqua ſigna hujus doni & electionis divinæ? R. Sunt ea quæ probabilia ſigna hujus electionis.*

I. *Enumera aliqua? R. Rebus divinis delectari, contemnere mundum & mundana, ſuſpirare ſæpe ad æterna.*

I. *Repugnat-ne timor ſpe? R. Non, ſed ordinatè ei jungitur.*

I. *Quomodo, cùm ſpes dicat certitudinem, timor verò incertitudinem? R. Spes dicit certitudinem ex parte divini auxilij; timor autem reſpicit infirmitatem ex parte hominis inconſtanter, & difficiliter auxilio cooperantis.*

Ex Lectione octava & nona.

I. *Quænam ergo opponuntur Spei? R. Deſperatio & Præſumptio.*

I. *Eſt-ne deſperatio grave peccatum? R. Eſt inter graviſſima & periculoſiſſima.*

I. *Quare? R. Quia repugnat omnipotentiæ & miſericordiæ Dei, ac efficaciæ Sanguinis Jeſu Chriſti.*

I. *Quare dicitur periculoſiſſimum peccatum? R. Quia exponit hominem omnibus peccatis.*

I. De-

Digitized by Google

I. Declara istud? R. Eo quod hoc solet esse vox desperantium: Si damnandus sum, quid vereor peccare & sui omni cupiditate.

I. Quomodo Præsumptio opponitur Spei? R. Per excessum sicut desperatio per defectum.

I. Declara id: R. Quia homo per præsumptionem in sola Dei misericordia fidens, audax fit ad peccandum abjecto omni timore.

I. Quænam est vox præsumentium? R. Deus est bonus & misericors, licet peccem & impleam omnia desideria mea, tandem dimittit omnia peccata mea.

I. Licet-ne sub spe misericordiæ differre pœnitentiam? R. Non licet; quia hæc spes sæpissimè est fallax.

CATECHISTICÆ INTERROGATIONES & Responsiones ex Tractatu II.

DE ORATIONE.

Ex Lectione prima & secunda.

QUæ est præcipuus actus spei? R. Est Oratio.

I. Quid est Oratio? R. Est mentis in Deum elevatio, qua bona precamur, vel mala depelli optamus, vel Deum benedicimus.

I. Est-ne Oratio bona in omni loco? R. Planè est.

I. Quare ergo nunc ruimus ad templa, ut ibi oremus? R. Quia illa loca specialiter sunt consecrata, ut sint domus orationis.

I. Est-ne orationi Deo gratior in illis locis? R. est gratior.

I. Quare? R. quia fit in præsentia Christi Mediatoris in Sacramento.

I. Cur adhuc? R. Quia dum oramus communi consortio in templo, ejaculantur nostræ preces per spiritum Ecclesiæ.

Ex Lectione tertia.

I. Est-ne orandum omni tempore? R. Ita.

I. Quomodo potest hoc fieri? R. Quia ore, vel opere Deum debemus omni tempore benedicere.

I. Quomodo opere? R. Referendo in Deum omnia opera nostra, sic enim benedicimus, & quadamodo ejus oramus.

I. Quod est tempus maximè opportunum ad orandum? R. Tempus vespertinum & matutinum.

I. Quare matutinum? R. Oratio mactet & tergit tenebras, & aperit fenestras divino lumini.

I. Quare vespertinum? R. Oratio vespertina claudit cordis fenestras, infernas tenebras.

I. Quid agendum vespertino tempore? R. Examinanda est conscientia, & de culpa admissis petenda venia.

I. Quid ultra? R. Agenda gratia de acceptis eo die beneficiis.

I. Quid agendum matutino tempore? R. Agenda gratia pro protectione nocturna.

I. Quid ultra? R. omnia dies illius cordialiter offerenda Deo.

Ex Lectione quarta, quinta, sexta & septima.

I. Quod tempus est postulans à nobis preces publicas & particulares? R. Tempus afflictionis publicæ.

I. Quod vocas tempus afflictionis publicæ? R. Quando flagella Dei in plebem inundant.

I. Quæ sunt illa? R. Pestilentia, fames, bellum.

I. Habet-ne vim Oratio ad illa avertenda? R. Habet maximam si fit cum pœnitentia conjuncta.

I. Cur dicis, si fit pœnitentia conjuncta? R. Quia illa oriuntur ex peccatis, & ideo pœnitentia requiritur, ut illa avertantur.

I. Quod est inter flagella Dei gravissimum? R. Est bellum.

I. Quare? R. Quia omnis generis scelera solet secum vehere.

I. Da & secundam rationem? R. Quia plurimi in bello morientes in æternum pereunt.

I. Da & tertiam? R. Quia solent secum vehere alia duo flagella, pestem & famem.

Ex Lectione octava.

I. Quæ sunt conditiones requisitæ ad bonam orationem? R. Sunt multæ.

I. Dic primam? R. Debet primò fieri cum mentis attentione & cordis affectu.

I. Unde tot distractiones in oratione? R. Partim ex miseria naturæ & prava nostra consuetudine, partim ex satanæ suggestione.

I. Quia si non sint voluntariæ? R. Tunc non impediunt fructum orationis.

I. Dic secundam conditionem orationis? R. Debet fieri cum humili diffidentia sui, & firma in Deum fiducia.

I. In quo fundatur illa firma fiducia? R. In misericordia Dei & meritis JESU Christi.

I. Dic tertiam conditionem? R. Debet fieri cum perseverantia.

I. Quid ista? R. Eo quod Deus sæpe statuit non exaudire nisi diu multumque Rogatus.

I. Quare hoc? R. Ut probet patientiam nostram, & ut agnoscamus tanto magis nostram miseriam.

INTERROGATIONES ET RESPONSIONES ex Tractatu I II.

DE ORATIONE DOMINICA.

Ex Lectione prima.

I. QUæ est excellentissima omnium orationum? R. Oratio Dominica.

I. Quare? R. Quia illam Dominus JESUS Sapientia Patris composuit.

I. Quinam eam primò didicerunt? R. Apostoli ex ejus ore.

I. Quare eam docuit Apostolos? R. Ut haberent formam orandi, quam aliis traderent, duraturam usque in finem sæculi.

Digitized by Google

I. *Quare voluit eſſe adò brevem? Ut nemo quamlibet rudis excuſaretur ab ea memoriter tenenda.*

I. *Oportet ne eam ſcire vernaculo ſermone? R. Præſtaret eam à rudibus dici vernaculo ſermone, ut mentem ad attentionem excitarent.*

I. *Quot continet Petitiones? R. Septem.*

I. *Quid in illis ſeptem continetur? R. Quicquid poſſumus à Deo petere.*

Ex Lectione ſecunda.

I. *Dic prima verba orationis Dominicæ?* R. Pater noſter qui es in Cœlis.

I. *Ut quid ſic incipit, hac oratio? R. Ut attentionem & fiduciam filialem excitet in nobis.*

I. *Quare Deus dicitur*, Pater noſter? *Propter creationem, redemptionem, juſtificationem glorificationem.*

I. *Quare non dicis*, Pater mi, *ſed* Pater noſter? *R. Ut ſignificetur nos omnes eumdem habere Patrem in Cœlis, & pro omnibus tanquam fratribus orationem eſſe.*

I. *Numquid Deus eſt ubique? R. Eſt ubi ſua per præſentiam, eſſentiam, potentiam.*

I. *Quare ergo dicis*: Qui es in Cœlis. *R. Ib ſpecialiter adeſſe, quia ibi declarat gloriam ſuam.*

I. *Quid ultra monemur illa verba*: Qui es in Cœlis? *R. Levare oculos corporis & mentis ad cœleſtia.*

Ex Lectione tertia.

I. *Dic primam Petitionem? R.* Sanctificetur nomen tuum.

I. *Quid hic petimus? R. Æterni Patris noſtri honorem & gloriam; hoc primo loco debent petere filij.*

I. *Quomodo ſanctificatur nomen Dei? R. Laudes ejus decantando, quod debent facere homines ad imitationem Angelorum.*

I. *Quomodo rurſus ſanctificatur? R. Meditando cum reverentia cordis, ejus ſanctitatem, bonitatem, amorem.*

I. *Da & alium ſanctificandi modum? R. Prædicare nomen ejus fidelibus vel infidelibus.*

I. *Qui ſunt qui maximè ſanctificant nomen Dei? R. Qui pro nomine Dei & Chriſti perſecutiones patiuntur & martyria.*

I. *Quomodo illud ſanctificant boni & ſimplices Chriſtiani? R. Pronunciando cum reverentia nomen Dei, omnia referendo ad gloriam nominis ejus.*

I. *Qui ſunt qui inhonorant nomen Dei? R. Blaſphemantes, vel jurantes ſine cauſa.*

Ex Lectione quarta.

I. *Dic ſecundam Petitionem:* R. Adveniat regnum tuum.

I. *Quid per hanc petimus? R. Petimus primò regnum gratiæ, quo Deus modò regnat in nobis*

I. *Quomodo regnat in nobis? R. Per dona Spiritus ſancti, per pacem interiorem, per conſcientiæ ſecuritatem.*

I. *Quid ultra petimus?* R. *Regnum æternæ gloriæ, quod nobis ſervatur tanquam filiis.*

I. *Quibus modis illud aſſequamur? R. Variis enumerantur modis.*

I *Dic illos? R. Aliqui violenter rapiunt, alij mercantur, aliqui furantur, alij ad illud compelluntur.*

I. *Quinam rapiunt? R. Qui per varias auſteritates & Pœnitentias ſibi & cæteris viam quandam inferunt.*

I. *Quinam mercantur? R. Qui opes ſuas pro illo paupertate elargiuntur.*

I. *Quinam furantur? R. Qui bona in occulto faciunt, ut regnum illud ad ſe attrahant.*

I. *Quinam ad illud compelluntur? R. Qui variis neceſſitatibus & oppreſſionibus affliſti, patienter ferunt, & ad Deum referunt.*

Ex Lectione quinta.

I. *Dic tertiam petitionem?* R. Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra.

I. *Quid per hanc petimus? R. ut mandata ejus & conſilia evangelica adimpleamus.*

I. *Quid ultra? R. Petimus omnem Dei voluntatem & beneplacitum in nobis adimpleri*

I. *Tenemur ne velle omne quod Deus vult? R. Tenemur velle ſub ea ratione qua vult.*

I. *Quare? R. Quia tenemur approbare rationes divinæ voluntatis.*

I. *Quare petimus fieri voluntatem Dei ſicut in cœlo & in terra? R. Quia noſtra obedientia, ut ſit perfecta debet imitari obedientiam Angelorum.*

I *Quomodo iſti illi? R. Sicut Angeli mirè & perfectè, promptiſſimè & infatigabiliter obediunt voluntati Dei ita debemus & non quo ad poſſumus.*

I. *Quomodo quis perfectionem aſſequetur? R. Si in omnibus ſe Dei voluntati conformet, etiam in adverſis.*

Ex Lectione ſexta & ſeptima.

I. *Dic petitionem quartam?* R. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie

I. *Quid per panem hic intelligitur? R. Quicquid neceſſarium eſt ad vitæ ſuſtentationem.*

I. *Quare dicis*, Da nobis hodie? *R. Quotidie petendus eſt ille panis, & in illo fidendum quis dare poteſt.*

I. *Nonne etiam hic petimus panem ſpiritualem animæ? R. Omnino, & quidem præcipuè.*

I. *Quis eſt ille panis? R. Quicquid animam reficit.*

I. *Declara in particulari? R. Verbum Dei, ſive auditum, ſive lectum, oratio, inſpirationes, dona Spiritus ſancti, omnia iſta panis ſunt animæ.*

I. *Quis eſt præcipuus animæ panis? R. Euchariſtia quæ dicitur*, Panis Angelorum.

I. *Non-*

Digitized by Google

I. Nunne & illum hic petimus? R. Omnino, quia illo maximè egemus.

I. Sed quomodo poteſt dici panis quotidianus? R. Quia quotidiè illum olim ſumebant Fideles, & quotidiè decet nos ſpiritualiter illum edere.

Ex Lectione octava.

I. Dic quintam petitionem? R. Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

I. Quid hic petimus? R. Remiſſionem peccatorum noſtrorum.

I. Quorum peccatorum, venialium-ne an mortalium? R. Utrorumque.

I. Quomodo venialium? R. Quia cùm ſine his vitam tranſigere nequeamus, etiam per hanc orationem nobis remittuntur.

I. Qua via illa adhuc remittuntur? R. Per aſperſionem aquæ benedictæ, per piam manſionem pectoris, per ſacrificij frequentationem.

I. Quomodo mortalia hac oratione nobis poſſunt remitti? R. Quia hac petitione poſſumus in nobis excitare contritionem per quam delentur.

I. Quare peccata vocantur debita? R. Quia coram Deo nos reos & debitores æterna pœnæ reddunt, ſi ſint mortalia.

I. Quare additur: Sicut & nos dimittimus, &c. *R. Quia Deus non dimittit nobis, niſi & nos ex cordibus noſtris fratri nos offendenti dimittamus.*

I. Quare dicit: Dimitte debita noſtra? *R. Quia non ſolum debet quis orare pro ſuis peccatis, ſed & pro aliorum.*

Ex Lectione nona.

I. Dic ſextam petitionem; Et ne nos inducas in tentationem.

I. Poſſumus-ne eſſe liberi ab omni tentatione in hac vita? R. Imò è contra hac vita non eſt niſi tentatio ſuper terram.

I. Declara id? R. Quia nullus ſtatus quamlibet ſacer ab illa exemptus, nec ullus locus ſecurus.

I. Poſſes-ne id ſtendere exemplis? R. Omninò; nam & Chriſtus ipſe tentatus fuit, & Sanctiſſimi Viri; ab omni tetæ occaſione ſemoti in deſerto.

I. Quare ergo petimus; ut non inducamur in tentationem? R. Petimus per id, ne à tentatione ſuperemur, ad quod neceſſaria eſt gratia.

I. Eſt-ne aliquando bonum pati tentationes? R. Eſt ſæpè utile.

I. Quomodo id? R. Ad cognoſcendam propriam infirmitatem ſervit tentatio, & ad nos humiliandum.

I. Ad quid ulteriùs? R. Ad augmentum meriti, dum reſiſtimus viriliter.

Ex Lectione decima.

I. Qua ſint remedia contra tentationes? R. Sunt multiplicia.

I. Enumera aliqua? R. Primum eſt fervens oratio ad Jeſum Chriſtum, & refugium ad eius vulnera.

I. Dic ſecundum? R. Refugium ad B. Virginem, & ad ejus ubera.

I. Dic tertium? R. Refugium ad Sanctos, maximè ad eos qui ſimiles paſſi ſunt tentationes.

I. Dic quartum? R. Meditatio noviſſimorum; mortis, judicij, inferni.

I. Dic quintum? R. Frequentatio Sacramentorum.

I. Dic ſextum? R. Fortis reſiſtentia in initiis tentationis.

I. Dic ſeptimum? R. Fuga & reſciſſio occaſionum.

Ex Lectione undecima.

I. Dic ultimam petitionem? R Sed libera nos à malo.

I. Quid per hoc petimus? R. Petimus primò liberari ab hoſte maligno.

I. Quomodo ſic intelligis? R. Quia hic eſt malus per excellentiam, omnis auctor malitiæ.

I. Numquam ne poteſt fieri bonus? R. Non.

I. Quare non? R. Quia ita eſt in malo obſtinatus, ut ab inſtato peccet & continuò, per totam æternitatem ſit peccaturus.

I. Quid ultra petimus hic? R. Liberari ab ejus membris, quæ membra ſunt mali omnes.

I. Quare dicuntur ejus membra? R. Quia influit in eos malitiam tanquam caput.

I. Qui ſunt qui adhærent eius capiti? R. Subd[illegible]

I. Quinam ſpectant ad linguam ejus? R. Blaſphemi & juratores.

I. Quinam ad dentes? R. Detractores.

I. Quinam ad aures? R. Qui deſcriptionibus vel turpiloquiis delectantur.

I. Quinam ad collum? R. Hæretici & Hæreſiarchæ.

I. Quinam ad manus? R. Injuſti & Raptores.

I. Quinam ad ventrem? R. Guloſi & Luxurioſi.

I. Quinam cordi ejus venenato adhærent? R. Qui in invidia, & odio ſunt obſtinati.

I. Quinam ad pedes? R. Qui facilè ad malum omne currunt.

I. Quid denique petimus hac ultima petitione? R. Liberari ab omni genere mali.

I. Quomodo hoc? R. A malo pœnæ & culpæ, à malis præteritis, præſentibus, & futuris; à malis hujus vitæ, & à malis Purgatorij & inferni.

I. Quare finitur oratio per verbum, AMEN? *R. Hæc eſt clauſula, qua concluduntur omnes orationes, idemque ſignificat quod* FIAT.

INTERROGATIONES ET RESPONSIONES *ex Tractatu IV.*

DE SALUTATIONE ANGELICA.

Quæ incipit; AVE MARIA.

Ex Lectione prima.

I. IN quo locas ſpem tuam poſt Chriſtum? *R. In patrocinio Virginis Mariæ.*

I. Qua

I. *Quare?* R. *Quia eſt mater & Mediatrix noſtra.*
I. *Eſt-ne Mater juſtorum, an peccatorum?* R. *Eſt Mater utrorumque.*
I. *Quomodo Mater peccatorum?* R. *Quia illos educit à peccato, & reconciliat Filio.*
I. *Quomodo Mater juſtorum?* R. *Quia illos fovet & nutrit lacte gratiæ, ſicut peccatores lacte allicit miſericordiæ.*
I. *Qui habet devotionem erga Virginem Mariam, poteritne perire?* R. *Is qui habet veram & ſolidam devotionem erga illam, non poterit perire.*
I. *Quare?* R. *Quia non poteſt excludi à numero Filiorum Dei, qui eſt de Filiis Mariæ.*
I. *Quid vocas veram & ſolidam devotionem erga illam?* R. *Quæ imitationi virtutum ejus conjuncta.*
I. *Eſt-ne ſatis quotidie Roſarium perſolvere, ut dicatur quis Filius devotus Virginis?* R. *Non: ſi permanet talis in peccatis.*
I. *Quid ergo ultrà?* R. *Oportet imitari ejus pietatem, puritatem, caſtitatem.*
I. *Quid ergo faceret talis exiſtens in peccatis, debet-ne relinquere Roſarium?* R. *Non: ſed debet rogare, ut Virgo impetret ſibi contritionem, & converſionem.*

Ex Lectione ſecunda.

I. *Quæ eſt oratio Virgini gratiſſima?* R *Salutatio Angelica.*
I. *Eſt-ne Angelus illius auctor?* *Non eſt.*
I. *Quare ergo dicitur Angelica?* R *Quia illius prima pars Angelus ore ſuo prompta, licet auctor fuerit Spiritus ſanctus.*
I. *Eſtne antiqua illa oratio?* R. *Eſt planè ab initio naſcentis Eccleſiæ.*
I. *Quare dicta eſſe gratiſſimam Virgini?* R. *Quia renovat gaudium quod habuit Angelo nunciante incarnationem Filii.*
I. *Quam utilitatem ex illa percipimus?* R. *Protectionem contra ſatanam & Virginis favorem.*
I. *Quot ſunt partes illius orationis?* R. *Sunt tres.*
I. *Qua eſt prima?* R. Ave gratia plena, Dominus tecum. *Hæc Angelus pronunciavit.*
I. *Qua eſt ſecunda?* R. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.
I. *Quis iſtud dixit?* R *S. Eliſabeth repleta Spiritu ſancto.*
I. *Qua eſt tertia?* R. Sancta Maria, ora pro nobis peccatoribus, &c.
I. *Quis hoc addidit?* R. *Eccleſia à Spiritu ſancto edocta.*

Ex Lectione tertia.

I. *Quid ſignificat vox illa prima,* Ave? R. *Idem eſt quod* Salve, gaude, lætare.
I. *Quare ad gaudium Maria excitatur?* R. *Quia ineffabilis gaudij eſt materia Filij ejus Incarnatio.*
I. *Dic in verſis literis?* R. Ave, & Eva.
I. *Quid per hoc ſignificatur?* R. *Quod Maria Evæ opponatur, & ejus gaudium ac benedictio Evæ dolori & maledictioni.*
I. *Quid ſignificat nomen* Maria? R. *Idem eſt quod* Stella Maris.
I. *Oſtende quàm hoc aptè illi quadret?* R. *Quia licet nobis in mari hujus ſæculi tenebroſo inſtar ſideris.*
I. *Quomodo dicitur,* Gratia plena? R. *Quia habet excellentiſſimam gratiam ſuper omnes Angelos, & ſuper omnes Sanctos.*
I. *Habuit-ne illam ſemper?* R. *Omnino habuit à ſua conceptione, quamvis & gratia donis ſemper adaucta ab Incarnatione Filij.*
I. *Quid eſt,* Dominus tecum? R. *Hoc eſt, ſpecialis Dei aſſiſtentia omnia ſua beneficia complet.*
I. *Quanam eſt ſpecialis illa aſſiſtentia?* R. *Eſt aſſiſtentia totius Trinitatis.*
I. *Declara?* R. *Quia Pater eſt cum illa tanquam filiæ: Filius cum illa tanquam Matre: Spiritus ſanctus cum illa tanquam Sacrario ſuo.*

Ex Lectione quarta.

I. *Quare dicitur,* Benedicta tu in mulieribus? R. *Quia electa inter omnes mulieres, ut conciperet Filium Dei.*
I. *Cur adhuc?* R. *Quia ſuſtulit maledictum, quod mulier prima intulit.*
I. *Debet-ne Maria benedici ab omni mulierum ſtatu?* R. *Omnino & ſpecialiſſimè.*
I. *Quare debet benedici à mulieribus in conjugio?* R. *Quia illis ſolet impetrare benedictionem pro prolibus.*
I. *Quare à Virginibus?* R. *Quia impetrat benedictionem pro caſtitate.*
I. *Quare à Viduis?* R. *Quia illis impetrat ſolatium & protectionem.*

Ex Lectione quinta.

I. *Quid eſt,* Benedictus fructus ventris tui? R *Chriſtus* Jesus *eſt benedictus, & omnis benedictionis auctor.*
I. *Quare Jeſus dicitur fructus ventris Mariæ?* R. *Quia ſicut ſine læſione ex arbore fructus exoritur: ita ſine corruptione Chriſtus ex Virgine.*
I. *Da & aliam rationem?* R. *Quia Jeſus fructus eſt vitæ quem Maria nobis dedit, oppoſitus illi fructui mortifero quem Eva nobis protulit.*
I. *A quo eſt benedictus ille fructus?* R. *A Deo ſecundùm naturam humanam, à ſeipſo ſecundùm divinam.*
I. *A quibus in æternum eſt benedicendus?* R. *Ab Angelis, ab hominibus, ab omnibus creaturis.*
I. *Quam benedictionem exſpectamus ab eo?* R. *Temporalem, ſpiritualem, æternam*
I. *Quomodo illam conſequemur?* R. *Si & nos ſi benedixerimus ex tota anima, ex toto corde.*

Ex Lectione ſexta.

I. *Qua eſt concluſio orationis ad Virginem?* R. Sancta Maria

Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis noſtræ.

1. *Quando adjecta Eccleſia hanc clauſulam?* R. *in Concilio Epheſino contra Neſtorium, qui negabat Mariam eſſe Deiparam.*
1. *Quomodo hæreſis iſta condemnatur?* R. *Ex ore infantium Mariam Matrem eſſe Dei decantantium.*
1. *Quare dicimus*, Ora pro nobis peccatoribus nunc? R. *Quia quotidie, & ad pulſum cujuslibet horæ decet hanc orationem Virgini præſentare.*
1. *Ad quid hoc juvat?* R. *Ut meminerimus nos qualibet hora divino egere auxilio, quod per Mariam impetramus.*

Ex Lectione ſeptima.

1. *Quare additur*, Et in hora mortis noſtræ? R. *Quia tunc maximè egemus auxilio Mariæ.*
1. *Quare tunc maximè?* R. *Quia hoſtis urgentiſſimè nos premet, ut in deſperationem inducat.*
1. *Quid juvabit nos tunc Maria?* R. *Ipſa lucem & ſolatium præbebit contra mortem & hoſtem.*
1. *Quid poſtmodum?* R. *Ipſa felicem obitum impetrabit nobis.*
1. *Quid poſtremò accipiemus à Maria?* R. *Jeſum benedictum fructum ventris ſui, nobis poſt hoc exilium oſtendat.*
1. *Poteſne hæc declarare exemplis?* R. *Plurimis. Nam S. Antonio, S. Mariæ Ogniacæ, S. Nicolao Tolentino, & aliis innumeris adfuit in morte.*

CATECHISTICÆ INTERROGATIONES & Reſponſiones ex Tractatu V.

DE INDULGENTIIS.

Ex Lectione prima & ſecunda.

1. *Quid eſt indulgentia?* R. *Eſt relaxatio pœnæ peccatis debitæ ex theſauro Eccleſiæ.*
1. *Declara iſtud?* R. *Quia in Sacramento Pœnitentiæ non ſemper delentur tota pœna peccatis debita; ſed aliquid manet vel hic, vel in purgatorio ſolvendum.*
1. *Undenam habet indulgentia vim relaxandi illas pœnas debitas?* R. *Ex theſauro ſatisfactionum Chriſti & Sanctorum.*
1. *Ubi eſt ille theſaurus?* R. *Eſt in præſentia Dei ſemper exiſtens.*
1. *Quomodo iſtud?* R. *Quia Chriſtus cùm tot tormenta tolerarit, & tamen peccatum non habuerit, voluit pro nobis ſatisfactiones ſuas, & Deus illas pro nobis reſervat.*
1. *Exſt-ne unquam exhauſtus ille theſaurus?* R. *Non erit.*
1. *Cur non?* R. *Quia Chriſti ſatisfactiones infiniti ſunt pretij non ſolùm pro toto mundo ſufficientes, ſed & pro pluribus mundis, ſi eſſent.*
1. *Quis habet clavem hujus theſauri?* R. *Summus Pontifex.*

1. *A quo iſti illi data?* R. *A Chriſto Domino.*
1. *Quando?* R. *Quando Petro dedit claves Regni Cœlorum: tunc enim & illas dedit ſuis ſucceſſoribus.*
1. *Pertinet-ne poteſtas dandi indulgentias ad claves Regni Cœlorum?* R. *Omnino.*
1. *Declara?* R. *Quia removet pœnæ obligationem, quæ erat impedimentum, ne ingrederemur Regnum.*
1. *Fuit-ne ab initio Eccleſia uſus indulgentiarum?* R. *Fuit: licet non ita frequens.*
1. *Quare non ita frequens?* R. *Quia Chriſtiani non ita tunc egebant.*
1. *Quare non?* R. *Quia vix peccabant, & peccata levia magnis pœnitentiis expiabant.*
1. *Quomodo id poſſes declarare?* R. *Pro uno peccato mortali ſeptem annis pœnitentia injungebantur.*

Ex Lectione tertia.

1. *Poteſt-ne Pontifex pro libitu dare indulgentiam?* R. *Non poteſt.*
1. *Quid ergo requiritur?* R. *Cauſa legitima.*
1. *Quare dicis requiritur?* R. *Quia eſt ſolum diſpenſator, & ideò debet diſpenſare ſecundum voluntatem Domini.*
1. *Quæ eſt voluntas Domini?* R. *Ut ex juſta cauſa relaxatio detur pœnarum, ne id potius diſſipatio quàm diſpenſatio cenſeatur.*
1. *Annon ergo omnes indulgentiæ ſunt certæ?* R. *Non ordinariè debemus judicare illas certas, & benè datas.*
1. *Quare?* R. *Quia debemus judicare Pontificem non dare ſine juſta cauſa, & in illis non errare.*

Ex Lectione quarta.

1. *Quæ diſpoſitio requiritur ad lucrandum indulgentiam?* R. *Requiritur primò ut quis adimpleat opera injuncta.*
1. *Quæ ſint eſſe illa?* R. *Oratio, jejunium, eleemoſyna & ſimilia.*
1. *Debent-ne fieri illa in ſtatu gratiæ?* R. *Non eſt omnino neceſſe, quamvis ſit conſultius.*
1. *Nonne igitur requiritur ſtatus gratiæ ad lucrandam indulgentiam?* R. *Ultimum opus in quo indulgentia percipitur debet fieri in ſtatu gratiæ.*

Ex Lectione quinta.

1. *Juvant-ne indulgentiæ animas defunctorum?* R. *Certum eſt quod ſic.*
1. *Juvant-ne animas beatas, vel damnatas?* R. *Non juvant.*
1. *Quare non?* R. *Quia utraque ſunt incapaces indulgentiarum.*
1. *Declara?* R. *Quia Beata non habent debitum ullum: damnata habent debitum inſolubile.*
1. *Quomodo juvantur animæ in Purgatorio?* R. *Per modum ſuffragij.*
1. *Quid hoc ſignificat?* R. *Nos offerimus de theſauro Eccleſiæ ſatisfactionem, ut Deus eis ſuffragetur.*

Digitized by Google

I. *Non ergo prodest eis infallibiliter? R. imò, quia promisit Christus acceptare hanc satisfactionem.*

I. *Quid si anima pro qua oramus non sit in Purgatorio? R. Tunc nec fraudamur merito nostro, & magis indigentiæ applicatio.*

Finis ex Tomo secundo.

CATECHISTICÆ INTERROGATIONES & Responsiones ex Tomo III. Tract. I.

DE CHARITATE,

Tertia Theologica Virtute.

Ex Lectione prima.

I. *QVæ est tertia virtus maximè necessaria Christiano? R. Est Charitas.*

I. *Quare vocas maximè necessariam? R. Quia est prima inter virtutes & dona Dei.*

I. *Potest-ne fides & spes esse sine charitate? R. Potest.*

I. *Potest-ne charitas esse sine fide & spe? R. Non potest; imò non sine gratia Dei.*

I. *Quicunque habet charitatem, erit-ne salvus? R. Quicunque moritur in charitate erit salvus.*

I. *Quare? R. Quia, qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

I. *Quid sunt aliæ virtutes sine charitate? R. Sunt sicut corpus sine anima.*

I. *Quare hoc? R. Quia sunt mortuæ sine charitate, & per charitatem vivificantur.*

Ex Lectione secunda.

I. *Quid est Charitas? R. Est virtus, qua diligimus Deum super omnia, & proximum sicut nos ipsos.*

I. *Quid est diligere Deum super omnia ex toto corde? R. Est potius velle perdere omnia quam amorem Dei.*

I. *Potest-ne quilibet amare Deum super omnia? R. Æque potest rudis & idiota, ac sapiens & doctus.*

I. *Quemodo dignoscerepossumus, an Deum toto corde diligamus? R. iisdem signis, quibus judicamus, an amicum verè diligamus.*

I. *Quæ sunt illa? R. Amicum diligimus, si de illo sæpè cogitamus, si donum, munus, colloquium ejus amamus, & secreta ei aperimus.*

I. *Est-ne idem de Deo? R. Eatè idem.*

I. *Declara? R. Si de eo cogitamus libenter, ejus domum, Ecclesiam frequentamus, ejusque mensam in Communione, cique cor aperimus in confessione, tunc eum amamus.*

I. *Qui sunt qui maximè sibi se amare ostendunt? R. Qui pro eo mori parati sunt, sicut martyres.*

Ex Lectione tertia.

I. *Quare tenemur amare etiam proximum? R. Quia est viva imago Dei.*

I. *Da & aliam rationem? R. Quia sanguine Filii Dei emptus est, & à Deo dilectus.*

I. *Da & tertiam? R. Quia sumus membra ejusdem corporis, & fratres ejusdem Patris ac Matris.*

I. *Quid est diligere illum sicut seipsum? R. Est bonum ei desiderare sicut sibi-ipsi, eique succurrere sicut vellet quid sibi fieri, & omnem felicitatem ei exoptare.*

I. *Quomodo patefacit vera charitas nostra erga proximum? R. Si non solùm verbo, sed & opere & veritate eum juvemus, si infirmitates ejus supportemus.*

I. *Quomodo audimus? R. Si gaudeamus in ejus prosperis, & compatiamur in ejus adversis.*

I. *Quemodo maximè amamus? R. Si quantum in nobis est, à viis erroris & peccati eum reducere conemur.*

I. *Tenemur-ne inimicum diligere? R. Tenemur.*

I. *Quomodo, cùm solùm dicatur proximus diligendus? R. Nomine proximi non solùm intelligitur amicus, sed omnis homo qui aliqua ratione nobis est conjunctus.*

I. *Qua ratione nobis inimicus est conjunctus? Est frater ab Adamo, est frater & in Christo.*

I. *Qua signa dilectionis tenemur inimico exhibere? R. Tenemur ei subvenire saltem in necessitate; tenemur & pro eo orare quando pro omnibus oramus.*

EX TRACTATV II.

DE DECEM PRÆCEPTIS Decalogi.

Ex Lectione prima.

I. *PEr quem dedit nobis Deus præcepta Decalogi? R. Per Moysen.*

I. *Ubinam dedit? R. In monte Sinai, cum igne, tempestate, & fulgure.*

I. *Quare cum his signis terribilibus voluit dare? R. Ut ad illorum observationem strictam populum commoveret.*

I. *Ubinam primò scripta sunt hæc præcepta? R. In tabulis lapideis.*

I. *Quis ea scripsit? R. Digitus Dei.*

I. *Tenenturne Christiani omnes hæc Præcepta meritò servare? R. Tenentur saltem substantiam illorum servare.*

I. *Quare? R. Quia sunt ea ipsa regula, quam quisque professus in Baptismo.*

I. *Quemodo potest quis facilius ea observare? R. Si coram oculis suis ea sæpè proponat tanquam speculum vitæ.*

I. Quæ-

Digitized by Google

I. *Quomodo tanquam ſpeculum vitæ? R. Quia in illo conſpiciendæ eſt facies conſcientiæ noſtræ, an maculoſa ſit an pura.*
I. *Quæ ratione id fiet? R. Examinando an ea obſervaverimus, an verò ab eis receſſerimus.*
I. *Sunt-ne hæc præcepta omnibus obſervatu poſſibilia? R. Sunt poſſibilia, immò & facilia.*
I. *Quomodo facilia? R. Quia mandata ejus gravia non ſunt cum auxilio ejus & gratia.*

Ex Lectione ſecunda.

I. *Quis eſt fructus legis Decalogi? R. Coercere homines à malo tanquam frænum.*
I. *Quis ſecundus fructus? R. Inſtigare ad bonum tanquam calcar.*
I. *Quis fructus tertius? R. Benedictio ſpiritualis & temporalis.*
I. *Quomodo id intelligis? R. Quia promiſit Deus benedictionem obſervantibus præcepta, maledictionem tranſgredientibus.*
I. *In quo conſiſtit illa benedictio? R. In conſcientiæ tranquillitate & ſuavitate.*
I. *In quo externa? R. In bonorum temporalium copia, & aliis externis bonis.*
I. *Quis eſt ultimus fructus obſervationis Decalogi? R. Vita æterna.*
I. *Quomodo hoc oſtendis? R. Ex verbis Chriſti. Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.*
I. *Quid ſervat Deus tranſgreſſoribus? R. Maledictionem & mortem æternam.*

CATECHISTICÆ INTERROGATIONES & Reſponſiones ex Tractatu III

DE PRÆCEPTIS PRIMÆ TABULÆ.

Ex Lectione prima.

I. Dic primum Præceptum? R. Ego ſum Dominus Deus tuus: Non habebis Deos alienos coram me, &c.
I. *Quid nobis mandatur hoc Præcepto? R. Deum adorare, & illi ſoli ſervire ſervitute perfecta.*
I. *Quare tenemur illi ſervire? R. Ratione creationis, conſervationis, redemptionis, & infinitis aliis titulis.*
I. *Eſt-ne ſatis eum adorare? R. Non: ſed ultra oportet per fidem, ſpem, & charitatem perfectam in eum tendere.*
I. *Quinam peccant contra hoc Præceptum? R. Qui in fide vacillant, vel errant.*
I. *Qui ulteriùs? R. Qui corde fidem retinentes, ore negant ob metum mortis.*
I. *Qui adhuc? R. Qui hæreticos libros legunt.*

Ex Lectione ſecunda.

I. *Eſt-ne ſuperſtitio prohibita per hoc Præceptum? R. Eſt omnino.*
I. *Quos vocas ſuperſtitioſos? R. Qui verbis certis vel aliquid operari ultra naturam.*
I. *Oſtende exemplum? R. Qui habent verba vel chartas, quibus ſanant febres & alios morbos.*
I. *Da & alios? R. Qui habent ſcripta, quibus putant ſe non poſſe vulnerari.*
I. *Peccant-ne tales graviter? R. Peccant mortaliter poſt monitionem.*
I. *Eſt-ne licitum ferre Agnum Dei benedictum? R. Omnino eſt licitum.*
I. *Quare? R. Quia Eccleſia hoc inſtituit contra maleficia.*
I. *Eſt-ne licitum ferre Evangelium S. Ioannis? R. Eſt licitum quando id fit ex pietate.*
I. *Eſt-ne licitum per cribrum velle deprehendere furem? R. Non eſt licitum, ſed eſt diabolicum.*
I. *Eſt-ne licitum fidem ponere in ſomniis? R. Non eſt licitum, ſed eſt vaniſſimum.*
I. *Quale peccatum committunt, qui per artes attrahunt puellas ad amandum? R. Graviſſimum mortale, quia eſt maleficium.*
I. *Eſt-ne licitum ligaturis impedire matrimonium? R. Eſt etiam id abominabile maleficium.*

Ex Lectione tertia.

I. *Quid prohibetur quando dicitur:* Non facies tibi ſculptile? *R. Prohibentur idola.*
I. *Prohibentur-ne imagines Dei aut Sanctorum? R. Nullatenus, immò has honorare pium eſt.*
I. *Ad quid ſerviunt imagines? R. Ad inſtructionem rudium & ad excitationem piorum.*
I. *Quomodo excitantur pij per imagines? Ad imitationem Sanctorum & ad honorem eorum.*
I. *Declara id exemplo? R. Chriſtus miſit imaginem ſuam Regi Abdagaro.*
I. *Da & aliud? R. Chriſtus impreſſit imaginem ſuam linteo Veronicæ, & ſindoni ſepulchri.*
I. *Quare id fecit? R. Vt tanquam pietatis pignora hæc in Eccleſia cuſtodirentur.*

Ex Lectione quarta.

I. *Prohibetur-ne cultus reliquiarum? R. Non prohibetur.*
I. *Quare? R. Quia reliquiæ ſunt pignora ſacra Patronorum quibus debemus cultum.*
I. *Vnde hoc probas?*
R. Quia Angeli honorarunt etiam reliquias & corpora Sanctorum.
I. *Oſtende id?*
R. Angeli corpus S. Catharinæ ſepelierunt cum honore.
I. *Da & aliud exemplum?*
R. Angeli corpori S. Clementis ſacellum ædificarunt in medio maris.
I. *Nunquid & Deus vult Sanctorum oſſa honorari?*
R. Planè vult, quia cuſtodit oſſa eorum reſuſcitanda in gloria.
I. *Quinam abhorrent à reliquiis?*
R. Dæmones, & eorum inſtinctu hæretici.

I. Quare dæmones? R. Quia ad præsentium reliquiarum jactationem ejecti sunt à corporibus obsessis.

Ex Lectione quinta & sexta.

I. Dic secundum præceptum: R. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.

I. Est ne aliquando licitum juramentum? R. Est licitum si habeat tres conditiones.

I. Quæ est prima? R. Vt sit cum veritate.

I. Quæ est secunda? R. Vt sit de re licita.

I. Quæ tertia? R. Vt sit ex justa causa.

I. Quale peccatum est falsum jurare? R. Est peccatum mortale, Deo injuriosum maximè.

I. Quare hoc? R. Quia invocatur tanquam falsus testis.

I. Si quis juret alterum occidere, tenetur ne juramento? R. Non tenetur, quia juravit illicitum.

I. Quale peccatum est sine necessitate jurare? R. Est peccatum veniale.

Ex Lectione septima.

I. Est ne licitum dicere. Hoc est tam verum, quàm Deus? R. Nunquam est licitum.

I. Quare? R. Quia nihil debet cum Deo comparari, nec aliquid potest esse tam verum, quàm Deus.

I. Est ne licitum dicere, eamne me juras, si non dico verum? R. Non est licitum, sed est juramentum execrabile.

I. Quinam peccant contra hoc præceptum? R. Quicunque juramenta falsa non servant.

I. Qui adhuc? R. Qui Deum vel Sanctos blasphemant.

I. Dic & alios: R. Qui per ea quæ, per mortem, per sanguinem Christi juravit.

I. Qui ulterius? R. Qui sem, et in ore diaboli vel Deum habent, pestem, vel mortem.

I. Quid de illis qui faciunt vota Deo, aut Sanctis? R. Peccant hæreticaliter si non adimpleant.

I. Declara magis particulariter? R. Sic multi vovent peregrinationes & postea non adimplent.

I. Quid si quis diu differat cum voluntate adimplendi? R. Etiam tunc peccat, nisi excusetur necessitate.

I. Vide hoc probari? R. Qui vir pravus est. Votum veveris Domino, ne moreris reddere.

Ex Lectione octava.

I. Dic tertium Præceptum Decalogi? R. Memento ut diem Sabbathi sanctifices.

I. Quando inceptæ observatio Sabbati? R. Ab initio mundi.

I. Declara? R. Quia tunc benedixit Deus diei septimo, & sanctificavit illum.

I. Quare? R. Quia in illo ab omni opere cessavit.

I. Numquid Mosi primò datum fuit illud præceptum? R. Fuit tunc renovatum, & strictiori præcepto sancitum.

I. Quare renovatum? R. Quia tempore idololatriæ & Ægyptiæ servitutis quodammodo oblivioni erat traditum.

I. Quomodo strictiori præcepto sancitum? R. Quia pœna mortis adjecta fuit.

I. Quemodo ostendis valde strictum fuisse præceptum? R. Quia ne quidem modo licebat eibos coquere.

I. Quare fuit Sabbatum mutatum in Dominicam? R. In memoriam resurrectionis Christi, quæ in Dominica fuit.

I. Est ne observatio diei Dominicæ antiqua? R. Est planè ab Apostolis.

I. Quemodo id ostendis? R. Quia S. Joannes dicit se fuisse in spiritu in Dominica die.

I. Habetne illa dies adhuc aliam mysteria? R. Habet plurima.

I. Ostende: R. Fuit dies primus creationis, fuit & dies Nativitatis Christi, fuit & dies Pentecostes, ex hoc dicitur dies Dominicus, quia Dominum sua canum.

I. Quare dies Sabbati est sacra Virgini? R. Quia manet illo die in exhibenda fide, alias omnibus vacillantibus.

Ex Lectione nona.

I. Quomodo oportet sanctificare diem Dominicum? R. Est multiplex modus cum quo differendi.

I. Dic primum modum: R. Gratias agendo actio & oratio specialis debet illo die fieri.

I. Pro quibus beneficiis debet fieri gratiarum actio? R. Pro beneficiis totâ hebdomadâ acceptis.

I. Dic secundum modum sanctificandi: R. Confessione peccatorum, vel saltem contritione, maximè sanctificatur dies iste.

I. Dic tertium: R. Audiendo devotè sacrificium Missæ.

I. Dic quartum: R. Sacram Communionem percipiendo, quod solebant olim fideles singulis Dominicis.

I. Dic & alios modos: R. Audiendo verbum Dei vocando piis operibus, abstinendo à peccatis &c.

Ex Lectione decima.

I. Quinam peccant contra hoc præceptum? R. Omnes qui festum non bene agunt.

I. Dic aliquos: R. Primò Nobiles, qui totos fere dies festos venationi impendunt.

I. Quos secundo loco numeras? R. Domicellas, quæ totum tempus matutinum ornatui dare in summo.

I. Quos tertio loco recenses? R. Mercatores computi majori maxima parte diei vacantes.

I. Dic & alios? R. Opifices & plebei ebrietati in festo studiosè genter.

I. Quid de choreis diebus festis? R. Illis vacare non est festum ut oportet agere & servare.

I. A quo dicuntur choreæ originem? R. A demone, seu serpente.

I. Quare? R. Quia sicut ille, sic & illi, qui choreas ducunt, circumtus solum facere.

I. Quare maximè prohibentur choreæ? R. Ob periculum lasciviæ, quod solet intermiscere.

Hic

INTERROGATIONES ET RESPONSIONES ex Tractatu IV.

DE PRÆCEPTIS SECUNDÆ TABULÆ.

Ex Lectione prima.

I. Dic quartum præceptum. R. Honora patrem & matrem ut vis longævus super terram.

I. Quid intelligis per honorem illum debitum? R. Reverentiam & amorem cum obedientia.

I. Quem amorem ei debemus, quamnam reverentiam? R. Interiorem & exteriorem.

I. Quæ sunt exteriorem & interiorem? R. Quia non sufficit quòd eos non oderis, sed oportet solatium & amorem eis exhibere.

I. Qui sunt quem hic deficiunt? R. Qui asperè & torve eos respexerunt.

I. Qui adhuc? R. Qui infirmitates & defectus eorum non supportant.

I. Quam obedientiam ei debemus? R. Obedientiam promptam in eis quæ non sunt contra Deum.

I. Debemusne solum eis obedientiam? R. Debemus eis & justam attentionem in necessitate.

I. Quamdiu debet durare obedientia & amor parentum? R. Usque ad mortem & post mortem.

I. Quomodo post mortem? R. Quia oportet eorum ultimam adimplere voluntatem.

I. Quomodo adhuc? R. Oportet honorabilem eis sepulturam providere, & pias operibus juvare.

I. Quinam contra hos peccant? R. Qui bona relicta dissipant, & parentum vix meminerunt.

I. Qui adhuc? R. Qui libris impedunt executionem voluntatis eorum.

I. Quam benedictionem habent filii obedientes? R. Temporalem, spiritualem, & æternam.

I. Quomodo temporalem? R. Promittitur eis vita longa in terra.

I. Quid ulterà? R. Felicitas quoque in filiis & prole, si contingat ineant.

I. Quomodo spiritualem? R. Quia multiplicem gratiam à Deo, cujus vicem gerunt parentes, impetrant.

I. Quomodo æternam? R. Quia benedictio illa data obedientiæ permanebit usque ad novissimum diem.

I. Quam malè dictionem incurrunt filii inobedientes? R. Temporalem, spiritualem quoque, & æternam.

I. Declara. R. Quia abbreviantur vitam ante tempus, & quidem infœlicitèr.

Ex Lectione secunda.

I. Per patrem hic intelligiturne solùm corporalis? R. Non solùm, sed & spiritualis.

I. Qui sunt patres spirituales? R. Pastores, Confessarii & Sacerdotes.

I. Ad quid obligamur erga illos? R. Eos honorare & amare, eorumque monitis obtemperare.

I. Quid ulterà? R. Pro ipsis orare, & de illis bene loqui.

I. Quinam peccant contra eos? R. Qui illis vel quamvis veram defectum divulgant & amplificant.

I. Qui maledictio ipsum obtinget? R. Eadem quæ Cham, juxta Noë, qui verecundiæ attentavit Patrem.

I. Debeturne honor malis Sacerdotibus? R. Debetur propter Christum quem representant.

I. Ejus Benedictio à Sacerdotibus exspectanda? R. Omninò, quia illam dant in persona Christi.

Ex Lectione tertia & quarta.

I. Quinam ulterà intelliguntur per patres? R. Seniores, & omnes Superiores, tam spirituales, quàm temporales.

I. Debemusne illis obedientiam? R. Debemus Senioribus propter ætatem reverentiam, debemus Superioribus propter potestatem obedientiam.

I. Quos vocas Superiores? R. Magistros, Dominos, Principes, Magistratus.

I. Quinam peccant contra eos? R. Qui vel contemnunt, vel malè de ipsis loquuntur, aut irridunt.

I. Ad quid tenemur Superiores erga subditos? R. Eos instruere, corrigere, & bonum exemplar dare.

I. Quomodo peccant hoc in re Domini? R. Coram ipsis jurando, illicita ipsis mandando, ad vindictam, furta, & similia, eos instigando.

I. Quomodo, peccant famuli & ancillæ erga heros? R. Contemptum de illis loquendo, & quæ domi sunt, divulgando.

Ex Lectione quinta.

I. Die quintum præceptum? R. Non occides.

I. Quid hic prohibetur? R. Omne homicidium, & injusta sanguinis effusio.

I. Quare dicis injusta? R. Quia quandoque est licitum occidere.

I. Declara. R. Potest in judice, in bello justo.

I. Estne homicidium grave peccatum? R. Est gravissimum, inter ea quæ fiunt in proximum.

I. Declara. R. Quia dicitur clamare in cœlum.

I. Quare hoc? R. Quia sanguis injustè effusus attraxit de cœlo vindictam.

I. Quomodo hoc ostendis? R. In sanguine Abelis clamante coram Cain.

I. Quomodo iterum ostendis gravitatem homicidii? R. In spectaculo remorsus, qui semper sequitur homicidam.

I. Quomodo id declaras? R. In Cain, qui nullibi erat tutus.

I. Potestne manere occultum homicidium? R. Deus solet illud propalare, homicidâ nihil cogitante de eo.

I. Quale homicidium est maximum? R. Eorum, qui nobis maximè sanguine sunt conjuncti, ut est pater, frater, &c.

I. Potestne quis quandoque interficere licitè seipsum? R. Non potest.

I. Potestne quis sibi optare mortem? R. Potest ex justa causa.

I Quænam eſt juſta cauſa? R. Si operetur à Deo, propter Deum, ut quis ſit liber à peccatis.

I Quandonam eſt illi citum mortem ſibi optare? R. Ex impatientia, & ſperatione, aut alia paſſione inordinata.

Ex Lectione ſexta & ſeptima.

I. Quinam peccant contra hoc præceptum? R. Quicunque procurant abortum.

I Qui adhuc? R. Matres, quæ licèt non intendant vel procurent, tamen ſunt cauſa.

I. Quomodo poſſunt eſſe cauſa? R. Per nimiam intemperantiam, per nimiam iracundeſcentiam, per nimis gravia onera.

I Quomodo mariti in hoc poſſunt peccare? R. Nimiâ ſævitia uxores gravidas tractando.

I. Quæ adhuc mulieres hic peccant? R. Quæ per negligentiam infantes in lecto ſuffocant.

I. Qui poſtremò cenſentur hic peccare? R. Quicunque habent vel vitam, vel odia in proximum.

I. Eſtne licitum duellum inter Nobiles? R. Nullo modo eſt licitum, ſed omnibus Chriſtianis eſt abominandum.

I Quare? R. Quia eſt interitus corporum & animarum.

Ex Lectione octava.

I. Die ſextum præceptum: R. Non mœchaberis.

I. Quid hic prohibetur? R. Omne peccatum immunditiæ & fornicationis.

I. Quare illud eſt deteſtandum? R. Quia violat in nobis templum Spiritûs ſancti.

I. Da & aliam rationem: R. Quia & membra noſtra ſunt membra Chriſti, & ideo non debent ſervire contaminationi.

I. Quinam injurius eſt, qui hoc peccatum committit? R. Conſecrationi & Unctioni acceptæ in Baptiſmo & Confirmatione.

I. Da & aliam rationem cur hoc peccatum ſit fugiendum? R. Ob turpitudinem & ignominiam quam ſecum vehit.

I. Da & tertiam: R. Ob tormenta conſcientiæ aſperrimè pòſt torquentem.

Ex Lectione nona.

I Eſtne adulterium gravius fornicatione? R. Eſt multò gravius.

I. Quare? R. Quia violat matrimonium, & injuriam facit Sacramento.

I. Eſtne adulter perjurus? Eſt, quia violat fidem juratam.

I. Quæ alia mala ſequuntur ex adulterio? R. Turbatio pacis domeſticæ, incertitudo prolis, odia, homicidia.

I. Quinam ſunt adulterorum pœnæ? R. Excluſio à regno, & gehennæ ignis in futuro.

I. Quæ in præſenti? R. Maledictio parentum & prolium in vindictam paterni criminis.

I. Quæ ulterius? R. Olim apud Judæos lapidatio erat decreta adulterio.

Ex Lectione decima & undecima.

I. Quæ ſunt aliæ ſpecies hic prohibitæ? R. Inceſtus, Stuprum, Sacrilegium, Raptus, peccatum contra naturam.

I. Quid eſt inceſtus? R. Eſt commixtio inter conſanguineos, vel affines.

I Quid eſt ſtuprum? R. Eſt violenta virginis defloratio.

I. Quid eſt ſacrilegium? R. Eſt commixtio cum perſona Deo ſacra, vel etiam commixtio quarumlibet perſonarum in loco ſacro.

I Quid eſt raptus? R. Eſt cùm perſona vi abducitur in aliquem locum cauſa libidinis.

I Quid eſt peccatum contra naturam? R. Eſt peccatum pollutionis voluntaria, vel peccatum Sodomiticum.

I Suntne hæc gravia peccata? R. Sunt gravi ſſima.

I. Quomodo id declaratur? R. Ex vindicta divina ſuper Sodomam & Gomorrham.

I Quæ fuit illa vindicta? R. Ignis & ſulphur, totimq; reg onis amœniſſima vaſtatio abominanda.

Ex Lectione duodecima.

I. Die ſeptimum præceptum: R. Non furtum facies.

I Eſtne furtum peccatum mortale? R. Eſt mortale in re notabili.

I Quomodo id oſtenditur? R. Quia dicit Apoſtolus quòd fures & rapaces Regnum Dei non poſſidebunt.

I. Quare hoc peccatum dicitur periculoſum? R. Quia quis ſemel eſt illo implicatus, non poteſt ſe extricare.

I. Quam obligationem ſpecialem habet hoc peccatum? R. Habet obligationem reſtitutionis.

I Quare? R. Quia non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.

I. Damnanturne multi propter hoc peccatum? R. Damnantur plurimi.

I Quare hoc? R. Quia multi fraudant alios, & licèt poſtèà pœniteant, non reſtituunt.

I. Quare multi antè divites, poſtèà ſunt pauperes? R. Hoc eſt ſpecialis Dei permiſſio.

I Quomodo hoc? R. Quia ſæpè contingit quod nimis citò & non tam juſtis modis diſcedunt.

I Quæ homines ſolet deducere ad paupertatem? R. Bona aliena commixta propriis.

I. Suntne plures ſpecies furti? R. Sunt plures.

I Enumera aliquas? R. Eſt furtum ſimplex, eſt rapina, eſt ſacrilegium.

I. Quid eſt furtum ſimplex? R. Eſt occulta acceptio, & detentio rei alienæ.

I Quid eſt rapina? R. Eſt acceptio violenta rei, præſente Domino.

I. Quid eſt ſacrilegium? Eſt acceptatio rei ſacræ, vel etiam rei non ſacræ de loco ſacro.

I. Quid ultrà hoc nomine furti intelligitur? Omne injuſtum lucrum, aut injuſta negotiatio.

Ex Lectione decima tertia.

I. Quinam hoc præceptum tranſgrediuntur? R. Magni & parvi, & omnes fere ſtatûs homines; pauperes & divites.

I. Quare id dicis de magnis? R. Quia ſæpè Principes variis exactionibus plebem injuſtè onerant.

I. Quid dicis de Magiſtratibus? R. Illi bona publica malè adminiſtrant, & in proprium commodum.

I. Quid

I. *Quid de Officiariis?* R. *Illi rapaces eſſe ſolent, & ſanguiſuga plebis.*

I. *Quid de Iudicibus, Advocatis, Procuratoribus?* R. *Ipſi exorant litigantes, & injuſta ſæpè exigunt ſtipendia.*

I. *Declara furta in privatis familiis?* R. *Mercatores ſuſtentant familias jam injuſtis lucris.*

I. *Quid de filiis familias, ſervis, ancillis?* R. *Filij à parentibus, famuli & ancilla multa corradunt ab heris.*

I. *Oſtende furta inter plebeios?* R. *Artifices ſunt fraudulenti in ſuis operibus, & operarij in ſuis dictis.*

I. *Quid dicis de agricolis?* R. *Invadunt mutuò terminos agrorum, defraudant decimas, defraudant & heres.*

I. *Quid dicis de pauperibus?* R. *Hi ſub ſpecie pauperitatis multa committunt furta.*

Ex Lectione decima quarta.

I. *Dic octavum Præceptum?* R. Non falſum teſtimonium dices.

I. *Eſt-ne grave peccatum falſum teſtimonium?* R. *Eſt plus quàm grave.*

I. *Quare?* R. *Quia falſus teſtis peccat in Deum, in Iudicem, in Reum, in Rempublicam.*

I. *Quomodo corrumpuntur falſi teſtes.* R. *Amore, odio, timore, pecunia, ſeu cupiditate.*

I. *Nunquid Deus ſolet illos punire?* R. *Multos punit publicè & cœleſti vindicta.*

I. *Prohibetur-ne hic ſolum falſum teſtimonium?* R. *Prohibetur & omnis perverſio judicij.*

I. *Quomodo fit perverſio judicij,* R. *Per judices iniquos, iniqua ſententias pronunciantes.*

I. *Quid debent hi timere?* R. *Iuſtum Iudicem Deum, & ejus ultionem.*

I. *Per quos fit adhuc perverſio judicij?* R. *Per Advocatos, Procuratores, Notarios, falſa immiſcentes.*

I. *Peccant-ne hi omnes contra hoc præceptum?* R. *Omnino peccant, & ſæpè tenentur ad reſtitutionem.*

Ex Lectione decima quinta.

I. *Quid hic ultra dicta prohibetur?* R. *Temerarium judicium de proximis.*

I. *Quomodo hic prohibetur?* R. *Quia eſt quoddam quaſi teſtimonium falſum, quod ſuus homo reddit de proximo.*

I. *Eſt-ne judicium temerarium mortale peccatum?* R. *Eſt mortale, ſi in re gravi firmiter judices ex levibus indiciis.*

I. *Quare hoc?* R. *Quia apud ſeipſum cenſeris vilipendere proximum, ſine cauſa ſufficienti.*

I. *Unde ſolet provenire judicium temerarium?* R. *Ex odio, & invidia, aut ex corde malitia infecto.*

I. *Da & aliam radicem temerarij judicij?* R. *Superbia ſæpè illius dat occaſionem, quando aliquis alijs juſtior vult videri.*

I. *Quæ ſunt remedia temerarij judicij?* R. *Se & ſua vitia inſpicere.*

I. *Quare hoc dicis remedium?* R. *Quia vanum eſt alios reſide judicare, & vulia noſtra non agnoſcere.*

I. *Quare non eſt facile judicandum de aliis?* R. *Quia eſt uſurpare judicium Dei.*

I. *Da & aliam rationem?* R. *Quia ſigna quæ putamus certa, ſæpè ſunt falſiſſima.*

Ex Lectione decima ſexta.

I. *Dic & alia peccata contra hoc præceptum?* R. *Omne mendacium repugnat huic Præcepto.*

I. *Quare repugnat?* R. *Quia eſt falſum quoddam teſtimonium.*

I. *Eſt-ne mendacium ſemper mortale peccatum?* R. *Non ſemper, quia quidam eſt officioſum vel jocoſum.*

I. *Quid vocas officioſum?* R. *Quod in nocumentum alterius non vergit, ſed tibi eſt proficuum.*

I. *Quod vocas jocoſum?* R. *Quod animi gratia dicitur, nulli nec efficiens, nec proficiens.*

I. *Eſt-ne tunc peccatum?* R. *Tunc eſt veniale.*

I. *Dic & alia peccata contra hoc Præceptum?* R. *Suſurratio, & adulatio huic præcepto repugnant.*

I. *Quid eſt ſuſurratio?* R. *Quando quis per obloquutiones tollit amicitiam inter aliquos.*

I. *Eſt-ne hoc peccatum grave?* R. *Omnino grave eſt, quia odit Dominus ſeminantes diſcordias.*

I. *Quare & hic prohibetur adulatio?* R. *Quia continet falſum teſtimonium, attribuendo alicui quod non habet.*

I. *Eſt-ne grave peccatum?* R. *Eſt valde perniciſum apud Magnates.*

I. *Quare hoc?* R. *Quia ſæpè inſtigat ad male faciendum, vel detinet in peccatis.*

Ex Lectione decima ſeptima.

I. *Dic & aliud peccatum ori limitrophum contra hoc præceptum?* R. *Eſt peccatum detractionis.*

I. *Quid eſt detractio,* R. *Eſt denigratio alterius famæ.*

I. *Eſt-ne iſtud etiam grave peccatum?* R. *Eſt ſane malum peſtilens.*

I. *Quare?* R. *Quia ladit famam quam aliqui exiſtimant plus quam vitam.*

I. *Quanam mala ex detractione orivi ſolent?* R. *Odia, rixæ, homicidia.*

I. *Sufficit-ne confiteri peccatum detractionis?* R. *Vtrum hoc oportet famam reſtituere.*

I. *Quare hoc?* R. *Quia damnum illatum proximo debet reſarciri.*

I. *Quomodo fiet reſtitutio famæ?* R. *Si falſum dixerit, illud revocando.*

I. *Sed quid ſi verum dixerit quis?* R. *Si non erat aliquo modo publicum, etiam tenetur famam reſtituere.*

I. *Quomodo hoc fiet?* R. *Excuſando illam opinionem quam impreſſit apud alios.*

I. *Peccat-ne detractorem audiens?* R. *Si voluntarè auris, peccat.*

I. *Quare peccat?* R. *Quia inducit ad detrahendum, vel ſibi complacet in detractione.*

I. *Quare cenſetur hoc grave peccatum?* R. *Quia alieno malo oblectari eſt contra charitatem.*

I. *Qui*

I. *Quid ergo faciendum dum alii detrahunt?* R. *Bonum eſt externe oſtendere me non libenter audire.*

I. *Et ſi ea ipſa eſſent?* R. *Quia ſora fore fructuoſum, oportet & reprehendere.*

I. *Quid agendum ſi quis inferior?* R. *Oportet ſaltem cor tuum contra detractionem ſtabilire, & in corde condemnare.*

I. *Videnam ſit quod aliquis facile detrahant?* R. *Aliqui faciunt ex ſuperbia, ut ſe præ aliis oſtentent.*

I. *Die & etiam rationem?* R. *Alij faciunt ex odio & ira, ut ſe vindicent.*

I. *Die & tertiam rationem?* R. *Quidam ex vanitate & periculoſa levitate, quicquid audiunt, in aliorum aures effundunt.*

I. *Peccant ne hi graviter?* R. *Omnino, quia debent advertere periculum famæ aliorum.*

Ex Lectione decima octava.

I. *Die nonum Præceptum?* R. Non concupiſces uxorem proximi.

I. *Die decimum Præceptum?* R. Non concupiſces rem, neque agrum proximi tui, &c.

I. *Nunquid hoc aliis Præceptis continetur?* R. *Imò, quia Præcepta*, Non mœchaberis, &c. Non furtum facies, *idem prohibent.*

I. *Quare ergo id ipſum repetitur?* R. *Quia aliqui putarent illis præceptis ſolum prohiberi actum externum.*

I. *Quid ergo volunt hæc duo Præcepta?* R. *Significant Prohibitam eſſe voluntatem vel adulterandi, vel furandi.*

I. *Eſt-ne prohibita etiam delectatio in fornicatione aut adulterio cogitatio?* R. *Omnino eſt prohibita, ſi ſit voluntaria.*

I. *Quare prohibetur ſi quis non habeat voluntatem deducendi ad effectum?* R. *Quia eſt delectatio de re illicita.*

I. *Eſt-ne ergo omnis cogitatio rei illicitæ peccatum?* R. *Si non ſit voluntaria, non eſt peccatum: ſed eſt meritum, ſi reſiſtimus.*

I. *Sed ſi quis ſit negligens in reſiſtendo?* R. *Tunc eſt veniale peccatum ſi abſit delectatio voluntaria.*

I. *Quando ergo eſt mortale peccatum?* R. *Si quis advertens conſentit, vel voluntariè delectatur.*

Reliqua de tactibus, oſculis, & ſimilibus concupiſcentiæ actibus require in tractatu de Luxuria.

Finis ex Libro Tertio.

CATECHISTICÆ INTERROGATIONES *& Reſpon. ex Tract. I. Lib. IV.*

DE SS. ECCLESIÆ SACRAMENTIS.

Ex Lectione 1. & 2.

I. *Quis eſt Auctor Sacramentorum?* R. *Chriſtus.*

I. *Quid eſt Sacramentum?* R. *Eſt inviſibilis gratiæ viſibile ſignum, ad noſtram juſtificationem inſtitutum.*

I. *Quando Chriſtus inſtituit Sacramenta?* R. *Inſtituit partim immenſæ paſſioni, partim poſt paſſionem:*

I. *Cur inſtituit?* R. *In teſtimonium ſui in nos amoris, & in remedium noſtræ ſalutis.*

I. *Quot ſunt Sacramenta?* Septem: *Baptiſmus, Confirmatio, Pœnitentia, Euchariſtia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium.*

I. *Sacramenta quibus ex partibus componuntur?* R. *Ex rebus veluti materia, ex verbis veluti forma, v. g. in Baptiſmo aqua eſt materia, verba ſunt forma: Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti.*

I. *A quo ſunt materia & forma Sacramentorum determinata?* R. *A Chriſto.*

Ex Lectione 3. 4. 5. 6.

I. *Quis eſt Principalis effectus Sacramentorum?* R. *Gratia Dei.*

I. *Fuerunt-ne in omni ſtatu Sacramenta?* R. *Etiam in lege Naturæ & Moyſis fuerunt Sacramenta.*

I. *Quis eſt Secundarius effectus Sacramentorum?* R. *Character impreſſus in anima.*

I. *Quot Sacramenta imprimunt Characterem?* R. *Tria: Baptiſmus, Confirmatio, Ordo.*

I. *Quis eſt miniſter Sacramentorum?* R. *Ordinarie eſt Sacerdos.*

I. *Quid requiritur in ſuſcipiente Sacramenta?* R. *In adulto requiritur intentio & conſenſus.*

I. *Quid ſentis de malo miniſtro?* R. *Malus conficit quidem Sacramentum, & adminiſtrat; ſed conficiendo & adminiſtrando graviter peccat.*

EX TRACTATV II.

DE BAPTISMO.

Ex Lectione 1. 2. 3 4.

I. *Quæ eſt materia Baptiſmi?* R. *Eſt aqua naturalis.*

I. *Quæ ſunt utilitates aquæ benedictæ?* R. *Venialium expiatio, inſidiarum diabolicarum & damnorum acquiſitio.*

I. *Quæ eſt forma Baptiſmi?* R. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.*

I. *Quinam ſunt capaces Baptiſmi?* R. *Omnes homines, etiam infantes qui ſalvari nequeunt ſine Baptiſmo.*

I. *Poteſt-ne ſupplere Baptiſmum aqua?* R. *Poteſt etiam in parvulis.*

I. *Quomodo hoc oſtendis?* R. *Theologi triplicem diſtinguunt Baptiſmum, Flaminis ſeu aquæ, Flaminis ſeu Spiritus S. & Sanguinis ſeu Martyrij.*

I. *Quid eſt Baptiſmus flaminis?* R. *Quando adultus habet in ſe deſiderium efficax baptiſmi cum contritione & amore Dei ſuper omnia.*

I. *Quid eſt Baptiſmus Sanguinis?* R. *Eſt martyrium quo effunditur ſanguis pro Chriſto.*

Ex Lectione 5 6. 7.

I. *Qui ſunt effectus Baptiſmi?* R. *Remiſſio peccati originalis & actualis, infuſio gratiæ, virtutum ac donorum Dei, omnis remiſſio pœnæ peccati.*

I. *Tollit-ne Baptiſmus concupiſcentiam & pœnalitates hujus vitæ?* R. *Non tollit.*

I. *Debent-ne Patrini in Baptiſmo adhiberi?* R. *Ita ex ordinatione Eccleſiæ.*

I. *Quod*

Digitized by Google

2. *Quod eſt officium patrinorum?* R. *Nomen puero imponere, eumque in ſuam curam ſuſcipere.*

I. *Quæ ſolemnes ſunt Baptiſmi ceremoniæ?* R. *Triplices, quædam ſunt præcedentes, ut inſufflatio, Crux in fronte, & pectore Baptizandi, Sal. Orationes, Salivæ. Comitantes, ut abrenuntiatio Satanæ, Vittio, Interrogatio, an credat in S. Trinitatem, an velit baptizari. Subſequentes, ut Chriſmatis unctio, veſtis candida, cereus accenſus.*

Ex Tractatu Tertio.

DE CONFIRMATIONE.

Ex Lectione 1. 2. 3.

1. *Confirmatio eſt ne Sacramentum?* R. *Ita.*

I. *Aquo, & quando eſt inſtitutum?* R. *à Chriſto in ultima cœna.*

I. *Quæ eſt materia confirmationis?* R. *Eſt Chriſma ſive oleum balſamo mixtum ab Epiſcopo benedictum.*

I. *Quæ eſt forma Confirmationis?* R. *Conſigno te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate Salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.*

Ex Lectione 4. 5 6.

I. *Qui ſunt effectus Confirmationis?* R. *Gratia & character.*

I. *Qui ſunt miniſtri hujus Sacramenti?* R. *Soli Epiſcopi.*

I. *Qui ſunt capaces hujus Sacramenti?* R. *Omnes Baptizati.*

I. *Quæ ſunt Ceremoniæ confirmationis?* R. *Manus impoſito, alapa inflictio, Patrinus.*

Ex Tractatu IV.

DE EUCHARISTIA.

Ex Lectione 1. 2. 3. 4.

I. *Quis, & ubi inſtituit hoc Sacramentum?* R. *Chriſtus, in ultima cœna.*

I. *Quæ ſunt cauſæ inſtitutionis hujus Sacramenti?* R. *Ut eſſet memoriale 1. Mirabilium perfectionum Dei. 2. Myſteriorum veteris Teſtamenti ac novi.*

I. *Quomodo Chriſtus in hoc Sacramento præſens eſt?* R. *Verè, realiter, ſubſtantialiter.*

I. *Quæ mirabilia contineantur in hoc Sacramento?* R. 1. *Tranſubſtantiatur panis & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti.* 2. *Accidentia remanent ſine ſubjecto.* 3. *Corpus Chriſti ſub his ſpeciebus eſt, æquè magnum ac in cœlo.* 4. *Eſt totum ſub hoſtia, etiam ſub qualibet parte hoſtiæ.* 5. *Eſt ſimul in diverſis locis.*

Ex Lectione 5. 6 7.

I. *Quæ eſt materia Euchariſtiæ?* R. *Panis & vinum.*

I. *Quænam forma?* R. *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus.*

I. *Quo cultu eſt adoranda Euchariſtia?* R. *Cultu Latriæ qui Deo debetur.*

I. *Rectè ne peculiaris feſto Euchariſtiæ colitur?* R. *Recte.* 1. *ut cultu exteriore interiorem teſtemur, fidemque noſtram profiteamur.* 2. *Ut paſſionis mortisque Chriſti victoriam rememoremur.* 3. *Ut ſit unicuique ſolemnitatis Agni in cœlo peragendæ.*

I. *Quinam ſumunt hoc Sacramentum?* R. *Chriſtus præceptum dedit fidelibus illud ſumendi.*

Ex Lectione 8. 9. 10. 11. 12.

I. *Quæ diſpoſitio requiritur ad Euchariſtiam ſumendam?* R. *Communicans debet eſſe in ſtatu gratiæ.*

I. *Impedit-ne peccatum veniale acceſſum ad Euchariſtiam?* R. *Non impedit, ſed tamen impedit effectum aliquem hujus Sacramenti.*

I. *Quomodo quis ſe gerere poſt Communionem?* R. *Obſervanda ſunt orationes jaculatoriæ, gratiarum actio in Deum, aliique pii affectus excitandi.*

Ex Lectione 13. 14. 15.

I. *Eſt-ne à laicis utraque ſpecies ſumenda?* R. *Fuit olim conceſſa, jam verò juſtis de cauſis ſubtracta.*

I. *Quænam ſunt illæ cauſæ?* R. *Conſulitur Reverentiæ Sacramenti, ne interdum ſanguis Chriſti effundatur.* 2. *Sunt quidam abſtemii.* 3. *In quibuſdam locis eſt magna vini penuria.* 4. *Ne ſimpliciores credant Chriſtum non contineri integrè ſub altera ſpecie.*

I. *Eſt-ne Euchariſtia etiam ſacrificium?* R. *Eſt ſacrificium quod nos miſſam vocamus.*

I. *Poteſt-ne probari Miſſam eſſe ſacrificium novæ legis?* R. *Etiam ex ſcripturis vet. & novi teſtamenti.*

I. *Cur inſtitutum eſt hoc ſacrificium?* R. 1. *Per hoc exhibatur Deo maximus cultus.* 2. *Hoc prodeſt Beatis ad honorem & gaudium.*

I. *Eſt-ne valde excellens noſtrum ſacrificium?* R. *Eſt excellentiſſimum.*

I. *Unde illud probas?* R. *Noſtrum ſacrificium eſt Holocauſtum, eſt Euchariſticum, & impetratorium, & Propitiatorium.*

Ex Tractatu quinto.

DE POENITENTIA.

Ex Lectione 1. 2. 3.

I. *Quis inſtituit hoc Sacramentum?* R. *Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam.*

I. *Eſt-ne hoc Sacramentum neceſſarium?* R. *Eſt neceſſarium relapſis poſt baptiſmum.*

I. *Quid confert pœnitentia?* R. *Remittit peccata, & reſtituit merita priora & gratiam.*

I. *Quid excitat ad pœnitentiam?* R. *Gratia, ſine qua homo pœnitere nequit, & quam Deus nulli negat.*

I. *Quot ſunt partes Pœnitentiæ?* R. *Tres ſunt ejus partes materiales, Contritio, Confeſſio, & Satisfactio.*

Ex Lectione 4 5. 6.

I. *Quid eſt Contritio?* R. *Eſt animi dolor ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.*

I. *Quæ requiruntur ad perfectam contritionem?* R. *Dolor ſeu deteſtatio peccati.* 1. *Ex ſincero cordis affectu.* 2. *Ob Deum offenſum ceu ſummum Bonum* 3. *Cum ſpe veniæ.* 4. *Cum firmo propoſito emendationis.*

Digitized by Google

I. *Quando contritio excitanda? R. Simul ac peccavimus.*

I. *Quid eſt Confeſſio? R. Eſt accuſatio integra peccatorum facta ſacerdoti in ordine ad abſolutionem virtute clavium obtinendam.*

I. *Quæ utilitates ſunt Confeſſionis? R. 1. Confeſſione fit facilior peccatorum remiſſio & ſalutis adeptio. 2. Superbia reprimitur, & ſui notitia acquiritur. 3. Fructus ex ea in Rempubl. redundat, v. g. humana vita ſocietas & honeſtas conſervatur.*

I. *Quando præceptum Confeſſionis obligat? R. 1. In periculo probabilis mortis. 2. Ante ſuſceptionem ſeu adminiſtrationem Euchariſtiæ. 3. Omnes ſemel in anno obligantur.*

I. *Qui ſunt fructus frequentis confeſſionis? R. Crebra confeſſione acquiritur. 1. Puritas cordis. 2. Augmentum gratiæ & gloriæ. 3. Augmentum virtutum. 4. Securitas ſalutis.*

Ex Lectione 7. 8. 9. & 10.

I. *Quæ ſunt conditiones Confeſſionis? R. Vi ſit 1. Præmeditata examine præmiſſo. 2. Sit humilis. 3. Pura & ſincera. 4. Integra quoad numerum & ſpeciem peccatorum, & quoad circumſtantias aggravantes vel mutantis peccati ſpeciem.*

I. *Impedimenta integræ Confeſſionis quænam ſunt? R. 1. Pudor. 2. Timor. 3. Spes retinendæ, & reſtituendæ humanæ. 4. Deſperatio vitæ melioris.*

I. *Quid eſt Satisfactio? Pœnitentia quam imponit Confeſſarius poteſtate clavium.*

I. *Die formam Sacramenti Pœnitentiæ: R. Ego te abſolvo ab omnibus peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & ſpiritus ſancti.*

I. *Quæ eſt munus pœnitentis percepta abſolutione? R. Gratias agat Deo 1. quod ſe dignatus fuerit vocare ad pœnitentiam. 2. Quod tam facili remedio peccata abluere dignatur. 3. Statum impleat pœnitentiæ. 4. Firmum concipiat propoſitum emendationis. 5. Conveniat ſibi ipſi pœnitens quaſdam ſatisfactiones imponat.*

Ex Tractatu VI.

DE EXTREMA UNCTIONE.

Ex Lectione 1. 2. 3. 4. 5. 6.

I. *Quid eſt extrema Unctio? R. Eſt Sacramentum per unctionem olei à Epiſcopo benedicti, & orationem ſacerdotis ægris applicatur ad ſalutem animæ vel etiam corporis, à Chriſto inſtitutum.*

I. *Cur dicitur extrema unctio? R. Quia Chriſtianus in aliis Sacramentis ungitur in Baptiſmo per Chriſma in vertice, per Oleum ſacrum in ſcapulis, & pectore, in Confirmatione in fronte, in hoc Sacramento in quinque ſenſuum organis. Deinde quia extremo loco poſt omnia ſacramenta datur.*

I. *Quis eſt capax extremæ unctionis? R. Fidelis infirmus gravi infirmitate.*

I. *Quis eſt miniſter hujus Sacramenti? R. Sacerdos.*

I. *Quæ eſt materia extremæ Unctionis? R. Oleum ab Epiſcopo benedictum.*

I. *Quæ eſt forma? R. Per iſtam unctionem & piiſſimam ſuam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quicquid deliquiſti per viſum, &c.*

I. *Quæ ſunt effectus hujus Sacramenti? R. Eſt 1. Auxilium & robur animæ ægroti contra mortis difficultates. 2. Remiſſio peccatorum venialium & reliquiarum. 3. Sanitas corporis ſi animæ ſalutis expediat.*

Ex Tractatu VII.

DE ORDINE.

Ex Lectione 1. 2. 3. 4. 5. 6.

I. *Rectè ne Ordines in Eccleſia ſunt inſtituti? R. Rectè, nam hæc Eccleſia habet ſimilitudinem cum cœleſti.*

I. *Quis eſt auctor hujus Sacramenti? R. Chriſtus Dominus.*

I. *Quot ſunt Ordines in Eccleſia? R. Septem? Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus.*

I. *Die rationem hujus numeri ſeptenarij: R. Oſtiarij officium eſt cuſtodire oſtium templi; Lectoris, legere clarè & diſtinctè veteris ac novi teſtamenti libros. Exorciſta, nomen Dei invocare ſuper energumenos. Acolythi, materiam in Euchariſtia ad altare præſentare. Subdiaconi, Epiſtola lectio, vaſorum ſacrorum præparatio. Diaconi, Euchariſtia diſpenſatio, Evangelij recitatio. Presbyteri, Euchariſtiæ confectio, & Sacramentorum adminiſtratio.*

I. *Quid dicis de prima Tonſura? R. Non eſt Ordo, ſed ſolum diſpoſitio ad Ordines.*

Ex Tractatu VIII.

DE MATRIMONIO.

Ex Lectione prima.

I. *A quo matrimonium eſt inſtitutum? R. A Deo in paradiſo.*

I. *Quo tempore Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum? R. Scriptura expreſſe non dicit: probabile eſt inſtitutum ſit in nuptiis Cana Galilæa.*

I. *Quid Chriſtus huic Sacramento addidit? R. Trias Varia cum una inſolubile corporum & animorum vinculum. 2. Significationem amoris Chriſti & Eccleſiæ. 3. Specialem gratiam, quæ ei ad ſponſis datur.*

I. *Cur inſtitutum hoc Sacramentum? R. In remedium amoris matrimonij. 2. In remedium concupiſcentiæ. 3. Ad mutuum amorem & inſolubile vinculum.*

I. *Quid conſtituit matrimonium? R. Conſenſus partium, licet copula non accedat, nec ejus voluntas.*

Ex Lectione 2. 3. 4.

I. *Eſt-ne Continentia præferenda Matrimonio? R. Omnino, quia iſte ſtatus perfectior eſt, & ſecurior ſalutis.*

I. *Eſt-ne ſtatus matrimonij temerè eligendus? R. Non nam agnoſcere debet Dei voluntatem in ſtatu eligendo.*

Digitized by Google

I. *Vnde oriuntur infauſta matrimonia? R. Ex cauſis*
1. *ex defectu animi in perſona, cum qua vivendum*
2. *Ex defectu orationis & conſultationis cum Deo.*
3. *Ex inæqualitate vitæ & uxoris.* 4. *Ex mala vita præterita.*

I. *Quæ diſpoſitio requiritur ad matrimonium ineundum? R. Audens ad coniugium debet* 1. *eſſe in ſtatu gratiæ.* 2. *Rectam intentionem habere.* 3. *Se diſpenere piis operibus.*

Ex Lectione 5. 6. 7.

I. *Quid interrogatur ante matrimonium? R. Quæritur* 1. *An votum caſtitatis emiſerint.* 2. *An fidem alteri dederint.* 3. *An ſit parentum conſenſus?*

I. *Quinam ritus matrimonii? R. Dextera contrahentium ſtola colligantur* 2. *Annulus in quo rictum digitum ſponſæ inſeritur.* 3. *Mutuus conſenſus exprimitur.* 4. *Sacerdos coniugibus benedictionem impertitur* 5 *Inſtruuntur convivia nuptialia.*

I. *Repetitur ne matrimonium ſpirituale? R. Etiam, atque anima cum Chriſto*

I. *Quomodo hæc deſponſatio fit? R. Per votum Caſtitatis.*

I. *Quales debet eſſe amor coniugalis? R. Debet eſſe perfectus ſecundum Deum, v. g. quod alteri ſit gratum, procurare, bene de ſe mutuo loqui, ſe ſuſtinere, invicem ſolari, juvare.*

Ex Lectione 8. 9. 10.

I. *Peccatur ne in amore coniugali? R. Peccatur* 1. *per exceſſum, ſi ex amore ſali Præceptum Dei violatur.* 2. *Per defectum, ſi amor iſte deſinat in zelotypiam.*

I. *Quæ caſtitas in coniugio ſervanda? R. Hæc* 1. *excludit omnem alterius hominis concupiſcentiam.* 2. *Reſtringit* 3. *moderatum uſum coniugii, ſola voluptatis cauſa.*

I. *Quot ſunt bona matrimonii? R. Tria: Proles, fides tum in cohabitatione, tum in reddendo debito: Sacramentum in vinculo charitatis & indiſſolubilitate.*

Ex Lectione 11. 12. 13.

I. *Quæ circa prolem præſtanda ſunt parentibus? R.* 1. *Poſſunt prolem deſiderare.* 2. *Curæ ejus habenda in utero.* 3. *Ab utero ut baptizetur.*

I. *Quæ inſtructio prolis incumbit parentibus? R.* 1. *Proles ubi adoleſcit in pietate inſtruenda.* 2. *Corrigenda eſt.*

I. *Quales debet eſſe correctio? R. Diſcreta ſit, & monitionis junctum vitæ bonæ exemplum.*

I. *Quod eſt munus parentum erga proles? R. Parentes* 1. *proles Deo offerant.* 2. *Doceant orare.* 3. *Inſtruant in rebus fidei & pietatis, v. g. Doceant mandata Dei, confitendi modum.*

Ex Lectione 14. 15. 16.

I. *Eſt ne ſolubile matrimonium Chriſtianorum? R. Conſummatum eſt omnino indiſſolubile: non conſummatum ſolvi poteſt per alterutrius ingreſſum religionem.*

I. *Sunt-ne alia cauſa, per quas ſolvitur matrimonium quoad thorum? R. Solvi poteſt* 1. *ob alterutrius adulterium.* 2. *Ob ſimilem aut ſævitiam.* 3. *Ob lapſum in hæreſim.* 4. *Ob grave periculum animæ.*

I. *Quæ ſunt impedimenta matrimonii? R. Impedimenta ſunt duplicia:* 1. *Impedientia tantum,* 2. *Impedientia & dirimentia.*

I. *Quæ ſunt impedientia & dirimentia?*

R. Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen, Cultus diſparitas Vis, Ordo, Ligamen, Honeſtas. Si ſis Affinis, ſi forte coire nequibis.
Hæc jungenda vetant connubia: facta retractant.

I. *Quæ ſunt impedientia & dirimentia.*

R. Eccleſiæ vetitum, nec non tempus feriatum. Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

I. *Quando ſolvitur matrimonium? R. Morte alterius conjugis.*

I. *Manet-ne libertas tunc ad nuptias alteriores? R. Manet.*

I. *Eſt ne viduitas matrimonio perfectior? R. Eſt illa, quæ amore Continentiæ & propter Deum ſuſcipitur.*

CATECHISTICÆ INTERROGATIONES & Reſponſiones ex Tuba Sacerdotali.

Ex Tractatu primo.

DE PRIMO VITIO CAPITALI.

Ex Lectione 1. 2. 3. 4.

I. *Quot enumerantur vitia capitalia? R. Septem.*

I. *Die primum? R. Primum eſt Superbia.*

I. *Quid eſt Superbia? R. Eſt perverſa celſitudinis inordinatus appetitus.*

I. *Quare vocatur vitium capitale? R. Quia eſt radix, initium, & caput multorum peccatorum.*

I. *Quare ſuperbia recenſetur primum inter omnia capitalia? R. Quia fuit primum peccatum Angeli in Cælo, & hominis in Paradiſo.*

I. *Quâ pœnâ illud peccatum punit Deus? R. Quia ſectatores ſuos vult elevare in cœlum ſuperbia, detrahitur illa cum ipſis ad inferos.*

I. *Quare ſuperbia vocatur altiſſimum peccatum? R. Quia erigit ſe contra Deum, uſque ad ejus contemptum.*

I. *Quare etiam dicitur profundiſſimum peccatum? R. Quia uſque ad profundiſſima peccata mergit hominem.*

I. *Declara id: R. Deducit homines uſque ad hæreſes, & atheiſmum, qui eſt centrum peccatorum.*

Ex Lectione quinta.

I. *Habet ne ſuperbia aliquas ſub ſe ſpecies, ſive filias? R. Habet plurimas.*

I. *Recenſe aliquas. R. Vanagloria, jactantia, ambitio, hypocriſis.*

I. *Quid eſt vanagloria? R. Eſt appetitus inordinatus humanæ laudis.*

I. *Quid eſt jactantia? R. Eſt inanis & ſtulta ſui ipſius prædicatio, docendo de ſe plus quam eſt, vel plus quam decet.*

Digitized by Google

I. *Eſt-ne gloria vana & jactantia ordinariè peccatum mortale?* R. *Non eſt.*

I. *Quando ergo conſtitur mortalis jactantia vel gloriatio? Quando quis jactat ſe, vel gloriatur de peccato mortali.*

I. *Quando ad hunc? Quando redundat in grave præjudicium proximi.*

I. *Declara exemplo?* R. *Sic Medicus imperitus jactans ſuam ſcientiam poteſt ægrè gravitèr nocere.*

I. *Quid eſt ambitio?* R. *Eſt honoris ſeu præeminentiæ inordinata cupiditas.*

I. *Eſt-ne illa periculoſa?* R. *Eſt omnino periculoſa, ſi quis indignus ambiat officia vel Eccleſiaſtica, vel etiam politica.*

I. *Quid eſt hypocriſis?* R. *Eſt ſimulatio, quia quis ſe juſtum ſimulat, vel juſtiorem quàm ſit.*

Ex Lectione ſexta & ſeptima.

I. *Dic & alias ſpecies ſuperbiæ?* R. *Arrogantia, tumor, præſumptio, deſpectus aliorum.*

I. *Quare vocas filias ſuperbiæ?* R. *Quia ex ſuperbia tanquam matre originem ducunt.*

I. *Quid eſt arrogantia?* R. *Eſt exiſtimatio ſui cum inſolentia & temeritate conjuncta.*

I. *Quid eſt tumor?* R. *Eſt, ex arrogantia mentis inflatio ſuperba.*

I. *Quid eſt Præſumptio?* R. *Eſt cum quis corde elato attentat aliquid ſupra vires.*

I. *Cujnam ſimiles ſunt qui alios contemnunt?* R. *Superbo Phariſæo, qui dicebat:* Non ſum ſicut cæteri hominum.

I. *Dic & alias adhuc ſuperbiæ filias?* R. *Pertinacia, diſcordia, inobedientia, ingratitudo.*

Ex Lectione octava.

I. *Eſt-ne ſuperbia valde commune vitium?* R. *Eſt omninò commune.*

I. *Declara?* R. *Quia Nobilibus eſt agnata ſuperbia, item divitibus, item in ſexu muliebri illa regnat.*

I. *Declara ulterius?* R. *Arrogantia eſt communis juvenibus, eſt etiam ſæpenumer inter doctos, ſivè interſerit ſe inter pios.*

I. *Quomodo hoc?* R. *Quia gloriari ſolent in doctrina ſua, aut pietate.*

Ex Lectione nona, decima, undecima.

I. *Quænam ſunt remedia contra ſuperbiam?* R. *Sunt multiplicia.*

I. *Dic primum?* R. *Conſiderare ſeipſum, & propriam ſuam originem, & vilitatem.*

I. *Dic ſecundum?* R. *Conſiderare nos nihil habere niſi à Deo, unde in nullo poſſumus gloriari.*

I. *Dic tertium?* R. *Conſiderare, brevem fuiſſe omnium rerum hujus ſæculi in morte.*

I. *Dic quartum?* R. *Conſiderare pœnas futuras ſuperborum.*

I. *Dic quintum?* R. *Conſiderare maledictiones in hac vita, & in morte ipſis contingentes.*

Ex Lectione duodecima.

I. *Quæ eſt virtus oppoſita ſuperbiæ?* R. *Eſt humilitas.*

I. *Quem nos primò edocuit?* R. *Chriſtus Dominus verbo & exemplo.*

I. *Quando verbo?* R. *Quando dixit beatos eſſe pauperes, ſpiritu humiles in ſpiritu.*

I. *Quando exemplo?* R. *Quia tota vita ſua humilitatem coluit, à præſepio uſque ad crucem.*

I. *Quæ ſunt filiæ humilitatis?* R. *Contemptus ſui, ſegua lanum, agnitio propriæ peccati, & propriæ infirmitatis.*

I. *Dic & alias filias?* R. *Patientia in injuriis, modeſtia in ceſſu & verbis, abnegatio propriæ judicii & voluntatis.*

INTERROGATIONES ET RESPONSIONES ex Tractatu II.

DE AVARITIA.

Ex Lectione prima, ſecunda, tertia.

I. *Dic ſecundum capitale vitium?* R. *Eſt Avaritia.*

I. *Quare vocatur capitale?* R. *Quia ipſa etiam eſt caput multorum peccatorum.*

I. *Quid eſt Avaritia?* R. *Eſt immoderatus appetitus exteriorum bonorum.*

I. *Quotuplex eſt Avaritia?* R. *Eſt duplex.*

I. *Declara?* R. *Una opponitur liberalitati, altera juſtitiæ.*

I. *Quænam opponitur juſtitiæ?* R. *Quando quis ex immoderata cupiditate etiam aliena invadit, vel detinet.*

I. *Quænam liberalitati ſolum?* R. *Quando quis nimis amat propria, nimis ardenter opes quærit.*

I. *Eſt-ne peccatum mortale avaritia?* R. *Quando quis aliena quærit vel retinet ex avaritia, ſolet eſſe mortale.*

I. *Quare avaritia vocetur idolorum ſervitus?* R. *Quia avari ſolent plus amare pecuniam quàm Deum.*

I. *Quomodo hoc?* R. *Quia ob amorem pecuniæ negligunt Deum & divina.*

I. *Quorum malorum ſolet eſſe cauſa avaritia?* R. *Perjuriorum, Sacrilegiorum, homicidiorum, proditionum, & multorum aliorum.*

Ex Lectione 4. 5. 6. 7. 8.

I. *Habet-ne avaritia multas ſpecies & filias?* R. *Habet multas.*

I. *Enumera aliquas?* R. *Obduratio & immiſericordia erga inopes, inquietudo, negligentia divinorum, fiducia in rebus præſentis ſæculi.*

I. *Dic & alias?* R. *Vjura, fraudulentia, mendacium, perjurium.*

I. *Quare vocas hæc omnia filias avaritiæ?* R. *Quia ex avaritia ortum habent.*

I. *Sunt-ne adhuc aliæ ejus filiæ?* R. *Sunt, & quidem omnium peſſimæ.*

I. *Dic ergo totam genealogiam?* R. *Fraudulenta decimatio, furtum, rapina, ſacrilegium, oppreſſio proximi, mercenariorum defraudatio, ſimonia.*

Ex

Ex Lectione nona.

I. *Eſt-ne avaritia vitium valde commune?* R. *Eſt omnium, quia omnis fere ſtatus & conditionis homines injicit.*

I. *Declara in particulari?* R. *Magnates & Nobiles per avaritiam opprimunt ſubditos.*

I. *Die ulterius?* R. *Judices, Advocati, Procuratores exigunt munuſcula.*

I. *Quid de mercatoribus?* R. *Ob avaritiam ſæpe exponunt periculo vitam ſuam.*

I. *Quid de divitibus hujus ſæculi?* R. *Domum domui, agrum agro copulant ex avaritia.*

I. *Sunt-ne & pauperes avari?* R. *Sunt multi.*

I. *Quomodo poſſunt eſſe avari cum nihil habeant?* R. *Quia multi eorum ardent cupiditate, licet careant facultate.*

Ex Lectione decima, undecima, duodecima.

I. *Quanam ſunt remedia contra avaritiam?* R. *Sunt multiplicia.*

I. *Die primum?* R. *Conſiderare multiplices maledictiones, quæ in ſcriptura in avaros torquentur.*

I. *Die ſecundum?* R. *Conſideratio mortis, quando omnes opes finientur.*

I. *Die tertium?* R. *Conſideratio laredum ingratorum quibus opes acervantur.*

I. *Die quartum?* R. *Conſideratio bonorum æternorum, ad quæ creati ſumus.*

I. *Die quintum?* R. *Conſideratio remorſuum conſcientiæ & infelicis mortis in avaris.*

I. *Die ſextum?* R. *Conſideratio pœnarum futuri ſæculi.*

Ex Lectione decimatertia.

I. *Quanam virtutes opponuntur avaritiæ?* R. *Sunt multæ.*

I. *Die primam?* R. *Liberalitas ei opponitur, quæ novit diſtribuere opes.*

I. *Die ſecundam?* R. *Juſtitia ei opponitur, quæ reddit unicuique quod ſuum eſt, nec avarè concupiſcit aliena.*

I. *Die tertiam?* R. *Miſericordia & beneficentia in egenos, quæ exhaurit opes, ut in ſinum tuum transmittat.*

I. *Die quartam?* R. *Paupertas ſpiritus, quæ contemnit omnia præſentia, nec illis inhiaret.*

INTERROGATIONES ET RESPONSIONES ex Tractatu I. I.

DE LUXURIA.

Ex Lectione prima, ſecunda, tertia.

I. *Die tertium vitium capitale?* R. *Eſt luxuria.*

I. *Quid eſt luxuria?* R. *Eſt injuſta libidinis inordinatus appetitus.*

I. *Quare dicitur capitale vitium?* R. *Quia caput & radix plurimorum malorum & vitiorum.*

I. *Eſt-ne luxuria grave peccatum?* R. *Eſt gravem Deo & hominibus fœditatis vitium.*

I. *Unde ita luxuriæ ſit ejus gravitas?* R. *Ex variis vindictis à Deo propter eam immiſſis.*

I. *Quænam illæ vindictæ?* R. *Diluvium, urbes Sodoma & Gomorrha, & ſimilia.*

Ex Lectione quarta.

I. *Qui ſunt gradus luxuriæ?* R. *Cogitatio prava, delectatio, conſenſus, opus pravum, frequentatio.*

I. *Quid dein ſequitur?* R. *Conſuetudo mali operis, ac quædam quaſi neceſſitas.*

I. *Quid denique?* R. *Deſperatio melioris vitæ, & perditio æterna.*

Ex Lectione 5. 6. 7.

I. *Habet-ne luxuria multas ſpecies, vel ſimas?* R. *Habet plurimas.*

I. *Recenſe aliquas?* R. *Fornicatio, adulterium, ſtuprum, ſacrilegium, raptus, inceſtus, ſodomia, peccatum contra naturam.* De his diximus in præcepto 6.

I. *Recenſe & alias?* R. *Aſpectus impudicus, turpiloquium, cantus lubricus, oſcula, contactus.*

I. *Quid ſunt omnia iſta?* R. *Sunt luxuriæ ſpecies imperfectæ.*

I. *Sunt-ne hæc peccata mortalia?* R. *Sunt ſæpe talia.*

I. *Quare?* R. *Quia ordinantur ad actum perfectum luxuriæ.*

Ex Lectione octava.

I. *Eſt-ne hoc vitium valde commune?* R. *Eſt communiſſimum omnis ſtatus.*

I. *Quare hoc dicis?* R. *Quia ſubverſit Reges & Principes, Sapientes & ſtultos, maros & fœminas, Sacerdotes & Religioſos.*

I. *Unde hoc?* R. *Quia natura noſtra libidini eſt inſita, niſi juveretur.*

I. *Poteſt-ne ergo superari?* R. *Omnino per auxilium Dei.*

I. *Dat-ne omnibus Deus auxilium iſtud?* R. *Non negat ſe petentibus.*

Ex Lectione 9. 10. 11.

I. *Quæ ſunt remedia contra hoc peccatum?* R. *Sunt multiplicia.*

I. *Die primum?* R. *Conſideratio maledictionum, quas Deus in Scripturis intorquet in luxuriosos.*

I. *Die ſecundum?* R. *Conſideratio fœditatis & vilitatis hujus peccati.*

I. *Die tertium?* R. *Conſideratio indignitatis, quam inducit homini Chriſtiano, contra ejus conſecrationem & unctionem.*

I. *Die quartum?* R. *Conſideratio remorſus conſcientiæ, voluptatem ſæpe ſubſequentis.*

I. *Die quintum?* R. *Conſideratio mortis, judicii, & aliorum noviſſimorum.*

I. *Die ſextum?* R. *Oratio fervens, cum humiliata compunctione, ad Chriſtum & Virginem.*

I. *Die ſeptimum?* R. *Conſideratio Dei ut Judicis præſentis, & Angeli teſtis, ut non peccem.*

Ex Lectione duodecima.

I. *Quæ eſt virtus oppoſita luxuriæ?* R. *Continentia & Caſtitas.*

I. *Qui eam nos docuit?* R. *Chriſtus & Maria ejus Mater, ſemper Virgo.*

Digitized by Google

I. *Quid eſt continentia & caſtitas? R. Eſt virtus ſub jugo rationis infrenans impetum libidinis.*
I. *Quare illa dicitur Deo & Angelis grata? R. Quia eſt imitatio quadam vitæ Angelicæ, cœleſtis & divinæ.*
I. *Quomodo poteſt caſtitas conſervari? R. Oratione, jejunio, humilitate, & corporis mortificatione.*
2. *Quotuplex eſt Continentia, vel Caſtitas? R. Eſt triplex.*
I. *Oſtende? R. Eſt virginalis, vidualis, conjugalis.*

INTERROGATIONES ET RESPONSIONES ex Tractatu IV.

DE INVIDIA.

Ex Lectione prima, ſecunda, tertia.

I. Dic quartum vitium capitale? R. *Eſt Invidia.*
I. *Quid eſt invidia? R. Eſt triſtitia de bono alterius, quia æſtimatur diminuere ejus gloriam, vel propriam.*
I. *Quare dicitur vitium capitale? R. Quia plurima vitia ſolet generare.*
I. *Quis eſt author primus invidiæ? R. Satan.*
I. *Quare? R. Quia invidit homini gratiam & gloriam in Paradiſo.*
I. *Quare tunc ei invidit? R. Quia homo debebat eſſe hæres gloriæ, quam perdiderat.*
I. *Eſt-ne ergo invidia grave vitium? R. Eſt planè diabolicum.*
I. *Cur hoc dicis? R. Quia invidia & ſuperbia ſunt primarii characteres quibus agnoſcuntur filii diaboli.*
I. *Quo charactere agnoſcuntur filii Dei? R. Humilitate & charitate.*
I. *Quanam mala produxit invidia? R. Mala innumerabilia.*
I. *Dic aliqua? R. Parricidia & fratricidia ſunt ejus fructus.*
I. *Quomodo hoc oſtendis? R. In Cain, qui ex invidia fratrem occidit.*
I. *Da & aliud exemplum? R. In fratribus Joſeph, qui voluerunt eum occidere, & poſtea eum vendiderunt.*
I. *Da exemplum exemplorum? R. In Filio Dei, quem invidia Cruci affixit.*

Ex Lectione quarta.

I. *Habet-ne multas invidia filias? R. Habet plurimas.*
I. *Dic aliquas? R. Odium, ſuſurratio, detractio, judicium temerarium, prava interpretatio.*
I. *Dic & alias? R. Contentio, contemptio, conſpiratio, calumnia, convitium, improperium, conſpuitio, & ſimilia.*
I. *Dic omnino propriè dicta filias invidiæ & ejus primogenitæ? R. Exultatio in adverſis proximi, triſtitia in ejus proſperis.*

Ex Lectione quinta.

I. *Eſt-ne hoc vitium valdè commune? R. Eſt planè.*
I. *Declara? R. Quia ubi ſuperbia regnat, ſtatim etiam ibi regnat & invidia.*
I. *Quinam ergo ſunt invidere? R. Nobiles Nobilibus, divites divitiis, artifices artifibus.*
I. *Quomodo hoc fit? R. Quia æſtimant aliorum nobilitatem, vel doctrinam, vel opulentiam diminuere ſuam.*
I. *Quinam ultra ad invidiam ſunt proni? R. Opifices & artifices.*
I. *Quomodo id declaras? R. Quia figulus figulum odit, faber fabrum, ſutor ſutorem.*
I. *Unde hoc fit? R. Ex eo quod quidquid uni accedit lucri, alteri videtur decedere.*

Ex Lectione ſexta, ſeptima, & octava.

I. *Quæ ſunt remedia contra invidiam? R. Sunt multiplicia.*
I. *Dic primum? R. Conſideratio maledictionum contra invidos in Scripturis.*
I. *Dic ſecundum? R. Conſideratio fraternitatis quæ debet eſſe inter homines, tum ob eandem naturam, tum ob ejuſdem gratiæ participationem.*
I. *Dic & tertium? R. Conſideratio deformitatis hujus vitii, diabolo nos ſimiles reddentis.*
I. *Dic quartum? R. Conſideratio mali, quod ſibi invidus inducit, quia in gloriam ſeipſum introducit.*
I. *Quomodo hoc intelligis? R. Quia invidia ſolet cruciare ipſum invidum vehementer.*

Ex Lectione nona.

I. *Quæ eſt virtus oppoſita invidiæ? R. Charitas.*
I. *Quomodo hoc? R. Quia ubi illa regnat, non poteſt regnare invidia.*
I. *Unde hoc oſtendis? R. Quia Charitas benigna eſt, non æmulatur, non inflatur, non quærit ea quæ ſua ſunt.*
I. *Quid ergo agit? R. Reddit bonum pro malo, gaudet de profectu aliorum, adjuvat eos quantum poteſt.*

INTERROGATIONES ET RESPONSIONES ex Tractatu V.

DE GULA.

Ex Lectione prima, ſecunda, tertia.

I. Dic quintum Vitium capitale? R. *Eſt Gula.*
I. *Quid eſt Gula? R. Eſt appetitus inordinatus cibi & potus.*
I. *Quare vocas capitale vitium? R. Quia eſt mater aliorum vitiorum.*
I. *Eſt-ne grave vitium? R. Eſt grave propter mala quæ generat.*
I. *Quod eſt maximum ejus malum? R. Quod guloſi ventrem pro Deo conjiciant colere.*
I. *Quare hoc? R. Quia ut ventri ſerviant, non curant Dei gratiam perdere.*
I. *Quid ulterius ex gula ſequitur? R. Rixæ, perjuria, homicidia.*
I. *Quomodo hoc probas? R. Quia dicis Sapiens: plures occidit crapula quam gladius.*
I. *Poſſes-ne & hoc oſtendere? R. Sunt quotidiana hac de re exempla.*

Digitized by Google

Ex Lectione quarta.

I. Suntne multa filia gulæ? R. Sunt plurima.
I. Recenſe aliqua: R. Inepta lætitia, multiloquium, ſcurrilitas, immunditia, mentis & corporis hebetudo.
I. Quare vocas ſil ia? R. Quia hæc infœlices maxime generantur.
I. Quomodo hoc oſtendis? R. Experientia nimis nota eſt, de multiloquio, vana lætitia, & ſubſequente hebetudine ex convivio.
I. Quid vocas immunditiam? R. Oris cruciationem, & fœtorem, vel etiam vomitus horrorem.

Ex Lectione 5. 6. 7.

I. Undenam oriuntur dicta mala? R. Maximè ex ebrietate.
I. Eſtne illa mortale peccatum? R. Eſt mortalis, ſi ſit perfecta.
I. Quando vocas perfectam? R. Quando quis advertenter ſe ratione uſu privat voluntario.
I. Quid ſi quis non ſit privatus totaliter? R. Etiam poteſt peccare mortaliter, ſi periculo voluntariè ſe expoſuit.
I. Qui ſunt tales? R. Qui magnam partem diei & noctis in poculis conſumunt, an ebrietas ſit ſecutura non curantes.
I. Contra quod præceptum peccant ebrii, ſive ebrioſi? R. Contra omne.
I. Quomodo contra primum & ſecundum? R. Quia Deum non curant, ſolumque Deum blaſphemare, & jurare.
I. Quomodo contra tertium? R. Quia feſtos dies & officia divina ſolent negligere.
I. Quomodo contra quartum? R. Quia juvenes ebrioſi parentibus jam inobedientes, & viri uxoribus rebelles.
I. Quomodo contra quintum? R. Quia rixas & homicidia ſolent excitare.
I. Quomodo contra ſextum? R. Quia in libidines ſolent proniſſe, & in turpiloquia.
I. Quomodo contra ſeptimum? R. Quia alienæ ſæpè conjungunt, & debitis ſe ovigant.
I. Quomodo contra octavum? R. Quia ſolent detractionibus inſcponia vacare.
I. Quomodo contra nonum & decimum? R. Quia alienas uxores ſæpè concupiſcunt, reſque alienas.
I. Eſtne hoc vitium valdè commune? R. Experientia docet quàm ſit commune, nec eſt opus probare.

Ex Lectione 8. 9. 10.

I. Quæ ſunt remedia contra gulam? R. Sunt plurima.
I. Dic primum:
R. Conſideratio maledictionum, quas incurrunt in hac vita & futura.
I. Dic ſecundum:
R. Conſideratio abſtinentiæ Chriſti pro gula peccato ſatisfacientis.
I. Dic tertium:
R. Conſideratio Sanctorum, qui crucifixerunt carnem cum concupiſcentiis.
I. Dic quartum:
R. Conſideratio brevitatis & vilitatis quæ in delectatione gulæ reperitur.
I. Dic quintum:
R. Conſideratio remorſus conſcientiæ, & incommodorum totius corporis.

Ex Lectione undecima.

I. Quæ eſt virtus oppoſita gulæ? R. Sobrietas & temperantia.
I. Quid eſt temperantia?
R. Eſt virtus cohibens appetitum ab his quæ turpiter appetuntur.
I. Quis nos eam docuit?
R. Chriſtus Dominus.
I. Quis poſt ipſum? R. Omnes Sancti caſtigati ſunt, & colaverunt.
I. Quid illa in nobis producit? R. Sanitatem corporis, & ſanctitatem mentis.

INTERROGATIONES ET RESPONSIONES ex Tractatu VI.

DE IRA.

Ex Lectione prima, ſecunda, & tertia.

I. Dic ſextum vitium capitale:
R. Eſt ira.
I. Quid eſt ira? R. Si in malum accipiatur, eſt immoderata cupiditas vindictæ ex punitione.
I. Quare dictu, ſi in malum accipiatur? R. Quia non omnis ira eſt mala.
I. Quomodo hoc? R. Sicut poteſt eſſe juſta punitio & vindicta, ſic & ira.
I. Declara id in particulari:
R. Poteſt juſtè iraſci Pater filio, Herus ſervo, præceptor diſcipulo.
I. Qua ergo ira condemnatur? R. Injuſta & immoderata.
I. Eſtne hæc grave peccatum? Quandoque eſt gravisſimum, quia & in Deum, & in Sanctos ſe erigit blaſphemando.
I. Quare dicitur capitale? R. Quia multa alia peccata generat, ut patet in homicidiis, parricidiis, fratricidiis, & ſimilibus.

Ex Lectione 4. & 5.

I. Suntne multa filia iræ? R. Sunt plurima.
I. Recenſe aliqua: R. Odium, indignatio, tumor, diſcordia, furor, crudelitas.
I. Dic & alia:
R. Clamores, mina, contumelia, calumnia, maledictiones, voces blaſphemæ.
I. Eſtne hoc vitium valde commune? R. Eſt omnium.
I. Quare? R. Quia ineſt homini appetitus irascibilis, qui facilè ſine moderatione exundat.

I. Quæ

I. Quot ſunt genera iracundorum? R. Sunt quatuor.
I. Dic primos: R. Sunt qui facilè irascuntur, & facilè placantur.
I. Dic secundos: R. Sunt alii, qui tardè irascuntur, ſed iram ſervant.
I. Dic tertios: R. Sunt qui citò irascuntur, & tardè iram deponunt.
I. Dic poſtremos: R. Sunt qui tardè irascuntur, & citò placantur.

Ex Lectione ſexta, ſeptima & octava.

I. Quæ ſunt remedia contra iram? R. Sunt multiplicia generis.
I. Dic primum: R. Conſideratio miſeriarum tam in hac, quàm in futura vita in iracundos.
I. Dic ſecundum: R. Conſideratio malorum, quæ ingenerare ſolet animo niſi evincatur.
I. Dic tertium: R. Conſideratio bonitatis & mansuetudinis divinæ, ad iram deponendam nos invitantis.
I. Dic quartum: R. Conſideratio patientiæ Chriſti & Sanctorum.
I. Dic quintum: R. Conſideratio fraternitatis cum proximo, quæ ſæpè per iram diſſolvitur.

Ex Lectione nona.

I. Quæ virtus opponitur iræ? R. Patientia.
I. Quot habet actus in nobis patientia? R. Linguam frenat, mentem gubernat, pacem cuſtodit.
I. Da & aliosiſtius actus? R. Aliena mala æquanimiter tolerat, bonum pro malo reddit, omnem impetum animi frangit.
I. Dic & poſtremos ejus actus? R. Omnem odii & indignationis ſcintillam extinguit, citò ignoſcit, citò in gratiam recipit.

CATECHISTICÆ INTERROGATIONES & Reſponſiones ex Tractatu VII.

DE ACEDIA.

Ex Lectione 1 2. & 3.

I. Dic ſeptimum vitium capitale: R. Eſt Acedia.
I. Quid eſt Acedia? R. Eſt torpor mentis, bona inchoata, vel proſequi negligentia.
I. Quibus nominibus ſolet intitulari? R. Triſtitia ſpiritualis, tædium, indevotio, languor nominatur.
I. Eſtne Acedia peccatum mortale? R. Eſt peccatum mortale; ſi propter illam aliqua omittantur, quæ ſint ex præcepto.
I. Quare vocatur vitium capitale? R. Quia gravia peccata ſolet generare.
I. Quæ peccata? R. Dilationem pœnitentiæ, odium Dei, deſperationem, & omnium verum ſpirtualium averſionem.

Ex Lectione quarta & quinta.

I. Quænam ſunt filiæ Acediæ? R. Sunt in magno numero.
I. Dic aliquas: R. Tepiditas, puſillanimitas, ſomnolentia, otioſitas.
I. Dic & alias: R. Indevotio incuria, ignavia, tædium vitæ, diffidentia.
I. Eſtne commune valde hoc peccatum? R. Eſt multis commune.
I. Quomodo hoc oſtendis? R. Quia etiam ex, qui pietatem ſectantur, inficit.
I. Unde proveniat illa? R. Ex eo quòd gratiæ divinæ non cooperemur ad ſervorem nos inſtantis.

Ex Lectione ſexta & ſeptima.

I. Quænam ſunt remedia contra Acediam? R. Sunt multiplicia generis.
I. Dic primum: R. Conſideratio maledictionis quam Deus intermittat acediosis.
I. Quænam eſt illa maledictio? R. Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.
I. Dic ſecundum: R. Conſideratio temporis pretioſi, quod ſerventer oportet impendere æternitati.
I. Dic tertium: R. Conſideratio gravium peccatorum quæ commiſimus, quæ pœnitentiæ ſervorem requirunt.
I. Dic quartum: R. Conſideratio negotiatorum hujus ſæculi, qui magno ſervore ad res ſpirituales ferventur.
I. Dic quintum: R. Conſideratio cruciatûs in tormentis, vel gloriæ in cœlo.

Ex Lectione nona.

I. Quæ eſt virtus oppoſita Acediæ? R. Diligentia & ſervor ſpiritualis.
I. Quos habet illa filias? R. Promptitudinem ad divinam voluntatem, zelum gloriæ Dei, zelum ſalutis proximi.
I. Reconſe & alios: R. Devotio in oratione perſeverantia in bono opere, amor cœleſtium, ſollicitudo æternorum.
I. Quis hanc virtutem nos edocuit? R. Chriſtus Dominus à præſepio usque ad crucem.
I. Quænam poſtremum? R. Martyres & omnes Sancti exemplo & verbo.
I. Quid impetrabis illa diligentia? R. Perſeverantiam & coronam: quam nobis donet qui eſt benedictus in ſæcula, Amen.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX CONCIONUM
EX OPERIBUS PASTORALIBUS,
Pro Dominicis & Feſtis principalibus anni.

INDICATUR HIC MATERIA QUÆ SERVIre poteſt Evangeliis occurrentibus in Dominicis, vel pro ſolemnitatibus Sanctorum.

Adventûs Dominica prima.

DOminica prima Adventûs: *Erunt ſigna in Sole, Luna, & ſtellis & in terris preſſura gentium, &c.* De ſignis extremum judicium præcedentibus ſuſè agitur in Horto Paſtor. tract.3 lect.30 pag.185.

NB. Adventus tempora.

Poterunt formari Conciones pro ſingulis Feriis de Adventu Chriſti in carnem, incipiendo à lectione prima Tract 3 pag 73. ex Horto Paſtorum; quia ſingulæ ibi lectiones ſuppeditare poterunt materiam ad ſingulas conciones.

Vel, di tempore Adventûs de ſecundo Chriſti adventu velit Concionator agere, poterunt ad idipſum deſervire ſingulæ ibi lectiones in articulum VII. ſymboli: *Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos*, pag.177.

Dominica 2.

Cùm audiſſet Joannes in vinculis opera Chriſti, &c. Joannes in vinculis erat ob conſtantiam, quâ reſiſtebat adulterio Herodis, ſic & alii Sancti uique ad ſanguinem reprehenderunt adulteria, Stanislaus, Lambertus, V. Candelab. Myſt. Tract. 8. lect. 9. pag. 947.

Cæci vident, leproſi mundantur, pauperes evangelizantur, &c. Quomodo Chriſtus primò rudes & pauperes inſtruxerit, ſic & alii Sancti, eorumque exemplo, id debent Paſtores facere. V. Virg. Aaronis, tract 4 lect. 2 & 3 pag 1050. Item, *Cæci vident*, dum incredulis illuminantur. Quomodo fides ſit lumen ſupernaturale. V. Hort. Paſt. Tract. 1. lect. 4. prop 2 & 3 pag 9. & 10.

Hominem mollibus veſtitum. De exceſſu veſtium. V. in Tuba Sacerdotali. Tract. 1. lect. 8 pag. 1163.

Arundinem vento agitatam. Tract. de firmitate fidei, & quomodo hæretici ſint arundines vento agitatæ. V. Hort. Paſt. tract. 1. lect. 5. pag. 12.

Dominica 3.

Tu quis es? De vera notitia ſui, ita ut quisque ſe debeat interrogare: *Tu quis es?* V. Virg. Aaron. tr. 3 lect. 7. in praxi de 1. gradu humilitatis. pag. 1044.

Quid baptizas, ſi tu non es Chriſtus? De baptiſmo Chriſti, ejus effectu, materia, forma, excellentia ſupra baptiſmum Joannis. V. Candel. myſt. Tract. 2. per varias lect. ubi ſeligere potes quæ tractes de baptiſmo, pag 649. & ſeqq.

Cujus non ſum dignus corrigiam ſolvere. De humilitate. V. Virg. Aar. tr. 3. lect. 7. pag. 1043. V. etiam Tub. Sacerd. tr. 1. l. ult pag 1174.

Dominica 4.

Prædicans baptiſmum pœnitentiæ. De pœnitentia neceſſaria poſt peccatum. V. Candelab. tract 5. l. 1. pag 794.

Parate vias Domini. Viæ Domini, Contritio, Confeſſio, Satisfactio, de quibus ſuſè, p 808 Poterit autem hic Concionator paucis explicare has tres vias, quibus ad Dominum imus. p. 794. & 808.

Omnis vallis implebitur, & omnis mons humiliabitur. Contra ſuperbiam, quomodo ejus murum dejecerit Dominus, V. Tub. Sacerd. tr. 1. per varias lect pag. 1141. & 1170.

Dominica infra Octavam Nativitatis.

Ecce poſitus eſt hic in ruinam & reſurrectionem multorum, & in ſignum cui contradicetur. V. Candel tr. 4. l. 3. p 709.

Et hæc vidua erat uſque ad annos octuaginta quatuor. De viduis & eorum pietate, V. Candel. tr. 8. l. 16. prop. 3. p. 980. & 978.

Et non diſcedebat de templo. De loco opportuno orationis in templis. Hort. Paſt. parte 2. tr. 2. l. 2. p. 298.

Dom 1. poſt Epiphaniam.

Aſcendentibus illis Hieroſolymam ſecundùm conſuetudinem diei feſti. De pietate diebus Dominicis & feſtis obſervanda, fuſè ſuper præcepto 3. Decal. in Hort Paſt. p. 505.

Remanſit puer in Hieruſalem, & non cognoverunt parentes ejus. De parentûm cura & officio erga liberos V. Candel. tr. 8. l 10. & ſeqq. p. 949. & 954

Deſcendit cum illis, & erat ſubditus illis. De obedientia parentibus & ſuperioribus præſtanda. Hort. Paſt. ſuper præcepto 4. Decal. pag. 517.

Dominica 2. poſt Epiph.

Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, & vocatus eſt ibi Jeſus. V. in Candel l. 4. de matrim. prop. 3. p. 926. Item de benedictione matrimonii Lect. 5. p. 929.

Vinum non habent. De infauſtis matrimonii. & eorûm origine, ac remediis, l. 3 p. 923. Item de conv. nuptialib. & eorum exceſſib. l. 5. prop. 4. p. 931.

Dominica 3 poſt Epiph.

Domine, ſi vis, potes me mundare. De fiducia magna quam habere decet, ut oratio ſit efficax, & quomodo illa cum humilitate debeat eſſe conjuncta:

Digitized by Google

I. Quamnam est justa causa? R. Si operetur à Deo, propter Deum, ut quis sit liber à peccatis.

I. Quando nam est illi etiam mortem sibi optare? R. Ex impatientia, & desperatione, aut alia passione inordinata.

Ex Lectione sexta & septima.

I. Quinam peccant contra hoc praeceptum? R. Quicunque procurant abortum.

I. Qui adhuc? R. Matres, quæ licèt non intendant vel procurent, tamen sunt causa.

I. Quomodo possunt esse causa? R. Per nimiam intemperantiam, per nimiam ira exardescentiam, per nimis gravia onera.

I. Quomodo mariti in hoc possunt peccare? R. Nimiâ sævitia uxores gravidas tractando.

I. Qua adhuc mulieres hic peccant? R. Quæ per negligentiam infantes in lecto suffocant.

I. Qui postremò consentur hoc peccare? R. Quicunque habent vel rixas, vel odia in proximum

I. Estne licitum duellum inter Nobiles? R. Nullo modo est licitum, sed omnibus Christianis est abominandum.

I. Quare? R. Quia est interfectio corporum & animarum.

Ex Lectione octava.

I. Die sextum præceptum: R. Non mœchaberis

I. Quid hic prohibetur? R. Omne peccatum immunditiæ & fornicationis.

I. Quare illud est detestandum? R. Quia violat in nobis templum Spiritûs Sancti.

I. Da & aliam rationem: R. Quia & membra nostra sunt membra Christi, & ideo non debent servire contaminationi.

I. Cuinam injuriam est, qui hoc peccatum committit? R. Consecrationi & Vnctioni acceptæ in Baptismo & Confirmatione.

I. Da & aliam rationem cur hoc peccatum sit fugiendum? R. Ob turpitudinem & ignominiam quam secum vehit

I. Da & tertiam: R. Ob vermem conscientiæ acerbissimè post torquentem.

Ex Lectione nona.

I. Estne adulterium gravius fornicatione? R. Est multò gravius.

I. Quare? R. Quia violat matrimonium, & injuriam facit Sacramento.

I. Estne adulter perjurus? Est, quia violat fidem juratam.

I. Quæ alia mala sequuntur ex adulterio? R. Turbatio pacis domesticæ, incertitudo prolis, odia, homicidia.

I. Quænam sunt adulterorum pœnæ? R. Exclusio à regno, & gehennæ ignis in futuro.

I. Quæ in præsenti? R. Maledictio parentum & prolium in vindictam paterni criminis

I. Quæ olim? R. Olim apud Judæos lapidatio erat decreta adulterio.

Ex Lectione decima & undecima.

I. Quæ sunt aliæ species hic prohibitæ? R. Incestus, Stuprum, Sacrilegium, Raptus, peccatum contra naturam.

I. Quid est incestus? R. Est commixtio inter consanguineos, vel affines.

I. Quid est stuprum? R. Est violenta virginis defloratio.

I. Quid est sacrilegium? R. Est commixtio cum persona Deo sacra, vel etiam commixtio quarumlibet personarum in loco sacro.

I. Quid est raptus? R. Est cùm persona vi abducitur in aliquem locum causa libidinis.

I. Quid est peccatum contra naturam? R. Est peccatum pollutionis voluntariæ, vel peccatum Sodomiæ.

I. Sunne hæc gravia peccata? R. Sunt gravissima.

I. Quomodo id declaratur? R. Ex vindicta divina super Sodomam & Gomorrham.

I. Quæ fuit illa vindicta? R. Ignis & sulphur, sæviéque omnis amarissima vastatio abominanda.

Ex Lectione duodecima.

I. Die septimum præceptum: R. Non furtum facies.

I. Estne furtum peccatum mortale? R. Est mortale in re notabili

I. Quomodo id ostenditur? R. Quia dicit Apostolus quòd fures & rapaces Regnum Dei non possidebunt.

I. Quare hoc peccatum dicitur periculosum? R. Quia quisquis est illo implicatus, non potest se extricare.

I. Quam obligationem specialem habet hoc peccatum? R. Habet obligationem restitutionis.

I. Quare? R. Quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

I. Damnantur ne multi propter hoc peccatum? R. Damnantur plurimi.

I. Quare hoc? R. Quia multi fraudant alios, & licèt postea pœniteant, non restituunt.

I. Quare multi antea divites, postea sunt pauperes? R. Hoc fit speciali Dei permissu.

I. Quomodo hoc? R. Quia sæpè contingit quod nimis citò & non sine justo modo ditescunt

I. Quæ causa solet deducere ad paupertatem? R. Bona aliena commixta propriis.

I. Sunne plures species furti? R. Sunt plures.

I. Enumera aliquas? R. Est furtum simplex, est rapina, est sacrilegium.

I. Quid est furtum simplex? R. Est occulta acceptio, & detentio rei alienæ.

I. Quid est rapina? R. Est acceptio violenta rei, præsente Domino.

I. Quid est sacrilegium? Est acceptatio rei sacræ, vel etiam rei non sacræ de loco sacro.

I. Quid ultrà hoc nomine furti intelligitur? Omne injustum lucrum, aut injusta negotiatio.

Ex Lectione decima tertia.

I. Quinam hoc præceptum transgrediuntur? R. Magnè & parvi, & omnes ferè fatim homines; pauperes & divites

I. Quare id dicis de magnis? R. Quia sæpè Principes variis exactionibus plebem injustè onerant.

I. Quid dicis de Magistratibus? R. Illi bona publica malè administrant, & in proprium commodum.

I. Quid

Digitized by Google

I. *Quid de Officiariis?* R. *Illi rapaces eſſe ſolent, & ſanguiſuga plebis.*

I. *Quid de Iudicibus, Advocatis, Procuratoribus?* R. *Iſti exorcoriant litigantes, & injuſta ſæpè exigunt ſtipendia.*

I. *Declara furta in privatis familiis?* R. *Mercatores ſuſtentant familias ſuas injuſto lucro.*

I. *Quid de filiis familias, ſervis, ancillis?* R. *Filij à parentibus, famuli & ancillæ multa furantur ab heris.*

I. *Oſtende furta inter plebeios?* R. *Artifices ſunt fraudulenti in ſuis operibus, & operarij in ſuis dictis.*

I. *Quid dicis de agricolis?* R. *Invadunt mutuò terminos agrorum, defraudant decimas, defraudant & heres.*

I. *Quid dicis de pauperibus?* R. *Hi ſub ſpecie paupertatis multa committunt furta.*

Ex Lectione decima quarta.

I. *Die octavum Præceptum?* R. Non falſum teſtimonium dices.

I. *Eſt-ne grave peccatum falſum teſtimonium?* R. *Eſt plùs grave.*

I. *Quare?* R. *Quia falſus teſtis peccat in Deum, in Iudicem, in Reum, in Rempublicam.*

I. *Quomodo corrumpuntur falſi teſtes.* R. *Amore, odio, timore, pecunia, ſeu cupiditate.*

I. *Nunquid Deus ſolet illa ſpuere?* R. *Multos punit publicè & cœleſti vindicta.*

I. *Prohibetur-ne hic ſolum falſum teſtimonium?* R. *Prohibetur & omnis perverſitas judicij.*

I. *Quomodo fit perverſio judicij,* R. *Per judices iniquos, iniqua ſententias pronunciantes.*

I. *Quid debent hi timere?* R. *Iuſtum Iudicem Deum, & ejus ultionem.*

I. *Per quos fit adhuc perverſio judicij?* R. *Per Advocatos, Procuratores, Notarios, falſa immiſcentes.*

I. *Peccant-ne hi omnes contra hoc præceptum?* R. *Omnino peccant, & ſæpè tenentur ad reſtitutionem.*

Ex Lectione decima quinta.

I. *Quid hic ultra dicta prohibetur?* R. *Temerarium judicium de proximo.*

I. *Quomodo hic prohibetur?* R. *Quia eſt quoddam quaſi teſtimonium falſum, quod ſuus homo reddit de proximo.*

I. *Eſt ne judicium temerarium mortale peccatum?* R. *Eſt mortale, ſi in re gravi firmiter judices ex levibus indiciis.*

I. *Quare hoc?* R. *Quia apud temſum cenſeris vilipendere proximum, ſine cauſa ſufficienti.*

I. *Unde ſolet provenire judicium temerarium?* R. *Ex odio, & invidia, aut ex corde malitia infecto.*

I. *Da & aliam radicem temerarij judicij?* R. *Superbia ſæpè illius dat occaſionem, quando aliquis alijs juſtior vult videri.*

I. *Qua ſunt remedia temerarij judicij?* R. *Se & ſua vitia conſpicere,*

I. *Quare hoc dicit remedium?* R. *Quia vanum eſt alios rigidè judicare, & vitia noſtra non agnoſcere.*

I. *Quare non eſt facile judicandum de aliis?* R. *Quia eſt uſurpare judicium Dei.*

I. *Da & aliam rationem?* R. *Quia ſigna quæ putamus certa, ſæpè ſunt falſiſſima.*

Ex Lectione decima ſexta.

I. *Die & alia peccata contra hoc præceptum?* R. *Omne mendacium repugnat huic Præcepto.*

I. *Quare repugnat?* R. *Quia eſt falſum quoddam teſtimonium.*

I. *Eſt ne mendacium ſemper mortale peccatum?* R. *Non ſemper, quia quandoque eſt officioſum vel jocoſum.*

I. *Quod vocas officioſum?* R. *Quod in nocumentum alterius non vergit, ſed tibi eſt proficuum.*

I. *Quod vocas jocoſum?* R. *Quod animi gratia dicitur, nulli nec officiens, nec proficiens.*

I. *Eſt-ne tunc peccatum?* R. *Tunc eſt veniale.*

I. *Die & alia peccata contra hoc Præceptum?* R. *Surſuratio, & adulatio huic præcepto repugnant.*

I. *Quid eſt ſuſurratio?* R. *Quando quis per blocutiones tollit amicitiam inter aliquos.*

I. *Eſt-ne hoc peccatum grave?* R. *Omnino grave eſt, quia odit Dominus ſeminantes diſcordias.*

I. *Quare & hæc prohibetur adulatio?* R. *Quia continet falſum teſtimonium, attribuendo alicui quod non habet.*

I. *Eſt-ne grave peccatum?* R. *Eſt valde pernicioſum apud Magnates.*

I. *Quare hoc?* R. *Quia ſæpè inſtigat ad male faciendum, vel detinet in peccatis.*

Ex Lectione decima ſeptima.

I. *Die & aliud peccatum ordinarium contra hoc præceptum?* R. *Eſt peccatum detractionis.*

I. *Quid eſt detractio,* R. *Eſt denigratio alterius famæ.*

I. *Eſt-ne iſtud etiam grave peccatum?* R. *eſt ſane malum peſtilens.*

I. *Quare?* R. *Quia ladit famam quam aliqui exiſtimant plus quam vitam.*

I. *Quanam mala ex detractione oriri ſolent?* R. *Odia, rixæ, homicidia.*

I. *Sufficit ne confiteri peccatum detractionis?* R. *Vtrà hoc oportet famam reſtituere.*

I. *Quare hoc?* R. *Quia damnum illatum proximo debet reſarciri.*

I. *Quomodo fiet reſtitutio famæ?* R. *Si falſum dixerit, illud revocando.*

I. *Sed quid ſi verum dixerit quis?* R. *Si non erat aliquo modo publicum, etiam tenetur famam reſtituere.*

I. *Quomodo hoc fiet?* R. *Excuſando illam opinionem quam imprœſſit apud alios.*

I. *Peccat-ne detractorem audiens?* R. *Si voluntariè audiat, peccat.*

I. *Quare peccat?* R. *Quia inducit ad detrahendum, vel ſibi complacet in detractione.*

I. *Quare cenſetur hoc grave peccatum?* R. *Quia alicno malo oblectari eſt contra charitatem.*

I. *Qui*

I. *Quid ergo faciendum dum alij detrahunt?* R. *Bonum est exterius offensionem non libenter audire.*

I. *Est-ne hoc facere?* R. *Saepius foret fructuosum, oportet & reprehendere.*

I. *Quid agendum si quis inferior?* R. *Oportet saltem cor tum contra detractionem stabilire, & in corde contristari.*

I. *Videnam si quod alij quotum facilè detrahant?* R. *Aliqui faciunt ex superbia, ut se prae aliis ostentent.*

I. *Dic & etiam rationem?* R. *Alij faciunt ex odio & ira, ut se vindicent.*

I. *Dic & tertiam rationem?* R. *Quidam ex vanitate & perculsa levitate, quicquid audiunt, in aliorum aures effundunt.*

I. *Peccant ne hi graviter?* R. *Omnino, quia debent advertere periculum famae aliorum.*

Ex Lectione decima octava.

I. *Dic nonum Praeceptum?* R. Non concupisces uxorem proximi.

I. *Dic decimum Praeceptum?* R. Non concupisces rem, neque agrum proximi tui, &c.

I. *Nunquid hoc aliis Praeceptis continetur?* R. *Imò, quia Praecepta*, Non moechaberis, &c. Non furtum facies, *idem prohibent.*

I. *Quare ergo idipsum repetitur?* R. *Quia aliqui putarent illis praecepta solum prohiberi actum externum.*

I. *Quid ergo volunt haec duo Praecepta?* R. *Significant Prohibitam esse voluntatem vel adulterandi, vel furandi.*

I. *Est-ne prohibita etiam delectatio in fornicatione aut adulterio cogitatio?* R. *Omnino est prohibita, si sit voluntaria.*

I. *Quare prohibetur si quis non habeat voluntatem deducendi ad effectum?* R. *Quia est delectatio de re illicita.*

I. *Est-ne ergo omnis cogitatio res illicita peccatum?* R. *Si non sit voluntaria, non est peccatum: sed est meritum, si resistimus.*

I. *Sed si quis sit negligens in resistendo?* R. *Tunc est veniale peccatum si adsit delectatio voluntaria.*

I. *Quando ergo est mortale peccatum?* R. *Si quis advertens consentit, vel voluntariè delectatur.*

Reliqua de tactibus, osculis, & similibus concupiscentiae actibus require in tractatu de Luxuria.

Finis ex Libro Tertio.

CATECHISTICÆ INTERROGATIONES
& respon. ex Tract. I. Lib. IV.

DE SS. ECCLESIÆ SACRAMENTIS.

Ex Lectione 1. & 2.

I. QUis est Auctor Sacramentorum? R. *Christus.*

I. *Quid est Sacramentum?* R. *Est invisibilis gratiae visibile signum, ad nostram justificationem institutum.*

I. *Quando Christus instituit Sacramenta?* R. *Instituit partim imminente passione, partim post passionem:*

I. *Cur instituit?* R. *In testimonium sui in nos amoris, & in remedium nostrae salutis.*

I. *Quot sunt Sacramenta?* Septem: *Baptismus, Confirmatio, Poenitentia, Eucharistia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium.*

I. *Sacramenta quibus ex partibus componuntur?* R. *Ex rebus velut materia, ex verbis velut forma, v. g. in Baptismo aqua est materia, Verba forma. Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti.*

I. *A quo sunt materia & forma Sacramentorum determinata?* R. *A Christo.*

Ex Lectione 3. 4 5. 6.

I. *Quis est Principium efficiens Sacramentorum?* R. *Gratia Dei.*

I. *Fuerunt-ne in omni statu Sacramenta?* R. *Etiam in lege Naturae & Moysis fuerunt Sacramenta.*

I. *Quis est Secundarius effectus Sacramentorum?* R. *Character impressus in anima.*

I. *Quot Sacramenta imprimunt Characterem?* R. *Tria: Baptismus, Confirmatio, Ordo.*

I. *Quis est minister Sacramentorum?* R. *Ordinarie est Sacerdos.*

I. *Quid requiritur in suscipiente Sacramenta?* R. *In adulto requiritur intentio & consensus.*

I. *Quid sentis de malo ministro?* R. *Malus conficit quidem Sacramentum, & administrat; sed conficiendo & administrando graviter peccat.*

EX TRACTATV II.

DE BAPTISMO.

Ex Lectione 1. 2. 3 4.

I. *Quae est materia Baptismi?* R. *Est aqua naturalis.*

I. *Quae sunt utilitates aquae benedictae?* R. *Venialium expiatio, insidiarum diabolicarum & damnorum depulsio.*

I. *Quae est forma Baptismi?* R. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

I. *Quinam sunt capaces Baptismi?* R. *Omnes homines, etiam infantes qui salvari nequeunt sine Baptismo.*

I. *Potest-ne supplere Baptismum aqua?* R. *Potest etiam in parvulis.*

I. *Quomodo hoc ostendis?* R. *Theologi triplicem distinguunt Baptismum, Flumine seu aqua, Flumine seu Spiritus S. & Sanguinis seu Martyrij.*

I. *Quid est Baptismus flaminis?* R. *Quando adultus habet in se desiderium efficax baptismi cum contritione & amore Dei super omnia.*

I. *Quid est Baptismus Sanguinis?* R. *Est martyrium quo effundimur sanguis pro Christo.*

Ex Lectione 5 6. 7.

I. *Qui sunt effectus Baptismi?* R. *Remissio peccati originalis & actualis, infusio gratiae, virtutum ac donorum Dei, omnis remissio poenae peccati.*

I. *Tollit-ne Baptismus concupiscentiam & penalitatem hujus vitae?* R. *Non tollit.*

I. *Debent-ne Patrini in Baptismo adhiberi?* R. *Ita ex ordinatione Ecclesiae.*

I. *Quod*

Digitized by Google

I. *Quod est officium patrinorum?* R. *Nomen puero imponere, eumque in suum curam suscipere.*

I. *Quotuplices sunt Baptismi caremoniæ?* R. *Triplices, quædam sunt præcedentes, ut insufflatio, Crux in fronte, & pectore Baptizandi, &c. Orationes, Salivæ. Comitantes, ut abrenuntiatio Satanæ, Vestitio. Interrogatio, an credat in S. Trinitatem, an velit baptizari. Subsequentes, ut Chrismatis unctio, vestis candida, cereus accensus.*

Ex Tractatu Tertio.

DE CONFIRMATIONE.

Ex Lectione 1. 2 3.

I. *Confirmatio est ne Sacramentum?* R. *Ita.*

I. *A quo, & quando est institutum?* R. *à Christo in ultima cœna.*

I. *Quæ est materia confirmationis?* R. *Est. Chrisma sive oleum balsamo mixtum ab Episcopo benedictum.*

I. *Quæ est forma Confirmationis?* R. *Consigno te signo Crucis, & confirmo te Chrismate Salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

Ex Lectione 4. 5 6.

I. *Qui sunt effectus Confirmationis?* R. *Gratia & character.*

I. *Qui sunt ministri hujus Sacramenti?* R. *Soli Episcopi.*

I. *Qui sunt capaces hujus Sacramenti?* R. *Omnes Baptizati.*

I. *Quæ sunt Cæremoniæ confirmationis?* R. *Manus impositio, alapæ infictio, Patrinus.*

Ex Tractatu IV.

DE EUCHARISTIA.

Ex Lectione 1. 2. 3. 4.

I. *Qui, & ubi instituit hoc Sacramentum?* R. *Christus, in ultima cœna.*

I. *Quæ sunt causæ institutionis hujus Sacramenti?* R. *Ut esset memoriale 1. Mirabilium perfectionum Dei. 2. Misteriorum veteris Testamenti ac novi.*

I. *Quomodo Christus in hoc Sacramento præsens est?* R. *Verè, realiter, substantialiter.*

I. *Quæ mirabilia contineantur in hoc Sacramento?* R. 1. *Transubstantiatur panis & vinum in corpus & sanguinem Christi. 2. Accidentia remanent sine subjecto. 3. Corpus Christi sub his speciebus est, aquè magnum ac in cœlo. 4. Est totum sub hostia, etiam sub qualibet parte hostiæ. 5. Est simul in diversis locis.*

Ex Lectione 5. 6 7.

I. *Quæ est materia Eucharistiæ?* R. *Panis & vinum.*

I. *Quænam forma?* R. *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus.*

I. *Quo cultu est adoranda Eucharistia?* R. *Cultu Latriæ qui Deo debetur.*

I. *Recte ne panibus festo Eucharistia colitur?* R. *Recte. 1. ut cultu exteriore interiorem testamur, fidemque nostram profitemur. 2. Ut passionis mortisque Christi victoriam rememoremur. 3. Ut festo lætitiæ solemnitatis Agni in cœlo peragendæ.*

I. *Quinam sumunt hoc Sacramentum?* R. *Christus præceptum dedit fidelibus illud sumendi.*

Ex Lectione 8. 9. 10. 11. 12.

I. *Quæ dispositio requiritur ad Eucharistiam sumendam?* R. *Communicans debet esse in statu gratiæ.*

I. *Impedit-ne peccatum veniale accessum ad Eucharistiam?* R. *Non impedit, sed tamen impedit effectum aliquem hujus Sacramenti.*

I. *Quomodo quis se gerere post Communionem?* R. *Obeundæ sunt orationes jaculatoriæ, gratiarum actio in Deum, aliique pij effectus excitandi.*

Ex Lectione 13. 14. 15.

I. *Est-ne à laicis utraque species sumenda?* R. *Fuit olim concessa, jam verò usus Calicis justis de causis subtractus.*

I. *Quænam sunt illæ causæ?* R. *Consulitur Reverentiæ Sacramenti, ne interdum sanguis Christi effundatur. 2. Sunt quidam abstemij. 3. In quibusdam locis est magna vini penuria. 4. Ne simpliciores credant Christum non contineri integre sub altera specie.*

I. *Est-ne Eucharistia etiam sacrificium?* R. *Est sacrificium quod nos Missam vocamus.*

I. *Potest-ne probari Missam esse sacrificium novæ legis?* R. *Etiam ex scripturis vet. & novi testamenti.*

I. *Cur instituum est hoc sacrificium?* R. 1. *Per hoc exhibetur Deo maximus cultus. 2. Hoc prodest Beatis ad honorem & gaudium.*

I. *Est-ne valde excellens nostrum sacrificium?* R. *Est excellentissimum.*

I. *Unde id probas?* R. *Nostrum sacrificium est Holocaustum, est Eucharisticum, & Impetratorium, & Propitiatorium.*

Ex Tractatu quinto.

DE POENITENTIA.

Ex Lectione 1. 2. 3.

I. *Quis instituit hoc Sacramentum?* R. *Christus post resurrectionem suam.*

I. *Est-ne hoc Sacramentum necessarium?* R. *Est necessarium relapsis post baptismum.*

I. *Quid confert pœnitentia?* R. *Remittit peccata, & restituit merita priora & gratiam.*

I. *Quid excitat ad pœnitentiam?* R. *Gratia, sine qua homo pœnitere nequit, & quam Deus nulli negat.*

I. *Quot sunt partes Pœnitentiæ?* R. *Tres sunt ejus partes materiales, Contritio, Confessio, & Satisfactio.*

Ex Lectione 4 5. 6.

I. *Quid est Contritio?* R. *Est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.*

I. *Quæ requiruntur ad perfectam contritionem?* R. *Dolor seu detestatio peccati. 1. Ex sincero cordis affectu. 2. Ob Deum offensum ceu summum Bonum 3. Cum spe veniæ. 4. Cum firmo propositio emendationis.*

Digitized by Google

I. *Vnde oriuntur infausta matrimonia? R Ex cæcis*
1 *ex defectu examinis personæ, cum qua vivendum*
2. *Ex defectu orationis & consultationis cum Deo.*
3. *Ex inæqualitate vitæ & morum.* 4 *Ex mala vita præterita*

I. *Quæ dispositio requiritur ad matrimonium ineundum? R. A. cedens ad conjugium debet* 1. *esse in statu gratiæ.* 2. *Rectam intentionem habere.* 3. *Se disponere piis operibus.*

Ex Lectione 5. 6. 7.

I. *Quid interrogatur ante matrimonium? R. Quæritur*
1. *An votum castitatis emiserint.* 2. *An fidem alteri dederint.* 3. *An sit parentum consensus?*

I. *Quis sunt ritus matrimonii? R Dextera contrahentium stolâ colligantur* 2. *Annulus in quartum digitum sponsæ inseritur.* 3. *Mutuus consensus exprimitur.* 4. *Sacerdos conjugibus benedictionem impertitur* 5 *Instruuntur convivia nuptialia.*

I. *Repetitur ne matrimonium spirituale? R. Etiam, atque anima cum Christo*

I. *Quomodo hæc desponsatio fit? R. Per votum Castitatis.*

I. *Quales debet esse amor conjugalis? R Debet esse perfectus secundum Deum, v.g. quod alteri est gratum, procurare, bene de se mutuo loqui, se sufferre, invicem solari, juvare.*

Ex Lectione 8. 9. 10.

I. *Peccatur ne in amore conjugali? R Peccatur* 1. *per excessum, si ex amore sit Præceptum Dei violatur.* 2. *Per defectum, si amor iste desinat in zelotypiam.*

I. *Quæ castitas in conjugio servanda? R Hic* 1. *excluditur omnem alterius immissis concupiscentiam.* 2 *Restringit immoderatum usum conjugii, sola voluptatis causa.*

I. *Quot sunt bona matrimonii? R Tria: Proles, fides tum in cohabitatione, tum in reddendo debito: Sacramentum in vinculo charitatis & insolubilitate.*

Ex Lectione 11 12. 13.

I. *Quæ circa prolem præstanda sunt parentibus? R.* 1. *Possunt prolem desiderare.* 2. *Cura ejus habenda in utero.* 3. *Ab utero ut baptizetur.*

I. *Quæ institutio prolis incumbit parentibus? R.* 1. *Proles ubi adolescit in pietate instituenda.* 2. *Corrigenda est.*

I. *Quales debet esse correctio? R Discreta sit, & monitionis junctum vitæ bonæ exemplum.*

I. *Quod est munus parentum erga prolem? R Parentes* 1. *proles Deo offerant.* 2 *Doceant orare.* 3 *Instruant in rebus fidei & pietatis, v. g. Doceant mandata Dei, confitendi modum.*

Ex Lectione 14. 15. 16.

I. *Est-ne solubile matrimonium Christianorum? R. Consummatum est omnino insolubile: non consummatum solvi potest per alterutrius ingressum religionis.*

I. *Sunt-ne aliæ causæ, per quas solvitur matrimonium quoad thorum? R. Solvi potest* 1. *ob alterutrius adulterium.* 2. *Ob furorem aut sævitiam.* 3. *Ob lapsum in hæresin.* 4. *Ob grave periculum animæ.*

I. *Quæ sunt impedimenta matrimonii? R impedimenta sunt duplicia:* 1. *impedientia tantum.* 2. *impedientia & dirimentia.*

I. *Quæ sunt impedientia & dirimentia?*

R. Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas Vis, Ordo, Ligamen, Honestas.
Si sis Affinis, si forte coire nequibis.
Hæc jungenda vetant connubia: facta retractant.

I. *Quæ sunt impedientia & dirimentia.*

R Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum.
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

I. *Quando solvitur matrimonium? R. Morte alterius conjugis.*

I. *Manet-ne libertas tunc ad nuptias alterius?*
R. Manet.

I. *Est-ne viduitas matrimonio perfectior? R. Est illa, quæ amore Continentiæ & propter Deum suscipitur.*

CATECHISTICÆ INTERROGATIONES & Responsiones ex Tuba Sacerdotali.

Ex Tractatu primo.

DE PRIMO VITIO CAPITALI.

Ex Lectione 1. 2. 3. 4.

I. *Quot enumerantur vitia capitalia? R. Septem.*
1. *Dic primum? R. Primum est Superbia.*

I. *Quid est Superbia? R. Est perversa celsitudinis inordinatus appetitus.*

I. *Quare vocatur vitium capitale? R. Quia est radix, initium, & caput multorum peccatorum.*

I. *Quare superbia recensetur primum inter omnia capitalia? R Quia fuit primum peccatum Angeli in Cælo, & hominis in Paradiso.*

I. *Quâ pœnâ illud peccatum punit Deus? R. Quia se elatores suos vult elevare in cœlum superbiæ, detrahitur illa cum ipsis ad infernos.*

I. *Quare superbia vocatur altissimum peccatum?*
R. Quia erigit se contra Deum, usque ad ejus contemptum.

I. *Quare etiam dicitur profundissimum peccatum? R. Quia usque ad profundissima peccata mergit hominem.*

I. *Declara id: R. Deducit homines usque ad hæreses, & atheismum, qui est centrum peccatorum.*

Ex Lectione quinta.

I. *Habet ne superbia aliquas sub se species, sive filias? R Habet plurimas.*

I *Recense aliquas. R. Vana gloria, jactantia, ambitio, hypocrisis.*

I. *Quid est vana gloria? R. Est appetitus inordinatus humanæ laudis.*

I. *Quid est jactantia? R. Est inanis & stulta sui ipsius prædicatio, dicendo de se plus quam est, vel plus quam decet.*

Digitized by Google

I. Eſt-ne gloria vana & jactantia ordinariè peccatum mortale? R. Non eſt.

I. Quando ergo cenſetur mortalis jactantia vel gloriatio? Quando quis jactat ſe, vel gloriatur de peccato mortali.

I. Quando adhuc? Quando redundat in grave præjudicium proximi.

I. Declara exemplo? R. Sic Medicus imperitus jactans ſuam ſcientiam poteſt ægris graviter nocere.

I. Quid eſt ambitio? R. Eſt honoris ſeu præeminentiæ immoderata cupiditas.

I. Eſt-ne illa periculoſa? R. Eſt omnino periculoſa, ſi quis indignus ambiat officia vel Eccleſiaſtica, vel etiam politica.

I. Quid eſt hypocriſis? R. Eſt ſimulatio, quia quis ſe juſtum ſimulat, vel juſtiorem quàm ſit.

Ex Lectione ſexta & ſeptima.

I. Dic & alias ſpecies ſuperbiæ? R. Arrogantia, tumor, præſumptio, deſpectus aliorum.

I. Quare vocas filias ſuperbiæ? R. Quia ex ſuperbia tanquam matre originem ducunt.

I. Quid eſt arrogantia? R. Eſt exiſtimatio ſui cum inſolentia & temeritate conjuncta.

I. Quid eſt tumor? R. Eſt, ex arrogantia mentis inflatio ſuperba.

I. Quid eſt Præſumptio? R. Eſt cum quis corde elato attentat aliquid ſupra vires.

I. Cujnam ſimiles ſunt qui alios contemnunt? R. Superbo Phariſæo, qui dicebat: Non ſum ſicut cæteri hominum.

I. Dic & alias adhuc ſuperbiæ filias? R. Pertinacia, diſcordia, inobedientia, ingratitudo.

Ex Lectione octava.

I. Eſt-ne ſuperbia valde communis vitium? R. Eſt omnino commune.

I. Declara? R. Quia Nobilibus eſt agnata ſuperbia, item divitibus, item in ſexu muliebri illa regnat.

I. Declara ulterius? R. Arrogantia eſt communis juvenibus, eſt etiam frequenter inter doctos, imò interſerit ſe inter pios.

I. Quomodo hæc? R. Quia gloriari ſolent in doctrina ſua, aut pietate.

Ex Lectione nona, decima, undecima.

I. Quænam ſunt remedia contra ſuperbiam? R. Sunt multiplicia.

I. Dic primum? R. Conſiderare ſeipſum, & propriam ſuam originem, & vilitatem.

I. Dic ſecundum? R. Conſiderare nos nihil habere niſi à Deo, unde in nullo poſſumus gloriari.

I. Dic tertium? R. Conſiderare, brevem finem omnium rerum hujus ſæculi in morte.

I. Dic quartum? R. Conſiderare pœnas futuras ſuperborum.

I. Dic quintum? R. Conſiderare maledictiones in hac vita, & in morte ipſis contingentes.

Ex Lectione duodecima.

I. Qua eſt virtus oppoſita ſuperbiæ? R. Eſt humilitas.

I. Quem eam nos primò edocuit? R. Chriſtus Dominus verbo & exemplo.

I. Quando verbo? R. Quando dixit beatos eſſe pauperes, ſive humiles in ſpiritu.

I. Quando exemplo? R. Quia tota vita ſua humilitatem coluit, à præſepio uſque ad crucem.

I. Quæ ſunt filia humilitatis? R. Contemptus ſui, fugæ laudum, agnitio propriæ peccati, & propriæ infirmitatis.

I. Dic & alias filias? R. Patientia in injuriis, modeſtia in inceſſu & verbis, abnegatio propriæ judicii & voluntatis.

INTERROGATIONES ET RESPONSIONES ex Tractatu II.

DE AVARITIA.

Ex Lectione prima, ſecunda, tertia.

I. Dic ſecundum capitale vitium? R. Eſt Avaritia.

I. Quare vocatur capitale? R. Quia ipſa etiam eſt caput multorum peccatorum.

I. Quid eſt Avaritia? R. Eſt immoderatus appetitus exteriorum bonorum.

I. Quotuplex eſt Avaritia? R. Eſt duplex.

I. Declara? R. Una opponitur liberalitati, altera juſtitiæ.

I. Quænam opponitur juſtitiæ? R. Quando quis ex immoderata cupiditate etiam aliena invadit, vel detinet.

I. Quænam liberalitati ſolum? R. Quando quis nimis amat propria, nimis ardenter eadem quærit.

I. Eſt-ne peccatum mortale avaritia? R. Quando quis alienum quærit vel retinet ex avaritia, ſolet eſſe mortale.

I. Quare avaritia vocetur idolorum ſervitus? R. Quia avari ſolent plus amare pecuniam quàm Deum.

I. Quomodo hoc? R. Quia ob amorem pecuniæ negligunt Deum & divina.

I. Quorum malorum ſolet eſſe cauſa avaritia? R. Perjuriorum, Sacrilegiorum, homicidiorum, proditionum, & multorum ſimilium.

Ex Lectione 4. 5. 6. 7. 8.

I. Habet-ne avaritia multas ſpecies & filias? R. Habet multas.

I. Enumera aliquas? R. Obduratio & immiſericordia erga inopes, inquietudo, negligentia divinorum, fiducia in rebus præſentis ſæculi.

I. Dic & alias? R. Vjura, fraudulentia, mendacium, periurium.

I. Quare vocas hæc omnia filias avaritiæ? R. Quia ex avaritia earum habent.

I. Sunt-ne adhuc aliæ ejus filiæ? R. Sunt, & quidem omnium peſſimæ.

I. Dic ergo totam genealogiam? R. Fraudulenta decimatio, furtum, rapina, ſacrilegium, oppreſſio proximi, mercenariorum defraudatio, ſimonia.

Digitized by Google

Ex Lectione nona.

I. *Eſt-ne avaritia vitium valde commune? R. Eſt omnino, quia omnes fere ſtatus & conditiones hominum infecit.*
I. *Declara in particulari? R. Magnates & Nobiles per avaritiam opprimunt ſubditos.*
I. *Die ulterius? R. Judices, Advocati, Procuratores exiguntur remunera.*
I. *Quid de mercatoribus? R. Ob avaritiam ſæpe exponunt pereuntio vitam ſuam.*
I. *Quid de divitibus hujus ſæculi? R. Domum domui, agrum agro copulant ex avaritia.*
I. *Sunt-ne & pauperes avari? R. Sunt multi.*
I. *Quomodo poſſunt eſſe avari cum non habeant? R. Quia multi eorum ardent cupiditate, licet careant facultate.*

Ex Lectione decima, undecima, duodecima.

I. *Quænam ſunt remedia contra avaritiam? R. Sunt multiplicia.*
I. *Die primum? R. Conſiderare multiplices maledictiones, quæ in Scripturis in avaros feruntur.*
I. *Die ſecundum? R. Conſideratio mortis, quando omnes opes finientur.*
I. *Die tertium? R. Conſideratio laqueum ingratorum quibus opes acervantur.*
I. *Die quartum? R. Conſideratio bonorum æternorum, ad quæ creati ſumus.*
I. *Die quintum? R. Conſideratio remorſuum conſcientiæ & infelicis mortis in avaris.*
I. *Die ſextum? R. Conſideratio pœnarum futuri ſæculi.*

Ex Lectione decimatertia.

I. *Quænam virtutes opponuntur avaritiæ? R. Sunt multæ.*
I. *Die primam? R. Liberalitas ei opponitur, qua novit diſtribuere opes.*
I. *Die ſecundam? R. Juſtitia ei opponitur, qua reddit unicuique quod ſuum eſt, nec avare concupiſcit aliena.*
I. *Die tertiam? R. Miſericordia & beneficentia in egenos, qua exhaurit opes, ne in fiſco thæſaurizet.*
I. *Die quartam? R. Paupertas ſpiritus, qua contemnit omnia præſentia, nec illis inhæret.*

INTERROGATIONES ET RESPONSIONES ex Tractatu I. I.

DE LUXURIA.

Ex Lectione prima, ſecunda, tertia.

I. *Die tertium vitium capitale? R. Eſt luxuria.*
I. *Quid eſt luxuria? R. Eſt inſana libidinis inordinatus appetitus.*
I. *Quare dicitur capitale vitium? R. Quia caput & receptaculum omnium malorum & vitiorum.*
I. *Eſt-ne luxuria grave peccatum? R. Eſt coram Deo & hominibus fœdiſſimum.*
I. *Unde nobis ori poſſit ejus gravitas? R. Ex variis vindictis à Deo propter eam immiſſis.*
I. *Quænam illa vindicta? R. Diluvium, excidium Sodomæ & Gomorrhæ, & ſimilia.*

Ex Lectione quarta.

I. *Qui ſunt gradus luxuriæ? R. Cogitatio prava, delectatio, conſenſus, operis patratio frequentatio.*
I. *Quid deinde ſequitur? R. Conjunctio malæ operis, ac quædam quaſi neceſſitas.*
I. *Quid denique? R. Deſperatio melioris vitæ, & pernicies æterna.*

Ex Lectione 5. 6. 7.

I. *Habet-ne luxuria multas ſpecies, vel ſtatus? R. Habet ſpecialiſſimas.*
I. *Recenſe aliquas? R. Fornicatio, adulterium, ſtuprum, ſacrilegium, raptus, inceſtus, ſcelerum, peccatum contra naturam. De his diximus in præcepto 6.*
I. *Recenſe & alias? R. Affectus impuricus, impiloquium, cantus lubricus, eſcula, contactus.*
I. *Quid ſunt omnia iſta? R. Sunt luxuriæ ſpecies imperfectæ.*
I. *Sunt-ne hæc peccata mortalia? R. Sunt ſæpe talia.*
I. *Quare? R. Quia ordinantur ad actum perfectum luxuriæ.*

Ex Lectione octava.

I. *Eſt-ne hoc vitium valde commune? R. Eſt communiſſimum omni ſtatui.*
I. *Quare hoc dicis? R. Quia ſubvertit Reges & Principes, Sapientes & judices, mares & fœminas, Sacerdotes & Religioſos.*
I. *Unde hoc ſit? R. Quia natura noſtra libidini eſt inſita, niſi ſuperetur.*
I. *Poteſt-ne ergo ſuperari? R. Omnino per auxilium Dei.*
I. *Dat-ne omnibus Deus auxilium iſtud? R. Non negat ſe petentibus.*

Ex Lectione 9 10. 11.

I. *Quæ ſunt remedia contra hoc peccatum? R. Sunt multiplicia.*
I. *Die primum? R. Conſideratio maledictionum, quas Deus in Scripturis intorquet in luxurioſos.*
I. *Die ſecundum? R. Conſideratio fœditatis & vilitatis hujus peccati.*
I. *Die tertium? R. Conſideratio indignitatis, quam inducit homini Chriſtiano, contra ejus conſiderationem & inſtitutum.*
I. *Die quartum? R. Conſideratio remorſus conſcientiæ, voluptatem ſæpe ſubſequentis.*
I. *Die quintum? R. Conſideratio mortis, judicii, & aliorum noviſſimorum.*
I. *Die ſextum? R. Oratio fervens, cum humiliate conjuncta, ad Chriſtum & Virginem.*
I. *Die ſeptimum? R. Conſideratio Dei ut Judicis præſentis, & Angeli teſtis, ut non peccet.*

Ex Lectione duodecima.

I. *Quæ eſt virtus oppoſita luxuriæ? R. Continentia & Caſtitas.*
I. *Quis eam nos docuit? R. Chriſtus & Maria ejus Mater, ſemper Virgo.*

Digitized by Google

I. Quid? Pertinacia & restina? R. Est virtus seu vitium, in secta infrena impetum habens.

I. Quomodo colitur Deus & Angelus gratia? R. Quia Deus creavit gratias vitæ Angelis, vel sibi & aliis.

I. Quomodo potest esse vitia conservari? R. Orationem, vigilantiam, & corporis mortificationem.

2. Quemplex est Continentia, vel Castitas? R. Est triplex.

I. Quænd? R. Est virginalis, vidualis, conjugalis.

INTERROGATIONES ET RESPONSIONES ex Tractatu IV.

DE INVIDIA.

Ex Lectione prima, secunda, tertia.

I. Dic quartum Vitium capitale? R. Est Invidia.

I. Quid est Invidia? R. Tristitia de bono alterius, quatenus bonum alterius ejicere impedimentum.

I. Quare dicitur vitium capitale? R. Quia est fecundissima vitia fœtus generans.

I. Quis est author primus invidiæ? R. Satan.

I. Quare? R. Quia invidus bonitati divinæ gloriosam resistentiam præstitit.

I. Quare tales invidit? R. Quia homo debebat esse beatificandus, quam ipse amisit.

I. Est-ne ergo invidia gravis vitium? R. Est planè diabolicum.

I. Cur hoc dicis? R. Quia invidia & superbia sunt primariæ hæreses quibus regnum cœlorum fuit diabolis.

I. Quid est invidere regnum cœlis Dei? R. Non desiderare hæreditatem.

I. Quæ sunt mala prodeuntia invidia? R. Mala innumerabilia.

I. Dic aliqua? R. Parricidia & fratricidia, quorum finitus.

I. Quomodo hoc ostendis? R. In Cain, qui ex invidia fratrem occidit.

I. Da & aliud exemplum? R. In fratribus Ioseph, qui voluerunt eum occidere, & postea eum vendiderunt.

I. Dic exemplum contra Patrem? R. In Filio Dei, quam invidiæ Crucifixit.

Ex Lectione quarta.

I. Habet-ne mala invidia filias? R. Habet plurimas.

I. Dic aliquas? R. Odium, susurratio, detractio, judicium temerarium, prava interpretatio.

I. Dic & alias? R. Contentio, contemptus, contumelia, calumnia, convitium, improperium, confusio, & similia.

I. Dic omnia propriè dicta filias invidiæ & ejus primogenita? R. Est malitia in animo proximi, tristitia in ejus prosperis.

Ex Lectione quinta.

I. Est-ne hoc vitium valde commune? R. Est planè.

I. Declara? R. Quia ubi superbia regnat, ibi tutum erit ibi regnat & invidia.

I. Quis non erat invidus? R. Nobiles Nobilibus, divites divitibus, artifices divitibus.

I. Quomodo hoc fit? R. Quia est manet alterum nobilitatem, vel doctrinam, vel opulentiam diminuere putant.

I. Quinam ultra ad invidiam sunt prona? R. Opifices & scriptores.

I. Quomodo id dicis? R. Quia singuli singulum odit, favet fabrum suum extimat.

I. Quomodo? R. Ex eo quod quilibet unus accedit lucem, dum videtur videre.

Ex Lectione sexta, septima, & octava.

I. Quot sunt species contra invidiam? R. Sunt multæ species.

I. Dic primum? R. Consideratio maledictionum contra invidos in Scripturis.

I. Dic secundum? R. Consideratio fraternitatis quæ debet esse inter homines, tum ob eandem naturam, tum ob redemptionem & participationem.

I. Dic & tertium? R. Consideratio accommodatæ boni vitæ, diabolo nos similes reddentis.

I. Dic quartum? R. Consideratio mali, quod sibimet ipsi inducit, qui in gloriæ fratrum invidet.

I. Quomodo hoc intelligis? R. Quia invidia solet cruciare pœnarum earum vehementer.

Ex Lectione nona.

I. Quæ est virtus opposita invidiæ? R. Charitas.

I. Quomodo hoc? R. Quia ubi charitas regnat, non potest regnare invidia.

I. Da exemplum? R. Quia Charitas benigna est, non æmulatur, non inflatur, non quærit sua alienum.

I. Quæ ergo agis? R. Redde omnes servos malæ, gaudes de profectibus aliorum, adjuvat eos quantum potest.

INTERROGATIONES ET RESPONSIONES ex Tractatu V.

DE GULA.

Ex Lectione prima, secunda, tertia.

I. Dic quartum Vitium capitale? R. Est Gula.

I. Quid est Gula? R. Est appetitus inordinatus cibi & potus.

I. Quare vocas capitale vitium? R. Quia est mater aliorum vitiorum.

I. Est-ne grave vitium? R. Est grave propter mala quæ generat.

I. Quod est maximum eius malum? R. Quod gulosi ventrem pro Deo sæpe amant colere.

I. Quare hoc? R. Quia ut ventri serviant, non curant Dei gratiam perdere.

I. Quid aliud ex gula sequitur? R. Rixæ, perjuria, homicidia.

I. Quomodo hoc probas? R. Quia dicit Sapiens: plures occidit crapula quam gladius.

I. Posses-ne & hoc ostendere? R. Sunt quotidiana hæc facta exempla.

Ex

Ex Lectione quarta.

I. Suntne multa filia gulæ? R. Sunt plurima.
I. Recenſe aliqua: R. Inepta lætitia, multiloquium, ſcurrilitas, immunditia, mentis & corporis hebetudo.
I. Quare vocas filias? R. Quia hæc infœlices matres generantur.
I. Quomodo hoc oſtendis? R. Experientia nimis nota eſt, de multiloquio, vana lætitia, & ſubſequente hebetudine ex convivio.
I. Quid vocas immunditiam? R. Oris eructationem, & fœtorem, vel etiam vomitus horrorem.

Ex Lectione 5. 6. 7.

I. Vndenam oriuntur dicta mala? R. Maximè ex ebrietate.
I. Eſtne illa mortale peccatum? R. Eſt mortalis, ſi ſit perfecta.
I. Quando vocas perfectam? R. Quando quis advertenter ſe ratione uſu prevat nimiopotu.
I. Quid ſi quis non ſit privatus totaliter? R. Etiam poteſt peccare mortaliter, ſi periculo voluntariè ſe expoſuit.
I. Qui ſunt tales? R. Qui magnam partem diei & noctis in poculis conſumunt, an ebrietas ſit ſecutura non curantes.
I. Contra quid præceptum peccant ebrii, ſive ebrioſi? R. Contra amore.
I. Quomodo contra primum & ſecundum? R. Quia Deum non curant, ſolumque Deum blaſphemare, & jurare.
I. Quomodo contra tertium? R. Quia feſtos dies & officia divina ſolent negligere.
I. Quomodo contra quartum? R. Quia juvenes ebrioſi parentibus juris inobedientes, & viri uxoribus rebelles.
I. Quomodo contra quintum? R. Quia rixas & homicidia ſolent excitare.
I. Quomodo contra ſextum? R. Quia in libidines ſolent proniſſe, & in turpiloquia.
I. Quomodo contra ſeptimum? R. Quia aliena ſæpè conſumunt, & debitis ſe onerant.
I. Quomodo contra octavum? R. Quia ſolent detractionibus inſcire proximi vacare.
I. Quomodo contra nonum & decimum? R. Quia alienas uxores ſæpè concupiſcunt, reſque alienas.
I. Eſtne hoc vitium valdè commune? R. Experientia docet quàm ſit commune, nec eſt opus probare.

Ex Lectione 8. 9. 10.

I. Quæ ſunt remedia contra gulam? R. Sunt plurima.
I. Dic primum:
R. Conſideratio maledictionum, quas incurrunt in hac vita & futura.
I. Dic ſecundum:
R. Conſideratio abſtinentiæ Chriſti pro gulæ peccatis ſatisfacientis.
I. Dic tertium:
R. Conſideratio Sanctorum, qui crucifixerunt carnem cum concupiſcentiis.
I. Dic quartum:
R. Conſideratio brevitatis & vilitatis quæ in delectatione gulæ reperitur.
I. Dic quintum:
R. Conſideratio vermium conſcientiæ, & incommodorum totius corporis.

Ex Lectione undecima.

I. Quæ eſt virtus oppoſita gulæ? R. Sobrietas & temperantia.
I. Quid eſt temperantia?
R. Eſt virtus cohibens appetitum ab his quæ turpiter appetuntur.
I. Quis nos eam docuit?
R. Chriſtus Dominus.
I. Quis poſt ipſum? R. Omnes Sancti caſtigati ſunt, & coluerunt.
I. Quid illa in nobis producit? R. Sanitatem corporis, & ſanctitatem mentis.

INTERROGATIONES ET RESPONSIONES ex Tractatu VI.

DE IRA.

Ex Lectione prima, ſecunda, & tertia.

I. De ſextum vitium capitale:
R. Eſt ira.
I. Quid eſt ira? R. Si in malum arcipiatur, eſt immoderata animi appetitus vindictæ vel pœnitionis.
I. Quare dictus, ſi in malum accipiatur? R. Quia non omnis ira eſt mala.
I. Quomodo hoc? R. Sicut poteſt eſſe juſta punitio & vindicta, ſic & ira.
I. Declara id in particulari:
R. Poteſt juſtè iraſci Pater filio, Herus ſervo, præceptor diſcipulo.
I. Quæ ergo ira condemnatur? R. Injuſta & immoderata.
I. Eſtne hæc grave peccatum? Quandoque eſt graviſſimum, quia & in Deum, & in Sanctos ſe erigit blaſphemando.
I. Quare dicitur capitale? R. Quia multa alia peccata generat, ut patet in homicidiis, parricidiis, fratricidiis, & ſimilibus.

Ex Lectione 4. & 5.

I. Suntne multa filia iræ? R. Sunt plurima.
I. Recenſe aliqua: R. Odium, indignatio, tumor, diſcordia, furor, crudelitas,
I. Dic & alias:
R. Clamores, minæ, contumelia, calumnia, maledictiones, voces blaſphemæ.
I. Eſtne hoc vitium valde commune? R. Eſt omnium.
I. Quare? R. Quia ineſt homini appetitus irascibilis, qui facilè ſine moderatione commotus.

I. Quæ

I. Quot ſunt genera iracundorum? R. Sunt quatuor.
I. Dic primos: R. Sunt qui facilè irascuntur, & facilè placantur.
I. Dic ſecundos: R. Sunt alii, qui tardè irascuntur, ſed iram ſtrenuè fovent.
I. Dic tertios: R. Sunt qui citò irascuntur, & tardè iram deponunt.
I. Dic poſtremos: R. Sunt qui tardè irascuntur, & citò placantur.

Ex Lectione ſexta, ſeptima & octava.

I. Quæ ſunt remedia contra iram? R. Sunt multiplicis generis.
I. Dic primum: R. Conſideratio miſeriarum tam in hac, quàm in futura vita ira vacundos.
I. Dic ſecundum: R. Conſideratio malorum, quæ ingenerare ſolet animo niſi evitentur.
I. Dic tertium: R. Conſideratio bonitatis & mansuetudinis divinæ, ad iram deponendam nos invitantis.
I. Dic quartum: R. Conſideratio patientiæ Chriſti & Sanctorum.
I. Dic quintum: R. Conſideratio fraternitatis cum proximo, quæ ſæpè per iram diſſolvitur.

Ex Lectione nona.

I. Quæ virtus opponitur iræ? R. Patientia.
I. Quot habet actus in nobis patientia? R. Linguam frænat, mentem gubernat, pectus cuſtodit.
I. Da & altiſſimus actus? R. Aliena mala æquanimiter tolerat, bonum pro malo reddit, omnem impetum animi frangit.
I. Dic & poſtremos ejus actus? R. Omnem odii & indignationis ſcintillam extinguit, citò ignoſcit, citò in gratiam recipit.

CATECHISTICÆ INTERROGATIONES & Reſponſiones ex Tractatu VII.

DE ACEDIA.

Ex Lectione 1 2. & 3.

I. Dic ſeptimum vitium capitale: R. Eſt Acedia.
I. Quid eſt Acedia? R. Eſt torpor mentis, bona incipere, vel proſequi negligentia.
I. Quibus nominibus ſolet intitulari? R. Triſtitia ſpiritualis, tædium, indevotio, languor nominatur.
I. Eſtne Acedia peccatum mortale? R. Eſt peccatum mortale; ſi propter illam aliqua omittantur, quæ ſint ex præcepto.
I. Quare vocatur vitium capitale? R. Quia gravia peccata ſolet generare.
I. Quæ percata? R. Dilationem pœnitentiæ, odium Dei, deſperationem, & omnium rerum ſpiritualium aversionem.

Ex Lectione quarta & quinta.

I. Quænam ſunt filiæ Acediæ? R. Sunt in magno numero.
I. Dic aliquas: R. Tepiditas, puſillanimitas, ſomnolentia, otioſitas.
I. Dic & alias: R. Indevotio incuria, ignavia, tædium vitæ, diffidentia.
I. Eſtne commune valde hoc peccatum? R. Eſt multis commune.
I. Quomodo hoc oſtendis? R. Quia etiam eos, qui pietatem ſectantur, inficit.
I. Unde proveniſtilla? R. Ex eo quòd gratiæ divinæ non cooperemur ad fervorem nos inſtantis.

Ex Lectione ſexta & ſeptima.

I. Quænam ſunt remedia contra Acediam? R. Sunt multiplicis generis.
I. Dic primum: R. Conſideratio maledictionis quam Deus incurrimus accidioſis.
I. Quænam eſt illa maledictio? R. Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.
I. Dic ſecundum: R. Conſideratio temporis pretioſi, quod ferventer oportet impendere æternitati.
I. Dic tertium: R. Conſideratio gravium pœnarum quas commiſimus, quæ pœnitentia fervorem requirunt.
I. Dic quartum: R. Conſideratio negligentiarum hujus ſæculi, qui magno fervore ad res ſpirituales fovemur.
I. Dic quintum: R. Conſideratio cruciatûs in tormentis, vel gloriæ in cœlo.

Ex Lectione nona.

I. Quæ eſt virtus oppoſita Acediæ? R. Diligentia & fervor ſpiritualis.
I. Quam habet illa filias? R. Promptitudinem ad divinam voluntatem, zelum gloriæ Dei, zelum ſalutis proximi.
I. Recenſe & alias: R. Devotio in oratione perſeverantia in bono opere, amor cœleſtium, ſollicitudo æternorum.
I. Quis hanc virtutem nos edocuit? R. Chriſtus Dominus à præcepto quæ ad eamdem.
I. Quinam poſt ipſum? R. Martyres & omnes Sancti exemplo & verbo.
I. Quid impetrabis illa diligentia? R. Perſeverantiam & coronam: quam nobis donet qui eſt benedictus in ſæcula, Amen.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX CONCIONUM
EX OPERIBVS PASTORALIBVS,
Pro Dominicis & Feſtis principalibus anni.

INDICATVR HIC MATERIA QVÆ SERVIre poteſt Evangeliis occurrentibus in Dominicis, vel pro ſolemnitatibus Sanctorum.

Adventûs Dominica prima.

DOminica prima Adventûs: *Erunt ſigna in Sole, Luna, & ſtellis & in terris preſſura gentium, &c.* De ſignis extremum judicium præcedentibus ſuſe agitur in Horto Paſtor. tract. 3 lect. 30 pag. 185.

NB. Adventus tempore.

Poterunt formari Conciones pro ſingulis Feriis de Adventu Chriſti in carnem, incipiendo à lectione prima I tract 3 pag 73. ex Horto Paſtorum; quia ſingulæ ibi lectiones ſuppeditare poterunt materiam ad ſingulas conciones.

Vel, ſi tempore Adventûs de ſecundo Chriſti adventu velit Concionator agere, poterunt ad idipſum deſervire ſingulæ ibi lectiones in articulum VII. ſymboli: *Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos*, pag. 177.

Dominica 2.

Cum audiſſet Joannes in vinculis opera Chriſti, &c. Joannes in vinculis erat ob conſtantiam, quâ reſiſtebat adulterio Herodis, ſic & alii Sancti utique ad ſanguinem reprehenderunt adulteria, Stanislaus, Lambertus, V. Candelab. Myſt. Tract. 8. lect. 9. pag. 947.

Cæci vident, leproſi mundantur, pauperes evangelizantur, &c. Quomodo Chriſtus primo rudes & pauperes inſtruxerit, ſic & alii Sancti, eorumque exemplo, id debent Paſtores facere. V. Virg. Aaronis, tract 4 lect. 2 & 3 pag 1090. Item, *Cæci vident*, dum incredulis illuminantur. Quomodo fides ſit lumen ſupernaturale. V. Hort. Paſt. Tract. 1. lect. 4. prop 2 & 3. pag 9. & 10.

Hominem mollibus veſtitum. De exceſſu veſtium. V. in Tuba Sacerdotali. Tract. 1. lect. 8 pag. 1163.

Arundinem vento agitatam. Tract. de firmitate fidei, & quomodo hæretici ſint arundines vento agitatæ. V. Hort. Paſt. tract. 1. lect. 5. pag. 12.

Dominica 3.

Tu quis es? De vera notitia ſui, ita ut quisque ſe debeat interrogare: *Tu quis es?* V. Virg. Aaron. tr. 3 lect. 7. in praxi de 1. gradu humilitatis pag. 1044.

Quid baptizas, ſi tu non es Chriſtus? De baptiſmo Chriſti, ejus effectu, materia, forma, excellentia ſupra baptiſmum Joannis. V. Candel. myſt. Tract. 1. per varias lect. ubi ſeligere potes quæ tractes de baptiſmo, pag 649. & ſeqq.

Cujus non ſum dignus corrigiam ſolvere. De humilitate. V. Virg. Aar. tr. 3 lect. 7. pag. 1043. V. etiam Tub. Sacerd. tr. 1. l. ult pag 1174.

Dominica 4.

Prædicans baptiſmum pœnitentiæ. De pœnitentia neceſſaria poſt peccatum. V. Candelab. tract 5. l. 1. pag 794.

Parate viam Domini. Viæ Domini, Contritio, Confeſſio, Satisfactio, de quibus ſuſe, p 808 Poterit autem hic Concionator paucis explicare has tres vias, quibus ad Dominum imus. p. 794. & 808.

Omnis vallis implebitur, & omnis mons humiliabitur. Contra ſuperbiam, quomodo ejus murum dejecerit Dominus, V. Tub. Sacerd. tr. 1. per varias lect pag. 1141. & 1170.

Dominica infra Octavam Nativitatis.

Ecce poſitus eſt hic in ruinam & reſurrectionem multorum, & in ſignum cui contradicetur. V. Candel tr. 4. l. 3. p 709.

Et hæc vidua erat uſque ad annos octuaginta quatuor. De viduis & eorum pietate, V. Candel. tr. 8. l. 16. prop. 3. p. 980. & 978.

Et non diſcedebat de templo. De loco opportuno orationis in templis. Hort. Paſt. parte 2. tr. 2. l. 2. p. 298.

Dom 1. poſt Epiphaniam.

Aſcendentibus illis Hieroſolymam ſecundum conſuetudinem diei feſti. De pietate diebus Dominicis & feſtis obſervanda, fuſe ſuper præcepto 3. Decal. in Hort Paſt. p. 505.

Remanſit puer in Hieruſalem, & non cognoverunt parentes ejus. De parentû cura & officio erga liberos V. Candel. tr. 8. l 10. & ſeqq. p. 949. & 954

Deſcendit cum illis, & erat ſubditus illis. De obedientia parentibus & ſuperioribus præſtanda. Hort. Paſt. ſuper præcepto 4. Decal pag. 517.

Dominica 2. poſt Epiph.

Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, & vocatus eſt ibi Jeſus. V. in Candel l. 4. de matrim. prop. 3. p. 916. Item de benedictione matrimonii Lect. 5. p. 929.

Vinum non habent. De infauſtis matrimoniis. & eorû origine, ac remediis, l. 3 p. 923. Item de conv. nuptialib. & eorum exceſſib. l. 5. prop. 4. p. 935.

Dominica 3 poſt Epiph.

Domine, ſi vis, potes me mundare. De fiducia magna quam habere decet, ut oratio ſit efficax, & quomodo illa cum humilitate debeat eſſe conjuncta:

Digitized by Google

ideo *Leprosus adorabat*, supplexque hæc dicebat, ipse designat peccatorem pro peccatorum remissione supplicantem V. Hort Past.p.2.tr,2.l 8 p.321

Vide nemini dixeris. De fugienda vana ostentatione & *humana gloria fugienda*. V. Tub Sacerd.p. 1148. Item Virg. Aaronis tr.3 l.2.de 2 gradu humilitatis. *Vade ostende te Sacerdoti*. De honore Sacerdotibus exhibendo V Hort.Past, super præcepto 4. Decal. *Domine non sum dignus pag.*524. De dispositione ad Christum in Communione recipiendum. V.Cand.tr.4.l.9 p 742.

Filii regni ejicientur in tenebras. De reprobis inter Christianos. Hort.Past,tr.2.l 1.titulo *Prædestinatio & reprobatio pag.*45.

Dominica 4. post Epiphaniam.

Ecce motus factus magnus in mari De persecutionibus Ecclesiæ, Hort. Past.tract.4 in fine articuli noni symboli Apostolici.pag.229.

Domine salva nos perimus. Invocandus Deus cum perseverentia.Hort.Past.p.2.tr.2.l 8 p.228.

Imperavit ventis & mari Mare hoc sæculum, venti tentationes & pericula Hort,p.2. tract.4 l.2. pag.229.

Et facta est tranquillitas. Oratio remedium contra tentationes, Hort, p.2. tr. 3.l. 10.p 365.

Dominica 5 post Epiphaniam.

Cùm dormirent homines, inimicus seminavit zizania 1. Quòd otium det occasionem dæmoni varia peccata in animis seminandi V, Tuba Sacerd. de Accdia p 1277. 2, Quòd in omni statu aliquæ sint tentationes à dæmone ingestæ, tanquam semen malum in medio tritici V.Hort.p.2,tr.3 l.11. prop. 2.p.375. *Inimicus homo hoc fecit*. Ib prop.1. *Vis imus & colligimus zizania*; De Zelo fervorum Dei sed quandoque indiscreto. V. Virg. Aaronis. Tract. 4. lect.12.in fine pag.1115.

Colligite Zizania in fasciculos ad comburendum. De separatione malorum à bonis in judicio. Hort. tract.3 lect.31.p.188. De condemnatione eorum ad ignem lect.14.pag 194.

Quomodo in Ecclesia mixti sint boni malis in finem usque sæculi. Hort. Tract 4 Lect 6. prop. 2. *pag.*218. *Dominica Septuagesima.*

Exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Deus semper providet sua benignitate de ministris qui procurent salutem animarum. Quem Zelum hi debeant habere. V. Virgam Aaro. tract 4 lect.1 pag 1087: Excolere vineam est rudes instituere ibidem lect,2.& 3.pag.1090.

Quid hic statis tota die otiosi. Cõtra otiosos & ignavos in causa salutis. V. Tub. Sacerd.de aced.p.1277

Operarii mane & vesperi in vineam. Per examen conscientiæ & orationem matutinam & vespertinam. Hort lib 2.tract.2.lect 3.pag.301.

Voca operarios, redde mercedem De meritis bonorum operum.Hort.lib.2.tract.1.lect.5 fusè.p.270.

Multi vocati, pauci electi. Hort. lib. 1. tract.2. ubi de prædestinatione & reprobatione.pag 45.

Dominica Sexagesima.

Semen cecidit supra petram & aruit. Cecidit in terram bonam, &c. De verbo Dei diligenter audiendo & custodiendo, ac de ejus efficacia. Hort.p.2.tract. 3.lect.7 prop.2.pag.353.

Cecidit super spinas & suffocatum est. Corda avarorum terra spinosa. De inquietudine eorum & neglectu divini verbi V. Turb Sacerd.p.1184.

Qui habet aures audiendi audiat. Baptizandis aperiuntur aures ut sint intentæ ad excipiendum verbum Dei. V. quæ de cæremoniis baptismi dixi in Candelab pag 676.

Dominica quinquagesima.

Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur quæ scripta sunt de filio hominis. Tradetur enim, illudetur, flagellabitur, &c De memoria passionis Domini & de amore ejus erga nos Cõsideranda hæc contra Bacchanalia quibus ejus vulnera renovantur. V. Hort. Past. tract. 3. lect 20. in fine pag. 139. V. etiam in Candelab. exemp. S. Cathar. Senensis tract. 8. lect. 6 in fine pag 939.

Et ipsi horum nihil intellexerunt. V. hujus rei rationem. in Hort. Past. Tract 3 lect. 26 Apparatione. 5. p.166. ubi illud explicui, *O tardi corde ad credendum*.

Increpabant ut taceret, ipse verò multò magis clamabat fili David miserere mei. Non recedendum tentationi aut difficultatibus objectis circa bonum opus. Hort. p 2. tract.3 lect.11. prop.2. circa med pag. 375.

Dominica 1 Quadragesimæ.

Accedens tentator, &c. Nemo exemptus à tentationibus Nec illæ semper peccatum involunt. Vide quæ hort.p.2.tractavi super illud. *Et ne nos inducas in tentationem*. p. 361 Item super illud. *Sed libera nos à malo pag*. 372. Ista enim ibi ubertim tractata redigi possunt in conciones varias pro initio Quadragesimæ. ad hoc Evangelium fusius explicandum.

Non in solo pane vivit homo. De vario pane animæ dixi super illud: *Panem nostrum da nobis hodie*. p.378 V. ibi. *Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraveris me, &c*. Contra avaritiam & ambitionem. V. Tub Sacerd. *Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies* Vide quæ dixi super præceptor dec. Hort Past p 2. p.470.

Tempore Quadragesimæ.

Poterit Concionator illud tractare à Joanne 4 à Christo repetitum *Pœnitentiam agite, appropinquabit regnum cælorum. Nisi pœnitentiam egeritis omnes simul peribitis*. Et huc referri possunt, quæ copiosè tractavi in candelab.myst. pag 795. de Pœnitentia & ejus partibus per varias lectiones; singulæ enim in concionem facilè formari possunt.

Dominica 2 Quadragesimæ.

Assumpsit Petrum & Jacobum & Joannem in montem. Specialiter aliquos eligit Deus ad suam gloriam. V. dicta de Prædestinat. Horti Tract.2 Lect.1. Titulo, *Prædestinatio pag 41. Et resplenduit facies ejus sicut Sol*. V. dicta Horti tract. 3. lect 24 Cur Christus Sol soleat cõparari pag. 155. *Apparuerunt Moy-*

1362

Moyſes & Elias. Chriſtus ubique in medio & quare V. dicta Tr. 3. Horti l. 12. Prop. 2. p. 109.

Ecce nubes lucida. Spiritus S. deſignatus in nube. Hort. tr. 4. l. 2. prop. 2. pag. 205.

Bonum eſt nos hic eſſe. De gloria cœleſti & ejus gaudio & exundantia in affectu. Horti tr. 4. l. ultima p. 2. pag 247. *Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite.* V. Hort. Paſt. Tr 5. L. 10. Quomodo Chriſtus ſit filius Dei naturalis ejuſdem cum Patre eſſentiæ. V. ibi propoſitione. 2 Quomodo ipſum debemus audire & ei ſervire, in cujus ſignum aperiuntur nobis aures in baptiſmo. pag. 100.

Dominica 3. Quadrageſima.

Erat Jeſus ejiciens dæmonium mutum. Dæmonium mutum habent qui peccata ſua non confitentur, V. Candel. Tr. 5. L. 8. pag. 852. ubi fusè oſtendi quomodo à dæmone varia homini impedimenta objiciuntur, ut mutus reddatur in peccati confeſſione.

In Beelzebub ejicit dæmonia. De temerario & perverſo hominum judicio, V Hor Paſt p. 3. ſuper præcepto 8. Decal. L. 15. p. 587 Item cum illud ex invidia dixerint. Vide Tub Sacerd p. 1221 fuſe de invidia deteſtanda quæ ſemper iniquis oculis aliorum benefacta reſpicit & peſſimè dijudicat.

Et ſiunt noviſſima peiora prioribus. De recidivantibus in peccata V. Candelab. Tr. 5. L 11. paulo poſt medium pag. 850.

Beati qui audiunt verbum Dei. Signum prædeſtinationis libenter audire verbum Dei. Hort. Paſt p. 2 Tr. 1. L. 6. prop 4 pag. 280.

Dominica 4 Quadrageſimæ.

Vide ſemenos panes ut manducent hi. Deus non deeſt ſuis maximè in neceſſitate Hort p. 3. Tr. 3. L. 6. ſuper illud, *Panem quotidianum, pag.* 348.

Cum gratias egiſſet diſtribuit diſcumbentibus. De oratione & benedictione præmittenda ante cibi ſumptionem exemplo Chriſti, ſuper illud; *Da nobis p.* 351.

Cum cognoviſſet venturos ut facerent eum Regem, fugit: De fuga ambitionis & gloriæ humanæ. V. Tub. Sacerd. Tr. de ſuperbia pag. 1148.

Dominica Paſſionis.

Quis ex vobis arguet me de peccato. Solus Chriſtus id poteſt dicere. Nobis autem omnibus convenit agnoſcere peccata & illorum remiſſionem petere. V. Hort. p. 2. Tr. 2. L. 8. pag. 355.

Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. De legendo & audiendo verbo Dei, ibidem lect. 7. Item eadem p. Tr. 1. L. 6. prop 4. pag 280.

Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es & dæmonium habes. Ego dæmonium non habeo. De contumeliis patienter ferendis. V in Tuba Sacerd. tr. de ira p 1260. Hic iterum tractari poteſt de temerario judicio. De quo ſuper præcepto 8. Decal. l. 15. pag 587.

Ego gloriam meam non quæro, eſt qui quærat & judicet. De debito honore Chriſto & miniſtris ejus. & quomodo Deus in contumeliioſos vindex eſt. V. p 3. Hort Paſt ſuper præcepto 4. lect. 2. pag 524.

Tulerunt lapides ut jacerent in eum. Contra iram hic tractia ex Tuba Sacerdotali, p. 1260.

Dominica Palmarum.

Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus. De Chriſti Dominio & Regno in humilitate & manſuetudine fundato. Hort. Tract. 3 lect. 9 prop. 2. pag. 98.

Qui præibant & qui ſequebantur clamabant, Benedictus qui venit in nomine Domini. Hort. p. 2. Tract. 4. lect. 5. circa medium. De variis benedictionibus Chriſti fusè. p. 404.

De Hebdomada ultima Quadrageſimæ.

De Paſſione Chriſti & quinque Myſteriis doloroſis. Item de morte & vulneribus quinque Jeſu Chriſti Domini noſtri. Hæc fusè tractata reperiet Concionator Hort Paſt. tract. 3. l. 16. uſque ad 22. p. 125.

Sabbato Sancto.

De Sepulchro & Sepultura Domini ibid. lect 22. p. 149.

Dominica Reſurrectionis.

Vide copiosè dicta lect 24 Horti tract. 3. Ubi ſeligere poteris quæ dicit illi congruunt. p. 155.

Pro Feſtis Reſurrectionis

Vide ibidem lect. 26 per totum. Ubi apparitiones Domini declarantur. pag 164.

Pro octava Paſchæ.

V etiam ibid. Apparitionem ſextam. Item Cur Chriſtus retinuerit vulnerum cicatrices, lect. 24. in fine. p. 138.

Dominica 2. poſt Paſcha.

Ego ſum Paſtor bonus. Quomodo Chriſtus ſit Paſtor noſter. V. Candel. Myſt. tract 1 poſt lect. 1. ubi fusè explicatur Pſal 22. qui incipit: *Dominus regit me*, ſive ut alia lectio habet. *Dominus eſt Paſtor meus*, pag. 615.

Bonus Paſtor animam dat pro ovibus ſuis. De officio boni Paſt V. Virg. Aar. Tract 4. lect 3 4 5. 6. p. 1091.

Iterum de officio boni Paſtoris Hort. Paſt. p. 2. in initio. Ubi exhortatio ſpecialis ſuper illud ad Paſtores dirigitur. *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei.* pag. 252.

Dominica 3. poſt Paſcha

Amen dico vobis, plorabitis & flebitis. Quòd Chriſtiani debent per tribulationes ad regnum pervenire. Candelab. tract. 1. poſt lect. 1. in explicatione Pſal 22 ſuper illud. *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt pag.* 616.

Item de lachrymarum fælici effectu. Candelab. Myſt. tract. 5. lect. 4 ante medium. pag 815.

Mundus gaudebit. De vano gaudio & vana ſpe mundi & mundanorum. Hort. part 2. tract 1, lect. 3. p. 263. Quomodo finis illius ſit dolor & angor, ibidem pag. 267.

Triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Quomodo ſpes Chriſtianorum in mediis afflictionibus conſolatur, & quale gaudium parit in fine vitæ. ibid, lect. 2. pag 258.

Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis De gaudio beatorum æterno Hort. p 1. l ult. prop 2. pag. 248

Dominica 4. poſt Paſcha.

Quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implevit cor veſtrum. De tædio & triſtitia à corde excutienda. V. Tub Sacerd tract. ult. de acedia. pag. 1275.

Expedit vobis ut ego vadam. Si non abiero, Paracletus non veniet. Quàm neceſſarius fuerit adventus Spiritus ſancti & ejus miſſio, ut Eccleſiam vivificaret & illuminaret. Hort. tract. 4. Lect. 1. prop. 3. p. 200.

Ille vos docebit omnem veritatem. Ibidem p. 200.

Ille me clarificabit, quia de meo accipiet. Quomodo Spiritus S. non ſolum à Patre, ſed à Filio procedit. Ibidem prop. 2. p. 198.

Dominica 5 poſt Paſcha.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Fundamentum fiduciæ quam habemus impetrandi quæ petimus in oratione, eſt nomen & meritum Chriſti Hort Paſt. p. 2 tract. 2 lect 8. in explicatione 2. conditionis ad orationem requiſitæ. p. 126.

Petite & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum. De variis conditionibus orationis, ibidem.

In diebus Rogationum

Vide multa quæ de oratione ibidem tractavi, tum de conditionibus requiſitis, tum de oratione publica advertendam ſterilitatem, vel alia flagella p. 2. tract. 2. lect. 6 7. 8 p. 311.

In Feſto Aſcenſionis.

Vide Hortum Paſtor. tract 3. lect. 27. ubi copioſè de Aſcenſione tractatum eſt p. 170

Dominica 6. poſt Paſcha.

Cum venerit Paracletus ille teſtimonium perhibebit de me Et vos teſtimonium perhibebitis. Hort. Tract 4. lect 1 prop. 3 p. 200.

Item tract. 3 lect. 26. in fine. Ubi explicatur illud *Eritis mihi teſtes uſque ad ultimum terræ* p. 160.

Venit hora ut omnes qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium præſtare Deo. Eccleſiæ debuit fundari in ſanguine Apoſtolorum & Martyrum, & hoc in finem uſq; fiet Hort. Tract 1. lect 8 prop 3 & 4 p. 29 & 32.

Dominica Penteceſtes.

Vide quæ feſtum illud concernunt copioſè tractata Hort. Paſt. Tract 4 lect. 1 & 2 p. 157.

In Feſto Penteceſtes.

Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret. V. in Hort P. tract. 3. l. 3 prop. 3. p. 79.

In Dominica Trinitatis

Docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti V. Candel de forma baptiſmi tract 2 l. 3. p 677 Item de Trinitatis Myſterio V. Hort. Paſt tract 2 l 1 p 91. Item vide Tr. 4. l. 1. ubi illud amplificavimus: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, &c* pag 198.

In Feſto Corporis Chriſti, & per totam Octavam.

Vide materiam copioſam in Candelabro Myſtico tractatu 4 per varias lectiones, quarum quælibet in Concionem formari poteſt. p 699.

Dominica 1 poſt Penteceſtes.

Eſtote miſericordes ſicut & Pater veſter miſericors eſt. De miſericordia Dei Hort. Paſt. tract. 2. Lect. 1. ubi divina attributa explicuimus p. 37.

Nolite judicare, & non judicabimini. De temerario judicio dixi ſuper præcepto 8 Decal p. 367.

Dimittite & dimittetur vobis. V. dicta ſuper petitione 5. Orationis Dominicæ in illa verba: *Sicut & nos dimittimus, &c* pag. 358.

Hypocrita ejice trabem de oculo tuo. De Hypocriſi ſpecialiter egi in Tuba Sacerd. Tract. de ſuperbia, ubi inter lapides muri ſuperbiæ Hypocriſim poſuimus. p. 1153.

Dominica 2. poſt Penteceſtes.

Homo quidam fecit cœnam magnam & vocavit multos. Quomodo omnes vocemur ad cœnam vitæ æternæ Hort. Paſt. h 1. tract 4. l. 16 p. 244 *Villam emi* Contra ambitioſos Tub. Sacerd tract. 1. p. 151. *Jugabunum quinq;* Contra avaros tract 2 p 1177. *Vere modica non poſſum emere.* Contra luxuriam tr. 3 p 1202. Item quomodo in conjugio aliqui ſalvantur, alii damnentur: quia ſcil. ingerunt ad illum ſtatum non vocati V. Candel tract 8. lect 2. p. 919.

Dominica 3. poſt Penteceſtes.

Erant appropinquantes ad Jeſum peccatores. Benignitas & charitas Paſtorum debet attrahere peccatores, exemplo Chriſti Domini V. virg Aaronis tract. 4 lect 4. & 5. p. 1093 & 1094.

Hic peccatores recipit. Nullum eſſe adeo gravem peccatorem quem Chriſtus non recipiat; peccata ei remittens quamlibet gravisſima. Hort. Paſt. l. 1. tract. 4. lect 11. p. 232.

Gaudium erit in cœlo ſuper peccatore pœnitentiam agente. De pœnitentia ſemper Deo acceptiſſima, Candelab. tract. 5. lect 4 p. 811.

Dominica 4 poſt Penteceſtes.

Cum turba irruerent in Jeſum ut audirent verbum Dei. De verbo Dei audiendo Hort. Paſt. p. 2 ſuper petitione 4 Orationis Dominicæ, *Panem noſtrum quotidianum, &c* p 348.

Per totam noctem laborantes nihil cepimus. De infructuoſo impiorum in hac vita labore. Hortus Paſt. p. 3. Tract. 2. Lect. 2 circa finem.

Laxate retia veſtra captionem &c. Concluſerunt piſcium multitudinem. De variis gentibus ad fidem converſis per Apoſtolos & Apoſtolicos viros tanquam piſcantes juſſu Domini in mari hujus ſæculi. Hort. Paſt p. 1 tract. 4. l. 5 p. 275.

Exi a me quia homo peccator ego ſum De humiliatione noſtra in conſpectu D. i. Virg Aaronis Tract. 3. lect. 7. de primo gradu humilitatis p. 1044.

Dominica 5. poſt Pentecoſten.

Miſereor ſuper turbam Dei providentia circa neceſſaria. Hort. Paſt. tract. 2 Lect. 1 ubi inter attributa divina de providentia Dei agitur p 42.

Ecce triduo ſuſtinent me. De perſeverantia in bono Hort. Paſt p. 1. tract. 1 Lect. 6. p 279.

Piſciculos & panes benedixit. De oratione præmittenda ei melliori. Hort. tract. 3. lect. 6. ſuper illa verba, *Panem noſtrum da nobis.* p. 348.

Dominica 6. poſt Pentecoſten.

Attendite à falſis prophetis De cavendis hæreticis Hort, Tract 1. Lect. 6. prop. 3. p. 21. Item lect. 5. paulò ante finem pag 18.

Omnis arbor bona bonos fructus facit. De meritis bonorum Hort. p. 1. tract. 1. lect. 5. p. 270.

Omnis

1363

Omnis arbor quæ non facit fructum excidetur & in ignem mittetur. De igne inferni & ejus æternitate, & de duplici pœna damnatorum. Hort. p. 1. tract. 3. lect. 34. p. 194.

Non omnis qui dicit Domine, &c. sed qui facit voluntatem meam, &c. De voluntate Dei adimplenda. Hort. p. 2. tract. 3. lect. 5. p. 345.

Dominica 8. post Pentecosten.

Redde rationem villicationis tuæ. V. Hort. tract. 3. lect 32 p. 190.

Filij hujus sæculi prudentiores filiis lucis. V. Tubam Sacerd de acedia lect. 7. p. 1284.

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. De eleemosynis faciendis V. Tub Sacerd. Tract 2 lect. 5. contra avaros p 1181 V etiam exemplum Troili Episcopi, Hort. p. 2. tract 1. lect 5. p 270.

Dominica 9. post Pentecosten.

Videns civitatem, flevit super illam. Fletu dignum est peccatum & peccator. Candelab. Myst. tract. 5. lect. 3. prop 2. pag. 810 Item Charitas solet aliena etiam deflere peccata V. Hort. p. 3. De charitate, tract. 1 l. 2. prop. 4. post medium, p. 451.

Venient dies, & circumdabunt te inimici, & coangustabunt. De tentationibus gravissimis in agonie mortis. Candelab. Myst. tract. 6. Item V. Hortum p. 2. lect. ult p. 883.

Non cognovisti tempus visitationis tuæ. Contra differentes tempus pœnitentiæ V. Candelab. Myst. p. 872. tract 5. lect. 8. Item in Tuba Sacerd. de acedia lc. 6. p. 1284.

Domus mea domus orationis vocabitur. Hortus p 2. lect. 2. prop. 2. p. 298.

Dominica 10 post Pentecosten

Dixit ad quosdam qui confidebant in se tanquam justi, & aspernabantur cæteros De vana complacentia, item de superbia ex quo oritur contemptus aliorum. V. Tub. Sacerd. tract. de superbia. lect 6. p. 1156. V. exemplum ibidem lect. 8. in fine. p. 1168.

Jejuno bis in Sabbato & decimas de omnium Ibidem de jactantia. De decimis reperies in tract. de avaritia lect 8. & l. 3. tract. 4 lect. 2. p. 1188.

Publicanus nolebat oculos ad cælum levare De erubescentia peccati. candelab. tract 5. lect. 7. de 2. conditione Confessionis p. 827.

Percutiebat pectus, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. De contritione V. Candel Tract. 5 Lect 4. & sequent. p 811. Quibuslibet verbis exprimi potest contritio. Ibi Lect. 5. in fine p. 820.

Dominica 11 post Pentecosten.

Adducunt surdum & mutum deprecantes, ut illi imponat manum. De varia Impositione manuum, Candelab. Tract 3. Lect 6. p 696.

Item, adducendi sunt surdi & muti ad Christum; hoc est, peccatores ut audiant verbum Christi & ejus laudes doceantur. De zelo animarum Virga Aaron Tract 3. p. 264.

Mitte digitos in aures ejus. V. Candelab. Myst. de hac curatione muti Tract 2. Lect 7. p. 678.

Apprehendens eum de turba seorsum. Monendi peccatores ut fugiant occasiones peccati. Hortus p. 2. Tract. 3. Lect. 10. circa finem p. 371.

Præcipit ne cui dicerent De fuga gloriæ, in actionibus sacris. V. virgam Aaron. Tr. 3. Le. 3. p. 1039.

Dominica 12. post Pentecosten.

Magister quid faciendo vitam æternam possidebo? Vide Hort Past. p. 3. Tra. 2 Lect 2. prop. 3 p. 468.

Diliges Dominum ex toto corde De amore Dei super omnia Ibid. Tract. 1. lect 2. p. 444.

Et proximum sicut teipsum Ibid Lect 3 p. 452.

Samaritanus infudit oleum & vinum Sacramenta, sunt medicinæ Samaritani nostri. Candel. Tract. 1. Lect. 1. prop. 2. p. 611.

Dominica 13. post Pentecosten.

Occurrerunt ei decem viri leprosi. Lepra hæresim designat; vitandi illi ut leprosi Hort. Past. tract. 1. Lect. 6. prop. 3 p. 21.

Jesu Præceptor miserere nostri Ad peccati detestationem primo necessaria peccati conditio, quæ quibuslibet verbis exprimi potest. Candel. Tract 5. in fine. Lect. V. p 819.

Ite ostendite vos Sacerdotibus. Necessaria etiam confessio vel ejus votum ad peccati remissionem. Ibid. lect 1 & lect. 6. p. 796. 821.

Item de honore exhibendo Sacerdotibus, quem voluit Christus exhiberi, mittens ad Sacerdotes eos quos sanabat V. super præcepto 4 Decal. Hort Past. p. 3. Lect. 2. p. 524.

Nonne decem mundati sunt, novem ubi sunt? De dono perseverantiæ ad salutem necessario Hort. p. 2 Tra. 1. Le 8 p. 428.

Et hic erat Samaritanus De insanis status & vocationis titulo, ubi res nomini non correspondet Hort. tra. 1. le. 2. Item de gratitudine, quam erga Deum habere debemus instar illius Samaritani regressi, ut laudem daret Deo. Ibid. p. 4.

Dominica 14 post Pentecosten.

Nemo potest duobus dominis servire, V. lectionem primam super præcepto decalogi, ubi explicatum, quomodo soli Deo serviendum p. 440.

Non potestis Deo servire & mammonæ. Quomodo avaritia sit idolorum servitus Tub Sacerd. tract. de avaritia L. 2. p. 1178.

Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis. De fugienda inquietudine ob avaritiam. Lect. 5. ibid. p. 1183.

Quærite primum regnum Dei, & cætera adjicientur vobis De providentia Dei erga suos Hort. p. 2. tract. 3. Lect. 6. p. 348. super illud: *Panem nostrum quotidianum.* Item p. 1. tra. 2 tit. de providentia Dei. p. 43.

Dominica 15 post Pentecosten.

Ecce defunctus efferebatur filius unicus. Memoria mortis nobis profutura, cujus hora est incerta, quam timuerunt etiam viri sancti Hort. tract 3. Lect. 28. p 358. Item p. 2. tract. 3. lect 10. p. 176. De 3. remedio contra tentationes, ubi de morte. *Ecce vidua erat* De viduis & earum pietate p. 364. Candelab. tra. 8. & Lect 16. p 980.

Digitized by Google

Et turba multa civitatis cum illa. De religiosa piorum sepultura, & ejus cæremoniis. Hort. p. 2. Tract 3 l. 22. p. 149.

Misericordias motus. Viduis afflictis compatiendum exemplo Christi, & Christus earum consolator. V. Candelab. tra 8. L. 16 prop 3. pag. 980.

Tetigit loculum, & dixit adolescens tibi dico surge. Typus hic resurrectionis quæ fiet voce & tuba Dei. Hort. tra. 4. l. 15 pag. 237.

Item, Non possumus resurgere à peccato, nisi voce & gratia Dei nos excitante & vocante, & quomodo illa nos vocet. Candel. tr. 5. l. 3. p. 800.

Dominica 16. post Pentecosten.

Intravit in domum Pharisæi sabbato manducare panem. Juvat cum mansuetudine & benevolentia pios quandoq; cum impiis conversari ad eorum conversionem V. virg. Aaro. tr. 4. l. 5. & 6. p. 1094. 1096.

Et ipsi observabant eum. De invidia & malevolentia aliorum facta observante ut carpat. Tub. Sacer. tr. 4. l. 1 & sequent. pag. 1221.

Respondens dixit ad Legis peritos. Omnes nostræ cogitationes Deo conspicuæ. Hort. tr. 2. l. 3. p. 41. tit. *Scientia Dei Si licet Sabbato curare.* De pia Festorum observantia dixi super 3. præcepto Decal p 505.

Cum invitatus fueris, non discumbas in primo loco. Contra ambitionem & prælaturæ desiderium Tub. Sacerd. Tra. 1. L. 5. p. 1148.

Recumbe in novissimo loco, L. 12, ibid. de humilitate l. 12. pag. 1147.

Dominica 17. post Pentecosten.

Cum hoc Evangelium agat de præcepto dilectionis Dei & proximi, de quo eodem agitur in Evangelio Dominicæ duodecimæ post Pentecosten, vide supra quæ super illa Dominica notavimus pa. 468. pag. 444. pag. 472.

Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Vide Psal. illum explicatum de Christo in Hort. Past. tract. 3. lect. 28. prop. 2. pag. 179.

In his duobus mandatis lex pendet & Prophetæ. Vide specialiter id explicatum Hort. p. 3. tract. 1. lect. 2. in initio, p. 444.

Dominica 18. post Pentecosten.

Confide Fili. Fiducia nostra potissimum consistit in meritis Salvatoris & misericordia Dei Hort. p. 2. tract. 2. lect. 8. tit. *De secunda conditione orationis* p. 326.

Remittuntur tibi peccata tua. De remissione peccatorum, Hort. p. 1. super art. 10. symboli pag 332. Item esse in Ecclesia potestatem remittendi peccata. Candelab. Tract. 5. Lect. 1. pag. 795.

Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris. Deus videt corda & cogitationes nostras. Tract. 2, lect. 1. tit. *De scientia Dei*, p. 41.

Glorificaverunt Deum, qui talem dedit potestatem hominibus. De honorando Sacerdotio ob potestatem illis datam à Deo. V. super præcepto 4. Decal. p. 524.

Dominica 19. post Pentecosten.

Simile est regnum cœlorum homini regi qui fecit nuptias filio suo. Quomodo Christus sit sponsus, Ecclesia verò sponsa animæ. V. Candel. tract. 8. lect. 6. pag. 936.

Et misit servos suos vocare invitatos. Quomodo Deus omnes vocet ad gratiam & salutem. Hortus tract. 4. lect. 16. p. 244.

Alius abiit ad villam, alius ad negotiationem. Ambitio & avaritia à divinis mentem abstrahunt. V. Tub. Sacerd. de utroque hoc vitio, pag. 1149. pag. 1178.

Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Charitas est vestis nuptialis, sine charitate nemo potest ingredi in regnum æternum, nec æternæ mensæ accumbere. Hort. p. 3. lect 1. pag. 439.

Multi vocati, pauci electi. De multitudine reproborum Hort. Tr. 2. l. 1. Tit. de reprobatione, p 47.

Dominica 20. post Pentecosten.

Rogabat ut descenderet, & sanaret filium ejus. In calamitatibus & flagellis, in morbis & afflictionibus ad Deum & Sanctos per orationem recurrendum. Hort. p 2. Tract 1. lect 4. & 5 pag. 305. p. 309.

Rogabat ut sanaret filium De cura parentum erga liberos in morbis spiritualibus. Candelab. Tract. 8. lect. 11. & 12. pag 954. pag. 958.

Credidit ipse & domus ejus tota Bonum exemplum parentum filiis & domesticis quantum prosit. Ibidem lect. 12 prop. 3. pag. 961.

Dominica 21. post Pentecosten.

Simile est Regnum cœlorum homini Regi. Quomodo Deus sit Rex Hort. tract. 2. lect. 1. prop. 2 pag 38.

Debebat ei decem millia talenta. Peccata nostra sunt debita. V. petitionem 5. orationis Dominicæ, *Dimitte nobis debita nostra.* Hort. p. 2. Tract. 3 lect. 8. prop. 2 pag. 357.

Misertus Dominus, omne debitum dimisit ei. Quomodo perfecta pœnitentia non solum peccatum remittat, sed etiam restituat merita priora. Candel. tract 5. lect. 1. prop. 3. pag. 797.

Tenens suffocabat eum, dicens, redde quod debes De oppressione proximi quæ ex inhumanitate & avaritia solet ortum ducere Tuba Sacerd. Tra. 2. lect. 7. pag. 1187.

Sic Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisq; de cordibus vestris. De sincera cum proximis charitate & remissione injuriæ. Hort, p. 2. Tract 3. Lect. 8, prop. 3. pag. 358.

Dominica 22. post Pentecosten.

Consilium inierunt ut caperent Jesum in sermone. Hæc conspiratio ex invidia ortum habuit, de qua fusè Tub. Sacerd. Tract. 4. p. 1221.

Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces De hypocrisi. Tuba Sacerd. Tract. 1. lect. 5 Item de adulatione super præcepto 8 Decal. pag: 1153 pag. 592.

Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari. De honore, & obedientia Principibus reddenda. Vide Hort. p. 3. super præcepto Decal pag. 583.

Reddite quæ sunt Dei Deo. De his quæ Deo debemus, V. Hort. Tract. 3. Lect. 1 pag. 470.

Cum

1364

Cujus eſt hæc imago & ſuperſcriptio. In homine eſt imago Dei, ſæpius à nobis conſideranda: & in quo illa conſiſtat. Hort. Tract. 2 Lect. 2. pag. 68.

Dominica 23. poſt Pentecoſten.

Princeps unus acceſſit ad Ieſum & adorabat eum. Quomodo Deum & Chriſtum teneamur adorare latriæ cultu Hort. p. 1. Tract. 3. lect. 1 in initio. p 470.

Veni impone manum tuam ſuper eam. De varia impoſitione manuum Candel. Tract 3. lect 6. p. 696.

Acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti ejus: De verecundia & timore quo oportet peccatores ad Deum accedere, ut ſanentur V. Candelab. Tract. 5. lect. 7. De conditione 2 Bonæ Confeſſionis. pag. 827.

Dicebat, ſi tetigero tantum fimbriam veſtimenti. De fiducia qua accedendum eſt ad Deum. Hort p. 2. Tract. 2. de ſecunda conditione orationis. pag. 326.

Dominica 24. poſt Pentecoſten.

Cùm videritis abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto. De tempore Judicii univerſalis, Hort. Tract 3. lect 28. in fine pag. 181.

Signum appropinquantis judicii erit Antichriſtus, & ejus idolum abominabile in templo. V. ibidem lect. 29. per totum. p. 182.

Propter electos breviabuntur dies illi. Ibidem Tit. *Imperium Antichriſti.* pag. 183

Sol obſcurabitur, Luna non dabit lumen ſuum. De ſignis antecedentibus judicium. V. lect. 30. pag. 185.

Tunc ſignum apparebit filij hominis. Ibid. pag. 185.

Mittet Angelos cum tuba, & congregabunt electos à quatuor ventis. V. Hort. tract. 4. lect. 15. de circumſtantiis Reſurrectionis. pag. 242.

INDEX PRO MATERIA

Reperienda ad Conciones in præcipuis totius Anni Feſtivitatibus.

Pro Feſtis Nativitatis.

Vide in Horto Paſt. lect. 12. Tract. 3. & ſequentes ibid. lect. ubi fuſè de Myſterio Nativitatis tractatum eſt, pag. 108.

Pro Feſto S. Stephani.

Vide in Tractatu 1. lect. 8 pag. 26. ubi oſtenſum eſt quomodo Sanguine Martyrum Eccleſia ſit fundata. Nempe Stephanus primus Martyrum ſanguine ſuo Eccleſiam poſt Chriſtum rigavit.

De patrocinio S. Stephani vide exemplum in Candel. Tract. 2. lect 6. circa finem. p. 675.

Pro Feſto S. Joannis.

Vide Hortum Paſtor. lect. 29. Tract. 3 ubi circa finem illius lectionis oſtendimus, an Joannes ſit mortuus, an etiam futurus præcurſor adventus ſecundi. pag. 185.

Vide etiam exemplum lect. 3. Tract. 2. prop. 3. Ubi habes quomodo S. Joannes tanquam Eccleſiæ Doctor ſpeciale ſymbolum tradidit S. Greg Thaumaturgo. pag. 50

Pro Feſto SS. Innocentium.

V. Candel Myſt. tract 2 lect. 4 in fine ubi declaratum eſt quod vim baptiſmi habeat effuſio ſanguinis pro Chriſto in parvulis. pag. 665.

Pro Feſto Circumciſionis & Nominis Jesu.

V. Hortum. Tract 3. lect. 7. & 8. ubi multa de nomine Jesu. pag 88 pag 90.

Pro Feſto Regum.

V. lect. 11. ejuſdem tractatus tertii, in prop. 2. p. 104.

Pro Feſto Converſionis S. Pauli.

V. lect 4. Tract. 1 in Horto Paſt. Ubi oſtenſum eſt quomodo Deus per ſeipſum dignetur apparere, & aliquos ad fidem convertere. Patet in Paulo, Huberto, Euſtachio. p. 11.

V. etiam Candelab. Tract. 5. lect. 2. Ubi oſtendi quam varios Deus habeat modos convertendi peccatores, etiam nihil minus cogitantes. Patet in Paulo, Matthæo, Samaritano, Maria Ægyptiaca. p. 800.

Pro Feſto Purificationis.

Quomodo beata Virgo non egerit Purificatione, ſemper Virgo puriſſima. V. Hort. tract. 3. lect. 14. pag 117.

Pro Cathedra S. Petri.

V. lect. 8, & 9 tract in Horto Paſtor. ubi declaratum eſt, cur Eccleſia dicatur Apoſtolica & Romana. pag 121.

Pro Feſto S. Matthiæ.

V. de Apoſtolis fidei Fundatoribus & Evangelium Chriſti toto orbe ferentibus lect. 8. Tract. 1. in Horto Paſtor pag. 26.

Pro Feſto S. Joſeph.

V. Candel. Myſt. Tract 8 lect. 1 in fine. pag 919. Ubi declaravimus fuiſſe verum matrimonium inter Mariam & Joſeph. V. etiam lect 3. ibid ubi egimus de annulo à Joſeph Mariæ tradito. Titulo de cæremoniis matrimonii. p. 932.

Pro Feſto Annunciationis.

V. Hortum Paſt. Tract 3 lect 11. pag. 102 ubi ſpecialiter eſt de re. V. etiam explicationem Salutationis Angelicæ p. 2 pag 390.

Pro Feſto Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Trinitatis, Sacramenti.

V. ſupra notata inter Dominicas.

Pro Feſto Inventionis S. Crucis.

V. Hortum tract. 3 lect. 19. & 20. ubi multa de Cruce Domini. pag. 130.

Pro Feſto Philippi & Jacobi.

Pro Feſto Petri & Pauli.

Pro Feſto S. Jacobi Majoris.

V. lect. 8. tract. 1. in Horto Paſtor. Item vide lect. 8. tract. 4. pag. 26. pag. 221.

Pro

Pro Feſto Magdalenæ.

Vide lect.26. tract.3 in Hort. Paſt.in Apparitione. 2. quæ facta fuit Magdalenæ, ubi de variis lachrymis Magdalenæ egimus. pag.164

V. etiam Candelab Myſt tract 5. lect. 4. de Sacrificio lachrymarum & contritionis Deo acceptiſſimo exemplo B. Magdalenæ, ubi illud de ea explicuimus *Deus, pojuiſti lachrymas meas in conſpectu tuo.* pag.843.

Pro Feſto Transfigurationis.

V. in Horto Paſt.lect.2.tract.4.prop.2.pag 205.

Pro Feſto S. Auguſtini.

V. In Tract. 1. Horti Paſtoral.lect. 4. prop.2. & 4. pag 9. pag. 11.

V. etiam in Candel. Myſt. Tract. 5 lect. 4. ante medium de lachrymis S.Auguſtini. pag 813.

Pro Feſto S. Michaelis.

V. in Horto Paſtor. Tract 2. lect. 5 & ſequent. Ubi de Angelis tractatum eſt. pag 61.

Pro Feſto S. Angeli Cuſtodis.

V.ibid. lect.6 & 7. de cuſtodia Angelorum. p.63.

Pro Feſto Sanctorum omnium.

V. in Hort Paſt. Tract.4 lect.16. & 17 Ubi declaravimus quomodo omnes creati ſimus ad vitam æternam, & in quo illa conſiſtat, pag 244.p 247.

Pro Feſto S. Huberti.

V. dicta in Horto Paſtor. Tract.1.lect.4 Ubi declaratum eſt quomodo Chriſtus D. ſuos non ſolum interius, ſed & exterius quandoque vocet, exemplo S. Huberti & Euſtachii. pag. 11.

Pro Feſto S. Andreæ.

Quàm amabilis ſit crux exemplo S. Andreæ & aliorum declaratur in Hort. Paſtor. Tract. 3. lect. 19. circa finem. pag 138.

Pro Feſto S. Thomæ Apoſtoli.

V. quæ dixi in Horto Paſtor. Tract.1. lect.16.in ſexta Apparitione Chriſti facta Thomæ.pag.168.

Item de S. Thoma habes exemplum Horti Paſt. Tract 1. lect 8. in fine 3 propoſ. pag. 31.

Pro Feſtis beatiſſimæ Virginis Mariæ.

Tractare poteſt Concionator de devotione erga B. Virginem, De qua re fusè egimus p. 2. Horti Paſtor. lect. 1. Ubi oſtendimus devotionem erga Matrem Dei eſſe ſignum prædeſtinationis, ſi illa ſit imitationi ejus conjuncta. pag. 381.

Ibid in ſequentibus lectionibus fusè explicavimus Laudes Mariæ, in ſalutatione Angelica compendio contentas. pag. 387.

Item in fine declaratum eſt quomodo ipſa oret pro nobis nunc & in hora mortis noſtræ. Ex quibus omnibus variæ poſſunt formari conciones. p.407.

Pro Feſto Martyrum.

Videri poteſt lect. 8. tract. 1. in Horto Paſtorali, ubi declaratum eſt quomodo ſanguine Martyrum Eccleſia fundata eſt. pag. 29.

De S.Sebaſtiano in ſpeciali aliqua reperies.Horti Paſt lect.1.in fine. p.4. Item Horti p.2. Tract. 4.l. 3 paulò ante finem p.397.Item in Candelab.Tract. 2. lect 6.Ubi oſtendimus quam multorum Chriſtianorum fuerit Patrinus, in baptiſmo.pag.672.

De quadraginta Martyribus in ſpeciali vide Horti tom.2.lect 6 in fine Prop.1.pag 276.

Idem in Candelab. Myſt. Tract 3. in fine in exhortatione ad confirmatos. Item Tract.8 lect 11. de Melithone minore natu inter dictos Martyres, pag. 956.

Pro Feſtis Virginum.

V.in Candel.Tract.8 Lect.6.quomodo Virgines ſpecialiter deſponſentur à Chriſto. pag.930.

Item quomodo Angeli ſint ſpeciales Virginum tutores & amatores.Hortus Paſtor. Tract 2. lect.6. pag. 66.

De S. Agnete in ſpeciali aliqua reperies in Cand. Tract.1.lect.6.prop 1, paulo ante finem p.630.

De S.Cæcilia in ſpeciali quædam reperies Horti Paſtor.Tract 2.lect.2 Item lect.6.prop.3. pag.259. Item Candel. Myſt. Tract 8 lect.4 pag.927.

De S.Catharina Senenſi in ſpeciali quædam reperies de ejus deſponſatione. Candel. Tract.8. lect. 6. in fine pag 939.

Item Horti Paſtor Tract.3.lect 18.prop.1.p 130. Item lect.24 in fine.pag.159. Item p.2. Tract. 2. lect. 2. in fine prop.1 pag 298.

De S. Catharina Martyre quædam reperies in Candelab. Tract.2 lect.4 p 666. paulò ante finem, ubi docuit Philoſophos à ſe converſos in ſanguine ſuo baptizandos. Item lect. 5. traditur quomodo eam Chriſtus deſponſarit; in fine Prop.1. pag 667.

Pro Feſto cujuslibet Sancti.

Videri poteſt lectio ſexta Tractatus quarti in Horto Paſtorum : ubi explicatum eſt quomodo Eccleſia dicatur ſancta,& quomodo omni tempore ſanctos generet.pag. 217.

Pro Feſto dedicationis Eccleſiæ.

Vide Horti Paſtoralis p.4.Tract 2. lect.2. Prop. 2. pag 298. ubi multa de templis ad orandum conſecratis.

Pro tempore peſtis, belli, vel ſterilitatis.

Vide ſpecialiter dicta p.2.Horti,Tract. 2. lect.4. 5.6 7.pag.305. Ex dictis enim ibi fusè, variæ ad eam rem formari poſſunt conciones.

F I N I S.

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERUM ET VERBORVM.

A.

Abortum procurare quam grave peccatum fol. 541. & 864.
Abusus Eucharistiæ, reliquiarum, S. Scripturæ ad exercitium magicum. 869
Abstinentia Christi, 1255. abstinentiæ commendatio, 1258 abstinentiæ sectatores. ibid.
Accediam qui vitare debeant, 1284. accidiæ detestatio, 1275. definitio, ibid accidiosi maledicti 1286. accidiæ gravitudo, profunditas, 1276. accidiæ indicia, 1281. accidiæ remedia 1284
Acolythi officium 898
Adamant quinam 92
Adolescentiæ defectus 740
Admonitio ad Ebriosos 1253
Adulationis incommoda & quam grave malum, 565 adulatio maximè viget in aulis, ibid. adulatio noxia iis qui vitia corrigere debent 596
Adulatores cervis comparantur ibid.
Adulterii mala, 559 adulterii suspectæ mulieres innocentium fama probabant candenti ferro, quæ proba, modo illicita est, 561 adulteræ pœna in veteri Testamento, ibid adulterii Deus specialis vindex, 560. adulterii enormitas ex pœnis, 550. adulterium est simile furto, 558. adulterium quid, ejusque enormitas & detestatio ibid.
Adulti baptizandi dispositio 669
Advocatorum & Notariorum falsorum pœna & peccatum. 585
Ætates hominum septem, 613. ætates mundi sex, 58
Agapitus puer, 14. annorum amans martyrii 112
Agathonis humilitas 19
Agnus Spiritum sanctum contristare noluit 630
Agni Dei utilitas, & virtutes, 478. Agni Dei ritus, origo & antiquit. 477. Agnum Dei gestare, pium est, 477. Et cur institutum 478
Agnum Paschalem comedendi ritus 715
Aleatoris irati horrendum factum 1262
Alexander V. opes Ecclesiæ in pauperes distribuit, 1110. Ejusdem dictum ibid.
Altaris cura specialis habenda, & cur. 1085
Ambitio generat hæresim, 25. ambitionis detestatio, 1149. Epitheta, 1167. Ambitio Ecclesiasticorum munerum, 1149. Ambitio aulicorum, 1151. Ambitiosus, 463. 1157 Ambitiosi mores & consuetudo, 1157 Ambitiosorum exempla 1162
Amen quid significet 380
Amicitiæ hieroglyphicum. 521
Amor amicitiæ, 446 amor conjugum culpabilis est, si ob complacendum, Dei præceptum violetur, 943. amor culpabilis est si in zelotypiam desinat; 495. amoris conjugalis effectus, 941. amoris conjugalis in prosperis & adversis exempla, 942. amor conjugum debet esse perfectus secundum Deum, 940. amor conjugum comparatur amori cervi & cervæ, ibid Amor in divinis tripliciter accipitur, 199 amoris certamen inter Virginem & militem. 2 Amor erga parentes & cur. 517
Amygdalus prima arborum floret. 997. Multas aeris injurias patitur. 998. corticem durum & amarum habet ibid.
Andronicus captus turpissimè tractatur 851
Ancillæ peccantes erga dominas 532
Angelicæ salutationis explicatio, 387. Angelicæ salutationis excellentia, utilitas, crebra recitatio, &c 387. & seq. Angelica salutatio continet omnes B. M. Virg. prærogativas, 389. Angelicæ salutationis excellentia desumitur ex nomine Angelica, ob auctorem SS. Trinitatem, 387. ex antiquitate, 388. ex utilitate, 389. crebra salutationis recitatio quam utilis, ibid. ejus efficacia contra satanam, 390
Angeli mundum gubernant, 62. Angelorum numerus superat hominum numerum, 61. Angeli primo die creati sunt in gratia, ibid Angeli specialiter adsunt amatoribus castitatis, 66. Angelus custos baptizandorum patrinus, 674. Angelorum custodia durat post mortem. 67. Angelorum ope in mortis agone egemus, ib. Angelica custodia incipit à nativitate, & durat per totam vitam, 66. Angelorum beneficia spiritualia, 64. Angelorum beneficia corporalia, 63. Angeli an mittantur ex omnibus ordinibus, ibid. Angelorum pictura quid significet 61
Animarum salutem procurare est Angelicum, 1088, est imitari Christum, 1091. Animæ panis est lectio librorum sacrorum, 354. animæ panis est sacra doctrina, ibid. animæ panis est Justitia, ibid. animæ cibum incongruum quidam quærunt, ib. animæ panis est verbum Dei. 353. animæ Religiosæ applausus, 281. animæ beatæ triplex dos, 249. anima fidelis invitatur ad præsepe Christi, 120. animæ piæ tres mansiones in latere Christi, 146. Animæ duo oculi 1026
Animæ vitiatæ responsum 980
Anni Sabbathici 7. Privilegia 507
Antichristus erit verus & singularis homo, 182. Antichristi nativitas, malitia, ibid. Antichristi mors, imperium, doctrina 183. & 184
Antidotum contra passiones & affectus 774
Antonius de Padua in confusionem obdurat orum advocat pisces ad audiendum verbum Dei, 59. mire illustratur à Puero Jesu 112
Annulus B. Edmundi, 939. annulus in quo digito detur, ibidem & 931. annulus B. Josephi 932. annulus S. Joachimi, ibid. annulus S. Agnetis, 939. annulus S. Ursulæ, 932
Apostasia quid & quale crimen. 863

Apostolorum duodenarii numeri figuræ. 33
Apostoli quæ debeant prædicare, 169. Apostoli primi fidei fundatores, 26 Apostolos illiteratos Deus elegit, 28. Apostoli Ecclesiam sanguine fundarunt, 29. Apostolus monet orandum esse pro Regibus, & quare. 312. & seqq.
Apparitiones Christi quibus. 164 & seqq.
Aquæ benedictæ utilitates. 652
Aqua congruenter designata est materia baptismi, 651. Aqua mixta vino in calice primo convertitur in vinum. 724
Arboris crucis descriptio. 306
Ardor mentis ad divina. 1034
Articulos omnes fidei hæretici oppugnarunt. 34 articulorum fidei duodecim figuræ, 35. Articulos symboli quilibet scire debet. 36
Arrogantiæ detestatio & exempla. 1116
Artifices vitantes avaritiam clari sanctitate. 1183
Arundo Christo in Passione data, quid significet. 331
Ascensionis Christi varii fructus, 175. Ascensionis Christi triumphus, 174. Ascensionis Christi locus, tempus, modus, & circumstantiæ 174
Aspectus incautus. 1107
Aspirationes sacræ pro diebus recollectionis, 1068. aspirationes nocturnæ pro singulis hebdomadæ diebus, 1023 aspirationes matutinæ, ibidem aspirationes triginta tres in honorem annorum Christi. 1024
Astrologia Judiciaria species est divinationis. 478
Athanasii constantia in fide. 14
Athlantici & Æthiopes solem fugiunt 11
Atheismus quid sit, 20. Atheismus est profundum quoddam peccatorum. ibid.
Avari miseria, 464. 1170 cur nihil scelestius, 1171. avarorum vox, 1181 avari semper paupertes. ibidem, avaritiam detestantia, 1192. avarorum inquietudo, 1183. avarus similis cani famelico, ib. Avari descriptio, 464. avaritiæ detestatio, & dimensiones, 1178 avarus est idololatra, ibid. avaritiæ insatiabilitas, 1179. avaritia duplex est, 1177. 1181. ejus fuga, 1101. avaritiæ mala & incommoda, 1180. avaritia quæ peccata gignat, ibid avaritia facit neglectum divinorum, 1184 avari animam oppignorant Diabolo. 1185. avari maledicti, 1197. avaritia Regum & superiorum, 1190. avarus etiam est sua cupide servans, 1194. Avarus Episcopus misere à dæmone jugulatur. 1119
Ave vox B. M. V. ad gaudium excitat, 390. Ave quid significet. 391
S. Augustini conversio. 12. Confessionum Rationes, 833. ejus mansuetudo. 1048
Aulicorum casus, & ruina. 1151. & seqq. Aulicorum ambitio 1151

B.

Blandina pro Christi nomine pœs, 4
Blasphemia quid 503. Blasphemi in omni lege puniti. ibid. Blasphemiæ Gallorum. 504
Baptismi materia congruenter est aqua, 649. & 651. Baptismus patrinos requirit. 671. Et cur. ibid. Baptismi patrinorum officium, ibid. Baptismi effectus etiam character est, ibid. Baptismi forma quando instituta. 659. Baptismi forma requirit distinctam & expressum invocationem trium Personarum, 658. Baptismi forma, 657. Baptismi gratia, 667. & seqq Baptismus non tollit omnes pœnalitates vitæ, 670. quare, ibid. Baptismi effectus est etiam cœli apertio, 669. Baptismus tollit omnem pœnam peccatis debitam, 668. Baptismus remittit omne peccatum, 666. Baptismus sanguinis supplet baptismum aquæ, 665 Baptismi formam convenit omnes scire, 660. Baptismus in præcepto fuit post Resurrectionem Christi, 660. Baptismalis fontis encomia 614. Baptismalium fontium miracula, 656. Baptismi cæremoniæ triplices, 677 Baptismi cæremoniæ rectè in Ecclesia institutæ, 676. Baptismi cæremoniæ præcedentes, 677 Baptismi cæremoniæ comitantes, 678. Baptismi cæremoniæ subsequentes 680
Baronii & Bellarmini resistentia ad Cardinalatum, 1150
Basilii de fidei integritate sententia. 15
Bellarmini epistola ad Henricū à Lotharingia, 1003
Bellorum auctor plerumque Diabolus, 313. Belli flagellum oratione avertitur, 312. Belli flagellum gravissimum ob clades temporales, 311. Belli flagellum reformidandum ob scelera quæ producit, ibid. Belli flagellum grave ob animarum perditionem, 312. Bellum flagellum est ad scelerum vindictam. 311
Benedictiones Sacerdotum ante lectiones, 1081. Benedictio præmittenda sumptioni cibi, 350. Benedictio Sacerdotalis in desponsatione 932
Beneficiorum pluralitas periculosa, 1106. causa damnationis, 1102. Beneficiorum Simonia palliata. 1190. Beneficiarii non possunt testari de bonis Ecclesiasticis nisi ad pias causas, 1109 Beneficiorum plurium dispensatio. 1106
Blasphemia in Deum & SS. quam gravis, 502. Blasphemiæ descriptio, 502. Blasphemi in omni lege puniti, ibid. Blasphemantium plagæ & maledictiones. 1265. Blasphemantes persequuntur Christum. 1266
Bona justa ab injustis devorantur. 570

C.

Cæremoniarum splendor antiquus in Ecclesia, unde defecerit, 890. Cæremoniarum observatio, 1081. Cæremonialia in novo Testamento cessarunt 108. Cæremonia devota in susceptione Novitiæ apud Annunciatas, 14. Cæremoniæ sacræ cur institutæ. 1085
Calamitate cur bonos aliquando affligat Deus, 308. Calamitates sunt à manu Dei. 319. Quomodo avertantur ibid & seqq.
Calicis consecratio & quid requiratur. 223. Cali-

Digitized by Google

1366

cis mixtionis ſignificatio,ibid. Calicis uſus cur laicis ſubtractus. 758. Calicis uſus aliquando laicis permiſſus & non præceptus. 757
Canes qui dicantur 749
Cantus amatorius 1209
Cantores impuri ſimiles Baſiliſco & Grentibus 1209
Caractêres officium in Chriſtianis triplex 631
Cardinalibus & Prælatis conceditur ſplendor ob dignitatem eorum, 1117. Cardinalibus cur purpura data ibid.
Carnis motus in pœnam permittuntur à Deo, 558.
Carolus V. imperio renunciat. 530
S. Carolus exemplum prælatorum, 1010. ejus elogia, ibid. ejus virtutes, 1042. ejus humilitas, 1046 ejus manſuetudo, 1049. ejus epiſtola ad Card. Barromeum. 1099
S. Carpizelus indiſceretus. 1115
Caſtitatis laus. 1219. Caſtitatis fundamenta jecit Chriſtus, ibid. Caſtitas conjugalis quam perfecta eſſe debeat, 946. ſymbolum Amygdalus, 909. adjumenta, 1098. caſtitas triplex, 1221. caſtitas quibus modis ſolidetur, ibid. caſtitatis naufragium unde. 1226
Caſus reſervati, 860 caſus Pontifici reſervati, ibid. caſus Epiſcopo reſervati. 862
Catechiſticæ interrogationes & reſponſiones de acedia, 1360. Catechiſticæ interrog. & reſponſ. de ira, 1859 de gula & invidia, 1358. de luxuria, 1857. de avaritia 1356. de ſuperbia, 1855. De ſeptem Sacramentis, 1352 De præceptis primæ Tabulæ, 1147. ſecundæ Tabulæ, 1349. de fide, 1133. de ſpe, 1340. de charitate 1346
Cathedralis Eccleſia unde Thumb dicatur, 890
Celebrantium quotidie exempla. 1056
Characteres officium. 631. characterem cur voluerit Deus eſſe ſignum indelebile, 632. character imprimitur per quædam Sacramenta. 628
Charitatis commendatio, 1235. charitatis laus. 451. charitatis infuſæ habitus, & gratia ſunt una qualitas realiter, 440. ejus definitio, 443. ejus tituli & encomia ex S. Proſpero, ibid. ejus vis, effectus & efficacia, 444. ejus generatio & proles, ibid. charitatis præcepta, ibid. charitas velut regina, forma & origo aliarum virtutum, 442. eſt anima aliarum virtutum, ibid. charitas omnibus virtutibus excellit, 441. charitas duplex, 439. charitas primas inter dona Dei tenet. ib charitatis gratia. 440. charitatis fraternæ monemur 335
Choreæ deſcriptio & origo. 515
Chriſtiani unde vocati. 2. Chriſtiani perfecti & peregrinantis typus, 748. Chriſtiani omnes obligantur ad perfectionem, 909. Chriſtianus quomodo ſe gerere debet, 5. Chriſtiani multi numero, pauci vitæ merito, ibid. Chriſtiani medii qui, ibid. Chriſtiani vocamur ut Chriſtum imitemur, 1. Chriſtiani ſignum quod, 7 Chriſtiani falſi quibus ſimiles, 6. Chriſtianus verus S. Calliopius, ibid. Chriſtianum eſſe magnum eſt Dei in nos beneficium, 4. Chriſtiani nominis obligatio, ibid. Chriſtianum nomen multos ad martyrium animavit, ibid. Chriſtiano nomini non derogat varietas ordinum & religionum, 3. Chriſtianorum perſecutor Julianus Apoſtata, ib. Chriſtianus in tribus Sacramentis ungitur, 872, ejus unctionis figura 872
Chriſtus naſcitur ex virgine ſine corruptione ut fructus ſine læſione ex arbore. 409. Chriſtus uſus eſt cæremoniis, 676. & 1082. Chriſtus verus hymenæus. 928. Chriſtus puteus aquarum viventium, 612. Chriſtus natus in ſtabulo, 109. cur reclinatus in præſepio, ibid. Chriſtus natus ſine matris dolore, 120. Chriſtus eſt liber quidam ſcriptus, 117 Chriſti doctrina ſuperat omnem doctrinam, 112. Chriſti nativitate fides perficitur, ſpes confirmatur, charitas perficitur, ibid. & 113. Chriſti nativitatis fructus, 112. & ſeq. Chriſti ſudor verus ſanguis fuit, 125. Chriſti ſudor ex naturali angore, 126. Chriſti ſudoris ſanguinei cauſæ. 124 Chriſti paſſio inchoatur in horto, 125. Chriſti ſepultura honorifica, 150. Chriſti corpus ſindoni involvitur, ibid. Chriſti Corpus ſcindunt hæretici. 30. Chriſtus nativitatis ſuæ tempus elegit, 110. Chriſtus natus in Bethlehem, & cur 108. Chriſtus noſter Dominus eſt, 101. Chriſti nativitas fuit ſine Matris dolore. 110. Chriſtus crucifixus aſpiciendus in precibus, 325. Chriſtus eſt Filius Dei naturalis unicus. 100. Chriſtus unctus ut Propheta, 92. Chriſtus unctus tanquam Rex, 98 Chriſtus nominatur quia unctus ut Sacerdos, 97. Chriſtus convenienti tempore venit. 88. Chriſti aſcendentis benedictionis effectus. 175 Chriſti aſcenſionis varii fructus. ibid Chriſti aſcenſionis locus, tempus, modus & circumſtantiæ, 174 Chriſti aſcendentis Tituli & deſcriptio, 122. 173. Chriſti aſcenſionis Triumphus, 170 171. Chriſti reſurrectionis teſtes, 168. Chriſti variæ apparitiones, 164 & ſeqq Chriſti reſurrectionis fructus, 159. Chriſtus reſurrexit propter noſtram juſtificationem, 162 Chriſti reſurrectio imitanda, & quibus de cauſis, ibid. Chriſti reſurrectio eſt de fide 155. Chriſtus reſurgens quinque vulnera ſervavit, & quare, 158. Chriſtus dum Apoſtolis dat gratiam, Thomas abfuit, 168. Chriſtus Thomæ etiam abſenti inſpirat Spiritum ſanctum, ibid. Chriſtus cur voluerit matrem ſuam Virginem ſemper eſſe. 119 Chriſti ut Judicis deſcriptio, 194. Chriſti reſurrectione fides creſcit, ſpes augetur, & charitas perficitur, 175. 176. Chriſti in hoſtes charitas, 456. Chriſti reſurrectione fides & ſpes noſtra confirmatur. 160. & 161. Chriſtus eſt fons, 653 & 852 Chriſtus reſurgens cœlum & terras gaudio implevit, 159. Chriſtus reſurrexit cum integritate corporis, 157 Chriſtus Ioli comparatur, 155. Chriſtus quo die & hora reſurrexit, 156. Chriſtus ad internum damnatorum non deſcendit. 154. Chriſtum ad pur-

gatorium descendisse probabile est, ibid. Christi anima vere & realiter descendit ad inferos, 123. Christus ad limbum patrum descendit, ib Christi sepulchri gloria, 152. & unde. ibid. Christi vulnus in latere, 148. Christi pedum vulnera, 147. Christi manuum vulnera, 146 Christo mortuo quare latus apertum, ibid. & 158. an latus sinistrum vel dextrum, ibid. Christus, ut homo causa meritoria nostræ sanctificationis, 621. Christus est puteus aquarum viventium, situlæ sunt 7. Sacramenta, 622 Christus est fons, 623. Christus mortuus inclinato capite, 144. Christus mortuus voluntariè, & quando voluit, 143. Christus docet quid orare debeamus 330. Christi dictum ad S. Catharinam Senensem, 316. Christi gratia necessaria sunt ad salutem, 76 Christi perfecta satisfactio, 80. Christi in coronatione acerbissimi dolores, 130. In Christi vulneribus tres piæ mansiones animæ. 146. Christus vult nos sibi conformari in exequenda voluntate Dei. 346. est via, veritas, & vita, 1022. Christi elevationis in crucem figuræ, 142. Christus in crucem elevatus omnia traxit ad se, ibid. Christus in crucifixione nudatus est, ibid. Christo crucifixio acerbus dolor fuit, 140. Christi crucis varia mysteria, 139. Christi crucifixio, 146. Christi coronatio, 129. Christi purpura, arundo, chlamys quid denotent, 131. Christus quare spinis coronari voluit, 130. Christus ex perfecta justitia satisfecit. 82. Christus solus potuit pro peccatis satisfacere. ibid. Christus hominem potiùs liberavit quàm Angelum, 80. & cur, 81. Christi labores, 1284. Christi abstinentia, 1255. Christi ascensio, quære ascensio

Cibi sumptioni præmittitur benedictio. 350

Civitas Dei & diaboli, 1141. Civitatis Dei & diaboli varia nomina. 1142

Circumcisionis locus, 627. Circumcisio cur fiebat in loco generationis, ibi, cur cultro lapideo 628. Circumcisionis tempus ibi.

Clementis IV. exemplum disponendi de patrimonio S. Petri 1108. aliorum Pontificum, ibid.

Clerici in veste duo fugiant extrema 1117. Clericatus seu tonsura fundamentum ordinationis non Sacramentum. 895

Cœlibatus laus, 978

Cogitationes pravæ, 1205. Cogitationes turpes memoria præsentiæ Dei fugantur, 41. cogitatio turpis triplex esse potest, 607. cogitationibus quomodo resistendum 605. cogitationes omnes Deus cognoscit, 42. Cogitationes secretæ Patri Spirituali aperiendæ. 369

Cognati non ducendi ex bonis Ecclesiæ. 1107

Cohabitatio conjugum & bonorum administratio 921

Columba symbolum puritatis & mansuetudinis 203. item pœnitentiæ & pacis, 204. columbæ nomen quid significet. ibid.

Communionis indignæ exempla, 744. communicans liber debet esse ab omni peccato mortali, 742.

Computatorum mos, 1250

Conceptio filij Dei tribuitur Spiritui S. 106, conceptionis miracula, 105 conceptio Christi facta post consensum Virginis, 94. conceptio Christi prænunciata ab Angelo, 108

Concionatores novelli timidi, 1165

Concubinarii moribundi horrendum exemplum, 843. Concubitus contra naturam quàm grave peccatum 807

Concupiscentia tanquam radix omnis mali vetatur, 603. concupiscentiæ motibus resistendum, 604 ejus cogitationibus resistendum nieremur, 605.

Confidentia operibus ad gloriam unde oriatur 272

Confessio utilis ob fructus in rem publicam redundantes 823. Confessio omnibus seculis in usu fuit. 821. Confessio est præcepta jure divino & à Christo instituta ibid. Confessione facilior fit remissio peccatorum, & salutis consequendæ ratio. 822. Confessione superbia reprimitur, & acquiritur notitia sui 822. Confessionis præceptum multis casibus obligat. 824. Confessionis obreptæ damnum 823. Confessionis effectus & præmium ibid Ejus fructus 824. Confessarii arbitrio relinquitur satisfactio imponenda. 841. Confessionis integræ impedimenta varia. 832. & seqq. Confessarius pœnitentiam injungere debet cum magna providentia. 842. Confessarius pœnitentes ut peccata fugiant monere debet. 483. Confessarii officium. 853. Confessionis sigillum quo violent. 860. Confessionis sigillum. 859. Confessionis integritas. 857. Confessio præmeditata quantum temporis requirat. 825. Confessionis generalis utilitates. 825. Confessionis conditiones ibid Confessio debet esse aliena ab historiis & inutilibus circumstantiis. 829. Confessiones irritæ frequenter Deum graviter offendunt, 831. Confessarii libertini pœna. 835

Confitentis humilitas simulata. 828. Confitentis humilitas in speciem. Ibid. Confitentium suorum peccata deflentes. 832. Confitentis contritio attendenda. 844 Confitens aperiat peccata ut admissa. 829 Confitens peccata non excusset. Ibid. Confitens propria non aliena peccata explicet. 829. Confitenti restitutio injungenda. 836. Confiteri volens odium & vindictam deponere debet. 836

Confirmatio præter gratiam etiam imprimit characterem indelebilem. 694. An sit de præcepto. 695. Confirmationis cæremoniæ 696. Gratia 615. Ejus vis in S. Paulo 614 Confirmationem suscipiens debet esse in statu gratiæ. 696 Confirmationis capax omnis baptizatus. 695. Confirmationis minister ordinariè est Episcopus. 694. Confirmationis gratia differt à gratia baptismi 692. Confirmationis forma 691 Confirmationis materia. 689. Confirmatio est Sacramentum 688. Initi-

Digitized by Google

Inſtituum in cœna Domini, Ibid.
Conformare voluntatem humanam cum divina ſumma perfectio eſt. 347
Congregatio oblatorum Mediolani. 1122. Congregatio oratorii D. N. JESU. 1121. Congregatio Philippi Nerei 1119. Congregatio S. Caroli Boromæi in diœceſi Leodienſi & alibi. 1124 Ejusdem indulgentiæ 1127. Ejusdem progreſſus. 1128. Ejusdem conſtitutionum epitome. 1131 Congregationes piæ ineundæ. 1118
Conjuges non debent defectus domeſticos evenſilare 941. Conjugis unius mors dat libertatem aliis nuptiis 978. Conjugibus bimeſtre conceditur ad deliberandum 971. Conjugalis cohabitatio 991. Conjugale debitum 989. Conjugalis caſtitas. 946. Conjugii immoderatus uſus reſtringitur. 948. Conjugum verus amor. 949
Conſanguineam ducentis hiſtoriæ. 973.
Conſcientiæ bonæ fructus. 451
Conſecrationis verba pueri Apamienſes proferunt. 798
Conſenſus neceſſarius ad matrimonium. 918
Conſenſus in opus illicitum prohibetur. 605
Conſenſus in concupiſcentia prohibetur. Ibid.
Conſideratio bonorum æternorum 1196. Conſideratio remorſus conſcientiæ. 1215 (540
Conſtantis Imp. fratrem occidentis divina ultio.
Conſtantini ad fidem vocatio. 12. Conſtantinus crucis ligno victor evaſit. 21 Conſtantinopolis capta, cur, & quando? 199
Contemptus quale peccatum. 1157. Contemnere nullas nationes debemus. Ibid.
Continentia perfectior matrimonio. 919. Continentiæ laus & commendatio. 1219
Contritio quid ſit in genere. 810. Contritio diſtinguitur ab attritione 810. Contritio quibus de cauſis excitanda. Ibid. Contritionis definitio. 811 Contritionis conditio ſincerus affectus. Ibid. Contritio requirit dolorem ob Deum ſummum bonum offenſum. 812. Contritio quovis tempore hominem Deo reconciliat 810. Contritio non eſt differenda, ſed elicienda ſimul ac peccavimus 818. cur Ibid.
Contumeliæ deteſtatio 1228. Contumelia illata Euchariſtiæ aut Reliquiis SS. quàm gravis. 869.
Convertit Deus homines per ſeipſum, per Angelos. 1122. Convertit Deus homines per Sanctos, per homines. Ibid.
Converſio peccatoris ſcalæ comparatur. 278. Converſiones quàm mirabiliter fiant. 11. 12. Converſioni peccatorum Sacerdotes ſudeant. 1096
Convivia nuptialia faſta & infauſta. 933. maximè vitanda. 1113. Convivæ quomodo tractandi. 1249.
Cornelii centurionis ad fidem vocatio 12.
Corporis compoſitio in bonis legendis 1075. Exempla de SS. ibid. Corpora mortuorum honeſtè ſepelienda. 149
Correctio debet eſſe diſcreta. 960. Correctio ſit lenis & ex charitate manans. 817. Correctioni adjungendũ bonum exemplum 961. Correctio nimis ſevera nocua. 817. Correctio prolium. 958
Cor purum difficulter mundus facit. 1209. Exempla ibid. Cor humanum ſimile molendino. 323
Corona Sacerdotalis non eſt negligenda. 1118
Coronatio Chriſti, 129 Coronatio Chriſto dolor acerbus. 130
Credo & credere in Deum quid. 54-55
Creationis beneficium mirè obligat hominem. 60
Creata ſunt omnia propter hominem. Ibi.
Creare Deum induxit ſola bonitas. 59. Creatio eſt effectus omnipotentiæ 58. Creare ſolus Deus poteſt, ibid Creantis omnipotentia ibid. Creatio cœli & terræ. 57
Crucis Chriſti varia myſteria 139. Crux quibus gravis. 137. Crux ſua cuivis Chriſtiano bajulanda. 136. Crucis fructus. 141. Crucis bajulatio Chriſto gravis fuit 133 Et quare. Ibid Crucis bajulationis Prophetiæ & figuræ 135 Crucis ſignum quantam vim habeat contra veneficia & dæmones. 8. Crucis ſigni frequentatio Deo grata. 7. Crucis ſigni utilitates & effectus. Ibid. Crucis ſignum eſt profeſſio fidei SS. Trinitatis, Incarnationis, & memoria Paſſionis. Ibid. Crucis ſignum Deo gratum 7 Crucis ligno olim uſi ſunt Ibid. Crucis ligno Conſtantinus victor evaſit Ib.
Culinarii Regis Galliæ ad Regem reſponſum. 1196
S. Cunegundis Deo ſe deſponſat. 919
Cura moderata non vetatur. 352

D.

DAgon eſt Deus venter. 1240
Damnati injuſtè ad Tribunal Dei appellarunt 585 Damnatus propter plura beneficia. 1107
Davidis affectus in Pſalmis ex notitia miſeriæ ſuæ. 226
Dæmon peccandi pudorem tollit, peccato commiſſo reddit. 833 Dæmon finit peccata multa detegi, unum fileri Ibid. Dæmon in maleficiis certis utitur modis. 619. Dæmon Dei miracula aliquando imitari voluit 478. Dæmonis regnum 341. Dæmonis ſimilitudo animam ſeducentis cum impudicis amatoribus. 369
Decalogi præcepta Chriſtianus quilibet practicè debet exercere. 460. Decalogi primo præcepto quid mandetur 470. Quæ peccata vetantur 471
Decalogus promulgatus in monte Sinai. 418
Decalogum debet Chriſtianus memoriâ tenere. 460. Hominem à malo coercet, & ad bonum inſtigat 464. Ejus obſervationis fructus eſt benedictio ſpiritualis & temporalis 466. Item vita æterna. 468. Decalogi præcepta facilia ſunt. 462
Decalogi præcepta unde reddantur facilia. Ibid.
Decalogus eſt ſcriptus digito Dei. 459
Decalogus datus cum ſignis terribilibus. 418
Decalogi legem cur fuerit conveniens hominibus dare 417. Ejus tranſgreſſio difficilis. 463
Decalogus qualiter promulgatus. 458

Digitized by Google

Decimarum fraus. 1188. Decimarum defraudatores puniuntur 870. & 1189
Defectus facientes inhabiles ad ordinem. 910
Defunctus an in Paraſceve poſſit lepeliri. 887
Deflorator virginis ad quid teneatur. 866. Defloratio virginum quale peccatum. 865
Delectatio de re mala prohibetur. 605. Delectatio moroſa eſt peccatum mortale. 1206
Deſperatio vitæ melioris impedimentum confeſſionis 888. Deſperatio graviſſimum peccatum. 287 Deſperatio repugnat omnipotentiæ Dei. 287 Bonitati & miſericordiæ Dei. Ibid. Deſperatio omnium peccatorum periculoſiſſima. 289 Deſperatio repugnat ſpei per defectum. 287. Deſperatio repugnat Dei attributis Ibid. Deſperatio repugnat efficaciæ Chriſti ſanguinis. 288
Deſponſatio ſpiritualis quomodo fiat. 937. Ejus circumſtantiæ. Ibidem
Deteſtatio cum firmo propoſito emendationis. 815 Deteſtatio peccati cum ſpe veniæ. 814
Detractionis origo & radix. 602. Detractio lædit famam proximi. 597. Deus illam deteſtatur, & punit. Ibid. Detractorem audiens qualiter peccet, 601 & quare. Ibid. Detractori quomodo reſiſtendum ib. Detractio quale peccatum. 597 Detractio ad reſtitutionem famæ & damni obligat 599 Detractio multos ad infernum præcipitat. Ibid. Detractio quando non ſit toleranda. 600. Detractio quàm commune vitium. Ibid.
Devotio erga B. M. V. quàm utilis 374. Eſt præſignationis teſſera. Ibid. Devotio ſacrificiis quotidianis 1054. Devotio erga Sanctos, 1034 Erga S. Carolum, 1033 Erga SS Angelos. 1034
Deus quomodo poſſit repræſentari 48. Deus ſolus cauſa principalis effectiva noſtræ ſanctificationis 621. Deus cauſa ſalutis, Ibid. Deus diligendus ob ejus perfectiones 445. Ob beneficia in nos collata. 446 Dei dilectionis præceptum quomodo poſſit impleri in hac vita 448. diligendus ex toto corde. 448. Quid ſit diligere ex toto corde, tota anima, tota mente, Ibid. Reſervat ſibi quatuor claves naturæ. 949. Deus ubique ſpecialiter in cœlis per manifeſtationem gloriæ ſuæ. 436 Deus domum creavit homini ſuper terram. 58 Deus ſolus aliquid annihilat 59. Deus differt tempe gratiam petitam 329. Et quare. Ibid. Deus dicitur Pater ratione creationis, redemptionis, adoptionis, glorificationis 333. & 334 Deus graviter irritatur ob confeſſiones irritas. 831. Deus unus eſt in eſſentia 51. Deum trinum in perſonis eſſe naturali ratione non cognoſcitur 52. Deus excluſit omnes Deos gentilium. Ibid. Deus ad miſericordiam pronior, quàm ad juſtitiam. 50. Dei miſericordiæ longitudo, latitudo, ſublimitas, & profunditas 48. 49. Dei præſentia fons omnis benedictionis 397. Deus quomodo conferat gratiam efficacem 807. Dei varia nomina. 44 Dei Genitrix eſt Beata Maria Virgo. 107. 44 Deus triplicem familiam gubernat. 44. Deus calamitates prodigioſis ſignis prænunciat. 185. Dei juſtitia quid. 49 Dei juſtitia in puniendis ſceleribus. Ibid. Dei miſericordia. 48. Dei prædeſtinatio. 45. Dei providentia. 43. Dei ſcientia. 41. Dei omnipotentia ipſi ſoli conveniens 42. Dei præſentiæ fructus, & utilitas 40 Deus immenſus quia ubique. 39 Deus licèt ubique ſit, ſpecialiter tamen dicitur eſſe in aliquibus locis 49. Dei maledictio in proles ex adulterio. 560 Dei æternitas. 39. Immenſitas ibid. Deum eſſe homo poteſt cognoſcere ex effectis. 37 Deus quid ſit nec ſatis intelligi, nec ſatis declarari poteſt. 38. Dei deſcriptio. ibid.
Diaboli corporis analogici deſcriptio 375. Diaboli vim Deus perfringit. Ibid. Diabolus malitiæ ignem in nos ſpargit 373. Diabolus omnis malitiæ auctor 372. Plenus malitiâ. Ibid. In malitia obdurmatus. Ibid. Cur vocetur malignus. 373 maligne inſidiatur noſtræ ſaluti. Ibid. Diaboli operationis malignitas 374 Diabolus malos decipit effundendo tenebras ne malitiam peccati videant. 376 Promiſſione longioris vitæ 377. Specie divinæ miſericordiæ. Ibid. Odiò proficuatur bonos Ibid. Incipientes difficultatibus deterret à bono, Ibid Proficientes ad reperem vel indiſcretum fervorem deducit. 378. Perfectos exagitat ſcrupulis, ibid. Vel decipit ſpecie boni 379 Diabolus cur malus vocetur 372. Diabolorum ſuperbia. 1145. & ſeq.
Diaconi munus, 898 Diaconiſſæ quænam olim dictæ. 903
Dictum S. Ignatii Mart. de Chriſto crucifixo. 141 S. Franciſci. ibid. Virginis cujusdam. Ibid.
Diem dominicum quibus modis oporteat ſanctificare. 509, & ſeq. Dici dominicæ prærogativæ & myſteria. 508 Dici dominicæ antiqua obſervatio. ibid. Dies ſeptimus cur à Deo ſanctificatus 506 Dies dominicus eſt dies Reſurrectionis Chriſti 508 Dies ſeptimi ſymbola. Ibid. Dies ſabbati cur B. M. Violennis 509. Dies Solis cur dicatur Ibid Dies rogationum inſtituti pro avertenda ſterilitate.
Difficile eſt in tabernis & ſæculo cor purum gerere
Dilationis mala Et quid ſit dilatio 1282. (p. 5.
Dilectio inimici, ex præcepto. 451. Dilectionis ſigna inimico exhibenda & quæ. 457 Dilectio Chriſti erga inimicos. 456. Dilectionis præceptum omnes in lege nova obligat 456 Dilectionis inimicorum etiam in lege veteri fuit obligatio 455. Diligere proximum multis de cauſis debemus 453. Diligendus proximus 452 Dilectionis proximi motiva. 452 Dilectionis veræ erga Deum ſigna. 449 Dilectionis Dei nihil præponere debemus 448. Dilectionis Dei præceptum an in hac vita poſſit impleri. 448. Dilectio Dei ex toto corde præcedere debet. 447
Diligendi Deum motiva. 441
Dimittendum aliis ſi nobis dimitti velimus. 558

Dio-

Digitized by Google

Diogenis dictum de opibus. 365
Diſcordiæ mala & deteſtatio, 1159 Diſcordes ſimiles gallo 1159. Fabula de diſcordia. ib. Diſcordia ſimiles beſtiæ. ibid.
Diſtracti qualiter ſe gerere debent. 1060. Diſtractiones oriuntur ex corruptione naturæ. 322 Ex prava conſuetudine. 323. Ex malitia dæmonum. 324
Divinatio prohibetur. 478. Divitiæ indifferentes. 1178. Divitiarum Deus cur Pluto ibid. Divitiæ peccata gignunt 1181 Divitum bona pauperum ſunt quoad uſum ibid. Divitiarum vilitas. 1196
Doctrinæ novitas profana vitanda. 16. Doctrina ſacra eſt depoſitum quoddam. 15
Documentum pro infirmis in tentatione. 883
Dominorum peccata. 538 Dominorum erga ſervos officium. 532. Dominus tecum Salutatio Hebræis uſitata. 396
Donatio Eccleſiaſticorum inter conſanguineos probatur. 1107
Duella prohibentur. 547. Duelli conſiliarii, fautores, ſpectatores excommunicantur. 548. Duelli definitio, 861. Contra duellantes Bulla Clementis Papæ. 564

E.

EBrioſo aſinus melior & prudentior. 1244. & 1243 Ebrietatis damna. 1245 1253. Ebrietatis deſcriptio, ibid. Ebrietatis pictura. 1247. Ebrietas origo omnium vitiorum ibid. Ebrioſorum excuſationes inanes. 1248. Ebrietatis Judicium 1258. Ebrietatis mala 1256. Ebrioſus Dæmoni propriam vendit animam 1247 Ebrius omnia manifeſtat. ibid. Ebrius ſimilis infanti. ibid. Ebrioſus mortui ſpectro reſipiſcit ibid Ebrioſi deſcriptio. 464. & 1248. Ebrioſi quibus comparantur 1256. 1247.
Eccleſiaſtici an ſint proprij Domini ſuorum redituum. 1103 Eccleſiaſtici debent fugere negotia ſæcularia. 1065. Eccleſiaſticis honeſtus habitus præſcribitur. 1116. Eccleſiaſticorum bonorum prodigalitas vitanda 1103. Eccleſiaſtici peccant corradendo plura beneficia in uſum profanum. 577.
Eccleſia à Chriſto dedicata 770 Eccleſia quare oret pro Regibus. 314. Eccleſia ſimiliter in novo orbe ſanguine plantatur. 32. Eccleſiæ primum membrum Abel. 209. Eccleſiæ caſtra & exercitus ſunt diverſæ religiones. 212. Extra Eccleſiam non eſt ſanctitas 217. Eccleſiæ Hieroglyphicum. 220. Eccleſia ſemper duravit ibid. Omnes homines recipit ibid. In 4. Eccleſiis Patriarchalibus Orientis ſederunt. Hæretici. 223. Eccleſia Romana mater & magiſtra Eccleſiarum. 225. Eccleſiæ bona Clemens IV. parentibus negat 577. Eccleſia à ſancto Petro conſecrata. 770. Eccleſia rectè laicis uſum calicis ſubtraxit. 58. cauſæ. ibid Eccleſia navi comparatur. 229. Eccleſiæ communio animabus in purgatorio prodeſt. 228, Eccleſiæ communio etiam malis prodeſt. 227. Eccleſia continet ſanctorum communionem 226. Eccleſia quare Romana dicatur 222. Eccleſia quare Apoſtolica dicatur. 221 Eccleſia quare Catholica dicatur 219. Eccleſia quinam careant. ibid. Eccleſia impios etiam habet 216. Eccleſiæ ſanctitas. 217. Eccleſiæ proprietates, 213. 217. 219. 227. Eccleſia hæreticorum non eſt una. 215. Eccleſiæ unitas. 215. & ſeqq Eccleſiæ varia nomina. 211. Eccleſia ſemper viſibilis. ibid. Eccleſiæ nomen quot modis accipiatur. 209 Eccleſiæ figura templum Salomonis 30. Eccleſia cur dicatur Domus Jacob. 340. Eccleſia multis annis ſtetit ſine ſcriptura ſola utens traditione. 17
Electi ad cœleſtem hæreditatem aſpirant. 342
Emblema de morte & amore. 1211
Emendationis languor noxius 816. Emendationis propoſiti efficacia ibid
Epiſcopiſſæ quænam olim dictæ. 904. Epiſcopus etiam poteſt limitatè concedere indulgentias. 426.
Epiſtola Theodoſij Imperat. appoſita pedori S. Joannis Chryſoſt. 1187
Evangelium S. Joannis geſtare licet. 427
Euchariſtiæ miracula. 734. Euchariſtiam Chriſtus primus ſumpſit. 745. Euchariſtiæ ſumptio in Articulo mortis an præceptum. 781. Euchariſtiæ ſumptio quale requirit jejunium 781 Euchariſtiæ præceptum. 783. Euchariſtiam ſuſcipere volentis diſpoſitio 780. Euchariſtiæ materia & forma 779 Euchariſtiæ ſacrificio maximo Deus honore afficitur. 765. Euchariſtia eſt Sacramentum & teſtamentum & ſacrificium 765. Euchariſtiæ ſumptæ qualis debeat eſſe devotio 756. Euchariſtiæ ſumptionis effectum peccatum veniale aliquando poteſt impedire. 655. Euchariſtiam ſumere volens ſeipſum priùs probet & quomodo id faciendum 748. Euchariſtia dicitur vinum germinans virgines. 741. Euchariſtia eſt frumentum adoleſcentum. 740. Euchariſtiam ſumere Chriſtus ipſe præcepit. 736 Euchriſtia cur inſtituta. 703 Euchariſtia cur dicatur panis 354. Euchariſtiæ myſterium abſconditum 699. Euchariſtiæ materia. 721. Et cur aqua & vinum. ibid. Euchariſtiæ quatuor myſticæ dimenſiones. 719. Euchariſtiam miniſtrandi modus tempore peſtis. 830. Euchariſtiam qualiter Paſtor teneatur adminiſtrare. 879. Euchariſtia eſt cultu latriæ adoranda 726 Euchariſtia forma. 725. Gratia. 625. In Euchariſtia contenta mirabilia 714. in Euchariſtia realis Chriſti præſentia confirmatur. 709. Euchariſtiæ præſentia. ibid. Euchariſtia quibuſdam in ruinam & quibus. ibid. Euchriſtia memoriale eſt omnium myſteriorum novi Teſtamenti 706. Euchariſtia eſt memoriale perfectionum Dei 703. Euchariſtia memoriale eſt myſteriorum veteris Teſtamenti. 705
S. Euſtachij vocatio ad fidem, 11

S. Eucherij encomia. 971
Exaltatio sui supra omnes & supra Deum. 1145
Excellentiæ appetitus omnibus innatus. 1167
Exhortatio moralis pro die Paschatis. 163. Exhortatio S. Francis. ad suos fratres. 124. Exhortatio ad sacerdotes. 435. Ad Juvenes ne se libidini dedant 551. 513 Ad peccatores 806. Ad sacerdotes. 993. Exhortatio S Caroli ad suos oblatos 1122 Exhortatio ad missam 777. Exhortatio ad desperantes ex S. Chrysost. 290. Exhortatio ad Confirmatos. 697. Exhortatio ad Eucharistiam 738.
Exorcistæ officium. 876. Liberat in Polonia cum applausu Catholicorum obsessam. 898
Explicatio rituum Missæ. 1082. Explicatio Psalmi xxii 615 Explicatio verborum Apostoli Jacobi, Infirmatur quis, &c. 875
Extrema unctio Sacramentum est. 878. Extrema unctio quando & quibus ministranda. 875. Cur veteres ægros ante sacrum viaticum inungebant 873. Non est mortis acceleratio. 870. Mariam Oeginacam mire recreat 885 Extrema unctione quandam fœminam non inunctam dolet S. Malachias, 884. Est sanitas corporis. 885. Extremæ unctionis definitio. 871. Extremæ unctionis Gratia 625 Extremam unctionem quo tempore Christus instituerit. 873. Extremæ unctionis minister est Sacerdos. 876. Extremæ unctionis administratio tempore pestis. 878. Extrema unctio una sufficit in aliqua parte corporis in periculo contagionis 880. Quare ultimo detur. 873 Quare dicatur extremum Sacramentum. 872. Extremæ unctionis materia. 881. Extremæ unctionis sex distinctiones à confirmatione. 882. Extremæ unctionis effectus ex opere operato, ibid. Extremæ unctionis forma. Ibid. Extremæ unctionis effectus 883
Eunuchi Candacis Reginæ ad fidem vocatio. 12

F.

FActa aliena dubia bene interpretanda. 591
Falsitas circa monetam. 867. Falsitas circa litteras. 868 Falsitas in Judicio prohibetur. 185
Fama quibus modis restituenda. 599
Fames & sterilitas flagellum Dei. 317. Fame Deus punit peccata in lege naturæ, veteri, & nova, ibid. Fames & sterilitas Divinæ justitiæ satellites. 519
Familiaritatis noxiæ fuga. 1100
Fervor spiritualis. 1287
Festi corporis institutio. 729. Festi corporis Christi origo, ibid. Festi corporis Christi rationes morales 731. Festa violant ludos & choreas exercentes. 515. Festa violant procuratores litibus dediti ibid. Festa violant mechanici & plebei ebrietati indulgentes. ibid Festa violant mercatores calculationibus vacantes. 514 Festa violant Domicellæ totum tempus ornatui impendentes. ibid. Festa violant nobiles venationi indulgentes ibid.
Fidei vitium oppositum. 19 Fidei pictura pereleganS 711. Fides jurata etiam hosti servanda 468. Fideles cur signati vocantur. 628. Fideles omnes cur non à Jesu nomen habent licuit à Christo. 4. Fidelium diversa nomina. 2. Fidelium sepultura communis. 149 Fidelium plures salvantur, 47. Fideles semper adhæserunt Romano Pontifici. 224. Fidei plantatio in novo orbe. 32 Fidem Apostoli plantarunt & sanguine & prædicatione, 32. Fides sanguine tuenda. 15. Fidei integritas servanda. 14. Fidei firmitas omnem fluctuationem excludit. 13. Fides debet esse immutabilis. 12. Fides requirit pium affectum ex parte voluntatis. 30. Fides perfecta requirit lumen ex parte intellectus. 9. Fides est salutis humanæ fundamentum, ibid. Fides spes & charitas ad salutem necessaria. 9. Fides quid sit ibid. Fidei, spei, Charitatis symbola 9. 11 Fidei symbola 11. Homo ad fidem varie exterius à Deo vocatur 11. Contra fidem nec ratio nec auctoritas valet. 13. Fideles hæsitantes reprehenduntur. ibid. Fidei primi fundatores Apostoli. 26. Fidei symbolum composuerunt Apostoli. 33. Fidei negatæ signa. 55
Fiducia in Deum unde concipienda. 327. Fiducia in opibus. 1184 Fiduciæ fundamentum misericordia Dei 327. Item merita Christi 328 Fiduciæ Exempla. 327
Filij debent parentibus amorem, reverentiam, obedientiam, & sustentationem. 537. & seqq. Item pietatem ante & post mortem. 521
Filiorum bonorum benedictio. 523 Filiorum impiorum maledictio. Ibid.
Flagellum Dei & calamitates retorquemus per refugium ad sanctos 321. Per recursum ad B. Virg. 320 Item per processiones cum Venerab. Sacram. 319 Per orationis efficaciam. ibid. Flagellandus Christus ad columnam fuit alligatus. 128. Flagellatio Christi acerbissima quare? ib. Flagellatio Christi injusta fuit. 126. ignominosa. 127. Crudelissima ex parte instrumentorum, Corporis Christi. & ictuum. 128
Fluctuantes in fide similes se in gyrum commoventibus. 14
Fontis Baptismalis encomia. 654
Formica laboris hieroglyhicum. 1279
Fornicatio fugienda quibus de causis. 551 & seqq. Fornicans in corpus suum peccat & quare. 552
Fortunæ rota. 72. Ejus effigies, 573. Fortunæ instabilitas & casus. 1151
S. Francisci apophthegma 335 Ejus oratio. 447 Fraternitatis commendatio. 1232
Fraudulentiæ detestatio. 1185. Fraudatores homicidis similes. 1187
Fundatores ordinum & religionum patribus comparantur. 3
Furorem Dei vix fugere possumus. 40
Furis nocturni & diurni occisionis disparitas. 537. Furtum ex genere suo est peccatum mortale. 567 furti

Digitized by Google

Furti præceptum omnis ſtatus homines tranſgrediuntur. 575. Furti deteſtationem parentes parvulis inculcent. 568. Furtum ſuum quidam malè ad planetas referunt. 569 Furtum inducit obligationem reſtitutionis. ibid. Furti ſpecies omnes prohibentur & quæ. 571

G.

GAllæſi unde vocati 2
Gloriæ vanæ incommoda. 1148. ejus definitio. ibid
Gratiæ plenitudo diverſimode accipitur. 394. Gratiæ plenitudo tribuitur Chriſto, Sanctis. & B. Virg 394 Auctæ ſunt in B Virg. tempore vitæ. 395. Gratiæ diviſio 800. Gratiam ad pœnitendum nulli peccatori Deus negat. 803. Gratiæ pulſus ad fores cordis duplices. 806. Gratiæ pulſus qualis. ibid. Gratia non minuit arbitrij libertatem. ibi. Gratia operans & cooperans. 807. Gratiam acceptam cur homo deſerat. 816. Gratiam petitam cur Deus ſæpè differat. 329 Gratia Dei ſperandi principalior cauſa. 270
Gregorius XIII. opes in collegiis fundandis expendit. 110
Gula murus civitatis Satanæ. 1237. Gulæ ſpecies. ibid. Guloſi maledicti 1256 Guloſi porcis ſimiles. 1238. Gulæ dediti ventrem pro Deo colunt. 1240. Gulæ profunditas. 1241 Gulæ filiæ. 1242. Gulæ qui obnoxij. 1250 Gulam deteſtantia 1251. Gulæ remedia 1255. Gulæ brevitas & vilitas. ib. Gulæ innumera mala. 1256

H.

HÆreditas terrena non capitur niſi morte parentum. 342
Hæretici dicunt ſe inviſibiliter à Deo miſſos. 892. Hæreticis Deus utitur tanquam follibus. 25. Hæretici num admittendi in patrinos. 675 Hæretici non poſſunt Dæmonem expellere. 827. Hæreticorum ſectæ Chriſtum dividunt. 3 Hæreticorum doct. orta ab infamibus hominibus. 222. Hæretici ſemper fluctuant. 17. Hæretici abuntur ſcripturis 18. Hæreſis definitio. 19. Hæreſis enorme eſt peccatum ibid Hæretici depinguntur. ibid. Hæretici impiè templa profanant. 299. Quomodo à nobis judicantur. 589. Hæreſis ad atheiſmum inducit. 50. Hæreſis ſcala ad infernum ibid Hæretici cum leproſo comparatio. 23. Hæreſis deſcriptio. ibid Hæreſis peſtilens Reipub, malum ibid. Hæretici miſſam ſuggillant. 1084 Hæreſis perniciosum malum. 21. Hæreſis origo, libido, præſumptio, & ambitio. 24. 1018. Hæreſeos ſymbolum biblia & gladius. 22 Hæreſis inſtar peſtis coercenda. 23. Hæreſis eſt ſeminarium Rebellionis 22. Hæretici Deo & omnibus SS. bellum indicunt. ib. Hæreſis originem ducit à Cain. 23 Hæreſis in homine naſcitur ex vitiis, ibid. Hæreſeos origo tria præcipua vitia, 24. Hæreſes cur Deus permittit, 25. Hæretici pſeudo prophetæ ſunt, 18. Hæretici reipub. ſtatum evertunt & mutant. 22. Hæreſis quantas clades excitaverit. Ib. Hæretici locuſtis aſſimilantur, Ibid.
Hebetudo mentis & corporis unde, 1244
Heliotropij ſimilitudo cum electis Dei. 346
Hierarchiæ Eccleſiaſticæ ſimilitudo cum cœleſti, 891.
Hodie voce monemur incertitudinis mortis noſtræ. 352
Homicidium prohibitum. 536. Quando & ubi licitum. ibid. Homicidium peccatum graviſſimum in proximum 537. Clamat vindictam, ibid. à Deo propalatur, ibid. Homicidium licitum contra invaſorem, ibid. Deus graviſſimè punit & vindicat, 538. Homicidium voluntarium quale peccatum, 864. Homicidium ſpirituale eſt inducere aliquem ad peccata, 547. Homicidium gravius quo perſona nobis conjunctior, 541. Homicidia irrationabilia animalia detexerunt. 541 Homicidij heri ſui autores canis prodit, ibid. Homicidium quare tam grave peccatum. 539
Hominis miſeriæ & corporales & ſpirituales, 326. Hominis variæ deſcript. 122. Homo quamdiu poſſit eſſe immunis à venali, 357. Homo debet primario in operando ſpectare gloriam Dei, 272. Homo poteſt probabiliter ſcire ſe eſſe in gratia. 235. Homo creatus etiam eſt ad imaginem Dei ſupernaturalem. 69. In quo conſiſtat hæc imago. 68. Homo in ſtatu innocentiæ comparatur cum ſtatua Nabuchodonoſoris, 72. Homo ſi non peccaſſet fuiſſet immortalis. 71. Homo creatus fuit cum perfecta ſcientia & dominio ſuper animalia cætera. ibid. Homo poſt peccatum comparatus eſt brutis, 70. Homo creatus ad imaginem Dei naturalem. 68
Honor debitus ſuperioribus, 533. Honor debitus ſenioribus, 529. Honor debitus Sacerdotibus & Eccleſiaſticis, 524. Honor debitus etiam malis Eccleſiaſticis 526. Honor debitus Sacerdotibus quis 528 Honores ſancti vel fugerunt vel inviti ſuſceperunt. 1149
Horarum pia recitatio, 1068. Horarum ſingularum explicatio, 1072. Earum recitatio in lecto indecens, 1071. Horæ privatim quando legendæ, 1076. Horis ſingulis cur, Deus in adjutorium, præmittatur, 1077. Cur adjiciatur Gloria Patri, &c. ibid. Cur præmittatur illis oratio Dominica, ibid. Horas legere in ſacris conſtituti an teneantur, 911. Horarum caſus & reſolutiones, 911. 912. Horarum lectio ſeptuplex quomodo attente perſolvenda, 325. V. Lectionum horarum uſus.
Hoſtia cur dividatur in Miſſa in 3. partes, 717
S. Huberti vocatio ad fidem, 11
Humilitatis exemplar Chriſtus 1043. Humilitatis fructus, 134 Humilitatis gradus, 1044, 1045. Humilitas S. Xaverij, 1092. Humilitas omnibus actionibus adeſſe debet, 1044. non officit magnanimitati. 1027

Digitized by Google

Hunnerici Wandalorum Regis fraus & dolus in Epiſcopos & Sacerdotes. 496
Hymenæi pictura apud Gentiles ante conjugium. 928.
Hypocriſis deſcriptio. 1153. Hypocriſi Deus qualiter maledicit, ibid. Hypocriſis mire dominatur in Chriſtianis, 1154. Hypocritarum exempla. ib. Hypocriſin occultam revelat Deus, 1155

I.

Jactantiæ incommoda, 1149. Jactantia quando ſit peccatum mortale, ibid. unde proveniat, ibid.
Idololatriæ origo & progreſſus. 484. Idolum quid ſit, ibid. Prohibitum. ibid.
S. P. Ignatij dictum de terrenis. 1196
Ignis Chriſti, 373. Ignis Diaboli ibid. Ignis ſymbola, 107. Ignis infernalis æternitas, 196
Imago Crucifixi quaſi quidam liber. 486. Imaginum in Eccleſia fructus multiplex. 485. Imaginum fructus & utilitas, 487. Imaginum uſus Deo gratus, 486. Exempla probant, ibid. Imagines Chriſti & SS. non prohibentur, 484. Imagines Dei formales reprehenduntur non metaphoricæ. 485
Imaginatio & turpis delectatio excutienda 605
Immiſericordiæ deteſtatio, 40
Impenſæ damnoſæ, & obligatio erga pauperes, 256
Impij ſunt membra Diaboli, 373. Impij cur hic felices. 467
Imperiorum mutationes, 263
Imperſeverantiæ mala, 1280
Impotentia perpetua quæ, 975
Impudicitiæ deteſtatio, 1207
Incantatio quale peccatum, 864
Incarnatio Dei cur dilata fuerit. 87. Incarnatio à SS. Patribus ardenter expetita, 85. Ex Incarnatione totum univerſum dignitatem accepit. 84. Per incarnationem hominis beatitudo perfectionem accepit, ib. Incarnationis cauſa eſt dilectio, 79. Incarnatus cur filius potius ſit quam pater aut Spiritus S. 79. Incarnatus eſt ſolus filius 106. Incarnationis conſiderationis fructus, 74. Incarnationis cauſæ, 77. 79. Incarnatus non fuiſſet filius ſi non fuiſſet peccatum, 77. Incarnationis figuræ, ibid. Incarnationis neceſſitas, 75. Incarnationis myſterium, 73
Incendiarij crimen. & cui reſervatum. 870
Inceſtus cum conſanguinei aut ſacra virgine quam grave peccatum, 867. Inceſtus quid, 562. Inceſtus gravior adulterio & fornicatione, ibid. Pœna Ruben ob inceſtum, ibid.
Inclinationes pravæ in pueris corrigendæ, 959
Indignitas dum os ſit inſtrumentum Satanæ, 1255.
Indoles puerilis excolenda, 958. Exempla ibid.
Indulgentia defunctis applicata infallibiliter proſunt, 431. Indulgentiis animæ defunctorum juvantur, 430. Indulgentias lucrari volens omnia injuncta debet implere, 429. Indulgentiarum valor quæ requirat, 426. Indulgentias lucrans debet eſſe in ſtatu gratiæ, 427. Indulgentiæ variæ, 423. Indulgentiæ fuerunt primus lapis offenſionis hæreticorum, ibid. Indulgentiarum theſaurus, 420. Indulgentiarum theſaurus eſt ex ſatisfactionibus Chriſti & Sanctorum, 420. Conſiſtit in acceptatione divina, ibid. Ejus diſpenſatio data eſt Eccleſiæ. 421. Indulgentiarum uſus cur non ita frequens in primitiva Eccleſia, 422. Plenariè concedendi indulgentias, poteſtatem habet Papa immediate à Deo, 425 Poteſtatem limitatam habet Epiſcopus, 426. Indulgentiarum valor requirit cauſam legitimam, ibid. An etiam operibus obligationis poſſit quis lucrari indulgentias, 429. De intentione lucrantis indulgentias, ibid. An omnia opera injuncta in ſtatu gratiæ fieri debent, ibid. Visitantes ſæpius Eccleſiam in die quomodo lucrentur indulgentias, & de habentibus plura numiſmata benedicta, 430. De indulgentiarum & ſuffragij applicatione, 432. Exiſtens in peccato mortali valide applicat indulgentias, ibid. Indulgentiæ unde oriantur, 420. Indulgentiæ omnes durante Jubilæo ſuſpenduntur, 418. Et facultates abſolvendi à caſibus Papæ reſervatis. 419 Etiam ſuſpenduntur indulgentiæ pro mortis articulo. 419.
Indi cujuſdam ad fidem per S. Xaverium admirabilis vocatio, 12
Inepta lætitia gulæ, 1242
Infantes non ſalvantur niſi per baptiſmum, 663. Infantes ſunt capaces baptiſmi, 661. Infantes expoſitiſ an illegitimi, 863. Infanticida morte crimen expiat. 540
Infernalis ignis æternitas, 196
Ingratitudinis mala, 1160 Ejus definitio. 848
Injectio manuum in parentes quale crimen. 863
Initiis peccatorum occurrendum, 1214
Inquietudo avarorum, 1185
Inſania voluntaria quæ, 1345
Intentio in ſacramentis conficiendis duplex, 616
Inſtinctio puerorum, 1090. Exemplum Chriſti & magnorum virorum, ibid. Rudium & pauperum, 1091
Intentionis puritas, 1088. Intentio radix perfectionis actionum, ibid.
Invidus, 464. Invidi maledicti, 1234 Invidi deſcriptio. 464. Invidi punitio. 1226. Invidiæ origo, ibid. Invidorum & odientium modus, ibid. Invidiæ definitio, 1221. Invidiæ Emblema, ib. Invidiæ Etymologia, 1222. Invidiæ latitudo, 1226. Invidiæ remedia, 1231. Invidiam ſectantes. 1229
Joſaphat filij Regis Indiæ ad fidem vocatio, 12
Joannis Eleëmoſynarij exemplum de culcitra, 1104.
Iracundi & vindicativi deſcriptio. 464. Ira quando licita & illicita, 1260. Iræ vitioſa pictura & Emblema, 1261. Iratus contra Deum, Chriſtum & ſanctos ſe erigit 1262. Iræ novem cor-

Digitized by Google

peri & animæ affert.1263 Ira concepta & completa,1264 Iracundorum 4. genera.1266.Iram deteſtantia,1268.Iracundiæ remedia,1269.Irati maledicti. 1271. Irati aleatoris horrendum factum,1264. Ira Herodis, Caii Caligulæ, Auguſti Imperatoris,ibid. Ira reſiſtit Spiritui ſancto,1263 Iratus privat hoſtem ſuum vita & ſalute, ibid. Ex ira quæ vitia. 1264
Iſaac figura Chriſti à Deo oblati, 80
Jubilæum quomodo olim ſervatum, 415. Jubilæum cur annus ſanctus dicitur,414. Jubilæi nomen unde,ibid Jubilæi tempore non ſuſpenduntur Epiſcopales indulgentiæ, 419. Neque Indulgentiæ quoad mortuos. ibid. Quomodo intelligendi xv dies vel 2. hebdomadæ à die promulgationis,ibid De Confeſſione tempore Jubilæi, Jejunio & cæteris bonis operibus requiſitis quoad Jubilæum, ibid. Jubilæum ſæpius aliquis lucrari poteſt 419
Judæorum obſtinatio, 768 Judæorum renovantium ritum ac templum punitio divina. 768
Judicandum de aliis non eſt facile, 588
Judicii extremi ſententia: ite in ignem: explicatur, 194. Judicii ſententia veniæ explicatur, 192. Judicii extremi examen, 190. Judicium extremum qualia examinabit, ibid. Judicii extremi inter bonos & malos diſcrimen,189. Judicium extremum malos à bonis ſegregabit, 188. Judicio extremo omnes adeſſe debent,ibid. Judicium extremum qualia ſigna præcedent, 186 & 182. Judicii extremi præcurſores 184. Judicii extremi tempus, locus, 180. 181 Judicium univerſale inſtituetur præter particulare, & quare, 179. Judicium particulare in morte cujuſque 177
Judices iniquos Deus punivit. 585. Judices quadruplicater corrumpuntur,584. Judices cur ſine manibus & oculis pingantur,585. Judicis boni qualitates, 583 Judicis officium in teſtibus audiendis. 581
Julianus Apoſtata perſecutor Chriſtianorum, 3. Ejus horrenda ira in Deum, 1262
Juramentum exig[illegible]os ſciunt falſo juraturos qualiter peccent, 504. Juramentum quandoque eſt licitum,495 Negare quandoque juramentum eſſe licitum hæreſis eſt. 496. Anabaptiſtæ exactiſſimè à juramento abſtinent,ibid. Remedium contra jurandi conſuetudinem,502. Reprehenditur, 496 Juramenti conditiones, 497. Juramentis execratoriis in colloquio utentes qualiter peccent, 502. Jurandi conſuetudo quomodo fugienda, ibid. Juramentum cum judicio faciendum, 500. Cum Juſtitia ibid. Cum veritate, 497 Jurare ad ſingulas periodos quam perniciolum, 501. Juramentum belli ducum, Principum, Regum &c. ib. Juramenti falli pœna, 497
Juſtus per bona opera meretur vitam æternam de condigno, 170. Juſtificatio propria quibuſdam ſpecialiter revelata, 276. Juſta bona ab injuſtis devorantur,570. Juſtitiæ divinæ ſatellites fames & ſterilitas, 319. Juſtus quomodo meritis ſuis poſſit fidere, 273. Juſto licet bene operari intuitu mercedis, 272. Juſtitiæ ſuæ perſeverantiam neſcit homo, 226. Juſtificationem ſuam nemo fidei certitudine ſcire poteſt, 235. Juſtitiæ emblema. 581

L.

Lachrymæ gratum Deo ſacrificium, 813
Lac quid, 736
Lapſus facilis,reparatio difficilis, 799
S. Leandri monitum ad virgines. 1100
Lectionum horarum uſus. 911. Lectio librorum hæreticorum prohibetur,473. Lectio horarum ratione ordinis, 911 Lectionum horarum cauſæ excuſantes, 911. Lectionis horarum tempus, 913. Interruptio. 912. Horarum ordinis immutatio, 912. Syllabarum ſyncopa & abſorbitio. ibid Horarum interruptio,ibid. Horas licet cum choro continuare, licet aliquam ex præcedentibus non dixerit. 913
Lectoris munus, 896. Lectionis piorum librorum utilitas,514.1064 ejus efficacia,ib Lectio ſacræ Scripturæ commendatur, 1063
Legis divinæ fructus benedictio temporalis & ſpiritualis,466. Legis divinæ encomia. 464. 465. Legis divinæ varii fructus, ibid.
Lepidum dictum de Simonia, & Uſura 1190
Lex decalogi omnem populum Chriſtianum obligat, 460. Lex naturæ inſufficiens fuit ad ſalutem, 75. Lex Moyſis inſufficiens fuit ad ſalutem, ibid.
Libellus repudii quid, 296 Ejus forma & modus, ibid. Uſus ejus apud quos,ibid. Ejus myſterium 970
Liberalitatis commendatio,1199. Liberalitatis doctor Chriſtus, ibid. Liberalitatis definitio & circumſtantiæ, ibid.
Libidinoſorum hominum objectionibus reſpondetur. 516
Ligaturæ uſus prohibitus, 481. Quæ peccata involvat, ibid.
Lingua detractoris crudelior lancea, 598 Lingua nocentior ſerpente,599. Linguæ tempeſtas quid, 1246
Litaniæ pietatis erga familiam D. N. Jeſu, 1025. Litaniæ de S. Carolo. 1033
S. Ludovici inſtructio ad filium, 986
Luxurioſi deſcriptio, 464. Luxuriæ deteſtatio, 1202 incommoda,1203 profunditas,1204 Luxuriæ peccato dediti,1211 eam deteſtantia,1214. vilitas, brevitas, fœditas, 1213. ejus indignitas in Chriſtiano,ibid remedia. ibid.
Luxurioſorum maledictio, 1217

Digitized by Google

M.

S. MAcrinæ viduæ responsum. 980
Magistratui licet occidere malefactores. 536
Machinatio externa in mortem conjugis quale peccatum. 861
Mala ex parte animæ 265. Mala ex parte Corporis ib. Mali facile in hæresim labuntur. 23. Mali cur sæpe à calamitate liberi. 308
Maledictiones S. Christi in hypocritas, 1153. Maledictiones Dei in proles ex adulterio. 560
Maleficium quale peccatum. 804
Manassis oratio. 232
Mansuetudinis effectus. 1048. Exempla. 1049
Mare significat mundum hunc. 393
B. Mariæ Magis amor in Deum. 440
B. Mariæ virginis protectio maximè in supremo mortis agone postulanda. 409. Mariæ duplex titulus 407. Mater gratiæ, 407. Mater misericordiæ. 408. Mariæ intercessionem Ecclesia magna cum fiducia quærit 407. Mariæ V. ventris benedictio, 403. Mariæ Virg. ventris fructus Christus, 405. Mariæ maledicunt qui sunt de semine serpentis, 402. Maria mater Christi & nostra, 122. Rectè invocatur super puerperas, ib. Maria quare benedicta dicitur, 398. Mariam benedicunt omnes viventes 402. Maria mater electorum 385. Maria benedicta dicitur à conjugatis, 400. à viduis 401. à mulieribus castitatis naufragium passis, ibid. à virginibus, ibid. Ab omni sexu & ætate, ib. Sacerdotum specialis mater, 1029. Maria quare benedicta inter mulieres 400. Maria superavit omnes sanctos gratia, 396. Maria Virgo quando accepit gratiæ plenitudinem, 395. Mariæ Virgini nomen non fortuito sed cælitus impositum, 394. Maria V. comparatur stellæ, 395. Mariæ nominis triplex significatio, 392. Illuminatrix, ib. Domina, ib. Stella maris, 395. Cur stella maris vocetur, ibid Mariæ nomen cur Angelus non expresserit, 391 Maria excedit Angelum in tribus. 388. Maria Virgo sibi devotis felicem mortem procurat, 385. Maria Virgo precibus invocanda etiam à peccatoribus, 387. Maria Virgo puritatem conscientiæ amat, 386. Mariæ obsequium offerentes ejus vitutes debent imitari. 385 386 Mariæ virginis duo ubera, justorum & peccatorum, 382. Maria post Christum spes nostræ patrocinium. 381 Maria spes justorum & peccatorum, 383. Maria de Incarnatione post conjugium religioni se addixit. 978. Mariam devote invocare quam utile, 384. Mariæ virginis partus purus fuit & sine sordibus puerperii, 121 Maria virgo Christum cum summo gaudio peperit, 120. Maria manlit virgo ante, in, post partum, 117 118. & 119. Maria immunis fuit a peccato veniali. 556
Mariti uxores gravidas male tractantes peccant, 545.
Mater quæ causa abortus quam graviter peccat, 545. Mater ipsa debet proli lactationem. 957. Cur ibid. Matris ex filiis maledicentis exemplum 961.
Matrimonium multos salvat. 921. Matrimonii Adami & Evæ circumstantiæ, 914. Matrimonii spiritualis circumstantiæ, & ritus, 936. Matrimonium animæ cum Christo. ibid. Matrimonii ceremoniæ. 919. Matrimonii usus ligaturis veneficii impeditur, 489. Molestiæ in matrimonio. 920. Matrimonii denunciationes, 982. Matrimonii pravæ interrogationes. 929. Duo vulnera polygamia & libellus repudii, 963. Matrimonium iniens se disponere debet ad gratiam Dei piis operibus, 926 928. Matrimonium rectam debet habere intentionem, 927. Matrimonium incuntis dispositio 928. Matrimonia infausta. 923 Gratia 925. Matrimonii infausti remedia. 925. Matrimonia infausta unde oriantur. 923. Matrimonium eligentium nonnulli errores. ibid. Matrimonio se plerique junxerunt à Deo non vocati, 922. Matrimonii perfectio. 919. Matrimonium consensus partium facit, 918. Matrimonium in lege nova Sacramentum est, 915. Matrimonium quo tempore Christus institut 916. Matrimonii Sacramento Christus tria addidit, ibid. Matrimonium à Deo institutum. 914 Et quando. 617. Matrimonii contrahendi tempus & locus. 986. Matrimonium morte alterius dissolvitur. 976. Matrimonii impedimenta, 972. Matrimonium consummatum etiam solvi potest quoad thorum, 970 Matrimonium quando dissolvi potest 970. Matrimonij insolubilitas. 969
Matronæ cujusdam factum pro fide castitatis. 559
Media, ut agnosci possit Dei voluntas in statu eligendo. 922
Mediocritas in vestitu. 1117
Melchisedech fuit typus Christi. 762
Memoria Dei præsentis stimulus ad perfectionem 41. Memorabile quid de alto judicio Colonienti. 584. Scabini ob injustam latam sententiam puniuntur. ibid
Mendacii mala. 592. [illegible] prohibetur. 592. mentiri nunquam licet. ibid.
Mendicus senex qualiter Hypocrita. 1155
Mentem nostram docemur à terrenis ad cœlestia erigere. 556
Mercedis detentio quale peccatum, 1187
Militesnostri æv. describuntur. 537
Ministrantium missæ commoda. 795
Missam qui Apostoli celebrarunt. 764. Missæ sacrificii institutio probatur ex novo Testamento. 763 Missæ tempore collare deponere indecorum est. 1117. Missæ substantiam & quosdam etiam ritus ipse Christus instituit, ibid. Missæ sacrificium cur oblatio munda dicatur. 761 Missæ contemptores qualiter puniti. 793. Missa quotidie audienda. 792 Missa integra audienda. ibid. Missam audire quam utile sit. ibid.

Missa

Missa parochialis audienda, 790. Missæ alia quam Requiem, in altari privilegiato satisfacit, 432. Missa pro defunctis an omni die celebrari possit, 887. Missa offertur in gratiarum actionem pro divinis beneficiis acceptis, 773. Missam procurans plus emeretur præsens quam absens, 775. Missa quomodo pluribus possit applicari, 774. Missæ neglectionem rationes excusantes, 788. Missæ requisita & stipendia. 785. Missæ celebratio, 784. Missæ definitio & quid sit, 777. Missa est sacrificium propitiatorium, 779. Missæ utilitates, 776. Missa est sacrificium impetratorium, 774. Missa quibus de causis offeratur, 773. Missæ sacrificium perfectissimum holocaustum, 771. Missa est holocaustum quo Dei majestas colitur & honoratur, ib. Missam audiens vel celebrans & habens vere memoriam SS. cum morte unigeniti filii rem Deo gratissimam facit, 569. Missæ sacrificio proficit etiam Beatis tam hominibus quam Angelis ad gaudium. 769. Missæ figura in agno Paschali, 767. Missa innovatur quotidie opus nostræ redemptionis, ibid. Missæ sacrificio celebratur Dei bonitas, ibid. Missæ sacrificio excluduntur Dii falsi. 766. Missa sacrificium continet omnia genera sacrificiorum in veteri lege. 765
Miseriæ duplices, præsentis & futuræ vitæ 379
Præsentis vitæ ibid. futuræ, 380
Mollities detestatio, 1244. 1248
Monitum Sacerdotes concernens, 993. 1042. B Xaverii pro concionatoribus, 1093. S. Leandri, 1160.
Monopolium prohibitum, 573
Monomachia vel duellorum usus prohibitus, 547
Moribundum adjuvandi modus 886
Mortem an quis sibi possit optare, 544. Mortis consideratio contra avaritiam 1195
Mortem aliquæ virgines sibi intulerunt & procurarunt. 543
Moyses promulgans decalogum altare extruxit, 459.
Mulierum fœtum abigentium peccata, 545. Mulieres infantes in lecto dormientes suffocantes qualiter peccant, 546. Mulierum consortium vitandum, 1099. Mulierum ebriarum impudentia, 1251
Multiloquium 1243
Mundus est regio famis & incolarum fame confectorum, 353 Mundi ætates sex, 88. Mundus est quasi liber in quo quivis legere potest Dei attributa. 37
Munera quando amovenda, 583. 584. Munus cælestium & terrestrium, 1284

N.

NAtionum elogia, 1158. Nullæ nationes contemnendæ, 1157
Nativitas Christi q. Christus,
Natura humana altius sublimari non potuit quam unione cum verbo 83
Navis similitudo cum Spiritu sancto, 202
Nazareni unde vocati, 2
Neglectus divinorum officiorum. 1184
Negligentiæ detestatio. 1280
Negotiatores hujus sæculi, 1285. Negotiatio multis fraudibus & lucris injustis est obnoxia, 572. Negotiatio multis peccatis hominem facile involvit, ib. Est ambitionis occasio & luxus, 573. Negotiationis fraudes quoad pretium, 573. Quoad rei substantiam, mensuram, pondus, & numerum. 574
Nemo anxiari debet quod nesciat, de quo numero sit. 48
Nobilium superbia. 1160
Nomen Dei celebratur tolerantia persecutionum pro Dei gloria, 340. Innocentia vitæ ex piis operibus, 319. Infidelium conversione, 338. Hæreticorum conversione, 339. Nominis Jesu cultu Deus declaratur, 338. Quid sit Jesus, 92. Nomen Jesus maximè in extremis invocandum, 94. Nomen Dei celebratur excitatione creaturarum ad laudandum Deum simul nobiscum, 337. Nomen Jesus Christo titulus gloriosus, 93. Nominis Jesu dignitas, 90. Nomen Jesu reliqua nomina illa tributa in se continet, ibid. Nomen Jesus impositum est à patre, 82. Nomen Jesus Christi nomen proprium, ibid. Nomen Christianum calcar est ad martyrium, 4. Nomen Christianum ad singularem gratitudinem obligat. ibid.
Novitas profana sacrata vetustas, 16. Novitates profanæ quasi viperæ devitandæ, ib. Novitates vocum, ibid.
Numeri septenarii ordinum ratio, 894. Numerus septenarius mysticus, 1143. Numerus duodenarius Apostolorum figura, 33. Item duodecim articulorum figuræ. ibid.

O.

OBservationis mandatorum Dei fructus ultimus vita æterna. 468
Oculus cupidi. & avari insatiabilis. 1179
Occisionis vel percussionis alterius auctores qualiter peccant, 546. Occasio sumpsus est contra rationem, 543. Occisi injustè ad Deum provocatio. 538
Occidere quibus permissum, 536. & seqq.
Odium vel nocendi proximo voluntatem habentes qualiter peccent, 546. Odium multiplex, 1226
Offensæ remissio quomodo facienda. 360
Officii divini mutatio an liceat, 912 Item mutatio quoad ordinem, ibid. Officium divinum cur in 7. horas distributum. 1027
Oleum in extrema unctione debet esse ab Episcopo benedictum, 881. Oleum simplex debet esse, non mixtum, ibid.
Omnipotens quid sibi velit, 17. Cur omnipotentiæ fiat mentio initio symboli, 57. Omnipotentia Patri appropriatur, 57
Operis nostri finis primarius gloria Dei, 1040

Digitized by Google

Operatio noſtra debet primario reſpicere gloriam Dei, tantum mali eſt eadem, 272
Oppreſſio proximi quale crimen, 1187. Oppreſſio viduarum & pupillorum, ibid.
Oratio Dominica continet 7. petitiones, 332. Continet quidquid à Deo petere poſſumus, ibid. Orationis Dominicæ explicatio, 333. & ſeqq. Orationis attentio neceſſaria ad verba, ad ſenſum verborum, 324 Ad petita, ad ipſum Deum, 325. Oratio efficax præſidium contra famem & ſterilitatem, 319. Oratio authoris de vocatione digne obeunda. 902 Orationis Dominicæ fœcunditas & brevitas, 332 Orationis Dominicæ laus & præſtantia, 330. Orationis conditio, perſeverantia, 328. Orationis conditio, ſui diffidentia & in Deum fiducia, 326 Orationis conditio, mentis attentio, & pius affectus, 321. Orationis diſtractiones unde oriantur, 322. Orationis efficacia contra hoſtes, 314 Orandum pro Regibus quare, 312, 313 Orare debemus pro noſtris & alienis delictis, 558. Oratione flagellum belli avertitur, 312 Oratione avertitur peſtis, 310. Oratione Dei 2. flagella avertenda, 307. Oratio facienda in publicis calamitatibus, 305. Oratio matutina utilis 1061. Orationis tempus congruum etiam matutinum, 301. Etiam veſpertinum, 309 Oratio omne tempus aptum, 300 Oratio facta cum planctibus utilior, 300. Orandum ſæpe in templis, 299. Oratio in locis ſacratis Deo acceptior. 298. Orationi omnis locus aptus eſt, 277 Orationi locus aptus eſt remotus a turbis, ibid. Orationis definitio, 294 Oratio comparatur ſcalæ, clavi aureæ, ibid. Oratio celeſta pro peccatoribus 1097. Orationis veſpertinæ modus, 1062. Orationis matutinæ modus, ibid.
Ordo dupliciter ſumitur, 902 Ordinis gratia. 625. Ordines minores, 896 Ordinum numerus, 894. Ordines ſacri cur in Eccleſia inſtituti, 890 Ordinum ſacrorum impedimenta. 909. Ordinatio Sacerdotalis & Diaconatus propriè habent rationem Sacramenti, 893. Ordinem eſſe Sacramentum eſt de fide, 891
Ornatus ſuperbus Deo diſplicet. 1163
Oſſa Sanctorum pullulant de loco ſuo beneficia ſpiritualia & corporalia, 493
Oſculum quadruplex, 115. Oſculum proditorum, ibid Oſcula & attactus qualia ſint peccata, 1209.
Oſtiarii officium. 896
Otii mala, & deteſtatio ejus. 1278

P.

PAnem noſtrum quid ſignificet, 348. 349. Panis quotidianus. 349 & ſeqq. Panis animæ. 351
Panem quotidianum petere quid ſit. 349
Petrus labitur ut diſcat lapſis commiſereri 837
Paræneſis ad lubricoſos juvenes, 553
Paradiſi deſcriptio. 72. Paradiſus horto comparatur, 1
Parentum inordinatus amor, 965. Parentum officium, 963 Parentes filios debent inſtruere & corrigere, 968 Parentum occiſio eſt contra naturam, 541. Parentes prolem deſiderare poſſunt, 949 Parentes ſteriles affligi non debent. 950. Parentes pietate & amore uſque ad mortem filii proſequi debent, 521. Parentes peccant dum unum præ alio diligunt, 577. Parentes ob proles ſæpè pereunt, 950. Parentibus qualis obedientia debeatur, 559
Parochi & teſtium præſentia in matrimonio, 985. Eorum varii caſus. ibid.
Parvulus non poteſt conſequi ſalutem niſi per baptiſmum aut ſanguinem, 663
Paſſio Chriſti, quære Chriſtus,
Patientiæ commendatio, utilitas, ſectatores, 1274. & ſeqq. Patientiæ actus & effectus, ibid. Patientiæ exemplar Chriſtus, ib. Et alii Sancti, 1274
Patris vox monet ne degeneres ſimus filii, 335. Patris maledicentis filio exemplum, 961. Patris vox excitat obedientiam juncta filiali reverentia, 334 Monet nos Excellentiæ noſtræ, ibid. Patris titulus filio ſpecialiter convenit, ibid.
Patrinus requiritur in baptiſmo & quare, 671. Ejus officium. 673
Paſtoris tria munera, 252. & ſeqq Paſtoris eſt paſcere verbo, oratione & exemplo, 252. & ſeqq. Paſtori neceſſaria, 253 Paſtorum munus onera ſubditorum ferre, 1095. Paſtores exordiis aſſumendi mos, 1004. Eorum ſtatutum, ibid.
S. Pauli vocatio ad fidem, 11
Peccatum veniam non remittitur ſine alio, 234. Peccata iterata remittuntur, 233 Peccati divilio, 1141 Ejus definitio, ib. Cur dicatur capitale. ib. Peccantes contra reverentiam ſacerdotalem quinam. 526. Peccantes contra V. Præceptum quinam, 544. Contra VII. Præceptum, 571 Peccator ſimilis ovi errantis, 801. Peccatum peccata trahat, 868 De Davide exemplum, ibid. Peccati venialis non levia damna, 1031. Peccata manifeſtandi modus, 829. Peccatores ex pudore tegentes peccata comparantur Hetitio, 833. Peccatores Sanctorum convertentium exempla, 1097. Peccata in Spiritum ſanctum cur dicantur non remitti, 232. Peccata omnia remittuntur, ibid. Peccati dimenſiones, 805. Peccati mortalis gravitas & malitia, 83. Peccati mortalis duplex debitum, 357. Peccatorum veniam petere debemus. ib. Peccatorum venialium remedia, ibid. Peccato veniali quamdiu carere poſſimus. ibid. Peccato mortali obnoxius valide applicat indulgentias, 432. Peccatum venale etiam homo juſtus ſine ſpeciali privilegio Dei vitare diu non poteſt, 356. Peccatorum venialium remiſſionem petere debemus, 317. Peccatum veniale impedit aliquando acceſſum ad Euchariſtiam aliquando non, 753. Peccatoribus manifeſtis deneganda eſt Euchariſtia, 745. Peccata reſervata quæ, 866. Peccata contra naturam, 564. Peccata contra fidem, 471

Digitized by Google

Perfectionis assequendæ documenta, 1006. Perfectionem in sæculo difficulter assequimur, 1003. Perfectio nostra consistit in conformitate voluntatis nostræ cum divina. 347
Perjurii detestatio, 1186. Perjurorum pœna, 497 Perjurii in omni fere conditione reperiuntur, 498 Perjurium solemne, 868
Perseverantiæ signa & gradus, 278, & 229. à solo Deo est, 276, ejus donum quid, 277. Ea munitus non peribit, ibid. finali perseverantiâ spes firmatur. 275
Pertinaciæ mala, 1158
Pestis flagellum Dei, 309. Pestem quomodo Deus superbiam, luxuriam, hæresim puniverit. Ibid. Pestis sacrificiis & oratione avertitur, 310 item Sanctorum invocatione, Ibid.
Papa an possit errare in causa justa indulgentiarum 427. Cur vocetur sanctissimus, 425
Patrenelis Aloysii Carafæ ad Sacerdotes congregationis S. Caroli, 1130
Petitio liberationis à malo pœnæ, 379. Petere debent & boni & mali, ut a dæmonis malignitate liberentur, 375. Petimus à diabolo liberari, & simul ab impiis hominibus, 374. Pietatis descriptio, 1050
Pietas erga Christum Jesum, 1021. Erga B. Virg. 1028. Pietas erga parentes debet semper durare, 521, uxorum erga maritos, 942
Platonis sententia la sa, 592
Pigri consuetudo, 1278. Pigri vilitas, Ibid.
Pœnitentiam cur Deus voluit esse Sacramentum, 725. Pœnitentiæ Sacramentum quando Deus instituit, 796. Ejus gratia, 625 Pœnitentium exempla 795, 802 Pœnitentiæ dupliciter sumitur, 795. Pœnitentia est Sacramentum. Ib. Pœnitentiæ tertia pars satisfactio, 839. Pœnitentiæ exempla, 569. Pœnitentia ordinata in remedium peccati, 844. Pœnitentiæ Sacramenti forma & ejusdem explicatio, 845. Pœnitentia facta confessione statim implenda, 849. Pœnitentiæ Sacramentum quomodo Pastor teneatur administrare, 880. Pœnitentis munus, 848. Pœnitens unde scire possit per moralem certitudinem se esse in gratia, 849. Pœnitens quædam peccata eligat corrigenda. 850 Pœnitens propositum firmum concipiat emendationis, Ibid. Pœnitentis recidivi gravia sibi accumulantis incommoda, Ibid. Pœnitens quasdam satisfactiones sibi imponat, Ibid. Pœnam omnem cur Deus nolit condonare, 839 ejus causæ, ibid. Pœnitentiam quidam male differunt ad finem vitæ, 815. Pœnitentia sera nunquam, si vera, 809 Pœnitentiæ partes tres, 808. Pœnitentiæ partium comparatio tribus muneribus magorum, tribus legatis pacis conciliatoribus, vitæ trium dierum in deserto, tribus portis cœlestis Hierusalem, 808, 809 Pœnitentia Henrici II. Regis Angliæ, ob eandem S. Thomæ Cantuar 841. Marcellini Papæ ob thus idolo adhibitum, 842. Pœnitentiæ graves olim imponi solitæ, 841. Pœnitentia differa usque in finem vitæ est injuriosa Deo, 292 Est difficilis & periculosa, ibid. Est infirma & parum secura, 293 Pœnitentiæ modi infiniti quibus Deus ad eandem hominem vocat, 101. Pœnitere nemo potest sine Dei gratia, 820 Pœnitenti restituitur gratia sanctificans, non autem semper accidentalia dona 797. Pœnitentia restituit gratiam ac merita priora, & remittit peccata, 797. Pœnitentiæ figuræ, ibid. Pœnitentia lapsis necessaria post baptismum, 796. Pœnitentiæ differentia a baptismo, Ibid.
Pollutio unde oriatur, 564, & 1244
Polygamia quare olim à Deo concessa, 969. Ejus mysterium, Ibid.
Potandi consuetudo quomodo tollenda, 1249
Potentes difficulter possunt Deo reddere rationem, 99
Praxis pro horis legendis, 1069 Praxis ad alendam pietatem erga Christum, 1025 Praxis piæ prædicationem devote peragendi, 1093. Praxis puræ intentionis, Ibid. Praxes aliquot pietatis erga Deiparam, 1030, ad puram intentionem fovendam, 1019 Ardoris animi ad divina, 1036, ad digne celebrandum vel communicandum, 1058
Prædestinati quinam in hac vita sint incertum, 46 Objectio de prædestinatione. 47
Prælati Ecclesiæ qualiter se gerere debent, 15. Prælatorum mala vita quid causet, 1011
Præparatio ad sacrificium, 1017
Præsentia parochi, & testium, 985
Præsumptio repugnat spei per excessum, 291 Præsumptio est periculosum peccatum, 291. Præsumptione peccant hæretici, 291. Catholici, Ib. Pœnitentiam differentes, 292. Præsumptuosi descriptio. 1157. Præsumptio proprii ingenii & judicii hæresim procreat, 24
Presbyteræ quænam olim dictæ, 901
Preces nostræ ad Christum crucifixum, 325. Preces monialium sensum non intelligentium Deo placent, Ibid. & 1072
Processiones quare institutæ, 319 Earum cum venerab. Sacramento effectus, Ibid.
Procuratoris cujusdam moribundi exemplum, 815
Prolis expositio in sylvis aut aliis locis quale peccatum, 865. Prolis pravæ institutionis exempla, 957. Prolis cura ab utero, 954. Prolis cura in utero, 951. Proles per preces impetrata, 950 Prolis oppressio quale crimen, 865. Prolis institutio, 954
Prophetia S. Hildegardis de Germania, 101
Providentia Dei nutrix nostra, 44. Providentiæ Dei acquiescendum est, 350 Providentia Dei omnes conveniente pascit cibo, 747
Proximo debemus amorem benevolentiæ, 413 Affectum beneficentiæ, & supportationis in infirmitatibus ejus, Ibid. Affectum gaudii in prosperis & compassionis in adversis, Ibid. Reductionem à via erroris. 454

Digitized by Google

Prudentiæ effectus, 1113. Ejus Hieroglyphicum, 1114
Pſalterium addiſcere Deo gratum eſt, 1079. Pſalmi quomodo diſtribuantur, 1080
Puerilis indoles diligenter excolenda, 958

R.

RAptus quid, 564 975
Recollectionis praxis, 1067. Recollectionis ſtatus, 1066
Rectus corde quis, 977
Regnum Chriſti perfectiſſimum petimus, 343
Regnum Dei acquirendi modi. Ibid. Regnum Dei in nos qualiter poſtulandum. 342. Regnum Dei quod, & quando perfectiſſimum, 343. Quando adveniet, 345. Regnum Dei licèt intallibile, tamen precandum. ib. Regnum Dei conſequendi medium eſt facere voluntatem Dei. Ibid Regni Chriſti duces, 341. Regnum dicitur Eccleſia militans & triumphans, 340. Regnum Dei duplex, Ibid Regnum ſpirituale & internum, Ibid. Regni diaboli duces tres, 341
Reges & Principes peccant injuſtis exactionibus, 575 Bella conflantes injuſta, ibid. Publica bona malè adminiſtrantes, & in proprium commodum. 576
Religionis Catholicæ Harmonia 18. Religio unde dicatur, 22. Religionis ſtatus ob defectum aliquorum non culpandus, 25. Religioſorum munus, 905
Reliquiarum uſus impugnatur, 494. Reliquiarum conſervationis Dei cura, 489. Reliquiarum SS. honorem ipſi Sancti approbant, 492. Reliquias SS. Angeli honorant, 480. Reliquias SS. Deus honorat, 488. Reliquiæ SS. cur dignæ honore, 489. Reliquiarum SS uſus & utilitas, 493 Reliquiæ SS. cur vocentur fontes ſalutiferi, 490
Remedia contra peccata venialia, 317. Contra maleficia, 483 Contra jurandi conſuetudinem, 502
Remiſſio peccatorum quomodo petenda, 357
Rempubl. benè vel malè habere, quinque oſtendunt. 1020
Reproborum numerus magnus, 47. De prædeſtinatione & reprobatione objectio & reſolutio, ibid. Reprobatio unde facta ſit. 46
Reſolutiones paſtorales circa præcepta Decalogi, 1289 De votis, 1295. De vitiis capitalibus, 1326 Circa Sacramenta, 642. Circa Sacram Baptiſmi, 682. Euchariſtiæ, 779. De Miſſa & ejus celebratione, 781. & ſeqq De Miſſa audienda, & cauſis excuſantibus, 788. & ſeqq. Circa Sacram. Pœnitentiæ, de ejus integritate & miniſtro, 851. & ſeqq. De caſibus Epiſcopo reſervatis, 862. De extrema Unctione, ejus miniſtro & ſuſcipiente, de modo adjuvandi moribundum, & mortuorum ſepultura, 886. & ſeqq. Circa Sacram. Ordinis, 909. De ordinandis vel ordinatis, & eorum impedimentis ac lectione horarum, ibid. Circa Sacram. Matrimonii de denunciationibus, 982. De præſentia parochi & teſtium, 985. De tempore & loco. 986. De conſenſu & debito conjugali. 988. & 989, &c.
Reſurrectionis noſtræ tempus incertum, 241. Reſurrectionis noſtræ locus, ibid. Reſurrectionis noſtræ circumſtantia, 242. Reſurrectionis tempore vitioſa corpora erunt perfectiſſima, 241. Reſurget idem numero corpus, 240 Reſurget idem corpus in ſubſtantia, mutabitur in accidentibus, ib. Reſurrectionis fides ſolamen fuit martyribus in tormentis, 239. Reſurrectionis ſymbolum, ib. Reſurrectio Deo facillima, 238. Reſurrectio mortuorum probatur, 237 Reſurrectio Chriſti, quære Chriſtus.
Reſponſoria. Antiphonæ, Collecta, quid denotent, 1081.
Ritus in virginibus ſolemniter vovendis ſubeundi. 937
Rudolphi Maximiliani literæ ad Pontificem, 215

S.

SAbbathi obſervatio ab origine mundi, 505 Sabbathi obſervatio ſtrictior fuit in lege Moyſis, 507. Ejus violatio pœna mortis, ibid. Plurima eo die prohibebantur, ibid Sabbathi dies rectè mutatus eſt ab Eccleſia in diem Dominicum, 508. Sabbathum magnum eſt annus Jubilæi, ibid. Sabbathum colendi præceptum omnes homines penè trantgrediuntur. 514 Sabbathum Judæi ſuperſtitioſè celebrabant, 507. Sabbathum etiam dicitur de anno 7 Sabbathum terræ. Ibid.
Sacerdos eſt ſimilis Filio hominis, id eſt, Chriſto, 422. Ejus veſtitus podere & ſtola juſtitiæ, 436 Eſt præcinctus zona aurea ad mamillas ſive cingulo caſtitatis, 437. Ejus oculi flamma ignis, 438. Sacerdotes in lege naturæ fuerunt primogeniti, 901 Horum primogenitorum præeminentiæ. Ibid Sacerdos primarius Chriſtus, 1021 Sacerdotum exemplar Chriſtus, 1022. Eorum centrum & intentio Chriſtus, Ibid. Sacerdotes avaritiam fugiant. 1101 Sacerdotibus virginum familiaritas fugienda, 1100. Sacerdotes cur vocentur Angeli, 1207 Sacerdotes quâ reverentiâ oporteat operari ſacris, 1084. Eos decet temperantia, 1110. Sacerdos baptizans contrahit affinitatem ſpiritualem, 685. Debet habere manus puras, 847. Sacerdotium duplex, 900. Sacerdotij duplices flores, 1021. Sacerdos non celebrans quàm malè facit, 1054 Sacerdotibus etiam malis debetur honor, 526. Sacerdotum manus, 901. Sacerdotum manſuetudo & charitas erga proximum, 1094. Proborum exempla, 1037. Sacerdotum pia vita quanti facienda, 1020. Sacerdotum humilitas, 1043. Sacerdotum ritus expiandi peccatum, 526 Ordo unde, 900. Sacerdotes ſtomacho comparantur, 1019. Sacerdotum vita hieroglyphicum,

Digitized by Google

1573

cum,ibid.Sacerdotes boni qualia bona cauſant, ibid. Sacerdotum mala vita quæ damna procreat.10, 6.Sacerdotes quibus pœnis Deus olim puniverit,ib. Sacerdotum peccata aliorum peccatis graviora ſunt 1013. Probatur ratione exemp ibid.Sacerdotes mali.1007. Tepidi,1035. Sacerdotes improbi unde.Ibid Sacerdotes cur præ cæteris ſtudere debeant perfectioni, 1001. In ſæculo poſſunt eſſe perfecti,1033. Sacerdotalis obligatio,999 1000 Sacerdotalis ſtatus debet ſuſcipi cœlesti intentione, 1009. Qui repellendi à miniſterio Altaris, ibid. In Sacerdotibus requiritur ignis cœlestis,1035 Sacerdotum errores,1051. Virtutes 1001. Sacerdotum manſuetudo. 1048

Sacramenta ſigna viſibilia inviſibilis gratiæ, 610. Sacramentorum auctor Chriſtus,610 Sacramenta ſymbola noſtræ Religionis,612. Septem Sacramenta ſunt 7. lampades Eccleſiæ,609.& 622 Sacramenta à Chriſto multis de cauſis inſtituta, 611. Sacramentorum gratia,624. Sacramentorum ordinatio, ibid. Sacramenta ſingula propriam conferunt gratiam,625. Salutis remedia, 612. Superbiæ remedia, 615. Sacramentorum vis,624 Sacramenta vaſa Sanguinis Chriſti,623. Sacramenta fontes gratiæ,622 Sacramenta ſunt 7. lucernæ,ibid. Sacramentorum effectus, 620. Sacramenta non poſſunt mutari,619 Sacramentorum materia & forma, 617. Sacramentorum ſingulorum virtus, 614. Sacramentorum varii fructus,ibid. Sacramenta ſunt ſeptem, 613. Cur ſeptem. 614 Hæretici fugillant numerum, & Sacramenta,614. Ex Pſalmo xxii. colliguntur, 615. Sacramenta virtutem ex Paſſione Chriſti habent, 611. Sacramentorum ſignum triplex, Ibid Sacramentum indignè miniſtrans, novo ſe obligat peccato,640. Sacramenti effectum non variat miniſtri bonitas vel malitia, 638. Sacramentum miniſtrans intentus adultusque eſſe debet 636.Sacramentorum miniſtri ordinarie ſunt Sacerdotes, 634. Sacramentum remedium peccati pro parvulis,626.Pro adultis,627. Sacramenta 3. non poſſunt iterari,633. Sacramenti character eſt indelebilis, 632. Sacramenta etiam in lege veteri fuerunt, 627 Sacramenta etiam in ſtatu innocentiæ futura fuiſſe probabile eſt,625 Etiam fuerunt in lege naturæ aliqua poſt peccatum,626. Sacramenta quaſi ſigilla fœderis divini. 612

Sacrificii Miſſæ eminentia, 771. Sacrificii tres ſpecies, ibid. Sacrificium Crucis fuit perfectiſſimum holocauſtum, Ibid. Sacrificii definitio & quotuplex, 765. Sacrificium Chriſtus in Cœna obtulit, 763. Sacrificium etiam proficit Beatis, 769. Sacrificio in Eccleſia nihil divinius, 760. In eo abolendo hæreticorum furor, ibid. Ejus inſtitutio. 763. Sacrificium Miſſæ continet omnia genera ſacrificiorum veteris legis, 765. Sacrificium Miſſæ non licet privatis precibus interrumpere. 787

Sacrilegium quid, 564. Sacrilegium eſt gravißimum peccatum. 564

Sæculari homini tribus opus eſt. 1114

Saluti tria dona neceſſaria. 2

Sancti honores vel fugerunt,vel inviti ſuſceperunt, 1149. Sancti ante orationem peregrinas cogitationes rejiciebant, 1069

Sanctia virum è carcere liberat. 942

Sanguis pro fide fundendus, 15. Sanguinis Chriſti varii tituli. 622

Sanitates factæ verbis vel chartulis, quibus utuntur opiliones circa gregem, fabri ferrarii circa equos, villici circa pecora, vetulæ circa puerperas, milites contra ictus & globos fiunt ex pacto dæmonis. 476

Sapientia appropriatur filio. 57

Satisfactio Chriſti q. Chriſtus.

Satisfactio q Pœnitentia.

Scabini excœcantur ob injuſtitiam. 584

Scala Cœli,278.Scalæ gradus in Cœlum ducentes, 279 Scala & gradus reproborum. 20

Scientia non eſt vera,ubi non eſt vera fides. 16

Scientia multis damnatio. 1166

Secreta Patri ſpirituali aperienda. 369

Secundam perſonam incarnari conveniens. 78

Senecæ teſtamentum. 5

Senes vitioſi reprehenduntur,550. Senes juvenibus ſint bono exemplo, 529. Senibus debetur reverentia,ibid. Senior fratrem judicans ab Angelo reprehenditur. 588

Sepeliendi ritus. 149

Sepulturâ ſacrâ quinam priventur, 888

Servorum erga dominos reverentia,530 Servorum erga dominos peccata,531. Servi emblema, ibid. Fidelitas. Ibid.

Signi triplex genus.610. Signum Chriſtiani hominis quale,7. Signi Crucis utilitas. Ibid.

Simoniæ deteſtatio. 1189

Sobrietatis laus. 1112.& 1258

Sodomitarum vindictæ notabiles, 566. Sodomia quid. Ibid.

Somnium divinum à diabolico quomodo diſcernatur, 480. Somnia divina præbent notionem futurorum,ibid. Somnolentia prohibetur. 1278

Specula cur inventa. 1162

Spes quibus meritis firmatur, 270. Sperandi cauſa principalior gratia Dei,ibid Spei definitio, 267 Spei certitudo. 268. Unde oriatur, ibid. Spes mundi in fine hominem decipit, 265. Spes in operibus, amicis,&c. quàm fallax, 265. & 266. Spes mundi vana & fallax,263. 265. Spes in fine vitæ dat ſecuritatem.261.Spei varia nomina,ac ſymbola 256 Spei effectus& fructus,258.260 261 Spes firmatur finali perſeverantiâ ac gratiâ.275. Spes non eſt in Beatis nec in damnatis,269.Spes in Principum favore,gratia, & honoribus. 264 Spes animat & confortat in via ſalutis,258 Spes ſolatium in afflictionibus, 260. tollit anxietatem

tem in fine vitæ, 281. Spes noſtra poſt Chriſtum locatur in patrocinio B. M. Virg. 381
Spiritus S. appropriatur bonitas, 52. Spiritus S. gratia quid, 621. Spiritus S. cur in linguis igneis deſcenderit, 108. Spiritus S. cur in ſpecie ignis venerit, 207. Spiritus S. gratia per pluviam, vinum, rorem ſignificata, 205. 206. Spiritus S. gratia per aquam oſtenditur, 205. Spiritus S. cur apparuerit in transfiguratione in ſpecie nubis, 205. Spiritus intellectus in Daniele, 201. Spiritus S. Eccleſiam vivificat, regit, illuminat, 200. Spiritus S. procedit à Patre & Filio per voluntatem, 198. Spiritus S. eſt æqualis Patri & Filio. 197. Spiritus S. vocatur ex accommodatione Eccleſiæ & Scripturæ. 197. Spiritus S. cur in baptiſmo Chriſti in forma columbæ. 203
Sponſi & Sponſæ qualitates. 914
Sponſæ traductio in domum ſponſi. 945
Status non facilè deferendus. 1004
Sterilitatis tempore quid faciendum, 1060. Steriles corpore non debent eſſe ſteriles virtutibus 950
Stipendia injuſta exigentes peccant: ut judices, Advocati, & Procuratores. 576
Studium ſolidarum virtutum, 1041. Puritatis conſcientiæ, 1050 Meditationis, 1058 Studium orationis mentalis. 1058
Stuprum quid, 563. 865. Stupri mala & incommoda. 562
Subdiaconi officium. 898
Subditi debent Principibus, & Magiſtratibus tria, 530. Subditorum ſuperiores non honorantium peccata. Ibid.
Subditi debent Magiſtratus & Principes honorare, 535. Pro eis orare, ibid. Benè de iis loqui, Ibid. Tributa iis præbere. Ibid. Peccantes contra Magiſtratus quinam. Ibid.
Sumptio alimentorum naturæ ſuperfluorum, 1338.
Superbiæ autor 1144. Superbia quæ vitia procreet. 1148. Superbia nobilium, 1160. Mulierum, 1162. Superbia divitum 1161. Juvenum, 1164. Superbia piorum, 1167. Eruditorum, 1165. Superbia dæmonum, 1144. Superbiæ profunditas deſcenſus ad infernum, 1146. Superbia ſignum reprobationis, Ibid. Superbiæ remedia, 613. Ejus longitudo, 1160. Superbiæ dimenſiones, 1145. Superbiæ altitudo, 1145. Definitio, 1143. Ejus latitudo, 1148. Superbia ad profunda peccata deducit, 1146. Superborum maledictio 1172
Superiores inferiores ſymbolum fidei docere tenentur. 35
Superſtitio prohibetur primo præcepto Decalogi, 475
Superſtitioſi monendi ſunt & quinam. 476
Suſurrationis incommoda, 593. Suſurrones ſimiles diabolo. 594
Symboli Apoſtolici crebra recitatio utilis, 31 Symboli Apoſtolici articulos omnes oppugnarunt hæretici, 34. Symbola quatuor celebriora, 33. Symbolum fidei Apoſtoli compoſuerunt, ibid. Symbolum cur dictum, ibid. Symboli articulos fideles tenentur ſcire & credere. 36

T.

TArditatis deteſtatio. 1280
Temerarii judicii remedia, 590. Temerarium judicium unde oriatur, 589. Temerarium judicium quale peccatum, 588. Temerarium judicium prohibetur, 587. Non facilè judicandum de aliis, 588 & 591. Multis malè ceſſit. 591
Temperantia, vide Sobrietas. 1358
Templi Salomonis cum templo cœleſti comparatio, 150. Templorum noſtrorum figuræ & typi, 293. Templa hæretici prophanant, ibid. Templi Corporis Chriſti exſtructionis Coloniæ origo. 734
Temporis amiſſio unde, 1246. Temporis pretiosi conſideratio. 1285
Tentatio ne nos ſuperet petimus, 363. Tentationis remedium oratio, 365. Evitare occaſiones, 371. Refugium ad B. V. & SS 366. Jaculatoriæ preces, 366. Tentationem pellit refugium ad Crucem Chriſti, ibid. Noviſſimorum commemoratio, 368. Frequentatio Sacramentorum, 369. Frequens uſus Euchariſtiæ, 369. Reſiſtere initiis, 370. Tentationi viriliter reſiſtentium præmium. 362 Tentationis utilitates, 361. Tentationes hominis, 361. Tentationes bonorum, 377 Tentationes malorum, 376. Tentationes non ſentire non eſt in noſtra poteſtate, ſed conſentire. 368
Teporis deteſtatio, & quid ſit. 1277
Teſtimonii falſi gravitas, 580 581. Teſti falſo pœna talionis decernitur, 580. Teſtes quadrupliciter corrumpuntur, pecuniâ, amore, timore & odio, Ib. Teſtes falſi multipliciter peccant. Ibid.
Thomæ abſenti etiam poteſtas data fuit remittendi peccata. 168
S. Thereſia per xv. annos vix potuit meditari, 1060
Teſtamenta Eccleſiaſticorum. 1109
Timor non repugnat ſpei, 285. Timoris cauſæ, Ib. Timor filialis eſt cuſtodia gratiæ, 285 Timor ſervilis eſt inſtar pædagogi & fetæ, 283 Inſtar fræni, 284 Inſtar janitoris, Ib. Inſtar ſepis ac maceriæ, Ib. Timor ſervilis ex ſe bonus eſt, 283 Timori initium converſionis noſtræ, Ibid. Timor naturalis qualis, 282. Timor mundanus & vitioſus qualis. Ibid.
Tonſura clericorum quid denotet, 895. Prima tonſura quid. Ibid.
Traditionibus ſemper uſa eſt Eccleſia, 18. Traditionum neceſſitas, 17. Traditione cur multa ad nos devenerint, Ibid. Traditione neceſſario admittenda, Ibid. Traditionibus fides adhibenda. 15
Traductio ſponſæ in domum ſponſi. 945
Tributa & vectigalia moderata juſtè exigitur. 576
Trinitas multiplex, 52. Trinitatis ſecunda perſona convenienter fuit incarnata, 78. Prima perſona cur Pater dicatur, 56. Trinitatis myſterium ex crea-

Digitized by Google

ex creaturis colligitur 52. Credendum, non ſcrutandum ſymbolum Trinitatis 53. ſimilia pro myſterio Trinitatis, 53. Trinus numerus eſt myſticus, 53
Tubæ 7. contra Gulam, 1252. Tubæ 7. contra ſuperbiam, 1168. Tubæ 7. contra avaritiam, 1192. Tubæ 7. contra luxuriam, 1213. Tubæ 7. contra invidiam, 1291. Tubæ 7. contra gulam, 1252. Tubæ 7. contra iram, 1268. Tubæ 7. contra acediam. 1282
Tumoris explicatio & deteſtatio 1156
Turpiloquii deteſtatio, 1208. 1243

V.

VArietas Ordinum & Religionum non derogat nomini Chriſtiano, 5
Veneficium quid ſit, 864. Veneficii crimen graviſſimum. 481. Veneficium omne prohibetur, ibid. Veneficia amatoria vetantur, 482. Veneficiis variè dæmon utitur. ibid. Remedia contra veneficia 483
Veritas exulat ab aulis, 595. Veritatis emblema, 581. In quibus inveniatur. ibid.
Veſtalium caſtitatem violantium pœnæ, 564. Earum ſimilitudo cum ſponſis Chriſti, 939
Veſtem auiteriorem cur aliqui ordines elegerint, 1116. Veſtitus variorum Ordinum, ibid. Veſtium modeſtia, ibid.
Viduitas amore continentiæ & Dei ſuſcipienda, 980. Viduarum poſt conjugium religionem intrantium exempla, 978. Earum pulchra reſponſa, 980. Viduarum ſtatus, 976. Vidua verè viduitatem ſervans quomodo ſe habere debeat, 980. 981. Ejus ornamentum, ibid. Ejus quinque dotes, 982
Viles ad Pontificatum & Imperatoriam dignitatem evecti, 1160. 1161. Vilitas terrenorum bonorum, 1196
Vindicativus & ejus deſcriptio. 464
Virgæ Aaronicæ explicatio, 997. triplex miraculum, ibid. Fuit indicium poteſtatis Sacerdotalis 995. Virga quid denotet 995. Virga Aaronis baccas, flores, & fructus ſimul produxit, 998. Ea percuſſa petra, ibid. Virgæ hieroglyphicum, 995. Virgarum duarum apud Zachariam explicatio. 960
Virgines ſe ipſas occidentes quomodo excuſandæ. 543. Virginum ſtupratio graviter Deo diſplicet 565.
Virtutum cardinalium Symbola. 534
Vis quid, 975
Vitæ humanæ duæ viæ, 1276. Vitæ præſentis & futuræ miſeria, 379. Vita æterna conſiſtit in perpetua laude Dei, 248. conſiſtit in amore & fruitione Dei, 248. inviſione Dei, 247. Creationis noſtræ finis, 244. & 246. ut eam aſſequamur media à Deo 246. ſcopus eſt totius noſtræ religionis, 244
Vitia ſancti libere caſtigarunt 597
Vnctio in ſacerdote quid ſignificet, 893
Vocatio divina ordinaria & extraordinaria, 1008 Extraordinariè multi SS. vocati, ibid.
Voluntatis divinæ petitio, 345. Voluntas divina quomodo debeat adimpleri, 346. Et à quibus 347. Voluntas beneplaciti quæ, ibid. Voluntas Dei duplex, 345
Voluptas hæreſim generat, 24
Votum quid, 504. Vota Deo & SS. facta ſi non impleantur peccatum grave, ibid.
Vrbes memorabiles à mœnibus. 1145
Vſuræ malæ, 1184. Vſura duplex eſt, ibid. Vſurpantes bona Eccleſiæ, 870
Vox æternæ ſapientiæ impiis exprobrantis, 804 Vox Chriſti invitantis peccatores ibid. Vox Dei adhortantis ad pœnitentiam, 803. Vox Dei ad obſtinatos, ibid. Vox: Ecce: quid indicat, 747 Vox, qui es, propriè convenit Deo. 335. Vox: pater, excitat in nobis fiduciam filialem, 333. Vox: noſter, 1. nos monet fraternæ charitatis, 2. orationis pro aliis. 335
Vxor Loth quare verſa in ſtatuam ſalis, 566. Mira de ejus ſtatua, ibid. Vxor cur formata ex coſta, 940. Vxores olim duplicis generis, 969. Vxorum pietas in maritos. 942

Z.

ZElotyptæ remedia, 646
Zelus chriſtianorum in novo orbe. 32
Zelus ſpiritualis, 122. Zelus indiſcretus moderandus, 1115. Zelus animarum, 3087
Zona aurea quid, 437

FINIS.

Digitized by Google

HOMINI MORTALI
AD IMMORTALITATEM ADSPIRANTI
ÆTERNITATIS BEATÆ
CANDIDATO SPECVLVM.

Cogitavi Dies antiquos, & annos æternos in mente habui, Pſalm. 76.

Jac. 1. LOquar ad Cor tuum pauca, ſi vis, ô Homo incola terræ, Cœli civis. Statuam faciem tuam ante faciem tuam. Te ante te. Ecce enim SPECVLVM, *in quo conſideres vultum nativitatis tuæ.* Rogo te ne celeriter
Hier. 18. tranſeas, *ſtatum obſcurum qualis fuerit.*

Quæ eſt Origo tua?

Deſcende in Domum Figuli, & ſcies.

Quod Nomen tuum?

Homo de humo. Adam de Adam, lutum de luto.

Quæ Parentela?

Putredini dixi, Pater meus es, Soror mea, vermibus.

Job. 17.

Quis tuus Finis eſt?

Cinis eſt: Vide, ne ſit Ignis.

Quid ipſa vita?

Ad mortem currit, etiam in vita.

Sed cur dico ad Mortem? Navigat ad ÆTERNITATEM. Et quidem proſperè, plenis velis, ſi ita velis. Fides ſit Anchora, Spes Velum, Crux ſit erecta in Malum, non collideris, non impinges in malum. Sic enim inſtructa,

Fluctuat, at nunquam mergitur illa ratis.

Dirigit Navem Vector in fine ſedens, ſic tu vitam. Attende exitum, præcave exitium. Ut non impingas in Scopulum, reſpice ſemper Scopum. Quò tendis? Ad immortalitatem. Quâ viâ? Per mortis tramitem? Si ſæpè reſpicis umbram Occidentis tui: pertinges ad veram lucem Orientis æterni. Sed *Væ illis, quibus*
Hier. 6. *facta ſunt umbræ longiores veſperi*, inquit Propheta. Illud Væ, tu cave. Quomodo cavebis?

Cogita dies antiquos, & annos æternos in mente habe.

Pſal. 76. In illis exercitare ſcopens, fodiens, ſarriens. *Scopebam*, inquit, *ſpiritum meum*: Legit D. Hieronymus, fodiebam, ſarriebam. Opto tibi tale ſarculum, quo omnem expungas infælicem ſurculum; Sic enim fiet,
Ezech. 8. ut ab illa *Securi* ſis ſecurus, quæ eſt *ad Radicem* infructuoſæ arbori. Exercitare ergo ſarriens, ſed & fodiens. Quomodo fodiens? Audi ex ore Domini: *Fili hominis fode parietem, ut inveniæs abominationem.* Sagaci
Jonæ 1. cum ſcientia, ſcrutare Conſcientiam: Quære te in te, & quære à te illud Jonæ:

Quod opus tuum? quæ terra tua? aut quo vadis?

Cogitabam ait nocte, *Nunquid in æternum projiciet Deus?* Illud Æternum, ſæpe meditare, & quidem cum corde, cum gemitu columbæ. Etenim, ſi *Pondus Ignis* devorantis, ſi *flatum venti* impios involventis,
Pſal. 76. vitare cupis, illud *Pondera*, hunc *Menſura. Deſcende* in infernum vivens, ſi non vis deſcendere moriens. Et
4. Eſdr. 4. ſic cogitans Annos Æternos, *Revoca diem, qui præteriit*, O ſi viam Adoleſcentiæ, *viamque Navicula tua*
Prov 30. inter *Mirabiles elationes maris* cognoſcere poſſis & dicere:

Recogitabo tibi annos in amaritudine animæ meæ!

Volvitur Annus, & revolvitur: Volvimur & nos mirè, ſed involvimur, in viis de viis, in circuitu ambulamus. Quamdiu in hoc Orbe agimus, in orbem agimur, inſtabiles, velut in verſatili rotâ, velut in cæci Sampſonis molâ. Quid amplius? In labyrintho degimus; quo magis progredimur, magis intricamur. Quid conſilii? Juvenis ille (Theſeus) olim facilem invenit viam, ducente filo, quod Regia Virgo Ariadne illi tetenderat. Te ergo quicunque in hac lubrica & implexa vis anxius ceſpitas, advoco: Et ne deſpondeas, Virginum Virginem Ducem ſpondeo. Hæc fœlici filo præducet, & ad optatam Æternitatem perducet. Ad hanc profugus refugias, deplorans exilium, implorans auxilium, offerens ei hunc gemitum Columbæ Eccleſiæ Matris tuæ:

Ad te clamamus exules filij Evæ. At te ſuſpiramus gementes & flentes in hac lachrymarum valle. Illos tuos miſericordes oculos ad nos converte. Et JESUM *benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende, O Clemens, ô Pia, ô Dulcis* Virgo Maria! Amen.

Digitized by Google

Laboratorio di Restauro
Leandro Gottscher
Via del Boschetto, 97
Roma

Digitized by Google

Digitized by Google